Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ind. Matth. Wolffgang Sculps. Aug. Vind.

SAMVEL
LYBER BARO DE RVFFENDORF

BIBLIOTECA CENTRALE DI TORINO

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFI
COMMENTARIORUM
DE
REBUS SUECICIS
LIBRI XXVI.
AB EXPEDITIONE
GUSTAVI ADOLFI
REGIS IN GERMANIAM
ad abdicationem usque
CHRISTINÆ.

Editio altera emendatior.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis speciali.

Sacrae
H. Benin



Regiae Majestati
D. D. D.

FRANCOFURTI ad MOENUM.

Sumptibus FRIDERICI KNOCHII,
M. D C C. V.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO
ATQUE
POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO
CAROLO XI,

SUECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE REGI, ET PRINCIPI HÆREDITARIO, MAGNO DUCI FINLANDIÆ, DUCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIÆ, ET VANDALIÆ, PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO INGRIÆ ET WISMARIÆ; NEC NON COMITI PALATINO RHENI, BAVARIÆ, JULIACI CLIVIÆ ET MONTIUM DUCI, DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

POstquam in morem eruditos inter invaluit, operibus ſuis, quos publicam in lucem emittunt, certos patronos adſciſcere, teſtandæ in hos devotioni, aut ut iſtis ab horum auctoritate favoris quid aut tutelæ concilient; haud ſane alterius quàm MAJESTATIS TUÆ auguſtum nomen potiori jure in frontiſpicio hujus libri fulgere debuit. Tuis quippe auſpiciis, Tuoqve autoramento iſthæc ſcripto ſuſcepta fuit, ſic ut peculiari nomine ad neminem propius, quàm

Digitized by Google

DEDICATIO.

MAJESTATEM TUAM ſpectet, Tuumque adeo opus habendum ſit, quo publicæ memoriæ conſignari voluiſti geſta Tuæ gentis, quo tempore illa ab omni retro memoria viris armisque quàm maximè floruit. Id inſtitutum quantum favoris MAJESTATI TUÆ orbem apud eruditum conciliet, ſimul quam præclare de Anteceſſoribus Tuis, ac nomine Suecico merearis, fidentius exponerem, ſi ingenio ac ſtylo meo argumenti ſplendorem æquare valuiſſem. Nec ideo tamen improbum fuerit ſperare, aliquod operæ pretium à me factum, quod cordatis ſolida rerum magis, etſi non niſi nativa ſimplicitate commendata, æſtimentur, quam adſcititii cultus anxietas. Quos & ipſa rerum pondera ita explebunt, ut qui ab autoris eloquentia accedere poterat ornatum parum deſideraturi ſint; ſicuti qui fulgorem gemmæ mirantur, metallum, cui hæc includitur, inter vilia ducunt. Jam igitur MAJESTATIS Tuæ cura extat juſta Hiſtoria belli, quod hoc ſeculo maxima mole geſtum fuit, nec minus glorioſiſſimæ Suecico nomini pacis, quæ poſt exhauſtas omnes tergiverſationum artes demum multos per annos vix evaleſcere potuit: quam non incertis è rumoribus, conjecturisque, aut ad libidinem detortis aut interpolatis narrationibus, ſed è documentis omni exceptione majoribus ſumma fide expreſſam damus. Non amplius igitur invidorum malignitati, aut temporum injuriæ obnoxia erit gloria rerum à Suecica gente per Germaniam geſtarum, & quo ſucceſſu iſta non minus armorum vigore, quam conſiliorum ſoliditate & conſtantia formidoloſam Europæ tunc potentiam libraverit, veteremque Gothorum famam renovarit, eo majori cum favore, quo meliore pro cauſa, & placidiore nunc exitu, quam ab iſtis olim pugnatum fuit. Nam qui de alienis certare Regiam Laudem jactant, non cogitare videntur, omne Regnum ſub graviore Regno eſſe, & nihil veræ laudis habere famam, quæ per aliorum injuſtam oppreſſionem paratur. Enimverò genuina illa, ac nulli querelæ obnoxia gloria eſt, niſi apud eos, queis injuriæ materia ſubtracta fuit, evolutos fortunis ſuis Principes Proceresque reſtituiſſe, ac libertatem Germaniæ inſtauraſſe, jam exitio propinquam, & plures ſecum in ſervitium pertracturam, ſi ſcopum tunc ſuum attingere potuiſſet enormis dominandi libido. Et quod præcipuum eſt, puriora per Germaniam ſacra conſervata, queis exitium intentabat avaris juxta, crudelibusque ſacerdotum inſtinctibus excitata ambitio. Nam etſi vis atque arma, & quicquid terroris lucrive ſpecie animos mortalium labefactat,

ab-

Digitized by Google

abſurdum ſit inſtrumentum promovendæ religioni, quæ niſi à libera, & de veritate iſtius ſolide perſuaſa mente proficiſcatur, inanis habenda eſt: haut nefas tamen fuerit vim expromere, ſaltem adverſus illos quorum imperio plane non ſis obnoxius, qui ad diverſa ſacra compellere inſtituant. Cum vel delicatiſſima pars libertatis humanæ ſit, invitum non cogi ad profitenda dogmata, quæ vel ſuperſtitio, vel ſacerdotum faſtus aut avaritia commenta eſt. Ex eo quippe genere eſſe, queis Noſtrates Eccleſiæ à Romana diſſentiunt, nemo inficias iverit, niſi rerum plane ignarus, aut cui præjudicio mens occæcata fuit, vel in ſilicem frons obduruit; eo nocentiore inſtituto, quod tanto plus fraudium & violentiæ adhibeatur, quam magis veritatis fundamento ea ſcita deſtituuntur, iſtiusque ſectæ ſacerdotes proniores ſint ad exitio involvendos à ſe diſſentientes, ſtimulosque aliorum ambitioni ſubdendos. Cum igitur Suecicis armis effectum ſit, ne magna Germaniæ pars tunc ſacerdotum dominatum iterum ſubiret, ſimul Principum, Ordinumque libertas, quæ non parum titubabat, firmaretur, ingens ſane nomini Suecico apud iſtam nationem favor partus eſſe debet, ipſis quoque cordatioribus adverſæ factionis probantibus modeſtiam modico præmio adquieſcentis victoriæ. Tanti erga Germaniam meriti monumentum MAJESTATIS Tuæ proviſu condi eo plus gratiæ habet, quo magis conſilia Tua eo collimant, ut beneficium iſtud perſiſtat illibatum perpetuumque, cognatasque inter gentes æterna pax atque amicitia perſiſtat, in ordinem redactis, qui alterare eandem aut evertere auſi fuerint. Quantum porro favoris huic ineſt officio, quod Anteceſſoribus Tuis MAJESTAS TUA procurato hoc opere exhibuit? A quibus cum Regnum ad Ipſam longe ornatius auctiusque ſit devolutum, nil aliud, quod ipſorum meritis reponi queat, ſupereſt, quam glorioſam eorundem memoriam à temporum injuria conſervaſſe, ac ne quid de illa deterere aliorum malevolentia aut inſcitia valeat effeciſſe. Præſertim cum & divus Parens Tuus non modicam partem hujus Operis faciat, cui etſi pax mature ſuperveniens occaſionem tunc ſubtraxiſſet oſtendendi, quas imperandi artes parendo didiciſſet; eo ipſo tamen cæterorum hoc bello Imperatorum famam ac merita æquaſſe judicandus eſt, quod prudentia ſua atque conſtantia effecit, ut ſolidos pacis fructus Germania perciperet, nec inanes tabulas executione caſſas Suecia domum reportaret, poſtquam hoſtium artes eo demum incumbebant, ut quorum armis concedere cogebantur, eos eluſa conventorum impletione irritos haberent. Præterea & iſthoc

MA-

DEDICATIO.

MAJESTATIS Tuæ inſtitutum populo Tuo non poteſt non eſſe gratiſſimum, dum tot civium Tuorum toga ſagoque præclarorum facinora oblivione ſepeliri non pateris. Is quippe egregiis viris debetur honor, ut, cum mortalitatis lex omnes necis ſorte æquarit; memoria tamen ſuperſtes iſtos vulgo ſecernat. Et hic quam maxime durabilis eſt virtutis fructus, quem poſteritas læta commemoratione rependit, quando cætera temporum injuria & varietas dudum abſorpſit. Redundat autem & hoc in MAJESTATIS TUÆ decus, præclaris geſtis nobilitatæ nationi imperare; & eo acrius ad parem virtutem enitentur poſteri, ubi viderint majorum facta condigno monumento honeſtari, diſpari planè à veterum Gothorum conditione, quum iſti quidem ad exterminandas bonas literas nati viderentur, illi autem, quos præſens ſeculum tulit, Gothi gloriam armis partam ope literarum conſervare nitantur; quæ ſi rectè æſtimes, omnibus rebus amœnam quandam lucem affundere valent, ſicuti & amotis illis quantascunque opes illætabili quodam ſqualore obfuſcari adparet. Denique & illos, queis non niſi curioſitatem ſuam demulcere cordi eſt, non parum hoc opere MAJESTAS Tua ſibi obſtrinxit, quo vix aliud hoc ſeculo tot memorabiles caſus, eventusque, tam acrem armorum & conſiliorum contentionem, tantaſque rerum converſionem complectitur. Me quidem, cum MAJESTATIS Tuæ egregia deſtinata induſtria mea æquare conarer, uſque adeo pulcerrimi argumenti ſpecies ceperat, ut ſupra vires connixus tantum non labori huic immorerer. Licuit tamen favente Numine ſuperare exitiabilem morbum, ut reliquo MAJESTATIS Tuæ deſiderio ſatis fieri queat, quo Divi Parentis Tui geſta peculiari volumine componi imperaſti. Ad quæ perficienda ingens mihi ſtimulus addetur, ſimul exhauſti laboris ærumnoſiſſimi ſolamen erit, ſi ſerena fronte opus hoc MAJESTAS Tua ſuſcipere dignata fuerit. Quod & ipſum læti inſtar augurii me eriget, ab Orbe literato idem improbatum non iri, ubi ei, cujus autoritate ſuſceptum eſt, æſtimetur. Ita DEUS O. M. MAJESTATEM Tuam Regni ſui Orbisque Chriſtiani bono diu incolumem omnique felicitate mactam conſervet.

REGIÆ MAJESTATIS TUÆ

Holmiæ Kal. Sextil.
Aº. 1685.

Devotiſſimus
SAMUEL à PUFENDORF.

Digitized by Google

LECTORI BENIVOLO
SALUTEM.

CUm & communis mos, & ipſa decori ratio prodeunte in publicum hoc Opere quædam præfari exigat, id quidem ſupervacuum fuerit multa ſuper argumenti præſtantia memorare, quod ſui nobilitate omnibus ſeſe ultro commendat. Cui ſi â ſcriptore par cultus acceſſiſſet, ipſe operis titulus ſplendidiſſimi elogii vicem implere poſſet. Enimvero tam vaſtam juxta, arduamque materiam ad faſtidioſi guſtum ſeculi adornare longe ſupra ingenii mei menſuram poſitum fuit; quin nec licuit ſaltem id temporis adhibere, quod eidem expoliendæ requirebatur. Nam cum initio huic functioni me admoveret Sereniſſimus ac Potentiſſimus Sueciæ Rex, CAROLUS Undecimus, Dominus meus Clementiſſimus, divi Parentis ſui CAROLI GUSTAVI hiſtoriam condere jubebat. Quæ etſi quantumcunque ingenium defatigare poterat; tamen poſtquam fontes hiſtoriæ Suecicæ adire mihi licuit, inſtinctu quodam raptus ſum ad hunc prius laborem abſolvendum; cum noſſem & exterorum multos indignari, caliginem, quæ tam illuſtria geſta per aliorum inſcitiam aut malignitatem paſſim obfuſcat, domeſtici ſcriptoris diligentia non diſpelli; ſimul perſpicerem raros in his oris dari, qui operi difficillimo ætatem impendere velint, iſto præcipue fructu contenti, quem conſcientia meriti in publicum, & qualiscunque nominis celebritas non niſi nobilioribus animabus adprobat. Et quia cum expeditione GUSTAVI ADOLFI, glorioſiſſimi Regum, nova velut tela rerum Suecicarum ſurgit, plurimum lucis ſequentium temporum hiſtoriæ acceſſurum judicavi, ſi iſta prius rite digeſta fuerit. Sed cum CAROLUS GUSTAVUS ſubinde aurem velleret, hoc ſcriptum non licuit decimum in annum premere incerto mortalibus vitæ ſpatio, & quia ſatius duxi utcunque adornatum in lucem me vivo producere, quam poſt fata mea orbum aliorum novercali forte curæ transmittere. Cæterum hoc opere non diffiteor levamenti multum mihi acceſſiſſe è labore Bogislai Philippi Chemnitzii, qui bellum Germanicum à principio ad finem contexuit; cujus prima pars ad mortem Guſtavi Adolfi Latino & Teutonico ſermone, altera Axelio Oxenſtierna res Germanicas moderante Teutonico ſolo prodiit, quo & conſcripta ſunt reliqua volumina, quæ Archivo Regio inedita cuſtodiuntur. Nec pauca tamen ejus viri induſtria noſtræ curæ reliqua fecit; quod facile deprehendet, cui iſthanc hiſtoriam cum illius ſcriptis conferre libido aut facultas eſt. Nam haut eo minus omnia Archivi Regii acta iſtorum annorum evolvenda fuerunt; ubi plurima ab eo præterita inveni, quæ maximè ad rem mihi facere videbantur: è reliquis multa ſuperflua; & lectori faſtidium paritura amputare placuit, aut quantum per molem rerum dabatur, in caſtigatam brevitatem redigere. Sed quæ cum aliis extra Germaniam aut ipſa in Suecia acta ſunt, illi prætermiſſa, ſuo quæque loco inſerui, ut quid toto hoc tempore negotiorum Sueciæ cum exteris interceſſerit, heic uno obtutu conſpici queat. Domeſtica, niſi quæ ſummam rerum ſpectant, tangere omiſi; quod iſtis exteri parum capiantur, apud quos CHRISTINÆ Reginæ geſta

gesta cumprimis illustrare instituimus. Cæterum in hoc opere, quod præcipuum historici officium est, fidem summa religione præstitimus. Consilia authenticis ex actis depromsimus, à nobis nullibi interpolata; eventus è litteris Ducum bellicorum & Legatorum repræsentavimus. Adversæ partis consilia & acta non ulterius fere tradere curæ fuit, quam qua nostrorum velut oculis incurrerunt. Ejusdem arcana conjiciendo rimari, aut interpretari temerarium fuit habitum. Quin & lectori judicium ubique integrum reliquimus, quid nobis videatur, haut interposito; cum aliena gesta memorare, non censuram in eadem exercere constitutum fuerit. Affectibus porro usque adeo nihil me dedisse in aprico est, ut nec illorum offensam metuam, qui tunc cum Suecia adversis non minus consiliis quam armis certavere. Quibus tamen si forte displiceat, non nulla à me publicata, quæ taceri, aut oblivione sepeliri maluissent, nosse debent, ea lege natos esse Principes, ut ipsorum egregia aut prava facta non possint non in multorum notitiam incurrere, quæ qualiacunque invenerit ad posteritatis memoriam transmittere suo jure haut dubitat Historia, cujus liberrimam censuram nemo Principum nisi recte agendo effugerit. Et si maxime in præsens civibus silentium metus imperet, sequentis tamen temporis, aut exterorum calamos ne potentissimus quidem Monarcha coërcuerit. Dictionem sectatus sum quantum licuit planam atque perspicuam, nullo fuco, aut adscititiis ornamentis turgidam; nec abstinui aliquando vocabulis, ac loquendi formulis communi usu hujus seculi receptis, utut antiquæ Latinitati ignoratis. Id quod cordati facile condonabunt, qui solida rerum, non flosculos verborum, aut acumina sententiolarum ex ejusmodi scriptis petunt. Præsertim si vastitatem operis, & tempus, quo id absolvimus, cogitare velint. Nam quadriennii spatio ista conscripsimus, cum aliis negotiis subinde distracti, tum nec curis illis vacui, queis merito levari debuerant, qui operam suam ejusmodi monumentis condendis addixere; sic ut de singulis dictionibus in consilium ire, aut Taciti sententias hinc inde intexere, mihi haut vacaverit. Et ita contumax est materia tractatuum, ut si ad veterum Scriptorum indolem flectere eandem instituas, obscuritate præter necessitatem ipsam involuturus, cordatisque indignationem aut nauseam moturus sis; quibus in historico id maxime quæritur, ut neque falsi quid dicat, nec veri quid non dicat. Quod cum optima fide à me præstitum sit; facile id cætera supplebit, quæ longior fortasse cura demulcendis delicatis addere poterat. B. V.

PRÆ

Digitized by Google

PRÆFATIO BIBLIOPOLÆ
AD
LECTOREM.

CUm anno ſuperiori Perilluſtris Domini Baronis de PUFENDORF *Introductionem ad Hiſtoriam Europæam, Latino ſermone redditam, & ſupplemento uſque ad initium ſeculi decimi octavi, itemque Compendio Hiſtoriæ Suecicæ auctam*, in lucem publicam proferrem, promiſi, proximè editurum me Ejuſdem Auctoris COMMENTARIORUM DE REBUS SUECICIS LIBROS XXVI. quibus res geſtas GUSTAVI ADOLPHI, AB EXPEDITIONE IN GERMANIAM, AD ABDICATIONEM CHRISTINÆ æternitati conſecravit. Quod tum temporis ſum pollicitus, id reapſe nunc præſto, & ſic præſtare ſum conatus, ut non ſine cauſa LECTORUM gratiam & benevolentiam mihi promittere poſſim. Primùm enim Editionem, quæ in Belgio apud Batavos prodiit, ab innumeris, quibus ſcatebat, erratis typographicis, quæ B. Auctor in Manuali ſuo ipſe correxerat, mihique ante obitum communicaverat, emaculavi. Adjeci deinde haut pauca, quæ PUFENDORFIUS in ſecunda hac Editione addi volebat, quibus ea, quæ obſcurius tunc dicta videbantur, illuſtravit, & quæ deerant ſupplere voluit. Typo uſus ſum planè novo, eoque nitidiſſimo, qui in Papyro paulo majori ſplendorem huic operi conciliabit peregregium. Et ne quid amplius poſſet deſiderari, duobus uſus ſum VIRIS DOCTISSIMIS, iisque oculatis, qui ter relegerent plagulas, quæ ex officina mihi reddebantur, adeoque efficerent, ut hæc Editio ſine maculis, quantum humana fieri poteſt induſtria, conſpiciendam ſe præberet. Nullis peperci ſumtibus, nullis laboribus, dedique operam, ut deſiderio B. AUCTORIS, Ejusque VIDUÆ, quæ mihi Optimi Mariti exemplar, quo familiariter uti ſolebat, ſuppeditavit, plane & ex ipſorum voto ſatisfacerem. Si Tibi, LECTOR BENEVOLE, hi conatus mei non diſplicent, efficiam, ut deinceps quoque, vel in edendis libris PUFENDORFIANIS, vel aliis, quos in manibus habeo, diligentiam meam probare poſſim. VALE!

* * *

IN

Digitized by Google

IN
AMPLISSIMI & CLARISSIMI
VIRI
SAMUELIS PUFENDORFI
SERENISSIMO SVECORUM REGI
A Conſiliis & Secretis,
NEC NON
Regni Suecici Hiſtoriographi,
Commentarios Rerum Suecicarum,

CARMINA.

Ηεαχλεῖα ναχῶν ἀλκτῆρα βοηθὸν, ἀνδρῶν
Ἄλγε' δυσμενέων, ἔχος ἐῶν ἑταίρων.
Χειρίνλιω πάσης ἡρωΐδα κρείσσονα φήμης
Παυβενδορβιάδης ἰσοφέϊ λογέως.
Ηνορέη Γυσταῦος ἀγακλέος ἔμμορε τιμῆς,
Χειρὶν σοφίη, εὐεπίῃ σελίδες.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

PRincipis herois princeps certamina vates
Divino cecinit carmine Mœonides.
Vidit, & ingemuit, fortunatumque vocavit
Dux Macedo Hæmonium, buſta ſub ipſa, ducem.
Quid faceret, ſi Guſtavum ſpectaret Adolphum,
Et Puffendorffi prælia ſcripta manu!
Ederet hîc iterum gemitus, puto, teque beatum
Diceret ad tumulum mœſtus, Adolphe, tuum.

Aliud.

Docta manus Coi Venerem depinxit Apellis:
Dat Puffendorffi Pallada docta manus.
Tam pulchris certe vivisque coloribus illam
Exprimit, ut ſimilis vix magis ipſa ſibi.
Ante Jovis magni natam, Jovis ante ſororem
Vicit in Ideis Cypria diva jugis.
At nunc germanamque Jovis, natamque Dionen
Vincit in Arctois docta Minerva jugis.

P. FRANCIUS

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ARma virumque legis, quo Gothica Principe ſigna
Extimuit dubiis debilis Iſter aquis.
Quo ducente caput Germania ſuſtulit altum;
Soſpite quo faciles ſenſit habere Deos.
Chriſtinæ pia geſta legis, gelidosque Triones
Inter Hyperboreas incaluiſſe nives:
Et Clarias, Phœbo non indignante, ſorores
Templa ſibi Arctois conſtituiſſe jugis.
Filia magnanimo non inficianda parenti;
Gradivum Aonios juſſit amare choros.
Magnæ molis erat bellacem condere Suecum:
Majus erat docta geſta referre fide.
Quamlibet invicto jactet ſe Suecia Marte,
Non alia condi debuit ille manu.

JANUS BROUKHUSIUS.

HOrrida Barbaries totum fœdaverat orbem,
Cimmeriaque omnes nocte offuſcaverat artes,
Et quæ Blanduſiæ vitro ſplendentior olim
Manarat, tetra Asphalti jam tetrior unda
Per terras ſeſe diffuderat Hippocrene.
Nam Latiæ expulſæ Veneres, Veneresque Pelasgæ,
Perque ſcholas omnes Thomas ſua ſceptra tenebat
Et Duns, raſorum par non ignobile fratrum,
Sed tenebris merſum, ac fœda ſtribligine plenum,
Albertusque utroque prior. Sed clarior oris
Verticis Aonii lux tandem affulſit opacis,
Heſperiæ imprimis magnæ, quam, nocte fugata,
Veſtierat primum meliori lumine Phœbus.
Tumque Arpinatis Pitho tumulata revixit
Rhetoris, Andinique Erato auguſtiſſima Vatis,
Et voces ſonuit Latium, velut ante, politas.
Nec ſua non Grajis rediit laus priſca Camenis,
Hellados umbroſis poſtquam de fontibus actæ,
Lautia in Italiæ atque aliis reperêre Lyceis
Apenninicolas ultra, gelidamque Pyrenen,
Et fines, Hetruſce, tuos. Illuſtria ſed qui
Hiſtoris Arcadici aut Patavini exempla referrent,
Geſtaque victuris mandarent omnia chartis
Majeſtate ſtyli gemina, geminoque nitore,
Rari apparebant, Græcæ poſt famina linguæ
Reddita, & Auſoniæ. Juſto ergo concita Zelo
Mnemoſyne, Ardaliduni mater grandæva Sororum,
Quæ promit, repetitque altæ monumenta ſenectæ,
Excitat haut cunctata Viros, qui, quicquid ab ævi
Principiis geſtum memorabile, pace vel armis,

Signa-

Digitized

Signarent faſtis per ſecula duraturis;
Utque erat ætatis Dea non ignara futuræ,
Sic & fatidicas præſago pectore voces
Edidit has tota Aonidum præſente Corona:
Sint ſua, ſint priſcis, dulces, mea gaudia, Natæ
Lumina, Thucydidæ, Herodoti, atque Polybii Achivis;
Sint ſua & antiquis radioſa Quiritibus aſtra,
Liviadæ, Flori, ac Criſpi, queis ore rotundo,
Nec ſine divino penetrantis acumine mentis,
Enarraſſe datum eſt clarorum facta virorum
Inclyta, & Irenes oleas, palmasque Gradivi.
Non effœta adeo ſunt poſtera ſecula, tantis
Ut ſimilem Hiſtoricis nequeant producere in auras,
Barbaries poſtquam ceu nox aterrima ceſſit,
Pulchrior & noſter terris illuxit Apollo,
Hucusque obſcuræ velatus ſyrmate nubis.
Scilicet ut forti videre hæc tempora Achilli,
Leuctrico & Heroi æquales, queis Græcia palmas
Victrices antiqua dedit, videre Camillis
Invicta virtute pares, magnisque Metellis,
Romulidisque aliis Mavortia caſtra ſecutis:
Taliter haut deſunt, nec deerunt, credite Muſæ,
Poſtea, perpetuis qui inſcribant nomina Regum,
Magnanimumque ducum felicia prælia faſtis,
Et proprium mittant ſic ipſi in ſecula nomen.
Jamque alii atque alii monumenta hæc talia promti
Condere, deſcribunt, Aquilæ quæ fata biroſtri,
Quæ fortuna Tago ſiet, quid Lilia ſpirent
Francica; quid regnis demtum adjectumve Britannis,
Quid Gothicis, Boreo poſitis ſubſidere ſceptris;
Auſonios quid turbet agros, Hadriæque profundum,
Cur Scytha Sauromatam vexet, Ruſſumque propinquum,
Quem Thrax infeſtet, quid Thraca & terreat ipſum.
Tres vero ante alios dein iſto ex ordine ſurgent,
Nulli antiquorum, quos Hellas, Romaque jactat,
Ingenio, calamo, atque oculata mente ſecundi.
Ac primum hos inter generoſo ſtemmate cretus
Belga, ſed Alſatiæ affixus felicibus arvis
Religionis opus tractans excurret in omnes
Europæ latebras, momentaque cuncta notabit.
Alſaticum excipiet Gallus, clariſſimus Heros,
Seu ſpectes præluſtre genus, ſeu flumina fandi,
Candidulamve fidem. Patriæ nam fata potentis,
Ætati propiora ſuæ, dum deteget orbi,
Crimina nec Regum, poſt dotes, fœda tacebit,
Europæque ſimul memoranda noviſſima vaſtæ
Inſeret æternis tabulis. Sed tertius illis
Non minor, Arctoi degens ſub climate cœli,
Aſt olim in Myſco prognatus SAXONIS agro,
SUECICI ALEXANDRI dum facta ingentia pandet

Divino

Digitized by Google

Divino eloquio, ter denos gesta per annos
Teutoniæ bella à primo, quod dicitur, ovo
Limpidus exponet postremi Livius ævi,
Nec vicinarum secreta indicta relinquet
Gentium Aristorida vel longe oculatior Argo.
Dixerat. Applaudit canæ mox consonus Ordo
Thespiadum Matri, memorique hæc mente reponit
Dicta, secuturis implenda fideliter annis,
Quin & Apollo Pater lætum ter sternuit omen.
Nec Dea vana fuit venturi temporis augur.
Ille etenim Argyropes Cato cordatissimus almæ
SLEIDANUS, telam postquam anno est orsus ab isto,
Tezelio quo se opposuit (qui cœlica nummis
Vendiderat per Saxoniæ Mysiæque feraces
Terras) cœlesti Lutherus percitus œstro,
Lucem Evangelii tenebrosa ex nocte reductam
Ostentans Orbi, variarum pondera rerum
Expendit pariter filumque extraxit ad illud
Tempus, quo Fratri Imperii commisit habenas
Ter magnus Carolus, quo sidera & ipse petivit
Autor. Eum excepit Gallorum è gente THUANUS,
Regni & grande decus, quo non facundius alter
Candidiusque fui percensuit omnia secli
Gesta per Europam, rabiosa Calumnia quicquid,
Et Lojoliticæ contra evomat ira cohortis.
Jamque illos sequitur, Mysiæ ingens gloria terræ,
Astrum & Hyperborei nitidum PUFENDORFIUS axis,
Tertius æternis celebrandus laudibus Histor.
GUSTAVI hic etenim (at quam celsi Herois!) ADOLPHI
Res cedro dignas, faustissima sceptraque magnæ
Virginis, ac veterum nulli imparis Heroinæ
CHRISTINÆ, augusto pulchroque volumine condens,
A Pace, ex altis Pragæ projecta fenestris
Quæ fuit, orsa capit, natasque exinde procellas
Teutonici Imperii, longique incendia belli,
Quicquid & hæc aliis actum per tempora regnis,
Æternante stylo serum transmittit in ævum.
I nunc, atque tuos tollas ad sidera priscos,
Græcia Thucydidas, tuque alma Oenotria, Crispos,
Liviadasque Tuos! habet en! Germanicus orbis,
Gallia habet, quin Suecia habet vel sola, coruscо
Quo Vestros splendore potest fecisse minores,
Magnificosque illis facile extorquere triumphos.

Scrib. Lipsiæ XV. Cal. Sept. Anno CIↃ IↃC XXCIV.

L. JOACHIMUS FELLERUS, Cygneus,
Poes. P. P.

****

Eidem.

Digitized by Google

Eidem.

EXpoſuit claro naturæ fœdera ſoli
Hactenus Arctoæ ſtella coruſca plagæ:
Omnibus oſtendens eſſe inſita ſemina juris,
Et cuncta innata ſecula lege regi.
Quanquam & ſub duro mores riguere metallo,
Perpetuos cunctis gentibus eſſe tamen.
Maxima nunc Gothicæ gentis regnique Trionum
Teutonico ſignat prælia geſta ſolo.
Et formidatæ Germani ſedibus Arcti
Fortunas, clades, fœdera, bella notat.
Magni Gradivum GUSTAVI in imagine monſtrans,
Nulla cui heroem ſecla dedere parem.
Palladis & vultus ſiſtens, quos FILIA Regis
Magnanimi ingenio prodigioſa refert.
Quæ licet Aoniis patrium diadema Deabus
Poſthabuit, Muſis cedere ſceptra jubens:
Sceptra tamen retinet, Clariæ ſed ſceptra cohortis,
Quam poſito regni pondere Diva regit.
Mox etiam CAROLI GUSTAVI ingentia facta,
Clara per Eoas occiduasque plagas:
Et CAROLI, regni jam qui moderatur habenas,
Inſeret æternis inclyta geſta libris.
Sic memores Regum faſtos, ſic tempora ſignans
Clarus Hyperboreæ conditor Hiſtoriæ:
Aureaque oſtentans Geticæ diademata gentis
Sceptraque per Regum continuata manus:
Dividit Arctois famam cum Regibus ipſis,
Æquales titulos conciliatque ſibi.
Fortibus eſt ingens laus inclareſcere factis,
Non minus egregie ſcribere geſta decus.

Fridericus Benedictus Carpzovius,
Curiæ Lipſienſis Senator.

Eidem.

DOcte PUFENDORFI, cujus nunc altera ſurgit
Gloria, diffuſæ nobile mentis opus.
Adſpice, quam rapidis Dea vecta per æthera pennis
Pergat in amplexus obſequioſa Tuos:
Quamve renaſcenti qua fulget lucidus ortu
Cynthius, occiduas quave reviſit aquas,
Læta Tuis meritis nomenque decusque rependat,
Et memor ad mundi cantet utrumque latus.
Namque Tui ingenii, meliore excocta metallo,
Contra omnem ſtabunt, ſigna repoſta, necem.

Non

Digitized by Google

Non illis ferrum, nec fulminis ira, nec ignes,
Ullaque nec poterit longa nocere dies.
Nec furor Invidiæ, nec ſquallida tesqua valebunt
Barbariæ, cultus obtenebrare Tuos.
Antea quæ terris, primæva repagula, leges,
Gentibus & mores compoſuiſſe dabat;
Ecce per immenſi ſpacioſa volumina ponti
Hiſtoria, moles ingenioſa ruit.
Inque unis *Suconum* rebus (mirabile dictu)
Totius Europæ pandit, & Orbis opes;
Armaque, Conſilia, & motus quoque, ſpesque, metusque,
Quicquid & in vaſto corpore labis erat.
Magnanimus tantum nec quantus ſtaret in armis
GUSTAVUS, ſecli gloria prima ſui:
Proque aris fuſus mox Regius ipſe, pavori
Intactus, flueret, victima ſacra, cruor.
Pondere, nec quantus rerum, quo numine plenus
OXENSTIERNIADES, maximus Orbis Atlas,
Axem humero ferret ſtellis ardentibus aptum,
Divinæ, ſolus, perpete mentis ope.
Gallia ſed quicquid ferroque animoque valeret;
Et quid ſperaret, quidve timeret Iber;
Auſtriacasque vices, & Boica damna recenſes,
Et ſi quid paſſa eſt Saxonis ora tui.
Velivolis quicquid Batavi ſucceſſibus auſi;
Quicquid pernici Sarmata fiſus equo.
Indicti tibi nec reliqui, quos illa ſolerent
Mergere belliferis tempora ſæva malis.
Usque adeo hæc orbis totum complectitur orbem
Pagina; poſtgenitis lux data clara viris.
Hic tuus eſt campus, (rumpantur ut ilia Codris)
In quo te ſummus quærit & ambit honos.
Quippe tuo par eſt Majeſtas inclyta rerum
Ingenio: par eſt rebus & hocce tuum.

NICOLAUS VVOLF.
in Acad. Upſal. P. P.

Ἄλλοι μὲν χρυσὸν καὶ κτήματα μυρία κόσμε
Ὅσσα Δύσις τηλῦ Ἀντολίητε φέρει,
Προφρονέως σφετέρῃ κατέχοιεν ἀγάλματα θυμῷ,
Ἡδέα τῇ κραδίῃ παίγνια καὶ φαέων
Τῶν πάντων γε μὲν ὄδυν ἐς ἄυριον ὀδὲν ἔμιμνεν,
Ἰκελα γὰρ ῥοδίων στέμμασιν ἀχρεμόνων.
Ἡ δ' ἀρετὴ αἰῶνα πολύχρονον ἐκτελέσσα
Γηραϊκῇ μίτρῃ καὶ πολιοκρόταφῳ.
Τὴν μὲν Ἀχελλεὺς οἷός παλαίφατος ἔντεσι χαίρων
Τὴν τόλος Ἀτρείδαο καὶ Φευγίης πρόμαχοι.
Θῆβαί τ' ἠγύγιαί τε καὶ Ἑλλάδος ὦχος Ἀθῆναι,
Καὶ Λακεδαιμονίων δῆμος ἐγεσιμύθων.

Η τε Γόθοις ἤρτυνε μέγα κλέος ὑμετέροισιν,
Η μὲν ἀν' Εὐρώπης ἠδ' Ασίης πεδία.
Σεύσσ' ἀλκυονον ἔγχος ἀρήια φῦλα δάμασσε,
Στησαμένη κρατερῇ πολλὰ τρόπαια χερί.
Ουδ' ἔτι νῦν Αρκτος προτέρης ἐκλήθετο φήμης
Ουτε βίης, αἰνῶν ὅπποτε φυλοπίδων.
Τῦτό γε ΠΟΥΦΕΝΔΟΡΦΕ τεὴ σελὶς ἐξανύσσα
Δεικνύῃ ὑψηλῆς ὥσπερ ἀπὸ σκοπιῆς.
ΓΟΥΣΤΑΥΟΝ θ' ἥρωα θεῶν γένος ἐκ ἀνθρώπων,
Ουδέ τι γὰρ φύσις τέκμαρ ἔπι βροτέης,
Καὶ στράτον ἀλκήεντα, πέραν περοιβάντα θαλάσσης,
Χειμάῤῥῳ τ' ἴκελον πάντα κλυεῖν παταμῷ
Τῶν ἔτι πω χαίρων κῦ πείσεα μήσε') Ἄλβις
Αλβις ἀεὶ Ρήνῳ ἐχθρὸς, ἀεὶ Ροδάνῳ.
Τῷ μὲν ἐλευθερίη ἐπανήλυθε δηρὸν ἀπῶσα
Ἄμπαυσις τε λυγρῆς αἰτρέμα δυλοσύνης
Τοῖς ᾧ κακὴν ἐπάγῃ πολέμῳ φλόγα θέσπις Ἐνυὼ
Πήμασιν Αὐσριακῶν πλεῖσα χαριζομένη.
Α θαλοὶ βασιλῆες οἱ ἤλιτον ἀφροσύνῃσι
Λαὸν ἑὸν σμυγερῇ δέντες ἀμηχανίῃ
Νήπιοι ουδ' ἴασιν ὅτι τόδε λέξε') αἰών.
Αι ᾧ βίβλοι αἶχ Θ ἐκβεβάωσι κακῶν·
Τῶν δ' ἰσθλῶν φήμη τε τό τε κλέΘ ἄπο' ὀλεῖ')
Συμμίμνῃ τ' ἄστροις σύν τε καὶ ἠελίῳ
Σοι ᾧ χάρις τ' αἰγαστὸν ὅτι κύδηνας ΑΔΟΛΦΟΝ
Θριξὶν ἐῷ δάφνην ἀμφιβαλὼν θαλερήν.
Τῷ ὅσον ἐυκλείης μεγάλως ἐπέβησας ἀνακλας
Τόσον ἔχεις τῇ σῇ κ' αυτὸς ἐυφροσυνῃ.

JOSEPHUS JOH. THUUN.

SAMUE-

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM

Ab expeditione Regis GUSTAVI ADOLFI in Germaniam

LIBER PRIMUS.

Statum Germaniæ, & reliquæ Europæ tunc temporis complectens.

EPITOME.

INgreſſus operis. 2. Præcognita hujus hiſtoriæ. 3. Origo diſſidiorum Germaniæ à Religione. Lutherus in Pontificem ſcribit. 4. Cauſæ progreſſuum Lutheri. 5. Luthero favent Principes. 6. An Carolus V. diſſidium aluerit? 7. Reformatio religionis inſtituitur. 8. Remedia diſſidii fruſtra tentantur. 9. Indultа Cæſaris pro religione Lutheri, & artes. Auguſtana Confeſſio. Fœdus Smalcaldicum. 10. Concilium indicitur. 11. Bellum Smalcaldicum exardeſcit. 12. Quomodo victoria uſus Cæſar? Cur Carolus Monarchiam in Germania ſtabilire non potuerit? 13. Mauritius bello Cæſarem petit. Tranſactio Paſſavienſis. 14. Pax religioſa ſancitur. 15. Poſt pacem querelæ continuantur. 16. Proteſtantes in partes ſciſſi. 17. Proteſtantium religio extenditur, & premitur. 18. Unio Evangelicorum. 19. Liga Pontificiorum. 20. Lutherana religio per Provincias Cæſaris invaleſcit. 21. De illa opprimenda conſilium initur. Ferdinandus Hungariæ & Bohemiæ Rex deſignatur. 22. Motuum Bohemicorum initium. Proceres feneſtra dejiciuntur. 23. Compoſitio amica fruſtra tentatur. Bellum ſuadent Batavi atque Vnioniſtæ. 24. Bellum Bohemicum ſurgit. 25. Matthias Cæſar moritur. Bohemi Ferdinandum Regem abnuunt. 26. Ferdinandus Cæſar creatur. 27. Bohemi Fridericum Palatinum Regem eligunt. 28. Bethlenus in Hungariam irrumpit. 29. Fridericus coronatur. 30. Ferdinandus res ſuas reparat. 31. Inter Vnionem & Ligam res componitur. 32. Fridericus undique invaditur. 33. Bohemiam Bavarus irrum-

irrumpit. 34. *Fridericus vincitur, & Bohemia decedit;* 35. *Idem proscribitur.* 36. *Cum Bethleno pax fit. Lutherani sacerdotes Bohemia pelluntur.* 37. *Spolia Friderici dividuntur.* 38. *Christiani Brunsuicensis expeditio. Prælia ad VViselochum, ad VVimpinam, ad Hachstam.* 39. *Fridericus exercitum dimittit. Prælium ad Floreacum.* 40. *Conventus Ratisponensis, ejusque indoles.* 41. *Electoratus in Bavarum confertur.* 42. *Per Inferiorem Saxoniam gesta. Christianus Brunsuicensis apud Stadloam vincitur.* 43. *Bethlenus bellum renovat.* 44. *Nova fœdera contra Austriacos ineuntur. Bellum in Saxoniam inferiorem transfertur.* 45. *Ejus præludia. VVallensteinius exercitui Cæsareo præficitur.* 46. *Bellum in Saxones exasperatur.* 47. *De pace frustra agitur.* 48. *A Mansfeldio acta. Prælium ad pontem Dessavienſem. Mansfeldius moritur.* 49. *Cæsaris fortuna per Saxoniam. Prælium ad Lutheram.* 50. *Vinariensis exercitus è Silesia pellitur. Cæsarei in Holsatiam penetrant.* 51. *Conventus Mulhusinus.* 52. *Mare Balticum tentatur à Cæsare. Meclenburgici Principes ditione sua exuuntur.* 53. *Pomerania invaditur. Stralsunda frustra obsidetur.* 54. *Pax cum Dano Rege fit.* 55. *Bellum Mantuanum.* 56. *Status Germaniæ miserrimus.* 57. *Edictum de restituendis bonis sacris.* 58. *Conventus Ratisponensis.* 59. *Status & inclinatio Galliæ.* 60. *Hispaniæ.* 61. *Angliæ.* 62. *Pontificis atque Italorum.* 63. *Poloniæ.* 64. *Daniæ.* 65. *Belgarum Fœderatorum.* 66. *Et Muscoviæ.* 67. *Status Sueciæ.*

LIBER I.

Digitized by Google

Ingreſſus Opus.

Uecorum res domi foris-que geſtas ab eo tempore, quo Rex GUSTAVUS ADOLPHUS arma in Germaniam adverſus Cæſarem Ferdinandum II. tranſtulit, componere eſt animus. Id enim argumentum ſcriptionis potiſſimum arriſit, quod tunc novo ſplendore inter Europæ populos emineſcere Suecicum nomen cœpit, hactenus intra ſeptentriones ſuos coërcitum, poſtquam ſtabilita intus libertate per bella ſat aſpera in Danos, Polonosque, & Moſcos majoribus auſis præluſerat. Sed tunc patentiorem ingreſſus campum Guſtavus Adolfus formidatam dudum vicinis Auſtriacam potentiam ad æquilibrium revocare inſtituit. Eo apud Luzenam cæſo, quam orſus erat Rex telam magno animo, pari prudentia pertexere cœpit Axelius Oxenſtierna, Regni Cancellarius, conſiliorum etiam vivo Rege ipſo arbiter, fortem & fidelem operam navantibus nationis Suecicæ Ducibus. Mox Chriſtina ſuſceptis Regni habenis majori vigore ac ſucceſſu bellum perſecuta eſt, ductuque demum Caroli Guſtavi ſummum eidem diem impoſuit, qui conſtantia ac prudentia ſua obtinuit, ne Cæſari pacis leges eludere liceret. Quamvis autem fructus belli longe infra deſtinata Guſtavi ſteterit: egregium tamen utique operæ pretium factum, conſtituta libertate Germaniæ, prolatis Regni finibus, partaque ingenti gloria, nec minore invidia, odioque, aliorum bellorum longo poſt tempore fomite. Nec temere ulla hoc ſeculo ſcriptionis materies illuſtrior, ſive conſiliorum in diverſa tendentium ambages, ſeu ipſam belli molem, ac memorabiles præliorum exitus, & inopina eventuum ſpecies. Cæterum me præter ipſarum rerum magnitudinem excitavit quoque Fortiſſimi Regum CAROLI UNDECIMI voluntas, qui huic meo labori maturiores annos impendere juſſit. Simul æternitati ſacrata nomina, GUSTAVUS & CHRISTINA, & qui ſub horum auſpiciis militarunt Heroës merebantur, ut non tumultuaria Hiſtoria, aut ex libidine ſcriptorum infenſorum, rerumve intima ignorantium aut ineptorum interpolata poſteritati traderentur. Nam ab iis, qui manum memorandis iſtis rebus hactenus admovére, non parum noſtræ quoq; induſtriæ relictum fatebitur, cui iſthæc cum illorum operibus conferre tanti fuerit. Ad memoriam quoque geſtorum valiturum erat, illa ſermone omnibus Europæ Eruditis noto, adornari.

Præcogni-ta hujus hiſtoriæ.

§. 2. Sed antequam iſtarum rerum narrationem ordiar, neceſſum videtur exponere, qui tum temporis Germaniæ, quæ illi bello arenam præbuit, tum Sueciæ atque vicinorum fuerit ſtatus, qui apud ſocios hoſtesque animorum habitus, quæ ſpes & fiducia, quivè metus, quid firmum aut debile; ut non nudi tantum eventus, qui ſæpe etiam à ſapienter proviſis aberrant, ſed & eorum rationes noſcantur; ſimul quis conſilia conatusque ſuos temporibus dextè adaptaverit, aut cui imprudentia ſua ne querendi quidem idoneum prætextum reliquerit. Inprimis autem multum lucis operi accedet, ſi ab ovo repetatur, qua occaſione in id miſeriæ barathrum devoluta fuerit Germania, quo tempore cum exercitu in eam Guſtavus Adolfus Rex ingreſſus eſt.

Origo diſſidiorum

§. 3. Cum igitur ejus regionis populi, qui validiſſimam Europæorum nationem conſtituunt, prioribus abhinc ſeculis inter moderatam Cæſarum poteſtatem, atque Ordinum libertatem ſic ſatis eſſent compoſiti, & non niſi peculiaribus paucorum litibus aliquando concuterentur, poſt initium proxime elapſi ſeculi in partes ſcindi, ac graviſſimorum ſemina motuum concipere cœperunt. Occaſionem præbuere, quæ circa corrigenda hactenus recepta dogmata rituſque Martinus Lutherus diſputare inſtituerat. Is anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo arguebat, inutile abolendis animi ſordibus remedium eſſe *Indulgentias*, quæ tunc ſupplendo Pontificis ærario, & ut materia largitionum eſſet, paſſim venum exponebantur. Et, ut ſolet, ſtatim ſeſe æmuli, aut quorum quæſtus agebatur, opponebant, queis ratiocinandi compendium videbatur, hominem objecta Eccleſiæ & Pontificis Romani autoritate proclare. At iſte intrepidus & cedere neſcius, cum animadverteret, Pontificem, velut abdicato judicis munere, aperte in partes inſtitorum deſcendere, fundamenta autoritatis illius, quæ omni exceptione major jactabatur, curatius rimari aggreſſus eſt. Quæ cum minus firma deprehendiſſe ſibi videretur, ad alia quoque dogmata excutienda ſe vertit, quæ lucro ſacerdotum, aut imbuendis ſuperſtitione vulgi animis reperta accuſabat.

Germaniæ à religione.

Lutherus fa Pontificem ſcribit.

§. 4. Iſtum virum quare tantus paſſim applauſus Gauſæ pro exceperit, has rationes adferunt non ſolum, qui greſſum ejuſdem ſectam ſequuntur, ſed & plurimi è Roma- Lutheri. næ Eccleſiæ addictis, qui clara in luce poſita emendari, quam magno parato defendi honeſtius ducunt. Quæ primum ab illo lis *Indulgentiarum* præconibus intentata fuerit, ita manifeſta ſubnixam æquitate, ut initio hoſce impudentiæ notatos conſtet etiam ab aliquibus ex ipſis Cardinalibus ac Theologis, quos poſtea Lutherus experiebatur infenſiſſimos: nec Cæſarem Maximilianum ab eodem alienum fuiſſe. Importunos quoſdam Monachos, & quæſtores lucro ſuo meruentes ita inficere vociferatos, ut dicto citius è parva ſcintilla vaſtum incendium conflarent. Ea tempeſtate multis tædium moviſſe inania ceremoniarum, ac ad frivolam potius ſubtilitatem, quam ſolidam pietatem adornata religionis ſcita. Monachos irretitis ſuperſtitione vulgi animis pro lubitu inſultaſſe. Mores ſacri ordinis à ſummo ad imum non minus exoſos, quam deſpectos. Alexandri VI. & Julii II, qui nuper Pontificatum geſſerant, memoriam ob libidines, avaritiam, inſolentiam, & quia bellis omnia permiſceuerant, plerique deteſtatam. Epiſcoporum multos negotiis aularum implicitos; cæteros per ignaviam, luxum & venationes inſulam proſtituiſſe. Tum vulgus ſacerdotum & monachos ruditate, ſegnitie, avaritia, aliiſque vitiis inquinatos. Qui primi calamum in Lutherum ſtrinxerunt, inſcitos fuiſſe jejunæ ſophiſticæ alumnos, qui ad inſolitum diſputandi genium attoniti hæſerint. Porro ruditatem ſordeſque Monachorum barbariæ priorum ſeculorum obumbratas per renaſcentes bonas literas in claram lucem protractas. Unde infenſos Monachos clamorem in harum cultores ſuſtuliſſe; & qua via certiſſimam ſibi victoriam ſperabant, literarias quæſtiones ad *Inquiſitorum* tribunal pertrahere connixos; eruditis contra iſtorum vecordiam omni ludibriorum genere exagitantibus. Eo certamine adhuc fervente controverſiam Lutheri interveniſſe. Unde Monachis vitium eruditos quoque huic negotio intricare, ut utroſque junctim perderent. Quam ob cauſam bonarum literarum cultores per Germaniam paſſim Lutheri partibus

acceſſiſſe. Præſertim cum Eraſmus Roterodamus jam antea magnam partem ſuperſtitionis notaſſet, atque illuſtrato Codice Novi Fœderis & antiquis Eccleſiæ Doctoribus, viam ad ſolide tractanda ſtudia ſacra præviſſet. Denique & Leonis Papæ imprudentiam Luthero non parum favoris conciliaſſe, eidemque neceſſitatem attuliſſe ad extrema deſcendendi, quod litem ſtatim ſuam feciſſet, & per novum diploma ſancitis *Indulgentiis*, omnem viam temperamento quodam rem componendi abrupiſſet. Nec minus peccaſſe Cardinalem Cajetanum repulſo aſpere Luthero, cum demum hic ſilentium promiſiſſet, modo & adverſæ parti ſcriptioni interdiceretur.

Luthero favent Principes.

§. 5. Ingens tamen cauſæ Lutheri momentum attulere Principes, quorum dignationem ſacerdotum faſtu hactenus proculcatam iſte è divinis literis vindicatum ibat; ſimulque docebat, ipſis fas eſſe Eccleſiæ malis medicinam diſpicere, ac ſacerdotum vitia corrigere; tum bona ſacra, quibus Monachi ſegnitiem ſuam alant, ad genuinos uſus revocare. Inde iſti paſſim clauſtris ſuis exturbati, eorumque reditus ſuſtentando cultui publico, ſcholisve adpliciti ſunt, aut æratiis Principum acceſſere. Quæ res non minus adverſæ partis animos, quam repudiata dogmata, mutatique ritus irritavere.

An Carolus V. diſſidium aluerit?

§. 6. Sunt qui arguunt Carolum V. Cæſarem Lutheri cœpta connivendo aluiſſe aſtuto conſilio, ut poſt obtentu veteris cultus reſtituendi Principes liberaſque civitates invadere, viamque ad dominatum ſibi per Germaniam munire poſſet. Ipſi quippe exemplum Concilii Conſtantienſis fuiſſe imitandum, & cum Wormatiæ ſua ſcripta retractare abnueret, flammis dandum; cum ſi qua labes ſit non ſervatæ fidei, utilitate Reip. penſetur, amputata tot bellorum radice. Enimvero Carolum adhuc juvenem inter primordia imperii talia jam tum animo volutaſſe, haut crediderim. Ac ſublato licet Luthero non defuturi erant, qui telam ab ipſo cœptam pertexerent. Vix etiam inter iſta initia Carolo conſtare poterat, tot Germaniæ populos Lutheri ſcita amplexuros. Quin vero ſimilius eſt, Carolum hautquaquam rebus ſuis expedire judicaſſe Fridericum Saxoniæ Electorem offendere, Principem potentem, magnæque autoritatis, deteſtante inſuper facti turpitudinem Ludovico Electore Palatino, aliiſque, Hiſpania vix ſatis adhuc pacata, imminente Auſtriacis ditionibus Turca, Galloque in atrociſſima bella jam jam erupturo, cui maxime exoptandum fuerat, inter Cæſarem & Principes Germaniæ ſemina ſimultatum ſpargi. Fortaſſis etiam indecorum judicabat autoritati Pontificis Romani, quæ divinitus conſtituta jactatur, ſi aliter ſarta tecta ſervari, quam Cæſare fidem fallente, non poſſe videretur.

Reformatio Religionis inſtituitur.

§. 7. Quanquam autem Cæſar proſcripto Luthero ſatis declaraſſet, haut ſibi placere quicquam circa ſacra novari: non ideo tamen, qui Lutherum ſequebantur, ab inſtituto ſibi diſcedere fas judicabant. Iniquiſſimum & liberis hominibus intolerabile eſſe, vi metuq; ipſos adigere velle, ut quæ vera agnoſcunt, abnuant, quæ falſa, aſſerant, præcipue circa cultum Numinis, qui niſi ex liquida veritatis perſuaſione procedat, inanis ſit. Etiam errantium pœnam non aliam eſſe debere, quam doceri. Se cauſam ſuam è divinis literis coram arbitris rerum intelligentibus, & non obnoxiis diſceptare paratos, & in hunc campum ultro Pontificem cum ſuis provocare. Hanc conditionem dum is accipere detrectat, manifeſtum eſſe, ipſum cauſæ ſuæ diffidere. Denique ſi Cæſar edicti ſui rationem velit haberi, neceſſum eſſe, ut cauſam prius probe cognoverit. Jam autem eundem de ipſorum doctrina infenſiſſimis hoſtibus credere, qui omnes aditus obſideant, ne, quid à Luthero tradatur, is liquido noſcat.

Remedia diſſidii fruſtra tentantur.

§. 8. Porro quo minus Cæſar edicti ſui adverſus Lutherum autoritatem violentius aſſereret, non ſolum ingruens bellorum turbo prohibebat; ſed & quia Germaniæ Ordines in Conventu Noribergenſi Anno 1522. agnoverant, rem eo usque jam progreſſam, ut niſi in Concilio aliquo componi non poſſit, ad quod Lutherus jam provocaverat. Cujus deſiderium tunc omnes fere, etiam qui à Luthero alieni erant, corripuerat, coërcendo Eccleſiaſticorum dominatui, & abolendis pecuniarum aucupiis, queis Principes, juxta ac plebs mire premebantur. Quarum rerum capita Legato Pontificis in iſto conventu fuerant exhibita. Ejusmodi autem Concilium Lutherus cum ſuis cupiebat, ubi è ſolis divinis literis omnia definirentur, nulla traditionum, juris Canonici, aut Theologiæ Scholaſticæ ratione habita, & ubi nec Pontifex præſidis munere fungeretur, nec ſoli ſuffragia ferrent, qui ſectam illius ſequerentur: qui & ipſi tantiſper ſacramento, quo eidem tenebantur, forent exſolvendi; utque locus conventui celebrando in Germaniæ urbe aliqua non obnoxia deligeretur. Neq; enim quid æqui ſperari poſſe, ubi omnia è nutu ejus, qui hoſtem ſe ipſorum profitebatur, gererentur, & ubi illa ipſa, quæ impugnabantur, normæ vicem ſubitura eſſent. Aſt Cæſar etſi facile perſpiceret, Pontificem nunquam in has leges deſcenturum, nec ut eum invitum huc pertraheret, rationes ipſius ferrent: tamen cum nullo æquitatis colore Luthero addictorum poſtulata repudiare poſſet, laxioribus verbis de curando Concilio pollicebatur, ut tamen ad omnes, quæ ab iſtis adjiciebantur, conditiones haut quicquam ſeſe obſtringeret, ac protrahendo promiſſo effugium ſibi reſervaret. Quo ex inſtituto duplicem ſibi fructum ſperabat, tum ut Pontificem, cujus autoritas plurimum ad ſtabiliendas aut turbandas Italiæ res valebat, acrius aut ſegnius urgendo Concilium terreret aut conciliaret, coq; ad rationes ſuas attemperaret; (nam magnopere hunc à Concilio abhorrere conſtabat;) tum & Ordines Lutheri ſequaces ſpe Concilii lactaret, quoad rebus ſuis compoſitis aliam viam iis coërcendis inire poſſet.

Cæſar Concilium promittit.

Indulta Cæſaris pro religione Lutheri, ejusque arte.

§. 9. Iſthac rerum facie declinare Cæſar non poterat, quin Lutheri dogmata amplexis pacem, & ſacrorum ſuorum libertatem indulgeret, ſed ampliorem aut ſtrictiorem, prout res ipſi proſperæ aut difficiliores fluerent, & laxioribus verborum formulis conceptam, tum ejusmodi rationibus innixam, ut facile precariam tantum appareret, & ubi commodum Cæſari videretur, revocandam. Unde in Conventu Spirenſi Anno 1526. quilibet circa religionem ita ſe jubebatur gerere, prout Deo, Cæſarique id approbari poſſe confideret. Quod cum Luthero addicti laxius velut in ſui favorem interpretarentur, alio Decreto in Conventu Spirenſi An. 1529. eam licentiam arctius conſtringere tentabat Cæſar, belli jam Gallici cura ſolutus. Quo decreto cum Saxoniæ Elector, & alii quidam Principes ſe nolle teneri proteſtarentur, *Proteſtantium* vocabulum illis partibus adhæſit. Sequenti anno Cæſar, rebus Italiæ ex voto compoſitis, & Pontifice acerrimos ſtimulos ſubdente, iſtis in ordinem redigendis animum adplicuit,

erit, quo & Pontificem sibi obstringeret, & addidiori obsequio Germanos adigeret. Audita nunc Augustæ Vindelicorum Protestantium Confessio, cui adversa pars aliud scriptum propere consarcinatum opponebat, sed cujus exemplum tradere Protestantibus recusabat, quod hi pudore ac diffidentia causæ fieri interpretabantur. Indecum Cæsar postularet, ut omnia in integrum restituerentur utique ad Concilium, super quo convocando cum Pontifice acturus sit, ac in neutrum horum Protestantes salvis suis rebus consentire possent, graviora veriti Augusta repente discesserunt. Res jam utrinque ad arma spectabat, & Protestantes fœdere Smalcaldiæ inito ducibus Joanne Friderico Saxoniæ Electore, & Philippo Hassiæ Landgravio ad repellendam, si qua ob religionem intentaretur, vim se comparaverant. Sed Albertus Moguntinus, & Ludovicus Palatinus Electores, oblentato ancipiti certamine & metu Turcæ, divitiæ in se Germaniæ incubituri, rem ad compositionem deduxerunt, ut Cæsarem inter & Protestantes pax esset utique ad futurum Concilium: interim ne quis alteri noxam obtentu sacrorum inferret: & quæ Protestantibus à Tribunali Spirensi intentabantur lites, tantisper suspenderentur: Protestantes contra ad bellum in Turcas auxilia ferrent. Eam transactionem Cæsar ratam habuit, ac *liberum* Concilium ocyus indicendum promisit, vocabuli istius cavillatione, ubi res suæ ferrent, facile eandem eluſurus.

Augusta Confessio

Fœdus Smalcaldicum.

Concilium indicitur.

§. 10. Cæsar dehinc Concilium sibi cordi esse videri volebat; nec minus Pontifex cum apertior tergiversatio indignam Vicario Christi diffidentiam proditura esset, ejusdem se cupidum profitebatur. Invitantur igitur ad Concilium Protestantes eo ambitiosius, quod constaret, nunquam ipsos ejusmodi confessui, qualem instruebat Pontifex, causam suam submissuros. Ita Cæsari, postquam fidem suam super indicendo Concilio jam liberasset, nihil amplius obstare videbatur, quo minus Protestantes velut causæ suæ cognitionem adspernantes, armis invaderet. Ad quæ capienda Paulus III. Anno 1536. istum impensè impellebat, non tam studio religionis, quam ut alteri cuipiam ad ditionem Mediolanensem via sterneretur, dum Cæsar difficili bello per Germaniam distringitur. Id enim cumprimis libertati Italiæ fore periculosum, si Cæsar inde Neapoli, hinc Mediolano potitus velut compedibus vinctam eam regionem teneret. Sed Cæsar, cui nihil potius erat, quam nobilem illam & opportunam provinciam familiæ suæ adjungere, tunc quidem bellum in tempora sibi magis commoda differebat. Et interea diversos congressus utriusque partis doctoribus indicebat, num quæ ad concordiam dogmatum reducendam per istorum colloquia inveniri via posset: non quod aliquem ex istis successum speraret, sed ut studium suum circa religionem eo plausibilius jactare, & culpam durantis dissidii Protestantium pertinaciæ impingere liceret.

Bellum Smalcaldicum excitatur.

§. 11. Inter has frustrationes aderat Annus 1546. quo dudum glicens sub cineribus incendium in flammam demum erupit. Ita suas res Cæsar tunc disposuerat, ut isti bello jam unice vacare posset, cum Turca induciis, pace cum Francisco initis, à quo nihil novi metuebat bellorum fessо, & affecta valetudine de extremis cogitante. Valida Pontifex auxilia & auri vim ex Fœdere ad istud bellum conferebat; etsi non tam internecio Protestantium eidem cordi foret, quam ut Cæsar ancipiti & diuturno bello implicitus de Concilio & reformatione conticesceret. Eoque Pontifex illam belli caulam tum aliis modis, tum literis publice ad Helvetios scriptis evulgaverat, ut tanto promptius vires suas conjungerent Protestantes. Contra Cæsar quidvis potius quam religionem apud Germanos obtendere; Protestantes fœderi Smalcaldico non adscriptos in suas partes solicitare, de sacris securos esse jubere. Id tantum abs se agi, ut Saxonis & Hassi, sociorumque insolentiam coërceat, qui nulla jam amplius Cæsaris reverentia pro libidine omnia gerant, & everso antiquo Reip. statu summam rerum ad se trahere conentur. Quem enim legibus reliquisse locum, qui complures Episcopos pecuniis emunxerint, Henricum Brunsuicensem ditione exuerint, Ulricum Wurtenbergicum jure ejectum, ditione ejus jam in Ferdinandum Regem translata, armis restituerint, exteros in ipsum incitent, tribunal denique Spirense flocci faciant? Ea quippe ac multa alia post Cæsar proscriptionis edicto objecit; quæ illi falsa, aut licita, aut transactione dudum sopita excusarunt. Cæterum quanquam Cæsar destinata sua solicite dissimularet, cavere tamen non poterat, quin claris indiciis Protestantes ea deprehenderent. Igitur haut segniter & ipsi arma corripuerunt, antequam Cæsar copias suas contraxisset. Et videbatur is in proclivi fuisse Cæsarem opprimere, si, quæ initio semel atque iterum offerebatur rei bene gerendæ occasio, ea dextre uti forent. Enimvero postquam Cæsari spatium dabatur exercitum evocato passim milite firmandi, facile erat mora, & haut facta pugnandi copia dissolvere exercitum mole sua laborantem, præhoque magis quam bello paratum, non provisо commeatu, qui tantæ multitudini diu & eodem in loco sufficere posset, & mox deficiente pecunia, quam sociæ urbes parce atque ægrè conferebant. Cum contra Cæsari in promptu forent suæ atque Pontificis opes, & è provinciis Ferdinandi fratris atque Bavari affatim subveherentur, quæ ducendo bello necessaria essent. Sed nec apud Protestantes solidis & concordibus consiliis res gerebatur. Saxoni maxima auctoritas, sed qui remissiore ac lenore animo videbatur, quam qui in Duce belli civilis requirebatur. Hassus manu strenuus, sed impetu potius quam consilio valens. Et pleraque sapienter disposita per incuriam executionis dari negligebantur, uti solet inter divitis multorum imperia. Post cum Dux Mauritius agnati Electoris terras à tergo invaderet, hic ad sua defendenda properans cæteris quoque dilabendi necessitatem aut excusationem attulit. Nec deinceps ulli in commune conferre curæ fuit. Ita Cæsaris arbitrio superiori Germania relicta, quæ nulla amplius resistendi facultate supplici prece delinito victori se submisit. Urbes pecunia & tormentis multatæ impensas belli solvebant. Insequenti anno Cæsar Saxonem improviso adventu oppressum tumultuario ad Mulbergam præliocepit. Landgravio, cum deprecatione se defungi posse crederet, manus injectæ. Ita tantopere formidatum fœdus Smalcaldicum Cæsar intra vertentem annum incruento bello, redactis in potestatem Ducibus, prostravit. De sacris tamen victos esse securos jubebat, etsi nollet eam cautionem scripto reconciliationis inferi, ne bellum ea causa susceptum videretur. Id enim & Protestantes, qui castra ipsius sequebantur, graviter offendisset, & Ecclesiasticos, qui jam veteres ritus ubique restiturum iri sperabant, sinistris suspicionibus implevisset. Et satis adparebat, id agi à Cæsare, ut conniventia

tia potius adversus Protestantium Religionem uteretur, quam perpetuis pactis eidem libertatem sanciret.

Quomodo victoria usus Cæsar

§. 12. Cæterum sunt, qui Carolum victoria non satis dextre usum arguant. Capto enim Saxone debuisse munita quæpiam loca in Electoris ditione, aut vicinis Episcopatibus valido præsidio firmare, quod modicis sumptibus illæ ipsæ regiones potuissent alere, prohibendis in futurum motibus. Dedisse uni protestantium, quod alteri ademerat; cum satius fuisset, Mauritium bene licet meritum modico in præsens dono delinitum per pollicitationes in futurum prominentes obsequiis suis adstringere, quoad plenam victoriæ suæ messem colligere licuisset. Alium potuisse inveniri in familia Saxonica aut Luneburgica, qui dignitate Electorali auctus Cæsaris rationibus addictius se attemperasset. Mauritium ditionibus tam opportunis potitum eo provectum fuisse, ut Cæsaris nutus impune posset negligere. Enimvero etsi Cæsarem de Mauritio sua spes fefellerit, quem fortasse in officio continere poterat dilata Electoratus dignitate, & ditionibus victi tantisper sequestro depositis: Si quis tamen curatius rem expenderit, facile agnoscet, Cæsari rationem consilii constitisse. Neque enim Germaniæ invitæ sub jugo retinendæ sufficiebat illa victoria, per solertiam potius & distractis in partes Protestantibus, quam ipsius armis parta, ac sparsis potius adversariorum viribus, quam extinctis, exigua rerum conversione facile iterum coalituris. Nec in proclivi erat Cæsari tantum comparare aut alere exercitum, quantus violento imperio premendis populis tam validis requirebatur; cum præsertim ditiones Austriacas in Germania sitas in Ferdinandum fratrem transtulisset, propriis opibus firmandis intentum. Tum confestim Pontifex, Gallusque in diversa parte excitato bello ipsum distracturi, & Germanis jugum excutiendi ansam præbituri erant. Igitur tectiore via grassari tutius ducebat, ac populum Religionis usu, Principes beneficiis & arte obnoxios sibi reddere instituebat. Quo fundamento jacto Philippus demum filius desideratæ Monarchiæ fastigium impositurus sperabatur, quem sibi Ferdinandoque in Imperio successorem dare magnopere laborabat. Et cessisset fortasse solicitationibus fratris Ferdinandus, cui hæc res velut præcipuum stabilimentum potentiæ Austriacæ ingerebatur; ni Maximilianus Ferdinandi filius, quem Cæsar obtentu regendæ per ipsius absentiam Hispaniæ amoverat, repente advolans patri persuasisset, ut sibi potius, quam fratris filio proximus esse vellet. Et ostentatus licet per Comitia Principibus Germaniæ Philippus, gratiæ ipsorum irrepere haut poterat, lingua, moribus merum Hispanum referens. Ac sine dubio Germaniæ Ordines libertati suæ magis cautum credebant, imperante Ferdinando mediocris potentiæ Principe, & cui auxilia contra Turcas ferenda imputare possent; quam Philippo tot regnorum domino, & qui Germaniam appendicis fere loco habiturus erat, cæterarum ipsius ditionum commodis subservituram. Ea res Cæsaris destinata evertit, & Ferdinandum, quo Cæsareum fastigium suæ domui firmaret, Protestantium favorem captare subegit. Porro Cæsar, dum victor omnia pro lubitu in Germania agit, inter alia futuri dominatus firmamenta hoc quoque astute providerat, ut in Comitiis Augustanis Anno 1548. milite armato obsessis provinciæ Burgundicæ intra Imperii Germanici complexum adscriberentur, ut hoc obtentu Galliam Germaniæ viribus, ipsosque Germaniæ Ordines quantum vellet atterere posset; nunquam defutura cum Gallis litium materia, & quia bello inter Gallos Austriacosque exorto primum semper impetum istæ Provinciæ erant excepturæ. Simul cum Concilium Tridenti indictum securius circa definiendas religionis controversias procederet, quam ut ullus apud Protestantes inde fructus sperari posset, temperatam quandam fidei formulam *interim* observandam conteribi curabat, quam istis omni arte obtrudebat, ut, ubi semel de dogmatibus suis aliquid remisissent, gradatim demum eo, quo tendebat Cæsar, deduci possent. Verum formula illa utrique parti exagitata, ac Protestantibus plerisque obnixe repudiata, turbarum ac querelarum affatim; Cæsaris rationibus emolumenti nihil attulit.

Cur Carolus Monarchiam in Germania stabilire non potuerit.

Mauritius bell. Cæsarem petit.

§. 13. Interim altissimam animo coquebat indignationem Mauritius Saxoniæ Elector, cujus fidem secutus Landgravius Cæsaris potestati se commiserat, à quo cum iste præter opinionem detentus, & in custodia duriter habitus fuisset, Landgravii uxor filiique, ut fidem interpositam liberaret, instabant. Ac intolerandum planè videbatur Mauritio, honoris sui à Cæsare tam exiguam rationem haberi, ut sibi libertas soceri plus satis castigati post toties adhibitas enixissimas preces abnegaretur. Et fallebatur Carolus, si ornamenta in Mauritium à se collata, quæ hic vel ob merita, vel jure, vel, uti quidam crediderunt, ex pacto sibi deberi judicabat, eo valitura credebat, ut idem æquo animo alienæ fraudis instrumentum haberi vellet. Stimulabat quoque magis magisque nutans Protestantium religio, ac Ordinum libertas, cujus nupero bello proditæ infamiam sibi impactum iri providebat, ni mature malo imminenti occurreretur. Et spes erat, silentio & celeritate adhibita Cæsarem imparatum posse opprimi. Ipse igitur militem, quo in oblidio Magdeburgi usus erat, velut ob nondum soluta stipendia sub signis retinuerat, & per vicina loca dispositerat, mox ad nutum ipsius concursurum. Adiciscebatur in societatem belli Galliarum Rex Henricus II. qui & pecuniam militi in stipendium suppeditabat, & ipse valido cum exercitu Rhenum versus procedebat. Sic rebus recte dispositis, ac Cæsare per Legatos & literas obsequium simulantes in securitatem dato, repente in expeditionem provolavit Mauritius, ut isti spatium contrahendis idoneis copiis non relinqueretur. Augusta Vindelicorum, & in aditu Alpium sita arx Ereberga, ac mox Oenipons capitur, unde paulo ante Cæsar Villacum summa cum trepidatione profugerat. Enimvero bellantibus sese statim medium ingerebat Ferdinandus Rex, ad amicam compositionem dissidentes inducere laborans. In quam Cæsar, licet omnis partæ nuper victoriæ, & per tot annos consumtæ industriæ fructus periturus erat, eo facilius consensit, quod & hinc Hungariæ minaretur Turca, illinc Gallus ingrueret; & Ferdinandus Frater parum, aut nihil in Protestantes auxilii collaturus esset. Ac bello extracto misera per Germaniam sacerdotes Pontificios manebat vexatio; quin fortasse plenam veteres ritus trahebant ruinam. Sed nec Mauritius ab æquis conditionibus alienum se ostendebat, indignante licet in sinu Galliarum Rege, cui Protestantibus pacatis tota belli moles incubitura erat, & qui ampliorem ejus societatis fructum, quam interceptas Metim, Tullum ac Virodunum speraverat; palam quoque fremente Alberto Brandeburgico, qui rapinis & exactionibus suis tam cito finem imponi nolebat. Isti quippe stolidum videbatur, diuturno & ancipiti bello quærere, quod citra sangui-

ſanguinem & incolumi patria aſſequi dabatur. Simul occultus metus liberat, ne Cæſar Johannem Fridericum nuper captivitate exſolutum ſubornaret ad ablatam dignitatem Electoralem ac ditionem vindicandam. Igitur poſt unum & alterum Mauritii cum Ferdinando, & hujus cum Cæſare congreſſum opinione citius Paſſavii de ſumma rerum transigitur, ac ſacris Proteſtantium ſecuritas ſancitur, donec in proximo Ordinum Imperii conventu via iniretur in perpetuum iſtud diſſidium extinguendi.

Tranſactio Paſſavienſis.

Pax religioſa ſancitur.

§. 14. Elapſo abhinc triennio An. 1555. in Comitiis Auguſtanis ſacris Proteſtantium ampliſſime cavebatur, Pace quam vocant *Religioſa* inter perpetuas Imperii leges relata. Poſtquam enim diu ſuper ratione diſſidia circa religionem componendi nequidquam diſceptatum eſſet, tandem expeditiſſimum fuit viſum ad Auguſtanam Formulam adornatis ſacris pacem indulgere. Cujus præcipua capita ſunt; ne partes ſe invicem obtentu religionis invadant, lædant, aut ad eandem ejurandam vi adigant. Bona Eccleſiaſtica à Proteſtantibus hactenᵘ occupata penes ipſos maneant, nec in occupatores eo nomine apud Tribunal Spirenſe actio detur. Epiſcopis nulla in participes Auguſtanæ Confeſſionis jurisdictio ſit, ſed ipſis circa ſacra ſua diſponere liceat. Ne quis alteri ſubjectos in ſuam religionem pertrahat, eorumvè defenſionē hoc obtentu ſuſcipiat. Subditis tamen diverſa à Principe ſuo ſacra amplexis liberum ſit bonis ſuis divenditis alio migrare. Si diſſidium religionis per licita media non componatur, pax iſthæc in perpetuum duret. Circa id præcipue acerrima ſurgebat diſceptatio: num Præſulibus Catholicis fas foret Proteſtantium doctrinam amplecti, ut cum dignitate ditiones ſimul ſacras retinere liceret. Id quod Proteſtantes obnixe urgebant. In magnam ſuæ religionis redundare contumeliam, ſi eandem profeſſi munere ſacro, & emolumentis excidere debeant. Multis hac ratione ad veros circa divina ſenſus aditum obſtrui. Haut quicquam ſibi in animo eſſe, bona ſacra in profanos uſus, aut Principatus hæreditarios convertere; Capitulis ſua Jura, & electionem illibatam fore. Enimvero cum iſthoc poſtulato jugulum Romani ritus per Germaniam peti ſatis pateret, non minus præfracte iſtis Pontificii ſe Ordines opponebant, jactantes; non deteriore ſe jure, quam Proteſtantes, circa res ſuas ſervandas eſſe debere. Si ipſis juſtum videatur quæ invaſerint retinere; nec ſibi vitio vertendum, ſi caveant, ne quæ adhuc reſtant amittantur. Si ipſi ſacerdotes ſuos, ubi ſacra mutare velint, munere dimoveant; quomodo ab ipſis poſtulari poſſe, ut ſui Præſules doctrina ejurata functionem, & bona eidem deſtinata retineant? Se non minus ample de veteri ſua religione, quam Proteſtantes de novata ſentire. Denique transeat qui velit in ipſorum partes, modo beneficiis, quæ à priori religione obtinebat, renunciet. Cum hæc res exitum non inveniret, & neutra pars ſententia cederet; tandem Ferdinandus Rex velut pro imperio in favorem Pontificiorum decreto Comitiorum inſeruit; ut ſi Præſul ad Proteſtantium ſacra tranſeat, munere ac bonis ſacris excidat, illæſa tamen exiſtimatione. Quo temperamento ſibi haut quaquam ſatisfactum fremebant Proteſtantes. Quid enim exiſtimatio, munere & bonis amiſſis? Ac poſtea ſæpius aſſerebant, in eam clauſulam ſe nunquam conſenſiſſe; & cum quæ in Comitiis ſciſcuntur pactorum habeant indolem, quæ alteram partem non niſi è conſenſu ſuo ſtringant, per merum Cæſaris arbitrium ſibi tam duram legem non potuiſſe dici.

Reſervatum Eccleſiaſticum.

Poſt pacem

§. 15. Ita quidem tunc ſuper ſacris lege publica cavebatur, per quam tamen non uſque adeo radix diſſidiorum exciſa fuit, quo minus novorum materia motuum inde pullulare poſſet, utraque parte circa propaganda ſua dogmata ſatagente. Inde mox in conventu Ordinum partes ſeſe mutuo arguere, quod politos in Decreto Auguſtano terminos migrarent, cum utrinque verba legis in ſuum favorem raperent. Neque vero in expedito erat judicem idoneum, & utrique parti æque acceptum invenire. Nam Cæſar quidem, adſtipulantibus Ordinibus Pontificiis, ad ſe & ſtata Germaniæ Tribunalia, Spirenſe & Aulicum pertinere contendebat, ſi quid in pacem illam peccatum argueretur, aut ſi ſuper genuino ejuſdem ſenſu ambigeretur. Neque enim tam frequentibus litibus judicem debere aut poſſe ſalva republ. deeſſe. Contra Proteſtantes jactare; Cæſarem alteri partium addictum, non poſſe non in eam, cui ipſe adhæreat, ſectam propendere. Nec à Tribunali Spirenſi aut Judicio Aulico æqui ſe quid ſperare. Eam juriſdictionem antam præbituram variis ipſos modis exagitandi, & penitus demum opprimendi. Pacem illam uti partis utriuſque conſenſu factam; ita per deputatos utriuſque partis diſceptandum & componendum, ſi quid controverſiæ circa eandem obortum fuerit. Ac ut oſtenderent, vires ſibi animumque eſſe contra eundi, ſi qua vis intentaretur, ſimul quia verebantur, ne per Concilium, cui jam utcunque ultimam manum imponere Pontifex ardebat, pacem expiraſſe adverſa pars cavillaretur, Naumburgi conventum agitant obtentu ſumto, ut variantia Auguſtanæ Confeſſionis exempla in concordiam redigerent. Sed nec Ferdinando, Maximilianoque aut Rudolpho vires erant armis Proteſtantes terrendi; & oborti deinceps per Belgium atque Galliam tumultus Hiſpanorum cogitationes alio averterant. Igitur tutius viſum tantiſper quieſcere, & quæ conſilio provideri poterant, interea curare, donec opportunitatem rei gerendæ tempus adduceret.

Decreta continuantur.

§. 16. Porro parti Pontificiæ ſpem opprimendi aliquando Proteſtantes faciebat ortum inter hoſce diſſidium, dum dogmatibus primum, inde conſiliis diverſi, ac tandem infenſi contra utroſque demum prævalendi viam communi hoſti munierunt. Originem diſſidio præbuit diverſa interpretatio verborum quibus myſtica ſacratur Cœna, dum Lutherus ſimpliciter vocabulis inhærendum cenſet; Zvvinglius autem, qui apud Helvetios ſacra reformarat, iſta rationi magis & ſenſuum judicio adaptare ſtudet. Eam litem verborum amarulentia auctam, Pontificii in utilitatem ſuam callide convertere, ac jam in Conventu Spirenſi Anno 1529. diffidentiæ ac ſimultatis inter ipſos ſerendæ occaſionem arripuere. Sed Landgravius Haſſiæ iſtorum aſtutia animadverſa concordiam propoſita conciliationis ſpe hactenus conſervaverat. Et mox eradicando ſi fieri poſſet diſſidio colloquium Marpurgi Lutherum inter & Zvvinglium inſtituit. Ibi cum in cæteris quidem convenirent, ſed in iſto capite neuter à ſua ſententia diſcederet, tandem in fine colloquii, opera Landgravii eo uſque eſt conſenſum, ut partes caritatem ſibi invicem exhiberent, Deumque orarent, concordiæ viam pandere vellet. Id conſilium cum calida ingenia negligerent, Proteſtantium res in partes diſtracta haut leviter debilitata eſt. Sed & poſt ad alia capita, uti ſolet, irritatis ſemel animis, diſſenſus ſe diffudit, & incaleſcentibus calamis id ſibi præcipuum negotium datum crediderunt, uter alterius ſententias maximæ abſurdita-

Proteſtantes in partes ſciſſi.

ſurditatis arguere poſſet. Cum porro in decreto Auguſtano cautum eſſet, ut ea ſecuritate ac pace tantum frucrentur vel veteri religioni, vel Auguſtanæ Confeſſioni addicti, excluſis qui diverſa ſentirent; Pontificii in dubium vocabant, num ea pax ad Calvinianos, quos vocabant, pertineret; præſertim poſtquam *Formula Concordiæ* à plurimis Auguſtanæ Confeſſioni addictis recepta foret, qua iſtorum doctrina plane damnabatur, abrupta quoque omni compoſitionis amicæ ſpe; utut iſti ab Auguſtana Confeſſione ſe haut diſcediſſe contenderent. Sane Proteſtantium ſacerdotes ad eos, qui Calvinum ſequebantur, nec Auguſtanam Confeſſionem, nec eidem ſuperſtructam pacem ſpectare clamitabant. Alii Principes paulo ſenius, non quidem per omnia ipſos ſecum convenire diſſerebant; nec tamen tanti eſſe iſtum diſſenſum, ut ideo pace ſint excludendi; ac ſpem eſſe, eoſdem errorem ſuum exuturos. Inde & iſtos in Conventibus Ordinum ad deliberationes ſuper communi ſecuritate & negotiis ſacra ſpectantibus admiſerunt, etſi paulo frigidius, & velut qui non proprio jure niterentur, ſed precario ſub ipſorum patrocinio ac privilegiis delitescerent. Quæ res Calvinianos ſubegit, ut ſeparata per conſilia ſalutem ſuam munire conarentur. Nec parum deinceps acerbitati animorum acceſſit, quod Lutherani Doctores Palatinatu, & inde Marpurgo, ac vice verſa Calviniani Electoratu Saxoniæ expulſi eſſent; gliſcente quoque in hoſce invidia è tumultibus per Belgium ac Galliam exortis, velut Calviniana Religio homines turbidos & novarum rerum adpetentes faceret. Simul Pontificii Lutheranis ſedulo inſuſurrabant, utroſque à Calvinianis exitium manere, ſiquidem hi vires expromendis quæ animo agitarent nacti eſſent.

Proteſtantium religio extenditur & propagatur.

§. 17. Interea Proteſtantium religio nova ſubinde incrementa capiebat late per ditiones Cæſaris effatà, & quia per utramque Saxoniam non paucos Præſulatus ac alia bona ſacra Principes ditionibus ſuis, abolito ritu Pontificio, adjungebant. Præſul quoque Halberſtadienſis, & mox Magdeburgicus ductis uxoribus, & adſcitis Proteſtantium ſacris Epiſcopatus retinebant, fruſtra Pontificiis decretum Auguſtanum violari clamitantibus. Idem paulo ante tentaverat Gebhardus Truchſeſius Colonienſis Archiepiſcopus; ſed cui mox à Pontificiis validus æmulus immiſſus fuerat Erneſtus Bavarus, vibrante inſuper fulmen Pontifice, ac Rudolpho Cæſare dignationem Electoralem ipſi abrogante: magno & religionis repurgatæ & libertatis Principum præjudicio, ſi ſoli Cæſari poteſtas concederetur propria autoritate aut præeunte Pontificis decreto ditione aliquem exuendi. Equidem vi tueri Gebhardum moliebatur Johannes Caſimirus Palatinus, verum irrito conatu, cum Saxo & Brandeburgicus non niſi preces apud Cæſarem interponerent, arma una cum cæteris procul haberent, pacis amore, an invidia in Palatinum, qui Calvinianam doctrinam ibi ſtabiliturus erat. Qui & ipſe tamen mox negotium deſeruit ad Palatinatum adminiſtrandum revocatus; & copias ipſius metus intentatæ à Cæſare proſcriptionis non parum terruerat. Hic tamen eventus Saxonicos Præſules haut commovit, validis ſociorum viribus circumfuſos, & à vicinia Cæſaris Hiſpanorumque remotos. Eoque & fulmen in iſtos evibrare Pontifex neglexerat, velut ludibrio futurum. Argentoratenſem quoque Epiſcopatum armis tandem adhibitis ad ſe raptare laborabant inde Proteſtantes, hinc Pontificii; quo tamen demum hi licet paululum admutilato potiebantur opibus Cardinalis Lotharingii, & poſt Leopoldi Auſtriaci, in quos Præſulatum iſtum Pontificii contulerant. Contra Præſul Salisburgenſis & Wurtzburgenſis aliique, tum præcipue Ferdinandus Archidux per Stiriam, & alias ſibi ſubjectas provincias Lutheranos non ſine aſperitate expellebant, Donavverda quoque ob turbatam Monachorum pompam proſcripta, ac Bavaro obtentu ſumtuum in exſecutionem proſcriptionis factorum detenta, ſatis arguebat, Pontificis non deeſſe animos Proteſtantibus in ordinem redigendis, ſi occaſio arrideat.

Unio Evangelicorum.

§. 18. Rebus ita quotidie magis exulceratis, cum ſatis adpareret denuo ad manus deventum iri, multi è Proteſtantibus per ſuperiorem Germaniam, qui periculo ſe proximos ducebant, mature in fœdus mutuæ defenſionis cauta conjunguntur. Ejus autor & conciliator erat Elector Palatinus, qui cum principem inter Ordines Proteſtantes locum obtineret, præcipuam quoque curam communis ſalutis ſibi incumbere judicabat. Simul metuebat, ne in ipſum ac cæteros, quos Calvinianos vocabant, Pontificiorum vis primum erumperet, præſertim cum ipſi ob interſutos terris ſuis Præſules multæ lites cum his intercederent. Ac meminerat Superiorem maxime Germaniam Carolo V. procuſcatam. Eidem fœderi nomina dederant reliqui Calviniani, & è Lutheranis, qui per vicinam commode auxilia invicem ferre poterant. Cautæ fœderis (*Unionem Evangelicam* ipſi vocabant) hæ præcipue allegabantur; ut importunos proceſſus apud Aulam Cæſaris & Cameram Spirenſem ſibi intentatos amoliantur, per quos obtentu adminiſtrandæ juſtitiæ ſacra, libertas, ac fortunæ ipſorum evertantur: ut quæ adverſus leges pacis religioni conceſſæ ſibi inferantur repellant, quibus remedium adhibere Cæſar tot precibus licet fatigatus negligat: ut conſiliis Pontificiorum Monarchiæ Hiſpanicæ obſtetricantium obviam eant, cujus præcipuum fulcrum ducatur oppreſſis Proteſtantibus Germaniam jugo ſubdidiſſe. Hujus igitur fœderis ſocii, cum apud aulam Cæſaris, & in Conventibus Ordinum intrepide exponerent, queis religio ac libertas ſua injuſte lædebatur, eademque corrigi enixe flagitarent, ingentem Cæſaris atque Pontificiorum invidiam incurrerunt. Ac vulgo clamitabatur; illos hoc agere, ut veterem Reip. formam plane evertant, & ſubruto Cæſaris faſtigio ſummam rerum ad ſe trahant. Cæterum quamdiu verbis tantum res gerebatur, magni momenti ſibi iſta Unio eſſe videbatur. Ubi ad arma deventum fuit, vires ejuſdem longe tenuiores adparuerunt, quam pro tanta mole ſuſtinenda; & qui ante periculum atrociter loquebantur, poſt potentiam ſe ſuam nimis liberaliter æſtimaſſe, & ſpei minus ſolido ſubnixæ fundamento plus juſto indulſiſſe agnoſcebant. Ut vix alius ejus fœderis uſus fuerit, quam ut dudum ſub cineribus gliſcens incendium eo maturius in flammam erumperet. Porro præter Pontificios iſtam Unionem averſabatur quoque Joannes Georgius Saxoniæ Elector, æmulatione in Palatinum, quod ſibi Proteſtantium antiquiſſimo & potentiſſimo præcipuas deberi partes putaret, ſi quid communi iſtorum nomine gerendum foret. Accendebat odia Theologorum intemperies, & Auſtriaci ſubinde ingerebant; Calvinianis Lutheranos juxta atque Catholicos exterminare propoſitum eſſe. Ac tanti ipſis videbatur Saxonem a Fœderatis disjungere, ut præter gravitatem Auſtriacæ Domui ſolitam ſat familiariter Dreſdam accederent, quo ſuis partibus illigato perſuade-

ſuaderent, ubi in arma eruptum à Cæſare fuerit, non religionis negotium agi, ſed ut turbidi ac petulantes Calviniani coërcerentur. Simul inani *infeudatione* ditionum Juliacenſium eundem inciderant, quas tamen ipſi jam ſpe devoraverant compeſcendis rebellibus Batavis, & firmando Belgio. Igitur Saxo Cæſaris autoritatem quovis modo aſſerere, & quæ Fœderati coarctandæ iſthius jurisdictioni poſtulabant velut iniqua rejicere, ac ſubinde monere, ne fervide nimis cauſam ſuam urgendo extremis rempublicam admoverent. E Domo Haſſiaca Caſſellanus Unioni nomen dederat, eoq; Darmſtadienſis, cui cum iſto ſuper ditione Marpurgenſi lis erat, in Cæſaris partes conceſſit. Inferioris Saxoniæ Principes tanquam à periculo longius remoti de fœderibus jam tum cogitare præmaturum ducebant.

Liga Pontificiorum.

§. 19. Cum autem circa ſucceſſionem Juliacenſem controverſia quam maxime ferveret, Principes *Unionis* adſcripti, qui hactenus literarum fere commercio ſocietatem aluerant, Anno decimo hujus ſeculi Halæ Suevorum conventum celebrabant, arctius ſtringendo fœderi, & ut mature bello gerendo neceſſaria proviserent, urgente eam rem cumprimis Henrico Galliarum Rege, qui & ipſe tunc ſocietati illi una cum Belgis Fœderatis ſe jungebat. Ac videbatur tunc periculum propius admotum, ſoluto ante biennium citra fructum Conventu Ordinum, in quo Fœderati querelis ſuis ſatisfieri fruſtra poſtulaverant: & quia vim jam parabant Auſtriaci occupandis ditionibus Juliacenſibus, quarum poſſeſſionem Brandeburgicus Elector, & Palatinus Neoburgicus arripuerant, uterq; Unioni adſcriptus, ejusque auxilio non parum communis. Etſi poſtea Neoburgicus ex affinitate Bavarica, & adſcitis ſacris Pontificiis majus cautæ ſuæ præſidium ſperaret. Iſte igitur Evangelicorum Conventus Pontificios adverterat, ut & ipſi congreſſu Wurtzburgi indicto oppoſitum illi fœdus inirent, (*Ligam Catholicam* vocabant,) tuendis ſuis ſactis ac ditionibus, ſi qua vis aut injuria inferretur, cujus dux Maximilianus Bavarus vetus Palatini æmulus conſtituitur. Ac armorum utrinque apparatus ſtrepitum ac terrorem dabat, videbanturque jamjam in ſe velut impetu incurſuri. Sed prævalente ratione, cum utraque pars nil præter defenſionem ſuarum rerum obtenderet, nec cauſa adpareret, quare ſe invicem nullo manifeſto emolumento perdere vellent, intra primos motus ea res ſteterit. Et Cæſar ut fœderibus atque armis ſuperſederent hortabatur, ne quid ipſe tunc tentaret domeſticis turbis prohibitus. Gliſcebat tamen utrinq; diffidentia, pruritusque bellandi, præſertim poſt ſolutum fruſtra Conventum Ratisponentem An. 1613. in quo Unioni adſcripti Proteſtantes ſæpius ingeſtas querelas contra enormem Judicii Aulici autoritatem, Tribunalque Spirenſe in Pontificios pronum ingeminabant; ſimul quod decretum Auguſtanum in alienos ſenſus traheretur, & ipſorum ſalus in lubrico poneretur, ſi, quod hactenus factum erat, ſuffragia in Conventibus Ordinum circa negotia religionis, & alia ad ſtatum ipſorum pertinentia, numero valerent, quo ſemper Pontificii vincere poſſent. Quibus & ſimilibus ut Cæſar medicinam faceret interpoſita tranſactione, quæ omnem deinceps litium materiam extingueret, poſtulabant, teſtati ſe ad publicas conſultationes non progreſſuros, niſi petitis ſuis ſatisfieret. Sed cum Cæſar Saxonis & Pontificiorum, qui non minus prolixum querelarum adverſus Proteſtantes catalogum obtulerant, favore confiſus non niſi inanibus verbis & in futurum prominentibus iſtos differre inſtitueret, irritatis utrinque animis, & infecta re diceſſum. Sic igitur atroci incendio digeſta erat copioſiſſima materia, levi quantumvis occaſione flammam conceptura, quam ſeditioſorum turbo libellorum, à male feriatis ingeniis in publicum emiſſorum, non ſeguiter provocabat. Nec ulla in medio potentia erat, quæ tumentes utrinque animos premeret, modica Cæſarum autoritate, qui jam dudum partis Pontificiæ acceſſio habebantur, & ex iſto Ordinum diſſidio viam aliquando ad utrosque opprimendos ſibi munitum iri ſperabant.

Lutherana religio per provincias Cæſaris invaleſcit.

§. 20. Non minor bellorum fomes per provincias Cæſari peculiares gliſcebat, apud quas demum incendium erupit, quo tota Germania conflagratura erat. Cauſa itidem è ſacris Auguſtanis, quæ iſtas per regiones late ſe diffuderant; quorum dum ſecuritas nimis forſan intempeſtive quæritur, maturius exitium inveniebatur. Jam Ferdinandus I. populis Auſtriæ id anxie deſiderantibus, utum Calicis induſterat, ſed precario, & iterum ſuſpendendum, quoad in tributa extra ordinem conſentirent. Verum Maximilianus ampliſſime cultui Auguſtanæ Confeſſionis caverat, adhibitis in conſilium Joachimo Camerario, & Davide Chytræo, clari nominis inter Lutheranos viris. Id privilegium cum poſt abolere conaretur Matthias, Auſtriaci captis armis ipſius copias profligarunt, ut tunc quidem cœptum perſequi non auderet. Nec minus Bohemiæ ſubjectisque provinciis ea ſe religio inſuderat, cui itidem Maximilianus, & inde Rudolfus, etſi non ſine antegreſſo motu, & intercedente Saxone, ſecuritatem *literis* quas vocant *Majeſtatis* promiſerat, conceſſo quoque Proteſtantibus Conſiſtorio minore & Academia Pragenſi, quibus tuendis certi *Defenſores* conſtituebantur, & nova templa extruendi facultate. Adverſus hasce literas Præſules graviter fremebant; eas ſeni Rudolfo vi extortas, ſupra cujus poteſtatem fuerit talia indulgere, nec proceres Pontificios in eas conſenſiſſe. Inde horum aliqui in Proteſtantes ſibi ſubjectos ſævire, ſeſuitæ novam Pragæ Academiam veteri oppoſitam erigere, omnia conviciis & invectivis perſtrepere, *Defenſorumque* actiones velut contra majeſtatem regiam ſuſceptæ accuſari. Nec deerant, qui literas illas ex aſtuto Jeſuitarum conſilio datas arguerent, ut iisdem abuſi Proteſtantes in turbas erumperent, ipſique anſam arma adverſus ſe capiendi præberent. Iſtas porro literas Matthias, cum Bohemiæ regnum ſuſciperet, confirmavit.

De illa opprimenda conſilium ineunt.

§. 21. Invaleſcens illa per ditiones Cæſaris religio magnam Pontifici eidemque addictis ſolicitudinem injecerat, ne tam validæ provinciæ penitus Proteſtantibus accederent, neu ſubjectorum conſenſus ipſos quoque Principes Auſtriacos eodem traheret, aut renuentes ejiceret: unde certiſſima ratio Pontificis per reliquam Germaniam ruina imminebat. Omnia igitur circumpicientibus, qui huic incommodo medicinam adferre poſſet, maxime idoneus judicabatur Ferdinandus, Cæſaris Ferdinandi è Carolo filio nepos, Maria Bavarica genitus, quæ zelum in religionem Pontificiam è domo paterna haudſum mariti penatibus jam antea ſat caldi intulerat, eumque omni modo in filium transfundere laborabat, uſa quoque opera præceptoris Proteſtantibus infenſiſſimi. In hunc ergo ſacerdotum maxime favor inclinabat, quod fratres Rudolfi lenes nimis in Proteſtantes viderentur, ac è pleriſque nulla ſobolis ſpes. Hunc fovere, hunc omni modo extollere, ac rebus gerendis admovere, eidemque captandæ Ordinum Imperii benevolentiæ occaſionem dare, denique faſtigium Cæſareum, & tam opimum patrimonium defuncto Rudolfo deſtinare. Qui & ipſe in ſpecimen odii adverſus Proteſtantes eos ſub initium

tium hujus ſeculi Stiria aliisque ſibi ſubjectis locis ejecerat, quamvis Maximilianus iisdem ſuper religione ampliſſimo diplomate caviſſet, poſtquam duos milliones extra ordinem tributi nomine ſolviſſent; nec minorem ſummam contuliſſent, cum Ferdinandi pater Carolus iſtud privilegium retractatum iret. Enimvero Ferdinandus eo usque pro Romano cultu incalucrat, ut aperte profiteretur, malle ſe vitæ omniumque bonorum jacturam facere, quam ſacra ab iſto diverſa in ſuis ditionibus tolerare. Ne tamen hic Rudolfo ſuccedere poſſet, Matthias Rudolfi frater impediebat; cui indignum videbatur ſibi juvenem & gradu remotiorem in cernenda tanta hæreditate præferri. Eoque ut ſibi vivo Rudolfo ſucceſſionem firmaret, hunc admoto armorum terrore cogebat, ut magna ditionum parte ſibi cederet. Atque hoc ut volentibus ſubjectis fieret, firmata ab ipſo ſacrorum libertas non parum conferebat. Cum tamen nulla ſobolis ſpes ipſi, fratribusque ſuperesſet, quo religio Pontificia, ac Domus Auſtriaca novo munimento inſiſteret, tandem is ſuaſu ac conſenſu fratrum Ferdinandum adoptavit. In cujus favorem etiam Philippus Hiſpaniarum Rex juri, quod in Regnum Bohemiæ ſibi ferebat competere, renunciavit ea lege, ut iſtius ſobole maſcula extincta ſucceſſio ad Reges Hiſpaniæ iterum devolveretur. Inde à Matthia Ferdinandus Bohemis Rex deſignandus offertur; qui & in hunc conſentiunt ea conditione ut poſt ſuſceptum regimen privilegia ipſorum confirmet, ac vivo Matthia citra hujus atque Ordinum conſenſum negotiis Regni ſe non immiſceat: alias Ordines nullo obtequio ipſi fore devinctos. Inauguratione facta Cæſar una cum Ferdinando Dreſdam ad Saxoniæ Electorem profectus eſt, ut tanta amicitiæ oſtentatione ipſius ſibi favorem pigneraret, apiſcendo Cæſareo faſtigio, & ſi quis motus apud Bohemos aut ab Unione erumperet. Mox & Hungarica corona eidem Presburgi imponitur, quo tamen Matthias ob ingraveſcentem valetudinem accedere non poterat, fixa Viennæ aula. Quæ res motus Bohemicos maturaſſe videtur.

An. 1617.

Ferdinandus Bohemiæ & Hungariæ Rex deſignatur.

Motuum Bohemicorum initium.

§. 22. Cum enim Cæſaris valetudo promiſſum Ordinibus Bohemiæ conventum, qui ſuffocandis in herba tumultuum ſeminibus neceſſarius erat, impediret, Ordines Evangelici una cum Defenſoribus congrediebantur, ſuper conſervandis literis Majeſtatis, & tuenda religione conſilia collaturi. Inter alia plurimum querelarum audiebatur ſuper Abbate Braunavienſi, cujus ſubjecti Evangelici templum ſibi extruere cœperant. Id cum inhiberet Abbas, cauſatus Præſulum Catholicorum ſubjectis id juris non eſſe, ac iſti haut eo magis deliſterent, à Cæſare quoque literæ idem vetantes veniunt. Aſt Braunavienſes ad Defenſores Pragam ſe conferunt, qui una cum Magiſtratibus Regni & Deputatis decernunt, iſtis jus extruendi templa è privilegio competere. Quo decreto iidem conſili ſtructuram ſuam urgent; Abbas contra præcipuos civium in carcerem rapit.

1618. Pragenſis quoque Præſul in ſibi ſubjecto oppido Cloſtergrabio templum collecta ſtipe ſat magnifice extructum ſolo æquaverat. Defenſores ad Cæſarem & Magiſtratus Regni ſcribunt emendationem petentes, ſimul conventum Ordinum Evangelicorum indicunt, diſpiciendo remedio adverſus hanc, & graviorem, quæ imminere videbatur, oppreſſionem. Ea deſtinata Cæſar ægre ferre, velut contra ſe ſuſcepta, quod ſuo juſſu templa iſta deſtructa diceret; & ut conventu ſuperſedeatur, jubere. Aſt illi per privilegia id ſibi licere, nec in Cæſarem quid ſuſcipi teſtati, in propoſito ſuo pergunt. Poſt deliberationem in arcem ad Magiſtratus Regni adſcendunt, querelas ſuas expoſituri; quibus cum Wilhelmus Slabata & Jaroslaus Martinizius durius reſpondiſſent, hoſce correptos una cum Secretario Philippo Fabricio per feneſtras præcipitant. Fuere qui traderent, inſtinctu Henrici Matthæi Comitis Turrii hoc factum, ut ob atrocitatem facinoris deſperata vena pertinacius deſtinata perſequerentur. Inde copiæ ſcribuntur, captivi carcere emittuntur, alii eodem conjiciuntur. Summæ rei adminiſtratio triginta directoribus creditur, legatiq; ad Sileſios, Moravos, Lutatos atq; Hungaros mittuntur ex fœdere auxilia petituri. Jeſuitæ Regno velut malorum autores proſcribuntur; qui tamen culpam in Calviniſtas regerunt, literasq; Majeſtatis, quas ita importune iſti crepent, Rudolfo vi metuq; extortas arguunt. Sed & Cæſar factum Bohemorum improbat, & arma omittere jubet, oſtentata veniæ ſpe; ni pareant, & ipſe arma minatur.

1618. Proceres feneſtra dejiciuntur. d. 23. Maji.

§. 23. Ut ad amicam compoſitionem cœptæ turbæ deducerentur, Cæſarem vehementer hortati ſunt tum multi alii, tum Ordines Auſtriæ atque Sileſiæ; ac poſt Socii Unionis Roteburgi ad Tubarum congregati idem ſolicite petierunt, non obſcure innuentes, ſe ex eo, quod in Bohemos ſit ſtatuendum, conſilia capturos. Obtulit quoque interpoſitionem ſuam Saxoniæ Elector, una cum Moguntino, Palatino ac Bavaro, quin & ipſe deſignatus Rex Ferdinandus. Nec Bohemi abnuebant, modo ut Cæſar copias in Regnum mittere ſuperſederet. Sed cum ab hoc nollet deliſtere Cæſar, & ut Bohemi copias dimitterent omnino poſtularet: illi in caſſes allici, & inermes inimicorum ſe libidini dedendos ſuſpicati in ſolis demum armis præſidium ſibi repoſitum judicarunt. Nativam quippe Principum Auſtriacorum manſuetudinem immitium ſacerdotum inſtinctu expugnari, ſubinde ingerentium, hæreticis fidem ſervandam non eſſe, ac nullum illuſtrius pietatis ſpecimen edi poſſe, quam velut Divini Numinis hoſtes exterminare, qui Pontificis Romani autoritatem adorare detrectant. Nec parum eam diffidentiam accendebant Belgæ Fœderati, à Bohemis in auxilium ſolicitati, qui diligenter monebant, ne tractatuum ſpecie circumveniri ſe patiantur; exemplo quoque ſuo ad prægravem dominatum excutiendum ipſos animabant, omne ſtudium velut in communem cauſam polliciti tanto prolixius, quod è re ſua ducerent alibi Auſtriacis negotium faceſſi, ut expiraturis mox induciis Hiſpani minore mole ipſis incumberent. Addebat quoque Bohemis fiduciam *Unio*, quæ pacem quidem amplectendam, ſed non minus defenſioni invigilandum ſuadebat; ſimul communis religionis cauſam tum apud illos tum alibi agi aſſerebat. Per quas ambages auxilia ſua ipſis non defore inſinuabat. An quidam ex iſto fœdere eos aperte in bellum incitaverint, tanquam parum compertum aſſeverare non auſim. Diverſa ratione Bavarus oleum flammæ addebat, quem Bohemi miſſo legato ſibi conciliare conati fuerant, aperte ipſorum facta damnans, nullaque ratione excuſari eadem poſſe exprobrans; ut armati venia deſperata ſatius judicarent non inulti perire. Nam ſi de venia & ſacrorum libertate certi fuiſſent, facile perſuaderi potuiſſe videbantur, ut præſentia tuta, quam nova & periculoſa mallent. Nec deſunt, qui arguant, vicinos Principes Palatinum, Saxonem, & Bavarum remiſſius egiſſe, quam pro tanto periculo, diſcordantibus inter ſe ſtudiis; an quia malo ingraveſcente auxilium ſuum carius imputaturi erant, aut ex alterius ruina incrementa ſibi ſperabant.

Compoſitio amica fruſtra tentatur.

Bellum ſuadent Batavi & Unionitæ.

§. 24. Cum igitur literis hinc inde ſcriptis parum proficeretur, Cæſare jubente in Bohemiam irrum-

Bellum Bohemicum ſurgit.

1618. irrumpit Henricus Dampierus, quem mox ſequitur, qui Bohemos rebelles publice pronunciat. Statim cædes, incendia, rapinæ, ſtupra velut in hoſtico, cum Bohemi adhuc Cæſaris fideles ſe ſubjectos profiterentur; minæ quoque ſuper mutanda religione, præpoſtera rei gerendæ auſpicia conſternatos ad obſequium reducere conantibus. Miſſus iſti in ſubſidium Carolus Bucquoius veteranus apud Belgas dux cum amplioribus copiis & mandatis. Contra Bohemis ſubſidio cum valida legione acceſſit Erneſtus Mansfeldius, Petro Erneſto Lucemburgi quondam Gubernatore genitus; qui cum apud Hiſpanos ob genus maternum impar exiguam ſui rationem haberi cerneret, ad Proteſtantes ſe contulerat, non poſtrema belli fax. Is urbem Piſtenam Cæſari faventem vi expugnavit. Sed adverſus Budevveiſam immiſſum à Bucquoio præſidium conatus irritos reddebat. Modicæ hinc velitationes, pari fere damno & quibus ad ſummam rerum nihil profectum eſt. Sed cum Bohemi numero prævalerent, quibus etiam è Sileſia auxilio ſubmiſſæ copiæ acceſſerant, & Cæſarei ad fines Auſtriæ locis impeditis ſe tenerent, Turrius Comes cum parte exercitus in Auſtriam irrupit, cauſatus prædam è Bohemia eo avectam ſe repeturum; an ut & ibi bellum accenderet, ac Auſtriæ populos, qui & ipſi ob violata privilegia fremebant, ad arma ſecum conjungenda animaret.

§. 25. Poſt imbutos utrinque civili ſanguine gladios exigua pacis ſpes ſupererat ex interventu Palatini, Saxonis, Moguntini ac Bavari, cui tentandæ dies Egræ dicta fuit. Verum antequam ea cederet,

1619. Matthias Cæſar moritur. Cæſar Matthias menſe Martio Anno 1619. fato fungitur, haut leve turbis latius ſpargendis momentum. Nam non Bohemi ſolum velut ad interregnum devoluti pro arbitrio circa ſummam rerum diſponere; ſed & Auſtriæ Ordines jam commodum temp' adveniſſe credere adverſus incommoda, quibus hactenus preſſi fuerant, ſibi in poſterum proſpiciendi, novi Principis autoritate nondum coalita, & incumbentibus Bohemiæ turbis.

Bohemi Ferdinandum Regem abnegant. Ac apud Bohemos quidem Ferdinandus, quem Moguntinus tanquam legitimum Bohemiæ Regem ad futuri Cæſaris electionem non ſine gravi Bohemorum præjudicio evocaverat, ſuſcepta Regni adminiſtratione per literas Præſidibus ſub Matthia conſtitutis magiſtratum prorogat. Nec minus miſſo diplomate Bohemorum privilegia confirmat, prout cum Rex deſignaretur pollicitus fuerat. Enimvero Bohemi apud Palatinum & Saxonem queruntur, à Ferdinando reginem invadi non præſtitis prius quæ debebantur; ſimul quod munus continuare jubeat malorum omnium Regno autores, eoque crimine ab ordinibus loco motos: quodque externum militem è Regno non educat, & alibi copias contra ipſos conſcribat. Sed & Siletii juramentum dicere abnuerunt, niſi poſito bello, & confirmatis privilegiis. Nec minus Moravicum Luſatis in Bohemorum placita tranſierunt. Multa inde à Bohemicis Directoribus conſtituuntur in uſum Regni & ſecuritatem ſacrorum; ſimul perpetuum fœdus inter Bohemiam, eique annexas Provincias ſcribitur, cui dein Auſtriæ, & mox Hungariæ Ordines ſociantur. Nam Auſtriæ quidem regimen Albertus Archidux in Ferdinandum per literas tranſtulerat, quas dum Ordinibus Ferdinandus exhibet, ac ut iiſdem obſequium præſtent poſtulat, hi negotii gravitatem cauſati ſpatium deliberandi petunt, tum ut miles amoveatur, ac querelis medicina fiat, antequam juramento adigantur. Interea ſibi provinciæ adminiſtrationem, quoad in novi Principis verba juratum ſit, veteri jure competere aſſerunt. Inprimis Superioris Auſtriæ populi firmiter poſtulatis ſuis inſiſtere, & cupide Bohemico fœderi accedere. Inferioris Auſtriæ Ordines cunctabundos prævalidis adhuc Pontificiis Comes Turrius eodem compellebat, exercitu ipſis Viennæ mœnibus, ubi tunc Ferdinandus agebat, admoto, cujus occupandæ ſpem per quorundam intus proditionem conceperat. Et in ſummo periculo verſabatur Ferdinandus, ni Mansfeldius interim à Bucquoio in Bohemia vapulaſſet; cujus cladis terror Turrium Vienna abſtractum Bohemis ſubſidio feſtinare coëgit. 1618.

§. 26. Sed Ferdinandus, cum nihil rebus ſuis utilius judicaret, quam Corona Cæſarea potiri, relicto domi fratre Leopoldo Francofurtum ſe contulit, ut præſentia ſua celeritatem ei negotio adderet. In quo quantum ad ſummam rerum momenti ſitum eſſet cum Bohemi ſatis intelligerent, apud Electores ſcriptis literis impedire conati ſunt, ne Ferdinandus velut Rex Bohemiæ ad electionem admitteretur: contendentes, jus eligendi Cæſarem non competere, niſi qui Electoratum reipſa, & citra contradictionem poſſideat: interregni tempore id jus penes Ordines Bohemiæ eſſe. Eoque & ipſi Legatos Francofurtum deſtinarunt, velut Regno Bohemiæ vacante electioni interfuturos. Qui tamen non longius quam Marpurgum usque procedere auſi, cum Electores eorum petita negligerent, aut ſe non ſatis idoneos tantæ rei judices terrent, interpoſita proteſtatione domum reverterunt. Eo conatu depulſi Bohemi, ſaltem ut electio ſuſpendatur, quouſque turbæ compoſitæ ſint, petierunt. Idemque ſuadebat Palatinus; qui cum antea Monachium ipſe profectus Maximilianum ut ad faſtigium Cæſareum adſpirare vellet, fruſtra incitaſſet, nunc inter alia differebat; circumſtrepentibus armis electionem non ſatis ſore liberam, & ante omnia id agendum, ut excluſo milite externo, & compoſitis motibus Bohemicis inteſtina Germaniæ ſecuritas conſtituatur; quæ nunc eo usque periclitetur, ut Unio in ſui defenſionem copias conſcribere neceſſarium judicaverit. Quæ tamen non impediebant, quo minus menſe Auguſto Electores (Friderico Palatino excepto, qui ſuffragio ſuo Maximilianum Bavarum deſignabat,) Ferdinandum Cæſarem renunciarent, cum denuo Bohemis ſequeſtres ſe obtuliſſent, deſignato ad menſem Novembrem Rariſponam conventu; quæ conditionem Ferdinand' à ſe acceptari ſignificabat. 1618.

Ferdinandus Cæſar creatur.

§. 27. Aſt Bohemis potius viſum indicto Ordinum Regni Conventu fœdus inter ſe cum adjunctis Regno provinciis, & utriuſque Auſtriæ populis firmare, legeſque concipere, in quas Reges deinceps ſint adſciſcendi, adjecta clauſula commiſſoria, ni iiſdem ſtetur. Inde ulterius progreſſi Ferdinandum Regno excidiſſe decreverunt, quod contra leges metu aut per largitiones corruptis ſuffragiis Rex deſignatus ſit, & conditionibus, ex quibus electionem ſuſpendiſſent Ordines, contravenerit, jam ſub Matthia hoſtilia in Regnum molitus, & adhuc immiſſo milite ſæviens, qui & cum Hiſpano pactum ſuper ſucceſſione in fraudem liberæ electionis Ordinibus competentis iniverit. Mox Fridericus Palatinus Elector Rex ab iſtis deſignatur, eique miſſis legatis Regnum offertur. Fuerant, qui de Joanne Georgio Saxoniæ Electore, aut Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce eligendo mentionem injicerent. Sed hic remotus nimis, nec tantæ moli par judicabatur; ille Auſtriacis nimium addictus, nec Bohemis ſatis æquus metuebatur, & ne inſignia feuda, quæ à Regno Bohemiæ obtinebat, avelleret. In Friderico præter mite ingenium ſpectabatur vicinia, & quod Gallis Britanniſque, ac Belgis amicitia, affinitate, aut fœdere innexus, caputque Unionis eſſet. Si

Bohemi Fridericum Palatinum Regem eligunt.

1619. quid adverſi accidiſſet, omnes, quos Auſtriaca potentia æmulatione accenderet, auxilio accurſuros ſpes erat. Fridericum, ut tam periculoſo bello aſſerendum diadema, diſſuadentibus licet Saxone & Brandeburgico Electoribus, Bavaroque, tum Polono, ipſoque ſocero Jacobo Magnæ Britanniæ Rege, ſuſciperet, præter ſplendorem faſtigii regii, & tam opinatarum ditionum acceſſionem, ſtimulabant præcipites quidam homines, in ſpes inanes proni, aut è novis rebus ſuarum fortunarum incrementa aucupantes; quos inter Ludovicus Camerarius præcipuus habebatur. Qui fortiter audentibus omnia prona jactabant. Ignavum eſſe ultro oblatum reſpuere, quod alii tot ultro provocatis periculis quæſitum iverint. Si ipſe abnuat, non defore, qui cupide amplectantur tam egregiam fortunæ augendæ occaſionem, degenerem ipſius modeſtiam irriſuros. Batavos induciis mox expiraturis ſat negotii Hiſpano daturos; Unionem veteres ipſius ditiones protecturam. Denique omni humana providentia potius habendum Divini Numinis auxilium, cui in proclivi ſit veræ religionis aſſertoribus adverſus Antichriſti ſatellites victoriam largiri. Nec tamen deerant, qui tutiora ingererent; nec præſentem fortunam ſat ſplendidam apiſcendo ambiguæ ſpei Regno aleæ exponendam. Ingentes Domus Auſtriacæ vires, immenſam pecuniam, ſpectatos bello duces, militum affatim. Addictiſſima Ferdinando Pontificiorum per Germaniam ſtudia, cujus magnitudini innexam Romanæ religionis incolumitatem haut falſo credant. Ipſi contra neque duces, neque exercitum, nec pecuniam tanto bello parem. Galliam non ſatis firmata intus pace tantis Palatinæ Domus incrementis vix favorem accommodaturam memoria expeditionum quondam ſublevandis Hugenottis ſuſceptarum. Socerum pacis dulcedine falcinatum nunquam arma in Hiſpanos ſumturum. Languidum à Batavis auxilium, qui incendio à ſe avertendo alienas ædes inflammari gaudeant. Saxonem ac Bavarum æmulos, ac ſine dubio in Ferdinandi partes tranſituros. Danum nimis remotum. Nec in ſociis Unionis multum præſidii, quos facile tædium belli ſit capturum, ſi onera penes ſe, lucrum penes alios eſſe perſpexerint. Tum facilem inter tam multos diſſenſionem, diverſas ſpes; nec in arduo fore aliquos metu, aut oſtentatis præmiis ſocietate avellere. Ipſos porro Bohemos rerum novarum avidos & inſtabiles, non amore in ipſum coronam obtuliſſe, ſed quia cæteri eam abnuerant. Metu depulſo æque Friderici ipſos, quam Ferdinandi faſtidium ſubiturum; ac popularis licentiæ cupidos metu Regem ſum ſiſſe, ne omni auxilio deſtituerentur. Tranſylvanum ingenio mobili ſuas tantum res agere, quem levis rerum converſio partibus abſtrahere queat. Cæteros Germaniæ Principes, ubi nullus ob ſacra metus, non temere bellum adverſus Cæſarem ſumturos. Denique ſi ſemel Ferdinandus acie vincatur, non deeſſe unde vires reficiat. Ipſi pulſi unde alium exercitum? Et ubi non amplius metuat Ferdinandus, Cæſaris perſonam exſerturum, & non edictis minus quam armis fore formidandum. Sed hæc atq; talia canentes timidi audiebant, & qui fortunæ bona ultro in ſinum delapſa amplecti neſcirent, præſertim cum Mauritius Atrautionenſium Princeps, & Dux Bullionæus Fridericum ad audaciam incitarent. Creditum quoque ab uxore Eliſabetha Jacobi VI. Britanniæ Regis filia dubitanti calcar additum; ingerente; indecorum eſſe velut cælitus oblatum ſceptrum repudiari ab eo, qui Regis filiam in thorum aſſumere auſus ſit.

Bethlenus in Hungariam

§. 28. Sed & multum fiduciæ addebant Friderico Hungari, qui tunc quoque frænum mordere incipiebant ob moleſtias religionis cauſa illatas, & quia metuebant, ne Bohemis oppreſſis & ipſi conſcientiæ ſervitio ſubderentur; inde quoque aucta conſternatione, quod poſt tot interceſſiones miles è Bohemia non revocaretur, omni immanitatis genere ibi graſſari pergens. Hi ergo à Gabriele Bethleno Tranſylvaniæ Principe, quem & Bohemi ſolicitaverant, auxilium ſibi petendum ſtatuerunt. Qui poſtquam pacem cum Turcis firmaſſet, magno cum exercitu in Hungariam Superiorem irrupit & Caſſoviam plurimaque alia oppida ipſumque Presburgum in poteſtatem redegit. Is terror Bucquoium Bohemia evocaverat, quem Bohemi junctis Tranſylvanorum copiis inſecuti circa Viennam poſt acrem velitationem trans Danubium rejecerunt. 1619. irrumpit.

§. 29. Interea Fridericus Pragam ſe contulerat, ac ſolenni ritu coronam Regni Bohemiæ ſuſceperat, Moravis inde, Sileſiiſque in verba ſua adactis; factique ſui rationes publico ſcripto reddit. Nec minus Bethlenus ab Hungariæ Ordinibus abdicato Ferdinando Princeps Hungariæ declaratur, fœduſque inter id Regnum atque Bohemos ſancitur. Etſi paulo ante Ragozius ab Humanajo Cæſareo duce, qui ſub primam Bethleni irruptionem in Poloniam concedens favore Regis validam manum comparaverat, profligatus fuiſſet; quæ res Bethlenum Vienna abſtrahebat, ac Ferdinando reſpirandi ſpatium dabat. Nam Bethlenus parte copiarum in Hungariam Superiorem miſſa, cum cæteris Presburgum ipſe ſe conferebat. Inde in aliquot menſium inducias conſentit, compoſitione ad conventum Neoſolæ habendum rejecta. In quo etſi fœdus Hungarorum & Tranſylvanorum cum Bohemis decerneretur, ac abdicato Ferdinando Bethlenus Hungariæ Rex proclamaretur; id tamen pro Ferdinando effectum fuit, ut diſtracto interim Bethleno tota belli moles in Fridericum incumberet. Quæ quidem tanta ſe conglomeravit, ut facili negotio ipſum opprimendum adpareret. Fridericus coronatur. 1620.

§. 30. Nam Ferdinandus primo Friderici electionem irritam declarare. Mox Bavarum, quem poſt coronationem domum revertens Monachii adierat, inito fœdere rationibus ſuis illigare. Inde ad Conventum, quem Mulhuſii Electores Eccleſiaſtici una cum Saxone, Bavaroque & Ludovico Haſſio, omnes ipſi addictiſſimi agitabant, querelas ſuas deferre, eorumque auxilia implorare. Qui Friderici conatus improbant, atque ut ultro Regno cedat hortantur; Bohemos cæteroſque ut arma deponant non ſine minis monent. Simul ab Unione, ne huic negotio ſe immiſceat, poſtulant, cautione interpoſita religionem Proteſtantium aut bona ſacra haut quicquam peti. Ferdinandus quoque pro Cæſarea auctoritate Ordinibus ut quieſcant imperat, ductoreſque ac milites ſacramento Friderici avocat. Quæ omnia eo majorem habuerunt efficaciam, quod ipſe Fridericus antehac Ferdinandum Bohemiæ Regem & inde legitimum Cæſarem agnoviſſe videretur. Legationibus quoque Rex Daniæ & Interioris Saxoniæ Principes demulcentur. Inferioris Auſtriæ Ordines in verba Ferdinandi jurant, fœderique cum Bohemis renunciant, poſtquam ille ipſis verbo ſuper libertate ſacrorum caviſſet. Ferdinandus res ſuas reparat.

§. 31. Inter hæc poſt minacia utrinque ſcripta *Unio* & *Liga* contractis copiis, hæc circa Donavertam, illa ad Ulmam caſtra caſtris oppoſuerant. Et jamjam ad manus videbantur deventuri, qui tam ferociter ante periculum locuti fuerant. Sed mox congreſſu utriuſque partis Ulmæ indicto res componitur, ac Unio Bohemiæ defenſionem abdicat ſolius Palatinatus tutela ſuſcepta. Quæ res non parum Friderici partes debilitavit; præſertim cum antea Inter Unionem & Ligam res componitur.

1620. antea magnificis verbis vires *Unionis* oſtentaſſent, qui ipſum ad tam ancipitia conſilia impulerant. Ut autem hoc modo tranſigeretur Galliæ Regis Legati, qui Ulmæ tunc aderant, multum momenti attulerant. Scilicet quod nollet Gallus tanta opum acceſſione Palatinum extolli, ne iſte uti olim res Reformatorum per Galliam fulciret, quos ipſe in ordinem redigere propediem meditabatur. Unde & idem Daniæ Regem, & Saxonem, ne Friderico aſſiſterent, monuerat. Nec deerant, qui Joachimum Erneſtum Brandeburgicum Unionis ducem auro corruptum arguerent.

Friderici undique deſeruntur. §. 32. Poſtquam compoſitione facta Unionis copiæ in Palatinatum Inferiorem deſcendiſſent, Bavarus qui ſupra triginta militum millia ſub ſignis habebat, in ſuperiorem Auſtriam tendit, eamque ſub Ferdinandi obſequium redigit, hinc in Bohemia cum Cæſareis Ducibus copias conjuncturus. E diverſa parte Coſacci Poloniæ Regis inſtinctu Sileſiæ ac Moraviæ infuſi late terrorem dabant. Saxo jamdudum in Auſtriacos pronus, quod oppreſſis hiſce Electoratus ejus Domui à Carolo V. collatus periclitaturus videbatur, tum pollicitis ſuper cauſa Juliacenſi ad ipſius votum decidenda inescatus, ſtimulantibus inſuper quibuſdam ſacerdotibus, qui Lutheranis Pontificios proniores quam Calvinianos clamabant, in Luſatiam cum exercitu irrumpit, expugnataque per vim Budiſſina, pleraque ejus provinciæ oppida recipit; fruſtra renitente Marchione Jægerndorfio, qui ad defendendam eandem à Friderico miſſus erat. E Belgio Ambroſius Spinola cum viginti millibus peditum, quatuor equitum in Palatinatum Inferiorem movebat, cui protegendo Unionis copiæ ad Oppenheimum caſtra poſuerant haut quicquam Spinolæ pares, quippe tumultuario collectæ, nec diſciplina ſatis compoſitæ, ac præter ducum diſſenſionem cum ſtipendii penuria conflictantes. Sunt qui judicent, graviter ab illis peccatum, quod non obviam Spinolæ extra Palatinatus fines proceſſerint, veluti ad detentionem, quam ſolam ſibi propoſitam teſtabantur, neceſſarium foret primum ictum excepiſſe. Cujus rei culpam multi in Jacobum Regem conjiciunt, qui noluerit Spinolam ab *Unione* laceſſi, antequam is hoſtilia in Palatinatum exercere cœpiſſet. Iſte enim, præterquam quod ſenio & indole ab armis abhorreret, generum Bohemia expelli haut ægre ferebat, quem & nunquam Bohemiæ Regem voluerat agnoſcere, ſeu factum improbans, ſeu ne exiſtimationis ſuæ cauſa pro genero arma ſumere cogeretur, ſi in auſa ipſius conſenſiſſet, quibus ſuſtinendis eundem haut ſufficere credebat. Cui tamen ut avitæ ditiones ſalvæ manerent, apud Hiſpanos facile ſe obtenturum autumabat. Inde nil præter modicum pecuniæ, & quod ſtipis inſtar habebat, Friderico ſubmiſſum, & ad tria millia peditum Britannorum ductu Horatii Veerii connivente magis quam jubente ipſo Unioni acceſſere. Igitur Spinola à tergo Batavos haut metuens, quibus aliena pericula in ſe derivare, aut inducias ante tempus abrumpere non placebat, cum per Moſellam in Palatinatum irrupturus crederetur, apud Confluentes Rhenum traiecit, & Landgravio Mauritio obiter perterrefacto Francofurtum verſus iter inſtituit. Ei cum copias ſuas ad Mœni ripas *Unio* opponeret, ipſe repente apud Moguntiam Rhenum ſuperavit, ac pleraque Palatinatus oppida maligne munita in poteſtatem redegit, illuſo *Unionis* exercitu, cui Henricus Arauſionenſis cum equitatu Batavico acceſſerat. Nam neque Spinola ſui copiam locis æquis fecit, nec diſſenſionem inter duces adverſæ partis occultas per artes alere neglexit. Et crediderunt multi, ſemel atque iterum occaſionem rei bene gerendæ Unioni allubuiſſe, ſed quam Marchio Anſpacenſis, penes quem ſummum exercitus imperium, vario obtentu eluſerit auro Hiſpanico, uti putabatur; corruptus, & de cætero bellandi artibus Spinolæ nullo modo comparandus. Igitur nullo operæ pretio facto in hiberna diſpergitur *Unionis* miles; ipſe quoque partem perituri Palatinatus comeſturus. Et Hiſpanos late regione potitos Palatinatus ſpolia haut ſatiabant, quo minus & ad vicinos paſſim rapaces manus extenderent. 1620.

Bohemiam Bavarus irrumpit. §. 33. Haut ſegnius in Bohemia Friderici res peſſum ibant, hoſtium armis, ac inteſtina labe. Ipſi neque vis animi, nec autoritas, nec pecunia tantæ moli par. Et refrixerat favor ſubjectorum, nativa ingenii mobilitate, &, quod inconſultos motus ſequi ſolet, novitatis faſtidio. Proceres, qui Britannicos theſauros, ac confluentia undique auxilia novasque ſibi per Auſtriacas ditiones ſatrapias ſomniaverant, cum nihil horum adpareret, à Rege alienabantur. Vulgus belli incommoda, tributorum gravitatem, & hoſtilem juxta ac proprium militem per viſcera Regni graſſantem tacite execrabatur. Nec paucos Fridericus offenderat remotis è templo arcis imaginibus, intempeſtiva ſcrupuloſæ religionis oſtentatione ipſis quoque Lutheranis invila, apud quos vis pietatis valet, inania transmittuntur. Exinde neglectus, aut contumacia adversus novum Regem ejusque juſſa, contuſa conſilia, pecunia, & alia bello neceſſaria maligne ſuppeditata, miles diſciplinæ inſolens, ignavus, ad imperia ducum piger, & ob tardius ſoluta ſtipendia fremens. Et ipſe Fridericus ingruente hoſte animis cecidiſſe vitus erat, quem & multi parum circa conciliandos militum animos ſategiſſe arguebant. Sic labantibus ejusdem rebus ingruunt Cæſarei, quibus Bavarus poſt ſubactam Superiorem Auſtriam ſe junxerat, hujus maxime conſilio certi quamprimum prælio cum hoſte decernere, aut ſi pugnæ copiam is non faceret, caput Regni Pragam petere. Nam metus erat, ne declinato primo impetu Bohemi ſe firmarent, aut Betlenus à tergo nudatam milite Auſtriam invaderet, hyemsque vicina luesq; contagioſa tunc graſſans exercitum re infecta diſſolvere ſubigeret. Unde & re infecta dimiſſus eſt à Friderico ablegatus ad Bavarum Schlammersdorfius tribunus, diem locumque colloquio dici petens, in quo amicæ compoſitionis via tentaretur. Nam Bavarus abrupte nullam aliam pacis legem aſſeveravit, quam ut prius pacatum Bohemiæ regnum Ferdinando tradatur; quod moras à Friderico quæri judicaret. Igitur occupatis in tranſitu compluribus oppidis, ac ſecundo conflictu equeſtri terrefactis Hungaris, cum Manſfeldius circa Pilſenam remorari eos injecta deditionis ſpe fruſtra conatus eſſet, recta Pragam tendunt, quo etiam Chriſtianus Anhaldinus exercitus Bohemici dux properaverat, Monte Albo prope Pragam inſeſſo; cui tamen ut munitionibus caſtrorum frontem circumdare poſſet, hoſtis ſpatium non concedebat.

Fridericus vincitur & Bohemia decedit. §. 34. Igitur invadentibus Cæſareis prælium committitur, & cum Anhaldinus junior primum oppoſitas ſibi turmas impuliſſet, mox ipſe rejicitur, & ſaucius capitur. Is terror Hungaros equites, antequam manum cum hoſte conſeruiſſent, conſternatos in fugam impulit. Certatim inde cæteri ſe poripuerunt. Intra horam parta victoria, quæ tanto Regno jugum impoſuit. Equidem Fridericus ſuaſu Turriani ſenioris, & Hohenloici, qui deſperata victoria mature ſe Pragam contulerant, ad Bavarum miſerat, viginti quatuor horarum ſpatium petituros tentandæ compoſitioni. Sed cum hic octo duntaxat

1620. taxat horas concederet ea lege, ut Fridericus Regno Bohemiæ, annexisque provinciis repudiatis, interea temporis ad Cæsaris obsequium rediret; hic desperatis rebus, & ne à Bohemis Cæsari dederetur veritus, postera luce cum uxore & parvulis liberis raptim Praga profectus est, quæ mox Cæsareos admisit. Inde Uratislaviam ivit, Silesios ad constantiam hortatus, spe facta res suas afflictas mox aliorum accursu Principum reparatum iri. Sed cum Moravos jam Cæsaris se gratiæ submisisse, ac Silesios Saxoni ad deditionem invitanti aures præbere intelligeret, & miseris nihil fidum, Berolinum, & hinc ad Batavos concessit. Nec moram Silesii faciebant, non tam metu armorum; quam quia Saxo de privilegiis & libertate sacrorum ipsis caverat, auxilium suum pollicitus, si hæc violari contigerit. Qui tero postea agnovit se à Cæsare deceptum fuisse, ut Silesios deciperet. Mansfeldius tamen, cui in solis armis census, & quod amitteret præter vitam non erat, collectis prælii Pragensis reliquiis, & quos fides aut veniæ desperatio ultima tentare subigebat, afflictas Friderici res sustentare incassum conatus est; eo majorem gloriæ campum sibi aperiri arbitratus, quo pluribus cum difficultatibus conflictabatur. Simul ostensurus, quanto potior ipse Anhaldino foret, cui summum à Friderico imperium ipso posthabito delatum doluerat; & quia nullum apud Austriacos gratiæ locum sibi relictum intelligebat; qui repetita proscriptione, & pronunciata in caput ejus pecunia implacabile odium testabantur. Igitur Pilsena ac Tabore, vicinisque oppidis firmatis, citra pecuniam non spernendum comparat exercitum, quem prædis late actis alit.

Fridericus proscribitur. 1621.

§. 35. Ast Cæsar ut perculsum Fridericum penitus opprimeret, ac Germaniæ Principes ab auxilio eidem ferendo absterreret, istum proscribit, una cum Johanne Georgio Marchione Jægerndorfio, Christiano Anhaldino & Georgio Friderico Hohenloio Comite; etsi paulo post Anhaldinus & Hohenloius in gratiam recepti. Tum Bavaro injunctum, ut Superiorem Palatinatum, Alberto Austriaco, ut Inferiorem occupent. Eam proscriptionem illegitimam, & *Capitulationi*, quam vocant, Cæsareæ repugnantem multi arguebant, adversus inauditum & indefensum extra judicii formam in propria causa, & quia Friderico lis non cum Cæsare, sed cum Archiduce fuerat. Cæsar contra in notorio & enormi crimine id potestatis sibi competere asserebat eo securius, quod armis & felicitate sua confisus Germaniæ Principes jam despicere inciperet. Nam nec *Unio* moram amplius faciebat, rebus male gestis ultro senescens; & Ferdinandi literis territa, simul persuasionibus Moguntini & Darmstadiensis dissoluta Friderici rebus plane renuntiat. Mauritius quoque Hassus gratiam sibi Cæsaris conciliare properabat. Non nihil metus Cæsari faciebat conventus Saxonum Inferiorum à Christiano IV. Rege Daniæ Segebergæ indictus, & quæ ibi paratæ esse copiæ dicebantur. Ac erat Dano ad audendum sat animi. Sed cum alii literis Cæsaris deliniti aut territi nollent, alii nihil possent, temerarium eidem visum tantam rem aggredi, præsertim cum Jacobus Rex verbis potius quam armis agendum censeret. Legatos tamen ad Cæsarem misit, Friderico veterem dignitatem & ditionem salvam perituros; quos æque, ac imbelles Jacobi preces Cæsar elusit. Qui & ideo in paucorum mensium inducias per Palatinatum Inferiorem consenserat, ut istum inani spe lactaret, ac Hispani per otium ibi res suas firmare possent, quas administrandas Spinola in Belgium remeans Gonsalo Corduæ tradiderat. Interim Mansfeldium in Bohemia grassantem hinc Saxones, inde Joannes Tillius Bavarici exercitus dux oppidis infestis proturbarunt; qui in finibus Superioris Palatinatus non tam copiis fat numerosis, quam astutia sua confisus hærebat. Ei ne in Bohemiam regredi posset Tillius obstitit; ac interea istam ditionem in verba Bavari adegit. Igitur Mansfeldius, ne velut indagine cingeretur, intercluso commeatu, & grassantibus per ipsius castra morbis, eidem illusit simulatis pactis, quibus magnam pecuniæ summam sibi stipulatus fuerat, & traditis munitionibus, quas servare non poterat. Inde cum è difficilibus locis se extricasset, irrito Tillio in Palatinatum Inferiorem se proripuit, & Corduam obsidione Franckendaliæ depulit. Mox instante Tillio Spirentem in ditionem, & hinc Alsatiam secessit, magna quacunque transibat populatione facta. 1621.

§. 36. In Silesia tamen non parum adhuc turbarum dabat Jægerndorfius, occupata Neussa, Glatzio, & Troppavia, & excursionibus in Bohemiam factis. Is inde per Moravos in Hungariam tendebat ad Betlenum, qui magno cum exercitu è Transylvania in Hungariam veniebat, loca sibi à Cæsareis interim erepta recuperaturus, Filleccam, Presburgumque, simul Neuheusselio subventurus, in cujus obsidio Bucquoius ceciderat. Neque tamen aliquod operæ pretium factum, nisi quod Austriæ & Moraviæ vastitas interretur. Ac Betlenus Friderici res desperatas videns, tum constantiæ Hungarorum diffisus, quorum multi Cæsaris gratiæ jam acceserant, pacem tandem Niclasburgi cum Cæsare init honestis conditionibus, quod hic metueret, ne bello per Hungariam extracto Turca se immisceret, & quia potius erat rebus per Germaniam incumbere. Et cedebat quidem Betlenus vocabulo Regis Hungariæ, sed vicissim titulum Principis Imperii, & Cattoviam cum septem districtibus in Hungaria, inque Silesia Oppelam & Ratiboriam Ducatus, quoad viveret, accipiebat. Nullo dein negotio Jægerndorfii copiæ Silesia pelluntur, & loca ab ipsius ac Mansfeldii milite infesta recuperantur. Sic pacata Bohemia, adjunctisque Provinciis Cæsar Lutheranos concionatores Bohemia & Austria pellit, spreta Saxonis intercessione, cujus auxilio non amplius indigebat, causatus ipsos, dum publice perorant, rebellionem Bohemorum probasse. Quæ res non modicum ruborem incussit quibusdam Lutheranis sacerdotibus, qui subdolis Pontificiorum blanditiis decepti infensis animis ad Calvinianorum excidium incumbendum clamitaverant, cum nunc sero perspicerent, pari se cum hisce dignatione apud Pontifici addictos haberi.

Cum Betleno pax fit.

Lutherani Sacerdotes Bohemia pelluntur.

§. 37. Cura hinc Cæsari erat, ut perpetuo vinculo Bavarum partibus suis adjungeret; qui magna apud Pontificios Ordines autoritate non æquo animo laturus videbatur, quæ Cæsar minuendæ Ordinum libertati jam animo agitabat. Igitur de transferenda in ipsum Electorali dignitate ac Palatinatu Superiore antehac promisso cum Hispanis egit, instigante etiam Pontifice Romano, qui hoc modo fastigium Cæsareum apud Pontificios, ac vetera sacra firmari ostendebat, numero prævalentibus Electoribus Catholicis. Quanquam autem Hispanis parum consultum videbatur, tantopere exolli veterem Domus Austriacæ æmulum; prævaluit tamen Cæsaris voluntas, qui & hoc modo ære alieno, quo isti ob præstita auxilia obstrictus erat, tradita tantisper in pignus Austria Superiore, facta de alieno solutione liberari poterat; simul æterni semina dissidii Bavaros inter, ac reliquam Palatinorum Domum sparsurus, quali distractione nuper Domum Hassiacã, & olim Saxonicam Austriaci Cæsares debilitaverant. Hispani tamen Palatinatũ Inferiorem sibi utiq; servare cupiebant, continendis in officio Belgis,

Spolia Friderici dividuntur.

1621. Belgis, ac frænandæ Germaniæ valde opportunum, Belgicisque & Auſtriacis provinciis interjectum. Nec obliti fuerant, quantum olim fomenti ſeditio Belgarum inde ceperat. Ei negotio ne Saxo acriter nimis ſe opponeret, repetitis veteribus blandimentis efficere conabantur. Ac alias non parum autoritatis ipſius, ac Brandeburgici intercellioni detractura erat opinio invidiæ, qua hoſce in Bavari incrementa aduri aliis perſuadere in proclivi erat. Regis Jacobi poſtulata, quantumvis æquiſſimis conditionibus adornata, quia armis non fulciebantur, variis dilationibus eluſa.

Chriſtiani Brunſuicenſis expedicio.

§. 38. Extremum conatum inſtaurandis Palatini rebus expromebant Chriſtianus Brunſuicenſis Dux, Georgius Fridericus Marchio Durlacenſis & Mansfeldius. Ille collectis copiis Palatinatum versus tendebat, & capto Amœnoburgo Haſſiam graviter infeſtabat. Sed cocuntibus Bavaricis atque Hiſpanis retro in Weſtphaliam vertit, & expilata Paderbornenſi atque Monaſterienſi ditione militem ſuum auget, inſtruitque. Mansfeldius per Alſatiam graſſabatur, ac novis Hagenoam munitionibus circumdabat, cum Tillius interim per Palatinatum minora oppida conſectatur. Mox acriter bellum repetitur, poſtquam Fridericus è Batavis trajecto mari per Galliam Lotharingiamque ignotus ad Mansfeldium pervenerat, qui tunc ſe ſuasque copias opimis conditionibus Hiſpanis venditabat. Inde trajecto Rheno Tillium apud Wiſelochum acri pugna caſtigat. Qui tamen mox acceptam cladem reparavit victo apud Wimpinam poſt aſperrimam pugnam Durlacenſi, qui poſt prælium ad Wiſelochum copias ſuas, quas reducendo Friderico collegerat, à Mansfeldio ſeparaverat, ut Bavari vires facta in ipſius ditiones irruptione diſtraheret; an ob æmulationem inter ipſum & Mansfeldium, gloriam profligati hoſtis cum hoc partiri dedignans. Huic tanta clade perculſo paulo poſt Cæſar acrius incumbit, pronunciata adverſus ipſum ſententia, qua Eduardi Fortunati liberis Superiorem Marchionatum Badenſem cum omni emolumento hactenus percepto reſtituere jubetur. Dum Mansfeldius in Palatinatu rem gerit, Leopoldus Archidux Hagenoam recuperare laborat; ſed quem iſte repente ingruens non ſine clade repellit. Inde reverſus Ludovici Darmſtadienſis ditionem male mulctat, & ipſum cum filio captivum abducit, paulo poſt tamen pecunia emunctum iterum dimittit. Interea Brunſuicenſis valido cum exercitu è Weſtphalia Rhenum verſus progreditur, & male habita Fuldenſi atque Darmſtadienſi ditione Hœchſtam oppidum capit, Mœnum ibi ponte tranſiturus. Verum ingruente celeriter Tillio ac Cordua, aſperrimo cum hiſce prælio coſligere cogitur. In quo cum poſt ſex horarum pugnam hoſtes indefeſſos urgere cerneret, ſuos prælio excedere, Mœnumque ſuperare juſſit. Incumbentibus tamen hoſtibus fuga magis quam receptus fuit, ac fatiſcente ponte plurimi flumine aut ferro hauſti. Inde majorem copiarum partem prælio ereptam Mansfeldio junxit, ac una cum illo complura Alſatiæ oppida ſubegit.

1622. Prælium ad Wiſelochum, 29. April.

Prælium ad Wimpinam, 6. Maji.

Prælium ad Hœchſtum, 19. Junii.

Friderici exercitum diminuit.

§. 39. Interea Daniæ Rex & Saxoniæ Elector apud Cæſarem pro Palatino intercedere non deſiterunt, quibus iſte ſolita clementiæ profeſſione ſpem reconciliationis fecit; qua etiam Hiſpani Jacobum Regem lactabant. Et quia Cæſar cauſam dilatæ compoſitionis in pertinaciam Friderici rejiciebat, qui refectis ſubinde copiis pacem Germaniæ turbare non ceſſaret, Jacobus Rex ac cæteri pro illo reſtituendo verba interponentes, quo iſtud tergiverſandi prætextum Cæſari præriperetur, eidem perſuadebant, ut promovendæ amicæ tranſactioni Brunſuicenſi ac Mansfeldio millionem daret; præſertim cum difficile ipſi futurum ſit à pecunia deſtituto tantum exercitum in Germania ſuſtentare. Enimvero exarmatus jam Fridericus impune ſpernitur, & cœptus Bruxellis tractatus varias per fruſtrationes trahitur. Donec totum negotium ad conventum Ratisponenſem, quem Cæſar indicebat, rejiceretur. Interim Jacobus Rex primaria Palatinatus oppida, quæ Friderico adhuc reſtabant, Heidelbergam, Manheimium & Franckendaliam in tutelam ſe ſuam recipere profitetur, velut non auturis Auſtriacis tam aperte ipſius autoritate inſultare. Aſt Tillius, neglecto inani terriculamento, Heidelbergam vi, Manheimium deditione capit. Leopoldus quoque Alſatiæ loca à Mansfeldio occupata recuperat, & Spiræ, Wormatiæque præſidium imponit. Ac paſſim miles Cæſareanus eo petulantius Proteſtantibus erat moleſtus, quod nemo quem metueret ſupereſſet. Mansfeldius enim ſacramento Friderici ſolutus Cæſari primum miniſteria ſua offerebat. Sed mox Bullionæi pollicitationibus allectus per Lotharingiam in Metenſem tractum una cum Chriſtiano Brunſuicenſi ducit, magno per Galliam terrore dato, ne partibus Hugenottorum, quos bello tunc in ordinem redigere Ludovicus Rex laborabat, accederet. Sed inani Gallis tractatu illudens, an ipſe illuſus, cum validas advertiſ ſe copias colligi videret, ad Batavos tranſire conſtituit. Ac depoſitis Sedani machinis majoribus, relictoque ibidem Friderico per Hannoniam feſtinato itinere in Brabantiam rapitur, undecim dierum ſpatio quinquaginta novem milliaria cum exercitu ementius. Et apud Floreacum Cordua ſe objecit, iter ipſi interclusurus. Acre ibi prælium, & magna utrinque cædes. Perruperunt tamen Mansfeldiani, fame licet & tanto itinere confecti, ac apud Bredam Mauritio Arauſionenſi juncti haut modicum momentum attulerunt, ut Spinola obſidionem Bergarum ad Zomam ſolveret. Inde Mansfeldius tacito Batavorum impulſu Friſiam Orientalem, opimam regionem irrupit, copias ibi ſuas refecturus, ac firmatis viribus denuo belli aleam tentaturus, poſtquam ita aperte Jacobi Regis credulitatem ab Auſtriacis ludibrio haberi adparebat.

Prælium ad Floreacum.

§. 40. Ferdinandus autem, cum artes juxta atque arma ita feliciter ubique ſuccederent, jam opportunum tempus advenile judicans, quo dudum deſtinata circa Electoralem dignitatem in Bavarum transferendam exſequeretur, pro quo etiam Galliæ Rex nitebatur, conventum Ratisponæ indictum obit; ſimul ſpecimen daturus imperii proprio ex lubitu atque uſu ſpreta Ordinum autoritate gerendi. Neque enim univerſos Ordines convocaverat, ſed Electores duntaxat, & pauculos ſibi fere obnoxios. Moguntinus quippe Palatino dudum infenſus hoc deſtructo Viæ quam vocant Montanæ inhiabat. Colonienſis Bavarica ſtirpe ortus pro ſua Domo nitebatur. Trevirenſis quoque atrocibus in Fridericum odiis quantalibet libertatis publicæ jactura litaturus erat. Salisbergenſem ut nihil voluntati Cæſaris aut Bavari adverſum mutiret, ditio utrique interjecta ſubigebat. Ludovicus Haſſus dudum Cæſari velut mancipio addictus fuerat, ut hunc faventem ſibi circa ditionem Marpurgenſem haberet; de qua ſub finem conventus ſententia pronunciata eſt. Brandeburgici exigua eo tempore habebatur ratio. Saxo, ut conventui intereſſe vellet, ambitioſe ſolicitabatur. Sed iſte matris fun° obtendens obnixe recuſabat, indignatus pullos Bohemia

Conventus Ratisponenſis, ejuſque indoles.

1623.

1623. Lutheranos ſacerdotes, & ut deſtitutæ libertatis exprobrationem apud cæteros Proteſtantes declinaret; cum neque honeſte Cæſaris acta probare, nec coram pertinaciter abnuere citra iſtius offenſam poſſet; nec ſuam autoritatem ita coram vilipendi vellet; armis autem cum Cæſare ubique tunc victore collidi minime omnium conſultum duceret. Legatos tamen arctiſſimis mandatis circumſcriptos miſit, quod & Brandeburgicus fecit. Igitur, quos intimos ſibi ac fidiſſimos conſiliarios vocabat, Cæſar exponit, quid circa transferendam Electoralem dignitatem in Bavarum exſolvendo ſuo promiſſo, & ob iſtius in rempublicam & ſe merita decreverit; ſimul circa remedia ſtabiliendæ pacis ac ſecuritatis conſilium ipſos poſcit. Additur in ſpeciem de pecunia adverſus Turcam, de compeſcendis Batavis; ne ob ſolum Palatinum negotium conventus indictus videretur. Ac in Eccleſiaſticis quidem, qui majorem partem faciebant, nulla mora erat, quin citra exceptionem Cæſaris deſtinatis applauderent. Haſſus callide negotium ad Electores rejiciebat. Soli Saxonici ac Brandeburgici Legati diſſentiebant; ejusmodi agendi modum in cauſâ tam ardua Capitulationi Cæſareæ, legibusque Imperii minus congruere aſſerentes, nec filiis fratrique, & agnatis innoxiis Friderici ob delictum jus quæſitum auferri debere, inaudita præſertim indefenſâque cauſa. Neque hanc ſibi pacis conſtituendæ idoneam viam videri; ſed Fridericum potius in gratiam recipiendum. Iſthæc à Conventu quidem Cæſari exponebantur, ſed molliter, ut demiſſè potius monere, quam contradicere videri vellent. Paulo ferocius proteſtabatur Wolfgangus Wilhelmus Neoburgicus; ſe adverſus *Aureæ Bullæ* conſtitutionem tanquam proximum agnatum atque innoxium injuſte præteritum.

Electoratus in Bavarum confertur.

§. 41. Sed Cæſar in colorem ſibi ſufficere judicans majoris partis aſſentationem, neglectis qui contradicebant ſolenni ritu ſeptemviralem dignationem Bavaro confert; ac ne plane rationes eorum, qui molliora ſuadebant, inſuper habuiſſe videretur, addit; quamprimum à ſe Conventum indicendum, ubi ſuper Palatini liberis, agnatisq; amica ratione aut formato judicio diſceptandum ſit; ac poſt mortem Bavari eam rem nemini præjudicio fore. Actui tamen inaugurationis Saxonis atq; Brandeburgici Legati, Neoburgicusque, & Hiſpanus orator, ne quod agebatur adprobare viderentur, intereſſe recuſabant. Gallus contra legatis ſuis injunxerat, ut deinceps huic Electoris titulum tribuerent, Palatino negarent. Iſthoc negotio pertinacem futuris motibus materiam ſuffici, ſimulque introducendo Germanis inſolito dominatui, & opprimendæ Proteſtantium religioni fundamenta jaci, prudentes facile agnoſcebant. Nec in Republica tam inconcinne diſpoſita unquam occaſionem defore jactato juſtitiæ vocabulo ſubvertendi inviſos, aut opibus eminentes, ſi penes unum ſit de ſtatu bonisque Principum decretoriam ſententiam ferre, in ſolius judicis emolumentum redundaturam. Cæterum quia Brunſuicenſi atque Mansfeldio copiæ adhuc erant non ſpernendæ, & Inferiores Saxones factum non obſcure improbabant, Saxoque Elector ac Brandeburgicus queri non deſiſtebant, ſua monita ſuper obſervandis Imperii legibus non fuiſſe audita; nec per clauſulam à Cæſare adjectam Palatini filiis agnatisque conſultum, quorum jus in dubium vocetur, & à lubitu Cæſaris incertove judicii eventu in infinitum forte extrahendo ſuſpendatur: igitur demulcendo Saxoni ablegatur Ludovicus Haſſus recenti juſtitiæ beneficio obſtrictus. Is poſtea adjuncto Moguntino Tillioque Sleuſingæ cum Saxone congreſſus plene huic ſatisfecit, ut non ſolum Bavarum Collegam ſibi in Septemviratu agnoſceret, ſed & omne ſtudium ſervandæ autoritati Cæſareæ polliceretur. Id quod etiam Brandeburgicus triennio poſt allaborante Saxone fecit. Nec parum momenti huic attulit Luſatia, quæ ob factos in bellum Bohemicum ſumptus Saxoni addicebatur. Tum ipſi atque Colonienſi commiſſum, ut Ludovicum Haſſum in poſſeſſionem ditionis Marpurgenſis mitterent. His pondus addebant Tillii copiæ, quibus iſthoc obtentu per Haſſiam Inferiorem hoſpitia aſſignabantur. Cæſar quoque oſtentandæ clementiæ Wilhelmum & Fridericum Duces Saxoniæ, quos captivos tenebat, dimiſit, ac Chriſtianum Anhaldinum in gratiam recepit. Nec mora, quin Bavaro in perpetuum Electoratus confirmaretur, cautione tamen addita, cæteris Electoribus id præjudicio non fore.

1623.

Per inferiorem Saxoniam geſta.

§. 42. Interim Inferioris Saxoniæ Principes, quibus Ratisponæ acta magnopere diſplicebant, copias comparabant, invalescente præſertim per Weſtphaliam Corduæ, & Joannis Jacobi Comitis Anholtini milite. Dux copiarum adſciſcitur Chriſtianus Brunſuicenſis, obtentu ſumpto, ut hoc modo à Mansfeldio abſtractus eo facilius Cæſari reconciliari poſſet. Sed Tillius, cui iſtius motus obſervare injunctum erat, admoto ad fines agri Brunſuicenſis exercitu minabatur Friderico Ulrico Brunſuicenſi; ſe Saxonicas ditiones ingreſſurum, ni frater ipſius arma deponat. Iſte contra ferociter petere, ut Tillius finibus ſuis abſcedat. Quod hic floccipendens jam late per ejuſdem provinciam graſſari incipit. Unde territi Principes, nondum ſat proviſis quæ tanto bello gerendo requirebantur, Chriſtiano denunciant, ut aut à Cæſare oblatam gratiam amplectatur, aut Inferioris Saxoniæ finibus faceſſat. Igitur veritus iſte, ne amicis juxta atque inimicis invadentibus in anguſtias redigatur, per Weſtphaliam ad Mansfeldium tendere conſtituit. Sed inſequens acriter Tillius ultimum ipſius agmen carpebat. Inter aſperas velitationes aliquot impedita loca ſuperantur. Sed apud Stadloam totus Brunſuicenſis exercitus conſiſtere coactus eſt, qui nuper collecto & inexercitato milite conſtans Tillianis par non fuit. Magnam ibi cladem accepit Chriſtianus, amiſſis machinis, impedimentisque, & magna copiarum parte concisa, capta, aut diſſipata. Ipſe cum reliquiis apud Batavos receptus fuit. Tillio Friſiam Orientalem, cui Mansfeldius inhærebat, invadere animus erat. Sed cum Batavi Embdæ præſidium firmaſſent, ac Mansfeldius immiſſis terræ aquis aditum interclusiſſet, retro cedebat. Perſuadebant tamen Batavi Mansfeldio, ut accepta pecuniæ ſumma Friſiam ſat jam exhauſtam relinqueret. Qui antequam exercitum dimitteret, cui ulterius alendo nulla ratio ſuppetebat, validam manum per Monaſterienſem & Paderbornenſem ditionem effudit, rapinis ſtipendiorum vicem ſuppleturis, aut importunos petitores amoliturus, ſi concideren-tur. Neque difficile fuit cupienti exercitum perdere. Nam qui prædas actum iverant cæti, aut diſſipati; cæterorum pars maxima ſtipendiorum inopia dilabebantur. Ipſe Dux cum reliquis in Batavos abiit, alia via bellum reparaturus. Interim Cæſarei Lipſtadium & ditionem Marcanam atque Ravensbergenſem, aliaque loca in poteſtatem redegerunt. Sed quæ unica Friderico reſtabat Franckendalia per Jacobum Regem in Iſabellæ Belgicæ manus ſequeſtris titulo ad octodecim menſes conſignatur; quod iſte certiſſimam ſpem foveret, ſe per matrimonium, de

Chriſtianus Brunſvicenſis apud Stadloam vincitur.

quo

1623. quo inter Carolum Walliæ Principem, & Mariam Regis Hiſpaniæ ſororem contrahendo agitabatur, Friderici reſtitutionem obtenturum. Verùm ea ſpes irrito connubio poſt evaneſcebat; ac Hiſpanis ſolitum per connubia terras adquirere, non amittere. Qui & repetentem poſt ex pacto id oppidum uſitato ludibrio differebant.

Betlenus bellum renovat.

§. 43. In diverſâ parte Betlenus Turcicis auxiliis ſuffultus, & quod à Brunſuicenſi atque Manſfeldio aliquod operæ pretium factum iri ſperaret, bellum acriter reparabat, cauſatus nupera pace ſibi promiſſa ſervata non fuiſſe. Igitur percurſâ Hungaria in Moraviam penetrat, ipſâ quoque Bohemia jam trepidante. Eiâ Cæſare obviam miſſus cum exercitu Nigromontius Marchio male habetur, & intercluſo commeatu ad extremam neceſſitatem redigitur; cum repentinus pavor Betlenum retro vertit è falſo rumore, velut multa millia è Germania Cæſari in auxilium advolarent. Petitas ab *ipſo* dierum mentium induciás Cæſar rejiciebat, & qui præda onuſti domum diſcedere conabantur Turcæ, male multabantur. Mox tamen idem Betleno honeſtis conditionibus pacem dabat, quod Turcico bello implicari nollet, & rebus ſuis in Germania promovendis vacare ſatius duceret.

Nova fœdera contra Auſtriacos ineuntur. 1624.

§. 44. Poſt pulſos ubique, qui adverſus Cæſarem arma geſſerant, bellum deſiiſſe, videbatur, pax nondum erat. Neque enim Cæſaris miles minus gravis Germaniæ incumbere pergebat; & armis parta armis utique retinenda erant. Et qui Palatino favebant, non ceſſabant omnes vias afflictam ipſius fortunam inſtaurandi tentare, poſtquam circa eundem reſtituendum Cæſar verbis ſat æquum, re implacabilem ſe exhibebat. Nam quid iſti Cæſaris gratia, dignitate ac ditione ablatis? Ac jam dudum vicinis immentum gliſcens Auſtriacorum potentia formidinem incutiebat. Igitur in fœdus coëunt Gallus, Britannus, Danus, adjunctis Sabaudo, Venetiſque & Batavis, diverſo ſinguli reſpectu; ſed in eo omnes conveniebant, ut Auſtriacorum progreſſus ſiſterentur. Præcipue tamen obtentui ſumebatur Palatinus in avitum patrimonium reponendus, & ut Hiſpani Valle Tellina, clauſtris Italiæ, excuterentur. Et circa Vallem Tellinam quidem res ex deſtinato ſuccedebat. Friderici ſpes, ſimulque Proteſtantium fortuna in deterius ibant; & quo plures contra tendebant, eo latius Auſtriaci dominatum per Germaniam proferebant.

1625. Atque Gallum quidem internos Regni ſui morbos exſcindendi cura Germaniæ negotiis adhuc dum vacare non ſinebat. Angii conatus adverſus Hiſpanum irriti; mox orta cum Gallis ſimultate, & ægreſcentibus civium animis diſtrahebatur. Veneris Sabaudoque circa propiora tantum ſolicitudo. Batavos erepta Breda Hiſpani cominus urgebant. Hinc tota belli moles in Saxoniam Inferiorem, Danizque Regem Chriſtianum IV. incumbere, magni animi Principem, & qui inter arma ubique ſtrepentia quieſcere ignavum ducebat. Quem & miſeratio in Palatinum ſtimulabat, & cura pro Chriſtiano Brunſuicenſi ſororis filio. Simul opimos Præſulatus Bremenſem, Verdenſem, Mindenſemque, ac plures fortaſſe in filios ſuos transvolvendi occaſionem jam præberi rebatur, non modicum familiæ ſuæ decus, ac Regno levamentum. Eum in finem ſe Circuli Saxonici Inferioris ducem creari curaverat, abdicante id munus Chriſtiano Lunæburgenſi, in Cæſaris partes una cum Duce Georgio prono ob adjudicatam Lunæburgenſib' ditionem Grubenhagenſem; cæterum provectior ætas, ac

Bellum in Saxoniam Inferiorem transfertur.

tantis laboribus impares vires obtendebantur. Contra Dano præcipue favebant Brunſuicenſes Duces ipſius è ſorore nepotes, Chriſtianus Wilhelmus Adminiſtrator Magdeburgicus affinis, & Mechlenburgenſes Duces. Inde miles conſcribitur, & cætera bello neceſſaria magno ſtudio parantur, ſocius non ſpernendam pecuniæ ſummam ſuppeditantibus. Manſfeldius quoque in Anglia, & Chriſtianus Brunſuicenſis in Gallia non invalidas copias conſcripſerant, quæ per Galliam in Alſatiam irrumpere debebant; ſed quas poſtea, Gallis promiſſum tranſitum negantibus, in Batavos adduxerunt; mox poſt fruſtra tentatam Bredæ liberationem in agrum Colonienſem effuderunt, numeris non parum minuentibus crebras ob mortes ac deſertiones. Iſtis Anhoſtinum Tillius oppoſuerat. Ipſe contractum è Wetteraviæ Haſſiæque ſtativis exercitum in Brunſuicenſium fines ducebat, velut Manſfeldio iter in eum tractum interciſurus, ac Huxteram, Holzmundamque tranſeundo Viſurgi opportuna loca occupabat.

Ejus belli præludia.

§. 45. Frequens inde literarum Danum inter Saxoneſque Inferiores, ac Tillium commutatio. Illi arma nullius in offentionem ſibi comparata teſtabantur, ſed tuendis ſuis finibus adverſus militum injurias, quas non mediocres hactenus experti erant. Simul petebant, ut Tillius exercitum removeat; & ne Cæſar circa poſſeſſios hactenus ab ipſis Prætulatus quid movet, non obſcura ambage inſinuabant. Tillius ferociter reſpondere; milites Cæſaris aves non eſſe, ut in aere vitam agitare queant. Cæterum ſi ipſi prius exercitum dimittant, ſe quoque abiturum; ac Cæſarem in fide adverſus ipſum perſiſtentibus pacem circa profana ſacraque in Imperio ſanctam ſartam tectamque præſtiturum. Inter hæc diſceptationes magno utrinque ſtudio bellum parabatur; cum neque Saxones Tillio inermes ſe exponere conſultum ducerent, & Cæſar illa Germaniæ parte non domita nihil à ſe actum crederet. Atque hic quidem ſive Tillium ſolum ei bello non ſufficere ratus, ſive à Bavarico Duce id negotium confici nolens, cujus fructus ſibi ſuisque deſtinatum ibat, Albertum Wallenſteinium Fridlandiæ Ducem novo cum exercitu ſubmittit, qui occupata ditione Halberſtadienſi, ac Magdeburgica compedes Albi injiceret, dum Tillius circa Viſurgim frænandum ſatagit.

Wallenſteinius Cæſareo exercitui præficitur.

§. 46. A literis inde paulatim ad manus res deducitur. Dano primordia belli non ſatis auſpicata fluxerant, qui dum vallum Hamelæ obequitat, improviſo lapſu in foſſam præcipitans aliquot per dies exiguam vitæ ſpem ſuis reliquerat. Eo caſu perterriti ejus duces cum exercitu retro Verdam conceſſerunt, ne forte Tillius capite deſtitutis ingrueret, utque Brunſuicenſis per Weſtphaliam adventantis copias ſibi eo tutius adjungerent. Aſt Tillius occaſionibus imminens nudata præſidiis à Dano loca Hamelam, Mindam, aliaque occupat. Sed ab obſidio Nyenburgi non ſine damno repellitur, quod tamen ulciſcendi paulo poſt fortuna locum præbet. Rex enim Callenbergam à Tillio nuper occupatam recuperare cupidus Fridericum Saxoniæ Ducem & Joannem Michaëlem Oberntraurium cum aliquot legionibus eo mittit. His Tilliani obviam procedunt, ac non procul Hanovera utrumque poſt acrem pugnam magna cum copiarum parte cædunt. Poſt tamen Rex oppidum Srolzenaviam recuperat. At Fridlandus pontem Deſſavienſem caſtello firmat. Miles inde in hiberna utrinque deductus, quæ dum in Lubecenſium agro pro more licentius ſumit Manſ-

Bellum in Saxonia exaſperatur.

1625. feldius, ab iſtis ſubito irrumpentibus ſat durirer habetur.

De pace ſruſtra agitur.

§. 47. Neque tamen, tum per modicas velitationes majoribus auſis præluditur, de pace ſarcienda cura decedit, circa quam in conventu Brunſvigæ indicto ſequeſtre Saxoniæ Electore ſatagitur. Et Saxones quidem copias ſe ſuas dimiſſuros profitebantur, dummodo Cæſarei deductis præſidiis, & reparato damno provincia excederent, ac Cæſar circa Præſulatus à Proteſtantibus poſſeſſos nihil innovaret. Tillius contra poſtulare, ut iſti priores exercitum ſolverent, Luneburgico, qui à Cæſaris partibus ſtabat, damnum datum repararent, à Dano ſe removerent, inque poſterum militem non conſcriberent. Sed cum neutra pars de poſtulatis ſuis quidquam remitteret, Tillio viribus prævalente, Saxonibus non tat inter ſe concordibus, nihil effectum fuit; præſertim cum Cæſareani ſuper Præſulatibus cavere nollent, eoque ſatis quid animi ſuper iſtis Cæſari foret proderent. Danus quoque, inſtaurato nuper cum Anglis, Batavisque fœdere firmatus majore animo, quam ſucceſſu bellum ſumebat.

1626.

A Mansfeldio acta.

§. 48. Aſt Mansfeldius regione inter Lubecam & Hamburgum male habita, cum neque diutius ibi propter inopiam hærere, nec operæ pretium facere poſſet, in ſuperiores Germaniæ partes diſtrahendo hoſti tendere conſtituit; ægris quoque Sileſiorum ac Moravorum in Cæſarem animis ob infeſtata ipſorum ſacra, ut duce tantum illis ad reparandum bellum opus videretur. Igitur ſumto per Brandeburgicas terras itinere in Anhaltinam ditionem accedens caſtellum ponti Deſſavienſi à Fridlando adpoſitum expugnare aggreditur, infauſto conatu. Nam repente ſuperveniens Fridlandus magna cum clade Mansfeldium repellit, ac cum reliquiis copiarum retro in Marchiam cedere cogit. Danus contra Oſnabruga occupata, filium primogenitum ejus prætulatus Coadjutorem creari curat, præpropere nimis; cum mox Danica præſidia per Comitem Anholtinum inde ejicerentur. Sed Chriſtianus Brunſuicenſis, poſt fruſtra tentatam Goslariam, cum Northeimum, Gœttingam, & Mundam præſidiis firmaſſet, Gueſterbytum revertit, ubi paulo poſt non ſine veneni ſuſpicione extinguitur. Contra Tillius ex agro Paderbornenſi in Haſſiam progreſſus Hirſfeldiam, & alia complura loca occupat, Munda quoque per vim expugnata, atroci militis præſidiarii & civium cæde edita. Ubi & Landgravius Mauritius cavere Cæſari, & agnato Ludovico Darmſtadienſi Rheinfelſam & Chattorum arcem Rheno imminentem ſententia lata huic adjudicatam, tradere cogitur. Enimvero Mansfeldius reparatis utcunque copiis, aſſumtoque Johanne Erneſto Vinarienſi Duce in Sileſiam tendit, inde ad Betlenum transiturus, qui & ipſe denuo fortunam adverſus Cæſarem tentaturus erat. Fridlandus ubi Mansfeldii conſilium animadverſiſſet, raptim copiarum partem per Luſatiam præmittit, quæ extremum iſtius agmen carperet, ipſe toto cum exercitu inſecuturus. Ac Mansfeldius quidem poſt multa in itinere exhauſta incommoda tandem in Hungariam per Sileſios penetrat, ubi Betlenus ſe jam movere cœperat. Sed incumbente acriter Fridlando perterritus Betlenus, & quia Turcarum auxilia ob acceptam à Perſis cladem languide accedebant, pro more ſuo ſuper induciis tractare inſtituit. Igitur Mansfeldius, conſignatis Betleno copiarum reliquiis & tormentis, per Turcicas ditiones ad Venetos iter ſuſcipit, fortunæ damna alia via reparaturus; ni morte in Boſnia oppreſſus Auſtriacos pertinaci hoſte liberaſſet. Interim Johannes Erneſtus Vinarienſis in Sileſia reſtitans non modice vires ſuas

Praelium ad pontem Deſſavienſem.

Mansfeldius moritur.

firmabat, & apud Troppaviam munitis locis metabatur, inde per Sileſiam, Moraviamque late excurrens. Adverſus iſtum Fridlandus factis cum Betleno induciis tendebat; ſed mors fato propera Ducem iſtum magni animi, nec minora minantem medios inter conatus abripuit, Cæſarique facilem victoriam ibi præbuit.

1626.

Cæſaris fortuna per Saxoniam.

§. 49. Nec minus in Saxonia Cæſari ſupra votum res fluebant, ubi Tillius Gœttingam deditione ceperat, ac Danos ab obſidione Callenbergæ ſubmiſſo Ludovico Jacobo Furſtenbergio non ſine clade repulerat. Sed cum Northeimum obſidere pararet, Rege cum univerſo exercitu adproperante, Gœttingam recedebat, ubi aliquot legiones à Fridlando & Luneburgico ſubmiſſæ ipſi jungebantur. His copiis auctus Regem in Eichſteldiam transgreſſum inſequi conſtituit. Qui numero ſe inferiorem videns per impedita loca Guelferbytum retro tendebat. Sed Tillius abeuntem premere, & per triduum velitationibus infeſtare, donec ad Lutteram oppidum pugnandi explicata acie Rex copiam faceret. Ubi hic magno prælio victus cum reliquiis copiarum Guelferbytum, inde infra Hamburgum conceſſit. Impetus victoris inſeſſa à Dano Saxoniæ loca Bremam uſque, Guelferbyto paucisque aliis exceptis trahebat; & Fridericus Ulricus Brunſuicenſis Dux, aliique Cæſaris gratiam pacifici properabant. Inter quos & Joannes Albertus, ac Adolfus Fridericus Mechlenburgici Duces, cum Cæſarea præſidia recipere decrevitſſent, prævenente Dano, & præcipuis ipſorum oppidis militem immittente, deſtinata extequi prohibebantur. Unde Cæſari in Duces offenſæ anta ſumebatur, quam poſt ditione exuti ſentere. Eodem tempore in Auſtria Superiore à ruſticis quoque tumultuatum, ob prohibitam Proteſtantium religionem iratis, quos repetitis prælis acriter reſtitantes Godofredus Henricus Pappenheimius tandem in ordinem redegit.

1627.

Vinarienſis exercitus ex Sileſia expellitur.

§. 50. Impulſus Dani per Germaniam res plane peſſumdare in prochivi deinceps Cæſareis ducibus fuit, Rege fruſtra renitente, qui Adminiſtratorem Magdeburgenſem, & Turrium Comitem in Sileſiam miſerat, exercitui in locum defuncti Johannis Erneſti Vinarienſis præfuturos. Sed Fridlandus ſuppletis ſuis copiis, & occupatis oppidis Litchvvicio, Carnovia, Kotelia & Troppavia iſtum exercitum tota Silelia exturbabat. Pars militum, quæ ſub Carpezano Tribuno fuerat, poſt miſſionem diſperſa; reliquos ſub Bauditio duce per Poloniæ fines in Marchiam evadere conantes immiſſus à Fridlando Pechmannus Tribunus cecidit, quo tamen in prælio & ipſe occubuit. Regi interim ex Anglia ſex militum millia ſub Morgano duce auxilio venerant, ſimul ab Anglo Galloque pecunia ſubmiſſa, ſerum ſubſidium, nec reparandis tot cladibus ſufficiens. Ipſe poſitis inter Viſurgim atque Albim caſtellis progreſſus Cæſareorum ſiſtere nitebatur, ac per excurſiones Luneburgenſis ditionem vaſtabat. Sed non diu hærere ibi dabatur. Tillius quippe apud Tangermundam Albi ſuperato, loca per Marchiam à Danis inteſſa occupat; iisdemque Havelberga exturbatis Havelam fluvium tranſit. Mox incumbentes ſimul Fridlando Boizeburgum, ac Lauenburgum recuperat, ac Regiis ſemper cedentibus in Holſatiam tandem penetrat. Cæſæ ibi, quas Durlacenſis Marchio ducebat, copiæ; nec minus illæ, quæ in intimam Jutiam Alburgum uſque refugerant. Captum quoque Rensburgum; ſic ut Regi è Cimbrica Cherſoneſo præter Crempam & Glueſtadium nihil reſtaret. Interea Furſtenbergius Northeimum cepit non ſine ſuorum clade, actis ad deſperationem præſidiariis ob negatas honeſtas deditionis conditiones, quas tamen poſtea

Cæſarei in Holſatiam penetrant

bis

1627. bis acriter ab oppugnatione repulsus ultro offerre cogebatur. Nyenburgum quoque Anholtino se submisit, qui omnem ad Visurgim tractum, & Bremensem ditionem, Stada excepta, in potestatem redegit. Tandem & Pappenheimio Guelferbytum deditur, obstructo Ockeræ alveo inundatum. Iste rerum successus Georgium Wilhelmum Brandenburgicum Electorem subegit, ut Bavarum Collegam agnosceret, quod hactenus abnuerat, sequeque in potestate Cæsaris fore testaretur, ejusdem militi transitum hospitiaque pollicitus, suosque Dano militantes avocans. Inde late per Marchiam, Mechlenburgicam ac Pomeraniam Cæsaris miles se diffundit, ac provinciales gravissimis exactionibus pro libidine exhaurit.

Conventus Mulhusianus.

§. 51. Modica inter hæc pacis mentio, non quod ea Cæsari cordi esset, sed ne populi tot incommodis belli in desperationem verterentur. Nam legatis Danicis ad Conventum, quem Electores inter se Mulhusii agitabant, accessus negabatur, tum ejusmodi pacis leges dicebantur, quas Regem nunquam accepturum parebat. Inanis quoque opera Colmariæ à Wurtembergico & Lotharingico Ducibus sumebatur circa conciliandum Cæsari Palatinum. Nam & tales conditiones à Cæsare proponebantur, quas præstare penes Palatinum non erat, & ab hoc oblatæ moderatiores plane respuebantur. Cæterum è Mulhusino conventu nullus in publicum fructus, nisi quod Cæsar per istum ad evertendam plane Ordinum libertatem viam sibi strueret, dum velut in Comitiorum locum istos è paucis, sibique fere obnoxiis congressus fovet, quibus sola consultandi, nulla decernendi facultas relinquebatur, & quorum consilia pro lubitu Cæsar adspernari poterat. Sed & ex eodem Conventu prætextus à Cæsare quæritus esse videtur revocandis bonis sacris, quæ post transactionem Passaviensem in Protestantium manus pervenerant; dum Electores Ecclesiastici scripto Cæsari demonstrant; ipsius munus esse peritis Catholicorum heic satisfacere; ac paci Augustanæ repugnare, istos Episcopatus à Protestantibus sub Præsulum aut Administratorum vocabulo detineri. Quo quidem in negotio non expers lucri erat Cæsar, dum filium Leopoldum Wilhelmum Halberstadiensis Episcopatus, & Abbatiæ Hirschfeldensis Administratorem renunciari curat, in quem etiam Pontifex Præsulatum Magdeburgensem contulerat, utut Electoris Saxoniæ filius Augustus abdicato Christiano Wilhelmo à Canonicis ei regimini designatus foret. Istum Bremensis & alii Episcopatus sequuturi erant, pretium belli & servituræ Saxoniæ compedes.

Mare Balticum tentatur ab Austriaca.

§. 52. Neque his sete finibus successu irritata dominandi cupido coercebat: sed & Maris Baltici tentatum imperium frenando Septentrioni, simul subjugandis Batavis, quorum commercia navigatione illius maris fundantur, cujus faucibus occupandis Cæsar inhiabat. Ea res quanti momenti visa fuerit, vel inde judicare licet, quod per tam varias vias & artes eandem perficere laborarint Austriaci, ne quidem post tot irritos conatus cupidine extincta. Quos junctim heic recentere ab instituto nostro haud alienum fuerit. Ut igitur commerciis Baltici maris Batavos arcerent Hispani, societatem cum Polonis & Hanseaticis inire instituerunt, oblato iisdem mutuo in Hispania mercaturæ usu & libera per omnes Austriacæ ditionis partes navigatione, ea tamen lege, ut reliquis fœderibus in perpetuum renuncient. Jam primum regnante Stephano Batoreo Gedanum venit Legatus Philippi II. expositurus Regi & Proceribus Poloniæ summam frumenti penuriam, qua Hispania premeretur, eosque obsecravit, ut pro veteri amicitia, quæ inter duo regna illibata semper viguerit, concedere vellent ab ipso omne Poloniæ frumentum coëmi eodem pretio, quod peregrini mercatores Gedani essent soluturi. Ea ratione Polonos Regem Catholicum sibi obligaturos & sumtuum compendium facturos, quibus opus sit frumento Gedanum usque devehendo. Sed Stephanus re deliberata concedendum non judicavit, sapienter judicans, mercatores peregrinos alias in oras deflexuros, & sic Poloniam mercibus, quibus carere nequeat, vino, pannis, aromatibus, destituendam. Ira repulsi Hispani eundem Legatum aliquanto post Gedanum misere, qui ad Senatum admissus, ac de benevolentia & amicitia Regis sui præfatus, rogabat omne civitatis frumentum sibi venale concedi, majus pretium offerens, quam mercatores peregrini solent. Hoc petitum etsi senatui multis nominibus esset suspectum, non ignaro, quo hæc consilia pertinerent, vix tamen honeste se poterat expedire. Sed cum Legatus cuipiam è primoribus civitatis interroganti, quid tanta copia frumenti facturus esset, respondisset; sat quidem improvide; quid eorum referret, etiamsi in mare projiceret, modo ad assem ipsis solveretur; eo responso accepto Senatus unanimi voce professus est, se Legati postulata nunquam admissurum, ne tam horrendæ profusionis particeps fiat, & quod hac arte & monopolio subductis mercibus peregrinis maximum damnum civitati inferendum sit. Hac repulsâ haut quidquam protelati Hispani Regem Sigismundum III. in partes suas pertrahere conati sunt, ut ejus opera commercium Gedanense sibi obtinerent. Eo fine ipsi matrimonio jungitur Anna Austriaca, Ferdinandi II. soror, & ea mature defuncta ejusdem soror Constantia. Ex qua affinitate factum, ut magna auxilia equitum Cataccorum Cæsari subsidio mitterentur, Poloniæque naves classi ad Wismariam struendæ submitterentur. Ideoque Rex Sigismundus tentavit quoque omnem pulverem tormentarium tota Borussia coëmere, quo Hollandos eo belli instrumento excluderet. Ita Hispani, favore Regis confisi, denuo rem Gedani tentant, pro Batavicarum navium jactura Hispanicas, Italicas, Indicasque, præter insignes immunitates, offerentes. Unde Anno 1627. Philippus IV. Gedanum ablegavit Baronem Auchium Belgam, qui Gedanensibus summum Regis sui desiderium cum ipsis amicitiam societatemque contrahendi significaret, amplissimaque privilegia polliceretur, si in Hispania mercaturam facere vellent, unde plus utilium mercium, quam ex Hollandia percepturi sint. Sed ad hoc negotii opus fore, ut Rex Catholicus perpetuum procuratorem Gedani alat, qui literas commeatus det, rerumque invectarum libellos assertorios signet, ac subscriptione firmet. Ad hanc Legati propositionem cum Gedanenses directe respondere non possent, quod ea res ad omnes civitates Hanseaticas pertineret, à quibus divelli nequeant, ad proxima earum Comitia id negotii rejecerunt. Post Anno 1637. Legatus Hispanicus volumen articulorum Regi Ordinibusque Poloniæ Warsaviæ obtulit, qui spectarent ad instituendum cum utriusque Regni, Hispaniæ & Poloniæ, subditis mutuum mercaturæ usum; quibus inter cætera caveretur, ne ex portu Gedanensi ulla solveret navis Hispaniam versus, quæ telis, funibus, cera, & nitro non foret onusta, quo his mercibus Hispania instrueretur, Hollandia privaretur. Et ne Gedanenses navibus in Hollandia structis, imo ne illis quidem uterentur, quæ Gedani ad modum Hollandicarum navium ædificatæ sint. Et cum Gedanenses monuissent, mutatione navigationis & mercaturæ suæ civitati ingens damnum illatum

1627. & Auchy.

1627. iri, iſte pollicebatur ex Hiſpania vina, pannos, aromata, ſalem & omnia ſimilia. Rex Poloniæ Uladislaus ob contractam eo anno cum Auſtriacis affinitatem, ducta Cæcilia Renata, Ferdinandi III. ſorore, articulorum libellum ſtatim Gedanum miſit, Senatores urbis exhortatus, ut Hiſpanorum poſtulatis faciles ſe præbeant. Sed qui iſta velut altius penetrantia conſtanter reſpuerunt. Nec minus ut Hanſeaticos ſpecie ſocietatis ad miniſteria ſua diſponerent Hiſpani, laboratum. Horum caput Lubecam, quæ circa id tempus quinquaginta circiter navibus portus Hiſpanicos frequentabat, Anno 1625. Legati adiere Comes Schvvartzenbergius Aulæ Cæſareæ præfectus, Baro Auchius jam dictus, & Gabriel de Roy, qui Cæſaris & Hiſpaniarum Regis tantam in eam ſocietatem benevolentiam teſtabantur, ut amplas immunitates per Germaniam & Hiſpaniam jam ultro oblatum eant; & quia ad utriuſque regionis inſigne commodum videatur facere, ſi arctiſſima inſuper mutuæ navigationis & mercaturæ ſocietas ineatur. Ea de re cum Senatores Urbis Legatos rogarent, ut mentem ſuam diſtinctius exponerent, & quibus modis id fieri queat; hi reſponderunt: neceſſarium eſſe aliquot navium claſſem inſtrui, quibus Cæſar naves ſuas adjungat inſignibus & apluſtribus Imperii ornatas, & ſi opus ſit Rex Catholicus iiſdem auxiliares naves ſubmittat, ad tuendam Hanſeaticorum ſecuram navigationem, quocunque vela facere placeat. Addito, ad ſecuram & conſtantem commercandi ſocietatem ſtabiliendam utique requiri, ut Urbes Hanſeaticæ cæteris fœderibus nuncium remittant, neque ullum aliud abſque Cæſaris conſenſu, extra intrave Imperium deinceps contrahant. De novo hoc negotiandi & navigandi modo delegati Urbium ad ſuos ſe relaturos receperunt, quod ipſi hac de re nihil in mandatis habeant. Sed quia ob continuam bellorum tempeſtatem ab eo tempore nullus Hanſeaticarum Urbium conventus fuit habitus, negotium id in ſuſpenſo fuit relictum. Et quanquam monopolium mercium Hiſpanicarum lucrumque ingens inde redundaturum plauſibiliter jactaretur; ea tamen illecebra haut quidquam capiebantur Hanſeatici, minitante Daniæ Rege, & quod tot populi mari potentes ipſos talia conantes facile repreſſuri eſſent. Poſt aliquot menſium interpolitam moram Lubecenſes excuſavere ſe Cæſari, rogantes uti ſibi ejus pace liceat hærere intra limites priſtinæ negotiationis, & vitata invidia illam cum omnibus tranquille & citra contentionem exercere; cæterum ſe de obſequio Cæſari debito nihil detracturos. Enimvero quod amicitiæ incitamentis obtinere non poterant Auſtriaci, id violentis remediis ut aſſequerentur, operam dederunt, quo dominatum in partibus Borealibus, poſſeſſo mari Baltico, ſtabilirent. Eo fine Philippus II. Daniam opprimere conſtituit, haut difficulter pertracto in ſocietatem Joanne, Rege Sueciæ, ob odia inter illas gentes, & quod ſpes foret hac occaſione fines regni proferendi. A Philippo quoque inſtigatus Romanus Pontifex, & ipſe Daniam ad cultum ſui revocare cupidus, Stephanum Batoreum gloria facti præmiiſque adduxerat, ut exercitu quadraginta millium equitum ſub ſpecie belli in Turcas aut Ruſſos gerendi conſcripto Pomeraniam pervaderet, ac inde Holſatiam & Jutiam, regiones apertas, intraret. Interea dum hinc Polonus, inde Suecus invadunt, Hiſpanicam claſſem Selandiam inſulam cum Hafnia & Cronenburgo occupaturam. Ac jam ſpe devotaverant multas aureorum myriades, quas fretum illud Regis ſui ærario quotannis infert, quod Dano tam improviſa procella oppreſſo nullum præter Norvvegiam refugium fore putarent. Jam quoque Hiſpani conſtituerant inſtaurandis per Daniam ſacris Romanis omnes regni incolas partim in Hiſpaniam ad agros colendos, partim in Americam ad metalla effodienda transportare, deductis in horum locum coloniis ex Hiſpania & Belgio; tum famæ captandæ omnia bona Eccleſiaſtica reſtituere. Ac ut Dania perpetuo in fide Romana perſiſteret, ipſi Hiſpani freti Oreſundici poſſeſſionem conſervaturi erant, Regi Sueciæ præmii loco data Scania, Hallandia & Bleckingia. Stephano præter immortalem gloriam ob navatam promovendæ religioni operam ad dies vitæ è vectigalibus freti Danici annua centena aureorum millia, & à Pontifice ſexagena millia deſtinabantur. Enimvero id conſilium fruſtra fuit, quod negotia à pluribus pendentia, quorum rationes ſibi ex amuſſim conformes non ſunt, raro ita diſponi queant, ut omnes pari ſtudio ad eadem perficienda incumbant. Sed poſt pulſo è Germania Rege Daniæ facilis via dari viſa dominatum maris & Borealium regnorum invadendi, occupata Meclenburgica, quam mox Pomerania ſecutura erat. Fridlandus quoque à Cæſare inaudito hactenus exemplo ſupremus claſſis præfectus per Oceanum ac mare Balticum declaratur, collato in eundem Meclenburgico Ducatu, quem velut in pignoris vicem ob ſumtus in id bellum factos tantiſper obtineret; qui tamen paulo poſt pleno feudi jure in eundem tranſcriptus eſt. Eum quippe Cæſar ſibi competere aſſerebat jure belli & retentionis, quod Duces iſti Dano faviſſent, & minus parate ſervitio ſe viderentur expoſuiſſe. Is color tunc ſuffecit, ut Duces Meclenburgici avita ditione exuerentur, qua Maris Baltici imperium affectantibus opus erat; cum paulo poſt tamen Dano, qui iſtos bello implicarat, ſuæ ditiones à Germanico Imperio dependentes gratis reſtituerentur. Occupato littore, portuque, claſſi comparandæ incumbitur, negotiumque datum Comiti Mansfeldio, Wiſmariæ tunc Præfecto, ut quindecim naves bellicas extruendas curaret, quibus intra paucos menſes perfectis, cum & Sigiſmundus Poloniæ Rex ſuas aliquot naves ſubſidio adjunxiſſet, Sueciæ Regem ita res ea advertit, ut principiis iſtis utique obſiſtendum ſibi decreverit, ubi invaleſcerent, in exitium ipſius juxta Daniæque Regis redundaturis. 1627.

§. 53. Inde & Pomeraniæ manus injiciebantur, quæ licet toto bello extra omne armorum contagium remota immenſo Cæſarei militis agmine inundabatur; cujus unicus Dux proliſque expers minore cum invidia Cæſarem hæredem habiturus videbatur. Eumque in finem jam Bavarus actionem in Pomeraniam, à Ludovico Romano Ludovici IV. Imperatoris filio derivatam, ubi Ducem fato fungi contingeret, meditabatur, qua Brandenburgicus ſucceſſione excluderetur; quæ quantumvis infirmis & obſoletis nixa rationibus ſufficere poterat, ut Cæſar ſequeſtris titulo eam regionem velut litigioſam occuparet. Ut Stralſunda invaderetur, facile erat prætextum comminiſci. Poſtulabatur, ut ea præſidium Cæſareum reciperet, & magnam pecuniæ ſummam ſolveret, & alia, quibus litis materia quærebatur. Cum ea urbs tardius in ſui perniciem conſentire videretur, mox obſidione cingitur. Cives hoſtis hactenus ſemper victoris inſolentia haut territi ad vim propulſandam ſtrenue ſe parant, quibus aliquot cohortes peditum Danus auxilio miſerat. Sed præcipua fiducia in Rege Sueciæ erat, qui cum facile intelligeret, quanti ſua intereſſet Cæſarem litore Baltico non potiri, ultro pulverem pyrium, quem iſti à Gedanenſibus petierant, ſubmiſit, ac per Legatum auxilia prolixe obtulit, cupientesque valido 1628. Pomerania invaditur.

milite

1628. milite firmavit. His ſubſidiis aucti oppidani acriter ſæpius repetitos Cæſareorum inſultus repulerunt, eoſque poſt amiſſa duodecim militum millia obſidium ſolvere coëgerunt. Tentata quidem poſt cum urbe compoſitio; ſed illa nihil fidi à Cæſare expectans fœderi Sueciæ Regis innexa eſt, eidem facilem mox in Germaniam ingreſſum facturа. Ac Fridlando, ut Succicum præſidium oppido deduceretur poſtulanti, ab Axelio Oxenſtierna Sueciæ Cancellario reſponſum: neque urbis neque Regni Sueciæ ſecuritatem permittere, ut miles amoveatur, niſi utrique ſolida præſtetur cautio, quæ haut quicquam nudis verbis ac literis viri quantumvis magni ineſſe cenſeatur.

Pax cum Daniæ Regi fit.

§. 54. Interea ad finem tendebat bellum cum Dano, cui ad extremum uſque fortuna adverſa reflabat. Nam & Stada à Morgano infeſta, & Crempa, fame compulſa, utraque cervices victori ſubmittebat, ut toto in continente nihil præter Glueſtadium Regi ſuperetſet, Batavis ad id ſervandum acriter connixis. Rex equidem claſſe oram Holſatiæ, recuperata inſula Femera tentare; inde repulſus Rugiæ fruſtra aſſidere, mox Uſedomum & Wolgaſtum in Pomerania occupare. Sed ſupervenientibus Cæſareis non ſine clade rejectus naves conſcendit, & re infecta Hafniam navigavit, cautatus non ideo ſe venille, ut ea loca retineret, ſed ut Ducem Pomeraniæ ulciſceretur, quod tormenta Cæſareis oppugnandæ Stralſundæ commodaſſet. Hunc ut pacem deſideraret, res ubique adverſæ ſubigebant, & Daniæ Senatores bellum deteſtantes; & quod à Gallis Angliſque deſtitutum ſe perſpiceret. Nec ſatis arridebat, quod Batavi non alia lege militem mittere vellent, quam cuſtodiendis arcibus freto Oreſundico adpoſitis. Cæſar autem, Saxone, Holſatiæque Duce Friderico ſolicitantibus, duriſſimas iſti pacis conditiones propoſuerat, & Fridlandus rem extrahebat tentaturus, num in inſulas quoque penetrare poſſet. Quem in finem, cum ab Hanſeaticis commodato obtinere non poſſet, naves apud Wilmariam ædificare inſtituit; & in locum equitum, qui dimittebantur, peditem ſcribit, velut navibus imponendum. Sed cum eam rem tardius procedere, ac facilius titulum Præfecti maris adſumi, quam claſſem hoſtibus formidatam parari poſſe cerneret, ſimulque judicaret, quantopere Regis iſtius amicitia firmandis novis ſuis in Meclenburgica rebus utilis eſſe poſſet: pacem Dano dedit, Lubecæ concluſam honeſtis utiq; conditionibus, ſi præſentem hujus fortunam ſpectes; quippe per quam omnes bello amiſſæ ditiones ipſi reſtituebantur. Sed in qua nulla mentio Ducum Meclenburgenſium fiebat, quos Regis amicitia in exitium traxerat. Atque inſuper Regi facultas conceſſa novum vectigal in Albi flumine exigendi. Erant qui crederent, Fridlandum occaſionem honeſte bello ſeſe extricandi cupide amplexum, quod deficientibus ſtipendiis, quæ tanto exercitui ſufficerent, & corrupta plane diſciplina rem ſuo ex ingenio gerere non poſſet; ac metueret, ne gloria parta bello diutius extracto deſtrueretur.

Bellum Mantuanum.

§. 55. Sed & Cæſarem, ut cum Dano æquis conditionibus tranſigeret, non parum moviſſe videtur negotium Mantuanum, ſub illud tempus obortum. Cum enim Vincentius Mantuæ Dux ſine prole deceſſiſſet, hæreditatem ipſius velut proximus agnatus adibat Carolus Nivernenſis, quem Hiſpani in Gallia natum Mediolano vicinum averſabantur, ac provincias iſtas ſibi adjungere cupiebant. Cui rei prætextum Cæſar ſuppeditabat, eaſdem velut dubio ſucceſſionis jure ob litem à Guaſtallæ Duce, & Sabaudo motam ſequeſtris nomine occupare inſtituens. Eoque fine validæ in Italiam copiæ mittebantur, quibus Mantuâ quidem urbs in prædam ceſſit. Verum irrito Caſalis obſidio, & acriter connitentibus Gallis, Electoribuſque, & quia Succorum Rex ingruebat, Nivernenſis Ducatum obtinuit; & Cæſar nihil aliud lucratus eſt, quam ut florem exercitus ſui fruſtra perderet, & Gallos excitaret, ut Auſtriacorum progreſſibus eo majori ſtudio ſe objicerent. 1629.

Status Germaniæ tunc miſerimus.

§. 56. Cæterum quo magis Cæſari hactenus omnia ſupra votum ſucceſſerant, eo gravius Germania ſub tam lævi ac diuturni belli onere ingemiſcebat; nec ullus malorum finis & modus, extinctis licet aut profligatis, qui Cæſaris arma provocaſſe arguebantur. Nam cædes, incendia, ſtupra, direptiones bonorum, & omne genus ſævitiæ atque injuriæ belli genio imputabantur, quamdiu ſuperetſet, qui reſiſteret. Nunc cum poſt victoriam quoque belli calamitates non ceſſarent, non pacem, ſed Germaniæ ſervitium quæri adparebat. Et cum finis belli adeſſe crederetur, legionum numerus immenſum augebatur, ut à Fridlando jactatum ſit, Cæſarem ſupra centum ſexaginta millia militum ſub ſignis habere. Ducum quoque inferiorum numerus præter morem multiplicatus, ut integræ legiones ex iſtis ſolis componi poſſent; quibus id unicum negotium, civium opes exhaurire congeſta immenſa pecuniarum vi, nec minore in luxurioſas epulas, veſtes ac pretioſos equos diſſipata. Hi toti Germaniæ velut in prædam ſibi conceſſæ intolerandis modis inſultare, hoſpitia ubicunque placeret ſumere, inconſultis Principibus, ad quos ea terræ ſpectabant. Nec ullus imperandi aut extorquendi modus; & abreptis quæ occurrebant, in corpora ſæviebatur, depromendis quæ occultata arguebant. Nullum quoque malis levamentum, ſive ad ſummos exercituum duces, ſive ad ipſum Cæſarem querelæ deferrentur. Omnes culpam malorum in alios amovere, omnes verbis improbare, nemo medicinam adferre. Et tamen publicum latrocinium exercentibus non niſi Cæſaris miniſteria, ſalus patriæ ac publicum bonum crepabantur. Plerique tamen invidiam tantæ oppreſſionis in Fridlandum derivatum ibant, qui inſolita fortuna ebrius velut dictatorem ageret, nec Cæſaris mandatis, niſi quantum ipſi collibitum, pareret. Et erant viro immenſi ſpiritus; ſed qui tamen haut quicquam culpâ abſolveret fortunæ ſuæ autorem Cæſarem, qui miniſtri ſui facta ſibi præſtanda norat. Equidem mittebantur, qui in militum facinora inquirerent, ac legiones aliquot ſacramento exſolverent. Sed nullium inde malis levamentum; quin contra obſervabatur, quo plus pecuniarum conferretur, eo minus illam expenſis ſufficere, velut omnia abyſſo abſorberentur. Accedebant & alia, indignationem plurimorum, querelamve in præſens, metum in poſterum excitantia. In fiſcum redacta eorum bona, qui ſuperioribus temporibus militaſſe ſub Palatino ipſiuſque partes ſectantibus arguebantur, velut in legem majeſtatis deliquiſſent. Quæ calamitas inprimis Equeſtri ordini per ſuperiorem Germaniam incumbebat. Nec audiebantur Principes, qui iſta bona ſibi tanquam Feudi dominis vindicatum ibant, ſi fiduciarii poſſeſſores iiſdem ob delicta excidiſſent. Nam eam prædam Cæſaris conſiliarii ſibi deſtinaverant, ne in direptione Germaniæ ipſi ſoli ſpoliorum expertes forent. Eo indignior autem videbatur iſta res, quod executio commiſſa foret cuidam Rudolfo Oſſæ, qui non ita pridem vili miniſterio Hanoviæ Comiti addictus jam in ſummos æque ac medios inſolenti rigore graſſabatur.

Edictum de reſtitu-

§. 57. Enimvero extremam Proteſtantibus injiciebat deſperationem Edictum à Cæſare promulgatum

1629. tione bonorum sacrorum post transactionem Passaviensem, per Protestantes occupatorum.

gatum super restituendis bonis sacris post transactionem Passaviensem per Protestantes occupatis; quo religionis juxta ac libertatis suæ oppressionem quæri judicabant. Seculum jam fere erat, ex quo ejus rei suscipiendæ occasionem Pontificii anhelaverant, quæ nunc promptissima videbatur allubescere, dudum sepulta Unione, Saxonia Inferiore domita, Dano repulso, Turca quiescente, exhaustis Protestantium viribus; cum contra Cæsar infinitis copiis, ac valido Ligæ exercitu Germaniæ incumberet. Igitur ad expromendos conatus, qui sub pietatis ac justitiæ vocabulo venditabantur, Cæsarem alias satis proclivem stimulabant sacerdotes; ac Liga Heidelbergæ congregata auxilium exsequendo negotio liberaliter offerebat. Diu tamen deliberatum, num satius foret pedetentim progredi, & facto à debilioribus initio cæterorum patientiam tentare; ac potentiores Protestantium excipere ferendo inter ipsos dissidio. Super forma quoque negotii disceptatum, an non minus invidiosum foret, ad querelam Pontificiorum sententiam velut pro tribunali promulgare. Sed fiducia potentiæ, cui nemo amplius par credebatur, suadebat eo modo rem proponi ac suscipi, qui maxime liberam Cæsaris potestatem de summa rerum pro lubitu statuendi referre videretur. Igitur edictum promulgatur, quo bona à Protestantibus post Passavientem transactionem occupata, sive ditionibus ipsorum subjecta fuerint, seu præter Imperium superiorem non agnoverint, Pontificiis restitui jubentur; simul declaratur, non esse Protestantibus justam querendi causam, si Lutherani Pontificiorum Ordinum ditionibus expellantur; & quod pax religioni concessa ad eos solos pertineat, qui Augustanam Confessionem amplectuntur. Quo ipso Calvinianos excludi in aprico erat. In recusantes proscriptio decernitur, & executio citra exceptionem confestim facienda. Ac ut insultatio eo foret manifestior, ab Augustana urbe initium fit, abs qua Protestantium Confessioni nomen inditum, cujus cives publico exercitio Lutheranæ religionis arcebantur. Inde passim per omnes Germaniæ regiones constituuntur, qui res ex edicto ordinent, spretis quæ cum cæteri, tum Saxoniæ Elector super iistius iniquitate querebantur; cui præcipue à reliquis eidem religioni addictis exprobrabatur intempestivum pro Cæsare adversus Palatinum studium, quo fonte hæc pestis promanaverit. Quem & ipsum gravissime offenderat, quod nullo discrimine tamdiu possessis bonis exui videret, qui pro Cæsare arma gessérant, & qui in diversa parte fuerant. Quo insolentius autem Pontificii sacerdotes tanta victoria exsultabant, eo altius Protestantium lamentationes ira mixtæ resonabant, quorum multis metum adimebat desperatio, alii proprias & exterorum vires circumspiciebant, præsertim cum Cæsaris exercitum non mediocriter debilitassent validæ in Italiam, Hispanique contra Batavos, & Polonis adversus Succiæ Regem in Borussiam missæ copiæ, quarum maximam partem belli incommoda morbique absumserant.

Conventus Ratisponensis.

§. 58. Sopiendis tamen querelis Cæsar conventum Electorum Ratisponam indicit, velut malis medicinam facturus, cum interim nihilo segnius Edicti exsecutio procederet, ac Cæsar filio Leopoldo Bremensem quoque Præsulatum destinaret, urbemque Magdeburgensem occupare conaretur, magnum momentum frænandæ Saxoniæ. Ad istum conventum ipse Cæsar accesserat, & Electores Ecclesiastici, Bavarusque; sed Saxo atque Brandenburgicus sæpius licet invitati venire abnuerant, edicto offensi, & quia Cæsari pro filio suo, ut Rex Romanorum designaretur, prensaturo, in os negare nolebant. Proponitur ibi à Cæsare; culpam malorum penes se haut esse, sed penes Palatinum, cui omnis obtinendæ restitutionis spes sit præscindenda, ejusque ac Batavorum machinationibus obviam eundum. Additur de jure Cæsarum per Italiam asserendo; ac Sueco nihil causæ competere, quare Germaniam invadat. Denique ut de alendo exercitu, corrigenda militari disciplina, ac pecuniis in stipendium commode colligendis decernatur. Contra Saxo abrogationem Edicti per Legatos enixe exigebat, prolixe exposito, quam duriter Protestantes per Cæsareum exercitum habiti sint; ac ut res ad compositionem deducatur. Super hoc postulato ipsi Catholici haut eadem sentiebant; cum alii sublata aut suspensa edicti executione ad pacem Germaniæ stabiliendam incumbere satius ducerent; cæteri ut ex tenore Edicti bona sacra Protestantibus eripiantur contenderent. Illi differebant: moderatione adhibita posse Protestantes revocari ad concordiam, ut non modo imminentem è Suecia hostem destituant, sed & pro communi Germaniæ salute consilia opesque Cæsari adjungant. Et in hanc sententiam ab initio propendebat ipse Cæsar, & Electores Catholici, & non pauci utrorumque consiliarii. Ac inprimis Bavarus per moderata consilia pacem reducendam suadebat, qui imminentem tempestatem satis prospiciebat. Cui & Tillius adsentiebat, utut fortuna hactenus secundissima usus, idemque ad omnia pericula intritus, qui omnibus modis concordiam saltem in Germania instaurandam ingerebat, ne Imperium domestico simul ac externo hosti lacerandum exponeretur, cui & optime perspectum erat, quibus defectibus Catholicorum vires laborarent. Et jam spes erat facta Saxoni & Brandeburgico possessionem bonorum sacrorum ad quadraginta annos retinendi, ut hac illecebra deliniti cæteri Protestantes, quos Edicti executio nondum tetigerat, simili benignitate contenti reliquis postulatis desisterent, mallentque certi temporis usuram, quam incertas spes ab exterorum auxilio, qui sæpe illos, quibus servandis arma movere profitentur, exitio involvunt. Sed sacerdotes fere duriora ingerebant, superiorum annorum prosperis successibus, & continua velut victoriarum serie feroces. Jam maturuisse messem congerendis in Ecclesiæ horreum per tot lustra inter versis reditibus. In expedito esse validos exercitus, qui hostem domesticum contineant, externum reprimant. Vix posse ignaviæ notam declinari, si à subjectis, à devictis, ab egentibus Cæsar autoritatem & edictum suum convelli patiatur. Quando tandem Cæsar munere suo functurus sit, quo defensor Ecclesiæ audit, si nunc divinitus oblatam occasionem negligat? Agi hoc Dei gloriam, Ecclesiæ decus, fidei amplificationem, salutem infinitarum animarum. Protestantes hactenus pactis non stetisse. Ad spolia Passaviensi conventione condonata subinde nova adjecisse: nec usurpationum finem fore, si nunc denuo ad novam transactionem admittantur. Passavii transactum ob spem finiendarum per Concilium controversiarum: Ea spes cum hodie nulla sit, jam tandem ad juris remedium confugiendum, & ab injustis possessoribus bona Ecclesiæ vindicanda. Nec vero Cæsari circa illa bona disponendi, aut transigendi, condonandive facultatem competere, sed solam tuendi & exequendi operam eidem relictam. Nec multo levius crimen esse Ecclesiam spoliare, & eidem cum possis & debeas ablata non vindicare. Cur denique Cæsar præsenti suarum victoriarum fructu gaudeat, Ecclesia ad quadraginta annos rejiciatur, forte in seculum extrahendos? Ad hæc

1630.

regere-

1630. regerebant, qui moderata ſuadebant: Priores Cæſares, Maximilianum, Rudolfum, Matthiam bona ſacra non vindicaſſe, quos tamen nemo officii erga Eccleſiam neglecti arguerit. Nullo jure teneri aliquem ad inſtituendas vindicias, ubi id futurum ſit cum evidenti periculo non modo non recuperandi amiſſa, ſed & perdendi, quæ adhuc reſtent. Debere Cæſarem Eccleſiæ protectionem, ut tamen quid reip. rationes ſuadeant ferantque præ oculis habeat, ne plus damni adferat intempeſtive ſuſcepta defenſione, quam vitaturus eſſet mali tantiſper quieſcendo. Sed nec teneri ſolum Cæſarem ſumtus in eam defenſionem facere, immunibus & otioſe deſidentibus, quorum bona defenduntur. Denique magnas eſſe Catholicorum vires: ſed nec adverſæ partis opes ſpernendas, deſperatione cumprimis irritatæ, & ubi exterorum auxilia acceſſerint. Haut eo ſecius tamen pervicere tandem ſacerdotes, peſſimi fere in publicum conſultores, apud animos ſibi obnoxios, pacem iraſque Numinis, velut in ſua manu ſitas ingerentes. Itaque Cæſar ſolutis verborum blandimentis, & deſignato Francofurti conventu, ubi de iſto negotio ageretur, à fortioribus conſiliis Saxonem avertere nitebatur. Quæ ludibria tamen ipſum non movebant, quo minus Proteſtantium plerique Lipſiam invitaret, ac cum ipſis decerneret vim opponere, ſi quæ vis ſibi ob Edictum iſtud intentaretur. Nec parum fiduciæ acceſſerat, quod Ratisponæ animadverſum eſſet, Catholicos bello feſſos, multosque ex iis inopiæ obtentu belli continuandi conſilia deteſtari, velut aperta impotentiæ profeſſione. Cæterum de injuriis & oppreſſionibus Cæſarcani exercitus, ac inſolentia Fridlandi, ejuſque dictatoria poteſtate Pontificii juxta atque Proteſtantes querebantur, quem *odium ac nauſeam generis humani* vocitabant. Simul immenſæ pecuniarum ſummæ, quibus Ordines emuncti fuerant, recenſebantur magna cum invidia Cæſaris, qui culpam in pertinaciam hoſtium, & fatalem temporum infelicitatem retorquebat. Sed Fridlandum cumprimis urgebat Bavarus odio peculiari in hominem, tum ut hac via nimiam Cæſaris potentiam deſtrueret. Cujus autoritatem circa diſponendam rem militarem Fridlandus non mediocriter imminuerat, derivatis quoque in ſe pleriſque bellorum emolumentis. Et Bavarus ſibi ſummum belli arbitrium non obſcure ambiebat; ſed cui ſe Cæſaris Conſiliarii vehementer opponebant, veriti, ne Bavarus tanta potentia ſubnixus ſummam rerum in ſe traheret, & ſibi quam Cæſari vincere mallet. Præſertim cum & ipſe, ut Rex Romanorum deſignaretur, clam prenſaret, inclinantibus non parum in ipſum Moguntino, Colonienſi & Saxone. Nec deerant qui proponerent, exercitum triginta millibus conſtantem ad defenſionem Imperii comparandum; cui Saxoniæ Elector ſit præficiendus, quo ipſe in Suecum irritaretur. Sed quod conſilium Saxone reculante fruſtra fuit. Porro Cæſar, cum Sueciæ Rex inter cauſas belli ejectos ditione ſua Meclenburgicos Duces ferret, conatus fuerat Fridlando perſuadere, ut Meclenburgicum Ducatum, ejuſque titulos utriuſque Luſatiæ commutatione redimi pateretur; nam Saxoni pecunia ſatisfieri poſſe, ab ipſo Fridlando & Meclenburgicis depromenda. Sed Fridlandus, cauſatus id agi per Imperii Principes, ut ipſe præmio laborum, meritorumque privetur, à Cæſare petebat, ut hic ſua ipſe beneficia, fidumque clientem tueretur. Sed cum acerrime Fridlandi abdicationem urgerent Electores, inter alias hac quoque uſi ratione, quod Meclenburgica ditio facilius inermi, quam armato avelli poſſit; Cæſar tandem renitens licet in abdicationem ejuſdem conſenſit, velut magnam partem invidiæ in iſtum devoluturus. Nec ille in ordinem ſe redigi adeo ægre ferre vitio fuit, quod provideret brevi fore, ut ablatum imperium ſibi non ſine precibus iterum offerretur. Sed & complures legiones Cæſaris dimittebantur, levandis Germaniæ oneribus, & militum exactionibus modus ſtatuebatur. Retinuit tamen ſub ſignis Cæſar triginta novem millia, Ligiſtæ tricies mille trecentos, ſelectum, veteranum & victorem militem. Iſta Cæſari, cum rationibus ipſius haut ſane congruentia, urgentibus Electoribus extorta non parum progreſſus Sueciæ Regis promoviſſe videntur, qui dum contemnitur, velut levi negotio trans mare repellendus, opinione citius adverſus vacuas Cæſaris legiones idoneo duce deſtitutas invaleſcebat; ſimul Proteſtantes, qui jam jam ultima à Cæſare metuebant, in novas ſpes erigebantur. Sicut iſte materiam rebus, quas deinceps geſſit in Germania, repererit probe jam digeſtam ac maturam. 1630.

§. 59. Id bellum dum deflagrat, è reliquis Europæ populis quidam his, alii illis partibus ſtudebant, prout rationibus ſuis expedire judicabant, nonnulli per otium aliena certamina ſpeculabantur. Et Galli quidem ſecundas in hoc bello à Sueco partes agebant, læti jam tandem ſe inveniſſe, qui potentiam Auſtriacorum immenſo militum numero ſuccinctam cominus contunderet, iſtamque ipſius Germaniæ viribus oppugnatum iret. Galli quippe, ſtatim atque Auſtriaci Principes, adjunctis ſibi per connubia Burgundicis atque Hiſpanicis opibus, reliquis Europæ populis formidabiles fieri cœpere, eoſdem intra limites coërcere præcipuum negotium habuerunt. Inde tanto ardore Franciſcus Carolo V. ſe objicere, nec fortuna licet acriter reſtante defatigari; ut quod tunc Europa in unius Domus patrimonium haut concederit, non minimam partem iſti Regi debeat. Quin nec Arctois Regnis Chriſtierni jugum excutere in proclivi futurum erat, ſi Carolo ipſius affini per bella Gallica vacaſſet, de iſto reſtituendo impenſe cogitare. Sed poſt præmaturam Henrici II. mortem Gallia inteſtinis malis implicita ſat habuit exitium Hiſpanorum artibus ſibi intentatum evitaſſe. Hinc exhauſtas vires ſapientia & virtute Henrici IV. jam feliciter reſumentem infelix hujus cædes non leviter afflixit. Poſt cujus fata fœminæ puerique ſub regimine per mutatos primarios miniſtros, interque ambitionem procerum, artes Hiſpanorum, ac turbulentiam Hugenottorum, conſilia vacillabant. Eoque erumpentes primum per Germaniam turbas Gallia in commodum ſuum vertere neglexerat. Hiſpanus quippe Pontifici perſuaſerat, oppreſſionem Domus Auſtriacæ cum ruina ritus Catholici conjunctam; tum illo munimento convulſo Germaniam Turcis in prædam exponi. Unde Pontificis legatus Ducem Luynæum, flagrantiſſima tunc Ludovici Regis gratia florentem, in favorem Auſtriacorum pertraxerat; qui, Regina Maria in eandem ſententiam adducta, Regem matris, & amici autoritati obnoxium à Palatini cauſa avertit, ac ut Ferdinandi rebus ſtuderet, permovit. Credebatur etiam Luynæus conſilia rationibus Galliæ adverſa ſecutus conſervandæ ſuæ potiſſimum fortunæ, quam adverſus inſtabilia aulæ Hiſpanorum favore fultum ibat. Hiſce deſtinatis eo tectius & efficacius expromendis Gallus pacis ſe arbitrum ſimulans, Proteſtantes inanibus promiſſis lactatos avertebat, ne Palatini cauſam eo, quem tempus requirebat, ardore ſuſciperent, quando Ferdinandi res in anguſto erant: eoſque permovebat, ut in pernicioſum Palatino tractatum Ulmæ con-

Status & Inclinatio Galliæ.

1630. consentirent, quò Cæsar spatium nactus est vires undique contrahendi. Quem errorem mox alio errore Unio cumulabat, dum arma exuit, quæ Liga in Protestantium exitium retinebat. Sed & quæ post Christiano Brunsuicensi auxilia dabantur, modica erant, & ab ipsis Gallis Hispanorum sine dubio artibus corrumpebantur. Cæterum postquam Cardinalis Richelius summam rerum per Galliam tractare cœpit, meliore fide ac prudentia ejus Regni consilia processerunt, qui enormes Austriacorum progressus sibi utique sistendos decrevit. Propior tamen cura urgebat Hugenottos, qui divisum fere cum Rege imperium tunc tenebant, eo redegisse, ut nocere amplius non possent, aut Regis destinata divertere; præsertim cum istos occultis Hispanorum machinationibus ad res novandas stimulari constaret. Id negotium antequam confectum foret, præmaturum visum rebus Germaniæ manum admovere; eoque Angli fœdus ad bellum Austriacis inferendum invitantis repudiatum. Interea satis habebatur per alios Cæsari negotium facessere, missisque legatis Daniæ Regem, Inferioris Saxoniæ Principes, & urbes maritimas ad bellum strenue sumendum incitare, pecuniaque ac militem subsidio offerre. Simul multa millia militum in finibus Campaniæ disponebantur, suspicioni Hispanis injiciendæ velut in Belgium irruptura. Et cum Dani res laborarent alio misso legato pax aut induciæ tentabantur; tum ut recte animi Electorum averterentur, ne Ferdinandi filium Cæsarem designarent, solicitato cumprimis Bavaro, num ipse forte cupidine fastigium Cæsareum affectandi imbui posset. Sed proxima cura erat Rhætorum libertatem vindicare, ac Nivernio Mantuæ & Montisferrati possessionem salvam præstare eo majore vi, quod Rupellæ pertinacia jam tandem fracta fuisset. Verum ne tota belli mole hinc Cæsar, inde Hispanus ingrueret, Gallus Batavos quidem, ne inducias ab Hispanis propositas inirent, permovebat, novo fœdere illis innexus. Pariter Suecorum Regem in Austriacos promisso subsidio pecuniario firmabat; quoad tandem ipse apertum in bellum adversus eosdem erumperet.

Hispaniæ. §. 60. Ex adverso Hispania, præcipuam Austriacæ potentiæ partem absolvens, cum sub Philippo II. Monarchiæ suæ per Europam colophonem impositura crederetur, retro ire cœperat, Belgicis tumultibus, & inani in Angliam conatu lassata, & incassum cadentibus, quæ circa Galliam machinabatur. Quanquam autem post astu & consiliis res suas sustentare non omisit; vetus tamen bellandi gloria valde decoxit, attenuato militis indigenæ numero, & non sufficientibus Americæ thesauris, dum per Regum incuriam ministri opes publicas raptant, & Hollandi fontes divitiarum Indiam utramque infestant. Sic ut Cæsari tanta pecuniæ ac militum vi, quantam res ipsi requirebant, succurrere non posset. Cum ipse nimia sui fiducia, & contemtu Suecorum robur exercitus sui in gratiam Hispanorum per Mantuanam expeditionem, & irruptione in Velaviam non parum destruxisset; nec hisce ad compescendos simul Batavos ac delassandis Gallis vires sufficerent.

Angliæ. §. 61. Angliam Elisabetha Regina per bellum adversus Hispanos opibus, civiumque virtute, ac gloria apud exteros extulerat. Sed Jacobus Rex ad ignavam pacem revolutus Palatini exilium, sibi non parum ignominiosum, manibus velut in sinum compressis spectabat, utut civibus ad tolerandos belli sumtus potuisset uti satis pronis; & ludibrio se ab Hispanis per inania tractatuum haberi malebat, quam tantopere invisum gladium stringere. Sub vitæ finem visus erat bona fide incalescere velle, cum subsidia, quæ Mansfeldiò duce adornabat, sera jam forent, nec pro tanta hostium potentia Filius ipsius Carolus juventa animosior, quæ pater neglexerat, correcturus videbatur, maritima adversus Hispanos suscepta expeditione; sed quæ in irritum cadebat, classe apud Gades repulsa. Mox oborta cum Gallo lis Hispanici belli oblivionem induxerat. Cum nec heic melius destinata successissent, ægrescentibus civium animis cum utroque Regum pax inibatur, quos simul hostes feciſſe rationibus Angliæ summopere repugnabat. Nec deinceps intestina Regni lues exterorum rebus serio vacare permisit; eoque ad bellum nostrum nihil aut parum momenti attulit, ut vix satis dignoscere liceat, in quas partes favore inclinarit. 1635.

Pontificis atque Italorum. §. 62. Romanus Pontifex hactenus Austriacis atque Hispanicis partibus addictissimus habebatur, quod hi singulare studium ritus Catholici præ se ferrent, ac destinata sua vocabulo ejusdem asserendi aut propagandi expromere solerent. Coquebat tamen istius animum cœca quædam adversus horum progressus invidia, metusque, ne postquam oppressis æmulis arbitria rerum per Europam ad se traxissent, sedis quoque Romanæ in ordinem redigendæ libido subiret. Cum enim tunc Pontificis autoritas atque securitas quam maxime efflorescat, quando potentia Principum Christianorum, & inprimis Galli, Hispanique, probe librata fuerit: post mortem Henrici II. Gallia per intestinos morbos languente, iste ingratis Hispano obnoxius agere cogebatur. Neque deerant huic rationes Pontifices sibi obstringendi, quicquid vel interna animi propensio, vel rerum suarum conditio contra tenderet. Nam & per factionem, quam prævalidam inter Cardinales Hispanus fovebat, à Pontificatu excludebantur, qui animi ab ipso aversi signa dederant. Et nepotes Pontificis, quos brevis patrui vita circa corradendas opes festinare subigebat, stipendiis, beneficiis, prædiis, matrimoniis devinciebantur. Qui talibus inescari noluerant, post fata Pontificis patrui acerrimas molestias sentiebant. Igitur in sinu gaudebat Pontifex per Succos Gallosque enormibus Austriacorum incrementis modum statui. Quanquam enim ut Protestantes oppressi ad obsequium Sedis Romanæ reducerentur, optare muneri ipsius decorum videbatur; potius tamen ipsi erat Protestantes superesse, quam ut summa rerum per Europam ad unum devoluta, ipse intra primævos modestiæ sacerdotalis terminos redigeretur. Præsertim cum in controversia Mantuana Austriaci ostendissent, se non Catholicis minus, quam Protestantibus infestos incumbere, ubicunque occasio imperii proferendi allubuerit. Pontifex igitur per progressus Succorum diuturno Hispanorum velut pædagogio solutus, & sui jam juris factus, dolorem adversus hæreticorum quos vocat victorias verbis testari satis habebat; de cætero favorem in hunc aut illum pro sola sua utilitate dispensare certus, & prout momenta bellorum inclinare videret; ipse ab omni armorum aut sumptuosæ societatis consortio remotus. Et eodem fere animo circa præsens bellum cæteri Italiæ Principes erant, cumprimis Veneri, quos antea armis cum Ferdinando collisos nuper hujus in negotio Mantuano conatus offenderat, juxta ac terruerat. Eoque incendium eidem domi ortum lætabantur, quo aliena invadendi otium non foret. Qui tamen cum antea Gustavo Regi annuam pecuniam bello in Austriacos gerendo ostentassent, post quando in rem præsentem veniendum erat, excusationum affatim, argenti nihil repræsentabant.

§. 63.

by Google

Polonia. §. 63. Poloni Suecis antea per prægraves utrique vicinos Moſcos conciliati, cum arctiore vinculo nationes jungendæ viderentur vocato in Regnum Sigiſmundo Sueco, præter ſpem inimicitiarum occaſio inde extitit. Et ſane profundius rem expendentibus patebat, neutri Regno eam conjunctionem per communem Regem expedire. Nam & Suecia peculiarem ſibi Regem poſtulat, ac alterius Regni acceſſio fieri adſpernatur; & Poloniæ libertatis haud intereſt Regem habere luculento nimis patrimonio ſuccinctum. Inde cum Sigiſmundus Sueciæ Regno exciditſet, Polonia bello cum Suecis præter Reip. ſuæ rationes implicabatur; in quo Poloni primum Livonia pulſi; poſt per Boruſſiam ſtrenue arma cientem Guſtavum Adolfum ſenſerant. Hinc in ſexennium factæ inducie annitentibus Galliæ, Angliæque Regibus, & Brandeburgico Electore; etſi Cæſar avertendis Guſtavi conatibus contra tenderet. Sed Polonos belli cum Guſtavo tædium ceperat, & ſubſidio miſſus à Cæſare in Boruſſiam miles exiguo operæ pretio facto inolitam Polonis adverſus Germanos averſationem accenderat. Quanquam igitur Poloniæ Regis animus Guſtavo alienus, & in Cæſarem pronus foret; parum tamen Suecis Poloni metuebantur ob interpoſitas inducias, & munita per Boruſſiam loca ab iſtis inteſſa; & quia Polonis major emolumentorum ſpes è bello adverſus Moſcos oſtendebatur. Unde & hi otioſos fere belli Germanici ſpectatores agebant. Nec tanto exercitu ſubnixos Suecos lacellere tutum viſum, ne repente tota belli moles in ipſos devolveretur.

Dania. §. 64. Dania, utut à multis ſeculis Sueciæ inſidiari, ejusque incrementa & vires ſubruere, contrariamque fere conſiliorum viam inire ſolita, iſto tempore Suecis minus formidabatur, quod & vires Chriſtiani bello adverſus Cæſarem infeliciter geſto forent attritæ, & non minus ipſius quam Suecorum intereſſet Auſtriacorum potentiam accidi, ipſosque à litore maris Baltici eliminari, veteribus ejus oræ dominis reſtitutis. Ac ipſe Danus expertus credidérat, tantum à Suecis provocari hoſtem, ut dum eidem colluctantur conſumpturi potius, quam aucturi vires ſint. Ac ſi fortunam eo bello Sueci adverſam experirentur, ipſe vicinos debiles & injuriis opportunos habiturus erat. Sin ſecundæ iſtis nimium res fluerent, eo certiora ſibi Auſtriacorum auxilia ſperabat, ubi in Suecos forte bello certandum foret. Credebatur quoque aliqua animorum conjunctio inter utrumque Regem, dum Halmſtadii quondam magna familiaritatis ſpecie congrediuntur, contracta, qualis quidem in Principes cadere poteſt, quibus Regnorum ſuorum ſalus, & utilitas ſupra omnes affectus eſt. Et notum erat Guſtavi Regis dictum; ſe præ omnibus Principibus æſtimare Daniæ Regem, & cum nemine magis quam cum ipſo, ut amicitiam colere poſſit, optare; modo ne vicinus ſit. Quod ſi forte Danos inolitum odium Sueciæ impegiſſet, non defuturus huic erat Batavus, cujus intererat Auſtriacos Suecico bello diſtineri. Igitur Danus ſaltem primos intra annos ejus belli eventus otioſe ſpeculaturus videbatur, certiſſimo ſibi lucro ducens, quod Cæſar, Suecusque pariter inviſi vires ſuas mutuo attererent; prout res ſe darent conſilium deinceps capturus.

Belgarum Fœderatorum. §. 65. Belgis Fœderatis ea tempeſtate Guſtavi deſtinata duplici nomine favore proſequenda erant, & quod Auſtriacorum vires per ipſum diſtraherentur, & ut gliſcentibus Sueciæ opibus Danus coërceretur, auctu vectigalis Oreſundici ſubinde moleſtus. Etſi cum converſione rerum iſte quoque favor ſeſe facile circumacturus erat. Jam anno quarto decimo labentis ſeculi fœdus Suecos inter Belgasque pro aſſerenda commerciorum libertate, ac mutua defenſione ictum, ac Sueciæ amicitia ſat diligenter culta, quamdiu Danus faucibus Maris Baltici incubans metuebatur. Ea formidine expirante, amicitia quoque iſta refrigeſcebat. Hinc cum flagrante per Boruſſiam bello Rex Guſtavus à navibus ad portus Boruſſicos commeantibus vectigalia exegiſſet, cum belli nervum Petri Spiringii induſtria ſuggerente, eademque in Sueciæ quoque portubus intendiſſet, ægre id ferebant Batavi, eoque bellum illud Suecos inter Polonosque per legatos componere licet fruſtra laborabant. Indignatio tamen premebatur, ne Guſtavum à bello Germanico diverterent; ad quod ſuſcipiendum, cum ipſe antehac eosdem, ac Araufionenſem Principem miſſo Legato Theodorico Falckenbergio conſuluiſſet, illi acriter eum ſtimulaverant. Guſtavus autem quanquam iſtorum amicitiam cœptis ſuis utilem videret, malebat tamen pecuniam ab iisdem velut ſuo jure ſumere, vectigalibus exactis, quam precibus ambire. Etſi eadem vectigalia ettecerant, ut cum poſtea Guſtavus Germaniam ingreſſus ſubſidium pecuniarium Batavos poſceret, de quo antehac amplam ſpem fecerant, illi ſatis tarde huic expendendo manum admoverent, velut ſolutione in anteceſſum facta. Simul quia volebant Gallos primum aperte in partes deſcendere; ac metus, ne Auſtriacorum potentia Mari Baltico invaleſceret, evanuerat. Eoque tergiverſabantur, quoad vectigal illud Boruſſicum aboleretur, & ipſa portoria per Sueciam ad antiquum modum redigerentur. Sed cum Sueci neceſſitates belli excuſarent, ac ſubſidio iſto carere, quam vectigalia remittere mallent, & Batavis poſt ſubactam Germaniam univerſa belli moles incubitura erat, qua facile reſpublica ipſorum una clade accepta opprimi poſſet; tandem pecuniam ſubminiſtrabant, ſed velut donationem ultroneam, & decretis pro re nata factis, ac ut certo cum Suecis fœdere adſtringi nollent, quo hoſce magis haberent obnoxios, ac rivos pro lubitu claudere poſſent. Maximum tamen ad Germanicum bellum Batavi momentum attulere, licet ſuum tantum gerentes negotium, quod continuatis adverſus Hiſpanum armis Auſtriacas partes inſigniter debilitarent, ac translatis in utramque Indiam armis nervum rerum gerendarum iſti non mediocriter acciderent.

Et Moſco-via. §. 66. Cum Czare denique Moſcoviæ Sueci poſt pacta Stolbovienſia bona fide tunc pacem agitabant; atque iſte inteſtinis turbis, & infelici contra Polonos bello debilitatus gaudebat à Suecia nihil hoſtile ſibi imminere. Quin omni ſtudio Suecorum amicitiam conſervare cura erat, poſtquam finitis mox induciis bellum in Polonos rejumere conſtituerat. Unde Suecis in res Germaniæ intentis haut metus erat, ne iſte forte à tergo ingrueret; id quod Sueci à Moſcorum amicitia præcipuum expectant.

Status Imperii. §. 67. Sic igitur Guſtavo Adolfo Sueciæ Regi, quo tempore arma Domui Auſtriacæ intulit, ſat cinarationum erat, ut de auxilio aut favore Gallorum, Belgarum Fœderatorum, & Anglorum ſibi polliceretur, nec ex Italia, Polonia, Moſcovia, Daniaque deſtinatis ſuis impedimentum, ſaltem circa initium metueret. Domi quoque res ipſi probe diſpoſitæ. Summus in eundem omnium Regni ordinum amor, ſumma veneratio, ut ad externum bellum profecto nihil turbarum intus metuendum foret. Miles indigena

ab ipso egregia disciplina imbutus, ac certaminibus adversus Moscos, Polonosque duratus; nec minor in conductitio è Germanis Scotisque fiducia. Regnum ipse acceperat tenui civium censu, modicis ærarii reditibus; quorum ille ut gliscceret, excultis metallifodinis, artibus manuariis, navigatione, maxima toto imperii sui tempore cura fuit. Unde & tributa ac vectigalia, quæ ultra veterem modum exigebantur, cives lubenter tolerabant, cum perspicerent, vicissim à Rege operam poni, ut ipsis suppetat, unde dare queant. Tum ne opes publicæ peculatui obnoxiæ forent, cura ærarii in affinem Joannem Casimirum Palatinum collata, virum diligentissimum atque innocentissimum; qui cum summa religione iterum exsolveret, quod quisque Regi credidisset, huic ubi necessitas exigeret, omnes privatorum opes patebant. Unde id saltem opum Gustavo è Suecia erat, quod apparando & incoando bello sufficeret: ac certa spes erat, ubi initia recte se darent, ipsam Germaniam, amicosque suppeditaturos, quæ bello intra justam molem alendo sufficerent. Præcipuum tamen tunc rebus Suecicæ robur ab ipso Rege, belli juxta ac pacis artibus polentissimo; cui apud Germanos summam admirationem conciliabat, quod raro exemplo summam belli ac consiliorum pari dexteritate tractaret, ac affabilitate, eloquentia, humanitate, liberalitate quorumcunque animos velut falcino in sui amorem trahere calleret. Quem cum præter egregios, fidosque duces Axelius Oxenstierna consilio sublevaret, vir prudentia, ingenio, rerum usu, fideque in Regem & patriam summus, & cui parem hisce artibus Suecia nunquam vidit; memorandos sane rerum successibus sperari conveniens erat.



SAMUE-

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFI RERUM SUECICARUM

LIBER SECUNDUS

EPITOME.

1. *Veteres de bello Germanico conſultationes.* 2. *Danus ſe bello Germanico immiſcet.* 3. *Sueciæ periculum propius admovetur.* 4. *De bello in Cæſarem deliberatio.* 5. *Cæſarei Stralſundam infeſtant.* 6. *Guſtavus Rex ejus defenſionem ſuſcipit.* 7. *Ejus rei rationes.* 8. *Oxenſtierna Stralſundam ſoli Sueciæ conciliat.* 9. *Dux Pomeraniæ Suecos Stralſunda dimovere conatur.* 10. *Danicum præſidium Stralſunda educitur.* 11. *Conſultationes aliæ ſuper bello Germanico.* 12. *Legati Suecici à tractatibus Lubecenſibus rejiciuntur.* 13. *Pax Lubecenſis Guſtavo ſuſpecta.* 14. *Guſtavus ad Electores ſcribit. Legatio ad Fridlandum decernitur. Fridlandi reſponſum.* 15. *Cæſaris conatus in Boruſſia contra Guſtavum in irritum cadunt. Inducie in Boruſſia ineuntur.* 16. *Novæ conſultationes ſuper bello Germanico.* 17. *Futuræ expeditionis adparatus.* 18. *Tractatus de pace Gedani inſtitutus.* 19. *Guſtavi circa eum conſideratio.* 20. *Expeditio ideo non differtur.* 21. *Tractatus in irritum cadit.* 22. *Rugia Inſula à Suecis occupatur.* 23. *Guſtavus expeditioni Germanicæ accingitur.* 24. *Quam Legati Pomerani ſiſtere fruſtra laborant.* 25. *Guſtavus in Pomeraniam adpellit. Uſedomum, Wollinum, & Caminum occupantur.* 26. *Stetinum Suecos recipit.* 27. *Fœdus inter Regem, & Ducem Pomeraniæ.* 28. *Stargardia capitur. Conſpiratio in Regem detegitur.* 29. *Anclamum, & Uckermunda occupatur. Wolgaſtum deditur.* 30. *Cæſareorum miſer ſtatus.* 31. *Magdeburgenſium turbarum initia.* 32. *Guſtavus in Meclenburgicam cogitat. Paſewalci excidium.* 33. *Geſta per Meclenburgicam.* 34. *Ducis Lauenburgici infauſtus conatus.* 35. *Cæſarei Colbergæ obſidionem fruſtra ſolvere laborant.* 36. *Navia prætoria Cæſareorum fugatur.* 37. *Comes Oldenburgicus neutralitatem ambit.* 38. *Cæſarei Gryphenhagæ & Gartzio ejiciuntur.* 39. *Edicta Cæſaris, literæque in Guſtavum.* 40. *Conſilia in futurum annum.* 41. *Magdeburgi res male geritur.*

Veteres de bello Germanico conſultationes.

GUSTAVO ADOLFO Sueciæ Regi, ut arma in Germaniam transferret, non repentino impetu in mentem venit. Sed multos ante annos ea expeditio apud ipſum aliosque conſultationibus agitata, ac ſubinde dilata fuit, propioribus negotiis urgentibus, & quia occaſio ejus ſuſcipiendæ nondum ſatis maturuerat. Jam is anno hujus ſeculi quarto decimo ut *Unioni* nomen daret, per Joannem Zobelium à Mauritio Landgravio Hafliæ miſſum ſolicitabatur; quando incumbens ſibi cum Ruſſis Poloniſque bellum excuſabat; cæterum prolixe verbis ſtudium in illas partes teſtatus. Complures poſt annos cum Angliæ Rex toties ab Hiſpanis ludificatus ſerio tandem proſtratas Palatini res armis inſtauratum iret, Guſtavus in ſocietatem belli invitabatur, oblato in exercitum qui communi ſumtu parabatur ſummo imperio. Et erat ipſe pronus in eam expeditionem, tertiam onerum partem in ſe ſuſcepturus Galliæ quoque Rex ad communem adverſus Auſtriacos cauſam ſuſcipiendam hortabatur. Etſi quod illius legatus laxis duntaxat verborum formulis uteretur, magis explorandi cauſa accelliſſe credebatur, quid animi viriumque huic foret; cum nondum Europæ conſtaret, quantum momentum in Guſtavo, & Suecia foret. Sed magnæ tunc id negotium premebant difficultates. Cum enim non alibi commodius quam in Sileſia ſedes belli conſtitui poſſe videretur, primo omnium opus erat Suecis valido oppido, portuque ad Auſtralem Maris Baltici oram exponendo militi, & ad aſſervandum belli adparatum, utque rebus adverſis receptus foret ſimul; ubi eodem penetratum fuiſſet, ne Polonus à tergo infeſtus incumberet, metuebatur. Caveri ſibi quoque Guſtavus poſtulabat, ne ſi ipſe foris cum hoſte luctaretur, Danus interea Sueciam invaderet; tum quod ærarium continuis bellis exhauſtum foret, ut pecunia ſibi à ſociis in antecelſum numeraretur.

Danus ſe bello Germanico immiſcet.

§. 2. Circa iſta dum conſultatur, Daniæ Rex ſeu invidia in Guſtavum, ſeu ipſe expeditioni huic inhians, ſe negotio ingeſſerat; in quem ſocii magis inclinare cæperant, quod & is commodiore ſitu ad effundendum in Germaniam bellum, quam Suecus gauderet, ac Principes inferioris Saxoniæ plerosque fœdere amplexus eſſet; ſimul longa pace magnam vim pecuniæ accumulaſſe crederetur. Eum Regem ut in iſthoc bellum pertraherent, circa quod jam plures per annos ſategerant, Belgæ, Angli, Galli, hoc demum artificium adhibuere, ut per Bellinum Legatum Brandeburgicum Guſtavo ſummam ejus belli directionem offerrent. Quam hic non adſpernatus ut exercitum tuto in Germania exponere poſſet, Wiſmariam, & Bremam ſibi cum dominorum conſenſu tradi poſtulabat. Id ſecreto inſinuatum Dano præcipuam vim habebat ad ipſum in arma pertrahendum. Et excipiebatur vox ejusdem ſat ferox, qua iſtud factum abominabatur. Ne tamen Guſtavi animus ob antehabitum ſibi Danum offenderetur, propoſitum eſt, ut uterque Regum ſeorſim in Cæſarem duceret, ac ſociorum copiæ, ſubſidiumque pecuniarium inter utrumque divideretur. Quod & ipſum haud expediebatur, negantibus ſociis pecuniam ſibi ſuppetere, qua utriq; Regi ſatisfieret; nec qua ratione portu, & munito oppido in adverſo maris Baltici litore Guſtavus potiretur adparebat. Nec deerant malevoli, qui Guſtavum ſumtibus ſociorum abuſurum cavillabantur ad proprium negotium adverſus Po-

lonos agendum. Guſtavus tamen offenſam diſſimulare, ac gratum ſibi teſtari; repertum eſſe, qui cauſam communem aſſerere, ac iſto ipſum onere levare velit, commodiusque poſſit; nec ſe recuſare, quo minus certam rei gerendæ partem ſocii, ſi velint, ſibi mandent. Interea Danus avertendæ Cæſaris ſuſpicioni, & ne Tillius nondum parato ſibi ingrueret, bellum à ſe in Suecos parari ſparſerat, quibuscum ſibi non conveniret. Et perſtrinxerat quoque is rumor Guſtavi animum, Danis nunquam ſatis fidentem; eoque ne forte imparatus opprimi poſſet, in omnem caſum res ſuas diſpoſuerat. Sed mox inani terriculamento diſcuſſo, cum Danus quoque minaci Guſtavi Legatione compulſus ipſi prout poſtulaverat caviſſet, bellum quidem Germanicum tunc ſepoſuit, in quo primarias ſibi partes Danum vindicare cernebat; nec ut eodem in negotio ſocias operas jungerent tanti animi Reges, æmulatio patiebatur. Igitur ad Polonicum bellum Guſtavus ſe adplicabat, cujus gerendi neceſſitas ipſi impoſita erat, quod, cum ſalvis induciis per Poloniæ fines in Sileſiam tendere non poſſet, hiſce prout conventum fuerat ſtato die renunciaſſet, quas prorogare alias in proclivi erat. Nam evaneſcente jam in Sileſiam expeditione inducias denuo, aut pacem à Polonis petere turpe erat, quam bonis conditionibus niſi armorum ſuffragio obtinere non licebat. Simul novo hoſte in Cæſarem movente hunc ab auxilio Polonis ſubmittendo averti judicabat. Eoque in Livoniam primo translatum à Guſtavo bellum, Polonisque erepta pleraque, quæ adhûc in ea provincia ipſis reſtabant, tum in Lithuaniam penetratum, diffundendo latius terrori, & ut Polonicam nationem eo citius belli tædium caperet, cujus damna ad ipſam, emolumentum ad alios perveniebat. Majus mox operæ pretium factum redacta in poteſtatem non exigua Boruſſiæ parte; qua ut Guſtavum iterum dimoveret, Elector Brandenburgicus ſubinde bellum Germanicum ipſi oſtentabat.

Sueciæ periculum propius admovetur.

§. 3. Enimvero mox majoribus curis Guſtavum inquietabant res Germaniæ, poſtquam Regis Daniæ arma peſſum ire cœpiſſent, ac Cæſar oppreſſa Inferiore Saxonia ad Mare Balticum victricia ſigna promoviſſet. Jam enim quam maxime rem ſuam agi judicabat, poſtquam adparebat, Cæſarem ad ſubigendum Mare Balticum, ac Septentrionis Regna animum adjeciſſe, eaque jam adeo ſpe devoraſſe, velut ſolidum monarchiæ ſuæ fundamentum, ac ad frænandos Europæ maritimos populos cumprimis neceſſarium. Neque ignorabat, Cæſarem per Legatos apud Poloniæ Regem contendiſſe, ne in pacem aut inducias cum Sueco conſentiret; palam quidem pollicitus intra biennium Sueciæ & provinciarum ipſi ademtarum reſtitutionem: clanculum autem ab eodem ſtipulatus, ut ſibi quidem Sueciam ſubjugandam concederet, pro qua ipſi familiæque hæreditarium in Regnum Poloniæ jus oppreſſa Ordinum libertate ſit traditurus. Quin & cum Electore Brandeburgico agebatur de cedenda Cæſari Boruſſia, quæ jam olim ad Imperium Romanum pertinuerit; in cujus compenſationem Meclenburgica ditio in ipſium ſit conferenda. Neque dubitaverat à Pomeraniæ Duce Arnheimius poſtulare, ut is adminiſtrationem ditionis ſuæ in manus Cæſaris conſignaret, receptis ſibi quoad viveret certis reditibus, ne is Cæſari obſtaculo foret circa deſtinata ad Imperii Romani amplificationem tendentia. Quibus conſiliis ut occurreret Guſtavus, bellum in Boruſſia magna vi gerere conſtituit, adigendis eo citius Polonis, ut ad compoſitionem ſecum deſcenderent; ac ut Germaniæ rebus eo propior eſſet. Tum vicinos Mari Baltico Principes, urbesque ſibi conciliare ſtuder, ſpe ſui auxilii adverſus oppreſſionem Cæſaris facta. Daniæ quoque Regem ad conſtantiam hortatur, cumque ipſo fœdus ſuper mutua defenſione Regnorum, marisque Baltici facit, octo naves bellicas in auxilium offerens; quas tamen niſi à ſuo præfecto imperia accipere nolebat. Tum Hanſeaticos monitis minisque abſterret, ne à Cæſare inanibus ac doloſis promiſſis inſcari ſe patiantur, neu Fridlando quas petebat naves concedant.

De bello in Cæſarem deliberatur. 1628.

§. 4. Inde Guſtavus Rex ſub initium anni vigeſimi octavi Selectis Ordinum, quos tunc convocaverat, aperit, quæ pericula Sueciæ immineant, è vicinia Cæſaris, qui jam oram Maris Baltici, & partem Daniæ corripuerat. Neque de iſtius inſenſo in ſe animo amplius dubitandum. Nam ſuperiore æſtate non modicas turmas ductu Adolfi Holſatiæ Ducis auxilio Polonis miſſas. Literas ſuas ad TransſYlvaniæ Principem ſcriptas, & quæ non Cæſarem ſed Polonum profeſſum ſibi hoſtem ſpectabant, intercepras divulgatasque, latore hoſtiliter habito. Sibi præterea militem in Germania conducere, aut bello neceſſaria coëmere à Cæſare vetitum, cum utrumque Polonis permitteretur. Cives denique mercatoresque ad Germaniæ portus adpellentes hoſtium modo vexatos, navibus mercibusque vi abreptis. Compoſitionem quoque cum Polonis omni modo ab iſto impeditam; in quam plurimi ejus nationis proclives fuerint, qui è Cæſaris cum Rege ſuo conjunctione, exterisque auxiliis ſuæ libertati exitium metuebant. Cæterum Selecti ad mentem plane Regis cenſebant: haut quidquam conſiltum eſſe eo usque expectare, quoad intra limites bellum recipiatur, ſed obviam periculis eundum, & arma in regiones Cæſari infeſtas transferenda; neque concedendum, ut ipſius potentia ad Mare Balticum radices agat. Quæ conſilia tunc intra paucorum conſcientiam coërcebantur; mox ut expromerentur infeſti Cæſaris conatus propius ſubinde advoluti ſubigebant; & fata tantis deinceps rebus gerendis, ac ſecuturæ mox converſioni pronam ultro viam ſtruebant.

Cæſar Stralſundam infeſtat.

§. 5. Fridlandus enim, ſubacta Meclenburgica, & inundata milite Pomerania, cum ad Imperium Maris Baltici quod meditabatur cumprimis neceſſariam judicaſſet Stralſundæ poſſeſſionem, omnibus modis eam in poteſtate habere conſtituit. Nec prætextum illi oppido invadendo deeſſe poterat, cum jam Germaniæ res eo rediiſſent, ut Cæſar, ipſiusque duces quidvis ſibi à quibusvis poſtulare fas crederent, ac hoſtis in vicem habere, qui veteris libertatis memor minus promte ſervitio occurrere videretur. Quin eousque iſtorum hominum inſolentia exceſſerat, ut in conventu Lubecenſi à Cæſareis Legatis, cur Pomeraniæ Dux tam male haberetur, hac cauſa allegaretur; quod is in ſalutem Cæſaris poculum cereviſia plenum bibiſſet. Ut igitur litis materiam ſtrueret Fridlandus, militem ſuum hoſpitio intra urbem recipi poſtulabat. Id quod Stralſundenſes abnuebant, aliorum exemplo edocti, quid iſto vocabulo peteretur. Cum hac via res non ſuccederet, ut Legioni equeſtri per oppidum tranſitus in Rugiam inſulam detur, imperat. Sed iſti pellucentes nimium inſidias adſpernati, modeſte tranſitum per urbem excuſant; navigia tamen pontonesque, ac nautas trajiciendo equiti promte offerunt. Cum & hic laqueus fruſtra fuiſſet, centum quinquaginta millia nummorum uncialium exiguntur. Eam pecuniam Stralſundenſes perdere fruſtra nolebant, niſi ipſis adverſus militum hoſpitia deinceps caveretur. Eo ſuper negotio dum diſceptatur, interim Arnheimius Fridlandi juſſu Denholmiam inſulam urbi adſitam occupat, ac muni-

1628. munitionibus amplecti inſtituit, ſummo cum oppidi periculo. Mox tamen re denuo ad tractatus deducta Stralſundenſes conſentiunt, ut Cæſarei inſulam quidem retineant, nullis tamen eam munimentis firment, neu tormenta eodem advehant; ſimul triginta millia uncialium ſolvunt, partem majoris ſummæ. Aſt Cæſarei pecunia potiti validum ſtatim caſtellum Urbi exadverſum munire properant, machinis mox inſtruendum, quas jam jam è continenti navigiis trajecturi erant. Simul obſeſſis quæ terra ad urbem ducebant viis commeatum præcludere incipiunt; quod conſpicati Stralſundenſes inſulam in poteſtatem redigunt, amoto citra noxam Cæſareo milite. Mox & nova rixæ materia cuditur. Aſſervabantur in Urbe duo tormenta ad Nobilem neſcio quem ſpectantia. Hæc à Cæſareis emta dum oppido educuntur, rumor dicitur, eadem mox adverſus Urbem adhibenda. Unde conſternata vulgi fex ad portas illa ſiſtere. Brevi tamen tumultus ſedatur, & poſt triduum tormenta oppido emiſſa, ac in autores turbarum animadverſum. Id factum Cæſarei, quo tamen nihil damni ſibi datum probare poterant, atrociter differre, velut admiſſo læſæ majeſtatis crimine; adjuncto Stralſundenſes adfuiſſe, cum Daniæ Rex naves quasdam apud Wolgaſtum incenderet. Hæc ſatis videbantur Fridlando, ut Urbem vi ſubigendam decerneret; cujus tanta eo tempore confidentia erat, ut ſi vel ferreis catenis affixa Cœlo foret Stralſunda, à ſe tamen eam inde detrahendam fremeret: Nec mora validum exercitum oppido admovet.

Guſtavus Rex ejus defenſionem ſuſcipit.

§. 6. Contra cives ſedulo quæ ad vim propulſandam faciunt comparare, militem conſcribere, auxilia Hanſeaticorum implorare, proteſtati, ni valida manus ſubſidio mittatur, neceſſum ſibi fore exterorum Principum opem reſpicere. Duci quoque Pomeraniæ denunciant, ne Cæſareis obſidio neceſſaria ſubminiſtret; aliàs ſe abdicata ipſius clientela Sueciæ Regis præſidium admiſſuros. Nam hic & antea ejus oppidi benevolentiam ſibi conciliarat, ac eo tempore pulveris pyrii aliquantum ultro miſerat, quem ipſos à Gedanenſibus ex literis à ſua claſſe interceptis petere intellexerat. Adjungebat literas, quibus eos ad libertatem ſtrenue tutandam hortabatur, auxilio ſuo prolixe oblato; quæ miſſus mox Legatus iterabat. Interea dum Cæſareus miles jam propius urbi admovetur, Hanſeatici miſſis Legatis rem ad compoſitionem deducere laborabant. Sed duces Cæſarei intolerabiles primum pacis leges ferre: mox dum non nihil de illis remittendo in ſecuritatem oppidanos ſolutos arbitrantur, repente violentam oppugnationem aggrediuntur. Unde cum Hanſeatici viderent, inanibus ſibi tractaribus tantum illudi, re infecta diſceſſere. Nam quod jam in aula Cæſaris conceptum erat decretum de omittendo Stralſundæ obſidio, & ut oborta lis amice componeretur, id ut iterum aboleretur, miſſo nuncio Fridlandus effecerat. Quæ res neceſſitatem Stralſundenſibus afferebat auxilium Sueciæ Regis jam antea oblatum amplectendi, idque ut maturaretur ſolicite inſtandi; utut Daniæ quoque Rex militem, bellique adparatum ſubmitteret, cujus pariter magnopere intererat, ne oppido iſto Cæſar potiretur.

Rationes defenſæ à Succis Stralſundæ.

§. 7. Cæterum ut Guſtavus Stralſundæ defenſionem ſuſciperet, graves cauſæ, & quæ apud rerum civilium peritos neceſſitatis vim habent, ſubigebant. Jam ora Meclenburgicæ ac Pomeraniæ occupata Stralſundam Cæſarei deſtinaverant novæ Dunquerquæ vicem in Mari Baltico ſubituram, ex qua Arctoos populos, & qui ejus maris commerciis utuntur, deprædarentur. Ea ſemel infeſſa nemo erat, qui ipſos iterum expellere valeret. Quod ſi ruentem Germaniam fulcire animus eſſet, rem ſuſcipiendam, quamdiu ſupereſſent, qui ſervari poſſent. Nam hactenus preſſam quidem Germaniam, ſed ut jugum excutere iterum queat: & multos avide circumſpicere aliquem, quo autore in Cæſarem inſurgant. Sed ſubactis cunctis, omnique obſtructo aditu ſerum parari auxilium. Igitur tuendam utique Stralſundam, qua à Succis obtenta hoſtis intra Pomeraniam ſiſti queat, ubi vires ſuas fruſtra ſit conſumturus. Quæ & ipſis commodum ad Germaniam adpulſum, portumque, & rebus adverſis refugium præſtare queat, occaſionemque bellum procul Sueciæ finibus in alieno ſolo habendi. Aſt ubi hoſtis eandem ſubegerit, quietam ei Pomeraniæ poſſeſſionem relinqui, quæ ubi enormibus expenſis refectis ſobrie fuerit adminiſtrata, cæteris ejusdem deſtinatis utiliſſima eſſe poſſit. Ac ſatius eſſe ſub Stralſundæ mœnibus, quam Suecico in litore cum Cæſareis decernere. Cumque Cæſar jam ſatis hoſtilem in Suecos animum declararit, non negligendam occaſionem, quæ ad honeſtam & tutam pacem viam queat pandere. Nam qui inermis ab armato pacem expoſcat, ludibrio haberi. Nec æqua ſe à Cæſare obtenturum, ni, quas vires Suecia, iſti hactenus fere ignorata aut ſpreta, ſepoſuerit, cominus oſtendatur. Denique Danum jam illi oppido auxilia ſubmiſiſſe, quem ſolum ejus arbitria invadere in futurum rebus Sueciæ ſummo præjudicio periculoque eſſe poſſit. Nec ulterius dubitatum, quin fœdus cum Stralſundenſibus iniretur defendendo oppido portuque, & ut Mari Baltico, commerciisque ſecuritas præſtaretur. Salva tamen ſibi Urbs jura ac privilegia antiqua, fœderaque alia reſervabat; nec ideo a complexu Imperii Romani, ac Provinciæ Pomeraniæ divellebatur. Ea tunc Suecicis Danicisque auxiliis ſuffulta inſultus Cæſareorum fortiter repellebat, ac per Brandenburgicos, Pomeranosque Legatos conceptas pacis conditiones tanquam indecoras atque inſidioſas reſpuebat; donec Fridlandus poſt amiſſa multa militum millia obſidium re infecta ſolvere cogeretur.

Oxenſtiernа Stralſundam ſibi Sueciæ conciliat.

§. 8. Non multo poſt Stralſundam è Boruſſia appellebat Axelius Oxenſtierna Regni Sueciæ Cancellarius, fœderis cum Stralſundenſibus per miniſtrum Regium initi ratihabitionem afferens; tum ut Urbis conditionem propius inſpiceret, & quæ defenſioni in poſterum neceſſaria forent, diſponeret. Operæ quoque pretium videbatur civium animos rebus Sueciæ penitius conciliatos adverſus ſolicitationes Cæſareorum præmunire, & ut ſolo Suecorum præſidio Danis amotis uterentur perſuadere. Ac illud quidem Stralſundenſes, propria jam experientia edocti, facile perſpiciebant, ſibi haut conſultum arma exuere, ac ſolis Cæſareorum verbis ſuam ſalutem ſuperſtruere. Nec minus patebat, ſuas vires tantæ potentiæ repellendæ non ſufficere. Danici quoque militis ipſos tædium ceperat, præſertim cum Fridlandus graviter quereretur, quod à Dano tunc Cæſaris declarato hoſte præſidium accipere non dubitaſſent. Inde ab ſeſe acta minus in reprehenſionem patere arbitrabantur, ſi adverſus militis Cæſarei injurias auxilio Sueciæ Regis ſe tuerentur, cui nullum tunc cum Cæſare conflictum bellum erat. Etſi revera Fridlandi nihil intereſſet, uter ipſius deſtinata infringeret. Et gaudebant oppidani contubernio militis Succici ob modeſtiam & diſciplinam nationis, quem tantum non in tutelaris genii vicem habebant. Cæterum id anxii circumſpiciebant, quomodo Danicum præſidium absque ejus Regis offenſa amolirentur.

Dux Pomeraniæ Succos

§. 9. Eodem tempore Stralſundam accedebat Ducis Pomeraniæ Legatus, qui exponebat; conveniſſe inter Ducem & Fridlandum, ut amoto exterо-

1628. Stralſunda dimovere conatur,

terorum præſidio Stralſunda proprio, Ducisque milite firmaretur; eamque ſponſionem præſtandam Ducem periculo ſuæ ditionis recepiſſe. Igitur petebat, ne Sueci concederent ſæviendi occaſionem præberi Fridlando viro impotentis animi, & qui jus ſibimet pro lubitu dicere poſſit. Pollicebatur quoque Ducem omni cura cuſtodiæ urbis proſpecturum, ac ne ex eadem cuipiam in Mari Baltico damnum detur, operam daturum. Ad quæ reponebat Oxenſtierna: Conventionem Ducis iniquitatis plurimum, ſecuritatis nihil habere, qua etiam Rex Guſtavus non obſcure notetur, velut qui rebellionem alienorum civium foverit. Regi ſuo hautquidquam placere, ſecuritatem ac ſalutem Regni ſui ſuperſtruere verbo aut literis viri quantumvis potentis: ſed opus eſſe, ut vel arma armis opponantur, vel eadem utrinque exuantur. Inde proponebat, ut primum Danicus miles, ſuper quo tam aſperam querelam moverat Fridlandus, honeſto modo amoveretur: utque ex fœdere Sueciæ Rex Germanico Imperio amicus innoxiam urbis tutelam ſuſciperet, quoad vel univerſæ Germaniæ pax foret reſtituta vel miles Cæſareus è Pomerania ac reliquo maritimo tractu ſit deductus; id quod veræ inſtar cautionis Stralſundæ, marisque Baltici accolis cæteris futurum ſit. Hoc obtento Suecis neque animum neque cauſam eſſe urbem eam ulterius milite ſuo infidendi. Regem quoque Guſtavum mediatorem fore componendæ ſi qua eſſet adverſus Stralſundenſes litis; nec diſplicere ſuper induciis Fridlandum inter & urbem tantiſper conveniri tollendo prætexto, quare tanto exercitu Pomerania opprimatur.

Danicum præſidium Stralſunda educitur.

§. 10. Hæc cum æqua viderentur Legato Pomerano, & ipſe certum hominem cum Oxenſtierna Hafniam ablegat, qui à Daniæ Rege peteret, ut militem ſuum Stralſunda evocaret. Hafniam delatus Oxenſtierna id quidem Daniæ Regi facile probabat, non niſi unius Principis præſidium Stralſundam capere, quisquis demum is ſit; neque confidendum eſſe præſidio urbis proprio, Ducisve, aut Hanſeaticorum, qui domeſticis rebus tuendis non ſufficiant, ac facile blanditiis, minisve, aut inſidiis Cæſareorum in fraudem induci queant. Sed Stralſunda penitus decedere ad palatum non erat Dano, quo bellum in Pomeraniam derivare poſſet, & quia exiſtimationem ſuam in eo verti judicabat. Cum tamen temperamentum de imperio in præſidiarium militem alternis vicibus gerendo non expediretur, tandem is infelici bello, malisque Regni ſui inteſtinis fractus, & quia ſi pertinaciter contra tenderet vi cogi poterat, conſenſit, ut præſidium ejus Urbis penes ſolum Sueciæ Regem foret; honori tamen Regis Daniæ datum, ut ex ipſius milite trecenti ibidem manerent, imperio præfecti Suecici tantiſper ſubjecti.

Aliæ conſultationes ſuper bello Germanico.

§. 11. Enimvero Guſtavus facile judicabat è Stralſundæ defenſione Cæſarem jam antea ſatis infenſum longe acrius irritatum iri; ac citra ambages Oxenſtiernæ Fridlandius ſignificaverat, auxilio Stralſundenſibus ſubmiſſo pacem inter Cæſarem, Guſtavumque abruptam. Neque ſpes erat controverſiæ per amicam compoſitionem finiendæ ob Cæſaris ſpiritus, quem Legatis ultro adire, velut iram ejus placaturis, indecorum erat; nec fruſtra metuebatur, eo indignitatis ſeſe demittentem cum ignominia repulſum iri. Nam & proximo anno Anglico Legato, & à quibusdam Germaniæ Principibus miſſis aurem accommodare dedignatus erat. Quin quæ ſuper pace agituri ſint Auſtriaci, ficta fore ac falſa, in ſoporem dandis cæteris, quoad ipſi Germaniam plane ſub jugum redegerint, ut inde eo commodius collectis viribus Sueciam invadere poſſint. Eoque ita res ſuas diſponere conſtituebat Guſtavus Rex, ut in Germania potius Cæſari occurreret, quam domi bellum exciperet, poſtquam hic omni ora Maris Baltici potitus eſſet. Quem in finem claſſis quoque augebatur, & ut navium bellicarum numerus gliſceret, privati privilegiis invitabantur ſuis ſumtibus naves bello idoneas exſtruere, quæ pro mercibus, quas veherent, minus vectigalis quam inermes ſolverent, ſed belli tempore ſtipendia merere tenerentur. Nam non ea ſola cura urgebat, ne Cæſar claſſem pararet, aut Mare Balticum prædonibus infeſtum redderet, quibus coërcendis portus Wiſmarienſis Suecorum navibus obſidebatur: ſed & ne Angli demum, Batavique ejus maris defenſionem non ſine gravi Sueciæ præjudicio ſuſciperent. Cæterum cum bellum adhuc Polonicum tunc flagraret, aliqui cenſebant, totam armorum molem in Cæſarem volvendam, & loca per Boruſſiam occupata tantum tuenda; quod majus Sueciæ periculum à Cæſare, quam à Polono immineat. Sed Regi potius viſum, ſequenti anno ultra Stralſundæ tutelam in Germania nihil moliri, quod eo transgreſſis duo ſtatim validi exercitus ſub Fridlando & Tillio ducibus occurſuri, & velut in litore primo pugnam conſerturi eſſent. Ac ſpes erat Germaniæ res ejusmodi auſis mox fore magis opportunas. Eoque decernebatur, belli impetum in Polonos vertendum, ac Gedanum in angustias redigendum, intercluſa Viſtulæ navigatione. Quæ res & inter Polonos querelas excitatura ſit, interceptis ipſorum commerciis, ut tandem vel invitum Regem ſuum ad ineundam cum Suecis pacem compulſuri ſint. Credebatur quoque eo anno finem iſti bello poſſe imponi. Simul metus erat, ne Brandenburgicus Polonorum partes aperte amplecteretur, ni valido ibi Suecorum exercitu premeretur.

Legati Suecici à tractatu Lubecenſi rejiciuntur.

§. 12. Non tamen uſque adeo belli adverſus Cæſarem cupidus erat Guſtavus, ut non mallet amica via rem componere, dummodo honeſtis conditionibus, & quæ ſibi vicinisque tuta forent, decidere poſſet. Eoque Legatos Lubecam, ubi tunc de pace inter Cæſarem, Daniæque Regem tractabatur, deſtinabat Joannem Sparrium, Carolum Banerium, & Joannem Salvium tentaturos, num in herba poſſent opprimi, quæ à Cæſare ſparſa jam erant hoſtilitatis ſemina. Summa mandatorum erat, à Cæſare peterent, ut ex utroque Circulo Saxonico copias ſuas abduceret, munimenta ad Mare Balticum & Oceanum recens exſtructa dirueret, nec in toto hoc tractu præſidium uſpiam locorum relinqueret; claſſes præterea bellicas amoveret, ac portibus Germaniæ antiquam libertatem concederet: tum in priorem ſtatum reponeret Pomeraniã, Meclenburgicos, Holſatosque Duces, Oldenburgicum, & Friſiæ Orientalis Comites, nec non quicquid eſt Urbium per utramque Saxoniam. Si quid à Meclenburgicis Ducibus peccatum ſit, id multa pecuniaria è ſententia Electorum & Ordinum Imperii expietur; Regemque Guſtavum cautum judicatum ſolvi, modo iſti ſtatim in ſuas ditiones reponantur. Tum promiſſuri erant, Suecicum militem mox Stralſunda educendum, ſi damna urbi hoc bello data ſarciantur, ejusque libertati, ſecuritatique idoneè caveatur. Denique ne Guſtavo fraudi ſit ei oppido ſuppetias tuliſſe; neve Cæſar deinceps Polonis contra ipſum adſiſtat. Quæ conditiones etſi ſummam æquitatem habebant, & citra quas nec Germaniæ vicinæ, nec Sueciæ ſecuritas conſtare poterat, facile tamen prudentiores prævidebant, Cæſarem tot victoriis inflatum, & tantis exercitibus ſuccinctum, ægre ad eas, ni vis admoveatur, deſcenſurum. At vero id à Guſtavo fuiſſe captatum, ut ignominioſe rejectis ſuis Legatis

1628. gatis plausibilem armorum in Cæsarem causam nanciscerentur, quod quidam malevoli cavillabantur, id absurdum plane commentum erat. Nam & jam antea non pauca Cæsaris in ipsum hostilia facta extabant; ac nemo tantam inhumanitatem expectare poterat, quæ à cultiorum gentium more plane abhorrebat. Nam præmissus à Legatis Joannes Salvius è Dania Joannem Lehusium Lubecam ablegaverat, qui Cæsareis Ministris adventum Legatorum Suecicorum denunciaret, ac fide publica eorundem securitati caveri postularet. Quem citra responsum non citra contemtum Cæsarei jussu Fridlandi dimittebant, extrema interminati, si Legati Suecici in Germaniam, & præcipue Lubecam accedere auderent: id quod instigantibus Danis factum, postea compertum est. Nec iterato licet per literas à Salvio compellati, scripto respondere dignati sunt. Qua contumelia Gustavus permotus Legatos ex itinere domum revocavit. Sed post longam demum moram velut injuriam istam emendaturi per literas excusabant Cæsarei; sibi nihil in mandatis fuisse datum, ut ipsis super accessu caveant. Quod si autem quid habeant bono publico, pacique promovendæ inserviens, Cæsarem iisdem esse adeundum.

Pax Lubecensis Gustavo suspecta.

§. 13. Pax porro Lubecæ opinione citius Cæsarem inter Danæque Regem coiens Gustavi animum aliquandiu non parum tenebat suspensum. Nam & per hanc nihil securitati Maris Baltici cavebatur, nec super eadem, prout fœdere vix ante annum cum Dano convenerat, sat sincere communicatum fuerat. Igitur ejus anni expeditionem in Borussiam haut præcipitandam judicabat, num forte clandestinum quid consilii adversus ipsum à Cæsare Danoque captum fuisset. Fixum quippe hoc eidem sedebat, siquidem adpareret Danum quid in Sueciam moliri, cæteris omnibus posthabitis hunc in ordinem redigere, adcitis in societatem Batavis. Neque perniciosius quid rebus Sueciæ judicabat, quam novo bello implicitum Danorum insidiis nudum latus præbere. Sed cum nihil manifesti periculi ex hac parte adpareret, placuit dilato bello Germanico rem eo anno in Borussia tantum gerere, ubi finis belli ipse præcipiebatur. Nam de solis Polonis, ni Cæsaris milite firmarentur, non difficilis expectabatur victoria. Quod si autem isdem Cæsaris auxilio suffultis par aut superior fuisset Gustavus, Polonis ad incitas redactis pacis leges dici pro lubitu posse; præsertim si inter Germanos Polonosque inolita dudum æmulatio erupisset. In Germania autem sufficere videbatur Stralsundam custodire, ac Wismarienſem & Rostochienſem portum claudere prohibendis Fridlandi prædationibus.

Gustavus ad Electores scribit.

§. 14. Interea Gustavus literis ad Electores scriptis, cum super aliis injuriis à Cæsare illatis, tum præcipue super contumeliosa Legatorum suorum rejectione conqueritur; & quam injuste à Cæsareis Stralsunda fuerit habita exponit, cujus innocentiam adversus extrema intentantes tueri fas sibi duxerit. Simul postulat, autoritatem suam apud Cæsarem interponant, quo lis illa amice removeatur, ac ad tutam pacem via ineatur. Alias excusatum se apud Orbem Christianum fore, si per iniquitatem Cæsaris sua sibi securitas diversa ratione asserenda fuerit. Sed & nova Legatio à Senatu Regni ad Fridlandum decernitur, num controversia ad tractatum deduci, atque interim induciæ in Borussia, & apud Stralsundam iniri possint. Id enim non parum favoris causæ suæ conciliaturum rebatur Gustavus, si semel licet tam aspere rejectus denuo promptum se testaretur Stralsunda decedere, modo securitati Regni sui idoneè caveretur. Sumtuosam autem Legationem ad Cæsarem adornare non placebat, ne fortassis illa occasionem majoris offensæ præberet, si Cæsar Gustavo titulum Regis in Poloni gratiam tribuere abnueret. Porro Senatus potius quam Regis nomine Legatus ad Fridlandum mittebatur propter morositatem viri, qui ubi forte, ut solebat, in contumelioſa dicta prorumperet, minori injuria Senatum quam Regem adspersurus erat; & quia infra fastigium regium videbatur ministrum Cæsaris per Legatos adire. At Steno Bielkius, cui Legatio illa injuncta fuerat, Stralsundam delatus, cum mutatam rerum faciem, ac Arnheimium jam valido cum exercitu in Borussiam tendere intelligeret, ulterius progredi haut consultum ducebat. Per literas tamen adventus sui causam Fridlando exponit, & quæ spes amicæ compositionis adsit exquirit, & num Arnheimii expeditionem sistere velit; citra quod nihil pacati expectari queat. Ad quæ Fridlandus reponebat; Exundante militum multitudine Cæsarem eas copias suo sacramento exsolvisse, & ut apud Polonum stipendia facerent permisisse. Eas, cum jam alieno sub imperio sint, sibi revocandi jus non esse. Id ludibrium licet Legatus multis rationibus destrueret, cum tamen nihil æqui à Fridlando obtineri posset, quid inter se Fridlandumque actum esset, prout in mandatis habebat, ad Electores refert, quo de injuria Cæsaris manifestius constaret. Enimvero ab hisce nequidquam mali medicina expectabatur, qui ad literas à Rege ante hac scripras sat frigide responderant, nulla de injuriis reparandis facta mentione. Quin & Regis vocabulum in literarum inscriptione omiserant, manifesto servitii documento, quo tunc à Cæsare premerentur, cujus affectus iræque ipsis per omnia exprimendi forent. Neque enim adeo ignari rerum erant Electores, ut ad se pertinere controversiam, quæ Gustavum inter Sigismundumque agitabatur, crederent; aut isti præjudicio fore, si ipsi Regium titulum tribuere abnuerent ei, qui viginti per annos in possessione Regni fuerat, quemque omnis reliqua Europa Regem agnoverat. Etsi Gustavo exprobrante ipsi postea veteres scribarum suarum formulas excusarent.

Fridlandi responsum.

Legatio ad Fridlandum decernitur.

§. 15. Quanquam autem Cæsar crediderat, se missio in Borussiam exercitu Gustavum huc redacturum, ut in Germania quid deinceps tentandi facultas eidem adimeretur; cujus fiducia quoque Polonus pertinaciter pacem abnuerat, velut auxilio Cæsarei militis Succos vi Borussia ejecturus: is tamen conatus plane in contrarium vertebat. Nam neque operæ pretium à Cæsareis factum, quorum magnam partem ferrum, pestis, aliaque belli incommoda absumtèrant: & acerrime inter se irritati Polonorum, Germanorumque animi, dum neque hi pro aliis pugnare serio satagunt, & illi horum auxilio non indiguisse videri volunt. Vehementer quoque Polonis suspectabantur prævalida illa auxilia, ne forte iisdem Rex ad subvertendam ipsorum libertatem abuteretur. Unde ut armis Succorum tandem liberarentur, acerrime apud Regem suum instabant; cum præsertim ab altera parte Moscoviticum bellum imminere sentirent. Galliæ quoque, & Britanniæ Reges per Legatos, & Brandenburgicus Elector bellantibus medii interveniebant; quorum opera tandem in sexennium induciæ conclusæ honestissimis pro Gustavo conditionibus, quippe per quas insignia Borussiæ oppida, ac vectigal in portu Gedanensi, ac Pillaviano, secuturis bellis utile instrumentum, retinebat. Cæterum ea præcipue de causa Gallus Britannusque ad istam transactionem incubuerant, ut Gustavus belli Polonici cura solutus Germaniæ rebus serio vacare posset. Ac Gallicus quidem

Cæsaris conatus in Borussia contra Gustavum in irritum cedunt.

Induciæ in Borussia incuntur.

1629. dem Legatus Hercules Charnacæus expeditioni Germanicæ accelerandæ fœdus ſui Regis ſubſidiumque pecuniarium offerebat: affirmans Galliæ Regem à Bavaro ſociisque ad res Germaniæ ſuſcipiendas ſolicitari, quo potentiæ Auſtriacæ, ipſis æque ac Proteſtantibus formidatæ, occurreretur. A quo negotio non alienum ſe Guſtavus laxioribus verborum formulis declarabat, quod non ſatis candide in eo negotio Legatus verſari videretur, ut ſerio rem ageret, an expiſcandi duntaxat gratia iſta jactaret, liquido diſcernere haut liceret. Magis cordi res eſſe videbatur legato Britannico Thomæ Rovvio, qui omnibus modis impediverat, ne ſuper controverſiis cum Cæſare per tractatus iſtos tranſigeretur; quod Guſtavo quieſcente tota belli moles in Batavos incubitura erat, quos vel unica clades accepta in exitium tractura inemendabili cum damno omnium Proteſtantium videbatur. Contra & Guſtavus miſſo Jacobo Spenſio Angliæ Regem ad ponendas cum Gallo controverſias ob ingruens ab Auſtriacis bellum hortatus erat, & ut præbita pecunia in futuram expeditionem firmare ipſum velit.

Propior conſultatio ſuper bello Germanico.

§. 16. Enimvero quo propius rei gerendæ tempora admoverentur, eo curatiore trutina apud Guſtavum ea expeditio expendebatur. Jam enim in apertam hoſtilitatem deſcenderat Cæſar, præter alias injurias juſto exercitu in Boruſſiam adverſus Guſtavum miſſo. Nec qua ratione honeſta aut tuta pax per tractatus obtineri poſſet adparebat. Neque ulli prudenti dubium erat, quin bellum cum Cæſare ſerius ocyus gerendum foret. Id duntaxat ambigebatur, num domi bellum à Cæſare illatum expectare propulſareque, an eidem in Germania occurrere ſatius foret. Re in Senatu propoſita non deerant, qui priorem in ſententiam velut tutiorem propenderent, eamque non ſpernendis rationibus adſtructum irent. Diuturno bello exhauſtum ærarium, afflictas civium opes, populum quietis indigum. Arduum eſſe ob cauſam alienam Auſtriacæ gentis potentiam laceſſere. Quanto ſatius Regi parto tot victoriarum fructu, gloriaque frui, ac poſt tot labores dulcedine pacis gaudere. Sacra ne aboleantur Deo curæ fore. Meclenburgenſium Ducum fortunas conſilio facilius, quã armis reſtitui poſſe, eorumque cauſam Electoribus commendandam. Denique à Germania tanto mari dirempta, & claſſibus non inſtructa Sueciæ nil periculi imminere. Qui tamen fortiora ſuadebant, ſolidius momenta præſentium temporum æſtimaſſe videbantur. Cæſari quippe propoſitum eſſe Proteſtantium ſacra extirpare, eoque prætexto ad ſubjugandam Germaniam uri; hinc Septentrionem invadere, citra quem quieta Monarchiæ per Europam poſſeſſio fruſtra ſperetur. Utrumque negotium totis viribus aggrediendum, ſtatim atque bellum Italicum ſit compoſitum. Germaniæ ſervitio magna jam poſita fundamenta. Ditiones Cæſaris hæreditarias frænum accepiſſe, Auguſtano ritu inde ejecto. Principes Germaniæ, firmamenta ſuæ patriæ ac ſecuritatis vicinorum, alios ditionibus ſuis exutos, alios ita debilitatos, ut adverſus ingruentem dominatum vix hiſcere audeant. Proteſtantium fortunas ademtis bonis Eccleſiaſticis ſubrui. Ipſos Catholicos jam enormem potentiæ molem, quam ſuis auxiliis excitaverint, horrere. Omnia exercitibus inundari, qui immenſo militum numero turgeant, certatim confluentibus, qui prædis impune actis, & emuncta civium pecunia ſaginari cupiant. Oram Maris Baltici, & in diverſa parte Vallem Tellinam munimentis infeſtam, premendæ ſimul Germaniæ, & invadendis exteris. Jam Viennæ agitari ſuper conſtituendo militari ærario, quo perpetui exercitus quatuor ſuſtententur; in Hungaria adverſus Turcas; in Italia aut ejus finibus; ad ripam Rheni premendis Gallis, Batavisque; & ad littus Maris Baltici Arctoos in populos. Obtentui ſumi Germaniæ defenſionem; revera id agi, ut eadem opera Germania ſub jugo habeatur, & per occaſionem vicini invadantur. Ea deſtinata ſi plenam maturitatem nanciſcantur, torpentibus interea quorum intereſt, quid periculi ipſos maneat? aut quæ vires radicatam iſtam potentiam moliendi? Vehementer falli, qui putent Sueciam extra periculum conſtitutam propter litora ſcopulis infeſta, & quia hinc Danus, inde Polonus objacent. Miſeram enimvero Sueciam, ſi extra rupes ſuas proſpicere non audeat; & quid navigationi atque commerciis futurum, unde præcipua Regno opum materia, ſi mari hoſtis potiatur? Sed nec ideo certiorem ſpem amicæ transactionis allubeſcere, quod Auſtriaci nunc blandiorem, quam antea, vultum videantur ſumere. Nam deſtinata illis ſua fixa manere; ſchema temperari, prout res ipſis fluant. Paulo ante enim, cum omnia ſupra votum ipſis ſuccederent, & Danus ceſſim ſemper iret, dictis factisque maximam inſolentiam præ ſe tuliſſe. Aſt nunc, poſtquam ad Stralſundam fortuna eorum adhæſit, claſſis argento onuſta Batavis in prædam ceſſit, Gallus ſubacta Rupella ſerio in bellum Mantuanum incubuit, mollius paulo procedere. Inde Dano pacem datam ſatis æquam, reſtitutis ditionibus, quas per occaſionem iterum involare facile ſit. Et Arctoo tantiſper lateri quietem concedi, quoad alibi negotiis urgentioribus proſpexerint. Interea claſſem inſtrui, ac validis munimentis litus Maris Baltici premi. In Germania poſt attritos plerosque Principes magnis jam urbibus manus injici. Auguſtam Vindelicorum jugo ſubditam, Magdeburgum tentari; hinc Brunsvigæ, Hildeſiæ, Bremæ, Lubecæ, cæteris eadem imminere. Hoſtibus per alios negotium facelſi, amicos auxiliis ſublevari, utrinque propriam potentiam quæri. Exercitus in Boruſſiam, in Italiam, & adverſus Batavos miſſos, quorum conatibus ſi par fortuna arriſiſſet, quæ Europæ facies futura erat? Sed nunc ſepoſita pauliſper ſuperbia modeſtiam ipſos ſimulare. Fridlandum Magdeburgo mitiores leges ferre, nec ſolitam adverſus Hanſeaticos aſperitatem amplius expromere. Suecos minus contemptim haberi, quibuscum Dano arbitro tranſacturum ſe jactet. Eundem, ſtatim atque Sueciæ naves portu Wiſmarienſi abſceſſiſſent, ſuas quoque exarmaſſe, velut abjecta de invadendo Mari Baltico cogitatione. Tres quippe adhuc ſupereſſe populos, reliquis debilitatis aut oppreſſis, qui Cæſaris deſtinata infringere poſſint, audeantque, Gallos, Suecos, atque Batavos. Eos ut disjungant, ac ne in ipſos pariter impingantur, operam Auſtriacos dare: præſertim poſtquam Sueci bellum Polonicum ab ſe amoliti ſint, Hiſpani in Belgio langueant, ac Gallo res in Italia non improſpere cedant. Inprimis ne Sueci Gallique Germaniæ ſe rebus pariter immiſceant iſtis formidari, quorum his apud Catholicos, illis apud Proteſtantes magna ſit autoritas, utrisque par metus, ne Cæſaris opes ſub jugum redacta Germania immenſum gliſcant. Igitur id nunc agi, ut Hollandi per inducias, Sueci pacis oſtentatione ſopiantur, quoad Gallia fracta leges ipſis placitas acceperit. Et quieſcentibus nunc Suecis, Gallo neceſſitatem imponi durioribus forte conditionibus cum Cæſare tranſigendi, nec eidem deinceps, quid Sueciæ fiat, curæ fore. Sedendo exitium ad pauculos duntaxat annos differri, intra quos Cæſar dominatum Germaniæ, marisque Baltici ſibi firmaverit; ac inſidioſæ quietis dulcedinem mox in gravius periculum remedii neſcium verſuram. Igitur invitantem occaſionem,

1629. & pronam rei bene gerendæ ſpem non negligendam, quibus incolumitas ſua ſerio cordi eſt, ac Cæſaris conatibus obviam eundum, dum via adhuc iſtis ſiſtendis patet. Jam enim omnia adeſſe, quæ requiruntur, ut bellum juſte ac prudenter ſuſceptum dicatur. Poſt graves injurias à Cæſare illatas in bellum jam proruptum, cujus honeſte ponendi vias Cæſar hactenus eluſerit. Pacem fœde mendicari, nec ideo obtineri, niſi exercitu in Cæſaris ditione transmiſſo. Stralſundam præſenti rerum conditione diu ſuſtineri non poſſe; eam porro abdicare ſumma cum ignominia conjunctum. Nec minus ignavum ſacrorum participes Cæſaris libidini exponere, quos niſi in veterem ſtatum arma noſtra repoſuerint, ex illo latere nunquam Sueciæ ſecuritatem perſtituram. Equidem arduum eſſe cum Auſtriaca Domo velle colludi, tantis opibus exercitibusque ſubnixa. Non deeſſe tamen vires, quæ iſti opponi queant. Suppetere militem indigenam, non mercede conductum, aut propter periculorum ignorationem laborisque fugam in cauponis per crapulam data fide autoratum; ſed certo judicio ac delectu habito conſcriptum, laborum, frigoris, inediæ, vigiliarum patientem, nullis adſuetum deliciis, exiguo contentum vivere, obſequio paratum, diſciplinæ obſervantiſſimum, & ſi Duces idonei ſint, quorumvis periculorum, mortisque contemtorem. Eſſe præterea militis externi copiam, veterani, egregii, bellorum adſueti, & odio peculiari in Cæſarem fere ardentis; qui in Boruſſia ſuppetente è vectigalibus pecunia commode colligi, ac inde citra Sueciæ incommodum in Germaniam effundi poſſit. Ac ubi ſemel in Germania pes figatur, militem non defuturum, ibidemque maximam virium ſuarum partem Regem inventurum. Quicquid porro Regis ibi accellerit viribus, id Cæſari deceſſurum; cujus legiones non parum attenuandæ ſint, ſi non amplius univerſam Germaniam exactionibus detur exhaurire. Commeatum porro, ac reliquum belli paratum ſi Germania non ſuppeditet, mari poſſe ſubvehi, abundante navium copia. Eſſe præterea res Germaniæ in præſens confuſas ac turbulentas, plerorumque animos à Cæſare alienatos, conſumpta jam plane *fucerationum*, quas vocant, fide, quibus hactenus credulitati Ordinum illuſerit. Inter ſpem metumque hærentes nunc utcumque coërceri: ubi dux & autor adpareat, certatim in exoſum dominum inſurrecturos. Stralſundam aditum in Germaniam pandere, qua poſſeſſa prohiberi nequeat, quo minus bellum in hoſtilem terram transferatur. Inſtigare quoque Gallos, Anglosque, qui nervum rerum gerendarum ſuppeditaturi ſint. Nec Batavos communi cauſæ defore, aut ſi propriæ neceſſitates prævertant, ſaltem favore noſtra arma proſecuturos. Galliam ſine dubio in partem belli venturam, ubi nos ſtrenue rem aggreſſi fuerimus. Non audiendos, qui tam importune onera & incommoda belli occinant. Præterquam enim quod reſpublica hautquidquam ad querelas vulgi, ſed pro neceſſitatibus temporum gerenda eſt, non omni pacis fructu carituram Sueciam intus tranquillam, & bello alias in terras effuſo. Ac bonos cives intellecta belli neceſſitate Reipubl. oneribus ſeſe non ſubtracturos. Equidem non plane inſuper habendam vicinorum invidiam, ac ſine dubio Anglos, Batavosque ægre ferre Boruſſiæ portus à Suecis inſideri; Danum inſuper quævis Sueciæ incrementa anxia mente librare, & velut ſuam ruinam adſpicere. Sed uti illos credibile ſit vectigalium moleſtiam condonaturos cauſæ communi per nos ſuſceptæ, quæ citra pecuniam ſuſtineri nequit; ita Dani motus probe obſervandos, & ne cum Cæſare luctantem Sueciam à tergo invadere impune queat, nihil diſſoluti, aut invalidi domi relinquendum. 1629. Et quanquam metui quoque poſſit, ne Germanorum in arma noſtra favor refrigeretur, ipſique periculo ſervitii depulſo externa auxilia faſtidiant; non parum tamen ad eos in fide retinendos conducturum, ſi militis noſtri diſciplina atque modeſtia Cæſareorum licentiæ invidiam faciat; ſique Suecia nunquam cauſam ſuam ab Ordinum libertate, ac Religionis ſecuritate ſejungat. Et ut maxime prima belli ſcena in amicorum Principum terris ſit ſtruenda; tamen cum illi jugo longe aſperiore jam premantur, quod non niſi hac ratione executere queant, præſtare ipſis ab amico medicinam experiri non usque adeo gratam, quam citra omne remedium perire. Quod ſi Deus cœptis faveat, mox ad Cæſaris & Catholicorum, qui cæteris hactenus inſultarint, ditiones viam aperiri, quæ copioſum ac ſibi ipſi alendo ſufficiens bellum polliceantur. Denique licet egregia auſis omnia ſecus cadant, nihil atrocius tamen ipſos tunc, quam quieſcentes manere, ac Germania pulſis mare, claſſem, aſpera litorum, ac in defenſionem patriæ ardentes civium manus ſupereſſe.

Futuræ expeditionis adparatus.

§. 17. Iſtæ igitur, ſimilesque rationes, hisque potentior quidam velut Genii inſtinctus uti apud Regem magnanimum prævalebant illis, qui pacis bona, ſed mox in atrocius bellum eruptura ingerebant: ita eædem apud Ordines Regni expoſitæ effecerant, ut & ipſi ſuaderent, terra marique bellum eſſe parandum, ac in ſuo potius hoſtem invadendum, quam domi expectandum. Si qua tamen via oſtendatur honeſtam ac turam pacem per tractatus obtinendi, eam haud repudiandam. Igitur Rex omni cogitatione in bellum defixa futuræ expeditioni ſumma vi accingitur, ac poſt initas licet cum Polono inducias non modo quas habebat copias ſub ſignis retinet, ſed & easdem auget, confluente ad ipſum egregio milite, quem Daniæ atque Poloniæ Rex, Brandenburgicus Elector, & Gedanenſes exauctoraverant. Tres quoque legiones apud Batavos per Theodoricum Falkenbergium, quinque in Anglia per Jacobum Spenſium, & plures in Urbibus Germaniæ maritimis conſcriptæ. Nec Cæſareanorum minæ ardorem ſub tanto duce militandi infringere valebant.

Tractatus de pace Gedani inſtitutus. 1630.

§. 18. Haut ſecius tamen inter armorum ſtrepitus pacis vocabulum & ſpes jactabatur. Daniæ quippe Rex ſucceſſibus Guſtavi in Boruſſia ægreſcens, cupidusq; quovis modo materiam ipſi rei bene gerendæ ac augendæ potentiæ præcindere; ſimul ut Sueci Stralſunda extraherentur, neve Rugia inſula forte potirentur, apud Cæſarem Guſtavumque ſedulo inſtiterat, ut Gedani congreſſus ſuper tractanda pace ſuſciperetur, cui ſequeſtrem ſe ipſe offerebat. Ac Cæſar quidem facile in eum conventum conſenſit, quod ſperaret, iſto ludibrio ſe impediturum, ne hoc anno in Germaniam trajiceret Guſtavus. Interim ſe, poſito bello Italico, & rebus Germaniæ digeſtis, Guſtavum plane excluſurum, vel ut primo in aditu ſiſteretur effecturum. Laborabant quoque circa hunc conventum Brandenburgicus Elector, & Pomeraniæ Dux, veriti, ne Guſtavo in Germaniam adpellente belli ſedes ipſorum in ditionibus ſumeretur. Nam Cæſar militum hoſpitiis liberari flagitantibus metum Sueciæ irruptionis obtendebat, quæ ſola ſpem pacis per univerſam Germaniam conſtituendæ remoraretur; quo metu amoto copias ſe ſuas amoturum pollicebatur. Cumque iidem ea ſuper re apud Oxenſtiernam per Legatos inſtarent, hic laxioribus verborum formulis Regis ſui animum paci pronum reſponderat, quod animadverteret iſtos etiam hoc agere, ut Regis deſtinata expiſcarentur. Nam antea Brandenburgicus aliquoties per Bellinum, Goezium,

1630. Gœzium, & Kneſebecium cum Guſtavo Rege ſuper transferendis in Germaniam armis egerat. Sed & Poloniæ Rex inſtigabatur, ut circa eum conventum ſatageret, velut Cæſar cum Bavariæ Duce induciis Polonicis incluſus eſſet. Contra Angliæ Regis Legatus mire ab iſtis tractatibus abhorrebat, quod metueret, ne ratio aliqua iniretur Guſtavo ſatisfaciendi. Quo facto conclamatum videbatur de rebus Germaniæ in integrum reſtituendis. Eoque ut bellum potius ſuſciperetur inſtabat, fœdus ac pecuniam à Rege ſuo oſtentans.

Guſtavi circa eum conſiderationes.

§. 19. Aſt Guſtavus, cum quo Cæſaris conſilia tenderent facile perſpiceret, nec æqui aliquid ſperandum ſibi cum iſto tractanti Danis intervenientibus, quos ſe ultro offerentes citra offendam rejicere non potuerat, haut quidquam armorum curam ſeponebat. Neque tamen eo minus in tractatus conſenſit, ne pacem, quam Cæſarei ſubinde crepabant, ipſe ſolus impedire videretur; ac ut hoſtium motus & conſilia eo penitius exploraret. Suberat & alia ratio, quod Legatus Gallicus ſuſpicionem animi parum ſinceri incurrerat, velut de fœdere propoſuiſſet ſpeculandi duntaxat cauſa, & quo Galli bellum Italicum melioribus ponere conditionibus poſſent. Igitur ſuſceptis cum Cæſare tractatibus facile adparituram ſperabat, num Gallis cum Guſtavo fœdus cordi foret, & quis Angliæ Regi animus, cui itidem de iſtis ſignificabatur. Legatis autem qui Gedanum deſtinabantur, injungebatur primo omnium procuratorium Legati Cæſarei inſpicere, num hic ab ipſo Cæſare; an à Fridlando mandatum accepiſſet, tum quæ agendi poteſtas in eundem collata foret. Nam cum miniſtro Cæſaris non niſi per inferioris dignationis delegatos acturus erat: & ſi quid vitioſi procuratorium contineret, eo clarius Cæſaris ludibria pellucebant. De cætero eædem fere pacis leges proponendæ erant, quas in conventu Lubecenſi ferendas diximus, niſi quod iis, qui in priorem ſtatum reſtitui poſtulabantur, adderentur Adminiſtrator Magdeburgicus, & Joannes Adolfus Brementis Archiepiſcopus. Quod ſi ſecuritati Sueciæ, Marisque Baltici, & utriusque Circuli Saxonici in poſterum ſolide caveatur, per Guſtavum moram non fore, quin ſtatim præſidium Suecicum Stralſunda deducatur.

Expeditio ideo non differtur.

§. 20. Interea cum nonnulli ſuaderent, expeditionem in Germaniam eſſe ſuſpendendam, quoad de eventu tractatuum conſtaret; Cancellarius tamen aliique Regi ingerebant; hos à Cæſare adornatos non niſi extrahendo tempori. Ubi tempeſtas mari trajiciendo, belloque gerendo elapſa ſit, obtentum non defore negotium abrumpendi. Interim militem mercenarium dilapſurum, quem neque in Boruſſia detinere, nec in Sueciam trajicere liceat: equitatum imprimis ſelectum, qui ſemel dimiſſus poſt non ita facile colligi queat. Ejus ſervandi nullam eſſe rationem, niſi materia rei gerendæ in Pomerania detur. Res quoque Proteſtantium in Germania præcipiti lapſu ruere, quibus niſi mox ſuccurratur, remedio non amplius locum fore. Et his plane ſub jugum redactis tam pulchram occaſionem expiraſſe, nunquam forte redituram. Nec ſalva exiſtimatione Stralſundæ defenſionem abdicari poſſe. Igitur conſultiſſimum fore, ſub umbone pacis tractatus continuare. Id quod & Ordines Sueciæ probabant, orantes, ſi tuta & honeſta pax obtineri poſſit, ne illa repudietur; ſin minus, ut bellum alacriter ſumatur.

Tractatus in irritum cadit.

§. 21. Cæterum Gedanum præmature quidem pervenerat Cæſaris legatus Carolus Hannibal à Dona, non tam quod iſti pax tantopere cordi eſſet, quam ut Guſtavi motus propius exploraret, ac diſſidia inter hunc, Gedanenſesque excitaret, aleretve; ſimul ipſius delectus, quantum poſſet ea in 1630. Urbe impediret; tum ut Cæſar mature auxilia Ordinum petere poſſet, ſi nulla pacis ſpes adpareret. Serius advenere Danici Sequeſtres Otto Schielius, & Martinus a Meden. Guſtavus autem cum audiſſet, unicum duntaxat à Cæſare Legatum veniſſe, & ipſe ſolum Cancellarium iſti tractatui ſufficere judicabat, retentis tribus reliquis, qui adhuc in Suecia hærebant, Gabriele Oxenſtierna, Carolo Banerio, & Petro Sparrio. Sed quia Dani horum quoque adventum impenſe urgebant, profecti & iſti ſunt magis in honorem Regis Daniæ, quam quod neceſſarium id judicarent. Interea temporis Suecos inter atque Gedanenſes controverſiæ quædam enatæ erant, quæ nondum quidem apertam in hoſtilitatem eruperant, ut tamen Legati Suecici non ſatis tutum judicarent ei ſe Urbi credere, Cancellarius cumprimis, cui ſumma rerum per Boruſſiam incumbebat. Igitur ut ſuper ea re cum Danicis Legatis conſultaret, Cancellarius eosdem Elbingam ad ſe, aut in locum aliquem intermedium, tutumque invitaverat. Aſt illi hoc præfracte abnuere; neque ſe de mutando tractatuum loco, in quem ſemel conſentium ſit, quidquam admittere poſſe, neque ſuper hoc quidquam in mandatis habere. Eadem cum ſemel iterumque, miſſis quoque internuntiis, Succi repeterent, ac Danici Legati idem reſponſum ingeminarent, tandem cum de adventu Guſtavi in Germaniam, proſperisque ejus initiis allatum eſſet, Cæſareus, Danicique Legati re infecta Gedano diſceſſere, culpa ſoluti conventus in Oxenſtiernam rejecta. Qui contra recte à ſe factum defendebat, quod iſtorum ſe ludibrio præbere noluerit. Et ſane de iſtius tractatus ſucceſſu nemo prudentior prolixe ſibi pollicebatur. Nam & Suecis merito ſuſpectus erat præproperus Cæſarei Legati adventus, & quod cum iſto Danici Legati frequenter congrederentur; cum tamen iidem adeo pertinaciter colloquium cum Oxenſtierna extra Gedanum abnuerent; ac magis partis adverſæ in modum, quam mediatorum agerent, qui circa ejusmodi officium adeò difficiles eſſe non ſolent. Sed nimirum Cæſaris Legatio id ſpectabat, ut Guſtavi arma differrentur. Dani autem utique Suecos Stralſunda extrahere, & ne Rugiam inſulam invaderent, impedire cupiebant, cui ipſi mire inhiabant. Guſtavo tamen jam feliciter bellum auſpicante, facile perſpiciebant, aliis nunc conditionibus, quam de quibus ipſi in mandatis acceperant, tranſigendum fore. Eoque cum ſuper tractatuum loco Suecі ſcrupulum moviſſent, iſti eam occaſionem avide arripiebant negotium abrumpendi, culpamque in Suecos devolvendi. Enimvero quam parum Cæſari pax cordi tunc fuerit, vel hinc judicare licet, quod Danici Legati Suecis indicium facerent, in mandatis Cæſareis non Sueciæ Regis, ſed ſolius Stralſundæ mentionem fieri, quod Guſtavo Regium titulum tribuere Cæſar nollet. Quæ res ſtatim tractatum ſolutura, vel donec nova afferrentur diplomata, in autumnum usque dilatura fuerat, in irritum deducta ejus anni expeditione. Quin & ex interceptis Cæſarei Legati literis conſtabat, ipſum parum ſibi promiſiſſe de fructu mediationis Danicæ propter Danorum in Suecos odium. Unde quid ſermonum inter ipſos miſtum fuerit, non difficulter colligebatur. Sperabat autem Guſtavus, non temere Danum deinceps mediatorem ſe ingeſturum, poſtquam Gedani operam luſerat.

Rugia inſula à Suecis occupatur.

§. 22. Interea intellectum fuerat, Daniæ Regem ſuper inſula Rugia tradenda cum Pomeraniæ Duce agitare mutuo oblatis trecentis uncialium millibus; quem in contractum Fridlandus quoque con-

1630. conſenſerat, qui ſperabat, hoc modo vel inſulam eam adverſus Succorum invaſionem munitum iri, vel Daniæ Regem bello quoque immiſcendum, ſi pax Gedani non coiret. Ea res Succos valde ſollicitos habebat, ne Rugia à Danis infeſſa expeditio in Germaniam interciperetur, aut bellum cum hiſce gerendum foret. Præſertim cum Daniæ Rex caſtellum in Rudena inſula, oſtio Penæ fluminis objacente, exſtructum iret, Stralſundenſes ad vectigal ibi ſolvendum adacturus. Viſum igitur Alexandro Leslæo Stralſundæ Præfecto, & Stenoni Bielkio Legato conatus iſtos antevertere, & Rugiæ poſſeſſionem ocyus invadere. Re quippe perpetrata non amplius Danum formidabant, quem haut credebant offenſa intempeſtive oſtentata Guſtavi arma in ſe à Cæſare averturum: cui ſatius erat è colliſione iſtorum ſuum emolumentum captare. Accedebat, quod nulla alias ratio ſuppeteret diutius ſuſtentandi turmas equitum, quas Leslæus interea Stralſundæ conſcripſerat. Inſidebant Rugiam Cæſarei tribus caſtellis, ad Veterem, Novumque trajectum, & apud Guſtovium pagum in oppoſito Brandeshagæ litore, cui in continenti exadverſum aliud exſtructum erat, impediendæ Stralſundenſium navigationi. Hæc expugnare cum Leslæus decreviſſet, primo quidem Hiddenſæam Inſulam in occidua Rugiæ ora modico freto diviſam invadit, avertendis hanc in partem hoſtium animis. Inde caſtellum ad Veterem trajectum Cæſareanis reſiſtere non auſis occupatur, novisque operibus firmatur. Paulo poſt & munimentum ad Novum trajectum poſt intercluſum commeatum à præſidiariis vitam & res ſalvas ſibi ſtipulantibus deditur. Ea loca recuperaturus Cæſareus Tribunus Joannes Gœtzius cum tribus peditum millibus, ſex equitum turmis in inſulam trajecerat. Sed diſpoſitio velut ad vim in munimentum vetus faciendam milite, cum Succos ad ſtrenue reſiſtendum paratos animadverteret, re infecta abiit, totaque inſula, quam prius expilaverat, Succis ceſſit, nili quod valido præſidio tertium quod reſtabat caſtellum Guſtovium dictum inſideret. Cum vis non ſuccelſiſſet, alia via Succos inſula dimovere Cæſarei inſtituunt, per Pomeraniæ Ducis Legatos propoſitione facta ſuper concedenda inſulæ ab utraque parte belli immunitate. Qua ſuper re dum miſſis hinc inde literis diſceptatur, Leslæus ſub initium menſis Junii trajectis ſubito copiis, cum Cæſarei è continenti ſuis ſuppetias ferre fruſtra conati eſſent, caſtellum Guſtovium vi expugnat, præſidiariis cæſis, aut captis. Sic tota ea inſula levi negotio Succi potiti ſunt. Quo facto Cæſarei in oppoſito continentis litore ſitum Brandeshagæ caſtellum ultro deſeruere.

Guſtavus expeditionem Germaniam cogitat.

§. 23. Inter iſta belli præludia Guſtavus invitante jam anni tempeſtate, proviſisque quæ tantæ expeditioni neceſſaria videbantur, denuo literas ad Electores ſcribit, quibus de titulo Regio ſibi denegato querebatur, & quod ſuper injuriis ſarciendis ne verbo quidem mentionem feciſſent: profeſſus quanquam adhuc optet æquas pacis rationes poſſe inveniri: ſibi tamen vitio datum à cordatis non iri, ſi præteritis edoctus exemplis alia via, quam per inania tractatuum, ſecuritati ſuæ conſultum eat. Qua ex re ſi forte innoxio cuipiam incommodi quid obtingat, non ſibi imputandum, ſed illis, qui ad talia ſuſcipienda neceſſitatem attulerint. Inde & cauſas, quibus ad expeditionem hanc adactus ſit, ſcripto typis impreſſo publicat. Alia clarigatione apud Cæſarem opus haut judicabat, à quo belli injuriarumque initium factum erat, quarum reparationem ipſe manu ſibi quæſiturum ibat, poſtquam amica ratione eandem obtinere deſperaverat. Domi res probe diſponuntur, 1630.
imprimis adverſus Danum, quem ſatis norat à Cæſare ad invadendam Sueciam ſtimulatum iri. Tum convocatis cum in finem Regni Ordinibus valedicit, exercitumque, & belli adparatum ſtudioſe congeſtum claſſi imponit. Cæterum copiæ, quæ tunc Guſtavum è Suecia ſequebantur, ſatis modicæ pro tanta belli mole erant; quæ tamen poſtea è delectibus per Boruſſiam, Germaniamque maxima capiebant incrementa. Equitum duæ erant legiones Wettro-Gothorum ſub Erico Sopio, Smalandorum ſub Comite Petro Brahæo Tribunis. Quatuor inde peditum Succorum legiones, Tribuni Nicolaus Braheus, Georgius Johannis F. Lilius & Duvvalius uterque Axelii prænomine ductabant. Duabus Germanorum peditum legionibus Theodoricus Falkenbergius, & Nicolaus Theodorici F. præerant, quibus duo Tribuni Hallii ſigna adjungebantur. Alias duas legiones recens conſcripſerat Dodo Cniphuſius, ſummus vigiliarum præfectus, & Mitſchefalius; & unam Scotorum Maccaius Tribunus. Quæ copiæ ſedecim alas equitum, ac nonaginta duas peditum cohortes explebant. Univerſum peditatum Joannes Banerius, rem tormentariam Leonardus Torſtenſonius moderabantur.

Legati Pomerani expeditionem ſiſtere laborant.

§. 24. Jam claſſis exercitu onuſta in portu Elsnabbenſi ſtabat, ventum ſecundum expectans, qui complures per dies adverſus reflaverat; cum à Pomeraniæ Duce Legati Regem adeunt, orantes, ut iſta expeditione ſuperſedeatur, ne belli ſedes Pomeraniam jam antehac ſatis exhauſtam plane in vaſtitatem det. Id cum abnueret Guſtavus, ut neutrarum ipſi partium eſſe liceret inſtabant. Quod & ipſum negabatur, utrinque allata cauſa, quod ex ea potiſſimum provincia ſibi à Cæſareis hoſtilia forent intentata, quorum culpam non ſatis à ſe Pomerani videbantur amoliri poſſe. Cæterum hoc reſponſo, ſpeciem aſperitatis habente, Legatos dimittere placuit, non quod ſerio Pomerani injuriæ inſimularentur; ſed quia non ſatis gratum amicitiæ ſpecimen videbatur Martis arenam in alicujus ditione conſtituere; id quod tamen neceſſitas ac ratio belli ſubigebat. Igitur offenſæ quid præ ſe ferre malebat; ſimul ut eo citius Ducem in partes ſuas flecteret metuentem, ne utrinque hoſtiliter haberetur. Ne tamen is forte ad deſperata conſilia impelleretur, ſpes amicæ transactionis injicitur, quamprimum in Germaniam ipſe adpuliſſet. Atque in eandem ſententiam literas ad Ducem Rex deinde dabat, ſtatim atque Pomeraniam ingreſſus fuerat.

Guſtavus Pomeraniam adpellit.

§. 25. Transmiſſo feliciter mari dies viceſima quarta Junii Regis claſſem ad Rudenam inſulam ſtitit, unde alias ipſi conſilium fuerat copias in Rugiam exponere, ibique bellum auſpicari. Sed cum hoſtem jam à Leslæo tota Rugia pulſum intelligeret, in Uſedomiam inſulam excenſionem facit. Ipſe ſimul ac terram tetigit, in genua provolutus Divini Numinis favorem tantis cœptis expoſcit. Tum ne ſorte hoſtis in primo litore adhuc incompoſitum adoriretur, ſedulo caſtra munit. Ibidem adjungitur Stralſunda evocatus Leslæus cum ſua legione, & Hallii ſex, quatuor Jacobi Duvvalii Tribunorum cohortes, quas equitum turmæ nonnullæ ſequebantur. Inter prima belli opera erat diſciplinam militarem ſeveris edictis ſancire, ac ut rapinis injuriisq; adverſus pacatos abſtineatur prohibere. Quæ res mirum ipſi favorem conciliabat apud iſtos, qui hactenus rapacitatem ac libidinem Cæſarei militis toleraverant. Cæterum cum nihil hoſtium in ſe tendere conſpiceret, ad caſtellum Wolgaſto oppoſitum copias promovet; quod ſtatim ab hoſtibus reſiſtere non auſis

Uſedomia, Wollinum & Caſimi-

1630. ausis magna cum trepidatione deseritur. Hinc ad alterum insulæ latus, qua Suina flumen Wollinum dirimit, itur; ad cujus utramque ripam exstructa castella Cæsarei, ipsumque Wollinum oppidum præcipiti fuga deseruere. Post redactas in potestatem insulas Pomeraniæ adsitas in continentem ponte refecto exercitus traducitur, ac Caminum oppidum, quod Cæsarei prius expilatum deseruerant, occupatur.

Caminum occupatur.

Stetinum Suecos recipit.

§. 26. Sed majus operæ pretium in Stetino erat, ubi Ducis sedes hactenus à Cæsareo præsidio sola immunis; urbs positu cumprimis opportuna, inferre, seu arcere bellum opus sit. Et qui ista potiebatur, ipsum Ducem in potestate, atque obnoxiam totam provinciam habiturus erat. Ad idem oppidum invadendum non minus quam Gustavus animum intenderat Torquatus de Comitibus, Cæsareis copiis per eas oras summo cum imperio præfectus. Qui primo turrim medio in aggere, quo Stetinum Dammo conjungitur, intercipere frustra conatus, quod turris ista, adjectique pontes firma statione ex urbe missa insiderentur, validam inde manum ad Gartzium contrahebat, vi subito admota urbem oppressurus; eaque destinata intra proximum biduum executioni daturus credebatur. Sed Gustavus istos conatus antevertere properans, minoribus navigiis, quæ magno numero collegerat, exercitum, bellicumque instrumentum imponit, ac intra duas horas vento mire favente per sex milliaria adverso Odera subvectus ad Stetinum improvisus adest. Miles cum minoribus machinis statim in terram expositus, & in aciem digestus intra tormenti jactum oppido succedit. Cui obviam missus à Sigetrido Damitzio præsidii Ducalis præfecto tympanotriba cautam adventus scisciatur, ac ut extra teli jactum recedatur postulat. Ast Rex ipsum præfectum responsa accepturum venire jubet. Qui & mox, nonnullis à Duce delegatis comitantibus, adest. Cui Rex: necessitate belli adductum se accessisse indicat, ac ut amice intra Urbem admittatur, petit, ne viam vi facere, quod quidem in proclivi sit, cogatur. Pomerani obsequium & fidem Cæsari debitam excusare, & ut potius exhausta provincia plane decedat rogare. Contra Rex non ut eos Romano Imperio abstrahat venisse testatus, sed ut ipsos, cæterosque per Germaniam iniquissimo servitio oppressos in libertatem vindicet, Ducis colloquium exposcit. Atque interim oppidanos, qui magno numero spectatum confluxerant, humaniter allocutus admirationem juxta & amorem sui excitabat. Duci cum consiliariis suis prodeunti, comiterque excepto Rex prolixe, quibus cautis expeditionem hanc susceperit, exponit; ac ut ultro admittatur, adhibitis multis rationibus ac promissis, postulat. Adversus abnuentem vires sibi in promptu esse ostendit multa cum facundia, quam majestas oris, ac militaris ardor immensum animabat. Dux multa excusans ad ista petita tergiversari. Sed cum Gustavus Torquati conatus omnino prævertendos contenderet, simul in promptu sibi demonstraret paucas intra horas urbem maligne adhuc muntam vi expugnare, designatis quoque locis, qua impressionem facturus erat; Dux tandem ut Succicus miles urbe reciperetur consentit. Nec mora, ea ipsa qua venerant die Suecos non per portas, sed per opera adhuc imperfecta vallum recta adscendunt. Miles Pomeranus permissu Ducis sacramento Gustavi accedit.

20. Julii.

Fœdus inter Regem & Ducem Pomeraniæ.

§. 27. Mox fœdus Gustavum Regem inter & Pomeraniæ Ducem Bugislaum XIV. initur, super mutua cumprimis defensione, salvo tamen jure Romani Imperii in eam provinciam, ac ut Ducis ditio sua salva sit, & quæ à Rege loca jam occupata sunt, aut deinceps occupabuntur Duci restituantur. Id tamen præcipue sibi Rex reservabat; si Duci humanitus quid contingat, antequam Brandenburgicus Elector hanc conventionem adprobet, aut ad liberandam à Cæsareis provinciam operam conferat, aut si eidem super successione ab aliis lis moveatur, ut tunc Gustavo ac successoribus Pomeraniam sequestri ac clientelæ titulo detinere tantisper jus sit, quoad lis composita fuerit, & successor sumtus belli absque Pomeraniæ onere exsolverit, simulque fœdus hoc ratum habuerit. Quod fœdus sequenti anno ab Ordinibus Provincialibus confirmatum fuit. Petebant quoque Ducis ministri Stralsundam obsequio Principis restitui, dissidiis juxta provinciæ leges compositis. Sed Stralsundenses acriter obsistebant, cautati, se per pravos Ducis consultores in gravissima pericula & incommoda præcipitatos, omnique istius ope destitutos fuisse. Quo ipso, si quæ sibi adversus Ducem obligatio fuerit, eam expiratæ videri. Nec Gustavus æquum judicabat, urbem invitam Ducis potestati subdere: dissidiis tamen ipsorum componendis arbitrum se offerebat. Porro cum novis munitionibus Stetinum firmari necessarium videretur, ita Regem inter atque oppidanos convenit, ut miles laborem istum subiret, modica ab hisce mercede exsoluta. Ita paucos intra dies valida opera perfecta. Tum & super præsidio Succico, quatuor militum millibus constante, cum Duce transigitur: ut Rex stipendium, oppidani hospitium præbeant; in quod species summi Imperii penes Ducem, vis penes præfectum Regium relinquebatur. Cæterum hanc Gustavi receptionem Dux literis apud Cæsarem excusatum ibat, culpam in Cæsareum militem conferens, qui post expilatam per triennium provinciam ad istius adventum trepidus diffugerit; neque sibi ad Regis ingruentis impetum sustinendum vires fuisse. Nec tamen à Rege aliud quæri, quam ut vicini Ordines in priorem statum reponantur, ac licentiæ militum modus statuatur. Enimvero istha excusatio Cæsari suspicionem haut adimebat, quo minus Dux jam ante clandestinis pactis Regem ultro invitasse, atque omnia è compacto egisse crederetur. Eoque tam atrox Cæsareorum in Pomeranos odium exarserat, ut si qui eorum Regi militantes in istos incidissent, extra cæterorum captivorum sortem ponerentur. Cui crudelitati vindicandæ paria Succi in Croatas statuebant, per immanitatem ac libidines toto isto bello præcipue infames. Nec ideo cæterorum in Cæsareanos ardor remittebat.

Stargardia occupatur.

§. 28. Proximum hinc fuit Stargardiam occupare, septem hostium cohortibus infestam. Eo missus tribunus Damitzius cum milite nuper à Pomeraniæ Duce in Gustavum transcripto, ut fidei ac virtutis prima specimina ederet. Quæ nec infra expectationem fuere. Oppidum primo assultu expugnatum; magna Cæsareorum pars cæsa: qui supererant Gartzium semiermes dimissi. Magna ibi annonæ vis bellicique adparatus in prædam cessit. Eos per dies in castris ad Stetinum conspiratio detegebatur, quam unus & alter Italus inverant, qui velut deserta Cæsaris militia ad Suecos se contulerant. Deprehensus quoque fuerat in castris explorator, eorundem situm delineaturus, & ipse destinati sceleris conscius. Hujus indicio alius proditur, qui ultro fatebatur, sæpius se scelopeto manum admovisse patrando facinori, sed semper velut oborto torpore destinata exsequi non potuisse. Ei præmium laqueus fuit. Alter cui nomen Quintini de Ponte fuit, maturo ad hostes

Conspiratio in Regem detegitur.

trans-

1630. transfugio idem ſupplicium declinabat. Et plures ferebantur à Cæſareis ſubornati, quorum tamen conatus Numinis favor à capite Regis avertit.

Anclamum & Ukermunda occupatur. §. 29. Interea Cæſareorum dux Torquatus ut adverſus Guſtavum ad Stetinum metantem ſe firmaret, copias è caſtris ad Stolpam tum præſidia Anclamo & Ukermunda ad ſe Gartzium evocat. Utrumque oppidum mox à Suecis occupatum. Ad Wolgaſtum expugnandum Cniphuſius mittitur, qui oppidum quidem primo impetu capit. Sed circa arcem multus labor exhauriebatur, ex qua Cæſarei Stechtero duce maſcule reſiſtebant, qui primus adverſus Suecos aliquid conſtantiæ oſtentabat. Diu tamen tormentis operibusque ad anguſtias redactus extremam vim honeſta deditione antevertit. Clempenoam arcem durante Wolgaſti obſidio à Cniphuſio interceptam, & à Savellio Duce non ſine operoſo adparatu recuperatam vix operæ pretium eſt memorare. Eodem quoque tempore Cniphuſii de intercipienda per inſidias Grypsvvalda conatus in irritum cecidere.

Wolgaſtum deditur.

Cæſareorum miſera ſors. §. 30. Hæc Guſtavi per Pomeraniam primordia non ſolum ægram militiæ Cæſareæ conditionem iis in oris denudabant, ſed & multos dura hactenus paſſos, aut in poſterum metuentes ad novas ſpes erigebant. Ac vigorem quidem roburque exercitus Cæſarei deſtruxerat collapſa plane diſciplina, dum duces non niſi corradendæ pecuniæ incumbunt, ac gregarius miles rapinis, injuriis, atque libidinibus graſſatur, ac nullas niſi in miſeros paganos iras ſumit. Inde per avaritiam atque luxum militum inducta provinciis paupertas ſuis demum autoribus graviſſima incubuit. Eoque inopia, deſertionibus, ac transfugiis exhauſti numeri: cæteros, qui apud ſigna manſerant, rerum omnium difficultate fractos, recens atque vegetus hoſtis plane exanimaverat. Tum plerique nullo in Cæſarem ſtudio, ac nil niſi bellum ſecuti cum iſtius res ſeneſcere viderent, & ipſi in novas partes, quæ ſecunda fortuna ferebantur, inclinabant. Accedebat, quod amoto Fridlando qui ſolus tanto bello par videbatur, ſucceſſoribus neque autoritas, neque uſus rerum aut conſtantia eſſet, Guſtavi auſpiciis comparanda. Ac Fridlandus invidiæ ſe imparem, nec firmam ſibi Meclenburgici Ducatus poſſeſſionem cernens, in ſinu gaudebat res ibi collabi, quo majus ſui deſiderium, pretiumque apud Cæſarem aliorum clades faceret. Sed & Bavarus, Ligæque Socii haut ægre ferebant, Cæſarem iſtis locis pelli, cujus fortuna & ipſis, qui ad eandem tam multa contuleraut, formidabatur. Unde nec intra principia Guſtavi progreſſus ſiſtere laborabant, quos & ipſi emolumento ſibi ceſſuros ſperabant, præſertim ſi ultra Pomeraniam, & Meclenburgicam non procederent. Igitur tunc Guſtavo quam maxime Cæſareos Pomerania proturbante ipſi circa diminuendos Cæſaris exercitus ſatagebant, velut iſtum ad rem ſtrenue urgendam invitarent. Illi autem, quos hactenus Cæſar oppreſſerat, aut qui paria horrebant, ad famam Guſtavi animos reſumere, plerique tamen alios circumſpicere, ac è ſucceſſu rerum conſilia capturi maturiorem erumpendi occaſionem aucupari.

Magdeburgenſium rerum ſtatus. §. 31. Primus aperte in partes deſcendere properabat Chriſtianus Wilhelmus, Brandenburgicus Marchio Præſulatus Magdeburgici Adminiſtrator. Eum Cæſar proximis annis occaſione belli à Daniæ Rege moti ditione ſua exuerat, quæ Pontificis proviſu in Cæſaris filium Leopoldum Wilhelmum conferebatur. Unde paſſim per Præſulatum, & in ipſa Magdeburgi urbe ritus Pontificii introduci cœperant, qua Præſuli atque clero patronatus jura competebant. Quæ res Magdeburgenſium animos non mediocriter irritabat: eaque inclinatio Adminiſtratori fiduciam ditionis recuperandæ faciebat. Jam ante civitas ea à Cæſareis partibus alienata fuerat per inſolentiam Fridlandi, qui cum fas ſibi crederet quoscunque lubitum eſſet hoſpitiis militum premere, ad hanc quoque Altringerum miſerat, uni legioni hiberna, aut eidem alendæ pecuniam poſtulaturum. Quod cum cives jam antea ſat feroces jugique impatientes abnuiſſent, iſte offenſus civitatis, velut quæ Cæſari & reipublicæ nihil hactenus contulerit, aditus obſideri, commercia intercipi, meſſemque corrumpi jubet, Hanſeaticis per legatos in caſſum circa compoſitionem laborantibus. Ita inter Cæſareos & Magdeburgicos per ſemeſtre amplius variis excurſionibus & velitationibus certatum; donec Fridlandus, cum Magdeburgicos quinquaginta uncialium millia arcendis in futurum damnis fruſtra popoſciſſet, copias inde avocaret, nec ipſas à damno immunes, quippe bis mille deſideratis. Adminiſtrator porro in Sueciam profectus erat, antequam ſuper expeditione in Germaniam certi quid ſtatutum foret, ac poſt crebris apud Guſtavum literis inſiterat de bello in Cæſarem ſumendo. Et cum jam Guſtavus in procinctu ſtaret, per Legatum Joannem Stainnannum auxilia flagitabat. Vaſta illi, ac ſpeciota conſilia, ſed incerto favore hominum, ac ſpe nimis facili fere nitentia; ad quæ in rem deducenda ipſe Guſtavum magnam pecuniæ ſummam poſcebat. Guſtavus, cui quæ proponebantur, lubrico valde ſuperſtrui fundamento videbantur, imprudens judicabat ſpem non ſatis exploratam pretio emere; eoque per proprios belli adparatus tantum pecuniæ ſibi haut ſupereſſe cauſabatur. Quia tamen illi conatus, ſi eventus reſponderet, diſtrahendis hoſtibus valde conducturi erant, petita plane rejicere conſultum non ducebat. Igitur promittebat, ſi ductores poſſet invenire Adminiſtrator, qui ſuis ſumtibus militem conducerent, ſe ſumptus factos ipſis reſuſurum, eum in finem ſumma centies mille uncialium deſignata. Sed quia ſolum Adminiſtratorem tanto negotio imparem judicabat, ſolicite monebat; ne deſtinata ſua præcipitaret, aut immaturis auſis occaſionem prodigeret. Sed prius alios Principes clam in ſocietatem oltentato Sueciæ auxilio pertraheret: interim avertendæ Cæſaris ſuſpicioni per idoneos homines veniam præteritorum, aut vitæ ſuſtentandæ ſubſidia peteret, caute tamen, & ut citra perfidiæ opprobrium pedem, ſi res ferret, retrahere poſſet. Aſt ubi ſe eouſque progreſſum videret, ut commode auxilium ipſi ferre queat, demum in apertum erumperet. Nam tunc hoſtibus in ſe converſis ſpatium ipſi fore res Magdeburgi ſtabiliendi. Sin Adminiſtratori hoſtis ingruat, ſe rebus per provincias mari vicinas compoſitis Cæſareorum tergo inhæſurum. Enimvero Adminiſtrator ſapienter conſulta corrumpebat impatientia moræ, dum nulla re ſatis provita exeunte menſe Julio poſt tentatos oppidanorum animos Magdeburgum clam ingreditur. Ubi cum applauſu receptus fœdere Urbem Guſtavo ac ſibi ſociat, promulgatoque edicto totam provinciam in auxilium ſuum excitat. Tum raptim collecta manu loca

1630. quædam vicina in poteſtatem redigit. Halam tamen, quam irruerat, obtinere non potuit, arce ibi Mauritioburgo excluſus. Nonnullæ quoque Croatarum turmæ conciſæ, & Mansfelda arx aſtu militari intercepta. Ac jam magnum videbatur excitaſſe incendium, quod averſis in Pomeraniam ac Meclenburgicam Cæſareis pauci, qui obſiſterent, initio adeſſent. Rex autem quid actum foret intelligens, aulæ ſuæ præfectum Theodoricum Falckenbergium Magdeburgum mittit legati autoritate inſtructum, res ibi ſua prudentia moderaturum, qui & evitatis, quæ tendebantur, inſidiis eodem incolumis penetravit.

Guſtavus in Meclenburgicam copiat.

§. 32. Aſt Guſtavus Rex egregiis copiis auctus, quas Guſtavus Hornius è Finlandia, Livoniaque adduxerat, accedentibus quoque è Boruſſia quibusdam legionibus, haut diu otioſus deſidere ſuetus in Meclenburgicam movere inſtituit. Quanquam enim Pomeraniæ Dux ſuaderet, ut Torquatum Gartzio & Gryphenhaga exturbatum iret, unde is circumjectam regionem late vaſtabat: tamen quod idem omnes illuc vires contraxiſſet, ac locis probe munitis conſediſſet, ancipitis rem aleæ tentare præter neceſſitatem haut conſultum ducebat; præſertim cum ſpes eſſet, per propinquam hiemem & urgente commeatus inopia diviſas ultro copias facilius opprimi poſſe. Igitur cura exercitus & caſtrorum ad Stetinum Hornio commendata, ipſe milite inſtrumentoque bellico in naves impoſito Stralſundam tendit. Sed vix diſceſſerat Rex, cum Cæſarei tempus rei bene gerendæ adveniſſe rati caſtra apud Stetinum invadere conantur. Acriter tamen ab Hornio repulſi non citra damnum pedem referunt. Et hoc unicum tota æſtate virilioris auſi apud Cæſareos ſpecimen fuit. Crudelitatis autem atque libidinis in provinciales exempla edebantur longe plurima. Quæ inter atrocitatis magnitudine imprimis circumfertur Penculi direptio, ac longe ſævius Paſevvalci excidium, quod per triennium militari hoſpitio exhauſtum tribunus Joannes Gœrzius octodecim uncialium millia poſcebat, âque miſeris omni ſævitiæ genere extorquere ſatagebat. Interea duæ Succorum cohortes apertum ingreſſæ oppidum exactores proturbant, ac idem tumultuario munire opere aggrediuntur. Sed advolans cum trium millium manu Gœrzius Succos adhuc imparatos, ac laxiori loco defendendo impares opprimit. Inde in oppidanos omne genus immanitatis, nefandæque libidinis exercitum, ædesque flammis abſumtæ magnam armis Cæſareis infamiam, invidiamque conflarunt.

Paſevvalci excidium.

Guſtavus Meclenburgicam ingreditur.

§. 33. Cæterum Rex Stralſundam delatus, cum in animo haberet Roſtochium repente mari invadere, reflantibus per complures dies ventis conſilium mutat, ac terra in Meclenburgicam ire conſtituit. In itinere munimentum ad Damgardiam expugnatur, in quo præſidiarii ad unum cæſi. Caſtellum ad Rekenitzam fluvium, & Ribnitza, primum ab ea parte Meclenburgicæ oppidum, poſt brevem moram deditur. Gregarius miles in verba Guſtavi adactus, ductores captivitatem ſubiere. Inde Rex edicto provinciales monet, ut trucidatis aut ejectis Fridlandianis ad priſtinos dominos redeant, ac armati apud exercitum ſuum ſe ſiſtant: ni faciant extrema velut in rebelles minatus. In eandem ſententiam Roſtochienſes peculiari edicto excitantur. Et tranſiiſſent hi ſine dubio in partes Guſtavi, ni Cæſarei obtentu tranſitus per oppidum ſumendi validum præſidium immiſiſſent, à quo oppidani deinceps peſſime fuerunt habiti. Dum Ribnitzæ 1630. Rex agit Brandenburgicus Elector per Legatum petit, ut neutri bellantium parti addicto ſibi eſſe liceat. Id quod duplici nomine rebus ſuis incommodum judicabat Guſtavus, tum quod magna pars hoſtium in Marchia conſediſſet, quos utique inde exturbari neceſſum erat; tum quod adpareret, illum hac ratione è Suecorum armis fructum velle capere, periculo, impenſisque belli in ſolum Regem devolutis, ſimul pro rerum ſucceſſu in utramvis partem conſilia flexurum. Non tamen abrupte petita renuit, ſed non aliam *neutralitatis* conditionem oſtendit, quam ut aut eadem ſibi, quæ hoſti in Marchia permitterentur, aut ut hoſtis penitus eadem faceſſeret. Eo cum reſponſo Legatus tunc dimiſſus. Quia autem Cæſarei ſub Savellio Duce numerosas copias Regi objecerant, non ultra tunc progrediendum ratus ipſe Stralſundam revertit, cura belli his in oris Joanni Banerio commiſſa.

Ducis Lauenbergici infaustus conatus.

§. 34. Eodem tempore in diverſa parte ad Albim novi motus, ſed qui inter principia ſuffocabantur, exſurgebant. Meclenburgici Duces ditione ſua exuti ſub adventum Guſtavi in ipſem quidem erecti fuerant hujus ope amiſſa recuperandi. Suadentibus tamen amicis, & Saxoniæ cumprimis Electore, tutius viſum, precibus reſtitutionem à Cæſare efflagitare, quam ipſi ſuo ſuffragio ſe promoturos pollicebantur. Sed cum nihil æqui à Cæſare alluceret, qui & Apologiam eorum, velut in qua ipſe injuriæ inſimularetur, atpere exceperat, clam ſe ad Regem convertunt, atque ſcribendo militi operam dare incipiunt: cui negotio Rex nomen ſuum diſſimulandis iſtorum cœptis accommodabat. Et cum Franciſcus Carolus Lauenburgicus Dux, à Falckenbergio perſuaſus, militiæ Regiæ nomen dediſſet, ac delectus palam agere cœpiſſet, ſub iſtius nomine conatus ſuos obtegebant. Verum præmature erumpente conatu, poſtquam is Boitzeburgi, Lauenburgi, & Neuhuſii militem ſuum diſtribuiſſet, advolante primum Reinachero tribuno, & mox Pappenheimio, auſis impar Raceburgi oppreſſus in hoſtium poteſtatem venit. Qui caſus Suecorum in illis oris inſtitutos delectus diſſipavit. Interim ad Stetinum aliquoties modicis velitationibus varia fortuna certatum; in quarum una progreſſis longius Regiis Cæſarei magno numero ingruentes quinquaginta ex illis ceciderunt, aut ceperunt, inter quos Tiſenhuſius, Sackius, Lilieſparrius, & Witzlebius alarum præfecti.

Cæſarei Colbergæ obſidionem fruſtra ſolvere laborant.

§. 35. Antequam in Meclenburgicam iret Rex, Colbergam valido præſidio inſeſſam, & quæ circumjectam regionem excurſionibus male habebat, obſidio eminus circumdare inſtituit, cum vim adhibere ſupervacuum duceret, quod oppido ab annona maligne foret proſpectum. Id obſidium ut ſolverent Cæſarei, ſimul equitatui è Boruſſia adventanti occurrerent, viginti ſex equitum alas, & circiter bis mille quingentos pedites è caſtris ad Gartzium expediunt. Eorum conatibus intercipiendis Hornius non minorem manum Colbergam verſus ducebat. Jamque in propinquo aderant Cæſarei, quos Regii firmato pede expectabant, cum ab exploratoribus cognitum retro iſtos abire. Igitur Sueci quantum poſſunt cedentes inſequi, donec nebula cœlum obumbrante qui longius præceſſerant equites ad Falkenbergam pagum Cæſareis impingerentur. Anceps ibi pugna, & velut

1630. fuit in tenebris commissa, ac nonnulli Suecorum longioribus hostilis peditatus tubis aspere excepti, retro ad subsequentes suos pedites cesserant. Sed nebula prospectum adimente, an quod insidias meruerent, Cæsarei perculsis non instabant, ac in tutiora se recipere potius erat. Quæ res Colbergensibus non parum desperationis attulit.

Navis prætoria Cæsareorum fugatur.

§. 36. Ineunte mense Decembri cum Suecorum naves, quæ fauces portus Wisinarienſis obsidebant, paulisper recessissent, Cæsarei repente portu erumpentes aliquot onerarias involaverant. Sed Suecis sitarim reversis cum cæteræ refugissent, prætoria quadraginta machinis instructa longius progressa in portum Lubecensium Travemundam compellitur. Eam ut Suecis traderent Lubecenses, aut ipsis portu extrahendam permitterent, frustra postulabat Joannes Salvius, quod isti eandem à se retineri pensandis damnis, quæ ea classis suis civibus dederat, æquius jactarent. Nec ultra quid super ea re actum, postquam Cæsarei militem, armaque isti navi ultro detraxissent.

Comes Oldenburgicus neutralitatem ambit.

§. 37. Eodem tempore Comes Oldenburgicus, ut neutras sibi partes sequi liceret, ambire cœperat. Cui Rex ostendit, id præsenti bello minime omnium quadrare, cum hautquaquam Cæsar eam exemptionem ultro ipsi permissurus sit, ac per eandem sibi ratio bellandi in arctum redigatur. Sibi quippe ejus vocabuli obtentu arma ab hisce regionibus procul habenda, quibus tamen hostis ad commodum tuum sit ululus; ac in se solum belli onera devolvi. Cum satius sit, quicquid est Protestantium ad communem cautam asserendam omnibus viribus conniti. Quod si tamen eam vehementer desideret, non in alias leges ipsam concedi à se posse, quam ut tota Comitis ditione Cæsareus, ac Ligisticus miles dimoveatur, nec ullum deinceps subsidium Regis hostibus inde accedat. Simul ut Cæsar, Ligaque eam immunitatem ratam habeant, & ipse Comes iis sese viribus instruat, ut Cæsareis adversus *Neutralitatis* leges tentare quid ausis par repellendis sit. Quibus conditionibus à Comite satisfieri non posse facile adparebat.

Cæsarei Gryphenhaga & Gartzio ejiciuntur.

§. 38. Interea Cæsar in Torquati locum Hannibalem Schaumburgium exercitui præfecerat; quem hic magnus miseriis conflictantem recipiebat, frigore ac rerum penuria ablumtis plurimis; nec pauci quotidie ad Regem transfugiebant. Igitur circa Gartzium ad utramque Oderæ ripam militem per hiberna disponit. Ast Suecos pauco contentos hiems domesticâ longe mollior hautquidquam remorabatur; ac è Borussia dudum expectatus equitatus terrestri itinere accesserat, non repugnantibus magis quam annuentibus Polonis, per quorum terras transeundum erat. His copiis auctus Rex Cæsareos Gryphenhaga & Gartzio expellere constituit, ac contractum ad Dammum exercitum, qui tunc duodecim peditum legionibus, octoginta quinque signis equitum constabat, postridie Gryphenhagam ducit. Cum nemo in Campum prodiret, oppidum tormentis quassatur, ac mox edita ruina oppugnaturis via fit. Erant in oppido bis mille quingenti pedites, quibus Ferdinandus de Capua Neapolitanus præerat, qui velut de obtinendo oppido desperans pridie signa Gartzium in castra miserat. Unde animis lapsis miles, cum Suecos alacriter muris succedere cerneret, effusa per pontem in alteram Oderæ ripam fuga Gartzium mature se proripit, paucis desideratis. Ipse tamen præfectus duobus vulneribus saucius cum nonnullis ductorum, & quicquid inerat machinarum in regiorum potestatem venit. Ea res tantum Cæsareis pavorem injecit, ut licet in altera Oderæ ripa Gustavus adhuc hæreret, paucis duntaxat præcursoribus adparentibus castellum Marvvitzianum Gartzio oppositum, & ipsum mox Gartzium magna cum trepidatione desererent. Annona & pulvis tormentarius igne absumtus; duæ insignis magnitudinis machinæ in flumen dejectæ, totidem nimio pulvere diruptæ, ne Sueci potirentur. Minora tamen quædam tormenta, & adparatus bellici nonnihil victoribus cessit. Hostis receptu fugæ simili Francofurtum ad Oderam se contulit. Ea consternatio & cæteros, qui per Pomeraniam ac Novam Marchiam hiemabant, afflavit, ut alii Francofurtum, alii Landsbergam facesserent, Suecis extremos cædentibus, ac omnia fere impedimenta intercipientibus. Inprimis Pirizæ hospitatos Croatas Baudissius pessime multaverat, opima ipse præda ditatus. Sparriana legio Custrini transitu impetrato salva evaserat. Sed idem tunc insequenti Regi denegabatur; cum alias ad Francofurtum consternatos primo impetu debellari posse adpareret.

1630.

Edicta Cæsaris literæque in Gustavum.

§. 39. Dum ita Gustavus hostem pleraque Pomerania profligat, Cæsar edictis atque literis Ratisponæ istum oppugnare instituit. Ac primo decretum suffragantibus Electoribus factum, quo per singulos Imperii Circulos Ordines ad conferendam in hoc bellum pecuniam sollicitantur; de qua antequam dispositum foret, consueta hactenus belli onera continuanda. Inde Gustavi Regis delectus edictis inhibentur, & qui jam nomina ipsi dederant avocantur. Literæ quoque à Cæsare ad Regem scribuntur, quibus mirari se ferebat invasionem nulla à se causa præbita, nec præmissa clarigatione factam; ac ut Germanico solo iterum decedat monebat: alias sibi totius Germaniæ viribus subnixo Imperii dignitatem ac defensionem curæ fore. Electores quoque ad Regis literas respondent, causas, quas hic pro armorum suorum necessitate allegaverat elevantes, & ad hæc ponenda hortati. In quibus id insolentiæ quid habere videbatur, quod in literis huic nomina sua Regis nomini præposuissent. De quo etiam in responso suo Rex monet, simul cautas belli, injuriasque sibi illatas reperit, quæque ipsi in contrarium attulerant refellit; testatus præterea, se hautquidquam Imperio hostem venisse, sed potius ut oppressos Ordines in pristinam libertatem vindicaret. Ac tandem ab se quoque pacem honestam ac tutam optari, si quidem adversa pars eandem sibi cordi esse propositis æquis conditionibus ostenderit. Paria fere ad Cæsaris literas reponebantur, addito, pacis quæ jactaretur firmitatem à se non verborum formulis æstimari, sed ut restitutis in antiquum statum Imperii rebus sibi de præteritis læsionibus satisfiat, ac in posterum idonee caveatur.

Consilia futurum annum.

§. 40. Cæterum ex his Cæsaris atque Electorum literis id quidem satis patebat, illum bello adversus Gustavum libenter supersedere velle. Et constabat, jam antea Brandenburgicum promissis à Cæsare oneratum, si Gustavo ut quiesceret persuadere posset. Sed cum nulla alia pacis conditio offerretur, quam ut Gustavus, nulla pro Regni sui vicinorumque securitate obtenta cautione, ad pristinum statum metus atque suspicionis plenum revolveretur, & quæ hactenus magno labore, pari sumtu, parta erant gratis dimitteret; ignavo plane modo cœptam abrumpere telam existimatione ac magnitudine ani-

1630. mi sui indignum judicabat. Et amoto Gustavo destinatis suis facile potiturus Cæsar videbatur, qui grassante quam maxime per Pomeraniam Gustavo Protestantium sacra infestare non cessabat: Idemque post occasione data, cedente licet Gustavo, omissurus non erat ulcisci tentatam dominatus sui remoram. Igitur id facile Gustavo constabat, non tuto se, aut honeste arma ponere posse, nisi pace sacrorum per Germaniam denuo stabilita, ac vicinis Principibus in integrum restitutis; quorum stabilita fortuna Sueciæ quoque securitatem ab illa parte præstitura erat. Nec minus certum erat, Cæsarem consiliis suis, hucusque tanto successu ad exitum prope deductis, nisi magna vi dimotum non iri. Eoque Gustavus ad atrocissimum quod instabat bellum summo se studio præparabat, quod in ditiones Cæsaris hæreditarias, & qui hactenus ipsius ausis obstetricati erant, *Ligistarum* terras transferre meditabatur. Cui fini futurum in annum quinis exercitibus rem gerere constituerat, distrahendis in diversa Cæsaris viribus; quorum duo post Pomeraniam plane purgatam Cæsareos Marchia quoque exturbare, & inde in Silesiam irrumpere debebant; tertius Meclenburgicæ recuperandæ, quartus Magdeburgum, quintus ad Visurgim destinabatur, adscitis in societatem Archiepiscopo Bremensi, & Georgio Luneburgico Duce, qui jam fœderi pronos se ostenderant. Etsi post invitantibus rebus ab ea consiliorum designatione non nihil discessum. Spem autem rei bene gerendæ felix ejus anni successus faciebat, & quod jam nonnulli Ordines Gustavi amicitiam ambirent, quos inter Wilhelmus Hassiæ Landgravius durissime à Cæsare hactenus habitus se suaque Gustavi patrocinio commendatum ibat. Sed & Electoris Saxoniæ amicitia cum Cæsare jam nutabat, in quem plerique Protestantium respiciebant; & quia hic nondum de vi Cæsari opponenda constituerat, reliqui quantumvis clam invitati Gustavi auxilium implorare distulerant. Sed istum in Gustavi partes aperte transgressum cæteri Protestantes citra moram secuturi erant. Cæterum & hoc patebat, non amplius Gustavum à Cæsare, ut antea contemni, cui super titulo Regio nihil amplius scrupuli movebat; & ipsi Dani fatebantur, ad suum Regem literas pari verborum humanitate à Cæsare nunquam fuisse datas. Minus quoque jam Gustavo Danus suspectabatur, offensus Cæsari, quod is in Hamburgenses pronior ab ipso circa vectigal in Albi flumine novata aboleri jussisset. Veritus quippe Cæsar erat, ne si ipse Hamburgenses Dano pecunia emungendos destituere, illi aperte ad Gustavi se partes adplicarent. Inde & Gustavus obtentu transitum sibi per Dani ditiones in Sueciam hiberna tempestate impetrandi, Joannem Salvium miserat, qui ipsius animum tentaret, num fœdere sibi adversus Cæsarem conjungi vellet, ostentatis Episcopatibus, quorum possessione aut spe filii ipsius exciderant. Hic tamen de fœdere abnuebat, præsertim cum ex altera parte Hispani omnibus modis ipsum demulcere laborarent, oblato inter alia imperio in classem, quam hactenus in Mari Baltico parturiverant; quod judicarent Suecos Germania expelli non posse, nisi mari exutos. Quin & Bremensis ditio, atque Wismaria Dano offerebantur, si in Gustavum arma movere vellet. Nec ipse Rex à talibus consiliis adhorrebat. Refragante tamen Senatu ob Gustavi metum & pacis cupidinem vel invito quiescendum erat, alias per invidiam & pudorem maxime anxio, quod Gustavi gloria res ejus per Germaniam male gestas velut prostitueret, & hic oram maris Baltici magis magisque amplecti videretur. Cui tamen sapiendo dissimulare visum tantisper, quod is vectigal ad Rudenam insulam exigeret. 1630.

§. 41. Inter cætera tamen ad votum succedentia Gustavum cumprimis Magdeburgi status solicitum habebat, postquam Administratoris res, remittente quæ primis auspiciis afflaverat fortuna, cessim ire cœpissent. Cui si ab initio pecuniæ affatim in promptu fuisset, facile erat validum contrahere exercitum, confluentibus ad eum provincialibus, ac raro per eam ditionem Cæsareo milite. Sed deficiente rerum gerendarum nervo statim delectus languere; nec à Magdeburgicis, ut pecuniam ad hunc finem mutuo darent, ullo modo impetrari poterat; qui deflagrante primo favore adeo morosos se deinceps exhibebant, ut ne tecto quidem militem recipere dignarentur. Et licet Gustavus ea re cognita multa uncialium millia cambio trajiceret; tamen invalescentes interim Cæsarei deinceps prohibebant, quo minus idoneus militum numerus cogi posset. Cum etiam Gustavus Administratori suasisset, ut ante omnia Magdeburgo tanquam rerum capiti prospiceret, nec plura complecti conaretur, quam commode tueri posset; hic recens collectum militem passim per oppida munimentis destituta disperserat, quem levi negotio Cæsarei opprimebant. Nicolaus quoque Bockius tribunus, qui antea Mansfeldam arcem astu intercepterat, cum ab Administratore Magdeburgum evocaretur, Halam deflectens cum duobus militum millibus quos ducebat Cæsareis succubuit; & mox Mansfelda arx, & Querfurtum oppidum huic deditum. Magdeburgi quoque contiuà rerum facies. Oppidani, qui ab initio sibi persuaserant, Gustavum sepolito omni respectu confestim cum exercitu advolaturum, ac uno momento tranquillas ipsis res præsiturum, cum id ratio belli nondum permitteret, de prima animorum alacritate multum remiserant. Quos frequentes Administratoris querelæ super mora auxilii Regii magis exulcerabant; qui & ipse nec gerendis rebus idoneus, nec alieni consilii patiens erat. Et quia è Regis consilio commeatus non statim in Urbem congestus, sed per minora Oppida relictus erat; eo ab hostibus intercepto Falckenbergius cum penuria conflictari cœpit, quod Oppidani nihil annonæ militi, nisi præsenti data pecunia, præbere vellent. Ipsi quoque cives factionibus inter se distracti, pars in Suecum, alii in Saxonem, aut Cæsarem proni, ne quid in commune decerni posset impediebant. Et vix mense demum Januario sequentis anni multo ambitu à discrepantibus impetrari poterat, ut sexcentis militibus per urbem hospitia concederentur. Nec parum dejecit animos, quod cum mense Decembri mille milites tribuni Sneidewini ductu Novam Alvenslebiam repentino assultu occupassent, trucidatis quos ibi deprehenderant Cæsareis, illi mox ab hisce obsessi in turpes se conditiones dedidissent. His igitur difficultatibus implicitus Administrator Regem de auxilio sæpius, idque anxie interpellaverat. Nec minus ferre opem Rex ardebat. Sed tam longe à mari in mediterranea loca progredi per flumina & terras alienas, relictis à tergo hostibus, ac nullo receptu, si res secus caderet, aut major hostium vis ingrueret, summamque totius belli in discrimen dare, imperatorium non erat. Igitur antequam è Borussia equitatus adveniret, per ambages inde hostem avertere parabat, susMagdeburgi res male geruntur.

cepta

1630. cepta in Mecleburgicam expeditione, & per Ducem Franciſcum Carolum tentatis ad Albim oppidis. Qui conatus ſi ex voto ſucceſſiſſent, facilior Magdeburgum via pandi videbatur. Poſt adventum autem equitatus Boruſſici, quanquam & hic itinere defeſſus quiete indigeret, & difficiles hiberna tempeſtate viæ, ac Garzio inſidens Cæſareus miles obſtarent: prævalente tamen pro urbe cura rem tentare inſtituebat. Sed prius ab Adminiſtratore edoceri volebat, quanta is cum manu ipſi obviam ire poſſit, & num ſuo exercitui eo venienti annonæ copia ſit futura. Et jam in planicie ad Paſevvalcum copias convenire juſſerat, cum literæ Falkenbergii allatæ nunciabant, res ibi non ita male, uti primum videbantur, ſe habere, ac nondum extrema imminere, etiamſi ſuppetiæ adhuc differantur, modo pecunia ſubmittatur, & oppidanorum animi literis confirmentur. Igitur Guſtavo potius viſum ad propiora ſe convertere, ac Oderæ incumbentem hoſtem deturbare. Simul Magdeburgicos conſilii ſui rationem edocet, iptòsque ad conſtantiam hortatus, ſuam pro ipſorum ſalute aſſerenda opem in poſterum pollicetur. 1630.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER TERTIUS.

EPITOME.

1. *Acta cum Brandeburgico Electore. Is ambiguum ſe gerit.* 2. *Fœdus cum Gallia Rege.* 3. *Ejus fœderis ſumma.* 4. *Sueci occupant Lackenizam, Prenzloam, Novum Brandeburgum.* 5. *Demminum, & alia iſto tractu oppida.* 6. *Grypsvvalda fruſtra tentatur. Colberga deditur.* 7. *Oldenburgicus, & Friſiæ Orientalis Comes neutralitatem denuo ambit.* 8. *Tillius in Guſtavum movet; Novum Brandeburgum expugnat.* 9. *Rex citeriori Pomeraniæ proſpicit.* 10. *Tillium retro Magdeburgum tendit.* 11. *Guſtavus Francofurtum expugnat, Landsbergam deditione capit.* 12. *Acta cum conventu Lipſienſi.* 13. *Spandoa Guſtavo traditur.* 14. *Saxo ad liberandum Magdeburgum Guſtavo jungi detrectat.* 15. *Magdeburgi excidium.* 16. *Ejus culpam Rex ab ſe removet.* 17. *Acta cum Brandenburgico.* 18. *Legatus Moſcoviticus auditur. Grypsvvalda capitur.* 19. *Guſtavus Albim verſus movet; caſtra ad Werbenam ponit.* 20. *Superior Germania fœderi Lipſienſi renuntiat.* 21. *Tillius in Thuringiam movet. Tilliani vapulant.* 22. *Meclenburgici Duces ditionem ſuam armis vindicant.* 23. *Hamiltonius è Britannia copias adducit.* 24. *Benedictus Oxenſtierna è Gallia redit.* 25. *Fœdus cum Wilhelmo Haſſiæ Landgravio.* 26. *Tillius Saxoniæ Electorem invadit.* 27. *Hic Guſtavo jungitur.* 28. *Deliberatio de ſumma belli.* 29. *Prælium ad Lipſiam.* 30. *Lipſia recuperatur. Cæſareani ad Mersburgum vapulant. Anhaldini Principes in protectionem Guſtavi concedunt.* 31. *Conſultatio de bello in futurum gerendo.* 32. *Proteſtantes per Superiorem Germaniam à Rege ſolicitantur. Guſtavus Erfordiam occupat.* 33. *Tillius copias recolligit. Guſtavus in Franconiam irrumpit; Kœningshoviam, & Herbipolin capit.* 34. *Tillii conatus.* 35. *Guſtavi per Franconiam ſucceſſus.* 36. *Hanovia à Suecis intercipitur.* 37. *Francofurtum ad Mœnum Suecos admittit.* 38. *Georgius Landgravius incaſſum de pace proponit.* 39. *Regii Rhingoam occupant.* 40. *Tillius Noribergam fruſtra tentat.* 41. *Rex in Palatinatum vertit.* 42. *Sueci Rhenum transmittunt. Oppenheimum expugnatur. Moguntia deditur. Manheimum intercipitur.* 43. *Hornius Mergentheimum, Winsheimum, & Heilbrunnam.* 44. *Tillius Wilzburgum occupat.* 45. *Roſtochium capitur. Virmondius vapulat.* 46. *Wiſmaria deditur.* 47. *Inferior Saxonia Guſtavo ſtudet.* 48. *Cum Guſtavo fœdus ineunt Archiepiſcopus Bremenſis.* 49. *Georgius Luneburgicus & Fridericus Ulricus Brunſuicenſis Dux.* 50. *Cæſareani in Luſatiam irrumpunt, & recedunt. Saxoniæ Elector à Cæſare tentatur.* 51. *Saxones Bohemiam invadunt.* 52. *Fridlando à Cæſare ſumma belli offertur.* 53. *Dani habitus tunc erga Sueciam.* 54. *Ordinum Suecia conſilium de pace.*

1631. Acta cum Brandeburgico Electore.

DUlſis jam pleraque Pomerania Cæſareis bellum in Brandeburgici Electoris ditiones volvebatur, qui anceps conſilii, dum neutri ſe parti penitus addicere audet, ſuſpectans ipſe ac ſuſpectus fluctuabat. Equidem provincias ipſius Cæſarei hactenus graviſſime afflixerant; idemque Cæſari non parum inviſus erat tanquam vetus *Unionis* ſcius, & qui diu Bavarum agnoſcere Collegam detrectaverat. Nec dubium habebatur, quin ſi deſtinata ſua ad exitum deducere Cæſari licuiſſet, eandem cum Meclenburgicis ſortem ſubiturus fuerit, connectendæ cum Pomerania Sileſiæ. Nec obſcure jactaverat Fridlandus: in tabulario Meclenburgico ejusmodi iſtius ſcripta inventa, quæ ſat cauſæ præbeant ipſum ditione multandi. Idem contra Suecos in Pomerania pedem figere ægris oculis adſpiciebat. Ac inter tam validos hinc inde hoſtes medius ab utrisq; conculcandus videbatur. Tunc autem Guſtavum commotum intelligens ob negatum Cuſtrini tranſitum, quem hoſtibus conceſſerat, ad eum ablegat Sigismundum 1631.

1631. Gœtzium Cancellarium obtentu ſumto, quod ipſe à cæteris Electoribus pacis conciliator inter Cæſarem ac Regem conſtitutus ſit, cui negotio operam ſuam offerebat, petens ut ſignificet Rex, in quas conditiones tranſigere velit. Inde in poſterum tranſitum copiis Regis, omneque officiorum genus pollicetur; modo vicißim Rex recipiat; ſe adverſus præcipuas ipſius munitiones nihil tentaturum, reditus alendis præſidiariis, ac aulæ ſuæ neceſſarios non intercepturum, nec aliis juribus, bonisque ſuis, ac civium ſuorum manus injecturum; denique bello poſito omnes provincias, quæ ad ipſum jure ſpectant, ab omni onere liberas ſibi redditurum. Ad ea Rex reponebat; paci ſe ſemper paratum, dummodo ab altera parte ea ſerio quæratur: de quo antequam conſtet, præmaturum eſſe ſuper conditionibus agere. De oblato tranſitu gratum ſibi, eoque ſe non niſi bona fide, & citra noxam utiurum. Eundem tamen elapſa jam hoſtis profligandi occaſione tanti ſibi non eſſe, ut antequam arctiore fœdere jungatur Elector, in ea, quæ proponat Legatus, obſtringi velit. Circa quæ tamen ipſi ſatisfacturus ſit, ubi arma ſecum jungere placuerit. Atque eodem tempore à Rege miſſus Berolinum veniebat Joachimus Mitzlaſius Tribunus Electori perſuaſurus, ut arma ſua Regiis ſociet, ſtabiliendæ per Germaniam paci ſacræ ac civili, ac reſtituendis in integrum oppreſſis, utque Auſtriacorum dominatio ſiſtatur; promittens ſe Pomeraniam, magna ex parte jam hoſti ereptam, morte Ducis inſecuta ipſi, hæredibusve traditurum. Quod petitum Elector eludebat obtentu fidei Cæſari datæ, & quod ſibi prius cum Saxone ex pacto conſultandum ſit. Sumtis quoque in Cæſarem armis hoſtem ſe declaratum iri, & hoc ipſo inutilem fore ad cauſam communem apud illum agendam, ac impoſitum ſibi à Coilegis Mediatoris officium obeundum. Tum per incerta belli & caſuum humanorum fortunas ſuas maximo diſcrimini exponi. Nec provincias ſuas penitus exhauſtas multum momenti Guſtavi rebus poſſe addere. Tranſitum tamen innoxium, ſi à Rege neceſſitate exigente petatur, ſe libenter conceſſurum. Quæ ſat benevolentiæ in Regem præ ſe ferebant, ni interea Schvvarzenbergium Comitem cum hoſte colludere, ac varia in fraudem Guſtavi machinari è literis interceptis intellectum foret. Quas Rex Electori transmittebat, addito; ſi clam ipſo talia patrarentur, cavendum ab ejusmodi miniſtris; ſin ipſe horum conſcius ſit, ſibi eadem documento eſſe, ut circa tractatus deinceps majorem circumſpectionem adhibeat.

Ambiguum ſe gerit.

§. 2. Aſt cum Galliæ Rege fœdus feliciter tunc ad finem perducebatur, poſtquam tractatus ſemel atque iterum interrupti fuerant. Invitaverat ad iſthoc fœdus Guſtavum Legatus Gallicus Herculeſ Charnaſſæus, dum circa conciliandas cum Polonis inducias ſatagit: nec Guſtavus abnuebat. Sed cum ſub initium anni ſuperioris circa ejusdem conditiones in Suecia agi cœpiſſet, inſolentia Charnaſſæi, & agendi modus ſuſpicionem excitabat, veluti res ab ipſo non ſerio ageretur, & quaſi non niſi Guſtavi conſilia rimatum veniſſet. Ita enim lubrice omnia tractabat, ut ſi viſum foret, facile eludi conventa iterum poſſent. Et contendebat quidem Charnaſſæus, ut Guſtavus acceptis trecentis uncialium millibus ſtricte ſe obligaret ad bellum per ſexennium cum exercitu triginta ſex millium in Germania gerendum: cum contra Galli aperte in bellum deſcendere nollent, expenſaque modica pecuniæ ſumma periculum Guſtavo relinquere cuperent, victoriæ fructum ſibi vindicaturi. Quam conditionem Guſtavus reſpuebat, qui nullo modo vel ad certum copiarum numerum vel ad belli continuationem ulterius, quam rationes ſui Regni admitterent, teneri volebat. Neque tanti videbatur ea pecuniæ ſumma, ut mercenarii ad inſtar alteri obnoxius eſſe, aut omnem ſibi aditum cum Cæſare tractandi præcludere vellet. Verebatur quoque, ne alii, qui ipſius fœdus ambiebant, aut ad idem invitabantur, ſegniores ad contrahendum fierent, ſi noſſent, ipſi jam utique vi Gallici fœderis certos ad annos in Germania belligerandum. Nec ſatis diſſimulaverat Legatus, id à ſe ſpectari, ut irrumpente in Germaniam Guſtavo Gallus eo lautioribus conditionibus cum Cæſare circa bellum Italicum tranſigere poſſit. Sane conſtat, Guſtavi victoriam apud Francofurtum ad Oderam pacem Italicam confirmaſſe, quæ non parum nutabat, quod Hiſpani Mantuam & munimenta per Rhætiam quatuor auri millionibus licitarentur. Sed ea clade audita Galli animoſius tractatus impletionem urgebant, Cæſare tergiverſari non amplius audente. Suſpectus quoque tunc temporis erat Danus, cui ad inſulam Rudenam vectigal exigebatur, conſiliis quoque ſuper Rugia occupanda agitatis, & familiari nimis cum Fridlando literarum commercio. Nec adhuc de Batavorum in ſe animo certus erat, portoria per Boruſſiam ægre tolerantium, qui una cum Dano clam Gedanenſes in ipſum animabant; ſic ut longius progreſſura ea his à tergo relinquenda haut videretur. Denique & ille adhuc metus urgebat, ne forte media deficerent ſuſtentando equitatui per Boruſſiam ſelecto, quo tantum bellum ordiens Guſtavus carere non poterat. Ne tamen negotium plane abrumperetur, Laurentius Nicolai à ſecretis epiſtolis in Galliam mittitur, qui dextre inſinuaret, per Guſtavum non ſtare, quo minus fœdus coeat, ſi æquæ conditiones offerantur. Poſtea transgreſſo in Germaniam Guſtavo cum ſuper legibus fœderis jam conventum foret, alia per Gallici Legati inſolentiam remora objicitur, an quod poſt Mantuanam controverſiam compoſitam Guſtavi opera Galliæ ſuperflua videretur, aut quia bello cœpto adigi poſſe ſperabatur, ut iſti magis obnoxius agere vellet. Nam & *protectionis* vocabulum formulæ fœderis injecerat magna cum Guſtavi offenſione, qui neminem præter Deum & enſem protectorem agnoſcere ſe ferebat: & in utroque inſtrumento, etiam eo quod à Guſtavo ſubſcribendum erat, ut Regis ſui titulus præponeretur obnixe contendebat; etſi ſuper eo poſtulato in mandatis ipſius nihil adparebat. Et cum ipſi objiceretur; utrumque Regem eſſe, pariſque adeo dignationis, regerere non dubitaverat; dari purpuram diverſi pretii. Aſt Guſtavus dignitatis ſuæ tenaciſſimus auxilio Gallico carere, quam de antiquiſſimi Regni faſtigio aliquid ut delibaretur concedere malebat: Galliæque Regi ſcribebat; ſe non ſperare, ea duntaxat lege iſtum amicitiam ſecum inire velle, ut ſibi de divinitus conceſſo honore aliquid detrahatur. Alias iſthoc obſtaculo remoto nullam in ſe moram oſtendebat.

1631. propoſitas leges Guſtavus rejpuit.

Galli protectionis vocabulum frustra affectant.

§. 3. Ita tandem Bernvvaldæ in Nova Marchia fœdus iſthoc concluſum; cujus fundamentum ſe rebatur communium amicorum vicinorumque libertas recuperanda, eorundemque defenſio, Oceani, marisque Baltici ſecuritas, commerciorum libertas, reſtitutio oppreſſorum Imperii Romani Ordinum, utque munimenta ad litora, portusque Oceani, ac Maris Baltici, inque Rhætia deſtruantur, & in eum ſtatum reducantur, in quo ante proximum bellum fuerant. Ad quem finem cum hactenus preces nihil valuerint, armis communium amicorum ſalutem Reges vindicare conſtituiſſe; eoque Guſtavum triginta millia peditum, ſex

Fœdus cum Gallia Rege concluditur.

Fœderis Gallici ſumma. 13. Jan.

Ejus primo

1631. ſex equitum ſuo ſumtu in Germania habiturum, Galliæ Rege quadringenta uncialium millia quotannis conferente. Cavebatur inſuper, ut cum Duce Bavariæ & Liga amicitia aut neutralitas ſervaretur, liquidem ipſi reciprocam præſtiterint, utque circa ſacra Sueciæ Rex non aliter ſe gereret, quam ſecundum Imperii leges, ac in quibus locis exercitium ritus Catholici reperiretur, in integro relinqueret. Quæ verba fœderi inſeri omnibus modis contendebat Gallus, ne ad detrimentum ritus Pontificii quid egiſſe argueretur, aut quod ſperaret, hac ratione ſe Ordines Catholicos à Cæſaris partibus abſtracturum. Nec Guſtavo conſultum videbatur profeſſam Romanorum ſacrorum extirpationem præ ſe ferre, ne in deſperationem iſti adigerentur; & quia ſatis actum judicabat, ſi Proteſtantium libertatem aſſeruiſſet. Iſta tamen omnia præcipue hæc ſpectabant, ut potentia Auſtriacorum intra terminos coerceretur, ne ſubacta Germania ad vicinos dominatum proferret; qui ſcopus niſi reſtituta Ordinum Germaniæ libertate obtineri haut poterat. Cæterum fœdus hoc rebus Guſtavi non parum ſplendoris ac firmamenti addebat propter auctoritatem viresque ejus Regni, & quod auri Gallici fama venales animas certatim delectibus Succicis alliceret. Nam alias omnibus erat perſuaſum, ſolius Sueciæ opes tanto bello ſuſtinendo non ſufficere, ni alienis pecunus ſuffulciantur. Et ipſe Cæſar ideo remiſſius, quam res exigebat, principiis Guſtavi obſiterat, quod crederet, ejus conatus mox ultro per pecuniæ inopiam expiraturos, indicio inde ſumto, quod iſte ulterius, cum commode poſſet, non proceſſiſſet. Enimvero Guſtavus ideo progreſſus ſuos inhibuerat, quod equitatum è Boruſſia deſideraret, & haut prudentis duceret loca maritima in hoſtium poteſtate à tergo relinquere. Duraturum autem erat fœdus ad menſem usque Majum anni trigeſimi ſexti; ni pax interea coaleſceret, contenta partium prorogandam. Formulam ejus fœderis nomine Guſtavi Regis ſubſcripſere Guſtavus Hornius, Joannes, & Carolus Banerii; nomine Regis Chriſtianiſſimi Hercules Charnatæus.

Succi occupant Lackenizam. §. 4. Cæterum quæ aliis nationibus quierem imperat aſperitas hiemis, Succos haut retardabat, quo minus bellicis facinoribus operarentur. Et quidem in excurſiones avidus erat Succicus miles ad intercipiendos potiſſimum Croatas, armis pretioſis, nummisque onuſtos. Læckenizæ quoque arx à Leslæo levi negotio expugnata. Rex autem poſtquam Hornio curam novæ Marchiæ, & Ulterioris Pomeraniæ commendaſſet, exercitus majore parte per Stetinum in Uckermarchiam ducta Prenzloam occupat. Inde Novum Brandeburgum procedit, à Franciſco Marazino tribuno ſexcentis cum militibus inſeſſum, ſed qui poſt paucos tormentorum ictus ſe dedebat, pactus, ut cum armis & impedimentis oppido excederet, nec intra tres menſes contra Regem militaret. Pari facilitate Clempenoa Succos admiſit. Treptoam Cæſarei ad famam adventantis Regis ultro deſeruerant. Sed qui Loizenſi arci præerat Peralta centurio Hiſpanus natione, populari jactantia neſcio quæ inuſitata conſtantiæ ſpecimina minatus, mox ludibrio fuit, precibus mulierculatum, quibus paulo ante ſe ferro indutum oſtentaverat, exoratus, ut poſtulante Rege ſtatim ipſe extra munitionem procederet, quæ ſibi dicerentur leges arrepturus.

Prenzloa. Treptoam. Loizenſem arcem.

Demminum. §. 5. Inde Demmino exercitus admovetur, munito oppido cum adjuncta arce, cui Savellius Dux præerat cum duabus peditum legionibus, ſua & Holckiana. Ejus viri fœdum ſordidæ avaritiæ ſpecimen ferebatur, quod cum poſt abrepta in tribu-

rum cætera equis demum ruſticorum manum injeciſſet, nec qui vel redimeret, vel emeret ſtrigoſa jumenta inveniretur, eadem demum carnifici addixerit, exiguum ſibi corii pretium ſtipulatus. Cum ſub veſperam acceſſiſſet Rex, machinæ mox per ſuggeſtus raptim extructos collocatæ; & eadem adhuc nocte munitionibus exterioribus ſuccedens Teuffelius tribunus ſemilunare opus impetu cepit, Cæſareosque eruptione facta ipſum inde expellere conantes cum clade rejecit. Ex altero latere arcem in paludibus ſitam, ſed quæ gelu adhuc adſtrictæ accedentes ferebant, adoriebatur Cniphuſius immiſſa modica peditum manu, ad cujus conſpectum Cæſarei ſtatim arcem igne ſuppoſito relinquunt, in adſitam turrim craſſiſſimam ſe recipientes. Quam tormentis disjicere cum ſerum videretur, ad ejusdem fundamenta cuniculus agitur; cujus terrore iſti ſtatim Regis ſe arbitrio permiſere, traditis ſeptem Holckianæ legionis ſignis. Ea ab altera oppidi parte oſtentata obſeſſorum animos fregerunt, qui mox in has leges convenerunt, ut ſignis explicatis, ſarcinis armisque ſalvis cum duobus tormentis excederent, ac intra tres menſes adverſus Regem ad confinia Pomeraniæ, & Meclenburgicæ arma ne ferrent. Ita triduo oppidum captum, quod minimum tres ſeptimanas Regem diſtinere poſſe crediderat Tillius, intra quod ſpacium ipſe cum exercitu ingruens Guſtavum ad iniquam pugnam compellere, aut cum ignominia obſidio dimovere deſtinaverat; eoque Savellium Viennam ad dicendam cauſam ablegabat. Et quia hic eam velut arcem belli elegerat, non modica ibi frumenti, apparatusque bellici vis cum triginta ſex grandioribus machinis inventa. Dum ad Demminum Rex hæret, Joannes Moltkius alæ præfectus cum triginta ſex equitibus exploratum miſſus, agglomerante ſe agreſtium manu Malchinum duabus cohortibus inſeſſum alia tentare inſtituit. Eoque frequentibus circum excitatis ignibus, & appenſis ad arbores ignitis funiculis magnæ manus ſpeciem per noctem æmulaverat. Inde ſummo mane præſidiariis Regis nomine, quem toto cum exercitu adeſſe fingebat, deditionem imperat, iisque territis ut confeſtim armis poſitis prodeant injungit. Cum pavor juſſa facere ſubegiſſet, inermes à tantuplo pauciores ad Regem deducuntur. & Malchinum.

Gryphiswaldæ ſe ſubdit. §. 6. Reſtabat in citeriore Pomerania ſola Gryphiswalda, cui Franciſcus Ludovicus Peruſius præerat. Eum Banerius, quem Rex iſti oræ præfecerat, per literas ſolicitat, ut deſperato ſubſidio imminentem neceſſitatem honeſta deditione prævertat. Sed qui magnifice de Cæſaris fortuna præfatus ad extrema oppidum ſe defenſurum reſpondebat. Nec ſegnius quam loquebatur faciebat. Nam & oppidum operibus inſigniter firmabat, & deficientibus nummis argenteis ſtanneos cudebat impreſſo lemmate; *neceſſitas Gryphiswaldenſis*, emiſſaque inutili turba accurate ac ſobrie annonam diſpenſabat, donec extrema tandem fames id oppidum relinquere ſubigeret. Circa initium menſis Martii Franciſcus de Mœurs Colbergam per quinque menſes circumſeſſam deficiente annona, ac deſperata liberatione Bootio tribuno tradiderat, pactus ut explicatis more militari ſignis, integrisque armis, & ſarcinis cum duobus tormentis excederet. E mille quingentis, qui oppido exierant, quadringenti ſacramento Regis acceſſerunt. Tormentorum & adparatus bellici magna vis ibi reperta. Triduo poſt deditum oppidum aliquot naves annona onuſtæ Roſtochio, Wiſmariaque aderant, ſed quæ comperto illud à Succis teneri, retro vela dabant. Quanquam ne portum intrare poſſent, extructis ad ejus oſtium caſtellis proviſum erat. Hoc igitur Gryphiswalda ſe ſubdit. Colbergæ deditur.

1631. modo ejectis Ulteriore Pomerania Cæsareis, ut à diuturnis belli oneribus respirarent provinciales, Gustavus disciplinam militarem severissimis legibus sanxit, & quæ militi suo prabenda forent, ad modestum ac tolerabilem modum redegit.

Oldenburgicus, & Frisiæ Orientalis Comes Neutralitatem denuo ambiunt.

§. 7. Circa finem superioris anni Antonius Guntherus Oldenburgicus Comes exemtionem à bello apud Regem ambiverat; de qua nunc ineunte mense Martio una cum Frisiæ Orientalis Comite denuo per legatos instabat, producto Cæsareo rescripto Electorum intercessione obtento, quo is promiserat, se militem ex utroque Comitatu abducturum, nec oneris quid deinceps imperaturum, si Rex vicissim caveat, se loca, quibus Cæsareus miles excederet, haut invasurum. Sed cum à legatis nihil proponeretur, quo modo Regi cavere vellent, se intra neutralitatis leges bona fide versaturos, neque Regi ex illis provinciis damni quid datum iri; res ad exitum perduci tunc non poterat. Præsertim cum Rescriptum Cæsareum à solo Secretario subscriptum foret; cui multum fidei adhibere præterita exempla vetabant. Spes tamen fiebat, siquidem idonee caveatur, militem Cæsareum provinciis semel emissum deinceps iterum non admittendum, nec quid subsidii ullo modo hosti durante bello præstandum, Comites istos à Rege omni bellorum molestia eximendos. Cæterum quare idem tantopere circa id negotium satagerent, causa erat; quod sibi ab Hamiltonio metuerent, qui illa ora copias in Anglia Scotiaque conscriptas exponere constituerat; & quia Oldenburgicus Gustavum sibi peculiariter offensum suspicabatur ob patrata à se in Archiepiscopum Bremensem Gustavi avunculum. Instigabat etiam Tillius, destinatis Gustavi explorandis, & ut securitati suæ ab ea parte prospiceretur, sibique copias inde fidentius abducere liceret. Quin & constabat, Batavos successibus Gustavi invidentes noluisse in propinqua sibi loca bellum transferri. Qui & segniter valde ad sublevandam causam communem pecuniam depromebant; ut Gustavus minaretur, ni aliam secum rationem irent, pacem se cum Cæsare facturam, exiguo ipsis emolumento cessuram. Alias constabat illiusmodi à belli oneribus exemtiones Gustavi rebus damno cedere; quippe queis impedicbatur, ne qua sibi commodissimum foret hosti noxam strueret. Et quicquid promitteret Tillius, Comitatus istos denuo invasurus metuebatur, quamprimum ratio belli id suaderet. Sed nec meritus erat Oldenburgicus, ut præ cæteris ipsi favoris quid exhiberetur.

Tillius in Gustavum movet.

§. 8. At Cæsar cum suffectos abdicato Fridlando duces Gustavi auspiciis impares cerneret, imperium in exercitus suos Tillio confert, Ligistici hactenus exercitus duci, bellandi callentissimo, & tot adoreis insigni. Quem & magna Ducatus Brunsuicensis parte donaverat, egregio liberalitatis in bene meritum specimine, si dono injuria in veterem dominum abfuisset. Nam ipsi Duci pauculas præfecturas reliquerat, cætera ditione Hildesiensi Episcopo addicta, qui litem ante seculum cœptam nunc demum Marte suffragante obtinuerat. Is igitur Tillius cum post amissum Gartzium è Schaumburgio miserum Cæsarei militis statum intellexisset, excitis quæ per Germaniam passim dispersæ erant copiis, mense Januario Francofurtum venit, & quæ ex usu videbantur ibi, atque Landsbergæ disposuit; inde in Hornium moturus, qui Soldini, ac circumjectis locis stativa habebat. Sed quia hic absente Rege rem in discrimen mittere veritus Piritzam, & hinc Stargardiam retro cesserat, in omnes hostis motus intentus; Tillius mense Februario, postquam Francofurtum valido præsidio firmaverat, in Gustavum ire constituit, damnum Demmini acceptum, de quo in itinere audiverat, ulturus. Iram ejus primum excepit Novum Brandeburgum, quod Cniphusius cum duabus legionibus sua, & Scotica Maccaji infidebat. Ei Rex, ut ex invalido oppido in tutum se recipere, scripto mandatum transmiserat, sed quod ab hoste interceptum hunc stimulabat, ut præmisso raptim equitatu oppidum cingeret. Tillius ipse cum reliquo exercitu insecutus ex itinere Feldbergam arcem impetu capit, ad unum cæsis qui inerant quinquaginta militibus. Hinc magna vi ad oppugnandum Novum Brandenburgum convertitur. Obsessi strenue resistunt, & aliquoties assultantes repellunt, sæpius licet ad deditionem invitati, spe auxilii à Rege submittendi extremam vim expectaturi. Igitur demum facto ab univer- 9. Martii. sis assultu levidenses munitiones perrumpuntur, & Succici post asperrimam pugnam numero obruuntur. Cniphusio, & nonnullis Præfectis ac sexaginta gregariis vita conceditur, cæteris omnibus trucidatis. Nec pauciores tamen è Tillianis ceciderant. Eo obsidio durante agmen equitum Rostochuo ductu tribuni Wingerskii ad Tillium tendens per Rheingravium ex improviso ingruentem dissipatur. Banerius quoque cum Cronbergio tribuno Cæsareo non procul Novo Brandeburgo pugnam æquo fere Marte committit. Novum Brandeburgum à Tillio expugnatum.

§. 9. Contra Rex ut Brandeburgo subveniret, jam exercitum ad Pasevvalcum convenire jusserat. Sed prævertente hostium violentia consilium mutare necessum fuit. Igitur ad impetum Tillii à Citeriore Pomerania avertendum Hornio, cui ex Ulteriore provincia evocato hæc cura injungebatur, mandatum, Fridlandiam, & Treptoam invalida oppida defenderet, sed Clempenoæ, Landscronæ, & Spantcoæ arces valido præsidio inlideret ad distinendum hostem: cæterum Demmino, & Anclamo tuendo maxime incumberet. In Pena quoque flumine navigia disposita, & ad Stolpam atque Gutzcoam viarum angustiæ excitatis castellis interceptæ. Nec minus Tribsesæ ad impetum excipiendum omnia provisa. Quod si utique Anclamum Tillius invadere conaretur, decretum erat Regi, castris ad Cabelam locatis hostem à tergo circumclusum commeatu, & pabulo prohibere, carptimque vires ejus atterere. His ita dispositis ipse Odera superato alibi occasionem rei gerendæ aucupaturus, ad Suetam castram metatur, juncto ibi duobus navalibus pontibus flumine. Rex Citeriori Pomeraniæ prospicit.

§. 10. At Tillius facile animadvertens, quibus difficultatibus se induturus esset, tentata Citeriore Pomerania, ac famem præcipue metuens in regione jam evastata, direpto Novo Brandeburgo ac dejectis munitionibus, Rupinum retrovertit, in itinere Miroa arce in deditionem accepta. Tum missus cum viginti quinque equitum alis Rudolfus Coloredus ad exploranda Regis castra, num iis forte expelli posset. Sed cum ea jam munita, ac se à Gustavo intrepide expectari intellexisset, Coloredo revocato Cæsareas copias Francofurtum remittit, ipse Magdeburgum toto impetu adoriri certus, quo istum, quem viribus imparem sibi judicabat, in patentia camporum eliceret, præliique necessitatem eidem imponeret, ni Magdeburgum perire vellet, maximi momenti urbem, & Gustavi æque ac Cæsaris destinatis opportunam. Tillius Magdeburgum tendit.

§. 11. Tillio digresso Gustavus Rex Hornium è Citeriore Pomerania, cui nullum amplius ab hoste periculum, ad se evocat, Nova Marchia Cæsareos ejecturus, qui interea Landsberga excurrentes Mitslavii novos delectus Arensvvaldæ oppressérant. Contractis igitur omnibus copiis Francofurtum rendit, ex itinere Croatis, qui Munchebergæ, & Zedenici agebant, male multatis. Insidebat Gustavus Francofurtum expugnat.

1631. fidebat Francofurtum cum justo fere exercitu Schaumburgius, quo etiam Fridericus Tieffenbachius accurrit, qui summa rerum in se susceptа ædificiis suburbanis ignem injecit. In accedentes Suecos eruptionem statim faciunt Cæsarei; sed non sine damno repelluntur. Noctu Sueci in suburbiorum parietinis communire se, & actis obliquis fossis ad munitiones propinquare incipiunt. Quod etiam sequenti die continuatum inter vana Cæsareorum ludibria, velut istis sat animi non esset assultum tentandi. Sed mox impetu facto exteriore munitione hostis ejicitur, simul tormentis Gubenensis porta acriter verberatur. Tum quidam scloperarii præeunte cohortis vicario Andrea Anero injussi vallo ingruunt, ac dum propugnatores inter fumum fragoresque oculis & auribus non satis constant, ad summum enituntur. Rex occasionem rei bene gerendæ forte oblatam solerter amplexus, illico cæteris quoque invadendi signum dat. Nec mora Cæsarei vallo depulsi per interiorem portam in oppidum se conjiciunt; quos è vestigio Sueci insecuti una irrumpunt, diversis quoque locis interea vallo superato. Irruentes undique expellere iterum conabantur equites Cæsarei: sed quos Baudissius cum equitum legione per apertam portam invadens facile disjecit. Nec inde aliud quam cædes tanto atrocior, quod ruentes ad pontem quo Odera jungitur currus simul militesque, dum pro se quisque primus evadere nititur, sibi invicem impedimento forent. Nec paucos ponte detrusos flumen hauriebat. Castellum, quod trans pontem erat excitatum, itidem deseritur, machinis in aquam provolutis, & igne ponti injecto. Cæsorum in urbe mille septingenti amplius numerati sunt, inter quos insignes ductores Hedonius, Hardeccius, Herbersteinius, alii Capti circiter octingenti, quos inter tribuni Spartius, Morvallius, Butlerus junior. E Regiis trecenti cecidere. Præda insignis ac bellici adparatus magna vis cum viginti & uno tormentis, nec non viginti quatuor signa in Regiorum manus pervenerunt. Qui cladi superfuerant cum Tieffenbachio Glogoviam Majorem se contulere. Oppidum ipsum tres per horas militi ad direptionem patuit, ibi inter cæteros Pelargus Calvinianus Theologus super sua domo exspoliata apud Regem questus id responsi retulit: divinitus ipsum pœnas luere ob falsa dogmata per Ecclesiam sparsa. Id dictum ab ipso ad Bremenses, & inde ad alios ejus sectæ vulgatum non parum illos perturbavit, velut jam ab omnibus hominibus desertos, postquam tam infensum sentirent Gustavum, de cujus præsidio tantum sibi polliciti fuerant. Sed id dictum mox in favorem vertit Gustavus, postulato à Theologis Berolinensibus, ut quousque cum Lutheranis Ecclesiis in singulis fidei capitibus conciliari possent, scripto consignarent, ad Theologos Suedicos transmittendo; quod isti interpretabantur, velut Rex unionis inter Ecclesias Protestantium ipsem non abjecisset; cum revera non nisi metum illic eximere vellet, quasi opiniones eorundem ferro impugnatum veniret. Cæterum Tillius cum ad suppetias Francofurto ferendas in viam se jam dedisset, res perditas intelligens ad Magdeburgi obsidium retro abit, omni urbem eam vi oppugnaturus, quo Regem ab invadenda Silesia diverteret. Sed Rex invitantem fortunam secutus selectas copias Landsbergam rapit, quam tres Cæsareorum legiones, quindecim equitum alæ insidebant sub Cratzio juniore tribuno. Is, dum in adventantes Suecos eruptionem tentat, occisus suorum animos non parum fregit. Castellum ultra Wartam fluvium à Tupadelio primum expugnatur levi negotio, dum trecenti qui inerant pedites armis abjectis se dedunt. Ipse Rex flumen ponte raptim structo transiens opinione citius ad oppidum se ostendit, ac repulsis qui eruperant, intus conclusis deditionem imperat. Qui metu consternati honestis conditionibus postridie oppido cedunt plures numero, quam illi, qui ad ipsos oppugnandos venerant.

Landsbergam deditione capit.

1631.

§. 12. Circa id tempus ad finem tendebat Conventus Lipsiensis, ad quem Saxoniæ Elector plerosque Protestantes convocaverat. Eum Cæsari hactenus plus satis addictum aperte jam erumpentes istius artes, & proditæ causæ communis exprobratio tandem ad fortia consilia excitaverant. Sed præcipue tam ipsius, quam cæterorum animos Gustavi Regis in Germaniam adventus erexerat, ut edicto super bonis sacris restituendis se opponere, & oppressionem Cæsaris amoliri fœdere inito, paratisque armis auderent. Cæterum obtentui sumebatur, congressus Francofurti ad Mœnum indictus, quo amica compositio Catholicos inter & Protestantes tentanda foret; cui negotio præparando ut sententias prius inter se conferant Protestantes opus sit. Isto conventu demum concludebatur, à Cæsare literis masculè scriptis abolitionem edicti, & finem oppressionum petendum; nec minus arma paranda, quibus vis à quocunque intentata, ac injuriæ militis Cæsarei propulsentur; ac ut invicem sibi auxilium ferant, si quis eorum impetatur. Addita tamen protestatio: salvam sibi constare debitam Cæsari reverentiam. Eodem certos homines occulto miserat Gustavus, qui ad fortia ausa congregatos animarent, tentaturos quoque, num universi Protestantes fœdere ipsi innecti, ac junctim bellum in Cæsarem sumere velint. Aut si hoc anceps nimis videatur, ut arma ipsi comparent suæ libertati tuendæ, Regios autem conatus pecunia, præbito commeatu, transituque, & aliis modis foveant. Sed cum universi communi decreto ista probare metuerent, singuli tentabantur, ac Saxoniæ cumprimis Elector, cui præcipuæ tunc opes, & à cujus autoritate plerique pendebant. Huic diligenter de scopo Regis, qui cum libertate Ordinum, & religionis Protestantium foret conjunctus, exponebatur. At hic nihil aliud, quam Regis destinata laudare, ac studium suum testari; sed quamlibet Conventionem abnuere. Nec Magdeburgensibus aliud præstare, quam ut recte & sparsim delectus per suam ditionem in istorum usum permitteret, ac ut pulvis pyrius, & frumentum ad eam urbem devheretur. Quæ ipsa res tamen exitum non habebat, dum cui ejus deducendi cura demandata erat, circa intercipiendum Ladronium Comitem in Tilliana castra tendentem satagit, neglecta ad urbem perrumpendi occasione. Cæterum Saxo, quare Gustavo fœdere jungi tergiversaretur, has rationes jam antea Charnassæo à Galliæ Rege misso expositerat; quod metueret, ne Gustavus proprium duntaxat negotium ageret, ac desideriis suis potitus ipsum destituturum Cæsaris libidini exponeret; neu paria in se statuerentur, quæ Brandenburgicus in Borussia expertum se querebatur, cujus terra evastata, ac munitissimæ urbes præsidiis infessæ fuerint, vix unquam forte recuperandæ. Addebatur, si Gustavo quid humanitus accidat, quem tantis ausis parem subiturum? Enimvero id revera agebat Saxo, ut fœdere Protestantibus inter se sociatis ipse summam rerum moderaretur, atque exercitu, quem isti conscripturi essent, suffultus neutrius se partis ferret, viresque Cæsaris ac Gustavi æqua lance libraret. Nam si Gustavo jungeretur, hic sine dubio summum belli arbitrium sibi vindicaturus erat. Ac nimis abruptum videbatur, cum professo Cæsaris hoste sociari; præsertim cum ipse nondum exer-

Acta cum Conventu Lipsiensi.

1631. exercitum paraſſet. Simul fœdere iſto viam ſibi præcludere nolebat, quominus, quandocunque commodum videretur, ad amicitiam Cæſaris redire poſſet. Interim & ipſe, & plerique Germaniæ Ordines Proteſtantes hactenus Guſtavo favebant, ut dum hic cum Cæſare colluctatur, militem conſcribere, & occaſionem libertatis ſuæ reſtituendæ arripere vellent. In Cæſarem autem arma ſtringere non niſi tunc decretum erat, quando ipſe extrema intentaret. Contra Cæſari fixum ſedebat, Saxonem quamprimum ſe moveret tota belli mole obruere; quo proſtrato reliquis Proteſtantium nec animum nec vires fore in ipſum quid tentandi; quos quidem adeo contemnebat, ut jactaret, Saxone remoto cæteros vix decem legionibus continuo alendis ſufficere. Et ſane mox patebat, quam levi negotio Cæſar plerosque per Superiorem Germaniam fœderi Lipſiaco renuntiare coëgerit; cui deſtruendo Liga quoque Pontificia conventu Dunckelſpulæ habito ſe adſtrinxerat; quæ & literis datis iſtorum inſtitutum improbavit; & ut eodem ultro deſiſtant, impenſe hortata eſt.

Spandea Guſtavo traditur.

§. 13. Enimvero ſcrupuloſa iſta Saxonis & aliorum circumſpectio Guſtavum monebat, ut & ipſe inter ambiguos caute procederet, nec eo usque ſe penetraret, ut ſummam rerum ſuarum ab aliorum placito fideque nudis verbis innixa ſuſpenderet. Unde quamquam Magdeburgi liberatio magnopere cordi ipſi foret; temerarium tamen judicabat eo prorumpere, imminentibus à tergo munimentis, quæ receptum intercludere poſſent. Eoque antequam Magdeburgum iret, Cuſtrinum ſibi, & Spandoam, Oderæ & Havelæ clauſtra, à Brandeburgico tantiſper tradi utique cupiebat; atque interim firmato præſidiis Francofurto, & Croſna cum robore exercitus Copenicum usque progreditur. Præmiſſi ſunt inde ad Electorem Guſtavus Hornius, & Jacobus Steinbergius, ſuper traditione illorum oppidorum transacturi. Sed cum reſponſum, quod reportabant, Regi non ſatisfaceret, poſtridie Rex ipſe cum Electore in colloquium ad Berolinum deſcendit, modica militum manu ſtipatus. Inter moroſam Electoris tergiverſationem Rex exercitum propius urbem accedere jubet, minatus, ſi omnes ipſum deſtituant, ſe quoque abdicata communi Proteſtantium cauſa, ac firmatis in Pomerania locis maritimis cum Cæſare transacturum, & Holmiam reverſurum. Ubi quæ ipſum cæterosque Proteſtantes fortuna ſit manſura, brevi in aprico fore. His rationibus expugnatus vix demum ſequenti die Elector in Spandoæ traditionem conſenſit, ſalvis tamen ſuis juribus, & ut illa citra moram reſtitueretur, ubi Magdeburgo ſubventum, aut Guſtavus in turum ſubductus ſit. Nec mora deducto Electoris præſidio, Spandoam miles Succicus ſacramento Brandenburgici ſimul adactus duce Axelio Lilio ingreditur. Potsdamum inde promota caſtra, ac Cæſareus miles, qui Vetus Brandeburgum, Ratenoam, & alia Albi vicina loca inſidebat, ad famam adventantis Regis intra Tillii caſtra ſe recepit.

Saxo ad Magdeburgum liberandum Guſtavo jungi non vult.

§. 14. Cum Saxone autem Guſtavus jam antea per literas egerat, ut apud pontem Deſſavienſem copias ſecum jungeret, Magdeburgi liberationem pariter ſuſcepturus; utque ſuo exercitui annonam, ac pyrium pulverem, & machinas præberet. Sed iſte hæc omnia abnuere, fidem Cæſari debitam excuſans, & quod ingruentibus ex Italia Cæſareis ditiones ſuas milite nudare haut poſſit. Tranſitu porro Regi conceſſo facile bellum in ſuam provinciam attrahi. Annonam etiam Cæſari petenti negatam. Iſta effugia quanquam Rex prolixis literis elevaret, addita proteſtatione, per ſe non ſtetiſſe, quo minus Magdeburgo ſubveniretur, quam urbem ſervari Saxonis magis & Brandenburgici, 1631. quam ſua intereſſe; is tamen nullo modo à ſententia dimovebatur. Ea re Guſtavus Magdeburgum tendere prohibebatur. Nam & inter tergiverſationes iſtas non parum temporis incaſſum elabebatur, & cur Saxoni, ac Brandenburgico non ſatis fideret, aſſatim cauſæ habebat; inter duos autem parum fidos amicos medium ſe immittere periculoſæ plenum aleæ. Sed & miles Guſtavi hiberno labore attenuatus, & exhauſtus ob ſtipendia non ſoluta tremebat. Nulla quoque annonæ copia, circumjectis locis per hoſtem vaſtatis; cum hic contra numero & robore copiarum longæ prævaleret. Nihilominus ſecundo Havela Rex progredi, Albique propinquare conſtituerat, ſi qua occaſio daretur Tillium vi aggrediendi, aut alia ratione obſidio Magdeburgi abſtrahendi.

Magdeburgi excidium. 10. Maji.

§. 15. Inter has moras ſuprema dies Magdeburgo illuxerat. Ea urbe, in qua maximum momentum ad ſiſtendos Guſtavi impetus, ſimul coercendis Saxoniæ, & Brandenburgi Electoribus poſitum erat, Tillius utique potiri connitebatur. Ac primo literis Adminiſtratorem civesque, ac magnificis promiſſis Falckenbergium tentare. Sed cum hac via nihil proficeretur, ad vim converſus munimenta, quæ extra urbem Magdeburgenſes hinc inde extruxerant, expugnat. Inde ſuburbiis Sudenburgo, & Neuſtadio ab ipſis civibus ignis injectus, cum quicquid militum ſupereſſet defendendæ urbi ægre ſufficeret, errore Adminiſtratoris, qui dum novos delectus per minuta provinciæ oppida ſpargit, magnam copiarum partem fruſtra prodegerat. Adpropinquabant jam urbi Cæſarei, cum Adminiſtrator civesque inducias peterent, quo ad Saxonem & Brandeburgicum mittere poſſent, autoritatem ſuam componendis turbis interpoſituros. Sed abnuit Tillius, ne interim Guſtavus Rex occaſionem arriperet obſeſſis ſuccurrendi. Qui & minabundus utrumque Electorem monet, ne Magdeburgo ſuppetias ferant, neu Guſtavo tranſitum eodem concedant. Tentatæ equidem ab oppidanis aliquoties eruptiones, ſed modico obſidentium damno, qui brevi ad labrum foſſæ penetrant, ac magno machinarum impetu munitiones disjiciunt. Jam opera ad valli pedem promota erant, cum Tillius tubicinem in urbem mittit, ut 7. Maji. extrema per deditionem prævertant imperaturum, quem illi ad tertium usque diem detinebant, quo ipſum reſponſo dato dimittere decreverant, ni fatum urbis eo die ingruens obſtitiſſet. Decretum fuerat Tillio, primo diluculo diei decimæ Maji undiquaque impetum in urbem dare, quando poſt pervigilatam noctem plerique domum dilapſi eſſent, cæteri inſomnia marcerent. Idem tamen de ſucceſſu ambiguus denuo in conſilium rem deducit, ut ad ſeptimam horam matutinam oppugnatio differretur. Igitur cum vallum civibus, periculo ſe jam defunctos arbitrantibus, fere nudatum foret, & Falkenbergius in curiam conceſſiſſet tubicini reſponſum adornaturus, quo nondum reverſo nihil à Tillio tentatum iri credebatur, Pappenheimius ſubito aſſultu munimentum novum, quod ſuburbio Neuſtadio objacebat, invadit, quo facile ſuperato mox in urbem penetrat. Id nonnulli inſtinctu centurionis cujusdam Itali à Pappenheimio ſuſceptum tradunt inſcio Tillio, qui licet copias ad impetum faciendum diſpoſuiſſet, oſtentare vim, quam inferre maluerit, ut integra urbe potiretur. Tumultu excitato advolat Falckenbergius, & acriter incurrentibus undique civibus hoſtem retro ferre pedem cogit. Sed cum ipſum atpere conſerta pugna feralis globus ſtraviſſet, animi civium non parum minuebantur. Et quanquam

cæteri

1631. cæteri ductores dubiam adhuc hosti victoriam reddebant; tamen cum & horum plerique cecidissent, & Pappenheimius frangendæ pertinaciæ ignem proximis ædibus injecisset, cives in domos suas dilabi cœperunt. Interim equitatus quoque in urbem penetraverat, ac flammam exortus turbo longe lateque distulerat. Tum vero nullum crudelitatis ac libidinis genus ab efferati militis rabie omissum; cum interim ignis avaritiæ materiam pleramque abstumere properaret, velut præda tam opima multans, qui victoria tam atrociter abusi essent. Magnitudinem cladis miseræ ædificiorum atque hominum reliquiæ satis arguebant. Nam ex tanta multitudine quadringenti duntaxat cives superfuere, & præter ædem primariam centum quinquaginta piscatoriæ ad Albim domus. Extremum malorum fuit à Tillio indicta Numini supplicatio post edita plus quam barbaræ immanitatis specimina. Et vero fructum suæ victoriæ ipsi corruperant Cæsarei destructa urbe, qua integra vicinis regionibus late frænum injecturi erant. Simul ad tam crudele exemplum tota Germania animis Protestantium desperatio, odium, vindictæ ardor adversus talium auctores gliscebant.

Hujus culpam Gustavus à se removet.

§. 16. Cæterum ne ab imperitis aut malevolis culpa perditi Magdeburgi in Gustavum devolveretur, ipse scripto publice emisso edocuit, non minimam cladis suæ causam Magdeburgenses ipsos præbuisse intempestiva tenacitate, ac inhumanitate adversus milites, & quod tanto hosti repellendo idonea parare media neglexissent, plus satis alienis consisi auxiliis, cum propriis stare potuissent. Regi pronam semper fuisse voluntatem, sed quam effectui dare ineluctabiles rerum difficultates prohibuerint; ac cæco impetu accurrere molientem, se ipsum, summamque rerum, ac tot oppressorum spes perditurum fuisse nullo urbis fructu. Hostem Gryphenhaga ac Gartzio exturbatum penitus profligare in proclivi fuisse, ac uno impetu Magdeburgum tendere, ni transitum ad Custrinum denegasset Brandeburgicus. Inde Francofurto, & Landsberga pulsum hostem, tergo progredientis hæsurum. Nec tamen tibi licuisse salutem suam, exercitusque ab arbitrio Brandeburgici suspendere, nulla accepta cautione. Citra hujus, atque Saxonis favorem Magdeburgi liberationem tentare haut quicquam cum prosperi spe successus potuisse. Utrumque autem ita ambigue secum egisse, ut quid solidi ab ipsis expectare posset, non adpareret.

Mira cum Brandeburgico.

§. 17. Idem audita Magdeburgi expugnatione retro ad Spandoam movebat speculaturus, quo Tillius deinceps se conversurus esset, aut quid cæteri Protestantes, ac vicini cumprimis Electores edito tam atroci exemplo in amicam ipsis urbem capturi forent. Simul verebatur ne augescentes in Silesia Cæsaris copiæ aliquid à tergo molirentur, si ipse rebus hac parte nondum tàt firmatis longius progrederetur. Quas & nuper Crosnam impetu expugnare conatas Brostartus præsidii præfectus cum damno inde rejecerat. Etsi autem conditio, qua Gustavo Spandoa tradita à Brandeburgico fuerat, expirasse jam videretur; tamen cum neque versus Albim progredi auderet, ni firmus ad Havelam receptus foret, neque longius ab Odera discedere, ni transitu ad Custrinum hostis excluderetur; ante omnia Electorem quovis modo inducere conabatur, ut aut icto fœdere in partes suas descenderet, aut Spandoam, Custrinumque in suam potestatem traderet. Alias enim facile erat hosti hisce in oris belli sedem figere, ac Gustavum mare versus propellere; quo ipso quicquid à tergo erat Protestantium Cæsaris arbitrio exponebatur. Enimvero isthæc à Gustavo propolita longe recusare Brandeburgicus; cujus Consiliarii partim in Cæsarem erant proclives, cæteri Magdeburgica calamitate attoniti à belli malis se removere, ac ostentio in neutram partem studio sibi utcumque cavere satis habebant, de communi Protestantium causa securi. Gustavus ut destinatis suis potiretur, in varias se formas vertere. Ac primo simulare, velut in diversa se cum exercitu recepturus, & suas tantum res curaturus sit, postquam intelligat, adventum suum nonnullis parum gratum esse. Ejusmodi discessum cum Elector deprecaretur, quippe tunc Cæsareorum libidini exponendus, Gustavus de fœdere, ac armorum conjunctione proponit. Ast Elector per media consilia urgentes utrinque difficultates eluctari cupidus, *neutralitatem* occinere, conventus Lipsiensis decretum, consultandi cum Saxone & Ordinibus Provincialibus necessitatem excusans. Inde Rex de fœdere quidem in præsens omittit, de Spandoa retinenda urget. Sed & heic Brandenburgicus vocabula pacti ingerere, Spandoæ restitutionem, & Gustavi abitum postulare, multa super militum petulantia questus. Igitur Gustavus tergiversationum fessus demum amicus, an hostis esse velit, ut intra triduum significet, postulat. Nam ut bona fide neutrarum esse partium possit Elector, positum provinciæ ipsius non permittere. Amicus si esse velit, eosdem secum amicos hostesque icto fœdere habendos. Sin minus, Spandoam se confestim redditurum, sed mox hostilia adversus ipsum exercituram; silentium belli indicium habiturum. Heic Arnheimius intervenions Gustavo, ut de Spandoa postulanda desisteret, persuadere conabatur, velut quo minus eam annueret Electorem sua dignitas, pactaque cum Saxonica Domo, & Imperii leges prohiberent. Sed cum Gustavus longe solidiores rationes opponeret, tandem spem faciebat, responso magis liquido Electorem ipsi satisfacturum. Ast cum Elector nil nisi fœdus deprecaretur, tandem Rex illudi sibi, & inani disceptatione tempus extrahi indignatus, Electori quidem statim Spandoam fidei suæ liberandæ consignat; sed mox cum exercitu Berolinum tendit, præmisso tubicine portas reserari imperans, & hostilia minatus, si quis resistere audeat. Sic tandem absumta tergiversandi facultate conclusum, ut Spandoam iterum Rex præsidio suo custodiret, quoad bellum duraret; & apud Custrinum transitu, receptuque si opus foret, frueretur. Spandoæ præsidium Electori, Custrinense Regi juramento cavere super observatione horum pactorum adigebatur. Ut autem hoc modo procederet Rex, non tam propter ipsum Electorem, quam propter Consiliarios ejusdem necessum erat, quibus, ne Sueciæ salutem cauponari possent, facultas præscindenda videbatur. Et quia Pomerania fundamentum erat rerum Suecicarum per Germaniam, ne ex Marchia hostis in illam effundi posset, firmius quam per verba ac literas caveri Gustavus volebat. Contra Elector, si secius res cecidisset, excusatum se Cæsari fore credebat, necessitate à Gustavo allata. Etsi Cæsar, quas sui purgandi causa scribebat literas Elector, inter inania putaret.

Legatus Muscoviæ Ratenoam, Vetusque Brandeburgum præsidiis cus audiet amplectitur. Ipse Rex raptim Stetinum delatus tur, Czaris Moscoviæ Legatum audit, qui ut arma in Suecia emere, ac militem, quem in Germania conducturus erat, per Ingriam deducere liceret petit. Quod facile Gustavus annuit, cui optandum erat bellum Polonos inter Russosque exardescere, sibi ab utrisque tantisper cautionis loco futurum. Hinc ad urgendum Grypsvvaldæ obsidium abiturus erat,

§. 18. Post initam cum Brandenburgico conventionem exercitus in castra ad Spandoam redit, ac

quæ

1631. Grypswaldia capitur.

quæ ſola Cæſareis in Pomerania reſtabat: verum rem ſperato citius confectam reperit. Nam Achatius Tottius, cui ejus obſidii cura demandata fuerat, equites nonnullos exploratum circa oppidum præmiſerat, in quos ipſe Peruſius præſidii præfectus longius quam par erat, progreſſus impingitur, ac diffugientibus qui comitabantur Croatis occiditur, eam laudem meritus, quod optime omnium è Cæſareis ducibus ſtationem ſuam in Pomerania defendiſſet. Præſidiarii tamen amiſſo quantumvis ſtrenuo duce, adverſus adventantem cum exercitu Tottium ferociam primo oſtentare, & acri eruptione in ſubeuntem peditem decertare. Sed poſtridie animis lapſi honeſtas conditiones pacti oppidum dedunt: in quo munitiones, & alia ita præclare diſpoſita reperiebantur, ut ſi Peruſius vixiſſet, aliquot menſium obſidionem tolerare potuiſſe videretur. Cum autem præſidiarii, quibus tutum iter Roſtochium verſus promiſſum erat, Havelbergam tenderent, ſuperveniens tribunus Hallius equites diſſipavit; pedites mille quingenti arma deponere juſſi, plerique ſacramento Regis acceſſere. Qui licet adverſus pacta ſe violatos quæri non poſſent, quod diverſum convento iter ingreſſi forent; factum tamen Guſtavo duplicuit, eoque in autores ſi deprehenderentur animadverti, qui captivi ſuperfuerant, liberos dimitti juſſit. Interea exercitus ad Spandoam levibus excurſionibus hoſtem laceſſebat. Ac inter cæteros Bauditius Ortenburgico Comite, & Hallio tribuno comitantibus Albim vado tranſiens ducentos Cæſareos equites Werbenæ cædit, captis qui necem effugerant. Sed dum ipſe atque Ortenburgicus ſiti æſtuque inflammati raptim ſe frigida proluunt, graviſſimum morbum ambo contrahunt, ex quo Ortenburgicus paulo poſt extinctus eſt, juvenis manu conſilioque pollens, & qui magnam de ſe expectationem concitaverat. A Regiis quoque Havelbergæ Baſilica occupata, & nonnulli Cæſareorum Burgi non procul Magdeburgo oppreſſi. Ex adverſo Cæſarei è Sileſia Gœtzii Tribuni ductu recentem militem à Nicolao Bockio collectum nocturna irruptione diſſipant; etſi pleriſque cum ipſo tribuno tenebræ effugium dabant. Quos tamen mox Guſtavus Hornius ultus eſt, ſeptem Cæſareorum alis Grunbergæ oppreſſis.

Guſtavus Albim verſus movet.

§. 19. At Guſtavus purgata jam à Cæſareis Pomerania, partem copiarum ad ejus provinciæ munitiones cuſtodiendas, & ut Meclenburgicis Ducibus, qui tunc ſua armis recuperatum ibant, adiſterent, ſub Tottio reliquit; cæteros ad exercitum in Marchiam ire juſſit. Ubi maxima peditatus parte ſub Joanne Banerio ad Vetus Brandeburgum ſubſiſtente, ipſe ſelectis cum ſclopetariis, & univerſo pene equitatu Jerichoam cœnobium venit, ac dimiſſo paſſim equite vicinam regionem ad usque Magdeburgenſem pontem explorat. Ad cujus adventum Pappenheimius, qui hactenus Burgi ſtativa habuerat, celeriter ſe Magdeburgum recepit. Rex nullo eis Albim hoſte reperto ad Tangermundam id flumen trajicit, & in arcem oppido adſitam refugos Cæſareos cædit, ac ponte navali Albim ibi jungit. Eodem cum omnes copias contraxiſſet, deliberabat, num expediret ad recuperandum Magdeburgum incumbere. Sed quod Tillius cum exercitu non procul abeſſet, qui ſine dubio obtectis auxilio venturus erat; nec cum Saxoniæ Electore quidquam adhuc conveniſſet, munito ad Albim loco exercitum continere inſtituit, expecturus, quo Cæſaris arma in fœderis Lipſiaci ſocios per Superiorem Germaniam, ac gliſcens inter Saxonem & Tillium diffidentia eruptura forent. Huic rei maxime opportunus locus viſus, ubi Havela Albi abſorbetur. Nam Havela commodam commeatus ſubvectionem, & ne hoſtis tergum circumire poſſet, præſtabat. Unde & Havelberga Cæſarei exturbati, Winkelio tribuno per flumen humero tenus in oppidum irrumpente: ubi qui in armis deprehenſi reſtiterant trucidati; quadringenti amplius, qui armis abjectis ſalutem petierant, capti. Werbenam igitur translata caſtra, medio inter oppidum ac Albim loco ponc aggerem coërcendis exundationibus quondam ſtructum, qui tunc munimenti in vicem adaptabatur. Simul ponte fluvius inſternitur, ac validum caſtellum in angulo, quo Havela Albi miſcetur, excitatur. Ac ne præſidium Cæſareorum, quod Dæmitzam inſidebat, in Succorum pabulatores incurrere poſſet, ſtationes equitum idoneis locis diſponuntur.

1631. Caſtra ad Werbenam ponit.

Superior Germania fœderi Lipſienſi renuncia.

§. 20. Interea Cæſar per exercitum Egonis Furſtenbergii ductu ex Italia reducem Superioris Germaniæ Proteſtantes, cum literæ nihil proficerent, ut fœdus Lipſienſe ejurarent, cogere inſtituit. Ibi Memminga primum, & Campodunum ſubacta, ac pecuniis emuncta. Inde Ducis Wurtenbergici Tutor trepida deditione tranſigit, cum jam in itinere eſſent tria militum millia, auſpiciis Guſtavi Regis à Schlammersdorfio conducti, & manus peditum Ulmenſium, qui auxilio mittebantur. Hinc Ulma & quicquid urbium per Sueviam, ſimul Circulus Franconicus Lipſienſi decreto renunciant. Miles ab his conſcriptus exautoratur, & magnam partem Cæſaris ſacramento accedit, ingenti inſuper pecuniæ ſumma exſoluta. Ita paucos intra dies iſto tractu Lipſienſe fœdus nullo negotio everſum.

Tillius in Thuringiam movet.

§. 21. Sed non pari facilitate res Tillio ſuccedebat circa cæteros Lipſiaci decreti ſocios in ordinem redigendos. Is relicto cum idoneis copiis Pappenheimio ad defenſionem Magdeburgi, & vicinorum locorum, Thuringiam verſus movebat, ut Haſſiæ Landgravio Wilhelmo, Saxoniæque Ducibus, & cumprimis Electore perdomitis Proteſtantium fœdus plane diſſiparet. Ac jam in ditione Vinarienſi, atque Schvvartzburgenſi hoſtili modo graſſabatur. Frankenhuſa direpta, & in cineres data. Erfordia blanditiis & prompto obſequio eundem à ſe avertit. Hinc Mulhuſam ſe contulit, unde legatum cum duriſſimis mandatis ad Wilhelmum Landgravium miſit; quem ubi hic animoſo cum reſponſo rejeciſſet, ac jam Tillius arma in iſtum expediret, à Pappenheimio de impreſſione Guſtavi ad Albim nuntius venit. Igitur potius viſum dilato Haſſo illuc totis viribus incumbere, & vel præliandi neceſſitatem ipſi imponere, vel trans Albim eundem rejicere. Quo repulſo in proclivi fore ſibi ſperabat Lipſiaci fœderis reliquias opprimere. Nam ſe quidem militum robore Guſtavo longe præſtare judicabat. Igitur circa Julii menſis initium Mulhuſa digreſſus Tillius per Manſfeldam, & Aſcaniam Wolmerſtadium feſtinato itinere pervenit. Cujus adventu cognito Guſtavus Rex cum magna equitum & dimacharum parte verſus iſtum procedit, tentaturus num recens adventanti de improviſo clades aliqua inferri poſſit. Nec ſucceſſu res caruit. Nam in tres equitum legiones Montecuculi, Bernſteinii, & Holckii, quæ in vicis Burgſtallo, Reindorffio, & Angero hoſpitabantur, noctu impreſſio à Rege facta, & earum magna pars cæſa; cæteri in fugam diſperſi. Eo in conflictu tribunus Bernſteinius cecidit. Sed è Regiis Carolus Ludovicus Palatinus Lauterenſis, dum ante Rheingravii legionem acriter pugnam ciet, graviter ſaucius paulo poſt non ſine magno Regis dolore decedit. Inde Tillius toto cum exercitu Werbenam movet clam præmiſſis, qui ſub ipſius adventum tormenta Succica clavis configerent, & oppidum incenderent, num forte eo tumultu in caſtra Regia penetrari poſſet. Sed detecta proditione Guſtavus tormenta,

Tillius vapulans.

1631. menta ſilere, & magnum ignem Werbenæ excitari juſſerat, ut eo fidentius Tilliani caſtrorum munimentis ſuccederent, velut peractis inſidiis. Tanto majore damno in propiores fulminatum, ac Tillius amiſſis plurimis re infecta in caſtra ſua ſe recepit. Inde quotidianis velitationibus inter equites utrinque certatum, nullo in ſummam rerum momento. Sed cum Tillius Guſtavum in aciem elicere non poſſet, nec munitiſſima ejus caſtra oppugnare auderet, pabuli quoque & commeatus inopia urgente, cum Guſtavo contra opportunitate fluminum omnia bello trahendo neceſſaria ſupperterent, retro vertit, ac evocatis Vetere Marchia præſidiis Wolmerſtadium exercitum reducit.

Mecklenburgici Duces dignitatem ſuam armis vindicant.

§. 22. Dum Tillius in Thuringia moratur, Regina Maria Eleonora è Suecia cum aliquot millium ſupplemento in Pomeraniam adpulerat, quorum partem ad ſe Rex in Marchiam accivit, partem Ducibus Meclenburgicis ad vindicandam avitam ditionem auxilio ire juſſit. Iſti enim hactenus inani ſpe ex Ratisponenſi conventu concepta, à quo ad cognitionem Electorum rejecti fuerant, tandem fallaciam morarum ſeili occaſionem fortiter arripere decreverunt. Quibus inter alia hoc quoque animum addebat, quod ad Conventum Lipſienſem à Saxone evocati, eoque ipſo legitimi Principes agniti fuerant. Illi igitur ſuper juſtitia conatus ſui publico ſcripto tenati partem copiarum à ſe collectarum Stralſundam navibus transportaverant, quæ per Ribnizam ſub Tottii imperio, aſſiſtente Joanne Alberto Duce, in Meclenburgicam irrumpebat. Suana, Guſtrovia, Butzovia ab hoſtibus deſertæ ultro patuerunt. Plavia arx, & Miroa poſt exiguam moram dedita. Oppreſſæ quoque hinc inde aliquot hoſtium alæ, & opima præda à Regiis parta. E diverſa provinciæ parte Dux Adolfus Fridericus cum tribuno Lohuſio irrumpens recta Suerinum, priſtinam aulæ ſuæ ſedem properabat, in cujus ſuburbio ducenti dimachæ (quos militari vocabulo *dragones* vocant,) deprehenſi partim cæduntur, cæteri in ſtipendia Regis tranſeunt. Mox oppidum expugnatum paucis utrinque cadentibus; cæteri hoſtium in arcem refugere natura munitam, & proviſo ſatis commeatu, ſed tormentis deſtitutam. Advertus quos deditionem recuſantes à Tottio Georgius Johannis, & Laurentius Caggius tribuni obſeſſoribus auxilio miſſi. Sed poſtquam machinis arx verberata, & omnia violentæ oppugnationi parata forent, obſeſſi honeſtas conditiones pacti arcem tradiderunt, ac pars Dœmitzam, cæteri Wiſmariam dimiſſi; etſi plerique gregariorum ultro Regiæ militiæ nomina darent. Sic Meclenburgica levi negotio ad antiquos dominos redit, exceptis Wiſmaria, Roſtochioque, & Dœmitzæ arce, quas adhuc Cæſareus miles tenebat. Circa has habito conſilio decretum, ut Roſtochium obſidio cominus premeretur, Dœmitzæ, ac Wiſmariæ præſidia diſpoſito locis idoneis equite eminus includerentur. Principes iſti terris ſuis jam redditi feriis indictis, ſolennique pompa Guſtroviam ingrediebantur, cui maximum ſplendorem conciliabat Guſtavus Rex, eodem excurrens, quem immenſus populi plauſus proſequebatur.

Hamiltonius è Britannia copias adducit.

§. 23. Circa idem tempus in Germaniam adpellebat Jacobus Hamiltonius Marchio cum ſex Anglorum Scotorumque millibus, quos auſpiciis Guſtavi Regis propriis ſumtibus adjuvante quoque Angliæ Rege conſcripſerat; in quos tamen Guſtavus diſerte ſummum ſibi imperium reſervaverat. Eas copias Guſtavus Viſurgi immittere deſtinaverat, quibus ſe juncturus erat Joannes Adolfus Archipræſul Bremenſis, jamdudum in partes Guſtavi pronus, ſimul & è Batavis aliqua manus expectabatur; quo illis in oris excitato bello Tilli animus, viresque diſtraherentur. Sed quia Batavos non parum ſuſpicionis inceſſerat, quod bellum ea ratione finibus ipſorum advolvi videretur; igitur neque promovendæ Hamiltonii expeditioni quidquam gratificari volebant, & ne Wilhelmi Naſſovii copiæ iſtis jungi poſſent, præter neceſſitatem eas ſuo ſacramento adigebant. Cæterum cum naves, quæ Hamiltonii copias vehebant, Viſurgim verſus tendentes jam Heiligenlandiam inſulam in conſpectu haberent, adverſo vento abreptæ curſum mutare, & per Oreſundam in Pomeraniam dirigere inſtituerunt. Id conſilium è Daniæ Regis ſuggeſtionibus aliqui captum arguebant, qui Suecos in Bremenſi ditione pedem figere, quam alicui è filiis ſuis ſpe deſtinaverat, abhorrebat. Ipſe tamen Hamiltonius cautabatur tironem ſe militem in ora hoſtibus inteſſa exponere non fuiſſe auſum, quod intellexiſſet nondum ibidem præſto adeſſe equeſtres pedeſtresque copias, quas eodem ſe miſſurum Rex promiſerat. Ita iſte præmiſſo ad Regem Leslæo, qui de adventu ſuo edoceret, & quo deinceps tendendum foret mandata exciperet, ad Penemundam militem in terram exponit, & per Pomeraniam in Novam Marchiam adſcendit, ductis ſecum compluribus machinis leviori pondere à ſe ipſo primum inventis. Rex igitur ex eventu conſilio mutato ad Oderæ tutelam eas copias adhibere conſtituit, poſtquam Hornium, qui hactenus circa Francofurtum adverſus Cæſareos excubaverat, ad ſe Havelam verſus evocaſſet, in cujus locum Hamiltonius ſubiturus erat. Enimvero miles iſte Britannicus egregia ſpecie, & armis, veſtibusque bene inſtructus, ſequente autumno morbis fere conſumtus paulatim evanuit inſolentia aſperioris cœli, victusque, & tam laboriosæ militiæ intolerans, ac ſæviente tunc paſſim contagio. Nec memorabile quid ab eo geſtum, niſi quod mense Octobri repentina in Cæſareos Gubenæ hoſpitantes impreſſione ducentos eorum cecidit, trecentos captivos abduxit.

Benedictus Oxenſtierna è Gallia redit.

§. 24. E Gallia quoque revertebat tunc Benedictus Oxenſtierna mente Martio illuc miſſus, ut, quæ recens contractum fœdus requirebat, honoris verba expromeret, & promiſſam pecuniam dicto die exigeret. Qui honorifice in ea aula habitus, quæ poſtulabat facile obtinuit, nequicquam ringente Curtio, quem Cæſar diſturbando fœderi miſerat. Sed quæ de quater mille Gallis Guſtavo ſubmittendis petebantur, Rex iniquitate temporum excuſabat, quod domi mater cum fratre turbas excitaſſet, quibus compeſcendis milite ſuo ipſe opus habeat. Sed qui ad Venetos miſſus fuerat Chriſtophorus Ludovicus Raſchius fœdus iisdem cum Gallico Legibus conciliaturus, in quod proclives iſtos eſſe Legatus Gallicus Charnaſæus fidem fecerat, præter inania nihil retulit, quod iſti metu Italici belli jam ſoluti, iis quæ propius ipſos non tangebant immiſceri nollent. Nec ab Helvetiis, qui itidem in belli ſocietatem ſolicitabantur, quidquam obtentum, Cæſare veterem ipſorum cum Auſtriacis neceſſitudinem ingerente.

Fœdus cum Wilhelmo Haſſiæ Landgravio.

§. 25. Dum in caſtris ad Werbenam hæret Guſtavus, ad ipſum acceſſerat Wilhelmus Haſſiæ Landgravius, fœderi de quo jam ſuperiore anno actum fuerat, ſupremâ manum impoſiturus. Ejus ſumma huc redibat, ut Rex Landgravio in protectionem, & clientelam recepto adverſus quoſcunq; conſilio auxilioque pro viribus adſiſteret, nec cum Cæſare aut Pontificiis pacem iniret, niſi ipſo incluſo, ac in ſtatum, qui ante motus Bohemicos fuerat, reſtituto. Nec minus eidem opem ferret, ſi eo nomine à quopiam infeſtaretur, quod alicui è vicinis Pontificiis Stratibus quid eripuerit. Contra Regi Landgravius fidem promittebat, quodque eoſdem cum ipſo hoſtes amicoſque habiturus, nec abſque ejuſdem conſenſu de pace tranſacturus ſit. Conventum

1631. quoque, ut requirente belli neceſſitate Regio militi Landgravii munita loca pateant, ut tamen receptus iisdem miles Landgravio quoq; juramento ſe obſtringat, eidemq; jura ſua ſalva ſint, nec minus ceſſante neceſſitate gratis iſta reſtituantur. Regi quoque in exercitum, quem propriis ſumtibus Landgravius erat conſcripturus, ſummum imperium reſervabatur; cui regendo Rex ſe abſente idoneũ ducem Landgravio adjuncturum ſe receperat. Quæ ipſa tamen ducis Regii dignatio in Landgraviũ conferebatur. Inſuper quid Landgravii ſubditi Regio militi ditiones iſtius tranſeunti præſtare deberent, definitum. Tum ne qua repetitio eſſet ſumtuum, quos alteruter in alterius auxilium impendiſſet. Ad eandem formam pleraque fœdera, quæ poſt cum aliis Germaniæ Principibus feriebantur, concepta inveniuntur. Sic Landgravius inter primos fuit Germanorum Principum, qui citra hæſitationẽ in partes Guſtavi deſcenderet, ad ſuam communemq; Proteſtantium ſalutem ac libertatem aſſerendam, Cæſarei nominis terriculamento ſepoſito. Tanto acrius in ipſum exarſerat Tillius, qui & literis provinciales in abſentem concitare nequidquam conatus erat, & Fuggerum Comitem cum decem legionibus à Liga recens conſcriptis in Haſſiam irrumpere juſſerat. Quibus nihil territus Landgravius ad vim repellendam ſtrenue arma comparabat.

Tillius Saxoniæ Electorem invadit.

§. 26. Enimvero Tillius, poſtquam re infecta ab oppugnando ad Werbenam Guſtavo recedere coactus fuerat, ad evertendum Saxoniæ Electorem velut caput Proteſtantium, injuſſu quantumvis Bavari, ſe accingit, eo commodius tota deinceps belli mole Guſtavo incubiturus, ſi nihil à tergo intutum reſtaret: ultro quoque Suecorum res per Germaniam collapſuras ratus, ſi omnes Proteſtantes Cæſaris jugum ſubiiſſent. Primo tamen Cæſar diſſimulata offenſa per legatum Hegenmullerum à Saxone poſtulabat, cæteros ſocios permoveret, ut à decreto Lipſienſi deſiſterent, velut ipſe ejusdem præcipuus autor non foret. Tum ut idem Cæſarem inter Sueciæque Regem mediatoris partes ſuſciperet, facultatem offerebat. Aſt cum neque hæc legatio, neque ſubſecutæ Cæſaris literæ iſtum à decreto Lipſienſi dimoverent; tandem Tillio ut vim ipſi admoveret injunctum, capitali Cæſaris errore, quod Saxoni, ut cum Guſtavo id dudum captanti ſe jungeret, neceſſitatem adferret, qui alias ab extranea ſocietate vehementer abhorrebat. Cum facile fuiſſet vel ſolitis verborum blandimentis Saxonem demulcere, vel poſitis inter Guſtavum Saxonemq; caſtris utrumque cunctando atterere. Sed nimirum præteritæ felicitatis recordatio nimiam Tillio velut vinci neſcio fiduciam inſpirabat, ut ultro iſtorum conjunctionem procuraret, velut uno utrumque ictu perditurus. Qui ubi Furſtenbergii copias jam in propinquo eſſe intelligeret, per delegatos Wolmerſtadio miſſos denuo imperat, ut decreto Lipſienſi renunciet, delectibusque habendis abſiſtat, ac ſuas copias Cæſari tradat adverſus Suecum ducendas una cum tributis ad eas alendas deſtinatis. Quæ poſtulata Saxo abnuerit, juſtitiamque decreti Lipſiaci adſtruere, ac vim deprecari. Tillius interea Wolmerſtadio Islebiam caſtra contulerat, ut copias ex Italia reduces quindecim millium numero ſub Furſtenbergii ductu ſibi adjungeret. Hinc recta in Electoris ditiones cum exercitu quadraginta millibus bellatorum conſtante ingruit, Hala demum literis miſſis denuntians, ni poſtulatis ſatisfiat, vim inferendam. Tum ſtatim hoſtili modo terras ipſius ingreſſus Mersburgum occupat, ac Lipſiam per unum diem tormentis verberatam ad deditionem compellit.

Saxoniæ Elector

§. 27. Ita tandem Elector, qui copias ſuas Torgam contraxerat, quod hactenus adverſatus fuerat, miſſo Arnhemio Guſtavi auxilium implorat; qui cum eam tempeſtatem iſti incubituram prævidiſſet, Werbena Vetus Brandeburgum ſe contulerat, quo propius periclitanti adeſſet. Quia tamen Regis ſocietatem ſæpius oblatam Elector repudiaverat, decorum videbatur non ſtatim velut ad nutum iſtius accurrere. Eoque primum Arnheimio frigidius reſpondebatur: dolorem ſe ex Electoris calamitate concipere, quam dudum ipſi prædixerit: quamque declinare licuiſſet, ſi in tempore fides ſibi foret habita. Venturum ſe tamen eidem auxilio, licet alio jam ire deſtinaverit, ſi quidem Witteberga in receptus ſecuritatem ſibi tradatur, Electoris filius primogenitus in caſtra ſua militatum veniat, ſtipendium trium menſium ſuo exercitui ſolvatur, proditores, quos circa ſe Elector habeat, ſibi dedantur, aut ab ipſo plectantur, ac fœdus mutuæ defenſionis, & ut eoſdem uterque hoſtes habeat, ſecum feriatur. Aſt Elector, cujus tempora ſcrupuloſas licitationes non ferebant, non Witteburgam ſolum, ſed univerſum Electoratum in receptum offerebat; nec filium modo, ſed & ſe ipſum ad exercitum Regis aſſore. De ſtipendio quoque, & proditorum ſupplicio, ſi indicentur, liberaliter promittere; ditiones denique ſuas, ipſamque vitam cauſæ communi ſe impenſurum. Contra Rex, ne magnitudine animi Saxoni concederet, reponebat; cauſam ſibi fuiſſe, quare cautionem iſthanc exegerit, quod Elector hactenus ita difficilem ſe poſtulatis ipſius exhibuiſſet. Sed nunc, poſtquam generoſa conſilia ab ipſo capeſſi videat, cæteris omiſſis hoc unum poſtulare, ut ſtrenue ad communem cauſam aſſerendam ſe accingat. Quod ſi tamen exercitui ſuo unius menſis ſtipendium exſolvere velit, ipſum brevi hujus impenſæ fructum uberem capturum. Nec mora fœdus in has leges concipitur, ut ſociatis viribus Rex defenſionem Electoris ſuſcipiat, in ejus præjudicium nihil agat; junctis utrinq; exercitibus ſumma directio eorum, quæ communi conſilio decreta fuerint, penes Regem ſit; neuter absque alterius conſenſu de pace tractet; Regi locis ad Albim opportunis tranſitus concedatur, ejusque exercitui, quamdiu in territorio Electoris hoſpitatur, proque ejus ſalute pugnat, neceſſaria ab hoc alimenta præbeantur. Fœdere icto Guſtavus exercitum tredecim peditum, novem prope equitum millibus conſtantem Witteburgæ trans Albim ducit, & inde apud Dibenam Saxonicis copiis jungit.

1631. Guſtavo fœdere jungitur.

Deliberatio de ſumma belli.

§. 28. Ibi præſente quoque Brandenburgico Electore, qui cum Guſtavo advenerat, de belli gerendi ratione deliberabatur. Rex etſi & ipſe in prælium ardebat, tamen ut in omnem eventum exculatus eſſet, ac non niſi volentibus Electoribus alea tentaretur, in ſpeciem prælium diſſuadebat, circumſpecte procedendum diſſerens, Tilliumque à tergo circumeundum, num quæ occaſio ipſi nocendi inveniri, aut idem in æquum locum protrahi poſſit. Neque enim credebat Guſtavus, cautum ſenem relicto tuto loco citra neceſſitatem prælii aleam tentaturum; cum facile ipſi foret intra caſtra ſe continendo hoſtium impetum eludere, ac inani labore eoſdem defatigare. Periculũ quoq; ingerebat tum ſibi tum præcipue utriq; Electorum imminens, ſi clades aliqua fuiſſet accepta. Aſt Saxo cui animus moleſtiarum ac periculorum belli inſolens, eoq; omnis moræ impatiens erat, prælio certandum contendebat, ac vel ſolum ſe in Tillium iturum jactabat; cauſatus provinciam ſuam utrique exercitui alendo imparem eſſe. Huic ergo concedens Rex, cum prælium ſederet, confeſtim in hoſtem movendum ſuadebat, antequam Altringeri copiæ, quæ jam Erfordiam attigerant, Tillio jungerentur, & Tieffenbachius è Sileſia ingrueret. Unde Brandenburgico ad ſua digreſſo recta Lipſiam verſus tenditur, Regio exercitu dextram

1631. dextram, Electoris ſiniſtram manum obtinente. Tum animatos ſuos, & inſtructos Rex monebat; equos caraphractorum gladiis in vulnere circumtortis foderent, ubi ſeſſorum corpora in ictus non parerent. Contra Tillius cognita Regis & Electoris conjunctione aliquandiu dubitabat, trahere bellum, an prælium tentare ſatius foret. Nam & ipſe turo loco conſederat, ac hoſtis mora facile atteri poſſe videbatur: & adventante propediem Joanne Altringero, ſi utiq; acies placeret, auctioribus copiis certaturum. Eoque caſtra ad Lipſiam munitionibus circumdari, machinaſq; idoneis locis diſponi mandaverat. Sed Pappenheimius aliique duces fiducia ſui, & contemtu hoſtium, ut tutiora conſilia abdicaret, permovebant; recens conſcriptos Saxones, & fractos laboribus Suecos Cæſareo militi perpetuis victoriis aſſueto pares haut futuros. Obſervatum eſt ab illis, qui omina captant, conſultationē iſtam in ſuburbio Lipſiaco intra veſpillonis ædes habitam, pictis ad parietem ſandapilis. Igitur Cæſarei ſummo mane relictis ad Lipſiam caſtris in aciem diſpoſiti verſus Breitenfeldæ campos uno à Lipſia milliari procedunt, ubi tot victoriarū gloriam fructusque paucarum ſpatio horarum perdituri erant. Tillio ſimul laudem prudentiæ ſuæ prodigente, qua hactenus jactaverat; nunquam altius ſe aquam ingredi, quam fundum conſpicari poſſit.

Prælium ad Lipſiam. §. 20. Sic igitur in prælium ad Lipſiam tantopere celebratum deſcendebatur, quo ſupra ſeptuaginta quinque millia bellatorum patentiſſima planitie concurrebant. Ubi Tillius præcepta loci commoditate elatiora campi elegerat, in quibus tormenta diſponebat acie retro lenes illos clivos explicata. Simul zephyrus à tergo inſurgens pulvere fumoque hoſtium ora impleturus erat. Exercitum ejus componebant ſeptendecim peditum, totidem equitum legiones. Pedes in quatuor grandiores phalanges more Hiſpanico digeſtus; ad utrumq; latus eques ſe exporrigebat. Verum univerſæ copiæ unicam tantum aciem faciebant, nullis reſervatis qui ſecundā ut ſolet aciem formarent. Tanta illis victoriæ fiducia erat, velut uno tantum impetu ad proſternendos hoſtes opus habituris. Enimvero mox obſervatum fuit, Tillium, poſtquam hoſtes ita fidenti animo, ac bene diſpoſitis ordinibus gradum inferre conſpiceret, expalluiſſe, ac vix lingua, auribusq; ſatis competiiſſe, quaſi nunc demū ancipitia fortunæ conſideraret, & quantum eſſet, quod aleæ expoſuerat; an futuræ cladis præſagium mentem externaverat? Aſt Regio, Saxonicoq; exercitui, priusquam patentibus campis aciem extendere poſſet, per objacentem rivum attenuato agmine tranſeundum erat; ut multi judicarent, ſi intra eas anguſtias impeditis hoſtis ingruiſſet, ipſorum ordines facile turbari potuiſſe. Sed Tillio potius videbatur occupati ſemel loci commoditatibus inhærere; an quia nihil veterano ſuo militi par credebat? Jam igitur apertam nacti planitiem Sueci, Saxoneſque illi à dextris, hi à ſiniſtris ſeorſim utrique duabus aciebus compoſiti conſtiterant. In dextro Suecorum cornu primam aciem implebant Oſtro-Gothi, Smalandi, Weſtro-Gothi, & duæ Finnonum equeſtres legiones; poſt quos Rheingravii eques in ſubſidiis ſtabat. Secundam aciem Livoni, Curlandique, tum Damitzii, & Sperreuteri tribunorum legiones componebant. Eum locum tuendum Rex ipſe ſibi ſumſerat, adjuncto Joanne Banerio, ſi quis forte caſus ipſum alio avocaret. In ſiniſtri cornu prima acie Hornii, Callenbachii, & Baudiſii, ſecunda Hallii & Curvillii equites collocati; quam ſtationem Guſtavo Hornio Rex commiſerat, quæ medium univerſi corporis locum adſiſtentibus à ſiniſtra Saxonibus obtinebat. Interſtitia turmarum ſelecti ſclopetariorum manipuli occupabant, longioribus tubis hoſtiles equites excepturi. In medio pedes conſiſtebat, cujus primam aciem abſolvebant quatuor phalanges; prima Dalecarlorum ſub Achatio Oxenſtierna; altera Regis prætoria ſub Maximiliano Teuffelio, tertia è Succis Germaniſque mixta ſub Erico Handio, quarta, vetuſtior cœrulea dicta, ſub Winckelio tribuno. Quibus ſubſidio ſtabat legio equitum prætoria ſub tribuno Uslario, & tria valida peditū agmina ſub Ramſæo, Hamiltonio, & Monavio, Scotis tribunis. In ſecunda acie tres phalanges erant ſub Turrio Comite, Hebronio, & Vitztumio. Cochtitzii, & Schaffmanni equites aciem claudebant. Saxonum acies ſex equitum, totidem peditum legiones continebat, queis ex judicio Regis diſpoſitis Arnheimius imperabat. Acie ſic inſtructa cum Regios jam intra tormenti ictum ſucceſſiſſe Tillius judicaret, trium machinarum irritis ictibus ipſos ſalutabat. Rex duobus more Suecico reſpondebat, quorum prior Baumgartnerum tribunum diſcerpſit. Tormentis inde continuo fulminare Tillius, ſed rarius Rex, quoad è propinquo certiores ictus dirigi poſſent. Circa ſecundam horam pomeridianam ad manus venitur. Cæterum quia Tillio ventus à tergo flabat, Rex ſiniſtram verſus quantum poterat aciem circumagere, ut ventus utriq; æquus foret. Id cum Tillius animadverteret, quo venti opportunitatem retineret ad dextram manum aciem protrahebat. Sed eo ipſo ſiniſtrum ejus cornu, & Holſatica peditum legio à cætero corpore divellebatur, ut longe maturius heic, quam aliis partibus, pugna committeretur. Equites quoque Cæſarei, immiſtos primæ Suecorum aciei peditum manipulos declinantes, circuitu facto in Rheingravii legionem, & ſecundam aciem dextri cornu ferebantur. Verum hæc moderante Banerio, cui Rex è prima acie opportune ſubſidia ſubmittebat, tanto impetu in ſiniſtrum hoſtium cornu invehebatur, ut illud poſt brevem pugnam in fugam propelleret. Holſatica tamen peditum legio acerrime reſiſtens ingruentes aliquoties Suecorum equites non ſine damno rejecerat, donec equite juxta, ac ſelecto pedite incumbente ad internecionem cæderetur. Univerſus porro Tillii peditatus cum equitibus, qui latera utrinque tegebant, nec non dextrum cornu clivo deſcendens frontem ita circumegerat, ut Regiis fere præteritis tota mole in Saxones incumberet, quod eos recens conſcriptos facilius pulſum iri Tillius crediderat, quorum ſtrage Regios quoque terror invaſurus eſſet; an quod iſtos tormenta Regia dexterrime excuſſa in eam partem averterant? Quicunque igitur horum in ſiniſtrum Regis cornu impingebantur, facile diſſipati in fugam propellebantur. Sed Saxonici cum primis pedites, & turmæ equitum, quos Vaſalli armaverant, impreſſionem Cæſareorum haut ſuſtinentes ſolutis ordinibus, armiſque abjectis terga fugæ dabant. Quo ſucceſſu præmature nimis inflati Cæſarei jam paſſim nuntios victoriæ dimittebant, evanidum ſuis gaudium daturos. Et pars dum præfervide Saxones perſequuntur, aut ad impedimenta diripienda diſcurrunt; ordines ſolvebant. Reliqui Saxonicos adhuc reſiſtentes circuitu capto à tergo circumventum ibant, Elector in iſto tumultu Eilenbergam verſus ſe proripuerat; Arnheimius ad Regem advolabat, conſilium, & opem ipſius expoſcens. Aſt Rex hautquicquam territus ſiniſtrum ſuorum cornu, & duas peditum phalanges è ſecunda acie Hebronii, & Vitztumii frontem Cæſareis à ſiniſtra ingruentibus obverteret jubebat. Ac ſiniſtrum quidem cornu latus hoſtium, phalanges frontem invadebant. Heic eques Cæſareus circa reliquias Saxonum diſſipandas occuparus pugnæ feſſus, & in prædam cædemque ordinibus pene ſolutis effuſus, ab integris compoſi-

1631. tisq; Regiis statim in fugam pellitur. Sed pedes acerrime pugnam ciebat. Sic ut asperrimo hocce conflictu Teuffelius, qui duas istas phalanges adduxerat, ac complures alii ductores occumberent. Tandem Hornius cum reliquis è sinistro cornu equitibus, ac selectis sclopetariorum, cui è dextro cornu Westro-Gothos Rex subsidio miserat, redintegratis assultibus undiquaque incumbebat; machinæ quoq; legionariæ undique advectæ obstinatorum hostium agmina lacerabant, ut tandem convulsis ordinibus loco propellerentur. Quatuor tamen legiones, densâ pulveris nube tectæ integræ evaserunt. Interea Rex cum dextro cornu ad sylvulam in clivo sitam progressus tormenta hostium in potestatem redigit, & iterum pedem obfirmantes dissipat. Sed præcipuum peditatus Succici robur, tota nempe prima acies quatuor phalangibus constans, & tertia phalanx secundæ aciei fere spectatores alieni certaminis steterant. Sic post atrocem quinque horarum pugnam plena victoria Gustavo cessit, equitatu Regio terga fugientium cædente, quoad nox persequendi finem imperaret. Plurimos tamen dispersos, ac palantes rustici post trucidavere, dato vicatim per campanas signo exciti. Nuntius quoque à Rege ad Electorem missus è summo mœrore istum ad immensam lætitiam revocabat. Victor exercitus in loco pugnæ pernoctavit. Cæsareorum aliqui Lipsiam ex acie se receperunt; plures Mersburgum, Halam, & ulteriora trepidi petivere. Ipsum Tillium præfectus alæ sub legione Rheingraviana Fridericus cognomine Longurionis vulgo nuncupatus, in turba eminus agnitum assecutus fuerat, ac oblatam vitæ gratiam adipernantis caput, dortumque breviore sclopeto non segniter contuderat. Et vivo aut mortuo potitus fuisset, ni Rudolfus Maximilianus Dux Lauenburgicus à latere advolans Friderici caput globo transverberasset, ac fatiscenti jam seni effugium præbuisset. Qui Halam primum, ubi vulneribus plagisque medicamenta adhibuit, inde Halberstadium contendit, quindecim peditum signis comitantibus, quæ non supra sexcenta capita sequebantur. In itinere Pappenheimius se adjungebat cum quadraginta equitum alis, quæ vix mille quadringentos homines continebant. E Cæsareis in illa planitie cæsi numerabantur septem millia sexcenti, præter eos qui in fuga perierunt. Saxonum supra tria millia cecidisse feruntur: Regiorum circiter duo millia desiderati, maximam partem equites. E captivis quinque millia stipendio Regis accedebant. Occubuere ibi è præfectis Cæsareis Otto Fridericus Schœnburgius, Otmarus Ervvittius, Baumgartnerus, Baro Grottius & plurimi alii. Adolfus Holsatiæ Dux ex vulnere paulo post decedebat. Sed & Rex egregiorum virorum jacturam fecerat, Maximiliani Teuffelii, Callenbachii, Hallii, Adercasii, Damitzii, & complurium inferioris ordinis. Curvillius levi vulnere in fronte perstrictus suffusis cruore oculis in hostes aberrans captivus abductus est. Saxones Bindaustium, Eustachium Læterum, duos Starschedelios, Discavium, Lammingerum, alios amisere. Tormenta viginti septem, maxima prædæ vis, supra centum vexilla equestria ac pedestria in Regis potestatem pervenerunt. Isthæc victoria non solum Cæsarem ac Ligistas in summam consternationem conjecit, sed & Polonos haut mediocriter perturbavit, qui jam de Borussia invadenda agitabant, si adversi quid Gustavo accidisset. Contra quicquid erat Protestantium animos inde sumebat excutiendo Cæsaris jugo, ac nulla amplius ejusdem reverentia in partes Gustavi transibat.

Der lange Fritz.

Lipsia recipitur.

§. 30. Rex altero à victoria die Lipsiam accessit, quam Wangelerus Tribunus cum præsidio mille militum tenebat, in quam & plurimi è prælio profugerant. Sed cum Wangelerus deditione imperata deliberandi spatium postularet, Rex Saxoni urbis suæ expugnationē commisit, qui & paucos post dies deditione eandem recepit. Et è præsidiariis quidem qui Pontificia sacra colebant hac lege dimissi, ut ne deinceps contra Regem, Electoremve arma gererent; Protestantes statim Electoris sacramento accessere. Qui in oppidum è prælio se abdiderant, captivitatis sortem subiere, quos inter Coronimus, & Blancardus tribuni, Reinardus Walmerodius Quæstor exercitus, & multi alii non infimæ notæ. Rex interea cum expedita equitum caterva Mersburgum properaverat, ubi valida manus prælio profuga iterum coiverat, è qua mille amplius cæsi, quingenti capti, sed qui plerique post militiam Gustavi subibant. Inde Halam itum, quæ una cum arce Mauritioburgo nullam moram fecit: præsidiariorum plerique legiones Succicas supplevere. Oppidum istud juramento Regi fidem dedit. Magdeburgici Præsulatus regimen Ludovico Anhaltino Principi tantisper commissum. Paulo post & universi Principes Anhaldini in protectionem Regis se conferunt, promisso ad belli sumtus certo in menses tributo, operaque subditorum gratuita, si in ditione ipsorum vel munitionem extruere, vel Albim ponte insternere vellet.

Cæsari ad Mersburgum vapulant.

Anhaldini Principes in protectionem Gustavi succedunt.

§. 31. Halæ inter Regem & Electorem, qui huc post receptam Lipsiam se contulerat, consultabatur, quæ via bello gerendo deinceps insistenda foret. Ac id quidem utrique displicebat, Tillii fugientis vestigia legere, qui per Halberstadiensem, ac Brunsuicensem agrum ad Visurgim se proripuerat; ne belli fede in Inferiorem Saxoniam translata amici Principes belli incommodis involverentur, cæteri per Superiorem Germaniam sub cultro relinquerentur, Cæsareis ac Pontificiis provinciis immunibus, per quas facile exercitus reparari poterat. Sed cum duæ paterent viæ, per quas bellum hostium terris infundi posset, una ad dextram per saltus Thuringicos in Franconiam, altera ad sinistram in Cæsaris ditiones hæreditarias, Saxo quidem hisce Gustavum immittere laborabat, ipse in Franconiam suo cum exercitu moturus. Nec defuerunt qui crederent, si in prima consternatione Gustavus eodem irrupisset, ipsi in proclivi fuisse Cæsarem in summas angustias conjectum Vienna exturbare, & propioris damni sensu ad pacem amplectendam cogere, populis ei subjectis certatim ad Gustavum defecturis, quos ob violentam sacrorum mutationem exulceratos solus metus utcunque in officio continebat. Quo ipso eidem facultas subtrahebatur tanta mole bellum instaurandi. Præsertim cum nullæ ibi copiæ essent, quæ torrentem sistere possent. Et capite obtrito reliqua membra ultro collapsura. Posse interim Ordines Evangelicos cum Catholicis committi. Certe id optimum judicaverat Oxenstierna, qui cum post Francofurti ad Mœnum Regem adisset, de victoria gratulatus addiderat; optasse se, ut hoc officio Viennæ potius fungi licuisset. Et cum Rex exciperet, Tillio huc vertente eandem sibi viam fuisse insistendam; iste reponebat: Regem istuc tendentem facile Tillium eodem tracturum. Præsertim cum & Principes, in quorum terras bellum transferebatur, ejus incommodis in se devolutis offenderentur, & Gustavo Rege ad Rhenum progresso Gallus Anglusque ad æmulationem provocandi essent. Quin & Pater Josephus Ratisponæ cum Moguntino, Colonienſi, Treverensi, ac Bavaro Electore egerat, ut si Gustavus arma in Silesiam transferret, ipsi suas ditiones tueri satis haberent. Hoc autem in Bavarum tendente necessitas eidem adferebatur cum Cæsare arma sociandi. Enimvero Gustavus sibi utique in

Consultatio de bello in futurum gerendo.

Franco-

1631. Franconiam abeundum contendebat, quod Tillius adſcito Altringero, Fuggeroque validum brevi exercitum ad Viſurgim erat contracturus, ſine dubio in illum iturus, qui ad dextram ſe converteret, velut in propiorem. Eoque Saxones recenti adhuc clade perculſos, & numero inferiores hoſti ea parte objicere haut conſultum ducebat Rex, præcipue ſub Arnheimio Duce, qui conſilio quam manu promtior nuper rebus nutantibus haut nimium conſtantis animi ſpecimen ediderat. Et ipſo in ditiones Cæſaris hæreditarias digreſſo tota belli moles in Saxonem incubitura erat. Suberat & metus, ne Saxo in illas oras concedens Proteſtantium ſe ibi caput ferret, viresque Regi etiam formidandas compararet. Et quia ſummam rerum in eo verti judicabat Guſtavus, ut omne Proteſtantium nomen fœdere ſibi illigaretur, ipſi illuc vertere placebat: ſimul ut belli calamitates in Ligiſtarum ditiones effunderet, & Tillio ingruenti frontem obverteret. Saxonem autem vicinis Sileſiis immittere viſum, in ipſum pronis tanquam ſponſorem quondam ſacrorum & libertatis, apud quos jam fidem ſuam liberandi occaſio advenerat. Cæterum eo congreſſu Guſtavus Saxonem omnibus modis demulcere tanto beneficio obſtrictum, & ultro ipſi gratias agere, quod tam ſolicite prælium ſuaſiſſet; cum Saxo vereretur, ne Rex ſibi præproperam fugam, & rem male à ſuis geſtam exprobraret. Unde hic diffundente ſe in lætitiam animo jactabat, ſe omni ope connixurum, ut in Romanorum Regem Guſtavus eligatur: ſed quem affectum facile deinceps Auſtriacorum artes refrigerabant.

Proteſtantes per ſuperiorem Germaniam à Rege ſolicitantur.

§. 32. Rebus ita conventis Rex Martinum Chemnitium, & Marcum Relingium in Superiorem Germaniam præmittit, qui Proteſtantes ibi, ac inprimis validas urbes in ipſius partes ſollicitarent. Hi paſſim animos in Guſtavum propenſiſſimos invenerunt, niſi quod Noribergenſes publice aliquid decernere verebantur, fidem Cæſari nuper ſcripto datam cauſati, qui & amplis promiſſis eos ſibi adjungere ſtudebat. Cui tergiverſationi abrumpendæ Rex per literas atrociſſima quæque minatur, ni partibus ſuis aſſocientur. Qui terror omnem dubitationem eximebat; an ipſi ultro metu compelli cupierant? Dehinc Guſtavus Hala digreſſus per Querfurtum Erfordiam verſus tendit, quæ urbs Guſtavo legatos obviâ mittebat præſidium & vim hoſtilem deprecaturos. Rex cætera prolixe pollicitus, de præſidio abnuit, quod ratio belli non ferat tam opportuna urbe à tergo relicta ulterius progredi. Legatis cum hoc reſponſo dimiſſis Wilhelmus Saxoniæ Dux Vinarienſis cum Curvilliana equeſtri legione portas Erfordiæ ſubito irrumpit, ac in medio foro diſpoſitis turmis ſenatui imperat, ut claves portarum ſibi tradant; id quod poſt modicam tergiverſationem factum, ſimulque ad portas Suecorum

Guſtavus Erfordiam occupat.

22. Sept. ſtationes diſpoſitæ. Poſtridie Rex ipſe urbem ingreditur, ac poſtquam cives delinifica ſua Suada permulliſſet, ut lubenter facere vellent, quod vi cogi poterant, conventione inita in fidem & tutelam eos recipit. Pontificii, qui in oppido erant, peculiariter fidem ſuam Regi obſtringere cogebantur. Inde munitiones veteres reparari, novas adjici jubet, ac urbi præfectum imponit Georgium Ludovicum Comitem Lœvvenſteinium cum aliquot peditum, & una equeſtri legionibus, quæ novis adjunctis delectibus in juſtum exercitum augendæ erant, ſub Wilhelmi Ducis Vinarienſis imperio rem geſturum, qui cum fratribus Alberto, Erneſto, & Bernhardo fœdere ſe Regis illigaverat.

Tillius copias recolligit.

§. 33. Interea Tillii audita clade Altringerus, qui cum ſex millibus ad iſtum properans jam circa Erfordiam adpulerat, in tutiora ſe receperat. Fuggerus quoque & Merodius, qui cum exercitu decem millibus conſtante Haſſiam invaſerant, inde faceſſunt. Quibus digreſſis Wilhelmus Landgravius Faccham aſſultu iterum expugnat, præſidio Cæſareo, quod ibidem agitabat, maximam partem cæſo, Tillius autem Halberſtadium delatus palantes ex fuga iterum colligere cœpit. Mox tamen metuens ne à Regiis opprimeretur, abducto ſecum Joanne Reinhardo Metternichio Halberſtadienſis præſulatus adminiſtratore, ac Pontificio clero in Hildeſienſem agrum, inde Huxteram abit, ubi Ritbergii, & Sultzii Comitum, Farensbachiique tribunorum legionibus auctus ulterius in Paderbornenſem ditionem procedebat. Sed cum audiret Guſtavum in Franconiam irrumpere, in Haſſiam, adjunctis ſibi ad Fritzlariam Altringeri & Fuggeri copiis, ſe confert, num uſtius in Pontificiorum ditiones ruentis impetum ſiſtere poſſet. Etenim Rex per Arnſtadium, & Ilmenoam ſumto itinere intra triduum ſaltus Thuringicos ſuperaverat, caſtroque inferioris Maſfeldæ munito potitus, cujus præfectum venationi vacantem Regii equites interceperant, totum Hennebergicum Comitatum in poteſtatem redegerat. Inde Kœnigshoviam, munitum Wurtzburgenſis præſulatus oppidum, minis ac terrore perculſis oppidanis cepit, ubi inſignis annonæ copia, & adparatus bellici nonnihil repertum. Inconditæ agreſtium manus, quæ ingruentibus Succis ſe hinc inde opponere audebant, nullo negotio cæſæ, aut diſſipatæ. Hinc Suinfurtenſes accedentis Regis fidei citra moram ſe permiſere. Mox Wurtzburgum properatum, cujus ſuburbia refractis portis miles irrumpit, ipſumque mox oppidum poſt tentatam nequidquam defenſionem deditur, in arcem refugientibus, qui Regis clementiæ diffiſi erant. Iſta in abrupta rupe trans Mœnum ſita opere antiquo, & anguſta foſſa cingebatur; extra foſſam ſemilunare munimentum portam obtegebat, qua parte clivo molliore adſcenditur. Eo in latere tormentis arcem quatere, & obliquis foſſis actis vallo ſuccedere inſtituit. Quatuor dies in opere abſumti, obſeſſis acriter in ſubeuntes ex arce detonantibus. Hinc Axelii Lilii legione præeunte in exterius propugnaculum impetus fit. Eo poſt acre certamen ſuperato, qui in arce erant, ut Succorum ferro ſuos eripetent, pontem penſilem, quo labra foſſæ jungebantur, demittunt. Verum cum is cadaveribus carſorum oneratus attrahi iterum non poſſet, Succi eundem transgreſſi portam arcis occluſam admoto crepitaculo (*petardam* vocabulo militari adpellant) diſjiciunt, ac in arcem interiorem irrumpunt; ubi quicquid in armis repertum ad ſeſquimille militum neci datum. Præfecti arcis, qui occultos ſe theſauros monſtraturum promiſerat, vitæ, ac imbellis ſexus pudicitiæ parcitum. Illa in arce ingens auri argentique facti atque infecti vis, è tota provincia eodem congeſta, adparatus quoque bellici, annonæque & vini ingens copia, nec non triginta tormenta & generoſis equis plenum equile in Regis poteſtatem pervenerunt.

Guſtavus in Franconiam irrumpit.

Kœnigshoviam & Wurtzburgum capit.

§. 34. Tillius cum ſatis intelligeret, quantum momenti in hac arce ſitum foret, omni ſtudio ad eam conſervandam properaverat, jam valido iterum exercitu ſuccinctus, quem recenſione ad Fuldam facta octodecim peditum millibus, centum octoginta duabus equitū turmis conſtantem comperiebat. Ei ſeſe ad Miltenburgum junxerat Carolus Lotharingiæ Dux cum octodecim millium exercitu, qui ſecurus offenſæ, quam Galliæ Rex ob arma in ſocium ſumta concepturus erat, Auſtriacis partibus totum ſe adplicabat, ſpe ut creditur facta Electoralis dignitatis, quæ Saxoni & Brandenburgico velut rebellibus adimenda foret. Sic numero jam longe Regiis ſuperior Tillius Wurtzburgum

Tillii animus.

1631. liberare, ſimul ad prælium elicere Regem conſtituerat, num forte cladem Lipſiæ acceptam eluere poſſet. Sed audita Wurtzburgenſis arcis præpropera expugnatione aliam conſiliorum rationem inibat. Ac primo quidem ut Mœnum fluvium in poteſtate haberet, Hanoviæ quatuor adhuc cohortes præter tres illas, quæ ad tutelam oppidi excubabant, Cæſari juxta atque Comiti ſacramento devinctæ, recipi in caſſum poſtulabat. Bobenhuſæ tamen arx aſtu ab ipſo intercepta, & valido præſidio firmata. Inde quatuor ipſius legionibus ſubita Suecorum irruptione non ſine clade pulſis, Rotenburgum ad Tubarum vertit, quod oppidum poſt defenſionē fruſtra tentatam deditione facta à Lotharingico milite male habebatur. Quo exemplo territum Winsheimum adventanti Tillio portas ultro reſerabat.

Guſtavi per Franconiam ſucceſſus.

§. 35. Porro ad famam irrumpentis in Franconiam Guſtavi conventus, qui inter Pontificios ac Proteſtantes Ordines Francofurti agitabatur, re infecta ſolvebatur, veluti jam lite ſuper bonis Eccleſiaſticis alio diſceptationis genere expedienda. Tum Proteſtantes per Franconiam, gravibus hactenus injuriis à Cæſare & Pontificiis preſſi, ad ſocietatem & protectionem Regis ſe conferebant, promiſſa ad belli ſumtus certa pecuniæ ſumma. Chriſtianus quoq; Marchio Culmbacenſis ad normam Haſſiaci fœderis cum Rege tranſegit. Apud Pontificios contra ſumma conſternatio; quorum plurimi ſecundo Mœno, ac Rheno Coloniam, aut alia in loca ſe recipiebant. Sed qui domi remanentes clementiæ Regis ſe ſubmiſerant, moderato tributo ſoluto ab injuriis tuti præſtabantur, nec ob diverſa ſacra cuipiam vis illata. Quem in finem etiam Wurtzburgi regimen præſulatus à Guſtavo conſtitutum è ſuis, & provincialium delectis, quod loco Epiſcopi profugi Franciſci Hazfeldii eam provinciam adminiſtraret; edictoq; omnibus provincialibus, ut iſti parerent, injunctum, gravi in immorigeros denunciata pœna. Bambergenſis quoq; Epiſcopus jam in certas leges cum Guſtavo tranſigere cœperat; ſed mox adpropinquante Tillio, & abeunte in diverſa Guſtavo, tractatum abruperat.

Hanovia à Succis intercipitur. 1. Nov.

§. 36. Inde Guſtavo intercipiendæ Hanoviæ conſilium ſuggeſtum, cujus exſecutio Chriſtophoro Hubaldo commiſſa. Is aliquot equitum ac ſelectorum dimacharum centuriis ſtipatus raptim per unum diem noctemq; emenſo itinere, ut nuntios deſtinatorum ſuorum præverteret, Kalendis Novembris intra quintam & ſextam matutinam ſuperata retro arcem foſſa in vallum enititur, ac oppreſſis excubitoribus, refractaque porta oppidum vetus irrumpit; moxque portam, qua novum oppidum diſcriminatur, obſerat, atque præſidio inſidet, excludendis qui ex hoc ſuppetias laturi accurrebant. Brandiſius præſidii præfectus, qui ſub initium tumultus Cæſareos adeſſe crediderat, ſegnius rem agere; poſt comperta re ſero ad defenſionem accingi, ac certum hominem confeſtim Steinheimum mittere, Cæſareas copias ibi agentes arceſſiturum. Eoque cum Hubaldus novæ jam urbi vim intentaret, callido conſilio inducias petebat. Sed dilationem omnem abnuente Hubaldo, ut clementiæ ſe Regiorum citra pactum ſtatim committeret, adegit. Sic Brandiſius, cæterique præfecti, quorum non pauci Lipſiaco prælio profugi vulneribus curandis ibi vacabant, captivorum ſortem ſubiere; gregariorum plerique militiæ Regiæ nomen dederunt. Hubaldus ob facinus hocce Tribuni dignatione auctus eſt. Rex qua fortuna invitabat inſecuturus, relicto cum parte exercitus in Franconia Hornio Wurtzburgo Aſchaffenburgum pergit, quod prius direptum Cæſarei deſeruerant. Qui Steinheimi præſidium agebant, poſtquam muri tormentis pauliſper percuſſi forent, liberum diſceſſum pacti ſe dediderunt. 1631.

Francofurtum ad Mœnum Suecos admittit.

§. 37. Inde Francofurtum recta itum, quo Rex Philippum Reinhardum Solmenſem Comitem præmiſerat oppidanis perſuaſurum, ut ultro in ipſius partes tranſirent. Qui initio neutralitatem ſurdis ad iſtam Regis auribus per legatos Offenbachum miſſos ingerebant. Quibus Rex, nullo modo à ſe tanti momenti urbem à tergo relinqui poſſe reponebat, minis quoque adverſus abnuentes intermiſtis: cæterum non niſi ſexcentos ſuorum Saxenhuſæ præſidio recipi poſtulabat. Legatis in urbem reverſis Rex non expectato ipſorum reſponſo 16. Nov. ſummo mane exercitum inſtructum ad Saxenhuſam liſtebat, ac ut citra moram portæ recluderentur imperabat. Quæ mox ut paterent, favor terrorque Regii nominis efficiebat. Potior pars exercitus cum ipſo Rege per Saxenhuſam, pontemque, quo Mœnus inſternitur, urbem ingreſſa, altera porta Hœchſtam verſus iterum exiit. Sexcenti tantum Saxenhuſæ præſidio relicti. Sed plus ad urbem in officio continendam valebat amor civiū, quem in tranſitu Rex ſolita ſibi humanitate pigneraverat. Cum Francofurtenſibus conventum, ut durante hoc bello Regi, ejusque exercitui per urbem tranſitus concederetur, hoſtique negaretur. Rex contra urbi defenſionem & ſalva ſua jura ac privilegia promittebat, ac ſi de pace tractandum foret, ſe effecturum, ut iſthæc conventio fraudi ipſis non ſit. Eodem die Hœchſta ſe dedit, trecentis Cæſareis, qui præſidio erant ſub Regia ſigna transgreſſis.

Georgius Landgravius incaſſum de pace propoſuit.

§. 38. Ibidem Georgius Haſſiæ Landgravius conventione cum Rege inita Ruſſelsheimum Mœno trajiciendo opportunum præſidio Regio inſidendum tradebat. Qui & de pace inter Cæſarem atque Regem concilianda mentionem injiciebat; ſe ipſum cum Marchione Culmbacenſi è parte Proteſtantium, & ex altera Leopoldum Archiducem, & Wolfgangum Wilhelmum Palatinum Neoburgicum ſequeſtres offerens, inani cœpto, & quod Regi cordatiſque ludibrio erat. Neque enim ipſe idoneus tanto negotio autor, & crudius adhuc erat bellum, quam ut tam celerem medicinam admitteret. Ut tamen iſte de fide & obedientia, quam Cæſari deberet, ſervanda proteſtaretur, velut æquum utrique parti pacis conciliatorem ſe reſervaturus, facile indulgebat Rex in Electoris Saxoniæ ſoceri gratiam, & quia id rebus ſuis exiguo præjudicio eſſe poterat. Ditio quoque ejuſdem belli oneribus exemta, quoad de eventu horum tractatuum conſtaret. Eodem tempore Wilhelmus Landgravius evocante Rege cum plerisque copiis aderat, qui poſt occupatam Mundam jam ditioni Paderbornenſi, & aliis vicinæ VVeſtphaliæ locis imminebat. Sed his rebus dilatis Regium exercitum augere potior cura erat.

Regii Rhingoam occupant.

§. 39. Cæterum Anſelmus Caſimirus Moguntinus Elector incendio proximus, præſertim cum Regem multa navigia, ac vim inſtrumentorum moliendæ terræ comparare audiret, quantum poterat defenſionem adornare, oſtium Mœni, quo Rheno infunditur, palis ac demerſis navigiis obſtructum ire, Hiſpanorumque ultra duo millia Moguntiam recipere. Ipſe tamen aleæ Martis diffiſus cum Epiſcopo VVormatienſi aſſumtis pretioſiſſimis rebus Coloniam faceſſit. Interea Regii Rhingoam, cujus aditum Hiſpani ſubitariis munimentis, ac valido præſidio firmaverant, armatis etiam delectis provincialium, irruperant, & Walloffii quicquid in armis repertum erat cæciderant. Reliqui incolæ pecunia multati ob capta arma, & in protectionem Regiam fide data recepti: tributi nomine impoſitum, quantum antea Electori Moguntino penſitaverant. Rex vero, cujus copiæ per oppo-

1631. oppoſitam Moguntiæ ripam tendebant, Erenfelſa arce, & Turre Murium vulgo dicta per ducem Bernhardum occupata, Rhenum jam transmittere parabat; quando Tillius Noribergæ imminens cœpta iſta differre ſubigebat: quam urbem periculo eripuiſſe majus operæ pretium erat.

Tillius Noribergam ſuſtra tendit.

§. 40. Is quippe medio menſe Novembri poſt Pappenheimium à ſe in Weſtphaliam dimiſſum iſti urbi caſtra admotum ibat, quo Guſtavum Rheni ab ora retraheret. Et cum oppidani imperatam ab ipſo pecuniam, & commeatum abnuerent, ad vim faciendam comparare ſe videbatur. Neque ſegniter ad defenſionem ſe accingere oppidani, & qui recens ibi ſub Henrico Wilhelmo Solmenſi Comite ſcribebatur miles aſſiduis eruptionibus in Cæſareos velitari. Rex quoque ut ſubſidio veniret, ſolicitis literis implorabatur. Enimvero Tillium, ut mox cœptis deſiſteret, cogebat pulvis tormentarius à gregario quodam incenſus, qui ab Ulmenſium ſtipendiis non ita pridem ſub Cæſaris ſigna compulſus, nunc ad veteres partes tranſiturus id operæ pretium prius facere voluerat. Miles quoque Lotharingicus tiro propinquante bruma ob cœli inclementiam morbis affligi. Sed & gravior cauſa ſuberat, quod Altringerus Bavarum ſuſpectum haberet, ne, quod Galli vehementer urgebant, cum Guſtavo tranſigeret, ac pro fortunæ varietate favorem quoque ſuum adplicaret. Eoque iſte ſubjectas ſibi copias in Bohemiam deducebat. Unde Tillius validiſſima exercitus parte nudatus motis Noriberga caſtris Lotharingorum reliquias ad Rhenum ſe refocillatum dimittebat. Cæteras copias ipſe circa Norlingam & per Superiorem Palatinatum, tegendæ Danubii ripæ, & Bavariæ diſponebat.

Rex in Palatinatum vertit.

§. 41. Aſt Rex, qui exercitu à Rheni ripa revocato Noribergæ ſuppetias ferre conſtituerat, audito Tillii diſceſſu denuo ad Rhenum vertit. Et quia jam ad fines Palatinatus ab Hiſpanis inſeſſi promoverat, quibuscum pacem ſervare maluiſſet, prius Bernhardum Ducem ad Gubernatorem Hiſpanicum Philippum de Sylva miſit, ſciſcitatum quid ab ipſo expectandum ſibi foret. Qui reponebat: nihil ſe aliud in mandatis habere, quam ut Moguntino adverſus Succos auxilium ferat. Unde apud Guſtavum deliberabatur, num bellum peculiariter Hiſpanis indicendum foret, an vero alibi pax cum illis colenda, nec hoſtile quid in eosdem tentandum, niſi qua Germaniæ rebus ſe immiſcerent. Ac prævaluit poſterius conſilium, ne Succorum commercia mari per Dunquercanos turbarentur: Et quia Guſtavum Galli nonnulla ſuſpicione perſtrinxerant, valido cum exercitu Merim usque progreſſi, rem ſibi cum Hiſpanis integram cupiebat. Accedebat, quod jam multi ex ipſis Germaniæ Principibus Guſtavi progreſſibus inviderent; nec Polono, Danoque ſatis fideretur, ac plerique miniſtri, à quibus Anglus pendebat, in Hiſpanum propenderent, nec à Batavis fere præter ſterilem favorem quid expectandum foret. Sed nec opes Sueciæ tunc ferebant validam claſſem, qua ad bellum Hiſpano inferendum utique opus erat, armari. Unde nihil hoſtile adverſus Hiſpaniæ Regnum profeſſus Hiſpanum militem velut belli Germanici appendicem in Palatinatu invadere decrevit, quod alias nulla ratio foret Fridericum in ditiones ſuas reponendi. Quod ſi Hiſpani aliis quoque in locis hoſtilia adverſus Succos ſumſiſſent, Angli, Batavique non defuturi ſperabantur; & Galliam, ut æmulatione ſepoſita arctius jungeretur, rationes ſuæ compulſuræ erant.

Suci Rhenum transmittunt.

§. 42. Igitur Rex per Francofurtum, Darmſtadiumq; tranſitu capto oppida ad Viam Montanam ab hoſtibus deſerta, Gernsheimumque occupat, ſimul ad Stockſtadium, paulo ſupra ſtelliforme munimentum, quod Hiſpani in adverſa Oppenheimo ripa excitaverant, Rhenum transmittere parat. Impoſiti duobus majoribus navigiis trecenti è legione prætoria ſub tribuno Nicolao Brahæo Comite primi trajecere, & exſcenſione in alteram ripam facta quatuordecim Hiſpanorum alas ſumma vi ter irruentes, toties inſigni cum ſtrage repulere. In cuius tranſitus memoriam pyramis eo loco erecta nuperis adhuc annis perſiſtebat. Mox ſtelliforme munimentum, quod emiſſis telis Succos ultro laceſſierat, deditione captum. Sed Oppenheimum vi expugnatum, quingentis Hiſpanorum cæſis. Quo Regis ſucceſſu territi qui Steinium caſtellum inſidebant, id ſubjecto igne ultro deſeruere. Lotharingi quoque Wormatia peſſime divexata ſe ejiciebant. Ab Oppenheimo exercitus ſtatim Moguntiæ admotus, ubi Hiſpani quidem initio ſat acriter tormentis in propinquantes fulminabant. Sed cum propius jam munimentis ſuccedentes Sueci aſſultum minarentur, fracti animis honeſtis conditionibus oppidum dederunt, ipſi à Regiis Lucenburgum deducti. Maxima ibi adparatus bellici, annonæque & vini copia reperta. Paucos poſt dies Rheingravius cum legione ſua novem Hiſpanorum alas ad Trarbacum in fugam conjecit, tribus vexillis ademtis. Indo ab ipſo Simmera occupata, & Baccharacum oppidum ſcalis admotis captum: Stalecca arx ſequenti demum menſe in poteſtatem venit. Poppartum quoque, & Veſalia ſuperior Regios citra pugnam admiſit. Ex altera Rheni ripa Wilhelmus Landgravius poſt Falkenſteinum, & Reiffenbergam arces occupatas, Kœnigsſteinum, munitiſſimum caſtrum, deditione cepit; quod Rex Stolbergio Comiti, cui à Moguntino Electore id olim ereptum fuerat, reſtituit. Ab eodem Landgravio quoque Cauba, Gundelfelſa, & Palatina arx in Rheno ſita expugnatur. Wetzlariam, & Gelnhuſam, nec non Fridbergam Wetteraviæ oppida Hiſpani ultro deſerebant. Circa idem tempus Spira Nemetum in Regias partes tranſiit, una cum Landavia & Weiſſenburgo. Unde Hiſpani, qui Germersheimi, & Neuſtadii hoſpitabantur, ultro dilapſi. Tandem Manheimum à Bernhardo Duce aſſu interceptum. Is ſummo mane cum trecentis ſuorum recta ad portam ruebat, Cæſarem præfectum ſe ferens à Regiis inſequentibus preſſum; ac cum præſidiarii incautius portam velut amico referarent, ipſe irrumpens Germanis quidem parcebat, Hiſpanorum ducentos quinquaginta leto dabat. Maravallius centurio oppidi præfectus cum lytro ſoluto Heidelbergam dimiſſus eſſet, ob negligentiam capite pœnas luit. Et ita quidem ſub anni finem ad Rhenum Guſtavo Regi res ex voto fluebant.

1631.

Oppenheimum expugnatur.

Moguntia deditur. 13. Dec.

Manheimum capitur. 29. Dec.

§. 43. Nec minus Hornius in Franconia relictus feliciter rem geſſit, cui Mergentheimum, quingentorum militum præſidio inſeſſum, poſt brevem defenſionem altero quam acceſſerat die patuit. Et quanquam liber militi diſceſſus permitteretur; magna tamen gregariorum pars deſertis ductoribus militiæ Regiæ nomen dedit. Eo loco magna vis annonæ inventa, quam congeſtis à vicinia copiis Sueci augebant. Neque Winsheimum Cæſareo milite vacuum moram fecit, quo minus Regios ultro admitteret. In Heilbrunna majus momentum fuit, quam Lotharingica legio Pfalzburgii Principis nuper defuncti inſidebat, exarmatis, ne forte frænum morderent, oppidanis. Eam nocturno impetu intercipere Hornius ſtatuerat, & jam omnibus exploratis, ac diſpoſitis propius oppidū fuggreſſus erat, cum repente conſilium mutat, quod levi momento ejusmodi nocturni conatus incaſſū cadant: & quia metuebat, ne per tenebras irrita-

Hornius Mergentheimum, Winsheimum, & Heilbrunnam capit.

1631. ta licentia miles oppidum sat locuples diriperet. Igitur expectata luce copiis ante mœnia explicatis tubicinem mittit, qui deditionem imperaret. Quo citra responsum dimisso Lotharingi ad defensionem acriter comparare se visi sunt. Sed postquam insequenti nocte molendinum fossæ imminens, quod quadraginta scloperariis isti tuebantur, impetu expugnatum esset, è quo adversum oppidi propugnaculum à Regiis infestabatur, illi animis fracti, honestis legibus deditionem fecerunt. Dimidia tamen fere legionis pars, quæ Gallis constabat, militiam Regis ultro sequebatur; reliqui Philipsburgum deducti. Opportunus urbis situs monebat, ut validum præsidium imponeretur, ac novæ munitiones prioribus adderentur.

Tillius Wiltzburgum occupat.

§. 44. Heilbrunnæ captæ fama effecerat, ut Tillius sex legiones, quas per agrum Wurtenbergicum in hiberna distribuere destinaverat, ex itinere revocaret. Ne tamen sub finem anni nihil ageret, VViltzburgum Marchionis Anspacensis munitissimam arcem occupat, minis exterrita Principe vidua, quæ cum sobole ditionis hæredi ibi degebat, velut totam provinciam flamma ferroque vastaturus, ni arx dederetur. E qua deinceps Cæsarei per vicinam regionem ingentia damna dederunt.

Rostochium capitur.

§. 45. Dum Gustavus per Superiorem Germaniam victricia arma circumfert, quæ in Meclenburgica sub Achatio Tottio hærebant copiæ castellum ad Varni ostium trecentis è Rostochio delectis infestum jam ante Lipsiacum prælium expugnaverant. Cum enim præfectus post toleratam paucorum dierum verberationem super deditionis legibus tractaret, miles abjectis armis Regio sacramento accedebat. Hinc Rostochio obsidium circumpositum, quod non minore virtute defensum, quam oppugnatum, cum Virmondius oppidi Præfectus extrema tentare constituisset spe subsidii à Tillio submittendi. Sed idem nuntio cladis ad Lipsiam acceptæ perculsus, & quia miles ad seditionē inclinabat, de urbe dedenda pacisci cœpit. Nec honestas ipsi concedere conditiones abnuebant Sueci, quod is nulla adhuc necessariarum rerum in-
6. Octobr. opia premeretur. Igitur bis mille quingenti pedites, duæ Germanorum equitum, una Croatarum turma oppido excessere, qui una cum Fridlandi ministris Meclenburgicæ regendæ destinatis trans Albim versus Visurgim à Regiis deducebantur. Eo cum pervenissent, Wolfgangus Mansfeldius Comes, qui Magdeburgensi, & Halberstadiensi provinciæ Cæsaris nomine præerat, Virmondium arcessebat, ut Halberstadio oppido Suecos expelleret. Qui & Bœnnighusii legione equestri adsumta id oppidum tormentis verberare instituit. Sed mox deficiente pulvere pyrio absistere coactus Magdeburgum evocatur, ut itinera à Suecis ob-

Virmondius vapulat.

sessa commeatui in urbem subvehendo laxaret. In hujus motus intentus Joannes Banerius, qui istis in oris curabat, Wanslebiæ hærentem improviso invadit. Ubi equites oppido progressi post acrem conflictum dissipantur. Qui in oppido remanserant, ut ad Visurgim deducerentur, pacisebantur. Sed gregarius miles in præfectos insurgens traditis quatuordecim pedestribus, duobus equestribus signis Banerii militiam sequebatur: peditum mille septingenti, equitum supra centum erant. Paulo post Calba Veteris Marchiæ arx, & Mansfelda Banerii ductu sub Regis potestatem redacta.

Wismaria deditur.

§. 46. Rostochio capto Wismaria statim circumsessa, cui Tribunus Grammius præerat. Accedentes primo ad oppidum Suecos Cæsarei eruptione facta excepere; sed post acre certamen cadentibus utrinque non paucis in oppidum repulsi sunt. Nec deinceps erumpendi libido erat, & quod nulla auxilii spes affulgeret, id potius spectabant, ut honestis conditionibus oppido facessere possent. Igitur Grammius ab obsessoribus petebat, ut sibi ad Tieffenbachium in Silesiam nuntium liceret mittere, qui de oppidi statu referret: interea quoad ille rediret, in mensem induciæ essent, quo elapso oppidum dederetur. Quæ tamen induciæ Gustavo post displicuere, quod meturet, ne Tottio interea ad alia digresso occultis Ducum Meclenburgensium artibus id ageretur, ut exclusis Suecis ipsi soli oppido potirentur; quod ipse tamen suo utique præsidio teneri cupiebat. Igitur Tottio mandatum: diligenter prospiceret, ne sibi illudatur, ac si forte jam digressus sit, ut mox copias oppido iterum admoveat. Et ipse Grammius ultra conventum deditioni diem moras nectebat. Qui tan- 11. Januarii A. 1632.
dem urgente Tottio oppido excedebat. Sed cum is in fraudem Suecorum nonnulla conventis adversa admisisset, ac præfecto Regio militem ipsius ad Suecica signa solicitanti necem inferri jussisset, iratus Tottius misit, qui aliquot milliaria jam progressum retro traherent. Ab his nonnulli Cæsareorum primo impetu cæsi, bis mille capti sacramento Regis adacti; cæteri dispergebantur. Ipse Grammius, donec causam dixisset, Grypsvvaldam captivus abductus. Wismariæ magna vis adparatus bellici terra marique, quem Fridlandus eo congesserat, inventa. Mense quoque decembri Damitzæ arx, Lohusio tribuno operam navante, honestis conditionibus Cæsareum militem emisit.

Inferior Saxonia Gustavo studet.

§. 47. Porro Lipsiensis victoria Inferioris Saxoniæ Ordinibus, quorum plerique jam antea Gustavo studebant, animos addiderat, ut aperte in illius partes transirent, jugum à Cæsare impositum excussuri. Eum in finem mense Novembri indictus Hamburgi conventus; in quo aliqui certam pecuniæ summam Gustavo decernebant, ut ipsorum defensionem susciperet. Verum id impediebat Daniæ Rex, cæca jam dudum invidia ægre-ferens, causatus parum id è dignitate fore, si tributariorum conditionem subisse videantur. Cum igitur placuisset copias conscribi, Danus id laborabat, ut filius Ulricus iisdem præficeretur. Sed obnitebantur Georgius Luneburgicus Dux, & Archipræsul Bremensis, uterque Dano infensissimus; nec apud cæteros memoria belli Danicis auspiciis infeliciter gesti exoleverat. Ei quoque conatui ut manibus pedibusq; obsisteret, Joannes Salvius jussus fuerat, quod nunquam eandem consiliorum viam cum Suecis inituri Dani judicarentur, neque Gustavus socium circa dirigendum bellum Germanicum admittere vellet. Quin & cum delectus, quos eo tempore Danus agere ferebatur, Gustavum gravi suspicione perstringerent, clam Joanni Banerio in mandatis erat datum, ut eos quacunque ratione dissiparet, & una cum Achatio Tottio, nisi ille quiesceret, in Holsatiam irrumperet, denunciato simul, fore ut cum Cæsare transigatur, totaque belli mole in ipsum ruatur. Sed Dani destinata tunc leviori negotio eludebantur. Tandem Hamburgi conclusum, ut sex millia peditum, quingenti equites liberando à Cæsaris militibus Circulo conscriberentur, pro re nata Gustavi Regis copiis jungendi, cui summum belli arbitrium deferebatur. Et ista quidem ab universis decreta.

Cum Gustavo fœdus init Archiepiscopus Bremensis.

§. 48. Sed & nonnulli peculiari fœdere Gustavo innexi; quos inter Johannes Adolfus Archipræsul Bremensis Gustavi avunculus, olim bello Danico Cæsari fidus, eamque ob causam à Dano Femera Insula patrimonii sui parte multatus. Nec eo secius per sacrum istud Edictum prælatus suo exutus fuerat, qui in Cæsaris filium Leopoldum Wilhelmum conferebatur, non nisi modica pensione annua

1631. annua ifti relicta. Qua injuria idem irritatus Junio menſe fœdus interventu Joannis Salvii cum Rege concluſerat, ut hujus auxilio ſua bona ac jura ab aliis detenta vindicaret, ipſe viciſſim ad præſens bellum militem pecuniamque pro virili pollicitus. Verum Tillius, quem ea conſilia non fallebant, provinciales ab ejusmodi conatibus minis deterrebat, & ipſum Archiepiſcopum intercipere laborabat, ni hic ab amico ſubmonitus Bremam refugiſſet. Cæterum cum Hamiltonii copiæ, quæ iſtis cœptis deſtinabantur, alio vertiſſent, Tottio poſt prælium Lipſienſe injungebatur, ut poſt Meclenburgicam liberatam huc arma transferret, & Archiepiſcopo ſe conjungeret. Aſt hic moræ impatiens, cum tirone milite, quem ipſe conſcripſerat, ſolus periculum facere conſtituit, Langvvedela, & Verda occupatis. Mox tamen Reinacherus tribunus adjuncto Maximiliano Gronsfeldio Comite cum trium millium manu repente ingruens, iſtis oppidis eum iterum expellit, ac oppreſſis, diſſipatisque ejusdem copiolis Bremam repetere cogit.

Georgius, Fridericus Ulricus, & Chriſtianus, Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes.

§. 49. Georgius quoque Luneburgicus Dux Regem Wurzburgi adiens inita conventione duas equitum, quatuor peditum legiones Guſtavi auſpiciis conſcriptum ibat, quem Rex annua quinquies mille uncialium penſione donabat. Nec minus Fridericus Ulricus Brunſuicenſis Dux, poſtquam ſe Guelferbyto Brunſvvigam ſubduxiſſet, fœdere ſibi auxilia Regis ſtipulatus ditiones ſuas à Cæſareis vindicare inſtituebat. Denique Chriſtianus Luneburgicus Dux, idemque Epiſcopus Mindenſis tractatu cum Salvio inito ſe ad Guſtavi patrocinium conferebat, Regis operam ſtipulatus, ut quæ ab Hildeſienſibus ſacerdotibus ad ejus familiam ſpectantia bona detinebantur, ipſi reſtituerentur. Tum ut præſidium haberet adverſus Franciſcum Wilhelmum Comitem Wartenbergium, Osnabrugenſem Epiſcopum, qui bullis Pontificiis & Cæſareo munitus diplomate Mindenſem Epiſcopatum conabatur vindicare. Quæ tamen conventio à Rege poſt ratihabita non fuit, ac Salvio injunctum, ut ejusmodi fœderibus contrahendis tantiſper ſuperſederet, quoad appareret, quomodo deinceps res ſe daturæ eſſent: quippe cum Rex iſta oneri ſibi magis, quam emolumento cedere judicaret. Circa idem tempus cum Brandenburgico quoque Electore ſuper juſto fœdere per Salvium agebatur. Sed cum iſte pronum quidem verbis ſe ad id profiteretur, moram tamen ponderandis ejus capitibus poſceret, & hic per urgentia negotia alio avocaretur, tunc quidem ea res infecta manſit.

Cæſarei in Luſatiam irrumpunt, & recedunt.

§. 50. Cæterum poſt cladem ad Lipſiam acceptam Cæſarem ſtatim pœnitere cœperat conſilii, quod Saxoniæ Electorem deſperationi admotum in partes Guſtavi propuliſſet; eoque ſi qua poſſet ad ipſum ſibi iterum conciliandum omnes artes expediebat. Ac primo quidem menſe Septembri, quæ in Sileſia hærebant copiæ Gœtzio Duce Luſatiam Inferiorem rapinis, ferro, flammaque populabantur. Tieffenbachius quoque Superiorem Luſatiam ingreſſus non minorem vaſtitatem dabat, ac Budiſſinam, Gœrlicium, ac Zittaviam ut præſidia admitterent adigebat. Sed cum Electoris copiæ eodem moverent, iſti non expectato eorum congreſſu, deſertis quæ inſederant oppidis, pars in Sileſiam, reliqui in Bohemiam retro cedebant terrore Saxonum, an quod, uti ferebant, ita Cæſar juſſiſſet. Nam & turpe videbatur ad primam offenſam deſtruere præmium, quod pro navata tam utili opera Cæſar antehac Saxoni tribuerat; & tam abruptus rigor in perpetuum alienaturus erat, quem ad veterem Domus Auſtriacæ cultum revocaſſe præcipuum labantibus ſuis rebus fulcimentum credebat. Igitur cum abductis copiis animus Saxonis præparatus videretur, tribunus Franciſcus Paradiſius Dreſdam ablegatur velut à Marchione de Cadreita Hiſpaniæ Regis Oratore. Ut enim Cæſaris nomine arma præcipitanter aut injuſte illata excuſarentur, & crimine agnito ab inferiore venia peteretur, iſtius faſtigio indignum videbatur. Hic ergo Hiſpaniæ Regis nomine multo cum artificio Electoris animum mitigare ſatagebat, culpam in Tillium conferens, qui citra conſenſum & contramentem Cæſaris in ipſum impegiſſet; ſed qui jam ſat pœnarum ſuæ temeritatis dediſſet. Inde plurima de vetere Auſtriacorum cum iſto conjunctione memorans, & quare Cæſaris amicitia longe præferenda ſit ſocietati extranei Regis, momentaneo fortunæ favore, & mox remiſſuro inflati, & qui ſibi dominatum, ſociis ſervitium ſtrueret, petebat; ut ſcripto Elector conſignaret, quibus rebus lætum ſe à Cæſare putaret; tum conſtitueret, qui ſuper loco tractatuum convenirent, quibus ipſe Orator Hiſpanicus adeſſe decreverit, omnem navaturus operam, ut & Cæſar eodem ſuos legatos mittat, & Electori plane ſatisfaciat. Neque enim à Cæſare pacem cum univerſis ambiri, modo Elector æquis conditionibus ſecum tranſigi patiatur, de quo cum primis Cæſari Hiſpanoque Regi cordi ſit. Enimvero manifeſtius pellucebant laquei, quam ut Saxo iſtis tunc capi poſſet. Igitur viciſſim Paradiſio merita Saxonis erga Cæſarem occinebantur, & quam malignum ipſi præmium perfoluturum fuiſſet. Sane per Tillium ejusque ſuperiores non ſtetiſſe, quo minus Electoris ſalutı ad Lipſiam exequiæ irentur. Iſtius facta nunc abnuere, poſtquam ſecius alea cecidit, ferum eſſe. Nec ibi incognitum, quid Viennæ in ſe decretum, & quibus ſua, ac Brandeburgici mitra deſtinata fuerit. Ipſos adverſarios fateri, ſe à Cæſare coactum ad amicitiam Sueciæ Regis amplectendam, cujus virtute obtinuerit, quod per innocentiam, ac merita ſua non poterat. Iſtius poſt tantum beneficium amicitiam repudiare cum ſumma infamia fore conjunctum. De cætero ſe pacem univerſæ Germaniæ ex animo vovere, ſed ſuper ea cum Rege agendum eſſe, qui honeſtas conditiones non ſit abnuturus. Peculiares conventiones nihil ſecuritatis, plurimum turpitudinis habere. Illinc tamen Regis Hiſpaniæ omnium multo cum verborum honore pentatum, & ipſe Legatus largis prolutus poculis amice dimiſſus. Ita quidem tunc reſpondebatur à Saxone, recenti Cæſaris injuria, & Guſtavi beneficio, & quod in devia abeuntem omnes Proteſtantes exeraturi fuerant. Quin & ipſe Cæſar inter ancipitia probatam levitatem veris mox pretiis æſtimaturus erat; & à Guſtavo vindicta præſens imminebat.

1631. Saxoniæ Elector à Cæſare tentatur.

Saxones Bohemiam invadunt.

§. 51. Igitur ſpretis tunc Auſtriacorum illecebris potius videbatur Saxoni poſt defertam à Cæſareis Lutatiam Arnheimium cum exercitu Bohemiæ immittere; qui poſt Sluckenoam, Tetſchenam, Auſſigum, & Leitmericiam nemine reſiſtente occupatam, tandem Pragam verſus progreditur, quam tantus terror afflaverat, ut togati primum Cæſaris miniſtri, & ſacerdotum plerique, poſt miles è Sileſia huc miſſus, una cum Fridlando, Balthaſare de Marradas, Wangelero, & aliis præfectis inde faceſſerent. Præſidio viduata urbs absque mora adventantes Saxones admiſit. Paulo poſt quoque ad Limburgum Cæſarei à Saxonibus non perfunctorie vapulabant. Egra dehinc, Schlakenvverda, Falckenoa, & plura alia Bohemiæ oppida, diſtrahendo potius militi, quam uſui alicui inſervitura, in Saxonum poteſtatem conceſſerunt. Sed qui majus ad premendum Cæſarem momen-

1631. mentum allaturi erant, ſi, quod Guſtavus ſæpius iteratis literis inculcabat, progreſſibus ſuis alacriter incumbere, & circumlato per Moraviam, Auſtriamque bello delectus Cæſaris diſſipare voluiſſent. Sed dum iidem luxu immerſi torpent, ſpatium dabatur Matthiæ Gallaſio Pilſenam valido præſidio firmandi, ac ne iſti ulterius progredi poſſent prohibendi, Guſtavo nequidquam aſperis literis in ipſorum negligentiam invehente. Et ſatis animadvertebant ſagaciores, de induſtria ſucceſſus ſuorum ſtetiſſe Electorem, ut Cæſari ſpatium daretur exercitum recolligendi, & in immenſum gliſcentes Guſtavi vires librandi; cujus beneficio & amicitia ita gaudebat, ut tamen, ne olim ſibi ab ipſo leges imponerentur, formidaret. Præſertim cum crederet, eo ſe jam provectum, ut quandocunque libitum foret lautis cum Cæſare conditionibus decidere, & ad priſtinam cum ipſo conjunctionem redire poſſet. Nec deerant miniſtri in Cæſarem proni, qui iſthæc ſubinde Auſtriacorum illecebris dudum faſcinato inſinuarent; atque invidia, & ſuſpicione in Guſtavum ejusdem animum inficerent.

Fridlando à Cæſare ſumma belli offeruntur.

§. 52. At Viennæ trepidatio indies augeri, quo majora quotidie hoſtis incrementa capiebat; uti ſolet apud eos, quos adverſorſi ſecuros ex improviſo fortuna deſtituit. Inde paſſim dimiſſi legati quiritantes, ni omnibus viribus ſubveniatur, de Catholica religione actum eſſe; nimirum quia Proteſtantes ab exitio ſibi intentato reſpirare videbantur. Pontifex cumprimis atque Italiæ Status ſuper auxiliis, & pecunia ſolicitabantur; ſed qui in ſinu lætabantur, ita repente ad humiles preces deſcendiſſe, qui paulo ante omnes territaverant. Nec aliud fere præter verba, & excuſationes retulere legati. Ac Pontifex ipſe Cardinalis Borgiæ proteſtationem, Hiſpani Regis nomine factam, quod penes Pontificem culpa ſit futura, ſi religio Catholica detrimenti quid capiat, ſurda aure transmittebat. Ea maxime ſolicitudo Cæſarem exercebat, cui deinceps ſumma belli committeretur, poſtquam Tillio omnia infeliciter cedebant, & is Bavarum magis quam Cæſarem reſpiciebat. Et quærebatur, qui Guſtavo opponi, ſuumque ſibi exercitum ipſe facere poſſet. Qui in aula Cæſaris aderant Hiſpani ſuadebant, ut Hungariæ Rex Ferdinandus expeditionem ſuſciperet, omnem nobilitatem domi deſidem ſimul excitaturus; pronis quoque futuris omnibus ad conferendas pecunias, cujus penuria tunc maxime laborabatur, ſi Cæſaris filius accingeretur. Præſentiam Principis inſignem rebus gerendis vigorem additurum firmandæ militis fidei, & conſiliis promte expediendis. Si privato committatur quod reliquum eſt armorum, è quo ſpes, & ſalus publica dependet, metuendum eſſe, ne is hoſtium corruptionibus ſe præbeat, vel propria utilitate, aut ambitione ductus hero ſuo leges præſcribere audeat. Enimvero huic conſilio ſe opponebant Germani, quod ſuſpicarentur Ferdinando in expeditionem prodeunte ſummam rerum penes Hiſpanos plerisque inviſos fore, qui propter conjugem Hiſpanicam apud iſtum plurimum valebant. Anceps quoque videbatur Guſtavo objicere juvenem belli expertem, cui ſi ſecius quid obveniſſet, omnia conclamata fore. Igitur demum omnes in Fridlandum reſpicere, bellandi veterem, confidentem, ſumma apud milites autoritate, & cui pecuniæ immenſa vis in promptu. Quem & ipſe tandem Cæſar probabat, vel quod filium tantæ molis capacem haut judicaret, ſeu vanitate quod creditur Aſtrologica perſtrictus, quæ Fridlando fauſtiſſima quæque pollicebatur. Id maxime metuebatur, ne parum eſſet homini ſuperbiſſimo, quod Cæſar ante in ipſum acta damnaret, veniamque peteret, ac ſuam eidem ſalutem debere non adſpernaretur. Quicquid tamen indignitatis heic erat, id ingens neceſſitas devorare ſuadebat. Et quia ipſe ad aulam accedere faſtidiebat, quod honorem ac titulum Principibus Imperii ſolitum tanquam Dux Meclenburgicus poſtularet, Znaimum Moraviæ oppidum, ubi tunc agebat, mittebatur Joannes Baptiſta Werdenbergius Comes, & Hermannus Queſtenbergius, mox Joannes Ulricus Eggenbergius Princeps, ſumma ipſi amicitia juncti. Heic quo acerbius iſte ingratum Cæſaris animum, Bavari atque Tillii prave conſulta à ſe haut quidquam reparanda exprobrabat, eo ſubmiſſius illi excuſationes, promiſſa, preces ingerere, quoad tandem velut importunitate rogantium victus hactenus duntaxat flecteretur, ut in amicorum gratiam citra ullum imperii vocabulum ad menſem usque Martium delectibus habendis ſe vacaturum diceret. Interea Cæſar diſpiceret, quem exercitui ducem daret, aut quod ipſe potius judicet, de pace ageret. Nec mora, dimiſſis undiquaque veteranis ductoribus miles contrahitur, ſeptuaginta legiones, uti jactabatur, impleturus. Pecuniam ad tantos adparatus locupletiſſimus quisque ultro conferebat; cæteri cogebantur. Neque Bavarus audiebatur, qui quemvis alium quam Fridlandum ſumma rerum admotum voluiſſet, metuens, ne iſte tanta potentia ſuccinctus Ratisponæ antea in ſe declamata ulciſceretur. Quem & ipſum Cæſari ſuſpectum tunc reddebat cum Gallo conjunctio, uti ſecundæ fortunæ ſocium, ita labantibus rebus ſibi ſeorſim conſulturum. Qui & neceſſitatibus Cæſaris ad ipſum emungendum uti velle videbatur, dum hypothecam ſibi veterem in Auſtriam ſupra Anaſſum reſtitui petebat, quod Palatinatu in ejus vicem antehac tradito jam hoſtis potiatur. Paulo poſt tamen, ut Fridlandi tergiverſatio expugnaretur, à Cæſare in has leges fuit deſcendendum. Fore Fridlandum totius Auſtriacæ Domus aſſenſu exercitus Generaliſſimum in forma abſolutiſſima, nec Cæſarem ipſum, nec Cæſaris filium eo munere functuros. Cæſarem recuperata Bohemia Pragæ fixurum domicilium, Marradam vero cum duodecim armatorum millibus præſto futurum, donec pax generalis convenerit. Bohemos enim abſque Rege præſente, Regem ſine præſidio tutos eſſe non poſſe. Cæſarem de ordinaria remuneratione Fridlando cauturum, addicta ad ſecuritatem aliqua provincia è Cæſareo patrimonio. Extraordinariæ mercedis loco futurum ipſi ſupremum regale jus in occupatas provincias: Jus item Fiſco addicendi per Imperium, in forma abſolutiſſima. Penes eundem fore, excluſis ab ea cognitione non modo Cæſareæ, ſed Spirenſis etiam Cameræ Judicibus, arbitrium & publicationem bonorum, noxa Capitali commiſſorum, poteſtatem item condonandi. Si cui in aula Cæſaris literæ ſecuritatis aut noxæ venia fiat, nullius foret roboris citra Fridlandi aſſenſum & confirmationem, & hæc quidem ad ſolam fidem & famam poſſint extendi, veniam vero realem à Fridlando duntaxat peti & impetrari oportere. Si quando pacis in Imperio tractatio ſuſciperetur, habitum iri cauſæ Fridlandi privatæ, de Ducatu præſertim Megapolitano rationem, quæ in acta publica referatur. Omnes belli continuandi ſumtus Fridlando debere ſuppeditari. Omnes Cæſaris hæreditarias provincias Fridlando ad ſuum & exercitus receptum fore apertas.

Dani habitus tunc temporis erga Sueciam.

§. 53. Eodem anno domi in bellum Germanicum verſis animis id præcipuum negotium erat, veteranum & indigenam militem Guſtavo ſubmittere; in cujus locum ſcribebatur, qui ſufficeret repellendo Dano, ſi quid forte in Sueciam moliretur. Etſi hic quoad eventus belli adhuc in obſcu-

ro

1631. solateret, utrinque ab omni belli consortio reducere te statuisset, ut si penes Cæsarem victoria staret, quietis præmium amissos Episcopatus filiis suis obtineret: circa quos Gustavus quoque, si vinceret, facilis sperabatur. Nec ab hoc proposito Cæsaris solicitationes ac promissa dimovebant. Quin & cum legiones aliquot velut in defensionem Regni sui conscribere statuisset; Senatus refragabatur, ærarii inopiam causatus, & ne temere aliena in sua arma verteret. Nec obscure interminatus fuerat Gustavus, si quidem Dani circulos suos turbatum irent, secum Cæsare transacturum, ac tota belli mole in ipsos ruiturum. Id tamen nunquam sibi persuadere Danus poterat, Suecis eousque res successuras, ut adversus Austriacorum potentiam diu consistere possent. Igitur ad prosperas Gustavi res lætitiæ imitamenta præ se ferre, ad nuntium victoriæ Lipsiensis Glucstadii festivo tormentorum sonitu detonare, Hafniæque per omnia templa Deo laudes gratesque decernere, magis quia Tillius vapularat, quam quod Sueci vicissent. Cæterum anxius livor suberat, & cum aperta via non auderet, per ambages successus istos inhibere moliebatur. Eum in finem tentabat circa pacem Russos inter Polonosque conciliandam 1632. satagere; Anglos, Hollandosque, & Saxonem invidia in Suecos accendere; pacem Hispanos inter, Hollandosque suadere, ut isti totis viribus Cæsari succurrere possent. Cum Russis quoque fœdus renovabatur infarctis quibusdam clausulis Sueciæ præjudicio cedentibus; etsi Russi tunc, qua pellicere eos conabatur, sequi abnuerent. Interim ipse domi rebus bene dispositis, & classe cumprimis aucta temporum opportunitatibus invigilabat.

§. 54. At Sueciæ Ordines ante Lipsiensem adhuc victoriam conventu habito id consilii Gustavo suggerebant, ut pacem quidem circa sacra Germaniæ procurare laboraret, modo Protestantes, quorum præcipue intererat, manum communi causæ admovere vellent. Quod si autem isti otiosi laboris alieni fructum aucupari, & in solam Sueciam devolvere onus instituerent vires istius superans; neminem Regi vitio daturum, si honestis conditionibus pacem quærat, ut tamen loca ad mare Balticum à Cæsare in priorem statum reponantur, inque eadem Gustavo parrocinii atque protectionis jus maneat. His obtentis circa refusionem sumtuum faciles se fore. Ordinum Sueciæ consilium de pace.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER QUARTUS
EPITOME.

1. *De neutralitate Bavaro, Ligaque concedenda frustra agitatur. Gallie, & Bavari consilia. Conditiones à Gustavo Bavaro late.* 2. *Trevirensis neutralitatem amplectitur. Lotharingius compescitur.* 3. *Fœdus cum Gustavo ineunt Fridericus Ulricus Brunsuicensis, Brunsuviga, Ulma, Lubeca, Luneburgum, Brema, Comites Wetteravie, Duces Meclenburgici.* 4. *Fridericus Palatinus ad Gustavum venit.* 5. *Hispani ad Mosellam vapulant. Crucenacum à Gustavo expugnatur, ut & Bobenhusa, Braunfelsa, & Kirchberga.* 6. *Per Alsatiam gesta.* 7. *Magdeburgum à Cæsareis deseritur. Wilhelmi Vinarienſis Ducis, & Wilhelmi Landgravii gesta.* 8. *Legatio ad Hollandos.* 9. *Hornius in ditionem Bambergensem movet; idem Bamberga pellitur, & duas hostium legiones cædit.* 10. *Rex in Tillium vertit.* 11. *Tillius in Bavariam recedit.* 12. *Eum Gustavus insequitur.* 13. *Et Donavertam capit,* 14. *Licumque transit. Tillius cadit.* 15. *Gustavus Augusta potitur.* 16. *Ad Ingolstadium de vita periclitatur.* 17. *Ratispona à Bavaro intercipitur.* 18. *Legati Danici ad Regem veniunt.* 19. *Minister Gallicus frustra de neutralitate agit.* 20. *Gustavus complura Bavarie oppida capit. Bavari equites vapulant.* 21. *Suecorum per superiorem Sueviam progressus. Rusticorum per Sueviam motus. Ossa irritus conatus. Bavarici Weissenburgum expugnant.* 22. *Rex in Franconiam regreditur. Wilhelmus Dux in Sueviabenerem gerit.* 23. *Cronacum à Regiis frustra obsidetur.* 24. *Fridlandumin Bohemiam movet. Saxones rem male gerunt. Elector Saxonie à malevolis solicitatur.* 25. *Ad eum Solmensis à Rege mittitur. Arnheimii cum Fridlando commercia.* 26. *Saxones Bohemia pellantur.* 27. *Pappenheimii per Saxoniam successus. Regiorum per ditionem Bremensem gesta.* 28. *Eam Cæsarei in Danum transferre laborant. Dani Friburgum occupant: iterum inde ejiciuntur.* 29. *Sueci male rem gerunt: eos Pappenheimus cædit, qui & de Stada in Danum transferenda tractat; mox eam deserit.* 30. *Ossa ad Rhenum Suecis aliquid damni infert.* 31. *Hispani in Palatinatum irrumpunt; vapulant; Spiram occupant;* 32. *è Palatinatu non sine clade sucessunt.* 33. *Bavarus, & Fridlandus junctim in Regem eunt. Rex Bavarum insequitur.* 34. *Legatus Ragotzii dimittitur. Regiorum statio caditur.* 35. *Rex ad Noribergam statum capit. Regii exploratores caduntur. Fridlandus castra castris Gustavi confert.* 36. *Pappenheimius per Saxoniam grassatur. Hassi vapulant. Pappenheimius Callenberga obsidium solvit. Ea cum Steinbruco ab hoste deseritur.* 37. *Her-*

Digitized by Google

37. *Hermanſteinum Galli tradunt. Confluentes ab Hornio capiuntur.* 38. *Bavari Fridbergam, Landsbergam & Fieſſam recuperant : eadem mox à Suecis recipiuntur.* 39. *Acta cum Saxonia Electore.* 40. *Velitationes ad Noribergam. Lichtenavia ab hoſte capitur. Hoſtium commeatus intercipitur. Cæſarei vapulant.* 41. *Guſtavo auxilia paſſim adveniunt.* 42. *Is caſtra Fridlandi ad Noribergam oppugnat.* 43. *Hamiltonius Marchio in Angliam mittitur.* 44. *Regii Duderſtadium expugnant ; Guelferbytum fruſtra obſident.* 45. *Baudiſius in Weſtphaliam abit. Paderborna obſidio decedit. Ad Brackelam conflictus. Baudiſius Pappenheimio cedit.* 46. *Guelferbyti obſidio ſolvitur. Pappenheimius Hildeſiam capit ; in Thuringiam abit. Cauſa rei à Regiis per Saxoniam male geſta.* 47. *Cæſarei in Luſatiam irrumpunt. Arnheimius Glogoviam expugnat.* 48. *Regii & Brandenburgici Saxonicis junguntur. Tranſactio cum Saxonibus ſuper conjunctione.* 49. *Æmulatio inter Regios & Saxonicos ſuper præcedentia. Diſſenſio Ducum circa invadendum hoſtem. Cæſarei caſtris ad Stenaviam faceſſunt : ad Wratislaviam conſident ; ea caſtra deſerunt.* 50. *Holckius in Miſniam irrumpit.* 51. *Cæſareorum in Alſatia conatus. Philipsburgum fruſtra tentatur : Galli Treveros occupant. Cæſareani ad Wiſelochum vapulant.* 52. *Hornius in Alſatiam movet. Ehenheimum ſuperius, Offenburgum, & Ortenburgum capitur. Hornius Benfeldæ obſidium ſuſcipit.* 53. *Guſtavus caſtra ad Noribergam movet. Cæſarei Noriberga diſcedunt. Guſtavus Danubium verſus tendit. Rainum recuperat.* 54. *Ab Electore Saxoniæ auxilium poſcitur.* 55. *Fridlandus Miſniam verſus tendit ; Coburgenſem arcem fruſtra oppugnat. Gallaſius in Miſnia graſſatur. Pappenheimius Fridlando jungitur.* 56. *Rex in Thuringiam abit. Cancellarius ad habendum Proteſtantium conventum ablegatur. Rex ad Naumburgum caſtra munit. Georgius Luneburgicus Regi jungi cunctatur.* 57. *Per Bavariam, & Sueviam geſta.* 58. *Hornius Benfeldam expugnat. Lotharingiæ Ducis poſtulata. Sletſtadium capitur. Colmaria, & Hagenoa ſe dedunt. Pro Baſileenſi Epiſcopo Helvetii intercedunt. Hornius in Sueviam abit.* 59. *Fridelsheimum à Regiis capitur. Frankendalia deditur. Fridericus Palatinus moritur.* 60. *Baudiſii in Colonienſem ditionem expeditio.* 61. *In Sileſia geſta.* 62. *Diſſidia inter Regios & Saxonicos.* 63. *Prælium ad Lutzenam. Rex cadit.* 64. *Pappenheimius prælium inſtaurat ; in occumbit.* 65. *Guſtavi Regis elogium.* 66. *Saxoniæ Elector ſua recuperat.* 67. *Legatio ad Polonos mittitur.* 68. *Dani habitus tunc erga Sueciam.*

1632. De neutralitate Bavaro Ligæque concedenda fruſtra agitur. d. 30. Maji 1631.

Circa initium anni triceſimi ſecundi apud Guſtavum Regem per Legatos Gallicos Marchionem Brezæum, & Charnaſſæum ſuper *neutralitate* Bavaro ac Ligæ concedenda ſatagebatur; de qua & in fœdere Gallico expreſſe cautum erat, & Bavarus mente Majo ſuperioris anni fœdus mutuæ defenſionis in annos octo cum Gallo fecerat. Eo Rex Galliæ tenebatur ad defenſionem Bavari, ejusque provinciarum hæreditariarum & adquiſitarum propriis ſumtibus expedire novem peditum millia cum convenientibus tormentis, ſi hoſtiliter invadantur; ut tamen penes Bavarum optio ſit, vel militem ipſum, vel pecuniam petere tanto militum numero alendo ſufficientem. Viciſſim Bavarus eadem conditione tria peditum millia, equites mille promittebat. Tum ut neuter alteri arma inferat, nec directe aut indirecte milite, paratu bellico, aut pecunia adjuvet alterutrum invadere cupientibus. Promittebat quoque Gallus, ſe agnituram, ac tuiturum dignitatem Electoralem in perſona Maximiliani, ejusque Domo Bavarica contra omnes, qui tentarint illam dignitatem transferre, aut ipſum in ejusdem exercitio impedire. Reſervaverat ſibi Bavarus juramentum ſuum ſalvum, quo Cæſari atque Imperio obſtrictus ſit. Tunc ut illud in præſens ſummo ſilentio prematur, utrinque promiſſum. Sane optabat quidem imminutionem potentiæ Auſtriacæ Gallus, non minus atque ipſe Pontifex; ſed nequid ſacra Romana detrimenti caperent. Cum autem Guſtavus poſt Lipſienſe prælium tanto cum ſucceſſu terris Pontificiorum bellum immitteret, paſſim ab hiſce clamores tollebantur, velut jam de ſua religione actum foret. Idemque Epiſcopus Wurtzburgenſis, qui ditione ſua profugus Lutetiam Ligæ nomine profectus erat, magna cum aſſeveratione inculcabat, non ſine aſſenſu ſacerdotum plebisque; qui inſuper fremebant, Hugenottis jam veteres ſpiritus redire, eorundemque proceribus clandeſtina cum Guſtavo commercia intercedere, poſtquam hic bellum ad confinia Galliæ promoverit, quem in Cæſaris ditiones recta iviſſe Galliarum Rex maluiſſet. Unde ſedandis Cleri, vulgique vocibus, qui ſocietate Suecica religionem Catholicam prodi clamabant, ipſe Rex ſparſerat, exercitus, quos tum comprimendis à fratre motibus conſcribebat, adverſus Guſtavum parari. Quo tempore & à Gallis Argentoratum tentabatur, titulo idem adverſus Suecos protegendi, eoque fine validum præſidium urbi immittendum offerebatur, applaudentibus primariis civibus auro corruptis. Sed cum re ad concilium relata unus ex infima civium genere exemplum Metenſis urbis oſtendiſſet, conatus Gallorum in irritum cadebat, cum jam miles horum velut re confecta in vicina urbi proceſſiſſet. Enimvero Richelius Cardinalis, penes quem tunc ſumma conſiliorum per Gallia erat, negabat Auſtriacorum vires eousque jam depreſſas eſſe, ut ſucceſſibus Guſtavi remora injicienda ſit. Præſertim cum Auſtriaci internas Galliæ turbas, quas Regina mater, Duxque Aurelianenſis excitatum ibant, foverent, qui & ipſi in exitium Richelii incumbebant. Fœdus cum Bavaro adverſus Auſtriacos, non adverſus Suecos conceptum, ac intra meræ defenſionis terminos conſiſtere. Quos cum tranſſilierit Bavarus, & invito Galliæ Rege Tillium Saxoni immiſerit, non teneri Gallos ad avertendum malum, quod iſte ſuo ſibi jumento arceſſiviſſet, Bavaro fruſtra excuſante, Tillium Cæſaris legatum injuſſu Maximiliani Ligiſtico milite adverſus Saxonem uſum eſſe. Miſſi tamen Legati ad Guſtavum, qui ſuper exemtione à bello in ſpeciem agerent, quo Bavaro utcunque ſatisfieret, & ut tentarent, num huncce Cæſareis partibus dimovere poſſent, quem alias Gallus tanquam firmamentum religionis Catholicæ per Germaniam fovebat, & in quem faſtigium Cæſareum Auſtriacis extortum ſi qua poſſet conferret; eumque ut vel vi partibus Cæſareis Guſtavus abſtraheret, haut ſane ægre laturus erat. Et vero ſatis conſtabat, id à Bavaro agi, ut vel Gallos cum Suecis com-

1632.

Galliæ conſilia.

Bavari conſilia.

1632. committeret, vel ut ipſe à belli moleſtia tantiſper ſemotus otio potiretur reparandis viribus, quo majoris deinceps ſua auxilia licitantibus addicere poſſet. Ea in negotiatione cum Brezæus circa religionem Catholicam importunus Regem urgeret, in jurgium res erumpebat, Guſtavo minante, ſibi haut in arduo eſſe non levius quam Auſtriacis Galliæ quoque bellum movere, quæ ſibi nequaquam formidoloſa ſit. Aliàs Guſtavo Regi ut acta ſua Gallo probaret, ſedulo opera dabatur. Unde & antea Guſtavum Hornium cubicularium nobilem ad iſtum Meti agentem miſerat, removendis ſecius ſuſpicandi cauſis, ac ut rationes oſtenderet, quare ipſe ad Rhenum arma tranſtuliſſet. Et nunc demonſtrabat, per ſe non ſtetiſſe, quo minus Liga neutralitatem amplecteretur. Enimvero hanc bello advertus ipſum ſe immiſcuiſſe; ad Lipſiam copiis ſuis pugnaſſe, poſtea Fuggerum cum exercitu in ipſum miſiſſe. Nec aſia via fœderi Gallico ſatisfieri potuiſſe, cujus præcipuum caput erat, oppreſſos aut ſpoliatos reſtituere. Neque vero adparebat, quomodo rationes ſuas à Cæſare tunc ſejungere poſſet Bavarus, quamdiu metuebat, ne Friderico detracta ſpolia iterum ipſi extorquerentur, nevè in vindictam ſumendam incumberent, quibus hactenus pro lubitu inſultaverat. Qui & extraneos licet omnes perofus, Gallo adrepebat, ut Auſtriacis neceſſitatem afferret amicitiam ſuam majori cum cura amplectendi. Addebant aliqui, dogmata ſacerdotum, à quibus Bavarus dependebat, iſtam neutralitatem plane reſpuere, quod Auſtriacis oppreſſis protectio religionis Catholicæ ab his ad Gallos transferenda ſit, quæ hiſce minus tuto, quam illis crederetur. In honorem tamen Regis Galliæ & ne in deſperationem Pontificios conjiceret, non recuſabat Guſtavus, quo minus cum Bavaro ſociisque ſuper immunitate à moleſtiis belli intervenientibus legatis Gallicis Moguntiæ ageretur. Ac promittebat Guſtavus ſe loca Pontificiorum nondum à ſe occupata hoſtilitati exemturum, ac per Inferiorem Palatinatum capta Bavaro, quoad cum Friderico tranſactum ſit, nec non Trevirenſi Electori ſua redditurum, dummodo Ligiſtæ viciſſim Inferiore Saxonia decedant, copias ſuas ditionibus Proteſtantium deducant, easque ad duodecim usque millia exautorent, ut tamen dimiſſi ad Cæſarem non tranſeant, & qui retinerentur ſparſim habeantur; tum ne Cæſari delectus apud ſe concedant, tranſitum utrique pariter aut intercludant, aut indulgeant. Nominatim tamen ab hac pactione excludebatur Bambergenſis Præſul, quod inani tractatu antea Guſtavo illuſiſſet. Hujus pacti ſponſor, ac vindex Galliæ Rex poſtulabatur. Ex adverſo legati Gallici à Bavaro formulam pacti offerebant, in qua præcipue loca quævis Pontificiis ablata reſtitui poſtulabantur. Sed cum ſtolidum Guſtavo videretur in gratiam ſubdolæ neutralitatis iſta amittere, ſcriptum legatis reddebat, denuntians, prius a ſe expoſitis conditionibus inhærendum, aut communi paci operam dandam. Simul cum legati intra duas ſeptimanas reſponſum, & conſenſum Ligæ in eas leges promitterent, in id ſpatium ut hoſtilia ceſſarent Guſtavus indulgebat ea conditione, ut Pappenheimius ſtatim è Saxonia Inferiore, & miles Ligiſticus è Bohemia revocaretur. Sed cum à Bavaro præter inania verba nihil reponeretur, ac contra delectibus agendis apud ipſum omnia perſtreperent, & Pappenheimius urgendæ in Saxoniam Inferiorem expeditioni incitaretur, ludibrium iſtud Guſtavus non amplius ferens, quas in aliud octiduum

Conditiones à Guſtavo Bavaro latæ.

inducias prorogari poſtulabat Brezæus, abnuebat. Et ſane non tam Guſtavo quam Gallis tunc à Bavaro fuiſſe illuſum eventus mox docuit, dum Legatis Gallicis quam maxime ſatagentibus, ipſe interim Viennæ novum fœdus conjunctionemque cum Cæſare concludit. 1632.

§. 2. Nec melius ſuccedebant, quæ Palatinus Neoburgicus, & Ferdinandus Elector Colonenſis ſeorſim ſuper neutralitate tractare cœperant. Nam neque conditiones hiſce propoſitæ ſatis arridebant, & cum Rex in ſuperiora tenderet, periculo ſe defunctos arbitrati ulterius eandem ambire ſuperſedebant. Trevirenſis tamen Elector Philippus Chriſtophorus eam amplectebatur, renitente licet ipſius Clero, qui in Hiſpanorum partes propendebat. Et magnum in iſto Principe momentum erat intercludendis auxiliis, quæ ex Belgio ab Hiſpanis ſubmitti poſſent; præſertim poſtquam menſe Majo Hermanſtein umpignus fidei in Gallorum manus conſignaverat; viciſſim tamen ſibi à Gallo ſtipulatus, ut ejus opera Hiſpanis Treverorum urbe ejectis, ibi aulam ſibi ſigere integrum ſit. Sed Lotharingiæ Dux, etſi Guſtavo arma in ſe citra cauſam arrepta expoſtulanti multa cum verborum humanitate amicitiam in poſterum polliceretur, validiore vinculo conſtringendus erat, ob lubricum ingenium, & bellandi pruritum. Igitur Galliæ Rex, nî quieſceret, cum à ſe compeſcendum receperat, ſimul Cæſareos Mojenvico & aliis locis, quæ in Metenſi provincia antehac occupaverant, exturbabat, ipſe quoque paulatim in id bellum deſcenſurus, cujus primum impetum feliciter fregiſſe Guſtavus videbatur.

Trevirenſis neutralitatem amplectitur.

Lotharingus compeſcitur.

§. 3. Circa idem tempus Guſtavus audita Pappenheimii in Saxoniam interiorem irruptione, Banerio, qui circa Magdeburgum curabat, metuens, arma eodem transferre meditabatur, eoque cum Regina, quam recens ad ſe accedentem Hanoviæ exceperat, jam Gelnhuſam pervenerat. Sed cum iſtum Magdeburgo exceſſiſſe renuntiaretur, retro Francofurtum abit, quo tunc quamplurimi Principes, atque Legati confluxerant ambiendæ ipſius amicitiæ. Quos inter Fridericus Ulricus Brunſuicenſis Dux, ſuper fœdere, quod ſuperiore anno conceptum fuerat, jam plene tranſegit, ſocietatem belli pollicitus, ſibique viciſſim Guſtavi auxilia ad occupandum præſulatum Hildeſienſem, & recuperanda majoribus ſuis quondam erepta ſtipulatus. Bruntvviga quoque, Ulma, Lubeca, Luneburgum, atque Brema fœderi ac clientelæ Regis accedebant; nec minus Comites Wetteraviam & Weſtervvaldiam incolentes: qui proximis abhinc annis magna fortunarum ſuarum parte à ſacerdotibus Pontificiis ſpoliati jam ope Regis ſua recuperatum ibant. Cum Ducibus quoque Mecklenburgicis tunc fœdus abſolutum, ſuper quo diu inter ipſos, atque Joannem Salvium diſceptatum ſi erat. Nam hic poſtulabat, ut Wiſmaria, & Caſtellum ad Varni oſtium perpetuo jure Succiæ Regno transferiberetur; id quod Duces enixiſſime deprecabantur. Et ſatius demum judicabatur iſtam rem ad finem belli differre declinandæ multorum invidiæ, & ſuſpicioni, velut in proprium duntaxat emolumentum Succis bellum gereretur. Igitur ſufficere viſum, præſidium Wiſmariæ & Varnemundæ, ac vectigalia tolerandis belli ſumtibus paciſci ſalvis Ducum juribus, quos viciſſim Rex in poſſeſſione ditionum ſuarum tuiturum ſe recipiebat.

Fœdus cum Guſtavo ineunt Fridericus Ulricus Brunſuicenſis.

Brunſvviga, Ulma, Lubeca, Luneburgum, Brema. Comites Wetteraviæ, Duces Mecklenburgici.

§. 4. Menſe quoque Februario ad Guſtavum è Bata- Fridericus

1632. Palatinus ad Guſtavum venit.

Batavis accedebat Fridericus Palatinus Bohemiæ quondam Rex, per iſtum ditiones ſuas recuperaturus, de quo antea ipſi ſpes facta fuerat. Et egerat jam ſuper iſtius reſtitutione cum Galliæ Rege Guſtavus, ut eadem bona cum ipſius gratia fieret; cui etiam propoſuerat, ut quia poſſeſſa ſemel Electoralis dignitas Bavaro haut facile iterum eripi poſſit, uterque eadem deinceps gauderet, quod ſeptenarius Electorum numerus nulla lege æterna ſit ſancitus. Cæterum excipiebatur à Guſtavo Fridericus omnibus amicitiæ ſignis, & honore Regibus ſolito. Magis tamen ad palatum fuiſſet, ſi valida militum manu ſuccinctus adveniſſet ad ſua recuperanda operæ quid collaturus. Nec ſuccedebat fœdus, de quo cum Regis Angliæ legato ſuper iſtius reſtitutione tractabatur; ubi cum Guſtavus ſtipendium in tria equitum, octo peditum millia ad finem uſque belli poſtularet, iſte vehementer recuſabat, quod minoris Palatinatum emi poſſe diceret. Et provocabatur ad ſcriptum à Guſtavo ſub initium belli emiſſum, quo reſtituendis ſe oppreſſis & ejectis Ordinibus Germaniæ arma ſumſiſſe dixerat; veluti æquum foret, penes ipſum ſolum belli pericula & ſumtus, penes alios immunes emolumentum eſſe. Aſperaverat quoque Guſtavi animum Legatus iſte, dum in patrocinium ſuum ſuſcipere conabatur Anglos quoſdam ductores ſub Guſtavo ſtipendia merentes, quos millione, aut ſupplicio hicce damnaverat. Ad extremum tamen hæ conditiones Friderico proponebantur, ut Auguſtanæ Confeſſioni in Palatinatu libertas foret, & interea is à ſolo Guſtavo dependeret. De cæteris deinceps pro temporum ratione tranſigendum.

Hiſpani ad Moſellam vapulant.

§. 5. Enimvero ſolis hiſce negotiis totam hiemem terere hautquidquam Guſtavo dignum videbatur; ſed cum induciis, quas Ligæ indulſerat, præterlapſis audiſſet, Hiſpanos ad Moſellam manu coacta Crucenaci & Frankendaliæ præſidia firmaturos, quæ oppida ipſis adhuc in Palatinatu reſtabant, iisdem repente Ottonem Ludovicum Rheingravium immiſit. Is obſervato ex inſidiis Moſellæ, qua transmiſſuri erant, trajectu, primæ Hiſpanorum legioni tranſitum permiſit; ſecundam, quæ ſequebatur, rejecit in adverſam ripam: tum primam adortus ſic profligavit, ut pauci cladem evaſerint. Septingenti Hiſpanorum cæſi, multique captivi, cum octo vexillis ad Regem deducti. Rex perterritis hac clade inſtandum ratus Crucenaco ſtatim exercitum admovet. Oppidum primo impetu captum, plerisque Hiſpanis in arcem ſe recipientibus. Qui in eandem mox impetum dederant, ab Hiſpanis acriter repellebantur. Sed cum cuniculus actus munimentorum partem disjeciſſet, armis poſitis, vitæque venia petita Regis arbitrio ſe dedebant, quos hic non niſi gladiis accinctos dimittebat. E Regiis id obſidium ducentos abſumſit, quos inter inſignes Wolmarus Rosladmus, & Wolfartus Hallius erant. Paulo poſt quoque Braunfelſa Wetteraviæ arx, & Bobenhuſa, illa à Philippo Reinhardo Solmenſi, hæc à Wolfgango Henrico Iſenburgico Comite circumſeſſa, in Regis poteſtatem pervenit. Et Rheingravius Kirchbergam in tractu, quem Hunsruckam vocant, ſitam vi expugnat; ubi quicquid Italorum & Burgundionum inerat cæſi, Germani Regis militiæ tranſcripti. Eodem tempore Regis juſſu novo munimento, quod Guſtaviburgum adpellant, qua Mœnus Rheno infunditur, fundamenta jacicbantur, quod ut incolis frequentaretur, ſequenti anno Oxenſtierna viginti annorum immunitate, aliisque privilegiis donabat.

Crucenacum à Guſtavo capitur,

et & Braunfelſa, Bobenhuſa, Kirchberga.

§. 6. In ſuperiori quoque Rheni tractu nonnihil exiſtebat motuum, dum Argentinenſes Lotharingos per Alſatiam prædis agendis vacantes ſubito invadunt, ac aliquot centuriis cæſis cæteros in patriam remigrare cogunt. Ab Hanoviæ Comite juſſu Regis munimenta ad Druſenheimum, & Lichtenaviam, quibus Cæſarei Rheno velut frænum utrinque injicere conati fuerant, ſolo æquabantur. Et Chriſtianus Palatinus Birkenfeldenſis, qui nuper militiæ Regiæ nomen dederat, in Badenſi provincia, & vicino tractu novum exercitum concurrente alacriter milite conſcriptum ibat. Contra Rudolfus Oſſa Cæſareus dux aſſumtis bis mille militibus Briſaco movens Loram, Offenburgumque occupatum præſidio firmavit. Inde Wilſtadium, quod Regius centurio cum ſexaginta peditibus tuebatur, vi expugnatum in cineres redegit. 1632. Per Alſatiam geſta.

§. 7. In Saxonia Inferiore Laurentius Caggius Manſfeldium Comitem Magdeburgo præfectum infeſſis circa vicinis oppidis ad famem redigere conabatur, cum Pappenheimius à Bavaro iſti ſuccurrere jubetur: aut ſi hic prohiberetur, Manſfeldio injunctum, ut ſe ſubjectumque militem honeſta pactione conſervaret. Et jam hic ſuper dedendo oppido cum Banerio agere cœperat; cum Pappenheimius è Colonienſi provincia movens Vilurgi transmiſſo, & coacta è vicinis præſidiis valida manu, obſidium ſolvere inſtituit. Banerius militem laboribus fractum recenti hoſti objicere, ac injuſſu Regis aleam prælii tentare conſultum haut judicans, Halberſtadio prius milite firmato trans Salam ſe recepit, caſtris Calbæ opportuno ad defenſionem loco poſitis. Pappenheimius Magdeburgum delatus, cum vaſtatis circa locis oppido de annona proſpici haut poſſet, & Cæſareis exercitum ſupplere tunc maxima cura eſſet, corruptis, aut in Albim præcipitatis quæ avehi non poterant tormentis, & convalatis cæteris poſt igne corrupta militum tuguria, molendina, navigiaque, & pontem, præſidium deſolata urbe educit, ac Guelferbytum abit. Habebat etiam in mandatis Pappenheimius munimenta urbis diſjicere: ſed adſidens in vicinia Banerius moram ibi trahere non patiebatur. Pappenheimio digreſſo Banerius militem urbi immittit, & convocatis civium reliquiis ejus inſtaurandæ initium facit. Sed Pappenheimium Luneburgenſibus dira minitantem junctus Banerio Wilhelmus Vinarienſis Dux in Weſtphaliam abſcedere coëgit. Et cum is nullam pugnandi copiam facturus videretur, Banerius ad ſtationem ſuam circa Magdeburgum rediit. Wilhelmus autem Dux circa oram ſylvæ Herciniæ aliquamdiu hærens legionem hoſtium ad Hamelam ſecurius hærentem opprimit. Inde Goſlariam, & Northeimum ab hoſtibus defertum facile in poteſtatem redigit. Gœttingam trecentorum duntaxat præſidio infeſſam aſſultu expugnat, hoſtium plerisque occiſis, ibique non modico belli adparatu poritur. Mox quoque Dudertladium agri Eichsfeldici caput eidem ſe ſubmittit, & quæ ibi præſidium agitabat cohors Regiæ militiæ nomen dat. Sed & Wilhelmus Landgravius à Guſtavo redux Paderbornenſis provinciæ oppida tributum antea conventum propter adventum Pappenheimii abnuentia ad obſequium reducit. Ac Warburgum, quod pluribus hoſtium cohortibus tenebatur, vi expugnat, multis primo impetu trucidaris. Qui terror Stadhagam, & Volemarſam imperata facere coëgit. Idem quoque Ericiburgum, ditionis Grubenhagentis arcem, & Amænoburgum deditione in poteſtatem accepit.

Magdeburgum à Cæſareis deſeritur.

Wilhelmi Ducis Vinarienſis acta.

Wilhelmi Landgravii geſta.

§. 8. Inter Iſthæc Guſtavus menſe Februario ad Batavos Legatum miſerat Benedictum Oxenſtiernam.

Legatio ad Hollandos.

1632. ſtiernam. Nam & ipſi Cornelium Pavium ad Regem ablegaverant, qui ſuper proſperis ſucceſſibus gratularetur, ac de ſtudio Reipublicæ in communem cauſam prolixe teſtaretur. Iſtis non minus honorificorum verborum ab Oxenſtierna repoſitum. Enimvero id præcipue ſpectabatur, ut ſi forte Rex Coloniæ, aut vicinis locis arma admoveret, ſiniſtra ſuſpicionum iſtis adimeret. Eoque ad explorandum penitus ipſorum animum offerebat Rex, ſe cum iisdem copias ad debellandum Belgium Hiſpanicum ſociaturum. Sed Fridericus Henricus Princeps Arauſionenſis id averſabatur, ea conjunctione gloriam ſuam obfuſcatum iri metuens, & quia alienis auſpiciis militare nolebat. Et qui prudentiores apud iſtos haberi volebant, inconſultum ducebant, letalem velut plagam Auſtriacis inferre, ne prægravis illa potentia in Suecos, Gallosve tranſiret; cum nihil ſua intereſſet, hos an illos metuerent. Legatus tamen multo cum verborum honore dimiſſus; ſimulque ſignificatum, ſequenti ætate valido ſe cum exercitu Hiſpanis in Belgio incubituros, ne ipſis ſpatium ſit miſſis in Germaniam copiis Guſtavi progreſſus turbandi.

Hornius in ditionem Bambergenſem movet.

§. 9. Sed majoribus mox rebus occaſio ſtruebatur, dum Hornius à Rege in Franconia relictus Bambergenſem Præſulem ipſius juſſu invadit, qui antea ſimulato tractatu eidem illuſerat. Sub finem Januarii primus impetus ad Hogſtadium fit, ubi obſeſſores à vicini fluminis exundatione, & erumpentibus ex oppido præſidiariis nonnihil damni accipiunt. Tribunus quoque cui ab Hiſpania cognomen Forcheimo cum mille militum manu, qua Comitis Solmenſis legio tendebat, impetum fecerat, ac recens conſcriptos in fugam dederat, ni Cochtizkius accurrens hoſtem demum non ſine clade repuliſſet. Inde territi obſeſſi oppido tradito plerique Suedicæ militiæ nomina dant. Bamberga præſidiarius miles Forcheimum ſe receperat; eoque ab Hornio præmiſſæ quinque equitum alæ, duæ peditum cohortes facile in oppidum receptæ. Sed cum eodem mox quinque cohortes è provincialium ſelectis accederent, oppidani pactorum immemores cum hiſce in Suecos impetum faciunt. Poſt modicam tamen pugnam miles à Suecis profligatus unde venerat faceſſebat, oppidani in curiam incluſi extrema expectabant. In quos nihil durius ſtatutum, quam ut quorundam domibus direptis univerſi armis exuerentur. Præcipui ſacerdotum rebus pretioſis convaſatis jam antea in turriora ſe receperant. Turbidum continuis imbribus cœlum impediebat, quo minus Forcheimo exercitus admoveri poſſet; nec præter modicas velitationes quidquam tunc patratum. Sed Bambergæ Præſul à Bavaro obtinuerat, ut Tillius juberetur milite hibernis excito Hornium, priusquam pedem figere poſſet, inde exturbare. Exercitus in Superiore Palatinatu convenire juſſus viginti millia capitum explere ferebatur, quibus tamen aliquot millia ſelectorum provincialium admixta erant. His copiis ſuccinctus Tillius per Noribergenſium territorium Forcheimum verſus tendit. Hornius audito hoſtium motu, cum parum decorum judicaret loco nuper occupato ſtatim iterum faceſſere, munimenta oppido circumponere loci genio licet repugnante aggreditur. Verum antequam opus abſolvi poſſet, Tilliani aderant, & Baudiſſianam equitum legionem, per errorem longius progreſſam, antequam recipere ſe poſſet, in fugam propellunt, ſimul imperfecta opera ſuburbio prætenſa irrumpunt. Quo terrore conſternatus quoque Solmenſis Comitis pedes tiro, Hornio nequidquam obluctante, per pontem Mœno impoſitum in oppidum refugit, inſequente eodem hoſtium legione; quam tamen mox Hornius tota vi connixus trans pontem iterum non ſine clade rejicit. In eo tumultu quadringenti circiter Regiorum periere, ac Solmenſis Comes è vulnere paulo poſt obiit. Hornius ponte dejecto ad alteram Mœni ripam hoſtem velitando tam diu detinebat, quoad impedimenta præmitterentur, & tormenta navigiis impoſita ſecundo flumine avecherentur; hinc ad Eltmanum Mœno iterum transmiſſo Haſfurtum ſe recipiebat. Ubi cognito hoſtilem equitatum per vicinos vicos ſecurius agere, duas equitum legiones Oberheidæ hoſpitantes improviſus opprimit, & exceptis quatuor alis, quæ amandatæ fuerant, concidit, Croatarum quoque manu male multata. Id damnum ne hoſtis ulciſci poſſet, Hornius conſultum ducebat cum exercitu Suinfurtum ſe recipere, quoad ſubmiſſis aliunde auxiliis firmaretur. Cæterum quod initio ad Bambergam male res geſta foret, Rex inde factum judicabat, quod Hornius mandata ſua, ut nihil aleæ belli committeretur, ſtricte nimis fuiſſet interpretatus. Nam ideo haut fuiſſe expectandum, quoad hoſtis vim admoveret, ſed alacriter periculo occurrendum, & à circumſpectione omnem timoris ſpeciem removendam fuiſſe.

1632.

Hornius duas hoſtium legiones cædit.

§. 10. Aſt Rex, ne Hornii ad Bambergam receptus ſuis terrorem, hoſtibus animos daret, ſepoſita Heidelbergæ & Philipsburgi oppugnatione, quam animo agitabat, in Tillium ire conſtituit; rebus tamen ad Rhenum prius diſpoſitis: quarum ſumma directio penes Oxenſtiernam Cancellarium relicta. Rei militaris cura Chriſtiano Palatino Birkenfeldenſi, & Bernhardo Duci commiſſa, quorum tamen æmulatio rebus gerendis non parum impedimenti afferebat, quoad Bernhardus Dux ad Regem evocaretur. Et jam tum querebatur Oxenſtierna, melius res procedere ſub ductu mediocris ſortis hominum, quam ejusmodi Principum, qui imperata non ulterius exſequi ſolcant, quam ipſis placitum, quoique pœnæ metus non coërceret. Joanni Sparrio Moguntiæ Gubernatori peculiariter injunctum, ut Pontificios ſacerdotes jurejurando prius adactos protegat, nec ſacra ipſorum turbari patiatur. Severiſſimis quoque edictis militum petulantia coërcita, vias infeſtantium, aut concuſſionibus, angariisque provinciales opprimentium. Et quia non modicæ Gallorum copiæ ad Saram flumen hærebant, à Brezæo Legato Galliæ diligenter inquiſitum, num illæ forſan aliquid infeſti meditentur: qui amica omnia ab iſtis expectanda ſancte confirmabat. Inde præmiſſis ad Noribergenſes, Suinfurtenſesque literis, quibus ad conſtantiam eos hortatur, & de adventu ſuo certiores reddit, ac ſumto per Hachſtam, Steinhemum, Aſchaffenburgumque itinere, Hornio Kitzingæ jungitur, ubi per triduum exercitus ſubſiſtebat, quod Wilhelmus Saxoniæ Dux, & Joannes Banerius cum milite ſuo huc evocati nondum appuliſſent.

Rex in Tillium contendit.

§. 11. Tillius autem ſeu viribus, ſeu fortunæ ſuæ diffiſus, Guſtavi adventum haut præſtolandum ſibi ratus, receptum circumſpicere cœperat ad Forcheimum copiis contractis. Nec minor ſolicitudo Bavarum tenebat, qui procellam mox ſibi incubituram proſpiciebat. Et initio dubitaverat, num Tillium juberet in Bohemiam ſe, & Auſtriam recipere, quo Regem veſtigiis ipſius inhætirum Bavariæ finibus averteret. Sed cum iſtud conſilium, ſi Rex Tillio non inſiſteret, univerſam

Tillius in Bavariam recedit.

Hornius Bambergam pellitur.

1632. ejus ditionem præsenti exitio expositurum esset, Tillius eodem evocabatur, num forte Danubii, Licique objectu Regis impetum sistere posset. Tum anxiis precibus Fridlando, ut ad auxilium ferendum acceleraret, tantum non supplicabatur. Sed quem hautquiequam istæ preces movebant, nondum exolita eorum memoria, quæ Bavarus ante biennium Ratisponæ ipsi struxerat. An quod exercitu à se comparato suæ potius gloriæ, quam alienæ inservire, Tilliumque æmulum invidia attracti in Bavariam hostis onerare vellet. Nec ægre ferebat Bavarum paulisper castigari, ut deinceps auxilia sua tanto carius eidem imputare posset. Quin & Cæsar malebat tempestatem istam in Bavarum, quam in se delavire, quo Regi interim alibi occupato ipse spatium haberet exercitum prout res requirebat adornandi.

Gustavus Tillium insequitur.

§. 12. Cæterum Rex Tillio Danubium versus tendenti acceleratis quantum poterat itineribus instans, Winsheimum, inde Furtam pervenit. Hinc ipse, comitante Friderico Rege ac Principum Procerumque manu Noribergam invitante Senatu divertit, ibique omnia honoris & lætitiæ signa, immensumque populi in se affectum pari humanitate excepit. Quam tamen hospitalitatem vix paucas per horas deliberare permittebat potior hostis persequendi cura: eoque prandio peracto ad exercitum, qui Suabacum præcesserat, pergebat, icto prius cum Noribergensibus fœdere, quo Rex ipsis defensionem, hi vicissim fidem eidem studiumque, & patentem belli usibus suam urbem offerebant. Suabaco Neumarcum recta in hostem ducebat Gustavus; ubi ab antecursoribus nonnullæ ultimi agminis turmæ deprehensæ tarditatis suæ pœnas luebant. Missi etiam, qui Wilzburgum dedi imperarent, dira minati Pappenheimio juniori, qui ibi præsidebat, ni arce excederet. Sed ille seu constantia animi, seu quod crederet Gustavum vestigiis Tillii inhærentem tempus obsidio ejus loci non consumturum ferociter abnuebat: ac Gustavo potius erat Tillium non amittere. Cumq; animadverteret istum Ingolstadium versus iter intendere, ipse ad dextram flectens Donavvertam petere instituit, eodemque per regionem insidiis opportunam hoste ad sinistram intra modicum in-
26. Mart. tervallum incedente inoffensus pervenit, in proximo monte castra metatus.

Rex Donavvertam capit.

§. 13. Oppidum tuebatur Rudolfus Maximilianus Lauenburgicus Dux cum octo cohortibus, ac provincialium manu, & aliquot equitum turmis; qui deditionem imperanti Regi ferociter respondebat. Nec segniter in Regios subeuntes tubis longioribus fulminare, & cum equitatu eruptionem tentare. Sed non sine clade repulsus, cum ex altero quoque oppidi latere Hebronus tribunus Wernitzam flumen transgressus nouena infestare inciperet nocte impedimentis trans pontem missis ipse summo mane luce adhuc dubia cum plerisque eodem evasit, Succis interea continuo in pontem detonantibus. Qui per Wernitzam, qua Hebroni statio erat, erumpere tentaverant, cæsi omnes captivè. Inter hæc Regius miles oppidum irrumpere, ac morantes trucidare, illæsis tamen oppidanis, nisi quod primo tumultu quædam domus direptæ sunt. Quo minus fugientium tergis hærere possent Regii obstructa simo porta efficiebat; quæ antequam pandi posset, istis in tutiora elabendi spatium dabatur. Hostium ibi circiter quingenti perierunt. Oppido pristina conditio, & Augustana sacra à Rege restituta. Hinc ad utramque Danubii ripam diffusis regius miles longe late-/ que oppida arcesque Ulmam usque in potestatem redigebat. 1632.

§. 14. Proxima Regi cura erat Licum transmittere, cujus transitu Regem Tillius omni studio arcere conabatur, eoque castra supra Rainum oppidum in sylva concædibus & subitariis operibus muniverat, ripa crebris stationibus Augustam usque firmata. Simul isti urbi præter tex cohortes, quæ jam ibi præsidio erant, duodecim cohortes peditum, duas equitum alas immittit, ac cives Protestantium sacris addictos exarmat. Rex Northeimi opposito hostibus loco castra ponit; & quanquam peritissimus quisque judicabat fluvium sine plurimo sanguine superari non posse; Rex tamen considerata loci natura fiduciam concepit in conspectu hostium transeundi; quod & ripa, quam ipse insiderat, elatior alteri depressiori velut dominaretur, & Licus in arcum sinuatus Tillianis quidem castris circumfunderetur, sed eo ipso magnam eorundem partem machinarum ictibus exponeret. Igitur à Rege tres suggestus extructi, ab utroque latere ejus flexus, & in medio, quibus septuaginta duo variæ magnitudinis tormenta imposita. Tum ad ripam lorica excitata, qua tecti sclopetarii continuo tubos in hostem displodebant. Cæterum globi tormentorum decussatim totis Tillii castris volitantes, hostem misere affligebant, ac nullibi tuto consistendi locum præbebant. Interea Licus ponte sternitur, fumi nube opus facientes obtegente: quo intra triduum absoluto trecenti Finnones præmissi semilu- 5. April.
narem loricam ponti protegendo subito extruunt; in quos terna vice hostis impetum faciens ipsorum constantia, & globorum ex altera ripa imbre magno cum damno repellitur. Equites quoque vado reperto transierant, ac turmas quasdam Bavarorum velitationem ausas in castra rejecerant. Unde Tillius stationem hanc parum fidam deferere constituit, metu ne ab hoste jam fluminis potente cingeretur; an quia vulnera ducum, & consternatio exercitus exterrebat; eoque præmissis sub vesperam impedimentis noctu cum milite raptim Neoburgum, & Ingolstadium se recepit. Ito in conflictu Altringerus glande caput graviter perstrictus vix tandem ex vulnere iterum convaluit. Sed Tillius supra dextrum ge- Tillius se-
nu trilibri globo percussus ac Ingolstadium ægre di-
delatus paucos post dies inter maximos cruciatus expiravit, cum moribunda jam voce Ratisponam custodiendam ingeminaret. Magnus sine dubio, & multarum palmarum imperator, qui omnibus militiæ gradibus defunctus summam sibi experientiam comparaverat. Sed cujus gloriæ atrox Magdeburgi excidium non modicam labem adsperfit; nec multo post auspiciis Gustavi impar succubuit. Cumprimum in aulam Bavaricam accederet, ipse sermone, cultuque modestus contemtum sui apud aulicos excitaverat, adeo ut quidam Ducem monerent, otiosum mentarum atlclam amoveret. Sed qui altius inspecta viri indole, magna se facinora ab isthoc expectare reponebat. Veneris vinique expertem tota ætate se fuisse ipse jactaverat. Cæterum jam Rex manum instruxerat, quæ ductu Nicolai Brahei superato ponte in hostium castra impressionem faceret, cum illucescente die ista vacua apparuerunt. Immissis tergis abeuntium equitatus circa mille hostium trucidavit. Raina oppidum à Bavaro desertum, ultro Suecos adnuttebat.

§. 15. Lico transmisso Rex Augustam versus ad Lechusam castra ponebat, cujus antecursoribus

1632. bus Fridbergæ incolæ claves ſponte obtulerant. Ex altera quoque Lici ripa Leonardus Torſtenſonius cum majoribus machinis, & delecta equitum peditumque manu non procul urbe ſtationem capiebat. Interim legatus Neoburgo aderat hoſtilia deprecaturus; cui graviter prius increpito Rex commeatum exercitui ſuo ſubvehi, ac miſſa equitum manu iſtud oppidum à Bavaricis relictum occupari, pontemque reſici imperavit. Porro ad Auguſtam diſpoſita tormenta in ſpeciem tantum & nulla diſploſione facta, licet Bavaricis continuo ex urbe fulminantibus. Sed literis miſſis à Senatu primum poſtulatum, ut præſidium urbe dimoveatur: qui iſthoc in ſua poteſtate haut eſſe excuſabat. Mox Hornius ad Præfectum præſidii literas dat, quibus monet, ne intempeſtiva defenſione pulcerrimam urbem exitio involvat, non ſatis munitam, lubrica intus civium fide, ac nulla auxilii ſpe. Quibus perſuaſus iſte cum ſuis militari more egreſſus Ingolſtadium deducitur, ac ſtatim viginti quatuor Suecorum cohortes in urbem immittuntur. Inde Senatus ac civium delecti ad Regem in caſtra Lechuſam evocantur, de futuro urbis ſtatu acturi; tandemque conſtitutum, ut munia publica Pontificiis erepta penes Proteſtantes eſſent. Sed ſumma poteſtas, ſacrorumque cura & quæ bellum ſpectant, Regis arbitrio reſervata. Quibus tranſactis Rex urbem ingreſſus ad ædem D. Annæ recta contendit, ubi ſacra ritu Proteſtantium hactenus abrogata maxima cum civium lætitia inſtaurabantur. Hinc cives ſubjectionem ac fidem Regi Regnoq; Sueciæ juravere; id quod à plurimis ſecius acceptum, velut ipſe altiora animo agitaret, quam quæ in vulgus de cauſis belli ſui ſparſerat. Ob reſtituta tamen iſti urbi priſtina ſacra Saxoniæ Elector ſupplicationem per univerſam ſuam ditionem decernebat.

Guſtavus Auguſta Vindelicorum potitur.

10. April.

14. April.

§. 16. Occupata Auguſta Rex id agitabat, quomodo valido ad Danubium oppido potiri, ſimul Electorem citeriore Bavaria excludere poſſet; eoque Ingolſtadii pontem deſtruere, objectisque munimentis tranſitum ibi intercludere, ac Ratiſponam in poteſtatem redigere conſtituerat. Enimvero Ingolſtadium progreſſus Rex validum ab hoſte caſtellum cis pontem excitatum, ac in altera ripa caſtris ad oppidum poſitis hoſtem inſidentem reperit. Et cum ad manus veniretur, hoſtis acerrime vim illatam repellebat. Equidem à Regiis caſtellum unum ponti præjacens expugnabatur, in quo hoſtium ad trecentos cæſi, captivè. Sed cum in majus propugnaculum proxime pontem ſitum impreſſio tentaretur, cum clade repulſi præfectos nonnullos, ac multos gregarios amiſere. Eadem quoque dies ipſi Guſtavo Regi pene ſuprema illuxerat. Cum enim is loci habitum contemplaturus paulo propius hoſtium munimentis ſuceſſiſſet, hi è comitatu quis eſſet ſuſpicati tormentum in eum direxerant, quo emiſſus globus tantum non ſuras Regis perſtringens equum diſcerpſit, ut Rex ſanguine oppletus in terram provolveretur: Is tamen mox ſub equi cadavere ſe extricans, in pedes erectus ſuos è ſumma conſternatione maximo gaudio perfundebat. Ac citra ullum animi perturbati ſignum Deo Cuſtodi gratias perſolvens alio equo adſcenſo qua cœperat, pergebat. Sed paulo poſt alius globus Chriſtophori Badenſis Marchionis capiti certiore ictu impactus ipſum exanimem illico proſtravit. Cujus egregii ſane Principis mors ut parcius lugeretur, periculum Regis effecerat. Nec tamen Guſtavus, ſuis licet obteſtantibus, ne caput ſuum, à quo tot millium ſalus dependeret, ita liberaliter caſibus obiceret, ideo ſegnior ad quævis pericula reddebatur, metuendi ignarus, & quia perſuaſus erat, nil præter Numinis beneplacitum ſibi eventurum. 1632.

Ratiſpona à Bavaro intercipitur. 17. April.

§. 17. Cæterum Rex Hornium cum valida manu Ratiſponam verſus dimiſerat, ut eam urbem quacunque ratione in poteſtatem redigeret. Sed Bavarus, qui ſine dubio id agi præſenſerat, paulo ante aſtu, atque inſciis civibus bis mille peditum, equites quadringentos urbi immiſerat, prodente præfecto præſidii, quod paulo ante ſuaſu Bavari & Ordinum Provincialium Bavariæ oppidani ſuo ſacramento adactum admiſerant. Ac ne jugum urbs iterum excutere poſſet, civibus ſtatim arma ademta. Sic Hornius ipſe Ratiſpona potiundi evolutus, Rege revocante reliquo exercitui ſe iterum jungit.

Legati Danici ad Regem veniunt.

§. 18. Dum ad Ingolſtadium hæret Guſtavus, Legati à Rege Daniæ ipſum adibant Tago Tortius, & Chriſtianus Thomæ F. Seſtædius Senatores Regni. Occaſio mittendi erat, quod paulo ante Baudiſius, cum ob privata negotia Holſatiam adiret, à Guſtavo Daniæ Regis animum tentare juſſus eſſet, num & ipſe ad communem Proteſtantium cauſam adjungere ſe vellet, ſpe facta reſtituendorum filiis ipſius Epiſcoparuum, quibus tractatu Lubecenſi exciderant. Qua ſuper re ut mentem ſuam Guſtavo viciſſim exponeret, ſimul abſtergendis ſuſpicionibus, quas ex actis quibuſdam iſtius Guſtavus conceperat, iſtos ablegaverat. Ac Iſabella Belgii Princeps vehementer apud eum Regem inſtiterat, ut bellantibus ſe medium interponere aggrederetur. Hi poſt præmiſſa honoris verba, quod arma cæteris Proteſtantibus non ſociaret Daniæ Rex, pacis Lubecenſis pactum excuſabant; ſecurum tamen Guſtavum eſſe jubebant, nulla ipſum ratione armis tam piis remoram injecturum. Memoratis dein bellorum incertis exquirebant, num gratum Guſtavo ſit futurum, ſi Daniæ Rex interventu ſuo ad honeſtam, fidamque pacem reducendam incumbat. Ad quæ à Guſtavo repoſitum: Nihil magis ſibi quam ſtabilem, æquam, fidamque pacem cordi eſſe. Sed cum eam non tam ſibi, quam ſacrorum ſociis per Germaniam quæſitum eat, prius inter Proteſtantes conſiliorum, armorumque firmam ſocietatem ineundam: cum citra iſtam ſtatim poſt pacem factam ad vetera conſilia Auſtriaci ſint reverſuri; ac ſingulos disjunctosque mox idem periculum ſervitii manſurum, à quo vix jam reſpirare cœperint. Igitur ſi Daniæ Rex de pace concilianda ſerio curare inſtituat, Proteſtantes prius ad firmam ſocietatem, ac ſolida conſilia diſponendos, ut aliquid validius exiſtat, quo adverſarii à pace violanda abſterreantur, quam chartæ ſigillique reverentia. Eo confecto tunc demum ex interventu ſuo ſolidos ipſum fructus ſperare poſſe. Iſtud reſponſum ſic ſatis Dano probatum, ac non nihil inde invidia adverſus Guſtavum remittere viſa, velut qui non tam ſuam quam communibus ſacris addictorum cauſam ageret. Saltem legati inſignem humanitatem, qua à Rege excepti erant amplis verbis deprædicabant.

Miniſter Gallicus fruſtra de neutralitate agit.

§. 19. In eadem quoque caſtra acceſſerat Regis Galliæ miniſter ad Bavari aulam reſidens, (de S. Stephano nomen erat,) velut fœderatum Regem heri ſui ſalutaturus: ſed ſine dubio à Bavaro ſubornatus, num forte Guſtavi impetus eludi, ac inani tractatu tempus extrahi poſſet. Hic cum ſuper neutralitate Bavaro concedenda, ejusque conſiliis excuſandis irreverentius perſtreperet, Rex tandem importunam loquacitatem coërcebat, cum nullo à Galliæ Rege mandato inſtructus veniret, ac inani verborum profuſione Guſtavum obtundere conaretur, ut ſe Bavaro illudendum præbere vellet. Idemque cum Guſtavo Regis Galliæ offenſam ob

1632. male habitum Bavarum ipli fœderatum oſtentaſſet, iſte reponebat: de ſua amicitia Gallo ſatis ſe teſtatum, à quo etiam benevoli animi multa ſpecimina perceperit. Quod ſi tamen hic aliorum ſiniſtris perſuaſionibus teductus amicitiam abrumpat, haut ideo animis ſe collapſurum; cum experiundo didicerit, Martem cuique genti eſſe æqualem. Idem San-Stephanius cum queſtus eſſet, contra fœdus à Rege templa per Franconiam, & Bavariam directa; cui rei ni medicina adferatur, Regem Galliæ velut primogenitum Eccleſiæ id impediturum cum exercitu quinquaginta millium: Guſtavus Rex regerebat; ad Gallum itineris labore levandum cupere ſe cum centum millibus apud Pariſios eidem occurrere. Et ſane illo tempore Guſtavi progreſſus Gallis non parum invidiæ ac ſolicitudinis injecerant; quo antehac velut mercenario ſe uſuros crediderant, à nutibus Richelii, & Patris Joſephi pendente; cum Guſtavo longe ſublimiores eſſent ſpiritus, quam ut ob ſubſidium pecuniarium alteri obnoxius eſſe vellet. Cujus & animum non leviter perſtrinxerat, quod cum Galli de Colloquio inter utrumque Regem propoſuiſſent, ſummæ conſiliorum melius dirigendæ, ſed locum Ludovici tenera valetudine itineris moleſtiam non ſuſtinentis Richelium ſuppleturum; Guſtavus offenſus reſponderat; ad ejusmodi colloquium ſe quoque miniſtrum miſſurum; nec Regem Galliæ ſe majorem agnoſcere, ut colloquium ſuum refugere debeat. Aucta mox utrinque fuerat offenſa, quod cum Regina Mater, & Aurelianenſis Dux Hayum ad Guſtavum Regem miſiſſet Moguntiæ tunc agentem, ut componendo ipſorum cum Rege diſſidio operam navaret, Charnaſſæus Richelii juſſu iſtum non procul Moguntia interceptum Metim abduxerit; Guſtavo indignante velut Legato ad ſe miſſo intra territorium ſuum violato: Gallo contra ſuſpicante altius penetrantia apud Guſtavum fuiſſe agitata. Cæterum abeunti San-Stephanio ſignificatum, non aliis legibus Guſtavum Bavaro *neutralitatem* concedere poſſe, quam ſi copias iſte dimittat, Cæſari auxilium non ferat, Regis amicis ac fœderatis erepta reſtituat, idonea inſuper cautione conventa ſervatum iri præſtita. Sed Bavarus eas conditiones nihil moratus, rebus ad Ingolſtadium diſpoſitis Ratisponam movens, ut Cæſaris ditionibus propior eſſet; omnem cogitationem ad conjungenda cum Fridlando arma conferebat.

Guſtavus compluta Bavariæ oppida capit.

§. 20. At Guſtavus conſilio occupandæ Ratisponæ depulſus, & ipſe Ingolſtadio diſcedit, Bavari ditionibus repoſiturus, quæ is hactenus aliis tot per annos intulerat. Mosburgum igitur, Landshutumque, & Freiſinga cum cognomine Epiſcopatu in poteſtatem redigitur, deditiſque magna pecuniæ vis ad redimendam direptionem imperatur. Sed ut in tecta militum ſe iracundia effunderet, ipſi provinciales in cauſa erant, dum in Regios palantes, & qui prohibendis excurſorum injuriis paſſim diſtributi erant, atrociſſime ſæviunt, ac omni cruciatus genere vexatos necant. Qua agreſtium immanitate efferatus miles, cædibus, & incendiis commilitonum ſuorum manibus litabat. Freiſingæ ad Guſtavum acceſſerat Miniſter Gallicus, qui haut neſcius irarum Regis in Bavarum, eum permulcere ſatagebat, ut Monachio parceret, in quam urbem multi exemplum Magdeburgi reponendum cenſebant. Et hactenus annuebat Rex, ut ab incendio, & cæde eſſent liberi, ſi ſponte venirent in manus. Sin ſecus, alia omnia experturos, ſumendamque vindictam de tot conſiliis, quæ in ea urbe in ipſum ſociosque ſint cuſa. Id retponſum Gallus ſtatim Monachienſibus ſignificavit, vehementer ſuadens, ut promta deditione iram victoris placarent. Sed cum hi tempus extrahere conarentur, ſi qua forte interim converſio rerum fieret, Rex abrupta mora in ipſos cum exercitu pergit. Qui nullum tergiverſationi locum amplius relictum cernentes, magna cum ſubmiſſione portarum claves Regi adventanti obviam ferunt. Monachium aulæ Bavaricæ ſedem Rex ingreditur, comitante Friderico Bohemiæ Rege, Auguſto Palatino Comite, Wilhelmo Saxoniæ, & Johanne Holſatiæ Ducibus plurimiſque aliis proceribus. Ut cives tanto curatius ab injuriis militum defenderentur, Rex Hebronum tribunum egregie meritum, ſed Pontificiæ religioni fervide addictum, id muneris in magni beneficii locum ambientem, urbi præfecerat. Eorum tamen, qui alio ſe contulerant, domus direptæ. Rex armamentarium Electoris ingreſſus è vacuis vehiculis ſuſpicatus tormenta non procul abeſſe, & mox prodente ruſtico ſub pavimento defoſſa invenit, numero centum quadraginta, magnitudine ac opere pleraque inſignia, quæ omnia ſtatim Auguſtam avecta. In una quoque machinarum triginta aureorum millia abſcondita prædæ cedebant. Non deerant, qui Guſtavo ſuaderent, ut magnificam Bavari arcem, ac Monachium oppidum flammis daret ulciſcendis, quæ à Bavaro in alios hactenus patrata fuerant. Verum longe iſtam odiorum acerbitatem averſabatur Guſtavus, nec ſe veterum Gothorum immanitatem imitaturum, qui virtuti ſuæ haut modicam maculam adſperſerant deſtruendo, quod uſpiam egregium erat. Urbi trecenta uncialium millia imperata, quorum dimidia pars ſtatim exſoluta; pro reliqua prædes dati Auguſtam deducti. Bavarus interea, qui circa Ratisponam hærebat, mille equites Freiſingam verſus miſerat, ſi forte Suecos per hoſpitia ſparſos opprimere poſſent. Sed hi excubiis probe diſpoſitis, & præcognito iſtorum adventu eosdem ita exceperunt, ut pleriſque cæſis, captiſve, reliqui trepida fuga ad ſuos ſe reciperent. 1632. 7. Maji. Bavari equites vapulant.

Suecorum per Superiorem Sueviam progreſſus.

§. 21. Dum hæc in Bavaria geruntur, quæ ad Auguſtam, & in Suevia à Rege relictæ copiæ erant nequidquam deſides Memmingam, Campodunum, & pleraque per Algoam loca occupant: Landsberga quoque, & Fiella ad Licum ſita oppida in poteſtatem rediguntur. Weishornum, & Echinga exarmantur, quatuordecim tormentis, & duobus morrariis Ulmam inde avectis. Leutkirchæ ala equitum Rudolphi Oſſæ à Georgio Chriſtophoro Lupadelio tribuno oppreſſa, & præter pauculos, qui primo impetu cædebantur, rota capta. Neque in univerſo iſto tractu repertus, qui Regiis reſiſteret, niſi quod ruſticorum aliquot millia apud Weingartum Suendio tribuno inſtigante arma ſumſere. Sed qui mox adventantibus Regiis eadem poſuerunt, duce ſuo in Suecorum manus dedito. Mox tamen cum Regii receſſiſſent, alia agreſtium multitudo ad Bregentiam coiens Wangam, & Ravensburgum, debili præſidio infeſſa, expugnat, obvioſque Regios trucidat. Horum exemplo Algovienſes quoque Agricolæ circa Campodunum arma induunt. Sed cocuntibus ex Auguſta, Ulmaque, & vicino tractu Regiis, cæſi, disjectique poſito pugnandi pruritu arma Campodunum deferunt, Regiiſque ſe ſubmittunt, ac ſeditionis autores ipſimet trucidant. Interea Oſſa collecta quater millium manu Briſaco in ſuperiorem Sueviam movebat, & confluente ad ipſum ruſticorum Bregentinorum turba jam ferocior Memmingæ primum minitari. Mox deſperato ſucceſſu Biberacum aggredi, clam acerſentibus quibusdam Pontificiæ religioni addictis. Sed oppidani Proteſtantium ſacra amplexi bis aſſultantem hoſtem acerrime repellunt, quadrin-

Ruſticorum per Sueviam motus.

Oſſæ irritus conatus.

1632. dringentis cæſis, ipſis quoque fœminis in ſubeuntes ſaxa, & ferventem aquam effundentibus. Oſſa tamen cognito Guſtavi Regis adventu, qui è Bavaria Auguſtam delatus aſſumta manu jam Memmingam attigerat, relictis aliquot tormentis Lindaviam ſe mox recepit. Contra Bavaricis Rege abſente denuo in Suecos ad Monachium reſtantes aliquid tentare placebat, num forte improvidis clades inferri poſſet. Eoque omnis equitatus adjunctis bis mille peditibus ductu Johannis Philippi Cratzii Comitis Ratiſpona movere jubetur. Sed hic vix Pfaffenhoviam progreſſus; intellecto equitatum Regium in ſe tendere, Ingolſtadium itinere mutato deflectit, & ne nulla plane re geſta rediret Weiſſenburgum Norici oppidum adoriri inſtituit. Ubi præſidio impoſitus à Rege miles per aliquot dies ſat acriter reſiſtebat: ſed laceris jam mœnibus, & deſperato ſubſidio, honeſtas conditiones pactus oppido excedit. Aſt Bavarici cauſati quædam à Suecis præter pactum exportata in egreſſos impetum faciunt, cosque ad ſuam militiam cogunt, cæſis qui recuſabant. In oppidum quoque ſævitum, ac primarii cives ſacerdotesque in captivitatem abducti velut permutandi cum obſidibus, quos Landshutenſes Regi, quoad imperata pecunia exſolveretur, tradiderant. Eam fidei violationem Rex Bavaro aſperis literis exprobrabat, Cratzium flagitii autorem pœna affici, captosque dimitti poſtulans, Monachienſibusque paria interminatus.

Bavarici Weiſſenburgum expugnant.

Guſtavus in Franconiam regreditur.

§. 22. At Rex, poſtquam inter Bavarum, & Fridlandum ſuper exercituum conjunctione agitari intellexiſſet, Memminga Auguſtam, inde in Bavariam regreſſus copias Landshuto, Freiſinga, Monachio, aliisque eo tractu locis eductas in unum contrahit, ac Rainam, Donavvertamque iter remetitur. Ipſe cum equitatu, & delecto ſclopetario equis impoſito Weiſſenburgum liberaturus fruſtra accelerabat, quo hoſtis jam potitus erat. Diſcedens Rex copiis, quas in Superiore Suevia relinquebat, Wilhelmum Saxoniæ Ducem præfecerat; qui ad Bregentiam Hannibalis Comitis Alta-Embſii legionem opprimit, ac quingentis amplius cæſis quadringentos cum ipſo Comite capit. Ad Weingartum quoque hoſtilem equitatum acri conflictu fundit, quinque vexillis eidem ereptis. Ipſe tamen paulo poſt in Saxoniæ confinia regreditur, militem, qui ſparſim ibi hoſpitabatur, in unum contracturus, ut qua neceſſitas exigeret, occurrere poſſet. In ejus locum ſumma rerum ipſius fratri Bernhardo committebatur, quem Rex Chriſtiani Palatini Birkenfeldenſis æmulum, & parere ipſi dedignantem à Rheno huc evocaverat.

Wilhelmus Dux in Suevia bene rem gerit.

Cronacum à Regiis fruſtra obſidetur.

§. 23. Dum iſta per Bavariam, & Sueviam geruntur, in Franconia Dux Coburgicus, & Marchio Culmbacenſis Cronacum per delectos provincialium oppugnare conati fuerant; cujus rei curam ſuſceperat Haſvertus tribunus, Kœnigshovio Regis nomine præfectus. Verum nihil glorioſi ejusmodi adjutoribus patrare dabatur. Cum enim capto ſuburbio hoſtem in oppidum rejeciſſet, ac diſpoſitis in propinquo monte tormentis in urbē fulminare cœpiſſet, ſtatim atque hoſtis paria reponere, quamvis ictibus incaſſum cadentibus, inſtitueret, ipſe ſonitus imbelle vulgus adeo terrebat, ut fruſtra retentante tribuno trepidi diffugerent. Et hoſtis intra illam conſternationem oppido erumpens tribus machinis potiebatur. Eandem ſortem ſubiit Muffelius tribunus ex altera parte oppidum pari armatorum genere adortus, qui itidem dilapſis quos adduxerat duorū tormentorum, & unius mortarii jacturam faciebat. Haud quidquam tamen animo dejectus Haſvertus aſſumto milite ſuo denuo obſidium tentat, & aliquoties eos, qui obſeſſis ſuppetias latum venerant, ſtrenue profligat. Sed cum hoſtis, contracta per Superiorem Palatinatum manu, nonnullas Suecorum turmas Pegnitii hoſpitantes oppreſſiſſet, ac Baireuto extrema minaretur, Chriſtianus Marchio delectus ſuos Haſverto junctos ad propria tuenda revocabat. Quibus digreſſis hic non amplius cum ſuis obſidio continuando par omiſſo Cronaco in tutiora ſe recepit. Eodem tempore Bambergenſes, quos Johannes Georgius Marchio Brandeburgicus, & Paulus Kevenhullerus eminus circumſidebant, eruptione in Marchionis ſtationem facta complures equites concidebant. Sed mox accurrente cum ſuis Kevenhullero hoſtes quadringentis amiſſis intra oppidum rejecti.

1632.

§. 24. Dum Bavariæ inſultat Guſtavus, Maximilianus Bavarus Fridlandum ſepoſita veterum ſimultatum memoria anxie ſuper auxilio ferendo ſolicitabat: nec Cæſar ejus precibus ſuos hortatus ſuccenturiare omittebat, cum ne imperari ſibi poſſet pacto iſte caviſſet. Enimvero ſtatim annuere faſtui ſuo indecorum Fridlandus ducebat, ſimul inter iſtas calamitates aliquantisper Bavarum luctari in ſinu gaudebat, velut in offenſarum ultionem. Ac Saxones Bohemia exturbare antiquiſſimum habebatur. Unde menſe Aprili contracto ad Znaimum exercitu, qui ad quadraginta bellatorum millia adſcendere ferebatur, recta in Bohemiam tendit, eo minus negotii hoc habiturus, quo negligentius à Saxonibus res hactenus adminiſtrata fuerat, qui luxuriæ, ſocordiæque immerſi ipſum delectibus habendis per otium vacare paſſi fuerant. Cum invitantem fortunam ſtrenue ſecutis licuiſſet in Moraviam, Auſtriæque viſcera bellum transferre, iſtosque populos ob interdicta Proteſtantium ſacra æſtuantes in Cæſarem excitare, vetus imperium exuere cupidos, & in Saxonem pronos, ni mox cum favorem effrænis militum licentia conſumſiſſet. Cæterum quod tam male res ibi à Saxonibus gereretur, plerique flagitium Arnheimii ſuſpicabantur, qui memor adhuc militiæ ſub Fridlando actæ amicitiam iſtius nondum exuerat, & occultum adverſus Guſtavum odium alebat, à quo objectam ſibi quondam ignaviam queſtus mordaci reſponſo rejectus fuerat. Is igitur cum Saxoniæ Electorem aperta via à Guſtavo recentibus hujus meritis abſtrahere non auderet, obliquis tramitibus rem aggreſſus ultro corruptis per Bohemiam ſucceſſibus facilem ibi Fridlando ſtruebat victoriam, ut oſtentato nunc terrore & periculo, mox prono ad inolitam Cæſaris amicitiam aditu, dulcique pacis vocabulo animum Principis labefactaret. Et ſperabantur iſtæ artes eo facilius ſucceſſuræ, quod Saxoni quidem ingenium erat probum, rectique amans, ſed idem flexile, & conſiliorum cum difficultate conjunctorum non ſatis capax. Ipſe quoque vergente jam ætate, venationibus ultra modum deditus, voluptatibusque innutritus, eoque graviorum curarum, ac periculorum inſolens, ac pecunias coacervare gaudens, facile belli tædium concipiebat, & ad pacem quacunque via anhelabat. Nec deerant, qui variis ſuſpicionibus ipſum exagitarent: Guſtavum altiora affectare, ac de Imperio in aliam formam redigendo meditari, ſub qua duriores ipſum conditiones, quam Auſtriacorum regimine, ſint manſuræ. Ingerebantur quoque fratres Vinarienſes, veteres Domus ipſius æmuli, Guſtavi gratia præcipue florentes; & quod Fridericum Palatinum Bohemiæ Regem agnoſceret, qui reſtitutus veterum offenſarum ultionem ſumturus metuebatur. Nec conſiliarii tantum talia, ſed & Daniæ Rex ſubinde incalcabat, qui ad æquilibrium reducendæ Guſta-

Fridlandus in Bohemiam movet.

Saxones rem male gerunt.

Elector Saxoniæ à malevolis ſolicitatur.

1632. vi potentiæ tertias quasdam partes, ac fœdus inter Anglos, Danos, Batavosque, & Saxonem parturiebat; cui & uterque Saxoniæ Circulus innectendus erat, in securitatem utriusque maris, quo Germania alluitur. Et invidiosè traducebatur Augusta Vindelicorum Regno Sueciæ juramento adstricta, velut Germania isti Regno subjicienda foret. Turpe esse Saxoni, qui hactenus Protestantium caput fuerit, Suecorum deinceps auspicia sequi.

Solmensis à Gustavo ad Saxonem mittitur.

§. 25. Et mox manifestius res patuit, cum Gustavus in Bavariam tendens Philippum Reinhardum Solmensem Comitem ad Saxonem mitteret, qui exponeret; ista expeditione bellum ab amicorum finibus in hostium viscera derivari; postularetque, ut si tota hostium moles Regi incumberet, magna exercitus sui parte Elector Regi subveniret; sin Electoris terras hostis inundaret, tantisper in locum tutum copias ipsi suas contrahendas, quoad Rex cum exercitu adproperaret. Ac consultissimum videbatur Regi, ut Elector cum majore copiarum parte per Superiorem Palatinatum ad Danubium se conferret, occasionem captaturus hostem à tergo invadendi, & plebem rusticam per Austriam ad arma concitandi, cum Rex interim trans Danubium hostem urgeret. Enimvero nihil minus, quam fortia consilia locum inveniebant apud Saxonem, quem hostium solicitationes jam in transversum agere cœperant. Nam Fridlandus ut istum Gustavi partibus abstraheret, aut saltem suspicionum semina inter eos spargeret, Sparrium tribunum Pragam miserat, qui Arnheimium ingentibus promissis ad Fridlandi colloquium invitaret. Et dabat Elector Arnheimio veniam eundi, velut quod salvo fœdere cum Gustavo fieri posset, idque ipsi quoque Solmensi significabat. Sed cum Hofkirchius Pragæ tunc præfectus, cui & ipse Arnheimius suspectus erat, quasdam literas inter illum, & Sparrium commeantes, ac non obscuris in Gustavum aculeis refertas intercepisset, ac Solmensi transmisisset; hic vehementer ista commercia dissuadebat. Nec eo minus Elector, facile probata Arnheimii excusatione, post secretiorem cum eo deliberationem in Bohemiam ipsum remittit, facta cum Fridlando colloquendi potestate. A quo iste amplis promissis onustus redit, Fridlando dignitatem, religionem, bona sacra, sive ante sive post Passavientem transactionem occupata, salva pollicente iis, qui oblatæ paci aures præberent. Etsi Brandeburgicus Elector Saxoni suaderet, ne cum Fridlando in tractatus descenderet, ejusque fraudibus se præberet. Sed ipse Fridlandus, per blanda pariter atque aspera Saxonis animum vertendum judicans, literis ad hunc scriptis abrupte, ac non sine minis, pax placeret, an non, exquirit: tum denunciat, quamvis ampla potestate de pace tractandi sit instructus, citra moram tamen sibi cum exercitu progrediendum. Quanquam autem Elector peculiarem pacem, quam Fridlandus insinuabat, abnueret, ac nihil à se, nisi cum consensu Regis Sueciæ, Ordinumque Protestantium agi posse testaretur: tamen è responsis, quæ Solmensi dabantur, satis adparebat, ejus animum jam nutare. Nam initio quidem placebat, ut Rex validum exercitum in Superiorem Palatinatum, Saxo in Pilsenensem districtum mitteret, ubi prout res exigeret facile conjunctio fieri posset. Sed tandem discessuro nil nisi de pace amplectenda ingeminabatur; de conjunctione armorum nihil, aut ambigue. Et mox eventus docebat, id ab Arnheimio fuisse actum, ut Saxonicæ primum copiæ, inde hostiles exercitus in Electoris terras pertractæ eandem evastarent, quo huic necessitas admoveretur pacem inconsulto Rege amplectendi.

Arnheimii cum Fridlando commercia.

§. 26. Interea Fridlandus post recepta minora oppida Pragam versus movet, è qua paulo ante Hofkirchius duas legiones, unam peditum, equitum alteram eduxerat; ac disjectis muris vi urbem oppugnat. Ac primum quidem assultum strenue repellebant Saxones. Sed instaurato impetu hosti cedentes in arcem se recipiunt; ac mox positis armis, ac relictis viginti quatuor peditum, duobus equitum vexillis urbe inglorii excedunt. Praga amissa Saxonicus exercitus aliquandiu Leutmericiæ subsistebat, ubi Fridlandus denuo propositis pacis conditionibus inhiantes circumvenire constituerat. Sed illi animadversis insidiis tempestive in Misniam retro cessere, unica Tetschenæ arce apud Bohemos servata. Mox Egra, Falckenoa, atque Elleboga Saxones levi negotio ejiciuntur. Ita Fridlandus Bohemiam eadem facilitate recuperabat, qua à Saxonibus parta fuerat. His peractis quanquam Fridlando animus foret perculsum semel Saxonem urgere, & primo impetu obrutum ad pacem amplectendam cogere: tamen Bavari precibus, hortatuque Cæsaris expugnatus, & ne videretur Gustavum formidare, ad ferendum Bavaro auxilium proficiscitur.

1632. Saxones Bohemia pelluntur.

Pappenheimii per Saxoniam successus.

§. 27. Porro non iste solum Fridlandi successus Cæsaris animos ac res erigebat; sed & quæ strenue ac feliciter per Inferiorem Saxoniam à Pappenheimio gerebantur, qui rapta hinc inde expedita manu late terrorem circumferebat. Postquam enim Wilhelmus Saxoniæ Dux, & Banerius à Rege in Franconiam evocati forent, Pappenheimius sub initium Martii ad Visurgim reversus Caggii, Reinoldique Rotæ dimachas prope Huxteram subito ingruens disperserat, quibus subsidio accurrens Schafmanni legio, in vicino pago tendens, eodem perculsa turbine pedem retulerat. Culpa cladis acceptæ in Rosam conferebatur, qui arcem in vicinia sitam, ac receptui opportunam præsidio firmare neglexerat. Centum tunc è Regiis occisi, ducenti capti, reliqui dispersi ad signa post rediere. Eo successu irritatus Pappenheimius, Regias & Hassiacas copias, quæ sub Laurentio Caggio, & Uslario Huxteræ hærebant, circumfundere, & ad pugnam elicere statuerat. Sed hæ annonæ ac pulveris nitrati penuria laborantes, numeroque hosti impares, tormentis, quæ avehi à properantibus non poterant, in Visurgim projectis, desertaque Huxtera mature Eimbecam se recipiebant; unde Caggius Magdeburgicum agrum, Hassi Gœttingam, & Hassiæ fines petebant, Pappenheimio, si illuc verteret, sese objecturi. Ast hic post expugnatam Eimbecam, quæ ægre ab irato æquas conditiones exorare poterat, in Bremensem ditionem tendit, cujus magnam partem Archiepiscopus auxilio Regii militis expulsis Cæsareis sibi vindicaverat. Nam circa Bremervœrdam tribunus Dumenius paucos excursores vagari jusserat; in quos ducenti è præsidiariis erumpentes insidiis Regiorum circumventi, reditu ad arcem intercluso cæduntur, capiunturve. Ita arx defensoribus vacua in potestatem Regiorum venit. Ottersbergam Præsul suo milite recuperat. Buxtehudam Tottius post bidui acerrimam oppugnationem ad honestas deditionis leges adigit.

Regiorum per ditionem Bremensem gesta.

§. 28. Enimvero Cæsarei, quicis exercitus tunc augere, ac sparsas colligere vires maxima cura erat, clandestinis cum Daniæ Rege pactis Bremensem Præsulatu, quem à se obtineri posse desperarant, in istum transferre conabantur, ea ratione Suecos cum Danis commissuri. Danus autem etsi ditione ista Fridericum filium potiri summopere cuperet, cum Suecis tamen eo nomine bello implicari abhorrebat. Eoque caute procedendum ratus specimen prius capere volebat, quomodo

Cæsarei Bremensem ditionem in Danum transferre laborant.

Suecі

1632. Succi eam rem laturi essent, ex eventu conatum expromturus, aut inhibiturus. Igitur Penzius Gluestadii præfectus velut proprio ausu supra trecentos milites Friburgo, unde Cæsarei præsidium suum amoverant, immittit, non hostili facie, sed velut hospites, qui suo ære citra incolarum molestiam victitarent, nec vigilias ac stationes obire curarent. Enimvero is conatus Succos eo magis excitabat, quod Danum tunc valde suspectum redderet invidia, qua in Gustavum flagrabat, & quæ ab isto occulte per Angliam, Hollandiam, Russiamque obtentu veterum fœderum renovandorum, ac per diversa Germaniæ loca, misso quoque ad Fridlandum & Tillium internuntio in fraudem Succorum agitabantur. Unde principiis obstandum isti judicabant, qui circa idem tempus in Bremensem provinciam irruperant, ac Buxtehudam obsidebant. Sed ne statim inconsulto Rege hostilia adversus Danum sumerent, id consilii Archiepiscopo suggerebatur, ut propriis copiis Friburgum recuperaret, quo ipsi tanquam sequestres intervenire, & ex eventu consilia capere possent. Ac statim Salvius cum Penzio congressus, ut Danicus miles Friburgo educeretur postulabat, quod Gustavus Præsulis patrocinium suscepisset. Sed Penzius id abnuere, defectum mandati obtendens; nec alio id fine factum testari, quam ut Friderico Regis filio jus ad eam ditionem conservaretur. Cui tamen revera nihil juris vivo adhuc Præsule competebat; & facilis via potiundæ provinciæ ostendebatur, si communi causæ sociare se vellet. Igitur ne Dani istis in oris radices agerent, Archiepiscopi miles noctu Danos Friburgi agitantes opprimit, ac nonnullis primo impetu cæsis cæteros ipso cum ductore capit. Inde statim à Regiis Stadæ obsidium eminus circumpositum, ac Stiingæ ostium armatis navigiis clausum, ne flumine subsidiorum quid Stadensibus advenire posset. Qua in re tanto magis à Succis festinabatur, quod è Bauditio, qui tunc in aula Danica agebat, intellexissent, ex pacto cum Reinachero Stadæ præfecto id oppidum Danis tradendum: Regem tamen Daniæ suis mandasse, ut si quis sè opponeret, vim nequaquam adhiberent, ne bello cum Succis ansa præberetur. Et Gustavus Rex interim suis injunxerat, ut Archiepiscopum velut suo nomine cum Danis agere sinerent, ac se mediatores ferrent, & ubi opus sit recte illi auxilia subministrarent. Quod si contra tenderent Dani, in Holsatiam irrumperent velut sub auspiciis Archiepiscopi, cujus defensio sibi ex fœdere incumberet. Igitur Daniæ Rex, cum animadverteret eam rem Succis cordi esse, evitandæ cum his collisioni occupationem Friburgi velut injussu suo factam excusabat. Nam voluisse quidem se, ut filius suus ea provincia potiretur: cum tamen agendi modum à se Penzio non præscriptum. Ita quidem ea res intra primos motus tunc stetit.

Dani Friburgum occupant. 12. Febr.

Dani Friburgo ejiciuntur. 3. Mart.

Succi male rem gerunt. 24. Mart.

§. 29. Enimvero adversus Cæsareos non ita feliciter res procedebant. Nam expugnaverat quidem delecta Succorum manus castellum ad Suingam, cæsis primo impetu non paucis hostium. Sed cum istis non sat maturæ suppetiæ ferrentur, quindecim è Stadæ præsidiariis delectæ centuriæ postera die animadversa Regiorum paucitate id munimentum iterum expugnant, & qui inerant partem cædunt, reliquos capros Stadam abducunt. Interea Pappenheimius, Rethemo & Verda occupatis, ac præsidio firmatis, Archiepiscopi equites ad Alleram flumen fuderat; ac licet à Finuonibus primum ipsius agmen non sine clade repelleretur, totus tamen exercitus ingruens obsistentes facile perrumpebat; ac citato agmine Stadam prius appellebat, quam Tottius copias suas contraheret, ac isti sese objicere posset. Nec deerant, qui aliquid negligentiæ interveniisse arguerent, quod aditus provinciæ non satis diligenter explorati, aut firmati, nec mature dispersus per agros miles contractus foret. Inde Pappenheimius in tres legiones per Kedingensem agrum hospitantes subito impetu facto quadringentos cædit, multos capit. Reliquis Hadelensis tractus receptum præbuit, qui provincialium ope vim hostium feliciter repellebant. Cum ibi aliquot dies Pappenheimius consumsisset, interea Tottius è vicinis provinciis coëuntes copias in Oldelandiam contrahebat, in quam cum Pappenheimius imperum faceret, acriter repulsus Stadam re infecta revertit. Cæterum cum huic nulla ratio suppeteret oppido cum annonæ penuria conflictanti prospiciendi, & veterano milite qui ad ter-mille quingenta capita ibi præsidium agitabat, alibi uti cuperet; de Stada in Daniæ Regem transferenda tractat; quod eam in Succorũ aut Archiepiscopi manus incidere doleret, ac per istam Succos, Danosque committere cuperet. Ac movebat quidem id oppidum Dano salivam, eoque Penzius ad Salvium mittebatur expiscaturus, num bona cum gratia Succorum id fieri posset, misericordiam inter alia obtendens, quod Pappenheimius minaretur, ni Danus conditionem acciperet, se oppidum, totamque regionem evastaturum. Proponebatur etiam, ut Archiepiscopus in speciem Præsulatum Friderico resignaret, fiducia inita, Præsuli dum viveret reditus salvos fore. Sed Salvius re ad Gustavum Regem rejecta, interim ut ejusmodi conatibus, præjudicium Regi aut Archiepiscopo adferentibus supersedeatur postulabat. Ordines quoq; provinciales Holsatiæ eo tempore Rensburgi congregati, cum Daniæ Rex sumtus peteret conscribendis sex millibus ad provinciæ defensionem, respondebant; optimam defensionem esse cum Gustavo amicitiam colere; ac istis delectibus nihil aliud effici, quam ut Succi in Holsatiam alliciantur. Igitur cum Pappenheimius Stadam non alia lege tradere vellet, quam ut Danus Bremensem provinciam milite Succo, & Episcopali evacuaret, hic recusabat, quod non nisi solita & amica via Præsulatum filio suo conciliare cuperet. Unde Pappenheimius paucis machinis secum abductis, cæteris corruptis, aut in aquam præcipitatis, claves oppidi magistratui tradit, ac cum omni præsidio Stada excedit, Verdam atque Roteburgum iter instituens. In transitu Bremervœrdam violento assultu tentabat, sed unde non modica suorum cum strage rejiciebatur. Eo digresso Succi statim castello ad Svvingam, & Stadæ præsidium immittunt. Imperium in copias Succicas per istum tractum Baudisius in Achatii Tottii locum valetudinem adversam excusantis suscipiebat.

Pappenheimius Succos cædit.

De Stada in Danum transferenda agit.

Stadam deserit. 5. Maji.

§. 30. Neque interim in Superiori Germania ab actionibus bellicis cessabatur, ubi Cæsarei circa dissipandos Succorum delectus, qui passim ibi habebantur, satagebant. Ac sub finem quidem mensis Februarii septem equitum alæ Heidelberga egressæ Rheno ad Philipsburgum trajecto Lauterburgi aliquot equitum peditumque Regiorum recens conscriptorum cohortes prodentibus oppidanis oppressêrunt. Ab iisdem Belluni quoque cohors Regiorum afflicta fuit. Paulo post Ossa cum ter mille peditibus, duabus equitum alis per Alsatiam descendens hisce jungitur, ac Weissenburgum facili negotio in potestatem redigit. Inde novis auctus subsidiis Rheno transmisso in Badensem provinciam irrumpit, & occupato Durlaco seniorem Marchionem illic commorantem adigit, ut novos suos delectus Cæsaris militiæ transscriberet. Sed eam necessitatem equites, qui in diversa abierant,

Ossa ad Rhenum Succis nonnihil damni infert.

1632. rant, declinabant. Hinc Stolhofio vis admota, quod Strasburgius equitum præfectus modica manu tuebatur; qui poſt repulſos binos aſſultus cum ſubſidia nusquam comparerent, deditionem facere cogebatur. Mox in Lichtenaviam verſus impetus, cui Hornbergius centurio modica cum manu præſidebat, qui ſpe auxilii deditionem ad extrema differebat, quoad hoſtis ſe arbitrio permittere neceſſum foret. Oppidum prius direptum mox incendio deletur.

Hiſpani in Palatinatum irrumpunt.

§. 31. Ad alteram quoque Rheni ripam Hiſpani turbas dabant, qui ductu Joannis Ritbergii Comitis menſe Aprili Moſellam transgreſſi ter equitum, decies mille peditum numero, per abſentiam Regis antea acceptæ cladis ultionem minabantur. Ab his Kirchberga poſt aliquot tormentorum ictus, inde Simmera, Poppartum, Superior Veſalia, & Alzæa nullo reſiſtente occupata. Iis obviam iturus Oxenſtierna, cui Rex ſummam rerum ad Rhenum commiſerat, copias Moguntiam contrahit, revocato quoque Palatino Birkenfeldio, qui ad ſiſtendos Oſſæ progreſſus abierat. Ac præmiſſus quidem Rheingravius cum ſua legione equeſtri, & mille ſelectis ſclopetariis vicum Ulmæ Inferioris vocabulo inſedit, Birckenfeldio cum reliquo equitatu ſenſim inſequente, ac in omnes occaſiones intento. Nec diu hoſte tam propinquo rei gerendæ materia deerat. Nam Hiſpanici exercitus Quæſtor Lucas Cayerus aſſumtis duodecim equitum turmis Rheingravium, quem ruſticorum indicio in vico Ulma hærere intellexerat, opprimere conſtituit, reliquo equitatu ſubſequi juſſo. Rheingravius adventante Hiſpano pavorem ſimulans retrocedebat, quo hunc ferociter inſtantem in inſidias pertraheret, quoad univerſo Suecorum equitatui, cujus conſpectum interjectus collis hoſti ademerat, impingeretur. Heic vero Rheingravius converſis equis, ac Torſto Stalhantſchius, aliiq; in Hiſpanos magno ardore invecti, eos in effuſam fugam propellunt, ac una cum his, qui ſubſidio futuri eminus ſubſequebantur, ad peditum usque agmen rejiciunt, nemine reſiſtere auſo. Hac in fuga Hiſpani quatuor turmarum præfectos, & quaſi trecentos gregarios deſiderarunt. Duo præfecti cum Cayeri vicario Antonio Alcurio, nec pauci gregarii cum ſeptem vexillis in Suecorum manus pervenerunt. Cautius ergo deinceps iter continuantes Hiſpani ad Novam Leiningam Philippo de Sylva Palatinatui ab Hiſpanis præfecto junguntur, qui manum è Frankendaliæ Heidelbergæ, ac Philipsburgi præſidiis eduxerat.

Hiſpani vaſtant.

Hiſpani Spiram capiunt.

Inde ſubito Spiram Nemetum adoriuntur, quam tribunus Horneckius cum legione nuper conſcripta obtinebat, ac per triduum muros tormentis, oppidum globis ignivomis infeſtant, civibus magis quam militibus ſtrenue reſiſtentibus. Sed mox concidens animis Horneckius cum hoſtibus pro ſe ſuoque milite paciſcebatur, excluſis oppidanis. Qui poſt ejus diſceſſum fruſtra quæſita transactione magna pecuniæ vi emungebantur: ac multæ inſuper domus, & quidquid opum à provincialibus eodem congeſtum fuerat, Hiſpanis in prædam cedebant. Id factum ægerrime ferens Cancellarius, qui jam ad ſubveniendum obſeſſis Wormatiam usque proceſſerat, Horneckium ad cauſam dicendam cuſtodiæ dabat.

§. 32. Ad Spiram Hiſpani integrum menſem nulla re memorabili geſta deſidebant, quod copias à Conſalvo Cordua adducendas expectarent, qui Guſtavum à ſe trans mare repellendum per vaniloquentiam jactabat. Et jam iſte Treveros pervenerat, cum irrumpente in Belgium Hiſpanicum Arauſionenſi Principe, & Cordua, & qui ad Spiram hærebant domum revocantur. Hoſtium motu cognito Oxenſtierna contractis ſtatim apud Moguntiam copiis in omnes partes intentus, poſtquam abitum moliri iſtos conſtabat, inſequi conſtituit, ac duobus ab Alzæa milliaribus in conſpectu habuit, impedita montibus ſylvisque loca ingredientes. Quæ cauſa fuit, quod grave peditum agmen ac machinæ non ſat mature poſſent adpellere, cum Hiſpani præmiſſis impedimentis, ac pedite magno ſtudio iter accelerarent. Rheingravius tamen in ultimum agmen invectus late ſtragem terroremque dabat, ereptis hoſti tribus vexillis. Sed idem mox in ſylva fervidius inſtans, antequam cæteri ſuorum ſubſequi poſſent, converſo in ipſum toto hoſtili equitatu retro cedere cogebatur; & ſurgebat aliqua inter recens conſcriptos trepidatio, quam unus & alter ſuſpendio dein expiabat. Mox tamen iterum collectos Regios, quo minus rē eo die gerere poſſent, ingruens nox impediebat, per tenebras & ignoto hoſtium ſtatu ſylvis ſe committere non auſos. Sed interea hi viam præceperant, ponte poſt ſe dejecto, & parte impedimentorum combuſta. Unde poſtera luce tardius inſequi Sueci poterant circa pontem reparandum occupati, & hoſtis interea Lautreccam evaſerat. Cæterum cum adpareret ab Hiſpanis prælium declinari, ac pedites machinæque magna cum difficultate iter molirentur, placuit exercitum retro Crucenacum ſubducere. Ac metus erat, ne Cordua Treviris ſubſidio ſuis advolans pugnam ancipitem redderet per loca cumprimis equeſtre prælium adſpernantia. Nec ob Pappenheimium copias hinc inde raptantem longius à Rheni, Mœnique ripa digredi conſultum videbatur. Immiſſi tamen abeuntibus diverſo itinere Rheingravius, & Stalhantſchius cum expedita manu, qui ultimo agmini imminentes plurimos tardius progreſſos concidebant, hoſte nullibi conſiſtere auſo, quoad non citra trepidationem, amiſſis in hocce receptu tertia amplius copiarum parte, & plerisque impedimentis, Treveros perveniret. Circa idem tempus Argentoratenſes fœderi Regis Guſtavi acceſſere non modicum rebus per Alſatiam dein gerendis momentum.

Hiſpani è Palatinatu non ſine clade ſecedunt.

§. 33. Enimvero qua Guſtavus ipſe curabat major jam rerum moles ſurgere, in quem Bavarus, Fridlandusque omnibus viribus ruebant, quod hoc oppreſſo cæteros Proteſtantes facile ſub jugum redituros ſperarent. Ac fiduciam rei ex voto conficiendæ præbebant copiæ Suecicæ per totam tunc Germaniam ſpartæ, quæ antequam coire poſſent, de ſumma rerum transactum iri putabant. Eoque Bavarus, firmatis idoneo præſidio Ratiſpona, & Ingolſtadio, cum exercitu per Superiorem Palatinatum Ambergam, inde Weidam movet, ut Fridlando, qui Egram proceſſerat, conjungeretur. In itinere Sulzbacum à Schœnburgio Barone acriter oppugnatum, nec ſegnius ab incolis defenſum æquis demum legibus deditur: quibus tamen violatis Bavarici oppidum Principisque aulam expoliant. Guſtavus autem Bavari itinere comperto Auguſtæ, Rainæ, & Donavvertæ ſufficiens præſidium relinquit, ac ad Rhenum Hornio, Banerio ad Donavvertam, & Bernhardo Duce in Superiore Suevia præeſſe juſſis, cum reliquo exercitu raptim in Superiorem Palatinatum tendit, itinere per Furtam, Lauffam, & Hersbruccam ſumto. Ubi miſſa equitum manus, quæ Sulzbacum recuperaret; cujus præfectus citra moram pactus, ut impedimentis ſalvis excederet, oppidum dedidit. Sed nec id pactum ſervatum, ut Bavaricorum exemplis in Weiſſenburgenſes, & ipſos Sulzbacenſes editis par referretur. Eoque digredientibus circumfuſus Regius miles præfectum cædit, gregariorum quadringentos vitæ veniam petentes militiæ Regis adigit. Cæterum conſilium erat Guſta-

Bavarus, & Fridlandus junctim in Guſtavum eunt.

Guſtavus Bavarum inſequitur.

vo

1632. vo Bavarum, ne Fridlando jungi posset, impedire, & si occasio daretur opprimere, eoque & ipse Weidam properabat. Sed Bavarus citato gradu unius diei iter anteceperat, ac triginta sex Croatarum turmis, duabus peditum legionibus jam firmabatur. Regi autem antequam Weidam perveniret, aspretum sesquimilliaris longitudine densis sylvis horridum, ac duo flumina superanda erant. Quorum objectu Regis iter sistere, aut castris ad oppidum positis bellum extrahere, ac Fridlandum ad se evocare Bavaro in proclivi erat. Igitur mutato consilio Rex viam qua venerat relegens Hersbruccam redit, præsidiumque Sulzbaco loco parum munito excedere jubet.

Legatus Regii dimittitur.

§. 34. Hersbruccæ Gustavus Bonzidajum Ragozii Transylvaniæ Principis legatum cum responso domum remittit. Occasio legationis fuerat, quod Catharinæ Bethleni viduæ, quæ Reginæ Sueciæ soror erat, controversiæ quid cum Ragozio, & Ordinibus Transylvaniæ propter bona dotalitia intercessisset. Ei componendæ à Rege in Transylvaniam mittebatur Paulus Strasburgius, inde Constantinopolim ire jussus, ut negotium istud aulæ Turcicæ commendaret. Utrinque res ex voto confecta. Sed simul inquirebatur, quid de Gustavo ejusque expeditione Turcæ sentirent. Qui quidem judicium suum insolitis, queis Strasburgium excipiebant, honoribus satis testabantur, ringente quamvis Cæsareo Oratore, cujus in istum calumnias Vezierus facile agnoscebat, eludebatque. Præter hoc nihil peculiariter ibi vel quæsitum, vel tractatum fuit. Sed Ragozius tentabatur, num irruptione in Hungariam facta Cæsaris vires distrahere vellet. Qui tamen per legatum ancipitia belli excusabat, & ne in se ab aliis destitutum tota belli moles incumberet. Nec quidquam tunc aliud Rex repetitis hortatibus efficiebat, quam ut amicitiæ longo post tempore fructum parituræ semina jacerentur. Ibidem cum tenderet Gustavus, quadraginta sex Croatarum vexilla exploratum missa in Regiorum stationem sex

Regiorum statio cæditur.

equitum alis constantem impingebantur. Quos Regii licet numero impares impressione acerrima facta in fugam conjiciunt. Sed dum inconsultius ordinibus solutis insequuntur, Croatæ conversi numero istos obruunt, & ad ducentos cædunt; reliqui plerisque ductoribus amissis hinc inde sparsi. Nonnullos, quibus ab inutio vitæ veniam fecerant, Croatæ post jugularunt.

Gustavus ad Noribergam statum capit.

§. 35. Ast Gustavus, qui huc usque de Saxoniæ Electore solicitus fuerat, ut si is ab hoste invaderetur, subsidio adesse statim posset, cum in se universas hujus vires ruere animadverteret, ad sui conservationem omnes cogitationes intendit. Et quia hostis numero longe prævalebat, rationis erat opportuno loco considere, ubi neque invitus ad prælium, neque ad receptum cogi posset, quoad copiæ suæ undique excitæ convenirent. Quanquam autem ipsi spatium foret Mœnum attingendi, ad quem tutius atque commodius castra metari, subsidioque adventantes excipere licuisset; prævalebat tamen Noribergæ respectus, quam à Rege desertam Fridlandus militi suo in prædam ostentabat, ut eo terrore cæteros ad obsequium reduceret, ac Gustavi existimationem destrueret, velut qui sociis exitii duntaxat causa foret. Unde ut hunc ista urbe divertere, Fridlandus Adorphum, & Oelsnitzam iter simulabat, velut in Saxoniam moturus, ut Rege Noriberga digresso, ipse raptim agmine reflexo eam opprimeret. Sed Gustavus artium istarum intelligens, exposita Noribergensibus præsenti necessitate, confirmatisque eorum animis castra ad urbem metari, eaque magno ambitu munimentis complecti instituit; quæ paucos intra dies multis operarum ex oppido millibus in eam firmitatem surgebant, ut hostis quamvis numero prævalens eadem oppugnare nunquam ausus sit. Interim Fridlandus Bavaro junctus Weidam, Ambergam, Sulzbacumque transiens quatuor militum millia Neumarcum præmiserat. Hos Tupadelius tribunus, cum sua dimacharum legione & quatuor equitum alis exploratum missus, invadere ausus est rustico cuipiam fidem adhibens, qui bis mille capita manum eam non excedere magna adseveratione firmaverat; etsi Croata interceptus verum numerum edidisset. Ac profligaverat quidem iste primo impetu quatuor Croatarum turmas, cæsis non paucis. Sed altius hosti se immergens mox circumfunditur, numeroque obrutus totam fere legionem amittit, ac ipse vivus cum duobus equitum vexillis in hostium manus incidit. Rex ad primum conflictus rumorem cum magna equitatus parte Neumarcum versus properabat, sed in itinere rem confectam audiens in castra revertit. Fridlandus lustrato ad Neomarcum exercitu supra ter centum vexilla equitum, ducentas peditum cohortes invenerat, magna cum fiducia jactans, intra quatriduum apparituram, utrum ipse, an Sueciæ Rex dominus orbis sit futurus. Inde movens in Noribergæ conspectu loco celliore, qui Pegneso flumini imminet, castra Regiis castris confert, eaque & ipse validis munitionibus circumdat. Quanquam enim præ se tulerat Fridlandus, velut primo impetu castra Regis invadere vellet, ac Gustavus isto adventante, ut ostenderet se hostium numero non terreri, equitatum suum ante castra aperto campo, sed interlabente fluento in aciem disposuerat: tamen mox aliam se bellandi rationem auspicaturum ferebat, ac sat præliis certatum, nec è re Cæsaris esse istam aleam denuo tentare. Eoque Regem annona ac pabulatione intercludere aggrediebatur, ut ipsi necessitas fieret pacis petendæ, aut in diversa abeundi, Noriberga suæ libidini exposita. Quo fine Forcheimum, Neomarcum, Svvabacum, aliaque vicina loca validis præsidiis firmabat, & equitatum, quo præpollebat, longe lateque agros perlustrare, & itinera infestare jubebat. Et sane in Regiis castris ad extremum pabuli angustia laborabatur. Sed annonæ affatim Noriberga suppeditabat, cujus cives & ipsi in castris vigilias, & alia militaria munia obibant; quibus Rex tutiores, & ab hoste aversas stationes assignaverat.

Regii exploratores cæduntur.

10. Jun. Fridlandus castra castris Gustavi confert.

§. 36. Dum magni isti bellatores ad Noribergam tempus extrahunt, in diversis partibus haut quicquam cessabatur. Et Pappenheimius quidem post desertam Stadam per Brunsuicensem agrum Hassiam versus iter intenderat. Ejus adventum cum præsentirent Hassi, qui Volcmarsiæ, & Mundæ hospitabantur, Cassellam se celeriter non citra impedimentorum jacturam recipiunt. Nec minus ab isto novi delectus vicina per oppida disturbantur. Vicissim tamen Hassi sex Pappenheimianorum equitum turmas Witzenhusæ opprimunt, ac ducentis cæsis plerosque cæteros cum præfectis suis capiunt, prædaque opima potiuntur. Inde Pappenheimius in Eichsfeldiam tendere, occupatoque Duderstadio Thuringiæ imminere. Unde Hassi ipsius abitu resumtis animis ad Volcmarsiam oppugnandam redibant. Hanc liberaturus Pappenheimius quinquaginta quinque equitum vexilla trans Vilurgim ad Pollam raptim ducit, cui se cum nonnullis copiis Gronsfeldius Comes jungebat. Continuato per totam noctem itinere rubescente aurora Volcmarsiam perventum eo ipso fere momento, quo Hassi oppidum deditione receperant, quorum quatuordecim alæ sub dio tendebant. Hi conspecto hoste ante sylvam in clivo

Pappenheimius per Saxoniam grassatur.

ordines

1632. ordines instruere, & subeuntium primos assultus fortiter sustinere: mox superante multitudine evadendi vias circumspicere. Sed fossa transversa sylvam interlecans impediebat, quo minus maturo sibi receptu consulere possent. Unde novem vexilla in manus hostium pervenere, ducenti cum duobus praefectis casi, decem ductores, ducentique gregarii capti, quinque insuper machinae & unum mortarium. Reliquiae cladis Castellam receptum habuere. Hoc facinore patrato Pappenheimius Warburgi peditatum sibi adjungit, ac superato Visurgi Callenbergam recta tendit, quae à Georgio Luneburgico Duce, & Baudisio obsidebatur. Hi Gronsteldium cum quatuor legionibus subsidio venientem acriter, & non sine clade repulerant; & ad internecionem cecidissent, ni ponte post se dejecto subsequentes elusisset. Sed cum de adventu Pappenheimii audissent, obsidium deserere, & ad Hildesiam pedem figere consultum judicabant. Nam copiae ipsorum ad octo millia peditum, quatuor equitum adscendebant; cum hostis equitatu par, quatuor peditum millibus excederet. Pappenheimius Callenberga movens ante Regiorum castra acie explicata constitit, ac in proximo monte machinis Hildesiam verberare instituit. Cui non segniter ex oppido respondum; ac emissi castris Finnones cum undecim hostium turmis velitatione suscepta, unum vexillum cum praefecto turmae capiebant, caesis circiter ducentis. Unde Pappenheimius nihil dissoluti hoc inveniens Roteburgum retro, & mox Gronaviam discedit, missis qui Callenbergae praesidio educto munitiones subito destruerent. Glenius quoque tribunus amotum Peina arce praesidium Gueslerbytum abducit, relictis ibidem sedecim tormentis. Mox & Steinbrucca miles exemtus. Utramque arcem ab hoste desertam Georgius Dux praesidio firmabat. Istis peractis Pappenheimius ad Pollam Visurgi transmisso Rhenum versus properat, Trajecti ad Mosam à Batavis obsessi liberationem tentaturus.

Mali vapulant.

Pappenheimius Callenbergae obsidium solvit.

Callenberga, & Steinbrucca ab hoste deseruntur.

§. 37. Interim ad Rhenum Trevirensis Electori pacto Gallis arcem Hermansteinum seu Ehrenbretsteinum sub finem Maji consignarat, eluso praefecto & praesidio, eam traditionem averlante. Quam rem aegre ferens Trevirensis Clerus in Hispanum pronus ipsa Treverorum metropoli, & Confluentibus praesidium Hispanicum recepit. Unde Rheno tantum flumine discretae nationes aemulae crebra invicem infesti animi facinora exercebant, Hispanis tunc illas per oras praevalentibus, donec Hornius Moguntia movens Confluentes acri obsidio premere instituit. Et resistebant quidem ab initio fortiter Hispani, sed propius succedentibus Suecis oppidum dedunt, pacti ut salvis armis & impedimentis more militari excederent. Id oppidum paulo post Gallis, & Electori Trevirensi restituturum, Hornio transitum illac Suecis liberum stipulante. Iisdem conditionibus Suecis etiam Vestalia Superiore, Popparro, & aliis provinciae Trevirensis locis excedunt. Inde Hornius Graefenburgum Mosellae incumbentem arcem, quae Hispanis saepius transitum praebuerat, post brevem verberationem dedente Hispano centurione capit. Kirchbergam autem ne hostibus utili esse posset, munitionibus nudat.

Hermansteinum Gallis traditur.

Confluentes ab Hornio capiuntur. 11. Jan.

§. 38. Circa idem tempus relicti in Suevia Bernhardus Dux, & Banerius tumultuantes rusticos compescebant. Sed in Bavaria Cratzius Fridbergam proditione incolarum portas ultro aperientium occupabat, trucidatis Regis, qui protegendo adversus populatores oppido ibi morabantur. Ab eodem quoque Landsberga vi expugnata, civibus iridem in Regios insurgentibus. Cochtitzkius tamen tribunus, qui ibi praesidebat, cum duocentis circiter equitibus evaserat, amissis plerisque dimachis. Fiessam Leopoldi Archiducis miles duabus peditum, una equitum legione constans, post triduum tormentis verberatam vi capit; postquam Tortius praesidio praefectus majore globo discerptus fuerat. Sed ista damna statim ulciscebantur Regii. Nam in Fridbergam Banerius manum Augusta emittit, quae extrema licet tentantibus civibus vi oppidum expugnat, trucidatis quicunque se offerrent puberibus. Imbellis aetas sexusque in publicum prodire jussi, ac post tectis ignis injectus. Bernhardo Duci Landsbergam moventi magistratus oppidanus claves obviam ferebat sedandae indignationi ob antehac patrata. Et veniam supplicibus dabat Dux, validoque oppidum praesidio firmabat. Idem mox duas Leopoldinas desultorum cohortes, & equitum turmam Roshaupti concidit. Inde Fiessam itum, quae ab ipso vi expugnata. Ubi in primo fervore trecenti trucidati, capti mille, ac centum, quos inter nonnulli magnae dignationis viri. Gregariorum plerique Regiae militiae nomina dedere. Ea clade tantus hostibus incussus terror, ut tria in montanis castella Erebergam versus Regio milite nondum viso trepidi deserrent. Et jam ipsi Erebergo metuebatur, clausurisque montium, quibus Tirolensis provincia aditur, cum Bernhardus Dux & Banerius à Rege in Franconiam evocantur. Quibus digressis hosti in proclivi fuit loca jam memorata recuperare.

Eadem mox a Suecis recipiuntur.

§. 39. Inter armorum tota Germania perstrepentium tumultum, non modica Gustavum cura exercebat, ne Saxonem sociorum praecipuum Caesaris artes in transversum agerent, isque intempestiva pace destinata ipsius turbaret: quem quacunque ratione Suecorum partibus abstrahendum Hispani suadebant. Igitur post Solmensem Comitem Rex ad eundem mittebat Augustum Palatinum Sulzbacensem, insignis prudentiae Principem, qui & de auxilio Regis, si forte Fridlandus ingrueret, securum ipsum esse juberet; simulque moneret, ne praepropero desiderio pacis, quam subinde idem ostentabat, fascinatus transactionem praecipitaret, antequam solida futurae securitatis fundamenta praestructa forent. Ita enim judicabat Gustavus, Ordines Protestantes in unum esse corpus redigendos, quod ab unius directione dependeret, armaque eorundem & consilia combinanda, ut si forte adversa pars conventa violare vellet, in promptu vires essent tuendae libertati. Alias enim praecocem pacem, & haut provisis prius armis, quae adversariorum potentiam librare queant, non nisi brevem malis paulam procurare, acrius mox incubituris. Nec Protestantium sacris securitatem perstituram, si ad pristinum statum revolvatur Germania. Eum in finem conventum omnibus Protestantibus indicendum, ubi de hisce rebus statuatur, in quo ut omnia tanto expeditius procedant, sibi prius cum Electore super praecipuis capitibus esse conveniendum. Nec obscure Palatinus insinuabat; huc provectas Evangelicorum res, ut suis sacris addictum creare Caesarem queant; ad quod fastigium ut admoveatur Gustavus Rex, jam serio rationem esse ineundam. Sane Evangelicorum suffragia ipsum abunde meritum. Multorum Catholicorum ditiones occuparas; reliquos forte, sublato Reservato Ecclesiastico, haut aegre in partes transituros. Nam à Ferdinando tam atrociter violatis Imperii legibus dignationem Caesaream dudum commissam. Ad quae Elector specioforum verborum aflatim reponebat, sed quae destinata Regis haut quidquam implerent. Nec super communi Protestantium foedere, militiaque inter ipsos ordinanda mentem suam aperire volebat, quod summam hujus directionem penes Gustavum fore provideret.

Acta cum Saxoniae Electore.

Bavari Fridbergam, Landsbergam, & Fiessam recuperant.

1632. ret. Etsi Brandeburgicus Elector missо Legato id fœdus vehementer sibi probari testabatur, & ut quamprimum eo fine Protestantium conventus indiceretur monebat. Qui quidem eo tempore rebus Gustavi valde pronum se offendebat ipse matrimonii Christinam inter Gustavi filiam, & istius filium Fridericum Wilhelmum contrahendi, super quo tunc tractatus fervebat. Quo ipso controversiæ præverti posse sperabantur, quæ olim occasione Pomeraniæ inter ipsos orituræ videbantur. Sed apud Saxonem jam tum deprehendebantur semina consiliorum, quæ post in apertum eruperunt, Succos nimirum quocunque modo amoliendi, postquam ope ipsorum voto suo potitus esset. Aliquot tamen legiones mittebantur, quæ Regis exercitum ad Noribergam augerent.

Velitationes ad Noribergam.

§. 40. Ad eam urbem, cum nondum omnes Gustavi copiæ convenissent, crebræ committebantur velitationes his aut illis funestæ, castris ita propinquis, & quia è longinquo petendum erat pabulum, quod tantæ jumentorum multitudini arenosum solum maligne præbebat. Crebræ frequentes invicem insidiæ, aliis, & quandoque iis qui potuerant, exitiosæ. Eas minutatim enumerare tædiosum fuerit ob similitudinem eventuum, & quia in tanta rerum mole minuta parum curabantur. Igitur præcipuas velut in exemplum attigisse sufficerit. Initio à Regis tres Croatarum alæ obtritæ, vexilla, & plerique ductorum capti. Cratzensteinius quoque tunc legionis vicarius, dum per excursionem Cassellam superioris Palatinatus Cœnobium & Pfaffenhoviam arcem expugnat, integram Croatarum alam cæcidit. Contra manus Regiorum, quæ Sulzbacum versus exploratum iverat, ad Hambacum in insidias præcipitans post strenuam pugnam opprimitur, ac octoginta cæsis pauci evadunt. Mox vices rependunt Regii, fusis ad Feuchtam centum quinquaginta Croatis, quos partim trucidabant, cæteros agrestium sævitiæ jugulandos relinquebant. Paulo post Croatæ stationem excubitorum Regiorum Furtam versus locatam, dum parum intenta agit, opprimunt, integra pene ala concisa. Inde ad Heubacum pari damno concursum, cadentibus utrinque quinquagenis. Aliquot post dies ipse Rex cum selectis turmis eodem accedit, ac in validam hostium manum incidens, acri certamine centum quinquaginta occidit, cæteris in fugam conjectis. Eam jacturam hostis mox pabulatoribus Regiis rependit, quorum manu apud Furtam deprehensa ducentis equis, & compluribus vehiculis potitur, reliquos sub ipsa castra insecutus. Quo successu invitante paucos post dies prope Lauffam in sylva pabulatoribus insidias struebat, acarridente cœptis primis fortuna multos jam currus abducebat. Sed dicto rumore advolantes mox Regii prædam recuperabant, centum insuper ex hoste cæsis. Inter quæ Lichtenavia Noribergicæ ditionis arx per ignaviam à præfecto hostibus tradita non parum Gustavi rebus obfuit, quod ista à Regiis obtenta commeatus ac pabulum tuto, & recto itinere subvehi potuisset. Nam decreverat Rex partem copiarum huc collocare, quæ ad latus hostis posita interclusa subvectione castrorum movendorum necessitatem afferret. Inde Tupadelius (quem antea captum Fridlandus liberaliter habuerat, & postquam multa in laudem Regis, & de pacis desiderio ipso audiente jactasset, gratis dimiserat,) Regi indicat, à Fridlando magnam annonæ vim, quam vix mille vehicula caperent, Freistadii congestam, mox in castra hostium deducendam. Huic intercipiendæ Tupadelius cum aliquot equitum dentorumque turmis mittitur; qui per noctem portis crepitaculo refractis oppidum irrumpit, idque trucidatis obvis diripit. Armenti ad mille capita abducta, & si quæ facile asportari poterant; reliqua immisso igne corrupta, nullo Regiorum damno, nisi quod per nocturnum errorem Joannes Kevenhullerus à suis globo trajectus occubuerat. Interea Rex, quo receptui suorum caveret, cum quingentis sclopetariis & equitatus parte Burchtanum versus processerat, ubi forte fortuna in Sparrium supremum vigiliarum præfectum incidebat, qui cum viginti octo equitum vexillis, & quingentis peditibus Regios pabulatores captabat. Illos inter & Regios antecursores acre certamen sumitur; sed ingruente cum cætera manu Rege hostilis eques Latin in fugam conjicitur. Pedes tamen, qui sylvam vicinam insederat, acerrime restitebat, ita ut è Regis tribunus Rufus, duoque nobiles ministri aulæ Bojus, & Cratzensteinius caderent. Tandem tamen sylva expulsi maximam partem trucidantur. Occubuerunt eo conflictu Cæsareorum sexcenti circiter, nec paucos paludum voragines hausere. Ipse Sparrius, Terskiusque legionis vicarius cum quatuor centurionibus, & gregariis plus centum cum tribus vexillis equestribus in Regiorum manus pervenerunt.

1632. Hostium commeatus intercipitur. 26. Julii

Cæsarei vapulant.

Lichtenavia ab hoste capitur.

§. Julii.

§. 41. Interea exciti à Gustavo plerique ducum, qui per diversa Germaniæ loca rem gerebant, in Franconiam properabant. Cancellarius Oxenstierna cum Christiano Palatino Birkenfeldensi pluribus equitum peditumque legionibus stipatus à Rheni ora Wurtzburgum processerat. Wilhelmus Saxoniæ Dux contracto milite, qui per Thuringiam, ac Magdeburgensem agrum vicinaque loca hospitatus erat, Suinfurtum tenebat. Eodem è Suevia Bernhardus Dux, & Joannes Banerius festinabant. Advertebat quoque cum selecta manu Wilhelmus Landgravius, quibus aliquot Electoris Saxoniæ legiones Hofkirchii ductu accedebant. Hi ergo post prosperos aliquot cum Cæsareanis, qui longe lateque vagabantur, velitationes, apud Kitzingam lustrato exercitu, qui peditum quindena, equitum novena millia explebat, Wansheimum procedunt. Hic agentibus Rex scripserat; caute iter facerent, ac opportuna stativis loca deligerent, ne ab hoste inviti ad pugnam adigi possent. Tum ostensa triplici via, qua ipsi conjungi possent, utram eligerent in ipsorum judicio relinquebat. Quod si hostis in ipsos iret, jubebantur commoditate locorum recti unicum tantum sustinere diem. Regi quippe decretum erat hoste discedente simul movere, & tergo abeuntis inhærere. Quod si hostis circumflexam frontem Regi obverteret, Rex aut idoneo loco capto impetum istius elusurus, conjunctionisq; viam inventurus; aut conflictui initium daturus erat, cujus strepitu, aut signo, quod convenerat, audito, ipsi à tergo hostem invaderent. Enimvero hæc cura tunc supervacua erat, quod Fridlando fixum sederet, fortunæ nihil credere. Eoque Regi sumto per Neustadium ad Aischam, & inde Bruccam itinere citra ullum ab hoste obstaculum castra & Noribergam tenuerunt.

Gustavo auxilia passim advenium.

§. 42. Tanta jam accessione auctus Rex, cujus copiæ tunc ad sepruaginta quinque bellatorum millia adscendere ferebantur, per otium diu desidere indignum ducebat: sed paucis ad quietem diebus ex itinere fatigato militi concessis, quo urbem tantæ multitudini diu alendæ imparem exoneraret, hostem in prælium provocare, aut abnuen-

Rex castra Fridlandi ad Noribergam oppugnat.

1632. nuentem castris expellere constituit. Igitur è castris progressus exercitu in aciem digesto æquis
21. Aug. locis pugnandi copiam hosti faciebat. Sed is jam numero inferior in castris se continebat, postquam Pappenheimius creberrimis licet nuntiis solicitatus venire abnuerat, Fridlandi imperium dedignatus, ambitione hoc non inferior, nec belli andi peritia multum concedens. Eoque non nisi paucas turmas emittebat, quæ mox acrius incumbentibus Regiis in castra pedem referebant. Inter quæ præludia Banerius brachium globo trajectus post diuturnam curationem vix restitutus est. Subsequenti nocte altioribus locis tres suggestus struebantur, è quibus octodecim grandioribus tormentis Rex in castra Fridlandi fulminabat modico hostium damno, quod pedes vallo tectus latitaret, cæteri in remotiorem sylvam recessissent. Unde Rex parum hoc modo profici cernens, & quod interjectum fluentum eo loci castra hostium oppugnari non permitteret, apud Furtam, unde Cæsareos ejecerat, intra tubi longioris jactum ab hoste castra metatur, ex ipsâ loci propinquitate eidem turbando occasionem aucupaturus. Et eo tempore exploratores referebant, hostem in receptu esse, nec nisi paucas in castris legiones restare tegendis abeuntium tergis. Unde Rex statim suos propius vallum succedere jubebat. Quanquam autem mox patebat exploratores, specie hostium tentoria mutantium deceptos, falsâ retulisse; Rex tamen ideo cœptis non desistebat, dissuadentibus licet ducibus, ac milite alias pugnandi avidissimo ad irritum laborem parum prono. Ipsa quippe difficultas animum stimulabat; ac sunt qui tradant, subornatos fuisse à Rege duos, qui castra hostium ingressi sub ipsum assultus momentum pulveri pyrio tuguriisque ignem injicerent. Sed quorum unus in furto deprehensus vecordia animi ea destinata prodiderat, atque irrita reddiderat. Unde
24. Aug. atrox certamen surgit Suecis per acclivia ad castrorum munimenta ruentibus, hoste contra in ipsos continuum glandium imbrem effundente. Primum impetum sua cum legione dabat Wilhelmus Burtius, quo vulnerato Ericus Handius tribunus cum pluribus aliis succedebat. In hos equitatus hostilis castris effusus non leviter Regios turbabat; quo in tumultu Handius letali vulnere sauciatus, Leonardus Torstensonius captus est. Hoste tamen mox intra castra rejecto impetus recruduit, & per decem continuas horas ad noctem usque pugnatum, cunctis legionibus ordine pugnam excipientibus, ac integris in fessorum locum semper subeuntibus; nec eo magis hostium munimenta perrumpebantur. Dum hac parte pugna fervet, Rex ad Rednesum flumen in modica sylva septingentis sclopetariis stationem assignaverat, quibus Rosteinius tribunus cum ala sua adjungebatur. Hic otiosum agere spectatorem dedignatus & ipse hostiles sclopetarios lacessere cœpit. Sed idem mox vulnere accepto cum è pugna se subduxisset, ipsius ala duce destituta ingruentibus Cæsareis in fugam effundebatur, ni Torsto Stalhantschius cum ala Finnonum subsidio venisset, qui hostem turbatis instantem acriter repulit, & sub ipsâ usque castrorum munimenta persecutus est. Hic tamen iterum quatuor vexillis erumpentibus pedem referebat, cum Henricus Nædingius cum Finnonum turma hostem denuo sub castra rejiciebat. Eas alternantis fugæ vices conspicatus Jacobus Fuggerus Comes cum validissimis turmis prorumpens oppositum equitem late submovebat, ad ipsam usque sylvam sclopetariis infestam persequendi ardore delatus; ubi asperrimo glandium imbre exceptus ipse ad necem sanctus in Regiorum manus pervenit. Tandem cum Rex operam à suis ludi videret, ut eos pugnæ subduceret, neve in abscedentes hostis erumpens turbarum quid daret, sollicitus erat. Cum circumspiceret, cui mandata ad legiones perferenda daret, Hebronum tribunum Scotum prope se animadvertit veterem & egregium militia, sed qui non ita pridem missionem obtinuerat, ac sacramento solutus in castris hærebat; caput suum exsecratus si pro Rege gladium amplius stringeret. Causa irarum erat, quod cum nuper primi agminis honos juniori cuipiam tribuno obtigisset, & Hebronus huic secundus incedere dedignatus, Vicarium suum misisset, ipse interim apud Anglicanum Legatum hærens; Rex isti pronum in missifices animum, & indecorem aulici habitum, functionemque exprobraverat. Ad eum Rex conversus, offensæ securus, laudata viri virtute postulabat; legionibus receptum imperaret, isque ut citra confusionem fieret operam daret. Ille non minus generose; Ea sola causa est, inquit, quare contra destinata mea hanc Tibi, Rex, operam abnuere non audeam, quod illa sine periculo obiri nequeat. Eoque vectus magna cum dexteritate imperata perficit. Nec eo secius, licet honestis conditionibus solicitatus, missione uti præfracte perseverabat. Bernhardus tamen Dux montis partem prope Burgstallum (id veteri arci vocabulum) occuparat, eamque ad sequentem usque diem tenebat; unde hostem monte quem insederant, & castris expellendi aliqua spes erat. Sed quod machinas eodem attrahere supra humanas vires crederetur, & per noctem cadens imber solum lubricum, & excitandis munimentis incommodum effecisset; Rex incertam aleam tanto cum sanguine tentare veritus, postridie suos inde reduxit. E Regiis eo conflictu duo millia cecidisse feruntur, quos inter insigniores Bootius summus vigiliarum præfectus, Burtius tribunus, Scepterus, & Maccajus legionum vicarii, & plures alii inferioris ordinis. Vulnerati Rosteuius legionis equestris tribunus, Erbacensis, Castellensis, Ebersteinius, Turrius junior Comites, alii. Capti Torstensonius, & Ericus Handius, quorum hic postea è vulnere Ingolstadii decessit. Apud Cæsareos præter mille gregarios, & quod excedit, desiderati Jacobus Fuggerus, tribuni Marius Caraffa, Joannes Baptista Chiesa è vulnere paulo post decedens, & plures alii: Fridlando, Bernhardoque Duci equi, queis vehebantur, globis trajecti. Regi ipsi globus ocream ad dextri pedis pollicem stringens partem soleæ revulserat. Ferunt nonnullos Germanos, ac præcipue Wilhelmum Landgravium aliquod offensæ concepisse, quod Rex Germanos primum assultum dare jussisset, velut popularium suorum sanguini parceret, & Hassos repulsos, quasi non sat acriter connixos increpasset, immissis mox Finnonibus illorum segnitiem pensaturis; qui tamen nec ipsi munitiones hostium perrumpere valuerunt. Postera die nihil aliud, quam velitatum, exiguo utrinque damno; nec per sequentes dies, quousque inde discessum, quidquam memorabile patratum.

1632.

§. 43. Dum Furtæ hæret Rex, Marchionem Hamiltonium in Angliam ablegat per novos delectus supplendis ab ipso adductis copiis, quas morbi bellorumque incommoda fere absumserant; simul ut Angliæ Regem edoceret causas imperfecti adhuc fœderis. Equidem super isto Wurtzburgi cum Hornio, Moguntiæ cum Cancellario, ac

Marchio Hamiltonius in Angliam mittitur.

1632. ac Monachii cum ipſo Rege actum fuerat, ubi de plerisque convenerat; ac cætera mox promiſſa utrinque moderatione compoſitum iri ſpes erat. Sed cum Tractatus ad Noribergam inſtauraretur, novæ ab Henrico Vanio Anglicano Legato conditiones proponebantur, adjectis ad articulos jam tranſactos appendicibus. Unde nihil ſerii ab iſto agi adparebat. Et conſtabat Fridlandum ei Legato perſuadere conatum, ne fœdus iſtud perficeret: ſe quippe apud Cæſarem effecturum, ut Fridericus in utrumque Palatinatum reſtituatur. Nec minus Dano cordi erat ſiſtendæ Guſtavi potentiæ, Anglorum animos avertere. Quæcunque cauſa earum tricarum fuerit, id ſane tunc animadvertebatur, in Anglicana ſocietate Guſtavo nihil fiduciæ eſſe reponendum.

Regii Duderſtadium expugnant.

§. 44. Dum hæc ad Noribergam geruntur, Georgius Luneburgicus Dux, & Baudiſius junctis copiis Duderſtadium expugnare conſtituunt, è quo vicina regio crebris excurſionibus infeſta habebatur. Inſidebant id oppidum undecim peditum centuriæ, equites quadringenti, quibus magnus aggreſtium numerus prædarum cupidine acceſſerat. Nec munitiones ſpernendæ erant, cum poſt exterius & ſpatioſius vallum interjectis pratis hortiſque aliud vallum prætenſa foſſa, firmæque ſtructuræ murus ſupereſſet, diuturni obſidii opus, ſi præſidiariis ſat conſtantiæ ad propugnandum fuiſſet. Verum poſt ſextum diem, cum Regii ad exterius jam foſſæ labrum acceſſus pro-
24. Jul. moviſſent, repente obſeſſi animis collapſi deditionem ultro offerunt. Sed dum ſuper conditionibus tractatur, eadem adhuc veſpera gregarii ſubito tumultu in prætectos ſuos exſurgunt, ut hi Regiorum defenſionem adverſus iſtos implorare cogerentur. Igitur poſtridie immiſſæ oppido duæ legiones, & cum præſidiariis ita tranſactum, ut gregarii Regiæ militiæ adſcriberentur; ductores vero, inter quos Heislerus oppidi gubernator, octo turmarum præfecti, & decem centuriones captivitatis ſortem ſubirent. Duodecim quoque tormenta, & inſignis annonæ copia victoribus cellit: Duderſtadio capto vicina quoque loca, quæ Pappenheimii miles tenebat, moram non faciebant. Et plerique agreſtium, qui in armis reperiebantur trucidati, vicique exuſti libidinem prædandi cæteris adimebant. Duderſtadii munitiones, quod numeroſo præſidio ad ſui defenſionem indigerent, ſolo æquatæ. Eo peracto Georgi-
Guelferbytum fruſtra obſidetur. us Dux cum Lohuſio, & parte copiarum ad Guelferbyti obſidium incunte Auguſto menſe accedit, quod ſuperiore menſe Dux Brunſvicenſis raptim collectis copiis eminus claudere cœperat, meſſe circum corrupta, & ſubvectione impedita. Cum ad ſummam rerum ſatius fuiſſet, ejus oppidi claudendi curam armatis provincialibus adjuncta modica militum manu committere, ac toto exercitu Weſtphaliæ infuſo Pappenhoimium Trajecto redeuntem intercludere; ſimul in regione militis boni feraciſſima delectus hoſtium, qui ſub Gronsfeldio calebant, diſſipare, & Regias copias novis ſupplementis firmare. Enimvero prævaluere privati reſpectus, & Baudiſius partem duntaxat copiarum in Weſtphaliam deduxit; cæteri Guelferbyto adſidebant, cujus præſidiariis non plus quam duorum menſium alimenta ſupereſſe intellexerant. Ibi hærentibus nihil memorabile contigit, niſi quod obſeſſi crebris eruptionibus Regios turbarent: & aliquando Quæſtor exercitus Ericus Andreæ Trana comprehenſus in oppidum abduceretur, qui poſtea cluſa aſtu cuſtodia poſtliminio ad ſuos rediit.

Baudiſius in Weſt-

§. 45. Baudiſius autem juncta Haſſiacorum manu Volcmarſiam, qua pleriq; cives alio diffugerant, direptam prius, muriſque, ac portis nudatam incendio delet in ultionem perfidiæ quondam in Haſſos exercitæ. Quo terrore compulſi Warburgenſes, ac vicinorum oppidorum incolæ ultro miſere, qui imperata ſe facturos denuntiarent. Inde Paderbornæ exercitus admotus, quam Weſtphalus tribunus cum duobus peditum millibus, quatuor equitum alis, & ſesquimille delectis provincialium ſtrenue propugnabat. Ad quam Baudiſius fruſtra vires ſuas atterebat, quoad Pappenheimius apud Trajectum repulſus, ac menſe Septembri in Weſtphaliam reverſus ad iſtud oppidum obſidio eximendum acceleraret. Cujus adventu audito Baudiſius viribus impar Paderborna relicta Huxteram recedit, plures ad ſe copias evocaturus. Nec multo poſt Gronsfeldius equitum manum & ſesquimille pedites ſecum trahens Brakelam, quæ ſexcentis Baudiſii defultoribus infidebatur, interceptum venerat. Eos ut hoſtium faucibus eriperet Baudiſius, Jacobum Mercierium, Devvitzium, Pleſſiumque tribunos tribus cum legionibus mittebat. Quibus ingruentibus hoſtis callide retro cedebat, quoad in locum à ſclopetariis ſuis inſeſſum eos pelliceret. In has inſidias præcipitans Mercierius præter complures gregarios duos turmarum præfectos, tria vexilla amiſerat, ac jam campo pellebatur, cum erumpentes oppido dimachæ opportune adſultarunt, ac ſuis ſpatium ordines reſtituendi fecerunt. Inde verſa fortuna hoſtis non ſine clade pulſus duo tormenta, totidem vexilla amiſit. Aſt Pappenheimius undecim peditum, duodecim equitum legionibus ſuccinctus in Baudiſium, qui numero impar, nec aperto campo ſui copiam facere audens ad Huxteram ſubitariis operibus ſe muniebat, recta tendit; ſimul Gronsfeldium cum parte copiarum ad Pollam trans Viſurgim mittit, ex utraque fluminis ripa impetum in ipſum daturus. Ac jam ſumma vi in ipſius caſtra fulminabat, cum hic viribus inferior, & defectu farinæ mox imminentem famem metuens, quod hoſtis rivos, quibus molendina impelluntur, alio advertiſſet, receptui ſe diſponit, impedimentis, machiniſque præmiſſis, ac ingruentibus tenebris in tutiora ſe recipit, dum Pappenheimius circa tormenta in commodum magis locum diſponenda ſatagit. Sed cum repetita verberatione à Baudiſio non reſponderetur, quod res erat conjectans ſtatim equites tergis abeuntium immittit; qui in Treſcovii legionem impacti ipſum tribunum, cum præfecto vigilum, & turmæ ductore capiunt. Coëuntibus tamen mox aliis legionibus iſti non modica cum clade & trium vexillorum jactura repelluntur. Utrinque ad quadringentos deſiderati.

1632. Phaliam abit.

Paderbornæ obſidio decedit.

Ad Brachelam conſiſtunt.

Baudiſius Pappenheimio credit.

§. 46. Poſt Baudiſium Viſurgis ripa dejectum Merodius Comes cum viginti duabus equitum alis, quæ tamen ſeptingenta capita non excedebant, Guelferbytum repente tendit, ac dum Dux Georgius Brunſvvigæ valetudinis curandæ cauſa abeſt, è vicina ſylva erumpens nemine reſiſtere auſo in oppidum penetrat. Inde præſidiariorum acceſſione auctior in Kingii & Mitſchevalii tribunorum ſtationes invadit, easque expugnat; ubi Regiorum centum viginti cæſi, ad octingentos ipſo cum Kingio ſaucio capti, & cum duobus tormentis, tex ſignis Guelferbytum abducti. Qui conatus Merodio eo facilius ſuccedebat, quod Georgius Dux magnam copiarum partem Lohuſii ductu Baudiſio in ſubſidium ire juſſerat. Is tamen cum Seſam perveniſſet, adverſis nuntiis perculſus, omiſſo quod inſtituerat itinere, Hercinias aſpera, & Goſla-

Guelferbyti obſidio ſolvitur. 25. Sept.

1632. Pappenheimius Hildeſiam capit.

riam petebat. Re ad Guelferbytum feliciter geſta Pappenheimius Hildeſiæ exercitum admovet, quam quingentorum militum præſidium, tam ſpatioſæ urbi defendendæ impar numerus, obtinebat. Nam Marretichius tribunus à Georgio Duce cum ſua legione eodem miſſus, audito rumore de mille equitibus viam inſidentibus, re infecta pedem retulerat. Ac initio quidem defenſionem meditabantur pauci illi præſidiarii cum oppidanis: ſed mox territi, oſtentatis ad Guelferbytum captis ſignis, & mendaci jactatione de clade Georgii Ducis, & Baudiſii, adjectis minis, nullum veniæ locum fore, ſi ulterius obſtarent, urbem in eas leges Pappenheimio dediderunt, ut cives ducenta millia uncialium ſolverent redimendæ direptioni, ſacra priſtina ſalva retinerent, nec ultra bis mille militum præſidio onerarentur: miles ſacramento Cæſaris accederet. Sed ruptis iſtis legibus longe majore argenti ſumma urbs emuncta, aliisque oneribus miſere oppreſſa fuit. Quo exemplo edocta Hanovera Pappenheimium, ampliſſimas conditiones offerentem, conſtanter repudiabat, omnibus ad acerrimam defenſionem comparatis. Brunſvviga quoque de ſe ſolicita quingentos à Georgio Duce pedites admittebat. Et jam Pappenheimii terror ipſum Magdeburgum afflabat, ubi à Laurentio Caggio omnia hoſti repellendo comparabantur. Sed is relicto Brunſvvicenſi agro, ac imperio iſtorum locorum in Gronsfeldium conſignato, in Thuringiam tendebat cum Fridlando ſe conjuncturus. Cæterum quod hac æſtate Regiis res tam male in Saxonia ſuccederent, in cauſa erat Ducum diſcordia, atque æmulatio, conſilia, & vires ſociare abnuentium. Neque enim Pappenheimium Trajecto ſuccurrentem ad Rhenum uſque perſequebantur, nec reditu eundem excludere laborabant. Ac ipſo poſt reverſo diſtracti diverſis locis tendebant, Baudiſius ad Huxteram, Georgius Dux ad Guelferbytum, Lohuſius Goslariæ: Franciſcus Carolus Dux Lauenburgicus ſparſim per hoſpitia militem habebat. Duo porro Principes Luneburgicus, & Lauenburgicus neque imperare, neque parere docti. Lohuſius invidia in Baudiſium flagrabat tanquam juniorem, & ſibi prælatum; qui & tacitam animo indignationem alebat, quod de Wiſmariæ præfectura in ipſum conferenda dubitatum fuerat. Baudiſius equeſtris militiæ peritiſſimus, pedeſtris rei non ita gnarus, & alieni imperii promtiſſimus exſecutor, ſummam rerum maximo cum labore adminiſtrabat. Ordines quoque Inferioris Saxoniæ ſuſtentando exercitui neceſſaria tarde, & gravatim conferebant. Adverſus tales Pappenheimium invaleſcere, mirum non erat.

18. Sept.

Pappenheimius in Thuringiam abit.

Cauſæ rei à Regiis per Saxoniam male geſtæ.

Cæſarei in Lulatiam irrumpunt.

§. 47. Interea Electoris Saxoniæ copiæ poſt cladem in Bohemia acceptam denuo ſe movere cœperant. Quanquam enim Fridlandus poſt easdem Bohemia pulſas edictum publicaverat, ne quis Electoris ſubjectos ullo modo læderet, ac Balthaſar Marradas, Bohemiæ tunc præſes, rureſtrium colluviem Miſniæ fines infeſtantem coërcuerat: tamen cum iſta amicitiæ imitamenta nihil profeciſſent, mox infeſta manus è Sileſia Luſatiæ immittitur, quæ Lubena, Zittavia, Gerlizioque occupatis agros late populabatur. Et Lubena quidem Cæſareos Saxonici iterum ejiciebant, trucidatis fere ſeptingentis. Sed mox Cæſarei par pari referebant, idemque oppidum denuo vi expugnatum vaſtabant, Saxonico milite cæſo, aut ſub Cæſaris ſigna coacto. Inde mente Julio Arnheimius poſt fruſtra tentatam Zittaviam, quam ſex millia Cæſareorum Svvarzburgio duce inſidebant, in Sileſiam vertit, ad Glogaviam Majorem irrumpit. Gœtzius tribunus, qui oppido præfuerat, cum ſex equitum turmis, decem peditum ſignis trans pontem ſe in Baſilicam receperat; ſed Saxonicis acerrime inſtantibus enixa prece has tandem deditionis leges impetrabat, ut miles depoſitis armis, ſignisque relictis dimitteretur. Ita Pragæ accepta ignominia aliquatenus expiata, ac Saxones denis peditum, ſex equitum vexillis cum præda non ſpernenda potiuntur. Poſt Lubena quoque, & Steinavia oppidum una cum munimento ad Oderæ tranſitum facile Arnheimio ceſſit. Sed cum Cæſareani duces ad Lembergam copias contraherent, ac Arnheimius Glogaviam regrederetur, Regias ac Brandeburgicas copias expectaturus, Steinavia cum adjuncto caſtello à Cæſareis nullo negotio recuperatur. Atque hi jam quindecim millia explentes Glogoviam petebant, quando Regii ac Brandeburgici ductu Jacobi Duvvalii, qui ad Oderam & Wartam hactenus curaverat, Saxonibus juncti iſtorum impetum ſtiterunt.

1632. Arnheimius Glogaviam expugnat. 31. Julii.

Regii & Brandeburgici Saxonibus junguntur.

§. 48. Cæterum ſuper hac expeditione, & conjungendis copiis ante ſex menſes Brandeburgicus cum Saxone egerat; quod tegi ſimul, & incommodis belli exonerari ſuas ditiones judicaret armis in Sileſiam translatis. Sed tunc Saxo, imminente ſibi hoſte copias dividere conſultum haut ducens, abnuerat. Inde ut Guſtavus quaſdam copias ſuis ſociaret Brandeburgicus petierat. Sed cum hic gravioribus curis diſtineretur, Brandeburgici rei gerendæ avidi ſoli tribuno Borgſtorfio duce irruptionem tentant. Vix tamen Freiſtadium uſque progreſſi, ingruente Croatarum manu pedem referunt. Igitur ea Brandeburgicorum expeditio interquieſcebat, donec Arnheimius in Sileſiam transgreſſus iſtorum conjunctionem ultro ſolicitabat. Quanquam autem de Regis animo nondum conſtaret; tamen Arnheimii poſtulata non plane repellenda videbantur. Nam ubi Saxonicis res ſuccederet, hos ſibi ſolis loca à ſe occupata vindicaturos; quo ipſo Regiis poſtea & Brandeburgicis acceſſus in eam regionem præcludendus erat. Sin uti ſoli hoſtibus cederent, non minus Marchiam, quam Luſatiam horum incurſionibus expoſitum iri. Sed junctos Saxonicis Regios & Brandeburgicos in partem victoriæ venturos, & ſociatos hoſti facilius pares fore. Inde Brandeburgici à Duvvalio, ut ei ſe expeditioni jungere velit, petunt; qui proprio autu id negotii ſuſcipere metuens, re cum Stenone Bielkio per Pomeraniam Legato communicata tandem conſenſit, ne communi cautæ defuiſſe videretur; ſtipulatus tamen ſibi in Brandeburgicas copias ſummum imperium, & honoris prærogativam, evitandis è plurium æquato imperio malis, & quia Guſtavus ſummam belli directionem ſuo ſibi jure vindicabat. Neque circa iſthæc concedenda Brandeburgici ſcrupuli quid movebant. Cum tamen poſtea ſuper hac expeditione à Conrado Borgſtorfio ad Regem relatum eſſet, hic, ſi quid jam peractum foret, id quidem retractare nolebat; ſed ſi nondum conjunctio facta eſſet, rem in integro relinquendam, quoad ipſe, aut Cancellarius eas in oras perveniſſet. Sed Duvvalius Regiæ voluntatis ignarus acceptis à Stenone Bielkio certis mandatis ad Zullichoam Brandeburgicis copiis junctus Glogoviam verſus tendit. Cum tamen Arnheimius obviam mitteret, qui ad accelerandum iter hortaretur, quod hoſte propinquante periculum gliſceret, Duvvalius antequam copias ſociaret, poſtu-

1632. postulabat, ut Regius ac Brandeburgicus miles pari numero Glogoviam admitteretur, ac quæ deinceps occupanda essent loca Regio, & utrinque Electoris præsidio firmarentur, nec suis minus, quam Saxonicis super commeatu prospiceretur, copiisque Regiis ob dignationem Domini prærogativa ubivis servaretur. Arnheimius cæteris postularis non admodum repugnare visus, primum plane rejiciebat, quod à solis Saxonibus Glogovia expugnata foret. Sed cum alia se lege processurum ulterius negaret Duvvalius, quod receptus sui securitatem ab alterius quantumvis fœderati, & amici arbitrio dependere nollet, tandem post longam disceptationem Arnheimius hactenus consensit, ut Glogoviam Regis & utriusque Electoris miles æquo jure obtineret, Bautica autem trans flumen sita Saxonicis solis relinqueretur. Ita ex Regio ac Brandeburgico milite octo peditum signa oppido immissa. Sed ut hic miles expeditione finita ad placitum Saxonum oppido iterum decederet, id quod Arnheimius petebat, ad istud se obstringere Duvvalius abnuebat. Inde conventum, ut deinceps occupanda loca in utilitatem trium Principum, quorum copiis res gerebatur, verterentur; ac præcavendæ æmulationi Arnheimium inter ac Duvvalium adjunctum: ut omnia consilia fideliter invicem communicentur: & quæ communi consensu decreta sint, ea Duvvalius Regiorum ac Brandeburgicorum, Arnheimius Saxonicorum opera executioni mandet. Ita ad Glogoviam lustratæ copiæ, quæ ad sedecim millia capitum adscendere judicabantur, è quibus sexaginta sex peditum, equitumque signa Duvvalius adduxerat. Has cum in se tendere hostis audiret, ipse retro Steinaviam properabat.

Tumultio inter Saxones super commeatu.

Æmulatio inter Regios & Saxones super præcedentia.

§. 49. Enimvero postridie statim inter Regios & Saxonicos æmulatio erupit, exorta super prærogativa primæ aciei contentione. Eam enim Duvvalius ob Regis dignitatem semper & ubique vindicabat; contra Arnheimius æquum censebat, ut alternis agmen ducerent, clauderentve. Et fremebant Saxones, se quoque nauci hominum loco non censeri; atque interim per pontem, angustamque viam progressi locum præceperant. Sed tandem cum hostis non procul abesset, gradum sistentes Duvvalio honoratiorem in acie locum concedebant. Steinaviæ adpropinquantibus hostis se initio objicere visus; sed mox facili negotio in castra rejicitur, in quæ Fœderati tormentis non sine clade istius acerrime fulminabant. Inter quæ vetus Duvvalii legio, Mauritio Duvvalio præeunte, Steinaviam impetu irrumpit, ac hostile præsidium partim cædit, partim in Oderam præceps agit; ipsum oppidum igne forte fortuna orto haustum. Dum ita fortuna primo labori adspirat, non minus Arnheimio quam Duvvalio placebat instandum successui, ac hostem territum in ipsis castris invadendum; ubi omnia terroris plena conspiciebantur. Sed statim atque tympanotriba ab hoste missus literas nescio cujus argumenti ad Arnheimium detulisset, in diversam hic discedere sententiam, causatus angustias quasdam prius superandas, quam ad hostem perveniatur, ac solem ad occasum vergere. Duvvalius, qui primam aciem obtinebat, ac jam sub hostium castra provectus impetum dare ardebat, misso semel iterumq; nuntio ab Arnheimio postulabat, ut sibi cum hostibus implicito, si opus foret, succurreret; sed qui non sine admiratione omnium id recusabat; sic ut & isti pugna supersedendum foret. Interim hostis insomnem per noctem adeo se firmaverat, ut intra castra ipsum oppugnare anceps foret. Inde visum fœderatis dimidio supra Steinaviam milliari Oderam ponte insternere, ut ab utraque fluminis ripa hostis stativa infestari possint. Id opus cum hostis impedire frustra conatus esset, copias suas Oderam sensim traducere cœpit. Sed transgressis plerisque Duvvalius in castra hostium impetum facit, ac qui restiterant tanto terrore implet, ut nulla pugnæ cura pro se quisque ad pontem ruerent, Regiis, dum fugientium tergis instant, multos cædentibus, nec paucos intercluso ponte in flumen propellentibus. Post hæc Duvvalius tergiversante licet Arnheimio castellum trans flumen situm per sexaginta sclopetarios oppugnari jubet: Ejus præsidiarii armis illico abjectis vitæ veniam petunt, eaque impetrata quadringenti circiter militiæ Regiæ nomina dant. Interim dum Cæsarei solutis ordinibus Wratislaviam cursum intendere incipiunt, Duvvalius Arnheimium obsecrare, ne hostem, cujus proterendi iterum occasio sit, elabi sinant, cum Odera ab equite vado facile transiri possit. Et verbo Arnheimius consilio tam expedito adsentit; sed dum nihil agendo moras nectit, duarum prope horarum spatium hosti ad se subducendum largitur. Demum iterum instanti respondet: sat victoriæ eo die partum, ac vesperam ingruere, hostemque multum jam viæ præcepisse. Ita Cæsareus exercitus quarta sui parte deminutus Wratislaviam evadit, ac castra inter Oderæ, Olaviæque fluenta loco commodissimo ponit. Sed dum oppidanos receptum liberumve transitum per urbem poscit, & ut tormentis ipsorum protegeretur, hi præter spem abnuunt. Ea quippe fiducia huc fugam intenderat, cum alias montana circa Glatzium petere tutius fuisset. Postridie eodem accedunt Fœderati, quorum antecursores hostem statim trans Olaviam rejiciunt. Mox tormentis castra verberata, quibus multum damni datum, ut hostis statu quem ceperat, deserto, tutiora petere cogeretur. Unde gregariis tantus terror incussus, ut à præfectis vix stricto ferro contineri potuerint, quo minus castris se proriperent. Sub noctem tamen Olaviæ flumini non satis confisi castris motis in altera Oderæ ripa considunt, ponte quo is jungitur flammis absumto. Arnheimius cum eo loco Oderam in conspectu hostium transire arduum judicaret, manum mittebat, quæ pontem ad Olaviam oppidum in potestatem redigeret, ipse cum parte exercitus eodem subsecutus. Sed pontem ab hoste jam dejectum reparari necessum erat, frustra in altera ripa opus impediente tribuno Eckstedio. Nec tamen prius transire flumen audebat Arnheimius, quam Cæsareos castra ad Wratislaviam deseruisse, ac Fœderatorum res ibi potiores comperit. Tunc demum Cæsarcorum, qui transitu fluminis ipsum arcuerant, itidem se recipientium tergis incumbit, illata clade haut mediocri, interque alios tribuno Eckstedio capto. Reliquiæ Cæsarei exercitus, quæ vix amplius sex millia implebant, Oppelam se, & Coselam recipiunt. A quibus, quod res tam male gesta fuerit, nonnulli causam in ducum multitudinem conjiciebant.

Cæsarei ad Wratislaviam confugiunt.

Cæsarei castra ad Wratislaviam deserunt.

§. 50. Hisce successibus sistendis Fridlandus Henricum Holckium cum sex militum millibus Electoris Saxoniæ ditionibus immittit, ut ejus miles ad sua defendenda è Silesia revocaretur. Is primo Voigtlandiam omni crudelitatis ac libidinis genere vastat. Mox Zwiccaviam, quam nullo militum præsidio soli oppidani per aliquot dies sat acriter defenderant, ad deditionem redigit. Inde ulterius per Misniam prolata populatio, & Augustoburgum arx, Tschopaviaque direpta. Oederæ cives, cum vi majori temeraria audacia obniterentur, ad internecionem fere cæsi, oppidumque flammis absumtum. Quam sortem etiam Frauensteinum subiit. Totoque illo tractu sub Dresdæ usque conspectum rapinis, incendiisque sævitum.

Holckius in Misniam irrumpit.

1632. Cæſarcotum ex Alſatia conatus.

§. 51. Ad ſuperiorem Rheni ripam nova eo tempore belli flamma ſurgebat. Tres quippe legiones, binæ equitum Bronckhorſtii, & Rœllingeri, una peditum Metternichii tribuni in Juliacenſi agro & circa ad Trevirenſis provinciæ defenſionem conſcriptæ, cum Confluentes expugnatos audiſſent, flexo per Lucenburgenſem agrum & Lotharingiam itinere in Alſatiam penetraverant. Ibi adjuncta ſibi è vicinis oppidis manu duce Montecuculo trans Rhenum movent, infeſtandæ Wurtenbergicæ, ac Durlacenſi ditioni. Ac jam Durlacum oppreſſerant, Brettamque diripuerant, Regiis, qui ibi hoſpitabantur, ſua ſub ſigna compulſis. Adverſus iſtos Julius Dux Wurtenbergicus ſex millia peditum, octingentos equites contrahit, numerum hoſte ſuperiorem, ſed provinciæ fere delectis conſtantem; quem cum ideo æquis locis eidem objicere non auderet, impeditis ſe tenebat. Unde Cæſarei iſtis contemtis in agrum Wurtenbergicum irrumpunt, & Cnutlingam, cujus incolæ arma oppoſuerant, cædibus ac incendio plane evaſtant. Igitur Dux Wurtenbergicus Guſtavi Hornii auxilium implorare, quem Rex eo tempore rebus ad Rhenum præeſſe juſſerat. Qui eo minus ſocio Principi ſubvenire dubitabat, quod Galli tunc deturbatis Moſellæ ripa Hiſpanis Regiorum terga ad Moguntiam tuta præſtarent. Galli quippe poſt Lotharingiæ Ducem in ordinem redactum menſe Junio ad confinia Germaniæ progreſſi, Electoris Trevirenſis, qui ad ipſorum patrocinium ſe contulerat, oppidis aliena præſidia exturbare inſtituerant. Et circa Philipsburgum quidem conatus irritus erat, cujus Præfectus Baumbergius, cum Elector Spiram comitante legato Gallico progreſſus literis per tubicinem miſſis imperaret, ut una cum præſidio oppido digrederetur, reſponderat; ſe Cæſari ſacramentum dixiſſe, eique jam militare: ſimul ſuſtinendo obſidio ſtrenue ſe parabat. Ea ſpe dejecti Galli Auguſtam Treverorum deflectunt, eamque menſe Auguſto Hiſpanis, qui hactenus illi incubuerant, eripiunt. Hornius igitur ea parte tutus, & ſi forte Pappenheimius ingrueret facili per pronum fluvium regreſſu, aſſumtis copiis, quæ iſtius oræ præſidiis commode detrahi poterant, Manheimum pervenit. Ibi repente conſilium capit liberandæ equitum alæ, quam Wiſelochi Metternichius Heidelbergæ præfectus contracta ex iſto oppido & Philipsburgo manu circumſidebat. Sed qui audito Hornii adventu propere per montana Heidelbergam ſe receperat, ut non niſi pauci morantes in præcurſorum Regiorum manus inciderent. Cæterum iſte antequam de Hornio nuntium accepiſſet ad Montecuculum miſerat, qui ſubſidia ab ipſo peterent. Hi in reditu omnium rerum ignari à Regiis excubitoribus intercipiuntur, è quibus cognitum, potiorem equitatus partem poſtridie ad Wiſelochum Metternichio præſto fore. Eam occaſionem amplexus Hornius copias ſuas opportunis locis diſponit arctiſſime conſtipatas, & proviſo ne quis nuntius hoſti venire poſſet. Nec mora Montbellionius & Vitztumius tribuni cum mille circiter equitibus propinquabant, non exploratis infidorum locorum receſſibus; & jam ulterius penetraverant, quam ut citra pugnam recedere poſſent. Hos deprehenſis inſidiis receptum molientes immiſſus ab Hornio eques invadit. Nec illi ſegniter reſiſtunt, & incumbente contra Rheingravio acerrima pugna conteritur. Sed cadente Montbellionio Cæſarei demum in fugam pelluntur, quos Regii per duo milliaria Mergelsheimum usque perſequuntur. Ceciderunt in eo conflictu præter Montbellionium, ejusque vicarium, & aliquot alarum præfectos gregariorum amplius trecenti; non paucos è latebris protractos calones confecerunt: pauciſſimi captivitatem effugerunt. Ea clade audita Montecuculus propere ad Philipsburgum transmiſſo Rheno periculum evaſit, quod poſtera die ab Hornio ipſi imminebat.

Philipsburgum fruſtra tentatur.

Galli Treveros occupant.

1632.

§. 52. Hornius ſucceſſu invitante in Superiorem Rheni tractum movere conſtituit, ut mediam Marchionatus Badenſis partem, cujus Princeps Cæſari ſtipendia faciebat, tributis ſubjiceret, eamque Durlacenſi ante duo luſtra à Cæſare ereptam, & in Eduardi Fortunati liberos translatam reſtitueret. Simul ut Rheno ad Argentoratum transmiſſo Montecuculum ſi poſſet Briſaco excluderet. Igitur relicto ad Stolhoviam cum peditibus Hubaldo tribuno, qui oppidum iſtud centum triginta militum præſidio inſeſſum expugnaret, ipſe equitatum trans pontem Argentoratenſem rapit; nec tamen hoſtem adſequi valuit, qui accelerato noctes diesque itinere jam ſe Briſacum abdiderat. Exin Hornius, adhibito in conſilium Duce Wurtenbergico, ex utroque Rheni latere hoſtem urgere conſtituit. Et Wurtenbergico quidem relictum, ut vallem Kentzingenſem ab hoſtibus purgaret fixo ad Offenburgum pede, quod nullo tunc præſidio tenebatur., Ipſe autem ad Alſatiam ſubigendam animum adjecit, magni momenti provinciam, & colligendis copiis valde opportunam; in qua primordia novi exercitus Oſſa moliri cœperat, quæ diſturbari, tamque opimorum hoſpitiorum commoditatem Regiis acquiri, magnum operæ pretium erat. Accedebant hortatus Argentoratenſium, qui omnia expeditioni neceſſaria, ſuumque militem offerebant. Ea cum ſententia ſtaret, poſtquam Hubaldus ſubacta Stolhovia cum peditatu pontem Argentoratenſem tranſiiſſet, ad Ehenheimum Superius itur, quod Cæſarei adventu Regiorum cognito raptim deſeruerant. Nec eo minus oppidani in ſubeuntes jaculari incipiunt; qui tamen mox pœnitentia ducti portas aperiunt, ac temerariam ferociam non modica pecuniæ ſumma luunt. Interim Offenburgici ſimulata induciarum pactione Wurtenbergicis obſidentibus iluſerant, dum per illas trecentos pedites, centum viginti equites Briſaco venientes admittunt; quibus conſili ſtrenue defenſionem adornant, nec paucos Wurtenbergicorum incautius ſubeuntes proſternunt. Quo intellecto Hornius, metu ne in longum extraheretur obſidium, eodem cum peditum legione, aliquot equitum turmis advolat, ac majore cum vigore oppido vim admovet. Qua compulſi obteſti deditionem faciunt. Miles dimittitur; oppidani direptionem non modica ſumma pecuniæ redimunt, ac in Regis verba jurant. Triduo poſt Ortenburgum caſtrum Hornio deditur, ad quod ipſe vitæ periculum adierat, latus globo peritrictus. Mox vicina quoque oppida Gengenbacum, Cellæ ad Hammersbacum, Hautena, Wolfacum, totaque Kentzingana vallis Rotvvilam usque imperata facit. His rebus confectis Hornius in Alſatiam regreditur, Benfeldæ obſidium circumpoſiturus, oppido munitiſſimo, & quod magni momenti ad reliquam provinciam ſubjugandam eſſe poterat. Datum & aliquid Argentoratenſib", magno tunc in Regias partes ſtudio pronis, qui tam moleſtis vicinis liberari optabant. Et capta Benfelda aditus Regiis ſemper in Alſatiam iterum patebat, ſi vel maxime exercitus alio fuiſſet evocatus, cum cætera oppida hoc digreſſo facile ab hoſte recuperari poſſent. Nec minus promtum ſe Inferioris Alſatiæ Equeſter Ordo ad tributa Regiis ſolvenda exhibebat. Quibus rationibus motus Hornius tota vi ad oppugnandum id oppidum convertebatur.

Hornius in Alſatiam movet.

Ehenheimum Superius capitur.

Offenburgum cum Ortenburgo capitur, 2. Sept.

Hornius Benfeldæ obſidium ſuſcipit.

Cæſarei ad Wiſelochum vapulant.

§. 53. At Guſtavus Rex cum nulla occaſio, aut ſpes

1632. spes amplius alluceret Fridlandum è latebris suis protrahendi, castra tandem movere constituit, num forte se digresso aliquid in Noribergam tentaturus esset. Igitur præmissis impedimentis cum exercitu in aciem digesto extrema fere hostilium castrorum stringens Neustadium ad Aischam se confert: hoste adeo immoto, ut neque ultimum agmen tentaret, & ipsam equitum stationem ante castra excubantem intra vallum retraheret. Noribergæ tamen quater mille quingenti pedites, alaq; equitum & desultorum relicta sub Cniphusio duce: Oxenstiernæ ibi tantisper summa rerum credita. Nec desiturus Rex erat; si quid hostis in urbem tentaret. Sed hic demum eo die, quo Rex 19. Sept. Winsheimum movebat, castra ad Noribergam deferebat, pluribus circa vicis incendio absumtis; simul vicinis oppidis parum munitis præsidia deducta, nisi quod Lichtenaviam retinere operæ pretium videbatur. Forcheimi Fridlandus Bavaricas quasdam copias Danubium versus,& Gallasium ad Bohemiæ confinia dimittebat, inde in Electoris Saxoniæ ditionem iturum; quem tota belli mole obruere ardebat, quo istum Regiis partibus abstraheret; Regemque Bavaria,& hæreditariis Cæsaris ditionibus averteret. Rex porro audito Fridlandi discessu & ipse exercitum suum dividit, & cum parte quidem Bernhardum Ducem Kitzingam ad Franconiæ defensionem ire jubet; cum cæteris ipse per Rotenburgum ad Tubarum Dunkelspulam, Nordlingamque Donavvertam contendit. Consilium quippe eidem erat in Bavariæ viscera denuo bellum immittere, ac tumultuantibus per Superiorem Austriam agrestibus quas petierant suppetias mittere. Id quod Oxenstierna vehementer suadebat,quod hac ratione destinata hostis, belli sedem Protestantium in terras transferre satagentis, quam commodissime infringi viderentur. Nam Bavarus, ni regrederetur, Gustavo omnia sua prædæ exponebat, damnis domi accipiendis longe superaturis emolumenta, quæ foris captabantur. Neque Cæsari magis cordi erat integrum Imperii Circulum, quam unam provinciam hæreditariam conservasse. Nec ideo cœpris hisce desistendum rebatur, etsi maxime Electoris Saxoniæ ditio belli incommoda paulisper sentiret; quod salvis munitissimis locis cætera facile recuperari possent. Unde statim Gustavus Donavvertæ Danubium superat, recuperandæ Rainæ, quam Bavarus auxilio Florentinarum copiarum ceperat, quas duo fratres Magni Duces Hetruriæ Cæsari ex 26. Sept. Italia adducebant, Caspare Wilhelmo Mitschefalio tribuno prætidii præfecto languidam aut nullam defensionē ausо, cum jam Regis copiæ in propinquo versarentur. Isto quippe oppido ab hostibus infesso Augusta Vindelicorum magnis mox difficultatibus involvenda erat. Nec mora ad Marchiberacum ponte Licum insterni jubet. Postridie ad Oberndorffium aliquot Centurias Croatarum fundit,ac fugientibus septem vexilla eripit. Ponte perfecto exercitus,& tormenta transmittuntur, ac statim accessus ad munitiones oppidi promoventur,densa nebula Regios obtegente, quo minus hostis certos ictus in ipsos dirigere posset. Unde prætidiarii quadringenti animis fracti oppidum eadem die dedunt, gladiis duntaxat cincti discedentes. Ita paucas intra horas oppidum sat munitum, quod sex minimum, aut octo dies obsidium sustinere posse credebatur, Rex recepit. Nec eo minus Mitschefalius festinatam deditionem capite luit. Paucas post dies Landsberga ad Licum denuo in Regiorum potestatem concessit, cujus præsidiarii sexcenti armis ademtis albos gestantes baculos oppido abierunt.

§. 54. Enimvero quo minus Gustavi arma in Bavariæ intima, atque Austriam penetrarent, Elector Saxoniæ in causa erat, qui Cæsareo exercitu inundatus enixissimis precibus Regem obsecrabat, ne de fortunis omnibus periclitanti succurrere differret. Regi destinata sua interrumpi sine dubio molestum erat; nec Elector, ipsiusve ministri suas actiones ipsi hactenus satis adprobaverant. Nam & Arnheimius non obscuris indiciis cum Cæsare colludere, istiusque exercitus in Saxoniam invitare credebatur, ut eo terrore Elector animo inter adversa mollior ad transigendum cum Cæsare adigeretur. Eoque fine expeditio in Silesiam inconsulto Rege videbatur suscepta, ut omni præsidio nudata Misnia hosti pareret. Neque ignorabat Gustavus, quæ sub initium anni in congressu Saxoniæ, Brandeburgicique Electoris ab isto Arnheimii potissimum instinctu fuerant jactata: quodque Saxo velut indignum suo fastigio respuerat duci ab Rege mittendo summam belli concedere,si utriusque exercitus conjungendus foret: ac cum de adventu Joannis Banerii fama tunc percrebesceret, Arnheimium aperte declarasse; statim ac iste accessisset, se imperio exercitus abiturum. Eoque Electori tedebat,non nisi extremis impendentibus Regis opem implorare. Nec ignota erant, quæ Saxoni continuo cum Cæsare commercia intercederent, sane in Gustavi emolumentum haut tendentia. Sed his non obstantibus Gustavus omissis cæteris destinatis auxilium isti ferre properabat, ne idem terrore compulsus ad pacta cum Cæsare descenderet, sibi, causæque Protestantium valde noxia. Urgebant insuper res per Inferiorem Saxoniam male à suis gestæ, & Pappenheimius ibidem pro lubitu grassans. Nam si res ipsius per utramque Saxoniam pessum ire contigisset,ultro collabi necessum erat, quæcunque per Superiorem Germaniam struebantur. Igitur Gustavus rebus Augustæ, Rainæ, & Donavvertæ adversus Bavari impetum dispositis, relictisque eo tractu aliquot millibus,quibus Christianum Palatinum, quoad Banerius à vulnere convalesceret, præficiebat, cum reliquo exercitu Nordlingam, inde per mediam Franconiam Misniam versus fatalem sibi terram tendit, cui etiam universus Cæsaris exercitus se infuderat.

§. 55. Fridlandus quippe, postquam Culmbacensem ditionem rapinis atque incendiis fœde deformasset, ideo quod Blassenburgum arx minis ipsius cedere abnuerat, Forcheimo Bambergam, inde Coburgum abierat. Ei oppido præerat Tupadelius tribunus cum dimacharum legione, qui sub adventum hostium cum plerisque in arcem secedebat, relicto ad oppidi defensionem centurione cum centum sexaginta gregariis, ac provincialium selectis. Hi primum ad strenue repugnandum se comparant; sed mox Ducis consiliarii, & oppidanus magistratus suos arma ponere jubent, hostemque insciis Regiis recipiunt. Qui tamen conglobati per circumfusos hostes in arcem se recipiunt,Tupadelio opportune in ipsorum subsidium erumpente. Inde accessus arcem versus à Fridlando agi jussi. Sed cum loci asperitas laborantium opera respueret, hic atrocissimis minis, ac ipsa patibuli ostentatione Tupadelium nequidquam territare instituit. Qui haut eo segnius rem gerit, ut iste post triduum amissis amplius quingentis re infecta obsidium solveret, oppido tamen prius direpto, in quod tota circum vicinia pretiosissimas res congesserat. Heic divisis copiis Bavarus quidem cum suis, & aliquot Cæsareis legionibus Ratisponam abiit. Fridlandus autem per Voigtlandiam in Misniam contendit, quam præmissus ab ipso Gallasius misere habebat, direptis, aut incendio deletis plurimis oppidis, vicisque. Qui & post Chem-

1632. niciam deditione captam Holckio junctus Freibergam occupat. Inde cum Albim apud Misenam transire frustra tentasset, transversum provinciam populabundus ad Altenburgum Fridlando jungitur. Inde Lipsiam versus itum, ubi Pappenheimius quoque accedebat, qui post persultatam Inferiorem Saxoniam, Thuringos qua transibat diripuerat, jamque ad invadendam Erfordiam animum adjecerat, cum audito Regis adventu inde flectit, & ad Mersburgum transmisso Sala cum Fridlando Lipsiæ exercitum admovet; quæ una cum arce facili negotio capitur. Unde Pappenheimius Halam transiens oppido mox potitur, sed qui in arce agebant Regii subeuntes strenue repellebant.

Pappenheimius Fridlando jungitur.

§. 56. Porro dum Gustavus à Danubio movet, Cniphusius Noribergæ relictus Lauffam, quæ valido Cæsareorum præsidio tenebatur, expugnaverat. Hunc cum Bavarici Coburgo reversi vicissim circumsidere instituerent, Rege cum valida equitum manu accurrente se recipiunt. Quibus tamen instans Rex quinque desultorum, duas Croatarum turmas assequitur, cæsisque ducentis, ac captis duobus vexillis reliquos dissipat. Inter quæ Regius exercitus per Franconiam ad radices saltuum Thuringicorum magnis itineribus processerat, quem Rex ordinatis in Franconia rebus ibidem assecutus, saltibus superatis ad Arnstadium Bernhardo Duci jungitur, qui hucusque viam anteceperat sistendis Pappenheimii per Thuringiam progressibus. Eo ex loco Rex Oxenstiernam in Superiorem Germaniam ablegat, quem alias, si ipse apud Danubium mansisset, dirigendis per utramque Saxoniam rebus destinaverat. Causa mittendi erat, quod Regi in animo esset, Protestantes universos arctiore inter se vinculo nectere, ac rem militarem concinna forma disponere, frangendo eo melius hosti, ac ut disciplina fere collapsa instaurari posset. Superiori quippe Germaniæ post tot victorias haut eo secius belli incommoda incumbebant, quod Ordines remissius causæ communi manus admoverent. Quorum auxilio Rex destitutus ob angustias rei pecuniariæ nec exercitum pro hostium potentia augere, nec militum licentiam stipendiis non solutis coërcere poterat. Unde ad tollenda ista hæc mala, stabiliendisque suis ac Protestantium rebus necessarium judicabatur universorum consilia atque arma arctius inter se, & cum Rege sociari. Cui negotio initium facturus Rex quatuor superioris Germaniæ Circulos, Suevicum, Franconicum, & utrumque Rhenanum, conventu Ulmam indicto, combinare instituerat; & quod ipse in Saxoniam evocatus ibi adesse non posset, Oxenstiernam cum amplissimis mandatis eodem ablegarat, cui etiam summa in exercitus ibi commorantes autoritas, pacisque ac belli directio collata. Qui ex itinere Wurtzburgo datis ad Ordines istorum Circulorum literis exposito Regis consilio, rerumque tractandarum capitibus ad conventum Ulmæ agendum eosdem invitat. Dimisso Oxenstierna Rex Erfordiam tendebat, ubi ultimum vale Reginæ non amplius videndæ dixit. Inde per Butstadium Naumburgum itur, ubi audito Fridlandum Weissenfelsiæ consedisse, castra munitionibus circumdantur. Cæterum arcessierat quoque Rex ad se ex Inferiore Saxonia Georgium Luneburgicum Ducem cum suis copiis; cui mandatum Halæ pedem firmare, aut si per hostem id non posset, flexo ad dextram per Eichsfeldiam itinere Regi se jungere. Ast ille peditibus Magdeburgi relictis solo adsumto equitatu diversum iter ingressus trans Albim Witebergam se contulerat. Ubi denuo licet admonitus, ut omni ratione ad Regem perrumperet, in ipso rerum discrimine non adfuit. Cum enim Regi nuntiatum esset, Fridlandum Weissenfelsa Lipsiam versus movere, & ipse Naumburgo Weissenfelsam tendebat, inde Lutzenam usque cedentis vestigiis insistens, ubi fatali prælio decertabatur. De quo antequam memoremus, recensenda videntur, quæ in aliis Germaniæ partibus ad finem usque ejus anni gesta sunt.

Rex in Thuringiam tendit.

Oxenstiernam ad habendum Protestantium conventum ablegatur.

Rex ad Naumburgum castra munit.

Georgium Luneburgicus Regi jungi cupiens.

1632. 6. Nov.

§. 57. Ac in Bavaria quidem Christianus Palatinus Birkenfeldentis Monachium opprimere constituerat, irrito eventu, quod per opaca nebulæ posterius agmen à priore aberrasset. Ex adverso Bavarus Aichachum oppidum una Regiorum cohorte insessum levi negotio recuperarat. Inde Rainæ exercitus admovetur. Sed cum in altera Lici ripa ad Oberndorfium Birckenfeldensis consedisset, isto omisso Landsbergam invadit, ac, cum qui propugnabant tandem pulvere pyrio deficerentur, eam capit: Miles gregarius sub Bavarica signa redactus, præfecti Ingolstadium captivi abducti. Inde transmisso Lico in Sueviam irrumpit Bavarus, occupato inter alia Guntzburgo, & Kaufbeura, Regiis, quod viribus impares forent, objicere se non ausis. Contra in Superiore Suevia Wurtenbergicæ copiæ Husingam oppidum expugnabant, quadringentis amplius agrestibus qui restiterant cæsis. Ab iisdem quoque Rotvvila, post sustentatam aliquandiu oppugnationem deditione capitur.

Per Bavariam & Sueviam gesta.

§. 58. In Alsatia Hornius ad Benfeldam oppugnandam omnibus viribus connitebatur, quam natura atque opere munitissimam, abundante adparatu bellico Bulachius cum præsidio sufficienti acerrime defendebat. Eoque omnia, quæ recentioris militiæ solertia invenit, adhibita; obliqui accessus ad fossam promoti, vineæ per fossam actæ, murus perfractus, vallo in ipso cuniculi instituti, aversum ab oppido Illæ flumen. Cæsarei quoque Duces, Wilhelmus Marchio Badensis, Ossa, Salmensis Comes, coacta è vicinis præsidiis & selectis provincialium valida manu, quæ ad decem millia adscendere credebatur, ter stativa obsidentium perrumpere conati, ter re infecta repulsi erant. Ita post sex septimanarum obsidium præsidiarii desperato auxilio deditioni se offerunt, Hornio honestas conditiones non abnuente, quod in desperationem actis obsessis difficilis adhuc labor restaret adulto jam autumno, & quia integro potius vallo, quam disjecto oppidum capi volebat; simul quia servari potius quam perdi malebat, qui ex vicino agro eo confugerant. Igitur Cæsarei honestissimas leges stipulati oppido excedunt. Nec eo minus quadringenti istorum desertis suis ducibus, Regiæ militiæ ultro nomina dederunt. In oppido viginti quatuor tormenta ænea cum non modica vi apparatus bellici annonæque reperta. Post Benfeldam deditam complura parum munita Alsatiæ loca haut gravatim imperata fecerunt. Inde ad Sletstadium oppugnandum Hornius convertitur, quod Breitenbachius cum decem peditum cohortibus, una equitum ala strenue tuebatur. Ei oppido dum Hornius adsidet, Lotharingiæ Dux per Legatum ipsi exponebat; ob debitum ducenties mille uncialium, quo Argentoratensis Episcopatus sibi obstrictus sit, vi sententiæ Cæsareæ Tabernas, Dachsteinum, & Ruffacum oppida sibi tradenda; id quod ne ipse impediret, postulabat, omnia amicitiæ officia vicissim pollicitus. Eo negotio Hornius ad Regem rejecto, de duobus posterioribus oppidis excusabat, quod ista deditioni imperatæ jam annuissent; à Tabernis tamen oppugnandis in ipsius gratiam se abstenturum, quoad à Rege responsum venisset. Id tamen Lotharingi gratiæ non dabat Hornius, sed quia oppugnatione oppidi valido præsidio infesti instante hieme implicari

Hornius Benfeldam expugnat.

Lotharingiæ Ducis postulata.

1632. plicari nolebat. Nec eo ſecius poſt Lotharingus, inita cum Salmenſi Comite Epiſcopatus Argentoratenſis Vicario fiducia, poſſeſſionem Tabernarum & Dachſteinii invadit, auxilium ſuum ad totius Diœceſeos defenſionem pollicitus. Quo facto Moltzeimum quoque ab Hornio ſibi reſtitui poſtulabat velut præfecturæ Dachſteinenſis partem, quam Regii citra vim admotam occuparant. Id quod Hornius recuſabat, etſi ſatis pateret à Duce obtentum quæri bello ſe immiſcendi. Interim duodecim Cæſareorum equitum alæ Rhenum ad Briſacum tranſierant, quibus propoſitum erat, aſſumto in Burgundia recens conſcripto pedite, & quem vicina præſidia ſuppeditabant, Slettadii obſidium ſolvere. Sed in iſtas Rheingravius cum legione ſua propere movebat, ac famam adventus ſui prævertens in hoſpitiis hec opinantes opprimebat. Trecenti cæſi, ducenti cum quibusdam præfectis ſeptemque vexillis capti. Ipſe Badenſis Marchio ægre ſe fuga ſubduxerat. Igitur oppidum completa foſſa, ac disjecto per cuniculos muro, ignivomis inſuper globis confertim jactis, honeſtis legibus deditionem facit. Sub idem tempus Regii quinque equitum turmas, & mox duas peditum cohortes oppreſſerant. Aſt Colmarienſes, qui hactenus animis ambigui Slettſtadienſis obſidii eventum ſpeculati erant, cum interſeptis itineribus multarum rerum inopia laborare inciperent, ac cominus periculum ſibi imminere cernerent, præſidiarios urbem ſuo arbitrio ſubjicere parantes prævertunt, vique in iſtos converſa partem trucidant, cæteros cum præfecto in cuſtodiam dant. Mox Hornium, conventione prius inita, urbe recipiunt; à quo ſtatim ſacra Proteſtantium ritui, quæ ante quinquennium abolita fuerant, reſtituuntur. Tandem & Hagenoa minis Hornii territa æquis cum ipſo conditionibus decidit. Poſt pleraque Alſatiam ſubactam Baſileenſis Epiſcopus ſibi metuens ad Pontificiorum Helvetiorum protectionem confugiebat; qui miſſa ad Hornium legatione, ut ipſius terris Solodurientium ditioni immiſtis abſtineretur, petebant. Hic reponebat, adverſus Helvetios nihil hoſtile ſibi eſſe; ſed cum iſte Præſul Helvetico fœdere non contineatur, ac Ligæ addictus Regiis ſe partibus hoſtem tulerit, omitti adverſus ipſum non poſſe, quæ belli ratio latura ſit. Inde Hornius rebus per Alſatiam feliciſſime geſtis, & aucto inſigniter exercitu à Sueviæ Ordinibus adverſus Bavari irruptionem in auxilium evocatur. Igitur præfecto Alſatiæ rebus Ortone Ludovico Rheingravio, (qui mox Senheimum, & Thannam Suntgoviæ oppida in ditionem redigebat,) cum parte copiarum ad Schonaviam Rhenum tranſit, & occupatis in itinere Kentzinga, Friburgoque per Nigræ Sylvæ tramites Ulmam verſus properat.

Slettadium capit.

6. Dec.

Colmaria & Hagenoa ſe dedunt.

Pro Baſilienſi Epiſcopo Helvetii intercedunt.

Hornius in Sueviam abit.

§. 59. In Palatinatu Inferiore Hiſpani Fridelsheimum à Regiis capiunt. obtinebant, unde crebris excurſionibus circumjectam regionem infeſtabant. Eo nido ut Hiſpanos exturbaret, ſimul Frankendaliæ arctius includendæ, Otto Rheingravius oræ iſtius Regius præfectus rogatu provincialium oppidum illud reſiſtentibus ſtrenue per octiduum Hiſpanis expugnat. Ita in arctum redacta Frankendalia, præfectus ejusdem ad Iſabellam Belgii Principem literas dat, miſeram præſidii conditionem exponentes. Illæ à Regiis interceptæ occaſionem præbuerunt cum præfecto ſuper oppidi deditione agendi. Sed prima vice colloquium irritum erat, Hiſpano ampliora, quam pro præſentis ſtatus ſui anguſtiis, poſtulante. Sed poſt circa finem Octobris conſenſu Iſabellæ tractatus reſumtus, ac tandem his legibus concluſus, ut Hiſpani militari more, ſalvis impedimentis, & quinque tormentis, quæ Hiſpaniæ Regis inſignia præ ſe ferebant, oppido excederent, & ad Moſellam usque deducerentur. In oppido triginta novem tormenta ærea, ac bellici adparatus affatim repertum. Ejus tamen recuperati gaudio frui Friderico Bohemiæ Regi haut conceſſum, quem mors ſub id tempus Moguntiæ rebus humanis exemit, cum jam maxime poſt diuturnum exilium ſpes reſtitutionis cominus affulgeret.

1632. Frankendalia deditur. 26. Nov.

§. 60. Eodem tempore Wilhelmus Baudiſius digreſſo in Thuringiam Pappenheimio in Weſtphaliam denuo movet, ac nullo obſiſtente per Occidentalem ſylvam in Bergenſem Ducatum, & Colonienſem Diœceſin penetrat. Ac initio Lincium oppidum Rheno adſitum, nec non Blanckenburgum, & Windecca arces deditione captæ. Siburgum autem, cum adjecta Abbatis arce in prærupto monte poſita, vi expugnatur. Mox & idem Drachenfelſa arce, ac Leoburgo potitur. Inde ad Lincium Rheno transmiſſo Saffenbergam arcem impetu capit, cæſis qui propugnaverant. Andernaci, cum oppidani ſupra vires ferocirent, trajecto qui ad deditionem invitabat tympanotriba, quicquid in armis occurrebat trucidatum, ac oppidum direptum. Inter quæ Colonienſes Tuitium, urbi trans Rhenum objacentem vicum, amplis munitionibus circumplecti inſtituunt, ac monente licet aliquoties Baudiſio, ut cœpto deſiſterent, opus ſtrenue urgent. Igitur hic cum ſelecta manu advolans noctu eum vicum exiguo ſuorum damno irrumpit; Colonienſi milite, poſtquã acriter initio reſtiterat, in D. Urbani ædem refugo. Sed orta luce cum Colonienſes tormentis ex adverſa ripa in Tuitium fulminarent, quorum ictibus Regii expoſiti erant, & quia ampla munimenta non niſi validiſſimo præſidio retineri poterant; Baudiſius iterum inde ducentis circiter captivis militibus abductis recedit. Eo in receptu quidam milites prædam ſectantes à Colonienſibus intercepti, mactatique. Quorum unus in ædem ſacram pertractus, dum furibunda plebs necem intentat, per deſperationem nitrato pulveri, qui ibi aſſervabatur, ignem injecit, cujus impetu ædes cum omnibus qui intus ac circa erant trecentis circiter in aërem evibratur. Colonienſes tamen ea clade non territi, acrius ad muniendum Tuitium incumbunt, ita ut Baudiſius denuo id irrumpere tentans fruſtra fuerit. Ad hujus progreſſus ſiſtendos Iſenburgi Inferioris Comes copias cogebat. Sed & Gronsfeldius Colonienſi Electore implorante, cum jam maxime Haſſiam perſultare inciperet, Rhenum verſus movebat. Cuius retrocedentis veſtigia inſecutus Jacobus Mercierius impetu in hoſpitia ejus nocturnas per tenebras facto tres equitum alas penitus obtrivit.

Baudiſii in Colonienſem ditionem expeditio.

§. 61. In Sileſia tanto ſucceſſu cœptæ res ad vadum velut adhæreſcebant, prævaricante ut adparet Arnheimio, qui eluſo ſuorum impetu hoſtibus reſpirandi ſpatium concedebat. His quippe è Wratiſlaviæ vicinia depulſis, non arduum videbatur ab ea urbe obtinere, ut præſidium reciperet, ſi quidem ſerio, & unanimi conſilio à Fœderatis rem geri ſenſiſſet. Sed cum hos in diverſa tendere ſuboleret, & ipſa tergiverſari incipiebat. Ac Duvvalius quidem rem urgendam cenſebat, dum recens in partes Proteſtantium favor, & averſus à Cæſareis memoria veterum nuperarumque injuriarum animus foret. Cumque à cæteris rem tegnius geri cerneret, ipſe moræ impatiens ſeorſim ad magiſtratus miſerat, poſtulans citra ambages declararent, hoſtes ſe, an admiſſo in urbem præſidio amicos gerere vellent. Qui rigido iſthoc poſtulato primum perculſi, exiguo ad deliberandum ſpatio petito, poſtridie

In Sileſia geſta.

1632. postridie responsuros se pollicebantur. Verum interventu Arnheimii ardor Duvvalii elusus, ac postera die oppidanis responso supersedere impune licuit. Inde animo agitaverat Duvvalius vi urbem ad imperata cogere non sine spe certi successus, quod Basilica, & Cœnobium in arena situm duabus portis immminerent, & ex iisdem late in vallum despectus esset; ac in proclivi foret corruptis molendinis populosam urbem fame urgere: simul plerique civium, & miles recens à magistratu conscriptus in Fœderatorum partes propenderet. Sed & istha̅c destinata multum reluctante Arnheimio incassum cadebant. Igitur Duvvalii consiliis repudiatis per integrum mensem extracta cum urbe negotiatio inani tandem exitu, ut sexcentos pedites, centum equites à Fœderatis in Basilica, & Cœnobio arenario collocatos urbs suis sumtibus aleret. Quo spatio dum otiosi desident Fœderati, vires hosti reparare in proclivi erat.

Dissidia inter Regios & Saxonicos.

§. 62. Interea sinistræ suspiciones, & dissidia variis de causis inter Fœderatos gliscere. Nam & solus Ducatus Lignicensis, belli incommodis plane exhaustus, cum præfectura Drachenbergensi Suecis in hospitium ab Arnheimio assignatus erat, cum ipse reliquam sibi Silesiam vindicaret; & astute Duvvalius cum Joanne Christophoro Kætterizio Brandeburgico ductore commissus, ut hic plane istius se imperio subduceret. Sed & inter discordias ducum in immensum proruperat licentia militum, sacta & profana impune temerantium, dum flagitia quilibet in alterius subjectos conjicit, acculatque, nemo ulciscitur. Sic ut qui maxima cum lætitia adventantes Fœderatos exceperant populi, eosdem jam plusquam hostilia passi detestari inciperent. Importune quoque Arnheimius instare, ut Sueci Glogovia velut ex pacto, & Cœnobio ad Wratislaviam velut extra hospitia sua posito decederent, variis artibus eam in rem adhibitis. Multa denique ambigua loqui, & agere, ut amicus, an hostis Cæsaris esset discernere vix posses. Certe Fridlandum dixisse constat: Cæsaris res in Silesia extra periculum constitutas, bellum ibi moderante Arnheimio in Cæsarem prono. A quo etiam isti superiore anno octoginta millia uncialium numerata erant, velut reliqua è sumtibus in Borussicam expeditionem impensis; tum & spes Principatus facta: eoque à Gustavo Comitis dignationem non sine supercilio repudiaverat. Nec illud satis digerebant cordati, quod Electoris mandata semel iterumque repetita, ut in Misniam eum exercitu regrederetur adversus Cæsareos undique ingruentes, vario obtentu eluderet. Contra Duvvalio, manu quam ingenio promptiori, ad omnes istius machinationes agnoscendas, aut discutiendas non sat solertiæ erat. Eoque Rex istis cognitis Andream Cochtitzkium juniorem mittebat, Silesium natione, & multa apud populares suos autoritate, qui amplissimis instructus mandatis Regii apud Silesios Legati titulo negotiorum civilium cura Duvvalium levaret. Is Arnheimio congressus post acrem disceptationem deprehendit, illum summam rerum per Silesiam sibi vindicare; Regios in accessorii loco habere, pro lubitu suo retinendos, aut dimittendos; suisque consiliis causæ communi non parum obstare. Eoque judicabat, aut Arnheimium inde dimovendum, aut magnæ autoritatis ducem, copiasque Saxonicis pares à Rege in Silesiam mittendas. Nec paulo clarius, quæ animo agitaret, exferebat Arnheimius, quando audita Regis morte cum Wratislaviensibus de recipiendo præsidio tractare denuo instituit, exclusis plane Regiis, quorum mandata Gustavo defuncto expirasse jactabat. Hinc ergo factum, ut progressus Fœderatorum tam secundi repente sisterentur, ac hostis collecto è trepidatione animo 1632. complura loca, & inter ea Neissam reciperet. Ad quam recuperandam dum Regii Saxonicique movent, ac jam prope ab hoste absunt, hi repente in diversa abeunt, destituto Duvvalio; qui tamen non deserente constantia hostem intra mœnia compellit, post & ipse in tutiora se recipit. Et quanquam sub finem anni ab Electore cum imperio missus Franciscus Albertus Lauenburgicus Dux medicinam malis speraretur allaturus concepto tractatu, quo Suecis quicquid trans Oderam ad Poloniæ fines porrigitur hospitiorum loco assignabatur, citeriore regione Saxonibus reservata; tum super re communi consilio gerenda, disciplinaque militari instauranda decernebatur: irrita tamen omnia erant, quod tractatus iste utriusque partis subscriptione non firmaretur alentibus confusionem, qui ejusdem autores fuerant.

Prælium ad Lutzenam.

§. 63. Sed ut ad Regem revertamur, is comperto hostem Weissenfelsia movisse, & ipse Naumburgo relicto mox eodem pervenit non eo animo, ut prælio decerneret, sed ut per vicina hospitantes opprimeret. Ubi à præcursoribus Regiis una Croatarum ala, quæ ultimum agmen tegebat, ad internecionem fere cæditur, vexillo quoque, cui Imperii Romani aquila, & Fortuna pro insigni erat, erepto, quod multis in læti omnis vicem acceptum. Captorum indicio cognitum Pappenheimium cum legionibus aliquot in diversa abiisse. Diminuto igitur Fridlandi exercitu Rex Georgium Luneburgicum Ducem non amplius expectare, sed recta in hostem ducere, ac prælio certare statuit, priusquam Pappenheimius revocari posset. Fridlandus adventu Regis cognito ad Rippacum vicum aciem explicuerat; ubi inter selectas turmas acriter velitatum, ac minoribus machinis certamini prolusum, quoad nox pugnam dirimeret. Uterque exercitus eam noctem in acie perstabat; ac Regi animus erat ante solis ortum hostem adoriri, ni densissima nebula lucem expectari subegisset. Tunc vero post fusas ad Divinum Numen preces ordines obequitans, prout quemque accesserat solita sibi facundia ad virtutem accendebat. Exercitus, uti superiore anno ad Lipsiam in duas acies erat digestus. In primæ aciei dextro cornu Smalandus, Ostro-Gothus, Uplandus, Westro-Gothus, ac Finnonicus eques consistebat; post quos in secunda acie Uslarii, Landgravii Hassiæ, Beckermondi, Bulachii, Goldsteinii, & Wilhelmi Saxoniæ Ducis legiones equestres collocatæ erant. Hoc in cornu ipse Rex versabatur. Sinistri cornu primam aciem Bernhardi Ducis, Carbergii tribuni, tum Curlandus, Livonusque, & Curvillii eques; secundam Stechnicius cum Gallis, Steinbachii, Brandensteinii, & Lœvvensteinii Comitum, Anhaldini Principis, & Hofkirchii turmæ explebant. Id cornu Bernhardus Dux moderabatur. Equitum turmis manipuli selectorum peditum hinc inde interjecti erant. In medio octo peditum phalanges, quaternæ in utraque acie cernebantur. In prima acie ad dextram consistebat Suecorum phalanx, inde prætoria seu flava, tum vetustior cærulea sub Winckelio tribuno, quartam phalangem Bernhardi Ducis, & Wildensteinii tribuni legiones componebant. His omnibus præerat Nicolaus Braheus Comes prætoriæ tribunus. In secunda acie prima phalanx ex Bosii tribuni, & VVilhelmi Saxoniæ Ducis legionibus constabat: inde Cniphusiana legio, tum Turrius Comes cum suis, Hassisque adsistebant, sinistrum latus Mitslafius, Rosslius, Gerstorfius tribuni claudebant. Ea parte Cniphusius curabat. Horum terga Ohmius tribunus cum equite suo fulciebat. Peditatum viginti majora tormenta, equi-

1632. equitatum quadraginta minora præcedebant. Sed nec Fridlandus imperatorii muneris quid omittebat, qui ab initio id tantum à Rege agi credebat, ut Georgii Luneburgici & Saxonicis copiis apud Torgam hærentibus acceſſum ad ſe tutum præſtaret. Sed cum prælio utique confligendum videret, citatos per nuncios Pappenheimium Hala revocat, ac ut iſti ſpatium redeundi foret, tempus quantum poterat extrahit; cui propoſito denſa nebula, quæ totum campum obtegebat, non parum velificabatur. Hujus enim ob caliginem cum Rex ita mature ſicut conſtituerat in hoſtem movere non poſſet, Fridlandus interea exercitum Lutzenam usque retraxerat, eaque ad detram relicta in latiſſima planitie pone viam regiam ordines explicarat, quam foſſa, qua ligna defluere ſolent, altius raptim excavata præmuniebat, diſpoſitis in ea ſclopetariis, qui tranſitum Regiis difficilem redderent. Ad eam foſſam ſeptem majora tormenta locaverat, reliquis quatuordecim in colliculum ad molam alatam, unde in totam planiciem deſpectus erat, ſubductis. Acies Suecicæ fere ſimilis, niſi quod univerſus peditatus in quatuor ingentes phalanges eſſet digeſtus. Poſt matutinum tempus ve-
6 Nov. litando fere transactum, cum ſol altior nebulas diſcuſſiſſet, Rex in hoſtem, qui Lutzenam impediendæ ab hac parte Regiorum impreſſioni incenderat, recta vadit, ita ut circa undecimam horam prælium committi inciperet. Primo igitur ad foſſam, quam viæ prætendi diximus, acerrime coitur, è qua Fridlandici ſclopetarii ferociter reſiſtebant. Hos Suecica phalanx ingruens, & mox prævalens ad internecionem fere cæcidit, ac ſeptem tormenta ibidem poſita in poteſtatem redegit. Altera phalanx quam prætoria legio componebat, foſſa celeriter ſuperata in quartam hoſtiũ phalangem numero longe ſuperiorem tanto impetu incumbebat, ut eam diſjectis ordinibus facile diſſiparet. Inde & in alteram proxime adſtantem pari ferocia impingebat, ut & ipſa cederet. Sed cum ad tertiam hoſtium phalangem perventum eſſet, hæc adjungentibus ſe quarta phalange, & duobus equitum agminibus prætoriam iſtam, rareſcentib⁹ jam diuturno conflictu ordinibus, ac viribus langueſcentibus, una cum Winkelii legione, quæ huic ſubſidio venerat, à fronte lateribusque circumventã non ſine clade repellebat, recuperatis quæ amiſſa fuerant tormentis. Quartam primæ aciei Regiæ phalangem tormenta hoſtium ad molam alatam poſita ita infeſtarant, ut illa poſt molitoris tugurĩ paululum ſecederet, ac tormentis inde in hoſtem pugnaret. Et ea quidem ab initio pedeſtris prælii facies erat. Sed æquitatui non minus remoræ foſſa iſta adferebat, dum multi inde ægrius eluctati tarde ordines inſtaurant, nec pro ardore Regis in hoſtem rapiuntur. Igitur Rex in Smalandorum fronte conſiſtens, quibus Fridericus Stenbockius tribunus erat, invocato Salvatoris nomine, & ſuos cohortatus ut ſe ſtrenue ſequerentur, foſſam ſaltu ſuperat, & cum paucis queis par alacritas in grandem cataphractorum catervam acerrime impingitur, cæteris adhuc circa foſſam hærentibus. Fuere qui crederent, Regem opinione citius in hoſtem delatum, quod oculorum acies ad propinqua tantum pertingens paulo remotiora non diſ-
Rex cadit. cerneret. Eo in conflictu Regis brachium ſclopeti ictu trajicitur, fracto quoque oſſe; cujus vulneris dolorem etſi is aliquantiſper diſſimularet, alacri vultu ac voce ſuos ad pugnam capeſſendam incitans; tamen promanante ubertim ſanguine, viribusque deficientibus à Franciſco Alberto Lauenburgico Duce, qui latus ipſius ſtipabat, perit, ut è tumultu prælii in tutiorem locum deduceretur. Inter quæ cataphractus advolans admoto ad Regis tergum ſclopeto medium globo trajicit; quem ali- 1632.
qui ſubtribunum ſub Gœtzii legione Pontificiæ religionis Falckenbergium nomine; ejus Falckenbergii, qui Magdeburgi occubuit gentilem ferebant, Paderbornenſi ditione oriundum, qui Regem agnoverit. Id quod apud Cæſareos conſtanter jactatum fuit; etſi & iſte mox iterum à Suecis occiſus memoretur. Quanquam autem Rex adhuc ſeſe conaretur eripere, hoſte tamen acriter ingruente cum ſuccuſſationem ferre non poſſet linquentibus viribus equo defluxit, qui ſtapedibus hærentem aliquantiſper trahebat, donec inter hoſtes vivus adhuc procumberet. Tandem interroganti quis eſſet, Regem ſe Sueciæ reſpondit. Unde hic ſaucium ad ſuos raptare conatus, cum Suecí equites Regis equum ſeſſore vacuum conſpicati acerrimam in hoſtes impreſſionem feciſſent, ſclopeto ejus capite trajecto faceſſebat. Alii ad induſium usque veſtibus ſpoliatum gladio inſuper transfodiebant. Poſt dimidiam horam corpus à Regiis recuperatum. Ab aliis traditum reperi, dum poſt vulnus in brachio acceptum prælio excedit à ſuis turmis longiuſcule aberraſſe, ac in hoſtilium equitum manum forte incidiſſe, à qua binis ictibus corpus, caputque trajectus neci datus, nec agnitus in campo jacens relictus ſit. Enimvero pertinax eo tempore rumor erat, Regi poſt vulneratum brachium à Franciſco Alberto Lauenburgico Duce letalem ictum illatum; ſuſpicione inde orta, quod nuper miſſione à Cæſare obtenta ad Saxoniæ Electorem ab iſto ablegatus fuerit, ut hunc Regiis partibus abſtraheret; quodque ſtatim poſt prælium ad Lutzenam relictis Suecis operam ſuam Saxoniæ Electori addiceret. Sane cum ad Regem in caſtra Noribergica tanquam voluntarius miles accederet, Oxenſtierna dubitare ſe profitebatur, quantum ipſi foret fidendum. Ferunt etiam interrogatum, quare ipſe, qui proxime circa Regem verſatus erat, illæſus manſiſſet, reſpondiſſe; id debere ſe viridi teniæ, qua corpus cinxerat, quaſi eo ſigno à Cæſareanis eſſet agnoſcendus. Et ipſe poſt veſtem Regio ſanguine adſpertam oſtentaverat. Atque iſthæc mihi omnia expendenti vero quam ſimillima videntur. Sane quin Cæſarei crediderint, Suecorum res ſola Guſtavi virtute ſtare, eoque ſublato iſtas quoque ultro ruituras, dubitare non licet: nec minus, ipſos omnes vias circumſpexiſſe, eundem è medio demovendi. Ejusmodi porro facinori patrando quis idoneus magis reperiri poterat, quam Franciſcus Albertus, cui Principis Germaniæ dignatio, & ſacra quæ profitebatur, hactenus ſaltem fidem apud Regem magnanimum, & in ſuſpiciones non pronum adſtruebant, ne facile ſicarii perſonam ſuſcepiſſe crederetur; eoque inobſervato ſceleri patrando occaſionem per otium licebat captare, cum familiarem ad Regem acceſſum nobilitas, & militaris vitæ profeſſio conciliaret. Ipſe porro pauper, ſtipendiis Cæſaris innutritus, queis nulla idonea cauſa deſertis ad hoſtem Regem acceſſerat, ejusque lateri diligentius, quam pro vulgari officio adhæſerat; ac peracto flagitio confeſtim à Suecis digreſſus fuerat, quorum & partes capitali odio ſemper proſecutus, iisque impugnandis demum immortuus eſt. Fridlando inſuper, & plerisque Cæſareis ducibus intima familiaritate innexus. Principe autem loco natum eſſe, & ſacra Reformata profiteri uti per ſe aliquem à ſceleris immunem non præſtat; ita ſubdolus animus eo ſchemate minus ſuſpectus tanto fidentius ad faciendam cædem adrepere poterat. Cæterum fama mortis Regiæ cito per exercitum diſpalata usque adeo Regiorum animos non fregit, ut potius immenſum inflammati mortem tam cari capitis ulciſci, aut cum ipſo occumbere arderent.

Suecí

1632. Sueci cumprimis, ac Finnones, quibus prima acies dextri cornu constabat; in sinistrum hostium cornu tanto impetu ruebant; ut hi vim eorum non amplius sustinentes terga verterent. Croatæ tamen aciem ab hoc latere claudentes dextro Regiorum cornu circuito in impedimenta invaserant, ac non parum consternationis ibi dederant, sed mox advolantibus è secunda acie dextri cornu VVilhelmi Saxoniæ Ducis, Bulachii, & Goldstenii legionibus, & ipsi in præcipitem fugam compellebantur. Nec segnius in sinistro cornu à Bernhardo Duce, & Cniphusio res gerebatur; quorum ille dextrum hostium cornu adortus loco depellebat, captis, quæ ad molam alatam stabant, tormentis; hic autem eousque gradum inferebat, ut septem illas machinas, quas sub initium à Regiis captas hostis recuperaverat, denuo eidem extorqueret. Quibus in hostium aciem conversis hosce solutis ordinibus retro pellebat. Quo tempore etiam currus aliquot hostium, pulvere nitrato onusti igne concepto late stragem terroremque per hostilem exercitum dederant.

Pappenheimius prælium instaurat.

§. 64. Profligatis ubique Cæsareis Pappenheimius interea Hala evocatus, ut erat ingenio ferox, & manu promtus, magno ardore ad tam nobilem pugnam rapiebatur. Nec tamen in tempore acie Cæsareorum nondum inclinata adesse poterat, quod miles Halæ in prædam effusus tardius ad signa rediret. Loco tamen conflictus cum equitibus & dimachis, quos raptim conglomeraverat, adpropinquabat, quo tempore jam perditæ plane res Cæsareorum videbantur. Ejus adventu prælium instauratur, atrox, anceps que. Nam Cæsarei acerrima impressione facta Regios loco iterum depellebant, recuperatis quoque tormentis. Sed hi mox redintegrato impetu hostem, Pappenheimii letaliter vulnerati casu exterritum, denuo profligant, tormentisque iterum potiuntur; quoad nocturnis tenebris ingruentibus Cæsarei magna cum strage campo pulsi victoriam Regiis cessere. Bernhardus Dux, restitutis quantum tempus ferebat, ordinibus, noctem in loco conflictus exigebat. Numerus utrinque cæsorum ad novem millia adscendisse fertur; quos inter à Cæsaris partibus erant Abbas Fuldensis qui spectatum venerat, Lanius, VVestrumius, Fovesius tribuni, Taxhemius, Lambertus, Cammerhofius subtribuni. Pappenheimius globo minoris tormenti femur contusus postridie Lipsiæ ingentes inter cruciatus expiravit, vir animo, manuque æque promtus, & qui supra centum cicatrices corpore præferebat. Nec Bartholdus VVallensteinius Comes, Senior Breunerus rei tormentariæ præfectus, & Comargus tribunus vulneribus diu supervixere. E Regiis in ipso prælio cecidere Uslarius summus vigiliarum præfectus, & Gerstorfius tribunus. Nicolaus quoque Brahæus Comes post edita cum legione sua eximiæ fortitudinis specimina genu graviter saucius paulo post obiit. E vulneribus quoque decessere Ernestus Anhaltinus Princeps, & Wildensteinius tribunus.

Pappenheimius occumbit.

Gustavi Adolfi Regis elogium.

§. 65. Sed multorum millium instar erat ipse Gustavus Adolfus Rex, in medio victoriarum cursu interceptus; Princeps omni laude superior, & quem ipsi quoque hostes summa admiratione sunt prosecuti. Corpus ipsi juxta proceritatem, magnæ vires, par agilitas, artus firmi beneque compacti, laboris militaris summa tolerantia. Singularis in quovis actu gratia, decorque: facies eximiam humanitatem majestate temperatam spirabat, quæ apud adspicientes reverentiæ non minus, quam amoris excitabat. Idem fastigii velut sui obsitus quibusvis se familiariter dispensabat, illæsa tamen majestate, ut neminem magis alliciendis hominum animis idoneum diceres. Juvenibus annis præter Latinam, Gallicam quoque & Italicam linguam didicerat, Historiarum insuper veterum & recentium callens, & literarum quantum Regi decorum; quibus delenifica plane eloquentia accedebat. Mira præterea sagacitas, circa enodandas difficultates perspicacia, in consiliis promptitudo. Animus timere nescius, & inter difficillima quæque acrius insurgens. Summa rei militaris peritia, ac arte non minus, quam aperta vi Martem tractare callidus. Liberalissimus, sed & accuratus officii exactor. Neque ullum hoc seculo imperatorem Gustavo prætuleris. Cujus in re militari hæc præcipuè inventa commendantur; in conflictu equestri post displosum sclopetum non in gyrum sinuari, sed stricto gladio recta in hostem ruere; peditum phalanges non ultra tres aut ad summum sex ordines dentare; sclopetarios sarissophoris dextre miscere. Summa porro in Deum pietas, & sacrorum reverentia (quæ primo loco memoranda erat,) quam seriam fuisse, nec captandæ populari auræ compositam tum infinitis documentis toto vitæ curriculo, tum memorabili cumprimis dicto colligere licuit. In castris ad VVerbenam cum præter solitum clausis foribus intra conclave solus egisset, Jacobus Steinbergius Consiliarius Aulicus ad ipsum negotii quid relaturus aperto paululum ostio attente Sacra Biblia legentem animadvertit. Unde turbare eundem veritus statim ostium tacite clausum ibat. Sed Rex levatis oculis agnitum intrare jussit, & meditationes ipsius à se interrumpi veniam petenti dixit: Se hoc e verbo Dei solatium sibi petere. Nam sentire se, nullis mortalium à Diabolo insidias infensius strui, quam quibus actionum suarum ratio soli Deo est reddenda. Justitiæ insuper, legumque cura, nec minor circa ærarium solicitudo, ut illud, sed & simul civium res familiaris innoxias per artes, industriamque gliscerent. Quibus omnibus summum populi in se amorem meritus est, possiditque nullo temporis tractu abolendum. Nec tamen desunt fastidiosi nimis magnarum animarum æstimatores, qui reprehendunt, quod immemor fastigii sui, & quid rerum ab ipso penderet, caput suum nulli non periculo objicere, & non rarius militem, quam ducem agere voluerit. Enimvero id commune habet cum omnibus, qui bello ad summa sunt eluctati: quibus non licet ea circumspectione corpus suum custodire, sicuti qui possessam diu potentiam per ministros propugnant, magnitudine sua velut in tutum subducta; cum hi præientia, exemploque suo cæteris omnibus vigorem adspirare debeant. In iracundiam pronior videbatur, sed quæ raro ultra verba sæviebat; & mox bile defervescente etiam inferioris sortis hominibus satisfaciebat. Ac ubertim id pensabat ingenii bonitas, ac quod nihil acerbitatis animo resideret. Neque vero mirum erat facile scintillas quasdam concipere temperamentum igneum in tanta negotiorum mole, ac perpetua spirituum agitatione. Ac subinde jactabat; cum ipse diversa aliorum ingenia tolerare cogatur, suam quoque bilem veniam mereri. Nec parum extremis temporibus inquietabant in transversum abeuntia amicorum consilia, ut paucis ante mortem diebus diceret: nullam aliam ob causam se mortem optare, quam quod bellum sibi cum invidis amicis instare prævideat tanto difficilius, quod orbis ejus causas vix perspecturus sit. Nec Gallici Scriptores abnuunt, ni fata Gustavum Regem ad Lutzenam abripuissent, Gallos, aliosque ipsius socios in eundem arma fuisse capturos. Sane Galliæ Rex, cum de Gustavi victoria ad Licum audisset, Legato Veneto Joanni Soranzio dicebat: Jam tempus esse, ut ipse, & Respublica junctis consiliis

Vid. Vittor. Siri Memoire Recondite Volum. VII. pag. 547.

1632. liis ac viribus cogitent de sistendo celeri nimium cursu victoriarum istius Gothi. Eandem ob causam, ut in varias scindi curas solent magna agitantium animi, cum quibusdam amicis differuerat; perspici à se belli Germanici molem, Evangelicorum Principum, & aliorum amicorum invidiam, ac renitentiam: nec Sueciæ in proclivi fore per Germaniam parta diu tueri, præsertim longius à mari dissita. Igitur sibi potius videri de Imperio septentrionis condendo meditari, quod terras ad utrumque maris Baltici latus sitas complectatur. Natus erat Holmiæ anno superioris seculi nonagesimo quarto, die nono Decembris; Regni gubernaculo admotus anno millesimo, sexcentesimo undecimo, nondum expleto ætatis anno septimo decimo, summas inter difficultates, quas feliciter superavit, ac postquam Danum necessaria pro statu rerum pace amolitus est, Russos, Polonosque ad gloriosas ipsi transactiones adegit. Demum ad temperandam Austriacam potentiam conversus tantillo temporis spatio Germaniæ maximam partem à Baltico Mari ad Alpes usque victoriis suis peragravit. Nec si vita superfuisset, istis finibus arma ipsius videbantur includenda. Quin jam animo agitasse dicitur, si Fridlandum contudisset, commissa belli Germanici cura Oxenstiernæ, Bernhardoque Duci, cum selecto exercitu bellum in Hispaniam transferre, consentà apud Batavos clatse, excindendis velut radicibus potentiæ Austriacæ, postquam ea per Germaniam in ordinem redacta foret. Et excensione in Lusitaniam facta spes erat facile in partes transituros populos, qui Castellanorum jugo excutiendo nullam occasionem videbantur abnuituri. Id quod consilium jam antea Magdeburgicus Administrator suggesserat, cum in Suecia Gustavum ad bellum Germanicum solicitaret, qui classem sibi eo fine è Gothoburgensi portu accommodari petierat. Sed Regi neque iste tantæ expeditioni idoneus dux, nec tempus sat maturum adhuc videbatur. Enimvero Deo aliter placuit, qui illum anno ætatis suæ trigesimo octavo rebus humanis eripuit. Et ipse fatum brevi imminens non obscure prætigiebat, dum paucos ante dies Naumburgi infinito populi plausu ostentus dixit; enormem istum populorum amorem sinistri loco ominis sibi esse, & quod tantum non Numinis in vicem habeatur, ne Deus ipso erepto doceat, non nimis fiduciæ ullo in mortalium locandum. Corpus exenteratum & unguentis conditum, per Witebergam, Verusque Brandeburgum in Pomeraniam devectum patria post sinu suo recepit.

Sueciæ Rector sua recuperat.

§. 66. Cæterum post exactam in loco prælii noctem octodecim Croatarum turmæ appropinquare visæ, velut tormenta ac impedimenta Cæsareorum in tutum deducturæ. Sed cum Regios in statu suo conspicarentur, trepidi Lipsiam facessebant. Ast Bernhardus Dux, ad quem summum in exercitum imperium ab obitu Regis devolutum erat, ut militem vulneribus ac labore exhaustum refocillaret, Weissenfelsam redit, Saxonicis & Luneburgicis, qui in itinere erant, junctus victoriam prosecuturus. Hostis contra campo relicto tenebris tectus per silentium majorem partem Lipsiam se receperat, quo etiam Fridlandus circa mediam noctem vix octoginta equitibus stipatus veniebat. Sequenti die reliquiæ exercitus ibidem convenere, hesternæ cladis faciem præ se ferentes. Sed statim sub vesperam inde discessum, & per Zwiccaviam iter in Bohemiam sumtum tanto properantius, quod metus esset, ne à Saxonibus istud intercluderetur. Eo digresso status Regius, Saxonicusque eques Torga veniens Lipsiam irrumpit, cæsis qui obstiterant Cæsareis. Inde junctus Saxonicis copiis Bernhardus Dux trium legionum reliquias, quæ Chemnitzium insidebant, duris sat conditionibus ad deditionem adegit, ademtis signis viginti quatuor. Sed dum oppido excedunt, gregarius miles præfectis infensus in ipsorum impedimenta involat, ac inde paucis Italis exceptis in Regiorum militiam transit. Freibergam Cæsarei ultro desertere. Qui Pleissenburgum Lipsiæ arcem obtinuerant, solis gladiis accincti dimissi sunt. Sed cum ad Bohemiæ fines pervenissent, rusticis invadentibus retrocedere, & Regiorum signa sequi cogebantur. Tandem & Zwiccavia, non strenue minus defendente Suitio Cæsareano duce, quam oppugnante Cniphusio recuperata, ac mille centum quinquaginta pedites sub viginti quinque signis, sexcentique equites honestis conditionibus dimissi. Sic ante exitum ejus anni Cæsarei tota Electoris Saxoniæ ditione iterum ejecti sunt. 1632.

Legatio ad Polonos mittitur.

§. 67. Eodem anno legatio ad Polonos missa, cui occasionem dederat Christophorus Radzivilius, qui vergente ad extrema Sigismundo Rege favorem in Gustavum prolixe contestatus fuerat, pollicitus se operam daturum ut is Poloniæ Rex designetur. Quam rem non plane spernendam judicabat Gustavus non tam desiderio Coronæ Polonicæ, quam ut occasio panderetur tollendæ controversiæ, quæ cum Polonia sibi intercedebat, aut distrahendis in diversa Polonorum animis, ac ut ipse suam in eo populo factionem haberet. Inde ut Polonorum animos præpararet, Jacobum Roussilium miserat; sed qui præpostera rem via aggressus datis ad Poloniæ Ordines literis, animos eorum non mediocriter irritaverat; cum per ambages insinuasse deberet rem ipsorum legibus vetitam, vivo Rege de Successore agere. Unde & Gustavus hominem ob stolide tractatum negotium in custodiam dari jubebat. Quæ ipsa res Uladislaum Sigismundi filium primogenitum advertebat, ut suarum rerum solicite satageret. Unde & mox defuncto patre titulum Regis Sueciæ adsumebat, nequidquam vetante Senatu Poloniæ; cui is respondebat; eum à patre in se transmissum sine ignominia omitti non posse; & absque illo nihil, quod cum Gustavo tractet, sibi superesse: eoque prætensionem illam utique retinendam, cujus cessione opimæ à Suecis conditiones obtineri queant. Idemque Evangelicos potissimum, quos ob sacrorum similitudinem in Gustavi partes transituros metuebat, sibi conciliabat, singularem erga istos favorem ostentans; universis præterea pollicitus, se consiliis & amicitiæ Austriacorum renuntiaturum, & ut cum Gustavo bene sibi conveniat operam daturum. Sic ut omnes in Uladislaum inclinarent, præter Clericos, qui illum sacris Pontificiis non satis fervide addictum judicabant, utpote unica Missa per semestre contentum, & quod Bibliorum Teutonicam Lutheri versionem lectitaret; quam ne sacerdotes deprehenderent, iis conclave suum ingressis Livium eadem forma compactum substituebat; Cæterum Radzivilii promissis inductus Gustavus Stenonem Bielkium, & Joannem Nicodemi, morte Sigismundi cognita mittebat, quibus injunctum ut laborarent; ne quis filiorum Sigismundi Rex eligeretur, aut si id impediri non posset, ut prætensioni ad Sueciam prius renuntiarent, quo duraturæ paci fundamenta ponerentur. Tum ut insinuarent, quæ commoda in Rempublicam redundatura sint assumto in Regem Gustavo, cujus potentia ipsos à Moscis, Tartaris, Turcisque tutos præstitura, pacemque cum Suecia Moscoviaque

1632. datura sit; cum contra Uladislao Rege cum utrisque bellum mox sit exarsurum, & filium sine dubio vestigiis paternis insistentem, Austriacisque consiliis implicitum libertati ipsorum insidiaturum. Deniq; cum religio, cui Gustavus innutritus sit, omnem coactionem adspernetur, nemini ob diversa sacra molestiam ab ipso creandam. Quæ rationes, si quibusdam saltem se adprobarent, id effecturæ videbantur, ut in partes, ac diversa studia scisso populo electio suspenderetur. Hæc ut in animos Polonorum influerent, Legati proponere jubebantur, bellum inter Suecos Polonosque culpa Sigismundi exortum, qui instinctu sacerdotum sacra Suecorum immutare, ipsosque opprimere aggressus sit; ac inde Rempublicam Poloniæ liti alienæ immiscuerit. Cum autem nexu adversus ipsum nunc soluti sint, ac suo nomine nihil controversiæ cum Suecia habeant; ipsorum interesse media circumspicere, quæ conciliandis inter se ambobus Regnis inserviant, nevè propter inanem prætensionem eorum Respublica bello involvatur. Id quod fieri possit, si prætereantur, qui istas prætensiones jactant, ac potius eligatur Princeps, ex quo inter utrumque Regnum concordia, æternaque fœderatio, & plurima alia beneficia provenire apta sint. Aut saltem si eligendum adstringant, ut prætensionem abdicet, quo tandem aliquando paci via pandatur. Enimvero Legati, quanquam Brandeburgicus Elector, quocum id negotium communicare in Borussia jussi erant, debili fundamento Radzivilii promissa initi judicaret; properato tamen itinere non prius cognoverant, in Radzivilio nihil opis esse, quam eousque progressi forent, ut retro pedem ferre non amplius possent. Nam excusabat Radzivilius, super hoc negotio ministros Regios non sat diligenter secum communicasse, interim omnes in Uladislaum inclinasse, nec se torrenti potuisse resistere. Igitur Legati de Gustavo mentionem frustra injicere indecorum judicabant; cui diversitatem religionis objici audiverant, & quod Polonis prægravis videretur futurus. Nec Suecos æquo animo laturos in Polonia ipsum agere. Ingratum quoque esse regios liberos præteriri, & isthac electione hostilia in Austriacos suscipi. Nec deerant, qui vim mendaciorum de Gustavo spargerent avertendis Polonorum animis. Eoque laxioribus tantum verbis apud Ordines instabant, ut, antequam ad electionem procederent, semina dissidii duo inter Regna exscinderent. Enimvero id nullo modo obtineri poterat, ut electio suspenderetur, quod plerique magnis cum sumtibus convenissent, ac interregni tempore lubricus reipublicæ status foret. Ut prætensioni ad Sueciam renuntiaretur, multi æquum judicabant; sed in eo differebant, utrum ea à Sigismundi filiis simpliciter facienda esset, an vero in manus Reipublicæ velut sequestro tantisper deponenda, ut penes hanc arbitrium belli pacisque foret. Quorum posterius Legatis displicebat, quod facilius cum uno, quam cum pluribus transegeris. In eo tamen omnes conveniebant, cessionem citra intervenientem tractatum, & absque satisfactione aliqua non faciendam. Sed dum quotidie responsum expectant Legati, Uladislaus concordibus suffragiis Rex declaratur, tanto properantius, quod Poloni metuerent, ne mora interposita per Legatorum postulata dissidii quid in populo oriretur, aut ne Gustavus orba Republica quid moliretur. Et urgebant electionem maxime Evangelici, ut hoc officio Uladislaum sibi eo magis devinctum haberent. Post electionem responsum Legatis dabatur frigidum & absurdum, velut quæ proponebantur à Polonis intellecta non fuissent, dum gratum sibi esse dicebant, quod Gustavus agnoscat, bellum à se injuste Poloniç illatum, & quod jam pacem petat, ad quam & ipsi pronos se significabant. Quod responsum cum Legati respuissent, omissis absurdis aliud traditum fuit. Uladislaus tamen singularem affectum in Gustavum præ se ferebat, & quod magno desiderio amicitiam cum ipso jungendi teneatur, ut fortasse dissidium illud penitus componi potuerit, si paulisper idem supervixisset. Ita isti Legati re infecta, & novo Rege non salutato discedunt. 1632. 3. Novem.

§. 68. Daniæ Rex quanquam post sopitum circa Friburgum negotium, missamque legationem studium erga Gustavum præ se ferret, testatus quoque ob minuta quævis inter vicinos non statim turbandum; haut ideo tamen sinceræ amicitiæ fidem adsequebatur. Nam & ab ipso foveri constabat dissidia Bremensem inter Præsulem & Ordines Provinciales, hisce auxilium contra Suecos & Præsulem pollicitus, quo Friderico filio viam ad eam provinciam muniret. Et ne Fridericus Gottorpiensis Dux aperte in Gustavi partes descenderet impediebat, dum ipse eam occasionem avide captat ejus ditionem invadendi, si Dux eo nomine Cæsaris edicto notatus esset. Sed & cum ex eventu consilia temperare constituisset, Cæsari se venditabat, eoque filium Ulricum, quantumvis cupidissimum sub Gustavo militare nolebat, quod de hujus rebus adhuc dubitaret, ac de Episcopatibus filiis suis cautum vellet, si penes Cæsarem victoria foret. Cum Fridlando quoque amicitia alebatur, quo paci inter ipsum, Saxoniæque Electorem concilianda idoneus magis arbiter foret. Nec minus per Holckium magnis ipsum promissis Cæsar solicitabat ad invadendos, quos Succi ad mare Balticum occupaverant, portus, interrumpendæ inter Germaniam, Sueciamque communicationi. Quæ quidem ipsi mire animum movebant; dissuadente tamen Senatu, & ne proditæ Protestantium religionis argueretur quiescere, & ulterius eventum speculari tutius tunc ducebat. Dani hellum tunc cum Suecia.

SAMUE-

Goog

1633. 1633.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER QUINTUS

EPITOME.

1. *Motus animorum post mortem Gustavi apud hostes;* 2. *apud æmulos;* 3. *apud Protestantes;* 4. *apud Gallos, Anglos, & Batavos;* 5. *apud Danos,* 6. *Polonos, & Russos.* 7. *Quæ tunc in Suecia difficultates, quæ adversus ista remedia.* 8. *Oxenstierna circa bellum Germanicum consultationes.* 9. *Is destinata sua Protestantibus aperit:* 10. *noviisque mandatis è Suecia instruitur.* 11. *Ejus cum Saxone Electore congressus;* 12. *Brandeburgicus causæ communi favet.* 13. *Conventus Inferioris Saxoniæ inhibetur.* 14. *Legati Gallici cum Oxenstierna acta. Saxo, & Brandeburgicus Dresdæ conveniunt.* 15. *Ad eosdem Legati Gallici propositio.* 16. *Landgravii Georgii cum Cæsareanis congressus.* 17. *Oxenstierna Erfordiensibus claves oppidi restituit.* 18. *Conventus Ulmæ Heilbrunnam transfertur.* 19. *Oxenstierna circa bellum deinceps administrandum dispositio.* 20. *Bernhardus Dux in Franconiam,* 21. *Hornius in Sueviam abit. Bavarici Memmingam, & Campodunum expugnant. Iidem ab Hornio vapulant. Hornius Altringerum Wurtembergico agro arcet; legionem hostium opprimit.* 22. *Hagenoa ab hoste intercipitur; Neoburgumque ad Rhenum. Brisacenses vapulant. Rustici per Suntgoviam tumultuantes compescuntur. Brisacenses denuo vapulant.* 23. *Dilsberga capitur. Gesta per ditionem Colonienſem. De neutralitate Circuli Westphalici frustra agitur.* 24. *Gesta per Westphaliam. Gronsfeldium vapulat.* 25. *Wilhelmus Landgravius in Westphaliam irrumpit.* 26. *Gesta per Silesiam. Poloni domum abeunt. Inter Durvalium & Arnheimium dissensio. Status per Silesiam confusus.* 27. *Conventus Ordinum in Suecia decretum. Forma Reiminis.* 28. *Conventus Heilbrunnenſis. Oxenstiernæ propositio.* 29. *Ordinum deliberatio.* 30. *Oxenstierna rem urget.* 31. *Daniæ Rex mediationem suscipit. Ejus apud Electores de pace propositio.* 32. *Saxonis consilia plerisque displicent.* 33. *Plures pacis mediatores se offerunt. De mediatorum multitudine judicium.* 34. *Fœdus Heilbrunnæ concluditur.* 35. *Oxenstierna Palatinatum restituit; Id quod Saxo improbat. Brandeburgicus connubium Christinæ Reginæ affectat.* 36. *Fœdus cum Gallia Rege renovatur.* 37. *Cum Anglico Legato, & Hollandis acta.* 38. *Dux Bernhardus in Bavariam tendit, cui Hornius jungitur.* 39. *Torstensonius Landsbergam expugnat.* 40. *Conspiratio in exercitu Suecico. Ducis Bernhardi postulata. Conspiratio militum sopitur.* 41. *Gesta ad Rhenum.* 42. *Suecі Andernaco succurrunt; Engersam & Montaburium Gallis tradunt.* 43. *Hamelæ obsidium servet.* 44. *Hassi Paderbornam expugnant; Lipstadium frustra tentant. Asseburgii legio deletur.* 45. *Wilhelmus Saxoniæ Dux rem bene gerit.* 46. *In Silesia res male geritur.* 47. *Dux Bernhardus Aichstadium capit; Ingolstadium intercipere frustra conatur.* 48. *In Brisgovia gesta.* 49. *Heidelberga à Suecis capitur.* 50. *Hamelæ obsidio continuatur.* 51. *Croata à Tupadelio vapulant.* 52. *In Silesia fœderati se movent. Fridlandus in Silesiam irrumpit; prælium cum Fœderatis declinat.* 53. *Ejus ad Fœderatos super pace propositio. Inducie cum Fridlando ineuntur. Turrius Fridlando aures præbet.* 54. *Conventus Heidelbergenſis.* 55. *Helvetii Fœderi Heilbrunnenſi adscribi abnuunt. Neoburgicus neutralitatem ambit.* 56. *Daniæ Regis mediatio inanis. Locus & tempus tractatuum absurde constituitur. Brandeburgico is tractatus displicet.* 57. *Oxenstierna ad Danubium exercitui satisfacit.* 58. *Elector Trevirenſis Philipsburgi præsidium frustra tentat.* 59. *Gustavi Regis corpus in Sueciam defertur.* 60. *Hornius Pappenheimum expugnat. Croatæ, & Memmingenſes vapulant. Hornius Neumarcum expugnat.* 61. *Rheingravius Neuburgum, Ratelam, & urbes sylvestres occupat.* 62. *Brisacenses vapulant. Montecuculus capitur.* 63. *Cum Lotharingis hostilitas erumpit.* 64. *Siburgum frustra tentatur. Hamelæ in extremis agit. Prælium ad Oldendorpum. Hamelæ capitur. Hollandis miles subsidio mittitur.* 65. *Cronacum frustra tentatur.* 66. *Inducie per Silesiam Oxenstiernæ suspectæ. Inducie abrumpuntur.* 67. *Bellum in Silesia recrudescit.* 68. *Silesii Ordines conventum agitant. Inducie denuo ineuntur.* 69. *Conventus Francofurtenſis. Syndicus Ratisponenſis capitur. Decretum Conventus Francofurtenſis.* 70. *Acta cum Legatis Gallicis. Legati à Fœderatis ad Regem Galliæ mittuntur.* 71. *Salvus conductus ad tractatus pacis informis.* 72. *Acta cum Legato Brandeburgico. De Pomerania Brandeburgici postulatum.* 73. *Acta cum Rage-*

1633. *zio. 74. Arnheimii cum Oxenſtierna congreſſus ſuper Fridlandi defectione. 75. Lichtenavia expugnatur. 76. Hornius Conſtantiam fruſtra oppugnat. Helvetii propter Conſtantiæ obſidium turbantur. 77. Obſidium Conſtantiæ ſolvitur. 78. Bavari Neoburgum expugnant. Bernhardus Dux in Sueviam tendit. 79. Prælium ad Pfaffenhoviam. Lotharingus caſtigatur. Dachſteinum expugnatur. 80. Bavari Biberacum capiunt. Dux Feriæ cum exercitu in Germaniam venit. Sueci, & Bavari ex adverſum metantur. 81. Ad Briſacum geſta. Rheingravius Lotharingum perſequitur. 82. Landgravii per Weſtphaliam progreſſus. Bænnighuſius in Haſſiam irrumpit. Oſnabruga capitur. 83. Holkius in Miſniam irrumpit; eam deſerit & moritur. 84. In Sileſia inducia renovantur. Ulricus Holſatiæ Dux interficitur. 85. Sileſii Legatos ad Oxenſtiernam mittunt. 86. Tractatus pacis in Sileſia abrumpuntur. Sueci ad Steinaviam conſident. Arnheimius in Miſniam abit. 87. Legatorum apud Gallia Regem acta. 88. Ab Hollandis poſtulata. Cum Colonienſi de neutralitate fruſtra tractatus. 89. Acta cum Palatino Neoburgico. 90. Dani de pace acta. 91. Cæſarei, & Bavari in Alſatiam tendunt. Briſaci obſidium ſolvitur. 92. Hornius in Alſatiam redit. 93. Ferianus, & Altringerus ſe disjungunt; 94. Mox conjunguntur. Bavarici male multati domum redeunt. Dux Feriæ moritur. 95. Wertanus Aichſtadium capit. Ratiſpona à Duce Bernhardo expugnatur. 96. Idem Straubingam capit. Chamum capitur. 97. Dux Bernhardus Iſaram tranſit. 98. In Alſatia hoſtis ſe iterum movet. Galli Philipsburgo inhiant. 99. Per Weſtphaliam geſta. Landgravius Werlam capit; Cæſarei Buckenburgum; Landgravius Saltzcotam expugnat; Marcaniſque oppidis præſidia imponit. 100. Clades Suecorum ad Steinaviam. 101. A Fridlando recuperatur Lignicia, Glogovia major, Francofurtum, Gorlicium, & Budiſſina. 102. Fridlandus Electoribus conditiones pacis offert. Brandeburgici ad eas reſponſum. 103. Sueci in Pomerania hoſtem ſiſtere laborant. Landsberga deditur. 104. Schafgotſchii per Sileſiam irriti conatus. Cum Wratislavienſibus acta. 105. Arnheimius Francofurtum fruſtra obſidet. Cæſarei vapulant. 106. Brandeburgici circa Pomeraniam poſtulata. 107. Polonorum eo anno habitus. 108. Moſcovitica legatio. 109. Tartarica legatio. 110. Acta cum Holſatiæ Duce. 111. Dani adverſus Suecos habitudo.* 1633.

Motus animorum poſt mortem Guſtavi apud hoſtes.

Repto rebus humanis ad Lutzenam Guſtavo Adolpho Rege, diverſi animorum motus apud illos, quos ea mors ullo modo ſpectabat, ſe exſerebant, prout quemque odium, ſtudiumve, aut æmulatio in iſtum tenuerat. Ac apud Cæſareos quidem, quantumvis acie victos, ac propoſito ſuo evolutos Saxonem opprimendi, bellique ſedem in Proteſtantium terras transferendi, amiſſo inſuper Pappenheimio, ac tot bellatoribus, gaudium prævalebat Regis morte conceptum: quo ſublato Suecorum arma ultro collapſura, ac ſocii capite deſtituti, interq; ſe diviſi facilem de ſe præbituri victoriam ſperabantur. Eoque Viennæ, Monachii, Bruxelliſque publica lætitiæ ſigna edita, ac Madriti duodecim dies ludis ſcenicis, quorum argumentum Guſtavi mors, dati; non minus gloriæ Regis, quam impotentiæ animi apud hoſtes indicium. Et quanquam Fridlandus Cæſari ſuaderet, ut amneſtia univerſis promulgata ad pacem conſtituendam animum adplicaret; potius tamen huic videbatur, ſi qua poſſet vetera deſtinata hactenus interrupta inſtaurare; quo fine feſſus miles hibernis refici, novoſque per delectus diminuti numeri ſuppleri. Pari ardore Bavarus copias ſuas augebat, ut firmato trans Licum in Suevià pede Proteſtantibus denuo incumbere poſſet. Hiſpaniæ quoque Rex maximà vi argenti in Italiam miſsà, novum ibi exercitum conſcribi jubebat, qui Cæſari primum in Germaniâ operam navaret, inde in Belgium transgreſſus Hollandos capto Trajecto ſuperbientes coërceret. Ac ut Hiſpanus ſumtibus ſufficere poſſet, Papa per annos aliquot decimas è ſacerdotum bonis iſti per ſua Regna capere indulſerat. Sed & aliæ artes adhibebantur dividendis inter ſe, & in Suecos irritandis Proteſtantibus. Quo fine ſtatim à Guſtavi morte ad Wurtenbergicum, aliosque à Cæſare literæ mittebantur multa cum conteſtatione ſinceri adfectus, vetera Auſtriacorum adverſus credulos aucupia. Ipſum quoque Oxenſtiernam lautiſſimis Cæſar conditionibus internuncio Arnheimio licitabatur, num decus, emolumentumque Sueciæ, remque Proteſtantium deſtituere vellet: ſed cui quævis proditionis merces vilis habebatur.

Apud malos.

§. 2. Quos verò hactenus cæca adverſus Guſtavum invidia, metuſque potentiæ nimium gliſcentis exercuerat, morte iſtius auditâ in ſinu gaudebant. Idemque uti antea Ordinibus Germaniæ inſuſurraverant, à Guſtavo id agi, ut ipſos jugo Succico ſubdat; ita nunc occaſionem ſibi datam rebantur progreſſus Suecorum ſiſtendi, ac ad æquilibrium deducendi, iiſdem ſi poſſent intra veteres limites compactis non citra ſpem prædæ ex turbido petendæ.

Apud Proteſtantes.

§. 3. Aſt apud Proteſtantes, qui Guſtavi ope ſacra, libertatemque ſuam adverſus Ferdinandi dominatum firmaturos ſe ſperaverant, immenſus luctus, & inviſa apud Lutzenam victoria, quæ irreparabili damno Regis emta fuerat, cum quanticunque exercitus jactura facili negotio ſarciri potuiſſe videretur. Sed nunc qui pari autoritate, providentia, conſtantia, ac felicitate ſummæ rerum ſubiret non adparebat. Et erat iſte caſus eò acerbior, quod Guſtavus tunc quam maximè agitaret Proteſtantes communi vinculo innectere, ac rem militarem ita diſponere, ne populi nimio oneri ſuccumberent. Quod negotium nunc magnis difficultatibus videbatur involvendum. Statim quippe poſt Guſtavi fata diffidentia, ac diſſidia prorumpebant tum inter ipſos Proteſtantes, tum præcipuè cum corona Sueciæ, cui ſummam belli directionem Guſtavo delatam deinceps relinquere multi faſtigio ſuo indignum ducebant; quod tamen non ita pridem plane ruebat, ni iſte in tempore ſubveniſſet. Quin & ipſe Pomeraniæ Dux, tam indigne à Cæſare habitus, & qui magnum hactenus in Suecorum partes affectum præ ſe tulerat, inter pocula jaciebat: Sibi hautquidquam in animo eſſe penitus jugum Succicum ſubire; ſe ipſum milites conſcripturum, ac oppidis ſuis præſidia impoſiturum: Saxoni ac Brandeburgico Electoribus, nec non Meclenburgicis Ducibus ſat virium eſſe ſibi ipſis defendendis: imperia Regis quoad is vixerit

1633. vixerit, ſe ferre potuiſſe; alterius cujuſcunque deinceps non laturum. Quæ ab ingenio Principis aliena per malevolos indita judicabantur. Huic porro divortio à Suecia procurando adhibebatur amabile pacis vocabulum, cujus illecebris vivo adhuc Rege cum alii, tum imprimis Saxoniæ Elector tentatus fuerat, ſed qui tunc ob iſtius reverentiam caute & tecte tantum eas ſolicitationes admiſerat: nunc eo remoto iſtis palam aurem præbebat. Quanquam enim ubique jactaretur, iſta ad ſolidam, & univerſos complexam pacem ſpectare; facile tamen providebant prudentiores, ſiquidem id negotium præcipiteturr, nec viæ à Guſtavo deſignatæ inſiſtatur, hunc ipſum velut cuneum fore diſſociandis Proteſtantibus, ſummæque adeò rerum evertendæ. Præſertim cum aperte à quibuſdam ſpargeretur; amicitiam cum Suecis colendam, ut tamen cuique libera & incircumſcripta agendi facultas reſervetur. Ex quo non obſcure colligebatur, eos Suecorum opera uti velle, quoufque res ſuas viderentur ſtabiliviſſe; extra periculum conſtituros ut iſti vacuis manibus domuitionem adornent poſtulaturos. Nec deerant, qui rerum ſuarum ſeorſim deinceps ſatagere inſtituerent, velut fœdera, & belli arbitria in Guſtavum collata cum ipſo expiraſſent. Quos inter Dux Brunſuicenſis ſeparatos delectus agere meditabatur, quibus promovendis poſtulabat, ut Sueci hoſpitiis, militumque conquiſitionibus in ſua, ac Luneburgica ditione abſtinerent, indicto inſuper Luneburgi conventu Circuli Inferioris Saxoniæ, quem peculiare in corpus ſociare agitabat. Sic & Wetteravici Comites militem conſcribere cœperant, ut hoc obtentu à conventis pecuniarum collationibus ſe ſubtraherent. Ex quo & illud conſecuturum erat, ut dum iſti novas copias magno cum temporis diſpendio conſcriptum eunt, veteres legiones ſubtracta ſtipendiorum materia extabeſcerent. Erant etiam, qui cum inter dura iſta tempora non omnia ex voto ſuccederent, exuta reverentia erga eos, quicis omnem recuperandæ priſtinæ fortunæ ſpem debebant, alia præſidia circumſpicerent. Sicuti Ordines Provinciales Bremenſis Præſulatus, cum Cancellarii Oxenſtiernæ interceſſionem peterent amovendis quibuſdam ab Archiepiſcopo gravaminibus, inter alia minabantur, ni confeſtim ſibi conſulatur, ſeſe aliena parrocinia ambituros. Ex ejuſmodi igitur diſſidiorum ſcintillis jam tum prorumpentibus prudentiores concordiam inter Proteſtantes, & cum Suecis haut diuturnam, fidamque augurabantur; eoque conjunctionem animorum armorumque, quam Guſtavus meditatus fuerat, & citra quam optatus bello finis fruſtra ſperabatur, ægrè coituram. Præſertim cum omnibus fere perſuaſum foret, quæ hactenus egregie geſta forent ſolius Guſtavi auſpiciis, non viribus Sueciæ deberi. Apud quoſdam tamen ea ratio ad concordiam non parum valebat, quod alias Galli non modicam Germaniæ partem avulſuri viderentur.

apud Gallos, Anglos, & Venetos.

§. 4. Reliquos autem Europæ Status, quos, ut bello in Auſtriacos faverent, ſua quemque utilitas ſubigebat, mors Guſtavi non mediocriter perturbabat, non tam amore in ipſum, quam quod ſpem frangendæ iſtorum potentiæ hujus virtuti ac felicitati ſuperſtruxiſſent; nec credere poſſent repertum iri, qui tantam molem pari vigore ſuſtineret. Equidem non deerant, qui judicarent, amicitiam inter Gallos Suecosque cum Guſtavi morte mox expiraturam fuiſſe, abſque Richelio ſi fuiſſet. Is quippe fulcrum ſibi adverſus Ducis Aurelianenſis factionem in Suecorum, aliorumque exterorum fœderibus quærebat. Simul metuebat, ne Succis conciliatis Auſtriaci totam belli colluviam in Gal- 1611.
liam effunderent; nevè fœderis Gallici vinculo exoluti Sueci Pontificia ſacra profeſſos ubique expellerent, unde plus ſubſidii ad bellum gerendum, quam è Gallica liberalitate ipſis proventurum erat. Spes quoque ſubibat, confuſis rebus tractum Transrhenanum à Baſilea ad Moſellam uſque invadi poſſe; quam in rem ut operam navaret Oxenſtierna, ampliſſimis promiſſis onerandus videbatur. Quibus rationibus motus Galliæ Rex Oxenſtiernam, aliaque exercituum Suecicorum capita excitabat, ut deſtinata Regis ſui pro virili perſequantur; pollicitus ſe de ſtudio ſuo in eam cauſam nihil remiſſurum, quin ſubſidia pecuniaria auctorum, ac propediem miſſurum, qui cum Guſtavo inutum fœdus renovet. Etſi conſtet, nuntiatâ Guſtavi morte, Pariſiis in aula ad magnitudinem lætitiæ nihil defuiſſe, niſi quod ignes feſtivi non incenderentur. Eadem Batavi per Legatum Cornelium Pavium ingerebant, promtiores ſe quam hactenus ad pecunias ſuppeditandas fulciendis Proteſtantium armis ſpondentes. Quæ & ipſa Regis Angliæ Legatus Robertus Amſtruterus prolixe inſinuabat. Nec minus tamen animadvertebatur, ipſos in Saxoniæ Electorem oculos convertere, autoritate & potentia inter Proteſtantes præcipuum, quem per miniſtros ſuos ſtimulabant: rem à Guſtavo cœptam, ejuſque morte prope collapſam maſcule amplecteretur, ac in iſto diſcrimine cauſæ commun ſe hautquicquam ſubtraheret.

apud Danos.

§. 5. Apud Daniæ Regem non parum remittere videbatur morte Guſtavi æmulatio, quam tanti ſucceſſus excitaverant; quod iſto remoto Suecorum res ultro huc devolutum iri putaret; ut ſibi non magnopere ab iſtis foret metuendum. Et quanquam Cæſar ipſum in Suecos ſtimulare non ceſſaret, oblato milite & argento, ſimul oſtentata Circuli Inferioris Saxoniæ præfectura cum duodecim millium exercitu, quo antea Holſatiæ Ducem ineſcare truſtra laboraverat; ac limis oculis ab eodem adſpicerentur urbes maritimæ à Suecis infeſtæ: tamen & nervus rerum gerendarum deerat, ac pudor prohibebat abrupta cum Suecis pace res Proteſtantium per Germaniam ſubvertere, quorum ruina tandem & ipſum involutura erat. Præſertim cum Sacerdotes & plebs apud Danos Guſtavi geſtis mire adplauderent. Concordiam tamen illis, penes quos deinceps rerum adminiſtratio futura eſſet, optabat magis quam ſperabat, eoque conſultiſſimum judicabat iſtos animum ad pacem mature adplicare. Sed & ſpes oriebatur filio ſuo Ulrico Chriſtinam Regni Sueciæ hæredem connubio jungendi. Quo ſuper negotio ſtatim à Guſtavi morte Senatores Regni Daniæ ad Oxenſtiernam ſcribebant; idemque apud Reginam viduam paulo poſt Chriſtianus Penzius Legatus ambibat. Quod intempeſtivum ſane petitum honorificis in ſpeciem verbis rejectum, obtenta negotii gravitate atque indole, ſuper quo certi quid ſtatui nefas foret, niſi ex voluntate Senatus Ordinumque Regni, & antequam Chriſtina adulta contentire poſſet.

apud Polonos.

§. 6. Apud Uladislaum Poloniæ Regem, cui cum Guſtavo, ſi paulum ſupervixiſſet conventurum videbatur, ſpes Regno Sueciæ potiundi revivicebat, teneris Chriſtinæ annis, & tanto bello implicita Suecia. Ac jurato iſte Ordinibus Poloniæ promiſerat, ſe huic Regno ablata recuperaturum. Etſi Ordines ſecreto iſtum pacto adſtrinxiſſent, ut, ſi Livoniam per tranſactionem recipere poſſet, titulo Regis Sueciæ cederet. Igitur clandeſtinis ſollicitationibus nonnullos Suecorum corrumpere, ac in ſuas partes traducere conabatur. Nec dubium habebatur, quin mox in arma iturus fuerit, ni ingruens à Ruſſis bellum magno Sue-

1633. ciæ bono ipſum avertiſſet. Contra Ruſſorum Czar Michael Fœdorovicius Guſtavi morte non mediocrem dolorem teſtabatur ob amiſſam auxilii ſpem, quam ſibi ab iſto in bello adverſus Polonos conceperat.

Quæ tunc in Suecia difficultates; quæ adverſus iſtas remedia.

§. 7. Aſt apud Suecos eo acerbior luctus omnium animos, queis ullus publicarum rerum ſenſus, occupabat, quo propius tanti Regis jactura ipſos tangebat; & quod repente Regnum è ſummo gloriæ faſtigio ad metum graviſſimarum calamitatum videretur devolutum. Nam firmata licet per Ordines Chriſtinæ ſucceſſione: tamen eorum, penes quos ipſa minorenni rerum adminiſtratio futura erat, autoritas nondum ſatis coalita exteris juxta ac civibus continendis vix ſuffectura credebatur. Magna inſuper ærarii tenuitas, & apud pleroſque libido publicis oneribus humeros ſubtrahendi; ægris præcipue rureſtrium animis ob frequentes delectus, & diuturni belli onera, quæ maximam partem in iſtos ſolent incumbere. Quin perſuaſerant pravi quidam homines, & rerum novarum cupidi non paucis imperitis, apud Smalandos præſertim, Finnoſque; Sigiſmundi filios Confeſſionem Auguſtanam amplecti, eoque maxime idoneos eſſe, quid ad Coronam Sueciæ admittantur; idque etiam Guſtavo, poſtquam nulla prolis maſculæ ſpes, placuiſſe. Nec dubium erat, quin vicini omnem lapidem moturi eſſent, ſi qua ſtatum Sueciæ turbare daretur. Neque tamen Senatus, cui in expeditionem profecto Rege cura Regni commiſſa erat, in publica conſternatione animis plane concidebat, aut clavum è manibus amittebat; ſed præcipuum fundamentum futuri ſtatus habebatur, CHRISTINAM Guſtavi Adolphi filiam, quam anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo ſeptimo hæredem Regni non extante prole maſcula deſignaverant, Reginam proclamare, & univerſos Ordines in ejus verba adigere. Tum prohibendis Principum Polonicorum machinationibus placuit, abdicationem Sigiſmundi renovari, perduellionis pœna in eos ſancita, qui de ejus prole revocanda mentionem feciſſent; ſimul literarum commercia cum Polonis, in Boruſſia cumprimis & Livonia, abſque peculiari Senatus permiſſu interdici, & quæ in Regnum mitterentur literæ diligenter excuti. Ac ne forte ſub legationis ſpecie corruptelæ tentarentur, decretum, ſi qui è Polonia acceſſum peterent Legati, diplomatibus ſecuritatis inſeri, ut neque aperte aut per ambages, nec publice aut privatim de Sigiſmundi prætenſione vel verbo meminiſſent; ſi ſecus fecerint, ſecuritatem expiraturam, & eos tanquam privatos cauſam dicturos. Quibus legibus nullus Legatus acceſſurus credebatur. Tum ſtatutum, ut tutela Reginæ, Regnique adminiſtratio penes quinque Collegiorum capita eſſet, quibus ſumma rerum de conſilio Senatus tractanda. Nam uni adminiſtrationem deferre, quod olim in Suecia factitatum, ambitioni viam pandebat. Et numerus iſte non nimis amplus, ut remora inde negotiis provenire poſſet; nec anguſtus nimis, ut uno aut altero mortuo novi ſtatim ſufficiendi forent, qui à prioribus diſpoſita everterent. Sed & Johannes Caſimirus Palatinus, qui Guſtavi ſororem in matrimonio habebat, & cui is ærarii curam commiſerat, Regni adminiſtratione plane ſe excludi in ſinu dolebat, ſimulans quoque in Germaniam ſe remigraturum, ut rogaretur. Quem Senatus, qui ſummam rerum ſibi utique ſervare cupiebat, blandis, iisque ambiguis reſponſis differebat, quouſque ſe ſtabiliſſet. Unde & ſtatim poſt Guſtavi mortem novem in Senatum adſumebantur, velut à Rege deſignati, iſti Ordini firmando. Quæ omnia in Conventu Ordinum, qui ad Februarium menſem indicebatur, publicâ lege ſancienda erant. Cæterum Guſtavi morte nuntiata, Præſides mox Provinciarum, & Epiſcopi, fidei ſuæ erga Regni hæredem patriamque admonebantur, utque populum in officio continere ſtuderent, omnes diſſidiorum occaſiones averterent, nec oppreſſione, injuriiſvè plebis animos irritarent. Sed & ea cura erat, ut præſentium temporum neceſſitate perſuaſus populus recepta hactenus tributa deinceps quoque toleraret; à quibus non temerè alicui immunitatem indulgere placebat, avertendæ cæterorum invidiæ. Si quod tamen periculum tumultus immineret, nonnulla onerum remiſſione plebem demulceri conſultum videbatur. Adverſus exteros munimenta limitanea idoneis præfectis, præſidiiſque, ſimul annona & adparatu bellico firmabantur, ſed citra ſtrepitum, & ne vicinorum animi adverterentur. Tum Præſidibus injunctum, pacta cum vicinis accuratè obſervare, erga eoſdem amicitiam oſtendere, nihil controverſiæ præcipue in Ruſſiæ finibus movere, minutas offenſiones diſſimulatione tranſmittere, æquis ipſorum petitis, ſalvâ tamen Regni Majeſtate, annuere. De cætero in omni actu intrepidos animos conſtanteſque præ ſe ferre, velut morte Guſtavi nihil amiſſum foret, Regnique jura ac dignitatem maſcule tueri ſedebat. Nec minus omnia ad bellum ſuſcipiendum domi parabantur, miles, arma, commeatus; tum claſſis omni ſtudio augebatur & inſtruebatur, ut proximo vere navigationi foret idonea. Nec placebat plus militis indigenæ aut pecuniæ in Germaniam trajicere, quam tuendis maritimis urbibus opus erat, ne Suecia viris, opibusque exhauriretur: cum iniquum videretur, eos, quorum res præcipuè agebatur, alieno ſibi ſanguine libertatem gratis comparare velle. Unde & à Cancellario quædam pedeſtres legiones, indigena milite conſtantes, ad loca maritima, & in Boruſſiam mittebantur firmandis ibi præſidiis, & ut paulatim in patriam reducerentur. Oram autem Germaniæ maritimam, quantum fieri poterat, non niſi modicis tributis onerari placebat, retinendo iſtorum populorum favori; & qua iſta non pertingebant ſuſtentandis præſidiis, è Suecia ſupplebatur. Ita diſpoſitos, ſi concordes inter ſe agerent, haut temere quis laceſſiturus erat; cum vacillantibus & animo lapſis nemo non inſultaturus foret. Circa Moſcum cumprimis viſum amicitiam cum ipſo ſtudioſe colere, ſed cum gravitate, & non velut ex metu; ac quamprimum ſplendida legatione eundem adire; fœdus tamen adverſus Polonos petentem probabili obtentu differre, eamque rem integram ſervare. Danus etſi non temere tunc quid moturus crederetur; ſi tamen armis invaderet, copiis quæ ad Viſurgim rem gerebant injungebatur, ut ſtatim in Holſatiam Jutiamque ſe penetrarent. A connubio Chriſtinæ cum Ulrico omnes abhorrebant; ac cum apud Guſtavum ſtatim poſt prælium ad Lipſiam per Einhuſium ſubtribunum Rex Daniæ id ambiiſſet, iſte id petitum abrupte rejecerat, nec de eo cogitandum dixerat. Inde & diligenter inculcabatur Reginæ Viduæ Mariæ Eleonoræ, ne deinceps iſtis procationibus aurem præberet, aut ullam ſpem Danis voto ſuo potiundi faceret. Fore enim alias, ut Proceres ſe iſti negotio opponant, ac Polonicorum Principum ambitus denuo ſtimuletur; unde ortis turbis inteſtinis ipſam Chriſtinam de Regno periclitaturam. De cætero tutiſſimum videbatur ſimplicem cum Danis amicitiam colere, beneficium ab illis aut arctius vinculum ne affectare, omnemque offenſam quantum fieri poterat evitare.

Oxenſtiernæ circa

§. 8. Enimvero Axelius Oxenſtierna quem ad Conventum Ulmæ indictum properantem nuntius

1633. tius de morte Regis Hanoviæ aſſequebatur, præter luctum omnibus bonis civibus communem graviſſimis curis diſtrahebatur, quæ ſublato capite circa Germanicas res conſiliorum via ineunda forot. Nam & is antea vivo Guſtavo magnam negotiorum partem ſuſtinuerat, quæ nunc in ſolidum ipſius humeris incumbebant. Hunc igitur ex una parte terrebat non tam potentia hoſtium, quam concordia, & acerrimum pro cauſa ſua ſtudium, par in adverſam partem odium placari neſcium, quod tantis cladibus irritatum ad vindictam ſumendam nunc eo ſit enixius incubiturum, quo major ſpes ſucceſſus allubeſcat, Proteſtantibus capite ſuo orbis, conſternatis, ac conſilii expertibus. Equidem Proteſtantium rem per Guſtavi arma victricia longe potiorem, copiasque hoſti haut impares; ſed diſcrepare conſilia, nec in unum ſcopum tendere, eoque concordiam inter eos ſervare in arduo fore. Hactenus Regis autoritatem utcunque eos continuiſſe; hoc vinculo abrupto, diſſociatis per hoſtium artes animis armisque, ſummam rerum collapſuram. Sibi ruentes res nomine Reginæ Succiæ fulcire conaturo obſtare dignationem Electorum & Principum, quorum ſupercilium laturum non ſit, ut Vir Equeſtri loco natus, & extraneus tanta inter ipſos poteſtate pollcat. Præterea exercitus numeroſi, animis ægri, & queis magnam partem Germani Principes præerant à Guſtavo conſtituti, & ab ipſo ſolo dependentes, qui num ipſius directionem æquo animo eſſent admiſſuri, dubium reddebant ſpiritus, qui natales illuſtres comitari ſolent. Ex adverſa parte animo obverſabatur ignominia, ac inevitabile damnum ac periculum, quod Succicam nationem manſurum erat, ſi quæ tanto ſanguine & labore, pari ſumtu per ſuperiorem Germaniam parta erant, citra antegreſſos tractatus pro derelictis haberentur. Utcunque res caderet, honeſtius ac tutius eſſe vi Germania expelli, quam per ignaviam ultro faceſſere. Actum eſſe cum Succis, ſi præſentium temporum difficultatibus territi manus ſtatim dent: ubi periculis intrepide obnitantur, ſpem honeſtæ transactionis ſupereſſe. Periculum quod nunc longius à Succiæ finibus remotum videatur, ſi turpiter bellum deſeratur, reciprocante velut æſtu mox iſtam inundaturum. Hoſtem, ſi denuo ſuperior evadat, jugo Proteſtantes ſubditurum, aut penitus excidio daturum; à quorum tamen incolumitate magnam partem Succiæ ſecuritas dependeat. His quippe oppreſſis hoſtem tot cladibus efferatum in Succos malorum ſuorum autores bilem effuſurum, eosque ſuperiori Germania excedentes non ad littus tantum maris ſecuturum, ſed & ut in Succiæ fines penetret tentaturum, reponendis, quæ inde accepit, damnis. Quod ſi per diſtractionem animorum deſtinata Guſtavi eo quo ipſe orſus erat ſplendore ad finem deduci nequeant; ſaltem tamen continuato per Germaniam bello hoſtes à Succiæ finibus longe removeri, æmulosque ne quid moliantur cohiberi, quoad nova & inſolita hactenus imperii forma ſub minorenni Regina ſtabiliatur, ac domi omnia rite diſponantur. Nec eo ſecius tamen connitendum, ut firmata Proteſtantium religione & libertate, honeſtaque pace conſtituta arma non inglorie exuere liceat.

Bellum Germanicum conſultatio.

Oxenſtierna deſtinata ſua Ordinibus Proteſtantibus expoſit.

§. 9. Hæc igitur ſententia cum ſederet, ſtatim atque Francofurtum ad Mœnum pervenit Oxenſtierna, quosdam Ordinum è quatuor ſuperioribus Circulis, qui tunc ibi agebant, ad ſe evocat, & quid hoc rerum articulo ſuſcipiendum ſit, eorum ſententiam exquirit. Aſt cum illi dolore & deſperatione oppleti ipſum conſilia ac ſolatia poſcerent, is de habendo apud Ulmam quatuor ſuperiorum Circulorum conventu exponit, ubi de arctiore inter ipſos & cum Corona Succiæ fœdere, ſimulque diſponenda re militari ſit agendum; cui conventui ut Regis nomine præſit ſibi in mandatis datum. Spem quoque ſibi eſſe Saxonem, & Brandeburgicum Electores, ac cæteros utriusque Saxoniæ Ordines ei fœderi acceſſuros. Quod ſi ergo conventum iſtum adhuc celebrari placeat, ſeſe omni ſtudio in id negotium incubiturum. Prius tamen ſuſcepto ad memoratos Electores itinere tentaturum, num hi paribus legibus ad amplectendam cauſam communem permoveri queant. Hæc omnibus qui tunc aderant, aliisque abſentibus, quibus hæc per literas ſignificabantur, cum probata forent, ipſi totum negotium magno ſtudio commendabatur. Cæterum quare Oxenſtierna tanto ſtudio conventum iſtum adproperaret, arcana cauſa ſuberat, quod Saxoniæ Elector de univerſis Proteſtantibus in concilium cogendis agitaret, in quo ipſe directoris ſibi partes arrogaturus erat; quas ipſi deferre Succicæ Coronæ indecorum, abnegare anceps erat. Quanquam & Brandeburgicus directionem iſtam citra exceptionem agnoſcere recuſabat. Hoc igitur ſuperiorum Circulorum conventu Oxenſtierna Saxonis deſtinata diſturbatum ibat; ac facilius ſibi cum iſtis Ordinibus conventurum judicabat, queis nihil æmulationis, aut controverſiæ cum Succis intercederet. Saxo autem etſi quo iſta ſpectarent, intelligeret, aperte tamen contraniti non audebat, ne ad alia conſilia capeſſenda Oxenſtiernam adigeret, magis ſibi forte moleſta. Per ambages tamen remoram injicere conabatur, ſcriptis ad Wurtenbergicum, Badenſemque, & alios literis, quibus monebat, negotium id utique ſic tractarent, ne Germanica libertas detrimenti quid caperet, ipſique liberas manus retinerent; nullo cum fructu, quod Brandeburgicus contra iſtos vehementer ad conſilia Oxenſtiernæ amplectenda hortaretur.

Oxenſtierna novis mandatis à Succia inſtruitur.

§. 10. Hic igitur per literas Duces, præfectosque Regios, nec non præcipuos Ordinum Germaniæ, quæ præſens tempus requirebat, monet. Inde rebus ad Rhenum, & Moguntiæ diſpoſitis VVurtzburgum profectus tribuno Claudio Hasverto injungit, ut contractis quibusdam copiis obſervet, ne tumentes animis provinciales novas res moliantur. Erfordiam delatus, in Succiam ad Senatum mittit, qui faciem rerum per Germaniam, & quid ſibi cum Ordinibus Francofurti convenerit, exponat; ſimul novis ut ipſe mandatis inſtruatur petat. Quæ & paulo poſt ampliſſima allata ſunt, quibus apud omnes & ſingulos Germaniæ Ordines, vicinos itidem Reges ac Respublicas, ſimul ad exercitus Succicos Legatus cum plena ac liberrima poteſtate conſtituebatur, dirigendis belli pacisque conſiliis, abs quo omnes miniſtri Regii ſagati togatique imperia accipere debeant, ac penes quem ſit pacem, inducias, fœdera per ſe ſuosve delegatos concludere, & omnia ſuo ex judicio agere, quæ Regno Succiæ ac communi Proteſtantium cauſæ commodo duceret. Super ſumma autem rerum per Germaniam ea ſententia Senatus erat, quam miſſo Petro Brahæo Comite ipſi exponebant, res quidem magnis periculis & difficultatibus implicitas fere ab exterorum arbitrio dependere: memoriæ tamen Regis ſuæque nationi indecorum, patriæ exitioſum fore, easdem nullo ulterius conatu evertere. Igitur bellum continuandum, quousque favente Numine felix illi finis imponi queat. Eoque fœderibus renovatis

1633. Proteſtantes adſtringendos junctis conſiliis armisque rem gerere, nec niſi obtenta utrinque ſatisfactione diſſociari. Quod ſi ſtatim conditiones patriæ decoræ ab ipſis obtineri queant, eas amplectendas eſſe. Sed ſi de præmiis Suecorum ad pacis tractatus rejicere, ac hiſce ſociati bellum continuare velint, ita ut interim quilibet, quæ poſſidet, retineat; providendum Cancellario, ut maximi momenti loca, & præcipue maritima, & quæ per Saxoniam ſitu Sueciæ opportuna ſunt, probe cuſtodiat, præſidio ex indigenis, & quos fidiſſimos norit, impoſito, ut iſta eousque obtineri poſſint, quoad Sueciæ ſit ſatisfactum, quæ loca quoque retinendo plebis favori tributis parcius ſint oneranda. Quod ſi autem animadvertat, id ab Ordinibus Germaniæ agi, ut Suecos, poſtquam eorum opera res ſuas reparaſſe viſi fuerint, citra ullam laborum penſationem ejicere iterum inſtituant, ei iniquitati extrema opponenda, & per externa fœdera conatus ipſorum frangendos, Gallosque, Anglos, & Batavos translatis in eos quibusdam ſuperioris Germaniæ locis in bellum pertrahendos, vel etiam alicui è Germaniæ Principibus, ſi quis velit, eam regionis partem conſignandam; ipſi autem adſumtis copiarum optimis, & fidiſſimis verſus Mare Balticum tendendum, firmatoque inter Albim & Oderam pede hoſtem litore arcendum, quoad honeſtis conditionibus pacem facere detur. Ad extrema tamen hæc uti non deſcendendum, niſi neceſſitas ſubigat: ita iſta potius arripienda, quam id tolerandum, ut patria pro tot impenſis, effuſoque tot fortium virorum, & qui omnem æſtimationem ſuperat, inclutiſſimi Regum ſanguine nil præter dedecus, dolorem, ingratorumque hominum ludibria reportet. Ac ſatius eſſe per vim expelli, quam ultro cedendo præter certiſſimum patriæ damnum ignaviæ nota Suecicum nomen adſpergere.

Oxenſtiernæ cum Saxoniæ Electore congreſſus.

§. 11. Hunc igitur ſcopum cum in univerſum ſibi propoſuiſſet Oxenſtierna, circa ſingula negotiorum pro re nata conſilium capturus, Erfordia Electoris Saxoniæ congreſſum per literas petit; qui Dreſdam ipſum invitat, alia loca ab hoſte fere vaſtata excuſans. Eo cum perveniſſet, non minus honorifice, ac ſi Rex adhuc viveret, excipitur. Inde proponit; ſe poſt mortem Regis exercitus ne diſſiparentur continuiſſe, ſuperiorisque Germaniæ Ordines hortatum, ut conjunctim rem gerant, quoad honeſta pace potiri liceat; quo fine iſtos quoque arma retinere conſtituiſſe. Sed cum Electore è præcipuis Suecorum fœderatis ſit, ab eo ſe exquirere voluiſſe, quam viam ipſe ineundam, & quousque Sueciæ deinceps in hanc cauſam deſcendendum judicet. Id quod tamen non tanquam Legatus, ſed privato tantum nomine petat, ut inde quæ ex uſu patriæ ſuæ videantur eſſe, conſilia capere poſſit. Ad ea Saxo prolixe de ſua in perſequendo bello conſtantia, ac ut perculſo hoſti acriter inſtetur ſuadere, Succis ex una, ſe ex altera parte in Bohemiam & Moraviam irrumpentibus, ne vires recolligendi ſpatium iſti relinquatur. Addit tamen; certum finem deſignandum, ob quem arma ſint gerenda, ac oblatam pacem non repudiandam. Heic Oxenſtierna; de ſcopo armorum dubii nihil eſſe: qui ſit ſincera & univerſos complexa pax, per quam ſacra Proteſtantium, & libertas Ordinum in tuto collocetur. Cavendum tamen, ne vocabulo pacis peſtilens ludibrium ſubſit. Victoriam perſequendam, ſed ne intempeſtivo conatu ejus fructus corrumpatur. Ante omnia res occaſu Guſtavi fere collapſas eſſe inſtaurandas, Proteſtantesque arcto invicem vinculo innectendos, ut hoſtis intercepta fallaciarum via ſerio animum ad pacem applicare cogatur. Nec minus declarandum, quousque & qua ratione cenſeat, Sueciæ Regnum iſti ſe bello debere immiſcere. Heic Saxonici nil niſi priora ingeminare, de irruptione in Bohemiam, & ne pax rejiciatur. Et quanquam Oxenſtierna rerum ordinem inverti oſtenderet, & prius de rebus rite diſponendis, quam de victoria agendum; nihil tamen præter inanes verborum ambages exſculpere licebat. Tandem cum iſti ſententiam Oxenſtiernæ noſſe cuperent, hic citra præjudicium ſuperiorum ſuorum multis demonſtrabat; triplicem eſſe viam labantes Proteſtantium res ſervandi. Vel enim omnes eos inter ſe, & cum Suecia fœdere ad finem usque belli innectendos, ſumma directione, uti antea vivo Guſtavo, huic relicta, cui tamen Concilium ex Ordinibus circumponendum ſit, ne ad unius placitum res adminiſtrentur. Vel in duo corpora diſcedendum, quorum uni Suecia, altero Saxo præſit, communicatis conſiliis rem geſtura, ſibique invicem auxilio futura, ac non niſi conjunctim ad pacem deſcenſura. Vel ſi Suecorum auxilio carere ſe poſſe judicent, hos idonea penſatione dimittendos, & ab Ordinibus ſolis rem ſuſcipiendam, ut tamen Suecia poſt pacis tractatibus includatur. Ex his utra via arrideret, Saxonici ut declararent nulla ratione adduci poterant. Nam quod poſtea ex aliis intellectum, primam improbabant, quod Elector alterius directionem extranei præſertim dedignaretur; nec minus poſtremam, quod quæ præmia Succis danda forent non diſpicerent: media non diſplicebat, ſi quæ eam circumſtabant difficultates ſuperari poſſent. Tandem Oxenſtiernæ ſignificatum; non poſſe Saxoniæ Electorem ſuper tanti momenti re decernere, niſi collatis cum Brandeburgico conſiliis. Id tamen iſte ſancte aſſeverabat; ſe communi cauſæ deinceps non minus acriter incubiturum; nec de pace acturum niſi ex fœdere communicata re cum Succis, aliisque quorum intereſt: nec beneficiorum à Guſtavo acceptorum unquam immemorem fore, gratiamque filiæ, ac Regno Sueciæ relaturum. Præter iſthæc nihil Oxenſtierna extundere poterat; niſi quod ſatis intelligeret, ab iſta aula tunc maſcula conſilia, & vigorem tantis rebus parem abeſſe; nec paucos in Cæſarem inclinare. Iſtos homines proſperis & copioſis rebus adſueros, duraque pati indociles reflante fortuna animum ſtatim deſpondere, ac ab inani ſpe malorum remedia expectare. De cætero ſolenne iisdem, ſenſus ſuos tegere, in diem omnia differre, prolixarum orationum, & dubitationum, nec non ceremoniarum affatim, ſolidi nihil exprimere. Si quis ut ad rem accederetur, inſtantius urgeret, imperioſe ſecum agi querebantur.

Brandeburgicæ cauſæ communi favet.

§. 12. Cum nihil amplius heic obtineri poſſe cerneret Oxenſtierna, inde ad Brandeburgicum Electorem proficiſcitur; qui majus in cauſam communem ſtudium oſtendebat, & quæ ab iſto ſuper Proteſtantium conjunctione proponebantur utique probabat, addito; ſi vel maxime unus aut alter Ordinum in transverſum abeat, ſe ideo haut quaquam ceſſurum, ſed reliquis ſociatum omnia ſua communi ſaluti impenſurum. Eoque fine conventum Ulmæ properandum cenſebat, datis quoque ad Ordines ibi congregatos literis, quibus ad concordiam & maſcula conſilia amplectenda eos hortabatur, ac ut cum Succis ſocietatē omnino conſervent, ne ſi iſti à cæteris deſtituti ad peculiares tractatus ineundos adigantur, ipſi irato hoſti in prædam exponantur, qui ſummam ſpei in eo collocet, ut Ordines

1633. nes inter se, & à Suecis divellantur. Eadem quoque peculiariter Wilhelmo Hassiæ Landgravio, & Duci Wurtenbergico, quorum magna iis in Circulis autoritas, ingerebantur.

Conventui inferioris Saxoniæ inhibetur.

§. 13. Interea Fridericus Ulricus Brunsvvicensis Dux conventum Inferioris Saxoniæ Luneburgum indixerat, simul copias suo nomine conscribere cœperat. Id quod eo tendere judicabat Oxenstierna, ut is Circulus Suecis avulsus suas seorsim rationes iniret; præsertim cum Saxoniæ Elector ad Præsulem Bremensem, aliosque scripsisset; ut amicitiam quidem cum Suecis colerent, sed usquequaque tamen liberam sibi, nullaque obligatione circumscriptam agendi facultatem retinerent. Igitur isti mature obviam ire constituit, missis ad Ducem Dodone Cniphusio, & Jacobo Steinbergio, qui ostenderent; non debuisse id fieri inconsulta Corona Sueciæ, Magdeburgicum jam Præsulatum possidente, cui antiquitus jus conventus eo in Circulo indicendi competat. Et cum separati ejusmodi congressus non nisi ad dissociandos Protestantes faciant, eo conventu supersedendum: alias sibi constitutum vi eundem impedire. Ad quæ Dux quidem causabatur; arma sibi parari expellendis ditione sua Cæsareis præsidiis: conventus indici solere à proximis Principibus, Directore impedito: non constitisse, quousque Suevi Magdeburgicam ditionem sibi vindicare decreverint: ejusmodi conventus legibus Imperii conformes, quos si impedire velint Suevi, vitium iri eos libertatem Germaniæ oppressuros: nec eousque diffidendum Principibus, velut ipsi causam communem destituere velint. Ad quæ isti reponebant; non tam conventum, quam modum convocandi improbari, exclusa Suecia; eo fine bellum geri, ut Imperii leges vigori suo restituantur; id quod per fœdera obtinendum, quæ non permittant inscia Suecia separata consilia capessere: Ita tandem Dux cedebat, ac Ordinibus qua de causa conventus omitteretur, significari curabat. Quæ res inter alios Regem Daniæ non mediocriter mordebat, præsertim quod animadverteret Suecos suspicari, ipso instigante conventum illum indictum. Ejusmodi igitur conatibus observandis atque disturbandis Joanni Salvio Legati munus per Inferiorem Saxoniam prorogatum. Stenoni quoque Bielkio Pomeraniæ utriusque cura commissa. Cæterum quare deinceps Suevi universam Inferiorem Saxoniam fœdere sibi illigare non tentaverint, cum tamen plerique Ordines peculiari pacto illis jam juncti forent, causa erat, quod metuerent, ne Brandeburgicus & Meclenburgenses eo sibi fœdere caverent, nihil de Pomerania & Mecklenburgica decerptum iri farciendis Suecorum impensis. Quod Suecos neque annuere Regni sui rationes, nec abnuere præsentium temporum conditio permittebat. Eoque potius videbatur occasionem declinare, qua ad animi sui sensa circa eam rem intempestive pandenda urgeri poterant, ac futuræ opportunitati ista reservare.

§. 14. Berolino Halam digressus Oxenstiernius severa edicta per Marchiam promulgat, ut copiæ absq; provincialium vexatione transitum faciant, ac prædabundi coërceantur, constituto qui ista executioni daret curaret. Ibidem à Galliæ Rege Legatus accessit Grangius, qui prolixe hujus studium in Suecorum ac Protestantium arma testabatur, & quod idem solennem Legationem ad Cæsarem missurus sit, de sua cum Suecis societate expostura, istumque ad æquas pacis conditiones amplectendas hortaturam; cui concilianda operam suam offerat. De *neutralitate* quoque Ordinum Pontificiorum ut cum Suecis, sociisque agatur, petebat. Quod postremum ad futurum conventum Oxenstierna rejiciebat. Idem Gallum mediatorem probabat, ut esset, quem Dano adjungeret, cui soli Sueciæ negotia committi tutum non videbatur. De cætero an Rex Galliæ ad Cæsarem Legatos mittere vellet, ipsius judicio relinquebat. Quæ super re Saxonis, & Brandeburgici Electorum sententiam quoque exquiri posse, qui Dresdæ tunc congressi erant, annitente Brandeburgico, ut Saxonem ad consilia ab Oxenstierna proposita permoveret. Ubi integrum mensem super pacis mediis, conditionibusque, aut bello continuando disceptatum nullo cum fructu. Nec dissimulabant Saxonici, vehementer sibi displicere, quod Oxenstierna in Episcoparibus per Suecos occupatis multa donaret, ac cæteris fœderatis inconsultis conventum Ulmæ indixisset; quodque Ducis Brunsuicensis delectus, ac conventum Luneburgicum inhibuisset; velut is dictatoriam sibi per Germaniam autoritatem arrogatum iret. Ac præcipue cum super indicendo omnium Protestantium conventu Saxonici proponerent, & Brandeburgicus moneret, ut prius de ejusdem moderamine cum Oxenstierna conveniretur, illi non modice incalescebant, frementes sub directorii vocabulo Suecos arbitrium belli pacisque per Germaniam invadere; quod nec aliis, nec Saxoni ullo modo ferendum sit, cui Lipsiensi conventu summa rei inter Protestantes moderamen sit commissum. Id quod tamen Brandeburgicus aspernabatur, nec minore se dignatione quam istum habendum contendebat. Qui & id ingerebat; postquam Protestantes propriis se tueri viribus nequeant, satius esse exterorum auxilio uti, licet fors particula aliqua decerpenda Imperio sit, quam una cum libertate sacra ipsorum plane opprimi. Tum serio & omni conatu in bellum incumbendum, nec temperatis intempestiva erga hostem reverentia armis causam prodendam; cum nihil perniciosius sit, quam media & ambigua consilia sequi, ubi extrema ab hoste intentantur. Nihil tamen ista valebant, ut Saxo prorsus destinata sua declararet, aut ab Oxenstierna propositus se adplicaret; sed in universum studia sua erga communem causam, quam desertus hautquaquam sit, testari satis habebat.

Legati Gallici cum Oxenstierna congressus.

Saxo & Brandeburgicus Dresdæ convenient.

1633.

§. 15. Nec majus operæ pretium apud Saxonem faciebat Legatus Gallicus Grangius, qui post oblatam Regis sui ad futuros pacis tractatus interpositionem multis ostendebat; non satis constare, num pax Cæsari cordi sit, jam magna mole bellum reparanti, ac morte Gustavi refumtis animis. Eoque acrius concordiam Protestantibus amplectendam, omni privato respectu, atque æmulatione seposita, nec per peculiares tractatus in diversa abeundum. Tum bello communem ab omnibus scopum præfigendum, & quicquid copiarum est, in unum velut corpus redigendum, summæ rei moderamine in unum collato, ut omnia eo celerius atque tectius expediri queant. Cum autem id bellum Regis Sueciæ auspiciis cœptum, gestumque hactenus sit, cui Protestantes fœderibus sese adjunxerint, directione belli eidem relicta; par esse, ut & deinceps eadem penes Sueciæ Coronam maneat, dignatione cæteris potiorem, & in cujus manu plerique exercitus, hostibusque ereptæ provinciæ sint. Eamque rem à Rege suo vehementer suaderi. Enimvero Saxo prætracte abnuebat à se belli moderamen Suecis concedi posse. Brandeburgicus contra Legato adstipulabatur de concordia, ac maturandis belli adparatibus; nec minus de belli directore, verum non eo modo, ut bellum & pax in unius arbitrium conferatur, id quod libero populo intolerandum sit; sed ut ab universis confœderatis certi quidam delegentur congruis mandatis instructi, qui consilio bellico adjuncti de

Ad eosdem Legati Gallici propositio.

omnibus

1633. omnibus negotiis conſultent, atque decernant, quos inter uni directionem tam in deliberando, quam exſequendo eo quod decretum ſit deferendam. Eidem quoque placebat Proteſtantium militiam in unum corpus redigi. Sed ea de re omnium quorum intereſt conſenſu decernendum; & quia de moderamine Coronæ Sueciæ relinquendo Saxo in dubium revocet, ſe ſuo ſuffragio rem definire non poſſe, ſed eandem ulteriori conſultationi eſſe reſervandam. Sic & iſte Legatus re infecta Dreſda diſceſſit.

Landgravii Georgii cum Cæſareanis congreſſus.

§. 16. Porro cum Cæſarei valde cuperent cognoſcere, quid iſto congreſſu decretum foret, à Cæſare Leutmericiam ablegatur Epiſcopus Viennenſis, & Queſtenbergius; qui Georgium Haſſiæ Landgravium tunc Dreſdæ agentem ad ſe invitant, velut ſuper pacis negotio cum ipſo collocuturi. De qua profectione nihil ſibi ante, quam Landgravius jam diſceſſurus eſſet, conſtitiſſe Brandeburgicus teſtabatur. Saxo autem ei ſe itineri non obſtitiſſe ferebat, ut quid conſilii foret Cæſari expiſcaretur. Revera autem congreſſum iſtum Antonius Wolfius Landgravii Cancellarius procuraverat, Cæſareis partibus addictiſſimus, quo Cæſarem de rerum ſtatu iſtorumque conſiliis, ac Dreſdæ inter Electores actis edocere poſſet. Neque vero aliud ibi propoſitum ferebatur, quam de Cæſaris in pacem ſtudio. Quod Landgravius probaſſe ſe aiebat, ſed ut illa univerſos complecteretur, & Cæſar præcipue Palatinatum reſtitueret, Suecisque ſatisfaceret. Peculiares tractatus in caſſum tentari. Fridlandus tamen iſtum congreſſum ſe inſcio ſuſceptum indignabatur, ex pacto belli pacisque arbitria ſibi competere jactitans. Qui & circa id tempus ſuper affectato Bohemiæ Regno in ſuſpicionem venerat; multosque in Cæſaris aula, & inter eos conjunctiſſimum ſibi quondam Eggenbergium Principem à ſe alienaverat, quod prædia eorundem contributionibus oneraret, easque à detrectantibus manu militari extorqueret.

Oxenſtierna Erfordienſibus claves oppidi reſtituit.

§. 17. Aſt Oxenſtierna Hala in ſuperiorem Germaniam tendens Erfordiæ litem inter urbis Senatum, & præſidii præfectum ſuper clavibus portæ cujusdam fervere deprehendit. Cum enim illæ hactenus penes præfectum fuiſſent, ex quo tempore Wilhelmus Vinarienſis Dux urbem occupaverat, eas nuper oppidani incuria militum in portæ clauſtris relictas ad Conſulem detulerant, truſtra repoſcente Præfecto, quoad Oxenſtiernæ arbitrio res committeretur. Qui cum oppidanis rem magnopere cordi eſſe videret, univerſas urbis claves iſtis conſignavit, quod ea tempeſtate homines benevolentia magis quam vi in officio continendos judicaret; ſimul conſtituit, ut præſidium Regium urbe ejusque territorio educeretur, civesque denceps milite à ſe conſcripto, qui tamen ſimul Coronæ Sueciæ verbis ſit adigendus, urbem cuſtodirent. Et ubi plus militum intromitti neceſſum ſit, id absque civium onere fieret. Ab eodem quoque Thuringiæ Ordines invitabantur, ut ſuperiorum Circulorum Ordinibus ſe adjungerent, ac militem ſtipendiumque conferrent, quorum prius ob Saxoniæ Electorem abnuebant: cætera ſat liberaliter offerebant, ni idem miſſa ibi in hoſpitium legione non pauca intercepiſſet.

Conventus Ulma Heilbrunnam transfertur.

§. 18. Wurtzburgum delatus Oxenſtierna res per Sueviam paulum mutatas deprehendit, quod ingruentibus ibi Bavaricis itinera circa Ulmam parum tuta forent. Igitur placebat conventum ibi indictum Heilbrunnam transferre, quo ad Calendas Martias Ordines eorumque Legati invitabantur. Wurtzburgi quoque offendit Manaſſem Paſſæum Marchionem Feuquierium à Galliæ Rege ad eum conventum Legatum, qui de ſtudio Regis in communem cauſam prolixe teſtatus, ſi forte Sueci iſtis 1633.
locis hoſti impares forent, ad duodecim millia auxilio pollicebatur. Simul Regi moleſtum eſſe oſtendebat, Lotharingiæ Ducem occupatis Tabernis Alſatiæ, & Dacenſemo bello ſe immiſcuiſſe; pro quo facinore ſi caſtigetur, id Rege non invito fieri. Quæ Oxenſtierna libens acceptabat, addito; ſolum Galliæ Regis reſpectum obſtitiſſe, quo minus iſte dudum noſtilia expertus fuerit. idem Legatus ut Oxenſtiernam plane Gallorum rationibus adjungeret, multa de Regis ſui in ipſum benevolentia memorabat, pollicitus quoq; auxilium Regis, ſi privatas augere opes cuperet: quin & autoritatem ejusdem, ſi Reginam ſibi ſuo vellet connubio jungere, ac militem pecuniamque, ſi ea ex cauſa bellum ſit gerendum. Quæ cum eo ſpectarent, ut Oxenſtiernæ opera Galli tractu Germaniæ Transrhenano ſibi opportuno potirentur, obtentu modeſtiæ velut votis ſuis ſuperiora ab ipſo eludebantur. Paulo poſt idem Heilbrunnam adpellens Ordines magno numero convenſſe invenit, ita ut ſtatim manus negotio admoveri potuerit. De quo antequam exponamus, prius quid actionum bellicarum per hibernos menſes patratum ſit, referemus. 28. Febr.

Oxenſtiernæ circa bellum deinceps adminiſtrandum diſpoſitio.

§. 19. Ut ſtatim poſt prælium ad Lutzenam in Bohemiam bellum transferretur, Saxoniæ Elector ſuaſerat, ne hoſti ſpatium recolligendi vires relinqueretur. Id conſilium quantumvis ſpecioſum Oxenſtiernæ non probabatur, quod exercitus hautquidquam diſpoſitus eſſet tantæ expeditioni cum aliqua ſucceſſus ſpe ſuſcipiendæ, pleriſque animo ægris, & novum laborem eo anni tempore adſpernantibus. Et cum hoſtes locis ſibi opportunis invadendi eſſent, ubi ſecus res cecidiſſet, irreparabile damnum accipiendum erat. Pars quoque exercitus in Saxoniam Inferiorem mittenda erat reprimendo Gronsfeldio; & cum hoſtis proximo Vere bellum magna mole inſtauratum iret, copias hiberna expeditione atterere haut conſultum videbatur. Igitur deſignationem Regis paulo ante mortem conceptam Oxenſtierna ſequi conſtituit, ac majorem exercitus tunc in Miſnia hærentis partem ad quatuordecim millia Georgio Luneburgico in Saxoniam & Weſtphaliam, reliquam Bernhardo Duci in Franconiam deducendam tradebat, quorum illi Chiphuſius, huic Lohuſius adjungebatur. Luneburgico in mandatis datum; de tranſitu ad Viſurgim ſibi primum proſpiceret, & ſi per Gronsfeldium liceat, unum atque alterum munitum locum ei fluminis adſitum occuparet; aut ad Amiſiam usque penetraret, poſitaque ibi velut arce belli hoſtem quantum poſſet Weſtphalia depelleret. Dum interim Wilhelmus Landgravius Weſtphalis ab altera parte incumbit, & præcipue prohibet, ne hoſtiles circa Viſurgim copiæ, cum iis quæ ad Rhenum hærebant, ſefe conjungere poſſent. Bernhardus Dux Bambergam tendebat, copias ſuas quiete refecturus, ſimul tuendæ Franconiæ, ac imprimis Noribergæ, & ut copias ad Danubium, ſi opus foret, ſubſidio venire poſſet. Hiſce hactenus per invaletudinem Bavarn Chriſtianus Palatinus Birckenfeldenſis præfuerat; ſed cum iisdem, prævalente hoſte, ſuppetias ex Alſatia Hornius ferret, iſte ad Oxenſtiernam ſe conferebat; à quo copiis ad Rhenum præficiebatur, miſſionem flagitante Bauditio. In Sileſiam denique, ubi conſule hactenus res geſta fuerat, Senior Turnius Comes cum imperio mittitur, affinitatibus, autoritate, & gratia ibi locorum prævalens. Cui injungitur, eos, qui ultro Succorum partibus acceſſerant, velut amicos habere, & omni modo Sueciæ devincire: inde cum Saxonicis & Brandeburgicis ducibus communicato conſilio hoſtem

Pro-

1633. Proteſtantium terris arcere. Ut tamen ſemper ad Marchiam, & Pomeraniam reſpiciat; cui, ſi hoſtis ingruat, Sileſia deſerta ſit ſubveniendum, nec unquam eo usque in Auſtriacas provincias penetrandum, ut non ſtatim iſtis locis ſubſidio accurri poſſit. Turrium tamen in Sileſiam cum ita amplis mandatis miſſum fremebat Arnheimius, velut is in ipſum quoque exercere imperium obtenderet. Et quanquam Oxenſtierna ſcriptis ad Saxonem & Arnheimium literis declararet, Turrio in Succicas duntaxat copias imperium commiſſum; non ideo tamen æmulatio tollebatur, quod Arnheimius in Sileſia ſuo tantum arbitrio rem gerere, Succosque in appendicis loco habere vellet; & quia ſuperiori æſtate Arnheimii proditione Saxonum res per Bohemiam peſſum iviſſe Turrius arguerat.

Bernhardus Dux in Franconiam abit. 14. Jan.

§. 20. Diſtributis hoc modo inter Duces provinciis, Bernhardi quidem Ducis copiæ Franconiam ingreſſæ ex itinere Staffelſteinam vi expugnaram diripiunt. Inde Bambergam nemine repugnante occupant, receptis in fidem Sacerdotibus, cæterisque civibus, qui remanſerant. Nec ad Martium usque menſem memorabile quid actum, niſi quod Bulachio cum majore equitatus parte in ſuperiorem Palatinatum ituro Joannes Wertanus improviſo ingruens damni nonnihil intulerat: & oppidum Hochſtadium, ex quo itinera circa Noribergam infeſta habebantur, cum deditionem ferociter abnueret, vi expugnabatur cæſis omnibus puberibus. Ædificia direpta fortuito exortus ignis ablumebat. Inde cum Forchemo obſidium circumponere intempeſtivum Duci videretur, propius Danubium proceſſit, ut vel hoſtem Hornio incumbentem diſtraheret, vel ſi res ferret huic junctus iſtum invadere poſſet.

Joan de Wert. 29. Febr. 11. Mart.

Hornius in Sueviam tendit.

§. 21. Hornius quippe re per Alſatiam bene geſta Sueviæ advertus Bavaricos auxilio venturus trajecto Rheno ex itinere Kentzingam, & Friburgum Brisgoviæ occupaverat. Inde duobus Wurtenbergenſium millibus, qui Rotvvilam occupaverant, auctus Danubium verſus properat, & Banerii copiis valde quidem deminutis ad Geckſingam jungitur, hoſte iter ejus ſiſtere non auſo. Quo tamen antequam perveniret Hornius, hoſtis jam per Sueviam progreſſus fecerat non ſpernendos. Altringerus quippe Bavaricus dux, poſt Landsbergam ad Licum expugnatam, Sueviam irrumpens, Memmingam levi negotio occupaverat, nec præſidiariis, quas pacti fuerant, deditionis leges ſervaverat, gregariis ſub ſigna ſua redactis, ac oppidanis magna pecuniæ ſumma emunctis. Inde Campodunum invaditur, quod ducenti præſidiarii Succici una cum civibus ad decimum usque diem acerrime propugnabant, fœminis quoque lapides & ferventes aquas apportantibus. Ac jam tres hoſtium aſſultus maſcule repulerant; cum tandem impetu à meridie ad veſperam continuato hoſtis numero prævalens oppidum irrumpit, ac cædibus, ſtupris, rapinis, incendio omnia miſcet. Qui in arcem refugerant cives pecunia vitam redimere cogebantur. Nec eo minus oppido magna argenti vis imperata, primariique cives cum uxoribus & liberis captivi Lindaviam, aut ad Tirolenſes abducti. Inde Biberaco hoſtis minitari videbatur, quod Hornius immiſſis ducentis dimachis, & promiſſo ſubſidio ad tolerandam obſidionem firmabat. Sed cum è præcurſoribus, qui turmam hoſtium oppreſſerant, intellexiſſet, Bavaricos circa Memmingam, & Campodunum diviſis copiis hærere, ipſe transmiſſo ad Kirchbergam Illaro ex alterâ parte fluminis iſtos urgere conſtituit. Ac primo quidem non procul Memminga ſtatio hoſtilis ducentorum dragonum opprimitur. Sed iſti ad Memmingam conſiſtere non auſi, immiſſis ei oppido duabus legionibus Campodunum retrocedunt. Quos Hornius non procul eo oppido aſſequitur, duasque equeſtres legiones, & quicquid deſultorum habebant, conſpiciente toto exercitu Bavarico, cædit. Quo conflictu ſeptem vexilla, ac ſubtribunus cum aliquot ductoribus à Regiis capti, tribunusque Gallebertus occiſus. Ac ni nox incidiſſet, totus hoſtium equitatus, qui jam vacillabat, in fugam dari poterat. Sed Altringerus nocte tectus ad Leibuſſum recedebat, objacente anguſto tranſitu, quem pluvia præſertim tempeſtate in conſpectu hoſtilis exercitus tranſire arduum erat. Igitur Hornius Ottenbeuram regreditur, reficiendo pauliſper militi, & ut hoſtis conatus obſervaret. Quem cum diutius ibi hærere videret, facto per Mundelheimum & Kaufbeuram itinere, à Lico eum intercludere inſtituit, ut interea Banerio occaſio foret Landsbergam tentandi. Eo conſilio Altringerus animadverſo, ut Hornium retardaret, trecentos milites raptim Kaufbeuræ immittit. Ipſe per noctem bipartito copias apud Schongam & Fieſſam trans Licum rapit, & conjunctis iterum iisdem ad Schongam conſidet. Hornius interim Kaufbeuræ immiſſum militem modicâ vi adhibita in poteſtatem redigit. Sed cum hoſtem trans Licum inæqui agiraret, cognoſcit ſeptem legiones è Bohemia & turmas aliquot è Franconia iſti ſubſidio properare. Igitur poſt eam acceſſionem hoſti ſe imparem judicans, præſertim cum Banerii miles male habitus eſſet, ac Wurtenbergici carptim domum faceſſerent, paulum ſe reprimere ſatius ducebat, ac interim à Bernhardo Duce poſtulabat, ut is cum ſuo exercitu propius Danubium accederet. Et quia hoſtis Suevia exceſſerat, Campodunum in poteſtatem redigere ſtatuebat, quod per biduum obſeſſum poſtera die capiendi ſpes erat. Aſt Altringerus legionibus è Bohemia auctus Lico iterum transmiſſo recta Mundelheimum, & inde Biberacum tendebat, ut hoc raptim occupato Wurtenbergicæ ſe infunderet, opimis ibi hibernis fruiturus. Eo voto ne potiri hoſtis poſſet, Hornius deſerto Campoduni obſidio Biberacum properat, idque præſidio firmat. Inde ad Munderdingam Danubium tranſit hoſtem anteverturus, ac capta idonea ſtatione eidem ſe objecturus; quod non conſultum videretur absque neceſſitate prælii aleam tentare. Nec hoſtis minus, cui non prælium, ſed Wurtenbergica præda cordi erat, magnis itineribus ad Danubium feſtinabat, quem pridie ponte ad Greiſſingam extructo cum majore copiarum parte tranſierat. Ubi poſtremum Hornii agmen præter hujus imperium in primum hoſtium agmen acriter impetum facit, idque retro agit: ſed mox tota vi incumbente hoſte pedem refert, quoad Hornius ſubſidio accurrens iſtum ſiſteret. Inde Hornius copias ſuas in aciem ad Lauteram in monte explicat; quod idem Altringerus in ſubjecta valle facit. Nihil tamen inter illos actum, quam ut tormentis ſe mutuo impeterent, exiguo utrinque damno. Nam è Succis non ſupra quinquaginta deſiderati ſunt. Ita citra ullum impedimentum Pfullingam Hornius proceſſit, contentus hoſtem Wurtenbergica arcuiſſe, quam conſervari Succicarum rerum tantopere intererat. Et quia Bavaricis plures legiones è Bohemia accedere dicebantur, Hornius Rheingravio mandabat, ut præcipuis per Alſatiam, & Briſgoviam locis præſidio firmatis cum majore equitatus parte ad ſe accederet. Enimvero hoſtis Wurtenbergica exclusus fruſtra tentato Biberaco copias bifariam divisit; ac peditatum plerumque per oppida inter Licum & Illarum diſtribuit, cæteris verſus Bodamicum lacum dimiſſis, quo in tractu tribunorum

1633. 9. Jan. Bavarici ab Hornio vapulant.

Hornius Altringerum Wurtenbergico agro arcet. 2. Febr. 8. Febr.

Sant

1633. Sant Andreani, & Forbesii novos delectus dissipabat, illo quoque capto. Hornius autem cognito hostem copias suas laxius per hospitia sparsisse, assumta valida equitum manu nocte Dietturti Danubium transit, & orto die tribuni Hispani legionem Simmeringæ & propinquis vicis metantem opprimit, & plerisque ductoribus ipso cum tribuno & quinque vexillis captis totam fere legionem destruit; ipse re bene gesta in stativa sua regreditur.

Hornius legionem hostium opprimit. 27. Febr. d'Espagne.

§. 22. In Alsatia Hornio digresso hostis iterum cristas erigere, & impositum sibi jugum excutere nitebatur. Et Hagenoæ quidem nonnulli cives Pontificiis sacris addicti, adsumtis in societatem quibusdam rusticis, Cæsareum præsidium, quod nuper Tabernis Lotharingo traditis excesserat, in id oppidum introducere moliebantur, cujus ope Suecos apud se hospitantes trucidarent. Dolus hoc modo instruebatur. Rustici militum quosdam curribus fœno ac stramine onustis abditos sub portam usque vehebant; qui repente prosilientes vigiles securos jugulant, ac mox cæteros, qui extra oppidum insidiarum causâ latitabant, signo dato immittunt, civibusque simul insurgentibus facile Suecicos opprimunt; quos partim ferro, partim fustibus atrociter necant, præfecto Croneckio, aliisque ductoribus captis. Cæsorum corpora centum triginta vestibus spoliata extra mœnia canibus lanianda projiciuntur. Triduo post eodem delatus Salmensis Comes ad illud oppidum muniendum omni vi incumbere cœpit, Argentorato inde multas molestias daturus. Sletstadii similis struebatur scena; sed consilio detecto exitium, quod Suecicis parabatur, in autorum capita vertebat. Ea res Argentoratenses advertit, ut ab insidiis probe sibi caverent, ac Equites Ordinis Teutonici, Monialesque domicilia mœnibus contigua deserere, alibique sedes capere cogerent. Brisacenses quoque Rheingravio circa occupandam Thannam, Altkirchamque, & Pfirtam, aliaque Suntgoviæ loca distento, Neuburgum ad Rhenum subito opprimunt, cohortemque Suecicam ibi præsidio locatam partim cædunt, partim capiunt. Is successus audaciam addebat, ut eadem circa Langendenzlingam tentarent, quo tribunus Einhusius Schatelitzkium & Canofskium ad epulas invitaverat. Sed hi media inter pocula nuntiato hostium adventu equites suos raptim ad pugnam cient; qui vix in ordines se utcunque dispoluerant, cum hostis adesset, pugnamque inciperet, ac istos numero inferiores Friburgum versus propelleret, ubi Canofskii legio hospitabatur. Hic mox excitatis suis Einhusii turmis auxilio advolat, iisque junctus Brisacenses invadit, & acrem post conflictum in fugam conjicit, cæsis circiter quadringentis, totidem captis, quorum plurimi post è vulneribus obiere. Sed & agrestium in Suntgovia ad quatuor millia conglobati Pfirtam, Altkirchamque intercipiunt, & quos ibi ac per vicina passim deprehendunt Suecicos atrociter trucidant. Ad hos compescendos Rheingravius validam manum Thannam versus rapiebat; quo antequam veniret, jam tribunus Harpfius coactis novendecim equitum turmis apud Blotzheimum eos in aperta camporum pertractos misere multaverat, cæsis mille amplius, totidem captis. Quo cognito Rheingravius, ut istum motum penitus sedaret, Befortum tendit, ubi Montecuculus Comes cum aliquot equitum turmis, & magna parte agrestium agebat. Sed hic inconditæ turbæ diffisus non expectato Rheingravii adventu Brisacum se recipiebat. Agrestes in cœmeterio vici Dommerskirchæ oppressi, veniam frustra implorantes immanitatis suæ pœnas dederunt occisis mille sexcentis. Quæ clades tamen non deterruit rusticos per Brisgoviam, quo minus & ipsi in Suecicos interceptos sævirent; qui tamen pariter pœnas dederunt suspendio necati, aut ad opus faciendum abducti. Nec eo secius Brisacenses denuo fortunam tentare ausi mille numero Kentzingam interceptum tendunt. Quibus Suecici, destinatis ipsorum proditis in itinere insidias ponunt; in quas denuo vadum præcipitant, cæsis aut captis plerisque, pauci incolumes evalere; quos inter Wilhelmum Badensem Marchionem brachio arreptum eques ignotum jam trahebat, sed mox splendidius vestitum nactus dimittebat.

Hagenoa ab hoste intercipitur.

Neuburgum ad Rhenum opprimitur.

28. Januar.

Brisacenses vapulant.

Rustici per Suntgoviam tumultuantes compescuntur.

29. Jan.

1633.

Brisacenses denuo vapulant.

§. 23. In Palatinatu Ludovicus Schmidbergius legionis vicarius oppidum Dilsbergam subito assultu, arcem paulo post deditione ceperat. Quod non parum conferebat coërcendis Heidelbergensis præsidii excursionibus. Ad inferiorem Rheni tractum Baudissius Andernacum superiore anno captum pro temporis ratione munitionibus firmabat; simul Nordburgum in Eifalia Ducis Arescotani oppidum in potestatem redegerat. Isti amoliendo Electori Colonientis cum urbe Colonia ubique auxilia conquirit; cui & à Gronsfeldio valida manus sub tribuno Henrico Westphalo; & ab Isabella Belgii Principe aliquot Hispanorum millia sub Isenburgi Inferioris Comite submittuntur. Et ne Elector advertus neutralitatis cum Batavis initæ leges peccasse argueretur advocatis in suam ditionem Hispanis, illæ copiæ dicis causâ Hispanorum sacramento solutæ Cæsaris militiæ transcribuntur. Hæ igitur primo Nonnenwertam, insulam in Rheno sitam, opprimunt, cæsis Suecicorum quinquaginta, centum captis. Inde Ohlbergam ad Aram fluvium deditione capiunt; ut & arces Saftenburgum, & Landseronam: sed illius præfectus acerrime restiterat; hujus autem per ignaviam prodita arce cum cohorte sua ad hostes transibat. Contra Baudissius Hammersteinam arcem occupaverat, & non paucos Hispanorum Rimagi oppressos cæciderat. Verum hosti magna mole ingruenti impar, numeris ob continuos labores valde deminutis, ac legionibus aliquot equitum ad Landgravium missis, cessim ire Lohnstenum superius usque cogebatur, ubi Lani fluminis objectu, & locis opportunis Wetzlariam usque insessis hostem transitu arcebat. Unde repulsus Isenburgicus omni vi ad oppugnandum Andernacum vertitur, quod præsidiarii maximam partem Finnones sub tribuno Josia Ranzovio strenue propugnabant. Interea de neutralitate Circulo Westphalico concedenda intervenientibus Hollandis tractari cœptum, qui grassantes in vicinia exercitus haut citra suspicionem adspectabant. Eoque ut utriusque partis copiæ inde excederent, nec deinceps eodem se penetrarent, caveri cupiebant. Baudissius autem, quanquam citra superiorum mandata ad ejusmodi tractatus descendere non auderet: tamen honori Hollandorum, & Principis Arausionensis id daturum se promittebat, ut per mensem induciæ essent, ipseque suas copias inde educeret, paucis tantisper locis præsidio insessis; ut tamen Colonientis Elector, & Palatinus Neoburgicus caverent nihil in ea loca tentatum iri, quoad tractatus perficeretur. Eam conditionem cum isti abnuerent, incassum id negotium evanuit.

Dilsbergæ capitur. 12. Januar.

Gesta per ditionem Colonien-sem.

De neutralitate Circuli Westphalici frustra agitur.

17. Febr.

§. 24. Georgius Luneburgicus Dux, militiæ Suecicæ per Saxoniam & Westphaliam præfectus, facto per ditionem Brunsvicensem & Luneburgensem itinere ad Bremam cum exercitu Visurgim transit. Hinc cito agmine Cniphusium in Westphalos irrumpere jubet, qui primo impetu Vechram, Cloppenburgum, Hasselunam, Meppam, Furstenaviam, aliaque loca totumque adeo præ-

Gesta per Westphaliam. 4. Febr.

1633. præſulatum Oſnabrugenſem, excepta metropoli, ac vicinum tractum in poteſtatem redigit. Et quia plerique agreſtes domibus ſuis profugerant, ne permiſſa rapinæ militari regio mox ſolitudo fieret, edicto promulgato ſecuritatem imperata facientibus promittit, refractariis extrema interminatus. Sed cum hiberna tempeſtate Oſnabrugam, adſitamque arcem Petersburgum obſidere non liceret, præcipuum tunc videbatur de tuto ſibi ad Viſurgim trajectu proſpicere, quod Brema longius mare verſus poſita, nec Succorum arbitrio ſubdita foret. Ei uſui Rintela opportuna viſa, Hamelam, Mindamque interjectu ſuo ſeparans. Igitur verſo itinere Hervordiam, Flotamque arcem, & Bileſeldam occupat, Sparenberga arce eminus circumſeſſa. Nec minus Lemgoviam, ac Lybbecam præſidio firmat, ac cum Mindenſi præſulatu ſuper tributis tranſigit. Mox Rintelam itum, ubi cum tumens nivalibus aquis Viſurgis vado tranſiri non poſſet, navigia conquiruntur, ut ad alteram ripam trajectus firmari poſſet. Interea Gronsfeldius Comes Guelferbyto quatuor menſium alimenta intulerat, & mox contractis copiis inter Hamelam, & Mindam ad Viſurgis ripam conſederat, Succicos tranſitu prohibiturus, ſtructoque contra Rintelam ſuggeſtu in adverſos tormentis detonabat; quibus hi non
2. Mart. ſequius reſpondent. Verum detumente paulatim flumine Georgius Dux monſtrante ruſtico vadum reperit, quo equitatus ſummo mane trans fluvium miſſus repente in hoſtem invectus quatuor turmarum ſtationem opprimit. Mox inpedites, qui ripam cuſtodiebant, irruens multos eorum interficit, quingentos cum tribus centurionibus capit, ac quatuor vexillis duobus
Gronsfeldius vapulat. tormentis potitur. Mox in eos qui per vicina metabantur, itum: qui conſiſtere non auſi, raptim Mindam, alii Hamelam faceſſunt, pleriſque impedimentis amiſſis. Ita profligatus Gronsfeldius cum in aperto Suecis imparem ſe judicaret, plerumque equitatum, & quidquid peditum ad præſidia oppidorum opus non erat, Rhenum verſus ad Iſenburgicum dimittit, ipſe tantiſper intra oppida vim Suecorum propulſaturus. Interea Oſnabrugenſes Furſtenaviam proditione quorundam civium ſubito irrumpunt, ac pleroſque Suecicorum cædunt, capiuntvè. Cæ-
1. Mart. teris arx ſuffugium præbuit, quam iſti oppugnare non auſi, cum proditoribus abiere. Sed cum eadem circa Lybbecam tentarent, conatu propalato irriti fuere. Contra Sueci Buckeburgum præſidio inſident, coërcendis Mindenſium excurſionibus, & Hamelæ obſidium circumponunt, ſpe modico negotio illa potiundi. Inde præſulatui Oſnabrugenſi neutralitatem, menſtruum tributum ſtipulati, concedunt. Quam etiam Palatinus Neoburgicus Weſtphalicis ſuis ditionibus ambibat, & ut Sparenbergæ obſidium ſolverentur. Quod Georgius Dux demum annuit, cum copias diffundere inutile eſſet. Polla quoque arx ab Uslario poſt bidui verberatio-
6. Mart. nem deditione capitur, octoginta qui exceſſerant præſidiariis Suecicam militiam amplectentibus.

Wilhelmus Landgravius in Weſtphaliam irruptionem. §. 25. Diverſa parte Wilhelmus Landgravius irruptione in Weſtphaliam facta Tremoniam paululum tergiverſantem ad præſidium accipiendum adigit. Reclingshuſa ultro imperata facit. Jacobus Mercierius tribunus Dorſtenam mittitur, quæ nec ipſa diu moram facit, & centurio oppidi præfectus captivi ſortem ſubit, miles gregarius ſacramentum mutat. Inde Haltera haut reluctans jugum accipit. Cosfelda quindecim 1633.
centuriis provincialium impigre per aliquot dies defenſa tandem & ipſa flectit, ac Hatſiacum præſidium accipit. Inde Dulmena, Borca, Bocholtum, & alia minora oppida ultro imperata faciunt. Sed cum inter iſtos ſucceſſus Landgravium hinc Rheingravius, & Baudiſius frequentibus literis ſuper auxiliis adverſus hoſtem ſibi inuminentem ſolicitarent, inde Georgius Dux ad copias ſecum jungendas invitaret, quo hoſtem ad Viſurgim eo gravius urgere poſſet: ut utriſque gratificaretur Monaſterienſi præſulatu iterum excedit, Borca, Cosfelda, & Dorſtena præſidio infeſſis, ac quinque legiones ſub tribuno Pleſſio ad Baudiſium Dillenburgum verſus mittit. Cum reliquo exercitu Paderbornam obſidet, ut è propinquo, ſi res exigeret, Georgio Duci adſiſtere poſſet.

Geſta per Sileſiam. §. 26. In Sileſia ſub finem anni præcedentis Franciſcus Albertus Dux Lauenburgicus cum equitatu Olavia Grotcaviam verſus iverat, tribuni Winſii legionem non procul inde hoſpitantem oppreſſurus. Sed hic re cognita ſtatim Neiſſam ſe recepit; ubi ad arma conclamatum, & ſparſæ Cæſareorum copiæ in unum contractæ. Unde Dux retro Lovvitzam recedebat. Interea Gallaſius valida cum manu à
prid. Kal. Fridlando miſſus Grotcaviam adpellebat, cæ- Jan.
teris ſe Cæſareis juncturus: qui mox equitum manum in Saxones emittit. Illi in pabulato- 2. Jan.
res quotidam incidentes, eos non ſine vulneribus in caſtra compellunt. Quo tumultu excitatus Lauenburgicus, cum legionibus ſuis invectus acriter eoſdem repulit; queis Cæſareus exercitus decem millibus militum conſtans in propinquo ſuffugium fuit, de quo Saxonibus nihil plane erat cognitum. Cæſarei in aciem diſpoſiti adverſus Saxones progredi incipiunt, tentaturi, num his conſiſtendi audacia foret nullo peditatu ſuffultis. Sed cum Saxones impigre ad prælium committendum ſe accingerent, Cæſarei ad trecenteſimum paſſum ſubſiſtentes tormentis iſtos imperebant. Inter quæ nocte ingruente hoſtis Grotcaviam, Saxones Olaviam indemnes recedebant. Eo in conflictu Cæſareorum ſupra centum quinquaginta, Saxonum vix triginta ceciderant. Cum autem hoſtis latius ſe diffunderet, intercepta quoque arce Kœnigsberga, 4. Jan.
& Olaviam uſque excurreret, Saxones iterum Suecis jungi cupiebant. In quod Duvvalius non prius conſentire volebat, quam Lauenburgicus ſcripto promitteret, Suecicas copias pari cum Saxonicis conditione habendas. Quo obtento cum omnibus ſuis Olaviam ſe conferebat. Aſt Cæſa- 7. Jan.
rei conjunctione iſtorum cognita Neiſſam ſe recipiunt, ſera jam pœnitentia ducti neglectæ occaſionis Saxones ſolos apud Grotcaviam invadendi. Quo tempore Briegenſis Dux, poſtquam diu inter utriuſque partis ſolicitationes anceps hæſiſſet, cum tandem à Fœderatorum exercitu vis oſtentaretur, Briegæ præſidium recipit trecentos Succos, totidem Saxones, ac æquis legibus cum iſtis tranſigit, quæ tamen ipſum fidem Cæſari datam exuere non coge- 19. Jan.
rent. Briega in poteſtatem redacta Fœderatorum exercitus quievit, quoad Arnheimius adventaret; qui ſumto per Ducatum Lignicenſem, Succorum hoſpitiis aſſignatum, itinere non ſine ambage Wratislaviam verſus tendebat. Interea hoſtis Strelenam, Falckenbergam, Reichenbacum, & Landshutam receperat, ac parum aberat, quin Briegam ex improviſo irrumperet. Oppelam quoque oppidum occupaverat; ſed arcem

1633. præfectus acriter defendebat, quoad hostis trecentis delideratis inde pelleretur. Apud Olaviam conjuncti iterum Saxonicis Sueci, ad Strelenam bis mille Polonos cum sexaginta desultoribus pugnæ paratos offendunt. Quos Duvvalius acriter invectus post exiguam moram in fugam conjicit, cæsis non paucis, & centum captis. Mox Strelena recuperatur, ubi cum Duvvalius relicti ab hoste adparatus bellici dimidiam partem sibi vindicaret, Saxones contradixerunt, causati suis potissimum auspiciis bellum geri. Et cum vilem particulam velut ex gratia post offerrent, Duvvalius ignominiosum donum respuebat; quæ tamen offensa tunc dissimulata fuit. Cæterum Poloni, quorum aliquot millia Hannibal Dona opimis promissis exciverat, cum nec stipendia solverentur, & prædæ loco vulnera forent, Cæsaream militiam pertæsi domum inglorii revertunt, Arnheimio liberam abeundi facultatem concedente. Ast hostis post conflictum apud Strelenam Grotcavia movebat, desertoque Reichenbaco & Landshura apud Neissam castris munitis considebat. Contra Fœderati Wantenam recedebant, Jacobum Duvvalium cum viginti amplius cohortibus adventantem expectantes. Is postquam accessisset, Grotcoviam isti invadunt, à Butlari legione intessam, quæ spe subsidii à Cæsareis ferendi non procul inde metantibus strenue resistebat. Sed urgente ex una parte Duvvalio cum Suecis ex altera Clitzingio cum Saxonibus, deditionem facere cogitur ea lege, ut positis armis sacramentum mutaret. Ubi iterum dissensio Arnheimium inter & Duvvalium erupit. Obsessi quippe postquam super deditione cum Duvvalio, & Clitzingio non absque præscitu Arnheimii transegissent, istorum arbitrio relinquebatur, ad Suecos, an ad Saxones quisque se conferre vellet. Sed cum illorum plerique Suecicas partes elegissent, nec supra triginta Saxonicis accedere cuperent, Arnheimius indignatus cum Lauenburgico advolat, Duvvalii pacto se hautquicquam teneri clamitans: simul omnes deditos ad Saxones paucis exceptis abstrahit. Qua injuria offensus Duvvalius ab exercitu Wratislaviam discedebat, relicto imperio in Suecicas copias Fellio Baroni, & tribuno Bohmio. Saxonibus tamen petentibus iterum redibat, dissidio isto utcunque obliterato. Ast hostis accessu Fœderatorum perterritus, Neissa triginta quatuor vexillis sub Schafgotschii ductu firmata, in Bohemiam recedebat; quem Fœderati non ultra Ormachiam arcem, quam & ipsi occupabant, persecuti sunt. Ubi hoste omisso Schweidnitzam vertunt, ibique exercitu lustrato in hiberna discedunt. Repetita inde à Duvvalio vetus adversus Arnheimium querela super angustiis hospitiorum Suecis assignatorum, quibus ni remedium adferretur, metuendum erat, ne miles Suecicus ad Saxones, qui lautius habebantur, transiret; petitumque ut Sueci pari cum Saxonibus conditione forent, & Odera utrorumque hospitia dirimeret, Suecis Polonicum, Saxonibus Bohemicum latus obtinentibus; utque loca ad Oderam sita pari utrinque militum numero insiderentur. Ad quæ Arnheimius nihil, quod ad rem faceret respondere, ac in diem negotium extrahere, quoad infecta re Dresdam abiret, reditum sui intra duas septimanas pollicitus. Eo digresso Sueci veteribus hospitiis in Lignicensi Ducatu coarctabantur, reliquis per Saxones præreptis. Ita quiescentibus Fœderatis, Fridlandus per otium copias suas ex hæreditariis Cæsaris ditionibus augebat, vi ad militiam abreptis, quos stipendiorum promta solutio non permovebat. Et ut ignominiam cladis ad Lutzenam acceptæ leniret, non paucos Pragæ velut eo prælio turpiter profugos supplicio afficiebat. Circa id tempus fato fungebatur Andreas Cochtizkius, Regius per Silesiam Legatus. Paulo post eodem adpellebat Henricus Matthæus Turrius Comes, qui statim per publicas literas commissum sibi in Suecicas copias summum imperium passim promulgabat; hautquidquam par emendandis malis, quæ Suecorum arma eas per oras premebant. Evangelicos quippe per Silesiam in partes Fœderatorum pronissimos turbabant dissidia inter Suecicos, Saxonicosque duces post Gustavi mortem apertius erumpentia; dum Saxones rem suo tantum arbitrio gerere, Suecisque in auxiliariorum loco uti volunt, his vehementer repugnantibus. Unde Silesii ancipites utros potissimum respicerent hærebant, cum in illa collisione nemo eorum causam serio susciperet; quin nemo eos obsequio Cæsaris subducere postularet. Et Sueci prævalentibus ibi Saxonibus paulo minus quam ab hisce pendere, ac inter molestas dissimulationes tempus transigere cogebantur, satis habentes, quod in partem adhuc rerum ibi admitterentur. Neque ex hiberna isthac expeditione, & quod ita repente à fugiente hoste recessum erat prudentes præclari quid augurabantur. Superiore anno, dum intempestive Fœderati in diversa abeunt, Neissa & vicina loca amissa erant. Ea hac expeditione recuperabantur, sed direpta ac fere destructa; ac Neissa tamen in manibus hostium remanserat. Pleraque transeuntibus hinc inde exercitibus, post hospitiis militum vastata. Militum affatim; sed quorum plures hiberna expeditio absumserat, quam novi delectus supplebant. Non nihil damni hostibus illatum; sed quod jacturam, quam Fœderatorum copiæ fecerant, non æquaret. Nec minus altius suspicandi ansam præbebat, quod prout quisque in partes fidissimus, durissime haberetur; qui tamen nihil magis querebantur, quam isthoc modo media sibi communem sublevandi causam subtrahi, exhausto per transeuntes exercitus, & hospitia in amicorum terris sumta stipendiorum fonte.

1633. 27. Jan.

Poloni domum abeant.

30. Jan.

Inter Duvvalium & Arnheimium dissensio.

13. Febr.

1633.

7. Febr.

26. Febr.

Status per Silesiam confusus.

§. 27. Interim in Suecia conventu Ordinum indicto fundamenta rebus domi forisque deinceps gerendis firmantur, dum Christina, Gustavi Adolfi filia Sueciæ Regina denuo declaratur, eique ab omnibus fides datur. Simul antea facta Sigismundi, filiorumque ejus à Regno Sueciæ exclusio denuo sancitur, pœna perduellionis in eos statuta, qui de istis recipiendis mentionem facerent. Tum Reginæ tutela, Regnique administratio quinque summorum Collegiorum capitibus, quorum locum uno vel altero absente senior Collegii suppleturus erat, confirmatur, queis tamen in consilium Senatus Regni adhibendus erat. Cæterum ab Oxenstierna Gustavo adhuc in Borussia bellum gerente, ejus jussu concepta erat Regiminis forma, uti ipse ferebat; quam Rex sibi prælectam minutiis quibusdam exceptis probaverat, sed mole rerum præpeditus, ac morte ingruente eam subscribere, ac promulgare non poterat. Id scriptum post mortem Regis ab Oxenstierna ad Senatum missum, ut quæ optima ipsis viderentur, retinerent, cætera mutarent aut omitterent. Idem tunc selectis Ordinum communicatum vehementer arrisit; sed quo minus in pragmaticæ sanctionis vicem promulgaretur, tempus tunc non tulit. Ut tamen eam formulam in gubernando

Conventus Ordinum in Suecia decretum. 24. Mart.

Forma Regiminis.

1633. do Regno Administratores interim præ oculis haberent, placuit. Denique firmando adversus aliorum invasiones Regno novi delectus, in quos vivo adhuc Gustavo consensum fuerat, ocyus agi jubentur. Ut tamen sub recenti imperio plebis animi placarentur, cui præcipuum querelarum argumentum tributa fere sunt, ea quæ nuperis annis augmenta vectigalibus addita fuerant, remittuntur; etsi alias tempora Regni reditus augeri potius suaderent. Ista omnia summa Ordinum consensu decreta Polonorum, Danique machinationes non parum disturbarunt, qui Suecia post Gustavi mortem motibus intestinis convulsa, in turbido piscandi occasionem oblatum iri speraverant; sed nunc postquam nihil intus vacillare deprehenderent, tacto se rationes initisse taciti indignabantur.

Conventus Heilbrunnensis.

§. 28. Nec minus res Suecorum per Germaniam firmabat Conventus Ordinum Protestantium Circuli Franconici, Suevici, & utriusque Rhenani Heilbrunnæ indictus, quem Saxoniæ Elector per literas variis rationibus apud præcipuos Ordinum impedire frustra fataregerat. Is quippe velut Liphaco decreto caput Protestantium declaratus sibi jus convocandi competere obtendebat, eoque communem Protestantium conventum animo agitabat, ut sibi arbitrium belli pacisque vindicaret, & Ordines ad stipendia suo exercitui solvenda adstringeret. Sed Ordines neglecto Saxone circa initium Martii frequentes convenerant, Wurtenbergicus Dux, Badensis Marchio, & complures comites; cæteri Legatos miserant. Cum in Oxenstiernæ hospitio convenirent, & is inter quosdam super priore loco controverti animadverteret, præveniendis hisce litibus nulla sedilia inferri jubebat, & stans apud stantes exponebat: quæ causa Gustavo Regi fuerit arma capiendi; utque ipsius progressibus Protestantes animos sumserint fœdus Lipsiæ ineundi, libertati suæ, sacrisque defendendis. Eo fœdere vi hostium dissipato, plerosque Ordinum peculiaribus pactis Gustavo innexos arma cum ipso adversus Cæsarem Ligamque fociasse. Inde Regi consilium fuisse universos in unum corpus componere, summa rerum rite digesta; eoque fine quatuor superiorum Circulorum conventum indixisse; cui cum ipse adesse, in Saxoniam avocatus non potuerit, se à Rege destinatum fuisse, ut ejus nomine quæ in rem communem viderentur exponeret. Nec evocato licet rebus humanis Rege negotium istud à se abdicatum. Et quanquam universos per Germaniam Protestantes in concilium coire optandum fuerit; cum tamen res motam non ferat, & in amplis ejusmodi conventibus negotia non sine magnis ambagibus evolvantur, se communem conventum expectare nec voluisse, nec potuisse. Inde petebatur, ut deliberare, ac decernere velint de Circulis istis fœdere inter se connectendis ad restituendos oppressos Ordines, vindicandasque Imperii leges, ac ut Coronæ Sueciæ satisfactio præstetur: neve in peculiares tractatus singuli cum hostibus descendant; & quæ pœna in eum statuenda sit, qui à fœdere secessionem fecerit. Cumque Cæsar adversus jurata pacta hactenus libertatem publicam oppressum iverit, strenue auxiliantibus Ligistis, an non tam ille, quam hi hostium vocabulo publice nuncupandi sint? Præter hæc de numero exercituum, novis delectibus, summa belli directione, disciplinaque militari agendum erat. Ac denique si placuerit Sueciæ auxilio ad scopum istum obtinendum uti, quousque judicent eidem in causam descendendum, & quid vicissim Sueciæ, si ipsa aliunde invadatur, expectandum sit. Ista capita cæteris, qui ad Conventum non accesserant, & inprimis Saxoniæ Electori ab Oxenstierna tranmittebantur. Quæ plerisque probata Saxoni hautquidquam ad palatum erant: qui & ideo literis ad Conventum scriptis ostendebat magni momenti ista esse; nec dubitare se, quin expenderint, quid Imperio debeant, quæ ad universos Protestantes, 1. April. quæ ad Electores pertineant; simul ne temere in extrema eatur monebat.

Ordinum deliberatio.

§. 29. Ad ista porro deliberanda cum Ordines descenderent, ab initio nonnullis, ac præcipue Suevicis videbatur de fœdere ad conventum universorum Protestantium reicere, ubi etiam de directione rerum sit constituendum, quæ tantisper Oxenstiernæ deferenda sit. Post tamen universi sententiam suam super singulis capitibus scripto conceptam Oxenstiernæ obtulerunt. Qui præfatus quæ medelha requirebat, non pauca circa id scriptum libere monebat; velut quod circa pleraque nihil certi decernatur, ac res in longum extrahatur; & quod scrupulose nimis & 17. Mart. ambigue quædam concepta videantur, cavillandi aliam præbitura; cum tempus nunc non ferat formularum aucupia trutinare, sed hostiles gladios jugulo omnium imminentes averruncare. Fœdus inter se, & cum Suecis à confirmatione communis conventus Protestantium videri suspensum, labili nimis fundamento. Præposteram religionem esse, cum arma adversus Cæsarem arripuerint, hostis vocabulo abstinere; cum ni justi Cæsaris hostes esse velint, non possint non rebelles esse. Etsi Succorum parum interfit, qui aperte se Cæsaris hostes ferant. Consultissimum porro esse proprio milite, argentoque rem gerere; si quid ab exteris obtineri queat, in lucro putandum. Directionem belli ab Ordinibus sibi delatam, etsi cum infinita molestia conjunctam, se ideo non recusare, quod alias patriæ suæ rebus consuli nequeat. Sed ut in singulis Circulis peculiares directores constituantur, qui in ipsius acta censuram quandam exerceant, id se ferre nolle: neque eam jam rerum faciem, ut omnia ad unguem exigi queant. Quia porro militi stipendium non solvatur, rapto eum vivere non adeo grande piaculum habendum; cum is conductus sit, ut in hostem, non ut in famem pugnet: ac non magis de perulantia militum, quam eorundem conservatione dispiciendum. De cætero amputandis moris, quas multitudo consultantium pariebat, pollicebatur Oxenstierna, se salvo ipsorum judicio sententiam suam ad modum fœderis conceptam declaraturum. Enimvero id quoque ab Oxenstiernio observabatur, non solum multos occultas per artes Cæsaris, ac consilia Saxonis vacillare, qui omni modo laborabat, ne summæ rei directio ipsi committeretur; sed & quemlibet privato suo emolumento inhiare, & alios bona Ecclesiastica, alios insignia feuda, & simile quid captare: quæ nisi statim annuerentur, offensa in promtu erat. Quam ob causam ipse quoque Rex Gustavus jam pleramque partem occupatarum terrarum aliis donaverat, aut promissis adsignaverat, ac inter alios Wilhelmo Hassiæ Landgravio Fulda, Paderborna, Corbeia, & Monasteriensis præsulatus cesserant: quæ promissa Oxenstiernæ utique implenda erant, ut è provinciis bello occupatis nihil Suecis præter Moguntinam ditionem, de qua tamen & ipsa nonnullæ particulæ decerpebantur,

Oxenstiernæ propositio. 8. Mart.

1633. tur, reſtaret. Nec aliud quid ſuppetebat, ut ad communem cauſam amplectendam alacres fierent, niſi ut in partem prædæ admitterentur. Quorundam donationibus ea lex dicebatur, ut ipſi militibus ſatisfacerent. Alii pecunias ultro offerebant.

Oxenſtierna rem urget.

§. 30. Id tamen Oxenſtierna pro cujusque captu adhibitis rationibus effecerat, ut Ordines in plerisque capitibus propius ad ſcopum accederent, ac formulam fœderis à ſe conceptam expendendam aſſumerent. Qui ut decretum maturarent, ille potentiam ac vigilantiam hoſtium oſtendebat, quibus nihil magis cordi, quam iſtos inter ſe diviſos opprimere; qui & ipſi non procul abſint, ſed in viſceribus eorum hæreant. Apud noſtros exercitus plus ſpei, quam virium; qui hactenus non tam ſtipendio, præmiisque, quam promiſſis allecti officium fecerint, fragilibus ad diuturnitatem vinculis. Gemina hiſce ingerebat Legatus Gallicus Feuquierius, ad Societatem Succicam amplectendam ipſos hortatus, ſimul Regis ſui ſtudium in eas partes extollens. Et hæc quidem palam. Sed idem in occulto apud ſingulos efficiebat, ut quod Oxenſtiernæ deferebatur directorium moleſtis conditionibus circumſcriberetur, per quas ejus vis valde enervaretur, idemque maximo cum labore & moleſtia ipſi foret gerendum. Tum & ne Moguntina ditio in ipſum conferretur, impediebat, eo uſus prætexto, quod pacem utique pro ſcopo belli habentibus cavendum ſit, ne tali ratione tractatus reddant difficiliores. De cætero tam hujus quam Oxenſtiernæ hortamenta non parum conferebant ad maturandum decretum, in quod citius, quam à multis creditum fuerat, ab univerſis eſt conſenſum.

Daniæ Rex mediatoriam ſuſcipit.

§. 31. Dum iſta Heilbrunnæ agitantur, interea Daniæ Rex tanto diligentius pacis ſe conciliatorem ferebat, quod metueret, ne res ſuas in Germania poſt Guſtavi mortem ita ſtabilirent Succi, ut deinceps haut facile inde poſſent dimoveri. Et plane in eo Danus cum Cæſare conſpirabat, ut Succi Germania, & præcipue maris Baltici ora ſpecie tractatuum depellerentur, & vacuis manibus, aut erubeſcendo præmio domum ablegarentur. Conſtabat quoque Cæſarem Dano Bremenſem, Verdenſem, & Butzovienſem Præſulatus promiſiſſe, à filio ipſius poſſidendos, & ut per vectigal in Albi inſtitutum Hamburgenſes emungere liceret, ſi pacem Germaniæ ex dignitate & emolumento Cæſaris procurare amotis ſimul Succis poſſet. Quod ipſum & Saxo omnibus modis quærebat; qui à Legato Grangio petierat, ut Galliæ Rex Succis perſuaderet, ſumma argenti loco præmii accepta ſolo Germanico decedere. Enimvero uti Cæſari Saxonique nullus mediator Dano potior videbatur, redigendis ad æquilibrium Succis: ita hi nemini minus, quam Dano cauſam ſuam committere cupiebant. Cum tamen ſe ultro offerentem ita abrupte rejicere non poſſent, obliqua ratione eludere conabantur, propoſitis ad mediandi ſimul officium Gallis, Hollandiſque, quorum illis è mari Baltico nulla æmulatio, & proficuum Succorum potentiam gliſcere, Auſtriacis ad latus poſitam. Quos ſi Cæſar recuſaret, aut iiſdem Hiſpanum adjungere vellet, occaſionem datum iri ſperabant, omnes mediatores una cum Dano amoliendi. Cæterum ab initio Danus eo faciliorem deſtinatis ſuis ſucceſſum ſibi pollicitus fuerat, quod Succorum res in Germania ultro corruituras putaret, Saxone in diverſa abeunte, & Ordinibus imperia à Viro equeſtris dignationis, eoque extraneo accipere dedignaturis, cujus & ipſe autoritatem limis oculis adſpiciebat. Quin & aliquid turbarum inteſtinarum in Suecia oriturum ſperabatur. Hoc igitur conſilio Danus jam ſub finem anni nuper elapſi operam ſuam circa conciliandam pacem Cæſari per literas, & mox miſſo legato obtulerat. Idemque poſtea per Reventlovium apud Saxonem, & Brandeburgicum Electores tunc Dreſdæ congregatos inſinuaverat. Id Dani officium Saxo quidem citra exceptionem acceptabat. Sed Brandeburgicus majore cum circumſpectione honeſtam tutamque pacem à ſe optari quidem reſpondebat; id tamen valde metuendum eſſe, ne pars adverſa ejus vocabuli illecebris ipſos circumvenire conetur. Igitur primo omnium diſpiciendum, quæ paci ſtabiliendæ cautio inveniri queat. Tum tollenda, quæ Proteſtantibus juſtam diffidendi cauſam præbeant. Quod ſi tamen æqua ſtabiliſque pax, & cui nihil inſidiarum ſubſit, opera Daniæ Regis procurari queat, id gratiſſimum ſibi fore, ſeque ea ſuper re cum Oxenſtierna, aliiſque communicaturum. Conſultum tamen ſibi videri, certas pacis leges alteri parti proponere, ad quas expediendas citra ambages accedatur; cum hactenus obſervatum ſit, omnes tractatus eludendis Evangelicis ſuſceptos. Iſthanc Legati Danici propoſitionem, ſuumque reſponſum Saxo Oxenſtiernæ quidem modeſtius ſignificabat; ſe de prono ipſius in pacem animo non dubitare, utque autoritate ſua iſtos tractatus promovere velit, petebat. Sed cæteros Ordines impenſius ad pacem amplectendam hortabatur, addito, ſe communem conventum, quem indicere in animo habuerit, differre, ne forte congreſſus pacis cauſâ mox inſtituendus iſtius concurſu impediatur. Ut tamen eo paratiores ad omnia ſint, ſe decem, aut octo dies ante dictam conventui diem legatos ſuos miſſurum, idemque ut cæteri faciant hortari, quo conſilia invicem conferri, & de compacto omnia geri poſſint. 1633.

10. Febr. Dani apud Electores de pace propoſitio.

Saxonis conſilia pleriſque diſplicent.

§. 32. Enimvero quæ à Saxone proponebantur, non omnibus ad palatum erant. Nam & plus ille ſibi, quam par erat, arrogaverat non ſine diminutione aliorum, quorum intererat; dum inconſultis cæteris tantum non præſcribere aggreditur, quid ipſis ſequendum ſit. Nec obſcure adparebat, Cæſarem peculiares cum Ordinibus tractatus agitare, excluſis Succis; quorum tamen Rex Guſtavus ita de iſtis meritus erat, ut citra illos pax concludi nec poſſet, nec deberet. Eam ſuſpicionem augebat, quod Wartenslebius Legatus Danicus, Vienna Dresdam regreſſus, cum retuliſſet, quam ample Fridlandus, ac Cæſaris conſiliarii de ſtudio ſuo in pacem jactaſſent; adderet, de Succis nullam mentionem factam. Denique & id neceſſarium videbatur, inter Ordines prius, quam ad tractatus accederetur, conveniri ſuper formula ſalvi conductus, mandatorumque, & in quas leges pax concludenda ſit. Nam iſta ad conventum de pace dilata facile diſſidium inter ipſos excitare poſſe, adverſariis tantopere captatum. Nec propoſitos à Saxone decem aut octo dies tantæ molis negotio, & quod ad tam multos pertineat ſufficere; inprimis ſi quis conventuum Teutonicorum indolem ſpectet.

Plures pacis Mediatores ſeſe offerunt.

§. 33. Præter Daniæ Regem pacis conciliatorem quoque verbo ſe ferebat Galliæ Rex, etſi revera ipſi magis placeret bellum in Germania continuari, quod eo modo turbas Galliæ inteſtinas intercipi crederet; ſimul particulæ cuipiam Germaniæ inhiaret. Angliæ Regem Danus ſibi hujus operæ ſocium adſciſcere cupiebat. Quin & Poloniæ Rex, & Hollandi, & Palatinus Neoburgicus,

1633. De Mediatorum multitudine judicium.

cus, & Moguntinus atque Colonienſis Electores aliquas circa pacem partes ſibi aſſertum ibant. Eam tamen mediatorum multitudinem prudentiores parum proficuam judicabant; ob æmulationem inter ſe, diſcrepantes utilitates, & conſilia in diverſum tendentia, tractatibus ingenti remoræ futura. Quin & facile inter tot Principes ſuper priore loco, uti in tractatibus Boruſſicis factum, diſſidia oriri poſſe, ad quæ componenda aliis mediatoribus opus ſit futurum. Fortaſſe quoque Mediatorum quoſdam privata ſua negotia in hunc tractatum deducturos; uti jam à Polono Legato propoſitum ſit, annon ſimul controverſia inter Suecos Polonoſque componi queat? Eorum porro aliqui huic aut illi parti parum grati. Moguntinus & Colonienſis Ligæ præcipui, quicum Suecis bellum erat. Neoburgicus Brandeburgico ſuſpectus, & Hiſpano nimis devotus. Gallus, Anglus, & Batavi Evangelicis grati, Cæſareis inviſi, quod Gallus, & Hollandi Suecorum fœderati forent, Anglus Palatinæ cauſæ ſtuderet. Ac non obſcure Reventlovio Cæſarei ſignificaverant; ſi illi tractatibus immiſcerentur, à ſua parte Hiſpanum adiciſcendum: quo interveniente omnia ſine dubio difficiliora fore. Polonus Auſtriacis gratus, à Suecis nullo modo admitti poterat. Aſt Dani mediationem Saxo ſtatim acceptaverat, & Cæſar probabat, cui reſpuendæ Suecі non ſat coloris reperiebant. Unde & ipſe præ cæteris pacis negotium perſequebatur. Super quo etiam Oxenſtierna, cum Heilbrunnæ de ſumma rerum foret tranſactum, ſelectis Ordinum ſecreto, proponit, ut antequam diſcedant deliberent, quibus conditionibus pax placeat; quæ ſuper ea Directori mandata ſint danda; qui Mediatores, & quouſque admittendi; num induciæ tantiſper ineundæ, quas hoſtis adpetere, nec Saxo recuſare videatur, ipſe tamen Proteſtantium rebus exitioſas judicet? Tandem quid agendum, ſi Saxo ſeparatim cum Cæſare tranſigat, quem ab hoc non abhorrere, tum alia indicia, tum geſta per Sileſiam arguant? Ac Guſtavum Regem jam de hoc caſu cogitaſſe, nec magnopere eum formidaſſe, modo copiæ iſtius Cæſari non accederent, & tranſitus per ejuſdem ditionem relinqueretur. Verum quod Legati ſuper hiſce in mandatis ſe haut habere excuſarent, nihil certi tunc decretum.

11. April.

§. 34. Aſt ſuper negotio, ob quod conventus Heilbrunnæ indictus erat, ita demum concludebatur; ut inter Ordines quatuor Circulorum invicem, & cum Regina Sueciæ fœdus ſit pro aſſerenda libertate Germaniæ, legibusque Imperii, utque Ordines Proteſtantes reſtituantur, pax circa ſacra & profana ſtabiliatur, ac Coronæ Sueciæ pro meritis ſatisfactio præſtetur. Quæ tamen ſingulis Ordinibus cum Suecis intercedebant pacta ſalva perſiſtere jubebantur, quantum illis hoc fœdere non ſit derogatum, quæ nec ipſa huic fœderi obeſſe debeant. Inde directio rerum, quæ ad fœdus ſpectant, Oxenſtiernæ defertur, cui Conſilium quod vocabant *Formatum* adjungebatur. Cautum quoque, ne cuipiam peculiares cum hoſte tractatus ſuſcipere liceat, niſi de Conſilii conſenſu; qui ſecus fecerit hoſtis loco ſit. Tum de ſuſtentandis exercitibus, ſtipendiis, adparatu bellico, commeatu, diſciplinaq; militari conſtitutum. Promittebant quoque Ordines, ſe Suecos in poſſeſſione eorum, quæ armis in Germania occuparint, defenſuros, quoad idonea iiſdem, & æqua ſatisfactio obtingat. Quæ omnia tamen Ordines licitæ defenſioni, cujus neceſſitatem iniquitas adverſariorum impoſuerit, à ſe ſuſcipi teſtabantur, non ut cuiquam injuſta vis inferatur, & ſalva imperii majeſtate. Id fœdus Oxenſtierna ſtatim Saxoniæ Electori, cæteriſque per Germaniam Proteſtantibus communicat. A Fœderatis autem Ordinibus cætera eorum Circulorum membra, quæ ad conventum legatos non miſerant, ad fœdus amplectendum invitantur. Galliæ quoque Rex rogatur, ut deinceps eam cauſam favore auxilioque ſuo ſublevare velit; ſimul quod ordines fœderi inter Ipſum Suecoſque tunc renovato non acceſſerint, defectus mandatorum obtenditur. Nec minus, quæ ex re videbantur, ad Angliæ, Daniæque Reges perſcribuntur. Præter fœdus autem quod paſſim publicabatur, ſeparata capita concipiebantur, quæ ad executionem fœderis ſpectabant. Denique & cum Equeſtri Ordine, qui per hos Circulos habitat, ſuper conferendis pecuniis tranſactum. Quia porro hoc fœdere *Neutralitas* inter Evangelicos ſublata erat, & qui ejus obtentu communi cauſæ ſe ſubtrahere conarentur, hoſtium loco habendi decernebantur, Georgius Landgravius ſibi metuens poſt cum Cancellario agebat, ut ſibi certam pecuniæ ſummam contribuenti à belli conſortio remoto eſſe liceret. Quod etſi palam annuere Oxenſtierna propter exemplum nollet; connivere tamen, & decretum Heilbrunnenſe circa illum exſequi differebat; Saxoniæ Electore pro genero intercedente, quem omnibus modis conciliare communis cauſæ intererat. Quanquam autem quæ huic bello gerendo deſtinabantur media tantæ moli haut ſufficerent, cum tributa ab Ordinibus deſcripta non multum ſupra vicies quinquies centena millia uncialium adicenderent; Oxenſtiernæ tamen haut conſultum videbatur nimiis oneribus Ordines in deſperationem conjicere; ſed obtentis, quæ præſens rerum conditio ferebat, cætera Divinæ Providentiæ, ac tempori committebantur. Revera autem fœdus illud Heilbrunnenſe Sueciæ non mediocri gloriæ cedebat, quippe cujus nomine & auſpiciis bellum gerebatur, & in cujus arbitrium directio belli collata erat, pacis quoque tractatibus fere ab eadem pendentibus. Unde & vicinis ad Suecos reſpiciendum erat; ac tam valido fœdere ſtipatos malevoli haut temere laceſſere audebant. Nec parum ad rem faciebat, quod Ordines ad curandam Suecis ſatisfactionem ſeſe obſtrinxiſſent; de qua tamen diſtinctius ſignificare tunc non viſum, ſed ad finem belli reſervatum, ne illi rem forte difficultatibus involverent, quibus aliquid eadem deceſſurum videbatur.

Fœdus Heilbrunnæ concluditur. 19. April.

14. April.

§. 35. Ad eum conventum Regina Bohemiæ tribunum Kolbium miſerat, qui reſtitutionem Palatinatus peteret; de qua & Brandeburgicus inſtabat, & ut Palatini liberi ad conventum iſtum admitterentur, quod ipſe ac Saxo nunquam in Friderici proſcriptionem conſenſerint. Eam reſtitutionem, jam à Guſtavo Rege decretam, Oxenſtierna non ulterius differendam judicabat, obligandis ſibi Palatinis, Brandeburgico, Angliæ Rege, & Hollandis, quorum contra offenſa metuebatur, ſi moras circa iſtam necteret. Et cum utique illa reſtitutio fieri deberet, multum gratiæ acceſſurum erat, ſi ultro facta videretur. Plus quoque emolumenti ad communem cauſam ea regio conferre poterat ſub domini adminiſtratione, quam inter iſtam confuſionem relicta. Quod ſi Palatinatus conſervaretur, gratia facti peritabat: Sin iterum amitteretur, culpa in eos redundabat, qui iſtum tueri neſcierant, ſalva Suecorum gloria. Sed & Palatinorum amici ad arma Suecorum fulcienda, & ut hi ſua quoque ſatisfactione potirentur, incubituri ſperabantur. Igitur eo conventu Friderici hæredes in ſeſſionem, ſuffragiumque, & dignationis Electoralis exercitium reponebantur. Tum quæ à Suecis in Palatinatu tenebantur, & deinceps occupanda eſſent, iiſdem

Oxenſtierna Palatinatum reſtituit.

1633. restituebantur, nisi quod Succi Manhemum tantisper præsidio tenere vellent; qui sibi certam pecuniæ summam vicissim stipulabantur, & ut sacra ad formam *invariatæ* Augustanæ Confessionis per Inferiorem Palatinatum libera permitterentur. Adversus eam tamen Palatinorum restitutionem postea Saxo protestabatur, velut ea in sui deminutionem tenderet; cum ipse eandem præstare nec posset, nec vellet. Et quanquam Brandeburgicus per Leuchtmarum Legatum cum ipso ageret, ut eandem probare vellet; is tamen non minus hanc, quam universa Heilbrunnæ acta abnuere pergebat. Quæ res Brandeburgicum non mediocriter mordebat, sic ut amicitia cum isto aliquantum refrigescere videretur. Contra Brandeburgicus eo tempore singulare in Succorum res studium ostendebat, non solum propter communem Protestantium causam, sed & quod spem concepisset filium Fridericum Wilhelmum per connubium Christinæ Reginæ ad Coronam Sueciæ promovendi; quæ res etiam tunc plerisque successura credebatur. Nec ab eo matrimonio Senatus Sueciæ valde abhorrebat. Nam par utrinq; conditio, & ætas; & Gustavus pater voluerat. Nec parum ea conjunctio factura videbatur augendæ potentiæ Suecicæ, ac dominio Maris Baltici stabiliendo, belloque Germanico facilius sustinendo, ac ut Pomerania citra invidiam Sueciæ Regno adjungeretur, lisque infinita, quæ eo nomine surrectura erat, in herba suffocaretur. Ex adverso obstabat diversitas sacrorum, & quod, nisi Suecicis moribus imbueretur Princeps, graves in Regno mutationes metuerentur, invisо jam olim exterorum regimine. Et propria potentia subnixus libertati Succorum prægravis futurus erat. Nec Christinæ ætas adhuc consensui declarando capax: & antea placuerat, ut illa alicui è familia Regia collocaretur. Cæsar quoque, & Poloni quantum possent adversaturi erant, à quibus infinita Sueciæ bella imminebant. Danusque tanto ægrius repulsam filii sui laturus erat. Nec minus ante oculos versabatur indignatio liberorum Joannis Casimiri Palatini, & aliorum Germaniæ Principum Regiæ prosapiæ innexorum, si iste præferretur; quibus etsi ad Coronam nihil juris competeret, molestum tamen futurum erat, sui nullam plane rationem haberi. Quin jam Palatinus è Senatu quæsiverat, cum ipsius liberi familia regia orti sint, num ad usum Sueciæ, an Germaniæ illos educare debeat? Cui Senatus reposuerat; se ista hanc quæstionem non nisi de successione ad Regnum capere posse; de qua aliquid movere sibi periculosum, ipsi Palatino invidiosum fore apud Reginam viduam, velut is mortem Christinæ expectet. Ac commendasse quidem Gustavum Palatini liberos Senatui, sed ad nihil, quod ipsius filiæ, aut juribus Regni præjudicio foret. Enimverò salus & incrementum patriæ omnibus rationibus præponderabat. Et inde Oxenstiernæ in mandatis dabatur tractatus à Gustavo Rege cœptos non abrumpere, si quidem res serio ab Electore, uti profitebatur, ageretur: iis tamen legibus, ut Princeps sacra Lutheranorum amplexus in Suecia educetur, moribus ac lingua gentis imbuendus, atque Pomerania in perpetuum Regno Sueciæ connectatur; & si quid præterea Sueciæ salutare judicet. Quicquid enim tandem futurum esset, saltem ea spe Electorem istum conciliari rebus Sueciæ tunc expediebat. Quod negotium tamen diu extractum demum successu caruit.

Saxo Palatinatus restitutionem improbat.

Brandeburgicus connubium Christinæ Reginæ cum filio suo affectat.

28. Mart.

§. 36. Missis quoque à Galliæ Rege ad conventum Heilbrunnensem fuerat Feuquierius, ut quæ consilia ibi caperentur observaret, eaque in Regis sui usum verteret. Ac initio quidem is Galliæ Regem fœdere cum Succis, eorumque Socius in Germania innectere conabatur. Sed cum Oxenstierna animadverteret Gallo prærogativam aliquam quæri, eundemque arbitria rerum in se tracturum, simul quod subsidium pecuniarium eo obtentu liberæ Succorum dispensationi subtrahendum foret; id fœdus declinabat, defectum mandati excusans. Nec tamen ingratum sibi ferens, si ipse seperatim cum Ordinibus tractare velit; quibus Succi hautquidquam stringi velint. Igitur eo conatu depulsus Legatus Gallicus, fœdus cum Gustavo Rege quondam initum renovat, paucis tamen locis ob mutatam interim rerum faciem interpolatum. Inter quæ sacris pontificiis per loca à Succis occupata cavebatur, utque Clericis fidem Succis datam servantibus nihil noxæ inferatur. Tum circa *neutralitatem* cum Bavaro Ligistisque, hactenus ab his repudiatam, Gallus deinceps quoque se laboraturum profitebatur, ut tamen super eadem Succis concludere liceat, quæ statui suo expedire visa fuerint. Id fœdus eousq; prorogabatur, quoad firma pax obtenta foret; utque si quis sociorum post pacem factam læderetur, is conjunctis ipsorum viribus tutus præstaretur.

Fœdus cum Galliæ Rege renovatur.

13. April.

§. 37. Eodem accesserat Angliæ Regis Legatus Robertus Amstruterus, super restitutione Palatinatus, & fœdere cum Oxenstiernio acturus. Sed cum ad rem accedendum esset, agnoscebat Legatus, sua mandata ad præsentem rerum faciem non quadrare. In Anglia quippe creditum fuerat, Succos post Gustavi Regis mortem nullo amplius numero esse, ac omnes in Saxonem respicere. Ita sinistre quoque prior Legatus Henricus Vanius super restitutione Palatinatus Regi suo retulerat, ut is non mediocriter offensus fuerit. Cum autem ipse nunc aliter plane rem se habere deprehendat, nova sibi mandata domo expectanda ferebat. Is tamen non spernendam operam Oxenstiernæ hoc conventu navabat. Cum enim Galli ob respectum potentiæ, & quia auri affatim inter Deputatos distribuebant, maxima autoritate pollerent, ut pro lubitu Oxenstiernam, si ex re ipsis videretur, administratione rerum dimovere possent: Anglus sociata cum isthoc opera Ordinibus demonstrabat, quantum periculum sacris ipsorum immineret, summa rerum ad Gallos redeunte; qui & parcius istis circa incrementa suæ religionis satagentibus favebant, ne Catholicorum animos à se alienarent; & his ultro fœdus cum Succis imputabant, velut qui ritus Romanos passim abolituri fuerint, ni Galliæ respectus obstitisset. Sed idem Anglus cum insinuaret, Regi suo propositum protegendo Palatinatui peculiarem in Germania exercitum alere, Oxenstierna plane abnuebat, quod facta heic rerum dispositio non parum sit confundenda. Quin non obscure innuebat, revocaturum se potius Palatinatus restitutionem, quam id admissurum. Ac multo satius esse ipsius Regem ad Galli exemplum fœdus cum Succis inire, ac quotannis pecuniarium subsidium præstare, permissa insuper militem in Regnis suis conscribendi facultate. Quæ & ipsa satis sibi probari testatus Legatus in Saxoniam abiit.

Cum Anglico Legato acta.

§. 38. Hollandorum Legatus Cornelius Pavius summam pecuniæ ad bellum offerebat; pollicitus insuper, si quidem inducia cum Hispanis, super quibus tunc tractabatur, succederent, ipsos milite, & pecunia causæ communi subventuros: Sin bellum continuetur, valida impressione hostem distracturos, non modico Succis levamine. Cæterum eodem tempore Hollandi non mediocriter Bremensi provinciæ inhiabant, eoque per Legatum suum Foppium Aizemam apud Salvium quæ Suecorum mens inquirebant, polliciti, si eam ditionem Succi concedere velint, se vicissim fœdere

Cum Hollandis acta.

1633. dere inito laboraturos, ut ipſis omnia loca ad Mare Balticum retinere liceat. Quæ à Succis ſurda aure transmittebantur.

Dux Bernhardus in Bavariam tendit.

§. 39. Inter iſta ab expeditionibus bellicis non ceſſabatur. Cum enim Bavarus amiſſa Bamberga parum moveretur, quo minus Hornio totis viribus incumberet; conſultum videbatur Ducem Bernhardum ad Danubium ſe conferre, in itinere præcipua Superioris Palatinatus loca occupaturum lavandis Noribergæ ſubvectionibus. Ne tamen Franconia interim incurſionibus è Bohemia pateret, VVilhelmus Saxoniæ Dux ſub Tupadelio manum contrahebat, quæ adjunctis provincialium ſelectis, apud Svvinfurtum, ſi quid ingrueret, præſto eſſet. Sed cum hoſti in Superiori Palatinatu è Bohemia vires acceſſiſſent, ſimul VVeiſſenburgum in Norico ob famem periclitaretur, ſatius viſum Duci Bernhardo, omiſſo Palatinatu ad dextram flectere, & VVeiſſenburgum annona illata firmare; inde irruptionem in Bavariam tentare, aut Hornio

13. Mart. jungi. In itinere VVeiſinanum oppidum, inde Eſcheabacum expugnatur. Herriedæ cum inter tractatus obſeſſi in colloquutores tela emitterent, quic-

23. Mart. quid in armis repertum cæditur. Poſtera die Joannes VVertanus cum duobus equitum millibus ad Ohrenbaviam repente hoſpitia Succorum involabat; ſed illi ſtrenue captis armis poſt acrem confli-

24. Mart. ctum hoſtem pellunt, trecentis cæſis, ducentis amplius captis, duobus cum vexillis. Inde Donavvertam Dux, ac mox Auguſtam tendit, cum

Hornius Duci Bernhardo jungitur. Hornio copias ſociaturus. Is quippe quamvis Rheingravii turmis auctus, hoſtique viribus non impar, ut tamen bellum in Bavariam eo majore cum terrore infunderetur, magnopere expetierat,

1. Mart. ut Bernhardus Dux una ingrueret. Ipſe interim contractis copiis Balinga movens ſuperato Danubio in hoſtem tendebat; quem hic hautquidquam expectans Campodunum abit, quo inſequi per aſpera itinerum grava. as Hornius Mundelheimum expugnat. Contra Bavarici contracta è vicinis præſidiis manu, Rainam ad Licum per ſupinam Succici militis negligentiam interceperant. Ad

22. Mart. Auguſtam juncti Bernhardus Dux, & Hornius transmiſſo Lico in Bavariam irrumpunt; quos Al-

30. Mart. tringerus Bavaricus Dux expectare non auſus Monachium recedit, amiſſis in itinere moratoribus, & impedimentorum parte. Succici ad Dachaviam interea ſubſiſtunt, quoad Leonhardus

Torſtenſonius Landsbergam expugnat. 13. April. Torſtenſonius, qui nuper captivitatem cum Comite Harrachio permutatus evaſerat, Landsbergam vi expugnaſſet. Hinc cum periculoſum videretur in conſpectu hoſtilis exercitus Iſaram tranſire, aut Monachium tentare, Neoburgum ad Danubium ibatur, ab hoſte ultro deſertum; quo ex loco Franconiæ, Sueviæque præſidio eſſe, ſimul Bavariam, & Superiorem Palatinatum premere poſſent.

Conſpiratio in exercitu Succico.

§. 40. Enimvero quo minus tam valido cum exercitu ulterius aliquid ſuſcipi poſſet, in cauſa erat erumpens tunc inter præfectos militares conſpiratio; cui niſi mature obviam fuiſſet itum, facile ſumma rerum inde ruinam trahebat. Præcipui incentores erant Pfulius quem minorem vocabant, & Joachimus Mitſchlafius tribunus, vir aſtutus, & volubilis linguæ. Hi reverentia adverſus Guſtavum Regem jam exolita, autoritatem Oxenſtiernæ, & Ordinum fœderatorum inter vilia habere, ac reſidua ſibi multorum annorum ſtipendia, præmiique loco opima prædia expoſtulare cœperunt. Labores à ſe immenſos exhauſtos; ne hiemem quidem ad requiem concedi. Omnes Heilbrunnæ de caſtigando milite clamitare; de præmiis nullum verbum. Immenſam tributorum vim, ac partas bello provincias paucis in prædam cedere, calamos tantum tractare doctis. Suis tamen gladiis victorias ad Lipſiam; ad Lutzenam partas. Inde conceptis verbis ſe obligant in com-

1633. 20. April. munc conniti, quoad petitis ſuis ſatisfiat; utque deinceps certa cuique legioni loca aſſignentur, è quorum tributis ſtipendia ipſi exſolvantur. Tum à Duce Bernhardo & Hornio poſtulant; apud Oxenſtiernam inſtent, ut intra menſem votis ſuis potiantur. Alias ſe in hoſtem non pugnaturos, & exſecutionem ſibi ipſis facturos. Cum autem iſtâ aulâ Bernhardus Dux tanquam rigida nimis & imperioſa languidius improbaret, Hornius autem nefariam conſpirationem fortius damnaret, molliora quidem verba adhibebantur, ut tamen à deſtinatis ſuis non decederent. Et gliſcebat indies conſpirantium numerus, à quibus etiam Rudvvenus, & Lohuſius ſummi vigiliarum præfecti ſolicitabantur; qui tamen id facinus magnopere deteſtabantur, turbarum autoribus nequidquam frementibus. Et in univerſum Scoti conſpirationi nomina dare abnuebant. Scribebantur quoque ad alios exercitus literæ, eos in facinoris ſocietatem tracturæ; ſed quæ à ducibus ſuppreſſæ truſtra fuere. Hæc igitur tempora ad petendum emcaciſſima ratus Bernhardus Dux, & ipſe Franco-

Ducis Bernhardi poſtulata. niæ Ducatum cum Epiſcopatu VVurtzburgenſi, & Bambergenſi à Guſtavo Rege ſibi promiſſum tradi jam poſtulabat, utque ſummum belli arbitrium cum titulo *Generaliſſimi*, ac præmiorum diſtributio inter milites penes ſe foret. Quæ poſtulata cum Oxenſtiernæ proponerentur, ſolvi Ducem munere, quod hactenus ſub Corona Sueciæ geſſerit, miſſionemque dari reponebat. Unde territus Dux exuta ferocia tantam ignominiam deprecabatur. Oxenſtierna tamen exoratus, & quid malorum in nervum erumpens conſpiratio dare poſſet reputans, conſentit, ut Franconia exceptis VVurtzburgo & Kœnigshovia, quæ Succis reſervabantur, Bernhardo Duci tradatur: qui & eo nomine apud Succos æſtimabatur, quod Joannis Caſimiri Palatini filia Chriſtina ipſius connubio deſtinaretur. Nec minus propter autoritatem, qua apud milites pollebat, utique conciliandus videbatur; & ut hoc dono Domus Saxonica devincta eo acrius incumberet, ut Succi idonea ſatisfactione potirentur. Iſta donatio fœdere perpetuo mox ſanciebatur, quo Sueciæ Corona defenſionem ipſi, utque paci futuræ includeretur, ac poſt bellum finitum quatuor millia peditum, mille equites auxilium, ſi opus ſit, pollicebatur. Viciſſim Dux Bernhardus Coronæ Sueciæ fidem & auxilium contra omnes hoſtes, excepto toto Imperio Romano, promittebat, & quod in hoc bello à ſola Sueciæ Corona dependere, directionemque ejus agnoſcere velit; operam quoque daturus, ut iſta ſatisfactione potiatur: omnes inſuper machinationes contra Sueciam pro virili impediturus. Additum erat de auxiliis bis mille peditum, quingentorum equitum Sueciæ ſubmittendis; & ut ipſo defuncto ejus hæredes id fœdus intra annum renovare tenerentur. Sed quod de titulo *Generaliſſimi* poſtulaverat, id hoc obtentu eludebat Oxenſtierna, quod Guſtavus Rex fratri ipſius VVilhelmo dignationem *Locumtenentis Generalis* contuliſſet, qui iſto nunc ſibi prælato, offenſam conceperus ſit. Poſtquam Bernhardus Dux quæ cupiebat, obtinuiſſet, ſtatim quoque exercitus adquieſcebat; qui & æquo ſatis animo admittebat le-

Conſpiratio militum ſopitur. gatos tribunum Georgium Joannem Peplitzium, ac Wetzelium à Conventu Heilbrunnenſi miſſos, de ſtudio Ordinum in eorum petita ample teſtantes, & ad officium deinceps faciendum adhortantes. Placandis tamen, aut devinciendis ductoribus poſt ingens pecuniæ ſumma diſtribuebatur, & præ-

1633. dia quadragies novies centenorum millium uncialium pretio; ut tamen omnia quæ donabantur, à Regno Sueciæ tanquam feuda dependerent. Ita conspiratio illa dissipata fuit, quæ tamen non modicam rebus gerendis remoram afferebat. Neque enim tutum erat agrum animis militem in hostem ducere; & solus Bernhardus Dux apud exercitum permanserat, Hornio cursim ad Cancellarium profecto, ut ipsum arcana ejus motus edoceret; quæ ex isthac narratione conjectare haut difficile est.

Gesta ad Rhenum. §. 41. Inter ista otia Otto Ludovicus Rheingravius cum copiis suis, quas Hornio adduxerat, in Alsatiam regressus est, ubi per id tempus nihil memorabile gestum fuerat, nisi quod semel atque iterum Cæsarcorum manus ad Brisacum, & Ensisheimum cæderetur, & arcis Pfirtensis præfectus proditionem machinatus scelere deprehenso pœnas lueret. Inter hæc Heidelbergæ præfectus cum mille militibus in Suecicorum conspectu inde egressus Philipsburgum iverat, ubi assumtis aliquot cohortibus trajecto Rheno Hagenoam tendebat, ibidemque aliqua manu firmatus oppidum Weissenburgum, ut præsidium Cæsarcum reciperet, cogebat. Inde cum Montecuculi copiis in exercitum non spernendum coaliturus ad superiorem Rhenum rem gerere constituebat, plerisque Suecorum viribus ad Danubium versis. Sed ab Oxenstierna subtribunus Abel Moda hostem Landavia propulsare jubetur, ejusque progressus tantisper sistere, quoad Christianus Palatinus Birckenfeldensis cum exercitu acceleraret.

Suecici Andernaco succurrunt. §. 42. Is interim adscito apud Lohnsteinum Baudissii exercitu Andernaco suppetias tulerat, quod magna vi ab Hispanis oppugnatum, pari Suecorum virtute ad decimum diem defendebatur, profligatis in itinere trecentis hostium equitibus. Cum ad ripam Andernaco oppositam pervenissent Sueci, licet Rheno adhuc divisi, hostis qui quatuor millia equitum, septem peditum explebat, repente obsidium non sine trepidatione deserit: cujus ultimum agmen Josias Ranzovius oppidi præfectus carpebat, multis moratoribus concisis, centum sexaginta cum adparatu belli non modico captis. Sed cum istud oppidum malignius munitum esset, quam ut vim diu sustinere posset, nec in promptu semper exercitus qui succurreret
13. Mart. foret, Palatinus destructis raptim turribus atque operibus præsidium inde educit. Quo tempore Baudissius Palatino copias suas consignabat, & depositò imperio discedebat non sine offensâ in Suecos, per quos desideriis suis non fuisse satisfactum querebatur. Nec literis ad Senatum scriptis dissimulabat ultionem se sumturum; quem tamen
Engersam & Montaburium Sueci Gallis tradunt. masculo responso hic retundebat. Inde Engersâ à Suecis expugnata præfecto Gallico Hermansteini Saludio petenti conceditur, quod Suecis exiguo usui esse posset. Mox Montaburio Palatinus vim adhibebat; quod oppidum ut neutralitate frueretur Isenburgius Comes cum Saludio transegerat. Quo pacto etsi Sueci haut tenerentur; quia tamen istis temporibus non omnia ad vivum resecare licebat,
23. April. etiam his placebat, ut hostili præsidio emisso id oppidum Gallis traderetur. Sed mox Palatinus ab Oxenstierna evocatus, firmatis præsidio ejus tractus locis, VVormatiam properat, coërcendis ibi
30. April. hostium progressibus; cujus adventu isti Hagenoam, & inde Tabernas recessérant, Montecuculo se sociaturi. Palatinus autem Abelem Modam ad continuandum Heidelbergæ & Philipsburgi obsidium cis Rhenum dimittit. Ipse modico negotio Weissenburgum recuperat, coacto præsidio, ut positis armis nulla exceptione se Suecis dederet.

Hamela §. 43. Ad Visurgim Georgius Dux, & Cnip-

husius Hamelæ obsidium aggressi fuerant, quod 1633. obsidium fervet. oppidum positu opportunum, munitumque, ac milite, adparatu bellico, annonaque instructissimum subtribunus Schelhamerus strenue propugnabat. Nam præter continua tormentorum fulmina crebris eruptionibus obsessores fatigabat; Quarum una Buckvvaldus, VVeberusque subtri- 24. Martii. buni, cum quatuor centurionibus, multisque gregariis ceciderant. Altera trans Visurgim sita ca- 4. April. stra repente impetita, diffugientibus turpiter obsessoribus, quibus novem vexilla eripiebantur majore ignominia, quam damno, cum quatuordecim tantum milites occubuissent. Tertio post die 6. April. in diversa parte idem tentantes obsessi, post modicum damnum datum à Laurentio Caggio cum clade in oppidum repelluntur. Sed præter vim hostilem magnopere Suecicos affligebat cœlum nivibus atque imbribus fœdum, & intumescens Visurgis, ut redundantibus passim aquis opera promoveri non possent. Nec minus interea per ditionem Colonientem & vicina copiæ contrahebantur Hamelæ liberandæ. Quin Gronsfeldius Mindæ hærens jam mense Aprili obsidium solvere tentabat. Sed Arensburgum progressus conspecto procul igne, & strepitu audito, quem pauci currus annonam subvehentes excitaverant, velut itinere suo prodito territus retro verterat.

§. 44. Ex adverso Suecici duces Wilhelmum Landgravium orabant, ut suas copias ipsis sociaret premendæ amplius Hamelæ, & ut pares esse possent, si forte hostis ingrueret. Is postquam ali- 22. Maii. quandiu Paderbornam eminus circumsedisset, summo mane ductu Jacobi Mercierii tribuni vali- Hassi Paderbornam expugnant. dam manum post collem oppido propinquum abdiderat, turma versus oppidum emissâ; cujus insultationes dum obsessi ferre non possunt, trecenti quinquaginta eruptione facta cum Hassis manus conserunt. Qui de industria cessim collem versus, ubi insidiæ latebant, euntes oppidanos per ferociam incautos eodem protrahunt. Quibus insidiatores regressum ad urbem intercludunt, ac trecentos cædunt, cæteros capiunt; quos inter oppidi præfectus Klipmullerus, & monachorum nonnulli. Post eum successum tormentis oppidum verberare, & vim cominus intentare Landgravius properat. Qua territi obsessi deditionem 29. Maii. faciunt ea lege, ut miles oppido excedat, idemque præsidio liberum mille unciales singulis mensibus solvat, expensarum nomine insuper octo millibus erogatis. Inde Lipstadium, ut ultro Lipstadium frustra tentant. præsidium recipiat, Landgravius verbis persuadere tentabat, quod vim adhibere cœli inclementia non permitteret, irrito eventu, & amisso insuper tribuno Mercierio; qui dum paucis cum equitibus oppidum irrumpit, velut subito terrore incolas ad imperata facienda compulsurus, coëunte 11. April. mox plebe pellitur, globoque caput trajectus perit. Hinc re infecta movens Landgravius, Ha- 11. April. melam se conferebat apud Neuhusium equitatu relicto ad conatus hostium observandos. Nec diu post nuntius adfertur, primum hostium agmen jam Paderbornensem ditionem ingressum Hamelæ liberandæ. Unde assumto quicquid obsidio subtrahi poterat Landgravius, Melander, & Caggigus hosti obviam tendunt. Ubi trecenti equites ductu Jacobi Comitis Hanovienſis ad explorandum emissi in hospitium legionis Assleburgii Wil- Assleburgii legio delelingshusam irrumpunt, eamque delent, captis tur. septem vexillis. Ipse tribunus Assleburgius gemino vulnere saucius ægre Osnabrugam evasit. Qui 26. April. successus tamen Hamelensium ferociam non frangebat, quo minus frequentes eruptiones facerent, illatis uti solet, acceptisque damnis, ut obsidium istud in longum extraheretur. Cum Oxenstiernæ

satius

1633. satius videretur, exercitum per eas regiones diffusum se confirmasse, ac hosti occasionem vires colligendi ademisse, quam uni loco affixum attenuari. Sed cum salva ducum existimatione obsidium solvi non posset, istius morae molestia devoranda utique erat.

Wilhelmus Dux Saxoniae rem bene gerit.

§. 45. In Misnia, Thuringia, & vicino tractu eo tempore tranquilla omnia, quod hostes hibernis per Bohemiam cupide fruerentur: nisi quod Wilhelmo Saxoniae Duci, qui in istis oris curabat, una atque altera excursio bene cessit. Cum enim cognitum esset, tribunum Corpusium cum duodecim equitum vexillis, manuque peditum, & 29. Mart. aliquot tormentis Weismanum tendere; ipse ad Curiam Variscorum assumtis Saxonicis hostem assecutus in fugam conjicit, caesis supra centum, & praeter multos captivos omnibus impedimentis 16. April. potitus. Paulo post cum tres hostium legiones circa Artzburgum ire cognovisset, ipse repente illorum hospitiis infusus tribunum Orosium Paulum octo cum vexillis capit, ejus legione, quae quadringentis equitibus constabat, ita deleta, ut viginti non plus vivi evaderent. Nec paucos tribunus Kegelvvirzius ex sua legione desiderabat.

In Silesia res male geritur.

§. 46. At in Silesia res non praeter solitum male gerebatur. Arnheimius Dresdam profectus praeter promissum multas ibi septimanas haerebat. Interim Dux Lauenburgicus, Franciscus Albertus ad Schvveidnitzam otiosus desidebat, incassum Arnheimium, aut literas ejus expectans. Egregius exercitus nihil agendo frustra minuebatur, nullis Dresda mandatis ad aliquid suscipiendum venientibus. Contra hosti quod summopere cupiebat, otium indulgebatur ad se futurae expeditioni parandum. Unde nec ab hoste, nec in eum quid tentabatur, nisi quod Lauenburgicus octo turmas 21. Mart. Croatarum, & Italorum Franckensteni oppresserat, ut vix sexaginta evaderent. Hostis contra oppidulum Coebenam incendio delet, & arcem Falckenbergam non sine damno expugnat, ac disjicit. Tandem expectando Arnheimio defessus Lauenburgicus, cum periculosae hostium machinationes ob oculos versarentur, & ipse Dresdam 9. April. abit intra paucos dies reditum suum pollicitus, collato tantisper imperio in Ulricum Regis Daniae filium, equitatus Electoralis summum praefectum. Duvvalius quoque permissu Turrii Comitis ad exsequias uxori ducendas in Pomeraniam profectus erat. Decaetero diffidentia ibi Succos inter & Saxones quotidie glisscere: Succi hospitiorum angustiis premi; Brandeburgicae copiae aperte Saxonicorum duntaxat imperia agnoscere; sub quae etiam Succicas trahere nitebantur, rem non nisi ab uno capite bene geri posse jactantes. Caesarei Glatzio & Neissa ad Saxonicos Schvveidnitzam, hi vicissim ad illos commeantes amice inter se victitabant. Licebat quoque per Saxones Caesareis res suas Wratislavia quo vellent avehere. Nec dissimulabant hi, primariis Saxonicorum ducibus ita esse satisfactum, ut vix adversi quid in Caesarem suscepturi, sed, ejusdem potius commodis velificaturi sint, quorum uni multa aureorum millia Viennâ transmissa constabat; sic ut Succici, quo se tuto ibi verterent, non viderent.

Dux Bernhardus Aichstadium capit.

§. 47. Apud Danubium sedatis exercituum animis Bernhardus Dux Neoburgo in praetulatum Aichstadiensem moverat, reliciendis ex hostico uberius militibus; & ut arcem Aichstadii expugnaret, simul Ingolstadio insidias strueret. Et arcem quidem post ruinam moenium, & admotos cuniculos deditione capit, adparatu bellico & an- 4 Maji. nona non mediocriter instructam. Sed scenam doli apud Ingolstadium adornaverat Joannes Philippus Cratzius, Bavaricus Dux. Alucrat is jam Ingolsta- olim mortales inimicitias cum Fridlando. Hunc ne pro conditione eorum temporum offenderet Bavarus, simul instinctu aemulorum, summum in copias suas imperium Cratzio praeterito in Altringerum contulerat. Ne tamen Cratzium plane abalienaret, ipsum Bavariae Gubernatorem, ac praecipue Ingolstadii constituerat. Ea res ita hunc mordebat, ut à Bavaro vindictam sumere tradito Succis Ingolstadio decerneret. In conscientiam facinoris adsumitur Tribunus Farensbachius, manu strenuus, sed animo lubricus, & dominos nulla de causa mutare suetus. Inde cum Duce Bernhardo de Ingolstadio prodendo transigit Cratzius, stipulatus sibi quicquid pecuniarum in oppido inveniretur, & ut sub Duce Bernhardo *Campimareschalli* dignatione gauderet. Consilio ex- 4. Maji. sequendo nox quartum Maji diem praecedens destinatur. Cui fini Cratzius pridie rumorem sparserat, aliquot Bavaricas turmas ab Altringero sub noctem adventuras; quarum nomen simulantes Succi audacter accedere, & per portam quam ipsis referaturus esset, in oppidum introire debebant. Plerosque interim praesidiarios ipse per munitiones exteriores & alia loca dispositerat, ubi conatus ipsius impedire non possent. Sed quo minus res succederet, in culpa erat tarditas Succicarum turmarum, quae momenta temporum non sat accurate observaverant; eoque illucescente demum die oppido propinquabant. Ubi excubitores ex insolentia vexillorum aliisq; indiciis fraudem subodorati ad arma conclamant; ac mox portis hautquidquam reseratis omnes in vallum accurrunt. Ita consilium exquisite dispositum in irritum recidit. Sed cum ejus rei suspicio in Cratzium caderet, is de innocentia sua ample protestatus, Viennam ad causam dicendam proficisci se ferens, in itinere ad Succicas copias in Silesiam elabebatur. Sed Farensbachius in carcerem raptus capite poenas dedit, à quatuor carnificibus foede concisus. Eo conatu evoluti Succi retro ad Donavvertam castra metantur; quibus tunc solus Hornius imperabat, Bernhardo Duce ad Oxenstiernam Francofurtum profecto. Hostes contra paulo inferius ad Danubium haerebant. Inter quae manus Ratispona Noriber- 2. Maji. gam versus excurrens, apud Reichelsvvangam cum Schlammersdorfio Noribergici militis praefecto collisa, ipsum numero imparem cedere cogit; inde post vicum incendio delerum arcem aggreditur satis munitam; quam praefectus miseratione uxoris, cui captae hostis necem minabatur, dedit, quae mox ab hoste injectis flammis vastatur. Contra Lutzmansteinum arcem, è qua vicinis per excursiones multum damni dabatur, Noribergenses intercipiebant. Sed eam mox tribunus Manteufelius obsessam, & tormentis quassatam recuperat. Interea exercitus Bavaricus repente Neoburgum 20. Maji. ex utraque Danubii ripa invadit, magna vi adhibita. Sed mox Hornius cum exercitu eodem adproperat; quem hostis expectare non ausus recedit, paucis in receptu desideratis. Circa idem tem- 28. Maji. pus plerique Sacerdotes Pontificii Augustae, cum fidem Regno Suetiae jurato promittere pertinaciter abnuerent, urbe expulsi in Bavariam facessebant.

In Brisgovia res gestae.

§. 48. In Brisgovia Brisacenses Badenvveileram, Rœtelam, & Sausenbergam, Badenses arces, in potestatem redegerant. Qui ne ulterius progrederentur, commodum Rheingravius Otto Ludovicus ab Hornii exercitu è Suevia redux aderat, capto ad Watenvveileram opportuno loco tentaturus, num hostem regressu ad oppidum excludere 9. Maji. posset. Sed dum inter equites utrinque confligitur, pedes interim sumto per montana itinere in tuta evaserat. Hostium eo in conflictu ducenti ampli-

1633. amplius cæsi; centum cum aliquot ductoribus capti. Succorum non supra quindecim deliderati. Ex altera Rheni ripa Rheingravius Otto Mas-
21. Maji. munsterani, quam subtribunus Soyus cum quadraginta equitibus, sexcentis quinquaginta peditibus propugnabat, ad deditionem compulerat; cujus tamen leges non servatæ, sed plerique ad Suecicam militiam adacti, cæteri detenti in vindictam pacti à Brisacensibus ad Badenvveileram violati. Oppidi mœnia solo æquata. Inde Andlo-
viam, & Landsbergam arces idem occupat, specula in vicem Colmarienſibus intervituras. Mox
27. Maji. & Weileram oppidum cum valle cognomine multa cum incolarum cæde in potestatem redigit.

Heidelberga à Suecis capitur. 5. Maji.

§. 49. In Palatinatu subtribunus Abel Moda Heidelbergam oppidum repentino assultu occupaverat. Arci à Palatino Birckenfeldensi vis admota, quæ paucos post dies à præfecto Hardenbergio Barone honestis conditionibus deditur. Ei Salmensis Comes cum ter millium manu Philipsburgum pro-
24. Maji. gressus succurrere cupiebat. Sed cum ne tallendi hostis viam inveniret, nec aperte perrumpere valeret, re infecta in Alsatiam regressus est. Ita totus Palatinatus inferior hosti extortus, ad antiquos iterum dominos rediit.

Hamelæ obsidio continuatur.

§. 50. Interea obsidium Hamelæ pari utrinque pertinacia extrahebatur, cui liberandæ Gronsfeldius v. Bdam manum è vicinis præsidiis contrahebat. Ejus adventu cognito Suecicus equitatus, cum dimachæ hostium densâ nebula tecti in oppidum
7. Maji. perrumpere conarentur, in istos acriter invectus multos occidit, plerosque repellit, ut non nisi ducenti Hamelam penetrare potuerint. Sueci contra obsessos, ad flumen arbores quasdam in oppidum pertrahere conantes, occisis sexaginta re-
16. Maji. jiciunt; & favente cœlo ad fossam urbis accessus promovent. Inde post ruinam editam quatuor in locis assultus tentatur irrito eventu, quod fossæ
17. Maji. non satis completæ forent, & aliqui ligno non audito impetum dare neglexissent. Paucos post dies reperito assultu exteriores munitiones uno & alte-
20. Maji. ro loco penetrantur; sed præfectis plerisque occisis aut vulneratis gregarius miles animis collapsus eas iterum deseruit. Vicissim obsessi eruptione fa-
24. Maji. cta centum equos è pascuis abreptos in oppidum compellebant; sed ab obsessoribus pulsi quinquaginta amissis se recipiunt. Interim qui ad suppetias Hamelæ ferendas congregati erant, Monasterium versus recedunt, ut Merodium Comitem opportuno ad Lippiam flumen transitu sibi adjungerent. Quos insecuti Sueci, Hasliique in itinere
17. Maji. Rhedam arcem inani terriculamento ad deditionem adigunt; mox ad Deilichtam non procul Monasterio cum hoste modico utrinque damno colliduntur. Sed cum hic opportunis se locis teneret, nihil amplius in ipsum tentare dabatur.

Croatæ à Tupadelio vapulant.

§. 51. In Mitnia iterum hostium irruptio metui cœperat, dum Holckius ad Egram copias cogit; quibus ut obviam iretur, Wilhelmus Dux militem Suecicum ad fines provinciæ contrahit: Quæ inter Croatæ Hungaricique equites in Tupadelii hospitium Weisstadii irrumpere decreverant. Quo
26. Maji. conatu cognito ipse eos in itinere quiescentes, securosque opprimit, ac multis occisis insigni præda potitur.

In Silesia fœderati se movent.

§. 52. In Silesiam jam tandem Arnheimius regrediebatur, cum hostis magna se mole moveret. Nec eo minus tot aculeatis scriptis super prærogativa imperii certabant Arnheimius, Turriusque, ille parem, hic superiorem ferre dedignatus, nisi Lauenburgici interventu dissidium utcunq; compositum foret. Inter quæ licentia militum eousque excesserat, ut è vicina quoque Polonia prædas agere non dubitarent. Qua super injuria Polo-

1633. loniæ Rex apud Silesios Ordines missis legatis non sine minis querebatur; qui id prohibere penes se non esse excusabant. Inde Arnheimius à Wratislaviensibus postulat, ut quicquid in ea urbe reditum Cæsari obveniret, simul adparatus bellicus, & bona à Cæsareis ibi depositа sibi traderentur cum frumento ad alendum exercitum. Quæ isti vario obtentu eo securius abnuebant, quod nullum jam tempus superesset ipsos cogendi, dum Fridlandus valido cum exercitu in Silesiam irrum-
Fridlandus in Silesiam irrumpit; pit Gallasio se juncturus. Cujus adventu intellecto fœderati contractis copiis exercitum lustrant, quem viginti quatuor millia complere deprehendunt, quorum tertiam partem Sueci absolvebant. Hinc recta Strelenam tendunt, inanum cum hoste concerturi, antequam is omnes vires contraxisset. Sed cum ille pugnæ fugiens ad confinia Bohemiæ recederet, fœderati facto circuitu ad Levvinum Neissam flumen transire constituunt. Quo loco cum haut longe abessent, nuntiatur Fridlandum
Prælium cum fœderatis declinat. cum quadraginta millibus Munsterbergæ appulisse, ac Schvveidnitzam versus tendere. Igitur fœderati habito consilio Brigam inter, & Opelam ad Oderam castra mununt. Inde dum Arnheimius cum parte copiarum Strelenam versus procedit ad motus hostium explorandos, parum aberat, quin male multaretur, ni reliquus exercitus auxilio adproperasset. Quanquam autem hostis sedecim millium numero fœderatorum copias excederet, nihilominus hi prælio illum lacessere certi Munsterbergam tendunt, ubi is metabatur. At Fridlandus intra munita castra se tenens impetum eorum eludebat. ita fœderati octo per dies in apertis campis consistebant nulla re memorabili gesta, nisi quod inter varias velitationes ipsi tribunum Zeitzium, hostis præter tribunum, duosque subtribunos complures præfectos amisisset. Eo ex loco Fridlandus Fœ-
19. Maji. deratorum castra prætergressus Nimmitscham ibat, quam arcem à quadraginta peditibus infestam expugnabat, trajici justo præfecto, quod per-
20. Maji. tinacius restitisset. Fœderati mox insecuti postera die ultimum ejus agmen assequuntur, ut consistere, & in aciem copias disponere cogeretur, sed loco ita opportuno, ut fœderatos facile arcere posset. Ita cum hostis se inde movere nollet, novem per dies extra tubi majoris jactum in acie utrinque consistebatur.

28. Maji. §. 53. Tandem à Fridlando missus aderat cum tubicine Terzkius Comes istius nomine petens, ut Arnheimius in ipsius castra accedere velit, magnis de rebus loquentem auditurus. Quod petitum cum altera vice repeteretur, Arnheimius adsumtis è Suecicis Raschino, è Brandeburgicis Borgsdorfio tribunis eò accedit. Ubi primo Fridlandus
Fridlandi super pace ad fœderatos propositio. tex hebdomadum inducias postulabat. Quas Arnheimius concedere, nisi de cæterorum ducum consensu, penes se negabat esse; ad quos tamen relaturum se promittebat. Ita tunc discessum. Exinde placuit, ut è trium fœderatorum copiis bini ad Fridlandum mitterentur, quos inter è Suecicis Fellius Baro, & Jacobus Bohmius tribuni deputati erant. Apud hos ille magna cum asseveratione jactabat; se venisse, ut cum Sueeis, & Imperii Principibus æternam pacem concludat, militi stipendia exsolvat, universis satisfaciat, hæc in sua manu esse. Si Cæsar ista abnuat, se cum Evangelicis pacem initurum, & Cæsarem in malam rem acturum. Quæ ultima verba tamen submissiore voce soli Fellio in aurem insusurrabat. Sed cum
Induciæ cum Fridlando incuntur. 28. Maji. isti super tantis rebus nihil in mandatis haberent, aliud tunc actum non fuit, quam ut induciæ in duas septimanas concluderentur. Post hæc Fridlando petente, ad ipsum accedebat Turrius Comes, mente ejusdem penitius explicandæ. Et tangebant

1633. 31. Maji. Turrius Fridlando sacra præbet.

gebant vehementer ejus viri animum, quæ à Fridlando propoſita fuerant, ob populares ſuos Bohemos exules; in quorum reſtitutionem cum Cæſar ægre conſenſurus eſſet, ut cum alio tractatus ſuſciperetur, opus judicabat. Nec in Daniæ Rege, aut propoſitis ab eo pacis tractatibus ſpei quid habebat; nec ullum Germaniæ Principem Bohemis ſatis favere noverat. Eoque Fridlandi opera voto ſe ſuo potiturum credebat. Quæ ſpes ita animum ejus faſcinaverat, ut quousque tam inſolitis Fridlandi pollicitationibus fidendum foret, non conſideraret; quin judicaret, hoc negotio ſuſcepto magnifice de Suecis ſe meriturum. Cæterum Fridlandus eadem, quæ ante, de pace cum Suecis, & utroque Electore, ac cogendo Cæſare, ſi abnueret. Addebatur de inſtaurandis privilegiis, reſtituendis exulibus, ipſorumque bonis, utque Jeſuitæ velut turbatores pacis toto imperio ejiciantur, ac deinceps bona fide agatur, proſcripto illo dicterio: Hæreticis fidem ſervandam non eſſe. Præterea cum Suecis ſuper expenſis belli tranſigendum, tempusque ſolutionis diffindendum; interea loca munita ab ipſis occupata hypothecæ nomine obtinenda, fidejubentibus inſuper Galliæ, Angliæque Regibus. Tandem omnes exercitus extra Germaniam contra Turcam educendos. Circumferebantur inſuper certa capita, quæ pro ſe peculiariter Fridlandus ſtipulari volebat; de regno Bohemiæ in ſe transferendo; pro quo viciſſim ipſe exulibus erepta bona, Proteſtantium ſacris libertatem, Palatini reſtitutionem pollicebatur. Utque loco Meclenburgicæ, Saganique, & reſiduorum ſtipendiorum Moravia ſibi aſſignaretur. Minatus quoq; ſe Bavaro oppignoratam Superiorem Auſtriam ademturum, in vindictam ſibi quondam ſummi in exercitus imperii erepti. Tandem omnes ſibi exercitus ſimul tradi poſtulabat, quos ipſe Viennæ admoturus eſſet Cæſari ad hæc omnia ratihabenda adigendo. De quibus omnibus ad Saxonem per Arnheimium, ad Oxenſtiernam per Turrium referebatur. Sed iſta huic à ratione alieniora videbantur, quam ut animus iisdem adverti deberet.

Conventus Heidelbergenſis. 7. Jun.

§. 54. Inter hæc Oxenſtierna conventui Heidelbergæ agendo vacabat, ad quem coiverant Ludovicus Philippus, Johannes, & Chriſtianus Palatini, Bernhardus Saxoniæ, Everhardus VVurtenbergicæ Duces, Fridericus Badenſis Marchio, Comitesque Hohenloici, Hanovienſis, & Iſenburgicus, aliique. Ubi de explendis militum poſtulatis atque exſolvendis in poſterum ſtipendiis decernebatur; utque omnium frugum, vinique decimæ militari annonæ attribuerentur; ac Philipsburgum & Hagenoa in poteſtatem redigerentur, illud eminus circumpoſito obſidio, hæc cominus intentata vi. De Lotharingiæ Duce placebat, etſi meritus ſit, ut hoſtis loco habeatur: tamen tantiſper arma inhibenda, ejusque actiones obſervandas eſſe; niſi qua vis aperte illata repellenda ſit. Denique Georgius Landgravius, ſi ratam tributorum partem conferret, ac amicum ſe fœderatis exhiberet, nihilque hoſtibus auxilii præſtaret, non ulterius urgendus videbatur. Quod decretum ſcripto, & mox miſſa legatione Landgravio inſinuabatur. Qui tamen certa ſe obligatione induere abnuens, multa verborum ambage ſatis declarabat, ni vis admoveretur nihil ſe ad communem cauſam collaturum. Decreta quoque ibi promulgantur adverſus avaritiam præfectorum, & ne hinc inde commeantes milites gratuitum victum provincialibus extorqueant. Tandem ab Adminiſtratore Palatinatus Oxenſtierna poſtulat, ut Lutheranis ibi ſacra ſua exercere minus faſtidioſe concedatur.

Heilbrunn.

§. 55. Viſû porro in Heilbrunnenſi conventu fuerat, Helvetios ad commune fœdus invitare. Quam legationem Maximilianus Baro Pappenheimius ultro in ſe ſuſcipiebat tentaturus, num fœderi cum Suecis quatuorque Circulis adſcribi, aut ſaltem milite & pecunia citra fœdus iſtis adſiſtere vellent. Sin hæc abnuerent, ut delectus in terris ſuis haberi permitterent. Extremum erat, ut ſaltem neutri partium addicti, tranſitum per clauſtra ſua hoſtibus denegarent. Verum quicquid rationum adferret Pappenheimius, permovere eos non poterat, ut quidquam præter *neutralitatem*, quam & ante promiſerant, annuerent. Nam ab iſta cauſa Pontificios Helvetios ſua ſacra alienabant. Unde ſi Evangelici Suecis peculiari fœdere ſociati fuiſſent, damno id magis ipſis quam commodo ceſſurum erat, inteſtino diſſidio mox orituro, & Pontificiis ad partis adverſæ fœdera tranſituris; qui occluſa hactenus montium clauſtra hoſti aperturi eſſent; occaſionemque præbituri, ut is anguſtias Rhetiæ Italiam à Germania ſecludentes invaderet, maximo Helveticæ libertatis periculo. Eodem tempore Palatinus Neoburgicus Oxenſtiernam de *neutralitate* concedenda, & ut belli oneribus exemtus ageret, per legatum ſolicitabat. Sed cum Wilhelmus Landgravius intercederet, qui hoſpitiis inter Lippiam & Wipperam fluvios in ditione Neoburgica ſibi aſſignatis commode carere non poterat, res ad communem ſociorum conventum rejecta fuit.

1633. fœderi Heilbrunnenſi adſcribi abnuunt. 15. Jun.

Neoburgicus neutralitatem ambit.

§. 56. Aſt Daniæ Rex tunc circa pacem conciliandam quam maxime ſatagere videbatur; qui cum ab initio pronum id ſibi negotium perſuaſiſſet, quod lubricas Suecis res domi & in Germania crediderat, poſt opinionis ſuæ fallius, & difficultate rei perſpecta pronunciaverat; Salomonem ſi nunc viveret, omni ſua ſapientia opus habiturum ad pacem Germaniæ dandam. Ac recuſabat ei ſe mediationi immiſcere Senatus Daniæ, quod deſperaret temperamentum inveniri poſſe, quod utrique parti, ac præcipue Suecis ſatisfacere poſſet. Nec tamen idem repugnabat, quo minus Rex per Conſiliarios ſuos Holſaticos eam rem ageret. Cui haut eo minus deſtinata ſua expromere ſedebat, ut ſi non pacem, ſaltem diviſionem inter Proteſtantes produceret, eorumque non nullos à Suecica ſocietate abſtraheret, invidia fruſtratæ pacis in Suecos devoluta. Igitur ſuper ſtudio ſuo circa conciliandam pacem Oxenſtiernæ ſignificat, hortatus, ut & ipſe operam ſuam eidem ſcopo adplicet. Quæ literæ tamen menſe demum Majo reddebantur; neque exemplum literarum Cæſaris, de prono ipſius in pacem animo teſtantes, quod adjunxiſſe ſe ſcripſerat, uspiam adparebat. Ad quæ Cancellarius de præclaro Regis ſtudio, ſuoque in pacem animo præfatus, reponebat: metuere ſe, ne hoſtis jactato pacis vocabulo nihil aliud quærat, quam ut Ordines Proteſtantes à Suecis divellat; eoque, ni quis decipi velit, circumſpecte heic procedendum. Noxios, non irritos ſolum, fore tractatus, niſi prius inter ſocios conventum fuerit, quæ leges pacis ferendæ, aut accipiendæ. Quæ ſi in ipſo demum tractatu ſint expediendæ, labente tempore hoſtem ſcopo ſuo potiturum. Ob multitudinem eorum, quorum intereſt, negotium hoc ſummis difficultatibus implicitum eſſe; quæ diſcutiendæ prius, & ſolidum tractatibus fundamentum ſubſternendum, ſi quid egregii effici debeat. Cumque à Germanis Principibus Legati non niſi cum reſtrictis mandatis mitti ſoleant, quibus identidem domini ſui conſulendi ſint, in immenſum extractum iri negotiationem, ni materia prius digeſta fuerit, ac præcipue qua cautione pax ſit ſtabilienda. Se tamen rem ad Reginam ſuam, ſociosque, & Galliæ Regem relaturum, qui & ipſe

17. Mart. 16. Maji.

Daniæ Regis mediatio inanis.

1633. ipſe pacis proxenetam ſe obtulerit. Sed antequam hæ literæ Regi redderentur, jam is longius in eo negotio progreſſus erat. Cum enim Cæſar Ordinesque Catholici, & Saxoniæ Elector ejus mediationem acceptaſſent, idem de loco & tempore tractatuum conſtituere cœpit. Et repudiata Praga, quam Cæſar propoſuerat, velut in quam Sueci cum ſociis nunquam conſenturi eſſent, Wratislaviam denominat, velut neutrarum partium urbem, & nullo milite infeſtam, in qua ut ad diem decimum tertium Julii adſint, omnium partium Legatos invitat, tertio poſt die tractatum orſuros. Interea ſat ſpatii fore literis ſalvi conductus utrinque expediendis, & ut legati mandatis inſtrui, omniaque diſcuti queant. Atque de his Cæſari medio menſe Majo ſignificat, ac pro Evangelicorum legatis ſalvum conductum poſtulat, addito, de eadem re jam Suecos ſociosque certiores redditos; cum tamen integro poſt menſe ad Oxenſtiernam, & tardius adhuc ad Brandeburgicum Electorem literæ datæ fuerint. Quarum illæ reſponſum ad Oxenſtiernæ literas continebant, quo omnia, quæ is ſuper conditionibus pacis prius adornandis monuerat, ad ipſos tractatus rejiciebantur. Ac hæ demum poſt menſem per peculiarem tabellarium Oxenſtiernæ Francofurti reddebantur, cum ſequens dies ordiendis tractatibus deſignatus eſſet. Cæterum conſtabat diſplicuiſſe Dano, quod Oxenſtierna in literis ſuis rem ad Galliæ Regem rejeciſſet; qui & ſatis adparere ajebat, Suecos à ſua interpoſitione, ipſaque pace abhorrere. Unde id agebat, ut cum pax inter univerſos conſtitui non poſſet, Saxo, qui plane ab ipſo pendebat, & quidam alii peculiari conventione tranſigerent. Quo fine idem æque, ac Saxo Inferioris Saxoniæ Ordines à Suecis alienare nitebatur, velut qui pacem impedirent, ac Germaniam argento emungere inſtituerent, tanta jam tributorum vi exacta, ut quod expenſarum nomine poſtulent, parum aut nihil reſtet. Hos ſi ad Saxonis conſilia adjungere poſſent, cum hoc tanquam Proteſtantium capite tractandum erat, Suecis ad appendicis conditionem redactis, quos pro lubitu Germania ejecturi eſſent. Aſt Oxenſtierna, quem nihil iſtorum fallebat, paucis Regi Daniæ referibit de literis ipſius ita tarde redditis, ac tanti rem momenti eſſe, ut niſi capto cum Fœderatis conſilio, à ſe nihil ſtatui poſſit. Sed & Electori Brandeburgico literæ, queis Wratislaviam invitabatur, biduo tantum ante præfixum conventus diem obiter redduntur, dum Wolgaſtum ad Reginam Viduam, ſororem ſuam proficiſcitur. Quæ omnia ita præpoſtere adminiſtrata, cum ad negligentiam aut errorem referri non poſſent, nihil ſani tractatibus iſtis ſubeſſe arguebant. Nam neque Wratislavia locus erat huic negotio opportunus, urbs non libera, ſed Bohemiæ Regno innexa, quam duo exercitus circumſtabant, penuriam aut vaſtitatem facientes; tum à Fœderatis Circulis, & Oxenſtierna remota, qui tanti momenti tractatibus ipſe intereſſe cupiebat, nec tamen à commiſſa ſibi directione rerum ita longe diſcedere poterat. Præterea nec literæ ſalvi conductus ad Oxenſtiernam miſſæ erant, nec earum mentionem ad ipſum ſcribens Daniæ Rex fecerat, velut nullo numero Sueci cum ſociis ſuis eſſent. Denique per tam ſero ſcriptas convocationis literas ita coarctatum erat tempus, ut nullo modo, quæ tanto negotio inſtruendo requirebantur, expediri poſſent, etiamſi ſtatim fuiſſent redditæ. Quin & ipſi Legati Danici die demum vicesimo ſecundo Julii Francofurtum ad Oderam perveniebant, elapſo jam conventus die, quem ipſi aliis dixerant. Hoc igitur modo ſuſcepta à Dano mediatio procedebat, in qua multum ſpei Cæſarei collocaverant non tam pacis obtinendæ, quam diſſidii Evangelicos inter ſerendi. Et quia videbant, non nullos rem ita temere præcipitare, jam eousque animis intumuerant, ut jactarent: Daniæ Regi hautquaquam mediationem conceſſam, ſed ut querelas Proteſtantium duntaxat cognoſcat, & ad Cæſarem referat, ſuper quibus hic, quæ viſa fuerint, diſpoſiturus ſit. Sed & Saxo qui cauſam ſuam Dano commiſerat, magnam, ut adparebat, pacis ſpem ex ejus opera conceperat. Aſt Brandeburgico ea res magnopere diſplicebat, eoque per Legatum Leuchtmarum apud Saxonem querebatur, id negotium ſe inconſulto ſuſceptum, hortatus inſuper, ut Heilbrunnenſi fœderi aſſociari velit, utut non omnia ad normam legum publicarum geſta videantur, quæ & inter arma fileant, nec ab adverſa parte obſervatæ ſint: quarum tamen ulla pace facta facile revocandus ſit. Inde petebat, ut idem Friderici Palatini hæredes pro legitimis ſucceſſoribus in ditiones Palatinas, dignationemque Electoralem agnoſcere velit, uti à Fœderatis Circulis factum. Denique ne hoſti in Sileſia fideret monebat, neu temere inducias prorogari pateretur, quod hoſtis monſtri quid alere videatur. Ad quæ Saxo ſuper convocatione varia excuſare; capita pacis in conventu Francofurtenſi, & Lipſienſi tatis digeſta videri: in conventu Heilbrunnenſi decreta ad totum Imperium, & præcipue ad Electores pertinere, quæ horum faſtigio & libertati Germanicæ repugnent: novis fœderibus pacem impediri: ſibi fœdere tractatuum eventum expectare, in quibus ſi inſidias verſari intelligat, è re conſilia capturum: Palatini reſtitutionem non Heilbrunnæ, ſed in tractatu pacis faciendam. Ita tunc & iſti Electores in diverſa tendebant.

Locus & tempus tractatuum abſurde conſtituitur.

15. Maji.

24. Junii.

30. Junii.

31. Julii.

11. Julii.

Brandeburgico in tractatus diſplicet.

25. Julii.

§. 57. Interim Oxenſtierna cum ductoribus exercituum ad Danubium plene tandem transegerat, datis in ſolutum prædiis pro reſiduis ſtipendiorum. Inde militi placando menſtruum ſtipendium in anteceſſum exſolvitur, idemque de integro in verba Reginæ Sueciæ, & fœderatorum Circulorum adigitur. Quam largitionem Palatinus Birckenfeldenſis ægre ferebat, velut ſuus exercitus deterioris conditionis haberetur. Eum tamen facile Oxenſtierna placabat, oſtentis facti rationibus, nec ipſius minus rationem habitum iri pollicitus.

Oxenſtierna exercitui ad Danubium ſatisfacit.

§. 58. Philipsburgum tunc per Schumdbergium tribunum indies arctius premebatur; cujus præſidiarii, poſtquam Electorem Trevirenſem in Gallicas partes conceſſiſſe intellexiſſent, exuto ejus obſequio Cæſaris ſe milites tulerant. Eos ſibi iterum conciliare mire cupiebat Elector, veritus, ne Sueci ſubacto à ſe oppido ægre carere vellent. Igitur Spiram ſe conferens præfectum & præſidiarios edicto monet; oppidum ſibi ſuum reſtituerent, hoſtilia adverſus ſe, Succosque & eorum Socios ne exercerent, & ad ſe mitterent, quicum ſuper componendo negotio agatur. Sacerdotibus præterea imperat, ne in rebellione perſiſtentes Chriſtiano ritu expient. Enimvero iſte Electoris conatus utrique parti diſplicebat. Nam & præſidiarii abundante adhuc annona, & ſpe propinqui auxilii monita illius minasque flocci facere. Nec Oxenſtiernæ par videbatur, tanti momenti oppidum, in quod tantum laboris & ſumtuſ impenſum fuerat, in alterius manus pervenire. Eoque cum Elector miniſtris ſuis introeundi & exeundi licentiam peteret, expugnando quacunque ratione præfecti animo, Oxenſtierna abnuit; quod ſpes ſit oppido propediem potiundi, nec mos militiæ ferat ad obſeſſa loca commeandi licentiam indulgere.

Elector Trevirenſis Philipsburgi præſidium fruſtra tentat.

15. Julii.

§. 59. Circa id tempus Guſtavi Regis corpus, hactenus Wolgaſti depoſitum, inſigni cum pompa navibus imponitur, in Sueciam deferendum, comitante

Guſtavi Regis corpus in Sueciam de-

1633. mitante Regina vidua, ac duobus Senatoribus Gabriele Oxenſtierna, & Matthia Sopio hac de cauſa è Suecia miſſis. Eam pompam complures Principes ſua præſentia honorabant, Elector Brandeburgicus cum Filio, ambo Duces Meclenburgici, Dux Croyæ. Tum fœminæ Principes, Brandeburgici uxor & filia, Chriſtiana Palatina virgo, Brunſvvicenſes, Meclenburgicorum, & Croyenſis Ducum uxores, duæ Meclenburgicæ, quinque Anhaldinæ virgines. E Senatoribus Regni præter duos jam dictos Hermannus Wrangelius, Achatius Tottius, Joannes Banerius, Steno Bielkius, præter innumeram multitudinem, non minore planctu ac dolore defunctum proſequentes, quam paſſim ipſe per Germaniam plauſu exceptus fuerat. Claſſis Nicopiæ adpulit, ibiq; Regium corpus aſſervatum fuit, quoad omnia exſequiis pro dignitate ducendis pararentur.

Ferur. 15. Julii. 5. Auguſti.

§. 60. Ad Danubium Hornius cum pulſo ad Neoburgum hoſte animadvertiſſet, ipſum quamvis numero prævalentem à pugna abhorrere, Pappenheimum invadere conſtituit, locum tegendæ Antpacenſi ditioni, & frænandis Wiltzburgenſium excurſionibus opportunum. Ac oppidum quidem ſtatim cedebat; ſed arx, in quam miles ſe receperat, ſtrenue vim propulſabat, rejectis qui aſſultum tentabant. Poſt biduum tamen machinis verberata deditionem faciebat honeſtis conditionibus, facili ad iſtas concedendas Hornio, quod rumor erat, hoſtem Aicham verſus movere, à Suecis infeſſum oppidum, cui utique ſubvenire iſte conſtituerat. Interea valida manus Ingolſtadio emiſſa erat, liberando Pappenheimo, & ut adparatum bellicum Wiltzburgo inferret. Sed illo jam capto Wiltzburgi juſſa conficit, & longa inde ambage per Hilpoltſteinum viam retro legit. Huic ut apud Berngrieſſam occurreret, ab Hornio cum equitatu mittebatur Joannes Wachmeiſterus ſubtribunus; qui deprehentis eo in loco mille quingentis Croatis Poloniſque, eorum ducentos quinquaginta occidit, quinquaginta cum trecentis equis cepit. Paulo ante rem quoque bene geſſerat Dellonius tribunus, cum ſubtribuno Helmoldo Wrangelio, queis Babenhuſæ ſtationem aſſignaverat Hornius, ut iter Auguſtam inter Ulmamque contra Memmingenſium excurſiones tutum præſtarent. Illi intellecto vim annonæ & vini in cœnobio Buxheimo non procul Memminga aſſervari, oppido mox inferendam, eodem profecti res iſtas curribus impoſitas Babenhuſam avehebant. Quo cognito octingenti milites Memminga egreſſi iſtos reditu excludere inſtituunt. Succi circumſeptos ſe undique videntes, cum centum quinquaginta non excederent, deſperata ſalute acerrime in hoſtem ruunt. Quorum impetum Memmingenſes veriti pauliſper cedunt; inde impellentibus Succis in fugam effunduntur, his ad portam uſque inſiſtentibus. Cæſi centum quinquaginta, ſupra centum vulnerati, quorum plerique cum ſexaginta equis, & reliqua præda Babenhuſam abducti. Aſt Hornius poſt captum Pappenheimum, cum Noribergenſes ſæpius de excurſionibus è Superiori Palatinatu quererentur, ac annona ad Donavvertam hærentem deficere inciperet, ſimul ut Wilhelmo Saxoniæ Duci Cronacum obſidenti è propinquo, ſi opus foret, ſubſidio venire poſſet, in Superiorem Palatinatum tendit, & Neumarco, quod ſex peditum cohortes, una equitum turma tuebantur, obſidium circumponit, Noribergenſibus tormenta & alia neceſſaria impigre miniſtrantibus. Sed vix triduum obſeſſi vim ſuſtinuerant, cum deditionem faciunt abſque vexillis & ſclopetis permiſſo abitu; quorum plerique ad Succicam militiam ſe contulerunt. Heimburgum in monte ſitam arcem modica excurſorum manus verborum ferocia expugnabat. Ambergam tamen, uti ab initio conſtituerat, aggredi Hornius conſultum non ducebat, trium legionum præſidio infeſſam, & Altringero in vicinia tendente; quem ne invadi poſſet, Naba & Vilſa amnes tegebant. Sed & commeatus ibi tenuitas premere incipiebat. Verebaturquoque ne, ſi tractatus in Sileſia procederent, hoſtis irritatus totam belli molem huc transferret. Unde conſilio ducum habito Donavvertam in munita ibi caſtra recedebat.

Hornius Pappenheimum expugnat. 13. Junii. 17. Junii. Croatæ impulant. & Memmingenſes.

1633.

§. 61. Ad utramque Rheni ripam patrueles Rheingravii Otto, & Otto Ludovicus ſtrenue rem gerebant. Atque hic quidem Kirchhoviam, quam raptim excitatis munimentis agreſtium manus cum ducentis quinquaginta militibus inſidebat, agreſtius, vicum quidem ſtatim in poteſtatem redigebat. Sed in arcem refugi ſexaginta ex obſeſſoribus occidunt. Mox tamen globis ignivomis coacti abſque conditione ſe dedunt. Unde militum plerique ſub ſigna Suecorum recepti, cæteri cum ductoribus captivitatem ſubiere: agreſtes trucidantur: vico atque arci ignis injectus. Poſt oppidum deinde & arcem Burcam captam Neoburgo ad Rhenum vis adhibetur, quod unius diei verberatione tolerata deditionem facit. Et quanquam præſidiarius cum armis & impedimentis abire conceſſum eſſet; plerique tamen ultro ſub ſigna Succica concedunt, cæteri navibus Britacum vehuntur. Inde Ratela vi ad deditionem compellitur. Præſidiarius partim militiæ Succicæ adſcribitur, cæteri captivitatem ſubiere, cum Succis ab hoſte detentis permutandi. Hinc urbes vulgo Sylveſtres dictæ modico negotio ſubiguntur, duabus tantum languidam defenſionem auſis. Nec Catholicorum Helvetiorum patrocinium imploraſſe profuit; qui cum legatione ad Rheingravium miſſa peterent, ut iſtæ urbes in ſequeſtrum miſſæ *Neutralitate* frueren tur; ille rem ad Oxenſtiernam rejecit, nihil remiſſa expeditione. Arcium duarum Hohenſtoffela vocabulo dictarum expugnatio jactura junioris Pappenheimii conſtitit, qui dum acceſſus incautius explorat, caput globo trajectus occumbit. Is rebus geſtis, ad Palatinum Birckenfeldenſem in Alſatiam ſe confert, cum ipſo adverſus Lotharingum operam navaturus.

Rheingravius, Neoburgum, Rotelum & urbes ſilveſtres capit. 8. Junii. 19. Junii. 21. Junii.

§. 62. Ad alteram Rheni ripam Briſacenſes Meyenheimi manum Suecorum equitum oppreſſerant, occiſo præfecto cum quadraginta gregariis, & duobus vexillis ereptis. Id ut ulciſcerentur, Otto Rheingravius Caldenbachium ſubtribunum cum ſexcentis equitibus hoſti inſidiatum mittit. Is prope pontem Briſacenſem ſuggreſſus, parte equitum in inſidiis locata, cum cæteris Briſacenſes laceſſitum it. Quibus erumpentibus is ſtudio cedens in aperta camporum eos protrahit. Inde repente converſus acriter in eos impetum dat, prorumpentibus ſimul qui inſidiis ſubſederant, & ad munimentum uſque ponti antepoſitum, eoſdem perſequitur, cæſis ad octoginta, pluribus vulneratis. Inter captos quoque erat Montecuculus ipſe, & Baro Soyus Burgundus cum turmæ præfecto; quorum ille tribus vulneribus ſaucius, Colmariam delatus paulo poſt ex ægritudine animi obiit. Inde Rheingravius Otto cum trium millium manu caſtris ad pagum Bieſſam munitis, ea parte Briſacenſes excurſionibus in Alſatiam prohibebat, meſſe ſimul intercepta. Quem ut inde depellerent, omnibus cum copiis impetum in recens extructa munimenta faciunt, ſed non ſine clade repelluntur. Nec melius ceſſit altera die repetitus impetus, ubi & tribunus Mercius capitur. Ex altera parte Fridericus Badenſis Marchio

16. Junii. Briſacenſes vapulant. Montecuculus capitur. 27. Junii. 17. Julii. 18. Julii.

1633. Brisaco propinquabat, ut utrinque in angustias redactum oppidum inopia annonæ mox ad deditionem videretur cogendum, ni aliunde id obsidium abruptum fuisset.

20. Julii. §. 63. Ast qui circa Philipsburgum obsidendum sátagebant, interea Grumbacum superius, annona refertam arcem, deditione ceperant. Birckenfeldensis autem, dum Hagenoam tendit, in itinere oppidum & arcem Reichshofiam subigit. Porro de Philipsburgo cominus oppugnando etsi in conventu Heidelbergensi decretum esset; tamen Oxenstierna veritus, ne si præsidium tribus millibus constans, animum ad defensionem obfirmaret, obsidio in longum extraheretur, eminus tantum cingi eam voluit; quod rebus alio vocantibus minore cum damno & ignominia laxior, quam arctior obsidio solvatur; ac spes foret deficiente annona intra mensem eandem subigendi. Inter quæ Lotharingi pruritus demum in nervum erumpebat; cujus vellicationes hactenus in Galliæ Regis honorem dissimulabantur, & quod speciosó colore acta sua velaret, cum Hornio quoque tractatione instituta. Nam & conscriptas à se copias dicis causâ exautoratas Salmensi Comiti & Brisacensibus transmittebat; contra eos, qui è Gallia ad Suecos tendebant, partim transitu prohibebat, partim trucidari jubebat. Inde quingentos milites Hagenoæ immittere instituebat; & cum Sueci obsisterent, vi prorumpere conabatur, contractis ad Tabernas copiis, quarum nonnullas turmas propius progressas Sueci circa Petersbacum opprimebant. Ut igitur quo animo isti venirent constaret, Birckenfeldensis cum Ottone Rheingravio colloquium Villii Tabernarum Gubernatoris expetit. Qui cum ad Palatinum prodiisset, multa de domini suo amico in Suecos animo testatus, ad copiarum Lotharingicarum duces Gallinoium, & Florinvillium eos remittit. Isti jussu Principis sui huc se venisse ferebant, de cujus mente sibi non ulterius constet. Cæterum questi tres suorum turmas nuper à Suecis cæsas; quod inultum non sint laturi. Relatum quoque sibi, Palatinatum expugnata Hagenoa in Lotharingiam moturum. Contra Palatinus negabat, istos velut Lotharingiæ Ducis milites cæsos, sed ut Cæsari sub Salmensi Comite merentes. Nec secius cum aliis actum iri, qui Cæsareis se conjungerent. Alias Lotharingicis nihil hostile metuendum, si intra fines suos maneant: ubi ultra Tabernas procedant, se facturum, quod belli ratio jusserit. Quanquam autem isti duces à Palatino peterent, ut ipse ad Lotharingum mitteret, qui rationem earum turmarum cæsarum exponeret; alias enim sibi eam contumeliam ulciscendi necessitatem incumbere; Palatinus tamen infra dignitatem hoc ratus, omnia ad vim eorum repellendam, si quid tentarent, disponebat. Post Villius ad Palatinum accedebat, mandata se à Lotharingo habere ferens super neutralitate tractandi. Sed cum Palatinus quereretur, à ductoribus Lotharingicis tantum non publice sibi bellum indictum; & peteret, ut antequam ad tractatus descenderetur, copiæ illæ in Lotharingiam trans montes revocarentur: Villio id abnuente re infecta discedituri. Inter quæ excursores Suecorum ac Lotharingorum frequenter in se mutuo impingere; & aliquando sexaginta Sueci in sexaginta equites, centum pedites Lotharingos incidebant; è quibus equites statim fugam arripiebant, pedites exceptis decem omnes cæsi, captique. Contra Lotharingi Frauenburgum Joannes Jacobi Everstenii Comitis arcem diripiebant, ipsumque captivum abducebant. Ita causam belli quærente Lotharingo Gallici ministri apud Oxenstiernam declarabant, citra Regis sui offensam fore, si Dux ob ista facta castigetur. Unde mandata Palatino dantur, Lotharingum hostis loco haberet, & nullam nocendi ipsi occasionem prætermitteret. Et mox cum Lotharingi Tabernis progressi in Alsatiam ulterius penetrarent, in apertum res bellum erumpebat.

Cum Lotharingo hostilitas erumpit.

29. Julii.

31. Julii.

1633.

§. 64. Ad inferiorem Rheni tractum nihil tunc memorabile gerebatur, nisi quod hostis, postquam Siburgi præfectum Abrahamum Loysonum pecunia corrumpere frustra tentasset, contracta ex Andernaco, Bonna, & Colonia manu eam arcem noctu scalis admotis intercipere conaretur. Sed præsidiarii adventu eorum animadverso in subeuntes strenue sclopetis fulminabant, ut quibusdam cæsis & vulneratis, cum omni oppugnationis adparatu relictis facessere cogerentur. Ast apud Viturgim Hamelæ obsidium ad finem tendebat. Obsessores quippe exteriore munitione cuniculis disjecta, repletaque fossa, jam ad interius vallum penetrare instituebant; cum obsessi noctu duos emittunt Gronsfeldio nuntiaturos, ad extrema se redactos, & deditionis necessitatem imminere, ni mox subveniatur. Isti ab obsessoribus intercepti referunt, pleroisque ductorum occisos, ipsum præfectum vulneratum, & vix sexcentos superesse munia obire idoneos. Nec eo secius obsessi quamvis ad deditionem denuo invitati resistunt, extremam vim mox experturi, ni propinquus hostis Succos sibi obviam ire coëgisset. Merodius quippe copias, quas opera Episcorum Coloniæ exulum, aulæque Bruxellensis collegerat non spernendas, intra Ruram & Lippiam fluvios cum Bænnighusio, qui itidem quadraginta duo equitum, triginta peditum signa coëgerat, conjungit, inde Gronsfeldio se sociaturus. Eam coitionem etsi Sueci cum Hassicis in Westphaliam progressi impedire conati fuissent, prævalentibus tamen hostibus in castra ad Hamelam re infecta redierant. Igitur Merodius & Bænnighusius ad Witlagam Gronsfeldio, qui è præsidiis Guelferbyti, Hildesiæ, Nienburgi, Mindæque plerosque detraxerat, juncti exercitum paraverant paulo minus quam quatuor millia equitum, undecim peditum explentem. Inde superato ad Mindam ponte versus Oldendorpum oppidum tendunt vi Hamelam perrupturi, & Succos si ultro cedere nollent, depulsuri. Hostium adventu cognito Suecici duces consilio habito decernunt omissa tantisper Hamela in hostem ire, ac prælium tentare. Nec mora, operibus quæ ad oppidum egerant desertis aliquot equitum legiones, & mille pedites tuendis præcipuis stationibus relinquunt. Quo facto obsessi ignibus in lætitiæ signum accensis oppido erumpunt, & pleraque opera solo æquant, aut igne injecto corrumpunt. Interea hostis Oldendorpum, Succico præsidio infestum, repetito quater assultu oppugnaverat, non sine clade rejectus, quoad subiens Suecorum exercitus id deserere cogeret. Ad dextram sylva erat, qua si hostis potiretur, per arbusta facile Hamelam penetraturus credebatur. In eam sylvam quam fossa aquis torrentibus excavata interscindebat, Suecici sclopetarii immittebantur, ut hostem transitu arcerent. In hos ita acriter iste impetum dabat, ut loco cedere cogerentur. Sed Laurentius Caggius isidem, aliisque assumtis hostem iterum aggressus post acrem duarum horarum pugnam è sylva in campum propellit. Quanquam autem accessus ad hostem difficilis esset propter fossas & inæqualia loci, nec satis campi pateret, in quo acies utrinque commode explicari posset: Caggius tamen cum Suecicis equitibus à dextris, & Livonica, & Carbergica legio cum Hassis sub Melandri

Siburgum frustra tentatur.

24. Junii.

26. Junii.

Prælium ad Oldendorpium.

30. Junii.

1633. ductu à ſiniſtris ita acriter ingruebant, ut hoſtilem equitatum turbatis ordinibus facile in fugam propellerent. Inde peditatus ab omni parte invaditur; quo & ipſo mox turbato univerſus hoſtium exercitus penitus profligatur. Ea in pugna non parum ad victoriam contuliſſe judicabatur Guſtavus Guſtavi F. Cum enim rumor ſparſus fuiſſet, hoſtem nullius Sueci Finnique vitæ parciturum, iſte ut hi turmas ſuas conjungerent horrabatur, ne forte à Germanis deſererentur, & eo acrius pugnarent, quod nulla niſi in victoria ſpes foret. In loco pugnæ tria millia centum triginta duo cæſorum hoſtium ſepulta ſunt; quos inter tribunus Quadius, & multi præfecti ſuperiorum graduum. Merodius, in cujus præcipitatam feſtinationem culpa cladis à cæteris conferebatur, letaliter vulneratus evaſit quidem, ſed paucos poſt dies obiit. Gronsfeldius mature ſe periculo ſubduxerat, ac ipſe primus nuncium cladis Mindam attulerat, quem paulo poſt Bænnighuſius ſequebatur. Captivorum tria circiter millia erant, inter quos multi inſignes ductores, & Merodii uxor, ac nonnulli Canonici. Capta quoque ſedecim tormenta, omnia impedimenta, ac ſeptuaginta quatuor ſigna. Suecorum trecenti non amplius occubuerunt, quos inter tres turmarum præfecti, & unus centurio. Stalhantſchius, & Sopius tribuni, ille brachium, hic femur trajicitur; ſed uterque convaleſcit: Ranzovius ex vulnere quarto die extinguitur. Poſt tam egregiam victoriam Sueci ad obſidium Hamelæ redeunt; cujus præfectus clade ſuorum intellecta, ac deſperatis ſubſidiis

10. Julii. Hamela capitur.

demum flectit, & honeſtis conditionibus oppidum dedit, cum octingentis circiter militib⁹ inde egreſſus. Sexaginta ibi tormenta, & aliquot mortaria inventa. Mox Georgius Dux propriam legionem præſidio immittit, ac oppidanos in ſua verba adigit, multum conquerente Brunſvicenſi Duce, quod Hamela Ducatus Callenbergici pars foret. Inde exercitui per vicina ſparſo ad aliquot dies otium indulgetur; ac Georgius Dux cum Cniphuſio ad Oxenſtiernam Caſſellas proficiſcitur, de bello in futurum gerendo conſilia capturus. Ubi cum Ordines Belgii, & Princeps Arauſionenſis per Cornelium Pavium ab Oxenſtierna petiiſſent, aliquot legiones ſibi per quinque aut ſex ſeptimanas ad Rhenum & Moſam ſubſidio mitti, ille petito annuit. Nam & per Saxoniam hoſtis profligatus erat; & decori Suecis cedebat copiis abundare, quas exteris commodare poſſent. Tum hoc auxilio inducíæ cum Hiſpanis, quarum tractatus tunc fervebat, interrumpebantur, ne hi auxiliis Cæſari ſubminiſtrandis ſufficere poſſent. Nec parum Hollandorum invidia in Borúſſica vectigalia hoc modo minuebatur. Huic expeditioni miles indigena Sueci Finnique ſub Stalhantſchii ductu deſtinati, teſtando in Hollandos peculiari affectui, & quia ipſi hoc maluerant; ſimul ut iidem potius pingui militia fruerentur. Verum hiſce poſtea ſegnis ratio bellandi tædio fuerat morarum ejuſmodi inſolentibus, & quia nulla dabatur occaſio virtuti exterendæ. Et multis ridiculum, pleriſque indignum videbatur, quod præfectus Hollandicus turmas illas obequitans monuiſſet, ut arma ſua expedita tenerent, quaſi veteranus Guſtavi eques id ab Hollando diſcere deberet. Aliquot præterea legiones iſtius exercitus in Franconiam evocantur. Cæteræ ibi relinquebantur coërcendis præſidiis hoſtilibus, & ad Oſnabrugentem urbem occupandam.

Hollandiæ miles ſubſidio mittitur.

Ceterarum fruſtratio tempt.

§. 65. Wilhelmus Saxoniæ Dux modicas, quas in Thuringia habebat, copias rogatu Ducis Coburgenſis, & Chriſtiani Marchionis Brandeburgici Cronaco repente admovere conſtituebat, ſi forte id ſubito impetu opprimere poſſet. Et penetraverant quidem in ſuburbium Kingius, ac Tiſſenhuſius tribuni: hoc tamen vulnerato nonnulla cum jactura repelluntur. Sed cum id oppidum intra breve tempus, & modica manu cogi non poſſet hærentibus in propinquo hoſtibus, qui ſubvenire poſſent, obſidio ſe implicare Dux conſultum haut ducebat. Recedentem ex oppido miles ferocius in campum uſque inſecutus cum clade rejicitur, amiſſis tribus centurionibus. Inde ſatis habebat Dux illic irruptiones Cæſareorum in Miſniam impedire; qui eam ſibi viam intercluſam videntes in diverſa parte per Auſſigiam, & Zittaviam trans Albim in Dreſdæ conſpectum excurrebant, flammis ac cædibus omnia qua tranſibant miſcentes. 1633.

Induciæ per Sileſiam Oxenſternio ſuſpectæ.

§. 66. In Sileſia factæ induciæ, & tractatus cæpti Oxenſtiernæ, & prudentiſſimo cuique minime ad palatum erant, quos & autor, & quæ ibi proponebantur capita ſuſpecta valde reddebant. Nam iſti à ſolo Fridlando originem trahebant; qui an ita omnes duces in poteſtate haberet, ut ipſi placita ſtatim exſequerentur, dubium erat. Tum ipſæ quæ proponebantur pacis leges nihil ſolidi olebant. Nec ulla cautio, niſi in Fridlandi verbis, & militari aliqua exſecratione, invalido tantarum rerum firmamento. Quin rectius metuebatur, ne Fridlandus Evangelicorum oculis glaucoma objiceret, & quod aperta vi non audebat, per ambages & dolos aucuparetur; ac hitce illuſis exercitui ſuo parceret ad alias occaſiones reſervando; neve per inducias plures ad ſe copias arceſſieret, & numero, quem ſemper in militia amplecti ſolebat, Fœderatos obrueret. Aut pleriſque jam per Sileſiam adeſis tempus extraheret, quoad hi fame compellente ad ſua reverti cogerentur, quos deinceps ipſe eodem ſecuturus erat. Sed quod iſtarum rerum moderamen penes Oxenſtiernam non eſſet, quæ ſors ferret expectanda erant. Turrio tamen is in mandatis dabat, ut ne tractatus iſtos præcipitaret, aut ſe inconſulto ulterius progrederetur. Nam quicquid boni aut mali ſubſit, id mature ſatis in lucem erupturum. Cæterum Arnheimius dum induciæ promulgantur, monebat, ne ſui nimium illis confiſi in ſecuritatem reſolverentur. Inde ad Saxoniæ Electorem profectus has ab eo pacis conditiones retuliſſe ferebatur; ut Cæſar copias ſuas extra Ordinum ditiones eductas exautoret; prætenſioni ad Magdeburgenſem & Halberſtadienſem præſulatum pro filio ſuo renuntiet; ut Liga Suecis pro bellorum expenſis ſatisfaciat, & bona cum ipſorum gratia coſdem ex Imperio dimoveat; Jeſuitas Cæſar conſiliis ſuis, & Imperio ejiciat; Sileſiam duobus Electoribus in refuſionem damnorum cedat; ſacris Proteſtantium ubique libertatem indulgeat; pro Saxonis credito Superiorem Luſatiam, & dimidiam Bohemiæ partem ipſi jure hæreditario det; denique Friderici Palatini filium reſtituat. Iſta ut Cæſar concedat, Fridlandus præſtet. Quæ capita non parum crudi habere videbantur. Dum Arnheimius Dreſdæ abeſt, Turrius Fridlandum inviſerat, à quo honorifice habitus, ac ampla ſpe de reſtitutione ſuorum bonorum, aliiſque promiſſis lactatus dimittebatur. Sed & alios inter duces magna in ſpeciem amicitia colebatur, qui mutuo congreſſi poculis tantum Martem ciebant. Mittebatur & Terzkius à Fridlando Strigaviam, quo Turrius quoque acceſſerat, ut ulterius de pace colloqueretur. Paulo poſt Gallaſius Briegam eadem de cauſa veniebat. Inde plerique Fœderatorum duces ad hoſtem proficiſcebantur, per quatuor dies ibi commorati. Enimvero dum Fœderatis 1633. 11. Junii. 17. Junii.

1633. deratis inani pacis ſpectro illuditur, Fridlandus interim ſolidum aſtutiæ ſuæ fructum ceperat ſuppletis defectibus ac præcipue pulveris pyrii, quibus laborabat, ac pluribus ad ſe evocatis copiis. Cæſarei quoque per otium bona ſua Wratislaviæ
23. Junii. depoſita in tutiora loca avexerant. Tandem repetito utriuſque partis congreſſu ludibria Fridlandi erumpebant, dum poſtulabat, ut ſibi prius Wratislavienſis, Schvveidnicenſis, & Glogovienſis Ducatus tradatur: aliter ſe tractatus non oriturum. Quod cum Fœderati adſpernarentur, velut prioribus conventis repugnans, infecta re
Inducie abrumpuntur. diſceſſum fuit. Ac memorant, parum tunc abfuiſſe, quin præcipui Fœderatorum duces Strelenæ ab hoſte interciperentur, niſi quidam, qui forte fortuna turrim templi adſcenderat, ut pullos columbarum nido detraheret, inſidias prodidiſſet. Hic enim cum procul rursus aliquot Cæſareorum citato curſu ad oppidum tendere conſpexiſſet, ſtatim deſcendens, id ducibus ſignificat, qui raptim in equos inſilientes ægre in tuta evaſerunt.

§. 67. Poſt abruptas inducias à Fridlando fruſtra Neumarcum tentabatur. Inde Lignitzam invaſurum ſe ſimulabat, cujus præſidium à Fœderatis quinis cohortibus firmabatur. Qui & ipſi
24. Junii. copiis ad Briegam contractis hoſtem ſequebantur. Sed is repente converſus, Schvveidniciam totis viribus oppugnare cæpit, injecta globorum
27. Junii. Bellum in Sileſia renovatſcit. ignivomorum vi. Obſeſſi tamen, miles æque ac oppidani, poſtquam ſub adventum hoſtium ſuburbia incendiſſent, eo acrius ſe defendebant, quod hoſtis Magdeburgico ſimile excidium illis minatus eſſet, ac ter aſſultantem cum clade repellebant. Violentiæ tamen hoſtis tandem ceſſiſſent, ni obortus ſubito imber tormentorum ac ſclopetarum uſum corrupiſſet. Ac interea Fœderatorum exercitus ſubſidio accelerabat, numero quamvis inferior cum hoſte prælium committere certus. Sed is adventu eorum cognito intra milliare ab oppido recedebat, opportuno loco ad Weiſſenrodam poſitis caſtris, quæ rivo & excitatis raptim munitionibus tegebantur. Quem cum ubi invadere non poſſent Fœderati, & ipſi elatiore apud Schvveidnitziã loco conſidebant. Heic dum aliquamdiu caſtra caſtris oppoſita hærent, Fridlando è Moravia, & Bohemia commeatus large ſubvehebatur. Contra Fœderatis annona pabulumq; in anguſto eſſe, nullibi inſtitutis horreis; & levis hoſtium equitatus omnia perſultans tantum non eos obſeſſos tenebat. Occupaverant quoque hoſtes Domantzam, non ſat valido præſidio à Fœderatis cuſtoditam; unde iſti ad Lignitzam, Briegamque, & ipſâ Wratislaviæ ſuburbia excurrebant. Tenui quoque alveo fluens Odera vado paſſim prædatores tranſmittebat, cædibus ac rapinis id Sileſiæ latus vaſtantes. Nec modeſtius Fœderatorum manipuli graſſabantur. Unde eis Oderam nihil ſegetis in horrea condebatur, læto ut videbatur hoſte, cum ea vaſtitas Fœderatos mox in extremam neceſſitatem conjectura eſſet, quam ipſi proviſu antevertere negligebant. Interim Duvvalius è Pomerania reverſus in caſtra ad Schvveidnitziam ſe conferre noluerat, ſed collecta duorum millium manu in altera Oderæ ripa tranſitus fluminis cuſtodiebat, & tranſgreſſos hoſtium prædatores male multatos rejiciebat. Lembergæ quoque miſſis quadringentis equitibus triginta machinas in poteſtatem redegerat. Id Duvvalii inſtitutum Oxenſtierna probabat, & ut Oderam obſervaret, caſtriſque cæterorum abſtineret hortabatur, modo ſummæ rerum nihil deceſſeret.

Sileſii Ordines conveniunt. §. 68. Circa id tempus Ordines Sileſiæ Wratiſlaviæ convenerant de provinciæ ſalute conſulturi. Ubi inter alia concluſum, ut decimus quiſque provincialium, & nobilium equites ad Odeventum agunt. ræ, tranſitus locati excurſionibus Cæſareorum trans flumen obſiſterent: cum ſi ea vaſtitas nolente Cæſare fieret, illa prohibita nihil in ipſum peccetur; ſi ejus juſſu talia patrentur, nimirum vim & libidinem à vita, uxoribuſque, & liberis propulſare faſ piumque ſit. Ea occaſione Arnheimi-
23. Julii. us uſus Wratislaviam profectus delectos Ordinum in Baſilicam ad ſe evocat, gravique oratione, ut aperte in Fœderatorum partes tranſeant, hortatur. Quos licet ea oratio non parum moveret; tamen quod nihil ſibi in mandatis datum excuſarent, ac à Suecis nemo adeſſet, ad ſuos ſe relaturos promiſerunt, & propediem reſponſum daturos; rogantes, ut tunc utique Succorum ducum aliquis præſto ſit. Etſi autem fides Cæſari data Sileſios urgebat; prævalebat tamen neceſſitas, quod repudiato Saxone, cæteriſque Fœderatis omni ope nudati deſtituerentur, nulla Cæſareæ gratiæ ſpe, ac ſervitio animarum æque ac corporum imminente, bonis quoque inter milites jam aſſignatis. Et non ſervata fide Cæſar ipſe fide eoſdem exſolviſſe videbatur. Unde cum vim vi propulſare ſederet, tandem reſpondebant; ſe ſuper ea re ad Oxenſtiernam, & utrumque Electorem miſſuros; interim ut ſaluti ipſorum duces invigilare velint, orabant. Cæterum quan-Inducie denuo incuntur. quam Arnheimius omnem tractationem cum Fridlando abrupiſſe videretur, velut ſolis armis rem deinceps commiſſurus: Fridlandus tamen tam utiles ſibi expertus inducias denuo circa eaſdem inſtaurandas ſatagebat, ac ſemel licet deceptum Arnheimium in caſſes iterum pellicebat; prorſus ut ultro hunc decipi voluiſſe diceres.

§. 69. Oxenſtierna interim Francofurti ad Mœ-Conventus Francofurtenſis. num conventum Fœderatorum indixerat, ubi ſuper Futuræ pacis legibus, & aliis, quæ præſens tempus exigebat, deliberatur. Exempla eorum quæ propoſita fuerant, ad Saxonem alioſque mittebantur, ut & ipſi ſententiam ſuam caulæ communi proficuam dicere vellent. Inter quæ Oxenſtiernæ refertur, Wolfium Ratiſponenſem Syndicus Ratiſponenſis capitur. Syndicum privati obtentu negotii Noribergæ nomine Cæſaris agitare. Unde is ſtatim ad urbis magiſtratum ſcribit, ut illum apprehenſum ſibi transmittant, aut tantiſper detineant, chartis ipſius bene excuſſis. Qui tamen manum inferre homini veriti clam ita diſponunt, ut inde digreſſus à manu Suecorum in itinere comprehenſus Neumarcum deduceretur. Ubi patebat id eum egiſſe, ut civitates Imperiales iterum ad partes Cæſaris alliceret. Wolfius inde Moguntiam deductus diu in cuſtodia detentus fuit, quoad ſub finem anni Georgio Landgravio intercedente liberaretur. Porro à Conventu illo ad Saxoniæ Electorem ſcribebatur ſuper induciis Sileſiacis, quæ omnibus vehementer diſplicebant, ut rationes earundem ipſos edocere, ac in reliquis
23. Aug. communicato conſilio agere velit. A Daniæ quoque Rege per literas petitum, ut pacem ad Ordinum libertatem, Succorumque ſatisfactionem referat; & ſi deinceps circa eandem operam navare velit, cum Oxenſtierna & Conſilio Fœderatorum ſuper tempore & loco conveniat; quod Wratislaviam iſti improbent. Confirmabat au-
13. Sept. tem conventus iſte, quicquid Heilbrunnæ actum Decreta Conventus Francofurtenſis. eſſet; tum decernebat, quæ Oxenſtiernæ & Conſilio Fœderatorum circa tractatus pacis obſervanda, quæ conditiones accipiendæ, aut pro re nata ferendæ: & ut omnia ſtatim cum Fœderatis communicentur, nec quidquam concludatur, niſi ſub conditione ratihabitionis ab univerſis

1633. versis addendæ. Circa Lotharingum placebat, ut cum factis hostem se declararit, hostilia in ipsum statuerentur. Tandem quia Landgravius Georgius promiserat, se pro rata parte onera belli laturum, ac amicum se Fœderatis exhibiturum, omni auxilio hostibus abnegato; visum ipsi de subscriptione fœderis Heilbrunnensis remittere, pari tamen cum reliquis defensione eidem præstita, ac Russelsheimum in ipsius manus iterum consignare. Ea decreta inter alios etiam Saxoni mittebantur, de conditionibus tamen & mediis pacis, quod scripto committere intutum foret, commodior referendi occasio expectabatur.

Acta cum Legatis Gallicis.

§. 70. Cum Legatis quoque Gallicis Feuquierio & Grangio, qui Francofurti tunc aderant, varia tractabantur. Inter alia illi questi fuerant, Catholicos contra fœdus Heilbrunnæ renovatum male haberi; quod secus esse Oxenstierna demonstrabat. Offerebant quoque aliquot millia militum auxilio Regis sui nomine; sed de cujus negotii legibus tunc conveniri non poterat. Philipsburgum sibi tradi avide Galli instabant, Fœderati quantum poterant tergiversabantur. Præcipuum erat, quod Ordines fœderi inter Gallos, Suecosque adscriberentur; cui tunc addebatur, ut quemadmodum Galliæ Regi haut propositum sit Ordinum juribus circa sacra ante bellum obtentis, impedimentum adferre; ita hi vicissim, si quæ loca occupant, ubi ante bellum Romana sacra fuerint, & adhuc sint, eadem libera relinquant. Denique Galliæ Regem è Regno suo ne quod hosti subsidium veniat prohibiturum, idemque ne è vicinia fiat, operam daturum. His rebus confirmandis à Fœderatis in Galliam Legati mittuntur Jacobus Loeflerus Vice-Cancellarius, & Philippus Streifius Consiliarius Bipontinus; quibus in mandatis datum siniſtras Regis suspiciones à Catholicis suggestas eximere; tum circa Philipsburgum ostendere, id munimentum advertus jura vicinorum pecunia Hispanica extructum, fundando his in oris ipsorum dominatui; super quo Trevirensis leges neutralitatis à Gustavo Rege superiore anno in gratiam Galli concessæ non impleverit, ut magnis impensis id à Fœderatis in ordinem fuerit redigendum; quod nunc suo labore partum aliis tradi iniquum foret. Præterea ut super auxiliis mittendis conveniant; & ne Rex Lotharingi protectionem suscipiat, aut si utique cum ipso pacificatur, ut hic Fœderatis de noxa non inferenda caveat, ac ablata restituat. Tandem ut Regis mentem explorent circa futuros pacis tractatus, eiusdemque securitate; & quis Regi circa hoc bellum scopus sit: & num idem permoveri possit, ut distrahendis hostium viribus in Italiam irruptionem faciat.

Legati à Fœderatis ad Galliæ Regem mittuntur.

Salvus conductus ad tractatus pacis infertus.

§. 71. Sub finem ejus conventus literæ salvi conductus à Cæsare datæ per Legatos Danicos transmittuntur, forma valde insidiosa, utpote ad tractatum mense Julio jam elapso, & ad Ordines Protestantes Lipsiaci fœderis socios restrictæ, Reginæ ac Regni Sueciæ nulla pro dignitate facta mentione. Nec obscurum erat, non pacem à Cæsare quæri, sed ut hisce artibus Ordines à Suecis divellerentur. Igitur Fœderati Regi Daniæ literis eos defectus demonstrant, & quod isti fundamento tractatus haudquidquam superstrui possit: simul orant, ut antequam res suscipiatur, cum Oxenstierna communicare velit. Ipsas autem salvi conductus literas Oxenstierna Legatis Danicis remittebat Cæsari restituendas; sibi quippe non constare Regi quondam suo negotii quid cum Lipsiaco fœdere fuisse; eaque adeo literas ad Succos non spectare: addito, si Deus idoneum paci tempus annuat, nec Legatis Suecicis securitatem, nec signum literarum formulam defore. Exempla istarum passim vulgabantur, ut omnibus constaret, quam non pro indole tanti negotii fuerit actum, & penes quem culpa abortientis pacis hæreret. 1633.

Acta cum Legato Brandeburgico.

§. 72. Aderat quoque tunc missus ab Electore Brandeburgico Sigismundus Gœtzius Cancellarius, qui de variis ad rem publicam & privatas heri sui rationes spectantibus cum Oxenstierna agebat. Ei ad proposita in hunc sensum responsum; si quid deinceps super pace agatur, se nihil decreturum, nisi communicato cum Electore consilio. Si quis alius præter Danum mediator se offerat, de eo in tractatuum loco commode statui posse; cavendum tamen ne cui offensæ causa præbeatur. Conventum cui uterque Circulus Saxonicus, & Westphalicus sit adiciscendus, sibi optatissimum: sed eum obiri à se non posse, ingruente Duce Feriæ, & aliis urgentibus negotiis. Consultius tamen fore, eos Circulos prius inter se convenire, num Heilbrunnensi fœderi accedere velint; eaq; in re Electorem utilem præstare posse operam: alias ejusmodi conventum dissidio prabere aniam posse. Erfordiam potiorem tractatus locum, quam Spiram à Brandeburgico propositam videri: quod circa hanc omnia sint vastata. Inducias cum periculo conjunctas. Sedem belli utique in Cæsaris ditiones transferendam, si fieri queat. De Juliacensi ditione Suecorum ope Brandeburgico adserenda Oxenstierna in præsens excusabat, quod exercitus satis jam districti negotiis essent. Interim parcitum se illis regionibus, quantum posset: petebat tamen ne ægre ferret, si ista in confusione quædam secius quam par erat fierent. De componendo inter Protestantes Ecclesias dissidio Oxenstierna post auditam cæterorum sententiam suam quoque expositurus erat; sed cum id negotium Principes Germaniæ præcipue spectet, Electorem plus hoc quam ipsum pollere. Ut in Ducatu Sagauensi & Glogovensi præsidia soli Brandeburgico concederentur, Oxenstierna annuere non poterat, quod ita inhumaniter hactenus copiæ Succicæ ibi sint habitæ, quasi studio id foret actum, ut perirent: eò magis illis cavendum, & ut rutum maritima versus loca regressum habeant providendum. Sed de Pomerania quæ præcipua legationis causa fuisse videtur, Gœtzius postulabat, ut Duce defuncto Elector in capessenda Pomeraniæ possessione & regimine haut impediatur: de cætero ipsum fœdus à Duce initum ratihabiturum, si & idem vicissim à Regina Sueciæ fiat. Cui postulato valide instistebat Gœtzius jactans contumeliosum fore Principi suo ea provincia excidere: pactis ipsi antiquis ad eam jus quæsitum; nec æquum esse, ut is pro reliquis omnibus solus solvat. Nam non obscure differebant Ordines ibi congregati; commodius nihil inveniri, quod Suecis pramii loco detur, quam Pomeraniam; ac Brandeburgico alia ratione commode satisfieri posse. Quin Wilhelmus Landgravius dicebat; si vel melius quid esset, quam Pomerania, Suecis id utique habendum, licet decem per annos pro eo sibi bellandum foret. Lubrica tamen erat ea res, & anceps, ne Brandeburgicus repulsa offensus cum Dano, Polono, ac Saxone se advertus Succos conjungeret. Eoque Succi cum istam controversiam præviderent, eam viam inire constituebant, ut Ordinum Pomeraniæ animos quavis ratione sibi conciliarent, ac munitas urbes indigena Succo milite insiderent; cæterum caute rem tractarent, ac dilationibus uterentur. Unde & Oxenstierna Gœtzio tunc respondebat: quia Corona Sueciæ pro tot sumtuum damnorumque pensatione nihil cautionis acce-

De Pomerania Brandeburgici postulatum.

1633. perit, quam quod fœdera quædam peculiaria & decretum Heilbrunnenſe offerrent, nec ipſum tamen ſecuritati Succicæ ſufficiens, donec ab univerſis certi quid concluſum fuerit: igitur non poſſe ſe à factis jam fœderibus vel minimum diſcedere, aut eadem tollere vel novare, quoad Proteſtantes Ordines in arctiorem conjunctionem coiverint, ac idoneam Succis ſatisfactionem præſtiterint.

Acta cum Ragozio.

§. 73. Ragozius Tranſylvaniæ Princeps, ut in partes tranſiret, dudum à Succis ſolicitatus fuerat. Ac ſuperiore æſtate quamvis exercitu jam inſtructum Legatus Succicus Paulus Strasburgius permovere non poterat, ut in Cæſarem quid tentaret, quoad à Guſtavo Rege ad poſtulata ſua reſponſum accepiſſet. Sed literis Regiis in via interceptis, ac ſecuta poſt Regis morte res extracta. Nec eo minus pronum Succis animum oſtendebat, ſi petitis ſuis potiri daretur. Quam rem non negligendam ratus Oxenſtierna, Strasburgio in mandatis dabat, ut Ragozium ad belli ſocietatem pelliceret, oſtentatis in præmium diſtrictibus Hungariæ; ac tractaribus pacis ipſum utique includendum; & proſperis Evangelicorum rebus eidem nihil periculi. Quod ſi citra pecuniam rem aggredi nollet, centum millia uncialium promittebantur, ſi in Auſtriam, Stiriam, aut Moraviam irrumperet; ſed menſtrua quindecim millia, ſi copiis Succicis in Sileſia junctus militare vellet. Sed cum Ragozius viciſſim duras nimis conditiones proponeret, ac circa eas mitigandas Legatus Succicus ſatageret non ſine ſpeboni ſucceſſus; interea Cæſarei tractatus cum ipſo orſi erant, quibus convenerat, ut Ragozius ipſis Catharinæ Betleni viduæ pecunias ac ſuppellectilem traderet, Mungacium viciſſim jure hæreditario recepturus, Strasburgio fruſtra renitente. Qui, cum Ragozius amicus eſſe nollet, ne hoſtis fieret impediendum ratus, cum præfectis Temeſvvaræ & Budæ agit, ut minis eundem à fœdere Cæſareo deterrerent. Inde Conſtantinopolim profectus apud Aulam Ottomannicam agebat, ut iſtud negotium penitus diſturbaretur. Ubi honorifice habitus, & revertens Zazynthum uſque Turcarum ſumtibus deductus fuit.

Arnheimii cum Oxenſtierna congreſſus ſuper Fridlandi defectione.

§. 74. Enimvero eo tempore Oxenſtiernam maxime ſolicitum habebant res Sileſiæ, non tam ob vires Fridlandi, quam Fœderatorum ducum diſtorta conſilia, quibus ab initio re dextre adminiſtrata ſat facultatis fuerat Fridlando opprimendo. Sed nunc ſuſpecti cum ipſo tractatus pacis, ac terna vice prorogatæ induciæ nihil fauſti parturire videbantur. Super iſtis rebus Arnheimius cum Oxenſtierna collocuturus Gelnhauſæ, quo hic ſe Francofurto eam ob cauſam contulerat, excurrit. 2. Sept. Ubi repetitis induciarum occaſionibus id præcipue proponebat; Fridlandum Cæſari offenſum, recurrente memoria ante triennium illatæ ignominiæ, & quod Dux Feriæ ex Italia evocetur, ipſius autoritatem libraturus; quin ex interceptis literis Vienna ſcriptis intellexiſſe, ipſum plane imperio exercitus dimovendum, ſuffecto in ejus locum Feriæ Duce. Unde ſtare ſibi ſententiam ab ingratis hominibus vindictam ſumere, ſiquidem cautum ſit in omnem eventum apud Evangelicos auxilia ſibi parata. Addebatur, Gallaſium, atque Holckium, ac pleroſque ducum in ejus eſſe poteſtate; eundem ſuſpectos ab exercitu removiſſe, & adhuc id agere, ut, queis parum fidat aliquo extrudat. Atque ideo Arnheimium cum Fridlando in menſem inducias iniviſſe, ut ſuper hac re cum Oxenſtierna communicare poſſet. Poſtulabatur quoque Fridlandi nomine, ut Oxenſtierna Holckio fidiſſimos Succicarum legionum traderet, coërcendo Hatzfeldio, cui Fridlandus plane diſtidebat, & ſi qui ex Holckianis copiis contraniti vellent. Fridlandum ſex ſuarum legionum, quas ſuſpectabat, Arnheimio traditurum. Inde Fridlandum, ſi de Evangelicorum auxilio certus ſit, cum exercitu in Bohemiam, & mox in Auſtriam ac Stiriam, Holckium Paſſavium verſus & Superiorem Bavariam moturum. Interim Bernhardum Ducem in Bavaricos ruere, Hornium Duci Feriæ obviam ire poſſe. Quæ omnia valde ſpecioſe exponebantur; ac ſi fidem tuto adhibere licuiſſet, brevi facta tranſacta erant omnia. Enimvero quo liberalius Fridlandus offerebat, eo magis verebatur Oxenſtierna, ne id ageretur, ut ipſe præſtantiſſimis legionibus exueretur. Et cum penetrando rei fundamento variis ſermonibus Arnheimium tentaret, is pro more tectus & ambiguus modo oſtentam Fridlandi ob Ducem Feriæ aſſeverare, modo perfido nihil credendum jactare; reliquos duces non ita in Fridlandi poteſtate, uti ipſe ſibi perſuaderet; ſe Holckio collocutum mentem ejus non ſatis inſpicere potuiſſe. Quæ ambages magis confirmabant Oxenſtiernam, ut legiones Succicas Holckio adjungere recuſaret. Pollicebatur tamen, ſe Bernhardi Ducis exercitum aliquot legionibus auctum, & ut hic in propinqua Holckio accedat juſſurum, ut pro re nata ipſi aſſiſtere poſſit; ſed ita ut ipſe Holckium, non hic Bernhardum Ducem in poteſtate habeat. Cæterum etſi omnia fraudulenter agi judicaret Oxenſtierna, præſertim cum Arnheimius in omni ſermone de Succiæ commodis nullam mentionem feciſſet; ac eum fore eventum prædiceret, ut Fridlandus, ſi in rem præſentem veniendum eſſet, faciem rerum interea mutatam obtenderet: tamen cum Arnheimio ita conveniebat; Fridlandum ad deſtinata exſequenda inſtigaret, nec de Evangelicorum auxilio dubitare juberet; conſiliis tamen de ſumma rerum ad ulteriores tractatus rejectis. Ita Arnheimius in Sileſiam, Oxenſtierna Francofurtum redibat; quo ampliora à Fridlando propoſita forent, eo minus rationes & conſilia in ſuperſtruere certus; & ad fraudes ipſius evitandas intentus; quicquid proſperi inde eventurum eſſet in lucro habiturus. Sane talia à Fridlando ſimulari nimis craſſum videbatur, & quæ demum non poſſint non ipſum Cæſari ſuſpectum reddere, ac militares apud homines contemtum ejuſdē excitare, velut conſumta virtute ignavis fraudibus niteretur. Inde apud exercitus ita rem diſponit, ut omnes intenti agerent, nec hoſtium fraudi ſe præberent. Steinackerus quoque ſubtribunus in Sileſiam mittitur, quantum poſſit ad fundum negotii penetraturus. Ita agenti fraudibus poſt Fridlandi erumpentibus nihil improviſi accidebat.

Lichtenavium expugnatur. 7. Aug.

§. 75. Inter hæc Hornius ad Danubium luſtrato exercitu, qui duodecim equitum, totidem peditum millia complere inveniebatur, Hubaldum tribunum cum idonea manu in Franconiam mittit Lichtenaviæ arci in poteſtatem redigendæ. Is eo delatus adſitū oppidum ſtatim impetu capit. Mox ita ſuos diſponit, ut ſi hoſtis ex arce eruptionem faceret, eidem immixti ſimul in arcem penetrarent, cujus rei exſecutionem Brinckius tribunus ſibi depoſcerat. Verum eo ad madidas veſtes mutandas digreſſo, hoſtis repente ex arce prorumpens recens conſcripto militi tantum terroris intulerat, ut fruſtra renitentibus præfectis terga verteret, ac armis abjectis in vicinam ſylvam rueret. Ea conſternatio Brinckii legionem, mille antea capita complexam ad quingenta redigebat; cujus ſubtribunus arguebatur, quod cum ipſe primæ ſtationi præeſſet, vulneratus pugna exceſſerit, nemini in locum ſuum imperio commendato. Inde hoſtis, cum quicquid in oppido commeatus eſſet, in arcem compor-

1633. comportaſſet, id ruinis aut incendio deſtruebat. Sueci tamen haud ideo deſtitere, ſed arcem eminus circumſidere commeatu haut in longum in-
31. Auguſt. ſtructam. Nec diu poſt præfectus Orpheus Straſoldus honeſtis eam conditionibus dedebat, non inopia annonæ, ut ferebat, ſed quod nulla ſubſidii ſpes foret; quæ Noribergenſibus reſtituebatur. In Suevia Wurtenbergicus Dux Villingam diu obſederat modico cum ſucceſſu. Ex adverſo Schaffenbergius tribunus tria millia equitum à Bavarico exercitu in Superiorem Sueviam ducebat, adjuncto ſibi Oſſa cum tribus legionibus recens conſcriptis. Illi poſt Kautbeuram in itinere expugnatam apud Ravensbergam aſſumtis equitibus, quos Brisgovia, & Alſatia Rheingravius expulerat, exercitum non ſpernendum compoſuerant, cui propoſitum Villingæ, ac Briſaci obſidium ſolvere, aut in Wurtenbergicam irrumpere. Ea de cauſa Hornius initio Ferdinandum Degenfeldium cum una & altera legione Wurtenbergico ſuppetias latum mittebat. Sed cum hoſtis magna vi Danubium verſus properare nuntiaretur, ipſe motis ad Donavvertam caſtris cum toto exercitu eodem tendit.
31. Auguſt. Interim hoſtis Schlotterum ſubtribunum in hoſpitio ſuo apud Muhlheimum oppreſſerat. Ei dum auxilio adcurrit Degenfeldius, in hoſtem impingitur viribus prævalentem, quicum per aliquot horas velitatus, non ſine damno recedere cogitur. Et longius proceſſiſſet hoſtis, ni Hornii adventus eum cohibuiſſet. De quo ubi perceperat, raptim Uberlingam, & inde Lindaviam faceſſit, Hornio cum equitatu fruſtra inſequente.

Hornius Conſtantiam fruſtra oppugn.

§. 76. Hucusque progreſſus Hornius, aliquid ſummæ rerum proficuum tentare conſtituit oppugnata Conſtantia. Ad hanc cum Suevico latere acceſſus non pateret, pontem ad Steinam, Helveticæ ditionis oppidum, tunc ſegniter cuſtoditum transmittere, & inde per Thurgoviam exercitum urbi admovere decrevit. Enimvero ſucceſſus conſilii à celeritate pendebat, antequam copiæ Italicæ Bavaricis junctæ alio eum vocarent, aut oppidum milite per lacum Bodamicum immiſſo firmaretur. Veniam porro pontem transmittendi à Tigurinis petere cum mora conjunctum, & deſtinata vulgaturum erat, Pontificiis Helvetiis quoque in Thurgovia iter prohibituris. Igitur recte habitum conſilium repente exequendum judicans ad Tigurinos & oppidi Steinæ præfectum ſcribit: ſibi comitare Hiſpanos ex Italia adventantes ſedem belli ad Bodamicum lacum Conſtantiæ fixuros. Ei conſilio prævertendo eam urbem ſe intercepturū, ad quam non aliud ſibi iter, quam per pontem Steinenſem & Helveticum territorium pateat. Petere igitur, ne ægre ferant prius non ſignificatum, quod neceſſitas ſubitarium capeſſere conſilium ſubegerit. Tranſitum citra noxam fore. Steinenſes cum fruſtra dilationem petiiſſent, quoad Tigurinis rem indicaſſent, cum Sueços ſtatim ingruere viderent, nulla reſiſtendi facultate tranſitum per pontem concedunt. Nec minus præfecti Turgoviæ quieſcere, & connivere conſultum ducebant, præſertim cum nemini à tranſeuntibus moleſtia inferretur. Ita celeriter autem illa expediebantur, ut Conſtantienſes de Hornii adventu non prius reſciſcerent, quam de mœnibus exercitum proſpectarent. Sed quo minus tam egregium conſilium ſuccederet, ea cauſa intervenebat, quod Hornius propter feſtinatum iter grandiores machinas Ulmæ reliquiſſet, ac alias ſibi à Wurtenbergico Duce concedi petiiſſet. Qui libenter aſſenſus ſtatim mandabat, ut illæ, quæ ob metum Schaffenbergii Villinga Rotvvielam ſepoſitæ erant, Durlingam deveherentur, miſſo ad Hornium qui exquireret, quid ulterius agendum. Sed hic cum Hornii reſponſum non recte percepiſſet, efficiebat, ut machinæ Durlinga retro Villingam ducerentur, quibus poſt novam ibi ruinam editam aſſultus non ſine clade tentabatur. Interim Hornius tormenta expectans incaſſum occaſionem, tempusque perdebat. Quæ cum tandem aliquot poſt dies adpuliſſent, in obſidio Villingæ ita detrita erant, ut parum violenter globos ejacularentur. Interea res initio facillima magna difficultate implicita fuerat, immiſſis in urbem duobus millibus militum, tormentisque in vallum protractis, ac defenſioni omnibus paratis. Nec minus Tigurini de tranſ- 2. Septemb.
itu Hornii per literas querebantur: qui neceſſitate ac ratione belli eum excuſabat; ac hoſtes quoque per ipſorum terras aliquando iter ſumpſiſſe. Sed Catholici Helvetii apud Tigurinos acriter inſtabant, ut raptis repente armis Sueços ſolo ſuo exturbarent, ne forte Hiſpani ac Cæſarei finibus ſuis imminentes, huc quoque vertentes belli arenam apud ſe ſtatuerent. Contra Tigurini moderatius differebant; è miſſis literis patere, Sueços non aliud conſilium eſſe, quam hoſti ſuo nocere; eosque omni noxa in Helvetiorum ſubditos abſtinuiſſe. Unde non ita temere in arma ruendum, ſed in Con- 4. Septemb.
ventu Sociorum jam indicto mature decernendum. Aſt Catholici, quod Tigurini non ſtatim gladios cum ipſis ſtringere vellent, velut cum Sueciſ colluderent, utrisque irati quatuor millia ſuorum cum Abbatis S. Galli copiis jungunt minati, ſe Hiſpanicis copiis, quæ per vallem Rhenanam propinquabant, ſociatos Conſtantiam liberaturos, ac Hornium pariter, ac Tigurinos bello perſecuturos. Contra non ſegnius Tigurini & ipſi ſuos ad arma vocatos in finibus diſponunt; ſimul cæteros Evangelicos ſocios hortantur, ut arma ſecum contra Catholicos conjungant. His autem denuntiant, ut vi abſtineant; alias ſe in Sueçorum partes tranſituros, copiis ſuis Hornio ſociatis. Quæ conſtantia Catholicos repreſſit; & cum non metui ſe cernerent, ferocia concidit. Cæterum in Conventu Helveticrum acriter res verbis diſceptabatur; cum non deeſſent, qui Catholicos in Sueços incitarent. Contra Schavelitzkius tribunus ab Hornio miſſus illos mitigabat, eam expeditionem nullo modo in fraudem Helveticrum tendere confirmans. Et cum animadverteret, eos inter ſe ſententiis diſſidere, Catholicos non obſcure minabatur, Evangelicos contra quovis modo demulcens, & ad Sueçorum fœdus trahere conitens. Tandem cum Dux Rohanæus Regis Galliæ nomine ſe interponeret, ita ab univerſis Hornio reſponſum: Seſe obſidium Conſtantiæ non potuiſſe non ægre ferre, quod Epiſcopo ejus urbis in ſuas Eccleſias ſit inſpectio, & nuper cum ex eo latere novis munimentis urbs eſſet firmanda, id prohibuerint, ſpondentes nullum hinc urbi periculum fore. Ac metuendum ſibi eſſe, ne & Cæſarei ſedem belli huc transferre velint. Igitur ſperare, Hornium ipſorum ſolicitudinem haut ægre laturum. Copias à ſe coactas non ad eius offenſionem ſpectare, ſed protegendis ſuis finibus, & arcendis excurſoribus. Evangelici autem ſeorſim declarabant, ſe Catholicos, ſi vim Hornio inferre velint, inhibituros: & ſi iſti Cæſareis ſocientur, ſe ſtatim fœderi Sueçico acceſſuros.

Helvetii propter Conſtantiæ obſidium turbantur.

§. 77. Interim Hornius apud Conſtantiam aſſultum in vallum inter duas foſſas poſitum tentabat, poſtquam paucos ante dies ſuorum aliquot ex- 4. Septemb.
teriorem foſſam transgreſſi, nonnullos hoſtium in ipſo vallo occiderant. Ac ſpes erat facili adcenſu valli, ubi aliquot centuriæ hoſtium ſtationem agebant, ſuos hoſtibus immixtos in urbem ſimul irrumpere poſſe. Sed cum aſſultus ante lucem fieret, primum agmen à deſtinato loco deflectens

1633. per errorem ingruebat, qua fossa profundissima erat. Ita dum tarde enititur, occasio ut cum hostibus misceretur evanescebat. Nec ideo desistendum ratus Hornius, plura tormenta à Duce Wurtenbergico accersit, quibus pinnas valli plane dejectas defensioni inutiles reddebat; ac jam superato vallo mœnibusq; ad munimenta transversa recens excitata penetraverat. Enimvero jam sex millia selectorum militum urbi immissa erant, ac nullo negotio universo hostium peditatui per lacum ingressus in urbem patebat, obsessores numero facile superaturo. Igitur Hornius non ultra incassum luctandum ratus, cum & Bavaricus exercitus ad succurrendum Constantiæ adproperaret, & sibi ideo conjunctione cum Duce Bernhardo, & Christiano Palatino opus esset, impositis in navigia tormentis atque impedimentis, simul ægrotis ac saucis, obsidium solvit, viam cum exercitu per Turgoviam, & pontem Steinensem retro legens. Qui in abeuntes ex oppido eruptionem tentaverant, cum clade repelluntur, cæsis ultimo incursu ducentis amplius, nec paucis captis. In hac obsidione Hornius non supra ducentos quinquaginta desideravit, quos inter ejus ex fratre nepos Carolus Hornius, egregius juvenis; ad sexcentos vulnerati. Sed longe maximum damnum fuit tanti momenti urbem capere non potuisse, qua obtenta facile Evangelici Helvetii in partes trahendi videbantur; quorum affectus irrito discessu non parum vacillabat. Quem tamen Schavelitzkius denuo missus utcunque firmatum ibat. Contra Catholici eousque insolescebant, ut impensas ac pœnas à Steinensibus & Tigurinis ob iter Suecorum non impeditum exigere auderent. Quos tamen Tigurini vi exadversum ostentata, & de Suecorum auxilio in eum casum certi facile reprimebant.

Obsidium Constantiæ solvitur.

23. Sept.

§. 78. Hornio in Superiorem Sueviam digresso Bernhardus Dux in veteribus stativis subsistebat protegendæ Franconiæ, & ut Altringero ad Danubium obsisteret. Hic audito Hornii discessu repente Neoburgum aggreditur, quod Schlammersdorfii legio insidebat. Id oppidum cum ad quinque aut sex dies vim sustinere posse speraretur, Dux copias interim è vicinis locis auget, ut hostem viribus æquaret. Ast hic noctu in castellum alteri Danubii ripæ impositum, mox in oppidum tanta vi impetum faciebat, ut tota legio citra pactum in hostium potestatem perveniret, ac gregarii Bavaricis legionibus admiscerentur, ductoribus Ingolstadium in captivitatem tractis. Inde hostis pontem cum adsito munimento demolitur, tormentisque Ingolstadium devectis oppidum plane deserit. Quo facto cum Altringerus superato Lico in Sueviam tenderet, Bernhardus Dux Sperreuterum tribunum cum manu aliqua ad Licum relinquit, ipse adverso Danubio progredi incipit, hostis conatus observaturus. Quem cum Biberaco obsidium circumponere intellexisset, ipse Ehingam properat, si qua obsessis succurrere posset. Sed cum non constaret, an hostis Italicas copias, aut quæ sub Schaffenbergo collectæ erant sibi adscivisset, & idem jam ante peditatu prævaleret, haut consultum ratus liberando oppido prælii aleam tentare nisi æquatis viribus; à Palatino Christiano, qui jam Dutlingam processerat, petit, ut copias secum sociaret. Sed cum hic excusaret, sibi ut Hornio jungeretur, mandatum, & ipse in occursum Hornio tendere instituit, ut junctim rem in hostem administrarent.

Bavarici Neoburgum expugnant.

31. August.

Bernhardus Dux in Sueviam tendit.

§. 79. Ast Palatinus ille interea Lotharingos prælio profligaverat. Hi enim Tabernis progressi Pfaffenhoviam Hanovii Comitis oppidum invaserant, extrema minati, ni statim portæ paterent-

Prælium ad Pfaffenhoviam.

1. August.

tur. Sed quanquam invalidum oppidum non nisi 1633.
centurio cum viginti quatuor militibus, & provincialium manu propugnaret; de adfuturo tamen mox auxilio certior acriter restitit, ac Lotharingos, ne tormenta disponere possent, impedit. Ast Palatinus cognito istorum adventu statim cum exercitu, firmatis circa Hagenoam stationibus, Pfaffenhoviam versus tendit, ac elatiore loco adversus Lotharingos ordine explicat. Nec minus hi pugnæ cupidi aciem struunt: & cum Suecicos altiora campi præcepisse viderent, circuitu facto è latere eodem pervadunt, æquis locis pugnaturi; in quos & ipsi Sueci circumactis turmis frontem obvertunt. Imber tunc cadebat, quem vehemens ventus Suecicorum oribus impingebat. Ea occasione usi Lotharingi equites, catapharacti omnes, strictis gladiis ita acriter in Suecicos equites impetum faciunt, ut plerosque in fugam propellerent, Palatino in castium obnitente, & ad instaurandos ordines retrahente. Sed tantus animos incesserat pavor, ut suorum impedimentis direptis in diversa facesserent, ac tandem Palatinus uno duntaxat comitante cedere cogeretur, ni in manus hostium incidere vellet. Lotharingi ordinibus fere solutis Suecicos fugientes insequuntur, alii ad tormenta rapienda vertuntur, sed quos peditatus strenue repellebat, cujus virtute profligatæ res restituebantur. Equidem ab initio Hodiovvæ legio non nihil damni passa fuerat, sed suppetias ferente Ranzovii phalange, & in hostiles pedites irruente, hi non minore cum consternatione abjectis armis, quam Suecici equites, Tabernas versus fugam arripiebant; unde altera die per montes in Lotharingiam profugiebant, inter quos vix ducentis integra arma supererant. Nec minus Lotharingi equites à Suecico equitatu persequendo reversi ita acriter à Suecico peditatu excipiuntur, ut & ipsi fugam capessere cogerentur, relictis quinque tormentis, & omnibus impedimentis. E Suecicis eo in conflictu rei tormentariæ tribunus Simon Schultesius, & subtribunus legionis, Hodiovvæ Ruppa Baro cum ducentis circiter gregariis desiderati sunt. Lotharingorum nongenti in loco prælii jacentes numerabantur. Victoriam soli pedites sibi vindicarant, qui ductu Vitztumii, & Ranzovii præclare rem gesserunt; & major fuisset hostium strages, si equites officium feciissent, sique hosti fugienti potuissent insisti. Unde Palatino, antequam ulterius progrederetur, dispersi equites erant congregandi, & ad stativa Hagenoæ revertendum; missis literis ad Wormatienses, aliosque, ut fugitivos sisterent, & ad signa sua remitterent. Cæterum hæc calamitas Lotharingo non sola existebat. Nam Galliæ Rex, sententia in Parlamento Metensi adversus Ducem pronunciata, cum exercitu Lotharingiam ingreditur, misso Gardio ad Palatinum, ut is ex altera parte ingrueret. Sed tanto molimine opus non erat. Statim quippe Dux interventu Cardinalis fratris cum Rege transegit, tradito huic Nancejo. Palatinus autem solicitantibus Argentoratensibus Dachsteinum aggressus, per biduum edita ruina præsidiarios ad turpem deditionem adegit. Oppidum arxque militi in prædam cessit. Inde mandata ab Oxenstierna accipit, ut ad Hornium sese in Sueviam conferat. Igitur idonea manu ad obsidium Hagenoæ, & apud Ottonem Ludovicum Rheingravium relicta, ipse cum tribus millibus peditum, bis mille quingentis equitibus superato ad Argentoratum Rheno in Sueviam abit.

Lotharingus castigatur.

9. Aug.

Dachsteinum expugnatur.

10. August.

§. 80. Ea in regione Altringerus Biberacum vi aggressus erat, edita mœnium ruina, & injectis ignibus. Nec segniter præsidium, duobus peditum cohortibus constans resistebat, assultu hostium magna cum strage repulso. Sed infirmis munimentis,

Bavari Biberacum capiunt.

1633. nimentis, & prævalente hoste, dedito mox oppido excedit. Interea & Feriæ Dux cum Italicis copiis, quæ duodecim peditum, duo equitum millia explere dicebantur, per Tellinam vallem, ac Tirolenſes, Germaniam ingreſſus Altringero ſe conjunxerat. Unde & Succici Duces Hornius, Bernhardus Dux, & Chriſtianus Palatinus apud Stocachum exercitus ſociant, certi recta in hoſtem, qui apud Uberlingam tendebat, ire, & ſi occaſio detur prælio decernere. Sed cum intelexiſſent iſtum Meskircham Danubium verſus iter capere, ut flumine ſuperato ejusdem objectu Succos arceret, ac Wurtenbergicam pro lubitu percurreret, intercepto qui inde veniebat commeatu; ipſi ad Dutlingam Danubium tranſire properant, hoſti ſi qua flumen transgredi conaretur ſe objecturi. Nec mora, intra dimidium milliare ad Dutlingam totus ſe hoſtium exercitus oſtendit; cui exadverſum Succi ſtatim in aciem ſe diſponunt. Sed cum neutra pars ad alteram ſer iniqua locorum accedere auderet, præter velitationes nihil tunc ſuſceptum. Et ſequenti die hoſtis Meskircham recedebat. Mox cum idem Semmeringam iret, velut in Wurtenbergicam irrupturus, Succi transmiſſo apud Dutlingam Danubio Speichingam properant, ut tranſitu hoſtem prohiberent. Unde Bartlebius cum trecentis exploratum miſſus in tria millia equitum Bavaricorum incidebat: quorum primum agmen acriter aggreſſus, poſt numero obrutus in fugam vertebatur. Per excurſores quoque multi quotidie captivi in caſtra pertrahebantur, de annonæ tenuitate apud ſuos querentes. Heic Hornius ſuadebat, ut ad Speichingam ſubſiſteretur, quoad conſtaret, qua hoſtis iter facturus eſſet; præſertim cum ſuſpicaretur, ipſum Briſaci liberationem meditari. Reliqui tamen duces pervicere, ut eo curatius protegendæ Wurtenbergicæ, Balingam, ac inde Ehingam iretur. Enim verò Hornium ſua conjectura non fefellerat; dum hoſtis itinere repente converſo urbes Sylveſtres, Briſacumque petit. Unde & Succici duces ſua conſilia mutare cogebantur.

Dux Feriæ cum exercitu in Germaniam venit.

14. Sept.

17. Sept.

18. Sept.

Ad Briſacum geſta.

§. 81. Briſaci obſidium à fine Junii menſis nulla inſigni re geſta præter aliquas eruptiones, aut modicos aſſultus extrahebatur. Quos inter à Joanne Philippo Rheingravio munimentum exterius

23. Auguſt. à ducentis quinquaginta militibus infeſſum invadebatur; è quibus centum capti, reliqui cæſi, aut in Rhenum compulſi, ut vix viginti ſalvi in urbem evaderent. Nec minus qui eodem die ex altera parte eruptionem fecerant, male multati intra mœnia rejiciuntur. Ranzovius quoque illudentibus ipſius militem obſeſſis munimentum exte-

15. Sept. rius Succis oppoſitum oſtentandæ virturi aſſultabat, ac plerisque qui inerant cæſis, duo tormenta & mortarium in ſua caſtra trahebat, reliqua duo in Rhenum præcipitabat, munimento penitus disjecto. Quæ ne unius quidem militis ſui jactura patrabat. Rheingavius autem Otto Ludovicus, qui à Briſaci obſidio Argentoratum properaverat, ut Palatino Chriſtiano adſiſteret, cum jam commiſſo ad Pfaffenhoviam prælio adveniret, ab iſto ad perſequendos Lotharingos mittebatur. Sed cæteris in tuta digreſſis, una tantum dragonum legio Bockenheimi deprehenſa, quæ armis ademtis dimittitur; Bockenheimo præſidium imponitur. Quod oppidum paulo poſt Lotharingorum reliquiæ Villio duce oppugnatum veniebant. Qui tamen audito Rheingravii adventu licet ſuperiores in diverſa dilabebantur.

Rheingravius Lotharingos perſequitur.

20. Sept.

Landgravii per Weſtphaliam progreſſus.

§. 82. In Weſtphalia Wilhelmus Landgravius Ludingshuſam, & Schonflictam ditionis Monaſterienſis arces occupaverat. Inde Rhenam Amiſo adſitum oppidum aggreditur, cujus præſidiarii duocenti quinquaginta cum oppidanis aliquandiu acriter reſiſtunt; ſed tandem deditione facta oppido excedunt. Nec multo poſt Abaulium oppidum cum arce in poteſtatem redigitur, trecentis præſidiariis dimiſſis. Interim Bænningshuſius collecta è reliquiis cladis Oldendorpianæ manu; dum Landgravius ad Hammum metatur, repente verſus Haſſiam properat, & expugnato Corbaco, ubi duas Haſſorum cohortes recens conſcriptas opprimebat, Fritzlariam usque, ac Franckenbergam progreditur. Inde ſubito converſus Amænoburgum paucis provincialibus infeſſum ſcalis admotis expugnat, duarumque cohortium præſidio firmat. Sed cum Landgravius celeriter cum equitatu adproperaret, iſte eo non expectato per Franckenbergam, Arensbergam, & Attendornam in Colonienſem ditionem remeat. In diverſa parte Cniphuſius Oſnabrugæ primo eminus obſidium circumpoſuerat, quoad Georgius Dux poſt Pirmontium arcem captam, & Uſlarius deſerto Hildeſiæ obſidio copias jungerent. Quibus firmatus vim cominus intentat, ut tandem oppidum certas in leges dederetur. Quæ cum nimis liberales Oxenſtiernæ viderentur, plerasque temperavit, velut à ſua demum ratihabitione valituras. Inde Petersburgum ſexcentorum præſidio infeſſum ad deditionem compellitur. Nec minus Uſlarius Brunſvicenſis Ducis ſummus præfectus Peinam arcem, inde Callenbergam deditione cepit. Quo ſucceſſu animatur Brunſvicenſis Dux Hildeſiam denuo circumſidere inſtituit; ſed qui labor in multos menſes extractus eſt.

1633.

25. Auguſt. 8. Sept. Bænningshuſius in Haſſiam irrumpit.

Oſnabruga capitur.

2. Sept.

24. Sept.

1. Sept.

§. 83. At in Miſnia miſera rerum facies ſurgebat, Holckio è Bohemia irrumpente, inſtinctu, ut credebatur, Daniæ Regis, Arnheimii, & aliorum, qui eo tempore Electorem ad ſeparatam cum Cæſare pacem compelli poſſe judicaverant. Et iſte quidem per Voigtlandiam, & montana Miſniæ ingruens qua tranſibat rapinis, cædibus, incendiis, libidinibus in fœminas, omnique atrocitatis genere graſſabatur. Inde Lipſiam progre-

Holckius in Miſniam irrumpit.

17. Auguſt.

ditur, quæ per biduum ignivomis globis perterrita, ſe dedit, ſeptuaginta millibus uncialium direptionem redimens. Arx tamen ſub Trandorfio præfecto ſtrenue vim intentatam propulsabat. Elector cujus copiæ pleræque in Sileſia aberant, hoſti ſiſtendo impar, ac intra munita oppida ſe tenens, vaſtitatem ditionis ſuæ triſtis ſpectabat. Implorati tamen ab ipſo Joannes Banerius, qui apud Magdeburgum curabat, Brandeburgicusque, & Wilhelmus Vinarienſis Dux, auxilio ſe accingebant. Sed Holckius poſt factas in Sileſia inducias mox ultro Lipſiam deſerit, ac per Altenburgum recta in Bohemiam revertit ingenti onuſtus præda, cujus auctuarium erat peſtilentia, qua ipſe per concubinam ſuam infectus Adorfii extinguitur, inter extrema nequidquam expetito Sacerdotum alloquio, quos vivus atrocitate ſua in avia ſylvarum fugaverat. Paulo ante mortem Ducibus Vinarienſibus ſignificaverat de induciis in Sileſia factis; addito, ſe ſuis injunxiſſe, ut hoſtilitate adverſus eos abſtineant, paria ſibi viciſſim ab ipſis promittens. At Tupadelius nihil iſta moratur Pauli Oroſii legionem Hungarorum & Croatarum, præda gravem ex improviſo opprimit, ipſumque tribunum & plerosque ductores octo, cum vexillis & quingentis equis capit cum non modica Miſnicarum manubiarum parte. Iſtum Tupadelium paulo ante Manteufelius tribunus Forchemo egreſſus Bambergæ intercipere conatus erat, colludentibus quibusdam oppidanis, & jam ſuburbia irruperat. Sed Tupadelius in oppidum evaſerat; atque inde collectis ſuis in hoſtem iterum erumpens male multatum expellebat. At Saxoniæ Elector periculoſe

16. Auguſt. Holckius Miſniam deſerit, & moritur.

10. Auguſt.

1633. culoſe jam defunctum ratus, Suecis, Brandeburgicisque poſt actas gratias ſignificat, ſe ipſorum auxilio non amplius indigere. Mox tamen cum tractatus in Sileſia abruptos audiviſſet, novo terrore corripitur, quod ditio ipſius hoſti ubique pateret, & hic adhuc quædam per Voigtlandiam loca inſideret, unde nuper excurſionem in Thuringiam fecerat, pulſis qui reſtiterant. Igitur denuo ad Banerium ſcribebat, ut copiis ſuis præſto ſibi ſit, & apud alios efficiat, ut irruptione in Bohemiam facta, hoſtis ab ipſius ditione abſtrahatur. Qui operam ſuam illi prolixe viciſſim offerebat.

21. Sept.

In Sileſia induciæ renovantur.

§. 84. In Sileſia Fridlandus abruptos nuper pacis tractatus magno ambitu inſtauratum ibat, nulla quæ extrinſecus adpareret neceſſitate compulſus, utpote viribus longe prævalens, & omnibus rebus inſtructus. Poſt duodecim dierum miſſitationes Arnheimius demum aſſentiebat cauſa allata, ne Electores plane pacem reſpuere viderentur, & ut meſſis interea in horrea recondi poſſet. Obtendebatur quoque inopia commeatus, & quod hoſtis cataphractorum numero præpolleret. Denuo igitur in menſem induciæ concluduntur, addito, ut ductores militesque diverſarum partium inter ſe non congrederentur, niſi Arnheimii permiſſu; ac poſt elapſas inducias per tres adhuc ſeptimanas hoſtilibus abſtineretur. Cæterum dum ſuper induciis tractatur, Octavius Piccolomineus Cæſareus tribunus Ulricum Daniæ Regis filium in campum colloquii cauſa invitaverat; ubi poſt varios ſermones, cum jam iſte Piccolomineo valedixiſſet, ab aliquo, qui non procul inde in foſſa delituerat, globo trajectus paucas intra horas extinguitur. Quod factum Fridlandus apud Daniæ Regem velut ſe inſcio factum excuſabat, promiſſa ultione. Cui Rex, ne filius adverſus Cæſarem arma tuliſſe videretur, reponebat: Filio à ſe id duntaxat permiſſum, ut in caſtris ſpectatorem ageret; quod ſi is ſpreto paterno mandato ulterius progreſſus eſſet, habere, quod ſibi imputet. Ægre tamen idem ferebat, quod Fridlandus cædis patratorem impunitum dimiſiſſet; qui & Viennæ iſtud facinus jactabat extra præmium, & pœnam habitus. Eo tempore rumor erat, conſtitutum fuiſſe, ut Ulricus abdicata Saxonis militia in Poloniam proficiſceretur, ac Sigismundi Regis filiam in uxorem duceret, dotis nomine Boruſſiam accepturus, qua Poloni Danis junêti Suecos expulſuri eſſent. Induciis factis Fridlandus copias ſuas commode per hoſpitia diſponit, octo quoque legionibus in Bohemiam miſſis. Aſt fœderati ad veteres culinas revertunt dudum exeſas, magis deminutis numeris, quam ſi adverſo prælio certaſſent; cum Saxonicis tertia militum pars deceſſiſſet, Suecici vix bis mille ſexcenta capita adhuc implerent; ac univerſi exercitus jactura duodecies mille capitum æſtimaretur; nec novorum delectuum, de quibus multa jactaverant Saxonici, quidquam adpareret. Interim utriusq; partis miles ad vaſtandos agros certatim incumbere, & ne feges eis Oderam in horrea convehi poſſet, ſævitia in agreſtes impedire, nulla futuri cura. Nec eo ſecius à miſeris provincialibus argentum extorquebatur, in quos præter belli mala etiam peſtilentia graviter ſæviebat.

m. Aug.

Ulricus Holſatiæ Dux interficitur.

Oxenſtiernam mittunt.

20. Aug.

§. 85. Inter quæ à Ducibus Lignitzæ, Briegæ, & Munſterbergæ, ac Wratislavienſi civitate Legati ad Fœderatorum capita mittebantur. Ac Oxenſtiernam quidem Chriſtophorus Zedlicius, & Andreas Langius adibant declarantes: ſibi conſtitutum eſſe cum Fœderatorum exercitu vires ſociare, ſalva tamen adverſus Cæſarem veneratione, ac cum Bohemiæ Regno conjunctione. Sed eo jam ſe redactos, ut quod ad communem cauſam contribuant nihil ſuperſit. Spem tamen ſibi eſſe, Suecos de ſuo in ipſos animo nihil remiſſuros, ſed tutelam eorundem adverſus ſacra & privilegia Sileſiæ turbantes ſuſcepturos; addito, ut pacis tractatibus ipſos includant, hisque aliquot Sileſios adhibeant, de neceſſitatibus ejus nationis ſuggeſturos: aut ſi pax non ſequatur, ut belli ſede alio translata à tantis calamitatibus reſpirare ſibi liceat; ſimul ut ubi de aſſignandis hoſpitiis aliisque negotiis agendum, ipſi in partem conſiliorum admittantur. 1633.

Tractatus pacis in Sileſia abrumpuntur.

§. 86. Ii Legati dum rerum ſuarum ſatagunt, interea tractatus pacis in Sileſia, & induciæ, eum quem dudum metuerant prudentiores exitum ſortiebantur. Quod Arnheimio in hoc negotio propoſitum, ac num ſerio rem egerit, ac ipſe deceptus fuerit, an alios deceperit, è reliquo conſiliorum iſtius contextu judicandum fuerit. Sane Kœtteritzius tribunus nondum elapſis induciis Berolini moriens, inter extrema faſſus erat, meras ei negotio ſubeſſe fraudes. Id fatis ex eventu patebat, quæ Fridlandus de offenſa ob Ducem Feriæ præ ſe tulerat, conficta fuiſſe lucrando tempori, & defectibus queis laborabat ſupplendis, & ut fœderatorum copias mora attereret, ſuas contra ſervaret, quoad Italicæ legiones Bavaricis jungerentur; quæ ſi Suecis per Superiorem Germaniam prævalerent, rem confectam habere ſe ſperabat. Nec minus id agebatur, ut Saxo jamdudum belli pertæſus, à Suecorum ſocietate abſtractus, ad peculiarem pacem compelleretur. Nec ipſe Fridlandus apud Promnicium aperte, & non ſine inſultatione alienæ credulitatis jactare dubitaverat: moris ſibi eſſe, ſi aliter non poſſit, inducias facere, quoad occaſionem nanciſceretur hoſtem opprimendi. Cum igitur Arnheimius Dreſda redux in Sileſiam revertiſſet, ac jam finis tractatibus imponendus crederetur, Fridlandus ſignificabat: Se perſpicere, pacem duraturam fieri non poſſe, niſi exteris prius Germania dimotis; eoque poſtulabat, ut ambo Electores copias ſecum conjungant, ac Suecis plagas intentent, quibus oppreſſis pro lubitu pacem ipſos inter ſe facturos. Quæ inficeta poſtulata cum Arnheimius abnueret, tractatu abrupto ſpes pacis, quæ hactenus multos lactaverat, uno momento evanuit. Heic demum res fœderatis in anguſto eſſe, quod exercitu tantopere diminuto fidere non poſſent, raris numeris, nullo commeatu, aut adparatu bellico; cum Fridlandus per inducias egregie ſe confirmaſſet. Cogebant tamen Saxonici copias ſuas intra Wratislaviam, & Kantum, ſtrenue eſurituras, niſi qua Wratislavienſes panem maligne ſuppeditabant. Contra Fridlandus apud Zotenam exercitu luſtrato, omnibus rebus abundabat. Interea Turrius Comes Duvvalio mandata mittit, ut quia Dux Lauenburgicus confirmaſſet, ab Arnheimio apud Oxenſtiernam, & Electores ex voto omnia transacta eſſe, ipſe cum copiis ſuis luſtrationi apud Kantium inſtituendæ adeſſet. Id quod Suecici ductores abnuebant, ſub Saxonum auſpiciis militare horrentes. Duvvalius quoque Oderæ cuſtodiam ſibi præcipue commiſſam excuſans copias ſuas ad Steinaviam contrahebat, non prius inde moturus, quam ab Oxenſtierna mandata accepiſſet. Fridlandus contra cum poſt elapſas tres ſeptimanas ad bellicos actus iterum eſſet redeundum, ad veteres artes revolutus primo Schweidniciam nullo præſidio firmatam diripit. Inde Zittaviam verſus & in Luſatiam, Miſniamque iter ſimulat, edito rumore velut Piccolomineus jam præmiſſus ſit occupandæ Torgæ, qua Albis ſuperandus foret. Unde Arnheimius Kantio movens è Sileſia adeo propere exercitum in Miſniam rapit, ut ipſe Saxoniæ Elector negaret, ſe cauſam tantopere feſtinati itineris capere

Sueci ad Steinaviam conſidunt.

Arnheimius in Miſniam abit.

1633. pere posse. Binæ tamen Saxonicorum, totidem Brandeburgicorum equitum legiones apud Turrium relinquebantur, nomen magis auxilii, quam vim habituræ, cum universæ vix trecenta capita explerent. Tribuno Dæhnio, qui illis præerat, ab Arnheimio injungebatur, ut Turrii quidem jussis pareret, sed si is quædam circa Saxonica & Brandeburgica præsidia movere vellet obsisteret. Sueci interim apud Stemaviam metantes, quanquam exploratum haberent, Fridlandum intra montana quietum se tenere, Arnheimio præter istius castra in Mitniam properante; tamen captivorum indicio persuadentur, Fridlando constitutum esse Arnheimium sequi. Et jam viginti equitum signa præter Ligniciam transierant, totumque agmen montes versus tendens unum dumtaxat milliare inde aberat. Unde Sueci non minus quam Silesii velut explorato hostium abitu læti, de Odera Gabelucam usque occupando, deque hospitiis per Superiorem Silesiam dilatandis agitabant, præceptis quoque in Moraviam excursionibus; quæ destinata imminens mox clades eludebat.

24. Sept.

Legationum apud Galliæ Regem acta.

§. 87. Sed nec in Superiore Germania omnia ad votum succedebant; ac legatio cunctis ad Galliæ Regem spem, quæ de ipsa concepta erat, nonexplebat. Cujus causa erat, quod Richelius res Suecorum ibi ultro difficultatibus implicabat, ut Ordines paulatim ad Gallicam tutelam implorandam compellerentur. Obtentui sumebatur, quod Monachi nonnulli nidis suis ejecti forent, & quod circa Philipsburgum Gallis consignandum mora necteretur, scrupulos movente ut arguebant Oxenstierna, quo tamen oppido ipsi utique potiri cupiebant vel Suecorum ingratiis. Quæ duo capita & privatim, & cum publice apud S. Germani Fanum Rex Legatos admitteret, non sine commotione animi perstringebantur, velut Regis existimationem & ex parte conscientiam tangentia, quæ is nullo modo se laturum declarabat. Simul postulabat, ita res administretur, ut bellum non de religione, uti Catholici clamitabant, sed profanis de causis geri videretur; enixius in partes studium promittens, operamque ut plures Catholici Ordines à Cæsare abstrahantur, si postulatis suis satisfiat. Sin minus, abdicata illorum causa alia se consilia capturum. Ad quæ legati reponebant: sibi ad arma sumenda per aliorum injurias adactis haut quidquam propositum esse Catholicos opprimere, sed sacra ac libertatem suam legibus Imperii sancitam asserere. Neutralitate Catholicis concessa non levamentum, sed onus partibus suis accedere, istis interea respirantibus, viresque colligentibus; quos potius eo adigi par sit, ut omissis, quæ hactenus agitaverint, consiliis ad libertatem publicam secum asserendam conspirent. Quæ uti facile Gallo probabantur; ita negabat fœdus se ratihabiturum, nisi caput de tolerandis Catholicis ita explicetur, ut fœderati ad istud à tempore Conventus Heilbrunnensis obligatos se profitentur. Id quod legati, ne res plane abrumperetur, demum annuunt, & circa idem ita cum Gallicis ministris conveniunt; ut Rex caput istud laxissimo sensu ratum habeat; sed simul novum fœderis instrumentum conscribatur, in quo idem declaret, quo sensu caput istud intelligat; cui à legatis adderetur; se itidem credere, hanc fœderatorum Ordinum fuisse mentem, eamque fœderi congruere. Circa Philipsburgum cum legati nihil in mandatis haberent, nisi ut factum excusarent, Rex Gournæum Francofurtum mittebat, qui super eo tradendo instaret. Quam rem Oxenstierna ad futurum fœderatorum conventum rejiciebat, prout res interea se darent consilium capturus. De copiis & pecunia submittendis Rex silentio transmittebat, satis innuens alias sibi conditiones esse proponendas, si istorum quid impetrandum sit. Circa Lotharingum res jam transacta erat, in qua licet fœderatis non omnia arriderent, tamen ut Rex eam conditionem retractaret, postulare non audebant. Cui & nullo modo ut apertum in Austriacos bellum declararet, permoveri poterat; quod res domesticæ tunc non ferrent bello externo se immergere, cui pro lubitu finem imponere in manu ipsius futurum non erat. Quanquam autem Legatis non plane ex voto responsum daretur, honorifice tamen habiti, ac donati dimittebantur. 1633.

Ab Hollandis postulata.

§. 88. Ab Hollandis quoque per Ludovicum Camerarium postulabatur, ut impedire vellent, ne Hispani Ligæ se copiis ad inferiorem Rheni tractum jungerent; aut si Hispani quid in Suecicos moliantur, Hollandi copias subsidio mitterent; imprimis ut pecuniæ summa, quæ necessitatibus ipsorum responderet, subvenirent. Quæ postulata lentis deliberationibus subjiciebantur. Ita cum fœderatis res pecuniaria in angustum redigeretur, & alieni auxilii spes decollaret; hostis contra in sequentem annum validam expeditionem minaretur; minuendis belli oneribus id laborabat Oxenstierna, ut saltem unum & alterum ex hostibus amoveret. Unde facile consentiebat, ut tractatus de *neutralitate* cum Colonienſi Electore susciperentur. Sed cum Colonienses Legati, qui antea deputatis Consilii formati ob eminentiam Coronæ Succicæ loco cesserant, postea pervicaciter priorem locum sibi depoſcerent, re infecta negotiatio abrumpebatur. Nec minus qui cum urbe Colonienſi tractatus instituebantur, in irritum cadebant.

Cum Colonienſi de Neutralitate frustra tractatur.

Acta cum Palatino Neoburgico.

§. 89. Eodem tempore de Palatino Neoburgico, qui hactenus in hostilia nondum eruperat, rumor erat; cum fœdere inito in partes Ligistarum discessisse, imperio quoque in eorum copias susceptо: eoque fini delectibus agendis vacare. Nec deerant fervido ingenio homines, qui suaderent, novos illos delectus inter initia dissipandos, antequam in exercitum evalescant. Sed Oxenstiernæ consultius videbatur connivere, quousque adpareret, num quid in Succicos tentare vellet, ne propere illata vis armis ipsius obtentum præberet. Ad Siburgi quoque præfectum scribebatur, ne istos delectus turbaret; de cætero rebus suis bene prospiceret. Sed ad ipsum Palatinum ab Oxenstierna literæ dabantur; quis de ejus machinationibus rumor sit, & ut delectibus superſedeat, aut ne istos hostibus transscribat. Ad quæ Palatinus prolixe, & non sine aculeis ac minis respondebat; quæ ab Oxenstierna vicissim masculе ac solide retundebantur. Et videbatur ab acribus ejusmodi literis res in nervum eruptura, ni Cornelius Pavius Hollandorum Legatus interventu suo effecisset, ut Palatinus denuo *neutralitatem* misso legato peteret. Ubi quanquam plenam transactionem ad futurum fœderatorum conventum rejiceret Oxenstierna; tamen, quod è re non esset pluribus se hostibus implicare, nec è Palatini terris multum emolumenti fœderatis proventurum videretur, declarabat; se Ducibus mandaturum, ut omnibus locis præterquam Siburgo, Blanckenburgo, & Windecca decedant, & hostilibus abstineant, quoad super neutralitate plene conventum fuerit. Contra Palatinus Bænnigshusium, aliasque hostium catervas terris suis dimoveret; quod alias hostem ubicunque deprehendatur persequendi jus sit. Mandabatur quoque præfecto Siburgi, aliisque, ut præter necessaria è Palatini terris nihil caperent. De cætero conservandis exercitibus, quæ summa Oxenstiernæ cura erat, decreto

19. Decemb.

1633. decreto promulgato qui à signis discesserant revocantur. Et quia plerique Germani equo merere malebant, Patricius Rudvvenus in Scotiam mittitur, conducendis ibi aliquot peditum millibus. Tum de veteribus legionibus supplendis, utque ægrotorum & sauciorum cura habeatur, disponitur. Et quia Anspacenses nova vectigilia instituerant, magno Noribergæ oneri cedentia, caritate rerum in militem demum redundante; Oxenstierna ut ista iterum abrogarentur, ad ditionis ejus Administratorem scribebat.

Dani de pace acta. §. 90. De pacis tractatibus Daniæ Senatores ad Sueciæ Rectores scripserant, Regis sui studium circa pacem conciliandam commendantes, hortatique, ut & ipsi operam dare velint, quo res optatum ad finem deducatur. 20. Octob. Quæ literæ post tres demum menses reddebantur, cum agitati à Daniæ Rege pacis tractatus plane interciderint. Nam hic propalatis in Silesia Fridlandi ludibriis, legatos suos revocaverat, culpa irriti negotii nunc in Cæsarem atque Fridlandum collata, cum antea Sue- 20. Octob. cos tanquam pacem aversantes accusasset. Istis literis Sueciæ Senatus respondebat; in se paci moram non fore, si remotis ab hoste ludibriis serio 19. Nov. res agatur. Paria Legato Danico reponebantur; eadem Holmiæ coram ingerenti. Nec minus 21. Octobr. Daniæ Rex literis ad Oxenstiernam super instaurandis tractatibus instabat, pro Wratislavia Mulhusium, Marpurgum, aut Lubecam proponens. Quam rem hic ad proximum conventum rejiciebat, ut communi fœderatorum consensu de eadem statueretur; rogans ut ad eundem Rex legatos mittere velit. Tum ad conventum sub initium Martii Francofurti habendum Oxenstierna non solum Circulos fœderatos, sed & cæteros Protestantes invitabat, propositis simul futuræ tractationis capitibus, de omnium Protestantium per Germaniam conjunctione, de pacis legibus, Dani interpositione, Suecorum satisfactione, deque necessariis bello continuando suppeditandis. Addebatur de Gallorum circa Philipsburgum petito, & Neoburgici neutralitate. Ubi quidam de hostibus quoque ad eum conventum invitandis monebant. Sed Oxenstierna & plerique id aspernabantur, quod fœderatorum res eo in conventu planius forent disponendæ, adscitis reliquis Protestantibus; & admisso hoste corruptelis occasionem pandi. Porro Oxenstierna petente, Bruntvvicensis Dux ad finem mensis Januarii conventum Ordinum Inferioris Saxoniæ, & Westphaliæ Halberstadii indixerat, cui ut ipse Oxenstierna interesset summe necessarium judicabatur disponendis illis ad animorum armorumque cum cæteris conjunctionem; ad quos ipsius præsentia plus quam alterius delegati valitura credebatur. Quo antequam proficisceretur, Ottonem Rheingravium tantisper Consilii præsidem in suum locum substituebat certis mandatis instructum, quæ se absente expedienda, quæ ad se rejicienda forent.

Cæsarem & Bavarici in Alsatiam eunt. §. 91. Interim in Suevia Feriæ Dux & Altringerus, cum irrumpendi in Wurtenbergicam consilium simulassent, ac Succici duces illis avertendis ad interiora se contulissent, repente versus urbes sylvestres & Brisgoviam flectunt, & aliquot dierum iter ante capiunt, quam Succi insequi possent. 5. Octobr. Ac Seckingæ quidem per socordiam præfecti transitu Rheni potiti mox Rheinfeldam petunt, atrocibus minis deditionem imperantes, & mox vi adhibita. Nec Croneckius oppidi præfectus ullum viri fortis officium intermittebat. Sed prævalente hoste impetu perruptum oppidum, & præfectus omnesque armati interfecti. Reliquis ejus tractus oppidis hostis nullo negotio potitur. Cæsareo exercitu adpropinquante agrestes per Brisgoviam arma corripientes quicquid Suecici militis deprehendunt trucidant. Inde præter Basileæ mœnia transibat hostis, quam civitatem etsi Rheingravius scripto moneret, ne quid hosti gratificaretur; tamen vetera quæ jactabantur cum Austriacis fœdera efficiebant, ut non modica frumenti vis, quam Suntgoviæ agrestes in urbem congesserant, ipsis traderetur. Entisheimo, cujus præsidium jubente Rheingravio Russacum concesserat, hostis recta Brisacum tendebat, cum 10. Octob. extrema jam necessitate conflictatum, ut ni suppetiæ adfuissent intra duodecim dies deditio facienda 14. Octobr. foret. Sed cum Joannes Philippus Rheingravius Brisaci obsidium solvit. hostem Rhenum transisse intelligeret, soluto obsidio, castrisque incensis Colmariam se conferebat. Eodem quoque Otto Ludovicus Rheingravius delerta Tabernarum & Hagenoæ oppugnatione concedebat; captoque inter Colmariam & Schlettadium idoneo loco progressus hostium sistebat, per prosperas aliquot velitationes centum viginti equitibus cæsis, captisque. Nec minus idem per hospitia sparios aut pabulantes infestabat, multum indignantibus Cæsareis, qui opima hæc sibi & quieta hospitia ipse præceperant.

Hornius in Alsatiam redit. §. 92. Ast è Succicis ducibus qui Balingæ subsistebant inopino hostis ad Rhenum itinere cognito Palatinus Christianus, & Hornius, propere eodem & ipsi vertunt, sustinendis per Alsatiam & Brisgoviam rebus; postquam satis adparuerat, hosti nimium ferociæ non superesse. Bernhardus autem Dux secundo Danubio descendebat alibi negotium hosti daturus. Nec minus Helvetios Evangelicos damna ab hostibus in itinere data excitaverant quorum jam viginti millia in armis erant; indemque ab Hornio equitum manum auxilio petierant. Unde Hornius ipse cum mille quingentis equitibus Schafhusium proficiscitur, (Palatino per Kentzinganam vallem Offenburgum petente,) si qua ipios, ut in bellum adversus Cæsareos erumperent, permovere posset: quod & post Oxenstierna missis literis conabatur. Sed Feriæ Dux, & Altringerus solicite quæ in Helvetiorum territorio patrata erant excusabant, velut se inscios & agre ferentibus facta; oblata quoque potestate excursores prehensos castigandi. Qua modestia Helvetii placati quiescebant. Igitur Hornius nusquam se movendibus Helvetiis & ipse Offenburgum abit, aliquot hostium manipulis in itinere mutatis. Inde Kentzingam progreditur, hosti, si illac ingrueret, se objecturus. Sed cum hunc in Alsatiam transisse constaret, Rheingravio metuens & ipse eodem tendit, & cum alia pontis copia non esset, superato ad Argentinam Rheno Colmariæ Rheingravio jungitur. Facta conjunctione altera mox die in hostem ire constituit, si sparsum opprimere posset. Sed hic per unam & alteram stationem, in quam Succi impegerant, de horum adventu certior factus, simul ingruente nocte copias contrahit. Postera die ita prope hostem Succi accedunt, ut non tormentis solum, sed & telopetis totum diem se mutuo impeterent. Enimvero quantumvis Succi cupidine præliandi flagrarent, hostis tamen apud Sultzam, Gebvveileram, & Watvveileram ad montes se tenebat, objectu vehiculorum, & mox excitatis castellis tutus, nec nisi ad modicas velitationes progredi ausus; in quibus semper Succi prævalebant, multis occisis, captis octoginta cum subtribuno & turmæ præfecto. 16. Octobr. 18. Octobr.

Ferianus & Altringerus se disjungunt. §. 93. Sed hostis cum animadverteret Philipsburgum penetrare se non posse, ne tempus heic defidendo frustra abtumeret, Feriæ Dux cum Hispanis & Italis valde jam attritis Thannam versus tendebat, ut novis è Burgundia, & Lucenburgi-

Ca-

1633. ci copiis ſe firmaret. Altringerus autem cum Cæſareis & Bavaricis copiis Briſaci Rhenum iterum tranſit. Quo audito Hornius, relicto ad obſervandum Feriæ Ducem cum Alſaticis copiis Rheingravio, ipſe cum Palatino raptim Rhenum ſuperat, hoſtis conatibus impediendis: ut, ſi iſte in Briſgovia moraretur, apud Kentzingam pedem figeret; ſin per Nigram ſylvam in Wurtenbergicam penetrare inſtitueret, quam dudum ſpe devoraverat, per Kentzinganam vallem properato itinere aditu ejus provinciæ ipſum arceret. Cum Schletſtadio moveret Hornius, Galli quidam aderant à Mareſchallo Forcæo miſſi, qui cum exercitu ad octodecim millia aſcendente Remiremontium progreſſus erat, conjunctionem ſui exercitus cum Hornio offerens. Ad quem Hornius ſtatim mittebat, qui ut ulterius procederet peterent; aut ſi toto cum exercitu venire gravaretur, aliquam manum Rheingravio ſubſidio mitteret. Ad quod iſte reponebat: à Rege in mandatis ſibi datum, ut ſi Altringerus, & Ferianus in Alſatia ſubſiſterent, toto cum exercitu petenti ſuccurreret, & junctim cum ipſo in hoſtem iret. Sed Altringero trans Rhenum digreſſo, Feriano autem per Moſellam in Belgium ut fama eſt perrupturo, neceſſum ſibi eſſe, ut huic ſe objiciat, eumque vel commiſſo prælio ſiſtat. Igitur partem exercitui decerptam in Alſatiam mittere ſibi integrum non eſſe. Interea Altringerus Lichteneccа arce præfecti per flagitium potitus erat, ſimul Kentzingæ deditionem imperabat, jam jam tormenta admoturus; qua expugnata credebatur iſta Rheni ripa Philipsburgum penetraturus. Quibus conſiliis prævertendis Hornius caſtra Herboltzeimi metatur, Eltzæ fluminis objectu tuta. Cujus adventu cognito hoſtis, quas in Bavariam miſſurus erat copias, revocabat. Inde, poſtquam pridie ſtatio hoſtium vapulaſſet, cum equitatu Hornius Eltzam transgreſſus, Rugelam, ubi quatuor equitum legiones hoſpitabantur, invadit: quæ licet de ipſius impreſſione mature certiores factæ in campum proceſſiſſent, cum ſtrage tamen fundebantur, cæſis captiſque multis, quos inter Bruæus Comes tribunus. E cæteris hoſpitiis, quæ ſecundum montes habebat à Cæſaris ſella adpellatos, hoſtis raptim Briſacum, quo pridie tormenta præmiſerat, refugiebat multis ſuorum relictis. Quem eodem perſequi ob difficultatem itinerum, & quia Ducis Feriani exercitus eo die Rhenum apud Briſacum tranſierat, Hornius haut conſultum ducebat; præſertim cum tormenta ita celeriter ſecum ducere non poſſet. Igitur aliquouſque tantum progreſſus, in ſtationem ſuam revertit, hoſtis motus obſervaturus. Eo die minimum quingenti ex hoſtibus interfecti, qui tardius hoſpitiis ſe proripuerant: Interea arx Lichteneccа ab Hubaldo tribuno iterum expugnabatur, præſidio citra conditionem dedito.

Dux Feriæ denuo cum Altringero jungitur.

§. 94. Feriæ Dux, qui in Alſatia Altringero digreſſo reſtiterat, Berfortum interim expugnaverat; inde Altkircham retro flexerat, Italis, qui aſperitatem ejus cœli autumno jam præcipitante non ferebant, certatim procumbentibus; qui, licet tria Burgundionum millia, quadringenti equites acceſſiſſent non optimæ notæ miles, vix ſeptem millia conficiebat. Ita debilitatus cum ſolum ſe tutum non credebat, nec Altringerus Hornio par foret, Thanna, Ruffaco, Enſisheimo, aliisque locis præſidio firmatis, Britaci denuo Altringero jungitur. Inde ſimul Friburgum eunt, ſupra id oppidum Stauffam verſus metati. Quorum conatus ut eo curatius obſervaret, Hornius cum equitatu Emerdingam uſque procedebat, duarum horarum itinere ab hoſte diſtantem. Sed cum cognoſceret, hunc firmatis Briſgoviæ locis per vallem Kirchzacheranam in Sueviam tendere, & ipſe per Kentzinganam vallem Rotvvilam verſus proficiſcitur, accerſito ad ſe ex Alſatia Rheingravio cum ſuis legionibus; qui in itinere unam atq; alteram hoſtium manum profligabat. Hoſti hiberna per Wurtenbergicam capere cordi erat, quorum ſpem militi ſuo fecerat, miſſis quoque exploratoribus, qui aditus provinciæ ſpecularentur. Quorum octo deprehenſi laqueo plectebantur. Iſtud ut Hornius impediret, ad latus ſemper hoſti incedebat, quoad Danubium ad Dutlingam tranſmittere ipſum cogeret, incurrentibus hinc inde turmis Suecorum male habitum. Quem deſperata Wurtenbergica Illarum verſus tendentem Hornius veſtigio inhærens ſubinde carpebat. Sed cum in Algoviam demum penetraret, quo inſequi ob crebras anguſtias commode non dabatur, Sueci paululum retrocedunt, & Mettingæ metantur, quoad Hornius Berchingam excurrens cum Bernhardo Duce conſilia contuliſſet. Dum ibi metantur, Vitztumius Cæſareus tribunus coacta ex Memmingæ, Biberacique & vicinis præſidiis octingentorum equitum manu Einhauſii legionem Munderkingæ hoſpitantem opprimere conabatur. Sed ſuccurrente è vicino vico Gaſſione tribuno, hoſtis in fugam propellitur, centum cæſis, octoginta captis. Tandem Feriæ Dux & Altringerus apud Schongam Licо transmiſſo in Bavariam redeunt, poſtquam poſtremo hoc itinere aſſultantibus, & carpentibus paſſim Suecis ſupra quinq; millia militum amiſerant, præter deſertores, & quos morbi abripuerant; ita ut è tricies mille bellatoribus, quibus initio iſte exercitus conſtare credebatur, vix duodecies mille ſupereſſent infauſtam militiam perſi. Qui cum initio Suecos numero longe prævalerent, nunquam tamen prælium auſi erant, in omnibus fere conflictibus inferiores, vix ullo Sueco capto, cum Sueci contra complures ipſorum centurias in captivitatem redegiſſent. Nec multo poſt Feriæ Dux, morbo ex ægritudine animi ob res adverſas concepto, extinguitur.

1633. 11. Nov.

Bavarici male multati domum redeunt.

Dux Feriæ moritur.

§. 95. Dum hoc modo Hornius & Chriſtianus Palatinus hoſtem atterunt, Bernhardus Dux rerum in Bavaria ſtrenue ſatagebat. Equidem antea Joannes Wertanus Sperreuteri tribuni hoſpitiis ingruens non parum damni attulerat; mox Aichſtadii arce, tradente per ignaviam præfecto Antonio Claudio de Raſcha, potitur; qui poſt eo nomine ſupplicium capite dedit. Bernhardus quippe Dux, audito Wertanum eo profectum, Caggium cum aliquot legionibus è Franconia Aichſtadium verſus tendere jubebat, ac ipſe Beckermondo ad defenſionem Sueviæ relicto, eodem adproperat. Sed jam emiſſum Aichſtadio præſidium non procul Donavverta ipſi obviam veniebat. Nihil tamen iſte hac jactura territus iter perſequitur, & apud Neoburgum ſtructo è navigiis ponte maximam partem equitatus ſub Curvillio Danubium trajicit, ipſe cum Caggio peditatum ac tormenta ſecus ſiniſtram ripam fluminis ducit. Præmiſſus ibi Tupadelius Kehlheimum Danubio adſitum oppidum occupat; ubi vis annonæ inventa, exercitui valde opportuna, & ponto ſexaginta equorum capax. Cæterum crediderat Wertanus, Bernhardum Ducem ad Monachium oculos adjeciſſe; eoque Freiſingam ipſe ſe contulerat. Eo facilius fuerat Duci deſtinata ſua circa Ratiſponam exſequi. Relictis igitur Kehlheimi quatuor peditum phalangibus, quæ majora tormenta expectarent, ipſe in alteram ripam ad Curvillium transgreſſus cum equitatu raptim Ratiſponæ circumfunditur, à quindecim centuriis inſeſſæ, tironibus fere, & ſequio-

Wertanus Aichſtadium capit.

Ratiſpona expugnatur à Duce Bernhardo.

1633. ris notæ militibus. E ſiniſtra ripa Caggius cum Tupadelio procedebant, ac reparato celeriter Nabæ
26. Oct. fluminis ponte, quem hoſtis dejecerat, Aulam Ratiſponæ oppoſitum oppidum cum peditatu & tormentis adpellunt. Bavarum auditus Bernhardi Ducis conatus magnopere exterrebat, cum ſecum reputaret, quantum Cæſaris ſuaque intereſſet eam urbem ſervari. Eoque literis Joannem Troibrezeum Baronem urbis præfectum ad extrema ſuſtinenda obfirmabat, ſpe certa ſubſidii facta; tum quæ ſervandæ urbi neceſſaria forent ſuggerens. Quæ literæ licet à Suecis interciperentur, iſte tamen haut eo ſecius ſatagebat, incenſis ſuburbanis ædificiis, quorum flamma ipſam pene urbem cor-
27. Oct. ripuerat, & uno pontis arcu dejecto. Oppidani quoque Proteſtantium ſacris addicti concludebantur, ne commovere ſe poſſent. Contra Catholici agreſtes armantur, & ab ipſis Sacerdotibus turma equitum paratur. Bernhardus contra Dux, quanquam apparatu bellico maligne inſtructus, acriter rem urgens ad Preprunnentem portam, acceſſus promoveri jubet. Ubi præfectus urbis, dum
28. Oct. proſpectat, graviter collum ſauciatur; quod non parum celerandæ deditioni conferebat, præſertim cum poſtero die ſubtribunus Finckius quoque caderet, imperio ad præfectum vigilum Joannem Bennonem de Lichtenau devoluto, juve-
29. Octob. nem, nullo belli uſu, nec militi æſtimatum. Nam Northuſius ſubtribunus, ad tumultum duntaxat excitandum miſſus, occaſione invitante munimentum cornutum ad Straubingenſem portam aſſultaverat, eoque expugnato Finckium ſubtribunum cum ſeptuaginta militibus cæciderat; ac jam pontem penſilem, binaſque valvas penetraverat, clathris duntaxat ab ingreſſu urbis dimotus, circa quas refringendas per horam certabat. Deficiente tamen pulvere pyrio non ſine clade rejicitur. Corpora Suecorum ſimul cum Bavaricis, ut amplior cæſorum velut hoſtium numerus obſeſſi militis animos firmaret, per urbem trahebantur in Danubium præcipitanda, quæ inter centurio Wildenſteinius vivus ne quid-
30. Octob. quam petita vitæ venia pariter projicitur. Inde exteriora munimenta ad Preprunnentem portam cum cæde Bavarorum expugnantur; quæ & ex aliis partibus acceſſibus actis urgentur, ut iis deſertis intra pomœria obſeſſi ſe reciperent. Interea Wertanus intra duo milliaria ſe cum octingentis equitibus oſtendebat, ut vel in urbem penetraret, vel Abensberga infeſſa pabulatores Suecorum infeſtaret. Sed cujus conatus excubiæ diligenter actæ, & tribunus Berghofius cum ſua legione ad tuendam Abensbergam miſ-
3. Nov. ſus eludebant. Inde cum adparatus bellicus Noriberga ſubmiſſus adeſſet, verberatio editur, quæ poſtero die acrius repetitur: tum cuniculo ad foſſam acto omnia aſſultui parantur. Unde ter-
4. Nov. riti obſeſſi in certas deditionis leges tranſigunt, quæ militi tantum conſulebant; Epiſcopum autem cum Clericis, & Bavaricis miniſtris arbitrio victoris exponebant, à quo illis ingens pecuniæ ſumma imperatur. Qui paulo poſt cum hoſtilia machinari non deſiſterent, urbe plane ejiciuntur, Epiſcopo cum præcipuis Clericorum in prædis vicem retento. Præfectus tamen ob propere deditum oppidum à Bavaro in cuſtodiam datur, quantumvis miles cleruſque teſtaretur; iſtum à ſe exoratum fuiſſe, ut imminens excidium præverteret.

Bernhardus Dux Straubingam capit.

§. 96. Bernhardus Dux rebus Ratiſponæ diſpoſitis, cui Laurentium Caggium præficiebat, mox altius in Bavariam penetrare conſtituit, ut belli mole huc devoluta Evangelicæ provinciæ pauliſper reſpirarent, & hoſti quæ è Bavaria ob-

1633. veniebant ſubſidia ſubtraherentur; tum ut Auſtriam ſupra Anaſſum in arma pelliceret, novum fortaſſe exercitum, aut copioſa ſaltem ſupplementa daturam, cui etiam libertatem ſacrorum reſtituere præclarum videbatur. Eo conſi-8. Nov. lio Straubingam tendit, quam quingenti pedites ſub Haslango tribuno propugnabant: qui adhibita vi, ut Landshutam deducatur, paciſcitur. Sed in ipſo temporis momento Oxenſtiernæ literæ veniebant, quibus poſtulabat, ut quia Cæſarei Suecorum præſidia per Sileſiam contra datam fidem male habuiſſent, occaſione oblata par referret. Unde & mox egreſſi oppido Bavarici exarmantur, ac ductores captivorum loco habentur. Ex altero Danubii latere Cha- Chamum capitur. mum ultro imperata faciebat, quo Tupadelius deſtinatus eſt; cujus metatores vix ibi adpulerant, cum manus Cæſareorum advenit, eorum quæ ad Ratiſponam geſta erant plane ignara, hoſpitia ibidem ſibi quæſitura; ſed quæ à Suecis male multata rejicitur. Paulo poſt quoque occupatur Burglengenfelda, Neoburgicæ ditionis arx, in qua viginti & unum tormenta, & annonæ affatim repertum. Inter quos rerum ſucceſſus Haſvertus quoque tribunus Neumarcæ præfectus Voldorffum non invalidam arcem, oppida præterea Lauterhovam, Pfaffenhovam, & Caſſellam in poteſtatem redegit.

Dux Bernhardus Iſaram tranſit.

§. 97. Bernhardus Dux poſt Ratiſponam & Straubingam captam hiberna quamvis tempeſtate faventem fortunam perſecuturus, longius ſecundum Danubium progreditur, occupatoque Deckendorfo Iſaræ oſtium, quo infra id oppi-14. Nov. dum Danubio immergitur, ſubigere inſtituit. Quanquam autem Wertanus ex altera fluminis ripa conſiſtens angulum, quem Danubii & Iſaræ confluentes faciunt, excitatis raptim munimentis ſepiſſet: Dux tamen in citeriore ripa foſſas te-17.18. Nov. gendo peditи excavari, tormenta diſponi, navigiaque adduci jubet, ac inter tormentorum diſploſiones copias trajicit ſucceſſu adeo felici, ut hoſtis opera ſua trepidus deſereret. Ita citra unius militis jacturam tranſitu potitus Dux, & occupatis vicinis oppidis, apud Plættingam ponte Iſaram inſternere cœpit regreſſui firmando. Ac jam validam manum Wilthovam præmiſerat cum toto exercitu ſecuturus, & trans Oenum in Auſtriam irrupturus. Enimvero cum ad Iſaram Monachium uſque & adſito tractu nullum conſpiceret oppidum, ubi tuto pedem figere liceret, nec conſtricta gelu humus novam excitare munitionem permitteret; Iſara inſuper paſſim vadoſo, ultra Oenum penetrare non ſat munito regreſſu haut conſultum ducebat. Præſertim cum altera Oeni ripa Waſſenburgo Paſſavium uſque validis caſtellis & oppidis præcingeretur; in citeriore autem ripa præter Paſſavium locus idoneus non eſſet, illi obtinendo flumini. Paſſavium autem caſtello in adverſa ripa ſito obnoxium valido inſuper cum milite Fernamondus inſidebat, cui è Fridlandicis copiis Strozzius, ac demum ipſe Gallaſius acceſſerat. Et licet forte Paſſavium expugnare in promtu foret, invalidis operibus, & iniquo oppidanorum in Bavaricos animo: Gallaſio tamen facile erat trans Oenum ire, junctiſque cum Wertano copiis, Duci à tergo ingruere, Ratiſponaque excluſum Iſaram inter & Danubium in anguſtias redigere, aut ad Deckendorfum in Superiorem Palatinatum propellere. Ubi Fridlandus ad Chamum ſubſiſtens, utrinque exercitu circumdatum ad intempeſtivum prælium cogere, aut commeatu intercepto urgere poterat. Sed & jam Fridlandus Chamo deditionem imperarat, ac metus erat, ne Bernhardo Duce Oenum

trans-

1633. transeunte Tupadelius interim, & quicquid per Superiorem Palatinatum obtinebatur, periret. Igitur sanius visum parta tueri, ac hospitus ad Danubium cavere, tum ne hostes jungere copias possent prohibere. Cui rei commoda videbatur offerri occasio, dum Fridlandus cum decem peditum legionibus, centum equitum signis circa Pfurtam & Rudingam metatur. Chami obsidium agitans, promis ad pugnandum suorum animis, & Caggio instante, ut Tupadelio subveniretur. Igitur remenso Isara recta in Fridlandum tendebat, prælio cum ipso certaturus. Sed dum Danubium transmittit, nuncius adfertur, Fridlandum advento ipsius cognito confestim in Bohemiam recessisse, non nisi manu Croatarum post se relicta. Igitur cum jam Tupadelius extra periculum foret, ad prius institutum revolutus Isaram obtinendi, & sitam inter id flumen, Oenumque regionem tributis subjiciendi, Isaram versus denuo movet. Quem fluvium hostis interim, Ducem trans Danubium agere credens cum equitatu transgressus in Ohmii & Uslarii tribunorum hospitia impactus erat; damnique nonnihil intulerat; sed mox cæteris adcurrentibus cum jactura rejectus fuerat. Eo magis festinabat Dux hostem cis Isaram deprehensum ad pugnam cogere, aut cum ipso pariter flumen superare, pontemq; ejus navalem in potestatem redigere. Sed is trepidus noctu trans flumen se propripuerat, omnesque transitus operibus & milite ita firmaverat, ut Duci nisi excitatis contra operibus penetrare non daretur: id quod sæviens gelu vix admittebat. Igitur cum & cis Isaram locus non esset, copias tuto per hospitia disponendi, & equi continuis laboribus exhausti quiete indigerent, into incepto desistens ejus anni progressibus finem imponebat.

Dux Bernhardus in Fridlandum movet.

29. Nov.

30. Nov.

§. 98. In Alsatia cum digresso Rheingravio præter oppidorum præsidia nullæ Suecorum copiæ superessent, Cæsarei crista iterum erigere cœperant, ac Schaumburgius aliquot infrequentes legiones per provinciam distribuerat supplementis firmandas, tertio quoque provincialium insuper ad arma vocato. Igitur ab Hornio, qui Palatino Christiano sociatus hosti in Suevia parcrat, Rheingravius eo remittitur. Is dum per Brisgoviam iter facit, in tribunum Escherum, à quo paucas ante horas Lichtenecca arx expugnata fuerat, improviso impingitur, qui non paucis amissis ægre Edingam evadit; & à Rheingravio ibi circumsessus incuria militum inde Brisacum elabitur. Lichtenecca tamen iterum recuperatur, ac multi agrestium qui arma ceperant cæduntur. Inde ad Alsatiæ res curandas Rheingravius tendit, ubi & Galli magis magisque rebus se Germaniæ immiscere cœperant, dum Marescalchus Forcæus per Blocquierium tribunum Butschweileri civibus denuntiat, quoniam id oppidum cum Ingweilero Præfulatus Metensis feudum sit, idq; Galliæ Rex ejus Præfulatus possessor adversus vim hostilem à Tabernarum præfecto intentatam protegere constituerit, ut Gallica præsidia recipiant. Id quanquam Succi Ministri suaderent, ut oppidani obrentu fœderis Heilbrunnensis abnuerent, ac rem ad Oxenstiernam rejicerent, spes tamen obtinendæ hoc modo securitatis prævalente tria illa oppida mox tutelam Gallicanam amplectebantur. Nec minus circa Philipsburgum in extremis agens Galli saragebant, Legato Mirio apud Hornium, & Arpajovio Comite apud Schmidbergium ejus traditionem sollicitante; quorum hic Landaviam jam adpulerat, & Magdeburgum Spirensis ditionis arcem præsidio firmaverat. Sed cum Suecis iniquum videretur suo labore partum tanti momenti locum aliis, qui nihil eo contulerant, cedere, negotium ad Oxenstiernam remittitur. Petebat etiam Philipsburgi præfectus veniam ad Altringerum, & Trevirensem Electorem mittendi; id quod Schmidbergius abnuebat, honorificas de cætero deditionis leges isti offerens. Sed quod metueretur, ne Galli abnegato Philipsburgo offensi militem suum ex illis oris revocarent, ac inde Hispanicæ copiæ in agro Lucenburgico subsistentes Philipsburgum penetrare conarentur: placebat omnia navigia Argentorato usque ad citeriorem Rheni ripam deducere, Manheimi tantisper custodienda. Schmidbergius quoque noctu teloneum apud Philipsburgum occupat, corruptis quæ ibi inveniebantur navigiis; ut si forte Hispani ingruerent, Rhenum transeundi facultatem non haberent. Rheingravio quoque in mandatis dabatur, ut si Galli recederent, ipse Spiram versus tacite moveret arcendis Hispanis. Ad inferiorem Rheni tractum ad finem usque anni nihil memorabile gerebatur, nisi quod Andernaci præfectus Grimbergius excursionibus nonnihil damni Suecis daret, & inter alia turmam equitum sub Comitis Nassovii legione opprimeret; Suecis contra, cum id oppidum repentino assultu conarentur opprimere, non sine clade repulsis.

1633.

5. Decemb.

In Alsatia hostis se iterum movet.

Galli Philipsburgo insident.

§. 99. In Westphalia, digresso ad reprimendum Bænnighusium Landgravio, hostis coacta bis millium manu Schonflietam, non tamen citra suorum jacturam occupaverat. Mox Ahlenæ centum quinquaginta recens conscriptos opprimebat. Inde Ludingshausam tentabat; sed adventu Suecicorum cognito celeriter Monasterium se recipiebat. Landgravius quippe post ejectum Hassia Bænnighusium, Cniphusium, ut secum copias sociaret, invitaverat. Ad quem dum hucce tendit, hostis non procul Paderborna præmissos equites intempesta nocte invaserat, ac centum circiter cum vigiliarum præfecto cæsis, quinque signa, duosque turmarum præfectos captivos abduxerat. Junctus Cniphusio Landgravius in hostem vadit, qui circa Bueram metabatur. Sed is statim audito istius adventu in Bergensem ditionem se recipit, paucis tantū moratoribus desideratis. Igitur Werlam conversus Landgravius oppidum injecto igne & quassatis mœnibus ad deditionem adigit, milite in arcem se recipiente; quam multos adhuc per dies strenue propugnatam Cratzensteinius subtribunus tandem honestis conditionib dedebat. Cniphusio interim spes fuerat Bænnighusii opprimendi, ni imbres festinantem morati essent, cum ipse vix trium horarum iter anticiparet. Amœnoburgum quoque à Landgravio fame subactum recuperatur. Contra Schelhammerus Cæsareus tribunus Minda progressus Hervordiam intercipere frustra tentabat. Sed Jodocum Hermannum Schaumburgium Comitem, dum Hamela domum tendit, prehensum, Mindamque deductum intentato capitis supplicio cogit, ut arcem suam Buckenburgum in Cæsareorum manus consignaret; in qua isti multis tormentis, magna annonæ vi, ac pretiosa supellectile, è vicinia huc congesta potiebantur, quæ quinquies centenis unciarium millibus æstimabatur. Sed & Cæsarei Minda excurrentes recentes Bilefeldæ delectus, & Eremita tribunus Hassicam Seckirchii legionem Briela hospitantem excubiis negligenter actis opprimunt. Bænnighusius tamen dum Stalhantschio trans Rutam Wetteræ tendenti improvisus ingruere conatur, in excubitores sexaginta Finnos impingens ita acriter excipitur, ut ipsius copiæ perterritæ retro cederent, nec ad repetendum impetum permoveri possent. Præfectus tamen turmæ Finnonicæ, postquam aliquot hostium gladio conciderat, lethali plumbo trajectus ab hoste abducebatur. Sed nec Landgravio

Per Westphaliam gesta.

11. Octob. Landgravius Werlam capit.

10. Nov.

9. Nov.

Cæsarei Buckenburgum capiunt.

17. Nov.

1633. gravio conatus circa Brackelam repente opprimendam ſuccedebat; quam cum poſtea tormentis admotis oppugnare inſtitueret, adventante Eremita, & Schelhammero re infecta diſcedebat. Inde contra Saltzcotam vertitur, uno milliari Paderborna diſſitum oppidum; cujus prætidiarii trecenti quadraginta per varias contumelias ac damna Suecis, Haſſisque inſultaverant. Id aliquot per dies tormentis fuiſſet verberatum, præfectus Niehuſius omiſſo centurione deditionem hactenus aliquoties repudiatam, offerebat, petens, ut dum capita pacti concipiuntur, hoſtilibus abſtineatur. Dum Landgravius, & Chiphutius circa id occupantur, interim obſeſſi Succos pedites ad portam allicunt cereviſia & pane oblato. Qui cum frequentes ibi, & pleriq; inermes adſtarent, obſeſſi repente in confertos jaculati centum amplius proſternunt. Qua perfidia irritatus miles temere aſſultum tentat; quem dum revocare conantur ductores, tres inſuper centuriones lethaliter vulnerantur. Igitur dum & ruinam tormenta faciunt, & injectus globus ignivomus vaſtum incendium excitat; Succi commilitones perfide cæſos ulciſci ardentes irrumpunt, & tam oppidanos quam militem, excepto imbelli ſexu atque ætate, trucidant, nec ventus incendium reſtingui permittebat, quoad totum oppidum in cineres ſubſediſſet. Præfectus oppidi, & duo ductores captivi abducti. Inde Landgravius Stalhantſchio aſſumto Lipſtadium tendit, quod hactenus prætidium recipere *neutralitatis* obtentu abnuerat: ſed nunc citra ambages reſponſum poſtulatur. Unde cives territi portas pandunt, ac in certas leges prætidium admittunt. Quod exemplum Luna, Sufarum, Hammum, & alia oppida Marcana ſequuntur. Quæ omnia erſi apud Electorem Brandeburgicum neceſſitate & ratione belli excuſari poſſent; Oxenſtierna tamen monebat, ut militem accurata diſciplina contineat Landgravius, ne oppidanis querendi apud Electorem anſa præbeatur. Circa finem anni Naſſovica legio dum 17. Dec. Brulæ hiberna capere inſtituit, à Bænnighuſio repente ingruente vapulabat, captis ſeptuaginta cum ſubtribuno & vigiliarum præfecto, triginta cæſis; reliquis in fuga ſalus quæſita.

4. Dec.

Landgravius Saltzcotam expugnat.

Cladis Succorum ad Steinaviam.

§. 100. In Sileſia Arnheimius jam ſedecim milliaria nunquam velut reſpectans Miliniam verſus properaverat, ut ita celeriter converterе ſe non poſſet, priuſquam hoſtis deſtinata peregiſſet, nec in Bohemiam irrumpendo eundem diſtrahere, quam peculiari inſuper cum exercitu Gallaſius ſtebatur. Igitur Fridlandus occaſionem tam diu captatam nactus, repente ex itinere, quod Miliniam verſus intendiſſe videbatur, retro flectens recta Steinaviam ferebatur, octo aut novem milliaribus intra unum diem emenſis. Ita improviſus plane Suecis aderat, cum pedites excitandis ad utramque ripam munitionibus occuparentur, & equitatus per vicinos vicos renderet. Poterat Odera tunc ob exili eo anno ſiccitatem pluribus locis intra Glogoviam & Steinaviam vado tranſiri; ſed cumprimis facilis tranſitus erat Kæbenæ & Bruckæ, quarum illam duæ legiones Succorum cuſtodiebant. Eas Schafgotſchius cum octo equitum dimacharumque millibus Oderam transgreſſus ſtatim in effuſam fugam conjicit. Inde reliquos Succorum equitatus, qui circa Steinaviam per hoſpitia ſpartus erat, raptis armis in Schafgotſchium irruit. Sed acriter ab hoc repulſus qua quiſque poterat fugam capeſſit. Saxonicus tribunus Dæhnius cum pleriſque Wratislaviam evaſerat, ac ut intra tormenti jactum ſubſiſtere liceret, ſparſis recolligendis poſtulabat. Sed oppidani ne Cæſareis quidem hoc ſe conceſſiſſe excuſabant. Igitur cæteris paſſim dilabentibus iſte cum ducentis Briegam ſe recipiebat. Schafgotſchius ſuperato Odera, & pulſo Suecorum equitatu trans flumen contra Succorum caſtra copias in aciem explicat, dum interim ex altera parte Fridlandus cum peditatu & ſeptuaginta tormentis ingruit, diviſisque tripartito copiis, & diſpoſitis tormentis aſſultum minatur. Sed cum ſentiret Succos diſſipato equitatu animis concidiſſe, victoria citra ſanguinem potiturus Tertzkio Comiti mandat, ut Turrio per literas imminens periculum oſtendat, & ad colloquium eundem invitet. Cum citra moram hic prodiret, iſte demonſtrat: ſi clementiæ victoris ſe citra exceptionem tradere velit, vitam ſibi ſuisque ſervare poſſe: ſed ultra dimidiam horam ad deliberandum non indulgeri. Erant Succorum non amplius bis mille quingenti, pedites dimachæque, & opera adhuc impertecta tantæ impreſſioni ſuſtinendæ imparia. Igitur cum nulla ſpe in ferrum ruere ſtolidum videretur, deditio ſtatim fiebat, ut Fridlandus Turrio omnibuſque præfectis ſuperiorum Ordinum inclusis centuriombus ex gratia vitam donaret, facta quo vellent abeundi poteſtate; inferiores ductores & gregarii Cæſareæ militiæ adſcriberentur. Præterea hoſti ſupra ſexaginta vexilla, ſedecim tormenta, apparatus bellici, & annonæ non modica vis cedebat. Nec tamen leges hæ quantumvis duriſſimæ ſervabantur. Sed Turrius Duvvaliusque, velut omnia quæ per Sileſiam obtinebant, loca tradituros ſe promiſiſſent, cum præcipuis ducibus Felſio, Stœffelio, Bayero, Sirone, Craffortio, Joachimo ac Tobia Duvvalius in cuſtodiam dantur; è qua tamen Turrius octo poſt dies dimittitur; Duvvalius diu detentus poſt ipſe evadebat. Coguntur quoque Turrius & Duvvalius literas ad omnium oppidorum præfectos ſcribere, quibus ea Fridlando citra moram tradere jubebantur. Judicabant periti rerum, eam cladem facile à Turrio declinari potuiſſe, ſi cum tam exigua manu in campo ſubſiſtere aulus non eſſet; ſed vel per munita Sileſiæ loca copias diſtribuiſſet, vel Landsbergam ſe contuliſſet.

1633.

§. 101. His peractis Fridlandus Schafgotſchium cum parte copiarum retro mittit recuperandis quæ Fœderati inſidebant oppidis. Ipſe Lignicia prodente præfecto Andrea Lindeſaio ſubtribuno ſtatim potitur, ac prætidiarios ad militiam ſuam adigit. Grætzbergæ quoque arx citra teli jactum ſe dedit. Glogoviæ Majoris prætidiarii deditionem imperanti ferociter initio reſpondebant. Sed erant munitiones oppidi laceræ, & imperfectæ; tormentorum & adparatus bellici nihil: Odera vado paſſim pervius, miles diſcors, metuque exanimatus. Suecis præterea qui intus erant denuntiatur, ſi vel ſclopetum diſploſiſſent, Duvvalium ante ipſorum oculos ſuſpendendum. Et cum haut eo ſecius in Cæſareos jaculati eſſent, patibulum extruebatur, & Duvvalius jam ritu Chriſtiano expiatus morti ſe paraverat. Igitur in has leges oppidum deditur, ut prætidiarii more militari excedentes Landsbergam deducerentur. Nec hæ tamen ſervatæ, dum illi variis ambagibus modo prorſum modo retrorſum ducti ita atteruntur, ut mente demum ſequenti vix trecenti in Pomeraniam pervenirent. Mox cum manus equitum, deſultorumque nullis tormentis inſtructa, ad Francofurtum ſe oſtendiſſet, telo nondum emiſſo præfectus, Volckmanni ſubtribunus id oppidum fœdam per ignaviam tradebat. Inde Fridlandus partem copiarum Wartam flumen verſus mittebat, ut eo ſuperato in Pomeraniam, & ad maris littus penetraret. Ipſe cum reliquis in Luſatiam irrumpit; ac Gœrlicium impetu capit, diripitque, præfectumque plumbo trajici jubet. Budiſſinam Gruppachius, cum vix duas horas repugnaſſet, dedit. Et quanquam liberum præſidio diſceſſum ſtipulatus fuiſſet, quadrin-

A Fridlando recuperatur Lignicia. 6. Octobr.

Glogovia major.

Francofurtum. 8. Octobr.

9. Octobr.

Gœrlicium, 20. Oct. & Budiſſina.

1633. quadringenti tamen amplius, ſub Cæſarea ſigna abſtrahebantur, vix centum quinquaginta ad ſuos dimiſſis.

Fridlandus Electoribus pacis conditiones offert. 5. Octobr.

§. 102. Nec eo ſecius Fridlandus, quamvis poſt tot fallaciæ ſpecimina dudum fidem decoxiſſet, ad vetera deſtinata revolutus, ſtatim poſt victoriam ad Steinaviam Lauenburgicum Ducem miſſo tubicine ad ſe evocat, interruptos pacis tractatus reſumturum, ut Electores à Suecorum ſocietate divelleret. Cui accedenti certa capita traduntur ab Electoribus ſubſcribenda & ratihabenda, quorum ſumma huc redibat: Electores conſiderata Germaniæ devaſtatione de mediis cogitaſſe; quibus ea ſi ſtatus, & exterorum prædationes arceantur, ac priſtina rerum facies reponatur, convenille, ut amborum copiæ Cæſareis ſociatæ, & Fridlandi imperio ſubditæ, (quem conſilia ſua ad eum Scopum direxiſſe Electores confidant,) junctis viribus pacem circa ſacra & profana ad priorem, qui ante hoc bellum fuerat, modum inſtaurent, ſtabiliantque adverſus omnes, qui eandem perturbare perrexerint. Nec deerant apud utrumque Electorem, qui adductis variis rationibus, oſtentata præcipue Cæſaris potentia, imminentique periculo eas conditiones acceptandas ſuaderent. Quin & Brandeburgico qui plurimum gratia apud ipſum florebant, quos inter Borgsdorffius Suecis infeſtiſſimus, fidem faciebant, hoſtem jam Berolino potitum, Spandoam tormentis verberare. Unde & ipſe Vetere Brandeburgo, ubi tunc agebat, Havelbergam, & mox trans Albim Tangermundam concedebat. Quid Saxo ad iſthæc repoſuerit, nobis non compertum. Brandeburgicum ſane, quo hæc tenderent non fallebat; ut ipſi copiis tuis exuti, & cum Suecis colliſi omni auxilio deſtituerentur, eoque redigerentur, ut ipſorum fortuna ex Cæſaris, Fridlandivè libidine penderet. Eoque is declarabat; pacem ſe cupere, ſed quæ jam offerantur media haurquidquam illi producendæ idonea videri. Nec prius ſe certi quid ſtatuere poſſe, quam re cum Saxone, cæteriſque ſociis communicata. Proponebat tamen de induciis in menſem incundis, quo ulterior tractatio inſtitui poſſet.

Brandeburgici ad eas reſponſum. 20. Octob.

Suecі in Pomerania hoſtem ſiſtere laborant.

§. 103. Aſt in Pomerania Steno Bielkius, cui ejus provinciæ cura commiſſa erat, accepto cladis ad Steinaviam nuntio non mediocri ſollicitudine perfundebatur. Nam præſidia per Pomeraniam, multis inde in Sileſiam miſſis, attenuata vix oppidis tuendis ſufficiebant. Ac ſi Stargardia, Gartzium, Dammum, atque Wollinum milite firmanda forent, Stetino vix mille remanebant, impar tam amplæ urbi contra vim defendendæ numerus. Et quod initio Glogovia Landsbergam evocare conſtituerat præſidium, jam hoſtis intercepérat. Commodum cadebat, quod legio, quæ cum claſſe corpus Regium deductura advenerat, in Germania remanſiſſet; ac Sueciæ Senatus, audita ad Steinaviam clade, ſtatim quatuor peditum phalanges in Pomeraniam trajeciſſet. Igitur propere è Bremenſi ditione evocatur Leslæus, ut rei militari præeſſet. E Sileſiacæ cladis reliquiis circiter ſeptingenti qui eo confluxerant promiſſis ad tractanda iterum arma alliciebantur. Urgebatur præterea Dux Pomeraniæ, ut ſelectos provincialium ſtatim Landsbergam amandaret, cuſtodiendis Warta & Noteræ fluviis; utque miſſo legato à Polonis peteretur, ne hoſti tranſitum per ſuas terras concederent. Et quia Petri Vergii legio tunc è Boruſſia adpellebat, eadem Landsbergam mittitur, revocatis qui Stetino iſthuc iverant. Nec eo minus omnia difficultatibus plena reperiebantur. Nam qui è Sileſia profugerant, ullius imperium agnoſcere abnuebant, ſed pro lubitu hoſpitia ſibi ſumebant, jactantes ſe exercitu ſoluto nemini amplius obnoxios eſſe; importunis præcipue Saxonicis qui huc delati erant, quos nil niſi populationi vacantes, urgente licet militis penuria, ad ſuos dimittere neceſſum erat. Pomeranorum quoque quintus quiſque ad arma exciti tarde moliebantur, cum jam hoſtis Wartam ſuperaſſet. Leslæus tamen quantum tempus & paucitas militum ferebat, omnibus proviſus Landsbergam præcipue firmabat, ad quam hoſtis ſub Illoæ, & Joannis Gœtzii ductu ſe oſtendebat. Eam per quindecim dies ſtrenue defendebat Guſtavus Sabellius vigiliarum præfectus, qui hoſtem tranſitu fluminis, & omnibus ad utramque ripam munimentis arcebat; poſt Vergio tribuno imperium oppidi concedere jubebatur. Hoſti tamen Poloni tandem ad Flemam tranſitum concedebant; unde poſt ad locum octo milliaribus Landsberga diſitum, cui à Nuptiis vocabulum, pontonibus octo cataphractorum & dimachorum turmæ tranſportantur, quæ Succos ad Wartam à tergo circumveniebant, caſtellumque ad Zantochun opprimebant, cæſis ibi centum quinquaginta Suecis. Inde Landsbergæ deditionem imperabant; quibus initio Vergius ferociter reſpondebat; qui & octingentis militibus ſuccinctus par defendendo oppido credebatur. Sed mox ſubigente ignavia, cum nondum ab hoſte vis admota, nec tormentum diſploſum foret, oppidum dedit. Unde & Stetinum delatus è vinculis cauſam dicere jubetur. Sic hoſti jam in Pomeraniam, & ad mare uſque aditus parebat. Sed Fridlandus de capta Ratiſpona, & Ducis Bernhardi ſucceſſibus per celeres nuntios certior factus, ac Cæſaris ditionibus metuens, pleraſque copias ſuas in Bohemiam, & inde Superiorem in Palatinatum rapiebat, relictis tantum aliquot millibus ſub Joannis Gœtzii, & Philippi Manſfeldii Comitis ductu in Sternbergenſi diſtrictu: qui tamen Pomeranis interea armatis, ac firmantibus ſe indies Suecis, ingruente quoque ab altera parte Arnheimio, nil ultra tentare audebant. Nec minus Oxenſtierna ad Saxoniæ Electorem Tobiam Ponicam mittebat, ut ne ea clade territus ad peculiares cum hoſte tractatus permoveri ſe pateretur, certa auxilii ſpe facta. Brandeburgicum quoque miſſo Philippo Reinhardo Solmenſi Comite confirmat, ne damno agrorum moveatur, quod munitis locis, ſi miles præſidiarius ſuum officium faciat, parum ſit metuendum, inſtante hieme, ac hoſte per Ducem Bernhardum diſtracto. Inſuper poſtulat, ut ituro in Sileſiam Banerio copias ſuas jungere velit. Is quippe tunc exercitui ad Albim parando intentus agebat; cui Georgius Luneburgicus, & Fridericus Ulricus Dux Brunſvicenſis, Hildeſiæ obſidio vacantes ſubvenire jubebantur, ſi forte ea parte hoſtis ingrueret.

1633.

Landsberga deditur 25. Octo.

Schafgotſchii per Sileſiam ſuperiori conatus.

§. 104. Dum Fridlandus arma per Marchiam, & Luſatiam diffundit, Schafgotſchius per Sileſiam ſat tenui cum ſucceſſu ſatagebat. Nam quæ ad præfectos Baſilicæ, & Arenæ apud Wratislaviam, nec non Briegæ, Oppeliæ, & Namslaviæ à Turrio, & Duvvalio ſubſcripta mandata mittebantur ſuper tradendis iis oppidis, cum irritu rejiciebantur. Ohlaviam tamen cum arce deditione capit, conventione non ſervata, dum ductores captivos abſtrahit, gregariis ad ſuam militiam adactis. Contra Suеci ut oſtenderent, ob eam cladem animis ſe non defeciſſe, crebris excurſionibus non parum damni dabant, oppreſſo inter alios Croatarum tribuno Raconicio, quem cum aliquot ductoribus & quinquaginta gregariis intercipiebant, ſupra centum cæſis. Sed ut Briegam in anguſtias redigeret, Schafgotſchius, Oelſæ Ducem Carolum Fridericum metu direptionis adigit ad Cæſareos oppido ſuo recipiendos. Unde amiſſa Lignicia, & Briega circumſeſſa fratres Joannes Chriſtianus, & Geor-

1633. Cum Wratislavienſibus acta.

gius Rudolfus Ligniciæ ac Briegæ Duces domi tutos ſe non arbitrati, Thorunium in Boruſſiam abcunt. Porro Schafgotſchius, ut alia ratione Suecos Baſilica & Arena expelleret, cum Wratislavienſibus tractare cæperat; qui tamen initio, cum ſuper libertate ſacrorum, & hoſpitationum immunitate ipſis cavere nollet, aut non poſſet, ipſum rejiciebant. Hi tamen remittente cum fortuna in fœderatos favore, aſperos ſe magis erga hoſce gerebant, tandemque eo deducebantur, ut poſtquam cautio, quam deſideraverant, à Cęſare & Fridlando ſponderetur, Baſilicanis præbitam hactenus annonam, & liberum in urbem itum reditumque abnuerent; denuntiato, viderent quomodo citra urbis damnum præſidium inde deduceretur. Urbe ſic à Suecis averſa Schafgotſchius vi Baſilicam tentare audebat, quam tormentis verberatam poſt occupatum opus cornutum aſſultu oppugnare conſtituerat. Sed eo ipſo die obſeſſi eruptionem in caſtra Cæſareorum faciunt, eoſque omnibus acceſſibus pellunt, tormentis corruptis; ingruente tandem equitatu indemnes, nec ſine præda ſe recipiunt. Unde Cæſarei deſperato ſucceſſu obſidium ſolvunt, Ohlaviamque recedunt. Ea res Evangelicorum animos per Sileſiam non parum erexit, animoſque Wratislavienſium Baſilicanis iterum conciliavit, hortantibus quoque ipſos ad conſtantiam Electoribus, atque Oxenſtierna, ſpe venturi mox ſubſidii facta. Nullibi quoque comparebat promiſſa Cæſaris & Fridlandi cautio, ac ſatis conſtabat id agi, ut urbs arbitrio Cæſaris dedita privilegiis ſuis exueretur. Nec parum conferebat, quod Duvvalius arcta cuſtodia aſtu claptius modicam in Sileſia manum collectum iret, qua pontem apud Ohlaviam deſtruebat, incenſis quoque ſuburbiis, ac ducentos hoſtilium equitum cædebat. Igitur reſumto in partes ſtudio decernunt, ſe conſtantes deinceps Evangelicis adhæſuros, Baſilicamque, & Arenam machinis ſuis protecturos. Mittuntur etiam, qui cum Baſilicæ præfecto de alendo ejus præſidio, mutuoque auxilio convenirent. Idque ipſum Oxenſtiernæ literis ſignificant anteactorum cauſam in graſſantem tunc peſtilentiam, (de qua tamen nihil auditum erat,) rejicientes. Nec minus Oxenſtierna Legatos à Sileſiis Ordinibus antea ad ſe miſſos amice dimittit, poſtulatiſque eorum, quantum temporis ratio ferebat, annuit, hortatus, ne quovis adverſo caſu animis fatiſcerent.

13. Nov.

14. Nov.

14. Nov.

§. 105. Porro Oxenſtierna à Saxoniæ Electore poſtulaverat, ut quoniam Bernhardus Dux facta in Bavariam impreſſione molem belli ab ipſo in ſe avertiſſet, is viciſſim Arnheimio mandaret, ut dilatis oppidorum obſidiis toto cum exercitu Bohemiam invaderet, hoſtemque ad dividendas ſuas vires adigeret, neutri deinceps formidandas; & ut bello in proprias iſtius ditiones translato, eo facilius ad honeſtam pacem adigeretur. Nam copiis à Fridlando relictis Banerum ſufficere. Enimvero poſtquam Arnheimius in Marchiam vertiſſet, jam tota Franconia, Miſnia & vicinæ regiones hoſti patere cæperant; ac rumor erat Gallalium ad Viſurgim penetraturum diſtrahendis Suecorum viribus. Igitur cum alias Banerum in Sileſiam mittere deſtinaſſet Oxenſtierna, nunc ad Albim eum ſubſiſtere jubebat, Saxoniæ Inferiori ſi opus foret ſuccurſurum. Arnheimius quippe, cum graſſante per Lutariam Fridlando circa Dreſdam Torgamque quietus hæſiſſet, ipſo in Superiorem Palatinatum digreſſo, in Marchiam abierat, velut Brandeburgici precibus exoratus, ut ſuis terris ſuccurreret. Nec à vero alienum videtur, ejus adventu Berolinum liberatum, quod tribunus Volfmannus educto præſidio hoſtium prædæ quantum in ſe expoſuerat; quod & hi jam quinquaginta uncialium millia, aut quinque legionum hoſpitia popoſcerant. Sed ſub adventum Arnheimii hoſtis trans Oderam receſſerat, ſorte metuens, ne circumventus in anguſtias redigeretur. Inde Francofurtum iſte vertitur, operibus & valido præſidio firmatum, & quod fame urgere non dabatur, Cæſareis in altera ripa tendentibus. Cui obſidio ut & Banerius ſe implicaret, ipſe ac Brandeburgicus Elector inſtabat. Sed iſte ſæviente hieme obſidia fruſtra ſuſcipi cautatus, vano labore militem atterere abnuebat. Et mox ipſe Arnheimius, cum decem per dies incaſtum circa oppidum luctatus eſſet, multis ſuorum amiſſis obſidium ſolvit, non ſine trepidatione uno die ſex milliaria Furſtenvvaldam emenſus. Ac ut ludibrium intempeſtivi conatus averteret, ferebat: ſatis ſe prævidiſſe hiberna tempeſtate fruſtra ſuſcipi obſidium oppidi tam valido præſidio inteſſi. Sed deſideriis ac precibus populi hoc dediſſe. Nunc facto quod penes ſe fuerit diſcedere. Revera tamen illa expeditio ſuſcepta erat, ut probabilis color foret poſtulata Suecorum reculandi, ac deſtinata ipſorum turbandi; ſimul ut impediret, ne Brandeburgicus Succis arctius ſe jungeret. Aſt in Pomerania metus hoſtium exoleſcebat, qui ipſi ſe in arctum contrahentes non parum timiditatis præ ſe ferebant. Unde Leslæus equites ſuos Piriciæ non procul Landsberga collocat prohibendæ commeatus ſubvectioni, & turbandis operibus, queis montem oppido adſitum Cæſarei munire conabantur. Nec minus quotidianis excurſibus iidem carpebantur. Inter alia Crocovius tribunus cum quingentis equitibus Wartam glacie conſtrictam transgreſſus, Bucheimii legionem pedeſtrem, & cohortem equitum Landsberga Francofurtum tendentem ex inſidiis circumventam pene ad internecionem delebat, cæſis trecentis, ducentis captis, decem peditum, uno equitum vexillis potitus. Et hoc quidem modo res Suecorum per Germaniam eo anno procedebant.

1633.

7. Dec.

22. Dec.

Cæſarei vapulant.

Arnheimius Francofurtum fruſtra obſidet.

§. 106. Super Pomerania ab Electore Brandeburgico hoc anno multa cum alibi, tum in Suecia agitabantur. Eum quippe dudum cura verſabat de prehendenda Pomeraniæ poſſeſſione, quæ in Suecorum manu erat, ſi quid Duci humanitus accidiſſet. Et jam tum Wolgaſti apud Gabrielem Oxenſtiernam & Matthiam Sopium Senatores, Guſtavi funeris deductores, rem tetigerat, obtentu fœderis cum Suecia, de quo tam diu actum fuerat, concludendi. Ubi id quoque jaciebat; Succis ne per ſomnum quidem in mentem venire debere, ipſos Pomeraniam retenturos; cui Oxenſtierna maſcule repoſuerat: Guſtavum Regem eam occupaſſe; ſe eandem, quantum fœderi conveniat, tuituros. Ab iſtis tamen quod nihil in mandatis ſe habere excuſarent, res ad Senatum rejecta. Eoſdem & tunc Elector ſuper aliquo è Sigiſmundi filiis in Regem Sueciæ aciſcendo tentabat; quod abrupte ab his negatum; & talia ab illo propoſita Senatus ægre ferebat. Etſi non ſerio id actum ab Electore vero ſimile ſit; ſed ut exploraret, quid ſpei filius ipſius ſuper connubio Chriſtinæ concipere deberet. Cæterum cum paulo poſt apoplexia Pomeraniæ Duci extrema minaretur, ac Steno Bielckius per Pomeraniam Legatus à Senatu exquireret, quomodo adverſus Electorem eo caſu gerere ſe debeat; Senatus reſponderat: fœderi cum Duce inito preſſe inhærendum, nec Electorem ſtatim ad poſſeſſionem ac regimen provinciæ admittendum, quoad Sueciæ eo, qui fœdere exprimitur, modo ſit ſatisfactum. Eoque Bielckius, qui alias in Sueciam evocatus erat, ibi ſubſiſtere, patriæque commoda obſervare jubebatur;

Brandeburgici circa Pomeraniam poſtulata.

1633. batur, milesque indigena firmandis Pomeraniæ præſidiis è Suecia mittebatur. Hæc ita ſecreto agi non poterant, ut Electorem plane fallerent; eoque providendum mature ſibi ducebat, ne qua ſibi aliquando remora à Suecis heic obiceretur. Sed cum perſpiceret, ſi ſuper Suecorum ſatisfactione inter Ordines conventum fuerit, jus iſtorum ad Pomeraniam eo ipſo extinctum iri; id negotium apud Proteſtantes ad liquidum deducere conabatur. Unde cum conventus Inferioris Saxoniæ apud Halberſtadium indictus eſſet, Legatos ad Duces Mecklenburgicos, Brunſvvicenſes, & Luneburgicos, Lubecamque, & Hamburgum circummittebat, ad concordiam eos & in bello gerendo, & circa negotium pacis hortaturum. Inde commendatis Guſtavi Regis erga ipſos meritis oſtendebat; Suecis utique præmium deberi, ſuper quo conveniri inter ipſos par ſit, antequam ad pacis tractatus deſcendatur. Ubi id præcipue diſpiciendum monebat, quomodo beneficii Regii tale monumentum, per quod Regno Sueciæ inter Ordines Imperii certo modo locus fiat; & quomodo eadem hiſce fœdere deligari queat, ut in poſterum mutuo auxilio utrinque protegantur. In Sueciam autem legationem deſtinabat obtinendæ declarationi, ſe poſt fata Ducis in arripienda Pomeraniæ poſſeſſione haut impeditum iri. Cui legationi Pomeranos ſuccenturiabat, qui eadem per Legatos urgerent; cum alias quorundam onerum remedia peterent. Legatus igitur Brandeburgicus Conradus Bertramus Pfulius in Sueciam delatus, ut primo apud Reginam Viduam Nicopiæ audiretur, poſtulabat. Id cum Tutorum Reginæ autoritati præjudicio cedere videretur, Holmiam ad Senatum remittebatur. Ibi ut apud ipſam Chriſtinam Reginam alioquio ſuper obitu Patris, ac gratulatione de ſucceſſione defungeretur, pertendebat. Quod itidem Senatus abnuebat. Tandem cum apud Senatum, quæ teſtando dolori juxta, gaudioque proferri mos eſt, recitaſſet, de dotalitio Reginæ viduæ, pace Polonica, ac negotio Pomeranico proponebat. Ac priora quidem facile expediebantur. Nam de dotalitio Reginæ pollicebatur Senatus, omnia actum iri, quæ ex dignitate Reginæ, Regnique forent. De ſtudio pacis cum Polonis conciliandæ gratias Electori agebat; dubitare ſe tamen, num Uladislao pax cordi ſit, qui titulum Regis Sueciæ ſibi arrogarit, pacta poſt Guſtavi mortem in dubium revocarit, Legatos in Galliam & Belgium miſerit auxilius contra Suecos conquirendis. Facturos ſe tamen, quæ res ferat. Super tempore & loco tractatuum ad conventum Ordinum rejiciebatur. Denique Electoris commoda eo in tractatu à ſe obſervatum iri ample promittebat. Enimvero ſuper ſucceſſione Pomeranica gravis oriebatur diſceptatio. Legatus prolixe vetera inter Brandeburgicos, Pomeranosque pacta, homagium provincialium, Cæſarum confirmationem recenſebat. Guſtavum Regem ſcripto confirmaſſe, ſe non venille, ut ulli amicorum quid eripiat. *Reſervatum*, quod fœderi Pomeranico inſertum ſit, Electorem ſpectans, ipſo initio adjectum, nec penes Pomeranos fuiſſe in id conſentire. Quia tamen Regis mens non fuerit Electorem jure ſuo exuere, hunc aliquoties paratum fuiſſe pacto illi ratihabendo, ſed per varia impedimenta Regis rem dilatam. Nunc quoque penes Electorem moram non eſſe, quo minus idem ab ipſo ratihabeatur. Inde petebat, ut Bielkio, aut ſi quis alius ibi curet, mandetur, ut ne Electorem poſt obitum Ducis poſſeſſionem & regimen Pomeraniæ capeſſiturum impediat. Electorem de cætero fœderi in omnibus, quæ præſens bellum ſpectant, ſatisfacturum. Eadem Pomerani Legati ingerebant; homagium hæreditarium memorantes; *Reſervatum* id à ſolo Rege inſertum, in quod Dux ac Ordines Pomeraniæ nunquam conſenſerint; ſed potius eo ſe non teneri teſtati ſint. Senatus hoc negotio in utramque partem expenſo, id difficultatis plenum, ac valde arduum deprehendebat. Nam Electoris poſtulatis abrupte rejectis graviſſimam is ſine dubio offenſam conceptarus erat, cujus amicitia tamen ſibi ad bellum Germanicum cumprimis utilis videbatur. Contra jus è Pomeranico fœdere quæſitum, quod jam in dubium vocabatur, cum ſpe futuræ amicitiæ, & auxilii permutare, ac rem quam manibus tenebant amittere, haut conſultum erat. Nec dubitabant prudentiores, quin dimiſſa Pomerania umbræ inhiaturi ſint Suecі, Magdeburgo & Moguntia quæ oſtentabantur, a Suecia longe remotis. Igitur mediam viam placebat incedere, & rem in ſuſpenſo relinquere inter pacis tractatus decidendam; ac tanti ſper fœderi preſſe inhærere, & quæſito per id jure non decedere; diſſimulato, quid peculiariter præmii loco ſibi tradi cupiant. Unde Legatis poſt repetitam expeditionis Germanicæ, fœderisque Pomeranici occaſionem, reſpondebatur: Sperare ſe, Electorem ea pacta ſalva velle, quoad novis & communibus tractatibus ſuper omnibus ſit transactum; præſertim cum Regi magis curæ fuerit ſociorum ſalutem quærere, quam certam ſibi ſatisfactionem ſtipulari, futuris temporibus adornandam. Id acerbius perſtringebatur, quod Legatus argueret, fœderi aliquid clandeſtino modo irrepſiſſe; cum tamen *Reſervatum* illud, æque ac reliqua fœderis capita, Ducis ſubſcriptione fuerit firmatum. Hoc reſponſo Legatus haut adquieſcens regerebat; eo Reſervato, in quod nunquam conſenſerit, Electorem non teneri. Quin nec, quæ Sueciæ Regno Reſervata jactantur, clientelarem ac ſequeſtratoriam Protectionem adverſus Electorem locum obtinere. Ipſum quippe fœdus & ante voluiſſe, & nunc velle ratum habere; cujus ratihabitionis tempus nondum ceſſerit, Duce adhuc vivo. Circa clauſulam de auxilio ad Pomeraniam ab hoſte repurgandam conferendo, Regem ſine dubio id non deſideraſſe aut expectaſſe, niſi ab eo, cui facultas & media fuerint ei repræſentando. Aſt eo tempore Electorem à Cæſare oppreſſum nihil potuiſſe. Poſt ab exercitu Cæſareo liberatum ſtatim militem ſcripſiſſe, quo cum Pomerania non amplius indigeret, in Sileſiam eundem miſſum Pomeraniæ eminus tegendæ. Denique neminem eſſe, qui Electori de jure ſuo controverſiam moveat. Igitur priora poſtulata repetens, addebat; ſi petita abnuerent, aperte declararent, an & quare fœderis ratificationem differant? quo novi iſti & communes tractatus reſpiciant? & num utique mortuo Duce Electori ſuper apprehendendo Pomeraniæ regimine controverſiam movere velint. Idem Pomerani ingerebant, aperte profeſſi, ſe illo caſu facturos, ad quod per homagium hæreditarium teneantur, & Electorem Principem ſuum agnituros. Enimvero Senatus ſuperfluum & inutile ducebat in prolixam diſceptationem cum Legato deſcendere; & uti nolebat aperta repulſa Electorem offendere; ita nec manus ſibi adeo ligare placebat, quo minus pro ratione temporum, & prout Elector erga Sueciam ſe gereret, juri ſuo preſſius inhærere, aut eo plane, vel ex parte decedere poſſet. Igitur priori reſponſo inſiſtebat, addito; caſum, de quo ſoliciti ſint, nondum extitiſſe; ac Duci vitam ſupereſſe poſſe, quoad per pacem de omnibus ſit transactum: poſſe etiam tempora interim mutari, ut nec in Electoris poteſtate ſit poſſeſſionem capeſſere, nec penes ſe eam dare. Reginam tamen, ſi caſus iſte contigerit, ita acturam,

1633. ut honeſto orbi id adprobare queat. Diluebantur quoque paucis, quæ adverſus Reſervatum erant dicta. Tempus tunc non tuliſſe, ut Elector ſuper eo fœdere conſuleretur; idem quoque ſupervacuum viſum, quod iſte nihil ad Pomeraniæ defenſionem conferre valuerit. Mirum videri, quod tum Elector omnia fœderis capita rata habere velit, in eo uno tergiverſetur, ubi de aliquo Sueciæ commodo agitur. Sibi non conſtare aliquam adverſus Reſervatum proteſtationem interpoſitam. Conditionem ſemel probatam, pro lubitu retractari non poſſe. Denique neſcire ſe, quibus conditionibus Elector Guſtavo Regi fœderis ratihabitionem obtulerit, aut quid hunc, quo minus ea fieret, moverit. De qua re cum Cancellario Regni ſine dubio melius conſtet, ſe Electorem ad eum remittere, qui cum amplius agere queat. Aſt neque id reſponſum Legato Brandeburgico arridebat; unde cum jam in procinctu foret, Senatui prolixam, & ſat aſperam proteſtationem ſcripto conceptam exhibebat; qua multis repetebatur, nec Ducem in id *Reſervatum* conſenſiſſe, nec rem inter alios actam Electori poſſe nocere; qui & nulla ratione eodem teneri velit. Satisfactionem ex hoſtico potius petendam; nec rationis eſſe, ut ea magis à ſe aut Pomeranis, quam aliis exigatur. Addebat, ſe reſponſum, qua petito ſuo non quadret, acceptare, non velut à ſe probetur, ſed ut hero ſuo de eo referre poſſit. Senatui id ſcriptum eo moleſtius accidebat, quod Legatus reſponſo præſentibus rebus, uti ipſe judicabat, accommodato non contentus à communi legatorum more videretur diſceſſiſſe; nec in mandatis ei datum crederetur ejusmodi ſcripto ſibi obſtrepere. Nec utique conſultum videbatur, ſuper reſervato iſto & prætenſione in Pomeraniam plane concedere, non quaſi perpetuo iſti inhærere vellent; ſed quia patebat, reſervatum id validi inſtar vinculi eſſe poſſe partibus Evangelicis Electorem adſtringendi, ac intra limites firmiæ adverſus Sueciam
6. Decemb. amicitiæ retinendi. Igitur Senatus, circa id ſcriptum viciſſim proteſtationem interponebat; eam non alio intuitu accipi, quam ut ſuo loco & tempore demonſtrari queat, quam nullo fundamento Legati ſcriptum nitatur. Alias id ſe Reginæ Regnoque Sueciæ fraudi eſſe nolle. Ita Legatus iſte abibat, prima colliſione inter Suecos & Brandeburgicum circa Pomeraniam excitata. Pomeranis autem Legatis paucis reſponſum; Suecos fœderi inhærere; reliqua ad pacis tractatus referre. Et cum iſti regeſſiſſent, ſe diſtinctius aliquod reſponſum expectaſſe: Senatus reponebat; ſe non videre, quorſum eo ſit opus, nec propter varietatem temporum aliquid certi in futurum poſſe ſtatui. Quæ ſuper vectigalibus, delectibus, & præſidiis queſti fuerant, iniquitate temporum excuſabantur, ſpe levandorum deinceps onerum facta.

Polonorum eo anno habita. §. 107. Quid Sueciæ cum cæteris vicinis hoc anno negotii intercеſſerit, nunc ſubnectemus. Et ſtatim quidem poſt Guſtavi Regis mortem Hermannus Wrangelius, qui Boruſſiæ tunc præerat, ad eam Uladislao, Poloniæque Senatui literis ſignificarat, poſtulans, ut deinceps quoque induciis iſti ſtare velint. Quam ſolicitudinem Sueciæ Senatus ſuo injuſſu ſuſceptam vehementer improbabat. Inde quippe Uladislaus anſam arripuerat, titulum Regis Sueciæ contra ipſos Suecos uſurpandi, ac de prætenſione ſua in Sueciam teſtandi. Simul Wrangelium, ut in ſuas partes tranſire vellet, ſolicitabat; & non pauca adverſus fœdus patrata arguebat, in medio velut relinquens, ſtare pactis induciarum vellet, nec ne. Sic ut Senatus aliquandiu dubitaret, pacem an bellum ea parte habiturus eſſet. Nec multum amici promittebant, quæ ab Uladislao apud Hollandos, invidia vectigalium Boruſſicorum flagrantes, tentabantur, ut cum hactenus utcunque ferri potuerit, Coronam Sueciæ Sigismundo debitam penes Guſtavum conſanguineum utique eſſe, eam autem nunc ad alienum matrimonio Chriſtinæ devolvi intolerandum plane ſit, ſibi opem ei Regno vindicando ferre velint. Qui tamen ingratum petitum idonea verborum humanitate eludebant, promiſſa ſua opera in componendo diſſidio, quod Sueciæ inter & Poloniæ Regna vertatur. Ad Daniæ quoque Regem Uladislaus Dænhofium miſerat, periturum ut quoniam ſibi decretum ſit Brandeburgicum bello invadere, ac Boruſſia ejicere, quod Suecis tanto cum Poloniæ damno in eam provinciam iter aperuiſſet, Danus interea mare teneat, ne ex Suecia copiæ eo transportari queant. Tum operam det, ut Gedanum à Suecorum vectigalibus liberetur. Quibus poſtulatis facilem præbebat aurem Danus. Verum ea conſilia tunc in irritum cadebant, Ruſſo magna mole ad Smolenſcium ingruente. Unde Uladislaus, ne aperte in Ruſſorum partes tranſirent Suеci, aliam larvam induere, & amicum ſe Suecis ferre, apud Reginam Viduam imitamenta triſtitiæ per Legatum peragere, mediatorem ſe paci cum Cæſare conciliandæ offerre; quo ipſe pace cum Suecis, aut prorogatis induciis potiri poſſet, quarum deſiderium Poloni præ ſe ferebant. Sueci contra ſuper pace perpetua tractatus cum Polonis refugiebant, quod ſatis prævideront, Polonos prætenſioni ſuæ in Sueciam non renunciaturos: eoque ſe nihil aliud ex iſtis tractatibus lucraturos, quam ut invidiam apud alios populos contracturi ſint velut pacis oſores, ſi non quasvis ſibi oblatas conditiones admittere velint. Sed circa inducias prorogandas conſilia, prout res ſe utrinque daturæ eſſent, capere conſultius ducebant.

Moſcovitæ legatio. §. 108. Eodem anno legatio à Czare Moſcorum Holmiæ adpellebat, quæ ad Guſtavum quidem Regem deſtinata fuerat; ſed audita ejus morte in itinere Wiburgi ſubſtiterat, quoad nova mandata ab hero ſuo allata forent. Iſti Legati poſtquam dolorem è Guſtavi Regis morte conceptum teſtati eſſent, copiam Regii corporis adſpiciendi ſibi fieri poſtulabant. Quod Senatus abnuebat, in ipſorum tamen arbitrio relinquens, an capulum, quo corpus condebatur, videre vellent. Inde ſuper pacis confirmatione proponebant; quæ quidem in ſe nihil dubii habebat: tantum de modo ambigebatur. Cum enim Regina puellari adhuc ætate eſſet, Ruſſi volebant, ut tantiſper duo Senatores pacem juramento firmarent; viciſſim in Muſcovia duos Czaris conſiliarios oſculo crucis defuncturos; quoad adulta Chriſtina juramentum, Czar oſculum crucis præſtaret. Id Senatui diſplicebat, quod alia longe foret dignatio Senatus in Sueciа, penes quem ſumma rerum tunc adminiſtratio, quam Czaris conſiliariorum. Eoque ſi Senatoribus jurandum foret, ipſi Czari crucem viciſſim oſculandam. Cum hac de re convenire non poſſent, proponebatur, ut ea confirmatio per novum inſtrumentum fieret. Sed & heic difficultas oriebatur, quod Ruſſi de fœdere adverſus Polonos inferi vellent, Suecis renuentibus. Igitur tandem placebat, ut quoniam pax alias firma perſiſtebat, nihil confirmationis adhiberetur, quam ut utraque pars declararet, ei ſe firmiter deinceps inhæſuram. Inde poſtulabant Ruſſi, ut Sueci fœdus cum ipſis in Polonos ferirent, junctimque bello eosdem invaderent. Quod Sueci elapſis nondum induciis excuſabant. Ut tamen iſtos in bello contra Polonos obfirmarent, ſpem fœderis faciebant, ſi inducіæ finitæ eſſent, utque interim ſtrenue bellum

1633. lum perſequerentur hortabantur; polliciti, ſe legatis ſuis, quos propediem in Ruſſiam miſſuri ſint, ſuper eo fœdere concludendo in mandatis daturos. Revera tamen Sueci ſuper hoc fœdere pro conditione temporum conſilia capruri erant. Cum fœdus obtineri non poſſet, Ruſſi teſtabantur, interim ſibi inconſultis Suecis cum Polonis tranſigendi jus fore. Quod & Sueci pariter ſibi reſervabant, quoad fœdus ictum foret, & ab utrisque ſimul in Polonos bellum gereretur. Petebant quoque Ruſſi, ut quinque millia militum auxilio ſibi adverſus Polonos mitterentur. Contra Senatus molem belli in Germania ſibi incumbentis excuſabat; quod & ipſum Ruſſis imputabat, velut per quod Cæſar diſtrahatur, ne Polonis adverſus ipſos ſuppetias ferre poſſit. Ac utilius eum militem in Silefia teneri, ubi Polonis ſuſpicionem facile injiciat. Tandem cum Legatis literæ ad Czarem offerrentur, diu circa eas acceptandas tergiverſabantur, quod in titulo, circa quem ea gens mire ſuperſtitioſa eſt, aliqua mutatio facta eſſet; velut quod Guſtavi Adolfi nomini vocabulum *Secundi* & *Magni* additum foret; & nomini Chriſtinæ vocabulum *Domine* bis præmiſſum; quodque jam *Domina ſuper Ingriam* poneretur, cum in pactis *Dominatu in Ingria* extaret. Adverſus quas ineptias cum nihil rationis admittere vellent, Senatus denuntiabat, ipſis tam diu Holmiæ manendum, quoad legatus a ſe in Ruſſiam miſſus eſſet, de ipſorum importunitate queſturus. Cum igitur domi aſperum ſibi præmium fore ob exercitam tam inficetam Criticam metuerent, cavillationum deſinebant, petentes tantum, ut ſibi literas acceptantibus dicere liceat; ſe ſperare titulos in iisdem rite eſſe expreſſos.

Legatio Tartarica. §. 109. A Tartaris Guſtavus Rex poſtulaverat, ut irruptione in Hungariam facta, Cæſarem diſtraherent. Quod illi penes ſe negabant eſſe, niſi tranſitu per Tranſylvaniam ſumto, qui ægre obtineri poſſit. Indè viciſſim à Chano Crimenſi ad Guſtavum Regem Legati mittebantur; quos cum ille audire diſtuliſſet, morte ipſius intervenjente in Sueciam abibant operam ſuam adverſus Polonos polliciti, ſi ea lis non componeretur. Quamquam autem ejus nationis fides valde lubrica ſit, ac legationes illius fere in uſum mendicandi adhibeantur; videbatur tamen Senatui quod offerebatur ſub laxis verborum formulis acceptare, ac viciſſim benevolentiam & officia teſtari; quod forte aliquando iſtorum uſus bello Polonico eſſe poſſet. Saltem qualescunque amicos habere non nocebat.

Acta cum Holſatiæ Duce. §. 110. Eodem anno Fridericus Holſatiæ Dux emporium mercium Perſicarum & Indicarum Fridriciſtadii meditabatur, diſturbandis Hollandorum monopoliis. Quibus mercibus tranſitum per Ingriam petebat, ſubenter concedentibus Suecis, qui exinde nonnihil ſibi emolumenti ſperabant; eoque cum Holſaticis Legatis ſuper certo vectigalium modo contrahebant, & ut ipſi quoque ſummam pecuniæ ad eam ſocietatem conferre poſſent. Id quoque negotium apud Czarem Moſcoviæ commendandum ſuſcipiebant. Ad Perſarum tamen Regem, quod ab initio placuerat, Legatum mittere haut viſum, quod cum Reges Orientis non niſi cum donis adiri ſoleant, quorum magnificentia, qui mitit æſtimatur, incerto adhuc negotii ſucceſſu pecunias prodigere nollent. Non deerant tamen qui ſuſpicarentur, Legatis Holſaticis in Moſcoviam proficiſcentibus injunctum fuiſſe, clam Ruſſo perſuadere, ut pace cum Polonis facta, dum Suecorum arma per Germaniam peregrinantur, Ingriam invaderet, & ad Mare Balticum pedem firmaret; quod longe tunc ſecurius ea commercia Perſica progreſſura viderentur.

6. Junii.

Dani ad- §. 111. Daniæ Regi illa tunc conſiliorum ſumma erat, gliſcentem Sueciæ potentiam caſtigare, & inter turbida Germaniæ aliquid piſcari. Igitur cum poſt Guſtavi mortem & Sueciam turbatum iri, & res per Germaniam ultro collapſuras ſperaret, commodam ſibi occaſionem rei gerendæ arbitrabatur, ſolicitante præſertim hinc Polono, inde Cæſare. Unde initio anni claſſem diligenter adornabat, naves primum aliquot ad *Novum* quod vocant *profundum* miſſurus, quæ Stralſundenſes vectigal poſcerent, abnuentes vi adacturus, initium belli in Suecos, ſi eam vim repulſum irent. Etſi Oxenſtierna ſuaderet, ut ſi Danus iſta tentaret, Sueci tantiſper conniverent; cum ea res Stralſundenſium animos Danis alienatos, arctius cum Suecis conjunctura ſit. Fœdus quoque cum Polonis & Gedanenſibus à Dano imbatur, & odioſa vectigalium Boruſſicorum imagine, quæ tantopere ipſum mordebant, Angli, Batavi, Hanſeatici ſtimulabantur. Conquiſitæ quoque variæ in Suecos accuſationes, queis læſum ſe ab iisdem arguebat. Enimvero cum Suecis domi res tranquillas, bellum in Germania proſpere videret cedere, idem ad tectiores artes revolvebatur; præſertim cum Senatus Daniæ, quem menſe Aprili Hafniam exciverat, in bellum contra Suecos plane conſentire noller. Ibi Rex proponebat, jam tempus eſſe dominium maris Baltici ex aſſe vindicandi, mortuo Guſtavo Rege, puella Regina, Suecis bello Germanico implicitis; qui facile quævis poſtulata conceſſuri ſint, quamprimum ipſe movere ſe cœperit. Aſt Senatus, qui autoritatem ſuam pace ſtare judicabat, iſtis deſtinatis obſiſtebat; Suecis ſe commodis hactenus vicinis uſos; turpe eſſe puellam bello petere: amicitia potius Suecos obligandos, ut in connubium filii ipſius cum Chriſtina Regina conſentire velint: de vectigalibus Boruſſicis ſe ad Sueciæ Senatum amice ſcripturos, ut illa moderate exerceantur, abuſusque tollantur. Igitur Rex ſuſcepta mediatione ad ſcopum ſuum pervenire conabatur. Nec eo ſecius ſolicitationibus Cæſaris aurem præbebat, qui eidem devinciendo vectigal in Albi conceſſerat, revocato quod Hamburgenſibus pauculos ante annos dederat privilegio. Quin & demum Cæſar omnia, quæ Sueci ad Mare Balticum jam poſſidebant, vectigalia offerebat, auctoramentum belli in Suecos movendi. Et ita diſpoſita erant belli machina, ut Fridlandus valido cum exercitu in Pomeraniam irrumperet, parte quoque copiarum in Boruſſiam miſſa; Danus interim claſſe ſua mare obtineret, prohibendis è Suecia auxiliis; occupata quoque Pillavia, & aliis locis, ubi Sueci vectigalia exigebant. Quæ tanto facilius ſucceſſura ſperabantur, quod Danus vix armatorum ſex millia in Suecia ſupereſſe jactaret. Sed hæc conſilia uti caſibus transverſim incurrentibus turbabantur; ita hoc curæ Dano erat, ut in omnem eventum prætextum Suecis bellum faciendi, quandocunque arrideret occaſio, in promtu haberet. Inde multa de fraudibus circa vectigal Oreſundicum per Suecos admiſſis ſpargebat, quibus reprimendis ipſos demum ad iſtud exſolvendum adacturus ſit. Mittebat & naves in Boruſſiā, literis ſuis commendatitiis inſtructas, velut iſtæ ad immunitatem ſufficerent; quæ negata in magnæ vicem offenſæ accipiebatur. Minabatur quoque naves ſe armatas ad Boruſſiæ portus miſſurum, vectigal æque ac Sueci exacturas. Huc ſpectabat, quod Senatus Daniæ ad Senatum Sueciæ per literas quereretur, quod Hermannus Wrangelius fere ante biennium Danicum Agentem Proſtium Canuti filium in publico, rixa neſcio unde oborta, baculo dedolaſſet; quod ipſi velut adverſus jus gentium admiſſum arguebant. Ad quod Sueci reponebant, privatam eſſe eam litem;

1633. verſus Suecos habitudo.

Menſe Octobr.

quæ

1633. quæ ipſa Regna non tangat; ac ſi Proſtius jure experiri velit, juſtitiam ipſi denegatum non iri. Aliis quoque literis accuſabatur Petrus Spiringius vectigalium per Boruſſiam præfectus, quod à Daniæ Regis peculiaribus mercibus vectigal exegiſſet, jactis inſuper contumelioſis dicteriis. Ad quæ reſpondebatur: penes miniſtrum non eſſe immunitatem concedere; ſi Daniæ Rex à Senatu Sueciæ eam requirat, facile impetraturum. Si ſecius quam pro reverentia Regi debita locutus convincatur Spiringius, non impune laturum. Ita Sueci offenſarum prætextus prudenter eludebant; nec ſecius ad omnes Dani motus intenti agebant, eo minus meticuloſi, quod peculiares Danici Senatus rationes à bello abhorrere viderentur. 1633.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER SEXTUS
EPITOME.

1. *Rerum Suecicarum in Germania facies.* 2. *Germaniæ Ordinum habitus.* 3. *Ordinum Sueciæ ſuper ſatisfactione decretum.* 4. *Wilhelmus Dux Vinarienſis Saxonis directorio favet. Solmenſis apud Brandeburgicum acta.* 5. *Saxones Suecorum hoſpitia turbant.* 6. *Inter Cæſarem & Saxonem denuo de pace tractatur.* 7. *Conventus Halberſtadienſis acta. Butzovienſis Epiſcopatus Meclenburgicis traditur.* 8. *Oxenſtiernæ cum Electore Brandenburgico congreſſus.* 9. *Querelæ inter milites, & Ordines.* 10. *Legatio in Belgium & Angliam.* 11. *De pace cum Dano agitur.* 12. *Conſultatio de futura expeditione. Suecorum in Palatinatu Superiore progreſſus. Bavarici vapulant.* 13. *Fridlandus gratia Cæſaris excidit.* 14. *Imperium exercituum in Cæſaris filium confertur. Fridlandi conſpiratio. Fridlandus imperio dimovetur.* 15. *Idem ad Evangelicos tranſire conſtituit.* 16. *Bernhardus Dux cum Fridlando ſe conjungere cunctatur.* 17 *Fridlandus Marchioni Culmbacenſi ſe inſinuat.* 18. *Fridlandus trucidatur. Ejus elogium.* 19. *Cæſareus exercitus in officio continetur.* 20. *Legio hoſtium opprimitur. Bernhardus Dux Cronacum fruſtra tentat.* 21. *Cæſarei Suecos Palatinatu ſuperiore expellunt. Bavarici Straubingam recuperant.* 22. *Hornius Bavaricis damnum infert.* 23. *Cum Helvetiis acta.* 24. *Hornius Bavaricos multat, expugnatque Biberacum, Campodunum & Memmingam. Cæſarei ad Wangen in vapulant.* 25. *Per Alſatiam geſta. Cæſarei vapulant. Galli Hohenbaarum & Hagenoam præripiunt.* 26. *Prælium ad Watvveilam. Rheingravii per Alſatiam progreſſus.* 27. *Philipsburgum Suecis deditur.* 28. *Hiſpani ſe movent.* 29. *Acta per Weſtphaliam.* 30. *Obſidium Hildeſiæ lente procedit.* 31. *Saxo pacem captat.* 32. *Per Sileſiam acta. Duvvalius ſe movet.* 33. *Motus ob eadem Fridlandi.* 34. *Landsberga capitur.* 35. *Conventus Francofurtenſis acta. Oxenſtiernæ propoſitio.* 36. *De Palatini Neoburgici neutralitate.* 37. *Electoris Saxoniæ propoſitio. Fœderatorum reſponſio.* 38. *Daniæ Regi ſuper loco & tempore tractatuum reſpondetur.* 39. *Acta cum Helvetiis, & Rhætis.* 40. *Infructuoſa in Angliam legatio.* 41. *Saxoniæ Electoris querelæ.* 42. *Monita Circuli Inferioris Saxoniæ. Conditiones, quibus inferiores Circuli ſuperioribus jungi volunt. Diſcrepantia ſuperiorum Circulorum ab inferioribus.* 43. *Sileſiæ Ordines fœderi adſcribi cupiunt.* 44. *De belli ſumtibus conſultationes.* 45. *Super Suecorum ſatisfactione diſceptatio.* 46. *Pomerania fit pomum Eridis.* 47. *Brandeburgici temperamentum non admittunt.* 48. *Gallorum de tradendo Philipsburgo poſtulata.* 49. *Francofurtenſis Conventus concluſio.* 50. *Bernhardus Dux in hoſpitia ſecedit.* 51. *Cæſarei ſe movent, iidem Ratiſponam tendunt. Dux Bernhardus Ratiſpona recedit. Oppidum Aulæ oppugnatur.* 52. *Hornius Überlingam fruſtratentat. Buchhornum munitur.* 53. *Rheinfelda acriter ſe defendit. Hallenburgum à Suecis opprimitur.* 54. *Geſta per Weſtphaliam. Ligiſtici ad Huxteram vapulant. Huxteræ expugnatur. Haſſiaci vapulant.* 55. *Gleenius Hammum & Lunam expugnat. Idem conſiſtere non audet. Luna recipitur à Suecis, & Hammum.* 56. *Suecici ad Monaſterium hoſtem fruſtra tentant. Batavicæ copiæ Suecicis junguntur.* 57. *Banerius Francofurtum expugnat. Saxones impediunt, ne Sueci Glogoviam expugnare queant.* 58. *Per Sileſiam geſta. Prælium ad Liegnicium.* 59. *Saxoniæ Elector cum Cæſare tractatum ſuſcipit.* 60. *Guſtavi Adolphi Regis exſequiæ. Ordinum Sueciæ ſuper ſatisfactione decretum.* 61. *Hoſtis ad Ratiſponam nutare videtur. Dux Bernhardus Forchheimum obſidet. Ratiſponæ obſidium. Hoſtis Kehlheimum capit.* 62. *Inter Hornium & Bernhardum Ducem ſuper conjunctione agitata.*

Digitized by Google

1634. tata. *Hornius Aicham bis occupat. Dux Bernhardus improviso se Hornio jungit.* 63. *Ratispona deditur.* 64. *Sueci frustra Ratispona succurrere tentant. Landshuta expugnatur. Altringerus occumbit. Sueci Bavaria excedunt.* 65. *Ad Bodamicum lacum, & in Alsatia gesta. Rheinfelda, & Brisacum fame urgetur.* 66. *Borckemum capitur. Simultates inter Luneburgicos & Hassos.* 67. *Hildesia capitur. Ligistici vapulant.* 68. *Arnheimius Glogoviam occupat. Idem Banerio, ut in Moraviam abeat, suadet.* 69. *Banerius occasionem rixæ cum Saxonibus declinat. Idem in Bohemiam tendit; & Leitmericiam capit. Praga nequidquam tentatur.* 70. *Hornius iterum se Bernhardo Duci jungit. Norlinga obsidetur. Sueci ad Bopfingam castra locant. Iidem Norlinga militem immittunt.* 71. *Oratzius ad exercitus Suecicos accedit. Rheingravius sero venit.* 72. *De prælio ad Norlingam consultatur. Primus cum hoste conflictus.* 73. *Hornii consilium negligitur.* 74. *Prælium ad Norlingam committitur.* 75. *Hornius se recipere conatur. Suecorum clades.* 76. *Oxenstierna post eam cladem consilia.* 77. *Idem res pro viribus restituere nititur.* 78. *Cum difficultatibus incassum luctatur.* 79. *Dux Bernhardus Rhenum trajicit.* 80. *Exterorum auxilia implorantur.* 81. *Acta exercitus ad Norlingam victi. Rheingravius Argentoratum tendit.* 82. *Hostis post victoriam late grassatur. Cæsarcorum per Wurtenbergicam progressus: Rheingravius Argentoratum evadit.* 83. *Idem de Alsatia in Gallos transferenda agit. Idem moritur.* 84. *Cardinalis Infantis in Belgium descensus.* 85. *Hostis multa Franconiæ loca occupat.* 86. *Per Westphaliam acta.* 87. *In Saxonia Dux Georgius difficilem se exhibet.* 88. *In Bohemia tempus frustra teritur.* 89. *A Legatis fœderatorum in Gallia acta. Fœdus Ordinum Confœderatorum cum Rege Gallia.* 90. *Misera apud Fœderatos rerum facies.* 91. *Conventus Wormatiæ indicitur. Oxenstierna propositio.* 92. *Ordinum deliberatio. Oxenstierna fœdus subscribere recusat.* 93. *Neoburgico neutralitas conceditur.* 94. *De Danica mediatione.* 95. *Judicia de Tractatibus Pirnensibus.* 96. *Militia fœderatorum magis turbatur. Alsatia Gallis traditur.* 98. *Bavarici Heidelbergam tentant. Schorndorfium capitur.* 99. *Mansfeldius in Wetteraviam irrumpit.* 100. *Heidelberga denuo frustra tentatur.* 101. *Augusta fame laborat. Francofurtum vacillat. Cæsarei vapulant.* 102. *Iidem Schweinfurtum capiunt; ut & Wurtzburgum, Wintzheimum, & Weissenburgum.* 103. *Ditio Anspacensis sequestratur. Hassi vapulant.* 104. *Minda capitur.* 105. *Baxerius in Thuringia subsistit.* 106. *Brandeburgico non fidit Banerius.* 107. *Multo minus Saxoni. Tractatus Pirnensis.* 108. *Saxo Banerii hiberna turbat.* 109. *Controversia circa Præsulatum Bremensem. Suecorum circa Bremensem ditionem intentio.* 110. *Fridericus Daniæ Regis filius eum præsulatum affectat.* 111. *Ordines Bremenses in Danum inclinant; Fridericus in Episcopum Bremensem eligitur.* 112. *Habitus Daniæ erga Sueciam.* 113. *Consultatio super fœdere cum Russis.* 114. *Legatio in Moscoviam.* 115. *De commerciis Holsatorum in Persidem.* 116. *De Tractatibus cum Polonis consultatio.* 1634.

Rerum Suecicarum in Germania facies.

ANnus sequitur eventibus insignis, mutationibus memorabilis, atroci clade debilitatis Suecorum armis, Cæsareis revalescentibus, amoto licet præcipuo, quo hactenus stetisse videbantur, fulcro, Fridlando. Et vero jam ab Lutio animares Suecorum per Germaniam in deterius ruebant. Nam quatuor superiores Circulos, in quibus plurimum fiduciæ Suecis repositum erat, belli farias ceperat, metu alternantis fortunæ, ac pro more suo nulla consiliorum firmitate. Militis quoque licentia omnium animos asperaverat, quem defectu stipendiorum haut quidquam disciplina coërcere licebat; cum eo in bello exercitus ad modum proventuum haut temperarentur, sed non nisi eorundem magnitudo spectaretur. Wilhelmus Landgravius, cætera amicorum firmissimus, peculiares sibi copias æque ac consilia habebat. Administrator Palatinus, sine dubio consentientibus Anglis, Batavisque, de parando proprio exercitu agitabat, ad autoritatem juveni Electori uti ferebat conciliandam, revera ut à Suecis non amplius dependeret, eoque dum seorsim sua sibi consilia habet, fœdus magis turbabat, quam fulciebat; Idem Wurtenbergico conatus. Id si fieret, in dissolutas scopas abibat bellum, & Suecorum nomen paulatim obliterabatur. Sed & Galli consilia suspectabantur, cui destinatum erat Rheni tractum à Basilea ad Mosellam flumen imperio suo complecti. Quo fine Parlamentum Meti constituerat, Nanceium & munita Lotharingiæ loca in potestatem redegerat, Trevirorum urbem, & Hermansteinum jam tenebat. Quibus fundamentis positis metuebatur, ne Catholicos in tutelam suam reciperet, & Evangelicos rationibus aut vi compelleret ad restituenda, quæ illis eripuerant. Idem & mox Tabernas, Hagenoam, Luderique Fanum in protectionem suam recipiebat in fraudem fœderatorum, quibus tributa inde redigenda adimebantur. Qua de causa etiam Oxenstierna circa tradendum Philipsburgum tergiversatus fuerat, non sine gravi Galliæ Regis offensa. Quem & cupido Cæsareum fastigium in se transferendi stimulabat; quod etsi æque commodo, quam damno Sueciæ posset cedere, in eum tamen eventum cautius consilia erant temperanda, Gallo non minus quam Austriacis Hispanisque Protestantium sacra aversante. Peculiaris quoque Gallo in Oxenstiernam offensa erat, quod hic promiscue omnibus hujus destinatis sese attemperare nollet saluti Germaniæ, decorique Sueciæ parum quadrantibus. Hollandi præterea, Anglique Suecorum incrementis invidebant. Et quamvis isti, distractis Cæsaris armis, haut paulo facilius Hispanos propulsabant; Suecorum tamen res subsidio aliquo efficaciori sublevare abnuebant, proprio bello onerati, & premente alieno ære; & quia magis in Hassum inclinabant propter Reformata sacra, quæ ipsi per Germaniam firmari cupiebant; Lutheranis prævalituris, si Suecorum potentia gliscceret. Simul partem Westphaliæ & Bremensem præsulatum suo patrocinio complecti cupiebant. Anglis pro more languida exterarum rerum cura, quas ad se parum spectare arbitrabantur, propriarum virium fiducia. Nec minus iidem Hispanicis consiliis penitus imbuti, præ valida quoque Hispanica

1634 nica apud ipsos factione; æmulatione insuper adversus Galliam flagrantes, eoque semper in diversas ab illa partes proni. Quin nec veterum consiliorum adhuc plane obliti superioribus mensibus Palatinatus Administratori suaserant, ut investituram à Cæsare peteret, acciperetque. Oxenstiernæ tamen haut inconsultum videbatur tentare, num quid subsidii ab hisce, Hollandisque obtineri posset, non quod multum ab illis speraret, sed retinendæ ipsorum benevolentiæ, & ne præteritos se, aut neglectos queri possent.

Germaniæ Ordinum habitudo.

§. 2. In universum porro Germaniæ Ordines libertati adsueti ad conferendas pecunias, & quæ temporum necessitas suadebat, inviti trahebantur, & ægre in officio contineri poterant; ac nimia eorum multitudo firmis consiliis inimica; plerisque in peculiares sibi scopos tendentibus. Qui nondum communi fœderi accesserant, eorum potentissimi Suecorum consiliis obnitebantur. Et postquam omnibus devastatis nulla sublevandæ inopiæ subsidia aliunde adparerent, facile ruituri videbantur ad amplectenda remedia, quæ in præsens nonnihil levamenti malis adferrent, nulla proventuræ deinceps pestis cura. Inter cæteros Saxo sua seorsim arma gerebat in detrimentum magis quam commodum causæ communis. Cui jam olim adversus Gustavum Regem, & nunc major in Oxenstiernam æmulatio ob summam belli directionem; quam in suum suæque Domus præjudicium tendere judicabat, cum ipse post Gustavi mortem ab Oxenstierna oblatam acceptare abnuisset: facultatemque sibi ademptam dolebat, pro lubitu pacem faciendi, cæterisque leges præscribendi. Tanta porro pacis cupido, ut neglectis quæ expendi prius debebant, astutiæ se hostium exponeret: eaque via istam sectaretur, qua obtineri non poterat, quin novum bellum produceret. Tam frequentes porro ipsum inter & hostem missitationes, ut amici quid ab ipso Suecis expectare vix liceret. Qui & non amplius obscure per Arnheimium omnia Suecorum destinata, qua poterat, disturbabat. Idem fere Brandeburgici habitus, postquam spes filium Reginæ connubio jungendi evanuerat, nisi quod super belli directione suo nomine parum controversiæ moveret. Quem & alias sua sectantem consilia gravissime cum Suecis committebat Pomerania, in quam oculos ab his conjectos non in obscuro erat; cum tamen ipse nunquam super eadem in justos tractatus descendere vellet, sed simpliciter postularet, ut Sueci Pomeranico fœderi citra compensationem aliquam renuntiarent. Etsi glisceus intus odium solita hactenus verborum humanitate, & singularis amicitiæ jactatione obvelare pergeret. Accedebant jam olim infensa Suecis Schwartzenbergii consilia, & nunc Arnheimii, ac Francisci Alberti Lauenburgici machinationes, aperta in Suecos odia professorum, queis adeo in transversum rapiebatur, ut magis inter hostes, quam amicos numerandus foret. Pomeraniæ Dux cum consiliariis & Ordinibus Suecos avertabatur, solito inter vicinos odio, & forsan etiam contemtu; & quia imperium eorum formidabant, sub quo minus licentiæ, quam antea sub Principibus, sperabant; eoque plane in Brandeburgicum inclinabant. Unde ut adversus Suecos arma in promptu haberent, delectus militum agitabant, & vario sub obtentu alimenta ac stipendia Suecicis præsidiis subtrahebant. Cum Meclenburgicis amicitia intra verba fere consistebat, beneficiorum sensu per Wismariam & vectigalia obtuso. Hanseatici & olim Suecis iniqui, & nunc eo infensiores, quod istorum incrementa in suam diminutionem acciperent. Eadem cæteris Saxoniæ Inferioris Ordinibus mens, quibus licet nihil peculiaris cum Suecia controversiæ foret; 1634. eorum tamen consilia, alias inter se discrepantia in hoc conspirabant, ut Suecis adversarentur. Et quanquam horum opera carere non possent, vel ideo tamen plerique eorum istos oderant, quod iisdem sui conservationem debere necesse foret. Ita quæ amoris & honoris causa adversus Suecos esse debebat, odiorum erat. Inter Suecicos porro duces quibusdam exiguæ imperandi artes. Cuiphusii per superiorem annum gesta socordiæ, an malitiæ, aut cum hoste collusioni adscribenda forent, incertum. Bernhardus Dux egregius & magnæ auctoritatis; sed ambitionis immodicus, militum animos Suecis alienatos sibi adjungere, nulli quoque præterquam sibi ipsi aliquid tribuere. Reliquis in universum Principibus, qui ducum munere sub Suecorum auspiciis fungebantur, magni spiritus, quibusdam inscitia, aut socordia: quorum actiones cum probari non possent, odium in Suecos concipiebant, quod non nisi his è medio remotis proprio arbitrio rem gerere integrum fore crederent. Hornius, & Banerius rerum suarum præclare sategerant; sed quod maxima exercituum pars Germanis constaret, hi suæ potius nationis ducum, quam istorum imperio gaudebant; id quod tamen facile corrigi poterat, si pecuniæ affatim foret. Sed jam cum argento Succici nominis existimatio deficiebat. Contra hosti undique vires exciebantur. Turcarum metu cessante ingens Hungarorum & Croatarum colluvies. Hispanorum in Italia magni delectus. Liga extremos conatus expromere. Nec exigua spes in tractatibus cum Saxone & Brandeburgico, distrahendis Ordinibus, ac tota mole opprimendis illis, qui placitas istis leges abnuerent. Dani denique, Poloniique Suecorum incrementis ægrescentes omnes occasiones captabant hos in ordinem redigendi, qui & Suecorum inimicos ultro invitabant, & rogabant, ut ipsorum amicitia & auxilio uti velint. His omnibus accedebat, quod ita alte huic se bello immersissent Suedi, ut salva existimatione inde excedere non posse viderentur, ni plus sanguinis, opumque impenderent. Et tamen rationis non erat sua jactare, ni de præmio aliquo cautum foret, quod omnes Suecis deberi fatebantur, (excepto Saxone, qui ingerebat à Gustavo Rege dictum; se in hoc bello propriis commodis non velificari:) sed quid præmii dandum foret, nemo expediebat. Ista hæc malorum semina quomodo non ita multo post in maturam segetem adoleverint, sequentium series rerum docebit.

Ordinum Suecia super satisfactione sua decretum.

§. 3. Porro ejus anni initio Rectores Suecia, altius perpensis Brandeburgicorum postulatis, omnes quotquot in Suecia erant Senatores convocant, super satisfactione ab Ordinibus Germaniæ postulanda consilium collaturi. Præsertim cum Oxenstierna, quod sine dubio ea res in Conventu Halberstadiensi tangenda foret, de ipsorum mente certior esse cuperet. Senatus, etsi ad proximum mensem selectos Ordinum condixisset, in antecessum tamen declarat; Totam Pomeraniam cum Wismaria & Gustavo, & sibi semper oculis obversatam, situ Suecia præ cæteris opportuno: ut tamen Domui Brandeburgicæ & Meclenburgicæ, quod hoc modo decedit, aliis terris pensetur. Quod si tamen Suecia cum amicis controversia inde sit surrectura, damno magis quam securitati ipsi cessura, ut saltem citerior Pomerania cum Rugia & Usedomo insulis, Stralsundaque & Wismaria teneatur; pro ulteriore autem, siquidem ea utique sit Electori concedenda, Bremensis & Verdensis præsulatus postuletur; Ordinibus insuper Germaniæ securam earum ditionum possessionem præstituris, ac fœdere se ad mutuum cum Suecia auxi-

14. Januar.

lium

1634. lium obſtricturis. Quanquam autem quicquid id erat terrarum Sueciæ tanquam provinciam pleno jure accedere commodiſſimum foret: tamen cum id ægre, & citra magnam invidiam obtineri non poſſe crederetur, ut ne Guſtavus quidem Rex id proponere voluerit, cum in Noribergenſibus caſtris pacis leges concipi juberet; placebat feudi titulo ab Imperio id tenendum petere, ne quid Germaniæ decerptum videretur, & ut jure Ordinum, ſuffragiisque in Comitiis & Conventibus Circularibus Suecia potiretur, perpetuo fœdere Imperio innexa, & ſi quid publice in eam ſtruatur, contradicendi & malevolorum conſilia diſturbandi occaſionem habitura. Id Senatus conſultum Oxenſtiernæ tranſmiſſum, ad quod conſilia ſua, quantum tempus ferat, accommodaret. Cui itidem petenti, ut è Senatu aliquis ad ipſum mitteretur, penitiore
17. Febr. rerum notitia imbuendus, Petrus Braheus Comes deſignatur, ſi quid Oxenſtiernæ humanitus contigiſſet ſuccenturiandus. Qui ſtatim eo profectus, & in partem curarum admiſſus eſt, quoad ſub autumnum ad tractatus in Boruſſiam ablegaretur. Porro ſelectorum ex Ordinibus mens cum Senatus ſententia fere conſpirabat, quibus ad deliberandum
22. Febr. proponebatur, num ſuſceptis de pace tractatibus Pomeraniæ ſtricte inſiſtendum, an ſumma pecuniæ poſtulanda, aut accepranda, ſi offeratur; & quæ cautio ab hoſte exigenda? Illi re expenſa cenſe-
5. Mart. bant, Cæſarem Catholicoſque etiam poſt pacem ſemper ſibi fore ſimiles, nec pactis ulterius quam collibitum ſit, aut neceſſitas adigat, ſtaturos; eoque Sueciæ ejuſque ſociorum utique intereſſe, ut ipſi pedem in Germania figant. Igitur agendum cum ſuperioribus Circulis, ut Brandeburgico perſuadeant, pro Pomerania, in feudum Imperii concedenda Magdeburgum Halberſtadiumque, & Sileſiæ partem accipere. Id ſi ab ipſo citra bellum obtineri nequeat, ſaltem inſulas Rugiam, Uſedomum, & Wollinum, & tantum terrarum, quantum præſidiis alendis ſufficit, cum Stralſunda aſſerendas. A Superioribus Circulis ſummam pecuniæ ad ſexagies centena millia uncialium, & quoad ea ſoluta ſit, Bremenſem ditionem & Weſtphaliæ partem cum Wiſmaria urbe poſtulandam. Sed quod ob varietatem temporum fixum decretum concipi nequeat, Senatus judicio rem committi; cui pro captu rerum, ac uſu patriæ prætenſionem temperandi jus ſit. Hac Ordinum ſententia intellecta, Se-
4. Mart. natusconſultum fit; neceſſarium videri Sueciæ rebus intus firmandis, ocyus pacem in Germania conſtitui. Tum prius decretum repetitur; cui tamen non ita preſſe inhærendum ſit; quin pro conditione rerum aliquid addi, demive queat. Pomeraniam præmium eſſe maxime congruum, aut ſaltem portus, tractumque litoralem, ut tamen aliunde Brandeburgico ſatis fiat. Si nullo modo hic conſentire velit, ſatius videri aliquot Epiſcopatus accipere, quam propter Pomeraniam novo bello implicari; ut tamen utique aliquid litoralis oræ, & unus alterve portus ſimul tradatur. Si nihil terrarum obtinere queat, vel ſummam pecuniæ in præmii vicem accipiendam, vel demum meritis devincta Proteſtantium amicitia honeſte bello excedendum, fœdere mutui auxilii in futurum inito. Quæ tamen omnia dexteritati Oxenſtiernæ expedienda relinquebantur.

Wilhelmus Dux Vinarienſis Saxoniæ directorio fuit.

§. 4. Aſt Oxenſtiernæ negotium Pomeraniæ apud Brandeburgicum, armorum directio apud Saxonem plurimum invidiæ conciliabant, præcipuum rebus feliciter expediendis impedimentum. Et Saxo quidem ſummam armorum inter Proteſtantes ſibi debitam, per iſtum uſurpari paſſim querebatur, animoſque aliorum in Succos accendebat, ut etiam Wilhelmum Saxoniæ Ducem non parum immutatum deprehenderit Solmenſis Co- 1634.
mes, cum in Itinere ad Brandeburgicum Erfordiæ ipſum conveniſſet. Is quippe multa in Succicum directorium jaciebat, velut Ordinibus Germaniæ in fraudem tendens: nec vitio verti Electori poſſe, ſi dignationem ſuam vindicet. Eum mortuo Cæſare Imperii Vicarium, & quid nunc Cæſarem aliter, quam defunctum aut munere motum haberi? Cui Solmenſis reponebat: Directionem armorum ab Ordinibus Guſtavo Regi, inde Oxenſtiernæ delatam. Electorem Palatinum & Brandeburgicum agnoſcere, fortunas ſuas ea ad tempus in Succos collata ſervatas. Rege mortuo Saxonem directionem ſuſcipere noluiſſe, ac Ordines Saxonis auſpicia averſatos memoria rerum poſt Lipſiacum fœdus geſtarum. Rationes Succorum ita ſaluti Proteſtantium innexas, ut invicem divelli niſi horum ruina nequeant. Nec cæteros Ordines Saxoni ſubditos, ut ejus ſigna utique ſequi debeant. His rationibus utcunque placato Wilhelmo Duce, Solmenſis Berolinum delatus apud Electorem proponit de ſubſcribendo Heilbrunnenſi fœdere, copiiſque ſuis cum Succorum exercitu jungendis, quem Oxenſtierna Albi firmato, & recuperatis ad Oderam locis in Sileſiam Banerii ductu mittere deſtinabat; tum de ſecuritate iſtis oris deinceps procuranda. Ac ex iis quidem, quæ ſtatim reſpondebantur, Solmenſis ſpem legationis è voto expediendæ conceperat, Brandeburgico conquerente, apud Saxonem & Arnheimium omnia ſomnolenter agi, recenti ad Francofurtum ſpecimine. Sed proximo ſtatim die Arnheimius eodem de- 24. Dec.
latus ſedulo cum Electore & miniſtris per triduum conſultabat. Quæ ab Arnheimio proponebantur, huc redibant: Pacem in Imperio obtineri non poſſe, quoad res è Succorum arbitrio gerantur. Nam Cæſarem quidem & Catholicos pacem cupere; Succos bellum extrahere conari, quoad pedem in Imperio fixerint, ut poſt eo facilius Germaniæ, & reliquis vicinis, milite, opibuſque Germanicis bellum facere queant: nec libenter eos reſtituere, quæ ſemel invaſerint. Indignum eſſe Oxenſtiernam extraneum Cæſari leges velle præſcribere. Igitur Saxonem Brandeburgico junctum triginta millia militum cogere debere, ac pace cum Fridlando inita Sueciis ſatisfactionem offerre, Imperio in poſterum fraudi non futuram, adhibita Dani mediatione. Si Sueci aut alii has leges accipere detrectent, Saxonem & Brandeburgicum adſcitis Cæſareis vi ipſos adacturos. Sed quia Sueci aliquot Circulos ſibi copulaverint, multos quoque beneficiis devinxerint, qui conſiliis hiſce reluctaturi ſint: igitur cum Dano agendum, ut claſſe ſua prohibeat, ne mari è Suecia ſubſidium accedere queat; ſimul vectigalia, quibus bellum alunt, adimenda; his quippe ſubtractis fore, ut vires eorum ultro elanguefcant. Polonos iſtis inſuper immittendos, ut omnibus partibus diſtracti ſociis ſuis nihil amplius ſubſidii ferre queant; unde & hos inutili ſocietate relicta & honeſtas pacis leges acceptandas permotum iri. Addebat, magnæ ſibi felicitatis loco futurum, ſi harum rerum ipſe inſtrumentum eſſe queat. Hæc etſi intimis Brandeburgici ſenſibus probarentur; tamen cum alta iſthæc diſſimulatione premere tunc à re ſua crederet, id agebat, ut tempus lucraretur, quoad adpareret, quem eventum tractatus, qui ſuper pace cum Cæſare agitabantur, habituri eſſent. Eoque Solmenſi quidem declarabat fœderi Heilbrunnenſi ſe acceſſurum, ſed multis additis conditionibus: ut omnia ipſius defendantur, ablata reſtituantur, pax non fiat, niſi ſa-

1634. tisfactum ipsi sit, ut ope Sociorum Juliacenses ditiones recuperet, quibus per Neoburgicum adhibitis in auxilium Hispanis sit exutus, nec minus ademptas sibi per Silesiam ditiones Carnoviam, Troppaviam, Aderbergam, & Beutenam: ut præter sustentationem propriarum copiarum nihil pecuniæ conferat: ac ut de Pomeraniæ successione non impedienda sibi caveatur. Quam quidem gravibus verbis urgebat; non posse sibi æquipollens proponi, minus litigiosum, & commodiore situ. Quæ ex hostico dentur, non diutius mansura, quam suis, Suecorumque armis defendi queant. Ita se certum amittere, incertum adquirere. Domui suæ paucis post Electoratum annis jus ad Pomeraniam partum; quo pereunte & illi se male ominari. Non sperare se, Reginam Sueciæ velle, ut ipse omnium infelicissimus sit avitis juribus spoliatus. Circa conjunctionem suarum copiarum cum exercitu Suecico postulabat, ut qui huic præficeretur dux ipsi fidem daret, suis ductoribus idem adversus Reginam facturis: ut si in suis terris exercitus versetur, sibi honos summi imperii deferatur, è judicio tamen consilii bellici exercendum. Sed si Succi apud exercitum habeant Legatum, consilio duci adsistentem, ut & sibi habere aliquem liceat: ut legiones suæ pari conditione cum Suecicis habeantur, ac ipse partem prædæ eximiæ capiat; si in hostium terram transeatur, semper ad suas ditiones respiciatur, & si periculum iis ingruat, statim subveniatur; quo casu etiam sibi jus fore copias suas statim revocandi. Denique securitati harum regionum optime cautum videri, validis copiis intra Oderam, Wartam, & Suevum fluvios, aliis item ad Visurgim locatis, manu ad Albim velut in subsidiis posita: tum ut Francofurtum, & Landsberga, Crosnaque recuperetur: sed quamprimum illæ copiæ, de quibus spes facta sit, Albim versus procedant, sistendis hostium ulterioribus progressibus. Cæterum satis intelligebat Solmensis, Pomeraniam scopulum futuram, ad quem universa illa negotiatio sit adhæsura; eoque quanquam multis rationibus insinuaret; Protestantium omnium interesse, ut Succi territorii quid in Germania habeant; tamen quoties Pomeraniæ mentio fiebat, defectum mandati excusabat, tantum ut aliud in tempus negotium id differretur rogans. Sed cum Electorem propolito suo firmiter insistere videret, ostendebat; penes se non esse aliquid circa eas conditiones decidere, de quibus Elector jam ad Senatum Sueciæ retulerit; aut ab Heilbrunnensis fœderis formula recedere. Elector contra; se cum Oxenstierna, si has in oras accesserit, acturum. Ita tunc ab Solmensi nihil effectum, quam ut ansa colloquio Electoris cum Oxenstierna paulo post præberetur.

Saxones Suecorum hospitia urbant.

§. 5. Ast Saxones, quid adversus Suecos animo agitarent, in dies magis expromebant, dum inter alia legiones suas Suecorum hospitiis intrudunt in Hennebergico, Schwartzburgico & Stolbergico Comitatibus, quantumvis ille Circuli Franconici membrum, hi Suecorum fœderi innexi forent: cum contra illi obtenderent, illum sibi in patrimonio, hos territorii sui partes esse. Quod uti speciem aliquam habebat; ita ferri non poterat, quod & per Anhaldinum Principatum hospitia sua extenderent, à Saxone haut dependentem, nec Circuli præfectura talem ipsi facultatem largiente, qui color Electori adsumebatur, & fœdere Lipsiaco in herba oppresso. Igitur querentibus Anhaldinis Oxenstierna Dietericum

5. Febr. Werderum Dresdam mittebat, qui cum Electore ageret, ut legiones suas ditione Anhaldina removeret. Cui Saxo nihil præter necessitatem occinebat, & quod alia ratio copias suas alendi non suppeteret. Quin & misso Vitztumio apud Oxenstiernam totum superioris Saxoniæ Circulum copiis suis in hospitium deposcebat. Quod iste abnuebat fœdera obtendens, quibus isti Ordines Sueciæ innexi essent, ac ut duplicato istos onere opprimere superfederet Saxo, postulabat. Ita quidem obtinebatur, ut hospitia sua tunc ulterius Saxo non dilataret: quæ tamen jam occupaverat, iis discedere hic recusabat, jactans: omnia sibi media bellum continuandi subtrahi, nec alendis ex hostico suis copiis facultatem esse. Ni causam communem destituere debeat, utique sibi subveniendum; alias invitum se ad deferendum bellum adigi. Nec aliud rebus in dies ingravescentibus, quam pacem ingeminabat. Ista cum emendari à se non posse cerneret Oxenstierna sine majore rerum confusione, nimirum tantisper dissimulanda erant. 1634.

Inter Cæsarem & Saxonem denuo de pace tractatur.

§. 6. Quod autem Saxonici pacis spem iterum concepissent, ex instauratis cum Fridlando tractatibus proveniebat. Ab isthoc quippe Franciscus Albertus Lauenburgicus Dux in Bohemiam arcessebatur, consentiu Electoris eodem profectus. Iste studium suum in pacem multis verbis extollens postulabat, ut Arnheimius ocyus ad se veniret, adducto secum ab utroque Electore uno consiliario: simul literas salvi conductus transmittebat. Nec minus interea Henricus Julius Lauenburgicus Dux apud utrumque Electo- 13. Jan.
rem adpulerat, Cæsaris nomine optionem illis offerens, cum Fridlando plenis mandatis instructo tractare, an ad ipsam Cæsaris aulam Legatos mittere mallent. Enimvero idem hisce, quod prioribus tractatibus agitari, non dissimulabat Lauenburgicus, aperte differens: Curæ esse Cæsari hac pace prohibere, ne Germanica natio ab exteris amplius laceretur, neve abrupto per tot secula recepto Imperii temperamento exterorum dominatus introducatur cum ludibrio gentis, quæ extraneis semper terrori, nunquam subjecta fuerit. Ad quæ Brandeburgicus masculè reponebat: penes illos culpam desolati ab extraneis
Imperii hærere, qui libertatem Ordinum conculca- 14. Jan.
verint, quique aliis, res nostras otiosè spectantibus, exercitus obviam miserint, & eos tantum non vi in Germaniam pertraxerint. Cæterum ab ipso propolita altioris esse indaginis, nec solum se quid statuere posse: cum fœderatis tamen communicaturum; & quia Conventus Francofurtanus instet, ab Universis commode responsum posse obtineri. Quid Saxo responderit, nobis non compertum, cum iste tunc Succis circa pacis præcipue negotium parum admodum communicaret. Altius tamen à Cæsare propolita apud eundem penetrasse inde judicare licet, quod mox Arnheimium ad Brandeburgicum miserit, quæsi- 28. Jan.
tum, an cum Fridlando mandatis Cæsareis instructo citra moram ad tractatus sit accedendum. Tum si pax qualis optetur non plane obtineri queat, per quam sacra, libertas Ordinum, leges, justitia pristino vigori restituantur, quid & quatenus propter communem quietem, & ne omnia pessum eant, adversariis sit concedendum? Ac si honestæ pacis leges offerantur, an illæ, quod res moram non ferat, haut expectata aliorum declaratione acceptandæ sint, ut tamen nemini, qui eandem suscipere velit, via præclusa sit? Ad
quæ Brandeburgicus multis demonstrabat: Ob- 29. Jan.
tinendæ securæ paci & quæ novum bellum non sit paritura, utique requiri, ut omnes quorum interest pariter tractatum suscipiant. Fridlandum debuisse conditiones, quas ferat, Oxenstiernæ quoque significare. Suspectum valde esse, si Electores seperatum tractatus incipere velint. Cum nondum

conflet

1634 conſtet, quid adverſarii offerant, præmature quæri, quid illis concedendum ſit. Se tamen cum Oxenſtierna & privatim & in Conventu Francofurtenſi acturum. Explorandum quoque prius, num Fridlandus mandata à ſolo Cæſare, an & ab Ordinibus Catholicis habeat, & quouſque illa pertingant. An non idem cum Sueeis ſimul tractare debeat, qui ob conjunctionem armorum cum Ordinibus, & quod plurima per Germaniam loca poſſideant, excludi nec poſſint, nec debeant. Monebat denique cum nondum de hoſtium mente conſtet, ob præcocem pacis ſpem haut minus intente agendum, & ita rem diſponendam, ut ſi adverſarii æquas conditiones admittere nolint, armis poſſint adigi. Id quod conjunctis Proteſtantium animis, conſiliis, armiſque obtinendum; quibus ut ipſe accedere, legatoſque Francofurtum mittere vellet, hortabatur. Ita circa pacem in diverſa abire videbantur Brandeburgicus & Saxo, quod ille omnia ad univerſos Ordines, eorumque fœderatos referebat; hic autem à peculiaribus tractatibus ſe non alienum jam aperte oſtendere non vereretur.

Conventus Halberſtadienſis acta.

§. 7. Interea Oxenſtierna, dilato Electoris Brandeburgici ad quod invitatus fuerat, colloquio, ad Conventum Halberſtadienſem properabat, quem ex ipſius placito Fridericus Ulricus Brunſuicenſis Dux ſub finem elapſi anni indixerat. Comparebant ibi Ordines inferioris Saxoniæ ipſi, aut per delegatos, præter Holſatiæ Duces, & Lubecam. Sed qui ſimul evocati erant, Comites Weſtphalici, & Hanſeaticæ Urbes emanebant. Capita deliberationis à Brunſuicenſi Du-
6 Febr. ce proponebantur. Quanquam autem Saxoniæ Elector ſcriptis literis ſuaderet, ut integra ſibi omnia reſervarent, nec ulterius ſe fœderibus conſtringerent; tamen decernebatur, ut inter Or-
13 Febr. dines ejus Circuli arcta eſſet conjunctio, ad quam Superior Saxonicus Circulus, & Proteſtantes per Weſtphaliam quoque invitarentur; ſimul ut cum quatuor Superioribus Circulis, & Sueciæ Regno in fœdus coiretur, de cujus modo & conditione in conventu Francofurtenſi ſit agendum. Tum de exercitu quinque millibus ducentis equitibus, ſedecim millibus ſexcentis peditibus conſtante conſtituitur, & quid quiſque illi ſuſtentando conferre debeat, addito, ut alia onera peculiaribus fœderibus conventa, & aliarum copiarum hoſpitia penitus ceſſent. Suprema directio Oxenſtiernæ deferebatur, cujus ſuaſu ſummi Duces declarabantur Georgius Luneburgicus Dux, & Joannes Banerius. Sed belli propior cura, & inſpectio penes Conſilium ex Deputatis Ordinum conſtans eſſe debebat. Conſtituebatur inſuper de caſtiganda calonum & impedimentorum turba, de commeatu, & adparatu bellico; ut armis quæſita, quæ antea ad aliquem è confœderatis non pertinuerint, in communes uſus convertantur; ac Weſtphalorum, Hanſeaticorum, nec non hoſtibus impoſita tributa in commune conferantur, ſublevando Circulo; denique de Hildeſiæ, & Guelferbyti obſidio. De Sueeorum præmiis ad Francofurtenſem conventum remittebatur. Sed quod hæc omnia non plane ad mentem Oxenſtiernæ eſſent, ideo ipſo monente adnectebatur; cum ſpes ſit Francofurti omnium Evangelicorum conjunctionem fore, ibique omnia ad eundem modulum redigenda: cum quatuor ſuperioribus Circulis communicandum, quid pro re nata huîce concluſis addendum, quidve corrigendum ſit. Tandem declarabatur; hoc fœdus non niſi ad honeſtam pacem reducendam ſpectare, ſuper cujus conditionibus Francofurti deliberandum ſit; ſuaque arma nulli Proteſtantium, nec ullius juri, legibuſque Impe- 1634
rii frandi fore. Holſatiæ Duces, & Lubecenſes 20. Febr.
Oxenſtierna literis ad amplectendum hoc decretum hortabatur, & ad Conventum Francofurtenſem invitabat, quod idem Ordinum nomine Adolfus Fridericus Meclenburgicus Dux agebat: ſed qui rem in futurum differebant. Et præcipue Daniæ Rex excuſabat; ſe dum pace Lubecenſi Cæſari ipſi Holſatiam & Jutiam reſtituit, promiſiſſe, Cæſari deinceps nihil hoſtile ex Holſatia oriturum. Guſtavum quoque Regem Danicis Legatis apud Ingolſtadium dixiſſe: ſe nolle ipſi ſuadere, ut ullo modo pacem Lubecenſem violet: eoque nihil ſibi negotii cum ulla adverſus Cæſarem conjunctione fore. Cum Weſtphalicis Ordinibus Auguſtus Dux Brunſuicenſis agebat. Ad Saxoniæ Electorem Luneburgici Legatos mittebant, conjunctionem cum ipſis poſtulaturos, & ut is legiones ſuas Anhaldina ditione amoveret; qui tamen re infecta redierunt. Dum Halberſtadii agit Oxenſtierna, Adolfo Friderico Meclenburgico dudum id petenti, Præſulatum Burzovienſem, quem hactenus Sueci jure belli obtinuerant, tradidit, ut eo magis Sueciæ ipſum devinciret; ea tamen lege, ut quæ à Guſtavo Rege ibi conſtituta ac donata ſint, in præſenti ſtatu relinquantur, ac Coronæ Sueciæ directum dominium tantiſper reſervetur. Quam traditionem Senatus Sueciæ ratihabebat. Circa ſacra quoque per Magdeburgicum & Halberſtadienſem præſulatum diſponebat Oxenſtierna, conſtituto Conſiſtorio. Et quia Calviniani patrocinante Gubernatore Anhaldino, ac Stalmanno Cancellario paſſim ibi irrepebant, decretum fiebat; ne quis Calvinianus muneribus publicis admoveretur; & ut eadem ſuſcepturi juramento in dogmata Lutheranorum adigerentur. Quod decretum cum agitari ſentiret Stalmannus, Calvinianis opinionibus addictus, Cancellariatu quo hactenus functus erat, ultro ſe abdicabat. Ea ſuper re Ludovicus Anhaldinus, & Magdeburgenſis civitas apud Hollandos graviter querebantur, velut iniqua Calvinianorum perſecutione: ſed quas querelas ingruens poſt ſumma rerum perturbatio obruebat.

Oxenſtierna cum Electore Brandeburgico congreſſus, 20. Febr.

§. 8. Rebus Halberſtadii confectis Oxenſtierna Stendaliam ſe ad Brandeburgicum Electorem conferebat; cui primo iſte, ut Heilbrunnenſi fœderi accederet, multis rationibus ſuadebat. Nullum adverſus ingruentia ab hoſte pericula remedium niſi in concordia; omnium malorum hactenus ex diffidentia, ac conſiliorum diſcrepantia originem fuiſſe. Se ipſius magis literis quam præteritis exemplis animatum inter ſuperiores Circulos fœdus molitum, apud quos ipſius quoque autoritas magnum pondus habuerit. Ea conjunctione iſtos feciſſe progreſſus non contemnendos; propter diffidentiam contra, res in Sileſia peſſum iviſſe. Quæ Electori ſatis probari videbantur; ut fœderi ſubſcripturum ſe promitteret, ſed cum conditionibus, quas jam reſponſo Solmenſi dato expreſſerat. Ubi iterum circa Pomeraniam difficillimus oriebatur nodus. Cum enim Ducis valetudo ſemper iret in deterius, poſtulabat Elector ab Oxenſtierna declarari, defuncto Duce Pomeraniæ poſſeſſionem ſibi utique traditum iri. Fixum quippe ſibi eſſe, eo caſu jure ſuo uti, & regimen provinciæ ſuſcipere, ut tamen nolit circa præſidia & res bellicas ibi quidquam innovare. Ad quæ Oxenſtierna; Jus Electoris à Guſtavo Rege nunquam in dubium vocatum; nec eo ſecius hunece cum Pomeraniæ Duce, Meclenburgicis, aliisque fœdera iniiſſe, quorum ſingulis aliquid ſibi reſervarit, quæ tollere in ſua pote-

1634. poteſtate non ſit. Iis par eſſe inſiſti, quoad Suecis ſatisfactum ſit. Rogabat itaque, ut eam ſatisfactionem accelerare velit. Eodemque fine à ſe caput iſtud indictioni Conventus Francofurtenſis inſertum; cui feliciter peragendo Elector operam ſuam adhibiturus ſit. Sufficere ſi jam ſimpliciter fœdus iſtud amplectatur; de modo Francofurti tractandum; id quod etiam Halberſtadii decretum ſit. His tandem Elector viſus eſt adquieſcere promittens, ſe non ſolum Francofurtum Legatos miſſurum, ſed & Saxonem ut idem faciat permoturum. Præterea quoniam Francofurti res in longum metuebatur extrahenda, placebat ſtatim per utramque Saxoniam exercitus eſſe parandos. Unde oſtendebat Oxenſtierna, quid copiarum Banerio ſubditurus ſit; quibus Elector quatuor millia peditum, mille ſexcentos equites adjuncturum ſe promittebat, veteribus quoque legionibus ſuppletis. Tum ſuper annona, adparatuque bellico conventum. Sed in eo diſcrepabant, quod Elector ſuis tantum legionibus ſtipendia exſolvere vellet. Id quod Oxenſtiernæ diſplicebat, contra indolem fœderis id eſſe cauſatus; cum omnes legiones ad univerſos ſocios ſpectent, atque è communi ſuſtentandæ ſint. Militis porro multitudinem non ad opes noſtras, ſed vires hoſtium attemperandam, nec de accurata ſtipendiorum ſolutione cogitandum, ſed ſufficere ſubinde, iſti quantum res fert dari. Sed nec ideo conveniens eſſe, ut ſinguli Ordinum ſuum duntaxat militem alant, cum ſint nonnulli opibus plane exhauſti; unde fore, ut optimis quandoque legionibus peſſime proſpiciatur, ex qua inæqualitate invidia, & ſeditionum materia proventura ſit. Hoc modo quoque legiones tantum ad dominos ſuos reſpecturas; quod non parum vim communis imperii ſoluturum ſit. Tandem de inſtaurandis per Sileſiam rebus agebatur, ut tamen prius hoſtis Francofurto, & Landsberga expelleretur, quæ ut ſuo tantum milite deinceps inſiderentur Elector ſtipulabatur. Porro iſta quidem ſcripto ab Electore conſignari maluiſſet Oxenſtierna; ſed quia ſine dubio aliquid circa Pomeraniam inſerendum erat, quod nec in fraudem Sueciæ acceptare volebat, nec citra offenſam rejicere poterat, verbis facta declaratione cogebatur adquieſcere. Iſta occaſione etiam præſidium Spandoa deduci poſtulabat Elector, nec abnuebat Oxenſtierna, quod cauſæ jam ceſſarent, ob quas ea quondam Guſtavo fuerat tradita; ac ut ſuſpicionum anſa iſti tolleretur, velut Sueci terris ipſius inhiarent. Et cum ſatis conſtaret, quantum Schvvartzenbergius Comes apud ipſum valeret, huic devinciendo bona ejuſdem per Weſtphaliam bellicis oneribus exemit. Viciſſim Brandeburgicus Saxonem, ut Francofurtum mitteret, & cum cæteris ſe conjungeret, per
ad. Febr. literas hortabatur. In eadem cum reliquis navi ipſum eſſe, eandem ipſum ſortem manſuram: eminentiæ ejuſdem per Suecos nihil detrahi, cum inter turbida Reip. non omnia ad legum normam exigi queant; & reflante vento vela obliquanda. Hoſti omnem ſpem in ſeparatione Evangelicorum repoſitam, qua ſublata pacem bona fide amplexurum. Concordia res per ſuperiorem Germaniam hactenus ſtetiſſe, alibi diſſidiis peſſum iviſſe. Paria ingerebat Oxenſtierna; addito, cum hoſtium res cæſo Fridlando vacillaturæ videantur, eo celerius conſilia vireſque in eundem jungendas.
11. Mart. Cæterum ad Brandeburgici literas Saxo frigide admodum reſpondebat; multa queſtus, ſummam rerum directionem ſibi ademptam, ac peregrino datam nulla obligatione Germaniæ devincto. Se impeditum, quo minus communem Conventum indiceret; ſe inſcio inſolita fœdera iſta: ſuis copiis media unde vivant circumcidi. Turpe eſſe 1634
Germano nomini aliena imperia pati. Regem Guſtavum auxilio tantum Evangelicis Ordinibus veniſſe; unde qui acceſſorii loco ſint, directionem ſibi vindicare non poſſe. Exterorum potentiam circumſpecte habendam. Filium Auguſtum Præſulatu Magdeburgico excludi obtentu juris bellici, quod abſurde adverſus illum allegetur, cui alter auxilio venit. Magnam Germaniæ partem per Oxenſtiernam donari, ſupremæ potoſtatis jure Sueciæ reſervato. A Suecis ſe in ſocietatem periculi vocari, ab omni emolumento excludi. Majeſtatem Imperii tutelam ſalutis eſſe. Conventum Francofurtanum ne quidem à Conſilio formato, ſed à ſolo Oxenſtierna indictum; cum Cæſar Conventus Ordinum non indicat, niſi conſultis prius Electoribus. Ignominioſum fore dignitati Electorali, ſi ipſe ibidem compareat. Non niſi Cæſaris dicto audientem eſſe ſibi, majoribuſque ſolitum. Concluſa ibi in anteceſſum jam formata, & ſuis rationibus nullum fore locum. Igitur talem viam ineundam, ac eam pacem quærendam, per quam dignitas ſua Imperio, & Electoribus ſarta tecta ſit.

§. 9. Interea per Superiorem Germaniam omnia querelis Ordines inter militeſque reſonabant, illis horum licentiam rapinaſque accuſantibus, & quod multi deſertis legionibus inter nova ſupplementa nomina darent, lucrando autoramento. Miles contra inhumanitatem Ordinum arguebat, ægrotis & inermibus hoſpitia abnuentium. Quidam etiam ſupplementa militum denegabant, pleroſque viribus magis quam voluntate deſtituente. Inter quæ numeri inanes manere, ac cum inopia conflictans miles animis exulcerari. Quod malum ne periculoſum tandem motum parturiret, Oxenſtierna quantum licebat, providebat, Duces ad tuendam diſciplinam hortatus, utque vagus deſertorque miles ad ſua ſigna revocaretur. Ordinibus contra ingerebatur, ſalutem ipſorum in conſervatione exercituum ſitam, ac ubi extrema immineant, intempeſtivam parſimoniam. Querelæ inter milites & Ordines.

§. 10. In Anglia iſto tempore res Germaniæ adeo ingratæ erant, ut Reginæ Bohemiæ miniſter, cum ipſius negotia acrius & liberius urgeret, in Turrim Londinenſem conjectus ſit; ac Curtius miniſter Anglicus, cum Palatinorum nomine ſubſidia ſuſtentandis præſidiis urgeret, parum abeſſet, quin munere ſuo dimoveretur. A miniſtris quoque Anglicis in Germania differebatur, bellum jam circa religionem geri videri, in quo Evangelici adverſarios habituri ſint nimis potentes: ac pacem amplecti optimum fore: Palatinam cauſam per Gallos facile componi poſſe. Ut ſatis intelligeretur, ipſos magis tractatus animo agitare, quam ſubſidii quid ad Proteſtantium cauſam conferre velle. Quia tamen Amſtruterus Legatus Anglicus ſubinde jactabat; à ſuo Rege nihil auxilii petitum, eoque mirum non eſſe, ſi parum ab ipſo collatum ſit; ſi rogetur, vel Palatinam ob cauſam non defore: igitur cum & Duces ejus nationis id expeterent, diminutis ſuis legionibus ſupplementum inde ſperantes; in Angliam à Cancellario Legatus deſtinatur filius Joannes Oxenſtierna, aulæ iſti jam antea non incognitus, nec ingratus. Cui cum per Belgium tranſeundum eſſet, ad Fœderatos quoque Ordines mandata dantur, ab iiſque petitum, acri expeditione per æſtatem vires Hiſpanorum diſtinerent, ne ex Belgio Cæſareis auxilia ferri queant; per hiemem autem partem copiarum in finibus Coloniam vertus diſponerent, diſturbandis ipſorum conſiliis. Quod ſi trans Moſellam in Palatinatum Hiſpani irrumperent, ipſi copias ſuas Sue- 11. Mart.
cicis in Weſtphalia conjungerent. Quod hactenus annue- Legatio in Belgium & Angliam.

1634. annuebant Hollandi, ut copiis ſuis apud Reinbercam tendentibs injungerent, ſi opus ſit, in Monaſterienſem, Bergenſemque ditionem, non tamen ulterius tranſire. Pecuniam à Gallis mutuo ſe petere exeſabant; ſpem tamen quinquaginta millium florinorum in menſtruum ſubſidium faciebant; ſecluſa aliquæ provinciæ adhuc tergiverſabantur, egotium Ludovico Camerario urgendum relinquebatur. De permittendis delectibus, vendendoque adparatu bellico facile annuebant; nec non aiod Gallum ad faciendum Hiſpano bellum ſtimulare, & ubi de pace tractandum, commodis Sueorum favere velint. His peractis Joannes Oxenſterna in Angliam digrediebatur.

De pace cum Dano agitur.

§. 11. Cæterum quo magis Proteſtantium res deficiene pecunia ægreſcebant, eo minus pacis tractatu abnuendos cenſebat Oxenſtierna. Igitur cum ſub finem elapſi anni Saxo ſignificaret, Daniæ Regem denuo paci conciliandæ operaturum: iſte re-onebat; in ſe ſociſque paci nullam moram fo-

20. Febr. re modo eadem adverſariis cordi ſit. Mox & Danæ Rex, quem Oxenſtierna ad Conventum Franofurtenſem invitaverat, de ſtudio Cæſaris in pacem ample teſtari, & ut in eo Conventu omnia ad pacem referantur, hortari. Quia tamen ibi de armorum conſiliorumque conjunctione actum iri audiverit, eo ut Legatos mittat, dum mediatoris partes obit, non decere, ne alteri parti ſuſpectum ſe reddat. Idem quoque toti Conventui literis pacem

27 Febr. 25. Mart. ingerebat. Cui ut par erat Oxenſtierna reſpondebat, de huoque ut conventui intereſſe velit rogat, ſi non velut unus ex Ordinibus Imperii, ſaltem ut amicus Rex; nec armorum conſiliorumque conjunctionem alio à ſe fine quæri, quam ut honeſta

5. April. pax obtineatur. Nec minus Ordines iterato rogabant, legatos ad hunc conventum mitteret, quibuſcum ſuper maturando pacis tractatu agi queat.

Conſultatio de futura expeditione. 2. Jan.

§. 12. Aſt Bernhardum Ducem inter, & Hornium ſub initium anni Berchingæ in Aichſtadienſi prætulatu ſuper futura expeditione conſultatum fuerat. Ubi ille quidem bellum in Bohemiam, Bavariamque & ipſam Auſtriam transferre ardebat. Hornio contra iſto anni tempore, eoque rerum ſtatu nihil præclari effici poſſe videbatur, inſeſſis ab hoſte opportuniſſimis locorum; cum contra ipſorum exercitus unitos fames mox ad incitas redactura ſit. Facile quoque fore hoſti cum parte copiarum in ſociorum terras irruptionem facere, iiſque evaſtatis belli gerendi media ipſis ſubtrahere. Igitur utiliſſimum viſum exercitibus quietem indulgere, iiſque firmandis, augendiſque operam dare. Ita Hornius in ſuperiorem Sueviam concedit, recens conſcriptis legionibus ibi hoſpitia paraturus, ſimul prohibiturus, ne hoſtis manu è præſidiis, & adventantibus ex Italia copiis coacta Wurtenbergicam invaderet. Nec minus ſelecto milite oppida ab hoſte illo tractu inſeſſa tentaturus erat; quibus ſi hoſtis ſubvenire vellet, Bernhardo Duci janua aperiebatur ulterius in Bavariam penetrandi. Et quanquam Bernhardus Dux poſtularet, ut Hornius equitatum ſuum ſibi tantiſper accommodaret, quoad Ambergam occupaſſet; Hornio tamen haut in proclivi videbatur tentare oppidum, quod Wahlius ſtrenuus dux valido cum præſidio obtinebat, reluctante inſuper iniquo anni tempore. Tum placebat, utrumq; ſeparatim exercitum habere, ac ſi hoſtis in alterutrum vaderet, hic interea loci opportunitate adjutus vim iſtius propulſaret, alter per hoſticum graſſaretur. Quod ſi hoſtis pugnandi copiam faceret, aut validi oppidi obſidio ſe implicaret, ex tempore ſe jungerent. Birckenfeldenſis copiæ pro re nata huic aut illi adſiſterent.

Bavarorum in Palatinatu ſe-

Cæterum hæ ipſe copiæ ſub ductu Virztumii, (nam ipſe Birkenfeldenſis Wormatiam ceſſerat) in Superiorem Palatinatum progreſſæ Sultzbacum, Vilſeccam, Aurbacum, Hirſaviam, inde Nabburgum, & Waldmuncham facili negotio occupaverant. Weida Pappenheimii legio quadringentorum capitum ſolis accincta gladiis excedere cogebatur. Sic ut Amberga ab omni parte tàt arcte includeretur. Quos progreſſus Bavaricorum manus, quæ apud Viltzhofam Danubium tranſmiſerat, ſiſtere fruſtra conabatur, pabulationes Succorum coercendo, & agreſtes in arma ruentes firmando, quorum multi à Succis conciſi, eorumque vici combuſti. Intereà Caggio Donaſtauffa arx, quæ navigationem Danubii Straubingam inter, & Ratiſponam intercipiebat, ad deditionem compellitur, ac poſt ſubjecto pulvere pyrio diſjicitur. Karbergius quoque tribunus Hohenaltacum munitum cœnobium à centuria dragonum inſeſſum aſtu irrumpit; & cum hi in validum ſe ædificium conjeciſſent, nec alia ratio ipſos inde expellendi foret, igne injecto eos cremat; Falckenſteinam arcem Waldavius ſubtribunus expugnabat. Wiltzburgo ad extremam famem redacto ne commeatus ſubvehi poſſet, Bernhardus Dux Joannem Landgravium Haſſiæ valida cum manu, ut prohiberet, miſerat. Is primo Aichſtadium oppidum feliciter expugnaverat, præſidiariis centum ſexaginta partim cæſis, partim captis. Et quanquam juſſus erat oppidum incendere: tamen quod commeatus copiam heic inveniret, ſtativa ibidem ponebat, ſperans ex iſto ſe loco impeditum, ne quid Wiltzburgo inferretur, itineribus ſylvarum per concædes obſtructis. Aſt Bavarorum quatuor millia Ingolſtadio multis cum curribus equiſque annona onuſtis progreſſi, cum Succi diſperſi non ita cito coire poſſent, facile perrumpunt, & arci de cibariis proſpiciunt. Regredientes tamen Landgravius acriter invadit; & ſexcentis occiſis, mille centum capit; quos inter Haslangius, Schnetterusque tribun, ac complures alii præfecti; ſimul duobus tormentis quatuorque ſignis potitur; modico ſuorum damno. In diverſa parte Joannes Wertanus Succorum hoſpitia repente irruperat, & quod robur equitatus alibi abeſſet, Satleri & Karbergii legionibus damni nonnihil intulerat, direptis pleriſq; impedimentis; & mox montes verſus ſe receperat. Sed ab inſequentibus Succis octoginta equites cum duobus præfectis capti. Berghotius quoque tribunus lateri hoſtium invectus ipſius Wertani legionem penitus profligabat, ducentis equis captis; & ipſe Wertanus equo dejectus ægre in montes evaſerat.

1634. petiore progreſſus.

Bavari vepulsæ.

Fridlandus gratia Cæſaris excidit.

§. 13. Cæſareo interim exercitui gravis motus à Fridlandi machinationibus imminere videbatur. Is poſt cladem Succorum ad Steinaviam, cum totam Pomeraniam inundaturus crederetur, progreſſibus Bernhardi Ducis ſiſtendis in ſuperiorem Palatinatum conceſſerat. Sed ingruente hieme in Bohemiã regreſſus; ibi ac per vicinas Cæſaris ditiones exercitum in hiberna diſtribuerat: ſimul abruptos in Sileſia pacis tractatus denuo agitabat, Evangelicis dividendis, an iſto obtentu deſtinata ſua velaturus. Enimvero eundem dudum malevoli ſuſpectum Cæſari reddiderant, ipſo enormi faſtigio viri apud anxiũ potentiæ principem ſat materiæ calumniis præbente. Ac vulgata, quæ in tractatibus Sileſiacis apud Evangelicos in Cæſarem ſat inficete jecerat, tum quæ ſibi peculiariter ſtipulatus ferebatur, non parum ſcrupuli ſuſpicacibus animis impreſſerant. Bellicæ quoque actiones carpebantur: tota æſtas per Sileſiam inter tractatuũ ſudibria citra fructum exacta, cum Pomerania & Meclenburgica potiri in proclivi fuiſſet: Ratiſpona ſubſidii tarditate prodita; hibernis Cæſareæ ditiones oneratæ, quæ alibi commode ſumi poterant; nulla Cæſarei Conſilii ab ipſo habita ratio; omnia ex libidine acta,

1634. & enormibus exactionibus multi Cæſaris provinciales penatibus ejecti. Quin ipſum nullam Cæſareæ commendationis rationem habere, nec muneribus admovere, quos Cæſar cupiat, ſed omnia ex ſuo arbitrio diſtribuere: quæ velut propriæ potentiæ ſtabiliendæ uſurpata traducebantur. Offenderat quoque reſidua ſalarii importunius flagitando; reſponſumque, ut Viennam ad ſubducendas rationes veniret. Sed ne in caſſes ſe indueret, Queſtenbergius monuerat. Accedebant flagrantia jeſuitarum & ſacerdotum odia, queis hominem proſequebantur, velut ipſorum ſacra trigidius colentem, & in Evangelicos non ſatis aſperum, & quod de Jeſuitis velut pacis turbatoribus toto Imperio exturbandis inter tractatus in Sileſia jecerat. Ac ſane ſolebat iſte ægre ferre, ſacerdotes circa aularum ſecreta ſatagere, quos templis & cathedris ſuis unice vacare ſatius ducebat. Sed & Bavarum præter antiqua odia recens offenſa ſtimulabat, velut ab ipſo hoſtium prædæ expoſitus foret; qua ſuper re atroces in aula Cæſaris querelæ movebantur. Inprimis Hiſpani, eorumque clientes infenſi oderant ipſorum conſiliis adverſum, quique iſtam nationem, & quicquid ab ea procederet, alto ſupercilio deſpiciebat. Unde & Legatus Hiſpanicus Comes Ognatæ largitionibus omnes amicos, ipſumque Eggenbergium Principem ab iſto alienaverat, ſolo Queſtenbergio ad extremum fidem ſervante. Idemque legatus de grandi pecuniæ ſumma, quam ex Hiſpania ad continuandum in Germania bellum acceperat, quidquam ſe depromturum negabat, niſi circa ſummum exercitus ducem aliter diſpoſitum foret.

Imperium exercituum in Cæſaris filium conferitur.

§. 14. His cauſis permotus Cæſar Fridlandum imperio in exercitus dimovere conſtituit: idque ut plauſibili ſpecie fieret, iſtud in filium Ferdinandum Hungariæ Regem conferebat, obtentu ſumto, quod Hungari, à quibus inſignia auxilia expectet, non niſi ſuo ſub Rege militarum ire velint. Idque Fridlando ut inſinuarent, primum Queſtenbergius, inde facundia atque aſtutia celebris Capucinus ablegantur. His Fridlandus reponebat, ſe invito Cæſare imperium haut diutius retenturum. Nihilominus repetita contumelia inſolentem animum miris modis exercebat, ac ad hoc unice cogitandum impellebat, quomodo militum ope imperium retineret, aut vindictam à Cæſare exigeret. Igitur palam jactabat, ſe aulæ ſuſpicionibus declinandis munere abiturum: ſed per intimos amicorum, Illoam, Tertzkiumque affinem ſuum inter præfectos militares diſſeminabat: id a Cæſareis miniſtris agi, ut optime meritis viris præmia, quorum diſtributionem ipſe ſibi ſtipulatus fuerat, intercipiantur, & in otioſos aulæ aſſeclas deriventur. Hiſpanos Cæſareorum conſiliorum potentes imperia exercituum in ſe trahere; unde duces à Fridlando conſtitutos nullo deinceps numero fore, ac præmiorum expertibus ipſis parem cum Fridlando millionem imminere. Conciliandis quoque gregariorum animis ſpargebatur; Fridlandum ea de cauſa cum Conſiliariis Cæſareis diffidere, quod hi intempeſtiva hieme militem in expeditionem extrudere velint; cum ille contra æquum duxerit, ut tot exhauſtus laboribus miles per aſpera hiemis quiete reficiatur. His ſermonibus graviter commoveri miles, & præfecti præcipue, qui paſſim concurſantes fremebant; iſthanc abdicationem ſe ferre non poſſe; Cæſarem, publicamque rem, & exercitus detrimentum inde capturos; omnem præmiorum ſpem, ob quæ fortunas vitamque prodegerint, ſe Fridlandi in promiſſis repoſuiſſe; ejus patrocinio exutos in extremam miſeriam prolapſuros. Ita animatos ductores Fridlandus Piſſenam convocat, ipſisque cauſas, ob quas imperio cedere conſtituerit, eponit. Sed ſtatim aderant, qui iſtis ſuggererent a Fridlando peterent, ne ipſos deſerat, utque ſuat abdicationem tantiſper differat, quoad perſpexerit, quæ media ſuſtentando exercitui parentur; nve abſque ipſorum præſcitu & conſenſu ab exercit diſcedat. Eaque per delegatos Fridlando omnium præfectorum nomine proponebantur. Ad quæ ſe promptum ſe declarabat, ſi modo ipſi ſancte fidem obſtringant, ſe iſtum nunquam deſerturos, ſed quæ ad ejuſdem atque exercitus conſervationem faciant, pro viribus promoturos, ſuaque omnia ad extremam ſanguinis guttam expoſituros. In eum ſenſum ſyngrapha concipitur, quadragintaduorum tribunorum ſubſcriptione firmata; addit, qui ſeceſſionem fecerit, à cæteris omnibus velut perfidum & infamem perſequendum, vindictamque omnibus modis ab eodem exigendam. Iſtis conatibus Fridlando infenſi, aut qui ex ipſius ruina fortunis ſuis incrementum quærebant, hautquicquam ſe opponebant, ſed eadem quoque à ſe probari ſimulabant, in ſinu gaudentes, idoneam ſe cauſam nactos hominem ſubvertendi; eoque rem in majus auctam non ſine trepidatione Viennam deferebant. Quos inter præcipui Piccolomineus, & Marchio Grana erant. Nec mollius ibi res excipitur, & mox edictum promulgatur, quo omnes duces militeſque Fridlandi obſequio ſolvuntur, & ut tantiſper Gallaſio pareant, jubentur. Addebatur de præmiis in Cæſari fidos, & venia conſpirantium, non niſi duobus exceptis.

Fridlandus imperio dimovetur.

Idem ad Evangelicos tranſire conſtituit.

§. 15. Fridlandus jam non dignitatem tantum, ſed & bona vitamque peti conſpicatus, quod unicum ſupererat refugium ad Evangelicos tranſire conſtituit: eoque cum Saxonicis arctius ſe conjungere, & per Kintzkium Comitem ad Bernhardum Ducem aditum ſibi ſtruere cœpit. Quin eodem tempore cum Gallis interprete Arnoldo, & Kintzkio tractatum agitabat; qui antequam abſolveretur, iſte Egræ perierat. Ita rebus ad extrema vergentibus, & cum non amplius in occulto eſſet, quid iſte agitaret, à Gallaſio mandatum ad exercitus editur, ne quis amplius Fridlando, Illoæque, & Tertzkio, ipſorumque aſſeclis pareat. Mox & Cæſar edicto per omnes ſuas, Bavarique ditiones publicato hoſtem eundem rebellemque declarat. Nec mora, palatium ipſius Pragæ, & impedimenta, quæ Piſſena Egram vehebantur, diripiuntur, Bartholdus quoque Wallenſteinius, Bredavius, & Kehrauſius, nec non Schaffenbergius tribuni Viennæ in cuſtodiam dantur; quorum hic urbem, ipſumque Cæſarem in poteſtatem redigere voluiſſe intimulabatur. Enimvero circa Fridlandum mox adparebat, quam fragilis res eſſet potentia non ſua vi nixa. Statim quippe autoritas, quam hactenus ſub Cæſaris auſpiciis enormem obtinuerat, evaneſcere, ac tribunorum plerique ſubſcriptionis ſuæ ſecuri ad Gallaſium ſe conferre. Unde indies magis debilitatus, ac cæteris diffidens cui ſe crederet non diſpiciebat. Nec tutum ſe diutius inter nutantes arbitratus, cum præcipuis amicorum Illoa, Tertzkio, Kintzkio, aliiſque aliquot equitum, deſultorumque turmis comitantibus Piſſena Egram ſe conferebat, ut à Bernhardo Duce propius abeſſet. Ad hunc quippe Piſſena Franciſcum 11. Febr. Albertum Lauenburgicum Ratiſponam miſerat, de offenſa Cæſaris, & conſpiratione ducum, cujus autographum oſtendebat, expoſiturum, & uti Cæſaris iniquitate ad partes Evangelicorum amplectendas adactus ſit. Simul Bernhardum Ducem rogabat, ut copiis ſuis, uti opus eſſet, ſibi ſuccurreret. Hic quæ proponebantur ſibi non diſplicere verbis teſtatus, fidem tamen iiſdem non adhibebat, ne forte Fridlandus obtentu tractatuum in

Fridlandi conſpiratio.

caſſes

1634. 14. Febr. cassesipsum pelliceret. Et eadem Oxenstierna ingesserat, ut circumspecte ageret, nec copias tuas Fridlando jungeret; ita tamen hujus consiliis faveret, ut propria destinata non negligeret. Et sane scrupulum non mediocrem Duci injiciebat, quod Fridlandus plerasque copias circa id tempus apud Pilsenam contraxerat, tormentaque curribus imponi, & omnia itineri parari jusserat, equitum manu vertus Superiorem Palatinatum præmissa: simul Bavari, Hispanique circa Isaram se moverent velut Ingolstadium ituri. Quod metum isti fecerat, ne Fridlandus à fronte, hi à tergo ingruentes medium ipsum interciperent. Tanto cautius ille rebus suis invigilare, ac legiones in procinctu habere. Fratrem quoque Ernestum ad copias circa Bambergam mittere, si forte eas opprimere Fridlandus in animo haberet, justum si res exigat Schweinfurtum recedere, & oppida Moeno adsita tutari. Lauenburgicus contra Bernhardo Duci eum scrupulum eximere satagebat, quæ apud Steinaviam à Fridlando gesta erant excusans; aliter ipsum tunc agere non potuisse, ne immatura adhuc destinata in lucem erumperent. Ni enim id ipsum jam animo agitasset, nimirum stolidissimum fuisse, omnes internecione non delere, cum satis constaret, captos ad vetera signa reversuros. In promptu quoque ipsi fuisse Ratisponæ succurrere, aut mox eandem recipere. Enimvero Gallasium ab ipso in Silesiam evocatum, ut Bernhardo Duci occasio panderetur destinata sua exequendi. Copias ab ipso contractas non Duci offendendo, sed ut huic se jungeret, & uno momento Cæsarem maxima virium parte exueret. Manifestis rerum documentis ipsum fidem facturum, & in cautionis vicem Landsbergam, & Francofurtum ad Oderam Suecis redditurum.

Bernhardus Dux cum Fridlando se conjungere cunctatur.

§. 16. Statim post Lauenburgici adventum frequentes nuntii à Fridlando & Illoa missi advolabant, instantes, ut Bernhardus Dux non solum cum equitibus & dimachis, sed & assumta peditum manu ad confinia Bohemiæ tenderet obtinendæ Pilsenæ, ubi tormenta asservabantur, suspectis præsidiariis; simul Passavium repente opprimeret, & Mietam Fridlandi oppidum transitu opportunum occuparet, delitorum adhibita opera. Et cum Gallasius Budevveisæ subsistens impediret, ne Ulefeldius in Austria super Anasum hospitans cum suis legionibus ipsi se jungere posset; inde petebat, ut Bernhardus Dux cum equitum manu circa sylvam Passavientem se ostenderet; ac Superioris Austriæ rusticos in arma solicitare haut negligeret. Ea petita suspicionem Ducis intendebant, quod istius festinationis causas non sat solidas adferri videret; debilitatem Fridlandi, nutantem præsidii apud Pilsenam fidem, præfectorum contumaciam. Inprimis id suspectum videbatur, quod ad tam diversa loca evocaretur, Egram, Pilsenam, Passavium, Austriam supra Anasum; velut id ageretur, ut copiæ ipsius hinc inde divisæ, ac in importuna loca pertractæ insidiis circumvenirentur. Lauenburgicum tamen amice dimittebat, ac traditionem Landsbergæ, & Francofurti cautionis loco acceptabat, Fridlando pollicitus, si inter ipsum ac Cesareos aperta hostilitas erumpat, se certo ipsi subventurum. Neque tamen usque adeo properabat, quod sibi haut persuaderet, Fridlandum ita cito à Cæsareis oppressum iri; & utcunque res caderet, summam inter hostes confusionem orituram rebatur, ubi semel ad manus perventum foret. Sed & quia de secretis Fridlandi cum Gallo tractatibus intellexerat, quo isti spectarent dubitabat. Ita pedetentim ad iter se parabat, Illoam expectans, cui petenti literas liberi accessus, & tubicinem obviam miserat, per quem in fundamenta rei penetraturum se sperabat. Ac ubi serio rem agi cognosceret, Fridlando satisfacere constituerat, si & iste copias suas Suecorum partibus sociaret, & loca ipsi obnoxia traderet. 1634.

Fridlandus Marchioni Culmbacensi se insinuat. 11. Febr.

§. 17. Miserat insuper Fridlandus Joannem Eberhardum Eltzium Cancellarium suum ad Christianum Marchionem Culmbacensem, de ipsius in pacem studio memoraturum, quod in has molestias eundem conjecerit. Nec eo segnius tamen ad hunc scopum ipsum incumbere. Ac cum hactenus intellexerit, Marchionem pacis cupidum magnæque apud suos autoritatis esse, postulabat, tempus locumque designari, quo Fridlandus paucis comitantibus accedere, ac eo de negotio ulterius agere possit. Interim Muffelium tribunum Egram cum ablegato suo mitteret, cui penitiora consiliorum suorum pandere velit. Ithæc Marchio ad socios, & cum primis Brandeburgicum Electorem, & Saxonem rejiciebat, quos ejus negotii autores fieri par foret. Nec parum rem promoturum Fridlandum, si ad conventum Francofurtensem ipse accedere, aut legatos mittere velit. Muffelius tamen Egram ire jubebatur, de consiliis ac mediis pacis prefius exploraturus; quem ex itinere nuntius de Fridlandi cæde retro vertebat.

Fridlandus trucidatur.

§. 18. Præfectus Egræ Joannes Gordonus Tertzkii subtribunus à Fridlando è paupere gregario ad istud muneris provectus, multisque aliis beneficiis cumulatus erat. Unde Fridlandus hunc præ cæteris sibi fidum ratus ad ejusdem præsidium velut tutum in portum confugiebat. Enimvero is sepositio præteritorum respectu, futuri præmii magnitudinem animo librabat, si Fridlandum è medio sustulisset. Adsumitur in facinoris societatem Walterus Leslæus vigilum præfectus, & Butlarus tribunus. Id ut citra tumultum patraretur, Illoam, Terzkium, Kintzkium, Neumannum cum tribus aliis in arcem ad cœnam invitant; (nam Fridlandi genius ab ejusmodi conviviis abhorrebat;) qui nihil mali suspicati veniunt. Cœna fere peracta convento temporis articulo inter nonam & decimam horam stationes per arcem, & in foro tacite firmantur, & per superiorem portam dimacharum Butlari turma meris Hibernis constans in oppidum, & mox in arcem intromittitur, quæ ipsis ingressis iterum claudebatur. Hi statim strictis gladiis in convivium lætitia perstrepens irrumpunt, & fausta Cæsari ominantes, cum Butlarus, Gordonus, & Leslæus ad unum latus secederent, mensa eversa reliquos frustra resistentes, aut effugia circumspectantes trucidant eo minore negotio, quod ministri in separatum conclave ad cibum capiendum seducti, ibique conclusi erant. Hac cæde patrata Gordonus excubias arcis, Leslæus stationem in foro observabat, Butlarus cum centurione, & duodecim gregariis ad Fridlandi diversorium properat, ac edito clamore in ipsius conclave irrumpit: ubi centurio Deverouxius Hibernus natione in nocturno amiculo mentæ se acclinantem, & ipso ingruente ad fenestram ruentem hasta transverberat, ut nullo edito verbo humi moribundus procumberet. Ita Fridlandus inglorio exitu finiit, in altum sublatus, ut lapsu graviore rueret. Prima illi tirocinia bello Forojulensi contra Venetos, ubi Ferdinando Archiduci aliquot equitum turmas suo sumtu conscriptas adduxerat, & re cum alibi tum in Gradiscæ obsidio fortiter gesta insignem apud Ferdinandum gratiam inierat. Cui & in Bohemicis turbis constanter adhæsit, eaque occasione amicitia Comitis Harrachii, Cæsaris gratia florentissimi, potitus, ab ipso gener adsciscitur; quæ non infima magnitudinis futuræ causa erat, ut dein bello Germanico è tribuno supremus exercituum dux incircum-

Fridlandi elogium. 15. Febr.

1634 ſcripta cum poteſtate, & è Barone Wallenſteinio Princeps Imperii evaderet. Beneficiis, quæ à Cæſare acceperat, maxima reſpondebant merita viri, dum præter cætera poſt cladem Lipſiacam, & ſtupendos Guſtavi Regis progreſſus militiam Cæſaris ita inſtauravit, ut victricia illius arma in medio curſu ſtiterit. Vulgo morositas ipſius velut ſtultitiæ vicina exagitabatur, ſub qua tamen profundam calliditatem recondebat. Aſtrologicæ vanitati ad ſuperſtitionem immerſus, eoque parcus Numinis cultor, & Pontificiis ſacris non admodum addictus. Unde mutuum inter ipſum Sacerdotesque odium. De cætero elatus animus, in iracundiam proclivis; imperia rigida, & multum è crudelitate trahentia; quæ tamen tempus indies mitigabat. Cæſari ſemper fidus, cujus faſtigium omnibus viribus attollere nitebatur. Unde merito dubitaveris, num initio tractatuum ſerio in iſtum aliquid molitus fuerit; cum ejusmodi conſilium ſuperiore anno in Silefia, ubi caſtra cum Proteſtantibus contulerat, facilius quam nunc executioni dari potuiſſe videatur. Sed dum ſimulationis menſura excedituv, irreverentes ſermones, ac inficeta agendi ratio Cæſari ſuſpicionem excitarant, ab invidis malevolisque eo usque irritatam, ut tandem quod ab initio aſſute & in ſpeciem illudendis Evangelicis præ ſe tulerat conſilium, poſt ſerio, ſed ſero nimis, amplecti cogeretur. Ac non fruſtra de ejusdem cœptis Oxenſtierna judicaverat; ea effectui dare ſupra ipſius vires eſſe; ac majora eum moliri quam præſtare queat. Nam apud duces, defectione illius erumpente, plus fides Cæſari data, quam ejusdem autoritas valebat; unde plerique ab eo ſeceſſionem faciebant; & è clientibus, quibus maxime filius fuerat, ipſi percuſſores exiſtebant. Fateri tamen poſt ſolebat Oxenſtierna, ſe nunquam ad fundum iſtorum conſiliorum penetrare potuiſſe. Etſi maxime probabile videretur, tertias ipſum partes meditatum, præſertim poſtquam Guſtavo Rege mortuo priſtini ſpiritus rediiſſent. Certe Arnheimium tertias iſtas partes agitaſſe conſtat, capitalem Suecorum hoſtem, eundemque aſtutiſſimum; quo remoto, cum Fridlando facile convenri poſſe credebatur. Idem Fridlandus ſecreta cum Gallis commercia aluerat, quibus primum ſuper deſtinatis ſuis Feuquierio Dreſdæ agenti per Kintzkium inſinuabat; hiſce promtam operam ad invadendum Bohemiæ Regnum offerentibus. Quibus ea res adeo arridebat, Oxenſtiernæ tunc ſuccenſentibus in Philipsburgi traditionem conſentire abnuenti, ut ſpe conjunctionis cum Fridlando Suecos contemnere inciperent, fœdus cum ſolis Germanis excluſa Suecia meditati velut tractabilioribus, ac ut circa emolumenta religionis Catholicæ jactare ſe poſſent, rerundendis Auſtriacorum exprobrationibus, quaſi per fœdera cum Proteſtantibus iſtam deſtruerent. Unde & audita Fridlandi mors Richelium graviter perterruit, inter alia metuentem, ut amicitia cum Suecis valde tunc refrigerata iterum accendi poſſet.

Cæſareus exercitus in officio continetur.

§. 19. Interea Lauenburgicus Ratiſpona Egram revertens, ignarus quæ ibi geſta forent, cum præſidium militare ſibi obviam mitti poſtulaſſet, à manu Croatarum non procul Dirſchenreuta per inſidias interceptus, Egram, & mox Viennam abducitur. Quem captum cogebant ad Bernhardum Ducem literas dare, quibus Egram invitabatur: ſed illæ inſidiæ fruſtra fuere. Parem cum Lauenburgico ſortem ſubiiſſet Arnheimius & ipſe Egram tendens, ni Zwiccaviæ paulliſper moratus fuiſſet. Porro necaſus iſte turbarum quid in exercitu Cæſareo excitaret, Gallaſius, Piccolomineus, & alii ſolicite providebant, ſuſpectis legionum in interiora Bohemiæ Pragam verſus deductis, fidis in finibus collocatis, permutatisque paſſim præſidiis. Qua diligentia effecerunt, ut exercitus in officio contineretur, ac bene compoſitus adventanti Hungariæ Regi traderetur. Quod autem ea res, quæ magnas turbas datura credebatur, ita facile ſopita fuerit, in cauſa erat, quod præcipui factionis Fridlandicæ cum ipſo cæſi, aut capti fuerant. Quos inter Schafgotchius à Coloredo Olaviæ comprehenditur, qui ſe hactenus conſiliis Fridlandi aſſentiſſe fatebatur, ut ad compellendos eos, qui in Cæſaris aula paci obſtrepebant, exercitus Viennæ admoveretur. Porro Bavarus interitu inimici ita criſtas erigebat, ut quam paulo ante pro ſe & fratre ſuo Gallica in aula protectionem ambiverat, jam negligeret, armis & auxilio Cæſareo deinceps ſe tuiturus.

1634.

§. 20. At Bernhardus Dux Fridlandi cæde cognita iter accelerabat, ſi forte partem copiarum Fridlando addictarum ſibi adjungere, & Pilſenam intercipere poſſet, quod & ipſum Oxenſtierna per literas monebat. Sed ob viarum difficultates copiæ ſerius Weidæ adpellebant, unde Karptius tribunus hoſtem verſus excurſionem facturus mittitur; qui cognito Corpuſii legionem quatuor vicis non procul Egra diſtributam, ſuos quadripartito media nocte iſtis immittit, cæſis ducentis, multisque captis. Sexcenti equi cum armis in prædam cedebant: Tribunus per tenebras ægre evaſerat. Hæc clades etſi Bernhardum Ducem non procul abeſſe teſtaretur; nemo tamen adparebat, qui Fridlandi necem ulciſci, aut Cæſareas partes deſerere cuperet. Unde ulterius in Bohemiam penetrare, nondum firmato receptu haut conſultum judicabat Dux, hoſti, ni aliunde auxilia accederent, impar. Quia tamen unica ratio videbatur Evangelicas partes ſuſtentandi, bellum in Cæſaris ditiones transferre, Saxonicorum conjunctionem eo fine ſolicitatum ibat. Unde Arnheimio qui antea ultro id ambiverat, per literas negotii utilitatem multis demonſtrat, poſtulans, ut antequam hoſtis vires rite compoſuerit, junctis ſecum conſiliis, armisque eum perſequatur. Ad idem Oxenſtierna Saxoniæ Electorem literis hortabatur, ablegato quoque ad eundem Chriſtiano Culmbacenſi Marchione, magnæ apud iſtum exiſtimationis. Sed ne otia interim ageret Bernhardus Dux, Palatinatum Superiorem ab hoſtibus repurgare, & præſidia Cæſarea Kemnatho, aliisque locis pellere inſtituebat, dilatandis ſuorum hoſpitiis, & magis premendæ Ambergæ. Inde cum parte exercitus Cronacum tendit, ut à Saxonicis eo propius abeſſet, ſimul expugnationem ejus oppidi tentaturus. Quod licet milite, munitionibus, & omni adparatu inſtructiſſimum vi aggreditur, ruinaque edita aſſultum dat: & quanquam non ſine clade rejectus ſpem brevi eodem potiundi conceperat, ni repente ſex equitum Cæſareanorum millia in Culmbacenſem ditionem irrupiſſent, incendiis, cædibus, rapinis omnia permiſcentes. Nec ſatis conſtabat, utrum rector Cronacum tendere, an medios ſe Ducem inter, exercitumque ejus Aurbaci relictum interponere vellent. Unde cum Dux unam tantum equitum legionem, tres peditum phalanges ſecum haberet, ne ab hoſte viribus prævalente opprimeretur, ſoluto obſidio in Coburgicam ditionem ſe conferebat. Inde cum Arnheimio Salfeldæ ex condicto congreditur; qui multa prius de Suecorum adverſus Electorem offenſis, & Oxenſtiernæ in ſe odio queſtus, tandem Duce iſta diluente, ſpondebat; Electori ſe perſuaſurum, ut ad Conventum Francofurtenſem legatos mittat; & Saxonicas copias, mutuum deinceps auxilium ſtipulatus, cum Duce juncturum.

Legio hoſtium opprimitur.

Bernhardus Dux Cronacum fruſtra tentat.

8. Maii.

16. Maii.

20. Maii.

§. 21.

1634. Cæsarei Suecos Palatinatu superiore expellunt.

§. 21. Dum ista Bernhardus Dux agitat, Cæsarei è Bohemia moventes invalida per Superiorem Palatinatum oppida paucis peditibus infesta, ipsumque Chamum occupant, præsidiariis ad Cæsaream militiam adactis; Suecosque tota ea regione cedere, Furtam se recipere cogunt. Bavarici quoque Straubingam vi oppugnaram, quam octingenti milites Suecici sub præfecto Borchauero obtinebant, ad deditionem sat duris legibus compellunt: ut relictis signis, tubisque, gladiis tantum accincti cum impedimentis Ratisponam deducerentur: & qui olim sub Cæsare, Bavaroque stipendia fecissent, ad vetera signa redirent, cæteris quoque Bavaricam militiam sumere liberum foret. Quæ leges nec ipsæ servatæ sunt. Nam præter veterem Bavari militem reliqui in custodiam dati fame ad Bavarica signa cogebantur, præter ducentos, qui mori præoptabant; quos Scherdingam captivos abstrahebant; Altringero eam perfidiam aversante. Obtentui sumebatur, quod Bernhardus Dux eodem oppido capto Bavaricos duces militesque contra pacta captivos abduxisset, sarcinis insuper direptis; eoque hos tantisper detinendos, quoad isti dimitterentur. Post Straubingam captam Altringerus in hiberna trans Isaram redibat; Gallasius quoque Cæsareos è Palatinatu in Bohemiam reducebat, quod anni tempus nondum ferret Ratisponæ obsidium circumponi; cui fini magna vis annonæ, adparatusque bellici Landshutæ, Pilsenæ, Chami, & Ingolstadii congerebatur. Nec minus Ratisponam Sueci, qui se haut obscure peti prævidebant, munimentis firmare omni ope laborabant. Ast Bernhardus Dux, cum periculosum judicaret tantum otii hostibus indulgeri, ut obsidendæ Ratisponæ omnia parare, & ad utramque Danubii ripam castra munire possent, Arnheimii conjunctionem ex promisso fatigabat, quæ sola hosti insperata ejus destinata infringere posset. Sed Arnheimius pro more suo ambigue respondere, de prætensionibus quibusdam in Silesia, ac belli directione prius ut caveatur postulare; ea occasione ad iniquas Suecis conditiones extorquendas usurus, quod eorum res ob gliscentem hostium potentiam in periculo versari viderentur. Quæ res gravissime Ducem offendebat; eoque asperis literis inconstantiam ipsi exprobrabat, & ut postulata sua ad Oxenstiernam referret, monebat. Sed cum in Arnheimio, & Saxonicis nihil inducia collocari posset, cum Hornio super instante expeditione consilia conferre satius ducebat.

Bavarici Straubingam recuperant.

22. Mart.

Hornius Bavaris damnum infert. 6. Jun.

§. 22. Hornius fatigato militi tranquilla hiberna per Superiorem Sueviam paraturus initio anni Lauinga Biberacum versus moverat, si posset id oppidum hosti eripere. Sed comperto validam equitum Bavaricorum manum Licum superatle, ad Danubium relictas copias oppressuram, & Wurtenbergicam excursionibus infestaturam, quod istum cum maxima exercitus parte in Superiorem Palatinatum abiisse crederet, dilato obsidio, cui & asperrimum frigus adversabatur, peditatum plerumque circa Rietlingam per hospitia distribuit; cum equitatu, & selectis peditum Ravensburgum versus tendit, num forte Bavaricos dissipare, ac inde hibernum tempus per quietem exigere posset.

14. Jun. Idem cum Waldsæam perveniisset, metatores Gronsfeldicæ legionis Reutæ morari intelligit; quos ipse cum primo agmine ex improviso opprimit. Ex his cognoscit, quadraginta hostium vexilla sub Logierii tribuni ductu per Uberlingam, Ravensburgum, Leutkircham, Isnam, & Wangenam distributa esse. Igitur statim Reuta Platonem tribunum Ravensburgum mittit, portas oppidi obsessurum, quoad ipse cum peditibus subsequeretur. Mox Waldsæa Rotteinium, Canofskium Wangenam properare, utrumque indelsnam junctim tendere jubet, num & ibi hospitantes opprimere daretur. Et Plato quidem Ravensburgi Keslerum tribunum cum sua legione, Comitemque Zielium, & Kœnigseckium cum multis Ecclesiasticis viris in potestatem redigebat. Canofskius quoque legionem Croatarum Wangenæ ad unum cædit, capitque. Sed Rosteini adventum, qui Leutkirchæ & Isnæ agebant, matura fuga prævertentes Campodunum se receperant, paucis per præcursores occisis. Ita oppressis aut dissipatis hostibus per Superioris Sueviæ oppida equitatum in hiberna disponebat Hornius, quoad trigus deseviret. Eam per quietem nihil memorabile actum, nisi quod hostes Uberlinga, & è vale Rhenana excurrentes à Suecis semel atque iterum probe multati sunt, qui & trans Illarum excursione facta circiter sexaginta hostium, inter quos multi ductores, oppressere. Et quia Lotharingiæ Dux Brisaci Rhenum transierat, & per Friburgum ad Sylvestres urbes perrexerat, Constantiam aut Uberlingam si qua posset penetraturus; Hornius ipsi prævertendo Stocachum cum selecta manu ibat. Quo animadverso Lotharingus ea qua venerat via trans Rhenum iterum facessebat.

Cum Helvetiis acta. 3. Jan.

§. 23. Cæterum post Constantiæ obsidium inter Helvetios animorum exacerbatio indies gliscebat, Evangelicis Catholicorum insolentiam armis retundere ardentibus. Qui & ab Hornio initio anni quindecim equitum centurias subsidio petebant. His iste suadet, ut destinata sua dissimulent quoad ipse cum exercitu in Superiorem Sueviam quo jam iturus sit, pervenerit; ipse interim quid facto opus Oxenstiernam consuiturus. Mox Helvetii misso Ulrico tribuno non equites solum, sed totum exercitum, aut magnam ejus partem subsidio sibi petebant, ut primo impetu adversarios proterere, & claustra montium occupare possint, quæ deinceps suis viribus sint tuturi. Hornius, qui probante Oxenstierna validam equitum manum ipsis commodare cupiebat, toto cum exercitu eo accedere dubitabat, quod intumescentibus fluviis difficillima itinera, & legionum supplementa per intempestivam expeditionem impedienda forent. Simul isto discedente, antequam aliæ copiæ Danubium tueri possent, hosti aditus in Wurtenbergicam & alias amicorum terras relinquebatur. Igitur eas rationes Helvetiis exponit, suadetque rem differri, quoad ipse Constantiæ obsidium circumponere queat, cujus capiendæ firma sibi spes sit, Helvetiorum navigiis prohibituris, ne per lacum subsidia introduci queant. Interea se Sueviæ oppida in potestatem redacturum, quæ Bavaricis, quo minus huc adcurrere queant, remoram injectura sint. His consiliis Helvetii adquiescentes judicio Hornii belli sui exordia committebant. Sed re in longum dilata animi utrinque apud istos detumescebant, & Galli hac occasione arrepta interventu suo efficiebant, ut citra bellum ea dissidia expirarent.

Hornius Bavaricos multat.

§. 24. Interea Hornius de Fridlandi cæde, & quod Bernhardus Dux Bohemiam versus movisset, certior factus nec ipse diutius sibi quiescendum judicabat, distrahendis Bavaris, ne istius tergo ingruerent. Igitur primo Peschickium subtribunum cum expedita manu mittit, qui Frontæ quatuor legiones, quæ & paulo ante vapulaverant, plane delet, Logierio tribuno, ac plerisque ductoribus captis. Plato quoque tribunus Mundelheimum impetu occupat, trecentis, qui oppidum propugnabant, in potestatem redactis. Kaufbeuram hostes ultro deseruerant. Ipse Hornius Ravensburgo movens Biberaco exercitum admovet, ac Strasoldo tribuno honestis conditionibus oblatis de-

10. Mart.

1634. deditionem imperat; quam ferociter repudiaram, cum tertio poſt die ruina edita eſſet, iſte ultro ambit, minis additis, ni impetraret, cives ſe Evangelicos curiæ incluſos ſubjecto pyrio pulvere in aërem eliſurum. Sed cum non ſecius Hornius milites potiundi cupidus omnia faciendo aſſiſtui pararet, precibus tandem ſacerdotum & fœminarum movetur, ut deditionem obſeſſis annueret his legibus, ut ſignis, ſclopetis, atque equis relictis Ingolſtadium deducantur, captosque aut transfugas reſtituant, in libertatem quoque repoſitis oppidanis, quos alio in cuſtodiam miſerant. Aſt præter tribunum, ductoresque aliquot, omnes militiæ Suecicæ nomina ultro dabant, quindecim peditum centuriæ, una equitum, non ſpernendum peditatus ſupplementum. Inde Hornius cum expedita peditum manu, & levioribus machinis Campodunum movet, ac repente in ſuburbium, mox in oppidum irrumpens partem prætidii opprimit, cæteris in arcem refugis. Qui tamen defenſionem non auſi, facultatem abeundi petebant. Quam Hornius eo lubentius indulgebat, quod tempus heic nollet terere, audito Bavaricorum motu. E quingentis ſexaginta tamen peditibus, ſeptuaginta equitibus, non ſupra centum quinquaginta ad ſuos rediere; cæteri ultro ſub Suecica ſigna conceſſerunt. In arce triginta tormenta, & non parum pulveris pyrii, annonæque repertum. Præfectus ob præproperam deditionem apud ſuos capite pœnas poſt luit. Dehinc Memminga ab Hornio invaditur; ubi poſt acceſſus factos cornutum munimentum impetu expugnatur, cæſis ducentis propugnatoribus. Mox deditio extremis cum minis imperatur. Quibus territi prætidiarii, honeſtum abitum pacti oppidum dediderunt. Sed ex octodecim peditum centuriis, una equitum turma quingenti tantum ſua ſigna ſecuti ſunt; cæteri ad Suecos tranſiere. Interea Canoſskium Wangenæ cum quatuor equitum turmis agentem, octodecim peditum, duæ equitum centuriæ Lindavia, Conſtantia, & Uberlinga contracta opprimere conabantur, facilis ſucceſſus fiducia, quod pleraque munimenta invalidi alias oppidi paulo ante ipſe diſjeciſſet, cum ab Hornio inde evocatus eſſet; quæ tamen ab ipſo reverſo raptim reparata fuerant. Is igitur non ſolum hoſtium impetum ſtrenue repulit, ſed & eruptione facta ad Novum Ravensburgum usque recedentes inſecutus eſt, ibique pedem figere coactos fudit, ſexcentis cæſis, & præter tribunum Schmidium, aliosque ductores, quadringentis captis. Eo tempore quoque arx Hohenzollera, non niſi fame expugnari apta, in Wurtenburgici Ducis poteſtatem conceſſit. Bavaricis contra, quas Auguſtæ Fuggeri Comitis ductu ſtruebant inſidiæ irritæ fuerunt, transfuga prodente, quas Winckelius tribunus actis diligenter excubiis eludebat; ac hoſtis re intentata Monachium revertebat.

Expugnatio Biberacum. 9. Mart. 21. Mart. Campodunum, & Memmingam. 30. Mart. 4. April. 30. Mart. Cæſarei ad Wangenam vapulant. 3. April. 30. Mart.

§. 25. In Alſatia Cæſarei quam maxime ſatagebant, ut proximo vere validum educere exercitum poſſent: quo fine delectus in Burgundia, & Lotharingia fervebant. Et Salmenſis Comes ex Hagenoæ, Tabernarumque præſidiis, vicinisque locis duo millia militum coëgerat, quæ per montes Britacum verſus deducere cupiebat, cum prius quosdam vicos Hanovienſis Comitis, & Argentoratenſium diripuiſſet. Eum hoſtis motum obſervans Otto Ludovicus Rheingravius, antequam is in juſtum exercitum adoleſcere poſſet, Salmenſem opprimere conabatur. Sed hic percepto Rheingravii adventu, ad vicos Tabernis vicinos ſe recipiebat, à Lotharingis, quibus ſolis nuper id oppidum conſignaverat, intra idem admitti poſtulans. Sed inde excluſus ipſe cum præcipuis ductoribus Hohenbaarum arcem ſe conferebat. Rheingravius, etſi in locis ob vineas impeditis nullus equitum eſſet uſus, per pedites tamen hoſtes aggreſſus in fugam conjicit; quorum pars in dictam arcem ſe receperunt, ducenti cæſi, quidam ultro ad Suecicos tranſiere, non pauci capti, multi palantes ab agreſtibus trucidati. Impedimentis omnibus Sueci potiti ſunt. Reliquias cladis Hohenbaaræ incluſas fames intra biduum Rheingravio traditura fuerat, ni paulo ante, aut ipſo in tumultu tribunus Gallicus Blocquierius Hohenbaari adpuliſſet; quicum Salmenſis in Gallos quam Suecos pronior, an ut inter hos diſſidiorum ſemina ſpargeret, convenit, ut iſta arx, ſimul Hagenoa, & Reichshofa Gallis conſignaretur: viciſſim Gallus Comitem, ejusque copias in ſuam tutelam reciperet, conceſſa quo velit abeundi facultate. De quo pacto Blocquierius Rheingravio per literas ſignificat, & quod ipſe arcem Galliæ Regis nomine occuparam poſſideat. Rheingravius laboris ſui fructum hoc modo intercipi ægre ferens, ſuper hac injuria per centurionem ad Marchionem Forcæum miſſum quærebatur. Sed Blocquierius, qui celeribus equis prius ibi adpulerat, factum ſuum facile Forcæo adprobaverat. Ita irritus centurio remiſſus, & Gallicæ copiæ propius accedentes Rheingravio ubique obſtabant. Ac parum aberat, quin ab hujus ſubtribuno manus Gallorum noctu per errorem, velut hoſtes, concideretur. Igitur cum nihil ſe iſtis locis gerere poſſe videret, in Superiorem Alſatiam transire ſatius ducebat, ne forte laceſſentibus Gallis cum ipſis ad manus veniendum eſſet. Mox quoque Hagenoa & Reichshofa Salmenſe concedente à Gallis occupantur. Sed & Lotharingi ferocia initio crepantes, poſt ſolis Forcæi minis territi, haut expectato tormenti ictu, Tabernarum oppidum Gallis tradunt.

1634. Galli Hohenbaarum & Hagenoam Suecis præripiunt.

§. 26. Interim Cæſarei Briſaco famem ſentienti ex Helvetia ſecundo Rheno annonam inferebant; ſimul in Suntgovia Schaumburgius circa cogendum militem acriter ſatagebat; cui Salmenſis cum ſuis reliquiis, & præſidio Hagenoa educto, Lotharingorumque manus accedebat. Hi jam eo usque animis intumuerant, ut Colmariæ obſidium minarentur. Igitur hos conatus mature diſturbaturus Rheingravius, cum duodecim equitum turmis, mille peditibus, ac tribus tormentis Colmaria profectus Sultzam pervenit, ubi Lichtenſteinius Comes, multique ductores intercepti, & inſignis præda parta fuit: reliqui in montes ſine jactura refugiebant. Gebvveila Merſii equites terrore correpti ultro ſe proripuerant. Inde Ruffacum Rheingravius aggreditur, ac reſiſtente acriter præfecto, poſt ruinam factam quatuor locis aſſultum ſimul dat; & cadentibus licet aut lanciis ſuorum non paucis, in oppidum penetrat, octoginta hoſtium cum centurione captis. Cæteri in arcem refugi, mox admotis machinis arbitrio Rheingravii ſe ſubmiſerunt. Interea hoſtis circa Thannam exercitum ſex millibus amplius conſtantem contraxerat, horæ tantum ſpatio à Rheingravii ſtativis poſitis. Sed Rheingravium dudum pugnandi avidum ne cum iſtis manus conſererе poſſet tumentes vernis aquis fluvii, ac uda humus tormentis & equis incommoda, mox cadentes imbres retardabant. Tandem Zulovii legione equeſtri firmatus, explorato hoſtium poſitu, in eos tendere conſtituit; præmiſſoque fratre Joanne Philippo cum equitum peditumque manu, repente ingruens locorum eosdem commoditate exuere conatur. Sed Cæſarei Rheingravii adventu per agreſtes cognito, jam in aciem ſe diſpoſuerant. Igitur prælio commiſſo Suecici pedites primum hoſti altiora campi eripiebant;

Cæſareorum conatus in Alſatia. 2. Febr. 3. Febr. 5. Febr. 2. Mart. Prælium ad Warvveilam.

1634 bant; equites contra incumbente hostili equitatu & peditum parte, ac tormentis licet innoxie tonantibus, initio turbatis ordinibus retrocedebant, mox tamen pedem iterum figebant. Rheingravius, qui cum legione sua equestri, & reliquo peditatu machinisque insequebatur, à fratre certior factus, quantum poterat adproperans ab omni parte hostem invadit, ac facili negotio in fugam conjicit. In ipso conflictus loco Philippus tribunus, magnæ apud Lotharingos existimationis, multique primorum ordinum præfecti cum mille quingentis gregariis cecidere. Salmensis Comes, olim Tabernarum gubernator, Marchio Bassompierius Lotharingorum summus dux, Mercius tribunus cum quingentis gregariis, tormentisq; aliquot, ac signis capti. Victores fugientibus ad Thannæ usque portas insistebant, multis in via cæsis. E Suecicis nemo ductorum præter decurionem, & quinquaginta circiter gregarii desiderati. Watvveila & Senna eodem die arbitrio victoris se permisere, ubi sexcentis adhuc militibus, & plerisque impedimentis hic potitur. Inde Thannæ admotus exercitus, quæ post unius diei verberationem citra exceptionem se dedidit; ducentique pedites sub signa Suecorum recepti, ductores capti. Entisheimum junior Comes Lichtensteinius cum trecentis militibus ultro deserverat, ac Brisacum se contulerat. Castellum quoque ad Huningam, quod paulo ante Cæsarei excitaverant, exigua Suecorum manu adventante, ab istis vacuum destituitur. Beforthum itidem citra pugnam capitur, quod præsidiarii se in arcem recepissent; sed qui post admota tormenta in has se demum leges dedunt, ut ductores, quos inter septem centuriones, in honesta custodia haberentur; gregarii qui Teutonicæ essent nationis, sub Suecica signa reciperentur, exteri quo vellent dimitterentur. Sed ne Luderi Fano Rheingravius potiretur, Gallicus Dux Hebronus obtabat, qui deditionem eius imperando anteverterat. Et quanquam Rheingravius obtenderet, eum sibi præsulatum à Suecis donatum, quem à Gallis præripi haut æquum sit: Hebronus tamen ista flocci faciens oppidum occupabat; & insuper Passavantium arcem tanquam ejus præsulatus appendicem sibi tradi postulabat. Id quod Rheingravius abnuere, ac illum ad Oxenstiernam remittere. Interim Wilhelmus Marchio Badensis septingentos circiter è clade collectos Brisacum deducere laborabat, firmando ibi præsidio. Sed cum Rheingravii frater Pfirtam arcem intercepisset, iste via intercluså in Burgundiam se conferebat. Manus quoq; Suecicorum castello ad Huningam excurrens, multis curribus sale & farina onustis potiebatur, oppressa equitum centuria, quæ illos comitabatur. Cæterum cum Rheingravius post Altkircham ultro deditam Bruntrutum invadere cuperet, ministri Præsulis Basileensis tributa promittebant, si ab hospitiis militum immunes relinquerentur; qui tamen iidem simul Galliæ Regis patrocinium apud ipsius duces imploraverant. Unde contingebat, ut dum jam super deditione oppidi cum Rheingravio tractaretur, Hajus Mumpelgarda accedens Galliæ Regis nomine declararer; Episcopum Basileensem Gallica tutela comprehendi. Igitur iste collitionem cum Gallis defugiens cis Rhenum regreditur, ac Neoburgum invadit. Ubi qui id insidebant primum quidem impetum repellebant; sed altero non expectato Brisacum se conferebant. Hinc Friburgum Brisgoviæ peritur; cujus suburbium impetu capitur, cæsis centum quinquaginta oppidanis, rusticisque qui in armis reperiebantur. Mox oppidum deditionem ultro facit; ac qui arcem insidebat miles post brevem defensionem, tormentis, jactuque ignium adigitur arbitrio se Rheingravii permittere, qui plerosque sub sua signa recipit, cæteros captivos detinet.

Rheingravii per Alsatiam progressus. 5. Mart. 7. Mart. 11. Mart. 1. April.

§. 27. In Palatinatu sub initium anni Philipsburgum in Suecorum potestatem pervenerat. Quanquam enim præfectus Bambergius omnem lapidem moveret, ut vario tractatuum ludibrio id oppidum istorum manibus subtraheret: tamen advigilante Ottone Rheingravio ejus conatus eliduntur, & exterioribus munimentis, telonioque, & piscatoriis domibus occupatis, accessus ad Rhenum præcluditur. Unde fracta tandem pertinacia ipse ad Schmidbergium tribunum procedens super deditione serio tractare incipit, cujus leges per istum ad Rheingravium mittuntur. Quanquam autem extrema Philipsburgicos tame premi nollet Rheingravius, ita ut paucos intra dies citra pactum ad deditionem adigi possent, tamen ob machinationes Gallorum omnem moram periculosam judicans, tat honestas conditiones istis indulget. Enimvero pridie, quam Cæsareis ex pacto excedendum oppido foret, miles adversus præfectos tumultuari, & se illos secuturum negare; queis & extrema à consternatis imminebant, ni ad Suecorum protectionem confugissent, hosque ut oppidum intrare maturarent, rogassent. Ita nulla præsidii deductione opus fuit, & septingenti qui supererant gregarii Suecorum se militiæ tradidere; ductorum plerique Spiram, præfectus Heilbrunnam concessit. Custodia oppidi deinceps Schmidbergio tribuno, qui in eo subigendo egregiam operam navaverat, traditur; & exhausta penus annona diligenter iterum impletur.

Philipsburgum Suecis dedit. 1. Januar. 3. Januar. 7. Januar.

§. 28. Ad inferiorem Rheni tractum Grimbergius tribunus Andernaci præfectus Hachenbergam subito opprimere conatus, cum clade repulsus fuerat. Paulo post iis in oris magnum terrorem dabat Marchio Celadæ, qui cum Hispanicis copiis è Lucenburgico agro Rhenum trajiciebat, ad sylvam Occidentalem Moguntini, & Colonienſis Electorum, Neoburgicique, & Coloniæ urbis copias sibi juncturus, quæ in validum exercitum surrecturæ credebantur. Huic moli quæ pares opponerentur copiæ non adparebant. Ne tamen aperta plane via hosti in Wetteraviam relinqueretur, bis mille quingenti circiter mittuntur, qui aditus obsiderent; quibus parem numerum Landgravius sociaturus erat. Conatus tamen hostis in irritum recidit, auxiliis Colonienſium ob tumultum ibi excitatum retardatis; Neoburgico quoque armis plane superiedente; quem instinctu Suecorum Hollandi monuerant, ut quiesceret. Simul Arausionensis validam manum Rhembercam miserat, Hispanorum motus observaturam. Unde territi Hispani diutius istis in oris morari haut ausi, post direpta quædam loca Rhenum iterum transmiserunt.

Hispani se movent. 14. Januar. 22. Februar 4. Mart.

§. 29. In Westphalia eo tempore non solum agrestium manipuli turbas dabant; sed & Cæsareorum duo millia Monasterii ac vicinis oppidis collecta Suecorum hospitia infestabant, Lumburgumq; arcem ad Ruram fluvium sitam, ac Benthemum occupabant; Ludingshusa quoque arce per præfecti ignaviam facile potiti; cum intra triduum Hassi adfuturi essent, qui subvenirent. Osterholtius quoque, & Eremita tribuni Cæsarei cum viginti duabus cohortibus Blombergam, & post Uffelam oppressam misere diripuerant. His hostium conatibus obviam iturus Melander Hassicus dux cum quindecim equitum centuriis, aliquot mille peditibus ad Dulmenam progressus cohortem peditum cum sexaginta equitibus, mox quinque Bœnningshusii turmas conciderat. Sed dum Dulmena Halteram tendit, hostis repente Rhedam

Acta per Westphaliam. 22. Jan. 7. Febr. 10. Mart.

1634. dam convertit, ac poſt oppidum direptum incenſumque, arcem ſegniter reſiſtente præfecto capit. Quo ipſo hoſtis ſibi viam ad Comitatum Lippienſem, Tecleburgicumque, & Oſnabrugenſem præſulatum aperuerat. His ut ſe conjungeret Gleenius, cum aliqua manu Minda trans Viſurgim in Weſtphaliam tendebat; quem Ericus Andreæ Trana tribunus Succicus inſecutus non procul Mella aliquot ejusdem turmas improviſo opprimit, centumque ac triginta in fuga interficit, præter duo vexilla non paucis captis. Nec Gleenius in Succos firmato pede ipſum expectantes tentare quid auſus, Warendorfium ſe conferebat, hiſce itidem ad ſua regreſſis. Circa idem tempus Guſtavus Guſtavi F. in poſſeſſionem præſulatus Oſnabrugenſis à Regina Sueciæ donati per Oxenſtiernæ delegatos immittitur. Et quanquam initio in ejus verba jurare Canonici obtentu privilegiorum, equeſtris ordo, & oppida metu vaſtationis à Gleenio imminentis tergiverſarentur; mox tamen juramentum præſtiterunt, pleriſque Canonicis exceptis, qui recuſationis ſuæ rationes Oxenſtiernæ ſe approbaturos ferebant.

Obſidium Hildeſiæ lente procedit.

§. 30. In Saxonia Inferiore Brunſuicenſis Dux obſidio Hildeſiæ ſuperiori anno cœpto inſiſtebat majore pertinacia quam ſucceſſu, cum obſeſſi obſeſſores numero fere æquarent. Et quanquam Oxenſtierna ſuaderet rem in commodius tempus differendam, nec labore jam tum attritas legiones plane peſſundandas, ne poſt hoſte ingruente obſidium cum ignominia foret deferendum: is tamen præfracte abnuebat, quod ditionum ſuarum ſalutem ex ea urbe pendere diceret; ac Hildeſia capta Guelferbytum facilius ceſſurum. Igitur placito Ducis morigeratus Oxenſtierna Cniphuſium eo miſerat rebus melius diſponendis; qui ſtatim obſervabat, obſeſſores pro paucitate ſua plus laboris ſuſcepiſſe, quam cui ſufficerent. Neque tamen ipſe operæ pretium facere poterat. Cum enim Oxenſtierna conditiones, quas idem Clericis Oſnabrugenſibus indulſerat velut Evangelicis, oneri ceſſuras retractaſſet, Cniphuſius offenſus miſſionem flagitarat, & obtinuerat, Hildeſiæ tamen obſidio ad finem incubiturus, aut quoad alius in ipſius locum ſuffectus foret. Unde cum ob eam miſſionem ductores imperium ejus parum curarent, ac niſi conſulto prius Georgio Duce parere ipſi nollent; iſte caſtris excedit, obſidii cura Uslario relicta. 28. Febr. Cæterum, obſeſſores quidem munimentum cornutum expugnarant, ac ad labrum foſſæ penetrarant, circa quam replendam ſatagebant. Obſeſſi tamen acriter obſiſtere, crebris eruptionibus obſeſſores fatigare, quos morbi præterea, mortesque, ac crebræ deſertiones valde attenuabant, ut ni plures accederent copiæ, vix ſpes eſſet urbe potiundi. Ea de cauſa Oxenſtierna Kingio tribuno mandat, ut cum ſua & Wilhelmi Ducis tribus legionibus Hildeſiam ſe conferat; qui & jam Peinam duobus inde milliaribus diſtantem pervenerat. Sed VVilhelmus Dux contrariis mandatis legionis ſuas in Eichsfeldiam ire jubebat, quæ & mox à Kingio diſceſſerunt, ne id quidem gratificantes, ut antequam abirent, in ſpeciem ſe ante oppidum ordinibus explicatis oſtentarent, terrendis obſeſſis. Sic iſti quidem nihil effecerunt, quam ut obſeſſoribus annonam anguſtiorem redderent. Circa idem tempus Brunſuicenſis Dux querelam movebat ſuper ducentis equitibus Succicis, quos ſuperiore anno expetierat Brunſvviga urbs, coërcendis Guelferbytani præſidii excurſionibus; velut per iſtos ditionibus ſuis moleſtia crearetur. Re vera autem ſuos potius urbe recipi, ac Succos paulatim iis oris dimoveri cupiebat. Sed cum magiſtratus urbis eos equites ſibi neceſſarios obtenderet, alia via rem aggreſſus ab Oxenſtierna 1634. petebat, ut iſti ad obſidium Hildeſiæ evocarentur. Quod Oxenſtierna neceſſitate urbis, & quod equitum exiguus uſus in obſidio foret, excuſabat.

§. 31. Apud Saxoniæ Electorem primum anni tempus inter clandeſtina cum Fridlando conſilia exigebatur. Sed ejus cædes ſummos juxta ac imos ejus aulæ mirum quantum conſternabat; & poſtquam ſpes hac via Cæſari nocendi decollaverat, nil niſi pacem omnes anhelabant. Quanquam enim legiones apud Zvviccaviam coire juberentur: tamen nullo præterea conatu omnia ad Arnheimii adventum differebantur. Nec poſt huncce ſat diu extractum res magis procedebat; ut ipſe ſerio, an in ſpeciem quereretur: pulcherrimam rei bene gerendæ occaſionem cunctatione corrumpi. Se ut legiones Bohemiæ immitterentur diligenter inſtitiſſe, & adhuc inſtare; ſi nihil maſculi decernatur, ſe munere ſuo abiturum. Nec tanto magis res ſuſcipiebatur, ſed potius legiones ad Zvviccaviam contractæ in hiberna dimittebantur. Eo facilius erat Cæſareis motus è cæde Fridlandi imminentes componere, & cum ex hac parte nihil impreſſionis metuerent, Ducis Bernhardi hoſpitia per Superiorem Palatinatum diſturbare. Nec ullus pudor erat, conventionem, quam Arnheimius cum Bernhardo Duce, ſuper locandis copiis iniverat, retractare. Eodem tempore ab Hiſpanico Legato Oquendi Duce Vienna mittebatur, qui Hiſpanarum Regis ad Electorem literas adferret, quibus ille operam ſuam componendo diſſidio Cæſarem inter & ipſum offerebat. Quem paulo poſt Henricus Julius Lauenburgicus Dux à Cæſare ad utrumque Electorem legatus ſequebatur; ambos ad tractatus pacis ſecum ineundos invitans. Addebantur à Cæſare ad Saxonem peculiaria promiſſa de ſummo Cæſarei exercitus imperio in ipſum conferendo, ſi ſuas copias conjungere vellet; aut per totam Sileſiam pro Saxonicis hoſpitia, ſi induciæ placerent. Quid reſponſi datum fuerit nobis non conſtat. Pacis tamen tractatus Saxoni non diſplicuiſſe, eventus oſtendit. Alt Brandeburgicus peculiarem pacem abnuebat, infirmam eam, & recidivæ obnoxiam ferens, ni univerſos quorum intereſt complecteretur: eoque rem ad Francofurtenſem conventum rejiciebat.

Saxo patrem cæpit.

4. Mart.

14. Mart.

Per Sileſiam acta.

§. 32. In Sileſia Henricus à Dona Cæſareus Dux Wartenbergam arcem deditione ceperat. Lauterſonius quoque tribunus Namslaviam ſcalis improviſo admotis oppreſſam, omni libidinis, avaritiæ, & crudelitatis genere per triduum vexaverat. Urbs quoque Wratislavia ob favorem in Evangelicorum partes eminus circumſeſſa, ac ſubvectio intercluſa irridentibus oppidanis, quia antea copioſe ſibi proſpexerant, & auxilio Succorum, Saxonumque in Baſilica, & Arena Cæſareos per crebras irruptiones multabant. Et inter alia Haſenburgii tribuni legionem, & mox quinque equitum turmas deleverant. Duvvalius quoque dolore cladis ad Steinaviam acceptæ ſaucius, qua triginta per annos partam exiſtimationem prodegiſſe arguebatur, ab Oxenſtierna poſtulabat, omnes ductores, qui ibi fuiſſent, ad cauſam dicendam judicio bellico ſiſti. Nec ipſe cum exigua, quam habebat manu, hoſti quantum poterat damni inferre omittebat. Cumque aliquandiu Briegæ egiſſet, Wratislaviam iturus in itinere pontem Oláviæ incendit, impetu expugnatis ad utramque ripam poſitis caſtellis, cæſisque aut captis propugnatoribus. Indecum ab Wratislavienſibus aliquot peditum centurias ad paucos dies commodato accepiſſet, Oelſam, ubi legio cataphractorum ſexcentis capitibus conſtans, & duæ dimacharum cohor-

8. Jan.

28. Jan.

Duvvalius ſe movet.

1. Mart.

1634. cohortes agebant, ipſe cum ſeptingentis noctu tendit, ac primo mane oppidum arcemque affultu expugnat, omnibusque ductoribus, & quadringentis quinquaginta gregariis captis reliquos trucidat, Ducem, qui jamjam in cuſtodiam alio erat abſtrahendus, multosque nobiles hoſtium manibus ereptos Wratislaviam deducit. Sed cum idem Wratislavienſes pecuniam poſceret augendis copiis, illi longe recuſabant, ac ad Oxenſtiernam relaturos ſe dicebant. Unde is ex ægritudine animi in morbum incidebat, quod deficiente argento non ſolum delectus ſiſterentur, ſed & quem tanto labore jam coegerat, miles dilaberetur.

4 Mart.

Mortis ob eandem Fridlandi.

§. 33. Eo tempore Troppaviam Schafgotſchii ſubtribunus Freibergius cum octodecim centuriis obtinebat, qui ſolus ob eadem Fridlandi, & ducis ſui captivitatem turbas dare auſus eſt. Is quippe Fridlandi ſe partium ferens peculiarem hujus legionem pedeſtrem, & Bohemicos dimachas ſibi adjungens in mortui jam Fridlandi verba adigit, ſimul ſoluto menſtruo ſtipendio conciliat, & quatuor equeſtres legiones conſcribere incipit. Erant ipſi in oppido octodecim machinæ, & annonæ affatim. Tantum ducem petebat imperio gerendo aptum, & manum equitum excurſionibus in Moraviam inſtituendis. Et videbatur ingentem flammam genitura hæc ſcintilla, ſi ſpatium daretur. Sed cum Evangelicorum auxilia Cæſarei præverterent, intra primordia ignis extinguitur. Statim quippe Gœtzius cum aliquot equitum peditumque millibus adproperat, ac poſt Leobſchutziam, Carnoviamque, quam Freibergius præſidio firmaverat, expugnatam, Troppaviæ obſidium circumponit. Et reſiſtebat is quidem aliquantiſper; ſed cum nihil ſubſidii adpareret, ac à Schafgotſchio è cuſtodia deditio imperaretur, Gœtziusque impunitatem promitteret, flectebat, & ad Cæſaris obſequium redibat. Nec eo ſecius Vienam in cuſtodiam rapiebatur.

Landsberga capitur.

§. 34. Ea tamen occaſione uſus Leslæus, cum ad oriens iſtud incendium reſtinguendum Cæſarei duces undique concurrerent, de Landsberga invadenda conſilium cepit. Eoque copiis per Pomeraniam contractis apud Drieſenam ponte extructo Wartam transmittit, caſtellumque ad

15. Mart. ripam Landsbergæ oppoſitum citra jacturam in poteſtatem redigit. Miſſi quoque qui per Sternbergenſem tractum ſpartos conſectarentur. Ex altera parte ad oppidum acceſſus fiunt, quod Schlickius Comes cum duodecim centuriis ſtrenue propugnabat, crebraſque eruptiones etſi non

26. Mart. citra ſuorum jacturam tentabat. Sed tandem fractus honeſtis conditionibus deditione facta Glogaviam Majorem dimittitur. In oppido viginti ſeptem tormenta, & apparatus bellici, annonæque copia non ſpernenda reperta.

Conventus Francofurtenſis acta.

§. 35. Inter iſta tempus conventui Francofurti ad Mœnum habendo aderat, ad quem omnes Evangelici per Germaniam invitati erant; num in unum connecti fœdus poſſent, æquandis hoſtium viribus, & ut eo citius honeſta, & ſecura pax obtineri poſſet. Ad iſtum quatuor Superiorum Circulorum Ordines mature coiverant; pletique Saxonicorum tardius adveniebant, Holſatis plane emanentibus. Weſtphali Comites vario obtentu abſentiam excuſabant. Schaumburgius tantum non captivum ſe, Friſiæ Orientalis Comes minorennem ferebat, & Ordinibus provincialibus obnoxium. Oldenburgius neutralitatem ſibi promiſſam, & citra Daniæ Regis conſen-

28. Mart. ſum nihil ejusmodi ſe audere. Oxenſtierna tamen

Oxenſtiernæ propoſitio. non eo minus negotio initium daturus; poſtquam de ſuo circa bellum finiendum ſtudio, hoſtiumque tergiverſationibus & artibus præmiſiſſet, futuræ conſultationis capita proponebat; de animis, conſiliis, atque armis conjungendis, quo unico medio hoſtis ad honeſtam pacem bona fide amplectendam compelli queat; in quas leges pax facienda; quid Daniæ Regi mediationem denuo offerenti reſpondendum; de Succorum præmiis; de mediis bello alacriter continuando ſuppeditandis; quomodo Galliæ Regi circa Philipsburgum ſit ſatisfaciendum; de neutralitate Neoburgico concedenda; quibus denique conditionibus extranei Principes aut Reſpublicæ, ſi qui velint, in ſocietatem adſciſcendi ſint. Quæ capita ab Oxenſtierna ſtatim ad Daniæ Regem & Saxonem transmitte- 29. Mart. bantur, ut intelligerent, rectæ ipſum viæ circa pacem reducendam inſiſtere; ſimul ut in eundem finem operam ſuam conferrent rogabat. Quanquam autem res utique exigeret ob imminens ab hoſte periculum conſultatione maturari; tamen quod Saxonici Ordines nondum adveniſſent, cæteri ad deliberationes ſuper ſumma rerum accedere verebantur, ne iſti neglectos ſe, aut præjudicio oneratos queri poſſent. Et cum eo tempore Bernhardus Dux quoſdam Ordinum ex improviſo hoſpitationibus oneraſſet, ea res initium Conventus non modicis difficultatibus implicabat, irritatis Ordinum animis, & diverſa conſilia agitantibus, ſic ut tempus conſultationibus de ſumma rerum impendendum, aſperis & altius penetrantibus querelis conſumeretur. Nec ſane probari Ducis factum poterat non præmonitis Ordinibus ſuſceptum, & quod nulla neceſſitas, aut ratio belli excuſaret, turbatis inſuper militari petulantia ſementis laboribus. Ita menſis prope elabebatur, quo nihil ad rem faciens ageretur.

De Palatini Neoburgici neutralitate.

§. 36. Primum ibi diſceptatum de Neoburgico Palatino belli moleſtiis exemendo, quem inter & Oxenſtiernam acres antea literæ hinc inde ſcriptæ fuerant, illo querente, bello ſe citra cautam petitum, hoc, ut Ligiſtarum fœderi ſe innectere ſuperſedeat, non ſine minis monente. Quæ tamen diſceptatio ultra verba non procedebat, ac res ad iſthunc Conventum rejiciebatur. Ubi per Palatini 23. April. Legatum exponebatur de damnis in Juliacenſi, ac Neoburgica ditione datis, cum Princeps ſuus nihil hoſtile in Succos ſociosve tentarit; ut ſatis eidem cauſæ fuerit cum hoſtibus ipſorum arma jungendi. Sed quia ſpes facta ſit illa emendatum iri; nunc petere, ut ex omnibus Palatini terris miles Succicus deducatur, ac Siburgo præcipue clientelę ſibi nomine ſubjecto: tum ut ſaltem peculiaria ipſius bona ablata reſtituantur; ac deinceps ejusdem ditiones plena neutralitate fruantur; quam ipſe quoque à Cæſare, & Ligiſtis impetraturus ſit. Ea occaſione Palatinus Sultzbacenſis ſuper Ducatu Neoburgico litem intendebat, velut per avitum teſtamentum ad ſe devoluto, quod iſtius leges à Neoburgico violatæ forent. Sed cum intempeſtivum videretur hac rerum facie Neoburgicum plane alienare, Sultzbacenſis monebatur modeſtius rem urgere & commodiori tempori perſecutionē juris ſui reſervare. Aſt de neutralitate Juliacenſibus ditionibus concedenda facile conveniebat. Sed ſuper Neoburgico Ducatu, & Siburgo diſceptatio per totam æſtatem extrahebatur. Tandem mutuo concedebant ob inſecutam cladem Norlingenſem, & quia Palatino cum Ordinibus ſuis provincialibus lis orta fuerat, qui privilegia ſua ab ipſo violari apud Cæſarem queſti fuerant. Unde Cæſar ad cauſam cognoſcendam Philippum Manſfeldii Comitem eo miſerat, eaque occaſione Palatini ditiones tributis ſubjicere conabatur. Simul Ordines inimica in Principem conſilia agitabant. Igitur circa Neoburgicam ditionem placebat, ut ea belli oneribus, ſicuti aliorū Fœ- 1. Sept. deratorum terræ ſubjecta foret, ſalvis tamen Pa-

1634 latini jurisdictione, ac quantum tempora ferrent reditibus, quoad belli ratio eam plane immunem reddi pateretur: Suecica quoque præsidia Ducatu Bergensi deducerentur, ipsoque Siburgo, cui tamen munimenta prius detrahenda sint. In posterum sincera iis in locis neutralitas sit; ac Palatinus copias suas exautoret, Sultzbacensiumque prætensionibus æquum se præbeat. Ac ne dimissus à Palatino miles Cæsareis accederet, cum Araussionensi agebatur, ut illum ad se pertraheret. Cæterum cum eam Evangelicorum declarationem Neoburgicus Catholicis Ordinibus Coloniæ congregatis offerret, utque sibi pariter ab ipsis caveretur peteret; illi Cæsaream ratihabitionem præstare non poterant. Unde cum eorum declaratio imperfecta, & obscura petito Evangelicorum non responderet, negotium hoc ad finem perduci non poterat.

Electoris Saxoniæ propositio. 3. Maji.

§. 37. Paulo postquam cum Neoburgico agi cœptum, Saxoniæ Electoris Legati à misero Germaniæ statu exorsi multis verbis Principis sui pacificam mentem extollebant, qua impellente universorum Evangelicorum conventum indicere voluerit, pro autoritate sibi per Lipsiacum fœdus collata: quod institutum per quatuor Superiorum Circulorum inter se & cum Suecis confœderationem interruptum fuerit. Inde exhaustis omnibus Rhetorum loculis ad pacem amplectendam eos hortabātur. Nec obscure improbabant, prætulatus bello occupatos alienari, ac in sæculares ditiones mutari. Addebant, non omnia ancipiti aleæ Martis exponenda; & cum nemo Electori ad sustentandas suas copias subsidii quid conferat, sumtibus diutius ferendis ipsum imparem esse; eoque mature ad tractatus descendendum, nec omnia ad unguem exigenda, ac ejusmodi pacisconditiones proponendas, quę commode obtineri queant; de quibus in antecessum sit convenendum, ac certum scopum tam funesto bello præfigendum. Circa Suecorum præmia monebant, Gustavum Regem declarasse, se eo nomine Saxoni nihil imputare: etsi operam ejus nationis egregiam præmio mactari par utique sit: Suecos tamen prætensionem suam ita moderaturos, ut commode eidem satisfieri queat; præsertim cum Gustavus Rex profectus sit, sua arma Romano Imperio, à quo læsus non fuerit, fraudi non fore. Ad hæc post mentem fere elapsum, Fœderati ob Heilbrunnense fœdus perstricti, quid post Lipsiacum conventum acciderit, exponunt & quod rerum conditio non tulerit Saxonis conventū expectare. Cæterum pacis se quoque cupidos, nec bello causam dedisse, nec cur illud huc usque extractum sit, culpam penes se esse. Super conditionibus pacis se quam maxime solicitos esse, præsertim cum Suecia conjunctas secum rationes habeat, ac tam multos præsulatus bello partos possideat. Sed cum hostis omni via ad scopum suum grassetur, sibi vicissim omnia pro sui defensione expedienda, quoad honesta ac tuta pace potiri detur: super cujus legibus adornandis Saxonicos, ut mentem suam exponerent, rogabant. Sibi exploratum esse, uti hostis summam consiliorum in Evangelicorum divisione collocet; ita salutem suam conjunctione animorum, armorumque stare. Ad quam Saxonem invitant, ac ut ad finem usque belli durare, & communicatis secum consiliis rem gerere velit; suum vicissim auxilium prolixe offerentes.

Fœderatorum responsio. 31. Maji.

Daniæ Regi super loco & tempore tractatuum respondetur. 30. Maji.

§. 38. Super loco & tempore tractatuum Daniæ Regi Fœderati respondent; Lubecam nimis remotam; Mulhusium bello attenuatum, & Marpurgum nupero contagio tam splendidi conventus haut capacia. Ipsi contra ubi Francofurtum non placeret, Erfordiam, Spiram, aut Wormatiam proponebant. Tempus quod spectet, rem quam primum suscipi placebat, ut tamen inter indictionem & tractatus initium mensis minimum intercederet. 1634
Circa talyi conductus literas monebant, ut illę non solum Lipsiaci fœderis socios, sed & quam maxime Coronam Sueciæ, cæteroiqui Reges ac Respublicas, qui legatos eo mittere velint, complecterentur; quarum formula, simul quomodo fiduciariæ literæ forent concipiendæ, proponebatur. Ista decreta cum ab Ordinibus subscribenda forent, lis inter Equestrem Ordinem, Urbesque Imperiales super digniore loco oriebatur; cui declinandæ peculiares literæ ad Daniæ Regem ab Equestri Ordine scribebantur. Rex cum alia ab Ordinibus proposita, tum de tractatu pacis Francofurti instituendo probabat, cujus initium mense Octobri fieri placebat; eademque ut à Cæsare quoque admitterentur, operam se daturum pollicebatur. Quæ tamen facie rerum post mutata, irrita fuere. Alt circa universorum conjunctionem, mediisque bello continuando expediendis tanto temporis spatio parum promovebatur, etsi gliscens indies hostium potentia isthæc ante omnia maturari suaderet. Quas moras Ordinum in tam arduo negotio tempus inutili sermocinatione terentium pertæsus Oxenstierna, Moguntiam tantisper secedebat, num forte ipso abiente serio magis rem gerere instituerent.

Acta cum Helvetiis & Rhætis.

§. 39. Interea cum Helvetiis Evangelicis ac Tigurinis præcipue actum fuerat, ut fœderi Heilbrunnensi nomina dare vellent. Adquod etsi permoveri non possent; pronum tamen satis animum in Fœderatos testabantur, ac copiis ex Italia per Gothardum montem iter occlusuros se promittebant. Rhæti quoque transitum per Vallem Tellinam in Tirolensem provinciam obstruere parati erant; sed soli eam rem absque Gallorum auxilio suscipere non audebant. Atque his cunctantibus ad Oxenstiernam scribebant, operam suam apud Gallos interponeret, ut ei negotio manum admovere vellent. Sed frustra ministris Gallicis stimulos admovebat Oxenstierna, sicut eo tempore claustra Alpium magno Evangelicorum cum detrimento non occluderentur.

Infructuosa in Angliam legatio. 26. Mart.

§. 40. Nec in Anglia operæ pretium fecerat Joannes Oxenstierna, quo è Belgio trajecerat. Is post tertiam ab adventu suo septimanam honore Legatis solito in aulam adducebatur, etsi pater, ubi quid ceremoniarum omitteretur, id negligere mandaverat. Inde cum post publice facta verba privatim Regi petita sua expositum venisset, ac multos Proceres in conclavi adsistere conspiceret, quibus parum fidebat, prævalente tunc apud eam aulam Hispanica factione, termonibus obiter oblatis tempus terebat, ac verbo tantum innuebat, se militem ac pecuniam petitum venire. Cui paucis verbis Rex reponebat: pacem quærendam, & cogitandum, quos jam tumptus ipse fecerit. Sed tandem solo cum Rege loquendi copiam nactus de statu rerum in Germania demonstrabat, & ut Rex paci promovendæ operam conferre velit, cujus conciliatorem Danus denuo se ferat; tum ut bello continuando subsidia conferat, militis quoque per Britanniam conducendi copia facta. Contra Rex primo mirari se respondebat, quod nullis à Regina Sueciæ, aut Fœderatis Germaniæ Ordinibus literis fiduciariis instructus veniret. Nam si de fœdere cum ipso tanquam Legato tractandum sit, de autoritate ipsius constare debere. Oxenstierna de fœdere concludendo sibi in mandatis datum negabat: sed si Regi placeat suam mentem super eo declarare, se quid sibi videatur expositurum, ac ad suos relaturum. Cæterum à patre se delegatum, cui summa rei Suecicæ per Germaniam, & fœderis Heilbrunnensis directio sit commissa; nec alia sibi autoritate opus esse: ac Fœderatorum nomine se militem ac pecuniam petere. Ad quæ Rex reponebat; 2. April.

hac

1634 hac tempestate viris à se Regnum exhauriri non aut ejus eruptio indies metuenda foret, in chartam debere, cum sibi in futurum cautum non sit, ac pax à vicinorum lubitu pendeat. A Patre suo ac se maximos sumptus factos, nullo emolumento, aut gratiæ spe. Evangelicos sæpius de subsidio ipsum interpellasse, nec vicissim conditiones Regno suo proficuas obtulisse. Nepotum suorum restitutionem curæ sibi fuisse, ac fore. Alias se non videre, in cujus gratiam, aut quo fine isti bello implicari debeat; cum Germania situ remota parum ipsum tangat. Collaturum se tamen operam, ut pax iterum coeat; quæ optima ac tutissima sit via res afflictas reparandi. Cum inde Oxenstierna de rebus Germaniæ, Fœderatorum consiliis, ac necessitatibus multa exponeret, & quantopere ipsum Palatina causa tangeret, Rex probe rem percepisse videbatur, & parum quod reponeret habebat. Post tamen scripto responsum: cum Oxenstierna præparando duntaxat fœderi venerit, se Amstruterum Francofurtum super eodem concludendo missurum, ubi & de subsidio sit agendum, quod fœdus consequi debeat. Sed cum Oxenstierna rebus tantisper sustinendis à simplici liberalitate auxilium peteret; nihil aliud responsum, quam tale quid ante fœdus à se nec peti, nec præstari posse. Tandem ne id quidem impetratum, ut proprio argento in Anglia, & Scotia militem conducere liceret, supplendis ejus nationis legionibus, quod tamen antea quibusvis fere petentibus permissum erat, quicquid etiam Patritius Rudyvenus, & Alexander Leslæus instarent. Nec aliud responsum, quam ipsi Regi fortasse mox milite suo opus fore, cum omnes circum vicini in armis sint, ac edicto quorumvis exterorum delectus jam prohibitos. Qua ex denegatione non modicam pecuniæ jacturam faciebant Fœderati, cum multi ductores spe militis conducendi eo profecti essent; aliqui, quos jam autoraverant, dimittere cogerentur. Sic nulla re obtenta Oxenstierna discedebat, aliquoties oblata à Rege magni pretii argentea vasa acceptare abnuens. Porro veniebat quidem Francofurtum paulo post à Rege missus Amstruterus; sed qui præter verba honoris, & monita ad amplectendam pacem nihil quod ad rem faceret, adiferebat. Quin & per se, & simulato Palatinatus Administratore, non tegnem operam rebus turbandis una cum Gallis, & Saxone navabat.

Saxoniæ Electoris querelæ, 2. Junii.

§. 41. Ast Francofurti Saxoniæ Electoris Legati, Oxenstierna digresso novum Fœderatis Ordinibus scriptum tradunt, plurimis querelis refertum; ut Electori, qui in ipsorum gratiam pacem bello permutarit, nihil tantis meritis dignum sit relatum, sed potius propria ipsius ditio belli malis involuta; Magdeburgicus & Halberstadiensis præsulatus, in quos filio suo jus quæsitum, prærepti, qui nunc donationibus fœde distrahantur. Inde ut sua sibi jura salva præstentur, & militaris licentia corrigatur, postulabat. Simul utrumque Circulum Saxonicum sustentando suo exercitui deposcebat, cujus alias alendi nulla foret facultas. Tandem ne directio rerum extraneis committatur, neve exterorum fœderibus, aut peculiaribus inter se vinculis connectantur, sed ut legibus potius Imperii omnes adquiescant ita aperte suadebat, ut omnia, quæ hoc gererentur, ab ipso improbari satis adpareret. Quæ omnia etsi à Fœderatis Circulis sat solide excusarentur, aut convellerentur: tamen quid ab isto ad causam communem subsidii foret expectandum, non amplius obscurum erat.

Motus Circuli Inferioris Saxonici.

§. 42. Inter hæc Inferioris Saxoniæ Ordines non pauca monita circa rem suam militarem apud Oxenstiernam scripto exponunt. Quæ in se quidē satis æqua videbantur, sed viribus hostium, ac præsenti rerum conditioni non usquequaque congrua, & quod hostis adhuc in visceribus Circuli hæreret, citius conjici quam executioni dari apta. Id quod ab Oxenstierna scripto Moguntia misso late demonstrabatur. Mox utriusque Saxonici Circuli Ordines, excepto Saxoniæ Electore, prolixo & multis capitibus constante scripto declarant, quibus conditionibus cum quatuor Superioribus Circulis, ac post cum Sueciæ Corona fœdere jungi velint. Quibus tamen hæc conditio præmittebatur: Si prius super præmiis Sueciæ conventum sit; alias se nolle cæteris, quæcunque acta forent teneri; id quod instinctu Brandeburgici Pomeraniæ metuentis insertum fuerat. Quibusdam etiam hanc exceptionem addere placebat, ut Saxoniæ Elector, si non fœdere, saltem sincera amicitia ipsis conjunctus maneret. Quod si super his omnibus conventum foret, tunc demum & de summæ rei directione mentem suam declaraturi erant. Quid circa proposita ab his monendum foret, Superiores Circuli anxia & lenta deliberatione trutinabant; quas moras perræsus Oxenstierna vicinos Ordines, ac cumprimis Landgravium Wilhelmum Francofurtum invitabat, ut autoritate sua istum lentorem castigarent. Et cum tandem bona fide negotium processurum videretur, ipse Francofurtum sub Junii mensis finem redidat, si qua negotio exitum invenire posset. Ac jam Superiores Circuli sua monita circa propositas à Saxonibus conditiones expromebant; qui in eo potissimum ab ipsis discrepabant, quod Superiores Circuli ilthac conjunctione omnes Evangelicorum vires in unum redigere corpus vellent, quæ & Oxenstiernæ mens erat; sic ut nulli Circulo peculiaris miles aut ærarium foret, sed quicquid virium esset ad universos indivisim spectaret. Contra Saxones obnixe contendere, se proprio milite & ærario cedere non posse, & conjunctionem ita temperandam, ut singulis Circulis suæ copiæ, ac erogationum dispensatio relinquantur. Promittebant tamen, universorum conservationem sibi cordi fore, ac ubi hostis Saxonia pulsus fuerit, aut si citra manifestum periculum id fieri queat, se maxima exercitus sui parte laborantibus, idque proprio sumtu succursuros, eadem sibi ab istis stipulati. Hoc infinitæ disceptationis campus pandebatur, dum utraque pars firmandæ suæ sententiæ rationes corradit. Ac prævidebant Superiores, ni à Saxonibus subsidia sibi ferrentur, gliscentibus indies belli oneribus, ac attenuatis viribus res suas brevi collapsuras. Eoque hosce in suam pertrahere sententiam nitebantur, quod sperarent, si omnia in unam reducta massam, ac arbitrio summi directoris subjecta forent, Saxonum se milite ac pecunia pro re nata usuros; præsertim cum belli moles jam ipsis incumberet, & ex sua conservatione summa rerum penderet. Id quod alias, ubi penes quemque Circulum suarum virium dispensatio foret, ob privatos respectus ægre obtinendum erat. Enimvero quo magis Superiores mentem suam panderent, eo magis Saxones tergiversari, ac sui sibi exercitus ærarii que curam, & si sub summi Consilii directione, vindicabant; jactantes se ab initio maxima belli onera sensisse, Gustavi Regis destinata non minus quam alios juvasse; pari jure se ab aliis, quo alii à se subsidia postulare posse. Ita nemo non hoc in bello plurima pertulisse, impendisse, ac patrasse videri volebat: in futurum certabatur, quis minimum ferret, faceret, aut impenderet, quicquid tandem de summa rerum fieret. Testabantur tamen Saxonici, se bona fide cum Superioribus conjungi, & eandem cum ipsis fortunam subire velle: nec prærogativam à se quæri; nec à communi se causa secessionem facere, supremove Consilio se subtrahere sibi propositum. Sed, quam offerebant conjunctio iis conditionibus circumscripta erat, ut privati respectus communi salu-

1634 16. Junii. Conditiones, quibus Inferiores Circuli Superioribus jungi volunt.

29. Junii Discrepantia Superiorum Circulorum ab Inferioribus.

1634. luti ubique non obscure præponderarent, ac supremo Directori parum potestatis relinqueretur. Nam Elector Brandeburgicus copias suas non longius à sua ditione abduci volebat, quam ut hoste invadente præsto esse possent. Et Inferiores Saxones prius loca ab hoste apud se infesta recuperare contendebant, tunc demum quæ necessariis supersessent præsidiis auxilio cæteris submitturi. Sed & instigantibus Electoris Saxoniæ Legatis, Altenburgicus, ac Vinariensis Dux; Anhaldinique jactabant, utrumque Saxonicum & Westphalicum Circulum inter se sociatos Saxoniæ Electoris supremæ directioni committendos; tantum ut universorum conjunctioni remoram injicerent, ac Oxenstiernam administratione rerum dimoverent. Videbatur tamen ea fœderatio facilius processura, si cum solis Inferioribus Saxonibus negotium fuisset, etsi & inter hos non omnes æque proclives ad eandē erant. Sed cum isti Superiores Saxones sibi copulassent, per utrumque Electorem majoribus difficultatibus res implicabatur. Saxo enim ab initio societatem illam aversatus, eo commodiorem jam ansā nanciscebatur ist hanc turbandi, quo tardius tanta multitudo capitum inter tamdiversa studia moliebatur. Nec parum remoræ consiliis injiciebatur per istius cum Cæsare tractatus tunc quam maxime ferventes; qui non solum Saxones à conjunctione retrahebant, sed & quosdam è Superioribus Circulis adverterant. Cum enim considerarent, quid jam bello absumpsissent, & quid adhuc facultatum supersset, simul quam immensis sumtibus bellum deinceps foret alendum, quos exhaustæ ac vastatæ regiones ægrius indies tolerabant; anxium pacis desiderium subibat. Et cum Dani mediatio in longum prominceret, Saxonis autem cum Cæsare tractatus sinceram, tutam, & ad universos spectantem pacem jactarentur parturire; spes concipiebatur per istos viam apertum iri infinitis belli oneribus, simul glisscentibus indies periculis brevi amoliendis.

Silesiæ Ordines fœderi adscribi volunt. 22. Julii.

§. 43. Inter istas disceptationes Legati aderant à Lignicensi, Briegensi, ac Munsterbergensi Ducibus, nec non urbe Wratislavia nomine omnium Evangelicorum per Silesiam Ordinum missi, qui fœderi quod tunc Francofurti agitabatur adscribi cupiebant. Protestati tamen id à se fieri adversus iniquas oppressiones, ac ad salutis libertatisque ac jurium suorum conservationem salvo vinculo, quo Bohemiæ Regno teneantur, salvisque pactis, quæ sibi cum Poloniæ ac Hungariæ Regnis intercederent. Conditiones quas ferebant huc fere redibant. Ut sui militis ærarique penes se ipsos administratio sit; pax non ineatur, nisi gravamina ipsorum abolita, libertatique cautum sit; ac ob ist hanc confœderationem ab universis indemnes præstentur. Et erat sane egregia occatio fœdus Evangelicorum extendendi. Sed cum inter Circulos nondum conveniret, quibus legibus ipsi inter se jungendi forent, tertium in societatem adsciscī præmaturum erat. Unde re in longum extracta, ac interveniente clade Norlingana, Oxenstiernæ id negotium, prout è communi usu videretur, perficiendum relinquebatur. Sed tunc summa rerum eversa, ac ingruente hoste is tractatus ultro evanescebat.

De belli sumptibus consultationes.

§. 44. Nec parum negotii Superioribus Circulis dabat consultatio super expediendis belli erogationibus; quibus tributa Ordinum, decimæ fructuum, bello parta, extraneorum subsidia destinabantur. Quæ ut parce ac citra fraudes dispensarentur, non minus anxia disquisitio erat. Admiscebatur querelarum vis tum Ordinum inter se, belli onera inæqualiter distribui arguentium; tum adversus militum petulantiam, præfectorumque avaritiam, & quam in fraudem Ordinum sibi arrogarent autoritatem. Istæ querelæ, ac quæ iisdem medendis proponebantur, etsi manifesta niterentur æquitate; tamen dum de summa rerum deliberatur, intempestive movebantur, ac rem majoribus difficultatibus involvebant, Ordinibus tributa, & alia bello necessaria depromere abnuentibus, nisi ista prius emendarentur. Cum tamen æger animis miles disciplinæ militaris legibus nullo modo adstringi posset, nisi stipendiis, & annona prius expedita. Cæterum res ista sæpe hinc inde disceptata; sed nihil solidi decretum, multo minus executioni datum; prolixi sermones, excusationum affatim, rei nihil. 1634.

Super Succorum satisfactione disceptatio.

§. 45. Enimvero longe gravius impedimentum adferebat Succorum satisfactio, super qua ut prior suam sententiam proferret Oxenstierna, Ordines solicitabant. Ast illi potius videbatur, summam rerum conjunctis animis; viribusque in tuto collocare; quo obtento super reliquis facilius conveniri posse. Quia tamen iste ad quasdam conjunctionis leges à Saxonicis propositas annotaverat; eas sibi probari, modo Succorum satisfactio expedita foret, Saxonici hanc ansam arripiebant, velut res citra istud caput ad exitum perduci non posset, denuo eundem urgendi, ut rationem definiendo isti negotio indicaret. Sed is decori retinens, simul invidiam metuens, finistrosque sermones in Regnum, ac se redundaturos, si quid non omnibus æque gratum proponeretur, aliorum prius sententiam audire, quam suam expromere malebat. Igitur ea disceptatio primum inter Ordines suscipitur; quorum aliquibus videbatur, eam rem ad pacis tractatus differendam, ibique definiendam; quod dubio adhuc belli exitu forte promitti queant, quæ tunc præstari non possint. Si quid nunc decernatur, quod uni vel alteri displiceat, causam offensæ inter Ordines orituram; nec hostem, si resciscat, neglecturum ea dissidia in usum suum convertere. Nec Saxoniæ Electoris & cæterorum abtentium quorum etiam interest, mentem super ea re nisi inter pacis tractatus cognosci posse. Spem quoque esse collaris omnium consiliis exitum rei felicius inventum iri. Suberat insuper arcana ratio, quod bello finito, ipsisque extra periculum constitutis, facilius se Succis quas placeret conditiones obtrudere posse sperarent, quam nunc, quando eorum auxilio carere non poterant. Sed & Oxenstierna eam rem fervide urgendam non judicabat, ne distractionem inter Ordines efficeret; & quod videret, Succos commode se bello subtrahere non posse, quoad pacem communem Deus annueret. Vincebat tamen major pars, quæ hanc rem utique decidendam pertendebat, quod non parum ad firmam conjunctionem faciat, si omnia suspicionum semina removeantur. Et inter præcipua consultationis capita id quoque fuisse propositum. Igitur collatis consiliis demum declarant; tribus modis satisfieri Succis posse, tradita certa ditione, auxilio mutuo, aut pecuniæ summa. Sed cum Gustavus Rex inter cautas belli tulerit oppressorum Ordinum liberationem, qui & statim atque facultas fuit ad promovenda ipsius destinata omnem operam contulerint; spem sibi esse Coronam Suecia nihil adpetituram, per quod sociis atque amicis aliquid decedat; eoque ex adversæ partis ditionibus bello jam occupatis ipsi esse satisfaciendum. Circa mutuum auxilium, ac pecuniarium præmium satis promtos se fore. Oxenstierna media satisfactionis abunde ab Ordinibus expensa esse judicabat, nisi quod parum distincte exprimerentur. Igitur cum nec ipse quid certi definire vellet, responso suo, quod paulo obscurius rem insinuabat, Ordinibus ansam præbere volebat, absque circuitione eam promendi. Eoque è præscripto Rectorum Suecia gradatim processurus, quod difficillimum obtentu erat, primum per ambages insinuabat: terras hostibus ereptas ita positas, ut ex iis Suecia nihil robo- 14. Julii.

1634. roboris aut emolumenti accedere queat: quæ tamen eædem opportuno ſitu quorundam Ordinum ditiones contingant. Igitur ejusmodi regionem Ordinibus diſpiciendam, quæ ad incrementum ac ſecuritatem Sueciæ aliquid faciat, quaque ipſa commode uti frui queat. Ne tamen eo modo aliquid Imperio detrahatur, ſuper eo cum Ordinibus conveniri poſſe. De reciproco, quod offerebant, fœdere gratias agebat. De pecuniis addebat impenſas Suecorum æſtimatione ſuperiores eſſe, profuſo inſuper ſanguine Regis incomparabilis, & tot fortium virorum: & Ordinibus bello exhauſtis pecunias conferre arduum fore. Sed cum ipſis placuerit, ditione quapiam data gratum in Suecos animum oſtendere, talem propoſitum iri ſperare, unde Sueciæ aliquod emolumentum, quod factas expenſas ſoletur, redeat. Quod ſi forte uni aut alteri Ordinum inde quid decedere videatur, id ex occupatis Præſulatibus ubertim ſarciri poſſe, Ordinibus evictionem præſtituris.

Pomerania ſit pomum Eridis.

§. 46. Enim vero ab iſta re Brandeburgici immane quantum abhorrebant, ne hilum quidem Pomeraniæ, quam innui ab Oxenſtiernio non amplius obſcurum erat, gratis aut accepta penſatione conceſſuri: tractis quoque in ſuas partes utriuſque Saxoniæ Ordinibus, ut non parum à priore ſententia circa Suecorum ſatisfactionem recederent, novamque declarationem Oxenſtiernæ offerrent. Ejus ſumma huc redibat; Præmia Suecorum ex hoſtico petenda, nec pro hoſtium rebus haberi poſſe, quorum poſſeſſionem hi paulo ante amicis ipſorum per injuriam extorſerint; nec jus belli adverſus ſocios allegari poſſe. Undeſibi non perſuaderi, Suecos quidpiam in quempiam ex Evangelicis prætendere. Satis tamen gratum animum adverſus Suecos oſtendiſſe ſe judicabant, ſi fœdere ipſis in communem hoſtem jungantur, pacem non facturi niſi comprehenſis ipſis ac ſatisfactione præſtita; ſi magnos exercitus maximis ſumptibus comparent; ſi perpetuam cum ipſis amicitiam ſanciant; mutuũ inſuper auxilium, reducta pace, ac pecuniarum ſubſidium exhibituri. Sed ut ſumtus ipſi refundant in cauſa communi, à ſe poſtulari non poſſe. Brandeburgici autem ſuccinentibus Pomeranis prolixe inſuper ingerebant antiqua Brandeburgicorum in Pomeraniam jura, Cæſarum inveſtituris, ſubditorum homagio firmata, cujus titulos & inſignia iidem dudum gerant, quamque tam tenero affectu complectantur, ut ne quadruplo quidem eandem permutare velint. Electorem invitum ad ſua permutanda cogi non poſſe, Saxonicæ quoque & Haſſiacæ Domus propter fraternam cum Brandeburgicis conjunctionem ne id fiat intereſſe. Convelli Electoris ſtatum, cujus velut clavis ſit Pomerania, & vinculum conjungendæ Boruſſiæ, & Marchiæ. Iſta qui potiatur extraneus, arbitrum Marchiæ, & vicinarum regionum fore: Sueciæ bella in ipſos redundatura; commercia ad Mare Balticum in Suecorum arbitrio futura: ſi ſuper limibus obortis ſententiæ contra hoſce in judiciis Imperii ferantur, difficilem exſecutionem, & medicinam ipſo morbo moleſtiorem. Totius quoque Germaniæ ſtatum inde alterari, quæ Suecorum cum Polonia & Dania bellis implicanda ſit. Danis quoque peculiaria in Rugiam jura, ac Bohemiæ Regnum Oderæ ſervitium impoſitum ægre laturum. Ita hanc regionem in Suecos translatam, perpetui fomitem belli fore, cujus eventus utcunque cadat, vicinis noxius ſit futurus. Mutatis quoque ea parte Imperii finibus Cæſarem ac Ligam nunquam bona fide pacem acturos. Evangelicis probro futurum, per ipſos limitem Imperii ad Mare Balticum convulſum. Denique peſtilens inde diſſidium Suecos inter & Evangelicos Ordines orituram, utrique parti exitioſum, cum tamen Sueciæ incolumitas ex parte à Proteſtantium benevolentia pendeat. 1634.

3 Auguſt.

§. 47. Huic difficultati removendæ id medium Oxenſtierna proponebat, ut poſtquam Sueci Electoris jus ad Pomeraniam in dubium non vocarent, nec hic iſtorum ad eandem, jus ex fœdere quæſitum ſolicitaret; ea res ad futuros pacis tractatus rejiceretur; interim univerſorum conjunctio amputatis moris promoveretur, & adverſus communem hoſtem omnia rite diſponerentur. Enimvero Brandeburgici acriter inſtare, ac ut prius ſuper Suecorum ſatisfactione decernatur, juſque ſuum ad Pomeraniam in tuto collocetur, poſtulare. Nam fundamento conjunctionis, quod in unione animorum conſiſtit, nil magis adverſari, quam ſi, qui urgente periculo à communi hoſte alteri ſociatur, perpetuo ſuſpicari cogatur, poſt victoriam à ſocio ſibi rem ſuam præripiendam, aut moleſtam cum eodem litem ſubeundam. Eoque per legatos ac literas Electori Oxenſtiernam urgebat, ut nomine Regni Sueciæ ſe obſtringeret, Pomeraniam inter ſatisfactionis media non repoſitum, ac defuncto Duce ipſum in plenam iſtius poſſeſſionem admiſſum iri; viciſſim pollicitus, ſe circa præſidia oppidorum ac portuum omnia in præſenti ſtatu ad belli finem relicturum. Heic ſi Elector conjunctionem ſerio & prout è communis rei uſu judicabatur, amplecti voluiſſet, temperamentum invenire non adeo arduum erat. Nam vel Electori Pomerania præter tractum litoralem, & præcipuos portus, quos Sueci potiſſimum reſpiciebant, concedi; vel Præſulatus unus aut alter, aut pecuniæ ſumma offerri poterat. Licebat etiam facta, quam Brandeburgicus poſtulabat, declaratione, ſatisfactionem ad aliud tempus differre; quin & plane ſatisfactionem condonare, ac Evangelicorum amicitia ac fœdere adquieſcere; quo colliſioni cum amicis declinandæ, Oxenſtiernam mandata ſua demum deſcendere permittebant. Aliqui etiam de Boruſſia utraque in Suecos transferenda proponebant, deinceps tanquam feudum Imperii ab his poſſidenda, ita ut Imperium in plenam ejus poſſeſſionem iſtos immitteret, ac adverſus Polonos tueretur, qui non ſatis liquido titulo illam invaſerant; Electori pro ſua parte aliunde penſatione data. Et erant, qui crederent, hunc ab iſto negotio non valde alienum eſſe. Sane id conſilium ab initio belli Oxenſtierna foverat, ut reſtitura Pomerania, omnibuſque in Germania locis, Boruſſia præmium belli foret. Quibus deſtinatis Guſtavum Regem Bernhardus Dux divertebat, oſtentato velut ex facili totius Germaniæ imperio. Sed Legati Brandeburgici modum procedendi immutaverant, ex peculiari Electoris mandato, cum jam Francofurtum adpuliſſent, accepto. Nam in prioribus ipſorum mandatis primo loco de conjunctione, inde de cautione circa Pomeraniam poſitum erat. Sed id poſtea immutatum, & legatis injunctum, ante omnia cautionem ſuper Pomerania urgere, nec niſi illa obtenta ad conjunctionem progredi. Enimvero quia hoc modo liberas retinebat manus Brandeburgicus, ut obtento quod voluerat, conjunctionem pro lubitu conditionibus circumſcribere, ejusque vim plane eludere poſſet; Oxenſtierna iſtam cautionem præſtare conſultum non ducebat. Inde fiebat, ut Brandeburgicus non minore cum ſtudio conjunctionem Ordinum impediret, quam antea Heilbrunnenſis fœderis tempore, & poſt utriuſque Saxoniæ Ordinibus eandem commendaverat. Ac gaudebant malevoli ejus negotii obtentu averſos Suecis animos obtegere, & Electorem à ſalutaribus conſiliis abſtrahere; cui pertinaſerant, omnes circa Pomeraniam tractatus cum Suecis fore irritos, hoſque ne latum pedem unquam eadem ceſſuros. Brandeburgici temperamentum non admittitur.

28. Aug.

1634. Gallorum de Philipsburgo tradendo postulata.

§. 48. Tandem & in eo Conventu personam suam agebant Legati Gallici Feuquierius & Grangius, qui multo verborum honore Oxenstiernæ operam suam in omnibus offerebant, addito; cum Daniæ Rex filium naturalem Ulricum Christianum in Galliam miserit de ipsius mediatione expositurum, Galliæ Regem itidem in Daniam missurum, qui super eo negotio cum Dano conveniat, simul si quæ adversa sibi Sueciæ consilia agitentur, corrigat aut destruat. Eum Legatum inde in Sueciam abiturum testandæ benevolentiæ, & ut Suecorum mentem circa inducias, aut pacem cum Polonis percipiat; qui deinceps in Poloniam profectus omnia ad Sueciæ utilitatem sit temperaturus. Enimvero hæc in speciem tantum jactabantur; & vix aliud Gallis tunc Francofurti propositum, quam Oxenstiernæ autoritatem & consilia subruere, partes in æquilibrio retinere, ac res confundere, ut eo uberior in turbido piscatio foret. Unde & multos Protestantium, (ac cumprimis Wilhelmum Landgravium, qui & velut Generalis Regis Galliæ in Feuquierii manus juramentum præstabat,) in suas partes trahebant, Saxonis destinata contra Suecos fovebant, Ordines distrahebant. Et cum in aperto hoscе hortati essent, ut Suecis satisfacerent, & eorum destinata omnibus viribus sublevarent; secreto idem dissuadebant, causati Suecorum potentiam nimis glisceere: simul aliquos Consilio Formato assidentes per largitiones sibi devinciebant. Oxenstierna tamen dissimulandi non minus callens, cum legationem in Daniam impedire non posset, vehementer verbis eam probabat. Cæterum satis constabat Gallis non placere, Suecos res suas per Superiorem Germaniam paulatim firmare; eosdemque ægre ferre, quod Oxenstierna uti non possent tanquam instrumento consiliis suis exsequendis, queis subjicere sibi destinabant, quicquid Galliam, Rhenumque terrarum interjacet. Ac nullo modo sibi ferendum arbitrabantur, Oxenstiernam Moguntina ditione potiri, quam Ordines Fœderati transferre in ipsum cupiebant. In quo non usque adeo ipsos movebat respectus religionis, qui obtendebatur, quam ne altissimæ vir prudentiæ conatibus ipsorum se objiceret. Sed & peculiaria inter ipsos ac Fridlandum consilia fuerant agitata de tertiis formandis partibus, quæ tam Cæsari quam Suecis leges præscriberent; ac jam nova factio cum Dano struebatur disturbandis Suecorum progressibus. Ac sane Danicus minister Trybius, qui hactenus Lutetiæ in obscuro egerat, nunc repente ibi coli, solutis etiam centum quadraginta millibus librarum velut è superiore bello Daniæ Regi reliquis; quod debitum hactenus agnoscere abnuerant; cum pecunias Suecis ex fœdere debitas morarentur. Ast apud Ordines Fœderatos Gallici Legati, cum eos ad conjunctionem essent hortati, ac tacite moras eorundem perstrinxissent, Philipsburgi traditionem præcipue urgebant, velut ex pacto cum Trevirensi Elector debiti; jactantes Regem suum hostes Trevirensi ditione dimovisse, ac Hispanos Mosellæ transitu arcuisse, difficilibus Regni sui temporibus. Ejus tamen restitutionem pace facta pollicebantur; nec aliud præmium quæri, quam gloriam generose Ordinibus exhibiti beneficii. Ad quæ Ordines reponebant: Trevirensem pacto, quod id ipse tradere tenebatur, non satisfeciisse, quod jam immensis sumtibus, pari labore à se fuerit expugnandum, & è quo infinita damna vicinis data sint. Addebant, id oppidum contra jura Palatinis Electoribus, & Spiræ competentia munimentis circumdatum in meram æmulationem. Si id denuo in Austriacorum aut Hispanorum manus incideret, maximo vicinorum damno, & stabiliendo istorum dominatui fore. Denique neutralitatem istam ab Ordinibus nunquam ratihabitam, nec ab excessu Gustavi Regis renovatam: nec pauca hostilia à Trevirensis subjectis in Ordines patrata. Hac excusatione cum Legati non adquiescerent, Ordines munimenta istius ad solum se dejecturos proponebant. Sed & ista hoc adspernabantur Legati Regis sui offensam minitantes, ac in re tantilla difficultatem moveri mirati, cum Suecorum fidei munitissima loca crediderint. Cæterum cum Legati antehac innuissent, si Ordines Philipsburgo utique carere nollent, posse ejus loco oppida quædam Alsatiæ tradi; ipsis Befortum, aut Schletstadium offerebatur, absque tamen Imperii præjudicio. Quæ permutatio cum nec ipsa Gallis arrideret, mire Ordines distrahebantur inter desiderium tanti momenti oppidum retinendi, & metum offendendi Regem, glisceentibus in dies periculis, & Gallis auxilium abnegantibus, quo Ordines maxime indigebant. Præsertim cum haut frustra metuerent, ne Galli isto munimento obtento plus molestiæ vicinis, quam Austriaci darent; quod per Badensem, & Rheingravium Oxenstierna insinuabat. Tandem tamen pervicere Galli, ut Ordines in traditionem oppidi consentirent his legibus; ut salvis Imperii & Ordinum juribus Rex eidem præfectum ac mille præsidiarios imponat, sexcentos Gallos, quadringentos Germanos, qui tam Regi quam Ordinibus fidem jurent, ac Regis sumtibus alantur, vicinis nullo modo molesti. Id oppidum pace facta Rex restituat nulla pensatione petita: ac si Rex interea moriatur, in præsidium id solis Ordinibus imperium sit. Liceat quoque vicinis, aut exercitibus si necessitas exigat ad idem oppidum refugere. Deliniendis Ordinibus à Feuquerio declarabatur, summum oppidi præfectum è Principibus Germaniæ constituendum.

1634.

11. Julii.

16. Augusti.

Francofurtensis Conventus conclusio. 3. Sept.

§. 49. Inter istas disceptationes tota æstas extracta erat, cum nuntio acceptæ ad Norlingam cladis perculsi Ordines, ne nihil egisse viderentur, raptim instar aliquod decreti formant super negotiis, quæ hactenus tractata fuerant, velut perfecta jam Saxonicorum Circulorum cum Superioribus conjunctione. Addebantur peculiaria capita de summa rerum administratione, bellique sumtibus corrogandis, & qua ratione id gerendum. Ea tamen neque ab Oxenstierna, neque ab omnibus Ordinibus, sed quibusdam duntaxat subscripta fuere: quæ mature concepta atque executioni data aliquid fortasse ad rem facere poterant; nunc rebus prope perditis inania erant. Isthæc in multos menses excurrentia conjungere placuit, ne dispersa minus ad memoriam valerent, nec seriem bellicarum actionum abrumperent, ad quas nunc revertimur.

Bernhardus Dux in hospitia secedit. 2. April.

§. 50. Bernhardus igitur Dux ab Arnheimii congressu regressus, exercitum Wilmersdorfii non procul Norimberga offenderat, quo è superiore Palatinatu recesserat. Ubi qua ratione Hornio junctus in hostium terras irruptionem faceret animo agitabat, velut unicum sustinendis Fœderatorum rebus remedium. Sed unde tantisper exercitum aleret, in arduo erat, gramine nondum adulto, ac vacua quam insidebat regione Palatinatuque plane exhausto. Simul miles continuo labore attritus, quiete quam maxime indigebat. Igitur utcunque militi consulturus, cum Rotenburgi ad Tubarum, Dunckelspulæ, Norlingæ, Halæ, Boptingæ, Ahlæ, Gemundæ, & vicinis locis per hospitia disponit. Quod propria autoritate susceptum cum satis prævideret sinistre acceptum iri, statim Francofurtum proficiscitur, rationem apud Oxenstiernam & Ordines redditurus. Et sane non Ordines solum eo facto indignabantur, sed & ductores

Horniani

1634. Horniani exercitus fremebant, assignata stipendiis ac supplementis oppida exhauriri, & quibus ipsi hactenus pepercerant, ab istis præripi, ac nihil præter Superiorem Sueviam jamdudum adesam sibi relinquiri. Ac destinati erant, qui ad Ducem expostulatum irent, ni Hornius obstitisset, exacerbationem exercituum inde veritus. Dux necessitatem excusabat, quæ ad ultimum remedium arripiendum adegerit, ni perdere militem, aut fame efferato amicorum terras diripiendas exponere mallet. Ex istis hospitiis post mensem demum, se iterum movebat Dux, lustratoque apud Dunckelspulam exercitu versus Superiorem Palatinatum tendebat, præmisso Tupadelio ad observandos Cæsareorum motus, de quorum adventu nuntii advenerant.

9. April.

6. Maji.

Cæsarei se movent.

§. 51. Isti interim dandis in securitatem Suecis, falsos rumores spargi curaverant de subita Turcarum irruptione, ad quos sistendos Hungariæ Rex, cui Cæsar pater summum in exercitus imperium commiserat, raptim profectus sit. Enimvero is studiosissime paratis omnibus lustratum apud Pilsenam exercitum, quindecim peditum, decem equitum millia explere compererat; quem centum & sedecim machinæ variæ magnitudinis præter legionarias, & maxima vis adparatus bellici sequebatur. Tanta mole ingruentem hostem intelligens Tupadelius, cum non amplius tribus milliaribus ab eo abesset, collisis jam inter se præcursoribus, mature se in tutiora recepit. Hungariæ Rex recta Ratisponam ibat; Bavarici Duce Altringero quater mille quingenti pedites, ter mille equites Straubingæ convenerant; qui soli ante Cæsareorum adventum Ratisponam aggredi non ausi ad Donaustaufam metati fuerant. Cum Ratisponam peti manifestum esset, Bernhardus Dux eodem adproperat urbem firmaturus, simul tentaturus, num Bavaricos nondum Cæsareis sociatos opprimere possit. Igitur Rotha Dierturtum, inde Kehlheimum progressus, ibique ponte navali Danubium transmittens, tanto impensius adproperat, quod intellexisset Bavaricos sub VVertano urbem eminus cinxisse, ac stativa ad Cænobium Prustingam posuisse; quam manum opprimere gestiebat. Sed Bavarici de adventu ejus certiores facti mature trans Danubium iterum recedebant, trecentis tantum equitibus relictis, quos Dux deprehensos spectante VVertano cædit, paucis ductorum vita donatis. Postridie Dux explorandi causa, tum hostium pedites Regenhuta expulturus, equitum, peditumque manum illuc mittit; qui hostem inde non paucis interfectis ejiciebant. Ibi cognitum, Hungariæ Regem adesse, ac retro montem cum toto exercitu consistere. Unde statim ex oppositis montibus machinæ utrinque fulminant, exiguo damno, nisi quod Curvillius supremus vigiliarum præfectus, incertum suorum an hostium telo, occubuit. Dux cum nulla ratione montem Aulæ oppido adpositum tueri posset, copias inde, & tormenta abducit. Quo facto statim Hungariæ Rex eum montem occupat, ac tetro eundem castra ponit, inque munimenta Aulæ machinis detonare incipit. Ait Bernhardus Dux, ne ab hoste circumveniretur, aut trans Danubium includeretur metuens, cum urbem pedite sub Hatvertio & Brinkio tribunis firmasset, inde discedit; & quia transitu ad Kehlheimum uti propter viciniam hostis non audebat, Forningæ Danubium ponte navali transit. Miserat Ferdinandus bis mille equites postremum agmen carpturos, qui acriter repulsi nullum operæ pretium fecerant, nisi quod Fridericum Levvium subtribunum interciperent. Dux Neumarcum tendens fame confectos suos commeatu Notiberga submisso refectum ibat, simul Hornium solicitare non cessabat, ut copias secum liberandæ Ratisponæ jungeret. Ast hostis Duce Bernhardo digresso, sexaginta amplius tormentis in Aulæ oppidum tanto impetu fulminabat, ut fragor Weidæ undecimo inde milliari audiretur. Magna quoque globorum ignivomorum vis fere citra noxam injecta. Post ruinam editam, in opus cornutum bis mille quadringenti pedites ter repetito impetu assultant, toties acriter repelluntur, trecentis cæsis, quos inter summus vigiliarum præfectus Dietrichsteinius, Tribunus Philippus Breunerus, subtribuni Philippus Corascus, & Godofredus de Salis, aliique ductores saucii in oppidum trahuntur. Suecicus miles tanto pugnæ ardore flagrabat, ut aliqui è vallo ad hostem transilirent; quorum duodecim non amplius ea pugna desiderati. Sed Laurentius Kaggius urbis præfectus refecto raptim vallo, interius ad pontem opus cornutum abscindit. Mox eruptione facta hostem non sine damno accessibus expellit. Eundem quoque cornutum opus denuo assultantem pari successu rejicit. Unde cum hostis videret, hoc loco se nihil efficere, obsessis omnes huc vires conferentibus, cum maxima exercitus parte Danubium transit, ipsam urbem omni vi aggressurus.

1634.

Oppidum Aulæ oppugnatum.

26. Maji.

29. Maji.

§. 52. Interea Hornius post captam Memmingam, Uberlingam aggreditur, ac mox accessibus factis, ruinaque edita assultum tentat, quo miles jam in oppidum penetraverat; sed incertum unde orta confusione repellitur. Postridie assultus incassum repetitur, reparatis per agrestes intus ruinis. Cum impetus non succederet, cuniculi tentantur, qui per præduram humum tarde procedebant. Et interea ad duo militum millia per lacum ingressi oppidum erant. Igitur satius visum obsidium solvere. Ut tamen ad lacum Bodamicum pes figeretur, Buchornum excitatis raptim munimentis firmatur, commodo portu; simul navigia ibi struebantur cogendis lacui adsitis oppidis. Inde quanquam copias ex Italia adventantes observare jussus esset; tamen præponderante Ratisponæ conservatione, Bernhardo Duci succursurus, Augustam vertit, si quid nocumenti hostibus, antequam Italicæ copiæ adventarent, inferre, aut propositos istos suo avellere posset. Ne tamen tria hostium millia ad Bregentiam collecta structuram apud Buchornum turbarent, quatuor militum millia sub Canofskio tribuno ibi relinquebat.

Hornius Uberlingam frustra tentat.

14. April.

15. April.

16. Maji.

Buchornum munitur.

§. 53. Sed & in Alsatia prosperos hactenus Suecorum successus sistebat obsidium Rheinfeldæ, quam Mercius tribunus consilio providus, manu strenuus propugnabat, omnemque Succorum vim non sine horum clade eludebat; tanto obnixius, quod dum hoc luctantur, interim eorundem impetus à Brisaco averteretur. Quo oppido tamen Rheingravius per vicina præsidia commeatum arcebat, jussus etiam ab Oxenstierna diligenter observare, ne tertius quispiam procus ea sponsa potiretur; quod Galli oculos ad idem oppidum adjecissent. Eodem tempore Schlerstadii periculosa proditione detecta, autores pœnas dedere. Ad Inferiorem Rheni tractum præfectus Suecicus arcis Dillenburgensis, Schwartzenbergium tribunum cum quinque equitum turmis, septuaginta peditibus Hallenburgi, ditionis Colonienſis oppido noctu opprimit portis petarda disjectis, ac plerosque cædit, capitque, nisi quod tribunum cum paucis quibusdam tenebræ occultarent.

Rheinfelda acriter se defendit.

2. Maji.

Hallenburgum à Suecis primitur.

18. Maji.

§. 54. In Westphalia Gileenius Ligisticus Dux, postquam Suecos ad VVarendorfum evaserat, assumtis Bœnnigshusii, & aliis hinc inde sparsis copiis validum exercitum coëgerat; quo apud Saltzcotam lustrato, Paderbornæ minari videbatur. Sed mox

Gesta per Westphaliam.

1. April.

1634. mox cum quibusdam equitum legionibus Visurgin vado transmittit, Holtzmundamque diripit, ac adistam fluminis ripam duo millia septingentos equites disponit, ne ibi Huxteræ subsidium ferri posset. Contra Georgius Dux Kingium tribunum cum equitum ac dimacharum manu exploratum miserat; cui relatum fuerat, quingentos duntaxat hostium cis Visurgim Beveræ hospitari. Hos dum oppressum tendit, tres hostium legiones ordinibus explicatis offendit, in quas acriter invectus, versus alias tres legiones easdem propellit. Quæ initio gradum firmare vitæ, mox irruentibus fortiter Suecicis fugam pariter capessunt, ita ut à Bevera ad vadum apud Luthringam campus mortuis consterneretur: ne paucos ex iis, qui sylvis se abdiderant, reversi Succi cædebant. Multi quoque Visurgi hauriebantur. Sex ibi tignis multisque impedimentis & captivis Succi potiuntur; ipsi non supra viginti desiderant. Ea clades quidem hostem avertebat, quo minus Hildesiæ liberationem tentaret. Non eo secius tamen Huxteræ vis admota, quam miles juxta ac oppidani ipse certo venturi auxilii strenue defendebant, parum honestas deditionis leges oblatas adspernati. Unde hostis oppidum assultu irrumpens, non militi, non civi parcere, impuberibus quibusdam trucidatis. Mortuorum corpora quingenta in Visurgim projecta. Vix triginta cives latebræ texere. Pons corruptus, & oppidum penitus direptum deseritur. Hinc Gleenius in Westphaliam adversus Hassos sub Melandro Duce tendit, qui Landgravii jussu copias cum Georgio Duce juncturus erat. Is dum Hervordiam it, Cratzensteinium tribunum cum duodecim turmis explorandi causâ præmittit. Qui quanquam è captivis intellexisset, hostem universis cum copiis in propinquo esse, per horam adhuc ibi moratus à supervenientibus opprimitur, ipse cum plerisque captus, in hostium potestatem pervenit, paucis ad suos elapsis. Et vix Melander Hervordiæ adpulerat, cum Gleenius ibi adest, eundemque itinere ad Georgium Ducem excludit. Eodem tempore Monasterio progressa manus, Hassiacos Betcumi securius agentes subito opprimit.

Ligistici ad Huxteram vapulant.

4. April.

Huxtera expugnatur.

10. April.

Hassiaci vapulant.

25. April.

§. 55. Ast Georgius Dux Ligistarum irruptione excitatus, castris ad Hamelam positis, legiones suas & quidquid Hildesiæ obsidio subtrahi poterat, Stalhantschiumque cum Suecis & Finnis equitibus ad se evocat. Mox cognito Melandrum Hervordiæ tantum non circumsideri, raptim ipsi suppetias latum proficiscitur. Sed hostis pugnæ fugiens, relicto Melandro, in Comitatum Rietbergensem recedit, ac isti spatium dat ad Georgium Ducem in Lippiensi Comitatu penetrandi; qui tamen solum equitatum secum adduxerat, absque peditatu & machinis. Namque is Landgravio discors Hassos quidem hosti eripere, non tamen copias cum isto sociare volebat. Quas inter adversariorum simultates Gleenius haut quicquam detes Hammum & Lunam Lippiæ adsita oppida nullo resistente occupat, ac ingni præda ibi potitur. Eidem quoque Chamena & alia minora oppida sedent. Inde in Monasteriensium gratiam, ut à Suecis illum præsulatum purgaret, Costeldam oppugnare constituit. Illi progressus hostium, simul quia Oxenstierna æmulationem inter Principes mollire laborabat, permovere tandem Ducem, ut copias suas Hassis apud Susatum sociaret. Juncti Costeldam properant, manum cum hoste conferere avidi. Sed hic nuntio de istorum adventu accepto pridie relicto obsidio discesserat, Bœningshusio cum primis prælium aversante, ad quod tentandum Gleenius proclivis fuerat. Succici tamen Hassique quantum poterant abeuntes conte-

Gleenius Hammum & Lunam occupat.

1. Maji.

Idem consistere non audet.

6. Maji.

ctati extremum agmen carpunt, multasque pedi- 1634.
tum centurias, equitumque cædunt, quos inter septem turmarum præfecti, nec modicam impedimentorum partem capiunt. Et si per difficiles vias hostem à latere invadere licuisset, maxima clades eidem immanebat. Cæterum quia hic paulo ante proclamari jusserat, ne cujus Hassi vitæ parceretur; hi par pari referentes, quoscunque deprehendere poterant, trucidabant. Apud Lunam demum loco valde opportuno consistebat hostis. Sed propinquant.bus Suecis Hassisque propere per id oppidum, pontemque in alteram ripam transgreditur. Nec ibi pedem firmare ausus concubia nocte 8. Maji.
tormentis, adparatuque bellico partim relictis, partim flumine demersis, trepidus inde facessit, plerisque peditibus dispalatis, ut vix duodecim centuriæ ipsi remanerent. Porro cum crederetur Ruram versus, Rhenumque se recepturus, Succici vado Lippiam transeuntes ipsum statim insequi constituebant. Sed transgressi cognoscunt eundem Hammum refugisse. Cum autem Lunam insideret subtribunus Landsbergius cum duabus equitum turmis, sexcentis peditibus, hunc à tergo relinquere consultum non ducebant; & magnis itineribus viri & equi defatigati quiete aliquot dierum indigebant. Igitur Lunæ vis admota, Luna recipitur à Suecis. 9. Maji.
quam recenti adhuc fuga consternati præsidiarii statim dedunt sat duris conditionibus: ut inermes sine equis & impedimentis Unnam deducerentur. Sed præter ducentos quinquaginta, omnes Suecicæ militiæ ultro succedebant. Inde Suecici Unnam 11. Maji.
cujus præsidium Coloniam aufugerat, Werlamque progrediuntur. Ibi cum intellexissent, hostem apud Hammum loco commodo inter Hasiam & Lippiam fluvios consistere, ipsis in exhausta regione atterendis, Georgius Dux, & Melander 14. Maji.
Werla moventes Hammum tendunt, ac statim tormentis in hostis castra detonant; qui mox in oppidum se proripit, ac inde per noctem trans Lippiam trepidus Monasterium versus profugit; & cum Suecis non statim pons in promtu esset, unius diei iter anticipans, in tutum se subducit. Patebat jam satis, id ab hoste agi, ut hinc inde vagos Suecicos per ditionem Monasteriensem planc Et Hammum. 15. Maji.
vastatam circumductos attereret, ipse apud Hammum in hanc aut illam Lippiæ ripam pro lubitu transiturus. Igitur Suecici Hammum aggredi statuunt, ejus commoditatem hosti erepturi, aut ad prælium eundem adacturi, ac pleroque equitatu in Monasteriense latus trajecto, cum peditatu altera ex ripa statim accessus moliuntur. Præfecto oppidi Seibelsdorfio mille peditibus, duabus equitum turmis succincto fiducia erat, sex minimum septimanas obsidium sustinere: interea Gleenium contractis aliunde copiis auxilio venturum; eoque oblatas deditionis leges adspernabatur. Sed mox per certum hominem Suecis locus ostendebatur trans Lippiam tenui tunc alveo fluentem, ubi per molendinum accessus ad portam patebat, quo loco hostis nihil periculi metuebat. Igitur tribunus 15. Maji.
San-Andreanus post mediam noctem eo mittitur, cum interim Suecici in diversa parte assultum simulant avertendo hosti. Ac succedebat consilium, tresque portæ totidem potardis disjiciuntur: mox totum agmen præsidio ne quidquam resistente, oppidum irrumpit. Heic plerique hostium terrore perculsi latebras circumspiciebant; pars ante templum in foro se collegerant, sed irruentibus equitibus disjiciuntur. Quartam quasi partem ferrum ablumserat; reliqui cum præfecto captivitatem subiere. Hassiacorum tres tantum cum uno architecto militari occubuerunt. Capti nuper Hassiaci ductores, & erepta tormenta recuperantur. Sed quod noctu irruptio fieret,

mules

1634. miles à direptione oppidi contineri non potuit.

Succici ad Monaſterium hoſtem fruſtra tentant.

§. 56. Redacto in poteſtatem Hamino, ac toto Lippia fluvio, Georgius Dux, & Melander victoriam perſecuturi in Monaſterienſem præſulatum vadunt. Quos hoſtis expectare non auſus ſub Monaſterium oppidum ſe recipit, ac pedite intra

21. Maji. mœnia immiſſo, equites ſub tormentorum jactu continet, nulla pugnandi cupidine oſtenſa. Igitur cum pabuli ac commeatus inopia, diu ibi hærere Succicos non pateretur, hoſtem eo loco de-

22. Maji. pellere, aut vi in urbem rejicere conſtituunt. Sed qui primum agmen ducebat Scharfius ſubtribunus cum ducentis equitibus, à peditibus hoſtium, qui per foſſas latitabant, acriter exceptus ipſe cum tribuno Cratzenſteinio, nuper captivitati erepto, ac Eppio capitur, plerisque equitum cæſis. Unde cum Succici duces deprehenderent, eo loco aditum ad hoſtem non dari, receptui canunt; quibus dum hoſtis acriter inſtat, non ſine jactura repellitur.

25. Maji. Inde Ludingshuſam verſus recedunt; quam tormentis verberatam ad deditionem ſine exceptione

30. Maji. compellunt. Ibi ad eos Batavicæ copiæ, quater mille quingenta capita explentes, accedunt,

31. Maji. par officium, quod ſuperiore anno acceperant, relaturi. Erat iſte miles Batavicus egregia ſpecie, ſed moleſtiarum belli Germanici inſolens, nec aquam bibere doctus; unde multi morbis correpti

Batavicæ copiæ Succicis jungantur. peribant; reliqui ſtipendia more Hollandico poſcebant. Unde ſtatim adparebat, ejus militis exiguum fore uſum, ni propediem inſignis aliquis conatus ſuſcipiendus eſſet.

Banerius Francofurtum expugnat. §. 57. Ad Albim Joannes Banerius ex utraque Saxonia exercitum collegerat, quo ut verſus Oderam & Sileſiam properaret, Oxenſtierna monebat, ſi forte reliquias Fridlandicæ factionis in uſum ſuum convertere poſſet. Simul Brandeburgicus Elector Francofurto obſidium circumponi inſtabat, hoſte intus trepido, & adverſus præfectos contumaci. Moram tamen aliquam injiciebat, quod Stalhantſchium adverſus ingruentes Ligiſtas Georgio Duci ſubſidio miſerat. Quo reverſo ex-

8. Maji. peditionem aggreſſurus, exercitum apud Munchenbergam ſuſtratum octo millia peditum, ſex

11. Maji. equitum complere deprehendit. Inde Francofurtum petitur, quod Manteufelius præfectus non minore alacritate propugnabat, quam obſeſſores infeſtabant. Tandem promotis ad vallum acceſſi-

13. Maji. bus, & præfecto lapidis jactu ſauciato, oppidum in has leges deditur, ut abſque ſignis & tormentis obſeſſi excederent. E mille tamen Cæſareis, queis abitus permiſſus, dimidia pars Suecorum ſigna ſequebatur. Inde in Sileſiam Felſius præmittitur, conciliandis Provincialium animis, ac ut reliquias Succicarum copiarum ibi curaret. Simul Stal-

18. Maji. hantſchius cum majore equitatus parte Glogoviam Majorem adpellens, deditionem oppido imperat, præfecto ferociter reſpondente. Aſt mox ſequenti luce quatuor Saxonicæ legiones ad idem

Saxones imo diunt, ne Succi Glogoviam obſidere queant. oppidum accedunt, eminus id circumcluſuri. Id ei Banerio ſignificatum foret, hic Arnheimio ſcribit: duos ſimul exercitus eidem oppido aſſidere incommodum fore: & cum Succi obſidium cœperint,

19. Maji. ſe petere, ut is Saxonicas legiones inde avocet, nec ſuam expeditionem turbet. Aſt interim dum

20. Maji. Banerius ad Croſnam ſatagit, Arnheimius toto cum exercitu adveniens Glogoviæ vim admovere incipit, apud Stalhantſchium excuſans, non conſtitiſſe ſibi, ab ipſo jam deditionem imperatam. Sed cum huc usque progreſſus ſit, deſiſtere ſibi integrum non eſſe. De cætero cupere, ut alia ratione ipſi ſatisfiat. Banerius eam contumeliam adverſus bellantium morem ſibi illatam ægerrime ferebat; nec deerant vires ſumendæ ſtatim ultioni, ac Arnheimium inde abigendi. Sed moderatius agendum judicabat, ne amicitiam cum Saxone 1634.
ſat maligne cohærentem plane abrumperet; ſimul quod manu cum Saxonibus conſerta in Brandeburgicis parum fiduciæ collocandum videret. Quorum duces Arnheimio offerebant, ſi id oppidum ſibi traderet, Brandeburgicas copias ipſius imperio ſubditum iri. Unde equitatum ſuum revocabat Banerius, & exercitui quietem tantiſper indulgebat, quoad ab Oxenſtierna alia mandata accepiſſet, interim Saxonibus, quantum ſine Suecorum fraude fieri poſſet, indulgere certus. Ipſe interjecto tempore ſeptingentos, qui Croſnam 2. Junii
obtinebant, in ordinem redegerat, albisque baculis oppido emiſſos gregarios per ſuas legiones diſtribuerat; ſolis ductoribus ad ſuos dimiſſis.

Per Sileſiam geſta. §. 58. In Sileſia Joannes Gœrzius poſt captam Troppaviam Oelſam invaſerat, ac prima vice repulſus copiis auctior vim inſtaurabat. Oppidum vi expugnatum cædibus, libidinibus, ac rapinis 2. Aprił.
miſere habitum incenditur. Arcem qui obtinebant centum quinquaginta, violatis deditionis legibus in captivitatem dantur. Contra Briegæ 5. Aprił.
præſidium Olaviam ſcalis repente admotis ceperat, cæſis quos deprehenderat hoſtibus; arcem tamen expugnare non poterat. Croatæ Pruſnitii hoſpitantes Wratislaviæ ſuburbiis ignem injecerant. Id ulturi Wratislavienſes, aſſumtis Succicis Pruſni- 7. Aprił.
tium ſummo mane irrumpentes quinque Croatarum turmas ibi agentes opprimunt, & plerisque cæſis tribunum Petrovvicium inſigni cum præda captivum abducunt. Ab oppugnanda Oppelia 1. Aprił.
Gœrzius re infecta diſcedebat, acriter reſiſtentibus obſeſſis, & quia Saxonicis adventantibus Cæſarei copias ſuas contrahebant. Saxoniæ quippe Elector 20. Aprił.
exercitu ſuo ad Torgam luſtrato in Lutatiam Superiorem ivetat, cujus præcurſores novem tormenta Budiſſinam deducenda hoſti eripiunt, fuſis qui comitati fuerant. Budiſſinæ dum copias ad- 22. Aprił.
movet, Cæſarei ſuburbium incendunt; ſed ventus ſurgens flammam in ipſum oppidum defert, idque in cineres redigit. Periere iſto incendio oppidanorum ſeptingenti, quos lamentantes, monente quoque Arnheimio, haut quicquam portis exire concedebat Goltzius præfectus. Qua immanitate licet extrema meritus eſſet, abſque ſignis tamen ut vaſtato oppido excederet conceſſum. 24. Aprił.
Libaviam, Gorlicium, ac Laubam hoſtis ultro deſeruerat, ac Hainæ in Sileſia copias contrahebat: in quem Elector Arnheimium vadere, ac prælio decernere jubet. Arnheimius Electore Dretdam reverſo Oſtervicio progreſſus Lember- 1. Maji.
gam pervenit, ubi centum equites deprehenſos concidit. Ea re excitatus hoſtis, Hainam Ligni- Prælium
ciam ſe confert, ibique copias ſuas centum equi- ad Lignitum turmis, quatuor peditum legionibus, conſtantes in aciem explicat, tormentaque commodo loco diſponit; firmato animo Saxones expectans. Arnheimius qui eo usque progreſſus erat, ut niſi pugna conſerta recedere non poſſet, habito conſilio prælium utique committere ſtatuit. Ac initio quidem machinis res geſta, non ſine Saxonum jactura. Inde manibus conſertis per tres horas acriter pugnatur; tandemque fortiter rem gerentibus Saxonibus hoſtis in fugam vertitur. In prælii loco quatuor hoſtium millia cecidere, aliquot centuriæ, cum tribuno Gantchicio, ac multis ductoribus captæ. Victores decem tormentis duobus mortariis, quadraginta duobus vexillis potiti. Plerique hoſtium Glacium verſus fugam arripiebant, qua tranſibant omni immanitatis genere graſſantes. Arnheimius tam præclara potitus victoria, perculſo hoſti haut quicquam inſtans, diverſus Wratislaviam abit, ibique declarat, Saxoniæ Electorem Sileſiæ tutelam, prout anno hujus

ſeculi

1634. seculi vicesimo primo conventum fuerat, susceperum, eamque in pristinum statum repositurum; certosque deputari postulat, quibuscum super omnibus transigatur. Insuper ut centuriæ aliquot militum in urbem recipiantur, postulat; id quod Wratislavienses abnuebant. Cæterum ea victoria Silesiæ Ordines in Arnheimii favorem pertrahebat, etsi vulgus in Suecos propenderet; ut reliquæ Duvvalii copiæ ad miseram valde conditionem redigerentur, præcipue postquam is fato
9. Maji. functus esset. Et cum ab Arnheimio hospitia & annonam petiissent, iste ut aut sub sua signa concederent, aut Silesia exirent, postulabat; alia ratione illis consulere non posse testatus. Usque adeo Silesiam sibi suoque militi reservabat, neminem in ejus provinciæ societatem admissurus. Ea de causa quoque omisso hoste Glogoviam Majorem se convertebat, aditum Suecis in Silesiam præclusurus.

Saxoniæ Electori cum Cæsare tractatus suscipit.

§. 59. Dum Arnheimius Banerii destinata turbat, Elector interea Suecorum hospitia ab initio belli possessa invadit, suisque copiis ditionem Anhaldinam cum Comitatu Barbyensi exclusis Suecis vindicat, securus eorum, quæ in Francofurtensi conventu decernerentur. Denique & palam invitante Cæsare legatos suos Leutmericiam mittebat, qui cum deputatis Cæsareis congrederentur. Ferebat tamen, illo tractatu de prævis duntaxat negotiis agi, & ut cognosceretur, quas conditiones ferre aut admittere Catholici velint; viamque adeo Daniæ Regis mediationi, ac communis pacis tractatibus sterni. Idque Regi Daniæ per lite-
10. Maji. ras, & Oxenstiernæ per Legatos significat. Invitabatur quoque per Henricum Julium Lauenburgicum Ducem Elector Brandeburgicus, ut & ipse suos Legatos Leutmericiam mittere velit operam daturos, ut caput legitimis membris denuo concilietur, ac dominatus extraneus averruncetur. Qui tamen pronum in pacem animum testatus, Francofurti quam maxime super firma pace agitari; nec ejusmodi peculiares tractatus suspicionibus carere, respondebat.

Gustavi Adolfi exequiæ.

§. 60. Circa idem tempus Ordinum Sueciæ conventus habebatur, Gustavo Adolfo, quem merito suo post fata Magnum cognominabant, ducendis exsequiis, quarum splendor ac magnificentia civium facultatibus par, virtutem ac merita in patriam æquare haut poterat. Corpus exanime
22. Junii. Nycopia deductum Holmiæ in templo Equestris Ordinis sacello, cui ipse fundamentum posuerat, conditum. Pompa funebri peracta super variis Regni negotiis decernitur. Christinæ imperium denuo confirmatum, ac ne ipsa de suo matrimonio nisi consentu Ordinum statuat. Sigismundi ejusque prolis exclusio à Sueciæ Corona denuo sancita: Forma Regiminis promulgata; ac ut quinque Collegiorum capita tutelam Reginæ & Regni administrationem gerant. Tum de dotalitio Reginæ Viduæ, tractatibus cum Polonis, legatione Muscovitica statuitur, ac ut limites Regni firmentur, classis augeatur, cui fini singulare tributum collaturi erant Ordines; delectusque futuro anno habeantur. Sed præcipua cura circa bellum Germanicum erat, cujus honestis ac tutis conditionibus finiendi nullam occasionem recusandam decernebant; ac placebat, Daniæ Regis mediationem ab Oxenstierna admissam. Quæ tamen conditiones pacis ferendæ forent; ob tam multos belli participes, diversaque eorundem studia, ac instabilem Martis aleam in antecessum definiri non posse, sed eas temporibus accommodandas. Circa satisfactionem tres velut gradus constituebantur, quorum primus, idemque Sueciæ tutissimus judicabatur Pomerania, tota, aut magna ejus pars, præcipue ora maritima, ac Wismaria oppidum; sed ita, ut cæteri Ordines Brandeburgico ac Meclenburgicis persuadeant jure suo ad ea loca cedere, & aliunde pensationem accipere. Quod si Pomerania obtineri nequeat, Electore ac cæteris quorum interest obnitentibus, ut si nimis presse isti postulato insistatur metus sit, ne Sueciæ hactenus amici hostilia induant, ac fœderibus cum hoste impliciti bellum prærnii sperati loco Suecis meditentur, jus quod in Borussiam obtendit Imperium esse petendum, ea lege, ut in plenam & tutam ejus possessionem Suecia ab Imperio immittatur. Quod si & huic postulato Brandeburgicus reluctetur, aut Germani eo nomine cum Polonis bello collidi nolint, tandem ad pecuniæ summam descendendum, ac hypothecæ loco oppida maritima, partemque Westphaliæ & Bremensem ditionem arcendo inde Dano retinendam. Quod si autem id agi adpareat, ut pro tot impensis, ac profuso inæstimabili sanguine præstantissimi Regum, totque fortium virorum vacuis manibus, & cum ignominia tolo Germanico ejiciantur, loca occupata, ac præcipue marituna quantum datur propugnanda, & exitum fatis committendum. Interim se bello continuando sanguinem ac bona conferre paratos. Tota tamen res ab Ordinibus Senatus fidei ac dexteritati committebatur, pro captu temporum accommodanda. Id decretum Oxenstiernæ statim transmissum. Sed 18. Sept.
paulo post rebus in Germania nutantibus, cum post amissam Ratisponam, ac Russorum cum Polonis pacem Suecorum apud Germanos autoritas minuerat, Senatus Oxenstiernæ prioribus mandatis hoc quoque adjicit; si istorum nihil obtineri queat, potius quam separationi, aut bello cum Evangelicis causa præbeatur, amicitia, benevolentia, & auxilio eorundem ad alia Sueciæ bella esse adquiescendum, prætensione satisfactionis ad aliud tempus reservata.

Ordinum Sueciæ super satisfactione decretum. 29. Julii.

§. 61. At in Germania omnium animos Ratisponæ obsidium adverterat; cujus initio Hungariæ Rex plerumque equitatum partim adverso Naba flumine versus Superiorem Palatinatum, partim sub Wertano Ingolstadium miserat, Bernhardi Ducis motus observaturum. Ille Wertanus excursione in Riesam facta Oettingam diripuerat, octingentis provincialium in captivitatem abstractis. Sed propinquante Hornio raptim se Ingolstadium receperat. Quin & ab initio vix judicare licebat, num Ratisponæ obsidium hosti serio cordi foret. Quanquam enim post frustra tentatam Aulam Danubio transmisso Cæsarei ante urbem castra posuerant: mox tamen iidem cum omnibus impedimentis in vetera ad Regum flumen castra regressi erant, solis Bavaricis ad urbem relictis. Pars quoque equitum Weidam versus dimittebatur. Quam hæsitationem videbatur inferre metus, ne Saxones post victoriam ad Ligniciam Suecis juncti in hæreditarias Cæsaris ditiones irrumperent. Atque ea res Bernhardum Ducem, Neumarci tunc reficiendo exercitui vacantem, in id securitatis dabat, ut tam solicite hactenus quæsitam cum Hornio conjunctionem parum curaret, ac propriis primum viribus niti, inde Banerium minus occupatum respicere institueret potius quam Hornium, cui copiæ ex Italia adventantes observandæ erant. Sed ne interim otiosus desideret, Forcheimum aggredi placebat, quod obtineri Circuli Franconici, & Noribergæ plurimum intererat, excursionibus toti viciniæ infestum. Sed dum id obsidium lente procedit, ac varia per impedimenta parum ibi proficitur, tandem Ratisponæ periculum re infecta, & exitiosa cum temporis jactura id solvere subigebat. Hungariæ quippe

Hostis ad Ratisponam mutare videtur.

Dux Bernhardus Forcheimum obsidet.

1634 Ratisponæ obsidium.

pe Rex præter Ducis opinionem incredibili cum ardore eam urbem oppugnare cœperat, tormentis, ignivomis globis, accessibus eandem premere, suosque hortatu, præmiis, pœnisque incitare; nec pulveri tormentisque aut militi parcere. Nec segnius resistebat Laurentius Kaggius continuis eruptionibus hostem fatigans, quas inter tres præcipue memorabiles, quarum prima centum quinquaginta; altera toridem; tertia quadringentos gregarios cum Strasoldo tribuno, ac pluribus ductoribus trucidaverat. Annonæ affatim erat; sed corruptis aquaticis jumentaria molendina adhibebantur. Simul pyrio pulveri conficiendo mola instituebatur, suppetente in urbe materia. Cæterum cum Kehlheimum oppidum subvectionem Ingolstadio impediret, ac commodam liberandæ urbi viam præberet, Altringerus eo cum legionibus aliquot mittitur. Qui oppidum id servabat Fridericus Rosa cum sua legione, jam antea Duci significarat, sibi non ultra quinque dies cibaria suppetere. Ista quominus à Duce inferrentur, hostis oppido circumfusus impediebat. Unde mox iste Cratzio cum quibusdam legionibus ad eminus includendum Forcheimum relicto, cum reliquo exercitu ad servandum Kehlheimum properabat. Sed eo jam hostis potitus erat malignis deditionis legibus, traditis vexillis & tubis. Unde gregarius miles partim ad hostem transire, partim Neumarcum delatus obsequium exuere, velut soluta cum ademtis vexillis fide, ut tota illa legio dissiparetur. Ea res Ducis animum mire confundebat, conatu circa Forcheimum, & Kehlheimum irrito, ac difficili jam Ratisponæ liberatione. Morbi quoque & desertiones ad tria millia de ipsius exercitu diminuerant; ductoribus insuper defectu stipendiorum ægris. Quod autem semel Forcheimo movisset, eo redire iterum nolebat; sed Schwabacum tendens quid susciperet incertus animi pendebat. Interea hostis ad Ratisponam omni parte assultum tentaverat; quem obsessi acriter repulerant. Mox copias ponte navali in superiorem Danubii insulam immittit, ac excitatum ibi castellum impetu expugnat, cæsa, præter unum centurionem, quæ ibi servabat cohorte. Inde inferior quoque insula occupatur, Suecis de ponte incassum repugnantibus. Ita cum illis, qui Aulam defendebant, terga ad ictus paterent, ac eodem tempore hostis munimenta extrinsecus assultaret, Sueci per angustum pontis aditum non sine jactura in urbem se recipiunt. Ea occasione hostis toto lapideo ponte cum adjectis turribus usque ad pontem pensilem potiebatur; & suggestibus aliquot in utraque insula excitatis, Præprumnensem præcipue portam, adsitumque propugnaculum infestabat. Nec prohibere obsessi quamvis omnibus connixi viribus poterant, quo minus indies hostis munimentis propinquaret. Quem tamen & ipsum non modicæ premebant difficultates, quotidie multis ferro, morboque absumtis, aut signa deserentibus, & arcta annona. Nec is eo secius destinata pertinaciter urgebat, jactans, malle se totum exercitum consumere, quam obsidium solvere. Tum extrinsecus castra munimentis circumdata, arcendis Suecorum subsidiis. Ac ut Bernhardo Duci eo majore circuitu opus foret, Neuburgum valido præsidio, ac toto Bavarico equitatu firmatur. Obsessi contra dum mendicabula urbe expellunt, astutum & fidum puerum pariter emittunt, Duci de conditione urbis relaturum, ac ne suppetias ferre moretur. Quo ad Ducem penetrante, is omnes cogitationes ad liberandam urbem conferebat, sinistram apud socios famam metuens, Ratisponadeserta. Et quanquam hactenus ex Oxenstiernæ consilio ope Saxonicorum & Banerii hostem distrahere, aut Ratisponæ liberationem tentare constituerat, Hornio ad tuendam Sueviam relicto: tamen metus urgebat, ne hostis irruptionibus, quæ alibi fierent, insuper habitis, proposito suo pertinaciter inhæreret. Et vix ita cito adesse Banerius poterat, quam necessitas urbis requirebat, nec exercitum magnis itineribus lassatum hosti objicere tutum erat. Cum ergo in conservatione ejus urbis summa rerum verteretur, Hornium in societatem solvendæ obsidionis assumere placuit. Nec enim Italicæ copiæ ita facile Superiorem Sueviam perruptura videbantur: & Franconiam interea Cratzius defensurus erat, quoad Banerius adventaret. Hoc consilio capto recta Danubium versus tendit, præmisso ad Hornium, qui de adventu ac destinatis suis ipsum certiorem redderet.

1634

8. Junii. 14. Junii. Hostis Kehlheimum capit. 18. Junii. 20. Junii. 26. Junii.

§. 62. Hornius interea lustrato apud Memmingam exercitu, Augustam versus abiturus erat, Inter Hornium & Bernhardum Ducem de coniunctione agitata. 4. Junii. missso qui Bernhardum Ducem moneret, cum ob Italicas copias ipse diu à Suevia abesse nequeat, ut Dux Ratisponæ liberationem, si videatur, maturaret. Ac cum sibi longum sit in Superiorem Palatinatum ire, expolita interim hosti in prædam Sueviam, Ducem, si Franconiæ cautum judicet, in Bavaria secum commode copias juncturum; ac antequam Italicus exercitus adveniat, vel recta in hostem iri, vel ad Haram locum capi intercipiendo commeatu, tum superiorem Austriam solicitari posse. Unde futurum, ut hostis vel obsidium plane solvere, vel partem exercitus in tutelam Austriæ mittere cogatur. Hoc consilio Memmin- 7. Junii. ga movens cognoscit Wertanum in Riesam irrupisse. Unde & ipse statim cum equitatu eo adproperat, num illum deprehendere possit. Sed is audito Hornii adventu repente in tuta se receperat. Igitur omissa ea excursione recta Augustam tendebat, ubi reversus à Bernhardo Duce nuntius referebat; Hornii judicio relinqui, quomodo res sit suscipienda. Ast ipse regionis, & quis ad obsessos aditus ignarus, simul Duci præterire nolens, denuo ipsius, cui de illis melius constet, sententiam exposcit. Interea cum hucusque progressus esset, superato Lico Aicham opprimere constituit; ac cum equitatu Bavariam pertultat, confundendo hosti, utque statum Ratisponæ exploraret. Trecenti, qui Aicham obtinebant, imino spe auxilii defensionem tentant; sed eo mox desperato se dedunt, salvis duntaxat gladiis discessum pacti; ersi plerique gregarii Suecorum militiam sumerent. Porro ut Aichæ subveniret, Wertanus jam intra duo milliaria suggressus erat, Hornii stativa repente oppressurus. De quo cum Hornius è quibusdam captivis intelligeret, ipse cum universo equitatu eo properat, ut insidiatorem intra proprios cassus involveret. Et successisset consilium, ni præcursores Suecorum ferocius ruentes hostem advertissent. Subtribunus tamen Helmoldus Wrangelius apud Dachaviam Corpusium tribunum cum octingentis Croatis deprehensum male multat, plerisque cæsis, nonnullis captis. Aicha ad Hornium a Duce Bernhardo missus cum literis accedebat; quibus hic, se Forcheimo re- 18. Junii. licto copias ipsi juncturum significat, modo Hornius Duci caveat, se tres munitum septimanas ipsi sociatum mansurum, annonam ipsius exercitui suppeditaturum, ac transitum Danubii ad Neoburgum obtenturum; ut eo certius sua consilia cum Hornio conformare queat, ac ne gratis Forcheimum deseratur. Heic vero mirum videri Hornio, à Duce, qui antea tam solicite ipsius conjunctionem solicitaverit, nunc ultro difficultates moveri, præscriptis conditionibus, quas præstare penes se non sit. Neque enim ad certum

Hornius Aicham vi opprimit. 11. Junii.

tempus

1634. tempus ut se adstringeret, patiebatur status rerum in horas mutabilis, & quod facile plus alio loco negligi, quam heic prosici posset. Neoburgum quoque paulo remotius, nec annonæ ibi copia: & palantes nostros hostilia circum præsidia, ac persultantes omnia Croatæ excepturi erant. In proclivi quoque hosti fore expedita cum manu Superiorem Sueviam percurrere, & relictas ad Bodamicum lacum copias opprimere. Igitur potius Danubium ad Donavvertam, & Licum ad Rainam transcundum. Commeatum te bona fide cum ipso partiturum. Quod si nulla Ratisponam necessitas urgeat, sibi non contultum videri copias jungi, aut quæ alibi in manibus teneat emolumenta dimitti. Interim omnia in expedito habenda, ut statim si opus sit invicem auxilium sibi ferre queant. Atq; inde Hornius cogitationem de conjunctione cum Duce ipso solicitante susceptam seponit, postquam eandem isti parum cordi è motis difficultatibus judicabat. Eoque Landsbergam ad Licum tentare instituebat observandis ibi Italicis copiis. Sed vix Aicha progressus erat, cum hostis novum oppido præsidium immittit, ac à tergo ipsum carpere incipit. Simul Altringerum & Wertanum non procul consistere audierat, oppido subsidium laturos, si denuo invaderetur. Tanto alacrius Hornius Aichæ, ut prælio occasionem strueret, ingruit. Cum ter licet monitus præfectus deditionem pertinaciter abnueret, oppidum impetu expugnatur, milesque & quicquid oppidanorum in armis repertum cæditur, tandemque invito licet Hornio tectis flamma immittitur. Præfectus autem quia absque missione quondam à Suecis ad hostes transierat, ac nunc stolida ferocia tot cædium causam dederat, ad pontem laqueo suspenditur. Inter ista Hornius ex improviso literas à Bernhardo Duce accipit nuntiantes, cum recta Donavvertam tendere, ut ipsi junctus laboranti Ratisponæ subveniat. Unde Hornius statim Donavvertam advolat, super tam repente mutato consilio cum isto collocuturus; simul alia destinata omittit, copiasque cis Licum circa Augustam disponit. Et optaverat quidem Hornius, pridem Ratisponæ subventum fuisse, Kehlheimo nondum capto, & antequam hostis castra munisset. Nunc urbs liberari citra prælium non poterat, quod declinare hosti intra munita castra confidenti facile erat. Premebat insuper annonæ inopia, copiæque Italicæ jam in Tirolensem provinciam pervenerant. Quia tamen ita repente Dux accesserat, ut aut cum ipso progrediendum foret, aut in his oris fame pereundum, prope invitus ad iter cum eodem in Bavariam suscipiendum accingitur. Is igitur aliquot legiones relinquit tuendæ Sueviæ, tum Rheingravio mandat, ut omissa Rheinfelda ex Italia venientes legiones observet, ac si eas in Sueviam irrumpere pateat, assumtis ex Alsatia legionibus huc tendat, & cum manu ad Bodamicum lacum se conjungat. Suadebat quoque mature è Saxonia & Westphalia exercitum contrahi, fulciendis Superioribus Circulis, si quid adversi ipsis accidisset: utque Augustæ de annona prospiceretur, cui summum à fame periculum imminebat, si re infecta è Bavaria recedendum foret.

Dux Bernhardus improviso se Hornio jungit.

Ratispona deditur.

§. 63. Dum ita Succici duces junctis exercitibus in Bavariam tendunt, jam Ratisponæ extrema admovebantur. Sub finem namque Junii Gallasius Caggio apertas literas, sed oppidano Senatui obsignatas miserat, quibus isti honestas deditionis leges, oppido Cæsaris gratiam offerebat. Sed habito consilio tubicini præter testimonium redditarum literarum nihil responsi datum; nisi quod Caggius exprobraret, contra belli morem obsignatas literas fuisse missas. Igitur hostis magna vi

28. Junii.

1634. obsidium urget, insuper habita Suecorum in Bavariam irruptione; cum satius duceret, aperta Provinciæ semel in prædam hosti concedere, quam omissa Ratispona novas quotidie irruptiones ex urbe metuere. Mittebatur tamen è castris valida equitum peditumque manus, firmandis oppidorum præcipuis, & ut quantum possent Suecis resisterent. Italicæ quoque copiæ decem peditum, duo equitum millia explentes, quæ per Vallem Tellinam & Tirolenses aderant, ad Oeni ripam disponebantur, ne quid Suecis commercii cum superioribus Austriacis esse posset. At in urbe non tam animus obsessos, quam pulvis pyrius deficiebat, cujus non amplius trecentos sex centenarios Bernhardus Dux ibi discedens reliquerat, quorum vix quinquaginta adhuc supererant: quanquam proximo mense per eruptiones non tubis, sed hastis res gesta fuisset, omnesque inutiles displosiones vetitæ forent. Igitur Caggius vocato consilio ostendit, quam prope urbi hostis successerit, utque ruinas diversis locis facere cœperit. Quod si idem assultum continuet, uti transfugæ retulerant, metuendum esse, ne in medio pugnæ fervore pulvis deficiat; præsertim cum proximo assultu triginta sex centenarii absumti fuerint, ubi tamen majoribus machinis, quod in decretario assultu necessum sit, ictus non fuerit. Unde de Consilii sententia aliquot dierum induciæ petitæ, per quas Francofurtum ad Oxenstiernam mitteretur, quo aspera mandata revocentur, queis mori potius, quam urbem dedere jussi fuerant. Id dum agunt, hostis munimento cornuto ad portam Præprunnensem assultum frustra dat; quo durante Gallasius inducias abnuit, honestas deditionis leges denuo offert. Advocato Consilio ostendebatur, triginta novem duntaxat centenarios pulveris superesse; & cum unam intra horam uno loco sex centenarii sint absumti; quid futurum, si cras aut perendie hostis circumcirca assultet? Placebat igitur, à Gallasio spatium ad deliberandum peti; qui ad paucas tantum horas cessationem ab armis annuebat. Unde tertia vice consilio convocato ostenditur, decrescentem in horas pulverem suppleri non posse, cum singulis diebus nonnisi quini senive centenarii confici queant: hostem ad Præprunnensem portam in vallum penetrasse, tumamique edidisse assultui opportunam, qui continuato impetu ob defectum pulveris vix repelli queat. Igitur omnium suffragiis deditio decernitur; adstipulante etiam urbis Senatu, modo & civibus caveatur. Interrupti tamen semel tractatus, cum super conditionibus non conveniret, & ad vim reditum. Tandem Caggius honestas tam militi, quam oppidanis conditiones pactus urbem dedit; cui à Senatu testimonium fidelis & strenue navatæ operæ præbetur, ac quod in deditione illibatam urbis libertatem conservarit. Præsidium, quod non plane bis mille capita præter ductores implebat, cum initio obsidii ter mille octingentos computatis ductoribus superasset, Noribergam deductum, cum ut recta via ad exercitum ire liceret, Caggius nullo modo obtinere potuisset. Ægroti autem & saucii, qui una cum sex tormentis, & plerisque impedimentis navibus Donavvertam devehendi erant, dum detenti, tandem fame plerique mortui, aut sub hoste militare coacti sunt. Ab hoste per obsidium magna vis adhibita; quindecies mille tormentorum ictibus oppidum pulsatum, duo millia globorum igni vomorum injecta, septem assultus tentati. Hostium id obsidium octo millia absumsit, quos inter octoginta septem altiorum ordinum præfecti; præter sex millia desertorum, qui antea passim profugerant.

1. Julii.

4. Julii.

16. Julii.

§. 64. Interea irritam Ratisponæ liberandæ ex- Succi impedi-

1634. ditionem moliebantur Succici duces ad Augu-
stam juncti, unde per Freisingam, Mosburgum-
que Landshutæ appellunt, cui deditionem impe-
rant. Sed quod præter quinque pedestrium cohor-
tes, tres dragonum legiones oppido immissæ fo-
rent, & Altringerus cum magna parte Cæsarei
& Bavarici equitatus non procul trans Isaram con-
sisteret, deditio abnuebatur. Igitur vis adhibi-
ta, ac biduo post arx cum oppido impetu ca-
pta. Tribunus Hinderstonius, multique ductо-
res vivi in potestatem venerunt. Equitatus trans
Isaram, quid in oppido fieret conspicatus, ra-
ptim Ratisponam versus se recipiebat; quicum
ne manus conseri possent, statim transeundus
pons, & pedites direptioni incumbentes impe-
diebant. Eo in tumultu Altringerus in oppi-
do moras nectens cum præ turba se mutuo im-
pellente pontem superare non posset, dum flu-
men tranare conatur globo trajectus perit. Fue-
rat is humili apud Lucenburgicos loco ortus, ac
prima juventa quorundam Gallorum Baronum
famulus, inde scriba, mox per omnes militiæ gra-
dus ad summum ducatum provectus, in expu-
gnatione Mantuæ maximis quoque opibus poti-
tus. Landshutæ insignis annonæ vis reperta,
magno famelici militis solatio. De cætero res
maximis implicita difficultatibus erat, dum ho-
stis non solum numero militum, machinarum-
que, & adparatu bellico prævalet; sed & mu-
nitis circumcirca castris confidet, per quæ viam
ad urbem perrumpere arduum erat, ac Italicæ
interim legiones à tergo incubituræ metuebantur.
Nec deerant, qui in Austriam supra Anai-
sum penetrandum censerent. Sed & heic obsta-
bant Oeni ripam insidentes Hispani, ac ne à ter-
go Cæsarei toto exercitu ingruerent. Ergo pla-
cebat recta Ratisponam ire, fortunamque ten-
tare. Sed cum ad quartum ab ea urbe milliare
pervenissent, obviam venit, qui Ratisponam
pulveris defectu deditam nuntiaret. Unde irri-
ti Landshutam revertuntur. Ubi dum dubitant,
quid deinceps agendum, nuntius adfertur, ho-
stium universas copias adversus Danubio profectos,
vel in Wurtenbergicam irrupturas, vel Augusta
eos excluduras. Igitur raptim è Bavaria Augu-
stam contendant, si hostis Ingolstadii Danubium
transiret, ad Donavvertam eidem se obiecturi.
Quo fine Hofkirchium cum legionibus aliquot
præmittunt, ut interim Donavvertam, Laugin-
gamque, simul Norlingam, & Dunckelspulam
firmaret. Sed iter Augustam versus cadentes uber-
tim imbres molestissimum reddebant, non modi-
ca exercitus parte consumta, & qui restabant vi-
ris iuxta equisque afflictis, ut quiete illis quam ma-
17. Julii. xime opus videretur. Ac spargebatur Hungariæ
Regem cum suo exercitu in Bohemiam vertisse
Succi Ba- sistendis Banerii progressibus: Bavaricos id agere,
varia ex- ut apud Landsbergam aut Schongam Hispanis se
cedunt. jungant. Quo nuntio motus Hofkirchius non ul-
tra Augustam processerat; ac Succici duces super-
vacuum judicantes apud Donavvertam junctim
tendere, vastatis circum omnibus, ac nullo pa-
bulo, separatis exercitibus in diversa abeunt.
Ac Bernhardus quidem Dux Laugingam ten-
dit, recreandis paulisper suis, ac ut hostem obser-
varet, si apud Ingolstadium transire Danubium
vellet. Hornius autem paulo altius ad Licum pro-
gressus, commeatum ibi indagaturus erat; & si
forte Bavari Hispanicis copiis, uti superiore an-
no, juncti per Sueviam ad Rhenum perrum-
pere conarentur, capto ad Illarum idoneo lo-
co eosdem moraturus, quoad Bernhardus Dux,
aut Rheingravius auxilio veniret; qui ad Danu-
bium supra Ulmam accedere jussus erat, prout 1634.
res poscceret Hornio, aut Bernhardo Duci jun-
gendus.

§. 65. Ad Bodamicum lacum digresso Hornio, Ad Boda-
è Constantiæ, Lindaviæ, & vicinis præsidiis colle- micum la-
cta manus Cellam oppidum à Succis infestum op- cum ac in
pugnare cœperant; quam Schafelitzkius inde ta- Alsatia ge-
cessere tormentis, adparatuque bellico relicto co- sta.
gebat. Buchhorni quoque sub Siegrotho tribu-
no structura navium fervebat; ubi inter alias tri-
remem paraverant, machinarum capacem, cui
similis antea in eo lacu visa non erat, quam *Chri-
stinæ* vocabulo insigniebant. Et spes erat aliquod
ibi operæ pretium faciendi, ni mox alibi collapsa
summa rerum minores appendices sua ruina in-
volvisset. In Brisgovia progressis Britaco manus as-
sumtis è Nigra Sylva agrestibus, Rheinfeldæ ob-
sidium laxare frustra conabatur. Cum enim noctu 5. Junii.
in exiguam Succicorum equitum turmam incide-
ret, universi tubos diplodunt. Quo facto statim
agrestes abjectis armis ad latibula sua refugiunt,
quos & miles mox insequitur, non paucis in fu-
ga concisis. Eodem tempore quadringenti equi-
tes in Burgundia collecti Brisacum irrepere ten-
tabant. Sed prodito itinere ad Hartam Sylvam
deprehensi plerique dissipantur, aut cæduntur,
ut vix centum Brisacum evaderent. Porro cum
qui nuper in Nigram sylvam rejecti fuerant, in-
dies se magis firmarent, ex improviso Rhein- Rheinfel-
feldæ subventuri, Joanni Philippo Rheingra- da & Brisa-
vio à Badensibus rusticis per montem aditus ex cum fame
concædibus haut adeo impeditus monstratur; urgetur.
quo is cum equitum peditumque manu irrum-
pens nihil minus, quam inter ista aspera hostem
metuentes ita perterruit, ut salute petita omnes
Britaco progressi ductores cum trecentis grega-
riis in Succorum potestatem concederent. Nec
eo magis hac spe licet exsulti Rheinfeldenses ad
deditionem flectunt pertinacia desertorum, op-
pido capto laqueum metuentium. Qui & ipsi
præfectum Mercium clam observabant, ne for-
te se oppido subduceret: simul cuniculum ad
proximum usque Succorum suggestum egerant,
quo incenso inter tumultum per obsessores erum-
pere constituerant. Sed contrario cuniculo acto
is conatus irritus fuit. Interim absumtis trumen-
to, jumentisque, venter glandibus & equinis
carnibus parce præbitis utcunque placabatur.
Nec Helvetii à Cæsare sollicitati, Urbes Syl-
vestres in tutelam suam recipere, aut Succos
Rheinfelda depellere voluerant, extra belli istius
consortia manere certi. Circa idem tempus Bri-
sacum quoque fame acriter urgebatur; ac gre-
garius miles certatim ad Succos transfugiebat, ut
Rheingravio spes esset intra paucas septimanas
oppido potiundi. Eoque iste invitus, ac repe-
titis demum Oxenstiernæ hortatibus in Sueviam
movebat, tarde quoque auxilius coëuntibus.
Quin & cum Bernhardus Dux, & Hornius in
Sueviam regressi forent, præsentia ibi sua parum
opus judicans, de isthac profectione cogitationes
fere deposuerat.

§. 66. In Westphalia post Ludingshusam ca- Borche-
ptam placebat Hollandicas copias duce Pinsio ad- mum ca-
junctа Succicorum manu Borckemum mitti, sex- pitur.
centis pr clidiariis instissum. Sed Pinsius dum ac-
cessus ad oppidum molitur, à Principe Arausio-
nensi mandatum accipit, ut nullo modo à Succi-
cis & Hassiacis se disjungat, nec seorsim hostilia
adversus Monasteriensia oppida suscipiat. Unde
iste statim ab opere cessabat, oblidium plane so-
luturus, ni ipse Georgius Dux advenisset: quo
rem urgente oppidum honestis conditionibus ad

1634 deditionem compellitur. Inter ista simultates Luneburgicos inter & Hallacos gliscebant, his querentibus, ab illis regionem immaniter vastari, incolasque ad extremam paupertatem redigi; Luneburgicis contra arguentibus, eam expeditionem non publico bono, sed privato Landgravii emolumento dari. Unde & iidem languide & cum fastidio omnia agebant, ac Hallacorum hospitia male habebant, queisi insuper legiones suas tertia parte in regione exhausta diminutas. Inter quæ hostis copias suas diviserat, ac Gleenius quidem cum parte peditatus Monasterii pertinebat: Bœnninghusius Rhenum versus supplementa inde petiturus ibat, quem immissus à Duce Georgio Beckermondus adsequi haut valebat. Reliquas Horstius tribunus ad Visurgim Hildesiæ obsidio solvendo ducebat. Quam antam Dux Georgius arripiens, quem alias conjunctionis cum Hassis tædebat cum iis quas adduxerat copiis abscedit, assumtis etiam quæ è Superiore Germania auxilio missæ erant, quarum partem sibi relinqui Landgravius frustra petierat. Quam rem hic usque adeo ægre tulit, ut de partibus plane deferendis, ac ambienda neutralitate cogitaret, ni tractabilem Principis animum Oxenstierna literis placasset. Duce Georgio digresso Pintius cum Hollandicis copiis Belgium versus remeabat. Eodem etiam Landgravius suos propinquare jubebat, ut si opus foret Hollandorum auxilio fulciri possent. Eodem tempore in diversa Westphaliæ parte Joannes Gielius. Tribunus quadringentos prædones ad Scherbium vicum male multatos dilapaverat.

Simultates inter Luneburgicos & Hallos.

1. Julii. Hildesia capitur.

§. 67. In Saxonia Hildesiæ obsessi prope ad extrema redacti erant; quibus liberandis Waldeccæ Comes assumto, quem Gleenius Monasterio nuper miserat, equite illuc perrumpere constituerat. Ac jam turmæ Leinam fluvium transierant, cum id ipsum præsagiens tribunus Ericus Andreæ Trana à Georgio Duce è Westphalia ad Visurgim observandum remissus Hamela propere advolat, obsessoribus suppetias laturus. Cujus adventu cognito hostis propere in tutiora se recepit. Eo ipso momento obsessi liberationem sperantes oppido erumpunt, nec parum damni Brunsvicensibus dant. Ipse quoque Uslarius brachio arreptus trahebatur, ni advolans eques hoste trajecto hunc eripuisset. Tandem, cum frustra super deditione actum foret, Uslarius assultum omnibus partibus tentare constituerat. Sed cadentes confertim imbres, & ingruens hostis prohibebat; qui coacta ter millium manu intra unum milliare processerat, oppidulum Sarstedum, in quo Brunsvicensium penus erat, & additum pontem occupaturus. Quo obtento obsessoribus ultro Hildesia facessendum erat. De hujus adventu mature moniti obsessores, soluto tantisper obsidio omnibus copiis eidem obviam prodire constituunt; ac duarum circiter horarum spatio Sarstedum anticipant, post montem non procul oppido acie explicita. Hostis illuc propinquans & ipse ad proximum vicum aciem instruit, validam duntaxat excursorum manum adesse ratus. Sed cum universas copias advenisse agnosceret, simul tormentis peteretur, per duas horas substistebat, impedimenta dimittere, ac turmatim recedere incipiens. Quo animadverso Suecici Brunsvicensesque magno impetu hostes invadunt, eosque semel atque iterum gradum firmantes in fugam propellunt. Hostium circiter mille quingenti cæsi, captique. Erepta tex equestria vexilla, (nam pedes absque signis accesserat,) & quatuor tormenta cum parte impedimentorum. Inter captos tres erant subtribuni, duo vigiliarum præfecti, ac multi alii ductores. Ob strenue navatam operam Trana torque à Duce Georgio donatus est. Durante conflictu cum castra plane deserta essent, erumpentes Hildesienses tuguria incenderant, ac opera demoliri cœperant. Sed mox reversi victores obsidium instaurant. Igitur desperato subsidio, & premente fame, Hildesienses tandem honestis se conditionibus dedunt. Quingenti è prætidiariis ultro ad Succorum militiam transibant. Enimvero Georgio Duci displicebat, hosti ad extrema redacto tam liberales conditiones datas, & quod concessum foret discedentibus iter Monasterium per media ipsius hospitia capere: quo etiam occasio dabatur clam Mindam irrependi milite valde exhaustam, quam ipse mox invadere decreverat. Igitur alio itinere per Holtzmundam, Huxteramque in Paderbornensem præsulatum iter istis sumendum erat. Cæterum quanquam Georgius Dux è Westphalia revertis præter spem nihil ex Halberstadiensis Conventus decreto in Saxonia confectum deprehenderet, legiones non suppletas, nihil annonæ aut pecuniæ collatum; non eo secius tamen reliqua ab hoste possessa oppida vi, aut eminus posito obsidio invadere aggreditur. Et postquam Uslarius Neustadium expugnandum suscepserat, ipse Mindam conversus interjectam Hamelæ Mindæque arcem Buckenburgum deditione capit. Qui excedebant omnes signa ejus ultro sequebantur. Hinc Mindæ obsidium admovetur. Sed & interim duæ legiones à Lohusio Oxenstiernæ jussu mittuntur, qui Guelferbytanorum excursiones inhiberent, eorumque messem corrumperent.

12. Julii.

Arnheimius Glogoviam capit.

§. 68. In Silesia Arnheimius Glogoviam facili negotio in potestatem redegerat, præsidio turbido, nec amplis munitionibus tuendis pari, cui permissum sine vexillis abire. Id oppidum cum sibi tradi peteret Banerius, aut ut saltem Basilicam milite suo intidere liceret, Arnheimius præfracte abnuere, non obscure significans, sibi in mandatis datum, totam Silesiam suis hospitiis vindicare, nec in eorum societatem Suecos admittere. Contra idem Banerio persuadere, ut distrahendo hosti, qui Bernhardo Duci gravis imminebat, in Moraviam tenderet, intactis tamen Silesiæ oppidis, & Saxonicorum arbitrio relictis: addito, ni id faceret, se cum Saxonico exercitu inter Oderam & Poloniam substituturum; quicquid damni rebus communibus inde sit proventurum. Contra Banerio absurdum videbatur in Moraviam penetrare, nullo ad receptum idoneo loco capto, & relictis post tergum hostilibus præsidiis. Ac potius ut in Bohemiam junctim iretur proponebat. Nec eo secius Arnheimius ipse ad Banerium Freistadium accedebat, subinde Moravicam expeditionem ingerens, ac semper tamen solicite excipiens, ne is in Silesia quid occuparet, ne ipsam Neissam quidem, qua Olmucium tendenti transeundum erat. Sed cum Banerius nullo modo salutem suam ex aliena libidine suspendere vellet, re infecta discessum. Ac Arnheimius copiis suis trans Oderam versus Poloniam dispositis, Dresdam ipse abiit.

Idem Banerio, ut in Moraviam abeat, suadet.

Banerius occasionem rixæ cum Saxonibus declinat.

§. 69. Porro Banerius; num in Silesiam ulterius procederet, deliberabat, pronis in ipsum Silesiorum animis, & Wratislavia commeatum offerente, simul ut ipsi intra machinarum jactum receptum capere liceret. Nec deerant qui suaderent, castris ad Wratislaviam positis expectandum, quid Arnheimius tentaturus sit: præsertim cum & ob ruentes ad finem cum Polonis inducias Succorum interesset Silesiam in potestate habere.

22. Junii.

24. Junii.

9. Julii.

Ligistici vapulant.

1634. bere. Ex adverſo conſiderabat; ſibi progredienti Saxonicas copias, quæ trans Oderam hærebant, cum Glogovia à tergo relinquendas; ac inferioris Sileſiæ loca, quæ Sueciis addicta Arnheimium averſabantur, ſe profecto hujus arbitrio exponi. Metuebat quoque, ne Wratislaviam advolans Arnheimius ad alia conſilia urbem impelleret; neve tandem importunius ſe jactando vim reponendi neceſſitatem ipſi afferret iniquis cauſæ Evangelicæ temporibus. Nec in Brandeburgicis copiis fiduciæ quid habebat, cum Elector non obſcure denuntiaſſet; ubi diſſidii quid cum Saxonibus eidem ſuboriatur, ſe ſuas ipſi copias haut commodaturum. Atq; cum in caſum ſuis ducibus in mandatis dederat, ut ſi tale quid Sueços inter & Saxones exſurgeret, Banerio non amplius parerent & ab ipſo diſcederent. Quæ mandata vetante licet Electore, in vulgus ſparſa, haut parum voluptatis adferebant illis queis ea diſſidia in votis erant. Ad quæ mandata Electorem Suecorum malevoli moverant fictis rumoribus, velut jam Banerius Wratislaviam tenderet, cui apud Baſilicam Arnheimius caſtra ſit oppoſiturus proximam manus conſerendi materiam. Quas calumnias Banerius ſcriptis ad Brandeburgicum literis acriter retundebat; ac interim Novæ Saltzæ metabatur, expectaturus quid Arnheimius Dreſda adferret. Et quoniam recta in hoſtem tendere negabatur, ſuper tranſitu per Saxonis terras in Bohemiam petendo agitabat. Cum commode ab Electore Legatus Pflugius adeſt poſtulans, ut Sileſiam ipſi relinquat, ac in Bohemiam potius tendat, fulciendo Bernhardo Duci, ac liberandæ Ratiſponæ. Quod ipſum à Banerio ante cupitum, facile arripiebatur. Mox & Arnheimius advolans ſuper ea profectione cum Banerio tranſigit; qui & ſtatim copias ſuas præter Saganum in Luſatiam ducit, ubi cum reliquo exercitu ipſe Elector agebat. Igitur & Banerius Naumburgo, Griffenbergam movens recta Zittaviam verſus tendit. In itinere nonnullæ Croatarum turmæ, quæ præcurſores Sueçorum Griffenbergæ opprimere voluerant, male multatæ, duobus ſignis ereptis. Inde arci Fridlandiæ deditæ, præſidium à Banerio imponitur. Interim Zittaviam impetu expugnaverat Saxoniæ Elector, ad quem Banerius ipſe accedit, de expeditione in Bohemiam junctim ſuſcipienda conventurus. Ubi iterum difficilis nodus objiciebatur. Nam cum Banerius Leutmericiam eundum, pedemque ibi figendum cenſeret, Elector id abnuere, quod Cæſareis Legatis, ibi cum Saxonicis ſuper pace tractare orſis, ſecuritatem promiſiſſet. Igitur cum neuter ſua ſententia decederet, poſt duarum horarum colloquium re infecta diſceſſum. Nec eo ſecius eodem properabat Banerius prævertendo hoſti, ne forte validum illi oppido præſidium immitteret; id ſecum ſtatuens, ut ſi vel expugnare Leutmericiam non poſſet, vel hoſtis tota mole à Danubio ingrueret, trans Albim ad Bernhardum Ducem penetraret, aut eis Albim in Miſniam recederet. Quo caſu Electori neceſſitas adferebatur, ipſi ſuppetias ferendi, ni duos famelicos exercitus in ſuam ditionem attrahere vellet. Enimvero qui Leutmericiæ pacem tractabant Legati, præcedente nocte Pragam abierant, mox Pirnæ congreſſum inſtauraturi. Leutmericiam duæ dimacharum legiones, una peditum inſidebant. Illorum paucæ turmæ primo Banerii adventu ante oppidum ſe oſtendebant: ſed mox præcipites intra mœnia repulſæ, defenſionemque non auſæ, trepide oppidum deſerunt, ac trans Albim ſe conferunt, ponte poſt ſe inflammato. Cum ita celeriter pons reparari non poſſet, Banerius adverſo Albi progreſſus, cum apud Raudniciam hoſtium turmas trans flumen conſpiceret, machinarum jaculationibus ita eas conterruit, ut Pragam raptim faceſſerent. Melnicca quoque diffugiente præſidio vacua relicta. Heic ponte celeriter exſtructo Banerius Albim ſuperat recta Pragam iturus, ſi ſolus hoſti par videretur; aſt hoſte prævalente locum ad Muldam capere, & Saxonem expectare conſtituerat. Quod ſi conjunctione cum Bernhardo Duce opus non foret, in animo erat Viennam verſus tendere, ac hoſti, cui hæc expeditio jam curam injecerat, negotium domi faceſſere. Antegreſſum Banerium Saxones è veſtigio ſequebantur, ac Albim ad Melniccam tranſibant. Interea & Coloredus è Sileſia acceleraverat, tranſitoque ad Podibroam, & Dauſſinum Albi, cæteris Cæſareis ſub Marrada, & Lamboio ducibus ſe junxerat. In quos Sueci Saxonesque recta ibant, magna ſpe, nullo operæ pretio. Nam in Montem Album progreſſis aliquot hoſtium turmæ conſpiciebantur; in quas cum præcurſores Banerii, qui eo die primum agmen ducebat, irruerent, illi ſtatim ad minus Pragæ latus ſe ſubducebant, ubi prope urbem excelſo loco difficili acceſſu, caſtra hoſtis munierat; unde ferocius ſubeuntes viginti ampli' tormentis excepti, nō ſine damno recedere coguntur. Cum loco tam incommodo irruere in hoſtem vanum videretur, Banerio placebat, ut ipſe tranſmiſſo Mulda veterem urbem milite vacuam invaderet; Saxones interim ad minus latus aſſultum minitantes, hoſtem diſtinerent. Quod conſilium Saxoniæ Elector circa veſperam probabat, executione in craſtinam lucem dilata. Sed poſtera die mutata mente, eidem placebat Melniccam reverti, ac ad Albim ſtativa ponere, eo melius arcendo hoſti, ſi Ratiſpona ſubmiſſis copiis augeretur, quas in horas expectabat. Sic nulla re geſta, Praga diſcedi-tur, & Melniccam reditur, ubi Saxones merabantur; Banerius autem circa Leutmericiam copias ſuas diſtribuebat; cui difficiles ſe valde præbebant Brandeburgici duces, deſiderium ad Saxones, aut domum tranſeundi oſtendentes, & iniquis in hoſpitia querelis; quo contagio, ne totus exercitus infectus conſpirationem parturiret, merus erat. Interea cum fama expugnatæ Ratiſponæ increbreſceret, Elector metuens ne tota vi hoſtis in Bohemiam ingrueret, montium jam refugia circumſpiciebat: ni Banerius obſtitiſſet, par ibi periculum oſtendens; ac ſibi digreſſis Saxonibus, in Miſniam quoque eundum fore. Satius igitur judicabat eo quem ceperant loco conſiſtere, ubi facile erat ipſis Albim, & quæ in Bohemia ceperant tueri, ac prout res exigeret, junctim in hoſtem ire, aut in tutiora ſe recipere.

1634.

11. Julii. ubi diſſidii quid cum Saxonibus eidem ſuboriatur, ſe ſuas ipſi copias haut commodaturum. Atq; cum in caſum ſuis ducibus in mandatis dederat, ut ſi tale quid Sueços inter & Saxones exſurgeret, Banerio non amplius parerent & ab ipſo diſcederent.

16. Julii. Quas calumnias Banerius ſcriptis ad Brandeburgicum literis acriter retundebat; ac interim Novæ Saltzæ metabatur, expectaturus quid Arnheimius Dreſda adferret.

Banerius in Bohemiam tendit.

21. Julii. Mox & Arnheimius advolans ſuper ea profectione cum Banerio tranſigit; qui & ſtatim copias ſuas præter Saganum in Luſatiam ducit, ubi cum reliquo exercitu ipſe Elector agebat. Igitur & Banerius Naumburgo, Griffenbergam movens recta Zittaviam verſus tendit.

Banerius Leutmericiam capit.

24. Julii. Quæ mandata vetante licet Electore, in vulgus ſparſa, haut parum voluptatis adferebant illis queis ea diſſidia in votis erant. Ad quæ mandata Electorem Suecorum malevoli moverant fictis rumoribus, velut jam Banerius Wratislaviam tenderet, cui apud Baſilicam Arnheimius caſtra ſit oppoſiturus proximam manus conſerendi materiam.

13. Julii. aſt hoſte prævalente locum ad Muldam capere, & Saxonem expectare conſtituerat. Quod ſi conjunctione cum Bernhardo Duce opus non foret, in animo erat Viennam verſus tendere, ac hoſti, cui hæc expeditio jam curam injecerat, negotium domi faceſſere.

14. Julii. Antegreſſum Banerium Saxones è veſtigio ſequebantur, ac Albim ad Melniccam tranſibant. Interea & Coloredus è Sileſia acceleraverat, tranſitoque ad Podibroam, & Dauſſinum Albi, cæteris Cæſareis ſub Marrada, & Lamboio ducibus ſe junxerat.

16. Julii. Praga nequidquam tentatur.

In quos Sueci Saxonesque recta ibant, magna ſpe, nullo operæ pretio. Nam in Montem Album progreſſis aliquot hoſtium turmæ conſpiciebantur; in quas cum præcurſores Banerii, qui eo die primum agmen ducebat, irruerent, illi ſtatim ad minus Pragæ latus ſe ſubducebant, ubi prope urbem excelſo loco difficili acceſſu, caſtra hoſtis munierat; unde ferocius ſubeuntes viginti ampli' tormentis excepti, nō ſine damno recedere coguntur. Cum loco tam incommodo irruere in hoſtem vanum videretur, Banerio placebat, ut ipſe tranſmiſſo Mulda veterem urbem milite vacuam invaderet; Saxones interim ad minus latus aſſultum minitantes, hoſtem diſtinerent. Quod conſilium Saxoniæ Elector circa veſperam probabat, executione in craſtinam lucem dilata. Sed poſtera die mutata mente, eidem placebat Melniccam reverti, ac ad Albim ſtativa ponere, eo melius arcendo hoſti, ſi Ratiſpona ſubmiſſis copiis augeretur, quas in horas expectabat. Sic nulla re geſta, Praga diſcedi-

19. Julii. tur, & Melniccam reditur,

20. Julii. ubi Saxones merabantur; Banerius autem circa Leutmericiam copias ſuas diſtribuebat; cui difficiles ſe valde præbebant Brandeburgici duces, deſiderium ad Saxones, aut domum tranſeundi oſtendentes, & iniquis in hoſpitia querelis; quo contagio, ne totus exercitus infectus conſpirationem parturiret, merus erat. Interea cum fama expugnatæ Ratiſponæ increbreſceret, Elector metuens ne tota vi hoſtis in Bohemiam ingrueret, montium jam refugia circumſpiciebat: ni Banerius obſtitiſſet, par ibi periculum oſtendens; ac ſibi digreſſis Saxonibus, in Miſniam quoque eundum fore. Satius igitur judicabat eo quem ceperant loco conſiſtere, ubi facile erat ipſis Albim, & quæ in Bohemia ceperant tueri, ac prout res exigeret, junctim in hoſtem ire, aut in tutiora ſe recipere.

§. 70. Aſt regreſſos è Bavaria Sueçicos exercitus, cum ob exhauſtos labores, ac inopiam refectione quam maxime opus haberent, hoſtis quieſcere non patiebatur. Nam Hungariæ Rex poſtquam Pragam extra periculum eſſe cognoverat, paucis duntaxat legionibus in Bohemiam miſſis cum robore ſui exercitus, Bavaricis ſimul & Hiſpanicis copiis ſuffultus Ingolſtadii Danubium tranſibat; quem & ampla Pater poteſtate inſtruxerat in gratiam recipiendi Ordines obſequii hactenus oblitos, ac de privilegiis, ſacrorumque uſu iiſdem cavendi. Ejus itinere audito Hornius, qui vix Mundelheimum proceſſerat, iterum ſe cum Bernhardo Duce Guntzburgi conjungit. Hic Hornii exercitum deterius ſuo habitum conſpiciens, animum fere deſpondere cœperat, & Oxenſtiernam rogabat, ut mature de evocandis ex inferiore Germania copiis cogitaret: id quod tamen, quo minus fieri poſſet, anguſtia temporis prohibebat. Interim Sueçici duces pro virili hoſtibus obluctaturi, ad Leipheimum Danubium ſuperant tegendæ Wurtenbergicæ, aliisque Franconiæ, & Sueviæ locis, ac

Hornius iterum ſe Bernhardo Duci jungit.

2. Aug.

6. Aug.

1634. ut Norlingæ ſubvenirent. Interea hoſtis poſt captam Donavvertam, ubi magna præſidii pars cæſa fuit, Norlingam tota vi aggrediebatur; ſimul populatores dimiſſi, à quibus Ginga, Ahla, Bopfinga, Heidenheimum, Leipheimum direptæ, ac incendiis deformatæ, Hochſtedum præcipue ſcalis admotis captum omni crudelitatis genere vexatum fuit. In diverſa parte Strozzius, & Wertanus cum novem legionibus equitum dimacharumque Franconiam late perſultantes plurima loca diripuerunt. Sed cum Rotenburgum, Mergentheimum, & Dunckelſpulam Suecorum præſidiis inſeſſas fruſtra tentallent, propinquantibus Suecicis exercitibus in ſua caſtra revocantur. Hi quippe junctim Heidenheimo Gingam iter intendebant, quo à Bernhardo Duce præmiſſus Bellingshuſius tribunus ſexcentos hoſtium cataphractos oppreſſit, ac multis interfectis non paucos cepit. Horum indicio cum cognoſceretur ſparſas hoſtium legiones, ac Wertanum remotius ſtativa habere; nonnulli ſuadebant, occaſione utendum, ac hoſtem, cui nondum unitæ vires, opprimendum. Sed pluribus placebat, Wurtenbergicæ ante omnia proſpiciendum, & ut à tergo ſubvectio annonæ in tuto ſit. Inde Bernhardus Dux cum equitatu Ahlam præcedens, mille amplius hoſtium excurſores occidit, trecentos capit. Poſtera luce primum agmen Bopfingam progreſſum ſupra centum deprehenſos occidit. Heic ſtativa ponere placuit, ac tentare, num excurſiones hoſtis coërceri, Norlingæque ſuccurri poſſet. Igitur mox, qui ibi ſervabant Cæſarei equites, loco altiore depelluntur, ut jam Sueci adjacente ſylva tutoque acceſſu ad Norlingam potirentur. Sed conſilio habito, Hornio aliiſque ducibus haut quidquam viſum recta in hoſtrem ire, quod tenuato agmine per contragoſa ad eundem commoda loca inſidentem eſſet accedendum. Bernhardus tamen Dux, aleam prælii utique tentandam ceniebat, cujus immenſa cupidine miles quoque flagrabat. Nam & ſat negligenter rem apud hoſtem adminiſtrari adparebat, & palantibus paſſim equite juxta ac pedite numeri imminuti. Igitur in aciem diſpoſiti progrediuntur, & Bernhardus Dux, qui dextrum tunc cornu ducebat, loca altiora à levi Hungarorum, Croatarumque, & Polonorum equitatu inſeſſa facile obtinet, & ad Egram uſque fluviolum, qui Norlingam perlabitur, procedit, omnibus qui citra conſiiterant trans fluentum pulſis. Enimvero cum indolem loci conſideraret, in conſpectu hoſtis, qui in altera ripa aciem explicuerat, tranſiri flumen à ſe non poſſe deprehendebat. Cum itaque ad hoſtem perveniri non daretur, oppidum interea inducto milite firmari placebat, quoad Rheingravius & Cratzius advenirent. Unde ad fluminis vadum conſiſtebat Dux arcendo hoſti, dum Hornius ad oppidum accedit, bis rejectis, quæ flumen perrumpere tentarant, turmis, ac inſpectante hoſte ducentos quinquaginta ſclopetarios oppido immittit. Ipſe portæ adequitans, ad conſtantiam oppidanos hortatur, ac cum de panis inopia quererentur, intra ſextum diem liberationem pollicetur, quod eo ſpatio Rheingravius adfore ſperaretur. Interea hoſte velut attonito obſeſſi eruptionem faciunt, & acceſſibus iſtum expellunt, quos magnam partem demoliuntur, ut de integro eidem opera ordienda fuerint. Hoc peracto cum Sueci recederent, hoſtis levem equitatum poſtremo agmini immittit; in quem Bernhardus Dux converſus, præcipitem cum trans flumen redigit, multis interfectis; & major clades fuiſſet, niſi nox pugnam diremiſſet. Jam Bopfingam fere attigerat Dux Bernhardus, ubi denuo Wertanus cum Croatis & bis mille Germanis equitibus incumbit; ſed & is acriter repellitur. Ita citra damnum in receſſu acceptum Suecici exercitus Bopfingam iterum attingunt. Heic Vitztumius Hornium monebat, longius tantiſper recedendum, quoad auxilia quæ expectabantur adeſſent. Sed hic abnuere, quod hoſtis ſecuturus, & in eas terras pertrahendus videretur, quas defenſum venerint. Nec ſi Bopfinga relinquatur, propiorem ſtativorum locum eſſe, quam Schorndorfium; unde hoſti januam pandi per Franconiam & Sueviam late ſe diffundendi, ac ſuos inopia laborantes reficiendi. Nec amplius copiis, quas Cratzius & Schafelitzkius adducebant, tutum acceſſum fore. Iſtis quoque digreſſis Norlinga deſperatione correpta intra paucos dies in manus hoſtium conceſſura erat; quæ jam repetitis literis tempus promiſſi auxilii cedere monebat. Et quanquam equites quererentur, pabulum ſibi longius petendum, ac multos à Croatis omnia perſultantibus intercipi: ea tamen ratio tanti non videbatur, ut ideo ſtativa mutanda eſſent; ac iſti firmo ſtipati præſidio pabulatum ire jubebantur.

6. Aug. Norlinga obſidetur.

20. Aug.

21. Aug.

22. Aug.

Sueci ad Bopfingam caſtra locant.

14. Aug.

Sueci Norlingæ militem immittunt.

1634. 15. Aug.

§. 71. Interim Cratzius, quem Bernhardus Dux ad obſidendum eminus Forcheimum reliquerat, evocante iſto id relinquit, exiguo operæ pretio facto; cujus copiæ adjunctis, quas Caggius Ratiſpona eduxerat, quinque fere millia explebant. Is proximo ante commiſſum prælium die ad exercitus cæteros accedebat. Sed ſero veniebat Rheingravius, qui poſt Rheinfeldam deditione captam pontem incendio abſumptum prius reparaverat, ac opera à ſe excitata ſolo æquaverat, quam inde ſe moveret. Sed & propinqua ſpe Briſaco potiundi invitiſſimus Rheno digrediebatur. Tardius quoque acceſſerant à Palatinatus Adminiſtratore promiſſæ copiæ, quas per oppida diſtribuere voluerat Rheingravius, veterano milite inde educto, ut eo validior in expeditionem procederet. Hoc facto cum tandem copias cis Rhenum contraxiſſet, quatuor turmas duce Goldſteinio præmiſit, quæ & prælio interfuerunt. Ipſe quoque toto cum equitatu in tempore adeſſe poterat, ni una pedites adducere voluiſſet. Sed hi laboribus, & fame fracti tardius procedebant, ac ſi Rheingravius digrederetur, metus erat, ne plerique diffugerent, aut proficiſci plane abnuerent. His igitur præmiſſis ipſe cum equitatu ſequebatur, qui duo millia implebat, cum peditum tria millia eſſent, veteranus fere, & egregius miles, magnumque momentum daturus, ni prælium præcipitatum foret, cum paucarum duntaxat horarum itinere Rheingravius adhuc abeſſet. Sed antequam de horum adventu certi quid cognoviſſent Suecici duces, poſtremum Norlinga miſſum nuntium per aliquot dies detinuerant; tandemque cum literis in oppidum remiſerant, quibus ut per ſex adhuc dies ſuſtinerent hortabantur. Quod ſi eousque durare non poſſent, miſſo nuntio, aut ſigno dato, de quo convenerat, id indicarent. Tunc enim non expectato Cratzio atque Rheingravio, quos hactenus morati eſſent, ſe omnia tentaturos, ut ipſis ſubveniretur.

Cratzius ad exercitus Suecicos accedit.

Rheingravius ſero venit. 19. Aug.

§. 72. Interim hoſtis oppidum indies magis urgebat, cui obſeſſi pro virili reſiſtebant, ſemel atque iterum eruptione facta, & incenſis obſidentium operibus. Nec modica obſeſſores penuria premebat, qui turmatim excurrebant depellendæ fami. Contra arceſſebantur Hiſpanicæ quæ ex Italia advenerant copiæ, ſi Sueci forte oppidum liberare conarentur, viribus integris, animoque alacres, in quibus plurimum fiduciæ collocaverat Ferdinandus. Cæterum digreſſo Norlingam nuntio prima nocte è turri ſignum editur, ſalvum iſtum adveniſſe indicans. Sed ſequenti ſtatim nocte conventum

De prælio ad Norlingam conſultatur. 10. Aug.

1634 ventum extremæ neceſſitatis ſignum eadem è turri adparet. Ac cœperat ſane hoſtis diverſis è ſuggeſtibus mœnia proruere. Heic Bernhardus Dux monere; fidem obſeſſis datam liberandam, & auxilium maturandum. Contra in tanti momenti negotio Hornius reliquorum quoque ducum ſententiam audiendam poſtulare. Ubi pleriſque viſum; cum hoſtis Hiſpanorum auxilio jam firmatus ſit, Cratzium ſaltem expectandum, ſi Rheingravius ita celeriter adeſſe non poſſit. Igitur decretum fit, ſtatim atque Cratzius advenerit, qui Gemundam attigerat, promiſſa Norlinganis repræſentanda. Conſultabatur inde qua via liberatio oppidi tentanda. Ubi Vitztumius ſupremus vigiliarum præfectus cenſebat: caſtra Wallerſteinum transferenda, ac inde oppido ſubſidium immittendum. Sed repudiabatur ea ſententia quod hoc modo ſubvectio annonæ à Wurtenbergica impediretur, atque hoſti contra in eam provinciam, atque Ulmenſium agros excurrendi via panderetur. Ac translatis in deſertam regionem caſtris, Norlingenſium fami non poſſe ſubveniri. Denique Wallerſteinum & Norlingam lata planicies interjacebat; unde ſi ſemel oppido propinquaſſent Sueci, in proclivi erat hoſti retrocedentium terga invadere, ac poſtremum agmen turbare. Igitur placebat; propius Norlingam ſuccedendum, ut tamen exercitus commeatu non excluderetur, nec amicorum regio hoſti prædæ exponeretur. Simul miſſus, qui locum ſtativis idoneum ad viam, qua Ulma Norlingam itur, in monte Arensberga exploraret. Et quod hoſtilis equitatus late per vicos diſtributus eſſet, nec peditatus temere extra ſua munimenta progreſſurus putaretur, citra impedimentum ſe è ſylva & anguſtiis viarum, qua transeundum erat, in campum emerſuros confidebant.

25. Auguſt. Decernitur igitur ſub veſperam caſtra movenda, ac tentandum, ut ſequenti luce orta deſtinatum locum tenere queant. Sed quia Cratzius ante ſequentem diem adeſſe non poſſe nuntiabatur, profectio

26. Aug. ad eundem diem differtur. Quia porro à meridie tormenta hoſtium repente ad veſperam uſque conticuerant, ſuſpicio oriebatur oppidum jam captum eſſe, aut de deditione agere. Sed emiſſi ſub noctem exploratores captivos adducebant, quorum relatu cognitum, oppidanos aſſultum depuliſſe; num autem ulterius vim hoſtium ſuſtinere poſſint,

26. Aug. ignorabant. Poſtero die hoſtis verberationem acriter inſtaurabat, eodemque tempus promiſſi auxilii cedebat; & quia obſeſſi per tres continuas noctes extremam neceſſitatem per ſigna indicarant, dubium non habebatur, quin tardante ulterius auxilio hoſtis oppido potiturus eſſet. Quo facto Imperiales civitates, quæ hactenus belli onera ſuſtinuerant, animum deſponſuras, Ratiſpona nuper ac Donavverta, ac nunc Norlinga hoſti in prædam conceſſa. Igitur priori decreto inhæretur ut non exſpectato Rheingravio, qui intra biduum adeſſe non poterat, oppidum liberaretur. Sed quod hoſtis ob Hiſpanicum militem Succicis multum prævaleret, ſtatuebatur, prælio non certandum, ſed caſtra duntaxat propius oppidum admovenda. Sic Arensbergam verſus procedunt exerci-

26. Aug. tus; quorum motum etſi mature ſentiret hoſtis; cum tamen ignoraret, quam viam capturi eſſent, quietus ſe caſtris continebat. Jamque ad ſtationes vigilum perveniebatur, quæ licet aliquot cataphractorum legionibus conſtarent, Suecos ſylvam egreſſos impedire non audebant, quo minus aperta camporum capeſſerent, quod iſti primo

Primus cum hoſte congreſſus. in agmine ſelectorum peditum robur, ac minora tormenta ſecum ducerent: ſed in Arensberga firmato pede eos expectabant. In hos Bernhardus Dux, qui primum agmen regebat, invectus, cum initio Cratzii & Satleri legionem repuliſſent, in 1634 fugam eoſdem conjicit una cum illis, qui ſubſidio venerant, ut longe demum à primo loco iterum reſtitarent. Eo in conflictu hoſtis Aldobrandinum tribunum, & complures ductores, ſimul ſeptem ſigna amittit. Apud Suecos Ohmii ſubtribunus cadit, Hofkirchius, & Bodendorfius tribunus fauciantur.

§. 73. Felix hic conflictus ſecuturæ cladi occaſionem præbebat. Nam Bernhardus Dux dum hoſtes perſequitur longius extra Arensbergam profectus, diſpoſito ibi ſuo equitatu prius conventa plane negligit, & alium montem ſylva obſitum ad dextram ſitum, à quadringentis Hiſpanis inteſſum, per ſelectos pedites invadi jubet, quibus repulſis Vitztumio mandatum mittitur, ut cum phalangibus eodem ingruat. Hornius tamen optaverat, ex priore conſilio Arensbergam montem fuiſſe inteſſum, quem una cum colle ad ſiniſtram poſito munimentis includi placuerat; demiſſis ad fluvium Egram, qui Boptinga Norlingam fluit, operibus. Quæ intra unam noctem eo provehi poterant, ut deinceps ingratiis hoſtium munimenta perfici, ac Norlingam via aperiri potuerit. Ea ſententia ſi ſteriſſet, longe ſecius res caſura fuiſſe videbatur. Nam caſtris ita poſitis occaſio dabatur oppidum novo ſubſidio firmandi; ſimul ſubvectio è Wurtenbergico & Ulmenſi agro in proclivi, ac retro campi pabulo pleni; hoſte contra magis coarctato. Nec Ferdinandus Auſtriacus Cardinalis Infans ultra decimum diem ibi manſurus erat, ſed ſimul ad Bodamicum lacum, & per Alſatiam itinere, in Belgium cum Hiſpanicis copiis abire decreverat. Ita ſpes erat Hungariæ Regis deſtinata adverſus Franconiam & Sueviam in irritum caſura. Enimvero qui hactenus Succicis partibus allubuerant ſucceſſus, multos tanta ſecuritate, & contemtu hoſtium impleverant, ut cauta conſilia velut à ſegnitie & timiditate profecta cavillarentur, aut quod data opera bellum extraheretur. Et quia initia tam bene ſe dederant, ac totus hoſtium equitatus conflictui adfuiſſe credebatur, parum negotii montis iſtius occupatio datura putabatur. Quos inter Hofkirchius turbido ingenio vir alte penetrantibus dictis Hornium perſtrinxerat: an ne minus fiduciæ quam cæteri habere videretur. Eam ob cauſam Hornius, ut longius provectæ turmæ revocarentur, & priori conſulto inhæreretur, ſuadere ſupereſedebat, meliorem quam qui ſecutus eſt, eventum ſperans. Mons iſte, qua ſylvis inumbratur, anguſtus eſt, ſed ubi illæ deſinunt, planitiem ad dextram, & verſus colles caſtris hoſtium infeſtos diffunditur; è qua locus quem Hiſpani tenebant, ac tota vallis ad dextram telis exponebatur. Unde Succis poſtquam hucuſque proceſſerant, iſte mons utique obtinendus erat, quod alias in ea valle per machinas hoſtium ſubſiſtere non liceret. Contra eo monte obtento hoſtium caſtra tormentorum ictibus ſubjiciebantur; quibus ſi digredi voluiſſent, facile occaſio rem contra ipſos bene gerendi dari poterat. Saltem tuto ibi morari, oppidumque nullo impediente accedere, ac iter Donavvertam verſus infeſtare dabatur, ut vix diutius hoſti ſubſiſtendi facultas ibi foret. Quanquam autem Bernhardus Dux Vitztumio jam imperaſſet ad montem iſtum occupandum contendere; tamen quod hoſtis adverſus ipſum validis catervis conſiſteret, ac peditum robur inde ſubducere tutum non foret, ſimul iſte longius ab eo loco abeſſet, Hornius cum ſuis id copiis efficiendum recipiebat, quos mature adfore putaverat. Imperatum quippe fuerat, ut ubi ad ſylvam Arensbergæ prætentam, viaſque impeditas perventum eſſet, tor-

Horniî conſilium negligitur.

Digitized by Google

1634. menta post ultimum agmen incederent, quo legiones celeriter iter pernicere possent. Sed iis mandatis neglectis tormenta ante Hornii equitatum irrepserant, & ingruentes per tenebras hinc inde eversa procubuerant, ut his obstantibus media demum nocte equitatus iste sylvam superare posset. Quæ non postrema secutæ cladis causa fuit, dum hosti hac mora spatium datur eum montem per Hispanos occupandi. Id quod captivi retulere, cum quadringenti illi Hispani, antea incassum tentati, post majore vi adhibita statione sua depellerentur. Simul ex eo loco tormenta aliquot in Succicas turmas explodebantur, ac per tenebras strepitus humum molientium audiebatur. Cum igitur adpareret, circa occupationem ejus montis acre certamen surrecturum, Hornio æque ac Bernhardo Duci placebat, ad vitandas turbas tenebris solitas nihil ulterius, quoad dies illuceseeret, tentandum, cum vix duæ noctis horæ adhuc supererent. Nec credebatur hostis intra id tempus munitiones ad justam altitudinem educturus, præsertim cum scruposa humus ligones ægre admitteret.

Prælium ad Notlingam committitur. 27. Aug.

§. 74. Primo diluculo Hornius cum exercitu suo, qui tunc dextrum cornu obtinebat, adversus montem instructis ordinibus tendebat. Ex illa porro sylva, unde Hispani scloperarii ejecti fuerant, cava via vepribus septa transversum campum, qua Suecis transcundum, ad tubi majoris jactum secabat. Cui evitandæ ad dextram cum equitatu flectebat Hornius pedite ut recta procederet jussu. Primæ equitum catervæ ad clivum montis disponebantur, ut adversus tormenta & tubos hostilium tutæ consisterent, simul peditum latus tegerent, quibuscum prælium ordiri statuerat, quod hostium peditatus intra munitiones eo loco inchoatas consisteret. Verum dum pedes tardius incedit, ipse ad summum montis clivum adequitat, hostium situi explorando, qui alias conspici non poterat. Heic subtribunus Witzlebius seu quod mandata non intellexisset, seu quod progresso ulterius Hornio ea mutata crederet, cum legione prætoria, quæ duabus catervis digesta, sinistrum latus equitum tegebat, in summum montem evadit, & antequam Hornius animadverteret, in phalangem peditum hostilium tribus legionibus constantem fertur. Sed cum legio cataphractorum è latere se ostenderet, in hanc conversus Witzlebius eandem in fugam vertit, & ultra montem persequitur. Accurrentibus tamen aliis hostium turmis, non sine damno, & amissis duobus vexillis repellitur. Unde Hornio necessitas adferebatur, alias ipsi turmas subsidio mittendi, ac conflictus ordinem quem animo conceperat immutandi. Is conflictus fiebat inter hostilium peditum phalanges, grandinantibus machinarum ac tuborum globis, ut non parum lætæ alæ retro ad clivum montis paulo longius consisterent. Inter ista peditatus accesserat, montem ab Hispanis insessum invasurus. Constiterant hi post tria semiperfecta munimenta semilunaria, ad trifolii instar disposita, unde totus mons ictibus exponebatur. Ex his primum, cæteris magis absolutum, qua mons in clivum vergit, positum erat, quod Suecos tuto consistere, ac machinis suis uti non permittebat. Quo occupato hasce recte disponere, majore vi reliquas munitiones adoriri, & monte, in cujus possessione salus eorum sita erat, potiri dabatur. Id munimentum duabus legionibus insessum Hornius duas phalanges ex utraque parte assultare jubet, addito, ut munimentum cepisse contenti hostem non persequerentur, sed commodo sibi loco subsisterent. Fit ab his impetus, & hostis cito pellitur, relictis minoribus tormentis; cadente utroque tribuno Wurmsero, & Salmensi, ac non paucis aliis. Sed dum utraque phalanx pariter munimenta hinc & inde transilit, sibique mutuo occurrit, ordines non parum turbantur: pulvisque ab hoste relictus flamma correptus multum consternationis excitat. Confusos ingens cataphractorum caterva assultans in fugam conjicit: nam qua parte munimentum hosti obvertebatur, apertum erat. Nec ullo modo semel perculsi adduci poterant, ut munimentum aliquandiu ab hoste detertum denuo capesserent. Inde hostium legionibus spatium dabatur ad priorem stationem regrediendi. Harum phalangum fuga facile evitari potuisset, si equitum turmæ istis succenturiatæ statim atque pedites munimentum transiliebant, præsto fuissent. Sed illæ post primum conflictum longius, quam jussæ fuerant, constiterant; nec fumi nubes, quid facto opus esset, ductores judicare permittebat. Ergo dum istæ tardius accedunt, captus jam locus amittitur, haut quicquam deinceps recuperandus. Enimvero cum tanti momenti esset montem istum à Suecis obtineri, denuo extrema omnia ad illum occupandum tentantur, recentes phalanges admoventur, pulsarum ordines restituuntur. Sed quia equitatus in sinistro cornu turbatus Ordinibus retro Arensbergam cedere dextroè cornu conspiciebatur, Succicus pedes animo fractus haut pro pristina virtute se gerebat, nec Hispanos loco dimovere valebat. Interea Turrius Comes cum una phalange, duabus legionibus constante, à Bernhardo Duce dextro cornu subsidio mittitur; sed qui infausto Suecis fato non recta ad sæpius memoratum montem contendit, sed ad sinistram deflectens adversus Leslæum, & Italicas legiones vadit, quas dum numero longe inferior pellere nequit, prope locum capiebat, obstistebatque ne hostilis peditatus sylvam dextro & sinistro cornu interjectam occupare, ac dextrum cornu à latere invadere posset. Ea phalanx diu rem fortiter adversus hostium legiones gerebat, ac ingruentes aliquoties cataphractos acriter repellebat. Qua occasione dum catervæ equitum ipsi subinde subsidio veniunt, equestris quoque pugna incaluit, ac latius diffunditur: in qua Witzlebius subtribunus amissa primo conflictu vexilla strenue ulciscitur. Sed quia Succi iniquo loco pugnabant, nihil ad summam rei proficiebant, nec hostem persequi poterant, ac post displosos tubos ad clivum montis subinde se recipiebant. Phalanx autem post longum & acre certamen plurimis amissis aut sauciis tandem è pugna subtrahenda, & in ejus locum aliæ legiones submittendæ erant, quæ ex adversa prius pugna adhuc trepidæ eam stationem diutius non tuebantur, hostique viam ad occupandam eam sylvam aperiebant.

1634.

§. 75. Jam per octo fere horas certatum erat, ac Hornii phalanges tot conflictibus, ac quod passim integri cum sauciis ex acie se subducerent, non parum rarescebant; simul nutans sinistræ alæ equitatus non parum terroris cæteris afflaverat. Contra hostis numero longe superior integris catervis subinde fessas mutabat; ac valida manus in subsidiis locata paulatim procedebat. Et post occupatam, de qua hactenus certatum fuerat, sylvam Hornii exercitum à latere ac tergo invadere, ac plane à sinistro cornu abscindere poterat. Unde duces sæpius Hornium monebant, eo loco relicto tutam stationem capesseret. Sed cum receptus interdiu, & conferta cum hoste manu valde periculosus esset, ad Ducem Bernhardum mittitur, qui ejus sententiam exquireret. Hic considerata receptus difficultate primo suadebat, ut quilibet locum suum extrema vi connixus ad noctem usque tueretur. Sed cum parum ultra meridiem dies processisset

Hornius à recipere conatur.

1634 1634. ceſſiſſet, loco tam iniquo inter hoſtes omni parte ingruentes tamdiu durari non poſſe, miſſo ſupremo metatore Morshauſio Hornius Duci demonſtrat. Ubi Dux promittit, ſe cum peditatu tamdiu ſylvam tuiturum, ac cum equitatu hoſtem ſuſtentaturum, quoad Hornius copias ſuas in tutum locum ſubduxiſſet; tunc & ſe iſtius tormentis ac turmis defenſum ad eandem ſtationem receſſurum. Id quod ſi factum fuiſſet, ad Rheingravii adventum res ſuſtineri, aut ſaltem absque ulteriore damno, & capitali clade ab hoſte diſcedi potuiſſet. Cæterum receptui eo commodius faciendo Hornius neceſſarium judicabat denuo impetum ab equitatu in hoſtem dari; quo ſpatium fieret tormenta longius provecta retrahendi; ac ne hoſtium catervæ longius rejecte ſtatim Suecorum receptum ſentire, aut è veſtigio ipſos inſequi poſſent. Qua re ex voto perfecta, tormenta, inde primum equitum agmen præmittuntur, tandem & ultimum agmen incedit, nemine qui timendus foret inſequente. Vicus in valle ad Arensbergam ſitus erat, à conflictus loco diſtans, quantum binis jactibus longiores tubi emetiuntur, cui Hirnheimum vocabulum; qui ex uno latere clivum montis tangebat, altero rivulus uliginoſus prælabebatur. Trans illum vicum agmen cum tormentis conſiſtere juſſerat Hornius, ut poſtremo agmini, ſi forte hoſtis ingrueret, tutum receptum præſtare poſſet. Quem locum ſi prætergreſſæ foret copiæ, ſclopetarios vico immittere deſtinaverat, qui hoſtem eo usque diſtinerent, quoad exercitus in ſummo monte rite foret diſpoſitus. Jam igitur tormenta ultra vicum proceſſerant, primumque agmen eundem attigerat, & ultimum ultra trecentos paſſus inde non aberat; cum è ſiniſtro cornu, qua Bernhardus Dux curabat, penitus turbato, aliquot legiones per vallem laxatis habenis ruunt; quæ primum Hornii agmen ſecum in fugam abſtrahunt. Et quanquam Hornius ſtatim ab ultimo agmine advolaret, fugamque ſiſtere, ac reſtituere Ordines tentaret, quo pedites in montem ſubducere poſſet; incaſſum tamen laborabat, conſternatis imperia non amplius audientibus; ac Cæſarei acriter incumbentes ſpatium inſtaurandi ordines non relinquebant. Exinde non pugna amplius, ſed ſtrages peditis præcipue involvens; quorum plerique, niſi quos ſylvæ abdiderant, cæſi, pauciſſimi capti. Equitibus, & iis qui mature pugna exceſſerant, Rheingravii copiæ tribus duntaxat milliaribus à conflictus loco diſtantes, ſaluti fuere, quæ inſequentium Croatarum ac levis equitatus impetum ſtitere. Cæſorum ſex millia æſtimabantur, quos inter Fridericus Anſpacenſis Marchio. Inter inſignes captivos erant tribuni Wittenbergius, Wachtmeiſterus, Schneidewinus, Zerotinus, & Felſius: ſupremi vigiliarum præfecti, Roſteinius & Schavelitzkius, Cratzius Campi-Mareſchallus, cui ea captivitas ob deſertum quondam Bavarum capite luenda. Sed maxima jactura in Guſtavo Hornio erat, quem per adverſam licet pugnam fortitudinis juxta ac providentiæ egregia ſpecimina nobilitarunt; è cujus ſententia ſi res geſta fuiſſet, irreparabilis clades declinari poterat. Bernhardum Dyxeen ne in hoſtium manus incideret, à centurione ex Tupadelii dimachis ſubminiſtratus equus effecit. Pervenere quoque in Cæſarcorum poteſtatem centum triginta ſigna, tormenta, & impedimenta omnia. Quicquid calonum adhuc Bopfingæ morabatur, à Cæſareis oppreſſum; ubi & omnis Bernhardi Ducis ſupellex, & equi deprehenſi, ut præter veſtimenta, quæ corpore geſtabat, nihil retineret. Apud hoſtes occubuiſſe ferebantur, Pilleheus Bavaricus Dux, tribuni Aldobrandinus, Salmenſis, VVurmſerus & Achatius, quorum hic inter Hungariæ Regem, & Infantem medius globo tormenti interfectus fertur. In ſiniſtro Suecorum cornu id præcipue peccatum, quod cum initio leves Croatarum, Polonorum, Hungarorumque turmæ variis velitationibus laceſſerent, equitibus permitteretur, iſtis confectandis Ordines ſolvere. Unde mox totis viribus ingruenti hoſti eos proruere in proclivi erat.

Suecorum clades.

1634. §. 76. Ea clades Oxenſtiernam maximis difficultatibus opprimebat, cui & antea directionis ſuæ tædium Ordinum ſuperiorum genius fecerat; qui velut hoſtium obliti privata inter ſe litigia agitabant, ac ad ſuſtinendam communem cauſam facientia conferre gravati id potiſſimum meditari videbantur, quomodo Suecos paulatim amolirentur. Aſt nunc Heilbrunnenſis fœderis vis plane expirare, & quanquam intra primam conſternationem nondum cum hoſte tractarent, nihil tamen conſilii aut rei amplius expromere, & velut conditis in ſinum manibus futura mala attoniti expectare; quorum cauſam in Suecos conferebant, velut per hos ad arma capeſſenda inducti, aut per quos ſtetiſſet, quo minus pax dudum coaluerit; quos paulo ante libertatis ſuæ vindices in cœlum usque extulerant. Id quod jam olim animadvertens Oxenſtierna ſolicite circumſpexerat, ut Sueciam honeſta ac tuta ratione extra has turbas ſubduceret. Sed obſtabat affluxa hoſtium, qui per ſeparatos tractatus id tantum quærebant, ut diſtractos inter ſe Proteſtantes ſub jugum mitterent. Tum ita diſtortis conſiliis hoc anno uſi fuerant Ordines, ut æque inepti ad pacis tractatus, quam bellum gerendum viderentur. Sed poſt partam victoriam id inſolentiæ hoſti acceſſerat, ut tractatus amplius audire dedignaretur. Et tamen cauſam ſemel ſuſceptam plane deponere Suecico nomini ignominioſum erat futurum. Igitur conſtituebat Oxenſtierna labentes res quantum poſſet ſuſtinere, quo ſpatium foret Gallos, quos antea procul rebus Germanicis habere laboraverat, in bellum pertrahendi, diſtinendo hoſti, ne oram maritimam invaderet, aut ut forte metu belli Gallici ad pacem permoveretur. Eoque Ordines Superiorum Circulorum animare, nec, quod multi ſuadebant, in Saxoniam ſe recipere. Nam hoc facto illi in deſperationem verſi, ſtatim cum Cæſare utcunque transacturi fuerant, Suecos velut ab ipſis deſerti accuſantes. Sed nec adparebat, quæ hoſpitia ibi defatigato militi inveniri potuiſſent; & ad ſecuritatem Sueciæ intererat, hoſtem Rhenum verſus pertrahi. Tum è vicinia tanto commodius cum Gallis tranſigi poterat. Quod tamen conſtaret, conjunctionem cum Ordinibus nullo emolumento, ſed mero oneri cedere; ſi qua afferretur occaſio honeſte arma ponendi, eam non negligendam putabat. Interim oram maritimam omnibus modis firmandam, ac uti non plane bellum Germanicum deferendum, avertendis tantiſper à Suecia malevolorum animis; ita nec nimis pecuniæ, virorumque eidem impendendum. Qua de cauſa etiam Oxenſtierna magnam pecuniæ ſummam à Senatu ſibi decretam remiſerat, quod Ordines Germaniæ ita tardos ad Suecorum ſatisfactionem præſtandam cerneret. Et cum Banerius poſt è Suecia copias ſibi ſubmitti poſtularet, Oxenſtierna diſſuadebat, quod nec ita manu tantæ molis ruina ſiſti poſſet, & advertus Polonos vires in promtu habendæ forent.

Oxenſtiernii poſt eam cladem conſilia.

Idem res pro viribus reſtituere nititur.

§. 77. Talia agitantem Senatus Sueciæ literis inſuper firmabat, quem tantæ cladis nuntius non usque adeo dejiciebat, ut ſtatim de ſumma rerum deſperandum cenſeret. Nam tot prælis in Germania victores una hac acie victi fuerant, ac præcipua

Digitized by Google

1634. Imperii loca validis adhuc præſidiis obtinebant. Sub Banerio quoque, Georgio Duce, Landgravio, Rheingravio, aliisque inſignes copiæ ſupererant, cladis expertes; per quas ſibi progreſſus hoſtium poſſe ſpes erat, ſi Ordines junctis animis maſcula conſilia capeſſere vellent. Hortabantur igitur Oxenſtiernam, ſolitam conſtantiam ne exueret, ac ad ſuſtinendas ipſorum res omni vi conniteretur. Cæterum conſilia temporibus accommodaret, & qua contingere daretur, pertendiſſe ſatis haberet. Huic igitur prolapſas res reſtituere laboranti prima cura erat ſparſas copias colligere, præcipua loca, qua hoſtis irruptio metuebatur, firmare, novum exercitum opponere, aliis locis ipſius vires diſtrahere, ut Superioribus Circulis reſpirandi ſpatium daretur. Bernhardo Duci & Rheingravio ſcribitur, aditus Wurtenbergicæ muniant, palantes colligant, hoſtemque diſtinere tentent, quoad contractis aliis exercitibus ipſi iterum occurri queat. Præcipui quoque Ordinum literis confirmantur, ne animum deſpondeant, neu manus ſuſtinendæ communi cautæ ſubtrahant. Simul Wilhelmus Landgravius, Georgius Luneburgicus & Wilhelmus Vinarienſis Duces rogantur, ſepoſitis aliis omnibus in Wetteraviam & Franconiam copias adducant, ſummæque rerum ſubveniant; qua collapſa Saxoniæ quoque malum incubiturum. Banerius Egram ſe conferre jubetur, pro re nata ulterius progreſſurus. Elector quoque Saxoniæ rogatur in Bohemia, aliisque locis hoſti negotium faceſſere, ne abſumtis Superioribus Circulis incendium ad ipſum trajiciat. Et colligebatur quidem è fuſo exercitu non ſpernenda multitudo, equitum præcipue, qui luſtratione facta, non multum imminuto numero, quam ante prælium fuerant, reperiebantur. Non modicæ quoque hinc inde ſparſæ Evangelicorum copiæ ſupererant, quæ ſi mature contrahi potuiſſent, fortaſſe res per Superiorem Germaniam reſtitui contigiſſet.

Cum difficultatibus incaſſum luctatur.

§. 78. Enimvero quo ſe cunque verteret Oxenſtierna, omnia difficultatibus plena erant. Saxo, ne minimum quidem commotis ſuis copiis, per tractatus Pirnæ inſtitutos ad Cæſaris amicitiam revertebat. Reliqui tardius molientes ſpatium hoſti dabant, ipſis medium ſe inſinuandi, eorumque conjunctionem impediendi. Alii ad Oxenſtiernæ monita plane obſurduerant, eo languidiore boni publici cura, quo longius ſibi ab incendio remoti videbantur. Circa Superiorum Circulorum exercitus prima quæſtio oriebatur, quis ſummo cum imperio illis eſſet præficiendus. Hornium, quem omnium ſuffragia deſtinabant, ne faſces illos ſuſcipere poſſet, captivitas impediebat. Supererant Bernhardus Dux, & Chriſtianus Palatinus: ſed nec ille parem, nec hic ſuperiorem ferre doctus. Et quanquam utriusque opera uti cuperent, tamen neque iſte perſuaderi poterat, ut vel alternis imperarent, vel peculiaribus uterque copiis præeſſet; neque hic ut Bernhardi Ducis imperio ſe ſubjiceret. Igitur tandem Bernhardus Dux deſignatur ſuffragante militum favore, & animo alacrior; & quia temeritate ſua res perdiderat, eo magis circa eas reſtituendas conniti tenebatur. Qua electione Palatinus offenſus Wormatiam concedebat. Legiones porro ad Norlingam fuſæ, & apud Francofurtum iterum collectæ, animis tumentes, ni pecunia delinirentur, officium contra hoſtem facturæ non erant. Argentum & ſtipendium cum convitio expoſcebatur; nec deerant, qui clam militem ſtimularent. Legionum nomina plurima, ſed numeris imminutis, quas neque ſupplere tempora permittebant, & ſi plures conjungere in unam velles, ſtipendia exſolvenda erant; nec tamen ulla pecuniæ parandæ facultas. Nam Wurtenbergicus Dux qui pro rata ad cauſam communem plurimum contulerat, aliique ſtatim ab hoſte oppreſſi erant. Auguſta, Noriberga, Ulma à cæteris dividebantur. Reliqui pauperes, timidi, bellorum pertæſi non obſcure fremebant; alia ſibi in præſens media expediendæ ſaluris circumſpicienda. Ita Oxenſtiernæ conatus deficiente rerum gerendarum nervo, & immenſum ægreſcentibus militum animis, incaſſum cadebant. Equidem ſtatuerat is cum Conſilio Fœderatorum à mercatoribus, qui Francofurtanam tunc panegyrin frequentabant, bis centies mille unciales mutuo ſumere; qui cum allatas perſuaſiones ſurda aure tranſmitterent, aeri edicto argentum depromere jubebantur denuntiata ipſis ac mercibus detentione. Sed mox deprehenſum, commercia Francofurtana magis colly bis, & mercium mutatione, quam præſente pecunia peragi; ac ejus urbis magiſtratus cum extraneis mercatoribus, quibus data publice fide caverat, ita aſpere agere verebatur. Erant quoque iſtorum mercatorum aliqui Galliæ cives, uti Metenſes, plerique è Fœderatorum ditionibus, quorum quilibet ſuis patrocinabatur. Per reliquos ad ſummam rei nihil proficiebatur. Ita & hoc conſilium irritum erat, nec adparebat, unde exercitus reparari poſſent.

Dux Bernhardus Rhenum trajicit.

§. 79. Dum circa iſta incaſſum laborat Oxenſtierna, jam hoſtis trajecto apud Aſchaffenburgum Moeno tribus tantum milliaribus Francofurto aberat. Heic iterum deliberatur, quo exercitus prælio ſuperſtes abducendus foret. Ubi Bernhardus Dux, alique in Saxoniam recedendum cenſebant, quod his in oris nullo modo diutius ſubſiſti poſſet inter malendos, ac nihil amplius in rem communem conferre volentes. Monebatur quoque Oxenſtierna, ut propriæ ſalutis rationem haberet. Aſt huic nullo modo conſilium iſtud probabatur, quod exercitu digreſſo Ordines deſperata ſalute utcunque cum hoſte tranſactionem præcipitaturi forent: cum ſpes eſſet, rem uſque eo ſuſtineri poſſe quoad ratio aliqua honeſtæ pacis inveniretur. Nec plus facultatis in Saxonia placando exercitui; hoſtemque è veſtigio illuc ſecuturum, cui hiſce in regionibus aliquid negotii dare conſtituerat. Denique exprobrari ſibi nolebat; adverſis rebus Ordines deſtituiſſe. In primis Galliæ Regem reſpicienti, quem bello implicare cupiebat, vicinis locis manendum erat. Alii ad Francofurtum ſtativa capienda cenſebant, urbe bello fovendo opportuna, & quam tunc ambiguæ fidei pravis conſiliis relinqui non expediebat. Sed quod copiæ adhuc indiſpoſitæ forent, nondum depulſo nuperæ cladis terrore, ac ob defectum ſtipendii annonæque turbidi animis, nec repente caſtra muniri poſſent; inſuper metus foret, ne hoſtis Francofurtum inter Rhenumque penetrans, acceſſum ad pontem Moguntinum interciperet; tergum inde ac latera infeſtaturus. Igitur Oxenſtiernæ placebat ad Rhenum vicinis Moguntiæ vicis militem diſponi, atque ipſe Moguntiam ſe conferebat declinando periculo, Joanni Witgenſteinio Comiti directionem conſilii delegans. Enimvero iis locis parum annonæ erat, & continuus ab hoſte metus urgebat; eoque importune ut trans Rhenum ducerentur milites flagitabant. Sed & heic non una difficultas ſe offerebat. Nam Rhenum transgreſſi quicquid adhuc Ordinibus facultatum ſupererat, nullo fructu abſumturi erant, hoſte interim eis Rhenum citra impedimentum graſſaturo. Tum metuebatur, ne mixtim hoſpitantes Galli Germanique, obortis rixis ad manus pervenirent; neve abſumtis omnibus Gallicus exercitus in Lotharingiam regrederetur, quem ſtatim cum Cæſareis commiſſum optabant.

1634. optabant. Exadverſum metuebatur, ne copiæ annona deficiente plane diſſolverentur, & reliquos Ordines ex facili ſubjugandos hoſti præberent. Enimvero iſtas dubitationes ipſe exercitus expediebat, permiſſu Ducis absque Oxenſtiernæ præſcitu pontem Moguntiæ tranſire incipiens. Unde hic ne miles ſuæ libidini relictus Ordinum ditiones prorueret, raptum hoſpitationibus legem præſcribit, aliaque diſciplinæ utcunque ſervandæ diſponit.

Exterorum auxilia implorantur.

§. 80. Inde exterorum auxilia implorantur. Angliæ Rex ut nepotum ſalutem ſublevare velit, rogatur. Ad Venetos Galeatius Gualdus mittitur, qui faciem rerum ipſis exponat, & quid periculi Italiæ immineat, ſubjugatis per Auſtriacos Proteſtantibus; horteturque conſiliis & opere gliſcenti iſtorum potentiæ obviam eant. A fœderatis quoque Belgis petitur, ut inſigni pecuniæ ſumma afflictis rebus ſuccurrant, & copiis ſuis Rheno admotis hoſtem ab eodem flumine tranſeundo prohibeant, aut ſaltem earundem motu ſuſpicionem eidem injiciant. Sed præcipua fiducia in Chriſtianiſſimo Rege erat, ob eladem Norlinganam perterrito, ne oppreſſis Suecis tota belli colluvies Galliæ infunderetur. Cujus eo tempore validus ac bene compoſitus exercitus ſub Forcæi ductu non procul Rheno agebat; quem ut propius moveret orabat Oxenſtierna ſiſtendo hoſti, quo fuſæ copiæ recolligendi ſe ſpatium haberent; ſiquidem ipſe in Cæſareos hoſtilia ſumere injuſſu Regis non auderet. Regi porro devinciendo Philipsburgum traditur, cujus ſummum ipſe præfectum conſti-
27. Sept. tuit Everhardum Ducem VVurtenbergicum, præſidiumque Gallis Germanisque mixtum imponit. Inde ut Galli bellum Cæſari indicant cum Legatis Gallicis ſecreto ſuper fœdere agitatur, cujus capita ex iſtorum fere ſententia concepta, Grangius ad Regem deferebat. Ei perficiendo Jacobus Loeffelerus, & Philippus Streitius in Galliam ablegantur, quibus in mandatis dabatur; omni ratione Regem ad bellum Cæſari faciendum permoverent, oblato etiam Briſaco, & tandem oppidis Alſatiæ, ipſaque Bentelda, ac ut Moguntinum præſulatum ſicuti Trevirenſem in tutelam ſuam recipere poſſit. Ut tamen pace facta omnia ea loca legitimis dominis citra penſationem reſtituantur, Rexque libertatem ac jura Ordinum aſſerat, ac Succorum ſatisfactioni curandæ operam det. Quod ſi in apertum bellum erumpere Rex nolit, ut ſaltem mature fœderatos milite ac pecunia ſulciat, antequam omnia plane peſſumeant.

Acta exercitus ad Norlingam victi.

§. 81. Porro ad Norlingam fuſæ copiæ, cum paſſim qua tranſibant omnia diripuiſſent, ad Heilbrunnam uti juſſæ erant pleræque iterum convenerant; quo etiam Rheingravius ſe cum ſuis conferebat. Sed quod nullus in vicinia locus eſſet ſiſtendo hoſti idoneus, ac metueretur, ne turbidus miles plane difflueret, ni procul hoſte quies aliqua indulgeretur; Bernhardus Dux Mœnum, Rhenumque verſus copias dimittit. Ipſe Schorndorfo & Aſchberga præſidio firmatis, VVurtzburgum excurrit, cui Turrium Comitem præficit. Inde Franconiæ rebus pro captu temporum diſpoſitis,
Rheingravius Argentoratum redit. Francofurtum properat. Eodem ut cum ſuis Rheingravius ſe conferret, iſte fruſtra poſtulaverat, quod victi perruptis diſciplinæ legibus, integrum quoque militem infecturi erant. Simul ſpeserat, ſi Rheingravius à Duce diverſus abiret, tracta in iſtum parte hoſtium huic ad ſe recipiendum largius ſpatium uti datum: præſertim cum oppida Alſatiæ pedite nudata, & caſtellum ad Kehlam ſegniter firmatum foret; quo ſi valida hoſtium manus ingruiſſet, irreparabile damnum iis locis accipi poterat. Igitur quantum licebat circa Heilbrunnam moratus recipiendis è fugâ palantibus, Argentoratum ſe conferre conſtituit. 1634.

Hoſtis poſt victoriam late graſſatur.

§. 82. Aſt hoſtis, altero poſt prælium die Norlinga dedita, copias ſuas in diverſas partes dimittit, victis ubique incubiturus, nec requiem reparando exercitui conceſſurus. Pars Bavaricorum Auguſtam, parum proviſâ ibi annona, eminus circumſidere jubetur. Cæteros Lotharingus in Briſgoviam ducebat. Ipſe Hungariæ Rex cum præcipuis copiarum in VVurtenbergicam, cui tam diu Cæſarei inhiaverant, concedit. Cardinalis Infans recta ad Mœnum, inde in Belgium tendit. Ei dexter incedebat Piccolomineus, & Croatis ſuis ſtipatus Iſolanus, res Proteſtantium per Franconiam everſuri. Quæ deſtinata pleraque ex voto ſuccedebant. Nam Wurtenbergica exceptis munitis arcibus, velut diluvio inundabatur; ac ipſe Cæſareorum præ Wurtenbergicam progreſſus. Dux accepto cladis Norlinganæ nuntio, confeſtim Argentoratum ſe recipiebat, ſoluto Villingæ obſidio, Hala citra moram hoſtem admittebat, Wimpfina, Stutgardiam usque claves victori obviam portabat, ac ut Cæſari ſe ſe venditaret, omnia prodere & agitare incipiebat, quæ Evangelicis fraudi eſſe poſſent. Heilbrunna ab initio defenſionem meditabatur: ſed cum injectus ignis complures ædes abſumſiſſet, oppidani militem ad deditionem faciendam compellunt. Interea Lotharingiæ Dux, cum ſuis copiis per vallem Kentzingam Argentoratum verſus feſtinabat. Unde Rheingravius, qui hactenus per Vaihingam & Rheingravius Argentoratum evadit. Pforzheimum lentius proceſſerat, colligendis fugatorum reliquiis, pontem Argentoratenſem capeſſere maturat, peditesque in vicinis Kehlæ vicis equites Offenburgum verſus diſponit. Heic cum 17. Sept. turmas nonnullas Wiſtadium emiſſas cum quindecim equitibus inſequi inſtituit, à ſuis, qui diverſam viam iniverant, aberrans medios in hoſtes incidit, qui agnitum magna vi ad Kentzingam flumen usque perſequuntur, ſalutem cum clamore offerentes. Aſtille mori, quam capi præoptans, cum equo per altiſſimam ripam in flumen delilit, eoque transmiſſo in alteram ripam per arbuta pedes inter creberrimos hoſtium globos emittitur. Et quanquam multi trajecto fluvio inſectarentur, tamen per ſylvam monſtrante viam ruſtico forte oblato ad ſuos incolumis evadit. Nec dubium erat, quin maxima clades ejus copiis duce deſtitutis incubuiſſet, ni eo temporis articulo comparuiſſet. Jam enim Lotharingiæ Dux, & VVertanus cum toto Bavarico equitatu, & ſelectis bis mille peditibus ingruebant. Unde ſtatim à Rheingravio impedimenta trans pontem mittuntur, & omnes copiæ nullo amiſſo in tutum perveniſſent, ni telona ad tranſitum Rheni & centurionis in caſtello Kehlano importunitas totam horam exemiſſet. Unde dum nocte jam inumbrante hoſtis extremo immixtus agmini unam munimentum irrumpere nititur, diſplotis in confinio tubis, trecenti circiter Rheingravianorum occiſi, aut ſauciati fuerunt. Inter hæc Mareſchallus Forcæus buſ veilerum adpulerat, qui antea prolixiſſime ſua officia obtulerat, ſi occaſio oſtenderetur, qua fœderatis inſervire poſſet. Rheingravius igitur cum viam perſpexiſſe ſibi videretur, Lotharingum Bavarosque repente opprimendi, ſi Forcæus ad tres quatuorve dies ſex aut ſeptem millia Gallorum ſibi commodare vellet; ſuper hoc officio hunc una cum VVurtenbergico Duce, Badenſi Marchione, & Argentoratenſibus rogat. Sed is multa verborum modeſtia excuſabat, exercitum à ſe dividi non poſſe; ac ab Oxenſtierna ſe rogatum, ut Spiram deſcenderet, ubi pons navalis traducendis ejus copiis ſtruebatur. Ita quieſcendum Rheingravio erat, præſertim cum ipſius copiæ, audito

ſuis

1634 fusis ad Norlingam legionibus pecuniam promissam, & ipsæ pari conditione haberi vellent, frementes; sibi quoque vapulandum, ut aliquando argento potiri queant. Inde factum, ut præsidium Suecicum Kentzingam, cum nemo succurreret, hosti dederet.

Rheingravius de Alsatia in Gallos transferenda agit.

§. 83. Sed nec trans Rhenum omnia tuta erant. Nam circa Brisacum Wilhelmus Marchio, Reinacherus, & Mercius quantum poterant copiarum contrahebant: tum pons Britacensis præter solitum firmabatur. Unde metus erat, ne Lotharingus cum parte Ligistici exercitus illac transgressus, unum aut alterum locum repente opprimeret. Et citra hunc cæteri sufficiebant Colmariæ eminus circumsidendæ. Quo facto abrumpebatur via super Alsatia cum Gallis transigendi, quam Rheingravius utique in horum manus, quam hostium incidere malebat. Nam subinde jactaverant Ministri Gallici; si eo usque res progressa foret, Regem, qui nondum bellum in Cæsarem decrevisset, Ordinibus amplius nec posse, nec velle adsistere. Considerabat quoque Rheingravius, eo tempore tam late diffusa præsidia contrahenda, & copias in campum educendas. Qua de causa etiam Buchornum & Cellæ ad Lacum Bodamicum, Rheinfelda insuper, aliaque minoris momenti oppida deserta fuerant. Accessa Gallis Colmaria, Schletstadioque sedecim peditum, duæ equitum centuriæ parabantur. Igitur adhibito in consilium Argentoratensium magistratu, Friderico Reichardo Mockelio Suecorum per Alsatiam

3. Sept. Residenti negotium datur cum Gallico Ministro Insulano tractatus instituendi; quos inter super eorum oppidorum cessione transigitur, inscio & invitô Oxenstierna, qui Læflero, ut super ea re in Aula Gallicana ageret, in mandatis dederat. Cum Colmaria & Sletstadio omnia Superioris Alsatiæ loca tradebantur, quod illa alias in hostium manus perventura essent. Cavebatur porro ea conventione, ut ista hæc traditio Imperio, Ordinibus Fœderatis, & Heilbrunnensi fœderi fraudi non esset; eadem loca in præsenti statu relinquerentur, ad futuram usque pacem, eaque tantisper contra hostem defenderentur. Colmariæ libertati peculiariter prospiciebatur. Sponsio à Rheingravio & Forcæo probata Galliæ Regi, & Oxenstiernæ ratihabenda transmittitur. Ast cum recedente hoste ad Argentoratum nihil amplius periculi esset, Rheingravius arcessente Oxenstierna Wormatiam movet, ubi paucos post dies fato concedit, magna cum Fœderatorum Ordinum jactura, apud quos longo rerum usu spectata viri virtus, singulari felicitate suffulta ingens desiderium sui reliquit. Hosti non minus laudatus, quam formidatus; equestris militiæ peritia præcipue memorabilis.

Rheingravius moritur. 6. Octobr.

Cardinalis in Belgium descendit.

§. 84. Ast Cardinalis Infans post navatam Cæsari tam insignem operam cum Hispanicis copiis, septem peditum, duo equitum millia implentibus, quas Ossa cum sex legionibus Germanis comitabatur, recta Miltenburgum ad Mœnum tendebat, 19. Sept. cui ista arx sese mox dedit. Sed quingentos ad Kingium tribunum opprimendum missos, qui Wahlstedii non procul Aschaffenburgo stativa habebat, Petrus Andreæ vigiliarum præfectus acriter repellebat. Inde Aschaffenburgum, & minora circum loca in hostium manus incidunt. Eo Cæsarcorum successu territæ, quæ ad Francofurtum collectæ erant copiæ, Rhenum transmittunt, uti jam supra dictum. Sed & Oxenstierna Moguntiam concedebat, suspecta Francofurtensium fide; qui & Comitis VVirgensteinii cohortes urbi firmandæ ab Oxenstierna missas recipere abnuebant, tecto alimentisque negatis, ut Hœchstam eas reduci necessum esset. Ipsi jactabant, se propriis viribus urbem suam defensuros; cum hoste tam propinquo demum militem conscribere inciperent. Sed nihil tunc illis periculi; & satis habebat Cardinalis, si ipse illæsus in Belgium cum suis transire posset. Ac revera languebant, trepidabantque Itali & Hispani, ut ni Ossa præsidio fuisset, modica manu fundi potuerint. Unde per Hanoviæ, & Francofurto vicina loca contracto agmine ibant. Nec eo minus Hanovienses equites unam aut alteram moratorum centuriam concidebant. Inde per Gelnhusam, Fridbergamque ad sylvam Occidentalem deflectebant; ubi dum ex itinere Limburgum oppugnant, à Gallico præsidio strenue repelluntur. 1634

§. 85. In Franconia Norlingam vicina Dunckelspula sequebatur, quem Wolmarus Rosa subtribunus per octiduum contra Piccolomineum strenue defendebat. Sed ad extremum oppidanis animum despondentibus, honestis conditionibus oppidum dedit cum præsidio Ulmam dimissus. Mergentheimum dimissi oppidanis Sueci ultro deserunt. 4. Sept. Rotenburgum ducenti tantum pedites obtinebant; quos extrema interminati oppidani ad deditionem adigunt. Nec conventio servata, sed 8. Sept. detentis gregariis ductores tantum Kœnigshovam dimisi. Inde Piccolomineus ad Mœnum vertit, quem defendendum VVilhelmus Dux cum bis mille equitibus, toridem peditibus, quadringentis desultoribus susceperat. Sed quod flumen multis locis vado transiri posset, copias suas periculo exponere veritus post firmatum VVurtzburgum, ac Schweinfurtum Sleusingam versus recedit. Igitur Piccolomineus Mœno citra impedimentum transmisso Kitzingam, mox Oxenfurtum nullo negotio capit. Ast Isolanus cum Croatis circa Noribergam incendiis, rapinisque fœde grassabatur. Qua occasione usus Rotenbergæ præfectus Reichelsvvangam arcem capit, magno Noribergensium incommodo. Unde digressis Croatis Claudius Hatvertus tribunus eam arcem recuperatam ibat; ipse tamen ex vulnere ibi accepto extinguitur, magno sui desiderio Noribergensibus relicto. Hostis multa Franconiæ loca occupat. 9. Sept.

Per Westphaliam acta. 22. Augusti.

§. 86. In VVestphalia Landgravius cum Arauionensi Principe super conjungendis in certam expeditionem copiis convenerant. Et jam illa in procinctu erant, cum acceptis Oxenstiernæ literis ad tuiciendas Ordinum res in VVetteraviam tendere potius habuit. Mox clade Norlingana audita ad Oxenstiernam Francofurtum advolat, Melandro cum equitibus celeriter subsequi jusso, de gerendo deinceps bello consulturus. Ubi placebat, cum victæ legiones in hostem duci nequeant, neque Hassicorum in his oris usus sit, Landgravio in Westphaliam regrediendum, ibique junctis cum Georgio Duce copiis exercitum cogendum, qui pro re nata hostibus opponi queat. Dum Hassi in VVetteraviam tendunt, hostis interim collectis copiis Lunam invaserat; cui ut succurreret, Melandro Landgravius injungebat. Sed cum ipse solus hosti impar esset, Georgium Ducem quinquecim equitum centurias auxilio posse, qui Mindæ obsidium exculabat, per quod equites se dimittere integrum non sit. Ita Luna auxilio destituta hostis potitur.

In Saxonia Dux Georgius difficilem se exhibet.

§. 87. Porro susceptum à Georgio Duce Mindæ obsidium lente admodum succedebat, quod peditatus tanto par operi deesset. Nam Bremensis Præsul cohortes suas non nisi ad defensionem suæ ditionis adhiberi volebat. Ac Brunsvicenses copiæ Septembri demum mense accedebant, quibus Dux ille Guelferbytum & Neustadium oppugnare malluerat. Et quanquam duces unus discordes

ad

1634. adparatus bellici, annonæque inopia premeret, & lubrica oppidanorum fides: ipsa tamen munitionum firmitas obsidentium paucitatem arcebat. Eam rem ægerrime ferre Dux Georgius: frustra sibi summam belli commissam fremens, si singulis Ordinibus liceat de copiis suis in usum publicum conscriptis pro lubitu disponere, ac destinata communi causæ ad privata recuperanda impendere, insuper habito cui summa rei administratio commissa. Neque ipsum cum propriis ac Suecorum legionibus valde imminutis parem fore hosti, qui omni studio in Westphalia se confirmabat. Nec citra rationem talia ipse querebatur. Enimvero quod in aliis reprehendebat, id & ipsi jure objici poterat, dum invito Oxenstierna validæ urbis obsidio intempestive implicatur, ut Mindensis præsulatus à Regina Sueciæ ipsi nuper donati possessionem plenam capesseret. Nam ante Norlingense prælium Oxenstierna postulaverat validam manum ab ipso subinitti sulciendis superioribus Circulis. Id à Duce sinistre acceptum velut occupatæ gloriæ Mindæ ipsi invideretur; nec tantam illis necessitatem imminere. Ne tamen aperte Oxenstiernæ postulata adspernari videretur, promittit sub Kingio se tribuno copias missurum, quibus ipse commode heic carere possit. Sed summa eorum qui mittebantur, tredecim centurias non superabat, invalidum auxilium, etiamsi in tempore advenisset. Ast ipsi lentissimo itinere incedentes, vexandis tantum provincialibus operabantur. Post Norlingicam cladem curatius Ducem Oxenstierna monebat, ut hostilibus Saxoniæ locis obiter circumsessis, universas copias in Superiorem Germaniam adduceret. Sed is longe recusare; cautatus suo discessu Saxoniam hosti aperiri; invalidas sibi copias, & quæ novam expeditionem adspernaturæ sint, ni stipendia solvantur; neque de receptu sibi satis cautum. Ad quæ cum reponeretur: summam rerum præcipue spectandam, quæ in conservatione Superiorum Circulorum vertatur: procul advenientia auxilia per ipsum famam in majus extolli; periculum Saxoniæ adhuc in longinquo esse. Sed quicquid rationum ingereretur, ille Mindæ obsidio inhærebat, de Superioris Germaniæ ruina securus. Fiebant & alia per Inferiorem Saxoniam, quæ non obscure arguebant id agi, ut excussa Suecorum directione, Ordines suas sibi seorsim res administrarent. Nam Uslarius Sueciæ Regno Sacramento non devinctus, inscio Oxenstierna toti exercitui suprenus Vicarius præficiebatur; de quo tamen in decreto Halberstadiensi nihil erat constituturum, sed tantum de Banerio, in cujus fraudem hunc adsciisci patebat. Brunsuiga quoque à cognomine Duce tributa poscebatur, quicquid Oxenstierna intercederet ob fœdus, quo ista urbs Sueciæ Regno innexa erat. Sed & Dux Georgius, posthabita Oxenstiernæ dispositione de alendo Wismariæ præsidio, à Meclenburgico Duce postulabat, ut quæ in ejus ditione colligerentur tributa, sibi traderentur inter suas copias distribuenda; ni faciat, quatuor se legiones ejus terris immissurum. Tandem nec Consilium ejus Circuli directionis Oxenstiernæ delatæ ullam amplius rationem habebat. De cætero istis in oris nihil bellicarum actionum contigerat, nisi quod Lœvverfœrdam à Schelhammero ante aliquot menses occuparam Osnabrugenses præsidiorii nocturno impetu ceperunt, tribunumque Bilandum, ac aliquos ductores in arcem refugos, ut ipsorum se arbitrio permitterent, adegerunt.

7 Aug.

In Bohemia tempus frustra teritur.

§. 88. In Bohemia Sueci Saxonicique ad Albim immoti consistebant, nisi quod inter alias modicas excursiones emissa à Banerio manus Satzam oppidum vi capit, oppressis duabus ibi cohortibus. Cum porro Hungariæ Rex post receptam Ratisponam neglecta Bohemia summam armorum per Superiores Circulos circumferre pergeret, Banerio haut consultum videbatur, aut decorum cum utroque exercitu tam debili hoste otiari. Eoque Electori varia consilia suggerebat, quomodo hosti damnum inferri posset. Sed nihil aliud responsi obtinebatur, quam ut ipsum Dresdam sequi velut, ubi super ea re plene sit decernendum. Mox cum è captivis intelligeretur, hostium equitatum late 5. Aug. dispersum, Banerius ut is repente invaderetur, Arnheimium urgebat, ipse interim cum peditatu Pragam invasurus. Sed hic nihil sine consensu Electoris, qui Dresdam profectus erat, à se suscipi posse excusabat; ut Banerio necessitas nata eodem excurrendi. Hcic etsi in consilio bellico variæ viæ proponebantur, per quas hosti nocari posset; Elector tamen per præsentiam Banerii haut quidquam permovebatur, ut certi quid decerneret; sed Arnheimius mox decretum allaturus promittebatur. Ast hic Banerio digresso, cum Electore cervorum venationi operatus mora sua efficiebat, ut totus Augustus mensis inutilis elaberetur. Nam Banerio, siquid absque Saxonum consensu suscipere vellet, nihil ab his subsidii expectare licebat; ac hosti interim non modica auxilia accesserant; simul Brandeburgici ut sese ipsius imperio subducerent agitabant. Banerius tamen eas moras pertæsus, ne exercitum cum inopia conflictari incipientem, tempusque frustra contumeret, ni statim Saxones secum in hostem ire vellent, Egram abire decreverat, inde cum Cratzio, qui tunc in Franconia curabat, aut vicino alio exercitu se conjuncturus, rebusque per Germaniam Superiorem subventurus. Idque per Martinum Opitium Arnheimio Dresdæ denuntiari curat. Sed Elector va- 11. Aug.
riis adductis rationibus, ut paululum adhuc adquiesceret, contendebat: illum quippe mox ad 7. Sept.
exercitum adfore, ac super summa belli cum ipso conventurum. Porro his cunctationibus id ab Electore quæsitum post judicabant Sueci, ut tantisper ejus ditiones per duos validos exercitus tegerentur, ac meliores conditiones Pirnæ pacisci daretur. Dum indies sententiam Electoris expectat Banerius, nuntium de prælio ad Norlingam accipit. Unde statim Leutmericia movere, ac Pirnam versus tendere constituit, inde secundum Sudetos montes Curiam Varitcorum, aut Ilmenoam, qua commodissime Thuringici saltus transiri possent, abiturus, Bambergamque, aut si quis alius ad Mœnum idoneus locus videretur, tuiturus. Nam quo minus Egram, qua brevissima in Franconiam via tenderet, in causa erat, quod per vicina Pragæ transeundum foret, ubi pleræque hostis copiæ agebant; itineri ipsius forte remoram injecturæ. Ægrotorum circiter mille Magdeburgum mittebantur, ne convalescentes sub Saxonum signa traherentur. Digrediente è Bohemia 13. Sept.
Banerio, Brandeburgicæ copiæ, acceptis à Principe suo mandatis ipsum sequi abnuentes, apud Saxones remanebant.

A Legatis in Gallia acta. 11. Octobr.

§. 89. Qui in Galliam missi fuerant Legati à Rege Confœderatorum nomine petebant, ut is exercitum trajecto Rheno hosti opponeret, simul insignem pecuniæ summam depromere vellet, victo exercitui reparando. Quos Rex ad Richelium rejiciebat, apud quem cum super bello Cæsari inferendo, ac pecunia tractari inciperet, difficilius quam speratum fuerat res procedebat. Magnæ quippe molis jactabatur lacessere hostem belli veterem, ac victoria recenti elatum, ipsis nondum sat paratis. Unde quicquid rationum Legati ingererent, id tantum reponebatur; secreto jam de bello in Cæsarem, ac necessario ad idem adparatu

Digitized by Google

1634. ratu agitari; petebaturque, ut istud Saxoniæ Electori, aliisque Saxoniæ utriusque Principibus significetur, impediendis separatis ipsorum cum Cæsare tractatibus. Ea tamen secreta teneantur, quoad in bellum eruptum foret. Cum super pecunia mature suppeditanda Legati instarent, ac de illa præcipue, quæ ex fœdere jam ab anno tricesimo secundo debebatur; ostento periculo, ni statim subveniretur, regerebatur; Regem ad eam pecuniam non amplius teneri, quod quæ in fœdere de Catholicis conventa sint, Fœderati violarint; nec solutam antea pecuniam sustentandæ militiæ impendam. Nam ad faciendam Suecis invidiam malevoli tunc sparserant, magnam pecuniarum vim in Sueciam è Germania trajectam. Inprimis autem incommoda Legatis accidebat, quæ per Rheingravium super cedenda Alsatia inita erat transactio. Nam cum isti Gallis Alsatiam excepta Benfelda offerrent, ridiculum id Ministris Gallicis videbatur, quod ipsi jam eandem absque onerosis ejusmodi conditionibus obtinuissent. Nec dissimulabatur tam Philipsburgum, quam Colmariam & Sletstadium Regi non ex benevolentia concessa, sed quia ipsi eadem oppida tueri nequiverint. Unde se Colmariæ ac Sletstadii defendendi onus non suscepturos, nisi cessa Benfelda, ac Forcæo mandaturos, ut præsidia iis oppidis iterum deducat. Tandem proponebatur, Regem in vicem omnium aliorum subsidiorum duodecim peditum millia conscripturum, ac ad finem belli sustenturum. Cum contra Legati ostenderent, quanti interst, pecunias petitas statim exsolvi, deliniendo militi, & in hostem denuo educendo; Galli quinquies centena librarum millia, & intra quinque septimanas sex peditum millia offerebant: sed tradita Benfelda duodecim militum millia missuros. Sed quia Lœflerii secreta mandata ad hunc casum non pertinebant, has conditiones acceptare non licebat. Enimvero citra Benfeldam Galli auxilia, quæ momentum aliquod afferre possent, abnuebant; præsertim cum certi Comites Feuquierio & Grangio confirmassent, Oxenstiernam Alsatiam cum Benfelda accepta pecuniæ summa cedere decrevisse. Unde Lœflerum monebant, ut si in mandatis id non habeat, misso cursore Comites illos stimulet, quo apud Oxenstiernam declarationem illam obtineant. Ita tandem Lœflerus de Benfelda annuit, vehementer tamen lapsus, citra ullam conditionem cessa, quam non nisi certa sub lege annuere per secreta mandata permissum erat. Et cum id præcipue ab Oxenstierna spectaretur, ut hac via insignis pecuniæ summa sulciendæ communi causæ obtineretur; Legatus non solum hoc insuper habebat, sed & illis subsidiis renuntiabat, quæ Galliæ Rex è fœdere cum Gustavo Rege inito, & Heilbrunnæ renovato quotannis solvere tenebatur. Tandem cum super bello Cæsari denuntiando spem fecissent Galli, in has conditiones fœdus concipitur: Ut omnes Imperii Ordines ad hoc fœdus invitentur, cui nullus alius sit finis, quam ut per arma hostis ad honestam pacem compellatur: Operam dent Reges Ordinesque confœderati, ut Saxoniæ & Brandeburgi Electoribus, aliisque Saxoniæ utriusque Principibus, qui libertatem publicam vindicarunt, satisfiat. Galliæ Rex, ubi pacem cum Austriaca domo abruperit, duodecies mille pedites in Germania alat, Regi æque ac Fœderatis fide devinctos, & ex directoris judicio in causæ communis utium adhibendos: validum insuper exercitum trans Rhenano tractu habeat, pro re nata in hostem acturum: quinquies centena librarum millia statim exsolvat, inter Fœderatorum exercitum distribuenda, ut is statim cis Rhenum regressus in hostem movere queat: neutra pars pacem aut inducias nisi de consensu alterius ineat: Fœderati Romana Sacra in omnibus captis locis restituant, uti anno decimo octavo hujus seculi fuerunt, Clericosque suis bonis frui patiantur: Copiis istis Rex Principem aliquem è Fœderatis præficiat, adjuncto supremo Vicario, cujus suffragium Ducis suffragio æquipolleat: idemque in summo Fœderatorum Consilio Assessorem habeat: pace facta uterque Rex eam servatum iri præstet. Regi Galliæ, si in bellum erumpat, Fœderati cedant totam Alsatiam cum Benfelda, ut tamen Gallica præsidia etiam Fœderatis fidem jurent, ac locis traditis sua jura sint integra: eidem in potestate sua habere permittatur Brisacum, & alia cis Rhenum loca Constantiam versus, ad quæ occupanda Fœderati auxilium conferant, quorum præsidia tamen Fœderatis quoque jurabunt; & quoad Brisacum occupetur, pons Argentoratensis Gallis pateat; secuta tamen pace Rex ea; loca restituat, nulla sumtuum petita refusione, prout in pacis tractatibus conventum fuerit: contra Rex non amplius è priori fœdere millionem librarum solvere teneatur: utque ipsi prius, quam in bellum prorumpat, caveatur, Electores, aliosque Saxoniæ Ordines cum Cæsare in peculiares tractatus pacis aut induciarum non concessuros: tandem liberum Regi sit in suam tutelam recipere Ordines, si qui velint ab hoste deficere, quibus Fœderati neutralitatis jura annuere tenebuntur. His ita confectis, Legati mense Novembri in Germaniam iterum properabant.

Fœdus Ordinum Confœderatorum cum Rege Galliæ.

1634.

§. 90. Enimvero in Superiore Germania res præcipiti lapsu ruebant. Nam argentum omnes cum convitio flagitare: equites sine disciplina, peditatus exiguus, res tormentaria tenuis, pecuniæ, annonæque nihil: qui restabant adhuc Ordines, partim inopes, partim timidi, bellumque pertæsi, maligna hibernorum occasio, externi auxilii spes illiquida. Equidem post Norlingense prælium Oxenstierna collectas iterum copias combinatis infrequentibus legionibus sic satis composuerat, quas facile in hostem iterum ducere licuisset, ni plerique Ordinum per intempestivam parsimoniam, aut obtensa propriarum ditionum conservatione publicæ se causæ subtraxissent, omni onere in istum devoluto. Pecunia, bellicusque adparatus Francofurtensi conventu decretus non nisi à paucissimis solvebatur. Palatinus Administrator, quorum dies jam ante annum cesserat, exsolvere neglexerat, ne dum ut ad recens decreta quid conferret. Id exemplum Inferiores Ordinum secuti & ipsi ratam expedire tergiversantur. Quæ non postrema causa erat trans Rhenum distributi exercitus; qui cum eam oram vehementer premeret, disciplinæ oblitus, ac ob hospitiorum angustiam, infinitæ querelæ inter Ordines surgebant, ejusque mali culpa in solum Oxenstiernam conjiciebatur; cujus mandata, ac facta hospitiorum delignatio, ubi occasio erat, eludebantur. Quem etiam acerbis literis Palatinus Administrator minitabundus perstringebat; cujus aculeos Oxenstierna, alias ejusmodi voculas spernere aut dissimulare callidus, non minus acriter retundebat. Hospitia sat tenuia per accedentes Gallos coarctabantur, qui istorum partem consensu Ordinum occupabant, ac Fœderatorum copias, quibus eadem assignata erant, vi inde arcebant, quicquid apud Feuquierium, & Forcæum Oxenstierna intercederet.

Miseria apud Fœderatos rerum facies.

4. Octobris.

§. 91. Rebus indies ingravescentibus, ac animis tam militum quam Ordinum magis exulceratis, Oxenstierna tanto oneri sustinendo impar necessarium judicabat cum reliquis Fœderatis consilia conferre, quæ media afflictis rebus adhibenda forent. Quo fine ad duodecimum diem Novembris

Conventus Wormatiæ indictus.

1634. bris Ordines Wormatiam invitat, expositis congressus causis, & ut plenis cum mandatis legatos mittant, queis ipsis accedere eo non liceat, ut eo maturius res concludi possit. Ea indictio, quid multi Ordinum aversionis animo coquerent, in apricũ eliciebat. Francofurtani venire abnuebant, asperarum querelarum congerie contexta. Alii languide rem sibi cordi esse satis ostendebant, sic ut prædicto
11. Nov. tempore nemo adesset, præter Christianum Palatinum, Fratres Hohenloicos, Erbacensem, Hanoviensem, & Limburgum Comites, qui alias per aliquod temporis spatiũ ibi morati fuerant; nec quisquam præter Ottonem Rheingravium de suo adventu significarat. Unde & Oxenstierna exigua successus spe, eodem dubitabat accedere. Cum tamen mox Dux Wurtenbergicus, & Badensis Marchio advenissent, rogantibus Ordinibus, & Legato Gallico, idem Moguntia Wormatiam se conferebat; quo & rogatu Ducis Wurtenbergici Palatini Electorales, & Bipontini accedebant. Apud congregatos
22. Nov. Oxenstierna propositio. Oxenstierna proponebat; cum post cladem Norlingensem pleriq; Fœderati Ordines distracti sint, & reliqui licet fœdere nondum plane abrupto publicæ rei modica cura tangãtur, ut ni aliter res constituantur, fœdus ultro expiraturum sit; quid Ordinibus deinceps fieri placeat? Si fœdus continuare fedeat, decernendum esse de reparando exercitu, stipendiis, annona, adparatu bellico, tormentis; de fœdere insuper Gallico, quid circa peculiares Saxonis cum Cæsare tractatus observandum; quid Neoburgico super perita neutralitate, Daniæ Regi ad literas circa mediationem respondendum?

Ordinum deliberatio. §. 92. Ad continuandum fœdus, qui aderant, Ordinibus sat voluntatis erant, facultatis parum de pecunia inprimis altum silentium; annonæ nonnihil, & adparatus bellici promittebatur. Circa conditiones fœderis cum Galliæ Rege Ordines dubia quædam movebant, circa quæ hinc Ministri Gallici verbis utcunq; satisfaciebant: ut tamen mutatio aliqua aut declaratio fœderi adderetur, concedere nolebant. Quæ quamvis dura essent, Palatinatus tamen Electoralis, Administrator Bipontinus, Wurtenbergicus, Hassius, Badensis, & nonnulli Comitum persuaderi sibi patiebantur, ut ea fœderis capita absq; exceptione rata haberent, atque subscriberent. De Succiæ Regni commodis ad peculiarem
18. Dec. Oxenstierna fœdus subscribere recusat. cum Oxenstierna tractatum differebatur. Sed cum Gallici Legati id fœdus Oxenstiernæ subscribendum offerrent, ille abnuere, causatus, id multis locis obscurum & ambiguum; quædam penes Fœderatos non esse præstare; velut de peculiaribus Saxonis tractatibus prohibendis: fœderis quoque, quod Galliæ cum Succis intercedat, vim elusam. Querebatur insuper Suecos qui hactenus cum jactura præstantissimi Regum & tot fortium virorum contra Austriacos bella gesserint, hoc fœdere à summo belli ductu excludi, eo honore in Germanicum Principem collato. Super quibus rebus cum nihil in mandatis habeat, rem ad Reginam sibi referendam. Eam recusationem etsi Gallici Legati ægre ferrent; Oxenstierna tamen sententiæ suæ tenax tandem declarabat; se peculiarem legationem ad Regem Galliæ missurum, causas recusatæ ratihabitionis isti adprobaturam; tum novos tractatus oblaturum, in quibus etiam Succiæ ac reliquorum ratio habeatur. Quam obiturus Hugo Grotius sub finem anni in Galliam mittebatur.

Neoburgico neutralitas conceditur. §. 93. Neoburgicus dudum petitæ neutralitati novas quasdam conditiones adposuerat, non citra circumspectionem acceptandas; ut in locis, queis præsidia ducenda, præter machinas annona quoque, & adparatus bellicus relinquatur; Siburgum post tradita demũ reliqua oppida munimentis nudetur; si quis præfectus oppido quopiam abire nolit, ut Pa-

1634. latino fas sit vi eum expellere: ut Hassi & Luneburgici Marcana, & Ravensbergica ditione decedant. Denique; & ipse copias suas exautorare nolebat obtentu ditionis suæ defendendæ. Hinc multi Siburgo cedendũ dissuadebant, commerciis inter Belgium Fœderatum & Francofurtum alendis. Ac fama erat Neoburgicum cum Cardinale, quem honorifice per suam ditionem deduxerat, fœdus meditari; & multi suspicabantur id agi, ut loca ista neutralitatis obtentu Evangelicorũ manibus eriperentur. Quia tamen Palatinus hactenus aperte in partes non discesserat, ac jam copiis non spernendis instructus, simul opportuno terrarum situ magnum momentũ dare poterat, nec debilitatis Evangelicis plures provocare hostes expediret; ut extra belli utriusque consortia atque onera eidem agere liceret, largioribus quantumvis conditionibus indulgere placebat.

De Danici mediatione. §. 94. Ad Daniæ Regem Cæsar scripserat, in formula mandatorum & salvi conductus à Fœderatis proposita sui non pro dignitate mentionẽ factam; ac diriminis utiq; aliquid ipsum inter, & Imperii Ordines esse faciendum. Id quoque honori suo dari postulabat, ut ipse locum tractatibus denominare posset; Bambergamq; sibi placere significabat. Earum literarum exemplar Rex Oxenstiernæ & Fœ-26. Sept. deratis Ordinibus transmittit, perens ut & ipsi in id oppidum consentiant. Quod licet florentibus Ordinum rebus sine dubio repudiatum fuisset, quippe immunitum, aliquoties direptum, & vastata circum regione; declarabant tamen, quod Regi, &4. Dec. Saxoniæ, Brandeburgicoq; Electoribus circa eum locum fuerit visum, id & sibi probatum iri.

Judicium de tractatibus Pirnensibus. §. 95. De tractatibus, qui Pirnæ inter Cæsarem Saxonemque agitabantur, multi amplam spem conceperant, ac spargebantur Saxonis dicta; se nec posse nec velle separatam pacem facere, sed quæ universos Evangelicos complectatur, omnibusq; probetur; alias nec se ipsum tutum, nec Imperium tranquillum fore, ac novis forsasse turbis materiam oriturã. Sibi tantum propositum fuisse audire quas adversa pars conditiones ferat. Absolvendis tractatibus conventum omnium Evangelicorum instituendum, ubi Suecorum rationem grato animo habendam, nec magis hos, quam eorum socios per Germaniam excludendos. Quæ Pirnæ concepta sint, universis Ordinibus prius communicanda; quę si ipsis arrideant, tunc demum à se subscribenda. Contra Oxenstiernæ & aliis grande id secretum valde suspectum haberi, cum Elector ne agnato quidem Duci Altenburgico ejus tractatus exemplum communicare vellet. Et Georgius Landgravius cum id antea Oxenstiernæ promisisset, ejus tractatus inspiciendi copiam facere abnuebat; excusans, 11. Dec. imperfecta esse quæ ipse habeat; & cum Elector eundem publicaturus sit, ejus facti se gratiam delibare vereri. Ast cum interim isti tractatus Pirnæ concluti essent, super quibus Ordinum Legati novis mandatis opus habebant, simul instantibus feriis, in sequentem mentem cætera differri placebat.

Militia Fœderatorum magis turbatur. §. 96. Interea res militaris non solum per superiorem Germaniam, sed & in Saxonia indies in pejus vergere. Nam cum Oxenstierna copias ad Norlingam sulas iterum in centum sexaginta tres equitũ turmas, centum quatuor peditum cohortes digestas trans Rhenum concedere permisisset, post modicam quietem in hostem ducendas; ea destinata militi juxta ac Ordinibus salutaria varie turbabantur. Nam nonnulli Ordinum assignatum sibi militem hospitio recipere detrectabant. Wormatia Hodiegovvæ tribuni, Spira Canotskii legiones portis clausis arcebant, vi quoq; intentata. Palatinus Administrator Rudvveni Scotică legionem Crucenaci, Platonis Neustadii admittere nolebat; quæ loca selectis provincialibus, & milite Gallo firmaverat.

1634 §. 111. Aſt Ordines, ſuper adminiſtranda Pro-
Ordines Bremenſes in Danum inclinant. vincia conventione interim inita, non pauca à defuncto Epiſcopo conſtituta moliri cœperant, ac Monachos Monialesque in ſua cœnobia reductum ibant, inconſultis Suecis. Initio tamen oppida, ac præcipue Brema in Suecorum partes propendere, ob commoditatem portus Gothoburgenſis, quem ſibi lucroſum ſperabant. Sed Canonici unice Fridericum reſpicere, ipſe abs novo Principe quondam amiſſa recuperandi, eumque in leges ſibi commodas adigendi. Qui & Equeſtrem Ordinem in ſuas partes traxerant, ac jam ſuffragio-
14. Octobr. rum numero oppida vincebant. Grubbius Bre-
15. Octobr. meryærdam delatus primo per ambages, poſt aperrius Ordines monet, ne Præſulem eligere properent, priusquam Oxenſtiernam conſuluerint, ac ſuper Suecorum prætenſione transegerint: utque ſuſpenſo vetere Præſules eligendi more ad amicos tractatus rem deducant. Hoc poſtulato Ordines in diverſas curas trahebantur. Nam hinc obverſabatur Suecorum jus, qui & præcipua loca in poteſtate habebant, & Bremam cunctis faventem
17. Nov. experiebantur. Unde & initio Danicis Legatis reſpondebant; ne Rex modicam moram ægre ferat, quam ſuborta impedimenta producant; ac rem apud Reginam Sueciæ urgere pergat. Ex altera tamen parte verebantur, ne elapſis tribus menſibus, Pontificio jure electioni Epiſcoporum deſtinatis, Pontifex per Cæſarem Epiſcopum ſibi obtruderet, ſacris Romanis addictum. Et quanquam ſuggerebatur, ut propter legitimum impedimentum interveniens, quo caſu Jus Canonicum differre electionem permittit, proteſtatione interpoſita jus ſibi ſuum reſervarent: Daniæ tamen Rex vehementer inſtabat, cujus favorem non parum intendebant, impoſita tunc à Georgio Duce hoſpitiorum & ſupplementorum onera, quæ Leslæus & Grubbius avertere non poterant. Nam ſpes ipſis oriebatur, Danorum ope iſtis medicinam fieri poſſe. Et Suecorum auctoritas ob adverſam in Superiore Germania pugnam paſſim minuebat. Igitur
Fridericus in Epiſcopum Bremenſem eligitur. Friderici electio renovatur, addito tamen, ut ob varios reſpectus adventum ſuum in prætulatum differat. Suecici Miniſtri, cum deſignatum Provinciam arcere, aut Ordinibus vim inferre, præſens rerum facies non permitteret; ne jure ſuo per ſilentium ceſſiſſe viderentur, rem ad Legati Skyttii adventum in ſuſpenſo manere cupiebant. Sed Fridericus voti ſui jam compos, omnem moram aſpernatus Or-
9. Dec. dinibus denuntiat, ſe propediem Bremam venturum, velut ſua præſentia res in conventu Ordinum
12. Dec. melius expediri poſſit. Id cum Ordinibus probaretur, Grubbio declarant, Fridericum ſe elegiſſe averruncandis oneribus per interregnum ſibi impoſitis: eam rem tamen Suecis fraudi non fore, iſtumque in fœdus anteceſſoris ſubiturum, Stadamque & Buxtehudam ipſis relicturum, quoad ſuper toto negotio tranſigatur. Grubbius urgebat; cum re non amplius integra tractatus difficiles ſint, nec iisdem mandatum ſit à Friderico eas conditiones ipſius nomine ferre, rem ad Skyttii adventum rejicerent. A Friderico quoque idem petebat, ut tantiſper iter ſuum differret. Sed hic regerebat; ſibi non eſſe in animo Sueciæ commodis adverſari; nec certi quid in Conventu Ordinum Provincialium à ſe ſtatui poſſe; petebatque ita rem geri ut amicitia inter patrem ipſius, Suecosque ſalva periret. Statuerat Grubbius obviam Friderico proficiſci, ſi qua poſſet ipſum ab itinere avertere; ſed ne ab eodem in via aberraret metuens, ſubſiſtebat, quoad
22. Dec. Blanckeneſam adventaſſe intelligens ad eum accederet, denuo poſtulans, ne prius in provinciam proficiſcatur, quam tractatus ſint inſtituti. Sed Fridericus immotus teſtabatur, iter ſuum Suecis præjudicio non fore, ad res in præſenti ſtatu relinquendas, modo intra octavum diem Januarii tractatus incipiant, & ſine mora perficiantur. Cum igitur nihil proficeret Grubbius, proteſtatione interpoſita, Suecis jus ſuum integrum reſervabat. Nec ſecius Fridericus Bremam pergebat, 24. Dec. Suecicis Miniſtris vi obſiſtere non aulis, cum id in mandatis non haberent, nec bello movendo aut ſuſtinendo parati eſſent, cum miles in præſidiis modicus; adparatus bellici parum, annonæ, ac pecuniæ nihil in promtu foret. Eoque Grubbius Reventlovio Cancellario ſcribebat, ut tractatus citra moram ſuſciperentur; quorum locus Friderico pertendente Brema deſtinabatur. Exitum tequens annus pandet. 1634.

§. 112. Alias Danus ea tempeſtate amicam erga Habitus Daniæ erga Sueciam. Suecos faciem præ ſe ferebat, ut tamen clam circa deſtruenda eorum commoda laborare non deſiſteret. Ac favebat is una cum Saxone Fridlandi deſtinatis, qui id potentiæ ſibi comparare ſtudebat, ut Cæſari juxta ac Suecis leges præſcribere poſſet. Sed & circa mediationem pacis, quam tamen hoc anno remiſſius urgebat, id præcipue quærebat, ut ne Sueci in ſolo Germanico pedem figerent; ac ſufficere judicabat, ſi tantam pecuniæ ſummam in præmii vicem acciperent, quantam ipſi quondam pro redimendo Elfsburgo dederant. Eo arctior autem ipſi cum Saxone conſiliorum conjunctio circa Suecos Germania depellendos erat, quod jam inter filium ipſius primogenitum, & Electoris filiam nuptiæ conciliatæ forent. Qua occaſione filium ſuum Chriſtianum Ulricum in Galliam & Hiſpaniam miſerat, verbo ut Reges iſtos ad nuptias invitaret, revera ut in aula Gallica demonſtraret, quid periculi aliis nationibus imminueret, è maritima Suecorum potentia gliſcente; ni mature ipſis ungues circumcidantur, & vectigalia, belli nervum ſuppeditantia abrogentur, omniaque in priſtinum ſtatum reponantur. Nec fame amici quid in Suecos cudebatur in iſtis nuptiis, ad quas diverſorum Regum Legati coiverant; quos inter etiam Reginæ Sueciæ nomine comparebat Petrus Sparrius Regni Senator, cui in mandatis datum erat, ne alterius cujusdam Regis Legato digniore loco cederet. Sed is cum obtinere non poſſet, ut cæteris vel propter cognationem Reginæ cum Sponſis, vel ob neceſſitudinem Regiorum præferretur, ab omnibus congreſſibus publicis, quibus alii Legati interveniebant, abſtinebat, plauſibilem obtentum præbente luctu ob non ita pridem ſepultum Guſtavum Regem, ob quem feſtivis actibus intereſſe minus decorum videbatur. Plerique tamen eorum Legatorum ex illis nuptiis cum aliqua offenſa diſceſſerant, utut vicies centena millia uncialium in easdem erogata dicerentur. Vicilum Regem non parum mordebat, quod cum Galliæ Rex filium ipſius Chriſtianum V. literis ad eundem ſcriptis *fratris* vocabulo honeſtaſſet, hicque Regi reſpondens idem *fratris* vocabulum adhibuiſſet, Legatus Gallicus Comes Avauxius literas illas acceptare recuſaret. Interim Danus varias querelarum occaſiones captabat, ne, ſi ex re videretur, arma in Suecos movere; cauſarum catalogus deeſſet. Hinc jactatæ minæ, velut Suecorum naves Oreſundam tranſeuntes, vectigalia poſcere velit, quod neſcio quas fraudes ab iis admitti argueret. Hinc menſe Aprili emiſſa navis bellica, mare Balticum pervagatura cum mandatis, ut ſi Sueciæ navi occurreret, quæ vela nollet ſubmittere, ſtatim cum ea pugnam conſereret. Sed & vehementer incaluerat, quod Spiringius teloniorum director in Gedanenſi litore Danicæ navi circa vectigalia ſolvenda tergiverſanti anluſtria detrahere conatus eſſet, ni navarchus ea raptim occultaſ-

1634. ſet, quam rixæ materiam ſibi ſubtractam adeo ægre ferebat Rex, ut navarchum ſuſpendio deſtinaret, quod iſta auferri non paſſus eſſet. Eo cum animo in Succos ageret, non mirum erat, ſi & ab ipſis parum amici expectaret. Unde cum menſe Aprili rumor dideretur, à Succis multas copias è Germania domum mitti, mire perturbabatur; præſertim cum ſuſpicaretur, inſtinctu Succorum factum, quod Circulus Inferior Saxonicus Holſatiam tributis ſubjicere vellet: & quia Oxenſtierna Joſiæ Ranzovio tribuno Rotenburgum in Verdenſi præfulatu donaverat, quo Fridericum filium aliquando potiturum ſperabat. Tanto pronioribus animis accipiebatur amiſſa Ratiſpona, & clades Norlingana, ſuper qua conceptam degenerem lætitiam Chriſtianus Friſius Cancellarius ne publice quidem diſſimulare poterat. Et cum paulo poſt tribunus Kortius Polonicus Legatus Hafniæ licentiam conſcribendi militem alibique conductum per Regis ditionem ducendi peteret; ſimul ut navibus Polono adſiſteret, ſi tractatus pacis in Boruſſia in irritum caderent; is ampla cum ſpe dimittebatur. Fœdus tamen dilatum, quoad appareret, num Succi Bremenſi ditione filium ipſius Fridericum excluſuri eſſent; cujus potiundi egregiam occaſionem, rebus Succorum in Germania dubiis, oblatam gaudebat.

Conſultatio ſuper fœdere cum Ruſſis.

§. 113. In Moſcoviam eo anno Legati erant mittendi, firmandæ æternæ cum Ruſſis paci, ac ut ſuper fœdere contra Polonos, quod Ruſſici Legati expetierant, tractarent. Id fœdus iniri expediret, nec ne, in Senatu expendebatur. Quibus fœdus diſplicebat, memorabant; Moſcum eſſe amicum reconciliatum, cui non amplius ſit fidendum quam quantum neceſſitas ipſum urgeat, & cui magis cordi ſit occaſionem diſpicere, qua ereptas ſibi à Succis terras recuperare queat. Per id fœdus Sueciæ non amplius fore liberum, ſi tractatus cum Polonis inſtituantur inducias pro libitu ſuo prorogare. Et quia pacto inductarum cum Polonis conventum erat, ut ante iſtas elapſas tractatus utique inſtauraretur, non adparebat, quomodo Ruſſi ad hunc admitti poſſent, niſi ut à Succis poſtularetur Ruſſos futuris pactis includi; id quod Poloni ægre admiſſuri erant. Neque animo exciderat, occaſione fœderis quondam Sueciam cum Ruſſis diuturno bello implicitam. Et ne arctior conjunctio cum gente ſcrupuloſa ac ſuſpicaci litium materiam præberet, non injuria metuebatur. Differebatur contra: bellum cum Polonis evitari non poſſe; ac Moſcovitici ſtatus rationes cum Suecia hactenus eſſe conjunctas, ut iſto collabente hæc quoque periclitetur. Fœdus jam à Guſtavo Rege oblatum, ſi nunc abnuatur, ad deſperata Ruſſos conſilia poſſe compelli, ut vel cum Polonis adverſus Succos jungantur, vel ſaltem pacem cum illis ineant. Nec Danum negleturum iſthac occaſione Ruſſorum amicitiæ adrepere, quam antea per Maltam Julum aucupatus erat. Et quia verendum ſit, ne Polonus pariter, Danusque Sueciam invadant, ſi quid adverſi in Germania acciderit; ſatius eſſe eo caſu Ruſſos habere belli ſocios, quam otioſos ſpectatores. Polonos quoque in tractatibus æquiores fore, Succosque in poſſeſſione provinciarum utrisque ereptarum firmatum iri; idemque fœdus Polonorum conſilia turbaturum, & horum incrementis obſtiturum. Colliſionem denique ex ea conjunctione vitari poſſe, ſi uterque populus ſeorſim bellum moveat è diverſis provinciis, ac ſi ad mutua auxilia præſtanda obligatio non contrahatur. Ob has cauſas placebat Senatui, fœdus cum Ruſſis adverſus Polonos repudiandum non eſſe, ut tamen ad tempus non ita longum, & ſub laxiſſimis verborum formulis concludatur. Tum ut ſimplices conditiones proponantur; ne alteruter absque alterius conſenſu aut præſcitu cum Polono pacem induciasve tractet; nec pax fiat, niſi Polonus titulo Sueciæ, & Ruſſiæ abſtineat, ac Ruſſo Smolenſcium reſtituat, Succis quæ poſſident, relinquat. Quas conditiones ſi abnuerit Ruſſus, ſpeciosa dabatur occaſio fœdus excuſandi. Videbatur etiam addendū de certa pecuniæ ſumma quotannis à Ruſſo ſolvenda, quod Succis bellum ſumentibus iſte non parum ſublevaretur. Cui poſtulato tamen, ſi reliqua convenirent, nimis acriter inſiſtendum non erat. Iſthæc conſilia poſt ſelectis Ordinum communicata itidem probabantur.

20. Jan.

1634. conditiones proponantur; ne alteruter absque alterius conſenſu aut præſcitu cum Polono pacem induciasve tractet; nec pax fiat, niſi Polonus titulo Sueciæ, & Ruſſiæ abſtineat, ac Ruſſo Smolenſcium reſtituat, Succis quæ poſſident, relinquat. Quas conditiones ſi abnuerit Ruſſus, ſpeciosa dabatur occaſio fœdus excuſandi. Videbatur etiam addendū de certa pecuniæ ſumma quotannis à Ruſſo ſolvenda, quod Succis bellum ſumentibus iſte non parum ſublevaretur. Cui poſtulato tamen, ſi reliqua convenirent, nimis acriter inſiſtendum non erat. Iſthæc conſilia poſt ſelectis Ordinum communicata itidem probabantur.

Legatio in Moſcoviam.

§. 114. Iſti legationi obeundæ deſtinabatur Philippus Schedingius Senator Regni, Henricus Flemmingius, Ericus Gyldenſtierna, & Andreas Buræus. Qui tamen ut tempus extraherent, quoad de eventu tractatuum Polonicorum judicari poſſet, jubebantur primo iniquas conditiones proponere, aut Ruſſos urgere, ut ipſi prius conditiones ferant. Utque per ambages duntaxat fœdus inſinuarent, & ultro rogari ſe paterentur. Enimvero, quæ ſuper hoc fœdere accurate ventilata erant, incaſſum cadebant, poſtquam Ruſſi fœda clade ad Smolenſcium accepta, ſimul urgentibus inteſtinis turbis, ſat ingloriam cum Polonis pacem properaverant, Legatis Succicis, qui nondum tunc in Moſcoviam adpulerant, fruſtra ipſos ad conſtantiam per literas hortantibus, & ne pax à Principe confirmaretur, impedire conantibus. Qui ſi in tempore adfuiſſent, ipſo Czare fatente, facile deſtinatis ſuis potiti forent. Ac poſt Czar Reginæ pacem cum Polono à ſe initam literis ſignificabat, culpa in Scheinii ducis ſui proditionem collata; nec eam pacem amicitiæ cum Suecia fraudi fore. Credebatur præcipuam Ruſſo pacis cauſam fuiſſe, quod ſubjecti fremerent, ſe fidem ipſi ſervare non poſſe, quamdiu inſtrumentum juramenti Uladislao dati reſtitutum ſibi non foret. Ita nulla fœderis facta mentione cætera expediebantur, ac inprimis excuſabatur, quod cum pactis cautum ſit, ut qui recens Imperium ſuſcipit, prior ad alterum Legatos mittat, legatio à Regina hactenus dilata ſit, quod corpus Regis nondum in Sueciam advectum foret. Inde æterna pax confirmabatur, ſimplici literarum conteſtatione, absque juramento aut novi inſtrumenti confectione. Id quod ſine dubio melius erat; cum è nimia ſolicitudine circa novam confirmationem argui potuerit, ejus pacis vinculum cum ſingulis Principibus intermori. Exhibebantur præterea à Succicis Legatis quædam exigui momenti querelæ ſuper fugitivis Ingriæ in Ruſſia receptis; quibus alias Ruſſi opponebant: ſed utrisque facili negotio ſatisfactum fuit.

10. Aug.

De commerciis Holſatorum in Perſidem.

§. 115. Aſt ut Holſatis per Moſcoviam cum Perſis commercia exercere liceret, Flemmingio & Buræo peculiariter in mandatis datum erat. Quibus adjunctus erat Arendus Spiringius mercaturæ callentiſſimus, quem poſt cæteros adpellentem Ruſſi non niſi poſt longas demum tergiverſationes Legati dignatione habere volebant. In eo negotio id præcipue ſpectabant Succi, ut & ipſi primarum partium in ea ſocietate haberentur, ac in conceſſionis diplomate ipſorum æque ac Holſatorum mentio fieret, eaque gratiæ Succorum à Ruſſis data diceretur. Etſi iſthoc arcanum non ſatis tectum habuerant Legati, magis proprio judicio, quam ex mandati formula agentes. Eoque iſtis conſiliis intempeſtive propalatis Holſati Legati manibus pedibusque obnitebantur, quod metuerent; ne poſt, ubi commercia bene ſuccedere adpareret, Succi hoc obtentu eadem ſibi ſolis vindicarent. Inprimis

1634 8. Dec. Sueciæ magis intereſſe vicinorum amicitiam ſibi pignerare, quam regionem adquirere, qua ſine perpetuis bellis & vicinorum invidia gaudere non liceat; aut quantumvis grandem pecuniæ ſummam, quam expenſarum nomine extorquere velint. Interea cum Pomeranis Legatis Berolini clandeſtina conſilia agitabantur, quibus domum reverſis conventus Ordinum Pomeraniæ indicitur, in quo de novis delectibus ad provinciæ defenſionem tractatur. Sed tres equitum legiones à Banerio in hiberna eo miſſæ commodum adpellentes iſtas machinationes elidebant. Equidem quid Pirnæ tractaretur, ignorare ſe ſimulabat Brandeburgicus. Quia tamen cum congreſſum non improbabat, ac copias ſuas poſt Baneri è Bohemia diſceſſum ſub Saxonis imperio reliquerat, non parum ſuſpicionis excitabat; præſertim poſtquam iisdem è Bohemia reducibus in Magdeburgico agro trans Albim non paucas cohortes hoſpitaturas collocaſſet; ſimul à Banerio per literas poſtularet, ut ipſe copias ſuas arctius contraheret, quo Saxoniæ Electoris militi ſpatium fieret. Sed & ſatis conſtabat, qui motus animorū iſtis in locis poſt cladem Norlinganam fuerint, cum domi Suecis nihil virium ſupereſſe crederent, & in proclivi fore iſtos peſſumdare. Nec deerant, qui fremerent; portus intercipiendos, ac quicquid Suecorum in Germania ſupereſſet, trucidandum.

Multo minus Saxoni. §. 107. Saxo poſt Banerii diſceſſum ſtatim è Bohemia exercitum reduxerat, nec in Cæſareos hoſtile quid amplius tentaverat, tractaribus Pirnæ interim ferventibus, circa quos Electoris gener Landgravius Georgius ſtrenue ſatagebat. Unde glitcente apud Suecos diffidentia, Regina literis Electorem monebat; inſidioſos tractatus caveret, ac bellum ſeu pax daretur, junctus cæteris perſiſteret; neu pacem honeſtam aut tutam puraret, niſi cui ipſa cum ſociis inclusa ſit. Eodem argumento ad præcipuos Ordines Inferioris Saxoniæ, & imprimis Brandeburgicum Electorem literæ dantur, quem hortatur, ut non ipſe ſolum bene ſentire pergat, ſed & Saxoni perſuadeat, ne malevolorum conſiliis aures præbeat, ad Proteſtantium diviſionem ſpectantibus. Enimvero parum ponderis videbantur habituræ iſtæ literæ, licet maturæ adveniſſent, ad turbandos tractatus, in quibus omnem ſpem Elector repoſuerat. Præſertim cum Cæſarei Legati privatis ejuſdem commodis promte velificarentur, conceſſa quoque Magdeburgica diœceſi filio ipſius ſecundo-genito; quam præſentiſſimam litis materiam inter Suecos ipſumq; fore prævidebant. Ita diſpoſitis utrinq; animis facile negocium ſuccedebat, ac tandem in certa capita Pirnæ conventum, Pragæ dehinc ulterius confirmanda; quæ tamen longo demum poſt tempore emanarunt, nec uti Pragenſis pacificatio publicè promulgata ſint. Ea cum & prolixa ſint, & ad ordinandum fere Germaniæ ſtatum ſpectent, extra noſtrum inſtitutum eſt preſſe memorare. Sufficerit paucis perſtrinxiſſe, quæ peculiariter Sueciam tangebant. Jubebantur igitur omnes, qui hac pace frui vellent, Cæſari Catholicisque auxilium ferre ad recuperanda omnia, quæ ab extraneis Regibus tenerentur: Brandeburgico ſi hanc pacem amplecteretur, jus ad Pomeraniam à Cæſare confirmabatur, quæ non minus quam utraque Saxonia & Weſtphalia peregino milite ſit liberanda; cui fini ſi Brunſvicenſes Duces operam conferre velint, reſtitutio Guelferbyti & aliorum locorum promittebatur. Omnium Ordinum copiæ in unum coaleſcere exercitum jubebantur, ab Imperio Romano nomen geſturum, cujus major pars Cæſari, minor Saxoni ſubſit; per quem qui paci reſtiterint in ordinem redigendi ſint. Incluſerat tamen Saxo huic paci Galliam, Britanniam, Sueciam, & Fœderatos Belgas, ſed ut ante viceſimum quintum Februarii diem ſequentis anni acceptari eam à ſe declararent. Idem quoque in ſe receperat cum Oxenſtierna agere, ut ne Germaniæ quietem, quæ capitis & membrorū unione ſtat, impedire velit. Quod ſi is aliquid terrarum in Germania poſtuler, aut fœdus auxiliumq; aliis Sueciæ bellis, reſpondendum: Imperium de ſua dignitate nihil condonare poſſe, ne ullum Ordinum ſibi quid detrahi velle; confœderationes Imperii legibus repugnare. Pecuniam tamen petenti, ſummum decies centena millia unciarum offerenda, intra ſex annos exſolvenda. Ejus ſummæ dimidiam partem Saxo, reliquam cæteri Proteſtantes collaturi erant. Quam ſi acceptare Sueci abnuerent, vim iisdem intentandā.

1634.

Tractatus Pirnenſis. 15. Nov.

§. 108. Abſoluto hoc tractatu Elector Teſchena arce præſidium deducebat, quam ſolam in Bohemiæ Regno adhuc obtinebat. Sed cum ſuper hibernis ſuarum legionum agitaret, non parum difficultatis oriebatur, quod & Cæſareæ ditiones ipſi non amplius paterent, & propriis terris parcere cuperet. Igitur à Banerio poſtulabat, ut partem hoſpitiorum ſuorum ipſi concederet, imprimis quæ ad Superiorē Saxoniam pertinerent, clientelæ ipſius innexa, & è Magdeburgica ditione diſtrictum ad Salam. Ea poſtulata Banerium, qui alias non ita laxe hibernabat, mire turbabant. Nam ſi abrupte id abnueret, offendam Saxonis prævidebat, ex qua facile ad manus perveniri poterat; rem ſibi abſq; mandato ſuſceptu valde arduam. Sed ſi Electori gratificaretur, Suecis ea loca plane abdicanda erant. Neque alibi regio vacabat, in quam legiones abduci poſſent: ac ſi denſius diſponerentur copiæ, ipſæ ſimul cum provincialibus peſſumdabantur. Aſt Elector non expectato ejus reſponſo Naumburgum cum exercitu procedit, quo Banerium ad ſe invitat, velut cum ipſo de Sueciæ ac communi ſalute acturus, anſam præbentibus quas acceperat Cæſaris literis. Eodem quoque Wilhelmus Dux evocatur. Banerius cum conjiceret ſuper hibernis actum iri, Alexandrum Erskemum ad Electorem ire jubet menti illius percipiendæ; qui propere Islebiam moverat. Ubi cum Electoris nomine Arnheimius de concedendis hoſpitiis, ac amplectenda pace, Wilhelmus Dux de jungendo cum Banerio exercitu ageret; hic tandem de iſtis ad Banerium ſe relaturum recipiebat. Addiderat Arnheimius, ſe non niſi mediatoris vice adeſſe, ac libenter operam accommodaturum, evellendis diſſidiorum radicibus. Interim & ante & poſt illum congreſſum Saxonici non omittebant, ubicunque facultas dabatur, Suecorum hoſpitia invadere, his expulſis: unde maxima oriebatur animorum exulceratio, in atrox bellum antea Fœderatos inter, & ſacrorum ſocios eruptura.

Saxo Banerii hiberna turbat.

§. 109. Eodem anno præter cætera mala Sueciæ valde intempeſtiva accidebat mors Joannis Adolfi Archiepiſcopi Bremenſis, qua cognita Leslæus, qui eam provinciam curabat, quatuor cohortes Wiſmaria raptim evocabat, quod controverſiam aliquam hinc orituram metueret. Ac ſane ſtatim Daniæ Regis filius Fridericus eum ſibi præſulatum vindicare inſtituebat, quem Capitulum atque Ordines anno viceſimo primo hujus ſeculi Coadjutorem & ſucceſſorem declaraverant. Pacificatione Lubecenſi Daniæ Rex prætenſioni ad eum præſulatum renuntiaverat, quod Cæſar eundem in Leopoldum Wilhelmum filium conferre cuperet. Sed excipiebat Fridericus, in eam ceſſionem ſe nunquam conſenſiſſe, eamque non ad ſe, ſed tantum ad patrem ſpectare. Ac Cæſarem ea pace viciſſim promiſiſſe, ſe nemini Principum ac Ordinum Imperii, quorum numero ipſe utique contineatur, adverſus jus & æquum quid illaturum. Igitur ipſe ſtatim Oxenſtiernæ & Ordinibus Fœderatis denuntiat,

Controverſia circa Præſulatum Bremenſem. 3. Sept.

1634. §. 111. Aſt Ordines, ſuper adminiſtranda Pro-
Ordines Bremenſes in Danum inclinant. vincia conventione interim inita, non pauca à defuncto Epiſcopo conſtituta moliri cœperant, ac Monachos Monialesque in ſua cœnobia reductum ibant, inconſultis Suecis. Initio tamen oppida, ac præcipue Brema in Suecorum partes propendere, ob commoditatem portus Gothoburgenſis, quem ſibi lucroſum ſperabant. Sed Canonici unice Fridericum reſpicere, ipe abs novo Principe quondam amiſſa recuperandi, eumque in leges ſibi commodas adigendi. Qui & Equeſtrem Ordinem in ſuas partes traxerant, ac jam ſuffragiorum numero oppida vincebant. Grubbius Bre-
14. Octobr. 31. Octobr. merv ærdam delatus primo per ambages, poſt apertius Ordines monet, ne Præſulem eligere properent, priusquam Oxenſtiernam conſuluerint, ac ſuper Suecorum prætenſione transegerint: utque ſuſpenſo vetere Præſules eligendi more ad amicos tractatus rem deducant. Hoc poſtulato Ordines in diverſas curas trahebantur. Nam hinc obverſabatur Suecorum jus, qui & præcipua loca in poteſtate habebant, & Bremam cumprimis faventem
17. Nov. experiebantur. Unde & initio Danicis Legatis reſpondebant; ne Rex modicam moram ægre ferat, quam ſuborta impedimenta producant; ac rem apud Reginam Sueciæ urgere pergat. Ex altera tamen parte verebantur, ne elapſis tribus menſibus, Pontificio jure electioni Epiſcoporum deſtinatis, Pontifex per Cæſarem Epiſcopum ſibi obtruderet, ſacris Romanis addictum. Et quanquam ſuggerebatur, ut propter legitimum impedimentum interveniens, quo caſu Jus Canonicum differre electionem permittit, proteſtatione interpoſita jus ſibi ſuum reſervarent: Daniæ tamen Rex vehementer inſtabat, cujus favorem non parum intendebant, impoſita tunc à Georgio Duce hoſpitiorum & ſupplementorum onera, quæ Leslæus & Grubbius avertere non poterant. Nam ſpes ipſis oriebatur, Danorum ope iſtis medicinam fieri poſſe. Et Suecorum autoritas ob adverſam in Superiore Germania pugnam paſſim minuebat. Igitur
Fridericus in Epiſcopum Bremenſem eligitur. Friderici electio renovatur, addito tamen, ut ob varios reſpectus adventum ſuum in præſulatum differat. Suecici Miniſtri, cum deſignatum Provinciam arcere, aut Ordinibus vim inferre, præſens rerum facies non permitteret; ne jure ſuo per ſilentium ceſſiſſe viderentur, rem ad Legati Skyttii adventum in ſuſpenſo manere cupiebant. Sed Fridericus voti ſui jam compos, omnem moram adſpernatus Or-
9. Dec. dinibus denuntiat, ſe propediem Bremam venturum, velut ſua præſentia res in conventu Ordinum
12. Dec. melius expediri poſſit. Id cum Ordinibus probaretur, Grubbio declarant, Fridericum ſe elegiſſe averruncandis oneribus per interregnum ſibi impoſitis: eam rem tamen Suecis fraudi non fore, iſtumque in fœdus anteceſſoris ſubiturum, Stadamque & Buxtehudam ipſis relicturum, quoad ſuper toto negotio tranſigatur. Grubbius urgebat; cum re non amplius integra tractatus difficiles ſint, nec iisdem mandatum ſit à Friderico eas conditiones ipſius nomine ferre, rem ad Skyttii adventum rejicerent. A Friderico quoque idem petebat, ut tantiſper iter ſuum differret. Sed hic regerebat; ſibi non eſſe in animo Sueciæ commodis adverſari; nec certi quid in Conventu Ordinum Provincialium à ſe ſtatui poſſe; petebatque ita rem geri ut amicitia inter patrem ipſius, Suecosque ſalva perſiſtat. Statuerat Grubbius obviam Friderico proficiſci, ſi qua poſſet ipſum ab itinere avertere; ſed ne ab eodem in via aberraret metuens, ſubſiſtebat, quoad
22. Dec. Blanckeneſam adventaſſe intelligens ad eum accederet, denuo poſtulans, ne prius in provinciam proficiſcatur, quam tractatus ſint inſtituti. Sed Fridericus immotus teſtabatur, iter ſuum Suecis præjudicio non fore, ad res in præſenti ſtatu relinquendas, modo intra octavum diem Januarii tractatus incipiant, & ſine mora perficiantur. Cum igitur nihil proficeret Grubbius, proteſtatione interpoſita, Suecis jus ſuum integrum reſervabat. Nec ſecus Fridericus Bremam pergebat, 24. Dec. Suecicis Miniſtris vi obſiſtere non auſis, cum id in mandatis non haberent, nec bello movendo aut ſuſtinendo parati eſſent, cum miles in præſidiis modicus; adparatus bellici parum, annonæ, ac pecuniæ nihil in promtu foret. Eoque Grubbius Reventlovio Cancellario ſcribebat, ut tractatus citra moram ſuſciperentur; quorum locus Friderico pertendente Brema deſtinabatur. Exitum ſequens annus pandet. 1634

§. 112. Alias Danus ea tempeſtate amicam erga Habitus Daniæ erga Sueciam. Suecos faciem præ ſe ferebat, ut tamen clam circa deſtruenda eorum commoda laborare non deſiſteret. Ac favebat is una cum Saxone Fridlandi deſtinatis, qui id potentiæ ſibi comparare ſtudebat, ut Cæſari juxta ac Suecis leges præſcribere poſſet. Sed & circa mediationem pacis, quam tamen hoc anno remiſſius urgebat, id præcipue quærebat, ut ne Sueci in ſolo Germanico pedem figerent; ac ſufficere judicabat, ſi tantam pecuniæ ſummam in præmii vicem acciperent, quantam ipſi quondam pro redimendo Elfsburgo dederant. Eo arctior autem ipſi cum Saxone conſiliorum conjunctio circa Suecos Germania depellendos erat, quod jam inter filium ipſius primogenitum, & Electoris filiam nuptiæ conciliatæ forent. Qua occaſione filium ſuum Chriſtianum Ulricum in Galliam & Hiſpaniam miſerat, verbo ut Reges iſtos ad nuptias invitaret, revera ut in aula Gallica demonſtraret, quid periculi aliis nationibus immineret, è maritima Suecorum potentia gliſcente, ni mature ipſis ungues circumcidantur, & vectigalia, belli nervum ſuppeditantia abrogentur, omniaque in priſtinum ſtatum reponantur. Nec ſane amici quid in Suecos cudebatur in iſtis nuptiis, ad quas diverſorum Regum Legati convenerant; quos inter etiam Reginæ Sueciæ nomine comparebat Petrus Sparrius Regni Senator, cui in mandatis datum erat, ne alterius cujusdam Regis Legato digniore loco cederet. Sed is cum obtinere non poſſet, ut cæteris vel propter cognationem Reginæ cum Sponſis, vel ob neceſſitudinem Regnorum præferretur, ab omnibus congreſſibus publicis, quibus alii Legati intervenichant, abſtinebat, plauſibilem obtentum præbente luctu ob non ita pridem ſepultum Guſtavum Regem, ob quem feſtivis actibus intereſſe minus decorum videbatur. Plerique tamen eorum Legatorum ex illis nuptiis cum aliqua offenſa diſceſſerant, utut vicies centena millia unciarum in easdem erogata dicerentur. Vicißim Regem non parum mordebat, quod cum Galliæ Rex filium ipſius Chriſtianum V. literis ad eundem ſcriptis *fratris* vocabulo honeſtaſſet, hicque Regi reſpondens idem *fratris* vocabulum adhibuiſſet, Legatus Gallicus Comes Avauxius literas illas acceptare recuſaret. Interim Danus varias querelarum occaſiones captabat, ne, ſi ex re videretur, arma in Suecos movere, cauſarum catalogus deeſſet. Hinc jactatæ minæ, velut Suecorum naves Oreſundam tranſeuntes, vectigalia poſcere velit, quod neſcio quas fraudes ab iis admitti argueret. Hinc mense Aprili emiſſa navis bellica, mare Balticum pervagatura cum mandatis, ut ſi Sueciæ navi occurreret, quæ vela nollet ſubmittere, ſtatim cum ea pugnam conſereret. Sed & vehementer incaluerat, quod Springius teloniorum director in Gedanenſi litore Danicæ navi circa vectigalia ſolvenda tergiverſanti apluſtria detrahere conatus eſſet, ni navarchus ea raptim occultaſ-

1635. ctarios quorundam mores, qui ipſius partes ſequebantur. Sed adverſus Oxenſtiernam illi longe importunius genium ſuum exſeruerant. Unde & ab initio pacem tenera præſertim Reginæ ætate utiliſſimam judicaverat; & nunc poſt Norlinganam cladem coeptum opus ad finem perduci non poſſe videbat, nec tanti laboris pretium, aut gratia adparebat. Eoque nihil magis optabat, quam occaſionem offerri, qua honeſtam patriæ pacem conciliare poſſet.

Oxenſtierna incaſſum pacem ſuperat.

§. 3. Enimvero haut ita in proclivi erat arma tuto, & honeſte ponere tanto belli incendio, & hoſte potentiſſimo, ſimul turbatis plane conſiliis. Equidem abjici eadem poterant, & omnia coepta abrumpi; ſed ſimul exiſtimationis, emolumentorum, amicitiæ jactura fiebat, ac per tantum ſanguinis & laborum nil niſi odium, contemtus, damnum adquirebatur. Nec eo ſecius Cæſar & Catholici hoſtes permanebant, qui imminente cum Polonis bello his auxilia omnibus viribus laturi erant; ut perinde eſſet, cum iisdem in Germania, an in Boruſſia congredi. Peculiares cum hoſte tractatus ſociorum reſpectus non magnopere impediebat, apud quos nulla beneficiorum memoria, & quos conjunctæ cum Suecia rationes non impediebant, quo minus ad ejus emolumenta deſtruenda incumberent. Quin & eorum plerique, qui jurata fide Sueciæ obſtricti erant, tunc circa premendam eam potius, quam ſublevandam laborare; ut quare iſtorum cauſa moleſtia ſuſciperetur, ratio non eſſet. Sed heic Oxenſtiernam valde ancipitem conſilii reddebat, quod nulla idonea occaſio tractatus ordiendi daretur; ac ultro ab hoſte pacem petere indecorum juxta, ac noxium. Ea quippe intempeſtive ambientes fugere ſuevit: ſed qui firmum adverſus hoſtes animum oſtendit, æquitatique & rationibus ſuæ reipublicæ inhæret, & quantum hæ admittunt pacem non repudiat; ei certiorem licet ſpem concipere arma honeſtis conditionibus ponendi. Igitur ne patriæ ſuæ ſalutem hoſtium libidini plane ſubjiceret Oxenſtierna, rem quantum poſſet ſuſtinere conſtituebat, ac arma retinere, quoad tempus honeſtæ pacis occaſionem offerret. Ac cum duæ ſe ultro viæ offerrent ad pacem perveniendi, aut efficacius deinceps bellum perſequendi, Saxonis tractatus, & Gallorum deſtinata; utrisque ut in rem ſuam uteretur operam dabat. Pirnenſis transactio ſat æqua vulgo jactabatur. Galli Heidelbergæ obſidium ſolverant, ac validam manum Bernhardo Duci adjunxerant, plures copias in ſubſidium Fœderatorum polliciti. Quod ſi igitur pax Pirnenſis ſalva exiſtimatione acceptari poſſet, eam anſam arrepturus erat patriam ſuam bello extricandi, obtentu ſumto, Sueciam belli pertæſam, nec paci à Saxone concluſæ intercedere, ſi quidem illa Ordinibus arrideat. Quod ſi autem pax illa inſidioſa aut iniqua deprehendatur, placebat Gallorum deſtinatis connivendo aut aperte favere, ac plus negotii Auſtriacis dare, quo urgente per ſuperiorem Germaniam tam valido hoſte ad æquiores pacis conditiones adigerentur. De Pirnenſi pace, quæ magna cum cura adhuc premebatur, liquido judicare nondum licebat. Sed qualiscunque foret, expedire cenſebat, ſi propior iſtis oris eſſet. Eoque conſtituerat, ſtatim atque Galli res ſuperioris Germaniæ arctius amplexi eſſent, eo bello iſtis relicto in Saxoniam ſe conferre. Quod & ipſum Senatus Sueciæ ſuadebat; & mox Wormatiæ congregati Ordines ultro occaſionem offerebant.

Oxenſtiernæ circa pacem conſilium.

Hugonis Grotii in Aula Gallica negotium.

§. 4. Cum Galliæ Rege ſub finem prioris anni Superiorum Ordinum Circuli in certa capita convenerant; ſed quia Gallorum cum Suecis fœdus per ea in aliam plane formam converſum fuerat, Oxenſtierna id ſubſcribere abnuerat. Ea res ne Gallorum animos averteret, ille Hugonem Grotium ad Galliæ Regem Legatum mittit, cauſas recuſatæ ſubſcriptionis oſtenturum. Huic initio acris diſceptatio apud Regem primariosque miniſtros ſuſtinenda erat, qui à conventis cum Lœfero nulla ratione diſcedere volebant, velut absque exceptione concluſis; ac mirabantur ab illo acta, cui tam ampla mandata forent data, in dubium vocari. Contra Grotius oſtendere, ea non niſi accedente ratihabitione eorum, quos id negotium ſpectabat, valere; nec morem aut jus ferre, à legatis ita rigide conveniri circa res præſertim non prævisas, & ſuperiores inſolubili obligatione indui. Ejusmodi vim nulla mandata quantumvis ampliſſimis concepta verbis habere. Ita tractatum anno hujus ſeculi trieſimo à Patre Joſepho Ratiſponæ cum Cæſare concluſum à Rege ex parte retractatum. Oſtendebat tamen, quia major Ordinum pars, civitatibus licet retragantibus, fœdus ratum habuerit, Oxenſtiernam quæ ad Ordines ſpectant circa directionem obſervaturum, quantum tamen citra fraudem Sueciæ fieri poſſit. Obnixe quoque Rex inſiſtebat illis, quæ de Romanis ſacris, & qui addicti iisdem ſunt, caverat; citra quæ in cautam ſe deſcendere poſſe negabat. Quanquam enim propter divertos ſuis ritus neminem odiſſe aut perſequi velit; uti tamen aliis ipſorum, ita ſibi ſuam religionem caram eſſe, nec ut eadem ab aliis conculcetur inſuper habere poſſe. Circa quæ uti facile conveniebat; ita & quæ de ſummo belli duce in fœdere poſita erant per declarationem Regis mitigabantur, ab eo munere & honore Suecos, quantumvis Imperii Principes non ſint, haut quidquam excluſum iri. Acrius circa Benfeldam diſceptabatur, quam Sueci à ſe pignoris in vicem obtineri ferebant ob promiſſam ab Ordinibus ſatisfactionem; quo oppido, niſi aliunde facta penſatione, decedere nequeant. Ad quæ Gallici Miniſtri ingeminabant, rem cum priore legato jam transactam eſſe. Et ceſſiſſent hoc oppido per iniquitatem temporum Sueci, id quod etiam Legatus in mandatis habebat, modo Rex aperte Cæſari bellum indicere, id quod conventione Lœfleriana expreſſe cautum erat, voluiſſet, aut in ejus vicem pecuniæ ſummam Suecis exſolvere. Enimvero præcipua iis oriebatur, quod promiſſum olim Suecis ſubſidium pecuniarium recenti fœdere adimeretur, eoque præcipuum prioris fœderis fulcrum ipſis inſcis & invitis tolleretur. Se quidem Regis munificentiam Ordinibus non invidere, modo ſibi promiſſa, nec ſuo conſenſu unquam immutata, ſalva perſiſtant. Galliæ Regem iis opibus pollere, ut & ſuperioris Germaniæ Ordinibus ſuppetias ferre, & promiſſa Suecis exſolvere queat, qui ipſius inſtinctu, & ſpe certi auxilii facta tam difficili ac ſumtuoſo ſe bello implicuerint. Et cum Galli exciperent; militem & pecuniam Ordinibus promiſſam non eo minus Suecis emolumento cedere; Legatus reponebat: ipſis utique facultatem adimi eam pecuniam rerum ſuarum neceſſitatibus in Superiori Germania aut Pomerania, aliisve locis pro re nata adplicandi. Heic cum Galli per ambages inſinuarent; ea ſubſidia alio averſa, nec in uſus belli impenſa: Legatus contradicebat non modice queſtus, iſtis malevolorum calumniis aures præberi. Quod de Saxoniæ & Brandeburgico Electoribus additum erat, uti ad caſum aperte abruptæ cum Cæſare pacis pertinere Galli agnoſcebant: ita Grotius monebat, alia quoque capita, & id præcipue de Benfelda tradenda eodem ſpectare debere; quæ ita ambigue concepta ſint, ut vix conſtet, de plena belli denuntiatione, an de ſimplici tantum auxilio intelligenda

1635. genda ſint. De Neutralitate Catholicis Ordinibus indulgenda conditio quidem adpoſita erat, ut cum conſenſu Fœderatorum id fieret; revera tamen in ſolo Regis arbitrio poſitum manebat, quem bello eximere vellet. Denique nec illa minuta erat diſcrepantia, quod Grotius Heilbrunnæ renovatum fœdus totius negotii fundamentum duceret, cui ſi quid pro mutata temporum ratione addi, demive aut immutari conveniat, ſuper eo tractare ſe paratum oſtendebat. Id quod Galli adſpernabantur, ſed ſemper ad capita cum Lœflero conventa provocabant; in quibus ſi quid Oxenſtierna deſideraret, id iſtis velut appendicem ſeparatis articulis addi volebant. Ita res in utramque partem accurate expenſa & diſceptata, ſed nihil certi concluſum fuit. Nec eo ſecius tamen Galli res Superioris Germaniæ indies magis amplectebantur, in conventu quoque Wormatienſi magno ſtudio ad conſtantiam Ordines hortati.

Conventus Wormatienſis inſtauratur. 15. Jan. §. 5. Huic inſtaurando dies decima Januarii condicta erat. Sed cum ſub id tempus eo ſe contuliſſet Oxenſtierna, paucos Ordinum inveniebat, qui dudum ibi ſedibus ſuis ab hoſte pulſi degebant. Nonnulli abſentiam ſuam iniquitate temporum, longa itinera ſumtuſque non ferentium, excuſabant; nec penes ſe eſſe aliquid ulterius militi alendo conferre. Inter hæc Oxenſtierna cis Rhenum ad duces Gallicos excurrebat, ſuper bello cum ipſis conſulturus, poſtquam Philipsburgo incercepto hoſtis trans Rhenum ſe effundere inciperet. Ad improviſam hanc jacturam cæteris non parum conſternatis, Gallinihil ſe perturbari oſtendebant. Eoque mox Grangius Legatus Gallicus Ordines congregatos, poſtquam multis verbis ſtudium Regis ſui in ipſos exturſiſſet, hortabatur, ne amiſſo oppido quantumvis munito terrearntur. Jam quippe Regi neceſſitatem admoveri omnibus viribus ad vindicandum honorem ſuum connitendi. Ipſi modo juncti perſiſtant, ac communem cauſam ſaltem ſtudio ac favore ſublevent. Regem obtenta pace omnia, quæ ad Ordines ſpectantia jam obtineat, redditurum, ne lato quidem digito retento; cui gloria reſtitutæ pacis, & vindicatæ libertatis Germaniæ ſufficiat, pro qua omnia ſua ſit impenſurus. Pacem, de qua Cæſarem inter & Saxonem agitatum ſit, nondum perfectam eſſe, nec ab hujus Ordinibus provincialibus adprobatam; id quod ipſe Elector Regi ſignificaverit; multa quoq; in eadem à Brandeburgico deſiderari. Id agerent Ordines, ut Succos Oxenſtiernamque in ſocietate ſua retinerent, ac tam bene de ſe meritos paci includant. Gratum ipſorum animum Regi cauſam præbiturum ad auxilia eo alacrius ſubminiſtranda, ut meliore pace, quam de qua Pirnæ actum ſit, potiantur. Erigebant ea promiſſa pauliper Ordines, ut cæteros abſentes denuo literis invitarent. Igitur accedentibus Legatis Palatinis, & Comitibus quibuſdam, cum numerus Ordinum Conventus inſtar jam præ ſe ferret, & Oxenſtierna ab exercitu Gallico reverſus eſſet, tandem capita conſultationum proponuntur; quibus legibus Bernhardo Duci imperium in exercitum deferendum, unde miles ſuſtentandus, quid circa tractatum Pirnenſem ipſis ſit obſervandum. Mox quoque Feuquierius aderat, qui poſt repetita Grangii promiſſa confirmabat, Regem ſumma vi ipſis ſubventurum.

31. Jan.

1. Febr. Propoſitio.

8. Febr.

Cum Duce Bernhardo ſuper imperio in exercitum tranſigitur. §. 6. Tam amplis pollicitationibus erecti Ordines alacriter deliberationibus incumbunt. Ac primo quidē ſuper conditionibus diſceptatur, quibus Bernhardo Duci imperium in exercitum deferendum foret. Is quippe amplas nimis propoſuerat, ac ut ſibi bellum adminiſtrare, duces ac quæſtores conſtituere, bene meritis præmia diſtribuere, de tributis & præda ex hoſtico pro lubitu diſponere liceret. Præterquam quæ ſuper ſtipendio ſuo, & ut in tractatibus pacis ipſi expreſſe caveretur poſtulabat. Ac cætera quidem pro captu temporum facile 1635. concellā. Imperium autem, quod plane illibatum videbatur affectare, ita temperatum, ut in rebus, quæ ſummam rerum ſpectent; è judicio ſupremi Fœderatorū Conſilii, & qui ipſi adjungendi forent Deputatorum agere teneretur. Alt unde exercitus ſuſtentaretur, haut quidquam inveniebatur. Nam Ciſrhenanos Ordines bonis omnibus exutos non tam voluntas quam vires deficiebant: eoque clamitabant; reduceret miles ipſos in amiſſas ditiones, tunc omnia ſe pro virili collaturos. Nec minus Transrhenam impotentiam excuſabant, per militum hoſpitia fere ad inopiam redacti. Nec ſingulis deerant rationes, quibus commune onus declinatum irent. Haſſius propriū ſibi militem ſat gravem incumbere oſtendebat: nec ſupereſſe, quod in commune conferat: exercitu tamen ſuo in cauſam communem ſe connixurum. Hanovienſis Comes vix præſidio oppidi ſui ſe ſufficere querebatur. Argentoratenſes plus ſe jam quam pro rata, contuliſſe imputabant, ſuſtentatis nuper Rheingravii copiis; nec parum ſibi ſumtuoſum Rheni tranſitum tueri. Wormatienſes quoque multa extra ordinem præſtitiſſe videri volebant, cura ſauciorū, mortuorum ſepultura, ac receptis nutritisq; captivis. Contra Oxenſtierna demonſtrabat; Ordinum onera, & quid quiſque damni privatim fecerit, ſibi non incognita; nec tamen eo ſecius publicæ cauſæ neceſſitatem præponderare, qua neglecta conatus omnes inanes eſſe. Nam militem ſervari nullo modo, nec rei quid geri poſſe, ni media iſti ſuſtentando comparentur. Et quoniā inſuper ſumma pecuniæ opus erat animandis ad ſortia militibus, aliisq; erogationibus, tres hoc vias proponebat; primo ut Galli, Anglique, ac Batavi ſubſidia poſcerentur; quorum iſti jam multum ad cauſam communem contulerint; ac deinceps plura ab iiſdem expectentur; aquibus bis centena uncialium millia tales in uſus obtineri poſſe ſpes ſit. Anglorum ſubſidia, quæ cauſæ Palatinæ videantur debere, in rationes non referenda. Batavos propriis oneribus urgeri; tentandum tamen utrinque, numquid exſculpi queat. Sed præſentiſſimum medium eſſe, ſi quilibet pro facultatibus ſuis contulerit; aut ſi cuiliber Ordinum certæ legiones aſſignentur ea lege, ut, ubi quiſque ditionibus ſuis fuerit reſtitutus, iſtis pecunia aut prædiis ſatisfaciat. Circa annonam quoque varia media proponebantur; nec deerant, qui à Gallo aliquid petendum cenſerent, id quod pluribus diſplicebat; tam modica re iſtum Regem non obtundendum; ſed majoribus neceſſitatibus reſervandum. Et apud Gallos rem frumentariam à privatis adminiſtrari, qui lucro ſuo quid decedere non ſint paſſuri. Tandem placebat, reliqua primum exigenda, inde ab illis, qui lucri faciendi cauſā frumentum coemerant, quintam, à cæteris decimam frumenti partem ad uſum exercitus capiendam. Conventum quoq; de pulvere pyrio, alioque belli adparatu conferendo pro præſentibus Ordinum opibus; ſed tanto bello incumbenti haut ſufficturā, nec diu duraturā.

De mediis ſuſtentandi exercitus.

24. Febr.

Ad Saxonem ſcribitur.

§. 7. Circa tertium deliberationis caput placebat ad Saxonem & Brandeburgicum, Inferioriſq; Saxoniæ Ordines ſcribi, ne ſeparatis tractatibus cum hoſte tranſigant, quod honeſta ac tuta pax obtineri nequeat, ni conjunctis conſiliis ac viribus omnium, quorum intereſt, res agatur. Sibi adverſa licet fortuna oppreſſis conſtitutum extrema tentare, quoad pulſi reſtituantur; ac ſacris, libertatique Proteſtantium cautum ſit. Ipſos quoque, uti hactenus, cauſam communem fortiter ſuſtentaturos. De cætero pacem ſibi quam maxime cordi eſſe, nec ab ea Gallos abhorrere. Interim ipſi arma retineant, & cum Sueeis Fœderatorumq; ducibus conſilia communicent: peculiares tractatus, utriſque exitio futuros, fugiant. Daniæ quoque Regem, cujus me-

& Danicum Regem.

1635. diationi plus quam Pirnenſibus tractatibus fidebant, per literas rogant; ſuſceptam negotiationem urgeat; prout Imperii & oppreſſorum Ordinum neceſſitas id poſtulet.

Pirnenſis tractatus contenta emanant.

§. 8. Interea Pirnenſis pacis ſecreta, magno licet ſtudio occulta, magis indies erumpebant; ac inter cætera Palatinam cauſam inde excluſam eſſe. Unde Legati Palatini conſternati à Fœderatis contendebant, ut plenam Palatinatus reſtitutionem pro communi & minime controverſa re habeant, nec ullos tractatus admittant, qui non illo fundamento nitantur. In quam ſententiam quoq; ad Ordines utriusque Saxoniæ, Reges Galliæ, Angliæ, Daniæ, Batavoſque ſcriptum. Sed & reliquos Ordines metus ſubibat, ne ipſorum quoq; forte ſiniſtra mentio iis in tractatibus facta eſſet: Igitur ſuggerente Oxenſtierna neceſſarium judicabant hunc in Saxoniam ſe conferre, cominus arbitrandis inter Cæſarem & Saxonem tractatibus, ac ut tam Sueciæ, quam Fœderatorum Ordinum emolumentis invigilaret. Cui ut operam ſociaret Wilhelmus Landgravius rogabatur. Ea res à Fœderatis Brandeburgico ſignificatur, idemq; rogatur ut iſtis quantum poſſit adſiſtat, ac interim operam det, quo communis cauſa in Pirnenſibus tractatibus ſuſtineatur. Et quia Oxenſtierna recto itinere in Saxoniam tuto ire non poterat, interea Culmbacenſis Cancellarius Feiltſchius, & Oelhafius Noribergenſis ad Saxonē mittuntur pecituri ut ejusmodi tractatus ſuſcipiat, in quibus omnes quorum intereſt audiantur, & cauſæ belli ac diffidentiæ radicitus exſcindantur, reſque ad Oxenſtiernæ adventum differantur; addito, Fœderatos Ordines nullas honeſtæ pacis leges recuſaturos, atque id acturos, ut Imperii conſtitutiones, Ordinumq; quorumlibet dignitas ac jura ſarta tecta ſerventur. Cæterum in abituri Oxenſtiernæ locum ab hoc & plerisq; Ordinibus Otto Rheingravius deſtinatur, qui ſummo Conſilio interim præſideret, quod munus idem antea abſente per Saxoniam Oxenſtierna egregie ſuppleverat. Aſt Palatini ſequendum cenſebant id, quod in aliis Collegiis uſu receptum eſt, ut abſente præſide primus aſſeſſorum hujus vices ſubeat. Et cum animadverterent, plura ſuffragia in diverſam partem inclinare, proteſtationē interponebant, velut ſuffragium Domus Palatinæ reliquis autoritate præpolleret, nec ab hiſce illi præjudicium adferri poſſet. Contra Oxenſtierna ferebat; aliis ſe expendendum relinquere, quanti cujusq; ſuffragium æſtimandum ſit, aut quantum prærogativæ alii Domui Palatinæ deferant. Sperare ſe tamen Sueciæ ſuffragium nemini poſtponendum, nec ejus ita leve apud Palatinos momentum fore; præſertim cum Sueci adhuc Moguntinam ditionem obtineant, in cujus poſſeſſione per fœdus Heilbrunnenſe ab Ordinibus tuendi ſint. Sic vicaria directio Rheingravio delata. Atque iſthæc omnia Wormatiæ acta in formam decreti rediguntur; quod tamen Oxenſtierna ſubſcribere abnuebat, ne fœdus Gallicum in fraudem Sueciæ probare videretur. Sed & Legatus Argentoratenſis ob eandem cauſam, & ob Benfeldam hactenus tantum ſubſcribebat, ut ad ſuos relaturum ſe promitteret. Haſſicus quoque caput de neutralitate Neoburgici, quæ Landgravio haut probabatur, excipiebat. Ipſe tamen Princeps Neoburgicus, audito Neutralitatem à Fœderatis ſibi conceſſam, quo eandem à Cæſare obtineret, Viennam proficiſcens ex itinere Oxenſtiernam per literas rogat; non concedat, ut ei negotio à Duce Georgio, ac Landgravio Wilhelmo aliiſque remora injiciatur.

Oxenſtiernæ iter in Saxoniam decernitur.

20. Mart. Concluſio Conventus Wormatienſis.

Quæ mandata à Fœderatis Oxenſtiernæ profiſcenti data.

§. 9. Cæterum Oxenſtierna capto circuitu per Galliam, & inde mari Saxoniam petere conſtituerat vitandis rectæ viæ periculis, ac ut patriæ ſociorumque commoda apud Galliæ Regem in tranſitu observaret. Nam diccedenti Ordines Superiorum Circulorum commendaverant, apud Galliæ Regem inſtaret de promovenda pace, ac ut interea ipſorum exercitui argento ſubveniretur. Sed in Saxoniam delatum rogabant, ut re adhuc integra Pirnenſis tractatus ratihabitionem impedire, ac ad generales tractatus rem deducere ſtuderet, ubi omnes audiri, ac firma pax reſtitutis omnibus iniri queat. Quod ſi autem Saxo, quæ Pirnæ concluſa forent, rata jam habuerit, Brandeburgicum, & Inferiores Saxones permoveret, ut juncto cum ſuperioribus Circulis conſilio vel novum conventum communem inſtituant, vel Pirnenſia acta recoquant, admiſſa quoque Saxoniæ Electoris interpoſitione, ſiquidem ad eandem ſuſcipiendā adduci queat. Ipſius quoque judicio committebatur, quousque Daniæ Rex ad continuandum mediatoris munus invitandus ſit. Inſuper ut præparatis omnium animis cum Saxonicis Ordinibus conveniat, quomodo omnes quorum intereſt in unam circa pacis leges ſententiam diſponi queant. Denique ut & exulum è Bohemia, Auſtria & aliis Cæſareis ditionibus in futura pace ratio habeatur. Interim in anteceſſum Oxenſtierna adventum ſuum Saxoniæ Electori per literas ſignificat; rogatque, Fœderatorum Ordinum ſalutem ipſius rationibus utique innexam, Sueciæq; commoda ſibi commendata habeat, memor officiorum à Guſtavo quondam Rege ipſi exhibitorum; ac eousque rem in integro relinquat. 22. Mart.

§. 10. Dum ita Wormatiæ circa reſtituendam rem prolapſam ſatagitur, Oxenſtierna circa excienda exterorum auxilia interim nihil omiſerat. Nam & cum ſcopum Hugonis Grotii Legatio in Galliam habebat; & ad Venetos Galeatius Gualdus miſſus erat ſuppetias petiturus; qui tamen præter excuſationes nihil obtinuit; Remp. ſuam ab aliquot retro annis ingentibus expenſis oneratam, dum Ducis Mantuani præſidia, & decem inſuper millia militum extra ordinem quotannis fuerint ſuſtentanda. Anglia hactenus parum ad cauſam Proteſtantium contulerat. Ut tamen reſpectus cauſæ Palatinæ plus ibi ponderis fortaſſe haberet, ſi eadem Regi per ſororem Bohemiæ Reginam commendaretur, Oxenſtierna ad hanc ſcribit, ac memorato quam ampliter Galliæ Rex Ordinibus Fœderatis promiſerit, ruinoſam reip. faciem repræſentat, cui ſalus aut exitium Domus Palatinæ ſit innexa. Inde poſtulat, apud fratrem inſtet, quo ejus conſervationem cordi ſibi eſſe velit, ac is autoritate, conſilio, atque auxilio eandem fulciat. Belgii Fœderati Ordines jam Oxenſtiernæ ſubſidium pecuniarium ad menſes aliquot promiſerant; ſimul vires Hiſpanorum proprio bello non parum diſtrahebant. Enimvero ſolutio lente procedebat, quoad ſingulatum provinciarū conſenſus, & rata portio obtineretur. Igitur & hos Oxenſtierna literis monet, ut promiſſa repræſentent; poſtulatque, ut id ſubſidium ad aliquot adhuc menſes prorogent, quod maximis ſumtibus opus ſit, ſi Germaniæ Ordines ex imminentibus ſe difficultatibus eripere debeant. Exteri in auxilium ſolicitantur. 18. Febr. 18. Febr.

§. 11. Porro quia in Saxonia omnis invidiæ atque adverſitatum cauſa Suecis è Magdeburgenſi ditione, atque Pomerania proveniebat, quarum illam Saxo, hanc Brandeburgicus iſtis extorquere nitebatur; utrique ut ſatisfieret Oxenſtiernæ curæ erat. Et cum Saxone quidem ſuper Magdeburgo aliquoties tranſigere inſtituerat; ſed qui ita difficilem ſe exhibebat, ut nulla cum ipſo tractandi occaſio præberetur. Et quia nemo tunc ipſius miniſtrorum aderat, quicum negotiū id diſceptari poſſet, idem ad ſuum in Saxoniam adventum differendum erat. Pomerania ut non ita facile relinqueretur, graviſſimæ erant cauſæ. Tamen cum Cæſar Ordineſque Pontificii urgerent, bellum cum Polonis immineret, Danus invidia ob portus ad Mare Balticum æſtuaret, & ut Suecos inde extrude- Oxenſtierna Saxoni & Brandeburgico ſatisfacere ſtudet.

1635. deret, omnem lapidem moturus videretur, Brandeburgicus sua actione dimoveri non posset, cui Saxo, ac alii fortasse Protestantium Ordinum auxilium laturi erant, conspirantibus insuper Ordinibus Pomeraniæ provincialibus: Oxenstierna judicare aliter non poterat, quàm tandem cedendum esse, ne universum velut orbem in Suecos irritaret,
2. Jun. neu dum umbram captat, carnes amitteret. Cum igitur statuisset propius mentem suam declarare, primo ad literas Brandeburgici sub finem proximi anni datas respondet, & quare negotium Pomeranicum decisum non fuerit, culpam in Ordines Francofurti congregatos confert, qui variis disceptationibus tempus extraxerint, quoad clades Norlingana superveniens conventum sine fructu dissolveret. Se quidem rem ad Senatum Sueciæ retulisse; sed ob infesta itinera locorumque intervalla nondum responsum accepisse. Inde cum Goertzio Cancellario Francofurti adhuc agente, ansam se arripuisse transigendi, quo Electori omnibus modis satisfieri queat. Num peculiarem legationem eam ob causam in Sueciam mittere velit, in ipsius arbi-
12. Febr. trio positum esse. Mox quoq; cum Goertzio capita conventionis concipiuntur, ea tamen expressa cum conditione, ut Reginæ per hanc sponsionem nihil præjudicare velit, penes quam futurum sit, eandem probare aut rejicere; utq; ipse ad nihil præterea teneatur, quam ad operam pro virili dandam, quo Regina ad istam ratihabendam permoveatur. Idem & Goertzius excipiebat, cui haut mandatum erat conventionem mire, sed tantum responsum ad literas exigere. Spondebat autem Oxenstierna Reginæ nomine, mortuo Pomeraniæ Duce Electorem non iri impeditum, quo minus possessionem ejus provinciæ adprehendat: Goertzius contra, Electorē fœdus Regem Gustavum inter & Ducem initum ratum habiturum, Succisq; præcipua oppida milite suo ad finem usque belli infidenda permissurum, operam insuper daturum, ut Succi in præmium vindicatæ Ordinum libertatis Magdeburgicum, Halberstadiensem, atque Otinabrugensem præsulatum perpetuo jure accipiant, salva tamen Imperii Majestate. Electorem quoque Suecis idoneum portum oppidumque, & præfecturam in Pomerania concessurum ob commodiorem ad Magdeburgum accessum. Quod si autem istud præmium obtineri nequeat, Electorem ob sumtus à Gustavo Rege in vindicandam Pomeraniam factos ex fœdere cum Suecis tractaturum. Enimvero ista sponsio temporibus postea mutatis effectu caruit, utut eadem Rectoribus Sueciæ satis probaretur.

Ducis Bernhardi hiems in Wetteraviam expedito.

§. 12. Inter hæc Bernhardus Dux quantumvis media hieme quiescendum sibi haut judicabat, cujus exercitus centum quinquaginta duabus equitum, centum quadraginta duabus peditum cohortibus numeris expletis constabat; quibus Hebronius Gallicus jam dux jungebatur. His copiis stipatus
1. Jun. initio anni apud Francofurtum Mœnum transgrediebatur, ut vel Mansfeldico exercitui per hospitia dispersō medius ingrueret, vel eundem Wetteraviē annona excludum fame attereret; irrito utrumque
3. Jun. conatu. Nam Mansfeldius adventu illius cognito omnes suas copias Aschaffenburgi contrahebat, munitionibus raptim excitatis utramque Mœni ripam complexus. In legiones aliquot Croatarum Hirnheimii metantes cum duobus equitum millibus Joannes Philippus Rheingravius à Duce missus erat; qui universi velut in nido deprehendebantur, ni quorundā tarditas, & aliorum avidæ in prædam manus pulcre destinata corrupissent. Nam Suecicorum adventu excitati Croatæ in cœmeterium se contulerant. Quibus omissis plerique ad oppidum diripiendum dilabebantur, ut confusioni sistendæ ignis tectis esset injiciendus. Inter has moras hostis magna cum celeritate trans montem Aschaffenburgum evaserat; amisso præfecto turmæ cum aliquot equitibus, & ducentis quinquaginta equis. Hoc consilio dejectus Bernhardus Dux Gelnhusam ab hoste delertam se confert, eundem Wetteravia excluturus: ac jam Fridbergam, annona refertam, & vicina loca invadere destinaverat, stationem his in oris firmaturus, ni hostis numero prævalens pedem referre subegisset. Mansfeldici quippe statim apud Aschaffenburgum cum inopia annonæ conflictari incipientes eo se redactos cernebant, ut aut turpiter, nec citra damnum retro cedere, aut in Bernhardum Ducem movere necessum foret. Sed cum è Wurtenbergica novem Cæsareæ, sex Bavaricæ sub Joanne Wertano legiones subsidio venirent, eis Mœnum iterum regressi ex altera parte Kintzingæ fluvii Gelnhusam versus tendunt, ita ut solum id fluentum hostiles tunc exercitus dirimeret. Ac parum aberat, quin ad prælium res deveniret, fluvio per intensissimum frigus glacie constricto. Quanquam autem Bernhardo Duci uberior annonæ pabulique copia, quam Mansfeldio esset; huic tamen indies novæ vires accedebant, evocatis quæ sub Bredavio per Fuldensem agrum hibernabant copiis, & quæ hactenus arcem Wurtzburgensem obsederant, quà expugnata hosti annona quo-
14. Jun. que laxari cœperat. Igitur Bernhardus Dux Hanoviam recedit, Gelnhusa & Wechtersbaco idonea dimacharum manu intessis. Atque interim fama intercepti Philipsburgi ejus destinata plane confundebat. Unde apud Francofurtum trans Mœnum se iterum confert, ut cum Gallicis ducibus, qui ad Viam Montanam tendebant, consilia conferret, quid invalescente passim hostis potentia, & tam felici ubique progressu suscipiendum foret. Duce Bernhardo digresso relictus Gelnhusæ & Wechtersbaci miles impetu hostium expugnatus cædebatur, octo tignis amissis. Ita non alius ejus expeditionis fructus fuit, quam ut exercit' importuno anni tempore, ac Gallicus cum primis miles frigoris insolens, non parum affligeretur, & qua transierat regio funditus evastaretur vicis passim inflammatis.

Cæsarei per Wetteraviam grassantur.

§. 13. Vix istas oras Succici deseruerant, cum hostis iisdem denuo infunditur, multoque commeatu ibi potitur, simul modicam tironum manum, quæ Cronbergam oppidum obtinebat, in potestatem redigit. Montana quoque arx Falckensteina, nec non Hœchsta oppidum occupatur, jussu Bernhardi à præsidio Succico delertum, sed munitionibus non satis disjectis. Unde facile fuit hosti istis reparatis Francofurtum Moguntia interscindere. Hoc necessarium quidem Oxenstiernæ videbatur Francofurti præsidium augere adversus improvisos aliisultus, & quod post obsidium circumpositum non nisi tentata prælii alea isti subveniri posset. Sed abnuebant oppidani, paupertatem & annonæ tenuitatem causati; & quia jam dudum occasionem cum Cæsare transigendi captabant. Ad Bobenhusam tamen hostis irritus fuit, quam quatuor legiones famelicæ oblidebant, ab erumpentibus subinde Succicis non superfunctorie vapulantes. Nec plus injectis globis ignivomis proficiebatur; aut quod edita ruina tribus pariter locis assultus daretur; quo Cæsarei acriter repulsi ducentos desiderabant. Unde post frustra consumtam operam tormenta Aschaffenburgū reducunt, per vicinos pagos circumpositis copiis, quas obsessi felici eruptione male habebant. Sed & Moguntiæ videbatur hostis inhiare, quod Rhenus glacie constrictus machinis transportandis sufficeret. Unde Hohendorfius tribun' oppidi præfectus pleraque tormenta ac cibaria in adstrū castellum contulerat, vallo aquis perfuso, quæ in glaciem duratæ lubricitate ascensum arcerent, quod diffusæ oppidi

1635. munitiones contra vim defendi non poſſent. Sed remittens frigus eam mox ſolicitudinem adimebat. Nec minus Ramſæus Hanoviæ præfectus hoſte undique cinctus vigilantia ſua omnes iſtius inſidias eludebat.

Philipsburgum à Cæſareis intercipitur.

§. 14. Aſt Philipsburgum ſocordius cuſtoditum magno cum Fœderatorum damno in hoſtium manus incidebat. Ea ſuper jactura diverſe traditur, quod cum præſidium è Germanis Gallisque mixtum foret, utraque natio culpam à ſe in aliam amoliri ſatageret. Ac poſt Arnoldus edito libello ejus oppidi amiſſionem in Germanorum proditionem retulerat, eo nomine centum millibus librarum donatus; cujus commenta tamen etiam à pleriſque Gallorum explodebantur. Id conſtat, eo tempore non ſupra quingentos milites in oppido fuiſſe, numerum longe imparem violento aſſultui repellendo, cum omnes circum aquæ glacie obductæ acceſſum præberent. Nam ut de Gallis taceamus, Germanicæ cohortes vix quadragenos bellatores implebant, tirone milite morbis aut per transfugia dilapſo. Idque præfectus Gallicus Arnoldus Wurtenbergico Duci ſummo oppidi præſidi ſignificaverat, ac ut de ſupplemento cura ſuſciperetur monuerat: addito tamen, ſe cum ſolis Gallis oppido adverſus quantâlibet vim tuendo ſufficere. Unde Dux propoſuerat, ut ſua legio pedeſtris in oppidum reciperetur, turmæ equitum circum collocarentur perſultandis itineribus; aut ſaltem è legione ſua deminutæ intus cohortes tantiſper ſupplerentur, quoad novi delectus Wormatiæ facti eſſent; ſimul qui jam collecti erant, eo mittebantur. Sed dum utrumq; conſilium Gallicus præfectus adſpernatur, viam hoſti deſtinatis exſequendis ſternit. Nam oppidi conditionem proni in Cæſarem oppidani, ac quotidie ad vendenda cibaria commeantes agreſtes hoſti prodebant. Sed & reliqua tunc per oppidum haut ſatis proviſa. Foſſæ ſegnius à glacie purgabantur, aut quod diurnus labor ruperat, nocturnum frigus ſolidabat. Palos vallo circumpoſitos miles ipſe in nocturnos ignes abſumſerat, cum prope oppidum ſylva foret. Miles porro ſibi ipſe pyrium pulverem comparare juſſus erat; unde plurimis ne granum quidem in promtu. Et quanquam ejus in oppido maxima vis foret, ne libra tamen in vallo diſpoſita erat, qua ſi neceſſitas poſceret, uti licuiſſet; nec apud machinas reperiebantur, qui diſploderent. Præterea hoſtis per complures noctes inanem tumultum excitaverat, quo audito præſidiarii ad arma accurrerant; ſed ſæpius iterata ludibria in ſecuritatem verterant, ut cum ſerio res ageretur, ſegnius molirentur. Sed cum inter Germanos conſtitutum eſſet, ut ſigno dato quiſque ad ſuam ſtationem in vallo advolaret, Galli contra apud ductorum ſuorum hoſpitia congregabantur non ſine jactura temporis. Cum igitur de his omnibus hoſti conſtaret, invadendi Philipsburgi conſilium veteri præfecto Bambergio exſequendum committitur. Qui contractis apud Menzingam copiis, ibique aſſumtis ſcalis, aſſeribusque noctu Philipsburgum tendens circa quartam horam matutinam duobus locis aſſultum dat; maxima tamen vi ad dextram inter turrim rubram, & proximum propugnaculum. Poſtquam rupta per foſſam glacies ſpatio non ſatis lato, ac nocturno frigore iterum ſolidata injectis aſſeribus facile ſuperata eſſet, vallum alacriter ſcalis adſcenditur. Intus miles ſecurus, & præter ſolitas vigilum ſtationes ſat modicas nemo in armis. Et quanquam ſtatim ſignum tympanis eſſet datum, miles tamen inanibus tumultuum adſuetus lente moliebatur, & priuſquam hic in armis foret, jam hoſtis vallum ſuperaverat, ac vigilum ſtationes conciderat. Germani tamen, qui pro more ſuo ſtatim ad vallum accurrebant, in tempore aderant, antequam hoſtis ibi pedem firmaſſet, ac vir viro compoſitus vallo ipſum iterum dejiciebant. Et cum is impetum repeteret, accedentibus quinquaginta circiter Gallis ſubeuntes denuo pellebant, non paucis occiſis, aut vulneratis, quo in conflictu fere inverſis ſclopetis res gerebantur. Hoc loco dejectus hoſtis, circuito per glaciem vallo ad turrim rubram Gallorum ſtationem impetum vertit, ac confertim vallum transcendit, cum adhuc Galli ad hoſpitia ſuorum ductorum coirent. Unde cum nulla amplius facultas eſſet repellendi hoſtis, Galli relicto oppido una cum præfecto in arcem ſe recipiunt, & mox orto die hoſti eam dedunt. In capto oppido hoſtis magna præda potitus eſt. Centũ viginti octo machinæ æneæ, immenſa frumenti vis, farinæ centum ſaccorum millia, quater mille dolia ſulphurei pulveris, duodecim millia vaſa ſalis, vini ingens copia, Gallicæ pecuniæ ſedecies centena duplonum aureorum millia, duæ præterea ciſtæ auro refertæ, plurimorumq; res vicinorum illuc congeſtæ.

1635.

Comes Naſſovius Braunfelſam intercipit. 18. Jan.

§. 15. Poſt tantam jacturam modico Fœderatis ſolatio fuit, quod Henricus Ludovicus Comes Naſſovius Braunfelſam, munitiſſimam Wetteraviæ arcem, eodem tempore in poteſtatem redegit, è qua Cæſarei circumjectam regionem intolerandis exactionibus opprimebant. His ſiſtendis Comes Dillenburgo cum trecentis peditibus, centum viginti equitibus initio noctis progreſſ° recta Braunfelſam tendit, quo vix primo diluculo adpellebat, ut jam à mille paſſibus adventantem hoſtis proſpiceret. Unde Comes celeri curſu omiſſis quæ oppidulum firmabant portis, ad ſemilunare munimentum portæ arcis objectum ruit, idque ab hoſtibus incuſtoditum conſcendit, & occiſo centurione prohibet, ne qui in oppidulo agebat miles arci ſubvenire poſſet. Hinc portæ arcis ignis injectus, quam nequicquam ſatagente hoſte Comes inter primos irrumpit, cæteris ſtrenue inſequentibus. Ita citra ullius militis jacturam Comes arcem cum centum quinquaginta præſidiariis, ac ductoribus aliquot ſexq; vexillis in poteſtatem redigit. Unde territus Schelhammerus tribunus Wetzlariam, & alii Solmenſem arcem Weilburgum, Klobergamque trepidi deſerunt; breve iſti oræ levamentum. Hoſtis contra ſucceſſibus ſuis inſtans trans Rhenum glacie concretum quinque millia Wertani ductu mittebat; qui Spiram quantumvis tormentis deſtitutus minis ad deditionem compellit. Inde excurſione Landaviam verſus facta arcem Magdeburgum præſidio vacuam occupat; tum duas Gallorum equitum turmas Gebvveileri ad deditionem adigit, & contra pacta equis veſtibusque ſpoliatos dimittit. Sed remittente frigore, ne trans Rhenum intercluderetur, raptim regreditur valido præſidio Spiræ relicto.

Cæſarei Spiram capiunt. 23. Jan.

§. 16. Interea Oxenſtierna petentibus Gallicis Mareſchallis Forcæo, & Brezæo Bensheimum accellerat, conſilia cum illis collaturus, quæ tam inſignis rerum mutatio non parum turbaverat. Galli, quanquam conjunctis cum Bernhardo Duce copiis ſatis deprehendere Cæſareorum in ipſos odia poterant, qui ſuis mandaverant quicquid Gallorum naneiſcerentur citra veniam neci dare: non tamen ſibi perſuaſerant, Cæſareos priores aperte hoſtilia adversus ſe ſumturos, eoque Philipsburgi oppreſſio ipſis plane inopinantibus acciderat. Haut ideo tamen ullum perterriti animi ſignum edebant diſſerentes; unius loci jacturam in tanta rerum mole parum momenti adferre; nec Galliæ ſtatum tali ictu concuti; damnum hoc, quod magis à frigore, quam virtute hoſtium datum ſit, brevi reparandum, modo animi ſumantur, quos juſtitia cauſæ pro communi libertate pugnantibus ſuggerat, ac bene conſulta pari alacritate exſecutioni dentur. Quanquam autem aliqui ſuaderent per frigus iſtud

Gallorum Ducum conſultatio cum Oxenſtierna.

14. Jan.

Philips-

1635. Philipsburgum pari impetu, quo ereptum fuerat, recuperandum: tamen quod nulla ſpes foret tam numeroſum præſidium improviſo opprimi poſſe & aperte rem aggredientibus eventus anceps, ac rigidiſſimo cœlo certum militi exitium, conſultiſſimum viſum, fame præſertim jam iis locis ingruente, trans Rhenum ire, ac hoſtem Spira expellere, eundemque quantum poſſet, tranſitu fluminis arcere. Sed iis deſtinatis fluitantia glaciei fragmina, quæ pontis ſtructuram impediebant, moram injiciebant, donec purgato flumine ad Manheimum Galli Rhenum tranſirent, quos aliquot poſt dies Bernhardus Dux ſequebatur: Ubi commodum iſtis accidebat quod ſtructura pontis, quo Rhenum ad Spiram jungere deſtinaverant Philipsburgenſes, impediretur, interceptis per Succicos, quæ materiam advehebant curribus. Inde Galli Duces magnam exercitus partem Bernhardus Dux bis mille peditum Spiræ admovent. Et quia ſentiebatur, hoſtes ex altera Rheni ripa militem oppido immittere velle, Galli caſtellum inter oppidum & flumen ab hoſte excitatum ſtrenue invadunt, ac vi expugnant cæſis hoſtium circiter quadringentis. Quo tempore Dux ex altera parte portâ vertus progreſſus omnem viam obſeſſis auxilia ſubmittendi præcludebat. Nec quos Gernsheimi præfectus cymbis transmiſerat milites in oppidum penetrare poterant, aut aliud operæ pretiũ faciebant, quam ut vicina hoſpitia infeſtarent. Inde poſt acrem Gallorum cum hoſtibus conflictum duo ſuburbia capiuntur, ac quinque locis ruina editur: tres quoque cuniculi effodiuntur, ac omnia aſſultui faciendo parantur, cum obſeſſi territi abſque pacto ſe dedunt. Ita Metternichius Heidelbergæ quondam præfectus cum tribunis Hardenbergio, ac Golzio, aliiſque ductoribus captivitatis ſortem ſubeunt; gregariorum bis mille ſelectus miles per Fœderatorum legiones diſtribuuntur. Expugnatæ Spiræ Bernhardus Dux conſenſu Gallorum præſidium imponit, qui & eidem Landavia, Weiſſenburgo, ac Germersheimo decedunt reficiendo utcunq; militi. Ipſi Lotharingiam verſus recedunt illius ac Galliæ finibus tegendis, poſtquam Rohanæus Dux, qui hactenus ibi ſervaverat, in Rhætiam & Vallem Tellinam abiiſſet.

16. Febr.

1. Mart.

9. Mart.

Per Wetteraviam geſta.

§. 17. Interea Manſfeldius digreſſo Bernhardo Duce Darmſtadium, & alia ad Viam Montanam loca præſidiis firmaverat, per totam late Wetteraviam copiis diſtributis; quæ præcipue vicinum Francofurto tractum peſſime habebant: cujus miſeriam Francofurtenſium inhumanitas non parum augebat, per avaritiam & graves exactiones in urbem profugos provinciales tenuibus fortunæ reliquis emungentium. Cum contra, quæ ad muniendam aut defendendam urbem pertinerent, tarde procederent: quod ſibi perſuaſiſſent utcunque res cedat æquis ſe deditionis legibus potituros, ac ſua urbe devicta proniorem ad pacem viam fore. Eodem tempore Galli Limburgi ad Lanum ſecurius agentes à Cæſareis opprimuntur. Sed illi viciſſim Grentzaviam arcem improviſo obruunt. Quæ Moguntiæ tunc ab hoſte inſidiæ ſtruebantur, in irritum cadebant, deprehenſis ac ſupplicio affectis; qui iſti faciles oppidi acceſſus prodere, oppidanoſque ad arma in Succos arripienda excitare inſtituerant. Alt apud Treveros ſecurius agente præſidio Gallico Hiſpani ſummo mane urbem irrumpunt, ac quicquid Gallorum reſiſtebat, concidunt; cæteros quos fuga non ripuerat, ipſumque Electorem Treverenſem, & Buſſium præfecti filium in captivitatem dant. Quod facinus Gallis obtentui ſumebatur paulo poſt bellum Hiſpanis publice indicendi; ad quod præter veterem inter Auſtriacos, Gallosque æmulationem Richelium peculiariter detectæ in caput ipſius inſidiæ ſtimulabant.

13. Mart.

Treveri ab Hiſpanis occupantur.

26. Mart.

§. 18. In ſuperiore Alſatia Lotharingiæ Dux cum ſex equitum, multiſq; peditum millibus per pontẽ Briſacenſem irrumpens late terrorem dabat; de cujus conatibus varie conjiciebatur. Nam & Argentoratenſes glacie adhuc obductis omnibus ponti ſuo, adſititque caſtellis metuebant. Ac ſi Cæſareis ad Philipsburgum & Spiram junctus Wormatiam ac Moguntiam moviſſet, credebatur Fœderatorum res ibi plane everſurus. Sed Galli verebantur, ne concurſu ad ipſum è Burgundia ac Lotharingia facto, accedentibus Joanne Wertano & Hiſpanis è Lucenburgico agro, plane in Galliam irrumperet, antequam ipſi copias ſuas contrahere poſſent. Ac ferebantur dicta Ducis jactantis, intra tres ſeptimanas non procul Pariſiis ſe abfore; & Cæſareorum ducum; egregias quaſdam Galliæ provincias ſibi in præmium navatæ operæ aſſignatas, ac Lotharingo Duci ſpem Gallicæ coronæ factam. Benfeldæ præterea præfectus ſe peti ratus omnia ad vim propulſandam ſedulo comparabat. Quin & Rohanæus Dux equitatu longe inferior Lotharingo, ab aliis Gallicis ducibus auxilia propere exciverat. Enimvero quicquid conſilii Lotharingo fuerit, vel aliorum vigilantia, vel remittens repente frigus, ac liquentibus nivibus intumeſcentia flumina irritum reddebant. Ita tunc ejus geſta populatione & vexationibus provincialium abſolvebantur, nullo ſacrorum diſcrimine, ut qui Pontificii adventu ejus gaviſi erant; jam non minus quam cæteri rapinarũ proluviem deteſtarentur ignavia junctam, cum ubi ullam ſibi vim oppoſitum iri præſentiebat, longe refugeret. Sed & annonæ penuria premente miles ipſius paſſim deſerebat. Igitur Briſaci cis Rhenum regreditur incaſſum defatigato milite, ac exiſtimatione non parum imminuta. Poſt ejus abitum à Rohanæi Ducis copiis Ruffacum oppidum vi, arx deditione capitur: quæ per eas oras diſtributæ omnia abſumebant, quoad initio menſis Aprilis in Vallem Tellinam moverent.

1635. Lotharingiæ Ducis irritus conatus.

15. Mart.

Augusta Vindelicorum fame expugnatum.

§. 19. Apud Suevos Auguſta, à Norlingenſis prælii tempore eminus circumſeſſa, graviſſimis miſeriis premebatur, eo majore dolore præfecti Joannis Georgii Winckelii, & veteranorum militum civiumque, quorum in Succos obſtinata fides, quod ignavum à fame exitium immineret; nulla virtutis oſtentandæ occaſione. Jam multa inaudita ac fœda in uſum cibi convertebantur; & cum pleriſque nihil domi eſſet eduliorum, è publicis granariis panis petebatur. Unde Magiſtratus accurate perveſtigatis privatorum ædibus non plus annonæ reperiebat, quam quantum parce in unum menſem ſufficeret. Igitur placebat ab obſeſſoribus veniam petere ad Oxenſtiernam ablegandi; qui urbis conditionem ſignificaret, & maturum auxilium rogaret. Et diſſuadente licet præfecto ad Walium Bavaricum ducem eam ob cauſam mittitur; qui re infecta revertebat. Sed major præfecto cura erat vim frumenti in urbem importare: eoque cum Hofkirchio, qui è Norlingenſi prælio Ulmam ſe receperat, ac Mentzingio Circuli Conſiliario per litteras convenerat, ut certa die vehicula frumento onuſta Ulma Tanhauſam deducerentur, quæ ipſe Auguſta progreſſus excepturus eſſet. Sed id conſilium irritum fuit, difficilibus per remiſſum frigus viis, & quod deſtinatis propalatis Wahlius copias, qua vehiculis tranſeundum erat, diſponebat. Sed & per Memmingam frumentum ſubvehere fruſtra agitabatur, hoſte circum omnes aditus obſtruente, aut inſidente. Nec excurſiones in Bavariam, qua parte laxius erat obſidium, tantæ neceſſitati ſufficiebant, quarum una Aicha oppidum opprimebatur, cæſiſque aut captis ibi Bavaricis omnia cibaria avehebantur. Abſumto frumento, ſumma cum miſeria urbs conflictabatur:

1635. Canes, feles, mures non amplius reperiebantur, equinæ carnes ditium tantum mensarum deliciæ erant. Multi quotidie fame confecti in publico concidebant: ipsis mortuorum cadaveribus rabida fames manus injicere subigebat. Ex quo crebra militum transfugia, ac per infensos quosdam literæ per urbem spargebantur, quibus cives ad vim Magistratui interendam, & urbem hosti aperiendam incitabantur. Quæ etsi ob firmatos in fidem civium, militumque animos parum moverent; tamen cum abunde expleto officio frustra adversus insuperabile malum luctarentur, Magistratus super deditione urbis cum hoste agendum statuit, non tamen alia lege, quam salvis sacris, privilegiisque, ac Suecici militis dignatione; idque ad ampliorem Senatum adhibito in consilium præfecto Winckelio, & tribuno Caspare Ermesio refert. Qui licet quantum possent dissuaderent; prævalente tamen necessitate decernitur, hisce testimonium expleti officii publice dandum, ac denuo investigandum, quid cibariorum superesset. Quia tamen jam ante constabat, vix esse quod utcunque sufficeret, quoad Legati irent, redirentque, statim ad Gallasium tubicen mittitur, qui liberum deputatis accessum impetraret. Mox inquisitione instituta tam tenuis penus reperitur, ut ante absolutos tractatus multis adhuc fame pereundum esset. Unde ab urbe, & præsidio juxta
6. Febr. deputati citra moram proficiscuntur, qui cum hoste super deditione convenirent. Dum ista agitantur, ab Hofkirchio Ulma aliud consilium adfertur, qui metuebat, ne hostis necessitatis ipsorum gnarus turpes militi leges diceret, aut pro superbia post Norlinganam pugnam concepta pactum non servaret, uti plerisque hactenus captis locis factum erat. Is militi conservando suadebat, ut extremis imminentibus præfectus citra antegressum cum hoste pactum urbem improviso deseret, ac cum milite, adparatu bellico, obsidibus, tormentisque quotquot avehi possent, Ulmam tenderet; ubi ipse militi sit prospecturus. Enimvero cum supereo consilio præfectus adhibitis ductorum fidissimis deliberaret, multis id difficultatibus involutum deprehendebatur. Nam cum claves portarum apud Duumviros essent, his utique de profectione significandum erat; qui nisi consulto Senatu nihil suscepturi erant. Ita re ad hostem emanante iter ipsorum facile intercludi poterat. Sed & miles fame emaciatus vix intra triduum Ulmam perventurus erat, multis insuper in via defecturis. Quod si secius consilium cecidisset, apud hostes juxta atque amicos id reprehensioni patebat, reliquis insuper urbibus sociis hoc exemplo valde offendendis. Denique turpe videbatur tam bene de partibus meritam, ac ob fidem tam multa perpessam urbem hostium libidini exponere. Unde præoptandum videbatur fame potius perire, quam
10. Febr. ab urbe causam dissociare. Cæterum ablegati Au-
16. Febr. gustani Stutgardiam ad Gallasium accedentes post elapsos demum aliquot dies ad tractandum admissi Augustæ concepta deditionis capita delegatis à Gallasio ductoribus offerunt, qui & illa acceptant, spe maturi responsi facta. Sed mox Wolckensteinius Comes, & Joannes Cranius se offerunt certa à Cæsare mandata præferentes in quas leges Augustani recipiendi sint. Qui statim pro imperio dictabant; quid Cæsari circa sacra & regimen urbis placeret; simul quæ de beneficio pacis Saxonicæ sibi Augustani reservaverant, aliaque passim expungebant; ac ablegatis, ut domum se conferant, indicabant. Quibus nunc consilium in arcto hærebat. Nam & quæ concedebantur conditiones, mandatis ipsorum repugnabant; & rationes, ac intimæ demum preces incassum consumebantur, saltem ut domum mittere liceret, qui super istis conditionibus sententiam civium exquireret. Nec aliud reponebatur, quam ita à Cæsare præscriptum, de cujus fastigio, & urbis pertinacia multa jactabantur, addito: si hasce leges abnuant, Augustam ipsis reditum patere; sed nemini deinceps exinde aditum ad Gallasium iri concessum, nec aliam ipsis rationem ineundam, quam ut fame ibi inclusi omnes extabescant. Cæsarem ipsos sacris suis arcere nolle; nec dubitandum, si is rite oretur, ampliora eundem, quam nunc præscribantur, indulturum. Ita ablegati, repugnantibus licet à præ- 3. Mart.
fecto missis ductoribus, tandem subscribunt leges, militi quidem pro præsenti tempore sat honestas, civitati autem durissimas. Quas cum domum attulissent, Winckelius cum cæteris præfectis declarabant, etsi suis ipsi conditionibus adquiescere possint; tamen quia civium pleraque postulata sint negata, se ubi ipsis idem videatur, fame simul morituros. Sed consultius videbatur necessitati cedere, postquam haut amplius tantum panis superesset, ut famelico militi frustulum in viaticum dari posset. Igitur milites accepto à civibus testimonio expleti officii, Thuringiam versus ex pacto discessere. 18. Mart.
Cæterum licet urbi dictæ leges satis asperæ forent; tamen ne illæ quidem servabantur, sed cives Protestantium sacris addicti gravissimis vexationibus, & exactionibus ita opprimebantur, ut populosæ urbi non multo post vix bis mille quadringentæ familiæ supererent.

§. 20. In Franconia hostis per quatuordecim septimanas arcem Wurtzburgensem omni vi adhibita incassum oppugnaverat. Sed tandem cum invalescens contagium plerosque præsidiarios absumsisset, pauci qui restabant per continuos labores & vigilias nulla vicissitudine exhausti per selectos Turrio Comiti præfecto ostendunt, se tuendæ arci non amplius sufficere. Et super hæc lignorum penuria intensissimo frigore premebat. Igitur iste honestis sibi conditionibus discessum stipulatus arcem dedit; etsi multi gregariorum fortu- 8. Jan.
nam secuti ultro in Cæsareorum partes transirent. Hostis in arce non modica vi frumenti adparatusque bellici, ac grandiorum machinarum potiebatur: insuper Episcopus Ratisponensis, & alii sacerdotes hactenus in custodia ibi detenti liberabantur. Ast Dux Bernhardus ea deditione offensus, ductores præsidii judicio militari sistendos decernit, ac imprimis Freitagium tribunum, cujus socordia oppidum hosti cesserat, & subtribunum Carolum Martensonium, qui olim arcis præfectus arguebatur non in tempore ea procurasse, quorum penuria post adparuit. Arcem Pappenheimum præsidiarii ultro deseruerant, Noribergam incolumes delati. Coburgensem arcem lento obsidio Lamboyus premebat, quem inde abstrahere Saxoniæ Elector frustra satagebat obtentu induciarum, quæ ipsum inter & Cæsarem convenerant. Unde & illa tandem hosti per Zehmum tribunum præsidio præfectum dedebatur. Is dimisso milite retentus fuit, quod induciarum tempore tormentorum jaculatione Cæsareos aliquot interemisset. Isto Cæsareorum successu territi Noribergenses jam maximam salutis spem in Saxonis tranfactione reposuerant, cui & misso legato suam 10. Jan.
causam commendatum ibant. Nec tamen impune tulerunt Cæsarei propius suggressi. Nam & Altorfio erumpens Sellius vigiliarum præfectus quingentos circiter recens conscriptos illac transeuntes invaserat, ac plerisque cæsis reliquos ceperat, dissipaveratque. Et cum hostium manus Freibergii tribuni ductu Hersbruccam oppidulum 22. Febr.
oppugnaret, Noribergenses eam inde depellunt, quinque tormentis captis trecentis militibus cæsis.

Cæsarei capitulat arcem Wurtzburgensem, Pappenheimensem, Coburgensem.

§. 21. In

1635. Landgravius Wilhelmus queritur.

§. 21. In reliquis Circulis vix ullus Ordinum reſtabat Succorum partibus fidus, præter Wilhelmum Landgravium, cui pronum ad ſuſtentandam cauſam communem ſtudium; ſed quem incumbentia domi onera parum de aliis cogitare permittebant. Pleræque vires ipſius ab hoſpitiis Weſtphalicis pendebant, quæ amici juxta & hoſtes turbabant. Nam & Georgius Dux magnam partem Weſtphalici circuli ſuo exercitui vindicabat; unde aliquot Landgravii legiones hoſpitiis excluſæ, dum hinc inde vagantur, non parum atterebantur. Et valida hoſtium manus occupatis quibuſdam Monaſterienſibus oppidis Haſſos ibi in anguſtum redigebat. Ea ut recuperaret tribunus Rabenhauptius Rhena, cui præfectus erat, cum ſelecta manu progreditur. Quidum circa occupandam Wredam & Bocholtum ſatagit, hoſtis interea Rhenam ſubito impetu opprimit, cum per ſocordiam glacies foſſarum fracta non fuiſſet. Quam recipere ipſe pares per inſidias paulo poſt detecto conſilio fruſtra conabatur. In ipſam Haſſiam Croatarum ductores Holanus, Corpulius, aliique è vicinis locis frequentes excurſiones faciebant: qui tamen ſæpius aſpere depexi diſcedebant. Nam ne de minoribus conflictibus memoremus, Joannes Wilhelmus Dalvvigius Neuſtadii quingentos Cæſareos equites præda onuſtos opprimebat. Et mox Eberſteinius Comes duodecim Croatarum cohortes non procul Henaco ad internecionem fere delebat. Inter hæc Landgravio Saxonica pax, quæ tunc in lucem erumpebat, non parum curæ inecerat, quod & tempus nimis anguſtum eſſet præfixum eam ſuſcepturis, & exteri Principes, cauſaque Palatina præteriretur; ſimul quod aliqui pace excludendi nomine tenus non exprimerentur. Nam non ſine cauſa ſuſpicabatur, ſe eſſe illum ipſum, quem amneſtia non comprehenderet, quod & induciis à Saxone initis excluderetur; & nuper Leopoldus Wilhelmus Archidux præſulatum Hirſchfeldenſem in ſua verba adegiſſet, quem tamen Landgravius anno vicesimo ſeptimo hujus ſeculi quieta poſſeſſione obtinuerat; ſicut ea ditio penes Landgravium manere deberet, ſi quidem pax eundem complecteretur. Igitur Legatum ad Saxonem mittit, qui multis rationibus ſuaderet; aliquam viam iniret, ut conventus omnium Proteſtantium Ordinum indicatur, ubi una cum exteris Principibus bello huic implicitis obſtacula quædam ſecuritatis removeri, & fida pax conſtitui poſſit per quam remota diffidentia arma deponere liceat. Simul ſciſcitabatur, num ipſe pacis particeps eſſe debeat? Petebat inſuper, ne Saxo inducias prorogaret, quibus hoſtis ad cæteros opprimendos uteretur; ſed ut potius reliquis junctus animoſe in hoſtem iret, cui hac ratione pax longe magis cordi ſit futura. Sed illum Saxo non alio cum reſponſo dimittebat, quam Wilhelmo Duci Vinarienſi in mandatis datum, ut cum ipſo ac Georgio Luneburgico Duce tranſigeret.

1635. 9. Jan. 20. Mart. 21. Mart. 25. Mart.

Georgius Dux nutat.

§. 22. Inferioris Saxoniæ exercitus ſub Georgio Duce per hiberna diſpoſitus fere quietem agebat, niſi qua excurſiones hoſtium ex inſeſſis adhuc locis arcendæ forent. Sed ab ipſo Duce quid Sueci ſibi polliceri deberent, vix adparebat. Nam palam quidem conventionem Pirnenſem improbabat, velut cui firma pax ſuperſtrui nequeat nec eam ſe ſubſcripturum jactabat. Et cum Saxo ſignificaret de induciis, quibus ipſe cum exercitu ſuo incluſus eſſet, Dux reſpondebat; ſibi, qui peculiari fide Sueciæ ſit obſtrictus, Oxenſtiernam prius conſulendum. Id quod etiam ab ipſo fiebat. Nec eo ſecius indies alienati à Suecis animi indicia erumpebant; cujus cauſa videbatur, quod is univerſum Inferioris Saxoniæ Circulum ſuis copiis vindicare, deque eo pro lubitu diſponere vellet. Unde graviter querebatur, quod Ludovicus Anhaldinus Princeps nomine Præſulatus Magdeburgenſis & Halberſtadienſis in conventu Luneburgico comparere noluiſſet, ac eas Provincias, quo minus ibi decreta admitterent, cohibuiſſet. Sed & quod Banerius eos præſulatus, & Thuringiæ loca ad Inferiorem Saxoniæ Circulum ſpectantia hoſpitiis ſuis obtineret, frequentibus literis, non citra aculeatas ac altius penetrantes querelas expoſtulabat. Nec minus erga Banerium abſtinebatur, ni copias ſuas abduceret, (id quod ea rerum facie fieri non poterat) ſe totidem legiones præſulatibus immiſſurum. Urbibus quoque Lubecæ, Hamburgo, & Bremæ tributa imperabat, manu militari abnuentes compulſurus, ac vetito, ne cum alio legato aut miniſtro Succico tractarent. Landgravius ut cum ipſo Embecæ congrederetur Dux, ſimul aliquot legiones in ſubſidium repellendo Manſfeldio petierat. Quorum utrumque ille abnuebat cautatus, ſibi decretum eſſe omnia loca, quæ adhuc ab hoſte in Saxonia obtinerentur, eodem tempore obſidere. Et cum Landgravius Reſidentem ad eum mitteret communicandis eo melius conſiliis, & alium à Duce apud ſe expectaret, Dux id ſupervacuum, ac ſibi moleſtum oſtendebat. Sed & Banerio, ipſum, ut copias ſecum jungeret, ac de rebus communibus colloqueretur, invitanti per literas id acerbioribus verbis abnuerat. Et mox tamen apud Lohuſium, & Heidium iidem de rebus mitios declarabat; ſed ad utrumque pronum Iſthæc repugnantia ſibi reſponſa ſatis arguebant, Ducem, quam in partem ſe verteret, ancipitem hærere, nec inducia quid in ipſo collocari poſſe.

24. Mart. 26. Mart.

Bremenſe Præſulatum Friderico conceditur.

§. 23. Eodem tempore res Succorum per Saxoniam concelſus Friderico Daniæ Regis filio Bremenſis Præſulatus non parum imminuebat. Perierat enim à Rectoribus Sueciæ Rex per Petrum Wibium Reſidentem; qui reſponderant: Joanni Skyttio Legato ſuper eo tractare in mandatis datum. Atque illi quidem ab initio, ut ſuper eo cum ipſo Rege Daniæ tranſigeret, injunctum erat, quo hunc ſibi eo nomine obſtringerent. Sed cum poſt de itinere Friderici in præſulatum, & quod is ad tranſactionem ſe offerret, innotuiſſet, ulterius Skyttio mandatum, ut una cum Laurentio Grubbio negotium ſuſciperet, ac quantum poſſit in præſcriptas ſibi conditiones pacisci laboraret, data tamen poteſtate ea, quæ aliter obtineri nequeant, remittendi, aut temperandi, prout ratio, & rerum Germanicarum ſtatus requirat. Ac ſi plus obtineri nequeat, ut ſaltem ſalva exiſtimatione, & amicitia ea ditio admitteretur. Nam metus erat, ne mox ſine ullaque tranſactione foret relinquenda: eoque præſtabat velut ex conventione cedere, quod per difficultatem temporum teneri non poterat. Præſertim cum tunc Sueciæ expediret amicitiam Regis Daniæ conſervare, ac ſi arctius ipſi jungi non poſſet, ſaltem offenſæ anſam non præbere. Cum igitur Skyttius apud Daniæ Regem ſuper eo negotio proponere cœpiſſet, & Rex id plane Bremam reſpiceret, ut tamen filii ſui cauſam quam diligentiſſime commendaret; feſtinato ille Bremam tendebat. Ubi mox cum Laurentio Grubbio conditiones, quibus Sueci præſulatu iſto cedere velint, Duci Friderico & Ordinibus Provincialibus exponit. Quarum ſumma huc redibat, ut Rex Regnumque Daniæ cum Duce atque Ordinibus Sueciæ viciſſim perpetuam amicitiam promittant, ac præcipue Rex circa concilationem pacis operam det, ut Suecis alibi ſatisfiat, ſimul in bello Polonico hiſce quantum poteſt faveat: ut Dux in fœdus atque obligationem prioris Archiepiſcopi ſuccedat: Regina Sueciæ Coadjutorem nominet,

1635. 5. Jan. 7. Jan. 17. Jan.

1635. (cui Palatini filium ſecundogenitum ipſa deſtinaverat.) Suecis deinceps ex eo præſulatu nihil damni inferatur, iisdem delectus concedantur, hoſti denegentur: ut Provincia certam pecuniæ ſummam ſolvat, & præſidia Stadæ ac Boxtehudæ ad proximum usque ver ſuſtentet: ut Dux donationes à Suecis factas ratihabeat; denique ut hæc ceſſio libertati Hamburgenſium & Bremenſium in Albi ac Viſurgi fluminibus fraudi ne ſit. Enimvero iſtę conditiones Duci atque Ordinibus parum gratæ erant. Nam pro Daniæ Rege ſpondere quid recuſabant, cujus facta præſtare nequeant, cujus & nullæ in hoc negotio partes ſint, niſi quod pater filio conſiliis adſiſtat. Pollicebantur tamen operam ſe datutos permovendo Regi, ut in tractatibus pacis Suecis faveat, etſi ipſi hoc nomine obligationis quid contrahere nollent. Sed nec negotium cum deceſſoris fœdere ſibi Dux volebat eſſe, ac pactum duntaxat anno triceſimo tertio initum & Halberſtadienſe decretum agnoſcebat. De Coadjutore itidem abnegabat, jure tamen primariarum precum Reginæ oblato. Atque hiſce Dux cum Ordinibus inhærebat. Et quanquam poſtea Ordines novum fœdus recuſare deſinerent; Dux tamen ad fœdus, & quamvis obligationem aures obſtruxerat; ac ita præſulatu potiri cupiebat, ut Suecis nihil deberet. Igitur Suecicis Legatis diſcedere, ac tractatus ſuſpendere placebat, quoad ſuperiorum ſententiam exquiſiviſſent. Sed cum Ordines ſolicite inſtarent, ut cœptum negotium in præſens abſolveretur, id temperamentum à Legatis propoſitum, ut Dux quidem ipſe neutrarum partium eſſet, Ordines autem fœdere ſe obſtringerent. Id quod à Danicis legatis ac Duce libenter acceptatum; ac ita negotio per geminam transactionem, quarum una Ordines, altera Ducem ſpectabat, finis impoſitus.

6. Febr. Ac cum Ordinibus quidem fœdus renovatum, aut confirmatum; niſi quod Bremenſis civitas peculiari conventioni cum Suecis initæ durante hoc bello inhæſuram ſe declararet, ſalva de cætero veteri

8. Febr. ſua cum præſulatu conjunctione. Cum Duce autem conventum, ut ipſi neutrarum eſſe partium liceat, inque ejus gratiam, & ſublevandæ provinciæ præſidia ſtatim imminuantur, ac Stadenſe menſe Martio penitus educatur, certa tamen pecuniæ ſumma prius ſoluta. Dux viciſſim pollicebatur, ſe promiſſis Ordinum, fœderique cum Suecis inito non obſtiturum, quoad alia via horum juri quæſito ſit ſatisfactum. Addebatur de una præbenda diſpoſitioni Reginæ Suecię reſervanda, de ratihabendis donationibus; & quod Halberſtadienſem ac Verdenſem præſulatum ſibi non ſit arrogaturus, niſi transactione cum Suecis antegreſſa. Quæ conventa citra moram à Rectoribus Suecię

19. Febr. rata habebantur. Ita Fridericus mox Archiepiſcopus proclamatur; qui parta præſulatus poſſeſſione id maxime agebat, ut Suecorum præſidia inde plane amoliretur, Verdenſemque præſulatum ſibi adjungeret. Nec Suecі, poſtquam majora temporum iniquitas extorſiſſet, circa minora difficiles erant. Unde & hic Friderico iisdem quibus Bremenſis, legibus traditur. Et quanquam inter alia Verdenſes Ordines recepiſſent, ſe Coadjutorem non admiſſuros, niſi à Suecis nominatum; tamen cum ad hoc caput Fridericus ſe obſtringere nollet, Sueci eam rem iſthoc tempore non magnopere urgendam judicabant. Sed & ſolicite neutralitatem pro utroque præſulatu ambienti Friderico Sueci tandem annuebant, ut tamen is eandem ab adverſâ quoque parte obtineret, ac Sueci ad finem usque belli reſervarent, quantum actionis ſibi eo nomine quæſitum foret, quod præſulatibus iſtis hoſtem ejeciſſent. Ita Stadenſe præſidium circa finem menſis Julii à Suecis deducebatur.

§. 24. Enimvero per Superiorem Saxoniam longe confuſior rerum facies, & quæ atroces turbas minitari videbatur. Poſtulaverat ſub finem anni Saxoniæ Elector colloquium cum Banerio, qui ad tuendam Magdeburgicam, & Halberſtadienſem ditionem è Thuringia moverat. Cum autem Elector, diffuſis per utrumque præſulatum, Anhaltinamque copiis, Banerii hoſpitia turbare pergeret, denuo hujus congreſſum inſtanter expetebat; imo ipſe Eglam, ubi tunc Banerius metabatur, accedere, & huic velut neceſſitatem colloquendi afferre conſtituerat. Unde tandem hic intervenientibus Anhaltinis Principibus ad Electorem Sanderslebiam ſe confert. Ubi ſumma 2. Jun. colloquii huc redibat, quod & Banerius jam animo præceperat; ut hic Electori omnia hoſpitia per Thuringiam, atque Anhaltinam, velut ad ſuperiorem Saxoniam ſpectantia ſtatim concederet; alias ſibi neceſſum fore, aliis hoſpitiis deficientibus copias ſuas per præſulatum utrumque diſtribuere. Banerius, diu licet tergiverſatus, tandem intempeſtivis litibus declinandis iſta pleraque annuit, excepta Erfordia, ac Mansfeldico, Honſteinenſique Comitatu. Sed cum iſta transactio ſcripto perficienda foret, a Banerio, & Arnheimio ſubſcribenda, gravis difficultas oriebatur. Illi quippe exemplo, quod Banerio ſubſcribendum offerebatur, inſerta erant quædam verba altius penetrantia, velut is toti Circulo Superioris Saxoniæ plane renuntiaret, ac præſulatus in præſentem duntaxat hiemem ipſi concederentur; quæ inter pocula ab ipſo non animadverſum iri ſperabantur. Aſt Banerius inſidioſum ſcriptum firmare abnuens diſcedendi veniam petebat. Ubi in Electoris conclave vocatum hic aſperis verbis, adſtantibus Anhaltinis Principibus, excipere, utique ipſum ad ſubſcribendum adacturus, minitans, tremensque, ſeu ſubſcribat, ſeu minus, hoſpitia ſe illa habiturum, ac ni iſte ultro cedat, vi ejecturum, quin præſulatus inſuper erepturum. Cui Banerius haut trepide reponebat: id ante aliquot dies faciendum fuiſſe, antequam Erfordia huc accederent. Nunc non facile aliquem ſibi eosdem erepturum; & ſi quis tentet, digitos ſibi amburum. Heic Elector commotior quærebat; num is digitos ipſi amburere vellet? addito, facellerent ſolo Teutonico Sueci, aut ſe pedibus eorum alas additurum. Cui Banerius, alios ſermones auditos fuiſſe, quando primum Sueci in Germaniam adpellebant: dolendum rem huc jam redilſe; ejusmodi gratiam & miſſionem Guſtavum Regem non meruiſſe. Heic paulo mitius Elector; bona verba, inquit, nec Suecos præmiorum expertes fore; & ad Anhaltinos converſus Banerio ulterius dicebat; hi vobis dabunt, nam ego ad id eosdem compellam. Ad extremum amica facie diceſſum: neque pactum illud ſubſcribebatur; quæ tamen verbis convenerant, obſervabantur. Sed in vicem hoſpitiorum ſibi conceſſorum Elector literas ad Brandeburgicum Banerio dat, ut huic aliquot legiones in veterem Marchiam diſtribuere concedatur; id quod Brandeburgicus recuſaturus non ſit, quod utique Saxonicæ legiones alias ipſi ſint admittendæ, quas jam Saxo apud ſe retenturus ſit. Inde Banerius Brandeburgico Electori, quid Sanderslebiæ actum ſit ſcribit, petitque ut ex novem legionibus, quibus nondum certa hoſpitia forent, quinque per Veterem Marchiam diverſari indulgeat; tum Saxonis literas mittit; & quod nihil recuſaturum iri crederet, quatuor legiones eo proficiſci jubet. Aſt jam antea Arnheimius Brandeburgico eam rem longe aliter retulerat, velut Banerius duodecim legiones Marchiæ immiſſurus ſit; eoque neceſſarium ſibi viſum iſtum prævertere, ac

1635. Saxoniæ Electoris impotentia.

Brandeburgicus Suecicis legionibus hoſpitia abnegat.

1635. ac Francisco Alberto Lauenburgico Duci mandasse, statim ex Anhaltina in Marchiam transire, & amicos æque ac inimicos aditu arcere. Unde Banerio mox acriter à Brandeburgico respondebatur; vi repulsum iri legiones, ni ultro facessant. Quanquam autem Banerio, si absque detrimento reip. fieri potuisset, in proclivi erat, Brandeburgicos vim intentantes pro meritis exceptos dimittere: temperabat tamen sibi, ac legiones istas statim Marchia iterum excedere jubebat.

Banerius in hostem movere prohibetur.

§. 25. Porro quo minus antea in hostem moveret Banerius, à Saxonicis objecta obstacula inhibuerant, & quia inopia commeatus Luneburgicas & Hassiacas copias, quæ jam auxilio accesserant, ad sua redire subegerat. Sed nunc in herba oppressis, quæ ob hospitia cum Saxonicis orituræ videbantur litibus, denuo copias contrahere statuerat, tentaturus, num adsumptis Luneburgici, Landgraviique, & Wilhelmi Saxoniæ Ducis copiis incumbentem Bernhardo Duci hostem abstrahere, & illi spatium vires reparandi facere posset. Eo fine Landgravium, & Georgium Ducem, rogabat, ut quamprimum copias quantas possent mitterent, quorum ille promtum se exhibebat, petens vicissim à Banerio, ut Eimbeccam accedat, quo & ipse venturus sit, & Georgium Ducem invitarit, ut super conjunctione copiarum conveniatur. Sed cum Dux & congressum, & conjunctionem abnueret, cujus imperio non modica virium Suecicarum pars suberat, Banerii destinata in irritum cadebant. Quia tamen paulo post idem Dux Lohusio, & Heidio super congressu & copiarum conjunctione annuerat, Banerius inde conjectabat, ipsius animum inter diversa consilia adhuc fluctuare; eoque constituebat ad ipsum Hildesiam proficisci operam daturus, ut is ad Oxenstiernæ usque adventum in officio contineretur. Interea in id incumbebat, ut quantum licebat omnes offensas declinaret, & exercitum conservaret, firmaretque; simul duos præsidatus & oram maritimam tutam præstaret; in quibus tunc summa rerum Suecicarum per Germaniam vertebatur, postquam infesta, quæ in Suecos coquebantur, consilia indies magis erumpebant, Pirnensi transactione paulatim in lucem prorepente.

Saxo Ordinibus provincialibus de tractatu Pirnensi proponit. 11. Jun.

§. 26. Saxoniæ quippe Elector Ordines suos Provinciales convocaverat, ea quæ Pirnæ acta forent ipsis exponens, & si non omnia votis respondeant, temporum iniquitati imputari jubens, & quod satius sit, aliquam rempublicam, quam nullam habere. Tum quæ ipsorum sententia super eo negotio sit, exquirit, & num imperium in partem exercitus publici ab ipso sit acceptandum, circa quod staruere adhuc sibi integrum sit. Ordines etsi non pauca desiderarent, quod in ea pace, quæ communis audiebat, nemo eorum, quorum intererat auditus, ab eadem alii excluſi, alii dilati forent; nec temere fidendum illis videretur, qui pro tot beneficiis immanem sævitiam reposuerant: ipsum tamen princeps negotium, quod corrigere penes eos non erat, probabant. Monebant tamen, ita rem moderaretur, ut Ordines Imperii ultro potius in pacem contentiant, quam vi compellantur, Palatina quoque causa quamprimum decidatur. Circa exteros autem Principes verebantur, ut pacem te inscius conclusam probent; neu belli adparatus inclarigationis vicem accipiant, & ad vim reponendam sese comparent, ac ita pax isthæc novum bellum pariat. Igitur urgebant Suecis satisfaciendum, qui infessis à se locis haut ita facile sint expellendi; ac ne Austriacorum cum Gallo bellis Elector se immisceat. Tum orabant, si forte Ordines aut exteri Principes lentius mentem suam declarent: non statim ad arma ruatur, sed leniora media prius tententur. De imperio in exercitum probabant, quod hoc modo belli onera à se declinari posse sperarent, ac Elector consiliorum Cæsaris particeps fieret. Numerus copiarum justo grandior videbatur; tum providere jubebant, ne tributis deficientibus stipendia militum à se forent expedienda. Tandem & hoc suspectum videbatur, ad isthanc circa arma dispositionem hæredes quoque adstringi, eoque in longum tempus conceptam esse, id quod liberæ electioni & juribus Vicariatus sit adversum, ac multis suspicionem affectatæ Monarchiæ injiciat. Ita quidem isti super conceptis Pirnæ capitibus pacis censebant; quibus plene concludendis Austrigiæ dies tertia Januarii condicta erat. Sed quia Cæsarei multas mutationes circa istas meditabantur, iisdem adornandis dies semel atque iterum ab hisce proferebatur. Toto hoc tempore etsi Cæsareum inter Saxonicumque militem nihil hostile patratum foret; Cæsarei tamen rebus suis expedire judicabant expressa conventione inducias firmare, ne forte Elector tædio morarum, aut aliis causis motus ad arma cum Suecis jungenda denuo se verteret. Circa quas adeo faciles se præbebant Saxonici, ut cum Cæsarei inducias inter omnes utrinque belligerantium partes reculârent, isti peculiaribus adquiescerent, quæ præter ipsos Saxonicos Brandeburgicum, Wilhelmum Ducem, si copias suas Electori jungeret, & Georgium Luneburgicum tanquam ductorem Circuli Saxonici complecterentur. Adversus cæteros hoc pacto non comprehensos Cæsari armis interea agendi facultas reservabatur. Inducia primo in unum mensem conceptæ, dein subinde, quoad Pragensis pax perficeretur, prorogabantur. Colorem jactabant Saxonici, quod communes inducias Cæsar recusaverit, nec sibi constiterit, num ab aliis illæ acceptandæ forent; quibus tamen per exiguum hoc temporis spatium, & hibernam tempestatem à Cæsare periculum non immineat. Sed peculiariter circa Landgravium, & Banerium excusabatur, quod ille prorogatis induciis includi possit, si copias suas Saxonicis jungere velit, quibus interim munita loca refugium prebere queant. Inter Banerium autem, & Cæsareos induciis comprehensos exercitus interpositos, quorum hospitia ne non tacturos Cæsarei promuerint. De induciis hisce cum cæteris, tum præcipue Luneburgico significatur petito, ut quid sibi videatur declaret.

Saxo induciis peculiares init.

Saxo ad bellum se præparat.

§. 27. Quanquam autem Saxo velis remisque ad pacem properaret, non eo segnius tamen bellum parabat, aucto exercitu, suppletisque legionibus, velut proximo vere expeditionem suscepturus. Simul exteros Ordines per Saxoniam à Suecis alienos in suas partes pertrahere satagebat. Jam V Vilhelmus Dux Vinariensis eo usque in amicitia Electoris valebat, ut eo parario ad Landgravium & Luneburgicum uti constituerit. Erfordiæ unam atque alteram legionem Banerius immittere cupiebat, prævertendis insidiis, quæ isti urbi à Cæsareis, & Saxonicis struebantur. Id cum Erfordienses abnuerent, ac circa hospitia Suecis per vicos suos concedenda difficiles se exhiberent, Saxo illos omnibus modis captabat, suum auxilium ostentans adversus Suecorum injurias. Unde hi Electorem, & ab eo conciliatam pacem unice respiciebant, exoleente erga Suecos reverentia, quibus, ut nummos Reginæ Suecia insignia præferentes apud ipsos cuderent, non amplius permittere volebant, velut Saxonis animadversionem metuentes. Anhaltini Principes etsi satis prævidebant fragilem pacem absque omnium Ordinum & Principum exterorum consensu conclusam, ac

Adjungit sibi Wilhelmum Ducem.

Erfordienses.

& Anhaltinos Principes.

tempus

1635. te mpus ſuper pace admittenda decernendi anguſto ni nis termino circumſcriptum querebantur: tamen cum ipſorum cervicibus Saxo incumberet, qui ad omnes rationes paci ſuæ adverſas aures obſtruxerat, actis ipſius adplaudere cogebantur. Unde & Ludovicus Anhaltinus Princeps declinandæ ab Electore moleſtiæ prætectura in præfulatus Magdeburgenſem & Halberſtadienſem Cæſaris & Saxonis filius deſtinatos in eventum ſecuturæ pacis ſe abdicabat.

Saxo Brandeburgicum ad amplectendam ſuam pacem ſollicitat. 7. Jan.

§. 28. Aſt ad Brandeburgicum; quem paulo ante Gallicus Reſidens Rorteus Regis ſui nomine ſolicite monuerat, ne conventioni Pirnenſi ſe obſtringeret, Saxo Sebottendorffium, & Joannem Zeidlerum mittebat: qui à ſe acta exponerent, & quod non omnia ad emolumentum Domus Brandeburgicæ, præſertim circa reſtitutionem Ducatus Carnoviæ in Sileſia fuerint confecta, culpam in adverſæ partis duritiem conferrent, per victoriam Norlinganam immane quantum inflatæ; ſimul ad pacem amplectendam hortarentur. Inde concepta Pirnæ capita offerebantur, ſuppreſſis tamen ſecundariis conventionibus de Luſatia, Magdeburgo, Sileſia, & ab amneſtia excluſis, velut nondum ad umbilicum deductis, & quibus ultima Cæſaris declaratio deſit, in conventu Auſſigiæ exhibenda. Sed quid cum Oxenſtierna tractandum, ad quem ipſe miſſurus ſit, merito adhuc ſecretum haberi. Heic Brandeburgicus initio querebatur de anguſtia temporis declarationi relicta, & quod nullis monitis aut temperamentis locus videretur relictus; cum utique par fuerit convocatis omnibus quorum intereſt, communi conſilio rem expediri. Nec diſſitebantur Saxonici, Cæſareos deputatos diſerte proteſtatos, ſe ulteriorem tractationem in conventu Pragenſi haut admiſſuros; nec de prorogando declarationis termino certi quid ſe promittere poſſe. Enimvero quod Brandeburgicus ſolus nollet ſuper tanti momenti negotio decernere, Ordines ſuos provinciales convocaverat, è quibus exquirebat; quid eo caſu faciendum ſit, ſi antequam cæterorum quorum intereſt mens percipiatur, propera declaratio fortaſſe vi oſtentata expoſcatur? Ubi cordatiores ac patriæ amantes viri facile agnoſcebant; iſthanc transactionem Germaniæ, & præcipue Proteſtantibus haut quidquam ſtabilem pacem daturam. Quos inter Levinus Kneſebecius nervoſo ſcripto oſtenderat: quid emolumenti Pontificiis, præjudicii Evangelicis allatum ſit, quod Pirnenſi tractatu cauſa præſentis belli non ſublata, ſed ad quadraginta duntaxat annos ſuſpenſa ſit; quodque terminus reſtitutionis non ab initio belli ſumatur, ſed ab eo tempore, quo jam omnibus turbatis arma Cæſaris ubique prævalebant. Veterem belli inteſtini fomitem manere; vix ullam diſſidiorum inter Ordines cauſam amotam: omnia quæ ſpeciem habeant commodi alicujus Evangelicis concedendi, duriſſimis conditionibus circumſcripta, nec hiſce aliter, quam charta & atramento caveri, nullo ſponſore; Pontificiis ampliſſime cautum armis penes Cæſarem manentibus, exarmatis Evangelicis, quibus &, dum fœderibus ſuis renuntiare cogantur, omnis auxiliorum ſpes in poſterum præclusa ſit; quorum & hactenus ſuſcepta defenſio damnetur, dum non obſcure omnia Cæſaris acta probantur. Hæc liquidiſſime demonſtrata etſi Electoris animum non parum diſtraherent; ex adverſo tamen ſubibat, bello jam pleraſque vires abſumtas, ac hoſtes non ſolum ſecunda fortuna ferri, ſed & omnia majore ibi concordia, ac propriis viribus geri, cum Evangelici diverſis ſtudiis diſtrahantur, ac fere externis auxiliis nitantur. Igitur judicabat, honeſtæ pacis viam utique amplectendam, etſi nonnulla ſint remittenda, quæ ſummam rerum non evertant. Præcipue tamen torquebat anguſtia temporis, quæ non permittebat ſuper ea re cum amicis & ſociis conſilia conferre. Eoque metuebat, ne non ſolum cæteri inique ſe circumſcriptos quererentur; ſed & multi, qui ita raptim fœderibus aliorum expedire ſe nequeant, ex tanta præcipitantia anſam arriperent arctius ſeſe cum iis connectendi. Sic ut patria vel ſpe pacis plane evolvenda, vel novo cum hactenus Fœderatis bello implicanda ſit. Quo caſu ſuæ ditiones potiſſimum bello ſedem ſint præbituræ. Unde tutiſſimum ducebat, pluſculum temporis ſumi conferendis invicem conſiliis, quo aut pax certior communi conſenſu conſtitui, aut arma ſpecioſius ſumi queant, ſi vere dici poſſit, quemlibet ſatis auditum, & æqua ſatisfactione potiri potuiſſe, ſed ea non contentum quietem Imperio invidiſſe. Et ſpem eſſe, hac via facile ad pacem perveniri poſſe. Nam & Proteſtantes omnes belli pertæſos pacem anhelare. Fœderatos quoque, ſi hoc modo procedatur, querendi cauſam non habituros, nec quo minus ii, quibus hactenus auxilio fuerint, quiete fruantur repugnaturos. Adverſam quoque partem ſi pax cordi ſit, & non porius Evangelicorum diſtractionem, & novum bellum meditetur, non adſpernaturam rationem, quæ negotium quam ſolidiſſime componat: Cum nec Cæſar absque Pontificiorum Ordinum conſenſu Pirnenſia acta ſit ratihabiturus. His ergo rationibus motus reſponſi loco à Saxone petit, ut dies decima quinta Februarii declarationi præfixa utique prorogetur, ac interea ratihabitio, & copiarum è Sileſia deductio differatur: tum conventus Ordinum Superioris Saxoniæ ocyus indicatur, ad quem Inferioris quoque Saxoniæ Ordines, & quatuor ſuperiorum Circulorum Fœderati una cum Gallicis & Suecicis Legatis invitentur. Vix hoc cum reſponſo Saxonici diſceſſerant, cum Arnheimius à Saxone adeſt, excuſaturus, quod nupera Succicarum legionum per Marchiam hoſpitatio non Saxonis culpa facta ſit, cui ipſe contradixerit; ac literas ad ipſum datas, inſtante Banerio expreſſas, nil niſi poſtulata Banerii ſignificaſſe, nullo Brandeburgici præjudicio. Idem quoque juſſus erat Electori perſuadere, ut aperte & citra exceptionem Pirnenſe decretum amplecteretur. Enimvero Brandeburgicus uti excuſationem facile admittebat; ita circa hoc priori reſponſo inhærebat, addito; haut gravatim Saxonem permiſſurum, ut obſcurorum illuſtrationem petere, aut quæ quisque neceſſaria ſibi judicet, peculiariter cavere liceat. Monebat quoque, ut Palatina cauſa ocyus decidenda ſumatur, & quæ alia Ordinum animos diſſocient, novosque motus excitare apta ſint; quibus tranſigendis Daniæ Rex ſequeſter adhiberi poſſit. Et cum nota ſint Guſtavi Regis in Evangelicos merita, nec minus Galliæ Regis in partes ſtudium, ac potentia, ut ad utramque Coronam quam primum res referatur: præſertim cum regiones ſuæ Succis ita implicitæ ſint, ut ipſe hiſce inimicis nec velit, nec commode poſſit uti. Tradebantur quoque Arnheimio certa capita Saxoni proponenda, qua Pirnenſes articuli illuſtratione aut correctione opus habere videantur, ſiquidem juſtitiæ aut ſecuritatis in poſterum ulla ratio habenda ſit. Digreſſo Arnheimio ſtatim Schvvartzenbergius Comes Dreſdam mittitur ſuper iisdem rebus acturus, ac præcipue obſervaturus, ne quid in cauſa Juliacenſi in fraudem Brandeburgici ſtatueretur; quem tamen re infecta inde diſceſſiſſe referebant.

1635. Is dilationem quærit. 20. Jan. 21. Jan. 1. Febr. 29. Mart.

Ejus incommoda Brandeburgicus ſatis perſpicit.

§. 29. Quanquam autem Brandeburgici conſilia nondum penitus cum Saxone conſpirabant; non

Brandeburgicus à Succis alienatur

1635. non eo ſecius tamen à Suecis averſum ſe oſtendebat, pravis conſultoribus ſubinde Pomeraniam oſtentantibus, quorum ſuggeſtionibus ipſi omnia ſuſpecta habebantur, quæ à Suecis ſuper eadem proponerentur. Eoque & Cancellarius Gœtzius, quem cum Oxenſtierna transactionem concepiſſe ſupra dicebamus, offenſam Principis ſui fere incurrerat, velut in Suecicas partes nimium proclivis. Sed & aſperis literis Banerius juſſus erat legiones* ſuas Marchia amovere, minis confeſtim intentatis. Ac cum tribunus Karbergius cum ducentis quinquaginta circiter equitibus Marchiam tranſiſſet, jam Magdeburgicos fines ingreſſo ſexcenti equites immittuntur, qui captivum Berolinum abducebant, plerisque militibus cæſis, & ereptis impedimentis; ſtimulantibus ſine dubio ægrum animum malevolis, velut à tranſountibus provinciales indigne forent habiti. Cum igitur Elector hactenus, quæ belli incommoda regiones ipſius tetigiſſent, æquo animo ob cauſam communem toleraſſet; ex iſthac aſperitate ſatis patebat, reſpectum Sueciæ apud ipſum fere exoleviſſe, & cultam huc usque amicitiam labili jam pede inniti.

Suecí Brandeburgicum conciliare ſtudent.

§. 30. Iſta porro animi mutatio apud Brandeburgicum Rectores Sueciæ hautquicquam latebat apud quos idem verbis altius penetrantibus ſuper Banerii hoſpitatione queſtus erat, de Pomerania quoque injiciens, ex qua omnis cauſa promanarit, quare Francofurti univerſorum conjunctio coaleſcere non potuerit. Cum autem Rectoribus Sueciæ tunc ſederet Pomerania potius cedere, quam Electorem & alios à ſe alienare; inde literis ſuſpicionem ipſi adimere conabantur, quaſi in ipſius fraudem actionem ſuam in Pomeraniam ſervare voluerint. Se quidem pro meritis Guſtavi Regis gratiæ quid ſperare; ſed eam ſpem amicitia potiſſimum Electoris innixam fuiſſe. Eoque Oxenſtiernæ mandaſſe, ut ſuper ea re ipſi ſatisfaciat. Sueciæ quidem non parum referre, ut Evangelicis per Germaniam bene ſit: ipſius tamen; & cæterorum Ordinum eo plus intereſſe, quo propius belli flammis involuti ſint; à quibus reſtinguendis ſe non ſperare iſtos ob privatas rationes cohibitum iri. Potius ſe confidere, ſi certa pacis ſpes allubeſcat, ipſum operam daturum, ut ea communis, honeſta, ac tuta ſit, & quæ æquam Sueciæ ſatisfactionem, ac Galliam includat. Quod ſi bellum continuandum ſit, plurimum intereſſe, Evangelicos junctis animis rem gerere. Sibi pacem ita cordi eſſe, ut bellum non formident. Pari modo Landgravius, & Dux Georgius, qui plurimum momenti ad cauſam communem adferebant, literis confirmabantur, ut in ſuſcepta ſemel cauſa conſtantiam adhibeant, nec arma prius deponant, quam de honeſta pace cautum ſit. Paulo poſt quoque cum Georgius Dux graves querimonias moveret, quod Banerius per Brunſuicenſem agrum copias diſtribuiſſet, factum id neceſſitate excuſabant, quod ereptis in Thuringiæ hoſpitiis nulla alia ratio fuerit conſervandi exercitum; quem ipſe non alienum, ſed partem ſuarum virium habere debeat.

1. Aprił.

9. April.

27. Junii.

Rectorum Sueciæ circa bellum conſilia.

§. 31. Rebus hoc modo in Germania turbatis, in Suecia quoque conſilia indies difficilius expediebantur, præter Germanicum Polonico quoque bello ingruente; quæ duo pariter, ſuſtinere magnæ molis erat futurum. Nam & facile res Germaniæ ita converti poterant, ut ſolis Sueciæ impenſis, iſthoc bellum foret alendum; & ſi uni aut alteri ſummorum Ducum humanitus quid contigiſſet, non patebat, quis in ejus locum ſubire poſſet. Unde optabant Rectores Sueciæ, utroque bello, aut alterutro defungi. Cui fini tractatus in Boruſſia cum Polonis ſuſceptus; ac Oxenſtiernæ in mandatis datum, nullam compoſitionis in Germania occaſionem omittere. Cæterum Heilbrunnenſi fœdere fere diſſipato, ac reliquis Galliam reſpicientibus, ſatis intelligebant, ſummam rerum ſuarum Banerii exercitu inniti. Unde illi injunctum copias quantum poſſet firmare aut augere; nec temere prælii aleam tentare, ac Magdeburgenſem, Halberſtadienſemque præſulatum tueri. Si Saxo in hos quid tentaret, ipſum dehortaretur; & ad tractatus cum Oxenſtierna remitteret: vim intentanti poſt proteſtationem interpoſitam pro viribus reſiſteret. Nam etſi à Saxone nihil amici expectent: tamen ob cæteros Evangelicos initium rixæ à ſe oriri nolle. Tum oram maritimam obſervaret, ſed ad eandem ſe non reciperet, quamdiu mediterraneis locis ullo modo ſubſiſtere daretur. Quo altius enim in Germania rem gerat, eo melius locis maritimis eſſe cautum. Quod ſi ab hoſte invadatur, optimum videri ad Albim pedem firmare, & ſi ab una parte iſte ingruat, in alteram ripam ſe conferre. Sed ſi ab utraque ripa urgens hoſtis Albim deſerere ſubigat, ſatius videri ad Landgravium & Luneburgicum ſe recipere, quam ad mare propelli, quo hoſtis mox tota mole incubiturus ſit, ademto agrorum uſu, & modica auxilii è Suecia ſpe, quamdiu Polonicum bellum urgeat. Nec ſtationem aliquam verſus Poloniam capeſſi conſultum videri, ne hinc Germani, inde Poloni circumveniant. At ſi in Germania pax coëat, ad Wartam fluvium in Poloniam tenderet. Sin cum Poloniis tranſigatur, adverſo Odera exercitum hæreditariis Cæſaris ditionibus infundendum; ita apud Rhenum incumbentibus Gallis; ac Batavis ſpem honeſtioris pacis eſſe, quam Pirnæ conflata ſit. Quod ſi utrinque bellum gerendum ſit, Polonicum Germanico propius Sueciam tangere. Hoc enim fere in emolumentum Germaniæ Ordinum redundare, modica gratiæ aut commodi Suecis ſpe. Polonicum bellum ſolam Sueciam ſpectare: Igitur hoc caſu aliquot Germanicas legiones in Boruſſiam mittendas. Sed Suecum ac Finnum militem, qui prædia ſtipendii loco obtinet, domum remittendum, ut recens conſcriptis mixtus diſciplina eos imbuat. Cæteros ſecum retineat; & Germano milite ſuppleat. Præſidia Magdeburgo, & Erfordia niſi ultima neceſſitate urgente ne educat. His tamen mandatis non ita preſſe adſtringebatur Banerius, ut non pro captu temporum conſilia mutare ipſi liceret.

8. Aprił.

Oxenſtiernæ in Gallia acta.

§. 32. Interea Oxenſtierna facto per Argentoratum, & Lotharingiam itinere Regem Galliæ Compendii adierat, ſplendide ab eo exceptus, habitusque. Richelius ſe accedenti honoratiorem locum offerebat; ſed abnuente Oxenſtierna ipſe eum capiebat. Poſt idem Oxenſtiernæ valedicturus, velut ex itinere ocreatus ad eum adſcendebat, ut obiter duntaxat iſtum honorem exhibuiſſe videretur. Quæ tunc utcunque diſſimulanda erant. Cæterum hinc non amplius urgebatur ratihabitio fœderis à Lœflero concluſi, aut Benfeldæ traditio; ſed potius prius fœdus renovabatur, conditionibus ad præſentem rerum faciem attemperatis. Quo tractatu etſi ſuperſedere maluiſſet Oxenſtierna, ultro tamen invitatus declinare eum abſque offenſa Regis non poterat, cujus amicitiam colere Sueciæ rebus tunc expediebat. Et ad famam non parum intererat, ſi firmata cum Gallis amicitia diſcederet. Accedebat, quod Galliæ Rex nondum Hiſpanis, nedum Cæſari bellum publice indixiſſet; unde ut rem huc deduceret Oxenſtierna, nonnulla erant Gallis concedenda. Ne tamen quid in fraudem patriæ fieret, omnia ad ratihabitionem Reginæ referebantur, qua non ſecuta ipſe ab obligatione immunis erat. Capita fœderis, quæ tunc

18. Aprił.

con-

1635. concipiebantur, huc redibant; Ut cum Auſtriacis pax aut indutiæ non fierent, niſi utriusque Coronæ conſenſu: Sueci exercitium ſacrorum Romanorum in locis hoc bello occupatis, ſimul clericis uſumfructum ſuorum bonorum relinquerent. Quod tamen ita à ſe intelligi profitebatur Oxenſtierna, ut iſtud exercitio Confeſſionis Auguſtanæ præjudicio ne eſſet, nec ſub bonis Sacerdotum reditus Epiſcopales, ſuperioresque Prælaturæ comprehenderentur. Nullus munitus locus, qui nunc ab alterutro Rege obtinetur, niſi communi conſenſu hoſti reſtitueretur: uterque certo modo confœderatis Germaniæ Ordinibus auxilium ferret. Galliæ Rex Suecos in poſſeſſione ditionis Moguntinæ, & VVormatienſis, aliisque pignoris in vicem à Fœderatis pro lato auxilio traditis, tueretur, & ſi quid horum ab hoſte ereptũ Galli recuperarint, id Suecis reſtitueret; ac donationes à Suecis factas ſervarent; in futuris tractatibus invicem operam darent, ut utrique Regno ſatisfiat. De pecuniario Gallorum ſubſidio, & quantum copiarum Suecis in Germania ex fœdere foret habendum, ad futuram declarationem differebatur. Et quia cætera quoque capita tunc non plane poterant expediri, Galliæ Rex brevi Legatum in Saxoniam miſſurus erat; qui huncce tractatum abſolveret, ac ruentes ibi res cum Oxenſtierna ſultum iret. Agnoverat apud ipſum Richelius errorem ſuum, quod Pontificiis in Germania fidem habuiſſent Galli, eorumque tam operoſe coluiſſent amicitiam. Digredientem Rex
30. Aprii. magni pretii annulo, gemmisque donabat. Oxenſtierna luſtrata Lutetia Diepam ſe conferebat, ibi conſcenſis Hollandicis navibus, quæ ipſum expectabant, in Bataviam adpellens ſplendida cum
Ejusdem in Hollandia acta. pompa Hagæ excipitur. In conſeſſum Ordinum Generalium adductus explicabat de cauſis belli à
25. Maji. Guſtavo Rege ſuſcepti; quis ejusdem ſcopus, qui ſucceſſus; ut res ad Norlingam proſligatæ reſtitui potuerint, ni magnæ urbes pecuniam conferre abnuiſſent, & Saxo intempeſtivæ paci operatus fuiſſet. Laudabat inde Belgarum conſtantiam, qua magno cauſæ communis bono Hiſpanorum vires diſtraxerint. Simul ut in eo propoſito perſiſtant hortatur, neu concedant Germaniam ſub unius dominatum devolvi, vicinis omnibus prægravem futurum. Præcipue urgebat, ut cum ipſe Inferioris Saxoniæ conventum indicere conſtituerit, Legatos eo mittere velint, ope ac conſilio ſibi adfuturos, ut illi Ordines in communi cauſa tuenda confirmentur, & Pirnenſis tractatus ſufflaminetur. Ad quæ amice, ſed laxioribus verborum formulis reſponſum. Super mittenda tamen Legatione inter Ordines Generales non ſatis conveniebat. Nam vel ideo feſtinandum non videbatur, quod de loco & tempore conventus nondum conſtaret. Et Oxenſtiernæ diſceſſum è Superiore Germania in argumentum trahebant, velut tota Germania in Cæſarem inclinaret, facta cum Saxone pace, quæ reliquos omnes tractura eſſet. Ideo Belgis non conſultum videbatur penitius Succorum conſiliis immiſceri, multo minus in rem ipſam deſcendere; aut palam in Cæſarem hoſtilia induere, quem utcunque placatum retinere cupiebant. Cæterum cum inter Ordines deliberaretur, num dona quædam Oxenſtiernæ forent offerenda; placebat tandem, ipſum ampliore honore, quam Legatum æſtimandum, eoque ſumtus tantum hoſpitii publice exſolvendos, muneribus abſtinendum.

Turbatus in Saxonia ſtatus. §. 33. E Bataviis Oxenſtierna in Saxoniam adpellens res ibi non minus turbatas reperiebat, quam in Superiore Germania reliquerat, ut quibus mediis illæ ſuſtineri poſſent vix adpareret. Equidem hoſti non adeo arduum videbatur reſiſtere, cum Galliæ Rex jam magnam belli partem in ſe averteret, & Batavis junctus proſperis initio ſucceſſibus uteretur: ſic ut ni Cæſar omnibus viribus ſuccurreret, Hiſpanus parum ab amittendo Belgio abeſſet. Huc autem converſo Cæſare vires ejusdem per Superiorem Germaniam inſigniter minuebantur. Ac ſi Saxo pro communi cauſa niteretur, ſpes erat, res reparari ac ſuſtinere poſſe, quoad communis, honeſta, ac ſolida pax obtineretur. Enimvero quæ apud plerosque amicorum reperiebatur invidia, ambitio, diſcordia, & inconſtantia nihil ſpei reliquerat. Concluſerat Saxo pacem ſibi privatim proficuam, ſed cum Suecorum ac cæterorum ignominia, & jactura conjunctam; ab hoſte ſibi ſtipulatus, quæ à Suecis poſſidebantur, nullo hiſce facto indicio. Neminem iſte inſuper cujus intererat, audiverat, nullius conſilium admiſerat circa pacem univerſos ſpectantem. Idemque improviſo deſertis amicis ad hoſtes ſe contulerat; quo his magna virium acceſſio facta erat, Evangelicis non ſolum ea deſertione debilitatis, ſed & exemplo atque autoritate labefactatis. Brandeburgicus pro more inter ambigua conſilia nutans, prævalentibus apud ipſum pravis conſiliariis, quid præjudicii allatum ſibi foret facile agnoſcebat, modumque agendi à Saxone adhibitum oderat: ait adverſum quid moliri nec audebat, nec poterat. Ordines Inferioris Saxoniæ tunc Brunſvvigæ congregati pacem Pirnenſem captabant, nulla fœderum cum Suecis, ac beneficiorum à Guſtavo Rege acceptorum ratione habita. Georgius Dux anceps aliquando ſana conſilia præ ſe ferre, mox alienati animi indicia oſtendere. Inducias is à Saxone initas amplexus fuerat, quarum intuitu hoſtile quid in Cæſareos tentare abnuebat, ac edicta quædam promulgabat hoſtibus emolumento, Suecis fraudi cedentia. Jam quoque haut alia niſi Circuli Ordinum auſpicia præ ſe ferebat, Succiæ pro communi cauſa poſtulatis inſuper habitis. Nec qui ipſi ſuberat, militem ad Succiam amplius pertinere agnoſcebat, & ſi quas legiones veteris ſacramenti peculiariter obſervantes norat, durius habebat. Banerii denique commercia averſatus de ipſo ejusdemque copiis atroces querelas non ſine minis jactabat. Solus Landgravius Wilhelmus in fide perſtabat; ſed remotior, & à Banerii exercitu aliorum interjectu diviſus. In ipſo Banerii exercitu ducum juxta ac gregariorum animi ob ſtipendia non ſoluta ægri, & gliſcebat ſub cineribus ignis in periculoſas flammas eruptura, ſic ut omnia præſentem ruinam minitari viderentur.

Oxenſtiernæ conſilia. §. 34. Rebus ita fere conclamatis, cum præſertim eventus tractatuum in Boruſſia adhuc in dubio eſſet, Oxenſtiernæ conſultiſſimum videbatur honeſta ratione bello excedere; & quoad de hoc conſtaret copias firmare, ac in poteſtate habere. Unde & Banerium, qui difficultates queis premebatur ipſi expoſuerat, hortatur, ut ne animum deſpondeat, aut defatigetur, ſed onere potius opprimi ſe patiatur, quam per tædium opus imperfectum deſerat. Cum etiam Sperreuterus ſupremus vigiliarum præfectus, cui Georgii Ducis acta haut arridebant, & præcipue quod ipſum procul ad VVerram flumen ablegare vellet, à Banerio & Oxenſtierna, quid ſibi agendum foret, quæſiviſſet; hic ne Sueci tam egregiis copiis exuerentur, 4. Junii. metuens injungebat, à Duce mandatam profectionem differret, & ad ſuum adventum provocaret, quicum ob fidem qua Succiæ teneatur, rem communicare debeat. Interea quoad ipſe pro animo Ducis conſilium formaſſet, in VVeſtphalia permaneret, & Nienburgum, ſi dederetur, in poteſtate haberet. Sed cum judicaret, Ducem 14. Julii.

id

1635. id ægre laturum, congreſſum ejus expetebat, ſi forte ad ſaniora conſilia adducere poſſet, miſſo Lohuſio eidem præ cæteris grato; apud quem prolixe Dux declarabat, ſe paratum ad arma iterum in communem hoſtem ſtringenda, & Oxenſtiernæ colloquium vehementer cupere. Sed mox mutato animo congreſſum differebat, quoad legiones iſtæ ſibi iterum ſubditæ forent. Quod cum Oxenſtiernæ conſultum non videretur, congreſſus intermiſſus eſt.

Oxenſtierna Magdeburgum tendit.

§. 35. Porro quia graviſſimam ſibi Oxenſtierna diſceptationem cum Saxone imminere intelligebat, qui de pace ab ſe facta Banerio jam ſignificaverat, Magdeburgum ire conſtituit ut è propinquo negotium id tractare poſſet; ſimul ductorum ac militum tumentes animos componeret, & occaſionem cum Landgravio, & Brandeburgico colloquendi capraret. Eo tendentem Soltquellæ adit à Brandeburgico miſſus Blumenthalius, qui Pragenſis pacti exemplum exhibebat, non ſignificato quid ipſe de eodem ſentiret. Tum durioribus verbis urgebat, ut ſuper Pomeranica ſucceſſione Electori caveretur. Addebat de neutralitate Pomeraniæ concedenda, ſi Polonicum bellum exardeſcat, & ne per Brandeburgicas terras copiæ in Poloniam ducantur, quod Elector iſti bello plane implicari nolit: tum ut Clivicis ditionibus à bello immunitas indulgeatur, Landgravii copiis inde deductis. Sed cum Oxenſtierna quæreret, num quid ipſi ſuper inſtaurandis rebus communibus agere ſecum injunctum foret, Blumenthalius negabat; ſi tamen Electori de Pomerania prius cautum fuerit, tunc & ſuper iſtis mentem ſuam expoſiturum. Ex quo non obſcure colligebat Oxenſtierna, hunc à pravis conſultoribus ablegatum, ut aut rebus arctis iniquas conditiones Suecis extorqueret, aut ſi poſtulatum abnueretur, Elector magis irritaretur. Eoque reſponſum ita temperabat, ut nec patriæ quid fraudi futurum annueret, nec offenſæ anſam præberet: prius noſcendum ſibi eſſe, inquiens, Prageniem pacem amplexurus ſit Elector, an minus. Nam pace illa ſubſiſtente, rem jam deciſam, nec ulteriore cautione opus eſſe. Sed altero caſu prius ſuper ſumma reipublicæ tranſigi pareſſe. Circa quam ſi quæ optentur conſilia Elector capeſſierit, ſe ipſi Reginæ nomine quantum poſſit ſatisfacturum. Hoc reſponſo dimittitur Legatus; ipſe Magdeburgum iter perſequitur.

Cum Brandeburgico legato obiter agitat.

Conſilium Formarum adinteritum regit.

§. 36. Cæterum digreſſo è ſuperiore Germania Oxenſtierna ſuffectus in ejus locum Director Otto Rheingravius, & reliquum Conſilium conſultando, hortando, rerum ſuarum incaſſum ſatagebat, exoleſcente jam plane ejus autoritate, ſic ut eundem à Bernhardo Duce Moguntia Francofurtum reductum Magiſtratus urbis vix poſt octiduum ſalutare dignatus ſit. Nec quidquam abeo memorabile geſtum, niſi quod cum Neoburgicus ſignificaſſet, Cæſarem in ipſius *neutralitatem* conſentiſſe, operam dederit, ut quæ circa eam Fœderati promiſerant perficerentur. Interim hoſtis reliquias Fœderatorum oppreſſurus omni vi ad Rhenum tendebat, diverſis locis tranſitum tentans, ut aliqua ſaltem perrumpens deſtinatis ſuis potiretur. Ac Lotharingus quidem cum Ligiſtico exercitu Rheno ad Briſacum ſuperato in Mumpelgardenſem agrum ſe conferebat, ut ibi & in vicino Comitatu Burgundiæ refectis copiis in Lotharingiam, ac plane in Galliam irrumperet; cui atrociſſime minabatur, cuſis quoque nummis, quorum unum latus Fulmen exprimebat hac inſcriptione: *Flamma metuenda Tyrannis.* Alterum gladium lilia Gallica diſſecantem adſcriptis verbis: *Talem dabit ultio meſſem*, addito, *DEO duce, auſpice Carolo.* Enimvero nihil tanto dignum hiatu præſtabatur. Nam redactis in poteſtatem invalidis oppidis Mumpelgardam aggreſſus acriter repellitur. Inde Bruntrutum, Vallis Sancti Georgii, & Spitzenberga capitur, modicum operæ pretium. Degenfeldii recens conſcripta legio à duabus Croatarum legionibus circumventa ſtrenue tandem perrumpebat pari fere hoſtium damno. Urgente poſt penuria, cum inſuper Galli copias undique contraherent, acceptis à Bernhardo Duce quinque equitum legionibus, Lotharingus præmiſſis impedimentis ad Rhenum ſe non ſine trepidatione recipit, cujus ultimum agmen Galli aſſecuti profligant; 15. Maji. alia inſuper caterva cæſa. In Suntgoviam tamen penitus devaſtaram Galli cedentem inſequi nolebant. Inde idem apud Briſacum ſtatim impedimenta & peditatum eis Rhenum remittit; 20. Maji. ſed cum equitatu nemine reſiſtente hinc inde excurrens prædas agit. Iſta expeditione Lotharingicos fames & alia incommoda ita imminuerant, ut cum initio ſex equitum, octo peditum millia explere ſe jactarent, regreſſi vix quatuor equitum, duo millia peditum, ducentos numerarent. Sed cum Gallaſius mox Rhenum ſuperraſſet, ac Galli verſus Lotharingiam ſe recepiſſent, Dux iſte reparatus viribus capta Gemehra denuo movet, ut Ducatum ſuum ope populari- 23. Julii. um recuperaret, aut ſaltem Gallos diſtineret, ne Bernhardo Duci contra Cæſareos auxilium ferre poſſent.

Lotharingi irrita expeditio.

§. 37. Interea Ducis Bernhardi juſſu Hohendorfius Moguntiæ præfectus cum aliquot equitum legionibus & ſelectis peditum catervis tranſmiſſo Rheno Rhingoviam irruperat oppreſſis Weisbadæ duabus Bœnnighuſii turmis, & qui Wallonii, Elfeldæ, & in arce Ehrenfelſa agebant; inſuper Bœnnighuſium cum valida equitum dimacharumque manu ſubſidio ſuis accurrentem in fugam conjecerat. Quo facto poſt firmata modico præſidio capta loca trans Rhenum ſe iterum recipit. Ea tamen mox ab hoſte contractis viribus nullo negotio recuperantur. Paulo poſt Tupadelius cum aliquot equi- 10. April. tum legionibus à Duce Bernhardo verſus Wurtenbergicam dimiſſus tribuni Hiſpani legionem Schvveigeræ hoſpitantem opprimit, non ſpernenda præda potitus. Sed quod frequentes circa Cæſareorum turmæ tenderent, non ulterius progredi aufus ad ſuos revertit.

Suecici Rhingoviam recuperant, & perdunt. 1. April.

Bernhardus Dux Francofurtum excurrit.

§. 38. Cum autem Francofurtenſium ſtudia in Suecorum partes vehementer refrixiſſent, ut neque neceſſariam urbis defenſionem adornarent, & Vitztumio Saxenhuſiæ præfecto variis modis ſe opponerent, Bernhardus Dux conciliandis ipſorum animis eo proficiſci conſtituit, quod magnum momentum in conſervatione ejus urbis eſſet; ſimul Manſfeldium ſi poſſet Wetteravia expulſurus. Igitur ipſe aſſumto pleroque equitatu & ſelectis peditum Moguntiæ pontem tranſit, poſtquam Tupadelium Spiræ cum idonea manu reliquiſſet ad hoſtem tranſitu arcendum. Quanquam enim noſſet, Cæſareos in adverſa ripa magnas copias contrahere; tamen quod Galli tunc ingentem exercitum Belgio infunderent, Gallaſium Hiſpanis auxilio ire, & circa pontes extruendos adparatum illudendis Suecicis fingi credebat. Ac jam Dux Francofurtenſium animos non pa-

1635. rum correxiſſe videbatur, hoſte Fridbergam uſque rejecto: Hœchſtæ quoque obſidium parabatur inſtaurandis Francofurtum inter & Moguntiam commerciis; quando adfertur hoſtem apud Spiram Rhenum trajeciſſe; unde & ipſe propere trans fluvium ſe recipit. Cæſarei quippe, cum ad Philipsburgum plurima navigia extruxiſſent aut collegiſſent, inter Heilbrunnam, & Pfortzheimum contracto viginti millium, uti ferebant, exercitu, Gallaſio duce Heidelbergam primo tendebant, quam equeſtris legio inſidebat. Huic extructis raptim tribus ſuggeſtibus deditio citra conditionem imperatur. Sed legionis ſubtribunus Heslerus pactione in noctem extracta relictis impedimentis cum equitibus Nicrum transnatat, ac caſtes, quibus circumſeptus tenebatur, nemine ſuorum amiſſo evadit. Gallaſius poſt occupatum oppidum haut tentata arce ad Ladeburgum conſidet; ſed valida manu ad Rhenum dimiſſa, diu paratum pontem Rheinhauſæ protegentibus tormentis & ſclopetis fluvio injicere incipit. Peditum interea manus quatuor navigiis Rhenum trajiciens ſtationem à decurione incurioſius cuſtoditam, & mox caſtellum ad ripam extructum quadringentis circiter peditibus inſeſſum, ſed machinis defectum occupat. Quanquam autem Tupadelius cum bis mille militibus Spira ſtatim accurrens quinquies in hoſtem, jam firmare ſe incipientem, impetum repeteret: cum tamen commoditate loci gaudentem pellere nequibat. Unde deſideratis circiter centum quinquaginta cum ſubtribuno Toppio, paulo majore tamen hoſtium numero cæſo, ſe recipit; & quod militis diſpendium facere tunc conſultum non eſſet, deſerta tacite Spira diſcedit. Bernhardo Duci, qui nuntio hoc accepto trans Rhenum ſe ſtatim receperat, caſtris Franckendaliam inter & Wormatiam poſitis, in anguſto valde res hærebat. Nam & quæ reſtabant Fœderatæ urbes eminus ab hoſte incluſæ id modo captabant, ut communi naufragio ſingulæ ſe eripere poſſent. Ordines Transrhenani hoſte irrumpente ſtatim animum deſpondebant, ac relictis ſuis ditionibus in tutiora ſe recipiebant. Magna ubique frumenti, major argenti penuria; nec ullus munitus locus, cui vel ad menſem de annona proſpectum. Promiſſa à Gallis duodecim auxiliarium millia nuſquam apparebant; quin ipſe Dux quinque legiones equeſtres Forcæo in Alſatiam ſubſidio mittere neceſſum habuerat. A fronte validus hoſtis viribus longe exſuperans. Nec tergum tutum erat, quod Piccolomineus Mansfeldio junctus Weisbadæ metaretur; de quo non conſtabat, an transmiſſo in Rhingovia Rheno iſtū à tergo circumventurus, an cum Mansfeldio in Belgium eſſet deſcenſurus. Sane is ad Rhenum acriter ingruens noctu caſtellum ponti tuendo contra Moguntiam poſitum aſſultaverat; ſtrenue tamen repulſus centum deſideratis ceſſerat. Ad Elſeldam quoque manus militum in adverſam inſulam trajecerat; quam tamen ſequenti die Sigrothus tribunus adductis duobus tormentis iterum expellebat.

Cæſarei ad Spiram Rhenum tranſeunt.

31. Maji.

Bernhardus Dux in ſummas difficultates conjicitur.

7. Junii.

Idem verſus Galliam ſe recipit.

§. 39. Has difficultates Dux Bernhardus primum Feuquierio, Forcæoque demonſtrat, hortatus, ut propere ſuæ ſibi legiones, & auxilia Gallica ſubmittantur. Inde dubitabat, num Moguntiæ pedem figeret, contracta ibi annona, quoad hoſtium vires mora attererentur, aut ipſi ſubſidia aliunde advenirent. Ac jam impedimentis Oppenheimum præmiſſis ipſe tantiſper ad Wormatiam conſiſtere decreverat, quoad hoſtis tota mole incumberet. Enimvero id conſilium equeſtribus præcipue ductoribus diſplicebat. Nam urgente Gallaſio vel prælii alea erat tentanda adverſus hoſtem viribus longe prævalentem; aut ſubvectione intercluſa, corruptaque meſſe mox cum fame luctandum. Quin ſi hoſtis infra Moguntiam irrumperet, præceps ad oppidum fuga erat arripienda, nondum proviſo hominibus, jumentisque alimento; ac incerto adhuc Gallico auxilio. Unde ſuadebant cum equitatu montana verſus concedendum, quo receptus ad Galliam pateret. Quam ſententiam ſecutus Dux, cum tota vi hoſtis Rhenum ſuperaret, Wormatiam duabus legionibus, Moguntiam pleroque peditatu firmat; ipſe cum equitatu, ac duabus peditum legionibus ad montes vertit. Initio tamen non longius quam Lauteram ire conſtituerat, quo propius à ſuis abeſſet, & ſi quæ loca ſuo præſidio inſeſſa hoſtis invaderet, hunc à tergo diſtringere poſſet; ac ut ad conjunctionem cum Gallis via pateret. Eoque & pleraque montium clauſtra Landavia Crucenacum uſque milite firmabat. Sed cum hoſtis validius ingrueret, præſidio Lauteræ relicto Sarbruccam, & longius Galliæ verſus limitem recedere cogebatur.

1635.

16. Julii.

§. 40. Bernhardo Duce pulſo Gallaſius ſtatim Wormatiam aggreditur, oſtentata vi, ſimul pacis jam factæ obtentu portas ſibi aperiri poſtulans. Nec oppidani moram faciunt tribuno Holtzio compulſo, ut honeſtis conditionibus liberum ſibi diſceſſum paciſceretur; quem Hagenoam diſcedentem multi milites deſerebant. Wormatiæ plurimi ex Equeſtri Ordine, qui intra id oppidum ſe receperant, pacis leges ſubeunt. Ad quas acceptandas Argentoratenſes quoque à Gallaſio invitantur. Nec jam amplius clanculum cum Francofurtenſibus tractabatur, multis paſſim dulcedinem pacis ingerentibus, Regum, Ordinumq; Fœderatorum potentia contumelioſe elevata. Wormatia Gallaſius Melchiorem Hatzfeldium cum ſeptem circiter millibus Lauteram mittit, quam Schonbeckius tribunus acriter & ad extremum usque ſpe adventuri auxilii defendebat. Sed tandem oppidum impetu expugnatur, ac præſidio cæſo præfectus ſaucius cum ſubtribuno Heslero capitur. Zweibrucca quoque vi in poteſtatem redigitur.

Wormatia Cæſari ſe dedit.

Lautera capitur.

§. 41. Interea hoſtis in Rhingovia quoque Rhenum tranſierat Hohendorfio id impedire non valente, quod Gallaſius è ſuperiore tractu Falckenſteinium Comitem valida cum manu immiſiſſet. Horum pars ad Moguntiam confidebant omni aditu intercluſo. Erant in urbe ad ſex millia militum, numerus vix par amplitudini mœnium defendendæ, ſed quem caſtellum urbi adpoſitum non capiebat. Nec pro tanta multitudine ſat annonæ ſuppetebat, urgente inſuper funiculorum penuria; etſi pulveris pyrii aliquantum & egregiæ machinæ forent. Antequam tamen extrema oppido admoverentur, Gallicum ſubſidium ſub Ludovico Valetta Cardinale adventabat. Id quod Hohendorfio Dux ſignificabat, hortatus ut ſtrenue oppidum tueretur certus auxilii intra quatuordecim dies adfuturi. Et commodum valde accidebat Duci, quod alibi tunc Gallis res feliciter cederent, pulſis in Valle Tellina per Rohanæum Ducem Cæſareis, & quod in Belgio Thomas Sabaudiæ Princeps à Chatillionæo, & Brezæo magna acie victus foret. Unde à Gallaſio Piccolomineus cum triginta equitum turmis Namurcum miſſus eſt; quem

Moguntia premitur.

30. Jun.

Digitized by Google

1635. quem per Treveros Beckius cum ſeptem legionibus ſequebatur: ſic ut vires Cæſareorum ad Rhenum non parum diſtraherentur.

Chriſtianum Marchionem Brandeburgicus ſe deſtr.

§. 42. In Franconia Chriſtianum Marchionem Brandeburgicum Lamboyus poſt expugnatam arcem Coburgenſem urgebat, ut Cæſareum præſidium arce Blaſſenburgo reciperet, vi ſe id introducturum minitatus ſi abnueret. Nec adquieſcebat Lamboyus, cum Marchio modicam moram peteret cum agnatis ſuis conſultandi, & quoad pax promulgaretur, quam ipſe ſtatim amplecti conſtituerit. Unde avertendæ iſtius inſultui in hoc demum temperamentum conſentiebat Marchio, ut arcis præſidiarii Cæſari juxta, Imperioque ac ipſi ſacramentum dicerent. Noribergenſes Wahlius Bavaricus dux premebat; qui poſt Weidam vi expugnatam minora circum oppida Hersbruccam, Laufam, Altorfium in poteſtatem redegerat, ac urbem indies magis in arctum redactum ibat. Sed bono ſuo fato urbi ad pacem uſque Pragæ promulgatam, & ultra frumentum ſuppetebat, alias fortaſſe parem cum Auguſta ſortem ſubituræ. Statim porro atque de pace perfecta conſtitit, præſidium Neumarcæ impoſitum cum

ut & Noribergæ.

ſubtribuno Magno Hanſonio in urbem evocatur, verbo, quod ſumma rerum in hac defendenda verteretur; revera autem, ne forte hic deditionem abnuens tranſactioni urbis cum Cæſare remoram injiceret. Inde Regi Hungariæ Neumarcum venienti obviam mittunt, & pacis Pragenſis legi ſe ſubjiciunt, ſtipulati tamen dicto ſubtribuno, & aliis Succorum ductoribus, qui in urbe erant, liberum ad ſuos diſceſſum. In Suevia Wurtenbergicas arces mora temporis, & fames paulatim ſub jugum Cæſaris redigebat, excepta Tvvila. Ulma quoque non longe poſt Noribergam Pragenſem pacem amplectitur. Tandem & Memminga prævalentibus ubique Cæſaris armis ſe ſubmittit. Ita fœdus Evangelicum per Superiorem Germaniam penitus extinctum.

17. Jun.

& Ulma ac Memminga.

Pax Pragenſis.

§. 43. Interea plene adornandis, quæ Pirnæ conceptæ erant, pacis legibus Legati à Saxoniæ Electore, & Georgio Landgravio Pragam venerant. Qui poſtquam ad negotium expediendum cum Commiſſariis Cæſareis acceſſiſſent, ſtatim deprehendebant, Cæſareos Pirnenſi inſtrumento multa addidiſſe, in eodem multa omiſiſſe, aut interpolaſſe; ut Electorales iſtud ſubſcribere non auſi quoſdam ſuorum Dreſdam remitterent, expetendæ Electoris declarationi. Hunc ne iſtam pacem perficeret, frustra monebat Legatus Gallicus Rorteus Baro, Regis ſui nomine pollicitus validum exercitum oppreſſis à Cæſare Ordinibus ſubventurum, quoad communis, tuta, & ſtabilis pax obtineatur, & quæ omnibus quorum intereſt ſatisfaciat. Nam Elector paci ſuæ affixus reſponſi loco prolixe exponebat mala belli, pacis neceſſitatem, quam diu captatam nunc propiore ſpe complectatur. Et cum Rorteus ex hoc intelligere non poſſet, num à Rege ſuo oblata auxilia grata forent, eadem denuo apud ſecretius conſilium proponebat. A quo cum præter ſolitas verborum ambages nihil extundere poſſet, atque Regis ſui promiſſa parvi fieri animadverteret, iſtis denuntiabat: Regi ſuo parum curæ eſſe, num Elector ſacrorum ſocios & communi cauſæ innexos deſeret, qui haut eo ſecius amicis ac fœderatis ſuccurrere decreverit. Mox poſtquam Electoris Deputati Pragam iterum ſe contuliſſent, & ipſe Dreſda Berolinum ad Brandeburgicum Electorem abit. Iſtis Pragam reverſis intra paucos dies negotium abſolvitur, & pax perfecta proclamatur, ſtatimque Cæſari & Electori ſubſcribenda transmittitur. Ejus capita quantum à Pirnenſi conventione abeant, cum peculiari ſcripto ſit expoſitum, recenſere extra inſtitutum noſtrum, & cum tædio conjunctum fuerit. Id tamen utrinque immotum manebat, extraneos Reges ad reſtituenda omnia, quæ bello hoc in Germania occupaverant, ſi abnuerent, vi compellere, ipſoque Imperio, & Gallum ſimul Lotharingia ejicere. Cæterum quare in iſthanc pacem tam multa continentem, quæ vix ullum juris & æqui colorem admiſerint, Saxo conſenſerit, hæ rationes jactabantur; quod per cladem Norlinganam afflictis Proteſtantium rebus, quæ Cæſaris ſucceſſus ſiſteret potentia nullibi adpareret; & quod Sueci omnia ad ſuum libitum diſponere per Germaniam vellent; ſimul plures quoque extranei bello involverentur, qui Imperium penitus quaſſaturi videantur. Ipſe Elector longe poſt tempore Carolo Chriſtophoro Slippenbachio Comiti dixerat: Sine dubio Sueciæ ſe amicum fuiſſe permanſurum, ni Regis Guſtavi Adolfi mors interveniſſet. Poſt eam nobiles Succos ita omnia miſcuiſſe & confudiſſe, ut ſcopum belli non amplius liceret dignoſcere. Obverſabatur quoque Saxonis animo autoritas inter Proteſtantes hoc facto inſigniter ſtabilienda, & Mauritius Saxoniæ quondam Elector, qui Paſſavienſi tranſactione cæteris ſacerorum libertatem ſtipulatus fuerat Galliæ Rege excluſo; cujus factum imitandum ſibi propoſuerat. Nec deerant, qui Electori perſuaderent, habere eum quare ſibi gratuletur, rem hucusque deduci potuiſſe; nec dubitandum, ubi exolita animorum exacerbatione concordia inter Cæſarem & Ordines inſtaurata ſit, ipſum uno verbo plus apud Cæſarem obtenturum, quam ſi decennium adhuc inter tractatus abſumtum fuiſſet. Sed advertus exteros Reges & Succos præcipue, qui hac pace ita indigne habebantur, ſpes præcipue reponebatur in edictis Cæſaris avocatoriis; quod maxima pars exercituum Succicorum Germanis conſtaret, quos iſtorum ſacramento intenta infamiæ, confiſcationisque, & capitis pœna abſtracturæ eſſet. Ac certo credebatur, illis promulgatis, qui nunc numero ſui militis gloriarentur, ad tenuem mox manum redactum iri. Id conſtabat, ad eam pacem conciliandam non parum contulitſe Landgravium Georgium, qui patri ſuo moribundo juraſſe ferebatur, ſe nunquam Auſtriacæ Domus partes deſerturum. Cujus Cancellarius Wolfius ſedulam Cæſari eam circa pacem operam navabat. Landgravio poſt pro iſto officio à Cæſare donata præfectura Lauba cum vectigali non exigui momenti, quæ quondam ad Electorem Palatinum ſpectaverat, nec non Comitatus Iſenburgicus Budingenſis, excluſis & in exilium exactis quindecim ex ea familia adhuc ſuperſtitibus. Arguebatur quoque Saxonicus Theologus Matthias Hocus decem uncialium millia à Cæſare accepiſſe, eximendis Principis ſui animo ſcrupulis, quos alias facile iſta pax generare poterat. Ob eandem ſupplicatio per Electoris ditiones indicitur, & ipſa, ut in omnium notitiam perveniret, typis exſcripta publicatur. Et quia per ſuperiores Circulos omnia jam ſub Cæſaris obſequium redacta erant, Elector Lipſiam ſe confert, ubi & copias ſuas contrahit, ut cum Succis, qui non procul in Magdeburgico agro ſtativa habebant, tranſactionem ſuſciperet.

1635. 20. Maji.

24. Maji.

Bam Gallus fruſtra impedire conatur.

26. April.

§. 44. Inter recentis pacis gaudia Arnheimius Arnheim obtentu

1635. obtentu curandæ valetudinis insalutato Electore ab ipsius exercitu, cui summo cum imperio præerat, Vetus Brandeburgum improviso se confert. Causam ipse ferebat, quod pacem non probaret, qua sua quoque salus in lubrico posita videretur. Nec dubitabat apud præfectos quosdam Suecicos, qui ipsum inviserant, asperis verbis in Saxonem invehi, jactans; se pacem Christiano indignam judicare, quæ aliquos Ordinum libidini Cæsaris dedat, & de Suecorum satisfactione nihil contineat. Si talibus Elector utatur consiliariis, qui persuadere ipsi possint, ut contra fidem tam sancte, se quoque interprete datam Silesios pace excludere, & *Babylonica meretricis* tyrannidi tradere non vereatur: quem præstiturum non repertum iri, qui Electorem permoveat ad manus ipsi injiciendas? Se nolle imperium gerere in exercitum Saxonicum, qui jam Cæsaris sit; nec Cæsari sacramentum dicere posse, cui suspectetur, velut ipse Electorem ad bellum in Cæsarem incitaverit, hujus ditiones vastaverit, Pragam ceperit, ac Fridlandum fidum alias Cæsaris ministrum seduxerit, nec Austriacum esse ejusmodi offensas oblivisci. Invehebatur præterea in Hoëum Theologum: qui sententiam ipsius super Pragensi pace sibi communicatam Christiano dignam, honestam, & saluti Protestantium patriæque proficuam agnoverat; Electorique denuntiaturum se dixerat, ni ab ea pace discedat, conscientiam & honestatem ipsum læsurum. Et nihilo secius sequenti die Numini pro ista pace gratias nuncuparat. Unde propria eum confessione convinci, Deo grates exolvisse, quod Elector cum læsione conscientiæ, & posthabito honesto pacem iniverit. Addebat; si salva conscientia adversus Cæsarem hactenus arma gesta sint, eadem etiam adversus Saxonem geri posse, qui turpem & causæ Evangelicorum perniciosam pacem cuderit. Nec eo magis tamen vir iste sinceri animi fidem Suecis faciebat, ipsis antea semper adversus, & præcipuus autor Pirnensis tractatus; qui licet paulo æquior quam Pragensis, iisdem tamen fere defectibus præsertim circa Silesios laborabat, quos nunc iste in Pragensi pace tantopere damnabat. Et qui viri astutiam noverant, ista omnia in speciem fieri, dicique judicabant ad fucum populo faciendum, ac ut impediret, ne Brandeburgicus se cum Suecis jungeret. Qui & his ipsis diebus à Brandeburgico legationem ad Saxonem susceperat obtentu laxius spatium petendi Ordinum declarationi, & satisfactionem Suecis procurandi. Et sane constabat, ipsum plerisque nobilibus perditionem Brandeburgicam favorem in Austriacos inspirasse, quibus persuaserat; Gustavum Regem id egisse, ut libertatem nobilitatis Germanicæ circumcideret, eidemque opprimendæ novos homines opibus, & honoribus extolleret. Quod fatum quoque Ordinem Equestrem mansurum sit, prævalentibus Germaniæ Principibus, qui pleraque bona, ac beneficia sacra sibi suisque vindicaturi sint, reliquis intergratioſos aulicos distributis. Contra florente Domo Austriaca nobilitatem Germanam bonis sacris fruituram, ac Principibus in ordinem redactis istam ad veræ libertatis fastigium enixuram. Quo fine & ipse tractatum Pirnensem suaserit.

1635. obtentu curandæ valetudinis insalutato Electore
mius à Saxone discedit.
18. Maji.
8. Junii.
Ei Suecі non fidunt.

§. 45. Enimvero bona fide eam pacem detestabantur Silesiæ Ordines, qui jam dudum per legatos Saxonem rogaverant, ut cum ipsi per ejus exercitum nulla sua culpa in partes pertracti sint, idem pro fide sibi sanctissime data efficiat, ne pacis instrumento suæ existimationi nota inuratur,
Silesii de pace apud Saxonem frustra queruntur.

neu tam fœdis criminibus onerati durissimis conditionibus subjiciantur. Ad quæ Elector promiserat; transactionem anno hujus seculi vicesimo primo Dresdæ initam, & à Cæsare confirmatam, salvam ipsis fore. Hac in spe inter postremos tractatus eo magis confirmabantur, quod legatis quantumvis solicite instantibus nihil eorum, quæ agebantur, communicaretur; unde ipsi collegerant, causam suam ita liquidam esse, ut nulla amplius deductione indigeat. Concluſa quoque pace ne verbum quidem ipsis indicabatur eorum quæ ad Silesiam spectarent. Ast cum post intelligerent, quæ Pirnæ circa ipsos decreta erant Pragæ renovata, & durioribus legibus adstricta, ac extrema intentari, ni ista subeant, prolixo scripto innocentiam suam denuo demonstrant; ut atrocissimas à Cæsare oppressiones patienter tolerarint; ut Elector immisso exercitu, metu promissisque ipsos compulerit in cæterorum Evangelicorum causam descendere; ut ipse autor sit eorum omnium, quæ sibi objici queant. In mentem inde revocatis ejus promissis obsecrant, ignominiæ ipsos eximat, ac libertatem, juraque Silesiæ sarta tecta conservet. Ni hoc fieret, interposita protestatione, jus sibi è Dresdensi transactione quæsitum reservabant. Eodem argumento literas ad Arnheimium dabant, cui & omnium dictorum factorumque memoriam refricabant, quibus ad arctiorem ipsos conjunctionem permovere sategerat. Sed neque hic secessione facta, quicquam amplius ad rem conferre poterat; & Elector paci suæ inhærens querelas istas surda aure respuebat.

9. Jun.

§. 46. Sed nec Superioris Saxoniæ Ordines super ista pace eadem sentiebant. Erfordienses quippe eam suspectam judicabant; eoque Oxenstiernam per literas orabant, ut in tractatibus, qui cum Saxone suscipiendi videantur, ipsorum rationem habeat. Idque petitum paulo post repetebant; ratione addita, quod cum de pace nuper concluſa vicinis Ordinibus significaretur, ipsorum urbs præterita sit. Anhaldini Principes etsi Saxonis imperia abnuere non auderent, cujus metu etiam Ludovicus Princeps præfecturâ in duos præsulatus plane abierat, ejusque abdicationis testimonium sibi ab Oxenstierna exhiberi petierat: tamen quod in pace Pragensi passim quædam desiderarent, non nisi certis conditionibus eam acceptare decernebant, ut conscientiæ, & decoro utcunque consulerent, postquam contra torrentem niti supra vires erat. Wilhelmus Vinariensis Dux, etsi jam non vulgari amicitia Saxoni junctus, per Legatum apud Oxenstiernam multa de studio suo in communem causam Suecosque testabatur, rogans, ut ipse sibi deinceps quoque faveat, ac Protestantium salutem cordi habeat. Sed ea mens non diu persistebat; an quod ista tantum simulaverat. Initio tamen declarabat: se constituisse pacem amplecti, & à bello remotum quiescere. Non posse tamen copias suas, quas nec plane in potestate habeat, obstringere, ut cum Cæsaris se exercitu conjungant adversus Gallos Suecosque, aut si qui alii eam pacem abnuant. Cujus rei graves sibi rationes esse, ac confidere, non plus à se postulatum iri. Et ut eo circumspectius agat, copias se suas eousque retenturum, quoad ab Electore sibi sit idonee cautum. Sed si ad plura urgeatur, quam conscientia ferat, alia sibi consilia capienda.

Erfordienses paci non fidunt. 12. Jun.
9. Julii.
Anhaldini pacem sub conditione acceptant.
Wilhelmus Vinariensis Dux paulatim in pacem flectit. 8. Jun.

§. 47. Brandeburgicus Elector, Dresda reverso Schvvartzenbergio, selectos Ordinum provincialium denuo Berolinum evocat, illorumque sententiam exquirit; num Saxoni adhærendum, si is vel

Brandeburgicus initio mutat. 10. Apr.

1635. vel ad Cæſarem tranſeat, vel tertias ſibi partes formet? Quorum etſi non pauci in conjunctionem cum Saxone inclinabant ob autoritatem popularis ſui Arnheimii, & quod anxie pacem anhelabant, ad quam iſthæc via expeditiſſima videbatur: tamen aliqui è conſiliariis, & ipſorum tuaſu Elector valde dubitabant, num ita repente ad Saxonem tranſeundum foret. Nam eo caſu ſumma rerum Saxoni credenda erat, quod cum ob alias cauſas durum erat, tum quod iſte magna ab hoc ſibi deberi contenderet ob hæreditatem Boruſſicam, & ſucceſſionem Juliacenſem, ex qua fructuum perceptorum & percipiendorum nomine ducenties quinquagies centena uncialium millia poſtulabat. Igitur placebat paulliſper ſpectandum, quo res ſe darent, omniaque integra ad Oxenſtiernæ adventum differenda. Sed cum mox articuli Pirnenſes paſſim interpolarentur, Elector non aulicos ſolum, ſed & Theologos in conſilium adhibebat. Quos inter Wolfgangus Crellius prolixe demonſtrabat: hautquidquam fas piumque eſſe Electori, cum Cæſare & Saxone arma conjungere ad perſequendos illos, qui amneſtia excluſi, & ſoli clementiæ Cæſaris reſervati ſint; quamvis ditiones, dignitatem, ac ſacra ipſi ſalva fore promiſſum ſit. Quin nec fas ipſi ratam habere pacem, qua aliqui Ordinum Evangelicorum excludantur. Unde ſpes erat, Electorem à cauſa communi non defecturum: de qua ſua mente etiam Banerium per Legatum Heidium eſſe ſecurum juſſerat. Enimvero Schvvarzenbergius, ipſiuſque factio duplici potiſſimum machina oppugnatum Electoris animum in ſequiora detorquebant. Nam cum Elector Oxenſtiernam in Saxoniam adpellentem legatione aditurus eſſet, id perficiebant, ut ei obeundæ deſtinaretur Blumenthalius, Comiti iſti penitus addictus; utque ſepolita communis cauſæ reparatione ſola cautio de ſucceſſione Pomeranica exigeretur: cum ſatis conſtaret, Oxenſtiernam ſine ulla conditione iſtam non annuiturum: qua repulſa ad irritandum Electoris animum abuſuri erant. Quem inſuper quaſſabant collapſæ per Superiorem Germaniam res, & Gallorum in Belgio arma initiis non reſpondentia, gliscensque Cæſaris atque Saxonis potentia, quæ malevoli immenſum extollebant, mania quoque miſcentes, ut Electori tandem perſuaderent, res Suecorum & Evangelicorum conclamatas, nec ſpem eas inſtaurandi ſupereſſe; unde unicam viam ſe ſuosque extremis malorum eripiendi patere, ſi pacem amplectatur. Quibus artibus labefactum Electoris animum demum in partes ſuas pertraxere.

Poſt artibus malevolorum corrumpitur.

Landgravius & Lunebergicus congrediuntur.

§. 48. In Saxonia Inferiore Landgravius Georgium Ducem tandem ad congreſſum Hildeſiæ habendum permoverat, invitato quoque Banerio, ut conſultarent, quomodo ipſorum copiæ neceſſitate exigente invicem ſibi ſuccurrere poſſent. Eo ſe conferre Banerius, quod initio conſtituerat, impediebatur adverſa valetudine, & quia conſtabat id agi, ut ipſe ab exercitu abſtraheretur. Mittebat tamen eodem tribunum Werderum Landgravio cumprimis gratum, qui demonſtraret; conſultum ſibi videri, ipſos intra hoſpitia quietem agere, quoad appareat, quid inter Cæſarem & Saxonem concludendum ſit: tunc demum enim certi quid ſtatui poſſe. Sibi ſane ſtativis ſuis digredi haut tutum, poſitis ad latus Saxonicis, à tergo Brandeburgicis copiis, à quibus quid expectandum ſit, non conſtet: unde ſibi utique rebus ſuis invigilandum, & quid tempus ferat expectandum eſſe. Quod ſi hoſtis Landgravium premat, firmatis valido præſidio

18. April.

Banerii conſilium.

munitis locis cum copiis Viſurgim verſus ad Georgium Ducem recedendum, apertis agrorum hoſti in prædam relictis, quibus æque vaſtitas immineat, ſi amicos exercitus eodem evocet, ſede belli ibidem locata. Quod ſi tamen omnino auxilia petat Landgravius, eſſe Duci Georgio ad ſuccurrendum facultatem, & ſe quantum tempora ſua ferant, equitatum ſubmiſſurum. Omnino tamen ſuadebat Landgravio, conſervationem potius exercitus hoc tempore, quam agrorum ſpectaret. Cæterum Hildeſiæ Luneburgicus Landgravio aliquot legiones promittebat, quibus hic de annona proſpecturus erat. Sed cum Landgravius mandata eis legionibus danda huc extendi vellet, ut ſi occaſio arrideat, Haſſiacis junctæ in hoſtem irent, & Bernhardo Duci ſociarentur, id Luneburgicus obtentu induciarum, in quas conſenſerit, recuſabat. Ita ad extremum eo congreſſu parum effectum fuit.

1635.

Conventus inter Vinarienſem Luneburgicum & Landgravium Hanerio ſuſpectus. 20. Maji.

§. 49. Alio inde conventu Wilhelmus Vinarienſis, Georgius Luneburgicus, & Landgravius Northuſæ agitabant, quid circa pacem Pragenſem ſtatuendum foret, quam à Pirnenſibus articulis multum diſcrepare intellexerant. Ubi id ab ipſis decretum vulgabatur; ſi honeſta & omnes complexa pax obtineri poſſit, ſibenter ſe eam arrepturos. Aſt ſi Saxo conventa ſua ipſis utique obtrudere conetur in fraudem cauſæ communis, ſe conſtanter in ſocietate permanſuros, quoad Proteſtantibus firma ſecuritas parta ſit. Eo fine ipſos è copiis ſuis unum exercitum compoſituros, ingruenti qua opus ſit hoſti opponendum. Enimvero quod ſuper eo congreſſu Banerio nihil communicatum foret, ipſe his, quæ publice jactabantur, fidem derogabat. Quanquam enim de ſtudio Landgravii in Suecos non dubitaretur, reliqui tamen ſuſpecti erant, & præcipue Vinarienſis indies magis Electori Saxoniæ addictus. Unde ab ipſo id ſpectari judicabat Banerius, ut Luneburgicus Suecorum partibus abſtraheretur, aut ſaltem ejus ſibi copiæ adjungerentur. Id quod hac via obtenturus erat, quia iſte exercitus diverſis quidem ducibus ſubditus, ſummæ ejuſdem directioni ſubeſſe debebat.

Conventus Inferioris Saxoniæ decretum. 29. Maji. 9. Jun.

§. 50. Aſt univerſos Saxoniæ Inferioris Ordines Auguſtus Brunſvicenſis Dux Brunſvigam convocaverat, ubi ad propoſitionem ab ipſo factam decretum; inducias à Saxone initas utique amplectendas: pacis quoque Pirnæ conceptas leges admittere ſatius eſſe, quam ancipiti aleæ fortunas omnes exponere, aut miſeros cives per belli mala diutius trahere: operam tamen utique dandam, ut Gallis & Suecis amica ratione ſatisfiat. Quod ſi Pragæ quid additum ſit, aut Pirnenſibus capitibus detractum, quod divinæ gloriæ & doctrinæ ſtatuique Evangelicorum repugnet, novo conventu indicto pro re nata conſilium capiendum. Interim ſuper alendo exercitu decernebatur, quoad de pace conſtaret. Ita Inferior Saxonia fere cum Electore compirabat, niſi quod Suecorum Gallorumque rationem curatius habendam duceret, quibus validi exercitus, ac plurima munita oppida præſidiis inteſta. Unde ni bona illorum cum gratia res componeretur, adparebat, eas oras novis, ac forſan gravioribus quam hactenus turbis involvendas. Nec placebat Landgravium ab induciis excluſum, qui ſi per deſperationem ad imploranda exterorum auxilia adigeretur, vicinum incendium Saxoniam quoque correpturum videbatur. Unde Electorem literis monebant, æquum ſibi videri Suecorum amicitiam conſervari, ac ob inſignia merita rationem eorum ita haberi, prout fas, & decus exigat.

1635. Tum omnes adverſus duas Coronas offenſarum cauſas declinandas, & Landgravium induciis includendum.

Neuſtadium & Nienburgum deditur. 30. April. 19. Jun.

§. 51. Inter iſta ob ſuſceptas inducias eo tractu ab exercitibus nihil memorabile actum, niſi quod Cæſarei Neuſtadium ad montem à rapis dictum, & Nienburgum poſt longam eminus obſidionem premente fame dedere ſunt coacti, illud Aprili, hoc Junio menſe, quorum huic Wernerus Meridius tribunus, qui obſidium curaverat, præficitur. Paulo poſt Sperreuterus ſupremus vigiliarum præfectus à Georgio Duce cum aliquot legionibus ſeceſſionem fecit; cujus rei cauſa paulo altius repetenda. Poſt acceptatas inducias Dux copiis ſibi ſubjectis, ac præcipue legionibus, quæ Nienburgum obſederant, imperaverat omni hoſtilitate adverſus Cæſareos abſtinere. Sed quia iſtud inſciis Suecis, & in fraudem eorundem factum erat, ſuſpicio oriebatur, quaſi Dux tractatuum Saxonicorum particeps foret: præſertim cum non modicas occaſiones hoſti noxam inferendi omiſiſſet.

Sperreuterus à Georgio Duce ſeceſſionem facit.

Ducis Georgii ſuſpectæ actiones.

Nam monuerat Sperreuterus, intra paucas ſeptimanas fame ad deditionem cogi poſſe Wiedenburgam Oſnabrugenſis præſulatus arcem, quæ vicinam late regionem exactionibus premebat. Id quod obtentu induciarum Dux recuſabat; quo nomine etiam voluerat Rhedam munitionibus ac præſidio firmari: non parum ſecuritati hoſpitiorum Weſtphalicorum inſerviturum. Præterea querelarum, & minarum adverſus Banerium, ejuſque exercitum nec finis erat, nec modus. Nec dubitabat palam profiteri; plus ſibi jam Ordines ſui Circuli reſpiciendos, quam Sueciam: illos quippe ſolos onera belli pertuliſſe, cum ab extraneis nihil auxilii, ac potius multum impedimenti ipſis allatum ſit. Idem quoque arguebatur, Suecicas legiones, & qui Suecis favebant durius, Brunſuicenſes contra largius habere, ut hæ potiſſimum numero militum gliſcerent. Jam quoque titulum *Generalis Suecici*, quo hactenus fere nuncupatus fuerat, & quem lubens admiſerat, faſtidire incipiebat, cauſatus; à Guſtavo Rege pacto Wurtzburgi inito in ipſius arbitrio relictum, num imperium in copias Circuli Saxonici tanquam Princeps Germaniæ, & non ſimplicis ducis Suecici dignatione ſuſcipere velit, modo in negotiis ſummam rerum ſpectantibus à Regis directione dependeat. Neque repugnare ipſum velut liberum Imperii Principem conſcriptis à ſe copiis præeſſe, & Regi dum viveret ſummam belli directionem deferre. Unde & in pacto deditionis Nienburgenſis omiſſo Suecico vocabulo Circuli Saxonici ſe ducem duntaxat vocitaverat. Cum etiam Banerius animo ipſius explorando literis & nuntio miſſo exquiſiviſſet; quid ab ipſo expectandum ſibi foret, ſi Saxo Cæſareis junctus invaderet; ſimul aliquot legiones Suecicas, & machinas triginta quatuor ſi-

25. Maji. bi mitti poſtularet: Dux inanes verborum ambages reponere; nec ſuis ſe legionibus, ac machinis carere poſſe; addito, ſibi non conſtare, legiones aliquas Suecicas, aut Sueciæ obnoxias ſuo imperio ſubeſſe. Præſertim cum iſtæ legiones Ordinibus Saxoniæ traditæ, atque ab hiſce acceptatæ, & hactenus ſuſtentatæ ſint. Non igitur penes ſe, ſed Ordines Circuli eſſe aliquas legiones dimittere: ſuum eſſe illas conſervare, & in uſum cauſæ communis adhibere. Imo cum Banerius poſtularet, ut Dux hoſti propior dimachis ſuis opportunos aditus cuſtodiret, ne id quidem annuebat.

28. Maji. §. 52. Cum igitur ex conventione Ducis cum Wilhelmo Vinarienſi, & Landgravio junctis ipſorum copiis exercitus ad Werram flumen eſſet formandus, Dux Sperreutero mandabat, contractis in Weſtphalia legionibus, ac ſuperato Viſurgi in agro Brunſuicenſi commodo loco caſtra metaretur hoſtemque diligenter obſervaret, ac ad Wilhelmum Vinarienſem, & Landgravium quicquid ageretur referret; ſe tamen in conſulto cum neutro copias conjungeret. Contra Sperreuterus Duci oſtendebat; non convenire Weſtphaliam milite nudari, ne forte hoſtis Nienburgo ſuccurrat, tunc in extremis agenti. Aſt Dux mandata ſua iterare, cauſatus ad Nienburgum nihil eſſe periculi ob nuperam Hiſpanorum in Brabantia cladem: ac ſi qui ingruant, ſat ſpatii fore iſtos disjiciendum. Igitur ad condictum locum feſtinaret, ſed inducias obſervaret, nec Melandro Haſſiaco Duci ſe miſceret. Ea mandata Sperreuteri ſuſpicionem, velut Dux in Saxonem inclinaret, non parum confirmabant; præſertim poſtquam intelligebat ſe imperio Ducis Wilhelmi in Saxonem jam aperte proni ſubjiciendum. Unde id agi judicabat, ut ipſe Luneburgico viciſſim ſuſpectus Weſtphalia dimotus in talem conjiceretur locum, ubi è medio tolli, aut in poteſtate haberi poſſet; ſimul legionibus Nienburgo obſidentibus Sueciæ addictiſſimis abſtraheretur, quæ deinceps una cum Nienburgo in Ducis manu futuræ eſſent. Conſtituerat igitur moras nectere; ac interim à Banerio, quid ſibi agendum, literis exquirebat. Enimvero huic non minus Dux ſuſpectabatur; nec ferendum videbatur. VVeſtphaliam, & tot legiones inſuper haberi. Igitur Sperreutero reſpondebat: legiones circa ſe expeditas teneret; interim ſuam mentem diſſimularet, quoad ipſe, quid ulterius faciendum, ſignificaret. Quod ſi nimis urgeatur, nec alia via pateat, legiones quas poſſit contraheret, & ſeceſſione à Duce facta ſecum jungeretur. Dum ita tergiverſanti Sperreutero Dux repetitis mandatis inſtat, ad Oxenſtiernam, quem 30. Maji. è Gallia in Saxoniam adpuliſſe innotuerat, Hammerſteinium præfectum turmæ ablegat, ut ſibi expreſſa mandata dentur, num repudiato Luneburgici imperio ad Banerium tranſire, abductis ſimul à Regina pendentibus legionibus; ac Nienburgum, ubi captum ſit, fido præſidio firmare debeat? Oxenſtierna, quanquam proſpiciebat, Luneburgicum hac re gravem offenſam concepturum, ac eam fortaſſe obtentui ſumturum in partes Saxonicas tranſeundi: tamen haut conſultum judicabat, tot legiones jacturæ periculo exponere. Inprimis animo obverſabatur Nienburgum, quo ſi Luneburgicus potiretur, jam Hamelæ ac Mindæ potens, Suecis nihil firmi ad Viſurgim reſtabat, tranſitus ejus fluminis in placito Ducis deinceps erat futurus. Igitur mandata à Banerio miſſa confirmabat, ac ut legiones à Suecia pendentes in fide retinere ſtuderet; tum curaret, ut Nienburgum in poteſtate haberet non ſolum ob tranſitum Viſurgis, ſed & ut tormenta Suecica, quæ Dux ad ſe non ſpectantia Petersburgo avexerat, eo pignore facilius ab ipſo recipi poſſent. His mandatis acceptis Sperreuterus Duci ſignificat, ſe contrariis Oxenſtiernæ juſſis prohiberi, quo minus injunctum ab ipſo iter perſequatur. Quæ iſtum rationes moveant ſe ignorare, nec inquirere ſuum eſſe. Id vero Dux ægerrime ferebat, ac in acerbas de Sperreutero querelas erumpebat, velut is non ob bonum publicum, ſed ut Comitatum Lippienſem argento emungeret, falſis narrationibus Oxenſtiernam circumvenerit. Multa ſimul de fide ſua teſtabatur, & vindictam ſe de Sperreutero ſumturum. Eam animi ægritudinem Oxenſtierna colloquio eximere conabatur, ad quod Dux initio ſe cupidum oſtendebat. Sed poſt mutata ſententia abnuebat, quoad ſuper iſtis legionibus ſibi ſatisfactum foret. Interea Sperreuterus aſſociatis ſibi novem legionibus primo Huxteram verſus tendebat,

1635. Sperreuterus juſſu Ducis Weſtphalia non vult excedere.

28. Maji.

Oxenſtiernæ Sperreuteri conſilia adprobat.

1635. bat, ubi in proclivi videbatur Hamelam aſtu occupare, ſi propria autoritate tantam rem ſuſcipere auſus fuiſſet. Inde per præſulatum Mindenſem, & Oſnabrugenſem Nienburgum flectit, tunc recens ab hoſte deditum, idque feliciter in poteſtatem ſuam redigit, poſtquam præfecto Wernero Merodio, & tribuno Stralendorfio Oxenſtiernæ mandata, queis ejus imperio parere jubebantur, oſtenditſet. Et Stralendorfius quidem cum ſua legione ſtatim oppido dimotus, ſolis Aſtoni cohortibus ibi relictis, & quod parum annonæ eſſet, Merodio ut è vicinis præfecturis ſtatim importaret injunctum.

Spectantes Nienburgum in poteſtatem redigit. 19. Junii.

§. 53. Eodem tempore conſpiratio in Banerium detegitur, cujus autores erant Joannes Stalmannus præſulatus Magdeburgici & Halberſtadienſis nuper Cancellarius, & Jacobus Capo Rugia inſula ortus. Quorum ille ob Reformata ſacra, quæ profitebatur, abdicato munere priorum beneficiorum memoriam acerrimo odio mutaverat. Hic in Poloniam exploratum miſſus, cum operam ſuam non ex voto æſtimari vidiſſet, in vindictam exarſerat. Qui in ſocietatem ſceleris pertrahere nitebatur Eraſmum Platonem tribunum, qui Banerii offenſam incurrerat. Adhibebatur flagitio color, quod tranquillitatis Germaniæ interſit eum virum è medio tolli, qui ſolus pacem remoretur, nec ex uſu Sueciæ rem gerat. Aſt Plato percepta ſceleris machina; quanquam ipſe Banerio invitus, & conſpiratio non adverſus Succiam inſtituta ſimularetur, illam ad hunc deferebat. Iſti tamen rem detectam odorati in fugam ſe dant. Et alterum quidem latebræ texere. Stalmannus ad fines Poloniæ deprehenſus, cum deſperabundus vulnus ſibi cultro intuliſſet non letale, in vincula datus eſt; quibus poſt ruptis una cum decurione cuſtodiæ adpoſito ſe proripuit.

Conſpiratio in Banerium detegitur. 13. April. 26. Sept.

§. 54. Sed & apud ductores exercitus novarum rerum indicia erumpebant, poſtquam de infenſo Saxonis, & aliorum in Succos animo intellectum eſt, & cum exercitum Pragenſi pace excluſum. Inde enim è Banerio ſciſcitandi anſam arripiebant, cui deinceps militaturi, & à quo ſtipendia acceptu-

Primi motus inter ductores exercitus erumpunt.

ri eſſent? Quorum conatus etſi Banerius hoc artificio eludere ſtuderet, quod ſingulos tribunos apud legiones ſuas præſto eſſe juberet, velut in adventantis Oxenſtiernæ honorem, ac ut rebus ita exigentibus exercitus eo promtius contrahi poſſet; quo ipſos divitos teneret: impedire tamen non poterat, quo minus Winckelius, Hodicius, Comes, Berghoſius, Devvicius, & Crocovius tribuni ſcripto ipſi oblato poſtularent; ut ſuperiores duces tribunosque exercitus convocaret, quo periculoſis hiſce temporibus ſuper ſalute Sueciæ, & exercituum conſultari queat. Quos ille ad Oxenſtiernæ adventum quieſcere jubebat. Cæterum non modicæ curæ Banerium exercebant, quod Arnheimius Werdero tribuno indicaverat, Saxonem recta in Pomeraniam iturum, quam Brandeburgico pacem Pragenſem acceptanti ſe traditurum Schvvartzenbergio Comiti promiſerat. Eoque metuebat, ne Brandeburgicus tranſitus Havelæ validis præſidiis firmaret, ut priusquam ipſe perrumpere poſſet, Saxo copiis Witteberga & Torgæ trans Albim ductis, eodem præverteret, ipſumque ora maritima excluderet. Contra tamen ſuſpicari in mentem veniebat, ne forte rumor iſte ſtudio ſpargeretur; quo ipſe Magdeburgico agro abſtractus in Pomeraniam ſe proriperet, quem norant ad id receptaculum oculos ſemper reflectere. Igitur in procinctu ſtabat, ut ſi Saxo in Pomeraniam moveret, ipſe eum præverteret. Sed poſtquam iſte ad Lipſiam copias contrahebat, Banerio ad Salam metari placebat.

11. Maji.

§. 55. Inter Iſta Oxenſtierna Magdeburgum acceſſerat, quem rebus plane turbatis ac prolapſis magnæ difficultates circumſtabant. Saxo quippe poſt pacem cum Cæſare factam Succorum partibus deſertis omni modo id agebat, ut cæteros Saxoniæ Ordines ad ſe pertraheret, jam indies magis vacillantes. Ita ab amicis nudato Oxenſtiernæ duæ patebant viæ, quarum alterutra utique ingredienda erat, ut vel per tractatus cœptam rerum telam abrumperet, vel continuato bello pertexeret; quarum neutra tamen ſat expedita videbatur. Nam circa tractatus potiſſimum dignitas, ſecuritas, & ſatisfactio patriæ reſpicienda erat. Dignitas in eo vertebatur, ut quemadmodum bellum cum Cæſare ac Liga geſtum fuerat; ita & pax cum utrisque, aut ſaltem cum Cæſare iterum ſanciretur. Id quod ſuſcepta cum Saxone tractatione futurum non erat, niſi hic mandatis à Cæſare inſtructus negotium ſuſciperet. Quantum porro ſecuritatis in Saxonis cautione pro aliis interponenda foret, recens Sileſiorum exemplum oſtendebat. Denique penſationi ſumtuum nec plane renuntiare placebat; & tamen quid terrarum citra novum bellum obtineri poſſet non adparebat; modica autem argenti ſumma mactum diſcedere apud omnes nationes probro erat futurum. Quod ſi bellum ſederet, erat quidem ſub Banerio egregius exercitus, Saxoni par; ſed qui fere extraneo, & Germano milite componebatur, cui an præſenti rerum facie ſatis tuto fidendum foret, non conſtabat; præſertim cum ductores jamtum ſuper ſtipendiis in poſterum ſcrupulos moviſſent. Sed & ſtatus Sueciæ animo obverſabatur, quæ finientibus induciis Polonicis, ac incerto adhuc tractatuum eventu duobus tantis bellis diu ſuſtinendis vix ſufficiebat. Eo rerum articulo commodum valde cecidiſſet, ſi Galliæ Rex, & Batavi Legaros ſuos mature, prout convenerat, huc miſiſſent, autoritate ſua effecturos, ne vel tractatus cum Saxone abrumperentur, vel Ordines inconſulto impetu ad Pragenſem pacem amplectendam ruerent. Enimvero Gallus Legatum mittere diſtulerat, ne invidia ob tardatam Germaniæ pacem in ipſum devolveretur, qui per Italiam & Galliam credi volebat non niſi ſuas injurias contra Lotharingum exſequi; atque interim non tantum Epiſcopis & Bavaro, ſed & Cæſari ſe venditabat, velut pacis cupidiſſimum, ac Romanæ Eccleſiæ ſi quisquam ſtudioſum. Neque deſinebat tunc Julius Mazarinus Pontificis Nuntius in Proteſtantium damnum fabricare pacis Auſtriacam inter Domum, Regnumque Galliæ conſilia. Apud Batavos quoque multum temporis deligendo Legato terebatur, quoad tandem id negotium Foppini Aizemæ apud Hanſeaticos Reſidenti deferretur; cui exigua ubique fides & autoritas, ut parum auxilii ab ipſo Oxenſtierna expectare poſſet. Sed neque Galli reſidua ſubſidiorum, neque Batavi de promiſſa pecunia quidquam ſolverant, ſic ut Oxenſtiernam pecunia deficeret; cujus ſi affatim fuiſſet, promptum videbatur non ſolum Banerii exercitum componere, ſed & fortaſſe Saxonicas copias ad ſe allicere.

1635. Oxenſtiernæ circa præſens tempus conſilia.

§. 56. Haut eo ſecius tamen Oxenſtierna ſolus nullo ſublevante, ac inter argenti tenuitatem deſtituturus, patriam ſuam ſi qua poſſet per amicos tractatus moleſto eripere bello conabatur anſam præbente ipſo Saxone. Cui Banerius, cognito à Cæſare Pirnæ conventis non pauca dura adjungi, ſcripſerat; ſe paratum eſſe cum exercitu ipſi ſuccurrere, ſi tractatuum obtentu Cæſar ut antea hoſtilia machinetur; ſimul monebat, ne in leges cauſæ Proteſtantium communi, Sueciæque noxias conſentiat; tum quid viciſſim auxilii Suecia ab ipſo expectare debeat, requirebat.

Oxenſtierna cum Saxone tractatus ſuſpiciat. 24. Maji.

1635. init. Ad quæ Elector initio præter inania verborum nihil reponebat. Mox tamen factam pacem Banerio significat, addito; se quamprimum cum ipso transacturum, qua ratione Sueciæ gratia referri queat, prout æquitas viresque ferant. Eam antèm arripiebat Oxenstierna prolixe ad Saxonem scribendi; uti Suecis ac Fœderatis Imperii Ordinibus semper propositum fuerit res Protestantium per honestam fidamque pacem stabilire; cui fini ipse maxime expedire judicaverit bellum juxta ac pacis tractatus junctis consiliis geri. Id quod nunc quoque factum optet. Sed quia Electori aliter visum, cupere se, pacis capita simul fuisse transmissa, quo ea mature expendi queant. Nam quæ in vulgus sparsa sint, pro genuinis à se haberi vix posse, quę Sueciam hostili modo persequendam decernant, multosque Ordinum Evangelicorum durissimæ conditioni exponant. . Equidem quid ipse cæterique Ordines Germaniæ expedire credant, id à se in medio relinqui. Ita tamen Gustavum Regem de Electore, cæterisque meritum, ita quoque ipsum fœdere promisisse, ut pax nisi præscia & consentiente Suecia concludi non debuerit. Quod si tamen ista hæc pax honesta sit ac fida, se Sueciæque socios libenter operam daturos, ut ea quamprimum perficiatur. Ad quæ Elector paucis reponebat; se propediem super hoc negotio legatos missurum. 18. Julii. Et mox Magdeburgi aderant Joannes Porta, & Joannes Paulus Munchius, qui multis verbis memorabant de studio Electoris circa Germaniam belli malis eripiendam; quid operæ ab ipso circa pacem sumtum sit; ut ea tandem Pragæ coaluerit; quam Suecis quoque probatam iri confidat. Tum ut hi Magdeburgico præsulatu, qui in filium Electoris collatus sit, cedant, ac in cæteris quoque paci sese conformes gerant. Se uti omnem operam daturum quo Suecis satisfiat; ita sperare hos æqua postulaturos; præsertim cum Gustavus Rex initio belli declaraverit, causam in Germaniam adpellendi sibi præcipuam fuisse, ut proprias injurias ulciscereturr, & Maris Baltici ac Sueciæ securitati prospiceret. Evangelicos Ordines plane exhaustos; & generosum esse solo gloriæ præmio afflictos malis eripuisse. Saltem Gustavum Regem declarasse, se ab Electore nomine lati auxilii pentàtionis nihil postulare. Multis demum rationibus monent, æquitatem sectandam, nec omnia in armis reponenda. Ad ista cum Oxenstierna scrupulos quosdam circa pacem concludam movere inciperet, illi quid super Suecica satisfactione in mandatis habeant, expromunt: Dignitatem Imperii non ferre, ut quid ditionum aut jurium ei decerpatur; neminem Ordinum de suo quid concedere velle, nec salvo jure posse. Catholicos sua armis recuperasse; à Protestantibus aliquid petere contra finem auxilii esse, nec quæ ipsis servandis arma sint sumta, iisdem destruendis inservire debere. Unde Electori consultissimum videri, ut Suecis insignis pecuniæ summa, super qua conveniri queat, exsolvatur, postquam omnia loca, quæ obtinent, salva restituerint, exercitum absque noxa deduxerint, & omni actioni in futurum renuntiaverint. Hornium insuper, cæterosque captivos Suecos absque lytro liberandos. De amnestia jam ipsa pace satis cautum esse, si exteri Principes eam ultro suscipiant. Nec temporum rationem & incumbentia Germaniæ belli mala moram admittere ut res ad Galliæ Regem, Ordinesque Fœderibus Suecorum innexos, aut in ipsam Sueciam referatur. Ista cum Oxenstiernæ non arriderent, sed is super dignitate & securitate Sueciæ, cujus Pragensi pace nulla ratio erat habita, aliisque quæ desiderabat prius satisfieri sibi cuperet, antequam præsulatibus cederet; contra Legati Saxonici re infecta discedunt. legari nihil amplius in mandatis se habere dicerent: 1635. iste re infecta eos dimittebat, spe facta paucos intra dies ad Electorem missurum, qui supra scrupulis circa pacem occurrentibus declarationem petant. Sed Elector moræ impatiens per literas non- 27. Julii. nihil ad dubia, quantum ex Legatis suis perceperat, reponebat, parum sane ad rem faciens. Nec super securitate Sueciæ aliud proponebat, quam æterna oblivione sepultum iri, quod alias ob auxilium alteri parti latum moveri queat. Ac denuo super maturanda declaratione urgebat.

§. 57. Dum hæc aguntur Banerius apud Munch- Banerius Neuburgum exercitum lustraverat, ac peditatum exercitum ad Gatterslebiam, equites per vicinos vicos dispo- contrahit. suerat, ut pauculas intra horas universæ copiæ coi- 22. Julii. re posset. Insuper spartos per præsidia & hospitia, & aliquot Sperreuteri legiones evocaverat. Ea re Elector, cujus copiæ nondum omnes convenerant, commovebatur, ut Hanavium legionis vicarium mitteret scitatum; quid iste sibi motus vellet? Cui placide Banerius; ita ex usu sibi fuisse, nec Electoris ditionibus aut hospitiis id fraudi fore, aut amicos inter tractatus quidquam adversi ipsi metuendum. Cæterum revera parum spei in tractatibus istis reponebatur, & paularim quæ bello exorto opus forent præparabantur. Si- Oxenstiernæ mul Oxenstierna cum Wilhelmo Landgravio, qui cum Landgravio Magdeburgum ipso petente accesserat, convenit; conventio. ut is Reginæ nomine sibi adjungat quicquid per 24. Julii. Westphaliam & vicina loca copiarum Suecicarum foret, una cum VVilhelmi Vinariensis legionibus per Eichsteldiam hospitantibus: utque si res exigat Banerio, qui hæc & vicina loca sit servaturus, subveniat. Inde mutuo fides datur, neutrum pacem facturum, nisi incluso altero; nec arma positurum, nisi honesta utriusque consensu pace obtenta. Seorsim quoque conveniebat, ut Landgravius, assumtis Suecicis sub Sperreutero legionibus & Vinariensis copiis, Rhenum versus moveat, ac Bernhardo Duci junctus res ibi reparet, continendis quoque in officio Francofurtensibus; aut saltem ut Afflictiores *Concilii Formati* anxie id petentes in tutum subducantur. Facta tamen de pace Pragensi mentione Landgravius stipulabatur, ut si absque manifesto exitio sui status eam repudiare non posset, vitio sibi haut verteretur, id medium salutis extrema necessitate arripuisse.

§. 58. Oxenstierna hinc retinendis in officio Ba- Oxenstiernæ cum ducibus convocatio. 25. Julii. vernem copiis omnes Duces superiorum Ordinum convocat, ac præsentem rerum conditionem illis exponit: Ut Pragensi pace Evangelici Ordines divulsi sint; ut rebus prolapsis nullum humanum auxilium supersit, præterquam in hoc exercitu, qui hostibus formidetur. Eo destructo omnia conclamata esse, militem stipendiorum exsortem fore, duces periculum vitæ ac fortunarum incurturos, Sueciam contumelia præmii loco mactam bellum deserturam. His malis præveniendis, & obtinendæ honestæ paci unicam rationem esse, si ipsi cum Suecia, & inter se insolubili nexu jungantur, quoad scopo suo per amicos tractatus, aut per arma potiantur. Ad quæ illi quatriduum rei mature deliberandæ petebant; quod, ubi cum Electore bellum sit gerendum, sententiis inter se discrepent, non minus nationibus, quam studiis diversi. Eam moram uti Oxenstierna facile annuebat; ita ostendebat, præsentes res exigere, ut omnes præ se ferant, ac in vulgus spargant, universis fixum fœdere citra militum ac Sueciæ satisfactionem nullos tractatus admittere. Vicissim promittebat, futuro tractatu absque ducum consensu nihil concludendum; eoque fine aliquot tribunos ab ipsis designatos in consilium adhibendos. Decernunt in- 30. Julii. de duces: Si sex ab ipsis delecti tractatibus adhibeantur,

1635. antur, citra quorum conſenſum de bello & pace non agatur, ſe exercitui firmiter adhæſuros, quoad pax per tractatus cum Saxone obtineatur. Sed ſi in bellum res erumpat, cuilibet ipſorum liberum fore rebus ſuis ita exigentibus bona cum venia militiæ renuntiare, ut tamen legiones atque cohortes ſuæ apud Suecos perſiſtant, quo caſu de ſtipendiis ſibi ſatisfactum iri ſperent. Sed cæteri, qui ad extremum perſiſtere decreverant, ſcire cupiebant; quem ſtipendia merita poſcere debeant, ſi ortum cum Electore bellum Suecis ſecus ſuccedat, ac ipſi forte ſolo Teutonico depellantur? In has conditiones duces univerſi datis dextris fidem Oxenſtiernæ obſtringebant.

Saxonum ad Saxonem irrita legatio. 1. Aug.

§. 59. Inde miſſi ab Oxenſtierna Brandenſteinius Comes, Lohuſius ſupremus vigiliarum Præfectus, & Henricus Schvvalenbergius Electorem Lipſiæ adeunt, eidemque exponunt; Spem fuiſſe Superioribus Circulis, atque Oxenſtiernæ, negotium pacis ab Electore ad hujus adventum in integro habitum iri, ac apud ipſum monita Evangelicorum æque locum inventura, quam apud Cæſarem Catholicorum. Hunc tamen adventu ſuo in Saxoniam deprehendiſſe, pacem jam promulgatam iniquis Ordinum Evangelicorum conditionibus, & excluſis Suecis, præterque meritum hoſtium loco habitis. Equidem à pace ſe cæterosque nunquam abhorruiſſe rerum optima, ſed quæ nec ſervitium ſtabiliat, nec novo bello, eique longe atrociori originem det, quæ inſuper ſit honeſta, omnesque complectatur; per quam ſacra, legesque Imperii & libertas Ordinum firmentur; quæ denique exterorum aliquam rationem habeat, Sueciæ inprimis, cujus ſanguine & ſumtibus res Proteſtantium ſuſtentatæ ſint. Enimvero pacis Pragenſis decreta à Suecis ſalva conſcientia & exiſtimatione, tutoque acceptari non poſſe, niſi quædam obſtacula removeantur, aut ipſa emendetur, refingaturve. Excluſam quippe eſſe Domum Palatinam, ac multos Ordines Superiorum Circulorum; Galliæ, & Fœderatorum Belgarum haut factam mentionem; Sueciam quoque præteritam, quæ non ſuo tantum, ſed & ipſius Electoris, ac reliquorum Proteſtantium nomine adverſus Cæſarem arma geſſerit; quam inter Cæſarem & Electorem ſolum acta obligare nequeant. Nihil reperiri de compoſitione controverſiarum, è quibus bellum primo ortum eſt, aut de aliqua transactione inter Sueciam, ac Cæſarem ejusque ſocios. Pro imperio tantum juberi Suecos occupata reſtituere, & Germania faceſſere. Atqui horum arma ipſius Electoris, & plerorumque Ordinum fœderibus adprobata; ſuper quibusdam quoque locis conventum, ut ea tamdiu à Suecis detineantur, quoad ipſis ſatisfactum ſit. Denique & Germanos maximo numero ſub Sueciæ auſpiciis militare, quorum indemnitati & ſtipendiis caveri par ſit. Super his omnibus quæ mens Elec-
1. Aug. toris foret, requirebatur. Ad iſta Elector parum, quod ad rhombum faceret, reponebat; cœptos cum Cæſare tractatus abrumpi aut differri non potuiſſe, quos à quibusdam Principibus invitatus conſcio Electore Brandeburgico ſuſceperit, recreandæ à belli malis deſeſſæ patriæ, & quia verſa armorum fortuna ad hunc portum confugere ſubegerit. Neque eosdem ignaris cæteris Ordinibus, ipſoque Oxenſtierna inſtitutos. Nunquam ſibi propoſitum fuiſſe Guſtavi Regis merita inſuper habere. Reliqua pace promulgata exprimi, cui à ſe nihil addi queat. Omnes tam exteros quam indigenas, ſi pacis legibus conformes ſe gerant, amneſtiæ includi, ſuper qua extendenda adhuc ſe cum Cæſare agere. Igitur non poſſe aliud reſponſum dare, quam quod nuper per legatos ſuos Oxenſtiernæ expoſuerit: ad quod ut quamprimum mentem ſuam declaret, poſtulabat. Inter iſta Electorales in præfectura Juterbocenſi & Dammenſi, oppidoque Burgo hoſpitia ſibi ſumebant. Quod etſi Banerius durante tractatu ferendum non cenſeret; Oxenſtierna tamen ut iſtud vi prohiberetur concedere nolebat, ſed Legatis ſuis ſcribebat; monerent Electorem ut ejusmodi actibus ſuperſedeat, qui ſuſpicionem injiciant, velut Suecis inani negotiatione lactatis ipſe interim pro lubitu pacis decreta exſequi inſtituerit. Enimvero iſta à Legatis monita Electorem haut movebant; & cum iidem denuo difficultatibus à ſe motis, qua- 5. Aug.
rum æquitatem multis demonſtrabant, ſatis fieri peterent, nec niſi his remotis Oxenſtiernam ſuper pace acceptanda animum declarare poſſe; Elector pauca reſpondebat, & conditiones ſatisfactionis à Legatis ſuis expoſitas repetebat, addito; ſummam pacis refingi, novosque tractatus ſuſcipi majeſtate Imperii & Cæſaris indignum eſſe. Nec ſibi integrum quidquam in Pragenſi pace emendare. Sic re infecta Legati Magdeburgum revertunt, 9. Aug.
referentes, Electorem aperte jactaſſe; ni Oxenſtierna cõfeſtim ſibi Magdeburgica urbe ac ditione cedat, ac propoſitis à ſe conditionibus, ſuaque circa Sueciæ ſatisfactionem diſpoſitione per omnia adquieſcat, ſe omnibus viribus in ipſum moturum, eundemque cum ſuis Suecis Germanico ſolo ejecturum.

Ductores copiarum fidem ſuam denuo obſtringunt.

§. 60. Iſta Oxenſtierna ad ſummos copiarum præfectos, quos tunc Magdeburgum evocaverat, referebat, ipſisque demonſtrabat, cum Elector Pragenſi paci mordicus inhæreat, quæ Suecos, eorumque ſago togaque miniſtros excludat, manifeſtum eſſe, ni ipſi fidei datæ, ſuæque ſalutis memores ſint, Sueciam, remque Proteſtantium communem, illosque ipſos ſummo cum dedecore emolumentis, juribusque partis evolutum iri. Unde ductores, quod ante per deputatos ſuos Oxenſtiernæ, ac Banerio verbo promiſerant, nunc ſcripto conceptum denuo confirmant: Se fidem Reginæ Regnoque Sueciæ datam ſancte ſervaturos; & quanquam pacem optent, utque cum Saxone res amice componatur; cum tamen nunc modica ſpes pacis allubeſcat, & conſilia hujus incerto ſint, animos ſe viresque invicem ſociaturos, quoad Germaniæ tranquillitas, Sueciæ honeſta pax, & æqua ſatisfactio parta, ſibique ſuper ſalute, fortunis, exiſtimatione, ſtipendiisque cautum ſit: præterea ducibus à Regina Sueciæ ſibi præfectis obſequium præſtituros, diſciplinamque militarem obſervaturos. Si quem tamen graves rationes urgeant, ei liberum fore miſſionem petere, ſalva ſua legione aut cohorte, ſalvisque ſtipendiis. Viciſſim nomine Reginæ Regnique Sueciæ Oxenſtierna, & Banerius ſpondebant: ſe illos non deſerturos, nec pacem cum hoſte inituros, niſi iisdem idonee cautum, ac ſatisfactum ſit. Tum ut eo certiores forent, eorum rationem futuris tractatibus habitum iri, placebat è ductoribus utroque adprobante deligi, citra quorum conſenſum nihil, quod militum emolumentum ſpectet, decerneretur; & ubi negotii gravitas id requirat, cæteros quoque duces in conſilium adhibendos. Tandem ſi per adverſam fortunam Germania pellantur, ipſis receptum in Suecia, ac pro Regni facultatibus cuique ex meritis præmia fore. In hæc capita omnes duces fidem ſuam obſtringebant.

Cum ductoribus in Saxonia inferiore agitur.

§. 61. Ad reliquos ductores exercitus Lunebur-
gici, præfectosque oppidorum in Saxonia Inferiore & VVeſtphalia ab Oxenſtierna mittebatur Lohuſius cum literis, quibus monebantur in fide Sueciæ data firmiter perſiſtere, quoad pax Sueciæ

&

1635. & ipſorum commoda complectens obtineretur.
12. Aug. Unde omnes tribuni, eorumve mandatarii Brunſvvigæ congreſſi mutuo ſtipulabantur, ſe in obſequio Reginæ Sueciæ fideliter perſtituros; tum legiones ſuas contrahere parabant, ut circa Mindam ad Viſurgim modicum exercitum formarent. Sed Georgius Dux, eo cognito ſingulis tribunis ſeorſim ad ſe convocatis oſtendit; in quanto periculo ipſius ditio verſetur, hærentibus in limite Cæſareis, ſi milite plane deſtituatur. Sibi hautquidquam in animo eſſe hoſtilia in Suecos inducere, ſed tantum media diſpicere, quo ipſi grata pace potiantur; quod commodius à ſe copiis ſtipato, quam inermi, effici queat. Qua ratione tribunos iſtos permovebat, ut deinceps quoque apud ipſum manſuros ſe pollicerentur.

Alia legatio ad Saxonem mittitur. 15. Aug.

§. 62. Inde placebat denuo tentare, num ad æquiora Saxo permoveri poſſet. Quo fine mittebatur Henricus Schvvalenbergius, qui Electori proponebat; circa traditionem Magdeburgici præſulatus nullam fore difficultatem, modo Sueciæ de honeſta pace cautum ſit. Tum petebat, ut is ſuper ſatisfactione clarius mentem ſuam explicet, ac ſuper dubiis priore legatione expoſitis; oſtenſo, quantopere Sueciæ intereſſit, cujus ſecuritas, & exiſtimatio in eo vertatur. Ad quæ Elector verboſo ſcripto reponebat: vi pacis non Magdeburgicam tantum ditionem, ſed & omnia loca occupata veteribus dominis reſtituenda. De ſatisfactione, quæ non niſi ſumma quapiam pecuniæ fieri queat, ſe pro virili curaturum. Cæterum à concluſa pace diſcedi non poſſe. Id reſponſum ſcripto conceptum cum Schvvalenbergius præſente Conſilio Electorali perlegere vellet, ut ſi quid monendum foret, cum ipſo ulterius diſceptare poſſet, idem graviora negotia ſibi incumbentia excuſabat. Enimvero cum Oxenſtierna ſalva dignitate Reginæ Regnique Sueciæ iſto reſponſo adquieſcere non
23. Aug. poſſet, miſſa epiſtola denuo demonſtrat; ad reſtituenda loca per transactionem inter alios initam ſe obligari non poſſe, cum nulla Cæſarem inter Suecosque pax facta ſit. Et cum ipſe Saxo, Bavarusque Cæſaris utique vaſalli ab hoc pro navata opera tam laute ſibi ſatisfieri curaverint, par eſſe, ut & Suecia ſanguinem ſumtusque ſuos non plane gratis prodegerit. Addebat, pacem Pragenſem non Suecos, ſed Imperii Ordines ſpectare. Sane retineret Elector ſuam pacem; modo eam ſibi operam præſtet, ut tractatum cum Cæſare promoveat, quo non cum Suecis ſolum, ſed & cæteris Regibus, Rebusque publicis, & fœderi adhuc ipſorum innexis Imperii Ordinibus tranſigatur. Quja tamen utriusque exercitus conditio longiorem moram non ferat, ſibi placere, ut initio cum Sueciæ Regno transactio ſuſcipiatur, cui cæteris accedere liberum ſit; qua itidem iis, qui ſub Suecorum auſpiciis militarunt, caveatur. Sin poſtulatorum ſuorum nulla ratio habeatur, ſibi non imputandum quicquid malorum inde ſecuturum ſit. Ad haſce literas Oxenſtierna ejusmodi reſponſum ſperabat, quod anſam honeſtis tractatibus præberet. Sed Elector ſilentio eas transmittebat, verboque tantum eorum latori dixerat; ſe quid reſpondere debeat, neſcire; neque id ſuo judicio transactioni expedire.

Sueci ad reſiſtendum Saxoni ſe comparant.

§. 63. Cum igitur res indies magis ad arma ſpectaret, Oxenſtierna Sperreuterum cum legionibus, quas hactenus Landgravius apud ſe habuerat, arceſſit, ut eo validiores copias Electori vim intentanti opponere poſſet. Ac ne forte Elector iſtius itineri obſiſteret, Rudvvenus Supremus vicarius cum legionibus aliquot obviam mittitur,
9. Sept. qui ad Gernrodam in ſylva Hercinia iſti junctus incolumis cum eodem ad exercitum pervenit.

Enimvero majus firmamentum ſperabatur è copiis 1635.
Boruſſicis & Livonicis, poſt concluſas circa id tempus cum Polonis inducias, per quas majore vi bello Germanico incumbere licebat. Unde & à Rectoribus Sueciæ ad menſem Novembrem Con- 1. Sept.
ventus Ordinum Regni indicebatur, in quo de bello Germanico deliberaretur. Tum ad Saxo- 26. Sept.
nem nomine Reginæ literæ ſcribuntur, quibus de induciis Polonicis ipſi ſignificatur, & ne rem ad extrema deducat, monetur. Inde diſponitur, ut Rectorum Sueciæ ſuper bello Germanico ſententia.
quæ hactenus in Boruſſia & Livonia egerant copiæ, in Germaniam trajiciantur una cum adparatu & commeatu, qui bello Polonico deſtinatus erat. 19. Sept.
Senatus quoq; ſententia Oxenſtiernæ declaratur; Ut quos ipſi antea præſcripſerant gradus obſervaret, & ſi nihil præterea obtineri poſſit, ſaltem id ageret, ut amice Germania decederet. Malle porro ſe, ut ipſo cum Cæſare tractatus inſtitui queat. Sin minus, providendum, ut Elector aut ſi quis alius cum ipſo acturus ſit, idoneis mandatis à Cæſare ſit inſtructus, & ut Liga imprimisque Hiſpaniæ Rex includatur, quo in Hiſpaniam navigatio tuto inſtitui queat. Inde ut miles honeſte & benevole exautoretur Ordinum Germaniæ impenſis, ut ſi Suecia præmii expers foret, ſaltem onus iſtud in eam ne devolvatur. Tum ut Galliæ Regis, & Landgravii ratio habeatur, ne his querendi anſa præbeatur. Cætera prudentiæ ipſius, & tempori committebantur. Si bellum exardeſcat, ſupperias ipſi miſſum iri. Ubi victoria obtigerit, eadem uteretur non ad arma ſolum proferenda, ſed & præcipue ad novos tractatus inſtaurandos: qui honeſtiſſime tunc offeruntur, quando minima iſtorum neceſſitas eſt. Impar hoſti decore ſe reciperet, ac vim propulſaret, cumque Gallis & aliis quorum intereſt amicitiam coleret. Præcipue autem oram maritimam firmaret, ut in omnem eventum receptui ſit cautum; quo tamen non temere verteret, ſed mediterraneis quantum poſſit locis inhæreret. Tandem apertam ſibi ſemper viam tractatus retineat.

Saxo duces Sueticos ſolicitat. 18. Aug.

§. 64. Interea aliam rationem res Suecorum ſubruendi inierat Saxo, miſſo ad univerſos ductores exercitus Suecici ſcripto, quando adhuc Legati Lipſiæ hærebant, quo ſignificabat; ſecuritati ipſorum legibus pacis cautum eſſe, modo ei conformes ſe gerant, patriæ quietem ne invideant, & vel cingulum deponant, vel ad ſua ſigna tranſeant, ſtipendia hoſpitiaque, ſimul ob toleratam ſub Suecis militiam præmia accepturi. Eodem Edictum avocatorium publicatur.
quoque tempore à Cæſare publicatum edictum paſſim affigebatur, quo omnes, qui ſub adverſa parte militaverant, arma ponere, aut ſacramento ipſius accedere jubebantur, graviſſima in tergiverſantes pœna denuntiata. Iſthæc promiſſis miniſ- Animi exercitus Suecici alterantur.
que temperata non parum concutiebant animos exercitus Suecici, maximam partem Germanis conſtantis, quorum plerique peculiari vinculo Imperio, Ordinibusve innexi erant. Et parum efficaciæ jam deprehendebatur habere ad reprimendum terrorem, illecebrasque ſcripto nuper obligata fides, eo celerius propagato contagio, quod peditatus munitis caſtris apud Munch-Neuburgum in Anhaltina ditione ad Salam conſediſſet, equitatu per vicinos vicos diſpoſito. Accedebat Bauditius, ſupremus exercitus Saxonici legatus, Sueciæ infeſtiſſimus ob non impleta ipſius poſtulata nimium avara; quo nomine ultionem ſe ſumturum ſcriptis antea ad Senatum literis non obſcure denuntiaverat. Iſte multis familiariter notus cum aliis Saxonicis ducibus, quorum cognati amicique ſub Suecis merebant, hos quotidianis literis nuntiisque compellabat. Id quod prohiberi non poterat apud militem ob non ſoluta ſtipendia ſeverioris diſci-

1635. disciplinæ impatientem, & quia Elector nondum aperte se hostem professus erat. Contra Elector quem ista animorum mutatio non fugiebat, copiis è Silesia firmatus exercitum duodecim equitum, quindecim peditum millia explentem, propius Suecis admovere constituit. Eoque Halam tendens misso tubicine à tribuno Crocovio oppidi præfecto postulat, ut sibi exercituique per oppidum transitus concedatur. Qui initio ut hospitiis suis parcatur petebat, cum Sala passim vado transiri queat. Sed mox denuntiatur; Electorem absque ponte Salam transire non posse, ac necessario ipsi per oppidum iter capiendum. Cui tribunus, sibi non mandatum Electorem vi transitu arcere; unde sibi ferendum, ut se digresso Elector eam viam capessat. Mox ipse cum duabus legionibus Hala discedit, arce Mauritioburgo duabus cohortibus firmata cum hisce mandatis, ut ubi discessus imperetur, rem ad Banerium rejiciant; vim intentatam vi propulsent. Sed Elector omissa arce, postquam oppido duas dimacharum cohortes præsidio imposuerat, Bernburgum versus movet, nuntio ad Oxenstiernam, Baneriumque misso: ne in sinistram partem accipiant adventum suum; quod circa Lipsiam alimenta deficiant, ac à Cæsare Magdeburgicus præsulatus filio ipsius sit assignatus; quo si cederent, promittebat, se exercitui de commodis hospitiis prospecturum. Cui Banerius absente tunc Magdeburgi Oxenstierna respondebat; cum ea propositio non bellum duntaxat, sed & summam pacis spectet, sibi rem ad Oxenstiernam referendam. Eodem die Bernburgum usque progrediebatur Elector; quod oppidum cis Salam situm Banerius præsidio firmaverat, ponte interscisso, arcem trans flumen positam vacuam relinquens, in quam Elector divertebat castris ad Salam positis; sic ut utraque castra non nisi dimidio milliari distantia flumen sejungeret. Nihil tamen hostile ab alterutra parte patrabatur, nisi quod utrinque pabulatores, ubi occasio dabatur, se mutuo ademtis equis, vestibusque nudos dimitterent.

Saxo in Suecos movet.

Ductores Suecici cum Electore tractare incipiunt.

§. 65. Inter ista ductores congressi à Banerio petunt, ut sibi aliquem suorum ad Electorem liceat mittere scisciatum, amicus, an infestus ita prope cum exercitu accesserit? Quo ipso etsi ille corruptelis, vanisque opinionibus spargendis januam aperiri perspiceret; tamen præpollente milite nullis stipendiis delinito, & qui magis Germaniæ Principes quam Sueciam respiceret, prohibere non audebat, quo minus duo tribuni in castra Electoris mitterentur. Qui reversi referebant; Electorem nihil hostile adversus Suecos agitare, modo præsulatu sibi cedant, & Imperii quietem ne turbent: ipsum Sueciæ satisfactionem, militi hospitia curaturum. Postera die apud eosdem in castra Electoris redeuntes multa jactabantur de affectu Electoris in Suecos, ipsorumque militem, deque ejusdem desiderio honestam istis pacem conciliandi, modo propius ad rem accedere, & tractatus serio ordiri velint. Sic ut Oxenstierna mox in castra accedente plerisque ducibus persuasum foret, Electorem nil nisi amicam transactionem quærere, sane non repudiandam. Simul fremebant, Oxenstiernam Baneriumque de bello extrahendo meditari, ac egregias, quæ offerantur conditiones, adspernari. Et quanquam Oxenstierna ostenderet, animum Electoris à verbis discrepare, nec Sueciæ aliud propositum, quam honesta ratione arma ponere; tamen concepta semel opinio ducibus hærebat, ut ab eodem scripto peterent; cum Elector ita liberaliter promittat, ipse rem ita moderetur, ne tractatus in irritum cadat, neu Sueciæ & exercitus actio periculo exponatur. Ut igitur duces eo clarius Electoris mentem perspicere possent, annuebat Oxenstierna, ut Lohusius, & Crocovius ad Electorem irent, exposituri, dignitatem & securitatem Sueciæ non ferre, ut illa tali, quem Elector nuper proposuerat, modo paci includatur: cum Gustavus Rex initio solus, & quando nullus Ordinum arma capere audebat, bellum Cæsari intulerit. Unde Suecos non velut in accessorii vicem pace comprehendi, aut inter meros Ordinum auxiliares referri posse; sed more inter gentes recepto Cæsarem inter, Regnumque Sueciæ, tanquam partes bello hactenus collitas, tractatus instituendos. Eam ad rem suscipiendam Oxenstierna Electoris consilium exposcebat, & num qui à Cæsare missi expectentur, aut ipse tale quid in mandatis habeat. Sin minus, ut idem apud Cæsarem se interponat, quo negotium dicto modo componatur; ac insuper cum Liga & Hispaniarum Rege amicitia sanciatur. Ad hæc Elector; commissum sibi à Cæsare cum Suecis tractare; seque declarationem, qualis desideretur; ab isto, Regibusque Hispaniæ & Hungariæ curaturum: Oxenstierna modo quantum petat designet. Addebantur plura auditu grata. Sed quod serum diei foret, pollicebatur, se postridie responsum scripto conceptum transmissurum. Alt postero die ipse castris moris ad Albim vertens Aquis merabatur; simul responsum mittebat tar contumeliosum, & ab eo, quod duces retulerant, plane diversum. Ad obtinendam cum Cæsare, ac Liga, Hispaniæque Rege pacem nihil utilius fore, quam ut Sueci primo præsulatibus cis & ultra Albim decedant: tum ut exercitus Suecicus solo Imperii citra noxam abeat. Hæc si Oxenstierna receperit, se pro commissa sibi facultate sponsurum, à Cæsare & Imperio, quicquid Sueci, eorumque ministri ac milites hoc bello patrarunt, æterna oblivione sepeliendum. In idem quoque pro Rege Hispaniæ, & tota Domo Austriaca cautionem interpositurum. De satisfactione, ubi inter proficiscendum summa significata fuerit, & siquid aliud Sueciæ proficuum stipulari velit, responsum Stralsundam transmissurum, in quam urbem interim ut se conferat, liberum ipsi fore; quo etiam conducendus, & quoad satisfactio præstetur, à nemine lædendus sit. Commodum aderat ab Oxenstierna evocatus Dietericus Taubius Electoris Supremus Vigiliarum præfectus, cum id responsi adferretur. De quo cum missi ductores, & Oxenstierna quererentur, iste errorem scribæ excusabat, pollicitus, ab Electore aliud se responsum obtenturum, cum verbis ipsius congruens. Sequenti die ductores postulabant, ut declinandæ collisioni longius ab exercitu Saxonico recederetur. Id quod, etsi repugnante belli ratione, & non citra fraudem rei Sueciæ, istorum importunitati dandum erat; cum satis constaret, Electorem mox insecuturum, & omnibus commodis ipsos exuturum. Ita Sueci Munch-Neuburgo moventes altera die Magdeburgum perveniunt. Quo die aliud responsum ab Electore aderat prioris asperitatem correcturum, velut non id postuletur, ut præsulatus tradantur, & exercitus prius deducatur, quam cum Suecis transactum fuerit; sed ut capita duntaxat conventionis designentur. Stralsundam tantisper pignoris loco à Suecis detinendam, quoad satisfactio præstita sit. Si quid Oxenstierna præterea monere velit, id à se mature expendendum.

1635. 1. Sept.

1. Sept. Saxo conjunctim Suecos tractat.

Suecicus exercitus Magdeburgum recedit. 3. Sept.

4. Sept.

§. 66. Ex hoc ergo, & quia Electorales minister jactaverant; si ab Electore latæ conditiones displicerent, alias ab Oxenstierna concipiendas, hic movebatur, ut denuo Brandensteinium Comitem ad Electorem ire permitteret certis mandatis

Oxenstiernæ Electoris capita transactionis proponit.

1635. tis inſtructum. Ubi, quod alias in limine tractatuum uſu receptum eſt, non placebat ab Electore procuratoria editionem poſtulare, ſed ſub ſpe rati tranſigere, quod Cæſarea ratificatione ſecuta id Sueciæ fraudi eſſe non poſſet; præſertim cum nec Oxenſtierna mandata ita ostendere poſſet. Nam quæ habebat, unice ad bellum cum Cæſare & Liga, pacemque referebantur. Sed poſtquam hoſtis callido artificio magna ex parte ſe bello ſubduxerat, ac Succos cum ſociis ſuis commiſerat, immutata rerum facie vis quoque mandati expiraverat. Nec ſpatium fuerat alia mandata, ad præſentem rerum ſtatum quadrantia, ex Suecia obtinendi. Porro quæ capita Electori proponebantur hæc fere erant: Bellum inter Cæſarem, Regesque Hiſpaniæ, & Hungariæ, Ligamque Catholicam, & Regnum Sueciæ ceſſet, & amicitia mutuo reſtituatur: Rex Hiſpaniæ hanc pacem confirmet ob ſecuritatem navigationis & commerciorum: Omnium bello patratorum æterna ſit oblivio: Omnes captivi, & præcipue Guſtavus Hornius citra lytrum dimittantur. Sumtus Succis ob navatam Proteſtantibus in hoc bello operam refundantur: Quoad ſolutio ſit facta, Pomerania, aut alia certa loca ipſis hypothecæ nomine relinquantur: Omnibus, qui Lago togave Succis, & communi Proteſtantium cauſæ ab anno hujus ſeculi decimo octavo inſervierunt, impune ſit: Militi de reſiduis ſtipendiorum ſatisfiat absque Sueciæ onere: Inter Sueciam Electoremque & Ordines Evangelicos fœdus mutui auxilii ſit: Capita transactionis rite adornata Cæſari, Regibusque Hiſpaniæ & Hungariæ, Ligæque, nec non Reginæ Sueciæ ratihabenda transmittantur, ut tamen Succis liberum ſit Legatos Viennam ad accipiendam ratificationem mittere, & lautiorem ſi poſſint ſatisfactionem obtinere; qui Ordines nondum Pragenſem pacem acceptarunt, amneſtia fruantur: Rex Galliæ & Belgæ Fœderati, ſi velint, paci incluſi ſint: ſtatim atque hæc ab Oxenſtierna & Electore ſubſcripta fuerint, præſulatus Magdeburgicus evacuetur, excepto oppido Magdeburgo ac proximis duabus præfecturis; Halberſtadienſis uſque ad ratificationem penes Succos maneat: Statim atque ratificatio adfuerit, omnia loca à Succis inteſſa veteribus dominis reſtituantur; præter ea, quæ hypothecæ nomine ipſis conceſſa fuerint: Machinæ Cæſaris atque Ordinum inſignibus notatæ in locis reſtitutis maneant, quæ Sueciæ arma præferunt, avehantur: Militi Succico ſtipendia & hoſpitia usque ad ratificationem præbeantur; poſt eam iſte exautoretur, & exteri, qui ſponte ſub Cæſare aut Saxone militare nolunt, ex Imperii territorio deducantur. Elector contra reſponſo ſuo in plerisque ad Pragenſem pacem provocabat, Succis ſane haut quidquam probandam. Inprimis movebat, Regem Hiſpaniæ inter auxiliares tantum fuiſſe, nec ejus peculiarem declarationem morandam. Commercia Succorum in Hiſpania Germanos non tangere. Multa quoque adferebantur, quibus Succorum ſatisfactio in dubium vocabatur, aut elevabatur: Regem Guſtavum proprias injurias ultum iviſſe; paucas copias è Suecia veniſſe, plerasque in Germania & hujus opibus conſcriptas; ſumtus diſtincte computandos, & Ordinibus communicandos; exactiones & vectigalia in compenſationem deducenda: nec eam ſatisfactionem ad Saxonem ſpectare, cum Rex Guſtavus declararit, ſe nihil ab ipſo auxilii lati nomine poſtulare; poſt ejus mortem ſe Succorum auxilio haut uſum: Banerium ultro in Bohemiam moviſſe. In Magdeburgica ditione, dum mora nectitur, tantum damni datum, unde ſaltem unius menſis ſtipendium exercitui Succico exſolvi potuerit. Pollicebatur tamen ſe pro virili operam daturum, ut decies centena millia florenorum Mitnicorum ab Ordinibus Proteſtantibus intra quinquennium exſolvantur, ex qua ſumma militi ſit ſatisfaciendum, nec ab ullo Ordinum quid præterea peculiariter exigendum. Alium præter Stralſundam locum hypothecæ nomine concedi non poſſe. Qui ante annum triceſimum hujus ſeculi arma contra Cæſarem geſſerint, Succos non tangere; pro iis tamen ſe apud Cæſarem interceſſurum. Fœdus cum Succis velut ſuſpicioni & novis fœderibus inter Catholicos anſam præbiturum abnuebatur. Pro Cæſare ſociisque ſcripto ſe cauturum, ab hiſce Sueciæ ob hoc ce bellum nihil mali unquam intentatum iri; quod longum ſit Regis Hiſpaniæ & aliorum ratihabitionem petere, Liga autem Catholica per pacem ſublata ſit: ſe Sueciæ ad præſtandam ſecuritatem ſufficere. Excluſorum pace Pragenſi Ordinum quosdam jam receptos, de reliquis recipiendis agi. Hoſpitiis pro milite opus non fore transactione completa; nam exteros Imperio deducendos, Germanis vel ſub Cæſaris ſigna vel domum concedendum.

Electoris declaratio.

1635.

§. 67. Inter hæc Succos trans Salam ſecutus Barbyam, Calbam, Bernburgum, Munch-Neuburgum, Stasfurtum, Saltzam, & Schœnbeccam occupabat, modica oppida, & defenſioni parum apta, ſed ex quibus iſtius exercitui non pauca commoda accedebant, quæ Succis detrahebantur. Iſtis tamen inſuper habitis ductores inter ſe conſultabant utique tractatus cum Electore perſequi: quod ſpes eſſet ſuper ſumma rerum facile poſſe tranſigi, modo circa inania formularum conveniret. Igitur poſtulabant, denuo ſibi permitti duos ſuorum Electorem adire. Quanquam autem valde periculoſum foret, talia ſuſcipi à milite, rerum momenta expendere fere neſcio, & variis corruptelis ac fraudibus obnoxio: tamen quod plerique Germani forent, queis erga Principes ſuos veneratio, & à Succis nulla ſtipendiorum ſpes, ab Oxenſtierna & Banerio permittendum erat, quod prohiberi non poterat. Denuo igitur Electorem adeunt Lohuſius, & Crocovius ſcripto exquirentes; quare ipſis deprecantibus Elector Salam tranſierit, & quid deinceps ab ipſo expectare debeant; & quia tractatus cum Succis aliquo tempore indigeant, qua ratione interim exercitus ſit ſuſtentandus? Ad quæ Elector, quicquid egerit, id ſuo ſe jure egiſſe: nec in exterorum actiones cenſuram ſumere, nec iſtis in ſuas concedere. Se poſſeſſionem ejus, quod ſibi debetur, adprehenſum iviſſe. Succos non inviſuros filio ſuo præſulatum, multos ante Guſtavi Regis adventum annos partum; cum hic profeſſus ſit, ſe veniſſe, ut amicis ſua reſtituat, Hoſpitiis opus non eſſe, cum non edictum tantum avocatorium, ſed & fas patriæ Germanum militem jubeat vel ipſius exercitui accedere, vel armis poſitis quieſcere. Ad hæc ductores excipere: Traditionem præſulatus ad capita pertinere, ſuper quibus cum Oxenſtierna tractandum, qui æquum ſe ſit exhibiturus. De cætero fidem qua Regno Sueciæ teneantur, mutuamque inter ſe obligationem & utrique innixam exiſtimationem ſuam non permittere, ut Succorum partes deſerant, antequam honeſta & æqua pax obtenta ſit. Et cum Elector in hanc ſe pronum oſtenderit, poſtulabant hoſpitia ſibi adſignari, ad finem usque tractatuum fruenda. Aſt Elector verboſis rationibus eos ſolicitabat, ne exteris auxilium adverſus ſe ſua vindicantem ferant, utque Succorum ſacramento renuntient. Ita re infecta tunc diſceſſum. Paulo poſt cum Elector declarationem ad propoſita ab Oxenſtierna capita ducto-

Saxo in Magdeburgicam ditionem irrumpit.

Ductores exercitus denuo cum Saxone tractant.

8. Sept.

15. Sept.

1635. ductoribus communicaſſet, hi literis ad Electorem datis querebantur; honeſtam & æquam cum Sueciis tranſactionem ab ipſo negligi, & huſce contra dignitatem Regni ſui pacem Pragenſem obtrudi; tũ milites tam egregie de patria & ipſo meritos ita contemtim dimitti, velut offa in præmium laborum objecta. Rogant quoque, aliam mentem ſumere velit, oſtenſis malis ſecuturis, ſi res in bellum erumpat; quæ ſibi æqua poſtulantibus haut imputanda reſtantur. Addunrur litteræ ad Virtumium, & Taubium duces Saxonici exercitus; operam dent, ut Elector ad æquora permoveatur, cum ſibi non ſit integrum ſuperiorum ſuorum dignitatem deſerere. Ad has literas nihil aliud reſponſum, quam quod Elector eos poſt triduum Schœnbeccam in caſtra ſua redire juberet, ſententiam ipſius ſuper omnibus rebus percepturos.

18. Sept.

Oxenſtiernæ conſilia perturbantur.

§. 68. Per iſthæc Oxenſtiernæ conſilia mirum quantum turbabantur. Jamdudum quippe Sueciæ nihil utilius judicaverat, quam honeſta ratione rebus Germaniæ ſe ſubtrahere; ejusque rei occaſionem omni ſtudio captaverat. Sed arma non ita facile, quam ſtringantur, ponere licebat, tot præſertim foederatis, quorum tam diverſa ſtudia atque commoda, implicito; quos negligere, ac pro ſola Suecia pacem pacifci honeſte non poterat. Nunc autem plerisque Ordinum, excepto Landgravio, deficientibus facilius fuerat rem componi, ni Elector ſummam difficultatem objeciſſet. Fundamentum quippe pacificationis erat, ut quemadmodum Sueci in Cæſarem Ligamque bellum geſſerant, ita cum iiſdem ſuper pace tractarent inſtaurandæ inter ipſos amicitiæ. Enimvero huic ſe ingerebat Saxo, cum Sueciis utique tractare cupiens, quibuscum eidem nihil controverſiæ intercefferat; aut potius Pragenſem pacem obtrudim ibat, iiſdem inſciis ac invitis factam; timul omnem occaſionem honeſte cum hoſte tranſigendi interverte-bat. Nec obſcure pellucebat contemtus Cæſaris erga Sueciam velut dedignantis cum ipſa tractare, niſi interventu Electoris; quo ipſo Regnum Ordini alicui Imperii æquabatur non ſine maxima faſtigii Regii contumelia. Idque tanto magis, quod utique cum Daniæ Rege tota Germania erecto, occupata inſuper Jutia, Cæſar tractatus ſuſcipere non abnuerat, cum Sueeis tam multa adhuc munitiſſima per Germaniam loca obtinerentur. Igitur ſatius judicabat per vim Germania pelli, quam hac ratione amoveri, & velut ſupplicem ab hoſte pacem emendicare. Nam iſtud multis potentiſſimis Regnis ac Rebuspublicis contigerat, & fatorum iniquitati attribui poterat; hoc perpetuam ignaviæ infamiam habebat; præſertim cum ne hac quidem via ſtabilis pax obtineri poſſet. Si maxime enim patriæ ſatisfactionem ob injurias temporum pro derelicta habere placeret, modo externi militis poſtulata amoliri licuiſſet; ne hoc tamen per Electorem dabatur, qui Sueciam præfracte Pragenſi pacı ſubjicere conabatur, Germaniæ Ordinibus, nedum libero Regno ignominioſæ. Ex adverſo nulla facultas adparebat bellum continuandi, Ordinibus deficientibus, & nutantibus militum animis. Sane numeroſus & egregius exercitus Sueeis erat, duodecim equitum, quatuordecim peditum millia explens, Saxonicis robore par, ſed qui manus cum his conferere horrebat. Equidem gregarios officium facturos ſpes erat; Sueci quoque, & exteri, nec minus exules Bohemi, Sileſii, Moravi, Auſtriaci, multique aliorum Germanorum obnixa in partes fide. Sed ductorum præcipui, Lohuſius, Wedelius, Winckelius, Sperrenterus, tum tribuni Crocovius, Werderus, alii, queis magna apud milites autoritas, transverſi abibant, & immemores fidei nuper ſcripto renovatæ non obſcure jactabant: ſe in Saxonem aliosque Germaniæ Principes arma gerere non poſſe, ſed per tractatus finem negotio imponendum. Et jam non pauci millionem petere incipiebant. Nec movebantur Electoris contumeliis hoſpitia extorquentis; qua ratione etiam ferro non ſtricto exercitui ſubtractis alimentis brevi pereundum erat. Ad Oxenſtiernæ quoque & Banerii monita aures obſtruxerant, quos non niſi de bello alendo meditari arguebant. Ita quo ſe verteret neſciebat Oxenſtierna, quod miles hactenus ſat laute habitus pugnam defugeret, ac ſua hoſpitia tueri nollet, & ſua ex libidine ſuper pace agitaret, Oxenſtiernæ ſummæ rerum moderatori ipſos ſequendi neceſſitatem impoſiturus. Neque tamen idem dimitti poterat, ni omnia ſimul perdenda forent. Ita nec honeſta pace ob deficientes ſocios potiri, nec armis uti per corruptos militum animos licebat. Horum porro nihil Saxonem latebat, qui nullo metu immunius caſtris trium horarum itinere cum pedıtatu ante Suecicorum ora conſederat, equitatu per viginti quatuor amplius milliaria ad utramque Albis ripam diſperſo; ut ſi miles Suecicus officium facere voluiſſet, iſte facili negotio opprimi potuerit.

1635.

Oxenſtierna ad Cæſarem ſcribit.

§. 69. Inter hæc Brandenſteinius Comes Oxenſtiernam obtundebat, ut cum ipſo Cæſare tractatus orditi conaretur, velut quicum facilius forte tranſigi poſſit; quod Curtius Comes nuper ipſi in caſtris Electoralibus confirmaſſet, Cæſarem, ſi occaſio daretur, ab ea lite componenda non alienum eſſe. Offerebat quoque, ſe adjuncto alio Legatum Viennam profecturum. Quo fine ut ſibi acceſſus paretur, poſtulabat ab Oxenſtierna literas ad Cæſarem ſcribi. Hicetſi tale quid in mandatis non haberet, nec rationes deeſſent, quæ id diſſuaderent: tamen ne Comitem offenderet, conſilii à ſe dati pertinacem, in hunc ſenſum ad Cæſarem literas componit: Cum adpareat, Cæſarem cum Ordinibus Imperii, quos ea res præcipue tangit, priores controverſias compoſitum ire, ſibi à Rectoribus Sueciæ injunctum, ut ſi Cæſarem pronum deprehendat, operam det, quo bellum honeſtis legibus finiatur. Et quanquam neque rationes pacem ultro ambiri deſſuadentes, nec media bello gerendo deſint: tamen cum Suecia minime omnium quietem Germaniæ invideat, hæc ſe ſcribere non dubitaſſe. Equidem oſtendiſſe, Saxoniæ Electorem ſe Cæſaris nomine tractaturum; cum tamen tractatus iſti nulla idonea pacis lege ab ipſo propoſita velut vado adhæſerint, malle ſe gloriam pacatæ Germaniæ in Cæſarem potius, quam quemvis alium derivare. Penes ipſum nunc eſſe, pacem an bellum habere malit. Si illa placeat, ſalvus conductus daretur pro Brandenſteinio Comite, & Laurentio Grubbio, quos Legatos ſuper hoc negotio Viennam miſſurus ſit: Hæ literæ Brandenſteinio traditæ & ab hoc ad Jutium Gebhardum Conſiliarium Aulicum transmiſſæ; ad quas tamen nihil reſponſi repoſitum: Ita & iſta via pacis potiundæ intercidit.

17. Sept.

Saxonis deſtinata.

§. 70. Saxo interim trans Albim minora oppida inter Magdeburgum, & Havelam flumen in poteſtatem redactum ibat, miſſis etiam Havelbergam ex deſultorum cohortibus, qui manipulo Brandeburgici militis expulſo oppidum inſidebant. Unde colligebatur, ipſum paulatim ulteriorem Albis ripam occupare conari, ut tranſitu ejus fluminis, oraque Maris Baltici interpoſitu ſuo Suecos arceret, ac ne cum copiis è Boruſſia adventantibus ſe conjungere poſſent. Cum igitur ductores inſcio ſe-re Oxenſtierna & Banerio deputatos ſuos Schœnbeccam ablegaſſent, Banerio, ac fidiſſimis ducum Rudvveno, Leslæo, aliisque videbatur, Oxenſtier-nam

17. Sept.

Oxenſtierna Magdeburgo diſcedit.

11. Sept.

1635. nam ad tractum maritimum se conferre isti custodiendo, adiscendis copiis Borussicis; ne si miles fidem exueret, aut intercluso itinere uterque simul in casses incideret. Nam regione litorali salva, utut cætera secus cadant, ansam adhuc superesse honesta ratione bellum ponendi. Banerius autem ad Albim permansurus erat, contractis quæ in Sueciæ fide persistebant copiis Electori se objecturus, ne cum exercitu longius mare versus deficenderet. Unde Oxenstierna illa ipsa nocte comitantibus aliquot turmis propere iter Wismariam versus arripit.

Saxonia utraque pacem Pragensem amplectitur.

§. 71. Dum ita Elector militis Suecici animos solicitat, edictum Cæsaris de pace Pragensi passim promulgatum fuerat: nec cessaverat Elector Ordines utriusq; Saxoniæ ad eandem amplectendam pertrahere, jactans; modo Succi ex hoc negotio remoti forent, se cæterorum Protestantium copiis stipatum lautiores quam Pragæ conditiones à Cæsare obtenturum. Nec successu conatus carebat. Nam plerique Ordinum qualemcunque pacem, sidam aut lubricam, honestam aut fœdam, pari desiderio concupiscebant, eoque certatim Oxenstiernæ pacem Pragensem à se acceptatam significabant juxta, excusabantque, sic ut brevi tempore Succi sociis deficientibus soli destituerentur. Ac mirum erat, omnes in ista pace aliquid desiderare, nec eo secius eidem se subjicere. Et quanquam eadem statutum foret, ut acceptatio intra decem dies, & citra exceptionem fieret: plerique tamen præfixum tempus præterlabi patiebantur, & certis conditionibus acceptationem circumscribebant; ac omnes tamen pacis participes se fore credebant. Omnes quoque de grato in Succos animo verbis testari; nemo re ipsa quid conferre, causati supra vires suas esse decreta pacis Pragensis moliri. Cum tamen etsi singulis infirmis, inter se, & cum Suecia junctis spes foret, longe honestiores, quam Pragæ, leges obtineri posse.

Sigillatim de Duce Wilhelmo. 20. Jul.

§. 72. Inter alios Wilhelmus Vinariensis Dux, hactenus neutras partes sequi velle visus, jam plane Pragensi se paci adplicabat, idque Oxenstiernæ literis significabat; testatus apud Electorem sedulo se institisse, ut omnes Ordines paci includerentur, Sueciæque satisfieret. Nunc ne se suosque fratres omnibus fortunis evertat, necessitati fuisse cedendum. Quod utcunque ferendum ducebat Oxenstierna, ni ille copias sibi hactenus subditas, quæ in auxilium Landgravio destinabantur, & jam ei conjunctioni pronas se declaraverant, artibus suis avertisset, operam præcipue navantibus tribunis Ramstorfio & Mitzlasio, ut sepositio Sueciæ respectu Saxoni accederent. Sola Uslarii supremi vigiliarum præfecti legio, & subtribuni Dreuschii modica manus ad Landgravium se conferebat. Brossartus tribunus à sua legione desertus aliique fidei memores præfecti milite nudati ad Banerium perveniebant. Et quanquam circa revocandos in fidem defectores Uslarius & Sperreuterus satagerent; eorum tamen conatus prave solertis Mitzlasii vigilantia eludebat. Ipse quoque Dux Eichsfeldensi districtu, quem hactenus è Succorum donatione possederat, ultro cedebat.

De Erfordiensibus.

§. 73. Erfordienses, quos Oxenstierna literis ad constantiam hortatus fuerat, cum Elector privilegia ipsis sua salva sponderet, si amoto præsidio Succico pacem admitterent, levi negotio manus dant. 6. Julii. Unde mox literis ab Oxenstierna petunt, militi Succico urbem vicosque ipsorum insidenti discessum imperet. Simul subtribuno Arvido Krabbio denuntiant, se pacem acceptasse, & ut Succo milite bona cum gratia exonerentur, optare. Qui rem ad Oxenstiernam rejiciebat, alias quingentis non amplius militibus succinctus populosæ urbi coërcendæ impar. Et ideo Erfordienses, ut præsidio suo validiores forent, semel atque iterum oblatam majorem manum in urbem admittere abnuerant. Cum autem Oxenstierna Krabbium in sua statione persistere juberet, ac interim duæ Electorales legiones per Erfordiensium vicos hospitia cepissent testatæ se non discessuras, nisi amotis Succis illi prius urbanas cohortes, Succis pariter urbique juramento devinctas, in suas partes pertrahunt, novoq; sacramento adigunt. Inde Krabbio præfecturam urbis, 28. Jul. quam hactenus gesserat, abrogant, militique hospitia & alimenta subtrahunt, ito incassum petente quiescerent, quoad ab Oxenstierna responsum veniret. Quibus hic quidem in memoriam revocabat fidem datam, & Gustavi Regis merita; saltem ut in integro rem relinquerent, quoad tractatus cum Saxone absolverentur. Sed isti mala, quæ tergiversantes mansura essent, modicaq; suas vires obtendebant, cavillati quoque fœderis verba, quasi pace reducta præsidio liberari debeant: Oxenstierna nequidquam ista omnia refellente. Ita tandem ab hoc militi imperandum fuit, ut relicta Erfordia 29. Aug. Halberstadium se, aut Magdeburgum conferret. Ne tamen ingrati animi maculam Erfordienses contraherent, literis Gustavi Regis in se commu- 5. Sept. nemque Protestantium causam merita prædicant; tum Oxenstiernæ pro præstitis beneficiis, & quod præsidium Succicum nunc deduxerit, gratias agunt.

De Saxoniæ Interioris motis Circulo.

§. 74. Apud Interioris Saxoniæ Ordines fœderibus Succicis longe præponderabat autoritas Electoris, fortuna Cæsaris, Protestantium Succorumque attritæ vires, pacisque cupido. Iis respectibus imbuti mente Augusto Luneburgi conventum agitabant, super acceptatione pacis Pragensis, cujus dies dudum cesserat, decreturi. Eodem Oxen- 14. Aug. stierna ablegaverat Jacobum Steinbergium prolixe demonstraturum, quam inique ab Electore cum Succis actum sit, & quod Pragensis pax dominatum Cæsaris stabiliat, firmamenta status Protostantium subruat; insuper petiturum, ne istius acceptationem præcipitent, ac ut consilium operamque suggerant, qua ratione novi belli emicans flamma opprimi queat. Sed cum ille Luneburgum 19. Aug. perveniret, jam Ordinum Legati discesserant. Qui 13. Aug. licet nodos pacis Pragensis satis perspicerent; tamen cum Elector plus à se obtineri potuisse negaret, accedente etiam animorum post pugnam Norlinganam mutatione, pure eandem à se accipi decreverant. Legati tamen ad Electorem destinantur apud ipsum acturi, ut Succis utique amica ratione satisfiat data pecuniæ summa, cum terrarum quid in eos transferri rationes Imperii non ferant; ostenso periculo Circuli sui, ubi in bellum res eruperit. Petebant quoque, ut pace exclusi Ordines eadem recipiantur, & ea quibus Luneburgica ac Meclenburgica Domus præcipue premi se querantur, mitigentur, tum Landgravius utique pace comprehendatur. De jungendis cum ipso copiis per deputatos actum iri pollicebantur.

De Augusto, & Georgio Ducibus Luneburgicis. 12. Aug. 27. Aug.

§. 75. Ad Augustum Bruntvicensem Ducem Circuli tunc directorem mandati sui exemplum Cellas transmiserat Steinbergius, quo minus ipse eodem iret vagantibus passim Guelferbytanis absterritus; qui magnifice de Gustavi Regis meritis præfatus, sibi cæteriq; ejus Circuli Statibus nihil magis in votis testabatur, quam ut Sueciæ satisfiat: eoque fine ad Electorem Saxoniæ Legationem missam. Ejus frater Georgius Dux post publicatam apud suos pacem, supplicationesq; eo nomine habitas ad Oxen- 29. Jul. stiernam literas dabat, quarum initio querebatur, quatuordecim legiones suo imperio non citra ignominiam subductas. Inde ostendebat, per rationes Domus suæ se subactum qualemcunque potius pacem amplecti, quam omnes fortunas belli aleæ exponere; cũ præsertim ipse sua tergiversatione causæ communi

communi partim prodeſſe queat. Perebat inſuper, literas, quibus Guſtavo Regi fidem obſtrinxerat, ac Nienburgum ſibi reſtitui, ac ne hujus præfectus Aſtonus Stoltenaviam arcem munire pergeret. Ad quæ Oxenſtierna id præcipue exprobrabat, Sueciæ in pace utique adeo nullam rationem habitam. Legiones ſubtractas per neceſſitatem temporum excuſabat; literas ipſius *reverſales* in Sueciam miſſas. Nienburgo, & Stoltenavia per rationes belli careri jam non poſſe; quæ tamen reſtituenda ſint rebus in meliorem ſtatum mutatis.

1635.

20. Aug.

De Mecklenburgicis Ducibus.

§. 76. Mecklenburgicos Duces initio anguſtia temporis, intra quod pax acceptanda foret, aliæque pacis leges ipſis iniquiſſimæ vehementer perturbaverant; quos & reſtitutio quondam ipſorum peculiari præ cæteris obligatione Sueciæ devinxerat. Ob oculos quoque verſabantur mala, quæ ipſorum terras è Wilmaria, & exercitu Succico manebant, ſi hic ab aliis Proteſtantibus deſtitutus ad oram maritimam infeſtus ſe reciperet. Enimvero quæ Pragenſi è pace ſperabatur ſtabilis ſuæ ditionis recuperatio omnibus reſpectibus prævalebat, ac fatius videbatur vaſtatas, quam nullas habere terras. Succos quippe hoſtes vaſtitatem inferre Cæſarem omnibus ipſos fortunis exuere poſſe. Quo magis tamen Sueciæ ob Guſtavi Regis beneficia obſtricti erant, eo curatius ſatagebant Oxenſtiernæ excuſationem ſuam adprobare, miſſis Legatis, qui oſtenderent; per ſummum periculum, quod ſibi ſuisque liberis ac ſubjectis imminebat, ad hoc conſilium ſibi deſcendendum fuiſſe. Omnem ſe operam daturos, ut Sueciæ ſatisfiat, cui æterno beneficio devinctos ſe profiteantur, cujus referendi facultate ſe privari ademptis ob recuſatam pacem terris, ſimul Succis beneficiorum datorum fructum intercidere, ac fortaſſe ſuo loco infeſtum iiſdem vicinum adpoſitum iri. Exiguum à ſe momentum adferri poſſe ſublevandis Succorum rebus. Culpam violati fœderis à ſe abeſſe, cum non ipſi cum Cæſare aut Liga pactum iniverint, ſed meram majoris mali fuerint amplexi, quod declinare non licebat. Legatos præterea ad Saxonem mittebant ipſum permoturos, ut res ſalva Reginæ dignitate componatur, eique pro meritis utique ſatisfiat; adfuturos quoque tractatibus, ſi qui inter Oxenſtiernam & Saxonem ſuſcipiantur: Gemina reſpondebantur Steinbergio ad ipſos profecto, per quem Oxenſtiernam orabant; daret aliquid temporum iniquitati, & ſi tolerabiles offerantur conditiones eas non reſpueret, quo tandem Germaniæ à tam funeſto bello reſpirare liceat.

29. Jul.

30. Sept.

De Archiepiſcopo Bremenſi.

§. 77. Archiepiſcopus Bremenſis agebat, ut poſt Stadam Boxtehuda quoque præſidio Succico evacuata ipſe in plenam concederet neutralitatem, ac Cæſari omnis in ipſum prætextus adimeretur. Enimvero ejus Status tunc in lubrico verſari videbatur, quod ſtante Pragenſi pace, quæ Lubecenſia pacta confirmabat, præſulatu ipſi decedendum, iſque in Leopoldum Wilhelmum Cæſaris filium transferendus erat. Idque jam Saxo ipſius patri Daniæ Regi ſignificaverat, aliud à ſe obtineri non potuiſſe excuſans. Quo hic non mediocriter offenſus, dolorem ſuum prolixis apud Electorem literis teſtatur; tum filii ſui jus adſtruit, petitque apud Cæſarem efficiat, ne is deteriore conditione, quam cæteri præſulatuum poſſeſſores ſit.

De Hanſeaticis urbibus.

§. 78. Urbes Hanſeaticæ, Lubeca, Hamburgum, Brema, & Brunſvviga, cum de pace ab Electore ipſis ſignificatum foret, conventu habito in ejus acceptationem facile conſentiebant, quod per eandem ſtatum ac jura ſua ſibi relinqui intelligerent. Idque Electori viciſſim denuntiabant, addito; ſpem ſibi eſſe cum exteris Regibus tranſactum iri, quorum amicitia commerciis ſuis neceſſaria ſit. Brunſvviga peculiari fœdere Succis innexa ſeorſim apud Oxenſtiernam excuſabat, cum ſociæ urbes, & Domus Brunſvicenſis pacem amplexæ ſint à ſe eam citra præſens exitium repudiari non potuiſſe. Cui Oxenſtierna reſpondebat: tam ſubitam à fœdere receſſionem ſuo loco relinqui; petere tamen, ut reſidua conventæ pecuniæ exſolvantur, & exercitus Succicus commeatu, aliisque neceſſariis ſublevetur.

1635.

26. Aug.

9. Sept.

De Electore Brandeburgico.

§. 79. Brandeburgicus Elector Arnheimium, & Conradum Borgſtorfium tribunum ad Saxonem miſerat, acturos, uti ferebatur, ut tempus acceptandæ pacis prorogetur maturius tanti momenti negotio expendendo; utque Sueciæ ſatisfiat; ne ingrati ipſos accuſare queat; tum quid pace ſecuta ſuper Juliacenſi negotio ab ipſo expectandum ſibi ſit. Quid tamen revera ab iſtis tunc actum, ad noſtram notitiam non pervenit. Eodem tempore Electori à Blumenthalio hujus ad Oxenſtiernam ablegato relatum fuerat; velut de hoc præcipue ſolicitus iſte foret, ut Succi diſertis verbis paci includerentur, Cæſarique, & Hiſpaniæ Regi reconciliarentur, abolita ante actorum memoria; utque pro meritis iisdem ſatisfieret. Unde is ad Oxenſtiernam literis datis exponebat; plenius ſe circa Pomeraniam reſponſum expectaſſe, de quo tamen propediem obtinendo ſpes ſit. Cæterum etſi reconciliatio Sueciæ cum Cæſare ſociſque non obſcure pacis tabulis contineatur; ſe tamen operam daturum, ut peculiaris declaratio ſuper eadem edatur. Monebat præterea, cum tantæ obſtent difficultates, quo minus terrarum quid Sueciæ præmii loco detur, accepta inſigni pecuniæ ſumma adquieſcat. Huic Oxenſtierna reponebat: Se animadvertere, ſua verba ſiniſtre, & in fraudem Sueciæ accepta, nec de reconciliatione, aut ante actorum memoria abolenda apud Blumenthalium verbo mentionem factam. Sueciæ Regnum nullam ſubjectionem, aut factorum culpam, quibus reconciliatione opus ſit, agnoſcere, quippe quæ variis modis laceſſita juſtum piumque bellum ſuſceperit. Sed ſi res ad amicos tractatus deducta fuerit, Sueciam facile in oblivionem hoſtilium, tali caſu ſolitam, conſenſuram. Poſt has literas aliquantiſper Elector ſcriptione ad Oxenſtiernam abſtinebat. Sed poſt cum res ad arma cum Saxone ſpectaret, Oxenſtierna Legato Heidio, Magdeburgi ipſum viſenti, cum Berolinum reverteret, in mandatis dabat: Cum à Saxone tractatus tantum obtentui ſumi adpareat extrahendo tempori, Succique paulatim ſuis hoſpitiis exuantur, & variis contumeliis laceſſantur, ut Brandeburgicus ſuas copias cum Succis conjungat, honeſtiori quam Pragenſis ſit paci obtinendæ. Sin id abnuat, ſaltem apud Saxonem ſe interponat, quo hic injuriarum deſinat, ne & Succis aliam viam incundi neceſſitas imponatur. Circa Pomeraniam paratum eſſe Oxenſtiernam ipſi ſatisfacere; ſed eam nunc temporum conditionem eſſe, ut priusquam Elector ſuper acceptanda pace mentem ſuam declaret, certi quid à ſe ſtatui nequeat cum ſtante illa pace jam omnia ſint definita. Enimvero ilia ſero & incaſſum movebantur. Quanquam enim uxor, materque Principis Palatina Domo ortæ Succis ſtuderent, ac plerique Conſiliarii Pragenſem pacem deteſtarentur, oſtento quid malorum ſecuturum ſit, ſi Elector eidem implicetur; prævalebant tamen Schvvartzenbergii artes, quibus oſtentata causa Pomeranica, tum Cæſaris Saxoniſque potentia Electoris animum indignatione juxta ac terrore agitabat. Unde ipſe ſolus ad Saxonem Legatus mittitur, his palam mandatis: Brandeburgicum in Pragenſem pacem conſentire non poſſe, niſi prius Sueciæ ſit ſatisfactum omneſque

4. Aug.

1. Aug.

1635. amneſtia comprehenſi, ac Palatina Domus non plane excluſa, ſimul ſuper Juliacenſi negotio tranſactum ſit. Eademque à ſe urgeri Electori
11. Aug. Joanni VVolffgango Heidio, quem Oxenſtierna ad eundem miſerat, declarabat. Enimvero ſecretis inſuper mandatis idem inſtructus ferebatur, quorum vi citra exceptionem cum Saxone tranſigere poſſet; idque eventus ipſe declarabat. Cum
18. Aug. enim iſte à Saxone Berolinum rediiſſet, quid ab eo confectum foret ſilentio tegebatur. Ipſe tamen ſecreto fatebatur, Brandeburgico demum pacem Pragenſem acceptandam eſſe, conditionibus Galliæ Sueciæque gratiſſimis. Sed paulo poſt omne dubium ſuſtulere Electoris literæ, quibus initio
27. Aug. ſtudium ſuum in Sueccos extollebat, deinceps quoque continuandum. In votis ſibi fuiſſe, ut Sueciæ plene ſatisfieret. Peculiares tractatus ſemper fuiſſe averſatum. Pace per ſolum Saxonem facta, ad quam cæteris quoque via pateat, ſe rem non præcipitaſſe, ſed quæ ad cautam communem faciunt monuiſſe. Optare quidem Proteſtantium rebus melius fuiſſe proſpectum; ſed poſtquam cæteri pacis leges ſubierint, ſe ſolum tergiverſantem ſuis terris exitium, Sueciæ nihil emolumenti fuiſſe comparaturum. Se neceſſitate compulſum pacem acceptaſſe citra fraudem ſociorum Regum, quibuscum ut amice tranſigatur omnem lapidem moveat. Sueccos ita de facto ſuo judicaturos, velut ipſi ſuo loco poſiti forent; quorum amicitiam in poſterum quoque ſperet. Nec ſibi imputandum, ſi
7. Sept. non plane voto ſuo potiantur. Cui Oxenſtierna diſſimulato animi dolore reſpondebat: Quæ neceſſitate adactus fecerit, bene cederent. Inde qualem Saxo ſe adverſus Sueccos gerat, oſtendit; & cum bello exorto facile terni exercitus ditioni ejus ſe infuſuri ſint, media iſti malo avertendo ut mature circumſpiciat monet. Se ad honeſtas & æquas conditiones acceptandas paratum. Mox cum Sueccorum res circa Magdeburgum infirmo ſtare talo viderentur, Brandeburgicus metuens, ne iſti Magdeburgico præſulatu cedentes per Marchiam iter ſumerent, Blumenthalium ad Oxenſtiernam ablegat poſtulaturum, ut ſi omnino per ipſius ditiones eundum ſit, id prius denuntietur, quo mature commeatus curari queat, utque citra noxam tranſitus fiat, nec à Sueccis aliqua ſua loca præſidiis aut hoſpitiis inſideantur, ne forte inſequentibus aliis exercitibus ſuæ terræ ſedem bello præbeant. Tranſituris
12. Sept. omnia neceſſaria à ſe ſuppeditatum iri. Cui Oxenſtierna poſt multas in Saxonem querelas reſpondebat; Si res ita cadat, ſe pro virili operam daturum, ut ipſius ditioni parcatur. Cæterum circa tractatus cum Saxone Brandeburgicus tunc cenſebat; cum ſumma pacis novis tractatibus ſubjici nequeat, nec ut unus & alter præſulatus ambigui inter Catholicos ac Proteſtantes juris Sueccis præmio cedat, per iniquitatem temporum effici potuerit, id quod ipſe ſemper ſpectaverit; optime facturum Oxenſtiernam, ſi inſigni pecuniæ ſumma, & æterna Proteſtantium amicitia adquieſcat, utque Saxo ſcripto Sueciæ ſecuritati caveat, qui & in ſe recepturus ſit, intra certum tempus cautionem ſcripto conceptam à Cæſare, Hiſpaniarum Rege, ac Liga curare. Et ſi quid in tractandi modo deſideretur, id tanti non æſtimandum, ut in ipſo velut portu pacis verſanti denuo novi belli anceps fortuna ſit tentanda. Ita quidem verbis non adeo ſe infeſtum oſtendebat Brandeburgicus; re ipſa tamen copias ſuas cum Saxone jungebat; inſuper hoſti tranſitum concedebat cum alibi, tum per Landsbergam, & Francofurtum; quæ oppida per Sueccos recuperata ea lege Electori reſtituta erant; ne hoſti deinceps paterent; denique & aliis modis hoſtium conatus ad Sueccos opprimendos fulciebat. 1635.

§. 80. Duci Pomeraniæ eo difficilius erat Pragenſem pacem profiteri, quod ipſius oppida præſidiis Sueccis tenerentur. Unde cum Saxo pacem ipſi denuntiaret; iſ Ordines provinciales ſibi prius conſulendos, reſpondebat. Quibus convocatis eorum conſenſu ad Electorem Brandeburgicum mittuntur, qui ſententiam ejus exquirerent; etſi Theologi conſulti eam pacem plane damnabant. Interea Feltius Baro ſexcentos pedites, qui hactenus Arenam ad Wratislaviam inſederant, poſt deſertam à Saxonicis Baſilicam, & urbem ad obſequium Cæſaris revertam adduxerat, quos firmandis Pomeraniæ præſidiis Steno Bielkius commodum diſtribuerat. Nam dum Dux de altero Ordinum Conventu agitat, abſolvendis ſuper pace conſultationibus, aliquot equitum & dimacharum Cæſareorum turmæ raptim percurſa Marchia invadendi Gartzii conſilium capiunt; idque noctu per tœdam centurionis ſocordiam opprimunt. Aberat tunc Stetini ad plures petendas copias præfectus oppidi Rutencrantzius ſubtribunus, ſolicite commendata interim loci cura Erico Suenonis F. centurioni. Qui licet inſuper de adventu hoſtium monitus vigilias neglectim diſpoſuerat, nec pulverem pyrium inter militem diſtribuerat. Unde cum hoſtis ad portam Stetinenſem aſſultum daret, non niſi quatuor diſploſionibus pulvis præſto erat. Ita oppidum à non multo pluribus, quam intus erant, opprimitur. Addebat centurio ſocordiæ perfidiam ad ſacramentum hoſtis transgreſſus; ſed poſt captus debitas flagitii pœnas luit. Ab hoſte ſtatim pons ad Gartzium reparatur, nullo impediente, quod caſtellum Mervvicianum ante biennium à Sueccis dirutum foret, ob vicinos montes ad vim propulſandam ineptum. Eodem tempore Cæſareis ſub Marazino duce tranſitus ad Landsbergam concedebatur; unde raptim Stargardiam tendebant, à Bohmio tribuno cum quatuor cohortibus inſeſſam. Cui cum iſte aliquot turmis ſtipantibus deditionem imperaſſet, occiſis ſuorum nonnullis hinc iterum faceſſit. Oppidum mox à Bielkio legato ducentis inſuper militibus firmatur. Marazinum ſequebantur literæ Saxonis ad Ordines Pomeraniæ: ne ſiniſtri quid ſentirent de copiis quas ipſe capeſſendo Oderæ, & arcendis è Boruſſia copiis miſerit. Militi ſuo de neceſſariis proſpicerent; extraneo quantum poſſint damni inferrent; ſuos diſciplinæ obſervantes fore. In eundem ſenſum Brandeburgicus Pomeraniæ Duci reſpondebat, cum hic de oppreſſo à Cæſareis Gartzio ipſi ſignificaret: ſe apud Saxonem operam daturum, ut à Cæſareis in ipſius ſubjectos nihil hoſtile patretur. Eidem tamen gratum fore, ſi Dux de acceptanda pace Pragenſi decernat, & Saxonicis copiis pronum ſe præbeat, Sueccis omnia ſubtrahat. Ea res animos Pomeranorum non parum immutabat. Nam nec Sueci locis iſtis hoſti pares erant, nec à Banerio auxilii ſpes, & Boruſſicæ copiæ nondum adparebant. Contra Cæſarei tota vi ingruentes aperta provinciæ nemine obſtante perſultabant, Stargardiæ quoque obſidium intentantes. Neque vero hoſtes ſe venire ferebant, ſed exſecutores pacis, favente ipſis Brandeburgico, cujus maxima apud Pomeranos autoritas. Inde valde nutare Pomerani, Stargardiæ cives nihil, quod defendendo oppido faceret, parare, jactantes; Cæſareos amicos eſſe, qui pacem utriusque Electoris nomine adferant. Et quanquam hortante Bielkio demum ſe cum præſidiariis ad tuendum oppidum incubituros pollicerentur; mox tamen ancipites parum in ſe fiduciæ locari poſſe oſtendebant. Stetinenſes animum in Sueccos plane refractarium expromebant

De Pomeraniæ Ducе.

Cæſarei Gartzium opprimunt. 18. Sept.

Marazinus in Pomeraniam irrumpit. 21. Sept. 24. Sept. 25. Sept.

Pomerani nutant.

1635. mebant. Et conſiliarii Ducis palam Bielkio occinebant; ſe non videre, quid auxilii Pomerania Succis præſtare queat cæteris omnibus deficientibus. Ita heic omnes magis pacem Pragenſem,
30. Sept. quam fœdus Succicum reſpicere. Unde & Dux Oxenſtiernam literis hortabatur; oblatam à Saxone ſatisfactionem acceptaret potius, pro præſenti rerum conditione Proteſtantibus ſat onerоſam, nec Sueciæ indecorem, quam inter ſacrorum ſocios novo bello cauſam præberet, ſuæ cumprimis ditioni graviter incubituro. Et ſi non ea, qua par ſit, ratione actum fuerit, id publicæ tran-
7. Octobr. quillitati condonaret. Cui Oxenſtierna reponebat: de ſuo in pacem ſtudio rem ipſam loqui; ſed cum id fruſtra fuerit, & Saxo tanto cum vicinorum periculo rem ad extrema deducat, ſe extra culpam eſſe.

De Wilhelmo Landgravio. §. 81. Præ omnibus Germaniæ Principibus conſtantiam in partes Succicas oſtendebat Wilhelmus Landgravius, nova quoque conventione Magdeburgi cum Oxenſtierna inita, cum jam plerique alii in transverſum abiiſſent. Dum ibi abeſt, Beninghuſius cum quatuordecim legionibus ad Amœnoburgum in Haſſiam irrumpit, caſtris ad Hirſchfeldam poſitis plures copias expectans. Et jam longius graſſari audebat, cum Melander contractis ad
Cæſarei Haſſiam irrumpunt. 17. Jul. Miltungam Haſſicis copiis caſtra ipſi loco opportuno opponit. Unde hic trepidus recedebat, quinquaginta circiter deſideratis, ipſe aliquot curribus ex Haſſiacis impedimentis potitus. Sed cum mox eidem Grana Marchio cum duodecim legionibus ac tormentis aliquot jungeretur, Haſſi numero impares ad munita ſe oppida recipiunt, hoſte interim agros impune populante. Eodem tempore Epiſcopus Wormatienſis Rhenani Circuli director Land-
19. Jul. gravio pacem Pragenſem denuntiat, ut pace juxta ac armis oſtentatis eo facilius flecteretur. Cæterum id præcipue incommodum accidebat, quod Vinarienſes copiæ, quæ ipſi jungendæ fuerant, ad Saxonem tranſirent, ut è quinque millibus quæ expectabantur, vix trecenti in Haſſiam pervenirent. Sed & Sperreuterus in auxilium eidem ire juſſus tarde moliebatur, præfectis Weſtphalica hoſpitia ægre deſerentibus, nec iſto recens imperium ſevere expromere auſo. Et cum tandem ab Oxenſtierna miſſus Paulus Strasburgius ad iter ingrediendum illos permoviſſet, aliquot inde legiones ſub Glaubicio tribuno ad Banerium evocabantur; ſic ut Sperreuteri copiæ numero valde imminuto, & ægris ob toleratam in itinere inopiam animis accederent. Hiſce initio Landgravii animis quaſſatus
Landgravius tractare cum Cæſare incipit. aures præbere incipiebat pacem in promtu, juxta periculi magnitudinem, ac virium utrinque diſparitatem oſtentantibus. Unde tractatus cum Cæſare admittebatur, ad quem ex parte Cæſaris ſe offerebat ipſius Conſiliarius Henricus Chriſtophorus Griesheimius, qui tamen nihil ſcripti mandati proferre poterat. Huic Landgravii deputati declarant,
16. Jul. priusquam pax acceptetur, cavendum prius; Landgravium citra exceptionem aut ulteriorem cognitionem pace comprehenſum; ſacra ipſi ſua ſalva fore à nemine ob damnum illatum actionem intentatum iri, ditionem ipſius hoſpitiis non onerandam, Hirſchfeldiam relinquendam, ac tantiſper
27. Jul. ſibi Cæſareorum vim propulſare fas eſſe. Inde Landgravius datis ad Oxenſtiernam literis ſe ab omnibus deſtitui queritur; ac ni ex convento ſibi ſuccurratur, avertendis extremis eo ſibi deſcendendum,
30. Jul. quod hoc caſu per fœdus ſibi liceat. Mox tamen Caſſellis adeſt Sperreuterus cum tribus equitum peditumque millibus, quibus junCti Haſſiaci laboribus & velitationibus attriti vix ſeptem millia explebant, cum hoſtium numerus duodecim millia ſuperaret. Nec eo minus hac conjunctione audita Cæſarei deſerta Haſſia in Fuldenſem agrum recedunt, Gallorum & Bernhardi Ducis ad Rhenum adventum metuentes; an quia Succica auxilia majora credebant. Quos perculſos Landgravius perſequi inſtituit; loco tamen commodo conſidentes, & numero ſuperiores prælio laceſſere conſultum non ducens; ad Buregemundam, inde ad Hombergam caſtra caſtris confert, nulla utrinque memorabili re geſta; niſi quod inter ipſum, & Landgravium Georgium, cujus terræ iſta expeditione tangebantur, acerbæ literæ commutatæ infenſos antea animos magis irritabant. Sed & Sperreuterus aliquid offenſæ contraxerat, quod Landgravius poſtulaſſet, ut ipſius pedites & machinæ tantiſper in unum corpus cum ſuis compingerentur, queis junctis ipſo apud equites curante Eberſteinius Comes imperaret. Quod Sperreuterus ſiniſtre accipere, velut pedites ſui ſibi plane ſubtraherentur, & quanquam à Landgravio placari viſus exulceratum animum pervicacia & tergiverſationibus ſubinde exferebat: ejuſdem quoque ductoribus frementibus, quod annonæ quidem affatim, ſed argenti parum ea expeditio præberet. Quæ inter alias cauſa erat, quare Landgravius nihil in hoſtem tentare auderet; ut nullus fructus conjunctionis iſtius foret, niſi quod hoſtis pro lubitu Haſſiam populari prohiberetur, intra Pontificiorum terras redactus; cujus & maxima pars Gallaſii copiis mox accedebat. Landgravius igitur hoſte exoneratus initio conjunctionem cum Bernhardo Duce, & Gallis agitabat. Sed defectione Francofurtenſium, & commeatus inopia motus, ſimul quia Gallaſius commodo loco inter Rhenum, Mœnum & Nicrum ſe tenens, invitus ad prælium pertrahi non poſſet; eo conſilio depoſito, quod & plurimi ductorum adſpernabantur, Banerio ſe jungere decrevit invadendo repente, & ad prælium compellendo Saxoni, cui neque duces magna opinione, nec miles in ſacrorũ ſocios arma ferre pronus. Quo auſo ſuccedente Banerio via da-
Landgravius Banerio jungi cupit. batur in Cæſaris ditiones hæreditarias penetrandi, quibus ſi Gallaſius auxilio adcurreret, Bernhardus Dux incumbente ſibi mole levabatur. Id conſilium huic ſignificat, omiſſam cum ipſo conjunctionem excuſans; & ut ſuis ſe ſtativis tantiſper teneat, quoad favente cœptis fortuna ipſi facultas fiat Gallaſii abeuntis tergo inhærendi. Hac de cauſa motis
24. Aug. 1. Sept. Homberga ad Ohrnam caſtris per Vacham Mulhuſam tendebat. Ex itinere Sperreuterus cum triginta quinque equitum turmis excurſione per agrum Fuldenſem facta Kœnigshovæ obſidium ſolvit,
27. Aug. ereptis hoſti tribus tormentis, omnibuſq; impedimentis, multis cæſis. Inde oppido annona illata, ac imbellis turba educta. Enimvero animis ductorum in Banerii exercitu ægreſcentibus, ab hoc nihil hoſtile in Saxonem tentari poterat, ac præpoſteris iſtorum tractatibus habenæ laxandæ erant. Hoſtis inſuper abſente Landgravio & Sperreutero per Weſtphaliam graſſari cœperat, occupata Neuenhauſa Benthemenſi oppido, cui muniendo Rabenhaupt ius tribunus operabatur. Coeſeldæ quoque tria
29. Aug. militum, ſeptem agreſtium millia obſidium circumponebant; quod oppidum rebus Haſſicis valde opportunum in magno periculo verſabatur, oppidanis præſidiarios numero fere ſuperantibus; quo amiſſo omnia Landgravii per Weſtphaliam hoſpitia ruitura videbantur. Igitur poſtquam Sperreu-
Landgravius Coeſeldæ ſuccurrit. terus evocante Oxenſtierna cum legionibus ſuis ad Banerium abiiſſet, Landgravius Melandrum cum copiis in Weſtphaliam mittit, cujus adventu audito hoſtis ſtatim in diverſa diſcedit.

Idem cum Cæſare tractare pergit. §. 82. Interea ad acceptandam pacem Landgravium ſtimulabat Saxo, miſſo Bodenhauſio ſubtribuno, confirmans ipſum amneſtiæ incluſum, & ſi quid deſideret, ſe operam daturum, ut ipſi ſatisfiat.

1635. Id quod tamen parum à Landgravio curabatur, qui magis tractatibus cum Hungariæ Rege per Greisheimium cœptis attendebat. Præsertim cum
22.Aug. Oxenstierna literis declarasset; se quod exitio declinando susciperetur, improbare non posse; ac ipsius judicio relinquere, quomodo rebus suis consulere velit. Stipulatur tamen affectum in Suecos conservaret, & ne copias suas Saxoni aut Cæsari concederet. Greisheimius igitur à Rege Hungariæ de-
30.Aug. clarationem ad Landgravii postulata adferebat, quæ cum Landgravio non plene satisfaceret, neque ea, quæ isti explicandæ à Greisheimio addebantur, hic tandem ad Regem Hungariæ remittitur, tradita à Landgravio formula, qua utique sibi Cæsaris nomine caveri cupiebat. Sic igitur Suecorum fœderati post publicatam pacem Pragensem se gerebant.

12.Sept.

Tractatus ductorum cum Saxonic continuatur.

§. 83. Ast apud Banerii exercitum missi ad Saxonicos Lohusius, Wedelinsque cum Crocovio tribuno responsum Electoris retulerant; quibus declaraverat, nihil præterea concedi à se posse, quam literæ & mandatum Cæsaris ferant. Illis autem Cæsar significaverat; Sueciam utique paci inclusam, ac Suecis eorumque sago ac toga ministris tutum discessum à solo Imperii indulgeri. Sed ut
17.Sept. super ea re demum cum Ipso, & Hispaniæ Rege, Ligaque tractetur, extrahendo tempori inventum, ac supervacuum conciliatis jam Ordinibus, & causis controversiarum sublatis. Concesserat quoque Cæsar facultatem Electori, omnes Germanos, qui decem intra dies militiam Suecorum deserrent, suo nomine in Cæsaream gratiam, & pacis Amnestiam recipiendi. Hoc cum responso
19.Sept. Magdeburgum regressi inopino Oxenstiernæ discessu non parum turbantur; qui & variis inter istos sermonibus jactabatur. Per sequentes dies semel atque iterum in Saxonis castra itum, nullo fructu, nisi quod Saxo oblatam Suecis ad exsolvenda militum stipendia pecuniam ad quindecies, inde vicies centena millia florenorum extenderet, intra sexennium nomine Protestantium Ordinum exsolvenda.

Banerius in Brunsuicensem agrum exercitum traducit.

§. 84. Enimvero deficiente annona Banerio ad Magdeburgum diutius substitere non dabatur, sed nova utique hospitia erant quærenda. Ac initio quidem in Thuringiam ad Werram flumen concedere constituerat. Sed abnuebant ductores, tractatus cum Saxone abrumpi cautati, & cum ipso ad manus hoc modo deveniendum; id quod
22.Sept. concedere nec possint, nec velint. Igitur nihil aliud supererat, quam ditio Brunsuicensis & Hildesiensis, quo motis castris tendebatur. Magdeburgi validum præsidium sub Lohusio duce relictum. Declinandæ tamen offensæ Brunsuicensi Duci de adventu suo significat, ac inevitabilem necessitatem excusat. Ast Saxoni discessus Oxen-

Animi ductorum magis turbantur.

stiernæ optatam videbatur præbere occasionem magis turbandi Suecicorum ductorum animos, istumque invidia obruendi, velut ipse ac Banerius pleraque propria ex libidine facerent, Sueciæ Rectoribus haut probata; idque literis è Suecia missis sibi significatum jactare non verebatur. Et revera non deerant, quibus istius consilia atque actiones displicerent; postquam nemini contigit sua omnibus adprobare. Eoque ductoribus ingerebatur; manifestum nunc esse ab Oxenstierna hunc exercitum pro derelicto haberi & unicam spem in Borussicis copiis collocari, ad quas se contulerit, hujus cura plane abdicata. Igitur sibi tandem consulerent, ac gratiam Cæsaris laborumq; præmia amplecti ne differrent. Electorem Germanicis legionibus apud Suecos merentibus vicies centena millia florenorum exoluturum, data quoq; ante actorum venia, si exercitui suo accedere velint. Dignitati Sueciæ ab Electore pro ratione temporum consultum; & si quid forte præmii pro Suecia postuletur, se facilem fore. Sed nunc absente Oxenstierna super præmiis militum, Regnique Sueciæ simul agi vix posse. Dolere sibi, Suecicos duces commodis suis ipsos obstare, ac tanta merita incassum prodigere. Accedebant literæ Brandeburgici, quem cum ductores Suecici super tractatibus cum Saxone consulerent, ipse ut faciles se præberent acceptandis à Saxone oblatis hor-
20.Sept. tabatur. Adjungebantur à Leuchtmaro ad Lohusium agnatum literæ, quibus persuadere ipsi satagebat, operam apud alios daret, ut militibus à Saxone oblata non amplius repudiarentur. Unde Conventus ducum Helmstadii habetur. alienatis jam magis animis Banerius universos duces superiores Helmstadii convocat, & quid ab iis expectandum sibi sit, exquirit. Ubi unus & alter quidem sat ampliter promittere: Sed aliqui, quos inter Sperreuterus, tanto licet nuper in Suecos ostenso studio, & Wedelius, difficiles se valde præbebant. Proponebatur quoque à Banerio vetus consilium de profectione in Thuringiam; cui omnes fere obnitebantur. Quin VVedelius, Sperreuterus, Beckermondus, Glaubicius, alii non obscure fremebant; subducendas cum singulis legionibus rationes, & direptis vexillis abeundum, quo cuique placeat. Unde Banerio, ni exercitum plane dissolvi vellet, necessitas imponebatur hospitia per agrum Brunsuicensem & Hildesiensem præsulatum distribuendi, quibusdam legionibus etiam in VVestphaliam missis. Et quia Halberstadiensis præsulatus interim à Saxone occupatus erat, VVedelii, & Duglassii tribuni legionibus destinatus, hi quoque in Hildesianum agrum remittendi erant. Jesvvirzkius subtribunus cum legione VVerderiana Dœmitzam & Boizeburgum trajectus Albis servare jubetur. Eo in conventu non oblivisebantur ductores tractatus cum Saxone continuandi. Et quia Brandensteinius Comes parum commoda militum curare, Lohusius suis tantum inhiare arguebantur, VVedelius huic adjungitur; absurdo plane auso, cum nemo Regni Sueciæ nomine, uti hactenus factum, illis associatus foret; & frustra sibi arbitrium pacis vindicarent, qui suo nomine bellum non gessissent. Neque in literis ad Saxo-
27. Sept. nem amplius de Sueciæ, sed de solis militum præmiis mentio fiebat; quibus oblatam pecuniæ summam augeri postulabant, & ut interea hospitiis quiete sibi frui liceret, quoad plane fuerit transactum. Enimvero ultima hæc missio successu caruit. Nam VVedelio, cui Halberstadii hospitium erat assignatum, hoc per Saxonicos præcepto longius erat discedendum. Unde Lohusius negotium solus in se suscipere abnuebat; præsertim cum certa mandata non haberet, & se suspectum esse ægre ferret.

Banerii destinata.

§. 85. Ast Banerius in distribuendis hospitiis id maxime respexerat, ut suspectæ sub Sperreutero legiones longius amoverentur, ne reliquas contagio inficerent; fidis propius Albim locatis, ut si opus foret intra triduum contrahi possent. Id porro is consilii ceperat, ut, si Elector nil aliud quam circa dilatanda hospitia satageret, & ipse in captis jam stativis subsisteret, rebus eis Albim quantum possit sustinendis. Sed si idem hostili animo ingrueret, contractis legionibus placebat idoneo ad Albim loco castra munire, pontemque aut navigia trajiciendo exercitui promta habere: ubi si diutius sustinere non valeret, raptim transmisso exercitu, & ponte post se dejecto aut corruptis navigiis, Havelbergam & ultra iturus, seque improviso terris istius infuturus: aut adscitis Borussicis copiis quæ res tempusque ferret susceptturus erat. Inter hæc modestæ à Banerio literæ 6. Octob.

ad

1635. ad Saxonem dantur, quibus Oxenſtiernæ diſceſſum in Cæſarcos Pomeraniæ ingruentes referebat, præſertim cum ipſius præſentia parum ad promovendos tractatus contulerit, aliorum dexteritate non minus abſolvendos. Exercitum porro in has oras translatum inopia annonæ, & evitandæ cum Saxonicis colliſioni. Quanquam autem confidat, Electorem Sueciæ meritorum non immemorem fore; tamen cum poſt occupatos prætulatus ejus copiæ huc quoque tendere videantur, quo animo veniant noſſe cupere. Et quia plura indies hoſtilitatis ſigna à Saxone erumpebant: Banerius ad omnes duces tribunosque ſcribebat: quoniam acceſſus Saxonis nil amici minetur, fidei Sueciæ Regno datæ memores ſint, deque ea ſibi ſignificent. Jubet inſuper, ut in horas ad proficiſcendum parati ſint; & Saxonicis incumbentibus ad ipſum ſe recipiant.

Oxenſtierna Dœmitzæ præſidium imponit.

§. 86. Interim Oxenſtierna per noctes diesque properato itinere cum Dœmitzam perveniſſet, intelligit, Meclenburgicos Duces Ellenum tribunum ad ſe evocaſſe, ex iis qui apud Georgium Ducem remanſerant, præſidio firmandis Dœmitzæ, Pœlæ, Suerino, & Roſtochio; qui & prope hinc aberat. Vetuiſſe præterea, ne Succicis copiis tranſire Albim concederetur. Id cum in fraudem Sueciæ ſuſcipi pateret, Oxenſtierna, qui reliquum agmen prægreſſus erat, ægre pontonem nactus, cum detinebat, quoad impedimenta & comites ipſius advenirent. Simul Goldſteinio ſubtribuno, qui ipſum deduxerat imperat, ut militem arci, & oppido tunc præſidio vacuis immittat. Eo vix cum cæteris Wiſmariam verſus digreſſo Ellenus Dœmitzæ adpellit, deſtinati jam irritus, alia tranſitum in Meclenburgicam

21. Sept. quærere coactus. Eam arcem mox Oxenſtierna Wiſmariam veniens adparatu bellico, & pluribus militibus firmabat. Idem Pœlæ præſidium imponit, quam milite ſuo inſidere Duces agitabant. Ea tamen loca, ſi Duces revera Succis ſtuderent, illis reſtituere volebat; ſed ſi in hoſtium partes tranſirent, trajectum Albis, & portus VViſmarienſis oſtium in poteſtate habere expediebat. Et quia Saxonici jactaverant, plura ſe loca hoc tractu occupaturos, quo & Elleni tribuni adventus ſpectabat, oppidum Suerinum milite ſuo occupari jubet, arce Ducis ſede omiſſa, quæ tamen paulo poſt nonnullos ex Elleni legione, reliquos Roſtochium recepit. Querenti Duci ſuper Suerino præcipue occupato, Oxenſtierna Saxonis deſtinata antevertenda excuſabat. Nec minus de admiſſis Luneburgicis copiis exprobrat, quæ deſerto Succico fœdere & decreto Halberſtadienſi hoſtium magis quam amicorum loco Succis ſint. Eo-

25. Sept. 28. Sept. que & Roſtochienſes monet, ne Succis ſiniſtre de ipſis ſentiendi cauſam præbeant. Ad quæ iſti reponebant; ex pacto ſe teneri Ducibus Meclenburgicis portas receptus gratia aperire. Admiſſum militem urbis ſacramento adactum; nec ullius hominis, nedum Succorum offenſam ſpectare, ſed ne denuo urbs externi præſidii ſervitio ſubjiciatur.

Oxenſtierna ora maritimæ proſpicit.

§. 87. Porro cum ſatis animadverteret Oxenſtierna cominus jam ingruens periculum, prima cura erat Wiſmariam milite, & operibus firmare. In citeriorem Pomeraniam, cum ulteriorem Steno Bielkius curaret, præmittitur Leslæus; qui Stralſundæ civium animos tot adverſis Succorum caſibus plane dejectos, & valde immutatos, opera imperfecta, invalidum præſidium reperiebat. Cætera quoque oppida, præter Grypsvvaldam, maligne munita, ac in tota provincia vix bis mille militum. Igitur iſte Stralſundenſium animos arte tractare, non plus exigere, quam ultro vellent; tum revocatis in memoriam prioribus bene- 1635. factis conciliare, ac in futurum firmare, quoad honeſta pax obtineretur, quæ Succis quam maxime cordi foret. Oſtentabatur quoque exemplum Elbingæ, quæ Succorum opera pluribus privilegiis aucta ſit. Et ſane ſcrupulum Stralſundenſibus injiciebat, quod amneſtia ad annum hujus ſeculi triceſimum reſtricta foret, nec ab Hanſeaticis quidquam de pace illis ſignificatum foret. Ita paulatim vetus affectus in Succos recalefcebat. Nec minus omnia defenſioni neceſſaria adornat Leslæus, præfectosque oppidorum recenti exemplo flagitii Gartzenſis officii admonet. E Borullia quoque arceſſuntur copiæ, & quidquid adparatus bellici, annonæque, & pecuniæ illis deſtinatum erat. Modica intuper claſſis ad oram Pomeraniæ præſto eſſe jubetur. Et Banerio ſignificatur, ne ad oram maritimam, niſi extrema compulſus neceſſitate, ſe recipiat. Id denique omnibus modis agebat Oxenſtierna, ut ſi non victoria, ſaltem mora ac tædio belli honeſta pax hoſti extorqueretur, ſi alia media paci obtinendæ haut ſufficerent. Quorum ne quid omitteretur, Brandenſteinium Comitem Magdeburgi reliquerat continuandis quæ daretur tractatibus. Et cum Duces Meclenburgici per Legatos exquirerent, quo loco tractatus cum Saxone forent; ſuamque operam iis promovendis offerrent; ipſos ad interpoſitionem invitabat, duriſſimum eum nodum oſtendens; quod Cæſar cum Succis peculiari conventione tranſigere dedignetur, ac non niſi alienæ paci eosdem includere velit; cum tamen ipſi non auxiliarium vicem ſuſtinuerint, ſed ſuis auſpiciis bellum geſſerint. Unde cum ratio & mos omnium gentium cum Regina Sueciæ tanquam principe parte tranſigi jubeat, ſibi utique providendum, ne patriæ ſuæ pro benefactis ea contumelia inferatur. Quod ſi igitur Saxo Cæſaris nomine tractatus ſecum ſuſcipere velit, paucis hoſce capitibus, & brevi tempore abſolvendos, queis abolitis utrinque offenſis pax & amicitia, vetuſque commerciorum uſus reſtituatur; circa ſatisfactionem & alia capita, moderationem ſuam omnibus adprobaturum.

Idem tamen ſtatus pacis non negligit. 24. Sept.

Succeſſus Cæſareorum per ſuperiorem Germaniam.

§. 88. Aſt in Superiore Germania Cæſarei læti per pacem Pragenſem Saxonem cum ſociis ſacrorum bellique commiſiſſe, ad Gallos Germania eliminandos totis viribus incubuerant. Nec minus quicquid Proteſtantium ſupererat, ultro, aut vi pacis legibus ſe ſubmittebat. Francofurtenſes denuntiatam pacem ſtatim accipere decernebant, miſſis ad Regem Hungariæ Heilbrunnam legatis, conſenſu tamen Vitztumii præfecti, qui iſti legationi contradicere non audebat, modo diſceſſus ſibi liber indulgeretur; an quod civibus, urbanisque cohortibus par non eſſet. Et mox perfecta urbis tranſactione, ab Hungariæ Rege aderat, qui cum iſto ſuper diſceſſu ageret; & negotio prope ad exitum perducto idem jam convalare cœperat. Sed cum de adventu Bernhardi Ducis, & deſerto Moguntiæ obſidio percrebuiſſet, abrupto tractatu Saxenhuſam tueri conſtituit. Qui Argenterorati degebant Principes, Comites, & ex Equeſtri Ordine omnes pacem reſpicere, miſſis ad Hungariæ Regem, qui pro ipſis tranſigerent; quorum aliquibus tata æquæ, reliquis atperæ leges dictæ. Marchio tamen Badenſis Gallorum promiſſa ſecutus his ſefe plane addixerat. Ducis Wurtenbergici Legatis, quos Hungariæ Rex ipſe audire dedignabatur, Curtius reſpondebat; cum Principem pace excluſum, eoque ipſi adquieſcendum, aut rem ad conventum Electorum devolvendam, aut cum Cæſare agendum, ut ex gratia partem regionis ipſi reſtituat. Interim etſi Pra-

Cæſareorum per ſuperiorem Germaniam. Francofurtum pacem acceptat. 4. Julii.

& multi alii.

Dux Wurtenbergicus repudiatur.

1633. genſi pace ſacra per Wurtenbergicam priſtino loco relinqui juberentur; quoad ſuper excluſione Ducis ab Electoribus, aut in Conventu Ordinum Imperii cognoſceretur; ſtatim tamen Cœnobiis Duci ſubjectis Romani ritus obtrudebantur, abolitis ſcholis. Simul complura Ducatus oppida, præfecturæque à Cæſare in alios transferebantur.

Argentoratenſes nutant. Argentoratenſes porro, cum hoſtis propius ingrueret, omnesque in pacem ruerent, ipſe quoque Oxenſtierna cum Saxone tractare nuntiaretur, deſperato quoque Gallorum ac Ducis Bernhardi reditu; Cæſarem utique reſponſo dignandum judicabant, nec ſibi poſt cæteros omnes tranſigendum. Præſertim cum Wilhelmus Badenſis Marchio polliceretur, ſi quid diſpliceret, id ut emendetur, ſe effecturum. Illi igitur hac lege pacem à ſe acceptari declarant; ſi Baſilica, & alia templa ſibi relinquantur: ob deſtructa Cœnobia actio non intentetur: ne ſibi neceſſum ſit hoſtilia in Suecos Gallosque exercere; ut ea pace omnes urbis clientes fruantur; & quæcunque apud ſe depoſita bona dominis ſuis ſalva ſint. Sed cum de templis non ex voto reſponderetur, Saxonis interventionem petunt. Satagente tamen Succico Reſidente Mockelio apud vulgus civium in Pragenſem pacem parum pronum, & hortatu Legati Gallici Vicecomitis Rouſſillii acceptatio pacis differtur; ut tamen fortunam ipſos ſecuturos eſſe facile adpareret.

Conſilium Formatum plane diſſolvitur.

§. 89. Qui porro Francofurti agebant Conſilii Fœderatorum aſſeſſores, rebus plane collapſis, & urbe in partes adverſas transgreſſa, extrema metuebant. Et cum pace excluſos ſe intelligerent,

10. Jul. literis ad Saxonem datis à ſe acta defendunt, aut excuſant; petuntque ne quod Ordinum nomine geſtum ſit, ipſi luant, aut è vinculis cauſam dicere cogantur. Eodem argumento ad Brandeburgicum, Ordinesque Inferioris Saxoniæ ſcribunt; ſimul Oxenſtiernæ ſalutem ſuam commendant. Nec eo ſecius veterem adhuc autoritatem exercere placebat, confecto Neoburgico *neutralitatis* inſtrumento, datisque ad Siburgi præfectum, aliosque mandatis, ut iſtis locis præſidia deducerent. Sed cum læſæ majeſtatis argui ſe intellexiſſent, ac Francofurtenſes eorum deditionem poſcerentur, premente inſuper inopia, jam extrema ſupplicia metu præcipiebant. Abnegaverat quoque Hungariæ Rex liberum Francofurto diſceſſum, vetito, ne deinceps talia petere auderent. Tandem Otto Rheingravius opera Falckenſteinii Comitis, ut Francofurto diſcedere liceret, impetrat, Comite Salmenſi ſui patruelis captivo pro ſe in libertatem reſtituto. Unde Moguntiam, hinc Argentoratum dimiſſus, omni rerum cura deinceps abſtinuit. Reliquos latebræ apud amicos exitio ſubtraxere. Eum finem id Conſilium habuit.

Heidelberga deditionem facit. 28. Jul.

§. 90. Paulo poſt Dilsberga inde & Heidelberga deficientibus alimentis deditionem fecit; cujus præfectus Abel Moda tribunus, cum diſceſſum ſibi in Saxoniam ad Oxenſtiernam ſtipulatus eſſet, à plerisque militibus deſeritur. Moguntiæ à Gallaſio vis admota, qua paulo ante Beckermondus cum ſua legione equeſtri, cui ob inopiam pabuli alias pereundum erat, transmiſſo repente Rheno per Haſſiam ad Banerium evaſerat. Tria urbi caſtra circumpoſita, & acceſſus præcipue verſus caſtellum S. Albani promoti. Hohendorfius contra Moguntiæ præfectus omnia defenſioni utilia

9. Jul. ſtrenue adparare, facta etiam eruptione, in qua ſubtribunus Uxculius occumbebat; Gallaſioque

10. Jul. deditionem imperanti animoſe reſpondere. Unde hic diverſis è ſuggeſtibus urbem adlitaque caſtella, ac Guſtaviburgum tormentis quatere incipit. Nec ſegnius obſeſſi fulminant, plurimis hoſtium cadentibus: quos inter Diodatus ſummus Vigiliarum præfectus, magnæ apud Cæſarem æſtimationis. Diſjiciuntur quoque ab hoſte quatuor molendina navalia tormentis Caſtellæ diſpoſitis ad famem promovendam; quam obſeſſis ingruere hoſtis è, transfugis, & occultis ſacerdotum nuntiis intelligebat. Sed antequam aſſultus tentaretur, 21. Jul. literæ à Duce Bernhardo adveniunt, ipſum propediem affuturum nuntiantes; quæ obſeſſos ad extremam conſtantiam animabant. Et paucos poſt dies hoſtis, acceſſu Gallorum & Ducis Bernhardi cognito, incenſis caſtris peditatum & tormenta Oppenheimum præmittit; equitatus poſtero die inſequitur, indeque raptim Wormatiam ſe recipit, impar ſociato Ducis Bernhardi, & Cardinalis Valetræ exercitui, viginti millia longe excedenti; premente inſuper fame, & lue contagioſa, quæ quotidie ſupra trecentos abripiebat. Dux Moguntiam adpellens mox duas legiones in 20. Jul. Rhingoviam trajicit, Gallis interim Bingam occupantibus, è qua omnes Cæſarei in arcem refugerant. Qua tamen mox absque exceptione de- Binga capitur. 1. Aug. dita quingenti amplius, quos inter plurimi ductores, in poteſtatem venerunt. Inde navalis pons ad Moguntiam jungi jubetur, ut Vitztumio Saxenhutæ à Cæſareis oppugnato ſubveniretur; quo tamen opere tardius procedente id oppidum jam perierat. Inter hunc quippe ac Francofurtenſes, ſtatim atque Moguntiam Bernhardus Dux pervenit, in hoſtilia proruptum, dum iſte id agi ſentiens, ut oppido ejiceretur, cohortes Francofurto ad ſe Saxenhuſam evocat, quingentis inſuper Hanovia excitis; turres inde occupat, & cuſto- 2. Aug. des à Senatu conſtitutos expellit, oppido plane in ſuam poteſtatem redacto. Corbibus hinc terra expletis in ponte diſpoſitis oppidanos molendinis arcere conatur. Id non ferentes Francofurtani 5. Aug. tormentis corbes petere; mox eruptione ex urbe facta illas disjicere, & Succicos ponte ac molendino depulſos intra Saxenhuſam repellere: qui tamen reſumto impetu oppidanos iterum in urbem retrudunt. Eo conflictu utrinque aliqui ceciderunt, ac molendino ignis injectus. Aſt Franco- Saxenhuſa expugnatur. furtani ſoli Succicis impares ſe cernentes à Gallaſio 7. Aug. auxilium petunt; qui aliquot millia ſub Lamboio 8. Aug. & Kehrauſio tribuno iſtis auxilio ſubmittit. Inde ſtatim Saxenhuſa, qua Mœnus alluit, tormentis ubique pulſari, ruina quoque ad inferiorem portam edita: Sueci contra ruinas obſtruere, aditus 9. Aug. transverſis aggeribus intercipere. Sequenti die ſub veſperam Cæſarei aſſultu facto in rotundam turrim, ipſumque oppidum ad templum usque penetrant; unde tamen iterum expelluntur fumo ejectis qui turrim inſederant. Poſtridie repetita 10. Aug. verberatio, ac duo tormenta portæ admota; tum ædibus quæ obſtabant ignis injectus, quarum viginti ſex incendio abſumtæ. Qua de cauſa accedentibus inſuper incolarum lamentis Vitztumius ſub veſperam in certas leges oppidum dedit. Quæ 11. Aug. tamen non ſervatæ; ſed miles portis egreſſus cum quatuor minoribus tormentis, & farcinis vi à Cæſareis abripitur, cavillantibus hiſce, conceſſum quidem militi oppido excedere; ſed in promiſſa Guſtaviburgum deductione Vitztumii tantum, non militum factam mentionem. Ita Vitztumius direptis omnibus, uno comitante Guſtaviburgum venit. Miles ſacramento Cæſaris adigitur; Hanovienſes tamen plerique ad ſuum præſidium refugiunt.

Dux Bernhardus & Galli Rhenum transeunt.

§. 91. Galli interim cum Bernhardo Duce Moguntiæ Rhenum transgreſſi nihil memorabile gerebant, irrita ſpe conjunctionis cum Landgravio, nec vicino Gallaſio Francofurtum tentare auſi. Quin nec iſta urbe facta ſubito excurſione eripi

pote-

1635. poterant reliqui è Consilio Fœderatorum anxie id petentes una cum scriptis publicis; nec Hanoviæ miles immitti, cujus præsidium supplemento valde indigebat, cum intra duos menses maligna lues quinque hominum millia absumsisset, armis & labori idonea; sic ut reparatio valli cessaret, & superstes miles stationibus obeundis ægre sufficeret. Vitztumius tamen regionis gnarus ulciscendæ injuriæ cum valida manu Francofurtum versus excurrens Cæsareos in se alliciebat, eosque in insidias pertractos ita excipiebat, ut multis cæsis, captisque, Hazfeldio equus, cui insidebat occisus, Lambojus in brachio vulneratus sit. Paulo ante Moguntinus Elector Comitem Stolbergensem, licet nuper cum Cæsareis pactum, ut proprio milite arcem Kœnigsteinam obtinere liceret, intentato metu adegerat eandem in ipsius manus contignare. Cæterum cum Valetta & Bernhardus Dux aliquandiu in stativis inter Costheimum, Cassellam, & Hochheimum egissent, nulla rei gerendæ occasione, fame insuper urgente, & morbis ex esu immaturarum uvarum contractis, tandem decernunt, per Sarbruccam Metim versus recedere, postquam Moguntiam septem legionibus, quæ bis mille quingentis capitibus constabant, sed exigua annona, & adparatu bellico firmassent. Nec frustra verebantur, ne hostis indies viribus auctior regressum in Galliam intercluderet. Vix enim iter Crucenacum intenderant, cum hostis eodem tempore ad Wormatiam Rhenum transiens levem equitatum illorum tergo immittit; cum reliquo exercitu Meisenheimum, inde Birckenfeldam, Walderfangam, qua illis transeundum erat, adproperans, quo prævertens Gallia eosdem excluderet. Ita inter continuas velitationes iter faciebant Galli, & Vinariensis copiæ, & Sobernheimi jam mille equites, bis mille desultores ante se inveniebant, quos tamen, ereptis tredecim legionariis machinis, ac cæsis tribuno Bindero, duobus subtribunis, ac multis aliis ductoribus & gregariis, profligatos in castra ad Meisenheimum repulere. Ad Peressium quoque, cum extremum ipsorum agmen ab antecursoribus hostium acriter invaderetur istos diffiparunt, ereptis septem vexillis, captisque inter cæteros tribuno Gœrzio & Langio, cæsis quadringentis. Ita inter famem, continuosque labores, combustis ob lassitudinem equorum plerisque impedimentis, & relictis in aperto campo majoribus Gallorum tormentis incumbenti cum triginta amplius millibus Gallasio strenue se subduxerunt. Hostem quoque festinata itinera sic afflixerant, ut ultra Walderfangam abeuntibus insistere non auderet. Galli cum Bernhardo Duce Metim se receperunt. Gallasius Sarbruccam, & Saræmundam flectens, cum annonæ & pabuli nihil inveniret, Dicusam versus tendit, ut Lotharingo, qui magnis itineribus adproperabat, junctus longius irrumperet. Nec minus undique coibant Galli, hostibus se cum Bernhardo Duce objecturi. Mox tamen legiones Germaniæ prope seditionem venerant, quod missus à Duce ad Regem Galliæ Ponica parum grata responsa retulisset: Regem annonam staram negare, nec intra suam militiam istos recipere. Unde ductores coitione facta Duci denunciant, nosse se cupere, cui stipendia faciant. Sed Dux & Satlerus tribunus sermonibus eos tandem deliniebant, spe facta à Rege Galliæ stipendia & hospitia obtinendi, simul captos ductores redimendos, & pace facta amnestiæ includendos. Ita isti adquievere. Cæterum non ea solum expeditio Gallorum in Germaniam irrita erat; sed & res eorundem in Italia, & imprimis per Belgium parum prospere succedebant, Batavorum insuper ratio-

4. Sept.

Eidem re infecta regrediuntur Cæsareis frustra insequentibus.

6. Sept.

18. Sept.

14. Sept.

nibus ob interceptum Schenckii munimentum valde turbatis. Quæ omnia Cæsareorum animos immane quantum inflabant. 1635.

§. 92. In Saxonia res indies magis ad bellum spectabat, dum Elector postrema declaratione ad Brandensteinium Comitem missâ nil niti toties repudiata ingeminat: Scripto se cauturum, Sueciam pace Pragensi comprehensam; id si non sufficiat, Cæsaris ratihabitionem secuturam; interim restitutio locorum citra moram fieret. Satisfactionis loco vicies quinquies centena millia florenorum offerebat, à Protestantibus convento tempore exsolvenda; cui summæ tamen detrahenda, quæ militi pro residuis stipendiis promissa sint: nec ad peculiarem satisfactionem ullus Ordinum teneatur: Stralsunda tantisper hypothecæ loco à Suecis insideatur, salvis ipsius privilegiis, & absque vicinorum onere. Addebatur, Galliæ Regem non esse morandum, cum jam dies locusque tractatibus inter ipsum & Cæsarem sit constitutus. Insuper peculiaribus ad Banerium literis Oxenstierna perstringebatur, veluti qui per inanes cavillationes pacem remoretur. Ad quæ Oxenstierna; Electoris cautionem dignitati & securitati Sueciæ non convenire. Tractatus æque ac ratihabitionem ab adversa parte proficisci debere. Cum Galliæ Rege tractatus institui, qui nunquam Cæsaris hostem se professus sit; cur ab iisdem Suecia arceatur? Tractaret Elector velut Cæsaris Commissarius secum à Sueciæ Regina plenis mandatis instructo: conventa inter ipsos hinc Cæsar, inde Regina confirmaret. Ubi super summa pacis convenerit, circa satisfactionem facilem se fore. Stipendia militum Sueciæ præmii loco imputari non posse. De tractatibus cum Galliæ Rege ipsius Legatum negare. Aliis insuper literis culpam retardatæ pacis à se in Saxonem devolvit, qui hactenus pro imperio cum Suecis egerit, velut subditis, aut bello victis; ut ei magis iisdem contumeliis insultandi, quam justis tractatibus transigendi animus videatur fuisse. Pragensi pace non magis Suecos, quam Gallos, Anglosque teneri. De præmiis patriæ suæ parce à se actum. Stipendia militum, & refusionem sumtuum non absurde peri Saxonis & Bavari exempla docere, qui vasalli Cæsaris latam ipsi operam sat care imputarint. Quod arma Saxonis per Suecos suffulta in ipsos jam vertantur, Nemesi curæ fore. Ira incalescentibus querelis spes pacis fere expirabat. Nec eo secius Oxenstierna destinatis suis inhærere, ut quantum salva dignitate Sueciæ fieri posset, eam bello eriperet: eoque aliam viam tractatus instaurandi init, opera Ducum Meclenburgensium, quos imminens terris suis periculum maxime solicitos tenebat. Ad quos Paulus Strasburgius mittitur, eos de omnibus actis informaturus. Qui & vicissim per legatos Oxenstiernam hortantur, ne inter erumpentia jam licet hostilia spem pacis abjiciat, ad quam Duces pro virili sint incubituri. Eorum operam Oxenstierna non solum probare se testatur, sed & vehementer rogat, ad ipsum Electorem ocyus proficisci ne graventur, antequam discordia latius serpat, instituendis quamprimum justis tractatibus, in quibus idoneis utrinque mandatis certo tempore locoque congrediantur, qui Regni Sueciæ dignitatem insuper ne habeant, & ad solidam Germaniæ quietem omnia referant. Ab hoc se postulato non discedere, quantumvis extrema omnia immineant. Ita è duobus fratribus de compacto Dux Adolphus Fridericus ad Electorem Saxoniæ iter ingreditur.

Acta cum Saxone circa pacem.

6. Octobr.

21. Octobr.

28. Octobr.

§. 93. Dum hac ratione circa pacem satagitur, Legatus contra Gallicus Chaumontius Marchio Wismariam adpellens Suecos bello implicitos te-

Gallus belli continuatione

nere,

1635. nere, ac à pace cum Cæſare avertere conabatur, ad fœdus provocans cum Guſtavo Rege initum, ac Heilbrunnæ poſt confirmatum, & quæ cum ipſo Oxenſtierna in Gallia convenerint. Cui hic oſtendebat, primum fœdus expiraſſe; ſuam conventionem ratihabitionem Reginæ inniti, quæ ſecuta non ſit. Facturum ſe tamen, quæ tempora & rationes Regni Sueciæ ferant. Habebat inſuper iſte Legatus in mandatis apud utrumque Saxoniæ Ordines agere, ut pace Pragenſi repudiata fœderibus cum Suecia ſtarent, quoad univerſos complexa pax iniretur. Sed rebus non amplius integris opera ludebatur. Ad Brandeburgicum tamen, quem peculiariter accedere juſſus erat, mittit, qui exploraret, num acceſſus ſuus gratus ſit futurus, an minus. Simul ab Oxenſtierna poſtulat, ut quia ſine dubio Elector de cauſa Pomeranica moturus erat, ſuper hæc declaratio ſcripta concepta ſibi tradatur. Quod hic annuit, ut ſi Elector mordicus Pragenſi paci inhæreret, eo plus favoris Succorum cauſæ adderetur; aut ſi ea permotus in horum partes tranſiret, haut leve momentum rebus iplorum adferret. Declarabat igitur Oxenſtierna, Electori à Succis nullum impedimentum circa adprehendendam ejus provinciæ poſſeſſionem iri allatum, ſi Ducem bello durante abſque maſculis hæredibus mori contingat: bello finito omnia loca præſidiis deductis ipſi reſtituenda, ſalvis tamen Stralſundæ privilegiis. Refuſio quoque ſumtuum ex fœdere Pomeranico debita Electori remittebatur, ut tamen ad ea, quæ ab univerſis Proteſtantibus Regi-
22. Octobr. næ decernenda ſint, ratam partem conferat. Ea occaſione ad iſtum quoque literas dat Oxenſtierna; quibus ſuper injuriis à Saxone illatis queritur, & quod copias iſti ſuas ipſe junxerit, hoſtique tranſitum per Francofurtum, & Landsbergam conceſſerit. Petit quoque, ut Succis ſeſe iterum jungat, & ad idem alias hortetur. Enimvero Brandenburgicus negabat ſe Legato Gallico ſuper tuto itu redituque cavere poſſe; eousque itine-
3. Nov. re iſto Legatus ſuperſedebat. Oxenſtiernæ prolixe reſpondebatur; quicquid à ſe factum, neceſſitate temporum excuſandum, nec petito ipſius
13. Octobr. nunc annuere in ſua poteſtate eſſe. Eodem tempore Auguſtus Luneburgicus Dux per Legatum petebat, ſuam provinciam Succorum copiis ſaltem ex parte liberari, prædisque ſuis peculiaribus, & præfecturæ Cellenſi parci; utque Nienburgum ſibi reſtituatur, à ſe vel munimentis exuendum,
16. Octobr. vel intra neutralitatis leges obtinendum. Apud quem Oxenſtierna hoſpitationem neceſſitate excutabat, in quam Saxonis iniquitas Succos conjecerit. De prædiis peculiaribus ad Banerium ſe ſcripſiſſe. Nienburgum per rationes belli detineri, & quia frater ipſius Dux Georgius tormenta Succica nondum reddiderit.

Banerius è Luneburgico agro diſcedit.

§. 94. Enimvero mox Banerius contractis legionibus hoſpitia iſta deſerere coactus eſt, ingruente Saxone, jam hoſtem profeſſo. Ubi quid conſilii capiendum foret non adeo in expedito erat. Saxoni validæ copiæ; Succos plerique oderant, & perſequebantur, aut prodebant; omnes deſeruerant non ob malefactum aliquod, ſed Saxonis exemplo, ac deſperato iſtarum partium ſucceſſu, aut quod pacis fructum ab iſtis ſibi crederent intercipi. Magna pars Succici exercitus minis ac pollicitationibus Saxonis corrupta erat, ſic ut ſuperiore æſtate pugnam detrectarent, ac peculiares tractatus orſi res Succorum ſummis difficultatibus implicarent; quos nutans iſtorum fides, vim & injurias propulſare prohibebat, Saxone pro lubitu ipſis inſultante. Et quantumvis jure ſuo cedere vellent, ita imperioſe tamen & inſolenter iſte agebat, ut ſalva dignitate arma ponere non poſſent. Igitur tantæ ignominiæ à patria ſua depellendæ Oxenſtierna judicabat ſatius eſſe vi expelli & prodi, quam humili prece pacem mendicare: qua tamen ne ſic quidem potiri aut frui licebat. Vitum igitur Banerium invadente Saxone, ſi occaſio daretur, prælium tentare. Nam ſi vinceret, rem reſtitui; ſin adverſi quid accideret, modo ipſe ſalvus foret, ſummæ rerum parum decedere, cum exercitui iſtius in anguſtum redacto alias pereundum foret, ac per Boruſſicas copias, & quæ è Suecia expectabantur, ora maritima ſatis defendi poſſet. Sed ſi prælium minores vires, aut ægri militum animi diſſuaderent, trans Albim quoad poſſet ſe tenere jubebatur. Ubi ſi diutius ſubſiſtere non liceret, eis Albim recedens Meclenburgicam, ac Pomeraniam complecteretur. Ita bellum ad prima velut principia revocatum ibi tamdiu extraheret, quoad defeſſus hoſtis honeſtam tranſigendi rationem non amplius abnueret, aut aliam fata viam panderent. Si enim ora maritima ad proximum ver teneatur, accedentibus è Suecia auxiliis, vaſtitate ſuarum ditionum vicinos Principes ad quærendam pacem adactum iri. Imo honeſte tranſigendi facultatem non dari, ni hoſtis ſtrenue vim ſibi opponi cernat, & Succos non ita facile, quam credatur expelli poſſe. Unde præcipue loca maritima firmabantur; & nonnihil pecuniæ ſuſtentandis præſidiis Oxenſtierna curaverat; ea qua non pertingeret, parſimonia aut alia ratione ſupplebatur. Leonardus autem Torſtenſonius, qui copias è Boruſſia in Pomeraniam adducebat, jubebatur poſt firmatam idoneo præſidio Colbergam iſti oppido, & Stetino interjectam regionem, inſulasque Wollinum, & Uſedomum tueri; de cætero copias periculo non exponere, ſed bellum per hyemem ducere; ſimul militum quantum daretur augere, & diſciplina componere, ut eo alacrius, ſi opus ſit, bellum tum queat. Ipſe quoque Oxenſtierna poſt diſpoſitas Wismaria res, ordinando Pomeraniæ ſtatui 27. Octobr. Stralſundam trajecit.

1635. Oxenſtiernæ inter eas difficultates conſilia.

§. 95. Tandem ad manus inter Succos ac Saxones veniebatur. Saxo inſtante Curtio Cæſaris Legato Alcamiæ bellum Succis inferre decreverat, & eo ipſo die, quo ultimam ſuper pace declarationem ediderat, primum *ſanguinarium*, ut ipſe vocabat, juſſum Baudiſio, ſupremo exercitus ſui Legato injungit: poſtquam Succis, eorumque militibus ſatisfacere fruſtra hactenus laboraverit, iisdem velut imperii turbatoribus quantum poſſit, & ratio belli ferat, damnum daret. Et quia Banerius ipſe cum parte legionum in Brunſuicenſem ac Luneburgenſem agrum ſe contulerat, Rudvveno ſupremo Vicario per Veterem Marchiam cum quibusdam diſpoſito; Saxo quoque copias ſuas dividit, ſiniſtrum quidem cornu ſub Damiano Vitztumio, & Dæhnio ſummis Vigiliarum præfectis 10. Octobr. Garlebiam ire jubet, ut medium ſe Banerio, & Rudvveno interponeret. Ipſe cum Baudiſio ſecundum Albis ripam deſcendit, valida caterva trans fluvium Havelbergam & Meclenburgicam verſus dimiſſa, quæ Succos tranſitu Albis Dœmitzæ, & alibi arceret. Cum igitur Saxonici Tangermundæ adpellerent, Ericus Slangius ſubtribunus oppido excedit, & Stendaliam ad Tobiam Duvvalium ſe confert. Quem Baudiſius ſtatim miſſo tubicine faceſſere jubet. Unde ipſi junctim cum Solt- 9. Octobr. quellam ad Rudvvenum, quo totum ſiniſtrum Saxonis cornu tendebat, penetrare non poſſent, ad dextrum latus ſecundum Albim procedunt, ut eo tutius cæteris jungi poſſent. Tangermundæ Saxo 12. Octobr. ad Baneri literas reſpondebat: ferendum non eſſe, ipſum abruptis per Oxenſtiernam tractatibus è regione exeſa in opimam concedere obtentu finem ibi tractatuum expectandi: cui auſo ipſe obviam

Inter Succos & Saxones ad manus pervenitur. 6. Octobr.

1635. viam iturus sit, prout Imperii leges postulent. Adjungebatur ultima ipsius circa pacem sententia.

10. Octobr. Scribit etiam ad quosdam Inferioris Saxoniæ Ordines; Oxenstiernam tractatus secum cœptos turbasse; unde Suecos eorumque socios hostium loco habendos. Hostilitati præluserant Saxonici; dum Egiæ portam petardis disjiciunt, triginta Suecicis occisis, reliquis dimissis, jactantes vi potuisse superfederi, ni præfectus Electori cupienti

8. Octobr. per noctem ibi divertere abnuisset. Sed citra colorem hostilia exseri cœperant VVolfsburgi, ubi duæ Ptulii tribuni cohortes opprimebantur. VVerbense castellum Ungarus tribunus summo mane improviso invadebat, admotis duobus navigiis, cum ex altera parte selecti pedites per tenebras propius suggressi essent, nullo inde telo emisso. Præfectus Georgius Patculius subtribunus captivitatem subibat.

Saxonici hostilitatem ordiuntur.

Banerius in difficultatibus hæret.

§. 96. Banerium incumbentes Saxonici non parum perturbabant. Quanquam enim vires ipsi non spernendæ, centum octoginta equitum, centum triginta quatuor peditum, novendecim dimacharum cohortes, & pedes sat promtus foret; equitatui tamen plane diffidebat, gregariis exemplo præfectorum non minus turbidis. Et exitium imminebat, si ita cito, antequam paulisper sè refecissent, contraherentur. Legiones in VVestphaliam, & Hildesiensem ac Brunsuicensem agrum dimittæ incertum erat, an ipsius jussu statim sè moturæ forent, hospitiis vix delibatis. Cum cæteris solis Electori impar erat. Neque tamen isto hostilia intentanta alia via supererat, quam contractis raptim pro-

9. Octobr. pioribus legionibus ad Albim tendere, & Dannebergæ, Hitzcaræ, aut Bleckedæ pede fixo remotiores legiones expectare. Nec mora, ipse Albim versus iter ingreditur, Rudvveno è Vetere Marchia eodem properare jussò; remotiores quatuor tissimum videretur etiam per ambages ad ipsum penetraturæ erant. Et jam summa rerum in eo vertebatur, ipse an Saxo prior Albim attingeret. Nam Banerius, si præverteret, ad flumen consistere vimque arcere, aut, si videretur, in alteram ripam trajicere poterat. Sed præveniente Saxone Banerii exercitus perierat, ad deditionem, aut fœda pacta adigendus. Enimvero quantumvis Saxonicorum primum agmen intra biduum quatuordecim milliaria ementium esset; eos tamen prævertens Banerius Albim attingebat, quem Rud-

Banerius prior Albim attingit.

25. Octobr. vvenus Altenburgi assequebatur. Ita omnes peditum legiones, Crachtii & Goltzii exceptis, & fidissimi equitum salvi ad ipsum pervenerunt. Et quanquam paulo altius Albim complecti cupierat, Dannebergæ aut Bleckedæ, tamen adproperantibus eodem Saxonicis, qua proximum erat flumen attigisse gaudebat. Interea Pfulius duas cohortes suas ultus inter Bleckedam & Dorrenbergam centum quinquaginta Saxonicos plerosque cædit, præfecto cæterisque captis. Heic iterum Banerius hærere, quod longius remotæ legiones nondum advenissent, quas Albim transgressus haut facile sibi jungere poterat. Sed si cis Albim istarum adventum expectaret, metus erat, ne Saxo Teurzenæ, ab Ungaro tribuno jam insessæ, ponte Albim insterneret, ipsumque Meclenburgica, Pomerania, & Borussicis copiis excluderet. Quin & istæ legiones, si priorem animi habitum retinerent, adventu suo plus damni, quam virium allaturæ erant, reliquis istarum contagio infectis; quas & eam ob causam ita longe removerat; cum de Borussicarum copiarum fide certus esset. Igitur Albim cum præsentibus legionibus transgreditur Borussicas sibi juncturus, aut per

22. Octobr. Marchiam hostem distracturus. Remotioribus legionibus scripto significat, se ipsarum adventum expectare non potuisse, & ut Wilhelmo Landgravio junctæ in hostem rem gerant. Porro dum circa trajiciendas Altenburgi copias Banerius satagit, Dœhnius cum primo Saxonicorum agmine decem legionibus constante inter Luneburgum, & Bardevicum adpellens legionem Virtzumianam, & è cæteris selectos equites ad septendecim centurias Ludershusam usque exploratum mittit; ubi raptim excitatum munimentum tres Suecicorum equitum legiones, sexcenti pedites custodiebant. Quo intellecto Banerius statim cum istis copiis ultra angustias viæ progressus è captivo de hostis conditione cognoscit; eoque non consultum ducit totum agmen expectare. Utraque parte consistente cum Saxonici animadverterent, citra pugnam se abire non posse, in conflictum prorumpitur, quo hi mox funduntur, etsi tres duntaxat Suecicorum alæ manum conserrent, reliquæ tres aggere silatim transmisso serius advenirent. Fugientibus instabat Banerius, donec reliquæ legiones Saxonicæ in conspectum venirent. Quas cum aliquantisper firmato pede expectasset, istis progredi non ausis retro vertit. In eo conflictu multi Saxonicorum cæsi, primarium legionis Virtzumianæ vexillum, & cum aliquibus ductoribus septuaginta circiter gregarii capti. Inter Suecicos omnes pugnæ sè paratos ostendebant; & pedes, qui otiose conflictum spectabat, Saxonicis cum clamore exprobrabat; recte eos pœnas dare, qui meritis ipsorum non aliam extolvere mercedem voluerint.

1635. 19. Octobr. Saxonici vapulant.

Banerius Albim trajicit.

§. 97. Quanquam autem capto specimine Banerius judicaret, adjcitis reliquis legionibus Saxonem non magnopere sibi fore metuendum; tamen intermedio hoste ab illis separatus, necessarium judicabat trajectionem quantum posset accelerare, quod Saxonicos de intercipienda Dœmitza agitare cognoverat; quam & Ungarus tribunus jam incassum licet tentaverat. Illis præveniendis Rud-

Saxonici peditatus clades ad Dœmitzam.

22. Octobr. vvenum cum pleroque equitatu & mille peditibus propere mittit, ut arci subveniret, pontisque structuram inhiberet, quoad ipse cum reliquo exercitu & machinis, si opus foret sequeretur. Iste Dœmitzam perveniens Baudissium cum septem prope millibus peditum selectorum inveniebat absque machinis & vexillis, quos Elector raptim trajicere jussérat Dœmitzæ oppugnandæ. Cum igitur Baudissius quos penes se equites habuerat, Grabaviam duobus abhinc milliaribus misisset, unam Joannis Wachmeisteri turmam intercepturos, rationis videbatur Rudvveno hostem equite destitutum invadere, præsertim cum eodem tempore Jesvvitzkius subtribunus arce erumperet, incensoque oppido Saxonicos in campum prodire cogeret. Id autem usque adeo feliciter cessit, ut ex tot millibus Saxonicorum maxima pars conciderentur, gregariorum circiter bis mille quingenti caperentur, qui fere signis Suecorum succedentes non modicum incrementum istorum peditatui attulerunt. Captus quoque tribunus Lunovius mox è vulneribus defunctus, & subtribuni Julius Christophorus Arnheimius, & Stammerus. Baudissius baltheo prehensus hoc gladioque relicto evaserat. Wilsdorfium supremum Vigiliarum præfectum, & Schneidium tribunum equi eripuerant. Ea victoria maximi momenti Suecorum rebus fuit, fidis legionibus insigniter confirmatis, nutantibus ad saniora flectentibus.

Pons Saxonum ad Lentzenam destruitur.

§. 98. Re feliciter gesta Rudvvenus Lentzenam tendit, ubi ducenti pedites, quicam obtinerant, jam se subduxerant. Eodem adproperat Banerius, quod Rudvvenum solum ponti destruendo, qui prope perfectus erat, non sufficere crederet. Per noctem igitur minoribus tormentis opus impeditur; sed orta luce majoribus pons plane disjicitur,

Saxo-

1635. Saxone ex adverſa ripa incaſſum fulminante. Interea dimidio infra Lentzenam milliari aliquot Saxonicorum equitum turmæ ſub tribuno Schierſtedio Albim vado tranſierant, eodemque ipſe Elector cum quatuor peditum legionibus, octo machinis tendebat, inſequente equitatu. Quo nuntiato Banerius Slangium ſubtribunum cum legione ſua eo mittit ſuſtinendo hoſti, quoad ipſe adeſſet. Is ſtatim impetu facto Saxones rejiciebat. Et mature quidem tribunus ſe ſubduxerat, reliqui cæſi, aut aquis ſubmerſi, pauci, quos inter turmæ præfectus, capti. Banerius mox cum legionibus eodem perveniens per noctem ibi ſubſiſtebat, quoad Electorem perrumpendi ſpe abjecta diſcedentem vidiſſet. Poſt hæc Banerio viſum continuis laboribus fatigato militi pauliſper quietem indulgere, quem ea de cauſa Dœmitza VVahrenam usque diſtribuebat. Enimvero id non ſinebat Saxo VVerbenam usque retrocedens, ubi quod caſtellum in poteſtate haberet, tranſitu Albis prohiberi non poterat. Nec procul inde Sandaviæ flumen equitatus vado tranſire commode poterat. Ea cauſa Banerium ſubigebat copias iterum contrahere. Nec tamen conſultum videbatur hoſti obviam procedere, quod aut prælii alea foret tentanda, aut recedenti cataphractis Saxonicis incumbentibus machinæ forte, & fidiſſimus peditatus derelinquendus eſſet. Unde locis commodis ſe tenere, Saxonemque expectare ſtatuit, ac circa finem Octobris menſis ad Malchinum conſedit, tuto ibi Boruſſicarum copiarum acceſſu, occaſionem rei gerendæ aucupaturus.

Cæſarei Stargardiam expugnant. 7. Octobr.

§. 99. In diverſa parte Cæſareis res ad Stargardiam ex voto ſucceſſerat, ſub adventum iſtorum igne totum oppidum depopulante, per proditores ſuppoſito; an quod prope mœnia incendio horreo ſurgens ventus incendium oppido intulerat. Eo tumultu dum oppidani circa ſua flammis ſubtrahenda fatagunt, à Succis quidem hoſtis aſſultans aliquoties ſtrenue rejicitur. Sed cum præter cibaria ignis adparatum bellicum, unamque & alteram portam abſumſiſſet, deſtructis etiam alicubi operibus, nec milite ob fumum in vallo conſiſtere valente; Bohmius flagitante id inſuper magiſtratu, & lamentis fœminarum ac puerorum reſonantibus, ſuper deditione hoſtem compellat. Quam iſte hac rerum facie abnuens aſſultus continuavit, quoad intempeſta nocte per portam incendio conſumtam cum jactura quinquaginta militum irrumperet, Succis in propugnaculum à D. Joanne dictum ſe recipientibus. Qui tamen cum nec fruſtum panis ſuppeteret, ſequenti luce arbitrio ſe hoſtium dedere coguntur. Gregariorum circiter ſexcenti, ſelectus miles, per Cæſareas cohortes diſtributi, ductores captivitatem ſubiere. Hoſtis in oppido incenſo aliqua manu relicta Dammum verſus progreditur, ibique per aliquot dies otioſus haret, incertum proditionis cujusdam eventum expectans, an Boruſſicarum copiarum adventu turbatus, cum & ipſe circa augendum exercitum acceſſu Saxonicorum & Brandeburgicorum, nec non Polonorum ſatageret.

Copiæ è Boruſſia in Pomeraniam veniunt.

§. 100. Cæterum è Boruſſicis copiis quæ mari ſe commiſerant, aliquæ oborta tempeſtate diſperſæ; ſex cohortes ſub Fletvvoodo tribuno Pillaviam rejectæ; nonnullas cohortes Kinnighami tribuni fractis navibus littus excepit, è quibus octoginta tantum Pillaviam reverſi, reliquis hinc inde dilapſis. Sed bis mille equites, ſex peditum legiones Jacobus Gardius Regni Succiæ Archiſtrategus itinere terreſtri ductu Torſtenſonii adjuncto Axelio Lilio ire jubebat: qui per Schæmnicham Pomerelliæ, Stolpamque Coslinum delati, cum ſerum 25. Sept. Stargardiæ auxilium venirent, ac de multitudine 6. Octobr. hoſtium multa jactarentur, ad littus deflectentes Wollinum tenuerunt, dies aliquot ad requiem ſumturi, quoad Oxenſtiernæ mandata acciperent. Horum adventu cognito Marazinus relicta Damma peditatum & equitum partem Greifenhagam miſerat; quatuor equitum legiones cum una dimacharum Wollinum verſus excurrebant, Suecorum ſtatui explorando. Iſti cognito Succos equites trans viarum anguſtias per vicinos oppido vicos tendere in hoſpitiis eos ſuis opprimere tentabant. 1635. 13. Octobr.

Cæſarei ad Wollinum pelluntur.

Sed Torſtenſonius per exploratores intellecto eorum adventu ſuos propius oppidum ſuccedere jubet. His vix itineri accinctis, hoſtis tota vi è ſylva in Uplandicam legionem ſibi propiorem irruit, quæ velitatione cœpta paulatim verſus oppidum recedebat, ſubvenientibus interim Oſtrogothis. Mox cum plerique hoſtium eis viæ anguſtiis progreſſi eſſent, Sueci impetu invecti non ſine damno eosdem ultra eas anguſtias repulerunt. Quod tamen è captivis cognoviſſent, præter dimacharum legionem, quæ fauces viæ ſervabat, manum quoque validam in inſidiis latere, ibi ſubſiterunt quoad receptui ſignum daretur. Hoſtis Golnoam recedebat deſideratis non paucis, quos inter tres turmarum præfecti, & quidam alii ductores. E Succis non ſupra viginti ſauciati, aut cæſi. Poſt primum hocce ſpecimen copiæ iſtæ plures ſubinde in hoſtem excurſiones faciebant, quarum una triginta equites cum præfecto concidebant.

Pomerani frænum mordent.

§. 101. Sed & in tempore aderant Boruſſicæ iſtæ copiæ ob alienatos tunc Pomeranorum animos. Rurelires quippe cum Cæſareis velut amicis agere: Dux ſubinde ſuos ad iſtorum præfectos ablegare, fruſtra contradicente Legato Stenone Bielkio. Cauſa ferebatur, ut raptas res repeterent, prorſus velut amica expoſtulatio locum haberet. Eidem Legato annonam pro Boruſſicis copiis petenti, abnuebatur eo inter alia prætexto, quod Saxoni pro legionibus ſuis idem petenti negarum foret. Nec conſtituere volebant, qui tantiſper rem frumentariam diſpenſarent; nequidquam teſtante Bielkio, ſibi haut imputandum, ſi dum ipſe ſumit miles provincialibus moleſtiæ quid inferatur. Sane adparebat id agi, ut dum Sueci neceſſaria rapere videntur, hos invidia onerarent, aut ipſi apud Saxonem & Brandeburgicum magis eſſent excuſati. Torſtenſonius tamen, ut quanta poſſet modeſtia ex hoſpitiis caperentur alimenta providebat. Id inſuper ſpectabant Ducis Conſiliarii, ut Succos à ſe amolirentur, aut ipſi ſaltem neutrarum partium eſſent. Unde à Legato poſtulabant, ut præſidium Succicum Stetino deduceret, pluribus allatis rationibus: Ducem ipſum tuendo oppido ſufficere; digreſſo præſidio expeditius ipsũ ſuper componenda inter Cæſarem Succosque pace acturum, cujus rei facultas nunc ſit adempta. Oppido libero Ducis aulam melius habituram Ordinesque commodius ſuper ſalute provinciæ, ipſorumque Succorum conſulturos. Inutilem Succis & damnoſam tam diffuſorum operum tutelam, quæ à Guſtavo Rege excitata ſint, non ut perpetuo præſidio obtinerentur, ſed ut urgente neceſſitate exercitui receptus ibi pateret. Ad hæc Legatus paucis reponere; altioris rem eſſe indaginis, quam ut à ſe ſtatui quid poſſit; nec dubitare ſe, quin Oxenſtierna quod ratio & æquitas ferat ſit facturus, ad quem iſti rem detulerant. Iidem à Brandeburgico quoque petebant; cum nunc nemo non armis conſilius pro lubitu in Pomerania agat inermi Principe, ut conſilio & ope ipſis adſit. Qui velut de compacto reſpondet; Securitati Ducis quam maxime expedire, Stetinum dimiſſo præſidio Succico belli oneribus utrinque eximi. Sin Sueci diſcedere abnuant, aulam in aliud oppidum 12. Octobr. 28. Octob. 30. Octob.

1635. pidum transferendam. Sed quia res Suecorum non ferebant Stetino excedere, Conſiliarii Ducis juxta & oppidani hactenus præberi ſolita negabant velut ſubtracto alimento brevi perituris. Erant Stetini tria millia militum, quibus ſi detraherentur ægroti, & qui Dammam atque Laſtadiam cuſtodiebant, vix octodecim centuriæ remanebant, modicus numerus tam laxis operibus tuendis, & librandis oppidanorum viribus. Nec plures arceſſere licebat, deficientibus ſuſtentandi mediis, cum nihil ultro daretur, & vi adhibita ſeditio metuebatur, cui citra mandatum occaſionem præbere Legatus non audebat. Quin & perpetuos inter labores maligno victu externus præcipue miles animis ægreſcere; nec deerant, qui Suecorum inhumanitatem ingererent, labore, & inedia miſeros atterentium. Has inter difficultates in Boruſſicis copiis ſpes erat, quarum ope tam Stetinum, quam reliqua provincia ad ſuppeditandum neceſſaria compelli poterat, ſi ultro officium facere abnueret.

Rectorum Sueciæ ſententia ſuper rebus Germaniæ.

§. 102. Hæc omnia cum in Sueciam perlata eſſent, Rectores Regni cum Senatu id quidem facile perſpiciebant, Cæſarem juxta ac Saxonem, aliosq; Germaniæ Ordines id unice moliri, ut Succi ocyus ſolo Germanico dimoveantur. Idque per tractatus fieri gratiſſimum erat futurum Maris Baltici præcipue accolis, queis belli mala erant incubitura. Pragenſis pacis decreto tota Germania conſpiraverat ad eoſdem vi expellendos. Et ſane temporibus & inclinationibus hominum tantopere mutatis, non adeo moleſtum erat Germaniam deſerere, modo id honeſte & ſecure poſſet fieri, & præſtita expenſarum reparatione. Quin & fuerant in Senatu, qui hactenus ſemper diſſuaſerant, ne quid terrarum in Germania ſatisfactionis loco poſtularetur; vires Sueciæ diſtrahi judicantes provinciis transmarinis, ac ſumtuoſæ tutelæ, nil niſi plus æmulorum parituris. Cæterum ſi ſecura pax & amicitia conſtituenda eſſet, omnes, quos inter hactenus bellum fuerat, ſuper iſta invicem cavere oportebat. Idemque ut honeſte fieret, ipſæ partes inter ſe tranſigere debebant. Aſt Saxo eam belli componendi rationem plane everterat, Succis à tractatu cum Cæſare & Liga excluſis; ac pacis à ſolo ſe confictæ evictionem iſtis obtrudere pertendebat, qui hactenus adverſarum partium non fuerat, non citra importunitatē, & præter decorum inter Principes debitum. Et tamen bellum in Saxonem decernere, quamdiu tolerabiles conditiones ſperabantur, arduum erat. Exercitus magnam partem Germanis conſtabant, qui nulla aut modica à Succis beneficia, certas à Cæſare & Ordinibus pœnas, aut præmia expectabant. Omnes fere in Germania ſocii non ſolum defecerant, ſed & contra ipſos ſe junxerant. E Gallia aut Belgio exigua auxilii ſpes. Quod è Suecia ſubmittebatur, vix ad diuturnitatem valere poterat adverſus tam potentes hoſtes, & intercluſis hiberno mari itineribus. Longe tamen durius erat circa tractatus Saxonis ſe libidini attemperare. Nam cum ipſo ſolo tanquam Electore tranſigere, aut Pragenſem pacem nude amplecti, iſtiusque cautione abſque Cæſaris ratihabitione adquieſcere; id Regno indecorum juxta atque intutum erat. Pax Pragenſis Sueciæ adverſa; Saxo hactenus in Suecos bellum non geſſerat, ſed Cæſar & Liga: ſolo Saxone cavente, quid fiduciæ in Cæſaris amicitia collocare licebat? Nec obſcurum erat, ideo Saxonem ab aliis tractaribus abhorrere, ne in ipſum abolitæ ſuæ pacis ignominia redundaret, aut in alios gloria ejusdē in melius mutatæ. Et ſane Ordinum Germaniæ nemo non pacem Pragenſem animo averſabatur, & aliquid circa eandem deſiderabat. Sed quia pacem ſibi neceſſariam ducebant, in gratiam Cæſaris ac Saxonis ſimpliciter eam à ſe acceptari teſtabantur; ſed dum ſub conditionum vocabulo, quæ omiſſa erant, aut quæ peculiaria ipſorū commoda reſpiciebant, infarciunt, eandem oblique tollere inſtituebant. Quo exemplo & Succi ſeopum ſe ſuum obtinere poſſe ſperabant, pace Pragenſi, quoniam Ordines Germaniæ eam ſibi expedire judicarent, ſuo loco relicta. Aſt quia non ſolum auxiliarium numero, ſed primariarum partium actores in hoc bello fuerant, utique peculiari tractatu amicitiaunter ipſos, Cæſaremque, & Ligam inſtauranda erat. Hoc modo ſpes erat Electorem poſtulatis Suecorum facilius aſſenſurum, ſi Pragenſem pacem ſubſiſtere videat. Si tamen ad tractatus perveniatur, cum utiq; inter Regnum Sueciæ & Principem aliquem Imperii diſcrimen ſit, non aliter cum eo agi poſſe, quam Cæſaris mandatario, & accedente hujus ratihabitione. Ita Regni Sueciæ dignitati & ſecuritati ſatis cautum credebant. Circa ſatisfactionem gradibus à ſe antehac deſignatis inſiſtebant, quorum poſtremus erat, declinando bello omittendam terrarum aut pecuniæ petitionem, ac ſola Proteſtantium amicitia adquieſcendum eſſe. Nam plus fortaſſe impendendum præmio per arma vindicando, quam quanti illud erat, nec certam tamen ejus potiundi ſpem eſſe. Et quam initio offerebat Saxo pecuniam, vile judicabatur accipere; modo Ordines Germaniæ reſidua ſtipendiorum, & quod æris alieni in Germania ejus belli nomine contractum erat, in ſe reciperent. Id quod, ſi ulluspudor foret, recuſari non poſſe judicabant. Sed poſtquam Elector ſummam pecuniæ auxerat, oblata in hypothecam Stralſunda, id non adeo ſpernendum videbatur, non tam propter pecuniam, quam hypothecam. Quippe cum gratum foret quocunq; titulo Stralſundam, aut Wiſmariam meliore portu aut utramque retinere, ſaltem quoad pateret, quam ſancte pax ab adverſa parte obſervaretur. Et tanti erat præſidium ibi alere ad ſecuritatem Maris Baltici, & Sueciæ. Etſi conandum, ut tantum ſimul terrarum adjiciatur, quantum alendo præſidio ſuffecerit.

Mandata Senatus ad Oxenſtiernam. 20. Oct.

§. 103. Hoc conſultum Senatus Oxenſtiernæ ſignificabat, miſſis ſimul fiduciariis literis, queis interger Cæſaris ac Saxonis titulus inſertus erat, ne quid in mora eſſet: addito, pacem ſibi utiq; magis quam bellum cordi eſſe; cæterum qua via ad eandem ſit perveniendū, id ob tempora mutationibus obnoxia certo à ſe non poſſe definiri, ſed ipſius dexteritati relinqui, reſervata tamen ſibi ratihabitione. Si pax hiberna tempeſtate concludatur, monebant, tantiſper hoſpitia militi ſtipularetur, quoad aperto mari in Sueciam trajici poſſent. Quod ſi autem pax obtineri nequeat, placebat oram maritimam omnibus viribus tenere, qua inteſſa, ſi reliqua omnia deficerent, adhuc honeſte tranſigendi facultas ſupererat. Ut tamen exercitus huc ſe non reciperet, niſi extrema neceſſitate ſubigente; cum omnis regio, qua decedatur, hoſti in præcam relinquatur, nec hieme è Suecia quid ſubmitti queat. Igitur præſidia in maritimis oppidis firmarentur, exercitus quantum poſſet ſuperiore tractu ſe teneret, idque ſibi perſuaderet, quæ ex Suecia mittuntur præſidiis duntaxat alendis deſtinata eſſe; his ſi quid ſuperfuerit, in lucro habendum; & exercitui id agendum, ut ſuo ſe gladio alat. Quod ſi tamen ob hoſtium vires ad mare ſit recedendum, frumentum & pecus in munita oppida deducendum, ne hoſti ob annonæ inopiam diuturnum obſidium moliendi facultas ſit. Si negotium non ita cito confici queat, Oxenſtierna rebus apud exercitum diſpoſitis in Sueciam redire jubebatur, mandatis ſuper pace Banerio, Stenoni Bielkio, & Laurentio Grubbio relictis.

Ordinum Sueciæ decretum.

§. 104. Paulo poſt Conventu acto Sueciæ Ordinibus exponitur, quæ facies rerum in Germania, ſimul eorum conſilium exquiritur, quousque cum

1635. Saxone in tractat° descendendum, quid prœmii pro
21. Octobr. navata Protestantibus opera petendum, & de exau-
torando pace insecuta externo milite: tum si neces-
sum sit, de belli continuandi mediis. Super quibus
30. Octobr. delecti Ordinum idem quod Senatus censebant;
Pacem Pragensem a se nullo modo admitti posse:
tractatus utiq; cum ipso Cæsare instituendos, qui-
bus si Saxo ingerere se velit, mandata Cæsaris ipsi
proferenda: nec minus si idem circa prœmia Sueco-
rum transigere velit, mandatis Protestantium Or-
dinum ipsum esse instructum oportere. Quin magis
placebat, alios Ordines mediatorum vices Cæsarem
inter & Protestantes sibi sumere, quam Saxonem,
qui toto hoc bello tam difficilem & sævum se ex-
hibuerit: potius tamen illum admittendum, quam
aleam belli tentandam. Præmium fastigio Regni &
meritis dignum si obtineri possit, non repudiandũ;
alias præstare sola Protestantium amicitia adquie-
scere, quam ut vile munusculum sibi impingatur
pati. A Cæsare tamen omnia ratihabenda; ac tan-
tisper Stralsundam & Wilmariam, aut alterutram
detinendam: aliis locis præsidia deducenda. Sed
quia consilia temporibus adaptanda sint, res tota
12. Nov. fidei & prudentiæ Rectorum committebatur. Tan-
dem & ab universis Ordinibus decernitur; etsi à Sa-
xone longe aliter, quam fas requirebat, actum sit; ta-
men ut ipsi æquitatem suam eo magis omnibus bo-
nis adprobent, simul declinando cum sacrorum so-
ciis bello, placere sibi, rem salva dignitate & secu-
ritate Regni amice componi. Sed si pars adversa ho-
nestas conditiones adpernari, & iniqua postulata
obtrudere non cesset, nec sanguini suo, nec facul-
tatibus parsuros, quoad honesta pax parta fuerit.

Ducis Meclenburgici de pace negotiatio. 25. Octobr.

§. 105. Pacis porro spes non modica tunc ex in-
terpositione Adolfi Friderici Ducis Meclenburgici
allucere videbatur, qui Sandoviam ad Saxonem
profectus multis ipsi rationibus persuadere sátege-
rat, ut velut Cæsaris mandatarius cum Oxenstierna
tractatus susciperet, à Cæsare & Regina Sueciæ ra-
tihabendos. Eum quippe legitimum & usu rece-
ptum esse modum inter supremos Principes con-
troversias componendi; ac jam spargi de tractati-
bus cum Galliæ Rege, qui nil nisi auxilium superio-
ribus Circulis tulerit, cum Sueci utiq; propriis au-
spiciis bellum gesserint. Dignationi Cæsaris, & Ele-
ctoris nihil decedere, cum pax Pragensis utiq; per-
sistat, quam Sueci ea transactione evertere non cu-
piant. Ostendebantur quoque incommoda vici-
nas regiones mansura, si Sueci tot munitis locis sint
pellendi. Elector initio Cæsaris rescripto insistere,
novos tractatus abnuentis velut extrahendo tem-
pori inventos; præsertim cum nondum constet, an
Sueciæ Regina omnia illa, quæ post Gustavi Regis
mortem gesta sint, pro suis agnoscat, & Cæsari atq;
Ordinibus unitis partem se adversam constituere
velit; sic ut nulla amplius tractandi materia super-
§ 1. Octobr. sit. Contra Dux latius deductis prioribus, simul di-
lutis quæ objiciebantur, tandem pervincebat, ut
formulam transactionis Saxo ipsi traderet: cujus ex-
ordio testabatur, à Cæsare sibi diserte facultatem
non concessam ejusmodi tractatus suscipiendi, ac in
promtu esse rationes, quæ id disuadeant; Ducis ta-
men & aliorum Ordinum precibus se hoc dare,
quod paci Pragenti, Cæsariq; & Imperio sine frau-
de sit. Ea formula his fere capitibus constabat: Sue-
ciæ impune sit ei bello se immiscuisse; inter Cæsarẽ
& Imperium, Sueciamq; pax & amicitia restitua-
tur: commercia utrinque libera sint, captivi utrin-
que gratis dimittantur; post perfectam hanc transa-
ctionem Sueci omnib° locis decedant: milites Ger-
mani, si sub Saxonis signa concedant, aut domum
se conferant, amnestia fruantur; Suecis è Germania
turus discessus concedatur: loca maritima post di-
gressos Suecos præsidiis vacent, & in statum repo-
nantur, quo fuerant anno hujus seculi vicesimo se-
ptimo; quæ machinæ insignia Sueciæ præ se ferunt, 1635.
avehantur, reliqua maneant: transactionem hanc
Cæsar ratihabeat. Ea capita Dux ipse Stralsundam 11. Nov.
ad Oxenstiernam adferebat, multis ipsi persuadere
laborans, ut eadem acceptet. Sed hic post ostensos
eorundem defectus à Duce petebat, ut aliam ipse
formulam concipiat, quam æquitati congruere ar-
bitretur. Sed quia nec illa, quantumvis Saxonica
paulo concinnior & plenior, de satisfactione Sue-
ciæ, & stipendiis militum mentionem faciebat,
Oxenstierna tandem formulam adornavit, quam
dignitati & securitati Sueciæ convenire judicabat:
in qua id præcipue addebatur, ut residua stipendio-
rum ducibus & militibus Sueciis absq; onere Re-
gni Sueciæ persolvantur, simul sumtus belli Sueciæ
ex æquo & bono prout conventum fuerit pensen-
tur, certis interim locis hypothecæ nomine relictis;
tum ut exclusi pace Ordines in amnestiam si velint
recipiantur. Ad eam formulam à Duce quædam an-
notabantur, quæ Oxenstierna partim discutiebat,
partim admittebat, tradito quoq; scripto, quousq;
Electori concedere velit. Tandem super satisfactio-
ne instaure Duce Oxenstierna declarabat; cum ob
præsentium temporum iniquitatem nihil terra-
rum obtineri queat, se contentum fore quatuor
millionibus uncialium per certa temporum inter-
valla solvendis, postquam militibus de residuis sti-
pendiorum absq; Sueciæ onere satisfactum fuerit.
Nam Ordines Sueciæ decreverant; de satisfactione
penitus remittendum potius, quam infra tres mil-
liones accipiatur. Ita Dux Stralsunda discedebat, 18. Nov.
lætitiam velut re ex voto confecta præ se ferens,
Rostochio futuris tractatibus designato. Et ipse
quoque Oxenstierna spem pacis conceperat, quod
Saxo propius ad rem accedere videretur. Quæ &
præcipua causa erat, quare iter in Sueciam differret,
ne qua inde negotio remora injiceretur.

Legatus Gallicus pacem impedire conatur.

§. 106. Ejus rei fama dicta cum apud multos
spem pacis excitasset, Chaumontium Legatum
Gallicum, Hamburgi tunc agentem permovebat,
ut per ablegatum San-Romanum, inde literis apud
Oxenstiernam acriter instaret, ne cum Saxone
transigeret, sed ad communes pacis tractatus omnia
differret, ad fœdera provocans, & præcipue formu-
lam ab ipso Compendii concepram. Enimvero
Oxenstierna ostendebat, primum fœdus à Gallis
non servando velut abolitum fuisse. Lœffleri &
Streitii legationem à Fœderatis Ordinibus profe-
ctam, qui & mandati sui limites excesserint, & fœ-
deri interuerint, quę à se salva dignitate Sueciæ pro-
bari non potuerint; ea conventione quoque prius
cum Suecia fœdus hac intecta sublatum; unde & ipse
idem Wormatiæ subscribero detrectaverit. Com-
pendiensem formulam ratihabitioni superiorũ in-
niti, quæ secuta non sit. Ejus primo capite poni,
Reges Suecia & Gallia bello cum domo Austriaca implicitos
inter se convenisse. Atqui huc usque Galliæ Regem
negare, sibi cum Cæsare bellum esse, sed cum solis
Hispanis. Inde Legatos in Gallia & Hispania utrin-
que abire jussos; sed Residentem Gallicum adhuc
Viennæ, Cæsareum Parisiis agere. Commercia cum
Hispanis sublata, non item cum Austriacis. Et licet
bellum ardeat, Gallos tamen nolle videri proprio
nomine bellum gerere. Richelium, & alios mini-
stros Regios quotidie Pontificis Nuncio Mazarino
sequestre super pace cum Cæsareo Residente agere,
re cum Legato Suecico Hugone Grotio haut com-
municata. Et spargi à Danis Chaumontium id tan-
tum agere, ut Suecos tantisper bello implicitos te-
neat, quo horum armis in commodum suum versis
Galli lautiores à Cæsare conditiones obtineãt. Por-
ro faciem rerum nunc mutatam. Bellum & fœdera
conservationem, & restitutionem Fœderatorum
Germaniæ Ordinum spectasse. Jam horum plero-
que à fœdere discessisse, & ultro ut è Germania fa-
cessant

1635. ceſſant petere. Sic ut bellum non amplius contra Domum Auſtriacam, ſed contra priores fœderatos geratur. Adverſus eos eſſe quidē bellandi cauſam; eſſe tamen & rationes, quę pacem ſuadeant, ſi honeſta obtineri poſſit. A Gallia ſe pecunia & conſilio deſtitutum: fuiſſe promiſſum, reſidua anni tricetimi ſecundi ſtatim repræſentanda, ac Legatum mittendum continendis in fœdere Saxonicis Ordinibus: utrumque horum neglectum, nec Legatum veniſſe, niſi rebus plane deſperatis. Cum igitur rationibus nihil efficeret San-Romanus, amplis promiſſis Oxenſtiernam onerat, ſi tractatus omittat: Legatum reſidua ſtatim exſoluturum; inde ipſe Oxenſtierna proponeret, milite an pecunia ſibi à Galliæ Rege adſiſti velit: Ordines à ſe iterum in Suecicas partes ſolicitandos; copias Gallicas in Belgio ad ipſius judicium adhibendas, & ſimilia. Eas pollicitationes, cum eventus tractatuum pacis adhuc incertus foret, Oxenſtiernæ non penitus repudiare placebat. Igitur ablegatum humanis verbis dimittit.

5. Dec. Sed antequam hic proficiſceretur, Dux Meclenburgicus à Saxone iterum aderat. Igitur evitandæ ſuſpicioni velut in aliorum fraudem tractatus fieret haberentur, iſtum tamdiu detinet, quoad Dux à ſe acta expoſuiſſet. Inde San-Romano literas ad Lega-

7. Dec. tum dat: Saxonem non amplius ita rigide Pragenſi pacto inſiſtere, ſed ad pacem æquis conditionibus pronum ſe oſtendere: reliqua, quæ Ordines Germaniæ ſpectent, in conventu ipſorum Luneburgi habendo eſſe decidenda. Hujus eventum, & num ſeriores ab iſto geratur, ſibi judicare haut in proclivi eſſe. Certe Meclenburgicis Ducibus rem magnopere cordi eſſe, cum alia ratione bellum à ſuis ditionibus avertere nequeant: eorum operam repudiare inhumanum fuiſſe, cum ipſi ſe hoſtes profiteri nolint, & eorum reſtitutio Guſtavo Regi non poſtrema belli cauſa fuerit. Accedere inclinationem militū, magnam partem Germanorum, qui ob edicta avocatoria ſuperiori æſtate ferrum in Saxonem ſtringere abnuerint; & quibus perſuaſum ſit, bellum à ſe data opera trahi. Quæ opinio animos Ordinum utriusq; Saxoniæ, militumq; ab ſe averterit, dum tollendo iſti malo amicorum nemo ope & conſilio ſibi adeſt. De tractatuum eventu certi quid affirmare ſe non poſſe. Paulo poſt idem San-Romanus à Chaumontio adeſt, cui id enixe agebatur, bellum duceretur, & ſeparatis tractatib⁹ locus ne daretur. Promitebantur reſidua ſtatim repræſentranda, modo his tractatibus Oxenſtierna deſiſteret, & ad communē pacis negotiationem omnia differret. Tum novum fœdus proponitur, & ut neuter ſine alterius conſenſu ad tractatus deſcendat; Ordines denuo in partes trahantur, exercitus Suecicus milite augeatur: quotannis quinquies centena librarum millia in uſum exercitus præbeantur. Petebatur quoq; Oxenſtiernæ congreſſus Wiſmariæ cum Chaumontio; ſimul quærebatur; num conventus Luneburgi habendus foret, quis eum inducturus, quæ ibi agitanda: num Oxenſtierna efficere poſſit, ut Chaumontius eodem vocetur? Tandem, num Oxenſtierna conſilia ſua cum ipſo conjungere velit incitandis in Cæſarem Ordinibus? Ad hæc Oxenſtierna reſidua ex debito poſtulabat: reliqua ad ſuperiores ſuos rejiciebat. De Luneburgico Conventu Meclenburgicum Ducem retuliſſe; eum à Saxone indicendum, & de Suecorum ſatisfactione ibi tractatum iri. Suam autoritatem parum valere apud Saxonem & Ordines, ut aliquem eo invitent, præſertim Gallicum Legatum, cum Reſidens Gallicus aula Brandeburgica excedere juſſus ſit. Facturum ſe tamen, quantum poſſit; & ad concitandos in Cæſarem Ordines operam cum ipſo conjuncturum, niſi per amicam tranſactionem Sueciæ ſatisfiat. Eo cum reſponſo ablegatus iſte ſub finem anni dimittebatur.

§. 107. Aſt Meclenburgicus Dux, poſtquam de- 1635.
cem dies Parchimi cum Electore de pace egiſſet, Meclenburgici Ducis ſuper pace negotiatio. 4. Dec.
Stralſundam reverſus Oxenſtiernæ referebat, poſt longam demum diſceptationem Electorem fuiſſe permotum, ut aliam pacis formulam conciperet, ab Oxenſtiernę ſcripto parum abeuntem paucis exceptis, ſuper quibus facile conveniri poſſe videatur. Duo tantum capita de Sueciæ ſatisfactione & ſtipendiis militum, quæ Cæſarem non ſpectent, ab Electore ſepoſita ad Conventum Proteſtantium, ſequenti menſe Januario Luneburgi indicendum; eaque ſeparato inſtrumento concipienda. Petebat igitur, cum plus à ſe obtineri nequeat, ut huic formulæ ſubſcribat, & Magdeburgum, Nienburgum, Dœmitzamq; reſtituat. Oxenſtierna contra aliam formulam Duci tradebat, cui duo iſta capita ſimul de comprehendendis pace excluſis Ordinibus, atque extraneis Principibus inſerta erant. Inde qua parte Saxonica formula ab Oxenſtierna diſcreparet, inter hunc & Ducem accurate excuſſum. Et in exordio quidem Guſtavi Regis nomini ab Oxenſtierna additum erat elogium *gloriosæ memoriæ*, pro quo Saxo *quondam* ſubſtituerat; cum Oxenſtierna judicaret, id elogium etiam Ethnicis Principibus tribui poſſe, & dubium non ſit, quin ipſe Cæſar iſtum gloria dignitſimum Regem & Imperatorem habeat. Sed quoniā ea occaſio quæratur malevolentiæ expromendæ, tanti id non eſſe, ut ideo in bello perſiſtendum ſit. Circa capita ſummam pacis ſpectantia fere inter ipſos conveniebat. Ut de ſatisfactione Sueciæ, & ſtipendiis militum ad conventum Luneburgicum differatur, annuebat Oxenſtierna, modo is circa diem decimum octavum Januarii utriq; indicatur, ibiq; duo iſta capita pariter cum pace perficiantur. Interea circa princeps negotium ſe nolle obligari, & executionem pacis tantiſper ſuſpendendam; tum ſi quæ ibidem concludantur Cæſarem & Imperium ſpectantia, ea Saxo à Cæſare rata haberi curet. Promittebat quoque Oxenſtierna ſe ad eum conventum iturum.

§. 108. Enim vero Dux contendebat, ut Oxen- Durißimus pacis modus.
ſtierna ante iſtum conventum, & tranſactione ſuper iſtis capitibus nondum perfecta, principale de pace inſtrumentum ſubſcriberet, ibique conventa executioni mandaret. Id quod Oxenſtierna plane non concedendum cenſebat. Equidem oſtendebat Dux, ni ſumma pacis perfecta fuerit, ſcopum tractatuum everti, & omnia adhuc à dubio belli eventu pendere. Nec ſperandum eſſe, pace & amicitia nondum conſtituta Saxonem Proteſtantium Conventum indicturum, aut Cæſarem ut id fiat permiſſurum. Sic ad priorem confuſionem rediri, & operam à ſe incaſſum ſumtam. Contra Oxenſtierna; niſi ſuper illis duobus capitibus tranſactum ſit, cæterorum ſubſcriptionem inanem eſſe; nec à Sueciis ſalva fronte poſtulari poſſe, ut ipſi armis ſe exuant, occupatis locis decedant, aut ad ea reddenda fidem ſuam obſtringant, cum de reliquis capitibus nondum cautum ſit. Si res in conventu Luneburgico amice componi nequeat, Sueciam bello cum Proteſtantibus implicitū iri. Militis alendi facultatem ſubtrahi, & per tractatus adimi, quæ armis extorqueri non poterant. Hypothecam non ſufficere atte-quendis, quæ præſens rerum ſtatus poſtulet. Militem niſi ſtipendiis ſolutis arma non poſiturum, ſed ne gratis ſanguinem fuderit, eadem retenturum; quo caſu Sueciam ſe ab iſtius cauſa ſejungere non poſſe. Sed & ſecreta cauſa Oxenſtiernam movebat; quare ad abſolvendum princeps pactum non magnopere feſtinaret. Nam excluſorum pace Pragenſi Ordinum jejuna adhuc à Saxone mentio erat facta, quibus Oxenſtierna amplius caveri cupiebat. Sed cum hoc difficilem ſe exhiberet Saxo, ſperabat hic, ſi res ad conventum Luneburgicum ſervare-

1635. tur integra, per universos Protestantes eandem efficacius urgeri posse cum ejusmodi reservata facilius re integra remittantur, quam, ubi semel illis adquieveris, retractentur. Quod si ab Ordinibus Protestantibus eo in negotio destituatur, se facilius excusatum iri, culpa in istos unice devolvenda. Hanc difficultatem superari Dux posse sperabat alio adjecto pacto, per quod Succis liceret loca maritima, etiam post ratihabitam utrinque pacem retinere quoad super istis capitibus fuerit transactum. Sed ista quo spectarent Oxenstierna facile animadvertebat, ut nempe Succi pro modica & incerta spe omnibus in superiore tractu locis evoluti ad mare in angustias compingerentur; quo redactis in Conventu facile leges quantumvis ingratæ obtrudi poterant; cum jam primario pacto de omnibus locis citra exceptionem restituendis conventum foret. Unde si Ducis temperamentum probaretur, Luneburgico postmodum tractatu irrito, aut princeps pactum cum damno & ignominia implendum erat, aut, si id abnueretur, Cæsari, partique adversæ ansa præbebatur Suecos violatæ pacis acculandi, ad eosque Germania plane exterminandos bellum continuandi. Declarabat tamen Oxenstierna, se principale pactum subscripturum, illoque se teneri professurum ea lege, si quæ dilata sint capita itidem perfecta fuerint.

De exclusis Ordinibus in amnestiam recipiendis disceptatio.

§. 109. Longa inde super recipiendis in amnestiam exclusis Ordinibus disceptatio; quos formula Saxonica gratiæ & arbitrio Cæsaris relinquere videbatur; cum Oxenstierna ita verba concipi vellet, ut obligationem continerent. Dux referebat, Saxonem pro desperato habuisse, Cæsarem eo se obstringi passurum: unde satius se duxisse eo modo ipsorum mentionem inseri, quam eosdem plane silentio transiri. Oxenstiernæ præter rationem videbatur, Sueciam ob istos solos statum suum periculo exponere, abrupto præsertim fœdere, & parta plerisque Cæsarea gratia, aut circa eandem ambiendam satagentibus, qua obtenta nemo non Suecos insuper habiturus erat. Et ejus præteritionis invidiam facile in Saxonem, & reliquos Ordines derivare licebat. Obversabatur tamen animo periculum, quod non Protestantes solum per Germaniam, sed & vicina Regna ipsamque Sueciam; manebat, ni Protestantium res iterum firmarentur; Tum quantæ gloriæ Suecis cessurum foret, si isti Ordines ab aliis deserti ipsorum opera restituerentur. Cum contra, ni ea res acriter urgeretur, existimationi Sueciæ non parum decessurum esset. Spes quoque erat, plerorumq; restitutionem haut ægre obtineri posse. Denique cum super aliis capitibus ante conventum Luneburgicum transigi non posset, excusatius judicabat, si apud omnes Protestantes post adhibitam à se enixam operam, ipse ab his destitutus nihil impetrare potuisset, quam si quæ semel derelicta forent, denuo moverentur. Inde Duci ostendebatur; ni superiorum Circulorum Ordines in amnestiam statim recipiantur, Protestantium autoritatem in Collegio Electorali valde imminutum iri, Pontificios per superiorem Germaniam plane prevalituros, per utramq; itidem Saxoniam arreptis quibusdam præsulatibus, pomœria sua sine dubio prolaturos. Istos ad communem causam fidelem contulisse operam, ac pleramque hostium vim in se avertisse; quin constantia sua effecisse, ut Saxo cæterique rebus suis consulere potuerint. Imperio nunquam solidam quietem absque hoc redituram. Vix heri posse, ut non inde per oram maritimam aliquid moveatur, unde turbarum cum vicinis materia sit oritura. Id equidem sibi satis constare, ad hoc concedendum Cæsarem ægre descendere, cum id vastis ipsius destinatis, quæ imperii sui tempore satis expromserit, adverteretur. Cum tamen ipse, Hispanique gravibus jam bellis implicentur, Germania nondū composita, nec alio modo unquam firmiter componenda: spem esse, Cæsarem non pertinaciter reluctaturum, nec omnia incertæ belli aleæ expositurum. Dux ista omnia vera agnoscebat, ac ipse optabat, Oxenstiernæ formulam eo capite obtineri posse. Sed immensum pacis desiderii propriæ, & cæterorum Protestantium utilitatis oblivisci ipsum subigebat, ut Saxonicam formulam heic admitti peteret; usus inter alias hac ratione, quod istud caput non Sueciam, sed Imperii Ordines spectet, & quod Oxenstierna declarasset, pacem Pragensem, qua ad Imperii statum formandum pertineat, à se non solicitari. Ad quæ Oxenstierna: pacem se Pragensem illis non invidere, qui eā velint, & possint adprobare; sed exclusos, & Sueciæ auxilium implorantes deseri honeste non posse. Disputabatur inde de Bernhardo Duce, & Landgravio exercitus Suecici ducibus, & qui fœdus cum Succis adhuc agnoscant. Circa quos nihil difficultatis fore Meclenburgicus judicabat, modo ipsi vellent. Stralsundæ quoq; id petenti peculiariter caveri volebat Oxenstierna, quod istæ turbæ ante Gustavi Regis in Germaniam adventum ortæ forent; cum pacis Pragensis amnestia non nisi ab eo tempore acta includat. Contra Dux censebat; non expedire Stralsundæ peculiarem mentionem fieri, cum universus Circulus Saxonicus, & Pomerania paci sit inclusa, ne peculiaris cautio communi quid detrahere videatur. Magdeburgo quoque donationes à Gustavo Rege factas Oxenstierna valere cupiebat non immodicas, & qualecunque excidii solatium. Et ut Osnabrugæ super sacris Augustanis caveretur, antehac per injuriam illi ereptis; quæ si restitui pars adversa sibi postulet, Suecos utique istorum sacrorum libertatem eidem stipulari recte posse. Nam ut adversæ partis ritus non turbandos concedatur; sacrorum tamen suorum socios injuste oppressos, cum commode possis, non sublevare nefas esse. Tandem cum Saxo Suecos milites Germania deduci, Germanos aut ipsius exercitui accedere, aut ad quietem se conferre vellet; Oxenstierna ita caput illud concipiendum contendebat, ut Germanus miles, quo Suecia ipsa opus non habeat, exautoretur, & nemini legionatim, aut turmatim in præjudicium Imperii assignetur, aut tradatur. Hæc fere tunc circa discrimen Oxenstiernianæ & Saxonicæ formulæ disceptabantur; in quibus Dux jam digressus quædam remitti ab Oxenstierna per literas petebat: qui tamen vicissim testabatur, à sententia Duci exposita discedere sibi fas non esse. 1635.

16. Dec. 19. Dec. 22. Dec.

Super inducias frustra agitur.

§. 110. Præter ista Dux quoque mentionem injecerat de ineundis induciis, quoad tractatus absolverentur: in quas facile consensurum se ostendebat Oxenstierna, si serio eas quæreret Saxo, dummodo interim exercitui Suecico de idoneis hospitiis, & sustentatione prospiceretur. Et quia per Saxonicos duces apud Suecicum exercitum de iisdem quoque propositum fuerat, ab Oxenstierna ejus pacti capita concipiebantur; inter quæ præcipuum erat, ut Suecorum hospitiis ad finem induciarū adsignarentur Pomerania, Meclenburgica, Marchia, Magdeburgicus & Halberstadiensis præsulatus, cum Comitatibus Mansfeldico, Honsteinensi, & Regensteinensi; quod alias istis intra solam Meclenburgicam, & Pomeraniā constipatis brevi tempore cum fame conflictandum foret. Eam conditionem Saxones adspernati ansam inde arripiebant Suecos arguendi, velut pacem aversantes, & perpetuis turbis Germaniam exercere cupientes. Scribebantur quoque à Taubio Saxonico duce ad Torstensonium literæ, multis in Oxenstiernam aculeis refertæ: Insolitum plane esse, per inducias adversæ parti hospitiis suis cedere, pace tamen perfecta Electorem de Suecici militis sustentatione curaturum, quoad per anni tempestatem in Sueciam transportari queat. Suc-

28. Dec.

1635. cos honesta nunc pace potiri posse, si velint; quos mirum sit tam parum Electoris fidei deferre: iisdem utile non fore Imperium bello lacessere; nec idoneam ipsis belli causam esse, cum Saxo quietis cupidus pacem æquis legibus jam obtulerit. Hunc amica ratione nihil proficientem ad arma cogi, quæ si fortuna prosequatur, Suecos pacem, qualem in præsens repudient, post nequidquam desideraturos. Eam accusationem non ferens Oxenstierna scripto omnem pacis non secutæ culpam in Saxonem rejicit, à quo ignominiose valde Sueci sint habiti. Saxoni non minus, quam Suecis incertos belli eventus cogitandos. Mirum esse, Saxonem & reliquos Imperii Ordines id non perspicere, dum Austriaci Catholicos cum Protestantibus, & hos inter se commiscerint, ipsorum ditionibus placida pace gaudentibus, Ordinum terris contra indies magis devastatis; præclaram iisdem viam strui utrisque simul, aut uni parti post alteram jugum imponendi, & diu agitatum dominatum stabiliendi. Porro etsi quiete Suecicus exercitus magnopere indigebat, tamen cum Saxo negatis laxioribus hospitiis in Meclenburgicam & Pomeraniam eum per inducias includere vellet, facile judicabat. Oxenstierna à Saxone id agi, ut ipse per otium sparsas copias recolligeret, & adjunctis Cæsareis aliisque firmaret, post instauratis viribus Suecos inopia attenuatos invasurus. Igitur inducias eo rerum statu inutiles judicans armorum cursum interrumpere nolebat: cum etiam citra has Saxo, si pax cordi foret, tractarum persecuturus esset.

Motus in exercitu Banerii sedatur.

§. 111. Dum circa pacem incassum laboratur, denuo Banerii exercitum motus invadit, ni mature obviam itum fuisset, in grave malum erupturus. Ansam præbebat Oxenstiernæ in Sueciam iter, velut id ageretur, ut milites in hostium manus traderentur, quo omnis stipendiorum aut præmiorum postulandorum spes adimeretur. Accedebat invidia in Borussicas copias, quas in ulteriore Pomerania pingui quete frui credebant, cum apud ipsos inopia cum laboribus gliscceret. Ita attenuatis istis legionibus ductores citra præmium iri dimissum interpretabantur; gregariis per Borussicas legiones
5. Nov. distribuendis. Igitur coitione facta ductores literis ad Banerium datis de factis sibi ab Oxenstierna promissis super hospitiis, & stipendiorum residuis monebant, questi insuper Borussicas copias mollius haberi, Oxenstiernam abdicata ipsorum cura in Sueciam facessere. Quærebant porro, unde & à quo promissa sibi sint repræsentanda? quorum exsolvendorum si nulla adsit ratio exautorari volebant, quo mature cum adversa parte transigere possent, ne in diuturnæ militiæ præmium tandem exilium sortiantur. Addebantur minæ, ni peritis suis satisfiat, Banerium tantisper pignoris in vicem detinendum. Banerius hoc exercitus motu non parum solicitus, cum frustra verbis ægros animos sanare tategisset, propere rem Oxenstiernæ nuntiat, num is sua autoritate malo remedium adferre possit. Qui & citra moram Jacobum Kingium summum vigiliarum præfectum, & Paulum Strasburgium cum
7. Nov. literis & mandatis ad exercitum ablegat; Magdeburgi cum illis conventa à se utique servanda: à Suecia stipendia ipsis expectanda, vicissim ab iisdem fidem Sueciæ ad belli finem præstandam. Nova hospitia ferro ipsis quærenda, quibus Pomerania haut sufficiat. Borussicis copiis non lautius quam ipsis prospectum: nec istas magis, quam ipsos cordi sibi esse. Aliter se meritum, quam ut ita sinistre de se sentiatur. Sibi qua Regina jubeat, eundum: iter in Sueviam in ipsorum usum susceptum, & capto prius cum præcipuis ducibus consilio. Hisce propositis fremere nonnulli, se cum legionibus suis discessuros: plerique tamen in modestiam inclinantes persuadente Banerio ad Oxenstiernam ablegant 1635. Jaroskium, & Goltzium tribunos, tradito libello, 10. Nov. quo fidem in Suecicas partes sibi mansuram pollicebantur, quoad honesta pax, & cautio circa præmia ipsorum obtenta fuerit. Sed simul postulabant, ut duo tribuni semper tractatibus pacis cum Saxone adhiberentur commodis militum observandis; ductoribus argenti quid, gregariis vestimenta statim darentur; hospitia legionibus assignarentur, capiendæ à tantis laboribus quieti, & expediendis supplementis; ipsis quiescentibus Borussicæ copiæ in expeditionem ducerentur: tandem si ab hoste capiantur, super redemtione ipsorum sibi caveretur. Oxenstiernæ quo minus argenti suppetebat, eo largius plena humanitatis verba adhibebantur iltis deliniendis, & ad patientiam componendis. Et quia ductores præsentem rerum conditionem satis perspiciebant, & quod Oxenstiernam haut quidquam voluntas deficeret ipsorum desideriis satisfaciendi, spe futurorum iterum adquiescebant. Et insecuti mox felices successus istorum morum oblivionem fere inducebant.

Borussicæ copiæ Banerio junguntur.

§. 112. Ea præcipua causa erat, quare Oxenstierna Suecicas copias contrahendas judicaret. Unde accepto mandato Torstensonius, relicto Wollini Axelio Lilio, cum Borussicis copiis per Usedomum & Demmium ad Banerium se confert. Quanquam enim Steno Bielkius istas ad defensionem Pomeraniæ Ulterioris relinqui cupiebat, agitatis quoque tunc in Sterinum insidiis, ubi non deerant, qui consilia cum hoste miscerent; tamen cum Banerius intra istas angustias diutius hærere non posset, accedente ductorum ægritudine, & in Borussicas legiones invidia, junctis copiis tentandum erat, num Saxones vi repelli, ac hospitia latius extendi possent. Bielkius tamen de insidiis monetur, & ut dissimulato metu eas omnibus modis eludere laboret. Nec tamen publica literarum commercia interdiceret, quod id speciem hostilitatis habeat, occultis missitationibus haut secus continuandis: sed in vigilantia præsidii omnia reponeret, ac ne quæ coitiones in oppido fierent inhiberet.

Chiphusius in Saxonum partes iterum transit.

§. 113. Eodem tempore Dodo Chiphusius denuo operam suam Suecis offerebat, conditionibus non inspernendis, & ad reparandas per Westphaliam res proficuis. Pollicebatur is, se Hassicas copias sibi adjuncturum, si Landgravius Pragensi paci se submitteret; nec minus illas, quæ Banerio propere Albim trajiciente in Westphalia & Brunsvicensi agro remanserant; utique Minda in Saxonum potestatem redigeretur. Oppido huic præerat Wolfius Ludinghusius Chiphusii gener cum maxima parte suæ legionis, à Georgio Duce Saxonum auspiciis conscriptæ, & sacramento eorum devinctæ. Post cum hic recepta Pragensi pace Suecico se ducatu abdicasset, tribunus iste fide violata Luneburgicum sequi nefas judicabat. Sed quia præter vigiliarum præfectum Hieronymum Plettenbergium nemo ductorum cum ipso sentiret, gregariis quoque in Luneburgicum inclinantibus, affectum suum dissimulabat, quoad occasio cum fructu eum expromendi arrideret. Idque tocero suo significabat, qui inde in spem ingrediebatur Mindam Suecis adjungendi. Isthæc consilia Oxenstierna cupide amplexus Chiphusium, qui eadem se executurum promiserat, summum Suecicæ militiæ ducem per Westphaliam, vicinasque oras constituit, easque in hospitia ipsi adsignat, datis idoneis ad ista mandatis. Oxenstierna tamen sibi duces, tribunosque, & præfectos oppidorum creandi potestatem reservabat. Præfectus Mindæ, & Plettenburgius promissis ad exequenda destinata animantur. Ita iste in Westphaliam digreditur

Consilia

§. 114. Cæterum tunc quidem pax Oxenstier-

Digitized by Google

1635. Oxenſtiernæ circa pacem & bellum.

næ quam maxime in votis erat, quod bellum Sueciæ valde moleſtum, & ſi longius duceretur intolerabile foret. Id enim ſi tuto & certa cum ſpe gerendum eſſet, robur exercitus indigena milite conſtare debebat; quo ipſo Regnum viris exhauriebatur, patriæque diſciplina extranei belli licentia corrumpebatur. Opes quoque Sueciæ exhauriebantur, ſumtibus belli in ipſam ſolam devolutis; præſertim cum aliquot annorum ſterilitas, & ruinam trahentes æris fodinæ reditus Regni non parum imminuiſſent. Sed quia res magis in bellum quam pacem inclinare videbantur, pax in lucro repuranda erat; quod vix credibile foret, Cæſarem tanta rebus ſuis acceſſione facta occaſionem Proteſtantes opprimendi amiſſurum, poſtquam eam ad rem opera ipſorum Proteſtantium uti poſſet. Igitur bellum omnibus viribus adparandum erat, ut, qui defecerant, ſocii ſpe ſua exciderent Suecos per vim ejiciendi; ſimul errorem ſuum, & imminens periculum perſpicerent: & ut Cæſar Suecorum arma contemnere deſineret. Hanc quippe ad honeſtam pacem tutiſſimam viam, & prout armorum adparatus ſit, ita & pacem ſperandam. Quæ porro Suecorum bellum hactenus difficile reddiderant, ex inconſtantia Ordinum, militum corruptelis, ac penuria rerum neceſſariarum fere orta erant. Sociorum defectio armis Banerio feliciter ſuccedentibus, emolumento Suecis potius, quam damno vergebat, quod nunc ipſorum ditionibus liberius frui, locaque opportuna occupare, & præſidiis tenere liceret, ſublatis fœderum repagulis. Ergo placebat Oxenſtiernæ, ut Banerius militem diſciplina coërceat, adverſus Principes nobilesque verborum modeſtiam adhibeat: nec eo ſecius, ubi opus ſit, amica via aut per vim loca opportuna quantum poſſit in poteſtatem redigat. Principum placitis neglectis, eorumque copias diſſipet, delectus inhibeat. Tum retinendis in officio militibus viſum nemini ſuperiorem in exercitu imperii gradum committere, cui Principum aliquis Saxoniæ utriusque reſpiceretur; ſed quos conſtaret in Suecia ſedem fortunarum locaturos. Miſſionem petentibus non abnuendam, modo ne ad hoſtium ſacramentum tranſeant. Ac ſi qui tribuni aut inferiores ductores ſuſpecti ſint, commoda ratione amovendos. Legiones quæ ad Georgium Ducem tranſiſſent, & præcipue earundem ductores ad cauſam dicendam evocandos; ſi judicio ſe non ſiſtant, infamia notandos. Literarum quoq; commercia cum hoſtibus plane verenda; ductorum conventicula haut toleranda. Ut porro militis copia ſuppeteret, videbatur Suecicarum legionum ſupplementa domo, Germanicarum ex hoſpitiis petenda; & quicquid militum in Boruſſia ſupereſſet cum Hermanno Wrangelio ſummo duce in Pomeraniam evocandum. Argenti difficultatem hoſpitia ſuppletura, quæ poſt recentes ſucceſſus Banerius quantum poſſet extendere, & inter legiones tam quæ per præſidia, quam quæ in caſtris agebant, diſtribuere jubebatur. Conandum quoque erat, ut è Suecia, tum è Gallia & Anglia pecuniæ quid obtineretur. Quod ſi igitur bellum in Cæſaris aut Saxonis ditiones transferri poſſet, Weſtphalia ſimul conſervata, decorum belli exitum ſperandum. Sin illuc pertingere non liceat, ſedem belli inter Albim, Havelamq; & Mare Balticum collocandam, & tamdiu connitendum, quoad ab hoſte æquæ conditiones offerantur.

Rectorum Sueciæ ſuper legibus pacis ſententia. 18. Dec.

§. 115. Iſthæc omnia hactenus ab Oxenſtierna acta Rectoribus Sueciæ probabantur; cumprimis formula pacis Meclenburgico Duci tradita. Quanquam enim noluerant cum Saxone tractatus ſuſcipi non prolatis à Cæſare literis fiduciariis; perinde tamen videbatur ſub ſperati illos cœptos, præſertim poſtquam principes conventionis partes Cæſar, & Regina Sueciæ conſtituerentur, Saxone delegati vicem ſubeunte. Quod ſi non omnia ibi expreſſa obtineri poſſent, monebant, ſumtuum refutionem plane potius omittendam, quam infra quatuor milliones, aut paulo minus accipiatur, modo militibus citra Sueciæ onus ſatisfiat. Poſſe quoque ſufficere, ſi illis tantum conſulatur, qui ab anno hujus ſeculi triceſimo arma in Cæſarem geſſerint. Nitendum porro quantum poſſit, ut omnes Ordines Amneſtiæ includantur; ad extremum abnuente Cæſare, non ita iſtos eſſe meritos, ut in eorum gratiam bellum continuandum ſit. Gratum quoque ſibi fore, ſi Galli & Hollandi expreſſis verbis paci includantur ob officia ſibi hoc bello exhibita, & quod in poſterum eorum amicitia potiſſimum ſit reſpicienda: præſtare tamen eos plane ſilentio tranſiri, quam captioſa Saxonis clauſula admittatur. De cætero pro ſua dexteritate rem dirigat, quo per honeſtam & ſecuram pacem quamprimum bello exire detur. Monebant tamen, ut cum Legato Gallico Chaumontio omnia communicentur, & quantum fieri poſſit ex ipſius placito res expediatur. Ut quoque ſparſæ in vulgus calumniæ retunderentur, velut opimæ conditiones Oxenſtiernæ oblatæ ab ipſo repudiatæ forent, utrinque circa pacem acta typis publicari jubebantur. Simul literæ Reginæ nomine ad Saxonem dabantur, teſtando ſuo in pacem ſtudio, & quam inique hactenus ſecum actum foret, expoſtulantes. Eodem fere argumento ad præcipuos Proteſtantium ſcribebatur. A Daniæ quoque Rege petebatur, ut ſi videatur pro ſua cum Saxone neceſſitudine eum à ſiniſtris conſiliis revocet. Quod ſi ratio apud iſtum locum non inveniat, amicitiam adverſus Sueciam conſervet, quamdiu arma pro ſui defenſione gerere cogatur.

1635. 4. Dec. 19. Dec.

Banerius in Saxonem movet.

§. 116. Inter hæc irritæ pacis conamina majus armis operæ pretium fecerat Banerius. Saxo quippe transmiſſo ad Werbenam Albi per Havelbergam recta in Meclenburgicam iverat, primoque ingreſſu Plavvenam à Suecis inſeſſam oppreſſerat, præfecto vigilum & duobus centurionibus captis, aliis duobus centurionibus, & gregariorum manu cæſis. Inde longius progreſſus peditatum per oppida inter Dœmitzam, & Wahrenam ſita, equitatum propius Malchinum diſpoſuerat; ubi Banerius ſtativa habebat, peditatu Saxonicis paulo inferior, ſed equitatus vix dimidiam partem adæquans. Unde fluminibus, lacubusque paucitatem ſuam tegere conſultum judicarat, ſi forte Saxo totis in ipſum viribus moturus eſſet, ac ut Boruſſicas ſibi copias adjungeret. Heic initio ductorum refractarius animus egregiam rei bene gerendæ occaſionem corruperat. Cum enim Banerius Rudvvenum Cummerovia Wahrenam miſiſſet, diſtribuendis ibi per hoſpitia equitibus, hic eo delatus intelligit, partem Saxonici equitatus non procul inde morari; quam improviſo opprimendi facultas erat. Sed rem aggreſſurum ductores ſequi abnuebant, jactantes; ſe contra Electorem, aut alium Germanum Principem non amplius arma laturos, cum neſciant, an ulla tam diuturnæ apud Suecos militiæ præmia ſe maneant. Ita re infecta iter relegere Rudvvenus cogebatur. Sed placatis mox animis, Banerius adhibitis in conſilium ducibus in hoſtem movere conſtituit. Nam neque diutius illa in ſtatione ſubſiſtere licebat, deficientibus cibariis; neque propius mare recedere conſultum erat, hoſte mox inſecuturo, & junctis viribus Suecos ibidem in anguſtias compulſuro, non ſine metu fœdæ ſponſionis. Nec ulli oppido tantum annonæ inerat, quod eam multitudinem recipere, & alere poſſet. Igitur nulla ratio alia ſu-

5. Nov. 8. Nov. 15. Nov.

1635. pererat depellendæ inopiæ, qua ductores æque ac gregarii urgebantur, quam qua hostis ingruebat perrumpere. Sed cum hostis bipartito tenderet, Marazinus cum Cæsareis in Pomerania Ulteriori, Saxo in Meclenburgica, istum quantumvis numero imparem invadere non placebat, quod ingruentibus Succis idem cessim iturus fuerat, Saxone vicissim Succos insecuturo. Ita tribus exercitibus Pomeraniam inundantibus, mox ea quam declinatum ibant inopia oppressura erat. Igitur visum in Saxonem ire, eumque longius à mari propellere: præsertim cum nuntiatum esset, Electorem quatuor legiones ad Marazinum, quinque Magdeburgum misisse urbi eminus circumsidendæ, ut non nisi quatuordecim equitum, totidem peditum legiones illi supersellent. Ita adjunctis Borussicis catervis peditatu Succi Saxonicis pares aut superiores videbantur: qua equitatus deficiebat, solertia erat supplendum. Quod si res secius caderet, tantum copiarum utique superfuturum, quod Pomeraniæ & maritimis oppidis tuendis sufficeret. Sed favente successu res Succicæ insigniter restituendæ erant. Igitur Borussicæ copiæ per Malchinum Grubenhagam properare jubentur, quem locum Banerius universarum copiarum conventui edixerat, quæ centum & quinque equitum, centum quatuordecim peditum cohortes explebant. Sed cum Banerius intellexisset, octo equitum Saxonicorum legiones circa Goltbergam hærere, istorum hospitia cum equitatu tentare constituebat, dum peditatus ad Grubenhagam coit. Eoque Teteravia Dobinum, hinc in Streinii legionem sesquimilliari inde tendentem rapitur, quæ adventu Banerii cognito è vico in campum procedit. Sed mox invadentibus duabus Suecorum alis haut emissis telis in fugam effunditur; in qua tribunus ipse cum vicario legionis, tribus turmarum præfectis, aliisque ductoribus, nec minus trecenti equites ex ista, & Kalesteinii legione, quæ in proximo vico tendebat, capiuntur; multi cæduntur, impedimentis quoque in Suecorum manus incidentibus. Sed dum reliquas legiones aggredi cogitat Banerius, illæ per fugitivos excitæ Parchimum præcipites iter arripuerant, Banerio eos assequi non valente ob interjectas viarum angustias, & quia nox ulterius instare vetabat. Mox cum Marazinus Odera superato è Pomerania ad Saxonem tenderet, sine dubio junctis cum hoc viribus Banerium longius mare versus submoturus hic antequam iste adesset
5. Dec. Saxonem Parchimi aggredi constituit. Ejus adventu cognito Elector Parchimi subsistere non ausus raptim noctu motis castris Havelbergam recedit, octo tamen equitum legionibus sub Vitztumio & Dœhnio ducibus Kiritzam versus dimissis ad excipiendum Marazinum, qui jam Rupinum pervenerat. Hoc Saxonicorum motu è captivis cognito Banerius extremum istorum agmen carpere decreverat. Et sane Kiritzam inter ac Havelbergam progredienti apud Schrebcoviam duas legiones equestres opprimere in proclivi erat. Sed potius visum octo illas legiones Kiritzam dimissas
7. Dec. è vestigio insequi. Eas igitur quatuor Succicæ legiones ad Kiritzam deprehendunt, jam de Suecorum adventu certiores factas; quæ statim in oppidum, & per adversam portam in campum trepidæ se recipiunt. Ibi paulisper restitantes invadentibus Succis omnis in fugam ruunt, multi ne telo quidem misso, ac recta Havelbergam properant, insequentibus ad dimidium ab eo oppido milliare Succis. Eo in conflictu multi cæsi, multi in paludes compulsi; capti præter complures ductores bis mille equites cum decem vexillis, & magna vi impedimentorum. Eo in certamine Torstensonii, & legionis Curlandicæ virtus cumprimis eminebat.

Saxonici vapulant semel & iterum. 28. Nov.

1635. Inciderat quoque in casses Marazinus, ni cognito conflictu apud Fehr-Berlinum trans fluentum se recepisset. Quanquam autem Banerius videret, ægre à se impediri posse, quominus Marazinus Saxoni jungeretur, ad quem etiam aliquot Luneburgicæ legiones subsidio properabant: arridentem tamen fortunam persequi rationis ratus, assumto peditatu tormentisq; Havelbergam tendit. 9. Dec. Adventantibus Succicis ante Basilicam duæ equitum legiones se offerunt, quibuscum statim velitatio suscipitur cadentibus utrinque uno subtribuno, & aliquot gregariis. Sed cum Succicæ alæ confertim ingruerent, Saxones semel tantum displosis sclopetis, non paucis cadentibus præcipites trans flumen pelluntur, ubi totus exercitus Saxonicus in acie consistebat. Sexcentis peditibus ad Basilicam hærentibus Banerius accessum ad pontem interceperat; qui deditione facta vita donati, & dimissis ductoribus gregarii sub signa recepti. Oppidum Havelbergam, Basilica capta adhuc sexcenti pedites Saxonici insidebant, incenso Basilicam inter, & oppidum ponte. In eos assultum 11. Dec. tentans Banerius, Saxonibus adhuc inter Havelbergam & Sandaviam in acie consistentibus, intra dimidiam horam nemine amisso id expugnat; & quia statim ad aversam portam properaverant Succi, eo pauciores è Saxonicis mortem aut captivitatem effugiebant. Captus inter alios ibi tribunus Trandorfius cum aliquot centurionibus, & quatuor tormentis.

Banerius Havelbergam expugnat.

§. 117. His peractis Elector Banerio significat, De induciis ab ineundis induciis se non alienum, ni ipse abhorreat. Banerius primo rem ad Oxenstiernam rejicere. Nec minus tamen præ oculis erat miles laboribus & itineribus exhaustus, quietis quam maxime indigus, qua citra inducias frui non licebat; & si diutius his locis constipatus hæreret, inopia consumendus. Simul à perterritis Saxonibus proficuas sibi conditiones sperabat. Igitur Oxenstiernam non improbaturum confidebat, si tractatus ordiretur, quibus durantibus Munimentum Werbense in potestatem redigere conabatur. Ita mox placet, ut ab utraque parte deputati Sandaviæ in castris Electoris conveniant. Interea versus Wer-15. Dec. benam Kingius cum quatuor legionibus præmittitur, quem Banerius cum tormentis sequitur. Kingius eo accedens non sine atrocibus minis centurioni deditionem imperat, qui territus statim prodit, id tantum petens ut militari more excedere liceat. Quod à Banerio primo repudiatum mox ea lege concessum, ut confestim castello facessat. Ita iste cum centum septuaginta peditibus citra teli jactum munimento prodit operibus integris, & quod octo machinis firmabatur. Eidem tribunus Drakius cum trecentis peditibus imponitur. Ast Sandaviæ super legibus induciarum conveniri non poterat Succis postulantibus, ut sibi præsulatus Magdeburgicus & Halberstadiensis, cum Marchia inter Havelam & Albim in hospitia assignetur; tum à Cæsareis & Saxone præsidia Pomerania & Meclenburgica deducantur: & ut ad finem Maji mensis induciæ durent. Contra Saxones extensionem hospitiorum Succis abnuebant, nec inducias nisi ad modicum tempus cupiebant, quoad constaret, quid circa pacem conciliandam Meclenburgicus proficeret. Circa hoc cum defectum mandati excusarent Succici ad superiores ista se relaturos promittebant, testati, Banerium 18. Dec. declarando in pacem studio hostilia certo modo intermissurum, quoad ab Oxenstierna responsum veniret. Mox cum Banerius de duarum hebdomadum induciis proponeret, quo pedites suos attritis vestimentis per vicina oppida paulisper reficere posset, illæ à Saxone repudiabantur, quod brevius

frustra agitur. 12. Dec.

1635. vius id foret ſpatium, quam ut à laboribus remittere quid liceret. Ita variantibus ſententiis tractatu abrupto ad arma reditum eſt.

§. 118. Porro cum per hibernam tempeſtatem utraque pars id ageret, ut vel hoſtem caſtris concluſum attereret, vel per hoſpitia diſperſum opprimeret; Banerio tranſitus ad Fehrberlinum ei conatui opportunus videbatur. Eo igitur Axelius Lilius ſupremus vigiliarum præfectus cum aliquot catervis mittitur, qui Ungarum tribunum trans pontem pulſum Vetus Brandeburgum abire cogit. Mox Slangius ſubtribunus quingentis militibus ſtipatus Bœzoviam nullo teli jactu occupat, Brandeburgico centurione cum ducentis peditibus Brandeburgum dimiſſo. Carolo Guſtavo Wrangelio ſubtribuno poſt unius diei morâ Zedenicum deditur. Nec minus Miroa arce præſidiũ Saxonicum depellitur. Ita hoſti per Meclenburgicam nihil reſtabat præter Plavvenam, quæ in mensem usque Martium obtinebatur. Inter ea Saxo tota vi ad Fehrberlinum tendit, quod è transfugis intellexiſſet, Suecos per octodecim milliaria copias ſuas diſperſiſſe, iſtas per fauces Suecos oppreſſurus.

25. Dec. Et ter quidem in caſtellum aggeri viæ ſuperpoſitum aſſultus fruſtra tentatur; quod tamen poſtera die per ignaviam centurionis, qui feſſo priori ſucceſſerat,

27. Dec. expugnatur. Quia tamen opinione citius Banerius aderat, Saxo poſt caſtellum deſtructum, pontemque dejectum cum maxima exercitus parte Brandeburgum recedit, quiete ſuos, ut videbatur, refecturus. Banerio itidem conſilium erat inter Havelam, & Fuhram flumina diſpoſitis copiis otii quid indulgere; ſed quod ea regio paludibus interſciſſa, nec hoſte ingruente copiæ ſtatim contrahi poſſent; omiſſo eo conſilio

Banerius Berolino minatur. Berolinum ſpectabat; quo per Bœzoviam trium milliarium iter patebat, obſeptis à tergo viarum anguſtiis, ne hoſtis ea parte invadere poſſet. Unde ſumma Berolini trepidatio, & ipſe Elector ita raptim Peitzam ſe contulerat, ut ne conjugi quidem, quæ Berolini reſtitabat, de ſua profectione

28. Dec. ſignificaret. Ea mittebat ad Banerium, qui peteret, ut Principis ſedi parceret. Qui reponebat; ſi tradito ſibi munito oppido caveatur, Electorem nihil hoſtile in ſe tentaturum, non modo Berolino ſe parciturum, ſed & militem quantum poſſit Marchia eductum. Ni hoc fiat, nihil amici à ſe expectarent. Sed terrorem adventus Saxonis diſcutiebat, qui de conatu Banerii certior factus ſtatim Brandeburgo movens ſuperato ad Spandoam Havela retro Berolinum Bernaviæ conſidebat. Eo in ſtatu utrumque exercitum finis anni deprehendebat, non parum difficili ob tenuia hoſpitia, & conſtipatis legionibus. Et jam Succicos inter ductores fremitus audiebatur, penuriæ remedia expoſcentes. Saxo quoque complurium acceſſu legionum ita firmatus erat, ut citra periculum tentari in ipſum nihil poſſet. Igitur & Banerius quantum poterat copiarum contrahebat, ut vel hoſtem repelleret, vel alia ratione lautiora hoſpitia invaderet, conciliandis militum animis; in quo tunc ſumma rerum vertebatur.

Sperreuterus ad hoſtem tranſit. §. 119. Exponendum quoque de legionibus, quas feſtino Banerii trans Albim receptu in Saxonia & Weſtphalia remanſiſſe diximus. Earum dux Sperreuterus jam Auguſto menſe difficili in Haſſiam itinere, & ob tarditatem ab Oxenſtierna reprehenſus, miſſionem petere cœperat. Inde ad Magdeburgum turbidis ſemper conſiliis immixtus, tandem Octobri menſe Wiſmariæ ab Oxenſtierna miſſionem obtinuit cauſatus, in Livoniam ſe abiturum conſtituendæ rei domeſticæ; legionemque ſuam in Reginæ obſequio conſervaturum. Enimvero mox quid animo agitaret expromebat, & ex interceptis à Landgravio Georgio, & Grana Marchione ad ipſum literis patebat, non ſolum ipſum Cæſaris partibus acceſſiſſe, ſed & legiones eodem pertrahendas recepiſſe. Quod tamen conſilium fruſtra fuit, ut ipſe prope ſolus initio ſequentis anni Cæſareum ſacramentum profiteretur. Legiones porro ab Octobri menſe duce ſummo deſtitutæ, cum & Wilhelmus Landgravius inter tractatus curam earundem ſuſcipere nollet, hinc inde vagabantur. Quas inter Merodica, exuto ſacramento, fractisque vexillis ſolvebatur, una turma excepta. Nec parum à ſimili conſilio reliquæ aberant, cum Martinus Chemnitius Conſiliarius Succicus, tunc Gallici Legati quædam mandata ad Viſurgim expediens, aſſumto Nienburgi Hodicio Comite, & poſt tribuno Glabicio Rechburgum ſe confert, ubi iſtæ legiones luſtrabantur, eas in Succiæ obſequio retinere tentaturus. Hic ductores convocatos fidei admonet; qui re ad milites relata declarant: ſe Merodicæ legionis flagitium damnare, & fidem ſibi fore illibatam; ſed cum duce deſtituantur, nec ad Banerium pervenire queant, ſibi quid agendum ſit non conſtare. Cum igitur promitteretur, ducem ipſis non defore, tantiſper adquieturos ſe profitebantur. Inde iſtorum conſenſu Merodica legio militari judicio habito infamia notatur, cæſis qui deprehendi poterant. Ita ſine capite ad Viſurgim hærentes Georgius Dux Luneburgicus, ſub cujus imperio pleræque antea fuerant, ſolicitat, jactans; ſibi haut quidquam in animo eſſe ipſas Reginæ ſubtrahere, ſed potius Sperreuteri conſilia turbare; ſe ex iisdem, & aliis ſuis copiis exercitum formaturum non ſolum defendendæ ſuæ ditioni, ſed & in Suecorum uſum, quibuscum brevi conventurum ipſi ſit. Huic plerique ductorum, renitente quantumvis Chemnitio, aures præbebant; promiſſo tamen, fidem ſibi adverſus Sueciam fore integram: & ideo tantum Duci velle adjungi, ut in priores partes eundem retrahant. Sperreuteri tamen legionem Joannes Chriſtophorus Kœningsmarkius ſubtribunus, qui eidem præerat, in officio retinebat, una excepta turma, clam ad Luneburgicum transeunte, & Cartzenſteinio itidem fido in V Veſtphalia jungebatur. Hodicius Comes cum ſua legione hinc inde vagabatur, quoad Cniphuſius res Succicas in V Veſtphalia ſuſciperet. Cniphuſiana quoque legio ſub Lohio vigiliarum præfecto fida perſiſtebat. Reliquarum legionum ductores fidei immemores Hildeſiæ cum Electoris Saxoniæ deputato, & Georgio Duce paciſcuntur, ut amneſtiæ legiones incluſæ poſt ſolutum argentum ſacramento Cæſaris & Imperii ſuccedant, Ducisque Georgii imperium agnoſcant. Conventionem ſubſcribebant Uslarius, & Beckermondus ſupremi vigiliarum præfecti, tribuni Boyus, Glaubicius, & Crachtius; & à Crocovii, Devvicii, & Berghofii legionibus deputati ductores. Enimvero eam conventionem plerique militum improbabant, poſt tam longam ſub Succis militiam flagitio infamiam contrahere abnuentes. Eadem quoque multorum præfectorum mens. Inprimis Crocovii, Devvicii, & Berghofii legiones indignari, quarum deputati Hildeſiæ muris ad ſubſcribendum compulſi fuerant, eoque animum ſuum tantiſper texerant, quoad occaſio daretur ad Succicum exercitum perveniendi. Quo conſilio à Duce Georgio petunt hoſpitia ſibi prope Albim aſſignari, cauſati præſulatus Oſnabrugenſis, & vicini tractus vaſtitatem. Igitur Devvicii legio in Bremenſi diœceſi, Crocovii in Lubecenſium & Hamburgenſium agro, Berghofii in Pinnenbergico Comitatu collocatur; ut in proclivi foret Crocovio, & Devvicio tribunis promiſſa ſua Oxenſtiernæ

1635.

Legiones in Weſtphalia vacillant.

23. Octobr.

15. Nov.

Eædem ad ſaniorem mentem redeunt.

Digitized by Google

1635. ſtiernæ ſuper facta de reducendis ſuis legionibus repræſentare. Ad reliquas legiones hinc inde ſparſas Cratzenſteinius mittit, qui fidei iſtas Sueciæ data admoneat. Quod & poſt Cniphuſius in VVeſtphaliam regreſſus facit ad ſingulos tribunos literis ſcriptis, quas fructu non caruiſſe ſequens annus oſtendet. Aſtonum Nienburgi præfectum Glaubicius tribunus in Luneburgici partes ſolicitabat; quem iſte aſpero reſponſo protelabat. Mindæ præfectum Ludingshuſium idem tentabat eo maxime colore, quod Dux brevi ad amicitiam Suecorum rediturus ſit. Igitur is adhibito in Conſilium Chemnitio tamdiu blande cum Duce agere conſtituit, ne abrupto reſponſo in apertam hoſtilitatem prorumperet, quoad pateret, quid iſte animo agitaret. Cæterum Dux ipſe varium ſe plane gerebat. Nam modo velut Suecorum rebus ſtuderet legiones de vitandis Sperreuteri machinationibus monuerat. Mox cum fratribus ſuis, & cum Saxoniæ Electore VVerbenæ collocutus in Cæſaris partes tranſierat, miſſis quoque Saxoni auxilio aliquot legionibus. Quas tamen paulo poſt à Chemnitio perſuaſus revocat, injuncto ut ni ultro dimittantur, vel ſinguli ad ſe refugiant. Quo minus tamen imperium in copias iterum ſuſciperet, vergentem ætatem & preces provincialium Ordinum excuſabat. Nec tamen ſe intercedere, quo minus ſubjectæ ſibi quondam legiones ad Cniphuſium transeant. Cum Mindam ſpectandi cupidine reneri ſe diceret, ſuæ ditioni finitimam, ne forte Cæſareorum in manus incideret; id abnegare in præſens haud viſum. Ita cum comitatu Principe digno, ſed qui præſidio non foret formidabilis, immiſſus honorifice excipitur. Nec ullam ibi quid novandi voluntatem oſtendit, Suecicis non minus diffidentiam diſſimulantibus, quod ſpes foret Ducem in partes rediturum; præſertim cum intercepras à ſe ad Sperreuterum literas Suecicis tradidiſſet, & reſtitutionem Hildeſiæ Pragenſi pace præceptam non digereret, ſacerdotibus, qui ſuper eadem inſtabant, aſpere rejectis. Unde & præfectus Mindæ permittente Oxenſtierna adverſus Ducem, ſalvis tamen Sueciæ emolumentis, obſequium oſtentabat.

11. Nov.

Georgius Luneburgicus varium ſe gerit.

§. 120. Aſt VVilhelmus Landgravius, cui ſoli ex Ordinibus ſuper Pragenſi pace paciſci licuit, productis per ſex menſes tractatibus tandem ne manifeſtus ludibrii foret, in pacem certis legibus conſentit; ut præter Cæſaris ratihabitionem nihil deeſſe videretur. Id tamen clam agebat, ut tempus extraheret, copiasque ſuas conſervaret, ac præcipue paci, exteros quoque Reges complexæ fundamentum poneret. Eoque adjectis clauſulis ſibi caverat, ut ante ratihabitionem Cæſaris, de qua non ſine cauſa dubitabatur, rem ſibi integram ſervaret, & loca occupata, militemque retineret, decem peditum, tria equitum millia, queis totus inter Rhenum, Viſurgimque tractus infeſtus tenebatur. Hancque ſuam mentem per Legatum Hermannum VVolfium Oxenſtiernæ ſignificat, ſimul ſe in fœdere perſtiturum, & tractatus quantum liceat extracturum. Quo citius Legatum iſtum Oxenſtierna remittebat, confirmando Landgravii animo. Aderat quoque à Galliæ Rege miſſus Jacobus Hanoviæ Comes, qui eundem ad conſtantiam in fœdere Succico hortabatur, odium Auſtriacorum oſtentans; & ſi à Gallia Sueciaque ſe disjunxerit, neminem fore, qui communis pacis tractatibus ipſi ſtudeat: ſimul pecuniam & militem offerebat. Quod ſi Landgravius jam cum Cæſare transegiſſet, idem in mandatis habebat operam dare, ut Haſſicæ copiæ in militiam Gallicam pertraherentur. Hactenus igitur Landgravii tractatus Suecis ſine fraude fuerant, niſi quod dum illis durantibus arma ejus quieſcunt, hoſti occaſio præberetur ipſis per Weſtphaliam acrius incumbendi. Hic quippe contracta è Monaſterienſi diœceſi, & vicinis locis manu, Haſelunam, Cloppenburgum, & pleraque circa Oſnabrugam loca ceperat, oppido hoc in anguſtias redacto, quod Lumsdainius tribunus ſexcentis cum peditibus ægre tuebatur. Huic ſe obvium ferebat Cratzenſteinius tribunus, quibusdam locis iſtum iterum expellens damno ſubinde dato, quandoque & accepto. Donec Cniphuſius ſummam belli iſtis locis ſuſciperet, & circa juſtum exercitum contrahendum ſatageret. Is ad Vechtam octo cohortes hoſtium opprimebat. Hoſtis contra Wilshuſam, ubi is agebat, improviſo irrumpebat, non modico illato damno, ac præcipue multis equis ereptis. Ipſe nudus fere per tenebras evaſerat; Kœnigsmarkius capiebatur. Circa idem tempus tamdiu agitata *neutralitas* Neoburgica exſecutioni dabatur, ſat quidem intempeſtive, cum Cardinalis Infans magnam Clivici Ducatus partem occupaſſet, & Dux Cæſari militem ſuum transſcribere cogeretur. Sed cum iterata à Bernhardo Duce juſſa advenirent, obtundentibus quoque Palatini miniſtris, Abrahamus Loyſonus Siburgum, Blanckenburgum & Windeccam Neoburgico tradit. Sed cum nulla via ad Suecicos exercitus penetrare poſſet, cum quingentis militibus in Belgium tranſiens Gallicæ militiæ ſuccedit.

1635. Per Weſtphaliam acta.

16. Dec.

§. 121. In Franconia unicum Suecis ſuperſtes oppidum Kœnigshovam diu eminus circumſeſſum, tandem tribunus Steinhofius vi oppugnare cœperat, ac jam exterioribus munimentis potitus erat, aquis foſſa deductis. Neque prohibere id valebat præfectus Ericus Andreæ F. ſubtribunus, ob crebra ſuorum transfugia ad centum quinquaginta gregarios, triginta ductores redactus; qui & continuis laboribus ac vigiliis, tum inopia efferati minabantur, ſi aſſultus tentetur, arma ſe poſituros, aut ductores trucidaturos. Ita is ad deditionem adigitur, honeſtas ſibi conditiones ſtipulatus, ſed quæ ſervatæ non ſunt, parte militum ultro ad hoſtem tranſeunte, reliquis vi compulſis; ut ipſe præfectus cum paucis tantum ductoribus ad ſuos perveniret.

Kœnigshova hoſti deditur. 19. Nov.

3. Dec.

§. 122. Ad Rheni tractum Franckendalia fame coacta menſe Octobri in hoſtium manus conceſſerat. Mox Gallaſius è Lotharingia re infecta regreſſus, & magna exercitus parte per famem ac peſtem conſumta, in Alſatia Tabernis cum arce Hohenbaara per ignaviam præfecti Burii potitur. Dachſteinum inde oppidum, ſtrenue reſiſtente Friderico Moſero protribuno aſſultu expugnatur, Moſero cum militibus ſe in arcem recipiente. Hanc incaſſum hoſtis non ſine multorum jactura oppugnatam tandem deſerit, obſidio eminus circumpoſito. Hagenoam per octo dies hoſtis tormentis verberaverat, ſed premente fame, & contagio immenſum graſſante re infecta diſcedit. Interim Benfeldæ præſidium palantibus paſſim Cæſareis per excurſiones non parum damni intulerat. Moguntiam, maligno annonæ & adparatus bellici proviſu Hohendorfius ſpe ſubſidii obnixe defenderat. Sed eam abrumpebant Bernhardi Ducis literæ, ſuadentes ut deſerto oppido militem Confluentes ſubduceret. Id cum anceps nimis videretur, tandem ſubigente inopia cum Dohnavio paciſcitur de tradenda Moguntia, Binga, Ehrenfelſa, & Lohnſteino, ut viciſſim ipſi cum militibus ad Bernhardum Ducem diſcedere, ac tres majores machinas in Belgium mittere liceret. Et ipſe quidem milites Metim deducebat quingentis exceptis, qui per iter diffugerant. Tormenta Bopparti detenta, quod Lohnſteini præſidiarii pactum adſpernati Gallicam militiam profiterentur.

Et Franckendalia.

Per Alſatiam geſta.

18. Nov.

Moguntia deditur.

Landgravius tempus extrahit.

21. Dec.

§. 123. Eo-

1635. Joannis Skyttii legatio in Daniam.

§. 123. Eodem anno præter belli Germanici molem metus quoque belli Polonici Sueciam urgebat. Circa quod ea non poſtrema cura erat, explorare, quæ vicinorum in alterutram partem ſtudia, quæ judicia, quid ab illis ſperandum, metuendumve. Tum ut quantum poſſent eorum animi Polonis averſi Sueciæ conciliarentur. Et rumor increbuerat Polonis cum Anglo, & Dano occultum fœdus intercedere. Eo fine circa exitum ſuperioris anni in Daniam ablegabatur Joannes
27. Dec. Skyttius, qui Coldingæ apud Daniæ Regem poſt memoratam Chriſtinæ in ſolio patrio ſucceſſionem, ac ut Rex deinceps quoque componendo bello Germanico navare operam velit, ſuper uſurpationibus Uladislai Poloniæ Regis querebatur; addito, ut ſi in bellum res eruperit, militem per Daniam conſcribere, bellicumque adparatum per ipſius terras & freta transvehere liceat, eadem Polono denegentur. Ad quæ Rex præmiſſo ſolito verborum honore; paci Germaniæ conciliandæ pro virili ſe incubiturum, negotio licet difficillimo. In Polonica quoque controverſia officia ſua interpoſiturum, ſi eadem requirantur. De concedendo Suecis tranſitu annuebat, ſi ex convento is prius petatur. Idem tamen ſe Polonis ob antiqua fœdera negare non poſſe. Sed præcipua legationis cauſa erat expiſcari, num quod fœdus inter ipſum, Polonumque adverſus Sueciam initum foret; de quo Nicolaus Korfius tribunus nuper à Polono in Daniam miſſus palam jactaverat: ſuper quo ut ſcripto Rex declararet Skyttius petebat. Id quod Rex plane recuſabat, queſtus ultro ex ejusmodi incertis rumoribus ſe in ſuſpicionem vocari. Sed & cæteri conſtanter de tali fœdere abnuebant; antiqua duntaxat amicitiæ pacta inter iſta Regna per Korfium fuiſſe renovata. Alias Rex omnem odioſam ſermonum materiam ſtudio declinabat; niſi quod de belli Germanici eventu nihil fauſti ominaretur; ac Succos nimii rigoris argueret, quo impedierint, ne ad tractatus res perduci potuerit. Ex itinere Fridericus Holſatiæ Dux Gottorpii ſalutatur, ubi præter mutuam amicitiæ conteſtationem nihil actum fuit.

In Hollandiam.

§. 124. Poſt abſolutos Bremæ circa eum præſulatum tractatus in Hollandiam Skyttius tendebat; ubi apud Ordines Generales poſt honorariam de Chriſtinæ ſucceſſione ſignificationem, ſuper Uladislai in Succos iniquitate exponebat; qui & ſpargere non dubitaverit, ſibi cum aliis Evangelicis, & præcipua cum Belgis Fœderatis contra Sueciam fœdus eſſe; id quod tamen de ipſis Succi non credant. Petebat inſuper, ut Hollandi legatos in Boruſſiam ad tractatus mittant; & ſi bellum cum Polonis exarſerit, ne his indulgeatur militem conducere, aut naves, armaque & alia belli inſtrumenta emere; id quod tamen Suecis permiſſum ſit. Poſtulabat quoque, ut ſuper fœdere cum Polonis, de quo ſparſum fuerat, quid veri ſubſit declarent. De quo iſti conſtanter negabant; quæſitum id à Polono per Zavvadzkium Legatum, ſed ab ipſis recuſatum. Viciſſim Hollandi de vectigalibus in Boruſſia graves querelas movebant; quæ cum licita ipſorum Hollandorũ exemplo Skyttius oſtenderet; illi non tam rem ipſam, quã modum & taxationem mercium ac pecuniæ reprehendi ajebant, ac publicanorum fraudes; invito cumprimis apud mercatores Spiringio velut inventore. Et quanquam proceres Skyttii excuſationibus tandem adquieſcerent, mercatorum tamen bilis nullo modo ſedari poterat. De cætero reſpontum dabatur verbis multum benevolentiæ præ ſe ferentibus: Legatis in Boruſſiam mittendis emolumenta Sueciæ diligenter commendanda; quibus & injunctum, ne publice ſuper vectigalibus querelas moverent. In caſum belli emere Suecis inſtrumenta bellica apud ſe permittebatur, quod ipſis aliunde is foret arceſſendus, nec domeſticus proprio exercitui ſupplendo ſufficeret. Sed & Polonis emtionem armorum apud ſe interdicere abnuebant, ne id forte impedimento foret, quo minus ipſorum Legati ad mediatorum munus à Polonis admitterentur; & quia Succi eadem intercipere poterant, ſi ad hoſtilia loca deferrentur. Obiter quoque à Skyttio ſuper renovando fœdere mentio fuerat injecta; ad quod Hollandi ſtatim ſe paratos ferebant. Sed is excuſabat, nihil aliud ſibi in mandatis datum, quam ut cognoſceret, quæ ipſorum ad fœdus inclinatio, & quæ conditiones proponerentur. Expiraverat id fœdus anno viceſimo nono; eoque Rex Guſtavus Ludovico Camerario Legato in mandatis dederat, ut id prorogatum præſentibus temporibus adaptaret. Et in cæteris quidem facile inter ipſos convenerat; tantum ad ſextum caput de liberis commerciis res hærebat; unde id ſubinde dilatum. Efficiebat quoque Skyttius per promiſſa, & diſtributis inter præcipuos Ordinum centum pondo nauticis cupri, ut ad bellum Germanicum centena millia florenorum decernerentur; cum dudum ab ipſis nihil obtineri potuiſſet.

1635.

Et in Angliam. 12. April.

§. 125. Apud Angliæ Regem Skyttius itidem exponebat de Regno in Chriſtinam devoluto; de vetere inter Succos Anglosque amicitia; de injuriis Uladislai, & quod jactaverit, ſibi cum Angliæ Rege fœdus adverſus Sueciam eſſe. Tum ut Rex per legatos pacem in Boruſſia promovere velit, & ne legati ibidem intempeſtivis mercatorum querelis aures præbeant. Quod ſi bellum exardeſcat, petebat veniam in Britannia militem conſcribendi, & bello neceſſaria coëmendi. Invitabat denique eundem ad amplectendam Proteſtantium in Germania cauſam, & ut ei ſuſtentandæ fœdus inire velit; tum quæ fœderis illius leges placeant, ut eo intellecto Regina alium mittere legatum queat, qui iſtud perficiat. Poſt
18. April. peculiari actu in conventu Equitum Ordinis Periſcelidis Skyttius inſignia ejus Ordinis, Guſtavo Regi geſtata, pro more reſtituebat. Ad petita ipſius reſpondebatur: de Regis Poloniæ prætenſione aliquid in alterutram partem ſtatuere vel ominari non eſſe ejus officium, qui ad pacem conciliandam, firmandamque amicitiam Mediator utrinque ſit conſtitutus; eoque nec temere ea credere, nec inficiari par eſſe, quæ ad partium ſtudia, animosque commovendos vulgo jactata ſunt. Privatim Rex Skyttio dixerat, niſi ab utraque parte tam diligenter rogatus fuiſſet, libenter tractatibus inter Suecos, Polonosque abſtenturum fuiſſe. Uladislaum quoque vehementer inſtitiſſe, ut controverſiam illam tanquam arbiter decidendam ſuſciperet: id quod abnuerit, ſi vel utraque pars in ipſum compromitteret. Quia etiam miſſus in Boruſſiam legatus Georgius Duglaſſius in Suecos parum pronus credebatur, Skyttius petierat, ut collega eo in munere iſti adjungeretur. Sed Rex promittebat, iſtum uni non plus parti fauturum, quam alteri. Non poſſe tamen ſe non audire querimonias mercatorum, quibus remedium adferri par ſit. De conſcribendo milite, aut coëmendo belli inſtrumento nunc tractare non eſſe aliud, quam pacis aut induciarum tractatui temere renuntiare; quod vel requiri vel concedi fas non ſit. De fœdere circa cauſam Proteſtantium ad Parlamentum rejiciebat. Addebatur, Regem ſæpius operam ſuam obtuliſſe; nec de Palatinatu toties fruſtra acturum fuiſſe, ſi quorum plurimum intererat, in diverſum non abiiſſent conſilia. Quæ verba quo pertinerent cum Legatus quæreret; Rex Principes Germaniæ argui ſignificabat;

1635. ficabat, ipsumque Oxenstiernam, qui initio in Gallos fuerit durior ac iniquior; sed defendente hunc Skyttio in Saxoniæ Electorem culpam rejiciebat. Enimvero circa abnegandum militem non opus erat tam austero responso, cum id non nisi tentandi causa propositum fuisset. Nam jussus erat Skyttius circa scribendum militem Anglicanum non laborare, quod tirones ejus nationis in rigidius cœlum translati primo fere militiæ anno extinguantur. Sed id potius cordi tunc Suecis erat, ejus nationis benevolentiam conservare, quam fœdus ambire: cum eadem suas sibi peculiares rationes & consilia habeat, & quæ velut reliquo orbe divisa non credat sibi cum aliis quid necessitudinis intercedere, nisi quantum ultro & ex gratia velit. Ac post ubi cum Polonis transactum fuerat, fœdus Anglicanum & Hollandicum eo minus curabatur, quod oneri potius, quam emolumento tunc videbatur fore. Neque tamen plane abrumpere eam negotiationem placebat, quoad adpareret, quo res Germaniæ se darent. Id quoque tunc agebat Skyttius, ut si matrimonium inter Uladislaum Regem, & Elisabetham Palatinam coiret, id citra Sueciæ fraudem fieret. Ad eam conditionem Uladislaus per Radzivilium imprimis stimulatus erat, qui sacra Evangelica eo matrimonio per Poloniam stabilitum iri sperabat; præsertim cum Uladislaus ipse Austriacam affinitatem repudiasset; quod Cæsar fratrem Joannem Casimirum potius, quam se sceptro Poloniæ admoveri optaverat. Unde Uladislaus in Angliam miserat, qui Palatinam in uxorem peteret. Nec Rex se alienum ostendebat; addens tamen, id apud matrem & puellam ambiendum esse. Etsi legatus iste in Anglia haut satisfactum sibi ostenderat, quod frigidius Rex illam rem videretur agere; quia fama erat, eodem tempore ab Uladislao Florentiæ Ducis sororem connubio peti. Quanquam post Elisabetha Bohemiæ Regina virginis mater censebat, id matrimonium in speciem duntaxat quæsitum, Anglis à Suecorum partibus avertendis, eique eludendo prætextum à sacrorum diversitate arreptum. Sane graviter offendebatur Angliæ Rex, cum Polonicus Legatus Zavvadzkius postularet, ut Elisabetham Principem ad suscipiendos Romanos ritus permoveret, si matrimonium id succedere vellet. Promittebat tamen Rex Skyttio, id matrimonium si perficeretur, Sueciæ damno non fore. Denique cum in Anglia multis persuasum foret, à Gustavi Regis morte in Suecia confusam plane Reip. faciem esse, Skyttius errori isti dissipando aliquot exempla *Formæ Regiminis* Regi, Proceribusque distribuebat, quæ omnibus velut insigne prudentiæ civilis specimen vehementer probabatur.

Tractatus cum Polonis in tempus iniquum cadens.

§. 126. Cæterum tractatus cum Polonis in tempus Sueciæ valde iniquum incidebat, afflicto domi ærario ob quatuor annorum sterilitatem, & nonnullas in cuprifodinis ruinas; incumbente insuper bello Germanico, quod neque commode deseri, nec nisi magno molimine sustineri poterat. Cum Polonicum bellum Germanico longe potius foret, quippe Sueciæ velut peculiare, & quod bene an secus cederet, alios parum tangeret; Germanicum autem bellum in aliorum potissimum usum gereretur, & quod, si male succederet, alios quoque contagio periculi involuturum erat. Inprimis autem ægerrime ad Borussiæ cessionem descendebatur. Eamque possessa Sueciæ adversus omnes Poloni invationes cavebatur, neque Suecis classem armare opus erat. Contra è Borussia Polono facultas dabatur continuis turbis Sueciam agitandi, classemque in Mari Baltico comparandi, cum ipse contra modica ma-

nu ea parte Regno suo quietem præstare posset. 1635.
Vectigalia quoque Borussica Suecis demta Polono deinceps accessura erant. Sed & tractatus eludere in proclivi erat, si Polonus titulo & actione in Sueciam cedere nollet, aut ut ablata sibi restituantur pertenderet. Et facta vectigalium moderatione extraneos facile placare licebat. Enimvero præsentium temporum iniquitas, & indies in pejus ruentes Germaniæ res, quas honeste abdicare non dabatur, Rectores Sueciæ subigebant, ut tandem longas inducias minimum triginta annorum cessa Borussia redimere constituerent, civibus belli fessis, & deficiente rei gerendæ nervo. Simul quia Regiomontani & Gedanenses Poloni partes sequi decreverant, suspensis ad unum & alterum annum commerciis, quo ipso vectigalia, præcipuum belli nutrimentum, intercipiebantur. Sed & mox deprehensum, Gallos juxta ac Anglos, Hollandosque Suecis Borussiam invidisse, tacitaque conspiratione sub amicorum & sequestrium vocabulo ad istam tam bene alias munitam Suecis extorquendam incubuisse.

Tractatuum Stumisdorfianorum præliminaria.

§. 127. Initio tractatuum interventu Brandeburgicorum, qui soli tunc è Mediatoribus aderant, efficiebatur, ut partis utriusque subdelegati Hollandiæ oppido Borussiæ congrederentur expediendis, quæ tractatibus præmitti mos est. Brandeburgici Legati tunc erant Andreas Kreyzius, Borussiæ Gubernator, Joannes Georgius Sauckius Cancellarius, Bernardus Konigseccius Consiliarius provincialis, Georgius Rauschkius, Petrus Bergmannus, Consiliarii: Subdelegatorum vices obibant à parte Suecorum Joannes Nicodemi, à Polonorum parte Christophorus Lodius, & Daniel Navvarenskius Secretarii. Ubi super loco placebat, ut partis utriusque legati Hollandiæ congressus celebrarent, Succi autem Elbingæ, Poloni Saltfeldæ commorarentur. Tempus conventui dies decima quarta Januarii statuebatur. Circa comitatum Legatorum decernebatur, utrosque præter ministros aulicos centenis equitibus, totidem peditibus stipandos, sed sine vexillis, ne speciem belli præ se ferrent. Securitati illorum per ipsa inducierum pacta satis cautum credebatur; quæ ad Kalendas usque Julias adhuc durabant. Conventum quoque, à Mediatoribus eos Legatos priores salutandos, qui primi Hollandiam accessissent. Legatis sic condicto 14. Januar. die Hollandiæ congregatis initio placebat, ut primo congressu iidem post mutuam salutationem procuratoria ederent, paucis adhibitis verbis, & titulis Regum non expressis. Congressus locus in templo adornabatur triquetra forma, asseribus cinctus. Pars Brandeburgicorum Mediatorum ad ostium templi Succos, pars altera Polonos, qui priores accesserant, excipiebat. Polonorum Legati erant Jacobus Zadzickius, Christophorus Radzivilius Palatinus Vilnensis, Raphael de Lesno, Palatinus Bellensis, Magnus Ernestus Doenhof, Castellanus Pernaviensis, Remigius Zaleskius Regni Referendarius. Legati datis dextris humaniter invicem salutabant, addito pro felici successu voto. Ubi consedissent, sermonem ordiebatur Sauckius, Cancellarius Brandeburgicus, quem excipiebat Zadzickius Cancellarius Polonicus; inter alia quoque hæc verba jaciens: *ut fœderati olim populi in pristinam amicitiam, & legitimum obsequium resloresc ant*; Suecis tunc non observata, quod Polonus ista obscurius, & velut deglutiens protulisset. Petrus Braheus Comes, prout conventum erat, pauca tantum verba faciebat.

Contra-verbo-hus

§. 128. Hinc Brandeburgici proponebant, ut partis utriusque procuratoria in Mediatorum ma-

1635. nus consignarentur. Ea Sueci prius utrinque in-
super pro-curatoriis. spici, & examinari expetebant; Polonis contra eorundem exhibitionem subterfugientibus, vel quod illa in promptu non haberent, vel quod iisdem sepositis ad rem ipsam Suecos deducere vellent, causati: non dubium esse tantæ dignationis viros sufficientibus mandatis instructos accedere, nec ullis procuratoriis opus habere. Ast Sueci vel in privato negotio citra ea rite quid agi negabant. Igitur tunc conventum, ut tertio post die subdelegati utrinque mitterentur, qui procuratoria Mediatoribus invicem communicanda exhiberent, receptaque in stativa utrinque deferrent, & examinarent: Ita Elbingam Sueci discedebant. 27. Jan. Mittitur inde ex convento cum procuratorio Suecico Hollandiam Secretarius Lardingius, idque Mediatoribus tradit. Qui rogabant, cum Christina tantum designata sit Regina, num Legati procuratoria quoque à Regno Sueciæ, sicut Poloni, habeant. Quod hic negabat, cum Regina plenum jam Regni jus habeat per Tutores administrandum. Contra Brandeburgici exemplum duntaxat procuratorii Polonici Suecis ostendere, non ipsum autographum volebant, quod ipsum & Poloni, ut Elbingam deferretur, permittere abnuebant, sed ut in loco congressus inspiceretur. Ita 29. Jan. Suecicum procuratorium Elbingam reportatur. Post quidam Brandeburgicorum Elbingam veniunt, petentes, ut Sueci Hollandiam accedant inspiciendis procuratoriis. Id Sueci abnegabant, postulantes, ut partis utriusque procuratoria Hollandiam deferantur, & per Mediatores Polonicum Suecis, Suecicum Polonis ostendatur. Ita denuo 31. Jan. Suecicum procuratorium Hollandiam mittitur.

Vitia procuratorii Polonici. 31. Jan. §. 129. Sequenti die Elbingæ adest Bergmannus, Brandeburgicus Consiliarius, Polonicum procuratorium afferens, idque à Suecis perlectum restitui sibi petens; addito, periculum in mora esse, quod cœptis jam VVarsoviæ Comitiis, si tractatus ipso in limine abrupti sint, Ordines Poloniæ sine dubio bellum decreturi sint. Perlecto procuratorio Sueci respondent: etsi istud verbis injuriam continentibus refertum sat causæ præbeat tractatibus abstinendi, antequam emendetur: in honorem tamen Mediatorum Hollandiam se venturos, ac in hospitio aduturos, quam 16. Jan. rationem ipsi inventuri sint procuratoria corrigendi, & tractatus promovendi. Hollandiam cum Sueci accessissent, Mediatoribus quærentibus vitia procuratorii Polonici exponunt; quod Uladislaus titulum Sueciæ sibi arroget, addito in fine, *anno Regnorum Sueciæ tertio*; nec Reginæ Christinæ ullam mentionem faciat. Nec ea verba ferri posse, *utrinque nostris & Regnorum Commissariis*, velut Sueci Legati ipsius subditi forent. Negant igitur tractatus se suscipere posse, priusquam Polonus titulum Regni Sueciæ sibi demat, Christinæ tribuat. Aduturos se tamen, numquid temperamentum Mediatores proponant. Advenerat tunc quoque Legatus Anglicus Georgius Duglassius, adjuncto Ordinario apud Gedanenses Agente Francisco Gordonio, quem Poloni statim salutatum ibant, & hic illos vicissim. Mittebat tamen Anglus ad Suecos; se ipsos prius invisurum fuisse, ni Poloni prævenissent. Quanquam enim parem humanitatem ab ipsis expectarit, quam Poloni exhibuerant; tamen cum non ob inania rituum Legatio sibi suscepta fuerit, se paratum esse statim ipsos invisere. Regerebant Sueci; cum ipsi prius quam Poloni in oppidum advenerint, par fuisse se ab eo prius salutari. Nam si is ad locum, ubi Sueci commorabantur, accessisset, primæ salutationis honorem eidem fuisse debitum, in congressu loco eum honorem à Mediatoribus sibi deberi. Inde ad Suecos accedens Anglus eos rogabat, ne circa procuratorium nimis anxie scrupulos consectarentur. Polonos quippe ad vitia ab illis notata reponere; summam causæ in titulo versari, quo si Uladislaus cedat, nil controversiæ superesse. Si tractatus in pacem finiant, Christinæ titulum cum Regno manere; si bellum recrudescat, procuratoria nihil in alterutram partem efficere. Uladislai, quam Sigismundi causam meliorem esse. Illum anno hujus seculi quarto in Regnum Sueciæ evocatum ob minorem ætatem, & patriam potestatem pervenire non potuisse; alieno facto jus ipsi adimi non potuisse; neminem Suecorum ab eodem læsum; avi Joannis legitimum hæredem esse. Ad ea Sueci reponere: Uladislaum conditiones vocationis neque circa sacra, neque circa mores, & leges Sueciæ impleviisse: eoque ex ea vocatione jus ipsi quæri non potuisse. Cæterum negabant se tractare posse, ni Uladislaus titulo Sueciæ abstineat. Præter Christinam non alium Sueciæ Regem esse. Cum inde Anglus centeret; procuratoria in manus Mediatorum cum protestatione deponenda, & ad rem ipsam accedendum: Sueci regerebant; procuratoria balin esse totius negotii. Post longam discepationem Anglus ad Polonos discedebat, & ad Suecos reversus referebat: Polonos proposuisse, si Suecis placeat, se princeps negotium orditi velle, fide data alia se procuratoria à Rege & Republica obtenturos. Sed Sueci, perinde id esse causabantur, ac si citra procuratoria tractetur, quod fieri nullo modo queat; cum utique constare debeat, qui cum negotiatio suscipiatur. Anglus inde proponebat; Polonos Christinæ titulum daturos, sed sui Regis titulum plane omissuros, quod Uladislaus neget, gratis se isthoc cedere posse. Sed & hoc Sueci abnuebant, causati, eam rem ad superiores à se referendam. Contra Anglus minari se discessurum; quo facto nunquam deinceps Polonos ad tractatum adductum iri. Ita bellum imminere ominatus pronuntiatis ad circumstantes Poëtæ verbis; *Arma, virumque cano*, ad Polonos transibat; qui & ipsi cedere abnuebant, frementes; se quoque ad Comitia VVarsoviam accessuros, ubi sine dubio bellum decernendum sit. Et constabat Anglum omnibus viribus id agere, ut inter Sueciam & Poloniam bellum recrudesceret. Sed Sueci insuper habitis terriculamentis nihil aliud, quam ad superiores se relaturos testati, Elbingam discedebant. Eodem mox Anglus, & Brandeburgici veniunt, referentes, Polonos in moram illam contentire nolle; ac sine dubio bellum in Comitiis placiturum; quo istis metum incuterent. Proferebant etiam aliquot vitia in Suecico procuratorio: velut quod titulus *designata* Reginæ esset novus: quod Christina Esthoniæ titulum sibi tribuat, cum Sigismundus eam provinciam Poloniæ donaverit: quod denique procuratoria non à Regina, sed tantum à Tutoribus sint subscripta. Quæ inania Suecis facile refellebantur: *designata* Reginæ vocabulum Polonos haut tangere: Esthoniæ donationem nullo jure, insciis Sueciæ Ordinibus factam, eamque primam abdicationis causam Sigismundo fuisse: subscriptionem minorennis legibus Regni non requiri. Excipiebant tamen isti; hæc ideo tantum à Polonis notata, ne & Sueci scrupulose nimis cum ipsis agerent. Polonos denuo ad rem ipsam accedere velle, cautione scripto interposita, idonea se procuratoria allaturos, & quæ eventui tractatuum congruerent. Sed Sueci prioribus insistebant: in Sueciam se scripturos, & intra sex septimanas responsum obtenturos; ut tamen hæc mo-

ra

1635. 21. Febr. ra hautquidquam ad abrumpendos tractatus, multo minus ad rescecandum inducianum tempus spectet. Aliud demum temperamentum à Sigismundo Marchione Brandeburgico proponebatur: procuratoria ita formanda, ut tituli in præsens omissi post pro eventu tractatuum inseri queant. Quod & ipsum Sueci adspernabantur; cum id perinde sit, ac sine procuratorio tractare; idemque sine exemplo fiat; ac demum rebus diu disceptatis omnia eludi queant. Dum hoc modo tractatus per duos amplius menses comperendinantur, à Brandeburgicis de mutando tractatuum loco agebatur, quod circa Hollandiam annonæ, & pabuli copia non esset; tandemque placebat, ut stativa Polonorum Marienvverderæ, Suecorum Jonasdorfii, Mediatorum Mariæburgi forent, Stumsdorfii congressus haberentur. Scripserat interim Brandeburgicus Elector ad Oxenstiernam, ne super titulo nimis rigidos se Sueci exhiberent. Cui Oxenstierna reponebat: nihil heic concedi posse, cum de Regni libertate agatur.

Sueci bellum adparant.

§. 130. Isthæc tractatuum auspicia in Sueciam nuntiata modicam pacis spem relinquebant; ac satis constabat, solitam Polonorum pertinaciam instigationibus Pontificis, & promissis Cæsaris, pecuniam & militem offerentis, magis obfirmari. Eoq; cum judicaretur, nulla magis ratione Polonos ad æquas conditiones admittendas adigi posse, quam ancipitis belli ostentatione, summa vi arma parari, delectus per totum Regnum haberi nobilium equites per Livoniam, Esthoniam, & Ingriam lustrari, classem denique adornari, ut adulto vere Jacobus Gardius Sueciæ Archistrategus cum valido exercitu, qui ad viginti millia militum adscendere ferebatur, in Borussiam trajiceret. Jam quoq; super neutralitate cum Ducali Borussia, Jacobo Curlandiæ Duce, & Gedanensibus agebatur, quam & sibi in eventum belli concedi Dux Pomeraniæ misso legato petebat, ob antiquam necessitudinem, quæ Pomeraniæ cum Polonia intercederet: quam & Senatus annuebat. Nec dubium est, quin exercitus ille mense Junio in Borussiam adpellens maximum tractatibus promovendis momentum attulerit. De cætero annuebant Rectores Sueciæ, ut procuratorium Polonicum eo modo, sicut in tractatibus anno vicesimo nono adornaretur, quod parum interesse videretur, si Polonus Sueciæ titulum in eodem usurparet. Nam si induciæ duntaxat coirent, prætensio istius salva manebat: pace facta, eadem cedendum erat.

Tractatus instaurantur. 4. Maji.

§. 131. Mense Majo suspensi hactenus tractatus instaurabantur, Mariæburgi primo exempla procuratoriorum permutabantur, Suecis priori congressu exhibita denuo offerentibus, cum à Polonis nihil, quod ad rem faceret, in iis desideratum foret, Anglo & Brandeburgicis agnoscentibus. Ast Poloni novum à Suecis procuratorium exigebant; alias nec se novum prolaturos: & ut Sueci Uladislao titulum Regis Sueciæ tribuerent, siquidem Poloni istum Christinæ dare deberent. Mediatores insuper nosse cupiebant, quid responsi è Suecia Legati obtinuissent. Ad quæ Sueci reponebant: id ipsos 6. Maji. in progressu tractatuum intellecturos. Post iidem novum procuratorium offerebant, non velut debitum, sed ostentando in pacem studio; cui Uladislai titulus, in priori omissus insertus erat; in reliquis cum priori congruebat. Contra in Polonico Sueci hæc vitia observabant, quod Polonus integrum sibi Sueciæ titulum tribueret, Christinam simpliciter tantum Sueciæ Reginam vocaret: & quod peculiari clausula suum sibi jus reservaret: nec Reipublicæ procuratorium adesset. Spem tamen faciebat Anglus, integrum titulum Christinæ, addita protestatione tributum iri, excepta Esthonia. Id quod tandem Sueci admittebant, 1635. modo titulus ita exprimeretur, sicut superioribus cum Gustavo Rege tractatibus factum erat. Inter 6. Maji. hæc Legatus Gallicus Claudius Memmius Avauxii Comes è Suecia adpellebat, ubi præteritam hiemem exegerat; cui à Rege Galliæ injunctum, ut omnem operam daret controversiis inter Suecos Polonosque componendis, quod metus esset, ne armis Succicis, quæ mors Gustavi Regis, & clades Norlingana jam satis debilitaverat, alio avocatis, Austriaci tota mole Galliæ incumberent. Qui & diligenter id egerat, ut Succos belli Germanici pertæsos, & in Polonicum, velut propius ipsorum res tangens, conversos, rebus Germaniæ immersos retineret. Ejus adventus eo gratior Suecis erat, quod Angli & Brandeburgicorum in Polonos studium aperte nimis pelluceret, quorum & hi oppida sua Polonico milite firmarant. Post paucos quoque dies ab Hollandis Legati aderant Rochus Hœnartus, Andreas Bicketus, & Joachimus Andreæ. Primo Stumsdorfii 14. Maji. congressu Sueci & Poloni se invicem salutabant, Gallo, Hollandisque Succos, Anglo, & Brandeburgicis Polonos comitantibus. Heic Sueci declarabant; Uladislaum Regis Sueciæ titulum gerere posse; adversus quem tamen ipsi peculiari instrumento protestationem sint interposituri. Vicissim Poloni Christinæ plenum titulum tribuerent, protestationem in procuratorio omitterent; sed si alio scripto protestari velint, id se ignoraturos. Alia lege se ad tractatus haut descensuros. Ac ne verbis id tantum jactari crederetur, exercitum è Suecia jamjam adventantem ostendebant. Mox procuratoria invicem exhibebantur; ubi in 18. Maji. Polonico omissum ad Ducatus Finlandiæ *Magni* vocabulum, post nonnullam disceptationem Polonicus Cancellarius propria manu instrumento inscribebat; quo Sueci in gratiam Mediatorum adquiescebant. Procuratorium Succicum in Legati Anglici, Polonicum in Gallici manus depositum fuit. Utraque pars protestata est, ne tituli diversæ partis Regi dati, suo Regi, Reique publicæ nocerent, si forte tractatus ad optatum finem non perveniant. Quæ protestationes pariter in Legatorum manus consignatæ sunt, eaque se recepisse Legati scripto testabantur, peculiari cautione polliciti, se infecta re procuratoria bona fide restituturos.

Super legibus pacis frustra disceptatur.

§. 132. Post inter Mediatores convenit has pacis leges partibus ferre, ut Uladislaus pro se & fratribus Regno Sueciæ renuntiet ea conditione, ut post mortem Christinæ, ejusque lineæ Uladislaus atque ipsius stirps in Regno Sueciæ succedat, & omnia loca hoc bello occupata, in Borussia atque Livonia Regi Regnoque Poloniæ restituantur. Quas leges Sueci juxta ac Poloni adspernabantur. Et Sueci quidem postulabant, ut Uladislaus pro se ac fratribus prius renuntiet omni actioni ad Regnum Sueciæ ditionesque ab eodem nuper aut olim adquisitas, simul titulo & insignibus Sueciæ abstineat. De hoc sibi constare debere, antequam super restitutione mentio fiat. Contra Poloni super restitutione prius cognoscere cupiebant, quam de renuntiatione ageretur. Igitur instantibus maxime Anglo & Brandeburgicis Sueci demum decla- 26. Maji. rant: Si Uladislaus plene pro se & fratribus æternæ pacis cauta renuntiet, se quoque mero pacis amore, nec velut in pensationem ejus renuntiationis locis Borussiæ à se possessis cessuros. Eam declarationem nonnulli præmature factam censebant, ac Polonis metum Succorum inde conjectantibus spiritus accessisse. Judicaverant tamen Sueci legati, ut ostenderent, serio sibi pacem cordi esse, aliquid utique pro renuntiatione esse of-

1635. ferendum: simul Mediatores sibi conciliatum iri, postquam intellexissent, ipsos Borussiæ, unde omnis invidiæ origo, mordicus non inhærere. Denique frustra à se dissimulari, quod jam ad Polonorum notitiam permanaverat, incertum cujus culpa, aut imprudentia. Contra Poloni tergiversari, ambiguis verbis incertam renuntiationis spem facere, ac frustra tempus extrahere. Jactabantur
22. Maji. interim per Brandeburgicos potissimum conditiones, quibus renuntiatio debeat fieri; puta, ut decreta contra stirpem Sigismundi facta aboleantur; liberum sit Suecis si velint ex ea familia Regem sibi sumere, Regi & fratribus è terris Livoniæ satisfiat, prout Regi cum Ordinibus Poloniæ convenerit. Regina Christina jungatur matrimonio cum marito non inimico Regi & Reip. Poloniæ. Idemque faciat Uladislaus vice versâ. Liberi ex Uladislao nascituri liberis Christinæ futuris connubio jungantur. Mutua denique auxilia contra utriusque partis hostes ferantur. Quæ Suecі partim fieri posse negabant, partim intempestive moveri ostendebant; cum nunc de renuntiatione Regni, non de nova electione quæstio sit. Inde ut super Livonia quoque restituenda consentirent Suecі Sequestres instabant; Suecis nec cogitandum quidem de ea asseverantibus. Eandem junctis viribus à Suecis Poloniisque Mosco crepram: sed divisionem prædæ à Polonis inique factam, qui terras sibi sumserint, machinas Sueciæ reliquerint. Extare quoque literas Cæsarum Caroli V. Ferdinandi I. & Maximiliani II. quibus Sueciæ Regibus protectio Livoniæ sit delata. Sueciæ quoque jus in Livoniam ex adoptione Magistrorum Ordinis partum. Nam quod jactetur, Gustavum Regem anno vicesimo octavo pro induciis triginta annorum Livoniam æque ac Borussiam voluisse restituere, id gratis fingi. Nec minus abnuebant Suecі admittere, quæ super redimendis pecunia illis locis proponebantur. Inter quæ Anglus immodicum in Polonos studium ostendebat; ac ut querelis suis adversus publicanorum principes Hollandi succinerent latagebat. Qui tamen modestius excusabant; se in mandatis habere non tam queri de præteritis, quam cavere in posterum. Et judicabat Gallus, Anglum magis ad impediendam, quam promovendam pacem missum. Quin & Brandeburgici Gallum solum tunc Sueciæ utcunq; studentem urgebant, ut junctim cum cæteris nomine superiorum suorum Suecis bellum indiceret, ni propositas pacis leges admitterent, omnibus locis ad Sueciæ Regnum non pertinentibus restitutis pro Uladislai renuntiatione. Contra Poloni Suecis manifeste illudebant, dum apud Mediatores differunt: Uladislaum his forte legibus ad renuntiandum permoveri posse, si Suecі eum statim Regem, eoque defuncto ipsius filium eligant, sique fratribus ejusdem, ac sorori è Finlandia & Ingria satisfiat; Uladislao absente Joannes Casimirus Sueciæ Regnum administret, Christinaque cum ipsius consensu connubio locetur, cui ipse de idonea dote sit prospecturus; si denique Esthonia Poloniæ restituatur, exules revocentur; & alia, quæ vix victis imperari poterant. Quin & post aperte significabant, à Rege sibi mandatum non de renuntiatione, sed de recuperanda potius Sueciæ possessione agere. Penes Regem quidem esse quousque suo jure velit cedere: facta tamen renuntiatione par esse, ut Regi & ejus familiæ aliunde fiat pensatio. Nam restitutionem Borussiæ & Livoniæ ad Rempublicam pertinere, nec Regi emolumento cessuram. Nec si Rex quidem velit, Remp. in Livoniæ cessionem consensuram, cui sat virium sit ilti armis recuperandæ. Quæ ludibria diutius non ferentes Suecі, Elbingam secedebant, bello se paratos ostendentes, totamque armorum molem in Borussiam & Poloniam devoluturos, quicquid de rebus Germaniæ fiat: nec deinceps circa offerendam Borussiam ita faciles fore. Quos discessuros Anglus rogabat; num & post elapsas inducias vectigalia exigere velint; id quippe Regem suum armis prohibiturum. Brandeburgici quoq; Memelæ pro Mariæburgo sequestro datæ restitutionem ex convento petebant, simul ut collapsa munimenta reficiantur, aut cautio detur, id oppidum à Suecis post finitas inducias non invadendum: alias nec se loca vicissim sequestro sibi data restituere posse. Quibus Suecі reponebant; nihil hostile inferentibus à Suecis nihil metuendum; Memelam quoque longius ab suis stativis remotam: ruinas munitionum non socordia militum, sed violentia fluminis factas. 1635.

§. 133. Consumta igitur pacis spe, cum tandem Uladislaus renuntiare quidem vellet, sed non nisi restituta Livonia; Suecis autem evanidum jus tanti redimere haut placeret; Mediatores de induciis prorogandis agitare cœperunt. Et petebat Gallus inducias jam ad finem vergentes aliquot per hebdomades prorogari, quo ipsi spatium foret ad Uladislaum Regem proficiscendi. Suecі contra eas moras repudiabant, causati, à Polonis tantum tempus quæri adparando bello. Acrius tamen instantibus Gallo & Hollandis, ea lege consentire se dicebant, ut in quatuordecim dies induciæ prorogentur, si Thorunio Gallus significaret, Uladislaum in pacem pronum esse; alias se omnes moras aversâri. Hollandi quoq; palam differebant; se circa indu- 4. Jun.
cias viginti quinque annorum & restituenda Borussia acturos, quod longæ induciæ paci fere æquiparentur, sepositâ renuntiatione aut suspensione tituli; ac spem sibi esse istas obtinendi. Ita ad vicesimum secundum Julii induciæ proferuntur, An- 11. Jun.
glo testante, nil sibi cum illis negotii fore, quod forte interea naves bellicæ ex Anglia sint adpulsuræ. Interea Mariæburgum Suecis à Brandeburgi- 12. Jun.
co restituebatur, quod hic sequestro hactenus tenuerat, quibus vicissim Memela à Suecis hactenus eodem nomine infestâ redditur. Reversi Thoru- 2. Jul.
nio Mediatores referebant, Uladislaum declarasse; se renuntiaturum, restituta Borussia, & Livonia, aut saltem aliqua hujus parte, ut tamen familiæ suæ honos conservetur, obliteratis adversus eam factis in Suecia decretis. Addito, non dubitare ipsum, quin Ordines Sueciæ, ubi in Comitiis ista proponantur, sint consensuri; cum nunc per paucos Senatores ista supprimantur. Id quod Mediatores acceptandum urgebant, offerentes se in Sueciam missuros, qui ipsorum omnium nomine apud Ordines ea proponat. Anglus insuper testabatur, sibi mandatum ubi bellum exardescat, non permittere, ut Angli vectigal solvant: Si Suecі idem vi extorqueant, suo periculo facturos. Jactabat præterea, ni Suecі Livoniam totam aut partem restituant, se cum cæteris bellum ipsis Regis sui nomine indicturum. Quin & multum lætitiæ præ se ferre videbatur, cum res utique in bellum eruptura crederetur: Alt Poloni inducias adspernabantur, causati, ubi Livoniam per triginta adhuc annos Suecі possederint, se eandem oblivioni plane tradituros, apud quos primus tantum impetus valeat. Et ipse Uladislaus in pacem magis quam inducias inclinabat, quod per has omnem spem recuperandæ Sueciæ amitteret. Sed cum Suecis fixum sederet, ne hilum Livoniæ Polonis concedere, ac jam Mariæ- 4. Jul.
burgo Elbingam conferre se vellent, instantibus Mediatoribus manebant. De indu-ciis agitur.

§. 134. Inde à Suecis hæ inducarum leges propo- De legibus
nebantur, ut illæ centum, aut minimum quinqua- induciarum.
ginta annorum essent; Uladislaus titulo Sueciæ abs-

sume-

1635. ſtineret; ſe viciſſim Boruſſiam reddituros remiſſis belli ſumtibus, niſi quantum deducendo exercitui opus foret. Interea Livoniam penes Suecos manſuram, ſuper qua finitis induciis denuo tractandum. Aiit Mediatores ultra viginti quinque annos inducias vix obtineri poſſe ferebant. Simul Gallus inclinatas in Germania res oſtendebat; ac inducias iſtas interno quoque Sueciæ ſtatui expedire. Judicabat quoque Suecos initio nimis liberaliter obtuliſſe; cum Poloni modico conceſſo immenſa petere ſoleant. Quanquam idem poſtea gloriaretur, ſe Suecos illuſiſſe, dum ſimulando ſe jam extrema ipſorum mandata noſſe, eadem ab illis elicuerit. Viciſſim Mediatores iſthanc Polonorum declarationem afferebant; pacem ſe quidem præoptaſſe cum renuntiatione & parte Livoniæ, quam vel pecunia redimere velint: in gratiam tamen Mediatorum in inducias conſentire his legibus, ut Uladislaus non renuntiet, inſula Dalena Dunæ fluvio adſita Poloniæ reſtituatur; quo Livonis fides fiat, Regem Poloniæ illorum recuperandorum ſpem non abjeciſſe; induciæ in duodecim annos ſint; ſpem tamen plurium annorum eſſe. Cum Succi prioribus inhærerent, Gallus negabat, plus quam viginti quinque annos obtineri poſſe; & Rectores Sueciæ id ipſis probari privatim ſibi declaraſſe: ſe Polonos dehortaturum à petendis Livoniæ partibus: contra ſuſpenſionem tituli per inducias poſtulare iniquum eſſe. Nec Uladislaum quadragenario majorem
14. Jul. triginta annos ſupervicturum, eo mortuo titulum ultro expiraturum. Tandem poſtquam Gallus ſpem feciſſet, Uladislaum titulo Sueciæ ſaltem adverſus Chriſtinam abſtenturum, declarant Succi ſe in triginta annos conſentire. Inde à Gallo concipiebantur capita induciarum apud Polonos proponenda; ut in triginta annos induciæ ſint; Boruſſiam Succi reſtituant, Livoniam retineant: ſecuritas mari præſtetur Sueciæ à Polonia, Electore Brandeburgico, & Gedanenſibus: pecunia detur deducendo exercitui, aut vectigalia Succis ad finem anni relinquantur: vectigalia ad eum
15. Jul. modum redigantur, quo ante bellum fuerant; ac Uladislaus titulum adverſus Sueciam non adhibeat. Petebat quoque, ut in ſuo arbitrio relinquatur, quinque adhuc annos remittere, ſi opus ſit. Ita Gallus & reliquorum Mediatorum aliqui Thorunium ad Uladislaum excurrebant, prorogatis denuo pauculos ad dies induciis; id quod ad finem uſque tractatuum repetebatur. Quanquam enim Rectores Sueciæ minutas iſtas prorogationes vetuiſſent, Gardius tamen, & Legati eas abnuere conſultum non judicabant; quod non adpareret occaſio rei bene gerendæ, quoad tractatus ad finem perduceretur. Sed & miles terra, mariq; morbis infeſtatus, ſimul domi res parum lætæ, & per Germaniam valde prolapſæ haut ſuadebant ferrum ſtringere, quamdiu ulla pacis ſpes ſupereſſet. Quia tamen iſtæ prorogationes in Lithuaniam non accurate nuntiatæ eſſent, Radzivilius interim ſuperato Duna fluvio in Livoniam irruperat late per agros populatione facta; nil tamen præter vile munimentum terreum Rigam inter & Kokenhuſam occuparat, cum Succi contra Duneburgum cepiſſent, ac in diverſa parte ſuperato Duna populando pari pari retuliſſent. Eodem quoque tempore typis excuſum ſcriptum Uladislai nomine per Germaniam ac Daniam vulgabatur, quo Suecos, ut ipſius imperio ſuccedant, multis rationibus ac promiſſis ſolicitabat. Ejus multa exempla in faſcem compacta per quempiam telonii miniſtrum in freto Oreſundico Gothoburgum transmiſſa fuerant; ſimul duo literarum ſtudioſi per Smalandiam vagi id paſſim diſſeminabant. Quod uti ſeditioni excitandæ inventum erat; ita Rectores Sueciæ edictum pronulgebant, quo ſub capitis pœna interdicebatur, id ſcriptum ſpargere, habere aut legere. Etſi Uladislaus, cum Legati in Boruſſia inter tractatus talia tentari quererentur, ſuo conſenſu idem publicatum negaret. 1635.

§. 135. Enimvero poſtquam totus jam exercitus Suecorum in Boruſſiam adpuliſſet, Boruſſi Ducales neutralitatem ambire cœperunt, qui antea non modicos ſpiritus geſſerant. Nec parum Poloni turbabantur, antehac à Gedanenſibus & Regiomontanis ad bellum ſtimulati; quod iſtius adventus ipſis inopinus acciditſſet. Regreſſi Thorunio Mediatores ſpem felici fine tractatus claudendi adferebant: & ipſe Uladislaus Mariævverderam ad ſuos Commiſſarios accedebat, quo mentem ſuam eo expeditius declarare poſſet. Ac ut tandem eo facilius partes coirent. Polono quidem Mediatores oſtentabant immenſum gliſcentem Cæſaris potentiam, qui & ipſe in Boruſſiam jus obtendat; cui recrudeſcens bellum facile anſam præbere queat iſtam recuperandi. Quam ob cauſam & legatio Saxonis pecuniam bello offerentis apud Polonum eo minus ponderis habebat. Viciſſim Suecis imputabat Avauxius, quod in ipſorum gratiam Germanico ſe bello Galliæ Rex miſcuerit, eoque par eſſe, ut & ipſi nunc aliquid Polonis concedant, quo rebus Germaniæ tanto efficacius vacare queant. Igitur cum ſuper ſuſpenſione tituli arbitrio Mediatorum Uladislaus commiſiſſet, ut tamen neutri parti præjudicium adferrent, convenit, ut iſte durantibus induciis adverſus Sueciam eum titulum non adhiberet. Hæreditariæ Principis vocabulum Poloni Chriſtinæ tribuere initio recuſabant, quod teſtamento Guſtavi I. filiæ à Corona excluſæ, nova poſt abdicatum Sigiſmundum conſtitutione certo modo admiſſæ ſint; quam Uladislaus pactorum ſubſcriptione adprobare nolebat; deſignatæ tamen Reginæ nomen non abnuens. Super numero annorum diu diſceptabatur, cum Succi obnixe triginta poſtularent, Uladislaus contra ultra viginti quinq; concedere nollet, cauſatus; cum ſibi ultra viginti annos vita ægre ſit producenda, poſteris ſe ſuis ita multum præjudicare nec velle, nec poſſe. Sed nec triginta iſtos annos velut pro imperio obtrudi ſibi volebat. Tandem cum Succi eam rem Mediatorum arbitrio commiſiſſent, viginti ſex anni induciis definiebantur. De ſumtibus deducendo militi Succico velut ignominioſum ſibi recuſabat Uladislaus; ne Turcarum quidem Imperatori iſtos præbitos: ac ſibi quoque longe copias in Boruſſiam fuiſſe deducendas. Quominus tamen aliunde peterentur, non repugnabat. Igitur placebat, eo nomine Suecos vectigalia ad menſem usque Decembrem retinere. Cupiebant quoque Succi per inducias ſibi caveri, ne naves in portibus Boruſſiæ armare liceret; ideo quod Succi Danique nullum unquam Poloni jus in Mari Baltico agnoviſſent. Contra monebant Mediatores, ut mollioribus iſti verbis exprimeretur, ne ignominiæ Polonis cederet. Ac Rectoribus Sueciæ ſatius videbatur laxiore hoc formula uti; ne ex Boruſſiæ, & Curlandiæ portubus aliquid ſuſcipiatur in fraudem Sueciæ tendens; quam peculiariter exprimere, declaſſe non habenda, non armanda, aliisve concedenda; ne forte Poloni anſam inde arriperent contendendi tale jus utique ſibi competere, aut iſtud à Succis agnoſci. Ratihabitionem Reipublicæ prius exhiberi debere Succi contendebant, quam ipſi Boruſſia militem deducerent; aut ſaltem ſex millia militum his locis tantiſper retinenda, majore exercitus parte abducta. Poloni contra offerebant, Regem & Commiſſarios, omnesq; qui adeſſent Senatores, cautionem interpoſituros. Proponebatur quoque Elbingam, & Pillaviam tantiſper ſe- Poloni mi- teſcunt. 22. Jul.

1635. queſtro deponendam. Quod Succis non placebat, cum utique hac ratione iſtis locis ſibi excedendum foret. Tandem in Suecorum poſtulata Poloni conſentiebant, ut iſti Elbingam & Pillaviam retinerent, quoad Reip. ratihabitio advenisſet; quod intra diem decimum Decembris futurum ſperabatur. Injunctum quoque fuerat à Rectoribus Succiæ Legatis, ut Elbingæ ſecuritati diligenter caveretur, quo eadem ob ſtudium in Sueciam ſi non meliori, ſaltem deteriori conditione haut foret. Ita ſuper
11. Aug. plerisque capitibus jam convenerat, ac Legati utrinq; multa cum amicitiæ ſignificatione, mutuaq; gratulatione congrediebantur. Inter iſta cum ſuper digniore loco inter Hollandos & Brandeburgicos controverſia moveretur; Gallus Brandeburgico videbatur favere; Succi in neutram partem inclinantes, promiſcue & ſtando res expediri ſuadebant.

Turbæ inter tractandum. 14. Aug. §. 136. Supererat, ut pacti formula conciperetur: cui ab utraque parte lima adhibebatur. Ubi parum aberat, quin ſubito totum negotium in ipſo velut portu allideretur. Zadzickius deſignatus Epiſcopus Cracovienſis obtinendæ eo citius Pontificis confirmationi, ubi de relinquenda Succis Livonia agebatur, annotaverat, ut Catholicis per Livoniam ſacra ſua exercere concederetur haut ratus, cæteros Senatores ita avide id arrepturos. Idem inde Legatus Gallicus intempeſtivo ſuæ religionis zelo, contradicente licet Anglo, crebro urgebat, cauſatus Cancellarium Polonicum aliàs non ſubſcripturum, Epiſcopi nimirum munus gerentem, aliosque Polonos idem velle. Et jactabant Poloni, ſi titulo pacis perpetuæ Livoniam Succi obtinerent, poſſe ipſos circa ſacra ex legibus Regni ſui diſponere; quod ſecus ſit, cum iſtam temporario duntaxat jure poſſideant. Anglus & Hollandi id temperamentum proponebant, ut verba ita conciperentur; *ſalvo jure religionis Catholicæ in Livonia, ubi aliquis cœtus eſt.* Cum autem nullus cœtus ſit, eam clauſulam inanem fore. Aſt Succi reponebant; prioribus tractatibus nullam ea de re mentionem factam: nec Polonos aliud quærere, quam ut tractatus abrumpantur. Et ſi utique bellum ſit futurum, potiorem ſibi hanc, quam aliam bellandi cauſam fore. Alias verbo nobilium virorum promittebant, iſtis uti hactenus nullam moleſtiam exhibitum iri, ſi quiete agant; ſed ut pactis id inſeratur, in ſua poteſtate non eſſe. Intra quatuordecim annos Romana ſacra ibi non fuiſſe exercita; nec conſtare, an ullus ibi nobilis degat ea ſacra profeſſus. Quod ſi itaque pactis publice ſuper ea re inſeratur, ſtatim ſacrificos advolaturos, pro more varia mo-
17. Aug. lituros. Conſumſerat ea diſceptatio aliquot dies, donec tandem Poloni ita caveri vellent: *ut Catholici libertate conſcientiæ gaudeant, nec an eos inquiratur, & ſi qui Catholicæ religionis cultu rituve privatim uſi fuerint, ut illis fraudi noxæque non ſit.* Nec amplius tamen poſtulabant pactis id inſeri, aut ſcripto à Succis caveri; ſed ſatis habebant verbis id promitti, utque Mediatores de eodem teſtimonium ſcripto conceptum ederent. Cum Succos priori declarationi inhærentes Gallus ſuper concedendo privato cultu urgeret, & illi rem utique eodem redire reponerent, nec ſe amplius quid largiri poſſe, aut præſcriptam formulam admittere; Gallus commotior, *nec ego*, inquit, *quidquam aliud dicam; valeant, nec revertar.* Cum igitur Mediatores diu nullum à Polonis reſponſum adferrent, Suecis, die jam in veſperam inclinante, & maturandæ diſceptationi, placebat equos curribus jungere, & per tubicines diſceſſus ſignum dare; quod & antehac factum erat. Eo ipſo momento in Polonorum tentorio quæſtio de ſacris à Gallo aliisque acriter diſceptabatur; & quia Gallus Suecorum declarationem paulo aſperius retulerat, velut utiq; bellum mallent, quam iſta concedere, Jacobus Sobieskius *Regni Inciſor*, exclamabat; *ergo bellum:* quod vocabulum ſtatim inter aſſiſtentes Legatorum miniſtros diditur. Et cum ſimul clangor tubarum Suecicarum reſonaret, idem Sobieskius: *en Muſicam*, inquit, *in qua nati, & educati ſumus.* Statim hinc ad equos conclamatur; & inſtigante turmæ præfecto Joanne Dzialinskio Huſari ad tentorium uſque Polonicum ruentes, inclinatis lanceis longius impetum daturi erant; ni Mediatores, qui jam à Polonis ad Succos redibant, & Poloni Legati iſtos cohibuiſſent. Succi quoque tumultu animadverſo, comitatum ſuum, & præcipue duas Finnorum equitum turmas ad vim repellendam diſpoſuerant, vetito tamen, ne pugnæ initium ipſi facerent. Quaterni utrinque ſauciati, antequam tumultus iſte ſedari poſſet, quod turba promiſcue apud caupones potaret. Zadzickius poſtea, tantillam controverſi-
20. Aug. am tanto fervore agitatam pœnitens, ut honeſte ſe inde extricaret, ita demum verba temperabat, ut privatæ *devotionis* libertatem iſtis hominibus permitti vellet; quo vocabulo Gallus negabat jus ſacerdotes in Livoniam introducendi, aut celebrandi Miſſas comprehendi. Quanquam autem Succi aliquandiu contenderent, privatam duntaxat *profeſſionem* ejus religionis fore liberam; tandem tamen ab-
21. Aug. rumpendo inutili litigio laxioribus verbis declarabant; ſe conſentire, ſicut antea ſcripto & ſermone factum, hac lege, ut Mediatores teſtentur, quæ ſita mens circa eam conceſſionem fuerit. Quam ſuperficiariam declarationem libenter Mediatores admittebant; neque amplius de interpretatione iſtius formulæ mentionem facere volebant. Sic tandem diſcuſſis omnibus inſtrumentum pacti formatur.

Conſtrophe tractatuum. §. 137. Inde Poloni vehementer inſtabant ut intra biennium aut triennium tractatus de pace perpetua inſtaurarentur, quod Rex ſemper ab induciis abhorruerit: ſed Succi ad certum tempus adſtringi nolebant. Curlandiæ quoque Dux quædam ſibi loca à Succis reſtitui petebat; quem Poloni ad Reginam Sueciæ remittebant. Dabat quoque negotium lis ſuper præcedentia inter Mediatores, dum Gallus priorem, Anglus æqualem locum poſtulat. Jactabat Gallus antiquitatem, ac potentiam Regni autoritatemq; Eccleſiæ & ſummorum Pontificum, qui hunc Regibus Chriſtianis velut filiis ſuis ordinem aſſignaverint; longam quoque Regum Gallorum ſeriem, & alia id genus. Tum & veteribus in Conciliis, ac nuperis Belgii conſtitutis induciis Legatos Galliæ priorem præ Anglis locum obtinuiſſe. Quin induciis ſexennalibus inter Sueciam & Poloniam opera eorundem Regum ſancitis, Herculem Charnaſſæum Gallicum Legatum Rovvium Anglicum præceſſiſſe. Ad quæ Anglus reponebat; omnes Reges pares eſſe, ac ſi quæ Gallo honoris ac ordinis prærogativa tributa ſit, id à Pontificibus Romanis profectum, quorum autoritati Anglia pridem renuntiaverit. Quod ante ſexennium factum ſit, cauſam fuiſſe, quod Charnaſſæus prior in Boruſſiam advenerit. Unde ſe viciſſim, qui nunc prior adfuerit, eodem privilegio gaudere debere, ſaltem apud Polonos: nec tamen intercedere, quin in Suecorum inſtrumento, quorum Regnum Gallus adierat, priore loco ſcribatur. Poſt tamen conceſſit, ut Gallus priore loco in utroque inſtrumento nominaretur, dummodo à Legatis pacta non ſubſignarentur. Nec minus Hollandos inter & Brandeburgicos certabatur; circa quos in neutram partem tunc inclinabat Gallus, ſed Succi proponebant, ut in Succico inſtrumento Brandenburgici ob cognationem cum Regina, in Polonico Hollandi priore loco ſubſcriberent. Poſtea tamen magis placuit, ut exordium pacti ad

formam

1635. formam narrationis conciperetur, quantumvis Gallo id parum arrideret; utque nemo Mediatorum ſubſcriberet, præter Gallum, qui tamen reliquis inſciis hoc faciebat. Super deductione exercitus Suecici in Pomeraniam Poloni nonnihil ſcrupuli movebant, ne illa conceſſa viderentur pacta
2. Sept. cum Auſtriacis violare. Tandem inter archiſtrategos Gardium, & Koniſpolskium convenit, ut duodecimo die poſt exhibitam Regis & præſentium Senatorum ratihabitionem Sueci Mariæburgo, Capite Viſtulæ, quod ſolo æquandum erat, Inſula Majore, Brunsberga, Tolcamito, & Stuma decederent; ſed uſque ad ratihabitionem Reipublicæ cum idoneis præſidiis retinerent Elbingam, Inſulamque Minorem cum ſuperſtructis caſtellis, & Pillaviam.
2. Sept. Miles ocyus & catervatim deduceretur, arcendæ regionis vaſtationi. Tandem ſubſcriptione Stumsdorfii facta in ſpecimen novæ amicitiæ Poloni Suecicis Curlandi perita commendabant. Sueci contra apud Polonos intercedebant, ut linea Franconica Marchionum Brandeburgenſium Ducatu Boruſſiæ ſimul inveſtiretur. In quo Legati Poloni operam ſuam pollicebantur, ſi Marchio Sigismundus
7. Sept. ipſe id negotium apud Comitia ageret. Cum ratihabitio Regis exhiberetur, in ſigillo titulus Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis plenis literis expreſſus erat; eoque iſtam Sueci admittere abnuebant. Sed quia Polonis aliud ſigillum in promtu non erat, placebat, ut is titulus Cancellario Poloniæ è cera elideretur. Quo nomine tamen ſcripto teſtimonium perhibere neque ipſe Cancellarius voluit, ideo quod in tractatu conventum expreſſe fuerat, ne de illa omiſſione articulus fieret, aut quidquam ſcriberetur: neque Avauxius, præjudicium Polonis facere vellet. Iſtis porro induciis Ordines Sueciæ in Comitiis ad mentem Octobrem indictis applaudebant, eoque nomine per totum
8. Nov. Regnum ſupplicationes habebantur. Reſtabat diſceptatio ſuper Pillaviæ caſtello, à Suecis primum extructo; qui à Brandeburgico poſtulabant, ut ſibi ſumtus in id facti refunderentur; alias idem ſolo
29. Dec. ſe æquaturos. Tandem conventum, ut Brandeburgicus Suecis decem millia uncialium ſolveret, remiſſa actione ob vectigal Elbingenſe, & abreptas olim quatuor naves, & abolito ære alieno, quod Memelæ præſidiarii contraxerant, quod ad quindecim millia uncialium aſcendebat. Ita ſub initium anni ſequentis Pillavia integra Brandeburgico tradebatur.

Danica. §. 138. Eodem anno Danus eo ſecurius animi ſui ſenſum adverſus Suecos exſerebat, quo minus hoſce ſibi ob res in Germania ruentes metuendos credebat. Unde palam de Oxenſtierna, ejuſque actionibus contemtim loqui: Vix aliquid veſanum magis à viro prudentiæ opinione celebri potuiſſe patrari, quam quod ipſe equeſtri loco natus ſummam rerum per Germaniam directionem ſibi arrogare, Saxone & aliis præteritis; Duciq; Bernhardo Franconiam, aliis alia donare ſuſtinuerit. Abſurde quoque eundem nunc ſumtus belli repetere, cum antea jactarit: Guſtavum Regem injuriam à Cæſare in Boruſſia illatam ultum iviſſe. Dudum quoque in Germania pacem fuiſſe, ſi mediatoris ſibi munus exercere contigiſſet, cui ſolus Oxenſtierna obſtiterit; qui verbis ipſum acceptare viſus reipſa eluſerit; ac animi ſui ſenſa obſcuris verborum ambagibus involverit. Et quanquam fateretur, Cæſarem nunquam cum Suecis tractare voluiſſe; judicabat tamen, ſe id correcturum fuiſſe, ſi Suecis pacem cordi eſſe vidiſſet. Cæſari inſuper victoriam augurari non deſinebat, etiam poſtquam Gallus bello ſe immiſcuiſſet. Pacem tamen Pragenſem improbat, partim quod ſua mediatio ab omnibus acceptata, plane poſthabita foret; partim quod ea conditionibus adeo erubeſcendis conſtaret. Quanquam autem conceſſo Bremenſi prælulato Sueci eum ſibi æquiorem ſperaverant: apertius tamen quam antea avertum ab ipſis animum cum contemtu expromebat, quod crederet, haut ita facile bello Germanico illos ſe extricaturos, novo inſuper bello cum Polonis involvendos; ſtulte facturum Polonum differens, ſi pacem nunc aut inducias ineat, tanta ultionis ſumendæ occaſione. Quo caſu arbitrum ſe belli fore credebat. Hinc & nutantibus in Boruſſia tractatibus quatuordecim bellicas naves in freto Oreſundico diſponebat, caulatus Anglum ſe, cui tunc magna claſſis parata erat, acceſſu Maris Baltici prohibiturum; revera ut bello conflato ſolus, aut Anglo junctus vectigalia Suecorum per Boruſſiam diſturbaret. Idem quoque, cum neutrarum ſe partium ferret, ac Suecos militem in Dania conducere vetuiſſet, in cuſtodiam datis, qui id auſi fuerant; Polonis permittebat Hafniæ naves armare, ſocios navales conſcribere, annonam emere. Sed & ipſe venditionis ſpecie duas illis bellicas naves dabat cum omni paratu; quibus commercia Suecorum in Mari Baltico turbaturi erant, ſi pax non coiret, promiſſo etiam receptu in Holſatiæ portus. Etſi deficiente pecunia Poloni vix quatuor parare naves modicæ formæ poſſent. Induciis tamen concluſis Danorum naves ſtatim freto amovebantur, ipſoſq; animis non parum concidiſſe animadvertebatur. Eodem quoque anno magis quam antea Suecicæ naves in freto Oreſundico moleſtiis afficiebantur, publicanis obtendentibus, teſtimonia navium nimis veruſta eſſe; diem, quo datæ ſint, falſum ſubſtitutum; Hollandicas merces ſub Suecorum nomine vectigal eludere. Abſentibus nautis telonarum miniſtri obtentu inquirendi, num quæ merces veherentur; quas profeſſi non eſſent, naves perſcrutabantur, ciſtasque refringebant; quod viſum erat abripiebant. Quandoque teſtimonia plane auferebantur, velut invalida; & iter perſecuturis nautis pecuniæ extorquebantur, nulla ratione reddita, quam quia ſic placeret. Sed quia ob iniquitatem temporum iſtæ injuriæ Suecis tantiſper muſſitandæ videbantur, Senatus Sueciæ Reſidentem Strœmfeldium jubebat velut ultro, & proprio nomine vexationum remedium expoſcere. Qui tamen parum proficiebat, Rege cauſante ob mercatorum fraudes accurata opus eſſe inſpectione. In dubium quoque idem revocabat Gothoburgenſium privilegia, quod diceret; Hollandos ſuas merces ibi pauliſper depoſitas inde per fretum alio tranſportare, & obtentu immunitatis Suecicæ ipſius vectigalia defraudare. Sub finem tamen anni per Reſidentem ſuum Holmiæ denuo ſe bello Germanico Mediatorem offerebat, uti putabatur, quod Saxonem imminentibus malis ereptum cuperet, cui initia belli male ſe dare videbat; an ut pacatis vicinis ſuo quoque Regno ſecuritatem compararet, ingraveſcente jam ætate, & quod filium Chriſtianum artibus belli paciſque parum pollere conſpiceret.

Ruſſica §. 139. Cum Ruſſis eo anno nihil memorabile geſtum, niſi hoc forte ſcriptione dignum ſit; quod cum ipſis convenit, ut utrinque Reſidentes ordinarii, qui antea ſumtibus ejus, apud quem agebant, vixerant, deinceps ſuu quiſque Principis impenſis ſuſtentarentur.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER OCTAVUS.

EPITOME.

1. *Facies rerum ſub initium anni. Habitus Hollandiæ,* 2. *Angliæ,* 3. *& Galliæ.* 4. *Galli Fœderum ratihabitionem quærunt, quam Sueci abnuunt.* 5. *Danus ad pacem hortatur.* 6. *Rectorum Sueciæ circa pacem,* 7. *& bellum conſilia.* 8. *Oxenſtiernæ conſilia.* 9. *Daniæ Rex Oxenſtiernam ad pacem invitat.* 10. *Inter Saxonem & Oxenſtiernam ſuper pace acta. Fœdus Gallicum impedire conatur Meclenburgicus, & Daniæ Rex.* 11. *Oxenſtierna cum Legato Gallico tractatum ſuſcipit.* 12. *Controverſiæ circa fœdus cum Gallo.* 13. *Temporaria tranſactio inter Oxenſtiernam, & Chaumontium.* 14. *Oxenſtiernæ pecuniæ inopia urgetur.* 15. *Idem tres exercitus parare inſtituit.* 16. *Belli genius mutatur.* 17. *Obſervanda circa Pomeranos, Electorem Brandeburgicum.* 18. *Wilhelmum Vinatienſem, Archiepiſcopum Bremenſem, Comitem Oldenburgicum, Ducem Neoburgicum,* 19. *Georgium Luneburgicum,* 20. *& Wilhelmum Landgravium.* 21. *Banerius improviſo trans Albim abit. Legio Saxonicorum opprimitur. Mitzlafius Barbyæ capitur.* 22. *Saxo ad ſubveniendum ſuæ ditioni advolat.* 23. *Irriti Saxonicorum in Suecos conatus. Saxo prælium detrectat. Banerius à Sala recedit.* 24. *Saxonici vapulant. Banerii conſilia.* 25. *Saxo Hatzfeldio junctus in Banerium movet. Banerius trans Albim ſe confert. Idem cis Albim regreditur.* 26. *Lohuſius miſſionem obtinet.* 27. *Banerius naſcentem ductorum conſpirationem opprimit.* 28. *Saxo Albim tranſit. Banerius Werbena ſubſiſtit. Ratenavia bis capitur.* 29. *Saxo Magdeburgum obſidet. Bandiſius imperium abdicat.* 30. *Banerius Magdeburgo fruſtra ſuccurrere cupit.* 31. *Geſta per Pomeraniam. Wrangelius in Pomeraniam venit. Marazinus denuo in Pomeraniam redit.* 32. *Pomeranorum in Suecos animus.* 33. *Geſta per Weſtphaliam. Caiphuſius occumbit. Cæſarearum ad Haſelunam clades. Suecici cis Viſurgim cedere coguntur.* 34. *Leslaus in Weſtphaliam mittitur. Georgius Dux Luneburgicus ambiguum ſe gerit.* 35. *Leslaus legiones devias ad ſe pellicit. Idem Viſurgim tranſit: & duas hoſtium legiones opprimit.* 36. *Minda in Suecorum poteſtatem redigitur.* 37. *Wilhelmus Landgravius diu nutat.* 38. *Idem poſt longam deliberationem ſe cum Suecis conjungit.* 39. *Circa Hanoviam acta.* 40. *Ejus obſidium ſolvitur. Leslaus ad Viſurgim ſe confert.* 41. *Acta per Alſatiam. Gallaſius ex Alſatia ſe proripit.* 42. *Dux Bernhardus Lutetiam proficiſcitur.* 43. *Coloredus à Gallis vapulat.* 44. *Miſera Rhenani tractus facies. Valetta in Alſatiam movet,* 45. *Uti & Dux Bernhardus, qui Tabernas obſidet.* 46. *Saxo ad Reginam Sueciæ ſcribit.* 47. *Daniæ Rex inanem Lubecæ tractatum molitur.* 48. *Miniſtri Anglici apud Oxenſtiernam propoſitio.* 49. *Cum Meclenburgico ſuper pace acta.* 50. *Oxenſtierna in Sueciam diſcedit. Ordinum Sueciæ decretum.* 51. *Saxo Magdeburgo potitur.* 52. *Banerius Leslaum ad ſe evocat.* 53. *Idem Luneburgum, & Winſenam in poteſtatem redigit.* 54. *Hoſtis Havelberga, Werbena, Ratenavia & Brandeburgo potitur.* 55. *Banerius cis Albim tendit.* 56. *Hoſtis ad Perlebergam conſidet. Banerius in hoſtem tendit.* 57. *Hoſtis prælium detrectat.* 58. *Pugna ad Witſtocum. Hoſtium clades.* 59. *Motus animorum poſt eam pugnam.* 60. *Eadem machinationes Dani & Luneburgici eluduntur.* 61. *Banerius paulo tardius hoſtem perſequitur.* 62. *Hoſtium conditio.* 63. *Banerius in hoſtem tendit.* 64. *Idem Cæſareos ultra Haſſiam propellit. Erfordia in partes Suecorum concedit. Banerius in Miſniam tendit.* 65. *Geſta per Pomeraniam. Stargardia vi expugnatur, & iterum ab hoſte deſeritur. Improviſa Suecorum cum hoſte colliſio.* 66. *Wrangelius Gartzium expugnat;* 67. *Idem in Marchiam progreditur, Cuſtrinum nequidquam captat; In Pomeraniam redit.* 68. *Stralſunda à Cæſare tentatur.* 69. *Geſta per Weſtphaliam.* 70. *Gœtzius per Haſſiam graſſatur.* 71. *Hanoviæ ſtatus.* 72. *Per Alſatiam geſta.* 73. *Cæſarei in Burgundiam tendunt. Inſignis Bernhardi Ducis velitatio. Iſte cum Gallis Alſatia excedit.* 74. *Gallaſius in Galliam irrumpere conatur.* 75. *Tranſactio cum Archiepiſcopo Bremenſi ſuper neutralitate.* 76. *Conſilia Rectorum Sueciæ ſuper pace.* 77. *Meclenburgicus fruſtra circa pacem ſatagit.* 78. *Daniæ Rex pacis mediationem in Suecia urget.* 79. *Idem pro filio matrimonium Reginæ Chriſtinæ ambit.* 80. *Ratificatio fœderis Wiſmarienſis cum Gallo differtur. Rationes contra fœdus Gallicum.* 81. *Galli parum obſervantes fœderis ſe oſtendunt.* 82. *Sueci ad conventum Colonienſem venire abnuunt.* 83. *De fœdere cum Landgravio conſultatio.* 84. *In conventu Ratisponenſi acta.* 85. *Anglica.* 86. *Hollandica.* 87. *Curlandiæ Ducis petita.*

Initia

Digitized by

1636. Facies rerum sub initium anni.

INitia tricesimi sexti anni quanquam Suecis paulo auspicatiora viderentur, amoto Polonici belli metu, & Saxonicis hinc inde non leviter castigatis, ut qui primo impetu trans mare pellendos à se Suecos speraverant, jam terris eosdem suis arcere satis haberent: non eo minus tamen horum res ad priores difficultates revolvebantur, haut sufficientibus viribus adversus gliscentem indies Cæsaris potentiam. Huic quippe post pacem Pragensem insignis accessio facta erat, subactis superioribus Circulis, & Saxone in ipsius partes concedente, cujus autoritas plerosque Protestantium eodem pertraxerat. Unde haut difficile erat Saxoni acceptas clades recentibus copiis sarcire, ac Suecorum progressus sistere. Hos contra omnes fere per Germaniam socii destituerant; nec quos alias id bellum tangebat, ea qua par erat alacritate sublevatum ibant. Solus VVilhelmus Hassiæ Landgravius immotum in Sueciæ partem studium præ se ferebat, sed quem hostis circum intentata vi, & consiliarii monitis urgebant, ut & ipse alieni auxilii indigus, tandem paci Pragensi cervices submissurus metueretur. Hollandos neque Suecici Ministri, neque Landgravius permovere poterat, ut serio bellum Germanicum amplecti vellent. Quin potius amicitiam Cæsaris captabant, ut ipsi neutris partibus addicti libere commercia sua per Germaniam exercere possent; misso Viennam Foppone Aizema, qui non modicam spem quæsita obtinendi fecerat, annitente insuper Colonienſi Electore, qui bello inter Cæsarem & Hollandos exardescente, prima præda erat.

Habitus Hollandiæ.

Angliæ.

§. 2. Angli quanquam post Joannis Skyrtii legationem nonnihil desiderii fœdus cum Suecis ineundi ostenderant, mirati quod tota hieme nemo adesset, qui super eo perficiendo ageret; prævalebat tamen apud eos factio Hispanica, cui callidissimus quisque addictus erat; qui non obscure jactabant: longe minore impendio in Britannia Palatino terras dari, quam si recuperando Palatinatui bellum in Cæsarem & Hispanum sumatur. Hispanicus quoque Legatus de isto restituendo Londini multa spargebat. Et cum per totam hiemem bellum minari viti fuissent Angli, Cæsaris literæ adveniebant pollicitæ, si quamprimum Legatus Viennam mittatur super restituendo Palatino, de successu negotii dubitandum non esse. Igitur isti velut obliti veterum ludibriorum denuo Austriacorum sese artibus præbebant, misso ad Cæsarem Thoma Hovvardo Arundeliæ Comite. Quem insolito exceptum habitumque honore, perque inania dilatum Ratisponam demum remisere. Ubi cominus ostentata spe diu lactatus, tandem extracto nequidquam tempore vano cum responso dimittitur: Palatinatum restituendum esse, si Hispanis & Bavaro impensæ exsolutæ fuerint; Electoralem dignitatem Bavaro auferri non posse, ad quem & olim ea jure pertinuerit. Cæterum Rex usque adeo istorum ludibriis animum adplicuerat, ut ductoribus Suecicis in Angliam missis conducendi militis facultatem abnegaret, cautatus; cum Cæsar nuper leges pacis obtulerit, & ipse Legatum eo nomine Viennam miserit, non convenire, ut Cæsaris hostibus militem apud se conscribere permittat, antequam de legationis exitu constet. Et quanquam jactaretur; ni postulatis Anglorum annueret Cæsar, ipsos statim in bellum erupturos; & eousque differrentur Suecici ductores territando Cæsari: ultra verba tamen non processum iri satis perspiciebant ejus aulæ gnari. Quin & alia interea Anglus faciebat, quæ animum à fœdere contra Austriacos abhorrentem satis arguebant. Nam & à Gallis Lotharingiæ restitutionem postulabat, ut eo minus prætexti esset Cæsari Palatinatum detinendi. Et Hollandos sibi alienabat, mota super velorum dimissione, & piscatura lite, & sublevatis Dunquercanis, ne ab istis coërceri possent. Quæ huc spectare judicabantur, ut Hollandis necessitas adferretur inducias cum Hispanis ineundi. 1636.

§. 3. Denique Galli quanquam Cæsari arma in superiore Germania opponere cœpissent: tamen quia præcipuam virium partem adversus Hispanos in Belgium, & Italiam converterant, languidius, quam res exigebat, bellum Germanicum amplectebantur. Et Cæsareis, inani quamvis in Galliam irrumpendi conatu, spatium relictum fuerat totam Rheni ripam, Argentorato excepto, in potestatem redigendi, Gallosque aditu Germaniæ excludendi. Quin & post intentata per Picardiam irruptione Hispani illos ad tutanda sua revocatum ibant: simul Bernhardo Duci modicum tantisper exercitum objicere Cæsarei constituerant, quoad diversa in parte Suecos tota mole oppressissent, aut saltem ad littus maris in angustum compulissent. Sed nec deerant in Gallia, qui Regnum Sueciæ longe infra Galliam depressum vellent; & cum Legatus Grotius ea in re parum facilis fore videretur, varia ratione istum amoliri conabantur, instigato etiam Legato Veneto, ut ipsi super honoratiore loco controversiam moveret. Obtentui sumebatur, quod is non à Regina, sed ab Oxenstierna tantum literas fiduciarias haberet; utut hoc non obstante idem recto capite antea coram Rege verba fecisset. Et quanquam Richelius omnia consilia ad deprimendam Austriacorum potentiam dirigeret, privata etiam causa stimulante, quod istos exitio suo imminere nosset: tamen & ipse non modicis urgebatur difficultatibus, deficiente argento, & plebe ob tributorum magnitudinem frænum mordente; quam ostentata propinquæ pacis spe demulcebat. Sed & Bavari non modicus in Gallia favor erat; ob quem post Bernhardo Duci Rhenum transire non permittebatur, qui de invadendo isto consilia agitabat. Denique & multum efficiebant monita Pontificis, pacem cum Austriaca Domo ingerentis; quibus præcipuus arcanorum arbiter Pater Josephus succinebat: cui dignitas Cardinalitia in præmium ob eversas ubique sub imagine fœderum res Protestantium destinabatur. & Gallia.

Galli fœderum ratihabitionem quærunt.

§. 4. Quia tamen Gallorum quam maxime intererat, pax seu bellum cum Austriacis placeret, hosce Suecorum armis distringi; inde ne pax cum Saxone coiret, impedire summo studio nitebantur. Simul per Residentem Avaugurium apud Rectores Sueciæ instabant, ut fœdus à Lœflero Parisiis conclusum, & quæ cum Oxenstierna Compendii convenerant, ratihabeantur. Et quia super numero exercitus in Germania habendi nihil expressum erat, ut circa istum certi quid definiretur, petebat. Ad quæ reponebatur; ratihabitionem mature & rebus integris non fuisse quæsitam. Nunc cum res aliam plane faciem induerint, dubium esse, num Rex necessarium judicet pacta præsenti tempori parum congruentia firmari; & an non malit novos institui tractatus, aut saltem vetera pacta hisce temporibus adaptari. Isthæc quippe præcipue conservationem sociorum per Germaniam spectasse, qui nunc repudiato Regum auxilio hostilia induerint; quibus invitis utique auxilium obtrudi nequeat. Nec eo se animo in Germaniam venisse, ut socios sacrorum subruerent. Scopo igitur fœderis sublato, circa idem firmandum frustra satagi. Percepisse quoque ipsos, Galliæ Regem instinctu Pontificis alios in tractatus consensisse: hi quo spectent, prius constare sibi debere; simul quid Chaumon- 11. Jan. Quam Suecis abnuunt.

1636. tius attulerit; quid alii, quorum æque intereſt, ad rem conferre velint; num Regi animus ſit Cæſari bellum indicere, & quæ circa reparandas Germaniæ res ipſius ſit ſententia? Super quibus omnibus Oxenſtiernæ, ut cum Chaumontio agat, mandata transmiſſum iri. Hoc reſponſo Avaugurius non adquieſcens denuo poſtulabat, ut Regina ſaltem Heilbrunnenſi fœdere ſtet. Quanquam enim Rex promiſſam ibi pecuniam non ſolverit, ejus loco tamen duodecim militum millia ſub Bernhardo Duce ſuſtentari. Utque ex vi Pariſienſis fœderis tota Alſatia cum Benfelda & Briſaco in Regis manus conſignetur, Catholicique bonis ſuis reſtituantur; tum ne ulli tractatus absque Regis conſenſu circa pacem aut inducias cum adverſa parte admittantur. Repetebantur promiſſa per Chaumontium Oxenſtiernæ facta ſuper reliquis ſubſidiorum ſolvendis. Nec addere verebatur: Reginam tot fœderibus vinctam ſalvo officio peculiaribus tractatibus haut poſſe aurem præbere, ni apud omnes Principes fidem ſibi demere velit. Quæ jactura nullo emolumento, quod è ſeparato
7. Febr. tractatu ſperetur, penſanda ſit. Ad hæc importunius jactata Senatus reponebat: Fœdus Heilbrunnenſe à ſe rati habitum, poſt ſe inſciis nova cum Fœderatis Ordinibus conventione Pariſiis magnam partem reſciſſum. Lœflerum non à ſe, ſed quatuor Circulorum Ordinibus Legatum miſſum; qui & mandati limites excederit. Ibi quoque in contumeliam nationis Sueciæ ſummum belli imperium in Ducem aliquem, aut Principem collatum; qualem in Suecia non dari conſtabat. Imo tertio decimo capite ejus pacti fœdus Heilbrunnenſe plane ſublatum; unde & Oxenſtiernam eidem contradixiſſe. Quod autem pauca capita ſibi moleſta ex invalida conventione excerpantur, & ratihabenda offerantur, id ſanæ rationi, & moribus gentium repugnare. A Chaumontio oblata è priori fœdere dudum debita fuiſſe. Quin ſi promiſſam pecuniam Galli tempeſtive repræſentaſſent, cum Oxenſtierna & Banerius adhuc Magdeburgi agerent, haut neceſſum fuiſſe, cum exercitu verſus littus maris Baltici recedere. Deniq; ratihabitionem noſtram poſtulaturum ſui utique Regis ratihabitionem viciſſim exhibere debuiſſe; quam ſe non habere fateatur. Porro res ita comparatas, ut nova conventione utique opus ſit, ſuper qua agendi Oxenſtiernæ facultatem datam. Eidem fœdera cum Gallia hautquidquam obſtitiſſe, quominus cum Saxone tractatus ſuſciperet, qui eo tempore, quo iſta feriebantur, ſocius fuerit; nunc recens bellum moverit, quod amica potius via componi, quam ulterius produci, non Sueciæ ſolum, ſed & Galliæ intereſſit. Cæterum parceret ipſe aculeatis verbis fidei violatæ Reginam arguere, cujus ſanctimonia Sueciis ſemper integra conſtiterit, haut remiſſius deinceps colenda. Ita quidem tempus tunc extrahere ſtudebant Rectores Sueciæ, quoad facie rerum penitius inſpecta decernere poſſent, num ſibi expediret pro modica pecunia ita bello immergi, ut citra Galliæ conſenſum excedere eodem non liceret. Eoque id negotium ad Oxenſtiernam rejiciebant, ut is, qui cominus res arbitrabatur, pro captu temporum ſtatueret.

Danus ad pacem hortatur. 30. Jan. §. 5. Aderat quoque à Daniæ Rege Legatus Tago Tottius Senator, qui poſt commendatum Regis ſui ſtudium circa quietem Germaniæ, & ut Suecia tam periculoſo bello ſubducta in tuto collocaretur, querebatur tractatus Wratislaviæ indictos fuiſſe eluſos. Nam ſi quæ in literis ſalvi conductus deſiderata fuerint, ipſo in tractatu corrigi potuiſſe. Sed dum circa iſta trutinanda tempus teritur, talia interveniſſe, ut qualis tunc ſperabatur pax, poſtea obtineri nequierit. Inde Rectores denuo hortatur, ut de Suecia in pacatum ſtatum reponenda ſerio curam ſuſcipiant; inopina caſuum, belli magnitudinem, vires hoſtium, vicinorum indignationem, odia Proteſtantium, immanes belli ſumtus, iram Numinis ob ſacrorum ſocios oppreſſos memorans. Huic à Senatu re-
5. Febr. ſponſum: penes ſe culpam non fuiſſe, quo minus Regis opera ſcopum ſuum obtinuerit. Inde memoratur, quam perverſe Saxo egerit, qui poſt habita Regis mediatione ab omnibus acceptata peculiarem pacem enixus ſit. Quod porro Rex digeſta hac indignitate ulterius paci conciliandæ operari velit, id à ſe magnopere probari. De ſuo in pacem ſtudio, quæ cum Meclenburgico acta ſint, ſatis teſtari; ac ut æquæ pacis conditiones haut repudientur, dudum ſe Oxenſtiernæ in mandatis dediſſe.

Rectorum Sueciæ conſilia circa pacem. §. 6. Ita cum hinc ad pacem, inde ad bellum ſolicitarentur Sueciæ Rectores, pax quidem optanda quam maxime videbatur; præſertim poſt quam bellum jam gereretur cum ſacrorum ſociis, & qui paulo ante junctis armis eandem cauſam propugnaverant. Neque dubitabatur, quin Proteſtantes Ordines pacem ſerio exoptarent. Pontificii autem, etſi ægre à deſtinatis ſuis hoſce plane opprimendi crederentur dimovendi: tamen ſi recti rationem ſubducerent, non minus cauſarum videbantur habere pacem deſiderandi, quam Sueci, Cæſar inprimis; urgente hinc Gallo, inde Sueciis, ac plerisque Ordinum ægris, queis invitis pax Pragenſis ſuſcepta fuerat. Sed & Germania diuturo bello exhauſta, Cæſarei exercitus fame imminuti, ex Italia & Hiſpania ſupplementorum nulla, aut modica ſpes. Ipſe Ferdinandus ſenio & valetudine debilis, cui ſi ſubito quid accidiſſet ante ſtabilitam filii ſucceſſionem, facile in aliam Domum faſtigium Cæſareum migrare poterat. Unde in Suecia ſpes erat ab hoſtibus utique honeſtam pacem obtineri poſſe. Ad eam porro tres viæ oſtendebantur. Nam & Galliæ Rex tractatus mediatore Pontifice propoſuerat, & Danus conciliatorem ſe pacis denuo ferebat; & Meclenburgicus non parum in eo negotio promoviſſe viſus erat. Enimvero Pontifex ſequeſter Sueciis nunquam ſat æquus credebatur, utut Avaugurius jactaret; meliorem ipſis Mediatorem inveniri non poſſe, quam Pontificem, Cæſari & Hiſpanis offenſum, Gallisque faventem: neque Gallum Proteſtantium ſalutem inſuper habiturum. Sed & Dani quantumvis pacis Germaniæ cupidi mediatio Sueciis inviſa, qui & antea in hoc negotio dignitatis Sueciæ modicam rationem habuerat, & nunc ſatisfactionem ab iſta poſtulari cum irriſu accipiebat. Unde id ſaltem conſtabat, omnibus cum modis impediturum, ne quis in Germania locus Sueciis hypothecæ nomine relinqueretur. Nec parum ſuſpicionem augebat, quod Legatus iſtius ita ferviđe negotium urgeret. Simul crebro inter ipſum ac Cæſarem commeantes nuntii clandeſtini quid commercii arguebant. Quin & de animo ipſius ſatis teſtabatur, quod Uladislaum Poloniæ Regem ſtultitiæ argueret ob initas cum Sueciis inducias; nec diſſimularet, non Cæſarem ſolum, ſed & Saxonem Suecos non dignari, ut cum ipſis tractatu miſceantur; eoque Meclenburgicum ab iſtis ſubſtituturum. Quia tamen adparebat, Danum iſti negotio inhiare, nec citra offenſam, quæ hac rerum facie declinabatur, repudiari poſſe; inde iſtis omnibus diſſimulatis ipſe multo verborum honore demulcebatur. Igitur Meclenburgico parario de pace agere rutiſſimum videbatur; eoque Rectores Sueciæ Oxenſtiernæ facultatem iſto interveniente cum Cæſare trans-
5. Jan. igendi

1636. gendi miſerant, addito, ut quantum liceret, tractatus abſolveret, antequam alii ſe mediatores ingererent. Et maximi momenti habebatur conventus omnium Proteſtantium Luneburgi indicendus, cui Meclenburgica interpoſitio anſam dederat; quem ſi tempus ferret, Oxenſtierna adire jubebatur, aut idoneos homines eodem delegare, ne absque fructu iſte ſolveretur. Placebat quoque duo tractationis inſtrumenta concipi, unum, quo cum Cæſare hactenus hoſte transigeretur juxta capita à Saxone concepta; alterum quo cum Proteſtantibus tanquam amicis ſuper penſatione lati auxilii conveniretur; quæ materia Luneburgici conventus erat futura. Ubi & opera danda erat, ut Proteſtantes Ordines fœdere mutui auxilii Sueciæ innecterentur. Circa ſatis factionem prior fere ſententia ſtabat; niſi quod cum alias ſelecti Ordinum aut eximiam aut nullam petendam cenſuiſſent, Senatui jam ſatius videretur aliquid mediocre, quam nihil accipere, ſive exſoluta ſtatim pecunia, ſeu in diem accepta hypotheca. Quod ſi tamen præter ſtipendia militum nihil obtineri queat, præſtare amicitia Ordinum adquieſcere, quam ob ſolam satisfactionem in bello perſiſtere, incerto eventu, & majore Sueciæ periculo, ſi reliqui bello ſe ſubduxerint, aut plures hoſtes acceſſerint. Cum dignitati Sueciæ ſatis conſultum ſit, ſi pacta à Cæſare ratihabeantur. Nec habiturum Gallum, quod de neglectis fœderibus queratur, quæ partim ab ipſo abrupta, partim Sueciam non ſpectent, partim ratihabita nondum ſint. Præſertim cum & Viennæ & Pariſiis, ut fama fert, annitente Pontifice, tractatus pacis ferveant.

& bellum. §. 7. Quod ſi tamen pax non procederet, placebat arctius cum Gallia jungi. Equidem id conſultum non videbatur, ita negotium præcipitare, uti Gallici Miniſtri urgebant, ut absque placito Gallorum bellum deinceps ponere non liceret; æque tamen noxium habebatur, ambiguas inter res
6 Febr. Gallum abrupta repulſa offendere. Igitur & Avaugurio dandum reſponſum ſuſpendebatur, & Oxenſtiernæ ſcribebatur; videret, quomodo negotium pacis ſuccederet. Hoc enim ad optatum perducto finem non defuturæ erant apud Gallum excuſationes. Etſi utique Gallicus Legatus paciſci velit, ſuper peculiari utriusque Regni ſecuritate, commerciisque, & aliis olim conventis tractatus iniri poſſe. Sed pace irrita ita tractatus dirigeret, ut auxiliis Galliæ frui liceret. Et cum interea nuntiatum eſſet, Meclenburgicum jejunius quam antea reſponſum à Saxone tuliſſe, ex eoque colligeretur, pacem illi parum cordi eſſe:
14. Febr. iterum Oxenſtiernæ injungitur; ſi intelligat, bellum utique continuandum, Gallos, Anglosque & alios ad cauſam ſuſcipiendam excitaret. Sicuti & poſtea Avaugurius accepto reſponſo non contentus, ducenta millia uncialium annuum ſubſidium offerebat. Et cum ea ſumma longe infra onus, quod iſto bello ſubeundum foret, eſſe judicaretur; duplum fortaſſe & amplius, ſi poſtuletur, obtineri poſſe ferebat.

Oxenſtiernæ conſilia. §. 8. Paria conſilia ab Oxenſtierna in Germania agitabantur; ſed quo propius is negotio immixtus eſſet, eo minus ſpei concipiebat honeſtam pacem obtinendi. Saxonem quicum tractandum erat, ſuperbia & importuni quidam ſpiritus ita transverſum egerant, ut eo tempore citra contumeliam cum ipſo tranſigi vix poſſe videretur; quin nec idem ſui juris erat, & ſuper omnibus Vienna reſponſa petebantur. Tempus conventui Luneburgico deſtinatum jam propinquabat. In iſtum oculos converterant Sueci; in eodem ſpem reponebat Regina Bohemiæ, cui ut adſiſteret, Angliæ Rex Joſephum Averium apud Hamburgenſes Reſidentem juſſerat. Eundem quoque captabat Gallicus Legatus Chaumontius. Et ſpes erat Oxenſtiernæ, quæ ſuper excluſis amneſtia adhuc diſceptabantur, ibidem componi poſſe. Sed de iſtius conventus indictione altum adhuc ſilentium & à Cæſaris rationibus abhorrebat, occaſionem præberi Proteſtantes iterum inter ſe & cum exteris Coronis uniendi. Igitur placebat Oxenſtiernæ pacem quidem non negligere; ſed quod ejus ſpes valde anceps foret, quæ à Gallis offerebantur, non inſuper habere; ac utraque ſimul agere, & aut pacem ſi detur, amplecti, aut ea fallente, bellum auxiliante Gallo acrius ſumere, quoad res alio verterent, & aut Proteſtantes Pragenſis Pacis vincula exuerent, aut hoſtis juſtam pacem offerret, vel admitteret.

Daniæ Rex Oxenſtiernam ad pacem invitat. §. 9. Porro & apud Oxenſtiernam paci conciliandæ operam ſuam obtulerat Daniæ Rex, miſſo Stralſundam Secretario Cleenio; qui exponebat, Regi magnopere dolere, inter Sueços & Saxonem bellum exarſiſſe, quod propinquo periculo ipſius 2. Jan. quoque Regnum adflet; unde & ſuam, & aliorum ſalutem ejus negotii curam Regi imperare. Quo fine is, legatos Holmiam, & ad Saxonem miſerit, adverſus quos utrinque deſiderium pacis fuiſſe oſtenſum. Idem ab ipſo expectari, qui pro ſua prudentia facile perſpiciat, quam difficile Sueciis futurum ſit hoc Germaniæ ſtatu bellum ſuſtinere; quam periculoſum quoque Daniæ belli flammam in limite ſuo graſſari, cujus ut otioſus diu ſpectator Rex deſideat, propriæ ſecuritatis rationem non permittere. Declararet igitur Oxenſtierna, quæ ipſius ſuper mediatione Regis ſit ſententia; quas pacis leges ipſe proponat, & quo vado hactenus negotium pacis adhæſerit; ac ut tantiſper induciæ ineantur. Ex his Oxenſtierna ſatis perſpiciebat, Danum jam minitabundum Sueciæ vires contemtim habere, eoq; Sueeis parum æquſi futurum; ac pacis ſibi arbitria arrogantem oſtentatis armis, leges quæ ſibi viderentur, iisdem obtrudere inſtituiſſe. Nec eo ſecius id alta diſſimu- 9. Jan.
latione transmittere, ac multo cum verborum honore Regis deſtinata laudare, deque ſuo in pacem ſtudio teſtari; prolixe inſuper oſtendens, non ſua ſed Saxonis culpa res in hunc ſtatum devoluras; ſimul cum Meclenburgico Duce acta communicat, ut quam nihil æqui à ſe prætermiſſum ſit, eo liquidius arbitrari queat.

Inter Saxonem & Oxenſtiernam ſuper pace acta. §. 10. Interea Saxo ad transmiſſa à Meclenburgico pacis capita per Oxenſtiernam concepta declarationem diſtulerat, cauſatus rem magni momenti eſſe, & conſiliarios ad alia negotia digreſſos, propediem tamen ſe reſponſurum. Et quia non 7. Jan.
nulla ex iſtis capitibus ad Cæſarem referenda ſint, illa ſtatim à ſe Viennam transmiſſa. Iſthæc à Duce Oxenſtiernæ communicata huic ſuſpicionem injiciebant, velut Saxo circa hactenus agitata nullam facultatem aut mandatum habeat certi quid concludendi; quippe qui nullo in capite ſententiam 17. Jan.
ſuam diſtincte explicare auſus ſit: Idque Oxenſtierna Duci literis ſignificat; neceſſum ideo ſibi eſſe rebus Sueciæ cautius invigilare; teſtatus tamen, optare ſe, ut à Duce res felicem ad exitum deducatur; nec ſe honeſtæ paci moram allaturum. Eas literas Dux Electori mittit, velut negotium 18. Febr.
promoturas, addito, ut ſiſtendis belli malis, & declinandæ majori animorum exacerbationi declarationem ſuam acceleret. Enimvero Oxenſtiernæ literas ægerrime ferebat Saxo, velut quibus fides ipſius in dubium vocaretur, & ipſe argueretur plus poteſtatis ſibi arrogare, quam revera conceſſum foret. Eoque viciſſim Oxenſtiernam perſtringebat velut ambiguum ac lubricum, cui nunquam

1636. quam aliqua elabendi rima deſit: cujusque adeo reſpontum altius penetrans curatius ſibi expendendum ſit. Ita tractatus cum Saxone ceſſim indies ibant. Poſtquam tamen Oxenſtierna Wiſmariam ſe contulillet, cum Chaumontio tractatum ſuſcepturus, eodem accedebat Dux, utut parum ſibi ſupereſſe ſpei fateretur, & fortaſſe plura noſſet, quam pandere vellet; ſolicite apud iſtum inſtans, ne fœderi ſe Gallico immergat, quod tractatibus pacis non parum difficultatis ſit injecturum. Contra Oxenſtierna oſtendere, fœdus Gallicum non ſine damno Sueciæ dilatum, dum paci cupide imminetur; cujus cum exigua nunc ſpes allubeſcat, Saxone indies infenſum animum magis expromente; vitio ſibi verti non poſſe, ſi plures in Sueciam hoſtes incitare, & occaſionem vires firmandi omittere nolit. Nec eo ſecius Dux inſtabat, ut poſtremam Saxonis declarationem, à ſua parum abeuntem probare velit; ſatisque habeat, quos pax Pragenſis excluſerit, clementiæ Cæſaris, de qua magna ſpes ſit, relinquere. Quin & Daniæ Rex literis Oxenſtiernæ ſignificabat; ſe nuper cum Saxone per ablegatos de pace egiſſe, & quanquam in Saxonis declaratione aliquid adhuc deſideretur, ſpem tamen eſſe, conventum à ſe ad ſecundum Maji diem Lubecæ propoſitum fructu non caruturum. Eoque petebat, daret operam, ut Legati è Suecia ad eum conventum mature adſint, quo & ipſe ſuos ſit miſſurus. Ex hiſce literis Oxenſtierna de Saxone ab æquis conditionibus averſo ſatis colligebat; eoque tractatibus cum Chaumontio inſiſtebat, dilato ad Regis literas per aliquot dies reſponſo, quoad de ſucceſſu iſtorum conſtaret, cui hocce adaptandum erat. Tractatibus cum Gallo ad finem perductis Regi reſpondet: ſummam negotiationis de pace in eo verti, quod Suecis non cum ſolo Saxone, ſed præcipue cum Cæſare, ſociisque negotium ſit. Nam etſi iſtum propria libido in Suecos impegerit, ſummam tamen controverſiæ cum Cæſare agitari. Igitur neceſſum eſſe literas fiduciarias ab iis, quorum nomine tractandum ſit, exhiberi, more inter Principes & Respublicas recepto. Addebat, cum Suecis hactenus omnis ſpes honeſtæ pacis fuerit præcluſa, ſibi non licuiſſe Gallorum fœdus abnuere, quo de gerendo & ponendo pariter bello conveniatur. Præſertim cum ipſe Rex Chaumontio confirmarit, ſibi non aliam pacem præter communem cordi eſſe, cuique adeo Rex Galliæ includatur; ac Legatus viciſſim Daniæ Regi oſtenderit, ejus interventionem ſuo Regi gratiſſimam fore. Unde petebat Oxenſtierna, ea quæ conventui iſti conſtituendo præmittenda ſunt, ita adornet Rex, ut omnes quorum intereſt dicto die convenire ibi queant, ne in primo limine negotium hæſitet. Tandem & Luneburgici Duces, ac præcipue Georgius Dux Legatos ad Oxenſtiernam mittebant, qui mediationem ſuam in negotio pacis offerrent, additis querelis de hoſpitiis exercitus Succici, & ut Nienburgum reſtituatur, quorum hoc & illud uti neceſſitate, & belli ratione excuſabatur; ita ultro iidem incitabantur, ut aſſumtis in ſocietatem aliis Ordinibus paci ad omnes pertinenti operam navarent.

Fœdus Gallicum impedire conatur Mecklenburgicus.

7. Martii.

& Daniæ Rex.

6. Martii.

8. Martii.

Oxenſtierna cum Legato Gallico tractatum ſuſcipit.

§. 11. Iſthæc tamen omnia non obſtabant, quo minus Oxenſtierna cum Legato Gallico tractatus ſuſciperet: quod Saxonis acta nullam pacis ſpem facerent, ni res aliam faciem induerent; & bello implicitis potius videbatur alteri ſociatis quam ſolis cum hoſte luctari. Et quanquam eo fœdere via ad peculiarem transactionem præcludebatur; tamen incerta adhuc pace ita ad futuros tractatus reſpiciendum erat, ut præſentis belli rationes haut negligerentur. Et vel ſola Gallici fœderis fama, Suecis firmamentum, hoſti hæſitationem, dubiis amicorum conſtantiam, militi animos videbatur additura, utut de cætero parum Gallia conferret levandis belli oneribus. Accedebat pecuniarium ſublidium, quod Gallus offerebat, ea argenti anguſtia, qua tunc Oxenſtierna premebatur, non inſuper habendum. Et quia Chaumontius utique tractatus cum Saxone abrumpi poſtulaturus erat, placebat audire, quid conditionum is proponeret; ſimul credebat hoſtibus inde ſuſpicionem injectũ iri, ut tanto magis transactionem maturarent. Igitur invitante Oxenſtierna Chaumontius Hamburgo Wiſmariam ſe conferebat, quo & iſte Stralſunda adpulerat. Ubi ab initio Oxenſtierna velut fœdus declinaturus diſſerebat; opus fœdere non eſſe, cum jam antea utrumque Regnum ſtrenue in communem hoſtem nitatur; nec Sueciæ tam difficiles cum Cæſare controverſias eſſe, ut non ſtatim illæ componi queant; cum Gallis ſuper Lotharingia cum Cæſare diſceptetur, quæ apertam velut januam in Galliam pandat: perpetuum fore bellum, diverſis utriusque Regni lutibus conjunctis: fœdera quoque priora hactenus fere effectu caruiſſe. Ad quæ Chaumontius: Ni fœdus utrumque Regnum connectat, poſſe unum bello ſe ſubducere, tota mole in alterum ſolum devoluta, cui ſane Gallia haut æque facile, quam Suecia ſit ſuccubitura. Galliæ quoque ſi omnia Cæſari concedere velit, non minus in proclivi fore bello excedere, quam Succis. Conjunctionem horum Regnorum multum ponderis habere, eoque facilius communem pacem producere poſſe: nec ejus conjunctionis nullum hactenus fuiſſe fructum, & ampliorem deinceps ſperandum. Inde diu diſputabatur, num priora fœdera ſublata forent; id quod Oxenſtierna culpa Gallorum factum arguebat, Chaumontio contra ſuorum actiones defendente. Sed quod ea res odioſa eſſet, iſtam ſilentio involvi ſatius videbatur. Hinc Oxenſtierna fœderis leges Gallo primus proponebat, deſtinatis Suecorum adaptatas, ne ab ipſo propoſitas, ſi ſcopo ſuo non congruerent, diluere, ac ſecreta Status Succici tangere neceſſum haberet. Simul ut illæ ſic concipi poſſent, quo apud Germanos plauſibiles forent; utque ipſe Gallicorum conſiliorum gnarus, unum & alterum caput inſerere poſſet, quod anſam elabendi præberet, ſi forte fœdus commodis Sueciæ obſtaret, aut Regina idem ratum habere nollet. Has leges cum Gallus non probaret, alias hic proponebat: quarum Oxenſtierna nonnullas admittebat, reliquas rejiciebat, aut diſtinctius exprimebat; donec poſtremam formulam, & cui plane inhærere ſtatuerat Oxenſtierna, iſti exhiberet; quam, ſi placeret, ipſe ſubſcriptam Reginæ ratihabendam transmiſſurus erat, ſi & Gallo ſubſcribere placeret. Aſt hic in controverſa capita abſque peculiari mandato ſe conſentire poſſe negabat; ſuper quibus tamen ad Regem relaturus ſit. Simul ipſe poſtremam ſuam formulam offert, qua ſi Oxenſtierna adquieſceret, & ipſe ſub ratihabitionis Regiæ ſpe ſubſcriptam Oxenſtiernæ conſignare volebat.

19. Mart.

20. Mart.

Controverſiæ circa fœdus cum Gallo.

§. 12. Cæterum ſuper eo præcipuè controvertebatur, quod Oxenſtierna vellet, ut Gallus Cæſarem ejusque ſocios hoſtes declararet, ac una cum Succis profeſſum in ipſos bellum gereret; quod rationis non ſit, ad arma in illum gerenda à Gallo obſtringi, quem ipſe hoſtem agnoſcere nolit. Ad quæ Chaumontius; Oxenſtiernæ rationem improbare ſe non poſſe; ſed deficiente mandato in id caput conſentire ſibi fas non eſſe. Præſertim cum primo fœdere id poſtulatum non fuerit; nec Galli à Suecis Hiſpanos hoſtes declarari petant, cum tamen Galli obſtringere ſe velint, niſi Suecorum conſenſu

1636. consensu cum Hispanis haut transigere. Aut si Oxenstierna postulato suo insistat, se nosse velle, num & Succi bellum Hispanis indicturi sint? Contra Oxenstierna: mandati defectum legato excusationem præbere; sed idcirco hautquaquam sibi aliquid admittendum rationi atque æquitati repugnans. Prius quoque fœdus à præsenti multum differre; per istud quippe Succiæ liberum fuisse cum hoste pacisci, non impediente Gallo, cui nihil tunc litis cum Austriacis, ut etiam, si vellet, mediatoris munus subire posset. Fœdera quoque temporibus mutatis adaptari. Super Hispania nihil sibi in mandatis datum, neque Suecos intercedere, quo minus pax inter Gallos, Hispanosque coëat. Id quod eo liberius jactabat, quod nosset, non ita facile bello Hispanico Gallos extricare se posse. Inde super Heilbrunnensi fœdere, & superstructo isti Directorio disceptabatur; quod caput Gallus seponere cupiebat; Oxenstierna autem id urgebat, alliciendis Ordinibus, velut quorum libertas & commoda quærantur; ac asserendæ Succiæ dignitati. Circa donationes quoque à Gustavo Rege, & Oxenstierna Reginæ nomine factas, non conveniebat; quanquam id caput tanti non esset, ut tractatus ad id adhærescere deberent. Subsidiorum dimidiam tantum partem Gallus offerebat, quam Oxenstierna postularet; cum id præcipuum caput foret, ex quo Succiæ aliquod emolumentum proveniret. Urgebat Gallus, ut ad certum se militum numerum in Germania habendum Succi obstringerent. Vicissim ut & Galli ad parem numerum tenerentur Oxenstierna postulabat. Volebant quoque Galli militis scribendi facultatem in locis per Suecos occupatis sibi concedi; id quod Oxenstierna abnuebat, in tanta licentia milite Succico ob argentum Gallicum ad illorum sacramentum transituro, non sine magna Succici exercitus imminutione. Cui incommodo declinando hanc clausulam addebat Gallus; neminem à Gallis conducendum, qui Succiæ sacramento sit devinctus. Sed arcana ratio suberat, quod Galli tunc novum exercitum istis in oris parare meditarentur, sub Arnheimii, aut Francisci Alberti Lauenburgici ductu; id quod obliqua ratione Oxenstierna impedire conabatur. Hæc igitur obstabant, quo minus inter ipsos plane convenire posset; eademque ad superiorum declarationem rejiciebantur, quatuor mensium spatio constituto, intra quod ratihabitio utrinque sit curanda. Scilicet quia rem integram sibi Oxenstierna servari cupiebat, ut si vel fœdus Senatui displiceret, aut interea occasio daretur bello honeste excedendi, ratio foret tractatum tollendi. Quod si autem fœdus placeret, nova gratia illo ratihabito iniri poterat. Inde anquirebatur, quomodo intra quatuor istos menses utraque pars adversus hostes se gerere debeat. Oxenstiernæ placebat, utrique bellum quantum possit persequendum, ut tamen liberum interea sit pacem inire. Contra Gallus obtendebat: id utriusque consilia turbaturum, & hosti occasionem præbiturum ipsorum destinata eludendi. Scilicet quia satagebat Succis viam ad separatos tractatus intercludere metu, ne Succi bello se subducerent. Id consilii cum satis perspiceret Oxenstierna, optabat, ita à Saxone negotium fuisse administratum, ut spem amicæ transactionis concipere liceret. Sed quod illa longius adhuc abesse videretur, terrendis hostibus, & confirmandis amicis, ac militibus in Galli heic voluntatem concedebat.

Temperatia transactio inter Oxenstiernam, &

§. 13. Ita tandem inter eos pactum inibatur, cui ad finem usque quatuor mensium conformes se debeant gerere. Scilicet constanter professuri erant, velut omnia inter ipsos convenissent. Unde & Succi Daniæ Regem, & alios Mediatorum partes susceptur os ad communes tractatus; qui utrumque Regnum complectantur, remissuri erant, ad Kalendas usque Augusti cum Cæsare & sociis pacem haut inituri, nec inducias nisi forte ad paucos dies reficiendo militi. Si quis tamen interea se Mediator offerat, liberum utrique parti fore oblatas conditions audire, & studium pacis ostendere; rem tamen integram servandam, & quæ agantur invicem bona fide communicanda. Præter ista Oxenstierna Chaumontio quædam capita tradebat, ut super illis Regis sui declarationem procuraret; de Moguntino & VVormatiensi præsulatu Succis restituendo; ut donationes ab his factæ ratæ sint, & si qui possessione exciderint, in eam reponantur; ut si qui Cæsarei aut Bavarici duces à Gallis capiantur, cum Gustavo Hornio permutentur: ut Suecorum hospitia in Alsatia circa Benfeldam & Dachsteinum ne turbentur, denique ut pecuniam Succis promissam è Gallia exportare liceat, parcendis collyborum impendiis. Postremum tunc à Gallo reliquorum subsidiorum sexaginta millia uncialium exsolvebantur, formando per Westphaliam exercitui, aliisque necessariis expensis valde opportuna. Cæterum quod ratihabito isthoc fœdere diuturni belli consilia capessenda erant à Rectoribus Succiæ selecti Ordinum ad mensem Majum convocabantur, è quorum sententia de pace, & bello decretum formaretur. Quia tamen satis patebat, Gallos eo fœdere nihil aliud quærere, quam ut per modicam pecuniæ summam Suecos bello illaquearent, qui tamen utique pacem præoptabant; inde nulla occasio hujus obtinendæ amittenda videbatur. Eoque Oxenstierna jubebatur ad institutos Lubecæ à Dano tractatus ipse se conferre, si Cæsarei Legati eodem accederent; aut delegatos eodem mittere, si &, qui à Cæsare facultatem haberent, per delegatos agere mallent; neque tamen pacem concluderet, quod per conventionem cum Gallo non licebat, sed fundamenta eidem locaret; quæ si post elapsos quatuor menses perfici posset, ratihabitione Gallici fœderis opus non erat. Cui fini in Germaniam mittebatur Joannes Salvius; contra Oxenstierna in Succiam evocabatur, Rectores Succiæ de rebus exterioribus penitius informaturus, tum ut ipse statum patriæ curatius inspiceret. Interim ne quid ibi rerum negligeretur, Generalis Legati munus tantisper in Stenonem Bielkium transfertur. Nam primo decretum erat, statim à peracto Ordinum conventu Oxenstiernam in Germaniam remittere. Post tâtius visum, tractandæ summæ rerum in ipso velut centro reipublicæ ejus opera uti.

1636. Chaumontium. 1. April.

14. April.

Oxenstiernæ pecuniæ inopia urgetur.

§. 14. Inter ista Oxenstiernam circa rem militarem disponere satagentem argenti penuria quam maxime premebat, cum ista tarde è Succia curarentur; & quæ ad Mare Balticum supererant hospitia vix alendis præsidiis sufficerent. Galli hactenus ex fœdere dudum debita solvere neglexerant. Hollandi clausam crumenam tenebant, proprias necessitates causari, & quia militem Succorum per VVestphaliam instaurari parum arridebat, metu, ne Austriacus miles ad confinia ipsorum pertraheretur, quem longissime remotum optabant. Neque ex Anglia quid sperabatur, utut iste Rex Palatinam causam acriter susceptre velle videretur. Quod tamen res omnino sustinenda foret, aut cum ignominia deponenda, circa pecuniam conquirendam prima cura erat. Cui fini per Pomeraniam & Meclenburgicam aliquot legionibus hospitia assignabantur, quæ provinciales oblatis tributis redimebant. Summa quoque mutuo sumitur, & ad extundendos Hollandis nummos Petrus Spiringius mittitur, ejus nationis ingenia arte tractare callidus.

1636. callidus. Accedebat poſtà Gallo ſoluta pecunia, jam memorata. Ad Reginam quoque Bohemiæ, & Carolum Ludovicum Palatinum Electorem ſuæ
21. Mart. Domus cauſam commendantes ſcribitur; apud Regem Angliæ inſtent, alia quam hactenus conſilia inſtaurandis Palatinæ Domus fortunis capeſſeret. Alias Suecis, quibus ſolis tantum onus incumbebat, vitio verti non poſſe, ſi ab omnibus deſtituti, premente inſuper multorum invidia, propriæ ſaluti conſulentes tam gravi ſe bello ſubducant.

Idem tres exercitus parare inſtituit. §. 15. Quia autem non ſolum Saxo reſpiciendus erat, jam aliquot cladibus debilitatus, ſed & Gallaſius è Lotharingia redux magnam exercitus partem in Weſtphaliam hiematum miſerat; ſimul valida manus in Sileſia colligebatur; Oxenſtierna quoque poſt firmatam oram maritimam, ad tria flumina, Albim, Oderam, & Viſurgim totidem exercitus hoſti opponere conſtituerat. Ad Albim Banerius præcipuo cum exercitu curabat, quem in Saxonis ditiones penetrantem monebat, exercitum quantum poſſet augeret, ac vim frumenti Magdeburgum convehendam curaret. Hermannum Wrangelium ad Oderam rem adminiſtrare placebat, è copiis Boruſſicis, novisque delectibus exercitu compoſito, quo vel Banerio ſuccurreret, vel hoſtis progreſſus iis in oris ſiſteret, vel pro re nata ultro in iſtum moveret. In Weſtphalia poſt cæſum Cniphuſium ingruens multis cum legionibus Marchio Grana Cratzenſteinium tribunum acriter licet reſiſtentem eis Viſurgim rejecerat, Suecosque omnibus fere hoſpitiis ibi exuerat. Supererant tamen quædam loca præſidiis Suecicis inſeſſa, Osnabruga inprimis, & Nienburgum, mox ni ſubveniretur amittenda; ſimul hoſtis Viſurgi ſuperato Banerium nemine prohibente à tergo circumventurus erat. Accedebat quod Landgravius pronum ſe oſtenderet ad ſuas copias cum Suecis per Weſtphaliam jungendas; & Georgius Luneburgicus, etſi nondum aperte in veteres partes regreſſus, hoſti tamen tranſitum Viſurgis negaret, ac Oxenſtiernæ per Chaumontium ſignificaret; ſe facile in Suecorum partes iterum conceſſurum, ſi vires in vicinia videat, quibus innitatur. Igitur ſi quæ copiæ iſtis in oris cogi poſſent, Landgravii & Luneburgici conjunctio ſperari poterat: ſin minus, dubium non erat, quin iſti vel quietem acturi, vel ad hoſtem ſponte aut neceſſitate tranſituri forent; quod incommodum ut præverteretur, opera utique danda erat. Igitur placebat tria peditum, totidem equitum millia illic contrahi è veteribus legionibus, aut recenti delectu, quibus ſummo cum imperio præficiebatur Alexander Leslæus veteranus & fidus Suecis dux, cui ſupremus Vicarius Jacobus Kingius, & Cratzenſteinius ſummus Vigilum præfectus adjungitur. Hæc deſtinata ſi perfici daretur antequam hoſtis preveniret, ſpes erat eum diſtractis viribus commode ſuſtineri, Succicosque exercitus mutuo ſibi ſuccurrere poſſe. Enimvero cum Saxoni Hatzfeldius cum validis copiis ſubſidio veniret, & Banerio acriter incumberet, ut iptum Albi dimoveret, ſede belli in Pomeraniam & Meclenburgicam translata; Oxenſtierna ut ocyus deſtinatæ è Suecia copiæ trajicerentur inſtabat. Quæ ſi in tempore adveniſſent, hoſtis ab ora maritima removeri, & ad ſerias pacis cogitationes, quæ hactenus parum cordi fuerant, compelli poſſe videbatur.

Belli genius mutatur. §. 16. Uti porro bellum jam diverſam induerat faciem, ad hoſtes transgreſſis, qui communem hactenus cauſam propugnaverant: ita & diverſa à prioribus veluti fundamenta ſubſternere Oxenſtierna inſtituebat. Hucusque enim id innixum fuerat fœderibus, quæ Succiæ cum Ordinibus Germaniæ intercedebant. Ubi dum quilibet belli incommoda ſuis ditionibus arcere contendit, Oxenſtiernæ nihil ad ſummam rerum faciens ſuſcipere dabatur, niſi poſt longam diſceptationem fœderatis in ſuam ſententiam pertractis: quos dum diſcrepans ſtudiorum aut conſiliorum genius in diverſa trahit, multa utilia impediebantur, multis malis via pandebatur. Aſt abruptis nunc ipſos per Ordines fœderibus è ſolius Succiæ judicio bellum geri poterat minore quidem quam hactenus mole, ſed majore conſiliorum æquabilitate. Unde licet forte unus vel alter ad fœdus renovandum ſe pronum oſtenſurus foret; Oxenſtiernæ tamen parum id curandum videbatur, cum nunc minore reſpectu ditionibus iſtorum ad belli neceſſitates uti liceret. Niſi quod ad Germanum militem in officio continendum intereſſet, unum & alterum Ordinum in partibus perſiſtere, ne bellum adverſus totum Imperium geri videretur. Igitur Banerio & aliis ducibus injungebatur, 20. Jan.
adverſus omnes Ordines, quorum terras attingerent, Saxone excepto, qui hoſtium ſe præcipuum ferebat, humana verba, & accuratam inter milites diſciplinam adhiberent, errata ipſis ſua, & Suecorum benevolentiam oſtenderent, quam nondum exuerint, ſacra ipſorum & libertatem adhuc aſſerere parati. Quod ſi quis ultro ſuper renovando fœdere proponat, conditiones quidem oblatas audirent, & de Suecorum propenſione teſtarentur, ſed eos ad Oxenſtiernam, ipſive ſufficiendum, aut Rectores Succiæ remitterent: interea opportuna ſibi loca, & unde hoſti damnum inferri queat occupare, & præſidiis firmare ne omitterent. Circa diverſos tamen Ordines diverſa conſiliorum ratio ineunda erat.

Obſervanda circa Pomeranos. §. 17. In Pomerania, præcipue qui ad clavum Reipublicæ ſedebant, non ultra Suecis favebant, quam neceſſitas exigeret, pars fortunæ ſe accommodaturi, plerique ab aula Brandeburgica dependentes. Unde cum Steno Bielkius Ordines ibi provinciales in conventu tunc habito ad fidem citra exceptionem Succiæ durante bello ſervandam, novamque cautionem præſtandam adigere meditaretur; Oxenſtierna id ſupervacuum ducebat, quod 1. Febr.
Suecis poſt Deum præcipua fiducia in ſeipſis, ac validis oppidorum præſidiis collocanda eſſet. Ac novæ cautionis exactionem nil niſi novis diſceptationibus cauſam præbituram, nullo fructu. Igitur cenſebat, ſimplici tantum admonitione apud Ordines defungendum, ut fœdus ſervent, obiter tamen inſinuandum, non obſcurum nobis eſſe quousque adverſæ parti ſint addicti. Inter omnes Electorem Germaniæ Principes nemo Guſtavi Regis, & poſt Oxenſtiernæ deſtinata magis turbaverat, quam Brandeburgicus, verbis eximium in res Succicas ſavorem præ ſe ferens, & ſub amicitiæ velamento adverſæ partis conſiliis alte immerſus. Cui quanquam omni ratione ſatisfacere conaretur Oxenſtierna, prævalebant tamen Schvvartzenbergii Comitis conſilia, nulla mutationis ſpe, utut Galli hunc, ejusque opera Electorem ſibi adjuncturi, iſtius filio in Gallia agenti Ducatum promitterent. Ipſe Elector hoſtilia palam induerat, copias ſuas Saxoni adjunxerat, Succos per impreſſa denuo edicta Imperii & ſuos hoſtes declaraverat, quæ per univerſam ditionem promulgari curaverat. Simul avocatoria mandata & confiſcationes adverſus eos, qui Suecis militabant, Pfulium, Zabelticium, alioſque exſequebatur. Uxor tamen Electoris ab 21. Febr.
iſtis conſiliis abhorrens, & in Suecos prona ab Oxenſtierna petebat, præfecturis ſibi deſtinatis, & Berolino ſecuritatem præſtaret. Cui is de præfecturis ſtatim annuebat; ſuper Berolino ad Rectores Succiæ rejiciebat, tum alias ob cauſas, tum

ut

1636. ut Electorem hac via in aliam sententiam pertraheret; addito, si exuta hostilitate ad pristinam amicitiam redeat Elector, Succos vicissim ostensuros, ipsis non fuisse in animo amicos bello persequi, sed officiis potius cum iisdem certare.

Wilhelmum Visurgensem.

§. 18. Wilhelmum Saxoniæ Ducem si Suecorum partibus iterum accedere vellet, non repudiandum censebat Oxenstierna, ut tamen imperium militare ipsi non amplius committeretur; eumque ut data occasione invitaret, Banerius monebatur. Circa Bremensem Archipræsulem Alexandro Leslæo, Laurentio Grubbio Residenti injungebatur, ejus favorem conciliare studerent; imprimis ubi animadverterent, Cæsarem ipsum præsulatu dimovere velle, isque ideo arctius Sueciæ conjunctionem affectaret, omni ratione eundem ad se pertraherent. Sed apud Ordines provinciales operam darent, ut menstrua tributa & alia bello necessaria annuerent. Apud Comites Oldenburgi, Delmenhorstæ, & Frisiæ Orientalis iidem clam subsidii quid sollicitare jubebantur; ipsosque monere, ut parem immunitatem, quam Succi præstarent, ab hoste quoque impetrarent. Quod si autem hostis intra eos Comitatus hospitia cepisset, neglecto immunitatis diplomate, eum inde ejectum irent, & tributis hospitiisq; eas ditiones subjicerent. Quæ super neutralitate cum Neoburgico convenerant, à Succis re ipsa impleta erant, tradito Siburgo, aliisque arcibus; ipsumque instrumentum Ludovico Camerario in Batavos transmissum erat, ubi ab altera parte omnia perfecta essent, tradendum. Ast cum Cæsarei insuper habita ista conventione totum fere Juliacensem agrum occupassent id instrumentum Neoburgicis exhiberi vetabatur. Simul Leslæo injunctum id pactum negligeret, ac Neoburgici ditionibus, prout belli ratio ferret, uteretur.

20. Jan. Archiepiscopum Bremens.

24. Febr.

Comitem Oldenburgicum.

Neoburgicum Ducem.

22. Febr.

Georgium Luneburgicum.

§. 19. Enimvero præcipuus in Georgium Luneburgicum Ducem, & Landgravium Wilhelmum respectus erat, validis adhuc copiis succinctos. Quorum isti Pragensis pax non satisfaciebat ob Hildesianum præsulatum & oppidum, quo cedere hautquicquam constituerat. Nec à Succis & præcipue Oxenstierna aversum animum ostendebat; pro more tamen hæsitabundus nondum certi quid statuere norat. Quia tamen eo cum Succis juncto hisce non modicum robur accessurum erat, Oxenstierna Leslæo & Grubbio certa mandata dederat, ut cum Duce transigere tentarent, prout ipsius inclinatio ferret. Si enim ipsi placeret summum imperium in Succicum per eas oras militem denuo assumere, hæ conditiones ferendæ erant; ut statim Westphalicæ legiones ipsius copiis jungerentur, super Hildesiensi & Mindensi præsulatu eidem caveretur, nec pax fieret, nisi de hisce ipsi satisfactum foret. Cui vicissim vetus obligatio instauranda, simul cum Banerio super hospitiis, & cum Landgravio super coniunctione copiarum certi quid conveniendum erat, evitandæ æmulationi & discordiæ. Ea conditio si Duci non placeret, Succis sufficiebat, si vel ipse suis auspiciis exercitum parare, & fœderi Succico innexus in communem hostem pugnare vellet; vel etiam Pragensem pacem verbo professus clam Succicorum armis faveret. Eo casu, si Mindam Succis durante bello cederet, detenta tormenta restitueret, legiones suas traderet, & si res exigeret, istis oppida sua ad transitum receptumve præberet, hi vicissim Nienburgo munimentis exuto præsidium deducturi, ac super jam dictis præsulatibus ipsi cauturi erant. Si ad alterutram harum conditionum Dux permoveri posset, Leslæo injungebatur, operam daret, ut amicitia cum isto sarta tecta servaretur. Ast si intelligeret, eundem vel Sueciæ adversum se ferre, vel ambiguum hærere, omnes ipsius conatus, ac progressus impediret; inprimis legiones Succis subductas quavis ratione ab ipso abstraheret, ac Mindam opera Ludingshusii ac Plettenbergii in potestatem redigeret. 1636.

Wilhelmum Landgravium.

§. 20. Landgravius denique uti affectum in Succos per metum occultabat, ita tractationi cum Cæsare ab hoc nondum ratihabitæ parum fidebat. Aperte tamen ad arma prorumpere nondum audebat, viribus impar, & ni aliunde sustentaretur, exitium sibi arcessiturus. Eoque partim in Georgium Ducem, partim in Succorum progressus oculos intenderat, postquam Marchio Grana copias suas ita Landgravii hospitiis interposuisset, ut se movere, aut exercitum contrahere non posset, ni alius hostem imminentem distraheret. Cum igitur de Landgravii animo dubitandum non esset, sperabat Oxenstierna Leslæo cum manu non spernenda in Westphaliam tendente occasionem fore, ad arma ipsum iterum permovendi. Unde hic jubebatur omnia benevolentiæ signa adversus ipsum ostendere, consilia communicare; quin eodem petente ubi necessitas exegerit, & quantum citra periculum exercitus Westphalici fieri queat, cum ipso copias jungere, ejusdem vicissim auxilio data occasione usurus. Et quia Chaumontio Legato Gallico itidem curæ erat, ambos istos Principes in arma pertrahere; quo fine & Hamburgo Mindam se conferebat; Grubbio Residenti injunctum, operam suam cum Gallo sociaret, ut istis in partes concedentibus valida hostem vis ad Visurgim distineret.

Banerius improvise trans Albim abit.

§. 21. Sed ut ad bellicas actiones redeamus, initio ejus anni Banerius satis perspiciebat, se una cum Saxonicis loco quem ceperat diu subsistere non posse. Nam Saxo pedetentim Pomeraniam versus movebat, Banerium uti adparebat ab Havela eodem pertracturus, & fame atque inopia ibi confecturus, adempta hibernorum quiete; tentatisque per occasionem Pomeraniæ oppidis, simul Hermanni VVrangelii è Borussia accessum impediturus: an quod in animo esset Banerium à tergo circumire? Contra Banerio inter minuentia in dies alimenta, duæ patebant viæ exercitum conservandi, vel ut hostem prælio lacesseret, vel ut improvisa excursione ipsum distraheret. Sed circa prius animo obversabantur ancipites pugnarum exitus, & aleæ exposita omnis Succorum per Germaniam fortuna; præsertim cum hosti recentes legiones è Magdeburgica & Silesia accessissent. Quod si hostis munitis sè locis tenens pugnam detrectaret, in Meclenburgicam & Pomeraniam cessim eundum erat, regiones jam exhaustas, ubi Succis ex inopia exitium imminebat, antequam supplementa è Suecia advenirent; aut gramen subnascens equitem in campum educi permitteret. Ita quicquid Succis adhuc per Germaniam restabat periculo exponebatur, milesque jam antea nutans plane frenum excussurus erat. Igitur tutius videbatur subita irruptione Saxonem ad sua defendenda retrahere, facili Albis transitu apud Magdeburgum aut VVerbenam, nec ob interjectas viarum angustias Saxone statim iter ipsius sensuro, nec longius progressum assequi valituro. Quod si Saxo toto cum exercitu sequeretur, ora maritima hoste liberata usibus Succorum patebat, & VVrangelio expeditior in Pomeraniam via dabatur. Ast si idem in Pomeraniam tendere pergeret, ista anni tempestate parum effecturus judicabatur, oppidis valido præsidio infestis: ac vicissim omnis trans Albim regio Succis in prædam exponebatur. Divisis autem copiis Saxo neutrobi par erat. Hæc denique

1636. denique ratione omnia Electoris consilia turbabantur, soluto insuper Magdeburgi obsidio non sine Suecorum gloria; & ipso in angustias conjecto meliores pacis conditiones sperabantur. Nec ab hisce destinatis Banerium Meclenburgicus Dux divertebat, propositis induciarum tractatibus, in quos Saxo consenserat; quem iste ad superiores rejiciebat. Ita castris raptim motis relicta quingentorum equitum caterva ad hostem observandum recta Havelbergam & Werbenam properat. Equitatus, ne trajiciendo Albi tempus tereret, duce Rudvveno & Axelio Lilio citeriorem Albis ripam legere, & pontem Magdeburgi transire jubetur. Ipse peditatum & tormenta cum impedimentis ad Werbenam trajicit, apud Magdeburgum iterum equitatui se junctarus, & prout occasio daret, pontes Wittenbergæ & Torgæ destructurus, aut regionem ad Salam Naumburgum usque subacturus. Et equites quidem per Havelbergam & Jerichoam tertio die Magdeburgum attingebant; unde statim Joannes Wachmeisterus tribunus Wanslebiam mittitur, qui deprehensam ibi Dœhnii legionem concidit. Rudvvenus mox cum selectis e Magdeburgico præsidio Barbyam properat, Mitzlavio tribuno infestam, qui imperatam deditionem abnuebat. Quem ipse tantisper equitibus cominus circumdat; & mox Calbam, quam una Mitzlafii cohors tenebat, ac Bernburgum in potestatem redigit. Banerius interim Magdeburgum & ipse tenens, duas inde legiones vegetas & numeris completis educebat, Drakio tribuno in earum locum ibi relicto. In itinere cohors tironum peditum, Stendaliæ centurio cum sexaginta peditibus à Pfulio tribuno Haldenslebiæ oppressus fuerat. Brinckius tribunus mature Halberstadio se proripuerat. Mox & Garlebiense præsidium, se dedit, quod maximam partem captis in Werbensi munimento constabat; unde centurio dimissus, & gregarii ad vetera signa Magdeburgum rediere. Barbyam porro Mitzlafius obtinebat cum tribus veteranis, octo tironum cohortibus, arcemque excitatis raptim munimentis sic satis firmaverat. Eo cum accessisset Banerius, quo militi parceretur, denuo deditionem imperat. Sed cum nihil responderetur, postero die ex omni parte assultum dari jubet. Nec mora, omnibus locis irrumpitur, ac Mitzlafius præfectusque vigilum Cosbotius, aliique ductores cum quingentis gregariis capiuntur; nonnulli ductores & trecenti quasi gregarii cæduntur. Suecicorum circiter triginta ceciderant, toridem fere sauciis. Cæterum Mitzlafius ille, dum militiam Suecicam sequebatur, seditiosum se semper gesserat, turbarum quondam ad Donavvertam præcipuus autor, consiliis itidem Oxenstiernæ, & Suecorum successibus pro virili obnixus, simul contumeliosis verbis nationem Suecicam proscindere suetus; qui & idem dissensionum semina inter Bernhardum Ducem & Gustavum Hornium sparserat non modico reipublicæ damno. Idem expromendo in Suecos odio citra missionem eorum sacramentum deseruerat ad Saxonem transgressus, ubi sedulam operam turbandis Suecici exercitus animis navaverat. Hic ergo cum jam citra pactum in Suecorum manus incidisset, nec ut pari humanitate cum aliis captivis frueretur meritus esset; & tamen neque judicio militari eundem sistere, nec apud Germanos inusitato more tollere consultum videretur, declinandæ offensæ ejus nationis militum; à Banerio Stralsundam ad Oxenstiernam, inde in Sueciam mittitur, in arcem Wiburgensem abdendus. Unde tamen post

7. Jan.
8. Jan.

Mitzlafius Barbyæ capitur.

corrupto custodiæ præfecto se proripuit. Capta Barbya Sueci Halam tendunt, in qua sexcenti equites sub tribuno Wolframsdorfio, & tredecim dimacharum cohortes sub Gallo tribuno agebant: arcem Mauritioburgum Fabianus Ponica cum quingentis peditibus insidebat. Ei oppido cum præmissus Dœrflingius protribunus caterva ducentorum equitum stipatus propinquaret, equites istos, dragonesque ante oppidum deprehendebat, qui ad primum Suecorum impetum statim in oppidum repelluntur, ac mox Mersburgum, & Weissenfelsam se proripiunt. Ita oppidum à Saxonibus desertum Sueci ingrediuntur. Arci, quæ resistebat, cuniculi admovebantur; quibus tarde procedentibus adproperans interim Elector id obsidium solvebat. 1636.

22. Jan.

§. 22. Saxo enim, qui anni hujus initio Bernaviæ non procul Berolino metatus fuerat, ne Suecis isto oppido potiri possent, inde Templinum descenderat, Marazino Bernaviæ propius Banerium disposito; seu Banerium eodem tracturus, seu in Stetinum quid tentaturus. Sed mox audito Succos Albim versus tendere, præceps Templino Bernaviam, inde per Spandoam Witebergam recta properat. Post traductas per eum pontem copias, quibusdam legionibus, quæ hactenus eo tractu hospitatæ fuerant, & nonnullis Cæsareanis è Franconia firmatus, Mauritioburgo subvenire constituit. Eoque cum viginti tribus equitum legionibus, validoque peditatu & multis machinis ante Halam in aciem dispositis adest. Nec Banerio lubido pugnandi deerat, quod exercitui suo plus damni è tantis itineribus citra hibernorum quietem, quam à prælio imminere videret. Sed obstabat imparitas copiarum, cum pars peditum ad custodiendos transitus relicta, cæteri morbis & continuis itineribus non parum confecti essent. Sed & Saxonicus equitatus numero prævalebat, quod nondum Crocovii, Devvicii, & Berghofii legiones, quas Banerius ad se evocaverat, adessent. Quin nec munitis ante Halam castris considere licebat, Mauritioburgo post tergum imminente, ac loco ob frequentes colles vallesque defensioni parum idoneo: nec properus hostis adventus tam diffusa opera absolvere permittebat. Igitur noctu deserto oppido Salam transit, paucis qui per ebrietatem aut socordiam moras traxerant, amissis. Mox pons igne injecto destruitur, & in altera ripa lorica excitatur, suggestusque tormentis instructus. Heic plerique pedites tendunt. Infra Halam idoneis locis catervæ disponuntur ad hostes transitu arcendos, quæ ubi res exigeret cito iterum contrahi possent. Ipse cum parte equitatus Mersburgum & Naumburgum abit, ut & ibi transitu fluminis Saxonem arceret, aut ipso eodem pertracto sedem belli in ejus ditiones transferret. Unde destructis Mersburgi & Weissenfelsæ pontibus, Naumburgum nullo resistente occupat. Ast Saxo cum de profectione Banerii cognovissent, septem cum legionibus sub ductu Bosii Salam perrumpere tentat. Qui post Bernburgum frustra tentatum à Calba per noctem repetito sexies assultu non paucis amissis repellitur. In diversam quoque partem legiones aliquot Lutzenam mittuntur, ingruentibus ibi Succis occursuræ. In quas quo minus iret Banerius, cura summæ rei, quæ circa Halam vertebatur, prævalebat. Igitur Rudvveno cum equitatu ad Salam & Onestrum disposito, reliquis legionibus pro captu hospitia adsignat, quæ in castris adversus hostem subsistentibus annonam ac stipendia præberent. Edictum quoque ad Misnicos publicatur, quo

Saxo ad subveniendum suæ ditioni advolat.

10. Jan.

17. 18. Jan.

27. Jan.

Legio Saxonicorum opprimitur.

17. Jan.
18. Jan.

hume-

1636. humaſſis verbis invitantur, ut vaſtationi agrorum prævertendæ cum ipſo ſuper alimentis militum tranſigant, modeſtiam militis contra pollicitus. Ac ſane illorum pleriſque acta ſui Principis diſplicebant, cujus etiam miles majore, quam ullus unquam hoſtis, petulantia graſſabatur. Quin vulgus hautquidquam Suecis infenſum palam jactabat; injuſta arma in Suecos ſacrorum ſocios, & quondam tutelares geri, ſucceſſum non habitura. Invidiam quoque paci Pra-
13. Febr. genſi faciebat, quod Moguntinus Elector Erfordienſibus libertatem ſacrorum in dubium vocaret; & quod Sileſii, ac inprimis Wratislavienſes ad omne obſequium compoſiti immitem Cæſaris animum, ſecus ac ipſis perſuaſum fuerat, experirentur. Contra apud Saxonem odium in Su-
1. Febr. ecos indies gliſcebat, promulgato Halæ iterum edicto Cæſaris, quo non citra affectatam verborum acerbitatem extremis pœnis intentatis omnes, qui Suecico ſacramento adhuc hærebant Germanos ortu, hoc abire jubebat; velut Sueci opimas à ſe conditiones oblatas repudiaverint odio pacis, & privati commodi ſtudio, quod antea ſub velo auxilii ſocialis latitaverit.

Initii Saxonicorum in Suecos conatus. §. 23. Quanquam autem Suecicus peditatus frigido ſub æthere continuis laboribus & vigiliis non parum fatigaretur; conſtituerat tamen Banerius quantum poſſet Saxonem tranſitu Salæ arcere, quo diutius is [illegible]oriam intra ditionem coërceretur, Banerium [illegible]s abeuntem mox inſecuturus. Unde dum paul[illegible]per ipſe Magdeburgum digreditur, ob lethalem uxoris morbum, & curandæ propriæ valetudini, curam rerum interim Torſtenſonio delegat; qui & ita vigilanter adminiſtrabat, ut hoſtis aliquoties tranſitum fluminis tentans non ſine damno repelleretur. Inter cætera duæ Saxonicæ legiones vado
18. Febr. Salam ad Mersburgum transgreſſæ amiſſis ſuo-
23. Febr. rum triginta trans flumen rejiciuntur. Poſt attenuatum magis flumen quingenti equites ad Giebichenſteinam ſuperantes, ſilentio prætervecti quæ non procul inde conſtiterat excubitorum ſtationem, in Schulmanni & Pfulii tribunorum ſtativa improviſo irruunt, & occiſo vicario cohortis ſubtribunum Princium cum duobus vexillis capiunt; eorum tamen qui utrinque cadebant, non ſupra viginti erant. Ad tumultum ſtatim è proximo vico accurrebat tribunus Devvicius, hoſtiſque ad flumen rejicitur captivis quibuſdam relictis, ubi protegentibus ſclopetariis, & quibuſdam tormentis in alteram ripam evadit. Ad Mersburgum quoque octo equitum legiones & nonnullæ peditum centuriæ perrumpere tentabant, ac jam ſex catervæ in alteram ripam tranſierant; cum Slangius ſubtribunus adventante à Torſtenſonio auxilio iſtos unde venerant repellit, quorum nonnulli aquis hauriebantur. Ad Halam quoque Saxonici pontem è ratibus confecerant, cujus ſtructuram inter detonantia continue tormenta Sueci impedire non poterant. Per eum tranſgreſſi mille equites, præ-
Saxo prælium detrectat. cipites abiguntur. Simul Saxo inſtructa acie ad flumen ſe oſtendebat velut vi perrupturus. Contra Banerius ad exercitum reverſus, quem ideo contraxerat, quo hoſti occaſio adimeretur in ſparſos aliquid ex improviſo tentandi, numero licet impar prælium non abnuebat. Et quia in conſpectu ſuo, & intra tormentorum jactum hoſtis ſilatim flumen tranſiturus non erat, à flumine paulliſper recedens ſpatium ipſi dabat; ac per quadrantem horæ obſervabat, num quæ hoſtem pugnandi libido ſubitura foret. Aſt is trans Salam immotum ſe tenens fidem fecerat id abs ſe agi, ut Succicos ibi junctos teneret, quo vaſtatis & exeſis circa omnibus inopia fatiſceret. Igitur dubium non amplius erat, quin caſtris alio translatis illius deſtinata eludenda forent. Et cum non conſultum videretur in Miſniam aut Thuringiam penetrare, ubi à Pomerania disjungi, & incumbente hinc Saxone, inde Cæſareis in anguſtias redigi poſſent, placuit retro Halberſtadium Banerius à verſus cedere; quo exercitus Magdeburgo pro- Sala retrocedit. pior illo ponte ſi opus foret uti poſſet, ac interea quiete ſe reficeret; tum eo commodius alias à Pomerania copias, ipſumque Leslæum ſibi adjungeret. Igitur præmiſſis impedimentis machinisque 4. Mart. Banerius Aſcaniam ſe confert, ubi per aliquot dies ſubſiſtit obſervandis Saxonum conatibus, timul Magdeburgo frumenti vim illaturus. Quod ſi tota vi hoſtis ingrueret, ſtatuerat repente Albi ad Magdeburgum ſuperato, Witebergam tentare, ut ad domeſticum incendium reſtinguendum Elector revocaretur. Inde Saxonici Bernburgum arcem trans Salam invadunt, quorum binos aſſultus centurio Suecicus fortiter repellebat; ſed tertio impetu hoſtis numero prævalens irrumpit, captoque centurione & ſignifero, ſexaginta gregarios, qui propugnaverant, jugulat. Et parum aberat, quin ipſe Anhaldinus Princeps conſoderetur, cujus gynæceo ſpoliando rapax miles manus non abſtinebat. Inde hoſtis trans Salam quietus agebat, milite per hoſpitia diſtributo, quo ſe reficeret, & Harzfeldii adventantis conjunctionem expectaret.

§. 24. Dum Aſcaniæ Banerius hæret, ſemel Saxonici atque iterum emiſſæ ab ipſo catervæ rem bene vapulant geſſerant. Apud Alslebium Slangii legio va- 17. Mart. do reperto Salam repente tranſiens Gallæ tribuni duodecim dragonum cohortes opprimit, magnamque partem cædit, capitque. Subtribu- 18. Mart. nus quoque Hœckingius duas cohortes Mansfeldia venientes in itinere exceperat. Enimvero neque Aſcaniæ diutius ſubſiſtere licebat ob pabuli inopiam: neque conſilio habito prælium tentandi occaſio adparebat, ad quod hoſtis Hatz- 20. Mart. feldii adventum expectans ægre deſcenſurus erat: & Salam transgreſſos Succicos, ni mox ad manus perveniretur, in deſolata regione penuria confectura erat. Quod ſi Saxo retro Hatzfeldium verſus cederet, ejusque copiis auctus Succos iterum ad relegenda veſtigia compelleret, non poterant non hi magnis difficultatibus implicari. Aſt ſi ad Oneſtum procederent impediendæ Hatzfeldii conjunctioni cum Electore, metuebatur, ne iſte trans Salam in Miſniam deflectens alia via ad Electorem penetraret, & hic firmato ad Halam pede Magdeburgo, ac Pomerania Succos plane disjungeret, eorumque tergo infeſtus incumberet. Igitur placebat Aſcania deſerta ad Bodam flumen ſtativa transferre. Prius tamen in duodecim Saxonicas legiones, quæ non procul Bernburgo tendere dicebantur, aliquid tentaturus Banerius equitatum ad Munch-Neuburgum, peditum mille ſelectos, & decem leviores machinas Calbæ per pontem trans Salam ducit. Unde Gunnius tribunus cum quadringentis peditibus ad Bernburgum eminus includendum mittitur, à ſeptem cohortibus Saxonicis inteſſum. Hinc ad Grobſchiam Warburgii & Schavelitzkii tribunorum legiones opprimuntur, & aliquot ſigna magno cum numero militum capiuntur. Sed longius progreſſi Sueci ultra Kœrneram oppidulum juxta montem D. Petri duodecim Saxonicas legiones ordinibus inſtructis conſiſtentes inveniunt. In has ſtatim primum agmen quod Livonica, Curlandica, & Ducis Franciſci Henrici Lauenburgici legiones componebat, vadit; quibus adverſum ſe Schavelitzkius tribunus validis

by Google

1636. tribus cum alis fert, binisque factos in Livonos disploſionibus duos turmarum præfectos ſauciat. Contra ſubtribunus Fridericus Levvius cum Livonis acriter in hoſtem invectus Schavelitzkium ſua manu proſternit, treſque illas alas turbat, ac è fugientibus multos cædit, capitque; quos inter erat Vigilum præfectus Samthierius, quatuorque turmarum præfecti, & plures alii ductores; quibus quatuor inſuper vexilla accedebant. Inde Banerius toto agmine hoſtem celeriter ſe ſubducentem inſequitur, multisque cæſis aut captis reliquos Halam intra munitiones compellit. Succorum pauci admodum ſauciati, cæſive. Ulterius hoſtem urgere laſſitudo equorum non permittebat, intra biduum ſedecim milliaribus percurſis. Retro euntes fiduciæ oſtentandæ inter Halam, & Bernburgum pernoctant. Gunnius tribunus ab obſidendo Bernburgo, revocatur, quo capto nullum operæ pretium fiebat, & copiæ per pontem Calbenſem Aſcaniam revertunt. Inde ad Bodam flumen ſtativa transferuntur; cum Hatzfeldius jam in Thuringiam perveniſſe nuntiaretur, ut cum Electore ſe conjungeret. Cæterum id ſpectabant tunc Banerii conſilia, ut hoſtem laboribus & inopia attereret. Quo fine, ne quid commeatus iſte inter Salam Albimque, Luneburgum uſque inveniret, omne frumentum Quedlinburgo, Aſcania, Halberſtadio, aliiſque locis Magdeburgum convehi curat. Inde pontis Magdeburgici commoditate uſus, modo in hanc, modo in alteram Albis ripam ſe conferre decreverat, ut inanibus hoſtem itineribus defatigaret, ac interea occaſionem damnum ipſi aliquod inferendi captaret.

Banerii conſilia.

Saxo Hatzfeldio junctus in Banerium movet. 31. Mart.

§. 25. Aſt Saxo junctis apud Eislebiam cum Hatzfeldio copiis, quem Cæſar iſti ſubſidio miſerat, ſimul ejuſdem conſiliis obſervandis, totum exercitum recta in Succos rapiebat, num iſtis adhuc diſperſis improviſus ingruere poſſet. Sed Banerius adventu ejus mature cognito exercitum ad Stasfurtum cis flumen contraxerat, ſeptem alis exceptis, quas in adverſa ripa ſecum retinebat; quibuſcum propinquanti hoſti propius ſuccedit, vires ejus exploraturus. Interim mille ſclopetarios ad alteram Bodæ ripam foſſis tectos, & decem machinas diſponi jubet, quo receptus tutus præſtaretur. Nec mora Marazinus cum undecim alis equitum aderat, inſequente toto exercitu. In quem cum pugnare non placeret, Banerius cum ſuis ad flumen recedens tubos majores & machinas in propius ſubeuntem diſplodi jubet; qui poſt levem velitationem ſtatim retrocedit, nonnullis per tormenta proſtratis. Enimvero Banerio ad Bodam fluvium ſubſiſtere non placebat ſicco tunc cœlo paſſim vado pervium, & quia hoſti in proclivi erat ad Eglam aut alibi eo transmiſſo ipſius tergo repente ingruere. Simul illis locis cibaria ac pabula deficere cœperant. Igitur cum uſque ad ſeram veſperam in acie conſtitiſſet, noctu Magdeburgum hoſte haut inſequente abit. Ubi pedites in urbem recipiuntur, equites trans Albim ultra Zerveſtam Coſvicum uſque diſponuntur. Elector contra luſtrato apud Stasfurtum exercitu, Marazinum Pomeraniam verſus Succos ibi diſtracturum dimittit, etiam absque hoc numero militum prævalens: caſtrisque Eglæ poſitis oppugnando Magdeburgo omnia adparat: tum ad Witebergam pontem navalem extruit, quem ſecundo flumine delatum opportuno loco figeret. Banerius contra Marazini tergo nequaquam imminens, qui longius jam viam præceperat, Axelium Lilium cum octo equitum legionibus, totidem deſultorum cohortibus mittit, ut ſubito Brandeburgum Vetus, & Ratenaviam occuparet, firmando ibi tranſitu. Alia manus cum quibuſdam tormentis ſub Pfulio tribuno Coſvicum mittitur, ut pontem navalem Witeberga devehendum corrumperet. Cum ſic hoſti nulla via niſi apud Witebergam Albim tranſeundi ſuperet- 10. April. ſet, Banerius peditatum in adverſa Barbyæ ripa 12. April. diſponit, ac Scrubkiæ non procul Zerveſta, ubi anguſto alveo Albis arctatur, caſtellum excitari jubet, ne qua cymba ſtruendo ponti navali prætervehi poſſet. Inde ſimulat, in Witebergam aut pontem ibi aliquid ſe tentaturum, ut Electorem eodem pertraheret. Quo facto ipſe ad Magdeburgum iterum cis Albim regreſſus, Lipſiam repente excurrere, aut pro captu temporum aliud quid moliri conſtituerat. Interim ut famem hoſti faceret, omnibus qua poterat locis frumentum Magdeburgum devehi curat. Aſt hoſtis, cui longe ex Miſnia ac Thuringia commeatus petendus erat, inſuper contagio per Cæſareas maxime copias graſſante, diu ibi ſubſiſtere conſultum non judicabat, ſed totum exercitum ad Witebergam trans Albim ducebat. Quo cognito Banerius Magdeburgi de- 21. April. nuo cis Albim regreditur. Sed quod neque ad Sa- Banerius cis Albim lam, nec Barbyæ pedem figere commeatus inopia regreditur. concederet, & ad Magdeburgum hærens exerci- 24. April. tus cito eodem congeſta conſumturus erat, nulla novi penus facultate; placebat Magdeburgo firmato paulo inferius ad Albim metari. Præſertim cum Marazinus retro Havelam verſus tendere nuntiaretur, à tergo Banerio incubiturus, ut hoc averſo Electori ſpatium fieret deſtinata adverſus Magdeburgum exſequendi. Contra Banerius ejus oppidi obſidio Saxonem atterere cupiebat; poſtquam quiete ſuos refeciſſet, ac copiis à Suecia auctus fuiſſet, recentibus viribus in iſtum iturus.

Lohuſius miſſionem obtinet.

§. 26. Magdeburgo porro Lohuſius diu præfectus fuerat; & quanquam ſuperiore anno turbulentis ductorum conſiliis immixtus, tamen cum de fide ſua in Sueciam ſancte teſtaretur, offenſioni Germanorum militum vitandæ ibi relictus erat. Sed cum primo adventu Banerius ipſius legionem vegetam oppido educeret, Drakii feſſa in ejus locum ſubſtituta, ægre id ferre Lohuſius & fruſtra imperio ſummi ducis aliquandiu obluctatus, miſſionem flagitare cœpit. Quem Banerius ad Oxenſtiernam, à quo conſtitutus ibi fuerat, rejiciebat. Etſi alienati ipſius à Succis animi non pauca indicia eruperant, qui & Stasfurti oborto adverſus Torſtenſonium jurgio jactaverat; enormes Succos ſpiritus gerere, qui adverſus omnes Electores & Principes Imperii bellum gerere præſumant. Poſt Banerius Stasfurto Magdeburgum regreſſus, cum iſtum res ſuas convaſare intelligeret, ejuſque facti cauſam quæreret, reſponſum accipiebat; miſſionis ſibi ſpem ab Oxenſtierna factam; qua etiam non obtenta ſtationem iſthanc diutius tueri nolit. Cui Banerius; præfectos mutare penes Oxenſtiernam eſſe; ſi tamen ipſi utique abire placeat, aliquem tantiſper ejus vices ſubiturum, manente penes ipſum ſumma oppidi præfectura. Hinc Lohuſius declarare; oppido ſe, cui hoſtis jam ingruere videatur, præfuturum, quoad miſſionem obtineat; ſiquidem ejuſdem cura ſibi plene concredatur ſuſpicione amota, & omnia defenſioni neceſſaria præſtentur, tria peditum millia, quingenti equites, dimachæque, argentum, cibaria, pabulum, adparatus bellicus, tormenta, ligna, & alia; tum certa quæ ſequeretur mandata. Quæ is poſtulatis in ſe non iniquis, aſperitas temporum, quicum Succorum arma tunc conflictabantur, ſatisfacere non permittebat. Igitur accedente Oxenſtiernæ miſſione, quam is haut ægre indulſerat, abdicata præfectura Magdeburgo diſcedit. Ei oppido relinquebantur præſidio

Banerius trans Albim ſe confert. 4. April.

ſex

1636. ſexpeditum legiones cum idoneo commeatu, & adparatu bellico. Præfectura committebatur Joanni Drakio, & Salomoni Adami tribunis, junctis conſiliis gerenda; qui vetabantur deditionem facere, ni probatum foret, omnem commeatum & adparatum bellicum tempeſtive, & debita cum parſimonia conſumtum defeciſſe. Ita 27. April. diſpoſitis rebus Banerius Tangermundam abit; quo in itinere falſus nuntius de hoſte ingruente exercitum per totam noctem in acie detinuerat.

Banerius naſcentem ductorum conſpirationem opprimit.

§. 27. Tangermundæ res parum à conſpiratione ductorum aberat, dum tribuni coitione facta à Banerio veniam petunt, ut ſibi ad Oxenſtiernam tribunos Crocovium & Herberſteinium ablegare liceat. Quod cum iſte abnueret, literas ad Oxenſtiernam concipiunt in hunc ſenſum: quia ipſe poſt concluſum cum Gallis fœdus inſignem vim pecuniæ accepiſſe feratur, ut in ſingulas legiones idonea ſumma diſtribuatur. Nam ſi quid ex aſſignatis hoſpitiis redactum ſit, id firmandis legionibus impenſum: plerorumque hoſpitia ab hoſte turbata, quorum legiones plane fatiſcant. Has literas omnes ductores Germani, Scoti, & Sueci, qui Germano militi præeſſent, ſubſcribere debebant; eamque rem ut Banerio 26. April. proponeret, ad ipſum convenuebant. Aſt Banerius id præſentiens, cum interea de fœda quorundam militum petulantia querelæ ad ipſum delatæ eſſent, anſam hinc arripiebat, antequam tribuni ſua proponere inciperent, univerſos acriter increpandi, addito; ſe miſſurum, qui graſſatores indagarent, & ſi qui deprehenderentur, non ipſos modo, ſed & ductores, ſub quibus mererent, pœnas daturos. Inde in conclave digreſſus, ne quis ſuper his rebus alloqui eum poſſet, Crocovium ſolum intus vocat, eique exponit; ſatis notum ſibi, quam legationem ad Oxenſtiernam ipſi adornent. Id ſe conſpirationis loco habere, nec impune, ſicut ſuperiore anno laturos, ſed autores capite luituros. Officium ſuum facerent, neu lenitate ſua aburerentur, & confeſtim quisque ad legionem ſuam faceſſeret, militiſque petulantiam coërceret. Simul ipſum Crocovium cum ducentis equitibus ire jubet ad inveſtigandos graſſatores. Qui cum conventum huncce non pro conſpiratione habendum excuſaſſet, quod deſideria duntaxat ſua exponere, non in ſuperiores quid tentare voluiſſent, juſſa exſecutus, quatuor libidinis & fœdorum flagitiorum manifeſtos cum viginti vagabundis captos adducebat. Ita conſpiratio in herba opprimitur. Crocovius poſt literis ad Banerium ſcriptis factum excuſabat, vehementer queſtus, ſe velut 4. Maji. autorem increpitum. Cui Banerius: nemini ductorum fas inficio ſummo duce cæteros ad congreſſum convocare, id quod ipſe fecerit; ſuperiore anno ductorum colloquia exercitum turbaſſe, & Oxenſtiernæ ſibique multum negotii dediſſe; ac ſatis conſtare, ipſum apud ſuperiores affectum in Succos, inter familiares diverſa omnia præ ſe ferre.

Saxo Albim tranſit.

§. 28. Hoſtis interim raptim & absque impedimentis Albim tranſierat, ſpe Banerium repente apud Zerveſtam opprimendi. Sed ea ſpe hujus vigilantia excluſus, cymbis è Bohemia accitis opinione citius pontem navalem ad Wuſterhuſam intra milliare à Magdeburgo ſtruit, ibique caſtra metatur, validis ſtationibus verſus oppidum 2. Maji. diſpoſitis. In quos Slangius ad explorandum miſſus, ſub ipſis ſuburbiorum ruderibus rem bene gerit, multis captis & ſupra viginti cum præfecto turmæ occiſis. Quo tempore quædam Brandeburgicæ catervæ duas Succicorum turmas Wittoci degentes oppreſſerant. Porro cum Banerius cre-

deret, Saxonem non niſi modica manu Magdeburgum circumſeſſurum, totoque exercitu ſibi incubiturum, Marazino poſt tergum ingruente, Tangermunda relicta Werbenæ pedem figere conſtituit, quo & frumentum convehi, ac vetera caſtrorum munimenta refici jubet, ſi neceſſitas ſubigeret ibi Albim tranſiturus. Septem tamen legiones equitum Tangermundæ & Stendaliæ ſub Devvicio tribuno relinquuntur, obſervandis hoſtium ad Magdeburgum motibus; quæ iſtis incumbentibus ceſſim Werbenam recedere jubebantur. Ea ipſa nocte, qua Succorum peditatus Werbenam pervenerat, valida hoſtium caterva ſub Schœnickelio, & Joanne Hinderſonio mittitur, quæ Succicos inter Brandeburgum, & Ratenaviam opprimeret. Illa improviſo exteriores Ratenaviæ munitiones, tum oppidum ipſum, quod Livonica legio cum quadringentis dimachis inſidebat, irrumpit. Succi interea excitati aſcenſis equis perrumpere conſtituunt; ac in obſtantes trecentos cataphractos ſe concitant, quos multis cæſis repellunt; ipſi amiſſo vicario & aliquot equitibus ex oppido trans fluvium evadunt, pontemque poſt ſe dejiciunt. Oppidum id deinceps Hinderſonius tribunus cum quadringentis dimachis infidet; reliqui cum Schœnickelio retrovertunt. Eo tumultu Brandeburgum delato Jonas Hadeslebius tribunus cum legione ſua progreſſus hoſtem inſequitur, & campo aperto deprehenſum acriter invadit, primamque catervam turbatam cæteris, quæ non lat laxis intervallis diſpoſitæ fuerant, impingit. Ita omnes in fugam conjecti, in qua circiter ducenti occubuerunt, prope octoginta capti, ipſe tribunus Schœnickelius graviter ſaucius evadit. Banerius cum de capta Ratenavia audiſſet, quod rumor ferret ipſum Hatzfeldium adeſſe, & magni quid ejus loci commoditate favente tentaturum, octo equitum legiones, mille ſelectos pedites cum octo machinis ad Werbenam propere trans Albim ducit, præmiſſo Torſtenſonio, qui hoſtis habitum & Ratenaviæ conditionem exploraret. Qui in oppido erant acriter initio reſiſtere; mox tamen cum vim adhiberi viderent, oppidum dedunt, pacti, ut gladiis ſolis accincti diſcederent. Omnes tamen gregarii exceptis ſexaginta ad Succorum militiam tranſiere. Banerius Brandeburgo & Ratenaviæ demuo præſidia imponit, quod ſe vicino hoſtis non facile quid ea in loca tentaturus eſſet, quin ſtatim ſubveniri poſſet. Cæterum in eo tunc Banerii conſilia vertebantur, ut ſperaret, hoſtem ſi nullo obſidio Magdeburgum invaderet, fame & aliis incommodis non parum atterendum, ſuo exercitu interim quiete & per ſupplementa firmato; unde recentibus ipſe viribus in teſtum hoſtem iturus erat. Circa Werbenam omnia ſic erant exhauſta, ut eo accedens cum exercitu hoſtis vix per triduum ſubſiſtere poſſet. Aſt ſi hoſtis copias divideret, in quam partem ipſe primum incideret, non impune abitura erat.

1636.

Banerius Werbenæ ſubſidit.

Ratenavia bis capitur.

Saxo Magdeburgum obſidet.

§. 29. Aſt Elector ponte navali propius Magdeburgum admoto, ipſe ad oppidum, Hatzfeldius in adverſa Albis ripa metatur. Quinquam enim inopia cibariorum pabuliique premeret, morbi inſuper ob metum irruptionum Succicarum anguſtius tendentes acrius interſarent, & crebris deſertionibus numeri minuerentur: quod tamen Sueci ejus urbis opportunitate uti facile in hanc aut illam Albis ripam tranſeundo inſtantes fatigare poſſent, nec illa poſt tergum ſalva tuto ulterius progredi liceret; Electori ſedebat quocunque diſpendio, & vel jactura totius peditatus id oppidum ſubigere. Igitur Hatzfeldiani primo caſtel-

1636. lum ponti adſitum invadunt, & binis aſſultibus repulſi tertium adparant. Sed propugnatores, tantæ violentiæ impares caſtellum deſerunt, ac ponte dejecto in oppidum ſe recipiunt. Inde & ipſe Hatzfeldius eis Albim caſtra transfert, magnoque ſtudio una cum Saxonicis acceſſus ad oppidum molitur. Nec minus obſeſſi acriter reſiſtere, ac continuis eruptionibus noctu diuque hoſtem fatigare. Inter multos cæſos lauciosque, Bauditius femur globo traiicitur, unicum emolumentum mutatæ militiæ. Nam paulo poſt ægre ſcipionibus ſe ſuſtentans abdicato imperio Electori valedicebat, acerbe poſtea queſtus, nec præmii quid, nec reſidua ſalarii, & ne centum quidem unciales in viaticum datos, ac conſumtam valetudinem, exiſtimationem, fortunam impatienter dolens. Porro ad Magdeburgum vis hoſtium præcipue in novum propugnaculum incubuerat, ad quod ita prope acceſſerant, ut tormentis ex urbe lædi amplius non poſſent. Inde tribus è ſuggeſtibus munimenta oppidi per octiduum verberantur; quo elapſo obſeſſi petebant, ut oppidanis cum uxoribus & liberis liceret excedere. Mox & decuriones Electoris gratiam implorant, ac ut civibus parceretur, Succicum præſidium honeſtis conditionibus dimitteretur. Paulo poſt hoſtis toto cum equitatu & aliquot peditum millibus Tangermundam improviſo invadit, tribus Succicorum equitum legionibus infeſſam; quæ tandem armatæ in campum prorumpunt; ſed hoſte prævalente cedere coguntur, non paucis deſideratis, & inter alios Schulmanno, & Jaroſkio tribunis, ac legionis Livoniæ ſubtribuno captis. Tandem obſeſſi hoſte propius ſubeunte, & pyrio pulvere deficiente, quem initio obſidii juſto liberalius prodegerant, cum per totum Junium menſem ſtrenue reſtitiſſent, & creberrimis eruptionibus hoſtem infeſtaſſent, ſuper deditione pacifci incipiunt.

Maji. 16.

25. Jun.

22. Jun.

25. Jun.

27. Jun.

§. 30. Eo tempore Banerius circa Werbenam in ſtativis hærebat, exercitum refecturus, qui peditum quinque, equitum quatuor millia explebat; cujus in provinciales petulantiam ſeveris edictis coërcitum ibat, agricolas quoque hortatus, ut operi ruſtico & meſſi colligendæ vacarent. Sed deficientibus per Marchiæ oppida alimentis, cum equites quoque è publico penu jam alendi eſſent, ſimul literis de extrema Magdeburgi neceſſitate moneretur, ſtatuebat cum illis, quas ſecum habebat, copiis inde movere, utut quæ ex Suecia expectabantur nondum adpuliſſent. Non quidem ut prælio decertaret, ſed ut hoſtem operibus ſuis detraheret, obſeſſisque occaſio fieret iſta ſubruendi ac vires recolligendi. Et quanquam periculoſæ plena aleæ res videretur eo ſe conferre, unde per decem milliaria receptus quærendus erat; tamen cum nulla alia ſuperetet via urbem ſervandi, quicquid fors ferret expectare decreverat, ni propera ejus loci deditio cogitationes alio vertere ſubegiſſet.

30. Jun. Banerius Magdeburgo fruſtra ſuccurrere cupit.

§. 31. In Pomerania ſub initium anni Saxo Stetino imminere credebatur, non ignaro Ducis Conſilio, cui ab Electore id ſignificatum fuerat. Sed Banerio Mitiniam verſus erumpente, is conatus evaneſcebat, abeunte ſimul Marazino, ut hoſtium iſtis in oris nihil ſupereſſet præter duas legiones vix ſeptingenta capita explentes, & duas Croatarum turmas. Stargardia quoque deferebatur, pleriſque tormentis Landsbergam abductis, & corruptis quantum licebat munitionibus. Sed cum ne turma quidem equitum Succicorum in Pomerania foret, hoſtis Landsberga, Gartzio, & Lœckenitza excurrens impune paſſim vagabatur. Simul quia pedites à Polonis exautorati in Sileſiam tranſiiſſe ferebantur, novæ irruptionis metus oriebatur. Quem tamen mox diſcutiebat Hermannus Wrangelius, qui poſt reſtitutam Elbingam, & traditam Brandeburgico Pillaviam, tria millia, quadringentos quinquaginta pedites, & nonnihil adparatus bellici, ſed ſexaginta tantum equites è Boruſſia adducebat. Hujus adventu territi qui caſtellum Marvvicianum tenebant hoſtes, eo deſerto Gartzium ſe recipiunt. Id mox à Succis centum quinquaginta peditum præſidio firmatum. Grifenhagæ quoque miles imponitur, & in Nova Marchia Soldini, Kœnigsbergæ, & alibi catervæ diſponuntur, quæ ad tributa ſolvenda provinciales compellerent. Quo tempore ſeptuaginta Sueci ſuperiore anno Gartzii capti, & militiam mutare coacti, Cuſtrino ad alia quædam negotia emiſſi duce Joanne Mulirio cohortis vicario Stetinum poſtliminio revertunt. Porro Wrangelius hoſtium excurſionibus inhibendis Lœckenitzam primum expugnare decrevit, quam ſubtribunus natione Hiſpanus ſtrenue propugnabat. Sed cum ſerum videretur acceſſus moliri, ne forte inter moras hoſtes contractis copiis ab equitatu deſtitutos invaderent, idem oppidum toto die tormentis verberatum, noctu tribus locis impetu dato capit, quinque tantum ſuorum deſideratis. Præfectus ductorelque reliqui captivitatem ſubibant, gregarii per Succicas cohortes diſtributi. Inde Gartzium eminus circumſidere inſtituit, inopia cibariorum laborans, ſed validiore præſidio infeſſum, quam ut modicis copiis impetu poſſet opprimi. Huic cum quatuor legionibus ſubſidio veniebat Streinius tribunus, ducentis prius equitibus imm iſis. Sed dum ipſe cum ſexaginta equitibus in oppidum tendit, à Dromondo ſupremo Vigilum præfecto non procul Vierrada cum triginta ſuorum capitur. Unde territæ quatuor iſtæ legiones retro cedebant. Poſt tamen ad Cuſtrinum in Novam Marchiam transgreſſæ Succicos Kœnigsbergæ hærentes opprimunt per ſocordiam præfecti, qui primo hoſtium adventu, cum non amplius centum pedites ſecum haberet, deditionem offerebat, ac iſtis poſtulantibus ſtatim cum vicario cohortis prodibat, citra conditionem mox ab iis in captivitatem abreptus. Cæterum Sueci aditus Gartzii terra ac flumine vix inſederant, cum Dromondus de Marazini adventu nuntio accepto ſtatim Vierrada deſerta Pencunum ſe recipit, ægre id ferentibus Bielkio Legato & Wrangelio, qui maluiſſent expectatum fuiſſe, quoad de hoſtis itinere liquidius conſtitiſſet; præſertim cum inopia Gartzenſes brevi ad deditionem compulſura videretur. Et jam ad priorem ſtationem redire Dromondus jubebatur; ſed cum undique nuntii de Marazini adventu confirmarent, placuit dilato obſidio copias circa Stetinum retrahere. Is quippe poſt adventum Hatzfeldii à Saxone dimiſſus magnis itineribus per Wittebergam Cuſtrinum iverat. Inde ulterius progreſſus, per deſultores in Grifenhagam impetu facto acriter repellitur multis deſideratis ac ſauciis. Poſt ad minas converſus nihilo plus proficit. Ita fruſtra habitus diſcedit, ac Piriciæ caſtra metatur. Habebat iſte quatuordecim equitum legiones, quæ tamen vix quatuor capitum millia explebant, ac dimacharum manum; è Sileſia pedites expectabantur, citra quos adverſus munita oppida nihil tentare licebat. Cæterum trajectus ad Schvveram opportunitate uti Cæſarei aperta provincia ex utraque Oderæ ripa impune perſultabant. Sueci contra oppidis tuendis invigilabant, qui & in inſula Grifenhagæ adlita novam munitionem excitabant ad tuendum ibi Oderæ tranſitum. Simul Joannem Skyttium juniorem cum legione ſua incentæ quantumvis Stargardiæ immiſerant; qui

1636. 2. Jan. 5. Jan.

Wrangelius in Pomeraniam venit.

5. Febr.

2. Mart.

5. Mart.

13. Mart.

Martzianus denuo in Pomeraniam redit.

17. April.

Geſta per Pomeraniam.

1636. qui à Marazino cominus circumseſſus ob crebras eruptiones ac velitationes pulvere pyrio, ac præterea farina deſici cœpit. Unde Bielkius Legatus triginta equites eo deſtinat, qui ſingulos ſacculos pulvere plenos poſt ephippia geſtarent, inſuper triginta amplius currus farina & ſale onuſtos, quin-
4. Maji. quaginta ſcloperariis deducentibus. Ii nocte Damma profecti facile in oppidum ſe penetraturos ſperabant, quod reliquo itinere vacuo haut procul mœnibus ſtationem ſat debilem hoſtis diſpoſuiſſet. Et equitibus quidem res ſuccedebat, qui repulſa hoſtium ſtatione, occiſisque quindecim, & quinque captis, ſuorum uno duntaxat cadente, in op-
16. Jun. pidum pervadebant. Etſi plerique in conflictu ſacculos pulvere plenos abjecerant, fruſtra inhibente Arenſonio præfecto; qui poſt deficiente pabulo iterum medios per hoſtes incolumis Wollinum perrupit. Sed pedites ab hoſte circumventi, poſt tentatam fruſtra pugnam ad unum omnes cum vehiculis in hoſtium poteſtatem venerunt. Obſeſſi tamen pulveris defectum parſimonia, & farinam novo extructo molendino utcunque ſupplebant.

Pomeranorum in Succos animus.

§. 32. Porro in Pomeranos haut quidquam hoſtilem animum præ ſe ferebat Marazinus, quin & aliquot ad ſe Conſiliariorum Ducis in colloquium evocabat. Quod his valde lubentibus erat, etſi Bielkio Legato promitterent, omnia cum ipſo bona fide communicatum iri, ac nihil à ſe in fraudem
27. April. Sueciæ ſuſcipiendum. Ea porro mandata iis, quos ablegaturi erant, dederant; ut militem ſuum Marazinus intra modeſtiam coerceret; tributa ad fortunas provincialium temperaret, eaque non manu militari, ſed per magiſtratus provinciales exigeret, Ducis aulæ deſtinata prædia immunitate ab hoſpitiis frui permitteret, conceſſo ſimul rebus ejusdem libero tranſitu; & quia exhauſta regio tantum exercitum alere non poſſet, ut vicinæ provinciæ in partem onerum venirent. Ea cum hoſte commercia Bielkius vehementer ſibi diſplicere oſtendebat, quod iſti ultro media offerrentur, quibus Succos oppugnaret. Quod tamen in mandatis non haberet talia vi prohibere, eos conatus ſuo loco relinquere cogebatur, de quibus ad O-
19. Mart. xenſtiernam relaturus erat. Paulo ante & iſti nomine Ducis ad Cæſarem ſcripſerant, rogantes, ut amica via Succos Germania dimoveat, quod maris Baltici accolarum multum interſit eam nationem amicam habere; nec citra ruinam tractus maritimi tot munitis iſti locis ejici queant. Enimvero id luculentius erat alienati animi indicium, quod à ſacerdotibus poſtularent, ut preces publicas hactenus receptas mutarent, & diſertam Cæſaris mentionem facerent; ſimul eam formulam omitterent, qua Deus orabatur, ut Pontificios & Calvinianos compeſceret, declinandæ Cæſaris & Brandeburgici offentæ: & quod eam ob cauſam hoſtis in ſacerdotes per Pomeraniam atrocius, quam alios provinciales, ſæviat. Sed iſta ſacerdotes abnuebant, cauſati; preces illas ad præſentem Germaniæ miſeriam attemperatas: Cæſarem ſub communi vocabulo Principum Chriſtianorum comprehendi; à longo tempore uſu receptum adverſus infenſos noſtris ſacris vota concipi; mutationem nihil profuturam, & adverſariis potius ludibrio fore; parum Theologicum eſſe ita timide ad tempora ſe componere: pro hoſtibus orandum eſſe, non ut Deus auxilio ſuo illorum conatibus allubeſcat, ſed ut eosdem convertat, aut pertinaces frangat.

Gella per Weſtphaliam.

§. 33. In Weſtphalia novi anni auſpicia memorabilis conflictus inſigniverat. Cniphuſius enim circa finem anni ſuperioris poſt tentatam fruſtra Haſelunam Meppam revertus, mox Neuhauſa capta Amaſi flumine hoſtem depulerat. Sed dum 1636.
iplis Kalendis Januariis Meppa Oſnabrugam 1. Jan.
tendit, ut relictas ibi Hodicii & Sperreuteri legiones (quarum huic jam Kœnigsmarckius præerat,) ſibi conjungeret, hoſtium ſupra tria millia ad Haſelunam ducibus Vehleno ſummo Vigiliarum Præfecto, & Lautersheimio tribuno coiverant, ut Succicos in itinere opprimerent; ante capto commodiore loco, & numero quo prævalebant confiſi. Aſt Cniphuſius cum nulla prælium declinandi ratio eſſet, ſuos cohortatus, dum ipſe primum agmen in hoſtem ducit, initio conflictus globo caput trajectus occumbit. Ducis ſummi Cniphuſius occumbit.
caſus etſi Succicos nonnihil perturbaſſet, mox tamen Cratzenſteinii tribuni hortatu animos reſumunt & poſt ternas peditatus hoſtilis diſploſiones ſuſtentatas ita acriter in hoſtem ruunt, ut hic in Cæſarenorum in Haſelunam cladem.
fugam effuſus, plus quam mille cæſos in loco conflictus cum quatuor machinis relinqueret. Multi, quos inter Collartus tribunus, aquis hauſti. Lautersheimius tribunus, duo protribuni, aliquot alarum præfecti, centurionesque & alii ductores cum quingentis amplius gregariis capti. Lautersheimius tamen Buxtehudæ aliquandiu detentus, poſt aſſu Hamburgum, inde ad ſuos evaſit. Eo in conflictu Cratzenſteinius egregie rem geſſerat, cui & ideo Oxenſtierna dignationem ſummi Vigiliarum præfecti à Cniphuſio delatam confirmabat. Jordanus quoque tribunus præclaram operam navarat, cui Cniphuſii legio conceſſa. Cniphuſii mors omnibus acerba acciderat, qui jam conciliandis militum animis utiliter operari cœperat, ut ſi ſupervixiſſet, inſignem Succicis rebus operam præſtiturus ſperaretur. Cratzenſteinius etſi nullis mandatis inſtructus, adminiſtrationem rerum eo tractu ſuſcipiebat; ac Vechta aliquot equitum turmis eminus circumſeſſa, cum reliquis copiis Cloppenburgum ad deditionem compellit. Sed ne plu- 20. Jan.
ra tentaret Marchio Grana efficiebat, qui eodem tempore partem Cæſarei exercitus è Lotharingia regreſſum per totam Weſtphaliam in hiberna deducebat. Septuaginta amplius legionum voca- Succi cis Viſurgim cedere cogunntur.
bula erant, ſed quas fames morbique ita attenuaverant, ut vix ſeptem millia capitum conficerent. Sic hoſtis ad Haſelunam ſuius tanta nunc accellione auctus, Cratzenſteinium valde urgebat. Jam quoque advenerat Sperreuterus, qui cohortem ſuam prætoriam Nienburgo ad ſe pellexerat; idem circa totam ſuam quondam legionem agitans. Cratzenſteinius igitur hoſte immenſum prævalente, ut militem ſuum ſervaret, trans Viſurgim ſe recipere conſtituit; eoq; fine Viltzhuſam tendit, à Sperreuteriana legione inſeſſam. Quo antequam perveniret, abſente Kœnigsmarckio viarum anguſtiæ negligentius à legione cuſtoditæ fuerant. Unde hoſtis illic repente ingruens legionem turbat, ſimul Cratzenſteinium à ſuis præclusum cymba Bremam trajicere cogit. Reliquæ tamen legiones cum Brema tranſitum plane abnueret, & Nienburgum aditus non pateret, ad Petershagam Viſurgim ſuperant. Sperreuteriana quoque legio ægerrime cum cæteris evadebat, amiſſis tamen omnibus impedimentis, & equis ſupernumeratiis. Vix hæ legiones Viſurgim tranſierant, cùm Dux 6. Febr.
Georgius moleſtiam illis faceſſere inſtituit, denuntians, ut quicunque in ipſius territorio deprehenderentur, ſibi & Romano Imperio fidem jurarent. Abnuentes ut comprehenderet, tribuno Boyo mandatum erat. Sed id quidem fruſtra erat, & unicus tantum turmæ præfectus ad Ducem tacite tranſibat. Reliquæ legiones trans Alteram & Leinam flumina ſe recipiebant, numeris tamen ita imminutis, ut cunctæ vix ſexcenta adhuc capita explerent. Paulo poſt Sperreuterus cum tribu- 13. Febr.

1636. no VVesterholtio, ac Commissario Cæsareo à Bremensibus insignem pecuniæ summam, adparatum bellicum, annonam, & transitum per ipsorum urbem delendis penitus Suecis postulat: cui utcunque amoliendo quinque uncialium millia promittuntur. Nam licet Senatus temporibus obsecundans, forte à petitis explendis non abhorrebat, plebs tamen Cæsareas partes aversata, levi de causa obortà rixa Sperreuterum fere ad necem dederat, ni Senatus defensione ejus susceptà, quinquaginta scloperariorum præsidio addito extra urbem deduci curasset. Dum sic apertis VVestphaliæ locis Sueci cedunt, Cæsarei laxis hospitiis gaudentes affluxu rusticorum atque latronum legiones supplebant. Osnabruga quoque in periculo non modico versabatur, non solum ob acre obsidium, quo premebatur, sed & quod Episcopus civium animos promisso usu sacrorum Augustanorum, aliorumque privilegiorum ita corrupisset, ut præfectus oppidi vix eos amplius in officio continere posset.

Leslæus in Westphaliam mittitur. 14. Febr. 19. Febr.,

§. 34. Instaurandis Suecorum per Westphaliam rebus fere collapsis ab Oxenstierna Alexander Leslæus summi ducis titulo mittitur, qui Hamburgum prægressus insequentibus è Pomerania copiis primo Bremenses, qui non parum in Cæsaris partes inclinare dicebantur, literis hortatur, ut in Suecorum amicitia persistant, nec hostem commeatu aut aliis rebus juvent, aut transitum ei per urbem concedant. Insuper Archiepiscopo scribit, ut Bremenses à studio in Cæsarem abterreat, ac frigore tunc sæviente impediat, ne Cæsarei per glaciem eis Visurgim excurrant. Mittuntur quoque Jacobus Kingius supremus Vicarius, & Laurentius Grubbius, qui cum Duce Georgio agerent, ut legiones suas Suecicis junctas una hosti immittat: ita enim ditionem ejus insigniter levari, cum alias sibi ad Alleram statio capessenda sit, sede belli in ejus terras translata. Quod si autem Duci placeat summum in Suecicas copias imperium uti ante recipere, se, cæterosque ad jussa ipsius agnoscenda paratos esse. Ad quæ Dux reponere: ademtis sibi per Suecos copiis, aliisque injuriis tantum non se coactum ad Pragensem pacem amplectendam; de qua cum scripto testatus sit, retractari id non posse: eoque oblatum imperium à se acceptari fas non esse. Favorem tamen in Suecos se servaturum; simul mediatoris partes Cæsarem inter ipsosque susceperum; & ubi adpareat, adversam partem aliud præter honestam pacem quærere, consilia Suecis placitura capturum. Promittebat quoque se prohibiturum, ne Cæsarei Visurgim transeant, quo fine copiis suis ipse opus habeat. Deprecatus denique, ne Sueci copias suis terris immittant, quod alias Cæsarei sint idem facturi, ac ut Banerius ditiones suas parcius exactionibus premat. Id responsum ambiguum Leslæo haut satisfaciebat, qui aliis quoque indiciis de sincero Ducis animo dubitabat. Nec eo magis tamen in Cæsareas partes propendere comperiebatur, utut Gleenius, aliique Cæsarei ductores blanditiis & promissis ipsi adrepere satagerent, spe quoque facta amicæ in causa Hildesiana transactionis. Quin cum Cæsarei Visurgim transituri viderentur, copias suas secus id flumen disposuerat, jussas perrupturis vim opponere. Et credebatur de comparando in defensionem Inferioris Saxoniæ exercitu agitare, Suecis æque ac Cæsareis partibus dimotus. Quod cum præstare penes ipsum solum non esset, spargebatur, eundem cum Daniæ Rege fœdus icturum, & hunc componendæ causæ Hildesiensi operam impensurum; simul Circulum Saxonicum Daniæque Regem Bremensem, & Hildesiensem præsulatum utique vindicaturum.

21. Febr.

Georgius Dux Luneburgicus ambiguum se gerit.

§. 35. Cum igitur Duci persuadeti non posset, ut ad Suecicas partes rediret; Leslæus id deinceps curabat, ut legiones Suecicas, quæ nuper ad Ducem transierant, iterum ad se pertraheret, quæ & animo in Suecos prono ferebantur. Ad has ergo Oxenstiernæ, ac inde Leslæus, ipse atque Grubbius literas dederant. Quibus istæ initio reponebant in votis sibi esse cum reliquis Suecorum copiis conjungi: sed ob nuperam cum Duce Georgio transactionem, & quod ab ipso dispositæ sint ad custodiendos Visurgis transitus in usum utique Suecorum, se ab illo deficere non posse. Alias sibi affectum in Suecos constare, & eorum emolumentis omni studio inservituros. Mox tamen Martinus Chemnitius alterius negotii obtentu ad Ducem missus iltis plane persuaserat, ut secum Leslæo junctim in hostem ituras promitterent. Unde hic, postquam aliquandiu ad Alleram hæsisset, paulatim Visurgim versus regreditur, in Westphaliam adversus hostem licet numero longe prævalentem iturus; quo fine & navigia Nienburgum navali ponti extruendo adduci curat. Contra hostis & ipse Nienburgo propinquans omnia circumvallabat, ac Petershagæ muniendæ incumbebat, quo Suecorum impressionem impediret. Leslæus igitur lustratis apud Stochenam copiis, egregiis sane, sed quæ non multum quatuor millia excedebant, noctu repente Visurgim ad Nienburgum transit. Qui Libenaviæ egerant hostes, quos opprimere constituerat, ejus adventu audito se proripuerant. Inde Petershagam vertebat, quam Kerlerus Baro cum sua legione, sed numeris valde imminutis infidebat. Hic deditionem imperatam primo abnuere; sed cum assultui faciendo omnia parari videret, arbitrio se Leslæi permittere; à quo ipse ac triginta præfecti cum centum octoginta quinque gregariis captivi Nienburgum deducuntur. Inde Stoltenaviam regressus, Glaubicii, Boyi, & Brunecki legiones cum quatuor cohortibus Beckermondi, hactenus à Duce Georgio detentas sibi adjungit: quibus auctus Osnabrugæ subsidio ire constituit. Sequenti die duabus Cæsareis legionibus Witlagæ & Essenæ tendentibus, Metternichii & Loirii improvisus ingruit, ac magna parte cæsà, ducentos quos inter duo turmarum præfecti aliique ductores cum vexillis octo capit. Sed postquam hostem Osnabrugæ obsidio soluto Warendorfium recessisse audiret, plures sibi copias adiciturum; circa Lemgoviam subsistere constituebat, tuteriusque Banerii ad Albim speculaturus; nulla insigniter susceptà, nisi quod excursorum catervæ quotidianis fere damnis hostem carpebant.

1636. Leslæus legiones devias ad se pellicit.

4. April.

Leslæus Visurgim transit.

15. April.

16. April.

Duas horum legiones opprimit.

§. 36. Sed majus operæ pretium fuit Minda in potestatem redacta, cujus præfectus Wolfius Ludingshusius, & vigiliarum præfectus Hieronymus Plettenbergius inconcussam in Suecos fidem gerebant. Sed præsidiarii plerique Ducis Georgii ditione oriundi, tum Magistratus fide eidem obstricti, civesque in eundem respicere. Igitur necessarium videbatur curare, ut istud oppidum plane in Suecorum potestate foret; circa quod vivo adhuc Cniphusio cum præfecto clam conventum fuerat. Sed res ejus morte interrupta adventu Leslæi demum perficitur. Igitur mittuntur præfecto mandata, ut deinceps non Duci, sed soli Leslæo pareat, plus militum in oppidum recipiat, ac concesso transitu, aliaque ratione Suecico exercitui inserviat. Et maturandum videbatur Oxenthiernæ, quod fama esset, Ducem super tradendo oppido & præsulatu isto cum hoste tractatus agitare. Præfecto ad justa socero Cniphusio facienda digresso Plettenbergius id exsequendum in se suscipiebat. Transibant quotidie Suecorum catervæ per oppidum nemine prohibente.

Minda in Suecorum potestatem redigitur.

26. Apr.

1636. hibente. Igitur ſummo mane Hodicius Comes cum ſua legione, & Finnica tribuni Bergii legio, quibus id à Leslæo injunctum fuerat, condicto die ad portam oppidi adſunt, denſatis ordinibus, & immiſto pedite, tubis verſus terram demiſſis. Cum autem centurio Standingius conſilii ignarus, portam aperire nondum ſat clara luce tergiverſaretur, Plettenbergius, ſtatim accedens portam pandi jubebat. Nec mora Hodicius ingreditur, reliquis è veſtigio inſequentibus. Et Equites quidem in forum progreſſi ordinibus diſpoſitis conſiſtebant: pedites ex utraque parte in vallum tendentes ſtationem excubitorum domum ire jubent. Hinc VVolfiana legio in aream Baſilicæ convocatur, eique exponitur ipſam auſpiciis Reginæ Sueciæ conſcriptam, eidemque ſacramento devinctam; quod nunc renovare haut grave futurum ſit. Et initio quidem nonnulli ductorum ob natale ſolum Duci Georgio obnoxii renituntur, gregariis quoque in ſuam ſententiam ſolicitatis; mox tamen adquieſcunt, quod, qui ultro ſacramentum dicere nollent, abire cum omnibus ſarcinis permitterentur. Eodem mox die Leslæus per literas Duci Georgio facti hujus rationes exponit: Variis indiciis conſtitiſſe, Ducem ſuper illa urbe hoſtibus tradenda paciſci, & hos eidem ſummopere inhiare; quibus conatibus obviam eundum fuerit. Id tamen Ducis juribus fraudi non fore, quin ad tuendum ipſum, ejusque ditionem ſpectare, ac non Mindam ſolum, ſed & totum exercitum ejus uſibus patere. Aſt Dux hiſce literis haut quidquam placatus, vehementer exandeſcere, ac Ludingshuſium cum tota legione edicto avocare;
29. April. ac præcipue Plettenbergium velut facinoris autorem ad cauſam perduellionis dicendam citare. Tũ aſperis literis à Leslæo oppidum ſibi illæſum reſtitui ipſo cum Plettenbergio poſtulat. Contra Plettenbergius demonſtrabat; dudum ſe Sueciæ ſacramento devinctum, cum anno triceſimo primo Hamburgi ſub Franciſci Caroli Ducis Lauenburgici legione centurionis munus ſuſciperet: id ſacramentum deſerere, ac longam militiam fœdo fine maculare nunquam ſibi in mentem veniſſe. In diplomate, quo Dux biennio poſt ipſum ad conducendum militem autoraverit, eundem Coronæ ſe Sueciæ Generalem vocitaſſe, ſe totamque legionem tunc Sueciæ ſacramentum dixiſſe: eoque dum ſub iſto munus militare ſuſcipit, haut quidquam fidem Sueciæ datam abolevisſe; nec aliud ſe imperium in Duce agnoviſſe, quam quod ipſi à Guſtavo Rege delatum ſit. Ducem Georgium paſſim in literis copias queis præerat, Regium exercitum ſibi commiſſum nuncupaſſe. Equidem à ſe non accuſari Ducem ob exutam Succicam militiam: nec tamen ideo ſe ob priorem fidem ſancte ſervatam meritum, ut perfidiæ arguatur, ſuaque exiſtimatio ignominioſis verbis, & illegitimo proceſſu maculetur. Nunquam ſe verbis juramenti loco fidem Duci dediſſe: nec quod nuper ejusdem Minda diſceſſu cultum ſuum in eundem vulgari honoris formula teſtatus ſit; ideo ſe aut priori ſa-
1. Maji. cramento renuntiaſſe, aut novum induiſſe. Sed & Leslæus per literas à Duce poſtulabat, ejusmodi edictis adverſus legionem, & Plettenbergium ſu-
1. Jun. perſedeat. Simul Oxenſtiernam monet, ut autoritate ſua iſtum protegat. Ac ut par pari referret, legionis VVolfianæ protribunum Beſſelium, Hamelæ apud Ducem degentem, edicto ad cauſam dicendam evocat, quod fidem Sueciæ datam absque miſſione exuiſſet. Sed tam hæc actio, quam quæ Plettenbergio intentabatur, incaſſum interci-
11. Jun. dit; præſertim poſtquam Oxenſtierna acriter pro iſto ad Ducem ſcripſiſſet; recte à Plettenbergio factum, & cum à Regina Sueciæ utique defendendum; tum ut ejusmodi contumelioſis verbis 1636.
parcat. Cæterum Dux cui nuper & legiones & Minda ſubtracta fuerat, quo de reliquis copiis ſibi caveret, omnes denuo in Cæſaris & Imperii verba adigit. Id ubi Leslæus intelligit, literis Ducem 28. Maji.
percontatur; cum ea res Sueciæ, quæ aperto adhuc bello cum Cæſare implicita ſit, ſummo præjudicio cedat, ſe noſſe cupere, amicum an hoſtem ſe profiteatur? Ad quæ Dux ambigue; ſedulam à 2. Jun.
ſe operam ſumi, ut cum Suecis Gallisque amice tranſigatur; à ſe nihil factum legibus Imperii adverſum: in conventione cum Guſtavo Rege exceptum, ne exercitum contra Imperium ducere teneatur: ſuper communi Proteſtantium cauſa pro virili ſe connixurum; adverſus injuſte intentata quæ jus gentium permittat, à ſe reponenda. Rebus Mindæ diſpoſitis Leslæus hoſti ſemper ce-29. April.
denti inſtans Hervordiam usque progreditur; & cum iſtum ultra Bilefeldam loco idoneo caſtra munire intelligeret, viginti tribus equitum, ſex peditum legionibus inſtructum, & ipſe ad Hervordiam conſidet, rei gerendæ occaſioni intentus.

§. 37. Sed novum robur Suecorum rebus à VVilhelmo Landgravio ſperabatur. Nam tractatus, Wilhelmus Landgravius dimicat.
quem hic fine anni ſuperioris cum Hungariæ Rege concluſerat, velut vado adhæreſcere, ac Cæſaris ratihabitio quæ viceſimo quarto Januarii ex convento tradenda fuerat, nuſpiam adparere; quæ Colonia Viennam remiſſa additis quibusdam monitis, ferebatur. Ac ipſe Landgravius parum ſibi de iſta transactione pollicebatur, in qua plura ſibi ſtipulatus fuerat, quam Cæſarem conceſſurum ſperare poterat. Jactaverat quoque Darmſtadienſis Cancellarius VVolfius à Todenvvart, Cæſarem jus tertii condonare non potuiſſe, ac damnum quod Principi ſuo per VVilhelmum Landgravium ſit datum, vicies quinquies centenis unciarium millibus æſtimari; quæ non ita temere condonari queant. Quin & Cæſar datis ad Darmſtadienſem literis declaraſſe dicebatur; ſe nemini de jure ſuo quid detrahere poſſe, aut velle. Paria Brandeburgicus de damnis per VVeſtphaliam ab iſto ſibi datis diſſerebat. Unde Landgravio conſtitutum erat, adventante Cæſaris ratihabitione poſtulare, ut ei transactioni Brandeburgicus quoque & Darmſtadienſis ſubſcriberent. Igitur inſtante Hermanno VVolfio Legato Succico, is ſupremo exercitus ſui Vicario Melandro injungit; Cæſareorum per VVeſtphaliam hoſpitia repente invaderet; inde Confluentes & Hanoviam liberarent, adſcitis Suecorum in VVeſtphalia legionibus, & Gallis qui in Fœderato Belgio ſub Brezæo Mareſchallo agebant. Enimvero & Galli jam navibus in patriam 1. Febr.
revecti erant; & Melander mandatum exſequi tergiverſabatur, multis rationibus id conſilium improbans; Cauſas quæ ad tractatus pacis permoverint usque adeo non tubiatas, ut auctæ ſint. Bellum nunc non in Cæſarem tantum, ſed & in Ordines geri; ejus ſuſtinendi media minuiſſe; ſociorum opes, ſtudiaque remiſiſſe: nec ſat rationum reſumendi belli adparere. Expectandum, quoad Galli, Angli, Hollandi aperte in cauſam deſcenderint. Tandem ſi arma utique placeant, prius querelas apud Cæſarem interponendas, cum ſociis omnia tranſigenda, bello neceſſaria providenda: inde turam viam rem ordiendi circumſpiciendam. Nunc negotium ſibi viribus ſuperius imponi. Simul veniam in Hollandiam proficiſcendi petit; quam abnuere Landgravius non audebat. Ita iſte quidem conatus incaſſum cadebat. Igitur Landgravius ambiguis adhuc rebus caute agere, nec tractatus cum Cæſare abrumpere; denique omni diffidentia abſcondita nil præter pacis deſiderium præſeferre. Nec minus adverſa pars vulpinari;

ac

1636. ac Gleenius hoſpitia per Weſtphaliam ſumta neceſſitate excuſare; ac Haſſis à ſe omnia amica expectanda profiteri. Crebræ quoque Vienna literæ ſpem ſecuturæ mox Cæſareæ ratihabitionis faciebant. Inde uti Landgravius tempus trahendo occationem erumpendi aucupabatur, copiis interea per opima hiberna non parum firmatis, quæ ſelecta peditum millia decem, equitum duo millia quadringentos explebant, è quibus detractis præſidiis minimum quatuor peditum, duo equitum millia educi in expeditionem poterant: ita & Cæſarei quiete ſuos reficiebant, auctis mox viribus Landgravium oppreſſuri. Simul id agere, ut Haſſico militi media ſe conſervandi ſubtraherentur, idemque disjunctis haut facile in unum cogi poſſet, Cæſareis legionibus per Haſſica Hoſpitia interjectis. Suſpicionem augebat, quod VVurtzburgenſis Epiſcopus Landgravium ad novum ſuper pace congreſſum invitaret, velut probata jam à Cæſare transactione dubia quædam diſcutienda ſupereſſent effectum ejus transactionis ſpectantia. Nam non obſcurum erat id quæri, ut firmatis inter moras tractatus Cæſareis copiis, iſte uno ictu proſternneretur. Quia tamen Georgius Luneburgicus ambiguus agebat, ac Succorum auxilium longe aberat, ipſi interim ab hoſtibus undique cincto diſſimulationem nondum tuto licebat exuere. Eoque reſpondebat; circa primarium negotium novis tractatious opus non eſſe, ſed ſi alia quædam monenda forent, miſſurum ſe, qui proponenda audirent, & ad ſe referrent. Solus quippe tentare quid non poterat, præſertim cum idoneus bello dux deeſſet, & cui tuto fidere liceret. Nam & Melandri nupera tergiverſatio ſcrupulum injecerat; & Eberſteinius Comes miſſionem flagitabat, opimis quæ offerebantur conditionibus repudiatis, per Brandeburgicum uti putabatur abſterritus, qui bona ſe ejus publicaturum minatus fuerat. Et ita ſe Cæſarei Haſſorum hoſpitiis inſeruerant, ut ni alio iſti averterentur, [illegible] congre-
17. Febr. gandi ſe facultas non eſſet. Unde cum Wolfius legatus Oxenſtiernæ juſſu denuo ad arma ſtringenda Landgravium hortaretur, hic pronum ſe oſtendebat, modo adventu Leslæi obſtacula, quibus obſeptus hærebat, disjicerentur. Id cum Cæſareis ſuboleret, indulgendo deſtinata iſta eludere conabantur; ac congreſſu Haſſiacorum cum Epiſcopo Wurtzburgenſi teſtabantur: Conventa cum Landgravio Cæſari probari; id tantum dubitari, num ipſe ſolus anno viceſimo ſeptimo præſulatum Hirſchfeldenſem poſſederit. Moguntinum enim confirmare; ſe biennio ante ejus præſulatus poſſeſſionem adprehendiſſe. Sed ſi Landgravius ſuam poſſeſſionem demonſtrare poſſit, nihil ſcrupuli ſuperfore. Mox tamen Haſſiacis copiis per VVeſtphaliam in anguſtum redactis, cum Hatzfeldius per Franconiam ingrueret, cujus auxilio Saxo non magnopere indigere videbatur, Cæſarei aſpe-
16. Febr. rius agere, ac pleraque in dubium revocare; nonnulla aliter concipienda contendere. Saxo quoque jam antea poſtulaverat, ut quia ratihabitio Cæſaris utique ſecutura ſit, Landgravius copias ſuas ex-
6. Mart. autoraret. Et cum his nefas eſſe diceret ferrum in fidiſſimos ſocios ſtringi, Saxo acrius contendere; copias iſtas utique Cæſari concedendas. Igitur miſſo Gunterſtodio aulæ præfecto Georgium Luneburgicum in ſocietatem belli pertrahere nitebatur. Qua ſpe eluſus, tandem Succos unice reſpicere cœpit; lætus Hatzfeldium in Saxoniam properare, & Cæſareos in Weſtphalia adhuc quieſce-
4. April. re. Igitur ad Leslæum verſus VVeſtphaliam jam progredientem mittebat, qui deſtinata ejus exquireret, & ut certum hominem ad Landgravium ablegaret, quicum de communi re ſermones conferret: ſimul inſinuaret ipſum non alienum eſſe à 1636.
conjungendis copiis, modo ſpacium nancifcatur eas contrahendi. Leslæus poſtquam id ab ſe maxime reſpici teſtatus eſſet, ut Landgravio ſuccurreretur, multisque verbis animum ejus laudaſſet, Steinackerum tribunum Caſſellas mittit, qui ſuper conjunctione copiarum tranſigeret. Ubi non deerant, qui conſiliis hiſce obluctarentur, pacis amœnitatem, ancipitem belli aleam ingerentes; nec tractatus cum Cæſare ullo idoneo colore abrumpi poſſe; nec in promtu commeatum eſſe, & adparatum bellicum expeditioni neceſſarium. VVurtzburgenſis quoque eundem blandis verbis lactare; ipſe quæ deſideraret ſcripto conciperet; ſe curaturum, ut ea ab Cæſare confirmentur. His rebus labefactus Landgravius, Steinackerum ambiguo cum reſponſo dimittit, ac de affectu ſuo prolixe teſtatus conjunctionem copiarum abnuit. Nam ex conventu induciis prius renuntiandum eſſe. Et in Belgium ſe miſiſſe argenti ac inſtrumenti bellici cauſa, denique Melandrum Ducem abeſſe: intra menſem tamen plenius mentem ſuam declaraturum.

§. 38. Mox tamen cum Hanoviæ liberatio jam inter extrema luctantis ipſi valde cordi eſſet, legatos ad Epiſcopum VVurtzburgenſem miſſos revocat, acribus literis datis, niſi Hanoviæ obſidium ſolvatur, arma ſibi iterum ſtringenda. Et cum Sueci adparatum bellicum adferrent, ac in hoſpitiis nonnihil commeatus ſupereſſet, tandem ſecurus quid Melander ſentiret, tractatus cum Cæſare abrumpere, & adjunctis Suecis Hanoviæ liberationem tentare conſtituit; non parum ipſius animum confirmante uxore; & quod Callenbergius tribunus per ſententiam Cæſaris ad Helvetios relegatus, & VVolfskehlius, uterque quondam Conſilii Formati aſſeſſor, una cum VVolfio legato obloquentes acriter retunderent. Igitur cum Georgius Dux de intercepta Minda ipſi ſignificaret, monens, ut & ſibi caveret: Landgravius Succos ſibi ſuſpectos obtendens, pacis ſe quoque certum copias exautoraturum, eas contrahi jubet. Sed clam Hervordiam mittitur, qui cum Leslæo ſuper loco & tempore conjunctionis conveniret, ac poſtularet, ut Leslæus iſta ſtatione hoſtem depellat, quo laxius ſpatium Haſſiacis coëundi ſit. Landgravius poſt longam dubitationem cum Suecis ſe conjungit.
Ea re lætus Leslæus hoſtem quidem invadere haut 2. Maji.
timebat; ſed quod alea prælii ſecus cadente exitium Landgravii terris incubiturum erat, ſatius cenſebat, junctis prius copiis tota vi in hoſtem ire. Inde Landgravius miſſo ad Marchionem Granam, & Vehlenum tubicine, queſtus inani pacis tracta-
10. Maji. tu ſibi illuſum, induciis renunciat. Mox Calenbergium tribunum cum duodecim equitum centuriis ad Leslæum præire jubet; ipſe ſtatim cum machinis & reliquis copiis ſecuturus. Bis mille quingentos equites, tria peditum millia conficiebant, Leslæo adjuncto ſat formidandus hoſti exercitus. Quod tamen induciæ demum decimo octavo Maji die expirarent, ante eum diem vetabantur hoſtilia in Cæſareos exercere. Haſſiacos dum expectat Leslæus, quotidianis excurſionibus plurimos hoſtium intercipiebat; & inter alia ducentos equites cum quadraginta deſultoribus opprimebat, pleriſq; cæſis, & tribuno Chriſtiano à Munſter, aliisque ductoribus captis. Ad eundem & quatuor Luneburgicorum equitum turmæ, ad Saxonem deducendæ, faſtidita iſta militia tranſibant. Hoſtis autem intellecta Haſſiacorum cum Suecis conventione ſibi diffiſus VVarendorfum, inde Monaſterium ſe recipit, nullo inſequente, quod novis iterum difficultatibus & conſultationibus apud Landgravium ortis tempus fruſtra tereretur. Melander enim, cui & alii ſuccinebant, ex Hollandia reverſus

1636. ſus conjunctioni cum Suecis acerrime reſiſtere; jactans, ſe ſalva exiſtimatione id bellum attingere, & alterius imperium ſubire non poſſe: Landgravium totam belli molem in ſe trahere: Piccolomineum & VVertanum prope diem apud Vehlenum adfore, quod Hollandi hoc anno exercitum non ſint educturi: controverſiam Leodienſem compoſitam: Gallum omni ratione pacem quærere; Danum delectibus agendis incumbere; Ducem Georgium præſidiarios Hamelæ in Cæſaris verba adegiſſe, & ipſum Vehleno jungendum: auxilium Suecorum anceps; Hanoviam liberari non poſſe, quod eo penetrantibus Gallaſius à fronte, Vehlenus, & Piccolomineus à latere & tergo incubituri, ipſumque ſua ditione excluſuri ſint. His rationibus poſtquam Landgravii animum labefactaſſet, Hammum digreditur velut æmulatione in Leslæum, qui ſibi longiore militia expleta à Suecis antehabitus ſit. Sed & VVurtzburgenſis Præſul literis de ratihabitione Cæſaris confirmabat; ac ad novum congreſſum Neoſtadium ad Salam invitabat. Sic Landgravio iterum nutante, tractatus quoque cum Chaumontio legato Gallico parum procedebant; illo accuſante, ſe fide ſua ſemel obſtricta poſt ratihabitionem Cæſaris pacem non poſſe non amplecti. Cui Gallus commotior; nec Regi ſuo à cæteris poſt repudiatum cordi amplius fore; ut parum abeſſet, quin tractatus abrumperetur. Sed & Leslæo declarabat Landgravius; non diutius ſe ad conjunctionem cum illo teneri velle, quam ſibi viſum fuerit. Aſt Landgravii uxor Amalia Eliſabetha & Melandrum literis demulcere, ut non amplius conſiliis ſuis obſiſteret; & marito acriter inſtare, ne Hanoviæ liberationem negligeret. Ita hic tandem poſthabitis quæ movebantur difficultatibus animum obfirmat; ac cum Gallico quidem legato in has leges convenit:

26. Maji. 27. Maji. 6. Jun.

Ut certum ipſe militum numerum adverſus communem hoſtem usque ad pacem omnes complexam alat; in præſens cum Leslæo Confluentium, ac Hanoviæ obſidium ſolvat, adparatu bellico commeatuque illato, cujus pretium Galliæ Rex ſit exoluturus: exercitui ſive ſuis ſive Regis Galliæ auſpicijs præſit; de bello partis locis deinceps transigendum; interea inconſulto Rege iſta in alterum ne conferat: Gallis & Suecis integrum ſit quos velint Ordinum in fœdus, aut neutralitatem recipere, id quod & Landgravio ſit obſervandum, ut tamen ipſe ad reſtituenda loca occupata non teneatur, nec ejus tributa imminuantur. Denique idem Romana ſacra in locis occupatis relinquat, uti anno decimo octavo fuerunt, nec quid circa eadem novet. Vicißim Galliæ Rex annuam pecuniam bello gerendo ipſi promittebat. Quo facto demum ſerio de liberanda Hanovia decernitur.

Circa Hanoviam acta.

§. 39. Id oppidum ſuperiore anno Lamboius Cæſareus dux circumſidere cœperat, pluribus circa caſtellis loricisque excitatis non ſine multorum militum diſpendio. Ejus tamen copiæ ter mille capita non excedebant, deficientibus per vicina alimentis, & Darmſtadienſi ac Francofurtenſibus annonam præbere pertæſis. Inde languide oppugnatio procedebat, & qui magno numero injiciebantur globi igniti ne ſtabulum quidem inflammaverant. Contra obſeſſi crebris eruptionibus hoſti damnum inferebant, quarum una duæ ſtationes occupatæ, quinquaginta militibus cæſis, quibusdam ductoribus, ac duabus machinis in oppidum abſtractis. Extinctis in oppido per peſtilentiam multis hominibus annonæ parcebatur; & panis ac vini ſatis adhuc erat, ſed obſonii vicem equinæ carnes, canesque & feles ſubibant. Super eo oppido conventionem Metis iniverant Philippus Mauritius Hanoviæ Comes, & Burggravius à Dona, Moguntinæ ditionis præfectus; qua hic effectu- 1636.
rum recipiebat, ut oppido tradito tota Hanovienſium Comitum familia in amneſtiam reciperetur, ac ipſe bonis ſuis reſtitueretur: Ramſæus more militari dimitteretur; quæ in oppido remanerent copiæ in Cæſaris juxta Comitisque verba adigerentur. Adjunxerat quoque Comes alia monita à ſuis, dum deditionis leges concipiuntur, obſervanda. Sed ea conventio irrita fuit, quod qui iſtam in oppidum delaturus erat, à Lamboio deprehenſus ſuſpendio necaretur. Cæterum tenui liberationis ſpe Ramzæus cum Lamboio tractatus ordiebatur, primo poſtulans, ut venia ſibi daretur ad Oxenſtiernam, & Bernhardum Ducem mittendi; quod Lamboius abnuebat, cautàtus illum in Sueciam, hunc in Galliam abiiſſe. Inde poſtulatum, ut Comes ſuis bonis reſtitutus pace Pragenſi frueretur. Quod & ipſum recuſabat Lamboius, qui oppidum atque Comitatum citra exceptionem Cæſari vindicatum ibat. Nec magis audiebatur Ramſæus, cum oppidum tantiſper intra manus Principis cujusdam neutrarum partium, Angliæ Regis, aut Arauſionenſis Principis deponi poſtularet. Tandem is mediatores proponebat Moguntinum Electorem, VVormatienſem Epiſcopum, & Landgravium Darmſtadienſem. Quorum hic à Lamboio acceptabatur, velut vicinus, & cujus quam maxime intererat Suecos iſto oppido dimoveri. Hic igitur negotio ſuſcepto ſtatim Conſiliarium ſuum Porſium Hanoviam mittit Ramſæo perſuaſurum, ut ſibi ſuisque militibus honeſtas deditionis leges paciſci contentus oppido excedat. Nullum à Suecis ſubſidium; poſſe eundem honeſte imitari exempla præfectorum, Moguntiæ, Bingæ, Kœnigshoviæ: denique ſi extrema expectaret, arbitrio victoris adquieſcendum. Simul ad Conſiliarios Comitis à Landgravio ſcribitur; ut Ramſæo ſuadeant de militari duntaxat pacto ſatagere, ac ne ulla ab ipſo mentio Comitum Comitatusve fiat; minis additis, ni mox deditio fiat, ab ipſis penſationem damnorum terris ſuis datorum exigendam. Sed Ramſæus brevi cum reſponſo Porſium dimittebat; longe adhuc dedendi neceſſitatem abeſſe; & quia non in conſiliariorum Hanovienſium, ſed in Reginæ Sueciæ poteſtate ſit ſuper talibus tranſigere, hujus mentem exquirendam. Nec eo ſecius conventum Niddam indicit 18. Febr.
Darmſtadienſis, quo Lamboius & Ramzæus aliquos ſuorum cum idoneis mandatis mitterent; addito, ſi Ramſæus alia, quam quæ ad pactum militare pertinent, miſcere velit, aut ſuperiores ſuos prius conſulere, ſatius fore moleſtia hujus congreſſus, ſupersedere. Ramzæo ecti de animo Darmſtadienſis ſatis conſtaret, non inutile videbatur ſaltem paucos dies lucrari, queis à continuo labore miles reſpiraret. Igitur diem conventus proferri 24. Febr.
petebat, quo ſpatium foret ſuos mandatis inſtruendi; addens, ſuum eſſe de quibus agendum ſit proponere; nec quicquam à ſana ratione alienum à ſe poſtulandum. Enimvero conventus iſte irritus erat, quod Lamboius in mandatis haberet de ſolo militari pacto agere, Hannoviamque cum Comitatu Cæſari reſervare, excluſo Comite. Cui etiam Darmſtadienſis deputati ſuccinebant. Aſt alia mandata ſuis Ramſæus dederat, qui & eosdem inde ſtatim revocabat, cauſatus, ſibi cum ipſis ſuper nonnullis capitibus colloquendum; deinceps ulterius mentem ſe ſuam declaraturum. Qua ſuper re gra- 14-17. Mart.
viter querenti Landgravio Ramſæus repoſuerat; è mandatis, quæ ipſius deputatis data fuerint, ſatis ſe perſpexiſſe, tractatus eos in irritum caſuros. Denuo tamen poſtulabat, ut vel ſibi ad ſuperiores liceret mittere; vel Darmſtadienſis certum hominem ad Lamboium, inde ad ſe ablegaret, qui

utrius-

1636. utriusque ſententiam cognoſceret. Quæ omnia tempori extrahendo proponebantur. Nam ſedebat ipſi extrema expectare, antequam tanti momenti oppidum dederet: & ad Junium usque menſem alimenta habenti, liberatio hoc ſpatio expectabatur. Interea eruptionibus hoſtem fatigabat, quarum una duo caſtella evertit, multis cæſis; ac ſtatione equitum directa prædæ non nihil peperit; alia ipſum Lamboium graviter ſauciavit; alia hoſtes caſtello ad Mœnum expulit, captis duobus navigiis pretioſa merce onuſtis. Tum inopiam hilaritate & jocis, queis Lamboium laceſſebat, diſſimulare, parcaque panis & vini diſpenſatione alimenta longius quam creditum fuerat producere carnibus dudum ablumtis. Sed & Francofurtenſes, qui jam quo Cæſareorum deſtinata tenderent agnoſcebant, Hanovienſibus qua poterant clam favere, & eorum liberationem optare, quod his ſubactis ſibi obſidium imminere metuerent, præſertim poſtquam deprehenſum fuerat, quatuor Cæſareorum millia circa Darmſtadium congregata in animo habuiſſe Saxenhuſam ſubita per veteres ruinas invaſione opprimere. Qui tamen cum Francofurtenſes nuntiis paſſim excitari rebus ſuis proſpicerent, re non tentata retro abibant, jejuna cavillatione jactantes; errore ſcribæ Hanoviam verſus iter ſe inſtituiſſe, cum Hagenoam abeundum fuerit.

Hanoviæ obſidium ſolvitur.

§. 40. Aſt V Vilhelmus Landgravius jam certam liberandæ Hanoviæ ſpem conceperat, quod de Gallaſii motu nihil adhuc audiretur, Piccolomineus ad Leodium, Gœtzius ad Hermanſteinum deſideret, Vehlenum inopia commeatus, & turbulentia militum diſtineret, nec Georgius Luneburgicus bellum in ſe averſurus videretur. Et Leslæus promtum ſe exhibebat, ne ipſo tergiverſante, qui conſilio huic adverſabantur, cauſam arriperent Landgravium à Suecis disjungendi, culpa
3. Jun. in hos conjecta. Igitur iter ingreſſi per Comitatum V Valdeccenſem Kirchainum paulo tardius attingunt ob aſpera viarum, & quia aliquot centurias curruum frumento onuſtorum ſecum ducebant. Inde Landgravius cum expedita manu prægreſſus ad explorandum hoſtis habitum V Vindeccæ ſubſiſtit, quoad Leslæus quantum poterat accelerans
11. Jun. cum toto exercitu adeſſet; ubi obſeſſis adventus ſui indicium binis ignibus totidemq; machinis diſploſis faciebant. Occupaverat Lamboius omnes ad oppidum aditus, & validis operibus id circumdederat ſelecto pedite inſeſſis; ſperans tamdiu ingruentes ſe ſuſtenturum, quoad à Gallaſio auxilium veniret, qui circa Spiram & Wormatiam co-
13. Jun. pias contrahebat. Aſt Landgravius & Leslæus ſummo mane præcipuum aditum, qui Hanoviam ducit, agreſſi Cæſareos inde expellunt. Hinc validam manum in Lamboium, qui non procul cum ſuis conſtiterat, immittunt, eumque poſt acrem conflictum propellunt, ut præceps ſe per pontem ad Steinheimum proripere cogeretur. Interea oppido circumpoſita caſtella viginti à bis mille peditibus inſeſſa intra quatuor horarum ſpatium impetu expugnantur, omnibus qui intus erant promiſcue cæſis; ſuorum non ſupra decem deſideratis, præter nonnullos quos in uno caſtellorum abditus pulvis incenſus afflaverat. Unum caſtellum ſupererat in via, qua Francofurtum itur, inſigniter firma-
14. Jun. tum. Id cum ſequenti die tormentis verberaretur, Cæſarei deditionem offerebant; quod ſucceſſu ferox miles adſpernabatur, nec ad Landgravium aut Leslæum id referebat. Caſtello adſita erat lorica; qua proſilientes pedites ſalutem petebant, militiam mutare parati. Sed incitans ſe eques omnes trucidat; ſimul peditibus acclamat, hoſtem è caſtello profugere. Unde huc velut inſtinctu injuſſi nullo ordine, nullisque inſtrumentis ad caſtellum ruunt, velut nemine repugnaturo. Sed à propugnatoribus vita deſperata acriter repelluntur, quinquaginta cæſis, inter quos duo centuriones, nonnullis ſauciis. Poſt depulſum tamen aſſultum ſtatim ſe arbitrio victoris dedunt. Ita captivitatem ſubiere duo ſubtribuni, ſeptem centuriones cum inferioris gradus præfectis, & quingentis viginti quinque gregariis, ac tribus tormentis. Hanovia liberata magnum Pontificiis eas per oras terrorem incuſſit, ut jam Moguntinus Elector ad remotiora ſe loca conferret. Ut inde Steinheimum, aut Fridberga invaderetur, Wetteravia & vicinæ regiones tunc in ſolitudinem redactæ non patiebantur. Igitur poſtquam oppido frumentum illatum, præſidiumque recenti milite firmatum, deſtructis circa operibus retro viam
1636. legunt, paulum in Darmſtadienſi ditione quietem acturi, & Lamboii, Gallaſii, atque Gœtzii motus obſervaturi. Iſto in itinere Leslæus, connivente V Vilhelmo Landgravio, Darmſtadienſes menſtruum ſtipendium pro exercitu ſuo poſcit; ac Georgio Landgravio denuntiat; ſi amicum ſe profiteatur, copias ſuas ſecum conjungat; ſin hoſtis eſſe malit, extrema quævis à ſe expectet; ad quæ nihil ille reſponſi repoſuit. Sed provinciales ad preces converſi, intercedente etiam Joanne Landgravio, centum millibus uncialium promiſſis Leslæum placant, partim nunc, partim in diem ſolvendis, etſi præſtatio longe infra promiſſum eſſet. Et quia rumor erat, Gronsfeldium & Gœtzium, omiſſo Hermanſteino, Gleenio junctos propius movere, quingenti equites ſub Kœnigsmarckio tribuno exploratum mittuntur, qui Rotkirchæ in ſylva Occidentali magnam manum Co-23. Jun.
mitis Dilenburgici hoſtilia præ ſe ferentem profligant, quinquaginta cæſis, & Solmenſi Comite capto. Quo tempore & Haſſiaci Tremonia excurrentes Comitis Dillenburgici legionem oppreſſerunt, magna parte conciſa, & inter cæteros etiam Comite V Virgenſteinio. Progreſſi Landgravius Leslæusque Amœnoburgum ditionis Moguntinæ oppidum deditione capiunt: cui Landgravius 22. Jun.
ſuum militem imponit præſidio, quod id oppidum in ditiones ipſius acceſſum præberet, & Leslæus peditatum imminuere nollet. Inde Berga, ditionis Colonienſis oppidum, in excelſo monte ſitum 1. Jul.
invaditur, quod miles prædonibus mixtus inſidebat. Id poſtquam imperatam deditionem abnuiſſet, tormentis verberari cœptum. Sed confertim ruentes imbres Landgravio ſuadebant obſidium potius ſolvere, quam per cœli iniquitatem 5. Jul.
milites incaſſum fatigare, præſertim cum hoſtis oppido ſubventurus ſpargeretur. Ita Paderbornam verſus diceſſum. Ibi quid ulterius ſuſcipiendum, Leslæus in ancipiti hærebat. Nam Land- Leslæus ad Viſurgim ſe confert.
gravio Hanoviam digreſſo Caſſellis nova pacis promiſſa jactabantur, ac dolor è præcepto tam pingui bolo conceptus à Cæſareis callide diſſimulabatur, velut id factum paci obſturum non eſſet, modo Landgravius prius placitis ſtare vellet. Et metus erat, ne plerique Conſiliariorum, univerſique provinciales pacem ingeminantes Landgravii conſtantiam demum expugnarent. Hoſtis per V Veſtphaliam ſuppletis numeris viginti millia conficere dicebatur. Et quia rumor ferebat hoſtem recta Caſſellas & Zigenhainum petere, Landgravius plerasque copias per opportuna ditionis ſuæ loca diſtribuebat, ſexcentis tantum equitibus apud Leslæum relictis; ut nunc ſolus hic hoſti par non eſſet. Miles præterea æger animi, & itinere per vaſtatas regiones inter omnium rerum inopiam non parum attritus. Et quæ à Darmſtadienſibus expectabatur pecunia recreando exercitui, con-

ventu

1636. venta longe minor repræsentabatur; cum vix digressis Succicis Georgius Landgravius sub capitis pœna suos reliqua solvere vetuisset. Ita Leslæo ad Visurgim loco idoneo stativa transferre placebat, & inopia confectum militem recreare; præsertim cum rumor de Magdeburgi periculo inerebresceret, ut Banerio si res exigeret junctus isti oppido suppetias ferre posset.

Acta per Alsatiam. §. 41. In Alsatia Colmariam, Schletstadium, & Hagenoam annonæ inopia premere cœperat; cui malo ut prospiceretur, præfecti in aula Gallica diligenter institerant, protestati, ni subveniatur, ea loca ultro in Cæsareorum manus perventura. Igitur Cardinali Valettæ, & Mareschallo Ranzovio negotium datur, frumentum & paratum bellicum Colmariæ & Schletstadio inferendi, cùm de Hagenoa prope desperatum esset. Qui dum Spinali, cum quatuor peditum, duobus equitum fere
16. 17. Jan. millibus eodem tendunt, Cæsarei per superiorem Alsatiam hospitati, & morbis fameque confecti Dambacum se recipiunt. Trepidis Ranzovius Schletstadium delatus instandum ratus, primo centum cataphractos Ehrsteino explulos apud
18. Jan. Gerspitzam profligat, triginta sex captis, reliquis cæsis aut in aquas compulsis. Colmariæ inde præfectus Gehmeram tormentis admotis in potestatem redigit. Et Hebronus Dambacum versus progressus invenit Cæsareos propere Tabernas se recipere; & Ehenheimi, ac Molzeimi præsidium quidem reliquisse, sed Dachsteini arcis obsidium, quam Moserus subtribunus strenue propugnaverat, solvisse. Igitur Ranzovius, & Benfeldæ præfectus Quernheimius acriter contendere, ut hosti trepido ac famelico instaretur. Sed Valetta præter mandata quid suscipiendum negabat. Ut tamen Hagenoæ & annona & adparatus bellicus inferretur, Ranzovius & Guichius Comes cum valida
Gallasius ex Alsatia se proripit. manu Argentoratum versus movent. Quo audito Gallasius, qui aliquandiu Tabernis inter grassantem licet pestilentiam pergræcatus fuerat, cum
24. Jan. omnibus copiis quæ ad eum se receperant, propere Weissenburgum se confert; ipse agnoscens opprimi se potuisse, si statim Galli omissis minoribus locis Tabernas contendissent. Quin & audito Gallos in Wanzenaviam progressos, Weissenburgo raptim facessit, inter id oppidum ac Landaviam mille militibus per famem & lassitudinem extinctis. Et credebantur eorum, quos iste à Lotharingia in Germaniâ reduxerat, duas tertias partes fame ac pestilentia interiisse, passimque mortui insepulti jacebant, queis devoratis canes in rabiem agebantur, ipsis vivis inde formidandi. Ista Gallorum expeditione plus quidem profici poterat, si occasione invitante uti placuisset: operæ pretium tamen fuit istis oppidis firmatis Cæsareorum consilia disturbasse, ac intempestivo itinere famelicos attrivisse; simul eosdem longius Argentorato amovisse. Quæ urbs una cum Gallasio mox ultro fame ac peste peritura putabatur, dum per noxiam misericordiam ad triginta provincialium millia laribus suis profugorum intra mœnia recipiuntur. Cui malo obviam iturus magistratus edicto profugos urbe exire jubet, non nisi selectis deinceps receptu præbito; ac ne annona ad Cæsareos deferatur cavet.

Dux Bernhardus Lutetiam proficiscitur. §. 42. Quæ adhuc supererant Fœderatorum copiæ sub Bernhardo Duce sat male habebant, spe quam super hibernis hic conceperat fallente. Nam quæ adsignabantur hospitia jejuna erant, ad fines Lucenburgicæ sita, & ab incursionibus hostium parum tuta, ut continuas per vigilias & explorationes eques juxta pedesque paulo minus quam in expeditione fatigaretur; nec ductores conducendo in Germania militi possent dimitti. Sub finem quoque superioris anni cum Rege Galliæ conven- 1636.
26. Oct. tionem per Ponicam iniverat Dux, qua Rex quadragies centena librarum millia annua quamdiu 1636.
bellum duraret promiserat ea lege, ut Dux copias suas ad sex equitum, duodecim peditum Germanicorum millia augeret, & omnes sustentandis illis sumtus expenderet; tum rem tormentariam idoneo numero in promtu haberet. Solutio pecuniæ fieret per Commissarios Regios post factam lustrationem. Si in lustratione justus numerus non adfuerit pro singulis equitibus quadraginta libræ, pro singulis peditibus duodenæ detraherentur, pro ductoribus ad hanc proportionem. Ut tamen Rex onere hujus pecuniæ levetur, Dux laboret, ut ex hostico quid capere possit exercitui sustentando. Si Dux conventum numerum non possit præstare, Rex eum Gallico aut extraneo milite supplebit. Denique ne cum Cæsare citra consensum Regis Dux transigeret. Cui vicissim Rex pollicebatur, se pacem non facturum, nisi Duce ejusque exercitu incluso, & si qui ductorum ejus caperentur, eorum redemtionem procuraturum: & si adverso prælio Dux exercitum imminuerit, Regem ut illum supplere queat laboraturum. Huic conventioni subnectebantur articuli secreti; ut deinceps Dux exercitum à Rege sustentandum gubernet sub hujus autoritate, eidemque isto inserviat contra quoscunque, quicquid mandatorum in contrarium ipsi datum fuerit, utque exercitum ducat in quævis loca, & quævis destinata, quæ Regi placuerint, salva tamen Ducis directione circa actiones bellicas, quas examinare & definire illi integrum erit, prout cautæ publicæ expedire judicaverit cum consilio eorum, qui apud eum nomine Regis, & Fœderatorum Principum residebunt, ut tamen Rhenum non transeat, nec magni momenti obsidium suscipiat, nisi de sententia Regis, quo hic exinde alia sua destinata temperare possit. Peculiari Ducis stipendio promittebantur quadringenta librarum millia, & post pacem factam annua pensio centum quinquaginta millium librarum, quoad vita superest. Tum in eundem donatione conferebatur Landgraviatus Alsatiæ cum præfectura Hagenoënsi, à Rege recognoscendus, cum omnibus juribus, quæ ad Domum Austriacam spectarunt, ut tamen ritus Catholici, & bona sacra ne turbentur. Rex quoque damnus erat operam, ut pacis tractatibus Alsatia, & quæ à Suecis donata sunt, penes Ducem maneant; id si obtineri nequeat, æquivalente possessione Duci satisfacturus. Enimvero conventio ista hactenus inanis fere fuerat, non nisi semimenstrua pensione soluta. Unde Ducis milites fremere; se dum pro vallo Gallis sunt, & ad pericula primi, ad stipendia ultimos haberi; enormi insuper omnium rerum pretio præsertim linguam Gallicam ignorantibus. Itaque diffluebat miles, ut vix dimidia pars superesset: multi quoque itinere in Alsatiam, redituque signa deseruerant. Ne igitur plane pessumiret exercitus, ipse Dux Parisios ire constituit, apud Regem Richeliumque negotium suum promoturus. Etsi nec ipsius actiones aulæ satis probarentur. Nam arguebatur egregias pugnandi occasiones transmisisse, seu pavida Norlingani prælii memoria, seu quod omne militum damnum grave putaret, cum id unicum haberet salutis, autoritatisque suæ præsidium. Ad quæ tamen Ducis domestici reponebant; Gallos pecuniæ suæ tenaces pericula exteris delegasse, & cum in hostem progrediendi tempus esset, Comitem Suessionensem revocatum. Cæterum Dux Lutetiam veniens, cum ob Saxonici sanguinis antiquitatem & decora multum se Pontificum poste-

1636. ris, & vasallis præferret, parem saltem honorem sibi, atque Parmensi Duci, qui paulo ante tecto capite Regem allocutus fuerat, exhiberi par censebat. 4. Mart. Itaque cum primum ad Regem admissus esset, postquam pauca locutus fuerat, Rege caput tegente, idem ipse facit injussus. Apparebat in Regis vultu offensa, qui nudato capite, ut Duci quoque eadem necessitas imponeretur, sermonem abrumpebat. Post apud Reginam fuere ambo, tectus Rex, nudo Dux capite, quod Dux honori sexus more Gallico datum interpretabatur; Galli quod ante peccatum fuerat, eo correctum volebant, eique indicabant; regendi capitis honorem non negaturum Regem Duci, si titulum sibi Franconiæ, aut alterius ditionis adscriberet; nam soli sanguini eum deferri haut solitum.

Coloredus à Gallis vapulat.

§. 43. Interea Gallis rem bene adversus Cæsareos gerendi occasio oblata fuerat. Nam Coloredus Cæsareus Dux, qui post receptum è Lotharingia per Basileensem præsidiatum hibernarat, eodem exhausto trans Mosellam in Lucenburgicum agrum abire constituerat, adsumtis in itinere, quæ hinc inde adhuc dispertæ agebant, turmis. Ubi adjunctis Piccolomnei Hispanicis copiis ingens formandus erat exercitus Gallis opponendus, ut Gallasio spatium fieret, refectis suis in Suecos eundi. Ast Forcæus Marchio, qui absente patre exercitui præerat, audito illius itinere, & præmisso cum sexcentis equitibus Gassione tribuno, ipse cum bis mille 1. Mart. sclopetariis, quindecim equitum centuriis insecutus, improviso Blamontii adest, tribus Diæo milliaribus, ubi Coloredus pridie adpulerat. Hunc nequidquam inde se proripientem, & Gallos declinare conantem Forcæus prævertens inter Raonum & Baccaracum invadit, primum impetum Degenfeldi legione faciente. Post acrem trium horarum conflictum Gallis victoria cedit. Cæsareorum in loco prælii sexcenti cæsi numerabantur, supra sexcenti, quos inter quadraginta sex ductores, & ipse Coloredus, Nanceium captivi deducti. Simul omnia impedimenta, & tredecim signa equestria erepta. Galli tamen ea victoria contenti non longius hosti insistebant.

Misera Rhenani tractus facies.

§. 44. Isto tempore dira fames regiones Transrhenanas premebat, & audiebantur passim exempla horrorem incutere apta. Ad Ruffacum fœmina ac puer cadaver canibus & corvis sociis arrodere inveniebantur. Palatinatu Inferiore mater infantem proprium mactarat, & sale conditum comederat; quæ in carcere eo nomine conjecta, mortua ibi post inventa fuit. Neostadii Nemetum custodes cœmeteriis adponendi erant, ne mortui sepulcris eruerentur. Nec minor Cæsareorum immanitas, qui tenuia famis solatia miseris extorquebant, Walmerodo exercitus quæstore jactante: satius esse omnes provinciales fame perire, quam Cæsaris ministeria negligi. Wormatiæ & Oppenheimi senatores conclavi includebantur, nullo scamno aut lecto, & stramine quidem ad requiem concesso; intensissimo æstu parce aqua, parcius panis præbebatur, ut viginti florenorum millia exsolverent: & cum omnem spem messis & vindemiæ, & quæ supererant pecora offerrent, respondebatur; ista omnia ante militum esse. Unde portis licet custoditis, cives plerique clam se subducebant. In Palatinatu Inferiore vix ducenti rustici supersse dicebantur fami & pestilentiæ, & quia Cæsarei quos deprehendebant, in militiam abstrahebant, aut trucidabant. Gallasius tamen in vastata regione immotus ad messem usque hæsurus videbatur; qui & Ehenheimi atque Moltzheimi præsidiariis farinam submiserat, quo inde Benfeldensium messis turbari posset. Argentoratenses quoque ad amplectendam pacem Pragensem urgebantur, repudiata quam petebant neutralitate; qui tamen cum non satis super templis sibi cautum foret, in casses se induere abnuebant. Bellicorum actuum interea nihil, nisi quod Benfeldenses catervam pecoribus ipsorum insidiantem castigaverant. Paulo post 11. Maji. Valetta Cardinalis sex equitum, peditumque millibus, & quatuor Ducis Bernhardi legionibus stipatus ex hibernis in Alsatiam movet, de frumento præsidiariis prospecturus, & præcipue Hagenoæ obsidium soluturus. Is in itinere quatuor Croatarum legiones subinde restitantes, in fugam propellit; quas inde Hebronus cum mille selectis equitibus præmissus apud Dachsteinam acriter licet resistentes penitus fundit, aliquot centuriis eorum cæsis, ac opima præda & mille quingentis equis potitur. Hinc Hagenoam versus cum progrederetur, qui oppidum id eminus cinxerant, raptim se Weissenburgum proripiunt. Ita nullo impediente annona Hagenoæ illata.

Valetta in Alsatiam movet. 15. Maji.

§. 45. Ast Bernhardi Ducis copiæ per maci- Uti & Dux lenta hiberna valde imminutæ, cum nulla ratio eas reficiendi esset, Burgundiæ Comitatui immittuntur, regioni diviti; ubi brevi tempore egregie se recreabant. Dux ipse nova conventione cum Rege inita, & insigni pecuniæ summa, magnificisque donis onustus, inde ad eosdem reversus statim per Pfaltzburgum in Alsatiam tendit. Ubi mille cum sclopetariis & quingentis equiti- 1. Jun. bus prægressus improviso luce nondum orta castellum supra Tabernas situm, nemine suorum deliderato occupat, oppidi præsidiariis frustra ipsum iterum expellere nitentibus. Eam antam Dux arripiebat Tabernas obsidendi; sed quod nondum machinæ adessent, spatium obsessis fiebat defensioni necessaria præparandi. Tormentis demum advectis post ruinam editam assultus 9. Jun. inclinante in vesperam die datur, præeuntibus Gallis à Valetta submissis, quos Germani sequebantur, acri virtutis æmulatione. Jam in tertiam horam intra mœnium ruinas pugnabatur; sed cum perrumpi in oppidum non posset, ac tenebris ingruentibus amicus ab hoste discerni non amplius posset, re infecta recedendum erat, quadringentis amissis, quos inter Gaudeckerus tribunus, & protribuni aliquot ac vigiliarum præfecti; & præcipue Jacobus Joannes Hanoviæ Comes. Ipsi Duci, dum rem confectam putans ad ruinam properat, index digitus sinistræ manus globo avellitur, simul crus perstringitur. Nec 15. Jun. eo secius per novam ruinam impetus fit, quo in extimum oppidum penetratur, hoste post inflammatas pleraque domus in oppidum interius se recipiente. Eodem die ducenti dimachæ Bockenheimo ad Saram Hohenbaaram, ac inde per fruticeta propius Tabernas successerant, nondum ex omni parte cinctas. Ad quos Mulenheimius tribunus, aliique ductores conscientia flagitii, quondam post Schorndorfum deditum Fœderatorum militia deserta, vindictam metuentes erumpere conabantur. Sed acerrime licet connixi in oppidum repelluntur, triginta suorum cæsis, viginti captis. Et hactenus citra impedimentum obsidio vacaverat Dux, nisi quod quinque Croatarum legiones Weissenburgi stativa habentes, aliquando pabulatores & qui inter castra atque Argentoratum hinc inde commeabant, interciperent, quos inter & Wurmbrandius tribunus erat. Cum tamen Gallasius propius accederet, 18. Jun. Dux quoque omnes suas copias, & Valetta Turennium toto cum exercitu arcessebat. Tentatur inde assultus ad interius oppidum, & acerrime licet resisten-

Qui Tabernas obsidet.

1636. reſiſtentibus præſidiariis jam centum pedites unam domum occupant; nec eo minus non ſine jactura repelluntur. Igitur quo militi parceretur, tormentis rem magis gerere Dux inſtituit, Benfeldæ præfecto, accepta de reſtituendo cautione, globorum affatim ſuppeditante. Cum denuo lata ruina facta, & omnia aſſultui parata eſſent, in-
05. Jun. crebreſcente de Cæſareorum adventu rumore, is omittitur. Eodem die Hebronus dum oſtentandæ fiduciæ intentus, & lentiore gradu opera luſtratum circumit, globo collum trajectus intra horam extinguitur. Turennius quoque brachium leviter perſtringitur. Nec obſeſſorum, licet vis externa & fames premeret, conſtantia frangebatur; & Mulenheimius præfectus Duci denuntiarat, injunctum ſibi obſidium per integrum menſem ſuſtinere, ne forte per inanem pertina-
19. Jun. ciam deditionem à ſe extrahi putet. Dum ita ad Tabernas geruntur, Mumpelgardæ præfectus Suſius Comes Befortum modico præſidio infeſtum deditione capit. Quernheimius quoque Benfeldæ præfectus cum delectis ſuis, & quingentis
9. Jun. Gallis Ehenheimum ſuperius invadit, cuniculis
23. Jun. actis citra militis diſpendium. Inde edita duobus locis ruina & incenſo cuniculo, qui triginta militum ſtationem in auras evibrabat, aſſultus datur, & pars mœnium turrisque ingens occupa-
24. Jun. tur. Ita præfectus Briaumontius ſubtribunus deditionem honeſtis legibus facit, tradito ſimul Ehenheimo inferiore arce, & Moltzheimo. Munimenta oppidi jam quaſſata, ac multo labore reficienda ſolo æquantur. Ea deditio opportune valde facta erat, quod duo equitum millia à Gallaſio ſubſidio miſſa forent, quorum primum agmen non niſi duarum horarum itinere aberat: ſed deditione oppidi audita illi viam relegebant. Porro apud Cæſareos nupero Gallorum adventu valde trepidatum fuerat, ita ut cum nondum hi Brundrutum adpuliſſent, illi caſtellis ad Druſenheimum, & Biſchofsheimum ſe proriperent, relicta quæ ibi erat annona. Et ita male habitæ erant illæ copiæ, ut Gallis & Bernhardo Duci nullo modo pares forent, Polonis inſuper in ſeditionem prorumpentibus. Sed dum hic ad Tabernas occupatur, Gallaſio tempus dabatur ad Spiram exercitum non ſpernendum contractis paſſim copiis parandi, valido cumprimis peditatu, quem apud Hanoviam pulſi augebant. Unde ſub finem Junii Druſenheimum movebat; longius tamen progredi non auſus, caſtra ibi muniebat; quod ſatius duceret deditionem obſeſſi oppidi eminus adſpicere, quam tentato prælio exercitum periculo exponere.

Saxo ad Reginam Sueciæ ſcribit.

§. 46. Inter incaleſcentia arma circa pacem fruſtra ſatagebatur. Et redditæ quidem Saxoni fuerant literæ à Regina Sueciæ, in quarum inſcriptione *Confœderati* vocabulum ipſi non fuerat initio obſervatum, niſi monente demum Marazino, qui
28. Febr. gravi id præjudicio cedere jactaverat. Igitur peculiaribus id vocabulum literis refutatum it: Suæ Domui non ſolitum fœderibus ad poſteros tranſituris illigari. Fœdus cum Guſtavo Rege initum ipſius morte expiraſſe; conceptum adverſus eos, qui jam fato functi ſint, ſublatis quoque ejusdem cauſis, quæ cum expeditionibus mortem iſtius inſecutis nihil commune habeant. Poſt Regis obitum, quamdiu cum Cæſare controverſia ſuperfuerit, nunquam ſe Succis ſocia arma junxiſſe, Oxenſtiernam quondam Dreſdæ ne verbo quidem mentionem feciſſe, ipſum fœdere adhuc teneri; quin ultro agnoviſſe ejus obligationem jam ſublatam. Ex eo tempore rationes ſe ſuas à Succis ſe-
1. Mart. junxiſſe, ac de pace & republica conſtituenda laboraſſe. Sed ad ea quæ literis Regina exprobraverat, reponebat; Legatos & duces Succicos ditionibus ſuis, ſuorumque agnatorum & vaſallorum damni plurimum dediſſe, deſtinata ſua per Sileſiam turbaſſe, ad repellendam vim hoſtium nihil contuliſſe. Ita re ipſa teſtatos fœdus nullum ſupereſſe. Poſt ſublatum fœdus, Pimenti & Pragenſi tractatu nihil admiſſum, à ſuo officio & honeſtate alienum. Nec fœdere contineri, ut ipſi abſque Succorum conſenſu pacem non liceat inire. Francofurtenſi convehtu eminem Legatis ſuis objeciſſe, tractatus à ſe non poſſe ſuſcipi, de quibus paſſim jam innotuerat. Quin Oxenſtiernam eos ultro hortatum fuiſſe, paci ſedulo operarentur, ne nova belli flamma à Gallia ſurgeret. Formam tractatui dare non penes ſe, ſed Cæſarem fuiſſe. Pace omnes, qui alterutri parti auxilia tulerunt, comprehenſos, modo occupata dominis ſuis reſtituerent. Omnia bello patrata oblivione abolita. Quin Cæſarem peculiariter declaraſſe, Succos pace comprehendi, & liberum è Germania diſceſſum in patriam iiſdem indulgeri; ſed peculiares ſuper eo tractatus ſuſcipi ſuperfluum, & trahendo tempori inventum. Eo gravius eſſe à quibuſdam Reginæ miniſtris pacem diffamari; qui inaudito exemplo Germaniæ leges dictitare præſumant, qua ratione caput inter & membra tranſigendum ſit; nec credibile talia Reginæ juſſu facta, aut ab ipſa probari omnia, quæ à morte Regis ab iſtis ſuſcepta ſunt, aut Reginam ſe hoſtem toti Imperio ferre. Pacem porro Sueciæ invitæ non obtrudi; ſed ſe curaſſe, ut paci hæc includeretur, quia id inter amicos ſolitum, & quod iſtam Sueciæ expedire judicaret. Nec ſe obſtitiſſe, quominus Regina cum ipſo Cæſare tractaret. Tranſactionis cum Oxenſtierna capita ipſi Meclenburgico æquiſſima viſa; ſed cum jam omnia confecta crederentur, iſtum talia moviſſe, quæ pacem parum ipſi cordi fuiſſe arguerent. Conventum Luneburgi expediendæ Succorum ſatisfactioni habendum irruptione Banerii in Magdeburgicam turbatum; cujus facinora Turcicam & Barbaricam immanitatem ſuperantia obtentu defenſionis hautquidquam excuſaveris. Succicos miniſtros id tantum agere, ut Germaniæ inſultent. Jure à ſe Ordines monitos, nulla fœdera adverſus Imperium valere; & milites, ne arma in patriæ viſcera convertant. Reductis domum Succis, & conceſſa Germaniæ pace Reginam æterna laude mactandam. Sin ſecus fiat, haut ſibi imputurandum, quid mali bello extracto ſecuturum ſit. Poſt quoque ab ipſo literæ ad Ordines Sueciæ dantur, quibus Oxenſtiernam Baneriumque falſa de ipſo ſparſiſſe arguit, qui effuſo ſanguine & vaſtatis terris delectentur, & per libidinem injuſtum adverſus Imperium bellum gerant; cum ipſe nihil aliud quam pacem quærat; ad quam amplectendam iſtos hortabatur.

Danie Rex inanem Lubecæ tractatum molitur.

§. 47. Cæterum poſtquam Daniæ Rex per legatos ad Cæſarem denuo ſe pacis cum Succia mediatorem obtuliſſet, Cæſar Saxoni procuratorium tractatibus eo nomine ſuſcipiendis, licet poſt aliquot demum menſes, tranſmiſerat. Ejus exemplum hic ad Regem mittit, addito; Cæſari primaria capita, in quibus ex Oxenſtiernæ ſententia Regni Sueciæ dignitas & ſecuritas verſaretur, probari. Satisfactionem Sueciæ & militum Cæſarem non ſpectare, ſed inter Proteſtantes expediendam. Nec circa amneſtiam quid difficultatis ſupereſſe, cum pro Palatino Legatus Anglicus, Wurtenbergicus Dux, & Landgravius pro ſe apud Cæſarem agant. Sed in eo jam cardinem controverſiæ volvi, quod Oxenſtierna oppidis inteſtis non prius cedere, aut militem abducere velit, quam ſatisfactio Sueciæ & militum ſit expedita, nec chirographo aut hypotheca adquieſcere velit, ſed vel præſentem pecuniam, vel terrarum quid poſtulare videatur; quorum id ſupra vires Proteſtantium, hoc contra
18. Aprilis.

1636. leges Imperii ſit. Igitur daret operam Rex, ut Oxenſtierna ad cedendum occupatis locis, & militem deducendum perſuadeatur, ac moderata pecuniæ ſumma in diem ſolvenda ſit contentus. Nam ſi iſte in priori ſententia perſtet, tractatum inanem fore. Promittebat tamen, Legatos ſe conventa
18. Maji. die Lubecam miſſurum. Inde Rex literis Reginæ Sueciæ ſignificat: ad decimum quintum Junii conventum Lubecæ à ſe denuo indictum, quo ut ipſa Legatos cum idoneis mandatis mittat, petit; ſimul quid à Cæſare obtineri queat exponit, multisque rationibus adductis hortatur, ut oblatas con-
28. Maji. ditiones ocyus amplectatur. In eundem ſenſum ad Oxenſtiernam quoque ſcribitur. Enimvero literæ ad Reginam viceſima demum Junii die Holmiæ reddebantur: & quæ Oxenſtiernam ſpectabant, per errorem Hamburgo Holmiam mittebantur, quod iſte jam in Sueciam ſolviſſe crederetur. Etſi aliunde is exemplum procuratorii Saxonici, ſed ſero ſatis, accepiſſet. Ita neque Regina, neque Oxenſtierna condicto die Lubecam mittere poterat; & procuratorium Cæſareum ita conceptum erat, ut vix privatus quiſpiam ex eo tractatum ſuſcipere auſurus eſſet. Ac tâne patebat, in eo tractatu Danum Suecis inſidiaturum, ut omnem ſatisfactionem Coronæ & militum remitterent; aut ſi quid pecuniæ promitteretur, ſolo chirographo absque hypotheca adquieſcerent. Pellucebat quoq; contemtus Regis in Suecos, quibus vix duodecim millia militum in Germania ſupereſſe cenſebat, etiam illis computatis, qui eodem in ſupplementum trajecturi erant. Ac revera nihil aliud agebat, quam ut Suecis inſultaret; & ut Reginæ Legati cum ſubdelegatis Cæſaris tractarent; ad quam indignitatem ipſe quondam Lubecæ adactus fuerat; & Suecia commodis ſuis evoluta haut glorioſius, quam ipſe olim, Germania excederet. Quin & miniſtri Danici jactaverant; juſto liberaliorem fuiſſe Saxonem circa ſatisfactionem, & oblata hypotheca; id quod ante omnia Daniæ Rex corrigere, eoque Proteſtantium gratiam captare velit. Igitur uti ſtolidum videbatur rem ipſam incertis promiſſis permutare; ita & animi conſtantia adverſus iſtum oſtentanda erat; cum ſi utique metu mali aliquid foret concedendum, honeſtius eſſet à Cæſare, quam à Dano terreri. Reſpondebatur tamen
6. Jun. Regi à Regina: Optaſſe ſe, ut literæ ad conventum invitantes non demum elapſo jam dicto die redditæ forent. Nunc miſſionem legatorum ſuſpendendam, quoad ſibi conſtet, num alii quoque legati eo pervenerint. Oſtenduntur inde defectus procuratorii Cæſarei, quod utique fundamentum ſit totius tractatus; in quo ſolius Regni Sueciæ, non Reginæ facta ſit mentio, Saxonique injunctum, nihil tangere, quod ſtatum Germaniæ ſpectet, ſed eo tantum incumbere, ut Sueci Germania dimoveantur; usque adeo Cæſarem ſuæ dignitatis retinentiſſimum Reginæ faſtigium inſuper habere. Id denique agi, ut pro incertis & in futurum prominentibus promiſſis rem ipſam è manibus amittat. Falſo ſibi exprobrari ſtudium proprii commodi, finium dilatandorum cupidinem, oppreſſionem Evangelicorum, conſumtam patientiam in nervum erupturam: cum quo minus pax dudum coierit, penes illos culpa ſit, qui ita contemtim ipſam habuerint, nec tranſactione, qualem Regium faſtigium requirit, dignari voluerint. De cætero ſi adverſa pars perverſum agendi modum mutet, ſe ſuum in pacem ſtudium orbi ſat adprobaturam. Oxenſtierna autem etſi mature de conventu ſignificatum fuiſſet; tamen ad ita contumelioſe conceptam plenipotentiam nunquam tractatus admittere auſus eſſet. Simul videbatur reſtitutionem excluſorum Ordinum à Cæſare pla-

ne rejectam; de qua ſola cum iſto agendum reſtet, 1636.
cum ſatisfactionem Proteſtantes Ordines in ſe receperint. Igitur Regi per literas ſignificat, Ordi- 14. Jun.
num reſtitutione ſublata ad tractandum nihil ſupereſſe; ſed & inauditum, vitioſo procuratorio tractatus ordiri. Cuique Regum ſuam non minus dignitatem, quam Cæſari, cordi eſſe. Excluſos Ordines reſtitui etiam vicinorum Regnorum intereſſe, & citra id Germaniam nunquam ſat quietam fore. Rem quoque cum Legato Gallico & Anglico communicandam, qui de communis pacis tractatibus ſpem fecerint. Quod ſi tamen utique Lubecæ tractandum ſit, petebat à Rege, ſua autoritate efficeret, ut plenipotentia emendetur, nec præcipua tractandi materia ſecludatur, utque firma Europæ pax promoveatur. Sic iſtum quidem conventum Succorum nemo adiit, aut adire potuit. Et ipſe Saxo excuſabat, nullum è Conſiliariis ſibi ſupereſſe, quem eo mittere queat, cum ſibi nunc legatio Ratisponam adornanda fuerit. Revera autem huic pax cordi non erat, poſtquam deſtinata circa Magdeburgum ſuccedere videbantur; quo capto facile Succos ad oram Maris Baltici in anguſtum compactum iri ſperabat. Sed & hoc conſtabat, Dani mediationem Cæſari, Saxoni atque Meclenburgico hactenus tantum placuiſſe, quod iſti propoſitum eſſet, Suecos Germania, & ora Maris Baltici dimovere. Extra hoc iſtius operam averſabantur, quod metuerent, ne ſuis commodis velificatus, Pragenſi paci derogare conaretur.

§. 48. Inter hæc Angliæ Rex Joſephum Averium apud Hamburgenſes Prolegatum, quem obeundo Conventui Luneburgico deſtinaverat cauſam Palatinam Ordinibus Proteſtantibus commendaturum, ad Oxenſtiernam miſerat, qui reddita Regis ad Reginam epiſtola, qua pro affectu in Domum Palatinam gratias agebat, ac de parta bello Germanico gloria gratulabatur, in eundem ſenſum magna verborum pompa perorabat; inter alia exponens, quid Viennæ ſpei factum ſit, & ut Arundelius Comes eo miſſus fuerit ad extremam Cæſaris ſententiam ſuper negotio Palatino cognoſcendam; quæ ubi Regi non ſatisfecerit, hunc vi tandem rem geſturum. Addebat, ſi Cæſar in pacem pronus deprehendatur, Arundelio injunctum, ſociata cum Danico Legato opera eniti, ut pax Pragenſi melior ac tutior, debito cum Sueciæ honore conficiatur. Porro ut quo loco pacis negotium ſit, ſibi communicet; ac num Suecis placeat, juncto cum Angliæ & Daniæ Regibus ad communem pacem procurandam incumbere? Ei Oxenſtierna non minore verborum honore occurrebat; addito, ni communis pax, & præcipue Palatini reſtitutio ſibi tantopere cordi fuiſſet, dudum Succos viam inventuros fuiſſe bello ſe extricandi: ac ſi deinceps alii, quorum æque intereſt, nihil communem ad cauſam conferant, onere in ſolos Succos devoluto; vitio verti ipſis non poſſe, ſi peculiari tranſactione ſibi conſulant. Fortia conſilia capeſſenda, nec Palatini reſtitutionem legationibus obtineri poſſe, ni eædem armis ſuffulciantur. Eoque melius ei negotio conſuli, ſi vel ſtatim arma arripiantur, vel Succorum militia auxilio ſublevaretur; ne forte pax interventu Dani aut Meclenburgici coëat, antequam Regis, ejusque cognatorum commoda rite obſervata fuerint. Circa idem tempus Carolus Ludovicus Elector Palatinus cauſam ſuam Oxenſtiernæ in Luneburgico conventu urgendam literis commendabat; quæ huic pro iſtius præſenti fortuna paulo imperiotius ſcriptæ videbantur; quod iſtud velut à Succis de- 19. Jun.
bitum exigeret.

Miniſtri Anglici apud Oxenſtiernam propoſitis. 14. Jun.

§. 49.

1636. Cum Mecklenburgico super pace acta. 5. Maji.

§. 49. Denique & Meclenburgicus Dux circa pacem satagere non desinebat. Monuerat hic Oxenstiernam, ut ob restitutionem eorum, quos pax Pragensis excluserat, pacem ne moraretur, sed eos clementiæ Cæsaris relinqueret. Ad quæ Oxenstierna; Totius Imperii omniumque Ordinum interesse istos restitui, nec alia lege stabilem Germaniæ pacem sperandam, aut cuique Ordinum de suo statu satis caveri. Omnium quoque vicinorum interesse, ut vetus Germaniæ harmonia, atque libertas instauretur. Sueciam effuso tanto suorum sanguine, salva conscientia & existimatione concedere non posse, ut tot illustres familiæ in exilio contabescant. Et cum Gustavus Rex iis promiserit, se curaturum, ut omnes paci includantur; ea verba utique Reginæ filiæ præstanda, neque concedendum, ut exprobrari ejusdem memoriæ queat, aliquem ipsius culpa fortunarum suarum jacturam fecisse. Quod si tamen vel Electores in futuro conventu Ratisponensi, vel Ordines Protestantes in conventu per Saxonem indicendo commodiorem rationem istos restituendi, & Imperio tranquillitatem stabilem conciliandi inire possint, magno Sueciam onere levari. Ast Dux post intellectam Saxonis sententiam denuo tentare constituit, num bello finem imponere posset: eoque per Joannem
11. Jun. Cottmannum Oxenstiernæ demonstrat; cum reliquis fere compositis super amnestia exclusis maxima difficultas superesset, Cæsarem jam instante Saxone non parum ibi remisisse, ac super restitutione Wurtenbergici Ducis, atque Palatini Anglici Legati interventu tolerabilem exitum sperandum.
28. Jun. Ad quæ Oxenstierna: Cæsarem ad nihil certi se obstrinxisse, ac spem tantum fecisse: nec de solo Palatino & Wurtenbergico, sed de multis insuper & insignibus Imperii Ordinibus eorumque ditionibus agi, quorum neque Cæsar neque Saxo mentionem fecerit: quos restitui, quantum pacis & libertatis Germanicæ interfit, multis rationibus demonstrabat; in quo Cæsarem tandem quoque concessurum Ordinibus diligenter instantibus, dubium sibi non esse. Ut igitur pari passu de satisfactione Sueciæ atque militum transigatur, Ducis apud Saxonem urgendum esse, quo Protestantium conventus quamprimum indicatur. De his omnibus, Oxenstierna Ordinibus, qui nondum cum Cæsare transegerant, significat; monito, ut non solum consilio se juvent, sed Electores Ordinesque Protestantes, Regemque Daniæ ad operam secum jungendam permoveant, ne Suecia sola oneri succumbat.

Oxenstierna in Sueciam discedit.

§. 50. Jam in procinctu erat Oxenstierna ad iter in patriam suscipiendum, cum Chaumontius de tractatibus pacis Pontificis interventu instituendis significat; ad quos si ipse legatus proficiscatur, gratissimum Regi suo fore. Sed ille rem ad Rectores Sueciæ rejiciebat. Idem mox post fœdus cum Wilhelmo Landgravio conclusum, cum Wismarensis fœderis ratihabitionem adesse diceret, congressum ejusdem expetebat. Sed hic molem negotiorum & instans iter jam justo longius prolatum excusabat. Potius erat, omnes per Germaniam ministros sago togaque, inprimis Banerium, Wrangelium, & Leslæum summos duces officii monere, atque huic, Landgravioque liberationem Magdeburgi commendare, qua obtenta bellum facilius in ditiones Cæsaris hæreditarias devolvi poterat. Stenoni Bielkio negotia pacis dirigenda committebantur, Salvio, & Jacobo Steinbergio succenturiatis. Ita is Stralsunda solvens in
4. Jul. 14. Jul. Sueciam adpellit, magno omnium Ordinum honore, plausuque exceptus, prout tanti Viri merita requirebant. Et postquam in Senatu de gestis suis expositisset, & quomodo se ope summa connixum importunitas quorundam hominum, & vis fatorum impedierit, quo minus destinatis suis potiri valuerit. Et cum paratum se reddendis insuper quavis actione rationibus ostenderet, Senatu ab ipso acta summopere probante ad Cancellarii munus deinceps exercendum se conferebat; id monens, ne cui unquam deinceps tam ampla mandata, atque sibi, darent pro arbitrio de bello & pace statuendi. Nam iis si abuti voluisset, plures sibi occasiones fuisse privatas fortunas immensum augendi, ni amor & fides patriæ ante omnia fuisset. Habebatur eo tempore conventus selectorum Ordinum ex Ordinibus, qui Oxenstiernæ adventum aliquot per septimanas expectaverant, quo plenius de facie rerum in Germania ab ipso instruerentur. Et omnes quidem bello tam formidabili defungi cupiebant, exercitamque continuis periculis patriam, pacis suavitate recreare, cujus spem è tractatibus Meclenburgici opera institutis conceperant. Et plerisque videbatur remissa sumtuum refusione satis habendum, si Protestantes Ordines militis Teutonici, & peregrini residua stipendia in se susciperent. Quo facto ipsi indigenæ militi satisfacere, & omnibus Germaniæ locis cedere parati erant. Quod tamen quæ pacem suadebant rationes citra extremam necessitatem essent, cordatioribus non ita ad pacem festinandum videbatur, ut hostibus, totique orbi ludibrium deberent. Nam qualem pars adversa pacem dare volebat, semper obtineri posse, si masculè rem gerant. Cujus & repudiandæ nunc plausibile prætextum suppetebat; exclusos amnestia Ordines deseri nefas esse. Ac si fallente plane fortuna Germanico solo depellantur, hostem tamen ne in Sueciam perculsis instet, paucis in Oelandia & ad Calmariam dispositis legionibus prohiberi posse. Et cum Gustavi Regis felicitate omnibus jam locis potiantur, ex quibus sub initium belli Sueciæ periculum imminebat; stolidum esse tanta commoda temere projicere, ac ultro velut latus sibi mudare, non sine gravi Sueciæ damno, si Danus solus, aut Polono junctus bellum moveat. Denique composito licet Germanico bello non diuturnæ tamen quietis spem concipi posse, non nostra bellandi libidine, sed ob iniqua vicinorum odia, & machinationes. Igitur prius decreta repetunt Ordines;
22. Jun. ut pax honesta ac tuta omni ratione quæratur; cujus conditiones qui ad clavum Reipublicæ sedent, pro captu temporum intendant, vel remittant. Sed si hostis ignominiosum, quo hactenus usus est, cum Suecia agendi modum non omittat, nec alium, quam huc usque ostendit, animum induat, vindicando patriæ honori ac saluti neque sanguini, neque bonis suis se parcituros.

Decretum.

Magdeburgo Saxo potitur.

§. 51. Ast in Germania post Oxenstiernæ discessum res initio non admodum lætæ fluebant. Banerius enim triginta quinque cohortibus adducente Gustavo Gustavi Filio è Pomerania firmatus, cum id ageret, ut Magdeburgi liberationem si non aperta vi, saltem aversis alio hostibus tentaret; urbem jam in hostium potestatem concessisse intelligit. Deditionis cautam præfecti solum pulveris defectum prodige nimis consumti adducere poterant; cum præsidiarius miles adhuc alacris foret, nondum captis exterioribus munitionibus, aut tentato totis viribus assultu. Discessuro præsidio honestæ leges concessæ. Sed oppidanorum nulla ratio habita, secus quam à præfectis promissum erat, queis desideria sua commendaverant; nec istorum deputati prius porta emittebantur, quam militari pacto jam absoluto; sic ut leges, quas Saxo ferret, omnino subeundæ forent. Igi-
3. Jul. tur præfecti Joannes Drakius, & Salomon Adami
5. Jul.

1636. Werbenam delati ſtatim in cuſtodiam dabantur, cauſam ſuper dedito oppido dicturi, hautquaquam probata, quam afferebant, excuſatione de pyrii pulveris defectu, cujus ducenta quinquaginta tria vaſa inutiliter conſumſerant. Et cum Banerius Rectores Sueciæ ſuper ea re conſuleret, hi reſpondebant, ut quicquid tum circa hos, tum alios flagitii compertos jus militare pronuntiaret, ſtatum executioni daret, cauſa ad ipſos haut relata. Quanquam nihilo ſecius iſtis capite damnatis vitæ gratia facta eſt. Inſperata iſta deditio Banerii conſilia non parum turbabat, cui Werbenæ ideo ſubſiſtendum adhuc erat, obſervandis hoſtium conatibus. Simul equitatus intra caſtra recipiebatur, ne forte ab hoſte opprimeretur. Et quod hoſtem copiis ſuis attenuatis aggredi non auderet, expectandum cenſebat, quoad plurium legionum acceſſu firmaretur; citeriorem tamen Albis ripam inſeſſurus, ut Leslæo propior eſſet, obſervandis quoque Georgii Luneburgici, & Daniæ Regis machinationibus. Hoſtis contra integrum menſem circa Magdeburgum hærebat, abſumto adparatu bellico, & commeatus inopia premente. Eas moras ad Werbenam Sueci ferre non amplius poterant, annona deficiente, & quod pabulum ab octo & amplius milliaribus ex agro Brunſvvicenſi petendum eſſet, non ſine certo equitatus exitio. Nam ſi trans Albim pabulatum mitteretur diſciplinæ negligens miles, vaſtatio diſtrictus Pegnicenſis, & Meclenburgicæ metuebatur, quibus exclis, ſi forte ratio belli eo ſecedere ſubigeret, ad oram maritimam plane deſcendendum erat.

Banerius Leslæum ad ſe evocat.

§. 52. Sed cum Banerius ſolus nihil ardui ſuſcipere poſſet, & Wrangelius copias à Suecia miſſas validis per Pomeraniam Cæſareis, penes ſe retinere cuperet; cujus rationi etiam iſte aſſentiebatur: ad Leslæum Andreas Trotzigius mittitur, qui faciem rerum & Banerii deſtinata aperiret, ejusque conjunctionem expeteret. Sed quia metus erat, ne hoſtis eo conſilio animadverſo in Luneburgicam ſe conferret, adſcitoque Georgio Duce medium ſe ipſi, Leslæoque interponeret; conſtituebat Banerius, motis Werbena caſtris Leslæo, qui à Viſurgi per Nienburgum profecturus erat, in Luneburgica occurrere. Locus conjunctioni deſignabatur Luneburgum oppidum, quod in poteſtatem redigere una cum VVinſena tentaturus erat. Poſt junctas copias conſilium erat Brunſuicenſem atque Halberſtadienſem ditionem ad obſequium redigere; inde transmiſſo Sala bellum in Electoris ditiones transferre, in obſiſtere audentem prælio tentato.

Banerius Luneburgum & Winſenam in poteſtatem redigit. 7. Aug.

§. 53. Sic Banerius locis ad Albim Havelamque idoneo præſidio & annona firmatis, VVerbena in Luneburgicam movet, præmiſſo Crocovio tribuno, ut hoſtium circa Ultzenam manipulos disjiceret; ſed qui jam mature in tutiora ſe receperant. Ultzenam Luneburgico præſidio inſeſſam, ac hoſtilia ſpirantem, Banerius admoto exercitu mox in Ordinem redigebat. Inde Luneburgum tendit, motus hac quoque inter cæteras ratione, ut poſt ereptum Magdeburgum interventu ejus oppidi commercio Hamburgenſium uti poſſet, ſi forte ſibi in Miſniam denuo abeundum foret. Eodem quoque tempore è VVeſtphalia movebat Leslæus, cura rerum ibi in Cratzenſteinium translata, cui tres equitum legiones, cum tribus dimacharum cohortibus adjunxerat. Reliquas copias, quæ quindecim peditum centurias, bis mille quingentos equites explebant, Luneburgum ad Banerium adducebat, id iter Georgio Duce fruſtra impedire conato. Conſtituerat Leslæus poſt traditas Banerio copias imperium abdicare, ac in patriam ſe conferre, afflictam triginta annorum militia valetudinem cauſatus. Sed à Banerio perſuaſus tantiſper munus retinebat. Luneburgo Banerius decuriones evocabat, poſtulans, ut præſidium intra oppidum reciperent. Qui modica pecuniæ ſumma oblata declarabant; extrema ſe malle expectare, quam militem recipere. Sed cum is vim propius admotum iret, oppidani territi veteris cum Guſtavo Rege fœdus ſe inſtauraturos, ac præſidium in arcem Calebergam recepturos pollicentur. Banerio etſi ſat virium erat expugnando oppido; tamen ne tempus obſidio tereret, & exercitum detractis tribus peditum millibus, quem numerum ſpatioſi oppidi præſidium requirebat, imminueret, quæ offerebantur acceptare conſtituit, præſertim cum per arcem oppido ſat fræni injiceretur. Igitur fœdus, quo urbs in fidem & partes Suecorum concedebat, renovatur, & arci trecenti pedites præſidio imponuntur. Mox quoque VVinſena arx, dum præfectus temere ad colloquium amici quondam ductoris prodit, ab irrumpente ſubito milite Suecico opprimitur. 14. Aug. 15. Aug.

§. 54. Saxo interim Hatzfeldio junctus Magdeburgo Tangermundam deſcenderat, ibique navali ponte Albim intraverat. In quem Banerius valido jam exercitu inſtructus Luneburgo recta ire decreverat, ſi prælium detrectaret, ſedem belli in Miſniam & Thuringiam translaturus. Ea tamen deſtinata hoſtis ad Albim & Havelam progreſſus impediebant, quos modica cum manu duce Clitzingio præter ſpem fecerat. Is quippe Havelbergam primum invaſerat, quatuor cohortibus inſeſſam; quæ languide intentatam vim aliquandiu propulſabant; poſt cincto ab altera quoque parte oppido, collapſis repente animis ductores ad deditionem indecoris legibus faciendam compellebant, absque ſignis & armis dimiſſæ. Mox Clitzingius à ſubtribuno VVatzio, Havelbergæ nuper præfecto, & aliis ductoribus poſtulat, ut ſecum ad VVerbenſe caſtellum progreſſi eidem præſidio deditionem perſuadeant. Quibus abnuentibus gregarius, qui operam ſuam ultrò obtulerat, cum tympanotriba mittitur, quæ Havelbergæ contigerant expoſiturus, additis minis ni ſtatim ſe dederent, Havelbergæ emiſſos huc adducendos, & ante ora ipſorum concidendos, pari exemplo mox in ipſos edendo. Qua iſti re territi, abjectis armis turpi pacto caſtellum hoſti tradunt eo feſtinantius, quod præfectus ante quatriduum fato functus eſſet. Ratenavia impetu expugnatur, caſtis pleriſque præſidiariis, ubi quatuor ſignis hoſtis potitur. Ad Brandeburgum ſtatim atque hoſtis ſe oſtenderet, Vetus Oppidum, & Baſilica à Suecis deſeritur; Novum Oppidum poſt vim admotam, cum pulvis deficeret, ſe dedebat. Ita Sueci levi negotio toto Havela depelluntur. Præſidiario tamen militi Havelbergæ, & caſtelli poſt cauſa judicio bellico dicenda fuit, nec ductores, cum in gregarios culpam devolverent, plane abſoluti, quod verbis tantum refractarios, haut ſtatuto exemplo coercitum iviſſent. Sed inter gregarios auctores flagitii capite pœnas luerunt; reliquorum decimus quiſque ſorte ductus ſupplicio deſtinatur; quod tamen unius aut alterius morte piatum. Hoſtis Havelbergam, Werbenam, Ratenavia, & Brandeburgo patitur. 5. Aug. 16. Aug.

§. 55. Dum circa Havelam Clitzingius ſatagit, Banerius Luneburgo Soltquellam proceſſerat, ulterius in Miſniam iturus, cum inſperatus de amiſſis ad Havelam oppidis nuntius iter ſiſtere, & Dœmitzam flectere ſubigit, ne & iſta pari ratione opprimeretur. Huic conſilio habito pleriſque placebat, propius ad Wrangelium accedendum, quo iſti, atque oræ maritimæ ſubveniri poſſet. Banerio Banerius cis Albim tendit. 22. Aug.

1636 nerio tamen id cum pernicie rerum Suecicarum & exercitus conjunctum videbatur. Se quippe in Meclenburgicam digreſſo hoſtem toto Albi potiturum; ſimul rebus per VVeſtphaliam plane collapſis Landgravium deſperabundum cum Cæſare transacturum; tum Gallos alia conſilia capturos. Extremum quoque ipſorum refugium Pomeraniam, & Meclenburgicam ſi nunc exhauriantur, in perniciem exercitum tracturas. Tum peremte exiſtimatione Germanos ductores ſeditionem indurturos. Quod ſi è Meclenburgica in hoſtem iretur, metus erat, ne iſte munitis ſe locis tenens prælium detrectaret. Ita in Pomeraniam recedentibus mala jam dicta imminere; aut ſi ad illa loca, quæ totam per æſtatem inſederant, denuo reverterent, inopia mox confectura erat, hoſte deſtinatis ſuis haut quidquam depulſo. Igitur optimum judicabat, impreſſione in Miſniam facta hoſtem eodem pertrahere; ſimul prohibere, ne gliſcentes Georgii Ducis copiæ iſti conjungi poſſent. Ac ſi Saxo ad ſua defendenda properaret, abducto ſimul è Pomerania Marazino, VVrangelius occaſionem nanciſcebatur ſe confirmandi, & occupata ab hoſte per Pomeraniam loca recuperandi. Enimvero dum ea deſtinata jam exſequi parat, è captivis intelligit, quinque equitum, totidem peditum legiones Dœhnio Duce Perlebergam venille, incertum in navalem Succorum pontem, an in VVrangelium ſubito quid tentaturas. Igitur ſepoſito priore conſilio iſtas expedita cum manu opprimere conſtituit, ſi hoſtis tota mole iisdem ſubventum iret, prælio certaturus. Mox tamen nuntiatur, eas legiones ad exercitum regreſſas, ac Marazinum cum omni equitatu & dimachis Electori & Hatzfeldio ſe conjunxiſſe. Ac fama erat, Georgium Luneburgicum, & Goetzium Saxoni ſe ſociaturos; qui auctis immane quantum copiis explorata victoriæ ſpe in Banerium ſit moturus. Igitur Banerius, ne per temeritatem in exitium ruere videretur, & ipſe Wrangelii copias evocare conſtituit, præſertim cum præter oppidorum quorundam præſidiarios nullus in Pomerania hoſtis ſupereſſet; caſtraque ad Parchimum metatur, gravibus edictis, ſuppliciisque libidinem ac rapacitatem vagabundi militis coercens.

4. Sept.

Hoſtis ad Perlebergam comitet.

§. 56. Hoſtis contra ad Perlebergam munitis caſtris conſederat eo uti adparebat conſilio, ut una cum Succis Pomeraniam & Meclenburgicam exhauriret, & exercitum juxta ac oppidorum præſidia ad inopiam redigeret; interim adſcitis Luneburgicis & Goetzii copiis ita ſe firmaturus, ut ſi qua perrumpere Banerius aggrederetur, numero illum obruere poſſet. Aſt Banerius cum à Wrangelio ſubmiſſæ copiæ ductu Vitztumii Generalis Vicarii acceſſiſſent, luſtrato exercitu novem equitum millia centum quinquaginta, peditum ſeptem millia, ducentos viginti octo reperit. Et quia eo progreſſum hoſtem videbat, unde non facile recipere ſe poſſet, nec forte numero confiſus vellet, frontem ipſi obvertere, ac ante Luneburgicorum & Goetzii adventum potius aleam prælii tentare, quam ut cum exercitu in præſens exitium compelleretur pati conſtituit. Quod ſi hoſtis ſui copiam non faceret, medium ſe inter iſtius caſtra, Havelamque & Albim inſertum ibat intercipiendæ annonæ: id quod ſi prohibere conaretur hoſtis prælio occaſionem præbiturus ſperabatur. Quod ſi idem diviſo exercitu cum parte copiarum mare verſus deſcenderet, præcipitante jam in hiemem anno munitis oppidis parum metuendus erat; altera parte, quæ adverſa ipſi tenderet, certo vapulatura. Aſt ſi toto cum exercitu eodem ſe penetraret, Banerio inſequente, in eosdem caſſes ſe inducbat, quos Succis ſtructum ibat, mari æque, ac Cæſareis, Saxonicisque ditionibus excluſus. Accedebat conditio ſui exercitus non ſane optima, equitibus late palantibus ac dilabente pedite, ut nupero itinere inter Dœmitzam & Graboviam trecenti, qui deſeruerant, deſiderarentur; ingruente inſuper inopia, ut aut pugnandum eſſet, aut eſuriendum. Motis igitur Parchimo caſtris Putlitzam, inde 13. Sept. Wolfshagam tendit, ubi quinque cataphractorum legiones, & Ungarus tribunus cum dragonibus ſe ſuis oſtendebat. Et quia VVolfshagam inter & Perlebergam via aliquoties rivis aut paludibus arctatur, ab unis anguſtiis ad alias, levi brachio iter Succorum morati; ſed ad extremum acriter in ſuorum caſtra rejecti ſunt, uti captivi ferebant, quadringentis amiſſis, & Ungaro non niſi ſexaginta dragones reducente. Sic propius ſub Saxonis caſtra Banerius ſuccedit, copiis in aciem diſpoſitis.

Banerius in hoſtem tendit.

§. 57. Aſt hoſtis, qui tredecim peditum phalanges, quindecim equitum millia explebat, caſtris ſuis prodire nolebat, quæ poſt munimentum agreſte, duasque profundas foſſas poſuerat, exterius palude & dumetis frequentibus, ut vix hoſtium quisquam conſpici poſſet; aciemque retro iſtas munitiones inſtruxerat. Eum loco tam iniquo invadere citra ulteriorem conſultationem Banerio haut placebat. Igitur veſpera ingruente ad quadrantem milliaris recedebat; ubi habito cum ducibus conſilio judicabatur, eo loco hoſtem non invadendum. Poſtera tamen die iterum ad caſtra 14. Sept. hoſtium inſtructis ordinibus acceditur; ſed qui immobiles hærebant, niſi quod quingentos equites emitterent levem velitationem orſos. Hoſte igitur prælium detrectante aliam viam inibat Banerius eundem in pugnam protrahendi. Caſtra quippe iſtius prætergreſſus Wilſenacum abit; Vitztumio cum idonea manu ad Havelbergam occupandam dimiſſo, quem ipſe toto cum exercitu inſequitur, VVerbenſe ſimul caſtellum aggreſſurus. At- 18. Sept. que Havelbergæ quidem centum qui inſidebant pedites arbitrio ipſius ſe dedebant. Interim Banerius navigia hoſtium, ne ponti extruendo amplius inſervire poſſent, deſtruit, nec modica ibi annona potitur. Mox quoque VVerbenſe caſtellum in poteſtatem venturum erat, ni Banerius audito hoſtis motu ſtatim in eum vertiſſet. Hic quippe, re- 19. Sept. lictis ad Perlebergam caſtris, ſub Clitzingio dimiſſam trium millium quingentorum manum ad ſe trahere poſt captum Brandeburgum cupiebat. Audito tamen Banerii regreſſu ad Witſtocum iterum conſidebat. Tanto magis properare Banerius, ne aut hoſtis ſe ſubduceret, aut Clitzingii acceſſu vires augeret. Et quia è præteritis ejusdem actionibus colligebat id ab illo agi, ut ipſe intra munita caſtra deſidens, Succicos mani labore & inopia attereret, conceptæ jam ſententiæ inhærens aleam tentare malebat, quam cum fame luctantis militis ſeditionem experiri. Uno ab hoſtium caſtris mil- 23. Sept. liari rivus erat, uliginoſa utrinque ripa; cujus pontem ab hoſte dejectum reparat, ac ſtatim mille pedites munito VVernſtadiorum prætorio cum 24. Sept. duabus equitum legionibus immittit.

Pugna ad Witſtocum.

§. 58. Poſtera luce à ſummo mane ad meridiem totus exercitus pontem ſilatim tranſibat, ubi ſua cuique ſtatio aſſignabatur. Dextrum cornu, quem locum & ipſe ſibi Banerius elegerat, Leonardus Torſtenſonius; mediam aciem Leslæus obtinebat, in ſiniſtro cornu Jacobus Kingius, & Stalhantſchius curabant. Secundam aciem Vitztumius ducebat. Sed ſylva in dimidium milliare patens transeunda erat, antequam campus occurreret, in quo acies explicari poterat. Sylva transmiſſa in conſpectum dabatur hoſtis, qui retro aliam ſylvam excelſo monte conſederat, cujus frontem excitati aggeres, & objecta vehicula tegebant machinis

1636. antepoſitis. Intra iſtam loci oppo: tunitatem cum hoſtem aggredi numero prævalentem temerarium judicaret Banerius, ſiniſtrum cornu ſylvam & montem circuire jubet, utà latere eundem invaderet. Ipſe dextrum cornu ad dextrum ſylvæ latus oppidum verſus circumducit ad radices montis ab hoſte inſeſſi, ut eum munimentis ſuis extraheret. Nec ſpes fallebat, dum hoſtis ſtatione ſua deſerta per ſylvam celſis ac rarioribus quercubus conſitam totum equitatum Banerio immittit, quem peditatus inſequitur, ut ſic tota hoſtium vis dextro Suecorum cornu incumberet. Heic igitur aſperrima pugna ſurgere, & cui parem ſe vidiſſe Banerius negabat; ut nulla iſthoc in cornu ala foret, quæ non ſexta, octava, aut decima vice cum hoſte concurrerit. Et quanquam ductores æque ac gregarii ſumma virtute rem gererent, ſic ut inter alia tres legiones, Livonica, VVittenbergii, & VVachtmeiſteri totum dextrum hoſtium cornu repellerent; tamen inter repetitos toties conflictus, cadentibus & ſauciis plurimis, cæteri laſſitudine confecti eo redacti erant, ut jam fugam ſpectare viderentur. Et hoſtium duces ſuis perſuaſerant, Banerium occubuiſſe, aut captum eſſe, eoque jam clangentibus tubis victoriam exclamabant. Sed in ipſo tempore Leslæus cum quinque peditum phalangibus aderat, qui quatuor hoſtium phalanges, dextrum Suecorum cornu à latere invadere agitantes, felici impreſſione repulſas avertit, & equitatui modicam reſpirandi facultatem præbuit. Sed cum cataphracti hoſtium ſuis phalangibus ſubvenirent, recrudeſcente pugna duæ Suecorum phalanges male multabantur, cæſis aut ſauciis plerisque, & ereptis aliquot ſignis, ab equitatu tamen poſt recuperatis. Incurrebat id periculi dextra ala, quod ſiniſtro cornu ſylva, & mons longo circuitu eſſet ambiendus; & ſecunda acies cum primam hoſti implicitam ſenſiſſet, ita tarde gradum promoveret. Cujus rei culpa in Vitztumium à cæteris tribunis conferebatur, quod non permiſerit illis gradum, uti cupiebant, & neceſſitas exigebat, accelerare; quin jactabant contra ipſius juſſum ſe properaſſe, alias adhuc tardius adventuros fuiſſe. Qui & nuntio per Banerium miſſo, ut adproperaret, reſpondebat: ſe ſatis noſſe, quando tempus ſit veniendi. Ac jam antea prælium hoc die Norlingenſi ſimile ominatus fuerat. Tandem cum ingruente veſpera ſiniſtrum cornu manum cum hoſte conſerere cœpiſſet, ſimul ſecunda Suecorum acies eminus conſpiceretur, hoſtis territus turbatis ſubito ordinibus in plenam fugam effunditur. In loco conflictus cæſorum hoſtium inter quatuor & quinq; millia reperta præter eos, qui in fuga trucidati ſunt, quos inter undecim equitum centuriæ. Sed maxima clades peditatui Cæſareo incubuerat, qui parum ab internecione abfuit. Ex hoſtium ducibus ceciderant VVildbergius tribunus, Hatzfeldius junior, & Falckenſteinius Comes. Signorum pedeſtrium Succi potiebantur centum viginti ſeptem, equeſtrium novendecim, dimacharum quinque cum tormentis triginta tribus, ac duobus mortariis; ſimul adparatu bellico, omnibus impedimentis, & Electoris ſupellectile argentea. E Suecorum exercitu occubuerant equites ſeptingenti, ſexaginta quatuor, pedites trecenti ſeptuaginta octo; ſauciati equites ſeptingenta ſexaginta quatuor, pedites mille quadringenti, octoginta unus. E ductoribus ceciderant Berghofius, & Cunigamus tribuni, Perſckofskius, & Sabortzkius ſubtribuni. Inter ſaucios erant Crocovius tribunus, Gadovius ſubtribunus, multique alarum præfecti, & inferiorum graduum ductores. Thuronem Bielkium tribunum, ſtrenue re geſta hoſtis captum abſtraxerat. Ut ea victoria non pauco ſanguine Succis emta foret, ad quam poſt Banerium Torſtenſonii conſtantia non parum contulerat. Sequenti die ſummo mane Banerius Kingium, & 25. Sept. Stalhantſchium cum ſiniſtro cornu fugienti per diverſas vias hoſti immittit Pritzvvaldam verſus, & VVerbenſe caſtellum; qui bis mille amplius capiunt, & in via, quæ Pritzvvaldam ducit, magnam multitudinem trucidant. Quod equitum ſupererat apud VVerbenſe munimentum Havelam curſim ſuperat; peditatus reliquiæ navigiis trans Albim vectæ Magdeburgum propere faceſſunt. Eo autem inſignior erat iſthæc victoria, quod Suecis adverſus hoſtem numero & loco potiorem iniquo ex loco ſubirent, eumque extra munimenta ſua protractum cum parte duntaxat ſui exercitus funderent.

Hoſtium clades.

1636.

§. 59. Iſthæc victoria per magnam Europæ partem inſignes animi motus producebat, prout quisque ſtudio in has, aut illas partes propenderet. Ac Succi quidem etſi ſummopere lætarentur armorum ſuorum gloria, & contuſa hoſtium ſuperbia, ſumtaque tot injuriarum atque inſultationum ultione; potius tamen habebatur, quod nunc occaſio honeſtis conditionibus pacem obtinendi, parata foret. Nam hactenus pax metu, aut deſperatione quæſita videri poterat; nunc rebus ſecundis nihil inſolentiæ oſtendere præclarum, & florentibus armis pacem affectare maximum favorem habebat; ſimul invidia belli in adverſam partem devolvebatur. Nec tamen ideo velut confecto bello remiſſius agebatur, ſed huic continuando omnia diligenter parabantur, non modo ſuſtinendis per Germaniam rebus, ſed & ut Danus metu coërceretur. Hic quippe cum nuntium hujus pugnæ Rensburgi accepiſſet, alliſo in menſam pileo, verbisque ſummam indignationem præ ſe tulerat, velut abrupta nunc, quam adverſus Suecos ſtruebat, conſiliorum tela. Hanſeaticæ urbes, & quicquid provinciarum mari alluitur, hanc victoriam cum gaudio accipiebant non tam favore in Suecos, quam quod belli flamma à ſe in ſuperioris Germaniæ partes devolvenda ſperaretur. Sed ſuperioris Germaniæ Ordinibus ob incumbentes cervicibus Cæſareos gaudium premendum erat, ſubnaſcente jam melioris, quam quæ Pragæ conflata fuerat, pacis ſpe. In Galliam quoque, Angliam, & Hollandiam ejus victoriæ ſenſus penetraverat. Quod tamen Gallos & Hollandos belli tædium cepiſſet, ſuſpicio erat ipſos hac occaſione uſuros cum hoſte perculſo tranſigendi, bellumque in alios devolvendi. Quæ res & Suecis neceſſitatem afferebat, ne pacis conſilia abjicerent. Etſi in Gallia Richelio cumprimis hæc victoria optata acciderat, quem res hactenus parum ex voto fluentes, & acriter inſtans Pontifex in pacem propellebat privatis ipſius rationibus exitioſam; quam nunc ſecurius cluſum ibat. Sed & Hiſpanus Legatus Ratiſponæ Cæſarem urgebat, ut Succos facta pace amoliretur, oblata etiam mutuo pecunia, qua iſtis ſatisfaciendum foret; ut tota belli mole Gallia premi poſſet. Cui fini & Paradiſius ad Saxonem mittebatur, eidem quoque pacem perſuaſurus.

Motus animorum poſt eam pugnam.

§. 60. Iſte quoque non inter poſtremos ejus victoriæ fructus erat, quod quæ in Saxonia Inferiore adverſus Succos ſtruebantur machinationes, ultro nunc corruerent. Præcipuus earum autor habebatur Rex Daniæ, de cujus clandeſtinis cum Cæſare commerciis multa ſpargebantur, velut fœdere inter ipſum & Auſtriacam Domum icto præfectura maris Baltici & Oceani, curaque adſitorum portuum, nomine Romani Imperii eidem deferenda foret; Rugia inſula in feudum conceſſa. Id

Eidem machinationes Dani & Lauenburgici eluduntur.

ſane

1636. ſane conſtabat, Cæſarem de Bremenſi præſulatu filio ipſius confirmando annuiſſe ea lege, ut Rex pro Ducatu Holſatiæ, & filius una cum Capitulo Bremenſi Pragenſi paci plane ſe ſubmitteret, bello in Suecos tanquam Imperii hoſtes ſumto. Saxo quoque conventum Ordinum Holſatiæ Chilonii habentem per legatum monuerat; ne Succos Mari Baltico dominari pateretur, utque arma in promtu haberet ſecum in iſtos jungenda, ſi æquas pacis leges aſpernarentur. Unde & Rex paulatim bellum terrâ marique parare; indignationem adverſus Suecos variis indiciis expromere, Pinnebergico Comitatu ipſorum hoſpitiis ſubtracto, Albique per naves ſuas bellicas occluſo, ac tranſitu per Holſatiam indies difficiliore reddito, nonnullis, qui heic deprehendebantur, ſpoliatis, captis aut trucidatis, ipſo ſi non jubente; ſaltem permittente, & connivente; cum Cæſarei & Saxonici tuto ibidem commearent. Poſt Danum Luneburgica Domus, & præcipue Georgius Dux iis conſiliis implicabatur, quem inter ac Regem frequentes nuntii miſſitabantur. Et aperte Dux militem conſcribere, ſupplendis veteribus legionibus, aut novis formandis; ſelecti provincialium luſtrari, tranſitus fluminum, & oppida præſidiis firmari, & hoſpitia quibusvis per ipſius ditionem abnui. Sed & de Meclenburgici animo dubitabatur, cujus ſubjecti maximam contumaciam oſtenderant adverſus onera, quæ ſuſtentando exercitui inevitabilis neceſſitas imperare coëgerat, talia tolerare à Duce ſibi interdictum jactantes. Accedebant delectus abeodem clam habiti, nec modicus eorum numerus autorati, qui Suecorum ſigna deſeruerant. Idemque ægrotos in ſua provincia relictos ad exercitum remittere detrectabat, cauſatus, iisdem ſe nunc magnopere indigere. Nobilibus quoque provincialibus equites imperabantur duplo numero; Suerinum, Guſtrovia, Butzovia operibus firmabantur, cum contra munitio Wiſmariæ detractis inde operariis requieſceret. Neque iſta conſilia agitata fuiſſe poſt hanc victoriam à Duce ad Banerium miſſus Legatus diſſimulabat. Eidem fini Duces Lauenburgici circa idem tempus Franshagæ conventum egerant, quorum protectionem ab ipſis delatam Daniæ Rex ſuſcepturus dicebatur. Inter quos etiam Franciſco Alberto Duci poſt Baudiſii miſſionem imperium in Saxonicum exercitum oblatum erat, quod & ipſum durioribus licet legibus acceptaſſe fama erat. Denique & id agebatur, ut Lubeca & Hamburgum in eam ſocietatem pertraherentur. Quæ tamen metu fœderis inter Gallos & Suecos ei negotio miſceri recuſabant; præſertim cum Chauniontius jactaret; ſi quis Sueciam vellicaret, id Gallos perinde habituros, ac ſibi factum. Cæterum iſtorum conſilia, quæ per Saxoniæ Electorem cumprimis urgebantur, verbo defenſionem Circuli Saxonici præ ſe ferebant ad eum fere modum, quem Daniæ quondam Rex adverſus Cæſareos & Ligiſtas ſuſceperat; cui tamen hic in præſens non aliter, quam pro rata Ducis Holſatiæ accedere volebat. Sed res auſpiciis Georgii Ducis, qui Circuli præfecturam gerebat, ſuſcipienda erat, regimen exercitus adminiſtrante Arnheimio, qui Regem inter & Ducem hinc inde curſitans ſatagebat. Ex hoc ad par[illegible] quid Succis expectandum foret, facile patebat, non minus ambiguis hiſce, quam apertis hoſtibus formidandis. Nam exercitu inter Albim & mare Balticum contracto ſtatuerant denuo leges pacis proponere, quas ſi Sueci abnuerent, junctis cum Saxone copiis hos invaſuri erant, eo certiore victoriæ ſpe, quod tempore hiberno è Suecia nihil copiarum advenire poſſet. Et jam iſta deſtinata in apertum eruptura videbantur, ni ad VVitſtocum victoria interveniſſet; qua divulgata Daniæ Rex delectus omnes ſtatim ſupprimebat, cæteris quoque in altam diſſimulationem compoſitis. 1636.

§. 61. Aſt Banerio, quo minus ſtatim hoſti perculſo inſiſteret, id maxime obſtabat, quod citra impedimenta per exhauſtas plane terras iter facere non poſſet; ad quæ trans Albim vehenda, navium aut navalis pontis copia non erat, quod hic dicto advertæ pugnæ rumore Dœmitza Lauenburgum devectus eſſet, tardo molimine in priorem locum retrahendus. Igitur prima cura erat ſaucios ter mille amplius per Meclenburgicam, Pegnicenſemque, & Ruppinenſem diſtrictum diſtribuere. Adverſus quos tamen Meclenburgici cumprimis inhumanos ſe valde exhibebant, denegato multis in locis tecti uſu, ſic ut plurimis, qui ſervari alias poterant, frigido ſub cœlo pereundum fuerit. Et Suerinenſis Dux edicto non modo immunia hoſpitia, ſed & tecta cibumque pecuniam licet offerentibus præberi vetuerat. Unde una nocte tredecim ſaucii ante portam frigore extincti, quos inter ſubtribunus Gadovius veteranus ductor, & nupera pugna meliora meritus, animam exhalabat. Inde quia hoſtium equitatus magnam partem ſalvus è prælio evaſerat, & Gœtzius è VVeſtphalia ſuis auxilio venturus erat; Succicis contra legionibus tam aſpera pugna debilitatis; Leslæum cum ſuis copiis, & plerasque à VVrangelio ſubmiſſas turmas apud ſe retinere ſtatuit, quoad hoſtem penitus profligaſſet. Ita ad Caſtellum Werbenſe itur, quo 11. Oct ob. expugnato per pontem ibi ſtructum exercitus traducitur, hinc Garlebiam tenditur. Interim Pla[illegible]. Octob. to, & Mortaignius tribuni Plauenam arcem ad deditionem compellunt, trecentis, quicam inſidebant peditibus Suecorum ſacramento adactis. Garlebia Banerius ad Georgium Ducem, qui nuper defuncto fratri Auguſto ſucceſſerat, literas dabat, ad veterem cum Succis amicitiam recolendam eundem hortatus, & ut conſilia ſua ab hoſtibus ſejungat; quo pateat, quid ab ipſo deinceps ſibi expectandum foret. Ad quæ Dux ambigue; multa 29. Octobr. ſuper cauſis, quæ Pragenſem pacem amplecti ſubegerint, memorans; nec aliud ſe hactenus egiſſe, quam ut Succis æqua ratione ſatisfieret. Contra ſibi, ſuæque Domui graviſſimas injurias illatas, quibus in poſterum avertendis operam dare fas ſibi ſit. Demum pacis ſtudium Banerio ingerit, quæ & ſibi curæ deinceps ſit futura. Banerius paulo tardius hoſtem perſequitur.

§. 62. Hoſtis contra poſt acceptam cladem copias diviſerat, Hatzfeldio in Halberſtadienſem agrum Electore in Miſniam digreſſo. Quorum hic ægre bis mille peditum iterum collegerat, equite quoque valde imminuto, armis tere, aut equis ſarcinisque amiſſis. Quibus refovendis vicinæ provinciæ valde premebantur, & ſoli Ertordienſes menſtrua octodecim millia uncialium, præter frumentum quatuor millium pretio poſcebantur. Accedebat aliud malum, quod triginta Polonorum turmæ apud Rhenum deſerto Galaſio per has oras iter domum capeſſerent, omnia qua tranſibant diripientes; quorum tamen non paucos palantes ruſtici trucidabant. Nec melius Cæſarei habebant, quorum pauci pedites ſupererant; eoque Hatzfeldius Gœtzium, ut copias ſecum ſociaret, evocaverat; qui & ex Electoris ſententia ad Georgium Ducem Cellas profectus erat ejus conjunctioni ambiendæ. Hoſtium conditio.

§. 63. Aſt Banerio fallaces nuntii retulerant, hoſtem adſcitis Gœtzii, & Lauenburgici copiis grandiorem quam ad Witſtocum exercitum coëgiſſe; ac jam luſtratione apud Eislebiam habita obvium ipſi tendere. Huic quanquam durum videretur recentis victoriæ fructum novi prælii aleæ denuo exponere; tamen quia Magdeburgicam, ac Hal- Banerius in hoſtem tendit.

1636. Halberſtadienſem ditionem fames ac peſtilentia in ſolitudinem redegerat, ut in tam populoſa alias regione rarum nunc eſſet hominem conſpicere, eoque longius utique cum exercitu progrediendum erat, denuo cum hoſte manum conterere ſtatuit.

25. Octob. Igitur Garlebia movens Mansfeldiæ arci à centum

8. Nov. peditibus inſeſſæ deditionem imperat. Quam cum præfectus abnueret, nec operæ pretium foret ob tantillam rem moram ibi trahere, relicta delitorum manu arci eminus obſidendæ, Sangerhuſam pergit. Ubi referebatur Hatzfeldium cum Cæſareo exercitu, & ſeptendecim Saxonicis legionibus

4. Nov. trans Oneſtrum conſiſtere. Unde ipſe cum Torſtenſonio aſſumtis novem equitum legionibus, & quingentis ſelectis peditibus, ac machinis nonnullis eas in oras tendit, hoſpitiis ipſos ejecturus. Enimvero prægreſſus jam cum exercitu Hatzfeldius non niſi Schœnickelium tribunum cum octingentis equitibus ibi reliquerat; qui cognito Succorum adventu celeriter ſe ſubducebat; ad Schvvanſeam centum quinquaginta ſuorum amiſſis. Quo audito Hatzfeldius, qui peditatum & impedimenta præmiſerat, expedito cum equitatu ſtatim per Longam Saltzam, & Creutzbergam noctu trans VVerram flumen ad Goetzium properat. Ei trepido quo minus inſtaret Banerius, uti cupiebat, aſperæ, aut luto profundæ viæ obſtabant, quas tormentis plane invias pedes ægre moliebatur. Igitur ne fatigatum jam ſatis militem peſſundaret, dilata hoſtium perſecutione catervas duntaxat quasdam cedentium veſtigia legere jubet, motus eorundem obſervaturas. Nam ſi iſti copiam ſui facerent, prælio iterum certare conſtituerat: ſin longius faceſſerent, ipſe ſuos per hiberna diſpoſiturus, ac Erfordienſes in poteſtatem redacturus erat. Hos quippe, ut ad fidem quondam Guſtavo Regi datam redirent, annonamque exercitui præberent,

6. Nov. Banerius per literas hortabatur. Quarum latorem tubicinem illi velatis oculis in urbem deductum,

7. Nov. hoc cum reſponſo dimittebant; Fœderi Suecico ſe ad finem usque belli adhæſiſſe; poſtea in Succos nihil deliquiſſe; eoq; ne quid moleſtiæ ſibi damnique inferatur petere. Annonam abnuunt, cauſati, urbem ſuam præſenti rerum ſtatu ea carere non poſſe. Portis inde clauſis nullum Succorum in urbem admittunt; & cum Banerius vim minaretur, ſi verba nihil proficerent, ad reſiſtendum ſe parant.

Banerius Cæſareos ultra Haſſiam propellit. 1. Nov. 10. Nov.

§. 64. Gœtzius interim, audita ad VVitſtocum clade, è VVeſtphalia Hatzfeldio adverſus urgentes Succos ſubſidio properans, tranſito apud Mundam Viſurgi, Creutzbergæ iſti conjungitur. Quo cognito Banerius dilata Erfordia copias in hoſtem rapit, id ſaltem effecturus, ut Haſſi hoſte liberati eo conſtantius Succorum partibus adhærerent. Quanquam enim ante prælium ad VVitſtocum, Ordines Haſſiæ conventu Altendorfi acto ſuper pace Pragenſi acceptanda decreverant, idque Cæſari ac Hungariæ Regi denuntiaverant: tamen poſt victoriam Succorum, cum hoſtis nullibi ſubſiſtere auderet, ſpreta pace Banerii adventum enixe ſolicitabant. Qui & mox Ienacum, cujus non modica pars fortuito incendio abſumta, inde per Creutzbergam in Haſſiam tendit. Sed hoſtis ſemper retrocedens non citra trepidationem Roteburgi Werram inde & Fuldam fluvios transmittit. Et quanquam Haſſi Banerio compendia viarum per Eſchvvegam & VVitzenhuſam proponerent, ponte etiam navali ad Caſſellas extructo; tamen ne hac quidem via iſte hoſtem antevertere poterat, qui Warburgum & Dimelam, inde Stadbergam ſe jam proripuerat, aliquot vehiculorum centuriis, & duabus machinis relictis. Igitur Haſſia liberata Banerius poſt Leslæum in VVeſtphaliam remiſſum retro in Thuringiam & Miſniam vertit, Saxonis copias ſat tenues diſſipaturus, ne firmare ſe iterum poſſent; ſimul ut ſuos per hiberna reficeret. Prius tamen Erfordiam in poteſtate habere deſtinatis ipſius ſumme neceſſarium erat; quam cum ſeptem per dies fruſtra perſuationibus ſolicitaſſet, tandem neutralitatem oblatam avertatus vim admovere, & ignes in eam jaculari inſtituit tanto ſucceſſu, ut intra unam horam ſex locis incendia excitaret. Unde oppidani territi, conſentientibus Moguntinis miniſtris, inita tranſactione partibus Succorum accedunt. Ejus præcipua capita erant; ut urbs intra Cyriaciburgum ducentos Succos præſidio admitteret, ab ipſa alendos; ac in urbe præfectum Succicum haberet, Reginæ & urbi fide obſtrictum: Ipſa urbs ne præſidium admitteret, ſumma pecuniæ & veſtibus militaribus redimebat, de cætero omnem favorem, ac tranſitum Succis præbitura. Viciſſim Banerius Cyriaciburgi reſtitutionem facta pace, integra quoque jura, illæſa prædia itinera ad urbem tuta, & immunitatem à moleſtiis militaribus promittebat, & quod interim à Succis defendenda, ac futuræ paci expreſſis verbis inferenda eſſet. Quæ conditiones ſat liberales ut urbi concederentur, anni tempeſtas ſuadebat, diuturni obſidii intolerans, & quia Miſniæ hibernis imminebat miles reliquis circa regionibus vaſtatis. Accedebat, quod Elector copias ſuas apud Torgam colligeret, cum Clitzingio jungendas, Wrangelii deſtinatis turbandis. Igitur & ipſe Torgam vertit, conſilia iſta eluſurus, redacto in poteſtatem ponte, & catervis Dreſdam utique dimiſſis. In itinere ſubtribunus cum centum quinquaginta dimachis Naumburgi poſt brevem detentionem arbitrio ſe victoris dedebat; ipſe cum ductoribus in captivatem redactus, gregarii ſacramento Succorum acceſſere. Et quia Miſniam Cæſarei & Saxones non parum exhauſerant, aliquot legiones in Hennebergicum Comitatum in hiberna dimittuntur, quo cæteræ laxius agerent. Ea quippe tunc præcipua Banerio cura, exercitum per hiemem refovere, & ſuppletis peditum legionibus equitatum inſigniter augere, quo hoſti hac virium parte prævalenti par eſſe poſſet. Provinciales edicto mittere jubentur, qui ſuper exercitui præbendis tranſigant, tum ut intra penates ſuos maneant, tutelari milite promiſſo, & additis in refractarios minis. Quæ res illis ſat inopina accidebat, cum hactenus de victoria ſuorum apud Witſtocum falſis nuntiis perſuaſi forent: nunc acerbos Pragenſis pacis fructus fruſtra exſecrabantur. Elector contra ſententiæ ſuæ pervicax vim utcunque propulſabat, quoad à Cæſare auxilia venirent. Lipſia quoque tribus legionibus firmatur ſub Trandorfio tribuno, qui antea in Baſilica Wratislavienſi ſtrenue rem geſſerat.

1636. 1. Dec. 13. 19. Dec. Erfordia in partes Succorum concedit. 22. Dec. Banerius in Miſniam tendit. 30. Dec.

§. 65. In Pomerania circa idem tempus, quo Magdeburgo Saxoniæ Elector, Marazinus Stargardia potiebatur; quam fruſtra aliquoties tentatam tandem manu peditum Glogovia firmatus; & pleriſque equitum pedeſtre hoc munus ſubeuntibus, per tenebras aſſultu invadit, ac reſiſtente licet acriter præſidio irrumpit. Præfectus oppidi Joannes Skyttius tribunus, ſtrenue munere ſuo functus, cum jam hoſtis mœnia ſuperaſſet, poſt abſciſſas ad flumen, quo oppidum interluitur, vias fortiter ſe defendebat, & hoſtem quo minus flumen tranſire poſſet, arcebat; donec femur globo trajectus, & prolapſus altero quoque crure fracto in manus hoſtium perveniret, aliquod poſt dies è vulneribus extinctus. Subtribunus Bethonius in turrim à Divo Joanne dictam cum magna præſidii parte ſe recipiebat; ſed ne quidquam pauliſper reſtitans hoſtium ſe arbitrio permittere cogebatur.

Geſta per Pomeraniam. Stargardia vi expugnatur. 6. Jul.

Amiſſio-

1636. Amissionem ejus oppidi plerique non tam viribus hostium, quam proditioni quorundam civium, & socordiæ unius & alterius ductorum adscribebant. Post Stargardiam expugnatam Marazinus nihil ultra tentare, nisi excursoribus per agros dimissis, ac Saxonis potius exercitum respicere. Quo fine & Oderam ad Suetam ponte insternebat utrinque validis castellis firmato; quem medio mense Augusto transgressus Templinum tendebat, Stargardia, & Wildenbruca arce præsidio firmatis. Sed idem paulo post operibus oppidi raptim destructis, ac tormentis partim fractis, partim abductis per Landsbergam Custrinum versus abibat. Ita nihil hostium in Pomerania restabat præter Gartzii præsidiarios, & qui Suetæ ac Kœnigsbergæ hærebant. Eo hostium motu cognito VVrangelius Stetino in citeriorem se Pomeraniam confert hostis impressioni ea parte arcendæ, copiisque octodecim cum dimidia equitum, quatuordecim peditum centurias explentibus ad Fridlandam lustrationis diem condicit. Hostium contra primum agmen cohortem desultorum Succicam Palevvalci opprimere frustra tentaverat, quod illa mature se subduxisset, non nisi quinque suorum & plerisque impedimentis amissis. Mox hostis, cum Zedenicum ire se simularet, repente agmine converso ad transitum fluminis apud Fridlandam aderat, cum quinque equitum millibus, octodecim dragonum centurius, uti videbatur Gustavum Gustavi F. tribunum, qui Fridlandæ legioni suæ equestri supplendæ vacabat, aliasque circa Succicas catervas oppressurus. Ast iste statim cum legione & impedimentis Fridlanda excedens trans flumen se conferebat, relictis ad alteram ripam centum sclopetariis, qui mox hoste incumbente, cis flumen ad equites se recipiebant, nullo suorum desiderato. Interea Kinnemundus tribunus, & mox Thuro Bielkius cum legione sua aderant, quorum ille duabus peditum cohortibus immissis qui hostium transgressi fuerant ultra flumen iterum rejiciebat, ubi universæ copiæ ordinibus explicatis consistebant. Sed cum reliquæ Succorum turmæ adproperantes pontem transire cœpissent, displosis in hostem aliquot tormentis; hic ita raptim præter Fridlandam Strasburgum properabat, ut quæ abeuntium vestigia urgebant Succicæ catervæ paucos adsequi possent. Sueci hac collisione tres tantum milites desiderabant, cum hostium supra triginta cæsi, sexaginta capti fuissent. Post cum VVrangelius per exploratores cognovisset, Marazinum ad Saxonem properare, Ostæ non procul Demmino castra munit, Pœnæ flumini custodiendo, & ut Banerio commodius sociari posset. Ad quem, cum prælium instare videret, quo minus ipse accederet, commissa peculiariter Pomeraniæ tuendæ cura prohibebat, à qua longius recedere non audebat; præsertim cum nec ipse firma valetudine uteretur, Legatumque Stenonem Bielkium gravis morbus teneret. Igitur satis habebat plerosque equitum, & Cunigami legionem pedestrem ad Banerium misisse. Interim Bielkius per Dromondum summum Vigiliarum præfectum pontem ad Suetam corrumpere conatus erat, quod consilium minus recte habitum, & copiis tardius procedentibus, in irritum cadebat, dum ab hoste jam parato adventantes repelluntur.

26. Augusti. Et iterum ab hoste desertus.

18. Augusti.

Improvisa Succorum cum hoste collisio.

8. Sept.

Wrangelius Gartzium expugnat. 13. Sept.

§. 66. Porro VVrangelius cum ob vicinum Banerii exercitum Meclenburgicæ, & citeriori Pomeraniæ nil periculi imminere videret, ac magni interesset Gartzio expugnato Oderam liberari; Osta Stetinum regreditur, ut machinis ibi assumtis pontem ad Suetam, inde Gartzium tentaret. Ejus motu audito cum hostis crederet, eundem per Stetinum in ulteriorem Pomeraniam tendere, copias suas in alteram Oderæ ripam traduxerat. 1636. E quibus unam Borgsdorficæ legionis turmam Piricii tributa exigentem superveniens Succorum caterva opprimebat, cæsis octodecim, & præfecto Vigilum cum duobus ductoribus & viginti septem gregariis captis. Eo hostium motu circa destinata sua confirmatus VVrangelius, Bohtinum tribunum cum quadringentis peditibus, & duobus majoribus machinis navigiis adverso Odera mittit; ipse cum reliquis copiis terrestri itinere Suetam tendit. Ubi omnia munimenta deserta, 14. Sept. pontemque sublatum reperit, quod Rostokius tribunus cum mille quingentis peditibus trepidus trans Oderam, inde ultra VVartam flumen se recepisset. Tanto fidentius Sueci Gartzium invade- 17. Sept. re, ex utraque parte accessus agere suggestusque excitare inter continuas licet defensorum displosiones. Mox è suggestibus & navigiis in oppidum fulminatur, & castellum ponti adstrum, simul cornutum opus occupatur. Unde territus hostis colloquium, & sex dierum inducias petit. Sed VVrangelio moras abnuente acrius ad verberationem reditum, & alterum quoque cornutum munimentum à Succis occupatum. Ita obsessi dedi- 30. Sept. tionem faciunt, honestas leges concedente VVrangelio, quod anni tempus diuturno obsidio incommodum foret, & sex legiones obsessis auxilio properare dicerentur. Oppido præfectus Felix Zuniga Gusmannus nongentos pedites, centum quadraginta equites Croatas atque Hungaros educebat, cum enormi calonum numero. Succorum isto in obsidio non supra viginti occisi aut lauciati. Duabus post factam deditionem horis nuntius victoria ad VVittlocum adfertur, cum molles deditionis leges non amplius honeste retractari possent.

Wrangelius in Marchiam progreditur. 21. Octobr.

§. 67. Ejus victoriæ ut & hisce in oris fructum caperet VVrangelius, de sententia Bielkii Legati in Marchiam Mediam progreditur, dilatandis suorum hospitiis, & quia spes erat, Brandeburgicum hac rerum conversione in partes Succicas retrahi, aut ad oppidum aliquod tradendum permoveri posse. Igitur provincialibus ostendit, si hac ratione suis à tergo cautum sit, belli sedem ipsis incumbentem in alias terras devolvi posse. Literis quoque apud Sigismundum Marchionem abiente Electore provinciæ præsidem declarat; non aliam sibi viâ videri terris hisce belli molestia levandis, quàm si Custrinum, unde hostiles copiæ in has oras inundantur, in Succorum manus consignetur, saltem hac lege, ut dimidia pars præsidii Succis, altera Brandeburgicis constet, quorum hi Reginæ, illi Electori simul fidem obstringant. Qua super re 10. Octob. etiam Blumbergæ cum isto colloquitur. Quo tempore Ungarus tribunus cum sua legione Lubbenæ oppressus, ipseque captus erat. Sed cum Elector parum ex voto respondisset, ad minas conversus missis Berolinum duobus tribunis magistratui oppidano denuntiat; postridie totum exercitum in urbe hospitia capturum, ac ut stipendia vestesque militi expediant. Credebat quippe, Electorem facilius in Custrini traditionem consenturum, quam sedem suam, totamque provinciam prædæ expoliturum, munitis oppidis nihilo secius mox fame expugnandis. Enimvero cum oppidani ac sacerdotes, & ipse Sigismundus Marchio hospitia 4. Nov. deprecarentur, natale Reginæ Matris oppidum in summam calamitatem conjectura Wrangelius, cui ea res serio non agebatur, facile ut id differretur, consentiebat; ac Ericum Steenbockium, Satlerumque tribunos petente Marchione mittit, qui super tradendo Custrino ulterius agerent. Apud quos hic de Electoris in Succos affectu multa jactare, & uti is invitus cum hoste se conjunxerit, nec nisi

cum

1636. cum exceptione pacem Pragenſem acceptaverit, cujus pernicioſi fructus quotidie adpareant. Sed quia Cuſtrino tradito aperte hoſtilia in Cæſarem induiſſe judicandus ſit, hac tempeſtate tale quid ab ipſo poſtulari non poſſe. In ſex tamen ſeptimanas induciæ petebantur, ut in conventu Ratiſponenſi ab Electore aut pax ſerio urgeri, aut ea non ſuccedente pro re nata conſilium capi poſſit: tantiſper Berolini tuto ſibi agere liceat. Simul liber Succis tranſitus præter Cuſtrini munimenta offerebatur. Aſt Bielkius Legatus, ad quem reſponſum iſtud relatum erat, ſatis perſpiciebat, inducias in ſpeciem propoſitas, quoad aliunde Berolino caveatur. Et Oxenſtierna præſcripſerat, ſi quid ſuper induciis moveretur, id obtentu pro tempore ſumto eludendum. Haud inconſultum tamen judicabat hoſtilitate tantiſper ſuperſedere, & regione in commodum exercitus frui, & ſi qua occaſio detur munitis oppidis potiundi, eam haut negligere. Sed cum tandem Elector declaraſſet, omnia ſe potius perpeſſurum, quam ullo munito loco ceſſurum; Wrangelius ſerio rem acturus Berolino pecuniæ ſummam & veſtimenta militaria imperat; quibus acceptis duodecim cohortes antea impoſitas oppido educit. Cuſtrinum inde eminus circumſidere inſtituit perfoſſis quibuſdam aggeribus, quod tamen ita arcte circumcludi non poterat, ut famem ſentiret. Nec Landsbergam hiberna tempeſtate invadere tutum putabatur, ſeptingentis peditibus & centum equitibus infeſtam. Francofurtum tamen occupatur, cui quas immittere copias hoſtis conſtituerat, paulo ſerius veniebant. Neque tamen in Sileſiam penetrare, & ita longe à Pomerania diſcedere conſultum ducebat. Nam hoſtis apud Gubbenam tria equitum, quatuor peditum millia collegerat. Ipſi contra pauci equites erant, & inſuper tribuni Woperſchnovii recens conſcriptam equeſtrem legionem incautius agentem hoſtium caterva Beſcoviæ oppreſſerat, multis cæſis captiſque. Pedites quidem ſex millia implebant Sueci Finnique, ſed quibus ſolicite parcendum erat; tum ad oppida maritima ſemper reſpiciendum, modicis præſidiis infeſta, ne hoſtis ſubita irruptione damni quid daret. Sed mox cum Cæſareis aliquot Saxonicæ legiones acceſſiſſent, ac Odera gelu conſtrictus paſſim tranſiri poſſet, nec Francofurti annona eſſet, militi ſuſtentando; VVrangelius ne hoſtis medium ſe inter ipſum ac Pomeraniam interponeret, deſerto Francofurto legiones paulo inferius circa Fuhram flumen Neuſtadii, Freinvvaldæ, ac vicinis oppidis diſtribuit, ipſe Stetinum regreſſus. Vix Sueci hiberna attigerant, cum novendecim legiones equitum dragonumque Cæſareæ, Saxonicæ, & Brandeburgicæ Clitzingio, & Saradetzkio ducibus, decurſis intra biduum octodecim milliaribus, ingruunt ipſe Suecicos diviſos opprimendi. Sed adventu iſtorum mature cognito, Vitztumius contractas ad Neuſtadium copias Angermundam, inde Gartzium ac Stetinum reducit nullo damno accepto, cum contra Haraldus Stackius Angermunda Oderbergam miſſus Knobelſdorfii legione oppreſſa tribus ſignis & aliquot ductoribus potitus eſſet. Hoſtium inde caterva: paſſim per Pomeraniam & Meclenburgicam excurrebant; quarum una in ſubtribuni Stuarti ſtationem irrumpens triginta equites occiderat, aut ceperat. Ac ſuſpicio erat hoſtem occultis machinationibus uni vel alteri Pomeraniæ oppido imminere; præſertim cum erumperent, quæ iſto tempore corrumpendis Stralſundenſibus tentabantur.

Cuſtrinum ne quidquam capere.

Wrangelius in Pomeraniam recedit. 5. Dec.

Stralſunda à Cæſare tentatur.

§. 68. Anſam conatibus iſtis dederat, quod Sparrius dux Cæſareus in aula Viennenſi retuliſſet, Fridlandi temporibus ſecreto tractatu Stralſundenſes non alienos ſe oſtendiſſe ad ejiciendum præſidium Suecicum, & reſumendum Cæſaris obſequium. Igitur Alexandro Greiffenclovio in aula Polonica Cæſaris Reſidenti mandatur promiſſis Stralſundenſes ſolicitare, ut Suecos amoliantur. Is Lubecam ſe confert; unde transmiſſo mandatiſ. Dec. ſui exemplo, expoſitiſque pollicitis ſciſcitatur; cum factionis Suecicæ capita in urbe pleraque mortua ſint, extinctis ſimul qui urbi quondam apud Cæſarem moleſtiam creaſſe arguebantur; num Cæſaris exercitu ad mare Balticum accedente ad obſequium ejus redituri ſint; Cui ab oppidanis reſponſum: ſibi ab eo tempore, quo cum Fridlando tractaverint, ſemper animum fuiſſe in obſequio Cæſaris vivere, ac mori. Id modo optare, ut bellum idonea ratione componatur, quo exterorum auxilia amice deduci queant. Suſpicioni tamen apud Succos declinandæ præfecto præſidii Reinoldo Metſtackio iſta omnia communicant, parum ſane probanti ambiguum & frigidum reſponſi genus; & quod res non ab initio ad ſe relata foret. Sed nec Cæſareus Miniſter, qui Roſtochium ſe contulerat, adquieſcere, ſed novis literis inſtare, ut diſtinctius mentem ſuam explicent. 14. Dec. Ad quæ Stralſundenſes nihil reponebant. Quod & ipſum Succis, poſtquam anteacta ſibi diſplicuiſſe leniter ſignificaſſent, probabatur. Mittitur tamen Stralſundæ præſidio augendo Adolfus Hardius, cum quatuor cohortibus, & Ericus Steenbockius ad Penæ tranſitus cuſtodiendos: cæteræ copiæ per Novam Marchiam in hiberna diſponuntur: quibus inde exturbandis jam Clitzingius Brietzam uſque ad Oderam proceſſerat. Sed hujus deſtinata Banerii progreſſus in Miſnia diſſipabant, dum arceſſente Saxoniæ Electore cum Saxonicis & Brandeburgicis legionibus eodem propere ſe confert, Saradetzkio cum Cæſareis in Sileſiam abeunte.

1636.

§. 69. In VVeſtphalia Leslæus Hanovia redux Artzenam uſque progreſſus erat, una cum Banerio Magdeburgi liberationem tentaturus. Sed ejus deditione audita copias longa expeditione & morbis attritas hoſpitiis ad Viſurgim recreare conſtituerat; quæ vix delibata quiete à Banerio evocantur. Quanquam autem eodem tempore Landgravius miſſo ſubtribuno Baumbachio ipſius auxilium adverſus irrumpentem in Haſſos Gœtzium, imploraret; tamen cum ſumma rerum in Banerii exercitu verteretur, neceſſitatem apud Landgravium excuſans copias ſuas ſtatim ad Nienburgum convenire jubet, ibique ſuperato Viſurgi ad Luneburgum Banerio jungitur. Cratzenſteinius autem in VVeſtphalia interim relictus Gœtzio incumbente Mindam ſe recipere cogebatur. Mox Gœtzio ad diſturbanda Haſſiacorum hoſpitia converſo, iſte aſſumtis quingentis peditibus, trecentis deſultoribus, & ſexcentis equitibus ſubito Lemgoviam irrumpit, oppreſſis duabus Cæſarearum cohortibus, & Sperreutero capto. Inde Georgius Dux Luneburgicus nonnullas ſuarum legionum Mindenſi præſulatui immittit, reliquis ſecundum Alleram flumen diſpoſitis, auxilio Cæſarcorum Mindam & Nienburgum tenui annona inſtructas eminus obſidio cincturus. Quo fine & Bremenſibus denuntiat, ne quid cibariorum Succis ſubvehi patiantur, publicationem deprehenſarum mercium minatus. Sed iſtos conatus victoria ad VVitſtocum diſſipabat. Poſt Leslæus à Banerio digreſſus, cum ob læviens frigus Mundam una cum Landgravio obſidere fruſtra conſtituiſſet, VVitzenhuſæ tranſito VVerra flumine Northeimum progreditur; unde ad Brunſuicenſes ac Luneburgicos Duces mittit, qui ditionem ipſorum in uſum hibernorum expeterent; ipſe interim, dum reſponſum adfertur, ad Oldendorfum conſidens. Aſt Duces miſſis legatis

Geſta per Weſtphaliam.

7. Sept.

1636. 21. Dec. 23. Dec. gatis circa hiberna tergiverſati de neutralitate incunda mentionem injiciebant. Quos Leslæus Hildeſiam remittit, ut gratius reſponſum reportent. Copias tamen per deſignata licet hoſpitia diſtribuere differt, quod, ni Ducum conſenſus accederet, exiguus eorundem uſus foret, agreſtibus juſſu eorundem in oppida munita diffugientibus, queis vim admovere anni tempeſtas non patiebatur. Interea trans Viſurgim ſub Hatzfeldio, Goetzio, Gleenio, & de Salis validus exercitus coiverat; cui augendo quædam legiones Saxonicæ acceſſerant, & Landgravius Georgius ſub fratre Joanne aliquot millia militum auxilio ſubmittebat. Quorum ad Viſurgim acceſſu turbatus Leslæus, copias per hiberna diſtribuere non audebat. Cæterum ipſe hoſti impar, cui ſæviente gelu paſſim per Viſurgim ad ipſum acceſſus patebat, ſimul Georgio Duci diffiſus, quo arceſſente hoſtem advenille putabat; in Thuringiam regredi decrevit; ne vel ipſe ab hoſte opprimeretur, vel Banerius ſolus eidem ſuſtinendo non ſufficeret. Eoque Northuſam ſe confert, Banerii ſuper conjunctione ſententiam expectaturus. Ipſi enim placebat junctis copiis in hoſtem ire, ac intercepta ejusdem per Brunſuicenſem agrum quiete in Weſtphaliam ipſum rejicere, cum inopia ibi luctaturum. Sed potius Banerio viſum incumbentem Wrangelio hoſtem detrahere; eoque malebat Leslæum tantiſper circa Mindam & Nienburgum ſe tenere, trajectus opportunitate hoſtium conatus facile eluſurum.

Goetzius per Haſſiam graſſatur. §. 70. Aſt Haſſiæ interim graviſſima tempeſtas incubuerat, quam poſt Leslæi cum Banerio conjunctionem Goetzius decem equitum, quatuor peditum millibus infenſus invaſerat, rapinis, incendiis, cædibus immane quantum graſſatus. Is Amœnoburgum primo receperat. Mox Homburgum oppidum, præſidio in arcem refugiente
16. Jul. occuparat. Sed in hanc aſſultum tentans repellebatur, ducentis deſideratis, quos inter Reinackero tribuno fœmina caput projecto ſaxo obtriverat. Mox tamen cum provincialium multitudini neq; cibus neq; aqua ſuppeteret, præfectus, deditione facta more militari dimittitur: provinciales tamdiu clauſi tenentur, quoad quiſque pro fortunæ captu ſe redimeret. Paderbornam Geiſius tribunus cum duabus equitum, ſeptem peditum cohortibus per
f. 25. Aug. viginti dies ſtrenue propugnabat. Ad extremum tamen arbitrio ſe hoſtium permittere coactus ipſe cum ductoribus captivitatem ſubit, gregariis per cohortes hoſtiles diſtributis. Equidem tentabat
26. Jul. Landgravius literis ad Goetzium ſcriptis hoſtilia avertere, obtentu tractatuum cum Cæſare, & induciarum.
31. Jul. Sed hic reponebat; expeditione ad Hanoviam pacis commercia ſublata; & ſi quid deſideret, Hungariæ Regem adeundum. Igitur hoſti prævalenti cedens in Weſtphaliam ſe conferebat, ut ſuas ibi copias contraheret, ac undique auxilia exciret, Suecorum primo, inde Belgarum ſubſidium implorans, in Batavos ipſe profectus. Nec minus interim de pace tractabatur, cujus propinquam ſpem Cæſarei Miniſtri oſtentabant, plerisque Haſſiacorum in eandem pronis. Poſt Paderbornam captam
17. Sept. Goetzius Suſatum, inde Tremoniam, utramque
24. Sept. injectis ignibus, ad deditionem adigit. Nec minus Werlenſis arx, & Hammum capitur, Dorſtena incaſſum tentata. Et videbantur Haſſi tota mox Weſtphalia expellendi, ni clades ad Witſtocum Goetzii progreſſus ſtitiſſet. Nam & reliquis in oppidis exiguus erat paratus, & plerique ductorum animo alienato miſſionem flagitabant, quos Melander clam ſtimulare credebatur. Apud Belgas quoque parum ſubſidii obtinebatur, obnitente Colonienſi miniſtro, & Brandeburgico ob detenta Marcæ oppida difficultates movente, ipſis quoque Belgis neutralitatem cum Cæſare & Imperio ambientibus. Igitur cum Suecorum auxilium longius abeſſe videretur, cum Gallis novum fœdus Vetaliæ
16. Sept. init, ubi Chaumontius Legatus Gallicus agebat. Præſertim quia pacis cum Cæſare nulla ſpes erat, Goetzio jactante, à Cæſare ſibi injunctum omni modo Landgravium perſequi; & Saxo atque Darmſtadienſis acriter initarent, ne Cæſar damna huic data condonaret. Aſt audita Witſtokienſi pugna, Landgravius ſtatim Hamburgum ſe conferebat, cum Banerio & Leslæo ſuper belli deinceps gerendi ratione conſultaturus; paratus etiam partem copiarum ſuarum cum iſtis conjungere; nihil aliud ab iiſdem ſibi ſtipulaturus, quam ut paci inundæ includeretur. Sed cum ægre Luneburgum per inſidias evaſiſſet, ulterius progredi non auſus, Hamburgum retro, inde per Weſtphaliam domum revertit.

Hanovia ſtatus. §. 71. Hanoviæ præfectus Ramſæus obſidio liberatus longe lateque excurrebat, ſæpe hoſtibus non modico damno illato, nec ſpernenda præda potitus. Ei Gallasius inducias offerebat, ſimul moguntinus cum eodem ſuper neutralitate agebat; unde & ipſe nihil hoſtiliratis adverſus hunc exercebat. Wetteravicis autem Comitibus, & Francofurtenſibus modo amicum, modo infeſtum ſe oſtendere, prout circa ſubvehenda Hanoviam neceſſaria promtos aut difficiles ſe exhiberent. Sed maxime infenſum ſe gerebat Georgius Darmſtadienſis Landgravius ſub capitis pœna ſuis interdicens, ne quid tributi Hanovienſibus exſolverent, necatis ſi qui literas in oppidum ferre prehendebantur. Nec ſegnius odiis certare Hanovienſes, ejusq; ſubditos rapinis & exactionibus vexare. Unde tandem Landgravius copias ſuas à Goetzio & Saxone avocare, peculiaremque ſibi exercitum parare inſtituit coercendis Hanovienſibus, & intercepta ſubvectione ad deditionem adigendis. Tanto magis Hanovienſes properare, omniaq; neceſſaria in oppidum convehere, Offenbaco ad Mœnum tantiſper inſeſſo protegendis ſubvectionibus. Cum Moguntinis poſt, & Francofurtenſibus ſuper neutralitate tractatum, cui demum & Georgius Landgravius accedebat, poſtquam copiæ ipſius adverſus Suecos in Mithiam evocatæ eſſent; gliſcente quoque inter ipſum & Moguntinum æmulatione, uter eo oppido potiretur, magno Hannovienſium commodo, quos omni exhibito favore Moguntini peculiariter ſibi conciliare ſtudebant.

Per Alſatiam geſta. 4. Jul. §. 72. In Alſatia Tabernæ demum cum arce Hohenbaara deditionem faciunt. Oppido quantumvis ruinis & incendiis valde deformato præſidium Gallicum impoſitum. Inde Bernhardo Duci conſilium erat, ſi Argentoratenſes cœpris favere vellent, ad eam urbem Rhenum tranſire, & inſeſſo Nicro flumine Gallaſii ſubvectionem impedire, aut bellum ad Danubium transferre. Argentoratenſes ut pontis ſui uſum concederent, Valetta aſperioribus poſtulatis compelli poſſe crediderat, imperato præter pontis uſum frumento ad tres menſes pro triginta millibus hominum, quadraginta uncialium millibus, & magna vi pulveris pyrii, ſimul libero in urbe foro. Addebantur minæ, ni ante veſperam reſpondeatur, ſe diſceſſurum, urbe ipſorum & tota provincia libidini Cæſareorum expoſita. Aſt iſti inſolentia poſtulatorum offenſi præter uſum fori, & modicum frumenti omnia abnuebant; cum moderata petentibus, quod Mockelio Reſidenti Succico, ipſique Duci videbatur, plus obtineri potuerit. Nec operæ pretium poſt factum mollioribus propoſitis; cum & Gallaſius iſtos promiſſis demulceret, & oppidanis cordi foret utriusque favorem retinere.

1636. Quanquam enim plerique animo in Suecicas partes propenderent: Cæsareos tamen offendere non audebant, ne commercia ipsorum cum Basileensibus & Francofurtensibus, & ex agro Wurtenburgico turbarentur. Hostem interim ad Drusenheimum munitis castris confidentem magna premebat inopia, & miles immaturis fere pomis victitans labefacta valetudine frequens moriebatur
4. Jul. aut deferebat, excursionibus quoque subinde multatis. Ad quem Galli Bernhardusque Dux propius movent, intra horæ iter ab hostium castris Brumati considentes; ubi Dux, intra biduum quingentis profugis aut captivis potiebatur. Consilium erat prælio decernere, si Gallasius sui copiam faceret, aut si pugnam abnueret, castris oppositis eum fatigare; quod ipsis in propinquo pabuli copia; hosti contra trans Rhenum omnia petenda. Habebat Vinariensis quatuor equitum millia, octodecim peditum centurias; Gallorum sex peditum, duo equitum millia quingenti erant, egregius miles, & qui præclari quid in hostem gerere poterat, si Argentoratenses favere cœptis voluissent: qui frumentum, quod antea promiserant, Gallis pretio vendere abnuebant. Unde Vinariensis alia via frumentum comparaturus militi veniam dat segetem pro lubitu demetendi, eamque in certa loca deferri jubet à se redimendam, quo exercitui, simul Tabernis, atque Hagenoæ prospiceretur. Sed cum miles pleraque Argentoratum deportaret, Dux positis ante urbem stationibus id impeditum ibat non sine oppidanorum offensa.

Cæsarei in Burgundiam pendunt.

§. 73. Inter hæc Hungariæ Rex in castra ad Drusenheimum perveniebat, paucas tantum horas ibi moratus, componendis, uti credebatur, quorundam ductorum simultatibus. Paulo post Lamboius cum quatuor equitum dragonumque millibus per alteram Rheni ripam Brisacum, inde transito ponte in Burgundiam properat, quo etiam
28. Jul. Mercius, qui Bockenheimi ad Saram hactenus stativa habuerat, cum quatuor equitum millibus, duabus peditum legionibus tendebat, aliis etiam catervis adscitis, Dolæ liberandæ. Apud Gallasium non supra sex militum millia in castris superesse ferebantur. Unde Bernhardo Duci denuo consilium capitur ponte navali extructo Rhenum transire, & Gallasium ad incitas redigere, nullo effectu, quod Argentoratenses ad navigia, rudentesque, &
27. Jul. asseres vendendos permoveri non possent. Inter hæc Cæsarei catervam, quæ sub Guichio Comite frumentum Hagenoæ illatura erat, intercipere conabantur, centuria equitum è singulis legionibus electa. Ex his ducenti Croatæ ad rivi transitum constiterant, cæteri post frutetum ordines explicaverant. Ast viginti quinque Vinarienses equites reliquum agmen prægressi impetu facto Croatas istos in fugam propellunt, qui reliquis suorum impacti tanto eos terrore implent, ut in paludem præcipites ruerent, & plerique amissis equis, abjectisque loricis in castra refugerent. Ubi tanta consternatio oriebatur, ut jam legiones cum impedimentis per pontem cis Rhenum refugere inciperent; cum tamen nemo fugientibus institisset. Nam Guichius Comes conspectis eminus cataphractorum ordinibus late extensis suos retinuerat. Ita præter præfectum turmæ, duosq; vicarios quinquaginta tantum equi in Vinariensium manus incidunt, plurimi tamen in palude perierant. Sed & quotidianis fere excursionibus Cæsarei subinde vapulabant, exiguo ad summam rerum momento. Enimvero cum Bernhardo Duci nulla esset facultas Rhenũ transeundi, & Gallasius intra munitiones suas tutus esuriendo cum isto certare vellet, Cæsareis interim per Burgundiam viam in Gallias molientibus post Hagenoam, Tabernasq; milite atque annona firmatas, ac nullo obsidii metu ex Alsatia paucis equitum legionibus relictis abire constituit. Et Valetta præcipue urgebat, quod Hispani in Picardiam irrupissent, ac Lotharingiæ Dux ad liberandam Dolam se moveret. Antequam tamen discederet Vinariensis ostentandæ virtuti cum sola sua legione prætoria ad castra hostium accedit, & post rejectam excubitorum stationem tamdiu constitit, quoad universus hostium equitatus instructus prodiret. Ubi quanquam Valetta suaderet, quem iste nulla consilii sui tacta mentione secum duxerat, ut cæteræ legiones arcesserentur; tamen virtute suorum fretus per duas horas cum hoste velitatus tenebris ingruentibus decoro se ordine recipit, uno tantum equite amisso, cum hostium supra triginta caderent. Id factum Galli magnis laudibus extollebant, etsi nonnullis displicebat, duo exercitus capita periculo non necessario se commisisse. Ita Vinariensis castra movet, vegetis copiis & non parum auctis, ac per Tabernas Pfaltzburgumque in Lotharingiam tendit, Argentoratensibus per literas exprobrans, quod ipsorum tergiversatione pulcerrima occasio rem bene in communem hostem gerendi, corrupta sit. Sed & statim Gallasius cum gravi agmine cis Rhenum Brisacum, inde in Burgundiam movet; quo & levis equitatus recta per Alsatiam properabat.

1636.

Insignis Bernhardi Ducis velitatio.

Iste cum Gallis Alsatia excedit.

§. 74. Inter quæ nuntius defertæ à Condæo Dolæ ut Cæsareis magnos spiritus dabat; ita Gallorum, Ducisque Bernhardi consilia non parum turbabat, qui summam expeditionis suæ in Germaniam Condæano exercitui superstruxerant; cui injunctũ fuerat post expugnatam Dolam ad Rhenum movere, inde ulterius in Germaniam penetrare. Igitur Cæsarei de Gallorum consternatione persuasi, contractis undique copiis bellum in Ducatum Burgundiæ transferre conantur. Quibus ut obsisteretur, non solum Valetta, qui in Picardiam tendebat, sed & Vinariensis è Lotharingia, ubi interim Blamontiũ & Rambervillam expugnaverat, evocatur. Quorum huc tamen duas antea legiones in Alsatiam dimittebat excursionibus hostiũ sistendis; quæ & aliquoties rem bene gesserunt, oppressa inter alios Ditchleri ad Weislenburgum legione. Eodem tempore Rex Hungariæ Brisaci, cujus penus per ipsius comitatum non parum exhauriebatur, edicto causas belli in Galliam moti promulgat: statim post pacem Mantuanam, cum Sueciæ Rege fœdus in Cæsarem initum, apud alios Reges infesta in eundem consilia agitata, Ordines Imperii concitatos, oppida complura vi expugnata, aut ab hostibus emta, adversus Cæsareos exercitus vim adhibitã, Lotharingiam occupatam. Hinc Gallos invitat, ut tam pravorum consiliorum autoribus non adhæreant, ac sibi suoq; exercitui omnem favorem exhibeant non Galliæ perniciem, sed id tantum molienti, ut Rex ad honestam pacem adigatur. Ast in Burgundia Gallasii Champlitæ loco opportuno castra posuerat, tribus inde leucis Gallico & Vinariensi exercitu confidente. Et iste quidem mox cum annonæ inopia conflictari cœperat, cum his omnia abunde suppeterent. Idem quoque modicis, sed crebris excursorum cladibus carpebatur, si quid in Gallos tentaret semper repulsus, aggressibus quoque in palantes sævientibus. Nec mitius famem comitata pestilentia grassabatur. Inprimis male multabantur levis armaturæ equites, Hungari, Croatæ, Poloni, qui à quinque millibus ad mille tandem redacti erant; quorum etiam castra Vinariensis, Ranzovio Mare-
30. Sept. schallo succenturiato, improvisus cum equitatu irrumpit, ipsosque in peditum castra compellit, magna præda & duobus equorum millibus captis. Qua clade efferati Croatæ, cum quos diu secum habuerant captivos trucidassent, istorum captivis per Gallos

Gallasius in Galliam irrumpere.

8. Sept.

1636. Gallos par relatum eſt. Per quinque ſeptimanas intra iſta caſtra Gallaſius conſederat, cum novis copiis ſub Grana Marchione, & Butlaro tribuno auctus longius in Burgundiam penetrare conſtituit; eo-
22. Oct. que Champlieta movens Bellomontii Divionem verſus conſedit, capta arce Mirabella frumento & vino referta. Abeuntium veſtigia legebat quidem Vinarienſis, ſed quod iſti pugnæ copiam non facerent, ac numero prævalerent, parum iiſdem damni inferre poterat. Inde à Gallaſio oppidum Launeum à Divo Joanne dictum omni vi impugnatur, aliquoties aſſultibus datis. Sed inde non ſine ſtrage repulſus, irritusque conſilii in Comitatum Burgundiæ regreditur, maximas inter difficultates ob profundas luto vias, & incumbentes Gallos & Vinarienſes. Ac ipſe fatebatur, eo receptu quinque millia militum amplius ſe amiſiſſe, præter plurima impedimenta, reliquis fame ac fœda anni tempeſtate peſſime habitis. Caſparis quoq; Mercii legio Juſſeii à Tupadelio oppreſſa, & Jonvilla à Bernhardo Duce deditione capta. Jam Gallaſius hiberna ſpectabat, cum denuo Gallis digreſſis, in Vinarienſem per Comitatum Burgundiæ hiberna capturum convertitur, qui ſolus hoſti impar deſerta Jonvilla in Barri Ducatum ſe recipit, exiguo damno dato aut accepto. Ita & hoc anno Gallaſii conatus in Galliam irritus erat, & ſatis judicabant prudentiores, expeditionum in Galliam vix ſecundos ſucceſſus ſperari poſſe. Vicos quippe ibi vacuos relinqui, & omnia intra oppida convehi validis præſidiis firmata, quibus expugnandis famelicus miles fruſtra admoveatur: modicis copiis nihil effici, magnos exercitus advecto aliunde commeatu ali non poſſe.

Tranſactio cum Archiepiſcopo Bremenſi ſuper neutralitate.

§. 75. Inter hæc cum Friderico Bremenſi Archiepiſcopo ſuper neutralitate iſti præſulatui concedenda tranſigebatur, ſic ut idem omnibus belli oneribus foret exemtus citra fraudem tamen Suecorũ, & ut his innoxius per eas terras tranſitus concederetur, aliaq; amicitiæ officia exhiberentur, & quæ ſuper Coadjutore quondam convenerant, firma perſiſterent. Pro Buxtehuda tradenda certam pecuniæ ſummam pollicebantur Ordines provinciales. Quæ tamen tunc demum rata forent, ſi intra ſex menſes à Cæſare par immunitas obtenta foret; alias res priore loco manſuras. In eaſdem fere leges ſuper Verdenſi præſulatu conventum, cujus regimen Friderico concedebatur, ſalvis Reginæ cum Capitulo pactis, ac ut ſuper Rotenburgo cum Joſia
23. Sept. Ranzovio tranſigeretur. Ea pacta à Rectoribus Sueciæ rata habebantur, utque iſtis iidem præſulatus fruerentur Banerio & Leslæo injunctum.

Conſilia Rectorum Sueciæ ſuper pace. 4. Aug.

§. 76. Inter ferventia tamen paſſim arma Rectores Sueciæ de pace cogitare nunquam omittebant, eoque poſt ſolutum Ordinum conventum denuo id negotium incudi in Senatu ſubjiciebatur, quod Oxenſtierna in Sueciam regreſſo ſublata eſſet ratio hucusque uſurpata tempus extrahendi, ac reſponſa à Senatu ad Oxenſtiernam, ab hoc ad illum rejiciendi. Cum ergo in tractatibus cum Saxone ſuper tribus adhuc capitibus controverteretur, excluſis pace Ordinibus reſtituendis, Sueciæ ſatisfactione, & militum ſtipendiis; placebat reſtitutionem Ordinum quantum poſſet urgendam. Id quippe pium, Guſtavi Regis deſtinatis congruum, Sueciæque glorioſum, & favorem Germanorum ac vicinorum conciliare aptum. Simul Sueciæ ſecuritas in eo vertebatur, ut iſtis reſtitutis antiquus Germaniæ ſtatus inſtauraretur, Auſtriacorum potentia librata. Sed quia res Sueciæ non ferebant, ut præter neceſſitatem bellum gereretur, cujus fructus fere ad alios, damnum ad ipſam rediret; ac plerique Proteſtantium in hoſtium partes defeciſſent, reliqui ſeorſim cum Cæſare tractarent, nec ab ullo auxilii quid expectandum, quin & metuendum foret, ne & hi aliique vicini cum hoſte adverſus Sueciam ſe jungerent; rationis non erat, ubi de poſterioribus capitibus tranſactum, & omnia media iſtis Cæſari conciliandis fruſtra conſumta forent, in eorundem gratiam bellum dubio eventu continuare. Cujus rei invidia facile in ipſos Ordines devolvi poterat, qui in iſtorum excluſionem conſenſerant, & Suecos pro iiſdem connixos deſtituerant; qui poſt preces pro iſtis interpoſitas honeſte bello ſe ſubducere poterant. Enimvero iſthæc deſtinata ſummo ſilentio premenda erant, quod Ordines ſi à Suecis deſtitui ſe animadverterent, acerrimum in iſtos odium induituri erant. Nec minus illud diſſimulandum, hiſce conſtare, quod iſti ſuper ſua reconciliatione apud Cæſarem agerent. Cum hoc ipſo tamen duo capita reliqua pari paſſu tractari decorum erat, & quia ſi circa hæc res non ſuccederet, obtentu prioris tractatio honeſtius abrumpebatur. In penſationem ſumtuum ſex milliones uncialium poſtulare placebat, ſi omnibus Germaniæ locis cedendum foret, de quibus tamen tres remittendi erant, ſi æs alienum à Suecis in Germania hujus belli cauſa contractum Ordines in ſe ſuſciperent. Quod ſi militibus ab his ſatisfieret, vel uno millione adquieſcere volebant, hypothecæ loco maritimis quibuſdam oppidis acceptis cum territorio, quantum præſidiis alendis citra onus Sueciæ ſufficeret, ſi Ordinibus pecunia in promtu non eſſet. Potius tamen, quam eam ob cauſam diuturno bello implicarentur, iſta omnia remittere placebat; etſi ea res quantum poſſet urgenda, & jactandum, citra eam pacem fieri non poſſe. Omnino tamen militi per Ordines ſatisfaciendum erat, eoque onere Sueciæ levanda; cum utique iſte operam libertati Ordinum ſtabiliendæ navaſſet. Enimvero poſtquam incertum erat, num hoſtis æquas leges admiſſurus eſſet, Gallorum amicitia cumprimis colenda videbatur. Cum Hollandis quoque arctior conjunctio ſperabatur jam frementibus, quod Danus vectigalia in Albi flumine exigeret; & arcem Fleckeræ ad Norvvegiæ littus excitare meditaretur conducendis navibus, quæ Mare Balticum frequentabant; id quod iſtis non modico oneri futurum erat. In Anglis exigua ſpes reponebatur, æmulatione adverſus Gallos, Hollandosque flagrantibus. Nec tamen plane eos negligere placebat, ſed eodem adverſus ipſos modo agere, quem ipſi adverſus Suecos hactenus adhibuerant; verbis ſubinde ſingularem amicitiam, & jamjam coalitura fœdera jactare; ſaltem ut militis conſcribendi facultas ibi foret; præſertim ſi matrimonium Eliſabethæ Palatinæ cum Uladislao Poloniæ Rege ſuccederet. Ratihabitionem tamen Gallici fœderis vario obtentu differre viſum, quoad adpareret, quo Saxonis deſtinata ſpectarent, & quomodo Banerio res ſuccederent. Interim optabatur, ut Meclenburgici potiſſimum interventu cœpta pacis tela pertexeretur, cujus maxime intererat rem amice componi, & cujus ſtudium, aut averſio & invidia parum momenti ad negotium alterandum afferebat.

Meclenburgicus fruſtra citra pacem ſatagit.

§. 77. Enimvero Meclenburgicus, utut rerum ſuarum ſatageret, circa pacem parum promovebat. Is quid reſponſi ipſius Legatus Joannes Cottmannus ab Oxenſtierna retuliſſet, Saxoni per literas ſignificarat, rogans, ut Proteſtantium conventus
28. Jun. quamprimum indicatur; ac quia Oxenſtierna, à Gallo licet aliisque ad bellum inſtigatus, ſtudium pacis conſtanter præ ſe ferat, denuo apud Cæſarem ſuper excluſorum reſtitutione inſtet, ut is offenſam ſuam bono publico condonet. At Elector reſponſo
30. Jul. ſuo novam difficultatem movebat, velut Oxenſtierna poſtularet, etiam poſt tranſacta omnia à Suecis loca quæ inſideant retinenda, nec exercitus

1636. deducendos, quoad ſuper ſatisfactione tranſactum ſit, velut circa eam nulla cautio aut hypotheca ſufficiat: ad quod præſentes Germaniæ res nullo modo ferant. Alias rem ſe Cæſari commendaturum; nec ſibi minus, quam Suecis cordi fuiſſe excluſos reſtitui, ni metuiſſet omnes Proteſtantium fortunas periculo exponere ob tres aut quatuor inferioris ſortis Ordines turbulentia inſignes, qui ulterius quam decretum Lipſienſe patereretur grallati leges Imperii plane inſuper habuerint, nec adhuc Pragenſi paci ſe ſubmittere dignentur. Inde cum poſt Oxenſtiernæ in Sueciam diſceſſum ſpargeretur; tractatus pacis in ſpeciem hactenus ſuſceptos hoc obtentu plane abrumpi, aut in longum differri; Salvius Meclenburgicum Ducem convenit iſtis ſuſpicionibus eximendis, & ut eum quantum poſſet ad cœptum negotium perſequendum excitaret, quo adverſæ parti Suecos calumniandi anſa eriperetur. Cæterum Dux Saxonis reſponſo accepto, errorem, quem iſte ſuper Oxenſtiernæ poſtulatis conceperat, eximit, ſimul ad pacem hortatur, ac ſi videatur, ad ipſum ſe venturum promittit. Sed apud Saxonem iſto tempore bello plane immerſum de pace cogitationibus parum loci relinquebatur. Ac revera ipſis Cæſareis Saxonica negotiatio parum cordi erat, ne iſte hoc obtentu aliquod regiæ dominationis inſtar in reliquos Proteſtantes, ac præcipue utriusque Saxoniæ Ordines affectaret. Et paulo poſt in Ratisponenſi conventu alia paci tractandæ fundamenta ſternebantur, ſic ut deinceps Meclenburgici conatus parum ponderis haberet.

16. Sept.

Daniæ Rex pacis mediationem in Suecia urget.

§. 78. Alt Daniæ Rex eodem tempore mediationem ſuam Suecis parum gratam denuo ingerere: cujus alias judicium de pacis negotio erat; Cæſarem ægre ad molliores conditiones deſcenſurum Saxone cum Suecis commiſſo, qui ut ſe mutuo atterant, iſto ſane lubente fieri. Nec Suecis cauſam eſſe, cur ſuper excluſis Ordinibus laborent, cum id negotium ipſos Germanos maxime tangat; & Palatinum à Cæſare ſerius ocyus utique reſtituendum; cæterorum quemque pro ſe ſatagere. Præmii Suecis nihil expectandum; cum nec terrarum quid dari queat, nec Ordinibus pecunia ſit; in chirographis parum ſecuritatis, nec Cæſarem paſſurum, ut Suedi hypothecæ titulo quid retineant. Denique nec militum ſtipendiis valde inſiſti poſſe, ſi rationibus ſubductis inſpiciatur, quid ab Ordinibus acceperint, & quam utilem operam iſtis navarint. Alias à Suecis nunquam Cæſarem debellandum, nec illos extracto bello aliud agere, quam ut vicinis moleſtiam dent, ſuasque ipſi vires exhauriant. A Gallorum armis nihil levamenti iiſdem ſperandum. Hac igitur ſententia imbutus, ſimul

31. Aug.

infeſtiora animo agitans ad Reginam literas dat, quibus operam ſuam circa pacem conciliandam incaſſum tumtam, & quibuſdam ſuſpectam habitam querebatur, quam ut deinceps plane deponat ſat rationum ſibi eſſe. Affectum tamen in ipſam & conjunctas Borealium Regnorum rationes ad negotium iſtud porro urgendum ſubigere. Et quia Saxo propoſitas ab ipſa conditiones aſpernetur, alias ut diſpiciat petit, quas ab adverſa parte admiſſum iri ſpes ſit; nec propter modicam pecuniæ ſummam, aut maritimorum locorum ad incertum tempus poſſeſſionem fortunas Sueciæ belli aleæ exponat. Inde ut ſibi ſecreto pandat, quibus tandem legibus pacem concludere velit; quas ſi rationi congruas inveniat, omni ſe ſtudio tractatus pacis inſtauraturum. Oſtendebatur quoque moles belli non cum Cæſare tantum, ſed toto Imperio gerendi: & cui periculo cum Suecis, tum vicini, ac ipſe præcipue exponatur. Et quanquam à Daniæ Regno nihil adverſi Sueciam manere teſtabatur; tamen Holſatiæ Ducatum Imperio innexum aliam ſibi perſonam imponere. Pragenſem pacem apud Germanos in vim legis tranſiſſe Ratisponæ denuo confirmandam, quam & alii Holſatiæ Duces jam ſuſceperint, nec à ſe amplius repudiari poſſe. Nec ſibi conſultum in alterius gratiam Cæſarem & Imperium in ſe irritare, aut Holſatiam periculo exponere. Denique Regina ſuis & hoſtium viribus æqua lance trutinatis ſat glorioſum duceret, ſalvis Sueciæ provinciis bello exceſſiſſe. Pari argumento Daniæ Senatus ad Sueciæ Senatum ſcribebat; oſtenſo, quantum ſibi cum Germania junctioribus ex belli ejus contagio periculi imminеat. Ne belli nonnullis ſucceſſibus ad idem alendum permoveantur, nec Germanorum Principum fœderibus confidant, quorum fragilitatem ipſi quondam ſenſerint. Galliam omni vi invadi, ut ad peculiares tractatus compellatur, & ut Sueciæ, quæ gravius offenderit, eo duriores leges impingi queant. Unde optime ſibi conſulturum, qui primus pacem amplexus fuerit. Hinc petunt, ut extremam ſuper pacis legibus ſententiam explicent ita conceptam, ut ſpem boni ſucceſſus præbeat. Non ita lautas nunc ſicut quondam conditiones obtineri poſſe; & per iniquitatem temporum parum ſpei eſſe Guſtavi Regis merita præmii quid manſurum: ac lucri vice habendum, ſi honeſta pax citra jacturam Sueciæ obtineatur. Eodem tempore miſſus à Daniæ Rege ad Salvium Cleenius absque ambagibus culpam fruſtra à Rege in pacem impenſæ operæ in Suecos conferebat, qui Cæſaris procuratorium Saxoni datum plane rejecerint, cum id ſaltem ad tractatus uſque ferri potuerit; nec ad congreſſum Lubecæ indictum miſerint; & Oxenſtierna in Sueciam digreſſo negotium pacis plane depoſuerint. An non tempus tandem eſſe tam funeſto bello finem imponi? Scopum belli jam obtentum; neminem ſupereſſe, qui Suecorum auxilium imploret; ipſoſque ſuas injurias ultos. Igitur pacem arripiendam, ne vicini ad ſiſtendam Proteſtantium oppreſſionem in arma trahantur. Cavendum quoque ne Ratiſponæ totius Imperii nomine bellum Suecis indicatur, ſimul iidem à Gallis & proprio milite deſerantur, Polono quoque iſti occaſione imminente. Quæ Salvius, ad ſuperiores ſe relaturum recipiebat. Cum etiam Dani jactarent, Suecos pacem nolle, nec Regni ipſorum rationes aliter ferre, quam ut in bello perſiſtant Senatus Salvium monebat, ut iſti opinioni quantum poſſet contradiceret. Etſi alias iſtos rumores tunc non adeo ægre ferebant, nec ſibi multum obeſſe judicabant, cum nemini magis à vicinorum injuriis cautum ſit, quam qui impune laceſſi non poſſe creditur. Quanquam autem iſta à Dano propoſita, non obſcure minas ſpirarent; Rectores tamen Sueciæ diſſimulata offenſa ad Regis literas reſpondent;

4. Sept.

Culpam fruſtra conſumtæ ab ipſo operæ penes adverſam partem fuiſſe; quæ & ideo ejuſdem mediationem ſuſpectam habuerit, ne forte pax Pragenſis refingeretur. Et cum intima deſtinatorum nemini minus quam Dano pandere vellent, de conditionibus pacis per ambages reſpondent; poſtulari ab ſe non poſſe, ut preſſius mentem ſuam declarent, quoad appareat, quid adverſa pars conſilii capiat. Ubi ſerio res ab hac agatur, ſe quoque æquitatem ſuam omnibus adprobaturos. In eundem ſenſum Daniæ Senatoribus reſpondebatur: Bellum à Guſtavo Rege motum, avertendo à Baltico littore Auſtriacorum dominatui Danis inter primos incubituro; ſimul reſtituendis oppreſſis. Hæc deſtinata, quo minus ad optatum finem perduci potuerint, Saxonem in culpa fuiſſe; qui hoſtem induens demum & ipſos ad ferrum ſtringendum adegerit. Si Cæſar alia ratione controverſiæ ſuper excluſis Ordinibus mederi velit, Suecoſque

25. Oct.

ea

1636. ea cura levare, facile id se ferre posse, ut de istis in pace mentio non fiat. Ut militibus satisfiat, ipsi Saxoni æquum visum. Quid præmii Gustavi Regis meritis debeatur, nondum certi quid se petiisse, & commodius ipso in tractatu definiendum. Eadem & Petro Wibio Danico Residenti inculcabantur, addito; aut ab hoste sibi concedendum, ut honesta ratione arma exuant; aut vi sè Germania pellendos. Enimvero post victoriam Witstockianam Danus mediationem segnius urgere, quod metueret, ne Sueci conditiones pacis intenderent, & quia bellum ab ipsius finibus jam remotum erat; simul expectaret, quid conventus Ratisponensis & Colonienſis pariturus esset; unde non nisi frigide super instaurandis tractatibus ab ipso differebatur. Omnes porro hasce Dani machinationes Sueci altissima dissimulatione premebant, ac suo in Dania Residenti Strœmfeldio injungebant; publice ac privatim de prono Suecorum in Danos animo testaretur, nec quidquam apud istos siniſtræ adversum hos suspicionis hærere pateretur. Tantum apud unum aut alterum obiter jaceret, è Germania parum æquos rumusculos spargi, ut intima eorum sensa eliceret. Tum ne ulla Dano querelarum causa præberetur, civis quidam Sueciæ graviter plectebatur, qui peregrinas merces pro suis professus in freto Oresundico vectigal defraudaverat: Residentique injunctum, omnia nautarum testimonia accurate inspiciat, & si quid fraudis deprehendat, statim ad Rectores Sueciæ referat. Neque tamen ideo de suo jure in Dani gratiam quid remittere placebat; eoque cum hic quereretur, subditos suos in Livonia gravib' vectigalibus adversus pacta Stetinensia premi; Sueci id contra pacta fieri negabant, quippe quæ isto tempore inita fuerint, cum Livonia nondum Sueciæ subjecta foret. Sed & cum eodem anno Danus postularet, argenti fodinas in Lapponia, metallumque inde erutum sibi restitui rejiciebatur, ostenso, locum istum in Pithæensi tractu situm cis juga montium, quæ Sueciæ & Norvvegiæ fines constituunt.

Danus pro filio matrimonium Christinæ Reginæ ambit. 6 Febr.

§. 79. Eodem anno Daniæ Rex misso ad Oxenstiernam Hannibale Seestedio super matrimonio inter Reginam Sueciæ, & Fridericum ipsius filium conciliando ejus consilium operamque requirebat. Quod negotium Oxenstierna mollibus verbis declinabat; addito, cum id matrimonium dotis loco Regnum sit secuturum, non Reginam solam, sed & Sueciæ Ordines statuendi potestatem habere. Nec cuipiam fas esse ejusmodi firmare consilia, quæ ulla ratione libero Reginæ consensui vinculum injiciant. Nec Rectores Sueciæ autoritate circa hoc ab Ordinibus instructos. Eoque consultissimum judicabat, omnem prensationem in justum tempus differri. Nec tamen iste Oxenstierna variis urgere quæstionibus omittebat; num censeat, à Rege in Suecia super hoc negotio mentionem injiciendam; & num ullius responsi, aut pollicitationis obtinendæ spes sit, antequam Regina nubilis fiat? Ad quod Oxenstierna verbis respondebat, cum scripto mentem suam obsignare abnueret; sè quid Regi faciendum sit nec suadere, nec dissuadere posse; id tamen nosse, Regem intra id tempus liquido responso non positurum. Inde super annis queis Regina consentum suum declarare posset, scisitabatur. Cui Oxenstierna; Reginæ decimo octavo ætatis anno dimidiam Regiminis partem, vicesimo quarto integram Regni administrationem capessendam; sed quomodo hi temporum articuli antiquis legibus definiti ad matrimonium applicari debeant, à Senatu & Ordinibus Sueciæ suo tempore definiendum. Id vehementer urgebat Seestedius, ut interea nemini alteri connubium istud promitteretur. Quod postulatum Oxenstierna maximo cum præjudicio conjunctum censebat; cum absurdum sit citra necessitatem libertate se sua privare; & si quis tale quid autius fuerit, apud Reginam id hautquidquam excusaturum. Quod si forte deinceps status patriæ ejusmodi consilia poscat, liberâ statuendi facultatem jam ademtam, ac hujus salutem in alieno arbitrio fore. Ac si ea conditio post Reginæ aut Ordinibus displiceat, offensam repulsæ longe majorem fore. Tam longo quoque temporis spatio non posse non eam rem variis sermonibus, ac fortasse controversiis ansam in patria præbere. Alios, qui ad idem connubium forte animum adjecerint, abrupta spe indignabundos ad consilia Sueciæ turbanda incubituros. Cum etiam ob teneram Reginæ ætatem nemini certum dari responsum queat, incongruum esse, uni spem facere cum aliorum offensa. Nec minus præposterum, spem connubii facere, quando super conditionibus simul agi non potest. Cum enim id matrimonium Regnum sequatur, Ordines non aliter in id consensuros, nisi ut robur ac utilitas Sueciæ inde proveniat: eosdemque cum idem liberæ electionis speciem habeat, hautquidquam passuros, suffragio sè obliqua ratione privari. Eoque judicabat Oxenstierna non modo nihil grati responsi Danum obtenturum; sed & Rectoribus atque Ordinibus Sueciæ necessitatem allarum iri, istis postulatis, nil nisi discordiam parere idoneis, per publicas sanctiones aditum præcludere. Denique cum ab Oxenstierna peteretur, ut id negotium in Suecia cum collegis communicare, Regique respondere vellet, simul adulta Regina ei connubio favere; hic ullo modo fidem suam obstringere abnuebat. Idem negotium postea Rex per Petrum Wibium apud Rectores Sueciæ insinuabat; qui literis sè apud 4. Aug. Regem super eo postulato excusatos haberi perebant; eaidem, quas jam memoravimus rationes Wibio ingerentes.

Ratificatio fœderis Wismariensis cum Gallo differtur.

§. 80. Cæterum cum post elapsos quatuor menses, qui ratihabendo fœderi Oxenstiernam inter & Chaumontium Wismariæ inito destinati fuerant, Avaugurius Gallicus Residens sedulo instaret, ut ratihabitio perficeretur; id negotium in Senatu diu anxieque disceptabatur, gravibus ex utraque parte rationibus se ostendentibus. Abnuere quippe istam, ac fœdus cum Gallo plane abrumpere bello implicitis, cujus exitus nondum prospici poterat, absurdum & periculosum videbatur, Gallo fortasse ansam inde arrepturo separatim cum hoste transigendi, Suecosque solos bello immersos destituendi. Subtrahebantur quoq; subsidia, quæ ex fœdere sustinendo bello debebantur. Quin & forte Gallus arguere Suecos poterat, velut qui inani conventione ipsi illusissent; & cum aliis in eorundem exitium conspirare. Sed nec constabat, num Sueci à Gallis disjuncti honestam pacem obtenturi essent. Et Cæsar Gallo reconciliatus sine dubio omnes vires ad ulciscendos Suecos conversurus erat, parum curans, num ea occasione Protestantium terris vastitas inferretur. Eo quoque fœdere militi, & si qui adhuc Suecorum rebus in Germania studerent; fiduciam accessuram, cum alias Landgravius citra moram cum Cæsare videatur tractacturus. Denique hinc Gallis, inde Suecis ingruentibus hostis distrahebatur; & utriusque Regni, ac Protestantium in Germania rationes eam conjunctionem utique requirere videbantur. Nec spernenda tamen erant, quæ in alteram partem adferebantur. Hoc fœdere ratihabito prohiberi Suecos pacem oblatam arripere; belloque immergi, cujus finis animo prospici nequeat. Acceptatam semel Daniæ Regis, ac Meclenburgici mediationem repudiandam; aut sal-

1636. tem iis denuntiandum, ut diversa eandem via, quam hactenus, adornent. Unicum cum finem fœderi à Gallo propositum, ut Suecos bello implicitos teneat, quoad ipse eodem se extricaverit; quod metuat, ne pace Suecis parta ipse solus destituatur. Fundamenta status atque armorum Suecicorum in eo consistere, ut Protestantium sacra & libertas sarta tecta serventur; quæ Gallo non aliter cordi sint, quam quantum rebus suis expedit. Protestantes in Germania ad desperationem adactum iri, velut bello jam in infinitum grassaturo ob nexricabiles, quæ Gallos inter Austriacosque agitantur, controversias, Gallis hoc fœdere velut arbitria Suecicarum rerum tradi, illorumque onera Sueciæ deinceps incubitura, tenui istorum, quod in hanc conferendum esset, subsidio. Diversæ esse indolis controversias, quæ utrique Regno cum Cæsare intercedant. Verendum quoque, ne, si conjunctim deinceps tractandum sit, Gallus prærogativam sibi præ Suecia arroget, ac principes semper partes agere velit, Suecis in accessorii loco habitis. Gallum ita profunde bello immersum, ut haut facile inde emergere queat; idque non minus efficax vinculum, quam fœdus esse. Nec priora fœdera ab eo ita religiose culta; & in hoc fortasse rimam non defore, per quam elabatur, ubi rebus suis ita expedire judicaverit. Nunc Sueciam suo arbitrio de pace aut bello statuere posse: fœdere firmato fata Sueciæ in aliena libidine fore.

Galli parum observantes fœderis se exhibuerunt.

§. 81. Hac occasione repetebatur, quales se toto belli tempore Galli adversus Suecos exhibuerint. Postquam à Charnacæo Gustavus Rex in arma stimulatus fuisset, his adspirantibus Galli commodis suis in Germania velificatos. Toto hoc tempore ministros Gallicos magnifice de pecunia & milite pollicitos; ubi super promissis repræsentandis moniti fuerint, vario obtentu ista elusa. Semper eosdem Suecorum consilia in Germania turbasse. Et quod multis Ordinum parum perspicaciæ esset, ac plerique vana æmulatione tum inter se, tum adversus Suecos agitarentur, istos hanc singulari artificio aluisse, ac pensionibus annuis, aliisque corruptelis plerosque à Sueciæ studio abstraxisse: nec eo secius jactasse, ista omnia eum in finem fieri, ut in Suecorum obsequio isti confirmentur. Post cladem Norlinganam, quamdiu Oxenstierna adhuc in superiore Germania hærebat, nil aliud eosdem egisse, quam ut Suecos contumeliose haberent, & verbo Protestantium conservationem, revera horum exitium struerent. Porro Oxenstiernam, ut conventionem Compendii iniret, non tam inclinatio quædam animi, quam præsentium temporum necessitates permoverant; quod alia via non pateret, quàm per Galliam, nec eam aulam declinare liceret; rebusque Sueciæ tam in Polonia, quam Germania non expediret, Regem ejusque ministros palam offendisse: ad famam quoque multum interesset, amica specie inde discessisse. Præsertim cum eo tempore Galli nondum aperte bellum in Hispanum & Austriacos sumsissent, & omnes rationes id declinandi inirent; ac in proclivi foret idem prævertere, si paululum concedere voluissent. Igitur cum Suecia quidem bello jam implicita foret, ac nondum constaret, num in arma erupturi essent Galli, Oxenstierna horum desideriis morem cogebatur gerere. Sed quia animadvertebat, Richelium Cardinalem aliosque ministros Gallicos id quærere, ut ipsi quidem nihil præstarent, & Suecos tamen obligatos tenerent; ac in eo tunc omnia istorum consilia verterentur, ut blandis verbis, amplis promissis, & pauculo auro aliarum nationum laborem, pericula, ac sanguinem emerent, suæ securitati firmandæ, destinatisque exequendis; Oxenstierna plus quam vellet, annuebat, prævisso tamen subterfugio, & cautione adhibita, ne Sueciæ ea conventio fraudi foret. Nam & ita fœdus concludebat, si à Regina id ratum haberetur, quod ipse post disuadebat; nec Galli primum caput de bello Cæsari indicendo impleverant; cum tamen nec Hollandi in fœdus cum Gallo prius consentire voluissent, quam Hispano bellum indiceretur. Et cum cautum esset, ne seorsim de pace ageretur, à prima conventionis die per Legatum Pontificis, aliosque à Gallis tractatum fuerat. Post cum metuerent, ne Suecis cum Cæsare conveniret, verbis quidem multo liberaliores esse cœperant; nec eo minus tamen Chaumontius impedire studebat, ne isti cum Protestantibus transigere possent; Principesque passim invisebat, ut eos in suspenso teneret. Suecorum quoque ductores turbabat spe copiosæ pecuniæ, novorumque delectuum facta; simul cum Arnheimio, cum Francisco Alberto Lauenburgico Duce, aliisque consilia miscebat, non nisi confundendis Suecorum rebus. Ob famam tamen, & ne simultates inter utrumque Regnum esse crederentur, Oxenstierna cum Chaumontio Wilmariæ congrediebatur, ut tamen jus de bello ac pace libere statuendi Reginæ reservaret. Hæc igitur rationum momenta cum utrinque solicite librarentur, tandem placebat vitandæ Galli offensæ fœdus subscriptione firmare; sed circa traditionem instrumenti moras nectere; quod non ita facile bellum deserere Gallus posse videretur, etsi non minus cum in finem manibus pedibusque conniteretur. Eoque & Salvio scribebatur, ut super conficiendis quæ nondum fœdere definita erant cum Chaumontio ageret; & tempori extrahendo illa maxime capita urgeret, à quibus Galli abhorrebant. Satius quippe videbatur rem tantisper in suspenso tenere, ut sui juris foret Regina, pacem seu bellum tempora suaderent. Et si Gallus utique cum Cæsare transigere decreverat, ab isto fœdere remora oritura haut quidquam erat. Igitur Avaugurio respondetur: Rectores Sueciæ ad tradendum fœderis instrumentum paratos esse, modo Galliæ Rex Cæsarem prius hostem declaret, & pauca capita, super quibus Chaumontius defectum mandati excusaverat, acceptet. 26. Nov.

Succi ad conventum Colonienſem venire abnuunt.

§. 82. Idem quoque Avaugurius instabat, ut Legati Coloniam mitterentur, ubi Pontificis opera conventus super pace ineunda agendus erat. Cupierat Pontifex Urbanus VIII. ut de eadem Romæ ageretur. Galli cum nollent sub istius oculis negotiationem institui, obtendebant, pacem communem condi non posse, nisi plurium Principum Protestantium desideriis satisfiat, qui Romam Legatos missuri haut sint. Contra Cæsar, cui & Protestantes & multos Catholicos tractatibus excludere lubido erat, ut ipsi de eorundem negotiis pro arbitrio disponere integrum foret, facile in Romam consentiebat, Hispanis quoque eandem probatum iri spondens. Verum Gallis adspernantibus Spiram, Augustam Vindelicorum, Constantiam, & Tridentum proponebat. Sed cum nulla horum Gallis arrideret, tandem Colonia placuit. Enimvero ad hanc accedere varias ob causas Rectores Sueciæ abnuebant. Nam indictus erat iste congressus Suecis initiis; ad quem ipsi non à mediatore aut adversa parte, sed à Galliæ Rege invitati erant, amico & socio, ac hostium suorum hoste. Id quod Sueciæ indecorum, velut jam appendix alieni negotii haberetur, cum tamen ipsius auspiciis bellum cœpisset. Quin & taciti instar jussi invitatio ista habere videbatur. Nemo insuper mediationem suam ipsis obtulerat; & quamquam Pontifex sequestrem se ferre diceretur, tamen nec iste de eo negotio Suecis significaverat, nec eodem parario

1636. ratio tractatus honeſte ac tuto ſuſcipi poterat. Sed nec obſcurum erat, quid æqui ab illo expectari poſſet, qui Jubilæo indicto vota ab orbe Chriſtiano concipi juſſerat ob extirpandos hæreticos, qua claſſe ipſi omnes Proteſtantes cenſentur. Qui & nunquam inevitabilem ejus pacis conditionem adprobaturus erat, ut bona ſacra poſt Paſſavienſem transactionem occupata penes Proteſtantes manerent. A quo & Legatus ipſius in mandatis acceperat, ut omni modo obniteretur, ne Palatinis dignitas Electoralis, aut ditio reſtitueretur. Sed nec præparatio ejusmodi tractatibus præmitti ſolita, antecеſſerat; nec Suecis conſtabat, num hoſti animus eſſet cum ipſis tractare, non magis quam hoſti cognitum quid Sueci vellent. Equidem jactabant Galli, nihil Proteſtantibus iniqui à Pontifice eſſe metuendum, cum hic tantum negotiis ſua ſacra profitentium ſe immixturus, iſtorum autem rebus Rex ſit conſulturus. Sed Sueci hoc patrocinii haut petierant, & tutore ſibi opus eſſe non cenſebant. Scrupulus quoque nonnullis oriebatur, quo titulo Pontifex ab ipſis compellandus eſſet. Nam Carolus adhuc Sudermanniæ Dux epiſtola quadam anno præteriti ſeculi ultimo cum *Sanctiſſimum Romanæ Eccleſiæ Patrem, & Sanctitatem Veſtram* nuncupaverat, quam epiſtolam ne nunc legatus Pontificius allegaret metuebatur. Etſi autoritas ea facile eludi poterat, quod Carolus tunc nondum Sueciæ Rex eſſet, & paucos poſt menſes mutato titulo, eundem *Reverendiſſimum & Potentiſſimum Romanæ Eccleſiæ Pontificem Maximum, & Reverentiam Tuam* adpellaſſet. Igitur Avaugurio oſtendebantur rationes, ob quas Sueci honeſte ad eum conventum Legatos non poſſent mittere; de cætero ſe idonea media non repudiaturos, quæ paci inter Chriſtianos inſtaurandæ inſerviant. Enimvero illum ipſum conventum Colonienſem, & alia de pace colloquia Richelius Cardinalis omni arte eludebat, apud Regem felicibus Galliæ Suecorumque rebus, apud Pontificem ſemper aliquid interjiciendo, quod Hiſpanus nollet. Videbat quippe nullam pacis ſpem à Pontifice oſtentari, niſi reditu conceſſo Reginæ matri, quam rem ſibi merito exitiabilem judicabat; dein firmato matrimonio Ducis Aurelianenſis cum Lotharingica. Jam vero Pigneroli & Lotharingiæ reſtitutio, magnam ipſi gloriam detractura, evitari non poterat. Quæ artes eo facilius ſuccedebant, poſtquam per victoriam Witſtockianam Regis animus, aliorumque, qui ob argenti penuriam, aliaque incommoda in pacem præcipites ruebant, in ſpem meliorem erigebatur.

De fœdere cum Landgravio conſultatio. 29. Nov.

§. 83. Minus difficultatis habebat deliberatio, cum Wilhelmus Landgravius novum fœdus peteret; qui ne deſereretur, variæ rationes ſuadebant. Nam præterquam quod nondum belli finis adpareret, iſtius fœderis obtentu Sueci non pro ſuo tantum Regno, ſed & pro Ordinibus Imperii futuris tractatibus agere poterant: & ſoli iſti è Germaniæ Principibus tuto exercitus committi poterat; qui & reliquos facile prudentia antecellebat. Cujus itidem opera commode adhiberi poterat, ſi quid forte diſſidii Germanicos inter ductores oriretur; idemque Legati vices apud Anglos Hollandosque ſubire non ſine honore Sueciæ valebat. Et vel ſola conſtantia meruerat, ut ejus cumprimis ratio haberetur.

In conventu Ratisponenſi acta. 1. Sept.

§. 84. Aſt in Germania Cæſar non minus rebus ſuis firmandis incumbebat, indicto Ratisponam Electorum conventu; in quo de filio ipſius Ferdinando in Romanorum Regem creando, tum de pacanda Germania proponebatur. Et circa pacem quidem id maxime anquirebatur, quomodo Galli Suecique Germania dimovendi forent, ac num omnes pace Pragenſi excluſos eadem recipere fas eſſet? Agitabatur quoque de ſeparato cum Suecis tractatu inſtituendo, cui Foppo Aizema Hollandorum apud Cæſarem Legatus anſam dederat, miſſo Hamburgum ad Salvium filio ſuo, qui multa de ſtudio Cæſaris ac Hungariæ Regis cum Suecis tranſigendi teſtabatur, præſertim ſi Regina Legatum Pragam aut Viennam deſtinare velit; ubi ſine dubio abunde ipſi ſatisfaciendum, & idonea hypotheca cavendum ſit. Quanquam autem Salvius negaret, ſe in hanc propoſitionem conſenſiſſe, teſtatus ſe ob defectum mandati rem ad ſuperiores ſuos rejeciſſe: Aizema tamen reſponſum iſtius vel non ſatis perceperat, vel prave retulerat. Niſi credibilius eſt, Cæſarem & Electores, qui tranſigere quidem cum Suecis, ſed citra interventum Daniæ Regis & Meclenburgici Ducis cupiebant, utcunque oblatam occaſionem arripuiſſe; ſimul eminentiam quandam in eo captaſſe, ſi legati ad ipſos velut pacem ultro ambituri accederent. Igitur decernebatur, tractatui iſti in aula Cæſarea locum dandum, cui nomine Electoralis Collegii Moguntinus ac Brandeburgicus intereſſe debeant, ut tamen cæteris quoque Electoribus ſi velint adeſſe licitum ſit. Id ut Stenoni Bielkio ſignificet, Sigismundo Marchioni injungebatur, utque id negotium omni opera promoveat: addito, literas ſalvi conductus ſtatim à Cæſare expediendas, ſi legatorum nomina innotuerint. Spes autem erat brevi cum Suecis tranſigendum, quod ſuper præcipuis capitibus jam conveniſſet; ac offerebat pecuniam mutuam Proteſtantibus Hiſpanicus Legatus, ut ſtatim Suecis ſatisfieri poſſet. Interea quoad adpareret, quem ſucceſſum id negotium habiturũ eſſet, Dani mediatio ſuſpendebatur. Componendis inter Auſtriacos & Gallum controverſiis Pontifex ſe mediatorem ferebat; cui tractatui Coloniæ peragendo Pontificis nomine Ginettus Cardinalis interfuturus erat; in quem conventum Cæſar facile conſenſerat, non modica ſpe boni ſucceſſus concepta. Sed duriſſimus nodus circa Ordines Pragenſi pace excluſos erat, quos duorum Proteſtantium Electorum Legati amneſtia comprehendendos contendebant, nec citra id Imperii tranquillitatem ſperandam. Et præcipue Saxo ſuis preſſe injunxerat, ne ad electionem progrederentur, niſi hoc negotio expedito. Neque hi ſegniter apud Cæſarem & Electorale Collegium rem urgebant, ſuccinentibus initio Brandeburgicis. Et videbatur Cæſar hac ratione ad communem amneſtiam concedendam facile compelli poſſe, cui electio filii quam maxime cordi erat; ni Brandeburgici, quos inter primus erat Schvvartzenbergius Comes Pontificiis ſacris addictus, Saxonicos deſtituiſſet, qui ſoli deinde tanto negotio ſuſtinendo impares erant. Unde mox cum Cæſar Electorum ſententiam ſuper eo negotio exquireret, omnes exceptis Saxonicis cenſebant; hoc poſtulato nunc apud Cæſarem ſuperſedendum. VVurtenbergico tamen Duci reſtitutionis ſpes fiebat, duriſſimis quantumvis legibus. Contra in promtu jam erant edicta, quibus VVilhelmus Landgravius proſcribendus foret, executione Georgio Landgravio demandanda; ni clades ad VVitſtocum accepta iras temperaſſet, ac amicos potius tractatus tentare ſuaſiſſet. Pro Palatini Electoris reſtitutione Anglicus Legatus Thomas Hovvardus Arundelia Comes nitebatur; ſimul ipſe Palatinus literis ad Electorale Collegium datis late oſtenderat, nullo ſe jure avita dignitate & ditione exui poſſe, non paterna hæreditate, ſed primævæ conceſſionis vi in ipſum devolutis; nec ſi quod paternum ſit delictum ſibi nocere; ſimul petebat, operam darent, ut ipſe jure ſuo potiri queat. Enimvero ſuper dignitate Electorali

1636. 16. Sept. Bavaro quippe jamtum conceſſa, Arundelio plane abnuebatur, quamdiu linea VVilhelmina ſupereſſet, præſertim cum eo tempore Bavaro filius natus foret, cui & ſuperiorem Palatinatum adimi non poſſe jactabatur. De Inferiore duntaxat Palatinatu reſtituendo ex gratia ſpes fiebat his legibus, ut Angliæ Rex Hiſpano ac Bavaro ſumptus belli reſtitueret, qui tribus florenorum millionibus taxabantur, Gallum ad reſtituendam Lotharingiam permoveret, cum Auſtriacis fœdus ſuper procuranda pace communi iniret, ac Pontificiis ſacris libertatem in Palatinatu Inferiore concederet. Quo reſponſo accepto Legatus indignabundus diſcedebat. Cæterum Ferdinandi Tertii electio facili negotio expediebatur. Nam Moguntinus Auſtriacis dudum obnoxius, quem & Hiſpani hactenus, pignori acceptis Rheni vectigalibus ſplendide ſuſtentaverant, inſigni quoque pecuniæ ſumma Ratiſponam nunc miſſa, Trevirenſis nulla habebatur ratio. Colonienſis Bavaro fratri ſuccinebat, cui dignitatem Electoralem & adjunctam ditionem præſtandam Ferdinandus cum Legato Hiſpanico recipiebat. Brandeburgici favore in cauſa Juliacenſi & Pomeranica promiſſo delinicbantur; & dudum Schvvartzenburgius totus ab Auſtriacis pendebat. Ita Saxonici ſoli parum valebant; qui & ideo forte remiſſius nitebantur, quod crederent, electione licet facta coronationem ſuſpendendam, quoad ſuper amneſtia conventum foret. Aſt eos ſpes ſua fefellerat, cum paucos poſt electionem dies coronatio perficeretur. Eo conventu Cæſar res Domus ſuæ egregie firmaſſe ſibi viſus eſt, poſt ſubjugatam pace Pragenſi Germaniam, per ſeparatos tractatus hinc Suecis, inde Gallis ſolo Germanico amovendis. Cum Belgis
8. Febr. neutralitas firmabatur; Anglus contemnebatur. Idem tamen Viennam reverſus ſequenti anno fato conceſſit, poſt varias rerum viciſſitudines ſub extremum vitæ tempus ad ſummum felicitatis culmen ſubductus, ni clades ad Wirſtocum florentes res interpolaſſet, ex qua concepta animi ægritudo non parum vim morbi auxiſſe credebatur.

Anglia. §. 85. Porro Angli ita contemtim Ratiſponæ à Cæſare habiti jam tandem fortius loqui incipiebant. Et Joſephus quidem Averius apud Hamburgenſes Reſidens nomine Regis Banerium in Thuringia poſt pugnam Wirſtockianam adibat, multo cum verborum honore ad promovendã communem Proteſtantium, & præcipue Palatinam cauſam eundem hortatus. Cui Banerius reponebat; cum à Suecia poſtulari nequeat, ut ipſa ſola belli in aliorum utilitatem redundaturi onera ſuſtineat, par eſſe ipſam ab Anglis ſubſidio levari, ne exemplo aliorum & ipſa privatim ſibi conſulere cogatur. Ad quæ Averius; Regem, cum amica via ab Auſtriacis nihil obtineri queat exercitum comparare, cui Palatinus Elector adjuncto Rudvveno ſit
26. Dec. præficiendus. Adpellebat quoque ex Anglia Holmiam Fleetvvodus tribunus, qui ad militem conſcribendum eo miſſus erat; ſed cum ejus facultatem abnuiſſet Rex in Sueciam reverſurum id jubebat exculare, quod Legato ſuo apud Cæſarem morante iſthoc parum decere vitium ſit. Sed nunc veniam concedi novas in Anglia legiones conferibendi, & veteres ſupplendi. Addebat, quia nulla ſpes ſit cum Cæſare amice tranſigendi, Legato ipſum ſuo mandaſſe, ut cum Gallis fœdus concludat; ſuper hoc hactenus exiguo cum ſucceſſu actum fuerat, uti Angli querebantur, quod negotia apud Gallos tunc fere ex ſententia Pontificis gererentur, & hi Carolo Ludovico Electoris Palatini titulum tribuere nollent, ſtudio in Bavarum, cui per totum hoc bellum occultæ rationes cum Gallia miſcebantur; an quod Galli non optarent, Principem potentem profeſſionis Proteſtantium loca ipſis vicina obtinere, memores quondam res Hugenotorum Palatinorum viribus reſtitutas? Offerebat quoque Anglus, claſſem ſuam in Oceano curaturam, ne Suecicis navibus noxa inferatur. Denique è Suecis ſcire cupiebat, quid ab ipſo ad cauſam communem conferri poſſe cenſerent? Se enim paratum eſſe, quantum per diſtantiam locorum liceat, omnia ad reſtituendam Germaniæ libertatem & Palatinum conferre. Cui reſpondebatur; ſupervacuum eſſe ſuper hiſce rebus tractare, quoad conſter, num Anglus bellum in Cæſarem ſuis auſpiciis movere, an auxilia duntaxat Suecis ſubmittere velit. Quæ Fleetvvodus ad Regem ſe relaturum recipiebat, cum ipſe parum haberet, quod reſponderet. Paria proponebantur ab Ale-
18. Dec. xandro Forbeſio, quem eo nomine Rex miſerat; qui & petebat unum vel alterum VVeſtphaliæ oppidum Anglicanis copiis in receptum concedi: quod negotium tunc differebatur.

Hollandia. §. 86. Hollandi licet fœdere non obſtricti forent, & ipſi pecunias à Gallis reciperent, trium menſium ſubſidia tunc conferebant, non tam ſingulari aliquo in Suecos ſtudio, quam Petri Spiringii induſtria, qui liberalitate & artibus iſtos homines tractare norat; admixtis tamen ſubinde minis, Suecos ni auxilio ſubleventur, bello ſe ſubducturos, nulla ipſorum habita ratione. Id quod & ſequentibus fere annis uſu veniebat.

Curlandiæ Ducis petita. 23. Aug. §. 87. Curlandiæ Dux Jacobus miſſo VVoldero Ludingshuſio caſtellum majus ad oſtium Dunæ fluminis poſitum, diſtrictum Ballenſem, domum inſulæ Dalenſis & Spilvenſis, una cum bonis Friderici Soldersbackii vulgo dictis reſtitui ſibi petierat. Id quod Rectores Sueciæ abnuebant, quod ea loca limitem inter Sueciæ & Poloniæ Regna tempore induciarum conſtituerent, publicis pactis aſſertum, & Livoniam, ac cum primis Rigam oppidum tegerent; ſic ut aliqua heic mutatio facile novis litibus anſam præbere poſſit; præſertim cum & Ducis parum intereſſet ea littora poſſidere. Immunitas quoque vectigalium in portu Rigenſi, quam petebat, negabatur, confuſioni vitandæ, & quia ipſe Dux Libaviæ ac VVindaviæ ſat portuum habebat.

SAMUE-

zed by Googl

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER NONUS.

EPITOME.

1. *Facies rerum ſub initium anni.* 2. *Suecorum circa bellum ineundique conſilia.* 3. *Baherius Saxonicos ad Eulenburgum fugat: Torgam capit; Pfulius in Hennebergica rem bene gerit.* 4. *Saxonici munimentum ad Wittebergam deſerunt. Banerius Lipſiam obſidet. Eam re infecta deſerit.* 5. *Hatzfeldius & Gætzius in Miſniam veniunt. Banerii conſilia. Is Eulenburgum ſe confert.* 6. *De induciis fruſtra proponitur. Banerius ad Torgam conſidet.* 7. *Ejusdem ad Torgam acta.* 8. *Velitationes ad Torgam.* 9. *Hoſtis Banerium ad Torgam includere conſtituit.* 10. *Is Torga movere inſtituit. Ejus in Pomeraniam receptus. Is incolumis in Pomeraniam evadit.* 11. *Acta per Pomeraniam. Brandeburgici inducias quærunt. Sueci Landsbergam occupant. Drieſenam fruſtra tentant.* 12. *Status Suecicarum ibi copiarum. Suecorum per Germaniam accepta damna.* 13. *Brandeburgicus edicta evocatoria promulgat. Alia per Pomeraniam acta. Stralſundenſes denuo à Cæſare tentantur.* 14. *Banerius in Pomerania adpellit. Exercitus Suecici dura conditio. Hoſtium progreſſus. Hoſtis in citeriorem Pomeraniam tendit.* 15. *Sueci hoſtem carpunt. Hoſtis ad Anclamum conſidet; inde iterum diſcedit.* 16. *Acta in ulteriore Pomerania.* 17. *Hoſtis denuo in citeriorem Pomeraniam movet. Sueci ad Ribbenitzam ſubſiſtunt. Hoſtis iterum recedit. Banerius in ulteriorem Pomeraniam abit. Eum hoſtis inſequitur.* 18. *Cæſarei in Pomeraniam irrumpunt. Sueci equites proſligantur. Stralſundenſium moroſitas.* 19. *Gallaſius in Pomeraniam irrumpit. Res Suecorum male ſe habent.* 20. *Hoſtium per Pomeraniam progreſſus.* 21. *Cæſarei Uſedomum occupant.* 22. *Banerii conſilia.* 23. *Wolgaſtum vi expugnatur. Demmitum hoſti deditur.* 24. *Cæſareus exercitus Pomerania iterum excedit.* 25. *Geſta per Saxoniam inferiorem & Weſtphaliam. Novi motus in Saxonia opprimuntur.* 26. *Sueci Stadhaga hoſtem opprimunt.* 27. *Iidem aliquot loca in Saxonia amittunt. Georgius Dux Suecis inſidiatur.* 28. *Landgravii geſta. Sueci Haſſiacis juncti Vechtam capiunt.* 29. *Iidem amittunt Ratenaviam, Havelbergam, Werbenſe munimentum, Damitzam.* 30. *Luneburgum & Winſenam.* 31. *Landgravius in Friſiam penetrat, & moritur. Georgius Landgravius Haſſiam Inferiorem capit.* 32. *Haſſiacorum poſt Landgravii obitum acta.* 33. *Meclenburgici Ducis ambigua conſilia. Wiſmarienſes hoſtem carpunt. Georgius Luneburgicus hoſtem ſe Suecis fert.* 34. *Erfordienſes ab hoſte ſolicitantur. Inducia cum iſtis fiunt.* 35. *Ramſæus Hermanſteino annonam infert. Hermanſteinum fame expugnatur. Hanovienſium geſta.* 36. *Super Hanovia tranſigitur. Comes Hanoviam redit. Ramzæus Comitem in cuſtodiam dat.* 37. *Cæſareorum deſtinata.* 38. *Bernhardus Dux expeditionem in Germaniam agitat. Dux Bernhardus in Burgundiam irrumpit. Lotharingiæ Dux vapulat.* 39. *Dux Bernhardus Rhenum tranſit. Velitationes cum Wertano. Dux Bernhardus à Rheno recedit.* 40. *Munimenta ad Rhenum ab hoſte expugnantur.* 41. *Controverſia circa ſucceſſionem Pomeraniæ, & tam Suecorum quam Brandeburgicorum rationes.* 42. *De reſervato fœderis Pomeranici.* 43. *Suecorum exceptiones.* 44. *Brandeburgici replica.* 45. *Ordinium Pomeraniæ conſilium ſuper regimine ejus provinciæ. Ordines Pomeraniæ vacillant. Dux Pomeraniæ moritur.* 46. *Brandeburgicus poſſeſſionem Pomeraniæ adprehendere vult: Cui Bielkius reſiſtit.* 47. *Alia Ordinum propoſitio; Quam Bielkius rejicit. Brandeburgicus armis Pomeraniam vindicare conſtituit.* 48. *Decretum Ordinum Pomeraniæ; Quod Bielkius improbat.* 49. *Idem decretum diſcutitur:* 50. *Suecorum ſuper pace conſiderationes.* 51. *De animo Cæſaris in pacem dubitatur.* 52. *Brandenſteinii Comitis irrita circa pacem opera.* 53. *Fopponis Aizema inanis conatus.* 54. *Tractatus cum Marchione Sigismundo. Marchio Stetinum venire vult. Id Bielkius abnuit. Congreſſus Vierradæ habetur.* 55. *Arnheimius capitur.* 56. *Subdelegatorum congreſſus. Diſceptatio ſuper procuratorio Suetico.* 57. *Alium congreſſum Bielkius abnuit. Defectus procuratorii Cæſarei. Tractatus cum Marchione expirant.* 58. *Auguſti Brunſuicenſis Ducis ſuper pace conatus. Cæſarei miniſtri narrata.* 59. *Auguſti Ducis conſilia.* 60. *Lauenburgicorum Ducum circa ſecretum tractatum conatus.* 61. *Daniæ Rex frigide circa pacem laborat.* 62. *Meclenburgici Ducis conatus.* 63. *Ad conventum Colonienſem Sueci venire nolunt. Veneti mediationem ſuam offerunt.* 64. *De ſalvi commeatus literis ad conventum Colonienſem. Gallorum nova propoſitio*

Digitized by Google

1637. *positio de loco tractatuum.* 65. *Galli Ferdinandum III. nolunt agnoscere Imperatorem.* 66. *Cæsar Ordines Germaniæ ad tractatus admittere non vult.* 67. *Gallorum de induciis propositio.* 68. *Galli ratihabitionem fœderis urgebant. Banerio observator à Gallis adponitur.* 69. *Suecorum suspiciones.* 70. *Sueci tempus extrahunt.* 71. *Sueci in fœdus Gallicum demum consentiunt: Nec eo minus cunctantur.* 72. *Sueci Regem Galliæ ad bellum hortantur.* 73. *Inter Avauxium & Salvium super fœdere disceptatio. Avauxius de novo fœdere monet. De initio fœderis disceptatio.* 74. *Circa alia fœderi conjuncta Gallorum sententia.* 75. *De Anglorum animo dubitatur.* 76. *Fœdus inter Gallos & Anglos friget. Fletwodo respondetur.* 77. *Angliæ Rex Suecos ad fœdus invitat. Suecorum de eo judicium. Sueci respondent. De fœdere Anglicano spes exigua.* 78. *De matrimonio Reginæ cum Palatino Electore propositio.* 79. *Collisio Legati Suecici, & Anglici.* 80. *Fœderis inter Gallos & Anglos difficultates.* 81. *Ad id fœdus Suecia invitatur.* 82. *Landgravii postulata. Suecia Rectorum considerationes.* 83. *Iterata Landgravii postulata. Conditiones à Rectoribus Suecia propositæ.* 84. *Rangezii legatio irregularis.* 85. *Danica.* 86. *Polonus frustra Suecos lacessit.* 1637.

Faciei rerum sub initium anni.

PRincipio anni tricesimi septimi quo magis Sueci arma sua adspirante ad Witstocum fortuna diffundere laborabant; eo diligentius istorum progressibus sistendis Cæsaris sociorumque copiæ contrahebantur. Galli hostem Regno suo ingruentem arcuisse satis habuerant; ac nihil aliud agere videbantur, quam ut bello se subducerent; quam ob causam Sueci fœderis cum iisdem initi ratihabitionem distulerant. Anglus per Fletwodum spei pluscul um ostentabat, sed in quo parum fiduciæ reponebatur. Visum tamen oblata militis per Scotiam conducendi facultate uti supplendo exercitui; aut si eam veniam Rex retractaret, penitius inspiciendo ipsius animo. De Poloni delectibus fama ferebat, sed causa in obscuro erat, aliis Turcam Tartarosque, aliis Cæsari auxilia parari conjectantibus. Nec eo minus Suecis providendum, ne quid forte insidiarum subesset. Jactabatur quoque eundem cum Dano consilia agitare junctis classibus Suecos ad pacem compellendi. Danus in occulto quid struere credebatur, multum hinc inde cursitante Arnheimio; id quod tamen nondum tàt maturuisse, ut executioni dari posset, adparebat. Saxo, Brandeburgicus, & Georgius Luneburgicus palam hostilia induerant. Meclenburgicus quoque suspectus haberi. Fato Pomeraniæ Ducis vicino Brandeburgicus ejus provinciæ possessionem invadere ardebat, Suecis ut eum arcerent non minus solicitis. Reliqui Protestantes Ordines fere oppressi, & exiguarum virium, quos incumbens belli calamitas magis adhuc atterebat, Cæsaris contra sociorumque rebus gliscentibus.

Suecorum circa bellum pacemque consilia.

§. 2. Ea rerum facie fundamentum consiliorum habebatur, si honestam ab hoste pacem Sueci obtinere vellent armis eundem compellendum; nec amoto metu æqui aliquid ab illo expectandum. Eo quoque fine opera erat danda, ut Saxoni, Brandeburgico, & Luneburgico, quæ supererant arma manibus excuterentur, eorumque provinciis ad firmandos exercitus Suecicos adhibitis, inde bellum in ditiones Cæsaris hæreditarias infunderetur. Ac putabatur occupato ad Torgam Albis transitu viam eodem pandi, VVrangelio interim ex altera parte in Silesiam penetrante. Etsi qua ratione bellum administrandum Banerii dexteritati relinquebatur, cum consilia in eam rem è Suecia submini-strari tardum foret. Id tantum monebatur, ne summam rerum prælii aleæ exponeret, nisi urgente necessitate, aut explorata rei bene gerendæ fiducia. Circa pacem tenuis valde spes allucebat, quam ne Sueci potirentur Galli obnixe laborabant. Nec Anglo pro pace studia. Danus mediatorem se denuo ferebat, sed quo consilio haut obscurum erat. Nec à Sigismundi Marchionis opera proficui quid sperabatur. Meclenburgico cœpti tractatus, plane sopiti jacebant. Aliorum circa pacem conatus magis sermonum ansam, quam firmæ quid spei præbebant. Quia tamen scopus belli pax erat, nec ad hanc nisi per tractatus pervenire licebat nemini non de eadem mentionem injicienti aures præbendæ erant, saltem ut armis Sueciæ favor conciliaretur. Eoque Stenoni Bielkio, & Joanni Salvio in mandatis dabatur, nullam occasionem de pace agendi repudiare, eidemque quantum possent viam sternere. Banerius quoque jubebatur, ubicunque res ferret, de Suecorum in eandem studio testari, ac culpam belli continuati invidiamque in hostes devolvere.

Banerius Saxonicos ad Eulenburgum fugat. 3. Jan.

§. 3. Porro huic initio anni hautquaquam spernendi armorum successus arridebant, qui è Thuringia Torgam tendens Dœhnium summum excubiarum præfectum cum aliquot legionibus securius agentem obiter opprimere constituerat. Sed iste vix dimidiam ante horam de adventu ipsius monitus inde se proripuerat. Stalhantschius tamen terga fugientium premens, plusquam trecentos, quos inter & Schleinitzius tribunus, capiebat aut cædebat, & quatuor equitum, omnibus dimacharum signis potiebatur. Dœhnius ægre pedes cum reliquis Torgam evadebat. Id oppidum, quod præter fugatos hosce equites Wilsdorfius summus excubiarum præfectus cum duabus peditum legionibus insidebat, Banerius statim milite cinctum duris legibus ad deditionem adigit; ut ductoribus harum legionum Dresdam abire permitteretur, omnibus signis armisq; penes Suecos relictis; gregarii captivitatem subirent, quam tamen mox in Suecorum sacramentum transeuntes exuerunt. Complures quoque præfecti ad istas legiones non pertinentes Torgæ deprehensi detinebantur. Duodecim peditum, triginta duo equitum signa tradita. Sic intra triduum octo hostium legiones nullo Suecorum damno destructæ. Castello ibi ad Albim firmato Lipsiam retro Banerius se conferre constituebat, quo Leslæo propior adesset, si iste ab hoste è VVestphalia urgeretur, pro re nata ipsi adjuncto prælium iterum tentaturus. Sed quoad à Leslæo certi nuntii venirent, circa Lipsiam subsistere, & si nullus ab hoste è Westphalia metus foret, id oppidum invadere placebat; quod spes esset isto capto exercitum ea hieme ita firmatum iri, ut proximo vere insigni cum incremento in expeditionem produci posset. Inter hæc Pfulius tribunus cum quatuor equitum, una dimacharum legionibus trans Thuringicos saltus missus, ut Smalcaldiæ & vicino tractu se reficeret, cum hostium copias adversus se contrahi cognosceret, istas prior invadere decrevit. Igitur præmissi ab ipso Carolus Gustavus VVrangelius tribunus, & Dœrflingius subtribunus apud Meinungam hostiles equitum turmas in fugam conjiciunt. Ipse Pfulius cum reliquis subsecutus, ex itinere Meinungæ compluTorgam capit. 5. Jan.

Pfulius in Hennebergica rem bene gerit. 12. Jan.

res

1637. res ductores, ac supra centum dragones cepit. Inde Mellerstadium prætergressus dimidio à Kœnigshova milliari peditum hostilem dissipat, captis tribus tormentis, omnibusque impedimentis, & mille circiter militibus, quos inter VVolframsdorfius & Manteufelius tribuni; exigua suorum jactura, quod segniter valde hostis pugnam cieret.

Saxoniei munimentum ad Witebergam defertum.

§. 4. In Misnia porro cum Saxoni castellum pontiVVittebergensi adsitum ultro deseruissent, in oppidum ponte dejecto refugi, Banerius catervam suorum mittit, qui id infiderent. Sed quia idem, qua oppidum spectabat, apertum erat, nec constrictam gelu humum ligonibus moliri licebat, fulminantibus insuper ex oppido machinis, miles inde revocabatur, ponte prius quantum dabatur destructo, ne facile reparari posset. Inde Lipsia invaditur, quam peditum aliquot legiones sub Adolfo Trandorfio tribuno custodiebant, oppidanis quoque strenue arma capessentibus. Cum deditionem imperatam obsessi abnuissent, ignes & saxa intra oppidum conjiciuntur; his cum nihil proficeretur, accessus cuniculique aguntur. Postquam porta Grimmensis tormentis quassata esset, ac denuo arrocibus cum minis imperatam deditionem Trandorfius abnuisset, cuniculus ad istam portam igne immisso evibratur modica ruina data. Inde per biduum ad viginti quatuor ulnas mœnibus dejectis alii duo cuniculi accenduntur. Sed nec hi fossam satis complebant, & obsessi obstructis utcunque ruinis, ac transversis intus egestis fossis assultum expectabant, ad quem omnia jam dispolita erant, cum eo ipso momento nuntius adfertur de hostium exercitu ad subveniendum oppido adproperante. Igitur assultus omittitur & noctu abductis tormentis, solutoque obsidio, Banerius Zvvencaviam ad Elistrum se confert.

Banerius Lipsiam obsidet. 13. Jan. 21. Jan. 4. Febr.

Eam re infecta deserit. 7. Febrar.

§. 5. Hatzfeldius quippe & Gœrzius Cæsarei duces Banerio ingruente ex Hassia in VVestphaliam cedentes, hoc in Misniam regresso iterum ad Visurgim verterant, Leslæum oppressuri, aut à Banerio sejuncturi. Sed hic istorum consilio animadverso, mature in Thuringiam se receperat. Unde isti adsumtis Georgii Darmstadiensis copiis, quæ quinque millia quingentos explere ferebantur, nec non Georgii Ducis Luneburgici legionibus, qui & apud Hamelam pontis navalis usum ipsis concesserat, & commeatu tormentisque juverat, in Misniam tendunt, Saxoni laboranti, & auxilium anxie imploranti subventuri. Et jam Northusam usque processerant, Leslæo paulatim ad Banerium propius movente. Ast Banerio, Lipsiæ obsidio susceptо, cum legiones vix hiberna delibassent, is hostium adventus valde intempestivus accidebat, quos militum numero pares sibi aut superiores judicabat, eoq; animo venire, ut prælio decernerent, aut ipsum ad retro cedendum agerent. Quanquam autem prælio iterũ certare ancipitem aleam habebat; tamen quia mare versus recessuro inopia, & defatigari militis ægritudo metuebatur, initio quidem satius ducebat, fortiter audendo fortunam tentare, quam absque pugna cedendo exercitum destruere. Quod si tamen longe exsuperans hostium numerus prælium dissuaderet, Torgam abire constituerat, opportunitate fluminis eosdem elusurus. Neque tamen longius adventantibus obviam ire placebat, quod interim Lipsia potiundi spes foret, & è diversa parte Clitzingius à Pomeraniæ finibus per Furstenvvaldam Torgam versus tenderet; qui ex itinere Brandeburgum Vetus proditione oppressérat, cæsis qui inerant dimachis, & tribuno Beyo capto; ac jam Bischofsvverdam usque processérat. Qui ne assumtis Saxonicarum copiarum reliquiis Torga iterum expugnata Banerio viam in Pomeraniam intercluderet, metuebatur. Igitur decreverat Banerius quantum per hostem liceret ad Lipsiam hærere, simul Torgam observare, Cæsareosque ingruentes ad Onestrum, aut Salam fluvios sistere. Eo fine Pfulius ex Hennebergica propere evocatur, & una cum Stalhantschio, qui hactenus cum pleroque equitatu, circa Gotham & Arnstadium hæserat, Leslæo se jungere jubetur, ut hostem dejectis ubique pontibus Onestri transitu arceant. Et Pfulius quidem frustra insequente cum octo legionibus Bredavio Arnstadium incolumis pervenerat. Sed Stal- 18. Jan. hantschius post hujus adventum non recta ad Leslæum ibat; sed apud Jenam superato Sala Naumburgum tendebat, declinandis viarum angustiis. Sic valde indignante Banerio Onestrus detorebatur, cum solus Leslæus illi se tuendo parem non judicaret; qui & Salam apud Portam Cœnobium 23. Januar. transibat, cum non nisi modicæ hostium catervæ ingruerent, exercitu adhuc longius remoto, de cujus magnitudine ac destinatis nondum constabat. Ita hostis nemine impediente secundum Onestrum se explicabat. Inde ut ad Salam hostis sisteretur, Leslæus & Stalhantschius jubentur Mortaignium tribunum ad pontis Jenensis custodiam collocare, reliquas legiones opportunis eis Salam locis disponere, Jenam inter & Mersburgum, exploratoribus diligenter trans flumen missis, ne hostis Banerio improvisus ad Lipsiam supervenire posset. Sed & hoc frustra erat. Nam licet isti viginti quatuor equitum legiombus, tribus peditum phalangibus, & dragonum manu, ac nonnullis tormentis succincti forent; hostilem tamen exercitum, qui triginta millia explere jactabatur, ad flumen expectare non audebant. Ita hic nemine obsistente Salam quoque superat. Ea cauta Banerium subigebat Lipsiæ obsidium, omnibus ad assultum paratis, repente solvere, & Zvvencaviam Leslæo obviam procedere, qui jam inter VVeissenfelsam, & Lutzenam adpulerat. Heic Banerius, cognito hostium duo millia circa Pegaviam hærere, assumtis aliquot legionibus istos opprimit, multis cæsis, nec paucis captis, quos inter & Meuterus tribunus. Inde cum universæ hostium copiæ in propinquo essent, Eulenburgum se conferre instituit, quantum daretur istas ibi moraturus; aut si non amplius sustinere heic posset, Torgam abiturus, ubi castra muniri cœperant.

3. Februar. Banerius Eulenburgum se confert.

§. 6. Huc tendentem missus à Sigismundo Marchione Bertramus Pfulius adit, inducias Saxoni concedi perens obtentu tractatuum pacis, quos suscipiendos Electorale Collegium Moguntino & Brandeburgico Ratisponæ commiserit; ac ut commercia in Albi flumine libera relinquerentur. Ast Banerius negotium pacis ad Bielkium rejicere; inducias concedere penes se non esse: circa commercia facturum, quod ratio belli suaserit. Et jussérant Rectores Sueciæ omnes inducias repudiare, tempori tantum extrahendo inventas. Eulenburgi hostem Banerius fixo pede expectabat. Sed is circa Pegaviam, Bornam, & Grimmam, mox Coldiciam inter & Leisniciam stativis se quietus tenebat. Unde Banerius cum equitatu & selectis peditum adverso Mulda movens vel tentare quid in hostem, vel saltem vires ipsius explorare conabatur. Ægre tamen VVurcenam inter & Grimmam per flumen vernis aquis tumens reperto vado Cratzensteinium cum aliquot equitum legionibus trans Muldam mittit: qui in sexcentos hostium equites incidens ex iis inter profundas vias fossasque compulsis supra quadringentos cædit, paucis captis. Ex his intelligebat, hosti minores quidem, quàm jactabantur, copias esse, sed quæ tamen equitum peditumque numero ipsum longe excederent, quippe plus quam septuaginta equitum legionib⁹, trede-

De indeciis frustra proponitur. 12. Febr.

1637. tredecim peditum phalangibus constantes, quas triginta & unum tormenta comitabantur. Unde
3. Mart. cum hostis ad Leitniciam Muldam transgressus Misenam versus tenderet, Banerio non amplius tutum videbatur ad Eulenburgum subsistere; sed in
Banerius ad Torgam consulet. munita ad Torgam castra se conferebat. Ibi peditate cum tormentis & octo equitum legionibus secum retento, majorem equitatus partem trans Albim sub Stalhantschio, Cratzensteinio, & Pfuhio Dresdam versus dimittebat, ob commodiorem pabulationem, & ad impediendum, ne hostis prope ipsum ponte navali Albim internere posset: simul ut frumenti copiosior Torgam esset subvectio, & in Clitzingium circa Haynam tendentem data occasione aliquid tentaretur. Ita Misnia tunc tantis exercitibus inundata misere lacerabatur; & Cæsarei, qui amicos se venire ferebant, cædibus, cruciatibus, incendiis, rapinis immane quantum grassabantur, velut ad perdendam eam provinciam evocati essent. Nec Suecici deterius sibi jus quam istis ad rapienda aut consumenda quæ occurrebant esse credebant, Electore præsertim de ipsis tam male merito.

Ejusdem ad Torgam consilia. §. 7. Porro Banerio apud Torgam aspera rerum facies surgere videbatur. Cum enim hostis sæpius antea ab ipso lacessitus pugnandi copiam non faceret, & circumspecte commodis se locis teneret excitis tota Germania copiis; satis adparebat id agi, ut numero idem obrueretur. Et jam Marazinus que Mansfeldius è Silesia Sprembergam cum on spernenda uterque manu processerant; simul Gallasius è superiore Germania huc movere ferebatur. Igitur uti hoc rerum statu prælium tentare temerarium erat; ita Pomeraniam versus recedere non minus inconsultum. Nam & hac ratione nimis longe à Vvestphalia removebatur, ubi semel penitus collapsæ Saxonum res haut facile instaurari poterant: & miles, cujus fides ac fiducia è successu rerum pendebat, isto receptu animis collapsurus, aut frænum plane morsurus metuebatur. Et quanquam ipso in Marchiam transgresso Hermanni Wrangelii copiis accessus pateret; quibus auctus hosti par videri poterat; tamen in arbitrio hostis futurum erat, num sequi ipsum & pugnandi copiam facere vellet; quem circumspecte omnia agere patebat. Quin metus erat, ne dum ipse cum exercitu, quod commeatus per Marchiam, Meclenburgicam, & Pomeraniam supererat, absumit, hostis interim immensum auctus ingrueret, & vel ad intempestivum prælium adigeret, vel ad littoralem tractum in angustias redactum inopia attereret. Igitur placebat obnixe stationem Torgæ arreptam tueri: simul Wrangelium cum suis copiis exire, ut antequam magis intumuissent hostium copiæ, prælium tentare posset. Et ut hostem distraheret, partemque incumbentis molis à se averteret, Leslæi quasdam legiones sat imminutas Kingio & Rudvveno ducibus ad Visurgim mittit, ut suppletis ibi numeris, & adscitis quæ hinc inde dispersi hærebant manipulis, res Suecicas per Westphaliam instauratum irent; oppida insuper à Suecis isto tractu possessa annona firmarent, ac novos delectus Georgii Luneburgici, qui legiones suas cum Cæsareis junxerat, impedirent; invitato etiam ad conjunctionem Landgravio, qui apud Cassellas tria millia militum contraxerat. Cui ut gratificaretur Banerius, præfectura Smalcaldica cedit, qua ipse alias præsenti rerum conditione parum frui poterat.

Velitationes ad Torgam. 5. Mart. §. 8. Interim tam propinquis exercitibus modicas per catervas frequenter certabatur, prospero sæpius Saxonum successu. Ad Riesam arcem, ubi Gœtzius castra locaverat, quadringenti Cæsareorum equites vado Albim transgressi, cum Suecicos in se tendere conspicerent trepide refugi magnam partem cædebantur, aut flumine subinergebantur. Apud Haynam Pfuhius cum quatuor legionibus duas hostiles deprehendit, quas restitantes in fugam conjicit, cæsis supra centum quinquaginta, captis centum; reliquos sub Veterem usque Dresdam persequitur. Haynam tamen operibus sat munitam, & septem dragonum centuriis intessam ipse cum modica suorum manu oppugnare non ausus eminus obsidet. Unde acri eruptione facta, Carolum Gustavum Vvrangelium tribunum graviter globo ad caput saucium jam hostis captum abstrahebat, quem tamen sui statim iterum liberabant. Cis Albim Bredavius Cæsareus dux octo cum legionibus duas Saxonum legiones dimidio à castris milliari tendentes opprimere constituerat, quo fine quadringentos equites in stativa Saxonum impetum facere jusserat, ipse cum cæteris intra sylvam subsistens. Sed Suecici mature istorum adventu animadverso promte in campum armati prodeunt, istosq; strenue repellunt captis septuaginta magnam partem ductoribus, nec paucis occisis. Ipsorum octo duntaxat desiderantur. Et exercitu mox in castris ad arma vocato, Bredavius re infecta discedit. Inde Slangius & Joannes Mauri- 15. Mart.
tius Vvrangelius tribuni à Banerio missi castellum ponti Wittenbergico adsitum à Saxonicis reparatum, improviso opprimunt, cæsis aut in Albim compulsis sexaginta Saxonicis, qui id insidebant, peditibus; eidemq; ipsi præsidium imponunt. Eo- 15. Mart.
dem die totus hostium equitatus Albim ad Riesam vado transire constituerat; jamque tres legiones in adversam ripam enixæ erant: quas impetu facto Suecici præcipites repellunt, ut pauci ad suos evaderent plerisque ferro aut flumine haustis. Post ipse 20. Mart.
Banerius versus hostium castra progressus primam eorum stationem viginti turmis constantem delet, paucis per fugam elapsis. Slangius quoque incensa 22. Mart.
Coldicia & Leisnicia aliquot centurias hostium occiderat, compluribus ductoribus captis. Hostis interim cum alibi per Suecicos impeditus esset, tandem non procul Dresda ponte navali structo co- 30. Mart.
pias trans Albim ducere cœperat; cum Banerius equitum legiones hactenus in altera Albis ripa hospitantes Torgam revocat; qui & incolumes eo se receperunt, paucis tantum pabulatoribus desideratis, & Mortaignio tribuno exploratum misso in hostium manus delapso. Ita ex altera quoque Albis ripa incumbente hoste etsi satis habebat Banerius vim istius propulsasse; miles tamen promtus ad omnia jussa quotidianis excursionibus hosti damnum inferebat; paucis duntaxat, queis præda magis quam militaria munia cordi, mussitantibus; quos si apertius frænum morderent, ipse missione aut acri castigatione coërcere constituerat.

Hostis Banerium ad Torgam includere conatur. 3. April. §. 9. Inter pleraque tamen prospera adversi nonnihil miscebatur, quod Dœrflingius à Banerio in Thuringiam missus ad tributa Mansfeldiæ & vicino tractui imperanda simul agendis delectibus, Hecstadii à Drucmullero tribuno oppressus est; ubi quadraginta Suecicorum cæsi, & aliquot signa cum impedimentis, multisque captivis amissa, ipso Dœrflingio ægre manus hostium evadente. Circa idem tempus universus hostium exercitus raptim versus castellum ponti adsitum ex altera Albis ripa progrediebatur, ut tumultu ibi excitato in oppido per proditionem annonæ & adparatus bellici corrumpendi occasio panderetur, omnium animis in hostem versis, aut ut molendina navalia ipsève pons corrumperetur. Sed Banerius adventu istius mature cognito, omnibus rite ad Torgam dispositis, ut eos distraheret, cum magna equitatus parte, selectisque equitibus & aliquot machinis cis flumen Misenam progreditur, velut

tredecim

1637. tredecim Saxonicas, quæ ibi tendebant, legiones oppugnaturus. Unde hostis turbatus verso itinere & ipse eodem adproperat. Scopo suo potitus Banerius iterum Torgam se confert, munimentis hostium apud Riesam obiter disjectis. Ex inde hostis stationem suam mutabat, & peditatum apud Misenam commodo loco castris munitis disponebat, cum equitatu versus Lusatiam superiorem progressus nulla manifesta causa, cum omnia necessaria Albi fluvio è Bohemia abunde subvehi possent. Unde & Banerio facultas dabatur legiones suas laxius disponendi; simul Stalhantschium ad Havelam mittendi, ut adparatum inde bellicum & duas equitum legiones cum pedi-
2. Maji. tum manu in castra ad Torgam adduceret. Paulo post hostis ad Muldam movebat, copiis ad utramque ripam distributis; & castris apud Eulenburgum munitis, unde Banerius opportune legionem ibi hospitantem subduxerat. Hunc contra, ne arreptam Torgæ stationem desereret, variæ causæ subigebant. Nam & metus erat, ne longiore ipsius discessu Landgravius Wilhelmus, & Vinariensis armis concíderent; & Saxo, dum uterque exercitus ditioni ipsius incumbit, anxie apud Cæsarem de pace Suecis concedenda instabat. Sed quod hostes viribus prævalerent vim arcuisse interim satis habebat, quoad à Suecia subsidia venirent; cum quinque aut sex militum millibus auctus facile hosti se parem, aut superiorem fore confideret. Nec minus insigne levamentum sensurus erat Wrangelio in Silesiam irrumpente, ac in se versa modica Marazini & Mansfeldii manu, quæ in altera Albis ripa hærens impediebat, quo minus è Lusatia Superiore annona peti posset. Nam ita validam manum, quæ isti repellendæ sufficeret eodem mittere, cum hostis ex hac parte incumberet, nec consultum erat, & miles tot laboribus fatiscebat. Marazino autem & Mansfeldio amotis ab exercitu ad Muldam parum sibi metuebat; simul laxæ tunc annonæ copia facta fuisset. Cæterum quod Banerius suspicaretur hostem id agere, ut infra Torgam Albi pontem injiceret, Leslæum cum valida caterva per alteram ripam Witebergam versus dimittit hostium ibi navigia corrupturum. Quod facile successerat, nisi Leslæus castello quodam intempestive oppugnando spatium hosti dedisset, navigia sub ipsum oppidum deducendi. Mox idem cum Pfulio Luccam mittitur, quam tres equitum Saxonicorum turmæ insidebant; quæ natura loci in paludibus siti consitæ, aliquantisper
23. Maji. acriter resistebant, quoad tandem honestis conditionibus oppidum dederent. In eo magna frumenti vis inventa, Torgamque avecta. Hostis porro id tunc agebat, ut post firmatum apud Misenam pontem castellum ad Witebergam recuperaret, & infra Torgam alio ponte Albim frænaret. Et quia Sueci Torga moventes, mare versus recepturi se credebantur, maxima pars exercitus ex altera Albis ripa infra Torgam collocabatur, quæ digressuros exciperet. Marazini autem & Mansfeldii copiæ prohibituræ erant, ne à Wrangelio, aut è Meclenburgica auxilia accedere possent. Quod si Banerius mature se inde subduceret, id hostis obtinuerat, ut Albi Suecos totaque Misnia detractos ad mare compelleret, facilius ibi in angustias redigendos. Sed si Banerius expectaret, quoad inferior pons absolveretur, certa spes concipiebatur, universum ipsius exercitum intercluso undique receptu ferro
13. Maji. ac fame delendi. Ita Suecos libenter paci Pragensi se submissuros. His consiliis exsequendis hostis Muldam transgressus, castellum ad Witebergam petebat, quod Osterlingius subtribunus cum legione insidebat. Huic dum Banerius va- 1637.
lida cum manu suppetias latum adproperat, id 20. Maji.
jam gregariorum militum rebellione in hostium potestatem concesserat, alias haut levi labore expugnandum. Plerique perfidorum apud hostem manebant; Osterlingius cum reliquis ductoribus, & paucis flagitii immunibus ad Banerium redibat. Inde hostis ponte apud Witebergam reparato in alteram Albis ripam transit, pontemque navalem altius adverso flumine subvehere nititur. Eum ut 28. Maji.
destrueret Banerius validam manum per citeriorem ripam demittit, quæ nonnulla navigia infra Pretscham demergit. Mox ipse insequitur Pret- 29. Maji.
scham arcem dimachis hostium infestam expugnare animo agitans. Sed obstabat hostis ex altera ripa tormentis fulminans, & Albis tenui tunc alveo passim vado superari idoneus; simul ex adsita insula per hostem infesta novus subinde miles navibus immitti poterat; ut non sine multo sanguine ista expugnanda videretur. Ac hostis per Witebergensem pontem facile tota se mole infundere valebat. Igitur hac oppugnatione omissa machinarum jaculatione hostem castra in adversa ripa deserere cogit. Banerio digresso pons ad Pretscham ab hoste perficiebatur. Cum ita hostis altero ab ipso milliari metaretur, receptus difficillimus fore videbatur. Nec eo secius Banerius fiduciam ostentare confirmandis suorum animis: hosti longum fore famem ipsius expectare: saltem non prohibiturum eundem quo minus castris desertis ipse prælium sumat, aut declinet, prout ratio belli suaserit. Non quidem sibi placere summam rerum incertæ aleæ exponere; nec tamen esse, cur ab hoste sibi metuat. Cæterum ea se circumspectione usurum, ut nec per temeritatem, nec per segnitiem quid peccatum videatur.

§. 10. Enimvero etsi Banerio apud Torgam commeatus pabulique inopia haut ita brevi incubitura videretur, & eo, quem insederat loco prasentis hostis vim parum metueret: tamen post- Banerius Torga movere initiquam Gleenius, qui cum maxima exercitus Gallasiani parte Erfordiam hactenus obsederat, ipse Gallasius, & Isolanus cum decem, Schwartzenbergius Comes cum tribus Croatarum millibus, itte è Thuringia, hi è Bohemia ingruerent, reliquis se conjuncturi, diutius ibi subsistendum sibi hautquidquam ducebat. A tanta enim hostium multitudine undiq; cinctum vel à fame tandem exitium, vel ex deformi receptu dedecus manebat. Cæterum antea quidem, si Torga deserenda foret, in superiorem abire Germaniam agitaverat, ubi Gallis Bernhardoque Duci sociatus hosti negotium daturus erat; Wrangelo interim ad Pomeraniam tuendam incubituro. Quia tamen Rectores Sueciæ ante omnia ad maritimam oram oculos convertere jusserant, & supplementa è Suecia nondum adpulerant, fortasse si venissent advertus hostem non sufficura; tum in superiora tendenti Gallasius à fronte, alii à tergo imminebant: tutissimum erat, in Pomeraniam properare. Ita parte impedimentorum Banerii in
minus utili relicta, Torga movens primo die ultra Pomera-
Elistrum flumen procedit. Hostis quoque audito niam rece-
istius discessu eodem die Jessenam attingit, misso ptui.
tribuno Schutzio cum mille selectis equitibus & 19. Jun.
Croatarum manu, qui ultimum agmen carperet; sed qui mox, cum quædam Suecorum catervæ se in ipsum convertissent, retro abibat. Postero die Luc- 20. Jun.
cam usque Sueci, hostis Juterbocam veniebat. Vesperi Pfulius cum sex legionibus Lubbenam præmittitur intercipiendæ, quæ ibi hospitabatur, Croatarum legioni; sed quæ ante istius adventum fuga se subduxerat, nonnullis moratoribus, & præfecto excubiarum desiderato. Cum Lucca progrede- 21. Jun.
rentur

1637. rentur Sueci, Schutzius cum manu sua, & qui recens sub Schvvartzenbergio Comite adpulerant Croatæ, quater mille numero, uti ferebant, in planitie post ultimum agmen, cui ipse Banerius aderat, se ostendebant. In quos cum turmæ aliquot immitterentur, retro versi manum conserere detrectabant. Unde Banerius exploratum duntaxat eos venisse ratus, & ut unum vel alterum captivum interciperent, reliquos pergere jubet, ipse cum Slangio tribuno, & una eaque valida legione agmen claudit. Ubi improviso hostis denuo circumfunditur, ut progressas jam turmas revocandi spatium non foret. Igitur ipse cum legione impetu facto eos in fugam conjicit, & per integrum milliare persequitur, compluribus cæsis, paucis captis. Inde superato apud Lubbenam fluvio, medio inter hanc & Lubberasum spatio pernoctat, hoste interim
22. Jun. Barrutum tendente. Dum Lubberasum pergunt Sueci, eadem hostium manus per angustum aggerem duobus lacubus interjectum ingruit. In quam aliquot Suecorum turmæ se concitantes impedita per angustias fuga plurimos trucidant, aut in lacum utrinque compellunt. Ita citra impedimentum ultra Lubberasum progrediuntur Sueci, præmisso cum sex legionibus Pfulio ad Oderæ vada exploranda, & navigiis ac pontonibus comparandis. Cæ-
23. Jun. sarei interim citra Furstenvvaldam metabantur. Inde apud Furstenbergam totus Suecorum exercitus cum omnibus tormentis & impedimentis Oderam vado superat, nemine militum inter transeundum desiderato; tum duæ equitum, una dragonum legiones sub Haderslebio tribuno Landsbergam
24. Jun. præmittuntur. Ea nocte Sueci ad Oderam, Cæsarei Furstenvvaldæ agebant. Summo mane Drossenam flectebant Sueci, cum rumor adfertur, hostem iisdem Oderæ vadis tota mole insequi. Sed Banerius cum parte copiarum regressus non nisi trecentos Croatas deprehendit, qui ultra flumen repellebantur. Eodem die Marazinus cum sua manu summa
24. Jun. cum celeritate per Custrinum Landsbergam properaverat, viam in Pomeraniam Suecis ibi intercluſurus; ac statim oppido vim admovere, pontemq; destruere, quanquam inani eventu, conabatur. Se-
25. Jun. quenti luce cum tormenta oppido admotum iret Marazinus, Suecicæ legiones sub Haderslebio præmissæ improviso ingruentes istum inde depellunt, ac post complures cæsos triginta captivis potiuntur. Interea Banerius medio inter Drossenam &
26. Jun. Landsbergam spatio exacta nocte, postera die Landsbergam delatus Wartam superare constituerat; cum transitum intercluſum deprehendit. Nam universus hostium exercitus, qui sexaginta millia explere jactabatur, revera tamen triginta bellatorum millia excedens, properato per Custrinensem pontem itinere in adversa Wartæ ripa structa acie adstabat, tanta rei bene gerendæ fiducia, ut jam duces superioribus suis scriberent: Suecos intra calles teneri haut quidquam perrumpendos. Inter has angustias deprehenso Banerio temerarium videbatur recta in hostem ruere numero longe superiorem, & qui opportuna trans flumen loca insederat; cum præsertim Suecicæ turmæ, multis passim palantibus non parum imminutæ forent. Nec per Poloniam iter susciperе absque Regis & Reipublicæ consentu licebat; cum præsertim metus esset, ne à Polonis certior factus hostis utique ipsum præverteret. Igitur nihil aliud restabat, quam ut retro ad Oderam verteret. Id destinatum ne hostis impediret, à Banerio spargitur, se utique per Poloniam iturum; ac palam ductores monentur, ut citra noxam ibi transeant, præsentique pecunia annonam emant: uxor quoque ipsius cum agmine muliebri eam viam velut prægressura inire jubetur. Et ut eo expeditius iter foret, viliora impedimentorum corrumpuntur; quatuor majoribus machinis, quibus avehendis equi deficiebant, tamdiu in hostem fulminatur, quoad dissilirent. Inde post- 30. Jun. quam Landsbergæ præsidium trecentis peditibus firmasset, repente Oderam versus iter intendit; cum hostis dicto rumore deceptus ad iter ipsius per Poloniam impediendum adverso Warta processisset. Ita spatium dabatur Banerio omnes copias, tormentaque, & adparatum bellicum cum reliquis impedimentis Gœricii, uno supra Custrinum milliari, trans Oderam altera vice vado du- Banerius incolumis in Pomeraniam evadit. cendi. Quo die unum ultra Brietzam milliare proceditur. Postera luce Freienvvaldam pervenitur, exercitu præter omnium opinionem in tuta 2. Jul. deducto, cum non amplius impediri posset, quo 3. Jul. minus Banerius cum copiis, quæ apud Suetam metabantur, se conjungeret.

§. 11. In Pomerania circa initium anni Brande- Acta per Pomeraniam. burgicus misso Adamo Winterfeldio super in- Brandeburgici inducias quærunt. 18. Jan. ducias in aliquot menses proponebat obtentu sumto, quod sibi & Moguntino à Collegiis injunctum foret, paci Cæsarem inter & Sueciæ Reginam conciliandæ operam navare; cui negotio maxime conveniat, ut ipsi consiliarisque securis degere concedatur. Earum istæ leges ferebantur, ut Sueci tota Marchia decederent, eamque tantisper omnibus belli oneribus immunem paterentur, nec è Pomerania aut Meclenburgica Banerio auxilia submitterentur. Addebatur de sincero Principis sui in pacem studio, & ut à Daniæ Regis mediatione sibi Sueci caverent. Enimvero cum non obscurum esset, quid ejusmodi induciis quæreretur, responsum differebatur, velut re prius cum Banerio, & Rectoribus Sueciæ communicanda: qui istas non nisi illudendis Suecis peti, & moderationem incassum apud istos consumi judicabant. Cæterum pleraſque tunc copias Hermannus Wrangelius per Novam Marchiam hibernatum dispoſuerat ad levandam Pomeraniam, & ut hosti ejus regionis fructum interciperet. Et Sueci cum hostes illis ex oris in Lusatiam adversus Ba- Landsbergam occupant. nerum digressi essent, Wrangelius ea occasione utendum ratus Vitztumio injungit; Landsbergam, Driesenamque tentaret, ac pontem Custrinensem destrueret, intercludendo hostis in Pomeraniam ulteriorem accessu. Et Landsbergam quidem permissu Electoris præsidiarii ultro deseruerant eo ipso tempore, quo Vitztumius eodem tendebat, machinis, & bellico adparatu corruptis: ruinæ tamen munimentorum à Suecis facile reparabantur. Driesenæ natura Driesenam fruſtra tentant. & operibus munitæ spem faciebat præsidium pro captu loci modicum, inanis penus, & quod constrictæ glacie paludes facilem accessum darent. Et bis jam oppidulum, arcemque occupaverant Sueci, propinqua ipse adsitum in insula munimentum capiendi; bis Vitztumius ab isto opere eos revocaverat. Tertia vice Dromondus summus excubiarum præfectus eo mittitur difertis cum mandatis, ut vi aut mora munimentum expugnaret. Interdicitur quoque Vitztumio, ne eundem inde avocet, nisi ubi hostem numero superiorem ad solvendum obsidium ingruere constaret. Igitur Dromondus accessus jam ad mu- 12. Febr. nimenti fossam promoverat, & præsidiarii inducias futuræ deditionis prænuncias petebant, cum Vitztumius obsidium solvere jubet obtentu sumto, quod quædam hostium legiones trans Oderam adparerent. Et quanquam Dromondus jussis parere detrectaret tam propinqua capiendi munimenti spe, ac expectari peteret, quoad certius de hostis adventu constaret, propositis avertendæ subitæ oppressioni remediis; tamen repetitis secunda &

tertia

1637. tertia vice mandatis demum invitus licet paret; non minus Wrangelio indignante, præmature & per intempestivam solicitudinem opus ita propinquo fine abruptum. Incassum quoque cadebat, qui circa incendendum ad Custrinum pontem conatus sumebatur.

Status Suecicarum ibi copiarum.

§. 12. Alias copiæ tunc Wrangelio erant satis tenues, ut vix peditum bis mille trecenti, equitum quindecim centuriæ in expeditionem educi possent. Quanquam si pecunia ad manum fuisset, occasio dabatur equitatum insigni accessione augendi. Nam triginta duæ Polonorum turmæ ob stipendia à Cæsare non soluta obsequio exuto exercitum deseruerant, & in Moravia licentius egerant. Quos cæde aliquot centuriarum castigatos, post modica argenti summa utcunque delinitos Mansfeldius exautoraverat. Isti vindictam spirantes Suecorum militiam ambibant. Sed cum præter stipendia statis diebus solvenda gratuita quoque hospitia, & millionem quandocunque liberet stipulari vellent, circiter quingentos duntaxat eorum Wrangelius conducebat, cum ab universa istorum turba idem incommodum, quod Cæsar senserat, metuendum foret. Ea porro copiarum tenuitas, & quia mors Pomeraniæ Ducis sub idem tempus incidebat, in causa erat, ut nec Banerio ad Torgam auxilium submitti, nec longius à Pomerania discedi posset; cum potius haberetur inter Brandeburgici machinationes, & nutantes provincialium animos res Pomeraniæ firmasse. Interim jam antea tenues

Suecorum per Marchiam accepta damna.

Suecorum copiæ hinc inde per Marchiam subitis hostium incursionibus carpebantur. Cappunii tribuni turmas Bervvaldæ hospitantes Custrino erumpens manus improviso opprimebat, cæsis sexaginta, ac Seidlicio excubiarum præfecto cum quibusdam aliis capto. Quod damnum isti tamen, incenso post Custrini suburbio utcunque ultum ibant. Stuarti quoque subtribuni quatuor turmæ Neustadii ad Fuhram agentes ab hoste cædebantur, paucis elapsis. Paulo post nongenti equites cum dragonum centuria duce Rochovio subtribuno quatuor Suecorum equitum turmas Gœricii & Sonnenbergæ hospitantes oppressum veniebant. Ast Haraldus Stackius subtribunus, qui Suecis præerat, signis atque impedimentis Landsbergam præmissis, cum tantum hostium numerum qui jactabatur non putaret, manum prius conserere cupiebat. Fit igitur pro modo copiarum asperrimus conflictus, quo ducenti amplius hostium occiduntur, aut sauciantur, ipseque Rochovius capitur. Suecorum circiter centum cadunt, & Stackius saucius in hostium manus pervenit, reliqui Landsbergam se recipiunt. Paulo post Karbergii tribuni sex equitum turmæ recens conscriptæ Fridbergæ cæduntur, vix triginta elapsis, ipseque tribunus captivus abducitur. Idem fatum Montromi dimacharum cohors Dramburgi subibat, è qua vix viginti supererant. Crebra isthæc damna cæteris tantam trepidationem incusserant, ut ad primum de motu hostium rumorem in tutiora se subducerent. Unde & Vitztumius, cum de quatuordecim Cæsareorum centuriis, quæ Polonis apud Custrinum hærentibus insidias tenderent, nuntiatum esset, statim cum universis se copiis Stargardiam recipiebat. Eo tamen rumore evanescente Kœnigsbergam iterum revertit. Inde apud Suetam castra metari jussus, cum annonæ ac pabuli nulla ibi copia foret, in Ucker-Marchiam progredi instituit. Sed cum Odera vix superato Petrus Gœtzius cum bis mille equitibus, quingentis dimachis Angermundam pervenisse nuntiaretur, iste Stetinum propere facessit cum copiis ad modicum numerum redactis, ac male habitis, & quibus totam per hiemem nulla facultas se supplendi, aut reficiendi fuerat.

4. Febr.

17. Mart.

April.

20. April.

1637.

Brandeburgicus edicta avocatoria promulgat.

§. 13. Sed & alia ratione Suecorum copias carpere conabatur Brandeburgicus, edictis per Marchiam & Borussiam publicatis, queis earum provinciarum indigenæ ipsis cum Pomeranis Suecorum militia avocabantur, pœna mortis aut confiscationis bonorum denuntiata. Quæ pœna cum in nonnullis statuta foret, Sueci per literas Brandeburgico significant, in Electoris vasallos ac ministros, si deprehendantur, talionem exercendam. Stetino copias Loeckenitzam iterum deducebat Wrangelius, unde duces hostium Prenzloviæ hospitantes opprimere constituerat. Sed isti ea nocte, qua consilium exsequendum fuerat, se subduxerant, in Marchiam Mediam transgressi metu catervæ à Banerio Havelam versus tunc missæ; & quia hic per literas Marchioni Sigismundo significaverat; Berolini novis hospitibus excipiendis omnia pararet. Unde isti urbi tuendæ Cæsarei recedebant; quorum vestigiis immissus Wrangelio Dromondus paucis duntaxat moratoribus cæsis, re infecta revertit. Ast trans Oderam Vorhauerus subtribunus Brandeburgicus, turmam Polonorum, quæ Dramburgi hospitia capessebat, repente invadit; sed quæ acri conflictu istum repellebat, amissis aut sauciis suorum viginti. Idem Vorhauerus mox Satzigiam arcem ab ipsis Pomeranis custoditam levi negotio in potestatem redigit. Inde Stargardiam progressus Pomeranis nobilibus tributa imperat, & ad homagium Brandeburgico præstandum eosdem evocat, quorum tamen nemo inanibus jussis parebat. Ea causa Wrangelium movebat, ut Stetinum reversus Vitztumium cum equitibus dimachisque, & quadringentis selectis peditibus trans Oderam mitteret, opprimendo Vorhauero, & Satzigiæ recuperandæ, antequam Brandeburgici pedem ibi figerent. Sed iste mature se Stargardia subduxerat. Satzigia post triduanum obsidium deficiente intus pulvere pyrio recepta; unde Cæsarei, qui insederant, dimachæ dimissi; Brandeburgici arbitrio se Suecorum dedere cogebantur. Viginti quatuor Sueci, & inter eos, Kulemannus subtribunus, ibi desiderati. Mox à Brandeburgicis vetus arx Odeberga in Oderæ insula sita occupatur, & tumultuario excitatis munitionibus firmatur. Ad eos inde pellendos Dromondus missus, dum tardius molitur, reparatis jam intus operibus repellitur, non paucis suorum amissis. Sed quo minus in Nova Marchia Sueci stativa caperent tegendæ à Brandeburgicorum incursionibus Pomeraniæ, annonæ, pabulique defectus obstabat. Unde spreta quæ Satzigiæ relicta erat, equitum manu, Vorhauerus Driesenæ præfectus, excurrendi solers, passim vagabundus impune populabatur. Interim Wrangelius Stetino Loeckenitzam, inde Prenzloviam progressus, stativa ibi posuerat. Sed cum de Marazini adventu ac munimento ad Witebergam amisso nuntiaretur, & quod Hatzfeldius Albim transisset, Gartzio & castello ad Suetam firmato Pasevvalcum retrocedit, ut urgente hoste Stetinum se, aut ad Penam fluvium recipere posset, quoad auxilia è Suecia adpellerent. Inter ista Alexander Greiffenclovius Cæsareus in Polonia Residens literis Warsovia scriptis denuo ad expellendum Suecorum præsidium Stralsundenses solicitaverat. Sed isti statim Halleno Residente Suecico in curiam evocato literarum exemplum tradunt testati, cum Greiffenclovio nihil sibi commercii intercedere. Nec vim aliquam in animis oppidanorum eæ literæ habuisse deprehensæ sunt. Eodem tempore Crocovius tribunus convasatis quas corraserat pecuniis haut petita missione in

Alia per Pomeraniam acta. 10. April. 2. Maji.

7. Maji.

11. Maji.

Stralsundenses denuo à Cæsare tentantur. 7. April.

1637. Poloniam abit, literas fingens, queis à Poloniæ Rege evocaretur; cum tamen in Pomerania natus esset, ac non nisi exiguum in Polonia prædium possideret. Et quanquam apud Bielkium Legatum testaretur, se Suecorum sacramento hautquaquam renuntiare; nunquam tamen post ad hos revertit.

Banerius in Pomeraniam adpellit.

§. 14. Ast Banerius Torga discessurus Wrangelio de adventu suo mature significaverat. Unde hic ut isti occurreret, Pasevvalca relicta Suetam se contulerat, pro re nata cis aut trans Oderam eundem excepturus. Vix Suetæ isti copias conjunxerant, cum hostis Odera transmisso tota vi incumbit; cui cum junctis licet copiis pares non essent; Gartzium primo, inde Stetinum se recipiunt. Ad hoc oppidum, Banerius castra à Gustavo Rege quondam munita reparatis operibus insidet, pleroque equitatu trans Oderam in Ulteriorem Pomeraniam misso, ut ex itinere se paulisper reficeret. Wrangelius ad tuendam citeriorem Pomeraniam Anclamum se confert, secundum Penam dispositis copiis. Cæterum maligna tunc exercitus Baneriani erat conditio. Pedes gregarius fame, labore, ac lassitudine, confectus. Ductores sarcinas suas ultro deseruerant equis ad trahenda tormenta commodatis; quorum jacturæ pensandæ nil argenti suppetebat. Multi equitum equos amiserant; & quæ assignata erant hospitia tantam multitudinem parum sublevabant, quorum & fruitio haut diuturna sperabatur, hostibus tanta vi incumbentibus. Peditum tamen plerique, qui per lassitudinem agmen deseruerant, in castra ad Stetinum paulatim veniebant, ut parum exercitui hoc receptu decessisse sentiretur. Tum equites plerique è provincia novis equis instruebantur. Quanquam autem exercitus insigniter levandus videbatur infrequentibus legionibus combinatis, & castigata ductorum multitudine; Banerio tamen ad id remedii nondum descendere placebat, ne ductores irritaret, qui exautorati ubi ad hostes transissent, fere gregarios secum trahebant; ac spes erat hoste repulso brevi hospitia iterum dilatatum iri. Quin sua mole exercitus Cæsareus in regione inopi ruiturus sperabatur; quam vel inde judicare licet, quod viginti sex superiorum graduum duces illi interessent, viginti sex millia trecenta vehicula impedimentorum sequerentur. Ab isto Landsberga primum facili negotio ad deditionem compellitur ea lege, ut dimissis ductoribus gregarii sacramento Cæsaris accederent. Inde Clitzingius cum Brandeburgicis fere copiis à reliquo exercitu digreditur, Suecorum præsidia ad Havelam & Albim ejecturus. Nam Brandeburgicus Elector pecuniam suppeditantibus Hispanis, & Schvvartzenbergio Comite, militi conscribendo diligenter hactenus incubuerat interceptis non paucis, qui nupero Banerii itinere agmen deseruerant; quorum tamen plerique post ad vetera signa refugiebant. E Borussia quoque non paucæ catervæ adducebantur; è quibus Slangius tribunus Dargicii legionem apud Schifelbeinam, quingentis capitibus constantem, delebat; ut ipse tribunus ægre evaderet. Reliquus hostium exercitus, superato iterum ad Custrinum ponte, Suetam descendebat, ubi pontem castellumque à Suecis leviter corruptum reparat, castris lorica circumdatis. Contra Banerius Torstensonium cum valida equitum peditumque manu per alteram Oderæ ripam eodem mittit; qui licet castello ad Suetam jam à Cæsareis occupato veniret, confidebat tamen castris ad Melissam flumen positis se impediturum, ne Cæsarei in Novam Marchiam & Pomeraniam irrumpere possent. Sed quia hostis ad Oderbergam ponte structo Oderam trantierat, Banerius ipsum, ne circumveniretur, Griefenhagam recedere jubet. Ita hostis Oderbergæ & Suetæ pontibus structis castra munit, ex utraque fluminis ripa pro re nata Suecis incubiturus. Banerius contra ejusdem progressibus sistendis Griefenhagam & Gartzium valido præsidio firmat. Quibus locis exutus ad Dammum castra ponere decreverat, hostium terga, si in ulteriorem Pomeraniam penetrarent, infestaturus; quo fine & Stargardiam numeroso milite firmat. Ast Cæsarei cum Gartzii, mox Lœckenitzæ obsidium suscepturi viderentur, utroque omisso Sueta moventes Prenzloviam, inde in Citeriorem Pomeraniam tendunt, fame, morbisque urgentibus, & quia ignavum videbatur tempus nihil agendo terere, an quod ad Griefenhagam & Gartzium parum se effecturos putarent? Inde valida manus Uckermundam mittitur, quam Dromondus subtribunus, cum per triduum strenue restitisset, ea lege cogebatur dedere, ut ipse cæterique ductores ad suos dimitterentur, gregariis sub Cæsaris signa redactis. Major exercitus pars Anclamum vertebat. Hostis profectione cognita Banerius statim Zabelticium supremum excubiarum prætectum cum tribus peditum phalangibus navigiis Anclamum mittit; ipse mox eodem insecutus, relicto Stetini apud exercitum Torstensonio cum mandatis, ut si hostis Citeriorem Pomeraniam urgere pergeret, ipse trans Oderam per Wollinum insulam cum omnibus copiis eodem sequeretur, castris tamen ad Stetinum & Dammum idonea manu firmatis, quorum cura Pfulio commissa. Inter hæc Poloni cumprimis, qui nuper à Cæsareis ad Suecos transierant, strenue rem gerebant, & commoditate transitus ad Lœckenitzam usi quotidianis excursibus hostem carpebant cæsis quamplurimis, & nongentis amplius captis; cum non nisi unus ipsorum in hostium manus incideret, qui ab hisce crudeliter plumbo liquefacto in fauces infuso necatus sociis eo majores ad tæviendum stimulos addiderat.

Exercitus Suecici dura conditio.

Hostium progressus. 3. Jul.

1637.

13. Aug. Hostis in citeriorem Pomeraniam tendit.

21. Aug.

19. Aug.

21. Aug.

§. 15. Banerio ad Stetinum subsistente, Hermannus VVrangelius citerioris Pomeraniæ curam susceperat, arrepta Anclami statione; cujus filius Carolus Gustavus octingentis equitibus stipatus septingentos hostium dragones, trecentos equites Novi Brandeburgici oppresserat, & plerisque cæsis tres subtribunos, plerosque ductores, cum trecentis gregariis omnibusque impedimentis abduxerat. Paulo post Thuro Oxenstierna tribunus Stargardiæ in Meclenburgica quingentos hostium cæciderat, totidem ceperat. Cujus optio mox Penslini centum quinquaginta trucidabat, triginta captis. Sed & Haraldus Stackius cum centum equitum caterva Treptoviæ centenos hostium sternebat, quinquaginta abductis. Contra Mullerus turmæ præfectus cum viginti quatuor equitibus, duodecim dimachis apud Fridlandam in hostium manus incidebat. Thuro quoque Oxenstierna, cum accedente ad Anclamum hoste velitatus corruente equo, à suis destitutus capitur. Hostis porro post occupatum ad Anclamum aggerem agrestem, tribus castris cum parte exercitus ibi considet. Hoc in oppido validum præsidium reliquerat VVrangelius, ipse cum reliquis copiis transitus Penæ aliosque provinciæ aditus custodiebat, quoad Banerii exercitus adventaret. Inde ab hoste apud Stolpam irruptio in Citeriorem Pomeraniam tentabatur, ubi jam trecenti cymbis trans flumen immissi exiguum castellum in citeriore ripa situm occupaverant. Sed ex his plerique à Steenbockio tribuno cæsi aut in aquas compulsi, triginta capti, pauci, qui raptim in cymbas se conjecerant, evaserunt. Post biduum denuo trecenti cymbis ac pontonibus transmit-

Suecі hostem capunt. 21. Jul.

19. Aug. Hostis ad Anclamum confidet.

25. Aug.

1637. transmittuntur, idemque caſtellum expugnant; mox tamen iterum ejiciuntur, non paucis utrinque cadentibus. Enimvero cum Anclamum fruſtra tentari judicaret hoſtis, incenſis caſtris recedit, alium uti videbatur acceſſum in Pomeraniam quæſiturus. Igitur Banerius inter Penam flumen & Triebſeſam conſidet, Wrangelius Loitium ſe confert, pro re nata ſibi auxilia invicem laturi. Hoſtis contra ad veterem arcem Demminum caſtra figit, ibique in aggere Penam inter & Tollenſe flumen munimentum excitare incipit. Id non ferens Torſtenſonius, qui Banerio Uſedomum profecto exercitui interim præerat, militem partim terra partim navigiis in iſtum aggerem immittit; dum Wrangelius interim apud Broocam & Oſtam excitato tumultu hoſtem diſtinet. E quingentis, qui ibi deprehendebantur, plerique interfecti, reliqui capti, quos inter Felix Zuniga Guſmannus tribunus, cum ſubtribuno & duobus centurionibus. E Suecis præter unum centurionem nemo alicujus notæ deſideratus. Eodem tempore excubitorum caterva proximo vico profligatur. Hoc damno accepto hoſtis Malchinum verſus recedit. Abeuntis veſtigia explorandi cauſa legens Eppius inter Haſſiacos ſubtribunus dimidio à Demmino milliari ducentos equites opprimit, & cum lacus fugæ obſiſteret, pleroſque concidit, ſubtribuno, excubiarum & turmæ præfecto captis; ex quibus intelligebatur, hoſtem longius progredi. Mox per exploratores intercepti uno ore ferebant, Wiſmariam peti vi, aut proditione tentandam. Quod eo magis fidem inveniebat, quia iſta in urbe deprehenſus fuerat, qui de plebe quoſdam pecunia corrumpere voluerat, ut facillimum ſibi ad oppidum acceſſum oſtenderent; omnibus vilem proditionis mercedem adſpernantibus. Igitur Banerius ſtatim phalangem peditum Stralſundam mittit, ibique naves conſcendere jubet; ipſe eodem, ſi revera eam urbem peti conſtet, ſe collaturus. Interim Wrangelius filium Carolum Guſtavum cum mille equitibus, quingentis peditibus mittit, qui hoſtem aditibus Pomeraniæ expelleret. A quo Oſta, Clempenoa, Fridlanda cum adſito caſtello ad Cabelam, demum & Brooca recipitur, eadem lege, quam Suecis Uckermundæ Cæſarei dixerant, ut ductoribus dimiſſis gregarii legionibus Suecorum admiſcerentur, quorum ſupra trecentos iſtis locis deprehenſi.

28. Aug. 1. Sept. 11. Sept. 14. Sept. 17. Sept.

Hoſtis Anclamo diſcedit.

§. 16. Interim per Ulteriorem Pomeraniam nonnihil turbarum dabant triginta ſex Hungarorum turmæ; qui poſt ſororem Cæſaris Uladislai Regis ſponſam ad Poloniæ fines deductam perſuaderi ſibi paſſi fuerant, ut his quoq; in oris Cæſari operam navarent. Hi per Landsbergam in Novam Marchiam & Pomeraniam inter Piriciam & Schonflieſam tendebant. In hos catervam ducentorum equitum, quinquaginta dimacharum Pfulius emittebat, quæ altero ultra Piriciam milliari extremum iſtorum agmen vico quodam hoſpitans, in fugam propellit, viginti captis. Eo tumultu excitati univerſi coëunt; quorum multitudini cum impares ſe Suecі cernerent, per integrum milliare inter continuas velitationes ad vicum uſque recedunt, ubi fixo pede tamdiu ſuſtenturos ſe hoſtem ſperabant, quoad per tenebras rurus receptus daretur. Enimvero Hungari undique incumbentes Suecicos fundunt, diſſipantque; quorum plerisque tamen vicinæ ſylvæ paludeſque effugium dabant, niſi quod deſultorum magna pars minus velocibus equis inſtructa, antequam ſylvam aſſequi poſſet, concideretur. Eam jacturam ulturi Poloni, denuo ſibi eos invadendi veniam depoſcunt; quibus & initio fortuna ſatis arridebat. Sed cum juſto longius ſub ipſam Piriciam ſucceſſiſſent, tota Hungarorum caterva in campum provolans ad manus conſerendas Polonos cogit, qui numero oppreſſi fugæ ſe dant. Hungari Dammum uſque inſtabant nonnullis Polonorum interceptis, queis minus pernices equi fuerant. Porro cum iſtos Hungaros iteratis juſſis in Cæſareorum caſtra evocari cognoviſſet Pfulius, eos in itinere invaſurus, Sueram verſus cum equitatu procedit. Ubi forte fortuna in quinque Croatarum turmas incidebat; quos citato curſo ad vicinum oppidum ruentes ipſe inſecutus non paucos cædit, capitque; quos inter duo turmarum præfecti cum optione & ſignifero; ſimul omnia iſtorum impedimenta prædæ cedunt. Hungarorum tamen nemo deprehenſus; qui inſuper habitis Gallaſii mandatis, quod belli Germanici genius ipſis ad palatum haut foret, ſuperato Warta per Sileſiam in patriam revertunt. Præter iſthæc pauca ibi memoratu digna agebantur, niſi quod Vorhauerus late Pomeraniam deprædaretur, Pfulio haut prohibere valente, quod Hungari obſervandi eſſent, & eques, cui pabulum longe petendum, excurſionibus fere ineptus foret. Poſt Pfulio in citeriorem Pomeraniam evocato iſte impunius graſſabatur, ipſam quoque Stargardiam tentare auſus; ubi tamen non ſine clade repulſus eſt. Sed & antea Dromondus per emiſſos Gartzio trecentos pedites Vierradam arcem expugnaverat, præſidiariis partim cæſis, partim captis; quos inter & centurio Suecus Ericus Suenonis repertus, qui antehac tradito per flagitium Gartzio apud hoſtem remanſerat, & nunc meritas pœnas capite luebat. Viciſſim Bohmius tribunus, dum Gartzio cum paucis venatum exſpatiatur, à Brandeburgicis interceptus abducitur.

1637. 7. Sept. 13. Octob. 8. Sept. 11. Sept.

§. 17. Poſtquam hoſtis à citerioris Pomeraniæ finibus in Meclenburgicam receſſiſſet, Torſtenſonius, qui abſente Banerio exercitui præerat, ſuperato Pena Gnoium uſque & Dargunum inſequitur. Inde valida cum manu hoſpitia ipſius tentare conſtituerat; ſed occurrentibus decem hoſtium legionibus conſilio propalato, re infecta redit. Aſt hoſtis aliquot per dies circa Goldbergam Sternbergamque metatus, poſtquam evocatis Saxonicis & Brandeburgicis ſub Damiano Vitztumio, & Clitzingio copiis ſe firmaſſet, iterum de invadenda Pomerania agitat. Quod ipſum Banerius præſentiens copias Wiſmariam deſtinatas ad exercitum revocaverat. Eo hoſtis conſilio intellecto Torſtenſonius exercitum intra Triebſeſam reducit, indeque Damgartum progreditur; quo etiam Banerius Wrangeliusque, qui hactenus ex morbo decubuerant, accedunt. Heic conſultatione habita tam miſera exercitus facies adparebat, qualem duces iſti vidiſſe non meminerant. Gregarios veſtimenta, inferiores duces nummi deficiebant. Adparatus bellici & annonæ ſumma penuria; provincia itineribus copiarum exhauſta. Nec eo ſecius ad Ribbenitzam ſubſiſtere, & locum prælio committendo capeſſere decernunt, invitante ſitus opportunitate, militumque alacritate, qui exinde præſenti paupertati levamentum ſperabant. Et hoſtis ob dejectos pontes tardius movens, caſtris muniendis ſpatium præbuerat. Sed idem ad dimidium à Suecorum caſtris milliare progreſſus, cum per quatriduum otioſus ſubſtitiſſet, exuto quem jactaverat præliandi ardore, aut aliis occaſionibus imminens, retro ad Varnum flumen abit, caſtrisque ad Schwanam poſitis hoſpitia ſuis circa Roſtochium aſſignat, velut diu ibi hæſurus; cum præſertim, quæ regio iſta non ſuppeditaret, mari per Roſtochium commode ſubvehi poſſent. Hac rerum facie ratio quidem ſuadebat Suecis in arrepta ad Ribbenitzam ſtatione ſubſiſtere, ut ſi quid denuo tentaret hoſtis, toris

Hoſtis denuo in citeriorem Pomeraniam movet.

Suecі ad Ribbenitzam ſubſiſtunt.

Hoſtis retrocedit.

1637. viribus reſiſti poſſet. Enimvero cum exhauſto vicino tractu non adpareret, unde exercitus ſuſtentaretur, Banerius proponebat, ſe capto inter Penam & Tollenſe flumen itinere Oderam verſus abiturum, quo hiſce oris hoſtem abſtraheret. Ea re in
Banerius in ulteriorem Pomeraniam abit.
consilio probata ipſe relictis apud Wrangelium quinque infrequentibus peditum legionibus per Damgartum Loitium, ibique ſuperato Pena Iſfam progreditur, qua incedebat pabuli ne hilum,
10. Octob.
14. Octob. ſed fœdam paſſim hominum inſepultorum, pecudumque ſtragem inveniens. Statuerat autem poſt captam Suetam valido caſtello excitato pontem ad Cuſtrinum claudere, & Landsberga recuperata novos Brandeburgici delectus turbare; tum copias ſuas per Novam Marchiam & Pomeraniam reficere, ipſamque Sileſiam irruptionis metu terrere. ea ratione ſperabat ſe hoſtem ora maritima abſtractum in ſe averſurum, & opportunitate tranſitus apud Gartzium Stetinumque pro re nata ludificaturum.
11. Octob. Eo Banerii motu cognito hoſtis repente
Eum hoſtis inſequitur.
Schvvana Teſſinum & Sultam regreditur, unde equitatum iſtius veſtigiis ita celeriter immittit, ut idem jam de itinere Anclamum reflectendo cogitaret. Sed quia biduo fuiſſet opus antequam peditatus & tormenta trans flumen eniterentur; itinere
18. Octob. accelerato Suetam pergit; cujus adventu hoſtis ſtatim oppidulum, inde & arcem deſerit, ac in
19. Octob. munimenta trans Oderam ſe recipit. Ea ſequenti die vi expugnantur, quadraginta duntaxat Suecorum ſauciatis, cum hoſtium non modicus numerus cæſus captuſque foret, quatuor inſuper machinis partis. Reſtabat munimentum in inſula ſitum, lato utrinque amne circumfluum, in quod multi hoſtium refugerant. Sed cum id oppugnare arduum, nec operæ pretium videretur, nulla circum annonæ aut pabuli facultate, Banerius duabus phalangibus ad iſtud obſidendum relictis, & deſtructo ponte Gartzium abit, ibique pedira-
21. Octob. tum, Stetini equitatum in ulteriorem Pomeraniam tranſmittit. Aſt Gallaſius nulla amplius Banerium aſſequendi ſpe circa Dargumum & Malchinum inter Penam & Reckenitzam flumina conſidet; ibique complures pontes, combinatis inanibus doliis, conſarcinari jubet, invadendo uti
25. Octob. ſpargebatur Anclamo. Contra Wrangelius Loitium progreſſus Anclamum, omneſque Penæ tranſitus copiis firmat. Unde hoſtis iterum retrocedens, ſuperato apud Malchinum flumine trifariam copias dividit. Primum agmen Prentzloviam verſus tendebat; peditatus Galenbecam & Lammendorſum, ultimum agmen Treptoviam flecte-
22. Octob. bat. Heic Wrangelius contractas raptim copias ad Loitium trans flumen ducit; inde Vitztumium in ſex hoſtium legiones inter Treptoviam & Clempenoam duobus vicis tendentes, ire jubet, hoc agendi præſcripto modo, ut Haraldum Stackium per Broocam uni vico immitteret, alterum ipſe per Clempenoam invaderet. Sed iſte juſſis inſuper habitis uno agmine Clempenoam progreſſus, inde noctu Stackium cum trecentis equitibus præmittit; cui initia bene ſe dabant, oppreſſis excubitoribus; & jam ſub ipſum vicum proceſſerat, cum uno tantum tubicine claſſicum canente Vitztumius territus re infecta regreditur. Interea Gallaſius cum exercitu Novum Brandeburgum & Prentzloviam proceſſerat, relicto ad tuendum tergum ægrotoſque Bredavio; quem haut eo ſecius Suecici carpebant, multiſque captivis potiebantur. Ita Wrangelius, cum periculum hiſce oris depulſum, ac hoſtem plane in Banerium ire cre-
24. Octob. deret, Grieſsvvaldam digreditur, cum Leslæo, qui recens è Suecia advenerat, collocuturus, cura copiarum in Vitztumium tantiſper collata. Hinc citerioris Pomeraniæ oppida pedite firmare, equitatumque per Uſedomum Banerio auxilio mittere decreverat; quod inter ipſos conventum fuerat, ſi quidem hoſtis tota vi in eundem iret. 1637.

§. 18. Inter hæc Kuſſovius quidam nobilis Pomeranus Gallaſium adierat, aditum ſe ipſi in Pomeraniam oſtenſurum pollicitus; quem hic multa præmiorum ſpe oneratum ad Bredavium remittit, poſtremo cum agmine adhuc circa Treptoviam hærentem. Is propere Tripſetam regreſſus
Cæſarei in Pomeraniam irrumpunt.
23. Octob. noctu eam rem ex voto conficit, viam præeunte Kuſſovio, & alio Georgio Behrio quodam, qui ob equos à Suecis ſibi ereptos indignabatur. Eo fine duæ cymbæ Malchino curribus advehuntur, quibus poſt quadrantem milliaris ſupra Tripſetam funibus per paludes ad flumen pertractis centum pedites, fere omnes inferiorum ordinum ductores, transportantur. Ad caſtellum accedentes, antegreditur Scotus quidam ductor, qui vernaculo ſermone excubitores Anglos recens per Fleetvvodum tribunum conductos caſtelli præſidiarios familiariter alloquitur, ne fraudis quid ſubeſſe ſuſpicarentur, neve tumultum excitarent. Et negligenter ſane Angli iſti agebant, ne aſſeribus quidem, quibus pontis in vicem foſſa ſternebatur, per noctem amotis. Unde Cæſarei facile per eos aſſeres in caſtellum penetrant, & obvios quoſque trucidant, ipſo præfecto intra lectum deprehenſo. Mox novendecim equitum, tres dragonum legiones, quæ trans flumen paratæ conſtiterant, dato ſigno adproperant, & per demiſſum pontem penſilem ingruunt. Orta luce Tripſeſa oppidum, & quicquid intus militum erat, arbitrio hoſtium ſe dedit. Ita quinque cohortes è Fleetvvodi legione plane delentur. Iſthæc irruptio paulo poſt mediam noctem, per Anglicum militem, qui caſtello ſe propipuerat, in equitum ſtativis nuntiatur. Unde hi ſtatim excitati ante vicum conſiſtunt, quinquaginta ſuorum emiſſis ad rem explorandam. Conſultantibus præfectis demum placebat, ad pedites ac tormenta non procul inde diſpoſita recedendum; id quod etiam tumultu excitato à duce juſſi fuerant. Sed cum ad viam iſtam ingrediendam ſe convertiſſent, Vitztumius adeſt, ſimul emiſſa caterva nuntiat, hoſtem Grimmam verſus tendere videri. Eodem ergo ut ſe ſequerentur Vitztumius animadverſa ad latus hoſtium turma gradum figit, nec tamen turmas per campum explicat, ſed tantum decurionem cum paucis equitibus mittit percontatum, hoſtes an amici veniant. Hic propere regreſſus hoſtem magno agmine adeſſe confirmat. Unde Vitztumius priore via omiſſa repente peditum ſtativa petere conſtituit. Id dum tardius & confuſis ordinibus fit, hoſtis citato gradu à latere ingruit, ac Suecos facili negotio profligat, ereptis quatuor ſignis è legione Oſtrogothica, & cæſis ſubtribunis legionis Finnicæ, & Uplandicæ cum nonnullis aliis præfectis. Fugientibus usque ad Guntersbergii & Kinnemundi legiones, quæ non procul inde in vico conſtiterant, incumbit. Harum ope, & quia non procul pedites cum tormentis aberant, Vitztumius cum reliquis exitio ſe eripit, dum Cæſarei iſtis conſpectis ab horum perſecutione deſiſtunt. Ubi rerum periti magnopere Vitztumium reprehendebant, quod non ſtatim è cæterorum præfectorum ſententia ad pedites ſe & machinas receperit, junctisque viribus in hoſtem ierit, cui parem ſe hautquidquam fore ſola cum equitum manu facile judicare poterat. Nec deerant, qui fœdiora ſuſpicarentur. Saltem non ſat conſtantiæ dubiis rebus iſti adfuiſſe patebat. Hac clade accepta, Vitztumius Grypsvvaldam ſe confert, ubi diſperſi equites iterum coibant, ad mille ducenta capita. Aſt Wrangelium, quo minus ſtatim hoſtem Pomerania ejicere conaretur, antequam à
Suecici equites profligantur.
26. Oct.
Galla-

Digitized by Google

1637. Gallaſio plures copiæ advenirent, paucitas militum prohibebat, animis inſuper nupera fuga debilitatis. Unde primo placebat raptim à Banerio auxilia arceſſere; cum pediti ſecundo flumine, equiti per Torgeloam facilis acceſſus foret. Sed quia ſerum id auxilium fore videbatur, Gallaſio jam toto cum exercitu Tripſeſam tendente, potius erat de primariis oppidis firmandis cogitare.
28. Octobr. Et cum intelligeret, Bredavium Bartam pervenisſe, metuens ne Stralſunda excluderetur, cum omnibus quas ſecum habebat copiis eo tendit, & in vico Ludershaga conſidet, ab oppidanis petens, ut ipſe cum cohorte ſua prætoria equeſtri & pedeſtri, quingentis præterea peditibus, & ala Suecorum equitum, tormentisque in urbem reciperetur. Aſt hi deliberatione in tertium diem extracta poſtulata abnuere; oppidum multitudine hominum refertum; parum frumenti, nec ſat molendinorum conficiendæ farinæ eſſe; tum Teutonicum militem turbulenter agere, & Guſtavi Regis fœdere talibus ſe oneribus exemtos. Interea adfertur Bredavium bis mille peditibus, & aliquot equitum legionibus firmatum poſtridie
31. Octobr. Franshagæ adfore. Igitur VVrangelius, Satlero tribuno ad Stralſundam cum parte copiarum relicto, propere Grypsvvaldam ſe confert, & plerosque equites in inſulam Uſedomum, peditum alios VVolgaſtum, alios Anclamum dimittit. Ipſe rebus Grypsvvaldæ diſpoſitis, cujus curam filio Carolo Guſtavo committebat, navi Stralſundam ſe confert; ubi poſt longam demum tergiverſationem Guſtavi Ottonis Stenbockii legio Suecica admittitur, excluſa Felſii legione Germanica, & Haraldi Stackii turmis, utut hiſce vehementer opus fuiſſet explorandi cauſa & arcendis hoſtium inſultibus, qui quotidie ſub ipſas portas excurrebant, cædibus ac rapinis ſævientes. Vitztumius conſumta autoritate in Sueciam abit, rationem geſtorum redditurus, ſimul impetrandæ miſſioni, quam haut ægre obtenturus erat. Is licet non extra culpam reperiretur, tamen annitente Oxenſtierna ſalva exiſtimatione dimittendus erat. Sed ipſe poſt annum clam ſe è Suecia ſubducebat, haut ægre ferentibus Rectoribus, ſe moleſto negotio liberatos, quod iſte partem culpæ in Hermannum VVrangelium derivare vellet.

Gallaſius in Pomeraniam irrumpit. §. 19. Ita Suecorum res poſt eluſam toto anno hoſtium vim repente ſummis difficultatibus immergitur, propinqua jam inſignis levamenti ſpe. Hoſtiles quippe copiæ fame, morbis, laboribus, deſertionibus, ferro attritæ non multo melius ſe habebant, quam ſi acie victæ forent. Unde fatiſcentes Gallaſius in Eichsfeldiam abducturus, & hinc inde per hiberna refecturus erat, cum fortu-
27. Octobr. na invitante retro Prentzlovia Novum Brandeburgicum, inde Tripſeſam properat, totam mox
Res Suecorum male ſe habent. Pomeraniam citeriorem inundans. Iſthac in provincia Suecorum res ſummo in periculo verſabantur. Nullibi penus inſtructus; ubique in diem vivebatur; munimenta oppidorum diuturna incuria fere procubuerant; nec ſat adparatus bellici ad obſidium tolerandum. Stralſundæ præcipue propugnacula collapſa, quam quindecim peditum centuriæ inſidebant, longo otio fere deſides, detritis veſtibus, nudipedes, nullo lignorum proviſio. Ad Rugiæ defenſionem non niſi duodecim equitum peditumque centuriæ ſupererant, quibus nullus tota inſula receptus erat, ſi conſtricto glacie freto, aut alia occaſione hoſtis eodem penetraſſet. Provinciales fere poſt adventum Succici exercitus alienati, Suecorumque pertæſi pacem anhelabant; nunc res adverſæ conſternationem addiderant. Proditorum omnia plena, nec quid ſuſcipi à Suecis poterat, quin id ſtatim hoſti enuntiaretur. Accedebat apud Stralſundenſes magna ſecuritas, & importuna fœderis exprobratio; per quod ægre precibus obtentum, ut copiæ catervatim per oppidum in Rugiam transmitterentur; & Stenbockii legioni antequam reciperetur, octo per dies in navigiis decumbendum erat; octodecim ægrotis interim frigore extinctis. 1637.

§. 20. Aſt Bredavius perruptis Pomeraniæ clauſtris mox Loitium centum peditibus inſeſſum poſt bidui oppugnationem deditione capit, obſeſſis Grypsvvaldam dimiſſis. Inde pars Demminum aggreditur, quam Burtius tribunus cum ſex cohortibus ſtrenue propugnabat. Equitatus Anclamum aditu Penæ excludere conabatur; ſed quem Succi eruptione facta inde repellebant, & mox intumeſcens fluvius trajectum prohiberi non amplius patiebatur. Et quia Leslæus paulo ante duas peditum phalanges à Banerii exercitu immiſerat, hoſtis omiſſa vi caſtella aliquot in aggere ultra oppidum excitat, ſimul valida equitum ſtatione omnes aditus obſidet. Inde VVolgaſtum accedit, à Banerii
3. Nov. legionibus inſeſſum; quæ ad mediam usque noctem acriter reſiſtebant. Sed quia invalida mœnia vim ſuſtinere neſciebant, paucis relictis ſauciis in arcem ſe recipiunt dejecto ponte, quo illa oppido jungitur. Ita arx numero gregariorum, quem ductores fere æquabant, obruitur, queis nulla annonæ & lignorum parſimonia, ac tot inter tribunos Haquino Skyttio præfecto modica autoritas. Et quanquam in receptu pars oppidi conflagraſſet; tamen reliquæ domus hoſti ad peragendum obſidium multum facilitatis adferebant.

Hoſtium per Pomeraniam progreſſus. 2. Nov. 8. Nov.

§. 21. Inde ut in Uſedomum inſulam trajicere poſſent Cæſarei, curribus cymbas eodem conve-
Cæſarei Uſedomum occupant. hunt; plures à piſcatoribus & ruſticis ſubmerſas aut occultatas horum fere indicio deprehendunt; utut omnia navigia in alteram ripam trajicere juſſi forent. Cuſtodia inſulæ tribuno Iſaaco Axelii Silberſparrio commiſſa erat; ſed qui procul à ripa in cœnobio Puddegla tendebat, non niſi vicenis aut tricenis equitibus miſſis, qui ripam obirent. Qua ſocordia animadverſa hoſtis ſtatim peditum manum trajicit, quibus cum nemo obſiſteret, reliqui eodem adproperant. Et quanquam tribuno Sueco ſtatim de irruptione hoſtium per emiſſarios equites nuntiaretur; tamen quoad hi ad ejusdem ſtationem, & ille ad ripam pervenire poſſent, hoſti ſpatium fuerat non pedites ſolum, ſed & equitum catervam trajiciendi, qui ephippiis tantum in cymbas impoſitis, equos juxta frænis natantes trahebant. Id quod tribunus metuens ad trajectus locum accedere inſuper habuit, ut de numero hoſtium, qui in inſulam transmiſiſſent, judicare poſſet; ſed de receptu magis quam pugna ſolicitus cum equitibus nupera clade adhuc conſternatis Suinam verſus accelerat tanta cum trepidatione, ut ne Finnis quidem de ſuo diſceſſu ſignificandum curaret. Hoſtis cum nongentos pedites, mille equites transmiſiſſet, ad cedentes Suecos ſtatim ſe vertit. Sed jam plerique horum cum tribuno trans Suinam in tutiora pervenerant, multis equis atque impedimentis hoſti in prædam relictis. In Finnos tamen, qui ſerius de adventu hoſtium intellexerant, ſtrages maxime incumbebat, in quorum alam aliquot catervæ hoſtium ſe concitant. Iſti ſemel atque iterum acriter rejecto hoſte tertio concurſu fuſi partim cæduntur, partim in aquas compelluntur, ut præter optionem & paucos gregarios nemo evaderet. Ita hoſtis inſula illa, qua tam facile arceri poterat, potitur, una cum magna vi frumenti, quod in uſum exercitus Banerius ibi colligi curaverat; intercepto ſimul inter hunc & VVrangelium itinere, & Anclamo VVolgaſtoque majori periculo expoſitis; nec minus inter-

1637. cluſa fere Stetina navigatione. Inprimis acerbum erat, Sueci ac Finni militis celebratam hactenus famam non parum detritam, ac hoſtium ludibrio expoſitam. Inde hoſtis caſtellum in adverſâ Wolgaſto ripa ſitum valido præſidio firmat, ne VVollinenſi ex inſula ſubſidium arci VVolgaſtenſi inferri poſſet; cujus oppugnandi curam Florentinus Dux ſuſcipit. Reliquum exercitum Gallaſius per totam provinciam, præcipue ſecundum Penam à Damgarda Anclamum & Wolgaſtum usque diſtribuit; qui non ſolum ſat alimentorum unde viveret, inveniebat, ſed & inſignem penum Loitii congerere incipiebat. Ita Suecicos duces ſpes ſua fallebat, qui hoſtem inopia annonæ non diu his in oris acturum crediderant, querelis provincialium decepti imperata per iſtos cibaria ægre expedientium. Nec iſti præter conventa provinciam onerare ſuſtinuerant; cum alias facile fuiſſet, exercitui Suecorum & præſidiis uberius proſpicere, & hoſtem fame expellere, ſi legum ac fœderum apices neceſſitati cedere juſſi forent.

Banerii conſilia.

§. 22. Aſt Banerius, cognita hoſtis in citeriorem Pomeraniam irruptione, duas peditum phalanges Leslæo ſtatim Anclamum deducendas tradit, oppido iſti firmando. Neque tamen Sileſiam verſus movere conſultum judicabat, etſi iſta efficaciſſima videretur ratio hoſtem è Pomerania repellendi; quod vereretur, ne fluminibus glacie conſtrictis hoſtis ipſum mari ac Pomerania plane ſecluderet. Igitur ſatius videbatur reficiendo exercitui operam dare, hoſpitiis per Novam Marchiam & Ulteriorem Pomeraniam aſſignatis, magnamque frumenti vim Stetinum convehendam curare. Interquæ Vorhauerus Drieſena cum ſexcentis equitibus progreſſus, per biduum in ſylva latitaverat, opprimendæ Erici Slangii legioni, quæ Lippanum inter & Piriciam tendebat. Sed inſidiis proditis Slangius ultro inveſtigatum latibulis proturbat, & Drieſenam usque præcipiti fuga agit, quinquaginta cæſis, non paucis captis. Contra Jaroſkius tribunus cum ſua legione & deſultorum manu Paſewalci tendens, cum ſecus atque à Banerio juſſus erat, negligentius exploratores dimiſiſſet, improviſo oppreſſus maximam ſuorum partem ab hoſte cæſam aut captam vidit. Cæſarei interim Banerii conatibus obſervandis Petrum Goetzium in Novam Marchiam miſerant, cui Clitzingius ſe cum Brandeburgicis & Saxonicis copiis junxerat; quæ cauſa erat, ut Banerius omiſſo Landsbergæ invadendæ conſilio pontem ad Gartzium reparari juberet, pedites Grifenhagæ & Dammæ, equites Satzigiam verſus diſponeret, ſubinde verſus Novum Brandeburgum excurſionibus hoſtem infeſtaturus; cum facile provideret, hac hieme ſedem belli intra Pomeraniam fore. Sed cum de Uſedomo occupato intelligeret, in ancipiti conſilia hærebant. Nam & providendum erat, ne Petrus Goetzius, & Clitzingius, qui validis cum copiis circa Cuſtrinum conſiſtebant, in Pomeraniam Ulteriorem irrumperent, & quæ ſola ipſi hoſpitia ſupererant vaſtarent. Et belli ratio poſtulabat Uſedomum recuperari, quo legiones ſuas Wolgaſtana arce eripere, eidemque commeatum inferre poſſet, quam alias multitudine militum oppletam fames hoſti traditura erat. Igitur utrinque proviſurus majorem equitatus partem circa Stargardium ad Ihnam flumen diſponit. Ipſe Wollinum ſe confert, peditatu & aliquot equitum legionibus paulatim ſubſequi juſſis. Suina flumine luſtrato deprehendit, peditem quidem paſſim in terram ad Uſedomum exponi poſſe, equitem autem non niſi uno loco, qua communis trajectus eſt. Sed hoſtis conſilio iſtius animadverſo excitis in inſulam pluribus copiis apud ipſum trajectum explicatis in aciem turmis, ac diſpoſitis machinis ſe oſtendebat. Quanquam autem Banerio facile foret in diverſâ parte peditem inſulæ immittere, & excitato raptim munimento ſtationem firmare: tamen cum nulla ratio foret equites trajiciendi, ſolos pedites periculo exponere haut conſultum rebatur, ruente præſertim in hiemem anno, ubi fluvio gelu conſtricto facile futurum erat, omnes in inſulam transgreſſos, tergo nudato circumvenire. Igitur nulla Uſedomi recuperandi facultate VVollinum ſtationibus equirum, peditumque cuſtoditur; peditatus inter VVollinum & Golnoam, equites longius Stargardiam & Zachanum verſus diſponuntur, ut ſi Clitzingius propius moveret, contractæ cito copiæ cum ipſo manus conſerere poſſent. Sed ſi tota mole hoſtis illa parte ingrueret, Stetinum in vetera caſtra concedere, conſilium erat, moraque iſtum atterere. VVolgaſto liberando nulla via adparebat citra periculum exercitus, cui tunc res Sueciæ in Germania unice innitebantur. Per Uſedomum eo penetrare non dabatur. Ut copiæ VVollini navigiis impoſitæ, & ad trajectum Anclamenſem expoſitæ, VVolgaſtum inde properarent, ita cito effici non poterat, quin hoſtis omnes vires venientibus opponeret. Et ubi interea flumen gelu conſtringeretur, intercluſâ navibus via, copiæ manifeſto periculo exponebantur. Quod ſi toto cum exercitu per Citeriorem Pomeraniam Stetino VVolgaſtum tenderetur, præter ancipitem prælii aleam excitata ab hoſte in aggeribus viarum ad Anclamum, & Demminum caſtella obſtabant. Loitii pons dejectus, & arx hoſtili præſidio inſeſſa; nec iſto tractu vel hilum cibi pabulive. Clitzingius quoque Banerio huc digreſſo citra dubium in Ulteriorem Pomeraniam irrupturus erat; & ſervata licet arce VVolgaſtana, hoſti navigationem fluminis impedire in proclivi erat.

Wolgaſtum vi expugnatur.

§. 23. Dum Banerius iſta agitat, Matthias Florentinus Dux VVolgaſtanam arcem acerrime machinis verberaverat. Inde ratibus ad utrumque latus valido aſſere firmatis, copias in inſulam, cui arx impoſita eſt, transmittit. Quo patrato obſeſſos ad deditionem invitat, Krichbaumio & Herberſteinio Baroni tribunis ortu Auſtriacis Cæſarea gratia oblata. Aſt illi, quo minus hanc amplecterentur, fidem Sueciæ datam excuſantes petunt tantiſper ab armis ceſſari, quoad duces ſuos ſuper deditione conſuluiſſent. Quam moram ad ſperatus Florentinus repetita verberatione aſſultum fieri jubet. A primo mane ad ſecundam poſt meridiem horam acerrime pugnatum, donec obſeſſi munitionibus exterioribus ejiciuntur. Huc redacti obſeſſi deditionem offerunt, nec Dux ab ea concedenda alienus erat. Sed miles cædis prædæque avidus vi perrumpens multos extra & intra arcem cædit, reliquis in captivitatem redactis; quos inter tribuni tres, ſubtribuni quatuor, excubiarum præfecti ſex, triginta duo centuriones, præter alios inferiorum ordinum ductores, ſimul quadringenti octoginta quinque gregarii. Accedebant quadraginta ſex vexilla, & tormenta octo, bellicique adparatus, & annonæ aliquid. Nonnulli paulo poſt ab hoſte fide data dimiſſi cladis hujus culpam in plerorumque ductorum ſegnitiem unice conferebant; qui Schlammersdorfium tribunum aliosque cum quinquaginta gregariis exteriora munimenta propugnantes, poſtquam numero obruti forent, auxilium inclamantes deſeruerant, porta inſuper occluſa; unde tribunus cum aliis cædi hoſtium exponebatur. Quin & Herberſteinius eo ipſo tempore inſciis aliis ductoribus centurionem occulta porta ad hoſtem miſerat, ipſe mox cum vexillis eodem inſecuturus. Quas inter

1. Dec.

turbas

1637. turbas reliqui cæſi, captive. Demminum inde deditionem fecit ea lege, ut præſidiarii ſalvis armis impedimentisque Stralſundam deducerentur, vexillis tamen relictis. Ita tunc citerior Pomerania, præter Stralſundam, Grypsvvaldam & Anclamum, in Cæſareorum manus incidebat. Rugiam inſulam mollior hiems tutam præſtabat.

Demminum hoſti deditur. 14. Dec.

§. 24. Aſt Gallaſius etſi diu his in oris moraturus videbatur, congeſta frumenti vi non modica, & comparatis urbium expugnandarum inſtrumentis, ſimul impedimentorum ſuperfluis coërcitis; tamen famem metuens exercitui tam numeroſo reficiendo circa finem anni alia hoſpitia quærere conſtituit. Igitur primum ſtatio ad Suinam, & Uſedomum inſula deſeritur; in quam ſtatim à Banerio immiſſus Arvidus Wittenbergius tribunus, apud Mellentinum quosdam adhuc hoſtium deprehenſos cædit, capto turmæ præfecto, aliisque nonnullis. Inde firmato præſidiis VVolgaſto, Loitio, Demmino, & Uckermunda, Anclami obſidium ſolvit, deſtructis quæ circum excitaverat operibus, totoque cum exercitu trans Penam & Reckenitzam concellit, uti ferebat per Meclenburgicam, agrumque Luneburgicum, & Brunſuicenſem, Holſatiæque partem hibernaturus. Ab eodem ſumma Pomeraniæ vaſtitas illata, circa Anclamum præcipue; & in Uſedomo inſula, poſt abſumtum frumentum ipſo ſtramine ignibus abſumto, ut quos eo miſerat equites Banerius nihil plane pabuli invenirent. Banerius interim quæ inſtaurandis rebus facerent diligenter providere, animos ſuorum ad conſtantiam erigere, collapſam diſciplinam ſancire, militem veſtimentis & equis inſtruere. Tum quicquid frumenti in agris erat, intra munita oppida convehere, ut hoſtes forte ingruentes fame conficere poſſet, ipſe interim quietus deſidens. Et quia in Sterino ſumma rerum vertebatur, omnes Marchia oriundi, qui Suecorum ſacramento non tenebantur, edicto urbe excedere jubentur, ne Suecorum deſtinata hoſti prodere, aut ad iſtam intercipiendam conſilia ſuggerere poſſent. Et hæc quidem iſto anno apud præcipuum Suecorum exercitum geſta ſunt.

Cæſarem exercitus Pomerania interum excedit.

16. Dec.

§. 25. In Saxonia Inferiore, Weſtphalia, Haſſiaq; primis hujus anni menſibus pauca memoratu digna occurrebant, quod tota belli colluvies Miſniæ infuſa foret. Semina tantum novi motus ſpargebantur per quendam Hermannum Boothium, qui cum centum viginti equitibus Gœtzii juſſu è præſidio Guelferbytano ipſi traditis, improviſo Boizeburgum venerat, variisque artibus militem colligere conabatur. Commodum tunc iſtis oris propinquabat Jacobus Kingius Torga à Banerio Viturgim verſus miſſus, qui per Magdeburgicum & Halberſtadienſem præſulatum Winſenam tendebat, aſſumptis quæ ſparſim agebant catervis per Luneburgicam in Weſtphaliam iturus. Is à Salvio monitus Boothium oppreſſum cum ſuis Winſenam captum abducebat. Conſilii tela ita diſpoſita ferebatur, ut ubi à Boothio Raceburgum & Travemunda in poteſtatem redacta foret, Lautersheimius, VVertanus, & Iſolanus accurrerent; ſimul adſciris Roſtochii, Suerini, & Butzoviæ præſidiariis VVismariæ obſidium circumponeretur, in partes quoque vocato Daniæ Rege. Sanc Meclenburgicos nihil amici agitare ſatis conſtabat, quod Roſtochienſis aſſignatam ſibi tributorum portionem pertinaciter abnuerent, hoſtium delectus omni ſtudio foverent, connivente Duce, ac Lohuſio, qui poſt miſſionem acerrimum in Suecos odium induerat, quævis adversà iſtis alente. Eam ob cauſam & Banerius Oderskium ſubtribunum Torga in Meclenburgicam mittebat, certis mandatis inſtructum, ut malevolorum machinationes obſervaret, delectusque iſtorum diſſiparet; tum Roſtochium ad exſolvenda tributa compelleret; nec minus injurias militum à provincialibus averteret. Eoque & Duci Plavvenam arcem munimentis nudari poſtulanti, Banerius abnuebat, quod is locus idoneus foret diſturbandis Meclenburgicorum cum hoſte collutionibus.

Geſta per Saxoniam Inferiorem & Weſtphaliam.

14. Mart.

§. 26. In VVeſtphalia Kœnigsmarckius tribunus ſociatis Meppæ & Mindæ præſidiariis, ſex peditum cohortes, unam equitum turmam Stadhagæ opprimit, ſcalis oppido admotis, ac cum illi reſiſtere concurſu in forum facto conarentur, centum concidit, reliquis ad unum captis, quod ipſi duas oppidi portas obſtruxiſſent, tertia Succici ingruerent. Ex Haſſia quoque Geilius tribunus, Croatarum tribunum Budeanum Burglengenteldæ in Fuldenſi agro cum ſuis hoſpitantem male multaverat; ut multis ſuorum amiſſis ipſe Budeanus paulo poſt è vulneribus Fuldæ obiret.

Succici Stadhagæ hoſtem opprimunt. 6. Febr.

§. 27. Poſt Banerio apud Torgam arctius incluſo, Succi hinc inde impunius carpi, ſimul malevoli affectus ſuos fidentius expromere. A Saxonibus oppidum Hala facile recuperatum, & arci Mauritioburgo per Ponicam ſubtribunum obſidio circumpoſita, quæ tandem Octobri menſe confictis Banerii literis velut deditionem ſuadentis capitur. Egla quoque deditione ſubacta, & dimiſſis ductoribus gregarii hoſtium cohortibus admixti. Qui Garlebiam inſidebant ſeptuaginta pedites, oppido dedito VVerbenam dimittuntur. VViderholtium tribunum Haſſicum, qui cum ſexcentis recens conſcriptis in Pinnebergico Comitatu hoſpitia capere voluerat, coëuntes agreſtes inde vi expellunt, cadentibus utrinque quinquaginta. Declarabat quoque Daniæ Rex, ſe non amplius permiſſurum, ut in Britannia à Succis conductus miles in Albi aut Viturgi in terram exponeretur: etſi quo minus per fretum Oreſundicum in Pomeraniam navigarent non impediebat. Unam tamen atque alteram navem tali milite onuſtam velut connivendo Gluckſtadium prætervehi patiebatur ea lege, ne miles infra Hamburgum in terram exſcenderet. Hamburgenſes quoque & Lubecenſes literis conducendi facultatem apud ſe concedere, aut quid favoris iisdem exhibere vetabantur, ejusdem edicta avocatoria eo fine in urbibus ſuis affigi curabant, omnesque ductores, ac milites Succicos inde faceſſere jubebant; quæ res iſtorum delectus non parum turbabat. Aſt Erementis Archiepiſcopus tandem à Cæſare obtinuerat, ut ſibi neutrarum eſſe partium liceret, ab omnibus belli oneribus præſulatu exemto; quod ipſum Salvio ſignificabat, ac ratihabitionem transactionis Stadenſis viciſſim exhiberi ſibi poſtulabat. Denique Georgius Luneburgicus Dux à Cæſareis, quibus legiones ſuas tradiderat, quingentos milites repetebat eminus obſidendis Mindæ & Nienburgo. Id cum ipſi negaretur, apud VVahlium Cæſareum ducem aſperius ea de re querebatur. Cui contumelioſis verbis VVahlius reponebat: ni à Cæſare expreſſe ſibi injunctum foret, ut ipſum ad initar pueri tractaret, mox graviora ſenturum. Quæ contumelia acerrime Ducis animum mordebat; præſertim cum paulo poſt à Cæſare ipſi cum Electorum conſenſu injunctum foret, ut præſulatu & urbe Hildeſienſi cederet. Unde multis ſpes ſurgebat, ipſum ita graviter offenſum ad Suecorum partes rediturum. Et jam miſſo ad Salvium Cancellario Drebberno de affectu ſuo in Succos prolixe teſtabatur, præterita excuſans velut neceſſitate extorta. Nec eo ſecius inter iſta amicitiæ inſtaurandæ incitamenta Nagelium ſubtribunum Nienburgi præfectum amplis promiſſis ſolicitaverat, ut id oppidum

Succici ſtipe quæ loca in Saxonia amittunt.

1. Junii.

Georgius Dux Succis inſidiatur.

1637. dum ſibi traderet; qui tamen fidem potiorem habens de iſtis corruptionibus miniſtris Regiis indicium faciebat.

Landgravii acta. §. 28. In Haſſia Gleenius iterum incendiis rapinisque, & omni ſævitiæ genere multum damni dederat; cui repellendo Landgravius Kingium cum Succicis legionibus nuper ad Viſurgim pro-
29. April. greſſum in auxilium evocabat; qui & recta Caſſellas adproperabat. Conjunctæ Landgravii atq; Kingii copiæ bis mille quingentos equites, quatuor peditum millia explebant; queis impar hoſtis, qui vix tria millia conficiebat, conſiſtere non auſus in Fuldenſem præſulatum ſe recipiebat; amiſſis non paucis, qui ſegnius abitum moliti erant, & oppreſſis, qui Allendorfi hoſpitabantur. Apud Eſchvvegam quoque aliquot turmæ diſſipatæ; cum viciſſim Croatæ non paucos palantes interciperent. Sed cum mox Gleenius acceſſu Lamboji & VVahlii è VVeſtphalia auctus Succis Haſſicisque prævaleret, placebat hiſce ad Viſurgim denuo concedere, ut Rudvvenum ſibi ſociarent, qui modica cum manu Levvenfœrdam interim, & Diephoitam
27. April. ceperat, & nunc Melandro junctus Vechtam oppugnare conſtituerat. Eo conſilio iſti Allendorfo
5. Maji. motis caſtris, tranſitoque apud Caſſellas ponte navali, Rintelium perveniunt. Iſto in itinere ducenti hoſtium equites, centum dragonum à VVahlio in Haſſiam ad abigenda pecora miſſi, in viginti Haſſicos equites incidunt, à quibus retrocedentibus ad primum ſuorum agmen pertrahuntur: unde fuſi Petrum Gœtzium ſubtribunum cum præfecto turmæ, ac dragonum centurione, ſimul gregariis centum in Suecorum Haſſorumque manibus relinquunt. Reliqui ad vicum quendam ſe receperant, in quo ducenti ſuorum equites hoſpitabantur; qui ſociis ſubventuri parem cum ipſis fortunam ſubeunt, præfecto turmæ, multisque ductoribus deſideratis. Cæterum cum hoſtis Landgravium, Kingiumque non inſequeretur, hi Vechtam invadere conſtituunt; quam initio, quoad de motu hoſtium conſtaret, eminus
29. Maji. per equites claudunt. Inde cominus intentata vi,
Succi Haſſiis junctiVechtam capiunt. Lautersheimium tribunum oppidi præfectum ad deditionem compellunt, qui militari more Rhenam dimittitur. Inter Bilefeldam itur, quam Boſius tribunus cum tribus equitum turmis, & ducentis peditibus inſidebat; qui cum alio ſe recipere conatur, repentino iſtorum adventu clauditur, & mox deditione facta oppido excedit; invito tamen Landgravio Kingioque, gregariorum plerique abſtracti, ut tribunus cum ſolis ductoribus ad ſuos perveniret. Quj Lemgoviæ tendebant hoſtes mature Paderbornam ſe ſubduxerant. Inde
23. Jun. conſtitutum fuerat, adſcito Ranzovio, qui pro Gallis duo militum millia iſtis in oris conduxerat, Hermanſteino ſuccurrere. Sed cum id fame ſubigente hoſti ceſſiſſet, Landgravius in Paderbornenſem præſulatum regreſſus Geſecam occupat, eoque antàm dat Joanni VVertano, qui poſt captum Hermanſteinum Hanoviam circumſidere cœperat, hac omiſſa in ipſum arma convertendi. Quem declinans Landgravius Rintelium recedebat, ponte ibi ſtructo hoſtem expectaturus.

Succi amittunt Ratenaviam; §. 29. Enimvero ad Albim, poſtquam Baneri-
us Torga ſe in Pomeraniam receperat, res Suecorum plane collabi. Nam Clitzingius & Damianus Vitztumius hic Saxonicarum, ille Brandeburgicarum copiarum dux, junctis viribus Ratenaviam primo invadunt, quam præfectus citra mo-
Havelbergam; 27. Jul. ram dedit. Havelbergæ, quam centum viginti tantum pedites tuebantur, impetu expugnatur; & nonaginta duo, quos inter unus & viginti ductores, cæduntur, reliqui cum tribuno Thoma
Werbenſe Thomæ F. capti. VVerbenſe caſtellum, cui abunde de annona & adparatu bellico proſpectum erat, excubiarum præfectus Ruthius, ne detentionem quidem auſus hoſti oblata ultro deditione tradebat; ob quod flagitium VViſmariæ poſt capite pœnas luit. Aſt Dœmitzæ præfectus Otto Sac-
Dœmitzam; kius ſubtribunus quam hoſtis ſemel iterumque offerebat deditionem adſpernari. Unde adverſus acerrime reſiſtentem hoſti omnia expugnandis vi oppidis reperta adhibebantur, & poſt acceſſus factos cuniculus ſub unum propugnaculum agitur, ac tormentis munimenta valde lacerantur. Unde cum obiectios pulvis tandem deficeret, nec ſat militum foret tam latæ ruinæ tuendæ, honeſtis conditionibus ea arx Clitzingio deditur.

1637. munimentum; 5. Aug.

§. 30. Hinc ad invadendum Luneburgum Cæ-
Luneburgum & Winſenam. ſarei cum Saxonicis & Brandeburgicis ſe adparant. Sed eos Luneburgici præveniebant, ne id oppidum in alienas manus incideret, non ſine verborum aſperitate expoſtulantes, quid ipſis ſua cum urbe negotii eſſet? Quia tamen in eo omnes conveniebant, ut Sueci inde expellerentur, facile controverſia inter ipſos compoſita fuit. Petierant 27. Jul.
urbis decuriones id præſentientes à Banerio, ut cum ea ſitu & operibus parum munita foret, nec ad receptum Succis inſerviret, legio præſidio impoſita amoveretur. Ab eo Hamburgum ad Salvium remiſſi, alios mox Cellas ad Fridericum Ducem ablegant petentes, ut propinquantes urbi copiæ tantiſper detineantur, quoad amice cum Succis tranſactum fuerit. Placebat autem Banerio, Stammeri quidem legionem ex urbe deduci, modo oppidani caverent, conventionem cum Succis initam ſartam fore tectamque, & Calcbergam arcem ipſe Stammerus cum ducentis peditibus inſideret, cui omnia neceſſaria ex urbe ſuppeditarentur. Stammerus quoque jubetur, ſi neceſſitas aut defectio oppidanorum exigeret, in arcem refugere, & ad extremum ſe defendere. Aſt in urbe cives Senatui diſcordes, autore potiſſimum Joanne Sternio typographo, jactare; de conventione, quam cum Banerio Senatus fecerit, nihil ſibi conſtare; Principi ſe fide obſtrictos, in quem pugnare nolint; ſimul atrocia Senatui minari. Et fruſtra erat Stammerus, iſtis conciliandis ſeſe interponens, cui aperte declarabant; adverſus Cæ- 28. Aug.
ſareos & Electorales ad extremum ſe cum ipſo urbem defenſuros; in Georgium Ducem ferrum non ſtricturos. Poſt cum idem arci de aqua neceſſaria proſpicere vellet, ſiphones machinæ qua aquæ ſurium levantur ab oppidanis obſtructos reperit. Nec minus cum Lunenſem portam conſentiente Senatu obſtruere vellet, plebis concurſu prohibebatur. Inter hæc tribunus VVurmius cum quin- 2. Sept.
gentis equitibus à Duce Georgio aderat, ſtatione poſt cœnobium Lunam capta. In eos cum diſplodi tormenta Stammerus juberet, cives prohibebant, addito, tribunus in arcem ſe conferret, urbis cuſtodiam ſibi curæ fore: qui adveniant hoſtes non eſſe. Mox ipſe Dux cum reliquis copiis adeſt. Unde Stammerus cum ſuis in arcem ſe recipit, cui 3. Sept.
ad defenſionem ſui nihil amplius ſupererat, quam ut igne dejecto urbem ad obſequium cogeret. Id quod cum citra exitium urbis fieri non poſſet, ad extrema hæc deſcendere dubitabat. Interea facile Ducem inter & cives tranſigitur, hiſce ultro obſequium deferentibus, inſuper habitis Senatus delegatis, à quibus id tantum quærebatur, num cæteris cum civibus operam recuperandæ arci conferre vellent; addita increpatione cum ſuper una aut altera re monere vellent. Admiſſi inde in ur- 4. Sept.
bem quingenti milites Senatu inſcio, mox trecenti; & quod ab ignibus ex arce jactandis maximus metus eſſet, Dux Stammero denuntiat; ſi vel unicum ignitum globum in urbem dejiciat, ipſi

ſuorum-

1637. fuorumque nemini veniam vitæ fore: ſimul undique aquarum copia diſponitur reſtinguendis ignibus. 7.Septemb. Enimvero nihil ad ſui defenſionem auſus Stammerus Calebergam, & VVinſenam inſuper à ſuæ legionis milite inſeſſam tradit, ac cum ſexcentis militibus VViſmariam pervenit; ubi ſtatim in cuſtodiam datus, ac militari judicio damnatus capite pœnas luit. VViſmariam inde tentare hoſti in animo erat, qui & Hamburgenſes ac Lubecenſes magnam vim pecuniæ annonæque in ſingulas hebdomades, quamdiu id obſidium duraret, poſcebat. Sed vergens in hiemem annus, ac Banerius è Pomerania terga iſtorum infeſtaturus diſſuadebat obſidium validæ urbis, & cui è mari ſubſidia quantalibet adduci poterant.

Landgravius in Friſiam penetrat. §. 31. Interea Landgravius & Kingius, poſtquam aliquandiu Rintelii hæſiſſent, per Mindam in præſulatum Oſnabrugenſem concedunt, adſcita Gallorum qui è Belgio venerant, & Ranzovii manu, ac Furſtenaviæ obſidium circumponunt. 10.Auguſt. Circa hanc cum plures dies ſategiſſent, intellecto hoſtes in VVeſtphalia copias cogere, ac Cæſareos Brunſuicenſem agrum propius venire, ſoluto obſidio Haſelunam iter intendunt. Quanquam enim Banerius peteret hoſti ad Albim graſſanti obſiſtere, ac ſibi incumbentem diſtrahere: Landgravius tamen id abnuere, qui captis apud Friſios Orientales hoſpitiis copias ſe ſuas ita refecturum ſperabat, ut adjunctis poſt Electoris Palatini novis delectibus quo placeret ſe convertere poſſet. Eodem ut ſequi ſibi cum ſuis liceret Kingius vehementer inſtabat, obtendens in mandatis ſibi datum à Landgravio non diſcedere. Sed Landgravius id recuſabat, cauſatus Batavos nolle extraneum militem iſta in loca deduci. De cætero non alia ſibi hoſpitia patuiſſe; & propere iſta fuiſſe occupanda, antequam alii eadem præriperent, aut reſtagnantes autumno aquæ aditum intercluderent. Id quod ægre ferebant Rectores Succiæ, velut Landgravius copiis Succicis ad privatum duntaxat commodum abuteretur, de ſumma rerum parum ſolicitus. Quanquam non deerant, qui cauſam ſeparati cum Succicis legionibus Kingii hanc ferrent, quod ſingulares tractatus inter Landgravium, & Capitulum Monaſterienſe ac Paderbornenſe agitarentur. Quod uti nobis parum compertum, ita Landgravius ferebat; cum hoſtis Luneburgicæ ditioni propinquaret, ſatius eſſe Succicas copias per oppida ad Viſurgim diſtribui, & quantum poſſit annonæ iisdem è vicina regione importari. Quo converſus Kingius, adſumtis ex Oſnabrugæ, Mindæ, & Nienburgi præſidiis, Lemgoviam ſcalis noctu admotis opprimit, Sperreuteri equitibus, qui ibi hoſpitabantur 11.Sept. abductis, direptoque oppido. Ranzovii tamen attenuatas valde catervas ſecum abducebat Landgravius, quod iſte ipſi, ac multo minus Melandro ſubeſſe nollet, ad privata in Holſatiam negotia expedienda digreſſus. Porro Landgravius per Rheidanum agrum in Friſiam penetrans, quæ ultro tradere munita loca Comes recuſabat, vi in poteſtatem redigebat, Gritſielam, Friedenbergam, caſtella ad Potshuſam, & Delam. Sed dum Landgravius moritur. obſidio Stickhuſæ, qui munitiſſimus totius provinciæ locus, adſidet, gravi morbo correptus extinguitur, incertum fato, an alieno ſcelere. 24.Sept. Sane Laurellius medicus fatebatur, Melandro autore, aut ſaltem conſcio venenum ipſi propinatum fuiſſe. 30.Sept. Nec eo ſecius Haſſici Stickhuſam vi ad deditionem compellunt, inita cum Comite Friſiæ transactione, ut quindecim millia uncialium menſtrui tributi ea provincia ſolvat; tuendis acceſſibus & munitis provinciæ locis viginti peditum cohortes, quinque equitum, duæ dragonum turmæ ibi manerent; reliquæ copiæ abducantur. Landgravio difficillimis temporibus defuncto, uxor, Amelia Eliſabetha, cordata & virilis conſtantiæ fœmina, commendatam ſibi à marito liberorum impuberum tutelã ſuſcipit, & cum iis Groningam ſe confert, in Haſſiam redire tunc non auſa ob peſtilentiæ contagium, & quod adverſa ſibi conſilia hac rerum mutatione haut fruſtra metueret. Quanquam enim Conſiliarii Caſſellani audita Principis morte ſtatim provinciales & militem in verba filii cognominis adigerent, in quem & omnium animi proni reperiebantur: non tamen deerant, qui horum fidem ſolicitabant; quos inter Darmſtadienſis edictum proſcriptionis à Ferdinando II. conceptum, à Tertio confirmatum, ſed hactenus nondum publicatum Caſſellas mittit, una cum literis, quibus adminiſtrationem provinciæ ex Cæſaris autoritate ſibi depoſcebat, in refractarios atroces pœnas denuntians, & cominus oſtentato Cæſareo exercitu. Mox edicto Haſſiæ Ordines Alsfeldam ad conven- 29.Octobr. tum agendum evocat; intercedentibus Caſſellanis, ſuique Principis cauſam aſſerentibus. Sed 22.Nov. & Saxoniæ Elector eosdem literis hortatur, ut Cæſaris ſe voluntati, pacique Pragenſi adplicent. His monitis ut pondus accederet, Gœtzius cum exercitu ſuo Haſſiam verſus tendebat præmiſſis minacibus literis; ut extrema quæque expectent, ni Cæſaris arbitrio ſe ſubmittant. Cui avertendo Melander adſumto Kingio in Haſſiam properabat. Qui tamen, cum acceſſu plurium copiarum Gœtzius augeretur, poſt retrocedere cogebatur; & Darmſtadienſis regimen provinciæ à Cæſare ſibi delatum, acrius poſcebat. Unde Caſſellani hortantibus multis Imperii Principibus, & flagitantibus Haſſiæ Ordinibus Marpurgi cum Darmſtadienſi tractatus ſuſcipiunt. Ubi quanquam hic circa affectatam adminiſtrationem, damnique refuſionem aliquam multis myriadibus taxatam, nonnihil remiſiſſe videretur: tamen cum oblata ab ipſo juramenti formula intolerabilis videretur, tractatus tunc incaſſum cadebat. Mox novo Cæſa- 27.Nov. ris edicto Landgravii teſtamentum, & Ordinum juramentum novo Principi præſtitum irritum declaratur; ſimul hiſce injungitur, ut Darmſtadienſem provinciæ adminiſtratorem agnoſcant, copias ſuas Cæſareis jungant, loca occupata reſtituant, Pragenſi paci ſe ſubmittant, fœderibus exterorum renuntient; quod à Darmſtadienſi hortatibus ſuis additis transmittitur. Igitur Land- 14. Dec. gravia, cum Melandrum & Kingium hoſti impares intelligeret, huic eludendo ac tempori extrahendo conſentit, ut Caſſellani tractatus cum Darmſtadienſi inſtaurent, ut tamen quicquid concluſum foret, ab ipſius ratihabitione ſuſpendatur. Quod conſilium Succicis per Germaniam miniſtris ſignificat, de conſtantia circa ſuſtinendam cauſam communem teſtata, & Suecorum auxilia rebus ſuis implorans.

1637. Georgius Landgravius Haſſiam infeſtiorem capit.

8.Octobr.

§. 32. Porro poſt fata Principis Melander Landgraviæ juſſu rebus per Friſiam diſpoſitis in Haſſiam tendebat, adjuncto ſibi apud Hervordiam Kingio. Quibus cum par non eſſet Gœrzius, qui nuper duo militum millia ad Rhenum miſerat, retro cedebat. Unde iſtis occaſio dabatur munitis Haſſiæ oppidis neceſſarias res inferendi. Sed cum iidem ulterius Gœrzium inſequi conſtituerent, hic vero acceſſu VVahlii, & octingentis equitibus, ſeptingentis peditibus, à Georgio Luneburgico ſubmiſſis augeretur, Lubbecam recedunt, Lemgovia præſidio firmata. Inde hoſte ingruente per Quackenburgum longius verſus Amaſin abeunt: mox copiis è Friſia auctı Leuenfœrdam & ad Huntam flumen regrediuntur, hautquidquam hoſtem laceſſere auſi, etſi pares eidem judicabantur. Interim

Haſſicorum poſt Landgravii obitum acta.

1637. terim Goetzius & VVahlius Lemgoviam ad deditionem adigebant, & pacto violato omnes, qui Cæſareum ſacramentum recuſabant, ſpoliatos in captivitatem abſtrahebant. Melander autem & Kingius ferum Lemgoviæ auxilium molientes, cum hoſtem in ſe vertere viderent, denuo cedentes in diverſa abeunt, & Melander quidem circa Coesfeldam, Lipſtadiumque & vicina loca hiberna capeſſit; Kingius Suecicas legiones per oppida ad Viſurgim diſtribuit: hoſtis Lemgovia & Bilefelda præſidio firmatis in Bergenſem ac Marcanam ditionem concedit.

Meclenburgici Ducis ambigua conſilia.

§. 33. Circa iſthæc tempora Meclenburgicus Dux nova conſilia coquebat, militemque comparare inſtituebat, provinciam ſuam Cæſareis pariter ac Suecis exoneraturus. Ac apud Cæſareos quidem jactabat, ſe copiis primo ſuccinctum per tractatus Suecos ſua ditione, ipſâque VViſmaria dimoturum, data pecuniæ ſumma. Apud Suecos oſtendebat, delectus à ſe inſtitui arcendis militum injuriis, & ut Brandeburgico Dœmitzam iterum extorqueret, quam hic velut hoſti ereptam ſibi vindicatum eat, Cæſare inſuper vectigalia ad Albim iſti donante. Suſpicioni avertendæ ducem ſe copiis ſuis impoſiturum ferebat, qui clam juramento Reginæ eſſet obſtrictus, de fide ſua in eandem teſtatus. Poſtulabat præterea, ut loca ſua extra VViſmariam, Pœlam, VVarnemundam, & VVuſtrovienſe caſtellum ſuo milite inſidere daretur, provincia ab omnibus tributis, niſi quantum alendo VViſmariæ præſidio requirebatur, immunis foret, ac ut ſuper vectigali ad VVarnemundam cum ipſo tranſigeretur. Circa VViſmariam, cujus ceſſionem aperte poſtulare non audebat, tractatus cum ipſo inſtitui volebat in ſpeciem duntaxat, ut hoc obtentu Cæſareos ab ejus urbis obſidio, ac vaſtanda ſua ditione averteret: Sueci contra ſpargerent, ſibi non diſplicere ſuper iſta urbe cum Duce tranſigere, modo hic Cæſaris conſenſum ad id negotium obtinere queat. Enimvero nihil horum Suecis ad palatum erat; quin ne quid inſidiarum ſubeſſet, accuratius cuſtodiendæ VViſmariæ invigilabant; ſimul Stammeri legionem, quæ poſt deditum Luneburgum eo acceſſerat, inde amovent, quod militè è Meclenburgica oriundo fere conſtaret. Interim VViſmariæ præfectus Jonas Lillieſparrius hoſti ſemel atque iterum damnum dederat, Schœnbergio ſubtribuno Cæſareo cum ſuis oppreſſo, & centum peditibus cum centurione, qui Schvvanam

Wiſmarienſes hoſtem carpunt.

24. Octobr. inſidebant abductis. Ejusdem quoque juſſu Evvaldus Bruno ſubtribunus cum quadringentis militibus duas Cæſareorum legiones VVahrenæ conſi-

1. Decemb. dentes ad includendam eminus VViſmariam delet, cæſis plerisque & ſupra quinquaginta captis, quos inter duo turmarum præfecti, totidem optiones cum quatuor ſignis, & plusquam quadringentis equis; ſolus Cnœckenbergius tribunus cum ſubtribuno, monſtrantibus per paludes viam ruſticis, pedes evaſerat. Porro Georgius Luneburgicus Dux Cæſari promiſerat, ſi ditio ſua à Suecis repurgata foret, ſe reliquas ſuas copias Cæſareis ducibus ſubditurum. Ejus promiſſi Cæſar poſt receptum Luneburgum ipſum monebat; nec minus Cæſarei duces valde laborabant, ut eundem plane ſuis partibus adjungerent. Quo fine & Goetzius Cæſarem triginta uncialium millia poſcebat, corrumpendo uno atque altero Ducis miniſtro. Ita perſuaſius Dux cum Cæſareis tractatus ſuſcipit, ac ipſe cum Goetzio & VVahlio Hamelæ congreditur, conſiliis adverſus Suecos cudendis. Et poſtquam octingentos equites, ſeptingentos pedites iſtis conceſſiſſet, cum reliquis Minzelii in Comitatu Schauenburgico munitis caſtris conſidet, qua poterat Suecos carpens.

Georgius Luneburgicus hoſtem ſe Suecis fert.

1637.

§. 34. Dum Banerius apud Torgam metatur, hoſtis interim Suecos Erfordia dimovere laborabat, cui eminus circumſidendæ cum magna parte legionum Galaſſicarum Gleenius è ſuperiore Germania acceſſerat. Quicum non niſi per modicas velitationes certatum, quarum una quinquaginta equites urbe progreſſi, peditum manu ſuccenturiata, cum trecentis hoſtium equitibus ſub ipſam urbem ſtrenue confligunt, ac triginta amplius cædunt, ſauciantve, quos inter ſubtribunus & turmæ præfectus, ſuorum duobus tantum deliderat is. Sed quia validæ urbis obſidium longi temporis multique ſumtus futurum erat, vicino inſuper tractu non parum vaſtando; compendioſius videbatur oppidanos in Suecos concitare. Quo fine à 19. April. Cæſare literæ ſcribuntur, queis ipſos accuſat, quod nulla neceſſitate Suecicum præſidium admiſerint, poſtulatque ut eodem amoto Cæſareum militem recipiant, quamdiu periculoſa hæc tempora durent, & de cætero ad Pragenſis pacis leges ſe componant. Eas literas Griesheimius in urbem 20. Maji. mittit, deſtinari petens, quibuscum ipſe colloquatur. Aſt Senatus oppidanus ad literas Cæſaris re- 26. Maji. ſpondet; vi ſe compulſos, & nullo in vicinia auxilio cum Suecis tranſegiſſe, quos nunc amoliri in ſua poteſtate non ſit; tum hoſtilia deprecantur. Griesheimii quoque congreſſum abnuunt. Poſt Banerio in Pomeraniam cedente, Saxoniæ Elector obſidium urbis ſimulans, Boſium tribunum cum quinque legionibus equitum ad alterum ab urbe milliare accedere jubet; literisque civium animos ſolicitat. Sed vicini Duces Saxoniæ, Al- 6. Julii. tenburgicus, Vinarienſis, & Iſenacenſis ditionibus ſuis metuentes, ſi obſidium urbi circumponeretur, interventu ſuo rem ad amicos tractatus deducere conantur: quo fine miſſis Erfordiam legatis id primo agunt, ut Goltzius tribunus cum ſua legione urbe ultro cedat. Sed cum oppidani oſten- 19. Julii. derent, id penes ſe non eſſe, Cyriaciburgo à Suecis infeſſo, de armiſtitio proponunt, & ut urbs de ſuo Goltzii legionem alat; nec à vicinis tributa amplius exigantur, aut hoſtilia in Electoris ditionem exerceantur. Hæ conditiones oppidanis quidem probabantur; ſed Goltzium rationum utrinque momenta ancipitem reddebant. Nam admiſſis illis, omnia tributa ſimul media legionum augendi, & Cyriaciburgo proſpiciendi, aliosque ſumtus tolerandi adimebantur, totaque vicinia Cæſareorum & Saxonicorum quietis uſibus relinquebatur. Aſt ſi abnueret, metus erat, ne Saxo obſidii obtentu copias ſuas per eum diſtrictum diſponeret, ipſumque tributis exutum in ſummam egeſtatem conjiceret, cum ab urbe nihil exigere liceret. Unde mittebat, qui Banerii ſententiam exquireret. Sed cum is longe abeſſet, nec reſpon- Induciæ cum Erfordienſibus fiunt. ſum ita cito adferri poſſet, tandem & ipſe in armiſtitium conſentiebat; cujus leges erant, ne à vicinis Ordinibus Imperii ulla tributa, aliaque belli onera exigerentur, præſidium non augeretur, munimenta urbis ne ulterius firmarentur, commercia libera eſſent; viciſſim adverſus urbem ejusque agrum nihil hoſtile tentaretur, copiæque inde citra noxam deducerentur. Si inducias prorogare alterutri parti non placeret, quæ initio in unum menſem conveniebant, octiduum ante iſtis renuntiaret. Interim ad Cæſarem & Banerium ſuper iſtarum prorogatione mitterentur. Iſtas Saxo probat, 30. Auguſt. & Boſio, ut Erfordienſi agro excedat, hoſtilibus abſtineat, imperat. Goetzius etiam qui ſub exitum Septembris in Thuringiam perveniebat, Erfordienſem ditionem tangere vetabatur. Aſt Banerio, qui de iſtis tractatibus antea nihil audiverat,

id

1637. id negotium plane disſplicere, ac inducias vehementer improbare. Quia tamen, quod jam conclusum erat, retractare non licebat ulterioribus
17. Sept. Goltzium tractatibus supersedere jubet; ac si oppidani frænum mordeant, ut in Cyriaciburgum digressus urbi se hostem exhibeat. Quia tamen istud armistitium rebus necessariis in urbem convehendis valde opportunum erat, id ut ratum esset, permittebat, ut ne tamen ultra duas septimanas prorogaretur. Postquam elapso ejusdem termino hostis illi non renuntiaret, Goltzius id suis rebus conducere ulterius non judicabat; quod legionem suam augere, aut munimenta urbis firmare ex pacto non liceret. Quia tamen oppidanos hactenus libertas commerciorum non parum delinierat, armistitium abrumpere, ne civium animos offenderet, non audebat. Et mediatores ut istud continuaretur, vehementer instabant. Pariter Erfordienses à Goltzio contendunt, ad Banerium scriberet, ut is in prorogationem, quæ & Saxoni placebat, consentiret. Quod & iste facit petens, ut mandata sibi ad tractandum transmittantur. Nec eo secius, quanquam Erfordienses de fide sua prolixe testarentur, Cyriaciburgo diligenter prospicit, & quid in omnem casum ejus præfectus sequi debeat, præscribit. Ast cum Suecorum res per Pomeraniam durius se habere viderentur, Erfordienses animis cum fortuna mutatis mediatores
26. Dec. circa altioris indaginis interpositionem solicitant; & uti apud Cæsarem cautionem super sacris aliisq; sibi procurent; qua obtenta à Banerio deductionem militis Succici petituri sint, sed cum Goltzius super ejusmodi destinatis quereretur, excusabant; id non alio fine fieri, quam ut coëuntibus jam Cæsareis & Saxonicis copiis obsidium urbe sua avertant, quoad resurgentibus Suecorum rebus istæ alio deducantur.

Ramsæus Hermansteino annonam infert. §. 35. Hanoviæ præfectus Ramsæus cum vicinis Moguntino, Darmstadienſi, & Francofurtensibus inducias ad Majum usque Mensem pepigerat, queis inter alia cavebatur, ut Hanovienſibus præter cætera necessaria, frumentum quoque in ipsorum ditionibus coëmtum, in oppidum convehere integrum foret. Ita exhaustum fere oppidum omnis generis cibariis abunde instruitur. Hinc ad annonam Hermansteino inferendam animum Ramsæus intendit, cum fame acriter conflictanti; postquam quæ Januario mense Hassici è Westphalia inferre conati erant, à Joanne Wertano sub obsessorum conspectu abrepta fuerant, profligatis sexcentis, qui currus onustos prosequebantur. Meliore successu Ramsæus duas naves annona onustas Hanovia secundo Mœno, non tentientibus Francofurtensibus, inde Rheno Hermansteinum dimi-
3. April. serat. Sed cum aliam post navem singulari astu in-
12. Maji. struxisset, ea Moguntiam præterlapsa Bingæ deprehenditur. Ita tandem arx natura & opere, muni-
Hermansteinum fame expugnatur. 16. Jun. tissima, & tantum non inexpugnabilis, post absumtos equos, asinos, canes, feles, mures que ac glires, quarum octoginta ipse præfectus Bussius absumserat, ad deditionem adigitur; quam Elector Colonienſis depositi titulo infidet, post Trevirenſi, aut ejus successori restituendam. Præsidium militari more Orsoyum usque deducitur. Copiæ quæ Hermansteinum circumsederant, fere Hanoviæ includendæ adducuntur. Ramsæus quippe incassum hactenus cum vicinis super prorogandis induciis agitaverat, quod iisdem Hermansteinum
Hanovienſium gesta. quoque includere vellet. Sed illis elapsis quod Moguntinus Hermansteino expugnando operam contulerat, navi quæ annonam, intercepta, illi se hostem denuo declarat, & cum trecentorum militum caterva Aschaffenburgum scalis summo mane adnotis irrumpit, diripitque, præda Hanoviam avecta. Inde Selingstadio repente occupato trecentorum militum præsidium imponit. Quod tamen mox Moguntinus auxiliantibus Francofurtanis iterum invadit, & post depulsum assultum, in quo suorum centum septuaginta desideraverat, deditione occupat. Hanovienses tamen inde egressi violato pacto spoliantur, & ad mutandum sacramentum adiguntur, obtentu sumto, quod secus atque conventum foret tympana pulsassent. Inde Hanovia iterum à quibusdam Cæsareis legionibus circumsidetur, intercipiendæ messi; quas tamen mox Landgravius Wilhelmus Paderbornensem præsulatum invadens eo avertit, ut Hanovienſibus messem suam nemine impediente colligendi spatium foret.

Super Hanovia transfigitur. §. 36. Ita cum Cæsareos spes sua fefellisset Hanoviam fame expugnandi, tractatus instauran-
tur; quo fine jam à defuncto Cæsare Comiti Hanovienſi literæ tuti commeatus datæ fuerant, quod Ramsæus id ab se quæri profestius esset, ut Comes Cæsari reconciliatus ditioni suæ restitueretur. Moguntiæ tandem intervenientibus Moguntini, Darmstadienſis, & Francofurtenſium delegatis
21. Aug. transfigitur, Alberto Ottone Solmenſi Comite Hanovienſis vicem subeunte. Eo pacto Hanovia oppidum, totusque Comitatus, simul Philippus Mauritius Comes cum omnibus suis abolita ante actorum memoria, in Pragenſem pacem recipitur. Cavetur quoque, ut cœnobium Schluchtera penes Comitem maneat; nec Hanoviæ præsidium nisi à Comite imponatur, quod tamen Cæsari quoque fide obstrictum sit. Ramsæo quinquaginta uncialium millia promittuntur, & ut prædia, quæ à Succis in Meclenburgica ipsi donata erant, commendatione Cæsaris retineat, aut aliis pari pretio donetur. Quibus re ipsa præstitis, & post transactionem hanc à Cæsare ratihabitam, de quo Moguntinus in se receperat, oppido se cessurum promittebat, missis tamen prius ad Kingium obsidibus tantisper detinendis, quoad ipse ad suos salvus perductus esset. Ea transactione perfecta, cujus etiam Wilhelmus Landgravius conscius dicebatur, copiæ Cæsareæ è Comitatu deducuntur, & commercia utrinque libere iterum exercentur. Sed cum non deessent Suecorum partibus addicti, qui super hac transactione cum Ramsæo per literas expostularent; ille sat acriter respondebat: in sustentationem præsidii à se viginti duo uncialium millia erogata, præter septuaginta duo millia, quæ ex præda redacta tint. Nec consumtis omnibus quidquam sibi amplius superesse. Se utique conventa servaturum, si hostis quæ promiserit re ipsa præstet; de quo tamen cum antea non semel fefellerit, ipse dubitet.
Comes Hanoviam redit. Etsi autem super Schluchtera cœnobio Wurtzburgensis Episcopus controversiam moverer; Moguntinus tamen negotii perficiendi cupidus Comitem, tunc in Batavia ex morbo decumbentem hortatur, ut insuper habito Wurtzburgenſi in Germaniam redeat. Et ipse Comes eodem ire ardebat, cum non amplius esset, unde se sustentaret. Nec caprum semel consilium mutare placebat, etsi Secretarius Gallicus Brietus iter semel atque iterum dissuaderet, Regis sui nomine summam pecuniæ
3. Nov. pollicitus, unde victitaret. Mox tamen tantæ festinationis fructus adparebat, dum Coloniæ possessione Cœnobii Schluchteræ, licet ante transactionem Passavienſem occupati, cedere cogitur, actione duntaxat reservata, & fructibus perceptis condonatis velut in magni beneficii locum. Ita emun-
22. Nov. ctus Hanoviam demum adpellit. Ramsæus interim ita adversus vicinos se gesserat, ut omnes crederent, soluta pecunia & obsidibus traditis oppido ipsum cessurum; cum dissidium inter ipsum atque Comitem obortum remoram injicit.

1637. Iſte enim ægre ferebat, Comitem pacto nondum impleto circa oppidanos militemque diſponere, & Reginam Regnumque Sueciæ precibus publicis excludere. Unde cum ſuſpicaretur id agitari, ut promiſſis haut impletis ipſe per inſidias oppido ejiciatur, ſubito auſu Comitem Hanovienſem in cuſtodiam dat una cum Solmenſi, qui tractatibus intervenerat. Mox militem denuo ſacramento Reginæ Sueciæ adigit, & quæ defendendo oppido requirebantur, diligenter adparat infelici ſucceſſui, qui ſequenti anno memorabitur.

Ramſæus Comitem in cuſtodiam dat. 13. Dec.

Cæſareorum deſtinata.

§. 37. Circa finem anni ſuperioris Gallaſius non ultra in Gallia conſiſtere auſus in Burgundiæ Comitatum redierat. Sed deprecantibus id onus provincialibus, tum æmulatione Hiſpanorum, & ſucceſſibus Succorum ad Albim motus, ad Rhenum regreſſus ipſe Friburgum in hiberna concedit, exercitum per transrhenanum tractum diſpoſiturus. Quia tamen dira fames ad fœdiſſimos cibos provinciales ibi compellebat, nec quid eſſet unde miles reficeretur, in Franconiam & Sueviam abducendus idem erat; ubi inſigniter augebatur, provincialibus, quos præter varias moleſtias fames premebat, certatim nomina dantibus. Conventum inter Cæſarem Bavarumque erat, Cæſareas ditiones, Circulumque Bavaricum, & quædam inde dependentia loca ab invaſione hoſtium tueri, per reliqua Germaniæ loca bellum continuare; quod crederent, quocunque ſe Succorum reliquiæ, (ita enim vocabant) verterent, omnia ita vaſtata eſſe, ut ipſa inopia attritas facile ſibi delendas traditura eſſet. Gallis autem alium in Burgundia exercitum objicere meditabantur, adſcitis ex Italia copiis, quorum ibi res defectione Rhætorum & Parmenſis Ducis non parum tunc adflictæ fuerant. Rhæti quippe diuturna Gallorum apud ſe mora, & laſciviente ob non ſoluta ſtipendia milite offenſi, clandeſtino cum Auſtriacis & Hiſpanis fœdere inito Rohanæum Ducem cum Gallicis copiis faceſſere jubent. Cui utique abeundum, ſimul omnia munita loca & regionis clauſtra tradenda erant, ni cum ſuis internecione deleri vellet. Parmenſi quoque cum Hiſpanis clam convenerat; qui obtentu luſtrationis præſidium Gallicum extra Placentiæ portas eductum exautoraverat.

Bernhardus Dux expeditionem in Germaniam agitat.

§. 38. Interim Vinarienſis copiis per hiberna diſpoſitis Luteriam profectus, futuræ expeditioni neceſſaria tarde expediebat. Tandem obtenta pecuniæ ſumma circa finem Aprilis ad ſuos regreditur. Adjungitur illi Hailerius cum aliquot equitum peditumque millibus, qui Ducis imperio ſubeſſe jubebatur; quod Rex nondum ſuis auſpiciis in Cæſarem bellum gerere, ſed acceſſorii duntaxat vicem ſubire videri vellet. Et Dux Cardinalis Valettæ prægravem poteſtatem expertus non obſcure jactaverat, hanc ſe ſortem diutius tolerare non poſſe; ac niſi ſeorſim cui imperet exercitum accipiat, id ſe acturum, ut à Gallia plane ſe liberet. Eoque tandem ipſe cum ſumma poteſtate bellum pro re nata gerendi mittebatur. Animus erat ſuperato Rheno bellum ad Nicrum, Mœnumve, aut ipſum Danubium transferre. Id quod averſis in Banerium Cæſareorum viribus in proclivi fuerat, ſi Gallis eo anno res Germaniæ ſerio amplecti placuiſſet. Sed vel ærarii inopia, vel incumbens alibi Hiſpanus, vel artes miniſtrorum efficiebant, ut Ducis juſto auxilio deſtituti ardor incaſſum caderet. Et credebantur pleraque iſta à Joſepho Patre provenire, qui per adverſam Richelii valetudinem publica fere negotia tractabat; cui ob ſpem purpuræ Cardinalitiæ Pontificem demereri quavis ratione cordi erat. Pontificis enim gratia cum Bavarus floreret, cujus ditionibus bellum infundere Vinarienſis ardebat, ejus impetum frangere inhibitis Gallorum auxiliis inſtituebat. Cæterum tranſeundo Rheno expeditiſſimum fuerat, ſi Vinarienſis ponte Argentoratenſi uti potuiſſet. Cui fini & antea Benfeldæ præfectus Quernheimius, & nunc miſſo Schafelitzkio ſummo exercitus quæſtore ipſe Dux apud Argentoratenſes inſtabat; ſed quibus fixum erat, neutralitatem à Cæſare ad tempus indultam non infringere. Pollicentur tamen, ſi alio loco Dux Rhenum tranſeat, & felici utatur ſucceſſu, ſe pulverem ipſi globosque clam ſubminiſtraturos. Inde de Lauffenburgo & Rheinfelda opprimenda conſilia agitantur. Sed nec ipſe Dux in tempore aderat; & Schafelitzkius, qui bis mille trecentis peditibus ſuccinctus Ruffacum, Sultzam, Gebvveileram, & Altkircham interea occupaverat, rem iſtam ſuſcipere non audebat, quod equitatu deſtitueretur, & hinc Lotharingiæ Dux, inde Briſacenſes imminerent. Interim ſpatium dabatur Cæſareis tranſitus Rheni à Sylveſtribus usque oppidis ad Spiram occupandi, firmandique. Vinarienſis quippe ſub finem demum Maji movens ita poſtulantibus Gallis in Burgundiam irrumpit, ubi octodecim oppida arceſque machinis admotis in poteſtatem paucos intra dies redigebantur ad neceſſaria exercitui curanda, quod nihil annonæ in vicis reperiretur. Mox Lotharingiæ Dux, cui ſe Cæſareorum & Burgundorum manus ſub Mercio adjunxerat, apud Crylam oppidum acie funditur, cadentibus ſuorum octingentis, mille ducentis amplius captis; quos inter Reuxius Comes tribunus, tres ſubtribuni, tredecim turmarum præfecti, alii ductores magno numero, ſedecim inſuper vexilla cum omnibus impedimentis. Reliqui Veſontionem refugiebant.

1637.

Dux Bernhardus in Burgundiam irrumpit.

Lotharingiæ Dux vapulat.

§. 39. Hac victoria parta etſi Vinarienſi aperta provinciæ paterent, ipſiusque copiæ annona & præda affluerent; potius tamen erat ad Rhenum vertere, copioſo prius penu Mumpelgardæ inſtructo. In itinere Luderi arx per triduum tormentis quaſſata ad deditionem adigitur; præſidiarius miles ſolis cum gladiis dimittitur, qui tamen fere ad Ducis ſigna tranſit. Cum ad Rhenum progrederetur, Helvetii per literas poſtulant, ipſorum aut vicinas Auſtriacorum terras ne tangat; alias vim eidem oppoſitum iri. Ad ripam hinc Rheni nemo Cæſareorum ducum erat, præter Wertanum, qui juſſu Bavari è Wetteravia cum tribus non amplius millibus eo ſe contulerat. Cum Argentoratenſes denuo rogati pontis ufum abnuerent, Benfeldenſe præſidium utilem Duci ad tranſeundum Rhenum operam præſtabat, commodatis compluribus minutis cymbis, quæ ex Illa fluvio ad Rhenum curribus devehebantur. Conſilio exſequendo ſelecti è quatuor legionibus pedites deſtinantur, quibus quingenti Galli è Colmaria, & ducenti Suecici Benfelda acceſſerant. Diſtrahendo hoſti Hailerius cum Gallicis copiis, & tribus Germanorum equitum legionibus propius Baſileam ſuggredi jubetur, velut ibi tranſitum Rheni tentaturus. Roſa & Caldenbachius tribuni ad Marckelsheimum, Tupadelius cum tribus legionibus ad Briſacum ſe oſtendunt. Joannes Philippus Rheingravius peditatum & tormenta Enſisheimo admovet, quod & paucos poſt dies impetu expugnat. Omnibus diſpoſitis Schœnbeckius tribunus ad Rheinaviam militem trajicit, ac in altera ripa tria majora navigia in poteſtatem redigit, quibus aliquot peditum centuriæ transportatæ commodo loco apud Wittenvveiram ſubitario opere caſtellum excitare incipiunt.

Vinarienſis Rhenum tranſit.

11. Jun.

18. Jul.

27. Jul.

1637. cipiunt. Pluribus ſubinde accedentibus, auctoque opere Wertanus ſubito cum octodecim equitum turmis ingruit: qui objecta peditum manu primum ſiſtitur, inde majorem quam crediderat numerum jam transmiſiſſe ſentiens, à Duce longo ſpatio repellitur. Mox munimenta eo tractu ab hoſte excitata deſeruntur. Rogabantur inde Argentoratenſes, ut machinas ſaltem & impedimenta per pontem ſuum tranſire permitterent; quod ab ipſis recuſatum. Indulſerunt tamen, ut ſex navigia majora apud ipſos emerentur. Paulo poſt Wertanus pluribus copiis auctus in caſtella cis Rhenum excitata ſummis viribus impetum dat, animis militum vino efferatis. Sed fortiter exceptus poſt duarum horarum pugnam repellitur, ad mille ſuorum cæſis, aut fauciis. Biduo poſt à Duce caterva octoginta equitum emittitur, quam ipſe cum quinque alis inſequitur. Sed iſtam Wertanus exceptam rejicit, quadraginta cæſis. Dux ipſe poſt tubos in primum Wertani agmen diſploſos retrocedit. Interim Wertanus tredecim Croatarum & Hungarorum centuriis firmatus fuerat, qui in pabulatores, ſub ipſa hoſtium ſtativa incautius progreſſos, repente impetu facto plurimos iſtorum abducunt. Paulo poſt parem prædam Wertanus captabat, omnibus Croatis, & cataphractorum legione aſſumtis. Sed Wilhelmus Otto Naſſovius Comes ſubtribunus, qui protegendis pabulatoribus cum quadringentis equitibus in vicina ſylva latitabat, erumpentes Croatas fundit, cataphractisque impingit; mox totum Wertani agmen præcipiti fuga in caſtra pellit, multis cæſis, triginta captis. Interea Dux magno cum labore machinas, & impedimenta, Hailerium que cum Gallis Rhenum tranſire tergiverſantibus traduxerat, ponte navali extructo, ad quem Argentoratenſes navigia & alia neceſſaria ſubminiſtrabant. Inde aliquoties Wertanum ſubito opprimere, aut ad prælium elicere tentabat. Sed hic commodis ac munitis locis ſe tenebat, undique excitis copiis indies valentior, penuque Offenburgi congeſto id agebat, ut Ducem ad Rhenum ſiſteret, defatigatumque & inopia attritum trans flumen cedere cogeret. Nec ut hic vi perrumperet, minuentes indies morbis copiæ, & maxima pars equorum mortua prohibebant. Quæ incommoda quo minus hoſtis ſentiret, nova ſupplementa indies accedentia efficiebant. Equidem ut è Gallia validæ ſibi copiæ ſubmitterentur, & ipſe Dux, & Succorum nomine Grotius Legatus diligenter inſtabant, quod totis viribus in Pomerania urgens hoſtis impreſſione in ſuperiorem Germaniam facta non parum diſtrahendus erat. Quibus ample promittebat Rex, deſignatis etiam, quæ magno numero illuc ire deberent legionibus. Sed nec veniebant niſi paucæ tironum centuriæ, & quæ ſub Hailerio aderant copiæ à Rheno longius abduci recuſabant, quæ & ipſe ad quatuor fere centurias redactæ erant, dum Hailerius miſſionem non modo petentibus dat, ſed & ultro offert non petentibus. Unde & Dux jactabat, videre ſe id à Gallis agi, ut ipſum perdant, quomodo Rohanæum apud Rhætos perdiderint. Se vero darum operam, ut ſi pereundum ſibi ſit, honeſte pereat. Quæ ipſius miniſter Ponica palam Pariſiis, non tamen velut à Duce juſſus, profitebatur. Etſi & hunc Galli quotannis octodecim librarum millibus datis ſibi devinxerant, quo dominum ipſius pro lubitu verſare poſſent. Ac revera Galli metuebant, ne Dux trans Rhenum pede fixo frænum morderet, nec uti hactenus dicto foret audiens. Igitur hic cum imparem ſe hoſti videret, caſtella in utraque Rheni ripa & inſula interjecta Manicampo, Gallisque cuſtodienda tradit, aut ſervanda, aut ipſorum cum dedecore amittenda; quibus quatuor Schmidbergii cohortes Germanorum addiderat. Ipſe cum ſuis in Alſatiam regreditur; ubi miſſa peditum manu Marckelsheimum à centum prædonibus inſeſſum expugnat. Hinc relicto Rheno in præfecturam Bruntrutenſem ſeu Delſpergenſem vallem ſe penetrat, ubi magna vis equorum inventa, ut equitatus ejuſdem brevi ſe inſignitèr reficeret. Magna quoque è Burgundis præda agebatur. Nec minus peditatus gliſcere, novis legionibus conſcriptis, veteribus ſuppletis, quod magna vis pecuniæ è Gallia ſubmiſſa foret. Equidem Helvetii ob impreſſionem in præfulatum Baſileenſem fremebant, Romanis præcipue ritibus addicti. Quos tamen miſſo Schafelitzkio placatum ibat; iidemque cum ſuis ſubjectis nihil injuriæ inferri viderent, reſederunt iræ, ac forum Vinarienſibus libenter præbitum.

1637. Rheno recedit. 29. Sept. 5. Oct.

§. 40. Digreſſo Duce Wertanus caſtella ab iſto ad Rhenum ſtructa expugnare conſtituit, copiis trifariam diviſis. In Alſatica ripa, ubi minus firmum erat caſtellum, ipſe cum majore parte copiarum rem gerit. E Briſgovica ripa Enckefortius invadit. Pontem Wurtzius tribunus impoſita navigiis manu petiturus erat. Manicampus, cui caſtellorum cuſtodia à Duce tradita erat, tunc ob adverſam valetudinem Argentorati aberat, de ſuorum virtute ſecurus, cujus quidem ſpecimina iſti tunc edidere valde ingloria. Trecenti quippe, qui extremum in ripa Alſatica caſtellum obtinebant, Wertano ingruente, eminus audito tubarum clangore nondum emiſſo telo arma projiciunt, pars navigiis inſilientes, cæteri fuga per pontem arrepta, quo per modicum Rheni brachium inſula adibatur, ponte poſt ſe dejecto; paucos ſerius molientes hoſtis in caſtello deprehenſos cædebat. Wertanus reparato ponte in inſulam transmittit, ſumma vi in ipſo hoc caſtellum impetum facturus, quod crederet, Gallos ideo prius deſeruiſſe, ut hoc tanto acrius defenderent. Sed centuriones nullo emiſſo telo ſtatim arbitrio hoſtis ſe permittunt, nulla ignaviæ cauſa allata, niſi quod de vilitate veſtium proteſtarentur. Reſtabat primarium in altera ripa munimentum, cui Enckefortius propinquaverat. In id cum Wertanus ex inſula ſemel tantum machinas interjecto Rheni alveo diſploſiſſet, præfectus Privatus ſtatim animis concidens deditionem malignis quantumvis conditionibus petit, & cum Wertanus ſubtribunum intus miſiſſet, eum toto caſtello circumducit, ac de penuria annonæ, & adparatus bellici queſtus, arbitrio ſe hoſtis permittit. Wertano ingreſſo Galli ſtatim funes ignitos juſſi extinguunt, & arma deponunt, in lacrymas effuſi, hoſtibus tantam imbelliam mirantibus. E Schmidbergii peditibus vix ſexaginta aderant, qui à ſeparato caſtello acriter reſiſtebant, nonnullis hoſtium proſtratis. Sed tandem & ipſi ſe dedere, ac Cæſarea ſubire ſigna coguntur. Augebat flagitium, quod illis caſtellis de annona & adparatu bellico ſaltem ad integrum menſem proſpectum eſſet; cum hoſtis haut paratum ſe obſidio fateretur, ac vix per triduum ob inopiam & imbres ibi ſubſiſtere potuiſſet. Ac querebatur apud VVertanum Privatus iſte non ſine lacrymis, ante octiduum Regi ab ſe caſtellorum delineationem miſſam, addita aſſeveratione illa invicta eſſe, ac nullam hoſtium vim metuere. Pari ſocordia Galli qui munimentum ad Druſenheimum inſidebant, oſtentatis tantum tormentis deditionem expetunt; quos Cæſarei exarmatos cum albis baculis Hagenoam dimittunt. Ita

Munimenta ad Rhenum ab hoſte expugnantur.

22. Octob.

Dux Bernhardus à

1637. recuperato Rheno Cæsarei in hiberna discedunt. Argentoratenses, quod Vinariensem sublevasse viderentur, omni subvectione secundo aut adverso Rheno jussu Cæsaris excluduntur. Qua re plebs offensa veteres amicos respectare: sed Senatui fixum sedebat neutri se parti hoc bello addicere. Sub finem anni Wurtenbergicus Dux in durissimas conditiones, quibus mutilata ipsi ditio restituebatur, meliorum deliberatione consentiebat. Etsi ne Twvila inexpugabilis arx, quam Cæsar sibi stipulatus fuerat, tradi posset, à Vinariensi prospectum erat, qui præfectum Widerholtium promissis, & data grandi pecuniæ summa sibi adjunxerat.

Controversia circa successionem Pomeraniæ, & tam Succorum quam Brandeburgici rationes.

§. 41. Hoc anno controversia circa Pomeraniam magna contentione à Brandeburgicis agitabatur morte Bugislai XIV. ex Pomeraniæ Ducum stirpe postremi; cujus hæreditatem cernere omnibus modis cupiebat Elector Brandeburgicus, passimq; jactato suo jure Succos velut alienæ rei detentores in invidiam vocare satagebat. Quibus utrique pars rationibus certaverit, non abs re fuerit cognoscere. Et nitebantur quidem Succi jure belli, velut qui Cæsarem sibi hostem Pomerania depulerant, eandemque post retinebant, cum Elector suscepta Pragensi pace hostilia induisset. Etsi Gustavus Rex ob communia sacra, & cognationem, qua Electori & Pomeraniæ Duci jungebatur, belli jure decesserat, idque in fœdus mutaverat, quo sibi reservaverat, si Dux nulla mascula prole obiret, antequam Elector velut *præsumtivus hæres* id fœdus ratum habuisset, aut ad provinciam liberandam reipsa auxilii quid contulisset, Rex ejusque successores eandem sequestratoria & clientelari protectione obtinerent, quoad super successione fuerit transactum, & à successore sumtus belli absque Pomeranorum onere refundantur, hocque fœdus ratihabeatur. Elector contra eam sibi provinciam deberi ferebat vetustis pactis, per quæ controversiæ inter antecessores suos, Pomeraniæque Duces ita compositæ sint, ut horum mascula stirpe extincta provincia illa ad Brandeburgicos Marchiones devolveretur. Ea pacta per Cæsares & Imperii Ordines confirmata, singulis Ducum successionibus renovata, per simultaneam investituram, & provincialium Ordinum homagium stabilita. Neminem fuisse hactenus, qui sibi super eo jure litem intenderit. Suecos ipsos id nunquam in dubium vocasse, ac titulum Ducis Pomeraniæ sibi citra scrupulum tribuisse. Succi contra eam successionem suo loco relinquebant; sed hac Germaniæ facie præstantius sibi jus esse rebantur, quo Electoris actionem non quidem plane abolere, sed suspendere tantum, quoad pax reducta foret, cupiebant. Equidem se Pomeraniam velut belli præmium ob situm Sueciæ opportunum respexisse; non tamen ut isti postulato mordicus inhærere decreverint, quin pro successu armorum eo vel cessuri vel aliam satisfactionem admissuri sint. Id quod Electori multis documentis constet. Ita Elector per Suecorum prætensionem jure suo non privabatur, sed id negotium ad futuros pacis tractatus rejiciebatur.

De reservato fœderis Pomeranici.

§. 42. Enimvero eousque expectare Brandeburgico serum videbatur, qui statim provinciæ possessionem arripere gestiebat. Idemque eludendis Suecorum rationibus jactabat; ultimum fœderis caput solius Gustavi Regis reservatum esse, in suam fraudem adjectum, cui Dux & Ordines provinciales contradixerint. Nec hisce in id consentire per vetera pacta licuisse. Se quantum res tulerit fœderis conditiones impleviſſe. Et quicquid de fœdere sit, rem inter alios actam sibi fraudi esse non posse, cujus jus in Pomeraniam non ab ultimo Duce, sed Cæsarea investitura, & vetustis pactis promanet. Ei reservato à se omni occasione contradictum; ex superfluo tamen vivo Gustavo Rege, & post ejus fata contendisse, ut abolito eodem sibi caveretur, à morte Ducis successioni suæ remoram non injiciendam. Jus belli à Suecis jactatum huc non pertinere. Regi cum Imperio & peculiariter cum Electore & Duce nihil hostile intercessisse; ipsis negotii nihil fuisse cum copiis à Cæsare in Borussiam missis, quas iste belli in Germaniam translati causam attulerit. Ita cum à belli causa Elector & Dux immunes sint, ex eodem Regi in Pomeraniam jus quæri non potuisse. Præsertim cum Rex initio declaraverit, se venisse, ut vicinos suos liberaret, non ut cuipiam sua eriperet, aut fines Regni proferret. Absurde jus belli adversus eos, quos liberatum venias, jactari. Ducem ipsumque Electorem licet milite Cæsareo pressos bellum adversus Cæsarem non habuisse, nec per eundem ditionibus suis ejectos. Neque Regem Cæsari velut hosti suo id potuisse adimere, quod hic pro suo non habebat; sed quod ab illis possidebatur, quos amicos Rex agnoscebat, nullo belli consortio implicitos. Denique jus belli non ulterius extendi potuisse, quam ut exemplo Cæsareorum & ipse copias suas illis è provinciis aleret. Ita subverso jure belli, fœderis, quod in hujus locum subiit, & ex eo firmitatem suam mutuatur, vim expirare.

Succorum exceptiones.

§. 43. Succi contra differebant; Discrimen ultimi capitis in fœdere à prioribus in eo verti, quod hæc Regem ac Ducem simul, illud solum Regis commodum spectet, & in hujus solius gratiam fuerit adjectum. Unde ut id caput peculiari modo conciperetur Regem permisisse, Ducem cupiisse, quo hic apud Electorem excusatiôr foret, velut per præsentem exercitum ad isthoc annuendum compulsus. Ducem equidem & Consiliarios ob Electoris respectum non lubentes huc descendisse: Rege tamen instante manus dedisse. Rationes belli & salutis, quæ ex apicibus legum non pendeant, præsenti fœderi adversus vetusta pacta favere. Electorem conditiones fœderis non impleviſſe, cum nec fœdus ratum habuerit, nec ad Pomeraniæ à Cæsareis liberationem quid contulerit. Quin reservato isti semper contradixisse, nec nisi isthoc excluso ad fœdus ratihabendum se obtulisse. Eundem à Rege in societatem vocatum cum promisso Pomerania defuncto Duce cedendi, semper abnuisse. Conjunxisse post copias cum Suecis, sed sero & elapso jam tempore istas conditiones implendi; easdem brevi revocatas; mox hostem induisse. Sane Electorem fœdere, in quod nunquam consenserit, non teneri, nec impediri, quo minus per idonea media jus suum persequatur. Nec eo secius ex fœdere Sueciæ jus quæsitum, quod & ipsi per licita media asserere fas sit. Cæsarem porro Regis utique hostem extitisse. Ejus copias Ducem & Electorem ditionibus suis recepisse, aluisse, super earum injuriis in Cæsaris aula querelam movisse, ex ipsorum terris in Borussiam adversus Regem exercitum eductum. Unde Regem stricto jure Electorem, Ducemque hostium numero habere potuisse, velut hostis sui vasallos ac cives, id quod & Rex Legatis Pomeranicis, ad ipsum in portu Elsnabbensi accedentibus, denuntiaverit. Equidem Regem scripto publico testatum, nil sibi hostile adversus ullum ex Ordinibus Imperii esse, nec arma sua in eos stringi; non quod jure id facere non potuerit, sed suadente prudentia, quod levius sibi bellum speraret, si Ordines hac declaratione in societatem, aut saltem ut neutris partibus se darent, permovere posset.

1637. ſet. Acceſſiſſe vinculum communium ſacrorum & cognationis, ob quod Rex, ſi ullo modo rationibus ſuis ſe attemperarent, amicorum loco ipſos habere decreverat. Unde & Regem, cum Dux Stetino progrederetur, cum ipſo tranſegiſſe, & ex fœdere deinceps, quam belli jure, agere maluiſſe. Poſt Pragenſem pacem novum belli jus Suecis adverſus Electorem natum, ex quo Pomeraniam ipſis detinere fas ſit; dum is junctis cum hoſte copiis varios hoſtilitatis actus in eos exercuerit.

Brandeburgici replica.

§. 44. Hæc facta cum Brandeburgicus abnuere non poſſet, reponere tamen conabatur: Pacem Pragenſem à ſe non factam, nec eo nomine litem ſibi intentari poſſe. Nullo Suecis fœdere junctum fuiſſe, nec defectionis argui poſſe, quod aliorum exemplo cum Cæſare in gratiam redire voluerit. Cum Sueci defenſionem ipſi præſtare non poſſent, iniquum fuiſſe à ſe poſtulari, ut in illorum gratiam ſe ſuosque manifeſto exitio exponeret. Quin nec eo ipſo tempore Suecos ſibi de Pomerania cavere voluiſſe. Suſcepta pace Pragenſi ſibi non fuiſſe propoſitum Suecis hoſtilia inferre; nec ſe intenſa ortum, aut in ipſorum fraudem cum hoſte ſe conjunxiſſe; ſed peditatu per oppida diſtributo equites, quo minus communi Imperii exercitui accederent, prohibere non potuiſſe. Potius cordi ſibi fuiſſe amicitiam Suecorum colere, & cum ipſis pacem communem promovere, Sueciæ honorificam & tutam. A Suecis inde in ſuos hoſtilia multa patrata, quibus non potuerit non omnibus modis reſiſtere. Nec ideo pacis cogitationes exuiſſe, nec à Suecis poſtulaſſe, ut ex aliorum libidine arma deponerent. Sed cum intelligeret, illis per pacem Pragenſem non ſatis cautum videri, operam dediſſe, ut peculiares cum iisdem tractatus ſuſciperentur. Enimvero iſthæc Suecis tanti non videbantur, quo minus Elector pro hoſte ab ipſis haberi poſſet. Nam ſufficiebat eundem paci Pragenſi acceſſiſſe; quo facto non quidem perfidia ſe velut fœdere violato obſtrinxerat, ſed ſimplici ratione in hoſtem abierat. Vires defendendi ipſum aliosque Evangelicos defuturas non fuiſſe, ni inter ſe diſcordes à Suecis ſe disjunxiſſent. Et obtentu neceſſitatis conſilia Electoris forte excuſari, id autem non effici, ut ipſe ideo Suecorum hoſtis haut ſit. Nam quacunque de cauſa recepta Pragenſi pace, cum neque amicus ſit, qui in hoſtis partes conceſſit, nec neutrarum partium, qui ſuper hoc cum bellantibus non convenit; nil ſupereſſe, quam ut idem hoſtis ſit, quoad pace facta amicitia inſtauretur. Suecos non adeo à cautione Electori ſuper Pomerania danda abhorruiſſe, conſtare ex iis, quæ quondam Francofurti cum Gœtzio Cancellario, & poſt cum Legato Gallico acta ſunt. Enimvero Brandeburgicos cautionem flagitaſſe; mentem ſuam ſuper Pragenſi pace declarare, ac viciſſim Suecis cavere noluiſſe, quod ab ipſorum partibus diſceſſuri non eſſent; unde non conſultum viſum iſtam cautionem annuere mox ad hoſtem tranſituris. Pacem Pragenſem acceptatam ſalva adverſus Suecos amicitia, proteſtationem eſſe facto contrariam; & colores ejusmodi nimium quam dilutos. Poſt pacem Pragenſem ambiguo hoſtilium initio id ſaltem conſtare, hoſtilia invicem exerceri. Tractatus ab Electore inſtitutos tanti non eſſe, ut is ideo hoſtis eſſe deſinat. Denique quod tanta cum invidia ſubinde Guſtavi Regis Germaniam ingredientis teſtatio occinatur, tanc iſtum ab initio de dilatandis finibus non cogitaſſe; ſed poſt arridente fortuna, uti ſolet, invitantem honeſtam occaſionem Regnum firmandi repudiandam non cenſuiſſe. Eo fine Pomeraniam maxime opportunam Sueciæ viſam, non ut Electori ſua eriperentur, ſed ut penſationem ex aliis belli jure hoſti ereptis facta abunde ipſi ſatisfieret. A morte Regis huiſce deſtinatis Suecos hautquicquam ita præfracte inhæſiſſe, ut ideo omnia ſurſum deorſum vertenda, & Electorem extreme offendendum ducerent; quin jam decretum de iſta prætenſione remittenda conceptum. Sed poſtquam Elector in hoſtium partes tranſierit, nihil nunc intereſſe, invito an volente illo Pomerania detineatur; quin vel Marchiæ intuper partem eripere fas eſſe. Guſtavi Regis mentem haut fuiſſe, ut Elector aliique Proteſtantes, quocunque ſe gerant modo, ipſum an hoſtes ſequantur, ſana an prava conſilia agitent, amicorum eſſe loco, ipſorumque bona ſacroſancta haberi debeant; ſed tunc demum, ſi & ipſi ad rationes ejus ſe componant, nec offenſarum antam præbeant. De cætero, naturali & omnium gentium jure fas eſſe, hoſtem & qui ejus partes ſequuntur, hoſtium loco haberi, in iſtorum res invadere, eoſdemque detinere, quoad bellum pace compoſitum fuerit.

1637.

Ordinum Pomeraniæ conſilium ſuper Reginine ejus provinciæ. 25. Febr.

§. 45. Porro vergente ad extremum Ducis valetudine Ordines Pomeraniæ Stetini coiverant, ſuper regimine provinciæ poſt iſtius mortem decreturi. Qui deliberatione habita per deputatos Bielkio Legato declarant. Non præſentius ſibi medium videri exitio à patria avertendo, quam ſi Electori Brandeburgico à ſe perſuadeatur, ut quoad pax inter Suecos ipſumque compoſita ſit, jus ſuum in ſuſpenſo relinquat, Pomeraniæ nihil hoſtile inferat, ac homagium ipſos eousque poſcere differat. Interim regimen provinciæ Ordinum nomine adminiſtretur ad formulam ante triennium abhinc conceptam: literæ ſigillo Pomeraniæ ſignarentur: Ducales reditus ad diſſolvendum æs alienum adhiberentur, qui tributis militaribus & ſalariis miniſtrorum ſuperfuerint. Ita Suecis ſatisfieri credebant, fœderique, quo Rex Ordines ſuis privilegiis relinquendos promiſerat. Reſpondebat Legatus, cui iſthæc non diſpliebant; ad Reginam ſe relaturum; ſimul duce mortuo Ordines ſe non turbaturum ea tamen lege, ut Electorem Pomerania arceant, neque conſilio aut opera eidem, ut provinciæ rebus ſe immiſcere queat, aſſiſtant. Iſti cum de excludendo Electore annuere ſe poſſe negarent, antequam ſua placita iſti expoſuiſſent, literas tuti commeatus petunt deputatis ſuis ad Electorem mittendis. De quibus cum Wrangelio deliberaturum ſe Legatus reponebat. Aſt mox cum ſcripto Ordines exhiberent, quæ verbis Legato expoſuerant, hic multis modis ea interpolata deprehendebat. Nam & omnia Electoris adprobationi ſubmittebantur, ac de ſuſpendendo Electoris jure omittebatur; ſimul additum erat, ne Sueci à ſe quid poſtularent, quod fidei Electori datæ repugnaret; & ſi Electori rationes ſuæ non probarentur, hæc omnia juri ipſius fraudi non fore. Quæ Legatus plane rejiciebat; nihil ſe cum Electore, profeſſo Sueciæ hoſte, aut cum alio ſub iſtius ratihabitione tractaturum. Tum poſtulabat, fidem darent Ordines, ſi Elector propoſitis non annuiſſet, ſe non paſſuros, ut iſte ullo modo Pomeraniæ ſe negotiis ingerat, nec juſſa ejus accepturos. Id quod Ordines adſpernabantur, cauſati, præmaturum eſſe talia promittere: omnia prius ad Electorem relaturos, à quo ſi nihil obtineri queat, cum Suecis, ut bonos viros decet, acturos. Scriptum ad mentem Legati emendatur. Porro Legatos ad Brandeburgicum ire parum Bielkio gratum erat, qui per literas iſta agitare malebat. Sed cum iſti obnixe proficiſci pertenderent, magis non impediebat, quam annuebat, negatis commeatus literis;

Ordines Pomeraniæ vacillant.

teris; quibus neglectis illi nihilo secius iter ingrediebantur. Vix Custrinum pervenerant, cum Dux extinguitur; (cui inter diuturnas super ditione eiusdem contentiones exequiæ demum die 25. Majanni 1654. per Reginam & Electorem Brandeburgicum contigere.) Unde statim sequenti die Bielkius Ordines scripto ad fœdus observandum hortatur, ac ne permittant, ut Elector regimen provinciæ invadat, aut quid novet, actumque fœderi repugnantem exerceat. Alias se vindicando Sueciæ juri non defore.

Brandeburgicus possessionem Pomeraniæ apprehendere vult. 4. Martii.

§. 46. Ast Brandeburgicus absque mora possessionem Pomeraniæ capessere ardens, literis primo à Regina Sueciæ petit, Bielkio & aliis ministris injungat, ne se in suscipiendo ejus provinciæ imperio impediant. Inde edictum format typis excusum, quo Ordines provinciales monet, ut ipsum legitimum Principem agnoscant, nec per alios à debito obsequio abduci se patiantur. Ejus complura exempla in Pomeraniam perferenda Legatis Ordinum obtrudere conabatur, qui ægre tandem 20. Mart. id ministerium amoliebantur. Iisdem hoc responsi Elector dederat: se successioni suæ inhærere fœderis Suecici securum; de propositis per Ordines amplius deliberaturum. Dubitabant initio Suecici ministri, num serio res ab Electore ageretur; cum magis è re ipsius crederent, administrationem provinciæ Ordinum nomine interim geri, quam Suecis ansam dari regimen utique arripiendi. Ideo autem consensum suum dissimulasse, ne de suo jure quid remisisse videretur, & ut post Ordinum acta irrita declarare posset. Quam viam si Elector instituisset, forte & Suecі rem tantisper in suspenso reliquissent, prout tempora se datent expediendam. Nec eo secius Bielkius atque Wrangelius decernunt hostium numero habere, si quis Electoris edictum adferat, aut acceptet, eive obtemperet. Concipitur quoque contrarium edictum publicandum, ubi Elector regimen sibi vindicare instituat. Paucos post dies ab Electore tubicen adest cum pluribus edicti exemplis, ac literis ad Ordines pari cum edicto argumento & ad Bielkium, Wrangelium que. Cui Bielkius in carcerem conjecto capitis supplicium intentabat, ni vidua Ducis intercessisset; cujus precibus datum, ut dimitteretur, monitus, ne is aut alius quispiam tali modo rediret. Edictum & literæ ad Ordines supprimuntur. Quæ ad Bielkium scriptæ erant, remittuntur aspero responso addito; absurdum esse, durante cum Suecis bello imperium velle exercere in possessa ab hisce, & ad quæ jus sibi tam insigne ex fœdere quæsiverint. Ei conatui se omnibus modis reluctaturum. Talia deinceps à se aut Ordinibus postulare supersedeat. Cæterum Ordines pronum in Suecos animum testati, quanquam haut volente Legato, tunc discedebant, paulo post conventu repetito mentem suam plene declaraturi.

Cui Bielkius restitit.

Alia Ordinum propositio.

§. 47. Ordines denuo congressi, cum antea ab se proposita Electori haut probari intelligerent, huc jam descendebant, ut regimen provinciæ ad receptam hactenus formulam administraretur, sub Electoris tamen nomine, idque deinceps regimen Electorale Pomeraniæ appellatum, sigillo Ducali 8. Aprii. tantisper uteretur. Id decretum Bielkio scriptum exhibent, petentes, ut istud adprobet, & ad Electorem mitti concedat, qui id ab eo ratum haberi curent; testati tamen, fœderi se fidem præstituros. Et conabatur Philippus Hornius Præses, & Cancellarius Schwalenbergius Bielkio persuadere, ne sinistri quid ex hoc suspicetur, quod ea magis in speciem sint decreta, ut in posterum apud Electorem excusati esse queant. Enimvero Bielkius ista plane respuebat, quod perspiceret, Electorem in hæc facile consensurum, cum hac ratione regimen provinciæ nulla cum Suecis antegressa transactione nancisceretur; horraturque Ordines, ut hisce altius penetrantibus desistant. Petunt inde iidem, ut denuo deputatos ad Electorem mittere sibi liceat, qui primum proposita ipsi adprobare conentur, & ut tantisper ad sua digredi queant, ad Kalendas Maji huc reversuri. Quorum utrumque Legatus abnuebat, cui ejusmodi cum Electore commercia prohibere injunctum erat: Inutilem juxta & periculosam fore eam missionem, Si quid Electori utique denuntiare velint, scripto id facerent. Interim manerent, & deliberationibus suis summam manum imponerent, ubi antea promiserint. Alias creditum iri, id ab ipsis agi, ut extracto negotio pro successu rerum consilia capiant. Quod si tamen utique rem differre pertendant, sibi quidem haut injunctum ab ipsis decretum vi extorquere, sed rationibus tantum moræ periculum demonstrare. His insuper habitis Ordines discessum adornant, causati, multos ipsorum jam abiisse, aut non comparuisse, nec sine omnium consensu de summa rerum statui posse. Interim rem in integro relinqui petunt. Quod Bielkius annuebat, modo & ipsi interim ad sinistra consilia non descendant, nec Electori aditum ad regimen provinciæ concedant, aut ullos possessionis actus exercere permittant. Omissa porro legatione literas 6. Aprii. ad Electorem scribunt, à Bielkio qua subjectionis quid præ se ferre videbantur emendatas, quibus alteram suam propositionem à Bielkio rejectam exponunt, utq; is priori adquiescere velit, rogant testati, sibi non esse in animo jus ipsius infringere, aut officio se suo subtrahere; sed ut omnia in integro maneant, ac ruina patriæ avertatur; in quam is hostilia ne exerceat. Ast Electori fiduciaria ista 21. April. administratio plane displicebat, nisi saltem sub nomine ipsius gereretur. Cæsarem aliosque Imperii Ordines dissuadere, ne in eam consentiat. Simul omnibus modis Pomeranos in Suecos irritare co- Brandeburgicus armis Pomeraniam vindicare constituit. nabatur. Ipse quoque indies magis in eos exacerbatus, & armis jus suum persequi certus undique consilium opemque expetebat. Jam paulo ante 15. April. mortem Ducis rem ad Cæsarem detulerat; qui literis causam ejusdem Imperii Ordinibus commendabat, hosque ad auxilium isti ferendum excitabat. 10. April. Vicini quoque Reges, & Danus cumprimis stimulatur ostenso, quantum ipsius interfit, eam provinciam in pristino statu permanere, nec Sueciæ accrescere; utque Reginæ persuadeat; finibus suis contenta Electori debita ne affectet. Pariter ad Utriusque Saxoniæ Ordines scribitur, ut Suecos ab istis destinatis dehortentur, aut ad sua vindicanda auxilium ipsi ferant. Ast Suecis fixum erat hoc rerum statu Electorem à Pomeraniæ possessione adprehendenda arcere, prohibita Pomeranorum cum isto communicatione, & hostium loco habendis, si qui ab isto ad Ordines mitterentur, aut horum aliqui negotii quid cum eodem 26. Maji. miscerent. Regina quoque literis ad Electorem instituti sui rationes deducit, & ut eam controversiam ad futuræ pacis tractatus remittat, petit.

Quam Bielkius rejicit.

Decretum Ordinum Pomeraniæ. 9. Maji.

§. 48. Tertio congressu Ordines decernunt, ut Consiliarii & Magistratus munia sua deinceps ad formulam antea conventam exerceant, velut à Pomeraniæ Duce relicti; mutuam defensionem stipulari, si cuipiam ob id decretum à Brandeburgico aut alio molestia intentetur. Regalia quæ vocantur, & summæ potestatis jura, & quæ citra peculiarem Principis consensum exerceri non solent, tantisper quiescere jubebantur. Addebatur protestatio, se neque Ducis jura invadere, aut indebitam potestatem exercere, neque suis privilegiis quid derogare cupere. Quanquam autem videri vellent hoc decreto primam propositionem, quam

1637. quam Legatus ad arbitrium Reginæ rejecerat, confirmasse; tamen in ipso instrumento nonnulli defectus reperiebantur, & in agendi modo impegerant Ordines, quod decretum secreto habitum subscriptumque obsignassent, ac statim discessissent, ac cum plerique jam abiissent, demum Legato communicassent velut sanctionem, qua isti utique adquiescendum sit. Statim quoque exercendæ administrationi se accingebant, Bielkio inconsulto. Unde hic confestim apud accitos Consiliariorum protestatur, actaque irrita declarat, quoad cum ipso super eadem re conventum fuerit. Ita ad justitium denuo reditum, & novo conventui dies indicta.

Quod Bielkius improbat.

Idem decretum discutitur.

§. 49. Congressis iterum Ordinibus Bielkius, quæ circa agendi modum impegissent exprobrabat, præsertim cum eo decreto non pauca contineantur, quæ in fraudem Sueciæ videantur tendere. Se inconsulto Episcopatum Caminensem in Croyæ Ducem collatum. In exordio decreti poni, ipsos morte Ducis humana protectione orbatos; cum tamen ex fœdere isto casu tutela provinciæ penes Sueciæ Regnum sit. Nec fœderis, nec communicationis cum Legato mentionem factam. Suspectum quoque esse, quod munia è priori obligatione continuanda dicantur, velut ad Electorem respicerent, cui in eventum morituri sine prole Ducis fides erat data, quodque eundem clementissimi sui domini titulo insignirent. Quæ etsi non absurda interpretatione Ordines lenirent: ea tamen postulante Legato murare tergiversabantur, quod multi, qui decretum subscripsissent, non adessent. Mox belli se torrente in Pomeraniam infundente ea tractatio abrumpebatur. Suecis tamen pro captu temporum sic satis decretum probabatur, quod defectus ejusdem posterioribus scriptis fere emendarentur, Ordinesque declararent, bona fide se fœdere staturos. Equidem Bielkio injunctum erat, tentare, num Ordines permovere possit, ut vel sine exceptione summum provinciæ imperium Reginæ Sueciæ deferrent, vel in summo provinciæ Consilio Bielkius ejusque successor præsidis vicem obiret. Sed hic ambiguo rerum statu de istis proponere consultum haut judicans id tantum quærebat, ut administratio provinciæ ex recepta formula penes Ordines, res militaris, & quæ inde pendent, in solidum penes Reginam forent. Idque etiam Rectoribus Sueciæ probabatur ea lege, ut in isthac administratione Ordinum nulla Electoris mentio fieret, nec quid commercii cum ipso foret, nisi Legato consulto. Dissimulabat tamen legatus ista à Rectoribus Sueciæ ratihabita; quod expedire judicaret, rem in suspenso manere, ut temporibus mutatis tractatio instaurari, & aliæ conditiones proponi possent. Ita arbitrium armorum penes Suecos ut antea manebat. Jus per provinciales magistratus dicebatur, per quos & reditus bonorum Ducis mensæ destinatorum, detractis expensis exigui momenti, & molestiæ plus quam emolumenti habentes, dispensabantur.

Suecorum circa id decretum mens.

§. 50. Inter ista super pace à diversis diverso modo satagebatur. Ejus ineundæ ne quam viam plane repudiarent, Suecis graves rationes erant. Gallia tantum aberat, ut Cæsari, à quo magno cum exercitu petita erat, bellum indicere vellet, ut ad pacem non iret, sed rueret, exhausto tributis populo, terris hostili, & suo milite vastatis; consumtis fere Richelii Cardinalis artibus, cujus privatim intererat bellum trahi. Tenebat porro hostis in Piccardia Castelletum & Capellam, in confinio Hispaniæ Ciboram & Socoam; in mari insulam Honorati totam, Margaritæ maxima ex parte. Perierant hactenus immensa classis impendia;

Suecorum super pace considerationes.

Mutinensis & Parmensis Dux, & Rhætia omnis 1637. defecerat, de Mantuano & Sabaudo paria metuebantur; Vinariensis expeditio languide procedebat. Gerebat bellum cum Hispano Gallia, à quo ut sua recuperaret, facile Germaniæ rebus se exuitura videbatur. Et jam literæ, jam nuntii Bruxellas commeabant. Angli nondum desinebant inanibus legationibus & tractatibus tempus juxta, & pecuniam perdere; & si vel paululum sibi circa Palatinatum satisfieret, circa reliqua parum laboraturi erant. Et quantillum erat, quod per Fleetwodum offerebant, ut militem conscribere apud se Suecis liceret; nempe quod Hispanis sæpe annuerant. Spargebatur equidem de navibus Palatino concedendis; sed quibus neque istius ditio recuperari, neque cætera Austriacorum destinata infringi poterant. Neque aliud ea classis actura videbatur, quam ut intercluſa Batavis, Hanseaticisque Hispanica commercia Angli sibi solis occuparent. Quod lucrum pluris ipsis erat, quam Palatinæ Domus splendor, & Germaniæ Ordinum libertas. Batavi nec cum Cæsare sibi bellum volebant, & cum Hispano clam socios agebant; nec exercitum educere prius volebant, quam pecunia à Gallis numerata. Regis Poloni media ætas, è rebus gestis gloria, favor apud suos, Austriacorum affinitas, & in Sueciam spes non poterant non huic suspectæ esse. Vires maritimas ab eo quæri adparebat. Amicitias facile reperturus erat apud eos, qui Sueciæ invidebant. Germaniæ Principes plerique arma in Suecos converterant, præter Landgravium, & Bernhardum Ducem, quorum uterque rerum Gallicarum factus erat accessio. Regiones, in quibus bellum gerebatur, indies magis exhauriri & vastari; unde militi pecunia, aliaque bello necessaria largius quam ante hac è Suecia submininistranda erant, ut & ipsa belli molestias non parum sentiret. Has ob causas uti media pacis, undecunque proponerentur, repudianda non erant; ita nec consultum videbatur anxium ejusdem desiderium præ se ferre, aut hosti suspicandi causam præbere, velut pacis conciliatores ab ipsis subornati forent. Et cum tam multi circa pacem satagerent, super tractandi modo, pacisque legibus discrepantia jactantes, tanto cautius procedendum erat, quoad constaret, num res serio ab hoste ageretur, & quam is tractandi viam demum insistere vellet, ne per præcipitantiam commoda sua destruerent.

De animo Cæsaris in pacem dubitatur.

§. 51. Sed & valde dubium erat, num Cæsari pax cordi foret. Equidem à nonnullis multa de prono ejusdem in pacem animo jactabantur. Belli adversus Suecos ipsum tædere, qui maritimæ oræ affixi hactenus sui nihil amiserint. Imminere cum Turca bellum, qui pacem cum Persis fecerit; & sine dubio ab adversa parte ad bellum illi faciendū stimuletur. Metum esse, ne pressi bello Germaniæ Ordines ad desperata demum consilia vertantur; aut ne in belli societatem cum Suecis Gallisque Angli quoque Batavique coëant. Cupiditate ulciscendi Gallos ipsum flagrare, quibus cum primis sit offensus ob Mantuanum quondam negotium, & nunc ob ea, quæ in Lotharingum, & bello hoc Germanico patrata sint: nec ferre constituisse, ut isti Lotharingia potiantur. Animum quoque ejus à Jesuitis remotiorem, quorum consiliis nimium violentis uti ipse nolit, patremque usum doleat. Iisdem edixisse, ne posthac laborem sumant consiliis publicis se ingerendi; quod sapientes judicent; ubi superstitione capti Principes sacerdotibus se dent regendos, prævalere consilia violenta, periculosa, & Pontifici quam Principibus, ut fortuna maxime faveat, utiliora. Eundem pro certo habere, nihil magis ex usu esse

1637. Domui Auſtriacæ, quam Proteſtantium Catholicorumque per Germaniam libratas tenere vires, & utriusque partis modo gratia, modo metu res ſuas provehere, ut Rudolphus, & ante eum Maximilianus fecerit. Confirmabant aliqui velle ipſum, ut Sueci parte Pomeraniæ ponantur, ne Princeps Calvini dogmata amplexus nimis potens fiat; & Suecorum interiectu Poloni Danique, & Saxonici Principes dividantur ac diſtrahantur. Iſta quanquam ſat ſpecioſe differebantur, facile tamen poſt deprehenſum, iſtis qui proponebantur tractatibus à Cæſare nihil aliud quæſitum, quam ut Suecos Gallorum ſocietate avulſos, ac per diffidentiam ſeparatos primum amoliretur, inde totis viribus Galliam obrueret. Quo fine etiam per Cæſareos miniſtros ſpargebatur, Suecos cupide in pacem ruere, quo commodis ſuis apud Gallos, Anglosque & Batavos velificarentur. Etſi Sueci judicabant, parum ſibi nocere, ſi ab iſtis credatur, viam ſibi ad tranſigendum cum Cæſare patere, poſtquam iidem fere otioſi parum aut nihil ad communem cauſam conferebant; ac enixius ſublevandos Suecos, ſi diutius eosdem in bello detinere vellent. Ex eo quoque conjiciebant rerum periti, Cæſari pacem parum curæ eſſe, quod is nunc ſpecioſo auxilii ferendi prætextu occaſionem haberet potiſſimos Proteſtantium atterendi; quam ab his ipſis præbitam Pontificii in ſinu gaudebant. Nec dubitarant Cæſarei duces jactare; ſibi non defuiſſe facultatem Banerium apud Torgam in caſtes compellendi; ſed ultro noluiſſe. Banerium quippe ſibi operam commodaſſe ad Saxonem enervandum; nunc ejusdem opera Brandeburgicum quoque atterendum: poſt non defore ſibi vires & ipſum in ordinem redigendi. Denique cum Banerius longe à finibus Cæſareorum ditionum diſceſſiſſet, Cæſarei univerſorum Ordinum reſtitutione repudiata de illis tantum in gratiam recipiendis diſſerebant, quorum res ingreſſu Suecorum in Germaniam ſalvæ fuiſſent. Quin addebant, ſi Sueci ita rigide reſtitutionem Ordinum urgeant, ab ipſis quoque Pomerania fore cedendum.

Brandenſteinii Comitis irrita circa pacem opera.

§. 52. Inter pacis conciliatores eo anno ſe ferebat Brandenſteinius Comes, in aula quondam Cæſaris ſat gratioſus; qui Oxenſliernæ ſuperiore anno ſe obtulerat itineri Viennam ſuſcipiendo, & tentandis de pace tractatibus; eundemque permoverat, ut literas ad Cæſarem ſcriberet, & mandatis ipſum ſuper hoc negotio inſtrueret. Et jactaverat idem, utiliorem ſe Sueciæ operam navaturum, quam magnos mediatores, queis ſui potius ſtatus rationes, quam Sueciæ cordi ſint. Sed Cæſarei tunc rebus ſecundis inflati, non niſi de Suecis Germania exturbandis crepabant. Poſt fallente hac ſpe, ad propoſita à Brandenſteinio revolvebantur, ac Juſtum Gebhardum, ad quem iſte Oxenſliernæ literas miſerat, eidem reſpondere jubent; non ingratum Cæſari fore tractatus in aula ipſius ſuſcipi parcendo tempori, ſi quidem à Suecis mittatur quiſpiam idoneis mandatis inſtructus. Brandenſteinius quoque in aulam Cæſaream evocatur, venia præteritorum data, cui & de tuto commeatu diplomate Cæſaris cavetur. Sed Suecorum rebus in melius euntibus, haut decorum viſum ultro Legatum Viennam mittere, ignominiæ metu, ſi negotium non ſucceſſiſſet; & ne velut ad extrema redacti pacem mendicare viderentur, ſimul quod Hamburgi, aut vicino loco tractare Sueciæ commodius foret. Unde à Rectoribus Sueciæ per literas Brandenſteinii mandata revocantur. Quæ tamen ſerius in caſtra Banerii ad Torgam perferebantur, cum iſte rei gerendæ cupidus, ac Cæſareo commeatu fretus iter jam ingreſſus foret. Eo diplomate inſuper habito, cum Dreſdam perveniſſet, à Saxoniæ Electore in arctiſſimam cuſtodiam una cum uxore partui vicina rapitur, in qua per aliquot annos detentus, vitam demum clauſit, Banerio fruſtra apud Hatzfeldium expoſtulante, fidei à Cæſare datæ tam exiguam rationem haberi. Putabatur iſte Cæſari has pacis leges propoſiturus, ut Suecis tota Pomerania, Brandeburgico Interior Luſatia daretur. Saxo, cur manum iſti injecerit, cauſam ferebat avocatoria neglecta, ac conſilia adverſus ipſum Suecis ſuggeſta. 1637.

Fopponis Aizemæ inanis conatus.

§. 53. Sed & Foppo Aizema Belgarum ad Cæſarem Legatus circa pacem ſatagebat, qui ſuperiore anno Ratiſponæ jactaverat; à Salvio ſibi per literas ſignificatum, Suecos in Cæſaris aula pacis tractatus ordiri velle; quod tamen Salvius à ſe factum negabat. Eam ad rem iſte operam ſuam offerebat, ſpe boni ſucceſſus facta; ſimul Brandenſteinii conatus cavillabatur, qui præmature nimis de legibus pacis effutiſſet. Enimvero Suecis haut quidquam placebat Auſtriacorum ſe ludibrio præbere; nec Aizema idoneus tantæ rei autor habebatur, omnibus, qui hominem norant, irridentibus, quod iſte hanc ſe ingerere non dubitaret; quem præſertim poſt ſuſcepta facta Romana gratiæ Cæſaris omnibus modis adrepere conſtabat.

Tractatus cum Marchione Sigismundo.

§. 54. Majoris momenti videbatur Moguntini & Brandeburgici interpoſitio, Electoralis Collegii nomine ſuſcepta, qui Sigismundum Marchionem delegaverant, expediendis, quæ tractatui præparando requiruntur. Quanquam & de hoc Sueci parum ſpei conceperant, quod Electores utique in proteſti hoſtis partes conceſſiſſent; & difficillima controverſia cum Brandeburgico ſuper Pomerania futura eſſet; cujus Legati etiam acerrime Suecorum res impugnaverant. Neque vero Marchionis ea apud Cæſarem exiſtimatio erat, ut judicare liceret, illum dignum tam ardui negotii inſtrumentum haberi. Nec vana erat ſuſpicio, eos tractatus tantum extrahendo tempori ſuſceptos, quoad omnes Cæſareorum copiæ adverſus Suecos undique coiiſſent. Haut quicquam tamen placebat abrupte congreſſum abnuere; ſed non inutile videbatur audire, quæ proponerentur, expiscandæ quantum licebat iſtorum menti, eosque in ſuſpenſo tenere. Initio igitur Marchio offerebat, ſe Stetinum venturum, quod Bielkius gravibus negotiis diſtrictus oppido excedere vix poſſet, & ſuper auſpicando tractatu acturum; addito, ut ne interim hoſtilia in Electoris terras exerceantur, ac præcipue ſedi Principis ſecuritas præſtetur. Bielkius cum honorificum Reginæ judicaret iſtum ad ſe accedere, ut Stetini congrederentur, facile annuebat. De Berolino Principis ſede ad Banerium rejiciebat. Suecicas copias in Electoris ditione modeſtiam exercituros, prout Brandeburgici ſe erga iſtos gerere deprehendantur. Hoc reſponſo non adquieſcens Marchio ſuper Berolini ſecuritate denuo urgere, cujus cura ſibi præcipue mandata ſit, ut ni eidem prius caveatur, inde ſe movere nequeat. Mox tamen Bielkio re curatius expenſa haut conſultum videbatur Marchionem Stetinum venire. Nam & de Arnheimi machinationibus, quarum Brandeburgici conſcii ferebantur, atrocia ſpargebantur; & expirante Duce iſte Stetini præſens ſine dubio poſſeſſionem provinciæ nomine Electoris invaſurus erat; præſertim cum animadverſum eſſet, ab Ordinibus conventum tunc agitantibus ejus præſentiam avide expectari, eamque ob cauſam eosdem negotiis jam abſolutis diſceſſum diſtuliſſe. Ergo ambabus manibus à Bielkio arrepta anſa quæ conceſſerat retractandi, quod ipſe Marchio, ni Berolino caveatur, Stetinum veni-

Marchio Stetinum venire vult. 25. Jan.

1. Febr.

Id Bielkius abnuit.

re

1637. re dubitaret; præſertim cum eodem tempore Brandeburgici Succos Berwaldæ hoſpitantes oppreſſiſſent. Igitur denuo ſecuritatem Berolino, & ceſſationem armorum abnuit; & exercitis per Brandeburgicos hoſtilibus poſt datas tuti commeatus literas, haſce jam expiraſſe. Novas ſe tamen miſſurum, ſi Marchio Suetæ aut Prentzloviæ con-
7. Febr. gredi ſecum velit. Marchio omiſſa, quam antehac
16. Febr. tam fervide urſerat, de Berolino cautione, & nulla mentione de mutato loco facta, ſimpliciter commeatum renovari petebat, quo ad ipſum accedere poſſet. Ex eo ſuſpicio augebatur, Brandeburgico non tam tractatus pacis cordi eſſe, quam ut cum Ordinibus Pomeraniæ ſuper ſucceſſione capeſſenda ageret; qui & ipſi interea Stetini cupide iſtius
18. Febr. acceſſum expectaverant. Bielkius tamen, velut nihil iſtorum ſentiret, reſpondebat; ſi fortaſſe Suetæ aut Prentzlovia non placeret, alium congreſſui locum proponeret; ſuper quo ubi conventum fuerit, in concedendo commeatu moram non fore.
Congreſſus Vierradæ habetur, 1. Mart. Igitur Marchio, cum artes ſuas non proceſſuras animadverteret, demum conſentit, ut Vierradæ congrediantur. Heic Marchio de Electorum inſtituto præfatus ſuper tempore & loco tractatuum, & quos Regina Legatos deſtinaret exquirere incipit; tum ut literæ tuti commeatus Cæſareis & Electoralibus Legatis expediantur. Aſt Bielkius primo omnium procuratorium Marchionis inſpicere cupiebat, velut totius negotii fundamentum; ſuum ipſi mox exhibere paratus. Ad quod Marchio ambigue; non dubium eſſe, quin Cæſar Legatos ſuos idonea agendi facultate inſtruxerit. Sibi præter ea, quæ jam expoſuerit, nihil injunctum. Electorum mandata Cuſtrini eſſe. Interim quæ ſua mens ſuper propoſitis ſit, exponeret. Bielkius etſi parum hoc modo effici poſſe videret; tamen ne fruſtra iter ſuſceptum foret, ſimul ne malevoli Suecos velut pacem averſantes, calumniandi anſam arriperent, ſuper propoſitis diſſerere inſtituit, ut tamen nihil definiretur; ſed omnia integra ad ſuperiores rejicerentur; quod & Marchio ſe facturum dixerat. Nam abſurdum erat, ipſum Reginæ nomine ad certi quid ſe aſtringere, cum Cæſari integrum foret iſta acceptare, aut repudiare. Monebat porro Bielkius, non ſolum literas fiduciarias ſuper expediendis præliminaribus, ſed & illas, quæ circa ſummam negotii agendi facultatem tribuant, exhibendas; quas ab ipſo Cæſare, non à ſolis Electoribus profectas oporteat, quippe qui tantum acceſſio Cæſarei belli ſint. Tum accelerando negotio valde expedire, conventum Proteſtantium quamprimum indici, ubi ſuper amneſtia, ac Sueciæ, militumque ſatisfactione tranſigatur, quo iſthæc cum primario pacis negotio pari paſſu expediri queant. Legatos ferebat, ſe, Joannem Salvium, & Jacobum Steinbergium deſtinatos. Hamburgum utrique parti commodiſſimum locum fore; etſi Marchio de Lubeca, Brunſvviga, & Francofurto ad Oderam mentionem quoque faceret. Ante Pentecoſtes feſtum congreſſui initium fieri vix poſſe. Literas tuti commeatus Marchio etiam pro cæterorum Electorum Legatis confici poſtulabat. Iſta uterque ad ſuperiores ſuos relaturum ſe promittebat. Et quia certi nihil definitum erat, ſupervacuum viſum ſcripto iſta complecti. Ita tunc diſceſſum.

Arnheimius capitur, 3. Mart. §. 55. Dum Vierrada Gartzium Bielkius regreditur, cognoſcit Arnheimium in prædio ſuo Boitzeburgo in Marchia Uckerana hærere. Fuerat is vir dudum rebus Suecorum valde peſtilens, quorum conſilia turbaverat, progreſſus ſtiterat; & vivo adhuc Guſtavo Rege inauſpicatæ pacis Pragenſis fundamenta jecerat. Idemque præcipue circa finem ſuperioris anni perpetua cum Cæſareis miniſtris converſatione, ac multis hinc inde itine- 1637.
ribus ad Polonum, Danum, Saxonem, Brandeburgicum, Luneburgicum, Holſatum, valde ſuſpectum ſe reddiderat, velut periculoſa Sueciæ conſilia coqueret. Ac conſtabat, Poloniæ ac Daniæ Reges ab ipſo ſtimulari, ut armati pacis mediationem ſuſcipiant, ac Sueciæ pacem, quæ ipſis placeret, obtrudant. Cui intercipiendo Rectores Sueciæ jam antea Wiſmariæ præfecto mandata dederant, quod iſte frequens inter Lubecam & Suerinum commearet. Mittit igitur Gartzio 6. Mart.
Bielkius tribunum Bohmium, qui iſtum comprehenſum ſequenti die Stetinum abducit. Is initio paulo abjectiore animo ſe excuſare, de ſtudio pacis & innocentia ſua teſtari. Sed cum intelligeret, cum alios, tum præcipue Meclenburgicum cauſam ipſius ſuſcipere, ferocius loqui, velut rationem ab illis exacturus, qui manus ipſi injicere auſi eſſent. Igitur inſuper habitis, quæ ille jactabat, fas eſſe credebant Succi per turbida ſaltem hæc tempora, quibus ipſorum rebus multum nocere poterat, virum cuſtodia detinere; quo fine & paulo poſt in Sueciam mittebatur. Unde ſequenti anno iterum ſe proripuit, dum ſolenni in arce convivio incautius cuſtoditur.

Subdelegatorum congreſſus. §. 56. Quæ Vierradæ acta erant, à Brandeburgico ad Cæſarem & Moguntinum transmittebantur; quorum hic ſuper loco tractatuum omnia Cæſaris & Brandeburgici arbitrio relinquebat. Cæſar autem Marchioni procuratorium de loco & 5. April.
tempore tractatuum agendi expediri juſſerat. De 20. April.
quo Marchio ſtatim Bielkio ſignificat, copiam ejusdem ipſi facturus, ubi iſte exemplum ſui prius transmiſerit. Simul locum tempusque conſtitui poſtulat autographis procuratoriorum inſpiciendis, ac prævia conventioni abſolvendæ. Bielkius ne quid prærogativæ Marchioni deferret, prius oblato procuratorii exemplo proponit, ut ab utroque delegati ipſa autographa mutuo inſpiciant; quod & Marchioni placet, conventumque, ut iſti in Oderæ fluminis inſula inter Oderbergam & Suetam congrederentur. Die dicta ibi 5. Junii.
conveniunt Joannes Lilliestræmius à Bielkio, & Joannes Georgius Bornius, & Joannes Marenholtzius à Marchione ſubſtituti; qui primo in navigio, inde in proxima ripa remotis arbitris diplomata mutuo exhibita perluſtrant. In Bielkii pro- Diſceptatio ſuper procuratorio Suecico.
curatorio Brandeburgici cavillabantur; quod iſtud de primario duntaxat negotio ageret, nulla præliminarium facta mentione; quod alicubi in ipſo literarum contextu Reginæ nomen ante Cæſaris poſitum foret; quod Cæſar odioſo & acerbo *partis adverſæ* vocabulo inſigniretur; & quod propius jam ad pacem accedere diceretur, velut ante hac à pace abhorruerit, aut ultro nunc pacem petat. Ordinum quoque Sueciæ ſubſcriptionem deſiderabant. Ad quæ pro tempore Lilliestræmius reponebat: Minorem facultatem ſuperiore contineri; alios Reges Cæſari prærogativam quandam honoris vetere conſuetudine deferre; ſed in Regna ſua pari jure ſummum imperium obtinere; cujus vi cum ejusmodi diplomata proficiſcantur, non eſſe cur ſuum nomen alterius nomini non anteponant; cum & alteri pari jure uti ſit integrum. Et cum Cæſari apertum cum Regina Sueciæ bellum intercedat, adverſæ partis vocabulum molle quid & modeſtum præ ſe ferre: neque tamen difficile fore id tollere, ſi quid offendat: de cætero innoxie poſita verba ultra ſcribentis mentem non eſſe producenda. Denique non moris eſſe, ut iis, quæ cum extraneis Principibus à Rege aut Tutoribus aguntur, Ordinum Sueciæ confirmatio accedat. Hiſce ſibi ſatisfactum fere Brandeburgici oſtendebant, niſi quod *adverſæ partis* vocabulum utique

1637. utique expungi poſtularent: omnia tamen ad ſuperiores ſe relaturos polliciti. Exemplum procuratorii Cæſarei prælegebant quidem delegato Suecico; id tamen eidem tradere abnuebant. Sed & Cæſarem vix in Hamburgum aut Lubecam conſenturum ſignificabant. His actis ad ſuos Delegati utrinque revertunt.

§. 57. Marchio inde per literas alium congreſſum poſtulabat. Bielkius etſi id agi perſpiciebat, ut Cæſarei ſingulare ſtudium pacis oſtentarent, ejusque extractæ invidiam in Suecos devolverent; hautquicquam tamen in congreſſum conſentire volebat, quod inanem iſtum futurum perſpiceret. Nam & quæ iſti ſuper procuratorio moverant in Sueciam referenda erant, cum ab ſe iſtud refingi non poſſet: & iidem Hamburgum ac Lubecam tractatibus habendis repudiaverant, cum ipſe de nullo alio loco in mandatis haberet. Sed & in procuratorio Cæſareo quæ deſideraret non deerant; & ſuſpectum erat, quod exemplum ejus, quod ſuper principali negotio agendi facultas conferebatur, communicare abnuiſſent. Igitur prius per literas exquirendum cenſebat, num Marchioni ſuper ſcrupulis circa procuratorium ſuum motis, ſatisfactum foret; ac num hiſce inſuper habitis ſuper primordiis tractatuum tranſigere vellet? Aſt Marchio congreſſum urgere, quod ibi curatius utrinque dubia diſcuti queant; tum Bielkium arguere, velut poſtulato Proteſtantium conventu Cæſari leges præſcribere, ac negotium extrahere vellet. Contra hic fruſtra congreſſus inſtitui judicabat, ni Marchio declaret, motos à ſuis ſcrupulos circa procuratorium non obſtare, quo minus tractatio ſuſcipiatur. Et ubi is tergiverſetur, ſatis indicare, pacem ipſi parum curæ eſſe. Crebræ hinc inter iſtos literæ, ſed quibus nihil ad ſummam rerum proficiebatur. Inprimis Cæſarei notaverant, Imperatorem *Serenitatis* tantum, non *Majeſtatis* titulo ſalutari, quem cæteri Reges omnes ipſi deferre ſoleant. Equidem Guſtavum Regem quadam epiſtola *Serenitatis* tantum vocabulum adhibuiſſe; ſed ea de cauſa ad eandem nihil reſponſi repoſitum, & ſtatim remittendam fuiſſe, ni tam ſero reddita foret. Et conſtabat Cæſarem ab Angliæ Rege, & in pactis Stetinenſibus à Joanne Sueciæ, & Friderico Daniæ Regibus Majeſtatis titulo honeſtatum. Quem nec Bielkius abnegatum iri pollicebatur, ſi & alii Reges, qui in eadem cauſa verſarentur, eundem Cæſari tribuerent. Viciſſim Bielkius in procuratorio Cæſareo notabat, quod Reginæ lingua Teutonica *Serena*, non *Sereniſſima* vocabulum foret tributum. Nam etſi Stetinenſi pacto *Sereni* tantum titulo Sueciæ Rex à Cæſare nuncupetur; tamen cum ex eo tempore gliſcentibus honorum vocabulis ab eodem alii Reges *Sereniſſimi* ſint appellati, merito & Reginam Sueciæ eum ſibi titulum poſtulare. Sed & abſurde videbatur poſitum, quod Cæſar quæ acta eſſent, *clementer* ſe obſervaturum ſcriberet; quod vocabulum cum inter ſummas poteſtates invicem adhiberi non ſoleat, ex errore ſcribæ à Marchione profectum judicabatur. Inter hæc Marchio per literas Bielkio ſignificat, cum ab Electore ad nuptias Poloniæ Regis legatus deſtinatus ſit, alios à ſe ſuffectos, qui ſuper præliminaribus tractatum cum ipſo, aut ejus delegato concluderent. Enimvero quo minus Bielkius iſtos admitteret, obſtabat, quod in procuratorio Marchionis de ſubſtituendi facultate mentio facta non eſſet; & quod *Serena* tantum titulum Reginæ tribueret; cum à Germaniæ Principibus nullus Regum aliter, quam *Sereniſſimi* & *Potentiſſimi* vocabulo nuncupetur. Iſta cum ad Cæſarem relata eſſent, hic quidem de *Sereniſſimæ* titulo tribuendo, nec minus ſuper vocabulo *clementer* omittendo facile annuerat; ut tamen utique *Majeſtatis* titulus ſibi daretur. Marchioni quoque poteſtatem ſubſtituendi expreſſis verbis conferebat. Cætera quæ in procuratorio Suecico Marchio cavillatus fuerat, Cæſarei velut tricas ſcholaſticas adſpernabantur. Enimvero indies minus Brandeburgicam interpoſitionem æſtimabant Sueci, gliſcente animorum exacerbatione, quod Brandeburgici nuper vulgatis, quæ ſuper ſucceſſione Pomeranica agitata fuerant, Guſtavum Regem perſtrinxerant, & Bielkii contumelioſam mentionem fecerant. Et conſtabat ipſos Viennæ pacem magis ſuffl aminare, quam promovere, Cæſari ingerentes, in proclivi jam fore Suecos Germania vi expellere. Unde potius vifum tractatus iſtos non quidem plane abrumpere, ſed tantiſper in ſuſpenſo tenere, quoad adpareret, quem ſucceſſum ratihabitio Gallici fœderis habitura eſſet. Accedebat inde Bielkii valetudo, per quam publicis vacare negotiis ipſi non licebat. Eoque Brandeburgicis Legatis de novo congreſſu poſtulantibus, reſponſum: Rectorum Sueciæ declarationem ſuper motis dubiis nondum adpuliſſe. Mox cum Bielkii morte quæ inſequenti vere ſecuta eſt, ea tractatio plane expiravit.

Defectus procuratorii Cæſarei.

21. Jul. Tractatus cum Marchione expirant.

16. Octobr.

1637.

§. 58. Eodem anno ſecretos Hamburgi cum Salvio tractatus moliebatur Auguſtus Brunſuicenſis Dux internuntio Werdenhagio, clam ſuccinente Cæſaris apud Hamburgenſes Reſidente Menzelio. Rectores Sueciæ etſi in univerſum Germaniæ Principes ſuſpectos haberent, tamen præquovis alio hujus Principis operam amplectendam judicabant, qui & prudentia pollebat, nec miniſtro cuipiam ſuo obnoxius erat; ſimul aulæ Cæſareæ gnarus, notusque, & ob aditam nuper hæreditatem cæteris potentior; ac majore forſan autoritate. Cujus inſuper intererat pacem coire, ſed quem ea, ad quæ Sueci adſpirabant, parum aut nihil tangebant. Ab iſto negotium ita deſignabatur, ut Salvius & Menzelius, commeante inter utrumque V Verdenhagio, cui res valde cordi videbatur, primordia tractatus abſolverent. Inde è Cæſareis Conſiliariis Hamburgum veniret, qui cum Salvio ſuper controverſis articulis ſecreto tranſigeret. Tandem Auguſtus Dux, & Oſnabrugenſis Epiſcopus mandatis Cæſareis inſtructi ſolenni more tractatui colophonem imponerent; id quod Sueciæ honori ſit dandum. Oſtendebat in hoc negotio ſingulare ſtudium Auguſtus Dux, & quoad procuratorium quod expectabat à Cæſare adeſſet, leges pacis à Salvio proponi poſtulabat. Sed qui eum ad acta Oxenſtiernæ cum Saxone remittebat, ad propiora deſcendere veritus, quoad ſuſceptis tractatibus adpareret, quid ſolidi negotio ſubeſſet. Ubi id cumprimis mirum videbatur, quod Menzelius omnium aliorum circa pacem operam elevabat, ac ultro, ne Sueci feſtinanter agerent, monebat. Cæſari quippe omnes, qui heic ſe offerant, admittendos, ne quam pacis viam repudiaſſe videatur; ſed quorum nemo rem confecturus ſit. Multa inſuper de Poloni, Dani, Saxonisque, & Brandeburgici conſpiratione jactabat, quæ & ipſi Cæſari ſit ſuſpecta, eoque velle ipſum æquis conditionibus cum Suecis tranſigere. Regem Daniæ præfecturam bellicam Inferioris Saxoniæ, ſimul Baltici maris & Oceani affectare, ſuffragante Saxone, Brandeburgico, & Meclenburgico. Eundem jam Cæſari obtuliſſe, ſe ex legibus pacis Pragenſis Sueciæ bellum illaturum, circa ductores in exercitu Suecico corrumpendos ſatagere; cum Hiſpano fœdus iniviſſe, qui magnam pecuniæ vim ſuppeditaturus ſit. Polonos per Joannem Caſimirum Principem omnia agere, quem pacta Borullica non teneant. Illis

Auguſti Brunſuicenſis Ducis ſuper pace conatus.

Cæſarei miniſtri narrata.

conſti-

1637. conſtitutum, non in Germania ſolum Suecos aggredi, ſed & ipſam Sueciam invadere. Eo fine duas claſſes in mari Baltico adornari, quarum uni in portubus Holſatiæ, alteri ad Gedanum ſtatio ſit futura. Nominabat etiam, qui claſſem Suecorum incendendam ſuſcepiſſet. Sigismundi Marchionis tractatus mera eſſe ludibria, & qui Danicis & Polonicis conſiliis regantur: eoque ſi abrumpi plane non poſſint, ſcriptis duntaxat agendum vitato congreſſu. Danum & Polonum de Suecia inter ſe dividenda agere; eoque Cæſarem ſatius judicare, Sueciam ſubſiſtere, quam ipſius vicinis accreſcere. Suadebat quoque, ne Sueci per inducias ſeduci ſe patiantur, utque omnibus viribus Saxonis ac Brandeburgici copias opprimant, quibus & ipſe Cæſar parum fidat. Talia ab hoſtis miniſtro prolata incertum erat, num revera ita ſe haberent, an ad diſſidentiam ſerendam pertinerent, & ut Sueci timore correpti eo cupidius in pacem ruerent; præſertim cum & vulgo VVerdenhagius nimiæ credulitatis, & Menzelius jactantiæ inſimularetur. Quicquid tamen ſubeſſet, rationis erat iſta non plane inſuper habere, & quanta liceret circumſpectione uti.

Auguſti Ducis conſilia.

§. 59. Id porro conſtabat, Auguſtum Ducem apud reliquos Proteſtantes Principes id agere, ut ne ipſis inſciis pax cum Suecis coiret: & videbantur iſti ſecreto id moliri, ut in unum corpus junĉti mediatores ſe Cæſarem inter, & Reginam Sueciæ ferrent, quo commodis ſuis, quæ in iſthoc negotio vertebantur, tanto melius invigilare poſſent. Et præcipue Brunſuicenſes & Luneburgici Principes jam manifeſto deprehendebant, per Pragenſem pacem, & Electorum Ratiſponæ conventum ad Germaniæ quietem parum profectum; Ordinum ac præcipue Proteſtantium ſalutem ac libertatem in lubrico verſari; ac Principum faſtigio, dum ad publicas conſultationes non admittuntur, non parum detractum. Igitur ejus familiæ Principes Hildeſiæ congregati de ſumma rerum conſilia conferebant. Ubi id imprimis agnoſcebant, nunquam Germaniæ ſtabilem quietem redituram, niſi omnibus Ordinibus reſtitutis. Excluſos quippe extrema omnia tentaturos; exteros hoc obtentu pedem magis in Germania firmaturos. Extracto bello autoritatem Imperii, omnibus quondam nationibus formidatam evileſcere, provincias deſolari, Ordines peſſumdari. Aleam Martis ancipitem; infinito labore & ſumtu opus fore ad Suecos ora maritima depellendos; & ut fortuna Cæſareis arrideat, Saxoniam utramque miſere vaſtandam. Igitur primo omnium illi cenſebant, omnes qui pacem acceptare velint, abolita præteritorum memoria, dignitati & bonis reſtituendos. Tum ut onus ſatisfactionis Sueciæ, non in ſolos Proteſtantes devolvatur, ſed in omnes diſtribuatur, eos præſertim, qui à bellorum oneribus immunes hactenus egiſſent. Quapropter conventu quamprimum indicto opus eſſe, quo de his omnibus tranſigatur. Denique ferendum non eſſe, de negotio pacis neque ſibi, neque quantum ſciant alteri è Principum Ordine quid communicatum; quod tamen velut communis ſalutis firmamentum univerſorum Ordinum conſenſu expedire par ſit, nec ſolis Electoribus eam curam relinquendam, quorum alias eminentia non ſolicitetur. Atque iſthæc Cæſari & Electorali Collegio per literas exponunt, rogantes, ut ipſi ac reliqui Ordines negotio pacis adhibeantur, ſuaque deſideria audiantur ac quod omnes tangat, communi cura expediatur. Eadem quoque Saxoniæ Electori peculiariter commendant; utque ſi fieri poſſit præparandæ paci conventus Proteſtantium indicatur. Simul Brandeburgicum, ut paci reducendæ operam det, hortantur. Enimvero uti per hæc arcana pacis Pragenſis convellebantur; ita mirum non erat, Auguſtum Ducem deinceps Cæſari parum idoneum pacis ſequeſtrem viſum, cujus rationibus non quadrabat, Principes Germaniæ ipſius deſtinata nimis profunde inſpicere, ac ſua emolumenta tractatibus infarcire. Ita & iſtius Ducis mediatio in ipſo velut ortu ſuffocata eſt. Equidem longo poſt tempore VVerdenhagius denuo ad Salvium accedebat, diuturnum heri ſui ſilentium excuſans, quod is cœpros à Sigismundo Marchione tractatus diſtrahere noluerit. Nunc autem Cæſarem declaraſſe, ſibi placere, ut Hamburgi citra ſtrepitum res tranſigatur; qua perfecta Regem Daniæ acceſſurum, qui ſua autoritate tractatui ſplendorem adderet. Enimvero iſta tanquam vanitatis manifeſta repudiabantur; ac potius ſuſpicio erat, eundem Legato Gallico Avauxio operam navare, ab ipſo ſubornatum, Suecorum deſtinatis expiſcandis. Nam mire tunc anxii erant Galli, ne Sueci ſeorſim cum Cæſare tranſigerent. Eoque Salvius iſtum cum ambiguo reſponſo dimittebat, ut neque pacem repudiaſſe videretur, neque Gallis ſiniſtre ſuſpicandi anſam præberet.

Lauenburgicorum Ducum circa ſecretum tractatum conatus.

§. 60. Reducendæ paci operam quoque navabant Duces Lauenburgici fratres, Franciſcus Albertus, & Henricus Julius, qui ad Banerium in caſtra apud Torgam accedebant, ubi iſte petito ſecreto Banerio coram & Torſtenſonio exponit; juſſum ſe à Cæſare è Banerio ſciſcitari, num ipſe facultate ſuper pace tractandi ſit inſtructus; quo caſu Cæſar non ingratas pacis leges ſit propoſiturus. Banerius nihil ſuper pace in mandatis ſe habere confirmabat, nec absque ſuperiorum autoritate tale quid ſuſcipere audere. Noſſe tamen honeſtam pacem à Regina non repudiatum iri. Id Dux ad Cæſarem relaturum ſe recipiebat, addito, Cæſarem ſibi Vienna diſcedenti confirmaſſe; ſi Sueci nihil terrarum in Germania poſtulent, quas dare penes ſe non ſit, & pacem Pragenſem ſartam tectam relinquant, ſe *chartam* quam vocant *blancam* miſſurum, cui pacis leges pro lubitu ipſi inſcribere poſſint. Hamburgum inde delatus Dux cum Salvio ſtatim agere ſecreto cœpit, de ſtudio Cæſaris in pacem confirmans, ſuper amneſtia & ſtipendiis militum difficultatis nihil fore; ac ſi Sueci in provincias Cæſaris hæreditarias penetrare poſſint, Cæſarem circa cedendam Pomeraniam facilem fore; alias ægre eam obtentum iri. Addebat, ſi præciviſſet, operam ſuam Suecis gratam fore, ſtatim procuratorium allaturum fuiſſe. Sed metuiſſe, ne paria ſibi cum Arnheimio ſtruerentur. Quod ſi ipſe pacis conciliator admittatur, ſpem ſibi boni ſucceſſus eſſe. Salvius laudato ipſius ſtudio de inſidiis ſecurum eſſe jubet. Arnheimium ſi nihil aliud peccaverit, in eo graviter offendiſſe, quod tantæ dignationis dux, absque commeatu Suecico hinc inde ad hoſtes itaverit. Reginam paci pronam; & ſi ipſe Cæſareo mandato inſtructus veniat, lubenter admiſſum iri. Quo reſponſo lætus Dux, cum Cæſarem ad ſeparatos cum Suecis tractatus quamprimum ſuſcipiendos percupidum oſtenderet, ſtatim cum Franciſco Carolo fratre, & Mithobio, quem conſiliarii in vicem adſumſerat, ad iter Viennam ineundum ſe accingit. Hærebant tunc Hamburgi Legati Gallici Chaumontius & Avauxius valde ſoliciti, ne Sueci ſeparatam cum Cæſare pacem concluderent, quo caſu operam daturi erant, ut Suecos præverterent. Eoque Duci commiſerant, operam daret, ut cum Gallis Suecisque pariter tranſigeretur. Sin id obtineri nequeat, utique efficiat, ut cum Gallis prius fiat; præter alia promiſſa decem millia coronatorum Hamburgi ſtatim repræſentanda offeren-

mense Aprili.

1637. offerentes. Dux Viennam delatus circa primordia tractatus parum difficultatis repericbat, nisi quod Cæsarei pro Hamburgo Francofurtum ad Oderam, Erfordiam, aut VVratislaviam tractatuum locum proponerent, ac seperatim cum Suecis, non junctim cum Gallis agere vellent. Ac spes erat rei bene conficiendæ, si Banerius stationem ad Torgam obtinere, aut in Cæsareas ditiones penetrare potuisset. Sed isto ad oram maritimam pulso, utiqui Suecis favebant animis debilitabantur; ita Cæsarei elati facili negotio bellum adversus Suecos patrari posse sperabant. Igitur frigide 7. Jul. Francisco Alberto Duci respondetur: Sigismundo Marchioni de pace agere jam commissum, qui Reginæ Succiæ declarationem expectet; ea si æqua fuerit, inde paci moram non fore; ac si res ita ferat, oblata à Duce opera usuros. Et fatebatur ipse Dux; antea persuasum sibi fuisse, serio Cæsarem in pacem inclinare, sed nunc omnia simulata comperire. Unde ipse mox offensus negotium deponit, idque fratribus persequendum relinquit. Cæsar suspectum habuerat ob Calvini dogmata valde tunc invisa, in quæ iste pronus erat, & quod conjunctim cum Suecis Gallisque tractandum urgeret; id quod Cæsari plane ad palatum non erat. Post fratribus ejusdem Henrico Julio & Francisco Carolo, ulterius satagentibus 14. Sept. pariter responsum: cum à Marchione Sigismundo super primordiis tractatuum agatur, & Bielkius ad Reginam acta retulerit, se antequam ejusdem declaratio adveniat, progredi longius non posse, ne iste tractatus novo instituto turbetur. In ipsorum tamen arbitrio esse, si suo nomine è Salvio velint cognoscere, num iste solus idoneis sit mandatis instructus paci concludendæ. Etsi tractatus Brandeburgici non succedant, istorum operam repudiatum non iri. Nec eo secius isti jactabant, secretos hosce tractatus successuros, si Cæsar *Majestatis* titulo salutetur, & pro Hamburgo Brunsvviga admittatur, quod Cæsar Hamburgi tractare nolit ob Legatos Gallicos, qui sine dubio negotium disturbaturi sint. Enimvero ista Suecis valde suspecta erant, ac loci mutatio plane à scopo agitandi in occulto negotii aberrabat: cum Salvius utique Hamburgo Brunsuigam se conferre non posset, quin id Galli rescisicerent. Et si capita, super quibus tractandum erat, considerarentur, Cæsar, quod sui arbitrii erat, exclusos à pace restituere præsertim circa Palatinum abnuebat; satisfactionem Succiæ ac militum in Protestantes Ordines rejiciebat; de qua re an ipse solus secreto præsertim tractatu statuere posset, merito dubitabatur. Igitur cautissime procedendum erat, cum Cæsarem nil aliud quærere adpareret, quam ut Suecis illuderet, ac ipsorum consilia, diremta cum Gallis societate, turbaret. Nec tamen Franciscus Carolus Dux cum Mithobio Hamburgum reversus, Henrico Julio Viennæ relicto, iterum apud Salvium instare desistebat, de studio Cæsaris in pacem multa jactans, & ut in Brunsuigam consentiatur, quo is commeatum Gallicis & Anglicis Legatis non sit daturus, qui Hamburgi tractatibus remoram injecturi sint. Cæsarem in universum omnes amnestiæ inclusurum; sed quæ circa singulos observanda sint, in conventu omnium Ordinum definiendum. Suecis summam pecuniæ dandam, & in Pomerania hypothecam constituendam. Super militum stipendiis facile conventum iri. Contra Salvius, uti jussus erat, Hamburgo insistebat; de cætero idoneis se mandatis instructum, sed quæ ut exhibeat, à se postulari, nequeat, nisi viso prius Cæsareo procuratorio. Reginam titulum Cæsari, quem alii Reges tribuant, non negaturam; vicissim eum, quo Cæsar alios hæreditarios Reges salutet, deposcere. Veniant modo 1637. Cæsaris mandata, ut serio rem agi adpareat, ne Suecis necessitas adferatur Wismariensia pacta confirmandi, & fœdus concludendi. Id quippe Salvius agere jussus erat, ut ostentatis pacis tractatibus Gallos ad satisfaciendum fœderi, & contra fœdere ingesto Cæsareos ad pacem compelleret. Dux contra solicite instare, ne fœdus Gallicum præcipitetur, quo perfecto spem pacis ad aliquot annos evanescere; pericula belli, commoda pacis longe præponderare utilitati, quæ ex fœdere Gallico speretur. Et quia circa locum tractatuum discrepabatur, offerebat, se removendæ isti remoræ cum Mithobio Viennam iturum, & vel procuratorium pro se allaturum, vel Cæsareum adducturum. Enimvero isti secreti tractatus indies Suecis minus arridebant, si expenderent, quem agendi modum Cæsar observaret, & quæ ratio foret istos tractatus in occulto peragendi, timul quos homines istis adornandis adhiberet; Henricum Julium Franciscum Carolum Duces, Mithobium, alios, quorum artes tanto negotio idoneas nemo non norat; nec aliter judicari poterat, quam eosdem in contumeliam Succiæ huic operæ admoveri. Nec adparebat, quomodo Salvius nemine sentiente Hamburgo Brunsuigam se conferre posset: cum tamen isti tractatus secreto forent peragendi. Igitur nihil tane aliud agere Cæsareos adparebat, quam ut tempore per inania ludibria extracto invidiam belli continuati in Suecos devolverent, & hos ab illorum amicitia & fœdere divellerent, à quibus opis quid rei bene conficiendæ expectare poterant.

§. 61. Inter tot alios circa pacem satagentes frigebat Daniæ Regis mediatio, ab initio Suecis invisa, nunc & ipsi Cæsari suspecta, quod dum filio suo Reginæ connubium affectat, Suecis se venditaturus crederetur. Et dixerat Cæsar; compendiotas sibi ad pacem vias competere. Berolinum tamen missus à Rege Christophorus Lippius Cancellarius Stetinum transiens apud Bielkium exponebat; Regi suo mirum videri, quod cum superiore anno ipsius mediatio in Suecia denuo acceptata fuerit, variæ nunc viæ ad pacem cum Cæsare ultro quæsitæ, aut admissæ dicantur. Inde scire istum velle, quo loco res sint, quæ spes pacis allubescat; ut si pacis negotium hac via parum procedere videatur, ipse pro virili eam alia per media promovere queat; cum sua maxime interesit tractatus accelerari. Ad quæ Bielkius: Reginæ dolere, partis adversæ culpa Regis operam hactenus infructuosam fuisse; & à Cæsare alias occasiones arreptas ipsum prætereundi. Inde qua ratione tractatus cum Marchione Sigismundo cœperint, exponit. Nam eo nondum rediisse res Succiæ, ut à Cæsare pax ultro ambienda sit. Sed ut audiantur, qui de pace differre instituant, saltem ut mens eorum exploretur, Regi non adversum fore. Ostendebat præterea privatis sermonibus Lippius ille; Regem suum valde cupere tractatus accelerari, ut perspicere queat, penes quem culpa extracti belli hæreat. Addebat; Succiam facile honesta pace potituram. Sed Protestantes Pragensi conventione fructu pacis religiosæ juxta ac profanæ fere privatos. Nec eosdem animo concipere posse, quantum servitium sibi arcessiverint, quod Pragensi pace aula Cæsarea pro foro competente sit agnita. Ad quæ reponebatur: penes Suecos non stetisse, quo minus honesta pax dudum coiret. Pragensis pacis incommoda facile abolenda, si & alii, quorum interest, parem cum Suecis operam navare velint. Quanquam autem iste & tunc, & post reversus, nil nisi de pace differret; suspicio tamen erat, eum clandestini quid circa

Daniæ Regis frigide circa pacem laborat.

5. Maji.

1637. Aug. cá Pomeraniam, & præcipue Rugiam insulam agitasse. Sicut & post parum sincere Rex ipse egisse deprehendebatur, dum Salvium quem Gluckstadii honorifice exceperat, inter multa familiariter dicta monebat; non esse quod Gallis multum confidant Sueci; illos enim quando occasio arriserit, pacem facturos exclusis Suecis quod idem paulo ante de Suecis Chaumontio & Avauxio Gallicis legatis ingesserat, addito, se, cæteroſque quorum interest, omnia potius sursum deorsum versuros, quam pasturi sint, ut vel latum pedem in 25. Nov. solo Germanico Sueci retineant. Post tamen Cæsar Regis mediationem denuo acceptat; quas literas Rex Salvio transmittit; simul percunctatur, 22. Dec. quo loco negotium pacis è parte Suecorum sè habeat, & quousque ipse idem susciperе queat. Cui Salvius: integrum adhuc Reginæ esse, pacem facere; cujus studio ratihabitionem fœderis Gallicani hucusque distulerit, & pacis conciliatoribus aures præbuerit. Sed cum adpareat ab hoste rem serio non agi, necessum esse, ut propius sè amicis societ, ratihabitione propediem utrinque permutanda, quo facto non amplius sibi concessum absque Gallia pacem tractare.

Meclenburgici Ducis conatus. §. 62. Adolfi Friderici Ducis Meclenburgici operam, etsi nulla successus spe, Rectores Sueciæ haut plane abdicandam duxerant; quin denuo significarant; non ingratum fore, si vel apud Saxonem, vel ipsum Cæsarem rem gerere pergat. Unde & is post, infulo in Meclenburgicam utroque exercitu, sperabat summis ducibus ita vicinis negotium forte compendiosius confici posse. Eoque à Banerio exquirit; num ipsi placeat ab se rem susci pi, in qua fidelem operam sit navaturus. Cui Banerius; super pace nihil se in mandatis habere; si tamen constet, Cæsareos duces tractandi facultate instructos, se promovendo negotio non defore. Conabatur autem Dux ad eum modum, quo antehac Oxenstiernam inter, & Saxonem ipso interveniente agitati fuerant, tractatus instaurare sub spe rati, ut de quibus inter istos jam convenerat firma persisterent, reliqua nunc definirentur, summorum utrinque Principum ratihabitione accedente. Ita tædiosa super præparatoriis disceptatione supersederi posse, cui tractatus cum Marchione adhæserit. Isthæc ille apud Gallasium proponebat, simul Sal- 8. Nov. vium invitat, propere Wismariam veniat, ac se intermedio cum Gallasio negotium secreto suscipiat. Enim vero hanc tractandi viam inire quidem poterat Oxenstierna, cui nullo limite circumscripta mandata erant concessa. Salvius autem certis mandatis alligatus, id superiorum inussu audere non poterat. Præsertim cum constaret, Cæsarem non temere ulli ducum pacis negotium com- 10. Nov. missurum, uti Fridlando quondam factum. Igitur excusabat se Salvius, & in Cæsarei legati Comitis Curtii adventum rem differebat. Missus hic fuerat contrahendo legionum numero, & ut super hibernis disponeret. Sed fama spargebat venisse pacis causa; & magna spes erat, per eum rem brevi confectum iri, ni ratihabitio Gallici fœderis interveniret. Eoque passim Principes civitatesque Salvium per literas rogabant, ut pace tam propinqua fœderis instrumenta permutare differat. Et non Meclenburgicus solum, sed & Lauenburgicus congressum istum adornare properabant. Enimvero evanida erat ista pacis spes, cum Curtio de pace nihil mandatum esset; sed ut proximo vere per hiberna refecto exercitu bellum acrius sumeretur, Pragensis pax executioni daretur, animi omnium in Suecos concitarentur, & commercia istorum cum Hanseaticis turbarentur. Apud Hamburgenses idem quoque instabat, ne exterorum Legatis locum præberent fœderibus suis eudendis. Nec multo post iste cum Gallasio locutus Viennam revertit. Quin ipse Lauenburgicus minister literis Vienna scriptis fatebatur, à Cæsareis Lauenburgicos Duces aduncо naso suspensos ob susceptum pacis negotium, cui ipsi haut quicquam pares forent. 1637.

Ad conventum Colonien-sem Sueci venire nolunt. §. 63. Non major erat successus tractatibus communi paci instaurandæ Coloniæ instituris, quo Legatos non mittere Suecis fixum sedebat. Nam præterquam quod tota civitas alieno ab ipsis animo foret, Pontificis legati exsortes suorum sacrorum ne adspicere quidem dignabantur, adeo quidem, ut qui olim Vervini ad pacificationem Galliæ Hispaniæque missus fuerat, abiturum se dixerit, si Angli eodem admitterentur. Metuebatur quoque ut evitari posset certamen de Legatorum inter se dignitate atque ordine, haut dubie animos asperaturum. Franciæ quidem Regnum vindicare sibi velle locum ab Imperio Romano proximum. Sed in Conciliis quæ ad Ecclesiam pertinerent, nihil observatum aliud, quam ut pro tempore, quo Regnum unumquodque Ecclesiæ Romanæ se aggregasset, locum obtineret. Id vero ad res civiles nihil pertinere. Et tamen ab Upsaliensi Archiepiscopo principem locum ob antiquitatem deberi Regno Sueciæ in Concilio quondam Basilecnsi, disputatum fuerat. Cæterum quæ plurimum ad conciliandum Regnis dignitatem valent, antiquitas & finium amplitudo si spectentur, his Sueciam facile vincere. Opponenti possessionem Regum Galliæ dici, ea si vera esset, non ultra tamen posse extendi, quam adversus eos qui cessissent. Suecos nulla pridem habuisse negotia extra suum septentrionis orbem, ubi cessissent nemini. Ex quo latius ipsos sua virtus tulisset, in fœderibus rebusque aliis cum Galliæ Regibus ex æquo egisse. Nec eo secius Avaugurius Holmiæ instabat, ut eo Legati mitterentur: Pontificem non nisi Catholicorum controversiis sese immisturum. Protestantium negotia à Venetis, aliisque mediatoribus suscipienda. Regem Galliæ fortasse Legatos suos eodem præmisurum, ut tamen ante Suecorum adventum nihil agatur. Igitur Legatos ocyus in Hollandiam mitterent, ut accepto per Venetum Legatum commeatus diplomate Coloniam se conferre statim possint. Enimvero ista Sueciæ Rectoribus haut arridebant. Nam & Venetis Suecorum negotia parum cordi erant, quos minore loco habebant, quam Hispaniæ, Galliæ, Angliæque Reges; qui & Gallorum rebus in Italia afflictis operam suam Hispano ad probare studebant, antiquo apud ipsos more, ut ventus fert ita vela vertere. Sed nec Veneti adhuc Reginæ mediationē suam obtulerant, nec à quopiam aliorum Regum apud istam de hoc conventu actum erat, præterquam à Gallicis ministris. Cum tamen necessum utique foret, mediatores prius operam suam offerre, Reginæ Sueciæ non minus quam hostibus institutum suum exponere, utramque partem audire, super primordiis tractatuum utriusque consensu constituere, & utriusque dignitati ac securitati cavere. Quæ 6. Febr. omnia Rectores Sueciæ Avaugurio demonstrant; & ob isthæc neminem sibi vitio versurum, quod non ita temere ad tractatus ruant. Quod si negotium id rite suscipiatur, in se nihil desideratum iri. Mittebant post Veneti literas ad Reginam, quibus conciliandæ paci operam suam promptam testabantur. Quæ tamen ideo displicebant, quod Regine solum *Serenissimæ*, non & *Potentissimæ* nomen tribuissent. Id quod sequenti tempore Legatus Venetus Lutetiæ apud Legatum Suecicum Hugonem Grotium excusatum ibat. Non id factum, Veneti mediationem suam offerunt. 21. Oct.

1637. quod minoris quam oportet Regnum Sueciæ æstimarent, sed ex suo more veteri. Nec Regi Galliæ aliter scribi, quam *Serenissimo & Christianissimo*; nec Regi Hispaniæ, quam *Serenissimo & Catholico*. Cui Grotius reponebat: Se Venetis nihil præscribere. Cæterum Reges Sueciæ à Galliæ & Angliæ Regibus salutatos semper *Serenissimos Potentissimosque*; nec æquum esse, ut ab ullo Principe aut Republica aliter salutentur. Reges quoque nominatos forte titulum *Christianissimi*, & *Catholici* tanti æstimare, quanti illum *Potentissimi*. Quanquam facile patebat, qua ratione Veneti istum errorem admisissent. Aula quippe Romana Reges, qui nascendi sorte Regnum accipiunt, electis præfert, & his *Serenissimi* tantum dat titulum, illis insuper *Potentissimi*; quem morem Cæsarei & Veneti sequuntur: queis de mutatione Regni Sueciæ sub Gustavo parum constitisse videtur. Quidquid ejus esset, sane à Pontifice id profectum credebatur; & quia Veneti in Domum Austriacam, ac in Poloni quoque ideo amicitiam inclinabant, è Suecia nihil boni malive expectantes. Quorum & Legatus Grotio Lutetiæ de honore debito quid detrahere instituerat; quod & sequenti anno ejus successor paulo apertius faciebat, instinctu sine dubio aulæ Romanæ, & quorundam Gallorum Suecis iniquorum. Obtentui sumebatur, quod Grotius non à Regina, sed ab Oxenstierna solo literas fiduciarias habebat. Etsi iste postea ad Grotium mittebat, qui pro offensa satisfaceret, si quid peccatum esset, non id dolo malo admissum, sed errore & inconsiderantia.

De salvi commeatus literis ad conventum Colonicnsem.

§. 64. Interea Gallorum instinctu Veneti apud Cæsarem, Regemque Hispaniæ institerant de expediendis tuti commeatus literis pro Legatis Galliæ Regis, ejusq; sociorum, & peculiariter pro Reginæ Sueciæ, Protestantium Germaniæ Ordinum, Belgarumque legatis. Etsi Suecis displicebat, quod Galli se haut petentibus, quin ne admonitis quidem ipsorum egissent negotium, seque Austriacis venditassent, velut Suecos inter accessiones suas haberent. Enimvero Cæsar salvo conductui legatorum Gallicorum hæc verba inseruerat; *si modeste se gerant, sincere agant, & pacem Pragensem salvam relinquant*; quæ miram indignitatem spirabant, & vel sola testabantur, quam parum in pacem Cæsar inclinaret. Hispaniæ autem Rex Suecis quidem literas tuti itineris dederat, non item Belgis. Vicevsa Cæsar Belgis easdem concesserat, etsi formula incongrua; Suecis autem & Protestantibus Ordinibus ut daret, nullo modo adduci poterat. Nec eo secius Austriaci Papæ aliisque persuadere conabantur, culpam extractæ pacis penes Gallos hærere. Quo fine & Hispaniæ Rex Legatos suos Joannem de Melo, & Cancellarium Mediolanensem mense Aprili Coloniam mittebat. Ea ludibria Galliæ Rex literis prius inde misso Gardio Pontificis Nuntio Coloniæ demonstrabat; & quam in se mora non esset, quo minus pax orbi Christiano restituatur. Quanquam autem Galliæ Rex in conventum Colonicnsem consensisset; tamen cum videret, Suecos non sine causa eum locum adspernari, veritus ne si ipse pertinaciter eidem insisteret, Suecis separatis tractatibus cupidius aurem præberent; per Chaumontium & Avauxium declarat; si Suecis nullo modo Legatos Coloniam mittere velint, se in Hamburgum aut Lubecam consensurum. Quod si autem Suecis utique separatim tractare cupiant, aut si adversa pars cum utrisque simul tractare nolit, Avauxio in mandatis datum, ut Suecorum tractatibus Hamburgi interfit: Suecis tamen vicissim integrum fore aliquem Coloniam mittere, quæ ibi agantur observaturum. Etsi alias Galli separatos tractatus dissuaderent; jactantes junctim majore cum efficacia rem posse perfici; divisos locis tractatus speciem dissensionis inter socias Coronas dare: Austriacos autem inde arrepturos eadem disjungendi. Quæ omnia eo spectabant, ne forte clam Gallis cum Cæsare Sueci transigerent. 1637.

Gallorum nova propositio de loco tractatuum.

§. 65. Mox Ferdinando II. mortuo nova tractatibus Colonicnsibus mora objiciebatur, quod Galli Ferdinando III. Regis Romanorum aut Imperatoris nomen tribuere nollent. Rationes afferebantur quod Trevirensis custodia teneretur; Moguntinus jam quinquennium Hispanica pensione vectitarit, cui & ab Hispanis sexaginta uncialium millia donata sint, ut Ratisponam iret. Bavari jus ad Electoratum adhuc in ancipiti, controversiam Palatino movente. Colonicnsem fratri Bavaro obnoxium, & pensione Hispanica illigatum; qui & Ognatæ Legato Hispanico promiserit, se effecturum, ut Hispani non solum Comitatu Sarwerdensi, & Ducatu Bipontino, sed & omni tractu transrhenano potiantur, qui ab Imperio dependet. Legatos Saxonis & Brandeburgici à mandatis suis discessisse, artibus Ognatæ seductos. Ferdinandum sibi ipsi suffragium tulisse, cujus tamen in Bohemiæ Regnum jus nondum sit liquidum. Cæsarem illudendis Electoribus eos non convocasse, nisi ad deliberandum de pace, & mox, cum illos inani spe generalis amnestiæ lactasset, de filio in Regem Romanorum eligendo propoluisse, cum ejusmodi actibus Francofurtum sit destinatum. Neque vero Ratisponæ tunc justam constitisse libertatem valido præsidio duorum millium insessæ, quod à Cæsare & Bavaro pendebat; ibique multa violenter patrata; Magistrum aulæ legati Anglici cæsum, ejusdemque ministros fustibus dedolatos; Visolicum quondam Doctorem, virum prudentem & bonum, instinctu Ognatæ media nocte trucidatum, ideo tantum quod dixerat; Comitiorum initium debere fieri à propositione de bona pace, quæ gloriam Dei, & bonum orbis Christiani spectet. Denique Hispanos Ratisponæ tunc omnia egisse, Ognatam conventui præfuisse, virum sanguinarium, qui Electores pecunia corruperit; sic ut ista electio nil aliud sit quam conjuratio Hispanica Germaniæ libertati opprimendæ. Præcipue urgebant, quod à Bavaro quondam suggestum ferebatur; quod Rex Romanorum non uti Imperator majore suffragiorum parte fieri possit, sed consensus singulorum requiratur, veluti ad dignitatem extraordinariam, & non necessariam. Enimvero cum Galli Pontificem solicitarent, ut & ipse controversiam status Ferdinando moveret, is abnuens citra exceptionem eundem Imperatorem agnoscebat. Id cum & post apud Rectores Sueciæ Rorteus Baro Galliæ Regis nomine postularet; his eam litem movere consultum haut videbatur, quod per eandem via tractatibus plane obstrueretur: neve Ferdinandus eam ansam arriperet Christinæ quoque jus in dubium revocandi; præsertim cum omnes Electores ab ipsis defeciissent, & à Ferdinandi partibus starent. Et si forte hi in Aureæ Bullæ legem peccarint, id extraneos non tangere, cum universi Germaniæ Ordines eum Imperatorem agnoscant. Unde & Ferdinandus ejus controversiæ securus dixerat; ni ipsum Imperatorem agnoscat Ludovicus, se quoque cum pro Rege Galliæ non habiturum. Et mox à Gallis suscepta calide disputatio refrigescebat. Simul Stella quidam, qui in novam electionem librum scripserat, admonebatur; si eum edere vellet, ne suum ipse nomen, aut ullam Galliæ urbem adscriberet. Judicabant quippe cordati, id genus libris hostem irritari, vires ejus non minui. Sed & inepte à Gallis eam controversiam motam judicabant Austriaci, non solum quod ad Gallos

Galli Ferdinandum III. nolunt agnoscere Imperatorem.

1637. los non ſpectaret, quem ſibi Cæſarem Germani adſciſcere vellent, ſed & quia cum præſenti bello Hungariæ Regno nihil negotii foret. Unde quia cum Ferdinando utique tractare non abnuebant, is utique non tanquam Hungariæ Rex, ſed tanquam Germaniæ Imperator conſiderandus erat, quod in Germania, non in Hungaria bellum à Gallis ſociisque gereretur. Sed & mox alia ratione ſibi ipſis contraria feciſſe Galli arguebantur, quod à Ferdinando ſtipulari vellent, ut Chriſtinam Sabaudiæ Tutricem & Regentem agnoſcere vellet; quod ipſum Imperatori Romano, nullo etiam modo Hungariæ Regi competebat. Denique circa prenſationem Cæſareæ dignitatis neminem cum Ferdinando concurriſſe, eumque adeo in legitima & quieta poſſeſſione conſtitutum.

Cæſar Ordines Germaniæ ad tractatus admittere non vult. 21. Sept.

§. 66. Cæterum Galliæ Regi fixum ſedebat ad tractatus non deſcendere abſque ſociis, præcipue Suecis, Hollandiſque, idque Pontificis Legato Ginetto Cardinali denuntiat. Contra cum Venetus Legatus Cæſarem literas tuti itineris pro fœderatis Galliæ poſceret, initio reſpondebatur; ſi Suecis ſalvum conductum velint, per ſe ipſos quærerent absque Galliæ opera. Circa Hollandos quod Rex Hiſpaniæ ſtaruerit Cæſarem ſecuturum. Poſt tamen diplomata utriſque conceſſa, ſed quibus inſertum erat; ut non valerent, niſi pari tenore Cæſareis Legatis, qui per aliquot jam menſes Coloniæ hæſerant, à Gallo darentur. Id quod eo pertinere judicabatur, ut Gallus Ferdinando titulum Imperatoris hactenus negatum tribuere neceſſum haberet, ni invidiam retardatæ pacis in ſe derivare vellet. Sed de Ordinibus Germaniæ plane abnuebat, quod quidam eorum id ipſi nollent, ut Wurtenbergicus Dux, & Argentoratenſis civitas, ac Imperatoris ſubditi & vaſalli Gallis fœderati eſſe nullo jure queant. Æquum eſſe, ut Regum cuique jus relinquatur liberum de ſuis ſubditis ſtatuendi. Etiam in Ratiſponæ cum Gallia conventis id primum eſſe, ne alter juſſa detrectantes ſubditos adjuvet. Addebat Cæſar: Venetos, quæ hac in re agerent, magis agere, quod rogati à Gallis operam negare non potuerint, quam quod ipſi poſtulata æqua exiſtiment. Ac ſi qui Ordinum paci Pragenſi ſe ſubmittere, & veniam præteritorum petere nolint, ſibi magis jus competere hos velut rebelles puniendi, quam ipſis velut ex æquo tractatus cum hiſce poſtulandi. Id tamen ad extremum non abnuituri videbantur Cæſarei, ut Gallicis Legatis eorum negotia in tractatione pacis obſervare conceſſum eſſet. Ad quæ Galli reponebant: Ordinum Germaniæ conditionem ab aliorum Regum ſubjectis longe diſcedere. A multis ſeculis eoſdem eſſe in poſſeſſione fœdera faciendi communem patriam non lædentia. Ipſos Cæſares ſæpe cum iiſdem fœdera iniviſſe, quin fas illis eſſe adverſus oppreſſiones, Cæſarum atque injurias ope exterorum jus ſuum aſſerere, eoque & pacis tractatibus intereſſe, ſuæque ibi ſecuritati cavere. In pace Vervinenſi Galliæ & Hiſpaniæ Reges multos Germaniæ Principes ut ſocios & amicos ſuos comprehendiſſe. Sabaudi Legatis literas ſalvi conductus datas, qui Imperii Vaſallus ſit, ejusque per Lombardiam Vicarius. Quod enim Germaniæ Principes præter homagium etiam judiciis quæ Spiræ exercentur teneantur, in eo par eſſe in alios jus, quale aliis in ipſos, tantundemque eis accedere, quantum decedere. Nam & ab ipſis quoſdam legi judices, & ipſum Cæſarem, ſi cauſa ex ejus ditionibus promanet, ibi conveniri. Enimvero cum Cæſar pro Ordinibus ſalvum conductum conſtanter abnegaret, Galliæ Rex, ne ipſe pacem morari videretur, dubitabat, num hac in re Cæſari concederet, & de Germanorum fœderatorum commodis per ſuos Legatos paciſceretur. Id quod pro tempore ſatius videbatur, quam ut omni ſpe pacis orbati perpetuo bello implicarentur. Deque eo Reginæ Sueciæ, & per Hailerium Vinarienſi ſignificat; ſe denuo ipſi cauturum nullam cum Auſtriacis pacem inire, niſi qua ſocii, & imprimis ipſe Dux comprehendatur, cujus rationes à ſuis diſjuncturus non ſit; ſimul ſponſorem ſe fore pro iis, quæ pace ipſi promiſſa forent. Adverſus quæ Vinarienſis, quo minus Cæſari concedendum foret, multas rationes adferebat. Commoda cauſasque tam multorum Legatis parum cognitas, eoque nec obſervari poſſe. Verſari in ea re libertatem & dignitatem Ordinum Germaniæ, quos, ſi ne audiri quidem debeant, Cæſar plane ſub jugum miſſurus ſit. Quæ res non iſtos ſolum, ſed & Regem tangat, cui deinceps exprobrandum ſit, quod citra legitimam cauſam arma arripuerit, & cum alienis ſubditis injuſta fœdera iniverit adverſus horum Principem. Nec eorundem auxilia deinceps Galliæ profutura, quippe quorum nunc cum opibus autoritas plane corruat. Eoque Regum Galliæ quam maxime intereſſe, ne antiqua Principum Germaniæ libertas ab Auſtriacis peſſumderur. Indecorum quoque id eſſe Regiis armis, velut eo jam redactis, ut commoda ſociorum tueri nequeant; ſed eadem tractatibus è libidine Auſtriacorum ſubjicere cogantur.

Gallorum de induciis propoſitio.

§. 67. Inter hæc Legatus Pontificis apud Galliæ Regem de induciis communibus ad ſex aut decem annos propoſuerat; ſuper quibus priusquam ſe declararet Rex, Rectorum Sueciæ mentem per Rorteum explorabat, ad quam reſponſum Pontifici dandum adaptaturus erat. Super quibus integrum illis judicium relinquebat, neque ſuadens eas, neque diſſuadens. De conditionibus obiter ferebat; quemlibet interea retenturum quæ poſſideat; & præcipue Galliæ Regem operam daturum, ut Sueci Pomeraniam tantiſper obtineant. Intermedio tempore de perpetua pace agendum. Ea res in Senatu in utramque partem diſceptata. Contra inducias proferebatur: Cæſarem, tota jam fere Germania ſubacta, firmatis immenſum viribus bellum majore mole poſt inſtauraturum. Nunc formidari à vicinis Suecos, ne armorum torrentem in ipſos effundant: armis eorundem ſopitis in bellum erupturos, atque omnibus viribus enixuros, ut eos Germania depellant; cum magna exercitus pars utique ſit exautoranda. Nec eo ſecius maximis ſumtibus opus fore ad alenda tot præſidia. Dari ſpatium hoſti Suecorum deſtinata moliendi; à cujus invaſione non ſatis cautum ſit; ſimul dominatum in Germaniæ Ordines radices acturum. Aſt pro induciis diſſerebatur: poſſe interea rempublicam domi melius conſtitui, ac æs alienum diuturno bello contractum diſſolvi; commercia cum Hiſpanis fundari; per Pomeraniam invicta munimenta exſtrui. Militi ſuſtentando vectigalia oræ maritimæ, & reditus Pomeraniæ impendendos. Cum Brandeburgico, poſtquam arma exuerit, commoditis ſuper Pomerania tranſigi poſſe. Principes quoque Germaniæ belli pertæſos, ac dulcedine deguſtatæ pacis captos ægre ad arma redituros. Si pax obtineri nequeat, inducias arripiendas, per quas tractatus pacis melius expediri videantur, quam inter arma tantæ varietati obnoxia. Interea tempus conſilia ſuppeditaturum, & forte Cæſari aut Polono cum Turca bellum fore; & quod præcipuum ſit, Chriſtinam hoc ſpatio adoleſcere. Rationibus utrinque libratis, id præcipue conſiderandum videbatur, quomodo poſ-

1637. ſeſſio occupatorum per Germaniam locorum interim obtineri poſſet, ad quam vel exercitu opus erat, vel præſidiis ita validis, quæ exercitui æquiparanda forent; ut ſi forte hoſtis inducias abrumperet, aut iis elapſis pax ſecuta non foret, bellum ſtatim reſumi poſſet. Atqui ea res maximo Sueciæ oneri futura erat, ceſſantibus hoſpitiis & tributis ex hoſtico; ut revera ipſum bellum minus grave foret, quam induciæ, per quas ipſa Suecia inutiliter ſuas opes conſumtura erat, dum hoſti parcitur. Igitur ante omnia noſſe oportebat, quid ſubſidiorum Gallus durantibus inducis præſtare vellet. Qui de cauſa placebat conditiones induciarum concipi, ſuper quibus cum Gallo ageretur; quæ huc redibant: Ut per inducias Succi retineant Pomeraniam utramque, reſtitutis ſi quæ ejus loca ab hoſte occupata forent; inſuper Wiſmariam cum Pœla, & caſtellis Balænæ, & Warnemundæ; inde Benfeldam & Dachſteinum in Argentoratenſi præſulatu, & in Weſtphalia Oſnabrugam & Mindam cum utroque præſulatu, Nienburgum, Hoyam, Meppam, Neuhauſam, Vechtam, Cloppenburgum, Wilzhauſam cum adjunctis quoque territoriis. Penes Landgravium quoque Friſia, & loca per Weſtphaliam poſſeſſa maneant; Bernhardo Duci dignitas ac jura ſua ſalva ſint usque ad communem pacem; de qua interim tractatus junctim & admiſſis utriusque ſociis inſtituantur. Proteſtantes Ordines Suecico militi ſuper reſiduis ſtipendiorum ſatisfaciant. Fœdus inter Galliam & Sueciam per inducias duret, & conventa ſubſidia ſolvantur. Alendo militi Succi interea portoria Pomeraniæ & Meclenburgicæ retineant, & Gallus ducenta uncialium millia ſubſidiis jam conventis addat; inſuper idem caveat, Succos Pomeraniam ſatisfactionis loco pace aut bello habituros, de reſtituendis Germaniæ Ordinibus, qui adhuc ditione ſua expulſi ſunt, cura ſuſcipiatur. Denique bello capti, & præcipue Guſtavus Hornius libertati reſtituantur. Enimvero has conditiones ita diſtincte expreſſas Rectores Sueciæ Rorteo non exponebant, ſed potius ab eo per ambages expiſcari conabantur; quid Regem inter & Pontificem ſuper hiſce convenerit, quis earum ſcopus; quas leges Rex proponendas judicet, quo modo Sueciæ circa Pomeraniæ poſſeſſionem, & quæ alia adhuc in Germania obtinent, cavendum; quid Landgraviæ & Vinarienſi agendum? Ad quas quæſtiones Rorteus parum aut nihil quod reſponderet habebat, ſed potius urgebat, ut ipſi ſententiam ſuam panderent, & leges ſcripto conceptas exhiberent. Unde Salvio injungebatur, ut cum Avauxio Hamburgi ea de re ageret. Qui tamen ipſe obiter duntaxat diſſerebat: Inducias Sueciæ non inutiles videri; Pomeraniam ſua præſidia alere poſſe; interim eam velut uſu capi. Poſſe etiam cum Gallia conveniri, ut anno ante elapſas inducias ducenta millia uncialium ſolvantur habendis delectibus, & adparando reſurgenti bello. Id quod Salvio parum arridebat, quod exhauſta Pomerania tam validis præſidiis alendis non ſufficeret. Ita maximam partem onerum in Sueciam redundaturam, cui æque ac in bello arma per inducias retinenda. Interim & Polonicas inducias ad finem ruere, unde forte ſe novum bellum ſit expectandum. E quibus facile judicari poterat, quid de exitu hujus negotii ſperandum foret. Sed & conſtabat, Hiſpanis inducias non placere, niſi in anteceſſum intelligatur, quæ Galliæ Regis ſuper legibus pacis ſit ſententia; ideo quod iſtæ induciæ pertineant ad confirmandos Gallos in rerum alienarum poſſeſſione, quæ paulatim in ſpeciem juris ſit tranſitura.

§. 68. Quibus de cauſis Sueciæ Rectores ratihabitionem Gallici fœderis ſuſpenderint, ſupra eſt expoſitum. Ea ut perficeretur, Gallici miniſtri Holmiæ & Hamburgi ſolicite inſtabant; è ſua parte omnia parata, quæ fœderi implendo requirerentur. Et ſatis agnoſcebant Galli periculum ſuum; ſi ſoli in bello deſtituerentur; eoque omnibus modis Succos bello implicitos tenere cupiebant. Suſpectum autem erat, quod Danus, Brandeburgicus, & alii, qui circa pacem ſatagebant, non nili de ſeparato cum Succis tractatu loquerentur. Unde poſt Chaumontium Avauxius quoque Hamburgum veniebat, explorandis Succorum actionibus, & impediturus, ne qua pax niſi junctim cum Gallis coiret. Uterque Salvio ingerebat, quam neceſſarium ſit Succos Gallosque ſociatis viribus conſiliisque bellum gerere, aut pacem facere; ſimul oſtentabant controverſiam Succorum cum Polonis, horum in Sueciam machinationes, indelebile Auſtriacorum in eandem odium, Polonum jam Auſtriaca affinitate innexum. Tanto arctius veteres amicos, & præcipue Gallos amplectendos. Quod ſi tamen præter ſpem Succi diverſa conſilia ſequantur, etiam ſe vias pacis cum hoſte inventuros. Et ſatis conſtabat tunc operam ipſos daturos, ut in pace Succos præverterent. Cæterum quod iidem metuerent, ne forte Banerius cum hoſte ſecretos tractatus ſuſciperet, in caſtra apud Torgam mittitur Belloregardius, velut de Regis ſui deſtinatis circa bellum & pacem cum ipſo communicaturus: confirmans, Regem nunquam ſeorſim tractaturum, quantumvis lautis ab hoſte conditionibus oblatis; ſimul magnopere ipſius virtutem à Rege æſtimari, qui de tota ratione belli ejus ſententiam intelligere cupiat. A quo & ſibi injunctum ſit, exercitum ipſius comitari. Cui Banerius earum artium non incallidus pari verborum honore reſpondet; de ſe modeſte, de ſtudio Regis magnifice. Addebat tamen, immenſum à ſuo exercitu laborem bina hieme exhauſtum, dum ſocii præmature in hiberna concedunt, ac nihil agendo permittunt, ut contractis undique copiis hoſtes in ipſum ruant. Simul hortatur, ut Rex quamprimum Auſtriacas vires valida alibi impreſſione diſtineat, quod mora hoſti valde proficua, Succorum autem rebus pernicioſa ſit. De cætero ſe libenter cum ſociis exercitibus conſilia viresque collaturum. Revera tamen moleſtus erat ille ſpeculator, cui nihil aliud propoſitum, quam obſervare, quid circa pacem gereretur, & omni tractatu Succos arcere, reſque ipſorum turbare magis, quam promovere. Vitandæ tamen Gallorum offenſæ connivendum erat, & idem legati dignatione habendus. Id tamen Rectoribus Sueciæ probabatur, quod Miniſtri Gallici offerebant, ſe cum Polonis acturos, quæ ad cauſam communem gerere videbuntur. Quibus ſententiam horum ea ſuper re exquirentibus reſponſum: Non abs re fore, ſi Regi Reique publicæ Poloniæ nomine Galliarum Regis demonſtretur, quam periculoſa ac formidanda orbi Chriſtiano, ac vicinis præcipue ſtatibus ſit Auſtriacorum in alios dominandi libido, quam præſens Germaniæ conditio, & ad placitum ipſorum temperata Pragæ pax non parum inflammarit. Quæ cum Poloniæ quoque ſat grave periculum minitetur, ſpem eſſe, Polonos iſthæc anxia mente trutinaturos. Quod ſi Polonus hac ratione & oſtentata Sileſia quondam ad Poloniam ſpectante in arma adverſus Cæſarem pertrahi queat, cauſæ communi multum inde levamenti proventurum. Iidem quoque in Pomerania locum ſibi concedi petebant hoſpitiis quater mille

1637. Galli ratihabitionem fœderis urgent.

Banerio obſervare à Gallis adponitur. Beaureguard.

1637. mille Coſaccorum, quos Gallico ſtipendio autorare inſtituebant, Wrangelio aut Landgravio jungendorum. Sed Suecis cum ea res parum arrideret, conditionem ejus provinciæ obtendebant, novum onus adſpernantem; ne tamen diffidentiæ quid oſtendere viderentur, rem totam ad duces ſuos in Germania conjiciebant. 1637.

Suecorum ſuſpiciones. 20. April.

§. 69. Contra Sueciæ Rectores variis indiciis colligebant, Galliæ Regem non uſque adeo Cæſari infenſum eſſe, uti miniſtri ejus jactabant. Diu is poſt Ferdinandi II. mortem præter opinionem veſtes lugubres ſumſerat, & Legatis edixerat, ne quis ad ſe veniret, niſi pari habitu. Etſi Grotius interim à Rege adeundo abſtinere malebat. Controverſia quoque Ferdinando ſuper Imperio mota ſubito refrixerat, ſed majoris momenti erat; quod cum ſuperiore anno Suecorum arma ad avertendum à Gallia maximum periculum non parum contuliſſent; hoc anno viciſſim Galli nihil in Germaniam tentarent, ſed hoſti ſpatium concederent omnes in Banerium vires effundendi cum ſummo Sueciæ & communis cauſæ periculo, ac tam egregias occaſiones rem bene gerendi amitterent. Nec probabile videbatur Gallos ad indicendum Cæſari bellum venturos, quod Pontificis miniſtri manibus pedibusque niterentur ad pacem perpetuam aut temporariam inter Romana ſacra amplexos Principes conſtituendam; & Gallia tunc Aulam Romanam plus juſto reſpiceret, in cujus gratiam res Proteſtantium hactenus everterat. Eidem quoque aulæ venditabat ſe Pater Joſephus, in quem pleraque curarum Richelius per malam valetudinem rejecerat, Cardinalitiæ purpuræ inhians. Cujus imperio Belleureo in Angliam è Gallia Legato miſſo Comes addebatur Jeſuita: id quod & aliis fiebat. Fuerat & in familia Avauxii Legati, dum apud Suecos ageret Fleurius quidam, qui cuncta quæ expiſcari poterat, ad Cardinalem Barberinum transſcripſerat; cujus operæ mercedem is poſtea opimum Virodum beneficium nactus eſt. Equidem quo minus Richelius pacem adpetere crederetur, in cauſa erat, quod belli impendia multas ipſi & conſanguineis ejus lucrandi latebras præberet; & quod ipſius intereſſet & ſparſos & occupatos tenere eos, qui potentiæ ejusdem ſe poſſent opponere. Nutabat tamen Regis in eum animus, ac multorum in Gallia ſermonibus pax anxie expetebatur, in quam & haut dubie ipſe Rex propendebat. Quin & Regina Galliæ dixerat; ſe ſi optio daretur, ut aut Delphinum pariat, aut pacem faciat, hanc prælaturam. Favebant quoque Galli præcipue Bavaro, & Brandeburgico, quod ſperarent, ſe horum opera uſuros, ut Cæſareum faſtigium in aliam ab Auſtriaca domum transferretur; eoque metus erat, ne iſtorum in Palatinatum & Pomeraniam prætenſiones, duriſſimi pacis nodi, à Gallis fulcirentur. Et multa ſane tunc in Gallia jactabantur co[illegible]a jus Sueciæ in Pomeraniam quæſitum; addito, ſufficere, ſi Stralſundam iſti retineant velut aditum Germaniæ, ſicut Galli Pignerolum, Italiæ clauſtra, infideant.

Suecis tempus extrahunt.

§. 70. Cum tamen interim Gallici miniſtri complementum tractatus V Viſmarienſis urgerent, teſtantes, ſi Suecica ratificatio adſit, ſtatim ſe inſtrumentum à Rege ſuo confirmatum exhibituros; Salvius propediem eam adfuturam ferebat, ſimul aſſeverans, Suecis, utique cordi eſſe, ut communis pax ineatur. Sed viciſſim poſtulabat, cauſam à Gallis majore ſtudio ſuſcipi, ne Suecis neceſſitas adferatur ſe paratis tractatibus animum applicandi. Utique ipſi apud Regem inſtent, quo is diverſa in parte hoſtem valide diſtringat, ne Suecis ſuccumbentibus unitæ hoſtium vires ipſi ingruant. Chaumontius tamen moræ impatientior tandem Hamburgo diſceſſum adornabat, fremens; ſe perſpicere, Suecos ſerio rem non agere, ac non niſi fruſtra tempus extrahere; Gallos quoque rebus ſuis ocyus conſulturos. Enimvero ſatis conſtabat, Gallos non ita abrupte acturos, præſertim cum ipſis perſuaſum foret, Oxenſtiernam in belli continuationem propendere. Nec ea moræ impatientia in cauſa erat, quod Chaumontius Hamburgo in aulam evocaretur, ſed quia pecuniam Regiam male diſpenſaſſe arguebatur, interceptis centum quinquaginta uncialium millibus; quo nomine aſpere in aula excipiebatur. In cujus locum mox aderat Avauxius, Boruſſicis inductis magnam dexteritatis famam adeptus, qui cœptam ab iſto telam pertexeret.

Suci in fœdus Gallicum de[illegible]um conſentiunt.

§. 71. Aſt in Suecia quo magis pacis ſpes indies minuebatur, eo pronior ad ratihabendum fœdus Gallicum Senatus fiebat. Equidem erant qui diſſererent, fœdere quo ſui velut arbitrii Suecia eſſe deſineret, opus non eſſe; quod ſi vel maxime Gallia ſeparatim cum Cæſare tranſigat, Suecia in bello manente, iſtam tamen non omiſſuram clam huic favere ob periculum ſibi ab Hiſpanis imminens. Sacra quoque & rationes utriusque Regni in diverſa ire. Gallum quippe nullo religionis Evangelicæ reſpectu Lotharingiam potiſſimum & Vallem Tellinam reſpicere, cum Suecia oculos in Pomeraniam & Mare Balticum defixerit; cujus ſecuritas magnam partem in conſervatione Ordinum Proteſtantium conſiſtat, quibus repugnantes rationes aut deſtinata ipſa haut quidquam habeat. Unde Sueciæ maxime intereſſe, ut Ordinum Proteſtantium ſacra, & priſtina libertas ſarta tecta perſiſtant; quod ſacra iſta cum libertate & ſtatu eorum ita ſint implicita, ut illis ſublatis & hunc corruere neceſſum ſit. Galli autem ſcopo ſufficere, ſi per Bavarum aliosque Catholicos Ordines potentiam Auſtriacorum libret. Sed quæ fœderis ratihabitionem ſuadebant, longe graviores erant rationes, Galliam, ſi nunc ſola deſtituatur, à Cæſare & Hiſpanis acrius caſtigatum iri, quam rationes Sueciæ ferant. Banerio ad oram maritimam compulſo præter pecuniam Gallicam nullum eſſe medium reficiendo exercitui, cui nunc ſumma rerum imitatur; quo diſperſo nec domi nec foris cum inſtaurari poſſe. Spem pacis adhuc tenuem aut nullam, æque ut Gallis. Cum itaque utrisque in bello ad tempus adhuc ſit perſiſtendum, rationis eſſe, à conjunctis potius fieri, quod ſingulis utique eſt faciendum; & ut Suecia aliena pecunia ſubleveretur. Quod ſi ſoli bellum gerant Suecі nullo inſigni vigore, hoſti ipſos contemtui fore; & ut pauliſper ſucceſſus arrideat, tamen hoſtem contidere ſemper ſe conditionibus, quas velit, potiturum; ſuccumbentibus leges pro lubitu dictaturum. A conjunctis magna mole bellum cieri poſſe; nunc languide rem geri, ac metum eſſe ne tandem, dum ſinguli pugnant, utrique ab hoſte opprimantur. Non eſſe metuendum, ut Gallia bello ſe ſubducat, cui arte adhuc immerſa hæreat; & nunc fidei vinculo eandem ſtringendam. Hoſtem Suecis jam gravius incumbere, quam præterito autumno poſt victoriam ad Wirſtocum, cujus majore cum fructu perſequendæ ſpes erat, & ob quam ſerio ad pacem animum adpliciturus credebatur hoſtis; quæ & cauſa ex parte fuerit ratihabitionem fœderis ſuſpendendi. Nunc mutatam rerum faciem; & è Ratiſponæ actis facile patere, hoſti utique propoſitum vi Suecos tota Germania pellere, omnesque Proteſtantes opprimere; quod nunc in proclivi fore credat debilitato Saxone, cujus copiæ, quæ Arnheimio referente triginta

1637. ſex millia implebant, plane deſtructæ; qui nunc ſub ſpecie lati auxilii plane viribus evertatur. Præterea Cæſarem ætate vegeta, Gallo æmulum, qui nunc bellum propulſare ſatis habet. Si uno prælio Cæſar vincat, oppreſſa Germania utrique Regno terribilem fore. Quæ ſuperiore autumno pro fœdere adferebantur rationes, nunc validius ſtringere, quod tunc victoria ad Witſtocum recens, & Ferdinandus nondum electus, eoque major pacis ſpes. Jamdudum ſatis patere tractatuum vocabulo à Cæſare id tantum quæri, ut disjunctas invicem Galliam & Sueciam eo facilius opprimat. Quæ de pace jactentur, magis à privatorum votis, quam Cæſaris mente promanare. Denique quantivis eſſe potentiam Auſtriacorum rite librari; & indecorum Suecis hucusque bello progreſſis imperfecta deſtinata abrumpere; & Gallos eluſa conventione offendere; qui ſoli bona fide amici Suecis eſſe poſſint, quod cum illis ſolis nulla offenſæ occaſio, multæ autem amicitiæ cauſæ interveniant. Igitur placebat Senatui inſtrumentum fœderis Hamburgum ad Salvium mitti, ut id Avauxio oſtendat, ac Gallicum viciſſim inſpiciat. Neque tamen id ſtatim cum Gallico permutare jubebatur, donec adpareret, quo tractatus cum Sigismundo Marchione, & Franciſco Alberto Lauenburgico evaderet, præſertim cum hoſtis vix de pace cogitaturus videretur ante præſentis expeditionis eventum. Interea inveſtigari poterat, num ſerio cauſam communem amplecti, & pecuniam reipſa numerare Galli vellent. Simul eo teſtatius orbi ſtudium, quo in honeſtam pacem Suecia ferretur, futurum erat. Sed quo tempus citra offenſam Galliæ traheretur, Salvius jubebatur in anteceſſum cum Avauxio diſſerere de modo conjunctim tractandi, de abrumpendo Colonienſi conventu; qui mediatores adhibendi; & ut pecunia fœdere promiſſa ad valorem uncialium reducatur; quod interim mutatio in moneta Gallica contigiſſet. Denuntiato, ni accurate pecunia ſtatis diebus ſolvatur, nec Suecos ita ſtricte fœdere teneri velle. Interim cuneum cuneo truſuri ejus fœderis reſpectu Cæſareos ad honeſtam pacem, Gallos pacis ſeparatæ metu ad complementum fœderis compellere inſtituebant. Quod ſi fœdus ſuccederet honeſtum, ſuppetebat prætextum tractatus à Cæſare oblatos declinandi; fœdus Gallicum in iſtorum gratiam damdiu dilatum, quod tunc demum amplectendum fuerit, poſtquam ab illo rem ſerio non agi adparuerit. Contra ſi fœdere Gallico irrito pax cum Cæſare ſuccederet, Salvio injungebatur, primum de ſatisfactione Sueciæ & militum agere, amneſtia ad extremum reſervata, remiſſius aut ſtrictius urgenda, prout circa priora ſe Cæſar declaraſſet; quod favorabile foret ob amicos non deſertos tractatus potiſſimum abrumpi; aut ſi idonea ſatisfactio obtenta ſit, ne ob alienos, & parum memores beneficii futuros, æterno Sueciæ bello implicaretur. Si ſatisfactionis loco Pomerania & Wiſmaria obtineri nequeat, tribus uncialium millionibus adquieſceret, intra decem aut quindecim annos ſolvendis, relicta interim hypothecæ nomine Pomerania citeriore, Wiſmaria & Warnemunda cum vectigalibus. Si excluſorum à pace reſtitutio obtineri nullo modo poſſit, primum circa Palatinum remittendum, velut cujus cauſa difficillima ſit, niſi quantum commendando & intercedendo effici queat.

Nec eo minus cunctantur.

Sueci Regem Galliæ ad bellum hortantur.

§. 72. Aſt excitando Galliæ Regi ad cauſam communem ſtrenue amplectendam literas Rectores Sueciæ dabant, quas dum tradit Legatus Hugo Grotius prolixa oratione rem altius repetens commemorat; quam intrepidum ſe geſſerit Oxenſtierna, cum è Gallia in Germaniam perveniſſet, quanquam non defertus modo à Germanis Principibus, ſed & oppugnatus; ac potuiſſe tunc quoque illis in locis, in quibus bellum erat, ſuſtentari, ſi ex alia parte hoſtibus negotium factum fuiſſet. Eo neglecto tantas in unos Suecos inſurrexiſſe undique hoſtium copias, ut multitudini impares coacti ſint ad oram ſe maritimam referre. Idem nunc accidiſſe iterum. Haut ignotum Regi, quanta fortitudine intulerit gradum fixeritque in media Germania Banerius, cum maxima ſpe majorum ſucceſſuum. Sed quia nulla aliunde fiebat hoſtium diſtractio, quinque in unum conglobatos exercitus, qui ſe ad ſexaginta millia eſſe jactent: Ea vi coactum receſſiſſe ad eandem oram maritimam, ibique locis arctis premi. Quæ hæc alia ſequi poſſint mala, ſi nihil aliud habeat quod agat tam potens hoſtis, malle id ſe tacere, quam male ominata eloqui. Non ceſſari in mittendis è Suecia ſupplementis. Sed quo minus ea ſint valida, effici trium Regnorum ſuſpecta Suecis vicinitate. Polonum non pacem cum ipſis habere, ſed inducias nunc etiam quam ante incertiores ob Auſtriacam affinitatem, facile ejus conſilia ſuos in uſus tracturam. Cum Dano, cum Ruſſo controverſa multa, atque ita triplicem limitem cuſtodiis validis ſepiendum. Haut obſcure hoſtem eo tendere, ut quando nihil in Germania præter Suecos adverſum ſentiat, eos inde moveat, in Galliam poſtea iturus multo quam antè formidabilior. Magnos eſſe Domus Auſtriacæ etiam ſine Imperio fines: Hungariam, Auſtrias, Bohemiam cum Sileſia & Moravia, Tirolin cum Carinthia, Dalmatiam & Croatiam ingentia terrarum ſpatia complecti: multum inde virorum, non parum pecuniæ ſuppeditari. Annexam ei non ſanguine tantum, matrimonioque & fœderibus, ſed & mutuæ ſucceſſionis lege vim Hiſpanorum, late per quatuor orbis partes regnatricem, ita ut ſtirps utraque pro uno corpore habenda ſit. Ad has vires ſi accedat Germania, Europæ tanta pars, neque jam jure Principatus delati, ſuffragus adſtricti legibus, ſed bello quæſita, retenta armis provincia ad Bohemiæ modum, quantum id futurum ſit incrementum prægravis jam dudum potentiæ Regis prudentiam non latere. Non ignotum Imperatori ejusque ſectatoribus præcipuum concupiti ipſius. Dominatus impedimentum in Gallia eſſe poſitum, quod velut vallum Chriſtiano orbi obtenditur. Id vallum ut diruant aut lacerent nulli parſuros operæ. Etiam antequam ad illam omnia vaſtiſſima ſpei ſuę proponentem Domum Auſtriacam devolutum eſſet Teutonicum Imperium, ſemper Regibus Gallis æmulos atque infeſtos fuiſſe Cæſares. Quando nunc magis ex quo dignitas illa in Domo per ſe adeo valida, tantiſque ſuffulta poſſeſſionibus radices egit? Etiam ſi Rex cedere cupiat, quæ nuper armis quæſivit, quod de Rege tam magnanimo credi nefas; nihil tamen id ad pacem profuturum, cum Imperatores Metim, Tullum, Virodunum repetitum ſæpe miſerunt. Regnum autem Arelatenſe adſcribant Imperio, ſub quo nomine comprehendatur Burgundiæ Ducatus, Provincia, Delphinatuſque, nobiliſſimæ partes Galliæ. Neque verbis tantum, ſed & factis adparuiſſe infenſos Galliæ animos. Carolum V. Cæſarem ipſum ingentes armorum motus in Provinciam intuliſſe. Viſa nuper intra Burgundiæ Ducatum magno totius Galliæ periculo Cæſareana ſigna. Neque vero jure tantum belli, apertaque vi agere illos ſolitos. Eſſe illis pecunias, artes, atque audentiam diſſidia ſerendi in Domum Regiam; ſi quid in Principibus, ſi quid à plebe turbidum ab illis ali. Neque vero ſolos Imperatores eſſe tales, ſed & Saxonem, ex quo de cæteris earundem partium conjectura fieri debeat,

1637. debeat, eo in Galliam odio accendi, ut discessioni suæ ab amicitia Sueciæ caulam obtendat, hujus cum Galliæ Regno fœdera. Non ergo quæri, obsistendum ne sit tam grandi, tamque inimicæ potentiæ; id enim extorturam ipsam necessitatem: sed quando id facere ex usu maxime sit Galliæ, & quomodo. Tria autem circa deliberationes tales præcepta posse verissima ex bonis malisque Regum aliorum eventibus demonstrari, nisi ipse Rex suis actibus ita ostendisset ea infixa esse animo suo, ut non aliunde potius depromonda sint, quam ex rebus hactenus gestis ipsius, optima in se documenta continentibus. Ea autem præcepta hæc esse: Crescenti magnitudini contra eundum, dum adhuc supersunt ii, quibus exitium de proximo imminet. Non esse cunctandum, donec hi accessio fiant inimicarum virium, victique una ad vincendos alios trahantur. Melius esse turbamenta in alios inferre, quam tempus illis dare nostra turbandi. Bellum in hostico quam domi tutius, ac minore impendio geri, idque ipsum pacis internæ esse munimentum. His de causis orabat Regem, ne differret à Suecis abstrahere partem hostilium copiarum. Bellam esse occasionem, quod Dux Vinariensis non Rhenum transierit tantum, sed & ibi se immuniverit. Verum non satid fore, si copias habeat, quibus ea munimenta possit tutari. Aperiendum ei in penetralia Germaniæ iter, quod nisi magno exercitu fieri nequit, quando non Holanus tantum magnam Croatarum manum ad VVertanum adduxerit, sed & valido cum agmine in eum irruat Goltzius, aliique, delectus agantur in Bavaria, & apud Episcopos VVurtzburgensem, Salisburgensem, & alios. Quod si Duce Vinariensi in Germaniam se penetrante signum ad libertatem erectum adpareat, resurrecturos qui jam jaceant Principes, ac civitates, quæ jura sibi ademta nunc silentio gemant, animos vocemque resumturas. Suecos vero amota parte eorum, à quibus nunc velut obsiderentur, inventuros viam redeundi in Germaniam, aut invasuros avita Austriacæ Domus bona. Ista à Rege magna cum attentione audita vehementer probabantur; & ita facturum se promittebat. Accedebat post & alius casus, qui Regem in Austriacos irritaret, quod post defunctum Sabaudiæ Ducem tutelam successoris pupilli matri Regis sorori delatam Austriaci pati nollent. Præsertim cum fratres Ducis defuncti Thomas pro Hispano arma ferret, alter Cardinalis Romæ aperte negotia totius Austriacæ Domus ageret. Qui & Romæ antea testationem præscribi fecerant, Ducem Sabaudiæ fratrem suum satis marem non esse. Ita quidem istis liberis, quos Regis soror peperierat, controversiam status intendebant. Etsi facetiores matrem ideo adulterii traduci negarent; quod adultera non sit, quæ maritum non habet.

Inter Avauxium & Salvium de fœdere disceptatio.

§. 73. Porro Hamburgi, antequam ratihabitio fœderis è Suecia allata esset, Avauxius apud Salvium injecerat; quæ VVismariæ acta forent justum fœdus non fuisse, sed nudam delineationem conveniendorum; nec fœdus ibi subscriptum, sed pactum adjectum, ut quoad ratificatio hinc inde tradita fuisset, apud alios spargeretur, plene inter ipsos convenisse. Eoque non sufficere ratificationem ibi actorum nunc permutari, cum nihil ratum haberi soleat, nisi quod antea sit conclusum: sed necessum fore, negotium denuo incudi subjici, & fœdus præsentibus temporibus adaptari. Aut si hoc longum videatur, aliud instrumentum conficiendum, quod capita primaria conventionis Wismariensis contineat, à se & Salvio subscribendum, velut ab ipsis initio nuperi Augusti post Chaumontii discessum Hamburgi confectum.

Avauxius de novo fœdere movet.

Quid hoc postulato sibi vellet Axauxius, non satis constabat; subsidiane, quorum dies jam cesserat, Suecis subtrahere institueret, an Gallia separatos tractatus tunc agitarit; an pecunia, quæ ex fœdere solvenda erat, in promtu non foret; an ambitio quædam & invidia adversus Chaumontium fuerit, velut ipse circa ratihabenda ab altero acta laborare dedignaretur, gloriam confecti fœderis in se translaturus, parum nobis compertum. Mox tamen cum ratihabitio fœderis è Suecia adferretur, missis hisce tricis circa alia disceptatum. Ac primo quidem ab Avauxio scrupulus movebatur super initio fœderis, quod instrumento Suecico dies primus Augusti anni tricesimi sexti esset adscriptus: cum in Gallico annus tricesimus septimus expressus foret, spatio relicto pro die & loco inserendo. Videbat enim hac ratione tribus pensionibus jam diem cessisse; eoque disputare cœpit, initium non à die fœderis concluſi, sed exhibitæ ratihabitionis capiendum. Id quod Salvius negabat, cum hoc modo fœdus in triennium concluſum ad biennium redigatur. Reginam Superiore anno quæ fœdere requirantur abunde præstitisse, in quo ipso fœderis substantia consistat, hostemque ex ipsa Lotharingia ac Burgundia in se avertisse. Fœdus convento die à Rectoribus Sueciæ subscriptum, quo minus statim traderetur, Gallos præposterе instituto Coloniæ conventu in culpa fuisse. Cum inde Avauxius inficias ire non posset, quin præterito anno utilissimam Galliæ operam navasset Suecia, unam duntaxat elapsi anni nomine pensionem offerebat, detracta altera; asseverans, ni hoc acceptetur, nihil addere se posse, nec plus in mandatis habere; sed ad Regem esse referendum. Cum Salvius præter alia reponeret: tantopere ipsius Galliæ interesse, Banerium submissa quam primum pecunia firmari, ut is etiam citra fœdus omnibus modis sublevari debeat; Avauxius contra à Rege suo anno superiore gesta extollere: non plus daturum Regem, ne ad eas angustias redactus videatur, ut omnia, quæ Succi cupiant, annuere, & ipsorum amicitiam non sine ignominia emere cogatur. Denique præter mandatum se agere non posse. Eo minus autem Suecis ferendum videbatur, se ista pecunia fraudari, quod documentum inde capere vellent, num Gallis fœdus revera cordi foret. Nam si serio Suecis jungi vellent, propter ducenties mille unciales negotium abrupturi non erant. Et mox istius cauponationis causa è Chaumontii ad Avauxium literis patebat, queis rogaverat; ut centies mille unciales summæ Suecis à Rege destinatæ decerperet, inter ipsos dividendos: *id enim Suecis hæreticis non nocere.* Et jam pridem omnis pecunia Suecis promissa ad Chaumontium collybo transcripta fuerat, sed qui eadem ad alias res satis libere abusus erat. Pergebat inde Avauxius Salvio persuadere, ut ea quæ offerebatur summa adquiesceret, multa incommoda memorans, quæ eventura essent, si ad superiores utrinque res referatur. Tempus interim labi, & dimidium fœderis spatium abire, antequam id plene perficiatur. Aliarum interim pensionum diem cedere, quas cumulatas Regi suo exsolvere difficile sit futurum. Fortasse utrumque discrepantia domo mandata acceptutum; novarum dilationum autem. Ea incommoda non abnuebat Salvius; quin addebat, Cæsareos hanc moram adversus utrumque Regnum in emolumentum suum versuros: Anglicum fœdus interim vado adhærescere; exercitus, & qui adhuc in Germania his partibus faveant, in desperationem agi. Et ut eo magis Gallum urgeret, fatebatur, à multis se Principibus rogari, ratificationem inhibeat, quod spes jam alluceat honestæ

1637. neſtæ à Cæſare pacis obtinendæ, quæ poſt fœdus pro deſperata ſit futura. Id quod & Avauxius non diſſitebatur, addito, Viennæ decretum, Suecis ſummam pecuniæ, & Pomeraniam hypothecæ loco concedendam. Sed ut viciſſim terreret Salvium, memorabat: periculoſa in Suecos conſilia cudi. Nam ſtatim atque pace in ſoporem dati ſint, Pomerania iterum ejiciendos; ad quod non alio prætexto opus ſit, quam conſenſu Ordinum Imperii in Comitiis, Ita conclamatos Suecos fore. Cæſarem inſuper & Hiſpanum cum Polono fœdus iniſſe, & huic terra marique auxilia miſſuros ad vindicandam Sueciam. Cui rei jam primordia ſtruantur, dum adverſus conventa induciarum à Polono ad Gedanum vectigalia exiguntur. Igitur cavendum Sueciæ à Cæſaris pace, & Gallicam potius amicitiam amplectendam, quam fallaciis Auſtriacis aurem præbendam. Cui Salvius: Cæſareos utique declaraſſe, ſe Suecis ſatisfacturos, ſi Galliæ ſe litibus miſcere ſuperſedeant. Id an hoc fine factum, ut ipſos in ſoporem dent, ſibi non conſtare. Sane Suecos non ita ſomnolentos fore, ut Cæſarem deſtinatis circa Pomeraniam potiri patiantur. Nullam rempublicam nudis aliorum verbis confidere; & pacta validioribus firmamentis, quam atramento & charta ſtare. De trium Principum fœdere contra Sueciam inane commentum eſſe à Polonis dudum decantatum. Cæſarem & Hiſpanum non ita mente caſſos, ut Polonum Septentrionis Monarcham velint facere, ne ſi pater quidem aut frater ſit; cum non majus libramentum Monarchiæ, quam ipſi animo agitant, conſtitui poſſit. Et ſi detur inter eos ita conveniſſe; Suecis tamen eam curam ſomnum non abrupturam. Nam his licet dormitantibus Gallos, Anglos, Danos, Belgas nullo modo ferre poſſe, ut Auſtriaci, aut Polonus mari Baltico potiatur. Ruſſos quoque & Danos ultro ſe Polono oppoſituros; quod à conjunctione Sueciæ & Poloniæ certum exitium immineat. Cæterum de pace à diverſis quidem propoſitum, ſed in tractatus nondum à Suecis conſenſum, quoad perſpiceretur, quid ratificationi fœderis futurum ſit. Igitur non eſſe eam tam modicis obſtaculis remorandam, cum de ducentis millibus uncialium duntaxat controverſia ſit, & in Hollandos quotannis duo milliones prodigantur; ac nemo utiliorem Galliæ operam navare poſſit, quam Suecia. Sed cum Avauxius dejeraret, ſibi plus offerre non licere, & Salvio, quo minus quod offerebatur acceptaret, mandatum obſtaret, res utrinque ad Superiores referenda erat.

Circa alia Fœderi conjuncta Gallorum ſententia.

§. 74. Enimvero circa alia, quæ fœderi conjuncta erant, facilius conveniri poſſe videbatur. Et quidem ut à Rege bellum Ferdinando Cæſari indiceretur, poſt aliquam tergiverſationem Gallus annuebat. Circa communis pacis tractatus in arbitrio Reginæ relinquebat Gallus, num ipſa Legatos Coloniam mittere, an tractatus univerſos Hamburgum deducere vellet, in quam urbem omnes viderentur conſenſuri, præter Pontificem & Hiſpanum. Si neutrum horum arrideat, placere Regi, Coloniæ ſuos, Hamburgi Suecicos tractatus ſuſcipi. Quo caſu Regius miniſter, nulla agendi facultate inſtructus, Suecis Legatis adfuturus eſſet obſervandis quæ agerentur. Quod & Suecis pariter Coloniæ integrum ſit futurum. Hamburgi negotia Suecica & ſociorum in Germania, Coloniæ quæ Gallo cum Germanis, Hiſpanis, Italis intercedunt, expediri poſſe. Si à Cæſare impetrari nequeat, ut Germanici ſocii velut ipſius ſubditi ad tractatus admittantur, id obtinendum eſſe, ut Regiis Legatis ad iſtos proficiſci, & conſilia cum iisdem conferre liceat, commodis ipſorum obſervandis. Si Regina Sueciæ Daniæ 1637. Regis mediationem admiſerit, eum Galliæ quoque Regi placere: ſin minus, Venetis à Regina probatis adquieſcebat. Sociorum cauſam tam Coloniæ quam Hamburgi paci includendam, ſuper qua prius inter ipſos conveniendum. Denique utramque Coronam pacis ſibi mutuo evictionem præſtituram. Circa ſatisfactionem Sueciæ fatebatur Avauxius injunctum ſibi, non pro tota Pomerania laborare, quæ modici Regni inſtar ſit, ſed pro parte duntaxat: & non obſcure Stralſundam inſinuabat, aut ſummum Rugiam inſulam, quo Suecis ſemper porta in Germaniam pateat, una cum Gallia coërcendis Auſtriacis. Et cum Salvius exciperet; ſolam Stralſundam, aut exiguam Pomeraniæ partem Suecis oneri fore, quod numerosum ibi alendum ſit præſidium, ſperans ab Avauxio media ad eam rem propoſitum iri; hic tacebat. Mox expiſcandæ ejusdem ſententiæ de portoriis mentionem injiciebat Salvius; de quibus Gallus frigide valde annuebat. Denique circa Palatinam cauſam judicabat Avauxius temperamentum inveniri poſſe, quod utrique parti ſatisfaciat; ſi Palatinus poſt mortem demum Bavari Electoralem dignitatem adeat. Ea quidem tunc inter iſtos diſputabantur.

De Anglorum animo dubitatur.

§. 75. De Anglicano fœdere iſthoc anno verborum affatim, rei nihil. Ejus Regis Legatus Arundelius Ratiſponæ illuſus, & in reditu apud Confluentes à præfecto Cæſareo adpoſitis cuſtodibus violatus, in Batavis apud Ludovicum Camerarium Legatum Suecicum ingenue faſſus erat; poſt tot inanes legationes in cauſa Palatina nil niſi armis effici poſſe. Nec ſe defore Regi hortando, ut fortia conſilia capeſſat, ac Sueciæ arctius jungatur. Paulo poſt & Reſidens Anglicus Boſvvelus apud Camerarium ultro mentionem injiciebat de fœdere mutuæ defenſionis & commerciorum inter Suetiam & Angliam; ſuper quo incundo ut is mandata è Suecia peteret monebat. Angliæ Regem non uno impetu, ſed pedetentim ad onus belli Germanici pertrahendum: ac ſi iſthoc fœdus prius ſucceſſerit, Regem ultro ad auxilium ferendum iri permotum. Sed quo minus ſolidi quid ſubeſſe hiſce crederetur, multa obſtabant. Qui aulam Anglicam penitus norant, ajebant; Anglos hieme ſemper bellum minari, æſtate nihil agere. Pontificis res agens Londini facellum ſibi apertum habebat more Nuntiorum. Poſt Arundelii adventum non modo Legatus Hiſpanicus longum cum Rege Angliæ habuerat colloquium, ſed & una cum Arundelio magnifico convivio interfuerat. Et vix credibile erat novum Romanorum Regem ita palam ſe ingeſturum fuiſſe Palatino negotio, niſi ſperaret, aliquid ſe conficere poſſe, quo amicitias pararet utiles imperium inchoanti. Quanquam enim circa idem tempus Palatinatus Inferior denuo Hiſpanis à Cæſare traditus eſſet; ſpes tamen aliqua circa eundem adhuc ſupererat. Eoque Taillerus Reſidens Anglicus adhuc Ratiſponæ hærebat, & Curtius à Cæſare ad Bavarum mittebatur, num alia ſatisfactione oblata ipſum movere poſſet, ut Palatinatu ipſe cederet, & Electoralem dignitatem deinceps linea Wilhelmina & Rudolphina altemis teneret, ſicuti quondam inter Ludovicum Bavarum, & ipſius è fratre Rudolpho nepotes conventum dicebatur. Quin & Taillero Regis Hungariæ nomine ſcripto ſignificabatur, ipſum adhuc ſatagere, ut circa cauſam Palatinam Regi amplius ſatisfiat; ac circa dignitatem Electoralem etiam VVilhelmina linea durante temperamentum aliquod inventum iri. Id quod is Regi ſuo nuntiaret, ac mandatum ſuper eo negotio tractandi peteret. Quin & liber, qui pro Palatino in Anglia ſcriptus 29. Jan.

fue-

1637. fuerat, ſupprimebatur. Nec offendebantur Anglici in Gallia Legati, quod Galli Electoris nomen in Anglia Palatino tributum ſubtricerent.

Fœdus inter Gallos & Anglos friget. 6. Febr.

§. 76. Sed & fœdus, quod Lutetiæ Gallos inter & Anglos cudebatur, languide procedebat, cujus capita in Angliam transmiſſa fuerant; ad quæ Rex declaraverat: Se quindecim naves bellicas Electori Palatino dare conſtituiſſe ad prædas mari agendas; quod ut majore juris ſpecie fieret, literas marcæ à Galliæ Rege eidem dandas: iis navibus alias adjungere civibus ſuis liberum fore. Paratum eſſe polliceri, ſe neque recta neque obliqua via adjuturum res Cæſaris aut Hiſpani, neque ſeorſim cum illis pacta initurum. Permiſſurum, ut quibus bellum cum Cæſare aut Hiſpano eſt, iis militem ſcribere per Britanniam liceat ad definitum duntaxat numerum. Viciſſim petebat, ne Galli, Sueci, Batavi ipſo non conſcio aut conſentiente pacem aut inducias faciant, donec eorum omnium adjuncto quoque Dano inſtituatur conventus; in quo proponant ſinguli, quas putent pacis leges æquas, ſuisque rebus convenientes fore; invicemque ſe obligent, niſi obtentis iis, arma ſe non poſituros. Is conventus ut intra tres menſes habeatur. Poſtulata deinde omnium intra menſem perferantur ad Cæſarem, qui niſi eadem acceptet, tum ſe ad arcendam inferendamque vim cum illis omnibus fœdus facturum, quoad Proteſtantibus omnia quæ habuerunt, reſtituantur. Enimvero ſatis patebat, Anglum alieno damno impenſaque res ſuas agere, pacem velle ſui arbitrii facere; nec temere florentia ſuorum commercia bello turbaturum. Neque vero tractatus ille de fœdere aliorſum ſpectabat, quam ut idem ſe partibus venditaret, & tempus extraheret, quoad occaſio rei bene gerendæ elapſa, & belli facies mutata foret, ut poſtea culpam in alios conjicere poſſet, quod non plus ad rem conferre liceat. Et vero diſparia plane erant, quæ ſibi ſtipulabatur Anglus, & quæ ipſe viciſſim præſtare vellet. Claſſis iſta ad prædas magis agendas, quam ad juſtum bellum pertinebat, & non tam Hiſpano, quam Batavis & Hanſeaticis, in Hiſpania commercia exercentibus moleſta erat futura. Et ſi forte Galliæ litora tuta præſtaret, ad bellum tamen Germanicum nihil plane momenti adferebat. Unde & Rectores Sueciæ Fletvvodo tribuno, qui ſuperiore anno de Angliæ Regis in cauſam communem ſtudio teſtatus erat, ſimul militis ſcribendi licentiam, quantum citra fraudem ſtatus ſui fieri poſſet, obtulerat, mentione quoque fœderis & claſſis injecta, reſponderant: His mediis cauſæ communi haut conſuli. Quod ſi cæteri quorum intereſt, otioſos tantum ſpectatores agere velint, & ex alieno labore commodum ſuum captare, id ſecuturum, ut qui ſoli cum bello luctantur, tandem ſuccumbant, aut tædio arma abjiciant. Sic pulſis Principibus omnem ſpem reſtitutionis perituram, & vicinis Regnis maximum periculum incubiturum. Igitur ut ſerio cauſam amplectatur, Regem hortantur, & ut vel milite & pecunia ſibi adſiſtat, vel ſuis auſpiciis exercitum in Germania comparet, qui ſociatis conſiliis eundem ad ſcopum rem gerat; quo caſu Regina ipſi quicquid oppidorum inter Rhenum ac Viſurgim obtinet, ceſſura ſit, ubi pedem firmare, & inde in Palatinatum, aut alio arma inferre queat. Et quia id conſilium Regi probatum iri ſperabat, intra tres menſes, etiam ſi occaſio detur, pacem cum hoſte non inituros ſe pollicebantur, quo ſpatium is habeat mature rem expendendi. Ubi longiores moræ necterentur, excuſatam ſe Regina haberi cupiebat, ſi oblatas pacis conditiones ad Regni ſui emolumentum amplecteretur. Iſthanc Anglo factam oblationem Galli ex invidia erga ſe profectam arguebant, quod nunc tam liberales forent Sueci circa Weſtphaliam cedendam; cum antea tantas difficultates circa Philipsburgum moviſſent; ſic ut de Benfelda amplius verba facere nollent, etſi non mediocriter iſti oppido inhiarent. Oxenſtiernæ tamen tunc ratio ſatis conſtabat; ne Ordines Germaniæ ſuſpicarentur, inter Suecos Gallosque ſuper dividenda Germania convenille.

6. Febr. Fletvvodo reſpondetur.

1637.

Angliæ Rex Suecos ad fœdus invitat.

§. 77. Paulo poſt in Sueciam adpellebat ab Angliæ Rege miſſus Joannes Barclaius, qui multis teſtabatur de Regis deſiderio priora amicitiæ vincula cum Suecis arctius adſtringendi, & quam fixum illi ſit Electoris Palatini reſtitutionem conſilio & re promovere. Quo fine Suecis milites conducendi licentiam apud ſe factam, quibus & inſuper terra marique auxilium ferre decreverit ex fœdere deinceps inter utrumque Regnum firmando. Cui maturando petebat quamprimum Legatos plena agendi facultate Hagam aut alio mitti, cum ſuis, qui ſtatim atque à Suecis dies locusque congreſſui fuerit dictus, eodem ſe collaturi ſint, fœdus concluſuros, in utriusque Regni emolumentum, & Palatinæ Domus reſtitutionem. Ex aliis autem iſtius Barclai ſermonibus colligebatur, ipſum Anglum haut quicquam in arma eruptarum, ſed tantum Palatino auxilia laturum, ſic ut Regi integrum maneret, quandocunque placeret partibus hiſce ſe ſubducere. Nec aliud nunc agi, quam ut ipſe quidem periculorum belli extors Suecos conſtrictos teneat, ne bello ſe pro lubitu extricare poſſint. Unde Rectoribus Sueciæ haut arridebat ejusmodi fœdere ſuper reſtituendo Palatino ſe illigare, ubi non viciſſim adpareret, quod operæ pretium ipſi facturi ſint, ubi res ſuccedat. Neque vero nunc aliæ conditiones offerri poterant, quam quæ Fletvvodo jam expoſitæ erant, ad quas nunc nihil præter inania verborum reponatur. Legatos porro Hagam mittere, antequam conſtaret, quæ Anglorum deſtinata forent, incongruum erat: & iſtæ miſſitationes multum temporis abſumebant, oculosque omnium advertebant, cum ſatius foret, nullo ſtrepitu tractatus peragi. Et quia per Reginæ minorennitatem fœdus inconſultis Regni Ordinibus concludi non poterat, nullibi commodius quam in Suecia de fœdere agi poterat. Patebat igitur hæc omnia ab Anglo oſtentationis cauſa duntaxat fieri, velut & ipſe aliquid ad cauſam communem conferret. Quo fine & tenuis ſortis homo miſſus erat, nullis mandatis ſuper legibus fœderis quid proponendi. Placebat tamen ita reſponſum concipi, ne anſa præberetur Anglo querendi, ſe ſuper bello Germanico fœdus pangere voluiſſe, ſed Suecos abnuiſſe. Probari à ſe congreſſum Hagæ inſtitui, & ne qua mora ſit negotio confeſtim ſuſcipiendo, Ludovico Camerario mandatum, ſtatim atque Legati Regii eo venerint, cum ipſis tractatus ordiri. Addebant tamen, moleſtum ſibi eſſe, ita remiſſe rem geri, & cum ipſi ſub belli onere gemant, votis magis & verbis, quam reipſa ſibi ſubveniri. Quod ſi alii quorum æque intereſt, manum operi demum aliquando admovere nolint, vitio datum ſibi non iri, ſi & ipſi proprio commodo etiam cum aliquo detrimento cauſæ communis velificentur, ac bello ſe ſubducant. Ideoque optaſſe, ut paulo diſtinctius mentem ſuam ſuper legibus fœderis expoſuiſſet Rex, quo & ipſi per minorennitatem Reginæ rem mature trutinare, ac legatos idoneis mandatis inſtruere potuiſſent. Quin tractatuum ambages in compendium redigi poſſe, modo Regi declarare placeat, utra ex conditionibus Fletvvodo expoſitis ipſi arrideat. Enimvero non obſcure patebat, id quidem

Sueci reſpondent. 5. Junii.

De fœdere

fœdus

1637. Anglicano spes exigua.

fœdus inane fore. Ac spargebant ipsi ministri Anglici, promissis super Palatinatu sibi factis Regem adquiescere. Obtulisse Austriacos Inferiorem Palatinatum gratis restituendum. Superiorem acceptis sex millionibus, cujus pecuniæ partem ipse Hispanus sit præbiturus redimendæ Anglorum amicitiæ; eam enim legem additam, ut vicissim Anglus cum Austriacis & Hispanis fœdus ineat adversus ipsorum hostes. De dignitate Electorali Anglos non magnopere laboraturos, modo ejus recuperandæ in futurum aliqua spes Palatino fiat. Ea de causa consilium de classe Palatino danda retractatum. Et judicabant sagaciores, Anglum rumore armorum terra marique parandorum, ac fœderis cum Gallo Suecisque ostentatione Austriacis scrupulum voluisse injicere, ut æquiores in causa Palatina conditiones ferrent.

De matrimonio Reginæ cum Palatino Electore propositio.

§. 78. Cum Barclaio simul adpellebat Eleazarus Borthvvicus Sacerdos, cui cum uno atque altero è Sueciæ proceribus commercium literarum exultum fuerat, qui epistolas à Marchione Hamiltonio ad Regni Drotzetum Gabrielem Oxenstiernam, Archistrategum Jacobum Gardium, & Cancellarium Axelium Oxenstiernam afferebat, super matrimonio Reginæ cum Palatino Electore proponentes. Quibus & de connubio inter Carolum Gustavum Palatinum, & Reginæ Bohemiæ filiam addebatur. Enimvero his hautquidquam placebat, fœdus Anglorum tanti emere; nam addiderant Angli, fœdus se non conclusuros, ni connubium id succederet. Et præter ea, quæ Dano reposita erant, obstabat diversitas sacrorum, afflicta Principis fortuna, & quod ea occasione Regnum facile nova lite involvendum foret. Apud Hamiltonium tamen ea res mollibus verbis excusata, velut minorenne Regina hac de re agere per leges Regni non liceat.

Collisio Legati Succici & Anglici. 9. Febr.

§. 79. Paulo ante Lutetiæ collisi inter se fuerant Legatus Succicus, & Anglicus Hugo Grotius, & Leicestrius Comes, cum Batavorum Legatus Lutetiam publica pompa ingrederetur. Miserat huic obviam carrucam suam Grotius, miserat & Leicestrius Comes cum omnibus domesticis suis, cum paucos Grotius misisset. Succi locum ceperant ante Anglos, & tenuerant aliquandiu. Cum rixa oriretur, & educerentur gladii, Mareschallus Forcæus, qui Legato introducendo à Rege missus fuerat, se interponebat. Cum Succi nihil se iniqui facere ostenderent, Forcæus dicebat; Henrici III. temporibus decretum, ut Angli Succos præcederent. Succi reponebant, nescire se, an eo tempore legatio aliqua è Suecia in Galliam venerit: nec Gallorum ipsis judicium obstare posse: se Regni antiquitate justissima causa niti. Sed cum impar futurum esset vi certamen, Succi conditionem, quam Forcæus ferebat, sine juris sui detrimento accipiunt, ut utraque carruca pariter pompa discederet. Querebatur post apud Grotium Leicestrius, quod de priore loco ipsi cessum non fuerat, cum Daniæ & Norvvegiæ antiqui itidem Regni Rex Anglis concedat. Cui Grotius; quid alii faciant, & qua de causa, sibi non constare. Nec si hoc esset, id Sueciæ jus lædere. Quod Succi sero Christiana sacra susceperint, ad rem nihil facere, cum etiam pagani, & Muhammedani pari jure regnent. In fœderibus cum Gallia initis alteras semper tabulas Sueciæ nomen priore loco ferre; cum tamen olim receptum fuerit, ut Angli semper Gallis priore loco cesserint, etsi proximis annis controversiam moverint. Et sane quæ post proferebatur fœderis inter Gallum Anglumque formula, in utroque exemplo Regis Galliæ nomen priore loco exhibebat. Etsi hac in controversia Gallos tunc Anglis favere comperiebatur. Et relationem hebdomalium, (*gazettas* vocant) opifex, qui nil nisi consultis potentibus facere solitus erat, cum id factum narraret, quod commode omitti poterat, data opera Anglorum nomen Suecis præposuerat, & controversiam eam compositam scripserat. Quorum utrumque cum emendari postularet Grotius, frustra erat. 1637.

Fœderis inter Gallos & Anglos difficultas.

§. 80. Porro in fœdere quod Gallos inter & Anglos tamdiu coquebatur, hi quidem Palatinatus restitutionem potissimum urgebant, eamque capitibus fœderis utiq; inseri postulabant; & tamen non nisi naves aliquot vicissim offerre, & bello tantum in Cæsarem, non item in Hispanum miscere se volebant. Gallis contra iniquum videbatur, Palatinum negotium, infiniti forsan belli causam, suscipere, nisi Anglia in totam belli societatem descenderet; præsertim cum Hispani magnam partem provinciæ, cujus restitutio quærebatur, possiderent. Et revera absurdum erat, illi se tantum hostem velle profiteri, cui nocere non poteras. Proponebant quoque Angli de Lotharingiæ restitutione, velut per eam Palatinatum redemturi. Quod Gallis nulla ratione subnixum videbatur, cum ipsi eam regionem suis armis occupassent, nec ea Angliam quidpiam tangeret. Contra Galli Batavos fœderi includere, ac simul controversiam super imperio maris, & piscatione abolere cupiebant; id quod cum Angli abnuerent, ea lis in suspenso relinquebatur. Tandem capita fœderis designabantur, sed tunc demum valitura, quando Succi & Hollandi in eadem consentirent; quo fine Hamburgi congressus legatorum proponebatur. Interim quid inter illos ageretur, Succos juxta & Hollandos clam habebatur. Moræ culpam Angli in Gallos conjiciebant, quod hi absque sociorum consensu nihil concludere vellent. Contra ministri Gallici, etsi palam diversa simularent, clam fateri non dubitabant; ab Anglia nihil se proficui expectare, eoque nihil cum ipsa circa fœdus conclusum; sed ad conventum sociorum id rejectum. Interim per tractatus eam detineri, ne Hispano se adjungat, aut alias noceat.

Ad id fœdus Suecia invitatur.

§. 81. Reginam Sueciæ Galliarum Rex per Rorteum, Anglus per Averium invitabat, ut Hamburgum legatos idoneis cum mandatis mitteret, qui super communi illo fœdere ibi concluderent; cujus tamen capita simul non transmittebantur. Rectoribus Sueciæ dudum quidem in votis fuerat, Anglum in hoc bellum descendere: maluerat tamen cum ipso solo pacisci, quam alienis tractatibus accedere. Averio tamen respondent; 23. Augusti capita fœderis prius inspicienda, quam certi quid statui queat; & noscendum, quo fundamento totum negotium innitatur. Cæterum se nihil intermissuros, quod stringendæ arctius inter utrumque Regnum amicitiæ, simul causæ communi, & restituendo Palatino faciat. In eundem sensum Hollandi Bosvvelo ministro Anglicano respondebant, quibus & ipsis capitum fœderis copia non erat facta. Neque isti ultro ea petere volebant, nec Bosvvelus ea communicare, nisi rogatus, aut ni nosset Hollandos certo legatos missuros. Mox idem capita fœderis prælegebat quidem, sed exemplum tradere abnuebat. Nec Hollandi certi quid constituere volebant, nisi re cum Arausionensi Principe communicata, qui tunc Bredæ obsidio vacabat. Sed & dissidii semina Anglos inter Belgasque glisscebant ob halecum piscationem, & incommode accidebat mors Charnassæi Legati Gallici, qui id negotium magno studio urgebat. Tandem tamen Hollandi ministrum suum in Dania Carolum Crocovium Hamburgum se conferre jubent, visurum quid ibi gereretur. Ita in ancipiti adhuc erat fœdus, & parum sibi de eodem

1637. dem prudentes pollicebantur, quod Angli florentia ſua commercia bello hautquidquam turbaturi viderentur; & inter Gallos Anglosque non modica diffidentia emicaret, dum Galli per Normanniam manus in naves, mercesque Anglicas injiciunt in penſationem earum navium, quas ceperant de Gallis Angli, ideo quod per Gallos libere uti Hiſpanienſi navigatione non ſinebantur. Et Daniæ Rex Salvio familiari ſermone dixerat; ſe caput ſuum pignori expoſiturum, ſi Anglus quidquam ad reſtituendum Palatinum, aut communem Proteſtantium cauſam conferret. Tandem tamen in Sueciam exemplum fœderis transmitte-
12. Octobr. batur, ac denuo per literas Angliæ Rex petebat, ut Regina Hamburgum aut Hagam legatos cum idoneis mandatis mitteret, ſe utrinque ſuos miniſtros tractandi facultate inſtruxiſſe. Et jactabat Averius Hamburgi apud Salvium; Regem ſuum ante hac Regis Bohemiæ cauſam non probaſſe, eoque nec ſuſcipere eandem voluiſſe: nunc innocentibus liberis auxilio deeſſe non poſſe. In aula Anglicana jam factionem Gallicam Hiſpanienſi, quæ huic negotio hactenus obſtiterit, prævalere. Supperere Regi media bello gerendo, ſi vel maxime Parlamentum nihil pecuniæ conferat. Et tamen cum eo ipſo tempore Grotius Lutetiæ Anglicum Legatum urgeret, ut Anglus ad bellum ſaltem quid pecuniæ ſuppeditaret, iſte dixerat, pecuniis carere Regem; Grotio non reticente; cum Europæ prope totius commercia in Angliam confluerent, fieri non poſſe, quin multum inde increſcant Regis vectigalia, quæ tunc ad ſex milliones librarum Anglicarum aſcendere ferebantur. Quanquam autem Angli ſerio circa fœdus ſatagere videri volebant; pauci tamen de iſto ſpei quid ſibi conceperant. Et utut tractatus demum procederet, magnæ tamen ſe difficultates objecturæ erant, ideo quod à ſingulis ſua poſtulata proferenda, & ubi omnibus æqua fuiſſent vita, Cæſari transmittenda eſſent. Quæ inter diverſa ſtudia ac diſcrepantes utilitates male cohæſura, ac ſe mutuo deſtructura videbantur, tot capitibus difficulter in unum conſpiraturis. Et præcipue Hollandi ægre in bellum adverſus Cæſarem permoveri poſſe credebantur, qui tamen præcipuus fœderis ſcopus erat. Rectoribus tamen Sueciæ, etſi nulla ſucceſſus ſpe, tractatus recuſandi non videbantur, quod hoſti inde ſuſpicio injiceretur, & fortaſſe ſubſidii quid & licentia militem copioſe conducendi obtineri poſſet, conciliatis quoque ductorum Scoticorum animis. Per tractatus quoque poſſe inveſtigari, quæ nunc occultentur. Saltem quæ circa Pomeraniam Gallorum & Anglorum mens foret, adpariturum erat; quos cæca jam eo nomine invidia æſtuare, non minus quam quondam circa Boruſſiam, haut obſcura ſuſpicio erat. Certe Anglici miniſtri, quibus rationibus Brandeburgicus niteretur, ad unguem callebant; quorum intimos ſenſus ut expiſcaretur Grotius, Lutetiæ iſtos ſubinde urgebat; promerent, quibus legibus Suecos pacem facere æquum judicarent. Eoque pro re nata Sueci circa id fœdus tractare, aut concludere decreverant, quantum ſibi expedire videretur.

Landgravii poſtulata. 23. Martii.

§. 82. Eodem anno VVilhelmus Landgravius à Suecis poſtulabat, ut quæ ipſi per VVeſtphaliam obtinebant loca, ſibi cederent, ſimul milite, argento, annona, adparatu bellico ſe juvarent. Ea res cum in Senatu diſceptata foret, non inutile quidem videbatur ejus Principis amicitiam colere, velut qui primus Suecorum fœderi in Germania acceſſerat, & ad poſtremum perſtiterat; ſimul expediebat aliquos Germanos Principes in partibus manere autoritati inter milites conſervandæ, & ad favorem armis ſuis conciliandum. Viciſſim animo

Suecia Rectorum conſiderationes.

obverſabatur, iſtorum Principum ſingulos ſua ſibi peculiaria agitare deſtinata; & hactenus diſtortas valde armorum & conſiliorum vias iniiſſe. Eosdem per ſeparatos tractatus facile ſibi conſulere ſolere; nec niſi cum Suecorum fortuna loqui, & ubi non omnia ex iſtorum voto ſuccedant in eosdem invehi, quæ ſibi diſplicent carpere, parum conſiderantes quid rerum conditio ferat. Intuper inita ſui æſtimatione turgere, & omnia ad proprios ſibi fines referre. Et ipſe Landgravius ſuæ mentis & conſiliorum ſat ſpeciminum dederat. Igitur cenſebant Rectores Sueciæ; ſi Anglia in bellum pertrahi non poſſit, in præſenti ſtatu rationes cum Landgravio relinquendas, ut penes ipſum ſit, copias ſuas Suecicis jungere, aut propriis auſpiciis rem gerere; modo amicum ſe exhibeat; quem viciſſim non deſtitui expediebat. Quod ſi autem Anglia in bellum deſcendat, efficiendum eſſe, ut iſte Anglicis copiis ſocietur. Eoque iſti reſpondebatur; quæ peteret jam præſtare penes Sueciam non eſſe: ſed ſi ſocietas cum Anglis coeat, (quod negotium ut ſtudioſe urgeret, monebatur,) occaſionem fore poſtulatis ipſius annuendi.

Iterata Landgravii poſtulata.

§. 83. Ab eodem paulo ante obitum Joannes Henricus Gunterrodius tribunus cum mandatis in Sueciam miſſus erat; qui morte Landgravii interveniente, quod ſibi injunctum erat nomine ipſius Viduæ & liberorum expedire conſtituerat. Is ergo ſuperioribus poſtulatis addebat; ut Landgraviæ Meppam à Cniphuſii hæredibus redimere liceret; quæ ab Hollandis obtinerentur ſubſidia, ſibi transferiberentur: ipſius ratio in futuris pacis tractatibus haberetur; ac ſi per adversam fortunam ditione exuatur, ſedecim uncialium millia, à Guſtavo quondam Rege promiſſa, in penſionem annuam ſibi liberisque exſolverentur. Ipſa viciſſim pollicebatur in partibus conſtantiam, nec inſcia & non conſentiente Regina quidquam cum hoſte acturam, aut concluſuram, utut forte ſeparati tractatus offerantur. Paulo poſt Hermannus VVolfius Legatus apud Caſtellanos Suecicus literas à Landgravia adferebat, quibus ſignificabat; ſe mariti ſui deſtinata conſtanter perſecuturam; ſimul à Regina noſſe cupiebat, qua ratione fœdus Sueciam inter & Haſſiam conſervari poſſit; expoſitis difficultatibus, quæ poſt mariti fata ipſam premebant.

Conditiones a Rectoribus Sueciæ propoſitæ.

Enimvero circa Gunterrodii poſtulata non parum ſcrupulorum occurrebat. Tanti momenti oppida gratis prodigere non placebat: argenti penuria ipſi premebantur: militem alteri concedere, ſuo arbitrio rem geſturo, parum tutum erat, & ea res quondam fortunam Sueciæ in Germania ſubruerat. Melander ſuſpectus, Belgarum conſiliis plane obnoxius, queis ſua tantum commoda ſpectabantur. Nec Haſſici conſiliarii omnes in Succos proni, qui non dubituri erant cum Cæſare tranſigere, ſi commodum ipſis videretur. Res Haſſiæ infirmas, quæ Caſtellis amiſſis, quod ſocordia aut proditione præfecti facile contingere poterat, plane collabebantur, Haſſis deinceps ſatis habituris, ſi Cæſaris gratiæ utcunque adrepere detur. Accedebat nunc lubricus Haſſiæ poſt obitum Principis ſtatus, & num provincia ac miles in fœminæ poteſtate futurus eſſet. Eoque neceſſum erat, ſi tanti momenti loca Haſſicis tradenda eſſent, ut Sueciæ viciſſim caveretur, iſtos arma conſtanter pro communi cauſa geſturos, ac non niſi ejus conſenſu depoſituros. Igitur Legato capita quædam proponuntur, ad quæ ipſius declaratio poſtulatur: Ut omnia quæ concludenda ſint, ab Haſſiæ Ordinibus adprobentur; ſimul demonſtretur, tutelam filiorum Landgraviæ jure competere: armorum directio penes Reginam ſit, conferenda in quem ipſa velit; ac ut præcipue ſummum ducem conſtituere

1637. ſtituere penes ipſam ſit; ut omnes duces militesque Sueciæ pariter ut & Landgraviæ juramento obſtringantur: capta aut porro capienda per Weſtphaliam loca utrique fidem dent. Landgravia aut Ordines Hafliæ de inducis aut pace nihil decernant, niſi cum conſentu Reginæ; & ſi tale quid ab iſtis fiat, miles ac oppida capta penes Suecos maneant. Regina Legatum ſuum apud exercitum in VVeſtphalia habeat, è cujus conſilio negotia belli ac pacis gerantur. VVeſtphalicus exercitum cum Banerio, aut qui in ejus locum ſubierit, diligenter conſilia communicet, & prout res exegerit, auxilium ferat, admittatque; ac ſi uterque exercitus conjungendus ſit, penes Banerium ſumma Imperii maneat. Circa hæc capita ſi Reginæ ſatisfiat, parata erat circa traditionem oppidorum in VVeſtphalia Landgraviæ gratificari. Sed cum Legatus ſuper hiſce nihil in mandatis haberet, nec iis, quæ ab ipſo differebantur, Rectores Sueciæ ad-
6. Dec. quieſcere poſſent; ipſo Legato ſuggerente reſponſum: cum plenis mandatis ad Landgraviam mittendos, qui ſuper omnibus, quæ ad Sueciæ ſecuritatem, & ipſius deſideria pertinent, tranſigant. Interea ipſa res bellicas ex fœdere ita adminiſtret, ut Suecis, ubi opus ſit, auxilium ferat, nec hoſti anſam præbeat diffidentiam inter ipſos ſerendi, aut plane eorum amicitiam ſeparandi. Reginam viciſſim in omnibus tractatibus Hafliæ commoda curæ habituram.

Ragotzii legatio irregularis. 27. Sept. §. 84. Circa idem tempus Holmiæ nova forma Legati adpellebat Henricus Meerbottus, qui ſe Legatum Plenipotentiarium Principis Tranſylvaniæ Georgii Ragotzii ad Proteſtantes Imperii Ordines & Regnum Sueciæ ferebat. Is primo ſolita aliis Legatis pompa in Senatum deduci recuſabat, quod negotium ſecretum, & ipſe Sacerdos foret.
29. Octobr. Cum Senatum ingreſſus eſſet, literas, legationis ſuæ fidem facientes ut exhiberet, poſtularum. Illenegabat, alias ſibi eſſe, quam quas proferebat; quibus jubebatur à Ragotzio varios artifices in Germania conductos in Tranſylvaniam deducere. Ideo autem his ambagibus negotium iſtud involutum, ne forte è ſuſpectis locis venienti, & per Poloniam eunti literæ adimerentur, & ipſe in carcerem daretur. Unde & abſolvendæ diſſimulationi à Poloniæ Rege commeatum pro iſtis artificibus obtinuerat. Si de mandato ſuo dubitaretur, juſſum ſe juramento id confirmare. Ni hoc ſufficeret, injunctum ſibi tractatibus ſuperſedere. Cum objiceretur, inuſitatum eſſe, Legatos tali modo fidem ſibi facere; dicta repetebat; aliud ſe procuratorium non potuiſſe adferre, nec ad cæteros Principes aliud ſibi eſſe. Mandatum ſibi tentare, quid in Suecia efficere poſſit. Si negotium heic non ſuccederet, ad alios quoque proficiſci omitteret. Exponebat inde mandata ſua ipſius Ragotzii, uti ferebat, manu occultis notis ſcripta, quæ ipſi in ſclopeto minori jam Gedanum prægreſſo per certum nuntium allata ſint. Orabat per omnia ſacra, ut negotium id habeatur ſecretum, cujus in Tranſylvania præter Principem ipſe ſolus cum Joanne Henrico Alſtedio, & alio Theologo nemo conſcius fuerit. Addebat graves querelas de Paulo Strasburgio, velut, qui olim in Principem ſuum calumniatus fuerit, de quo vindictam ſumendi occaſionem ipſi non defore. Inde ex notis ſuis evolvebat capita fœderis, quod Ragotzius meditabatur, fere cum illis congruentia, quæ olim cum eodem agitata fuerant. Ita veluti legationis ſuæ plenam fidem feciſſet, ſat importune contendebat, ut ſolenni ritu ſibi Senatus daretur. Enimvero Rectoribus Sueciæ abſurdum videbatur, honorem Legatis ſolitum tribuere, aut in tanti momenti tractatus deſcendere cum eo, qui mandata idonea proferre non poterat; nec tanti videbatur aliorum ſe ludibrio exponere. Igitur reſpondum: Probari Rectoribus Sueciæ ſtudium Principis circa ſuſtentandam cauſam communem Proteſtantium; optaſſe, ut Meerbottus ad tam ſalutare negotium, idoneo procuratorio inſtructus fuiſſet, ut id ſtatim ſuſcipi & expediri potuerit. Sed quia rite demonſtrare non valuerit, ſibi facultatem de eodem agendi conceſſam, non potuiſſe ad publicæ audientiæ honorem admitti, more inter Reges & Principes uſitato. Nec aliud videre quid nunc agendum, niſi ut Meerbottus interea ad alios proficiſcatur, & à Ragotzio juſtas literas fiduciarias petat; quibus inſtructus ſi redeat, debito ſtudio voluntati Principis occurturos. Quo reſponſo iſte adquieſcere nolebat: falſus quidem hunc modum fidem faciendi inuſitatum eſſe; Principem tamen ſuum haut unquam alias literas miſſurum. Ita iſte multa fremens re infecta diſcedebat. 1637.

§. 85. Circa initium hujus anni Danię Rex non ni- Danica.
hil ſuſpicionis Sueciæ fecerat, quod claſſem pararet, munimenta limitanea Scaniæ ipſe luſtraret, inſtrumenta bellica ſtrueret, pecuniam conquireret. Etſi peritiores judicabant, haut temere aperta vi quid tentaturum, pleriſque Senatorum pacis dulcedine à bello abhorrentibus; & quia certo ſibi perſuaſerant, Sueciam belli Germanici mole utique tandem ſuccubituram. Poſt comperiebatur, claſſem ideo armari, quod Elector Palatinus ex Anglia claſſem educturus diceretur, ne forte per Danica maria prædas ageret. Simul quia naves aliquot in Albi diſponere conſtituerat vectigali per vim tuendo, quod Cæſaris decreto iterum revocatum erat. Quæ naves aplauſtria Holſaticis inſignibus notata præferre debebant, ne Imperii Germanici Majeſtas violata videretur, ſi Danica aplauſtria in fluminibus Imperii conſpecta fuiſſent.

§. 86. Aſt Poloniæ Rex poſitis ante portum Ge- Polonus
danenſem armatis navibus vectigal ibi exigere cœperat; ſecus ac pactis induciarum cum Suecis cautum erat, ſine dubio hiſce irritandis. Et credebatur Cæſaris inſtinctu id factum ad Sueciam cum Polonis committendam. Ac jam multi Cæſarei ductores, quos inter & Sparrius, Warſoviæ agebant, ut ſi Suecia eo nomine quid moveret, in Livoniam irrumperent. Enimvero Suecis ad iſtud connivere placebat, quod Polonus hoc facto proprios ſubditos, aliosque populos offenderet, portu Gedanenſi utentes, Anglos, Danos, Hollandos. Et ſi in bellum adverſus Gedanenſes erumperet, proprias vires attriturus, inſuper Suecis anſam præbiturus erat eam urbem ſibi conciliandi. Nam ſi forte bello Turcico aut Ruſſico Polonus diſtringeretur, tunc demum tempus erat quærendi, quare inducię violatæ forent. Et quia vectigalia iſta eos potiſſimum onerabant, qui Suecis quondam Boruſſiam inviderant; ſtolidum videbatur, ob iſtos liti ſe non neceſſariæ ingerere; cum id caput magis propter iſtos, quam propter Sueciæ commoda pactis inſertum foret. Verebantur & hoc, ne ſi ipſi ſuper iſto vectigali quererentur; Poloni anſam arriperent ſuper introductis per Suecos in Livonia portoriis controverſiam movendi. Daniæ tamen Rex paulo poſt nonnullas naves mittebat, qui Polonicas ora Gedanenſi depellerent, quarum duæ Hafniam abſtrahebantur, reliquis Pautzcam fugatis. Ac credi volebat, iſta vectigalia privato Iſaaci Spiringii auſu tentata; quem ſi deprehendiſſet, veteri ex odio piratæ ad morem tractare conſtituerat. Revera tamen intolerandum Daniæ Regno duxerat, ſi quis alius præter ipſum & Suecos claſſem in mari Baltico habere inſtitueret. Poſt tamen compertum, negotium iſthoc ab Auſtriacis & Hiſpanis promanaſſe, quorum cupi- Frustra Suecos laceſſit.

Digitized by Google

1637. cupidinem Maris Baltici invadendi toties irriti conatus nondum extinxerant. Fridlandi enim destinatis per Suecos eversis non tamen cessarunt Poloniæ Regem stimulare, ut vectigal à Gedanensibus exigeret, quo obtento paratum iri pecuniam struendis navibus, lapsuque temporum portus ejus dominium vindicari posse; quo negato Regi justam præberi causam urbem refractariam in ordinem redigendi. Eo fine cum post pacem Pragensem res ipsorum in Germania secundo vento ferrentur, constituerant Polonum pecunia ac milite, aliisque rebus juvare, ut ipsi ope socii & affinis Regis eo loco potirentur, unde Belgas juxta & Arctoa Regna in ordinem redigere possent. Eo fine clientes suos in Polonia hortati sunt, ut Gedanenses Regi, Ordinibusque quam maxime invisos redderent, inter alios insigni opera usi Georgii Osalinskii tunc Vice-Cancellarii. Is à Ferdinando II. Principis Imperii titulo mactus, (Carolus V. majoribus ipsius Comitum dignationem tribuerat,) expromendo vicissim grato animo Austriacum matrimonium & vectigalis Gedanensis institutionem summa vi suasit, ac uti summa Uladislai gratia florebat, familiari quotidie colloquio istum incendit: Vectigal Gedanense utique esse vindicandum, quo & autoritatem sibi aliquam in Polonia comparare, & hæreditarium regnum aliquod vindicare possit. Excepto enim Regio vocabulo non majore potentia in regno suo pollere, quam Senatus alicujus Principem, Ducem Venetorum & Genuensium, cum infimus Nunciorum Terrestrium consiliis Regiis se opponere valeat. Quamdiu portubus & classibus destituatur, Sueciam nunquam recuperandam. Haberet ergo rationem commodi sui & posterorum, ac Gedanensi portu potiretur, ex quo affatim argenti proventurum sit, struendis classibus, & Polonis coërcendis, nec tantis conatibus Austriacorum auxilia defore. Quibus rationibus adductus Uladislaus isthoc anno vectigal Gedanense exigere statuit. At Gedanenses avitæ libertatis tenaces, ac imminenti tempestati precibus & hortatibus primo, ac demum vi armisque occurrere parati, Legatos Warsoviam misere, qui demonstrarent, olim ob violata sua privilegia, institutumque contra Borussiæ antiqua jura vectigal maritimum sese Crucigerorum imperio subtraxisse, ac Casimiro Regi anno 1454. ultronea deditione subjecisse, pro se & successoribus suis sponte pollicito, se Borussiæ jura & privilegia conservaturum, ac mutato Principe mutatum etiam & sublatum iri oppressionem. Id quod à reliquis Poloniæ Regibus renovatum, ab ipso Uladislao confirmatum sibi innoxiis, ac de Rep. Poloniæ, familiaque Regia superioribus Suecorum bellis optime meritis malevolorum invidia eripi doleant, ac enixe petant, ut res in pristino statu permaneat. 1637. At Uladislaus ingratam orationem adspernatus, ad destinata utique perficere cupidus, Spiringiis fratribus, Pillaviensis quondam sub Gustavo Rege vectigalis autoribus, Gedanensis quoque portorii exigendi curam demandat; quem in finem tres bellicæ naves ad ostium Vistulæ excubare jussæ, quæ omnes portu isto utentes ad vectigal exsolvendum adigerent. Sed Gedanenses defensioni libertatis suæ intenti, nullam navem è portu suo solvere patiebantur, extrema quoque experiri parati. Id factum maxime Regem Daniæ commovit ob interceptum vectigalis Oresundici emolumentum, ut non expectandum sibi duceret, quoad Poloniæ Rex justam classem in Mari Baltico proventibus suis adeo exitiosam comparasset. Igitur missis suis navibus cum Polonis fere inermibus nec ad prælium paratis hocte intempesta supervenisset, nullo negotio captas in Daniam avexit, & è suis ad Gedanum reliquit, qui portus libertatem tuerentur. Ita navigatio per aliquot menses intercepta rursum instaurata est. His super navibus abductis Uladislaus acerbissimis literis ad Daniæ Regem scriptis expostulavit, interalia his quoque verbis usus: *Quare integris humanis juribus, salvaque securitate publica, & amicitia nostra nihil grave & acerbum à Serenitate Vestra expectare poteram, nedum ut tam inopinata injuria atque hostilitas ad nos portumque nostrum navigaret, nostrisque insidiis adversus duas naves, hominesque & dignitatem nostram uteretur. Digna res tenebris, nisi ultra ipsa duraſſet, nihilque eorum palam & interdiu emisisset, quæ res acerbitatem atque indignitatem augerent. Novum sane & inauditum jamdiu injuriarum exemplum, ac non amicis vicinisque modo indignum, sed ne barbaris consuetum.* 19. Dec. Ad eas Daniæ Rex respondit: invitum 13. Januarii se mercatorum precibus adductum fecisse, quorum merces situ corrumperentur, & quod vectigalia sua imminuerentur. Tum sibi ob supremum 1638. Maris Baltici dominium commerciorum protectionem eo in mari competere. Nec multo post naves Polono restituit, ea tamen lege, ut ne amplius iisdem ad receptam hactenus navigandi rationem turbandam uteretur. Interceptæ quoque sunt eo anno literæ à viro rationum Austriacarum scientissimo ad amicum quendam ex Hungaria perscriptæ, in quibus hæc verba extabant: *Quamdiu septentrio in eo, in quo jam versatur, cardine manebit, nec domus Austriaca hostes everti, nec universalis Monarchia Ecclesiæ Catholicæ, totique orbi salutherrima solide fundari poterit.* Enimvero Austriaci hoc licet consilio excussi paulo post tamen super emendo portu Memelensi ab Electore Brandeburgico Georgio Wilhelmo egerunt, inani successu, cum suo sibi jumento malum arcessere stolidum haberetur.

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFI RERUM SUECICARUM

LIBER DECIMUS.

EPITOME.

1. *Facies rerum ſub initium anni.* 2. *Remedia malorum ſeparata pax, aut fœdus Gallicum. Separatis tractatibus non fiditur.* 3. *Fœdere Gallico opus eſt. Venetorum mediatio acceptatur.* 4. *Belli difficultas. Decretum Ordinum Sueciæ.* 5. *Negotiatio circa fœdus Gallicum.* 6. *De belli indictione.* 7. *De numero copiarum.* 8. *De religione. De duratione fœderis.* 9. *De ſubſidiis.* 10. *De loco tractatuum.* 11. *De ſociis.* 12. *De guarantia.* 13. *De induciis & quibuſdam aliis. Fœderi Gallico colophon imponitur.* 14. *Fœderis Gallici formula.* 15. *Pactum fœderi adjectum.* 16. *Proviſionale Regimen Pomeraniæ expirat.* 17. *Rectorum Sueciæ ſuper ea re conſultatio.* 18. *Banerius per hiemem quieſcit.* 19. *Idem vernis menſibus invitus quieſcit. Hoſtis Gartzium expugnat. Bielkius Legatus moritur.* 20. *Cæſareorum miſera conditio. Munimentum ad Warnemundam à Cæſareis capitur.* 21. *Dani Wolgaſto cibaria inferunt. Iidem ad portum Roſtochienſem ſatis pro Imperio agunt* 22. *Banerius ex hibernis movet. Gartzium recuperatur, Loitium, Tripſeſa & Damgardam. Cæſarei vapulant.* 23. *Wiſmarienſium excurſio. Slangius rem ſtrenue geris.* 24. *Wolgaſtum deditur.* 25. *Banerius in hoſtem ire conſtituit. Gallaſius cedit.* 25. *Banerius in Meclenburgica conſiſtit.* 26. *Gallaſius Suecis damnum infert. Roſtochienſes Warnemundam deſtruunt.* 27. *Eam Sueci inſtaurant, ne quidquam contradicente Dano. Danus pro Luneburgicis neutralitatem poſtulat.* 28. *Cæſarei multantur. Gallaſius trans Albim concedit. Idem in Cæſareis ditiones abit.* 29. *Banerius trans Albim abire conſtituit. Luneburgici hoſtes ſe exhibent.* 30. *Cæſareorum in ulteriorem Pomeraniam conatus. Uckermunda recuperatur.* 31. *Cum Erfordienſibus acta. Banerius de Erfordia ſervanda ſatagit. Erfordienſes ſuper ſua reconciliatione tractant. Idem nutant.* 32. *Hiſce duriores conditiones proponuntur.* 33. *Erfordienſes Suecos fame ejicere conantur.* 34. *Haſſiaci cum hoſte denuo tractant. Inducia Haſſiacorum in Weſtphalia. Haſſiaci rem bene gerunt.* 35. *Pax inter Cæſarem & Haſſos concluditur. Eam Cæſar ratihabere abnuit.* 36. *Kingius conjunctionem cum Palatino Electore affectat. Idem modicis conflictibus rem bene gerit.* 37. *Meppa amittitur.* 38. *Cum Electore Palatino fruſtra de fœdere agitur.* 39. *Ejusdem in Suecia negotiatio. Rectorum Sueciæ conſiderationes ſuper fœdere cum Palatino* 40. *Reſponſum Palatino miniſtro datum.* 41. *Palatinus cum Kingio copias jungit. Suecicorum Palatinis junctorum acta. Eorum apud Flotham clades.* 42. *Hatzfeldius à Witlage repellitur. Idem Vechtam expugnat.* 43. *Conatus Inferioris Saxoniæ; ejusdem conventus.* 44. *Hanovia intercipitur.* 45. *Dux Bernhardus denuo Rhenum verſus movet: Seckingam & Lauffenburgum capit: Rheinfeldam obſidet.* 46. *Cæſarei obviam ipſi procedunt. Conflictus ad Buckenam.* 47. *Prælium ad Rheinfeldam. Caterva Cæſareanorum vapulat.* 48. *Rheinfelda capitur; ut & Ratela & Friburgum Briſgovia. Tuvila Cæſari ſe dedere abnuit.* 49. *Bernhardus Dux res ſuas firmat. Wertanus & Enckefortius in Galliam mittuntur.* 50. *Gætzius advenit: Briſaco annonam infert. Granarium Briſaci perit.* 51. *Mutui Ducis Bernhardi & Gætzii conatus.* 52. *Prælium ad Witteuveiram.* 53. *Briſacum arctius clauditur. Cæſarei pelluntur. Creatæ Briſaco frumentum inferunt.* 54. *Cæſarei Briſaco ſuccurrere moliuntur. Lotharingiæ Dux vapulat.* 55. *Briſacum arctius premitur. Gætzius Briſaci liberationem tentat. Cæſarei repelluntur.* 56. *Lotharingici Enſisheimum occupant. Iidem delentur.* 57. *Briſacum in anguſtias redigitur. Idem ſe dedit.* 58. *Tractatus Gallo-Britannici præcipua capita.* 59. *Secreta intentio circa hunc tractatum Gallorum, Anglorum & Hollandorum.* 60. *Rectorum Sueciæ judicium.* 61. *Negotiatio ſuper fœdere Anglicano.* 62 *Palatini Electoris propoſitio.* 63. *De particularis pacis tractatu mediantibus Lauenburgicis. Lauenburgici multa de ſtudio pacis in Cæſare jactant.* 64. *Legati Cæſarei diverſum credendi occaſionem præbent.* 65. *Lauenburgici peculiarem pacem ſuadent. Salvius Cæſaris mentem expiſcari conatur.* 66. *Communium tractatuum difficultas. A Cæſare Suecis oblata.* 67. *Lauenburgici denuo Viennam proficiſcuntur. Curtius Salvium, tentat.* 68. *Sueci ſeparatos tractatus ſuſpectos habent.* 69. *Dania Rex Suecos ad tractatus pacis Lubi-*

1638. *becam invitat. 70. Danus pacem Hamburgi urget. Idem circa tractatus Lubecenſes feſtinat. 71. Quinam per fœderatos intelligantur diſceptatur. 72. Commeatus Cæſarei literæ proferuntur. Super præliminaribus diſceptatur. De admittendis ad tractatus Germaniæ Principibus. 73. Mediatores Avanxium ad tractatus præliminares admittere nolunt. Demum tamen admittunt. 74. Tractatus præliminaris. De plenipotentiis. De ſalvis conductibus. 75. Circa ſalvum conductum fœderatorum Salvii poſtulata. Cæſareorum exceptiones. 76. Salvii & Avanxii replica. 77. De ſocüs Gallorum extra Germaniam. 78. De die conventus. 79. An propter moras Gallorum tractatus differendus? Salvius Curtio circumſpecte reſpondet. 80. Curtius Regem Daniæ ad fœdus invitat. Dani ad Rectores Sueciæ propoſitio. Rectorum Sueciæ reſponſum. 81. Dani nova circa pacem tentamenta. Salvius paulo liberalius annuit. Gallus in conceſſa à Salvio non conſentit. 82. Rectorum Sueciæ ſuper tergiverſatione Gallorum ſententia. 83. Sueci à Gallis disjungi nolunt. 84. Id quod Dano diſplicet. Danus diplomatum miſſionem urget. 85. Salvius conductus Cæſareus adeſt. Ejus vitia. Diſceptatio ſuper ſalvo conductu. 86. Temperamentum à Dano propoſitum. Id per Gallos admitti non poteſt. 87. Danus Suecis magis fit ſuſpectus. 88. Salvii cum Danis diſceptatio. 89. Status pacis circa finem anni. 90. In conventu Colonienſi acta. 91. Super induciis acta. 92. Danus Wiſmariæ præſidium deduci poſtulat. Idem copias conſcribit. Danus in Suecos eſt iniquus. 94. Dani Suecos in freto Oreſundico vexant. 95. Polonica. 96. Transſylvanica.* 1638.

Facies rerum ſub initium anni.

SUb finem ſuperioris anni res Suecorum per Germaniam prope deſperatæ videbantur, hoſtis in citeriorem Pomeraniam irruptione, Wolgaſto & Demmino amiſſis, interceptâ Penæ ac Suinæ navigatione. Hoſtis præter ſolitum ferox, velut victoriæ jam certus, & ſucceſſus urgere alacris Suecos Stralſundæ, Gryphyvaldæ & Anclamo incluſerat; inde digreſſus provinciam fere nudam reliquerat. Ulterior Pomerania ſtativis Banerii exhauriri; Ductores, quos hactenus Banerii autoritas & dexteritas in officio continuerat, deficiente pecunia muſſitare, & qualia quondam ad Magdeburgum conſilia agitare. Provinciales exitum belli anxie captare. Nobiles ægri ob impoſita onera, queis per iniquitatem temporum mederi non licebat. Stralſundenſes non diſſimulabant, penes ſe clavum fore, nec ferre volebant præſidium augeri, aut firmando oppido parari plus, quam ipſis placuerit. Nec Stetini deerant, queis parum licebat fidere. Hoſtili exercitui quamvis valde attrito tota retro Germania in uſus patebat; cum Banerio omnia jam ex ipſâ Suecia ſuppeditanda eſſent.

Remedia malorum ſeparata pax, aut fœdus Gallicum.

§. 2. Ita afflictis Suecorum armis aut ſeparati cum Cæſare tractatus ineundi, aut abſoluto per traditam ratihabitionem fœdere Gallico junctim bellum perſequendum erat. De tractatibus hactenus adverſa pars multa ſpargerat, ac pleriſque proni in pacem animi fidem fecerat. Sed poſt Curtii Comitis in aulam Cæſaream reditum altum fere de pace ſilentium. Nec obſcure Cæſarei jactabant, Suecis nunc in arctum redactis victoriam armis abſolvendam. Quo plus autem de pace rumoris, eo curatius Gallici miniſtri Suecorum actionibus rimandis imminere; ac non obſcure minas jacere, ubi Suecia ſtrubet, ac de ſua ſocietate Galliam diutius in ſuſpenſo relinquat, hanc deſtituta iſta cum Cæſare tranſacturam. Sane Luteriæ non parum trepidabatur, cum de Curtio Suecis pacem aſſerente ſermones ſpargerentur. Et qui præcipue bellum hoc urgebat Richelius, in gratia Regis nutabat, cujus invidi clandeſtinis machinationibus id quoque agebant, ut Regis animus religione quadam ab hoc bello continuando averteretur. Quanquam autem Gallia non crederetur ita repente bello ſe extricatura; ſatius tamen erat, certi tandem quid ſtatuere, quam inter ancipitia conſiliorum fluctuare, & aut fœdere Galliam ſibi illigare, aut pro ſuo arbitrio ſeparatis tractatibus ſe applicare. Equidem res duræ Suecis quantum poſſent, pacem amplecti ſuadebant; præſertim cum ſpes facta eſſet ſeparato tractatu Cæſarem ipſorum cupitis ſatisfacturum; id quod convertis rebus deinceps forte haut quidquam obtineri poterat. Sed facile prudentes perſpiciebant, pacis cupidinem à Cæſare ſimulari ad ſucum vulgo faciendum, & ut in Suecos invidiam continuati belli derivaret, eosdemque apud quietis amantes exoſos, ſociis & amicis ſuſpectos redderet. Curtium Comitem Franciſcus Carolus Lauenburgicus Dux cum Mythobio Viennam inſecutus fuerat; ſed num ipſi aut alii inſtituendis tractatibus reverſuri eſſent, incertum erat. Quin tales habebantur, ut ab hoſte potius velut inſtrumenta alios decipiendi, quam tanti momenti negotio ordiendo adhiberi crederentur, quorum offenſa, ſi illudi ſibi ſentirent, non curabatur. Quin cœptis licet tractatibus longe adhuc clauſula aberat; & perductis ad finem iiſdem Cæſari ratihabitionem extrahere licebat. Quo facto fœdus cum Gallis evanuerat, amici offenſi & avulſi, ſperata pecunia, qua tantopere egebatur, intercepta erat: nec eo ſecius cum bello luctandum abſque ſociis duriore quam antea conditione. Quin & licet tractatu per Cæſarem ratihabito pace ad tempus potiretur Suecia, tamen hæc amicorum jacturam fecerat; & Auſtriacis, confluente ad ipſos quicquid militum in Germania erat, immenſa in Galliam mole ruendi facultas dabatur, quam ſi non oppreſſiſſent, tamen ad leges pro ſuo lubitu accipiendas adacturi, videbantur. Ita gliſcente immenſum potentia Cæſaris, certiſſimum Proteſtantes per Germaniam ſervitium non ſine ſummo vicinorum periculo manebat.

Separatis tractatibus non habitus.

§. 3. Has ob cauſas ſtabat ſententia fœdus Gallicum amplecti, quo nullum magis idoneum medium erat vires Auſtriacorum fibrandi, & ſacra Proteſtantium adverſus molitiones Pontificiorum, ac Sueciæ ſtatum contra vicinos, & præcipue Polonos firmandi. Simul hac conjunctione omnium eorum favor pignerabatur, queis adverſæ Auſtriacis rationes, & veteres amici Galli, Angli, Hollandi, pro novis & incertis

Fœdere Gallico opus eſſe.

Digitized by Google

1638. retinebantur. Ac ſancito fœdere cautum erat, non temere Galliam ſeparatim cum hoſte tranſacturam, aut ſi hoc tentaret, commodior occaſio futura erat id impediendi. Igitur placebat moras amputare, ac negotio tandem aliquando finem imponere, ut pro hujus ſucceſſu firma capi conſilia; ſimul pecunia mature neceſſariis uſibus adhiberi poſſet. Ex quo conſequebatur, ut deinceps abdicatis ſeparatis tractatibus non niſi ad communem pacem attenderetur: quæ licet ob tam varios reſpectus multum difficultatis habitura, nec ita brevi adaptanda videbatur; eadem tamen plus firmitatis ac dignitatis habitura erat. Et quia Veneris mediationem offerentibus reſponſum hactenus non fuerat, quod Coloniam legatos mittere non placeret, nunc cum Galli conſentirent, ut Suecici tractatus Hamburgi ſuſciperentur, iſtis reſpondebatur: Si Cæſar in æquam pacem pronus ſit, & dictum locum probet, ab ipſo ſecuritatis literas poſtularent pro legatis, ac tabellariis inter Coloniam & Hamburgum commeaturis, tum pro eo, qui Reginæ nomine tractatibus Colonienſibus adfuturus ſit, nec minus ſi qui ex Germaniæ Ordinibus Succis Galliſve fœderati tractatibus adeſſe velint.

Veneto-rum mediatio acceptatur.

Belli difficultas.

§. 4. Cæterum uti ad Gallicum fœdus amplectendum poſt biennii fere tergiverſationem hoſtis à pace abhorrentis iniquitas Succos compulerat; ita longe magis in votis fuerat tandem aliquando tam atroci potuiſſe bello exire, cum præter potentiſſimum hoſtem intra Pomeraniæ anguſtias redactos penuria argenti, & inſtrumenti bellici premeret, valde quoque imminuto militum numero. Et regio in quam bellum tunc devolutum erat, parum aut nihil præbebat ſupplendo aut refovendo exercitui; ut pleraque ex ipſa Suecia ſubvehenda forent. Sed quod alia via honeſtam ad pacem pertingere non daretur, armis quantum licebat, connitendum utique erat, cum non niſi horum reſpectu hoſtis ad æquas conditiones deſcenſurus eſſet. Et quia proximo anno hoſtis maxima virium parte in Succos ruerat, Galliæ conatum levi brachio arcere contentus, facile inde judicabatur, ipſi decretum, quicquid de reliquis fieret, Succos primo omnium opprimere; connitente ſimul Saxone & Brandeburgico, ac fortaſſe aliis, odio, deſperatione, metu aut ſpe, queis unica pacis ratio in ejectis Germania Succis habebatur. Tanto acrius hoſti obluctandum, virelque augendæ erant, ne deſtinatis ſuis ille potiretur. Eo fine ut res communi conſenſu Ordinum Regni gereretur, ac tanto bello neceſſaria pararentur, horum conventus ineunte anno indicebatur. Quibus congregatis exponebatur, quid hactenus circa bellum, aut pacem actum foret. Exercitum in arctum redactum; pacem incaſſum captatam. Unde periculo patriæ depellendo maturis conſiliis, alacri ſtudio, validis ſubſidiis opus eſſe. Re probe deliberata decernitur; honeſtæ & turæ pacis nullam occaſionem eſſe prætermittendam. Sed quia hoſtis omnem ſpem in armis collocaſſe videatur, ac inane pacis vocabulum per ludibrium jactet; delectus agendos quibus conductitius miles addendus, claſſem armandam, tuendis Regni finibus, & ut exercitus in Germania, quantum intrinſeca Regni ſecuritas admittit, augeatur, quo ad vim inferendam idoneus reddatur. Simul pecuniæ, annonæ, inſtrumenti bellici vis confertur. Reliqua dexteritati Rectorum & Senatus committebantur; queis placebat novem millibus octingentis peditibus, bis mille trecentis quinquaginta equitibus è Suecia menſe Majo miſſis Banerii exercitum augere; his addendæ erant duodecim cohortes, quæ in Livonia conſcribebantur. 1638.

Decretum Ordinum Sueciæ.

17. Jan.

§. 5. Inde Salvio injungitur fœderi Gallico ſupremam manum imponere, quod negotium difficilius, quam creditum fuerat, procedebat ob lubricitatem Legati Gallici, qui ſubinde novos ſcrupulos movebat, & antea conceſſa mox retractabat, cavillatus quæ in ſpeciem jactantur obligationem non continere. Idem quod una die acriter abnuerat, poſtridie probabat; denuo adpellatus ſcripto ſe id concipere poſſe negabat. Hac moleſta agendi ratione, uti adparebat, iſte penitiſſimam Succorum mentem explorare conabatur. Sed ne ipſius ſententia inſpiceretur, eorum quæ in dubium revocabat rationes proferre declinabat. Iſtis ambagibus amputandis Salvius ſcripto agere cum ipſo voluerat; ſed & huc deſcendere idem nolebat. Ita prolixo labore opus erat, & omnia denuo ventilanda, ac vel decies refingenda, antequam ad ipſius palatum forent. Nec minus Salvius nitebatur, ut Succorum conditionem meliorem redderet, ſimul totum negotium ejusque ſcopum clarius exprimeret; & ubi uno in capite remittendum quid foret, id altero pentaretur.

Negotiatio circa fœdus Gallicum.

§. 6. Ac primo quidem Salvius poſtulabat, ut ſolenni actu Cæſari à Galliæ Rege bellum indiceretur. Id quod Avauxius non tam iniquum, quam ſuperfluum cenſebat; quod Rex jam biennio apertum cum Cæſare bellum geſſiſſet. Unde clarigationis in vicem ſufficere ferebat, ſi caput hoc fœderis per totam Germaniam evulgetur; aut ſi publica Rex edicta ad Vinarienſem mittat, bellum jam indictum eſſe; aut ſi Rex Pontificis Legato ſcripto ſignificet, Ferdinandum à ſe hoſtem haberi. Tandem Gallus in iſta verba conſentiebat, *decretum eſto*; quæ tamen non ad ſolum Galliæ Regem reſtringi volebat, uti Salvius cupiebat, ſed ut ad utramque partem adplicari poſſent. Eoque defuncti Cæſaris filium neque *ſucceſſorem* patris, neque *Ferdinandum* III. adpellare volebat, ne ipſum Cæſarem agnoſcere videretur. Sed nec ferre volebat, ut inſtrumento inſereretur vocabulum *publice decretum eſto*, velut id bellum minus ſolenne foret, quodque adeo facilius deſeri poſſet. Sed quia Salvius in mandatis habebat, iſthoc caput vel penitus præterire, facile placito ſe Galli attemperabat; & ſatius tamen judicabat, id hocce modo conceptum fœderi inſeri, quam plane omitti.

De belli indictione.

§. 7. Cupiebant præterea Succi, ut Gallus obſtringeret ſe ad tranſeundum Rhenum; bellumque eis illud flumen in Germania gerendum addito copiarum numero, aut ut Vinarienſis validæ impreſſioni faciendæ firmaretur. Præſertim cum ipſorum arma jam in Germania verſarentur, per quæ Cæſar diſtinebatur, quo minus tota vi in Galliam ruere poſſet. Et præteriti anni acta monebant, ut certi quid definiretur. Aſt Gallus nihil ſibi mandatum excuſabat; & melius de iſtis Lutetiæ tranſigi poſſe. Quod ſi hoc utique fœderi inſerendum ſit, ex Succorum parte idem exprimendum. Ad id Gallos teneri velle, quod fieri poſſit; plura exigere abſurdum eſſe. Quicquid denique verborum heic à Salvio proponeretur, ea Gallus in Succos retorquebat. Unde tandem ſatius viſum laxioribus vocabulis rem exprimi, ut *ſummis viribus* utrinque res gereretur.

De numero copiarum.

§. 8. Ut Evangelicis & Catholicis ſociis denuo caveretur, opus non erat, cum id jam articulis

De religione.

Wil-

1638. Wismarienſibus factum eſſet. Sed indulgendum erat aliquid, Avauxio, qui ut ſtudium ſuum circa tuenda ſua ſacra Pontifici venditaret, enixe id flagitabat. Ponebatur autem *Catholici* & *Proteſtantes*, non *religio Catholica*, quod Avauxius *Evangelicam religionem* dicere piaculum putaret.

De duratione fœderis. Circa Durationem fœderis duæ erant viæ, ut vel triennio, de quo Wismariæ conventum erat, unus annus adderetur, vel ut initium triennii à permutatione ratihabitionis computaretur. Priori caſu fœderi finis erat futuris Kalendis Sextilibus anni quadrageſimi; poſteriore caſu ſex inſuper menſes accedebant. Poſtulabat Gallus, ut id ſaltem ad finem anni quadrageſimi, quin & ad menſem Aprilem ſequentis anni porrigeretur. Quorum hoc concedere uti Salvio per mandata ſua non licebat; ita prius libenter indulturus fuerat, ni Gallus poſtremam penſionem ſubſidiorum in dubium revocaſſet. Igitur placebat tandem triennii ejus initium à tempore traditæ ratihabitionis computare, addita cautione, ut poſtremæ penſioni nihil detraheretur. Volebat autem Gallus pacto exprimere, fœderis initium à die traditionis eſſe; id quod Salvius nullo modo ferre volebat, ne pactorum Wismarienſium vis reſpectu temporis jam elapſi tolleretur, neu obligatio, qua Gallos ob præſtita interim munia Sueciæ teneri obtendebat, remitteretur; eoque ſimpliciter tempus durationis deſignabatur.

De ſubſidiis. §. 9. De ſubſidiis acerrima erat diſceptatio. Reſidua è priori fœdere tot per annos detenta fuerant, ut jam iſl conditiones novi fœderis venirent, ac denuo imputarentur. A tempore conventionis Wismarienſis ducenta millia uncialium detrahebantur. Et contendebat Gallus Regem ad hoc uſque tempus ad nihil teneri, cum pacta Wismarienſia non niſi nuda delineatio fœderis fuerint; & ut maxime perfecta ſint, vim tamen à ratihabitione duntaxat accipere. Unde quæ pro toto interjecto tempore offerebat quadringenta millia uncialium Regiæ liberalitati, non debito in acceptis ferri volebat, utque id expreſſe pacto adjecto inſereretur. Contra Salvius ut inſuper ducenta illa millia extunderet, omnem lapidem movebat; ſolutionis diem proferre paratus, ſi forte pecunia in promtu non eſſet. Sed aſpernabatur ea omnia Avauxius, mandata ſua oſtendens; & antequam oblata ſumma acceptaretur, ulterius in tractatu progreſſurum ſe negans. Igitur amputandis moris tandem conſentiebat Salvius, repudiatis tamen verbis, quæ Gallus pacto infercire volebat, quaſi Rex eam ſummam ex benevolentia, non ex debito ſolviſſet. Termini ſolvendarum penſionum Wismariæ dicti erant Kalendæ Octobris, & Aprilis. Eos Gallus ad Kalendas Januarias & Quintiles proferri poſtulabat, eo obtentu, quod jam primæ penſionis dies cederet; nec penes ſe eſſe priori ſummæ ducenta adhuc millia addere. Sibi debitori longe difficilius eſſe tantam ſummam in Germania ſolvere, quam Suecis eam moram ferre. Tanto curatius terminos ſolutionis deinceps obſervandos. Se nolle adſtringi ad id, quod præſtare nequeat, ne videatur in ipſo fœderis primordio fallere. Sed cum Salvius terminos Wismariæ fixos haut movendos contenderet, annuebat tandem Gallus, modo primæ penſioni mora aliqua indulgeretur; ſed viciſſim poſtulabat, ut ſolutio non uncialibus nummis, ſed libris Turonenſibus fieret, uti Wismariæ conventum erat. Salvius, qui moras abrumpere juſſus erat, quod exercitus pecunia vehementer indigeret, ſatius ducebat diebus prorogatis obtinere, ut Imperiales nummi ſolverentur, quod majoris momenti erat, nec Hollandi nuper obtinere potuerant. Tandem mutuo concedentes convenere, ut termini ſolutionum eſſent decima quinta dies Maji, & Novembris novi Kalendarii. Movebat tamen novum ſcrupulum Gallus, dum pertendebat, ſingulas penſiones velut in anteceſſum ſolvi pro ſecuturo ſemeſtri; quo ipſo ultima penſio magna parte truncabatur. Contra Salvius cupiebat penſiones velut pro elapſo jam ſemeſtri ſolvi. Tandem convenit, ut quia primæ penſionis dies poſt duos menſes à tradita ratihabitione cedebat, ſingulæ penſiones in duos præteritos, quatuor ſequentes menſes imputarentur. Ea ratione Succis ultima penſio cujus terminus decima quinta Novembris anni quadrageſimi erat, ſalva manebat, quod ab ea die ad finem fœderis quatuor menſes ſupereſſent. Circa nummorum genus nolebat Avauxius tolerare monetam Imperialem, aut ut pro millione librarum Turonenſium quadringenta millia uncialium ponerentur; negans penes ſe eſſe Regem ad ſolvendam monetam extraneam obſtringere; quod apud ipſos hactenus nondum ſit uſu receptum. Sed quia monetæ Gallicæ valor interim valde minuerat, & Salvius de terminis penſionum remiſerat, tandem de uncialibus nummis aſſenſit, teſtatus id præter mandatum à ſe fieri fœderi promovendo. Nolebat tamen Avauxius à Salvio ſummis ſolvendis addi vocabulum *abſque diminutione*, aut *integra*; quod qui certam ſummam pecuniæ certo loco ſolvendam reciperet, intelligatur utique ad eam pecuniam ſuo ſumtu ac periculo abſque alterius detrimento tranſiciendam teneri. Et ea verba ignominiæ ſibi, aliisque miniſtris Gallicis cedere, velut de illa pecunia quidquam delibaturis, cum Succis, ſi minus ſolvatur, liceat non acceptare. Viciſſim Salvius Avauxio de loco ſolutionis concedebat, pro Hamburgo Amſtelodamum acceptans. Quanquam enim Hamburgum pecuniis diſpenſandis commodius foret; tutius tamen erat in Hollandia pecunias habere. Et ipſe Senatus Hamburgenſis Salvium rogaverat, ne multum argenti in *banco* ſuo quod vocant deponeret, quod Cæſareo Legato Stralendorfio injunctum foret manus eidem injicere.

De loco tractatuum. §. 10. Super communis pacis tractatibus poſtulabat Avauxius pacto inferi, ut ſi unus locus cunctis quorum intererat, idoneus & tutus videretur, tota negotiatio eo transferretur; & ſi vix credebat, ejusmodi locum inventum iri. Id Salvius facile annuebat; quod verbis hiſce deſignatum locum Reginæ repudiare liceret, velut parum idoneum aut tutum. Judicabat autem Avauxius, Pontificem hoc modo tractatibus protelandum; ac cæteris omnibus Hamburgum facile probatum iri. Quod ſi tamen Regina colliſioni vitandæ utique ſeparato loco negotium ſuſcipi velit, facile Regem permiſſurum, ut Galli Hamburgi, Lubecæ Sueci tractatus inſtituant, promta utrinque communicatione. Ita ipſo pacto Lubecæ tantum, & Hamburgi mentio fiebat.

De foriis. §. 11. Cupiebat porro Avauxius, ut Coloniæ tranſigerentur non ſolum, quæ ſuo Regi cum Cæſare, ſed & quæ cum Hiſpanis in Italia, Belgio, & alibi lites intercederent; eoque Principes Italiæ & Hollandos eo pertrahere conabatur, idque pacto exprimi poſtulabat; ſic ut Regina, priusquam omnia illa compoſita forent, ſuam pacem concludere non poſſet, ſuperiis omnibus præſtandis Galliæ ſe obligatura. Sed quia hoc modo Regina omnibus non Galliæ ſolum, ſed

1638. & ſociorum ejus cum Hiſpano controverſiis involvenda erat. Salvius iſta adſpernabatur. Id tamen facile ferre poterat, ut inter communes tractatus, & favente conjunctorum armorum ſucceſſu eas lites componere Galli tentarent; modo præſenti negotiatione illarum mentio non fieret, & mutua cautione non comprehenderentur.

De guarantia. §. 12. Mutuam evictionem Galli ab initio poſtulabant ſimpliciter concipi; & ut utraque pars alteri ſumtis armis ſubvenire teneretur, non ſolum quando alteruter à Cæſare directa aut obliqua via ob iſthoc fœdus, ſed & quovis alio obtentu bello peteretur. Id præter rationem non erat, & uni non minus quam alteri expediebat, cum uti Cæſar Galliam ſub Lotharingi, aut cujuſdam Itali, aut Hiſpaniæ Regis nomine, ita & Sueciam Brandeburgici, aut alterius Germani Principis, aut Lubecæ, Regisve Poloniæ obtentu armis petere, & ſuas clades ulciſci poſſet. Quia tamen iſta in longum prominere videbantur, ſatius erat præſenti bello inhærere, reliqua futuræ tractationi ſeponere.

De induciis & quibuſdam aliis. §. 13. Tandem & de induciis peculiare caput concipi poſtulabat Avauxius, laxioribus duntaxat verbis, & ut tractatui ſuper iſtis ordiendo anſa præberetur. Sed quia Salvius de iſtis in mandatis nil habebat, id negotium Lutetiam remittebatur. Quæ præterea capita Oxenſtierna Chaumontio Wiſmariæ ſeparatim commendaverat, Salvius pacto inſeri cupiebat. Sed excuſabat defectum mandati Avauxius; promittens tamen ſe id negotium in aula diligenter commendaturum. Et hoc ipſum Salvio ſufficere videbatur, ut res in integro maneret. Sed nec Avauxius Sueciæ ſuper obtinenda Pomerania cavere volebat, ni Suecia vicißim Gallo Lotharingiæ poſſeſſionem præſtare vellet. Unde ſatius demum viſum utramque rem ad tractatus pacis ſeponere. Ita rebus ſolicite diſceptatis ſeparatum iſtud pactum, quo fœdus Wiſmarienſe illuſtrabatur, à Salvio & Avauxio ſubſcriptum abſolvitur, repetitis plerisque capitibus, quod Avauxius prolixitate ejuſdem jactare ſe velle videretur. Paucos poſt dies primarii quoque fœderis inſtrumenta invicem traduntur.

Fœderi Gallico colophon imponitur. 24. Febr.

2. Mart.

Fœderis Gallici formula. §. 14. Ei fœderi cum bellum deinceps gerendum, & futura pax velut fundamento innitatur, id iiſdem verbis, quibus Wiſmariæ ab Oxenſtierna & Chaumontio conceptum eſt, heic inſerere non abs re viſum. I. Sit fœdus mutuum inter Reginam Regnumque Sueciæ ex una, & Regem Regnumque Galliæ ex altera parte, & bellum pro virili utriusque geratur adverſus Domum Auſtriacam, imprimis Imperatorem Romanum, ejusque adhærentes pro præſtanda defenſione utriusque Regni, & ſuorum reſpective communium amicorum, pro conſervandis libertatibus Germaniæ, & aſſerenda ſecuritate Maris Baltici, & denique pro obtinenda conſtituendaque juſta & decora utrique Regno pace. II. Regina Sueciæ ſuis armis Imperatoris ejusque adhærentium vires diſtineat in Germania, atque in id incumbat, ut penetrare poſſit in ditiones Cæſareas hæreditarias, atque ibi belli ſedem figere. Rex Galliæ itidem ſuis armis verſus Rhenum progrediatur, eumque apprehenſum tranſeat, ac in Germania ab altera parte Imperatoris ejusq; adhærentium vires diſtrahat, ac in hæreditariis ditionibus Imperatoris ſedem belli figere conetur. III. Uterque Regum, Sueciæ & Galliæ, pro viribus allaboret, ut Principes & Status Imperii, qui hactenus in Fœderibus conſtanter perſtiterunt, in ditionibus ac juribus ſuis conſerventur, & ſi bellorum iniquitate dejecti ſunt, reſtituantur; qui ſe oppoſuerunt, & hoſti conjunxerunt, aut rationibus attrahantur, aut ſi nolint vi adigantur ad fœdus Heilbrunnenſe: ut legibus juſtis, quæ conveniant tam Regnorum Sueciæ & Galliæ, quam Imperii ſtatui, ſua Imperio libertas, ac utrique Regi ac Regno ſuus honos, ſalus, & ſecuritas conſtare poſſit. IV. Eo contendatur ab utroque Regum, atque is belli ſcopus ſit publicus, ut poſtquam Regum omnium Europæ interſit, ſtatum Germaniæ, qualis ante hos motus fuit, manere ſalvum, is qui fuit Anno 1618. ante horum motuum exortum, reducatur tam ratione religionis & Eccleſiæ, quam libertatis publicæ; Ideoque ſi quæ Provinciæ aut civitates addictæ Romano-Catholicæ Religioni, durante bello aut venerint jam in poteſtatem Reginæ Sueciæ, aut armorum vi venturæ ſint, fruantur ſine omni impedimento, aut perturbatione libero ſuo Religionis exercitio & ſuis reditibus. Ac vice verſa, ſi quæ provinciæ & civitates Evangelicæ religioni addictæ durante bello venerint in poteſtatem Regis Galliæ, aut venturæ ſunt, fruantur ſine omni impedimento aut perturbatione libero religionis ſuæ exercitio & ſuis reditibus, neq; in religionis & Eccleſiæ ſtatu ulla mutatio admittatur ab eo ſtatu, qui fuit ante bellum. V. Uterque Regum mutuum cujusque commodum & ſalutem ſibi cordi ac curæ habeat, nec bello deſiſtat Rex Galliæ, priuſquam Coronæ Sueciæ ſatisfactum ſit. Ac vice verſa Regina Sueciæ bello inſiſtat, donec Regi Galliæ etiam ſatisfactum ſit. VI. Uterque Regum det operam, ut Principes Statusque Imperii in utraque Saxonia à partibus Cæſaris abſtrahi queant, & ſecum jungi pro cauſa communi. VII. Quod ſi belli ratio poſtulaverit, ut Regina Sueciæ aut Rex Galliæ exercitum ſuum aut ejus partem ex uno loco in alium ducere velit, & belli rationi congruum judicet, quo penetrare, niſi tranſitu per terras aut ſtativa alterius in Germania ſumto, non poſſit, erit id liberum, ac minime denegatum, modo ſine noxa tranſeat, & id tempeſtive illi qui rebus ibidem præſederit notificetur. Quo caſu, ſi opus erit, majoris ſecuritatis cauſa ab altero ſubſidium habeat, & in cunctis, quantum ferunt res & rationes, promoveatur. VIII. Pleriſque confœderatorum Germaniæ Principum ac Statuum ad fœdus & in partes utriusque Regis retractis, directorum ex præſcripto Heilbronnenſis fœderis & ſubſecutorum cum ſuo Conſilio Formato, ſi ſtatibus confœderatis ita placuerit, reſtituatur, & novis ac neceſſariis legibus ad præſentem rerum ſtatum adaptetur. IX. Quæ quiſque confœderatorum Regum hoſtibus ademta hoc bello occupaverit, ea durante bello retineat & fruatur: exceptis iis de quibus aliter convenit, neque hoſti reſtituat, niſi ex communi conſenſu. X. Si durante bello utrique Regi ac Regno aut alteri eorum enaſcatur novus hoſtis unus vel plures ex quacunque occaſione, alter tentata amicabili compoſitione, ſi bellum ſopiri non poterit, ſubſidium ferat alteri eo modo, quo conveniri poterit. XI. Rex Galliæ cum exhibita ratificatione præſentium pactorum confeſtim ſolvat Reginæ Sueciæ quingenta millia librarum Turonenſium, ultimam ſolutionis partem facientia millionis promiſſi debita ab Anno 1632; & in poſterum quotannis durante bello det eidem Reginæ in ſubſidium millionem librarum Turonenſium partem mediam nempe ſ. Turonenſium duobus à reddita ratificatione menſibus, hoc eſt 1. Oct. novo ſtylo; alteram partem mediam ſ. itidem librarum Turonenſium ſex poſt menſibus, hoc eſt 1. Aprilis novo ſtylo Anno 1637. Amſtelodami aut Pariſiis ex optione Reginæ Sueciæ ſolvenda ſine dilatione. In ſubſequentibus etiam annis ſint termini ſolutionis dicti 1. Aprilis & 1. Oct. iiſdem in locis ex optione Reginæ Sueciæ faciendæ.

1638. faciendæ. XII. Nulli tractatus ſeu de pace ſeu induciis cum Imperatore aut ejus adhærentibus inſtituantur, directe, vel indirecte, clam aut palam, niſi conjunctim & communi conſenſu ac conſilio Reginæ Sueciæ, & Regis Galliæ. Poterit tamen uterque ſuſpenſionem armorum inire, prout neceſſitas rerum expoſcet, modo non extendatur ultra tres hebdomadas, nec poſſit ulterius prolongari, niſi communi conſenſu. Et ſi quis mediatorem ſe offerat, audiatur ſemel atque iterum, ac communicatio illico fiat cum altera parte ſine ulla interpoſita mora. Cæterum neque cum mediatore ſe offerente, agatur, multo minus cum adverſa parte, niſi cum ſcitu & conſenſu alterius partis. XIII. Ut vero communicatio eo commodius inſtitui poſſit, habeat uterque Regum ſuum Legatum in aula alterius, aut ſi ob diſtantiam locorum, ubi res geritur, illis magis placuerit, apud eos, qui per Germaniam illorum vices obituri ſunt. Cum hiſce Legatis utrinque cuncta ſincere communicentur, & in iis, quæ ad fœdus faciunt, conſilia votaque eorum audiantur, ut ſic ſuus fœderi conſtet vigor, & cuncta recte referri poſſint. Ideoque quisque Regum per ſua territoria & exercitus ſecuritati tabellariorum eo magis provideat. XIV. Ubi ad pacis induciarumve tractatus perventum fuerit, utriusque Regis ac Regni cautà ſimul & eodem momento pertractanda ſuſcipiatur, agatur, & tranſigatur. XV. Is eligatur tractatui locus, qui æque commodus & tutus utrique ſit: qualis pro præſenti rerum ſtatu creditur eſſe Colonia. XVI. Si poſt pacem initam contigerit alicui Fœderatorum ea, quæ in tractatu pacis promiſſa & concluſa erunt, non ſervari, aut illi bellum inferri ex cauſà & occaſione præſentis fœderis, teneantur Fœderati junctis viribus arma ſumere ſine mora, aut tergiverſatione ad repellendam injuriam, ſtatim atque poſt menſem ex eo die, quo fuerint ab injuriam paſſo admoniti, idque obſervetur ad decennium, à die firmatæ pacis. XVII. Pacta hæc concludantur ſub libera & ſolenni ratificatione Reginæ Sueciæ ac Regis Galliæ, mutuo addenda ad diem 1. Auguſti novo ſtylo proxime inſequentem, ſi ratificare utrique placuerit. Ratificata vero mutuoque reddita obligent Reginam Regnumque Sueciæ, & Regem Regnumque Galliæ, nec non tranſeant in eorum ſucceſſores. XVIII. Durent vero ad annos tres, niſi de pace ante exitum dicti triennii cum adverſa parte convenerit. At ſi bellum interea juſtis conditionibus finitum non fuerit, ſit penes utrumque & in libera cujusque voluntate, ſi continuare velit, nec ne. VViſmariæ die 20. Martii Anno 1636.

Pactum fœderi adjectum.

§. 15. Aſt quæ inter Salvium & Avauxium convenerant, his capitibus conſtabant: I. Inprimis mortuo Ferdinando II. Romanorum Imperatore, in quem articulus primus pactorum VViſmarienſium conceptus eſt, bellum à Sereniſſima Regina Sueciæ, & Rege Chriſtianiſſimo decretum eſto, geratur, ac continuetur in filium ejus Ferdinandum, & Domum Auſtriacam ejusque adhærentes. II. Hi ut ad honeſtam tandem pacem univerſalem eo potentius adigantur, uterque Regum, Regina Sueciæ quidem è Saxonia, Rex Galliæ vero per Superiorem Germaniam ſummis utrinque viribus arma ſua in hæreditarias Auſtriacorum provincias, quantum fieri poterit, transferre, ac belli ſedem illic figere contendant. III. Articulus quartus in gratiam Catholicorum, ut fruantur libero religionis ſuo exercitio & ſuis reditibus juxta tenorem fœderis exacte ſervetur. Idem quoque in gratiam Proteſtantium dictum eſto. IV. Tempus fœderi ſtatutum ex tenore articuli 17. & 18. à traditis ratihabitionum inſtrumentis in triennium numeretur à 15. menſis hujus ad 15. usque diem Martii Anni 1641. incluſive. V. De ſubſidiis articulo undecimo controverſis ita conventum eſt, ut tametſi traditio ratihabitionum ſuſpenſa hactenus fuerit, ad belli tamen onera, quæ Sereniſſima Regina Sueciæ à prima dicti fœderis firmatione ad hanc usque diem ſuſtinuit, ſublevanda, Rex Chriſtianiſſimus det eidem ſtatim hic Hamburgi (præter reſiduum Anni 1632.) quadringenta Imperialium thalerorum millia. Quibus rite cum dicto reſiduo numeratis, Regina Sueciæ nihil ulterius à Rege Galliæ in hunc diem ex cauſa horum fœderum prætendat. VI. Pro tribus vero annis ſequentibus ad quos fœdus excurrit, videlicet à 15. Martii 1638. ad eandem usque diem anni 1641. incluſive Regina Sueciæ à Rege Chriſtianiſſimo quotannis millionem unum librarum Turonenſium Amſterodami accipiat, mediam partem duobus à ratificatione menſibus, hoc eſt, 15. die Maji Anni 1638. alteram ſex poſt menſibus, nempe die 15. Novembris ejusdem anni; & ita deinceps tum pro præteritis duobus menſibus, tum in anticipationem quatuor ſubſequentium, ſolutiones fiant iisdem diebus 15. Maji & 15. Novembris cujuslibet anni. Et quoniam moneta Gallica in his oris minime commoda eſt, Rex Galliæ gratificabitur Reginæ Sueciæ monera imperiali, dando eidem pro ſingulis millionibus quadringenta millia Imperialium thalerorum in ſpecie. VII. Et quia ad tractatus cum hoſte inſtituendos & Sereniſſima Regina Sueciæ, & Chriſtianiſſimus Rex crebris amicorum Principum officiis invitantur, ne quid in ſe deſiderari poſſit, honeſtas pacis univerſalis conditiones nunquam recuſaturis, quantocyus notum Mediatoribus faciant, ſibi eſſe decretum de pace induciisve non niſi conjunctim agere, nihil absque mutuo conſenſu pacisci, & utramque cautàm ſimul & eodem momento pertractare, ut ipſi mediatores ſuam operam & ſua officia eo dirigant. IIX. Quibus vero modis certius maturiusve id fiat, ita convenit: Si unus idemque locus omnibus quorum intereſt, tractaturis turus commodusque viſus fuerit, ibi Sueciei & Gallici cum poteſtate Legati cum hoſtium ac Fœderatorum Legatis conjunctim agant, tranſigantque. Sin minus, loco quidem ſeorſim, at re, cauſa & tempore conjunctim utrobique tractetur. Et à Sereniſſima quidem Sueciæ Regina Lubecæ vel Hamburgi, à Rege vero Chriſtianiſſimo Coloniæ Agrippinæ, advocatis utrinque communibus per Germaniam ſociis & amicis. IX. Agantur Hamburgi vel Lubecæ res Regni Sueciæ; Coloniæ vero res Regis Chriſtianiſſimi, & utroque loco communium per Germaniam Fœderatorum. Interſit tamen tractatui Hamburgenſi Agens Gallicus, Colonienſi Suecicus, uterque tam ſine poteſtate agendi cum hoſte communi, quam ſine voto, ſed honeſta cum ſeſſione: ut audiant, referant ad Plenipotentiarios quisque ſuos, & ſicubi opus præſentes moneant. Nihil autem illis inſciis aut inconſultis utrobique tractetur. X. Uterque Regum ſalvos invicem conductus & ſecuritatem per mediatores ab hoſte communi procurent, tam pro mutuis utriusque Legatis & Agentibus, quam pro communium Fœderatorum deputatis & ſingulorum nunciis, curſoribus, literis. Et neque Hamburgum neque Coloniam, aut alio prius mittant, quam acceptis utrinque prædictis omnibus ſalvis conductibus, idque apud mediatores conſtanter profiteantur. XI. Si tamen communibus per Germaniam Fœderatis ſalvi conductus à Ferdinando negabuntur, eo inſiſtat uterque Regum apud Mediatores, ut ab illo ſaltem ſecuritatem pro iis ſcripto impetrent, quos dicti Principes ac civita-

1638. tes Germaniæ ad utrumque conventum ablegare voluerint. XII. Utriusque conventus idem sit primus, idem ultimus dies, & utroque loco omnia collatis consiliis peragantur, pari passu & lente utrobique festinando. XIII. Nihil quicquam uno alterove loco concludatur, sine mutuo & explicito consensu hinc inde Legatorum Sueciæ & Galliæ per dictos Agentes declarando. XIV. Uterque conventus alter ab altero totus pendeat, & ita cohæreat, ut pace vel utroque loco confecta, vel neutro discedatur. Ideo nullus pacis inducianumve tractatus Hamburgi subscribatur, nisi per Agentem Galliæ liquido constiterit, tractatum Coloniæ subscriptioni quoque proximum esse: Ac vice versâ idem Coloniæ à Legatis Gallicis observetur, donec per Agentem Sueciæ certiores fiant, tractatum Hamburgi subscriptum iri. XV. Regina Sueciæ præstabit eventum Colonienſis tractatus, Rex Galliæ Hamburgensis; & ita quidem, ut si alterutrum directe vel indirecte violari contigerit, vel alicui Fœderatorum bellum inferri ex causâ vel occasione præsentis fœderis, teneatur utrumque Regnum sine mora aut tergiversatione repellere communibus armis injuriam: idque observetur ad decennium à die firmatæ pacis. XVI. Utrique tractatui supra dictus articulus inseratur, & ideirco utrumque etiam tractatum ultro citroque transmissum Suecici & Gallici cum Potestate Legati respective subscribant. XVII. Quod de Hamburgo & Colonia dictum est, de aliis quoque locis, si alibi tractare contigerit, intelligatur. XVIII. Si generales inducia octo, decemve annorum obtineri possint, non recusentur; dum quæ quisque Regum occupavit conditionibus utrinque commodis retineat. Idque vel uno loco vel duobus, ad præscriptum modum tractetur conjunctim.

Provisionale regimen Pomeraniæ expirat.

§. 16. Pomeraniam eo tempore præter torrentem belli, quo tota inundabatur, alius quoque casus non parum turbabat. Fuerat ejus provinciæ post mortem Ducis administratio penes Consiliarios superstites magis conniventibus Suecis, quam expressio eorundem consensu, quod eo nomine instituta inter Legatum Bielkium, & Ordines tractatio adventu exercitus Torga se recipientis interrupta fuisset. Ac satis habebatur, quod Electori, in quem illi studiis ferebantur, omnis occasio actus quoldam imperii exercendi sublata foret. Unde cum Ordines Bielkium veniam poscerent ad Electorem scribendi, ut avertendo ab ipsis exitio pacem maturatum iret, abnuebatur velut inutile; revera quod suspicio foret, ab ipsis occasionem captari, ut Elector se Principem ejus provinciæ gerere posset. Sed cum veteri more Wittebergensium Jurisconsultorum sententiæ super gravioribus litibus exquiri solerent, illi hac occasione arrepta tabellarios literis tuti commeatus à se instructos iter per Berolinum capere jubent. Quos Elector comprehensos, acriterque increpitos, tandem velut per ignorantiam in fraudem inductos dimittit; capitis tamen pœna denuntiata, si quis deinceps literis ab isto Regimine consilius iter in-
27. Febr. gredi auderet. Redeuntibus decretum Electoris traditur, quo declarabat; se nunquam in ejusmodi regimen vicarium consensisse, juri suo adversum, nec tranquillandæ provinciæ idoneum; quin potius inventum ad se indubia sua ditione arcendum, alienamq; usurpationem stabiliendam. Cum igitur omne veterum Ducum jus ad se devolutum sit, regimen à se non probatum, & quo debitum sibi obsequium detrahatur, nullo plane jure niti. Et hanc se injuriam suo tempore ulturum. Eo decreto allato, Consiliarii isti plane exanimati id præsentibus Stetini Ordinibus significant, quos non minor trepidatio corripit. Et mox visum, istos sigil- 1638.
la deponere, & magistratu abire. Quibus hi statim obtemperant, nulla amplius rerum cura susceptâ.

Rectorum Sueciæ super ea re consultatio.

§. 17. Ea re nuntiata Rectores Sueciæ non parum consilium Electoris mirabantur, cum hic melius sibi consuluisse videretur, si Pomeraniæ Ordines eo loco reliquisset, ut Sueciæ non alio quam fœderis vinculo innecterentur. Et credebatur Schwartzenbergius Comes id consilii suppeditasse ad struendam viam subruendis Ordinum privilegiis, & publicandis eorum bonis, qui Suecis favisse arguerentur; præterum cum jam olim Pomeranos inter & Marchicos non leves simultates extitissent. Tum ut apud provinciales Sueci exosi redderentur, velut per hos staret, quod nulla amplius Reip. facies esset: ut obliqua via fœdus plane tolleretur. Cum contra hoc ipso necessitas juxta & prætextum Suecis afferretur imperium provinciæ capessendi. Equidem non deerant, qui contra differerent: Rem esse invidiæ plenam, & ad calumnias multorum patentem, velut obtentu fœderum aliena invadere conentur. Posse eam rem præbere occasionem collisionis cum Polonia, quicum Pomeraniæ Ducibus pacta, & circa fines ac jura quædam lites intercederent. Dano quoque decimas, & alia jura per Rugiam insulam competere. Quibuscum si quæ controversia oriatur, posse eam nunc in Ordines provinciales devolvi. Denique vicinos excitari, ut eo enixius Sueciæ destinatis obsistant. Plerisque tamen ea occasio provinciæ regimen capessendi amittenda non videbatur tam plausibili obtentu, quod ipsi Ordines id pro derelicto habeant nulla Suecorum vi compulsi. Et magnopere interesse Sueciæ Ordines clavo dimoveri, qui non parum Reginæ destinatis, & quæ belli necessitas exegerit, obstiterint. Et cum munita provinciæ oppida præsidiis teneantur, in quibus fundamentum rerum Suecicarum per Germaniam positum sit, non posse utique eam imperio summo orbatam destitui. Quin ultro imputari posse, quod dum Succi clavo subeunt prohibeatur, ne reip. nullum plane vestigium relinquatur. Haut conqueri posse Ordines id à Suecis adprehendi, quod ipsi abjecerint. Nec horum offensam valde metuendam illis, qui Cæsarem armis lacessere non dubitaverint. Igitur placebat Senatui regimen provinciæ utique in se trahere, sed quam minimo cum strepitu, & velut nihil novaretur: Leges, statuta, eadem magistratuum vocabula retinenda, & alios duntaxat homines in eorum locum, qui muneribus se abdicarint, surrogandos, Germanos plerosq; natione, spectatæ erga Suecos fidei: Et hæc omnia velut ad tempus constituenda, ne leges & jura plane sileant; & sub vocabulo bellicæ directionis paulatim omnia summi imperii jura exercenda. Sane constat, Electorem Pomeranosque Consiliarios pœnitentia tactos everti istius fiduciarii regiminis, ac ut idem instaurari denuo posset, optasse. Sed Suecis eos, postquam semel ipsi semet excluserant, arcere in proclivi erat.

Banerius per hiemem quiescit.

§. 18. Sed ut ad bellicas actiones redeamus, Banerius, cùm fine Superioris anni hostis Citeriore Pomerania excederet, intentus agebat, omni frumento ex ulteriore provincia Stetinum, & Colbergam convecto, ut si forte hostis eo perrumperet, fames pedem ibi figere non sineret. Sed cum bona fide istum in hiberna concessisse constaret, & ipse suis post continuam fere triennii expeditionem parum quietis indulgendũ ducebat, legionibus tamen ita dispositis, ut si res exigeret, brevi tempore contrahi possent. Enimvero misera eorũ hibernorum facies erat provincia per amicos juxta hostesq; in solitudinem fere redacta. Agrestes partim mortui,

Digitized by Google

1638. tui, partim metu militum, & inſtinctu Ordinum intra Poloniæ fines profugi, vacuas militi ædes reliquerant. Accedebat dira peſtilentia, in omne jumentorum & pecudum genus immane quantum graſſata. Eaque non poſtrema erat cauſa inopiæ, quæ rapacitatem militis incendebat, quotidianis fere ſuppliciis hautquidquam compreſſa. Ac ni Banerii proviſu frumenti vis intra oppida congeſta fuiſſet, omnibus per agros cibariis abſumtis, militi æque ac pagano fame pereundum fuerat. Solabatur tamen militem ſpes pecuniæ à Gallis ex fœdere ſolvendæ, extra quam ſi fuiſſet, inopia feroces animos facile in deſperationem vertiſſet.

Idem vernis menſibus invictus quieſcit.

§. 19. Porro cum hoſti decretum videretur, Gallis & Vinarienſi ad Rhenum inſuper habitis tota vi Banerium deinceps quoque urgere, rationis quidem fuerat mature in iſtum movere, prius quam idem per hiberna ſe refeciſſet, niſi copiarum conditio expeditionem reſpuiſſet. Sane equites numero & paratu non ſpernendi, ſed plerique Germani, Suecis ac Finnicis turmis valde attenuatis. Unde has è Suecia ſuppleri neceſſum erat, quo extranei militis vires per indigenas librarentur. Peditis autem in Germania conducendi nulla Banerio facultas, & hoſte vicino plerique per oppidorum præſidia diſtribuendi fuerant. Sed & in expeditionem ituro nihil erat, quo equi alerentur; & hoſtis objectu Albis & Havelæ Suecos facile arcere poterat in vaſtatis terris mox perituros, Brandeburgicis interim à tergo ingruentibus. Quod ſi Cæſareis trans Albim concedentibus in Brandeburgicos movere vellet, his facile venientis impetum eludere cedendo licebat. Et quanquam illis profligatis in Sileſiam iter pateret, Gallaſius tamen à tergo relinquebatur, receptum ad oram maritimam interclusurus. Nil igitur reſtabat, quam copias è Suecia expectare, quas quamprimum anni tempeſtas ferret mitti flagitabat prævertendis Gallaſii deſtinatis, & ut diſpertos adhuc hoſtes invadere poſſet, antequam conſcriptæ à Brandeburgico in Boruſſia legiones adventarent. Actionum bellicarum ea hieme nihil, niſi quod dum Banerius

12. Febr. catervas aliquot in Uſedomum trajicit, illi inſulæ penitus ab hoſtibus repurgandæ, præſidiarii, qui caſtellum in adverſa VVolgaſto ripa ſitum obtinebant, conſpectis Suecis inde ſe proriperent, ac cymbis VVolgaſtum trajicerent. Caſtellum ab hoſte deſertum Banerius præſidio firmat. Contra

Hoſtis Gartzium expugnat. 2. Febr. dum Banerius Stralſundæ abeſt, cum VVrangelio ſuper bello conſilia collaturus Chitzingius cum bis mille peditibus, ter mille equitibus, quadringentis dimachis Gartzium noctu circumdat, quod Dromondus cum ſua legione parum frequenti inſidebat. Sequenti die impetu per horam amplius continuato in oppidum irrumpitur. Qui primo furori ſuperſtites fuerant, in captivitatem abſtrahuntur. Ipſe Dromondus paulo poſt Spandoæ in cuſtodia extinguitur; cujus nulla culpa aut negligentia arguebatur; cum numero obrutum conſtaret. Manebat tamen Marvicianum caſtellum Gartzio oppoſitum in Suecorum poteſtate, ne hoſtis tranſitu Oderæ uti poſſet; cujus progreſſibus ſiſtendis Banerius id caſtellum cum Greiffenhaga & Dammo validis præſidiis munit. Paulo poſt Le-

Bielkius Legatus moritur. 6. April. gatus Steno Bielkius Stetini ſupremum diem obit, vir prudentia, uſuque rerum inſignis. Nec minus Hermannus VVrangelius ſenio, & olim acceptis vulneribus debilis in Sueciam permiſſu Reginæ regreditur, & ne æmulatio, quæ inter Banerium & ipſum gliſcebat, reipublicæ obeſſet. Hinc Banerio non ſolum armorum per Germaniam directio, ſed & civilium rerum ac Pomeraniæ ſumma adminiſtratio committebatur, cui ſuccenturiati erant Joannes Lillichoeckius, & Axelius Lilius, ille Ulterioris, hic Citerioris Pomeraniæ guber- 1638. nator.

Cæſareorum miſera conditio.

§. 20. Aſt Gallaſius Pomerania relicta in Meclenburgicam & Marchiam Albim propius exercitum ſubduxerat, quem fames, nuditas, morbi per homines æque ac equos immane graſſantes ad miſerrimam conditionem redegerant. Familiarem Cæſareo militi licentiam paupertas immenſum accenderat, & commilitones juxta atque pagani ſpoliabantur, ac cædebantur. Accedebant creberrimæ deſertiones, ut qui centum viginti legionum numero ſuperbiebat exercitus ad undecim equitum quatuor peditum millia redactus eſſet. Huic reficiendo ſupplendoque Gallaſius Inferioris Saxoniæ provinciis quam maxime inhiabat. Sed in Holſatiam penetraturum Daniæ Rex prohibuit, poſitis apud Oldesloam caſtris, & excitis tota Cherſoneſo provincialibus. Ne tamen hoſtilia in Cæſarem ſumſiſſe videretur, cum Gallaſio centum ſexaginta uncialium millibus decidit. Id exemplum Lubecenſis Præſulatus, & Hamburgenſium atque Lubecenſium agri imitabantur, Bremenſis Archiepiſcopus immunitatem à Cæſare conceſſam obtendebat, ſimul humilium terrarum inundatione acceſſum arcebat. Tandem & ipſe data pecunia adeſis provinciæ elationibus locis iſtos dimovet. Cum tamen utique aliquo loco hibernandum eſſet, Luneburgici ad Bruntuicenſes demum effugere non poterant, quo minus dimidiam ditionem ſuarum partem ſtativis iſtorum concederent. Antequam tamen longius digrederetur Gallaſius, quatuor militum millia Damiani Vitztumii ductu mittit, qui caſtellum ad Varni oſtium invaderent. Quo intellecto Wiſmariæ præfectus quinquaginta ſclopetariis caſtellum firmat. Vali-

Munimentum ad VVarnemundam à Cæſareis capitur. 12. Mart. diorem manum Banerius immittere parabat; ſed jam poſt quatridui oppugnationem centurio Stigo Arfidi F. deditionem honeſtis legibus fecerat, poſtquam fat ſtrenue reſtiterat, occiſis hoſtium ſexaginta amplius, quos inter & ipſe Vitztumius, dum acceſſus luſtrat, occubuerat.

Dani Wolgaſto cibaria ſubmittunt.

§. 21. Quæ in Pomerania relicta erant Cæſareorum præſidia non minus fames urgebat, VVolgaſtum inprimis ab omni parte clauſum; ut brevi in Suecorum manus ceſſura ſperarentur. In eam arcem è navi Danica, quæ ad exigenda vectigalia apud Rudenam inſulam excubabat, furtim cibaria ſubinde ſubmittebatur. Id quod cum Bane-

14. Maji. rius captivorum indicio cognoſceret, literis ad publicanum ſcriptis de hocce facto conqueritur; ac ut deinceps talibus abſtitatur poſtulat, addito, id ſe vi prohibiturum. Sane eo minus id ferendum erat, quod bello Danorum cum Cæſare, Suecorum merces ab illis publicarentur, qui ad portus à Cæſareis infeſſos navigabant. Aſt publicanus cum navarcho impudens plane ac inficetum reſponſum reponebat. Unde Banerius cum ſordidis hominibus literarum commercia amplius exercere dedignatus, navem bellicam Sueciam juxta Danicam ancoras jacere jubet cum mandato, ut amicam ſe adverſus Danos gerat, accurate tamen iſtas fraudes obſervet. Simul idoneis locis ſtationes diſponit, quæ cymbas VVolgaſtum irrepturas intercicperent. Tres inſuper naves bellicæ ad Varni oſtium ſtatuuntur, ne quid ex eo portu hoſtile tentaretur; binæ litoribus oberrare jubentur. Et ne quam litis anſam inde arriperet Daniæ Rex, ſat contemtim tunc Suecos habens, Stroemfeldio in mandatis datum ipſi inſinuaret; non eſſe Suecis animum vectigalia ibi capere, ſed tantum prohibere, ne Cæſarei ex eo portu noxam inferant. Haut eo

Idem ad Roſtochienſem portum ſatis pro minus tamen ad iſtam oram accedebat Danicus navarchus cum quatuor navibus bellicis poſtulans, ut Danis navigatio libera Roſtochium, tum à vectigalibus

1638. galibus immunitas relinquatur. Alia negotia curare vetitum. Isto impetrato statim se inde abscessurum; sin minus, vi se istum portum Danicis navibus aperturum, nec alias naves Gedano & Hafnia sibi auxilio defore. Dicebatur color; id fieri Polono deliniendo, ut si videat ita fervide libertatem Maris Baltici Dano cordi esse, contumeliam ad Gedanum acceptam minus ad animum revocet. Id cum ad Banerium delatum esset, de navigatione quidem concedenda dubium non erat; id enim diserte Regina jusserat. Quanquam enim rationis erat portum claudi, hostibus ului cedentem: tamen satius videbatur tantisper connivere, quod metus esset, ne ferocior tum Danus tale quid patraret, quale superiore anno ad portum Gedanensem. Quam contumeliam nec ferre Succis licebat, nec pacem cum isto abrumpere tempora tunc ferebant. Et vectigal suspendi, quoad castellum recuperatum forer, tanti non habebatur. Igitur mandat suis, ut Danos libere & absque vectigali in istum portum navigare permittant, ac modeste adversus eosdem se gerant, offensarumque occasiones declinent, salva tamen Reginæ dignitate. Unde cum navarchi Danici familiari conversatione & compotationibus cum Varnemundano præsidio sat proterve se jactarent, Succi ista dissimulabant, commodius tempus his & aliis multis ulciscendis præstolantes.

Imperio agunt.

Banerius ex hibernis movet.

§. 22. Tandem cum diu expectatæ è Suecia copiæ sub finem Junii mentis adpulissent, Banerius contracto apud Stetinum exercitu expeditioni se accingit. Lustratione facta undecim phalanges pedestres numerabantur. Primam Banerii vetus cærulea, & Magni Hansonii legiones componebant. Secundam Torstensonii infrequentes, Felsii, & Braunii legiones: Tertiam Zabelticii, summi vigiliarum præfecti propria legio, & lex Ostrogothorum cohortes: Quartam Tribunorum Banerii & Mortaignii: Quintam Sextam, Erici Joannis Ulfiparrii & Jesivvitzkii; septimam Lindesaji, Kinnemundi, Cunigami, & Fletvvodi: Octavam tres legiones Hassicæ: nonam Gustavi Ottonis Stenbockii legio: decimam Archatii Joannis Ulfiparrii: undecimam Oesterlingii, & Flatovii legiones; quæ decem fere bellatorum millia explebant. Equestres legiones triginta duæ: Stalhantskii, summi vigiliarum Præfecti; Teutonica, & Finnica; Thuronis Bielkii, VVittenbergii, VVachmeisteri, Livonica, Curlandica, Francisci Henrici Lauenburgici Ducis, Devvicii, Leslei, Pfulii, summi Vigiliarum Præfecti, Duvvalii, Jonæ Hadersiebii, Duglassii, Hœckingii, VVirtzburgii, Slangii, VVitzlebii, Prætoria, Torstensonii, Hodicii Comitis, Cratzensteinii, Glaubitii, Konigsmarcki, Kniphusii, Ebersteinii, Dalvvigii, Eppii, Haraldi Stackii, Ostrogothica, Uplandica, Joannis VVrangelii, undecim fere bellatorum millia conficientes. Recens è Suecia pedes fere per oppidorum præsidia disponitur, quod & idem minore sumtu aleretur, & strictiori disciplinæ adsuetus, nec ob inopiam in seditionem abiturus, hostiumve corruptelis patens, & nullis uxoribus aut calonibus oppidano molestus foret. Tum ut per oppida muniis militiæ, & alieno cœlo adsuesceret. Veterani in campum educuntur, Gallasius contra & ipse contractas ex hibernis legiones apud Dœmitzam lustrat; quibus Brandeburgici sub Clitzingio se conjuncturi Novum Brandeburgum processerant. Isti propositum videbatur capta apud Francofurtum statione Succos accessu Silesiæ arcere, ac ad maritimam oram plane exhaustam inclusos inopia atterere. Ei consilio ut occurreret Banerius, motis Stetino castris Gartzium primo vertit, quod sequenti die impetu expugnat exiguo suorum damno. Sexcenti, qui intus erant præsidiarii per Succicas legiones distributi, tribunus Dargicius, cæterique ductores captivitatem subiere. Sed quia oppidum id Banerio digresso facile ab hoste recuperari poterat, & si quod immitteretur præsidium frustra perdebatur, contra hostis eodem infesso non parum damni provinciæ dare posset: disjectis munitionibus, portisque & turribus rectorum reliqua cum ponte flammis absumuntur. Inde in Citeriorem Pomeraniam conversus cum Pasevvalco moveret, hostis quæ circum infederat oppida Torgeloam, Spancoam, Clempenoam, & castellum ad Cabelam ultro deserit. Et quia nuntiabatur, Gallasium cum majore exercitus parte ipsi obviam iturum, reliquos cum Brandeburgicis & Saxonicis legionibus Ulteriori Pomeraniæ immissurum, Banerius Stetinum pluribus cohortibus firmat. Ipse ad Penam fluvium, & fines Citerioris Pomeraniæ considere constituit, speculandis hostium destinatis, & pro re nata aut prælio certaturus; aut inter flumina lacusque mora eundem attriturus. Anclamo Loitium itur, cujus prædiarii statim depositis duodecim vexillis, armisque sine exceptione se dedunt; plerique Succicum sacramentum suscipientes: reliqui captivitatem subeunt. Castellum ad Tripsetam qui insidebant trecenti Cæsarei sub Banerii adventum inde se propripiunt, & dejecto post se ponte per paludes evadunt. In oppido centurionis vicarius & quadraginta pedites capiuntur; qui Succicam militiam subeunt. Damgardam insidentes statim quoque Banerii arbitrio se submittunt. Aft Gallasius omisso de dividendis copiis consilio, adjunctis apud Miroviam Saxonicis & Brandeburgicis legionibus Prentzloviam, inde propius Banerium suggreditur, uti conjiciebatur expectaturus, num hic Demmini obsidio implicitus aliquam sui invadendi occasionem præberet. Nam alias nulla adparebat ratio, quare in famelica regione militem fatigare vellet. Banerius cum è captivis intellexisset hostiles copias sparsim per vicos dispositas, id quod & exhaustæ terræ suadebant, Torstensonium & Stalhantschium cum aliquot equitum legionibus, & selecta peditum manu mittit, qui ignoto hostibus transitu apud vicum non procul Malchino mopinantibus superveniunt, ac tribunum Munsterum cum quatuordecim Teutonicorum, simul septem Croatarum equitum turmis opprimunt. Eorum maxima pars cæditur; ipse tribunus cum multis præfectis & gregariis ac vexillis undecim capitur: paucos latebræ tegunt. Regressi Malchinum quinquaginta pedites captivos abducunt. Ita Succi quidem ad Tripsetam cis fluentum, Gallasius ad latus ipsis apud Malchinum confederat. Nec aegre ferebat Banerius, hostem istis stativis obnixum hærere, quod speraret, per inopiam eundem brevi conficiendum. Nam Succis parce quantumvis cibaria suppetebant; & à contagiosis morbis, qui tunc per Pomeraniam grassabantur, fere immunis miles agebat. Equi tamen magno numero extinguebantur; sed id malum hosti gravius incumbebat, & Banerio pecuniam præbente, equi facile supplebantur. Tum ne miles dilaberetur, omnes qui citra ipsius veniam discedere conarentur, in custodiam dabantur.

1638. 18. Julii. 26. Julii. Et Loitium. 30. Julii. Et Tripsetam atque Damgardam. Cæsarei vapulant. 11. Aug.

30. Junii.

Gartzium recuperatur.

§. 23. Inter hæc VVismaria egressi ducenti pedites, equitumque manus legionem equestrem tribuni Kroecbergii Gretsmœhlæ invaserant, & sat acriter licet resistentem profligaverant non paucis cæsis, ac sedecim captis omnibus cum impedimentis, & ducentis amplius equis potiti. Inde ut eo melius hostium catervæ hinc inde vagantes carperentur, & commeatus qui Rostochio subvehebatur interciperetur, Ericus Slangius tribunus à Banerio

Wismariensium excursio. 19. Julii.

Digitized by Google

1638. Banerio Wismariam cum quingentis equitibus destinatur; priusquam tamen stativa hostium longa ambage legere jussus. Hic apud Gustroviam quadraginta currus annona onustos diripit, occiso quod comitabatur præsidio. Inde Sternbergam, Wahrnum & Planam progressus ad intercipiendam legionem equitum Parchimi tendentem properat. Sed cum eandem jam Neustadium movisse cognosceret, ipse insecutus inter id oppidum & Perlebergam deprehensam, ita multat, ut plerisque cæsis captisque subtribunus, duo turmarum præfecti aliique ductores: nec minus septem signa in ejus manus inciderent. Sic re bene gesta VVismariam pervenit, in quod oppidum ex vicinia quicquid poterat frumenti comportat.

Slangius cum Suecus geste.

Wolgastum deditur. 30. Aug.

§. 24. Ast Wolgasti præfectus Antonius VVebelius tribunus urgente cibariorum inopia Strykium subtribunum, ejus arcis obsidio vacantem super honesta deditione concedenda compellat. VVebelius licet fame cogi posse videretur, ut citra exceptionem se dederet; tamen quia Suecorum rebus plurimum intererat eam arcem quamprimum in ipsorum ditionem redire, & copiarum eidem assidentium alibi usus esse poterat; cum Banerii consensu veteri Cæsaris militi permissum, ut tradito signis sclopetisque, simul transfugis captivisque arce excederet, farinarum quoque auferendarum facultate concessa. Plerique tamen gregariorum ultro militiam Succicam subiere, quod tunc in utroque exercitu fere mos esset, militem, quo signa sua pervenissent, eodem sequi.

7. Sept.

Banerius in hostem hic constituit.

§. 25. Porro Gallasius inopia licet ac miseria premente in stativis suis obnixe hærebat, quod metueret, ne in receptu, uti solet, sibi à Banerio noxa inferretur. Et nuper tres legiones ad VVartam hactenus hospitatas exciverat; ut facile adpareret, non nisi extrema compellente necessitate isto loco abiturum. Banerium contra moræ tædium jam capiebat. Unde propius hostem movere constituit, subvectionem ab Albi intutam redditurus, & locis, quæ nunc insidebat, eundem abstracturus. Et quanquam hoste conatibus obsistente prælium declinari non posse videbatur, cujus exitu adverso haut facile erat ejusmodi exercitum flore militum constantem reficere: censebat tamen par aut majus damnum sibi immineri huic hærenti. Hosti quippe omnis retro Germania patebat, ex qua proximo vere instauratis copiis validior ingruere poterat. Contra sibi vastatam regionem insidenti is hoc autumno atque hieme exercitus consumendus erat, & sequenti vere nulla supplementorum spes. Insuper equorum mortes indies glisebant, annona minuebat; nec in exesa plane Pomerania hiberna sperare licebat. Ita his oris inclusum militem mox fames consumtura erat. Accedebat metus pestilentiæ, quæ jam ex Ulteriore in Citeriorem Pomeraniam serpebat. Igitur libratis in utramque partem rationibus satius videbatur prælii aleam tentare, quam desidendo certum & inglorium exitium expectare. Hoc animo castris motis aggerem viæ apud Tripsesam enixus Gnoiam, inde Malchinum recta tendit. Sed hostis de Banerii instituto monitus, & in loco ingruentem expectare veritus, propere VVahrinum iter arripit; quem statim Banerius insequitur, prælio certaturus, aut quantum daretur eidem nociturus; eoque citatum agmen Grubenhagam rapit. Et jam prope ad latus hostis incidebat certa spe ad pugnam eum adigendi, cum hic fugæ ad modum receptum accelerabat, quod copias in castris ad Malchinum attritas prælio impares judicaret. Unde passim ægroti juxta ac valentes, equites peditesque itinere fessi per vicos & agros relinquebantur. Banerius contra transmisso apud Ellenburgum flumine toto cum exercitu Witstocum præcesserat, extremo hostium agmini imminens, quod Ritbergius Comes, quindecim equestribus legionibus constans ducebat. Sed dum præfecti catervarum, qui ad istud morandum immittebantur, non satis ex compacto rem gerunt, spatium eidem elabendi datum est. Quanquam & sic plurimi intercipiebantur, quos inter & ille, qui Ritbergio mandata à Gallasio adferebat, ut quantum posset accelleraret, & si quindecim quas ducebat legiones, perirent, se saltem servare conaretur. Ita quidem tunc Gallasius ad Havelam evadebat, desideratis tamen fere tribus militum millibus, quos insequentes Succorum catervæ cæciderant, aut ceperant. Quo minus tamen Banerius hostem è vestigio sequeretur, nullo ad resistendum spatio concesso, graves causæ obstabant. Hostis enim jam Havelam Albimque attigerat, unde commeatus ipsi commode subvehi poterat: ac loca sibi opportuna insederat, ut absque tormentis, & valido equitatu invadi non posset. Contra Banerio equi morbis abiumti, & qui restabant, tentato itinere fatiscebant, ut nec machinæ provehi possent, & magna equitum pars ephippia & sclopeta tergo gestaret, aut enerves caballos fræno post se traheret. Et ea, qua nunc consistebat, regio plane exhausta erat, nec vehiculorum per Meclenburgicam facultas petendis aliunde cibariis. Ita necessitas subigebat in Meclenburgicam recedere, & quietis paululum exercitui indulgere; tum & equos coemere, quorum mortes per veneficia mulierum procuratæ credebantur. Quo nomine nonnullæ militum uxores extremum supplicium luerunt, id flagitium à se susceptum fassæ, ut eo citius bello finis imponeretur. Ne tamen licentia militis provinciæ vastitatem, sibi famem arcesseret, severissimis edictis disciplinam, & quæ conservandæ provinciæ, exercituique faciebant, sancit. Simul Duci causas hujus hospitationis exponit, & ut provinciales ad penates se suos conferant hortatur, annonamque militi dispensent ipsi, ne huic sumendi necessitas foret. Animus autem erat, quamprimum se exercitus paululum refecisset, in Mitiniam aut Lusatiam, inde in Silesiam penetrare, quæ provinciæ vetus in partes studium resumturæ, suoque subsidio ita exercitum refecturæ sperabantur, ut proximo vere formidandas hosti vires ipse objicere posset.

Banerius in Meclenburgica consilia.

§. 26. Ast Gallasius è districtu Prignicensi, ubi aliquandiu hæserat, mille equites emittebat, Glaubicu tribuni legionem, & Andreæ Trotzigii subtribuni turmas Boitzenburgi stativa habentes invasuros; qui & secure agentibus superveniunt, & cæsis circiter quadraginta, impedimentis, equis, tribus vexillis, ac cum præfecto turmæ complurimus gregariis potiuntur. Eodem tempore ipse Gallasius lustrato apud Kiriciam exercitu Graboviam iter intendebat, velut universo cum exercitu in Banerium ruiturus. De cujus motu cum hic è tribuno Slangio, qui Parchimi tendebat, cognovisset, & ipse confestim legiones ad Suerinum convenire jubet. Unde Gallasius, qui fortasse Suecos per hospitia dispersos oppressurum se speraverat, ad Albim vertit, & apud Lencenam consident loco cætera satis opportuno, sed ubi maligna pro equis pabuli copia. Quo loco ut suas copias per inopiam attereret, cum facile ferre posset Banerius, ipse legiones in priora stativa reducit. Carolus Gustavus VVrangelius, qui nuper ad recuperandum castellum VVarnemundanum missus, sed motu hostium audito avocatus erat, ad id expugnandum redire jubetur. Sed antequam ipse eodem reverti posset, jam Rostochienses castelli munitionibus disjectis ædificia inflammaverant. Conve-

Gallasius Suecis damnum infert.

19. Octobr.

21. Octobr.

20. Octobr. Rostochienses Warnemundum destruunt.

1638. venerat quippe inter Daniæ Regem, & Gallasium, ut hic quidem ejus munimenti destructionem permitteret, is contra Cæsæreum præsidium mari Tra-
22.Octobr. vemundam deduceret. Ea de conventione Lohulius Rostochii præfectus Banerio significaverat, ut & ipse consentiret in destructionem castelli, non citra laborem recuperandi, & quod non nisi premendis commeatus interviret, nullo usu bellico.
26.Octobr. Ast Rostochienses Banerii responso non expectato, binis navigiis Cæsæreum præsidium impositum comitantibus Danorum navibus Travemundam deducunt; & cum de Suecorum adventu audirent, avectis sedecim machinis, ac corruptis, quæ poterant, in naves se recipiunt.

28.Octobr. §. 27. Nec eo secius VVrangelius castellum reparare, ac præsidio firmare jubetur non tam ob vectigalia, quam ne hostis ex eo portu per navigia Rostochiensium oram Pomeraniæ ac Rugiæ infe-
Dum Suecistaret. Tum Banerius acribus literis oppidanis exinstaurant, sequid- probrat avectum hostem, qui jam in Suecorum quam contradicant manu fuerat, amotaque tormenta; quæ ut restituant, & disjecta instaurent postulat; alias id factum non impune laturos. Ast Daniæ Rex castelli instauratione audita Banerio per literas significat:
13.Nov. Superiore æstate se portum illum navibus custodisse, ne Cæsærei commercia in fraudem potissimum
22.Nov. suorum civium onerarent. Inde cum Cæsærei id castellum sibi obtulissent, ejus demolitionem maluisse evitandæ æmulationi: præsertim cum idem ab initio emungendis suis civibus sit extructum. A se nihil præter veterem portus libertatem quæri; quam & Sueci causam belli tui allegent, ut omnia in pristinum statum reponantur. Quin & ipsis aliquando id munimentum damno esse posse, imminutis per idem ejus portus commerciis. Sua autem nunc magis interesse, quam antea, qui ejus demolitionis autor fuerit, & Cæsæreum vectigal inhibuerit. Ejus reparationem Suecis parum prodesse, sed Rostochio certum exitium creare. Postulat igitur instauratione supersedeat, portui veterem libertatem relinquat, nec cives suos contra morem & pacta oneret: neu impediat, quo minus promissum à se Cæsæri factum præstare possit. Enimvero cum pactum Regis cum Cæsare Succos non tangeret, & Rex justo imperiosius agere videretur: Banerius nequaquam ita agendum censebat, velut Danus metueretur, aut ejus jussa admitterentur; ne uno indulto ad plura postulanda audacior iste redderetur. Modeste tamen responsum: De conventione Regis cum Cæsare nihil sibi constitisse: nec à se vectigalia spectari, sed securitatem oræ Pomeranicæ, totiusque Maris Baltici, quæ ex isto portu turbari queat: Alias Reginæ Sueciæ statutum omnem offendarum causam adversus Regem declinare. Cum porro Danus ita fervide id negotium amplecteretur, Salvius quidem, aliique censebant, tantisper reparationem munitionis omittendam; modo Rostochienses tormenta restituant, & de portu suo caveant, ne is ab altero insideatur: quod manifestum sit à Cæsæreis hanc occasionem captari, Succos, Danumque inter se committendi. Sed Banerius ferocibus Dani verbis nil solidi subesse judicabat, quod neq; Holsatiæ neque Daniæ Ordines consensuri essent, ut Suecorum exercitu in vicinia hærente bello non necessario involverentur. Et quanquam vectigalis modicus haberetur respectus, securitatis tamen intererat castellum id non deseri: quod & expressis mandatis Rectores Sueciæ injunxerant. Igitur brevi tempore munitionem firmius quam antea reficit, ducentorum peditum præsidio imposito.
Danus pro Luneburgensibus Idem Rex paulo ante cum Banerius Albi propinquaret, suspicatus Luneburgicum agrum peti, à Banerio datis literis postulaverat, ea ditione abstineret, communia sacra cognationemque suam allegans, & quanti sua interest sedem belli eodem non transferri. Banerio satis constabat, omnes qui desertis Suecorum partibus paci Pragensi acceserant, nullam occasionem omissuros Suecis nocendi; eoque nec ipse cautam habebat, quare illis parceret. Ne tamen Duces illos ad desperationem adigeret, aut abrupto responso Regem protelaret; præsertim cum tunc animus esset intacto Luneburgico agro eis Albim in Misniam aut Lusatiam tendere: ipsem facit, si Georgius Dux copias suas cum Cæsare non conjungat, & stativa, transitum, aliaque commoda Cæsæreis neget, se itidem ejusdem ditionibus parsurum, utut per consilia & gesta sua id non meriti. Demulcendo Regi addebatur; si qui in provincias Regias prædatores irrumpant, id se invito fieri, & in deprehensos acriter animadversurum. Eadem paulo post Rex apud Rectores Sueciæ solicitat. Cui hi annuunt, modo & Cæsæreis nihil ejusmodi ex ea provincia obveniat, deque eo à Cæsare ipsis caveatur, & Georgius Dux sibi quondam commissas machinas restituat, ac nihil auxilii hostibus exhibeat.

1638. neutralitatem pollicitem. 19.Octobr. 28.Octobr.

§. 28. Interim Gallasii exercitus apud Lence-
Cæsæri multum. nam summa cum annonæ & pabuli inopia conflictabatur, quam quo minus naves Hamburgo levare possent, Pfulius cum aliquot legionibus Lauenburgi tendens impediebat. Sed nec Banerius quiescebat; qui cognito septem cataphractorum legiones seorsim à reliquis circa Perlebergam hærere, easdem invadere constituerat. Cum raptim
20.Nov. excita majore equitatus parte improvisus apud Perlebergam adesset: non quidem cataphractos ibi reperit, sed duas Saxonicas legiones à Marazino nuper è Misnia adductas, quibus cataphracti stativa sua concesserant. In istorum ergo octingentos primum Banerius invectus plerosque cædit, non paucos capit, quos inter subtribunus Knochius, tres turmarum præfecti, & centurio dimacharum Abrahamus Klugius. In reliquos Stalhantschius immittitur, qui duarum legionum reliquias delet, etsi subtribunus Callenbergius cum vexillis evaderet. Pugnæ tumultu excitati cataphracti, qui vicinis pagis tendebant, auxilio suis adproperant. sed quos ita excipiebat Stalhantschius, ut centum in loco conflictus caderent, reliqui abjectis fere thoracibus Albim versus in castra se proriperent. His peractis Banerius per tres horas sub castris consistebat; quæ uti solo cum equitatu invadere rationis non erat; ita nemo hostium ex illis movere audebat, aut discedentem insequi. In reditu Stalhantschius & Slangius cum caterva equitum Perlebergam trecentis peditibus infestam invadunt, & istis incassum resistentibus, in oppidum perrumpunt. Primo impetu centum cæsi; duo centuriones cum quinque optionibus & ducentis gregariis capiuntur. Eo ipso temporis articulo Gallasius
Gallasius trans Albim concedit. trans Albim concedere decreverat; quæ destinata tumultus iste accelerabat, ut magna cum trepidatione pons navalis superaretur: & dum pro se quisque festinat, pars pontis rupta non paucos in aquas
22.Nov. effundebat. Superato flumine castra primum Sehausæ locat Gallasius; inde per Veterem Marchiam & vicinas præfecturas Luneburgicas legiones distribuit, non minus & ibi cum inopia conflictatas, secus atque spem conceperant. Cæsar quippe cum omnium Imperii Ordinum conventum indici tempora non ferrent, compendiosum duxerat singulorum Circulorum congressus agitari; ad quos ipse Commissarios ablegabat istis persuasuros, ut exercitui suo hospitia per hiemem, & alia necessaria præberent. Qua spe innixus in sequentem annum quatuor cum exercitibus octoginta millia impleturis rem gerere constituerat, quibus Gallasius

1638. sius, Piccolominæus, Hatzfeldius, & Goetzius præessent. Gallatio adjungi debebant Saxonis & Brandeburgici copiæ, quorum ille suis Marazinum præfecerat; hic suas in Cæsaris quoque verba adegerat, & vexilla ex uno latere Cæsaris, ex altero propiis insignibus notaverat. Eum exercitum ad octodecim peditum, equitum octo millia augere decreverat; quorum hospitiis uterque Saxoniæ Circulus destinabatur. Simul Georgius Dux solicitabatur, ut copias suas Hatzfeldio jungeret, Banerio negotium facessituras, quoad Gallasii se exercitus per hiberna refeciſſet. Sed cum ista destinata frustra essent, & inopia indies glisceret, simul rustici Dremlingenses, ferocia istis in oris celebres, multos militum passim trucidarent; Gallasius relicta Marchia in Magdeburgicum agrum abit, populatione longe lateque facta. Sed cum & heic inopia dominaretur, citra finem anni cum famelicis copiis, quas & crebræ catervatim defertiones attenuabant, apud Magdeburgum iterum superato Albi in Silesiam & Bohemiam concedit.

Gallasius in Cæsaris ditionem abit.

§. 29. Digressis Cæsareis Banerius quid sibi deinceps suscipiendum foret tanto curatius trutinabat, quod Daniæ Regis ac Luneburgicorum Ducum destinata non parum forent suspecta. Neque ad extremum inopiæ gradum redacta Meclenburgica, & Lauenburgica ditio eam moram ferebant, ut Rectores Sueciæ consuli possent. Equidem initio animus non fuerat Albim transire; eoque mirum videbatur, quod Daniæ Rex per literas Ducem Georgium monuerat, velut Succi in ipsius ditione hiberna capessere vellent. Nam utut fortasse id sermonibus & votis militum agitatum fuerit; Banerio tamen de ea re nondum cogitatum erat; præcipue postquam Danus defensionem Luneburgicæ jactare cœperat. Idemque vehementer dissuadebat Salvius, ne Danus, & Luneburgici aperte hostilia inducrent: ac satius judicabat Berolinum versus iter intendi. Enimvero Banerio exercitus conservatio ante omnes alios respectus erat. Nam ad sinistram flectenti Westphaliæ res, & Erfordia pro derelictis habebantur, & per quadraginta milliaria vastatæ regiones nec annonæ quid, nec pabuli præbebant. Tum à tergo relicta Spandoa & Custrinum communicationis lineam cum Pomerania interscindebant. Et capta licet Landsberga, & Francofurtum ob inopiam annonæ teneri non poterant; ac si obsidium sustinerent, fame exercitus perituras erat. Quod si Danus & Inferiores Saxones hostilia utique decrevissent, ideo destinata sua non omissuros, quin hoc ipso spatium accepturos eadem exsequendi; ac ubicunque exercitum invenissent, ad eum opprimendum connixuros. Inde receptus difficilioris, quam Torga quondam, necessitatem impositum iri: & reversum licet cum attenuato exercitu in Pomeraniam fame conficiendum. Igitur stabat sententia Albim transire, inde pro re nata consilia capere. Sed quia arduum erat ponte Albim insternere, deficiente materia & navigiis, ac Luneburgicis ex adversa ripa se objecturis; expectandum erat, quoad gelu flumen constringeretur. Statuerat tamen innoxium per Luneburgicam transitum sumere, ni Dux prior lacesseret. Id quod & mox contigit. Nam cum sub initium Decembris, glacie aliquot locis solidata, Pfulius cum aliquot equitum legionibus ad Lauenburgum Albim transisset, hostium navigia frumento onusta corrupturus; trans flumen Luneburgicum tribunum Meierum cum legione equitum offendit. Cui initio denuntiat se venisse, ut vicos Lauenburgicos hospitiis suis destinatos occuparet, & hostiles naves destrueret; ipsi noxæ nihil illaturum, si hospitiis illis ultro sibi cedat, nec ad naves iturum impediat. Ast Luneburgici adventuris vim ferociter minan-

Banerius trans Albim abire constituit.

13. Nov.

Luneburgici hostes se exhibent. 5. Dec.

1638. tur, & ipse tribunus cæso equite pugnæ initium facit. Unde Succi paria reposituri impetu facto in fugam datos ad Butlingam usque arcem, à trecentis peditibus infestam, inde longius Luneburgum versus propellunt. Sed quia frigus remittebat omissa Butlinga Pfulius ignem frumentariis navibus injicit; & cis Albim cum suis se recipit. Ita cum Georgius Dux, instigante non segniter Dano, hostilia orsus esset, eo minus dubitabat Banerius pari modo eidem occurrere. Inter quæ Slangius tribunus duas equitum Brandeburgicorum turmas Zedenickæ, totidem Navvæ deleverat. Sub finem anni Banerius legiones circa Dœmitzam contrahit, & servandæ communicationi cum Wilmaria & Pomerania Gadebuschum, Neuhausam, Boitzeburgum, Lauenburgum, inde Gustroviam, Butzoviam, & Schvvanam præsidiis firmat. Duodecim ægrotorum centuriæ passim per Meclenburgicam relinquuntur, abductis contra tribus Meclenburgensibus cohortibus, quæ Gustroviam & Butzoviam hactenus insederant. Vexilla Duci restituuntur ea lege, ne novas in istarum locum cohortes scribat.

§. 30. Dum Banerius in Meclenburgica hæret, Cæsarei subitam irruptionem in Ulteriorem Pomeraniam meditati erant; quod consilium tamen clade Saxonicarum copiarum ad Perlebergam incassum cadebat. Obtulerat se quoque Laurentius Ambrosius quidam, assumtis in Borussia aliquot navibus, cum ter mille militibus oram Pomeraniæ maritimam tentaturus. Quod consilium Banerio per optionem quendam Jacobum Ramtunum Caminentem proditur: qui & addebat; magnum aliquem Principem, incertum Danum an Polonum, eos conatus fovere. Et suspectum erat, quod recens conscriptæ Brandeburgici copiæ in Borussia non procul Pomeraniæ finibus hospitarentur. Adversus quæ Banerius omnia provide disponi jubet. Etsi ultro id consilium evanuit, subtribuno isto dum Lubeca in Borussiam navigat, per naufragium extincto. Contra Joannes Lilliehoeckius Pomeraniæ Ulterioris præfectus, Uckermundam primo insidiis tentatam post vi petit. Ac oppidum quidem brevi impetu expugnat, tribus tantum desideratis, duodecim sauciis. Sed dum machinæ adducuntur verberandæ arci, nuntiatur hostem irruptione in Pomeraniam facta jam ad Dammum consistere. Igitur is propere Stetinum revolat, relicto ad obsidium arcis Hacquino Skyttio. Sed rumor ille vanus deprehendebatur, nisi quod valida hostium manus Piriciam tentaverat; quæ tamen acriter repulsa, re infecta abscesserat. Et mox qui arcem Uckermundanam insidebant, honestis legibus deditionem fecerunt.

Cæsarei in ulteriorem Pomeraniam cogitant.

Uckermunda recuperatur. 24. Oct. 20. Dec.

17. Dec.

§. 31. Erfordienses sub finem superioris anni, rebus Succorum parum secundis fracti id agebant, ut Saxonicorum Ducum interventu cum Cæsare seorsim transigerent. Eo fine à Banerio per literas petunt, Goetzio tributo in mandatis det, ut sibi super sacris ac privilegiis suis tractare permittat. Addebatur tamen, nil nisi sub ratihabitione Reginæ Sueciæ concludendum. Ast Banerius quo ista tenderent facile perspiciens, responso suo pacti fidem ingerit; quæ vicissim ipsis promissa sint tàcte servatum iri; nec auxilium in tempore defore, si propius vis ipsis admoveatur. Moguntinum & Saxonem parum æquo in ipsos esse animo, quorum arbitrio ubi se subdant, libertatis jacturam imminere. Sic Luneburgenses inconsulta deditione veterem libertatem perdidisse. Ipsorum securitatem non nisi communi pace firmari posse, de qua Reginæ curæ sit futurum. Goetzio autem injungitur, ut labantes oppidanorum animos erigat. Si nullus sanis consiliis loc' sit, mature in Cyriaciburgum

Cum Erfordiensibus acta. Banerius de Erfordia servanda Stragio. 11. Jan.

4. Mart.

1638. gum se recipiat, & ad idem tuendum extrema quæque tentet, expectetque. Paria præfecto ejus arcis præcipiuntur, addito, si forte Goltzius accessu arcis excludatur, ne ipsius mandata de tradenda arce admittat; neu per dicta jussa velut à se profecta imponi sibi patiatur. Interim Saxoniæ Elector Erfordiensibus denuo literis pollicitus erat, se ipsos in statum, quo anno vicesimo septimo fuerant, repositurum, obtenta quoque Moguntini ratihabitione; atque ab omnibus injuriis tutos præstiturum, modo ipli Suecicum præsidium amoveant. Ea occasione, & interventu Saxoniæ Ducum Vinariæ tractatus instituuntur. Ubi in eo præcipue difficultas erat, quod Saxonici postularent, ab Erfordiensibus prius caveri de Suecico præsidio amovendo; quod indignum foret, si postulatis ipsorum magno cum labore apud Cæsarem obtentis, Sueci post excedere nollent. Contra Erfordienses ante omnia sibi de privilegiis, sacrisque suis, & anteactorum venia caveri volebant; alias nullo colore se præsidii deductionem perituros. Ea cautione obtenta se omnem operam navaturos, ut Sueci ultro discedant; interposito etiam jurejurando, ne dubium sit, quin bona fide ab se agatur. Inde capita transactionis concipiuntur, sub Cæsaris tamen & Saxonis ratihabitione, per quam Erfordiensibus post factam deprecationem, ac datam in futurum fidem, omnemque operam ad præsidium Suecicum deducendum impensam, promittuntur pacis Pragensis beneficia, præteritorum oblivio, & pristina privilegia ac jura, sacrorumque libertas; tum ut Suecico præsidio incolumi ad suos abire liceat. 7. Febr. Ea conventio, protestatione Goltzii insuper habita, ab Erfordiensibus subscribitur, & Electori ad ratihabendum transmittitur. Inde à Banerio per literas petitur, Goltzium urbe & arce excedere jubeat. Irritandis in Suecos oppidanis scripta clandestina sparguntur; quibus inculcatur, cum Sueci promissam urbi tutelam præstare nequeant, nec hanc pactis amplius teneri. Adduntur à Saxone minæ de vi adhibenda. Et sane ipse jam eodem se conferre constituerat, ni Bernhardi Ducis successus ad Rhenum Cæsareas copias avertissent. Cæterum Goltzius ab initio istos tractatus prohibere nolebat, quod & initio ipso si vellent tractandi occasionem haberent; & extrahendi tantum temporis causa iidem suscipi jactarentur. Sed post cum longius quam putarat processissent, non amplius eodem prohibere poterat. Et quanquam oppidani verbis ipsi suspicionem adimere conabantur: aperte tamen mentem suam declarare nolebant, num & pactis stare, & vim hostium submovere vellent, si Regina conventionem ipsorum improbaret? Ita in lubrico agebat Goltzius; simul legio ipsius parce habita desertionibus non parum tenuabatur. Cyriciburgum tamen annona & paratu bellico in longum tempus instruebatur, extremum continendis in officio oppidanis frænum, quos & prolixis literis Banerius confirmare nitebatur, certa spe auxilii facta, si opus esset. 26. April. Sed Goltzio injungitur, nutantes animos quantum possit demulceret. Sed si in furorem erumperent, in arcem se conferret, & ad hanc servandam nulli operæ parceret. Cum Banerius turmas aliquot equitum eo mittere vellet, tuendis oppidanorum agris, hi abnuebant, quod hac ratione induciæ ipsorum, & tractatus plane abrumperentur; per quos sperabant rebus suis melius consultum iri, quam si communem pacem expectarent. Equidem ut vi Suecos ejicerent, quod Saxo postulabat, iniquum & anceps putabant: rationibus tamen & precibus obtenturos se sperabant, ut isti 23. Maji. ultro urbe excederent. Quo fine repetitis literis Banerium solicitant, adducto prolixo rationum agmine; quas ille responso suo destruit, periculum elevans, quod præter necessitatem videantur formidare, cum inde Vinarienſis, hinc ipse hostem urgeat, ut validæ urbis obsidio se implicare non vacaturum sit. 1638. 14. Junii. 28. Junii.

Erfordienses super sua reconciliatione tractant. 6. Jan.

§. 32. Post Erfordienses denuo Vinariam ad conventum invitantur, quo ne accederent Goltzius vetabat; si Saxonici tractare quid vellent ad salutem urbis spectans, secum agerent, & vel suos homines Erfordiam mitterent, vel à se deputatos Vinariæ exciperent; minatus si infensa tentarent, se extrema oppositurum, nec suppetias sibi & ultionem flagitii defore. Ast ea intercessione insuper habita Erfordienses Vinariam mittunt, velut audituros tantum quæ proponerentur, & domum relaturos: ac demulcendo Goltzio exemplum mandati ostendunt. Vinariæ istis multa exprobrantur, velut Cæsari pro imperio præscriberent, & hunc ad certa præstanda, se ipsos ad conatum duntaxat obligarent, ac omnia ex arbitrio Banerii suspenderent. Inde alia capita à prioribus plane diversa traduntur; ut statim atque de Cæsarea ratihabitione constet, Suecicum præsidium utique urbe vel ingratis amovere teneantur; sexies centena uncialium millia exsolvant in usum exercitus Saxonici impendenda; munimenta urbis prout Electori visum manerent, penes quem etiam sit, quantum præsidii post amotos Suecos urbi imponere velit. Hæc Erfordiæ audita oppidanorum animos non parum alterabant. Et quia sub idem tempus à Rectoribus Sueciæ, & Banerio literæ adventabant, tractatus cum hoste ipsis exprobrantes; simul querelæ vicinorum oppidorum Mulhusæ & Northusæ resonabant, à Cæsareis & Saxonicis copiis durissime habitorum; plerisque periculum imminens, ni caverent, oculis obversabatur. 10. Maji. Unde ab Erfordiensibus literæ ad Saxonicos mittuntur, quibus ista velut supra vires posita admitti à se posse negabant. Ex eo tempore minus refractarie quam antea cum Goltzio agebant, nisi quod de magnitudine sumtuum ad alendum præsidium, aliosque belli usus quererentur importunius, quam necessitates ipsorum requirerent. Saxo contra cum legiones per Thuringiam disposuisset, velut eminus vi ostentata, per molliora quoque animos oppidanorum tentat, pecuniaria mulcta ad centum millia uncialium remissa. Unde oppidanis spes oriebatur, circa reliqua quoque capita temperamentum posse inveniri. Nec cessabant Saxonici præsertim Ienaenses, oppidanos ad transactionem amplectendam solicitare, præter sæpius ingesta id inculcantes; conventioni cum Suecis non repugnare, si ipsi ex urbe in arcem dimittantur; nam de præsidio tantum in arcem admittendo conventum, non de legione in oppido alenda; quæ sexcentis capitibus constans à duodecim millibus armatorum civium nullo negotio vel invita ejici possit; nec in arduo esse prohibere, ne incendium urbis tentare queant; nec à Cyriciburgo urbi periculum esse.

Erfordienses duriores conditiones proponuntur.

Erfordienses nutant.

§. 33. Unde denuo tractatus fervent, & ad id medium devolvuntur Erfordienses, quo & antea Suecos urbe amoliti erant, ut alimenta militi subtraherent. Eoque Goltzio denuntiant, ad exiguum duntaxat tempus milites ab se ali posse. Tum Banerium repetitis literis obtundunt; quoniam Saxo de postulatis suis remitteret, Goltzio injungeret, ne tractatus suos impediat, & iis absolutis militem abducat, cui alendo ultra duos menses urbs non sufficiat. Nec concedi à se posse, ut vicinis ex urbe molestiæ inferantur, ac induciæ abrumpan-

Erfordienses fame Suecos ejicere conantur.

1638. 30. Aug. rumpantur. Hos Banerius literis confirmare ſatagit, addito promiſſo de pecunia Goltzio ſubmittenda, quo urbs onere liberetur. Tum ſublevando præſidio, quod Erfordiæ cum inopia conflictabatur, Kingio mandat, ut è Weſtphalia in Eichsfeldiam & Thuringiam ſe conferat; & hac tributis ſubjecta certas præfecturas alendo præſidio Erfordienſi deſtinet, Salvius quoque literis ad ipſos ſcriptis confirmarat, rationem ipſorum melius habitum iri communi pace, quam ſeparata conventione. Nec eo minus iſti propoſito ſuo inhærent; idque Banerio, & Salvio, Goltzioque ſignificant: Saxonem & Moguntinum ad æquiora propendere, communis pacis tractatus procul abeſſe. Succos quippe à pace abhorrere, dum poſtulant, quæ concedi nequeant. Eo ſibi oblatam pacis viam repudiari non poſſe. Inde tractatus clam & inſcio Goltzio continuantur; licet hic ingereret, nihil urbi periculi eſſe, & pleraſque Saxonicas legiones ad ſupplendum Gallaſii exercitum avocari. Sed locupletiſſimus quiſque opibus ſuis timere, & cæteros partibus Suecorum pronos labefactare. Nec diu poſt in urbe tumultuarum, cum Senatus milites civibus alendos aſſignaſſet; qui concurſu facto non tam onus ipſum, quam inæqualitatem querebantur, immuni fere locupletiſſimo quoque. Unde Goltzius militis inopiam de ſuo tantiſper ſublevat; ſimul eidem imperat, ne importune cives alimenta poſcat: quod metueret, ne iſta occaſio captaretur committendis cum milite civibus. Nec ceſſabant malevoli plebis animos ſtimulare, jactantes, urbem ex conventione cum Suecis ad alendum præſidium non teneri. Ac præcipue Rennemannus Conſul in conventu publice teſtabatur; ſe permittere non poſſe, ut cives tributis onerentur; quæ in fraudem Cæſaris impendantur: eoque operam dandam, ut quacunque via Sueci urbe emittantur. Plurium tamen ſuffragiis decernitur in duos adhuc menſes ad finem uſque Septembris præſidium alendum; interea laborandum, ut honeſta ratione Sueci excedant. Ita in lubrico hærere Goltzius, cui ex circumjecta regione tributa exigere non dabatur, quod Erfordienſes inducias nollent abrumpi. Ut jam in Cyriaciburgum receptus circumſpiceretur; quod & ipſum Saxonici captabant, ut ſaltem urbe Sueci prius amoverentur; quos deinde arce exturbare in proclivi rebantur. Et ter repetitis literis urgebant Banerium Erfordienſes, paupertatem ſuam ingeminantes, ut legio ex urbe evocetur, præſidium tantum in arce retineatur; induciæ ad pacem usque communem prorogentur. Banerius contra ad modicam ipſos patientiam hortatur, & brevi malis ipſorum remedium fore: ſecuritatis urbis intereſſe legionem non abduci, alias libidini hoſtium exponendæ. Goltzio quoque pecuniæ, & vicini ſubſidii ſpes oſtenditur. Circa finem Septembris, cum ſucceſſu Vinarienſis, & miſeranda facie Gallaſiana exercitus Suecorum autoritas gliſceret, & Erfordienſes abrumpi cum vicinis inducias nollent, denuo in alendam legionem conſentiunt; etſi revera parciſſime iſta haberetur, inuſitata annonæ caritate tunc Thuringiam premente. Paulatim tamen Erfordienſes de ſucceſſu tractatuum ſuorum deſperabant, quod pateret, Succos ultro urbe non ceſſuros; & ni ſuper hoc cautum foret, Saxonici circa tractatus conciliandos laborare amplius nollent.

Haſſiaci cum hoſte denuo tractant.

ſ. 34. In Haſſiam ſub initium anni Horſtius ſummus excubiarum præfectus magnam partem Gœtziani exercitus infuderat. Unde Ordines provinciales majore pacis cupidine incenſi denuo cum

16. Jan. Georgio Landgravio Marpurgi tractatus ſuſcipiunt, non repugnante Regimine Caſſellano; quod metueret, ne iſti declinando belli onere ad periculoſa conſilia deſcenderent, & Darmſtadienſis adminiſtrationi ſe ſubjicerent. Et intra pau- 23. Jan.
cos dies capita pacti adornata Landgraviæ Viduæ ad ratihabendum transmittuntur. Eadem in Weſtphalia, quo laxior copiis & præſidiis proſpiciendi facultas foret, propoſitis per Cæſareos induciis in Martium & Aprilem menſem Induciæ Haſſorum in Weſtphalia.
conſentiebat, quibus omnes Cæſaris & ſociorum exercitus comprehendebantur; excluſis Gallis, Succiſque, quibus interea impugnatis Haſſi auxilium ferre vetabantur. Conventionem tamen cum Darmſtadienſi averſabatur, quod potius videretur communem pacem expectare. Unde quo majore vi bellum perſequi poſſet, poſtulabat, ut legiones ſuæ, quæ apud Banerium erant, ſibi in Friſiam mari mitterentur. Sed quia Succis in Pomerania res anguſtæ erant, tanto ardentius pacem urgebant Ordines Haſſiæ, minati, ſe etiam citra Landgraviæ ratihabitionem pacem amplexuros, in quam & Melander non parum inclinabat; ut valde metueretur, ne Principis conſtantia tandem labaſceret. Alias primordio anni, Haſſi in Haſſici rem bene
Weſtphalia adverſus Cæſareos rem feliciter geſſe- gerunt.
rant, Sulati & Geſecæ novendecim horum cohortibus oppreſſis, ſex vexillis, quinque machinis cum magno captivorum numero Lipſtadium abductis. Sed poſt initas inducias Haſſici Cæſareis immixti, quiete agere, non vulgari cumprimis Melandri cum Gœtzio familiaritate, quæ ne in fraudem communis cauſæ evaderet, non immerito metuebatur; cum Melandrum ingentibus promiſſis tentatum conſtaret. Quanquam autem Hermannus Wolfius Legatus è Succia regreſſus, novum cum Landgravia fœdus agitaret non ſine ſpe ſucceſſus; Melandri tamen & aliorum malevolorum inſtinctu mox negotium extrahi, nec ad propoſita directe reſponderi; tantum gravitas negotii, dubia Martis alea, Principis pueritia jactari: vel quia credebatur, Cæſarem poſt Vinarienſis victoriam æquiorem fore, vel à Succis Gallisque, qui illorum auxilio indigere videbantur, lautiores conditiones obtentum iri. Inter hæc poſt 22. April.
elapſas inducias Paderbornam, inde Warburgum Haſſi oppreſſerant. Dorſtenæ quoque præſidiarii Lunam occuparant, capto cum ducentis gregariis tribuno Ohmio. Inſtantibus tamen Ordinibus Haſſiæ provincialibus induciæ ad Kalendas uſque Julias renovantur; per quas Paderborna reſtituitur, fruſtra connitente Wolfio Legato, ut iſthoc oppidum in Succorum manus conſignaretur.

Pax inter Cæſarem & Haſſos concluditur. 12. Aug.

ſ. 35. Interea Moguntini Electoris opera tractatus pacis inter Cæſarem & Haſſos Moguntiæ concluditur, Cæſareis ad omnia fere Haſſorum poſtulata facilibus ob recentes Vinarienſis victorias. Eorum tamen vis è Cæſaris & Landgraviæ ratihabitione ſuſpendebatur; quædam etiam capita in arbitrium Colonienſis Electoris referebantur. Equidem intenderat ſua poſtulata Landgravia, ſperans, Cæſarem non facile in ea conſenſurum; unde extracto tempore aliis conſiliis anſam ſuppeditatum iri. Sed cum Darmſtadienſis omni prætenſione cederet, & vix communi pace meliores conditiones obtinendæ viderentur; judicabat vitio ſibi verſum non iri, ſi ipſa vidua & pupillorum tutrix pacem amplecteretur. A Banerio quippe nulla auxilii ſpes: Gallorum & Hollandorum arma hactenus non optime proceſſerant; eoque metus erat, ne ſub hiemem hoſtis è Belgio ſe Haſſiæ infunderet, eamque plane in vaſtitatem daret, uno inſuper aut altero munito loco expugnato, quibus ob infeſtos undique vicinos de neceſſariis parum proſpici poterat.

1638. rat. Ab Hollandis quoque nihil auxilii extundere dabatur; & quæ Galli promiſerant, ſubſidiorum ſolutio tarde procedebat. Urgebant quoque Haſſiæ Ordines non obſcure minati, alium ſibi Principem circumſpiciendum, ſi preces & monita ſua negligerentur. Tum Caſſelani Conſiliarii Haſſiam viris exhauſtam, ac fere in cineres redactam ingerebant; nec Ducis Bernhardi victoriis fidendum ob mutabilem belli aleam. Denique & ipſa cum liberis Caſſellis agere, ac regimen provinciæ præſens capeſſere cupiebat; quod vix aliter quam pace facta fieri poterat. Igitur conſtituit tranſactionem Moguntinam adprobare; præſertim cum ſibi perſuaſiſſet, ſuas res aliis parum curæ eſſe, & ſe exterorum armis modicum momentum addere.

Eam Cæſar ratihabere abnuit.

Enimvero circa ratihabitionem Cæſaris negotium hærebat, ideo, quod Landgravia non ſibi ſolum, ſed & aliis Imperii Ordinibus liberum ſacrorum uſum ſtipulata eſſet, quæ in cujusque ditione hactenus recepta forent. Quanquam autem Haſſiæ Ordines ea clauſula cedere, quam diutius in ancipiti agere malebant; idemque Landgraviæ ingerebant: decreverat tamen ipſa, ni Cæſar libertatem ſacrorum eo, quo à ſe deſignatum fuerat modo, ſanciret, conventionem non acceptare. Id quod miſſo Hamburgum Henrico Vultejo Salvio ſignificat; addito tamen, ſi Cæſaris ratihabitio recte ſe habeat; à pacto reſilire, ſibi non integrum fore. Nec id vitio ſibi datum iri tanquam fœminæ, & cui Ordines ſui, ſumtuumque belli defectus neceſſitatem tranſigendi cum hoſte attulerint.

Kingius conjunctionem cum Palatino Electore affectat.

§. 36. In Weſtphalia Kingium Suecicarum copiarum ducem induciæ, quas cum Cæſareis Haſſi iniverant, non parum turbabant, quod ſolus expeditioni par non eſſet. Eoque intra munita oppida miles continendus erat, quoad tempus alia conſilia ſuppeditaret. In Weſtphalia hæ tunc Suecorum copiæ erant: Mindam triginta cohortes, Nienburgum quatuordecim, Osnabrugam ſeptendecim, Vechtam duodecim inſidebant, quater mille, ſeptingenta capita explentes, quæ tamen vix tuendis tanti momenti oppidis ſufficiebant. Kingium inſuper ſexcenti amplius dimachæ in tredecim cohortes digeſti, & triginta atque una equitum turmæ mille trecenta amplius capita explentes, ſequebantur. Et quia circa idem tempus Carolus Ludovicus Elector Palatinus militem conducebat, conjunctionem cum Haſſis meditatus, inde Kingius anſam arripiebat ad ſociandas ſecum copias Electorem invitandi. Etſi ea conjunctio Banerio diſpliceret; qui & diſertis verbis denuntiabat, ut eam, ſi ultro ambiretur, ad Rectores Sueciæ rejiceret; quibus eandem non probari ſatis ſibi conſtet. Et maluerat hic iſtum in Thuringiam penetraſſe, nutanti tunc Erfordiæ ſervandæ. Quin & Rectores Sueciæ maluerant Landgraviam in ſuis potius partibus retineri, quam ejuidem copias Palatino adjungi, quem Angliæ plane obnoxium judicabant, nec conſilia ſua ad Sueciæ deſtinata attemperaturum. Sed mox cum Gallaſius in Luneburgicum, Bremenſem, ac Verdenſem agrum ſe effunderet, Kingius in id intentus erat, ut Cæſareos tranſitu Viſurgis arceret. Quo tempore modicis conflictibus res à Suecis bene gerebatur. Inter alia Philippi Coraſci legio dimacharum quadringentis capitibus conſtans in Schaumburgico Comitatu opprimitur, vexilla ſex capiuntur, qui necem effugerant omnes Mindam captivi abducuntur. In Tedingshuſſana tamen præfectura hoſtis Viſurgim tranſierat, occupatis Hoyam uſque, qui ſecundum ripam excitati fuerant, reductibus. Eum invadens Kœnigsmarckius tribunus cis Viſurgim iterum rejicit, cæſis centum, totidem captis, aut flumine merſis. Plures poſtea turmæ à Kingio ſubmiſſæ non ſolum reductus omnes recuperarunt, ſed & cis Viſurgim & Alleram irruptione facta, Lamboji legionem plane oppreſſerunt, ut vix triginta ſalvi evaderent. Huic cum Bruæi Comitis cataphracti, & Carettæ legio dragonum ſubſidio accurreret, & ipſi in Alleram flumen compulſi ſunt, cæſis non paucis, aut flumine ſuffocatis. Unde iſti Verda deſerta ſub Rotenburgum ad alias ſuorum catervas ſe recipiunt. Mox tamen & eo irrumpentes Suecici, dictam Bruæi legionem, & reliquias Lambojanæ legionis cum aliis ſelectis manipulis ad Ottersbergam plane profligant. Bino iſthoc conflictu bis mille equorum, undecim vexilla, centum triginta gregarii cum multis ductoribus capti.

1638.

17. Maji.

§. 37. Inter hæc Palatinus Elector Meppam, Cniphuſio quondam à Regina Sueciæ donatam, ab hujus hæredibus redemerat, ſedem armis futuram, quæ auxilio Regis Angliæ, & aliorum adparabat, & ubi recentes delectus coirent. Id oppidum, viam præmonſtrante Hagedornio quodam; qui ob offenſam neſcio quam Suecorum militiam deſeruerat, à Cæſareis opprimitur: qui ſummo mane vado per Haſam flumen, inde repente in vallem, qua infirmiſſimum erat, evaſerant. Præfectus oppido erat Horneckius tribunus, quondam amiſſa Spira non optimæ apud Suecos famæ, qui admonitus, hoſtem Furſtenaviæ congregari, ea veſpera quidem ſtationes obierat; ſed poſt mediam noctem cubitum ſe contulerat, ſtationibus non ſatis prout res exigebat firmatis, nec toto excitato præſidio. Unde reſiſtentes licet acriter Palatinorum manipuli numero obruuntur, antequam reliqui ſubvenire poſſent. Captivitatem ibi ſubierunt, præter Sarazinum ſubtribunum, aliosque præfectos, quadringenti gregarii. Ipſi Horneckio Cæſareus ductor jam vitam promiſerat. Sed dum hic cum alio circa iſtum rixatur, idem deſperabundus colaphum captori ſuo infringit. Unde is irritatus gladio tranſadigit negligentiæ ſine dubio pœnas daturum.

Meppa amittitur.

1. Maji.

Cum Palatino Electore fruſtra de fœdere agitur.

§. 38. Paulo ante amiſſam Meppam Palatinus Elector cum Legatis Suecicis Camerario & Wolfio non procul Haga Comitis ſuper fœdere agere cœperat. Proponebatur ab hiſce; Suecicas ad Viſurgim copias cum Palatinis & Haſſis in unum compingendas exercitum, qui tam Reginæ, quam Electori & Landgraviæ juramento fidem obſtringeret. Is à Regina penderet, penes quam ſit ſummum ducem conſtituere. Proximum ab iſto Ducem Haſſi præberent. Elector ſumtus conducendis militibus, & menſtruam pecuniam, adparatumque bellicum & annonam curaret. Viciſſim Regina pollicebatur, de pace non acturam, niſi præſcio Electore & Landgravia, effecturamque, ut utrique ſatisfiat, & Elector in ſtatum, qui fuit ante motus Bohemicos, reponatur. Aſt Palatini miniſtri primo ſibi reſervabant, quæcunque heic agerentur Electorem non obligatura, nec aliis ipſius actionibus impedimento futura, quoad Rectorum Sueciæ ratihabitio acceſſerit. Inde proteſtabantur, hac ratione Electorali dignitati nihil præjudicatum iri. Tandem tamen conſentiebant, ut ſummus Dux à Regina conſtitueretur, ſed ea lege, ut ſi Elector adeſſet, ſummum imperium ipſe gereret, cum conſenſu Suecici & Haſſiaci Ducis exercendum. Satius quoque judicabant quodlibet corpus à peculiari ſuo Duce regi. Suecicis Legatis id reſponſi inopinum accidebat, qui à ſe propoſita ambabus manibus acceptatum iri crediderant, nec proteſtationum quid, aut difficultatum præſumſerant. Nam qui ditiones ſuas quiete poſſideat, dignitatis ſuæ accuratam habere rationem poſſe,

Idem modicis conflictibus rem bene geriit.

ne. Maji.

1638. posse, & quantum velit auxilium suum aliis imputare, qui tranquillo è statu in bellum protrahere ipsum conantur. Sed nunc incongruum videbatur, Reginæ, quæ super illius restitutione ita arctam obligationem induitura erat, leges præscribere, & quæ ita liberaliter offerebantur, fastidiose trutinare. Igitur isti reponebant; nec se ante ratihabitionem Reginæ ad quid teneri velle, nec incerto adhuc negotio hospitia concessuros, aut delectus Electoris promoturos. Protestationem super dignitate vix æquo animo à Regina acceptatum iri, quippe cui haut quidquam animus sit Electoris dignitatem imminuere, aut quantum ratio belli ferat negligere, sed quæ potius id, de quo protestatio interponitur, armis aut per tractatus recuperare velit, citra suam operam hostium manibus ægre extorquendum. Igitur è re fore censebant de ista protestatione silere; præsertim cum ipso in pacto dignitati Electoris caveri queat. De supremo in exercitum imperio tunc facile conventum iri, ubi in Palatinatum arma promoveri queant. Quod si statim Elector ad exercitum adesse velit, Reginam fortasse & id concessuram, modo summum armorum moderamen penes ipsam maneat, & Elector imperium ipsi acceptum referat, nec sine ducis Suecici præscitu quid agat, & hunc simul cum ipso mandata subscribere patiatur. Tandem tamen in hoc subsistebant, ut Elector à Regina restitutionem omnium ditionum & jurium stipularetur, ipse arma totumque negotium Suecis committeret, ac citra laborem, periculumque alieni Martis fructus expectaret: contra in singulos menses ad certam summam pecuniæ, commeatus, & paratus bellici se obstringeret, militemque à se collectum Suecis traderet. Quo fine Palatinis ostendebatur; Meppam jam amissam; ab Anglia præter ipsem nihil ipsos expectare. Nisi negotium nunc perficiatur, copias Palatinas hospitiis destitutas ultro dilapsuras. Ita omnes sumtus incassum perituros, Regina Suciæ non modo non devincta, sed & insuper offensa. Et quæ nunc ultro offerantur, alio fortasse tempore frustra captatum iri. Nec eo secius Palatini tergiversabantur, scrupulosque movebant obtentu fastigii Electoralis, quod ut accurate observarent, ab Anglis sibi serio injunctum memorabant. Unde Suecici judicabant eam de dignitate contentionem ab ipso hoste suggestam, fœderi tam salutari disturbando. Nec apud Palatinos ministros dissimulabant: salutis potiorem rationem habendam, quam ut intempestiva circa dignitatem disceptatione restitutio impediatur. In ditiones suas repositio speciosius, & solidius super dignitate agi posse. Nunc id quæri, num satius sit, ob inania ditione carere, quam
8. Maji. temporibus cedendo rem ipsam recuperare. Nec eo minus declarabat Elector negotium sibi tantisper differendum, quod Suecici Legati omni ad ratihabitionem Reginæ referant, & quia ipsi prius cum Landgravia & aliis, à quibus media cœptis exsequendis obtinenda forent, consultandum sit. Et quanquam Suecici demonstrarent; occasionem rebus Palatinis instaurandis frustra omitti; si Regina prius pacis tractatus suscipiat, quam Electori se obstrinxerit, exiguam cautæ Palatinæ, quam omnes, & ipse Angliæ Rex deseruerint, rationem habitum iri: nihil tamen istis proficiebatur. Ita tunc re infecta discessum.

Electoris Palatini in Suecia negotium. §. 39. Paulo post ab Electore Palatino missus in Suecia, adpellebat Fridericus Paulus Rammingius; qui primum petebat, ut Regina Domus Palatinæ, sicuti antea, ita & deinceps, & præcipue in tractatibus, qui tunc Lubecæ adornabantur, rationem haberet. Significabat præterea, Electorem copias suas Kingio in Westphalia sociaturum, ac junctim rem in communem hostem gesturum; quo nomine postulabat, Regina tantisper, quoad fœdus absolveretur, ducibus suis injungeret, ipsius destinatis favere, consilia conferre, ubi necessitas exigat ad Suecica præsidia receptum præbere, induciis, si quæ ineantur, ejusdem copias includere. Præcipue ut quædam hospitia illis concedantur, & munitum oppidum struendo penui tradatur. Addebatur, ut Regina contendat, quo Electori, ejusque legatis super tuto accessu ad conventum de pace caveatur. Tandem ut Regina Commissariis suis Hamburgi mandet, quo non fœdus solum commune, sed & cœptos cum Electore tractatus maturent; id quod variis rationibus persuadere nitebatur. Eo super negotio cum ad Senatum referretur, id primo alienum videbatur, quod minister Palatinus ostenderat, Sueciam ad plenam Domus Palatinæ restitutionem utique teneri. Nam etsi Heilbronnæ de eadem decretum fuerat; tamen eo ipso tempore Angli apud Cæsarem invitis & inconsultis Suecis Palatinam causam agitarant. Quin & semel jam Palatinos restituerant Suecі. Sed cum illi deserta patria nihil ad sui conservationem contulissent, Sueciam in infinitum obligari par non erat. Nec ob solam Palatinatus restitutionem bellum à Gustavo Rege sumtum; sed & securitatem Suciæ, ac vindictam illatæ à Cæsare injuriæ præ oculis fuisse. Equidem Sueciam Palatini cautæ quantum potuerit studuisse, etiam citra peculiarem obligationem, præsertim cum illo non restituto Germaniæ quies solidari non posse videatur. Sed fœdere certas præstationes requirente illigari cum illo, qui nihil amplius quod amitteret habebat, altioris indaginis erat. Jam quoque à Suecia postulabatur, ut in alienam gratiam tam ardui belli necessitatem sibi imponeret, cum tamen vix quisquam majori hactenus, quam Angliæ Rex, invidia æstuarit, ne quid terrarum Sueciæ in Germania adcresceret. Sed durissimum erat, quod Palatinus gratis Sueciam sibi obstrictam tenere vellet; præsertim cum hactenus semper gratiam Cæsaris pro eodem ambierint Angli; qui post tories exhausta Austriacorum ludibria jam demum ad Suecos eant. Quamobrem Oxenstierna Paulo citra ambages exprobrabat; id tantum quæri, ut Suecia perpetuo bello implicita teneatur, nullo vicissim præstito operæ pretio. Manipulum militum offerri: contra postulari, ut Suecia plenam Domus Palatinæ restitutionem in se recipiat. Ab Anglia nihil in communem causam collatum; quin potius Anglicanis consiliis Suecorum res in conventu Francofurtano turbatas.

Restitutio Sueciæ considerationes super fœdere cum Palatino.

§. 40. Publice tamen respondebatur: Legatis Lubecam iturus injunctum iri commoda Palatinæ Domus pro virili observare. Salvio quoque mandatum, ut fœdus pro utriusque partis conditione adornet: tum ut de tuto Electoris accessu laboret. Sed cum ea res non modicam difficultatem habeat, præsertim circa Electoris titulum, citra quem neque Palatino consultum eas literas acceptare neque Cæsar nisi coactus eundem daturus sit: optandum esse ab Electore temperamentum investigari, quo jus ipsius illibatum servetur, & pacis tamen negotium citra remoram procedat. Eoque bene facturum Electorem, si mediatoribus aliisque causam suam commendet; ne Regina sola oneri succumbens aliorum exemplo propriæ utilitati & securitati cogatur velificari. Satius quoq; fore priusquam copiæ jungantur, super uno & altero conveniri tollendæ diffidentiæ, quæ alias facile diversum inter militem glisсere solet. Cumque spes successus non tam è militum conjunctione, quam justi fœderis aliarumque necessariarum rerum designatione dependeat: optandum fuisse Palatinum

Responsum Palatino ministro datum. 14. Sept.

1638. miniſtrum idonea mandata habuiſſe, ut cum eo tranſigi poſſet. Sed quia ipſe id conſilii ſuggerat, rem Hamburgum ad Salvium remittendam, qui cum Electore ſuper hiſce poſtulatis, & aliis ad decentem, cauſæque communi proficuam armorum conjunctionem neceſſariis legibus conventurus ſit. Quod ſi tamen Elector jam copias cum Kingio, uti fama fert, conjunxerit; confidere ſe, hunc officio ſtrenui ducis functurum; Electorem autem durante iſta conjunctione debitum Reginæ reſpectum non inſuper habiturum; ne eadem Reginæ & exercitui oneri aut fraudi, ſed potius emolumento ſit.

Elector Palatinus cum Kingio copias jungit.

§. 41. Enimvero Palatini Electoris delectus ſat frigide proceſſerant, deficientibus militi colligendo locis. Equidem ab Ordinibus Belgii Fœderati obtentum fuerat, ut miles ipſius Neomagi, Veſaliæ, & vicinis locis reciperetur. Sed cum hi tædio ejus oneris, ut ſuos inde deduceret, denuntiarent, & fruſtra Haſſiacorum ſocietas ambiretur, occaſionem inde arripit Elector ad Suecorum ſe conjunctionem vertendi. Eo fine ad Kingium mittitur Richardus Cravenus, qui ſuper imperio copiarum has conditiones fert: Si Elector apud exercitum ipſe non adſit, Kingius ſummum imperium militare gerat, præſenti Electori proximus habeatur. In eas conditiones vocatis in conſilium præcipuis ductoribus Kingius conſentiebat; quod eam conjunctionem hac rerum facie non inutilem judicaret, ut munita oppida educto in expeditionem
30. Aug. milite levarentur. Fit igitur conjunctio apud Stadloam. Palatinæ copiæ ſedecim turmæ equitum, viginti peditum cohortes, mille ſeptingenta capita explebant; cum antea de quinque millibus ſpem feciſſent. Aderat ipſe Elector, fraterque Rupertus, ac Ferenzius ſummus dux iſti muneri exercendo parum idoneus judicatus, multique illuſtres viri. Junctæ copiæ Haſelunam iter inſtituunt, ut Meppam tentarent. Sed quia Weſterholtius ſummus excubiarum præfectus cum octodecim equitum centuriis veſtigia ipſarum legens circa Meppam eaſdem præverterat, conſilio mutato Oſnabrugam, inde Lemgoviam, tendunt, in quam Kingius ſi ea potiretur, Palatinum ſe militem recepturum pollicebatur, modicis itineribus non parum jam adflictum, & ad nongenta capita redactum. Belgæ plerique erant, quibus promiſſum fuerat Hollandico more ipſos habitum iri, eoque aſperitatem Sueciæ militiæ adſpernabantur; ac catervatim domum diffluebant; ſic ut obſidium Lemgoviæ languide procederet. Hatzfeldius contra in Weſtphaliam à Cæſare miſſus, copias à Gallaſio & aliunde ſubminiſtratas apud Tremoniam contrahebat, Lemgoviæ liberandæ intentus; cujus adventu Suecici Palatinique obſidium deſere-
2. Octob. re conſtituunt. E primo tamen Cæſareorum agmine Boyus ſenior tribunus Naſſovicam cataphractorum legionem apud Bileſeldam profligat, centum amplius cum excubiarum præfecto, aliisque ductoribus captis, ſubtribuno cum multis aliis cæſo. Sed cum iſti Hatzfeldium tota mole ingruere intellexiſſent, in recipientes ſe è transverſo incurſurum, præmiſſis veſperi impedimentis per
6. Oct. montes Flotham verſus, mane cum univerſis copiis ſubſecuti circa meridiem non procul ab eodem loco aberant. Ubi primo hoſtis à latere ſe oſtendit, quicum velitatio conſerta; mox tota vi incumbens, eos ad conſiſtendum cogit in valle, quæ Aſſingshuſana dicitur, ſed ita repente & improviſo, ut neque legiones recte diſponi, neque tormenta potuerint. Conſerto prælio Suecici ac Palatini profligantur. Ad elevandam ejus cladis ignominiam Kingius, & Palatini præfecti multa jactabant de hoſtium multitudine, & ſuorum virtute, qui longe minore numero octo millia tres per horas ſepium & dumetorum ope ſuſtinuerint. Sed alii fatebantur, hoſtem numero ſuperiorem fuiſſe, duo millia peditum, totidem equitum quingentis additis explentem; ſolas tamen equitum legiones totam rem confeciſſe. Arguebantur quoque duces imprudentiæ, quod diutius quam res ferebat, ad Lemgoviam morati fuerint, dum decretam veſperi aut nocte profectionem ſequenti demum die orta jam luce ſuſcipiunt, etſi de appropinquante hoſte ſatis moniti. Ac potuiſſe eos anguſtiis apud Flotham in commodum ſuum uti, ſed citra eas deprehenſos vapulaſſe. Equidem primo impetu Suecicos equites ſtrenue rem geſſiſſe; ſed Ordinibus non rite digeſtis omnia mox turbata. Addebat Kœnigsmarckius, penes ſummos duces neque conſilii quid adparuiſſe; & cum hoſtis primum conſpiceretur, peditatum dimidio milliari retro omnia impedimenta abfuiſſe. Clades pro numero copiarum non modica accepta. Suecicorum peditum mille circiter, veterani plerique, partim cæſi partim Vilurgi ſubmerſi. E Suecicis capti tribuni Boyus, Lumſdainus, præfecti Oſnabrugenſis frater, & Broſſartus; quorum hic paulo poſt è vulneribus extinguitur. E Palatinis in hoſtium manus inciderunt Rupertus Electoris frater, Ferenzius ſummus dux, Cravenus Eques, aliique. Apud Cæſareos ceciderat Petrus Gœtzius, & Tirellus tribunus natione Hibernus, cum triginta amplius gregariis. Cladi ſuperſtites Kingius per 24. Oct. oppida munita diſtribuebat. Palatinarum copiarum reliquiæ Suecicis legionibus tantiſper immiſcentur, quoad ſuper iis aliter conventum foret.

Suecicorum Palatinis junctorum acta.

24. Sept.

Eorum apud Flotham clades.

7. Octob.

§. 42. Hoſtis poſt victoriam apud Flotham conſtituerat Suecorum hoſpitia intra Huntam & Haſam flumina evaſtare, ſimul unum & alterum oppidum invadere. Quo conſilio Witlagam tendit, ſubtribuno Glaubergio cum quinquaginta duntaxat peditibus Suecicis inſeſſam, qui per decem licet dies verberato oppido, ac deditione ter atrocibus cum minis imperata ſtrenue reſiſtebat. Inter hæc Suecici munitis oppidis prorumpentes ſemel atque iterum bene in hoſtem rem gerebant. Kœ- 10. Octob. nigsmarckius Minda egreſſus poſtremum hoſtis agmen deprehenſum magnam partem concidit, vexillo uno, & multis captivis potitus. Braunius quoque tribunus Oſnabruga excurrens Ottonem Chriſtophorum Sparrium tribunum à Gallaſio ad Hatzfeldium proficiſcentem apud Wahrendorfum media nocte deprehendit, peditum centum quinquaginta, qui iſtum comitabantur, cædit, ſeptuaginta amplius ipſo cum tribuno, ac vigiliarum præfecto, & centurione capit. Recuperantur quoque vexilla pedeſtria quatuordecim, equeſtria quatuor; quæ hoſtis antea Suecicis eripuerat. Contra Schneidevvini ſummi vigiliarum præfecti modica manus in præfectura Sierea à Cæſareis oppreſſa diſſipatur. A Witlaga repulſus Hatzfeldius ad Vechtam oppugnandam verterat, cui liberandæ tardius ſe movens Kingius per Hoijam Comitatum 25. Nov. ad Huntam ſtationem capeſſere conſtituerat, hoſtem obſidio abſtracturus; ſero, & cum hic jam oppido potitus eſſet. Menſem is in obſidio abſum- Idem Vechtam expugnat. ſerat, amiſſis non paucis militibus, acerrimo præſertim aſſultu, quo Weſterholtius ſummus vigiliarum præfectus, Gœtzius ſubtribunus, & centuriones aliquot ceciderant. Quanquam nec obſeſſi indemnes manſerant, quorum præfectus Georgius Leslæus tribunus tormento capite truncatus peribat. Hinc inter ductores diſcordia, & quanquam Lindeſaius ſubtribunus in defuncti locum ſufficeretur, ejus tamen apud cæteros exigua autoritas. Igitur dum auxilia deſperantur, oppidum tandem honeſtis legibus deditur, præſidio

Hatzfeldius à Witlaga repellitur.

Mindam

1638. Mindam deducto. Conſtat tamen ſi paucos adhuc dies ſuſtinuiſſet, ab hoſte ob famem & imbrium importunitatem obſidium fuiſſe ſolvendum. Nec, quem obſeſſi obtendebant, militum & plumbi defectus acceleratam deditionem ſatis excuſare judicabatur. Poſt captam Vechtam hoſtis quæ inter Bremam & Mindam ſita erant, lentis itineribus atterebat, ut Succicis præſidiis inopiam faceret. Kingius inde in Sueciam evocatur; quod cum ideo fieri crederetur, ut cauſam ibi ob nuperam cladem diceret, Anglicus Legatus & Palatinus miniſter apud Banerium & Salvium ejus facta excuſabant, orantes, ne quid duri in ipſum ſtatueretur. Quibus reſponſum: literas, queis evocaretur, nihil aliud præ ſe ferre, quam ut ipſius ſententia ſuper inſtaurandis per Weſtphaliam rebus exquiratur; quæ tunc quidem valde proſtratæ jacebant. Copiæ per cladem ad Flotham non parum attenuatæ. Hoſtis poſt Vechtam occupatam ad reliqua oppida infeſtanda, & præcipue Otnabrugam gradum ſtruxerat. Succicus miles per munita oppida diſtributus ad quietem ſe compoſuerat, velut omnia recte ſe haberent. Kingius & Cratzenſteinius diſcordes mutuo ſe impedire; munitis oppidis inopia ingruebat: vicina circum regio plane exhauſta; oppidani numerotà hoſpitatione attriti. Nec parum moleſtiæ dabant ſacramento ſoluti ductores, qui magno numero, quæ autorato militi debebantur, importune abſumebant. Munitiones ruinoſæ, res tormentaria maligne proviſa, annonæ & paratus bellici exigua copia. Nec patebat Banerio, quem ſummæ rerum ibi præficeret, cum Torſtenſonium à ſe dimittere non poſſet, in ſummi imperatoris locum ſubiturum, ſi quid humanitus ſibi accidiſſet; & Stalhantſchius quantumvis manu ſtrenuus tam turbidis rebus vix par credebatur. Sed cum Kingius in Sueciam properaret, Cratzenſteinio tantiſper curam armorum eam per oram committebat.

Conatus Inferioris Saxoniæ.

§. 43. Eodem anno quæ per Inferiorem Saxoniam parabantur arma Succis non parum ſuſpicionis injiciebant. Anſam illis præbuerat Gallaſius captis per eas provincias pro ſuo lubitu hibernis, quæ nonnulli data pecunia redemerant. Unde Luneburgici Holſatique Principes cum Daniæ Rege, ac
4. Jun. Bremenſi Præſule conventum Stadæ indicunt; cujus finem ipſi ferebant pacem communem promovere, aut ſi eadem obtineri nequeat, ut ab utraque bellantium parte neutralitas poſtularetur, ſimul miles ſcriberetur arcendis bellantium injuriis. Daniæ præcipue Rex, quanquam Cæſareos argento dato Holſatia avertiſſet, nec ab illis periculi quid ipſi immineret, militem conſcribere, & arma parare non deſinebat. Et fama erat, eundem ſummum belli ducem per Inferiorem Saxoniam conſtituendum, & hanc cum Superiore Saxonia fœdere connectendam mutuæ defenſionis gratia. Quanquam autem nihil in fraudem Cæſaris aut Succorum concluſum ferretur; neutri tamen iſte conatus placebat. Nam & Cæſarei judicabant, ejuſmodi arma citra ſuam offenſionem parari non poſſe. Et quia Saxonia Inferior pacem Pragenſem dudum acceptarat, eoque ipſo Succis hoſtem ſe declaraverat, non parum hi verebantur, ut invaleſcentia iſta arma ſuis rebus proficua forent. Congreſſu inde Ducis Georgii cum Rege Daniæ, ac Deputatorum Cellis ac Gluckſtadii ea res tandem
21. Octob. abſolvitur. Luneburgici Legati Hamburgum tranſeuntes Salvio de facta concluſione ſignificant; rogantes ut Reginæ Sueciæ, Banerioque omnem ſuſpicionem adimat, & huic perſuadeat, ne tranſitum Albis tentet; teſtati arma ſua non alio ſpectare, quam ad arcenda ditionibus ſuis belli incommoda. Quanquam longius iſta tendere ex eo colligebatur, quod jactarent; adverſus utramque bellantium partem amicitiam oſtentandam, quoad ejus fieri poſſit, & Cæſarem æque ac Succos ad componendum bellum ſolicitandos; ſed cum, qui æquas conditiones repudiaverit, junctis cum altero armis ad pacem compellendum. Huic fini conſcribenda erant decem peditum, quinque equitum millia, quibus Daniæ Rex ſummo cum imperio præficiendus. Invitabantur in ſocietatem cæteri ejus Circuli Ordines; Landgravia inſuper; Friſiæque & Oldenburgicus Comes. Et ſane Dux Georgius ab eo tempore, quo Gluckſtadii apud Daniæ Regem fuerat, non parum adverſus Succos irritatus videbatur, & Hatzfeldio in VVeſtphaliam 18. Octobr. auxilia ſubmiſiſſe dicebatur; qui literis eidem victoriam adverſus Succicos; Palatinosque nuntiabat, addito, ſe expectaturum quid Dux hoc tempore amplius ſuſcipiendum judicaturus ſit; quæ quidem literæ in Succorum manus inciderant. Idemque tunc copias ſuas Winſena Bleckedam usque ad ripam Albis diſpoſuerat, Succis tranſitu ejus fluvii arcendis. Indicitur inde conventus In- Conventus Inferioris
ferioris Saxoniæ, volente ſane Cæſare, qui hos Saxoniæ.
bello adverſus Succos implicare ſatagebat. Sed cum Novembr.
idem de neutralitate, ac armis pro ſui defenſione agitari audiret, Electores ſubornabat, qui lite- 17. Nov.
ris ab hoc inſtituto eosdem dimoverent; velut ea neutralitas & peculiaria fœdera legibus Imperii pacique Pragenſi adverſarentur, malique exempli forent. Ab eo conventu Gallaſius, inde Legati Cæſarei Curtius Comes, & Soldnerus poſtulabant, 19. Dec.
ut ſedecim millibus de Gallaſiano exercitu per eum Circulum hoſpitia præberentur. Id quod Depu- 21. Dec.
tati Ordinum abnuebant, à Superioribus nihil in mandatis ſibi datum excuſantes, neque antea Cæſareis literis tale quid inſinuatum: eoque id utique ad Superiores ſuos referendum. Non obſcure tamen innuebant, nullo modo eam hoſpitationem ſibi ferendam. Tum poſtulabant, ut in futuris de pace tractatibus ejus Circuli deſideria audiantur, ac paci maturandæ Cæſar excluſis Ordinibus veniam promulget. Quæ quidem Cæſari parum grata erant. Nec eo minus tamen Cæſarei miniſtri Saxones in Succos incitare laborabant, exaggerantes cumprimis nuperam Pfuhi cis Albim excurſionem velut eo ſpectantem, ut totus Succorum exercitus eo principio per agrum Luneburgicum & Brunſuicenſem hibernaret. Quia tamen iidem à Dano & Georgio Duce, queis arma in manibus, hiberna Cæſareo militi ægre obtentum iri videbant, id agebant, ut hos quidem pecunia emungerent, & militem per reliquorum Ordinum ditiones diſtribuerent. Contra Banerius ad eundem 3. Dec.
conventum literas dat, quibus mala Pragenſi pace orta demonſtrat, per quam factum ſit, ut ſocii ſacrorum, & queis eædem ſalutis rationes ferro in ſua invicem viſcera ſtricto hoſtibus communibus gratum ſpectaculum exhibuerint. Simul monet, ne ad parem furorem abduci ſe patiantur, ſed ad pacem potius conſilia referant, vetere cum Succis amicitia inſtaurata. Quæ ideo à ſe ſignificari, ut norit, quid ab ipſis expectandum ſibi ſit, quo & ſua per inſtantem expeditionem conſilia rite attemperare queat. Gemina per literas Salvius, & mox 10. Dec.
Avauxius ingerebant. Quæ literæ Cæſareorum 11. Dec.
conatus non parum turbabant, & præcipue quia Daniæ Regi reſponſum Banerii ſuper neutralitate Georgio Duci concedenda fere ſatisfecerat. Eoque conventus iſte in decimum ſextum Januarii diem prorogatur, diſcutiendis Cæſareorum poſtulatis. Melius tamen hiſce conatus ſucceſſerant apud Superioris Saxoniæ Ordines, qui in conventu Lipſiæ habito, autoritate Saxonis & Brandeburgici Electorum inducti ſunt, ut centum viginti menſes

1638. Romanos, quos vocant, in usum Cæsarei & Saxonici exercitus solverent.

Hanovia intercipitur. §. 44. Eodem anno Ramsæus Hanoviæ improviso opprimitur, quem super eo oppido tradendo pepigisse supra memoravimus, executione variis casibus extracta. Voluerat is promisså sibi quinquaginta uncialium millia uxori suæ Edenburgi in Scotia prius numerari una cum usuris, & damno ob dilatam solutionem. Insuper postulabat, ut Cæsar certa prædia designaret, quæ sibi in pensationem danda essent, si circa donata prædia Dux Meclenburgicus dubium moveret. Sed & literas tuti itineris cavillabatur, ac duos obsides, qui ad Kingium transmittendi erant, sibi dignatione pares esse debere contendebat; nec minus interim Comitem Hanovium, & Solmensem custodia premebat. Et facile credere licet, aniam eum quæsivisse extrahendo tempori ob gliscentes Vinariensis successus. Igitur moras nectentem Moguntinus Elector, & Francofurtenses ducibus Ludovico Henrico Nassovio Comite, & Metternichio tribuno opprimere constituunt, contractis septingentis peditibus, & modica equitum manu. Hi 11. Febr. 12. Febr. per noctem Francofurto egressi summo mane Hanoviam perveniunt, cum Kintzigam flumen rustico monstrante vado superassent. Inde duplex fama est. Alii memorant apud molendinum per fossam in arcem penetratum, ac triginta, qui ibi servabant, Scotos trucidatos. Alii tradunt, subtribunum Dannerum, & quosdam oppidanorum è compacto apertis portis adventantes in vetus oppidum & arcem admisisse. Ramsæus cum plerisque præsidiariis in novo oppido tendebat, quod à veteri quidem fossa & vallo discriminatur, ut tamen duabus portis ab hoc in illud aditus detur, idemque veteri oppido plane obnoxium jaceat. Idem nihilo secius cum quibusdam ductoribus & septuaginta gregariis in domum quandam se receperat ad extremum usque se defensurus. Sed ingruente hoste femur globo trajectus vivus in hostium manus incidit. Ita ignobili modo tanti momenti 11. Mart. oppidum amissum. Ramsæus è vulneribus paulum recreatus Dillenburgum abducitur, ubi exasperatis in ipsum vicinorum animis duræ custodiç inclusus vitam finiit.

Dux Bernhardus denuo Rhenum versus movet. §. 45. Eodem anno Bernhardi Vinariensis Ducis successus Suecorum rebus non exiguum levamentum præbuere. Is sub finem Superioris anni in vallem Delispergensem, quæ Prætulatus Basileensis pars est se conjecerat, copiis refectis denuo transitum Rheni tentaturus, utut Gallica auxilia plane destituerent. Cum enim Rex suis ob hiemem, si qui discedere vellent, liberum fecisset, nemo plane istorum remanserat, ipseque ad postremum abierat Hailerius; quod omnes Galli à Rheni transitu, & quam è priorum temporum experientia metuebant, fame abhorrerent. Sed & cum Ducis ablegato Lutetiæ graviter expostulaverat Richelius, quod Galli tam male ab ipso ejusdemque milite haberentur, ut quæcunque istuc mitterentur, copiæ, in certum exitium ire censerentur. Id quod Dux ægerrime ferebat, animique sui motus sat acres apud Hailerium nudaverat. Etsi hos æstus non nihil sedabat Feuquierii adventus, & in proximum ver magnæ pollicitationes. Idem quoque Alsatiæ principatum à Rege oblatum recusaverat, pleno in præsidia imperio contentus. Sed & Gallis suspicio ex amicitia ipsius cum Duce Rohanæo culta accesserat, ne partes Hugenotorum pridem exarmatas resuscitaret, validis adhuc apud Cebennas eorum reliquiis. Quin & rumor erat, Ducem seorsim apud Cæsarem pacis tentasse vias. Tanto magis ardebat hic fortiter audendo res suas ita firmare, ut non penitus sibi deinceps à Gallorum nutu pendendum foret. Igitur quo hostem ad Rhenum in securitatem daret spargit se cum copiis in Burgundiam, aut Brissiam abitu- 18. Januar. rum. Ast mox assumtis mille selectis equitibus, totidem peditibus Rheinfeldam prætergressus Steinam procedit, non spernenda ibi præda potitus. Inde duabus cymbis, quas curribus advexerat, 20. Januar. quinquaginta pedites cum centurione in alteram Rheni ripam trajicit, quibus Seckinga, nullis copiis aut paratu bellico instructa, statim se dedit. Seckingam & Lauffenburgum capit. Pluribus ibi cum copiis transmissus Schœnbeckius tribunus id oppidum, ac Buckenam præsidio firmat. Mox ipse per eam ripam, Dux in Helvetico latere Lauffenburgum tendunt. Præerat oppido V Veickersheimius centurio, qui nullum sibi è Germanica ripa periculum metuens cum pleraque manu, quam secum modicam habebat, non nisi Helvetica ripa hostem expectabat. Ei cum Dux deditionem imperaret, nullo emisso telo pacto se pronum ostendebat. Ast interim Schœnbeckius machina, cui petardæ vocabulum, portam dejecerat, ibique irrumpens mox per pontem in alteram oppidi partem penetraverat. Ita præfectus frustra pacificendi facultatem inclamans cum milite suo in captivitatem redigitur; etsi plerique gregarii sub signa Ducis concederent. In itinere jam erat legio pedestris, cum duabus equitum turmis ad Lauffenburgum firmandum Brisaco missa. In quam statim Rota tribunus trans pontem catervam rapit, ac turmas illas plane profligat, ductoribus captis; pedites in sylvam se receperunt. Ita levi negotio Dux transitu Rheni potitur; quod hostis, frustra monente Wertano, Lauffenburgum idoneo præsidio instruere neglexerat, velut oppidani alendo militi non sufficerent; nec Dux ita cito Rheno propinquaturus esset, quin id præsentiri, ac mature satis, qui arcerent, opponi possent. In- Rheinfeldam obsidet. de Dux Rheinfeldæ obsidium circumponere instituit, quo de transitu Rheni magis sibi cautum foret. Eo fine omnes copias ex hibernis evocat, infestis tamen tantisper vallis Delispergentis aditibus, quoad adpareret, quantis cum copiis hostis in ipsi moturus esset, ut multitudini impar haberet, quo se reciperet. Rheinfeldam situ & opere munitam validum forti sub præfecto præsidium intrepida cum oppidanorum atque agrestium manu propugnabat; quos insuper spes maturi auxilii sustentabat. Simul quinque millia modiorum frumenti ibi collecta erant; quibus si Dux potiretur, id magno rebus ipsius levamento, Brisacensibus insigni damno cessurum erat. Igitur vis oppido complures per dies admovetur, cuniculi aguntur, mœnia tormentis verberantur, ac tandem per munimenta ad intimam usque oppidi portam penetratur, ut obsessi unici duntaxat asseris objectu tegerentur. Sicut intra biduum vi, aut per deditionem id capiendum foret. Inter hæc caterva equitum Tyvilam versus, & lacum Bodamicum emissa quadringentos amplius hostium hinc inde per hospitia sparsos oppressérat, & omnia circum terrore impleverat. 16. Febr.

Cæsarei Bernhardo Duci obviam procedunt. §. 46. Ista Vinariensi eo facilius peragebantur, quod ipso ingruente nullus Dux aliqua autoritate in Brisgovia, totaque Suevia adforet, Savellio tunc Vesontione apud Lotharingum agente, Wertano in Bavariam profecto. Sed fama de Vinariensis irruptione dicta Savellius per Helvetios Basileam, inde exigua cymba Brisacum revolat. Wertanus quoque propere Monachio regreditur, excito quicquid circa hibernabat copiarum, Vinariensi se objecturus. Et decretum isti initio fuerat, castris ad Villingam positis conatus Ducis observare, simul Danubium tueri, quoad omnes à tergo vires coirent. Sed cum Rheinfeldæ præfectus à

Reina-

1638. Reinachero Brisaci gubernatore subsidium anxie imploraret, vim hostis demonstrans, nec sat pulveris nitrati sibi esse; hic porro Savellio ingereret, quantum in eo oppido momenti foret: Savellius, cujus imperio VVertanus parere jussus erat, acribus hunc mandatis excitat, ut liberando oppido secum accingatur. Ita VVertanus, cum cæteræ quas expectabat legiones paucis adhuc milliaribus abessent, cum octo equitum, una desultorum, quatuor peditum legionibus Villinga movens continuato per quatuor dies noctesque itinere, apud
18. Febr. Buckenam, dimidio supra Rheinfeldam milliari, adpellit, statimque itinera, quæ Lauffenburgum ferebant, valida manu insidet, ne Dux ipse eodem se recipere, aut quas trans Rhenum adhuc habebat copias, per istum pontem ad se arcessere posset.
Conflictus ad Buckenam. Vinariensis contra adventu hostium cognito, cum mille ducentis equitibus apud Buckenam constiterat, intrepido animo hostem excepturus. Hic initio præ se ferebat, velut declinata cum Duce pugna Rheinfeldam recta tendere cuperet. Sed cum vidisset, à Duce turmas aliquot equitum quo loco iter ipsi capessendum erat dispositas, mutato consilio quatuor per horas constitit, levi tantum velitatione cum Vinariensibus commissa, quoad pedites, qui tardius incesserant, adventarent, quo spatio & Dux alam equitum & quadringentos pedites cum sex minoribus machinis ab altera Rheni ripa ad se evocat. Hostis peditatu suo jam auctus primo vicinam sylvam transibat, inde per adjunctam vallem Rheinfeldam iter sumturus. Sed cum Dux motus ejusdem accurate observans eodem frontem obverteret, Cæsarei pagum proximum, situ sibi valde opportunum, occupare instituunt. Sed præveniens Dux Hatsteinium tribunum cum peditum manu eo immiserat, qui horæ spatio hostes inde arcebat. Igitur cum isthac parte nihil se proficere animadverterent, vi tandem Ducem aggrediuntur; qui & ipse mox pedites suos è pago revocat, & istis excipiendis se parat. Primum agmen dextri cornu ducebat Nassovius Comes, qui cum sua legione ita strenue in hostem impressionem faciebat, ut quinque alas sinistri cornu, in quo VVertanus ipse curabat, in fugam conjiceret, & una cum Tupadelii & Putbusii legionibus per spatium sat amplum persequeretur. Eo conflictu Comes in VVertanum incurrens genas hujus globo perstringit; ipsius vicissim pileus à VVertano trajicitur. Tribunus quoque VVolfius aliique ductores à Vinariensibus capiuntur. Ast sinistrum Ducis cornu à dextro Cæsareorum pellitur, ubi Schafelitzkius summus exercitus quæstor, Bernoldus, & Joannes Ludovicus Erlachius tribuni, cum subtribunis Dannebergio & Erdmanno in hostium manus incidunt. Etsi Bernoldus, dum captori suo persuadet, ut Basileam deduceretur, statim libertatem recuperat. Eo conflictu Dux Rohanæus, qui tunc apud Vinariensem exercitum agebat, tres globos thorace ferreo exceperat, inde humerum & dextrum femur trajectus, cum jam ab hostibus abstraheretur, per Vinarienses iterum liberatur; paulo post tamen è vulneribus extinguitur. Peditatus denique Vinariensis equitatu utrinque nudatus à Cæsareano pedite, quem duæ equitum alæ fulciebant, turbatis ordinibus pellitur, duobus minoribus tormentis ereptis. Enimverò dum hostis sinistrum Vinariensium cornu persequens è Buckena arce sclopetariis Vinariensibus infessa acriter excipitur, simul alii circa diripienda horum impedimenta occupantur, Duci spatium dabatur copias suas colligendi, & retro Buckenam disponendi. Unde impetu iterum in hostem facto aliquot ipsi signa eripit; amisso tamen equitatus sui duce Joanne Philippo Rheingravio, qui ab hoste circumventus, dum oblatam vitæ veniam adsper-
1638. natur, cæditur. Hostis vicissim & ipse dispersas turmas patrocinante peditatu colligit, & advesperascente die occasionem arripit Rheinfeldam penetrandi, quam milite & paratu bellico firmat. Ita pari fere Marte pugnatum; nisi quod Cæsareani Rheinfeldam obsidio liberaverant, qui expeditionis istius scopus fuerat. Unde & Savellius successus suos longe ultra verum apud Cæsarem aliosque passim vulgans effecerat, ut quibusdam in locis supplicationes velut parta victoria haberentur. Vinariensis cum videret, hostibus accessum Rheinfeldam patere, in Helvetica ripa obsidium solvi, 19. Febr. & tormenta cum peditatu, & qui ibi supererant equitatu Lauffenburgum movere jubet. Eodem & ipse tendit, perruptis binis angustiis ab hoste infestis, ad quarum alteram ex hoste, postquam horam amplius sustinuisset, complures cæsi, centum quinquaginta capti. Sic hostis hoc & superiore die quadringentos, Vinariensis centum quinquaginta fere desideraverat. Hic apud Lauffen- 20. Febr. burgum contractis omnibus copiis postridie statim retro Rheinfeldam tendere instituit. Et cum accelerando itineri Tupadelium cum equitatu per partem Sylvæ Nigræ jussisset ire, ipse cum pedi- 21. Febr. tatu & tormentis per ripam Rheni descendit, & cum isti apud Buckenam denuo se junxisset, recta in hostem vadit.

§. 47. Ast VVertanus cum Cæsareos scopum Prælium suum obtinuisse censeret, soluto ex utraque ripa ad Rhein- Rheinfeldæ obsidio, altero statim die in Sylvam feldam. Nigram abeundum judicaverat, locoque tuto considendum, & militem quiete reficiendum, quoad reliquæ legiones cum tormentis advenissent. Repugnabat Furstenbergius Comes, ne Sylva Nigra introiretur, causatus, agrestium animos ibi jam satis exulceratos, nec ad desperationem eosdem adigendos. Ita VVertani sententia repudiata, copiæ per binas noctes sub dio tertia nocte in desolatis ad oppidum vicis subsistunt. Ingruente autem 22. Febr. Vinariensi primo credebatur validam catervam explorandi causâ accedere. Mox cum totus se exercitus sub adspectum daret, animo non parum perculso ordines disponuntur. Per fruteta, quæ is Rheni ripa vestitur, sclopetarii locantur; VVahlii legio in sylva apud pagum Nollingam abditur; reliqua acies retro fossam consistit, quam & ipsam pedite impleverant. Primum Vinarienses impetum in eos vertunt, quos ad ripam Rheni arbusta tegebant; qui male multati inde exturbantur sauciato subtribuno Kellero ipsorum præfecto; quo loco duo tormenta priori conflictu amissa recuperantur. Inter quæ Dux terna tormentorum displosione hosti non parum damni dederat. Inde Bodendorfium, & Rosam tribunos cum legionibus suis equestribus, Forbesium, & Hatsteinium cum pedestribus trans fossam invadere in hostem jubet. Tupadelius cum dextro cornu in equitatum hostium, & Wahlii legionem sylva tectam tendit. Postquam acerrimam peditum è fossâ displosionem Vinarienses interriti sustinuerant, impetu in eos ruunt non prius displosis tubis, quam corporibus hostium eos admovissent, ut nullum telum frustra emitteretur. Quo conspecto reliquus hostium peditatus vacillare, & arma abjicere incipiebat. Sed & eques vix tubulis semel exoneratis fugam arripit. VVertanus equo sauciato effutus, cum alius ad manum non esset, in sylvam se ad VVahlii legionem conferebat, quingentis capitibus constantem, quæ ad extremum usque sustinebat; tandem tamen & ipsa reliquis profligatis fugam circumspiciebat, nisi Tupadelius subtribunum Lœvvensteinium à tergo isti se circumfundere cum ala equitum jussisset. Ita præclusa effugio il-

la

1638. la cum omnibus vexillis se dedere cogitur, quo loco & ipse VVertanus captus ad Vinariensem deducitur. Cladem cætera modicam id cum primis insignichat, quod vix ullus Superiorum ducum evaderet. Et occubuerant quidem Valesius tribunus, Stubenvollius, & Garthusius subtribuni, tres vigiliarum præfecti, & cum aliis ductoribus magno numero quingenti amplius gregarii pedites, equitesque. Egerus subtribunus è vulneribus paulo post obibat. Capiebantur Savellius, & Joannes VVertanus summi duces, Sperreuterus, & Enckefortius supremi vigiliarum præfecti, Neuneckius, Goltius, Hindertonius tribuni; Zellius Baro, Scharffenfellius, Rougerius, Urellius subtribuni; præfecti vigiliarum Vinarius, Antonius VVertanus ducis frater: insuper septendecim præfecti turmarum, centuriones quatuordecim, viginti duo optiones, triginta quatuor signiferi, octingenti equites, mille ducenti pedites; simul quadraginta duo equestria, viginti duo pedestria signa cum tribus tormentis. E Vinariensibus occiderant Bodendorfius tribunus, dum per fossam ad hostem irrumpit, Vorbringerus, ac Klœpperus præfecti turmarum, nec multo plures quam decem gregarii. Ejus cladis culpam VVertanus in Savellium conferebat, velut qui ipse primus fugisset, suoque exemplo aliis viam præiisset. Savellius paulo post Lauffenburgi habitu Sacerdotis, qui ad ipsum intromissus fuerat, captivitatem evadebat. Id quod velut consensu Bernhardi Ducis arguebant, qui in Gallia huic obtrectabant; quo per istum gratia Cæsaris florentem lautiores conditiones, ubi de pace ageretur, obtineret. Quod per malignitatem conflictum facile agnoscas; & suspendio luebant, qui operam effugio præbuerat, aut custodias solutius obierant. Eodem die Tupadelius præter Basileam perrumpens castello Huningano deditionem imperabat. Cui licet præfectus pronum se ostenderet, tamen pacto dimissus in navigia se cum suis conjicit, vacuumque castel-
21. Febr. lum Vinariensibus relinquit. Sed & alibi eo ipso die victoribus res prospere cadebant. Nam complures Cæsarei ductores, ac quadringenti circiter equites Rheinfeldæ hærentes cum subito accessu Vinariensis ad suos ire non daretur, conspecta suorum clade per Helvetios circuitu sumto Brisacum
Caterva Cæsareorum vapulat. evadere constituerant. Enimvero aliquot ante dies Rosa subtribunus cum caterva trecentorum equitum, quibus post ducenti fere hinc inde sparsi se associaverant, Enlisheimum missus fuerat. Hic à Duce revocatus dum Lauffenburgum retro tendit, fugam Cæsareorum conspicatus, simul de adventu catervæ Rheinfelda progressæ certior redditus, non procul Brettela hanc deprehensam partim cædit, partim in avia fugat: centum quinquaginta captivis, quos inter Furstenbergius Comes, in castra Ducis adductis.

Rheinfelda capitur. §. 48. Post victoriam Dux citra moram ad Rheinfeldæ obsidium redit, ac præfecto deditionem imperat cum minis in tergiversantem. Ac ne
27. Feb. de clade suorum dubitaret, tympanotribæ ex oppido in castra venire permittitur, qui captos duces recognoscerent. Sed cum præfectus nihilo secius novi spe præsidii sustineret, vim iterum Dux adhibet; & quod assultibus militem prodigere nollet, majoribus machinis Benfelda, & Tvvila arce-
13. Martii. ssitis oppidum quatit. Ita demum præfectus honestis conditionibus deditione facta cum suis Brisacum dimittitur. Libertatem recuperant, qui Vinariensium ibi captivi asservabantur, quos inter Schafelitzkius summus quæstor, & Erlachius tribunus. Rheinfelda capta Dux Tupadelium cum pleroque equitatu & selecta peditum manu in Sueviam Danubium versus mittit, ubi Donesching, Dutlinga, Balinga, ac vicina oppida statim imperata faciunt. Ipse cum peditatu & tormentis Rœtelam arcem petit. Cujus præfectus cum deditionem abnuisset, post quassatos tormentis muros, & propylæum arcis vi expugnatum arbitrio se Ducis permisit. A quo in furcam agi jubetur, quod cum arci tuendæ par non foret, machinas admoveri passus esset. Gregarii per cohortes distributi. Ea in arce non modica frumenti, vinique copia adservabatur, quæ Brisaco inferri debuerat. Mox Neuenburgum, quod hostis ultro deseruerat, à
20. Martii. Duce occupatum. Inde Friburgum Brisgoviæ itur, quod Escherus tribunus, militiæ vetus, valido cum præsidio ac desperata Sacerdotum, civium, atque ruricolarum manu defendebat. Heic tria suburbia adhibitis scalis impetu expugnantur,
24. Martii. nullo Vinariensium desiderato. Inde decem tormentis mœnium ruina editur, ac duo cuniculi
1. April. aguntur. Ita obsessi deditionem honestis conditionibus paciscuntur. Sed cum præfectus Escherus plura, quam quæ stipulatus fuerat, oppido secum abducere auderet, ac præcipue transfugas eorumque res occultaret; Vinarienses autem sibi debita investigare atque abripere instituerent, inscio Duce tumultus oritur in cædes demum erumpens, ac plerique gregariorum detinentur, ut Escherus cum paucis discederet, ductoribus tumultum frustra sedare, etiam cum occisione nonnullorum satagentibus. Id factum magnopere Duci displicebat, qui & in autores tumultus animadvertebat, ac detentis ad suos citra lytrum redeundi veniam dabat. Apud Reinacherum quoque Brisaci præfectum, qui graviter id factum exprobraverat, res excusatur, quod initium pacti violandi non à se, sed ab obsessis profectum esset; & noxios ulteriore inquisitione facta non impune laturos. Porro Cæsarei qui cladem effugerant, plerique Tubingam, inde metu Vinariensis equitatus Halam, Gemundam, & Norlingam se receperant, soluta plane disciplina, quod duces ipsis ac signa non superessent; ac nili novis autoramentis acceptis militiæ munia abnuentes. Sic ut rebus ibi locorum instaurandis, unica spes in Joanne Gœtzio reposita foret, qui ex inferioribus Germaniæ provinciis lentis itineribus huc movebat. Fuit & alius ejus victoriæ fructus Tvvila Cæsari se dedere abnuit. quod cum circa id tempus Tvvila inexpugnabilis arx Cæsari dedenda foret, prout inter leges Ducis VVurtenbergici restitutioni dictas conventū erat, Widerholtius tribunus arcis præfectus Vinariensis suatu VVurtenbergici mandata adspernatus, traditionem ejusdem abnueret, Suecicas partes deinceps quoque secuturum se declarans. Etsi contra Duci VVurtenbergico fixum sederet, gratiam Cæsaris malignam quantumvis amplecti, ac mutilam ditionis suæ restitutionem ambire, avulsis bonis Ecclesiasticis, & magni momenti donationibus, in Tvvilæ quoque locum Aspergæ Cæsareis relicta. Nec minus Argentoratenses duriter licet à Cæsareis habiti, spreta Vinariensis adversus se benignitate, in Cæsaris partes propendebant.

Bernhardus Dux res suas firmat. §. 49. Præclara jam occasio res Protestantium per Superiorem Germaniam instaurandi parta erat, si Gallis valido ac mature misso subsidio Vinariensem fulcire placuisset. Id quod vehementer Rectores Sueciæ apud Gallicum ministrum Holmiæ, & Hugo Grotius Lutetiæ urgebant. Enimvero lente admodum & segniter à Gallis res gerebatur, ut satis adpareret, hos quidem velle Austriacis negotium facessi; nolle tamen res Protestantium eousque invalescere, ut propria ipsi subsistere vi possint. Cum igitur Dux videret, certissimum sibi in se ipso præsidium esse, eo diligentius rerum suarum satagere, ac adversus coëuntes undique hostes se firmare instituit. Friburgi præter pedestrem legionem

1638. gionem etiam equeſtris collocatur, intercipiendis Briſacum ſubvectionibus. Lauffenburgum & Rheinfelda novis munimentis firmantur. Copias inde Dux apud Neuenburgum contrahit, conatus hoſtium obſervaturus, quo fine & equitatum è VVurtenbergica ad ſe iterum revocat. Ubi Roſa tribunus quinq; dimacharum cohortes, & octoginta pedites apud Gæppingam oppreſſerat, ut pauci admodum cædem ac captivitatem effugerent. 22. April. Tandem expoſtulatum diu, ac promiſſum è Gallia auxilium adeſt quinque legionibus conſtans, quæ tria capitum millia explebant, ſub Guebriani Comitis ductu. Sed & poſt victoriam ad Rheinfeldam magna copiis ipſius acceſſio facta erat, ut jam ad quindecim millia adſcenderent; è quibus ter mille quingenti per præſidia ſpargendi fuerant, ſex peditum, quatuor equitum millia quingenti in expeditionem educi poterant, ſelectus ac veteranus fere miles. Hoſte appropinquante ſtipendia ſuis Dux diſtribuit, ut per pecuniarum oſtentationem transfugas ad ſe pelliceret. Erlachius quoque Lutetiam mittitur, ut plus militum ac argenti à Rege peteret. Qui paulo ante Milleræo miſſo poſtulaverat, Savellium & VVertanum captivos ſibi tradi, ut clari nominis ducibus oſtentatis populum, quem dudum belli tædebat, alacriorem redderet; & quod fortaſſe locus non ſatis tutus in Germania iis cuſtodiendis foret: hac tamen lege, ut iidem Duci reſtituerentur, ſi cum aliis captivis eos permutare, aut lytro redimendos dare placeret. Abnuere placitum Regis Dux non poterat, rogans tamen, prout militares viros decet iſti haberentur, neu Lutetiæ ſpectaculo forent. In Savellii locum, qui cuſtodiam evaſerat, Enckefortius mittitur. Etſi VVertanus valde deprecabatur, ne in Galliam mitteretur; ac Guſtavum Hornium ſecum intra paucas ſeptimanas permutatum iri pollicebatur. Necaliter quam vinctus, & per violentiam currui imponi potuiſſet, ni confirmatum fuiſſet, ipſum in Ducis poteſtate permanere, ac operam datum iri, ut pro Guſtavo Hornio libertati reſtituatur. Eodem quoque Dux capta ſigna mittit, quæ Lutetiæ in ſumma æde ſolenni cum pompa ſuſpendebantur.

Wertanus & Enckefortius in Galliam mittuntur.

Gœtzius advenit.

§. 50. Interea Cæſareæ ac Bavaricæ legiones, quæ hactenus apud Lotharingiæ Ducem circa Mumpelgardam, aut in Superiore Suevia, ac paſſim hæſerant, Gœtzii copiis junctæ per Dutlingam ingruebant, ac jam excurſorum catervæ velitationes miſcebant, ut ad decretoriam pugnam res ſpectare videretur. Sed Gœtzio magis cordi erat Briſaco fame laboranti annonam inferre, Offenburgo immiſſis ducentis ſclopetariis, & quingentis farinæ ſaccis, antequam Vinarienſis accurrere poſſet. Quo facto Gœtzius repente recedebat, velut tranſito apud Philipsburgum Rheno in Alſatiam penetraturus, ac ejus provinciæ meſſem Briſaco illaturus. Contra Dux ut hoſti undique occurrere poſſet, apud Neuenburgum ponte navali Rhenum inſtraverat; ſimul duas equitum legiones in Alſatica ripa aditus Briſaci claudere jubet; ipſe in Brisgovia totum exercitum oppido eminus circumfundit. Eodem die quatuordecim milites, tenuem quo alebantur cibum gravati, Briſaci noctu in granarium furandi cauſa irrepſere candelis è ſulphure paratis, quas fune ardente accendere poſſent, ubi intro penetraſſent. Diſpoſita ibidem erant octoginta pulveris bellici dolia, quorum unum dum curatius inſpicere volunt fures, gutta ardentis ſulphuris illabitur. Unde emicans repente flamma totum granarium, quo quadringenti medimni frumenti, ac medicamentorum vis aſſervabatur, diſjicit, quadraginta inſuper vicinis ædificiis quaſſatis, ac non paucis hominibus eliſis. E funibus duodecim pulveris afflatu periere; duo ſuperſtites cum factum omne narraſſent, laqueo necantur. Quj caſus jam antea ſat malignam oppidi annonam non parum afflixit.

Briſaco annonam infert. 19. Maji.

11. Maji. Granarium Briſaci petit.

1638.

§. 51. Gœtzius omiſſo Rhenum transeundi conſilio, in citeriore ripa iterum Briſacum verſus adſcendit, ac luſtrato apud Stolhofiam exercitu, ſex peditum, octo equitum millia invenit, veteranum & egregium militem, ſed quem inopia ac fames vehementer urgebat; cujus præcipua cauſa penes immenſam colluviem calonum ac lixarum erat, qui octoginta millium numero exercitum ſequi ferebantur. Adverſo flumine trahebatur vis frumenti Briſacum deſtinata. Et in mandatis habebat Gœtzius iſti oppido ſubvenire, ſi vel totius exercitus jactura eſſet facienda. Contra Vinarienſis ut Briſacenſium excurſiones in Alſatiam inhiberet, qui nuper Colmarienſium armenta abegerant, 8. Junii. Neuenburgo duo navigia ſecundo Rheno dimittebat, machinis ignivomis plena, Briſacenſem pontem iisdem diſjecturus. Sed eorum unum tormentis perforatum ſubſidebat, alterum concepta flamma oppido nonnihil damni dabat ponte illæſo. Sed cum hoſtis Kentzingam perveniſſet, Vinarienſis 8. Junii. copias ſuas Briſaco circumpoſitas Neuenburgum retrahit, quod nondum munitis caſtris, aut commeatu provifo inter Briſacum & hoſtem medius includi nollet, nec adhuc legiones ſuas in unum coëgiſſet. Ita Gœtzius Burckenam usque progreſſus 9. Junii. denuo quadringentos farinæ ſaccos Briſaco immittit, ac ſtatim Ottersheimum ac Meiſſenheimum recedit. Dux contra contractis jam omnibus copiis in Gœtzium circuitu per Friburgum facto vadere conſtituebat. Quod cum ſenſiſſet Gœtzius, 12. Junii. raptim Briſacum movet, ibique Rhenum tranſit, 14. Junii. præſidiorum in Alſatia, ac præcipue Benfeldenſium meſſem corrupturus. Aſt Dux Tupadelium cum ſeptem legionibus apud Neuenburgum in hoſtem ire jubet, certus ſi hoſtis circa Benfeldam ipſum expectaret, cum reliquis copiis eodem ſequi, ac prælium tentare. Sed Gœtzius haut multum ibi moratus, urgente ac carpente Tupadelio Druſenheimum cedit, ubi extructo navali ponte cis Rhenum redit, eo itinere nongentis militibus 7. Julii. deſideratis. Eum cum ſemper Briſaci cura coqueret, ab Argentoratenſibus poſtulabat, ut quod navibus erat impoſitum frumentum per ſuos nautas eo convehi curarent: ſed qui ſtudium ſuum in neutram partem propendendi excuſabant. Interea 4. Julii. Dux Neuenburgo ſe iterum Friburgum contulerat, & explorandi cauſa cum aliquot equitum legionibus, ac mille quingentis peditibus Offenburgum verſus progreſſus erat, Mahlberga arce occupata, & præſidio munita, ac trecentis equitibus per Canoſkium apud Stolhofiam oppreſſis. Quo facto Friburgum ſe recipit, Croatis fruſtra VValdkircham usque inſequentibus; cui adſitam vallem Vinarienſis equitatus inſederat, cum Gœtzii exercitus Gengenbacum, & Haslacum ad vallem Kentzingenſem usque proceſſiſſet. Per complures ibi dies uterque exercitus hærebat, nulla re præter modicas velitationes tentata. Sed cum Henricus Turennius Vicecomes è Gallia ſexcentos equites, mille trecentos pedites Duci ſubſidio adduxiſſet, huic decretum erat in conſpectu hoſtis Kentzingam oppidum invadere, ac ſi Gœtzius ei ſubvenire vellet, prælium tentare; quod cognoviſſet Savellium adpropinquare, ut Gœtzio junctus Briſaco frumentum inferret, Vinarienſem obſiſtentem vi repulſurus. Igitur Dux Langendentzlingæ lu- 27. Julii. ſtrato exercitu recta Kentzingam tendit, ac prope id oppidum conſidet, equitatu Mahlbergam præmiſſo. Sed Gœtzius interea omiſſo vallis Kentzingenſis oſtio, Offenburgum, inde VVilſtadum re- 27. Julii. ceſſerat:

Mutui Ducis Bernhardi ac Gœtzii conatus.

1638. ceſſerat: ubi Savellius cum tribus militum millibus ac aliquot centuriis curruum annona onuſtorum ipſi jungebatur. Unde ambo ſtatim iterum Offenburgum vertunt, ac nocte ad cœnobium Schutteram conſident. Eodem & Dux tendit, ac per præcurſores primam hoſtium ſtationem profligat. Hoſtis opportuno ac celſo monte conſederat, unde in ſubeuntes Vinarienſes fulminabat modico damno, Duce non ſegniter reſpondente; ſed & ſclopetarii eminus jaculabantur. Hoſtis eo die centum quinquaginta, Dux viginti deſiderabat, triginta ſauciis: Galli tunc hoſtem duabus ſtationibus dejecerant, octoginta cæſis, ac primo ſucceſſu arridente in ipſum montem ad hoſtem eniti ardebant, ni Dux inconſultum impetum attinuiſſet, ne manifeſto ſe periculo exponerent, nullo ad ſummam rei fructu. Ubi paulum ſubſtitiſſet Dux, & hoſti pugnandi animum non eſſe intelleXiſſet, retro ad Mahlbergam exercitum reducit. Pariter & hoſtis relicto monte dextram verſus ſecundum Rhenum iter inſtituit, Briſacum cum annona perrupturus.

30. Julii. §. 52. Sequenti die cum hoſtem prope VVittevveiram proceſſiſſe per exploratores Dux cognoviſſet, & ipſe properans circa meridiem eodem pervenit. Hoſtis id præſentiens jam campum inſtructa acie occupaverat, cum contra Duci ſylva, ac pons inter profundam utrinque, ac ſentibus obductam foſſam tenuato agmine eſſet tranſeundus, ubi Cæſareis facile fuiſſet iter ejus ſiſtere aut morari. Sed cum nemo obſtaret, citra moram copias cum tormentis traductas ante ſylvam in aciem diſponebat, ſuos continens, ut æquata fronte, ac uno impetu hoſtem invaderent. Circa primam à meridie horam machinis certari cœptum, initio à Vinarienſi facto. Poſt dimidiam horam tota vi concurritur. Per ſiniſtrum Ducis cornu, in quo Rota Naſſovius Comes, & Putbuſius conſiterant, dextrum hoſtium cornu haut magno negotio repulſum proprio peditu impingebatur; ubi hoſtis non parum damni ſenſit, ac ſtatim peditum pars fugam arripere cœpit. Sed dextrum Ducis cornu, quod Tupadelius curabat à ſiniſtro hoſtium, ubi validiſſimæ legiones conſtiterant, ad ſecundam aciem retro pellebatur, quam Canoſkius tribunus adminiſtrabat; qui pulſos ſuſtinebat, & in Cæſareos ita acriter ruebat, ut ipſi ſubſidia circumſpicere neceſſum haberent. Interea & apud pedites ad manus perveniebatur, ubi Cæſarei tubos prius diſplodere nolebant, quam Dux cominus immiſſis catervis eos laceſſiſſet. Poſt emiſſos globos pes pedi collatus, ac tandem inverſis tuborum ſcapis capita mutuo contuſa. Hoſtis Duci tria tormenta majora, quatuor minora eripiebat, ſed ſine globis & pulvere: contra Dux omnibus Cæſareanorum tormentis cum toto paratu potiebatur. Unde hoſti exiguus tormentorum captorum uſus: ſed Dux hoſtem ſuis machinis acriter premere, & fatiſcentibus laſſitudine, qui easdem tractabant, equitum robuſtiſſimus quisque iſtorum vices obibat; qui inſignem operam navaſſe ferebantur. In quintam usque horam prælium extrahebatur, nutante fortuna, veterano utrinque milite acerrime connixo. Et qui in ſecunda acie conſtiterant, omnes pugnam conſerebant; nec quisquam loco cedebat, niſi ſumma vi dimotus, ſic ut inter Vinarienſes nulla legio foret, quæ non ter aut quater conflixerit, ſemper inventis qui obſiſterent. Ad extremum tamen hoſtis campo cedit. Sed quia Vinarienſes equites ad hoſtium impedimenta diripienda effuſi ordines ſolverant, ut Dux cum ſolo peditatu ac paucis equitibus aciem teneret, hoſti fuſo non prout par erat inſiſti poterat. Unde & quatuor peditum, quinque equitum hoſtilium phalanges, etſi numeris ſat imminutis, ſe iterum recollegerant, & ad opportunam foſſam conſtiterant, quoad tenebris tectæ turbatis ordinibus pars Offenburgum, alii alio faceſſerent. Hoſtium mille quingenti amplius in loco pugnæ occubuerant, præter eos, quos Rhenus abſorbuerat. Inter cæſos erant tribuni, Stephanus Albertus, Meiſelius, Edelſtetus, & Limbachius. Captorum magnus numerus, quos inter tribunus Seneſchallus, & multi præfecti. Reliqui ita diſpargebantur; ut è duodecim bellatorum millibus, queis exercitus conſtabat, vix duo millia quingenti circa Gœtzium iterum conglobarentur. Potiebatur quoque Dux præter ſua amiſſa undecim tormentis, duobus mortariis cum omni paratu. Tria millia curruum impedimentis & annona onuſtorum militi diripienda concedebantur. Octoginta tria ſigna militaria Regi Galliæ transmittebantur. Viciſſim & ipſe Dux inter ancipitem pugnam quatuordecim pedeſtria, octo equeſtria ſigna amiſerat. E ductoribus deſiderabantur duo excubiarum præfecti VVeickersheimius & Virztumius cum nonnullis turmarum præfectis ac centurionibus, & inferiorum graduum quibusdam, ac quingenti circiter gregarii; nullo legionum detrimento, cum captivi ſtatim numeros ſupplerent. Mille amplius ſauciabantur, inter quos tribunus Rotenhanius ex vulneribus obiit. Capti ab hoſte fuerant, ſubtribunus Ruthius, ſex centuriones, duo turmarum præfecti & nonnulli alii ductores. Tupadelius dum poſt victoriam fugientibus fervide nimis inſtat, ac ſuos hinc inde dimittit; moxque velut nemo hoſtium ſupereſſet, ſolus regreditur, in conglobatam fugitivorum catervam illapſus ab iisdem abducitur. Gœtzius qui culpam cladis in Savellium conferebat, Offenburgum evaſerat; unde ſtatim inſequente nocte cum aliis ex prælio profugis Oberkircham ad anguſtias montium contendit, quibus *Knibus* vocabulum; per quas cum mille quadringentis equitibus, nongentis peditibus in VVurtenbergicam abit, concædibus viam poſt ſe claudens. Unde & Ohmius tribunus cum aliquot legionibus fugientibus inſtans fruſtra erat, dum Oberkircha capta Cæſareorum neminem deprehendit.

Prælium ad Wittevveiram.

§. 53. Inde Vinarienſis Kentzinga oppido ac Lichtenecca arce potitur, cujus præſidiarii numero ducenti, etſi venia abeundi conceſſa, ultro ipſius ſacramento accedebant. Burckenam, Sponeccam, caſtellum ad Druſenſteimum, inſulamque ad Rheinaviam hoſtis ultro deſerebat. Briſaco parum annonæ ſupererat, quæ vix per Auguſtum menſem ſuffectura credebatur, & ſi in ſingulos milites non plus quam libra inſipidi atq; avenacei panis diſtribueretur; pecoris aliquantum, ſalis nihil fere erat. Ita ſub finem Septembris deditio ſperabatur. Reinacherus tamen inopia diſſimulata fiduciam oſtentare, parce omnia diſpentare: ſimul quindecim centurias eorum, qui in oppidum refugerant, aut armis tractandis inepti erant, ejicere, queis Helvetii refugium præbebant. Aſt Vinarienſi ſatius videbatur Briſacum tam propinqua ſpe expugnationis premere, quam per vaſtatas late regiones hoſtem perſequi. Eoque ſtatim copias oppido admovet, totoque Auguſto menſe caſtra munit, ac idonea loca caſtellis firmat. Etſi opera iſta non parum remoraretur febris, quæ Ducem ac plerosque Superiores ductores invaſerat, qua inter alios Putbuſius tribunus extinguebatur; cujus curandæ cauſa Dux Colmariam ſe deferri juſſerat. Morbum corporis non parum augebat ægritudo animi, quod apud Gallos non ea ipſius haberetur ratio, quam & merita & tempora ejusdem exigebant, ac tam parce ſibi ſubveniretur. Unde & per impatientiam amicis

Briſacum arctius claudicur.

1638. amicis ſcripſerat: ſe ſi Turcis militaret, plus fidei reperturum. Equidem metuebant Galli ſtrenuum ad fines ſuos Principem Germanum, & Proteſtantem; quod tamen multo ſatius erat, quam Auſtriacos habere vicinos, & hoſtem intra Galliæ viſcera, quod hactenus Ducis virtus prohibuerat. Sed multa tunc in Gallia peccabantur, peccarique neceſſum erat, dum is, qui cunctis præſidebat, miniſtris multa delegaret, qui aut res non ſatis intelligebant, aut ſua admiſcebant ſtudia, ſive religionis, ſive privati honoris, aut commodi. Quos inter Pater Joſephus occulto in Bavarum favore rebus Proteſtantium non parum nocebat, quem tamen ſub finem anni mors rebus humanis eximebat: nonnullo eorum damno quibus vivus obſtiterat, quod aliquot ſe pejores in negotiis reliquiſſet. Fuerat is Monachus habitu, ſed altiſſima ambitio ſuberat purpuram Cardinalitiam invadendi, quam ſubruendis Sueciæ atque Proteſtantium in aula Gallica emolumentis promeritum ibat; arcanis Regni ſecundum Richelium tractandis negotioſus, cum mundanas res ter ſolemni voto abjuraſſet. Interea hoſti ſpartas colligere copias maximus labor fuerat, ut ſi qua poſſet via pandi, Briſacenſium inopiæ ſubveniretur. Jamque novem legiones ſub Horſtio ſupremo excubiarum præfecto coiverant, quæ ope rureſtrium Reinoldum Roſam tribunum, qui cum ſuis per Waldkirchenſem vallem hoſpitabatur, opprimere, viamque ad oppidum aperire conabantur. Sed Roſa re mature animadverſa ita ſtrenue obviam ibat, ut agreſtibus è caſtello apud vicum à Divo Petro dictum ejectis, per primum ſuorum agmen centum equitibus conſtans, omnes Horſtii legiones in fugam daret, (quæ tamen vix ſeptingenta capita implebant,) ut niſi nebula effuſos texiſſet, nemo evaſurus videretur. Eo conflictu ducenti Cæſareorum oppetebant. Paulo poſt idem alias duas hoſtium catervas pulſabat, cæſis inter alios duobus turmarum præfectis. Inter hæc trecenti Croatæ, ſingulos frumenti ſaccos equis vehentes repente ex Alſatia per pontem Briſacum intrant, ac repoſitis ſaccis ſtatim per oppoſitam portam iterum erumpunt tanta celeritate inter duo caſtra elapſi, ut ſiſti nullo modo poſſent, & non niſi quatuor deſiderarent. Landavia iſti curſum noctu diuque properaverant, ut nuntios de ſe præverterent. Ita ad paucos dies oppido panis ſuffectus. Unde Dux è morbo nondum ſatis recreatus ita omnes aditus obſtruebat, ut nulli cateruæ deinceps penetrare daretur; nec ruſticis amplius irrepere liceret, qui hactenus ſubinde quædam furtim importaverant; quorum duo ſale onuſti in conſpectu oppidi ſuſpendebantur. Hinc primum inter exteriora Briſaci caſtella Rheno adſitum impetu expugnatur, cæſo intus centurione cum quinquaginta peditibus.

Cæſarei pelluntur. 4. Sept.

7. Sept.

10. Sept.

Croatæ Briſaco frumentum inferunt.

13. Sept.

17. Sept.

§. 54. Interea paſſim ab hoſte miles excitatur, ac jam Lamboius cum quinque equitum, duabus peditum legionibus (quinque millia capitum fere explebant,) è Belgio adventans, apud Hœchſtam Mœnum tranſierat, Gœtzio, qui Villingam inter & Rotvvilam tendebat, ſe juncturus, qui & ipſe quatuor peditum millia, octingentos cataphractos contraxerat. Et jactabant Cæſarei duces, Briſaco eſſe ſuccurrendum, ſi vel pluribus exercitibus internecione foret pereundum. Vinarienſem contra non modicæ difficultates circumſtabant. Nam nec Gallis in Lotharingia res proſpere ſuccedebant, Blamontio & Eſpinali, aliisque locis à Duce Carolo recuperatis, ut metus eſſet, ne iſte ex eo latere ingrueret. Et Batavi poſt varia damna accepta mature militem in hiberna deduxerant; unde Lamboio ſpatium erat datum cum copiis ſuis in ſuperiorem Germaniam abeundi. Simul crebræ

Cæſarei Briſaco ſuccurrere moliuntur.

22. Sept.

equorum mortes jam bis mille equites ad pedes deſcendere coëgerant. Et plerosque ductores morbus adhuc tenebat; Schafelitzkio quoque Quæſtore à Croatis apud Neuenburgum intercepto. Decreverat nihilominus Dux ad Briſacum ſubſiſtere, & ſi hoſtis ingrueret, denuo prælii aleam tentare. Quo fine caſtra operibus magis firmat, ad juſti fere oppidi inſtar ædificiis adornata. Et inter utraque caſtra, quæ ſupra & infra oppidum extruxerat, loricam ducit, foſſa palisque munitam, interjectis caſtellis & reductibus, ut niſi valido aſſultu perrumpi non poſſent. In altera ripa aditum pontis valida ſtatio obſervabat, ne qui illic in oppidum irrumpere poſſent. Supra oppidum ponte navali Rhenus ſtratus erat, ut hinc inde copiæ auxilium ſibi ferre poſſent. Tum ut eo minus diſtraheretur miles, Kentzinga mœnibus nudatur: Friburgum ejectis incolis, quibus diffidebatur, paucis Gallis cuſtodiendum datur: utrumque præſidium in caſtra receptum. Gœtzius autem cum quinque circiter millibus media Sylva Nigra conſederat, Lamboium præſtolatus. Ei diſcors Savellius, ac culpam cladis ad Wittevveiram in iſtum viciſſim devolvens, circa Landaviam ac Weiſſenburgum hærebat modica cum manu, & quam quotidianæ defectiones magis adhuc attenuabant. Aſt Lotharingiæ Dux mille quingentis equitibus, bis mille peditibus ſtipatus, veterano & ſelecto milite, Thannam proceſſerat, aliquot centurias ſaccorum Briſaco immiſſurus. De cujus adventu cum Vinarienſis Colmariæ ex captivis cognoviſſet, etſi nondum à morbo ſatis recreatus, ac multa jam de hoſtibus trans Rhenum fama in hunc velut proximum recta ire conſtituit, pugnam tentaturus, antequam reliqui junctim impetum darent. Igitur eadem veſpera cum Roſa tribuno, & quinque equitum legionibus ad S. Crucis Fanum procedit; & quia ex interceptis intellexerat, hoſtem de ipſius adventu nihil ſuſpicari, cavet, ne iſti de ſe nuntius venire poſſet. E caſtris ad Briſacum Naſſovius Comes cum duabus equitum legionibus, ſexcentis ſelectis peditibus, ac quatuor machinis arceſſitur, qui & ſequenti die adeſt. Hac cum manu ſummo ſilentio & circumſpectione Dux Enſisheimium, inde multa adhuc nocte in patentes ad Thannam campos, à bobus dictos pervenit, & pone vicum ſe tectum tenet, quoad hoſtes propiùs ſubiiſſent, ac tunc diſpoſitis in aciem copiis ſe oſtendit. Poſt pauca hinc inde diſploſa tormenta ſtatim concurritur. Ac initio quidem Lotharingicus eques ſtrenue pugnare, nec à peditatu ſuo divelli. Sed cum Roſa tribunus cum aliquot alis Vinarienſis juſſu è transverſo impreſſionem faceret, Lotharingici cedunt; quorum magna pars in veſtigio trucidatur, cæteri palantes diffugiunt, quos Naſſovius Comes inſectatur. Eo impetu etiam quinque hoſtium machinæ in poteſtatem rediguntur, cæſis qui eas tractabant, & fractis inſtrumentis quibus onerari ſolent. Sed pedes Lotharingicus rem fortiter gerere, ac ſua tormenta recuperare, etſi ob corruptū inſtrumentum ac incenſum pulverem nulli uſui. Et quanquam Roſa, ac Wittersheimius tribunus cum equitatu acriter in eos impetſi darent, objectu ſariſſarum vim eludebant. Nec Vinarienſis pedes numero lōge inferior quid promovebat. Igitur Vinarienſis omni ex parte tormentis in eos fulminat, quæ licet non modicā ſtragem darent, impediri tamen non poterat quo minus integris ordinibus ſylvam attingerent. In qua demum ſoluti in diverſa faceſſiunt. Quos Roſa tribunus ad alteram uſq; diem lateri eorum imminens carpebat; multique ſaucii aut feſſi obortis imbribus per ſylvam procubuerant. Vinarienſis ne ſuos nimis fatigaret, & quia de adventu hoſtium trans Rhenum nuntius venerat ſatius ducebat parta in præſens vi-

Lotharingiæ Dux vapulat.

1. Oct.

4. Oct.

5. Oct.

6. Oct.

1638. ctoria adquiescere, & nonnullis hostium centuriis effugium indulgere, quam summam rerum negligere. Amiserat Lotharingus eo conflictu omnia tormenta; viginti signa equestria, equitatum fere omnem, ac multos egregios ductores, magnam peditatus ac impedimentorum partem. Capiebatur Bassompetra rei tormentariæ, Mercius summus excubiarum præfectus, tribunus Vernierius Fleckensteinius subtribunus. Iptum Lotharingum undiq; jam à Vinariensibus circundatum robur equi Hungarici, quo vehebatur, eripiebat. E Vinariensibus Wittersheimius tribunus postremo in pedites impetu occubuerat; sauciabatur Nassovius, & præfectus turmæ Witgensteinius Comes.

Brisacum arctius premitur.

§. 55. Prælio confecto intelligit Vinariensis auxilia Gallorum dudum promissa Ensisheimum pervenisse, simul hostem ante castra ad Brisacum se ostendere. Igitur citra moram assumtis Gallis in castra sua ad Brisacum redit; ubi cognoscit, hostem aliquot per dies ante ista hinc inde vagatum, parum alacritatis exseruisse, animo ob cladem Lotharingicam fracto. Qua cunctatione hostis Dux ad castra magis firmanda utitur; ac inde cum equitatu trans Rhenum regreditur. Et quia Lotharingus pedites suos, ac quadringentos equites circa Thannam iterum contraxisse nuntiabatur, ne fortasse auxiliis è Burgundia adscitis, aut Savellio sociatus denuo quid ea parte tentaret, & quia copias utrinque divitas habere molestum erat, castellum ex altera Rheni ripa ponti objacens vi expugnat unius duntaxat militis jactura. Inde octo juga pontis dejiciuntur. In id castellum Brisacenses per continuos aliquot dies frustra detonabant, quoad Schmidbergius, cui ejusdem tutela obvenerat, falciculis & excitata subito lorica adversus ictus se texisset. Inter quæ à Reinachero scriptæ ad Goetzium literæ intercipiuntur: non nisi in biduum panem superesse, carnes in pauculos dies: magnam militum partem extinctam, dilapsam, aut ægram, superstites animis infensos. Tempus auxilio destinatum dudum præteriisse; ad extrema perventum, se tamen parem cum Hermansteinensibus patientiam præstiturum. Eam necessitatem cum Goetzius aliis ex literis intellexisset, serio ad liberandum Brisacum accingitur, & omnibus cum copiis accedit, velut tribus locis castra Ducis invasurus, Britacensibus interim in dispositas equitum stationes incassum fulminantibus. Sed Goetzius vix paucis eminus majoribus machinis exceptus, pedem statim referebat.

Goetzius Brisaci liberationem tentat.

13. Oct. Sequenti die ante lucem ortam, castellum in celso monte situm, unde in tota castra despectus Mosero tribuno infestum idem opprimere conabatur, quod transfugæ nuntiassent, plerosque præsidiarios inde abesse. Sed cum Moserus in adventantes aliquot machinas disploSisset, repente iterum recedunt.

14. Oct. Hinc majus castellum medio Rheno situm jussu Ducis à Gallis ductu Charlevesii luce nondum orta expugnatur. Sed mox illucescente die tandem Cæsarei duces Goetzius, Lamboius, Hortlius, ac Schnetterus, cum frustra hactenus Vinariensem extra castra pertrahere conati essent, non minore consilio, quam vi Brisacum perrumpere tentant. Ac primo quidem viam præeuntibus aliquot rusticis, queis vada per emissarios Rheni humili tunc aqua, simul densa arbusta nota erant, castellum ad ostium fluenti à molendino dicti triginta peditibus infessum expugnatur, qui numero obruti ad unum cæduntur. Statim hinc ad castellum interiori parti navalis pontis adpositum properatur, per Leslæi tribuni socordiam sæpius monente Duce nondum sat permunitum, nec palis obseptum: quod itidem superatur, parte Scotorum cæsa, reliquis fugatis, tribuno ipso capto. Et jam Cæsarei equites per brachium Rheni, aliumque veterem alveum inter utrumque pontem navalem, castellumque majori ponti adjacens, & Ducis castra penetrare incipiunt; ut parum abesset, quin hostis majore ponte, quo primarius Rheni alveus insternebatur, potiretur, una cum omnibus navibus frumentariis, quæ ibi adstabant. Quo facto & proprio Ducis frumento Brisaci fames levata, & Dux à tota Alsatia divulsus fuisset, maximo cum dedecore, & certo exercitus exitio. Et eo majus periculum erat, quod inter hæc hostis è diversa parte in apertis camporum se ostenderet, velut castra Ducis oppugnaturus. Enimvero Vinariensis Guebrianum, quem cum Turennio & aliis proxima nocte è Gallicis castris ad se vocaverat, cum Gallis recta ad amissum castellum ire jubet, quo & Schœnbeckii atq; Hatsteinii legiones sequuntur. Duas legiones ad defensionem majoris pontis & navium frumentariarum ipse ducit; quæ statim hostium equites repellunt. Galli trecenti tantum numero, sed tertiam partem Cæsarei reducto res, summo ardore in hostem ruunt, ingenti clamore sublato, ut hosti majoris multitudinis metum incuterent, quod arbusta prospectum adimerent. Hi amissum castellum recuperant, hostibus qui intus erant cæsis, aut in Rhenum præcipitatis. Interea duæ legiones Germanicæ, licet Schœnbeckius tribunus initio statim globo trajiceretur, hostem ex altero latere ita acriter urgent, ut is terrore oppletus in fugam abiret, magno armorum numero abjecto; cui quantum ratio ferebat, per arbusta instistebatur, mille minimum cæsis. Copiæ, quæ ad castra Ducis tendebant, clade suorum audita retrocedunt. Supererat extremum castellum ad fluentum molendinarum, ultra sylvam situm; in qua diu hostis perstrepebat, velut novum munimentum excitaturus. Sed sub vesperam cognoscebatur idem ad vineas usque retrocessisse. Qui eadem adhuc nocte Friburgum versus, inde longius ibat, Brisaco interderelicta habito, nisi quod solatio jactaretur, quod Domui Austriacæ & Hispanis sat virium foret isti recuperando. Constabat tunc hostium exercitus quatuor equitum, octo peditum millibus; qui magnus pro conditione vastatæ regionis numerus erat. Unde & pabuli inopia grandes ac bene pastos equos, quos Lamboii miles è Belgio adduxerat, plane contumserat. Et glisscebat inter Lamboium, & Goetzium discordia, dum ille huic omnem culpam rei male gestæ impingit. Ast Vinariensis arctius in-

15. Oct. cludendis Britacensibus aliud castellum ad Rhenum, qua isti catenam flumini prætenderant, per Gallos ductu Turenuii invadi jubet, qui clara luce id perficiebant, licet sexaginta pedites id strenuo propugnarent, qui paucis exceptis omnes trucidantur. Eodem centum boves, & tredecim equi, quos extra mœnia in pascua compulerant oppidani, abiguntur, extremum famelicis solatium. Post quæ Dux demum literis Reinacherum monet, ne

16. Oct. ulterius deditionis moram faciat, omni spe absumta. Ille modestis verbis respondet, sibi ad extremum spiritum oppidum defendendum, nec liberationis spem nullam superesse. Goetzius interim novis è Bohemia copiis auctus circa vallem Kentzingensem hærebat, velut structo apud Stolhoviam ponte navali in Alsatiam transiturus, & illa parte liberationem oppidi tentaturus. Quibus conatibus ut obviam iretur, Vinariensis in altera Rheni ripa tria castella excitat, ut omnis aditus hosti ad pontem jam antea dejectum præcluderetur; pariter apud castra Gallorum, quæ infra oppidum sita erant, navali ponte Rhenum insternit.

§. 56. Inter hæc Lotharingiæ Dux, qui Thannæ hactenus hæserat, cognito præsidium Ensisheimi gici Ensheimum occupare. morbis imminutum oppido tuendo non sufficere, Mercium cum quingentis peditibus è nupera clade collectis mittit. Is noctu oppidum scalis admotis

1638. motis occupat, arcem, quæ ſtatim capi non poterat, lorica ab oppido ſeparat, ac duas machinas Thanna adduci curat, eidem ad deditionem cogendæ. Ac ſine dubio id agebatur, ut excito Savellio annona, quæ ex Helvetiis Vinarienſi ſubvehebatur, intercideretur. Enimvero is conatus Lotharingicis ipſis exitio vertit. Nam Vinarienſis re cognita ſtatim Roſam cum quatuor equitum legionibus, centum peditibus Germanis totidem Gallis eo mittit, qui oppido circumfuſi præfectum arcis animant, Mercioque ſi velit diſcedendi facultatem offerunt: qui ferociter ac contemtim reſpondet. Mox Turennius à Vinarienſi cum aliquot equitum centuriis loco inter pontem navalem & Enſisheimum medio conſidere jubetur, Roſæ, ſi forte Lotharingus ingrueret, ſubventurus. Aſt Lotharingus trecentos equites, qui adhuc ipſi ſupererant, multa adhuc nocte Enſisheimo immittit; qui & Roſæ excubitores interceperant, ut hic motum Lotharingicorum non prius ſentiret, quam Mercius equitibus iſtis junctis oppido excederet. Mox tamen & Roſa abeuntes inſequitur, præmiſſis qui ultimum agmen morarentur, quoad ducenti pedites accelerare gradum poſſent. Nec conſilio defuit ſuccellus, dum Mercius repellendis præcurſoribus ad ſylvam latus ipſius tegentem bis conſiſtit, ac diſploſis tubis eoſdem repellit; quo ipſo ſpatium dabatur Roſæ cum ſuis appropinquandi. Is ducentos ſuos pedites equitatu ſuffultos à fronte Lotharingum peditem impetere jubet, dum pars equitum per ſylvam à latere eundem invadit; ſimul duas equitum alas equitibus hoſtilibus immittit. Ita equites quidem ſtatim in fugam vertuntur, pedites abjectis armis ſalutem petunt. Enimvero iſtorum quidem tergis ita acriter inhærebant Vinarienſes, ut præter paucos præfectos nemo fere evaſerit. In pedites Galli ad internecionem ſævire ardebant, ut Germani ductores vix ducentis vitæ veniam impetrare poſſent, quod iſti priore prælio tam fortiter rem geſſiſſent. Mercius & tribunus Bonnevallius mature ſe ſubduxerant. Ita reliquiæ Lotharingicarum copiarum nongentis ſelectis militibus conſtantes, quos inter centum amplius ductores, deletæ. E Vinarienſibus duo tantum, idque citra vitæ periculum, ſauciati.

Briſacum in angustias redigitur. 29. Oct.

§. 57. Interea Briſacenſibus vis propius admovebatur, qui caſtellum molendino ſuo additum ultro deſerebant, molendino incenſo. Caſtellum in monte quem ferreum vocant, à Turennio impetu expugnatur, cæſis triginta peditibus, qui id defendebant; cui impoſita tormenta ſtatim in portam oppidi vertuntur, prohibendis Croatarum eruptionibus. Simul noctes dieſque tumultus excitatur, ut obſeſſi fame jam ſatis languidi vigiliis & laboribus inſuper attererentur. Hinc denuo Reinachero deditionem ſuadet Dux; Lotharingi copias deletas, Gœtzium per valles Sylvæ Nigræ ſe abdidiſſe: ne ob inanem gloriam ac pertinaciam tot innocentes fruſtra perderet: minis additis, ni rationi locum daret, deinceps militari modo habitum non iri. Aſt hic negabat, tanti momenti oppidum ab Auſtriacis deſertum iri; nec tanta ſe adhuc neceſſitate premi, quantam forte transfugæ fingant. Cum tamen equinæ carnes, ac braſſicæ, cujus magnam vim Briſacenſes in ſuis inſulis plantaverant, præcipue mentarum deliciæ eſſent, gregarii pane è corticibus querneis admixto furfure, ductores avenaceo pane victitarent, præcipua captivorum miſeria, quos neque pretio neque permutatione Reinacherus dimittere volebat; quorum jam triginta amplius fame extincti erant, obſeſſoribus eo nomine magnopere exacerbatis. Paulo poſt Gœtzius cum circa Walkircham ſe oſtendiſſet, retro in Hegoviam vertit, Sylveſtribus oppidis impetitis Vinarienſem diſtracturus. Tum & ſeptingenti circiter equites apud Stolhoviam trans Rhenum mittuntur, qui Lotharingo juncti in Alſatia turbam darent. Et Waldshutam quidem præſidio vacuam Gœtzius occupat; inde Neuenburgo, aut caſtello Huningano intercepto Rheni ſubvectionem Vinarienſi intercluſurus. Aſt hic cum majore copiarum parte Rœtelam usque obviam iſti procedit. Simul Longuevillium Ducem, qui in Lotharingia interim Savellii copiolas plane deleverat, ipſo ægre elapſo, auxilium poſcit; qui & poſt vi expugnatam Lunevillam validam manum Rhenum verſus mittebat. Etſi nullum amplius à Gœtzio periculum foret, quem Cæſar cum ignominia imperio exutum, in cuſtodiam abſtrahebat. Mox tertia vice Reinacherus ad deditionem invitatur; qui obtentu adpropinquantis auxilii eam abnuit. Et licet moneretur, ut in caſtra mitteret, qui munimenta inſpicerent, quibus omnis ſubſidii ſpes præſcindebatur, haut eo minus tergiverſari pergebat. Igitur quod ultimum obſeſſis caſtellum exterius reſtabat, à Divo Jacobo dictum, poſtremæ pontis parti ultra alveum Rheni oppido proximum, à Schmidbergio tribuno vi expugnatur, ut nil amplius reſtaret, quod portam oppidi tegeret, ni obſeſſi intimam pontis partem dejeciſſent. Sed & omnis ſpes liberationis decollabat, poſtquam Goltzius qui in Gœtzii locum Cæſareis copiis imperabat, falſo nuntio de Vinarienſis adventu territus Villingam ſe trepidus receperat: & Horſtius eodem tempore infecta re è Lotharingia ne dimidiam quidem ſuorum partem cis Rhenum reduxerat. Ut è Cæſareo exercitu vix millia ſex ſupereſſent, viribus plane attritis; quæ per Sueviam, & ad Rhenum in luberna diſtribuebantur. Jam igitur in proclivi erat Duci Briſacum vi expugnare; id quod & miles avide expoſcebat. Sed verebatur Dux, ne in cædes ac libidines effuſus, miles ignem oppido injiceret, quod integrum ſervari ipſius intererat. Et jam tandem Reinacherus fame ſubigente ſuper deditione pacifci incipit, quæ paulo poſt in has leges convenit. Permiſſum Reinachero cum tribunis Eſchero & Witzio, cæterisque præfectis & gregariis famulisque honeſto ac militari modo partim terra, partim flumine Rheno Stolhoviam uſque diſcedere, abductis ſimul duabus machinis globos octolibros ejaculantibus cum neceſſario adparatu. Captivi utrinq; permutentur, exceptis transfugis. Reinacherus omnes machinas, paratumque bellicum bona fide indicaret, nec quid cuniculorum, igniumque tectorum in oppido relinqueret; præfecto quoque Landscronæ imperaret, ut eam arcem ſtatim Duci tradat: Auſtriacorum miniſtrorum aliqui ſtatim quo vellent diſcederent; cæteris poſt duos menſes cum ſuis abire indultum, ut tamen omnia ad Archivum, ærariumque ſpectantia acta extradant; ad quæ exhibenda Reinacherus quoque adſtringebatur; niſi quod tunc auferre ſecum liceret rationes ſtructurarum militarium, & frumentariæ rei ſe præfecto habitarum. Cives & incolæ ſacris ſuis hucuſque receptis relinquerentur, intactis quoque templis & cœnobiis: integrum tamen eſſet Sacerdotibus & Monachis, ſi ultro velint, diſcedere. Cum illis, qui intra oppidum refugerunt, ex æquo & bono tranſigendum. Omnia Auſtriacorum bona, & quæ à vicinis huc illata ſint, ad militem diſcedentem, aut cives non ſpectantia Duci ex aſſe traderentur. Additum, ſi à milite quopiam privato auſu in has deditionis leges admiſſum quidquam fuerit circa res ſumma pacti capita non ſpectantes ſolum delinquentem luiturum, ſalvo, in cæteros, & inviolato pacto. In eodem tamen pacto Dux neque Sueciæ, neque Galliæ aut Fœderis Evange-

1638.

fidem deſerunt.

28. Oct.

6. Nov.

7. Nov.

19. Nov.

Briſacum ſe dedit.

3. Dec.

1638. luci mentionem fecerat; ſed omnia ſuo duntaxat nomine concluſerat. Idque eo altius penetrabat, quod cum Galli antea ipſi Alſatiam conceſſiſſent, & hic ad eandem etiam Briſacum velut Alſatiæ partem petiiſſet, id Galli denegaſſent. Qui & illud notaverant, quod Dux tam ſolicite omnes chartas ad urbem & provinciam pertinentes ſibi tradi caviſſet, velut certus de poſſeſſione. Exceſſere oppido quingenti gregarii, præter ductores; ſed gregarii plerique Reinachero deſerto, ultro ſub Ducis ſigna ſe conferebant. Qui graviter iſtum increpabat, quod ita barbare captivos habuiſſet, quos rabioſa fames in ſe mutuo dentes vertere ſubegerat. Et ſane Reinacherus, paulo ante quam obſideretur, frumentum vetus vendiderat, ſpe novum coëmendi, cujus facultas mox ei interclusa fuerat. Et illud ipſum vetus frumentum magnam partem ad Vinarienſem pervenerat, qui agreſtium ſpecie ſuos milites ad emendum ſubornaverat. Quam culpam incredibili poſt pertinacia penſatum ibat. Nec eo ſecius Reinacherus ex pacto dimiſſus, quo tamen ipſe non adeo ſancte ſteterat, & Iſaaco Volmaro Cancellario, qui contumelioſis antea dictis ſcriptiſque Duci illuſerat, cum in genua provolutus deprecaretur, venia data: cui tamen aſperrimis verbis exprobrata fuit maledicentia, & quod interceptus D. Chemnitius tam dura cuſtodia habitus foret, cujus liberationem ſe curaturum idem ſanctiſſime pollicitus eſt, inani poſt fide. In oppido magna vis machinarum & paratus bellici inventa, ſed hautquidquam id auri & argenti, quod quidam ad invidiam Duci apud Gallos conflandam publicaverant. Sed nec ea munitionum firmitas, uti opinio fuerat, deprehendebatur. Unde Duci nova ibi opera deſignantur, annonæque vis congeritur, velut in poſterum promtuarium belli hoc futurum eſſet. Exercitus poſt undecim menſium labores, ac tot prælia ſex millibus peditum auctior, quam initio expeditionis fuerat, per Burgundiæ Comitatum hiberna iumit montibus Helvetiæ vicinis, qui
30. Dec. belli incommodis adhuc intacti fuerant. In itinere Landacrona, munitiſſima ſupra Baſilcam arx deditur, cum præfecto leges deditionis Britacenſis oſtenſæ fuiſſent, quibus Reinacherus eam quoque arcem in Ducis manus conſignaturum ſe receperat; licet idem occultis notis ut imperium ſuum ne curaret, præfectum monuiſſet. Atque hæc iſto anno armis geſta.

Tractatus Gallo-Britannici præcipua capita.

§. 58. Inter hoſce bellantium labores ea togatos cura exercebat, ut bello ſubſidia, aut honeſtum exitum ſtruerent. Ad quem finem ſpectabat fœdus, quod ſuperiore anno Gallos inter & Anglos Lutetiæ delineatum, ſed paulo ſerius in Sueciam transmiſſum erat. Ejus exordio uterque Rex profitebatur, ſibi nihil aliud propoſitum, quam ſibi ſuisque ſociis tutam pacem firmare, ſuaque tueri, utque per Auſtriacos oppreſſi, & præcipue Palatina Domus in ſua reſtituantur: cui tamen tractatui tunc demum ratihabitio accedere debeat, quando Sueciæ Regina, & Belgæ Fœderati in eundem conſenſiſſent. Quibus ambagibus uterque deſtinata ſua ſecreta involvere, ac gratiam promoti boni publici captare conabatur; ut tamen ſpecioſum prætextum conventa eludendi ſibi reſervaret. Capita tractatus præcipua huc redibant. Anglus Auſtriacis eorumque ſociis nihil auxilii ferat; Gallo permittat ſex militum millia per Britanniam conducere; claſſem triginta navium bellicarum inſtruat cuſtodiendis utriusque Regni portibus & litoribus, neve mari miles paratusque bellicus ad communes hoſtes perferatur; Gallus abſque Angli conſenſu de pace aut induciis cum Auſtriacis non tractet, nec pacem concludat, niſi reſtituta Domo Palatina; viciſſim Anglus nihil in fraudem hujus tractatus paciſcatur. Ad hoc fœdus invitabuntur Sueciæ Regina, & Hollandi. Horum omnium Legati Hamburgi congrediantur, ac de ſuis prætenſionibus, & capitibus futuræ pacis quæ omnibus votis reſpondet, inter ſe conveniant. Quæ omnibus placuerunt, certum intra tempus Regi Hiſpaniæ, Hungariæque, ac Bavaro denuntientur, ut ipſorum poſtulatis ſatisfaciant. Si Palatinatum ultro reſtituant, Bavarus Electoralem dignitatem, dum vivit, retineat. Sin recuſaverint, uterque Regum in Auſtriacos bellum gerat, quoad ſcopus iſte obtineatur, ac Anglus triginta naves bellicas inſtruat, impediendæ communicationi inter Hiſpaniam & Flandriam. De pace aut induciis non niſi communi conſenſu agatur. Minutiora capita recenſere nihil attinet.

1638.

Secreta intentio circa hunc tractatum Gallorum.

§. 59. Cæterum qui penitus ſecretas ſingulorum machinationes, ac peculiares utilitates perſpectas habebant, parum aut nihil ſibi de iſthoc tractatu pollicebantur. Nam Galli quidem id maxime ſpectabant, ut hoc obtentu Anglos retinerent, ne in Auſtriacorum partes tranſirent. Ac revera non optabant, Anglos ſerio in bellum deſcendere, ſed ut neque boni quid, nec mali facerent. Unde & Avauxius Succis ſuadebat, ne ullo modo ad reſtituendum Palatinum citra exceptionem ſe obligarent; quod ipſe nulla ratione fieri poſſe judicabat. Nam ſi Angli, una cum Hollandis & Tranſylvano, in bellum adverſus Auſtriacos prorumperent, id quidem utile fore premendis horum viribus, ſed inde Romanis ſacris periculum imminere. Anglorum. Angli autem id agebant, ut Suecos bello implicitos tenerent, ac ipſi nihil ad rem conferrent: eoque ſemper Succis ſua pericula ob oculos ponebant, propriorum obliti. Cæterum nec lubido erat bellum ſumendi, nec rationes ipſorum id ferebant. Sed potius cupiebant tam pacis tractatus, quam conſilia belli moderari, & omnia ad firmitatem ſui ſtatus dirigere, adeoque progreſſus Gallorum & Hollandorum temperare; ac arbitria rerum Germaniæ ſibi vindicare. Iidem quoque Gallis, & Hollandis parum fidebant, ac hoſce non æquo animo laturos judicabant, ſi ipſi pedem in Flandria figerent. Quin minabantur, ſi à ſe oblata repudientur, Hiſpanorum ſe amicitiæ acceſſuros. Et eodem tempore, quo Hamburgi de fœdere tractabatur, Bruxellis cum Hiſpanis agebant, ſic ut jactatione fœderis Gallicani Hiſpanos terrore ad æquiores circa Palatinum negotium conditiones compellere velle viderentur; ſpe quoque inde concepta, quod Franckendaliæ & vicinis oppidis Reformata religio relicta foret; & quia durante Gallorum & Hollandorum ſocietate, quæ iſthoc Europæ ſtatu neceſſaria erat, non poſſent non Auſtriaci & Hiſpani Anglorum amicitiam affectare. Quin in ſinu gaudebant Angli, Arauſionenſi eo anno in Brabantia, Gallis ad Fanum D. Audomari arma improſpere ceſſiſſe; quod per rationes Regni ſui viderentur obligati aperte in Hiſpanorum partes tranſire, ſi iſti magnos eo anno in Belgica progreſſus feciſſent. Sed & (ſi talia dignum eſt heic memorari,) refrigerabat tunc amicitiam Gallorum, & Anglorum res non magna per ſe ſe, niſi omnia tanti eſſent, quanti æſtimantur. Apud Reginam Angliæ neque Legatorum uxoribus, neque Principibus fœminis conſidere mos eſt, contra quam apud Galliæ Reginam. Cheureuſia tamen ab itinere ſtatim Reginam Angliæ accedens velut ab itinere laſſa conſidere juſſa eſt. Diſſimularum id forte in alia foret; ſed in hac fœmina è Gallia exulante multum

1632. tum diſplicuit Legato Gallico, qui uxori ſuæ jus conſidendi à Regina popoſcit. Neq; enim æquum Legati uxorem minore eſſe honore, quam Cheureuſiam. Regina huic ſemel id datum dixit ob laſſitudinem ex itinere, nec repetitum poſtea; neque adduci ſe poſſe, ut veterem Angliæ morem immutet. Id in Galliam perſcriptum ei aulæ non ſatisfaciebat; eoque cum Legati ordinarii uxor ad ſalutandum Reginam itaret, obviam ei miſſus eſt, qui diceret, eam Reginæ non aſſeſſuram. Quæ inania licet, animos aſperabant; ſed & pellucebat Anglorum animus erga Suecos ex eo, quod Legatus Anglicus Hamburgi diceret: Suecis utique ſoli quid in Pomerania retinendum, ne gloria per Guſtavum Regem parta iterum evaneſcat, ſi poſt rupes ſuas ſe iterum occultarent. Sed initio ad invidiam declinandam in perpetuum eandem haut petendam, ſed ad quadraginta aut quinquaginta annos hypothecæ in vicem. Querebantur etiam Angli, Suecos ideo ab iſto fœdere abhorrere, quod Lutheranæ religioni, non etiam Reformatæ per pacem cautum velint. Qui & una cum Gallis in adverſis tunc Suecorum rebus id gaudebant, quod pacis non modo bonæ, ſed & tolerabilis conditiones iſtis in longum tempus perinde exiſtimarent. Hollandis denique; haut quidquam animus erat, ob incertum aut lubricum cum Anglia fœdus neutralitatem cum Cæſare infringere; quorum opera etiam factum credebatur, ne Gallia poſtulantibus id Suecis Cæſari bellum indiceret. Quin & inter ipſos, Angloſque indies magis gliſcebant odiorum ſemina, ſub repreſſaliarum ſpecie his illorum naves complures in Oceano intercipientibus.

& Hollandorum.

Rectorum Sueciæ judicium.

§. 60. Aſt Sueciæ Rectores tractatum illum pro inani ludibrio habebant. Equidem ſpecioſus erat, qui jactabatur, fœderis finis; ſtatum Europæ in juſto æquilibrio tenere ac dominatum Auſtriacorum prohibere, neque permittere, ut horum conſilia ad aliorum ruinam, & præſertim oppreſſorum in Germania Ordinum præponderarent. Ad quem finem concepta capita nonnihil quidem facere poterant, ſed quod ad ſummam rerum exigui foret momenti. Cum enim omnium æque intereſſet, Auſtriacam potentiam temperari, Sueci tamen totam prope molem ſuſtinuerant, dum alii velut otioſi ſpectatores delident; quod deinceps continuare præter rationem, & ſupra vires Sueciæ erat. Præſertim cum hæc minus quam aliæ regiones invaſionibus Cæſareis pateret, ac facillime bello ſe ſubducere poſſet, ſi amicorum commoda deterere placeret. Accedebat, quod illud fœdus fere accommodatum eſſet ad ſitum Galliæ atque Angliæ, quo reſpectu Sueciam plane non tangebat. Nec talibus mediis, quæ ibi proponebantur. Germanicum bellum geri poterat, neque reſtitutio oppreſſorum, & præcipue Palatini obtineri. Erant quoque ſuſpecta Suecis illa verba, queis ambo Reges initio tractatuum ſanctiſſime teſtabantur, neutri propoſitum eſſe aliud, quam propria tueri imperia, velut hoc modo Suecis prætenſionem expenſarum nomine præcindere, & adeo Pomeraniæ adipiſcendæ ſpem adimere vellent.

Negotiatio ſuper fœdere Anglicano.

§. 61. Quanquam igitur Sueciæ Rectores de iſthoc negotio nihil ſperarent, haut quidquam tamen tractatio ſuper eodem repudianda videbatur, declinandæ offenſæ, & quia ad famam favoremque id facturum erat; contra ſi negotium exitu careret, invidia in alios devolvenda. Quo fine Salvio mandata Hamburgum mittuntur, ut ſuper eo fœdere tractatus ſuſcipiat; ac præcipue ut articulos Pariſiis delineatos, ad Sueciæ conditionem aptari curet, ac ut proportio inter commoda & onera ſociorum obſervetur. Cum miniſtri Anglici Henricus de Wyck, & Joſephus Averius fiduciarias Salvii literas ſufficientes judicaſſent, proponebant, ut ipſe & Avauxius abſque Hollandorum miniſtris tractatus ſecum ſuſciperent. Id quod Avauxius abnuebat; frigide hoc de negotio locutus, velut id parum ſibi cordi foret. Unde Anglici miniſtri cum ſolo Salvio tractare cupiebant: id quod hic repudiandum non judicabat; quod Sueciæ cum Gallia & cum Hollandia peculiares tractatus forent. Enimvero oſtendebat, media in deſignatione Pariſina propoſita ſcopo non ſufficere; & ſi ſerio ab Anglis res agatur, alia conſilia eſſe capeſſenda. Aſi Angli excuſabant, nihil aliud ſibi in mandatis datum, quam quod Pariſinis articulis contineretur. Qui cum Gallos quoque Hollandoſque ſpectarent, fruſtra Salvius cum Anglis ſolis agi cenſebat. Eoque ab Anglicis poſtulabat, ut Hollandos incitarent ad Legatos ocyus Hamburgum mittendos. Adpellebat poſt Hamburgi ab Angliæ Rege miſſus Thomas Rovvius Legatus. Aderat quoque Hollandorum in Dania Reſidens Crocovius; ſed qui neque ſolidi quid in mandatis videbatur habere, neque tale quid ab Anglo expectare. Ac iſte quidem una cum Avauxio tempus tantum extractum ibat. Contra Anglus rem cito confici urgebat, non obſcure jactans, niſi negotium heic ſuccedat, aliam ſibi conſiliorum viam eſſe ineundam. Idem Gluckſtadium profectus Regem Daniæ ad commune fœdus invitabat. Sed qui negabat in partes à ſe deſcendi poſſe, mediatoris munus obeunte. Proponebat inde Rovvius apud Salvium de fœdere ad deſignationem Pariſienſem ineundo; rem tardam & exigui momenti. Nam nolebant Angli pacem cum Cæſare & Hiſpano abrumpere, niſi hoc tractatu abſoluto, & omnium utilitatibus expenſis, pactique legibus inter ipſos communi conſentu probatis. Inde legationes ad Cæſarem, Hiſpanumque, & Bavarum mittendæ erant. Quibus ambagibus minimum integer annus elabebatur. Interea Suecis Gallisque negotium pacis plane ſuſpendendum, nec pax concludenda, niſi Palatino Electore reſtituto. Et tandem in bellum prorumpens Anglia nil præter triginta naves in Oceano inſtruere volebat, ut ſub communi fœderis vocabulo res ſuas firmaret, ac cives ſuos ditaret, exiguo cauſæ Proteſtantium emolumento. Et quanquam fortaſſe litora Galliæ tegerent; nil tamen inde Suecorum arma levabantur. Id quod Anglici Legati abnuere non poterant. Sed & pecuniarii ſubſidii ab Anglia obtinendi exigua ſpes erat, quod Rex volens licet, id præſtare non poſſe videretur, Parlamento diſcors, per quod nova imponere tributa non licebat. Igitur Avauxius & Salvius è compacto verborum humanitate Anglicos demulcere conabantur, ſaltem ne nocerent, aut hoſtile fœdus induerent; qui præcipuus ex hoc negotio fructus ſperabatur. Porro in fœderis hujus tractatione ita inter Legatos convenerat, ut per vices ſe mutuo inviſerent, ſic ut communi loco, congreſſuque opus non eſſet, vitandæ colliſioni. Quanquam Angli Gallis non parum cedebant, non ſolum in exordio tractatus Pariſienſis, ſed & quod Anglicus Legatus apud Suecicum, Hollandicumque miniſtrum, ipſumque Avauxium ſermone Gallico uteretur. Porro in ipſa circa fœdus diſceptatione Salvius poſtulabat, ut Angli bellum Auſtriacis ac Hiſpano denuntiarent, idque vel ſuis auſpiciis gererent, vel Suecis ſubſidia, quæ alicujus momenti forent, ſuppeditarent. Angli contra iſtos ad perpetuam belli continuationem obſtringere volebant; quoad Palatina Domus plane foret reſtituta. Iidem belli indictionem in longum extrahebant ob legationem prius ad Cæſarem

1632.

1. Jun.

21. Jun.

1638. Hiſpanumq; mittendam; & quia viginti amplius milliones pecuniæ Anglicanæ in ditionibus Hiſpanicis hærerent, quæ non ita repente revocari inde poſſet. Subſidii quid non abnuituri videbantur, ſed exiguum, non ultra ducenties mille unciales annuos; ſummam nullo modo comparandam cum eo, quod ipſi viciſſim exigebant. Addebatur, Regem plura in Electorem Palatinum, nepotem ſuum collaturum, quod & ipſum in cautam communem cederet. Enimvero Suecos ad gerendum ſe bellum obſtringere, quoad Palatinus foret reſtitutus, arduum erat, præſertim quod Electoralem dignitatem ſpectabat, quamdiu Bavarus ejuſque filius viveret, cui Gallus quoque favebat. Igitur æquum erat, tanto oneri apud Anglos parem reſpondere obligationem; & iniquum pro tantilla ſumma, & eo, quod Rex Palatino præſtiturus erat, eouſque obſtringi. Tota in tractatione Anglicus Legatus lubricum valde & inconſtantem ſe gerebat: ad poſtremum tamen magnum ardorem rei conficiendæ oſtendebat, propoſitis, quæ propius ad ſcopum accedere videbantur; de quibus tamen nihil ſe in mandatis habere fatebatur, ſed quæ ad Regem relaturus ſit non dubitans, quin iſte eadem ſit adprobaturus. Difficillimum in toto negotio erat reſtitutio Palatini, de qua cum Rovvius innuiſſet; modo regio reſtituatur, circa dignitatem temperamentum aliquod inveniri poſſe; Salvius proponebat; Suecos circa iſtam connixuros quantum poſſint: contra Angli ſe obſtringerent ad certa ſubſidia uſque ad finem tractatuum pacis, & his incaſſum cedentibus, ad bellum ſine ſubſidiis. Nam & jam ante ex Gallico fœdere Suecia ad bellum continuandum tenebantur; nec inutile videbatur, Angliam Sueciæ in tractatu pacis junctam partem odii ab hoſte in ſe derivare. Sed quod frigidius iſta exciperentur, cauſa erat, quia Curtius Legatus Cæſareus obtulerat, ſe cum Rovvio ſeparatim de cauſa Palatina acturum. Quanquam autem hic profiteretur, ſe Curtio parum fidei adhibere, niſi facultatem agendi à Cæſare conceſſam oſtenderit; ac ſibi rem prius in Angliam referendam: deprehendebatur tamen, tam Rovvium quam Ruſtorfium Palatinum miniſtrum apud Curtium circa id negotium latagere. Quin & iſte minas non obſcure jaciebat, nec invidiam in Gallos diſſimulabat. Nec dubitabat Suecos palam monere; non eſſe quod Gallis nimium confidant, à quibus non amplius quid ſubſidii expectandum ſit, quam quoad Richelius viveret. Avauxius contra nil fere aliud agebat, quam ut Anglicanos tractatus in ſinu rideret. Hactenus tamen negotium Salvio commendabat, ut quoquo modo Anglos Conciliatos teneret, ne in alteram partem tranſirent. Cracovius quoque ex Hollandia nihil certi attulerat, nec pleniora mandata expectabat, & Anglicanos tractatus inanes ducebat. Quin palam profitebatur, Hollandos neutralitatem cum Cæſare non exuturos, ni Anglus palam bellum ſumeret; id quod huncce facturum non rebatur. Nam ſi Anglus ad nihil certi ſe obſtringeret, conſultum non eſſe manifeſta ſibi incommoda conciliatum ire & neutralitatis emolumenta abjicere. Univerſi autem judicabant, ab Anglis ſerio rem non agi, & nil aliud quam famam ab ipſis captari, velut magni quid ad cauſam communem collaturis, culpa negotii infecti poſt in alios derivata. Neque vero iis, quæ Rovvius proponebat, ſolidi quid ſuberat. Ac Palatini, ipſaque Bohemiæ Regina parum ſpei in Anglicano auxilio reponebant: & ſi quid præter ſpem eveniret, in lucro habendum cenſebant. Lutetiæ quoque Leiceſtrius Comes Legatus Anglicus Hugoni Grotio cum ob cognationem Palatinum ab Anglo præ cæteris juvandum dixiſſet, repoſuerat: ad eam normam Principes conſilia 1638.
ſua non exigere ſolere. Unde & Angli Lotharingi reſtitutionem, quam Palatini longe potiorem habebant, quo iſtum æmulum Gallis ad latus adponerent; quippe cum arctum inter Anglum ac Lotharingum fœdus eſſet, quo inter alia continebatur, ut Anglia ad obtinendam Palatini reſtitutionem in præjudicium Ducis nihil conſentiret; nec ullos tractatus cum aliquo concluderet, niſi plena ejuſdem Ducis reſtitutio exprimeretur. Cum ita aliquot menſes nihil agendo elapſi eſſent, Salvius alia capita fœderis Rovvio proponebat: Ut Anglus inſtantibus pacis tractatibus adeſſet, ac commoda ſua obſervaret. Sed ſi iſti tractatus ante Kalendas Martias anni ſequentis non inciperent, aut ſi re infecta abrumperentur, Rex ſtatim Auſtriacis bellum indiceret, idque terra ac mari juncto cum Suecis Gallisque conſilio gereret, cumque his eoſdem amicos & hoſtes haberet. Interea quoad de tractatuum eventu conſtaret, Anglus Suecis menſtrua ſubſidia daret, quanta Jacobus Rex quondam Dano dederat. Sed ſi bellum ipſe gereret, ad minorem ſummam teneretur. Viciſſim Suecos pari cum Gallis Angliſque ſtudio ad reſtitutionem Palatini incubituros. Enimvero iſtas conditiones repudiabat Rovvius velut iniquas, & ad eas nihil reſponſi reponere dignabatur. Addebat, in Sueciam ſcripturum, num ea quoque Reginæ mens foret. Nam ſi & hæc ita ſentiret, ſibi neceſſitatem imponi ſtatim tractatus abrumpendi. Spargebat inſuper aculeata verba de mercenaria amicitia; quæ à Salvio non ſegniter retundebantur. Et plane everſum foret hoc negotium, ni Ruſtorfius medium ſe obtuliſſet; qui alias conditiones proponebat, à Salvii quidem deſignatione longe differentes, ſed ſuper quibus tamen utrinque remittendo aut addendo conveniri tandem poſſe videbatur. Sed Rovvius nihil ſe horum in mandatis habere excuſabat; ad Regem ſe relaturum. Ita jam id fere inter Salvium & Rovvium certabatur, uter alteri culpam irriti fœderis impingere poſſet. menſe Novembri.

§. 62. Cum igitur id negotium tarde procederet, Ruſtorfius Electoris Palatini nomine peculiaris cum Suecia fœderis certa capita proponebat, quorum ſumma hæc erat: Elector Palatinus quatuor millia peditum, quingentos equites Suecorum in Weſtphalia copiis jungat, ipſi juxta ac Reginæ juramento obſtringendos: tum tormentorum, paratusque bellici præbeat, quantum poſſit. Viciſſim omnes Suecorum copiæ in Weſtphalia & ad Viſurgim cum oppidorum præſidiis, Electoris quoque ſacramento obſtringantur. In eum exercitum Elector ſummum obtineat imperium, Suecis proximum ab hoc ducem Legatumque ibi habere liceat. De omnibus bello partis pari jure à Regina & Electore ſimul diſponatur, nulla prærogativa Sueciæ reſervata, prorſus uti duo Principes dignatione & opibus pares florentibus ambo rebus paciſci ſolent. Super his conditionibus tractare abnuebat Salvius, ac id tantum reponebat: quia Elector totus ab auxilio Anglicano dependeat, cum ipſo nihil, niſi Anglia juncta, agi poſſe. Et ſane iſta capita Rectoribus Sueciæ plane à ratione aliena videbantur; ac niſi Anglorum conſilia nota fuiſſent, contumeliæ loco accipiebatur; Suecis victricia arma geſtantibus talia proponi à Principe terris ſuis exuto, & qui amplius quod perderet non habebat. Non tamen abrupto negotio Anglos, & ſi qui alii Palatino faverent, protelare placebat, ſed tractatus alere, famamque moderationis captare. De cætero Elector Palatinus cum Hamburgi eſſet, neque Salvium aut Avauxium inviſebat, neque eorum acceſſum admittebat, quod ipſius miniſtri Palatini Electoris propoſitio.

gitized by Google

1638. miniſtri dubitarent, quousque Electori iſtis obviam ire, & num iisdem priorem locum in propria domo concedere decorum foret. Idem Regi Galliæ non niſi titulum *Regiæ dignitatis* more Germanico, non *Majeſtatis* tribuerat. Unde & literæ ejus in Gallia non recipiebantur: cum tamen Bavarus, & Brandeburgicus *Majeſtatis* titulo Gallum honorare non abnuerent: & ipſe Palatinus ex Anglia ſcribens eundem adhibuiſſet; Saxoni quoque, non niſi *Regiæ dignitatis* vocabulum Gallo adſcribenti ſuæ literæ remiſſæ forent. Eam dignitatis tuendæ ſolicitudinem, quæ plerisque per adverſam fortunam intempeſtiva videbatur, Angli inculcaſſe credebantur. Porro ex Anglia quid obtinendi ſpes inde quoque non parum minuebat, quod tumultus per Scotiam invaleſcerent. Quorum cauſa & Alexander Leslæus à Suecis ad aliquod tempus dimitti petebat, quo patriæ ſuæ ſuccurrere poſſet, uti ipſe ferebat. Quanquam & alia cauſa ſuberat, quod cum Rectoribus Sueciæ expedire videretur, quicquid erat in Germania copiarum unius ſummo imperio ſubdi, vitandæ è ducum paritate æmulationi, Leslæus Banerio velut juniori ſubeſſe dedignaretur. Unde volentibus iſtis erat Leslæi diſceſſus, quod per ipſum de rebus Weſtphalicis pro lubitu diſponere non poſſent. Quanquam autem Angliæ Rex Suecis parum æquus habebatur, dubitabant tamen initio Rectores Sueciæ iſtum dimittere, ne ſeditiones Scoticas fovere viderentur. Tandem tamen minus ſuſpectum aut reprehenſioni obnoxium videbatur plane eum ſacramento Sueciæ exſolvere. Cui & petenti aliquid armorum præmii titulo datum eſt.

De particularis pacis tractatu modi inter hos Lauenburgicis, & januar.

§. 63. Majore in ſpeciem ſtudio circa pacem ſatagebatur, quam inter Cæſarem Suecosque ſeorſim ut conciliarent, Lauenburgici Duces ſedulo operam dabant. His Cæſar Poloni ſcripto declaraverat, à ſe Curtium Comitem ad pacis tractatus Commiſſarium conſtitui, quos Hamburgi, Lubecæ aut Luneburgi mediatoribus Ducibus ſuſcipi placeat. Quorum & Conſiliario Mithobio Cæſar prædia à Guſtavo quondam Rege donata confir-
16. Febr. maverat. Hac cum declaratione Julius Henricus & Franciſcus Carolus Duces Saxoniam verſus properant, ac cum de fœdere Gallico intellexiſſent, ad Salvium ex itinere ſcribunt; ne novis difficultatibus negotium pacis involvi permittat, nec à Cæſare rem non ſerio agi à Gallis perſuaderi ſibi patiatur; ſed ad ipſorum adventum rem integram
23. Febr. retineat. Cum tamen Hamburgum perveniſſent, jam fœdus Gallicanum confectum erat; ſuper quo iſti magnum animi dolorem teſtabantur jactantes; ſe effecturos fuiſſe, ut Salvius ſtatim cum Curtio & Soldnero Lubecæ, Hamburgi, aut Luneburgi congrederetur. Adeſſe literas tuti itineris, & fiduciarias cum titulo *Sereniſſimæ* Reginæ. De felici exitu dubitandum non eſſe. Cæſarem univerſos Ordines in gratiam publico edicto recepturum ante tractatus favori captando, & ne iſtud ipſi invito extortum videatur; neve Proteſtantes eo nomine Suecis obſtringantur. In cauſa Palatina id temperamenti inventum, ut poſt obitum Ducis Bavariæ dignitas Electoralis inter Wilhelminam & Rudolfinam lineam alternis geratur. Militibus à Cæſare ſatisfaciendum. Pomeraniam pecunia à Suecis redimendam, quam ſi Hiſpani non ſuppeditent, Daniæ Rex ſit exhibiturus; id quod hic per Penzium Comitem Cæſari obtulerit. Sed ſi acriter Sueci contendant, Cæſarem tandem Pomeraniam Citeriorem cum Rugia conceſſurum. Eundem tamen non niſi ſeorſim cum Suecis tractare velle. Addebant, Cæſarem pacem à Suecis quovis pretio redimendam ducere, ut eo commodius Gallos ulciſci queat. Hiſce oſtendebat Sel-

Lauenburgici multa de ſtudio pacis in Cæſarem jactant.

vius: poſt elapſum biennium, & tot neglectas pacis occaſiones creditum fuiſſe, pacem Cæſari haut cordi eſſe; unde neceſſitatem incubuiſſe Gallicum fœdus concludendi. Addebat tamen; à ſe effectum, ut Reginæ adhuc res integra ſit; & omnia ab ipſius ratihabitione pendere. Scilicet quia non inutile judicabat Ducibus perſuaderi, velut Regina fœdus ratihabitura non eſſet; isque rumor Viennæ, & apud exercitus Cæſareos divulgaretur, ut conſilia & paratus belli eo languidius procederent. Addebat tamen, fœdere ratihabito cum utraque Corona junctim tractandum, cum Suecis Hamburgi aut Lubecæ, cum Gallis Coloniæ. Ita operam Ducum ſuo utique effectu porituram. 1638.

§. 64. Venit inde Hamburgum Joannes Soldnerus cum fiduciariis literis ad Duces; quem mox Ferdinandus Curtius Comes inſequitur. Hi non parum fidei à Lauenburgicis jactatis detrahebant; dum expreſſe declarant; Cæſarem iſthoc congreſſu à Brandeburgico cœptos & aliquo usque progreſſos tractatus abrumpere nolle; ac Daniæ Regem mediatoris munus ſimul ſubiturum. Addito, Cæſarem Hamburgi neque de præparamentis tractatus, neque de reipſa acturum. Poſtulabant inde literas tuti commeatus à Regina Sueciæ datas introſpicere. Enimvero uti Lauenburgici ægre ferebant, Daniæ Regis mentionem fieri velut præcurſorum ipſius vicem obiturі; ita Salvius ſuſpicabatur ſub hoc negotio nihil aliud quæri, quam ut ſenſa ipſius elicerentur, & ſi quæ in ſpeciem concluderentur, ea alio tractatu, ſicut Pirnæ & Pragæ factum, refingerentur. Quare autem Hamburgi cum ipſo agere nollent, in promtu cauſa erat, quod omnem acceſſum ad tractatus Gallis, Anglis, Hollandis, aut Germaniæ Ordinibus præcludere vellent. Igitur quia per fœdus Gallicum ſeparatim tractare non licebat, iſte ad communes tractatus rem rejicit; addito, ſi ſerio res agatur, literas tuti itineris ita eſſe formandas, ut Suecis Hamburgi aut Lubecæ, Gallis Coloniæ caveatur. Aſt Cæſarei reſpuebant ejusmodi tractatum, qui ullo modo Colonienſi connecteretur; nec aliam Cæſaris mentem eſſe. Coloniæ negotium tarde proceſſurum, & Cæſarem tædio morarum, quas Galli nectant, Legatos ſuos inde avocaturum. Quod ſi non prius hoc tractandi initium Sueci velint facere, quam Coloniæ, ſat adparere pacem ipſis cordi non eſſe. Poſtulabant igitur à Ducibus, ut ſi Salvius facultatem haberet ſeorſim tractandi, nullo reſpectu ad Colonienſem negotiationem habito, de die congreſſus cum ipſo loquerentur, quo initium negotio fieret. Iſthoc cum è Salvio Duces quærerent, is declinabundus reſpondebat; expectandum ſibi, quoad conſtaret, num Regina pacta fœderi adjecta rata habuerit. Confirmabat tamen, etiam ratihabitione facta Gallos ſtatim atque tractatus Sueci Lubecæ cœperint, ad tractatus Coloniæ ordiendos teneri; quod fœdere diſerte cautum ſit, nulla honeſta media pacis obtinendæ repudianda eſſe. Nec eo ſecius Cæſarei Legati Lauenburgicos, & hi Salvium urgebant, ut hic cœyus Lubecæ cum ipſis congrederetur; confirmantes initio ſtatim Reginæ ac militibus ex voto ſatisfaciendum; nec circa ampliam difficultatem fore, præſertim quia jam plerique Ordinum cum Cæſare transegerint. Quin Curtius jam Lubecæ domum conduxerat, ac propediem eo ſe migraturum ſimulabat. Ac perſuaſerant ſibi Lauenburgici & alii, Cæſarem ſerio pacem cupere. Enimvero quia antea, cum Suecis adhuc res integra foret, nemo à Cæſare Legatus comparuerat: & nunc demum, cum noſſent manus iſtis ligatas, tractatus crepare inciperent, Sueci judicabant, à Cæſare id quæri, ut Sueciæ à Gallia avulſæ illuderet, tunc armis ſuis juſtitiæ opi- Legati Cæſarei diverſum credendi occaſionem præbent.

1638. nionem circumponeret, ac ſibi favorem quæſitæ pacis, Sueciſ odium continuati belli conciliaret; & hoc ipſo Ordines Saxoniæ ſibi adjunctos, Danumque mediatorem in Sueços concitaret.

Lauenburgici peculiarem pacem ſuadent.

§. 65. Conabantur tamen Lauenburgici Salvium omnibus modis ad ſecretos cum Cæſare tractatus inducere. Moræ cauſas penes Cæſarem pacis ſemper cupidum, aut penes primarios ejus miniſtros haut fuiſſe, ſed penes eos, qui hactenus pacis mediatores ſe tulerint. Longe lautiores nunc conditiones obtineri poſſe quam ſi multos adhuc annos bellum geratur, aut junctim cum Gallis, Danove ſequeſtre tractetur. Gallos in gyrum rationis redigi non poſſe, quamdiu à Sueciſ fulciantur. Eorum prætenſiones pacem diu extracturas, & Sueciæ emolumenta circumſcripturas. Igitur Regina honorem amplectatur per ſe confectæ honeſtæ pacis, & Auſtriacæ amicitiæ ſe dedat inter Imperii membra tranſcripta. Nec eſſe quod Gallicum fœdus moretur. Nam uti Curtius confirmet, Gallos quoque ſecreto cum Cæſare tractare; ſed Cæſarem cum Sueciſ pacem malle, ut Gallos ulciſci queat. Si tamen aliter res non ferat, Cæſarem Gallo circa Lotharingiam gratificaturum, ſicut Sueciſ circa Pomeraniam conſtituerat. Nec dubium eſſe, quin Galli oblatis, quas deſiderent, conditionibus exiguam fœderis rationem ſint habituri. Quo facto quid ſatisfactionis Sueciæ expectandum ſit, in aprico eſſe. Nec Dani mediationem morandam, quæ in fraudem Sueciæ ſuſcepta ſit, ac ne quid illa terrarum in Germania retineat. Qui & nuper Landgravio Joanni Glueſtadii dixerat: ridiculum eſſe, Sueços poſt vaſtatam totam Germaniam adhuc ſatisfactionem exigere. Et proponebant Lauenburgici medium Dani operam eludendi; ſi ipſius mediatio admittatur non ut Regis Daniæ, ſed ut Ducis Holſatiæ. Eo caſu ſe ipſi item ſuper priori loco moturos, utpote quorum familia longe ante Holſaticam Ducali dignatione præfulſerit. Gemina hiſce Dux Meclenburgicus per literas, & miſſo miniſtro ingerebat. Nec Salvio iſta diſplicebant, qui judicabat, quæ terræ prætii loco in Germania Sueciſ volente Cæſare darentur, facilius teneri poſſe, quam ſi per conjunctionem cum Gallia velut extortæ viderentur. Enimvero mandatis Reginæ parendum erat, & omnia ad communes tractatus remittenda; addito, ſi pax Cæſari cordi eſſet, eam non minus cum Gallis quam Sueciſ concluſum iri. Id ſi abnueret, nil aliud ipſum agere, quam ut Sueciſ exarmatis Galliam ulciſcatur, inde armis retentis, Imperium ſervitio premat, ſuæque Domus dominatum ſtabiliat. Per Cæſaris tergiverſationes Reginam ad fœdus Gallicum compulſam: ſed cupidinem pacis usque adeo non exuiſſe, ut ſperet hac via Germaniæ eandem tanto tutiorem conciliatum iri. Igitur ſepoſita peculiari pace ad communem conſtituendâ animum adplicandum. Hæc quidem palam Lauenburgico reponebantur, re prius cum Avauxio communicata; quod declinandæ ſuſpicioni facere juſſus erat. Secreto tamen illis confirmabat: ſe pro virili ſeparatos tractatus procuraturum, ſi norit Cæſarem ſerio eos cupere, ac ſi indicare ſibi velit, quid utique circa capita illa nondum deciſa facere conſtituerit. Unde à Meclenburgico quoque petebat, ut ſuper poſtrema delineatione, inter Oxenſtiernam & Saxonicos quondam agitata, cum Curtio ſermones conferret, ac reliqua ibi capita concinnare tentaret. Quæ eo fine faciebat, ut mentem Cæſaris penitiſſime expiſcaretur.

Salvius Cæſaris mentem expiſcari conatur.

Communium tractatuum difficultates.

§. 66. Exinde novam ſpem Lauenburgici concipiunt, ac denuo peculiares tractatus perſuadere conantur, oſtenſis communium tractatuum moleſtiis Mediatoribus utrinque Legatos habendos; interventuros ibi Anglos, Hollandos, Danum, plerosque Imperii Ordines, ſingulos circa ſua emolumenta ſolicitos, longi rem temporis. Interim faciem belli mutari poſſe, & prout in hanc aut illam partem fortuna inclinet, novas paci remoras fore. Coloniam & Lubecam longo intervallo diſſitas. Sæpe circa unum aut alterum vocabulum tractatus poſſe hærere, quoad hinc inde, aut ipſam in Galliam Sueciamque res referatur. Aliquot capita utrinque communia fore, de quibus antequam Regna fœderata inter ſe conveniant, multum temporis elapſurum; his placita fortaſſe cæteris non arriſura. Quod ſi forte cladis quid Sueci accipiant, Cæſareos fortunam perſecuturos, abdicatis tractatibus, quibus & alias volupe ſit, Proteſtantium terris vaſtitatem inferri. Ut igitur negotium eo rectius procederet, proponebant, ut Salvius cum Curtio non congrederetur; ſed ſe inter utrumque commeaturos, & leges pacis adornaturos. Ad quæ Salvius: Difficultates communium tractatuum non eſſe exiguas, minores tamen, quam jactentur. Si patriæ ipſos cura tangat, facile agnituros, non expedire Proteſtantibus à Sueciſ ſeparatam pacem iniri, & hoc modo Cæſari antiam præberi non ſolum Galliam premendi, ſed & Germaniæ Ordines, præcipue Proteſtantes ſub jugo detinendi. Noſſe intuper cupiebat, num Cæſar Sueciſ plus per peculiares tractatus, quam communes conceſſurus ſit. Ubi Mithobius referebat: Curtium verbis, A Cæſare Sueciſ obiata. non ſcripto, declaraſſe; Cæſarem ſalva exiſtimatione non poſſe Pomeraniam ſtatim amico adimere, hoſti donare, ne pacem emiſſe videatur. Ut tamen obiique cum dignitate Cæſaris, & absque Suecorum invidia eodem pertingatur, Sueciſ ſummam pecuniæ quantamcunque velint poſtulandam, ac partem Pomeraniæ pignoris loco capiendam ea lege, ut ni intra certum tempus pecunia exſolvatur, Sueci deinceps feudi nomine eam obtineant. Ubi tamen ſuſpicio erat, Hiſpanos ſtatim pecuniam illam repræſentaturos, hypotheca ſibi retenta, & ſic pedem ad Mare Balticum fixuros. Addebat, onus militibus ſatisfaciendi Cæſarem in Proteſtantes devoluturum. Ni Sueci tractatus maturent, paucos ex Ordinibus pace excluſus ſuperfore, pro quibus opera ſumi queat. Cum Hallis pacem confectam: VVurtenbergicum pro ſe tranſigere: Vinarienſem, ſi velit, ſtatim Cæſari amicum fore, cui terrarum nihil habenti Cæſar parum gratificari, ſed qui exercitu ſuccinctus Cæſari multum nocere queat. Super Palatinatu cum Anglo Bruxellis agi, nec Palatinum à Sueciſ magnopere ſui reſtitutionem quærere. Inferiorem Palatinatum recuperari poſſe, ſi Hiſpanis ſummam pecuniæ ſolvere Angli velint. Dignitatem Electoralem ab omnibus Imperii Ordinibus ipſi abjudicatam. Cum tamen nuper Lauenburgici oſtendiſſent, eandem à linea VVilhelmina & Rudolfina alternis gerendam. Ac re penitius expenſa facile animadvertebatur, Cæſari animum non eſſe Palatinum, & Badenſem reſtituere, niſi cogeretur. Cui & propoſitum erat Lotharingum non deſtituere, ac inſuper Metum, Tullum, ac Virodunum Imperio vindicare.

Lauenburgici denuo Viennam proficiſcuntur.

§. 67. Paulo poſt cum Curtius ad Daniæ Regem Glueſtadium profectus hunc invitaſſet, ut conciliandæ paci operam dare vellet, Lauenburgici ægre id ferebant, quod Cæſar ipſorum mediationem minoris, quam Dani videretur facere. Et aperte Curtium inculabant unice id meditari, quomodo tractatus abrumperet, & culpam protractæ & elutæ pacis in Sueços devolveret; Dano viciſſim illorum conatus ſubtiannante, velut quibus Cæſar ludibrii cauſa objeciſſet, circa quæ fruſtra ſatagerent. Unde Dux Julius Henricus, Curtio vix à Dano

1638. Dano digreſſo, ad Cæſarem proficiſcitur, de præparamentis pacis relaturus, ſimul Cæſari perſuaſurus, ut Curtio Collegam pacis cupidiorem adjungeret. Sed ejus frater Franciſcus Carolus cum Mithobio paulum adhuc Hamburgi ſubſiſtebat, ut inſtrumentum conficeret circa ea, quæ præparandis pacis tractatibus faciunt. Sed cum illud neque Curtius neque Salvius ſubſcribere vellent, velut ſuperfluum, & inanibus diſceptationibus circa vocabula anſam præbiturum, inſtrumento omiſſo Salvium & Avauxium jubebat ſcripto concipere, quid circa literas ſalvi conductus deſiderarent. Utriusque libello accepto Viennam & ipſe contendit, cum ſpe iſtas literas expediendi. Ab eodem antequam diſcederet Curtius poſtulabat, ut quia ex diſceptatione circa præparandos tractatus perſpexerit, quantum difficultatis in ipſo primario tractatu, præcipue circa Galliam occurſurum ſit, apud Cæſarem operam det, ut præter communia mandata Commiſſariis ſuis facultatem quoque concedat ſecreto & ſeorſim cum Suecis concludendi, neve rem ad Coloniæ tractatum deducat, aut ſaltem in ſpeciem eundem adhibeat. Simul per eundem ex Salvio recte quærebat, num Sueci ſeorſim ſine ambagibus cum Cæſare tranſigere velint? Quo caſu petebat, ut Salvius mandata ei fini ad ſe transmitti curet. Et cum hic reponeret, à Gallico fœdere diſcedi non poſſe, quamdiu Galli ſervarent quod promiſerant; eoque omnia ad ſolennem & communem tractatum dirigenda: ipſi reſpondebatur; Cæſarem mille modis efficere poſſe, ut ipſi Galli fœdus violent; ac Suecis ultro occaſionem ſuggeſturum, ut honeſte iſto fœdere exſolvere ſe queant. Et ſancte aſſeverabant Werdenhagius, & Mithobius, intra tres ſeptimanas adpariturum, Suecos à Gallis deceptos. Id quod cum Salvius Avauxio narraret, is riſu iſtam aſtutiam excipiebat, affirmans, eodem modo Cæſareos apud ſe, & in Gallia de Suecis diſſerere.

7. Sept. Curtius Salvium venit.

Sueci ſeparatos tractatus ſuſpectos habent.

§. 68. Tanto minus Sueci ſeparatis tractatibus tribuebant, quos diffidentiæ inter ipſos & Gallos ſerendæ tentari judicabant. Qui ſi non ſuccederent, invidia & ſiniſtra fama illis apud alios conciliabatur; ubi ſuccederent, fortaſſe minus quam antea ſecuritati Sueciæ conſultum erat. Equidem non decrant, qui Gallorum fidem ſuſpectam reddere conabantur: Mithobius Praga ſcribebat; Colonienſes tractatus fervere. Danicus Cancellarius Reventlovius confirmabat, è geſtibus Curtii ſe collegiſſe, inter Cæſarem & Gallos ſecretiores tractatus agitari per Bavarum, aut per ſorores Imperatricem, & Galliæ Reginam. Et quia Galli communes tractatus extrahant variis obſtaculis objectis, nil aliud ipſos agere, quam ut clam cum hoſte tranſigant, Suecis ſolis belli ſub onere deſtitutis. Quin ipſe Vinarienſis Suecos obſecrabat, ſi ulla ſpes firmæ pacis affulgeret, eam citra alterius reſpectum acceptarent, quod nihil ſolidi Gallorum fidei ſubeſſe judicaret. Ac cenſebat Salvius, Sueciam poſſe pace potiri, ſed Gallos manibus pedibusque id impedire; quod gravi bello cum Hiſpanis in Italia & Belgio impliciti Cæſaris vires ad mare Balticum diſtinere velint ne iſte Hiſpanis auxilium ferre poſſit. Nec eo minus Cæſari bellum indicere detrectabant, nec Vinarienſis exercitum ſuum exercitum, nec VVertanum ſuum captivum appellare volebant. Enimvero hæc tanti Suecis non videbantur, ut cœptus conſiliorum tenor ideo mutaretur. Equidem in Deo, ac ſeipſis maxima fiducia erat reponenda; nec obſcurum erat, ſi bello Galli ſe ſubducerent, id Suecis difficillimum incubiturum. Quicquid tamen hujus foret, bello jam erat implicita Suecia, nec tuta via adparebat eodem excedendi. Igitur & abſque Gallis idem quantum res ferebat gerendum; ſed per ſocietatem Gallicam id longe fiebat levius. Nec rationes deerant, quæ conſtantiam Gallorum in fœdere perſuadebant. Nam quærenda utique illis erat amicitia eorum, quorum intercrat potentiam Auſtriacam caſtigari; cui cum plerique Catholicorum eſſent juncti, Evangelicorum ſocietas affectanda ipſis erat. Et Anglis, Danoque, aut Principibus Germaniæ non ſat voluntatis, aut virium erat. Unde cum poſt Mithobius Salvium denuo literis urgeret, ut mandatum ſibi procuraret ſecreto cum Cæſare tranſigendi, & nihilominus publicos Lubecæ tractatus in ſpeciem obiret; ſimul quæ extrema Suecorum poſtulata circa ſatisfactionem ſuam forent; ſi forte Cæſar ad concedendam Pomeraniam adduci poſſet, Salvius nihil reſpondebat, quod metueret, nec ſi iſta ad loca ſcripto quædam conſignata transmitteret Cæſarei Gallis iſta excitandæ invidiæ ac diffidentiæ communicarent.

Daniæ Rex Suecos ad tractatus pacis Lubecam invitat.

§. 69. Nec minus circa pacem conciliandam ſatagebat Daniæ Rex; qui amputandis ambagibus ſuper adornandis tractatuum præparamentis proponebat; ut utriusque partis Legati circa initium Aprilis Lubecæ convenirent. Quo fine Pentzium Comitem ad Cæſarem miſerat; idemque Holmiæ per Reſidentem Petrum VVibium Rectoribus Sueciæ inſinuabat. Ac Cæſar quidem ad Dani propoſita pronum ſe ferebat. Sed Rectores Sueciæ, qui à communibus tractatibus ad peculiares retrahi nolebant, Dano reſpondent; ratihabitionem fœderis Gallici annum amplius dilatam, quo ipſis integrum foret pro lubitu tractatus ſuſcipere, quoad deprehenſum ſit, obtentu tractatuum id quæri, ut tempus extrahatur, ipſique in ſecuritatem dati ab amicis ſuis divellantur. Fœdus tamen abſolutum non cupidine belli perpetui; ſed ut juncti eo facilius communem & firmam pacem obtineant. Idque negotium Regi diligenter commendant, ut Cæſarem ſociosque ad ejusmodi pacem ineundam permoveat. Locus tractatuum Hamburgum aut Lubeca probabatur, ſed ut prius ideoneo ſalvo conductu utrique parti caveatur. Paulo poſt VVibius Regis nomine proponit; Cæſarem atque Electores declaraſſe, utique ſe Legatos ad tractatus pacis miſſuros: iis auſpicandis tempus à Rege poſt feſtum Pentecoſtes prorogatum: Regina quoque Legatos eodem mitteret. Nec obſcure innuebat Danus, non opus eſſe; quæ inſtruendis tractatibus præmitti ſolent ante congreſſum definiri, ſed ea commodius in ipſo tractatuum loco adaptari poſſe. Ac ſalvo fœdere Reginæ integrum eſſe, re cum Gallis prius non communicata Lubecam Legatos mittere, modo hoc ipſis ſignificet, & ſi velint, ad tractatus ſimul eosdem admittat. Aſt Rectores Sueciæ cenſebant, iſthoc ſalvo fœdere fieri non poſſe, ſed tam primordia tractatuum, quam princeps negotium communi conſilio ac conſenſu ſuſcipienda eſſe. Eoque VVibio reſpondent; ſe mentem ſuam, re cum Gallis communicata, latius declaraturos. Inſuper hortantur, conciliandæ communi paci Daniæ Rex operam det. Ubi omnia præformandis tractatibus confecta ſint, Legatos ſe Lubecam miſſuros. Salvos conductus tamen juſta forma prius à Cæſare dandos, Coloniæ patiter, ac Lubecæ tractatus auſpicandos. Proponebantur inde à VVibio quæſtiones, quas Cæſarei miniſtri moviſſe dicebantur: quid per communes tractatus intelligatur? Qui utriusque Coronæ fœderati & dependentes in Imperio forent? Num Salvio facultas data ſit tractatus ordiendi, ſtatim atque ſalvi conductus pro Imperii Ordinibus, quales Coloniam ad Commiſſarios Cæſareos miſſi ſint, adveniant? Quid Suecis facere decretum ſit, ſi Galli Coloniæ circa ſalvos conductus ſcrupu-

los

1638. los moverant, tempusque extractum eant, uti hactenus fecerint? Ad quæ satis captiose respondebatur: Communes tractatus pro indole negotii, de quo agitur, intelligi, ut comprehendant Reges, Respublicas, Principes & Ordines bello Germanico implicitos. Fœderatos & *dependentes* in Imperio esse, qui cum utraque Corona servandis sacris, & bono publico se junxerint, quotquot eorum adhuc arma gerant, aut ditionibus suis ea occasione ejecti sint, aut Pragenti pace seducti, pœnitentiaque tacti in integrum restitui velint, aut qui querantur paucula illa Pragenti pace promissa servata non esse. Quod si omnes, quorum interest, idoneo securitatis diplomate instructi, & præliminaria tractatus absoluta fuerint, communi consilio & consensu, eodemque tempore ad tractatus accedendum. Ubi denique postremus casus evenerit, è re nata sibi consilium capiendum.

Danus pacem Hamburgi urget. 10. April.

§. 70. Eodem tempore Rex Salvium per literas percontatur, cum ipse à Succis non minus quam Cæsare mediator admissus sit, num is eo nomine mandata acceperit? Nam suos paratos esse statim Lubecam se conferre, ubi partis utriusque Legati præsto sint. Idem è Curtio scisciatur; addito, quia Succi de communi pace, & includendis fœderatis Galliæ cumprimis mentionem fecerint, ex vi recentis cum Gallia fœderis, quousque Cæsar illam clausulam admissurus videatur? Curtius promtum se ferre; ac statim ubi Legati Regii Lubecam versus iter sint ingressi, eodem se accessurum. Mandata se habere cum Succis Rege conciliatore agendi, sed separatis tractatibus. Super communi pace, & quæ Galliam, ejusque socios complectatur, nihil sibi injunctum. Sed si auscultandi duntaxat & monendi causa adesse velint, nec ullam pacis conclusioni remoram adferre, se Cæsaris sententiam exquisiturum, eamque Regi significaturum. Salvius autem reponebat, mandata sua per fœdus Gallicum, & Stenonis Bielkii, tanquam primarii Legati mortem nonnihil alterationis cepisse; eoque super congressu nihil certi statui à se posse, nisi ulterioribus è Suecia mandatis acceptis. Nec eo secius Rex Legatos suos Albertum Schielium, Christianum Thomæ Seestedium, Georgium Urnium, & Lippium, Lubecam versus progredi jubet, etsi postremus tantum urbem ingrederetur, reliqui in propinquo subsisterent. Ubi Succi mirabantur, quare tantopere festinaret Danus; cum tamen è Rectoribus Sueciæ satis intellexerit Petrus VVibius, ita raptim ad tractatus nulla præparatione facta convolari non posse. Etsi causam, quare tam anxie mediatorem se ingereret Danus, non dissimularet ipse Curtius, ut ne quid terrarum scilicet in Germania Succi acciperent; eoque verebatur, ne aliis quoque circa pacem conciliandam clam satagentibus, opinione citius inter partes conveniret. Acriter inde Salvius urgetur; Lubecam se conferret, cum Curtio congrederetur. Ita omnia præformandis communibus tractatibus componi, diffidentiam tolli, fundamentum paci communi strui posse. Aft Curtio re infecta discedente rem in longum extrahi. Eadem ingerebant Augustus Dux Brunsvicensis, & Bremensis Archiepiscopus. Mox Curtius per Soldnerum, & Lauenburgicos scisciatur: si Cæsar salvum conductum pro Agente Gallico mittat, num Salvius Lubecam profectus permutatis plenipotentiis, quas vocant, initium tractandi facturus sit? Nam ad communem tractatum iste sufficere judicabat, si Galli non penitus, quod initio volebat, excludantur, sed fœderi satisfactum iri, si Agens ipsorum ad audiendum & monendum admittatur. Qua de causa etiam à Dano & aliis Principibus cum Avauxio nihil communicatum fuerat. Aft Salvius quæ ex fœdere Gallico necessaria forent ostendebat; quæ si omnia præsto forent una cum idonea agendi facultate, auspicando negotio penes se moram non fore.

1638.

§. 71. Daniæ inde Rex Salvio per Cleenium Secretarium easdem quæstiones, quas Petrus VVibius Holmiæ apud Rectores Sueciæ, proponebat. Ad quas Salvius vago sermone evitandis captionibus eadem fere quæ Rectores Sueciæ respondebat, nisi quod circa fœderatos & adhærentes diceret: Gallos quidem postulasse, ut Itali Principes & Belgæ fœderati ad tractatus simul admitterentur; sed cum nemo eorum apud Reginam id ambierit, intelligi tantum communes Sueciæ & Galliæ fœderatos per Germaniam, inprimis qui bello adhuc sint impliciti, uti Vinarienſis, Landgravia, & pace Pragensi excluſi. Pro his si idonei salvi conductus advenerint, paratum se esse tractatibus initium facere. Etsi Rectorum Sueciæ mens foret, id quoque urgere, ut Hollandis atque Italis tutus accessus detur, sed non velut ad hos ex fœdere Gallico teneantur, verum declarandæ erga istos benevolentiæ. Addebat Salvius, se communicata re cum Avauxio latius responsurum. Eam occasionem Cleenius arripiebat cum Avauxio super ea re agendi. Cui hic reponebat: Galliæ Regem legatos Coloniam non missurum, ni omnes ipsius socii, ac præter Germanos Itali & Belgæ præliminaribus pacis tam cum Cæsare quam Hispano comprehendantur: Nec Succos prius Lubecam per fœdus mittere posse. Nam communem pacem non fore, nisi Hispanis, Italis, Hollandis inclusis. Addebat; Regem Ferdinando Cæsaris titulum non in salvis conductibus, sed in ipso tractatu velut conditionem pacis daturum. Enimvero diversum heic sentiebat Salvius. Nam voluisse quidem Gallum omni ratione socios suos extra Germaniam includere, sed Succos id abnuisse, ac solos in Germania socios complecti voluisse. Cum Italis Principibus Sueciæ nihil negotii. Hollandos id à se non petiisse, quibus bellum cum Cæsare non sit. Et quæ Reginæ cum hisce intercedant rationes, ad hoc bellum non spectare. Equidem Galliæ cum diversis super pace Coloniæ agendum, sed Germanicum bellum isti cum Suecia commune esse; & ad hoc solum fœdus pertinere. Circa titulum Cæsaris Regem jam remisisse Grotius scripserat; eo magis mirum, Avauxium heic scrupulum movere. Hic priora quidem non abnuere; excipiebat tamen: Regem Galliæ vereri, si pax cum Cæsare absque Hispanis concludatur, illum hisce tecte auxilia laturum. Ita dum Cæsar oblique pacem violat, Sueciam ex fœdere Gallis adsistere teneri id quod nunc commodius in tractatu pacis, quam post in bello fieri posse. Aft Salvius isti hoc tanti non judicabat, ut tractatus ideo differendi forent, præsertim cum isti incommodo in pace cum Cæsare obviam iri posset. Circa titulum Cæsaris Avauxius eadem repetebat, negans à Grotio Regis mentem recte perceptam. Isthæc à Gallo jactata mediatores ægerrime ferebant, & Cæsarei ansam inde arripiebant Coronas, inprimis Galliam diffamandi, velut pacis negotium tantis difficultatibus intricatum irent, ne unquam in tranquillum statum Germania reponi posset; & obtentu communis pacis perpetuum bellum alerent, quoad destinatis suis potitæ essent.

6. Junii. Quinam per fœderatos intelligantur, disceptatur.

Danus circa tractatus Lubecenses festinat. 14. Aprii.

4. Maji. §. 72. Haut eo secius tamen Daniæ Rex Curtium exhibere jubebat, quæ circa præparandos tractatus in mandatis haberet. Ubi hic proferebat fiduciarias literas, quibus plena de pace agendi potestas conferebatur, à Salvio jam probatas; literas item tuti commeatus pro Salvio & pro ministro Agentis nomine tractatibus Lubecensibus

Commeatus Cæsarei literæ proferuntur.

1638. bus interfuturo, pro fœderatis item Suecorum in Germania. Circa ſalvum conductum Agentis Suecici Coloniam mittendi nullam fore difficultatem, cum jam diploma ſecuritatis pro Legato Suecico ad Ginettum Cardinalem Coloniam transmiſſum ſit. Interim iſti, ac tabellariis à Daniæ Rege, & ſe cavendum, addito militari præſidio, ſi id poſtularetur. Non plura à Suecis deſiderata fuiſſe; ac Salvium confirmaſſe, ſi iſthæc adfuerint, ſe ſtatim Lubecam abiturum. Ita circa præliminaria nihil deeſſe, ni Sueci aſſeverationes ſuas toties iteratas retractare velint. Hoc reſponſo accepto Cleenius cum miniſtris Lauenburgicorum, & Ducis Brunſuicenſis ad Salvium ſe conferunt, oſtenduntque, Curtium quæ Sueci deſiderarint annuiſſe. Igitur nunc ab ipſo diem tractatibus deſignandum, niſi culpam extractæ pacis, & ruinæ, vicinorum in ſe derivare velit, totam ſimul Saxoniam in deſperata conſilia propulſurus. Salvius cum ſatis perſpiceret, Cæſareos cauſæ ſuæ ſpeciem juſtitiæ circumpoſitum ire, Suecisque vicinorum odia conciliare, Avauxium, quicum mediatores hactenus nihil communicaverant, congreſſui ſuo cum Cleenio, Mithobio, & Werdenhagio adhibet. Ubi perlectis omnibus actis, ac præcipue poſtremis Curtii literis, mediatoribus mentem ſuam exponit. Et circa plenipotentiam quidem cæteris probatam Danus id deſiderabat, quod Regis ſui tanquam mediatoris mentio facta non eſſet. Sed excuſabat id Salvius, eam ſcriptam antequam conſtaret, num Rex Daniæ mediationem ſuam inſtaurare vellet. Præterea idem ſuperfluum eſſe, cum per plenipotentias Commiſſariis duntaxat autoritas conferatur; ſed munus mediatoris Cæſaris & Reginæ literis niti. Denique cum plures ſe mediatores ferant, neque omnes ſimul, neque unum excluſis reliquis commode potuiſſe exprimi: Se tamen ea de re Rectoribus Sueciæ ſcripturum. Nec in formula ſalvi conductus quid deſiderabatur. Nam curſoribus per Legatos caveri ſatis videbatur. Sed maxima difficultas circa fœderatos Coronarũ in Germania erat. Concedebat Cæſar, ut Lubecam & Coloniam adire, ſecure ibi degere, & ad ſua reverti poſſent: Ipſe tamen commeatum daturus non erat, ſed Commiſſariis ſuis poteſtatem collaturus iſtum concedendi. Ac non niſi *nondum reconciliatos* admittere volebat. Sed & immediate cum ipſis agere dedignabatur, ut tamen per Regios Legatos deſideria ſua proponere poſſent. Eos quippe ſuos eſſe ſubditos, Pragenſi pace à toto Imperio damnatos, & arma adhuc adverſus Principem gerere. Id jam à Gallo formula Coloniæ recepta probatum. Regii contra Legati initio poſtulatis ſuis firmiter inſiſtere, ut iſtis ab ipſo Cæſare caveatur, & cum Cæſareis Commiſſariis tractandi licentia ſit, negantes aliter ſe in mandatis habere. Nam Cæſarem caput quidem ipſorum, eosdem Imperii Vaſallos eſſe; ſed non eo modo ſubjectionis teneri, uti jam ſtabiliendo dominatui obtendatur. Et Saxonem cæteris utique libertatis eminentia non Superiorem, Pirnenſi & Pragenſi pace cum Cæſare, & quidem armatum & ſub clypeo, quod dicunt, tractaſſe. Contra ſequeſtres nullo id modo obtineri poſſe credebant, eoque vehementer rogabant, temperamentum aliquod excogitaretur, ne totum negotium ad iſthunc ſcopulum adhæreſceret. Unde demum Legati Regii formulam concipiunt plenipotentiæ Cæſareæ, & ſalvi conductus, quam Cæſarei Legati Regnorum ſociis darent. Quæ formula omnes & ſingulos, nullo diſcrimine reconciliati Cæſari an minus forent, complectebatur, & ut ſua negotia ibi expedire queant; ſic ut in medio relinqueretur, per quem & quomodo id fieri deberet, in ipſo tractatu definiendum. Nam ut ſoli non reconciliati admitterentur, id Sueci ideo inter alia concedere nolebant, ne tacite pacem Pragenſem adprobare viderentur. Volebat quidem Avauxius ſocios & adhærentes ſimpliciter nominari, ut nec ipſe prius Coloniam, & Salvius Lubecam proficiſci teneretur, niſi Italis & Belgis ſalvi conductus traditi forent. Sed abnuebat Salvius, nec mediatores iſtam extenſionem admittebant. Uterque tamen Legatus hanc conditionem addebat; ſi Reges ſui hæc probarent, ad quos ea relaturi eſſent. Tandem cum mediatores poſtularent, ut Legati Regii certum diem ordiendis tractatibus nuncuparent, Avauxius quidem reſpondebat, ſalvis conductibus traditis ſtatim ſe Coloniam abiturum: Salvius autem ſpatii quid inſuper poſtulabat adparando itineri, & hoſpitiis Lubecæ, & Coloniæ diſponendis. Igitur placuit quartum decimum diem poſt exhibitos ſalvos conductus tractatibus initium fore. Ita quidem iſthoc congreſſu, qui in Salvii ædibus habebatur propinqua ſpes videbatur affulgere tractatuum ſat ſplendidorum, quod Moguntinus & Brandeburgicus Elector Lubecam, Colonienſis & Bavarus Coloniam deſtinati forent. Et judicabant Mediatores ocyus eſſe congrediendum, antequam exercitus ad manus pervenirent. Nam ſi quæ pars cladis quid acciperet, ea non ſat honeſte tunc ad tractatus acceſſura videbatur, velut pacem peteret. Sed inchoati ſemel tractatus honeſte continuari poterant, utcunque belli alea caderet.

1638.

Super præliminaribus diſceptatur.

De admittendis ad tractatus Germaniæ Principibus diſceptatum.

§. 73. Quanquam autem Avauxius congreſſui mediatorum apud Salvium obiter interfuiſſet, haut eo ſecius tamen hi Gallicam pacem non ad ſe, ſed ad Pontificem ac Venetos ſpectare reſtabantur; & Curtius ſe cum Salvio tantum, non cum Avauxio de ſolis Lubecenſibus tractatibus agere juſſum aſſeverabat. Quin neque hunc Legatum agnoſcebat, ut qui legationis ſuæ fidem nunquam feciſſet, nec Hamburgi aliud ageret, quam ut Suecos à pace forſan non alienos in bello detineret. Cæſarem quoque nolle præliminaria pacis Gallicæ Hamburgi abſolvi, in quem locum Pontifex, Galli mediator, ac Cæſar nunquam conſenſerint. Quin & Cæſaris nomine poſtulabat Curtius, ut Avauxium Hamburgenſes in cuſtodiam darent, aut ſaltem urbe ejicerent. Quod & ipſum Cæſar frequentibus literis, proſcriptionem urbi interminatus, poſtulabat. Contra Salvius oſtendere; propter fœdus tractatum alia ratione procedere non poſſe; cumprimis diſſuadens, ne infeſti quid in Avauxium tentarent, quod congreſſus Lubecenſis eo facto plane abrumpendus eſſet. Igitur poſt longam terDemum tamen admittuntur. giverſationem Curtius, ac Soldnerus tandem permittebant à prævio tractatu Avauxium non excludi, teſtati tamen à ſe unice tractatum Lubecenſem cum Suecis reſpici, Gallico negotio Coloniam rejecto.

Mediatores Avauxium ad tractatus præliminares admittere nolunt.

§. 74. Tarda hinc & tædioſa negotiatio oritur, Gallis ulterius quam Sueci tendentibus; ita ut ſi quædam inter Curtium & Salvium conveniſſent, huic inde velut mediatoris partes inter Curtium & Avauxium obeundæ forent, majore quam pro ſuo negotio contentione. Dum igitur quæ præparandis tractatibus requiruntur, expeditum cunt, Curtius circa Salvii plenipotentiam id monebat; quia credebat eam ratihabitione fœderis Gallici revocatam, ut eam renovari, & ad præſens tempus accommodari curaret. De quo in Sueciam ſcripturum ſe Salvius promittebat. Avauxio ampliſſima agendi cum Cæſare & Hiſpano quovis loco facultas diplomate Regio collata erat; verum neque id Curtio exhibere, neque Salvio exemplum tradere volebat, non alio ut adparebat fine, quam ut tractatus differre poſſet, quoad è re Galliæ videretur.

Tractatus præliminaris.

De plenipotentia.

1638. De salvis conductibus.

tur. De salvis conductibus pro legatis utriusque partis nihil scrupuli erat, nisi quod Curtius utique Cæsari titulum suum in diplomate Gallico tribui contendebat, quem hactenus in sermone cum mediatoribus Avauxius studio declinaverat. Quanquam isto diplomate nunc non opus foret, quod initio ob Hermansteinum Gallis tunc infestum, requisitum fuerat. Et habebat penes se Avauxius ejusmodi literas, justo titulo conceptas; sed quas exhibere ob causas jam dictas abnuebat.

Circa salvum conductum fœderatorum Salvii expostulata.

§. 75. Sed maximus nodus erat circa fœderatos utriusque Regni in Germania, & Galliæ extra Germaniam; circa quos totum negotium velut vado adhærebat. Postulabat Salvius, Reginæ caveretur, ut ipsius socii & adhærentes ad locum tractatus tuto se conferre, ibi commorari, sua negotia expedire, domumque inde se conferre possent: ut Cæsar Commissariis suis facultatem daret istos ad eundem locum conducendi: tum peculiare diploma pro Bernhardo Duce, & Landgravia; & hæc omnia Cæsaris manu subscripta. Præterea sub Commissariorum Cæsareorum manu poscebatur peculiaris salvus conductus pro singulis Regnorum sociis, qui isto opus habituri, aut eundem petituri sint. Avauxius circa Germanicos socios monebat, ut propter Trevirensem vocabulum *Electoribus* insereretur; testatus insuper Gallicos Legatos Coloniam non profecturos, ni diplomata tuti itineris pro Italis & Belgis exhibita sint, quæ Cæsar ab Hispanis conficienda curaret. Cæsarei contra horum nihil, præter diplomata pro Vinariensi & Landgravia annuebant, ut tamen non nisi Deputatos mitterent. Reliqua adjectis clausulis & conditionibus fere eludebantur. Nam primo cautionem Reginæ dandam de securitate sociorum superfluum ferebant, cum Cæsar id ipsum jam in salvis conductibus promisisset. Cui enim bono eandem rem bis polliceri? Dein nolebant ejusmodi laxam cautionem indulgere, ne forte Bohemi & alii è ditionibus Cæsaris hæreditariis exules ad tractatus se conferrent, & Succis ansam præberent eorum causam tanto acrius agendi. Igitur postulabat Curtius, ut nomina sociorum & adhærentium Salvius ederet. Nec aliis quam Ordinibus Imperii Cæsar cavere volebat, eoque vocabulum *adhærentes* in formula Cæsarea omissum erat. Restringebantur porro securitatis literæ ad *nondum reconciliatos*. Nam cæteros, qui pace Pragensi aut peculiari transactione in gratiam recepti sint, esse Cæsaris amicos, quibus Lubecam aut Coloniam proficisci non vetitum, nec salvo conductu opus sit, nisi forte Succicus miles hostilia intentet; Reginæ integrum esse eorum negotia curare, etsi ipsi Lubecam non accedant. Quod si conditionem suam meliorem fieri posse sperent, id non per salvos conductus, sed ipsa pacis conclusione obtineri. Quin nocere istis, quod Succi nunc salvos conductus pro ipsis postulent; dum securitas à Cæsare jam obtenta hoc modo, in dubium revocatur, antequam uberius ipsis cautum sit. Quæ Curtius speciose, nec sine verborum acerbitate deducebat, Gallos cumprimis arguens, qui quod in omnibus tractatibus clausulæ loco esse solet, fœderatos includere, id nunc initio congressus præmittant, ut ne materia deesset pacem remorandi. Excludebantur quoque Palatini hæredes, quibus Cæsar quem postulabant titulum tribuere nolebat; eorum tamen Deputatos in Comitatu Legatorum Regiorum tutos fore. Trevirensi præterea Electori, quamvis nondum reconciliato tutum accessum Coloniam præstare recusabat, eoque vocabulum *Electoribus* è formula plenipotentiæ Cæsareæ pro dandis commeatibus expungebat. Sed & ita Cæsaris diploma intelligi volebat, non velut ipse cum suis Imperii Vasallis Lubecæ tractare velit, sed ut ipsis permissum sit Cæsareos Legatos de negotiis suis informare, ut eorum pro re nata in pace ratio habeatur. Tandem non ipsis Ordinibus, sed eorum duntaxat Deputatis tutum accessum permittere cupiebat, eoque ex formula ista expungebat *veniant*, substituto *mittant*. Nec ferebat, ut iidem *fœderati* Regnorum vocaretur, ne tacite approbare videretur jus fœdera inter se & cum exteris ineundi, Pragenli pace ademtum.

Cæsareorum exceptiones.

Salvii & Avauxii replica.

§. 76. Ex adverso Salvio mirum videbatur jus certo casu fœdera ineundi, quod Ordines Imperii semper pertenderant, in dubium revocari; præsertim cum Cæsar in Curtii plenipotentia & Gallico commeatu citra scrupulum *Regnorum fœderatos* expressisset. Non tamen ideo acriter contendendum putabat, quod parum interesset, modo omnes, qui à Suecorum partibus steterant, quocunque titulo conventui adesse, suaque negotia conficere ibi possent. Nec in eo multum momenti videbatur, ipsi venirent, an suos mitterent; præsertim cum Vinariensis ab exercitu suo abesse non posset. Habebat quoque Salvius in mandatis, ut adquiesceret, modo sociorum commoda per Legatos Regios curarentur. Sed Avauxio acriter connixo Curtius concedebat, eam clausulam *per Legatos Regios* in salvo conductu deleri; & in ipso conventu decidi, per se an per Legatos Regios negotia sua agitare deberent. Circa Palatinos hæredes acceptabatur temperamentum à Curtio propositum, cum Cæsar ad dandum Electoralem titulum compelli non posset, & ipsi diverso admisso istis præjudicare nollent. Præsertim cum isthoc modo Palatinus missionibus ad conventus Imperii, & aulam Cæsaream usus foret, cujus ministri in Anglici Legati comitatu nunquam violati fuerant. Et Rustorfius cum Rovvio Legato Anglico in id consentiebat. Sed cum Salvius istud instrumento inserere vellet, repugnabat Curtius, injunctum sibi à Cæsare ferens, ne Palatinum negotium huic actui admisceretur, Bruxellis decidendum. Pro Trevirensi ut contenderet Gallus causam habebat; qui inter Sueciæ fœderatos nunquam fuerat. Ut porro communi diplomate omnium Ordinum nomina, quod Curtius proposuerat, exprimeretur. Salvius è dignitate istorum non ducebat, & quia non expresse nominati excluси videbantur. Ergo postulabat, ut Ordinibus Imperii honoris gratia Cæsaris manu vel communi formula caveretur, vel illis, quorum Catalogum ipse Curtio exhibuerat, (non exclusis tamen qui per oblivionem forte prætermissi forent) peculiaria diplomata, uti Vinariensi & Landgraviæ darentur, Cæsaris manu subscripta. Tum ut Cæsareis Legatis facultas tribueretur illis, qui Ordines Imperii non erant, cavendi, quem honorem Curtius affectabat. Avauxio quoque tandem probabatur, ut si Cæsar commune diploma negaret, illis, quos Gallia nominatura esset, pari formula uti Vinariensi & Landgraviæ caveretur. Circa illos, quos Cæsarei *reconciliatos* vocabant, Salvius non minus quam Avauxius in mandatis acceperant, accerrime contendere, ut pro ipsis æque ac reliquis salvi conductus darentur. Quanquam enim liberum erat illis quo vellent proficisci; tamen num absque permissu Cæsaris cum ministris inimicorum huic Regnorum tractare iisdem concessum foret, ambigebatur; nec Curtius istum nodum solvebat, Reconciliatos eos vocare, tacitam adprobationem videbatur habere pacis Pragensis, & transactionum cum Cæsare initarum; quarum plerisque isti enormiter fuerant læsi, qui non sine causa restitutione in integrum petebant. Quibus hac in re operam navare Suecia poterat, imo per conscientiam & rationes status sui tenebatur. Eoque transactiones istas Pragensemque pacem,

1638. cem, quantum Ordines ſpectabat, nec tacire nec aperte probare poterat. Quin judicabat, ſi communis pax concludenda foret, omnes quorum intererat utique admittendos eſſe.

De ſociis Gallorum extra Germaniam.

§. 77. Major difficultas erat circa ſocios Gallorum extra Germaniam, Italos & Belgas. Nam id pertendebat Curtius: præſentes tractatus ad iſtos non pertinere; Salvium aliquoties declaraſſe, communes tractatus ad rationes duntaxat Suecorum in Germania ſpectare: non eſſe quod ipſi controverſias Hiſpanorum cum Gallis, Hollandiſque & aliis curent, aut ideo ſuum negotium differant. Nec alio ſenſu Cæſarem in hoſce tractatus deſcendiſſe; alias ipſum facile deprehenturū fuiſſe, duos communes tractatus pacis ſucceſſum impedire, ac Gallis inſervire, ad rem pro lubitu extrahendam, omnemque negotiationem turbandam. Unde præfracte negabat, ſe ſalvos conductus Italorum & Belgarum promoturum; neque ſibi neque Avauxio de hiſce huic loco agere injunctum, ſed ea Coloniam ſpectare: Pontificem & Venetos in contumeliam ſui accepturos, ſi iſta heic decidantur. Contra agnoſcebat quidem Avauxius apud Salvium, Italos & Belgas ad negotium Suecicum & fœdus non ſpectare; eoque Suecos ut iſtorum tractatus morentur non teneri. Sed quia Galliæ Rex citra Suecos Colonienſi tractatu nihil proficere poſſit, vehementer inſtabat, eam quoque cauſam Salvius in ſe ſuſciperet, nec prius Lubecam proficiſceretur, aut diem diceret, quam Galli ſalvos conductus pro iſtis obtinuiſſent, præſertim pro Belgis, quos veteres amicos atque ſocios Sueci non inſuper habituri ſint. Aſt mediatores acriter Salvium urgebant; iſta omitteret, cum Sueciam hac in cauſa qui extra Germaniam ſunt, non tangant. Haut eo ſecius tamen Salvius id negotium non ſtatim abdicare poterat, ob verba fœderis *conjunctim tempore*. Et quanquam apud Avauxium oſtendebat ex mera benevolentia citra obligationem id fieri; apud mediatores tamen velut per dictam clauſulam obſtringeretur, id negotium propugnabat. Scilicet quod neceſſarium videretur tanto arctius Galliam complecti, quo magis Cæſarei illam Sueciæ avellere nitebantur. Id ipſum tamen rem reddebat longe difficillimam, cum Curtius heic aures plane obturaſſet.

De die conventui.

§. 78. Diem conventui quamprimum dici urgebant mediatores, & ipſe Curtius ſaltem circa finem menſis Auguſti; Avauxius contra circa initium Auguſti mandata ſuper ea re expectari à ſe ferebat. Sed cum intra id tempus nihil adferretur, jactabat diem ſe non nominaturum, niſi traditis prius omnibus ſalvis conductibus Vienna, & Madrito pro Germanis, Italis & Hollandis: quod circa initium ſequentis anni dubitabundus licet fieri poſſe dicebat. Salvius, uti juſſus erat, ante initium hiemis congreſſum incipi optabat, niſi Gallus obſtitiſſet, qui nullo id modo concedere volebat, antequam omnia diplomata adeſſent. Et cum oſtendiſſet Salvius, difficile fore præcipitante autumno Legatis Suecicis mare trajicere, aut terra iter per Daniam capeſſere; reponebat Avauxius; poſſe iſtos ante hiemem Stralſundam aut Wiſmariam ſe conferre, modo Lubecam non prius ingrediantur, quam dies Coloniæ ſit conſtitutus. Statim atque ſalvi conductus adeſſent, Coloniam ſe iturum; ad certum diem obſtringere ſe non poſſe; ſubinde ingerens verba fœderis, *conjunctim tempore*, ita ſententiæ ſuæ pervicax, ut Salvium ad paucos dies Lubecam excurrere poſſe negaret hoſpitiorum inſpiciundorum gratia. Tandem cum Salvius teſtaretur, poſt allatos omnes ſalvos conductus pro fœderatis Germanis ad locum tractatus accedendum, nec per fœdus amplius ſibi morandum; & quæ pro Italis & Hollandis à ſe hactenus dicta ſint, ex liberalitate profecta; Avauxius diu contendebat, Coloniam ſe non iterum, ni ſaltem Hollandi eodem proficiſcantur. Inde erumpebat, ſi Sueci Lubecam accederent, ſibi utique Coloniam eundum: verum Cæſari titulum negaturum, eoque tractatum utcunque remoraturum; id quod per fœdus liceat, ubi is ſolo Ferdinandi vocabulo notetur. 1638.

An propter moras Gallorum tractatus differendus.

§. 79. Sic quo minus circa præviam negotiationem convehiri poſſet, motis per Gallos difficultatibus fiebat. Ac non immerito dubitabatur, ſi Sueci omnia quæ deſiderabant diplomata à Cæſare obtinuiſſent, & Galli nihilominus moras necterent, tractatusq; auſpicari tergiverſarentur, num ipſi Italos, Hiſpanos, & Hollandos utique morari debeant; & an non ſalvo fœdere denuntiare poſſint, ut ſimul cum Suecis & ipſi tractatus ordiantur, aut ſi nolint, Suecos haut eo minus initium negotio facturos? Id quod acriter ſuadebant Dani, ingerentes, Gallos in Suecorum gratiam ſua commoda non neglecturos. Et Rex ipſe jactabat, Suecos non minus à Gallis decipiendos, ac ipſe deceptus fuerit, cum bellum in Germania gereret; cui promiſſa ſubſidia non exſolverint, nec inter poſtremas cauſas ſuæ calamitatis fuerint. Et inclinabat quidem in hanc ſententiam Salvius, niſi diſerta è Suecia mandata obſtitiſſent. Nam quo fine moras necterent Galli in aprico erat, ut per Suecos Cæſarem ad Mare Balticum diſtinerent, quoad ipſi Hiſpanos in ordinem redegiſſent. Sed & quam tarde tractatus proceſſuri forent inde patebat. Nam extortis licet diplomatibus pro ſociis extra Germaniam; Cæſarei tamen Coloniæ iſta oſtenſuri, ſed non traditurі erant, quoad Gallus quoque diplomata pro ipſorum fœderatis, Lotharingo, aliiſque exhibuiſſet; quorum nonnullis titulum in controverſiam iſte vocabat. Curtius porro ut noſſet, num Salvius conventum obiturus eſſet, diplomatibus pro Hollandis ab Hiſpano non allatis, quæſtiones à Petro Wibio Holmiæ, & à Cleenio ipſi Salvio antea propoſitas recoquebat, ſcripto conceptum reſponſum expoſcens. Non obſcurum erat id fieri, diffidentiæ inter Suecos, Gallosque ferendæ. Et ſi reſponſum plane abnegaretur, exclamaturus erat Curtius Suecos nihil aliud quam pacem extrahere; tum deprædicato Cæſaris in pacem ſtudio Sueci invidia belli onerandi, ac Ordines, Danusq; in ipſos concitandi erant. Igitur caute reſponſum concipit, ut neque Gallos offenderet, neque Cæſareis calumniandi anſam præberet. Per communes tractatus intelligi, quibus honeſta pax per univerſam Germaniam, & cum Suecia atque Gallia conſtituenda ſit: fœderatos non alios haberi, quam qui in Germania cum utroque Regno, ad ſacrorum & libertatis, bonique publici defenſionem ſe conjunxerint: quamprimum diplomata à Cæſare pro utriusque Regni Legatis atq; Agentibus, nec non utriusque fœderatis exhibita fuerint, more inter gentes recepto adornata, & uti à ſe propoſitum fuerit, tractatus pacis Lubecæ & Coloniæ ordiendos: quanquam præpoſterum & iniquum ſit, conventui certum diem poſtulari, antequam ſalvi conductus adſint; tamen ne in ſe mora ſit, Reginam conſtituiſſe ſub finem Septembris Legatos mittere, ſi matura diplomata afferantur: Avauxium deniq; ſcripto mediatoribus declaraſſe, ſtatim atque poſtulata diplomata pro fœderatis Germanicis adfuerint, ſe Coloniam cum Collegis profecturum; ac licet is certum diem non deſignaverit, penes Cæſarem eſſe tempus maturatis diplomatibus anticipare. Id reſponſum omnibus, qui pacem optabant, placebat, nec Avauxius queri poterat, quin idem fœderi ac declarationi ipſius congrueret. Et Curtius, licet non plane ad omnes ipſius quæſtiones quadraret, tamen eodem ſe adquieſcere teſtabatur, quod propius ad

1638. rem accedi videat. Etsi revera extracti negotii invidia, quam hactenus in Suecos derivare studuerat Curtius, eo responso in ipsum revolveretur, penes quem fuerat postulata diplomata dudũ exhibuisse.

Curtius Regem Daniæ ad fœdus invitat.

§. 80. Inter istam negotiationem Curtius ad Daniæ Regem Glucstadium proficiscitur, nomine Cæsaris petens, circa tractatus pacis promovendos operam navare, simul Cæsari fœdere sociari velit. Cui Rex; rem huc usque haut processuram fuisse, si Cæsar soli sibi eandem commisisset; se tamen pro virili annisurum, ac de eventu bene sperare. De fœdere, qui Dano favebant, respondisse ipsum ferebant; in mediatorem pacis non cadere, ut alterutri se parti jungat. Etsi qui Curtium comitabantur spargerent; Regem declarasse, ni Sueci æquam pacem acceptarent, se Cæsari junctum vi istos ad eam compulsurum. Quo fine & statim in Daniam se contulerit, cum Senatoribus deliberaturus. Addebatur, hac lege Curtium ipsi vectigal Glucstadiense in perpetuum aut ad vitam nomine Cæsaris promisisse. Istis non parum fidei accedebat ex his, quæ

Dani apud Rectores Sueciæ propositio. 26. Aug.

paulo post Daniæ Rex per Christianum Ulricum Gyldenlœvvium Holmiæ apud Rectores Sueciæ proponebat. Is pronum Cæsaris paci animum miris laudibus extollebat, missio Lubecam cum plena agendi facultate Curtio Comite declaratum; nec obscure in Suecos culpam negotii non succedentis conferebat. Per scrupulos circa præliminaria motos conventum extractum; Salvium negasse, quidquam sibi in mandatis datum suscipere, quod paci promovendæ faciat. Ni serio magis res agatur, tam salutare negotium plane intermoriturum. Hortabatur inde Reginam, consilia eo dirigat, ut orbis perspiciat, pacem ipsi cordi esse. Quod futurum sit, si quæ objici possint difficultates ita moderetur, ut ne per eas tractatuum primordia impediantur. Tum si certos Legatos designet plenis mandatis instructos ad expediendam ipsam negotii summam: ac ut certus dies congressui Lubecæ præfigatur. Nam si quid adhuc circa præliminaria scrupuli restet, id ipso tractatu commodius removeri posse. Honestius tractatus Reginam abrupturam, si deprehenderit Cæsarem minus candide agere, aut iniquas conditiones offerre; quam nunc conventum levi obtentu abnuat. Addebatur de studio Regis circa pacem, & uti ipsi curæ sit futurum, quo Reginæ æqua ratione satisfiat. Rectores Sueciæ etsi ægre

Rectorum Sueciæ responsum.

ferebant istam culpam sibi impingi; tamen dissimulata offensa ostendebant; E consiliis actionibusq; Austriacorum satis constare, quo studio in pacem isti ferantur; nec si de eo ipsi dubitent, ullum sibi vitio daturum, qui cogitaverit, quid iidem obtentu tractatuum per aliquot jam annos moliti sint. A se nihil magis optari, quam ut patria sua & vicini honestis conditionibus quiete potiantur, nec idonea isti fini media repudiasse. Salvium jam dudum sat mandatorum habuisse; qui si forte novo scrupulo oborto huc relaturum se dixerit, haut ideo plenipotentiam suam abnegasse. Scrupulos circa salvos conductus à Cæsare ortos, qui cum suis Commissariis facultatem concesserit fœderatis Sueciæ cavendi, cur ipse per se id facere detrectet? Si salvo fastigio suo idem cum uno & altero Sueciæ fœderato pacem & fœdera concludere potuerit, cur alios pari dignatione ad præsentes tractatus admittere dubitet? Cur Sueciæ adhærentibus salvus conductus non exhibeatur, qui raro etiam inferioris conditionis hominibus negari solet? Regem pro æquitate sua magis probaturum, quod Sueci suis sociis caveri postulant, quam quod Cæsar circa idem tergiversatur. Legatis mittendis moram non fore; ubi super præliminaribus convenerit. Diplomatibus tuti commeatus allatis Salvium cum Avauxio circa nuncupandum congressui diem conventurum, &

1638. in Sueciam relaturum. Circa titulum Regem Galliæ difficilem non fore. Si quid remoræ adversa pars injiciat, id Regem emendaturum, aut saltem alienum delictum sibi non imputaturum.

Dani nova circa pacem tentamenta.

§. 81. Cæterum post digressos Viennam Lauenburgicos Daniæ Rex solus pacis moderamen videbatur affectare. Id quod & Curtius optabat, cui Penzius Comes persuaserat: Suecos non nisi Dani opera solo Germanico dimoveri posse, cujus id fieri quam maxime interest. Quanquam igitur Penzius ille & Cleenius non minus, quam Lauenburgici inter Curtium & Salvium hactenus mediatorum vice functi erant; post horum tamen discessum semel atque iterum Reventlovium Cancellarium Hamburgum mittebat; velut de integro præliminaria adornaturum. In initio contendebat, ut tractatus citra ullos salvos conductus pro fœderatis inciperent; nam fortasse neminem eorum compariturum; & malle ipsos per Regios Legatos suam causam agi, quam diutius belli cum miseriis conflictari. Quo tamen postulato delistebat, postquam Salvius ipsi Ducis Bernhardi, Wurtenbergici, & aliorum literas ostendisset, accessum ad tractatus postulantium. Inde proponebat, ut omisso peculiari diplomate Vinariensis, & Landgravia communi salvo conductu contenti essent. Sed cum his præ aliis cautione opus esse ostenderet Salvius, qui retentis hucusq; armis Cæsarem quam maxime irritaverant, etiam hoc postulatum omittebat; simul patiebatur vocabula *adhærentes*, & *venient* diplomati inseri, modo *nondum reconciliati, & per Legatos Regis* admitterentur; alia quippe ratione Cæsarem non consensurũ. Contra Salvius reponebat; Lauenburgicos spem habuisse Salvos conductus nullo discrimine inter Cæsari reconciliatos, aut minus obtinendi, & quod ipsi forte non poterunt, id Regem sua autoritate confecturum. Par esse Regem huic postulato potius aliquid addere, quam detrahere, cum & ipsius interest dignationem Ordinum Imperii gliscere. Adhæc Reventlovius testabatur: Regem quantũ possit consecturum. Sed si Cæsar flecti nequeat, petebat, ut eo adquiesceret, quod obtineri possit ne tot annorum labor ob unicam clausulam non maxime momenti periret. Salvius cum crederet, si quid obtineri queat, id jam per Luneburgicos confectum, eoq; si quæ nunc annueret, sibi non obfutura, paulo liberalius declarat; si utiq; à Cæsare nihil amplius extorqueri posset, Reginam eo contentam fore, quod Regi æquum videatur, quodque obtineri liceat; expresse tamen addita hac conditione, ut Legati Regii non minus unius quam alterius causam agant, idq; Ordinum juribus ac dignationi fraudi non sit; ieque cum Avauxio hæcce communicaturum. Id quod Reventlovius ambabus manibus amplectebatur. De die congressus utriq; videbatur ante Kalendas Novembris constitui non posse; quod & ipsum tamen Salvius ad Avauxium relaturus erat. Placebat quoque Hamburgum in Lubecæ locum substitui, quam pestilentia inquinaverat. Ast mox re cum Avauxio communicata, hic vocabulum *nondum reconciliatos* in diplomate nullo modo ferre volebat, utut omnes Gallorum fœderati, Dux Vinariensis Colmaria, & pauca insuper oppida cum Cæsare nondum in gratiam rediissent. Unde postulabat, ut saltem res differatur quoad ipse in Galliam scribere, & inde responsum accipere possit; tum ut dies congressui ad Kalendas Januarias sequentis anni prorogetur. Salvio dubium non erat, quin sat mandatorum Avauxius haberet, ut nova relatione opus non foret. Ac mirum erat nunc id vocabuli respui, cum Galli in prima salvi conductus formula *nondum reconciliatos* expressissent, ac à Suecis contendissent, ut ipsi hic contenti apud Venetos nil amplius urgerent. Et cum rationi nullum relinqueret locum Avauxius,

Salvius paulo liberalius annuit.

Gallus in concessa à Salvio non consentit.

1638. vauxius, ſuſpicabatur Salvius à Gallis id agi, ut dum Sueci bello impliciti hærent, ipſi ſe inde extricent. Quia autem Avauxius antehac ſermone & ſcripto declaraverat, quamprimum diplomata tuti itineris allata eſſent, ſe Coloniam profecturum: igitur negotio promovendo nihil aptius judicabat, quam urgere, ut iſta ocyus adferantur; ſperans Avauxium ob id vocabulum *nondum reconciliatos* eadem non rejecturum.

Rectorum Sueciæ ſuper Gallorum tergiverſatione ſententia.

§. 82. Iſthæc Gallorum tergiverſatio Rectoribus Sueciæ haut modicam curam injiciebat, qui & ante id incommodi ratihabitionem fœderis Gallici ſecuturum metuerant, & ideo tamdiu eandem extraxerant. Quanquam igitur per fœdus non tenerentur Galliæ ſocios extra Germaniam morari; Salvio tamen injungebatur, quantum res ferret connitereretur, quo ſuper utriusque tractatus præliminaribus Hamburgi tranſigeretur, ac ut Avauxio de induſtria moras nectenti poſtulati ſui iniquitatem demonſtret, & ad maturandum negotium eundem incitet. Enimvero ſi hiſce nihil proficeretur, altæ indaginis quæſtio erat, num hoc caſu utiq; ad tractatus cum hoſte absq; Gallis foret deſcendendum; Galli equidem id citra violationem fœderis fieri non poſſe contendebant. Nam utut fœdus ad ſolos in Germania fœderatos reſtringatur; addi tamen, Suecicos & Gallicos tractatus *ſimul & eodem tempore* ſuſcipi debere, nec Suecos Lubecæ prius, quam Galli Coloniæ negotiationem ordiri poſſe. Galliam autem nec velle nec poſſe tractatus auſpicari, quam ſalvo conductu pro omnibus ſuis intra & extra Germaniam ſociis obtento. Eoq; & Sueciam hucusque expectare utique teneri. Sed & ſi Sueci ante Gallos pacem concludant, Cæſarem copias ſuas Hiſpanis auxilio poſſe mittere, & ita obliqua ratione pacem Germanicam violare. Quo caſu cum Regina teneatur bellum in Cæſarem inſtaurare, ſatius eſſe id incommodi prævertere, & Germanicam pacem non concludere, niſi eadem ſimul cum Hiſpanis, Belgis, & Italis inita. Enimvero ex adverſo patebat, nunquam Sueciæ Rectoribus id conſilii fuiſſe, ut tantis ambagibus & infinito bello in aliorum gratiam ſe obſtringerent, ſuamque pacem tot difficultatibus implicarent. Nam Lubecæ ipſis una pax cum Cæſare erat adornanda. Sed Gallo Coloniæ ſex tractatus abſolvendi cum Cæſare, cum Hiſpano, cum quibuſdam Italiæ Principibus, inter Hiſpanos & Hollandos inter Cæſarem & aliquot Italos Principes, inter Hiſpanos & quoſdam Italos. Et quanquam optabant ob Chriſtiani orbis tranquillitatem omnes hoſce tractatus cum Lubecenſi pariter inchoari & abſolvi; tamdiu tamen bello implicari, quoad iſti omnes perficiantur, & ad id obligatos ſe profiteri, arduum nimis erat. Ac ſuperiore hieme cum Avauxius Suecos ad iſthoc adſtringere vellet, Salvio id abnuenti ceſſerat. Sane non niſi conjunctim cum Gallia tractandum erat; ſed ea conjunctio non latius porrigebatur, quam ipſa fœderis obligatio, quę Suecos haut quidquam ſtringebat ad bellum Hiſpanis aut Italis faciendum. Unde nec Sueci Hiſpanicos aut Italicos tractatus morari tenebantur, ſed ſtatim atq; Gallus idonea diplomata pro ſe & fœderatis Germanis accepiſſet, vi fœderis Sueci tractatus ordiri poterant, & Gallus ſimul Germanicam negotiationem auſpicari debebat, quamvis cæteris tractatibus nondum inſtitutis. Et licet fœdere cautum eſſet, ut unus tractatus ab altero dependeret, & ita uterque inter ſe connexus eſſet, ut aut neutrobi, aut utrinque pax conſieret; id tamen ad materiam fœderis erat accommodandum, quę ad ſolum cum Cæſare bellum in Germania pertinebat. Alias enim Suecis omnes quoque tractatus Colonienſes ſubſcribendi atque præſtandi forent. Ne autem Cæſar directe aut oblique pacem violet, peculiari capite caveri poſſe. Ac ſi præter ſpem id contingat, Reginæ pacem præſtandam incumbere. Igitur Sueci ex fœdere poſt exhibita ad ſocios Germanicos neceſſaria diplomata Gallos plura tergiverſantes audire non tenebantur; ſed ſi iſti ſimul ad tractatus pervenire nollent, vel ſoli tractatus ordiri poterant. 1638.

Sueci à Gallis disjungi nolunt.

§. 83. Enimvero alia conſideratio interveniebat, ob quam à Gallia tractatus pacis haut ſejungere, ut ad iſthoc non tenerentur, conſultum videbatur. Nam ſi à Cæſareis adhibitus agendi modus, & quæ conſilia in Polonia & alibi agitabantur, expenderentur, & inter ſe conferrentur, patebat Cæſareos inani pacis jactatione auram popularem captare, & Suecos à Gallis divulſum ire. Ac licet cum Cæſare tractari inciperet, eventus tamen negotii incertus erat. Contra tractatu absque Gallis ſuſcepto etſi hoc caſu fœdus non violabatur; hi tamen iſtud utique abruptum queſturi erant, ſubſidiis aliisque promiſſis negatis. Quod ſi Cæſar ipſos ludificaret, ut tractatus re infecta ſolverentur, Gallica auxilia perierant, & belli moles gravior quam antea incumbebat. Ita ab hoſtibus illuſi, ab amicis deſtituti & avulſi, fama conſumta majori quam antea periculo ſe induerant, ac hoſtium machinationibus per imprudentiam ſe præbuerant. Ne igitur certum pro incerto amitteretur, placebat caute procedere, & inſidioſum conventum Gallia nondum parata haut præcipitare, hujusque poſtulata non ſegnius quam propria urgere, ac ſi quæ difficultates inciderent, tractatus potius differre, quam Galliæ ad abrumpendum fœdus, & ſubtrahenda ſubſidia anſam præbere. Et quanquam Belgæ ab ipſis non perierant, ut hiſce tractatibus ſui mentionem facerent; tamen culta diu cum ipſis amicitia, & quæ in eorum conſervatione vertebantur Regni Sueciæ rationes poſtulabant, ut hac occaſione affectum in eos teſtarentur.

Id quod Dano diſplicet.

§. 84. Dano, cum de iſthac Suecorum ſententia intelligeret, ea haut quidquam probabatur, velut priori ipſorum declaratione parum congruens. Idque per Petrum Wibium ſignificat, addito, ſe 30. Oct. ſperare ipſos declaratione ſemel facta ſtaturos, nec conceſſuros, ut ullo injecto ſcrupulo tam ſalutare negotium impediatur. Cui reſpontum: Quanquam 15. Nov. alii quam Germani fœderati ad Lubecenſes tractatus haut ſpectent; tamen quia per fœdus tractatus non niſi conjunctim ſint inſtituendi, & Galliæ Rex absque ſociis, præſertim Hollandis, negotiationem ſuſcipere nequeat; placuiſſe Reginæ ad omnia pacis obſtacula removenda, & ut fœderi Gallico ſatisfaciat, per Legatum ſuum inſtare, ut à Cæſare & Hiſpano pro Galli ſociis diplomata exhibeantur, quo tractatuum initium pariter fieri queat. Qua in re advertarios non difficiles fore ſpes ſit, quod prætenſioni ipſorum nihil inde decedat, & jam ante ſalvi conductus inter Hiſpanos Hollandosque uſu recepti ſint. Unde qui iſtos nunc abnuat, ſuſpicandi anſam præbere, velut pacem ſerio non quærat. Atque id negotium uti Rex promovere vellet, petebatur. Aſt Salvius cognita Reginæ ſententia ſat prævidebat, quam difficile ſibi futurum eſſet declarationem Dano nuper factam retractare, & culpam dilatæ pacis, quam Cæſarei oblatis diplomatibus à ſe amolitum ibant, declinare. Et quia per ſolos Gallos ſtabat, quo minus diplomata acceptarentur, nihil ſuperaret, quam maximam invidiæ partem in hoſce derivare. Cum igitur Daniæ Rex Salvii declarationem ex Reventlovio cognoviſſet, inſuper habitis, quas iſte addiderat, conditionib⁹ eam velut puram arripit, ac ſtatim ad Cæſarem refert; petens ut diplomata ad priorem formulam, litigioſa illa vocabula complexam, transmittantur. Et quia ſpes fiebat propediem iſta adfore, proximum erat, ut apud Suecos diplomata pro Moguntino &

Danus diplomatum miſſionem urget.

1638. 4. Oct. Brandeburgico Electoribus ad Lubecenſes tractatus deputatis expediri curaret. Id Rex Salvio per literas ſignificat, monens, ut parcendo tempori Legati è Suecia quamprimum in viam ſe dare velint. Aſt Salvius cum Regem id agere ſentiret, ut poſt exhibita diplomata tractatus cum Suecia Gallorum ingratiis ſuſciperentur, iſtis conatibus obviam iturus, Reginæ voluntatem ipſi denuntiat; & quia conjunctim cum Gallia tractandum erat, hæc autem 6. Nov. niſi ſalvo conductu pro Belgis exhibito tractare abnuebat, à Rege petebat; operam daret, ut iſte ad formulam, quam ſimul transmittebat, conficeretur, ne Gallis prætextus ſit poſt allata ad Lubecenſes tractatus diplomata Succiam diutius detinendi. 12. Nov. Iſta enim vero Rex reſpuere: Belgis ſe amicum, & ſi id petatur, quævis officia exhibere paratum, quod citra fraudem præſentium tractatuum fieri poſſit. Sed iſtorum cauſam per Suecorum cum Gallis fœdus Coloniam ſpectare, nec ab Hollandis, aut Hiſpanis unquam mediatoris munus ſibi impoſitum; & cum Gallicum fœdus ſocios tantum Germanicos ſpectet; id negotii Salvium non tangere. Unde ſe circa Hollandicum diploma ſatagere non poſſe ſalva dignitate, & citra remoram negotiationis jam longius progreſſæ. Alias ſemel conventis ſe inſiſtere, & quantum in ſe eniſurum, ut allatis à Cæſare diplomatibus pax longius ne protrahatur. Cui 14. Nov. Salvius aliis literis prolixius demonſtrat, quare ſibi tractatus ordiri non ſit integrum, quoad diplomata pro Hollandis ſaltem ſint exhibita; quorum maturationem Regi commendat.

Salvus conductus Cæſarem adeſt. §. 85. Viennæ cum initio conſtituiſſent ob vocabulum *nondum reconciliatos*, quod omittere nolebant, nulla potius peculiaria diplomata, quam commune pro fœderatis dare; poſt intellectam è Dano Salvii declarationē ſententia mutata malebant commune diploma pro fœderatis, & duo peculiaria pro Bernhardo Duce, & Landgravia tradere. Ea Hamburgum ſub finem Novembris ad Legatos Cæſareos transmittuntur, aliis in uſum Gallorum pari formula Coloniam allatis. Iſtis inſerta erant vocaEjus vitia. bula *Adhærentes*, & *venant*, de quibus Salvius monuerat, non minus quam tantopere hactenus exagitata, *per Plenipotentiarios Regina, & nondum reconciliatos.* Sed ſatius fuerit eorum formulam integram heic inſerere. *Ferdinandus* III. &c. *Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, notum teſtatumque facimus, Nos, ad inſtantiam Sereniſſimæ Reginæ, Regnique Sueciæ, conſenſiſſe, prout vigore harum conſentimus, ut omnes & ſinguli ſuæ Serenitatis fœderati Status* & Adhærentes per Germaniam, Nobis nondum reconciliati, *qui negotia ſua in futuro inter Nos, dictamque Reginam Tractata Pacis* per Plenipotentiarios Serenitatis ſuæ *peragere voluerint, ſecure Lubecam vel Hamburgum* veniant *vel mittant, & ut tam ipſi, quam qui mittentur, ſecure ibidem ad finem Tractatus commorentur, & res ſuas peragant, & ſecure viciſſim ad ſuos quiſque revertantur, & ut ipſi quoque Eorum mandatarii, una cum Comitatu, Miniſtris, Nunciis, ac Tabellariis, ultro citroque eo nomine mittendis, tam quoad perſonas quam res & bona omnimoda hac ſecuritate & libertate inviolabiliter fruantur; Verbo imperatorio & Regio promittentes, hoc ſalvo Conductu generali ſingulos Eorum inſpecie æque tuto ac ſecure fruituros, ac ſi nominatim hic inſerti & expreſſi eſſent. Qua quidem ſecuritas ut eo commodius ad unumquemque eorum perveniat, parem autoritatem tranſſumtis hinc apographis, qua Autographo huic ipſi debetur, tribuimus; ex abundanti inſuper daturi noſtris ad dictum Tractatum conſtituis, & conſtituendis Commiſſariis plenam poteſtatem, ut, ſi ita poſtulatum fuerit, nomine noſtro ſingulis eorum ſingulos ejusmodi ſalvos Conductus in optima forma dent ac diſtribuant. In quorum fidem præſentes, manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo noſtro Imperatorio firmari juſſimus. Datum in Civitate noſtra Vienna, die decima quarta Novembris Anno Milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo octavo, Regnorum noſtrorum, Romani ſecundo Hungarici decimotertio, Bohemici vero undecimo. Ferdinandus. V. Conr. Hilpprandt D. Ad Mandatum ſac. Caſ. Majeſtatis proprium. Joan. Walderode.* 1638.

Addebatur catalogus eorum, quibus diploma iſtud prodeſſe deberet, longe minor, quam qualem Salvius exhibuerat, omiſſis præter alios etiam Electore Palatino, & Wurtenbergico Duce. Ita incluſis paucis reliqui omnes excluſi intelligebantur. Cum igitur Daniæ Rex Salvio denuntiaſſet, Diſceptatio ſuper ſalvo conductu. diplomata nunc adeſſe, & diem conſtitui poſtulaſſet hiſce invicem permutandis, & auſpicando tractatui; moleſta hunc inter & iſtum oriebatur diſceptatio. Danus jactabat; Cæſarem ſalva dignitate & propria ſecuritate non poſſe permittere, ut omnes, qui cum Cæſare in gratiam redierint, Ordines cum inimicis Regnis iterum conjungantur; multo minus ut cum ſubjectis ſibi velut pro tribunali diſceptet, & apud exteros Reges cauſam dicat, quod de conſilio omnium Ordinum unus & alter contumacis malitiæ ſubditus pœnas dederit. Magis decorum fore Reginæ, ſi ſua tantum negotia curet, idque Cæſarem æquiore animo ferre poſſe. Contra Salvius demonſtrare, quantum præjudicii rebus Proteſtantium fiat, ſi pax Pragenſis à Regina oblique adprobetur, & qui reconciliati vocantur, in hiſce tractatibus prætereantur, quorum multi enormiter læſi ſint, uti Wurtenbergicus & alii; qui æque opus habeant patrocinio, quam nondum reconciliati. Nec ullum deinceps remedium fore id jugum, quo nunc premuntur, excutiendi, ni hæc occaſio arripiatur. In eo Suecorum exiſtimationem & conſcientiam verti. Sed & Curtium jam ante conceſſiſſe, ut Ordines per ſe ipſos poſſint agere; qui non ſint appendices, ſed ſocii fœderis, quorum dignitati, imo naturali & gentium juri repugnet, ſi non audiantur. Non quæri novos in Imperio tumultus, nec Cæſarei faſtigii decrementum, ſed æquam & honeſtam pacem. Sed & in peculiaribus diplomatibus omiſſo juſto titulo non niſi *Dux Bernhardus Vinarienſis*, & *Amelia Eliſabetha Landgravia Haſſiæ* exprimebatur. De quo cum Salvius moneret, Dani ferebant; ita uſu receptum, ut Cæſar ſubditis arma adverſus ipſum gerentibus titulos ſuos non tribuat. Id quod tamen formulæ utrinq; conventæ adverſabatur; & ferendum non erat iſtos ita contemtim haberi, velut viles quoſdam homines & facinoroſos. Denique addebant Dani; Regem pro Hollandis nihil operæ ſuſcipere poſſe, niſi ab ipſis rogetur.

§. 86. Poſt longam diſceptationem cum Dani animadverterent, Salvium diplomata ita ſimpliciter Temperamentum à Dano propoſitum. non acceptaturum; proponebant, ut is interpoſita proteſtatione ſibi caveret; hac acceptatione Pragenſem pacem non adprobari, ac nihilo ſecius tam reconciliatorum quam cæterorum cauſam à ſe agendam, quod pleriq; iſtorum læſi judicarentur; utque id dignationi Ordinum fraudi non ſit, ſi non per ſe ipſi cum Cæſare tractare poſſint. Addebant, Regem hancce proteſtationem æquam judicare, eamq; bono Ordinum aſſerere velle. Hac ratione Suecos favorem ſibi Ordinum pignerare, invidiamque Cæſari facere, ac deſtinata ſua obtinere; & Ordinibus perinde eſſe, Regina an ipſi tractent, modo ſibi conſulatur. Sed ſi Regina id abnuat, Cæſareos gaviſuros, gratia ſibi apud omnes conciliata, Ordines indignaturos, ob rem tam modicam bello ipſos diutius premi: Regi tædium morarum ſubiturum: Reginæ invidiam incubituram; omnia in periculoſum ſtatum ruitura. Ad extremū rogabant, diplomata ea conditione admitterētur, ut interim quoad dies convent' ceſſiſſet, de eorundem emendatione

agi

1638. agi posset; & ita citra moram ad diem conventui designandum descenderetur. Enimvero quo minus hoc temperamentum non sane absurdum admitti posset, conjunctio cum Gallis obstabat. Unde Salvio hac de re cum Avauxio communicandum erat; qui nihil aliud desiderabat, quam quod vocabulum *nondum reconciliati* interim legatur, quod ne toleraret, prefsè sibi injunctum sit. Et quia Vinarienſi atque Landgraviæ debiti tituli denegati sint, nec de Hollandorum diplomate quidquam audiatur, Cæsarea diplomata non acceptari petebat. Et quanquam Salvius variis rationibus persuadere ipsi niteretur, vocabulum istud tanti non esse; cum Galliæ non sint alii fœderati, quam non reconciliati, ejusque adeo nihil interfit, id omittatur an minus: nihil tamen horum probare is volebat, subinde ingeminans; firmiter modo persisteret, Cæsarem ut id quoque concedat utique adigendum. In isto bivio constitutus Salvius neq; cum Avauxio asperioribus verbis expostulare volebat, quoad videret, quâ promte à Gallis subsidia exsolverentur, accedentibus quoque Reginæ mandatis, ut citra Gallorum contentum nihil decerneret. Neq; tamen Danum irritare consultum ducebat, præsertim cœpto tunc Luneburgi conventu Inferioris Saxoniæ, ubi prout nunc adversus Regem se declararet, consilia vel ad conjunctionem Saxonum cum Cæsare contra Suecos, vel ad promotionem pacis, aut neutralitatem inclinatura erant. Igitur tandem Danis demonstrat; penes Reginam & se non stare, sed penes Gallos & Avauxium, quem denuo ad temperamentum aliquod admittendum, aut nuncupationem certæ diei permovere conaturus sit. Interim Rex in integro rem teneret, & Cæsari quantum posset correctionem diplomatum persuaderet.

Danus Suecis magis & magis suspectus.

§. 87. Dum ista agitantur, Daniæ Rex Suecis indies magis suspectus fiebat, immodici in Cæsarem studii. Jactabatur ab ipso ejusque ministris; Hollandos & Italos ad fœdus Suecorum cum Gallis nihil spectare; si hoc obtentu Suecі pacem extrahant, Regem junctis cum Cæsare viribus Suecos ad eam amplectendam compulsurum. Miseriis Germaniæ tandem aliquando subveniendum. Satius esse qualemcunque pacem habere, & reliqua tempori emendanda committere, quam exteris prædæ exponi. Cæsarem in pacem pronum, quam soli Suecі remorentur in Gallorum gratiam, quorum interest Germaniam nunquam tranquillari. Igitur utile fore Suecos Germania dimoveri. Consumtam Regis patientiam, & ad alia ipsi consilia descendendum. Satius esse in aperto bello, quam tali statu vivere. In Suecia militari ætate exhausta, præter senecciones, fœminas, & pueros neminem supersse; ut non sit, quare tantos spiritus Suecі gerant.

Salvii cum Danis disceptatio. 4. Dec.

§. 88. Porro Rex insuper habitis, quæ Salvius circa diplomata Cæsarea monuerat, ab hoc statim postulat; ut diem tractatibus inchoandis dicat, quo facto diplomata invicem permutari posse. Curtium enim de amovendis omnib⁹ scrupulis confirmasse, cui ipse plenam fidem adhibeat. Cæsarem circa omnia, quæ ad promovendos tractatus ab ipso postulata fuerant, facilem se exhibuisse. Unde cum Salvius ferre non posset, Danum velut pro tribunali secundum Cæsarem calculum ferre, Suecosque protractæ pacis damnare, Regi prolixe retpondet: Moram honestæ & tutæ paci non à Suecis, sed unice à Cæsare allatam. A Suecis omnia, quæ conventui ordiendo faciunt, citra tergiversationem exhibita; contra postulata sua quantumvis æquissima à Cæsare vario obtentu elusa. Vitia diplomatum fidem facere, Cæsarem haut omnes scrupulos amovisse, ut is ita plane absolvi, Regina damnari mereatur, si hujus Legati tam fragili fundamento diem conventui nuncupare dubitent. Cum Cæsar post tot disceptationes novos subinde scrupulos moveat, veteres recoquat, sat indicare, pacem sibi cordi non esse, sed potius ut dominatum suum in fraudem omnium Europæ statuum firmet. Addebat; ne ægre ferat Rex modicam adhuc dilationem postulari, sed potius autoritate sua ad removenda omnia obstacula utatur. Hasce literas Salvius ipse Reventlovio, & Cleenio tradebat, velut privato sermone de minacibus Danorum in Suecos dictis tangens; quas isti justo asperiores censebant, & quibus aperte nimis Regi contradiceretur. Eaque de re apud Anglicum Legatum Rovvium querebantur, confirmantes, Regem gravissime offensum iri, & negotium pacis plane abjecturum. Id quod Rovvius per Rustorfium Salvio significat, ut literas istas aliis lenioribus comitetur; addito, Regem Cæsari scripto promisisse, si tractatus non successerit, se armis sumtis cum hoc adversus Suecos junctum iri: Cæsarem vicissim prorogationem vectigalis Glucstadiensis concessisse. Igitur Salvius priores literas excutat, velut quibus hautquidquam Regi contradicere voluerit. Nam Cæsarem quidem circa illa annuenda facilem forte fuisse, quæ Rex desideraverit; Reginæ postulata locum perinde non invenisse. Rogabat ne sibi imputetur, quod negotium pacis non ita expedite succedat, sicuti fieri posset, si Regina Gallico illigata fœdere non foret. Se apud Avauxium nulli operæ parsurum, ut quamprimum dies conventui inchoando definiatur. 15. Dec.

Status pacis circa finem anni.

§. 89. Is status tractatuum pacis erat circa finem anni. Inter mediatores Lauenburgici Viennæ initio dilati fuerant, quoad Curtius de facie rerum propius exponeret. Hic cum de Salvii erga Danum declaratione nuntiaret, formulæ à Regiis Legatis conceptæ frustra erant. Et aperte jactabant Lauenburgici, quod vocabula *nondum reconciliati*, & *per regnorum Legatos* diplomati inserta fuerint, id unice Daniæ Regi in acceptis ferendum; qui facile id posse admitti judicaverit: se quidem culpæ heic immunes esse. Incusabant Salvium quod cum de alternativa proposuisset, post per Danorum negotiationem eadem destiterit, & communi diplomati adquieverit. Contra Cæsarei neglectis Lauenburgicis non alii quam Danicæ mediationi se videbantur addixisse, quod sperarent, Cæsarem Dani opera lautiores conditiones adversus Suecos obtenturum, cujus maxime interest, Suecos quam tenuissima satisfactione in Germania potiri. Ac si Suecia oblatas conditiones respueret, sperabant se effecturos, ut Danis Suecisque bello implicitis Cæsar res Germaniæ pro lubitu temperare posset. Quod consilium Curtius vehementer urgebat. Qui &, cum Penzius postremum Legatos Regis ad diem conventus nominandum impelleret, Hamburgum ipse accedebat, non quod non prævideret ob incumbentes tunc difficultates nihil effectum iri, sed ut apud Ordines Inferioris Saxoniæ eo speciosius jactare posset; se usque eo descendisse, ut fœderatis Regibus ad pacem permovendis Hamburgum ipse adierit; Ordinesque tanto acrius ad bellum in Suecos sumendum stimularentur. Qui tamen idem, cum de capto Britaco innotuisset, dixerat; Cæsarem salva dignitate longum intra tempus ad tractatus accedere non posse. Alias Suecі Cæsarea diplomata facile admisissent, interposita protestatione, diemque conventui dixissent, nisi Avauxius obstitisset, à quo per fœdus in tractatibus pacis Salvius disjungere se non poterat. Qui & in declarationibus suis semper ad communicationem cum isto provocaverat, easque conditionibus circumscripserat, ut via semper pateret ad emendandum, quæ tempus rerumque conditio, aut superiorum justa corrigi jubebant.

1638. In conventu Colonienſi acta.

§. 90. Quæ Coloniæ iſto anno circa pacem agitabantur, hæc fere erant. Declaraverat Galliæ Rex Ginetto Cardinali Pontificis Nuncio, ſe Legatos Coloniam non miſſurum, ni Hungariæ Rex omnibus ipſius fœderatis ſalvos conductus exhiberet, & cumprimis Germaniæ Principibus; ac ni pro Belgis juſta forma Hiſpanus eoſdem expediret; id quod hactenus obtineri non poterat. Tandem Ginetto diligenter inſtante Cæſar promittebat, ſe Legatis ſuis Coloniæ in mandatis daturum, ut etiam pro Germanis Principibus diplomata tradant; ea tamen lege, ut horum deputati omnia per Legatos Regios agant. Unde ſpem concipiebat Ginettus de negotii ſucceſſu, quod Rex promiſiſſet, ſi fœderatis ſuis diplomata tradita forent, ſe quoque ſalvos conductus pro Cæſareis Legatis, tum Legatos Coloniam miſſurum. Sed quia metuebat, ne mori circa formulam diplomatum & plenipotentiarum ſcrupuli tardius hinc inde ſcriptitando tollerentur, per Nuncium Pontificis in Aula Gallica proponit; ut ſi Rex utique ante diplomatum traditionem Legatos Coloniam mittere nolit, alium ſaltem miniſtrum cum plenipotentiæ & ſalvi conductus formula ablegaret, qui præſens cum Cæſareis & Hiſpanis Legatis iſta omnia adornaret, ac tandem ea permutaret, amputandis moris, & ut Legati ſtatim ad pacis negotium accedere poſſent. Id quod Rex annuebat, modo conſtaret, Cæſarem & Hiſpanum ſuis Legatis injuncturos diplomatum formulam exhibere, & rite examinatam demum permutare. Paulo poſt Grotio, qui Lutetiæ nomine Reginæ Sueciæ ſuper maturandis tractatibus inſtabat, Rex demonſtrabat; ſe litem, quam Ferdinando ſuper Cæſareo titulo moverat, remiſſurum, ſi iſte pro utriusque Regni fœderatis, & adhærentibus Salvos conductus dare velit. Sed cum Grotius inſtaret: opera daretur, ut iſtis aut eorum Deputatis cum Legatis Cæſareis per ſe agere liceat; reponebatur, circa id fruſtra hactenus laboratum, & ſi denuo idem moveatur, inutilibus moris occaſionem præbitum iri. Quod & Grotius tandem admittebat, cum id, quod Cæſar contendebat, & Gallus jam annuerat, Reginæ citra fraudem videretur; quin ex dignitate potius futurum, ſi ſociorum negotia, per ipſius Legatos peragerentur. Mittebantur tandem Coloniam à Cæſare diplomata pro Legatis Regiis & fœderatis, eadem cum Sueciis formula; quorum exemplum à Ginetto Hamburgum transmiſſum Avauxius magis fere probabat, quam à ſe ipſo concepram formulam, & præter vocabulum *nondum reconciliatos*, nihil deſiderabat. Sed quæ pro Hollandis transmiſſa erat formula non ſatisfaciebat. Nam etſi Hiſpani rebelles ipſos non vocarent, quod ipſi cupiebant, ſed Hollandi adſpernabantur; tamen neque liberos populos eoſdem declarabant, uti Hollandi poſtulabant, Hiſpanis abnuentibus: ſed temperamento quodam ipſis ſub communi vocabulo fœderatorum Regis cavere volebant. Sed quia tractatu induciarum alia formula horum Legatis cautum fuerat, nunc poſtulari ab ipſis non poterat, ut diverſam admitterent. Igitur rejecta iſta formula petebatur, ut quæ tractatu quondam induciarum data fuerat, in præſens repeteretur.

6 Dec.

Super induciis acta.

§. 91. Super induciis paucula iſthoc anno movebantur. Propoſuerat eas ab initio Pontifex. Inde juſſu Reginæ de iiſdem Hugo Grotius Lutetiæ cum Chavignio ſententias contulit. Ubi hic mirum ſibi videri ferebat, quod Sueci ſperare auſi forent, tantundem ſubſidiorum à Rege per inducias ſe accepturos, quam bello promiſſum foret; cum illæ in longum tempus ſint ineundæ, & multo minus expenſarum quam bellum requirant. Cui Grotius; Induciis bellum non tolli, nec Sueciam onere levari; quin hoc gravius forte incubiturum; quod retinenda per Germaniam loca juſto fere exercitu ſint inſidenda, ſublata ex hoſtico tributorum materia. Chavignius cenſebat; conveniri invicem poſſe, quo copiarum numero limitanea utrinque loca ſint firmanda. Grotius contra; id Succis æque intutum atque Hollandis, qui ſuis induciis neceſſum judicaverint ſtipulari, ut integrum ſibi foret, quot vellent copias cuſtodiendis finibus retinere; eoque Henricum IV. Regem ſubſidia illis induciarum tempore numeraſſe citra imminutionem, quæ per bellum dederat. Cum Chavignius exciperet; haſce inducias tanto tutiores fore, quod qui eas infrent, plures, viribusque validis forent, ut hoſtis non facile illas infracturus ſit: regerebat Grotius; loca, quæ Sueci retenturi ſint, ita longe à ſociis ſuis diſſita, ut non horum; ſed Sueciæ viribus ſecuritas illorum nitatur. Tandem Chavignius ducenties mille unciales annuos offerebat, multis infinitas Regis expenſas memorans: & longius videbatur proceſſurus, niſi quidam Petrus Smaltzius, qui mandata Grotio è Suecia attulerat, vana in hunc æmulatione Gallicis miniſtris ſpem feciſſet: Reginam de poſtularis ſuis aliquid remiſſurum, ac mandata Grotio data prodidiſſet. Injungebatur poſt Avauxio, ut cum Salvio Hamburgi de induciis tractationem ſuſciperet, non plus tamen quam ducenties mille unciales offerret. Quam ſummam cum Sueci adſpernarentur; inutile habebatur de iſtis agere; cum præſertim præliminaria pacis ferverent, quæ facilius, quam induciæ, proceſſura videbantur, cum hæ tamen bellum duntaxat ſuſpenderent, & velut adpararent. Quanquam autem Richelius credebatur inducias, quam pacem malle, quod pace reditus Reginæ matris evitari non poſſet, quem ipſe magnopere metuebat; & quod per inducias Lotharingiam, & alia Gallis occupata loca retinere cupiebat, quæ pace reſtituenda forte erant: Ordines tamen Germaniæ cenſebant, inducias certiſſimum ipſorum exitium poſt ſe tracturas. Unde & Succis illarum tractatus declinandi videbantur, quoad ulla ſpes pacis obtinendæ ſupereſſet.

Danus Wismariam evacuari poſtulat.

§. 92. Eodem anno Daniæ Rex per Petrum Wibium Holmiæ poſtulabat, ut præſidium Suecicum Wiſmaria deduceretur, obtentu periculi, quod Arctois Regnis immineat, ſi quis extraneus eum portum in poteſtatem redegiſſet. Id Cæſarem Hiſpanumque jam dudum varias per artes agitaſſe. Eadem Dux Meclenburgicus ingerebat. Enimvero Rectores Sueciæ contra oſtendebant; eam ipſam non poſtremam fuiſſe cauſam belli à Guſtavo Rege quondam moti, quod animadverteret, infeſſa Wiſmaria fundamentum ab Auſtriacis poni Septentrionem infeſtandi; nec eo tempore aliud medium malo illi antevertendo fuiſſe. Eo minus nunc conſultum, id oppidum Meclenburgico cuſtodiendum credere, nutibus Cæſaris obnoxio, & cui de ſua ditione nondum ſatis ſit cautum. Ei forte ad tempus à Cæſare caveri poſſe, illudendis aliis. Sed ubi occaſio arriſerit deſtinata ſua exſequendi, vetera in ipſum, Pomeraniæque Ducem edita exempla facile repetiturum. Neque enim temporibus licet paululum mutatis conſilia & deſtinata apud Auſtriacos & Hiſpanos ideo alterari. Reginam inſuper bello adhuc urgeri à Cæſare & veterum parte ſociorum; quæ abſurde factura ſit, ſi ſpecioſis promiſſis capta, quæ manibus teneat, amittere, & ultro in anguſtias ſe redigere velit. Recenti ſpecimine adparere, quid præſidium Ducis Roſtochio impoſitum Suecis profuerit, quo Guſtavus Rex ultro ceſſerat. Has ob rationes poſtu-

la-

1638. lata Dani abnuebantur, isque rogabatur; vitio Reginæ non verteret, si ejusmodi cautioni non fidat, & commoda sua è manibus sibi extorqueri haud patiatur, quoad tuto id à se fieri posse adpareat.

Danus copias conscribit.

§. 93. Idem porro Rex, cum Suecicus juxta ac Cæsareus exercitus in vicinis mari oris hæreret, non modicas copias, undecies mille ferebantur, collegerat, adsciris præcipue Suecicis desertoribus, & qui infensi Suecorum militiam abdicaverant ductoribus. Obtentui sumebatur; Gallasio se obsituram, ne per Holsatiam hospitia capiat; id quod iste minari videbatur. Nam si Gallasio id indulgeatur, Banerio quoque paria tentandi libidinem subituram. Se quidem neutri ludibria debiturum. Ista arma Suecis magis quam Cæsareis suspecta erant, quod Penzius Comes à Rege Viennam missus VVismariam & Rugiam insulam in feudum à Cæsare isti petierat una cum continuatione vectigalis Glucstadiensis; vicissim Danum Suecis aut pacem persuasurum, aut tergiversantes vi compulsurum. Quanquam autem nondum judicari posset, Danum certo decrevisse Succiam aperto bello petere; præsertim postquam Vinariensis tam splendidis victoriis potitus esset: tamen si expenderetur, qualem ipse circa mediationem pacis se gessisset, & quæ ipsius ac ministrorum familiaritas cum Suecorum hostibus aut invidis, nimis quà aperte in adversam partem inclinare deprehendebatur. Nec dissimulandæ amplius invidiæ, odioque in Suecos par erat, cum mediatorem se pacis ferret, Suecorum actiones & consilia contemni, ac damnari traducique non ab hoste magis, quam mediatore, velut eandem adversus istos causam ageret, aut paribus in Suecos odiis arderet. Omnes Suecorum rationes, etsi toti orbi probatæ, & quæ ad ipsam quoque Daniam spectabant, respuebantur. Nihili fiebat existimatio eorundem, quæ huic bello innexa erat, & quid Regni Succiæ salus exigebat. Ita à Dani mediatione nihil gloriæ, securitatis, aut emolumenti expectandum erat. Quin contra patebat, id ab ipso agi, ut è Suecorum sanguine & sumtibus, quin eorundem dedecore ac damno commodum suum quæreret. Jam abductum VVarnemunda Cæsareum præsidium; prohibitum per armatas naves vectigal, quod fœdere à Meclenburgico Succi stipulati fuerant; cum magna Saxonicorum Ordinum parte Fœdus contra Suecos initum, ut media hisce adimeret exercitum sustentandi, & Inferiore Saxonia eosdem penitus arceret. Adparabat etiam secretum ipsi fœdus cum Meclenburgico esse ad defensionem Rostochii; quo initio facto forte in Pomeraniam quoque pedem promoturus erat; quod crederet, durioribus Suecorum rebus impune ipsi fore his pro libidine insultare. Nec obscure minabatur, ni ad ipsius placitum pacem vellent inire Suedi, se vim iisdem illaturum; Ita sub specie amicitiæ longe periculosius adversus Suecos bellum gerebat, quam ipsi hostes professi.

Danus in Suecos est iniquus.

§. 94. Idem porro circa ea, quæ rem maritimam spectabant, velut pro imperio agere & loqui; plenum sibi maris Baltici dominium vindicare, in freto Oresundico Suecicos cives variis injuriis vexare, & vectigalis sui servitio ipsos subjicere, ut omnia rem augendi media, iisdem adimeret, & Succiam sibi plane tributariam redderet. Et ne conatibus hisce color deesset, veteres rationum libros evolvi jubebat, & quanti Suecorum in freto immunitas sub Carolo IX. & Gustavo Adolfo Regibus fuerat, tantundem nunc quoque ac non amplius istis indulgendum censebat. Nam cum nunc duplo plures merces Succicæ fretum tranſeant, quam istis temporibus, necessium esse magnam partem alienarum mercium pro Suecicis venditari defraudando vectigali. Sed reponebatur, istis temporibus Suecorum commercia magnam partem intra Borussiam & Germaniam substitisse, quæ nunc flagrante bello Germanico in Hollandiam, Angliam, Scotiam & Galliam transierint: ferri fodinas in Suecia indies magis excoli; nec uti antehac rudis ferri massas Gedanum avehi, sed omne ipsa in Suecia in perticas cudi. Nunc quoque plus vini, aromatum, ac peregrinæ materiæ vestiariæ in Suecia consumi, quam olim. Quæ etsi manifesta forent, ea tamen à Danis flocci fiebant, qui vexandis Suecis novas in freto inquisitiones instituerant, ac *certificationibus*, quas vocant, Suecicis in dubium vocatis naves sistebant, litibusque irretiebant. Quris ullus prætextus hærebat, una cum mercibus publicabantur; ubi calumnia nullum invenerat locum, dimittebantur cum maximo temporis lucrique dispendio. Accedebat publicanorum intoleranda insolentia, & acerba verborum asperitas. Nec apud judices, ipsumque Daniæ Senatum vexatis auxilium; qui petulantiam publicanorum probabant, alebantque, ac querentibus ultro ludibria addebant. Inter alias navis è Lusitania veniens, utut legitimis certificationibus instructa, ad vectigal solvendum adigebatur. Pernavientis navis frumento onusta setquialtero plus, quam vehebat, exolvere cogebatur obtentu majoris mensuræ quam Rigensis, cum id discrimen vix decimam sextam partem faceret. Magna vis tormentorum & tuborum ferreorum, quam Ludovicus Geerius in Hollandiam missurus erat, detenta. Ex alia navi Jacobi Macleri, quæ in Scotiam tendebat, itidem tubi sublati; cum tamen eodem tempore par genus armorum, quod Gedano veniebat, citra scrupulum transmitteretur. Has injurias etsi Suecis statim exsequi licuisset, tamen iniquitas temporum, & gravissimum, quo distinebantur, bellum istas tantisper dissimulare subigebat, quod alio Regni statu factum non fuisset; præsertim cum Galli & Hollandi non modicas Anglorum insultationes hactenus toleraſsent. Strœmfeldio tamen apud Danos Residenti injungebatur, modestis verbis indignitatem istam demonstraret, & quam hæc pactis, amicitiæque repugnarent, utque Dani istis remedium adferre vellent. Sed & prohibere studebant Rectores Succiæ, ne circa certificationes fraudis quid admitteretur, neve Danicis civibus in Suecia injuriæ quid inferretur; si forte ultro injuriarum desistere vellent Dani, aut ad melius eosdem convincendos. De cætero nihil pusillanimitatis præ se ferre; sed arma terra marique parare; interim & fiduciam sui, & animum amicitiæ colendæ pronum adversus Danum ostentare. Banerio quoque præcipiebatur, omnem occasionem declinaret, ne res ad manus veniret; & læsiones non enormes tantisper dissimularet, ne iniquis temporibus in bellum prorumpere necessium foret, quo ad efficacius remedium istis malis adhibere daretur. 9. Decemb.

Danus Suecos in freto Oresundico vexant.

Polonica.

§. 95. Cum Polonis eo anno apertæ hostilitatis nihil. Sed subdola pax suspectabatur, quod rumores ferrent, inter Cæsarem, Poloniæ Regem, & Brandeburgicum id agitari, ut de improviso exercitus Livoniæ immitteretur; quo fine delectus per Poloniam, & Silesiam haberi dicebantur. Quæ consilia tamen Vinariensis successus dissipabant, quod Cæsareæ copiæ eo destinatæ, ad Rhenum avocarentur. Non indignum forte memoratu est, eo anno Legatum Polonicum Regum, cum ex Anglia redux Hamburgum adpulisset, Salvium se invisentem admisisse, omnique honoris genere prosecutum esse, qui Regiis Legatis deferri solet. Id quod antea Zavvadskius Grotio, & Camerario

1638. abnuerat. Cujus inhumanitatem hicce Reyus vehementer improbabat, Sacrificulorum iſtum Legatum, non Regium adpellans. Idem alias de aula Anglicana ſiniſtre loquebatur; nil ſe ibi reperiiſſe præter Hiſpanicam calliditatem, ac Hiſpanorum ibidem factionem præpollere, ut Suecis nihil auxilii inde ſit expectandum. Negatus iſti acceſſus ad Regem fuerat, quo nomine idem Anglos irridebat, quod cum ſpretæ neptis formam tantæ injuriæ loco accepiſſent, eam non potius prudenti diſſimulatione texerint, quam tantopere exaggeraverint, nulla ulciſcendi facultate. Farebatur quoque is Polonum à Cæſare inſtigatum ad exigendum Gedani portorium, quo iſtum oblique ſimultatibus cum Suecis, Danis, Hollandisque involveret, & ab horum amicitia averteret. Cum addidiſſet, Regem valde amare gentem ſuam, Suecicam innuens, Salvius ridendo id eludebat.

§. 96. Eodem anno miſſus à Ragozio, Henricus Biſterfeldius Gedano in freto Oreſundico adpulerat. Unde ad Rectores Sueciæ ſcribebat; Camerario in mandatis darent, ut conſilia cum ipſo conferat. Inde in Hollandiam ibat, quod ita ipſi à Ragozio injunctum foret, primo Arauſionenſem Principem accedere, quem is fidiſſimum ſibi amicorum habebat, & quia Hollandia in medio fœderatorum ſita eſt. E conſilio Arauſionenſis hinc in Galliam primo abibat, velut ubi res pecuniaria maxime in expedito ſit. Unde Hamburgum regrediebatur, conſiliis cum Salvio collatis. Habebat ad Oxenſtiernam Cancellarium fiduciarias literas, nulla de cætero tractandi, aut concludendi facultate; eoque in Sueciam proficiſci nolebat. De conditionibus tamen, quas Ragozius poſtularat, ſat aperte diſſerebat. Inter quas præcipua erat, quod cenſeret, trecenties mille uncialibus ſubſidio annuo contentum ipſum fore; cujus dimidium jam Gallia obtulerat, altero dimidio inter Sueciam, Angliam, & Hollandiam partiendo. De ſex millibus peditum Germanicorum, qui ſumtibus fœderatorum conſcribendi, ac ſubinde ſupplendi forent, Ragozium remiſſurũ putabat. Quanquam autem Betlenus quondam, & hactenus Ragozius parum ſerio rem egiſſe deprehenſus erat; & quæ Superiore anno Meerbottus propoſuerat, ob defectum idonei mandati inſuper habita fuerant: tamen quia jam rumor erat, Ordines Hungariæ Cæſari offenſos conventum agitaſſe, cui Ragozius interfuerit; & alium conventum ad mensem Septembrem Caſſoviam indixiſſe; res non ſpernenda videbatur, ſi Ragozius Ordinesque Hungariæ permoveri poſſent, ut aperte in partes deſcenderent. Unde tam à Salvio, quam Gallico & Anglico Legato ſpes ipſi fœderis facta eſt: & tanti judicabant Sueci ſexaginta millia uncialium annua in Ragozium expendere. Banerio quoque injungebatur, ut commercia literarum cum Ragozio coleret. Ad quem etiam Salvius ſcribebat; 8. Octobr. vicinorum ſecuritatem in æquilibrio Germaniæ fere verti; ac ni Auſtriaca Domus intra limites æquitatis coërceatur, ut cæteri Ordines ejusdem vires librare poſſint, ſed iſti horum libertatem opprimere concedatur; dubium non eſſe, quin eadem impellente ambitione longius graſſatura, libertatemque Europæ peſſundatura ſit. Ea cauſa Guſtavum Regem in arma compulſum; nunc quoque Gallos, Anglos, Hollandosque permoros, ut de communi fœdere ineundo agitent; cui tanto cupidius nomen Ragozium dare, quo propius ejus parietibus incendium advolvatur, eique ſiſtendo cum Suecis operam conjungere par ſit. In Angliam inde Biſterfeldius tendebat, ſuadente Rovvio, & quod in eam nationem ob communia ſacra magis propenderet. 1638.

SAMUE-

Digitized by

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER UNDECIMUS.

EPITOME.

1. *Ordinum Sueciæ decretum ſuper pace;* 2. *Super Dani injuriis, & Poloni machinationibus: ſuper tumultibus in Weſtrogothia: ſuper educatione Reginæ, & moroſitate Reginæ matris.* 3. *Facies belli ſub initium anni.* 4. *Banerius Albim tranſit.* 5. *Ejus deſtinata. Helmoldus Wrangelius cum ſua legione ad Succos tranſit. De Salis vapulat; ut & Saxonici.* 6. *Banerius Freibergam fruſtra obſidet.* 7. *Prælium ad Chemniciam.* 8. *Freiberga incaſſum tentata. Mansfelda & Pirna capiuntur.* 9. *Banerius omiſſa Dreſda in Bohemiam progreditur.* 10. *Albim ibi tranſit. Cæſarei vapulant.* 11. *Banerius Pragæ exercitum admovet.* 12. *Difficultates, quæ Banerium premebant.* 13. *Cæſarei apud Glatzium vapulant. Saxonici Pirnam fruſtra tentant. Hatzfeldii inanis conatus. Saxonici iterum Pirnam invadunt. Caterva Succicorum intercipitur.* 14. *Hatzfeldius in Miſniam tendit, Hungari vapulant. Banerius in Miſniam regreditur. Hungari denuo vapulant. Pirna à Saxone fruſtra oppugnatur. Eadem à Banerio munimentis nudatur. Slangius duas Saxonicorum legiones delet.* 15. *Banerius Pragam tentat.* 16. *Saxonici Budiſſinam occupant. Iidem à Succis intercipiuntur.* 17. *Cæſarei copias undiquaque contrahunt. Cæſarei exercitus conditio. Succici exercitus difficultates.* 18. *Actio per Pomeraniam. Demminum recuperatur. Stralſundenſes militem conſcribunt. Ordines Pomeraniæ conventum agitant.* 19. *Landsberga fruſtra tentatur, Brandeburgicorum legio opprimitur. Landsberga expugnatur. Sueci in Sileſiam irrumpunt.* 20. *Stalhantſchii per Sileſiam geſta.* 21. *Sueci Drieſena potiuntur.* 22. *Iidem Plauenam capiunt: Damitzam fruſtra tentant: Ruppinum occupant, quod Brandeburgici fruſtra oppugnant.* 23. *Geſta per Weſtphaliam.* 24. *Kœnigsmarckius Weſtphalicis copiis præficitur. Is hoſtilem legionem intercipit. Gleichenſteinam arcem capit. Præſulem Herbipolenſem argento emungit.* 25. *Inferiorum Saxonum conventus. Eorundem decretum. Rex Daniæ conjunctionem armorum diſſuadet.* 26. *Idem neutralitatem pro Domo Luneburgica urget. Rectores Sueciæ reſpondent.* 27. *Luneburgici cum Banerio de neutralitate agunt. Temporaria cautio.* 28. *Formula neutralitatis concipitur.* 29. *Sueci conventa ratihabent. Luneburgici moras nectunt. Iidem novas difficultates movent.* 30. *Luneburgici Hildeſiam reſtituere jubentur. Dux Georgius offenſam in Cæſarem concipit.* 31. *Suſpecta Inferioris Saxoniæ ad Banerium legatio.* 32. *Banerii reſponſum.* 33. *Dux Georgius nutat. De tertiis partibus formandis machinationes.* 34. *Cæſar tractatum cum Landgravia non plene ratihabet. Hæc in bellum propendet.* 35. *Melander eſt ſuſpectus. Landgravia de conjunctione agit.* 36. *Haſſi movent, ſed non promovent.* 37. *Iidem res ſuas agunt.* 38. *Dux Bernhardus multa Burgundiæ oppida expugnat. Lotharingi vapulant.* 39. *Ducis cum Gallis diſcordia.* 40. *Quæ ipſius progreſſus impedit. Dux Bernhardus à Cæſare tentatur.* 41. *Idem morbo corripitur, & moritur non ſine veneni ſuſpicione.* 42. *Deliberatio Rectorum Sueciæ ſuper Vinarienſi exercitu.* 43. *Gallici Legati mens & negotiatio ſuper eodem.* 44. *Anglicus Legatus, & Ruſtorfius Palatinum Electorem commendat.* 45. *Vinarienſes de fide in Sueciam teſtantur. Teſtamentum Ducis aperitur.* 46. *Erlachius imperium exercitus ſuſcipit. Vinarienſes in Palatinatum deſcendunt.* 47. *Wilhelmi Ducis conſilia.* 48. *Palatini Electoris conatus.* 49. *Galli argento rem agunt.* 50. *Vinarienſis exercitus inclinatio. Mockelii conſilia.* 51. *Gallici miniſtri mentem ſuam diſſimulant.* 52. *Cæſar Vinarienſes captat.* 53. *Gallorum artes prævalent. Eorum prima propoſitio. Altera Gallorum propoſitio.* 54. *Ductores pactum abnuunt. Tertius congreſſus. Galli voto ſuo potiuntur.* 55. *Geſta Vinarienſium Gallis junctorum ſub Longuevillio Duce. Illis in Palatinatum deſcendentibus Bavarici occurrunt. Aliquot oppida Vinarienſes capiunt. In Rhingovia vapulant. Eorum miſera conditio. Rhenum transeunt.* 56. *Fœdus commune friget. Anglici Legati ſermones. Gallici Legati judicium.* 57. *Fœdus cum Palatino hæret.* 58. *Anglicus Legatus formulam fœderis exhibet.* 59. *Elector Palatinus*

Digitized by Google

1639. *tinus in Gallia detinetur.* 60. *Motus animorum ob detentum Palatinum.* 61. *Angli classi Hi-* 1639.
spanicæ favent. Ejus classis intentio. 62. *Rectorum Suecia de pacis negotio judicium.* 63. *Tra-*
ctatus pacis circa salvum conductum hærent. 64. *Daniæ Rex Suecia Rectores tentat. Hi respon-*
dent. 65. *Datur diem tractatus inchoandi dici postulat. Sueci tergiversantur. Danus Ham-*
burgi eadem urget. Diplomata non emendantur. Dani mediatio friget. 66. *Secretus inter Cur-*
tium & Salvium tractatus. 67. *Lauenburgicorum circa secretos tractatus negotiatio. Formula pa-*
cis à Lauenburgicis proposita. 68. *Salvio isti tractatus non displicent.* 69. *Absurda Lauenburgi-*
corum postulata. Suecorum de iis judicium. 70. *Secreti tractatus cum Banerio in Bohemia insti-*
tuuntur. 71. *Senatus Suecis de his tractatibus judicium.* 72. *Cæsareorum cum Banerio negotia-*
tio. Ea per Cæsareos divulgatur. Calumniæ in Banerium. 73. *Is in Salvium irritatur. Ba-*
nerii postulata. Cæsarei liberaliter annuunt. Tractatus unus alterum impedit. 74. *Cæsarei ulte-*
rius rem in speciem urgent. 75. *Rectoribus Suecia tractatus isti sunt suspecti.* 76. *Super induciis*
acta. De neutralitate Ligæ concedenda. 77. *Super Westphalia Gallorum propositio.* 78. *Querte-*
le Gallorum de Grotio. 79. *De oneribus Catholicorum. De induciis Gallorum cum Hispanis.*
Galli naves à Suecis petunt. 80. *Acta cum Ragozio.* 81. *Irruptio Hermanni Bothii in Livoni-*
am. Senatus Suecia ad Senatum Poloniæ eo nomine scribit. Poloni culpam à se amoliuntur.
82. *Dani vectigal ad Warnemundam tolli volunt. Sueci respondent.* 83. *Dani Suecos in freto O-*
resundico vexare pergunt. Danorum in Suecos inclinatio. 84. *Hollandi fœdus arctius cum Suecis*
affectant. 85. *Commercia Persica Holsatorum expirant.*

Ordinum Suecia decretum super pace.

INitio anni tricesimi noni necessum videbatur Rectoribus Suecia apud selectos Ordinum Regni Arosiæ convocatos exponere, quibus difficultatibus pacis negotium adhæresceret: tum de Dani iniquitate atque injuriis, Polonique machinationibus, & quid consilii adversus ista capessendum foret. Ubi re mature expensa decretum fuit; operam dandam, ut patria quamprimum molestissimo bello emergat, modo honestis & tutis conditionibus pax obtineri queat. Id tamen enixe contendendum, ut Cæsar salvo conductu prosequatur illos, qui cum ipso in gratiam redire, & ad Pragensem pacem amplectendam coacti fuere, quo sacra Protestantium, & libertas Ordinum rite constitui ac firmari possit. Quod si tamen Cæsar nullo modo huc descendere velit, eam quæstionem ad ipsos tractatus rejiciendam, & commeatum pro solis non reconciliatis acceptandum, interposita protestatione, & ut isti negotia sua per legatos Suecicos expedire queant, postquam id impetrari non potuit, ut per se ipsi cum Cæsareis Legatis tractare queant. Ut tamen in his & aliis junctim cum Gallia agatur. Cæterum his postulatis insistendum quantum detur; ob eadem tamen, ut & incongruos Ducis Bernhardi, & Landgraviæ salvos conductus, tractationem non abrumpendam. De sociis Galliæ extra Germaniam placebat; quoniam ipsi tractatus junctim cum Gallis ordiri ac finire per fœdus teneantur, ac ut hisce gratificentur, tum ob veterem cum Hollandis amicitiam, in quorum conservatione rationes quoque Suecia vertantur, de concedendo hisce commeatu quam diligentissime agendum: ita tamen ut Suecia ad hoc se non obstringat, nec fœdus Gallicum eo extendi patiatur. Diem ordiendis tractatibus, quem tantopere urgebat Danus, & ipsi quamprimum nuncupari cupiebant, ne tamen importuna festinatione socii alienentur; & circa præliminaria prius transigatur, declinandæ confusioni, quæ alias circa tractatus oriri queat.

Super Dani injuriis.

§. 2. Super Dani iniquitate circa negotium pacis, ac vectigal Oresundicum censebant; quæ citra magnum Regni præjudicium dissimulari queant, ad commodius tempus differenda, aut lenibus mediis amolienda esse. Crassioribus injuriis medicinam amicam adhibendam per monita Residentis, per literas ad Senatum Daniæ, missa solenni legatione, aut conventu deputatorum in finibus utriusque Regni instituto, prout pactis veteribus cautum est. Quibus si nihil proficiatur, videndum ut tempus extrahi possit, quoad Germanici belli moles amota sit. Interea conatus istius quantum fieri potest declinandos, & terra marique in omnem casum arma paranda. Eodem fine ducibus per Germaniam injungendum; ut & ipsi motus Dani probe observent, nec offensæ causam præbeant. Quod si tamen nulla ratio foret bellum evitandi, sanguinem, opesque pro conservatione patriæ promte offerebant. Quia etiam Polonus cum Suecia hostibus consilia miscere sentiebatur, classem insuper struens, ac vectigalia per Borussiam & Curlandiam augens; itidem placebat, machinationes ejusdem accurate observari; ac oppida Livoniæ milite & operibus firmari; ut tamen pactis exacte observatis nulla offensæ occasio ipsi præbeatur. Præter ista monebatur circa tumultus, qui nupero autumno in V Vestrogothia & Wermelandia excitati erant ob recens introductum vectigal, quod vocant minus, & publicanorum asperitatem, moderatione & prudentia prævertendum, ne ista scintilla sufflantibus vicinis in vastum incendium exsurgat: compescendam si quæ fuerit publicanorum importunitatem; ac populo persuadendum, ut ob necessitates reip. ista onera libenter tolerent; quo fine & Sacerdotes exemplo atque doctrina plebi præire jussi. Quia etiam fato functa erat Catharina Reginæ amita, quæ hactenus curam educandæ hujus magna cum laude obierat, dispiciebantur matronæ, quæ in illius locum subire possent. Quibus inter alia id præcipue injungebatur, Reginam adsuefaciant, ut ne affectus suos uni alicui mancipet, ab ejusque solius placito dependeat; quod Principibus è Domo Brandeburgica familiare fere compertum erat. Nam matrem ab educatione filiæ excludere dudum necessarium videbatur, querulam, & regioni juxta ac Nationi Suecicæ infensam, ne pari labe filiæ animum imbueret. Cujus actiones Rectoribus Suecia multis modis molestæ erant, quia & commercia literarum cum hostibus Regni alebat, & præterito anno invitis istis Gothoburgum profecta cum Danis suspecta colloquia, mox & cum Legato Danico Guldenlœvvio mitcuerat, ac neminem Suecum inter ministeria sua ferre volebat. Quæ ne in patriæ malum erumperent, Senatus ut prospiceret rogabatur.

Et Poloni machinationibus.

Super tumultibus in Westrogothia.

Super educatione Reginæ, & morositate Reginæ matris.

§. 3. Porro sub initium anni arma Suecorum hactenus in angustias redacta iterum diffundere se, & novo velut vigore animari cœperant. Hosti aliquandiu

Facies belli sub initium anni.

1639. quandiu id actum fuerat, ut Suecos ad oram maritimam inclusos commeatus, & pabuli inopia attereret. Quo fine nupero anno caſtra caſtris oppoſuerat, iisque diu pertinaciter hæſerat, quoad conſumtis incaſſum propriis viribus loco cedere, ac locum quærere cogeretur reficiendis copiis, quæ vix inſtar exercitus amplius præ ſe ferebant. Quanquam enim conſilium hoſti fuerat hiberna per Inferiorem Saxoniam capeſſere, ejusque Circuli copiis ſociatis denuo Suecos ad mare compellere, aut ſaltem tranſitu Albis arcere, fruſtra tamen id fuerat, eoque longius diſcedendum, & ingratiis ſpatium Suecis dandum erat. Trahebat ſecum Gallatius miſeras exercitus reliquias, nemini amplius formidandas. Brandeburgicæ quoque & Saxonis copiæ ad exiguum numerum attenuatæ. Suecicus contra miles, attritis licet veſtibus ac tenui zona, ſed animo viribusque vigens, vere flos virorum, jamjam terris imminebat, ubi ab exhauſtis moleſtiis reficere, ac in poſterum firmare ſe poſſet. In diverſa parte Vinarienſis non fortuna minus, quam virtute, & conſtantia Briſaccum tandem expugnaverat, victoque toties hoſte clarus agebat. Ac ſpes erat, ſi ambo duces vim hoſti cominus admotum irent, ipſum ad honeſtas pacis leges admittendas brevi compulſum iri.

Banerius Albim tranſit.

§. 4. Contraxerat Banerius exercitum circa Dœmitzam, ſex peditum, totidem equitum millibus conſtantem, illa arce occupata tranſitum ſibi Albis firmaturus. Sed arcebat ad ipſa usque propugnacula exundans amnis, qui tenui glacie obductus ferendis hominibus non ſufficiebat. Nec diu heic deſidere extrema inopia ſinebat, militis patientia jam ad canum & felium eſum deſcendente. Igitur Famelicam regionem fugitans ad Lauenburgum, Luneburgicis non obſiſtentibus, copias pontonibus trajicit. Ac ne provincialibus, qui ſat amicos ſe Suecis exhibebant, moleſtus eſſet, Luneburgenſes atque Hamburgenſes commeatum poſcit; quorum illi propriam inopiam excuſabant, hi promte militi emendi neceſſaria copiam faciebant. Transgreſſo Albim Banerio à Ducibus Luneburgicis miſſus aderat Cancellarius Hamburgenſis, Drebbernus: qui de mediatione Ducum inter Cæſarem ac Reginam, tum de neutralitate concedenda proponebat, percontatus ſimul amicus an hoſtis veniat. Cui Banerius: de mediatione mirum ſibi videri, cum poſt abdicatum fœdus Suecicum Dux Georgius palam hoſtilia in Suecos exercuerit, detentis inter alia ipſorum machinis, & copiis iſtius aperto prælio adverſus hoſce decertantibus. Unde ipſi prius mediatore opus fore, quam bellantibus ſe interponere queat. Quod ſi tamen amicos ſe exhibeant provinciales, & commeatum militi ſuppeditent, modeſte ſuos & amice tranſituros. De neutralitate nihil ſibi à Regina in mandatis datum, nec ita repente iſtam annui poſſe; ſed prius de conditionibus, & quomodo Duces viciſſim Reginæ cavere velint, conſtare debere. Porro cum promiſſus à Luneburgicis commeatus, tarde exhiberetur, Banerius apud ipſos queritur; ni ultro detur, à milite ſumendum minitans. Viciſſim Ordines Inferioris Saxoniæ, & ſeparatis literis, Luneburgici Duces poſtulabant, ut copias toto Circulo, præcipue Luneburgico agro deduceret. Quibus Banerius reponebat: Ipſorum poſtulata defenſionis juri à natura conceſſo repugnare, cum ipſi utique vires cum Cæſare ſociarint, ac Suecos variis modis laceſſierint. Unde ſibi vitio non vertendum, ſi paria reponat. Iſtæ moræ in cauſa erant, ut Banerii iter tardius procederet, eique per dies aliquot apud Ultzenam quieſcendum foret.

Banerii deſtinata.

§. 5. Eidem porro duæ patebant viæ; una ad ſiniſtram in Miſniam & Thuringiam, ad dextram altera in VVeſtphaliam, ubi collapſæ res præſentia ipſius quam maxime opus habebant. Sed quia Goltzius Erfordiæ præfectus Suecorum ibi res in extremis agere ſignificaverat, prævalentibus oppidanis, & præſidiarios inhumaniter habentibus, ſuis ibi ſubvenire conſtituit quod urbem iſtam in poteſtate tenere magni momenti judicaret. Igitur peditatum cum majoribus machinis in agro Halberſtadienſi, & Goſlariæ, Quedlinburgi, atque Aſcaniæ ſub Leonardo Torſtenſonio relinquit. Ipſe raptim equitatum ducit, ut Saliſium ſummum rei tormentariæ præfectum, qui hactenus circa Mulhuſiam hæſerat, opprimeret, Erfordiamque firmaret; tum ſi res ferret per Franconiam hibernantes hoſtes diſſiparet. Etſi oculos ſemper ad Georgium Luneburgicum reflecteret, quo turbante facilis ad peditatum receptus erat. Nec deſtinatis dimovebatur, quod Vinarienſe & Gallis in Burgundiam regreſſis forte univerſa Cæſareorum moles, ipſeque Hatzfeldius ſub vernum tempus in ipſum ſe effuſuri viderentur. Advenientem Banerium Magdeburgica & Halberſtadienſis ditio, cum Anhaltinis & Hercyniæ ſylvæ accolis non ſine gaudio excipiebant, quos omni immanitatis genere Cæſarei hactenus oppreſſerant. Gerlebiam cum ſelecta manu præmittitur Johannes VVachmeiſterus, quod oppidum Helmoldus Wrangelius tribunus cum quingentis equitibus, trecentis peditibus inſidebat. Is quondam ob partatam eædem ad Brandeburgicos transfugerat; ſed nunc omiſſa oppidi defenſione cum omnibus ſuis Suecorum partibus accedit. Mittit inde Auguſtus Bruntuicenſis Dux, qui Banerii iter Helmſtadio averti, idemque belli moleſtiis eximi peterent. Quibus Banerius: itinerum ambages deſtinatis ſuis inutiles; nec ita de partibus meritum Ducem, ut illius ditionem uſibus belli ſubtrahere debeat: quem potius decebat utilia Proteſtantium rebus conſilia capeſſere. Interim Banerio nuntiatur, Saliſium cum ſeptem legionibus Mulhuſa relicta Franckenhuſam petiiſſe, Oneſtrumque transmiſiſſe. Huic perſequendo iſte Halæ Salam tranſit. Verſus Bohemiam magnis itineribus properantem præmiſſus cum ſeptem legionibus Pfulius inter Reichenbacum & Oelſniciam adſequitur, ac commiſſo prælio profligat. Ipſe Saliſius, ac duæ peditum legiones, quæ in vicum proximum ſeſe receperant, cum tribunis Spiegelio & Bourreo, cæteriſque ductoribus ſe dedunt ad octingenta capita. Capiuntur ſigna pedeſtria quindecim, equeſtria viginti ſex. Hac clade Cæſareis illata Banerius, poſtquam Zvviccaviam præſidio firmaverat, Saxonicis copiis circa Freibergam imminebat. Sed illæ cognito iſtius adventu Dreſdam verſus ſe receperant. E quibus tamen quatuor legiones Stalhantſchius, qui primum agmen ducebat, non procul Dreſda deprehenſas profligat, capto Schvveinizio juniore tribuno, ejusque vicario, & ſex turmarum præfectis, aliisque ductoribus, quinque ſimul ſignis. Qui cædem effugerant, in Dreſdæ ſuburbia ſe receperunt.

1639.

De Saliſ vapulan.

24. Febr.

Ut & Saxonici.

3. Mart.

§. 6. Inde Banerius Freibergam aggreditur, quam Haugvvicius tribunus cum trecentis dimachis, ac multis metalli foſſoribus, & agreſtibus inſidebat. Is vim illatam, & aſſultum tentantes Suecos ſtrenue repellit, cæſo tribuno Magno Hanſonio, cum ducentis fere aliis, totidem lauciatis. Huic oppido liberando ſub Bucheimio Comite valida manus apud Frauenſteinam coiverat, quinque peditum phalanges ſeptem fere millia explentes. Cum illis manum conſerere Banerio ſedebat, ni de Hatzfeldii motu certior factus eſſet. Igitur hoſte à tergo ingruente, anceps certamen ſubire veritus Freiberga decedit; quo die inter velitandum

Banerius Freibergam fruſtra obſidet.

18. Mart.

20. Mart.

Bruæus

1639. Bruæus Comes capitur. Hoſtis peditum manu oppido immiſſa ſtatim Dippoldisvvaldam recedit. Banerius Cizam ſe confert, Hatzfeldium obſervaturus, ſimul ut Torſtenſonium cum peditatu & machinis ad ſe arceſſeret; inde iterum in hoſtem moturus. Paulo poſt caterva equitum Lipſia erum-
23. Martii. pens ſubtribuni Roerſcheidii ductu Duvvalium tribunum, & Guſtavum Banerium Petri F. cum aliquot inferiorum ordinum ductoribus Altenburgi cepit. Schulmannus tribunus & Laurentius
25. Mart. Grubbius ægre in arcem evaſerant. Viciſſim Sueci tribunum Ungarum Banerii cohorti prætoriæ inſidiantem ita exceperunt, ut è ducentis quinquaginta quos ducebat pauci effugerent, ipſe tribunus ſaucius caperetur. Alia manus quinquaginta equitum non procul Altenburgo cæſa. Quin paſſim Saxonicæ catervæ hinc inde vapulant. Ita reviviſcente Suecorum fortuna miles agminatim ad Banerium confluebat. Apud Cæſareos contra Gallaſius imperium abdicaverat, in cujus locum Cæſaris Frater Leopoldus VVilhelmus ſufficitur, cui Hofkirchius ſuccenturiatur; qui brevi aliquot Suecicorum millia in Cæſaris partes te pertracturum per vaniloquentiam jactaverat. In Hiſpaniam Hannibal Gonzaga mittebatur auxilia inde excitaturus. Nec minus per omnes Cæſaris ditiones hæreditarias delectus militum fervebant.

Prælium ad Chemniciam. 2. April.

§. 7. Banerius Torſtenſonio jam junctus cum è captivis, qui magno numero adducebantur, cognoviſſet, Cæſareas & Saxonicas copias ſub Marazino duce intra Zvviccaviam & Chemniciam hærere; neceſſum judicabat citra moram prælio decernere, antequam Hatzfeldius iisdem jungeretur, qui per Eichsfeldiam & Thuringiam ingruere
1. April. nuntiabatur. Igitur Ciza movens Chemniciam verſus tendebat, cum captivorum indicio noſcitur hoſtem per hoſpitia ſparſum quieſcere, de ipſius adventu ignarum; eoque multa adhuc nocte caſtra movet, diſperſis ſe interfuſurus. Aſt hoſtis ſub veſperam ejus dici allato nuntio raptim copias contraxerat, ac multo mane Chemniciam verſus
4. April. ſe recipere conſtituerat. Banerius contra mature Glaucham, inde Hohenſteinam, ubi proximam noctem hoſtis egerat, attingebat. Heic poſtremum hoſtis agmen trecentis equitibus conſtans, reſtiterat; quod ſtatim in fugam compulſum cæteris copiis prope Chemniciam progreſſis impingitur. Sed dum Banerium per paludes anguſtata utrinque via detinet, hoſti ſpatium dabatur pugnæ locum capeſſendi. Siniſtrum cornu quod fere cataphractis conſiſtebat, poſt illas anguſtias cis oppidum locabatur: dextrum longius trans fluentum oppido cognomine conſiſtebat. Banerius dimachas ſuos equis deſilire, & pedites in hoſtiles deſultores, qui anguſtias illas inſederant, ire jubet. Quibus citò pulſis ſuperiorem locum occupat, ſubjectosque campos infeſtat, ac filatim equitatum traducit. Inde prætoriam, ac Torſtenſonii, VVachmeiſteri, & VVittenbergii legiones in ſiniſtrum hoſtium cornu ducit. Ubi ipſe quidem cum ſua legione aſperrime excipitur; reliquis tamen non minus acriter connixis obſtantes fundit, fugatque. Et quia à tergo duæ foſſæ profunda uligine fugam impediebant, atrox cædes editur, paucis ad dextrum cornu effugientibus. Sueci reliquis ſuorum legionibus accelerantibus magno impetu per flumen in dextrum cornu ruunt. Sed diffuſo è cæterorum clade terrore ibi de fuga magis quam pugna cogitatur, quamvis ternæ anguſtiæ viam arctarent, poſt quas commode explicare aciem poterant. Fugientium tergis Sueci acriter inhærent, magnamque ſtragem edunt; nec pauci Tzoppa flumine hauriebantur. Peditatus, qui in ſylvam prope oppidum, inde montana verſus ſe recipere meditabatur, à Stalhantſchio, Slangio, & Hammerſteinio circumventus conciditur. Ita totus fere exercitus hoſtium deletur. Cæſorum cadaveribus integrum milliare ſpargebatur. Captivorum mille quingenti erant, quos inter ſummus excubiarum prætectus Bucheimius Comes, tribuni VVebelius, & VVangelerus, ſubtribuni Paradiſius, & VVacheimius; ductores alii numero trecenti. Capta tormenta ſex, pedeſtria ſigna viginti unum, equeſtria quadraginta duo. Suecis ea victoria minimo ſtetit, non niſi Stalhantſchii ſubtribuno ſauciato, & VVitgenſteinio Comite præfecto turmæ cæſo. 1639.

Freiberga fruſtra tentatur. 10. April.

§. 8. Poſt paucos dies quieti datos Freibergam itur, num ea obiter, & recentis terrore cladis expugnari poſſet. Sed id oppidum interea milite, & adparatu bellico firmatum erat, ut non niſi adhibitis obſidentium artibus expugnari poſſet. Unde operæ pretium non viſum ibi tempus terere; ſed potius erat bellum Bohemiæ infundere, hoſtique facultatem adimere copias ſuas reficiendi. Inter
Manſfelda capitur. 3. April. hæc Manſfelda arx munitiſſima in Suecorum manus perveniebat, obſidentium pervicacia, & quia obſeſſos pulvis pyrius defecerat. Suecis Freiberga digredientibus cum Haugvvicius tribunus in poſtremum agmen erumperet, à VVittenbergio male
15. April. multatur, ac ipſe ad necem ſaucius capitur. Inde Pirna invaditur, quæ octavo die aſſultu expu-
Et Pirna. gnatur, ſtrenue licet præſidiariis reſiſtentibus; quorum magna pars cæditur; reliqui cum præfecto Libenavio ſubtribuno in arcem refugiunt, rupi editæ ſuperſtructam; qui oppidum & ſubjectos campos telis acriter infeſtant. Banerio tanti non erat vim admovere, ſed lento obſidio expugnandum oppidum præfecto commendat, præſertim cum aquæ inopia eadem laboraret.

Banerius Dreſdâ omiſſa in Bohemiam progreditur.

§. 9. Deliberabat inde Banerius de Dreſda in poteſtatem redigenda, quam annonæ caritas urgebat, intercepta Albis ſubvectione. Et jam imperaverat Elector oppido excedere, qui in annum cibaria ſibi proſpicere non poſſent. Contra videbat Banerius, iſta mora Cæſareis ſpatium dari copias ſuas reficiendi augendique; qui & omnem lapidem moturi erant, quo Dreſdæ ſubveniretur, & irruptio Banerii in Bohemiam ſiſteretur. Et jam de evocando Piccolomineo, & quæ per Superiorem Germaniam hærebant copiis ſpargebatur. Quibus coëuntibus idoneus locus Suecis erat capeſſendus ad hoſtium vim ſuſtinendam. Id quod in Miſnia & ad Albim fieri non poterat, ſumma tunc annonæ caritate. Eoque longius progrediendum, ubi ſi res ita ferret, ſedendo hoſtis atteri poſſet. Ac diſerte vetuerant Rectores Sueciæ ne diuturno obſidio validorum oppidorum iſte ſe implicaret. Qua in re quondam à Georgio Luneburgico, & Cniphuſio peccatum erat, qui pertinaciter Hamelæ adſidendo rei bene gerendæ occaſionem corruperant. Dum ad Pirnam ſatagit Banerius, præmiſſus ab ipſo in Bohemiam Stalhantſchius cum novem equitum legionibus, quingentis ſelectis peditibus, Auſſigiam & Leutmericiam nullo præſidio firmatas occuparat. Melniccam aſſultu expugnaverat,
24. April. cæſis duabus dragonum cohortibus. Sed & Carolus Guſtavus VVrangelius cum valida equitum
28. April. peditumque caterva Tetſchenam arcem Albi imminentem in poteſtatem redegit. Eo tempore Eberſteinii & VVitzlebii tribunorum copiæ in Thuringia relictæ apud Saltzungam centum quinquaginta Croatas cæciderant, viginti captis. Præfectus quoque turmæ è Pfulii legione turmam Croatarum trans ſylvam Thuringicam oppreſſit, Præfecto & quibusdam aliis Erfordiam abductis. Cæterum Banerio propoſitum erat caſtra ad Leutmericiam munire, Albimque ponte navali jungere; inde quantam poſſet Bohemiæ partem amplecti

1639. plecti alendo augendoque exercitui; adeoque belli ſedem in ditionibus Cæſareis figere, quo Cæſar domi ſuæ belli calamitates ſentiret, atq; Bohemi Sileſiique in eundem concitarentur. Quo fine Joanni Lilliehœckio imperatum; aſſumtis è Suecia ſupplementis, quantum citra Pomeraniæ periculum fieri poſſit, in Sileſiam irrumperet, ubi Glogovia Major, quæ ea parte prima occurrit, quinquaginta non amplius militibus cuſtodiebatur; inde longius progreſſus lineam communicationis cum ipſo aperiret, tum militum modeſtia, atque humanitate incolarum ſibi animos conciliaret. Ipſe quoq; in caſtris ad Fridbergam edictum typis exſcriptum promulgat, quo Bohemos hortatur, lares ſuos ne relinquant, ſed militi neceſſaria præbeant, operaſque ſibi ſocient, duriſſimo ſervitio preſſos veteri ſacrorum libertati vindicaturo. Tum militi graviſſimis pœnis interdicit, ne incolis ullam moleſtiam inferat, ductoribus quoque extrema interminatus, ni ſuos quiſque intra diſciplinæ limites coërceat. Cui tamen poſt contrarium edictum Cæſar opponit; quo ſuos monebat, ne Suecis aures præberent. Inde toto cum exercitu Leutmericiam pervenit, ubi aliquot per dies ſubſiſtit obſervandis hoſtium conatibus: qui excitis undique copiis ad Pragam in Monte Albo caſtra munierant. Hofkirchius vicariam ſummi ducis dignationem gerens Brandeiſiæ ripam Albis tueri jubebatur. Ac palam quidem plurimum fiduciæ præ ſe ferebant Cæſarei, cladem apud Chemniciam elevantes, ac mox copias repellendo Banerio pares adfore. Tum & Saxonum ſpe certi auxilii animus additur.

14. April.

Banerius Albim tranſit. 17. Maji.

§. 10. Aſt Banerius cum locum trajiciendo Albi diſpexiſſet, qua huic Mulda miſcetur, ut Hofkirchio illuderet, exercitum in altera ripa Veterem uſque Boleslaviam Brandeiſiæ oppoſitam ducit; ubi Hofkirchium cum decem equitum legionibus ac peditum manu in adverſa ripa conſiſtentem reperit. Unde velut vi illhac perrupturus tormentis caſtellum ponti antepoſitum verberare incipit. Interea quæ collegerat navigia & pontones Leutmericia Melniccam adverſo flumine ſubigi jubet, ubi poſt inſulam arboribus tectam latebant, ne ex altera ripa conſpici poſſent. Mox relicto apud Brandeiſiam cum quibusdam legionibus Wrangelio & Pfulio, totius exercitus opinionem facturos, reliquas copias tacite retro Melniccam ducit hoſte propter objecta arbuſta, quæ ripam tegebant, non animadvertente. Ubi ad conſtitutum locum perventum eſſet, machinæ diſponuntur arcendo ab altera ripa hoſti; pedes pontonibus trajicitur, ut orto ſole jam ſeptem phalanges ſpatio inter utrumque flumen medio ordinibus explicatis conſiſterent. Equitatum navigiis trajicere tardum erat, ni ruſticus vadum monſtraſſet, centum aureorum præmio mactus. Neque tamen ita tacite hæc peragebantur, ut Hofkirchio Suecorum adventus non nuntiaretur; cui ſat ſpatii erat, ſi voluiſſet, citra periculum ſe in tuta recipiendi. Sed is pro ſolita temeritate glorioſum facinus minatus, an quod de tam celeri Suecorum trajectu ſibi non perſuaderet, ſummo mane quinque validas catervas Montecuculi ductu præmittit, qui tranſeuntes ſiſterent. Ipſe mox cum aliis inſecutus ad ſylvam qua campus diſtinguebatur, conſiſtit. Enimvero Montecuculum jam Suecica tormenta repulerant, Hofkirchium quoque mox immiſſi per ſylvã ſclopetarii ſtatione ſua dejiciebant. Et Banerius occaſioni imminens, cum id equitũ flumen tranſiſſet, quantum hoſti par judicabat, ſtatim transmiſſa ſylva prælio ſe offert. Hofkirchius contra ceſſim ire, quoad latam planiciem celſiore ſitu attingeret, in qua legiones ſuas explicat velut prælium tentaturus. Sed cum Succi tela emittere inciperent, iſti repugnare non auſi terga vertunt, unica legione Bucheimii junioris excepta, quæ cum ala, quam ipſe Banerius ducebat; conſligit; mox tamen cæterorum exemplum ſecuta ſe proripit. Fugientibus Pragam usque inſiſtebant Succi millé amplius trucidatis. In Suecorum manus pervenit ipſe Hofkirchius, & Raimundus Montecuculus Comes, quorum hunc Banerii nobilis puer Patricius Parculius comprehenderat. Capti inſuper plurimi alii ductores, & gregariorum aliquot centuriæ. Quia tamen hoſtis de fuga magis, quam pugna ſolicitus erat, non niſi ſex ſigna eripi eidem poterant.

1639.

Banerius Pragæ excitum admovet. 20. Maji.

§. 11. Altera poſt hanc cladem die Hatzfeldius cum quatuor equitum, duobus peditum millibus Pragam pervenit, ad quam etiam Banerius accedebat. Huic obviam ſe ferebant trecenti Hungari magnam ferociam ſpirantes; ſed quos unica equitum ala è legione prætoria in fugam dabat non paucis cæſis. Cæſarei iſta otiose ſpectabant, nemine ad ſubveniendum Hungaris emiſſo, ac intra mœnia aciem ſtruebant. Banerius diſplosis in urbem aliquot tormentis hoſtem laceſſit, ac poſtera die à mane in veſperam in acie conſiſtit, ſi hoſtem manus conferendi libido ſubiret. Sed cũ hic intra mœnia ſe teneret, nec tam validam urbem vi invadere rationis eſſet, Brandeiſiam iſte regreditur; cujus præſidiarii ducenti numero arbitrio ſe ipſius deduxit; ac dimiſſis præfectis gregarii Succicam militiam ſuſcipiunt. Reparato ponte in alteram Albis ripam exercitus reducitur. Inde ſummus excubiarum præfectus Zabelticius Kœnigsgræciam vix per duas horas reſiſtere aufam deditione capit ubi magna vis frumenti inventa, non modicum Suecorum penui incrementum. Inter quæ Saxoniæ Electoris Succos Pirnam inſidentes adortus ter impetu in mœnia, & ex arce in ipſum oppidum facto non ſine ſtragé ſuorum repellitur. Banerius inde exercitum ſecundum Albim Limpurgum uſque, Pardubitzam, Kœnigsgræciam, & circa Boleslaviam diſtribuit, cupidus paulatim Sileſiam & Moraviam bello amplecti, Fridlanda, quæ primos Sileſiæ aditus ſervat, occupata, ubi magnam rebus Suecorum acceſſionem ſperabat. Quo fine ad Lignicenſem Ducem, Baronem Schœnaichium, aliosque Suecis faventes literas dat, ſimul ductores ea regione oriundos eodem dimittit, ad civiũ ſuorum animos alliciendos. Modicæ tunc excurſiones frequentabantur, fauſto fere Suecis ſucceſſu. Quas inter Wachmeiſterus non Praga procul Croatarum impedimenta diripit, quadringentis qui eadem ſervabant fere cæſis, ac ſeptendecim ſignis ereptis. Munchuſius ſubtribunus apud Glacium pleraſque turmas legionis Broycæ una cum impedimentis delet. Eberſteinii equites Leutmericia progreſſi centum quinquaginta amplius Cæſareorum cædunt, aut capiunt. Pfulii quoque turmæ ſexaginta Croatas, & quadraginta pedites, qui Suecorum commeatui inſidiabantur intercipiunt. Minuta memorare longum foret.

21. Maji. 23. Maji. 7. Jun. 22. Jun.

Difficultates, quæ Banerium premebant.

§. 12. Nec eo ſecius tamen ſucceſſus armorum ſpei ab initio conceptæ parum reſpondebant. Equidem exercitus hucusque Banerio incolumis, cui Cæſarei etiam poſt Hatzfeldii adventum obviam ire non auſi apud Pragam opportunis ſe locis tenebant. Idem tamen indies augeri, ac valida ſupplementa ex Hungaria, Auſtria, & aliunde exſpectare. Unde Succis difficile futurum erat non modo latius ſe per Bohemiam diffundere, ſed & cis Albim ſtativa tueri, flumine inſigniter attenuato, & paſſim vadis pervio. Sed nec per Sileſiam ſat proferre arma licebat, obſtante Cæſareorum paratu, ac tardius procedente expeditione, quam à Pomerania Lilliehœckius agitabat, quæ hoſtium delectus turbare, aut Suecorum res, aperta inter utrumque

1639. exercitum communicatione, insigniter promovere potuisset. De exulum Bohemicorum & Austriacorum promtitudine plurima jactata fuerant, quid subsidii partibus per illos accessurum esset. Sed nunc ubi in rem præsentem veniendum erat, metu stupebant, ac non nisi pauci nobiles ad prædia sua vindicanda aderant. Sacerdotes quoque viginti annorum exilium perpetti rari adparebant, qui templa sibi sua restitui peterent, quorum exemplo & provinciales, qui alias moturi se videbantur, quiescebant. Quin pauci illi, qui ad prædia sua redierant, præ cæteris belli molestias querelis differre, quasi per arma reductis statim pacis commoda præstari possent. Augebant curam continuæ pluviæ messem corruptura, & quod raris agrestibus fruges per milites forent metendæ, pessimos ad frugalitatem ministros. Et mira erat ejus regni vastitas, etsi per quinq; annos ab hoste intacti. Nec melius per Silesiam res procedebant, ubi Suecorum catervæ qua poterant, pellebantur; nec erant, qui templa quondam clausa referare, sacraque Protestantium instaurare auderent. Tantum metus Cæsaris, ac diffidentia præsentium animos imminuerat. Idem tamen Silesii, cum Cæsar quintum quemque militiæ adscribere vellet, respondebant; se pro ipso omnia sua expendisse, præter solum, in quo consisterent, & aerem etiam belluis communem. Nunc cum vita deposcatur, malle sibi exilium hactenus tam familiare permitti.

Cæsarei apud Glacium vapulant.

§. 13. Paulo post miserat Banerius legionem prætoriam sub Munchusio subtribuno, centumque equites ex Hodicii Comitis legione Glacium versus, tuendis eo districtu Suecorum hospitiis. Istis obviam procedit, quæ se conglobaverat hostium manus, novem equitum, duabus dragonum turmis constans, adjectis quadringentis peditibus, & agrestium manipulo. Hi prope Suecicos loco ita opportuno contederant, ut isti alio stativa transferre constituerent. Cæsarei, dum Suecos metu cedere arbitrantur, & ipsi desertis impeditis locis in aperta camporum descendunt; quos cum suis conversus Munchusius ita acriter invadit, ut omnem istam manum profligaret. Cadebat tribunus Schutzius cum duobus subtribunis, aliisque compluribus ductoribus ac gregariorum centuriis aliquot; captus Baumgartius subtribunus cum multis aliis; cæteri per montana dispergebantur. Qui tamen mox apud Saganum iterum collecti centurionem Suecicum in arce ibi obsidere instituunt. Sed commodum superveniunt Schulmannus & Helmoldus Wrangelius tribuni atque Hammersteinius subtribunus à Banerio in Silesiam missi; qui tumultu cognito statim oppidum irrumpunt, ac totam manum delent, capto Pompejo Comite, multisque ductoribus; reliqui cædebantur. Interea Saxo Pirnam denuo tentat, ac magna tormentorum ac globorum igni-

Saxonici Pirnam frustra tentant. 7. Jun.

vomorum vi reductum, quo Suecі arcem incluserant, prorui. Sed dum assultum parat, statio equitum Suecicorum turmam Saxonicorum trecentis equitibus constantem invadit, & in fugam conjicit. Unde obsessores, velut Suecici suis subsidio venturi adessent, territi raptim se Dresdam recipiunt. In Bohemia Hatzfeldius fortunam tentaturus cum universo equitatu suo ac trecentis dragonibus, simul quingentis equitibus à Gallasii exercitu Praga procedit, adversum Albim eminus legens; & cum nequidquam Pfulii, ac Zabelticii stativa tentasset, ubi nihil soluti inveniebat, tandem Munchusium intercipere instituit. Sed cum ab isto ad Glacium rem bene gestam intelligeret, irritus revertit, cum per octo dies, quibus circumvagabatur, quinque duntaxat captivis potitus esset, multum irridentibus Gallasianis, qui magna adversus Hatzfeldianos æmulatione flagrabant. Cum Suecorum catervæ vix unquam nisi magno captivorum numero adducto redirent: ipsa etiam equitum statione ad Pragam intercepta. Invaditur inde Pirna iterum à Saxonicis & post acrem verberationem reductus arci dispositus assultu expugnatur, cæso inter alios Succico subtribuno. Statim hinc mœnia oppidi tormentis quassantur, ac bis assultus fit, Saxonicis multa cum cæde repulsis. Nec eo minus hi aliquot dies oppido assident, arciq; commeatum interunt, quoad Stalhantschius subsidio suis venire nuntiatus, Dresdam redire cogeret, triginta amplius è postremo agmine cæsis, & quadringentis in oppugnando oppido amissis. Adducebatur post Succis Hamburgo magna vis pulveris pyrii, qui frustra insidiantibus hostibus salvus Chemniciam pervenit. Sed qui præsidio fuerant ducenti quinquaginta equites, quinquaginta pedites, cum Chemnicia Mariæbergam se contulissent, occasionem tuto ad Banerium perveniendi expectantes, à Saxonicis opprimuntur, ac nonnullis cæsis reliqui capiuntur; quos inter Knitzkius senior, tribunus Hanckius, subtribuni Seckendortius, & Luttermannus, multique alii præfecti, ac nobiles Bohemi, qui postliminio in patriam redire cupiebant.

1639

Saxonici Pirnam invadunt. 16. 17. Jul.

22. Jul.

Caterva Succicorum intercipitur. 20. Aug.

§. 14. Hatzfeldius interea, ut quem jam memoravimus paratum bellicum interciperet, ac Succica præsidia oppidis Misniæ, Zwiccavia, Chemnicia, ac Pirna expelleret, petente Electore Praga in Misniam movebat, longo circuitu Egram petens, quo iter suum Banerium lateret. Qui tamen mox è captivis magno numero subinde adductis, intelligit, istum Praga discessisse, etsi quo tenderet non constaret. Igitur placebat castra hostium ad Pragam tentare; quo fine quindecim equitum legiones, tres peditum phalanges cum aliquot tormentis Brandeisiæ trans Albim ducuntur. Præmissi, qui primum agmen ducebant, cum sexcentis equitibus Wittebergius, & Robertus Duglassius tribuni, ita celeriter iter faciebant, ut reliquæ copiæ ipsos insequi non possent; & crepera adhuc luce stationi Hungarorum impingebantur. Hanc in castra Hungarica, quæ à Germanorum castris Mulda flumine distinguebantur, compellunt, ac cum ipsis eodem simul irrumpunt. Tuguriis statim ignis injicitur, & qui non repente conscensis equis subducere se poterant, trucidantur; fugientibus ad portas usque urbis insistitur. Interim Germani equites propinquo castris vado Hungaris auxilium laturi Muldam transierant, quorum multitudine Succorum turmæ in angustias rediguntur, quoad Banerius cum tribus legionibus quantum poterat accelerans è superiore loco adpareret. Hic suos prope circumventos conspiciens citato cursu ad illis subveniendum ruit; nec minus isti resumtis animis strenue hostem sustinent. Sed Germani Banerium expectare veriti una cum Hungaris in urbem facessunt, magno suorum numero per campum, & suburbia desiderato. Inde cum de Hatzfeldii destinatis Banerio innotuisset, eludendis ejus conatibus Stalhantschium primo, inde Wrangelium cum valida utrumque manu in Mithniam mittit, ipse ad postremum eodem secutus. Eorum adventu cognito Hatzfeldius Dresdam se confert, tribus Croatarum legionibus ad Chemniciam circumsidendam relictis. Sed & cum hi mox facesserent, pulveris pyrii vis quæ Chemniciæ asservabatur, comitante Ebersteinio tribuno in Bohemiam deducitur, Banerio ad Brixam ipsi occurrente. Ejus oppidi cives cum cibaria Banerius popposcisset, fesso militi reficiendo, stolide feroces emissis in subeuntes telis octo equites prostraverant. Unde is irritatus oppidum assultu expugnat, & direptum incendit

Hatzfeldius in Misniam tendit.

Hungari vapulant.

Hatzfeldii inanis conatus.

Banerius in Misniam regreditur.

11. Sept.

ad

1639. dit ad terrorem aliis incutiendum. Mox cum quas ducebat legiones Ausligiæ dispoſuiſſet, cominus obſervandis Hatzfeldii motibus, in caſtra ad Leutmericiam redit, quibus interea Torſtenſonius præfuerat. Hic qui recens advenerant Hungaros, pabulatoribus Succicis inſidiantes, graviter multaverat magno ipſorum numero cæſo, ac præter multos ductores tribuno Barſimo Comite, reliquis Pragam uſque fugatis. Idem mox Torſtenſonius repente apud Brandeiſiam Albim transgreſſus ſexcentos amplius hoſtium pabulatores intercepit. Hoſtis contra inter Leutmericiam & Melniccam cum quindecim equitum alis vado flumen tranſiens Witzlebii tribuni legionem ſtativis ſuis excedere ſubigebat: quam tamen retro in vinea locum capeſſentem aggredi non audebat, quoad Banerius cum modica manu advolaret; quo conſpecto hoſtis curſu ſe ſubducebat. Inter hæc Saxoniæ Elector cum Hatzfeldio copias Pirnæ admovet. Quo cognito Banerius, aſſumtis quæ Ausligiæ tendebant, legionibus eodem properat. Jam acceſſus ad foſſam usque excavati erant, & ſuggeſtus ad ruinam mœnium edendam extructi, cum primum Banerii agmen ſe oſtenderet. Sed hoſtis etſi favente loci opportunitate, cum Succis inter confragoſas & anguſtas vias emergendum eſſet, pugnam tentare non auſi Dreſdam magna cum trepidatione, & confuſis ordinibus ſe proripiunt; Croatarum tamen, qui agmen claudebant, ſeptuaginta circiter, capti quos inter ſubtribunus & duo turmarum præfecti. Cæterum erat quidem oppidum iſtud idoneum Dreſdæ in anguſtum redigendæ. Idem tamen citra arcem arduo ſitu ægre teneri poterat, ac jam aliquoties ejus ſervandi cura Succos huc averterat; nec per obſtructum paliſ apud Kœnigſteinam Albim è Bohemia commeatus ſubvehi poterat. Et gliſcente indies apud Pragam hoſte Banerio copiæ undiq; contrahendæ erant. Igitur hic iſtius ſe oppidi cura exſoluturus mœnibus dejectis, munimentiſque exterioribus ſolo æquatis præſidium inde amovebat. Quo minus ignis tectis injiceretur, precibus Electoris conjux obtinuit. Regreſſus in Bohemiam Banerius copias Leutmericiam contrahit, eam ſtationem tueri certus quantumvis coeuntibus undique Cæſareis magna belli moles imminere videretur. Paucos poſt dies Slangius duas Saxonicas legiones Hanavii & Reuſchelii in Satzenſi diſtrictu per hoſpitia diſpertas oppreſſit, parte ductorum & gregariorum cum quinque ſignis capta, reliquis cæſis.

Hungari denuo vaſtant.

Pirna à Saxone fruſtra oppugnatur. 22. Sept.

Eadem à Banerio munimentis nudatur.

26. Sept.

Slangius duas Saxonicas legiones delet. 30. Sept.

§. 15. Nuntiatum inde Banerio fuerat, hoſtilem equitatum jam aliquoties Pragæ ſeditionem induiſſe, ſed à ducibus ipſe lautorum hibernorum, in quæ intra tres ſeptimanas deducendus eſſet, placatum; quod tempus promiſſis haut ſervatis elapſum erat. Igitur num iſthanc rem in uſus ſuos convertere poſſet tentaturus, toto cum exercitu Albi ad Melniccam tranſito Pragam accedit, ac in Albo Monte aciem explicat. Sed hoſtis quietus intra munitiones conſiſtere, nec ullam pugnæ ſpem præbere, ac non niſi modicas catervas emittere velitandi cauſa, nullo utrinque memorabili damno; crebro quoque tormenta diſplodere, quibus Succi haut ſegniter reſpondebant immiſſis globis ignitis ſi qua urbem inflammare poſſent. Enimvero & caſtra ad Pragam ita muniverat hoſtis, ut vi illa oppugnare Banerius rationis non duceret: & Pragam fames atque peſtilentia ita infeſtabant, ut ſi vel maxime illa occupari poſſet, ſatius foret hoſtem iſtis malis conſumendum relinquere, quam ſuos iisdem objicere. Aliquot tamen dies ad urbem ſubſiſtebat Banerius, & ut hoſtem fame urgeret, Bellingshuſium tribunum cum quatuor legionibus Budevveiſam verſus, Pilſenamque, & Raconitzam dimittit ab igne corrumpendum, quicquid frumenti pabuliq; occurreret. Quo peracto motis Praga caſtris Melniccam regreditur; ubi ex altera Muldæ parte Tabor verſus omnia vaſtari jubet.

1639. 19. Oct.

§. 16. Dum ad Pragam Banerius hæret, ſexcenti Saxonici ſublevante oppidanorum proditione Budiſſinam irruperant, quam Jacobus Wanckius ſubtribunus cum aliquot deſultorii turmis inſidebat. Qui tamen nullo ſuorum amiſſo in arcem ſe receperat, nuntio raptim ad Banerium dimiſſo. Hic ſtatim Wittebergium, Eberſteinum, & Slangium cum legionibus equeſtribus, inſuper Ericum Joannis Ulfiparrium cum duabus peditum phalangibus iſtuc ire jubet. Equites oppidum eminus cingebant, Ulfiparrius cum ſuis arcē ingreſſus ſtatim ſequenti die non explorato hoſtium poſitu, aut acceſſu, trecentos pedites ex arce emittit, qui in proximas lapide ſtructas domos à Saxonicis inſeſſas impetum facerent. Enimvero hoſtis ſublicas, quibus pons penſilis innitebatur, amoverat. Unde pons cum tres catervæ tranſiſſent, cardinibus fractis poſteriores in foſſam effundebat. Ita priores iſtæ catervæ, etſi ſtrenue impetum darent, à reliquis deſtitutæ repelluntur, amiſſis ſexaginta, quos inter excubiarum præfectus & centurio; octoginta ſauciati, quos inter Jetvvitzkius tribunus, & Copya ſubtribunus. Cum res hoc modo non ſuccederet, Ulfiparrius cuniculum ex arce agi contra domos iſtas jubet. Sed is incenſus retro impetum in Succos vertit, duobus centuriombus, & compluribus gregariis eliſis. Quo intellecto Banerius inconſultum ſuorum impetum increpans certa rei peragendæ mandata mittit. Sed cum & ſic incaſſum iſti niterentur, amputandæ moræ Torſtenſonium cum ſex majoribus tormentis eodem ire jubet. Qui ſtatim machinis in arcem ſubductis improviſa re Saxonicos terret, ut citra exceptionem ejus ſe arbitrio permitterent. Ita tres vigiliarum præfecti, Taubius, Wedelbuſchius, Delovius cum duabus equitum turmis, ſeptem peditum cohortes, unà cum præfectis ſignisque in Succorum poteſtatem pervenerunt; è quibus gregarii omnes Sacramentum mutaverunt. Oppidum direptionem pecunia redemit, deſtructis munitionibus absque præſidio relictum. Dum Budiſſinæ adfidetur ſignifer è Slangii legione cum triginta equitibus exploratum emiſſus, cum in ducentos Saxonicos equites improviſo incidiſſet, ac ſe circumventum videret, impetu facto eos profligat, ac cæſis aliquot ſuorum nemine deſiderato non ſine præda ad ſuos revertit. In Bohemia Hodicius Comes apud Caſtelitzam quadringentos Hungaros deleverat. Nagottæ quoque à Munchuſio ſubtribuno centum Cæſareorum cæſi, quadringenti captivi Kœnigsgræciam abducti.

Saxonici Budiſſinam occupant.

25. Oct. 26. Oct.

27. Nov.

Idem à Succis intercipitur. 25. Nov.

§. 17. Interea Hatzfeldius è Miſnia longo circuitu per Thuringiam & Franconiam in Bohemiam redibat, cujus copiæ tamen à quinque millibus ad duo millia hac expeditione imminutæ erant. Piccolomineus quoque è Belgio, poſtquam à Gallis & Hollandis, hiberna bella adſpernantibus, nullus ibi metus amplius foret, in Bohemia aderat, numeroſo cumprimis, & ſelecto pedite ſuccinctus. Cum autem Cæſareæ copiæ inter Pilſenam & Grunbergam contraherentur, Banerius ſuſpicabatur eas diſtrictui Satzenſi, cujus uberem meſſem extremis ſuis neceſſitatibus reſervaverat, inhiare alienæ parſimoniæ fructum intercepturas, ac inde propius admotis caſtris ipſi incubituras. Igitur ut has præverteret cum equitatu Leutmericia Satzam movet, & legionibus ad Egram flumen qui continuis pluviis immenſum intumuerat, diſpoſitis, quicquid erat frumenti Leutmericiam avehit, tum vicinam Pilſenæ regionem populatur, ne hoſti prope ipſum ſubſiſtendi facultas foret. Eo tempore Cæſaris fra-

Cæſarei copias undiquaque contrahunt.

14. Dec.

Cæſarei

1639. exercitus conditio.

ter Leopoldus Wilhelmus summum imperium in exercitum suscipiebat, qui Pragæ hactenus fame & pestilentia, & interceptis quotidie per Suecos pabulatoribus valde imminutus erat. Cui malo medendo machinæ è castris Pragæ in arcem conferebãtur, ac paucis ibi legionibus, quot subitaneo insultui repellendo sufficerent, relictis, reliquæ circa Pilsenam distribuuntur, pabulatione quoq; deinceps cautius facta. Per provincias Cæsaris bello intactas delectus militum fervebant, veteribus legionibus supplendis, novis formandis. Tum magnus equorum numerus ex Hungaria & Austria adducebatur. In hibernis tamen hactenus quiescebant, ac referebant captivi, non prius aliquid tentandum, quam Piccolomineus Vienna, quo profectus erat, rediret. Apud Suecos contra miles veget", numeri integri, quibus augendis Banerius omnem operam navarat. Quæ tamen loca insederant, jam antea tàt vastata, indies magis exhauriebantur, ut si diutius ibi hærendum esset, fames tandem immineret. Cæterum ita copias suas disposuerat Banerius, ut brevi tempore contrahi possent, seu arcere vim, seu inferre placeret. Sed hostium viribus glisscentibus sàtis habiturus videbatur, invasionem arcuisse, præsertim si Albis frigore constringeretur. Quo casu metuebat, ut sibi in Bohemia subsistere liceret, præsertim cum Saxones à tergo in Misnia se confirmarent, quibus dissipandis nullam partem suo exercitui detrahere audebat. Nec adparebat qui partem aliquam hostium alio averteret. Nam qui ad Rhenum se commoverant Vinarienses & Galli, à Cæsareis parum curabantur. Hassi & Luneburgici validis copiis instructi, & Cæsarem suspectantes; sed qui commoturi se non erant, nisi lacessèrentur. Igitur nihil aliud supererat, quam ut Axelio Lilio mandaret, quantum posset peditum è Pomerania & Meclenburgica Stalhantschio in Silesiam mittere, quo is nonnihil ad summam rerum faciens ibi suscipere posset. Kœnigsmarckio quoque injungitur, ut iterum in Franconiam irrumpat; ac prius obiter Saxonicos per Voigtlandiam & Misniam sparsos ex improviso opprimat. Et hæc isto anno apud Banerii exercitum agebantur.

Suecici exercitus difficultates.

Acta per Pomeraniam.

§. 18. In Pomerania initio anni Cæsareis solum Demminum supererat; cujus præsidio per mensem Januarium annona supererat, Suecis quæ Rostochio subvehebantur sedulo intercipientibus. Circa finem tamen ejus mensis nonnihil frumenti per Brandeburgicos inferebatur; quo fere absumto Axelius Lilius citerioris Pomeraniæ præses detractam præsidiis manum propius admovet, & Brandeburgicos denuo frumentum inferre conantes arcet. Unde fame subigente Cæsarei tandem istud oppidum Suecis dedunt. Inter hæc Stralsundenses inscio Lilio centum viginti milites conscripserant, queis plures addituri videbantur. Qua de re cum iste quereretur, acris inter ipsum & Stralsundensium magistratum disceptatio oriebatur. Hi quippe factum id ferebant, ut oppidani onere vigilias agendi sublevarentur, & qui hoc interverirent abusus tollerentur, si munia ista per certos homines, quibus id solum negotium, obirentur. At Suecі ista altius penetrare judicabant, ac fœderi repugnare, quo rei militaris cura regno Sueciæ reservatur. Et quanquam Stralsundenses exciperent; per fœdus utique vigilias oppidi sibi relictas; nec militem à se conscriptum, sed cives tantum certos peculiariter conductos vigiliis eo curatius obeundis; Suecі tamen non poterant non pro militibus illos habere, qui sacramentum dixissent, & ad tres menses conducti essent; quæ vetus est apud Germanos formula militem conscribentium. Disceptatione incalescente cum Stralsundenses fremerent; per se non stare, quo minus vigiliis neglectis portæ quibusvis pateant; Sueci reponebant; non defore qui has custodiant, si ipsi nollent. Quanquam autem tunc re infecta discessum; paulo post tamen decuriones sententia mutata quæ fecerint non in sinistram partem accipi petunt, id à se unice spectatum, ut cives ad vigilias eo diligentius obeundas excitarentur. Tum quos conscripserant, citra moram iterum exautorant. Ab Ordinibus quoque Pomeraniæ Ulterioris congressus Stetinum indictus fuerat, invitatis etiam eodem quibusdam è Citeriore provincia: quem prohiberet, an permitteret, Joannes Lillichœckius gubernator dubitabat. Nam illinc quidem verebatur, ne Suecico regimini ea res fraudi foret, restituto temporario Ordinum provincialium imperio, ac ne forte Stetini res novas molirentur, aut cum Brandeburgico consilia miscerent. Hinc autem considerabat, supervacuum fore isthunc congressum prohibere, cum aliis locis clam aut palam convenire possint: & ista prohibitione animos plane alienandos velut publico servitio stabilito. Nec Suecorum rebus ab eo conventu periculum; cum nec à principe indictus, nec propositio rite facta sit, & si quæ decreta fuerint, ea vel irrita declarari, vel ad Reginæ ratihabitionem rejiciendo eludi posse. Denique inanes fore Ordinis Equestris conatus, attritis opibus; & Stetinum utique in Suecorum potestate esse. Cæterum revera id agebant Ordines, ut vicarium provinciæ regimen ab obitu Ducis Bugislai instituerunt, ac post Brandeburgici interdicto ab ipsis ultro dissolutum, instaurarent. Id quod apud Lillichœckium proponebant, velut quondam à Legato Bielkio permissum; utque adeo supremum provinciæ tribunal iterum aperiretur, ac veteres reditus consiliariis alendis adplicarentur. Ad quæ Lillichœckius; negotium istud à Bielkio ad Reginam rejectum, & ab ipsis ultro delertum. Et tamen non dubitare, quin vel Banerius summus provinciæ præses, vel Regina ipsorum desideriis sit satisfactura. Ordines contra privilegia & jura sua allegare, quæ violatum à Præside iri non sperent. De instaurandis judiciis utique ad Electorem referendum; quod dum scripto facturi sunt, ne id in sinistram partem accipiat. Ad quæ Lillichœckius, cum ipsi privilegiis suis repugnare non crediderint, quod Bielkius olim id negotium ad Reginam rejecerit, ne nunc quidem diversum sensuros. Sed ne quid communicationis ipsi durante hoc bello cum Brandeburgico instituant, id omnibus sibi modis prohibendum; cum ea ratione Brandeburgici summum in provinciam imperium non obscure agnoscatur. Ita conventus iste re infecta solvebatur, supremi tamen tribunalis vices deinceps à provinciæ præside & consilio, quod vocant, status tantisper obibantur.

1639.
8. Febr. Ordines Pomeraniæ conventum agitant. 16. Jan. 22. Jan. 25. Jan. 28. Jan.

9. Maji. Demminum recuperatur, 22. Mart. Stralsundenses militem conscribunt.

§. 19. Verno tempore adpetente Lillichœckius tribunum Nicolaum Kaggium cum quingentis peditibus, trecentis equitibus Landsbergam versus mittit, si forte id oppidum improviso opprimere posset. Et ceperat is quidem in vicino monte positum castellum; sed quia oppidum copioso milite nuper hostis firmaverat, Kaggius idem adoriri non ausus re infecta discedit. Mox ut Pomeraniam onere levaret Lillichœckius Stargardiæ legionem equitum collocat, coërcendis hostium excursionibus; reliquas cis Oderam ducere constituit, ut ex hostico viverent, donec supplementis è Suecia appellentibus in Silesiam expeditio suscipi posset. Unde superato apud Greifenhagam flumine Suetam, hinc Oderbergam procedit, ubi castello, quod ponti antepositum erat, hostem ejicit. Sed cum ibi cognovisset, Brandeburgicos in Marchia Nova se movere, fortasse irruptionem in Pomeraniam Ulteriorem tentaturos, ipse Stetinum regredi-

Landsbergæ frustra tentatur. 9. April. 16. Maji.

ditur

1629. ditur hoſtium conatibus obſervandis, Devvicium
14. Maji. tamen tribunum cum copiis Neuſtadium progredi jubet, tractui inter Fuhram & Spream fluvios tributa imperaturum. Hic Neuſtadio progreſſus Borgsdorfium juniorem tribunum cum quadringentis equitibus Bernaviæ agentem invadit, portis perarda, & ſecuri diſtractis. Ubi cæſis nonnullis ipſe tribunus, ejus vicarius, duoque turmarum præfecti cum trecentis gregariis capiuntur; pauci perruptis obſtantibus evadunt. Gregarii plerique numeris ſe Succorum addunt. Quanquam autem Banerius juſſerat capta Landsberga Sileſiam invadere, ubi Glogovia Major quinquaginta tantum peditibus inſidebatur; quia tamen expeditio non ita celeriter adornari poterat, & ſupplementa è Suecia tardius aderant; hoſti ſpatium interim dabatur ſe ibi confirmandi. Conſcripſerant Ordines Sileſiæ Cæſare inſtante tria peditum millia, ſexcentos dimachas; quibus octingenti equites Cæſarei accedebant. Habebat & Brandeburgicus circiter octingentos equites, nongentos è Boruſſia expectabat, præſidiis quindecim centuriæ peditum ſubtrahi poterant: qui juncti manum non ſpernendam faciebant, & Suecicis copiis parem. Sed nec Pomerania extra periculum credebatur, quod Crocovius tribunus cum provincialibus Sueciæ infenſis de intercipienda Colberga agitare diceretur. Arnheimius quoque Holmenſi cuſtodia elapſus, & à Daniæ Rege duabus bellicis navibus Gedanum deductus, cum Crocovio, Mirzlafio (qui & ipſe cuſtode corrupto arce Wiburgenſi evaſerat) Hubaldo, aliisque malevolis conſilia miſcebat; ut ſatius videretur Pomeraniæ ſervandæ invigilare, quam in ulteriora tendere. Poſt tamen cum ſupplementa è Suecia adpuliſſent, Lilliehœckius adſumtis peditum tribus millibus trecentis, equitum tredecim fere centuriis apud Garrzium
9. Jul. Odera transmiſſo ex itinere caſtellum ad Oderbergam, quod *urſorum caveam* vulgo vocabant, oppugnare inſtituit. Sed cum ea res longiorem moram deſideraret, ſatius videbatur ignobili caſtello omiſſo Landsbergam ire; cui oppido cum copias admoviſſet agendis acceſſibus, ipſe interim cum lecta manu Zantocham properat. Eo caſtello,
25. Jul. cum jam omnia aſſultui parata eſſent, præſidiarii ultro profugiebant, in vicinam Poloniam ſe recipientes. Pariter & aliud ad Wartam caſtellum
27. Jul. Brandeburgici deſeruerant. Sed dum Landsbergam Lilliehœckius retro properat, everſo curru crus frangit, non levi ſuſceptæ expeditionis impedimento. Haut eo ſecius tamen ipſo jubente Ericus Steenbockius tribunus in vallum oppidi enititur, & cum Brandeburgicis ſimul oppidum irrumpit, ubi primo æſtu non pauci cædebantur; tres centuriones; totidemque optiones cum trecentis quinquaginta gregariis capiebantur, quorum hi Suecicam militiam ultro ſubibant. Præfectus loci Knœringius ſubtribunus cum parte præſidii trans pontem in caſtellum evaſerat. Qui & ipſe, cum omnia aſſultui dando diſpoſita eſſent, atrocibus inſuper minis territus, ea lege deditionem facit, ut ipſe abſque vexillis & armis diſcederet, gregariis ſequi ipſium, aut apud Suecos manere integrum foret. Ita caſtello Sueci, & in eo quinque vexillis & quatuor machinis æneis potiuntur, cum non ſpernendo adparatu bellico, & commeatu. Abeuntem præfectum vix quinquaginta gregarii Cuſtrinum comitabantur, reliqui Suecicis ſe ſignis aſſociabant. Cum ob fractum femur Lilliehœckio Landsbergæ ſubſiſtendum foret, imperium in peditatum Erico Steenbockio, in equites
6. Aug. Devvicio committebatur. Quorum hic Francofurtum præſidio vacuum nemine repugnante occupat. Dum Berolinum tendit, catervam Brandeburgicorum male multat, præfecto turmæ Goltzio, & octoginta circiter equitibus captis, non paucis cæſis. Idem mox Berolinum, unde vice abſentis Electoris provinciam adminiſtrans Schvvartzenbergius Comes Spandoam ſe receperat, irrumpit, & oppidanos redimendæ direptioni viginti uncialium millibus, ducentis equis emungit. Francofurtum hinc progreſſus Steenbockio jungitur. Ita ſimul Croſnam tendunt, qua nullo negotio potiuntur, quod trecenti præſidiarii oppidum ultro deſeruiſſent. Ulterius adverſo Odera progreſſi Beuthenæ pedem figunt. Devvicius mox cum quinque legionibus hoſti inveſtigando excurrens Bergii tribuni legionem Lubenæ opprimit; ac pleriſque trucidatis cæteros captivos abducit.

1629. 19. Aug. Sueci in Sileſiam irrumpunt.

§. 20. Enimvero dum iſthæc expeditio tarde procedit, Philippus Manſfeldius Comes à Cæſare ad tuendam Sileſiam miſſus haut ſpernendas copias coëgerat, Glogovia cumprimis, cui imminere Succos conſtabat; bis mille militum præſidio firmata. Eam ob cauſam, & quia per æmulationem pares inter duces ſegnius res adminiſtrabatur, Banerius Torſtonem Stalhantſchium cum tribus equitum legionibus in Sileſiam mittit, copiis ibi præfuturum. Iſte Oderam Beutenæ ponte inſternit, eumque caſtellis utrinque adpoſitis, oppidum lorica firmat, ac aſſignata ſuis hoſpitia trans Oderam occupat. Ab eo emiſſa turma manum Croatarum in Glogoviæ ſuburbio agentem opprimit; ac non ſegniter licet reſiſtentem profligat, cæſis compluribus, ac nonnullis captis. Quanquam autem oppugnandæ Glogoviæ impar Stalhantſchius foret, mediocrium tamen oppidorum unum poſt alterum occupando ſtativa ſua non parum per Sileſiam, præcipue Poloniam verſus, extendebat. Ac jam Drachenbergam arcem invadere parabat; cum Manſfeldius copiis auctus Beutenæ minitans Carlathum retro copias ducere ſubigeret. Et quia prælio hoſtem laceſſere, aut ſupra Glogoviam locum capere decreverat, Oderam apud Beutenam tranſit. Sed hoſtis cedere, nec pugnæ copiam facere ac tandem in alteram Oderæ ripam Poloniam verſus ſe conferre. Stalhantſchius inde Stelnaviam progreſſus omnia adhuc cineribus ſepulta, ac circum vaſtata reperit, ut nulla ibi conſiſtendi facultas foret. Igitur Parchvvitzam cum adſita arce in poteſtatem redigit. Neumarcum in quintum usque diem reſiſtebat; ſed cum aſſultus mox dandus eſſet, centurio cum centum peditibus abſque exceptione ſe dedebat, gregarii ſub ſigna Succorum ſuccedebant. Duodecim Wratislavienſium milites in arce deprehenſos Stalhantſchius liberos domum dimittebat ſuis nuntiaturos; ſe amicum venire, ſi recte rem æſtimare velint; & tempus nunc eſſe veteres partes inſtaurandi. Oderam tamen tranſire, & hoſtes inſequi conantem tumentes ac glacie fluitantes undæ prohibebant. Hoſtis interim Guraviam tentans non ſine jactura repulſus erat: Alias modicis excurſionibus provincia perſultabatur, quarum una Helmoldus Wrangelius viginti amplius equites cæciderat, triginta ceperat. Nec ulteriores iſto anno per Sileſiam progreſſus facere dabatur, quam ut Croſna, Beuthena, Carlathum pro captu ſitus ac temporis munirentur, ac Guravia, Herrenſtadium, Lubena, Patchvvitza, Neumarcum, & alia non ſpernenda loca legionum hoſpitiis occuparentur non valde opimis, quod regio partim à Cæſareis vaſtata, partim ultro à provincialibus in Poloniam profugis deſerta eſſet: qui tunc demum affectum ſuum in Succos ſe expromturos ferebant, quando hi capta Glogovia res ſuas ſtabiliſſent. Cui oppugnandæ cum non ſat peditum Stalhantſchio eſſet, Banerius utriusque Pomeraniæ præſidiis injungebat, ut quicquid peditum

Stalhantſchii per Sileſiam geſta.

1639. tum præſidiis oppidorum detrahere poſſent, ocyus, in Sileſiam mitterent.

§. 21. Aſt in Ulteriore Pomerania abſente pleroque equitatu Drieſena egreſſus Wedelius, quem vulgo temerarii cognomine inſigniebant, cum modica caterva late prædas agebat. Quem tamen Tarvyckii ſubtribuni equites non procul Woldemberga deprehenſum præda exuunt, ejusq; manum paucis exceptis concidunt. Nec diu poſt illa ipſa Drieſena, quæ Pomeraniam Ulteriorem diu infeſtam habuerat, in Suecorum poteſtatem pervenit. Ex ejus præſidio duo inferioris gradus ductores Landsbergam ad Lilliehoeckium transfugerant, eique conſilium invadendi munimenti ſuggeſſerant, demonſtrato loco, ubi pali putrefacti facilem acceſſum præberent. Huic conſilio exſequendo, iſte Gordonium tribunum, & Radicam ſubtribunum cum trecentis peditibus mittit; qui tres cymbas curribus ſecum vehebant. Hi cum poſtridie nondum orta luce eodem perveniſſent, ſtatim cymbis foſſam transmittunt, ac dimotis palis in vallum enituntur. Et quanquam tumultu excitato prælidiarii arreptis armis in Suecos jacularentur, hi tamen tanto alacrius ingruebant, ut Brandeburgicis oppreſſis duorum duntaxat militum jactura loco potirentur. Præfectus munimenti Greſius ſubtribunus primo impetu ſaucius, quod vitam adſpernaretur, cum viginti aliis confoditur. Reliqui, centum & viginti numero, quos inter præfectus vigilum, & vicarius cohortis capiuntur. Repertæ ibi ſunt viginti ſex machinæ æneæ, ſex mortaria jaciendis ignivomis globis, adparatus bellici magna vis. Decem millia uncialium novis delectibus deſtinata militi in prædam cedebant. Multi quoq; captivi, qui heic adſervabantur, liberati. Magni momenti erat id oppidum, Wartæ, Notezæ, & Dragæ fluminibus cum circumjecta regione imperans, quodq; Brandeburgici communicationem inter Marchiam & Boruſſiam valde difficilem deinceps redditurum erat. Cui Gordonius in præmium natæ operæ præficitur, idemque novis munitionibus firmatur.

Sueci Drieſena potiuntur.

27. Nov.

28. Nov.

§. 22. In Meclenburgica hoſtis Plauenam adhuc obtinebat; quam cum manus equitum Suecicorum eminus aſſidens jam fame eousque compuliſſet, ut qui intus erant, ſuper deditione agerent, Brandeburgici ſupervenientes iſtam opprimunt, & præter præfectum turmæ, quinquaginta amplius captivos abducunt, locoq; annonam inferunt. Unde poſt Axelius Lillius Meclenburgicam ab hoſte repurgaturus, quadringentos pedites præſidiis ſuis detractos, quibus Lillieſparri Wiſmariæ præfecti quingentos addebat, ſubtribuno Ribbingio Plauenam miſerat. Hic oppido ſtatim occupato acceſſus ad arcem agit, ac munimentis exterioribus potitur. Superveniens inde Joannes Lillieſparrius non ſine minis Cæſareo præfecto deditionem imperat, quam & hic honeſtis legibus facit, Havelbergam cum ſuis deductus. Qui tamen hinc diſcedentem comitati ex pacto fuerant Sueci, à Brandeburgicis oppreſſi diſſipabantur; nec à Cæſareis dati obſides damno reparando ſufficiebant. Etſi plerique poſt manus hoſtium elapſi ad ſua ſigna redirent. Dœmitzam hinc tentare viſum, majoris operæ negotium, vaſtata circum regione, ac difficili machinarum vectura. Eo demum Lillieſparrius bis mille pedites, quingentos equites ducebat, ac poſt occupatam inſulam ad oppidum, à trecentis quinquaginta peditibus defenſum, acceſſus moliebatur, quod & repentino aſſultu expugnat, ſex tantum ſuorum deſideratis. Hoſtis ædibus aliquot incenſis in arcem ſe recipiebat; cui itidem vis admovebatur, cum de Brandeburgicorum ac Saxonicorum adventu, qui arci ſubvenirum iabat, intelligitur. Ad quos arcendos etſi iſte ſat virium habebat; tamen nullo annonæ proviſu famem ab hoſte circumfuſo metuens, ſoluto obſidio diſcedit. Hoſtis Grabovi-16. Sept. am proceſſerat, illic flumen tranſiturus; ſed qui oppidum iſtud inſidebant pedites acriter aſſultantes repellunt, cæſis cum ſubtribuno quadraginta militibus. Quanquam autem Lilius cum quadringentis peditibus jam Demminum pervenerat obſidium Dœmitzæ inſtauraturus; tamen commeatu deficiente, ac nulla pabuli copia ſatius viſum copiis per oppida diſtributis nonnihil quietis indulgere. Poſt Novembri menſe idem Ruppinum Novum tendit, diſtrictum Prignicenſem & Havelandiam tributis ſubjecturus. Ac Ruppinum quidem ſa-Ruppinum vente nebula improviſo occupat, quod peditum legione ac centum equitibus firmat. Ipſe mox Stralſundam redit, plures equites exciturus, ut in Havelandiam penetraret. Paucos poſt dies octingenti 23. Nov. equites Brandeburgici ad Ruppinum aderant, qui-Id Brandeburgici fruſtra tentant. bus ſpes erat, Suecicis equitibus in campum pellectis, cum ipſis ſimul in oppidum irrumpere. Sed 9. Dec. fallente conſilio à ſcloperariis ad portam diſpoſitis ita excipiuntur, ut nonnulli eorum ex equis defluerent. Sed & mox iterum accedentes irriti fuerunt. Tandem Crachtius tribunus valida equitum peditumque manu, machinisque admotis ſtatim ignes jaculatus, quos Sueci diligenter reſtinguebant, latam mœnium ruinam edebat. Tota vi aſſultantes Brandeburgicos ſubtribunus Antonius acriter repellebat, multis ductorum atque gregariorum cæſis. Nec iſti amplius quid tentare auſi trans aggerem ad Fehrberlinum ſe recipiunt. Paulo poſt Li-19. Dec. lius aderat, per eundem aggerem in Havelandiam irrupturus. Et jam caſtellum in medio aggere expugnaverat, inde octingenti pedites Lillieſparrii ductu ad ſiniſtram Rhenum fluentum, & duos inſuper canales ſuperaverant. Sed quo minus tertium, qui ſupererat alveum ſuperarent, pratum profundiſſima uligine, & confertæ in adverſa ripa hoſtium catervæ obſtabant. Unde nocte ingruente receptui canebatur. Nec denuo tentare operæ pretium viſum quod ſuperato licet flumine vacua occurſura erat regio, omni frumento Spandoam aveſto. Et Brandeburgicis conſtitutum erat, ſi perrumperent Sueci, Vetus Brandeburgum ſe recipere; quos non niſi machinis admotis expellere inde licuiſſet, queis promovendis per invias luto vias nulla tunc facultas erat. Ita reductæ copiæ per hiberna diſtribuuntur.

Sueci Plauenam capiunt.

Dœmitzam fruſtra tentant.

15. Sept.

22. Sept.

§. 23. In Weſtphalia initio anni hoſtis in Ra-Geſta per vensburgicum ſe Comitatum contulerat, ſtativis Mellæ, & circa poſitis, donec per præſulatum Monaſterienſem, ac Montanam Marcanamque ditionem in hiberna concederet. Kingius contra, qui hortante Banerio curam exercitus tantiſper retinuerat, dilato in Sueciam itinere, poſt hoſtis diſceſſum in Brunſuicenſem agrum ad Leinam flumen, inde longius Oldendorfum oppidum abierat Kœnigsmarckium præſtolatus, qui excurſione in Paderbornenſem præſulatum facta Niemæ 11. Febr. duas equitum turmas deleverat. Inde per Holtzmundam Rintelium demum concedit, ubi cum peditatu ſubſiſtit, equitatu per Lippienſem Comitatum diſtributo. Inter quæ Kœnigsmarckius otiari neſcius catervam equitum, quæ Curtium Comitem Brema Vechtam deduxerat, opprimit, tribus ereptis ſignis; ac parum aberat, quin ipſum Comitem intercepiſſet. Menſe Aprili cum Hatzfeldius plerasque copias è Weſtphalia eduxiſſet, præter neceſſaria præſidia pauculis equitum legionibus ſub Vehleno relictis, Kingius iterum ſe movere incipit. Ac primo Lemvœrda petitur, quæ poſt paucorum dierum oppugnationem deditione capitur. Præſidiarii ſexaginta licet abeundi venia 4. Maji. con-

V Weſtphaliam.

1639. conceſſa, præter præfectum, omnes apud Succos manebant. Eandem ſortem Auburgum, cum per quatriduum reſtitiſſet, ſubit, pleriſque gregariorum, qui excedebant, Succica ſigna ſubeuntibus. Ehrenbergam, & Drecvœrdam hoſtis ultro deſerebat, quibus à Kingio præſidium imponitur. Ita dilatatis paululum Succorum ſtativis, cum quæ ſupererant his in oris hoſtiles copiæ Monaſterium verſus abiiſſent, Kingius ſuos, ut ſe reficerent, numerosque ſupplerent, idoneis locis diſtribuebat.

14. Maji.

Kœnigsmarckius Weſtphalicis copiis præficitur.

§. 24. Enimvero Banerius de inſtaurandis Weſtphaliæ rebus dudum agitans, tandem Kingio flagitatam diu miſſionem indulget; præſertim cum modicam ejus apud veteres ductores autoritatem eſſe intelligeret, idemque nimis ab Anglicis conſiliis dependeret. Et ipſe vetus militiæ non lubenter alterius imperium admittebat; cum tamen Sueciæ Rectores è re judicaſſent, quicquid foret in Germania copiarum unius ſummæ directioni ſubdere. Cratzenſteinio ibi ducum veterrimo ob valetudinem expeditionibus impari Nienburgi præfectura relinquebatur. Lumbsdaino miſſionem petenti in Olnabrugæ præfectura Luderus Henricſonius Reuterus tribunus ſufficitur. Reliquis copiis, quæ in campum educendæ erant Kœnigsmarckium tribunum præficit, apud milites gratioſum, & ob ſingularem induſtriam ac fortitudinem omnibus æſtimatum; cui adjungitur Hieronymus Plettenbergius, pedeſtris rei curam habiturus. Quæ imperio ejus ſubdebantur copiæ peditum cohortibus viginti quatuor, dimacharum ſex, equitum triginta ſex turmis conſtabant, etſi parum frequentibus. Huic injunctum in Eichsfeldiam ſe conferre, ſupplendis numeris, & ut Erfordiæ laboranti propior eſſet. Tum ut vicinas regiones quousque pertingere poſſet tributis ſubjiceret. Aleam tamen præliorum non tentaret, niſi explorata rei bene gerendæ occaſione, & quantiscunque progreſſibus ſemper ad VVeſtphaliæ res oculos reflecteret, quarum ipſi præcipua eſſe cura deberet. Tandem Brunſuicenſem ditionem tranſiens provinciales moleſtia ne afficeret. Quam ob cauſam etiam ad Ducem Georgium ſcripſerat, ut tranſitum iſti concederet, ac neceſſaria militi præberet. Kœnigsmarckius haut diu cunctabundus contractis copiis

11. Jun. Minda progreſſus per Brunſuicenſem agrum recta in Eichsfeldiam properat. Cum Katelburgum

15. Jun. pervenisſet, intelligit Eppium tribunum cum ſeptingentis equitibus è VVeſtphalia eodem contendere, ut adjumtis aliis turmis ipſius deſtinata anteverteret. Igitur cum equitatu progreſſus

Is hoſtilem legionem intercipit. hoſtem non procul Duderſtadio offendit, quem cæſis duobus turmarum præfectis, aliisque ductoribus, ac centum amplius gregariis in oppidum compellit, ac obſeſſis portis, ne quis effugere poſſet, pedites cum machinis arceſſit. Ita Eppius in

16. Jun. oppido parum munito deprehenſus arbitrio ſe Kœnigsmarckii cum omnibus ſuis permittere cogitur. Mox in Franconiam vertit, ac in itinere Maſfeldæ arci præſidium imponit. Eam regionem dum longe lateque perſultat. Griesheimius Eichsfeldiæ præfectus è Gleichenſteina arce in Succos hoſtilia molitus erat. Igitur iſte è Franconia regreſſus tormentis admotis hunc ad deditionem adigit,

Gleichenſteinam arcem capit. eumque pacta ſua ultro violantem Erfordiam in

11. Jul. cuſtodiam mittit; præſidiarii plerique ſacramento Succorum accedebant; cæteris Oldendorfum in Haſſiam deductis. Ita tota Eichsfeldia in Succorum poteſtatem redigitur, cui in officio continendæ Duderſtadium & Gleichenſteina munitionibus firmantur. Modica inde militi quies indulgetur. Ipſe cum ducentos Epiſcopi VVurtzburgenſis pedites Lauringæ tendere cognoviſſet, ſtatim

21. Jul. eo accurrens iſtos opprimit, ac nonnullis cæſis reliquos captivos abſtrahit. Præſul omnia Succicis catervis infeſtari cernens, cum Kœnigsmarckio ſuper tributis agere cœpit. Quem ut hic tanto magis urgeret, toto cum agmine iterum in Franconiam ruit. In quem cum ex arce tela licet innoxia emitterentur, ipſe vicina ædificia, vicosq; circum inflammat. Ita compulſus Præſul grandi pecuniæ ſumma cum ipſo decidit, ſimul Ferenzium Palatini Electoris ducem apud Flotham captum libertati reſtituit. Nec minus ſuperiores Hatti ingenti ſumma populationem redimunt. Quo facto copiæ per Eichsfeldiæ vicinas regiones diſtribuuntur, ut ſupplendis numeris vacare poſſent. Paulo tamen poſt Hatzfeldius adpropinquans contractis iterum legionibus Kœnigsmarckium apud Mulhuſam conſidere ſubigebat. Et quia hic neque Hattis, neque Luneburgicis ſatis fidebat, poſtquam Eichsfeldiam idoneis præſidiis firmaſſet, & Goltzio Erfordiam cohortes aliquot ſubmiſiſſet, in VVeſtphaliam regreditur rebus ibi ordinandis. Inde cum Georgius Dux caviſſet, hoſtile nihil, ſed amicam potius conjunctionem à ſe expectandam, ne ipſius terris crebro tranſitu moleſtus foret, trans Viſurgim iterum Eichsfeldiam verſus adtendit, obiter Hervordiam & Bilefeldam occupaturus. Sed circa Hervordiam, Luneburgico præſidio infeſtam, res ad Georgium Ducem rejiciebatur. Bilefelda globis ignivomis territa imperata faciebat, & præſidium recipiebat. Quo facto Kœnigsmarckius per Paderbornenſem agrum Huxteram, hinc in Eichsfeldiam tendit, Franconiam denuo aditurus, quod Banerius conventionem cum VVurtzburgenſi Præſule ratam habere nollet. Enimvero iſto vix digreſſo Vehlenus è Cæſareis præſidiis contracta ter mille peditum, mille quingentorum equitum manu, Bilefeldam properat, eamque tormentis, atque ignibus injectis terret. Præſidium tam diffuſo loco tuendo impar, honeſta deditione facta Mindam deducitur. Kœnigsmarckius audito hoſtium motu repente ſuis auxilio properat; ſimul Melandro ſcribit, ut dum ipſe à fronte ingruit, à tergo ille hoſtem invadat, & receptum ad Monaſterienſem præſulatum eidem intercludat. Sed quia tumentem tunc aquis Viſurgim vado nullibi tranſire poterat, & longo ambitu Minda petenda erat; Cæſarei jam in præſidia ſe ſua receperant. Igitur viam per quam venerat telegit, deſtinata ſua in Franconiam exſecuturus, ac obiter Saxonicos per Voigtlandiam diſſipaturus.

1639. Præſulem Herbipolenſem argento emungit. 9. Sept.

7. Nov. 9. Nov. 24. Nov. 3. Decemb.

Inferioris Saxoniæ Ordines conventum ſine ſuperioris anni comperendinatum initio hujus anni Luneburgi inſtauraverant; quo Soldnerus, & ipſe demum Curtius ſe contulerant, ut eos ad jungenda cum Cæſare adverſus Succos arma, aut ſaltem pecunias conferendas permoverent. Quorum utrumque Saxones adſpernabantur, licet Curtius ad extremum vel decem menſes Romanos, quos vocant, flagitaret ſub quacunque conditione, ne ſolus hic Circulus obſequium Cæſaris exuiſſe, aliisque noxio exemplo præviſſe videretur. Enimvero illis pax Germaniæ cordi erat, & ut quousque hæc obtenta foret, ipſi malis belli eximerentur. Ac de pace quidem Daniæ Rex literis conventum monuerat, ejus fundamentum eſſe, ut amotis exterorum armis per amneſtiam cum omnes Ordines, tum præcipue Palatina Domus reſtituerentur, cujus cauſam à communi tractatu ſeparatam Cæſarei Bruxellas decidendam rejicere cupiebant. Hanc quippe de injuria illata queſturam; ac facile occaſionem inde naſcituram tractatus pacis in ipſo exordio abrumpendi. Eoque hortatur, apud Cæſarem tunc de communi amneſtia, tum de cauſa Palatina diligenter agerent, ut illa pace futurâ

Inferiorum Saxonum conventus. 11. Febr.

11. Jan.

1639. componatur. His literis conventus in propoſito ſuo firmatus longius, quam Rex voluerat, procedebat, decreta ad Cæſarem legatione, qua rogandus erat, ut literas ſalvi conductus tam conciliatis, quam excluſis pace Pragenſi Ordinibus daret, & communem amneſtiam decerneret, tum ſuum Circulum extra belli incommoda remotum agere pateretur, neutri bellantium addictum. Id quippe commodiſſimum medium ſui conſervandi videbatur. Quo decreto facto, nequidquam intercedente ac fremente Curtio conventus ſolvebatur. Suecis licet decretum iſtud non per omnia ſatisfaceret; id tamen non exigui momenti videbatur, quod ipſorum poſtulata ſuper ſalvis conductibus ab his probata forent; ac iſti petita communi amneſtia, ac neutralitate à Pragenſi pace diſceſſiſſent, cui tamen tuendæ ſe antea obſtrinxerant.

1639. Decretum eatumdem.

Rex Daniæ conjunctionem armorum diſſuadet.

Actum etiam fuerat de conjungendis in unum exercitum Circuli copiis, id quod Georgius Dux cumprimis urgebat. Sed diſſuadebat Daniæ Rex, qui onus iſtud ſoli Domui Luneburgicæ, & Holſaticæ haut ſuffecturæ incubiturum oſtendebat, reliquis imbellibus, aut alio reſpectu diſtractis; ac utriusque partis odium atque diffidentiam irritandam. Unde ſatius fore, ſi peculiaribus quisque copiis ſuas terras quantum poſſit tueatur.

Idem neutralitatem pro Domo Luneburgica urget. 5. Januar.

§. 26. Sed ſuper neutralitate Domus Luneburgicæ Rex Daniæ ad Rectores Succiæ ſcripſerat, exaggerato præcipue periculo, quod Inferiori Saxoniæ à Cæſareis immineret; qui licet jam diſceſſiſſe videantur, experientia tamen præteritorum temporum conſtare, eam eſſe Domus Auſtriacæ potentiam, ut cum maxime preſſa videatur, majori mole reſurgat. Mox illos in his oris, ad ſua deſtinata mire commodis, adfore, ubi nonnihil adhuc virium Evangelicis ſuperſit. Quos nulla ratione avertere liceat, quam impetrata a Cæſare neutralitate; ſed quæ ab hoc peti non poſſit, niſi Regina in eam prius conſenſerit. Addebatur magna invidia non eſſe iſtos Principes ad deſperata conſilia adigendos, ut ſe Cæſareis jungant: id quod magno ambitu ab his quæratur. Arma à Guſtavo quondam Rege liberandis Evangelicis mota per aliquot nunc annos iisdem opprimendis adhiberi; cum certum ſit, iſtis everſis penes Arctoa Regna non ſat virium eſſe Pontificiorum deſtinatis retundendis. Ita Suecos Catholicis ad deſtruendos Proteſtantes operam navare. Aſt ſuorum armorum reſpectu ſuperiore anno multa Evangelicorum millia ſervata eſſe. Denique eam neutralitatem Regnis Arctois commodo cedere, quorum incolumitas hoc tempore è conſervatione Domus Luneburgicæ dependeat, cujus ruina etiam iſta ſit involutura.

Rectores Succiæ reſpondent. 31. Jan.

Efficiebat tam acerba exprobratio, ut Rectores Succiæ prolixo reſponſo declararent; Proteſtantes ipſos ſibi malorum cauſam fuiſſe, qui autore Saxone poſt ſeparatam cum hoſte transactionem arma in Suecos verterint, hosque intercluſa honeſtæ pacis via ad abrupta conſilia compulerint; ſimul dum eosdem ejectum eunt, hoſtem in viſcera ſua attraxerint; dementiæ ipſorum illudentem. Horum iniquitate adactos ſatius judicaſſe hoſti extra Regnum occurrere, quam cum eodem intra fines proprios decertare. Dolere ſibi hoſtem pravis Evangelicorum conſiliis ad ſua deſtinata uti. Nec ideo tamen ſibi armis parta commoda abdicanda ante honeſtam & communem pacem obtentam; aut hoſtem in proprios fines pelliciendum; aut ex timiditate facultatem eidem concedendam, ut vires Evangelicorum in ſe trahat, & quicquid ipſorum ſupereſt plane opprimat. Non adeo ſpernendas Evangelicis vires, modo eadem ipſis, quæ apud Catholicos, animorum conjunctio ſit. Sane incumbere Arctois Regnis periculum, ſi Catholici omnibus Evangelicorum ditionibus ac portubus potiantur. Aſt tanto minus ſibi concedendum, ut quocunque obtentu illis viam ad iſta aperiant. Gratulari ſe Regi tot millia Evangelicorum ejus armis ſervata, nec eandem felicitatem aliis ſacrorum ſociis invidere, niſi ea ſibi cautæque communi fraudi ſit. Septentrionis ſecuritatem non ſola Inferioris Saxoniæ, ſed communi Evangelicorum conſervatione, totiusque adeo Imperii libero ſtatu niti, quem Pragenſis pax in dominatum verterit. Neutralitatem uni vel alteri ex favore conceſſam ad ſummam rerum nihil facere; quam Cæſarei indulgere non ſoleant, niſi quando ipſis ea regione frui haut licet, quo & hoſtium ſuorum uſibus eandem ſubtrahant. Temporibus mutatis in promtu eſſe prætextum conceſſa retractandi. Exemplo eſſe Neoburgicam neutralitatem, & quæ proximo anno in Bremenſem præſulatum tentata ſunt. Se nihilominus certa lege in iſtam conſenſiſſe, repugnantibus licet belli ac ſtatus rationibus, ac ſperare Duces illos, ac præcipue Georgium, bona inde hoſtilia exuturum; qui hactenus ambiguus egerit, diſcedente hoſte Suecos inani amicitiæ ſpe lactans, eidem mox invaleſcenti denuo ſe venditans. Unde ſuſpicandi ſibi cauſas eſſe, iſtum Regis benevolentia abuti, ac cum ipſe parum fidei in Suecia inveniat, per alios ad deſtinata ſua graſſari. Ea lege tamen poſtulatis Regis annuere, ut à Cæſare prius exemtio à moleſtiis belli Ducibus concedatur iisdem, quas à ſe deſiderent conditionibus: ut Duces Reginæ caveant nullam à ſe hoſti opem latum iri, utque Georgius Dux detentas machinas bellicas reſtituat. Hoc fundamento jacto ita Reginam declaraturam, ut Rex interceſſionem ſuam ingens pondus habuiſſe intelligat; qui viciſſim ita aliorum conſervationem cordi habiturus ſit, ut per eam incumbentia Succiæ onera ne augeantur.

Luneburgici cum Banerio de neutralitate agunt. 31. Januar.

§. 27. Eodem tempore à Brunſuicenſibus ac Luneburgenſibus Ducibus milli apud Banerium aderant Legati ſuper neutralitate acturi. Quos cum ipſe ad arma ſecum ſocianda permovere mallet, circa iſtam initio tergiverſabatur: inutilem eandem differens: ac opportunitate temporum utendum, & validius paci communi promovendæ remedium adhibendum. Et cum Legati objicerent, Ligam itidem apud Gallum neutralitatem ambire, reponebat: tanto magis neceſſium eſſe omnes Evangelicorum vires ſecum jungi. Nam illo caſu totam belli molem ſibi incubituram, ac ſi quid adverſi contingat, Cæſarem in ipſos graviter animadverſurum. Tandem oſtendebat, niſi munitis quibusdam locis traditis ſibi caveatur, de neutralitate agere non poſſe. Sed quia Legati ſuper conditionibus nihil in mandatis habebant, tunc quidem diſceſſerunt. Quanquam autem aliqui monerent, rem non ſerio agi, & occaſionem captari ſecuro damni quid inferendi; judicabat tamen Banerius negotium non plane abrumpendum, quod Domo iſta utcunque pacata aliorum per Inferiorem Saxoniam machinationes ultro corruituræ forent. Reverſi paulo poſt iidem Legati præter literas fidei plenipotentiam juſta forma non edebant, ſed tantum mandata ſuper tractatu præparando, & ut acta ad Principes ſuos referrent. Tandem formulam exhibebant à Ducibus ſubſcriptam, cautionis loco tradendam, ſi Sueci pari ſcripto cavere vellent. Deputati Suecici, quanquam id ſcripti plenipotentiæ, aut idoneæ cautionis vice habere non poſſent; ne tamen re plane infecta diſcederetur, idem acceptant ea lege, ut ne Banerio ejusque exercitui ea res fraudi ſit, nec ulterius eos ſtringat, quam ſpes de ſucceſſu futuri tractatus ſuperet. Tum viciſſim ſcripto illis cavent, ſi Duces, quæ ſcripto recepiſſent, bona fide ſervent, à Suecis nihil hoſtile

Temporaria cautio.

ipſi

1639. ipſis inferendum, quamdiu tractatus hic plane abruptus non fuerit.

§. 28. Aderat paulo poſt Drebbernus Cancellarius apud Banerium, tractatum iſtum abſolvi quamprimum cupientem quo longius à Saxonia diſcedenti nihil retro timendum foret. Poſt exhibitam plenipotentiam capita conventionis ſcripto concepta utrinque traduntur, ſed pluribus locis non parum diſcrepantia. Banerius totum negotium Cæſareæ cautioni ſuperſtruxerat, quam Duces à Cæſare obtinere, ſibique tradere deberent. De qua Duces quidem mentionem fecerant, ſed ut ad eam utique exhibendam obligari nollent. Contra oſtendebatur; hanc eſſe neutralitatis indolem, ut ad eam utraque bellantium pars pari ratione obſtringatur, nec ex ea uni plus emolumenti, quam alteri accedat. Jam Cæſare conventionem non probante, integrum ipſi fore pro captu rerum ſuarum cum Ducibus agere; Suecos contra iis, quæ jus belli indulget, ceſſiſſe. Cum Drebbernus excipere; ſi Cæſar non conſentiret, Duces per ſe neutralitatem tuituros, reponebatur: Duces Cæſari impares. Quod ſi vires comparent Cæſari verendas, utrique parti ſuſpectos fore, & in bellum, quod fugiant, ruituros. Tandem placebat, deficiente licet Cæſaris adprobatione, conventa inter Suecos & Luneburgicos nihilo ſecius firma fore. De reſtituendis machinis Luneburgica formula ſilebat, negabat Drebbernus ſibi de iis quid mandatum; nec tanti eas eſſe, ut negotium ideo abrumpi debeat. Succi quoque expreſſe agminatim aut ſingulis innoxium ſibi tranſitum per Ducum terras ſtipulabantur, pro captu temporum neceſſarium; quo tamen moleſti ipſis eſſe nollent, ſi munito infra Magdeburgum capto loco communicationem cum ora maritima jungere queant. Luneburgici porro integrum ſibi volebant copias pro lubitu augere tuendæ ſuæ ditioni. Succi contra eas exauctorari malebant tanquam parta ipſis ſecuritate inutiles, & ſuſpicionibus anſam præbituras; aut ſibi concedi. Sed cum Drebbernus id abnueret, caput iſtud omiſſum. Banerius inde, quod Cæſari jam infeſſo Guelferbyto cautum ſat foret, Hamelam aut Luneburgum in manus Reginæ conſignari poſtulabat ea lege, ut ſi Cæſarei Guelferbyto cederent, Succi quoque traditum ſibi oppidum reſtituerent: ſcilicet ut Duces cum Cæſareis, de Guelferbyto utique tergiverſaturis, committeret. Aſt contra Duces cautionem non dare, ſed accipere volebant, ſuper Nienburgum, Hoyam, Bleckedam, VVulfsburgum; & alia ſuæ ditionis loca, etiam Mindam Cellenſi Domui tradi poſtulantes: viciſſim apud Cæſarem de evacuando Guelferbyto laboraturi. Denique Duces Goslariam, Mulhuſam, & Northuſam ea conventione comprehendi volebant, ſuoque præſidio iſta oppida tuituri: id quod Banerius abnuebat. Demum re utrinque diſceptata placebat; ut Duces neutri parti in hoc bello quacunque ratione auxilium ferant, ſimul idoneam à Cæſare cautionem obtineant, Banerioque tradant, iſtum plenam neutralitatem iisdem indulgere, & nihil bello ſubſerviens exigere velle: Cæſaris tamen adprobatione non ſecuta, neutralitatem nihilo ſecius inter Suecos & Duces firmam fore: Reginam viciſſim omnibus belli oneribus Ducum terras exemturam: Duces operam daturos, ut Guelferbyto, & aliis ſuæ ditionis locis præſidia Cæſarea deducantur: omnia deinceps hoſtilia utrinque ceſſatura: ſi qui contra fecerint, comprehenſos ac ſuperioribus ſuis oblatos pœnas luituros. Tranſitum innoxium per utriusque loca invicem fore conceſſum: ubi ſuper caſibus hoc non comprehenſis controverſia oriatur, eam amice componendam. Peculiari deinde conventione diſtinctius addebatur, ne quid ullo modo à Ducibus in fraudem Suecorum admittatur. Si Cæſar pacta hæc probare abnuat, Succis integrum ſit Guelferbytanos obſidio eminus circumpoſito coërcere, Ducibus annonam ſubminiſtrantibus. Si copias augere Duces velint, ut id fiat in ſui tantum defenſionem, non in fraudem Suecorum, aut cauſæ communis. Tandem ut neceſſitate id exigente Suecorum copiis per Ducum terras iter innoxium cum annona concedatur. Enimvero utrumque hoc inſtrumentum probabat quidem Drebbernus, negabat tamen facultatem ſibi datam aliud ſubſcribendi præter formulam à ſe allatam. Spondebat tamen ſe curaturum, ut intra ſex Septimanas idem Principum ſuorum ſubſcriptione firmatum exhiberetur. 1639.

§. 29. Ea pacta quo minus perficerentur, penes Rectores Succiæ mora non erat. Quanquam enim unum & alterum caput omiſſum foret, quod interim cupiebant, & hoc modo VVeſtphalicis copiis ſtativa circumſcribi viderentur: ſatius tamen habebatur pacta hæc rata habere, velut quæ pacem Pragenſem infringerent, per quam neutrarum eſſe partium Ordinibus non licet, & quia Duces per iſta apud Cæſarem exoſi reddebantur; tum Danus impediebatur eosdem fœderibus & machinationibus ſuis implicare. Eoque utrumque inſtrumentum ſubſcriptione perfectum Salvio Hamburgum transmittebatur. Enimvero cum dies, quam transmittendis ſubſcriptis inſtrumentis Drebbernus dixerat, ceſſiſſet, Duces per literas Banerio ſignificant; ſe utique conſtituiſſe placita firmare, eoque fine nonnullos ad ipſum ablegaturos; moram tamen excuſabant infeſtis itineribus: haut eo ſecius conventa ſe bona fide obſervaturos. Quibus Banerius reſpondebat; legatos Erfordiam mitterent, unde curaturum ſe, ut tuto ad ſe perveniant. Sed cum nihilominus alter jam menſis laberetur, Banerius eas moras ſuſpectans literis à Georgio Duce exquirit; quid animi circa conventa ipſi ſit, ut quid ſibi agendum, viciſſim ſtatuere queat. Aderat tandem Drebbernus, qui ſummam quidem conventorum inter ſe & Banerium Ducibus probari ferebat; tantum vocabulorum quorundam duritiem corrigi velle, & pro *neutralitate*, aut *executione*, *aſſecurationis* vocabulum ſubſtituendum ducere, ne Cæſari ſe aut Imperio plane ſubducere videantur: Id quod Banerius abſurdum judicabat. Hactenus quippe iſtos admiſſa pace Pragenſi Cæſaris amicos, Suecorum hoſtes fuiſſe. Quod ſi nihil jam novi, ſed aſſecurationem tantum petant, perinde fore ac ſi dicant; ſe in eadem, quæ hucusque fuerint, conditione manſuros, Cæſari amicos, Succis hoſtes, ut tamen ſibi à Succis de noxa non inferenda caveatur. Pertendebant inſuper Goslariam, Mulhuſam, & Northuſam velut clientelæ ſuæ obnoxia oppida belli oneribus eximi, aut eadem ſemel ſoluta pecuniæ ſumma velut per averſionem redimi. Sed & ſuſpectum valde erat, quod pacto inferi poſtularent; ſe quidem durante bello copias cum hoſte non ſociaturos, nec fœdus contra Suecos aut eorum ſocios inituros; integrum tamen ſibi fore cum aliis Imperii Circulis, ac vicinis fœdera inire, ne tam nobilem libertatis ſuæ partem abdicare videantur. Quæ non obſcure inſinuabant, de tertiis formandis partibus ipſos meditari, quæ frequenti tunc rumore agitabantur. Mox quoque patebat, ipſos totum Circulum belli moleſtiis exemtum velle. Interim Drebbernis ſecreto jactabat; neutralitatem tantum in ſpeciem quæri, ac ſibi peculiaria mandata, & quæ cæteros, qui venturi erant, legatos laterent, à Georgio Duce data ſuper armis cum Banerio jungendis.

Succi conventa ratihabent.

Luneburgici moram nectunt. 26. Jun.

15. Julii. Iidem nova difficultates movent.

§. 30. Inter hæc aſperum à Cæſare edictum Dutcibus Luneburgicis traditur, quo jubebantur ci- Luneburgici Hildetra

1619. tra moram Hildeſienſem præſulatum Colonienſi Electori cum omni cauſâ reſtituere. Mox tamen blandæ à Cæſare literæ aderant, quibus novos tractat' ſuper ea ditione in aula ſua ſe moderatore ſuſcipiendos proponebat. Addebatur alia epiſtola, qua Cæſar declarabat, omnia, quæ circa conceſſum Banerio tranſitum Albis à Duce Georgio admiſſa ſint, oblivioni tradi, & omnem ipſi gratiam à Cæſare expectandam, modo is copias ſuas Cæſareis jungere velit. Nec eo ſecius Dux vehementer commoveri, & alia conſilia circumſpicere; præſertim cum fama eſſet, Piccolominem è Belgio Viſurgim verſus tendere, deſtructis in itinere Suecorum ſtativis Hildeſiæ poſſeſſionem prehenſurum, ſimul ut compulſo ad jungendas copias Duce trans Albim in Meclenburgicam & Pomeraniam impreſſionem faceret. Igitur Dux Hildeſiæ munimenta firmare, & copias ſub id oppidum contrahere inſtituebat; diſſuadente Daniæ Rege ne ſe Cæſari opponeret, ſed Hildeſia potius cederet: quod utique Sueci à Gallis ſint decipiendi, eoque in iſtorum ſocietate nihil præſidii ſit futurum. Ad paria conſilia cum Luneburgico inclinabat Bremenſis præſul, cui Cæſarei hoſpitia ſua minabantur. Uterque ad Regem Daniæ mittebat, ſciſcitatum quid ſibi ab ipſo expectandum foret? Qui parum probari à ſe arma in Cæſarem oſtendebat. 20. Sept. Scribebat quoque Dux Kœnigsmarckio, qui Banerii juſſu auxilium ſuum obtulerat, ut propius ſubſiſtere & conſilia ſecum communicare velit. Quamvis enim nihil hoſtile metuat, nec cauſam ulli offenſæ dederit; ſi tamen quocunque obtentu Domui ſuæ exitium intentetur, ſe ad vim propulſandam conceſſa per naturam media oppoſiturum. Ejusdem quoque Legati à Rege Daniæ Glueſtadio reverſi Salvium Hamburgi adeunt, eique exponunt: Ducem ſatis perſpicere, quid periculi Germaniæ, ac peculiariter ſibi immineat: Stare ipſi, ſi Cæſar laceſſat, una cum Bremenſi præſule arma arripere. Ne in ſiniſtram partem acciperent Sueci, ſi Dux copias ſuas augeat; ipſum pro re nata Suecicis exercitibus eas ſociaturum. Spem eidem eſſe Reginam induciis, aut pace ineunda ipſius rationem habituram. Addebant, Drebbernum arcana mandata habere ſuper conjunctione cum Banerio agendi. Salvius providentiam Ducis & maſcula conſilia laudare, periculum exaggerare; neutralitatis nullum amplius uſum; arma & conjunctionem cum Suecis unicam malis propulſandis viam eſſe. Tum nomine Reginæ prolixe pollicetur. Legati agnoſcebant, armis quam optime ſecuritatem Ducis ſtabiliri; quia tamen non temere ab uno extremo in alterum ruitur, optabant, probabilem à Cæſare armorum arripiendorum cauſam præberi. Et quanquam Salvius cenſeret Guelferbyti detentionem, & Hildeſienſe negotium huic ſcopo ſufficere; Legati tamen infeſtiora, & quæ nullus juris color emolliret facta deſiderabant, quibus Dux in arma compelleretur. Tandem oſtendebant, licet Dux nondum ad conjunctionem armorum proceſſurus videatur, non eſſe tamen Suecis hoſtile quid ab eodem verendum. Ita Ducem tunc ad Suecorum ſocietatem impellebant horum ſucceſſus, & quia ingens ſibi periculum metuebat, ſi illi ſeorſim cum Cæſare tranſigerent. Accedebat, quod cum antea ſuſpicio fuiſſet, Suecos periculoſam in Germania mutationem, & enormia præmia affectare, jam nil aliud ab ipſis, quam Pomeraniam in feudum peti pateret; quod non ſolum innoxium cenſebatur, ſed & Proteſtantibus egregio firmamento, ſi Regnis Arctois à tergo fulcirentur.

Dux Georgius offenſam in Cæſarem concipit.

Suſpecta Luteriacis

§. 31. Veniebant poſt ad Banerium in Bohemiam Legati Luneburgici, quibus Danicus, Bremenſis & Holſaticus ſe adjunxerant. His propoſitum erat pro toto Circulo Inferioris Saxoniæ neutralitatem ambire, quod plerique ejus oræ Principes Reginam cognatione attingerent; eademque cum ipſâ ſacra colerent, quorum conſervationem iſti cordi fore ſperarent. Et hoc quidem univerſi proponebant. Peculiariter autem Danus pacem commendare, ac quibus legibus eam Sueci inire vellent inquirere. Continua ſanguinis effuſione rebus Proteſtantium non conſuli. Cæſarem omnia æqua offerre; Regem quoque omnem operam paci conciliandæ navaturum. Bremenſis Legatus dudum ſuo Principi cautum agnoſcebat, Luneburgicis tamen rogantibus non potuiſſe negare, quin ſuper neutralitate toti Circulo, ac imprimis Luneburgicæ Domui concedenda inſtaret. Magdeburgicum inſuper Prætulem commendabat velut honeſtæ pacis cupidum, & dignum, qui belli incommodis eximatur. Aſt Luneburgici *aſſecurationi*, quam quærebant, Goslariam quoque, Mulhuſam, & Northuſam cum Ilfeldia, & VValckenrietha cœnobiis comprehendi volebant. Tum ut Sueci omnibus ad Duces ſpectantibus locis decederent, Nienburgo, Hoya, Bleckeda, VVulfsburgo; ipſâ inſuper Minda, ſi Duces Guelferbyti reſtitutionem à Cæſare obtinerent. Quæ jam antea a Drebberno poſtulata Banerius repudiaverat, iisdemque iſte deſiſtere viſus fuerat. Præterea Drebbernus ſecreto de fœdere mutuæ defenſionis proponebat, ſed duris admodum legibus: inter quas erat, ut Sueci Ducibus concederent, quicquid locorum in VVeſtphalia intra Amaſim & cis Lippiam tributis ſubjeciſſent, una cum Goslaria, Mulhuſa, Northuſa, Minda, Huxtera, Corveja, Eichsfeldia, & Honſteinenſi Comitatu.

1619. Saxoniæ ad Banerium Legatio.

§. 32. Banerio mirum videbatur, Luneburgicos ſibi hactenus quæſitam neutralitatem nunc ad totum Circulum extendere velle. Simul ex Drebberno ſciſcitabatur, quare Duces cæteros ad hanc Legationem induxerint; cum ipſe ſat noverit, quid Menſe Majo ſecum transactum; nec amplius ſibi indulgere conceſſum eſſe. Is reſpondebat Duces hanc legationem à Rege & reliquis non ambiiſſe, ſed ultro ſe obtrudentes repudiare non potuiſſe. Eoque ſibi & collegis ſuis injunctum, ſi Banerium ea miſſio offenderet, eam hoc modo excuſare. Aſt Danicus legatus Geiſtius, cum itidem de cauſa mittendi inquireretur, diverſum plane aſſerebat; Regem, cæterosque non proprio motu hanc legationem decreviſſe, ſed Duces ſedulo id quæſiviſſe, & velut crinibus (ita loquebatur) ipſos huc pertraxiſſe. Quæ diſcrepantia animum Banerii diverſas in ſuſpiciones trahebat. Univerſis tamen reſpondebat; Circa Bremenſem dudum rem transactam eſſe. Præter Luneburgicos nulli neutralitatem concedere ſibi licere; ac reliquorum aliam eſſe conditionem. Meclenburgica & Lauenburgica ditio ut præſidiis à ſe cuſtodiatur, neceſſitatem belli ſubigere. Magdeburgicum & Halberſtadienſem præſulatus initio hoſtibus ereptos, Suecisque jure belli adquiſitos, nunc à ſe recuperatos. Nec de his tranſigere ſibi in mandatis datum. Danico Legato ſeorſim reponebatur; moram paci non penes Succos, ſed hoſtes eſſe. Hi ubi ſerio rem agant, non defore qui cum iis tractent; de conditionibus pacis jactare ſuum non eſſe. Porro cum Luneburgicis ſuper neutralitate facile convenerat, ſi conceptæ jam formulæ inhæſiſſent. Sed cum Banerius ſuper novis, quæ movebant, nihil in mandatis haberet, & Legati ſancte aſſeverarent, à ſuis poſtulatis diſcedere ſibi non licere res in Sueciam erat referenda. Idem Drebberno circa propoſitam conjunctionem reſpondebatur.

Banerii reſponſum.

§. 33. Interea Georgius Dux Piccolomineum metuens

Dux Geor-

1629. metuens apud Hildeſiam copias luſtraverat, præter idonea oppidorum præſidia quinque millia explentes; quas ſacramento Cæſareo, quo eas antea adegerat, nunc palam exſolvebat, ac caſtra inter Northeimum,& Gœrtingam ponebat. Enimvero quia Cæſar executionem circa præſulatum Hildeſienſem diſtulerat, & Piccolomineus recta in Bohemiam tendebat, Dux conjungere ſe Suecis tergiverſabatur, quantumvis Kœnigsmarckius & antea literis; & nunc coram Eimbeccæ inſtaret; ni extrema ſubigeret neceſſitas, & utrique ingens incumberet exercitus. Mox cum Legati è Bohemia revertiſſent, nullo certo reſponſo allato, ipſe ſolutum exercitum per hiberna diſtribuit, tempus extrahere, ac fortunæ ſe attemperare callidus. Alias multa eo tempore de tertiis formandis partibus ſpargebantur, in quas præcipue Daniæ Rex inclinabat. Qui cum nuper Legati Luneburgici ad conjunctionem adverſus Cæſarem ipſum invitaſſent, eam quidem probaverat, addito tamen, eandem ſimul adverſus Suecos fieri debere. Alias enim ſibi pacis conciliatori in alterutram partem concedere fas non eſſe. Eam rem Arnheimius quoque diligenter urgebat, qui aliquandiu Brunſuigæ cum Auguſto Duce multa ſecreto agitaverat. Et ex literis interceptis adparebat, ipſum ab Electore Saxoniæ mandata habuiſſe cum Daniæ Rege, Georgio Duce, & Inferioris Saxoniæ Circulo ſuper novo defenſionis fœdere tractandi. In quod Haſſos quoque pertrahere conabatur, certa ſucceſſus ſpe, quod Melandri ſtudia atque conſilia cum Arnheimii deſtinatis mire congruerent.

metuens apud Hildeſiam copias luſtraverat, præter idonea oppidorum præſidia quinque millia explentes; quas ſacramento Cæſareo, quo eas antea adegerat, nunc palam exſolvebat, ac caſtra inter Northeimum,& Gœrtingam ponebat. Enimvero quia Cæſar executionem circa præſulatum Hildeſienſem diſtulerat, & Piccolomineus recta in Bohemiam tendebat, Dux conjungere ſe Suecis tergiverſabatur, quantumvis Kœnigsmarckius & antea literis; & nunc coram Eimbeccæ inſtaret; ni extrema ſubigeret neceſſitas, & utrique ingens incumberet exercitus. Mox cum Legati è Bohemia revertiſſent, nullo certo reſponſo allato, ipſe ſolutum exercitum per hiberna diſtribuit, tempus extrahere, ac fortunæ ſe attemperare callidus. Alias multa eo tempore de tertiis formandis partibus ſpargebantur, in quas præcipue Daniæ Rex inclinabat. Qui cum nuper Legati Luneburgici ad conjunctionem adverſus Cæſarem ipſum invitaſſent, eam quidem probaverat, addito tamen, eandem ſimul adverſus Suecos fieri debere. Alias enim ſibi pacis conciliatori in alterutram partem concedere fas non eſſe. Eam rem Arnheimius quoque diligenter urgebat, qui aliquandiu Brunſuigæ cum Auguſto Duce multa ſecreto agitaverat. Et ex literis interceptis adparebat, ipſum ab Electore Saxoniæ mandata habuiſſe cum Daniæ Rege, Georgio Duce, & Inferioris Saxoniæ Circulo ſuper novo defenſionis fœdere tractandi. In quod Haſſos quoque pertrahere conabatur, certa ſucceſſus ſpe, quod Melandri ſtudia atque conſilia cum Arnheimii deſtinatis mire congruerent.

Cæſar tractatum cum Landgravia non plene ratihabet.

§. 34. Landgravia, cum Moguntiæ conventis præter ratihabitionem Cæſaris nihil deeſſet, quamdiu aliqua ejus obtinendæ ſpes, non reperiebat; quo colore ab illis reſiliret. Nec eo ſecius tamen miſſo Hamburgum Vulrejo à Salvio petebat, in communi pace ſui rationem haberi, eidemque ſe includi melioribus aut iisdem, quæ Moguntiæ convenerant, conditionibus. Tum ut literæ tuti acceſſus ſibi curarentur adquieturæ titulo, quem Cæſar dederit; cum id pace facta ſibi fraudi non ſit futurum: promittens, ſe copias ita exautoraturam, ut hoſtis iisdem ne potiatur. Interea palam fiebat, Cæſarem probatis reliquis circa ſacra hactenus indulſiſſe, ut eorum libertate ipſa ac provincia ſua fruererur: ſed quod eandem quoque aliis Imperii Ordinibus ſtipulari voluerit, id à Cæſare repudiatum. Quo inſuper habito ut Cæſaris confirmationem admitteret, Moguntinus Elector Landgraviæ ſuadebat: Non ſat ipſi cautæ ad talia poſtulanda: ab initio tractatus de iisdem nihil motum. Nihil ex eo in ipſam commodi redundaturum: nec alios mandaſſe iſta pro ſe ſtipulari. Quin cæteros pari libertatis gradu gaudentes ignominiæ id ſibi ducturos: ita pro gratia offenſam lucraturam. Queis parum commota Landgravia de armis denuo arripiendis circumſpectabat. Nec deerant, qui oſtentato periculo, & temporum opportunitate animos adderent. Fallaci pacto confidere, ac duorum Regnorum amicitiæ renuntiare, anceps eſſe. Etiam ratihabitæ conventioni parum ſecuritatis ineſſe; eadem protracta in ancipiti ipſius conditionem fore. Interim pace communi procedente hoſce tractatus velut peculiares excluſum iri, nec deſerta Regna amplius in ejus gratiam conniſura. Bello reſumendo commodiſſimum nunc tempus. Nam prævalentibus deinceps Suecis Gallisque ipſius conjunctionem non magni fore; ubi iterum ſuccubuerint, parem cum iisdem ſortem ſubituram. Igitur non tantum de accipiendo, ſed & ferendo auxilio agendum, nec ſocietatem ſuam nimis care imputandam.

Landgravia in bellum propendet.

Melander

§. 35. In iſthæc pronam maxime cohibebat Melander, qui cenſebat, deficiente quantumvis in uno aut altero Cæſaris ratihabitione; non ideo bellum ſuſcipiendum: à ſociis deſtitutæ, qualis obtineri queat, pacem acceptandam. Idem ut exercitum in ſua poteſtate haberet, operam dare: primores ducum promiſſis ſibi adjungere, alios exautorare, & præfectum exuere, ſuffectis ſibi obnoxiis. Et ſpem quidem fecerat Anglico apud Hollandos miniſtro; ſi Gallus & Anglus exercitui Haſſico ſub Electoris Palatini ductu ſtipendia promitterent, ſe iſtum decem peditum, quatuor equitum millibus conſtantem ipſi traditurum. Et tamen per exercitum fama erat; eidem in animo eſſe ad Electores Eccleſiaſticos tranſire. Nec eo minus Landgravia de conjungendis armis iterum agitabat; eoque fine per Vultejum apud Salvium de ſtudio ſuo in partes; & averſione à peculiaribus tractatibus teſtari; in quæ ipſa fœmina, Ordinibus ſuis impar, invita ſit pertracta; provitum tamen à ſe inferto de ſacris capite per Cæſarem repudiando, ut iſti exitu carerent. Sed cum abſque Suecis, Galliſque tantæ moli impar ſit, preſſius cognoſcere velle, quid à Suecia ſibi expectandum foret, quo Ordines Provinciales tanto facilius in ſua conſilia pertrahere poſſit? Cui Salvius Reginam nunquam credidiſſe, caput iſtud de ſacris à Cæſare probatum iri; eoque doluiſſe, Landgraviam inanes ob tractat' tamdiu ab armis ceſſaſſe, nullo privatim emolumento, publico damno. Sibi quidem nondum quid cum ipſa agere mandatum; non dubitare tamen, quin Regina ipſi abunde ſit ſatisfactura. De cujus affectu vel inde conſtare, quod ipſa tantum non deſerta, Kingio & Palatinis in hoſtium manus traditis; cum per Haſſos ſervari potuiſſent, in præparando pacis tractatu acriter cauſam ipſius egerit. Promittit inde; ſe rem in Sueciam relaturum, hortatus, ne ſibi diutius imponi patiatur, ſed arma ocyus cum Suecis iterum ſociet; Melandrique machinationes caute obſervet. Media conſilia nec gratiæ pariendæ, nec odio declinando idonea; & ſucceſſus ſociorum nimis anxie trutinantem, ubi fortuna his arriſerit, vilem fore; iisdem ſuccumbentibus non minus hoſti prædæ ceſſuram.

1629. eſt ſuſpectus.

Landgravia de conjunctione agit.

§. 38. Fecerat quoque Landgravia Gallis ſpem de ſubito movendis in Cæſarem armis, ſi promiſſa ante ſubſidia iſti præbere velint. Quæ Galli annuebant, ſuperque iſto negotio Avauxio mandata mittebant. Sed & Melander cum Arauſionenſi Principe de trimeſtri expeditione egerat, irrito eventu. Mittebatur & Gunterrodius ad Vinarienſem, ſecreto ſuper conjunctione copiarum cum ipſo acturus; ſed qui audita in itinere ejusdem morte inanis redierat. Etſi Galli iſtam conjunctionem fœderatis Regnis fraudi fore judicarent: A morte Ducis cum Salvius literis Landgraviam hortaretur, ut tandem aliquando manum operi admoveret, & per arma pacem quæſitum iret; ipſa quicquid penes ſe foret facturam prolixe recipiebat. Vultejus etiam, qui propediem Hamburgum rediturus ferebatur tractatui cum Legatis Regiis abſolvendo, præmiſſa epiſtola jactabat, ſi quid ſeparato tractatu peccatum ſit, ſeria conjunctione facile penſatum iri. Inter hæc novus tractatus Veſaliæ inter Gallicum miniſtrum Amontotum, Haſſicosque deputatos ſuſcipitur, interveniente Hollandico Legato; qui & tandem ad ipſam Landgraviam ſe conferebat. Ne heic tamen quid effectum, quod Gallus tantum pecuniæ non offerret, quantum Gunterrodio Luteriæ promiſſum fuerat ob mutata tempora, & quia ingentes interea ſumtus Rex feciſſet. Viciſſim Haſſi ſibi reſervabant, hoc negotium tractatui cum Suecis inſtituendo nihil præjudicaturum, ſed iſthoc demum valiturum. Super quo

Haſſi movent, ſed nihil promovent.

21. Jul.

7. Aug.

in

1639. in Sueciam abeunti Legato VVolfio in mandatis datum erat. Et nihilominus in anteceſſium ſexaginta uncialium millia ab Avauxio numerari volebant; quod hic abnuebat, cum inſtante jam hieme nihil ab iſtis bello actum iri judicaret. Nec pro præterito tempore ſolvere quid volebant Galli, quod Landgravia conventis non ſtetiſſet: in futurum pecuniam repræſentare parati, ſi & ipſa operam ſociis navaſſet. Alias cauſam habebant, quare iſti diffiderent, quia plus cum Cæſare, quam ſociis tractatuum agitaverat. Conſtans contra fama ferebat, Cæſarem in pace Haſſica iſta quoque capita, de quibus hactenus dubitaverat, adprobaſſe, ac Moguntinum Landgraviæ denuntiaſſe, ut Coloniam mitteret, qui inſtrumentum acceptarent. Cæſarem autem ideo Haſſici militis exautorationem non rigide exacturum, quod is adverſa tunc ipſius fortuna ſine dubio ad Suecos tranſiturus ſit, traditis ſimul, quæ inſidebat, oppidis.

Haſſi ſuas res agunt.

§. 37. Inter hæc exercitus Haſſicus ſtativis ſuis dilatandis vacare, Ducatum Montium magna vi pecuniæ emungere; VVetteraviæ quoque Comites, & oppida tributis ſubjicere. Ferebantur & Haſſiæ Superioris tutelam ſuſcepturi, ut Suecos inde excluderent. Smalcaldiam digreſſis Suecis ſtatim præſidio ſuo firmabant; nec minus ab hoſte deſerta oppida VVarburgum, Amœnoburgum, &

30. Aug. in Paderbornenſi diœceſi non pauca. Accedens inde ad Kœnigsmarckium in Franconiam Gunterrodius, abruptas jam hoſtilium oppidorum occupatione inducias ferebat; Landgraviam ſex millia militum Suecis jungere conſtituiſſe, eamque circa fœdera cum Gallis renovanda occupari. Noſſe tamen prius velle, num Kœnigsmarckii copiæ in VVeſtphalia manſuræ ſint. Nam ſolam ſe hoſti non ſufficere. Cui ab hoc reſponſum: ſe ad arma ſocianda promtum; ſed qua ratione id fieri debeat,

16. Oct. à Banerii arbitrio pendere. Paulo poſt iterum iſte aderat, ſuper dividendis tributariis locis acturus, & ut junctim iterum in Franconiam iretur. Nihil tamen tunc concludebatur, quod Haſſi reditum Hermanni VVolfii à Suecia expectandum ſibi dicerent; qui ſi quale ſperetur reſponſum attulerit, Landgraviam in arma aperte erupturam: interim copias expeditioni adornare. Eodem tempore etiã cum Georgio Duce ſuper ſociandis copiis tractabatur, qui gemina cum Haſſis conſilia fovebat, ut ſi Piccolomineus aut Harzfeldius ingruerent, Suecis junctus periculum propulſaret; quo evaneſcente in hiberna diſcedebatur. Cæterum inter ambigua iſta de Landgraviæ animo non dubitabatur, etſi & ipſi induciæ, quæ à Gallis in Italia initæ erant, nonnihil ſcrupuli injicerent; ſed culpa omnis in Melandrum conferebatur, qui Germanus Italica aſtutia imbutus pecuniæ corradendæ, quam expeditioni vacare malebat. Qui & cum Slickio aliisque Cæſareis ducibus in occulto amicitiam colebat. Hic & Kœnigsmarckio ſe movente ſtatim Vehleno indicium fecerat, cujus monitu hic Bilefeldam invaſerat. Qui & poſt inſignem operam cauſæ communi navare omittebat, Vehleno Monaſterienſi ditione excluſo, cum Kœnigsmarckius à fronte ingraueret; id quod hic inſtanter rogaverat. Sed nimirum nihil ſolidi ab Haſſis expectabatur, quamdiu imperium in eos penes Melandrum foret. Eoque & Rectores Sueciæ nihil circa fœdus cum Landgravia præcipitandum judicabant, quæ hactenus privatas ſuas res egiſſe viſa fuerat, nullo ad fœdus cum Suecis reſpectu. Viciſſim autem, qua pax cum Cæſare non ſuccederet, dextre iſtam retinere, & quantum poterat emolumenti ex ejusdem amicitia quærere placebat.

Dux Bernhardus

§. 38. Vinarienſem ut in Burgundia potiſſimum hibernare vellet, invitabat intacta bello & locuples regio, ac ut deficientes equos ſupplere poſſet, quorum in illis Germaniæ oris, ubi ab eo bellum gerebatur, nulla facultas. In iſtam ſe penetrans miles aditus omnes ad Helvetios ita obſeperat, ut illibatis provinciæ opibus potiretur. Occupatur inde Ivignona arx; mox Pontarlinum penu locupletiſſimo inſtructum, tum Noteroya, & Deſena. Sed & Jouxia arx, invicta hactenus habita, poſtquam cuniculus ſub mœnia actus; ac machinæ verberationi diſpoſitæ eſſent, deditionem facit; quæ aditum in cultiſſimam vallem præbebat. Sat exercita tamen iſthæc hiberna faciebat provincialium pervicacia, qui vitæ prodigi qua poterant Vinarienſibus nocebant, his non minus acriter illos caſtigantibus. Sed & Lotharingiæ Dux contracta è Burgundionibus quatuor millium manu Roſæ & Mulleri legiones opprimere conabatur; quæ tamen mature in tutiora ſe recipiebant, inanibus vehiculis relictis. Mox ingruentibus Vinarienſibus ea manus dilabebatur. Excurrebat inde Dux ad Rhenum rebus ibi inſpiciundis. Unde reverſum circa finem Februarii acutiſſimus morbus invadebat; cujus cauſam aliqui liberaliori invitationi in convivio apud Ohmium tribunum adſcribebant. Alii de toxico propinato non dubitabant, quod ut vitaret Dux etiam Venetiis & Mediolano monitus fuerat. Poſt aliquot tamen dies valetudini reſtitutus reficiendo militi & ſupplendis numeris ſtrenue operabatur, ut ſpes foret validi equitatus comparandi. Unde & Banerio ſcripſerat, tantum per unum & alterum menſem fortiter rem gereret; inde ſe vices excepturum. Nam antequam graminis copia foret, in expeditionem prodire non licebat, nulla ad Rhenum fœni facultate. Inde denuo cum ſexcentis equitibus, trecentis dimachis ad Rhenum excurrit. Ubi in Lotharingicas legiones, quæ Ducem Carolum Philipsburgum deduxerant, domum regredientes Rotam tribunum immittit. Is pedeſtrem legionem Franciſci Principis ad Diæum plane concidit, ductoribus tantum vita donatis. Sed & equeſtris legio cum duabus turmis apud Veſelizam deletur, cum reliquæ raptim in Lucenburgicam ſe recepiſſent. In Burgundia interim tribunus Ohmius Divi Hippoliti Fanum, Guebrianus & Naſſovius Comes Caſtellum Villænum, & Muſaugeonam ſubegerant. In Alſatia quæ ſola hoſtibus reſtabat Thanna una cum arce intra paucos dies ad deditionem adigitur. Cum porro de Hohentvvilæ præfecto ſiniſtra quædam ſpargerentur, Dux ipſe cum valida equitum manu repente eo proficiſcitur, ac rebus rite diſpoſitis iſtum in fide confirmat, duosque fidos homines conſiliis ejus adjungit. Simul Bavaricos, qui ſub Gleenio & Mercio ducibus circa Ulmam merabantur, tria equitum, quatuor peditum millia explentes, non modico terrore afflat. In Burgundia demum Naſſovius Comes Divi Claudii Fanum, aditus provinciæ ſervans, dudum imperata facere detrectans, opprimit, ac ducentos milites, qui ſervabant, numeris ſuis adjungit. Quo ipſo & Hiſpanis, qui è Sabaudia in Burgundiam illac irrumpere conabantur, acceſſus præcludebatur.

1639. multa Burgundiæ oppida expugnat.

6. Febr.

5. April. Lotharingi vapulant.

27. April.

1. Maji.

18. Maji

§. 39. Enimvero iſtis in ſe non ſpernendis parum ad ſummam rerum proficiebatur; cum ſatius fuiſſet Ducem quamprimum valida in Germaniam impreſſione hoſtem diſtrahere, ne hic tota mole incumbens Banerium ditionibus Cæſareis iterum avelleret. Et magnam cum primis ſpem rei bonæ iſthoc anno gerendæ Rectores Sueciæ animo præceperant, ingruente viſceribus Cæſaris hinc Banerio, inde Vinarienſi. Quæ quod falleret, cauſa erat è diſcordia Gallorum cum Vinarienſi ſuper poſſeſſione Briſaci cujus obtinendi immenſum Gal-

Ducis cum Gallis diſcordia.

los

1639. los coquebat deſiderium. Sed id ne in Gallorũ manus traderetur, Grotius ſuaſerat. Ac cupiebat Dux certam ſibi in uſum belli & pacis ſedẽ parare, ſimul hoc modo apud amicos juxta & hoſtes pretium ſui accendere. Nec obſcure deſtinata ſua pãdebat, cuſa moneta, Saxonicis & Briſacenſibus inſignibus notata. Tentabant inde Galli Ducem, ut parem aut majorem numerum Gallorum cum Germanis in præſidium oppidi admitteret, ne ſi quid humanitus ipſi accidiſſet, in hoſtium manus id perveniret. Quod Dux excuſabat exemplo Philipsburgi per diſcordiam nationum amiſſi. Idem tamen amoliendis Gallorum ſolicitationibus, & ut ſpatiũ haberet Briſacum ſibi firmandi cum Rheno diſcederet, ſparſerat, ſe in aulam ire, ac Guebrianum, omneſque Gallos ſecum in Burgundiam abduxerat. Ad blandiora inde converſi Galli mittebant, qui Ducem in aulam pertraherent, ut fructu tot victoriarum ibi frueretur, ſpectaculis & choreis in ipſius honorem adornatis. Quod & ipſum abnuebat; præſentia ſua in Alſatia opus eſſe ferens, nec otium & luxum aulæ ſibi cordi. Tum metuebat, ut dignitatem ibi ſuam prout vellet, tueri poſſet. Aſt judicabant periti rerum, ſi Dux in aulam veniſſet, Briſacum certo Gallorum futurum; eoſq; in hoc peccaſſe, quod cupidinem ſuam præmature nudaſſent, cum prius id agere debuiſſent, ut iſtum in poteſtate haberent. Et ſuaſerat eidem Grotius, ut conſilia & ſpiritus ſumeret Principis magnum territorium poſſidentis, cui ut finibus ſuis excedat, niſi neceſſaria plane de cauſa conſultum non eſt. Sed & per matrimonium illaqueare conabantur Ducem propoſita Combaleta Eguilloniæ Duce Cardinalis cognata, ſed quam velut Saxonico ſanguini imparem ad ſpernabatur, Richelio non parum indignante arctioris conjunctionis vincula ab ipſo repudiata. In Rohanæi Ducis viduam pronior judicabatur; id quod Regi diſplicebat, ne forte per id matrimonium Hugenoti animos reſumerent. Demum id à Duce poſtulabant Galli, ut ſaltem in caſum mortis aut captivitatis ſibi Briſacum relinqueret; quod & ipſum recuſabat iſte, multum indignantibus Gallis, qui credebant, eundem à Suecis obſirmari. Miſerat tamen Dux Erlachium in Galliam, qui negotia & morbum excuſabat, quo minus Lutetiam ipſe acceſſerit. Cum iſto Galli ſuper tradendo Briſaco, ſi quid Duci humanitus accideret, clam conveniebant. Palam tamẽ diſſerebatur, quaſi nulla ſpes eſſet tranſigendi, quod cum nimis aperte ageretur, ſuſpicionem augebat, præſertim cum hominem iſtum auro non invictũ conſtaret. Ut igitur Ducis deſtinata infringerent Galli, quem & potentem, & vicinum habere nolebant, pecunias ipſi ſubtrahebant, quas è Suecia ſubminiſtrari non poſſe noverant. Unde &, cum nomine Reginæ Sueciæ apud Regem Galliæ Grotius inſtaret, ut Duci Bernhardo milite & pecunia ſubveniretur, quo in ditiones Cæſareas, prout fœdere
6. Mart. conventum erat, bellum transferre poſſet: Rex iſtud petitũ ſilentio transmittebat. Simul ne novorum delectuum ipſi copia foret, conquiſitores militum magna cum vi pecuniæ Baſileam & Argentoratum mittebantur; qui Gallis militem conducerent. Et ſane malebant Galli ejus Ducis armis privatum Galliæ, non commune negotium geri: nec placebat res Proteſtantium, per Helvetios & Genevam in illis oris ſat validas, magis adhuc invaleſcere, ne aliquando, quæ tunc in Gallia oppreſſæ erant partes, ea vicinitate revivilcerent. Sed & Bavaro cavebatur, quem toto hoc bello Galli tacite fovebant. Denique & Pontifex malebat Gallorum arma in Hiſpaniam verti, ubi nihil periculi ſit ſacris Romanis, quam in Imperatorem, aut ſocios ejus, ubi cum Gallorum rebus Proteſtantium fortunæ permixtæ erant.

§. 40. Hanc ob cauſam Dux, cum parum à Gallis auxilii ſperaret, ſuis rebus cum primis expedire judicabat, quæ occuparat oppida magno numero à Divi Claudii Fano prope Genevam ad Hohentwilam uſque & Dachſteinam validis præſidiis firmare. Quorum tamen multitudo magnam exercitus partem abſorbebat, ut ultra tria equitum, duo peditum millia in campum educere non poſſet. Quibuſcum nihilominus è Burgundia ad Rhenum ſe conferre decrevit, facturus quantum poſſet, ſaltem ut Bavaricos diſtineret, ne & ipſis in Bohemiam contra Suecos ire vacaret. Interea Cæſar Ducem per Sigiſmundum Heuſnerum, olim ipſi familiariter cognitum, corrumpere tentabat; ſed cui iſte acceſſum abnuens fuſtes minitabatur. Idem tamen Heuſnerus mox in aliam faciem mutatus ferebat: Cæſarem optare, ut Dux pacis tractatuum moderamen in ſe ſuſpiciat, & autor paci reſtituendæ fiat. Audiret modo à ſe proponenda; acceptare aut reſpuere, aut cum Gallis communicare ipſi integrum ſit: neque enim furtim agere ſibi conſtitutum. Ac Cæſarem, initio facto, majoris dignationis viros tractatibus adhibiturum. Interea armis quietem hautquidquam imperandam. Enimvero Dux re cum Mockelio miniſtro Succico communicata, ſatis animadvertebat, ad diffidentiam & æmulationem ferendam iſta ſpectare, non minus quam ea, quæ cum Banerio in Bohemia agitabantur.

1639. Quæ ipſius progreſſus impedit.

Dux Bernhardus à Cæſare tentatus.

§. 41. Cæterum jam è Burgundia Neuburgum pervenerat Dux, poſtera die copias trans Rhenum, inde Friburgenſi via in Sylvam Nigram contra hoſtem ducturus, alacris & ſpe rei bene gerendæ plenus, quod Bavarici adhuc diviſi tendebant, quibus profligatis iter in Bavariam meditabatur, nuntio de Banerii victoria contra Hofkirchium tunc allato exhilaratus. Cum improviſo morbus invadit, momento invaleſcens, ut ſtatim agnoſceret, nunquam dum vixerit, pari ſe ægritudine correptum. Id tamen unice queſtus, ſe nunc in ipſo articulo operæ pretium faciendi lecto affigi. Inter alia Mockelio, de exercitu in obſequio Reginæ continendo monenti, reſpondebat, cum nulli alteri, quam ſacramento Succico obſtrictum. Morbo ingraveſcente, cum extrema inſtare ſentiret ritu Chriſtiano expiatus teſtamentum paucis verbis condit, idque in ſuum tempus ſecretum adſervari jubet. Mox conſtante ad ultimum ſermone & ratione inter edita pietatis indicia placite expirat. Paucis ante mortem horis nigræ maculæ in corpore eruperant. Unde aliqui malignam febrem ſuſpicabantur, quæ & dum Pontarlino moveret, in caſtris intra biduum quadraginta homines abſumſerat. Sed veneno necatum a pluribus creditum. Nam neminem eorum, qui circa vivum aut mortuum verſati fuerant, iſte morbus infecerat. Et chirurgi, dum corpus aromatibus condit, manus paulatim à cranio perſtricta, ſtatim intumeſcebat, mox & brachium tumore corripiebatur, idemque gangræna accedente undecimo poſt die extinguebatur, nullo alterius morbi ſigno. Nec ipſe Dux decumbens de veneno dubitaverat; & ſacerdos funebri ſermone de eo palam profitebatur; idque à Medico Genevenſi, cui Blandino vocabulum, miſtum putabatur. Venerant quoque Baſileam literæ remotis è locis ſcriptæ, ſciſcitantes, num Dux mortuus eſſet, cum de morbo ipſius nondum rumor eodem perferri potuiſſet. Sed & apud Cæſareos pridem rumor ac ſpes fuerat, ipſum non diu victoriis ſuis ſupervicturum.

Idem morbo corripitur. 4. Jul.

§. 42. Injecit ea mors Rectoribus Sueciæ non parum ſolicitudinis, qua maximam rebus ſuis in Germania plagam poſt mortem Guſtavi Regis, tum Suec & Norlinganam cladem illatam judicabant. Ac ciæ ſuper ſtatim audiebatur, non Gallos ſolum Vinarienſi exerci-

5. Jul. & moritur non ſine ſuſpicione veneni.

Deliberatio Rectorum Suecicum Vinarienſi exercitu.

1639. exercitui, & poſſeſſis ab eo locis imminere, ſed & Electorem Palatinum, qui vivo adhuc Duce ſucceſſioni ambiendæ gradum ſtruxerat. Sed & de Francico Alberto Lauenburgico Duce fama erat. Cæterum tanto difficilior erat deliberatio, quod in Suecia non conſtaret, quis militi ac ducibus in Reginam affectus, quidve ab illis expectandum foret. Nec ignotum, quam mobilis militi animus hoc præſertim rerum ſtatu, ubi amiſſo capite vel rupto obſequio diffluere, vel pro lubitu privatis commodis inhiare ſolet. Tum longe remota erat Alſatia, quo è Suecia conſilia poſt rem afferebantur, cum Gallia è vicino in militares animos influere poſſet. Nec deerant, qui ultro eum exercitum una cum oppidis Gallo offerendum ſuaderent, quod ea res amicitiam & mutuam fiduciam inter duo Regna inſigniter auctura eſſet. Contra alii diſſerebant; Exercitum ſub Gallorum imperio deſtructum iri, qui eundem aliis ſuis copiis ſint admixturi, quo iſtum militem ſine exceptione in poteſtate habere queant. Averti à Suecis animos legionum, quæ ab imperio Gallico abhorreant, extra unum & alterum ductorum auro corruptum. Sed & ſuſpectos Germanis Principibus fore Suecos, velut ſuper lacerando Imperio cum Gallis convenerint. Major in Palatinum Electorem inclinatio erat, hac ratione una cum amicis ſuis Sueciæ magnopere devinciendum, à quo nulla cum Bavaro colluſio metuebatur; & cui hoc modo robur & autoritas circumponebatur futuris tractatibus communem juxta & ſuam cauſam propugnandi. Igitur talia conſilia erant capeſſenda, quæ prout res ſe darent urgeri, aut mutari citra ignominiam aut damnum poſſent. Ac potiſſimum quidem erat exercitum deinceps quoque in poteſtate habere. Proximum, ut Palatinus in defuncti Ducis locum ſubiret. Quod ſi Gallus iſtum in ſuas partes pertraxiſſet, offenſa utcunque diſſimulanda videbatur, ut tamen documentum inde capere vellent, quid circa fœderis prorogationem, & pacis tractatus ſibi ſequendum foret, ne & ipſi temere in Gallorum gratiam commoda ſua prodigerent. Et fortaſſe id factum obtentui ſumi poterat ſeparatis tractatibus admittendis, ſi Cæſar honeſtas conditiones bona fide offerret. Placebat igitur ad ſingulos exercitus directores literas dare, quibus oſtendebatur; eas legiones Guſtavi Regis auſpiciis conſcriptas, & Regni Sueciæ ac fœderis Evangelici ſacramento adactas, quo & Dux ſemper reſpexerit, eodemque conſilia & actiones ſuas retulerit. Ejus ut memores ſint, ſimul deſtinata Ducis perſequantur, atque apud exercitum, & inſeſſa oppida in integro omnia retineant, hortantur. Addebant, apud Galliæ Regem ſe acturos, ut is deinceps quoque ſtipendia præbeat (de qua re & literas ad huncce dederant,) tum ut reliqui ſui exercitus cum ipſis conſilia atque operam conferant. Eadem reſponſo ſuo ad literas Directorum repetebant, addito: non ſolum futuræ pacis tractatibus ipſorum rationem habitum iri, ſed & ſuper eorundem conſervatione ſe cum Galliæ Rege conſultaturos, & tranſacturos. Diſtinctius mentem ſuam explicare haut viſum, donec pateret, quousque competitorum ambitus proceſſurus eſſet.

16. Aug.

19. Aug.

1. Octob.

Gallici Legati mens & negotiatio ſuper exercitu Vinarienſi.

§. 43. Aſt in aula Gallica omnia triſtitiæ imitamenta exprimi: Rex, Regina, Cardinalis, cæteri atrati; literæ luctum teſtantes aut levaturæ ad Reginam Sueciæ ſcribi. Sed & Avauxius cum ſuo comitatu lugubres veſtes induere jubetur. Quamquam hic morte Ducis plus lætitiæ quam doloris oſtenderat, jam ante graviter de ipſo queſtus, quod Briſaci omnia pro lubitu diſpoſuiſſet, & expulſis Pontificiis in ſumma, & Jeſuitarum æde ſacra ritu Proteſtantium celebraſſet. Qua re Pontificem magnopere offenſum apud Regem inſiſtere, ut ſecuritati ſacrorum ſuorum iſtis oris proſpiciat. Idem & nuper ægre tulerat, Ducem id oppidum Gallis in eventum mortis conſignare abnuiſſe. Aſt nunc defuncto Duce jactabat, Regi ſuo Briſacum utique obtinendum: ſtatimque à Salvio poſtulabat, apud Rectores Sueciæ ageret, ut Vinarienſis exercitus Regi tradatur, cui alias nihil è Gallia ſubſidii ſit expectandum. Scilicet Regem à Pontifice ita urgeri, ut ipſius & omnium Catholicorum offenſa ſit incurrenda, ni oppido iſto in poteſtatem redacto ſacra Romana inſtauret. Nolle Regem id ſibi ſervare, ſola Lotharingia contentum; ſed ut eo plura habeat, quæ reſtituat, pacemque pro univerſis ſociis tanto æquiorem obtineat. Gallica pecunia oppidum expugnatum, & Regem repulſam ægerrime laturum. Nec minus exercitum à nutu Regis dependere neceſſum eſſe contendebat, cui Imperatorem oſtendebat Henricum Aurelianenſem, Ducem Longuevillium Helvetica ſtirpe ortum, eoque Germanico & Gallico ſanguine miſtum, nec Vinarienſibus pro externo repudiandum. Contra Salvius ad fœdus commune, & Ducis cum Rege Galliæ in fœdere fundatam tranſactionem provocabat. Sueciam equidem Regi quantum poſſit gratificaturam, nec tantopere Britaco tangi longe remoto, quod utique in amici quam hoſtis manu eſſe malit. Dubitare tamen, ſe etſi quid Rectores Sueciæ decreverint, nondum cognoverit, num citra ſcrupulum iſtud in Gallos ſint translaturi: quod metus ſit, ne Ordines Germaniæ in hoſtium partes tranſeant, ſi ſuſpicari incipiant, ſocia Regna, Germaniæ libertatem jactantia, eandem inter ſe partiri velle. Contulerit ſane Gallia pecuniam, quæ tamen vix quartam partem conventæ ſummæ expleverit; aſt Sueciam viros contribuiſſe. Sed & quæ de Romanis ſacris memoret, Evangelicis Ordinibus ſuſpecta fore. Catholicos utique ſuam libertatem retinuiſſe; ſed quo minus Dux in iſtis templis ſuo ritu ſacra peragere potuerit, nullo fœdere prohibitum fuiſſe. Non conſtare, num Gallicus dux exercitui placeat. Si Galli ſtipendia ſubtrahant, verendum eſſe, ne iſte Haſſicis ac Luneburgicis junctus conſilia capeſſat utrique Regno noxia. Interea hoſti ſpatium dari Briſaco eminus obſidium circumponendi, & Galliæ arma propius, quam nunc forte credatur, admovendi. Igitur caute hoc negotium tractandum, nec ſpecioſi commodi ſpe conſilia præcipitanda. His auditis Avauxius dein circumſpectius differere: nondum ſibi conſtare, quid conſilii Rex circa Briſacum & exercitum ceperit. Regem non minus quam antea Vinarienſes cura ſua amplexurum, & ad ſtrenue rem in Germania gerendam incitaturum. Cenſebat tamen, Suecis perinde eſſe, cujus auſpiciis aut ductu iſte militaret, modo una cum ipſis in cauſam communem conniteretur.

1639.

Anglicus Legatus, & Ruſtorfius Palatinum Electorem commendant. 2. Aug.

§. 44. Contra Legatus Anglicus Gallorum deſtinata avertari, ac palam differere; ſi Galli Briſaco & Vinarienſi exercitu potiantur, ipſos Suecorum potentiam in Germania libraturos, aut reſtituto Briſaco lauras ſibi pacis conditiones paraturos. Proinde Palatinus Elector exercitui præficeretur. Aderat & Ruſtorfius à Regina Bohemiæ miſſus, qui à Salvio petebat, cauſam Principis ſui apud Rectores Sueciæ commendaret, quoad Legati à Rege Angliæ, Arauſionenſi Principe, & Hollandis mittendi id publice ambirent. Jam exercitum innuiſſe, ſi ſocia Regna ſuffragentur, & Angli ſtipendia ſuppeditent, nullum alium ducem malle. Suecos præter Palatinam Domum, Angliam, Batavos, quatuor ſuperiores Circulos ſibi obligaturos. Hoc medio Angliam commodiſſime in bellum contra Cæſarem pertrahi.

Land-

1639. Landgraviam promiſiſſe, ſe & ipſam bellum reſumturam, ſi Palatino ab Anglis auxilium feratur, Regem Daniæ, ſi quid in Sueciam infenſi meditetur, haut movere ſe auſurum tam potentibus Sueciæ ſociis. Suecos tanto certiores de felici belli eventu reddi. Principem latas à Suecia conditiones acceptaturum, bellum ſub eorũ directione adminiſtraturum. Leslæum ſummi Legati munus ſubiturum, Sueciæ militiæ alumnum, & affectu in Suecos pronum, quique parem militiæ locum antea expleverit, & cui nemo in exercitu Vinarienſi ſuper imperio controverſiam moturus ſit. Exercitus animos ita jam diſpoſitos, ut licet Sueci abnuant, iſte tamen huc inclinaturus ſit, Gallici ducis faſtidio; nec è ſuo numero Suecos habere, qui locum ſubeat. E Suecia parum ſubſidii eundem expectare, tam longe remota, nec plus è Gallia, ni Briſacum, & ſummum imperium huic deferat, id quod plane nolit. Palatinum Anglicis aureis onuſtum ſine dubio ſuffragia laturum, prenſantibus ſimul Arauſionenſi, Hollandis, Landgravia, ipſoque Daniæ Rege. Nullam tunc Sueciæ gratiam fore, & affectum Palatini amicorum in ipſam valde minuiturum. Quod ſi Palatinus ſpe excidat, fortaſſe Vinarienſes Haſſiacis ſe ſociaturos, ad Melandri inſtar deinceps ambiguos, aut plane ad Cæſarem tranſituros. Salvius iſta non adipernari videbatur, & ad Rectores Sueciæ relaturum ſe promittebat, obiter tamen ſuper conditionibus oſtendebat: ut Anglus ad certa auxilia ſe obligaret, Leslæus exercitum Anglis & Scotis conſtantem educeret, tum Princeps Galliæ Regis conſenſum ſibi impetraret; quas haut facile obtentum iri norat, & de poſtrema Avauxius jam Salvio abnuerat.

Vinarienſes de fide in Sueciam teſtantur.

§. 45. Aſt apud Vinarienſem exercitum Mockelius miniſter Suecicus defuncto Duce prætentes præfectos fidei Regno Sueciæ & Fœderi Evangelico datæ monuerat, ac ut legiones unitas & in officio retinerent. Qui prolixe pollicebantur; neminem eorum, cui fides & honeſtum cordi, à Suecia deſciturum; fas ſibi tamen fore pacta cum Gallis à Duce inita prorogare, & ſtipendia ab iiſdem accipere, obſequio Sueciæ retento, & ut ad communem cum

Teſtamentum Ducis aperitur.

ipſa ſcopum connixuri ſint. Viſum inde teſtamenti tabulas aperire, ſuadente ipſo Mockelio, ut conſtaret, quid ſuper exercitu & republica Dux diſpoſuiſſet. Sed quia Relingius teſtamenti ſcriptor indicium fecerat, Erlachii, Ohmii, Roſæ & Wilhelmi Ottonis Naſſovii Comitis mentionem ibi fieri, quatuor hi coitione facta ſoli teſtamentum inſpicere conſtituunt, Mockeliumq; nequidquam adeſſe contendentem excludunt, æmulationi, (ſic ferebant,) Gallorum declinandæ, qui par ſibi jus vindicaturi ſint. Inſpecto teſtamento mox Naſſovius, Roſa, & Relingius Mockelio indicant; Duci placuiſſe, quatuor iſtos tantiſper exercitui præeſſe, & fratribus ipſius ſcribi, ut alteruter regimen provinciæ ſuſcipiat; ſimul Sueciæ auxilium requirendum, & ejus auſpiciis exercitum conſervandum. Eam Ducis voluntatem ſibi ſequendam, & pro fide Sueciæ data facturos, quod honeſtos viros decet. Erlachius interea & Ohmius Guebrianum adierant, eique, ut ferebant, indicaverant, ipſis quatuor regimen exercitus à Duce commiſſum; ſimul Galliæ Regem oraverant, ſueta ſtipendia, & peditatum præbeat, quo rem validius in hoſtem gerere, & hiberna commoda ſibi adquirere poſſint, viciſſim polliciti, in cauſam ſe communem uti hactenus incubituros, & quamdiu ad Rhenum agant, Regi contra hoſtes auxilium laturos.

11. Jul. Scribunt inde Directores iſti ad Reginam Sueciæ, & Banerium ſuper morte Ducis; addito, decretum ſibi, quod & Dux hortatus ſit, pro Suecia, Proteſtantibus, patriaq; ſua conniti ad honeſtam pacem adquirendam: tum petebant, conſilia deinceps quoque cum ipſis conferri, utque futura pace ratio ipſorum habeatur. In Galliam Flersheimius tribunus mittebatur, pecuniam & militem petiturus. Acceperat porro Mockelius ſuperiore anno literas ab Oxenſtierna ad præcipuos ductores, quas hactenus ſuaſu Ducis Bernhardi ſuppreſſas jam reddebat, quibus geſta eorum extollebantur, ſpeſque gloriæ & præmiorum oſtendebatur. Quas illi gratas ſibi teſtabantur, affectum in Sueciam quoad viverent retenturos, nec Reginam viciſſim meritorum ſuorum immemorem fore. 1639.

§. 46. Conſtabat porro iſte exercitus quater millibus ducentis equitibus, ter mille peditibus, qui in expeditionem educi poſſent. Imperium quod quatuor primariis ductoribus Dux commiſerat, à reliquis in Erlachium ſolum confertur, quod is ſummi excubiarum præfecti dignatione anteſtaret, probante etiam exercitu, qui pecuniam à Duce adhuc vivo nuper promiſſam repræſentari petebat. Quanquam autem Duci propoſitum fuerat exercitum trans Rhenum ducere, quo & pedites plerique jam transgreſſi erant: mox tamen morte iſtius vulgata Erlachius hos in Alſatiam revocat, & inter Markelsheimum ac Benfeldam diſtribuit. Ferebat is, velle ſe poſt pecuniam militi ſolutam inter Hagenoam & Philipsburgum Beinheimii Rhenum ponte navali inſternere, ac Pfortzheimum verſus copiis immiſſis Bavaricos in ſe trahere, ubi impar foret cis Rhenum ſe recepturus; quod ſperaret ibi ſe inventurum, unde exercitum ſuſtentaret, eo tractu ſic ſatis iterum exculto. Primum facinus novi imperii erat, quod in gratiam Baſileenſium caſtellum ad Huningam diruueretur. Inde quia hoſtilis caterva Seckingam ſupine cuſtoditam diripuerat, Roſa cum duabus legionibus equitum inter Lauffenburgum & Rheinfeldam hoſtis conatus obſervare jubetur, qui circa Scaphuſiam merabatur, Hohentwila eminus clauſa. Ipſe Erlachius Briſaci remanet, Naſſovium & Ohmium, poſtquam è relicta Ducis pecunia militi menſtruum ſtipendium non integrum ſolutum eſſet, cum reliquis legionibus equitum in Palatinatum mittit, ſequente idoneo machinarum numero, ſed non niſi mille peditibus, quod Guebrianus una proficiſci nollet, & oppida præſidiis firmanda forent, hoſte per Sylvam Nigram irruptionem minante. Iſti igitur poſt Weiſſenburgum, & Landaviam occupatam Neuſtadium ab Hiſpanis deſertum nullo negotio capiunt. Naſſovius inde Alzæam progreſſus turmam Hiſpanorum equitum ibi ſtativa habentem profligat, triginta amplius captis. Interim Ohmii juſſu Moſerus tribunus Germersheimum noctu vi expugnat; mox & arcem ad deditionem compellit. Aſt excurrentes longe lateque equites tantum terroris dederant, ut Elector Moguntia profugus Lohnſteinam ſe contulerit, ſi propius exercitus ſubiiſſet, jam Moguntini cives decreverant, ad alterum milliare claves urbis obviam iſti ferre; ubi tunc magna frumenti vis multos in menſes ſuffectura aſſervabatur. Enimvero brevis impetus ad Spiram adhærebat; cui, dum morantur Vinarienſes, Bambergius Philipsburgi præfectus octingentos milites immiſerat, ita opportuno temporis articulo, ut è poſtremo agmine nonnulli ſub ipſam portam cæderentur. Et mox iſti Briſacum verſus revocantur, mutato plane exercitus ſtatu; cujus imperium tres potiſſimum ambibant, Wilhelmus Dux defuncti frater, Palatinus Elector, & Galliæ Rex, quorum conatus, atque ſucceſſus memorare non abs re fuerit.

Erlachius imperium exercitus ſuſcipit.

16. Jul.

Vinarienſes in Palatinatum deſcendunt.

§. 47. Wilhelmus Dux præcipuo jure nitebatur, ſi fratris teſtamentum valuiſſet, quo diſpoſuerat, ut loca à ſe occupata penes Imperium Germanicum manerent, & illius eſſent, qui è fratribus iſta acceptare vellet; cui opera danda foret, ut Suecorum auxilio iſta tueretur. Verum quia teſtator ipſe oppida

Wilhelmi Ducis conatus.

1639. pida ab exercitu distinxerat, cujus imperium Dux Wilhelmus fratrum natu major pro temporum captu sibi haut ad petendum judicabat: mediam quandam consiliorum viam agitabat, ut omisso exercitu solorum oppidorum, & præcipue Britaci ex testamento cum consensu Cæsaris possessionem capesseret, quæ tamen pace facta restituenda forent. Vicissim Cæsar promitteret, ea loca tantisper in Ducis potestate mansura, neque obsidio, aut alia vi impetenda; simul ut Suecis ad ea, si opus sit, receptus, ac Rheni transitus pateat; ac Cæsar alendis locorum præsidiis non nihil conferat. Has leges Cæsari ac Suecis probatum iri confidebat, quorum consensui obtinendo Werderum tribunum ad Electorem Saxoniæ, inde ad Banerium, ac demum ad Archiducem Leopoldum Wilhelmum Pragam destinabat, ut hæc consilia ipsis exponeret, ea præcipue ratione usurum, quod ni frater hæreditatem ipse cernat, sine dubio Galliæ Rex fratribus substituturus ea loca involaturus sit summo cum Imperii præjudicio, remoram paci, aut perpetuam belli ansam præbitura. Sed quia his expediendis tempore opus erat, ad directores exercitus, qui fratris mortem significaverant, literis dat; ne in sinistram partem accipiant, quod in tanti re momenti nondum certi quid statuere potuerit: ne in honorem fratris suumque exiguam moram ægre ferant; interim rem in integro relinquant, nec in fraudem testamenti quid suscipiant.

4. Aug.

Palatini Electoris exsequiæ.

§. 48. Ast Palatinus Elector jam vivo Duce, cum hic subinde morbis tentaretur, occultis ad exercitum literis in casum mortis ad successionem viam sibi muniverat. Unde audito Ducis fato Haga repente in Angliam advolat, relicto qui Ordinibus Generalibus institutum suum significaret, & quod insalutatis illis discessisset, excusaret. Cui Araustonensis vehementer suaserat, ut ad exercitum Vinariensem se conferret, ejusque imperium summum invaderet. Interea dum in Anglia pecuniam conquirit, Peplitzum tribunum ad exercitum mittit, quem mox Paulus Ramingius, & ab ipso Angliæ Rege nuntius sequebatur, ut ad concordiam & constantiam duces hortarentur, & spe auri ac militis Anglicani eos confirmarent. Regina quoque Bohemiæ per literas pollicebatur, se quod opum supereſſet ſervando exercitui impensuram, simul ad Galliæ Regem profecturam stipendiorum prorogationem oratum, ab Angliæ insuper Rege pecuniam & militem obtenturam: denique prope diem filium ipsis adfore.

31. Jul.

Galli argento rem agunt.

§. 49. Galliæ denique Rex testamento Ducis fratribus substituturus erat in eum casum, si neuter eorum hæreditatem cernere vellet, ea tamen lege, ut pace communi secuta ea loca Imperio restituerentur. Unde per testamentum, cum frater hæreditatem adire vellet, locus Gallo non patebat. Enimvero hic longũ valere jusso testamento aliam viam potiundi istis oppidis molitur; simul exercitum in potestate habere instituit imperatore Gallico præposito. Quam in rem destinaverat Ducem Longuevillium, velut Germano & Gallico sanguine mistum, qui cum parte copiarum ex Italia in Alsatiam mitteretur, licet res Gallorum ibi non optime se haberent, intercepto per Hispanos Turino. E Gallia quoque statim ab audita Ducis morte Choisius, inde Oisonvillius ad exercitum mittuntur, quos multi alii sequebantur. Aderant insuper, literæ à Rege & Cardinale ad præcipuos ductorum. Flersheimius quoque reversus retulerat, humanissime se à Rege & Cardinale exceptum, qui abunde exercitus desideriis satisfacturos se promiserint. Humanitati verborum maximum pondus à tribus millionibus, ad eum exercitum missis accedebat.

Vinarien-

§. 50. Enimvero inter exercitus duces diversa se studia exserebant. Nam Erlachius quidem palam pro Gallis se ferebat; jactans, ne fratrem quidem Ducis intra Britacum se admissurum, ni cum aliis, qui jus ad id oppidum obtenderent, transegisset. Et statim atque Longuevillius Dux Colmariam venerat, eodem advolabat. Reliqui fere omnes in Suecos initio propendere, testati, se quod salus patriæ, fidesque Sueciæ inquireret, facturos. Etsi nec Galliam insuper habendam censerent ob stipendia, quæ inde expectabant. Eoque Palatinis ministris respondebant: penes se non esse ducem sibi eligere, sed quem Suecia proposuerit, Gallia probaverit, admissuros. Credebatur desideriis ejus non parum obstitisse, quod tunc fama crebesceret de nuptiis inter Hispaniæ Principem, & Angli Regis filiam. Et spes, quæ exercitui ab Anglia dabatur non magni fiebat, velut è Regno sibi longinquo non admodũ pecunioso, & in consiliis nutante. Mockelius porro minister Suecicus alia ratione Gallis satisfieri posse censebat. Si Galli stipendia hacten⁹ solita prorogare velint, concedendam illis esse liberam emendi facultatem in omnibus locis captis, ut Gallicus miles intra teli jactum se recipere sub ista queat, si opus sit, ut turmatim transire liceat: quæ omnia hostibus deneganda sint. Tum ut omnes horum locorum præfecti jurejurando adigantur, ad extremum usq; eadem adversus hostem se defensuros. Denique per Burgundiam capta in Gallorum manus consignanda. Quod si Galli repudiatis hisce conditionibus pecuniã negent, oppida milite, annona, & paratu bellico firmanda, erogantibus interim pecuniam Ducibus, quibus in ipsis oppidis sat cautionis sit. Cæteris in Bohemiam ad Banerium penetrandum, & stipendia ex hostico quærenda. Gallos ubi mascula consilia capi viderint, fidem eorum probaturos, ac pecuniam ultro oblaturos. Et cum eidem fidem datam ostentanti Gallorum fautores objicerent; Ducem eo ipso die, quo palam cum Rege Galliæ transegerit per Ponicam secreto se pacto obstrinxisse, quod sub auspiciis ac ad voluntatem Regis bellum deinceps esset administraturus; reponebatur: quid Ponica spoponderit, suo loco relinqui; de Ducis ratihabitione dubitari. Sane cum nuper Feuquierius Delspergæ à Duce ejusmodi obligationem exigeret, ipsum abnuisse. Quin Ducis factum alios non stringere, nec juri Sueciæ fraudi esse posse. Nec de oppidis in pacto, cujus exemplum circumferebatur, mentionem fieri. Deniq; per mortem Ducis summum in exercitum imperium non ad ductores devolutum, sed ad Coronam Sueciæ, quæ in Ducem imperium contulerit sub ipsius auspiciis administrandum.

1639. fit exercitus inclinatio.

5. Aug.

Gallici ministri mentem suam dissimulant.

§. 51. Ast Gallici ministri, Guebrianus, & Choisius Benfeldæ apud Mockelium de Brisaco ne verbo quidem mentionem faciebant. Tantum sibi propositum, concordiam exercitus & conservationem quærere; qui ut hibernis potiri, ac incumbentem Banerio hostem distrahere possit, prope diem quatuor millia Gallorum ipsi socianda, præter eos, qui jam adsint. Mox juncto agmine Bavariam irrumpendã. Inde iidem Hagenoam proficiscuntur; quo Ohmium, & Nassoviam Comitem, qui nuper cum copiis suis in Palatinatum descenderant, ad se evocant. His eadem quæ Mockelio Benfeldæ ingerunt, addito; nil supereſſe, quam ut ocyus copiæ contrahantur, ac suos jam circa Sletstadium adpulisse. Eodem temporis momento copiæ de compacto ab Erlachio Brisacum versus revocantur. Cui rei ansam iste arripuerat, quod careerva Bavaricorum sub Friburgum excurrerat, abactis pecoribus, & quinquaginta militibus cæsis. Inde Erlachius re non ulterius explorata statim vulgare; hosti animum esse Friburgum, ac Neuburgum invadere. Ita cum Erlachii literæ Gallorum propositioni miro quadrarent,

15. Aug.

ducto-

1639. ductores respondent: quia nunc ad hostem depellendum ab Erlachio evocati sint, nec Palatinatum tueri queant, eo magis festinaturos, ne Gallicæ copiæ diu otiosæ detineantur. Ita Vinarienses statim Brisacum versus iter ingrediuntur. Quibus vix tergum vertentibus, Bambergius Landaviam & Germersheimũ Vinariensi præsidio infestã recuperat, ducentis circiter peditibus sub sua signa retractis. Is fructus irritæ expeditionis fuit. Et mox ludibrium patebat, cum de Gallicarum copiarum adventu nihil dum certi constaret; ac Friburgo usque adeo nullum esset periculum, ut Bavarici de irruptione in Palatinatum metuentes propere Philipsburgum versus iter arriperent. Nec eo secius in Alsatiam reditum, & aliquamdiu circa Benfeldam legiones dispositæ, velut de industria isti oppido famem facturæ; tum circa Brisacum contractæ, ut eo melius corruptioni paterent, ac miles tædio famelicæ regionis quavis conditiones eo facilius admitteret.

30. Aug.

Cæsar Vinariensis captat.

§. 52. Nec minus hoc rerum transitu Cæsar Brisacum captabat; qui cum antea fœdus pro eodem recuperando cum Claudia Archiducæ Oenipontana, & Hispanis fecisset, eique fini quindecim millia militum destinasset, nunc morte Ducis faciliorem viam ostendi sperabat. Igitur ad Wilhelmum Ducem mittitur Mitzlafius nuper carcere Suecico profugus, qui hortaretur, pro fide in Cæsarem operam daret, ut ista loca penes Austriacam Domum permaneant. Sigismundus Heusnerus, & alii Basileam missi in multas se formas vertunt. Sparguntur primum per exercitum literæ avocatoriæ. Inde tractatus proponuntur; si ea loca Cæsari reddant, veniam præteritorum, pacem aut lautiorem militiæ gradũ apud Cæsarem obtenturos. Singulis, qui operam recuperando Brisaco navare velint, magnifica præmia ostentantur. Inter quæ Schœnbeckio tribuno quinquaginta uncialium millia, & Comitatus promitrebantur. Tum de induciis proponitur, & ut ductores aliquem ad Cæsarem mittant, pro quo tuti itineris literæ jam præsto sint. Denique Gallis excludendis offerebatur, ut ductores velut Germaniæ cives oppidum sibi retineant, quibus Cæsar stipendium, annonam, & alia necessaria præbiturus sit. Spes quoque fiebat, Palatino hac occasione satisfactum iri.

Gallorum artes prævalent.

§. 53. Enimvero prævalebant Gallorum artes, quorum instinctu post expeditionis Bavaricæ ludibrium pedes in desolatum oppidum Ensisheimum compingitur, equites per vallem Urbicam, Divi Georgii, Damarini, aliamque prope Landscronam dispergunt. Inde apud ductores Gallici ministri

Eorum prima propositio.

primo modeste admodum proponunt; ut exercitus Gallicum ducem tantisper admittat, quoad idoneus ex ipsorum popularibus fuerit inventus. Tum Brisaci præfectus se obstringat, ut idem oppidum Gallis æque ac Evangelicis receptui pateat, quoad pax sit. Vicissim pollicebantur conventa sub Duce stipendia continuatum iri, quoad pace inita quilibet suæ libertati restitutus foret. Probabantur hæc ductoribus, & quas hi vicissim ferebant conditiones à Gallis læta mente acceptari videbantur. Ac jam scripto conceptis capitibus res transacta putabatur. Differebant tamen conclusionem Galli, ac negotium Colmariam pertrahebant, ut præcipuum ibi caput, quod hactenus reticuerant, de tradendis oppidis, præsente Duce Longuevillio eo facilius obtineretur. Deputantur inde, qui cum Guebriano, Choisio, & Oisonvillio tractarent, Morshausius summus castrorum metator, & Wolkerus castrensis judex; quorum hic cum antea fidem Suecis datam præ cæteris crepasset, mox aureo imbre perfusus huic infestissimus pro Gallia maxime nitebatur.

Alterius Gallorum propositio.

Cum aliquot per dies res agitata fuisset, tandē Galli quod hucusq; dissimulaverant proponunt, de captis oppidis Regi tradendis hac lege, ut Rex Brisaci & Friburgi quos vellet præfectos constitueret, præsidii pars dimidia Germani, reliqui Galli forent. In aliis oppidis qui nunc essent præfecti ac præsidia manerent, juramento Regi præstito, se loca advertus quoslibet defensuros, eaque nemini citra Regis consensum tradituros. Cum hisce postulatis aliquantisper contradiceretur, ad extremum Galli velut plurimum remisissent, hactenus cedebant, ut principali pacto cautio adjiceretur, quod Rex eosdem præfectos Brisaci & Friburgi relinquere vellet, qui vivo Duce fuissent, & adhuc essent; ut tamen fidem suam jurejurando Regi adstringerent. Si tamen Regi videatur præfectos in captis oppidis mutandos, alios ex isto exercitu sufficiendos. Tum sacra Protestantium in oppidis & apud exercitum libera fore. Hoc ipso deputati Vinarienses, velut magnifici quid obtulissent, sub ratihabitione ductorum pactum absolvunt. Etsi scopum suum plane attingerent Galli, quod Erlachius, qui Brisaco præfectum se à Bernhardo Duce ferebat, Gallis mancipio addictus esset.

1639. positio. 19. Sept.

Ductores pactum abnuunt.

§. 54. Id tamen pactum ductores initio ratum habere abnuebant: eoque cum Longuevillius Dux magnifico epulo Colmariæ istos excepturus esset, præter Erlachium & Rosam nemo comparebat. Igitur tertius conventus à Gallis Brisacum indicitur, Mockelio inter hæc acriter contranitente; qui Gallis iniquitatem postulatorum demonstrabat, & quam non heic loci negotiũ tractari deberet apud ductores Suecico sacramento devinctos. Interea rem in integro relinquerent, quoad inter ipsos Reges transactum fuerit; ac stipendia, quorum dies cesserat, simul militem diu promissum repræsentarent, quo exercitus rem gerere, ac Banerio partem hostium detrahere posset. Tum ductores officii sui monebantur, & quam noxia res foret cautæ Protestantium in alienas manus tradere, per quod Succi meliores pacis conditiones, & opimiora ipsis præmia conciliare parabant; speciosa dictu & altius penetratura, si ab auro pondus accessisset. Quanquam Mockelius eam rem nimis fervide, & non ad mentem Rectorum Sueciæ tractasse judicabatur. Enimvero Galli fortiorib" rationibus Brisaci pugnabant, per stipendia militi promissa, & corruptis singulis ductoribus. Si qui fidei memores erant negligebantur. Accedebat, quod exercitus è Palatinatu in vastatã Alsatiam reductus esset, rapinis deditus, & exigua ducũ autoritate; nec pauci tædio præsentiũ deferere, aut ad hostem transfugere. Tum hieme jam ingruente nulla his in oris subsistendi facultas; hibernis autem alibi quærendis copiæ istæ impares erant, ni Gallico milite & stipendio sublevarentur. Ita tandem duces pactum Colmariæ conceptum subscribunt. Hoc modo exercitus sub Ducis Longuevillii imperium, loca à Vinariensi Duce capta in Gallorum potestatem cauponante Erlachio rediguntur. Quia tamen Galli abnuere non poterant, istum exercitum à Suecis prius conscriptum, & ab ipsis Bernhardo Duci subditum fuisse, qui & ad mortem usq; Sueciæ & fœderis Evangelici titulum gesserat; non alium colorem facto suo obtendere poterant, dum exercitum istum nulla Sueciæ mentione facta sibi subdunt, quam nimium studium ministrorum Regiorum pro emolumento Galliæ, per quod de Suecia, uti debuerat, illis in mentem non venerit. Directores isti post in Sueciam scribebant, se quicquid fecerint fecisse salva obligatione in Sueciam. Erlachius quoq; ultro se excusabat, acriter in Mockelium invectus, inficeto nimis ludibrio.

Tertius congressus. 23. Sept.

Galli voto suo potiuntur.

29. Sept.

§. 55. Inter hæc Gallicæ copiæ Vinariensibus jungendæ aderant, duodecim centuriæ peditum, quadringenti equites, etsi major numerus ab ipsis jactaretur. Vinariensium tria erant peditum millia;

Gesta Vinariensium Gallis junctorum sub Lue-

1620. Longuevillio Duce.

equitum rite inſtructorum non ſupra quindecim centuriæ, ſed queis equi deerant major numerus. Promiſſum erat duorum menſium ſtipendium: ſed vix unius menſis exſolvebatur. Inde Longuevillii juſſu iter ſumitur non trans Rhenum Bavariam verſus, uti hactenus ditum fuerat, ſed ad loca nuper citra neceſſitatem deſerta. Conſilium erat impoſito navigiis pedite ſub Schmidbergio Campi ductore Philipsburgum obiter tentare: tum Moguntia oppreſſa vicino tractu hiberna capeſſere. Enimvero Bavarici, qui hucusque irriti ad Hohentvvilam deſederant, motu Longuevillii audito raptim per Sylvam Nigram, & Badenſem ditionem Philipsburgum progreſſi Vinarienſes prævertunt, tunc arcem Germersheimenſem oppugnantes; ac confeſtim quingentos pedites Spiræ immittunt: mox integro cum exercitu ſtructo navali ponte Rhenum tranſeunt, ac Spiræ & in ſuburbiis conſident. Aderant & poſt, qui hactenus Hohentvvilam fruſtra obſederant, amiſſis circiter mille quingentis, cum obſeſſi vix decem deſiderasſent, inter omnium rerum abundantiam. Bavari porro Spiræ adſidentes pugnæ copiam non faciebant, laceſſentibus licet Vinarienſibus, & modicas per velitationes ſtrenue rem gerentibus. Quarum una Naſſovius Comes Joannis Werthani fratrem cum trecentis equitibus circumventum concidit, paucis ductoribus vita donatis. Sed fame urgente, & quia à Piccolomineo ſibi metuebat Longuevillius, ſoluto Germersheimenſis arcis obſidio, cujus præſidiarii ſtrenue repugnaverant, trans montes Luteram concedit; cum deficientibus equis majores machinas in terram defodiſſet, quas mox Bambergius proditas Philipsburgum avehebat. Sed cum Piccolomineus Rhenum transgreſſus eſſet iſte retro movens Neuſtadium, mox Alzeam, & Oppenheimum occupat. Qui Bingam tenebant, poſt repulſos binos aſſultus mox citra exceptionem ſe dedunt. Crucenaco oppido ſtatim potiuntur Galli; ſed arci poſt ruinam editam aſſultantes non ſine damno rejiciuntur: poſtera tamen die præfectus ſacramenti prioris oblitus cum ſuis ultro Gallorum numeris accedit. Eberburgum arcem Roſa aſtu intercipit. Inde legiones toto iſto tractu ad Moſellam uſque diſperguntur. Quarum aliquæ in Rhingoviam quoque trajiciunt, arcemque Ehrenfelſam capiunt. Aſt Bavarici licet occaſio dari videretur Vinarienſibus late ſparſis cladis quid inferendi, cis Rhenum recedunt, ac per Viam Montanam deſcendunt velut de induſtria Gallos declinantes, tacita ut credebatur inter ſe ducum colluſione. Transgreſſis tamen in Rhingoviam repente ingruunt, eosque apud Elfeldam in fugam agunt, cæſis peditum centum quinquaginta, reliquis captis. Ductores tamen plerique evadebant, equitibus paſſim in Haſſiam usque refugis. Ac mirabantur duces hoſtium, eam manum in iſta loca miſſam, ubi neque trans Rhenum ſe recipere, neque à ſuis tegi poſſet; velut ideo veniſſent, ut perirent. Erat alias exercitus iſtius miſera facies. Nulla ibi diſciplina, nullus imperii reſpectus. Vetera exercitus capita ſe tantum, ſuasque legiones curare, querelas militum ad Longuevillium non ſine faſtidio rejicere. Dux ipſe belli Germanici inſolens; qui proximum ab iſto gradum tenebant Guebrianus, Lenoncurtius, Schmidbergius diſcordes. Eques paſſim populabundus vagari, nec parum minui, pedes fame fatiſcere, res tormentaria dilabi; annonæ nulla cura. Apud exercitum rumor erat Choiſium mox adfuturum, & Germanicas legiones in Regis Galliæ verba adacturum. Indignationem inde accendebat hoſtis, velut ex interceptis literis cognoviſſet, legiones in diverſa ſparſim iri; & autographum Ohmio ſe transmiſſurum Glenius ſcripſerat. Id paſſim jactabantur; Gallos Briſaco jam potitos exercitum iſtum non amplius curare; iraſci potius, ab ipſis emendum fuiſſe, quod Regi jure competebat. Fruſtra ſperare ipſos conventa ſervatum iri. Quin Gallos ſtudio illas legiones deſtructum ire, ut pecunia flagitatores, & infenſos animis ductores amoliantur; gregarios ultro ipſorum numeris ſe addituros. Inter has miſerias, cum fames iis, quæ inſederant locis ſubſiſtere non permitteret, Germanici ductores Rhenum tranſire ſtatuunt, ſi Galli non ſequantur Haſſicis ſe aut Kœnigsmarkio juncturi; prout occaſio ferret. Machinis igitur Bingæ relictis, apud id oppidum, & Bopparti, ac Baccharaci Rhenum trajiciunt; ac primum in Sylva Occidua hiberna capeſſunt. E Gallicis Ducibus Lenoncurtius cum quadringentis Metim ſe conferebat. Longuevillius, & Guebrianus cum reliquis Gallis quingentis numero Vinarienſes ſequebantur. Sed & Bavarici, fruſtra inſtante Moguntino, ut Crucenacum recuperarent, poſtquam præſidium Moguntiæ, Wormatiæ, & Spiræ reliquiſſent, in hiberna properant.

Iſſis in Palatinatum deſcendentibus Bavarici occurrunt.

16. Oct. 19. Oct.

Aliquot oppida capiunt. 21. Oct.

In Rhingovia vapulant.

Eorum miſera conditio.

1639.

Rhenum tranſeunt.

§. 56. Hoc anno fœdus cum Anglo adverſus Cæſarem, hactenus in ſpeciem fere agitatum, indies magis frigebat. Legatus Anglicus Thomas Rovvius dum Regis ſui reſponſum expectat, ne Salvius rem pro deſerta haberet, moræ culpam in tumultus Scoticos referre; ac ne nihil plane agere videretur, hactenus propoſita paulum interpolare, ac inanibus ſermonibus differre, & de conditionum difficultate conqueri. Inde palam in Gallos invehi, ambitionem atque inſatiabilem dominandi libidinem perſtringere. Fœdus commune cordi ipſis non eſſe; ſed velle tantum Anglos alibi diſtinere, interim Regni ſui fines proferre, Suecos perpetuo bello implicare, & mercenariorum loco habere: tum ſacra Proteſtantium per Germaniam extinguere; quo fine cum Bavaro colludant. Suecos Gallis nimium fidere, ſenſuros demum ab iis ſe deceptos; qui omnium geſtorum gloriam in ſe trahant, & haut obſcure imperium Europæ animo volvant. Contra Gallicus Legatus quæ ab Anglico agitabantur, ridere, & effectu caritura ſibi aliisque perſuadere; Anglos neque in Sueciam, neque in commune quid collaturos; nec aliud quærere, quam ut citra ſuam impenſam bellum in Germania alant, quod ita cito componi non optent; utque pacis negotio immixti eandem ad commoda ſua dirigant; interea jactato fœderis vocabulo ſeſe orbi venditent, atque expiſcentur, quousque fœderata Regna bello occupata retinere velint. Quæ parum à vero abire videbantur, adeo ut Rovvius diu Salvium inviſere omitteret; pudore tamdiu ex Anglia dilati reſponſi, ac diutius ſalva exiſtimatione Hamburgi hærere ſe poſſe negaret, ludibrii jam manifeſtus. Sane nunc, ſi vel maxime voluntas fuiſſet, quo minus externa amplecti negotia poſſent Angli invaleſcentes turbæ Scoticæ faciebant; quas Galli haut ægris oculis adſpiciebant, ut ſi Anglia auxilii nihil in commune conferre vellet, ſaltem ne noceret. Quin credebantur motus pauperis nationis Gallica pecunia ſuſtentari, non ſolum ob veterem Gallos inter & Anglos æmulationem, ſed & quia tunc Galli conſilia cum Hollandis ſociabant circa maritima Flandriæ oppida ſubigenda; quod cum ſoli Angli prohibere poſſent, domeſticis negotiis iidem diſtinendi erant. Quicquid ejus eſſet, ſane uti Angli ob tumultus Scoticos rationes habebant ſe excuſandi, quare arma non ſumerent; ita quo minus & alii ipſorum exemplo ſpectaculo iſto fruerentur, obſtare non poterant.

Fœdus commune friget. Anglici legati ſermones.

Galllei Legati judicium.

§. 57. Sed & non amplius inficiabatur Rovvius, ſuper Palatino negotio Bruxellis per Taillerum cum

Fœdus cum Palatino hæret.

1639. cum Cæſare & Hiſpano agi. Quo etiam Curtius, quoties de iſto mentio inciderat, idem rejiciebat: quod ſuper eo ſine Hiſpano tranſigi non poſſet, nec hic ideo Hamburgum miſſurus eſſet: ſpe inſuper facta, plenius ibi Palatino ſatisfactum iri, quam per communes tractatus. Idem & Dano probabatur, qui Anglo juxta, & Palatino arma vehementer diſſuadebat. Ipſe porro Elector Palatinus ad Banerium proficiſci voluerat, ſuper pacis negotio cum ipſo conſilia collaturus: id quod hic deprecabatur, bellicas occupationes obtendens, Rectoribus Sueciæ Banerii factum probantibus. Mox ſub initium Februarii Elector repente Hamburgo in Hollandiam profectus erat, non ſalutatis Regum Legatis. Quod indicio habebatur, fœdus Suecicum parum curæ ipſi eſſe. Etſi Bohemiæ Regina id mox excuſaret, quod cum ventus diu adverſus reflaſſet, nunc faventem negligere noluerit. Iſtud porro fœdus nec Sueci magnopere affectabant ob enormes ejusdem prætenſiones; cum ipſi ſummum belli moderamen ſibi utiq; vindicarent, nec viciſſim niſi ad ſummum conatum Palatinatus reſtituendi ſe obſtringere vellent. Nec tamen idem plane repudiabant, Anglorum & aliorum offenſæ declinandæ. Tota hinc æſtas Legato Anglico per inanes ſermones abſumta, ne plane negotium depoſuiſſe videretur: nuper mandata ſe à Rege ſuo accepiſſe continuandis tractatibus: Regem haut velle Bruxellis ſuper Palatina cauſa tranſigi; Taillerum inde revocatum, ut digna pœna afficiatur, quod inſcio Rege iſtos tractatus ſuſcepiſſet. Saltem inter Suecos & Anglos fœdus fanciendum, adſcito etiam Dano & aliis Proteſtantibus, ſuper quo mandata propediem expectet; omnia vanitatis manifeſtæ.

Anglicus Legatus formulam fœderis exhibet.

§. 58. Tandem Octobri menſe formulam fœderis Salvio & Avauxio offerebat, eadem cum Pariſienſi delineatione complexam, niſi quod Anglia Palatino Electori, ſi Vinarienſi exercitu poteretur, aliquid ſubſidii promitteret, prout cum ductoribus conveniſſet. Cæterum Gallis Suecisque permittebatur per Britannica Regna militem ſuo argento conducere; ac Rex quindecim naves armare ante bellum denuntiatum, quadraginta poſt pollicebatur. Viciſſim Angli utrumque Regnum ad bellum continuandum cupiebant obſtringere, quoad omnium conſenſu pax iniretur: tum ut dotalitium Reginæ Bohemiæ & Palatinatus reſtituantur, ſi bello forte in alterutrius poteſtatem pervenerit; ac ut loca Belgii Hiſpanici hoc bello occupata reddantur. Tandem ut utrumque Regnum ſecretam & extremam ſuam ſententiam declaret, cui futura pace utique inſiſtere velit; unde certa ſint formanda capita Cæſari ad approbandū transmittenda, quibus repudiatis Anglus demum ad arma ſit deſcenſurus. Salvio etſi mirum videretur, Rovvium, qui toram per æſtatem ſiluerat, nunc demum ingruente hieme poſt elapſa agendi tempora de fœdere jactare, tamen cum Avauxio & Rovvio ſuper ea re differere conſtituit. Enimvero ſtatim deprehendit, negotium exitu carituram. Nam Avauxius non obſcure innuebat, Gallis propoſitum fuiſſe hoc fœdere Angliam diſtinere, ne impedimentum rebus ſuis obiceret, aut noceret. Reſtitutionem locorum Belgii Hiſpanici Pariſienſi formula promiſſam non animo ſervandi, ſed ut Anglia tantisper delinieretur. Pari modo extremam ſententiam circa leges pacis promiſſam, ſed animum promiſſo ſtandi nunquam fuiſſe, quam alteri propalare ſtolidum fuerit; præſertim cum leges pacis pro fortuna belli laxari, aut reſtringi ſoleant. Angli contra pollicita valde erant tenuia, nec pro ratione eorum, quæ iſte viciſſim ſtipulabatur. Quod ſi forte Sueci Gallique hiſce adquieſcere, ac bellum tamdiu gerere vellent, quoad Angli ſcopo ſuo potiti eſſent; tamen negotium in eo hærebat, quod Angli utique noſſe pertenderent, quid ſatisfactionis utrumque Regnum, & præcipue Gallia quæreret, cujus ſucceſſus limis oculis adſpiciebant. Sane ex oblata formula patebat, Anglos id velle, ut ſingula Regna ſuam duntaxat conſervationem & ſecuritatem quærerent. Si Gallia ulterius tenderet, facilius credebatur Anglos ſe cum Auſtriacis contra Gallos, quam cum his contra illos eſſe ſociaturos. Adverſus Sueciam minor erat Anglorum invidia, ut tamen non plus ſatisfactionis eam obtinere vellent, quam ſummam pecuniæ, olim ab Electore Saxoniæ oblatam, & exiguam Pomeraniæ partem hypothecæ loco. Cum igitur Anglo præcipue propoſitum eſſet utriusque Regni deſtinata expiſcari, nihil ſolidi de iſtis tractatibus ſperabatur. Quin ſuſpicio erat, Rovvium tempus tantum extrahere voluiſſe, quod facile judicaret, Gallos Suecosque ſecreta ſua non revelaturos, ut ipſe auram popularem captaret, invidia irriti negotii in alios devoluta.

Elector Palatinus in Gallia detinetur.

§. 59. Enimvero ut inanis fœderis ſimulatio plane deponeretur, non minima videbatur cauſa Electoris Palatini in Gallia detentio. Is audita Vinarienſis morte inſtinctu maxime Arauſionenſis Principis in Angliam ſe contulerat pecuniis corradendis, ut eo acceptior ad Vinarienſem exercitum accederet. Super iſto itinere Angliæ Rex cum Legato Gallico Bellevreo locutus fuerat; Palatinum per Galliam iturum, Luretiæ apud Leiceſtrium Comitem diverſurum, inde ipſum Galliæ Regem acceſſurum. At Bellevreus nionuerat, ne quid tale ſuſciperet, niſi Rege ſuo prius conſulto, ne forte à præfecto quopiam manus ipſi injiciantur. Offerebat quoque Angliæ Rex Gallo; ſe Hiſpanicæ claſſis, quæ Hollandos fugitans ſub Angliæ litora ſe receperat, tutelam deterturum; ſimul octo militum millia Palatino daturum, Gallicis ſtipendiis ſuſtentanda, ſi Gallus imperium, quod Vinarienſis geſſerat, Palatino permitteret. Aſt Galli repentinam facilitatem ſuſpectabant, cum ipſi ab Anglis ſemper poſtulaſſent rem æquiſſimam, fœdus & ſocietatem adverſus aliena detinentes; quæ ſi placeret Regi Angliæ, parati eſſent pacem non facere, niſi reddito Palatinatu. Quin credebant ab Anglis Palatino datum conſilium, ut Briſaco & aliis locis Cæſari reſtitutis Palatinatum redimeret, pacemque ſibi peculiarem faceret. Haut eo ſecius 5. Octobr. tamen, cum Paulus Ramingius ab exercitu Vinarienſi Londinum rediiſſet, ſequenti ſtatim die Palatinus navem conſcendit, viginti quinq; millibus librarum Anglicarum, alii majorem ſummam ferebant, onuſtus. In eo tamen prudentes graviter erraſſe ipſum judicabant, quod non ſolum tamdiu moras nexuiſſet, jam dudum re apud exercitum tranſacta; ſed & quod cum Galliam incognitus tranſire decreviſſet, anceps auſum non majore ſilentio texiſſet; cum paſſim de itinere iſto innotuiſſet. Ipſe ex Anglia ſolvens à tribus claſſibus, Anglicana, Hiſpanica, & Hollandica ſalutari ſe paſſus fuerat. Boloniæ quoque in terram deſcendenti navis, qua vehebatur, feſtivo machinarum diſplosione valedixerat. Sed nec ſemper celeribus equis, & modico ſat comitatu uſus fuerat; uti ante hac VValliæ Princeps, cum ignotus per Gallias in Hiſpaniam proficiſceretur. Igitur cum 18. Octobr. Lutetiæ apud Legatum Anglicum non diverſiſſet, ſecus atque Angliæ Rex Bellevreo prædixerat; & pateret, ipſum præteritis locis, ubi Rex tunc erat, Genevam petere, apud Molinum ſiſtitur. Obrentui ſumebatur, quod tantæ dignationis Princeps alienum Regnum tranſire auſus eſſet ignotus, & absque Regis venia. Et jactabatur edictum Regium,

1619. gium, id genus itinera vetans, quod tamen neminī ante hac vſum fuerat; eoque in ſpeciem illo ipſo die ſcriptum credebatur. Sperabant nonnulli Principem benevole à Gallis exceptum iri; Gallicoque matrimonio illigatum plane in horum partes trahendum ob beneficia à Palatina Domo quondam in Henricum IV. collata,& opportunum Gallis Palatinatus ſitum. Enimvero præſentia tunc veteribus prævalebant, & Princeps Molino meritoria rheda in caſtrum Vincennarum deductus aſperius quam bello capti aliquamdiu habebatur, unico duntaxat miniſtro conceſſo,& omni literas ſcribendi,aut admittendi facultate adempta; ac per ſex dies ne in hortum quidem purioris aëris captandi cauſa progredi permiſum. Duobus quoque Electoris fratribus Mauritio & Eduardo, qui Lutetiæ tunc equitare & arma tractare diſcebant, ne quo diſcederent, indicebatur. Quin ultro querebantur Galli, Regis ſui pro Germanorum reſtitutione laborantis conatus iſtum itinere per dolum ſuſcepto turbare voluiſſe.

Mœrs animorum ob detentum Palatinum.

§. 60. Iithanc Palatini detentionem ægre cumprimis ferre videbatur Daniæ Rex, qui ſponte perſcriptis ſua manu Reventlovio mandatis hunc cum Avauxio ſuper ejus facinoris indignitate aſperrime expoſtulare jubebat, ſtrictiſſime poſtulans, ut ob ipſius interceſſionem ocyus libertati reſtituatur citra ullum ſponſionum vinculum. Id niſi abſque mora fiat,injuriam Electoris velut ſibi factam Regem putaturum. Et cum Avauxius comiter excuſata Electoris detentione ſpem de ejus libertate faceret, ſi Anglus arma cum Gallis Suecisque ſociare vellet, Reventlovius, antequam Elector liber foret, neque de fœdere, neque de aliis rebus agendi locum eſſe contendebat. Nec ſegnius Rovvius, & Ruſtorfius apud Salvium querebantur; in gratiam Bavari id factum arguentes cui cum Gallis ſecreta fœdera ſint, ſimul petebant, Reginæ Sueciæ Principis cauſam commendari. Quæ & poſtea modeſtis literis,ac per legatum Grotium pro iſto liberando apud Regem Galliæ intercedebat, facilem exorari, poſtquam deſtinatis ſuis potitus eſſet. Quanquam ita jubebatur agere cauſam Palatini Grotius, ut ne offenſam Regis, aut ſuſpicionem incurreret, velut iſte Suecorum inſtinctu ea quæ in fraudem Galliæ tendere videbantur, conſilia ſuſcepiſſet. Fruſtra ſperaverant Angli Vinarienſem exercitum acres iras detento Palatino ſumturum: cum ſuper omnes ibi affectus pecunia prævaleret. Iſta occaſione Legatus Anglicus varia apud Salvium diſſerebat: proximo anno trium Britannicorum Regnorum Parlamenta habenda, ubi penes Gallos fore, honorifice dimiſſo, an detento ulterius Palatino fœdus cum Anglia, an bellum habituri ſint. Gallorum conſilia ad exitium Proteſtantium ſpectare; eoque neceſſum eſſe, omnes hoſce in commune fœdus coaleſcere; ad eundem ſcopum tendere tertiam factionem tunc ab Arnheimio agitatam, quæ mediam ſe Cæſaris & Gallorum ambitioni interpoſitura ſit. Suecis ſeparatam cum Cæſare pacem ineundam, excluſa Gallia, quæ utique Sueciam ni præveniatur, præventura ſit. Addebat; circa fœdus pro tempore nihil amplius agi poſſe, quoad conſtiterit, quid de Palatino, cui fœdus innitatur, futurum ſit. Quæ Salvius modeſte eludebat; Anglorum ſtudium in rem communem commendare, Gallorum deſtinata excuſare, aut interpretari. Arnheimii factionem, & ſeparatam pacem reſpuere; tanto apertius, quod iſta iterum ad Avauxium emanare norat, qui tunc ſecretam Suecorum pacem ſuſpectans omnes iſtius ſermones anxie captabat.

Angli claſſ.

§. 61. Sed & ſpem fœderis Anglicani non parum elidebat apertus nimis Anglorum in Hiſpanicam claſſem favor,qui impedierant,ne Hollandi ſeptentrionale latus portus navibus ſuis claudere poſſent. Unde magna pars Hiſpanorum Dunkercam elapſa erat: multos ipſi Angli ſuis navibus transportaverant. Iidem ex arce in Hollandos machinas diſploſerant,cum hi ad diripiendas Hiſpanorum naves litori impactas accederent. Quin credebatur ſecretum inter Anglos Hiſpanosque fœdus eſſe, & quo minus aperte his ſeſe Anglus adjungeret, ſolas turbas Scoticas obſtitiſſe. Sane prioribus inter Anglos & Hiſpanos pactis cautum erat, ne plures quam octo naves Hiſpanicæ ad portus Britannicos accederent. Nunc cum tota claſſis ſub Angliæ oram ſe reciperet, citra ſecretum fœdus id non factum videbatur; præſertim cum ex armamentario Regis globi & pulvis bellicus Hiſpanis ſuppediteretur; & Vicarius maris præfectus Penningtonius in vincula poſt daretur, quod non fortius pugnæ navali intereſſiſſet. Paulo ante fœdus quoq; inter Anglum Danumque renovatum fuerat, & ſuſpicio erat inter Danum quoque & Hiſpanos fœdus tunc per Hannibalem Seſtedium ictum, qui obtentu veterum fœderum renovandorum in Hiſpaniam miſſus fuerat; claſſemq; illam conſcio Dano, forte & Anglo, deſtinatam potiſſimum fuiſſe ad Gothenburgum ſubito opprimendum, Sueciamque ex eo litore invadendam, cui Danus copias ſuas per Jutiam tunc diſperſas adjuncturus erat. Sane rumor id tunc Hamburgi, & per Hollandiam ferebat; nec alia manifeſta ac ſat idonea cauſa tantæ claſſis iſtas in oras mittendi, quæ præter duodecim centurias bellatorum equorum rite inſtructorum, tria millia ephippiorum vehebat; quæ ex Hiſpania in Flandriam trajicere ſupervacuum erat. Quin & initio illa claſſis facile in Flandriam appellere poterat, cum Trompius ſeptendecim non amplius naves ſecum haberet, abiumto inſuper pulvere, globisque. Accedebat inſolita Danorum ferocia Suecos, Hollandosque in freto Oreſundico immentum inſultantium, & quod Chriſtianus Ulricus Guldenlevvius nuper ex Hiſpania reverſus, ubi maximis honoribus exceptus fuerat, ſub id tempus Bruxellis ageret. Ita quidem tunc ſuper ejus claſſis deſtinatis conjecturæ erant. Cæterum undecimo poſt anno illius negotii ſecretum, Andreæ Reuſnerii tribuni Germani indicio Holmiæ proditum fuit. Is ante aliquot annos in Sueciam ſe receperat: ubi in jus vocabatur ad exſolvendam mercedem cuipiam Schimlero, qui in itinere Perſico ipſi inſervierat: cui tribunus opponebat, ſe ipſi jam ſatisfeciſſe, aſſignatione ad Ducem Holſatiæ data. Alter ut oſtenderet, nihil ſibi ſolutum fuiſſe, proferebat reſponſum à Duce datum, cum aſſignatio offerretur, contemtum tribuni & exprobrationem perfidiæ præ ſe ferens. Cauſa per omnes fori inſtantias ventilata, demum Reuſnerus in judicio reviſorio damnabatur, ut Schimleri viduæ quam perebat mariti mercedem exſolveret. Unde hic iratus coram Delegatis è Senatorum numero habere ſe oſtendebat de quibus Ducem arguere poſſit. Qui cum in hujus cauſa cognitionem ſuam eſſe negarent, tunc quidem audire ipſum abnuebant, niſi peculiari juſſu Reginæ accedente. Mox cum Regina veniam daret proferendi, quæ noſſet, oſtenſis documentis totum ſecretum ipſi pandit; cujus hæc machina fuerat. Ad ſubvertendos Hollandos convenerat inter Hiſpaniæ, Daniæque Reges, ac Holſatiæ Ducem, ut illis ingreſſus Maris Baltici clauderetur, ſimul commercia eorundem in Perſidem, & ex parte in Orientalem Indiam averterentur. Quorum prius fieri non poterat, niſi ſubjugata Suecia, quæ ex convento

1619. ſi Hiſpanicæ favent.

Ejus claſſis intentio.

2. Maji.

1639. vento penes Danum manere debebat. Posterius effectum ibant commercio cum Persis instituto, mercibus ejus Regni ac vicinæ Indiæ per Mare Caspium, ac Moscoviæ flumina ad Mare Balticum traducendis, quarum Emporio Fridrichstadium destinabatur; quo fine & Mare Balticum cum Occeano solsà per transversam Holsatiam ducenda conjungendum erat. Subigendæ Sueciæ Hispani validam classem paraverant, quæ assumtum è Flandriæ oppidis veteranum militem, in cujus locum recens è classe sufficiendus erat, transito freto Danico, prope Stockholmiam in terram exponere debebat; cui & Danus classem suam junctarus erat, ac viginti militum millia, quæ clam conscripta per Jutiam & Holsatiam dispersérat. Sed gravem istum casum à Suecia aliena virtus depulit, classe ista per Hollandos sub Angliæ litoribus Duce Martino Trompio deleta. Ottoni Brugmanno in Persidem quondam Legato Reusnerus hanc præcipuam mortis causam fuisse ferebat, ne arcanum id propalare posset; seq; ipsum ideo in Holsatiam reverti noluisse, ac post in Sueciam concessisse. Ita pariter secretum Legationis Holsaticæ in Persidem, quod ante hac nunquam satis assequi se potuisse ferebat Oxenstierna Cancellarius, tunc patuit.

Rectorum Sueciæ de pacis negotio judicium.

§. 62. Circa communis pacis negotiationem Hamburgi agitatam Rectoribus Sueciæ Salvius nimis aperte cum Dano egisse, ejusdemque iras plus satis metuisse judicabatur. Igitur monebatur, plus circumspectionis in posterum adhiberet: quod semel concessa retractare non ita in proclivi sit. Nec statim trepidandum vicino fulgurante; cum male se habeat respublica, cujus incolumitas vicinorum misericordia stat. Priores ipsius literas ad Regem Daniæ recte se habuisse, ac posterioribus potuisse supersederi. Nam si eo res apud Danum redierit, ut priores literæ offensam pariant, præstare, ut quamprimum ista erumpat, quo paria reponi queant. Porro sibi constaret; & caute ac intrepide, modeste, non tumide ageret; nec responsa sua præcipitaret. Tum quantum posset aliis opinionem demeret, velut Sueci à pace abhorreant. Omnia quoque cum Avauxio communicaret; & quia hic circa tempus extrahendum laborabat, quas ipse necteret moras imputaret velut in Gallorum gratiam factas. Sed & insuper haberet à Dano jactata, quasi imbellis tantum ætas sexusque in Suecia supersset; nam id credi parum sibi obesse, etsi tempus tulerit, ostensuram Sueciam, quos viros Danicis mulieribus reservaverit. Cæterum si vel maxime nulla alia impedimenta tractatibus pacis se objecissent, mediator Danus parum ipsos decere videbatur, studii in adversam partem, & odii in Suecos manifestus, qui cum tot difficultates circa præformandos tractatus injecisset, super primario negotio longe plures moturus metuebatur; ut inde in Suecos plus molestiæ, invidiæque ac criminationum apud omnes, quam per ipsam belli continuationem, redundaturum esset. Eoque censebant, negotium hoc nondum sat maturuisse; ac proinde nec Salvio properandum, aut accelerandis tractatibus aliquid de postulatis remittendum; sed stricte contendendum, ut vocabulum *nondum reconciliati* è salvo conductu communi deleatur, tum Bernhardo Duci debitus titulus detur, ac tuti commeatus literæ Hollandis ab Hispanis ad priorem formulam exhibeantur. Nec diem tractatui inchoando designandum, nisi salvis conductibus, etiam pro Belgis Fœderatis justa forma traditis; denique ad fœdus Gallicum semper provocandum, & si quid dubii inciderit, in Sueciam referendum.

Tractatus pacis circa

§. 63. Hamburgi negotiatio pacis circa formulam Salviconductus, super qua hactenus controversia fuerat, hærebat. Daniæ Rex per Penzium Comitem denuo Salvium urgebat, ut acceptatis quæ Cæsar miserat diplomatibus diem ordiendis primariis tractatibus diceret. Et sane Danus absurdum plane jactaverat, Suecos illorum Ordinum causam suscipere velle, qui jam cum Cæsare in gratiam redierant; cum id ipsi non peterent, & lis inter Principem & cives fuerit, quæ extraneos non tangeret. Addiderat Penzius; ad liberandam modo Regis fidem tractatus inciperentur; si post quamdiu placeret extraherentur, Regi parum curæ fore. Ast Salvius id, nisi consentiente Gallo, ac nunc etiam Anglo, negabat fieri posse; qui nullo modo temperamentum interpositæ protestationis admittere volebant. Igitur omisso priori postulato Penzius pertendebat; si ex diplomate vocabulum *nondum reconciliati* excusum fuerit, de quo apud Cæsarem Rex sedulam daturus operam sit, ut nunc statim declararet, quota septimana post exhibitum diploma tractatibus initium sit faciendum. Id quod Avauxius facere abnuebat, tamen confirmans; statim atque diploma rite conceptum adfuerit, se cum Salvio diem congressui nuncupaturum, non longius proferendam, quam literis Lutetiam mittendis, ac Legatorum itineri Coloniam perficiendo opus sit. Enimvero num Cæsar diplomata mutaturus esset, multi dubitabant. Curtius tamen & Soldnerus id futurum putabant, quo Cæsar culpam protractæ pacis à se amoliretur; id quod & Hispani suasissent. Penzius quoque, qui multa cum ferocia hactenus mutationem diplomatum aversatus fuerat, nunc comem valde ac mitem se exhibebat, spe mutationis desideratæ facta. Simul percontabatur; num Gallus correctis diplomatibus Cæsari titulum, ejusque sociis Lotharingo, Parmensi, ac Mutinensi salvos conductus Colonienscm ad conventum debito cum titulo dare velit. Avauxius cum circa reliqua annuisset, de Lotharingo respondebat; si Cæsar Palatino Electori diploma tuti itineris cum titulo daret, Galliæ Regem Lotharingo pariter facturum. Aut Regem commune diploma pro omnibus Cæsari adhærentibus, sub quibus Lotharingus æque, ac in Cæsareo Palatinus comprehendi censendus sit, exhibiturum, una cum separatis duobus pro Parmensi, & Mutinensi, uti Cæsar circa Vinariensem & Landgravium fecerit. Sed nec prius Cæsari, nec posterius Penzio placebat; qui omnem lapidem movebat, ut Salvium permoveret ad diem congressui citra Gallum nuncupandam. Cui Salvius ostendebat; quam anceps sit, fœdere & amicitia Gallorum neglecta hostium se arbitrio exponere; præterrim cum Sueci à Gallis nihil iniqui postulari judicent. Circa diplomata pro Hollandis Daniæ Rex operam navare abnuebat, quod hi sub sociis fœderatorum Regnorum in Germania non comprehendantur, nec cautà ipsorum Lubecæ ventilanda sit. Se velut Suecorum mediatorem circa promovendum Lubecensem tractatum satagere; Colonienscm Pontifici, & Venetis curæ fore. Id quod Regi Galliæ ad literas ipsius respondebat. Quanquam enim revera optabat, Hollandos datis diplomatibus libertatem suam stabilire; tamen ullam hac in re Suecorum gratiam esse nolebat, ne isti hoc beneficio Sueciæ arctius innecterentur. Haut eo secius tamen sperabatur, Hispanos diplomata ad formulam tractatu induciarum expressam daturos. Cæsarei contra judicabant, etsi omnia diplomata petito modo formata adsint; Gallos tamen nova dubia moturos, nec felici armorum suorum successu tractatus orsuros, quoad ullus color extrahendo negotio superesset. Idem tamen & ipsi fatebantur, Cæsarem nunc de pace agere non posse salva dignitate, quo ad

1639. salvum conductum habent.

30. Jan.

1639. quoad arma ſua iterum ad æquilibrium cum hoſtilibus perducta fuiſſent. Ex interceptis quoque Trautmansdorfii ad Curtium literis patebat; Cæſarem velle, ut hic tractatus cum Salvio integros ſervet; conjunctionem tamen armorum cum Dano & Georgio Luneburgico acrius urgeat. Quod ſatis arguebat tractatus pacis à Cæſare poſt principia collocari, ubi arma ſucceſſerint inſuper habendos. Et manifeſtum erat, Cæſarem hactenus id tantum egiſſe, ut Sueciam à Gallia disjungeret. Nam quamdiu Suecis integrum fuerat pro arbitrio ſuo pacem admittere, nihil minus quam ſerium in pacem ſtudium Cæſarei oſtenderant; mox perfecto fœdere nil niſi pacem crepaverant. Et Curtius magna cura à Salvio quid aucupabatur, quod Gallis offenderet diſſidentiæ inter ipſos ſerendæ. Igitur placebat Sueciæ Rectoribus, circa pacem lente feſtinandum, ac inſuper habito Penzii temperamento diem ordiendo tractatui non denominandum, antequam diplomata qua poſtulatum erat forma exhiberentur. Id quod etiam nomine Regis Galliæ Rorteus petierat. Contra Hamburgi neque Daniæ Rex, neque Curtius ſpei quid faciebant diplomata emendatum iri, velut repugnante Cæſaris dignitate. Inprimis autem Rex Salvio indignabatur, quod cum prius declaraſſet, Reginam hæcce diplomata admiſſuram, poſt dicta ſua retractaſſet. Unde fremebat, ſibi cum ipſo deinceps nihil negotii fore. Excuſabat tamen Salvius, iſta non ſimpliciter à ſe dicta, ſed cum conditione, ſi Rex apud Cæſarem pro emendatione diplomatum extrema nequidquam tentaſſet. Id quod Rex non fecerit, ſed ſtatim Salvii dictis ad Cæſarem relatis effecerit, ut hoc modo diplomata formarentur. Tum ſemper ſe ad Legati Gallici contentum provocaſſe; qui obnixe urgeat, vocabula iſta, *nondum reconciliati* & *per Legatos Regios* expungenda: quod poſtulatum cum ſit æquiſſimum, abſque illo ad pacis tractatus accedi non poſſe.

Daniæ Rex Sueciæ Rectores tentat. 13. Maji.

§. 64. Inter hæc Danus à Rectoribus Sueciæ per Petrum VVibium denuo ſciſcitatur, quænam extrema ipſorum circa leges pacis ſententia ſit, cui plane inhærere decreverint. Pacem quippe ideo difficilem reddi, quod utraque pars ſuſpicetur talia poſtulatum iri, quæ ad bellum potius extrahendum, quam pacem promovendam faciant. Cæſarem declaraſſe, ſerio ſe honeſtam & ſtabilem pacem cupere, modo æquas à Suecis conditiones propoſitum iri norit. Igitur ipſos non amplius defugere poſſe, quo minus mentem ſuam liquidius explicent. Circa pacem à ſe magno ſtudio, pari ſumtu laboratum, ut Sueciæ, tum ſuo Regno ſecuritatem procuret. Nam ſi bellum Suecis ſecus ſuccedat, Daniæ quoque non modicum periculum imminere. Ad quæ Rectores Sueciæ laudato Regis ſtudio reponunt: Si Cæſar legitimos tractatus velit, cupide ſe eos amplexuros. Sed dum is circa ſalvos conductus tamdiu tergiverſatur, non immerito de ſincera ejus mente à ſe dubitari. Conditiones pacis jam dudum tractatibus cum Electore Saxoniæ, quantum in anteceſſum fieri poſſit, expreſſas; unde quam faciles aut difficiles illæ ſint ipſe judicare queat. Longius nunc progredi in principali negotio ante cœptos tractatus, ac nondum cognita ſententia ſociorum, inuſitatum eſſe, & plus dubitationis, quam ſpei producere aptum. Pacis conditiones primo intuitu ſemper aſperas videri, poſt mediatorum moderatione mitigari, & utrinque concedendo ad finem perduci. Non poſſe quoque easdem ita accurate præformari, ut non variantibus rebus aliqua mutatione opus ſit: præſertim cum hoſtis ſecurius prolata captet, quæ ſi interpretari velis, is clamores tollat, velut nova ſemper effugia quærantur. Cæterum facturos ſe, quantum citra magnum Regni Sueciæ præjudicium fieri poſſit. 1639.

Rectores Sueciæ reſpondent. 29. Maji.

§. 65. Idem Rex poſtea per eundem VVibium à Rectoribus Sueciæ poſtulabat, ut diem auſpicandis tractatibus nuncuparent. Id nunc ipſis tanto facilius fore, quod & Gallus circa pacem ſatagat, factis in Italia cum Hiſpanis ſeptuaginta dierum induciis, intra quod ſpatium pax coitura, aut induciæ in longum tempus prorogandæ credantur. Inde univerſas Catholicorum vires Suecis ſuperfuſum iri, magno cum Proteſtantium, & Septentrionalium Regnorum periculo. Landgraviam cum Cæſare jam plane transegiſſe, Vinarienſis poſtulata cum ipſius morte extincta, cujus exercitui Cæſar veniam, ac plenam reſtitutionem obtulerit. Igitur amotis difficultatibus Sueci exemplo ſociorum per pacem Proteſtantium ſalutem, & Septentrionis quietem in tuto collocarent. Enimvero Rectoribus Sueciæ non obſcurum erat à Dano id agi, ut Suecos ad ſeparatos tractatus, & abrumpendam cum Gallia conjunctionem induceret. Et tamen non parum ſcrupuli Gallorum cum Hiſpanis induciæ injiciebant. Igitur utile ſibi judicabant tempus extrahere, quoad adpareret; quomodo res ſe datura eſſet. Declinando reſponſo allegabatur paucitas Senatorum, qui graſſante tunc paſſim peſtilentia hinc inde ſparſi erant; & quod nondum conſtaret, quo loco ſedem deinceps Senatus fixurus eſſet. Eadem denuo ingerentem VVibium pari excuſatione differebant. Gemina apud Salvium Hamburgi, licet digreſſo jam Curtio, Danus urgebat, miſſo Secretario; qui moleſtias belli fere Proteſtantibus incumbentis exaggerans, cujus periculum etiam Holſatiam & Daniam afflaret, confirmabat, certe ſibi conſtare, Gallos jamdudum cum Cæſare ſecretos tractatus agitaſſe, ac propediem inter ipſos conventurum. Regem quoque Pontifici, & proprio Clero jurejurando promittere coactum, non alium ſibi deinceps belli ſcopum fore, quam Romana ſacra propagare. Pace porro inter Cæſarem, Gallum, & Hiſpanos facta, quid periculi Evangelicis omnibus immineat in aprico eſſe. Ei prævertendo tractatus maturandos; & ocyus diem definiendam. Cæſarem ſibi confirmaſſe, die indicta ſtatim Curtium cum diplomatibus Vienna mittendum, & Moguntinos ac Brandeburgicos Legatos in viam ſe daturos. Igitur quærebat, num tandem aliquando diem deſignaturus ſit, aut quid obſtaculi urgeat? Cui Salvius: periculum ſibi non ignotum; moram paci per ipſos Evangelicos objectam, qui Suecos hoſtes declaraverint, & per Cæſarem circa idonea diplomata tergiverſantem. Quæ ubi adfuerint, ſe una cum Gallico Legato diem dicturum. Idem Secretarius cum interrogaretur; num Rex quid apud Cæſarem circa omittendum vocabulum *nondum reconciliati* obtinuiſſet; reſpondebat. Regem hactenus ut illa expungerentur, nihil moviſſe, quod ceſſeret, Suecorum ſecuritati ſatis cautum, & ſi quibusdam Ordinibus ad tractatus accedere placeret, id absque diplomate liberum ipſis eſſe. Cui Salvius: nec mandatum ſe habere circa diem nominandum, ni verba iſta omiſſa forent. Oſtendebat præterea iſte ſcriptum, quo Galli declarabant, ſe Coloniæ tractatus orſuros, ſi Cæſar Palatinam cauſam eo remitteret. Id Dano novum pacis obſtaculum videbatur; & ex eo arguere conabatur; etſi Cæſar litigioſa iſta vocabula excluderet. Gallum tamen nova ſubinde effugia inventurum, ac Suecorum tractatus eluſurum, quoad ipſe ſuam ſibi pacem confeciſſet. Nec minus Vienna ſcribebatur; non minore obſtinatione Cæſarem iſta vocabula retinere velle, quam Galli, Sueciique eadem

1639.

Danus diem tractatui inchoando dici poſtulat.

Suecigergiverſantur.

30. Sept.

16. Nov.

Danus Hamburgi eadem urget. 10. Aug.

Diplomata non emendantur.

1639. dem expungi poſtulent; nec ſpem eſſe conjunctis licet tribus Regnis Cæſarem ab iſtis deſtinatus dimorum iri. Cæterum optabant Sueci Danicam mediationem effugere, etſi id offenſæ declinandæ diſſimulabant, quod rebus ſuis noxiam eandem cenſerent. Sed & multi ferebant, Cæſarem quoque eam mediationem non amplius magnifacere, quod ſuſpicaretur, ſecretæ quid conjunctionis Dano cum Suecis intercedere, & quia iſte fervidius Palatinam cauſam commendaret: tum præcipue ob inania Penzii promiſſa, qui aſſeverarat; Regis opera Cæſarem à Suecis pacem qualem cuperet obtenturum. Unde cum Cæſar antea iſtis promiſſis motus Regi vectigal Glucſtadienſe indultiſſet, Hamburgenſibus inclementer habitis, nunc iſtorum vanitate comperta Hamburgo privilegia omnia confirmarat, vectigali illo abrogato. Nec obſcure miniſtri Danici querebantur, in aula Cæſaris nil præter blanda verba, & meras fallacias reperiri. Quin & novam paci remoram Briſacum videbatur objicere, quod Cæſar ſuæ Domui reſtitui cupiebat; velut iniquum ſit, ab extraneis Regibus Cæſarem ad omnia reſtituenda urgeri, cum ipſi quæ invaſerint, retinere velint. Et Catholici Ordines jactabant: ſe communem amneſtiam fervide quæſituros, modo conſtet, Briſacum & alia ab exteris occupata loca reſtitutum iri. Ita quidem hoc anno circa publicos pacis tractatus parum promovebatur.

Dani mediatio fugit.

Secretus inter Curtium & Salvium tractatus.

§. 66. Aſt ſecreti ac ſeparati tractatus majori in ſpeciem conatu agitabantur. Super quibus Suecorum mens erat; nihil ſolidi iſtis ſubeſſe, Cæſareis nondum in anguſtum redactis: ſed id duntaxat ab iisdem quæri, ut aliquid expiſcentur, quod in ſuos uſus vertant; aut ſi enormia poſtulari videantur, Suecos publice iniquitatis arguant; aut hos ad ejusmodi actum pelliciant, quo à Gallis divellantur. Ac ſane ardua quæſtio erat, num ſalvo fœdere ſeparatim tractari poſſit; quod ſane Galli, ſi qua reſcirent, vehementer improbaturi erant. Sed cum nec Galli data occaſione id omitterent, ac ſuper induciis cum Hiſpano agerent, ejus copiis tranſitum per ſuas terras concederent, aliaque ſigna animi non plane infeſti ederent, Cæſare quoque in Delphini patrinum adſcito: neque ſibi netas eſſe credebant, modo ad plenam concluſionem non procederent, hoſtis mentem ſuper legibus pacis explorare. Igitur placebat ſecretam negotiationem non penitus repudiare. Huic inter Curtium & Salvium Hamburgi adornandæ Luntzmannus, & Meurerus Hamburgenſes Jureconſulti, ille Suecis, hic Cæſari favens comminiſcuntur, ut hic Curtium domi ſuæ inviſens, ille cum Salvio in templo collocutus, mox ipſi inter ſe congreſſi utrinque dicta mutuo communicarent, ac num conciliare iſtos poſſint, tentarent. Id commentum Legatis eo facilius probabatur, quod Curtius Lauenburgicis ſuccenſeret, quorum opera Salvius libenter utebatur; Salvius contra Danicam mediationem Curtio gratam declinatum iret. Hi igitur mutuam primo diffidentiam tollere ſatagebant. Curtius primo noſſe cupiebat, num nova agendi facultate Salvius inſtructus foret, cujus exemplum poſtulabat. Id quod Salvius negabat, mandata tamen veteribus ſimilia ſibi eſſe affirmabat, niſi quod dies mutatus eſſet. Curtius initio cupidum ſe valde negotii conficiundi oſtendere, & hanc tractandi viam commodiſſimam prædicare: tum Salvii colloquiũ expetere; & quia ipſe domi lectulo affixus decumbebat, vero an ſimulato morbo incertum, ut occulto ad ſe accederet poſtulare in vicinia divertentem. Id quod Salvius adſpernabatur; & ipſe Curtius poſt agnoſcebat, crudo adhuc & indigeſto negotio id non congruere. Igitur potius viſum per pararios rem tractari. Aſſumebantur autem fundamenti loco, quæ olim inter Oxenſtiernam, & Saxonicos agitata erant; quod Salvius admittebat, modo capita iſta præſenti tempori preſſius accommodarentur. Sed præcipue captabat Curtius, quid Sueci ſatisfactionis poſtulaturi, Salvius quid Cæſar oblaturus eſſet. Ac Cæſar quidem ſummam pecuniæ, & Pomeraniam toram, ejusve partem hypothecæ in vicem abnuiturus videbatur, Salvius in feudum eandem concedi poſtulabat. Curtius contra cenſebat; Cæſarem etiam ſepoſita Brandeburgici actione citra conſenſum Ordinum Comitialem id concedere non poſſe: nec Ordinibus Domui Brandeburgicæ quæſitum jus auferre integrum eſſe. Tum Cæſarem velut bello victum cum damno vaſalli ſui pacem emere viſum iri. Sed hypothecam longe plauſibiliorem eſſe; & plura exempla in Germania dari eorum, quæ ſemel hoc titulo obtenta in perpetuam poſſeſſionem tranſierint. Nec metuendum Suecis de hujus pignoris reluitione. Viciſſim Salvius; Pomeraniam à Suecis jam juſto belli titulo poſſideri: pro tot aliis locis à ſe ceſſis facile eſſe, ut feudi titulus ſurrogetur. Cæſari & Imperio nihil decedere, quin ejus dignationem gliſcere tam potenti Rege in vaſallorum numerum recepto. Nec longius tunc proceſſum. Nam Curtius fruſtra operam inſumi aſſerebat, ſi à feudi poſtulato non diſcederet Salvius: ſed ſi hypotheca contentus ſit, negotio ſtatim à ſe finem imponendum. Quanquam autem Curtius ſedulam operam daret, ut Salvium in ſuam ſententiam pertraheret: hic tamen parum fidei iſti adhibebat, quod ipſi non tam pax cordi videretur, quam ut Danum Saxonesque Inferiores in Suecos conciraret: quorum iſti vectigal Glucſtadienſe ad ſexaginta annos, Præſulatum Bremenſem Holſaticæ Domui in perpetuum, & Hamburgi proſcriptionem obtuliſſe dicebatur, ſi arma in Suecos ſumere vellet. Sed qui rem ad deliberationem cum Senatu ſuo Danico rejecerat. Idemque cum objectum foret, neutralitatem Luneburgicis adverſus promiſſa Regis quæri, copias ſuas Georgio Duci nuper offerentis; repoſuerat; ſtativa duntaxat militum declinari, non autem ut Cæſari & Imperio per pacem Pragenſem debita tributa ſubtrahantur. Ita Curtius cum incaſſum circa pacem laboraſſet per Poloniam Viennam regreditur, tribus bellicis navibus à Daniæ Rege Dantiſcum deductus.

Lauenburgicorum circa ſecretos tractatus negotiatio. 13. April.

§. 67. Curtii negotiatione expirante, Lauenburgicorum hactenus velut ſopita reviviſcebat; ac Mithobius Praga ſcribebat; Cæſarem denuo Ducum opera circa pacem uti cupere: quo fine & Henricus Julius Praga Viennam evocatus fuerit. E Trautmansdorfii tamen literis ad Ducem patebat; id fore abſque præjudicio Danicæ mediationis, quam Cæſar tollere haut velit; atque id tantum agi, ut conditiones pacis, quas Sueci ferant, è Salvio cognoſcantur, quas ſcripto conſignatas habere cupiebat, ut hoc velut certo fundamento inniti poſſet, novis effugiis, & morarum ambagibus præcludendis. Quo obtento Cæſarem pro re nata mentem ſuam declaraturum. Ea cauſa erat, quare iſtam mediationem Sueci parum curarent, cum cenſerent, hoc modo Lauenburgicos modeſte ab hoc negotio excludi; aut aliud quid ſubeſſe, quod à Cæſare non pacem, ſed ad fraudem cauſæ communis adhibendum ſit, cum ipſi interim res integra maneat, & declarationem pro lubitu temperare liceat. Iſti tamen negotium ſuum perſecuturi Salvio per literas ſignificant; Cæſari placere cum Suecia prius quam cum Gallia pacem fieri. Curtium Cæſaris offenſam incurriſſe ob neglecta mandata, quibus juſſus erat, conjunctionem armorum cum Dano prius urgere, quam mediationem

1639. nem ipsius admittere. Illud quippe Penzium spopondisse, velut commodissimum medium Succos Germania amovendi nulla terræ particula retenta. Id cum frustra fuerit, jam Cæsarem vel Danicam mediationem plane repudiaturum, vel eousque suspenturum, quoad tractatus sit solenniter promulgandus. Iidem ut Dani operam Suecis suspectam redderent, suis se oculis vidisse asserebant syngrapham Cæsari à Dano traditam, qua receperat, admissâ sua mediatione se Succos amica ratione aut per vim eo redacturum, ut ne vestigium quidem soli in Germania retineant. Idque à Penzio quoque confirmatum, quem Cæsar ideo Comitis dignatione mactaverit. Porro tractatus separatos cum Suecis eosdem & secretos fore; qui ut eo tectius procederent, Legatos Cæsareos, ipsosque Duces obtentu componendæ controversiæ cum fratre Augusto obortæ Hamburgum profecturos.

Formula pacis à Lauenburgicis proposita. 24. Augus.

Ut negotio fundamentum substernerent, formulam pacis futuræ Salvio transmittunt, parum abeuntem ab illa, super qua olim inter Saxonem & Oxenstiernam interventu Meclenburgici disceptatum fuerat, nisi quod circa tria capita controversia paulo aliter foret definitum. In amnestiam recipiebantur omnes, qui hactenus nondum in gratiam cum Cæsare redierant: qui peculiariter cum Cæsare transegissent, uti VVurtenbergicus, Augustani, alii suis pactis relinquebantur, & pax Pragensis sarta tecta permanebat. Suecis in satisfactionem offerebatur summa pecuniæ statis diebus exsolvenda, ac tantisper citerior Pomerania hypothecæ loco. Ni solutio dicta die secuta foret, ea provincia Reginæ, ejusque masculis hæredibus in feudum Imperii daretur, Regina absque prole mascula extincta in perpetuum eam provinciam reluendi jus integrum fore. Militibus, qui ad Cæsaris ac Imperii sacramentum transire velint, trium mensium stipendia, tum hospitia Cæsareo militi parta offerebantur. Spem præterea faciebant Duces, Cæsarem Inferiorem Palatinatum Hispanorum ingratiis redditurum: Superiorem Anglis pecunia redimere liberum fore. Electoralem dignitatem post mortem junioris Ducis Bavariæ alternis gerendam. VVurtenbergicum, si acriter contendat, bonis sacris iterum potiturum. Denique & Suecis Pomeraniam Citeriorem in feudum dandam; quo fine Justum Gebhardum ad Brandeburgicum ablegari: qui inde Hamburgum absolvendis tractatibus sit accessurus. Contra iidem nosse cupiebant, quid Regina Cæsari restituere posset: & quid circa Brisacum & Alsatiam futurum. Habebant autem ista omnia formam Cæsareæ declarationis, velut Salvius primo loco propositionem fecisset, ac Cæsaris declarationem petiisset. Atque hæc Salvio partim per literas Mithobii, partim per Josephum Hetlerum Secretarium indicabantur, quem ea de causa Duces Hamburgi reliquerant. Quanquam autem interim cum Banerio quoque in Bohemia super pace agi cœpisset: Duces tamen contendebant, gloriam confecti negotii penes se fore; quod Cæsari persuasissent; Suecos soli Banerio arbitrium belli & pacis simul haut commisisse; & quidquid cum eo agatur, non nisi ad extrahendum tempus spectare.

Salvio isti tractatus non displicent.

§. 68. Enimvero Salvio id cum primis molestum erat, quod Duces sibi impingerent, velut ipse prius, quam circa præliminaria convenisset, de primario negotio proposuisset, & quidem quasi plura quæ postularet non haberet; eoque statim & scripto & sermone istis contradicebat. Censebat tamen eam formulam instar materiæ esse posse, quæ deinceps curatius disceptetur. Et credebat jam tandem serio rem à Cæsare agi, bello in ditiones ejus devoluto, & pace inter Turcas, Persasque, ac Venetos, ut fama ferebat, facta. Necdum constare, an Piccolomineo Belgium carere posset. Cæsarem porro libentius cum ipso, quam cum Banerio tractaturum, quod hic militiam profectus magis circa alendum, quam componendum bellum sit fatacturus; & ob locorum intervallum inter Bohemiam & Sueciam negotium tarde processurum. Et quia Pontifex pacem cum Gallo urgebat, Cæsarem seperatos potius quam communes tractatus cupientem cum illis malle decidere, quibuscum faciliores controversiæ forent. Has ob causas non judicabat tractatus abnuendos, si Legati Cæsarei Hamburgum venirent; ne Cæsar forte dilatis Suecis Pontifici auscultans cum solis Gallis transigeret. Quia tamen his tractatibus plene confidi non poterat, magno secreto opus erat, & res interim cum Gallis, Anglis Hassisque integra servanda, & quæ hactenus cum iisdem instituta fuerant commercia continuanda. Ut porro pararii inter utrumque ignorati commearent, haut adeo difficile erat. Id maxime timebatur, ne si pars adversa scripti quid nacta esset, istud Gallis ostenderet, discordiæ inter ipsos, Suecosq; serendæ; aut ne Cæsar subscriptum jam utrinq; instrumentum ratihabere nollet; quo casu utiq; Salvii manus ostendi poterat. Igitur huic periculo avertendo placebat, Cæsareis neq; salvum conductum in manus tradere, nec inter tractandum aliquid scripto consignare; sed si quid opus foret Mithobio velut proprio motu scribendum permittere: tandem ubi ad conclusionem perventum fuerit, subscriptum instrumentum operculo clausum, & ab utraque parte obsignatum tantisper apud juratum virum in urbe deponere, quoad confirmatio Cæsarea adfuerit. Ast dum Salvius circa occultandos illos tractatus meditatur, jam fama de itinere Gebhardi Cæsarei Legati, ejusque instituto passim loquebatur, incertum an à Cæsaris aula divulgata. Suspicabatur Salvius, id à quibusdam Germaniæ Principibus disseminatum, qui metuebant, ne Suedi oblata idonea satisfactione cum Cæsare seorsim transigerent; cui negotio abrumpendo ista publicata sint. Sane Avauxius to- 10. Sept.
tam negotii seriem Salvio recitare norat, qui ridendo ista eludebat; solitum id hostibus ejusmodi rumoribus discordiam inter fœderatos serere, ac gemina de Gallis spargi. Nam iis, quæ de tractatibus cum Banerio narrabantur, eo minus movebatur Avauxius, quod illum in pacem minime pronum crederet. Paulo post, cum Lauenburgici, & Gebhardus Cæsareus ad Saxonem & Brandeburgicum Legatus à Banerio commeatum per Suecorum stativa peterent, hic absque superiorum consensu eum concedere non audebat, quod Gebhardus ab hoste ad hostes Legatus iret, & Franciscus Carolus Dux summi excubiarum præfecti dignatione apud Cæsarem mactus foret.

Absurda Lauenburgicorum postulata.

§. 69. Contendebant inde Lauenburgici à Salvio, scripto sibi caveret, seiplis mediatoribus secretam & separatam pacem cum Cæsare tractare velle. Qualem cautionem quoque à Rectoribus Sueciæ exigere non dubitabant. Transmittebatur simul pressior Cæsaris declaratio circa Suecorum satisfactionem, vicies quinquies centena millia uncialium, senis pensionibus intra decennium exsolvenda, & in hypothecæ vicem Stralsunda urbs, ac *Riga* insula, (ita enim scripserant Rugiæ loco.) Vicissim Cæsarem sibi Brisaci restitutionem stipulari, quam si præstare Suedi non possint, metuendum esse, ne Cæsar potius cum Gallis transigat. Fatebantur præterea, se apud Cæsarem finxisse, primam propositionem à Salvio factam, ut eo ampliorem à Cæsare declarationem elicerent; obsecrantes ne Salvius aperte contradiceret, quo fides sua Viennæ maneat illibata. Addebant, Curtium

1639. tium honorem pacis conciliatæ ſibi utiq; vindicare: ſed quia Salvius ipſi dignitate impar ſit, aliquem à Sueciæ Senatoribus Stralſundam, aut Wiſmariam mittendum, niſi forte Banerius Plenipotentiarii vices ſit ſubiturus. Denique Scheninga in locum tractatus proponebatur, Banerio propior, & ubi negotium à notitia Dani facilius ſubtrahi queat. Eo Curtium acceſſurum obtentu controverſiæ circa Hildeſiam cum Georgio Duce componendæ. Aſt Rectoribus Sueciæ nimium videbatur à ſe ejuſmodi cautionem exigi, cum ſibi potius cavendum foret, rem à Cæſare ſerio agi. Nec adeo deſipiebat Salvius, ut tale ſcriptum traderet, quod ad longe alios uſus, quam qui ferebantur, ab adverſa parte adhiberi poſſet. Ad propoſita à Cæſare ſuper ſatisfactione ſupervacuum erat quid reponere, quod ea res ad principale negotium pertineret, ipſi autem hactenus circa præparandos tractatus ſategerint; de quibus cum nondum convenerit indecorum Sueciæ fore, conditiones pacis Viennam transmittere: cum præſertim Cæſar iſta velut non à ſe aut ſuis Commiſſariis profecta abnuere, aut pro lubitu interpretari poſſet. De Curtii dignitate inficetum videbatur, qui jam ante Salvium Legatum Regium agnoverat; nec ob tantillam rem, ſi nulla alia cauſa ſubeſſet; Cæſarem ditiones ſuas Succorum populationibus diutius expoſiturum. De loco dudum ſedebat nihil concedere. Ita & Lauenburgicis hoc anno circa pacem opera ludebatur.

Succorum de iis judicium.

Secreti tractatus cum Banerio in Bohemia inſtituuntur.

§. 70. Sed & alii ſecreti tractatus in Bohemia cum Banerio adornabantur ea occaſione, quod hic Oſvvaldum quendam Medicum antea ſibi cognitum curandis liberorum ſuorum morbis, permiſſu Cæſareorum ducum Praga evocaſſet: per quem Schlickius Comes, & Gallaſius Banerio modeſtis verbis ſignificabant, ſi ipſe à Regina facultate agendi ſuper pace inſtructus ſit, idque ſibi indicare velit, ſe mox ſibi quoque à Cæſare mandata obtenturos, ſpe æquiſſimarum conditionum facta: cum Gallis tamen heic nihil fore ſibi negotii. Banerius cum nihil tale in mandatis haberet, rem ſtatim ad Rectores Sueciæ referebat, petens ut ſi propoſita ſibi placeant, idoneum virum huc ablegent: ſe quippe talium haut ſatis callentem, & aliis negotiis diſtineri. Salvium interim in ſua negotiatione haut ſecius progredi poſſe; & hoc modo rem ſecretius peragendam videri. Sed quia verebatur, ne Cæſar forte nil aliud quam diverſionem Succorum à Gallis quæreret, ante mandata à Suecia accepta certi quid declarare nolebat. Nec tamen rem abrupte repudiabat, ſed Cæſaris ſpem faciebat, ne antàm hi arriperent averſum Succorum à pace animum diſſamandi.

Senatus Sueciæ de his tractatibus judicium.

§. 71. Ea de re cum ad Senatum in Suecia relatum eſſet, in utramque partem res diſceptabatur. Ex una parte pugnabat cupido honeſtæ tutæque pacis, quæ cujusvis belli ſcopus eſt, cujus concilianda tanto major videbatur difficultas, quo diutius bellum extraheretur. Hac ratione inviſam Dani mediationem declinari; ac forte lautiores conditiones obtineri poſſe, quam ſi conjunctim tractetur. Verendum eſſe, ne Galli ſeorſim facta pace Sueciam bello immerſam deſtituant, vehementer id urgente Pontifice; qui ictus eundus, & in illos avertendus ſit. Nec infrequens Gallis eſſe, prout uſus aut neceſſitas tulerit fœderum vinculis ſe exuere, eaque unice ſuis commodis metiri. Equidem menſe Januario decretum eſſe, ne à Gallis diſceſſio fiat: ſed in republica temporibus conſilia accommodari; quæ in præſens non parum mutata ſint, ſilentibus Hamburgi tractatibus, & profecto Curtio. Ab hoſtium ducibus jam pacem bonis conditionibus offerri, attritis vehementer iſtorum copiis. Quin & Gallos fœderi haut ſtetiſſe; qui nec bellum in ditiones Cæſari hæreditarias tranſtulerint, nec ſubſidia ſtato die exſolverint, infractis quoque Vinarienſis conatibus. Qui & manifeſti ſint invidiæ in progreſſus Banerii, & uti cladem ſane Succorum non optent, ita ſemper res Sueciæ in anguſto hærere, perpetuisque eandem bellis implicitam cupiant. Nec dubium eſſe, quin Pontificis opera inter Cæſarem & Gallos ſuper conditionibus pacis diſceptetur. Ex adverſo conſtabat, poſt concluſum cum Gallis fœdus ab hoſte omnes artes adhibitas ſocietati duorum Regnorum divellendæ; nec veroſimile iſta conſilia ab ipſo jam abdicatâ. Gallos equidem non ſemper accurate fœderi ſatisfeciſſe: negari tamen non poſſe, ipſorum pecunia & opera Sueciæ res non parum ſublevatas. Quin duriter licet à Gallis habitam Sueciam iſtos deſtituere non poſſe, cum ſtatim fœdere cum ipſis abrupto Danus ad eorum amicitiam ſe adpliciturus ſit. Præſertim cum alii non ſint, quorum fœdere Suecia niti queat, Polonia infeſta, Ruſſorum auxilio contra Danos ac Cæſarem inutili, Anglo Danis per fœdera & cognationem innexo, Sueciſque infenſo, Hollandis circa propria diſtrictis. Nunquam Cæſari tantopere ofterio à Succis ſat tuto confidi, qui forte ipſis poſt abdicatum fœdus Gallicum, & deſertam Ordinum Germaniæ commoda Pomeraniam daturus; ſed mox eandem conſiunta ab his fide, exiſtimatione, & gratia iterum erepturus ſit. Scopum inter alia belli hujus eſſe, ut Germaniæ Ordines priſtinæ libertati reſtituantur; id quod niſi vi & armis à Cæſare extorqueri non poſſit. Nam cur alias Cæſar tantopere à communib⁹ & honeſtis tractatibus abhorreat? Igitur id tutiſſimum æque & honeſtiſſimum habebatur fœdus ſtricte obſervare, licet Galli in uno & altero capite eidem examuſſim non ſatisfecerint. Ne tamen hoſtibus anſa exclamandi præberetur tractatibus plane repudiatis; ſe omnia quæ potuerint feciſſe, Succos à pace abhorrere, ac Germaniam perpetuo bello implicitam velle; placebat Banerio facultatem tractandi dare, utque is cupidum pacis ſe oſtenderet, ſimul tamen hoſti ſignificaret, ſe nō niſi conjunctim cum Gallis tractare poſſe; utq; ſalvos conductus tam pro Ordinibus Germaniæ Cæſari jam reconciliatis, quam pro Hollandis urgeret; interim velut præparādo ac maturando negotio, quousq; in tribus controverſis capitibus hoſtis defendere velit, expiſcaretur.

Cæſareorum cum Banerio negotiatio.

§. 72. Oſvvaldus interea ineunte menſe Julio ad Banerium redierat, ipſum autographum plenipotentiæ Schlickio, & Gallaſio datæ oſtendens, exemplo quoque conceſſo, ac ſciſcitatus; num hæc ſufficiat, ac num ipſe aut alius à Regina agendi facultatem acceperit? Addebat, in omnibus ſatisfactum Succis iri; velut ſecreto tamen monens, maximam difficultatem fore, ſi Regina Bohemorum & Sileſiorum patrocinium ob communia ſacra ſuſpiciat. Nam quod jus omnibus Germaniæ Principibus uſurpetur de ſacris in ſua ditione pro lubitu diponendi, id Cæſarem ſibi adimi non paſſurum. Banerius breviter; ſi ſerio rem agi adparuerit, commiſſarios non defore. Circa Cæſaream plenipotentiam à peritioribus forte deſiderari quid poſſe; de legibus pacis in ipſo congreſſu agendi locum fore. Tantum vereri, ne tractatu à ſe ſuſcepto Galli in Succos concitentur, velut fœdere violato. Oſvvaldus contra ſancte teſtari; ſerio rem agi; ſi quid in diplomate Cæſareo deſideretur, id emendatum iri. Non cum Succis ſolum, ſed & cum Gallis Cæſarem tranſacturum. Petenti porro Oſvvaldo Banerius oſtendebat, illa verba; *ſi quis nomine Regine & Regni Suecia ad tractatus pacis ſeſe obtulerit*, in diplomate Cæſareo poſita, id videri inſinuare, quaſi pax à Cæſare petenda ſit. Hoc vero facile

1639. 15. Jul. correctum iri Oſvvaldus pollicitus mox iterum adeſt confirmans ea verba ſic jam concepta: *ſi occaſio tractandæ pacis ſeſe offerat.* Addebat, maturandæ paci Cæſareos cum ipſo tanquam honeſto ac nobili viro tantiſper tractaturos, quoad è Suecia fiduciariæ literæ afferantur: tum commeatum ſtatim dandum, ſi per Cæſareorum ſtativa ultro citroque mittere velit. Cæſarem Reginæ circa controverſa capita plene ſatisfacturum. Banerius citra mandatum tractatus ſuſcipere veritus, & ex nimia facilitate inſidias metuens, id tantum reponere; ubi tractatus ſerio ſuſcipiantur, Reginam amore pacis tamdiu deſideratæ nihil æqui repudiaturam, ac de prætenſionibus ſane quam gravibus non parum remiſſuram. Enimvero hæc quæ ſecretæ ſpeciem negotiationis habebant, & quæ Oſvvaldus à Banerio accurato ſilentio tegi petierat, publica paſſim fama ferebat; & quæ Coloniæ imprimi ſolent hebdomadariæ relationes Oſvvaldi nomen, negotiumque diſerte exprimebant. Cum Banerius Bucheimium Comitem fide de revertendo data dimiſiſſet, circa liberandum Guſtavum Hornium operam navaturum, ſtatim ſpargebatur, id pacis conciliandæ cauſâ fieri. Fingebantur quoque literæ velut à Banerio ad iſtum Comitem ſcriptæ, quibus ultro ipſe ad tractatus pacis ſe obtulerit. Addebatur de promiſſis Banerio factis, ut dignatione Principis Imperii & Glogovienſi Ducatu mactandus, & exercitus Suecicus poſt pacem factam ſacramento Cæſaris ſit acceſſurus. Iſthæc de ſe vulgari, velut quod honores opeſve ante patriæ fidem habere poſſet, uti ægerrime Banerius ferebat: ita ſtatim ſuſpicari cœpit præter alia id quoque hoſtem machinari, ut à cura belli ipſum diverteret. Unde cumprimis de urgendis armorum progreſſibus nihil ſibi remittendum ſtatuebat.

Ita per Cæſareos divulgatur.

Calumniæ in Banerium.

§. 73. Poſtquam aliquamdiu negotium hoc interquieviſſet, Oſvvaldus nuntiabat, Schlickium & Gallaſium à ſpe pacis fere dejectos literis à Salvio, aut hujus relatione ab Hetlero ad Mithobium ſcriptis; quæ ſi vera narrarent, facile inani ſe opera ſupersedere poſſe. Argumentum epiſtolæ huc redibat: negocium pacis Lauenburgicum opera melius, tutiusque proceſſurum, ac horum tractatus Sueciæ Rectoribus longe gratiores eſſe, quam qui cum Banerio in Bohemia cœpti ſint. Honorem confectæ pacis Banerio petenti ob dignationem & merita ipſius abnegare haut conſultum; nec minus anceps uni viro ſummam belli paciſque committere, ſaltem Cæſari poſt Fridlandum haut temere tentandum. Sed cum pacis negotium affectanti citra offenſam plane abnegari non potuerit, in ſpeciem quod petierit conceſſum, ſed ita moleſtis conditionibus idem circumſcriptum, ut Cæſari prior via longe potior ſit futura. Eoque plenipotentiam è Suecia Banerio transmiſſam non huc ſpectare, ut Lauenburgici tractatibus excludantur, ſed potius ut Cæſar tanto cupidius ipſorum operam amplectatur. Banerius diſſimulata offenſa reſpondebat; quid veri hiſce ſubſit, ſe non dijudicare, niſi re cum Salvio communicata. Sed cum nuper è Suecia mandata acceperit, antequam ulterius progrediatur ſcire velle; num Cæſari placeat pariter cum Gallis tractare; tum Ordines Evangelicos jam ipſi reconciliatos ad tractatus admittere, ut ipſi non per Regios ſolum Legatos, ſed & per proprios delegatos negotia ſua agere queant: iiſdemque diplomata concedere; num denique etiam Hollandis ſalvi conductus debita forma ſint dandi? Quæ ſi à Cæſare admittantur, rem ad Gallos prius referendam, ac moræ quid interponendum, quoad ab iſtis declaratio venerit. Iſthæc omnia Oſvvaldus conceſſum iri aſ-

Is in Salvium irritatur. 28. Sept.

Banerii poſtulata.

Cæſarei li-

ſeverabat, addito, perſpicere quidē Cæſareos, iſtam communicationem cum Gallis absque diſpendio temporis fieri non poſſe; ſed aliquando tamen initium faciendum, ſi bellum pace mutandum ſit. Ut igitur Banerius non minorem pacis cupidinem quam Cæſarei oſtenderet, arceſſito ſtatim Belloregardio, Gallico apud exercitum miniſtro, rem præſente Oſvvaldo exponit. Ille negabat ſe ad talia mandatis inſtructum; non dubitare tamen, quin Rex facile in pacem conſenſurus ſit, ad quem hæc confeſtim ſit relaturus. Addebat Oſvvaldus; Cæſarem ſe ſubdelegato uti velle; cujus fidem ſtatim idoneo diplomate ſit facturus, modo è Suecorum parte aliquis adſit, mandatis ad hanc actionem inſtructus. Alias omnem miſſionem inutilem fore. Ita tunc iſte diſcedebat. Cæterum ea conſtantia res ab Oſvvaldo agebatur, ut Banerio nihil fraudis ſuboleret; eoque ne mutatis belli momentis, ac ſe forte iterum Bohemia pulſo hoſtis ſententiam mutaret, quam primum ſibi formulam plenipotentiæ, & ſalvi conductus, inſuper callidum ejusmodi rerum virum transmitti petit, ne qua forte à ſe artium harum inſolente impingatur. Enimvero qui ſinguli forte operæ pretium feciſſent, dum plures eodem tempore circa idem negotium ſatagunt, ſibi mutuo impedimento erant; dum Schlickius & Gallatius diſerte Banerio denuntiant, tractatus cum Lauenburgicis expiraſſe, his contra ad ſubvertendam Banerii negotiationem incumbentibus. Ac vero ſimile erat eam occaſionem captari Reginæ miniſtris inter ſe committendis. Nam Praga Hamburgum ſcribebatur, Banerium contemtim de Salvio locutum, velut ipſum in tractatibus collegam dedignaretur Doctoris Medici titulo auctum, & qui totum menſem unico vocabulo cavillando in caſſum deſidere ſoleat. Quarum literarum exemplum Salvius Banerio transmittebat, num iſtas ſuas agnoſceret, ſcholaſticam imprimis dignationem adſpernatus. Viciſſim Banerius illa, quæ Hamburgo Pragam perſcripta erant, non plane de nihilo ducere, quod forte Salvius metuerit, ne ipſe negotium pacis in ſe transferret excluſo Salvio. Uterque tamen hoſtium fraudes ſubodoratus irritatum animum temperabat, ne privata offenſa publicæ rei obſtaret.

1639. annuat.

Tractatus unus alterum impedit.

§. 74. Nec eo minus hoſtis deinceps quoque cupidinem pacis præ ſe ferre. Nam Gallaſius abdicato imperio Praga digreſſus Banerio ſignificat; quæ ſe abſente à Schlickio circa pacem facta fuerint, perinde rata fore, ac ſi ipſe adfuiſſet. Idem & Schlickius literis declarabat: addito tamen; aliū ſtatim in Gallaſii locum ſurrogatum iri, ſi Banerius velit; in cujus arbitrio etiam repoſitum ſit, ſecretos, an publicos tractatus malit. Cui & denuo offerebat, privata ipſius fide tractatus ſuſcipiendos paci maturandæ, licet nondum diploma plenipotentiæ è Suecia allatum ſit. Apud ſe jam plenipotentiam Cæſaream, ſalvosque conductus, tum Cæſaream declarationē ad primaria capita adeſſe. Enimvero in exemplis ſalvi conductus, qui è formula Salvio probata expreſſus dicebatur, litigioſa vocabula *nondum reconciliati, & per Regnorum Legatos* adparebant, quæ tamen omiſſum iri Oſvvaldus promiſerat. Ut fidē faceret, eam formulā Salvio probari, addebatur exemplum epiſtolæ Salvii ad Reventlovium, & Regis Daniæ ad Cæſarem: omiſſis tamen Salvii ad Regem Daniæ literis die decimo quinto decembris ſcriptis. His accedebant excerpta literarum Hamburgo miſſarum; Banerii ſubdelegatum una cum Salvio diverſo à caſtris loco tractatus ſuſcepturum, ſi quidem arbitrium pacis revera penes Rectores Sueciæ eſſe debeat. Salvium quoque nolle ſe in manus Banerii apud exercitum committere, quantumvis amicum hic ſe ferat: (quæ ſibi in mentem veniſſe Salvius conſtanter

Cæſarei ulterius rem in ſpeciem urgeant. 18. Nov. 19. Dec.

1639. ſtanter negabat.) Videbatur quoq; Salvium Schlickius, uti antea Curtius faſtidire; jactans magis è dignitate Sueciæ fore, ſi pax per Banerium Senatoria dignatione præfulgentem concludatur. Denique & Cæſarea declaratio ſuper Suecorum ſatisfactione transmittebatur, ſuper qua quid Banerio videretur, noſſe cupiebat: Eodem tempore Danicus Legatus in caſtra Banerii venerat, qui inter alia confirmabat, à Cæſare denuo negotium pacis ſuo Regi commiſſum; ſimul quæ Banerii ſuper pace mens foret, & quid ipſe in mandatis haberet, exquirebat. Ita hinc Schlickio & Lauenburgicis, inde Daniæ Rege circa pacem ſatagentibus, Banerius fere quo ſe verteret neſciebat. Quæ tamen à Schlickio proponebantur in Sueciam ſe relaturum promittit, ac diploma plenipotentiæ, aliaque neceſſaria in horas à ſe expectari confirmat, prolixe de ſtudio in pacem teſtatus. Tractatus privata autoritate ſuſcipere abnuebat, hoſtis mentem quantum poſſet expiſcari contentus. Quin ipſe captioſum tractatum averſatus, ac bellicis negotiis plus ſatis diſtentus denuo à Rectoribus Sueciæ petebat, inſueto ſe onere ſublevarent.

Rectoribus Sueciæ tractatus iſti ſunt ſuſpecti.

§. 75. Enimvero quantumvis Cæſarei conſtanter teſtarentur, pacem ſerio à ſe affectari; Rectoribus tamen Sueciæ iſti tractatus plane erant ſuſpecti. Nam offerebant nunc Cæſarei ſalvos conductus eadem formula, ſuper qua per integrum fere annum Hamburgi litigatum fuerat: quam dum emendare detrectat Curtius, re infecta inde diſceſſerat. Quod ſi nunc eadem Cæſari mens ſuper iſtis diplomatibus conſtabat, incaſſum omnis tractatio ſumebatur. Sin iſtis correctis pacē ſerio volebat nullus Hamburgo propior locus, ubi à Suecia, Gallia, & Anglia Legari erant idoneis mandatis inſtructi. Cum contra Belloregardius Gallicus apud exercitum Banerii miniſter, tractatus attingere recuſaret, juſſus ad Avauxium iſtos rejicere. Augebat ſuſpicionem, quod qui circa pacem apud Cæſareos ſatagebant, in diverſa tenderent, & mutuo ſibi fidem demere niterentur. Nam Mithobius jactabat, Schlickii & Gallaſii mandata, ipſis ad alia munia admotis, expiraſſe. Hi contra contendebant, Lauenburgicis haut quidquam plenam tractandi facultatem conceſſam, ſed ut ſubſidiariam duntaxat operam negotio promovendo adhiberent. Sed & communicata Banerio literarum exempla, quibus ipſum cum Salvio committere hoſtes conabantur, diverſum plane effectum producebant, Banerio perſuaſo iſtas conflictas, & tantum pacis deſiderium eo fine jactatum ut ſe illuſum ab actionibus bellicis diverterent, quoad Hatzfeldius è Mithia, & Piccolomineus è Belgio adeſſet. Sed & Salvius circa eas literas ipſi ita ſatisfaciebat, ut facile perſpiceret, unde iſtæ promanaſſent, & quid per eaſdem hoſtis captaſſet. Hetlero locum aliquem è mandatis ſuis oſtenſum reprimendæ famæ, quæ de ſecretis Banerii tractatibus multa fœderatis Succorum ſuſpecta ferebat. Ac ipſe Hetlerus ſcripto fatebatur, cætera literis iſtis contenta non à Salvio, ſed à ſe aliisque profecta propriis è conjecturis, & ne pacis negotium à Principibus ſuis poſt impenſum tantum laboris in alios devolveretur: nec pauca per Cæſareos interpolata. Quo ipſo & Salvius apud Rectores Sueciæ ſe excuſabat; quibus ea res non parum cordi erat, miſſo Andrea Gyldenclovio Secretario, qui ſciſcitaretur, quare mandata ſua divulgaſſet, aut num forte penes ſe aliquem haberet, qui ſecreta ipſius proderet? moneretque ne deinceps ita familiariter cum Mithobio & Hetlero ageret. Qui & cautior hac admonitione factus iſtorum aucupiis deinceps facilem ſe haut præbebat.

Super inducias acta.

§. 76. Eodem anno Galli per Avauxium aliquoties, ſuper induciis movebant, quas diuturnas magis, quam pacem affectare videbantur, velut firmandæ poſſeſſioni eorum, quæ occupaverant inſervituras. Ferebant à Pontifice acriter iſtas urgeri, qui judicaret, communem tractatum; qui univerſam fere Europam tangeret, inter flagrantia undique arma tardius coire eoque paci inducias velut fundamentum ſubſterni utile videri. In eadem ſententia Regem eſſe; ſed Pontifici non prius reſpondere poſſe, quam ſuper iis cum Regina Sueciæ convenerit. Succi contra eaſdem rebus ſuis parum proficuas, Germaniæ Ordinibus exitioſas judicabant. Eoque Salvius circa iſtas feſtinato negabat opus, quoad de eventu tractatuum pacis conſtaret. Subinde tamē de iſtis ingerentem Avauxium, quadringenties mille uncialibus, quos Succi durantibus induciis à Gallis ſtipulari cupiebant, protelabat; cum Avauxi° ultra dimidiam ſummam annuere nollet. Poſt variam diſceptationem neutro concedente Avauxius demum jactabat; Regi non tam de induciis agi, quam ut certi quid habeat, quod Pontifici reſpondere queat; cui à Cæſare de illis admittendis ſpes videatur facta. Et rem eſſe non ſpernendam, ſi occupata loca per decennium obtineri, civeſque alieno imperio adſueſcere queant. Quod ſi tamen Suecis placeat in bello ad plenam uſque pacem perſiſtere, ſe quoque adquieſcere: ſed hoc caſu de prorogando fœdere, cujus tempus labatur mature agendum fore. Salvius uti ab induciis, modo conditiones æquæ ſint, ſe non abhorrere ferebat; ita fœderi prorogando ſatis adhuc temporis ſupereſſe; & Rectores Sueciæ propter peſtilentiam in præſens ſparſos, aut aliis negotiis diſtrictos. Idem Avauxius quoque Salvium tentabat ſuper neutralitate uni aut alteri ex Ordinibus Germaniæ concedenda; quam præcipue Ligæ adſcriptos Principes apud Regem Galliæ affectare fama erat, ad eandem indulgendam ſatis pronum. Sed Rectores Sueciæ id citra certiſſimam exercitus ſui perniciem fieri non poſſe judicabant, ſublatis aut attenuatis ſubſiſtendi mediis. Simul exitium Evangelicorum queri adparebat, omnibus belli oneribus in iſtos ſolos derivatis. Ergo rem illam omnib° modis declinare placebat.

De neutralitate Ligæ concedenda. 17. Maji.

§. 77. Propoſuerat quoque Salvius antehac, ut inſtaurandis per Weſtphaliam rebus Galliæ Rex ſubſidii quid conferret. Ad hoc Avauxius è Gallia id reſponſi obtinuerat: Regi cumprimis neceſſariū videri Landgraviam armaram detineri, ut in bello, quod formando Germaniæ ſtatui gerebatur, quidam ex Ordinibus arma Regnis ſocia haberent. Unde ſi ipſa in bello perſiſteret, ac Melandrum imperio copiarum dimoveret, ſatius videri, ea ſubſidia in ipſam conferri. Sed ſi illa ſeorſim cum Cæſare tranſegerit, Rex ad Suecorum res ibi firmandas centum quinquaginta millia uncialiū offerebat ea tamen lege, ut Weſtphalicus exercitus, ejusq; dux utriq; Regno jurejurando foret devinctus, bellumque ibi de conſilio miniſtrorum utriusque Regni adminiſtraretur. Tum ut imperium exercitus in Joſiam Ranzovium conferretur. Id quod Suecis parum ad palatum erat, tum propter alias rationes, tum quod Ranzovius Banerii juſſis ſubeſſe nollet; cum è re Sueciæ videretur, non niſi unum ſummum caput rei militaris per Germaniam exiſtere.

De Weſtphalia Gallorum propoſito.

§. 78. Sed & nonnihil querelarum eo anno inter utriusque Regni Legatos intercedebat, cum Salvio ſuper mora ſubſidiorum querenti Avauxius culpam in Legatum Hugonem Grotium conferret, velut qui cum Cardinale & primariis miniſtris parum communicaret; ac inprimis debitum Cardinali honorem, dum ad ipſum domi ſuæ inviſit, denegaret. Cæſareos quippe & Hiſpanicos Legatos etiam in Cardinalis domo dextræ manus honorem ipſi deferre tanquam ſacro munere præfulgentem. Idemque Leyceſtrius Comes Legatus

Querela Gallorum de Grotio.

1639. Anglicus ſemel fecerat. Sed poſt audito Grotium id recuſare, & ipſe idem detrectabat, declarans, ſi Grotius faceret, ejus ſe exemplum ſecuturum. Hoc ut in Sueciam Salvius referret, poſtulabat Avauxius, ut Grotius hoc honore Cardinali delato ſtudia ejus erga res Suecicas provocaret. Contra Salvius oſtendere; abſurdum eſſe, Regem qui alteri Regi non concedat, ejus miniſtro cedere; neque Eccleſiæ Romanæ munia in Suecia æſtimari, & Rectores Suecici Grotium Leycestrii exemplum ſequi juſſerant. Eo nomine non parum invisus erat aulæ Gallicæ Grotius; quem ut ſuſpectum Suecis Galli redderent, ſpargebant ipſum Regis Angliæ miniſteria affectare. Ac rogabat Chavignius iſtum virum è Gallia evocari, qui deterrima quæque de iſta paſſim divulgaret. Nec minus tamen ſequentis anni initio idem juſſu Regis Grotio denuntiabat; Regem, & Cardinalem magni ipſum facere, & cum eodem acturos amice & candide. Si quid antea ei adverſum ſit factum, cauſam à Patre Joſepho fuiſſe. Videre Cardinalem, iniquis ipſum criminationibus vexatum. Reponebat Grotius, ſcire ſe omnia illa, quæ adverſus ſe fierent, à Batavis proficiſci, qui cum ſemel ipſum tam inique læſerint, tanto atrocius deinceps odiſſe. Nec ideo tamen Galli ſinceri in Grotium affectus fidem conſequebantur, quem alia via apud Suecos ſubverſum ibant, de ſubſidiis extoluto eidem ſalarii reſiduo, ut cum Camera Rationum in Suecia ipſum committerent. Nec minus ut ob crebras colliſiones tædium ſui apud Suecos exercitaret, Franciæ Cancellarius, cum iſte ipſum inviſeret, hunc infra ſe collocare inſtituebat; Grotio tamen ſellam ſtatim in ſuperiorem locum transferente.

De oneribus Catholicorum.

§. 79. Conqueſtus etiam fuerat Avauxius per literas apud Banerium, quod ipſo Præſulatum Halberſtadienſem tranſeunte Canonici & Monachi male habiti eſſent, velut fœderi iſthoc repugnaret. Banerius id factum negabat; nec Canonicos Catholicos ultra ratam partem impoſiti tributi contuliſſe. Addito, ſi ipſe in Cæſaris ditiones penetraret, ex fœdere Gallico Catholicis immunitatem à tributis & hoſpitiis abſurde poſtulatum iri. Nec tam dives ſibi ærarium eſſe, ut menſtruis ſtipendiis militem alere citra provincialiũ impenſas queat. Idem Avauxius apud Salvium querelas movebat, cives Catholicos in præſulatu Mindenſi & Osnabrugenſi tributis & hoſpitationibus gravius quam Proteſtantes premi; id quod corrigi, & utrosq; æqualiter haberi poſtulabat; velut & hoc ex fœdere deberetur. Salvius falſo Catholicos iſtos queri demonſtrabat, & ea occaſione exprobrabat, cur iſthoc in capite ad unguem omnia exigerent Galli, cum circa alia nonnulla ſat incurioſos ſe gererent? Et ſane longe majoris momenti videbatur, quod Galli cum Hiſpanis in Pedemontio inducias, ad modicum licet tempus pepigiſſent: idque Gallorum æmuli non parum exaggerabant, Regis Galliæ conſenſu eas initas. Milleræo quoque per Belgium armorum quietem imperatam. Inducias illas de menſe in menſem prorogandas; interim de pace tranſigendum, Regem ipſum Lugdunum ire, verbo, ut cum ſorore ſua, Sabaudiæ Vidua colloquatur; revera ut iſtis tractatibus propior ſit. Unde Legatus Anglicus Rovvius ſuadebat, ut Sueci ocyus Dano mediatore ad pacem properarent. Mithobius quoque harum induciarum exemplo oſtendere nitebatur, quid Suecis à Gallia expectandum foret, confirmans; ejusmodi conditiones Gallis per Hiſpanos oblatas, ut ſi Galli velint, momento pax fieri poſſit. Quo facto ſcabiem extremum occupaturam. Quin communem opinionem invaluiſſe, fore ut Sueci demum à Gallis deſtituantur. Aſt Avauxius in Danos, velut qui iſtos ſcrupulos Suecis injeciſſent, ſtomachatus ſubdolam ipſorum circa pacem operam ut caverent monebat, timerentque Danos vel dona ferentes. Inducias inde excuſabat neceſſitate initas, quo caſtello Turinenſi proſpiciendo ſpatium foret: ac recentibus copiis in Italiam ſubmiſſis bellum ſumma vi inſtaurandum. Et quia Galli octo cum exercitibus rem gerant, parum eſſe, ſi uno in loco arma paululum quieſcant. Præſertim cum bellum Italicum ad fœdus ipſorum nihil ſpecter, quo ſalvo etiam pax cum Hiſpanis concludi queat. Ne Sueci aliter de Gallis crederent, quam ipſi de ſe credi velint. Regem Galliæ uti dignatione cæteros Principes ſupereminet; ita & primum ſibi fidei ac magnanimitatis locum vindicare. Addebat, Cæſarem mediante Pontifice tales conditiones ſeparata pace offerre, quæ communi pace obtineri vix queant. Sed à Rege iſtas reſpui. Ni magis ſecuritas Europæ, & cumprimis Galliæ cordi foret, quam emolumenta, quæ peculiari pace Auſtriaci oſtentant, ſatius fuiſſe, bellum nunquam moviſſe. Equidem commoda ejusmodi pacis longe ſuperari à ſumtibus in bellum factis: longe majores tamen impendendos potius, quam in veterem cumq; in tutum ſtatum Gallia relabatur. Chavignii tamen literæ, 8. Nov. per quas Suecis ſuſpicionem ſeparati tractatus eximere nitebatur, de optimis illis conditionibus, quas Avauxius jactaverat, diverſa plane referebant; ac Pontificem non niſi communi verborum formula ad pacem hortatum. Petierat denique iſto anno decem naves bellicas, pluresve à Suecis commodato Galliæ Rex, aut ſi hoc nollent, ut ſibi venderentur, pretii ſolutione poſt finitum bellum dilata. Qua ſuper re Richelius ipſe ad Oxenſtiernam ſcribebat. 17. Jul. Ac ſerio rem in Suecia urgebat Rorteus, jactans; Gallis in animo eſſe Hiſpanos mari aggredi, ac impedire, ne hi Cæſari auxilium ſubmittere poſſint, omni inter ipſos communicatione abrupta. Aſt Suecis nullo modo claſſem, alterum Regni ſui præſidium, imminuere placebat, ſuſpecto præſertim Dano; eoque petitum iſtud modeſta oratione eludebant.

Galli naves à Suecis petunt.

§. 80. Circa initium anni Ragozii Legatus Biſterfeldius Hamburgum reverſus domum ſe revocatum ferebat, quod Ragozius vellet à fœderatis Regibus junctim aut ſigillatim Legatos in Tranſylvaniam mitti, tum pecunias Conſtantinopolim trajici; ac imprimis Portæ conſenſum ad bellum obtineri: minatus, niſi intra Calendas Aprilis iſti legati adeſſent, Ragozium cum Cæſare tranſacturum. Proponebantur quoque Salvio quædam capita, commodum Ragozii ſpectantia: Portæ perſuadeatur, ut in bellum adverſus Cæſarem conſentiat; Ragozium ubi opus ſit adverſus Cæſarem, Polonum, alios recipiat, ac ditione fortaſſe pulſum armis reſtituat: tum unum è filiis Ragozii ab Ordinibus Tranſylvaniæ electum in principatu confirmet. Addebatur, ut certam pecuniam annuam Ragozio, ejusque uxori, & liberis fœderati Reges pendant, ſi is Tranſylvania expellatur: tum ſubſidia annua perſolvant, & ſex millia exterorum peditum ſua pecunia conſcribant, alantque. Quanquam autem Salvius hinc negotio parum ſolidi ſubeſſe judicaret; tamen una cum Avauxio conſultum judicabat, quo Ragozius ſaltem ad tempus à tractatu cum Cæſare dimoveretur, de mittendis in Tranſylvaniam Legatis ſpem facere. Ac de conſenſu Portæ Avauxius facile impetraturum ſe dicebat, ut tamen ſcripto ſe ad id nollet obligare vitandæ invidiæ ſedis Romanæ, & ob odium ejus negotii: eſſe quippe hæc ex illis, quæ oporteat facere, non dicere; (ea erant ipſius verba.) Ita tunc Biſterfeldius per Galliam, Italiam, & Dalmatiam domum rediit. Ea de miſſione Ragozius poſtea per literas Salvium monebat; par eſſe

Acta cum Ragozio. 20. Jan.

Biſogna farlo, non dirlo. 14. Febr.

apud

De indociis Gallorum cum Hiſpanis.

1639. apud se potissimum de fœdere agi, quod fœderati Reges jam bello impliciti sint, se contra altissima pace fruente, ac deinceps quoque si velit fruituro. Ad quam missionem Galli pronos se declarabant, modo & Suecis eadem probaretur. Mense Augusto missus à Ragozio nuntius Gedani aderat, fœderatorum Regum Legatos ibi excepturus, & per Poloniam deducturus. Cui adventum suum significanti Salvius spem fecit de Legato brevi è Suecia mittendo. Sed mox tædio moræ commotior ille jactabat domum se revocatum, quod Legatus à Cæsare adesset, plenam Ragozio satisfactionem offerens. Idem & Ragozius Avaugurio Gallico apud Polonos ministro literis denuntiat: si amicitia ipsius opus non habeant Reges, ne manibus verbis diutius se detineant, quo rebus suis mature prospicere possit. Se nulla necessitate in arma trahi, ac nemini obnoxium, cujus jussu bellum sibi sumendum sit: sed quæ agitet, ex benevolentia proficisci, cujus si ratio non habeatur, vitio sibi non vertendum, si etiam cum aliorum detrimento suas res in tuto collocet. Avauxius ista hæc non serio dici censebat, sed tantum maturandæ Regum declarationi. Nihilominus monebat Salvium, ut ea legatio promoveretur. Et quia Succos judicabat præcipue circa subsidia Ragozio solvenda hærere, proponebat, Hollandos quoque ratam conferre partem æquum esse; super qua re Legatus Gallicus Hagæ cum Hollandis acturus sit. Ita Gallis dimidium solventibus quartam duntaxat partem Suecis incumbere, ad quam Hollandica subsidia impendere queant. Quod si Hollandi ob neutralitatem cum Cæsare pecuniam Ragozio aperte conferre abnuant, obliqua via id facere posse, tanto majora subsidia Suecis exsolvendo. Etsi Ragozii fœdus Gallis revera parum cordi foret, ne Protestantium partibus nimis invalescentibus periculum forte Romanis sacris crearetur: Aderat paulo post iste nuntius Hamburgi, nil præter argentum ingeminans. Ubi suadebat Avauxius millionem ad Ragozium non omittendam, saltem ut ejusdem cum Cæsare tractatus impedirentur. De quo etiam Bisterfeldius per literas Salvium monebat, à Cæsare per Palatinum Hungariæ Esterhasium omnia liberaliter offerri. Sed quia millio lente procedebat, nuntius iste Hamburgo iterum dimittitur, ac Salvius Bitterfeldium literis rogat; Ragozium ad constantiam hortetur, studiumq; ejus in partes alat, quoad ab utroque Regno Legati in Transylvania adfuerint.

Irruptio Hermanni Bothii.

§. 81. Idem annus novas repente turbas è Polonia minitari videbatur, Hermanni Bothii in Livoniam irruptione. Is animo turbidus, projectæ audaciæ, ac fœdis moribus præterita hieme ac vere per Borussiam & Memelensem districtum nomine Cæsaris militem collegerat, velut in Germaniam deducendum. Sed mox per Samogitiam
23. Jan. & Lithuaniam Radziviliam se confert, unde quinquaginta equites apud prædium à Virginibus dictum octavo à Riga milliari trans Dunam fluvium immittit, qui cæso prædii præfecto id diripiunt, ac cum præda cis Dunam regrediuntur.
30. Jan. Paucos post dies totum agmen eodem deducit Bothius, ac prædium istud munitionibus raptim excitatis firmare instituit. Tum triginta equites Creuzbergam, quadraginta per Cackenhusanum districtum populabundos dimittit, terroremque late dat, provincialibus passim diffugientibus. Spargebat idem, quatuor millia Cæsaris se nomine conducturum, quibus tria millia à pulsis Livonia nobilibus accessuri sint. Præses Rigæ Andreas Erici eo tumultu audito nuntiis Narvam ac Revaliam dimissis provinciales equites confestim excitat. Tum per exploratores cognoscit, hostem nongenta capita non excedere, male digestam colluviem. His ne spatium relinque- 1639.
retur in limite se firmandi, trecentos pedites 1. Jul.
cum centum triginta delultoribus, ac triginta equites, simul duas minores machinas eo mittit, excursionibus hostium prohibendis, & si res ferat incompositis adoriendis. Quibus & res 4. Jul.
feliciter succedit, expugnato evertoque munimento utroque. Octoginta quinque hostium in ipso loco cæduntur, magna pars in Dunam compulsa aquis absorbetur: reliqui fuga salutem quærunt; inter quos ipse Bothius, quem alias patibulum manebat, quod ob patrata scelera in Suecia carceri inclusus, post quia contemnebatur dimissus scripto caverat, nil hostile se adversus Sueciam consilio, aut facto tentaturum. Ita momento tumultus ille deflagrabat. De quo cum in Sueciam nuntiatum foret, Rectores Regni præfecto Rigæ statim scribunt; adversus Polonos humaniter se gereret, ac si injuriam isti inferant, expulisse contentus ultra limites suæ provinciæ eosdem ne persequatur. Tum ut querelam ad Ducem Curlandiæ deferat, ac ut malo huic medeatur postulet, nulla tamen in Rempublicam Polonicam exprobratione, velut ea consilia hæc patrarentur. Et quanquam Poloni non credebantur publico consilio quid ad hanc irruptionem contulisse; metus tamen erat, ne ubi primi conatus successissent, eidem se negotio immiscerent. Unde & Banerio mandata mittuntur, ubi Poloni in partes descenderint, statim totam belli colluviem in Poloniam effunderet, eoque armorum sedem transferret. Quia Senatus Suecia ad Senatum Poloniæ eo nomine scribit. 26. Sept.
porro non consultum videbatur nomine Reginæ ad Poloniæ Regem scribere, Senatus Suciæ ad Poloniæ Senatum literas dat; quibus nulla in Polonos culpa collata, & citra magnificas verborum ampullas ac minas, adversus Electorem Brandeburgicum tanquam Borussiæ Ducem querelæ moventur, petiturque, Senatus operam det, ut illi conatus reprimantur, Regnoque Suecia satisfiat, ne sibi necessitas imponatur securitati suæ per se prospicere, & allatam injuriam ulciscì. Adjungebantur privatim literæ à Jacobo Gardio & Oxenstierna ad Radzivilium, aliosque sibi notos Poloniæ proceres. Simul Gabriel Gyldenarcker ad instantia tunc Comitia in Poloniam mittitur. Enimvero culpam ejus irruptionis Poloni culpam à se amoliuntur.
tam Poloni quam Elector à se amoliebantur; cui tamen, si fortuna adfuisset, autores defuturi non erant. Nam ea quæ præcesserant inter Regem Poloniæ & Electorem Grodnoæ in Lithuania colloquia, quo spectarent etiam ante illum eventum nemo dubitabat. Senatores Poloniæ responso 19. Dec.
suo negabant eam irruptionem à se aut Rege profectam, testabanturque eandem sibi displicere, ac se statim illa audita de remedio cogitasse, jusso Radzivilio, ut illam catervam dissiparet; Brandeburgicum quoque se autorem abnuere; quem se monituros promittebant, ne tale quid in posterum tentet, aut permittat. Ac ut Suecorum querelam velut objecta compensatione abolerent, vicissim postulabant, ne Sueci militi suo permitterent, Polonis ad confinia Marchiæ & Silesiæ damna molestiasque inferre. Quin & sequenti anno ipse Poloniæ Rex ad Stalhantschium literas dabat, ut suos milites coërceret, multa de excursionibus & rapinis eorundem questus. Iis literis omnes formulas adhibuerat, quibus Reges, dum ad suos cives scribunt, uti solent.

§. 82. Daniæ Senatus ad Suecia Senatum Dani re-
mense Aprili literas dederat, quibus significabat, gigal ad Warnemundam tolli vo-
Regem querelis civium suorum de insolitis ad lunt.
Warnemundam oneribus motum decrevisse, istis omni navigatione in Meclenburgicam &

1639. Pomeraniam interdicere: id edictum ut ſuſpenderetur ſe petiiſſe quoad cum Senatu Sueciæ communicaſſent. Eoque poſtulabant, id vectigal aboleri, Danicosque cives à miniſtris Suecicis humaniter haberi. Quondam Roſtochienſibus haut licuiſſe à Danicis civibus iſtum portorium exigere; nec Suecis plus juris poſſe competere, quam ipſi indigenæ habuerint. Nec Roſtochium Sueciæ imperio ſubeſſe, aut hanc in iſtud juris quid obtendere; aut ſi quod ſit, iniquum tamen eſſe, onus aliquod Regis ſubditis, quos id bellum non ſpectat, imponere. Idem & ipſe Rex à Stromfeldio poſtulaverat, præter ſolitum blandus; quod Ordines ſuaſiſſe dicerentur, ne Suecos temere irritaret. Ad hæc Sueci paulo ſerius, Senatu ob peſtilentiam diſperſo reſpondent: Ex fœdere cum Meclenburgicis Ducibus inito portorium illud inſtitutum, & à quo tempore Guſtavus Rex hoſtem ea provincia expulerit exactum. Quid indigenis juris competat definiendum differri, quoad omnia in priorem ſtatum reponantur. A ſe Sueciæ jura non latius extendi, quam quo æquitas & ratio ſuadeat. Roſtochium per Suecos à Cæſareis liberatum, eoque beneficio ſimul fœdere Meclenburgico ſibi obſtrictum. Ad portorium exigendum iniquitate ſe temporum adigi, & Daniæ ipſius interfuiſſe, nidulantes ad Mare Balticum Cæſareos expelli, Suecicosque iſtis non ſuccumbere. Quosvis Principes, ipſumque Daniæ Regem ſimili caſu idem ſibi jus vindicare etſi cum aliorum onere conjunctum. Igitur excuſatos ſe petebant haberi, ſi à fœdere Meclenburgico ejusque contectaris non diſcederent; ſperare ſe, ipſos apud Regem rem hanc dextre interpretaturos, & quæ offenſam parere apta ſunt prohibituros. Se quoque ſuis injuncturos, ne quid admittatur amicitiæ inter vicina Regna minus congruum. Quia autem verebantur, ne forte Dani cum Roſtochienſibus aliquid in caſtellum illud tentarent, præfecto iſtius Arnoldo Levizovio ſubtribuno injungitur, ut in id neminem niſi Sueciæ fide devinctum admittat.

Sueci reſpondent, 30. Aug.

Dani Suecos in freto Oreſundico vexare pergunt.

§. 83. Cæterum vexationes in freto Oreſundico adversus Suecicos cives continuabantur. Inter alia magnus tuborum longorum numerus manu injecta detinebatur, etſi miniſter Suecicus Stromfeldius cavere vellet, in Hollandiam, non in Scotiam illos transvehendos. Nam Anglicus Legatus Rovvius cum Rege egerat, ne arma in Scotiam vehi pateretur. Addebat Rex hoc ſtatu Europæ non tutum eſſe ejuſmodi rebus tranſitum concedere. Et cum Stromfeldius reponeret; ergo Rex ipſe emeret; hoc quoque abnuebat, nec minus merces illas detinebat. Poſtulabat quoque Danus, cum eo tempore machinæ bellicæ è ferro fuſili magno numero in Suecia confici cœpiſſent, ut ſuper earum per fretum transvectione conſenſus ipſius ſemper requireretur; quod veteribus inter ea Regna pactis conventum eſſet, ut ſi Sueci copiarum quid, aut adparatus bellici per fretum trajecturi eſſent, veniam prius Daniæ Regem poſcerent. Quod uti ſecuritatis ſuæ cauſæ Dani ſtipulati fuerant; ita Sueci illud huc porrigi iniquum judicabant, cum futiles iſti tubi, nondum ad belli uſus plene adaptati non armorum, ſed mercium loco habendi forent. Cum Dani contra utique Regem ob iſta rogari vellent, penes quem ſit circa talia ex gratia concedere quantum velit. Iſtis porro moleſtiis ut medicina fieret, Stromfeldius apud Senatum Danum modeſtis verbis agere juſſus erat. Qui tamen reſpontum eludebat, nunc infrequentiam Senatorum excuſando; nunc jactando iſta ad ſupremum Regis imperium, reditusque ſpectare, in quæ ipſis abſque conſenſu Regis nihil liceat. Quo nomine & poſt à Senatu Sueciæ ad Daniæ Senatum ſcribebatur. Quid alias animi Danis in Suecos tunc foret, præter alia inde conjicere licebat, quod cum rumor ortus eſſet, à claſſe Suecica Pillaviam occupatam, Dani ſtatim magno ſtudio claſſem ſuam armare inciperent, naveſque omnes in freto ſiſterent, velut mox arma Suecis illaturi. Qui tamen rumor cum falſus inveniretur, confeſtim adparatus iſte interquievit. Sic & cum Rex de victoria Hollandorum adverſus claſſem Hiſpanicam audiiſſet, diu ſilentio defixus ſedebat; non obſcuro indicio, ſua deſtinata turbata fuiſſe. De Banerio quoque quem acerrime oderat, ſolitis ſibi facetiis pronuntiabat: Suecicum caprum in Cæſarea circa Pragam viridaria irrupiſſe; mirum fore, ni alpere ſit inde expellendus. Non parum quoq; Suecos offendebant Secreta Reginæ matris cum Dano commercia ſuper matrimonio Reginæ filiæ, & Friderici Bremenſis Archiepiſcopi, non tam ex prava ipſius Reginæ intentione, quam inſtinctu malignorum miniſtrorum profecta. Quæ & querimonias ſuas in aurem Dani deponere ſuevérat, velut in Suecia duriter nimis haberetur. Denique & multa indicia erumpebant, ex quibus non aliter colligi poterat, quam fœdus Dano cum Hiſpanis & Anglis adverſus Suecos intercedere.

1639. Danorum in Suecos inclinatio. 4. Octob.

§. 84. Quia porro Daniæ Rex Hollandos quoque in freto Oreſundico aſperrime tractabat, ipſorum Legatis contemtim habitis, jam ultro femina arctioris fœderis Suecos inter & hoſce pullulabant. Nam & metuebant Sueci, ne orto cum Danis bello Anglus in horum partes deſcenderet; & hoc fœdere mollienda ſperabatur invidia, quæ Hollandos ob Sueciæ incrementa adurebat. Æque porro iſtorum atque Suecorum intererat, ne Danus pro lubitu cæterarum nationum commercia in freto Oreſundico premeret. Ac bello exorto Hollandi portum Gotheburgenſem Suecis apertum præſtare, Danosque in Oceano diſtrahere poterant. Et jam velut captandæ benevolentiæ ſex menſium ſubſidia in hunc annum iſti promiſerant, mentione quoque fœderis apud Camerarium, & Spiringium ultro injecta. Igitur conſultum judicabant Rectores Sueciæ expectare quoad Hollandi priores ſuper fœdere proponerent. Camerario tamen in mandatis daret, ut laxioribus verbis Suecorum in fœdus propenſionem declaret; interim quid ipſi potiſſimum ſpectent, expiſceretur. Id tamen Suecos non parum mordebat, quod cum eodem tempore Generales Belgii fœderati Ordines edictum condidiſſent, quo honoris ſigna, verborumq; formulas ab aliis Regibus adverſus ſe adhibendas definirent, Regnum Sueciæ cæteris poſtpoſuiſſent eo ipſo tempore, quo arctiorem cum hoc conjunctionem affectabant; cum tamen ipſi à Suecis majore honore, quam ab aliis habiti fuiſſent. Unde Camerario injunctum, aliquandiu à congreſſibus publicis ſe abſtinere, aut ſi neceſſitas urgeret, veteri ritu agere, & mandati defectum excuſare, quoad adpareret, quid alii Reges facturi ſint. Abſurdum quoque videbatur, quod iſto decreto Poloniæ Regi titulum Sueciæ tribuerent, cum illud ipſis Belgis præjudicio foret. Nam hactenus ſubinde eædem rationes, ob quas Sueci Sigiſmundo ejusque poſteris imperium abrogaverant, ab iſtis adverſus Hiſpanos adhibitæ fuerant. Nec minus ridiculum erat, quod Hollandi ferre nollent, Reges exordio literarum ſuum nomen iſtis præponere eo obtentu, quod Galli & Angli alia ſcribendi formula utantur: cum tamen adverſus ipſum Cæſarem aliosque Reges non alia formula adhiberetur.

Hollandi fœdus arctius cum Suecis affectant.

§. 85. Denique & hoc anno Hollatiæ Dux miniſtrum in Sueciam miſerat, qui quondam conventa ſuper tranſitu mercium Perſicarum refingeret, centeſimam partem aut ſeptuageſimam quintam vecti-

Commercia Perſica Holſatorum expiscantur.

1639. vectigalis nomine offerens. Id quod facile annuissent Sueci, modo commercia illa successum habuissent. Enimvero periti rerum ferebant, si cum Russis res dextre tractata fuisset, decem millibus uncialium pro licentia transeundi decidi potuisse. Ast nunc Holsatici Legati sexcenties mille unciales annuos obtulerant, immensam summam, & ipsa sorte longe superiorem. Ac insuper Rutli omnes merces exceperant, quas ipsi è Persida exportare solent; ut Holsatis vix quidquam præter aromatum commercium relinqueretur. Sed & Persarum Rex licentiam commercii, ac itineris terrestris in Indiam annuerat quidem, sed tamen ut misso in Holsatiam Legato explorare prius vellet, num in promtu ibi essent opes tantis cœptis pares pro re nata abnuiturus pacta, aut firmaturus. Eum Legatum Sueci nave sua Revalia in Holsatiam trajicere nolebant, ne forte à Dano ignominia aliqua ipsi inferretur. Sed suadebant, ut potius terrestri itinere Gedanum proficisceretur. Accedebat Russorum importunitas, qui in hunc annum sexcenties mille unciales Holsatos poscebant, velut Persarum Rex jam plene commerciorum libertatem annuisset, cum pacto nondum ratihabitio accessisset: ac Dux eo se teneri negaret ob Bruggemanni malam fidem, qui mandata sua excessisset; quo nomine & capite pœnas luit. Universo huic negotio prudentiores jam ab initio exitum parum prosperum augurati fuerant, quod per tot Principum terras merces transituræ essent inter se infensorum aut æmulorum, quorum uno à pactis discedente tota negotiatio sistebatur. Aliqui ex missionibus, quæ à Duce tunc Bruxellas fiebant, nescio quæ cum Hispanis miscerí suspicabantur. Circa Bruggemannum credebatur, ipsum Principis sui negotia non nisi obiter egisse: cæterum Persarum Regem ingenti pecuniæ summa emunctum iisse, obtentu militiæ Persicæ ad formam Germanicæ instituendæ; in cujus negotii partem etiam Cæsar & Polonus venerit. Sed verum negotii secretum supra exposuimus. 1639.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER DUODECIMUS.

EPITOME.

1. Conditio armorum Suecicorum. 2. Cæsarei in expeditionem procedunt. Banerius se movet. Kanigsmarckius Saxones multat. 3. Cæsarei Suecis complura loca per Bohemiam eripiunt. Banerius in hostem tendit. Ejus consilia. 4. Is Danubium versus cogitat. Sed mutato consilio in Misniam concedit. Croatæ vapulant. Cæsarei Suecos frustra insequuntur. 5. Kœnigsmarckius Saxones profligat. Banerius conjunctionem quærit Vinariensium, Hassiacorum, & Luneburgicorum; Cæsare contranitente. 6. Suecorum ala sinistra vapulat. Banerius auxilia solicitat. Landgraviæ postulata. Banerii declaratio. Vinarienses & Hassi conjunctionem decernunt. 7. Cæsar Luneburgicos Duces solicitat. Horum responsio. Luneburgici Cæsari non fidunt. 8. Duces consilii sui rationes publice exponunt. Luneburgicorum postulata. Banerii declaratio. Fit conjunctio. 9. Hostis apud Salfeldam considet; Chemniciam recuperat, & Tetschenam. 10. Banerius cum sociis itidem ad Salfeldam considet. Cæsarei Hassicos & Luneburgicos nolunt ut justos hostes tractare. 11. Cæsareorum ad Salfeldam difficultates, uti & Fœderatorum. 12. Fœderati Salfelda movent. Hassi discedere cupiunt. 13. Cæsarei Banerium antevertunt. Fœderati in Hassiam tendunt. 14. Semina discordiæ inter Fœderatos. Controversia super directorio belli. Melander à Landgravia dimittitur. Clitzingius fit suspectus. 15. Banerius Fœderatos auxilium poscit. Hi abnuunt. Landgraviæ, & Luneburgicorum postulata. 16. Banerius his diffidit. Ejus responsum. Luneburgici in separatum exercitum inclinant. 17. Banerius denuo Duces Georgii auxilia postulat. Ducis Georgii responsum. 18. Misera conditio exercitus Suecici. Banerius discessum in Silesiam simulat. Landgravia & Luneburgici Banerium retinere cupiunt. 19. Hostis Fritzlariam tendit: Banerius cum Landgravia Cassellis colloquitur. Luneburgici & Hassi consilium Banerii exquirunt. Banerius cum Georgio Duce colloquitur. 20. Fœderati Fritzlariam tendunt. De monte ad Fritzlariam certatur. Fœderati Wildungæ considunt. Longuevillius Dux ab exercitu discedit. 21. Disidia in Fœderatorum exercitu. Banerius Fœderatos habet suspectos. Hostis copiæ augentur. Hostis Fritzlaria movet. Ejus destinata. 22. Banerius itidem castra movet. Hostis Huxteram expugnat: Visurgim non potest transire. Banerius hosti obsistit. 23. Banerius per Luneburgicam ditionem hospitia capit. Hostis Huxteram deserit. 24. Banerius Luneburgica ditione exire

Digitized by Google

cupit. Hildesiæ de bello deliberatur. Convivium Hildesianum. 25. *Hostis in Hassiam regreditur. Rosa strenue rem gerit. Idem Bredavium profligat.* 26. *Banerius ex agro Luneburgico movet.* 27. *Guelferbytani includuntur. Hassici rem bene gerunt.* 28. *Heldrunga arx à Suecis capitur. Banerii destinata sub finem anni.* 29. *Gesta per Silesiam. Cæsarei Hermstadium occupant; Sueci Wolaviam. Cæsarei Jauram capiunt & Strigaviam.* 30. *Cæsarei vapulant.* 31. *Iidem Hirschbergam obsident.* 32. *Brandeburgici Francofurtum frustra tentant.* 33. *Cæsarei Hirschbergam tentant. Stalhantschium modica auxilia è Pomerania accipit.* 34. *Idem Hirschbergæ subvenit. Utrinque in hiberna conceditur.* 35. *Per ulteriorem Pomeraniam gesta.* 36. *Axelius Lillius Havelbergam occupat. Cæsarei Neuhausam non sine suo damno tentant.* 37. *Mutatio rerum per mortem Electoris Brandeburgici.* 38. *Sueci Pomeraniæ regimen instaurant; quod Selecti Ordinum probare tergiversantur. Novus Elector Brandeburgicus Pomeranos sollicitat.* 39. *Acta ad Rhenum. Vinarienses per Wetteraviam & Hassiam hiberna capiunt. Hispani Alzeiam capiunt. Legio Vinariensium deletur. Verdugi inanis conatus.* 40. *Hispanorum circa recuperandum Brisacum irritus labor.* 41. *Galli Brisacum sibi plane vindicant. Cæsarei Hohentwilam vapulant.* 42. *Sueci Saxoniæ Inferioris neutralitatem abnuunt. Machinationes Arnheimii & Bothii.* 43. *Luneburgici Duces fœdus cum Suecia ambiunt. Rectorum Suecia super isto fœdere judicium.* 44. *Tractatus cum Legatis Luneburgicis super fœdere. Luneburgicorum intentio. Suecorum scopus;* 45. *Disceptatio super oppidorum cessione. Luneburgicorum rationes. Salvii responsio.* 46. *Salvius tractatum concludit.* 47. *Luneburgici ratihabitionem urgent, quam Sueci differunt.* 48. *Temperamentum proponitur.* 49. *Cum Hassis acta. Salvius de Landgravia queritur. Vultejus eam excusat.* 50. *Landgravia socias belli quærit, Luneburgicos, & Gallos. Nec tamen pacem adspernari videtur. Tractatus cum Suecis extrahitur.* 51. *Tractatus circa fœdus commune evanescit. Rouvii de armis Anglorum ratiocinium. Rouvius in Angliam revocatur.* 52. *Elector Palatinus in Gallia iterum dimittitur.* 53. *Negotiatio circa prorogationem fœderis Gallici. Sueci fœderis leges declarare cupiunt.* 54. *Salvius postulata sua oblique insinuat. Galli correctionem fœderis abnuunt.* 55. *De induciis à Gallis proponitur. Tractatus Colmariensis ab iisdem excusatur. Rorteus paria apud Rectores Suecia proponit.* 56. *Suecorum postulata. Avauxii ad ista declaratio. De mutandis tractatuum locis.* 57. *Disceptatio super instrumento fœderis. Modus tractandi ab Avauxio adhibetur.* 58. *Disceptatio super bello in Austriam transferendo; Super induciis cum Hispano;* 59. *Super augmento subsidiorum; super Vinariensi exercitu.* 60. *Nova Gallorum postulata de termino fœderis; de loco tractatuum; de induciis universalibus; de sacris Catholicis.* 61. *Artes Avauxii destinata sua obtinendi.* 62. *Galli prorogationem fœderis in Suecia urgent,* 63. *Consultatio Rectorum Suecia. Rationes contra.* 64. *Rationes pro fœdere.* 65. *Rorteo respondetur. Regis Galliæ declaratio. Negotiatio circa fœdus paulisper differtur.* 66. *Negotiatio cum Ragozio.* 67. *Tractatus secretus cum Banerio expirat.* 68. *Lauenburgicorum inanis circa pacem opera.* 69. *Ernesti Ducis Saxoniæ circa pacem conatus, ut & Waldeccæ Comitis.* 70. *Rectores Suecia secretos tractatus rejiciunt.* 71. *An Cæsar pacem velit, dubitatur.* 72. *Galli cupidinem pacis præ se ferunt.* 73. *Luzovius à Cæsare Hamburgum mittitur. Ejus propositio. Salvii responsio.* 74. *Rectores Suecia Petro Wibio respondent.* 75. *Danus circa pacem languide rem gerit.* 76. *Luzovii cum Salvio colloquium.* 77. *Cæsar diplomata ex mente Coronarum format.* 78. *Luzovius secretos tractatus urget. Ejus super satisfactione Suecia sententia.* 79. *Salvius circa Luzovii intentionem dubitat. Salvius Luzovio colloquitur.* 80. *Conventus Noribergensis acta. Luneburgicorum monita. Daniæ Regis consilium. Gallicus minister Norimbergæ expellitur. Meclenburgicus de Suecis ad Comitia vocandis agit. Electores Luneburgicos, & Hassos demulcent. Comitia Ratisponam indicuntur.* 81. *Ibi facta propositio. De invitandis Coronis deliberatio. Diplomata conceduntur. Cæsar bellum magis quam pacem agitat. Super Amnestia consultatur. Palatina causa ad peculiares tractatus seponitur.* 82. *De hospitationibus & contributionibus.* 83. *Fœderis inter Sueciam & Hollandiam causa.* 84. *Consultatio super fœdere cum Hollandis. Rationes contra.* 85. *Rationes pro fœdere.* 86. *Legati Hollandici non nisi oblique fœdus insinuant.* 87. *Disceptationes circa formandum fœdus. Summa fœderis.* 88. *Disceptatio circa ceremonias.* 89. *Consultatio super titulis.* 90. *Legatio Scotorum in Sueciam.* 91. *Danica.* 92. *Reginæ Mater è Suecia profugit.*

1640. Conditio armorum Suecicorum.

QUæ hactenus multum prævaluisse visa fuerant Suecorum arma; sub initium hujus anni vergere rursus cœperant. Banerius quippe Bohemiæ pro lubitu insultans Cæsareos copiâ pugnæ facientes non modicis cladibus affecerat, quos & intra Pragæ mœnia inclusos fames ac pestilentia non parum attriverant. Progressus tamen spe minores fuere, quod qui magnas partib⁹ vires addituri putabantur Bohemici exules, aut quibus sacris suis interdictum erat, tum Protestantes Silesiæ Ordines, diffidentia præsentium, metuque commovere se haut quidquam auderent. 1640. Regio, quam hactenus insederant Sueci, sustentando utcunq; exercitui, non augendo sufficerat, nec incrementi multũ ceperat. Cæsarei contra magno studio copias suas auxerant; quibus è Belgio accesserat veteranorum equitum peditumque valida ac invicta hucusque manus, sub Piccolomineo, egregio duce, qui jactaverat, intra ipsa castra Succos se aggressurum. In Silesia Suecorum progressibus remoram injiciebat Glogovia à Cæsareis firmata. Sed præcipuam plagam rebus eorundem intulerat mors Bernhardi Ducis, qui vivus magnam partem

1640. partem hoſtium ſine dubio in ſe avertiſſet, aut viam ſibi in Bavariæ interiora feciſſet. Nec exiguum Banerio ſcrupulum injiciebant Saxonis & Brandeburgici à tergo gliſcentia arma; tum quæ per Inferiorem Saxoniam Dani, Arnheimiique inſtinctu agitabantur tertiæ partes, arbitrium belli pacisque ſibi vindicaturæ, ubi invaluiſſent.

Cæſarei in expeditionem progrediuntur.

§. 2. Ea rerum facies erat, cum Cæſarei, quos hactenus profundæ luto viæ detinuerant, gelu indurata humo contractum exercitum apud Tabor luſtrant, qui peditum tredecim millia, quadringentos, equitum octo millia trecentos quinquaginta explebant præter Croatarum turmas. Inde

14. Jan. Pardubitzam verſus tendunt ac Colini Albim ponte ſternere incipiunt.

Banerius ſe movet. Banerius, qui jam ante legiones ita diſpoſuerat, ut ſtatim ſi qua opus foret contrahi, & in hoſtem obverti poſſent, decreverat vel tranſitu Albis hoſtem arcere, vel ſi fieri id non poſſet, & hic Kœnigsgræciam aut Brandeiſiam ſatis munita oppida aggrederetur, alio ipſum loco diſtinere, aut cumprimis Leutmericiam ipſum pertrahere, ubi opportunitate locorum quæ præceperat, adverſus eundem uſurus erat. Eo fine

17. Jan. Leutmericia Melniccam ducit, unde Pfulius cum ſex equitum legionibus dimittitur, Kœnigsgræciæ adparatum bellicum illaturus. Huic tuendæ iſte Penaticum, Limburgumque progreditur. Sed quo minus Podiebratam pergeret, dejecti paſſim à Pfulio pontes impediebant; nec longa ambage per vaſtatas terras trahere exercitum conſultum judicabat. Igitur Penaticum, Novamque Boleslaviam regreſſus legiones circum diſponit, quoad deſtinata hoſtium ſe expromerent. Interim ut adverſus ingruentes ſe firmaret, quod recens conſcriptus in ora maritima miles longe in Bohemiam itinere magnam partem diffugerat, duas legiones ex Halberſtadienſi agro, unam ex Vetere Marchia, tum præcipue Kœnigsmarckium cum VVeſtphalicis copiis ad ſe evocat, quem mox una cum VVittenbergio ſummi excubiarum præfecti dignatione mactat. Is in itinere Saxonicam Taubii legionem Geraviæ profligaverat, aliquot centuriis caſis, non paucis captis. Nec levius Hanavii legionem Schmelnæ multaverat. Inde late Miſniam populatus fuerat; Querfurto quoque vi in poteſtatem redacto, & præſidio ex VVendelſteina arce ultro diffugiente. Mox tamen evocante Banerio cum omnibus copiis in Bohemiam concedit. Quo vix digreſſo Saxonici Mauritioburgum arcem Halæ per inſidias intercipiunt.

Kœnigsmarckius Saxonicos multat. 20. Jan. 21. Jan.

1. Febr.

Cæſarei Succis complura loca per Bohemiam capiunt.

§. 3. Aſt in Bohemia Cæſarei apud Colinum Albi ſuperato dextram verſus movent, Succos iſta regionis parte ejecturi, ſimul aditus ſibi in Moraviam & Sileſiam firmaturi. Prima Chlumnitza invaditur, ſitu & operibus non invalida arx. Hanc vix diſpoſitis, nondum diſploſis machinis centurio præfectus arbitrio hoſtis permittit, cui ſubjecti milites centum triginta numeris Cæſareorum

9. Febr. 11. Febr. adduntur. Inde Kœnigsgræcia petitur; cui exterius circumpoſita munimenta primo impetu expugnabat miles tanto magis connixus, quo citius labore iſto ſæviens inter gelu defungeretur. Mox

12. Febr. cum mœnia tormentis quaſſari cœpiſſent, obſeſſi metu perculſi absque exceptione non ſine flagitii nota ſe dedunt. Gregarii ſacramento Cæſareo accedunt, ductoribus in captivitatem redactis. Eo loco hoſtis duodecim ſignis, ac ſedecim minoribus machinis cum magna frumenti vi potitur. Raptim inde Schmirlitza, Jacomiria, Kœnigshovia, Trautenavia, Neuſtadium, Gitſchinum recuperantur, omnibus, qui ibi deprehendebantur, militibus ſub Cæſarea ſigna redactis. Ita paucos intra dies non modicum damnum Succis inferebatur.

Banerius in Banerius etſi ſperaret, hoſtem Kœnigsgræcia haut ira facile potiturum; tamen motu iſtius cognito, aſſumtis Kœnigsmarckii copiis contra iſtum Leipam Bohemicam procedit, prælium planis campis, quod equitatu prævaleret, tentaturus, ubi hoſtis montano tractu deſcendens ſui copiam feciſſet. Sed hic circa Gitſchinum ita opportunis ſe locis tenebat, ut nullo modo invadi poſſet, nec ullum indicium edebat, velut in pugnam deſcenſurus. Ba-

1640. hoſtem movet. Ejus conſilia. nerius cum ſuſpiçaretur, hoſtem in Sileſiam oculos intendere, ut Mansfeldio Comiti per Stalhantſchium in anguſtias redacto ſubveniret; huic imperat; ſi Mansfeldius ad Archiducis exercitum ſe reciperet, ipſum perſequeretur quantum poſſet, ſalvo tamen ſemper ad Oderam receptu. Si Mansfeldio novis copiis firmato par non eſſet, fixo ad flumen iſtud pede eum ſuſtineret. Sed ſi forte totus Cæſareus exercitus ipſi ingrueret, idoneis locis peditatu inſeſſis ipſe cum equitatu raptim Havela & Albi ſuperato ad ſe properaret. Jacobus quoque VVanckius ſubtribunus cum legione dimacharum Gærliciam ad extremum tueri jubetur.

§. 4. Enimvero quia circa Leipam Bohemicam longe lateque nulla pabuli copia, cura ſervandi equitatum, in quo robur exercitus Succici conſiſtebat, Banerium de Bohemia deſerenda cogitare ſubigebat, alias hoſtium vires hautquidquam formidantem. Igitur retro Leutmericiam, hinc Egram concedere ſtatuebat, qua expugnata ad ſiniſtram Paſſavium verſus & Danubium progreſſurus erat; ſine dubio hoſtem eodem pertracturus tegendæ Auſtriæ. Quod ſi forte eo progredi impediretur, tamen Egra capta Bohemiam, Franconiam, & Miſniam in poteſtate habere poterat; ſimul occaſio dabatur reliquas Kœnigsmarckii copias è Franconia & Eichsfeldia ad ſe evocandi. Tum animus erat, Vinarienſes per VVetteraviam tendentes ſibi adjungere, aut cum Bavaricis committere, prout ex uſu videretur; ſimul è propinquo conjunctionem cum Haſſicis & Luneburgicis promovere. Eo conſilio Banerius Leipa Bohemica

Is Danubium verſus cogitat.

27. Febr. Leutmericiam regredi inſtituit. Enimvero gelu remiſſo per profunda viarum tardum iter relegebat exercitus; ac tumefacto flumine glacies pontem Leutmericiæ penitus abripuerat. Bavaricæ inſuper & Moguntinæ copiæ ſuperato Mœno ſub Gleenio & Lamboio ducibus Thuringiæ & Bohemiæ propinquare nuntiabantur, primo agmine jam Schmalcaldiam progreſſo. Unde videbat Banerius, ſi deſtinatum iter pergeret, Thuringiam atque Erfordiam periclitaturam, ac ſe è Vinarienſibus, Haſſicis atque Luneburgicis plane ſeclusum iri; forte etiam Bavaricis circa Egram ipſum præventuris, ac his à fronte, Cæſareis à tergo incubituris. Temere autem ſummam rerum aleæ prælii exponere leges prudentiæ, ac mandata Rectorum Sueciæ non permittebant. Igitur mutato conſilio in Miſniam & Thuringiam concedere decrevit, conjunctioni cum Vinarienſibus, Haſſicis, ac Luneburgicis opportunam, quorum ſocietas plurimum ad ſummam rerum profectura erat. Sed & occulta formido ſuberat, quia de Haſſorum & Luneburgicorum deſtinatis ſibi non ſatis conſtabat, ne forte vel ad hoſtem tranſirent, vel tertias partes formarent. Id periculum, ſi quod eſſet ut in herba opprimeret, in has partes vertebat, cum alias per ditiones Cæſaris bellum circumferre non adeo in arduo fuiſſet. Eodem præmittitur Kœnigsmarckius, ut Saxonicos improviſo opprimeret, inde quicquid ſibi copiarum per Eichsfeldiam & VVeſtphaliam ſupereſſet, exceptis præſidiis, adjungeret. Brandeiſiæ, Melniccæ, & Leutmericiæ, quæ defendi citra validiſſima præſidia non poterant, excitata nuper munimenta detrahuntur. Tantum Arci Novæ prope Tæpliciam centurio, & Teſche-

27. Febr. Sed mutato conſilio in Miſniam recedit.

me

1640. næ ſubtribunus Copya præſidio imponitur, ut Dreſdæ ſubvectio per Albim è Bohemia intercluderetur; ac tranſitus fluminis in poteſtate eſſet. Sic relicta Bohemia Banerius itinere per Commothaviam & Annabergam ſumto Zwiccaviam attingit. Ex itinere Slangius tribunus cum quatuor equitum legionibus Cadenam mittitur, de hoſtium conatibus exploraturus. Hic catervam hoſtilium equitum centum triginta intercipit, quindecim tantum cum ſubtribuno clapſis. E captivis intelligit, Saradeſcium cum ter mille Croatis & Germanis equitibus Cadena Maſcham, inde Kitſcham progreſſum. Unde mandatis à Banerio acceptis, ac pluribus turmis firmatus in ipſum raptim profectus deprehenſum profligat, ac plerisque cæſis magnam præfectorum partem capit. Qui Suecorum manus effugerant fere ab agreſtibus, quos iſti male antehac habuerant, trucidati. Saradeſcius ipſe pedes evaſerat. Hoſtis interim circa Gitſchinam in montana regione quietus ſe tenuerat, niſi quod catervas paſſim dimitteret; ac Fridlandam arcem octoginta peditibus inſeſſam poſt quatuordecim dies impetu expugnaret. Mox intellecto Banerii itinere & ipſe caſtra movet, Suecosque Cadenam usque ſequitur, inde validam equitum manum Commothaviam usque mittit, nullo operæ pretio facto, quod Banerius poſtremo ſuorum agmini caute proſpexiſſet. Hinc Cadenam inter & Egram copias diſponit, cum Bavaricis, qui per Franconiam ingruebant, uti credebatur ſe conjuncturus, ſimul equis per profunda viarum laſſatis nonnihil quietis indulturus.

14. Mart. 24. Mart. 14. Mart. Cronne capulat. 7. Mart. Cæſarei Suecos fruſtra inſequuntur.

§. 5. Interim Koenigsmarckius in Miſniam præmiſſus cum Saxonicos adventu ipſius cognito ad Lipſiam coiviſſe intelligeret, quantum poteſt eodem adproperat: ibique Schleinicii legionem è ſtativis Mocca Lipſiam ſe recipientem profligat: Sed nocte ingruente retro ad fluenti tranſitum recedit. Hunc per tenebras aggreſſuræ Saxonicæ legiones equeſtres adſumtis quadringentis peditibus Lipſia procedunt. Sed orta luna & cadentibus nivibus, ſimul vigilantia ducis detecti, cum magno clamore ingruerent, ab inſtructis Suecis acriter excepti in fugam conjiciuntur. In ipſo conflictus loco & in fuga ob viarum anguſtias magnus numerus cædebatur. Capti ſubtribunus Callenbergius, duo turmarum præfecti, totidem optiones ac ſigniferi, gregariorumque centum quinquaginta. Pedites tamen hinc flumine, inde foſſa, tum tenebris recti paucis exceptis incolumes ſe recipiunt. Poſt hunc conflictum Suecos ut Grimmam recederent, pabuli inopia ſubigebat. Quæ & ipſa cauſa, ſed multo magis Suecorum metus Saxonicos impellebat, ut trans Albim ſe conferrent. Totus inde Suecicus exercitus Miſniæ inſulis ſecundum Muldam flumē collocatur, equite ob pabuli penuriam paulo latius diſtributo. VVittenbergius cum novem legionibus, quæ ſiniſtram alam conſtituebant; per Voigtlandiam ſtativa capit. Heic Banerio præcipuus labor adſcitis ſociis ſe firmare. Et hactenus quidem nulla ipſi cum Longuevillio Duce literarum commercia interceſſerant. Unde Olmii, & Roſæ opera Ducem ſolicitat ad copias ex fœdere adverſus communem hoſtem jungendas. Landgravia quamvis copias ſuas Kœnigsmarckio ſociare abnuiſſet, non eo minus tamen enixum in partes Suecicas ſtudium teſtata fuerat. Unde Banerius jam Leutmericia de profectione ſua ipſi ſignificat, conjunctionemque copiarum flagitat. Ni unitis viribus hoſtimunc obſiſtatur, Proteſtantium cauſæ immedicabilem plagam illatum iri, quæ ſola concordia ſtabiliri poſſit. VVeſtphaliæ curam tantiſper ſeponendam, quoad ſummæ rerum conſulatur; qua in tuto collocata, mmora diſpendia facile reparatum iri. Eadem miſſis Zwiccavia literis denuo ingerebantur. Georgius quoque Luneburgicus Dux, cum agnatis Principibus ſat amicos ſe hactenus Suecis tulerant, ut tamen propter poſtulata quædam tractatus plene abſolvi non poſſent. Hunc non literis tantum Banerius ſolicitat, ſed & miſſo tribuno Caſparo Cornelio Mortaignio, & Gabriele Gabrielis F. Oxenſtierna; oſtentans inter alia Guelferbytum à Cæſareis detentum, & Hildeſianam cauſam, ex qua magnum ipſi malum ſit dandum, ubi cæteris moleſtiis Cæſar ſe extricaverit. Si nunc deferatur, neceſſitatem ſibi imponi receptum in ipſius terris quærendi: nunc longe ſatius eſſe hoſtem eminus ſiſti. Ubi bellum in Evangelicorum terras iterum devolutum fuerit, nunquam ipſos pace qualem velint potituros: eoque omnibus viribus connitendum, ut bellum in Cæſareas & Pontificias ditiones retrudatur. Super poſtulatis ipſius Rectorum Sueciæ declarationem à ſe expectari: ac ſumma rerum ſalva de iſtis facile conventurum. Ex adverſo Cæſar, qui expeditionis initio ſpem conceperat Suecos ſuis ditionibus expulſos in Saxonia Inferiore ſibi receptum quæſituros, ejus Circuli Principes hortatus fuerat; tranſitu Suecos arcerent, & quævis hoſtilia ipſis intentarent. Et nunc eadem literis ingerebat, quas miniſtro ſuo Hamburgi reſidenti Cunrado Lutzovio in anteceſſum transmittebat, tantiſper ſecreto apud ſe ſervandas, quoad Banerium his oris ingruere pateret. Quarum literarum tamen apographis per Haſſicum Conſiliarium Vultejum ſtatim potitus erat Salvius, cum à quodam tabellariorum magiſtro ſubtili arte relignatæ, deſcriptæque forent.

1640. & Luneburgicarum. 7. Mart. Cæſare contranitente.

§. 6. Aſt Piccolomineus cognito VVittenbergium cum ala ſiniſtra per Voigtlandiam à reliquis divitum agere, Bredavium ſummum excubiarum præfectum Falckenavia cum valida manu ipſi immittit. Qui & non ſegniter licet explorationib⁹ operanti ex improviſo ingruit, ut Polonos, qui extremi tendebant, in ſtativis opprimeret, eosque præcipites Plauenam ageret. Ubi VVittenbergius quidem nonnullas legiones raptim contraxerat: ſed quia ſigna, ne in hoſtium manus inciderent, mature in tutum miſſa fuerant, ſimul impedimentis turbatis, equites pugnam detrectantes ſua ſigna ſequebantur, ſic ut ſola VVittenbergii legio pugnam capeſſeret. Quæ licet ſtrenue repulſo primo agmine, cum nemo ſubſidio veniret, numero obruta male multabatur, amiſſis duobus ſignis. Nec pauci è cæteris legionibus deſiderati. Primariorum tamen ductorum nemo præter Guſtavum Hornium Eberhardi F. caprus eſt. Totus inde Cæſareus exercitus Voigtlandiæ infundebatur, caſtris apud Curiam Variſcorum poſitis. Banerius contra ad Erfordiam copias contrahebat, peditatu in urbe ac vicinis pagis, equitatu longius collocato. Ubi maxima ipſi cura erat auxilia adverſus tantam hoſtium vim undique excire. Eo fine ſemel atque iterum ad directores exercitus Vinarienſis literæ dantur; quibus & ſuas ad Longuevillium Ducem Belloregardius Reſidens Gallicus addebat. Et hic quidem facile petitis annuebat miſſo Lutzovio tribuno, qui Banerium de ſtatu ſui exercitus edoceret, ſimul quid ipſe conſilii agitaret diſceret; collato in itinere cum Landgravia ſermone, ad quam & mox ipſe Longuevillius Caſſellas ſe confert. Landgravia, quamvis tractatibus ſuper novo cum Suecia fœdere nondum abſolutis, ſat cupidam ſe communi cauſæ ſublevandæ oſtendebat; modo quæ nunc Banerio jungendæ forent legiones cum olim ſubmiſſis ſibi reſtituerentur: Utque hoſpitiis ſuorum per VVeſtphaliam, & Friſiam Orientalem caveretur, à quibus longius digredi verebatur. Eoque intuo malebat impreſſio-

4. Aprił. 14. April. 11. April. Banerius auxilia ſollicitat. 9. 20. Apr. Suecorum ala ſiniſtra vapulat. Landgraviæ poſtulata.

Koenigsmarckius Saxonicos profligat. 25. Mart. Banerius conjunctionem quærit Vinarienſium, Haſſicorum, 7. Mart. 31. Mart.

1640. preſſione potius alibi facta hoſtem diſtrahere, quã Banerio copias jungere. Idque miſſo Legato apud hunc exponebat, addito, quantum hoſti acceſſurum foret, ſi iſte in Friſiam penetrare poſſit. Aſt Banerius oſtendebat; difficultatibus, queis ipſe nunc prematur, non aliter quam ſociatis omnium quorum intereſt copiis conſuli poſſe. Tum feſtinato opus eſſe, cum ſibi diu his locis per pabuli ac annonæ inopiam morari haut liceat. Auxilia abnui, an differri perinde ſibi eſſe. E legionibus Haſſicis à Leslæo quondam adductis paucos ſupereſſe, easque nunc novis fere ſupplementis conſtare. Sed quas in præſens aut deinceps ſibi junĉturus ſit, periculo depulſo ſtatim remiſſurum; nec minus viciſſim eidem, ubi res exigat, auxilio adfuturum. Weſtphaliæ loca idoneis præſidiis firmanda; ſi quid per agros damni forte hoſtis det, id parum curandum. Summa enim rerum ſalva hæc facile reparari poſſe: iſtius ruinam cætera omnia ſecum traĉturam. Hoc cum reſponſo Legati Caſſellas redeunt, ubi & Longuevillius Dux tunc agebat. Convenit igitur inter hunc & Landgraviam, ut intra decem dies Haſſici Mulhuſæ, Vinarienſes Iſenaci eſſent, pro re nata Banerio jungendi, aut alibi hoſtem diſtraĉturi. Eodem Landgravia ſtatim duas equitum legiones, quatuor dimacharum turmas, quæ in Haſſia, & Paderbornenſi agro ſtativa habuerant, præmittit. Reliquas copias, quinque equitum ac peditum millia explentes Melander apud Reclingshuſam luſtratas eodem accelerare jubet.

Banerii declaratio.

Vinarienſes & Haſſi conjunĉtionem decernunt. 17. April.

21. April.

§. 7. Aſt Luneburgicis Ducibus Cæſar diſceſſum Banerii è Bohemia ſtatim ſignificarat, addito fratrem Leopoldum VVilhelmum quantum poſſit Suecos perſecuturum. Et ut omni ope adſiſtant, & ad eundem ſcopum omnem operam navent hortabatur; tum ne perſuaſionibus ac promiſſis Suecorum in transverſum rapi ſe patiantur. Eaque Ducibus per Reuſchenbergium Baronem Guelferbyti præfectum literis exponuntur, cum ipſe oppido 9. April. excedere dubitaret. Ad quæ Duces nihil infenſi Horum reſponſum. 24 April. præferentes reponebant: Ea poſtulata non ad ſe ſolos, ſed totum ad Circulum vi decreti ſuperiore anno facti fuiſſe deferenda. Fœderatos Reges Germania dimoveri, aut pacem reſtitui haut poſſe, ſi vel maxime ipſi in eos arma ſumant. Superioribus annis quinquies arma Cæſareis junxiſſe, nullo cum fructu. Sibi nunquam animum fuiſſe Cæſari, aut ulli ex Ordinibus damnum inferre, nec aliud ſibi quæri, quam ſalutem Imperii, & ſubjectorum ſuorum tutelam. Quod ſi tamen ad legitimam detenſionem adigantur, Deo rem ſe commiſſuros. Nec Cæſarem ſibi vitio daturum, ſi quæ media neceſſitas ſuggeſſerit, innoxiis ſuis deſtinatis arripiant. 8. Maji. Paria Leopoldi VVilhelmi literis reponebantur, quibus prolixe auxilium ſuum obtulerat, ſiquid injuriæ ipſis per Suecos intentarerur. Enimvero Ducibus plane perſuaſum erat, quicquid blanditiarum iſtæ literæ oſtenderent, Cæſarem ipſis graviſſimam noxam meditari, quod ſuperiore hieme Banerium tranſitu Albis non prohibuiſſent. Ac conſtans rumor erat, Cæſarem Duces eo nomine ditionibus ſuis multare decreviſſe. Cæſari ipſi Guelferbytum deſtinari: Comiti VVernero Tillio ob trecenta uncialium millia, quæ Daniæ Rex quondam Tillio ſeniori ceſſerat, Callenbergicum Ducatum aſſignatum; reliqua Dano danda, ſi arma cum Cæſare in Suecos jungere velit. Ac dejerabat Mithobius iſta inſtrumenta jam Cæſaris manu ſubſcripta Viennæ jacere. Idem Auguſto Duci Henricus Julius Lauenburgicus detexerat, ſuadens; mature idonea conſilia capeſſeret, nam ſecurim jam radicibus arboris admotam eſſe. Idem porro Dux Auguſtus valde indignabatur Guelferbyto tamdiu à Cæſare detento; & quod Brunſuicenſi urbi jus nundinarum Cæſar indulſiſſet adverſus Ducis jura, quæ obtendebat. Idem quoque nobilibus provincialibus multa prædia à deceſſoribus ſuis conceſſa iterum eripuerat, repetitis quoque fructibus perceptis. Sed illi querelis Viennam delatis mandata reſtitutoria ſub pœna proſcriptionis adverſus Ducem obtinuerant. Iſthæc elati animi Principem ita mordebant, ut antea ſemper in Cæſarem pronus, & cautiſſime in negotiis ſuis progredi ſolitus, nunc amica Suecis conſilia caperet. Fridericum denique Cellenſem Ducem, quem nullæ peculiares cauſæ ſtimulabant, frater & agnatus in ſuam ſententiam pertrahebant.

Cæſar Luneburgicos Duces ſollicitat.

Lunebur. gici Cæſari non fidunt.

1640.

§. 8. Publicant inde Duces has conſilii ſui rationes: Exemtionem ab oneribus belli, quam Suecis annuerint, à Cæſare obtineri non potuiſſe. Sibi velut autoribus imputari, quod Banerius è Mecklenburgica ſuperato Albi in Miſniam & Bohemiam penetraverit, quo nomine horrendorum criminũ ſe reos peragi. Ipſum Cæſarem literis ſuis iſtas imputationes ſuo loco reliquiſſe, veluti ultionem reſervaret. Ex aliis quoque indiciis quid ſibi immineat conſtare. Piccolomineum cum toto exercitu ad Inferiorem Saxoniam ſe vertiſſe ſibi infenſiſſimum, Viennæ in ſe decreta ſine dubio exſecuturum. In ſolitudinem redactas à Cæſareis ducibus regiones, quibus auxilio venerint: quid futurum illis, ad quos infenſi ingruant. Ita extrema ſubigente neceſſitate decreviſſe illis ſe conjungere, qui belli malis exemptos voluerant, horumque auxilio ad ſui defenſionem uti; non quidem ut Cæſarem aut ullum Ordinum bello petant, ſed avertendo à ſuis exitio. Id non magis vitio ſibi verti poſſe, quam aliis Electoribus & Principibus, qui longe diſpari periculo fœdera cum exteris Regibus colant. Ita Banerii Legati grato cum reſponſo à Georgio Duce dimittuntur, ipſique Duces decernunt hoc rerum articulo Suecis ſuccurrere, certis tamen legibus, ſuper quibus ut cum Banerio tranſigeretur, Bodo Hodenbergius & Hilmarus Obergius Lunebur. gicorum poſtulata. 10. April. 24. April. Erfordiam ad Banerium mittuntur. Proponebant hi eadem fere, ſuper quibus hactenus variis legationibus diſceptatum fuerat. Contra Banerius conjunĉtionem copiarum ante omnia urgere, ne inter has moras ſumma rerum detrimenti quid caperet; rogareque omnia, quæ ad fœdus ſpectant, nunc ſeponi, quæ ſibi à mandatis deſtituto ad Rectores Sueciæ rejicienda ſint. Sed inter Landgraviam & Longuevillium convenerat, ut duces mature Mulhuſæ convenirent, ibique cum Banerio ſuper modo conjunĉtionis, & belli gerendi ratione colloquerentur. Quo fine Landgravia ad Banerium 28. April. ſcribit, ut Langenſaltzam, aut alium intermedium locum congreſſui deſigner. Luneburgicos enim quasdam adhuc conditiones annui velle: quas ipſa æquas judicet; nec putare hanc moram ſummæ rerum traudi fore. Eadem & Clitzingius Lu- 2. Maji. neburgicorum Dux, ſtatim atque Mulhuſam venerat, literis expetebat. Aſt Banerio non multis tractatibus & conſultationibus, ſed ſociatis copiis opus erat, hoſte indies magis incumbente; qui ni mature conjunĉtio fieret, medium ſe illis inſerturus, & omnia conſilia diſturbaturus erat. Sed nec ratio ferebat, illum vel per horam ab exercitu digredi hoſte ita propinquo. Er nullo modo ad Erfordiam diutius hærere penuria premente licebat. Tum judicabat, ad plura annuenda ſe non eſſe adigendum, quam quæ in ſua poteſtate ſint: ac Duces conjunĉtionem omnibus aliis reſpectibus ante- habituros. Hæc omnia Landgraviæ per literas de- 30. April. monſtrat; rogans perficiendæ conjunĉtioni potiſſimum operam det, per quam ſolam extrema malorum, quæ imminere videantur, arceri queant.

Duces conſilii ſui rationes publice exponunt.

1640. ant. Addebat, si conjunctio ita cito fieri nequeat, id sibi mature significetur, ut alia via sibi consulere queat, ne dum vana spe apud Erfordiam moratur, receptus difficilior fiat. Eadem Clitzingio respondet, quem & misso Mortaignio ad colloquium invitat. Qui statim cum Friderico Sckenkio adest, ac postulata Ducum scripto tradit. Deposcebat sibi Georgius Dux summum belli arbitrium in ditionibus Ducum cui etiam Suecicæ copiæ subessent, si quæ ipsis auxilio mitterentur. Tum satius judicabat copias suas adhiberi propriæ ditioni tuendæ, Saxonicis & Brandeburgicis ab Albi, Cæsareis è VVestphalia incubituris; insuper bis mille militum Cæsareorum præsidio Guelferbytum obtinente. Quod si tamen omnibus placeat, copias suas aliquantisper reliquis jungi, volebat eas non à Banerii imperio dependere, sed Hassicis sociatas peculiare corpus constituere. Porro ut si opus illis haberet ditioni suæ tuendæ, sine mora dimitterentur. Postulabat etiam suas ditiones à Confœderatorum exercituum oneribus immunes manere, ac loca ad patrimonium Ducum pertinentia à Succis detenta restitui. Reliqua ad tractatus Hamburgi susceptos remittebantur. Ad ea Banerius: Ut Georgius Dux summum in Luneburgica ditione habeat imperium concedere; vicissim par esse, ut auxilia à Ducibus submissa sibi subsint, quoad expeditio absolvatur. Quæ interim ab Hassicis & Luneburgicis geri possint, nihil facere ad periculum, quod summæ rei nunc immineat. Ea salva, reliqua se bene habitura. Vinarienses & Hassicos, quibus nunc bene inter se conveniat, satius esse junctos manere salvo fœdere, quod Reginæ cum Landgravia intercedat; Luneburgicos autem Suecico exercitui adhærere. Nullo modo diutius hosce detinendos, quam belli necessitas ferat, quos & nunc ocyus ad sua digredi posse optet. Ut ditionibus Ducum super immunitate ab oneribus belli caveatur, fieri non posse ob incertos belli casus. Et si calamitas quædam sibi acciderit, ut in Ducum terris receptus sit quærendus, sperare id Ducibus non repugnantibus fore, quin ie potius pro necessitate rerum ab ipsis sublevatum iri; nec hanc postremam fœderis partem esse. Reliqua Hamburgenses ad tractatus rejiciebat, queis opus plane non sit, si ipse omnibus postulatis satisfacere queat. Hac Banerii declaratione Luneburgici Legati adquiescebant, adstipulante cumprimis Clitzingio; quem ut Reginæ eo magis devinciret, Banerius, quindecim millium uncialium dono mactabat. Ita sepositis aliis postulatis conjunctio ad Erfordiam fit. Vinarienssibus Longuevillius Dux, & sub illo Guebrianus, Otto Nassovius Comes, Ohmius, & Rosa imperitabant, Hassicis Melander, Clitzingius Luneburgicis præerat. Consilio de summa belli habito statim exercitus Erfordia movet. Dextri loci honorem Banerius Longuevillio cum suis deferebat, proximum Hassicis & Luneburgicis; ipse cum Succis sinistrum sibi cornu sumebat. Procedebat exercitus validissimus; miles egregius, probe armatus, ac pugnandi cupidus; nec parem multi anni conspexerant, viginti duæ peditum phalanges, equitum viginti millia. Educebatur simul Erfordia Goltzius cum sua legione urbanis parum gratus; cui Caspar Ermes tribunus placidior moribus, ac prudentia constantiaque insignis suffectus est.

4. Maji. — Banerii declaratio. — Fit conjunctio. — 6. Maji. 7. Maji.

§. 9. Hostis interim è Voigtlandia movens ad Salfeldam castra metatur, ac Jenæ, alibique destructos à Banerio pontes reficit. Eduardus Bragantiæ Dux cum aliquot millibus Chemniciam mittitur, cui præsidio relictus erat subtribunus Printzius cum Stackii legione equestri. Ei deditionem Bragantinus imperat, quod eques absque pedite oppidis tuendis ineptus foret. Ast ille ad extremum remorari hostem jussus defensioni strenue accingitur. Igitur intra biduum accessus ad fossam fiunt, quæ derivatis aquis siccatur. Mox exterius munimentum expugnatur, scalisque admotis assultus per quinque horas continuatur, obsessis strenue hostem rejicientibus. Sed cum sequenti die Comes Suissius plus copiarum & machinarum adduceret, cives contione facta deditionem inclamare: tum & miles stationes deserere, suum esse fremens in campo rem gerere, non retro mœnia jugulandum se præbere; præfectis nequidquam hortantibus, ut unum saltem assultum adhuc sustineant. Ita ancipiti malo pressus Printzius duris conditionibus deditionem facere cogitur, ademtis signis, equis, armisque dimissus. Intra quinque tamen obsidii dies non nisi præfectum turmæ novemque gregarios amiserat, cum hostium ducenti amplius cecidissent, inter quos subtribunus aliique ductores. Eodem die Telchena arx in Bohemia tormentis ac mortariis quassata deditionem fanam. cit. Quo minus autem post Chemniciam Zvvickavia quoque peteretur, sociorum exercituum conjunctio efficiebat, ob quam quicquid erat Cæsarei militis in castra ad Salfeldam evocabatur.

1640. — Chemniciam recuperat. 25. April. — 25. April. — 26. April. — Et Telchenam.

§. 10. Fœderati quippe, cum hostem se nusquam movere viderent, & ipsi recta Salfeldam tendunt, ac ante istius castra in acie consistunt. Sed ille nulla pugnandi cupidine ostensa non nisi turmas aliquot emittit, quæ Suecicis ingruentibus præcipites intra castra se recipiunt. Sed quia angustiæ camporum, ac montibus vallibusque inæqualis regio juste explicatam aciem non capiebant, nec castra munimentis probe firmata citra grave periculum oppugnari poterant; Banerio placebat Salam transire, num latior ibi planities, & occasio hostem intra castra infestandi posset inveniri. Igitur fœderati exercitus ad Rudolstadium Salam transgressi in monte, ex quo in hostis castra despectus erat, consident, ac per aliquot dies machinis in ista fulminant, ut is tentoria semel atque iterum mutare, demum plane retro montes occultare se cogeretur. Tentaverat hostis per noctem in machinas impetum facere; sed mox excitatis loricis arcebatur. Contra & Sueci globis ignitis Salfeldæ incendium molientes frustra erant. Periere ista fulminatione non pauci ductores gregariique, quos inter tribunus, qui solus adhuc Hungaris supererat; quo cæso reliquiæ istius nationis domum se receperunt. Hostium machinæ inter fœderatos exiguum damnum dabant, nemine alicujus nominis læso, nisi quod Slangius tribunus brachium ictu globi amitteret. Quanquam autem Cæsarei tormentis non amplius lædi, nec castris suis expelli, aut in illis invadi possent; fœderati tamen loco quem ceperant consistebant, quod sperarent, eos non diu intra istas angustias duraturos, hinc sylva Thuringica, illinc hoste cingente. Quod si autem obnixi hærerent fœderatos fame fatigaturi, Banerio placebat in Culmbacensem Marchionatum transire, mediumque se Cæsareis ac Bavaricis inferre tunc circa Bambergam hærentibus; & vel hos tota belli mole obruere, vel illos castris extractos ad prælium cogere. Castris ita propinquis quotidianæ velitationes, & modici conflictus, secundiore fere fœderatorum fortuna. Inter alios Hundius apud Cæsareos excubiarum præfectus cum aliquot equitum centuriis Rudolstadium excurrens nonnullos currus annona onustos interceperat quem Ebersteinius tribunus sexcentis equitibus stipatus securius suggressum ob paria cum suis signa, undique circumdatum oppressit, ac cæsis plerisque reliquos cum ductore captivos abduxit. Porro si qui ut solet ex fœderatis caperentur, Succi quidem

Banerius cum sociis itidem ad Salfeldam consident. 8. Maji. — 10. Maji. — Hostis apud Salfeldam consident. 22. April. — Cæsarei

1640. Haſſicos & Luneburgicos nolunt ut juſtos hoſtes tractare.

quidem more militari habebantur, ac permutatione facta ad ſuos remittebantur, Luneburgicis contra & Haſſicis vel citra veniam cæſis, vel permutationis beneficio excluſis, etſi hi à ſe captos reſtituerent. Nam publice in caſtris Cæſareis tubis & tympanis reſonantibus promulgatum erat; ne quis Haſſum aut Luneburgicum captivum in caſtra adduceret. Ea de re Banerius, querentibus iſtorum ducibus, ad Piccolomineum ſcribit, iſta aboleri poſtulans, alias ſibi paria referre in proclivi fore. Cui Piccolomineus: de conjuncto Haſſico & Luneburgico exercitu ſibi nil conſtitiſſe, ac credidiſſe delertores quoſdam fuiſſe, qui prædandi cauſâ Suecicum exercitum ſecuti ſint. Sed poſtquam nunc intelligat Haſſicas & Luneburgicas copias ipſius imperio ſubeſſe, pari demceps jure cum

3. Jun. reliquis habendos. Banerius iſta perſtringendis Haſſis ac Luneburgicis dicta ſentiens, culpam incongrui reſponſi in ſcribam rejiciebat; cæterum cautam conjunctionis oſtendit ſolidiorē Pragenſi pacem, & pleniorem ſecuritatem. Iſta porro probra Melander diſſimulabat, qui haut ſane lubens huic expeditioni ſe accinxerat. Sed Clitzingius indignatus copias ſuas manipulum prædonum, & ſe talium ducem haberi, cum Piccolomineo per literas acriter expoſtulat, addito, data occaſione oſtenturum,

5. Jun. juſti ſe militis ducem eſſe. Cui vicißim Piccolomineus: Legatos Ducum in conventu Noribergenſi, ipſoſque Duces, cum ante biennium Viennæ inveſtituram acciperent, diverſa pollicitos. Ut tamen poſt pari cum Suecis jure haberentur, permittebat.

Cæſareorum ad Salfeldam difficultates.

§. 11. In caſtris porro Cæſareorum inopiæ, famis, ac miſeriarum affatim, de qua captivi ac transfugæ, quorum duo amplius millia in Fœderatorum caſtris aſſervabantur, ſatis exprimere non poterant. Maximus quoque equorum numerus à Suecis inter pabulandum interceptus. Nec eo ſecius in arrepta ſtatione obnixus hærere Piccolomineus, jactans, ſi prior inde moveat, Cæſarem de imperio periclitaturum: & ſibi heic perſiſtendum quoad ulli bellatores ſuperforent. E Franconia tamen nonnihil frumenti ſubvehebatur; ubi & Bavarici poſt luſtratas apud Bambergam copias Cronacum & Hilpershuſam propius Thuringicos ſaltus progreſſi erant, ut ſi placeret Cæſareis jungi poſſent, interim ipſorum terga tuta præſtarent. Aſt Fœderatos præter annonæ ac pabuli inopiam aliæ quoque moleſtiæ exercebant. In tanta multitudine diverſæ nationes, nec unius omnes imperio ſubjecti. Pugnandi cupido apud omnes fere par, ſed peculiaria ſingulorum ſtudia rem publicam non parum turbabant. Banerius cum hoſti ad Salfeldam noceri non poſſet, ocyus inde in Culmbacenſem agrum tranſire cupiebat; ſed cæteri duces in diverſa tendere. Quanquam enim Longuevillius cum Haſſicis ac Luneburgicis Banerio ſummam belli directionem detuliſſent; tamen Duci ſubinde ſcrupuli quidam ſuboriebantur, tantum non intempeſtivæ ac perniciotæ ſeparationi anſam præbentes. Nam Vinarienſes quidam milites pecuniam promiſſam non ſine minis flagitabant; quibus de ſuo ſoluturum ſe Dux metu majoris mali promiſerat, ſi Rex non ſolveret. Quæ ſeditiones ne inter iſtam inopiam in nervum erumperent, metuebat. Et erat alias magna inter ductores Vinarienſes diſcordia, Roſa & Ohmio Directoriam autoritatem mordicus rueri, Naſſovio cum reliquis abrogari eam volentibus. Et quanquam per pactum ſefe Galliæ illigaſſent, proprio tamen arbitrio omnia agere cupiebant, in eo tantum concordes, quod Longuevillium nihili facerent. Ac in proclivi erat Banerio iſtas legiones iterum ſibi adſciſcere, ni averſatus eſſet militem, infinitæ licentiæ adſuetum. Et cum Longuevillius propoſito ſacramento citra exceptionem eos Galliæ obſtringere veller, plerique abnuebant, & Haſſos, Luneburgicos, aut Succos circumſpiciebant. Mox tamen dato argento iterum placabantur. Sed actiores ſtimulos ſubdebant Crebrianus, & Belloregardius Reſidens, veluti Dux longius ſe, quam faſtigium Regis ferret, ſubmiſiſſet; quod indignum foret, ſi copiæ Gallicæ Succicarum acceſſio viderentur factæ. Igitur fremere Dux; ſibi machinas idoneas non eſſe, non adparatum bellicum, non equos, non pecuniam exſolvendis duorum menſium ſtipendiis, quorum dies ceſſerit. Supplementa ſua per Palatinatum Inferiorem incedere, queis maxime opus habeat, à peditatu cumprimis deſtitutus; iisque obviam Rhenum verſus ſibi eundum. Ei directores quondam Vinarienſis exercitus pecuniarū expectatione aſſentiebant. Quin & Haſſici ac Luneburgici, ut eodem ſimul tendant, ſolicitantur. Sed hi conſilio habito decernunt; Principum ſuorum ſententiam expectandam, interim apud Banerium manendum. Offerebant quoque Luneburgici octo equitum, ſedecim peditum cohortes. Haſſi duodecim peditum, totidem equitum turmas, ſi forte irruptione in Bohemiam facta hoſtem diſtrahere veller; quibus tamen copiis Melander aut Clitzingius ſeorſim imperaturus eſſet. Iſthæc Banerium valde anxium habebant. Ipſe enim ſolus hoſti impar, ac cæteris digreſſis ad Viſurgim aut Albim recedendum erat, Cæſareis è veſtigio incubituris. Igitur ut Longuevillium de ſententia deduceret, oſtendebat: hoc diceſſu qui recens in partes tranſierint nutaturos, aut per deſperationem alia conſilia capturos: ſi quibus aliis accedere animus ſit, pedem retracturos: hoſtem contra majores ſpiritus ſumturum. Erat Dux ingenio probo ac candido, multoque in rempublicam ſtudio: qui & antea cum Baneno, qua ratio ducebat, ſemper ſenterat, & nihil niſi de ejuſdem conſilio ſuſceperat. Eo facilius erat ad ſaniora ipſum revocare. Et qui eum irritaverant, ſpe ſua circa Luneburgicos & Haſſos exciderant, quos Duces ſui juſſerant in omnem caſum Banerium ſequi. Igitur Banerii, aliorumque opera, annitente cumprimis etiam Clitzingio, effectum eſt, ut Dux declararet, ſe apud Succos manſurum, quoad ſupplementa ſua, aliaque neceſſaria adveniſſent, (de quibus tamen nondum certi quid conſtabat) poſt è communi conſilio junctim cum aliis aut ſeorſim rem in hoſtem geſturum.

1640.

1. Maji. uti & Fœderatorum.

Fœderati Salfelda movent.

§. 12. Porro uti Banerio, ac reliquis ducibus temerarium videbatur intra tam munita caſtra hoſtem adoriri; ita cum quantacunque inopia iſtum Salfelda non dimoveret, nec ipſis placebat in exeta regione fruſtra cum fame luctari. Quo minus tamen, quod Banerio ante fuerat conſtitutum, inter Schlœtzam, & Curiam Variſcorum in Culmbacenſem agrum penetraretur, Bavarici obſtabant, qui interea ad ſaltus Thuringicos loco opportuno conſederant, ut eorum cum Cæſareis conjunctio impediri nullo modo poſſet. Accedebat, quod eo itinere ſuſcepto Longuevillius Rhenum ad excipienda ſua ſupplementa, Luneburgici, & Haſſi retro ditiones ſuas reſpecturi erant; præſertim cum rumor eſſet, Croatas, ac tres equitum Germanorum legiones Bavaricis junctos irruptionem in Haſſiam Inferiorem moliri. Quo igitur ſociorum conjunctione diutius frueretur Banerius, dextram verſus per ſylvam Thuringicam in Bavaricos ire, aut ad Mœnum inter Gemundam, Wurtzburgum aut Aſchaffenburgum pedem figere, prout res ferret, decrevit; qua ratione hoſte longius abſtracto Haſ- 1. Jun. ſia & Brunſuicenſis ditio ab irruptione ejuſdem tuta præſtabatur. Ita motis Salfelda caſtris per Tannerodam, Arnſtadiumque ac tranſita Sylva Thu- 10. Jun.

1640. Haſſi diſcedere cupiunt.

ringica Smalcaldiam pervenitur; unde iter Neuſtadium Franconiæ, ac mox ad Mœnum capeſſendum erat. Aderat heic à Landgravia miſſus Adolfus Wilhelmus Croſiegus, qui partem copiarum Haſſicarum remitti poſtulabat ad expeditum una cum Luneburgicis exercitum formandum, reprimendo Hatzfeldio, qui in Weſtphaliam cum aliquot legionibus venerat, ibique Wahlio junctus non ſpernendam manum conficiebat. Quo fine & Dux Georgius aliquot alas equitum per Mulhuſam & Gœttingam ad Vilurgim mitti poſtulabat. Aſt Banerius contra plures potius copias à Landgravia & Duce Georgio ſibi ſubmittendas contendebat; nam ſuccedente hac expeditione Hatzfeldium facile repreſſum iri. Si quid heic cladis acceptum fuerit, cætera quoque peſſum itura.

11. Jun. Fœderati Mellerſtadium centum quinquaginta
12. Jun. prædonibus inteſſum occupant, his citra exceptionem ſe dedentibus. A Kœnigsmarck eo quoq; Masfelda arx, ad extremam famem diuturno obſidio redacta, & ſequenti die hoſti dedenda liberatur.

Cæſarei Banerium antevertunt. 7. Jun.

§. 13. Enimvero Cæſarei conſilia Banerii ſubodorati & ipſi Salfelda movent, Bavariciſque juncti Kœnigshoviam, inde Neuſtadium breviore via adproperant, dimidio tantum die Banerium antevertentes; ubi excitatis raptim munitionibus tam idoneo loco caſtra ponunt, ut ipſis integrum foret prælium ſumere aut declinare, nec ibi citra manifeſtum periculum invadi poſſent. Quanquam nec prælium nunc Banerio tentare licebat; Cæſareis acceſſu Bavaricorum à quiete recentium prævalentibus. Cum Haſſici contra ac Luneburgici ad Salfeldam & poſt valde imminuti forent, equitibus ſingulis unico tantum equo inſtructis, qui multiplici labore fere fatiſcebat, cum Suecici ac Vinarienſes equites ſinguli ternos aut quaternos equos poſſiderent, alternatim labori admovendos. Sed nec iſtos ſat impedimentorum ac mercatorum caſtrenſium ſequebatur, extremum inopiæ remedium; ac ipſi longo otio molliti duram & inopem expeditionem ægre tolerabant. Unde crebris deſertionibus ſigna nudabantur. Erant quoque apud Luneburgicos pauci ſuperiorum graduum ductores, qui ad militem continendum ſat autoritatis haberent. Sed nec Landgravia plenas legiones ſub ſuis tribunis, quorum intererat eas ſervari, miſerat, ſed hinc inde cohortes ſub alienis fere du-

Fœderatorum exercitus valde imminuitur.

22. Maji. ctoribus compegerat. Id quod ut corrigeretur, jam antea Banerius à Duce Georgio & Landgravia per literas requiſiverat. Ita prævertente hoſte Franconia excluſi Fœderati, cum inopia ipſos diutius ibi conſiſtere non pateretur ob continuas pluvias tardius matureſcentibus frugibus, communi conſenſu retro Creutzbergam, & Iſenacum vertunt. Unde quanquam Banerius itinere per ſuperiorem Haſſiam capto ad Mœnum penetrare cuperet; tamen fame confectus miles laboribus viæ impar utique reficiendus erat, ac dilapſis numeris Luneburgicorum Haſſicorumque inania

Fœderati in Haſſiam tendunt.

19. Jun. fere ſigna iſtum ſequebantur. Unde hic Mortaignium ad Landgraviam mittit poſtulatum, ut plenas ſibi legiones mittat, deſertores ad ſigna edictis revocet, plures copias ſubminiſtret; tum annonam in finibus Haſſiæ verſanti exercitui præ-

21. Jun. beat. Id quod ipſa reſponſo ſuo ægre tuliſſe viſa eſt, cauſam irritæ expeditionis in ſuos ac Luneburgicos conferri: cum ipſa utique plenas legiones, cohortesque miſerit. Cæterum paucas ſibi copias ſupereſſe, queis in præſens carere poſſit, Walio apud Stadbergam ſuos contrahente: qua de re tamen cum Duce Georgio ſit conſultatura. Annonæ nonnihil pollicebatur, ut tamen ditionibus ſuis non plus moleſtiæ inferretur. Sed quia quæ ex Haſſia ſubminiſtrabantur ad explendas neceſſitates parum proficiebant, & ubi conſtiterant copiæ regio plane exhauſta erat, ſtationem mutare neceſſitas ſubigebat. Quo tamen caſtra transferenda forent, inter duces parum conveniebat. Melander in præfecturam Mulhuſinam, & ſecundum Oneſtrum copias diſtribuendas cenſebat, quoad ſegetes maturuiſſent. Contra Banerius & Longuevillius ſatius judicabant in aliquo Haſſiæ loco ſubſiſtere, prope Brunſuicenſem agrum, unde uberior quam ex Haſſia ſubvectio. Horum ſententia 1. Jul. prævalente, Creutzberga, & Iſenaco relicto Eſchvvegam itur, haut parum dolente Landgravia, conjunctionis ſuæ diverſum, quam ipſa ſperaverat, effectum fuiſſe, amicis juxta ac hoſtibus in Haſſiam nunc pertractis. Nam & Cæſarei Neuſtadio pro- 11. Jun. fecti per Fladungam in Fuldenſem agrum, Haſſiæque fines tranſibant.

Semina diſcordiæ inter fœderatos.

§. 14. Enimvero Banerium ea maxime cura coquebat, quomodo junctas ſemel ſociorum copias retineret, qui peculiares ob reſpectus in diverſa ferebantur. Unde caute cum illis agere, & quantum poterat molliſſimis verbis uti; & qua non ſemper ad placitum ſuum, & quod belli ratio poſcebat adduci poterant, ipſorum ſe ingenio accommodare, quantum ſalva ſumma rerum licebat, nec omnia ad unguem exigere. Nec eo minus, ubi ſumma belli ratio urgebat multa admittenda erant, quæ reliquis parum ad palatum forent. In Franconiam ideo potiſſimum iter molitus fuerat Banerius, ut ſedem belli eo transferret, hoſtemque Haſſia & Brunſuicenſi agro longe abſtraheret; tum ut ſociorum copiis eo diutius conjunctis frueretur. Nam & illi ab initio protegendis ſuis ditionibus cum Banerio ſe conjunxerant: & hoc inter hoſtem ipſosque poſito, ubi res exigeret, ſtatim iiſdem ſuccurri poterat. Aſt quo longius ab hoc ſcopo diſcedendum erat, eo magis difficultates gliſcebant, conjunctione illa ſecus cadente. Præcipua diſſenſo circa ſummam belli directionem erat, quam ſibi Banerius vindicabat; quod judicaret, Ordinum Germaniæ copiis parum profici, ni ſinguli Suecorum moderamen reſpicere tenerentur. Contra Luneburgici & Haſſi, uti Guſtavo Regi ſummum belli arbitrium citra ſcrupulum detulerant; ita nunc à miniſtro Regio dependere indignum ſuo faſtigio judicabant, præſertim à quo interdum paulo alperius habebantur. Quin nec ſatis tutum videbatur vires ſuas in alterius manus conſignare. Querebantur quippe, ſuas copias antea Suecis auxilio miſſas ipſorum numeris admixtas, nec rebus ſuis exigentibus reſtitutas. Præterea non niſi æquali lege, etſi ſalva cujusque dignitate, fœderi accedere volebant, utque nil niſi de communi ducum ſententia ſuſciperetur, ubi copiæ conjungendæ forent. Quanquam enim Banerio in honorem Reginæ, primum inter duces locum non abnuerent; copiis tamen ſuis non niſi per proprios duces imperari volebant, & ardua negotiorum communi è conſenſu ſuſcipi. Ejusmodi porro conſilium, in quo ſuper arduis belli negotiis deceneretur, & ab initio iſti propoſuerant, & nunc quam maxime ingerebant. Et quia, quæ intempeſtive nuper agitata erat, ſeparationem nunc noxiam agnoſcebant, ſimul in eo vehementer erratum fatebantur, quod, cum ad Salfeldam hoſti noceri non poſſet, alibi impreſſione facta eundem non diſtraxiſſent; talibus in poſterum avertendis utiliſſimum judicabant ejusmodi conſilium conſtitui; quo & Banerio geſtorum ſuorum ratio melius conſtare poſſet, nec uni aut alteri ita temere cauſæ communi ſe ſubtrahere liceret. Quan- Melander à Landgravia diſmiſſus. quam etiam turbandis rebus plurimum contulerat Melander, qui nil niſi Hollandica & Vene-

Controverſia ſuper directorio belli.

ta

1640. ta bella, crumenis præfectorum replendis idonea, crepabat, novisque semper postulatis, ac Venetorum stipendiorum ostentatione lautiores subinde conditiones Landgraviæ extorserat. Is à Norlinganæ cladis tempore Suecicis partibus iniquior, nuper conjunctioni cum Banerio acriter contradixerat, & nunc eadem minus ad votum succedente reditu suo Cassellas Landgraviæ multum molestiæ dabat; haut dubitans ipsi consiliariisque provinciæ & exercitus ruinam in faciem exprobrare; ipsam filii tutelæ ineptam, quem sua per consilia omnibus fortunis everteret. Quin & uxor istius Landgraviæ velut pro imperio præscribere. Sed acriter retusus, intempestive expromta importunitate, ab exercitu & præsidiis Westphaliæ sibi obnoxiis remotus quam petebat missionem statim obtinebat, quem ut amoliretur Landgravia, Galli dudum suaserant. Quo amoto sincerior deinceps inter Suecos, Hassosque amicitia exculta fuit. Clitzingius contra maximo hactenus in Suecos studio ostenso invidorum calumniis petebatur, donatione ipsi facta à Salvio non sat tecte habita, velut pecunia corruptus Principis sui salutem post Suecorum commoda haberet. Qui suspicioni declinandæ affectum deinceps parcius exterebat, non modicum rebus turbandis momentum.

Clitzingius fit suspectus.

Banerius Fœderatos auxilium poscit. 9. Jul. Hi abnuunt.

§. 15. Ast hostis Vacham progressus tota vi quamprimum in Banerium ruiturus videbatur. Unde hic denuo per literas à Landgravia, & Georgio Duce petit, omnes copias extra necessaria præsidia sibi confestim auxilio submitti. Ast Landgravia excusabat, ob Hatzteldium & Wahlium in Westphalia se confirmantes præsidiis suis nihil detrahi posse, ne loca ista hostium prædæ exponantur. Nec si qua forte ibi manus supersit, ob interpositum Wahlium huc deduci posse. Per Frisiæ quoque castella, quibus tantopere inhiet hostis, augenda potius sibi quam minuenda præsidia. Sed & Georgius Dux negabat plura à se conferri posse, nisi præmissa justa conventione. Ditioni suæ ingens periculum imminere, si res eo quo hactenus modo deinceps administretur. Non insolitum, ejusmodi conventiones sub oculis hostium iniri. Ita inter Gustavum Regem, & Saxonem transactum. Quod si hostis incumbat, idoneo loco insesso vim ejus tantisper propulsandam, quoad conventio illa absoluta fuerit. Huic adornandæ, re prius inter se communicata, Luneburgicus Clitzingium, Fridericum Schenckium, & Jacobum Arnoldum Papium, Landgravia Gunterrodium, & Geisium tribunos in castra Banerii mittunt, quod hic hoste tam propinquo iis excedere non auderet. Hi primum de consilio firmando proponunt, in quo magni momenti negotia omnium quorum interest consensu decidantur, illi exsequenda, penes quem belli administratio sit. Tum & extra conjunctionem consilia invicem communicanda. Fœderatos nonnisi de consilii sententia toto exercitu: aut expedita manu, aut aliquot catervis sibi invicem succurrere, hostemque distrahere velle, prout ratio belli exegerit. Junctos tamen exercitus non miscendos, & singulis sociorum suos pro re nata revocare integrum fore, aliis impedire non ausis. Exsecutionis directionem penes illum fore, cui cæteri se adjungant, aut cui auxilio veniatur. Cui in sua ditione auxilium feratur, ab eo annonam & pabulum præbendum. Ubi extra ditionem sociorum principem juncti fuerint, hospitia pro rata dividenda, & sorte assignanda. Unus alterius ditione & hospitiis abstineat, nec nisi ex necessitate, & de sententia Consilii eadem tangat. Desideria Luneburgicæ Domus Banerius Reginæ diligenter commendet. Denique si quæ loca recuperentur ad aliquem ex sociis spectantia, illis non nisi à domino præsidia imponenda.

14. Jul. Landgravix & Luneburgici postulata.

§. 16. Banerius ab hisce legatis id agi suspicabatur, ut ad reconciliationem cum hoste sibi viam struerent, & pro lubitu societatem Suecicam deserere possent. Causa diffidentiæ erat, quod nihil hostile inter Luneburgicos & Guelferbytanos, tum Hassos inter, & qui per Paderbornensem præsulatum agebant, exerceri audiret. Et cum percrebuisset Banerium Mundam, & inde Brunsuicensem in agrum cogitare, legati non obscure fremere ni ditionibus suis abstineatur, & petita conventio absolvatur, se sibi consulturos, & alia consilia capessituros saluti suæ expediendæ. Et facile per desperationem adduci posse, ut illos in auxilium advocent, adversus quos alias se Suecis libenter sociaturi fuerant. Nil adhuc contra Cæsarem inexpiabile patratum, ut non aditus ad ipsius gratiam iterum pateat, præsertim si quo officio offensam pensaverint. Id saltem patebat, proprio illos commodo studere, publicum in postremis habere. Ex hisce igitur Banerius ansam arripiebat circa istorum postulata monendi: Fœderati bona fide communi hosti persequendo insistant, nec uno loco hostilia ostendant, altero neutralitatem aut amicitiam cum eodem exerceant, eoq; neuter absque communi consensu cum hoste super neutralitate, induciis, aut pace tractet, nec literas aut legatos ad hostem mittat. Tum publicum privato anteponatur, nec illud nisi hoc salvo respiciatur. A Consilio bellico idem non abhorrebat, modo ne sit necessum ea destinata, quæ nisi celeritate & silentio expediri nequeunt, ibi proponere; præsertim cum in eo Consilio forte allidere possint, qui num isti conatus necessarii sint, nec ne, judicare nesciant; dissensu suo egregie destinata corrupturi. Porro conjunctis copiis id saltem par esse, ut miles auxiliaris illi obtemperet, cui succurritur; & huic lato auxilio uti licear, prout causa communis & præsens expeditio requirere videatur. Tum auxilia missa tamdiu apud alterum relinquantur, quoad causa mittendi cessaverit, & is, cui missa sunt, rationi belli, suique status id convenire judicaverit. Si alteri distracto hoste consulendum sit, ubi periculum revera depulsum fuerit, pluribus postulatis ne molestus amplius sit. Reliqua ab istis proposita fere probabat, nisi quod adderet: urgente necessitate non nefas fore absque alterius consensu ipsius ditionem aut hospitia ingredi, si idem consensum suum præbere tergiversetur, & alteri, ut celeriter in tutum se recipiat, opus sit. Utique si recuperentur loca, quæ antea hoc bello à Suecis occupata fuerant, deinceps quoque penes hosce maneant, ni Reginæ aliter visum fuerit. Denique ut Georgius Dux machinas Suecicas restituat. Ad isthæc monita legati reponebant: cum eadem à mandatis suis abeant, de iis ad superiores esse referendum. Sed nec Luneburgici spem ullam auxilii ostendebant, quod hinc Saxo & Brandeburgicus, inde Harzfeldius & Wahlius infesta minitarentur, & Guelferbytani ipsis provinciæ visceribus incumberent. Quibus placebat expeditum potius exercitum formari; qui quamdiu hostis Banerium premeret, istius vires distraheret; hoste cedente Guelferbytum eminus clauderet, Hatzfeldioque & Bavaricis negotium faceseret. Banerium tunc si tria millia è Westphalia & Inferiore Saxonia ad se evocarit, facile Piccolomineo parem fore absque Principum sociorum auxilio; præsertim cum majores exercitus annonæ penuria infestos habere soleat, ac Banerius longe minore cum manu glorioſissimas res gesserit. Majorem tamen exercitum, & alterum expeditum necessitate exigente sibi mutuo succurrere debere. Ita re infecta isti legati discesserunt.

Banerius his diffidit.

Ejus responsum.

Luneburgici in separatum exercitum inclinant.

1640. Banerius denuo Ducis Georgii auxilia poſtulat.

§. 17. Interim Piccolomineus ſex equitum, una peditum legionibus è Bohemia auctus jam in Banerium ruiturus, ac de ſumma rerum certaturus videbatur. Cui ut hic occurreret, denuo excitandis Haſſicorum ac Luneburgicorum auxiliis Carolum Guſtavum Wrangelium ad Georgium Ducem ablegat, oſtenſurum, quid mali eventurum ſit, ſi Succis eo, quo nunc agant, loco diutius conſiſtendum fuerit, nec iidem ut hoſti obviam ire poſſint, firmentur. Inſtare præterea hiemem, nec ullum hibernis locum adparere, cum hoſtis à fronte urgeat, retro omnia vaſtata ſint præter Luneburgicam ditionem; in quam Martis ſedem devolvere, rationi belli, ſociisque Principibus, & cauſæ communi adverſum ſit. Quæ in Haſſia ſuperſint, intra has moras brevi una cum exercitu conſumtum iri. Ex his anguſtiis emergendi nullam aliam eſſe viam, quam ut collatis omnium viribus in hoſtem eatur. Qui ſi pugnæ copiam faciat, jaciendam aleam eſſe. Sin trans Mœnum recedat, ſedem belli eodem transferri poſſe. Quo facto peculiaria Ducis deſtinata circa Guelferbytum, & alia eo facilius ſuccedere poſſe. Denique cum tam prope Dux Gœttingæ abſit, petebat, ut ipſe ad exercitum ſe conferre velit, conditionem ejus inſpecturus, ac ſua præſentia

Ducis Georgii reſponſum.

multis malis medicinam facturus. Ad ea Dux: Se in ipſo rerum articulo quantum in ſe ad cauſam communem contuliſſe. Nunc hoſtem in viſceribus, & ad latera utrinque habenti copias nullas ſuppereſſe, quæ vix præſidiis ſuis ſufficiant. Præterea ne ſi pares quidem numero ſint, in hoſtem ſibi eundum videri; cum non nili certum inde exitium ſit expectandum, hoſte opportuna loca inſidente celſis objectis montibus, ubi ad prælium invitus cogi nequeat. Nec ullam illis oris annonæ, pabulique copiam. Unde ſatius videri commodo ad Viſurgim loco caſtra munire, ibique hoſtem ingruentem propulſare: ad quod ipſe omnia pro virili collaturus ſit. Quod ſi retro abeat hoſtis, conſilium è re capiendum; ac hiberna tunc ultro ſe præbitura. Hoſtem trans Mœnum abiturum, ac ſedem belli eo devolvi poſſe non videri; nec id è republica eſſe, cum præter exiguum Moguntini tractum omnes ibi terræ Evangelicorum ſint, magnam jam partem vaſtatæ. Nec in proclivi eſſe hac anni tempeſtate trans Speſſartum ſylvam Wurtzburgum penetrare. Denique ſua præſentia exercitui nihil conſuli, conventione & Conſilio bellico à ſe propoſito nondum inſtituto.

Miſera conditio exercitus Succici.

§. 18. Gliſcebant inter hæc indies per exercitum Succicum miſeriæ, annonæ pabulique inopia premente. Ac Longuevillius quidem præſenti pecunia panem ſuis emebat; Haſſos ac Luneburgicos ſui Principes alebant; ſoli Succi aliena gratia victitabant. Et ejus anni ſegetem continui imbres fere corruperant, molendinis inſuper paſſim deſtructis. Submiſſum à Luneburgicis frumentum ob lutoſa viarum tardius adveniebat. Unde morbi, morteſque crebeſcere; nec minor poſt famelicis è ſubita repletione peſtis. Quin & ipſos duces ad panem & aquam redactos Banerio indignum videbatur. Nec miſeriis hiſce ſat conſuli judicabat, ſi locum ad Viſurgim è conſilio Ducis Georgii capeſſeret. Sed quod ipſe utiliſſimum judicabat, ut contractis omnibus copiis denuo in hoſtem iretur, eoque rejecto tempeſtivæ ſeparationi ſpatium fieret; id cæteris hactenus perſuadere nondum potuerat. Igitur cum alia via iſtos in ſententiam ſuam pertrahere non poſſet, ſimulare inſtituit, quaſi trans Viſurgim & Albim in Sileſiam ad Stalhantſchium

Banerius diſceſſum in Sileſiam ſimulat.

abiturus eſſet, Luneburgicis Haſſisque ſolis adverſus hoſtes deſtituris demum experturis, quid conſiliis ſuis emolumenti ſibi peperiſſent. Igitur à Duce Georgio tranſitum Viſurgis per Mundam oppidum poſtulat, ſcripto cauturus, idem à ſe haut detinendum. Simul toti exercitui Eſchvvega Witzenhauſam iter indicit. Landgravia hoc audito perterrita literis à Banerio petit, ne hoſti ultro janua pandatur irreparabili ipſam damno afficiendi. Sed & Georgius Dux frumentum in poſterum offerebat, oſtendens, hoſtem non minoribus miſeriis conflictari: ac ſi obnixe ſuam ſtationem teneat, brevi ipſi pereundum. Unde ſibi non perſuaderi, eum tam mature, ac majoribus quondam difficultatibus exhauſtis hoſti ceſſurum. Si tamen ea mens ſedeat, excuſatum ſe apud Reginam haberi velle. Nec Munda tranſita opus fore, cum pontes navales defuturi non ſint. Banerius haut eo ſecius per difficillimas vias Witzenhauſam eluctatus, non minus ibi miſeriarum, quam Eſchvvegæ reperit, nullo cibariorum proviſu, dilapſis incolis, nec aliquos per dies pane è Brunſuicenſi agro allato, ut is ne Banerii quidem menſæ ſufficeret. Dux Georgius profectione hac audita ſtatim Ulricum Tabbertum cohortis prætoriæ centurionem cum literis ad Banerium mittit, tentaturus, num inſtituto ipſum dimovere poſſit. Eo in rem præſentem deducto Banerius reſpondet: commiſſum ſibi exercitum utique in tuta ſubducendum. Quod ſi tamen ſibi demonſtretur, heic loci à ſe aliquid ad cauſam communem conferri poſſe, ſe rationi & æquitati haut reluctaturum. Landgraviæ quoque denuntiat, ſe hoc loco, ubi nihil annonæ reperiatur, diutius cum exercitu hærere non poſſe: & quia à cæteris quorum intereſt ſibi non ſubveniatur, ut ultro in hoſtem tendere poſſit, alibi ſecuritatem ſibi ſuam quærendam. Equidem ſibi non in animo eſſe hoſti in perniciem amicorum cedere, quin cupere hunc regionibus hiſce arcere, ſi ipſi non plane manum negotio ſubtraxiſſent, ac mature auxilium ſubmiſiſſent. Optaſſe ſe, ipſorum copiis ſuffulto in hoſtem ducere licuiſſe. Sed qua petito & conſilio ſuo locus datus non ſit, nil aliud ſibi relictum, quam tutum receptum circumſpicere.

1640

22. Jul. Landgravia & Luneburgici Banerium retinere cupiunt.

23. Jul.

25. Jul.

26. Jul.

§. 19. Inter hæc hoſtis Vacha motis caſtris Rotenburgum ad Fuldam proceſſerat, uti captivi aſſerebant, Fritzlariam, inde per Waldeccenſem Comitatum in Weſtphaliam penetraturus; ac jam numeroſæ catervæ Fritzlariam præceſſerant. Huc rei penitius explorandæ Banerius cum octingentis equitibus excurrit. Qua occaſione apud Landgraviam Caſſellas divertit, quam cupidam colloqui cum ipſo Hermannus Wolfius Legatus ſignificaverat. Ubi initio Landgravia graviter querebatur; ſe repudiata Cæſaris pace ſat commoda ob communem Proteſtantium cauſam arma corripuiſſe, ſiniſtro eventu, provincia ſua per amicos iuxta ac hoſtes in ſolitudinem redacta. Sed cum Banerius contra demonſtraret, ipſam Luneburgicosque in culpa eſſe, qui ſpretis ſuis monitis nunquam tantum ſibi auxilii ſubmittere voluerint, ut hoſti invadendo, & è vicinia depellendo par foret: adquieſcebat, ac qua ratione res reparari, quidque à ſe auxilii peteretur, exquirebat. Cui Banerius; extremis quæ immineant malis omnes copias opeſque opponendas. Alias ſibi conſtitutum ad Georgium Ducem excurrere, & quid ab ipſo expectandum ſit, exquirere, ne amplius inter ambigua hæc conſilia exercitum ſuum exitio objiciat. Reverſum in caſtra Banerium à Duce Georgio Legati adeunt Papius, & Kœttericius tribunus, & à Landgravia Gunterrodius, ac Schefferus quæſtor militaris, ſuper deſtinatis hoſtium cum ipſo conſultaturi. Banerio ea ſententia ſedebat, non aliam viam ex omnibus ſe moleſtiis nunc & in futurum eripiendi eſſe, quam ſi contractis univerſis copiis in

Hoſtis Fritzlariam tendit.

Banerius cum Landgravia Caſſellis colloquitur.

Luneburgici & Haſſi conſilium Banerii exquirunt.

hoſtem

1640. hostem eant, secundoque prælio eundem profligent. Tunc enim singulos peculiaribus suis destinatis commode vacaturos. Inter varios sermones legati interrogabant; num data occasione pacem sibi apud hostem quærere debeant? Id quod ipsi, dissentiēte quantumvis Banerio, vitio sibi non verti posse contendebant; ut tamen omnia, quæ agerentur, bona fide communicaturos se reciperent. Ita isti legati discedunt. Enimvero plus sua præsentia ad rempublicam profici judicans Banerius ipse Gœttingam ad Georgium Ducem excurrebat, à quo obtinebat, ut omnes suas copias ad exercitum mitteret, exceptis solis, queis ad necessaria præsidia opus habebat. Et quia nuntiabatur hostem Fritzlariam progressum castra ibi munire, conveniebat junctis copiis in eum movere, ac fortunam prælii tentare.

Banerius cum Georgio Duce colloquitur.

3. Aug.

§. 20. Ita denuo Hassici Luneburgicique majore quam antea numero Suecis juncti Fuldam flumen apud Mundam ponte navali transeunt: Inde per Græbensteinam, Burguffelam, Volcmarsàmque itinere facto Wolfshagam perveniunt. Ubi in vicino vico nonnulli hostium populabundi intercipiuntur, simul in triginta exploratores incurritur, quorum plerisque captis reliqui Fœderatos adesse nuntiant. Ita tribus machinis displotis Cæsarei ad arma vocantur. Eo die quia peditatus cum tormentis tardius sequebatur, castra inter Wolfshagam & Marxhausam, uno à Fritzlaria milliari ponuntur. Sequenti die propius ad castra hostium succeditur, ac duabus majoribus machinis in eadem fulminatur, nullo damno illato, simul cum catervis hostium, qui in valle constiterant, velitatio committitur. Dum castra hostium lustrat Banerius montem sat celsum & præcipitem animadvertit, ex quo hosti noceri posse putabat. Ad eum occupandum statim manus peditum, & Braunii tribuni desultores mittuntur. Sed qui jussu hostis eodem adproperabant, Suecos prævertunt. Unde cum hostis loco prævaleret, Banerius duas peditum phalanges, & aliquot equitum turmas suis subsidio mittit. Accerrime ibi confligitur; sed tandem Cæsarei monte depelluntur, quem Suecivalida manu insident, duabus machinis eodem pertractis. Eo conflictu è Fœderatis non multi cæsi, aut sauciati. Hostium plures desiderabantur, & Suecitribus centurionibus & sexaginta aliis captivis potiebantur, præter eos, qui in sociorum manus inciderant. Sequenti die Fœderati in acie ante hostium castra consistunt, prælio decernere cupidi. Ast cum illi intra munimenta se sua quieti tenerent, nec inviti ad pugnam adigi, aut intra castra oppugnari possent situ & opere firmissima; Banerio cæterisque ducibus videbatur propius hostem castra metari, & intercepta annona pabuloque eundem urgere. Ita sequenti die Fritzlaria iterum digressi, mox transmisso Adrana fluvio Wildungæ, & circa considunt. Ubi brevi hostis fame conficiendus videbatur, cum qua is venerat, & ubi Sueci castra habuerant, omnia absumta forent, tum in Waldeccensem Comitatum ob Fœderatos penetrare non daretur, & tractu Casellas versus parum inveniretur, nec sine periculo adferri quid posset. Quin si maxime frumenti quid corrasum foret, duo tantum molendina tanti exercitus usibus patebant. Dum ita castra castris opposita habentur, pauca memoratu digna patrabantur, præter quotidianas excursorum velitationes, ac mutuas in pabulatores insidias. Ubi hostis denuo acerbitatem animi adversus Luneburgicos, Hassosque ostendebat, quotquot deprehenderat internecioni datis. Quanquam autem hoc modo hostis ad extremas miserias redigeretur; Fœderatis tamen res non multum lautiores erant, exhaustis circumcirca regionibus, & messe intra breve tempus consumta. Quam porro Luneburgici præbebant annonam, Mundam tantum afferebatur, unde valido cum præsidio curribus per quatuordecim milliaria advehenda erat, magna cum militum vexatione, nec ipsa tamen tantæ multitudini suffectura. Ita fere toleranda fame invicem certabatur. Inter hæc Longuevillius Dux valetudine adversa correptus Casellas abibat, imperio in Gallicas & Vinarienses copias in Guebrianum collato. Erat is alias ingenio placido, sed uti consilio ex se capessendo impar, ira aliorum suggestionibus obnoxius, eoque & Gallis & Germanis parum æstimatus. Eum cum duobus equitum millibus deducebat Pfulius cui tribus cum equitum millibus insidias incassum hostis struebat, quod Banerius pari manu istis immineret.

Fœderati Fritzlariam tendunt.

7. Aug.

10. Aug.

11. Aug.

12. Aug.

Fœderati Wildungæ considem.

13. Aug.

Longuevillius Dux ab exercitu discedit.

§. 21. Porro per Fœderatorum exercitum miseriæ istæ tanto impatientius ferebantur, quod pluribus ille corporibus constaret, simul priora dissidii semina super Consilio bellico ac directione glisceb ant, de quo duces Banerio alias sat concordes ex aulis suis nova mandata acceperant. Quanquam enim Banerius Consilium bellicum non abhorreret certo modo constituturum: Luneburgici tamen & Hassi eo inconsulto nihil suscipi volebant, cum tamen subiti hostium conatus, & quotidiana belli negotia, silentio fere ac celeritate constantia, prolixis agitari consultationibus inter belli præsertim imperitos respuant, occasione rei gerendæ inter has moras fere elabente, & destinatis hosti proditis. Sed & facile ferebat Banerius, singulis exercitibus à suis ducibus imperari, modo communes belli actus sibi dirigendi relinquerentur, tantumq; auctoritatis, quæ cæterorum dissensiones componere posset. Ait Principes moderamen belli in solidum à Consilio isto dependere, nec sua suffragia minoris, quam Reginæ haberi volebant. Præterea Banerius in castris ad Salfeldam Luneburgicas quasdam præfecturas suis hospitiis exemerat, ut in aliis rebus istos haberet eo faciliores. Ait nunc isti omnia Westphaliæ loca Suecis infesta sibi vindicatum ibant; simul quæ cum aliis intercedebant lites, huic negotio immiscere conabantur. Accedebant alia, Banerio non parum suspecta. Quo die ad Fritzlariam accesserat Fœderatorum exercitus, duo tubicines ab Hassis ac Luneburgicis in castra hostium literas tuti itineris pro Judice castrensi attulerant, eumque secum Casellas deduxerant Banerio plane inconsulto & inscio. Obrendebatur color valde dilutus; istum cognatos suos invisere, ac vestimentorum quid pro quibusdam ducibus emere voluisse. Cum constaret ipsum Casellis cum ministris Landgraviæ secreta consilia agitasse; nec Hassi abnuerent, mandata eundem ab Archiduce habuisse. Quin & Georgius Dux ad Archiducem scripserat, petens Cæsareum exercitum Inferioris Saxoniæ finibus & Hassia abduci; nec conjunctionem cum Suecis alio fine factam, quam arcendis belli malis. Cui Archidux non sane ex voto responderat: cum Dux Cæsari plane reconciliatus fuerit, nec ipsius ditioni ullum periculum à tam longe remoto exercitu imminuerit, non posse animo se concipere, quomodo ista conjunctio non ad apertam Cæsaris offensionem spectaverit. Non eo minus tamen Banerius conjiciebat; Principes inter se convenisse auxilio Suecorum ad sui defensionem uti, interea Cæsarem remissius offendere, viamque ad instaurandam pacem quærere. Et constabat, à Cæsare iisdem ostentari sinistrum conjunctionis eventum, gratam suam adhuc expositam; à Suecis indigne ipsos haberi, ditiones vastari. Ac scripserat inter alia Piccolomineus; se Banerium velut columbam

Diffidia in Fœderatorum exercitu.

Banerius fœderatos haber ſuſpectos

11. Aug.

1640. comprehenſurum. Quæ non exiguam vim habebant in animis Principum ætate aut ſexu debilium, qui timidis fere, ac legum magis quam belli peritis conſiliariis ſtipabantur, ſed & Clitzingius à Georgio Duce mandata acceperat, ut ſi Banerius alio concederet, ipſum ne ſequeretur: cum tamen exercitus his locis diu contineri non poſſet, ingruentibus hinc valida cum manu apud Gieſſam Gleenio & Gonzaga, inde copiis ad Stadbergam ſe congregantibus, quæ frumento Munda ſubvehendo inſidiabantur. Quod ſi igitur his malis declinandis alio movere vellet Banerius, pernicioſa copiarum ſeparatio metuebatur. Quæ mandata ipſi quoque Clitzingio, cæterisque ducibus diſplicebant; qui & Banerium monebant, ut ipſe belli conditionem Duci demonſtraret. Unde Banerius à Duce petebat; conſilii ſui copiam faceret, & quid emolumenti hiſce in caſtris cauſæ communi adferre poſſit, oſtenderet: aut ſi videat, non diutius heic loci poſſe ſubſiſti, quid deinceps ſuſcipiendum ſit? ſe quidem ad omnia, quæ ratio belli ſuggerat, paratum; curam tamen utique ſuſcipiendam, quomodo commiſſum ſibi militem præſenti exitio ſubducat. Hæc diſcordia hoſti cognita ipſum majoribus quantumvis malis conflictatū ad patientiam obfirmabat, quod Fœderatos ſuis

Hoſtis copiæ augentur. diſſidiis brevi peſſum ituros ſperaret. Gleenium tamen & Hatzfeldium Wahliumque ad ſe evocabat, quorum adjunctis viribus ſub oculis Fœderatorum eo penetraturus erat, ubi damna hactenus accepta reparare poſſet. Et Gleenius quidem, atque Hannibal Gonzaga poſt captam Bingam & Bacharacum cum ſeptem peditum, una dragonum, & duabus peditum legionibus per Haſſiam ſuperiorem Fritzlariam pervenerant, ubi & biduo poſt

12. Sept. 14. Sept. Hatzfeldius & Wahlius aderant. Horum copiis auctus Archidux, quod antea citra periculum facere non poterat, jam tuto Fritzlaria Wolfhagam

Hoſtis Fritzlaria movet. ſe confert. Et quanquam nonnulli crediderant, ipſum retro in Franconiam iturum, ubi & Suecis illudendis magna vis panis parabatur; tamen is Warburgum Borcholtumque, ac recta Huxteram verſus ad Viſurgim tendit. Conſilium ipſi erat poſt

18. Sept. ejus deſtinata. devaſtatam Haſſiam Luneburgicam ditionem populari; ut bellum à Cæſareis ditionibus dimoveretur, ſimul iſtis Principibus omnis facultas copias reficiendi adimeretur. Ac ſperaverat capta Huxtera, tranſitoque Viſurgi Einbeccam, inde Hildeſiam modico delectu provinciali inſeſſam in poteſtatem redigendam; aut ſi ſubvenire vellent Fœderati, ad importunam ipſos pugnam adigendos.

Banerius itidem ea- §. 22. Banerius tunc Arolzæ cum Principe fœ-
ſtra movet. mina è Badenſi familia nuptias agitabat, ac ſacerdos ſolennia ſacrando connubio adminiſtrabat; cum de profectione hoſtis nuntius adferetur. Unde abruptis ceremoniis, nec expectata nocte ſtatim ad exercitum properans ſequenti die & ipſe iter

15. Sept. ingreditur, ac initio apud Waldeccam conſidet. Mox animadverſis hoſtium deſtinatis cum Clitzingio convenit, ut is aſſumto equitatu Luneburgico, ac ſuperato Fulda ac Werra fluminibus ſtationem trans Viſurgim capeſſeret. Qui tamen à Banerio digreſſus non ea qua convenerat, & quam res

16. Sept. exigebat, celeritate iter faciebat, conſumtis quinque diebus in via, quam intra biduum conficere licuerat. Et cum hoſti vim opponere debuiſſet, ſemel & iterum à Duce Georgio ad Banerium ſe remitti patiebatur. Sic ut hanc ob negligentiam ſumma rerum ingens periculum incurreret, ſi hoſtis deſtinata ſua ita celeriter exequi, Suecosque ſuperato Viſurgi ac Leina prævertere potuiſſet. Nam Suecis prævenientibus in proclivi erat commoditate Solinganæ ſylvæ, ac riparum altiorum Cæſareos arcere. Enimvero obſtabat horum co-

natibus Huxtera, cujus expugnatio tardius procedebat, quam ſperatum fuerat. Ad hoc oppidum Piccolomineus cum equitum manu acceſſerat; ſed peditatu longius adhuc abſente oppugnationi neceſſaria non niſi ſequenti die adferebantur; nec alta luce acceſſus ad oppidum moliri dabatur. Ac Braunius tribunus à Banerio cum manu dimacharum tuendo oppido immiſſus poſt aliquot aſſultus honeſtas deditionis leges paciſcitur; quæ tamen ſervatæ non ſunt, omnibus gregariis ſub ſigna Cæſarea redactis, ac ſolis ductoribus dimiſſis. Cauſa ferebatur, quod Braunius diſceſſum ex oppido ultra conventam horam diſtuliſſet, velut auxilium interim expectaret. Porro capta licet Huxtera pons deerat, per quem univerſæ ſtatim copiæ traduci poſſent. Etſi nonnullæ turmæ trans flumen Luneburgos recens conſcriptos Holtzmindæ, & vicinis locis oppreſſerant, magnoque terrore totam regionem affla verant. Aſt Banerius crebris à Georgio Duce nuntiis urgentibus, ne ſe has inter anguſtias deſereret, ac ſummo belli moderamine, de quo hactenus litem moverat, in ipſum collato, quantum poterat approperare ſiſtendis hoſtium conatibus. Cum autem à Clitzingio emiſſi exploratores, & à Suecis capti uno ore confirmarent, hoſtem apud Furſtenbergam duos pontes Viſurgi in-

1640. Huxteram hoſtis expugnat. 19. Sept. 20. Sept. 21. Sept. Viſurgim non poteſt tranare. Banerius hoſti obſtitit. 21. Sept.

jeciſſe, ac jam partem exercitus transmiſiſſe; Clitzingius, omnesque Luneburgici Conſiliarii cenſebant, ultra Leinam concedendum, expoſita hoſti inter hunc & Viſurgim regione. Sed intercedebat Banerius, qui ſatius putabat prælium tentare, ac magna conſtantia progreſſus Furſtenbergam attingebat, ubi pontes ab hoſte cœpti, nondum abſoluti erant; & aliquot Croatarum turmas præcipites trans flumen rejiciebat. Ita Banerius loco in oppoſita hoſti ripa capto, ac præcluſa eidem ſpe flumen ſuperandi Luneburgicam imminenti vaſtirati eripiebat.

Banerius per Luneburgicam ditionem hoſpitia capit. 23. Sept. §. 23. Judicabant Suecі hoc officio Luneburgicis exhibito ſe meruiſſe, ut aliqua hoſpitiorum quiete recrearentur. Eoque inſtantibus ductoribus Banerius ſtatim atque Furſtenbergam pervenerat, à Ducibus per literas petebat; curarent, quicquid frumenti Mundæ ſupereſſet, cum quatuor machinis majoribus, & ponte navali huc devehi. Sed his moras nectentibus, penuria non minus quam indignatio apud militem, Vinariensem cum primis, Gallumque augeſcere, qui vehementer flagitabant relicto flumine per vicos diſponi, Banerio inhibente, ne hoſti janua velut in eam regionem panderetur. Mittebatur tamen Pfu- 28. Sept.
lius, & Duglaſſius ad Ducem, qui demonſtrarent; continuis imbribus ac longa inedia militem plane confectum; nec ullam in propinquo urbem unde quibus pecuniæ quid ſit, emere neceſſaria queant: tum mercatores caſtrenſes nullibi in oppida admitti, plerorumque inſuper zonis inanibus. Igitur celeriter quæſtores mitteret, ne ſibi neceſſitas imponatur ad alia loca diſcedendi quam maxime nunc intento, ut hoſtis Viſurgis tranſitu prohibitus alio faceſſere cogatur. Simul aliquod equorum millia ſupplendo equitatui poſtulabat. Ac de equis quidem Dux plane abnuere. De ſuſtentatione exercitus deputati mittebantur. Et cupiebat quidem Banerius legiones per totam provinciam diſtribui, hoc ipſo minus onerosas futuras, quam ſi modico diſtrictu coërcerentur. Tum ut militi pecuniam loco alimentorum paciſci liceat, ſi velit. Contra Luneburgici hoſpitiis Suecorum loca jam tranſitu exercitus exhauſta deſtinabant, haut diutius quam quoad hoſtis abſcederet, obtinenda. Tum ut præter alimenta militi pecuniæ nihil præberetur, quod ita cum Salvio Hamburgi conveniſſe dicerent. Enimvero cum inter has Luneburgi-

1640. neburgicorum tergiverſationes, gliſcente exercitus miſeria, à ductoribus coitiones jam fieri inciperent, ac minacia poſtulata, qualia quondam apud Magdeburgum, ad Banerium deferrentur, demulcendo utcunque militi, tractu inter Viſurgim & Leinam nuper hoſtibus derelinquendo legiones ipſe diſponit, quæ ex quo tempore Viſurgim acceſſiſſent, nudo ſub æthere, & panis fere exſortes egerant. Ea in hoſpitatione Vinarienſium æque ac Succorum ratio habita quorum duces antequam in diverſa diſcederent, confirmabant, ſe ipſum denuo moventem ſecuturos. Hoſtis contra ſpe in Luneburgicam penetrandi eluſus urgente fame Huxteram deſerit hinc inde ad Viſurgim vagatus, ut de inſtituto ipſius liquido judicari non poſſet. Ex interceptis literis, & captivorum confeſſione colligebatur, ipſum apud Bremam Viſurgi ſuperato in cognominem præſulatum iturum. Quæ conſilia Banerius omni modo impedire conabatur: ſimul frequentibus catervis hoſtem carpebat, Hatſis à tergo eundem infeſtantibus. Ac fatebantur Cæſarei, hoc tempore, quo apud Huxteram, & in Paderbornenſi præſulatu egiſſent duo millia ſe militum deſideraſſe. Iidem ægerrime ferebant, præcluſa Viſurgim ſuperandi ſpe ad proprias regiones repetendas ſe compelli magna cum moleſtia peditatus, qui numeris exhauſtus, ac continuis laboribus, inediaque ita emaciatus erat, ut non niſi ſingula milliaria diurno itinere abſolvere poſſet, binis ad quietem interjectis diebus; & qua inceſſerant, viæ procumbentium cadaveribus ſternerentur. Majora quoque tormenta jumentis deficientibus Stadbergæ relicta. Nec in promtu hibernorum copia, inter Viſurgim & Lippiam omnibus abſumtis: cum Monaſterienſi & Colonienſi præſulatu, ac multo magis Cæſareis provinciis parcere cuperent. Nec alibi fere, quam in Franconia aliquid militi ſupererat. Initio tamen Colonienſis ditio petebatur.

Hoſtis Huxteram deſerit.

Banerius Luneburgica ditione exire cupit.

§. 24. Succicis contra pro captu earum regionum commoda hoſpitia, & ſaltem annonæ affatim. Sed quia Luneburgici Duces eos quam primum inde digredi optabant, Banerium crebris literis, tum & legatione Hildeſiam invitabant, ſuper bello deinceps gerendo conſilia collaturi. Et nolebat Banerius his diu moleſtus eſſe; cum militi heic quidem eſſet unde viveret, non unde numeros ſuppleret: nec hoſti detrimenti quid inferretur, ſi ipſe diu his oris deſideret. Unde neceſſarium judicabat hoſtilibus iterum terris propinquare; præſertim cum hac anni tempeſtate, ac tumente flumine ne ſi vellet quidem hoſtis eis Viſurgim penetrare poſſet. Unde in Miſniam ac Bohemiam quam primum cogitabat, propior Stalhantſchio in Sileſia futurus; ac Luneburgicis facultatem daturus copias ſuas augendi. Igitur præmittitur in Miſniam cum aliquot legionibus Pfulius. Ipſe Hildeſiam excurrit, cum Georgio Duce, & Guebriano ſuper adminiſtrando in poſterum bello conventurus. Ac Banerio quidem videbatur Fœderatorum copias prius firmandas, quam in hoſtem quid tentaretur. Nam ut hoſti qua præceſſerat inſiſtatur, vaſtitatem regionum, ac anni tempeſtatem non permittere; qui & facile in Franconiam & Sueviam ſe ſit ſubducturus; Fœderatis eis Mœnum inter omnium penuriam deſtitutis. Supplendis porro Luneburgicis copiis ipſorum regio ſufficiebat. Reficiendo Succico exercitui major difficultas, exhauſta fere Thuringia & Miſnia. Quod ſi tamen Duces propriis terris tuendis ſuffecturos ſe ſperarent, eo viam capeſſere Banerio, & in Cæſareas inde terras penetrare placebat, quantovis labore ſuorum ſuſtentationem quæſituro. Poſtulaverant inſuper Duces præſidia Succica Nienburgo, Hoya, Lemfœrda, Bleckeda, Wulfsburgo deduci, Minda oppido & præſulatu ipſis cedi tributa quibuſdam ſuis præfecturis à Weſtphalicis præſidiis impoſita remitti; ſuper quibus nihil ſe in mandatis habere Banerius excuſabat. Volebant quoque iidem Magdeburgicum & Halberſtadienſem præſulatum, Stolbergenſem, Wernigerodanum, Honſteinenſem, Lippienſem, Ravensburgicum Comitatus, Eichsfeldiam, oppida Goslariam, Mulhuſam, Northuſam, Hervordiam ſuarum copiarum hoſpitiis concedi. Id quod fieri poſſe negabat Banerius præſertim cum & Vinarienſibus ſecum junctis proſpiciendum eſſet: & cum Succi Luneburgicorum terras crudelitati hoſtium ſubtraxerint; nullo colore poſtulari, ut ab hiſce de proventibus ſuis aliquid detraharur. Quibus petitis eo facilius deſiſtebant Duces, quod Banerius promtum ſe propediem educendo ſuo ac Vinarienſi exercitui oſtendebat. Nam Guebrianus ac Choiſius Gallici Duces Banerium ſe in Miſniam ſecuturos promiſerant. Viciſſim Georgius Dux amicitiam in poſterum, & quantum penes ſe auxilii, ac pro re nata copiarum conjunctionem ſancte ſpondebat. Cæterum eo tempore multus de convivio Hildeſiano rumor erat, convivatori æque ac hoſpitibus exitioſo, quo utriſque malefica arte medicatum vinum opera cujuſdam Monachi Gallici propinatum fuerat; Catholicis gaudium ſuum male diſſimulantibus. De quo ſcelere etſi nobis parum diſtincte compertum; eventus tamen rumorem non vanum fuiſſe arguit. Nam Chriſtianus Haſſiæ Landgravius, & Schaumburgius Comes largius hauſto liquore mox extincti ſunt. Dux Georgius & Banerius, qui præcipue petebantur, parciore potione exitium ad proximum ver diſtulere.

Hildeſiæ de bello deliberatur. 28. Oct.

Convivium Hildeſianum. 14. Nov. 15. Nov.

§. 25. Interea Hatzfeldius partem copiarum Cæſareorum in Marcanum Comitatum, ac Ducatum Montium duxerat. Cum reliquis Archidux & Picolominæus in Haſſiam ſuperiorem tendebant, ſiſtendis Gallorum per Wetteraviam progreſſibus. In itinere Amœnoburgum ſubtractis aquis ad deditionem compellitur. Sed dum tribunus Cæſareus Galla Fridbergam adpetit, accurrente Roſa non ſine damno repellitur, qui meliore fortuna uſus repentino aſſultu Homburgum expugnat; ubi centum quinquaginta Cæſarei capti, quingenti equi, non ſpernenda præda parta. Idem & in itinere catervam centum quinquaginta deſultorum profligat. Sed quia Roſæ, Cæſareo propinquante exercitu, & pabulo deficiente apud Fridbergam ſubſiſtere, ibique includendum ſe præbere haut conſultum videbatur, oppido iſti, arcique quadringentorum militum præſidium imponit, ac Ziegenhainam recedit. Unde procurrens Petri Loiſii Croatarum, & tribuni Rublandi legionem deſultorum Allendorfi concidit. Cui ignominiæ ulciſcendæ Bredavius vicaria ſummi ducis dignatione mittitur cum viginti quatuor aliis ſelectorum toto exercitui equitum dragonumque; qui in Roſam apud Zigenhainam deprehenſum acriter impetum facit, velut plane ipſum oppreſſurus. Sed quia primum Bredavii agmen tribus aliis conſtans à Roſa acriter repellebatur, plurimis cæſis captisque, fugitivis agmini incedenti impactis; cum reliquis ille Neukircham recedebat uno milliari à Ziegenhaina, plures copias, pedites præcipue & tormenta auxilio poſcens. Interim Roſa octingentis equitibus auctus, ſedecim cum alis Bredavium apud caſtra ſua in campo conſiſtentem invadit, ac penitus profligat, fugientibusque ad ipſum Cæſarei exercitus agmen inſtat. Inter ſexcentos cæſos ipſe quoque Bredavius inveniebatur. Capti ſubtribunus & præfectus vigiliarum, decem turmarum præfecti, quatuor optiones, tres ſigniferi,

Hoſtis in Haſſiam regreditur.

Roſa ſtrenue rem gerit. 19. Oct.

Roſa Bredavium profligat.

1640. & gregarii quingenti. Post hanc cladem Cæsarei
21.Nov. in Wetteraviam progressi Fridbergam oppidum & arcem occupant, mox ingruente frigore in hiberna distribuuntur; qui cum Bavaricis centum & undecim legiones conficiebant, præter viginti sex Sileliæ tuendæ destinatas. Vix isti abierant, cum Rosæ pecunias è Gallia Francofurtum missas acceptur is in itinere tribuni Galliæ legionem apud
30.Nov. oppidum Pornesium deprehendam cædit, ipsumque tribunum, sex signa ac quadringentos equos cum insigni præda capit, ac cum pecunia Ziegenhainam deducit.

Banerius ex agro Luneburgico movet. §. 26. Banerius interim exercitum modica quiete non parum refecerat, rei gerendæ cupidum, ac parum curantem nuper à Cæsare & Electoribus promulgata edicta avocatoria, quod ductores magnam partem Sueci, Livoni, Scotique essent: & Germani fere, parum in patria quod amitterent haberent. Præmissus ab ipso Ptulius Saxones, qui Zwiccaviam eminus circumsederant, terrore sui in tutiora recedere jubegerat, cum ipse ob pontes ubique dejectos ita repente istis ingruere non
23.Nov. posset. E Luneburgica moventem Guebrianus initio sequi paululum tergiversatus fuerat, nisi con-
3.Dec. ventione præmissa, qua placuit, Gallos & Vinarienses alternis vicibus cum Suecis honoratiorem in agmine & acie locum obtinere; tum hospitiis pro rata parte frui per sortem assignandis. Denique si quæ ipsis è Gallia supplementa adveniant, ut Sueci præsidio suo eadem deducant. Peditum tamen Gallorum vix trecenti supererant præter volones; quibus una cum Vinariensibus Guebrianus, & Tupadolius præerant, quod Longuevillius imperium abdicasset, & Schmidbergius in Galliam revertisset.

Guelferbytani includuntur. §. 27. Inter hæc Guelferbytani Steinbruccam arcem proditione ceperant: queis Dux Georgius
2.Nov. statim obsidium circumponit, Banerio in auxilium submittente tribunum Carolum Ruthium cum sexcentis equitibus, totidem peditibus. Ea
5.Nov. arx statim deditione capitur, uti & Liebenburgum. Qui Hessendammum, VVesterburgum, & Schladenam insidebant ultro Guelferbytum refugiunt. Ita Guelferbytani omnibus, quæ exterius tenebant, locis expulsis intra oppidum compingebantur, quos Clitzingius eminus circumposito obsidio compescere aggrediebatur. Quo tempore à Ruthio tribuno arx Tangermundana à septuaginta peditibus, triginta equitibus Brandeburgicis insessa occupatur, præsidiariis sub signa Succica redactis. Arx præsidio indigna munimentis nudatur. Dehinc Luneburgici æque ac Hassi in hiberna concedentes circa hospitia dilatanda satagebant. Et hi quidem jam antea Susatum scalis repente admotis expugnaverant, capto ibi Burlaro tribuno cum tota sua legione. Inde Huissum castellum in Clivensi ditione situm, mox & Reutam oppidum occupant, è quo munimentis raptim firmato vicinam regionem late percurrebant. A Santena tamen re infecta repellebantur; iisdemque Lambojus Sonsbeccam etsi non citra suorum jacturam eripiebat.

Hassi rem bene gerunt.
2-.Sept.
9.Nov.

Heldrunga arx à Suecis capitur.
3.Dec. §. 28. Banerius porro itinere in Thuringiam suscepto Carolum Gustavum VVrangelium miserat, qui Heldrungam arcem Erfordiensibus valde infestam expugnaret; cujus & præsidiarii citra exceptionem se dedunt. Ipsi decretum erat in Culmbacensem Marchionatum progredi. Et quia judi-

Banerii destinata sub finem anni.
17.Dec. cabat, hostem, cui hoc modo quies sua turbatur, se ipsi oppositurum prælii forte copia præbita, ad omnem eventum suos instruebat. Erfordia Neustadium ad Orlam progreditur, ubi Guebrianus
23.Dec. cum Gallis & Vinariensibus, ipsi se jungit. Hinc Curiam Naricorum tendit, sperans medium se stativis hostium irrupturum, eorumque conjunctionem impediturum. Curiæ captivi & explora- 1640.
29.Dec. tores referebant, hostem circa Ambergam omnes copias contrahere. Unde ille suspicabatur prælium instare; cujus cupidine Bayreutum septimo ab Amberga milliari progreditur. Ubi intelligit, longius Danubium & Ratisponam versus hostium legiones coire. Igitur & ipse ulterius progredi, hostemque lacessere constituit, applaudentibus omnibus ducibus, quos inter Tupadelius nomine Gallorum ac Vinariensium declarabat; nullum esse in orbe terrarum locum, quo non ipsum sequi ac hostem investigare velit. Atque hæc isto anno à Banerio gesta, qui ferebat, à morte Gustavi Regis nunquam sibi tam gravem belli molem incubuisse, quam nunc juncto cum Hassis & Luneburgicis exercitu, quorum astutus & insidiosus agendi modus egregia ipsius destinata magno cum animi sui dolore corruperit.

Gesta per Silesiam. §. 29. Per Silesiam eo tempore Suecorum res non spernendæ erant. Francofurtum, Crosna, Beutena, Carlathum, Guravia, Hernstadium, Lieba, Jaura, Striega, Parchvvitza, Sprottavia, Saganum, Boleslavia, Lemberga, Hirschberga, Landshuta modicis præsidiis tenebantur. Duodecim ibi legiones equitum septuaginta septem cohortibus compositæ, tria millia amplius capita explentes, tum sedecim turmæ recens conscriptæ: Quinque peditum, in quibus tantum octingenti quinquaginta numerabantur, præter eos, qui passim per præsidia dispersi erant. Sed tres legiones in viginti sex cohortes digestæ recens conscribebantur, & è Pomerania sexcenti pedites submittebantur. Duæ denique desultorum cohortes ducentis quinquaginta capitib⁹ constantes. Hosti contra præcipuum robur tria equitum millia erant. Cæterum initio anni, quod Sueci sub Stalhantschio duce Oderam transire non possent, Mansfeldius Comes hac occasione usus cum dua- Cæsarei
bus majoribus machinis Hernstadium movet, Hernstadium occupant.
centum peditibus infestum: qui ejus adventu in arcem se conferunt; quam tamen mox dedere coguntur. Sed dum idem Guraviæ obsidium circumponit, Stalhantschius Oderam glacie constrictum superans cum equitatu ita subito ingruit, ut Mansfeldius ægre se recipere posset, Hernstadio præter arcem iterum deserto. Quibusdam Cæsareis legionibus Sueci sub VVratislaviam usque instant, multisque cæsis ducentos ductores ac gregarios capiunt. E captivis intelligit Stalhantschius, Sueci Wollegionem equitum & centuriam peditum VVolaviæ agere. Igitur id oppidum statim equitatu circumdatum, mox peditatu ac tormentis admotis in
a.Febr. potestatem redigitur. Ductores legionis equestris dimissi; reliqui omnes detenti; è quibus gregarii ultro Suecorum sacramento accesserunt. Captæ ibi & duæ machinæ. Sed Drachenberga arx incassum tentabatur, soluta mox glacie, & aquis stagnantibus. Inde Stalhantschius recta per Bernstadium & Guraviam Carlathum redit, superato ibi flumine in hostem ducturus. Sed dum
a.Mart. complures per dies pontem impetu glaciei abreptum reficit, hostis interim Jauram expugnat, Cæsarei
oppidanis arma abjicientibus, nec milite defendendis mœnibus sufficiente, eoque in arcem se recipiente. Unde signifer cum viginti equitibus noctu per medios hostes erumpens incolumis evadit, captis insuper totidem Cæsareis: cæteri citra exceptionem dedere se coguntur. Strigavia tamen resistentibus acriter militibus atque oppidanis justo obsidio petebatur. Interim octingentorum equitum hostilis caterva Beutenam versus excurrens Freystadium irruperat, atque diripuerat, Succico milite in arcem se recipiente: quam tamen in

regrel-

1640. regressu Sueci non parum carpebant. Ista caterva rumorem excitabat adventantis cum universis copiis Mansfeldii. Unde Stalhanschius quicquid legionum eo tractu habebat, evocat hostem expectans; sed is Oderam transire non audebat. Tandem iste perfecto jam Beutenæ ponte circa finem Martii cis Oderam ducit. Ast hostis eo cognito statim ad stativa sua retro Ligniciam properat. Nec præter modicas excursorum velitationes quid utrinque memoratu dignum gestum est; 9. April. quarum una Bœttigerus subtribunus non spernendam hostium manum delevit. 8. April. Quo tempore & VVanckius atque VVitkopfius subtribuni Gerlicio progressi duas equitum turmas Zittaviæ agentes ad unum interceperant. Interim arx Hernstadii scalis noctu admotis à tribuno Suecico expugnatur; & qui eam tuebatur Cæsareus centurio cum quinquaginta peditibus capitur. Cum porro octodecim Brandeburgicorum centuriæ sub Goldackero tribuno Gubbenam versus tenderent, ut Mansfeldio, qui Haynæ copias lustrabat, se 11. April. jungerent, Stalhantschius relictis Beutenæ impedimentis Sprottaviam se confert, conjunctionem istam impediturus, & prout hic aut illi propius subirent pugnam tentaturus. Sed cum neutri se moverent, iste in castra ad Beutenam regreditur. Ubi interim ducenti quinquaginta equites Cæsarei sub ipsum pontem abactis pecoribus à Seidlicio tribuno male multati fuerant, quadraginta cum præfecto turmæ cæsis, triginta captis, quos inter quatuor optiones. Inde Strigavia post toleratum ali- Cæsarei Strigaviam capiunt. quot septimanarum obsidium, ac postremo assultu ducentis Cæsareorum desideratis, ad extremum, cum ob tumentia liquefactis nivibus flumina subvenire Stalhantschius nequisset, ad deditio- 2. Maji. nem compellitur. Suecicum præsidium honestis conditionibus dimissum; sed è provincialibus, qui in oppidum confugerant, & arma gessisse arguebantur, sexaginta VVratislaviam in custodiam ducti, in ultionem sexcentorum militum, quos eo obsidio Cæsarei amiserant.

§. 30. Interea & Hirschbergam Cæsarei tentant, simul Saxonici & Brandeburgici per superiorem Lusatiam ingruunt, istis se sociaturi. Igi- 29. April. tur illi oppido liberando, ac prohibendæ conjunctioni Stalhantschius cum equitatu, & selectis peditibus, sexque machinis Beutena Sprottaviam & Boleslaviam contendit. Ubi è captivis intelligit, VVarlofskium tribunum cum novem equitum legionibus ad Schonaviam oppidulum stativa habere. Unde raptim per totam noctem facto itinere, Cæsarei vigilant. mane legiones apud oppidum cellæ in monte lustrationi vacantes in conspectu habet. In quas ipse 30. April. statim duabus legionibus & quadringentis selectis equitibus assumtis impetum facit, ac primum agmen posterioribus turmis impingit, ut universi in præcipitem fugam ruerent. Quos Sueci per duo milliaria ad Bolkenhainam usque arcem persequuntur. Et pauci effugissent, ni Suecorum equi longo itinere defessi forent, & fugientibus montes saltusque præsidio fuissent. Capiebantur tribuni VVarlofskius, & Lembcovius, unus subtribunus, duo turmarum præfecti, sex optiones, quatuor signiferi, viginti sex inferioris ordinis ductores, & quingenti gregarii, præter eos, qui antea sub Suecis meruerant, qui sub signa sua revocabantur. Accesserant sex vexilla, & omnia impedimenta. Cæsorum qui passim per sylvas ac montes dispersi jacebant, numerus iniri non poterat. Ducenti saucii Ligniciam curandi causa portabantur. Post hanc victoriam Stalhantschius recta Hirschbergam properat, unde Cæsarei jam in tuta se receperant. Mox ut cum Saxonicis & Brandeburgicis circa Zittaviam hærentibus manus consereret, Lembergam vertit. Sed & hi Cæsareorum clade audita hinc jam facesserant. Statim tamen cum de mille Brandeburgicorum è Borussia adventu nutiaretur, Beutenam cui metuebat revertit: ubi qui ultimum agmen ducebat subtribunus Petrus Andreæ F. Goldbergam irrumpens Croatarum tribunum cum octoginta equitibus cædit. Dehinc Cæsarei retro Ligniciam flumine, paludibus, ac montibus tecti considunt, expectantes, quo se res apud Salfeldam daturæ essent, simul ut pluribus copiis firmarentur, ac segetes matuescerent. Nec à Suecis damni quid inferri ipsis poterat, nisi deprehensis excursorum catervis; quarum unam centum quinquaginta equitum apud VVolaviam centum triginta Sueci graviter multant, quadraginta amplius cæsis, quos inter turmæ præfectus, ac compluribus captis. Sed & Stalhantschium oppositi ad Salfeldam exercitus suspensum tenebat, quos citra prælium divelli non posse rebatur; ac in stativa hostium penetrare anceps habebatur invalido peditatu ad majora autà; tum & supplementa è Suecia expectabantur.

§. 31. Cæsarei demum aucti copiis Hirschbergam invadunt, centum peditibus Suecis, totidem equitibus intestam, qui una cum oppidanis vim intentatam strenue propulsabant. Stalhantschius initio quid facto opus foret; anceps hærebat. Nam & Cæsarei numero superiores, ac difficile longumque isthuc iter; ac suspicabatur, Cæsareos ideo hoc obsidium suscepisse, ut ipsum castris suis extraherent. Contra ni Cæsareis obsisteret; post Hirschbergam amissam, Lemberga, Boleslavia, Sprottavia, Saganum periculo exponebantur; tum via ad conjunctionem cum Brandeburgicis patebat. Ac miseratio subibat oppidanorum, queis ob studium in partes interneciones Cæsarei minabantur. Igitur medium quoddam consilium secu- 12. Julii. tus cum equitatu & mille selectis peditibus Lembergam progreditur, pro re nata Cæsareos distracturus, aut liberationem oppidi tentaturus. Sed vix ille Lembergam accesserat, cum Cæsarei so- 17. Julii. luto obsidio in tuta se conferunt, trecentis ad Hirschbergam desideratis. Sed quia Stalhantschius suspicabatur, Cæsareos fortasse ideo recessisse, ut Beutena ipsum excluderent, tutius rebatur, post Hirschbergam adparatu bellico firmatam, in castra ad Beutenam regredi.

Cæsarei Hirschbergam obsident. 3. Jul.

§. 32. Eodem tempore Brandeburgici Francofurtum ad Oderam tentant, quod subtribunus Radica cum quatuor peditum cohortibus, una equitum turma tuebatur, cui munitiones reparare non parum curæ fuerat. Et primo quidem oppidum in- 13. Julii. sidiis petebatur per milites, qui agrestium habitu portas invadere parabant. Quorum conatu prodito quindecim centuriæ sex cum tormentis apertam vim moliuntur, ac edita mœnium ruina statim as- 17. Julii. sultum faciunt, simul in diversa parte, qua oppidum fluvio alluitur, adpulsa cymbis manus petardam portæ adplicat. Sed hos quidem Sueci acriter repellunt; & mox eruptione facta aliquos in cymbas compellunt, quæ multitudine irruentium subsidebant; reliqui centum amplius in adsitam ripæ domum confugiunt, quorum nonnulli primo fervore cæduntur, reliqui capiuntur. Ita è ducentis, qui eo loco assultaverant, vix decem evasere. Ex altera parte vineas versus etsi octingenti adhuc in armis consisterent, tamen & inde sexaginta amplius captivi in oppidum pertrahebantur. Cæsorum altera luce sexaginta jacentes numerabantur, etsi per noctem multi à suis sepulti forent. Ita Brandeburgici re infecta discedunt, quingentis 19. Julii. fere desideratis, cum à Goldackero prius messis corrupta foret. Nec Stalhantschio in auxilium adproperante opus erat. Cæsarei interim quatuor

Brandeburgici Francofurtum frustra tentant.

sibi

1640. ſibi Saxonicorum equitum legiones adjungunt. Mox circa Hirſchbergæ meſſem, & molendina
25. Auguſt. corrumpunt, famem oppido facturi. Simul arcem Lubenam ſubito impetu in poteſtatem redigunt. Stalhantſchius & ipſe copiis ſuis ſupplementa quæſiturus Joannem Nicodemi Lillieſtrœmium in Pomeraniam dimittit, qui dum tardius ac ſecurius iter facit, apud Landsbergam à Brandeburgicis, valde in ipſum exacerbatis, capitur inſigni cum præda, ac non paucis ſecretis ſcriptis.

Cæſarei Hirſchbergam tentant. §. 33. Cæſarei contra copiis jam aucti, ut tuta inter Sileſiam & Superiorem Luſatiam itinera præſtarent, tertia vice Hirſchbergam petunt, ac mœnibus quaſſatis vim adhibent. Stalhantſchius etſi numero impar, tamen diſtrahendo hoſti Liebenthalium ſe confert, tribus Hirſchberga milliaribus ibique idoneo loco conſidet, ſi qua nocere hoſti poſſet circumſpectans. Cujus adventu audito hoſtis ſtatim ſubductis machinis in vicinos montes recedit, oppido eminus tantum clauſo, quod penuria annonæ ac bellici adparatus premi incipiebat. Nec Stalhantſchius propius ſubire audebat, hoſtilibus numeris duplo ſuperantibus, & ex Pomerania tenui auxiliorum ſpe.

Stalhantſchius modica auxilia è Pomerania accipit. Equidem juſſi erant ejus provinciæ præſides, quantum poſſent copiarum ipſi ſubmittere, quod periculum foret, ne hoc è Sileſia pulſo hoſtis in Pomeraniam irrumperet. Sed præſidiarius ibi miles morbis paſſim graſſantibus minuerat, & metus erat, ne ex Boruſſia, ubi delectus fervebant, irruptio in Pomeraniam fieret. Unde non niſi modicam peditum manum ſubmittebat Lilliehœckius, cum equitibus ſuis carere non poſſet, inhibendis Brandeburgicorum excurſionibus, & ut illos diſtinere poſſet, ſi forte in Sileſiam ad Cæſareos conferre ſe vellent. Paulo majorem equitum peditumque manum Axelius Lilius in Sileſiam deſtinaverat, quæ in Prignicenſi diſtrictu hactenus ſtativa habuerat. Eam, dum Witſtoco Malchinum tendit, Brandeburgici apud Rœlam Goldackero & Ludeca ducibus invadunt; ubi eques quidem ſine damno in tuta ſe ſubducebat. Sed è quatuor peditum cohortibus ſeptuaginta tantum evadebant. Brandeburgici illos incaſſum Sterinum usque inſecuti iram in agreſtes effundunt, quorum pecora magno numero abigunt. Poſt cum copiæ iſtæ tardo & ſinuato itinere in Sileſiam tenderent, Brandeburgici denuo in Sternbergenſi diſtrictu iſtis ingruunt, ut ægre in arcem Lagoam recipere ſe poſſent. Quibus è manu hoſtium eripiendis Lilliehœckius Sterino ſubtribunum Petrum Andreæ F. Stalhantſchius Liebenthaliæ quingentos ſelectos equites mittit; quorum adventu audito Brandeburgici Gœriciam recedunt, ac mox longe lateque Ulteriorem Pomeraniam populantur; quibus retrahendis Lilliehœckius ſuos equites Havelandiæ & Mediæ Marchiæ immittit par pari relaturos. Auxilia iſta ad Stalhantſchium perveniunt, numero centum quinquaginta pedites, quadringenti quinquaginta equites; exiguum majoribus conatibus momentum. Idem tamen, dum Liebenthaliæ hæret, excurſionibus mille equos, ac multos equites inter pabulandum intercipit. Aliquando & pulſa hoſtium ſtatione nonnihil pulveris pyrii Hirſchbergæ intulit.

§. 34. Inter hæc Cæſarei Hirſchbergæ denuo vim cominus admovent & accellibus ad foſſam
14. Octobr. actis, & mœnibus cuniculo diſjectis aſſultum dant; ab obſeſſis tamen non ſine jactura repelluntur. Quos, cum virtutis abunde eſſet, annona & ſal deficere cœperat. Eis ſubvenire cupidum Stalhantſchium reſpectus periculi retardabat, quod Suecorum res per Sileſiam incurrebant, ſi ſecus
19. Octobr. alea cecidiſſet. Et hoſtis jam antea validior nuper mille equitibus Hungaris auctus erat, ſubmiſſis 1640.
& undique è Cæſarea ditione ſupplementis cum Stalhantſchii copiæ indies attenuarentur. Aſpera quoque Hirſchbergam via ſimul natura munitis locis hoſtes conſederant. Igitur expectare ſtatuit, quoad imbribus geluque, ac pabuli penuria Cæſarei pellerentur. Sed cum intelligeret Goltzio injunctum non diſcedere, niſi rebelli oppido ſubacto, ac inopia obteſſos valde premeret; tandem his ſubventurus Stalhantſchius recta Hirſchbergam tendit. Quem hoſtis expectare veritus deſertis operibus in montana & impedita loca ſe recipit, pugnæ copiam facere non auſus. Exiguum caſtellum, quod acceſſum ad oppidum impediebat, vi à Suecis expugnatur, conciſo qui id tuebatur milite. Nolebat oppido annonam inferre Stalhantſchius. Sed cives Evangelici, quibus extrema minati fuerant Cæſarei, exitium metuentes malebant, dum Sueci cum Cæſareis velitantur, convaſatis rebus, ac relictis laribus oppido excedere, ac Beutenam ſe conferre. Ita vacuis tectis Cæſarei potiuntur, cum octo tantum Pontificii cives remanſiſſent. Abeuntes Suecos Cæſarei inſequuntur, inter Glogoviam & Ligniciam caſtra metari; quibus tertio inde milliari Beutenam inter & Freyſtadium Stalhantſchius caſtra opponit. Ubi præter crebras excurſorum velitationes nihil actum; quarum una Succi præfectum turmæ Saxonicum, & ſexaginta amplius equites interceperunt. Tandem Cæſarei motis caſtris in Superiorem Sileſiam hibernatum concedunt, in hiberna populatione undique, qua pertingere poterant facta. Quanquam autem ratio belli ſuadebat hoſti quietem turbare; tamen quia fama erat Brandeburgicos irruptionem in Pomeraniam meditari, Stalhantſchius iſtis diſtrahendis circa finem anni ad Inferiorem Luſatiam & Marchiam vertit; juſſus
12. Dec. à Rectoribus Sueciæ ſevere prohibere, ne ipſius miles in Poloniam excurreret ibive damnum daret, quo Polonis anſa hoſtilia ſumendi ſubtraheretur.

Stalhantſchius Hirſchbergæ ſubvenit.
29. Octobr.

Utrinque concedunt. 16. Dec.

§. 35. In Ulteriore Pomerania ſolicitos habebant Suecos, qui per Boruſſiam & Poloniam fervebant delectus; præſertim cum, qui à Polonis obtendebatur adparatui bellico prætextus, morte Imperatoris Turcici expiraſſe videretur. Et agebant plures in illis locis veteres Suecorum duces, nunc infeſtiſſimis odiis, Arnheimius, Hubaldus, Mitzlatius, Felſius, Crocovius, alii, qui nullum non lapidem movebant, ſi qua Suecis nocere poſſent. Quos inter Crocovius manum pro Cæſare in finibus Poloniæ cogere nuntiabatur. Qua de cauſa Lilliehœckius ad Palatinum Poſnaniæ, aliosque datis literis petit, ut talia prohibeantur. Quæ poſtulata inſuper habentes Poloni Brandeburgicis mille paulo poſt tranſitum è Boruſſia concedunt. Qui cum in Pomeraniam irruptari metuerentur, Lilliehœckius quicquid poterat equitum raptim Stargardiam mittit; quos veriti Brandeburgici flexo itinere præter Landsbergam Cuſtrinum evadunt. Inde à Lilliehœckio caſtellum ad Marvvitzam munitiſſimum quidem, ſed uliginoſo ſolo inſalubre, & in quo non toto bienno bis mille militum morbis conſumtum erat, ſolo æquatur; quod ejus tranſitus nunc poſt dejecta Gartzii munimenta exiguus uſus foret. Poſt & cum Goldackerus Lagoam arcem opprimere conſtituiſſet interrumpendæ communicationi Stalhantſchii cum Pomerania, Lilliehœckius propere centurionem cum octoginta peditibus arci immittit. Et cum nihilominus impetum daret Goldackerus, acriter repellitur, amiſſis triginta gregariis & ſeptem ductoribus. Unde hic diſcedens omnem circa Sternbergenſem diſtrictum late populatur.

Per Ulteriorem Pomeraniam geſta.

§. 35.

1640. §. 36. E Citeriore Pomerania Axelius Lilius sub exitum superioris anni copias in Marchiam deduxerat. Hinc irrito in Havelandiam conatu Havelbergam tendit cujus adventu sexaginta pedites Brandeburgici, qui eam insidebant, noctu in castellum VVerbense confugiunt. Ei oppido trecentos milites præsidio Lilius imponit. VVerbensi castello frustra deditio imperatur, abnuente præfecto, & quia stagnantibus circum aquis vis admoveri non poterat, Brandeburgici interim Ratenaviam & Brandeburgum Vetus validis præsidiis firmaverant, tum quicquid frumenti per Havelandiam erat, in ea oppida & Spandoam avexerant, ne quid Sueci invenirent. Sed ne quid amplius in Havelandiam tentaret Lilius, mandata Banerii efficiebant, queis jubebatur partem copiarum in Silesiam mittere. Igitur deserta Havelberga legionem equestrem Smalandorum, & alam Succorum, deducentibus aliquot equitum & peditum catervis, Francofurtum versus viam ingredi, simul ex itinere Berolinum invadere jubet. Sed cum Brandeburgici raptim militem urbi immisissent, iste conatus irritus erat, nec ob inopiam commeatus, ac intensum frigus diu ibi subsistere licebat. Ita isti in Silesiam, reliqui Pomeraniam versus eunt. Joannes Lilliesparrius autem, dum suos VVisinariam reducit, forte fortuna operæ pretium facit. Centum pedites Dœmitza progressi Neuhausam fossis glacie constrictis subito assultu opprimere statuerant. Sed non nisi optio cum suis accessum invenerat, qui tamen in vallum enixus à Suecis cæditur, reliqui præcipites vallo deturbantur, aquis fere hausti. Ita irrito conatu dum Dœmitzam iter retro legunt, Lilliesparrius, qui non longe cum suis constiterat, turmam equitum ad eos persequendos mittit. Ex his quindecim cum præfecto prægressi Neuhausa reduces septuaginta numero arboribus tectos deprehendunt, & insuper habita eorum displosione in istos tuunt, ademto tubos iterum onerandi spatio. Tum cæsis decem reliquos sexaginta cum centurione & signifero ad dedendum se adigunt. E Succicis equitibus quatuor tantum leviter sauciati; sed præfectus turmæ letali globo trajectus mox expirabat. Post auctis Brandeburgicorum copiis Lilius suos Rupino & aliis Marchiæ locis deductos ad Penam flumen collocabat. Unde Brandeburgicis late grassandi spatium fiebat; qui superato ad Barbyam Albi duas equitum Succicorum turmas Strasburti secure agentes delent. Tum Meclenburgicam persultantes Neustadium, Grabaviam, Gadebuscham occupant, paucis militibus infessa oppida. Hinc catervam Succicorum equitum ad ipsam Suerini portam compellunt, intercepto turmæ præfecto Lilliehoeckio, qui prolapso equo evolutus erat: Modicum quoque castellum, quod Lilliesparrius supra Dœmitzam in insula Albis extruxerat, obiter munitum in potestatem redigunt.

Axelius Lilius Havelbergam occupat. 4 Jan.

5. Jan.

10. Febr.

8. Febr. Cæsarei Neuhausam non sine suo damno tenent.

§. 37. Enimvero rebus per has oras insignem mutationem attulit Elector Brandeburgicus Georgius VVilhelmus Regiomonte fato functus; cujus consiliarii à Schvvartzenbergio Comite aula ejecti, Gœtzius Cancellarius, Leuchtmarus, VVinterfeldius à filio & successore Friderico Wilhelmo revocantur. E quibus VVinterfeldius, qui Hamburgi hactenus egerat, à Salvio scitabatur; annon induciæ Suecos inter & Brandeburgicum iniri possent ad impediendum, ne forte Schvvartzenbergius Comes Spandoam & Custrinum in Cæsaris manus tradat, ac ut instaurandæ amicitiæ fundamenta ponantur quod & fœminæ Principes, & novus Elector in Suecorum partes propenderent. Cui Salvius, cum nihil super hac re in mandatis haberet, in Sueciam se isthæc relaturum promittebat, de studio suo circa hoc negotium ample testatus. Sane qui per Borussiam fervebant armorum paratus, queis Colberga peti credebatur, morte Electoris statim cessabant. Et quanquam Schvvartzenbergius Comes initio novi Principis Spandoæ residens non ita repente administratione dimoveri posset; non tamen dubium habebatur, quin mox ad reddendam rationem vocandus esset.

Mutatio rerum per mortem Electoris Brandeburgici. 21. Nov.

1642.

§. 38. In Pomerania porro Sueci nunc apertius summum provinciæ imperium exercere constituerant, conscripta eum in finem novi status formula. Cui promulgandæ conventus Consiliariorum provincialium, & selectorum ex Ordine Equestri & Urbibus Stetinum indicitur. Proponebatur heic de instaurandis judiciis, Scholisque publicis, tum de sublevanda re militari. Simul formula novi status è Suecia transmissi exhibebatur, qua deinceps omnia negotia in summo provinciæ Consilio, & sacro civilique tribunali nomine & autoritate Reginæ Sueciæ expediri jubebantur. Ac super instaurandis quidem scholis inopia excusabatur, & necessitas bellicarum erogationum, queis quantum residuæ facultates ferrent, paratos se ostendebant. Sed conspecta novi regiminis designatione fremebant; tolli administrationis formam anno tricesimo quarto in vicem perpetuæ legis sanctam; everti leges provinciæ; Reginam plus sibi potestatis, quam ex fœdere promanet, asserere. Igitur perebant, relinqueretur ea constitutio, quæ anno tricesimo septimo super administranda tantisper provincia fuerat sancita. Contra demonstrabatur; posteriorem constitutionem à Regina nunquam probatam, & ab ipsis Ordinibus subversam. Priorem, quæ vivo Duce facta sit, certum provinciæ caput præsupponere, à quo omnia Collegia dependeant. Nunc in locum extincti Ducis tantisper subiisse Reginam, cui ex fœdere tutela provinciæ debeatur. Bello finito vetera instituta reditura; in præsens quoque eadem, quantum conditio temporum patitur, observanda. Interim fiduciariam obligationem erga Brandeburgicam Domum in suspenso habendam, & fœdus cum Gustavo Rege unice respiciendum. Ast selecti isthoc ad conventum omnium Ordinum remitti postulabant, cujus sit super id genus negotiis decernere. Si hoc abnuatur legatos ad Reginam à se expediendos. Qua in sententia firmabantur à paucis quibusdam, qui munera, queis fungebantur, retinere cupiebant, nulla adversus Reginam obligatione. Cum rationibus nihil proficeret provinciæ Præses, asperius agere instituebat exprobrans, cum antehac absque consensu Ordinum jus tutelare Reginæ quæsitum circumscribere ausi sint, cur nunc ad proposita ab se mentem suam declarare tergiversentur? Nosse utique Reginam velle, quid ab ipsis sibi expectandum sit. Qui non cum Regina sentiat, pro violatore fœderis, & hoste habendum. Respectum ad Brandeburgicum bello durante plane seponendum. Si universi sententiam dicere abnuant, singulos interrogandos, ut quo quisque loco deinceps habendus sit constet. Plerosque ipsorum inscitia peccare, paucos studio rem extrahere, quos cæteri sequantur. Si velut ex conventione secum agi nolint, restare, ut pro imperio adigantur; ad quod ipse haut libenter descensurus sit. His minis perterriti denuo rem in deliberationem deduci petebant. Ubi pertendebant Sueci, magistratus omnes autoritate Reginæ constituendos, eique juramento devinciendos; tum omnia decreta, sententiasque ejusdem nomine promulgandas. Summum provinciæ regimen antea penes Ordines non fuisse, quod nunc frustra sibi vindicent. In

Suecici Pomeraniæ regimen instauranti. 12. Nov.

Quod selecti Ordinum probare tergiversantur.

quod

Digitized by Google

1640. quod iſti ob mortem Electoris Brandeburgici eo facilius conſenturi credebantur, quippe cum novo Electori nondum peculiare homagium præſtitiſſent. Aſt iſti ad communem Ordinum conventum hæc rejicere pergebant; addito tamen hoc temperamento, ut edicta promulgentur nomine *Ducatus Pomeraniæ ſub protectione Sereniſſimæ Reginæ Suecie*; ac juramenta ad conditionem cujusque muneris aptarentur, nulla Principis facta mentione. Cum Sueci hoc non adquieſcerent, ac diſertam declarationem poſtularent, quod durante bello Brandeburgicum reſpicere non velint, ut de fide
20. Dec. ipſarum Regina certa eſſe poſſit: tandem ſcripto demonſtrant cauſas, ob quas hoc negotium ad conventum Ordinum ſit devolvendum, ubi facile tranſigi queat, prout faſtigium Reginæ & ſalus patriæ requirat. Alias ſe neque conſilio neque facto contra fœdus & in fraudem Reginæ quid machinaturos. Ita conventus ille nullo certo decreto ſolvebatur. Eorum tamen præcipui Lilliehœckio oſtendebant literas à novo Electore Brandeburgico ſcriptas; quibus monebat, ne in Suecorum poſtulata conſentiant, ſed ipſi velut patris ſucceſſori ſe ſubjiciant, ac obtinendæ poſſeſſioni pecuniæ quid conferant. Sibi decretum pro iſta provincia omnes fortunas ſuas impendere; nec Cæſaris & Imperii auxilium ſibi defore. Privilegia ipſis ſua ſalva futura, & curaturum ut in conventu Ratisponenſi eorum ratio habeatur. His ne periculum aliquod olim ob communicatas eas literas crearetur, placebat in publicum ſpargere, de hiſce literis aliunde fuiſſe ſignificatum; eoque nomine inquiſitionem faciendam. Ita velut ab inveſtigantibus literæ illæ deprehenſæ. Injunctum, ne ad illas reſponderent, nec iisdem obtemperarent. Id quod iſti ſancte pollicebantur. Interim à Lilliehœckio idonei viri ſacro & civili tribunali deſignabantur, poſt allatam ratihabitionem Reginæ magiſtratum inituri.

Novus Elector Brandeburgicus Pomeranos ſollicitat.
22. Dec.

Acta ad Rhenum.

§. 39. Vinarienſes Gallique ſub Longuevillii ductu, antequam Banerio ſe jungerent, Rhenum circa finem anni ſuperioris tranſierant, Crucenaci tantum & Bingæ præſidio relicto; quod iſtis locis ob annonæ penuriam hibernare non liceret. Hi ſuperato ad Limburgum Lano Siegam oppidum in poteſtatem redigunt, ac nemine obſiſtente per ſylvam Occidentalem, & VVetteraviam late ſe diffundunt. Braunfelſam ab agreſtibus tantum defentam nullo milite amiſſo ſubigunt. Qui Fridbergam inſidebant Cæſarei nullo telo emiſſo honeſtam deditionem paciſcuntur; gregarii tamen plerique Vinarienſibus accedunt. Urſellis quoque Gelnhuſæ, & Budingæ, manus diſponitur coërcendis inde Hœchſtæ, hinc Aſchaffenburgi præſidiis. Et quod improviſo ſe per Superiorem Haſſiam diffuderant, Georgius Landgravius certa pecuniæ ſumma cum ipſis decidit, ut modeſte agerent, rapinisque abſtinerent. Sat opimis heic hibernis iſti fruebantur, ac inſigniter ſe reficiebant, magna quoque equorum vi parta. Et quia Longuevillius periculi quid à Bavaricis ſuſpicabatur, cum Landgravia tranſigit, ut ſi opus ſit ſuis copiis ipſi ſuppetias ferat, datis quinquaginta uncialium millibus. Tum & machinas, quas Bingæ reliquerat, arceſſit. Contra Hiſpani & Bavarici, contractis per vicina præſidia duobus militum millibus, Alzeiam expugnant, amiſſis centum amplius gregariis, undecim ductoribus. Diſcedentium ductorum ſarcinæ contra leges deditionis direptæ. Ex altera parte Bavarici Sporckii & Druemulleri ductu raptim ſuperato Mœno legionem peditum Bobenhauſæ hoſpitantium opprimunt. Tribunus Eccardus, aliique ductores captivi abducuntur. Trans Rhenum Franckendaliæ præfectus VVilhelmus Verdugus copiis è Lucenburgica auctus Crucenacum fruſtra tentat. Mox Baccharacum oppidum invadit & præſidiarios in arcem refugos eminus claudit. Inde Bingæ obſidium circumponit, Gallis qui intus erant acriter reſiſtentibus; quibus & mox ſuppetias laturus Guebrianus cum duobus millibus auxilio adcurrit. Hic cum centum militibus vix in oppidum adpulerat, cum Hiſpanus præceps ſe Moguntiam proripit, relictis octo tormentis unoq; mortario cum globis ac pulvere, navibusque, queis eas ſecundo Rheno devexerat. Simul, qui Baccharacenſem arcem obſederant, diffugiunt. In diverſa parte Naſſovius Comes Masfeldam arcem diuturno obſidio cum fame luctantem liberat, profligato qui eam obſidebat Gillio Haſio. Demum cum à Banerio ad conjunctionem ſolicitarentur Vinarienſes, initio quidem ægre commoda hoſpitia deſerebant, cauſati, ſe aliquot millia in ſupplementum, & menſtruum ſtipendium è Gallia expectare, quod ipſis à Rheno longius progreſſis facile hoſtis intercipere poſſit. Demum tamen conjunctione decreta Fridbergæ præſidium ſub Kolhaſio tribuno imponunt, qui vicinum tractum tributis ſubjiceret, novisque delectibus operam daret.

Vinarienſes per Wetteraviam & Haſſiam hiberna capiunt.
5. Jan.
10. Jan.

Hiſpani Alzeiam capiunt.
8. Febr.

Legio Vinarienſis deletur.
17. Jan.

§. 40. Superiore anno inter Cæſarem, Hiſpanum, & Claudiam Archiducem fœdus ad recuperandum Briſacum, Alſatiamque initum erat. Cui exſequendo delectus hoc anno ad lacum Bodamicum, inque Tirolenſi provincia, & Italia inſtituebantur, Hiſpanis pecuniam ſuppeditantibus: tum vis frumenti Conſtantiæ, Cellæ, & Lindaviæ congerebatur. Sed in Germania delectus ſegniter ſuccedebant, diffugientibus fere iterum, qui nomina dederant; ac Italis Germanam militiam abhorrentibus. Ut igitur alia via ad ſcopum ſuum 5. Mart. graſſarentur, Cæſar ab Helvetiis obtinet, ut conventum communem Badenas indicerent; ubi perſuadere ipſis nitebatur, oſtentatis fœderibus, quæ Domui Auſtriacæ cum ipſis intercedunt, ut aliquot militum millia ſecum in uſum Domus ſuæ conjungere velint. Aſt deputati defectum mandati excuſantes obiter innuebant; ſuperiores ſuos extra contagium hujus belli manſuros; nec fœdera Auſtriaca huc pertinere. Frumenti tamen emendi facultatem offerebant, quantum ſine incommodo ſuorum civium fieri poſſit. Mox iſta expeditio expirabat, quod Hiſpani ob cladem ad Caſale acceptam copiis ſuis in Mediolanenſi Ducatu ipſi indigerent, evocatis inſuper, qui apud Tirolenſes conſcripti erant. Ex iis autem, qui ad Bodamicum lacum collecti erant, quingenti per ſylvam Nigram Saulebergam tendebant. Quos collecta è Vinarienſibus ad Rhenum præſidiis manus ad Badevveilerau deprehenſos diſſipat, trecentis cæſis.

Hiſpanorum circa recuperandum Briſacum irritus conatus.

§. 41. Briſacum poſt menſe Majo Oiſonvillius è Gallia venerat cum titulo Generalis Vicarii pro Galliæ Rege in tractu ſuperioris Rheni & Alſatiæ. Is ſede Briſaci ſumta oppidum id pluribus munimentis firmat, congeſta magna vi frumenti ac una cum Erlachio imperium ſibi vindicat. Et mox 26. Jan. ubi Erlachius cum valida equitum peditumque manu Briſaco verſus urbes ſylveſtres, Comitatumque Sultzenſem tenderet tuendæ meſſi, & ut Hohentvvilæ frumentum inferret, ſolus præfecturam retinebat: ac ne quid difficultatis Hatſteinius tribunus moveret, iſte quoque cum ſua legione Teutonica in expeditionem educitur. Ita Galli citra exceptionem Briſacum uſurpabant, inſuper habitis quæ cum Vinarienſis exercitus ductoribus iniverant pactis. Id quod ductoribus ejus exercitus, illuſtri ac nobili è Germania ſtirpe oriundis, vehementer diſplicebat, factum ſuum ſera nunc pœnitentia proſequentibus, excepto Roſa, qui ſe totum Gallis mancipaverat.

Galli Briſacum plane ſibi vindicant.

1640. rat. Vocabat quoque Rex Galliæ literis ad Erlachium Brisacum urbem *suam*: & monetam ibidem cudi curabat cum hoc lemmate: *Deus transfert Regna.* Cæterum ea expeditione Erlachius non solum Hohentvvilæ annonam inferebat, sed & vicinum oppidum arcemque Engam expugnabat, cæsis qui restiterant; ac arcem, portasque oppidi incendebat. Eo Brisacum regresso recens conscripta militum manus vicina Hohentvvilæ loca occupat, eamque eminus circumsidere instituit. Eorum conatibus observandis Erlachius ad Lauffenburgum considet. Cujus adventu territæ hostiles copiæ initio Lacum Bodamicum versus recedunt, post animo retumto Engæ stationem capessunt; unde tamen fame urgente frequentes ad Erlachium transfugiunt. Post trecenti Cæsarei quotidie in arce Stauffa stationes agere, & insidias Hohentvvilanis tendere instituerant. Quo audito ducenti equites Brisaco sub Joanne Rosa subtribuno, Reinoldi Rosæ fratre, isthuc mittuntur, quibus quadringenti pedites Hohentvvilæ se adjungunt. Hic catervam hostilem statione discedentem profligant magnamque partem cædunt, quos inter Albertus Furstenbergius Comes subtribunus, multique ductores erant: duo alarum præfecti, nec pauci gregarii capiuntur. Inde Stauffa arx imperu expugnatur, omnibus qui intus erant trucidatis. Huic ferum auxilium advolabant quingenti Cæsarei equites, quos Rosa alacriter invectus profligat, & ad Engam oppidum insequitur. Tribus hisce conflictibus hostes mille amplius suorum desiderabant. Reliquiæ istarum copiarum etiam ipsis provincialibus ludibrio erant; quarum manum Reichenaviæ hospitia capessentem oppidani ademtis armis ejiciebant. Inter ista Gleenius Baccharacum & Bingam Vinariensibus iterum eripiebat. Simul tribunus Wolfius, Aschaffenburgo progressus Urtellis ducentos equites incautius agentes, opprimebat. Contra Rosa à Longuevillio missus ad novos, qui ibi habebantur, delectus tuendos, Cæsareos Hocheimi opprimit; ac tamdiu detinet, quoad Balthasar subtribunus, aliique ductores; qui Urtellis capti fuerant, dimitterentur. E desertoribus quoque Cæsareis, qui è castris ad Fritzlariam profugerant, Fridbergæ præsidium ad duodecim centurias augebatur.

Cæsarei circa Hohentvvilam vapulant.

19. Sept.

Suevi Saxoniæ inferiori neutralitatem abeunt. 18. April.

§. 42. Ut universus Circulus Inferioris Saxoniæ belli oneribus eximeretur, Daniæ Rex per Petrum Wibium mense Novembri superioris anni apud Rectores Sueciæ institerat. Ad hoc isti longe post excusata mora respondent; id promiscue toti Circulo annuere neque rationem belli, salutemque sui exercitus, nec situm earum regionum pati; ac Magdeburgicum & Halberstadiense præsulatum à professis hostibus possideri. Neque aliud hac indulgentia effici, quam ut opima hosti hospitia parentur invadenda, ubi occasio arriserit. Igitur petebant, ne Rex vitio sibi vertat, si ita amicorum commodum præ oculis habeant, ut ne per id res suas destruant. Enimvero & hoc Regis Daniæ postulatum, & legatio ad Banerium eo nomine missa suspecta videbatur; quod judicarent, istos aliquid extorquere velle Succorum armis noxium; aut negatam neutralitatem obtentui sumturos armis vocabulo tertiarum partium in Suecos arripiendis. Et ferebatur nupero Cellis conventu, cui Bremensis prælul, & Domus Holsaticæ Legati interfuerant, decretum fuisse de militia Circuli augenda. Gliscebat diffidentia, quod hinc inde per eum Circulum concurrarent malevoli quidam infesta Sueciæ consilia struentes. Quorum coryphæi erant Arnheimius, & Franciscus Albertus Lauenburgicus Dux; inter Principes ejus Circuli, Electoremque Saxoniæ, & Brandeburgicum, Regemque Daniæ ultro citroque commeantes. Et ferebatur Arnheimii dictum; non minus promte adversus Succos, quam Turcas operam se navaturum. Quibus Succenturiati erant Hermannus Boothius, & Vitztumius, antea absque missione Suecia digressus; nec non Grieffenclovius Cæsaris in Polonia minister, & Gabriel de Roy Hispani negotia Gluestadii curans. Ac prodebantur ista consilia Salvio per Brunsuicensem quendam civem, ubi Boothius diversatus fuerat. Irruptionem superiore anno in Livonos factam ad Succorum copias eo pertrahendas, ut interim Gothoburgum tentari posset. Nunc aliam irruptionem in Livoniam, ac maritima Sueciæ loca, Gothoburgumque ope Dunckercanorum agitari; ac ut eodem tempore præsidia maritimis in oppidis Germaniæ trucidentur. Quorum tamen multa inania habebantur, aut si revera struerentur, quia prævisa, facile eludebantur. Et Salvius ita omnia sibi cognita patrum publicabat, ut ipsi successu deperato consilia ista ultro deponerent. Sane ab ipsis hostibus Boothii tanquam odio in Succos furentis conatus demum spretos constat.

Machinationes Arnheimii & Brandenburgici.

Luneburgici Duces fœdus cum Suecia ambiunt.

§. 43. Luneburgici Duces, cum Banerius tractatum super neutralitate, ac propiore societate Holmiam remisisset, eo nomine ad Reginam scripserant ut Salvio aut cuipiam alteri in Germania mandata darentur; causati difficile Legatorum in Sueciam iter hiberna tempestate; revera quod præsenti rerum facie negotium hoc Cæsarem, Daniæque Regem celare vellent. Inde huic fœderi intenti aliquoties apud Salvium per literas, ac misso Drebberno sciscitabantur, num ea mandata allata essent. Qui & judicabat, seponendam nunc neutralitatem, dum propiorem cum Suecia societatem struunt Duces. Simul ostendebat exemplar capitum & conditionum, quas à Suecia obtinere ac vicissim præstare vellent, negotio accelerando dum arma Suecorum adhuc florent, & antequam malevoli animos Principum ad alia consilia diverterent. Rectoribus Sueciæ quæ à Luneburgicis ferebantur, conditiones parum ad palatum erant, quod adpareret, illos ad multa Sueciam velle obstringere, à mutua præstatione immunes; nec minus varia effugia eludendo fœderi sibi struere. Tum id agere, ut Suecica arma ipsorum ex arbitrio pendeant, eaque ipsi in suum emolumentum vertere possint, si placeat bello se subducturi; ac ut Succis nihil superlit, unde copias eo tractu alere queant. Præterea ut mos Principibus Germaniæ, non solum suis ipsi copiis imperare, sed & suo jure ac placito cupiebant. Super hæc Georgius Dux per senectam infracto animi vigore ministris obnoxius, qui fere per timiditatem ancipites consilii nutabant. Reliqui etiam Principes ejus Domus ætate provecta, ut parum firmitatis illo ex fœdere speraretur. Placebat tamen tractatus non abnuere, saltem ut tempus extraherent, illosque à conjunctione cum Rege Daniæ, & formandis tertiis quæ agitabantur partibus abstraherent. Id tamen præcipue providendum ducebant, ne loca ad Visurgim è manibus amitterent, neve arma sua alieno arbitrio subjicerent; tum ut obligatio reciproca foret. In antecessum tamen Salvius Drebbernum monuerat; mirum sibi videri, quod Duces tam multa à Succis stipulentur, ipsi contra, nisi ab hoste invadantur, & vi compellantur, movere se nolint. Ad quæ Drebbernus; solenne esse ejusmodi fœderibus defensionis vocabulum circumponere, eo melius adstruendæ istorum justitiæ. Cæterum Georgium Ducem, ubi cum Suecia transactum fuerit, statim Guel-

Rectorum Sueciæ de isto fœdere judicium.

Digitized by Google

1640. ferbyto obſeſſo ad vim inferendam progreſſurum. Et quanquam Legatos ad conventum Noribergenſem miſerit: tamen niſi ultro ſibi à Cæſare circa Guelferbytum & Hildeſiam ſatisfactum fuerit, armis ſumtis ſibi conſulturum. Eo fine etiam duplicem cum Landgravia tractatum concluſum; unum publicum, qui omnibus oſtendi poſſit, ſuper mutua amicitia, commerciiſque; alterum ſecretum, quo ſibi invicem auxilium ferre, copiaſque jungere mutuæ defenſionis cauſa convenerint. Ac nihil magis ipſum, miniſtroſque præcipuos optare, quam idoneam invenire occaſionem à Pragenſi pace reſiliendi, quam nimis feſtinanter olim acceptarit.

Tractatus cum legatis Luneburgicis ſuper fœdere.

§. 44. Salvius acceptis è Suecia mandatis ſuper fœdere Luneburgico agendi, id ſtatim iſtis Ducibus ſignificat; qui licet copias ſuas interim cum Banerio ſociaſſent, menſis tamen Junii principio Botmarum, Stuckium Cancellarium, & Schraderum adjuncto Drebberno Legatos Hamburgum mittunt. Tractatu cœpto nolebant Duces Cæſarem hoſtis vocabulo notare, aut quidquam adverſus ipſum, ullumve ex Imperii Ordinibus moliri; nec ſuper quo agitare conſtituebant *fœdus*, ſed *conjunctionem ſuper defenſione* nuncupabant. Tum reſpici à ſe ferebant Gloriam Dei; conſervationem invariatæ Auguſtanæ Confeſſionis, leges Imperii, vetus inter Cæſarem & Ordines æquilibrium, ac ut concordia caput inter & membra, ſimul pax cum Suecia, vicinisque Regibus inſtauretur, ac peculiariter ſuæ Domus ſecuritas ſtabiliatur. Inter leges hujus conjunctionis præcipua erat, ut vetera ſibi hoſpitia inter Viſurgim & Lippiam, quondam Duci Georgio ſub Sueciæ auſpiciis militanti aſſignata reſtituantur, una cum clientelis ſuis, Minda, Huxtera, Corveia, Eichsfeldia, Honſteinoque Comitatu: Nienburgo, Hoya, Bleckeda, Wolfsburgo, Lemvœrda, Suecorum præſidia deducantur; Comitatus Hoyenſis & Diepholtenſis tributis liberentur; oppida Goslaria, Mulhuſa, & Northuſa Luneburgico milite inſideantur. Contra Salvio injunctum erat, circa ſcopum fœderis & alibi Suecia non in appendicis vicem, ſed tanquam præcipui fœderati mentionem facere, ejusque dignitati, ſecuritati & commodis cavere, & quantum citra offenſam ac ſuſpicionem fieri poſſit, de ipſius ſatisfactione diſerte inferere. Tum ut Suecia ad reducendum antiquum Imperii ſtatum non pura obligatione obſtringatur, ſed quantum commode fieri poſſit. Præterea ut æqualis hinc inde ſit obligatio, & ut Duces cum illis, quæ ſibi ſtipularentur, paria faciant. Denique ut Reginæ poteſtas in exercitum, & loca ad Viſurgim cumprimis ſalva maneant.

Luneburgicorum intentio.

Suecorum ſcopus.

§. 45. Cum ad diſcutiendam conventionis formulam à Luneburgicis propoſitam accederetur, id quidem facile obtinebat Salvius, ut vocabulum *invariatæ* Auguſtanæ Confeſſionis expungeretur; non quod Sueci quidpiam in hac mutare, aut Reformatorum placita fovere cuperent, ſed declinandæ offenſæ Anglorum, Hollandorumque, & Landgraviæ. Viciſſim cum iſti vocabulum *hoſtis* Cæſari tribuere nollent, Salvius demum concedebat, cum rem ipſam hæc conventio ſatis exprimeret. Sed præcipue circa ceſſionem hoſpitiorum & oppidorum controvertebatur, ſuper qua Legati enixiſſime contendebant, Salvius autem circa quædam duntaxat annuere, de cæteris ſpem facere, ſi tempora ferant, juſſus erat. Legati jactabant: Arma ſua utique Reginæ probari, & conjunctione copiarũ cum Banerio omnem diffidentiæ cauſam ſublatam. Ditiones ſuas in anguſtum redactas, è quibus tot Principes ſint ſuſtentandi. A Cæſare Guelferbytum & vicinum tractum, à Suecis tot oppida cum circumjectis agris detineri, quorum reditus ad ſex uncialium millia annua ſurgant. Quid militi ſuo ſupereſſe? Ludibrium ſe Catholicis debere, quod poſt tantum fidei ſpecimen ne propriæ quidem ditionis tutela ſibi relinquatur. Alios Proteſtantes, qui de amplectendis his partibus meditentur, hoc exemplo protelari. Securitati Reginæ deinceps æque cautum, nec liberum minus tranſitum Albis atque Viſurgis fore per loca Ducum præſidiis infeſta. Nullum in Sueciam iſtis ex locis emolumentum redundare, ſed omnem proventum à præſidiariis abſorberi, provincialium expilationibus præfectos locupletari, nullo in publicum lucro. Addebant; ni circa hoc caput Ducibus ſatisfactum fuerit, hos ægerrime id laturos, refrigeratis non parum egregiis eorum deſtinatis. Ne dubitaret Salvius iſthoc concedere, cum tractandi facultatem citra exceptionem habeat. Contra Salvius: Mandatis ſuis nil amplius contineri, quam Ducibus ſpem facere ſuper eorum locorum ceſſione mutatis temporibus, quæ iſthoc nunc haut quidquam ferant. Tam arcta Ducum cum Suecia conjunctione perinde fore, Suecico an Luneburgico milite ea loca obtineantur, cum in hos æque ac illos reditus ſint impendendi, nullo in fiſcum Ducalem proventu. Et quia Sueci ſint in poſſeſſione, cui bono hanc mutationem? Ducibus nihil accedere, Suecis plurimum decedere ademto Albis & Viſurgis tranſitu, & nulla Ofnabrugæ ſuccurrendi via, ubi opus fuerit. Offerri quidem à Ducibus tranſitum; ſed bellatores amare cautionem, quam ipſi præſtare ſibi queant; quæ precario exſpectantur, extra rationes haberi. Per priorum temporum mutationes, (quod tamen non exprobrandi animo proferat,) Suecos cautiores reddi; qui licet nihil de Ducibus ſiniſtri ſuſpicentur, altioris tamen videri indaginis, quod toto inter Albim & Viſurgim tractu, & Weſtphalia inſuper ipſi eliminentur. His & ſimilibus de cauſis petebat Salvius, Legati adquieſcerent in præſens; rebus in melius mutatis, & ubi per ſuperiorem Germaniam arma proferre licuerit, Reginam Ducibus abunde ſatisfacturam. Legati viciſſim communicationis lineam, tranſitumque, & receptum, ſi opus foret, ad ea loca Suecis promittebant, æque ac ſi ipſi eadem ſuo milite cuſtodirent. Id modo honoris Duces poſtulare, ut propriæ ditionis arbitri ſint, ſuosque cives ipſi defendant, immunes ab importunitate quæſtorum, & quorundam præfectorum, ac ne diutius ſummam per ignominiam querelas ſubditorum audire cogantur, quibus medelam adferre nequeant. Ducem Auguſtum cumprimis elati eſſe animi, qui præter omnium ſpem maſcula nunc conſilia arripuerit cum Suecis ſe ſociandi, & Guelferbytum invadendi. Si is hanc repulſam ferat, ac parum ſibi fidei haberi videat, graviſſimum dolorem animo concepturum. Tandem ſancte dejerabant, ſi hoc petito exciderint, re infecta diſceſſuros.

Diſceptatio ſuper oppidorum ceſſione. Luneburgicorum rationes.

§. 46. Salvius initio dubitabat, tractatus concluderet, an abrumperet; præſertim cum junctis jam copiis periculum in mora non amplius videretur, & Duces eousque adverſus Cæſarem proceſſiſſent, ut etiam Suecia haut peculiariter obſtricta in bello iiſdem perſeverandum foret. Nec abs re fore eventum conjunctionis expectare; interea tempus alia conſilia ſuppeditaturum, vel tractatus continuandi, vel corrigendi, aut plane tollendi. Sed Legati vehementer inſtabant, decretum ſibi, ni mox Salvius finem negotio imponat, re infecta diſcedere, culpa Suecis impacta, velut quibus res parum cordi ſit, poſtquam Duces neceſſitatem in partibus perſiſtendi jam ſibi impoſuerint. Addebantur minæ; non defore Ducibus viam bello

Salvius tractatum concludit.

iterum

1640. iterum emergendi, ni major ſui ratio à Suecis habeatur. Ac intelligebat Salvius, Cæſarem & Electores denuo avocatoria mandata Ducibus miſiſſe, ac Legatos ad Ducem Auguſtum deſtinaſſe, blandis aut aſperis verbis iſtos à conjunctione Suecorum revocaturos; de quo & Daniæ Rex agere cœperat, eo facto ira & curis æſtuans. Has ob cauſas rebus Succiæ utilius ducebat Salvius tractatum abſolvere, ac Duces bello magis implicare, quam offenſos ac diffidentia plenos ad infeſta conſilia ultro propellere. Circa ceſſionem tamen oppidorum & hoſpitiorum, de qua nihil in mandatis habebat, id temperamenti inveniebat, ut de iſta ad Reginam referret, ejusque declarationem intra ſex hebdomadas pro virili promo-
17. Jun. vendam reciperet. Ita formula fœderis concipitur, hinc à Regina, inde à Ducibus ratihabenda; cui nomen ſuum inſerere Legati Luneburgici nolebant declinandæ apud Cæſarem offenſæ, ſi forte res ſecus cecidiſſet. Quo fine etiam poſtulabant, rem hanc accurato ſilentio tegi. Et ipſi Salvio id ſecreto habendum videbatur, tum ne Cæſar conventionis leges cognoſceret, tum præcipue ne Galli fœdus cum Suecis ſegnius curarent, ſi intelligerent, hoſce jam hac conventione ad bellum perſequendum obligari. Et eam ipſam ob cauſam ſuſpicatus fuerat Salvius, Reginam hoc fœdus non ante ratihabituram, quam cum Gallis eſſet tranſactum; idque Legatis differte denuntiabat, erſi ipſis inſtantibus breve tempus ratihabitioni foret præſcribendum. Id quod ipſi ſolida ratione niti agnoſcebant. Stuckius Cancellarius torque quingentorum coronatorum donatus, & annua penſione autoratus eſt, quod penes ipſum conſiliorum moderamen foret. Nec Drebberno opera ſua ſterilis abibat.

Luneburgici ratihabitionem urgent; quam Suecі differunt.

§. 47. Vix dies ratihabitioni dicta ceſſerat, cum repetitis literis ac miſſionibus Duces Salvium fatigant ſuper ratihabitionis permutatione, ac declaratione de cedendis oppidis & hoſpitiis; præcipuo Drebberni ſtudio, qui multis demonſtrabat, quanti momenti Suecorum rebus hæc Ducum acceſſio ſit, ac ne iidem diutius in ſuſpenſo habeantur. Semetuere, ne horum conſilia alterentur, ni citra moram obligatione ſtringantur. Nam Cæſarem, Electores, Archiducem Leopoldum, Daniæ Regem vehementer urgere, ut copias ſuas à Suecis diſlocent. Aſt Rectores Succiæ quanquam Salvio facultatem fœdus concludendi contuliſſent; tamen quia facies rerum interea mutata fuerat, maluiſſent id negotium fuiſſe dilatum. Nam uti antea iſthoc tractatu Duces ad arma ſecum in Cæſarem jungenda pertrahere voluerant: ita nunc diſpiciendum erat, quomodo ex ea conjunctione fructus capiendus eſſet. Præcipue maluiſſent, tempus ratihabitionis non ita fuiſſe arctatum, cum talia Duces poſtulaſſent, per quæ res Suecorum in Germania plane everti poſſent. Ac ſane iſta ſocietate parum adhuc profectum erat, ambiguis eorum animis, & parum conſtantiæ promittentibus. Ac multi ſuſpicabantur, ideo de Minda & Halberſtadio iſtos contendiſſe, ut iis locis redditis lautiores ſibi à Cæſare conditiones emerent. Ipſe quoque Banerius optabat, non adeo à Salvio feſtinatum fuiſſe, nec tam liberales conditiones indultas, quod iſti ita difficiles ſe apud exercitum gererent, ſubinde jactantes, tractatu nondum ratihabito rem ſibi in integro eſſe, nec quidquam obſtare, quo minus ampliora offerentibus aurem præbeant. Ac de Auguſto Duce Cæſarei miniſtri gloriati fuerant; ipſum recentibus literis de conſtanti ſuo in Cæſarem cultu teſtatum: nec Clitzingio eousque progredi in mandatis datum, qui facti iſtius nomine cauſam ſit dicturus. Igitur non conſultum videbatur tam multa Duci-

1640. bus concedere, & tantis ſe commodis exuere, antequam de eorum conſtantia magis cautum foret. Ne tamen iidem ſtatim offenderentur, placebat ratihabitionem extrahere, quoad pateret, quam iſti conſiliorum viam inſiſterent. Et quia animo proſpiciebant hanc ſocietatem parum fore diuturnam; igitur quantum ex tempore fieri poterat, eadem frui in lucro habebant. Interim ſpes fiebat ratihabitionis brevi ſecuturæ, blandiſque iidem verbis demulcebantur, ne in adverſas partes tranſirent. Ac plauſibilem moræ colorem præbebat fœdus Gallicum tunc renovandum; cujus utilitas prolixe deducebatur: provincias Imperii fere vaſtatas, Proteſtantes ad paupertatem redactos, ut ad bellum continuandum parum conferre queant. Cauſæ communi plurimum decetturum ſubtractis ſubſidiis Gallicis. Circa adſtringendas fœderis Gallicani leges nunc laborari; ſi Galli animadvertant, eo tractatu Suecis bellandi neceſſitatem impoſitum, ſpem ſubſidiorum augendorum periiſſe. Reginam non minus fœdus implere, quam ratihabitione permutata. Quin è dilata oppidorum ceſſione Duces eum fructum capere, quod tanto plus copiarum in campum educere queant rem præſenti tempori cum primis neceſſariam. Quodſi redditis hiſce locis exercitui Suecico facultas adimatur his oris ſubſiſtendi, Banerio facile in mentem venire poſſe, ut in Sileſiam ſe conferat, ubi de receptu ipſi ſat cautum ſit. Quo digreſſo quantum periculi ipſis inſtet, non obſcurum eſſe. Reginam nihil, quod ipſorum ſit, detimere velle, quamprimum tempora, & propria eorum ſalus admittant. Magis curandum ipſis de amoliendis hoſtibus, quam amicis, ac de Guelferbyto vitalibus provinciæ incumbente, quam de limitaneis locis, quæ à Suecis in iſtorum uſum cuſtodiantur. Fœdere Gallicano perfecto Ducibus longe commodius ſatisfieri poſſe. Iſtas rationes Duces rejicere non poterant; qui certo ſibi perſuaſerant, Salvio jam Hamburgum ratihabitionem transmiſſam. Quem errorem is ipſis haut quidquam adimebat, neque affirmans, neque abnuens, ne mutandis conſiliis anſa ipſis præberetur: & ut crederent, ob ſolum fœdus Gallicum ratihabitionem differri.

Luneburgici rem urgent.

§. 48. Nec tamen eo ſecius Drebbernus ſubinde Salvium obtundere; Suam fidem, cum ipſe circa hoc negotium inprimis fategerit, in aulis ob haſce moras labefactari. Ni Duces fœdere innectantur, facile eoſdem Ratiſponæ ad alia conſilia pertrahendos. Et palam voces impatientiæ plenas jam jactari: Gallicum fœdus obtentui ſumi; cæterum veram morarum cauſam à diffidentia eſſe, & quod Ducibus loca petita Sueci concedere nolint. Salvius contra oſtendere; Luneburgicam conventionem ad communem uſque pacem porrigi. Nunc autem cum Gallis diſceptari aut ſuper fœdere in trienniſ duntaxat prorogando, aut ſuper augendis ſubſidiis; quorum utrumq; inane ſit fururum Luneburgico fœdere ratihabito. Neque tamen diffitebatur ſcrupulum ſuis injici per frequentia literarum commercia, & quod Duces Suecis inconſultis Ratiſponam legatos miſerint, ac de fide & cultu ſuo in Cæſarem prolixe teſtentur: quæ omnia cum amicitia & auxilio Reginæ promiſſo parum quadrent. Drebbernus inde cenſebat; circa Mindam Duces facile remiſſuros, modo cautum ſit, eam ſecuta pace ipſis tradendam, ac interim præſidium Ducibus quoque fidem ſuam obſtringat. Nienburgum ante omnia hiſce cordi eſſe, præſertim Cratzenſteinio præfecto ita inhumaniter in provinciales ſæviente: quo reddito Reginæ utique nihil decedere. Duces de conjunctione copiarum conſenſiſſe, ut laxioribus hoſpitiis potirentur; nunc arctioribus limitibus ipſos circumſcribi. Et habebat ſane iſta res difficilem diſ-

ed by Google

1640. captationem. Nam si injecto fœdere Banerius istis oris discederet, metus erat, ne Duces separatim cum Cæsare transigerent. Idem periculum imminebat, si ratihabito fœdere de oppidis abnegaretur, quibus Duces vehementer inhiabant. Ea autem his temporibus tradere anceps erat. Unde ipse Drebbernus id temperamentum proponebat; ut Regina fœdus ratihaberet; sed super cessione locorum cum Luneburgicis tractandi potestatem Salvio daret, quantum ista salvis Suecorum rebus fieri posset. Id quod satius fore, quam Duces citra obligationem relinqui. Id consilium Salvio haut displicebat. Nam & effici hac ratione poterat, ne Duces Ratisponæ Cæsareis partibus accederent: & sufficere videbatur, si ratihabitionis instrumentum ostenderetur dilata traditione, quoad cum Gallis convenisset. Tractatus autem super cessione locorum pro lubitu extrahi poterat, culpa moræ etiam in Duces devoluta. Igitur super hoc temperamento diligenter ad Rectores Sueciæ relaturum se pollicebatur.

Temperamentum proponitur.

Cum Hassis acta.

§. 49. Februario mense à Landgravia Vultejus Hamburgum ad Salvium mittebatur; qui multa testatus de cupidine istius in arma adversus Cæsarem erumpendi, dolere eidem magnopere ferebat, Wolfium legatum, quem ipsâ super fœdere in Sueciam miserat, tamdiu detineri. Quas inter moras agendi tempora elabi, nec quid sequendum sibi sit constare; ejusque tarditatis causas nosse cupere. Salvius studium Landgraviæ laudare, modo tandem aliquando res serio agatur, & dictis facta respondeant. Hassos multis annis otiosos desedisse; ac tempus jam esse, ut se movere incipiant. De Wolfii mora se nescire, nisi quod forte, quæ ab ipso proposita sint, maturam deliberationem desiderent. Esse Suecis causas, quare Hassos suspectos habeant. Tractare ipsos ut tractent, & in infinitum rem extrahant, ut ab omnibus quorum interest colantur: interim lautis hospitiis gaudere, temporibus imminere, ac faventibus Suecorum armis, horumque periculo commodis suis velificari, consilia pro tempore capturos; omnia sinistris opinionibus excitandis valde idonea. Unde mirum non esse, si Sueci circumspecte cum ipsâ agant. Addebatur, Hassos tractatibus Moguntinis firmiter inhæsisse, cum isto Electore amicitiam diligenter coluisse; Piccolomineo & Hatzfeldio cum possent, non obstitisse, quo minus totam belli colluviem in Banerium effunderent. Interim Suecorum hospitia hinc inde intercipere. Isthæc tamen non publice jussum differere. Alias negotium hoc diligenter in Suecia commendaturum. Horrabatur demum, Landgravia suum, & Imperii statum expenderet majori quam Sueciam periculo obnoxium. Si Banerius cladis quid accipiat, sensurum, quo loco res suæ versentur; nec alteri quam sibi ipsi causam suorum malorum imputare posse. Ad quæ Vultejus: Nec alias Wolfio conditiones datas, quam ab ipso antea in Frisia nomine Reginæ propositæ fuerint. Causas suscepti cum hoste tractatus Landgravium quondam Oxenstiernæ Magdeburgi adprobasse; quo hostis impetum à se averteret, cum subveniri tunc ipsi non posset. Quod autem post temporibus in melius euntibus in arma non eruperit, Gallos in culpa esse, qui novam remoram injecerint, dum Reformatis sacris cavere abnuunt. Moguntinis tractatibus non potuisse renuntiari, antequam cum Suecis & Gallis convenisset: ita tamen frigide id negotium eam tractasse, ut adversa pars non obscure conjicere posset, quid ipsa animo agitaret. Piccolomineum sistere penes se non fuisse. De interceptis hospitiis negabat, aut excusabat. Cæterum ita frequenter super Wolfii reditu scitabatur, ut Salvius non dubitaret, quin si

Salvius de Landgravia querituz.

Vultejus excusat.

is gratum è Suecia responsum reportaret, Princeps illa serio rem aggressura esset. Præsertim cum promitteret, se Melandrum dimissurum amicis suis suspectum, si modo Regina scripto id à se postulare velit. Id quod tamen Rectoribus Sueciæ haut quidquam è dignitate videbatur. 1640.

§. 50. Interea Georgium Luneburgicum Ducem fœdere sibi innectebat Landgravia; & cum audiret Lamboium in Juliacensi provincia hospitii quæstia sibi sumsisse, multum indignante Palatino Neoburgico ad arma in Cæsarem sumenda hunc stimulabat. Cum Gallis quoq; super fœdere tractabat, cui absolvendo Estrada Comes in Batavis adpulerat. Ubi tamen moræ nonnihil injiciebat caput circa sacra Reformatorum, dum Landgravia à Rege stipulari cupit, ne pax fiat, nisi sacris illis in Imperio cautum sit. Id quod Galli eo colore abnuebant, quod legibus Imperii duplicia tantum sacra permittantur; Reformata autem hucusq; non nisi connivendo tolerata sint. Super qua re cum Avauxius ad Salviũ referret, huic ista exceptio intempestiva, & paulo durior videbatur; quod Reformati semper jactarint, pro libertate conscientiarum sibi pugnandum fuisse, & sub Augustana Confessione comprehendi velint, item quantumvis moventibus Theologis; quam hoc tempore non tangere consultissimum fuerit. Unde potius pactis Wilmarientibus inhærendum, quibus cavetur, omnia tam in sacris, quam civilibus in eum statum reponenda, qui ante bellum fuerat, ad pacis tractatus rejecta disceptatione, permittenda an toleranda sint Reformatorum sacra. Quod monitum secuti Galli fœdus cum Landgravia absolvunt, quo de resumendis armis conveniebatur; ac ratihabitione utrinque permutata eidem centum quinquaginta millia uncialium Amstelodami numerant. Capita ejus fœderis erant, ut Landgravia cum exercitu septies mille peditum, ter mille equitum bellum continuet communicatis cum Gallia & Suecia consiliis. Quæ loca ceperit; hosti ne reddat, nisi cum consensu Regis. Ut Regi Galliæ, & Reginæ Sueciæ liceat in patrocinium recipere, si relictis hostibus ad ipsorum partes transire velint; quæ pacta Landgravia observare teneatur, modo moneatur, ut tamen non teneatur restituere loca, quæ jam obtinet, nec contributiones suas imminuere. Nec Landgravia quid circa sacra Romana & reditus sacerdotum novet contra statum anni 1618. nec Rex circa sacra Protestantium. Si Gallicus exercitus necessium habeat intrare Hassicam ditionem, suppeditentur cibaria, si diutius manendum sit, suo argento vivant. Ne cum Rege Hungariæ tractatus pacis aut induciarum ineat, excepto in unum mensem si necessitas exegerit, nec menstruas illas inducias renovet absque consensu Regis. Landgravia suos Legatos mittat ad loca conventa tractatuum pacis mediante Papa suscipiendorum, ac quantũ penes se conventa præstet, Rege idem facturo, & ut ipsius Legatis caveatur curaturo. Idem Rex Landgraviæ quotannis ducenta octoginta uncialium millia Amstelodami aut Hamburgi solvat, & præterea ducenta viginti millia instruendo eo melius exercitui, modo statim in arma erumpat. Rex eandem fœderi, quod cum Anglo facturus est, & fœderi cum Hollandis recipi curet. Si Landgravia vi hostium ditione expellatur, receptus ipsi in ditione Regis sit honorificus, quoad restituta sit. Pensionem quam Landgravius pater habuit, filius quoque percipiat. Si Landgravia infelici prælio exercitum amiserit, Rex ad eum reparandum connitatur; ac si principalis ipsius munitio obsideatur, idem ad eam liberandum incumbat. Guarantiam futuræ pacis Rex ad decem annos præstet. Landgraviæ integrum

Landgravia socios belli quærit Luneburgicos & Gallos.

1640. grum ſit cum aliis quoque tractare de armorum conjunctione & neutralitate, ſalvo tamen hoc fœdere, quod durabit, quamdiu bellum fuerit. Denique Rex eum omnibus ſuis tractatibus includat.

Nec tamen illa pacem adſpernari videtur. 14. Mart.

Nec eo ſecius illa ad literas Electorum Noriberga miſſas reſpondebat: Quo minus tranſactio Moguntina perficeretur, non per ſe, ſed per Cæſarem ſtetiſſe, qui caput, quo ſacris cavebatur, confirmare abnuerit. Nec peculiari pace patriæ, ſuisque ditionibus conſuli. Ad communem potius pacem, priſtinumque Imperii ſtatum inſtaurandum incumberent, ut exteris belli prætextus adimatur. Quo fine legatos Noribergam miſſura ſit, ubi tuti itineris literæ dentur; ſimul cum exteris Regibus

Tractatus cum Suecis exhibitus.

acturam, ut æquas pacis leges admittant. Redierat poſt è Suecia Wolfius Legatus: cujus reſponſum etſi Landgraviæ non ſatisfaceret, non eo minus tamen copias Banerio conjungit. Mittitur inde Hamburgum in Vulteji locum Deichmannus Cancellarius, qui de conſtantia Landgraviæ ad communem usque pacem ample prædicabat, multis Melandrum inculcans, qui diffidentiæ cauſam dederit, ac per ſocerum ſuum Baronem de Effern multa ſiniſtra de Landgraviæ & Luneburgicorum deſtinatis in Sueciam ſcripſerit, diſcordiæ inter ipſos ſerendæ: & eam ob cauſam inter alios Melandrum exautoratum. Idem poſt tam apud Salvium quam Avauxium legatos Ratiſponam miſſos defendebat. Quod uti fœderi repugnans Avauxius arguebat; ita & Salvius in ſuſpicionem idem valere oſtendebat. Qui tamen non eo minus Banerio ſuadebat, cum hic dubitaret, num legatis iſtius Ratiſponam ituris tutum iter concederet; velut ultro indulgeret, quod impedire, aut citra offenſam negare non poſſit: ut tamen ſcripto caverent, nihil ab illis in fraudem Sueciæ actum iri. Mox denuntiabat Deichmannus, Vultejum Legatum in Sueciam mittendum dudum agitato fœderi abſolvendo. Quem tamen Ratiſponam iviſſe excuſabat, quod alius ei legationi obeundæ idoneus præſto non fuiſſet. Nec alium tamen defore, qui in Sueciam legatus eat. Sic illa Suecicas quidem partes aperte ſequebatur, ut tamen peculiaria ſibi conſilia clam fovere videretur.

Tractatus circa fœdus commune evaneſcit.

§. 51. Negotiatio circa fœdus commune cum Anglis tot per annos inani ſtudio agitata jam tandem in nihilum deſinebat. Excuſabat Rovvius detentionem Electoris Palatini, & quod exitus Parlamentorum per tria Regna Britannica expectandus foret. Sed quia adparatus armorum qui tunc terra marique in Anglia fiebant, multorum animos adverterant, Salvius quid ſpei metuſve illi

Rovvii de armis Anglorum ratiocinium.

præberent, è Rovvio ſciſcitabatur. Hic igitur negare, bello Germanico ullum inde levamentum ſperandum, quod ne volente quidem Rege Ordines permiſſuri ſint. Stare ſententiam Anglo Germanicas res non ulterius tangere, quam ut milite & pecunia Palatinum ſublevet, ſi Vinarienſis, aut alterius exercitus imperio potiri queat: ſed de illo auxilio agi non poſſe, quamdiu is cuſtodia detineatur. Galli contra ſuſpicabantur, in ſe forte ea arma parari, non quidem ob Palatinum, etſi ejus liberatio obtentui poſſet ſumi, ſed ut gliſcens nimis eorum potentia coërceretur. Et auxerat ſuſpicionem Velada Marchio ab Hiſpanis in Angliam miſſus, inuſitato ſe ſplendore jactans. Negabat tamen Rovvius illa arma Gallos ſpectare. Anglis quippe bello idoneam cauſam non eſſe, & Galliam armis nunc inſtructiſſimam; quæ ab Anglis laceſſita, forte raptim cum Auſtriacis ac Hiſpanis pace facta totam belli colluviem in Angliam effundere poſſit, nunc etiam maritimis viribus ſuccincta. Sed nec ad Hollandos pertinere iſtos paratus. Eam Rempublicam cumprimis Angliæ ſua incunabula debere. Conjunctis Angliæ & Hollandiæ maritimis viribus utramque tutam fore; ubi hæc ab Anglis ſubverſa fuerit, hos quoque ſimul ruina involvendos. Conditorem Reip. Batavicæ Wilhelmum Arauſionenſem duas regulas velut teſtamento reliquiſſe, à quibus Hollandi hactenus graviſſimum per errorem diſceſſerint: Amicitiam Gallorum Hollandis utilem, Anglorum neceſſariam eſſe. Ac fuiſſe olim tam arcte illos Angliæ innexos, ut Anglicus Legatus ſummo Reip. ejus conſilio tantum non præeſſet. Alterum, ut Hollandi bellum terra arceuiſſe contenti, mari idem inferrent. Nunc Hollandos verſo rei ordine opes ſumtuoſis oppidorum obſidiis prodegiſſe, conflato inſuper grandi ære alieno, cujus uſuræ prope reditus ipſorum æquent: quo ipſo vires eorum valde debilitari, gliſcentibus contra Dunquercanis & Gallis. Quæ Hollandorum errata ipſi quoque Angliæ fraudi ſint, invaleſcente Gallorum & Hiſpanorum potentia, Hollandis languentibus. Conſilia Anglorum eo ſpectare, ut Hollandos amicatione ſibi innectant præſtandæ ſecuritati maris & deducendis ad æquilibrium vicinorum viribus; de quo nuper Hollandorum Legato Arſenio leges propoſuerint. Igitur non niſi ad Scotos illa arma pertinere, quibus Rex amice alias cum ipſis tranſigere cupidus, terrorem incutere velit, ne iidem armis ſuis quid Regi extorſiſſe videantur. Alias Rovvius iſte odium in Gallos non diſſimulare, ac Salvium monere; caveant Sueci, ne à Gallis ſibi imponatur. Anglis quidem non diſplicere, Suecos cum Gallis arcta ſocietate jungi, quod nulla alia ſpes ſit Palatinum reſtituendi. Sed his ſolenne eſſe fœderibus ludere; ac jam ſeparatos tractatus inter ipſos ac Cæſarem agitari, mediante Bavaro. Tandem vetus votum repetebat de uniendis Evangelicis; præſertim cum ſtatui Principum Germaniæ exitium intentari adpareat, ni mature obviam eatur. Sed tot capita diverſis ſtudiis ac commodis ducta vix in eandem ſententiam cogi poſſe. Poſt Rovvius invitante Daniæ Rege 7. Febr. Gluckſtadium abit, uti ferebat, moderationem vectigalium pro Anglicana natione in freto Oreſundico obtenturus. Sed prudentiores judicabant, de fœdere inter Hiſpanos, Anglos ac Danos agitari. Id ſane dubium non erat, arcana commercia Dano cum Hiſpanis intercedere, Penzio ſubinde Regi inculcante, ut Hiſpanica ſocietate Suecorum vires libraret: ac prohiberet, ne illi Pomerania potirentur certiſſimo cum Daniæ exitio. Talia tamen conſtanter abnuere Rovvius; ſed Angliæ potius cordi eſſe, cum Suecis, Danis, atque Hollandis fœdere jungi combinandis Proteſtantium viribus. Tandem iſte circa finem Martii à Rege in Angliam revocabatur; quo ipſo & Ruſtorfii Palatini Legati mandata expirabant. Qui licet Rovvius magnam indignationem præ ſe ferre videretur acreſque querimonias eo nomine moveret; tamen cenſebat, Anglos in ſinu gaudere colorem ſe invenille commune fœdus declinandi. Manebat tamen Rovvius ad menſem uſque Majum, ac valedicens Salvio Gallorum conſilia denuo ſuſpecta reddere conabatur, de ſtatu Proteſtantium Coloniæ pro lubitu Catholicorum decernendum, cum Suecis Lubecæ in ſpeciem agendum, iisque Coloniæ decreta obtrudenda. De ſe dubitabat, Coloniam ipſe mittendus, an vero tractatibus cum Hiſpano Legato Londini ſuper Anglicano matrimonio adhibendus ſit. Quod tamen irritum fore confirmabat, Hiſpanis eadem ludibria recepturis, quæ antea Anglis in pari cauſa intulerant. Cæterum de Regis ſui in Proteſtantium cauſam ſtudio prolixe teſtabatur, culpam irriti fœderis in fata temporum & fraudes Gallorum referens. Nec ta-

Rovvius in Angliam revocatur.

1640. men tractatus plane abrumpere, ſed tantum incommodiora tempora differre videri volebat. Enimvero quominus de iſto poſtea cogitatio ſuſciperetur, inteſtinæ per Britanniam turbæ prohibebant.

Elector Palatinus in Gallia loerum dimittitur.

§. 52. Interea temporis de liberando Palatino agebatur, quem Galli jure à ſe detineri jactabant. Nam antequam ex Anglia diſcederet, cum ipſo & Angliæ Rege Galliæ Regis nomine actum fuiſſe de Vinarienſi exercitu eidem certis ſub legibus tradendo. Sed Hiſpanorum inſtinctu ipſum in poteſtatem redigere eum exercitum inſtituiſſe una cum Briſaco, & aliis oppidis à Bernhardo Duce occupatis, ut eorum reſtitutione ſuum ſibi Palatinatum redimeret. Quæ conſilia ipſe Leiceſtrius Le-
21. Jan. gatus Anglicus improbarit. Cæterum eluſis Palatini deſtinatis, Chavignius ultro Grotium monebat, cum nondum è Suecia Reginæ literæ eſſent allatæ, ut circa illum liberandum operam navaret. Ac ut gradatim procederent, miniſtri Gallici, primo proponebant; Lutetiam accedendi facultatem fore, ſi ſcripto profiteatur; ſe nihil circa exercitum Vinarienſem conari voluiſſe Rege invito, nec deinceps adverſus Galliam quidquam tentaturum. Utique Grotius atque Leiceſtrius fidem ſuam interponant, eum citra Regis conſenſum Lutetia non exceſſurum. Sed Grotius oblatam cautionis formulam adſpernabatur, quod Galli innuerent, Vinarienſem militem Regis Galliæ fuiſſe: nec minus Leiceſtrius fidejuſſionem abnuebat. Mox cum innotuiſſet, è Suecia Grotio injunctum pro Palatino agere, arctiore is cuſtodia ſepiebatur, ut forte duriorem ab ipſo cautionem
26. Febr. extorquerent. Allatas è Suecia literas ſolenni admiſſione Grotius reddebat, quas ipſe apto movendæ miſerationi ſermone proſequebatur, facunde memorans de veteri ſplendore Palatinæ Domus, felicitſimis terris inclutæ, quæ primo loco inter ſeculares Imperii Principes, ac per interregnum vicaria adminiſtratione gaudeat; quæ nunc ſine terris, ſine populis, vaga, & extorris apud exteros agat. Eandem maximum erga Galliam ſtudium ſemper oſtendiſſe, ac jus Henrici Magni ad regnum, quod ipſi per ſummam injuriam controverſum fiebat, pro viribus defendiſſe. Auſtriacos eidem ſemper fuiſſe infeſtiſſimos, qui & nunc ſecundum ejus Domus principem captivum detineant, & huic perpetuam cuſtodiam optent. Contra ejus liberationem Proteſtantibus per Germaniam, multiſque aliis fore gratiſſimam. Cumque Rex in miſericordiam pronus excepiſſet; cautas ſe habere hujus facti, ſe huic Principi optime voluiſſe: Grotius reponebat, ſi quid ſecius factum ſit, ætati imputandum, & quod non optimis conſiliariis uteretur: commodiſſimum fore ad inſtaurandam amicitiam præterita oblivione delere. Leiceſtrius contra ab Anglo in mandatis habebat nihil pro eo agere, antequam liber eſſet, velut metu ejus liberationem extorturo; Gallis parum curantibus circa inteſtina mala fruſtra laborantem.
11. Mart. Tandem Chavignius intempeſta nocte Electorem è Vincennarum arce Lutetiam in Leiceſtrii domum adducit, ut ibi moraretur, quoad Joanne Caſimiro Poloniæ Principe digreſſo in domum tranſiret, qua legati extraordinarii ſolent excipi. Obſtrictus tamen manebat è Gallia non diſcedere, niſi Regis conſenſu. Splendide hinc habebatur, impenſis è publico in dies ſingulos mille quingentis libris; & quanquam Electoris titulo negato, majore quam Joannes Caſimirus honore habeba-
21. Mart. tur. Literis ad Reginam Sueciæ Rex profitebatur, etſi cauſam habeat eum detinendi, in ipſius tamen gratiam eundem dimittere. Quo nomine Regina Bohemiæ, & Elector Reginæ gratias agebant; indignantibus contra Anglis, quod is ſcripto ſe Gallis obſtrinxiſſet. De cætero circa reſtitutionem iſtius Galli nihil movebant cauſati, ſe expectaturos, quid Angli pro ipſo facturi ſint; honeſta in ſpeciem excuſatione, quod ſatis noſſent ob inteſtinas turbas iſtam nihil facturam. Hamburgi propoſitum fuiſſe, quid ab ipſis deſideraretur; eam ſententiam adhuc ſtare. Tandem Ele- 25. Jul.
ctori permiſſum eſt, quo vellet proficiſci: retinuit tamen Rex cautionem, quam iſte in carcere ſcripſerat, ſe contra commoda Regis Galliæ nihil facturum.

Negotiatio circa prorogationem fœderis Gallici.

§. 53. De prorogando fœdere Gallico Avauxius ſubinde apud Salvium inſtabat; quo fine & Rorteus è Gallia Hamburgum miſſus erat. Uterque tamen rogabat id ſecreto haberi, ne Cæſarei idem reſciſcentes omnem lapidem moveant Suecos inde retrahendi. Poſtulabant autem Galli fœdus non ad certos annos prorogari, ſed quoad bello finis per communes tractatus foret impoſitus, & non aliis legibus, quam quæ Wiſmariæ & Hamburgi quondam convenerant. Aſt Sueci novo tractatu opus eſſe cenſebant, & leges fœderis hinc inde plenius declarandas; quod præteritis annis nonnulla admiſſa ſint, quæ curatius adſtringi mereantur. Inter quæ præcipuum erat, quod Galli ne tentarint quidem in ditiones Cæſaris penetrare, quin Vinarienſem inſuper exercitum corruperint, ac in diverſa abduxerint, cum commune periculum longe aliud deſideraret. Ab iſto exercitu capta Gallos ſibi ſolis uſurpaſſe, velut ea non Sueciæ quoque & fœderi Evangelico quæſita forent. Subſidia die convento non ſoluta. Conditionem belli ac provinciarum, in quibus illud gerendum, interea valde mutatam, hiſce vaſtatis & exhauſtis, ut exercitus longe majore cum moleſtia nunc, quam antea, ſuſtentari queat. Majore autoramento nunc militem conduci. Unde oneribus gliſcentibus ſubſidia quoque augeri par eſſe. Quæ omnia in anteceſſum definienda, ne deinceps quid difficultatis oriatur. Extare quoque duo fœderis inſtrumenta, Wiſmarienſe & Hamburgenſe; de quibus diſpiciendum, num in unum compingenda ac præſenti tempori accommodanda, an eadem confecto tertio dumtaxat declaranda & confirmanda ſint. Salvius cum crederet Gallis petito ſubſidiorum augmento ſuſpicionem injici, ac fortaſſe ipſos ad ſeparatam pacem permoveri poſſe, quæ ſibi mandata forent diſſimulare, ac conventum Ordinum Sueciæ obtendere; ratus ſat ſpatii ſupereſſe præſcripta ſibi proponendi: interea tempus conſilia ſuppeditaturum. Contra Galli ſuſpicabantur, quia Sueci hoc negotium ita frigide gerebant, ac Cæſarei de communis pacis tractatu conticeſcerent, iſtis ſecretam cum Cæſare negotiationem agitari; eoque Salvium tanto acrius urgebant. Sed cum ſoluto Ordinum conventu color tergiverſandi expiraſſet, ac Rectores Sueciæ judicarent, ipſius ſolicitudinem inanem eſſe, Gallis ita profunde bello immerſis ut haut facile eo ſe explicare poſſint; hiſce ita acriter inſtantibus initium utique erat faciendum.

Sueci fœderis leges declarari cupiunt.

Salvius poſtulata ſua obliquo inſinuat.

§. 54. Ac primo placebat poſtulata magis innui, & conjectanda Gallis relinqui, quam diſtincte exponi. Quo fine exagerabatur onus & periculum Banerio in Bohemia incumbens, ſocordia aut ſecuritas, Gallorum Piccolominei iter non ſiſtentium, ac nihil in Cæſareos ditiones tentantium. His & ſimilibus actibus fœderi vim fieri, ut Rectoribus Sueciæ, quantumvis ad continuandum fœdus pronis, vix conſtet, quid faciendum ſit, niſi rebus iſtis medicina fiat. Et quia Gallici Legati denuntiaverant, licet verbis in prorogationem fœderis conſentiatur,

1640. tur, tamen se reipsa fœdus recusari judicaturos; si super ulla ejusdem lege interpolanda verba fiant; late demonstrabat, opus utique esse præmissa aliqua declaratione, ac in quibusvis fœderum renovationibus moris esse veteres leges pro re nata præsentibus temporibus adaptari. Galli quæ objiciebantur, quantum poterant excusare, diligenter se in Galliam scripturos, ut de quibus Sueci querantur, deinceps emendentur. Subsidia vero nullo modo augeri posse ob immensa, quæ Galliam premant, onera; provincias magis nunc quam antea exhaustas, cives frænum mordere. Quin deliberatum fuisse de minuendis subsidiis, sed quia prorogatio tantum fœderis, non mutatio quæratur, placuisse summam semel conventam retineri. Inter quos sermones Rorteus aliquando incalescens jactare: quia Suecos adparcat negotium extrahere, Galliæ vitio verti non posse, si mature sibi consulat. Interdum contra crepare Galliam haut eo minus bellum acriter persecuturam, etsi Suecis fœdere exeuntibus, velut illis subsidiis Ragozium ad arma permoturam.

Galli resectionem fœderis abnuunt.

De induciis à Gallis proponitur.

§. 55. Cum ita negotium circa fœdus prorogandum difficultatibus involvi sentirent Galli, de induciis movebant, super quibus Pontifex tam in Gallia, quam apud Cæsarem & Hispanum instaret: in quas Rex ipsorum pronus sit, non tamen nisi in annos decem aut duodecim. Reginam quoque Sueciæ ab iis se non abhorrere, per Grotium declarasse. Et modicum duntaxat discrimen esse circa subsidia interim præstanda, quæ ad trecenta uncialium millia jam auxerint. Non plus tamen per inducias quam Pomeraniam & Lotharingiam posse retineri. Salvius nova sibi mandata expectanda excusabat, cum diu inductarum mentio facta non sit. Sibi tamen non persuaderi consideratis inductarum incommodis, Reginam in tam jejunas conditiones consensuram. Circa Colmariensem tractatum cum Vinariensibus ipse Rex ad Reginam scripserat; quas literas Avauxius Salvio in Sueciam mittendas commendabat. Dolorem hinc præseferebat, quod Jacobus Gardius, & Axelius Oxenstierna Secretario Gallico id factum acerbe exprobrassent. Ac fatebatur à ministris Gallicis erratum, sed Regis ac Cardinalis nullam culpam esse; Petebat ne ista res siniſtre capiatur, ac periculum nonnullum inde metuebat, quod in universum omnes Germani id factum improbarent. Etsi ista in speciem dici adparebat, nec Gallis id factum emendandi animum esse. Rorteus inde in Sueciam digressus apud Rectores super prorogando fœdere proponebat, ut tamen omnia prius conventa manerent præter tempus fœderis, quod ad finem usque belli sit porrigendum. Huic declarabant Rectores Sueciæ: fœderi prorogando se paratos; sed cum tempora mutata sint, ac nonnulla explicatione indigeant, à se deputandos qui cum ipso tractent. Is excipiebat; cum Rex nihil mutari velit, mandatis ipsum instrui non fuisse visum. Si tamen tractatu opus utique judicent, eum Hamburgi posse suscipi. Quod & ipsum Rectoribus Sueciæ placebat qui idonea se Salvio mandata transmissuros pollicebantur.

Tractatus Colmariensis ab iisdem exigitur.

Rorteus paria apud Rectores Sueciæ proponit. 19. Maji.

Sueciæ postulata.

§. 56. Cæterum capita super quibus tractandum Rectoribus Sueciæ videbatur, hæc erant: ut Galli deinceps majore vi quam hactenus bellum in superiore Germania gererent, ac valido cum exercitu per Sueviam & Bavariam in ipsam Austriam penetrarent: ne inducias cum Cæsare aut Hispano in Germania aut Italia, aut ullibi inirent: extrema sua in pace postulata sibi secreto aperirent: ob exercitum Vinariensem, & loca ab eodem occupata sibi satisfacerent: ac subsidiis insigne augmentum adderent. Sed quia annus adhuc fœderi supererat, haut noxium videbatur negotium extrahi, si forte interim aliquid obtineri posset. Quod si nulla spes meliorum conditionum esset, sat mature remitti, ac pro lubitu ad conclusionem perveniri poterat. Salvius igitur lentius rem gerere, ac primo causari, Rorteum sine dubio cum Rectoribus Sueciæ acturum: Avauxio tamen acrius instante tandem ista capita proponebat, etsi circa augmentum subsidiorum certam summam non exprimeret, quo novæ propositionis materia esset. Cui statim Avauxius, nihil super hisce in mandatis se habere, sed non nisi de fœdere ad finem belli iisdem legibus prorogando. Nihilominus velut privato nomine differere. De bello in Cæsaris ditiones transferendo non difficulter probatum iri, quantum fieri posset. Inducias in Italia cum Hispanis bellum Germanicum non spectare, ac salvo cum Suecis fœdere Gallis pacem aut inducias cum Hispanis facere integrum esse. Neque tamen ita longas inducias conclusas, ut copiæ hostiles ex Italia in Germaniam transferri potuerint; nec tales deinceps ineundas. Quod si tamen Sueci in partem belli Hispanici venire velint, æqua peti; alias id non facile à Rege postulari posse. De hoc tamen haut ægre conventurum. Leges pacis se communicaturum, si Sueci idem faciant. Circa publicas pacis conditiones nihil dissensionis esse nisi forte circa restitutionem Domus Palatinæ, quæ in Galliis difficillima habeatur, nec credi illam in statum, qui ante bellum fuerat, reponi posse. Privatam utriusque Regni satisfactionem æquandam: si Suecia totam Pomeraniam depoſcat, Gallos quoque totam Lotharingiam postulaturos; si parte istius Sueci adquiescant, & Gallos hujus parte fore contentos. Vinariensem exercitum post Norlinganam cladem dilapsurum, aut per Palatinum in privatos usus adhibendum, à Gallis servatum ultro Suecis imputabat, qui hunc æque ac antea Suecis obstringatur, & in usum causæ communis militet. Loca occupata non minus Sueciæ quam Galliæ inservitura ad idoneas pacis conditiones hosti extorquendas. Gallicorum duntaxat ministrorum culpam fuisse, quod transactione Colmariensi Sueciæ mentio facta non sit. Sed ut subsidia ad eam mensuram, qua Vinariensi & Hollandis data sint, augeantur; iniquum esse, ac fieri nullo modo posse. Nam Suecos paribus auspiciis una cum Gallis bellum gerere: istos à Gallis in accessorii loco haberi. Suecis quæ promissa sunt accurate solvenda istis nunquam, ita exactam solutionem factam. Denique facultates Galliæ id non ferre. Ad quæ Salvius: Reginam hoc postulato libenter et supersedere voluisse. Sed quia Suecia diuturno bello sit exhausta, & Germania vastata, Galliam contra opes non deficiant: cujus quā maxime interest Suecicum exercitum servari sartum tectumque; ideo confidere se, Regem communi causæ non defuturum. Neque is hoc velut ex debito postulari, sed ne tanta rerum moles defectu sumtuum ultro collabatur. Avauxius cum nec subsidia augeri posse, nec de hisce rebus quidquam sibi mandatum constanter ingemiscaret, de istis in Galliam se quam diligentissime relaturum promittebat; ut tamen spem non faceret aliquid impetratum iri; sed potius metuere se ferret, ne ista postulata recusati fœderis loco accipiantur. Salvio contra asseverante, Reginam æterno fœdere Galliæ innecti cupere; quantum rationes Regni sui ferant. Ita diu negotium istud quiescebat; Gallis subinde jactantibus; easdem ob rationes Suecis fœdus iisdem sub conditionibus continuandum, ob quas id primum iniverint. Nupera conjunctione Longuevillii Ducis multum diffidentiæ Suecis sublatum. Si res à sociis exercitibus bene

Avauxii ad ista declaratio.

1640. geratur, Banerio viam itinerum in Cæſaris ditiones pandi, ut ſubſidiis auctis nihil opus ſit futurum. Rem pecuniariam multo difficilius nunc in Gallia expediri, quam antea. Galliam potius quam hinc deſcendat ſolam bellum continuaturam, quoad fata viam paci inveniant. Sibi imperatum, ni Sueci cito certi quid ſtatuant, non amplius de prorogando fœdere agere, ne dignitas Regis ſui proſtituatur. Addebantur minæ, Gallos hoc caſu finem fœderis non expectaturos, ſed mature naves in ſiccum ſubducturos. Qua occaſione Salvius oſtendebat; literis ſe certiorem redditum, Gallos Noribergæ, Monachii, Pampelonæ, & Burgi per peculiares miniſtros ſecreto tractare. Id quod Avauxius non quidem annuere, neq; tamen valde inficiari, velut ſuſcipiendis mox tractatibus ejusmodi, ni fœdus ſuccederet. Idem tamen mox movebat de aliis urbibus in Coloniæ, Hamburgi, aut Lubecæ locum ſurrogandis, quod communicatio, quæ frequentiſſima ſit facienda, ob intervallum iſtarum urbium difficillime ſit proceſſura. Eam difficultatem augeri bello interim continuato, dum utraque pars pro ſucceſſu armorum leges adſtringit aut remittit: ut tantum non quotidianis literarum miſſitationibus opus ſit futurum. Igitur pro Succis Oſnabrugam, Francofurtum ad Mœnum, & Coloniam, pro Gallis Monaſterium, Moguntiam & Veſaliam proponebat. Salvius iſta ſuo loco relinquebat; etſi cum non fœdere ſolum, ſed & conſenſu hoſtium Colonia & Lubeca deſignatæ ſint, ægre circa eas quid mutari queat. Et cum Salvius proponeret, ut ut Galli Hamburgi, Sueci Lubecæ tractarent; Avauxius ob Pontificem mediatorem id fieri poſſe negabat, nullo ibi publico cultu, & populo ſacra Romana ſublaturo. Tandem denuo ad inducias revolvebatur, quod Galli nollent Succiam arma ponere, antequam ipſi alias ſuas controverſias extra Germaniam compoſuiſſent; & quia id magnis difficultatibus involutum erat, longas ſibi inducias expedire cenſebant, quo ſpatio ſuper iſtis tranſigere poſſent.

De mutandis tractatuum locis.

§. 57. Iſthæc omnia prolixius poſt inter legatos diſceptabantur. Ac primo quidem malebat Salvius tertium fœderis inſtrumentum confici, in quo capita V Viſmarienſi & Hamburgenſi contenta exprimerentur, inſertis quæ correctione & declaratione indigeant, adjecto die & anno, quo id nunc concluſum foret. Sed Avauxius veritus, ne forte tertium id inſtrumentum diverſam à Gallorum ſcopo faciem indueret, priora manere volebat, parvo aliquo adjecto, quo eadem confirmarentur, & ſi quæ capita ob mutatam rerum faciem correctione opus habeant, declararentur. In ipſa diſceptatione Avauxius hoc fere modo utebatur, ut rationes à Salvio adductas non tam contrariis rationibus quam ſilentio & contractis humeris eluderet. Quædam abnuebat, velut ſupra vires Galliæ poſita, quædam quod mandata deficerent. Ferebat quoque Rorteum è Suecia ſpem facere, conditiones V Viſmariæ & Hamburgi conventas manſuras, & Salvium poſtulata initio intendere, poſt gradatim ad veteres leges deſcenſurum. Interdum Salvio quid concedebat, ut viciſſim ex eo quid eliceret; mox dicta ſua retractabat, ut quæ ipſius mens eſſet vix liceret judicare.

Diſceptatio ſuper inſtrumento fœderis.

Modus tractandi ab Avauxio adhibitus.

§. 58. Priori fœdere de bello à Gallis in ditiones hæreditarias transferendo primo loco conventum fuerat; circa quod Galli nihil aliud præſtiterant, quam ut Vinarienſem pecunia & milite paululum ſublevarent. Quo factum fuerat, ut hoſtis tota vi Succos non ſemel obrueret, & nuper ad receptum è Bohemia cogeret. Id caput paulo diſtinctius exprimendum cenſebat Salvius, ut Galli diſerte promitterent, ſe juſtum exercitum in ſuperiore Germania habituros, & poſtquam Rhenum jam in poteſtate tenerent, pedem in Sueviam ac Bavariam, ipſàsque demum Cæſaris ditiones prolaturos. Contra Avauxius ejus rei difficultates oſtendere; in Germania non eſſe, unde magnus exercitus ali queat; Gallos nolle tam longe à finibus ſuis in Germaniam penetrare: nec Teutonicum militem tanto numero, ut juſto exercitui ſufficiat, conduci poſſe: eo quoque caſu bellum advertius Hiſpanos in Italia & Belgio languidius proceſſurum. Et cum Salvius proponeret, ut in Germania Galli bellum inferrent, in Italia & Belgio tantum propulſarent, id Avauxius adſpernabatur. Ac ſatis patebat, Gallos vires ſuas alio convertere malle, Germanicum bellum Succis relinquere, modica manu ab ſe firmandis. Tandem ut Succis ſatisfaceret, Avauxius id annuebat, ſi vel alibi languidius à Rege ſit res gerenda. Sed cum ad concipienda fœderis verba accederetur, hinc inde hærebat. Juſtum exercitum idonee inſtructum ad Rhenum alendum modo annuebat, mox retractabat. Pro Salvii verbis, *valido cum exercitu omnibus neceſſariis inſtructo ſedem belli transferre*, ſubſtituebat, *valide diſtrahere*. Mox tamen iterum Salvio inſtanti adſtipulari videbatur. Ut bellum à Gallis cis Rhenum gereretur, primo diſertis verbis exprimere nolebat, ſed ambigue ponebat, *Regem hoſtes in Germania diſtracturum*; id quod etiam trans Rhenum, & in Belgio Hiſpanico fieri poterat. Demum Salvio urgente non amplius repugnare videbatur. Bavaro iratum ſe ferebat, præſertim poſtquam ejus copiæ cum Cæſareis junctæ forent, jactans, licet è Gallia mandatum non acceperit, non dubitaturum tamen vocabula *per Sueviam & Bavariam* inferere. Et credebat Salvius, fiduciam Gallorum in Bavarum minuiſſe, quod ipſe ſenio provectus, filius puer Auſtriaca matre natus eſſet, patre defuncto fortaſſe Auſtriacis tutoribus uſurus. Sed cum in rem præſentem veniendum eſſet, id detrectabat Avauxius: belli rationem non ferre, ut itinera certo loco alligentur, ſed actiones bellicas pro re nata inſtituendas. Ac revera juſſus erat Salvius de Bavaria concedere, ſi Galli promitterent, valido cum exercitu ſe in Cæſaris ditiones irrupturos. Pro *Auſtria* ſubſtituebat *Auſtriacas provincias*, ſub quo vocabulo ex Gallorum mente non Brisgovia ſolum & Alſatia, ſed & Burgundia ac Belgium intelligi poterat. Unde patebat, ni caput hoc inane deberet haberi, diſtinctius id exprimendum eſſe. Tandem heic ad non plura adſtringere Gallos volebat Avauxius, quam quæ vires & ratio belli permitterent. Quod etſi in ſe abſurdum non foret, tamen quia verba iſta obtentui poterant ſumi omnibus hoc capite conventis eludendis, Salvius eadem omitti cupiebat; Avauxio contra niſi clauſula hac inſerta ſubſcribere abnuente, ac diſſerente in re ipſa conveniri; circa vocabula tantum diſcrepari: ac validius utiq; rem adverſus Cæſarem, quam hactenus gerendam. Porro quo minus Galli inducias cum Hiſpanis in Italia & Belgio abſq; Suecorum conſenſu inire poſſent, nullo modo Avauxius fœderi inſerere volebat; ni Suecia partem Hiſpanici belli capeſſere vellet. Confirmabat tamen id non facile futurum; ac ſi fiat, tanto majores copias Regem in Germaniam miſſurum. Contra ut Gallis liceret pro lubitu pacem aut inducias cum Hiſpanis abſque Suecia paciſci ſine dubio contra mentem erat eorum, qui fœdus antehac fecerant; cum ſub Auſtriacorum nomine tam Germanica, quam Hiſpanica ſtirps comprehenderetur, ac tanto magis hæc, quod Gallis eo tempore nullum eſſet apertum bellum adverſus Cæſarem: ac Hiſpanus

Diſceptatio ſuper bello in Auſtriam transferendo.

Super inducias cum Hiſpanis.

1640.

1640. ſpanus ob controverſias Suecorum cum Cæſare naves horum hoſtiliter haberet.

Super augmento ſubſidiorum.

§. 59. Circa ſubſidia Sueci poſtulabant, eadem ad ſummam, quæ Vinarienſi promiſſa foret, augerentur, præſertim cum pactum id ab iſtius Ducis morte expirarit. Tum ut genus monetæ exprimatur nummi unciales, ac ut ſolutio Hamburgi fiat. De poſterioribus ſpem facere Avauxius, primum præfracte abnuere, ac eo poſtulato velut attonitum ſe ferre. Galliam nunc tanto pauperiorem, quam ante triennium; plebem ob onerum magnitudinem ad ſeditionem ſpectare. Neque Vinarienſi, neque Hollandis plenam, quæ convenerat ſummam ſolutam, etſi utrique in clientela Regis fuerint, ille tanquam miniſter, hi comi obſervantia & cultu. Sueciam nemini obnoxiam æquali fœdere Gallis ſociari, per ſe potentem, & cui belli continuandi neceſſitas etiam citra ulla ſubſidia incumbat: tot per annos quadraginta myriadibus contentam, accurate eas exegiſſe, & accepiſſe. Jam plus exigere nil aliud eſſe, quam fœdus verbis probatum reipſa repudiare. Non credere ſe, iſthoc à Salvio ſerio proponi. Rorteum ſibi ſcripſiſſe, Rectores Sueciæ caput de bello in ditiones Cæſaris transferendo palmarium habere; de ſubſidiis augendis non niſi obiter, & ſubridendo mentionem feciſſe: ac conſtare ſibi, Salvio injuncto, remiſſione gradatim facta demum in quadraginta myriadibus adquieſcere. Salvius contra pernegare, præter mandata quid à ſe dictum. Neque vero verbis ſuis opus eſſe, ſed rem ipſam loqui. Cæſaris nunc exercitum Suecis prævalere; his, niſi valido ſupplemento fulciantur, ad oram maritimam receptum quærendum, ubi Cæſari facile fore modico cum exercitu ipſos detinere, totis viribus in Galliam verſis. Tanto promtius Gallos propriam ob ſecuritatem Suecis ſubvenire par eſſe. Ni in hæreditarias ditiones penetretur, Cæſarem nunquam ad æquam pacem deſcenſurum. Verum ita exercitum firmare, ut in eas iterum perrumpere poſſit, Sueciæ opes non ferre. Regem quondam Guſtavum inſtar quorumvis ſubſidiorum habuiſſe Germaniæ provincias tunc locupletes, & plerosque Ordines in partibus, quæ omnia nunc ſecus ſint. Sane Suecis bellum etiam ſine ſubſidiis gerendum; ſed eo caſu liberum fore peculiaribus tractatibus quandocunque commodum videatur pacem inire. Poſſe aliis ſociis tantundem decerpi. Hollandos intra biennium parum aut nihil effeciſſe. Vinarienſes propriis auſpiciis velle rem gerere citra Galliæ ac Sueciæ reſpectum. Avauxius demum ferebat; difficilem exercitus Suecici conditionem ſibi cordi eſſe, ac cupere eum valido auxilio ſublevari: ſed ſancte dejerabat ſe licet diligenter ſuper hac re ſcripſerit, nil valuiſſe impetrare. Cenſebat igitur, in fœdere quadringenties mille uncialibus adquieſcendum, inde in Gallia Regis liberalitatem ambiendam. Id quod cum Salvio ad palatum non eſſet, iſte proponebat; ut fœdus nunc in triennium prioribus legibus prorogaretur; ſequentibus annis decem myriades ad finem usque belli adderentur. Ex quo ſpem conceperat Salvius, ſtatim initio renovati fœderis quinquaginta myriades annuendas. Mox tamen verba ſua retractabat Avauxius, velut alia domo mandata accepiſſet. Ac conſtabat, Gallorum animos ſucceſſu rerum ad Turinum, & rebellione Cataloniæ non leviter intumuiſſe. Salvius cum diu hanc rem agitaſſet, tandem ne velut mendicando dignitatem Reginæ proſtituere videretur, ex decoro ducebat non amplius eandem urgere. Tandem ut ſuper Vinarienſi exercitu Suecis ſatisfieret, Avauxius ſe diligenter in Galliam ſcripſiſſe ferebat; ac promittebat, ſi in Galliam ipſe venerit, quo propediem evocandus ſit, laboraturum, ut extra ordinem Banerio quid ad ſuppliendum exercitum numeretur. Sed certi quid de hoc fœderi inferre præter mandata non audere. Quanquam & Salvius juſſus erat circa hos nihil certi poſtulare, ſed videre, num Avauxius quid oblaturus ſit: ac ſi nihil obtineri queat, rem eam indecidam relinquere, ſi forte in poſterum ea prætenſio uſui eſſe poſſit.

Super Vinarienſi exercitu.

1640.

Nova Gallorum poſtulata de termino fœderis.

§. 60. Sed & Galli nova quædam poſtulata producebant, inter quæ primum erat ut non in triennium duntaxat, quod Salvius proponebat, ſed ad communem usq; pacem fœdus prorogaretur: nec alia lege ut fœdus ſubſcriberet à Rege ſibi injunctum. Nam verebantur Galli, ne triennio elapſo difficiliores à Suecis conditiones exigerentur, opibus interim Galliæ exhauſtis. Rectores Sueciæ utique Rorteo declaraſſe, ſe fœdus ad belli usque finem continuare velle. Quod Salvius ita interpretabatur; velle Sueciam in Gallico fœdere ad exitum usque belli perſiſtere, ſed non iisdem ſemper legibus, & ut elapſo triennio leges, ſi opus ſit, temporibus adaptentur. Etſi revera illud ab Avauxio conflictum erat, ut Salvii ſententiam expiſcaretur; qua arte quondam in Boruſſia uſus erat. Contra Avauxius diſerte declarare: ſi Reginæ non placeat eousque fœdus porrigere, malle Regem fœdus nunc, quam poſt triennium expirare. Salvio niſi mandata obſtitiſſent, lubido erat in hoc poſtulatum conſentire, cum Galli utique far cautarum præbituri forent ſeparatam pacem, ſi ea commoda offeratur, amplectendi, ut de fœdere violato accuſari Sueci non poſſent. Nam alias in fœdus conſentire, quoad Galli pacem appetituri ſint, & habituri qualem cupiant, iniquum, & periculoſum valde, aut anceps rebus Suecicis erat. Sed quia Salvii interpretatione Avauxius adquieſcebat, nec Salvius aliud in mandatis habebat, ab utroque res hæc ad ſuperiores referenda erat. Sed & locum tractatibus inſtituendis mutandum poſtulabat Avauxius; & quanquam Salvius oſtenderet, loca ab iſto nominata à Suecia valde remota, & interjectis tot Principum terris incommoda; tamen is contendere: ni circa locum mutatio fiat, tractatus magis occaſionem diſſidii ſocios inter Reges, quam medium paci reducendæ fore. Quo curatius res in Gallia expendatur, eo difficilius deprehendi, duo Regna una mente in duobus locis ita diſſitis tam ardua negotia expedire, cum neuter ex Agentibus, qui tractatibus utrinque intereſſe debeant, poteſtatem quidquam concludendi ſit habiturus. Nec aliud inde ſecuturum, quam ut ſe mutuo maturata concluſione prævertere ſint laboraturi. Gallis nihil aliud propoſitum, quam communem pacem; quæ iſta ratione comparari nequeat. Gallicos tractatus locum requirere Romanis ritibus adſuetum ob legatum Pontificis. Si ejusmodi locus prope Lubecam & Hamburgum inveniatur, ſibi in eum conſentire perinde fore. Ab induciis communibus, de quibus ab Avauxio movebatur, Salvius non valde abhorrere ſe oſtendebat; quod tempora æque in deterius, quam melius ire poſſent, ac utilius videbatur per decem annos locorum nonnihil in Germania retinere, quam pace ſecuta omnibus cedere præſertim cum poſt pacem omnes incubituri ſint ad Suecos iterum Germania expellendos, adverſus quæ conſilia per inducias ſeſe obfirmandi ſpatium fore. Sed cum de conditionibus inducialium Salvius diſtincte proponere vellet, Avauxius fruſtra id nunc fieri excuſabat. Promittebat tamen Regem una cum Suecis eo incubiturum, ut occupata tantiſper retineantur, præter remotiora quædam, quibus cedi non iniquum fuerit. Quæ tamen pollicitatio non magni fiebat, quod ſuperfuncto-

De loco tractatuum.

De induciis univerſalibus.

1640. functoria aut ſimulata opera facile liberari poſſet. Præcipua diſſenſio circa ſubſidia erat per inducias ſolvenda, quæ ultra triginta myriades promittere nolebat Avauxius, increpito Salvio, quod hiſce adquieſcere nollet, cum antea Grotio de viginti duntaxat acceptandis mandatum foret. Tandem & de reſtituenda Oſſeda cœnobio Monialium in Olnabrugenſi præſulatu vehementer inſtabat Avauxius; quin & novum caput de ſacris Pontificiis eorumque cultoribus fœderi inſerere cupiebat. Nam dicebant Galli, & Catholicis ſibi amicis, & Proteſtantibus in Germania opus eſſe.

De ſacris Catholicis.

Artes Avauxii deſtinata ſua obtinendi.

§. 61. Ut porro poſtulata ſua obtineret Avauxius, diverſos velut cuneos admovebat; quorum primus erat Liberatio Guſtavi Hornii, qui ut cum Joanne Wertano permutaretur, Bavarus tandem annuerat. Nam expreſſe denuntiabat Salvio Avauxius, ni circa fœdus conveniret, Wertanum non dimittendum, nec permutationem faciendam. Contra Salvius oſtendere; Wertanum à Suecico exercitu captum, & in Suecorum præſidia deductum, inde ultro in Galliam dimiſſum prægreſſa Regis cautione, ſi poſtuletur reſtituendum eſſe. Ejus dimiſſionem ſæpius petitam, ſæpius promiſſam. Nunc cum diuturno labore effectum ſit ut Bavarus in permutationem conſentiat, ex hoc negotio anſam tergiverſandi arripi parum generoſum eſſe. Hornium à Suecis maximi fieri egregias ob artes, & merita; ſed ſi nulla alia cauſa ſit, per ſolam hanc fœdus indecorum ab ipſis non extorquendum. Monuerant autem Rectores Sueciæ Salvium, impediret, ne Wertanus obſtringeretur militia adverſus Galliam abſtinere; ne forte & Hornius ſcripto cavere cogeretur, ſe adverſus Cæſarem non militaturum. Id quod parum decorum judicabatur. Porro cum non ignoraret Avauxius quantopere exercitui Suecico pecunia opus eſſet, non obſcure denuntiabat, prorogatione fœderis non ſecuta, ſubſidia, quorum dies menſe Novembri ceſſerat, ſolutum non iri. Imo cum Grotius ſcripſiſſet, iſta jam Lutetiæ numerata eſſe, Avauxius id negabat; ac licet Hamburgum perveniſſent, ſe tamen niſi novis acceptis mandatis ne teruncium quidem ſolvere auſurum. Unde Salvio Banerii & ſua fide Hamburgi centena millia uncialium in uſum exercitus mutuo ſumenda erant; ad quæ tamen Avauxius de ſuo, uti dicebat, triginta millia conferebat. Sed & ſubinde hic ſuperbiæ quid oſtendebat, minasque interſpergebat, velut fœdus hocce parum curaret; ante triennium Gallos continuato fœdere valde opus habuiſſe, nunc ſi æquis legibus id obtineri queat, concluſuros: ſed ſi utique ante pacem idem deſinere debeat, ſatius fore id nunc ſtatim, quam poſt expirare. Rarius quoque Salvium obtentu valetudinis adverſæ invaſere. Tum jactare; ſi Sueci diutius circa fœdus tergiverſentur, id perinde habitum iri, ac ſi recuſent. Falli Suecos, ſi peculiarem pacem meditentur; Sibi quo velint die pacem haberi poſſe mediante Pontifice. Tot loca hoſtium ab ſe detineri, ut iis reſtitutis ſtatim honeſta pace potiri queant. Enimvero his terriculamentis haut movebatur Salvius; ut ideo rem præcipitandam, aut aliquod in mora periculum judicaret. Præſertim cum valde cavendum foret, ne ullo modo crederent Galli, Suecis ſocietatem ipſorum eſſe plane neceſſariam, aut valde expetitam; cum nihil aliud, quam iſta opinio ipſos faciliet duriores. Nec enim credibile videbatur Gallos quæ tot millionibus quæſiverant, ita temere amiſſuros potius, quam ſubſidiorum augmento Suecis gratificarentur. Nec de peculiaribus Gallorum cum Cæſare tractatibus quidquam audiebatur. Et licet forte per Pontificem de iisdem propoſitum foret; tamen tota re accurate penſitata adparebat, Gallos malle 1640. fœdus continuare, quam tollere, ac una cum Suecis, quam ſeorſim tractare. Quanquam enim in Gallia populus omnis ſub tributis & licentia militum gemens pacem anhelaret: Cardinalis tamen haut dubie bello in res ſuas ac propinquorum ſuorum magnitudinem utebatur. Et hactenus iſte diſputationibus circa diplomata & titulos nil aliud egerat, quam ut odium tardatæ pacis in hoſtem rejiceret. Hoſtis nihil Galliæ habebat, Galli hoſtici multum. Si quid Regi humanitus eveniret, magnus Cardinali prætextus erat ad regimen Galliæ contra Reginam adipiſcendum, bellum manens cum Hiſpanis, & ne conſilia ad hoſtes emanarent. Præterea Hiſpani eo tempore validiores erant quam ut cogi poſſent ad relinquendum Gallis, quæ hi jam tenebant: & Galli ſecunda fortuna elatiores, quam ut armorum præmia amittere vellent. Quin Galli credebant Cæſarem longe facilius cum Suecis, quam cum ipſis tranſigere poſſe; quod unicum erat medium, per quod Sueci fœdus bonis legibus, & ſine ſuo incommodo obtinere poterant. Denique & Drebbernum tentabat Avauxius, ut ſi Sueci circa fœdus hæſitarent, Luneburgici Duces in iſtorum locum ſubirent, & quæ Sueci hactenus ceperint, ſubſidiis fruerentur. Apud ipſum Salvium idem jactare non dubitabat: ſi Sueci circa Vinarienſem exercitum diutius litem moveant, aut illum ad ſe pertrahere conentur, Gallos aurum habere, & ſat mediorum totum inſuper Banerii exercitum alienandi. Quin ductores Suecici ab exercitu Hamburgum venientes ab Avauxio conviviis & ambitioſis ſalutationibus demulcebantur. Quo fine quoque Tupadelius ac Schmidbergius aureis onuſti ad Vinarienſem exercitum mittebantur; Suecicis ductoribus cum inopia fere luctantibus ſalivam moturi, ut ſibi perſuaderent ſolos, qui Gallis militarent, felices eſſe. Unde & Banerius monebatur, ut iſtorum machinationes probe obſervaret: præſertim cum Germanico militi oculi ægreſcerent, cum Vinarientibus à Gallis pecuniam numerari viderent. Aſt Salvius, ut Avauxio viciſſim ægre faceret, Ennonem VVilhelmum Cniphuſium Hamburgenſis præſidii præfectum ſubornabat, ut velut proprio inſtinctu Avauxio demonſtraret, quam lautæ conditiones Salvio à Cæſareis offerrentur, & cum ſe ipſum tum alios adhiberi ad Suecos fœdere Gallico avertendos. Ac ſi Banerius ſentiat, Gallos de corrumpendo ipſius exercitu agitare, eum ſtatim deſtitutis Gallis ac Vinarientibus ad Stalhantſchium in Sileſiam iturum: Quin raptim cum Cæſare tractaturum, ac Piccolomineo innuiturum, ut repente totam belli colluviem in Galliam effundat. Quæ Avauxio non parum ſcrupuli injicere videbantur, nec de corrumpendo Suecorum exercitu Regem cogitare teſtabatur; nec eo minus dejerabat, circa fœdus nil ſe aliud, quam obtulerit, in mandatis habere. Et ſane Chavignius juſſu Re- 24. Octobr.
gis Lutetiæ cum Grotio ſupra prorogatione fœderis differebat; mirari Regem, jam per octo fere menſes id negotium Hamburgi extrahi, quod ſperare videantur Rectores Sueciæ, poſſe aliquid conditionibus in commodum ejus Regni addi. Enimvero Regem nihil poſſe adjicere ad ea, quæ antehac præſtita fuerint. Non pati id onera Regni, ſociorumque Regi incumbentium. Nunc ſcire velle voluntatem Rectorum Sueciæ de fœdere, prorogare illud velint, nec ne, ut res ſuas poſſit ordinare. Nam nullam eſſe majorem pacis moram, quam quod hoſtis inter Galliam & Sueciam disjunctionem ſperet. Nec obſcure perſtringebatur Grotius, qui ſpem faciente Bullionio ærarii præfecto, ſcripſerat, majora quam antea ſubſidia

1640. dia posse obtineri. Paulo post eadem Grotio Rex ipse dicebat: se neque ad pecunias, neque alias fœderis conditiones quidquam additurum. Etsi Grotius contra regereret: sola Oxenstiernæ autoritate & cura bellum hactenus sustineri, Sueciæ per annos maxime postremos grave, & quo agri colonis per delectus exhauriantur, ut multi fortibus ejus consiliis obnitantur, & quamcunque pacem malint. Igitur ni Galli partem onerum subire velint, facile ingratum quid Galliæ sequi posse. Imprimis autem alte penetrabat, quod magnam subinde insolentiam ostentaret Avauxius, Hollandos identidem *dependentes Gallia* ob accepta subsidia appellans, nec obscure insinuans, à Suecis quoque eandem ideo comiter colendam. Unde Senatus Salvio scribebat; serio demonstraret Avauxio, si Gallia contumeliæ quid Reginæ afferat, certo sibi persuadeat, nullam amicitiam, aut fœdus ita carum ipsis esse, ut pati velint, majestatem Regni ullo modo delibari. Addebatur, ut ratihabitionem fœderis Latino utique sermone fieri à Gallis moneret; alias ab ipsis Suecica lingua eandem subnectendam.

Galli prorogationem fœderis in Suecia urgent. 21. Nov.

§. 62. Ast in Suecia Rorteus tradito libello apud Rectores agebat, ut fœdus ad finem usque belli prorogaretur variis adductis rationibus. Postulare id communem causam tam propter amicos, quam propter hostes. Adimi hoc modo hosti spem ambo Regna separandi, quod potissimum Ratisponæ consiliis fuerit agitatum, & Austriacorum destinata magnam partem turbari. Amicos, qui hactenus ob breve fœderis spatium hæsitarunt, animos sumturos, ac citra suspicionem in nostris partibus mansuros. Nec probabile esse, Suecium quæ tot per annos auxilio Gallorum usa est, florentibus maxime utriusque armis ab ista se disjuncturam. Galliæ decretum esse opportunitate temporum & invitante ultro fortuna uti rebus suis stabiliendis, & in tutum reponendis. Ea commoda cum amicis suis istam partiri velle, ac ut ipsi quoque in rerum suorum incrementa vertant optare. Id de prudentia Sueciæ judicare, præbenti se occasioni manus injecturam, & certum pro incerto arrepturam; in quam eo affectu feratur Gallia, ut fortunas suas pro ista periculo exponere non sit dubitatura. Salvium primo dixisse, Suecis placere fœdus ad finem usque belli porrigi, post verba sua retractasse, ac non nisi de triennio consensisse, ut majora subsidia stipularetur. Id quod ipse iniquum judicet, ac anceps; cum non constet, quis utriusque Regni post triennium status sit futurus. Amputarent tædiosas moras, non parum de gratia conjunctionis delibaturas: tum & locum generositati Regis concederent, cui id ingenium sit, ut nihil videri velit coactus facere, & cuncta quæ facit sibi deberi cupiat.

Consultatio Rectorum Sueciæ. Rationes remora.

§. 63. De hoc postulato cum ad Senatum relatum esset, id quidem satis adparebat, quasdam ex allatis à Rorteo rationibus non nisi inani verborum sonitu constare. Neque verendum erat, ut ita repente Gallus se bello extricaret, aut ita facile pacem redimere vellet, restitutis quæ in Italia tenebat, tum Lotharingia, parte Burgundiæ, ac pleraque Artesia, & quam nuper invaserat, Alsatia & Brisaco. Nec dum memoria exciderant, quæ quondam Gallis objecta fuerant, ac quid damni rebus Suecicis per illos in Germania sub amiciziæ specie datum sit. Quid ab hoste infestius potuisse patrari, quam isti intercepto exercitu Virtembergensi, & Brisaco fecerint? De quo si mentio à nobis fiat, istos nubem rationum promta facundia effundere: quarum vanitate demonstrata demum humeros contrahere. Simplices esse Suecos, si credant, Gallis Sueciæ salutem æque cordi esse, atque propriam; aut eosdem fœdere se non exsoluturos, ubi id è re sua esse judicaverint. E societate eos Suecorum sua emolumenta quærere, quid horum saluti fiat parum solicitos. Ubi hostes Suecis graves incubuerint, Gallos auxilio venisse, ne isti pessumdarentur. Suecicis rebus iterum turgentibus, eosdem paulatim manus subtraxisse, ne eousque evalescerent; ut propria potentia nixi eorum amicitiam negligere possent. Durum quoque esse necessitatem Sueciæ imponere tamdiu in bello manendi, quam Galliæ placeat: nec pacem posse amplecti, quando rebus suis id commodissimum videatur. 1640.

Rationes pro fœdere.

§. 64. Enimverò quo minus Gallicum fœdus repudiaretur, subigebat omni ratione fortior necessitas. Ex hactenus actis constabat, neque Cæsari, neque Dano mediatori cordi esse, ut honesta pace Sueci potiantur. Pacem istos verbis utrinque jactare, reipsa nihil aliud agere, quam ut Sueciam Ordinibus Germaniæ exotam reddant, & à Gallia divellant. Et quanquam nulli Regno plus fiduciæ sit in altero locandum, quam in se ipso: manifestum esse tamen, nullius Regni rationes ita cum Suecia conspirare quam Galliæ. Easdem causas, quæ Gustavum quondam Regem ad bellum sumendum permoverunt, adhuc persistere: Austriacam potentiam vicinis formidabilem librare, ac Ordines Germaniæ in pristinam libertatem reponere. Quo fine & necessum nunc sit pacem Pragensem penitus evertere, dominatui Austriaco fundamenta ponentem. Idem ut fiat Galliæ non minus interesse. Suecicam equidem si sola tractet, facilius cum Cæsare transacturam: sed ejusmodi pacem parum firmitatis ac securitatis habituram. Nec dubium esse quin Gallis sociati Sueci facilius veterem Germaniæ statum instauraturi sint; quo Suecia cæterique vicini advertius Austriacorum conatus quam maxime protegantur. Quod si soli de pace agant Suecі, fortasse sibi peculiariter commodi quid stipulaturos; Ordinum libertatem separata pace hautquidquam stabiliendam. Quorum tamen utcunque meritorum commoda negligi à Suecis nequeant, ni seipsos mendacii velint convincere, cum eam hactenus inter præcipuas belli causas ostentaverint. Idque tanto magis faciendum, postquam jam Hassi ac Luneburgici arma sociarunt, quos prorogatum Gallicum fœdus Suecicis in partibus firmaturum sit: cum Longuevillii conjunctio non parum ad hæc consilia capessenda impulisse eos videatur. Esse præterea Suecis rem cum hoste non minus superbo quam potente; qui etiam florentibus quam maxime Suecorum armis ad justos cum iisdem tractatus descendere dedignatus sit. Quid futurum, si adversi quid contigerit? Dano præsertim mediatore, qui qualem Suecis pacem cupiat, non in obscuro esse. Denique nec Sueciæ, nec Germaniæ Ordinibus nisi communi pace, & sociatis eousque Suecorum Gallorumque armis consuli posse. Ex actis Ratisponæ adparere, quæ ludibria circa amnestiam agitentur, ac ut Ordinum deputati fucum sibi fieri patiantur quorum paucis ea perspicacia, ut Cæsaris artes intelligant, privati fere juris scientia turgidi, aut verbosis orationibus perstrepentes. A Cæsare nihil aliud nunc agi, quam ut Ordines pecunia emungat, qua ad Suecos opprimendos utatur. Esse & aliam rationem, quare fœdus Gallicum continuandum sit, quod isto à Suecis abdicato Danus statim in ipsorum locum apud Gallos subiturus sit, tanti amici accessione Sueciæ haut paulo formidabilior. Ad extremum si quid molesti fœdus illud habeat, subsidiis pensari, quæ ubi defecerint, è Sueciæ opibus suppleri nequeant. Igitur omnibus placebat, nihil tutius statui

tui

1640. tui Sueciæ, nec honeſtius apud amicos & hoſtes, quam in fœdere Gallico perſiſtere, autoritatem & robur dare idoneo.

Rorteo reſpondetur. §. 65. Ut tamen denuo tentaretur, num hac occaſione lautiores fœderis leges obtineri poſſent, placebat Rorteo reſponderi: optionem Regi Galliæ relinqui; fœdus in triennium duntaxat iisdem, quibus nunc conceptum ſit, legibus prorogare; aut ſi ad finem usque belli idem porrigi, in ſingulos annos centum millia uncialium conventis jam ſubſidiis addere malit. Præterea Guſtavi Hornii liberationem commendabant, ut is cum VVertano permutaretur. In mutationem loci tractatuum conſentire ſe non poſſe, ob nimiam à ſuo Regno diſtantiam rebus ſuis valde incommodam. Reliqua ſi quæ incidere poſſint dubia in aulam Gallicam ſe remiſſuros, ac amice ibi cum Rege transacturos. Vice verſa Avauxio à Rege Galliæ jubebatur fœdus ad pacem usque porrigere, ſed non niſi prioribus legibus. Quod ſi tamen Sueci in mutationem loci conſentire velint, poſt elapſum triennium ad finem usque belli ſubſidiis augmentum quod à centum millibus uncialium non longe abſit, promittebatur. Ea reſponſa cum Salvius & Avauxius invicem contulilſent, facile patebat, iſta non parum inter ſe diſcrepare. Ac oſtendebat hic Salvio velut familiariter ſua mandata, & cum Salvius nihilominus inſtaret, an non propiorem quandam declarationem haberet, quod non inſolitum ſit plura mandata mitti; hic multis cum execrationibus confirmabat, extremam eam Regis ſui fuiſſe ſententiam. Ita nihil aliud reliquum erat, quam ut res tantiſper infecta maneret, quoad uterque ad ſuperiores referret. Ac ferebat quidem Avauxius, ſe fœdus prò derelicto habere, etſi non eo ſecius Rex ſuus amicitiam cum Regina Sueciæ culturus ſit. E geſtibus tamen ejus ſatis adparebat, illum nunc tractatus haut quidquam abruptum ire. Unde & de ſubſidiis, circa quæ hactenus tergiverſatus fuerat, propiorem nunc ſpem faciebat. Aſt Salvius conſultiſſimum judicabat, rem in integro tenere, ac ſimul tentare, quid circa ſecretos cum Cæſare tractatus poſſit proſici, pro re nata ad pacis, aut fœderis concluſionem deſcenſurus.

Regis Galliæ declaratio.

Negotiatio circa fœdus paulisper differtur.

Negotiatio cum Ragozio. 14. Febr. §. 66. E Tranſylvania frequentes à Biſterfeldio literæ, & ab ipſo demum Ragozio mittebantur, omnes eodem argumento: Regem Poloniæ per Koniecſpolskium ipſi arma diſſuadere, oblata ſua apud Cæſarem mediatione componendis controverſiis. Sed & Cæſarem per Legatum Sigiſmundum Forgacium ipſi ſatisfacturum ſe promiſiſſe; quicum ipſe, ſi Regum legati morentur, transacturus ſit. Et quia ex legato Gallico ad Portam intellexerit, à Rege Galliæ dudum aliquem ad ipſum deſtinatum, apertum eſſe, rem ſolos per Succos hærere. Igitur decretum ſibi, brevi ad Galliæ Regem mittere; ac ſi Suecia ſuam amicitiam negligat, cum eo ſolo tranſigere. Cæterum fama erat, Ragozium Portæ offenſam incurriſſe, quod VValachiæ Princeps cæſis Turcorum legatis in arcem Tranſylvaniæ vicinam confugiſſet. Unde credebatur, cupere ipſum Regibus fœdere jungi, quo horum opera apud Portam gratiam recuperaret. Avauxius ad hæc veterem propoſitionem reperebat; Regem Galliæ dimidiam ſubſidiorum partem ſoluturum, ſi Sueci & Batavi alteram dimidiam conferant. Quo ſuper negotio Salvius nihil in mandatis habebat. Poſt aliquot ſeptimanas Avauxius abiturienti tabellario id reſponſi tradit: Adeſſe Hamburgi mandata à Galliæ Rege cum Ragozio tranſigendi; ac penes ſolos Succos moram eſſe. Salvius etſi amice iſtum hominem dimitteret, ne Ragozio antià in hoſtium partes transeundi præberetur; non poterat tamen quin cu[illegible] 1640. pam à Succis in ipſum Ragozium, aliosque devolveret. Sueciam fœderi dudum paratam, modo Angliæ Regis & Batavorum declaratio adſit quos ſimul ſocietati illigare cupiat. Sed & anſam dediſſe morarum ipſum Principem, qui primum propoſuerit, ut omnes quorum intereſt legatos plena cum facultate Hamburgum mitterent. Mox Biſterfeldium nullis fiduciariis literis inſtructum veniſſe. Ex quo Anglo & Batavis ſuſpicio excitata ſit rem à Ragozio non ſerio agi. Et cum Princeps intutum judicet unum legatum Hamburgum mittere, longe intutius fore plures in Tranſylvaniam ire ſpe ita ambigua; præſertim cum ea miſſione videri poſſint fœdus tamdiu agitatum velut emendicare.

Tractatus ſecretus cum Banerio expirat.

§. 67. Iſthoc anno non minus quam præteritis irriti pacis tractatus diverſa via agitabantur. Ac in Bohemia quidem Banerius, cum nondum mandata de negotio Hamburgum remittendo è Suecia allata eſſent, Schlickio circa tractatus ſuſcipiendos denuo monenti reſponderat: ne modicam moram 15. Jan. ægre ferret; omnia adornandis tractatibus neceſſaria mox adfore. Interim quid ſuper loco congreſſus videretur exponeret. Hinc Schlickius, de loco aliquo exercitibus interjecto proponebat; ſicuti ad Caſale inter Cæſareos & Gallos anno triceſimo, & inter Succos ac Polonos in Boruſſia tractatum ſit. Hoc ſi diſpliceat, poſſe oppidum aliquod ſuperioris Saxoniæ eligi. Enimvero Rectoribus Sueciæ ſeparati iſti tractatus diſplicebant, ob fœdus Gallicum, & quia per hos libertati Proteſtantium ſatis caveri non poterat; quorum ſtatus rite firmatus Sueciæ plus ſecuritatis adverſus Auſtriacos præſtare poterat, quam Pomerania, qua mox prævalente Cæſare iterum expelli poterant. Ac ludibria hoſtis ſat pellucebant. Accedebat circa Banerii tractatus grande intervallum locorum, & periculum intercipiendarum literarum. Et quanquam erant, qui vererentur, ne Banerius ignominiæ duceret tractatus à ſe avocari; tamen quia is nunquam mandatum habuerat de pace agendi, ſed tantum hoſtium mentem expiſcandi, non videbatur reſpublica periculo exponenda ob incertam privati offenſam declinandam. Banerius tamen, allatis licet Reginæ juſſis de negotio pacis Hamburgum rejiciendo parum ex decoro judicabat, verba ſua retractare, aut ita ſubito rem abrumpere, ne hoſtis anſam arriperet averſum à pace Succorum animum diffamandi, ac gratiam expetitæ pacis ſibi conciliandi. Igitur declinandæ exprobrationi inanis promiſſi literas Mithobii ad Salvium adhibet, quibus confirmaverat Tillium Comitem, & Gebhardum à Cæſare plena cum poteſtate Hamburgum mittendos, qui de pace cum Salvio agerent. Eas literas à Salvio in Sueciam miſſas, ac de 14. Febr. eadem re tota Germania rumorem ferri, ut jam dubitare incipiant Rectores Sueciæ, quos potiſſimum Cæſareos Commiſſarios ex tanta eorum multitudine debeant reſpicere. Haut eo minus tamen legatos miſſum ab ſe iri ubi de adverſæ partis certa ſententia conſtiterit. Aſt Schlickius non à Tillio ſolum, ſed & ipſo Cæſare literas curabat, quibus 2. Mart. iſta omnia à Mithobio ficta declarabantur. Urgebat inſuper Banerium, quam cito requiſita ſæpius promiſſa adfutura ſint, ne ſibi, tot menſibus fruſtra huic negotio inſumtis diutius Pragæ morandum ſit. Ita prætextus jam fere Banerium deſi- 7. Mart. ciebat ſuſpicioni ludibrii à ſe avertendæ; ni diſceſſu ſuo è Bohemia negotium ultro expiraturum vidiſſet. Igitur prioribus ſuis inſiſtens Schlickio reſpondet: ſe ſtatim ipſius literas in Sueciam miſiſſe, nec dubitare, poſtquam Rectores Sueciæ aliter edocti fuerint, ipſis curæ fore, quæ ad promovendum

1640. negotium faciant. Et quia literis Cæſaris inſimulabatur inanibus exceptionibus tempus extraxiſſe; ſuas dilationes defendebat: in tanti momenti negotio circumſpectione utendum; ac ſi novi quid emergat, accurate inquirendum. Et cum non Sueciæ tantum, ſed & tot aliorum interſit, non poſſe cæco impetu in tractatus rui. A Cæſare ſuper Suecorum ſatisfactione, tum de Legatis, loco, & tempore tractatus ſæpe mutatum; ex quo plus ſiniſtræ ſuſpicionis, quam fiduciæ de ſerio pacis ſtudio ortum ſit. Denique ſi Schlickio moleſtum ſit diutius Pragæ hærere, expectaturum, quo alio loco iterum inveniri velit; ubi ſuperiorum juſſu
24. April. plura cum ipſo communicaturus ſit. Nec eo ſecius iſte digreſſo jam è Bohemia Banerio ſcribebat: Cæſarem, quæ ſuper ſatisfactione Sueciæ primo obtulerit, nunquam retractaſſe: Nec ſucceſſibus armorum cupidinem pacis mutare. Dolere ſibi tamen, tamdiu mandata ipſi è Suecia non miſſa, nec eum citra illa ad tractatus velle accedere. Cæterum etſi Cæſarei in hoc negotio ſerium præ ſe ſtudium ferrent; ſuſpectum tamen valde Suecis erat, quod iſtud ab hiſce non ſat ſecretum haberetur; ſed omnia, quæ cum Oſwaldo ac Schlickio acta erant, tota Germania divulgarentur, quin ipſis Gallis communicarentur. Sane Avauxius exempla literarum inter Banerium & Schlickium commutatarum Hamburgi octiduo citius, quam Salvius acceperat, non parum offenſus, quod Banerius non ſtatim citra diſſimulationem Cæſareos à ſe Hamburgum rejeciſſet.

Lauenburgicorum inanis circa pacem conatus. 21. Febr.

§. 68. Pergebant quoque circa pacem ſatagere Lauenburgici, quorum nomine Mithobius Ratisbona ad Salvium ſcribebat; ſecretos tractatus ad ſuum adventum integros ſervaret, addito, literas tuti itineris utique à ſe allatum iri. Aſt idem mox cum Duce Henrico Julio Hamburgum accedens nil promiſſarum literarum adferebat, ſed potius à Salvio formulam petebat, qua ſocii Reges Ordinibus Imperii caveri vellent; incertum quo fine, cum paulo poſt negaret, ſpem eſſe illas
6. Mart. à Cæſare obtentum iri. In congreſſu cum Salvio Dux prolixe de ſtudio Cæſaris in pacem teſtari; nec tamen negare, Legatum Hiſpanicum & cæteros Hiſpanicæ factionis vehementer obniti. Multis inde rationibus Suecos ad ſecretos & expeditos tractatus inducere. Cæſari immenſas vires, ſociis Suecorum parum conſtantiæ. A Cæſare, Hiſpano, & Principe Oenipontana fœdere inito validum exercitum cogi. Curtium Comitem nuper plenipotentiam, ſed nulla mandata habuiſſe, niſi de conjungendis cum Dano armis; id quod ipſe faſſus ſit: de quo certam Cæſari ſpem Penzius fecerit. Quæ ſpes ne nunc quidem Viennæ evanuerit, præſertim prævalentibus in Bohemia Cæſareis copiis. Paratus bellicos in Polonia & Boruſſia verbo adverſus Turcas, revera Cæſari in auxilium inſtitui. Imperatorem Turcarum de omnibus, quæ per aliquot annos à ſociis Regibus apud ſe acta ſint, exempla ad Cæſarem miſiſſe, ac de conſtanti amicitia confirmaſſe. Gallos per Bavarum ſeparatam pacem Viennæ agitare, ac declaraſſe, ſe omnia reddituros, modo Cæſar actioni in Metim, Tullum & Virodunum renuntiet. Pleroſque Cæſareorum miniſtrorum ſuadere, ut cum Gallis velut ſacrorum ſociis, quam Suecis, prius tranſigatur, præſertim cum Galli fœdus Cæſari, & auxilium adverſus quoſvis hoſtes offerant. Curtium ad Bavarum miſſum verbo ad copiarum conjunctionem, revera ad pacem Gallicam maturandam. Ita nullam eſſe ſpem vi armorum Cæſarem ad pacem compellendi: eoque tutiſſimum circa pacem Gallos potius prævenire quam ab iiſdem præveniri. Equidem poſſe ſolennes & communes cum Gallia tractatus ſuccedere, ſi diſcrimen inter reconciliatos, & nondum reconciliatos Ordines admittatur, quo Cæſar nunquam deſiſtere conſtituerit. Satius tamen videri, ſi Succi ſeorſim ac promte cum Cæſare decidant. Eo fine proponebat, ut Regina inſtrumentum pacis, quale ipſa deſideret, adornari curet, ſibique tradat fidem Principis interpoſituro, id fraudi eidem non fore: nec ſe dubitare, quin id à Cæſare ſubſcriptum Vienna reportaturus ſit, modo ſatisfactio Sueciæ intra inſulam Rugiam, & Citeriorem Pomeraniam conſiſtat. Amnestiam poſſe communem fieri, ut tamen omnia reponantur in eum ſtatum, quo anno triceſimo, aut ſummum tempore pacis Danicæ concluſæ fuerant. Circa ſatisfactionem militum manere ſententiam Cæſaris antea declaratam. Iſthæc propoſitio etſi Salvio non abſurda videbatur, ſi quidem de ſecretis Gallorum tractatibus, de quibus & fama ferebat, verum eſſet: quia tamen ſua manu capita pacis conſignare anceps erat, præſertim de hoc nihil in mandatis habenti; igitur non niſi forma privati ſermonis de Reginæ in pacem ſtudio teſtabatur. Simul oſtendebat, quid ſcrupuli propoſitio ipſius habeat. Anno vicesimo nono jam Palatinum, & Meclenburgicos tua ditione exutos, edictumque circa bona ſacra promulgatum: quæ omnia correctione indigeant, non niſi per tractatus facienda. De ſatisfactione Sueciæ ſolum Cæſarem ſtatuere non poſſe, ſed ut omnium Ordinum, aut ſaltem Electorum, præcipue autem Brandeburgici contenſus accedat, neceſſum eſſe. Nec circa ſatisfactionem militum rem ad liquidum deductam. Promittebat tamen, ſe de hoc negotio ad Reginam relaturum. De cætero injunctum ſibi ad communes cum Gallia tractatus omnia remittere, quos ut apud Cæſarem promoveret, Ducem rogabat. Si omnes quorum intereſt in uno loco congrediantur, rem melius expeditum iri. Ita Dux diſceſſit; cujus opera tanto minoris Sueciæ erat, quod è Schlickii Comitis ad Banerium literis adparebat, quanti illa Cæſareis fieret. Eas, ut & Cæſaris literas Mithobio oſtendebat Salvius, quibus etſi iſte non parum confundebatur; poſt tamen, cum Noribergam abiret, fatigare non deſiſtebat Salvium, ut ſaltem ſumma pacis capita paulo diſtinctius ederet, non quidem ut Cæſari communicentur, ſed apud nonnullos alios partibus Suecorum faventes, ut metus hiſce decedat, velut ipſi poſtulaturis, quæ præſtari nequeant. Ac demum veterem cantilenam de ſecretis tractatibus ingerebat. Quæ Salvius ſilentio tranſmittebat. Nam neq; Mithobius tantæ rei idoneus miniſter; & in univerſum Sueci ſecretos tractatus ſuſpectabant, quos non alio fine oſtentari judicabant, quam horum conſiliis turbandis, ac ut culpam extracti belli in eos devolverent: ſi durante cum Gallis fœdere tractatus abnuerent, apud cupidos pacis exoſos redderent, tractatibus ſuſceptis à Gallica ſocietate divellerent. Nam ſi ſemel admiſſis ſecretis tractatibus poſtea latas à Cæſare leges abnuerent, & pace, & ſociis non ſine maximo ludibrio excidebant. Denique penitius faciem rerum inſpicientibus facile adparebat, tempus tractatibus pacis nondum maturuiſſe.

Erneſti Duc. Saxoniæ circa pacem conatus.

§. 69. Conabatur quoque operam circa pacem navare Erneſtus Saxoniæ Dux, qui menſe Junio è Banerio ſciſcitabatur; num ipſi placeat ſe ad Archiducem Leopoldum Wilhelmum velut proprio motu accedere, ex eo percontatum, an velit à ſe apud Banerium de pace atque induciis proponi? Id quod cum Banerius abnuere non poſſet, ne pacem averſari diffamaretur, iſte Neoſtadii ad Salam cum Archiduce hac de re loquebatur. Hic reſpondebat, quia præteritis tractatibus ſuper induciis nihil propoſitum fuerit, Cæſaris ſententiam ſibi exquirendam. Aderat mox reſponſum Cæ-

1640. fatis in hunc ſenſum: Si Banerius, aut quiſquam alius idonea mandata pacis aut armiſtitii concludendi per Erneſtum Ducem, aut alium Archiduci oſtenderit, à ſe locum, tempus, ac Commiſſarios denominatum iri, queis de induciis, & per eas de pace agendi facultas ſit. Addebatur, Cæſarem ſuper legibus pacis mentem ſuam declaraſſe, ad quas viciſſim Reginæ ſententiam exponendam eſſe. Intelligebat fatis ſolitas Cæſareorum artes Banerius. Unde reſponſo ad Erneſtum Ducem rem in Sueciam, aliosque fœderatos rejiciebat; addito tamen, ſi idonea hoſpitia Suecico exercitui concedantur, ſuo periculo inducias in certum tempus initurum, idemque ut Longuevillio Duci perſuadeatur tentaturum. Nec deinceps Dux, id negotium non ſuorum humerorum ſentiens, de eodem quidquam movebat. Sed & dum in caſtris ad Wildungam Banerius hæret, Volradus Waldeccæ Comes ſciſcitatur, num is mandatis circa pacem inſtructus ſit. Nam ſe hoc fine ab Archiduce & Piccolomineo in caſtra evocatum. Diſplicere illis quippe Hamburgum; & videri jam idoneum tempus tractandi, exercitibus ita propinquis; ac forte celerius hoc modo, quam per prolixos tractatus bellum poni poſſe. Sed Banerius ludibriorum feſſus aperte reſpondebat; à Regina juſſum ſe iſta omnia Hamburgum ad Salvium rejicere.

20. Jul.

Comitis Waldeccæ conatus.

Rectores Sueciæ reſpiciunt ſecretos tractatus.

§. 70. Enimvero Rectoribus Sueciæ in univerſum placebat repudiatis ſecretis tractatibus ad ſolennes & publicos negotium pacis deducere. Quanquam enim per iſtos inviſus mediator, & importuna colliſio evitabatur, Cæſare etiam in eoſdem magis, quam hoſce prono, tamen cumprimis ſuſpectum habebatur, quod pleriſque Mithobius anſam præbuerat, dubium privata ambitione ſtimulatus, ut autor pacis audiret, an à Cæſareis ſubornatus illudendis Suecis. Et ſi maxime cum Commiſſariis Cæſareis omnia tranſacta eſſent, in proclivi tamen erat Cæſari negata ratihabitione conventa irrita reddere. Quin revera nihil hactenus aliud egiſſe Cæſar videbatur, quam ut Suecorum mentem expiſcaretur per Daniæ Regem, Schlickium, & Lauenburgicos, iſtamq; cum Electoribus expenderet, & pro re nata conſilia adornaret. Quo fine & Banerium cum Salvio collidere conatus fuerat, ut communicatione inter ipſos ſublata alteruter forte quid incautius exprometet. Nec adparebat, quomodo iſta Gallos omnia rimantes celari poſſent, quibus ſi de iiſdem innotuiſſet, Suecis violati fœderis crimen impacturi, ac ſubſidia ſubtracturi erant; quin nullo non impedimento objecto eoſdem circa pacem præventuri metuebantur. Ac pervenerant jam pleraque ad Avauxii notitiam, quæ licet hactenus eluta eſſent, ad extremum tamē negandi color defuturus erat, cum utique à Cæſare ad Electores foret referendum. Unde & Salvius literarum cum Mithobio commercia emittere juſſus erat. Contra expenſis omnibus patebat, honeſtam & tutam pacem niſi Ordinibus Proteſtantibus aliiſque fœderatis intervenientibus conſtitui non poſſe; à quibus Suecos per ſecretos tractatus divelli Cæſaris quam maxime intererat. Denique & fœderis Gallici rationem haberi par erat.

An Cæſar pacem vellet, dubitatur.

§. 71. Quin & an ſerio pacem Cæſar vellet, dubium habebatur. Erant qui crederent, ſalva dignitate ipſium in pacem conſentire non poſſe, quamdiu Sueci ditiones ipſius perſultarent. Aliis contra idem multo difficilior putabatur futurus, Suecis per vim expulſis. Plerique tamen cenſebant, Ferdinando Martios ſpiritus non eſſe, eumque ad ſedatam & mollem vitam natura ferri: tum metum à Turcis, Ordinum omnium deſideria, & vaſtatum patrimonium ad pacem propellere. Sed præcipuum impedimentum ab Hiſpanis, & qui eorum partibus in aula Cæſaris addicti erant, provenire: quod Hiſpanis ad deſtinata ſua exſequenda expedire videatur, orbem Chriſtianum bellis implicitum agitari. Cæſari cum difficultatibus conflictandi Hiſpanos velut comiter colendos: interim ipſos ad Rhenum pedem magis firmare, & recuperato Briſaco & Benfelda velut araneum in centro ſeſſuros oculis per omnem viciniam circummiſſis. Suecos, Proteſtantesque diuturni belli feſſos, quibus ut vires reficere queant ſpatium non ſit concedendum. Suecorum ſucceſſus ignem è ſtipula eſſe, mox ultro in cineres conteſſurum; qui bello extracto facile atterendi ſint. Nec eo ſecius tractatus pacis paulatim matureſcere videbantur, dum Hiſpani demum literas tuti itineris Batavis annuunt, etſi non ea qua hi voluerant forma, quod ab his mittendi non Legati, ſed tantum *aliquæ perſonæ* vocarentur. Id ut corrigeretur, ipſorumque Legati pari cum Regiis honore haberentur Belgæ apud Cardinalem Infantem inſtiterant; utrumque ab hoc negatum. Contra offerebatur, ab iſtis miſſos eodem honore ab Hiſpanis affectum iri, quem Galli exhiberent: id quod tandem Hollandi admittebant. Et Richelius hiſce perſuaſerat, ne in ejuſmodi verborum formulis adhæreſcerent, cum & Gallicis Legatis non niſi Deputatorum & Plenipotentiariorum vocabulum ſit tributum; neu cum Veneta Republica in cunctis ſolennium obſervationibus adeo rigidam æqualitatem expoſcerent.

Galli cupidinem pacis præ ſe ferunt.

§. 72. Sed & Galli Plenipotentiarios ſuos Coloniam mittendos denominabant, Avauxium, Mazarinum, & Emmerium; ac confirmabat iſte Salvio, Regem & Cardinalem pacis cupidos eſſe, id quod tamen ſecreto haberi petebat, ne hoſtis eo intellecto pertinacior fieret. Ideo in ſalvis conductibus Cæſareis nodos non anxie quærendos. Titulum *Illuſtriſſimæ* Landgraviæ non tributum remoram negotio injicere non debere. Ut Ordinibus non niſi per Legatos Regios agere liceat, id Gallos quidem ut emendetur poſtulaturos; ſi tamen id obtineri nequeat, tanti hoc non eſſe, ut pax ideo differatur. Palmarium eſſe diſcrimen inter Ordines reconciliatos, & nondum reconciliatos: quod Ferdinando utiq; ſit extorquendum velut in compenſationem, quod Galli Cæſaris titulum eidem tribuere velint. Propter alios ſuos fœderatos Regem denominationem diei tractatibus inchoandis non dilaturum. Atq; id Avauxius expreſſo ſe Regis mandato indicare ferebat, petens, ut Regina viciſſim quid ſentiat panderet. Salvius laudato Regis in pacem ſtudio eandem Reginæ mentem confirmabat; & ſe ad ipſam ſtatim relaturum. Cenſebat tamen Avauxius, ſi Cæſar vocabulum *nondum reconciliatos* omittere nollet, temperamentum à Dano propoſitum, ut cum proteſtatione & reſervatione diplomata accipiantur, admittendum non eſſe: ſed Cæſarem utique ad delendum iſtud verbum compellendum. Viciſſim Salvius Avauxio demonſtrabat, quæ ſuper ſecretis Gallorum cum Cæſare tractatibus conciliatore Bavaro ſpargebantur; de quibus Luneburgici Duces, Anglicus Legatus Rovvius, & Vultejus ſignificaverant. Ac nuntiabatur apud Helvetios Einſidelæ Oſtonvillium cum Bavarico conſiliario per triduum eodem conclavi in diverſorio egiſſe, quod eodem fine factum credebatur. Id quod Avauxius conſtanter inficiabatur, teſtatus Regem ſuum neque pace, neque bello à Suecis disjungi velle. Unde noſſe cupiebat, num quid præterea Sueci in ſalvis conductibus pro ſociis in Germania deſiderarent, ut juncta opera res urgeri; ac ſi diplomata illa è placito Regum formata exhiberentur, uterque Regum legatos ad deſtinata tractatibus loca mittere poſſit.

§. 73. Porro circa pacem communem Hambur- Leuvis à

gi

1640. Cæſare Hamburgum mittitur.

gi diù nihil actum erat, Dano communicationem cum Salvio intermittente. Contra à Cæſare miſſus Conradus Luzovius aderat, qui nova de pace mandata adferre dicebatur. Is initio Lubecenſes & Hamburgenſes argentum poſcebat non ſine minis, ac Principes Inferioris Saxoniæ in Suecos incitare ſtudebat. Mox tamen pacis negotium eadem qua Curtius via tentare inſtituit per Lunzmannum & Meurerum urbis Syndicos. Is de Curtii actis repetens teſtabatur, etſi iſte inſtructionem non habuerit de pace tractandi; Cæſarem tamen ægre tuliſſe, eum Hamburgi non manſiſſe, ac tractatus continuaſſe. Unde ſe huc à Cæſare mitti ſcilicitatum; num Salvio animus aut facultas ſit tractatus ſuſcipiendi? Habere ſe à Cæſare facultatem, clam, palam, ſeorſim, conjunctim tractandi; ac ſibi perinde eſſe, quam viam Succi eligant. Quod ſi tamen ſolennes tractatus placeant, ſibi neceſſum videri prius peculiariter ſuper Suecorum ſatisfactione tranſigi, reliqua cum Gallis & aliis communia ad ſolennes tractatus poſſe referri. Addebat, Cæſarem diplomata tuti itineris Imperii Ordinibus, quæ ſocii Reges poſtulent, concedere non poſſe. Ipſis quippe liberum eſſe proficiſci quo velint, nec venia aut conductu opus habere. Cæſari tamen ſecretos tractatus magis arridere interventu Syndicorum, ac optare, ut illorum ocyus initium fiat. Salvius quid reſpondendum foret hærere. Juſſus à Regina fuerat ſecretos cum Lauenburgicis tractatus repudiare, & non niſi circa ſolennes operam navare. Tum & ſuſpectum erat, Luzovium rerum ejusmodi inſolentem potiſſimum adhiberi negotio tam arduo, & quod magnam Europæ partem tangeret. Ac potius metuebat, quia Luzovius circa explorandam Suecorum ſatisfactionem ſatagebat, ne ſi quid expiſcaretur, ſtatim Gluckſtadium abiret, & hac ratione ad Danum in arma pertrahendum uteretur. Fortaſſe etiam quia Electores & Ordines Noribergæ pacem flagitabant, iſtorum deſideria eluſum ibat eo obtentu, quod jam de pace cum Suecis agitetur: aut Avauxium cum Salvio, re ſaltem per ſacerdotes prodita, committere tentabat. Contra non minus indecens videbatur, Luzovium ita abrupte protelare, ac Cæſareis anſam præbere Succos diffamandi velut pacem plane adſpernantes. Igitur audire iſtum ſtatuebat, ac rem integram retinere, quoad mandatum à Suecia acciperet. Quo fine Luzovio, quem plenipotentia non inſtructum ſuſpicabatur, ſignificabat: Malle ſe quidem ſolennes & publicos tractatus; nec tamen, ſi res ferat, à ſecreta quam petat communicatione abhorrere. Sed ut res eo fidentius [illegible]inque ſuſcipiatur, cumprimis neceſſarium fore, [illegible]rumque per fiduciarias literas autoritatem ſuam adſtruere; quo facto ſuper modo agendi conſtitui poſſe. Nec fefellerat Salvium ſua ſuſpicio. Nam etſi iſte jactaret, fiduciarias literas non defore; tamen illæ nuſpiam comparebant, ac tandem reponebat, ſe perluſtratis chartis ſuis brevi reſponſurum. Interim cum Cæſar per Lauenburgicos novam declarationem circa Suciæ ſatisfactionem ediderit, inſtabat, ut quid circa eam ſibi videatur, Salvius exponat; quo intellecto pro re nata tractatum continuaturus, ſuamque agendi autoritatem ſatis demonſtraturus ſit. Salvius regerebat: ſe meminiſſe capitum à Lauenburgicis præterito autumno tranſmiſſorum, qualia & ex Hollandia ac Gallia acceperit. Sed quia iſtis plenipotentiæ nihil adjunctum fuerat, dubitare, num à Cæſare eadem profecta ſint, an privatum aliquem habeant autorem. Si quid Luzovio aut circa præparamenta, aut ipſam pacem agere ſit injunctum, more inter omnes gentes recepto autoritatem ſuam demonſtraret; poſt de modo agendi facile conventum iri. Sed cum is denuo Salvium urgeret, hic reponebat: Nemini amplius obſcurum eſſe, à Cæſare pacem ſerio non quæri. Nam Curtium plenipotentiam habuiſſe citra inſtructionem; nunc ipſum venire cum inſtructione citra plenipotentiam. Quo audito Luzovius contractis humeris appoſite reſponſum agnoſcebat. Ita quidem iſtius negotiatio interquievit, eodem aliquamdiu in Weſtphaliam digreſſo. 1640.

Ejus propoſitio.

Salvii reſponſum.

§. 74. Interea longo poſt intervallo Rectores Suciæ excuſata mora ad propoſita menſe Septembri à Petro Wibio reſpondent: Non minus ſibi, quam Daniæ Regi Proteſtantium calamitatem, Arctoique Orbis ſecuritatem cordi eſſe. Sed cum hocce bellum magnam Europæ partem tangat, mirum videri non debere, ſi pax multis difficultatibus ſit implicita. A ſe nullam pacis occaſionem neglectam, nec bello trahendo cauſam præbitam. Inconſultis ſociis, & antequam ſuper præliminaribus convenerit, tractatus ordiri inſolitum eſſe; & hoc modo ſe à ſociis divulſos longius à ſcopo pacis abſtrahi. Non ignotum ſibi concordiam inter Catholicos per Pontificem poſſe inſtaurari. Sed Gallum non diſcrimine ſacrorum, verum per alias graves cauſas in Auſtriacos ſtimulari; de cujus fide & conſtantia prolixius iperent, quam & ſemper egregiis conſiliis & actionibus fontem habeant. Cæſaris facta verbis hactenus non reſpondiſſe. Quid in Electorum opera fiduciæ reponendum, toto bello documenta extare. A Salvio diplomata, quibus ſolis nondum reconciliatis cavebatur, citra exceptionem probata ſibi non conſtare; nec credere ipſum à mandatis diſceſſiſſe. Si afflictis Proteſtantibus non liceat negotia ſua per tractatus expedire, viam oppreſſioni eorundem ſterni, ſimul perpetuum periculum hiſce Regnis ſtrui. Præparamentis nondum abſolutis leges pacis edere præpoſterum, aut noxium eſſe. Quo vado tamen negotium adhæreſcat, acta quondam Meclenburgico Duce mediante oſtendere. De ſatisfactione Suciæ ac militum parce à ſe actum; quam remittere aut intendere, prout adverſa pars ſe geſſerit, in ſuo arbitrio poſitum. Sed omnium Ordinum Proteſtantium reſtitutionem à ſe quam diligentiſſime commendatam omnibus, qui paci conciliandæ operam obtulerint. Nec dubitare ſe, quin Rex circa eandem ſategerit; quo ſucceſſu rem ipſam loqui. Quod ſi igitur Rex ſua autoritate efficere poſſit, ut adverſa pars in priſtinum ſtatum omnia reponat, ſolidum paci fundamentum ſubſterni, ac de reliquis facile transactum iri. Hoc ſi impetrari nequeat, manifeſtum eſſe ab hoſte nihil aliud, quam oppreſſionem puriorum ſacrorum, & libertatis Ordinum Germaniæ quæri, & ut ſecuritas horum Regnorum ſemper in ancipiti hæreat. Ni pax huic fundamento ſuperſtruatur, induciarum inſtar habituram, poſt intervallum atrociore bello erupturo.

Rectores Suciæ Petro Wibio reſpondent. 15. Aprib.

§. 75. Cæterum eo tempore à Dano circa pacem parum movebatur; ac referebat Legatus Anglicus Gluckſtadio reverſus, Regem quidem velle tractatus moderari: ſed quia videat Cæſari juxtà ac Suecis operam ſuam parum gratam, fortaſſe eam curam exuiturum. Eundem quoque Cæſari offenſum, quod is menſe Martio ſcripſerat: Palatinam cauſam ipſo mediatore non poſſe diſceptari, ſed eandem Coloniæ peragendam. Quo ipſo tecte Regis mediationem repudiaſſe videbatur. Contra Galli deſiderium pacis indies magis oſtendere; & Avauxius Salvio confirmare. Se juſſum, ſi paria Salvius mandata habeat, diplomata Cæſaris pro Ordinibus Germaniæ ea forma, quam Cæſar velit, ac-

Danus circa pacem languide cum agit.

1640. ceptare interpoſita proteſtatione & reſervatione, de qua ante annum Daniæ Rex monuerat. Et quia hic pacem parum amplius curet, nec Suecis mediator præter Venetos ſuperſit, denuo formulam diplomatum legato Veneto Lutetiam transmittendam poſtulabat. In ejus margine cum adſcribere Salvius vellet; ſi Cæſar vocabulum *nondum reconciliatos* omittere nollet, ſe tandem adquieſcere; repugnabat Avauxius declinandæ Ordinum Germaniæ offenſæ, ubi id hiſce innotuiſſet. Cenſebat quoque, ut ſtudium pacis orbi adprobaretur, Commiſſarios Suecicos, aut unum ſaltem eorum quamprimum Lubecam ſe conferre. Nam tunc nondum de mutando tractatuum loco quidquam motum fuerat.

Luzovii cum Salvio colloquium.

§. 76. Luzovius inde longum poſt ſilentium denuo Salvium monere, num ad formulam à Lauenburgicis Vienna huc transmiſſam mentem ſuam expromere velit. Quem licet Salvius obtentu deficientis plenipotentiæ eluderet, iſte tamen non deſiſtebat privatum ipſius colloquium affectare: ideo potiſſimum ſe miſſum ferens, quod Salvio antea familiariter cognitus eſſet. Atque id demum aſtu Lunzmanni procuratum; qui Salvium ſpecie venalis bibliothecæ inſpiciendæ in vicinum templum deducebat, ubi de compacto occurrit Luzovius. Poſt mutuam ſalutationem hic ample de Cæſaris in pacem animo, non jejunius de Regina Salvius teſtari. Ille, in quo ergo negotium adhæreſceret, interrogare; Salvius in ſolis diplomatis ea forma, quam ſocii Reges deſiderent; quæ concedi etiam Electores æquum judicent. Ad hæc Luzovius Ordines in quatuor claſſes diſpeſcere: quoſdam plene, alios ex parte reconciliatos; quoſdam poſt reconciliationem ſuper læſione ſecuta queri; reliquos plane nondum reconciliatos. Priorum cauſam plene tranſactam. Secundam & tertiam claſſem querelas ſuas pro more in conventu Ordinum poſſe exponere, quibus ut ſe immiſceant exteri Reges non magis fas eſſe, quam Cæſari alienorum civium patrocinium ſuſcipere. Ultimæ claſſi Cæſarem petita diplomata daturum. Salvius id diſcrimen adſpernari: Suecorum ſocios his inconſultis tranſigere non potuiſſe. Pacem ab Electore Saxoniæ factam illegitimam; quæ reliquis invitis & inauditis obtruſa ſit: & tamen vix promiſſa Pragenſi pace ſervata. Ad firmam pacem neceſſarium eſſe omnium querelis ex æquo ſatisfieri, eoq; omnibus ad tractatus acceſſum dandum. Luzovius; hæc à ſociis Regnis obtentui ſumi. Si Sueciæ pro ſumtibus belli ſatisfiat, nihil ſupereſſe quod ipſa moveat. Petebat inde circa oblatas à Cæſare viginti quinque *tonnas* auri, & Rugiam inſulam, ac Stralſundam in decennium pignoris loco, ſententiam declararet; ad quas præſtandas Cæſar adhuc paratus ſit. Salvius; Regum ſociorum maxime intereſſe novos tractatus fieri, ac univerſos priſtinis fortunis reſtitui. Tum negare, à Cæſare circa ſatisfactionem Sueciæ quid oblatum. Luzovius exemplum ejus ſcripti ſtatim depromere, memorans, quia Lauenburgici nomine Reginæ Pomeraniam citeriorem in feudum poſtulent, Cæſari perſuaſum, id à Salvio profectum; inde iſthoc viciſſim propoſuiſſe. Aſt Salvius negare, à ſe, aut ullo miniſtro Suecico hoc promanaſſe. Equidem aliquando à Mithobio tale quid ſibi exhibitum, ſed iiſdem diebus è Batavis ac Gallia ejuſdem exempla accepiſſe. Et quia Mithobius à Cæſare fiduciarias literas non oſtenderit, illud à ſe pro commento otioſorum hominum habitum. Luzovius mirari; Salvium poſtulati de Pomerania autorem ſe abnuere. Sed quin ipſe hæc à Cæſare proponere juſſus ſit, id dubium non eſſe, ac ex interceptis literis Salvio conſtare. Salvius denuo pernegare, iſtud à ſe profectum. Si Lauenburgici & Mithobius tale quid apud Cæſarem propoſuerint, id ultro ipſos feciſſe ex intempeſtivo ſtudio pacem promovendi. Ea ſumma erat colloquii, quod in mutuas teſtationes ſuper deſiderio pacis deſinebat. Privato ſermone Luzovius Lunzmanno dixerat: ſe brevem pacis viam videre, ſi Cæſar Suecis Pomeraniam, Gallis Lotharingiam det. Enimvero id non futurum: Cæſarem jus ſuum nemini auferre poſſe; pecuniam & pignus non defore. Integros Principatus alienare ſpeciem habere emtæ pacis, ac in dedecus Cæſaris redundare; cujus vires non uſque adeo attritæ ſint, ut tam duris conditionibus pacem mercari cogatur. Et ea communis tunc circa ſatisfactionē Succorum erat opinio, circa pecuniam & hypothecam difficultatem non fore: ſed ut Pomerania in feudum obtineatur, id vix ſperandum, præſertim ipſis Gallis clam obſiſtentibus, quibus cum propoſitum ſit Germaniæ vires debilitare, hoc facto iſtæ augendę videbantur, ſi novo membro cæteri Ordines recte uti vellent.

14. Sept.

§. 77. Tandem Cæſar in formulam diplomatum, qualem Coronæ poſtulabant, conſenſerat, eaque Hamburgum ad Luzovium miſſa juſſerat, quamprimum Legatos Suecicos in Germaniam adpuliſſe intelligeret, Regi Daniæ tradi cum Suecicis permutanda, inde tractatus pacis ordiendos. Quo intellecto Daniæ Rex ſtatim miſſo Cleenio id Salvio denuntiat percontatus, num in mandatis habeat, ubi diplomata allata fuerint, diem inchoandis tractatibus dicere. Salvius etſi priora ipſius mandata revocata non eſſent; tamen quia diu à Rege nihil cum ipſo fuerat actum, ac res interea non exiguam mutationem ſubierant, quid ſibi agendū foret dubitabat, præſertim nondū conſpecto diplomatum exemplo. Hibernum quoque tempus Legatorum è Suecia itineri incommodum, ac de Galliæ Regis animo nondum conſtabat. Igitur Dano reſpondet: ſe id in Sueciam relaturum ac cum Avauxio communicaturum. Mox Daniæ Rex, accepto per Luzovium exemplo, id peculiari legatione in Sueciam ſe miſſurum ferebat. Avauxio iſte agendi modus à Dano adhibitus inhumanus & durus videbatur. Per biennium amplius de diplomatibus nihil auditum fuerat. Tandem aliquando Cæſari in mentem venerat iſta indulgere: quæ nondum edita ſint, nec conſtare, an non aliquid vitii contineant. Nunc ex ſola de adventu eorum fama poſtulari, ut Legati velut in occurſum eorundem ruant, & cæco impetu ad diem deſignandum provolent. Igitur quid animi ſibi ſit declarare abnuebat prius, quam diplomata allata eſſent, in quibus non ſolum vocabulum *nondum reconciliatos*, ſed & per *Plenipotentiarios Regios* omiſſum, & ſociis Principibus *Illuſtriſſimi* titulus tributus eſſe deberet. Quibus poſtulatis cum is nuper ceſſiſſet, conjiciebatur Gallis pacem accelerari cordi non eſſe; præſertim cum Avauxius Salvium rogaret, ne Succici ad pacem deſtinati Legati iter ingredi properarent. Declarabat tamen, ſi diplomata recte ſe habeant, in Galliam id ſe relaturum. Paulo poſt juſſu Regis denuntiat; Legatum Venetum Regi confirmaſſe, Cæſarem diplomata pro Ordinibus Imperii, & Hollandis petita formula fieri juſſiſſe, etſi ea nondum exhibita ſint. Quo facto Regem Commiſſarios ſuos Coloniam miſſurum. Circa tempus Avauxio ſignificatum erat, de eodem certiorem ipſum reddendum poſt diplomata inſpecta & probata.

Cæſar diplomata ex mente Coronarum format.

7. Nov.

Luzovius ſecretos tractatus urget.

§. 78. Eodem tempore Luzovius formulam pacis Salvio per Lunzmannum tradebat plane cum illa convenientem, quam ante annum Lauenburgici Vienna tranſmiſerant; ſubinde ſuper eo colloquium cum Salvio expoſcens. Quanquam enim res ad ſolennes tractatus deducenda ſit, tamen poſtquam jam diplomata pro voto conceſſa, ac Ratifponæ

1640. ponæ ſuper amneſtia ſtatuendum ſit, ad pacem præter Succicam ſatisfactionem nil reſtare. Circa quam Cæſar æqua omnia præſtare paratus ſit; noſſe tamen cupere, in quo Succi tandem adquieturi ſint. De hac ſi publico Legati nomine pandere dubitet, privatim mentem ſuam expromeret: id quod citra fraudem ipſi fore promittebat. Salvius contra de iſta parum ſibi conſtare; & ſi maxime conſtet, plenipotentia Luzovii non viſa nefas ſibi pandere. Lunzmannum tamen ſubornat, ut quid Cæſar demum offerret expiſcaretur. Is declarabat; Cæſarem provinciæ quid ægre daturum: inſignem pecuniæ ſummam, (quam non exprimebat,) & hypothecam non defore. Saltem totam Pomeraniam nunc jure feudi concedi non poſſe. De parte aliqua in medio relinquebat. Paulo poſt tamē aliter diſſerere: Cæſari Pomeraniam tanti non eſſe, ut ideo ditiones ſuas hæreditarias periculo exponere velit. Electorem Brandeburgicum jam mortuum; filium, ſi cæterarum provinciarum inveſtituram obtinere velit, de Pomerania ut Cæſari concedat facile compellendum. In eo ſcrupulum eſſe, quod Cæſari decorum non ſit ſtatim Pomeraniam largiri, vel ut victus pacem emat, & quia tertio invito jus ſuum adimi non poſſit. Ei ſcrupulo removendo proponebat, ut Regina Pomeraniam hypothecæ titulo acciperet, reluendi jure ad ſexageſimum aut octogeſimum annum dilato. Ita citra invidiam & dedecus eundem ſcopum obtineri. Idem quoque ferebat, ſe repetita ſæpius mandata Vienna accipere de ſecretis tractatibus continuandis: Cæſarem malle amoto Dano tranſigere; eoque ſecretum colloquium ſolicite expoſcebat, Salvium monens, ne pacis, circa quam ipſe tamdiu deſudaverit, confectæ gloriam præripi ſibi patiatur, quod certo futurum ſit ſolenni tractatu inſtituto.

Ejus ſuper ſatisfactione Succiæ ſententia.

Salvius circa Luzovii intentionem dubitat.

§. 79. Salvius qui faciendum ſibi foret ambiguus hærere. Suſpectum videbatur, quod per ſolum Luzovium res gereretur, cui ſat ingenii, ſed modicus rerum uſus. Si ſerio Cæſar pacem affectaret, aſtutos magis, & rebus tractandis exercitatos mittendos fuiſſe. Et metus erat, prius iſtum deceptum, ut per eundem alii deciperentur. Fortaſſe etiam id tantum agebatur, ut aliquid eliceretur in calumniam patens, aut ut prorogatio fœderis Gallici impediretur. Unde magna circumſpectione opus erat; præſertim quod de priore cum Luzovio colloquio, in quod ipſe improviſo inciderat, ad nonnullos emanaſſet. Contra multæ rationes perſuadebant, Cæſaris è re magis eſſe ſeorſim cum Suecia, quam ſimul cum Gallia tranſigi; ac cum pluribus nunc cauſis ad repentinam transactionem, quam antea compelli. Copiæ ipſius afflictæ; Germaniæ Ordines pacis cupidiſſimi; Succi ditionibus ipſius imminentes: Turca in Hungariam aut Poloniam quid agitare vilius. Tum Marchio de Leganes deficiente argento in Mediolanenſi Ducatu Helvetios exautorare coactus erat: Catalaunorum rebellio perſiſtebat: Luſitania nutabat: Galli ſequentem in annum immentas copias parabant: Anglus alia, quam Cæſar & Hiſpanus ſibi perſuaſerant, conſilia coquebat, & illius cum Batavis per connubium Arauſionenſis conjunctio altioris indaginis judicabatur. Urebat quoque fœdus Suecorum cum Hollandis, & rebus Cæſaris intempeſtiva mors Brandeburgici. Sed Dani mediatio non amplius à Cæſare curari videbatur, quod hic edictum promulgaſſet, ut qui in Comitatum Pinnebergenſem quid actionis obtenderent, nomina ſua Viennæ profiterentur; magna cum offenſa Regis, qui iſtum cum Holſatiæ Duce jam diviſerat. Quem & Bremā inter Imperiales urbes recepta mordebat, & cumprimis edictum Cæſaris, quo omnes tam Germani quam exteri vetabantur vectigal ad Glueſtadium exſolvere. Intellexerat quoque Salvius, Cæſarem à Schvvartzenbergio Comite poſtulaſſe, Principi ſuo perſuaderet, ut Pomerania ſibi cederet, quo Suecis ſatisfieri poſſit. Ac profitebatur Luzovius, ſe tractatibus ingreſſum duntaxat ſtruere; ubi ſuper ſatisfactione Suecorum penitius intellectum fuerit, Curtium, aut Gebhardum adfore, qui una cum ipſo paci colophonem impoſiturus ſit. Has ob cauſas, & quia prorogatio fœderis Gallici opinione lentius procedebat, conſtituebat ſecreto cum ipſo colloqui, non improbantibus Rectoribus Succiæ illo duntaxat fine, ut adverſa partis ſententia exploraretur. Congreſſus fiebat in domo Bartholdi Mœlleri, quo Salvius ſolito famulitio comitante, Luzovius per tenebras incomitatus & diſſimulato habitu acceſſerat. Luzovius primo plenipotentiam producere, cujus exemplum tamen Salvio tradere abnuebat, ne ſecretum id emanaret; nam Trautmansdorfium ſcripſiſſe; totam ejus plenipotentiæ vim in hoc conſiſtere, ut ſecreta habeatur. Differebatur inde de triplici tractandi genere: ut vel ſocii Reges Noribergam mittant, id quod Ratisponæ propoſitum fuerat; vel ut per ſolennes tractatus Lubecæ, aut citra ambages heic tranſigatur. Primum ab Ordinibus cupitum Cæſarem abnuiſſe. Solennes tractatus Salvius octo per annos agitatos ferebat mediante Dano, ad quos Succi ſemper parati fuerint. Sed Cæſareos miniſtros de Dano, hunc viciſſim de illis queri, tractatu interim irrito. Qua occaſione Luzovius aſperis verbis in Danum invehi, qui nunquam ſerio rem egerit, ac Cæſareis miniſtris, rerum Saxoniæ Inferioris parum peritis, pro lubitu illuſerit. (Intelligebatur inde, cauſas iterum eſſe, quod Cæſare Saxones ad bellum in Succos incitante Danus obſiterat.) Cæſari jam patere, Dani opera nunquam pacem coalituram; qui ſummam ſecuritatis ſuæ in eo collocet, ut Cæſar & Succi vires ſuas mutuis cladibus atterant. Pace facta vectigal Albis ipſi omittendum. Hactenus à Cæſare expetitam Dani amicitiam; ſed mox aliud apparaturum, præſertim ubi ſecreti tractatus ſuccefſerint; quos à Cæſare ſerio expeti ſancte aſſeverabat. Salvius Gallicum fœdus excuſabat, quo minus certi quid decerni à ſe poſſit. Si Cæſari res cordi ſit, ſe confeſtim diligenter ad Reginam relaturum. Luzovius ad hæc; Cæſari perſuaſum, Salvio poteſtatem eſſe pacem concludendi ſine ratihabitione; igitur ne moras necteret, quatuor aut quinque congreſſibus totum negotium confici poſſe. Sed cum circa ipſam rem diſſerere inciperet Salvius, quo iſtius mentem expiſcaretur, hic recuſabat; nunc ſibi tantum fuiſſe propoſitum autoritatem ſuam demonſtrare. Ubi literas ſuas notis occultis ſcriptas enodaverit, formulam ſe pacis conceptarum, eamque Salvio transmiſſurum. Nec plus iſto congreſſu actum.

1640.

Salvius cum Luzovio colloquitur. 26. Dec.

§. 80. De conventu Electorum Noribergæ habito nonnulla tangere, quæ ad inſtitutum noſtrum faciunt, haut abs re fuerit. Deliberandum ibi proponebatur à Moguntino, mox & Cæſareo Commiſſario de reſtituenda Imperio pace, aut ſi per exteros ea obtineri nequeat, belli continuandi mediis. Adierant eum conventum aliorum quoque Ordinum Legati; quos inter Luneburgici, ne quid ſuſpicionis apud Succos excitarent, de inſtituto ſuo Banerio prius ſignificarant. Hi tranquillandæ Germaniæ cumprimis urgebant, ut conſultationes de bello ac pace non uti hactenus penes paucos, ſed univerſos Ordines forent, quorum de corio maxime luderetur. Tum ut comitiones pacis tractatus inſtituerentur, ad quos omnes quorum intereſt admitterentur, manifeſto jam ſecreti tractatus triſti effectu. Pro ſe ſuper detento tamdiu

Conventus Noribergenſis actus 8. 9. Febr. Propoſitio.

Luneburgicorum ſummitæ.

1640. Guelferbyto, cauſæque Hildeſienſis & Tillenſis injuria querebantur. Tum petebant, ut Electores ſua conſilia ſuper pace communicent, quibus fulciendis ipſi fidelem operam navaturi ſint. Hiſce ſuper communi tractatu inſtituendo ſuccinebant Neoburgici, Meclenburgici, Francofurtenſes, & Ulmenſes. Daniæ quoque Rex maturandæ pa-
Daniæ Regis conſilium. ci cumprimis utile ſuadebat, diplomata ſalvi conductus ſociis Regibus ea, quam poſtularint, forma expediri, ſaltem ut Orbi demonſtretur, ſi deinceps illi circa tractatus tergiverſentur, penes Cæſarem non ſtetiſſe, nec iiſdem, quod jactent, de libertate Ordinum Germaniæ agi, ſed ut hoc obtentu diſſidia in Imperio foveant, ſuisque commodis velificentur. Tum ut pro Belgis Fœderatis quoque diplomata curentur, ſubtrahendo Gallis morarum prætexto. Diffidentiæ tollendæ monebat, conventum omnium Ordinum indici, in quo ex ſententia omnium de bello & pace ſtatuatur, bellumque ſociatis viribus efficacius geratur. Tum ut omnes amneſtiæ includantur, eamque Cæſar ultro ante tractatus promulget, ut ejus facti gratia potius in ipſum, quam exteros redundet. Circa Palatinam cauſam peculiari tractatu componendam ſe mediatorem offerebat, quod ab Angliæ Rege ejus negotii moderamen ſibi ſit delatum. Circa Haſſos monebat, ut impediatur, quo minus cum exteris hoſtibus ſe jungant. Tum ut Luneburgicis circa Guelferbytum, & Hildeſiam, ac Tillenſe negotium ſatisfiat, ne nova alimenta bello
15. Febr. externo accedant: Id quod curæ ſibi fore Electores pollicebantur; qui literis ad Ducem Georgium datis ipſum dehortantur, ne copias ſuas cum Suecis conjungat. Idem & Landgraviæ ingeritur; addito, ut tranſactione cum Cæſare, in qua hic omnia ipſius poſtulata annuerit, adquieſcat. Circa amneſtiam plerique Evangelici cum Rege Daniæ conſentiebant, etiam in eo, ut ſi utique nonnulli admiſſa non plane impune ferre debeant autoritati legum tuendæ: non ditionibus ſuis, ſed pecuniæ
Gallicus miniſter Noribergæ expellitur. ſumma multentur. Regis Galliæ nomine aderat tunc Noribergæ Heppius; ſed quia legationis ſuæ idoneam fidem facere non poterat, à Cæſaris Commiſſario protinus urbe jubebatur faceſſere. Cum
Meclenburgicus de Suecis ad Comitia vocandis agit. ſpes fieret, omnium Ordinum conventum Ratisponæ indictum iri, Meclenburgicus Dux miſſo Wittio è Salvio ſciſcitatur, num Reginæ placeat, ſe aliosque Ordines inter Cæſarem, ipſamque mediatorum munus ſuſcipere, magno ſtudio à ſe gerendum, quo Danus velut clavo negotii dimoveatur? Tum an Regina, ſi invitetur, Legatos Ratisponam miſſura ſit? quod idem Dux Georgius, multiq; alii Principes faciebant. Ac videbantur id optare Ordines, ni anceps judicaret Regina eo mittere, ubi Cæſar ipſe aderat valido præſidio ſtipatus. Salvius prius ſibi non diſplicere teſtabatur; de poſteriore dubitabat, etſi hac ratione difficultates circa diplomata tolli, & facilius ſuper ſatisfactione Sueciæ & militum tranſactum iri videretur. Ad Reginam
8. April. tamen ſe relaturum promittebat. Luneburgici dehinc ſuffragantibus Meclenburgicis denuo Electores monent, apud Cæſarem inſtent, ut tractatus pacis ocyus decernantur, diplomata omnibus dentur, omnium Ordinum ſententiæ audiantur.
Electores Luneburgicos & Haſſos demulcent. Contra ut hi à conjunctione cum Suecis averterentur, Electores de Guelferbyto ſpem ipſis faciunt, oblata mediatione ſua in negotio Hildeſienſi. Iidem quoque denuo Landgraviam monent, ut Legatos mittat, quorum ſecuritati ſcripto Cæſar ſit cauturus: ſimul promittitur, circa ſacra ipſi ſatisfactum iri. Quanquam autem paulo poſt tam hæc, quam illi copias ſuas Banerio jungerent; Lu-
12. Jun. neburgici tamen Legati non minus Noribergæ remanent, factumque Ducum ſcripto apud Cæſarem Electoreſque excuſant: nunquam ſibi animum fuiſſe à Cæſare & Imperio deficere, aut aliis Ordinibus moleſtiam inferre, ſed ut ſedem belli ditionibus ſuis arceant. Simul hortantur Electores, ad pacem omnibus modis connitantur, & ut exteri amica ratione ſolo Germanico dimoveantur, ac machinationes ſubvertendis Imperii legibus agitatæ deſtruantur. Contra Electores à Da-
28. Jun. niæ Rege literis petunt, apud Luneburgicos operam navet, ut hi copias ſuas à Suecis avocent, promiſſa cautione ipſos ab invaſione exercitus Cæſarei tutos, nec hanc conjunctionem fraudi ipſis fore. Cæterum Electores cum ſentirent citra aliorum Ordinum operam ſuper prætentibus negotiis
Comitia Ratiſponæ indicuntur. 18. Maji. 26. Majl. ſtatui non poſſe, conventu omnium Ordinum opus eſſe decernunt, qui & à Cæſare Ratiſponam indicitur, initio intra duos menſes faciendo.

§. 81. Serius cocuntibus Ordinibus tandem propoſitio fit de tranquillando Imperii ſtatu, & ut quoad pax obtineatur ſuper belli ſubſidiis decernatur: dicis gratia de inſtauranda juſtitia addebatur, ſopitis inter arma legibus. Conſultatione cœpta omnibus quidem videbatur primo loco de pace agendum. Sed mox adparebat, omnem operam inanem fore, abſente adverſa parte. Igitur delibe-
De invitandis Coronis deliberatio. rabatur, quomodo, quo, & per quos eadem invitanda foret. Proponebant aliqui, ut fœderati Ratiſponam invitarentur. Sed Cæſar id abnuebat, velut ſuæ dignitati parum congruens; revera, quod metueret, ne univerſi Ordines conſilio cum exteris ſociato fortius pro libertate loquerentur. Aliis placebat Noribergam iis aſſignari, ut è vicino cum ipſis agi poſſit; ſed Cæſari non conſultum videbatur utramque Coronam in eundem locum vocari. Unde tunc placebat, circa Coloniam pro Gallis, & Lubecam pro Suecis nihil mutandum. Id non ſatis ex dignitate judicabatur, Reges ab Electoribus invitari, ne pacem petere viderentur; ſed ut Pontifex & Veneti apud Gallum, Daniæ Rex, qui denuo mediatorem ſe offe-
Diplomata concedun-tur. rebat, apud Suecos ea de re ageret. Super diplomatis ſalvi conductus tandem à Cæſare impetratum eſt, ut ex petito Regum formarentur, exclu-
14. Oct. ſo vocabulo *nondum reconciliatos*. Id quod Electores Regi Daniæ ſignificant, petentes apud Reginam Sueciæ inſtet, ut citra moram durantibus adhuc Comitiis Legatos cum idoneis mandatis Lubecam mittat, auſpicandis tractatibus. Num induciæ interim ineundæ eſſent, Cæſaris, penes quem ſumma belli adminiſtratio, arbitrio committebatur. Qui tamen in pacem non valde pronus
Cæſar bellum magis quam pacem agitat. videbatur intinctu maxime Hiſpanorum, qui manibus pedibusque paci obluctabantur, facto Madriti decreto, neque ex dignitate, neque ex utu Domus Auſtriacæ eſſe de pace nunc agitari. Bellum hactenus adverſa fortuna geſtum, ac inſignia loca amiſſa. Unde ab hoſte honeſtas conditiones obtineri non poſſe. Igitur ſatius eſſe bellum ducere fortunæque vices expectare, ac obfirmato in conſtantiam animo deſtinata proſequi. Ac ſpes erat exteros vi poſſe Germania depelli, conjunctis cum Cæſare omnibus Ordinibus. Quam ob cauſam & lenius cum Haſſis atque Luneburgicis agebatur. Quorum hi viciſſim arma ſua excuſabant obtentu avertendæ à finibus ſuis belli colluviei, de cætero prolixe animum Cæſari devotum teſtati. Iidem etiam graviter querebantur, ſe ad Comitia vocatos non eſſe, jactantes, Cæſarem non poſſe ad communes Imperii deliberationes deſcendere, niſi ipſis ad ſuffragia admiſſis. Unde & ſuper tuto acceſſu literis ſibi à Cæſare caveri poſtulabant. Quas Cæſar his, uti & Haſſis indulgebat. Ad Luneburgicorum literas Ordines reſpondent laxioribus verbis nulla de ſuffragio

ipſorum

1640. ipſorum facta mentione, velut omnia ad legatorum adventum integra ſervarentur. Amneſtiæ pax Pragenſis profundamento ſubſternebatur, & illi, qui iſta indigerent, quatuor in claſſes diſpeſcebantur. Quosdam ab acceptata pace Pragenſi iterum diſceſſiſſe; quoſdam eam nondum acceptaſſe; quosdam eadem excluſos; alios eadem certis legibus acceptata læſos ſe queri. Ad primam claſſem Luneburgici, ad alteram Haſſi Caſſellani referebantur; quorum legatos expectari placebat. Circa tertiam claſſem viſum Cæſarem rogare, ut iſtis ſuper tuto acceſſu literis caveat; utque Durlacenſis Marchio, & Comes Naſſovius Saræpontanus ab Electoribus, reliqui à ſuis agnatis moneantur, ut ſe ſiſtant, ſpe facta ipſorum cauſam ex voto & brevi expediendam. Gravaminibus cognoſcendis certi Ordines deputabantur, qui perſpecta eorum æquitate Cæſari iſta emendanda commendarent, ut tamen exſecutio ad pacem usque differretur, & quæ lata per judices ſententia niterentur, hautquidquam moverentur. Palatina cauſa peculiari transactioni ſeponebatur, in qua contentiu Cæſaris Daniæ Rex mediator admiſſus, cui adjungebantur Electores, ad quorum Collegium id negotium cumprimis ſpectaret. Nec abnuere videbatur Bavarus quo minus à Cæſare ſtatim locus & tempus negotio ordiendo deſignaretur. Ac in ſe recipiebat Cæſar, ſe ab Hiſpano obtenturum, ut in idem conſentiret. Quin jam Hiſpanici Legati, quorum quatuor eodem tempore tunc in Anglia erant, Palatino Electoris titulum tribuebant. Quæ promtitudo aliis ſuſpecta videbatur; velut hoc quæreretur, ut Palatina Domus ſociorum Regnorum patrocinio exuta apud communes tractatus tanto minoris eſſet. Suberat & alia cauſa, quare tunc Cæſar ac Bavarus Palatino conditiones aliquas, ſed obſcura ſpe oſtenderent, quod Anglus pecuniis, ac proinde Parlamenti in ſe ſtudiis egeret; Parlamentum autem rebus Hiſpanicis valde adverſum eſſet. Inde metuebat Hiſpanus, ne ad preces Parlamenti fortibus ſe conſiliis Anglus adplicaret; præſertim cum Galli per idoneos homines Parlamento inſinuarent; ſi Rex Angliæ armis ipſorum ſua jungere velit, paratos ſe pollicери, pacem niſi reſtituta Domo Palatina non facere. Unde Daniæ Rex multum cauſæ Palatinæ nocuiſſe credebatur, quod eam ſeparatos ad tractatus rejici conſenſiſſet, idque ideo à Pontificiis Electoribus aliisque ita cupide arreptum. Scribebat tamen ea de re ad Reginam Sueciæ Palatinus Elector, ne ſiniſtre acciperet, quod oblatos peculiares tractatus non repudiaverit; nec eo minus cauſam ſuam ipſi commendabat. Idem cum poſt per Hamburgum ad Daniæ Regem iter faceret, per Bauerum Conſiliarium Salvio ſignificat; ſe in Sueciam & Galliam ſcripſiſſe, ſuper propoſitis peculiaribus tractatibus conſilia exquiſiturum; Gallum eos ſuaſiſſe; (quod tamen Avauxius apud Salvium inficiabatur,) è Suecia reſponſi nihil adhuc accepiſſe. Perſuaſum ſibi eſſe, à Bavaro rem eluſum iri; eoque communibus tractatibus rationes ſuas ſuperſtruere. Famæ tamen id fuiſſe dandum, ne ita abrupte oblatam negotiationem abnueret. Id ut in Suecia excuſaret Salvius rogabat, ne ſiniſtræ quid ſuſpicionis excitaret. Cui Salvius; quid Rectoribus Sueciæ videatur ſe ignorare, ſe quid ſuadeat aut diſſuadeat non habere; niſi quod Elector multis hactenus ſpeciminibus edoctus ſit, ab hoſtium ſibi fraudibus cavendum eſſe.

Status amneſtia conſultatus

Palatina cauſa ad peculiares tractatus ſeponitur.

26.Nov.

29.Dec.

De hoſpitationibus & contributionibus.

§. 82. Quanquam autem aliqui Ordinum non prius ad alterum propoſitionis caput accedendum contenderent, quam ſuper primo plane foret conventum: urgebat tamen Cæſar, ut ſuper hibernis, ac ſupplendo, alendoque exercitu abſolveretur; in quod etiam major Ordinum pars conſentiebat. Petentibus à Cæſare propoſitum, ut exercitus partim per VVeſtphaliam, partim per Franconiam in hibernis collocaretur, idemque ad octoginta bellatorum millia augeretur. Deſignatio ſumtuum intra quinque menſes faciendorum ultra nonaginta tres auri tonnas aſcendebat. Hoſpitatio militum ab Electoribus & Principibus arbitrio Cæſaris committebatur, incaſſum queritantibus Urbibus, ſeque iſti oneri eximi flagitantibus. Etſi dum illi Ratiſponæ ſuper eo negotio adhuc conſultant, jam Cæſaris juſſu legiones in hiberna properarent. Salzburgicus Legatus, cum in hoſpitationum licentiam paulo liberius diceret, ab Auſtriaco Legato tacere juſſus, ni malum habere velit. Urbici quia dum circa hoſpitationes ſententiam dicunt, paulo acerbiores viſi fuerant, à ſuperioribus Collegiis non ſuperfunctorie increpiti. Ut augendo exercitui ſuperſederet ob inopiam Ordines Cæſarem rogabant, ſatis habiturum ſi qui in præſens ſit ſervari queat. Huic alendo Auſtriaci & Bavari liberaliter centum quinquaginta menſes Romanos; alii ſexaginta & minus, Ratiſponenſes duodecim tantum annuebant. Urbicorum plerique ſexaginta, multis cum obteſtationibus, ne plane ad inciras redigerentur. His deliberationibus de bello annus conſumebatur, etſi Cæſar jam Kalendis Novembris monuiſſet, ut ad primum caput diſcutiendum rediretur; ut tamen de amneſtia, quæ hactenus maxime agitata fuerat, ſilentio præteriret, & ſuper Sueciæ ſatisfactione ſententiam Ordinum expoſceret; cum tamen de aliis rebus prius ſtatuendum videretur. Quod eam ob cauſam factum credebatur, quia de Pomerania utique mentio erat injicienda, ut Daniæ Rex invidia ſtimulatus in Sueciam incitaretur.

4.Nov.

§. 83. Eodem anno arctius Sueciam inter & Hollandiam fœdus coaluit, cui cauſam præbuere pro libidine Dani in freto Oreſundico aucta vectigalia, queis præcipue Belgæ non ſine maxima publicanorũ ac magiſtratuum acerbitate premebantur. Quæ onera cum ſuperiore anno miſſa legatione abolere, aut mitigare conati eſſent, fruſtra fuerant. Ei Danorum inſolentiæ coërcendæ vix præſentius remedium judicabatur quam ſocietas Succica. Et ipſi Sueci eam occaſionem captabant Belgas arctius ſibi innectendi. Utrique tamen priores de fœdere compellari malebant, quam idem ultro ambire. Unde Sueci quidem miniſtris ſuis injungebant; ſi quæ ab Hollandis ſuper fœdere moverentur, aurem præberent, eorum mentem explorarent, ultro tamen de eo ne proponerent. Etſi Belgæ in Gallia & paſſim ſpargerent; à Suecis fœdus ſuum ambiri, ſi forte hoc terriculamento Daniæ Regem ad æquam transactionem compellere poſſent. Quin & quatuor è ſummo Collegio deputati Camerarium Legatum Succicum accedebant declarantes, ſe pronos eſſe ad fœdus cum Suecia concludendum, offenſivum ſeu defenſivum placeat: & quamprimum iſte mandata acceperit ſe tractatus cum ipſo ſuſcepturos. De miſſione tamen in Sueciam nullum verbum. Enimvero Suecis haut placebat illis ſe obtrudere, qui tot per annos renovando fœderi, quod dudum expiraverat, aurem præbere noluerant, & cum illos Sueciæ auxilio indigere viderent, ejus rei gratiam ultro deliberare. Promulgaverant inde edictum Hollandi, ne quis ſuorum civium ad fretum Oreſundicum, aut quemvis alium Danicæ ditionis locum navigaret, velut metum Dano incuſſuri, ne omiſſa navigatione vectigal ipſius redderetur ſterile. Aſt Danus ſat gnarus Hollandos Baltico mari carere non poſſe, ac metuens, ne forte vim iſti meditarentur, claſſem ſuam intra fretum ſtatuit; caſtellum quo-

Fœderis inter Sueciam & Hollandiam cauſa.

24.Febr.

1640. que ligneum magna mole & impensa struit, medio in freto brevibus imponendum. Sed mobiles arenæ fundamentum operi negabant, ac fluctibus soluta compages magnam vectigalium partem non sine aliorum ludibrio in profundum trahebat. Paulo post tamen Hollandi edicto revocato navigandi ad fretum suis licentiam faciunt, ac ut quantum posceretur vectigal exsolverent permittunt. Queis publicani paulo humanius quam antea exceptis modicum quid de vectigali remittebant. Ast Hollandi cum expenderent, quam exitiosum suis commerciis esset, si diuturna Dani usurpatio vectigal pro lubitu intendendi in jus evalescceret, post longam deliberationem Legatos in Sueciam mittere constituunt. Eam Hollandorum cum Suecis conjunctionem ut Danus averteret, Angliæ Regem subornaverat, qui controversiis istorum se mediatorem offerret; Hollandis caute declinantibus, quibus istorum Regum amicitia suspecta erat. Tentabant etiam operam suam interponere Archipræsul Bremensis, & Holsato-Gottorpiensis Dux. Sed neque ille placebat Hollandis, tanquam Regi patri obnoxius, neque hunc Danus amicitiæ Hollandorum nimis inneeti volebat, præsertim cum in edicto, quo Hollandi civibus suis navigationem ad ditiones Danicas interdixerant, Ducis Holsatiæ portus diserte excepti forent.

Consultatio super fœdere cum Hollandis.

§. 84. Mense igitur Julio in Sueciam ab Hollandis missi Legati veniunt Wilhelmus Borellus, Albertus Sonckius, & Epeus Aylva, qui etsi initio ostendebant, se consilium duntaxat à Suecis expetere adversus Daniæ Regis oppressiones; tamen cum satis pateret, inane fore consilium, nisi à fœdere pondus illi accederet, mature super isto in Senatu utramque in partem disceptabatur. Ac sane non deerant rationes quę fœdere isthoc supersederi suaderent. Hollandos, ni magnis difficultatibus implicentur, Succiæ fœdus haut quidquam fuisse quæsituros. Ipsos à Dani vexationibus liberari optantes Suecos cum isthoc committere velle, ut alieni periculi fructum ipsi percipiant. Solennes iisdem artes ligna congerere, & ignem accendere, ut ipsi ad alienam flammam se calefaciant. Eosdem Gustavo Regi, ut arma in Cæsarem moveret, multis rationibus persuasisse, ac magnifica subsidii promissione, quantum ante Regi Bohemiæ, & post Daniæ exsolverant. Dum fœdus adornatur, cum interea Regem jam in bellum erupisse cernerent, conclusionem elusisse, nec ad certa unquam auxilia se obstringere voluisse, pauxillum quid post importunas flagitationes non sine fastidio præstantes; ac infinitis dilationibus fere effecisse, ut exigere quid amplius tædio sit. Denique ab anno tricesimo ad hoc usque tempus non nisi quindecim mensium subsidia exsolvisse, sex promisisse, cum tamen antea jactassent, si vectigalia Borussica tollantur, se quinquagena millia florenorum menstrua collaturos. Præberi hoc fœdere occasionem novo certamini jam penitus belloGermanico immersis, in quo si adversi quid accidat, hostem undique viscеribus Succiæ imminere. Unde satius fore quiescere, ad postulata Belgarum humeros trahere, domi res firmare, Germanico negotio expediendo incumbere, adversus Danum moderata consilia animi magnitudine temperata ostendere, in omnem tamen eventum arma in promtu habere, quoad clavum Imperii Regina ipsa suscipiat. Quod si non necessariis bellis Regnum implicetur, verendum esse, ne plebs, duplicato onere fatiscens frænum mordeat. Neque vero ad liquidum perductum etiè, utile sit Succiæ, an noxium, Hollandorum commercia magnitudine vectigalium premi. Horum augmentis Dano lucri quid, modicum Succiæ detrimentum accedere, cujus navigatio immunitate gaudens gliscere possit, quo durius aliorum navigia habeantur. Fœdere concluso pro certo statuendum esse Succiam bello cum Danis collisum iri, Hollandis occasionem præbentibus, qui tamen parum constantiæ in hoc negotio exhibere visi sint. Præterito vere multum fervoris ostensum vetita ad Daniam navigatione; mox evanescente ferocia abrogato edicto nautas jussos citra tergiversationem vectigal exsolvere; cum alit credidissent, si quidem constare sibi vellent, valida cum classe Danum obruendum, aut excusso vectigali Balten perrumpendam: Quin Hollandos cæca invidia in Suecorum incrementa æstuare, ac limis oculis hos mare frequentantes adspicere. Nunc cupere, ut quod onus ipsi tangere nolunt, Succi moliantur. Monebant denique nonnulli, cum inevitabile ex hoc fœdere bellum consecuturum sit, cogitandum quoque tutores ipsos, ac rationibus reddendis obnoxios esse; & ut maxime æque matura consilia, atque majorennis Rex capere queant, exsecutionem tamen inter multos fere languere.

Rationes contra.

§. 85. Plures tamen fœderis ejus occasionem ultro oblatam haut respuendam censebant. Danum odio, invidia, & metu infestissimis affectibus in Sueciam irritari. Adparere ex consiliis, quæ ipsi cum Cæsare, Hispano, Anglo agitantur; adparere ex actis, quæ illi nobiscum interceserunt, fundamenta jam posita esse, & adhuc poni, ut commoda occasione, & plausibili prætexto Sueciam invadat. Imminere bellum, si non hoc, tamen proximis annis; in quo magnum firmamentum sit accessurum amplectentibus id, ad quod jam invitentur. Socios quærere tunc demum, quando bellum ordiendum, serum nimis fore. Carolum Regem fœdus Hollandicum magnopere quondam affectasse; Gustavum Adolfum ambabus manibus arripuisse, majore quidem quam nunc necessitate ob bellum Polonicum & Moscoviticum; ut tamen quæ à fœdere absterrere possent, causæ tunc æque graves forent. Incrementa porro Succiæ constare cultura mercaturæ, artiumque manuariarum, & ut oppida incolis munificis gliscant. Istis Hollandos quidem clam invidere, sed cum mare nobis pateat, eadem prohibere non posse. Solum Danum ista omnia destruere, si uti cœpit dominatum in navigationem per fretum Oresundicum nostra patientia stabiliverit. Igitur hac occasione utendum ad amovenda augmentorum nostrorum impedimenta, adversus quæ nullam medicinam fore, ubi longo tempore in legem abierint. Sed & Danum omni studio id agere, ut Succiæ opes minuat, & incrementa sistat. Cur pari jure adversus ipsum uti fas non sit? Quantum illi decedat, id Succiæ accrescere. Premi hanc ab eodem, quantum potest: nemini quam huic paria ipsi reponendi occasionem magis in promtu esse. Præcipuos illi reditus è vectigalibus; quibus ad veterem modum redactis non multum superfuturum, quo terrorem aliis incutere possit. Equidem ut vectigal id plane tollatur, Succiæ non interesse, sed ne idem ex libidine sua possit intendere, id & nostra & Hollandorum interesse. Nam vectigal, quod ab Hollandis solvendum est, mercibus imputari, quas hi nobis vendunt. Ita nostro ex sanguine Danum ditari. Præterea hoc fœdere concluso necessum Reginæ fore mediationem suam Dano offerre componendis cum Hollandis controversiis. Eam si Danus admiserit, eadem opera aboleri posse, quæ ab ipso nostris civibus in freto intentantur. Sin repudiet, tunc & Reginæ invitam Dani mediationem excutere integrum fore, aut molestiam, quam in Germanicis rebus nobis infert, cum fœnore remetiri. Denique ut fœdus id amplectamur

sat

1640. fat rationis esse, quod Danus id tantopere impedire conatus sit. Danum Hispanis & Anglicis fœderibus se munire, adversus quos Sueciæ quoque novos amicos adjungendos. Habere Hollandos hostes communes; eosdem non ita longe à Suecia ditiitos, quin commode possint auxilium ferre, nec ita propinquos, ut facile cum illis collidi queamus. Quod si Hollandi cum Dano circa vectigal Suecia præterita transegerint, sola hujus commercia Dani vexationibus expositum iri. Ast si Hollandi bello Daniæ Regis injurias exsequantur; Sueciam in medio interjectam apud utrumque extra gratiam, non extra periculum fore. Offensum equidem iri hoc fœdere Danum; sed & eundem offendi, quod domi concordia, foris successu armorum floreat Suecia. Denique cum eadem à Dano tanta per terrarum spatia Warthusa Calmariam usque cingatur, injuriisque ejusdem pateat, opibus insuper in freto Oresundico ipsius libidini expositis: an quidquam, quo iste compesci atque imminui queat, negligendum? Ita omnium consensu decernitur fœdus cum Hollandis esse amplectendum, quod satis pateret, ex tot Dani insultationibus non posse non Sueciam demum bello cum ipso implicari; satius autem esse cum sociis, quam absque illis ad arma descendere talibus præsertim, qui & potentes sint, & communi utilitate jungantur.

Legati Hollandici non nisi obliqui fœdus insinuant.

§. 86. Porro Legati Hollandici initio quidem de fœdere aperte non proponebant; etsi publica oratione fœdus quondam cum Gustavo Rege gloriæ sibi fuisse profiterentur, & primo cum Deputatis Regiis congressu agnoscerent, ob ejusdem Regis respectum non ausum Danum vetera circa vectigalis modum conventa infringere. Ut satis adpareret, pedetentim eos ad fœdus progredi velle, ac ut Succi prius de isto moverent expectare. Igitur prolixe de oppressionibus Dani memorabant, & quantum sibi æque ac Sueciæ periculum ab isto immineat, ni mature obviam eatur. Tum quid remedii adversus istas adhibendum foret, consilium Suecos poscebant. Auctum ex libidine Regis vectigal, ac inter alia in centenas nitri libras quatuordecim uncialium vectigal impositum, pretium mercis æquans: tum capturam balænarum sub Spitzbergæ litoribus turbari. Eundem & præterito anno quatuor Hollandicas naves ad Colam Lapponiæ Russiæ ditionis oppidum abduxisse: & hoc anno iniquissimum edictum promulgasse, quo navis una cum mercibus publicari jubeatur etiam libra nitri reperta, quam nauta quantumvis ignarus professus non fuerit. Succi contra controversiam circa Spitzbergam, quam Danus velut Groenlandiæ partem vindicabat, ad se spectare negabant. Naves ad Colam specie repressaliarum abreptas. De vectigali tamen Oresundico sibi non posse non iniquissimum videri, præsertim cum Danus aperte jactare non dubitaverit; id sibi competere velut partem summi imperii, ac prout visum fuerit intendi ac remitti posse. Equidem ut Hafniæ aut Bergis vectigal quantum velit exigat Danus, neminem contradicturum. Sed in freto id capere, ubi nec litore nautæ utuntur, nec naves exonerant, non plus rationis habere, quam si aut Anglus in freto Britannico, aut Hispanus in Gaditano idem exigere instituat. Nec ullo modo ferri posse, ut quis nostrarum fortunarum arbitria invadere velit eo tantum nomine, quia præter litora ejus aperto mari navigatur; cum sufficere debeat, quod antiquo more nationes, quæ id fretum transeunt, Suecis exceptis modicam quandam pensionem non tam adprobaverint, quam toleraverint. Quin Oxenstiernam quondam Danicis Commissariis inter tractatus in os dixisse: Danorum in freto vectigal nullo jure, sed sola quarundam nationum socordia aut patientia niti. Sed & Sueciam tangebat, quod tantopere nitrum velut 1640.
mercem ad instrumenta bellica pertinentem Danus premeret; cum etiam hoc obtentu cannabis, lini, lignorum, picis, cupri, ferri, & similium transvectionem sui reddere arbitrii posset: quæ & ipsa bello terrestri, aut maritimo inserviunt. Porro isti vectigali declinando Hollandi proponebant, num forte per lacus & flumina Sueciæ Holmia Gothoburgum usque iter navibus inveniri posset: sed cum id naturæ locorum repugnare ostensum foret, quid præterea consilii restaret inquirebant. Sueci & consilio & opera pronos se molestiis ipsorum levandis testabantur, ut tamen sententiam eorundem prius audire mallent. Tandem Hollandis suam mentem expromere tergiversantibus, & nihilominus responsum flagitantibus denuntiatur, quia publica oratione professi sint, fœdus cum Gustavo Rege decori sibi & firmamento fuisse, ac ab Ordinibus Generalibus decretum audiant, ut fœdus cum Suecia instauretur, si de isto agere animus sit, in se moram non fore. Id cum à Legatis avide acciperetur, statim ad concipiendum fœdus accessum fuit: quod & citra difficultatem coaluit.

Disceptationes circa formandum fœdus.

§. 87. Abnuebant Sueci bello Hispanico misceri, quia nec Hollandi partem aliquam belli Polonici tangere voluerant. Termini maris Septentrionalis definiebantur ab extremo Scandinaviæ promontorio, cui *Nortcap* vocabulum ad ostium usque Canalis; quo litora Flandriæ, Germaniæ, Daniæ, Norvvegiæ, Angliæ, Scotiæ alluuntur. Nolebant quoque Sueci cavere navigationi ad Fanum Archangeli, aut halecum piscaturæ; cum illa Russum spectaret; & Succi non magis Hollandorum cum Anglo controversiis, quam isti bello Germanico immiscere se cuperent. Sed & nullo modo rationes Regni Sueciæ ferebant, ut quod isti postulabant commercia promiscue etiam per mediterranea Sueciæ loca exercere Hollandi possent. Ira in has leges conventū, ut securitas & libertas navigationis & commerciorum Mari Baltico & Septentrionali, una cum utriusque partis ditionibus defendatur. Quod si comperiatur, libertati commerciorum ac navigationis in istis maribus moræ quid, aut oneris molestiæque utrorumque subditis injectum fuisse, contra jus gentium, receptā consuetudinem, & parta privilegia; fœderati communi consilio & opera ista patrantem, amica ratione primo persuadere tentent, ut navigationem & commercia pristinæ libertati ac immunitati restituat: sin is præfracte abnuat, eadem omnibus viribus terra marique vindicetur, nec prius cœpto desistatur, quam læso satisfactum, ac pristina libertas restituta fuerit. Quod si res in præsens componatur, sed qui offendit in posterum odia coërcitæ injuriæ in alterutrum quocunque prætextu expromere conetur, Fœderati terra marique auxilium invicem ferant. Ad bella quoque cum aliis orta Fœderati mutua sibi auxilia ferant, (quæ adjecto pacto quatuor millibus militum definiebantur;) non tamen ut ulterius se, aut alia ratione, quam submittendis subsidiis è pactorum præscripto fœderatorum privatis litibus immiscere, aut cultam hactenus amicitiam atque commerciorum usum cum Fœderati hoste abrumpere necessum sit. Ne alter alterius hostes consilio, ope, pecunia, annona, milite, navibus, nautis, armis, pulvere pyrio, aliisque rebus bellicis juvet: navigatione & commerciis de cætero liberis cum hoste, qui alia de causa, quam ob hoc fœdus bello cum fœderatorum alterutro fuerit implicitus; nisi quod ad obsessa oppida navigatio sit suspendenda. Utrique fœderato in alterius ditionibus militem conscribere, naves nautas emere aut conducere, omnisque generis instrumenta

Summa fœderis.

1640. menta bellica petere liceat. Hoc fœdere nihil derogetur juribus Regni Sueciæ in Mari Baltico; nec fœderibus, quæ utrique cum aliis Statibus intercedunt. Si alteruter bellum ſuſcipere coactus ſit in quo alter alteri vi hujus fœderis ſuppetias ferre teneatur, neutri liberum ſit ſine ſcitu & conſenſu alterius cum hoſte paciſci, aut inducias inire. Ut utriusque ſubditis in utriusque ditione quæſita aut deinceps quærenda privilegia ſalva ſint, & defunctorum utrinque bona ſuis hæredibus relinquantur, ſimul jus citra moram utrisque dicatur. Terminus fœderi ſtatuebatur in quindecim annos, in quod alii quoque Reges, Principes, aut Civitates recipi queant; ratihabitione intra ſex menſes permutanda, quæ & poſt dicto tempore ſecuta eſt. Poſtulabant tamen Legati, ut reſponſum ipſis ſcripto daretur in hunc ſenſum: Ipſos in Suecia fuiſſe, ac de Dani actionibus querelas moviſſe, ubi amice auditi, ac dimiſſi ſint. Ut ſi forte in Daniam diverterent, id oſtendere poſſent fœdere diſſimulato; idemque publice in conſeſſu Ordinum Generalium exhiberent, ubi quinque tantum præter Arauſionenſem Principem fœderis hujus conſcios ferebant.

Diſceptatio circa ceremonias.

§. 88. Enimvero circa rem ipſam facilius conveniebat, quam circa ceremonias; quod hi Legatis Regiis pares ſe haberi poſtularent ex decreto, ſuperiore anno per Ordines Generales condito. Ac initio quidem cum Hamburgum tranſirent, neque Salvium, neque Avauxium ſalutaverant. Quod aliqui interpretabantur ideo factum, ne Salvium offenderent, ſi priore loco Avauxium adiiſſent: quod fere qui poſterior ſalutatum venit, foribus arceatur. Vera tamen cauſa fuerat, quod ab iſtis priores ſalutari vellent; cum tamen Salvio ne adventum quidem ſuum more ſolito denuntiaſſent. Id quippe inter Legatos Regios, queis Veneti æquari volunt, ejusdem dignationis uſurpari ſuevit, ut qui poſterior venit, per aliquem è familia ſua alteri adventum indicet. Tunc qui iſto in loco prior fuit, ad eum aliquem è ſuis remittit, & tempus ſciſcitatur, quo eum qui advenit ſit inviſurus. Cæterum circa Belgas Lutetiæ hactenus varie uſurpatum fuerat. Nam eorum Legati, qui poſteriores venerant, ad Danicum Legatum miſerant, & priores quoque eundem adierant. Aſt Comes Leiceſtrius, qui in Batavis centuriam militum habebat, cum ad ipſum Belgæ miſiſſent, miſerat & ipſe, & prior eos inviſerat. Quod exemplum & Grotius ſequebatur, ne quid videretur dare memoriæ malorum, quæ in patria quondam paſſus erat. Quanquam factum id ad exemplum pertinere ſtatim adparebat. Nam exinde legatus Florentinus, Sabaudus, Genuenſis, eundem ſibi honorem exhiberi voluerant, quod Belgarum nova republica minores ſe pernegarent. Ita omne Grotio colloquium cum ipſis interciſum erat, non ſine utriusque incommodo. Galli tamen, qui ſemper autores erant aliis, ut quam plurimum cederent Belgis ipſi id non faciebant. Nam neque adire voluit Gallorum apud Venetos Legatus; nec eidem dare *Excellentiæ* nomen: neque in aula Gallica idem honor in introitu & prima admiſſione habebatur Belgis, atque Venetis; qui & ipſi exæquationem illam Belgarum ſecum non ferebant. Neque ulli Legato qui Regius non ſit, Venetis exceptis, *Excellentiæ* titulus hactenus tributus fuerat. In Anglia quoque Sommerdyck ius Belgarum legatus extraordinarius, etſi ad eum finem multa moliretur, ut legati tam Gallus quam Venetus priores ipſum inviſerent, id obtinere non poterat; eoque ipſe ad Legatum Gallicum ultro acceſſerat. Cujus exemplo Venetorum quoque legatus prior ipſum compellare nolebat. Porro iidem Legati cum Holmiam perveniſſent, literas Rectoribus Sueciæ afferebant, quarum inſcriptio inter alia unum & alterum titulum præferebat, qui in mercatores, & id ordinis homines caderet; *circumſpectis, & valde diſcretis.* Quas poſt aliquam dubitationem reſignare tandem placebat, monitis tamen Legatis, ſi deinceps ſimiles exhiberentur, non acceptatum iri. Id quoque velut inſolitum obſervabatur, quod literis fiduciæ argumentum propoſitionis à Legatis faciendæ inſeruiſſent. Ad ſolemnem apud Reginam admiſſionem deducebantur, non uti Legatis Regiis fieri mos eſt per Senatores, ſed ab aliis duobus egregiæ dignationis viris. Inter dicendum coram Regina ipſi ultro capita tegebant; quod magnopere ab elegantia aulici moris abhorrere videbatur; cum & Regii Oratores ad Reginas verba facientes etiam invitati non niſi momenta caput tegant, mox detegant. Ad colloquium cum Deputatis Regiis deducti ad imas ſcalas à duobus Senatoribus excipiebantur, ac mentæ ſiniſtrum latus occupabant Deputatis Regiis in dextro conſidentibus; quibus eosdem, qui ipſis dabantur, titulos reponebant, *Dominationes, & illuſtritates.* Oxenſtiernam quoque Cancellarium ipſos inviſentem non niſi apud januam conclavis exceperant, nec longius abeuntem proſecuti; quod exprobratum illi utcunque excuſatum ibant.

Conſultatio ſuper titulis.

§. 89. Cum *Excellentiæ* titulum utique tribui ſibi prætenderent, res in utramque partem in Senatu diſceptabatur. Erant qui facile circa titulos concedendum contenderent. Belgas unicos eſſe è liberis Rebuspublicis, unde ſubſidii quid ſperari poſſit. Ob commercia & navigationem Suecorum fieri non poſſe quin literis invicem commutatis opus ſit; ei negotio controverſiam circa titulos impedimento fore. Opes ipſorum ita invaluiſſe, ut Suecia æque illorum auxilio, quam ipſi Sueciæ, indigere queat. Cavendum eſſe, ne heic repulſi cum Daniæ Rege tranſigant, qui ut Sueciæ ægre faciat fortaſſe æqua ratione cum ipſis ſit transacturus. Sed plerisque placebat; videndum eſſe, quales deinceps erga Sueciam ſe exhibituri ſint, ac pro re nata honoris ſigna diſpentanda. In præſens tamen titulum Excellentiæ, & alia Legatis Regiis ſolita non tribuenda. Secuturos Suecos aliorum Regum exempla. Sane Venetos iſta abnuere, ac in contractu matrimonii Gallos inter & Hiſpanos anno decimo quinto conventum, ut neutri Hollandorum Legatos Regiorum honori æquipararent. Et cur apud Guſtavum Regem id non quæſiverint? Nunc tutoribus metuendum, ut forte aliquando nimiam heic liberalitatem Reginæ adprobare queant. Non conſtare, quid alii Reges facturi ſint, quibuscum iſtis plus commercii intercedit. Poſſe id Suecis ab aliis Regibus vitio verti, & in ipſorum contemtum trahi. Cavendum etiam eſſe, ne fœdus velut aſſentando emiſſe videantur. Nec ſatis è dignitate omnia eorum poſtulata annuere; & cum ipſi in *rituali* ſuo nuper condito Sueciam ultimo loco nominarint, indignum eſſe Suecos inuſitatum hactenus honorem ipſis obviam ferre. Ordinibus tamen, qui antea *Illuſtres* tantum vocati erant, titulum *Celſorum* & *Potentium*, & junctis *Celſitudinem Ordinum* haut gravatim tribuendum, quod iſte æqualitatem cum Regibus non involvat. Reipſa ſe illis amicos fore, circa titulos & honoris ſigna aliorum Regum exempla ſecuturos: velut ex imperio nihil facturos. Poſt tamen anno quadrageſimo quarto tractatibus pacis cum Dano ſuſceptis *Excellentiæ* titulus Hollandorum legatis primum à Suecis datus. Monebantur quoque deinceps latine ſcriberent, ni vellent Suecica lingua ſibi reſponderi. In reditu Hamburgi Legati Borelli frater Salvio perſuadere conabatur, ut ipſe prior Legatos inviſeret: Hollandos

1640. landos æque ſummo gaudere imperio, quam Reges: in fœderibus idem quod Reges præſtare. Eo facto Hiſpanorum prætenſioni præjudicatum iri; idemque firmandæ amicitiæ non parum collaturum. Reſpondebat Salvius: Suecos non ſolum velle ipſorum Remp. eſſe liberam; ſed & ad eandem tuendam operam conferre paratos. Reginam in amicitia erga ipſos nemini concedere. Eſſe tamen diſcrimen inter Reges, & magiſtratus Rerump. id quod communi uſu & velut gentium jure ſtabilitum ſit. Legatis judicandum relinquere, utrum magis deceat, Regem ad ipſos accedere, quam ipſos ad Regem. Reginam cupere ipſis honorem exhibere; ſed quod ea res omnes Reges tangat, non poſſe quid niſi aliorum Regum exemplis præeuntibus facere. Hæc tamen ſe velut privatum differere; in dubio exemplum Avauxii ſecuturum. Reponebat iſte; non opus eſſe, ut is ab Avauxii moroſitate dependeat. Indo percontabatur, num velut privatus iſtos adire velit. Id quod alio loco & tempore ſe facturum reſpondebat; ac viciſſim num ad convivium invitati venire velint rogabat. Quod & ipſum iſti abnuebant. Ita neque Salvio, neque Avauxio viſo diſcedebant.

Legatio Scotorum in Sueciam. 9. Jul.

§. 90. Eodem anno miſſus à Directoribus fœderis Scotici cum literis ad Rectores Sueciæ aderat Joannes Cocheranus tribunus, conſilium opemque adverſus Regem Angliæ petens. Is in Senatum deductus differebat: Scoticæ nationi eam ſemper fuiſſe mentem, ut obortæ inter Regem ipſamque controverſiæ amica ratione componerentur. Sed cum indies periculum gliſceret, ſacris per ritus Papiſticos inquinatis, & imminente metu Hiſpanicæ cujusdam inquiſitionis; tum libertate ac privilegiis ſubvertis; Ordines Regni conventu habito deliberaſſe, diſſimulanda iſthæc; an media diſpellendis malis circumſpicienda forent. Suadente igitur pietate ac officio patriæ, animos addente cauſæ bonitate arma cepiſſe ſacrorum ac patriæ libertati vindicandæ. Ea deſtinata vicinis Regibus ac Rebus publicis, ac cum primis Suecis ſignificare voluiſſe, quorum affectum in ſe dudum experti fuerint; conſilium opemq; expoſcentes. Memorabat inde artes à Rege adhibitas ad ſubvertendam Scotiæ libertatem. Procerum quosdam ſibi obſtrinxiſſe, reliquos muneribus exuiſſe. Jura ſummi imperii per Scotiam imminuiſſe & pedetentim ad Angliam traxiſſe, in Scotia non niſi inani nomine Senatus relicto de pace, bello, fœderibus non niſi in Anglia decerni. Comites, queis jure natalium in Senatu Regni locus fuerat, eo dejectos ſubrogatis novis hominibus: tum & Epiſcopos eodem intruſos, ut par Anglicanæ, & Scotica Eccleſiæ facies foret: qui color novitatibus obtendatur. Tum Archiepiſcopo Cancellarii munus delatum, & Theſaurarium Regni Ordine Equeſtri periſcelidis illigatum. Sacerdotibus datam poteſtatem inquiſitionem inſtituendi, ac de capite, fama bonisque ſummorum juxta ac infimorum ſtatuendi. Adverſus iſta initio neminem mutire auſum, quoad circa ſacra novaretur. Hoc facto plebem ac nobiles fremuiſſe, ac capita allevaſſe, tum conventu habito fœdere ſe invicem obſtrinxiſſe. Num tacendum ſibi fuiſſe, oppreſſa patria, juribus ſummi Imperii abolitis, majeſtate Regni everſa ac in provinciæ formam redacta? Sanc Suecorum majores, ni Engelbrechto, & Guſtavo primo autoribus paria conſilia cepiſſent, nunc non minus duris legibus, quam Norvegi ſub Danorum jugo acturos. Reſpondebatur laxioribus verborum formulis; ſincero ipſos affectu ferri in nationem, cujus officiis Suecia per annos ſexaginta ſit uſa; dolere illius vicem, & optare, ut idonea media inveniantur controverſiæ componendæ. Sed circa auxilium quod petitur, altioris indaginis rem eſſe. Excipiebat Cocheranus, non militem aut pecuniam peti, cum conſtet, quanto bello Suecia ſit implicita, ſed duntaxat naves aliquot ritè inſtructas, quas bona fide Scoti reddituri ſint. Re in conſultationem deducta, etſi Angliæ Rex Suecis toto bello Germanico iniquus fuerat; haut tamen placebat inteſtinis Britanniæ litibus immiſceri, præſertim cum Scoti nuper adhuc decreviſſent, Carolum à ſe Regem agnoſci; ac re inter ipſos compoſita tota belli moles in Sueciam devolvi poſſet. Suum non eſſe in iſta cauſa velut ſententiam ferre; ac commune Regum commodum in eo verti, ut iſtiusmodi ſe bello abſtineant. Sueciæ quoque imminere Polonum, Danumque, occaſionem invadendi ipſam captantes, quæ nunc ſpecioſa iis præberi queat. Angliæ quoque Regem, ſi repudiatis calidis ſacerdotum conſiliis moderatione uti, ac nonnihil concedere, Anglosque demulcere velit, Scotiam facile ad obſequium compoſiturum. Igitur prudentiæ leges non ferre, ut novis ſe difficultatibus involvat Suecia: Negotium quoque eſſe recentius nullo adhuc actu hoſtili patrato, quam ut exteri ſe huic ingerere poſſint. Tutiſſimum eſſe ſpeculari, quoad adpareat; quo res evaſura ſit. Et quanquam Cocheranus differat, Scotis oppreſſis habere Sueciam quod ſibi metuat; tamen non tam futura & incerta conſideranda eſſe, quam quid præſens Suecia ſtatus ferat. Si bellum illud ſerio geratur, non dubium eſſe, quin alii quoque in partes ſint deſcenturi: tunc pro re nata conſilium poſſe capi. Tum Scotos eſſe partem debiliorem; & ſi penes Regem victoria fuerit, de Suecis acriter vindictam ſumturum. Igitur Cocherano demonſtrabatur; periculoſum eſſe Sueciæ, tanto jam bello implicitæ, novis ſe turbis miſcere, Anglosque & Hiſpanos inſuper in ſe irritare. Anceps quoque adhuc eſſe, bellum an pax futura ſit. Nec Scotos ut Suecia malum ſibi arceſſat poſtulaturos. Tandem cum Cocheranus nihil præter cupri emendi facultatem peteret conflandis machinis bellicis: placebat, nihil ſuper hoc velut publico conſilio decerni, nec tamen inhibere, ſi per mercatores Gothoburgenſes id exportare velint: quod etiam non petita venia integrum erat. Ac ſatis patebat; Cocherano id præcipue fuiſſe propoſitum, ut nationis ſuæ cautam Suecis adprobaret; eorumque favorem captaret. Ita iſte dimittitur cum reſponſo ad Directores fœderis, quod præter amica verba, & teſtationem affectus rei certæ nihil continebat.

Daniæ. §. 91. A Daniæ Rege Roſtochienſes petierant, operam daret, ut vectigal ad Warnemundam aboloretur. Et paratus erat Rex caſtellum id invadere, & ſolo æquare, ſtimulante cumprimis Cornificio Ulfeldio, & Penzio. Sed conventu Coldingam indicto cæteri Senatores abrupta conſilia improbabant; & ut Rex quantum poſſit, cum vicinis pacem coleret, ingerebant. Nec eo ſecius Senatores iſti ad literas Senatus Suecici reſponſum differebant, differentes Suecis non niſi paucis verbis opus eſſe ad tranſitum bellicorum inſtrumentorum impetrandum, cum alias à vectigali immunes ſint. Ut ſatis appareret, non niſi precario ipſos Suecis earum mercium transvectionem conceſſuros, ſimul expectare eosdem, quem eventum controverſia cum Hollandis habitura ſit, pro re nata reſponſum ſuum temperaturos. Etſi revera iſto anno citra magnam difficultatē iſtis mercibus tranſitum concederent. Ac Stroemfeldio injunctum erat reſponſum frigidius urgere, quod fortaſſe uſui eſſe poſſit rem in ſuſpenſo manere. Et ſi reſponſum accepiſſet non ex placito, id ſuo loco relinqueret. Cæterum ſperaverant Dani, Legatos Belgarum, qui in Sueciam deſtinabantur, prius

Daniam

1640. Daniam adituros; quibuscum ut Rex moderate ageret, Senatus suaserat. Sed cum eos recta in Sueciam iviſſe intellectum foret, nihil inde boni in universum Dani ominabantur, præsertim cum Rex ætate provecta sententiæ suæ pertinax nullo ad alios respectu omnia ex sua libidine agere instituëret, & nunc hunc, modo alium contumeliis lacesseret, exquisita in Belgas acerbitate; quorum conjunctionem cum Suecis ut libraret, legatos in Angliam & Hispaniam mittebat. Non tamen à Suecis aliquid mali prius verebatur, quam hi bello se Germanico extricassent. Inter hæc minutæ quædam offensiones incidebant. Rusticus quidam in Dania admisso facinore ad Smalandos confugerat, ibique uxore ducta prædium colebat. In id rusticorum manus noctu ingruens cum abreptum in Scaniam abducebat, statimque rotæ imponebat. Nauta quoque Danicus portum Gothoburgensem insultandi causa volitantibus de summo malo latis aplustribus ingressus erat; qui tamen ibi injecta manu in jus rapiebatur.

Regina Mater è Suecia profugit.

§. 92. Ast altissime penetrabat, quod per Danos Regina Mater è Suecia clam subducta esset. Dudum ista querelis Rectores Sueciæ obtuderat, modo reditus sibi non sufficere arguens, cum majore quam ulla ante ipsam Sueciæ Regina dotalitio gauderet, & quantæcunque opes ejus facilitati non sufficerent; tum cœli solique asperitatem, ipsamq; nationem aversabatur, stimulantibus pravis ministris; quorum præcipuos Rectores Sueciæ aula dimoverant, simul eandem frequenti cum Regina filia conversatione arcebant, ne odium patrii soli ac civium huic instillaret. Unde acerrimum in istos odium, Oxenstiernam cumprimis conceperat, dolens etiam, uti credebatur, se ab iisdem in nullam Reip. partem vocatam; etsi nec Gustavus Rex tale quid cum ea communicare sueviſſet. Accesserant secreta cum ministris Danicis colloquia, quibus conscïis, si non instigantibus, consilium è Suecia profugiendi conceperat. Sane præfectus ipsius aulæ Penzius à Danis pendebat, Petrus VVibius velut consiliarium ejusdem agebat, quem Gripsholmiam arcessitum magnifice excipiebat. Fuerat quoque VVoldemarus Comes in Suecia obtentu videndi fodinas cupri, revera ut secreta consilia cum ipsa misceret. Illa igitur destinatis dissimulandis in Gripsholmensi arce certis diebus jejunia agitare sueverat, queis se cum una aut altera puella conclavi includebat, unde in subjectum hortum descensus erat; ac paululum cibi potusque adsumere solebat, nullo ministrorum præterea admisso. Consuetudo effecerat, ut nemo curiose animum adverteret. Itaque rebus ad profectionem paratis quinque in dies jejunia indixerat unicam puellam Buloviam conclavi secum includens. Sed mox sequenti nocte in hortum, inde ad aquam descendens, cymba, quæ parata 1640.
stabat, in alteram ripam trajicit: ubi equis dispositis ad littus maris prope Nycopiam properans à celoce Danica excepta ad Gotlandiam trajicitur. Ibi Danicus navarchus, qui duabus cum navibus bellicis eam expectabat, susceptam lento itinere per oram Pomeraniæ & Meclenburgicæ vehebat, ac duodecim per dies jactis ante Travemundam ancoris hærens passim disseminabat, Reginam Sueciæ à se vehi. Inde Nicopiam Falstriæ eandem in terram exponebat. Equidem dissimulabat Daniæ Rex, se conscio illam fugam susceptam. Celocem privati cujusdam fuisse: naves bellicas alia ob negotia ad Gotlandiam stetisse, trajici in Daniam cupienti honeste negare non potuisse. Amicæ Reginæ hospitium utique non abnuendum. Enimvero constabat navarchum Ericum Ottonis F. obsignatis cum mandatis ad Gotlandiam missum non prius aperiendis, quam celox rediisset. Naves illæ porro magnifice ornatæ, ac delicato penu instructæ, adjuncto musicorum & tubicinum choro. Cum celox adpulisset statim è navibus & arce Wisbyensi machinæ displodebantur, ac ipsa regio paratu habebatur. Celocis magistro Hafniæ ducenti viginti unciales à Quæstore Regio persolvebantur. Ac Gyldenlœvvius octo ante fugam diebus Hamburgi dixerat: brevi peregrinum fœminarum genus in Dania adfore magna cum omnium admiratione. Credebatur & in eo ludibrium à Dano quæsitum, quod naves delegisset Reginæ avehendæ, quarum uni *Patientia*, alteri *Cercopitheci* vocabulum erat. In Suecia initio dubitabatur, in Borussiam ad Brandeburgum Electorem, an in Daniam cursum vertisset. Mox cognitum, apud Daniæ Principem Nicopiæ in Falstria agere: Suecis quam maxime exacerbatis, ista à Dano in sui contemtum structa; aliis mirantibus, ab hoc admissum, quod immensum offenderet, offensis damni nihil inferret. Ut Reginam eo citius pœnitudo facti subiret, dotalitii reditus tantisper sepositi, & ejusdem mentio precibus publicis excluſa. Quorum hoc etsi Palatinus Princeps Joannes Casimirus consultus durum judicaret; tamen quia nonnulli sacerdotes injussi jam id fecerant, id retentum, invidia si qua inde esset in istos devolvenda. Aderant inde à Principe Daniæ Christiano literæ, 10. April.
nil nisi seram gratulationem, & inanes verborum formulas continentes; quia id honoris sibi contigisset, ut Reginæ Mater apud ipsum diverteret, se non potuisse non Reginam hisce literis salutare; illudendis Suecis, an ut facti invidiam à Danis amoliretur. Addiderat Regina mater literas, quibus liberam dotalitii administrationem sibi deposcebat. Cui tunc nihil responsum. Sed Principi par modus inanium verborum repositus, nulla Reginæ mentione facta.

SAMUE-

Digitized by

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER DECIMUS TERTIUS.

EPITOME.

1. *Banerii de invadenda Ratispona consilium. Kœnigsmarckius manum hostium fundit. Cæsar & Bavarus copias contrahunt.* 2. *Banerius sub Ratisponam excurrit. Idem Danubium transire non potest.* 3. *Guebrianus à Banerio se disjungit.* 4. *Banerius stativa Chami ponit.* 5. *Cæsarei sua destinata dissimulant.* 6. *Banerius Guebriani conjunctionem affectat. Hic tergiversatur.* 7. *Banerius in Bohemiam cogitat.* 8. *Hostis subito ingruit.* 9. *Slangius Neuburgi circumvenitur. Banerius in Bohemiam se recipit, instantibus Cæsareanis. Suecorum ad Prisnitiam periculum.* 10. *Guebrianus Banerio iterum jungitur.* 11. *Banerius morbo corripitur. Cæsarei propius movent. Dux Georgius moritur.* 12. *Luneburgici & Landgravius ad Banerium mittunt.* 13. *Guebrianus Salam transit. Banerii morbus recrudescit. Hostis ad Weissenfelsam vapulat.* 14. *Mersburgum frustra tentatur. Hostis ad Bernburgum Salam transit. Succi Halberstadium recedunt. Banerius moritur.* 15. *Ejus elogium.* 16. *Circa exercitum Banerii Rectorum Suecia cura.* 17. *Lubricus rerum status post mortem Banerii. Ducum summorum ad cæteros propositio. Tribunorum postulata. Summi præfecti ista annuere coguntur.* 18. *Tribunorum in Sueciam postulata. Eorum confœderatio.* 19. *Sueci apud Quedlinburgum multantur.* 20. *Cum Luneburgicis Ducibus acta. Legatorum Luneburgicorum propositio. Suecici duces eorum postulatis annuere coguntur.* 21. *Hostis propius movet.* 22. *Idem Luneburgicos allicere studet. Dux Augustus cum Cæsareis tractare incipit.* 23. *Leopoldus tractatus simul, & arma Luneburgicis ostentat. Fœderati hostem præveniunt.* 24. *Prælium ad Guelferbytum.* 25. *Dux Augustus Leopoldo respondet.* 26. *Hassiaci adveniunt. Zuiccavia capitur. Cæsarei recedunt.* 27. *Arnheimius novum exercitum molitur.* 28. *Periculosus exercitus Suecici status.* 29. *Torstensonius dux destinatur.* 30. *Missi ab exercitu dimittuntur.* 31. *Cæsarei retrocedunt. Socii exercitus apud Guelferbytum considunt.* 32. *Hassici à cæteris disjungi cupiunt.* 33. *Grubbius ad Luneburgicos Duces, & exercitum venit.* 34. *Hostis quadam oppida occupat. De ejus destinatis conjectura. Suecici ad Guelferbytum se sistunt.* 35. *Dorstena ab Hatzfeldio premitur.* 36. *Suecico exercitui insidiæ struuntur.* 37. *Miseria in exercitu Suecico gliscit. Ductorum querelæ.* 38. *Luneburgici copias suas separant.* 39. *Hostes Liebenburgum & Bekelam capiunt. Cæsarei vapulant.* 40. *Luneburgici in hostem duci postulant. Miles pecuniam flagitat.* 41. *Tribunorum à Salvio postulata. Salvii responsum.* 42. *Alia exercitus irritamenta. Schiccardi machinationes; quibus obsistitur.* 43. *Ad Guelferbytum res languide procedit. Hostis propius accedit. Guelferbyti obsidium abrumpitur.* 44. *Dux Augustus in partes Cæsaris transit.* 45. *Sueci Sarstedii consistunt.* 46. *Danicæ machinationes circa corrumpendum exercitum.* 47. *Motus in exercitu subsidunt. Miles denuo pecuniam solicitat.* 48. *Dorstena deditur. Hassi discedunt.* 49 *Torstensonius in Germaniæ adpellit. Is ad exercitum se conferre constituit.* 50. *Cæsarei Eimbeccam capiunt, & multa alia loca; Gottingam frustra obsident.* 51. *Luneburgicorum postulata & promissa. Torstensonius Albim transgreditur. Legatorum Luneburgicorum alia propositio.* 52. *Torstensonius ad exercitum venit. Vinarienses discedunt. Torstensonii destinata turbantur.* 53. *Piccolomineus in hiberna discedit. Hatzfeldius Erfordiam tentat. Cæsarei Heldrungam & Masfeldam capiunt* 54. *Torstensonius exercitui satisfacit. Acta Torstensonii cum Luneburgicis.* 55. *Periculosa exercitus conditio Torstensonio ægrotante. Irritus hostium conatus. Hassi trans Rhenum abeunt; ut & Vinarienses, contra quos Lamboius evocatur.* 56. *Acta per Silesiam. Stalhantschius Berolino minatur. Idem in Silesiam movet. Lubenam & Heinzendorfium capit: Hostem prævenit.* 57. *Hostis ab Odera iterum abit. Gorlicium obsidet. Stalhantschius Saganum procedit. Wanckio deditionis leges non servantur.* 58. *Hostium progressus per Silesiam. Stalhantschius in hiberna se recipit. Misera exercitus Suecici conditio.* 59. *Per Pomeraniam & Marchiam gesta. Succi Havelandiam irrumpunt. Brandeburgici in pacem inclinant.* 60. *Axelius Lilius in Marchiam progreditur. Idem inde recedit sublatis in Brandeburgicos hostilibus.* 61. *Hermanni Boothii machinationes in*

Digitized by Google

Saxonia inferiore. Salvius illi obſiſtit. Boothium capitur. Idem à Præſule Bremenſi dimittitur. Super abducto Soltavio querela. 62. *Controverſia Hamburgenſium ſuper vectigali in Albi : id quod omittitur.* 63. *Per ſuperiorem Germaniam geſta. Oiſonvillii irrita expeditio. Crucenacum à Cæſareis capitur. Gengenbacum & Friburgum fruſtra oppugnantur. Hohentwile irritum obſidium.* 64. *Circa fœdus Luneburgicum acta. Legatorum propoſitio. Res differtur.* 65. *Rectorum Suecia ſuper eo fœdere ſententia.* 66. *Alia Legatio valde minax. Legatorum propoſitio. Salvii reſponſum. Seckendorfii propoſitio. Negotiatio continuatur.* 67. *Temperamentum proponitur.* 68. *Sueci fœdus Luneburgicum ratum habent. Idem Fœdus ſit irritum.* 69. *De Goslarienſi tractatu.* 70. *Acta circa neutralitatem Brandeburgicam.* 71. *Legatus Brandeburgicus in Sueciam venit. Ejus poſtulata.* 72. *Super neutralitate concedenda conſultatio.* 73. *Neutralitas cum Brandeburgici Legato concluditur.* 74. *Fœderis Gallici prorogatio tarde procedit. Avauxii artes.* 75. *Nova ab Avauxio lata conditiones. Idem varium ſe geris.* 76. *Rectorum Suecia moderatio. Capita quædam ſeponuntur.* 77. *Fœdus Gallicum abſolvitur.* 78. *Secreti tractatus cum Luzovio continuantur. Salvii conſiderationes circa ſecretos tractatus.* 79. *A Luzovio oblata circa amneſtiam, circa ſatisfactionem Suecia & militum. Luzovium Salvio dubia demere conatur. Idem minas ſpargit.* 80. *Salvius in ſecretos tractatus eſt proclivis. Luzovius Salvio pacem ſeparatam perſuadere nititur.* 81. *Salvius cum Luzovio colloquitur. Salvio oblata conditiones acceptandæ videntur.* 82. *Rectores Suecia ſecretos tractatus abrumpi jubent.* 83. *Legatio Danica ſuper pace. Legatus in Senatum venire abnuit. Negotium de diplomatis Hamburgum rejicitur. Vera ejus legationis cauſa.* 84. *Salvi conductus Hamburgi utrinque adſpiciuntur.* 85. *Nova morarum cauſa.* 86. *Gallica præliminaria Hamburgi quoque tractantur.* 87. *Avauxii tergiverſationes. Difficultas circa titulum Sabaudæ.* 88. *Tractatus præliminaris. Circa loca conventus cautela. Diplomata ſalvi conductus enumerantur.* 89. *Tempus tractatui ſtatuitur. De unitate tractatuum.* 90. *Difficultates circa titulum Cæſaris, & precedentiam à Gallo pratenſam.* 91. *Acta conventus Ratisponenſis, circa pacem communem :* 92. *Circa amneſtiam :* 93. *Circa gravamina :* 94. *Circa bellum.* 95. *Luneburgici & Haſſici Legati maſcule loquuntur. Iidem Ratispona expelluntur.* 96. *Circa Palatinam cauſam acta. Cauſa Palatina Viennam rejicitur.* 97. *Judicium de conventu Ratisponenſi.* 98. *Palatina cauſa Vienna demum ſuſcipitur. Hiſpanici Legati declaratio. Bavaricorum declaratio.* 99. *Tranſylvanica.* 100. *Luſitanicus Legatus in Dania rejicitur. Idem in Suecia honorifice excipitur. Ejus propoſitio.* 101. *Fœdus commerciorum cum Luſitanis.* 102. *Danica.* 103. *Hollandica.* 104. *Legatio Ducis Holſatia.*

1641. Banerii de Ratiſpona invadenda conſilium.

PRincipio anni quadrageſimi primi Banerium ut Ratisponam verſus iter intenderet, ſpes ſubigebat hoſtem ibi deprehendendi copiis nondum contractis, atque imparatum. Simul immenſam gloriam præbiturus erat Cæſar cum Ordinibus in urbe interceptus, aut trepida fuga disjectus. Et ſæviens tunc gelu facilem Danubii tranſitum pollicebatur, quem hoſtis niſi conferta decretoria pugna prohibere non poterat. Eo fine Pfulium, quem cum aliquot legionibus in Miſnia reliquerat, arceſſit. Ipſe Aurbacum progreſſus Kœnigsmarckium cum valida caterva hoſtium legionibus immittit, quæ circa Ambergam hærere nuntiabantur. Hic apud Hambacum Drucmulleri & Colbii tribunorum legiones cum delecta ducentorum peditum equitumque manu in campo ante ſe offendit, quas in fugam conjicit, cæto cum multis aliis præfecto vigilum, captoque præfecto turmæ cum multis gregariis; reliquos ſub Ambergam uſque perſequitur. Eodem ſe ſubduxerant quatuor hoſtium legiones Suecorum adventu audito; quos quo minus invaderet Kœnigsmarckius, citato itinere defelli equi obſtabant. Erat tunc Ambergæ Mercius ſummus rei tormentariæ præfectus, Bavaricas ibi copias contracturus. Aſt ſubito ingruentibus Suecis, iſtis ut ad Donavvertam coëant imperat, ſimul equi, pecora, frumentum, pabulum in loca munita coguntur, quæ avehi non poterant, corrumpuntur una cum molendinis, qua hoſtis iter facturus credebatur: Inprimis quicquid equorum in provincia erat ſuo militi rapiendos permittebat, ſatius judicans iſtos ſuis quam hoſtibus uſui cedere. Tum ut ſuos Cæſar ocyus convocet, ſolicite inſtat. Cæſar ipſe Ratispona non cedere certus, edicto Ordines parem ad conſtantiam hortatur: qui & decreto facto manſuros ſe pollicentur; monent tamen, ut ſuper ſtatu belli Cæſar ſubinde ipſos certiores reddat, ac de annona in urbem convehenda curet. Urbs quoq; operibus, & quatuor millium præſidio firmatur. Tum quicquid copiarum per Sueviam & Franconiam vix in hiberna conceſſerat, Ingolſtadium tendere jubetur. Quo & Gleenius accelerat, & Bruæus Comes è Bohemia novem cum equitum legionibus evocatur. 1641.

8. Jan. Kœnigsmarckius manum hoſtium fundit. 9. Jan. Cæſar & Bavarus copias contrahunt. 7. Jan.

§. 2. Banerius interim per Filſeccam, Hambacum, Schvvandorfum, Burglengenfeldamque Regenſtaufam cum exercitu pervenerat. Unde ipſe cum magna parte equitatus ac mille peditibus machiniſque nonnullis, ſub ipſam Ratisponam excurrit pontem exploraturus, & quid hoſtis contra moliturus eſſet: qui plane immotum ſe intra urbem & adſita munimenta tenebat. Urbem ingens metus invaſerat, ſuper Cæſaris aulam tanta militum ac provincialium turba ſtipatam: cui brevi tempore atrox fames imminebat, ſi in Bavarico æque ac ſuperiore Palatinatu ſubvectionem claudere licuiſſet. Enimvero remittens tunc gelu facultatem Danubium glacie conſtrictum tranſeundi, aut pontem navalem cito extruendi fluitantia glaciei fragmina adimebant. Wittenbergius tamen cum aliquot legionibus Deckendorfum & Straubingam verſus mittitur, pontibus ibi explorandis, tum Bruæum à Bohemia moventem excepturus. Sed qui de inſidiis hoſtium certior factus, an contrariis acceptis mandatis, intra tutiora Bohemiæ ſe continebat. 4. Jan. 17. Jan. Banerius ſub Ratisponam excurrit. Idem Danubium tranſire non poteſt.

§. 3. Neque tamen hoc licet ſucceſſu fruſtratus Banerius ſpem belli in Bavari Cæſarisque ditiones transferendi abjecerat, ni quod ſub cineribus hactenus latitaverat diſſidium, nunc inauſpicato erupiſſet. Goebrianus à Banerio ſe disjungit.

1641. erupiſſet. Nam Guebriani miles hibernam expeditionem & anguſta ſtativa averſatus ac laxioribus inhians à Suecicis disjungi inſtituerat, Banerio non mediocriter commoto, qui fide ab ipſis data confiſus huc proceſſerat, alias vel plane illis ſe haut conjuncturus, vel tutiora conſilia capeſſiturus. Is igitur ſeparationem diligenter diſſuadere oſtenſo evidenti periculo, cum hoſti medium ſe illis interponere, unumque poſt alterum opprimere in proclivi ſit futurum: tum orare, tamdiu apud ſe ſubſiſteret, quoad ratio belli ferret laxiora hoſpitia invadere. Si ad opportunum usque diviſioni tempus una manſerit, ſe in Bohemiam transgreſſurum, toto ſuperiore Palatinatu ipſi relicto, aut ſi ita malit propiora hoſti loca inſeſſurum, tutioribus Bohemiæ hoſpitiis in ipſum translatis. Enimvero cauſabatur iſte, univerſis ſuis copiis exitium imminere, ni ocyus disjungatur, ac omnem jam patientiam conſumtam. Tupadelius imprimis jactabat, equites Catholicis ſacris addictos omnes in
18. Jan. Bavariam transfugituros. Ita Banerio, qui invitos retinere non poterat, patiendum erat iſtos abi-
19. Jan. re. Altero die, quam Regenſtauſa Noribergam verſus iter ingredi Guebrianus cœperat, Banerius ad digreſſum literas dat, quibus oſtendit, hoſtem nunc quam maxime circa contrahendas copias ſatagere, haut omiſſurum opinione citius ſe aut ipſum in anguſtias redigere. Igitur rogabat ita ſtativa capeſſeret, ut ſaltem intra tri-
21. Jan. duum, ſi opus ſit, jungi iterum poſſint. Idemque mox aliis literis incaſſum ingerebat. Iſthæc ſeparatio intempeſtiva ſane, & ſummæ rerum exitioſa variis rumoribus apud amicos æque ac hoſtes differebatur. Ac Ratisponæ quidem dicebatur, inter diſcedendum parum abfuiſſe, quin Banerius ac Tupadelius manum conſererent. Quod uti à vero alienum; ita conſtat Tupadelium iſtum, veteranum quantumvis Suecicum ductorem, & qui Suecis pleraque fortunæ ſuæ incrementa debuerat, ejus ſeparationis præcipuum autorem fuiſſe, qui tamen non ita pridem tantam conſtantiam crepaverat.

Banerius ſtativa Chami ponit.

§. 4. Banerius inde decreverat Chamum invadere intercipiendæ hoſtis cum Bohemia communicationi, ac ut tergum verſus ſylvam Bohemicam tutum foret. Inde ad Nabam flumen progredi, ac Guebriani conjunctionem ſolicitare. Ac circa Chamum quidem res facillime ſuccedebat, cen-
21. Jan. turione, qui cum centum ſexaginta peditibus oppidum inſidebat, absque teli jactu deditionem faciente: qui & mox Straubingam deductus capite ignaviam luit. Quæ oppido iſti firmando è Bohemia adventabant copiæ in oppido Furto deprehenſæ Wrangelio illuc miſſo citra exceptionem ſe dedunt. Chami & vicino tractu diſpoſitæ legiones quietis nonnihil capiebant regione non inopi, excurſoribus quotidie Paſſavium verſus prædas agentibus. Guebrianus interim Banerii monitis inſuper habitis Bambergam uſque progrediebatur, cui Piccolomineus valida cum manu fruſtra inſiſtebat, quod celeriter progreſſum aſſequi non valeret. Roſa contra ex Haſſia in Hennebergicam regreſſus Masfeldam arcem, denuo à Gillio Haſio obſeſſam liberarat, quatuor hoſtium cohortibus
18. Jan. deletis, ipſumque Haſium cum ſex equitum, totidem peditum cohortibus Mainungæ incluſum tenebat. Banerius paulo poſt Pfulium cum aliquot equitum legionibus & ſexcentis peditibus in Bohemiam mittit invadendo Bruæo Comiti, qui cum copiis ſuis circa Teinam hærebat; qui tamen audito iſtius adventu trans Muldam Tabor ſe, & Moraviæ vicina receperat. Occupabat tamen Pfulius Glattaviam, Tauſſam, ac aliquot circum oppida, ubi annonæ & pabuli ſatis, pecuniæ nihil inveniebat, quod plerique incolæ oppidis pagisque diffugiſſent, ac per prædatorias catervas omnia jam direpta eſſent, quorum licentiam nulla amplius edicta aut ſupplicia coercere poterant, ipſis ductoribus in partem rapinarum venientibus. Ita iſte nullo invento hoſte, nec alio operæ pretio facto redibat. Wrangelius interim Kezdingam 16. Febr. arcem jam eo compulerat, ut præſidiarii ſuper deditione agitare inciperent; cum Copya ſubtribunus aſſultu repente dato inter tractandum in mœnia arcis enixus eſt. Unde obſeſſi citra exceptionem in poteſtatem pervenerunt. Falckenſteina tamen arx, adſito licet oppidulo incenſo, fruſtra 14. Febr. tentabatur.

Cæſarei ſua deſtinata diſſimulant.

§. 5. Quanquam autem hoſtiles copiæ undiquaque inter Ingolſtadium & Ratisponam cis Danubium colligerentur, inermibus aut ægrotis in Auſtriam transmiſſis; de motu tamen earum, aut conatu mirum erat ſilentium, ac diverſa plane in vulgus ſpargebantur, quam quæ revera animo agitabantur. Erat eo tempore ob Guſtavi Hor- 4. Febr. nii liberationem Ratisponæ Georgius Snoilskius, apud quem Leslæus Comes multa de ſtudio Cæſaris in pacem differebat, quam ut & Suecia vellet amplecti vehementer ſuadebat. Huic quippe in Gallis exiguam fiduciam eſſe reponendam, quæ diverſa plane deſtinata ſpectet; Luneburgicorum nutantem fidem; Landgraviam unice Palatinum reſpicere, quem copiis ſuis præficere, & arctius ſibi innectere meditetur. Suecicum exercitum, ſi Banerio quid accidat, momento dilapſurum. Cæſarem, ut novam ex Anglia belli procellam declinet, Palatino ſatisfacturum: ſuper ſacrorum libertate jam caviſſe. Nunc ante omnia Cæſarem cum Suecis amicitiam inſtaurare velle, cujus & ipſos magis cupidos, quam effundendi amplius ſanguinis credat. Quæ ab iſto Banerio relatum iri ſatis norat. De exercitu Cæſareo vulgabatur; miſere habitum, nullo Suecos aggrediendi animo, quorum motus trepide circumſpiciat: fame inſuper in exhauſta regione affligi, & armis equisque parum inſtructum: tum diſſidia Cæſareos inter & Bavaricos gliſcere. Vix octo millia ex utroque exercitu ad rem gerendam idonea. Si Banerius ingruat, ſtatim trans Danubium conceſſuros. Bavarum copias ſuas Piccolomineo conjungere nolle, quod Oiſonvillius ad Rhenum ſe moveat; cui ut obſiſtatur Gleenium eodem iturum. Piccolomineum ad Tramitem, quem vocant, aureum ſtativa capturum, & excitis è Bohemia copiis Auſtriam adverſus irruptionem Succorum defenſurum. Saltem ante finem menſis Aprilis nuſquam in expeditionem proditurum. Quæ uti dandis in ſecuritatem Suecis ſpargebantur, non minus ac literæ infra memorandæ ab Ordinibus Imperii ad Sueciæ Ordines ſcriptæ; ita parum iſtis fidei adhibebat Banerius, qui ſedulo operam dabat, ut Guebriani exercitum denuo ſibi conjungeret.

Banerius Guebriani conjunctionem affectat. 9. Febr. 11. Febr.

§. 6. Is longius jam trans Mœnum conceſſerat, adſcito iterum Roſa, qui tædio moræ Mainungæ obſidium deſeruerat. Ab iſto cum reſponſi nihil ad Banerii literas redderetur, hic ſcribam primo ſuum, inde Reichvvaldum ſubtribunum ad eundem cum mandatis mittit; ut periculum demonſtrarent, in quo uterque exercitus ita disjunctus verſaretur. Orabat igitur, propius ſuccederet, ut ſi opus ſit, ſociatis viribus hoſti obſiſtere queant. Ac ut citra periculum id fieret, modico circuitu Egram aut ſylvam Bohemicam peteret; cui ipſe tergum ac latus tutum ſit præſtiturus. Guebrianus contra cæterique duces de ferocia militis ſui conqueri, cujus furor ipſis quoque ſit formidandus. Hactenus hoſpitiis ſuis fere

Hic tergiverſatur.

1641. caruiſſe; quibus ſi nunc retro iter per vaſtatas regiones imperetur, paucos ſecuturos. Tum præcipue Guebrianus aſſeverare à Rege ſibi injunctum, ne longius à Rheno interiora Germaniæ peteret: unde ipſe in Bohemiam penetrare nec poſſit nec velit. Proponebat tamen, ſi Banerius retro Aurbacum concederet, ſe iterum ad ipſum iturum ſtativis Culmbaci captis. Aut ſi Banerius altius ad Danubium moveat, ſe cum ipſo adverſus hoſtem rem gerere non dubitaturum. Enimvero circa prius Guebriano ipſi notum erat, Aurbaci annonæ parum relictum, terris circum per excurſiones vaſtatis: ac præcipue nullam pabuli copiam; nec graminis intra unum & alterum menſem facultatem fore. Sed & num annona & pabulum ad Danubium & in Suevia foret, dubium erat, ubi pleraque ab hoſte abſumta credebantur. Nec vero Cæſar curabat, quantumcunque Ordines bello atterentur, ni propria velut ipſius viſcera invaderentur. Id quod Banerius Guebriano per Kœnigsmarkium demonſtrabat; ac denuo ipſi perſuadere laborabat, ſuſcipiendæ ad inferiores Danubii partes expeditioni operam navaret, per quam ad æquam pacem Cæſar brevi adigendus videbatur.

Banerius in Bohemiam cogitat.

§. 7. Cæterum Banerius præſenti rerum facie expenſa judicabat, caulàm communem, & exercitum Suecicum nunquam propius exitio admotum fuiſſe. Guebrianum bello in Auſtriam & Bavariam transferendo manum pariter admoturum nulla ſpes erat. Ac inter Vinarienſes Naſſovius quidem Comes, & Ohmius Suecis addicti, Tupadelius cum plerisque totus à Gallorum nutu pendere. Anceps inſuper negotium erat tam refractarium ſibi militem lociare. Landgravia ſcripſerat; plus ſibi hoſtium eſſe, quam quibus repellendis ſufficiat. Georgius Dux ad Guelferbyti obſidium ultro Banerium pedeſtrem manum poſcebat. Et in utroque parum fiduciæ ob fœdera nondum perfecta collocari poterat. Unde conſtabat, quia Guebrianus jam Banerio disjuncto, nec à Luneburgicis aut Landgravia, proprio hoſte ſat diſtrictis auxilii quid expectandum erat, Cæſarem omnes vires, quas ſummo ſtudio contractum ibat, in ſe effuſurum. Igitur cum conjiceret, ſoli Sueciæ totam hoſtium vim deinceps ſuſtinendam, quæ in Palatinatu ceperat ſtativa tamdiu tueri ſtatuebat, quoad citra periculum id fieri poſſet, ac poſtremam Guebriani declarationem expectare. Qui ubi conjunctionem abnueret, hoſtium multitudine ſuperante, ne id poſt majore cum moleſtia & periculo fieret, mature in Bohemiam movere decreverat, ac ſumto per Glattaviam, Rockezanam, & Rakonizam ad Albim itinere Raudnizæ pedem figere, ubi pontis extruendi copiam fore ſperabat. Inde Albi ſuperato animus erat Leutmericiam & Mœlnicam in poteſtatē redigere, ac communicationis lineam cum Stalhantſchio iterum aperire. Eo fundamento poſito arma per Bohemiam, Sileſiam & Moraviam hinc inde circumlaturus erat, quoad Cæſarem tandem belli ſortis caperet. Ac ni plus copiarum in Bohemiam mitteretur, quam Bruæus habebat, ipſam Pragam tentare meditabatur. Interim ut Goltzius, qui apud Albim ipſi ſe objicere poterat, alio averteretur, Stalhantſchius jubendus erat obſidio Glogoviæ intentato in ſe iſtum avertere, quoad ipſe deſtinata ſua ad Albim perfeciſſet.

27. Febr. Quo fine Wittenbergius cum ſiniſtro cornu in Bohemiam præmittitur, ut Cæſareas legiones circa Piſſenam hærentes obſervaret, ac viam mox ſecuturo Banerio muniret.

Hoſtis ſubito ingruit.

§. 8. Enimvero Banerii deſtinata hoſtis ſolertia prævertebat, dum iſto Guebriani declarationem inter ſpem metumq; expectante improviſo infunditur, ut feſtinatum ad receptum confugiendum foret. Extructi erant à Piccolomineo hinc inde navales pontes, rumore dicto velut in uſum aulæ Cæſareæ mox Viennam abituræ: revera ut eo expeditius Kehlheimum, quo convenire juſſus erat, exercitus è Bavaria, Suevia, Franconia, & Auſtriacis provinciis coire poſſet. Hinc ipſe cum parte Cæſarei exercitus non procul Ratiſpona apud Sinzingam, Rodamque ſuperato Naba, mox præter oppidum ad Aulam per Regipontem Regenſtauſam, & Schvvandorfum iter accelerat. Ex altera parte Bavarici & Auſtria excitæ copiæ ſuperato ad Straubingam Danubio in Suecos properant; qui ne forte de iſto motu mature nuntium acciperent, portæ per triduum Ratiſponæ clauſæ tenebantur. Banerius cognito hoſtium adventu, quibus etiam non dimiſſo Wittenbergio impar erat, nullam ſalutis viam niſi celeri in receptu videbat, licet profundis luto viis difficillima machinarum vectura foret. Quo fine mox turmis retro ad Nabam & Filiàm Schvvandorfi, Nabburgi, Filſeccæ, Aurbaci, & Burglengenfeldæ diſpoſitis, quarum cura Slangio tribuno commiſſa erat, mandata miſit, ut ſtatim Chamum ſe conferrent. Inter hos qui Filſeccæ hoſpitabantur, Birckenfeldii equites, & dragonum cohors ingruente hoſte iter Waldmunchenam ingreſſi ad Furtam Banerio incolumes junguntur.

1641.

3. 4. Mart.

5. 6. Mart.

Slangius Neuburgi circumvenitur.

§. 9. Aſt Slangius, qui Svvandorfi ſtativa habuerat, cum legione ſua multa adhuc nocte Neuburgum ad ſylvam tertio à Chamo milliari venerat, qui dum Hœckingii, & Kinskii legiones Nabburgo expectat, ad alterum uſque diem ibi moratus una cum hiſce ab hoſte ibi circumventus includitur. Slangius inter tenuia licet oppidi munimenta, exigua peditum manu inſtructus, cum equitibus ſuis in quartum uſque diem pertinacem defenſionem extrahit, mœnibus fere circumcirca dejectis, ac tribus aſſultibus non ſine hoſtium ſtrage depulſis. Ad extremum tamen citra exceptionem deditionem facere cogitur. Ita capti tribuni ductoresque, quos inter Carolus Magnus Badenſis Marchio, tunc ſub Slangii legione turmæ præfectus, cum vexillis viginti ſex Ratiſponæ per triumphum ducuntur. Inter captivos Poloni quidam erant ex iis, qui olim militiam Cæſaream deſeruerant, quos diſpari à reliquis ſorte habitos Cæſar Hiſpanico Legato donat ad remum dandos. Non modica hæc Suecis jactura erat, ſed per quam longe gravius malum effugere dabatur. Nam ni hoſtis ad Neuburgum ſubſtitiſſet, ſed recta Chamum properaſſet, fortaſſe totum exercitum Suecicum opprimere, peditatu certe, atque machinis potiri licuiſſet. Aſt dum ibi moratur, Banerius receptum commode adornandi, & iter præcipiendi ſpatium nanciſcitur; qui Furtam, & Tauſtam præmiſſis impedimentis cum toto exercitu eodem iter intendit. Ejus tamen extremo agmini decem millia equitum ſub Gleenii, Bornevallii, & Bruæi ductu modico ex intervallo imminebant. Et Piccolomineus capto Neuburgo cum peditatu & machinis quantum poterat accelerabat. Sueci tamen primum hoſtium agmen, ubi propius ſubibat, ſubinde rejiciebant, Cæſareis gravioris cujuspiam conflictus copiam non facientibus. Cadenæ Egra fluvius ſuperabatur, inde ad ſylvam Bohemicam Annebergam verſus intendebatur, hoſtili equitatu non ſegnius inſequente. At Piccolomineus cum peditatu & machinis Schlackenvvaldam non paulo breviore itinere properaverat, ut Suecos apud anguſtias viæ ad Priſniciam anteverteret, & inter ſe atque equitatum interceptos uno ictu deleret. Et videbatur ea res utique ſucceſſura, ni Sueci dimidiæ duntaxat horæ intervallo hoſtem prævenientes anguſtias eas evaſiſſent. E

7. Mart.

8. Mart.

Banerius per Bohemiam ſe recipit, inſtantibus Cæſareis.

8. 9. Mart.

16. Mart.

Succorum ad Priſniciam periculum.

tantillo

1641. tantillo temporis ſpatio Succorum tunc & ſociorum ſalus pendebat, quæ nunquam toto bello extremis periculis propior fuerat. Cæterum ut equitatus & majores machinæ cum impedimentis eo commodius ſylvam tranſire poſſent, Banerius cum peditatu & levibus aliquot machinis poſt anguſtias conſiſtens à meridie per reliquum diei, noctemque inſequentem tubis majoribus & machinis cum hoſte decertabat, nullo Succorum alicujus notæ læſo: inde per concædes ſemel atque iterum via poſt ſe clauſa reliquum agmen conſequitur. Sic citra jacturam receptus iſte, Torgenſi non minus periculoſus, peragebatur, niſi quod è prægreſſis equitum legionibus rapaces quidam coitione facta partem impedimentorum in ſylva invaſerant, ac aurigis diffugientibus diripuerant; quorum tamen aliqui ex arboribus ſuſpenſi pœnas dabant. Hoſti in prædam nihil relinquebatur præter fragmina majoris machinæ, quæ diſploſâ dum Chami copiis ſignum datur, diſſiluerat, fragmentis circa Banerii & aſtantium capita volitantibus. Ea defeſſis equis
20. Mart. Banerius abjici juſſerat. Exercitui tantis periculis erepto tuta ſtativa Zwiccavia præbebat; etſi exhauſta circum regio vix annonæ quid viris, aut pabuli equis ſufficeret, quos inter continuos labores properatum iter non parum delaſſaverat.

Guebrianus Banerio iterum jungitur.

§. 10. Zwiccaviæ ad Banerium iterum accedebat Guebrianus una cum Naſſovio Comite. Is, cum primo Bambergam ad ipſum perveniſſet Kœnigsmarckius, poſtulata abnuerat, ac ad Rhenum iter intenderat. Mox tamen hujus perſuaſionibus cedens in Voigtlandiam iturum ſe pollicetur,
9. Mart. Suecis ubi opus fuerit denuo jungendum. Eo fine Bamberga movens per Weilmanum, Culmbacumque Voigtlandiam verſus ire inſtituit. Sed cum Neuſtadii ad Salam annona ac pabuli copia eſſe nuntiaretur, tribuni, quod periculum in mora non crederent, ibi ut ſubſiſteretur flagitabant. Quæ res ejus iter nonnihil tardabat. Sed Succorum receptu cognito & ipſe raptim Franconia faceſſens eodem tempore in Ruthenorum ditionem, quo Banerius Zwiccaviam, perveniebat. Huic igitur Banerius vivis coloribus depingebat graviſſimam rerum converſionem è ſola ejus exercitus longiore ſeparatione ortam. Nec abnuere Guebrianus poterat, melius fuiſſe, ſi Banerio junctus ad exſequenda in Auſtriam & Bavariam deſtinata ſimul incubuiſſet. Oſtendebat, annonam pro exercitu ſibi utriq; querendam fuiſſe; cujus nanciſcendæ tamen viam Banerius ipſi oſtenderat. Idem poſtea à Banerio digreſſus per Mortaignium teſtabatur; ſibi eam ſeparationem valde dolere, nec ſe volente eam factam fuiſſe, ni Vinarienſium equitum importunitas ſubegiſſet, quorum nonnullæ legiones jam ſeditionem ſpectarint.

Banerius morbo corripitur.

§. 11. Banerium inter hæc poſt tot labores interdiu noctuque exhauſtos tertiana febris corripuit, non ſine magna virium dejectione; qui hoſte paulatim ingruente interiora Miſniæ circa finem Martii petens ſtativa Altenburgi ipſe capit, legionibus ad Salam uſque diſtributis. Machinæ Halam deducuntur, ubi binis pontibus Sala inſternitur. Guebrianus quoque è Voigtlandia movens circa Salfeldam & Rudolſtadium conſidebat. Saxoniæ Elector cum crederet Banerium in Sileſiam ad Stalhantſchium cogitare, quicquid in Albi cymbarum ac pontonum inter Dreſdam & Mulbergam inveniebatur, deprimi juſſerat, ne ponti navali extruendo materia foret. Cæſarei contra primo circa Egram, Bavarici apud Culmbacum ſubſiſtebant; unde paulatim Voigtlandiæ infundebantur; quorum caterva Salfeldam uſque excurrens ab hoſpitante ibi Guebriani milite profligabatur duodecim captis:

Cæſarei propius movent.

qui conſtanter aſſerebant, Cæſareis animum eſſe 1641.
propius in Succos ad Salam movere. Ita bellum denuo Saxoniæ inferiori advolvebatur; ubi Georgius Dux Luneburgicus poſt circumpoſitum Guelferbyto obſidium fato concedit, inſigni partium Succicarum & reipublicæ jactura, ac magno Banerii cum dolore, qui ea rerum facie firmum ab eo præſidium ſibi pollicebatur, cui ſumma autoritas, ac rei militaris arbitrium Luneburgica in Domo erat. Banerius contra motus licet impatiens lectica Altenburgo Mersburgum ſe deferri
9. Aprili. curat, ubi ipſe ſtativa capit, legionibus infra ad Salam diſpoſitis: Guebriano ſuperiores ejus fluminis partes tuendæ committuntur. Cæſar cum ob jacturam ad Neuburgum, ac difficili receptu Succicum exercitum non parum debilitatum crederet, nec conſultum judicaret, ſpatium illi relinquere vires recipiendi, ocyus ſuos in iſtum tendere jubet Succis præſertim ob Banerii morbum fere capite deſtitutis. Unde citra moram Cæſarei apud Zuiccaviam, Bavarici ſub Gleenio per Geram in Miſniam irrumpunt, ac caſtris Cizæ poſitis pro-
20. Aprili. pius Succis ingruunt.

Dux Georgius moritur. 1. Aprili.

Luneburgici & Landgravius ad Banerium mittuntur. 21. Aprili.

§. 12. Mersburgum ad Banerium accedebant à Landgravia & Luneburgicis miſſi Gunterrodius tribunus, Hilmarus Obergius, & Otto Mauderodius, qui referebant, Luneburgicos Duces Guelferbyto jam propius vim admotum ire non ſine ſpe eodem potiundi. Sed quia Hazfeldius cum decem minimum millibus iſti liberando ſe accingat, Haſſicos hunc diſtrahere conſtituiſſe, quibus firmandis Duces mille equites ſint ſubmiſſuri. Super hoc conſilio quid Banerio videatur cognoſcere cupiebant, tum quæ facies Succicis copiis foret, ac num confidat ſe ſuffecturum avertendo primario Cæſaris exercitui, ne Ducibus à tergo incumbere poſſit. Banerius exercitum quidem ſuum ita conſtitutum cenſebat, ut Ducum auxilio non magnopere indigeret, etiam ſi juſto prælio decertandum foret præſertim cum Vinarienſes velut pœnitentia admiſſorum nunc promtos ſe exhiberent, ac Guebrianus, cæterique ejus exercitus duces cum Banerio ſubinde conſilia & amicam operam conferrent. Quia tamen rumor pererebuerat de diſſidiis Succos inter ac ſocios Principes obortis, unde Cæſarei ingentes ſibi fructus pollicebantur, & quia brevi decretoria pugna videbatur imminere; probatis de cætero Ducum deſtinatis neceſſarium judicabat, utrinque ſingula militum millia ſtatim ad ſe mitti, extinguendis ſiniſtris rumoribus, & majori in hoſtem firmamento. Simul petebat, Duces ocyus ſignificarent, quantis cum copiis in omnem eventum ſibi ſubvenire poſſent, velintque; utque legiones in promtu habeant, ipſo petente ſtatim auxilio accurſuras.

Guebrianus Salam tranſit. 20. April.

§. 13. Guebrianus interim, quem in ſtativis ſuis circa Naumburgum trans Salam annona defecerat, in alteram fluminis ripam tranſierat; ponte tamen, ad Kelam valido præſidio, & excitatis circa munimentis firmato. Deſerta ab ipſo loca
25. April. hoſtis ſubibat; ſed urgente inopia Lipſiam verſus flectens circa Pegaviam per aliquot dies ſubſiſtebat. Quod autem res indies magis ad prælium ſpectaret, Banerius Duces & Landgraviam quatuor equitum millia auxilium poſcebat. Cui Auguſtus Dux reſpondebat; à ſe nihil citra reliquorum conſenſum ſtatui poſſe; mox tamen congreſſu habendo ſententiam declaraturos. Unde Hackium tribunum Banerius Brunſuigam & Hildeſiam mittit auxilium inſtantius ſollicitaturum. Hoſtis interim hæc apud Weiſſenfeliam, ubi Guebriani ſtatio erat, tota vi perrupturum ſe minabatur. Id quod Guebrianus Banerio ſignificat, addito: ſe ſolum hoſti ſuſtinendo non ſufficere. Banerius, remit-

1641. tente quantumvis morbo viribus adhuc defectus, ac debili loquela, ut quiete, & vitato aëre utique opus ipsi foret ut consilio saltem cæteris ducibus adesset, lectica se in campum ferri jubebat. Banerii morbus recrudescit. Enimvero ardorem animi vires corporis destituebant omnem jactationem aversantus, ac repente novus morbi impetus incumbebat, ut aliquot per horas pro semimortuo tractaretur. Remittente tamen malo spes vitæ redibat; ac valetudini recuperandæ sex minimum septimanarum quiete opus esse medici dictabant. Durante Banerii morbo hostis exercitu circa Luzenam contracto apud Weissenfelsam favente loci situ inter fulminantes machinas Salæ pontem injicit, ac in altera ripa ad prius castellum à Suecis positum alterum quoque excitat; ut etiam invitis adversariis hac parte perrupturum se speraret. Enimvero utroque castello non modica suorum strage ejicitur, cæsis circiter quadringentis; ac ruptus incumbentium mole pons non pauciores aquis hauriendos effundebat, quos inter tubtribunus: nec pauci una cum centurione capti.

29. April. Hostis apud Weissenfelsam vapulat.

Mersburgum frustra tentatus. 3. Maji. 4. Maji.

§. 14. Dehinc mille selecti pedites cum aliquot equitum alis ad Mersburgum impetum faciunt, qui & extremam stationem in suburbium usque propellunt, ignemque ædificiis nonnullis injiciunt. Sed acriter ibi excepti paulatim in sua castra recedunt. Quibus tertio post die summo mane desertis præter Halam hostis Bernburgum properat; quo & Sueci cum sociis ruunt, ut istum transitu fluminis arceant. Sed prævertebat hostis prior viam ingressus, breviore itinere per interiores fluminis flexus, acstatim arreptis cymbis, quas ab incolis fortasse in usum hostium conquisitas signifer, qui cum triginta peditibus arcem servabat, per socordiam citeriori ripa adplicuerat; idoneam peditum manum in oppidum trajiciunt. Tum edito ad arcem loco dispositis machinis circumstam oppido planitiem globis infestant. Ducibus Succicis consilio habito etsi non adeo arduũ videretur immisso in oppidum igne hostem iterum expellere: tamen inopi circa regione considere non licebat, cum hosti à tergo Albis ad subvectionem pateret; cui & Barbyæ transitum capere nullo prohibente integrum erat. Igitur placebat apud Halberstadium pedem figere, & penu ibi congesto frui, quoad Luneburgica & Hassica auxilia adessent. Ita relicto Sala illuc iter intenditur. Quo & Banerius, cum Mersburgo exercitus movisset, lectica perlatus fuerat. Jactationes itineris ita morbum asperaverant, ut omnis vitæ spes decollaret. Igitur firmato ad extrema animo sacrisque ritu Christiano expiatus, decimo Maji die hora quarta matutina mortalitatem explebat, postquam duos fere menses acres inter morbi molestias, nec minores ab hoste curas exegisset. Inter mortis præsagia habebatur mors multas ante septimanas Hamburgi passim, & ab ipso Augusto Duce vulgata; cujus causam in morbum ex laboribus contractum, aut convivium Hildesianum retulere, prout cuique credulitas, aut in partes studium fuit. Sane pro magnitudine odii, quo hostis in ipsum flagrabat, nullum flagitium supra fidem est. Et constat, eo ipso tempore sicarios aliquot in ipsius exercitu pecunia emtos egisse; quod isto sublato res Succorum per Germaniam plane collapturæ crederentur.

Hostis ad Bernburgum Salam transit.

8. Maji. Sueci Halberstadium conedunt.

9. Maji. 8. Maji.

Banerius moritur. 20. Maji.

Joannis Banerii elogium.

§. 15. Porro gesta tanti viri cogitantibus longe ultra ætatem videntur, cum annum ætatis quadragesimum non multum excesserit. Prima pueritia in arce Hœrningsholmensi prælta è fenestra prolapsus nihil noxæ senserat. Ipse referebat à viro candidis vestibus amicto ulnis se exceptum, ac placide in terram depositum. Inde divinitus ingen. tibus rebus servatum & Gustavus Rex, & cæteri ominabantur. Adolescentia haut per studia literarum, peregrinationesque, & addiscendis exterorum linguis exacta fuit; ac ritus exotici elegantia insuper habebantur; sed omnem ætatem meditatio militiæ vindicaverat. Tirocinia bello Moscovitico ac Polonico posita. Inde Gustavum Regem in Borussiam secutus illustriora subinde virtutis documenta edidit, ac per omnes militiæ gradus ad summum bellici imperii decus enixus nemini imperatorum hoc seculo gloria concessit. Consilio manuque juxta promtus. Castris locum capere, aciem struere, agmen disponere, prævalente hoste se recipere, situs locorum exquisite judicare, turbatos ordines restituere nemo perfectius illo callebat. Nec prælia magis, quam receptus sub oculis hostium per ingentia terrarum spatia virum illustravere. Fortuna exgestis ipsius plus an industria sibi vindicet haut facile discreveris. Nunquam notabili conflictu succubuit, superante licet sæpissime hostium multitudine. Circa obsidia oppidorum minor solertia, quæ solvere, ne periculum incurreret, facile solebat. Diversis conflictibus cæsa ab ipso octoginta amplius hominum millia, sexcenta signa hostibus erepta in Sueciam missa. Corpus robustum & quadratum. Invitatio liberalior nunquam ducis officia interturbabat. Fidem patriæ nulla promissa labefactarunt; ac nuper in Palatinatu agenti Cæsar dignationem Principis Imperii, & ut adversus Turcas dux foret obtulerat, si partes istas detereret, & Sueciam ad peculiarem pacem permoveret. Nec prodigalitatem, nec avaritiam culpaveris. Miles non minus amabat, quam timebat. Propositi firmus, laboris indefessus; qua manus miscebantur, inter primos semper versari gaudens. Summa viri in eo gloria, quod prolapsas Norlingana clade Succorum res, cum passim Protestantes Pragenti paci se submitterent, cum paucis ac parum fidis copiis paulatim instauravit, pristinæque gloriæ restituit, hostium viribus ad æquilibrium deductis.

1641.

Circa exercitum Banerii Rectorum Sueciæ cura.

24. Maji.

29. Maji.

§. 16. In Suecia ubi de ingravescente istius morbo nuntiatum esset, Rectores in omnem eventum ad exercitum destinabant Joannem Lilliehœckium cum titulo summi rei tormentariæ præfecti, ut Banerio viventi adsisteret, aut morientis vices tantisper subiret. Scribebatur præterea ad singulos duces exercitus, cum primis gente Succos, ut hoc maxime rerum articulo fidelem Reginæ operam navarent. Id quod, ubi de obitu istius allatum esset, repetebatur, addito, ocyus alium exercitus imperatorem sufficiendum. Sed & Salvius ducibus spem pecuniæ à novo imperatore asserendæ faciebat, quæ Hamburgi ut in promtu esset opera navabatur. Et cum interea ducenta uncialium millia pro Vinarienſibus Hamburgum allata essent, Salvius ab Avauxio petebat, ut ea pecunia tantisper supprimeretur, ne invidia ægros jam antea Succicorum animos magis irritaret. Simul Avauxius, ne exercitus lubrico isthoc tempore obsequium exueret, ad Belloregardium scribebat; duces hortaretur, ut in fide Sueciæ persisterent, & si forte singuli, aut totus exercitus in Galliæ sacramentum transire vellet omnibus id modis dissuaderet, nec ut quenquam hæc cogitatio subeat, ansam præberet: quod Galliæ Rex ne decimam quidem partem fructus ex eo exercitu suis sub auspiciis caprurus sit, quam nunc dum Sueciæ sub nomine militat. Præsertim cum & hoc fœderi propediem absolvendo adversa fronte repugnet.

Lubricus rerum status post

§. 17. Morte Banerii res Succorum militaris non parum turbabatur, quod summis excubiarum præfectis apud cæteros ductores tantum autoritatis

non

1641. mortem Banerii.

non esset, ut hi istorum jussa qua par erat promtitudine capessere vellent. Et plerorumque animos catenati labores præmiorum fere steriles efferaverant; qui Banerii reverentia utcunque coërciti nunc velut repagulo remoto in apertum erumpebant. Tres eo tempore apud exercitum erant summi excubiarum præfecti, Adamus Pfulius, Carolus Gustavus Wrangelius, & Arfuidus Wittenbergius. Hi ubi post mortem Banerii cum exercitu, qui octo equitum, totidem peditum millia explere comperiebatur, Halberstadium venissent, convocatis tribunis, ac legionum præfectis triste ducis fatum exponunt, deque data fide monent, utque eam ad finem belli continuent, ac sibi subjectos ad officium faciendum incitent. De ipsorum emolumentis, præmiisque Reginæ curam fore. Se munia deinceps sicut antea exercituros integre, & ut nemini querendi causa sit futura. Responderunt tribuni; paratos se deinceps quoque sub auspiciis Reginæ ad cautam communem conniti, ac ipsorum jussa capessere, quoad aliter ab Ista circa summum exercitus imperium disponatur: constituisse tamen aliquos suorum in Sueciam mittere, per quos ipsi ministeria sua Reginæ offerre, eidemque commendare se velint; simul exquisituros, quid circa stipendia & præmia ipsis expectandum sit. Postulant quoque, ut negotia ad salutem exercitus spectantia, antequam executioni dentur, cum deputatis ipsorum communicentur; etsi decretis factis mandata solo summorum præfectorum nomine edenda sint. Denique ut hospitia, ac munia militaria non favore, sed per sortem assignentur. Accirca postremum postulatum, quod æquitate nitebatur, nulla difficultas erat. Missio in Sueciam acriter contendentibus tribunis, cum prohiberi non posset, permittenda erat. Circa communicationem quoque vitandæ suspicioni annuebant, ut tamen secreta literarum commercia, & negotia quæ vocant status, ac summam reip. spectantia exciperent, quorum arbitria penes solam Reginam forent. Ita summi vigiliarum præfecti exercitus imperium administrare decreverunt, quoad aliter à Regina foret dispositum. Vinariensis quoque promtam adversus communem hostem operam offerebant. Eundem diem insigniverat quoque mors Joannis Ludovici Rheingravii, qui excursione facta apud Quedlinburgum aliquot hostium turmas cæciderat; ipse tamen è vulnere accepto extinctus.

14. Maji. Ducum summorum ad cæteros propositio.

Tribunorum postulata.

Summi præfecti ista annuere cogunter.

§. 18. Conceperant porro isti tribuni literas ad Reginam sat feroces, quibus postulabant merita sua probe expendi, & dignis præmiis affici. Se deinceps quoque parem operam navaturos, modo circa istam remunerandam major quam hactenus cura susciparetur. Ut diutius ita neglectim habeantur, nullo modo ferri posse. Quod si sua merita, & toties promissa præmia, quod non sperent, oblivioni tradantur, sibi culpam perituri mox exercitus haut quidquam imputandam. Literis hisce in Sueciam perferendis destinabantur subtribunus Otto Christophorus Rochovius & Christophorus Mortaignius centurio; quibus injunctum erat à Regina postulare duorum mensium stipendium, & supplendis numeris in singulas equitum turmas bina, in singulas peditum cohortes singula uncialium millia: Tum stata stipendia, quanta Vinariensibus Galliæ Rex dare soleat; neque enim ex hospitiis Germaniæ passim vastatæ ullam emolumenti spē; nec merita sua infra Vinariensium esse. Concipitur inde pacti formula, cui viginti tres tribuni, aut legionum præfecti subscripserant, non dissimilis illi, quæ Donavvertæ quondam agitata fuerat. Ejus præcipua capita erant: Nequis illorum quid

13. Maji. Tribunorum in Sueciam postulata.

Horum confœderatio.

postulet, quod non in emolumentum Reginæ, & communis Protestantium cautæ cedat. Si cuipiam illorum injuriæ quid a summis præfectis inferatur, id omnes velut sibi factum reputaturos. Si cui circa legioni suæ debita non satisfiat, id velut ad omnes spectans habendum. Si in quem legio sua aut ductores insurgant, ejus patrocinium universos suscepturos. Qui à Regina, summisque præfectis quocunque obtentu à præsenti pacto avelli se passus fuerit, infamiam subiturum. Occulti quid ob privatum commodum machinari, idque cæteros socios celare, flagitium fore. Novum imperatorem à se haut admittendum, nisi prius sibi satisfactum fuerit. Interea munia sua apud legiones uti hactenus obituros. Hanc conventionem nihil aliud spectare, quam ut per Suecica arma honesta pax in Imperio obtineatur; quo fine necessum fore à summis præfectis nil magni peragi absque ipsorum præscitu. Si secus fiat, universos interessuros, nec decreto parituros. Si quis hæc capita violaverit, eum hac confœderatione exclusum infamia notandum.

1641.

Sueci ad Quedlinburgum mittuntur. 11. Maji.

§. 19. Inter hæc hostis apud Barbyam & Rosenbergam Sala & Albi pontibus strato aliquot per dies trans Salam quiescebat. Inde improviso Quedlinburgum irrumpit per metatoris incuriam qui monitus licet cavere sibi neglexerat. In oppido deprehensi trucidantur, aut capiuntur. Mille quingentis equis potitum se hostis ferebat, quod multi mercatores castrenses ibi egissent. Post abductam tamen prædam oppidum statim deserebatur. Saxonicus quoque miles arcem Querfurtanam opprimebat, non nisi ab optione & octodecim recens conscriptis peditibus insessam. Paulo post hostis deserto Sala Eglæ castra metatur, catervis Halberstadium usque excurrentibus.

13. Maji.

20. Maji.

Cum Luneburgicis Ducibus acta. 11. Maji.

§. 20. Ast à Luneburgicis Ducibus rediens tribunus Hackius, quem à vivo adhuc Banerio missum diximus, referebat, cum ipsis nondum de hujus obitu innotuisset, propediem adfuturum, qui extremam ipsorum declarationem sit allaturus. Cæterum eosdem ostendisse stationes ad Guelferbytum à se firmari; & quia Hazfeldius circa VVarendorfum decem millia amplius militum colligat, se una cum Landgravia ad Visurgim isti copias oppositum ire, ne is Piccolomineo se jungere aut Guelferbyti obsidium solvere, sociorumve Regum exercitum à tergo infestare queat; qua ex re & istorum, & suæ Domus salus pendeat. Summi præfecti, cum hoc responsio flagitatum auxilium in diem differri judicarent, statim Ducibus, & Landgraviæ rescribunt: num forte placeat, ut ipsi nunc cum exercitu apud Guelferbytum consideant. Simul tamen monebant, se Halberstadio digressis hostem ibi frumento in complures menses suffecturo potiturum; nec constare, unde sibi nova annonæ copia futura sit. Aderant mox Halberstadii à Luneburgicis & Landgravia Legati, quorum literæ, quibus legationis suæ fidem faciebant, non solis summis vigiliarum præfectis, sed universis pariter tribunis inscriptæ erant. Sed quia nupera cum tribunis conventione id indolis negotia excepta fuerant, & duces in hoc tractatu, cui Reginæ dignitas implicita erat, caute procedere constituerant, istas literas admittere abnuebant. Unde Legati scribæ errorem cautantes tribunorum vocabulum delent. Quod audium tribunos vehementer irritabat, qui præter conventa & huic & similibus negotiis ingerere se cupiebant, frementes, si harum rerum cognitione à summis præfectis excludantur, nec se imperia illorum audituros; ac si illi cum legatis agere nolint, se cum iisdem tractaturos. Summi præfecti etsi hæc negotia solis sibi vindicare percuperent, VVrangelio cumpri-

Legatorum Luneburgicorum propositio. 16. Maji.

1641. mis proteſtante, nequid præjudicii Reginæ creetur, & acriter cum nonnullis tribunorum colliſo; tamen majori parti cedendum erat, ac tribunorum nomine Bellingshauſius, & Caſpar Cornelius Mortaignius ad tractatus admittebantur. Cæterum proponebant legati, ſe veniſſe, ut ſuper ſumma rerum decernatur, & quia Succicis ducibus hoſtium vires optime ſint perſpectæ, quomodo illis ita obſiſti queat, ut Guelferbyti obſidium continuetur, ac Bruntuicenſis ditio protegatur, tum ingruenti ad Viſurgim Hazfeldio obviam eatur. Quo fine Principes ſui omnem ſint operam collaturi. Oſtendebant inde Piccolominei literas, & ingentia Cæſaris promiſſa; queis tamen inſuper habitis Principes capta ſemel conſilia firmiter perſecuturos, & omnes fortunas diſcrimini expoſituros, ut honeſta, tuta, & communis pax in Imperio conſtituatur. Miſcebantur tamen querelæ, ſe non uti fideles ſocios par ſit, habitos. Toties exercitum Succicum cum oppreſſione civium ſuorum ſublevatum; eſſe penes ſe quatuordecim ſcripta, quibus Banerius ſuper reſtituendis ſuis oppidis, & abolendis tributis pollicitus ſit: nil tamen re ipſa adhuc præſtitum; & tractatus Hamburgi à Salvio varia per effugia eludi. Ita cautum ſibi non eſſe, nec conſtare, quo fine arma gerantur. In ancipiti hoc ſtatu ſe diutius hærere non poſſe, ſed ut ſibi caveatur, & circa æqua ſua poſtulata ſatisfiat utique cupere. Igitur à ſummis præfectis poſtulabant, ut communem ob ſecuritatem conventio abſolvatur. Sic omnem diffidentiæ cauſam tolli, & Principes tanto acrius in cauſam communem conniſuros. Summi præfecti circa id negotium velut ad ſe non ſpectans valde hæſitabant. Tamen quia Legati hinc tria millia equitum, mille pedites ſtatim Succicis juncturos ſe promittebant: inde, ni petita annuerentur, omnem conjunctionem recuſarent, ob ſalutem provinciarum ſuarum Cæſaris promiſſa amplexuri: hactenus illis gratificandum ſtatuebant, ut promitterent, miſſuros ſe Hamburgum, qui apud Salvium reſtitutionem Nienburgi, aliorumque oppidorum, tum abolitionem tributorum urgerent: tum ſe non ſolum pro viribus operam daturos, ut Ducum poſtulatis ſatisfiat, ſed & uti fideles ſocios decet auxilium ipſis laturos, ac in partem victoriæ eosdem admiſſuros. Apud novum quoque è Suecia imperatorem effecturos, ut is hancce obligationem in ſe recipiat, quoad promiſſa repræſentata fuerint. Iſthæc ſcripto comprehenſa eodem die à ſummis præfectis, ac duobus qui adfuerant tribunis ſubſcribebantur. Sed & poſtulantibus Legatis datum eſt, ut à reliquis tribunis viginti octo ſponſio interponeretur.

Succici ducis eorum poſtulatis annuere cogunter.

20. Maji.

§. 21. Aſt cum hoſtis Egla propius VVanslebiam caſtra tranſtuliſſet, etiam Succis ſtatio mutanda erat, ne is forte ſubito Guelferbytum perrumperet. Hoſtis propius movet.

23. Maji.

Ita Bodam fluvium verſus Schvvanbecam & Oſcherslebiam conceditur, ubi Clitzingius nonniſi duo equitum Luneburgicorum millia adduxit, cauſatus mille equites ad Viſurgim Hazfeldio fuiſſe opponendos, nec pedites obſidio Guelferbyti potuiſſe dimoveri. Eodem die caterva Succicorum ducentos captivos in caſtra pertrahebat, quæ hoſtilem manum ſimulata fuga in inſidias deductam circumvenerat, ut paucis admodum effugere daretur. Ibi aliquot per dies ſubſiſtebatur, quod transfugæ & captivi affirmarent, Cæſareos impedimenta ſua Magdeburgum verſus dimiſiſſe. Ubi Luneburgica auxilia, quæ Schleſtadii ſtativa habuerant, retro Heſſendammum concedebant, quod nulla prælii ſpes, & pabuli penuria ob ſiccitatem cœli urgeret. Poſt tamen intellectum, Leopoldum Archiducem cum aliquot millibus ad Piccolomineum acceſſiſſe, eosque conſtituiſſe Guelferbyti obſidium utique diſturbare. Igitur 1641. Luneburgicis inſtantibus, etſi non pauci contradicerent, decernebatur exercitum aggeri ad Kibitzam admovere, ut hoſti Guelferbytum cogitanti occurri poſſet. Ubi ad medium usque men- 16. Jun. ſem Junium perſiſtebatur, Brunſuiga & Halberſtadio commeatum non citra difficultatem ſuppeditante.

§. 22. Cæſarei contra non minus ſatagebant, ut Luneburgicos ſocietate Succica abſtraherent, ac Guelferbyti obſidium ſolverent. Quo fine Cæſar Piccolomineo & Hazfeldio injunxerat, militem ſuum Ducum provinciis plane abſtinerent. Nam Guelferbyti detentionem Cæſari haut idoneam cauſam videri arma cum Succis jungendi; cum is in hoc oppidum nihil juris obtendat, ſed in eodem id ſtatu, quo ante obſidium fuerat, relicturus ſit, quoad ſuper controverſia Hildeſiana tranſigatur: tunc deducto præſidio oppidum Ducibus reſtituendum. Aſt Luneburgici & præcipue Auguſtus Dux circa recuperandam ejusdem poſſeſſionem magnopere laborabant; qua obtenta, ac ſi exercitum ſuum Cæſar ditionibus ipſorum abſtineret, haut ægre in poſtulata ipſius conſenſuri videbantur. Cæſarei porro, quo propius finibus Bruntuicenſibus accedebant, eo magis amica ratione deſtinatis ſuis potiri conabantur. Quo fine Piccolomineus ſtatim atque Salam tranſierat, per literas Duci Auguſto ſignificat: ſe nolle ditionem ipſius tangere, modo ipſe Suecos auxilio ne juvet, nec in ditionem ſuam recipiat, ac Guelferbyti obſidium ſolvat, quo citra ſanguinem potiri facile queat. Et cum Dux quereretur, aliquot Cæſareorum catervas per agrum ſuum prædas egiſſe, aſperrima ſub pœna apud exercitum edicit; ne quis in Ducum ditiones excurrat, aut eorum militem hoſtili modo habeat. Simul inſinuante id Duce Auguſto literas tuti itineris mittit, ſi quos ſuorum tranſigendi cauſa in caſtra, aut Magdeburgum mittere velit. Quin cum quædam Ducum legiones jam Succis ſe junxiſſent, nonnullos Luneburgicorum equitum non procul Succicis caſtris deprehenſos illæſos dimittebat. Auguſtus contra Dux ſalvum conductum citra tergiverſationem acceptare, ejusque exemplum ſtatim Celias & Hildeſiam mittere; ac ut legatio maturetur inſtare. Idque Piccolomineo denuntiat: curaturum ſe, ut paucos intra dies deputati Domus ſuæ proficiſcantur. Ut Guelferbyti obſidium ſolvatur inique poſtulari, antequam ſibi cautum, aut ſatisfactum fuerit. Negabat quoque ſuorum quenquam cum Succis aut Vinarienſibus ſe junxiſſe, aut ut iſthoc faceret juſſum ni extrema neceſſitas ſubegerit. Partem duntaxat copiarum ſuarum ad fines diſpoſitam ob ambigua temporum. Vitio ſibi verſum non iri, ſi quæ ratio belli ac defenſio requirat ſuſcipiant, ubi rejectis amicis quas propoſuerint conditionibus Guelferbytum vi perrumpere Cæſarei velint.

Idem Luneburgicos allicere ſtudet.

Dux Auguſtus cum Cæſareis tractare incipit. 10. Jun.

§. 23. Dum Luneburgici legati tardius moliuntur, Leopoldus Archidux in Piccolominei caſtra perveniens datas ab hoc tuti acceſſus literas renovat, hortaturque, ut quia ſibi à Cæſare & Ordinibus cum iſtis agendi facultas ſit conceſſa, miſſis legatis amicos tractatus ſine mora auſpicentur. Sed 14. Jun. cum conſtet Duces jam copias ſuas Succis ſociaſſe, ac circa ſolvendum Guelferbyti obſidium tergiverſari; ob tractatus à re gerenda non ceſſaturum, ſed cum exercitu fines ipſorum ingreſſurum. Addebat tamen, ſi copias ſuas à Succis revocent, & obſidio Guelferbyti deſiſtant, nil aliud ſe acturum, quam ut Suecos finibus ipſorum expellat, tutelamque adverſus hoſtilem vim præſtet. Ita non 16. Jun. expectato reſponſo caſtra movet, ac Schœningam

Leopoldus tractatus ſimul & arma Luneburgicis oſtentat.

inter

1641. inter & Helmſtadium recta Guelferbytum tendit. Hoc animadverſo Sueci cum ſociis & ipſi caſtris ad Kibitzenſem aggerem relictis eodem die ſuperatis ad Heſſendammum viæ anguſtiis per noctem iter tanto ſtudio accelerant, ut poſtera luce circa meridiem ad Guelferbytum Luneburgicis copiis ſe jungerent; cum hoſtis, qui ſe à Suecis haut antevertendum putaverat, paulo tardius movens circa veſperam demum adpuliſſet. Cum hic poſtera die cis Guelferbytum progrederetur edito in monte caſtra poſiturus, Tupadelius interim & Naſſovius Comes cum aliquot Vinarienſium & Luneburgicorum alis aggerem ſiſtendo flumini excitatum transgreſſi ultimum Bavaricorum agmen invaſerant, cæſisque non paucis quatuor ligna, multosque captivos abduxerant. Contra Suecici duces Caroli Ruthii legionem Halberſtadio arceſſierant, cui deducendæ Guſtavus Hornius tribunus obviam mittebatur. Huic intercipiendæ tria millia cataphractorum & Croatarum non procul Hornburgo occurrebant. Ubi equites quidem diverſa fuga ſalutem quærebant: ſed Ruthius cum peditibus ad paludem ſe recipiens hoſte ſtrenue repulſo ad exercitum ſequenti mane incolumis perveniebat, impedimentis tamen deſideratis.

Fœderati hoſtem prævenient. 17. Jun. 18. Jun. 19. Jun.

§. 24. Porro plerisque hactenus perſuaſum fuerat; quod Luneburgici nutabant, ac inter tot Duces parum concordiæ erat, hoſtem tempus extrahendo iſtorum diſſidia aliturum potius, quam vim admovendo concordiæ velut neceſſitatem impoſiturum. Tamen is artibus ſuis difficilius, aut quia Hallici propediem expectabantur, ac turpe ducebat Guelferbytum non liberatum deſerere, in ſociatos exercitus invadere conſtituit. Igitur is ſummo mane per ſylvam progreſſus aciem ſtruere cœpit. Sed ſociorum acie conſpecta deprehendebat, ſi prælium committendum foret, montem ſibi arboribus veſtitum occupandum eſſe, ad quem copiæ Succicæ, quæ dextrum cornu obtinebant, conſtiterant, tribus in ipſo nemore phalangibus collocatis. Unde totus Cæſareorum peditatus dictum montem ſylva tectum aggreditur, ac in tres illas phalanges, quæ dejectis arboribus ac fruticibus raptim frontem muniverant, magno impetu ruit, phalangibus in vicem pugnantibus, ac in feſſarum locum integris ſuccedentibus. Id quod & Sueci imitabantur. Ita atrox & cruenta pugna quinque per horas conſeritur, donec tandem peditatus hoſtilis turbatis ordinibus à Suecis in fugam conjiceretur. Sinistrum hoſtilium equitum cornu, quod Bavarici componebant, dum Suecos circumire, & à tergo invadere parat, à Kœnigsmarckio, qui nuper ad exercitum redierat, aliquot cum equitum legionibus acriter exceptum profligatur. Reliquus Cæſareorum exercitus ſub fœderatorum caſtra machinæ intra jactum proceſſerat, in quem non ſegniter eminus fulminabatur. Qui nec meliorem quam reliqui ſortem expertus fuiſſet, ſi Vinarienſibus & Luneburgicis in illum ire placuiſſet. Sed hi intra munimenta ſua immotos ſe tenebant, usque adeo, ut cum hoſtis in receptu fluentum apud Fimmelſam tenuato agmine ſuperaret, ne tergum quidem ejus invaderent. Ita penes ſolos Succicos ejus pugnæ gloria fuit, VVrangelio apud peditatum, Kœnigsmarckio apud equites curante; niſi quod Tupadelius duas legiones iſtis in auxilium adduceret. Eo prælio totus fere Bavaricus peditatus deletus fuit. In loco pugnæ tria millia octingenti humo mandabantur præter eos, qui per fruticeta, & ſparſim ceciderant. E ſola Hagenbachii legione, quæ octingenta capita ante pugnam implebat, vix quinquaginta cum duobus ſignifer is evaſerant. Capiebantur tribuni Hagenbachius, & Geylingius, ſubtribuni duo, quatuor vigiliarum præfecti aliique ductores non pauci, & quingenti amplius gregarii; quibus acceſſerant viginti quatuor vexilla. Apud Suecos Jeskius & Zvviebergius tribuni occubuerunt cum ducentis quinquaginta gregariis; lauciati quadringenti quinquaginta, quos inter multi ductores, ac tribuni Paiculius, & Hodicius Comes; quorum hic paulo poſt è vulnere deceſſit. Hoſtis ita repulſus ſtatim intra ſtationem ſuam ad Guelferbytum ſe recipiebat.

Prælium ad Guelferbytum. 19. Jun.

1641.

§. 25. Enimvero apud Auguſtum Ducem ea victoria cupidinem cum Cæſare tranſigendi haut quidquam impediebat, quo minus eodem die Leopoldo Archiduci reſponderet; partem copiarum ſuarum in finibus collocatam ad regionis tutelam, & ut ſi invaderetur, pro ratione belli iisdem uteretur; quæ tamen ſeparata à Suecis ſtativa habuerit. Haut eo ſecius Archiducis exercitum biduo antequam ipſius literæ redderentur, in provinciam ſuam irrupiſſe. Ita Suecis neceſſitatem allaram, ut & ipſi huc penetrarent, (id quod hactenus immenſo ſuo labore dilatum,) in medio Luneburgicarum copiarum capta fide, etſi nulla alias inter ipſos conjunctio facta fuerit. Nec ideo ſe à ſtudio pacis diſcedere, aut fidem, obſequium, cultumque, quo Cæſarem velut unicum & verum Imperii caput veneretur, exuere. Mox conſultatione inter Duces Luneburgicos ſuper tractatibus cum Archiduce habita, duriſſimus iſte nodus judicabatur, quod Guelferbytum non redderetur, id quod tamen per transactionem cum Tillio, ac Pappenheimii cautionem, Cæſarisque defuncti mandatum dudum fieri debuerat. Quæ & cauſa inter alias conventui quondam Lipſienſi idonea fuerit viſa, ut arma ſumerentur. Diſplicebant quoque in ſalvo conductu hæc verba: *quod tractatus inſtituendus ſit ad controverſias inter Cæſarem Imperiumque & Domum Luneburgicam componendas.* Sibi enim cum Cæſare aut Imperio nullam litem; ac nil aliud quæri, quam ut ſuo iterum potiantur, ac ſacris profanisque nullo turbante fruantur, tum oneribus belli eximantur. Unde verba iſta diſpungi petebant; ſimul ut Archidux exemplar procuratorii ederet, ac leges pacis proponeret, ut ſuos idoneis mandatis inſtruere queant. Ea poſtulata Archiduci per literas exponunt; addito, cum ſemper judicarint, Germaniæ ſalutem armis continuatis non inſtaurari, ſed pace opus eſſe, panderent, num & facultas ipſi ſit cum Landgravia, & exteris Regibus tractandi? Tandem ut exercitus provinciis ſuis educatur, & hoſtilia omittantur petebant.

Dux Auguſtus Leopoldo reſpondet. 19. Jun. 26. Jun.

§. 26. Triduo poſt prælium Hallici ad Guelferbytum aderant, qui tantiſper opimis Friſiæ ac VVeſtphaliæ hoſpitiis egregie ſe refecerant, nulla re inſigni geſta, niſi quod eruptione Lipſtadio facta trecentos Eppii tribuni Equites oppreſſerant; mox Caldenkerchæ in Juliacenſi agro turmam equitum Cæſareorum interceperant: ac nuper ad Rietbergam eundem Eppium cum octingentis equitibus ipſorum catervis inſidiantem fuderant, plurimisque cæſis trecentos captivos Lipſtadium abduxerant tribuno cū exiguis reliquiis ad portas usque Paderbornæ fugato. Poſt Landgravia iſtos hibernis evocatos in unum contraxerat Harzfeldii conatibus obſervandis; & iſto tardius moliente Guelferbytum ire juſſerat: ubi ſex millia, egregie inſtructus miles, adpellebant. Contra Leopoldo Bruæus ſummus vigiliarum præfectus tria millia militum adducebat, qui hactenus Zvviccaviæ obſidendæ vacaverant. Id oppidum poſt Suecos è Miſnia digreſſos Cæſarei, & Saxonici eminus clauſerant; inde Bruæus vim propius admovebat. Contra obſeſſi intus tribuni Schliebius, & Behrius, cum incluſos ſe viderent, imbellem turbam, ac inuti-

Hallici adveniunt. 22. Jun. 3. Febr. Zvviccavia capitur.

1641. inutiles equos oppido ejecerant. Nec tamen ad extremum durabat conſtantia, dum ea lege deditionem faciunt, ut pedes absque lignis, & equites relictis equis oppido excederent; cum tamen neque annonæ, pabulive, nec pulveris penuria, aut vis hoſtilis urgeret. Et eo ipſo die quo deditio fiebat, Bruæus binis mandatis jubebatur manum ſuam ad Piccolomineum adducere: ut ſi paucos dies reſtitiſſent obſidium ultro ſolvendum fuerit. Porro Archidux his copiis firmatus, cum nonnihil recentis militis Guelferbyto immiſiſſet, caſtris motis noctem diemque properabat, quoad aggerem ad Kibitzam attingeret, ultra quem in veteribus Suecorum caſtris conſidebat, ut fama erat, denuo Guelferbyti liberationem tentaturus poſtquam Hazfeldius & Vehlenus ſuas cum ipſo copias conjunxiſſent. Sueci cum intra anguſtias hærentem aſſequi non valuiſſent, eis easdem in edito monte caſtra locant.

7. Jun.

Cæſarei recedunt. 26. Jun.

§. 27. Dum hæc in Saxonia Inferiore geruntur novum incendium Miſnia parturiebat, quod tamen morte primarii autoris ſerius, nec tanto cum impetu erupit. Joannes Georgius Arnheimius denuo Cæſaris ſacramento autoratus novum iſtis in oris exercitum ſtruebat, fere ex illis conſtantem, qui Suecicam militiam non citra offenſam deſeruerant. In eo proximus ab iſto locus deſtinabatur Franciſco Alberto Duci Lauenburgico; Hubaldus inter pedites, Chriſtovius apud equitatum ſummam vigiliarum præfecturam obiturus erat, quæſtura in Mitzlafium collata. Crocovius Dreſdæ fuerat, inde Dantiſcum profectus ad novos delectus habendos. In promtu quoque erant aliquot Coſaccorum millia, inſtante Poloniæ Regina illum exercitum auctura. Penzius inſuper legionem cataphractorum conſcripturus ferebatur. Ac metus erat, ne legiones quas Daniæ Rex parabat, iſti exercitui ſe jungerent. Sed & magnam ſpem in Clitzingio ſibi cognato locaſſe Arnheimius putabatur, per quem Luneburgicos in ſuas partes ſolicitaturus erat. Enimvero quam maxima circa hæc ſatagentem, contractu ipſius cum Cæſare jam ſubſcripto, apoplexia extinxit. Deſignati operis executionem in ſe recepit Franciſcus Albertus Dux; ſed qui inter novæ conventionis moras demum ſub finem menſis Junii Ratiſpona dimittebatur, minore ſucceſſus ſpe poſt amiſſum Arnheimium. Eam ob cauſam arx ipſius Stintenburgum, quod ſimulato contractu in fratrem Franciſcum Carolum tranſtulerat, ab Erico Ulfſparrio Wiſmariæ præfecto occupatur, ne hoſtes in eo nidulati iter Hamburgum inter & Lubecam infeſtarent.

Arnheimius novum exercitum molitus.

29. Jun.

18. April.

§. 28. Enimvero Rectoribus Sueciæ Banerii mors eo majorem curam injecerat, quod & hoſtis eo caſu intumuiſſet animis, nec ſummis vigiliarum præfectis id autoritatis, quod infinita meritorum opinione turgentes ductores compeſcere valeret, pleriſque jam citra metum frementibus; nunc tandem tempus veniſſe, quo tam exercitæ militiæ præmia vel ab invitis extorqueant. Et quanquam ſummi præfecti ægros animos quacunque ratione placare ſatagerent, ac imperatoris vices pro virili ſupplerent: tamen inter precaria fere horum imperia militaris diſciplina plane collabi, ac miles paſſim palari, prædasque agere rapiendi libidine aut per egeſtatem, ac ſigna numeris fere nudata deſtituere. Nec hoſtis hoc rerum articulo omittebat, quæ deſtruendo iſti exercitui facere poſſent. Edicta avocatoria aſperrimis pœnis à Cæſare ſancita per Piccolomineum ad exercitum mitti: quidam & peculiaribus literis ſolicitari. Inter cæteros Pfulius, quem offenſæ quid concepiſſe audierant, magnis promiſſis oneratur, ſi in partes Cæſaris tranſire vellet; oblata quoque ejusdem gratia, ſi deſerta Suecica militia quieſceret. Quas literas ille acceptare, & aliis oſtendere audebat, nulla legum militarium cura. Sed & ut Luneburgici Duces Suecorum partibus abſtraherentur, enixa opera dabatur.

Periculoſus exercitus Suecici ſtatus

§. 29. His malis, & quæ plura inde proventura erant, ut medicina fieret, primum erat idoneum ducem exercitui ſummo cum imperio præficere. Huic muneri ſubeundo proponebantur Jacobus Gardius & Hermannus VVrangelius: ſed uterque afflictas ſenio vires excuſabat: Laurentius quoque Caggius poſt vulnus ad Donaſtaufam acceptum fragili valetudine, & continuis laboribus impar. Sed &, quod præcipue deliderabatur, omnes exercitui parum noti. Quod & Joanni Lilliehœckio deerat; quem ſummæ præfecturæ recentem reliqui parum æquo animo imperatorem laturi erant. Kingius Hamburgi tunc agebat. Sed Germani ductores Scoti imperium adipernabantur; & ignominioſum Sueciæ judicabatur in ſua natione idoneum ducem non reperiri. Avauxius propoſuerat, ut Guebrianus interim utrique exercitui imperaret. Id quod velut altius penetrans ſurda aure tranſmiſſum. Ita demum omnium ſuffragiis deſignatur Leonardus Torſtenſonius, ſummus rei tormentariæ præfectus, ætate integra, & exercitui notus, eundemque ipſe noſcens; tum moribus, atque multis virtutis ſpeciminibus militis amorem & venerationem meritus: cujus & imperio jamdudum exercitus adſueverat, ſummo poſt Banerum loco, & tot per annos expeditionis ſocius. Quem & quondam Guſtavus Rex ad Noribergam, una cum Nicolao Braheo, exercitui regendo parem judicaverat. Is igitur multo cum verborum honore delatum imperium, tandem ſuſcipit, cum aliquandiu podagræ incommoda, cujus tædio nuper militiam abdicaverat, & quæ modeſtia ſuggerebat, excuſaſſet. Adjungitur Joannes Lilliehœckius, ſummi rei tormentariæ præfecti titulo auctus, & Laurentius Grubbius circa togata negotia operam ipſi navaturus. Injungebatur iſti Saxoniæ Electorem & Landgravium Georgium hoſtili modo haberet, velut autores pacis Pragenſis, ut tamen verbis teſtaretur, Suecos invitos huc deſcendiſſe, ac optare amicitiam poſſe inſtaurari. Reliquorum Proteſtantium terris in commodum exercitus uteretur, ſervata tamen diſciplina, & humanitate verborum ubique adhibita. Adverſus Catholicos ſtudium in pacem communem præ ſe ferret, ac ad hancce promovendam ipſos hortaretur. Ut porro novus dux initio favorem exercitus ſibi pigneraret, magna pecuniæ ſumma inſtruitur, & eam, quæ Hamburgi in promtu erat, Salvius ad ipſius adventum aſſervare jubetur; famam interim de ea premeret, nec niſi ſumma neceſſitate, ac parce quid inde decerperet. Sed & ſolito majora ſupplementa in Germaniam deſtinantur, quæ recens venienti ad exercitum duci non parum autoritatis ac firmamenti circumponerent.

Torſtenſonius Dux deſtinatur.

Miſſi ab exercitu dimittuntur.

5. Augu.

§. 30. Miſſi porro ab exercitu Rochovius & Mortaignius, qui menſe Junio Holmiam adpulerant, humaniſſime excipiuntur; Torſtenſonioque negotium datur, blandis verbis & pollicitationibus eos demulceret, ut ne moram ægre ferrent, quoad graviores circa bellum conſultationes abſolutæ forent. In Senatum deductis reſpontum: negotia ab ipſis propoſita matura deliberatione opus habuiſſe. Nunc novo duce conſtituto, & pecuniis conquiſitis placere eos ad exercitum præmitti, de geſtis ſuis benevole relaturos. Commilitonibus ſuis confirment, ſeu bellum continuetur, ſeu pax fiat, Reginæ curæ fore, ut pro me-

rito-

1641. ritorum magnitudine iisdem satisfiat. Uterque grandi torque & mille quingentis uncialibus, tum peculiariter Rochovius sex uncialium millibus donatur, quod prædia ipsius ab hoste vastata essent. Ac ut ductoribus adpareret, si cujus res non ferrent militiam amplius sequi, non inanem dimittendum, Friderico Bauero tribuno missionem tunc petenti, quatuor millia uncialium dabantur, addita in singulos annos mille uncialium pensione. Scribuntur quoque literæ ad ductores exercitus temporibus accommodatæ. Ne ob Banerii mortem animis concidant. Gaudio sibi esse, quod fidem & obsequium retineant: sperare in posterum quoque perseveraturos, expromta semper virtute cujus nuperâ victoriâ tam illustre specimen ediderint. Torstensonium jam ducem designatum, dudum ipsis cognitum: tum valida supplementa mitti: ejus adventu desideriis ipsorum satisfaciendum. Si quæ per iniquitatem temporum in præsens præstari nequeant deinceps pensanda. Ad exercitum quoque proficisci jubetur Grubbius, ut concordiam ejus ad Torstensonii adventum tervare, ac Luneburgicos à pravis consiliis quantum possit cohibere studeret. Is tanto magis properabat, quod Avauxius, secus atque receperat, nummos ad Vinarienses misisset; quo & Suecico militi invidia ægrescenti spem propinquæ pecuniæ faceret & maxime indigos modica summa sublevaret; quam Salvius velut à Torstensonio jussus depromebat.

Cæsarei retrocedunt. 1. Julii.

§. 31. Interea cum uterque exercitus aliquot per dies hinc inde ad Kibitzensem aggerem substitisset, Cæsarei annonæ & aquæ penuria urgente primi castra movent, Gruningam primo, mox Eglam, & Oschersiebiam progressi. Profectio intempesta nocte, & summo cum silentio suscipiebatur, ut sequenti demum die Suecici istos discessisse animadverterent; nec Rosa cum duodecim alis tergo ipsorum immissis longius progressos adsequi valeret. Copiis passim coëuntibus firmatus inde hostis jactabat, denuo se cum Suecis manus conserturum, & Guelferbyti obsidionem plane disjecturum. Ejus oppidi præfectus à Cæsare extrema expectare jussus inopem atque imbellem turbam ejecerat, ac in quatuor sibi menses cibaria suppetere ferebat. Sed aquæ indies crescebant, quas objectis aggeribus Ocra fluvius restagnans jam editioribus oppidi partibus affundere cœperat. Hoste digresso inter sociatos exercitus quid porro suscipiendum deliberabatur. Nam peditatu quidem ipsi pares, equitatu longe infra erant. Unde in plana camporum sequi haut consultum videbatur. Et quia hostis equite ac pedite firmatus Guelferbytum iterum cogitare à captivis & transfugis constanter asserebatur, si castra quoad hostis ingrueret movere differrent, prælium vix declinari poterat, cujus alea summam rerum subjicere nullo supremo duce, præfecti non audebant. Quod si autem hostis improviso disturbata obsidione munito quopiam agri Brunsuicensis loco consedisset, metus erat, ne Duces belli tædio noxia Suecis consilia susciperent. Has ob causas, & quia indies hostium motus expectabatur, quo eum utique prævenirent inter Brunsuigam & Guelferbytum castris munitis considerent. Quanquam multi satius fuisse judicabant, si propius hostem ad Kibitzensem aggerem, aut Scheppenstadium substitissent, ubi plus camporum à tergo, simul occasio hostem in angustias redigendi, Brunsuicensem agrum tegendi, nec minus obsidium continuandi. Ac licebat, ubi opus foret, hostem ad Guelferbytum prævertere, ac oppidis, quæ ab ipso deinceps invadebantur, subvenire. Quin confirmabant, si paucos adhuc dies tenuissent, hostem plane ea regione abiturum fuisse. Sane eo recessu Suecicus exercitus magnis miseriis conflictari cœpit. Nam neque annonæ quid suppeditabat Brunsuiga, oppidanorum morositate, & quia intercepto Ocra flumine molendina substiterant: & regio circumlate exhausta jacebat. Nec prohibere poterant duces, quin per multa milliaria miles segetem demeteret, magna cum offensa Ducum Luneburgicorum. Et provinciales in desperationem versi; quos palantium militum comprehendere poterant, trucidabant, ut ea res plus militum, quam pugna cum hoste absumeret. Tum inter tot exercituum duces, qui peculiaribus singuli studiis ferebantur, discordia gliscebat. Quin inter Suecicos præfectos, etsi æmulatio utcunque dissimulabatur, ipsa tamen multitudo capitum consilia turbabat, non obscura VVrangelii, & Pfulii dissensione. 1641.

Socii exercitus apud Guelferbytum considunt.

21. Jul.

§. 32. Accedebat aliud malum, quod Hazfeldius cum Gleenio & Vehleno Dorstenam Hatlis intersum oppidum obsidio premebat, à quo commercia cum Hollandis, & conservatio reliquorum in Monasterienti præfulatu locorum dependere dicebatur. Unde Hassi ante omnia isti succurrendum contendebant: ac non hosce solum, sed & Vinarienses eodem abducere instituebat Eberstenius. Contra Sueci & Luneburgici ostendebant, quantum non Luneburgicæ tantum Domui, sed & communis causæ interesset, Guelferbytum post tot labores & sumtus impensos in potestatem redigi. Et quantum ignominiæ habeant deditione tam propinqua discedere. Si juncti maneant, oppido ab hoste succurri non posse: separatis in proclivi fore fructum exhausti laboris intercipere. Si prælium hostis velit, commodiorem, quam circa Guelferbytum locum non esse, sin pugnare nolit, oppidum brevi dedendum. Rogabant igitur Hassos, manerent, & Dorstenam propugnantium virtuti ac fortunæ tantisper committerent: ac publicam potius, quam privatam utilitatem respicerent. Enimvero hi sententia haut quidquam dimovebantur; simul Vinarienses Rhenum respiciebant, obtentu Gillium Hasium eas per oras pro lubitu grassantem coërcendi. Quia tamen Avauxius, rogante Salvio, Guebrianum valde hortabatur, ne à Suecis discederet, spes erat eos ad tempus mansuros. Sed & his licet manentibus Hassi tamen discedentes auxilio se à cæteris firmari postulabant. Quæ si concederentur, Piccolomineus reliquos parum curaturus erat, equitatu jam ante potior; cujus validis catervis, qui commeatum longe vehebant, tegendi erant, summa expeditione penes eum futura, qui ad extremum annona abundaret. Contra Luneburgici fremebant, Hassis digressis se soluto Guelferbyti obsidio copias suas munita per oppida distributuros; quos insuper vastitas suæ provinciæ vehementer asperaverat. Ab ipsis porro ducibus varia & sibi repugnantia disseminabantur, prout quisque sententiæ id suæ firmandæ conducere putabat; quibus militum animi mire turbabantur. Luneburgici quoque, & Hassi Suecis exprobrabant; auxilia è Suecia dudum jactata, ac novum ducem incassum expectari ingruente jam autumno: Suecis contra asseverantibus; hautquidquam suis meritis eam gratiam à Regina relatum iri, ut se pro derelictis habeat. Igitur magnopere angebantur summi præfecti, quid post Hassorum discessum hoste ingruente, & Luneburgicis per oppida distributis sibi agendum foret. Nam si præsenti rerum facie ad receptum compellerentur, metus erat, ne exercitus plane dilaberetur, ductoribus juxta ac gregariis extrema cum egestate conflictantibus, tanto magis glis-

Hassici à cæteris disjungi cupiunt.

scente

1641. cente ægritudine, quod Vinarienſes pecuniis mactos conſpicerent. Eoque omnes ducem, pecuniam, auxilia inclamabant; quæ tria ni mature adeſſent, deploratus exercitus videbatur.

Grubbius apud Luneburgicos Duces, & exercitum adpellit. 19. Jul.

§. 33. Inter hæc è Suecia miſſus Laurentius Grubbius Cellis & Hildeſiæ apud Duces mandata expoſuerat, queis hactenus geſta laudando, ſimul promiſſo Reginæ ſtudio ad conſtantiam circa bonum publicum ipſos hortabatur. Quæ pronis auribus videbantur acceptari; & ipſe Auguſtus Dux de affectu & conſtantia ſua verbis prolixe teſtabatur. Quibus tamen non parum fidei detrahebant querimoniæ de onere belli ſibi ſolis incumbente, de oppidorum ſuorum detentione, ægritudine exercitus Suecici, Haſſorum & Vinarienſium diſceſſu, interjecta ſubinde pacis mentione, velut quæ ante omnia affectanda ſit. Quæ haut parum animos Ducum alienatos arguebant. Ad exercitum quoque Suecicum accedenti Grubbio ſuſpectum videbatur, quod ductores tam multa de pace ac togæ negotiis differerent, velut ea ſui arbitrii facturi. Quos inter Pfulius, cum Reginæ mandata exponerentur, ea quidem in ſpeciem multo verborum honore accipiebat; ſed prolixe ſimul diſputabat de pace, de miſeranda Germaniæ facie, de ſua conſcientia, quæ operam ad perdendos cives à ſe conferri averſetur. Sane ſe ac populares ſuos neſcire, quid tam atroci bello quærat Suecia. Id ut quamprimum componatur optare, quod ſua exiſtimatio, ac patriæ ſalus in eo vertatur: alias quæ conſcientia ſuggerit conſilia capturum. Cui etſi Grubbius oſtenſo armorum Suecicorum ſcopo ſatisfeciſſe viſus erat; quid tamen ægri animo ſubeſſet, haut obſcure erumpebat.

Hoſtis quædam oppida occupat. 24. Jul. 27. Jul. 28. Jul.

§. 34. Aſt hoſtis novo milite auctus notis caſtris Oſterwycum invadit, ac per triduum oppugnatum, cum jamjam aſſultus dandus eſſet, deditione capit. Quadringenti pedites præſidiarii cum armis & impedimentis ad ſuos dimittuntur, quinquaginta equites in oppido deprehenſi pacto deditionis excluſi in captivitatē rediguntur. Mox & Hornburgenſis arx deditur, ſitu edito & operibus munita flagitio præfecti, cui hoſtis cuniculi ſub arcem acti terrorem incuſſerat, excavato raptim foramine, quod imperitus optio ad id inſpiciendum miſſus pro cuniculo habuerat. Quæ credulitas præfecto capite ſtabat. Sladena ſtatim imperata facit; & Goslaria, dimiſſo præſidio Luneburgico, Cæſaris obſequio ſe componit. Kœnigsmarckius interim cum bis mille equitibus per Hercyniam ſylvam itinere ſumto occaſionem hoſtibus nocendi fruſtra captaverat, qui caute intra caſtra ſe continebant. Unde is apud Liebenburgum arcem ſubſiſtens ſubtribunum cum ducentis equitibus propius hoſtium caſtra ſuggredi jubet. Aſt hi de ejus excurſione certiores facti totum ſiniſtrum cornu ei immiſerant, à quo apud Sladenam deprehenſus ſubtribunus, ſtatim in fugam conjectus capitur cum multis aliis, centum cæduntur. Qui ſuperfuerant ſub Liebenburgum usque arcem fugantur. Ea jactura penſata fuit ſexaginta equitibus, quos hinc inde Kœnigsmarckius intercepe-

De ejus deſtinatis conjectura.

rat. Porro cum ſociatos apud exercitus conſultaretur, quorſum iſte hoſtium motus ſpectaret, aliqui cenſebant, Gœttingam, Eimbeccam, ac fortaſſe Hildeſiam peti, tranſitumque Viſurgis aperiri quærendæ cum Hazfeldio conjunctioni. Tum retro Eichsfeldiæ, Mulhuſæque, & Erfordiæ poſſeſſionem affectari. Aſt Suecici, & Gallici duces judicabant, id hoſtem machinari, ut optimam provinciæ partem populando & occupando Luneburgicos ad tranſigendum cum Cæſare compelleret. Tum ut per iſta obſidia exercitus fœderatorum Guelferbyto abſtraheret, mox repentino incurſu opera ad hoc oppidum excitata deſtrueret. 1641.
Ita ſoluto obſidio, Duces deditionis ſuæ defenſione deſperantes obtentu extremæ neceſſitatis cum Cæſare transacturos, Suecicis inter hoſtem, & munita oppida velut indagine cinctis. Has ob cauſas ſociatis exercitibus è munitis ad Guelferbytum caſtris haut movere placebat, ne ipſis digreſſis repente converſus hoſtis, tot ſumtibus ac laboribus excitata opera ſubrueret. Et cum copiæ urgendo pariter Guelferbyti obſidio, ac tuendæ provinciæ non ſufficerent, minus malum videbatur hoſtem tantisper agros impune populari, quam obſidium iſtud abrumpere. Et quanquam Luneburgici, Haſſique in hoſtem ruere cuperent, refragabantur tamen præfecti Suecici, defectum mandati excuſantes, & quod ægrum animi militem ad prælium educere haut tutum putarent; ne forte tunc intempeſtive pecuniam exclamaret, aut ad hoſtem ſigna transferret. Sed ſatis habebant exercitum conſervaſſe, quoad novus dux è Suecia adeſſet; cujus iter tamen, menſe Julio ſuſcipiendum, incumbens ſubito vis morbi ad initium usque Septembris extrahebat.

Suecici ad Guelferbytum ſubſiſtunt.

Dorſtena ab Hazfeldio premitur. 16. Jul.

§. 35. Interim Hazfeldius, ut Fœderatos Guelferbyto diſtraheret, Dorſtenam omni vi urgebat. Cui liberandæ agitabatur, ut Hollandi poſt expugnatam Geneppam Stirumium Comitem cum quadraginta equitum turmis, ac tribus peditum millibus tantisper Landgraviæ ſacramento transſcriberent; ejus oppidi obſidio ſolvendo; ne neutralitas, quam iſti cum Cæſare colebant, aperte infracta videretur. Quo colore talia ſuſcipere eo minus religio erat, quod & multi Hiſpani in Hazfeldii exercitu dicebantur eſſe, ac Cæſar haut diſpari modo Hiſpanis auxilia adverſus ipſos ſubmitteret; & Lamboius fere per hiemem Cæſaris, per æſtatem Hiſpani militiam profiteretur. Ac ſpem iſtius auxilii fecerant Hollandi, quod oppidum illud ipſorum finibus immineret. Sed cum inter multos expediendum negotium tarde ſuccederet, Haſſi ſubinde apud Guelferbytum inſtabant, ut ipſi magnis cæterorum ſtipati auxiliis dimitterentur; Luneburgicis contra frementibus, ſi iſti abeant, ſe in munita oppida conceſſuros. Sed Regiarum copiarum duces cum neque in ſeparationem contentire, nec aperte eam abnuere vellent, Haſſis proponebant, ut Luneburgici caſtra ad Guelferbytum duorum menſium annona inſtruerent, ac duo millia equorum ſuppeditarent ſupplendo ſuo equitatui, ſimul quod peditum ipſis ſupererat arceſſerent: tunc ſe quantum belli ac reipublicæ ratio permittat, Haſſorum deſideriis ſatisfactum.

Suecico exercitui inſidiæ ſtruuntur.

§. 36. Sed & alia clanculum agitabantur in perniciem exercitus Suecici per Schiccardum Luneburgicum tribunum, qui Hildeſia Glueſtadium ad Daniæ Regem absque literis fiduciæ miſſus fuerat tantum ut animum ipſius tentaret. Cui Rex per Penzium, & Hannibalem Seſtedium denuntiarat, ut idoneis literis fidem negotiationis ſuæ faceret. Unde is poſtea à Duce Auguſto & Clitzingio literas adferebat. Danus iſtum donis mactum ad exercitum remiſerat ut ductores in inſtituto ſuo confirmaret; de quo è ſermone ipſius Schiccardi conjicere dabatur. Qui diſſerebat: ab exercitu id clam agi, ut opera Regis Daniæ cum Cæſare pacem per ſe faciat, quod intelligat, exteris Regibus non ſalutem Germaniæ, ſed Suecis Pomeraniam, Gallis Alſatiam cordi eſſe. Brevi quicquid eſt Germani militis in concordiam redigendum, paucis Gallis & Suecis vi ejectis. Pomeraniam utique Brandeburgico vindicandam. Si quid pecuniæ inter milites diſtribuatur, id minimam partem eorum facere, quæ ipſis debeantur.

Iſta

1641. Ista tribunus Plavio Salvio pandebat, stipulatus sibi, nomen suum silentio pressum iri.

Miseria in exercitu Suecico gliscit.

§. 37. Ast quæ in oculos incurrebant mala in exercitu Suecico indies gliscebant. Nam uti Vinarienses post acceptas pecunias egregie se instruebant; ita Suecicum militem ad vendendos equos, ephippia, arma egestas cogebat, quo victum sibi ac vestes emeret. In castris nulla cibi copia. Si qua famis dispellendæ gratia vagaretur miles, ab agrestibus hostilem in modum trucidabatur. Unde summi

9. Aug. præfecti ad Luneburgicos Duces scribebant; saltem pro pedite panem in castra convehi curarent, quo excursiones sisti queant. Tum ne provinciales ita atrociter in militem sæviant ob nullum aliud delictum, quam quod non libenter fame perire velit. Nec intra solos gregarios paupertas subsistebat, sed & multi ductorum equos & sarcinas suas

Ductorum querelæ 2. Aug. oppignoraverant. Eas miserias universi ductores per tribunos Mortaignium, & Dœrflingium apud Grubbium, de fide & constantia sua prolixe testati exponunt, postulantes; ut, nisi intra quatuordecim dies Torstensonius certo adfuturus sit, pecunia utique subleventur. Alias exercitum dilapsurum, ac se extra culpam fore malorum, quæ inde secutura sint. Et quanquam Grubbius confirmabat, adventu ducis ipsis subventum iri: tamen isti ostendebant, incumbentem militi necessitatem non verbis, aut spe in longum prominente, sed præsenti auxilio indigere. Ita summi præ-

3. Aug. fecti una cum Grubbio ad Salvium scribunt; ni summam rerum everti velit, pecuniam exercitui destinatam ocyius mittendam. Addiderat Grubbius; ni argentum veniat, aut sibi aufugiendum, aut vitam inter infestos ponendam. Ita Salvius sexaginta uncialium millia mittit præter mandata, etsi factum ipsius à Rectoribus Suecia post probaretur.

Luneburgici copias suas separant. 8. Aug.

§. 38. Paulo post Luneburgici copias suas præter septingentos pedites, qui in castellis ad Guelferbytum remanebant, sub ductu Landgravii Joannis, & Clitzingii à Suecicis separatas per munita oppida distribuunt, hisce uti ferebant firmandis, & tuendæ messi. Equidem proposuerant præfecti Suecici, ut tres sibi legiones, ac inermes ipsorum equites tantisper traderentur, quibus Kœnigsmarckius manum è Westphalia additurus, ac formato expedito exercitu hosti ad latus se collocaturus sit. Id tamen consilium Clitzingio & aliis valde probatum reliqui rejiciebant, ac in diversa abibant, ne relicto quidem Luneburgicorum Ducum nomine, quicum consilia Suecici conferre possent. Quod cum pacto nuper inito repugnaret, summi præfecti à Ducibus scripto petebant, ut saltem eorum nomine conflitueretur, qui consultationibus adesset, ac super negotiis communibus decerneret. Augebat suspicionem quod Joannes Landgravius Pfulio antehac dixerat; quoad ipse maneret, Suecis à Luneburgica Domo nihil metuendum: sed ubi ipse discesserit, causam esse, ut sibi caveant. Gemina Clitzingius innuerat. Sane Luneburgici consiliarii publice & privatim Suecorum consilia, & actiones petisme traducebant: istorumque culpa opera ad Guelferbytum imperfecta jacebant, quibus absolvendis iidem parum aut nihil contulerant. Nam agger quidem sistendo flumini altitudine ipsum oppidi aggerem superabat; sed quæ hunc tueri debebant castella vix inchoata jacebant. Sic ut parum amici ab hisce deinceps sibi expectandum Suecici præfecti satis perspicerent.

Hostis Liebenburgum & Bockelam capit.

§. 39. Hostis interim Liebenburgum tantum non in oculis sociati exercitus ceperat, Comite Hollachio præfecto cum præsidiariis in captivitatem redacto. Bockela quoq; Bruæo vim intentante statim imperata fecit. Ita hostis toto jam Halberstadiensi præsulatu potitur. Inde dimidio à Bockela milliari inter duo flumina idoneo loco consident, à tergo Visurgim versus rutus, ac rota retro regione tributis subjecta. Nec quid amplius obstabat, quo minus Hazfeldium sibi quandocunque placeret, adjungere posset. Agitabat porro idem de invadenda Hildesia, quod certo confideret, hac ratione se fœderatos extra munimenta sua ad Guelferbytum extracturum. Quæ tamen destinata clades inopina turbabat. Nam Bruæus Comes cum duobus equitum millibus Hornburgum prægressus sub Hercynia sylva clam confederat, pabulatores Suecicos, & quæ istos comitabantur tres legiones interceptorus. Ea re per equitem, qui propius hostium castra successerat, ac quoidam captivos prodita, hinc Suecicorum, inde Vinariensium caterva diverso itinere dimittitur, insidiatoribus opprimendis. Qui & inter Hornburgum & Scheppenstadium utrinq; ingruunt. Et quanquam Suecici prius in conspectum venirent; tamen cum Vinariensibus, qui propius suggressi erant, primo manus conserunrur. Primo conflictu, qui asperrimus erat, è Vinariensibus Wilhelmus Otto Comes Nassovius, tribunus Mullerus, & complures alii ductores, gregariique cadunt: mox tamen postremo istorum agmine ac Suecicis incumbentibus Cæsarei duo per milliaria cæduntur, ut pauci cum Bruæo effugerent. Capiebantur Lœvvensteinius, & Goldakerus tribuni, subtribuni duo, tres excubiarum, duodecim turmarum præfecti, & cum multis ductoribus aliquot gregariorum centuriæ, ac mille quingenti amplius militares equi. Ea clades hostium consilia circa invadendam Hildesiam turbabat, quod sat acres Fœderatorum impetus sentirent, ficubi occasio arrideret.

1641.

2. Aug.

Cæsarei vapulant. 14. Aug.

§. 40. Cæterum cum Luneburgici Duces apud Suecicos magnopere instarent, ut exercitus in hostem duceretur, ac inprimis, ut Hildesiæ, Eimbeccæ, alisque locis, si ab hoste invadantur, subveniretur, retsonum flagitante peculiariter Christiano Ludovico Duce; Suecici præfecti quo minus id negotium cum tribunis communicarent, declinare non poterant, ne plura promitterent, quam præstare valerent. Eorum conventu habito illi declarabant; se quidem Ducibus quavis occasione subvenire velle; sed hac exercitus facie in expeditionem consentire non posse, ni idonea pecuniæ summa inter legiones distributa fuerit militi animando. Eam summam ipsi tercentenis millibus uncialium taxabant, velut partem ejus pecuniæ, quam Torstensonius allaturus sit. Contra summi præfecti & Grubbius demonstrabant responsum Ducibus dandum eousque differri non posse, quoad ista pecunia ad exercitum adferatur, quod hostis in propinquo incumbat, & minus promissisque Duces solicitet, conclamata auxilii spe facile ad desperata consilia prolapturos maximo cum causæ communis damno. Tum Salvio veritum pecuniam tangere ante Torstensonii adventum, qui sine dubio omnibus sit satisfacturus. Enimvero isti postulata ingeminare, ni post tantam patientiam statim subveniatur, alia media, quibus hisce miseriis se eximant, sibi circumspicienda. Alias facturos quod honestos viros decet. Cum igitur summi præfecti publico noxium judicarent, si Ducibus spes auxilii adimeretur, minus malum videbatur tribunis permittere, ut super ea pecuniæ summa ad Salvium Fridericus Hassiæ Landgravius & Hackius tribunus mitterentur. Hinc summi præfecti Luneburgicis Ducibus scripto promittunt, si hostis longius in deditionem eorum penetret, aut unum alterumve insigne oppidum invadat,

Luneburgici in hostem duci postulant.

Miles pecuniam flagitat.

1641. dat, se cum aliis fœderatis operam daturos, ut citra moram illis subveniatur.

Tribunorum à Salvio postulata.

§. 41. Porro ad Salvium missi velut pro imperio postulabant quater centena millia uncialium; tum ut declaretur, ob pacem, an ob prædam bellum geratur, ut fœderatis Ducibus oppida sua utique restituantur; ac ne Torstensonius ad exercitum accedat, nisi præmissis, qui cum ductoribus transigant, quo modo, ac fine exercitus deinceps regendus sit. Addebantur sedatis affectibus, & placida voce, reipsa aspera dicta: sub Banerio ad mancipiorum instar se fuisse habitos; ab ejus morte quatuor fere menses elapsos, nec à se in Sueciam missos reverti: literas à Grubbio allatas forte Brunsuigæ scriptas. Consiliarios quibus opus non habeant, mitti; pecuniam qua maxime indigeant, non mitti. Torstensonium neque venire, neque scribere. Ex eo, quod non Senator aliquis, aut magnæ dignationis vir advenerit, se intelligere, nullam sui rationem in Suecia haberi. Omnem jam patientiam ex superante miseria & paupertate consumtam. Interrogabant igitur, num Salvius quater centena millia uncialium (de tercentenis duntaxat in mandatis habebant,) è vestigio soluturus sit tantisper, quoad Torstensonii adventu plene sibi satisfieret? Accepta pecunia se quod fortes viros decet facturos; sin minus, alia sibi consilia capessere decretum. Liberos se Germanos, non mancipia esse; nec diutius raptores ac vastatores patriæ fore, quam inter funestam operam tantum non omnes ad mendicitatem sint redacti. Ad quæ Salvius: Illorum incommoda sibi dolere: spem fuisse Luneburgicos ipsis necessaria suppeditasse. Torstensonium jam jam cum supplementis, pecuniaq; adfore. Rectores Sueciæ ipsos amare ac æstimare, ac literis ad summos præfectos super præstandis illorum postulatis cavisse. Tantum exiguam moram ne ita ægre ferrent. Super distribuenda pecunia sibi nulla mandata esse, sed eadem à Torstensonio allatum iri, qui indies expectetur. Nec publicam se pecuniam pro lubitu dispensare posse. Quam maxime nunc laborari circa indicendum pacis communis tractatibus diem. In hoc rerum articulo si partes ipsi deferant, quid Germaniæ libertati fore? quid sanguini pro hac effuso? quid ipsorum existimationi? Quod laborum præmium ipsos percepturos? Aut quam novam militiam sumturos? Anglum copias suas exautorare. Lusitanum multos, qui operam suam obtulerint, repudiasse. Dano hostem non esse, Cæsareos, Hassos, Luneburgicos non meliore, quam ipsos conditione gaudere. Quocunque ituri sint, inventuros quod desiderent. Tum apud alios nova ipsis merita quærenda, quæ jam apud Suecos parta sint. Sane multis querendi causam non deesse. Sed longo tempore contracta debita momento exsolvere arduum esse. Reginam postulatis militum utique satisfacturam, tantum exiguam dilationem potcere; ob quam causam ab ipsis summam rerum everti indignum fuerit. Enimvero incassum eloquentia consumebatur, etiamsi Salvius Avaunii, Kingii, Deichmanni Cancellarii, & aliorum opera ad ipsos placandos uteretur: sed aut præsens auxilium flagitabant, aut ut plane sibi negetur. Ita cum periculosum esset istorum postulata abnuere, & mandata transgredi difficile, tandem declarabat Salvius, se quod argenti ad manum sit Brunsuigam remissurum, Grubbioque scripturum, ut quicquid ibi pecuniarum possit à mercatoribus acciperet, ac sibi Hamburgi solvendum assignaret. Hoc modo ductoribus tunc satisfactum. Attamen data opera trajectionem illam pecuniæ ita adornabat Salvius, ut interea Torstensonius ad exercitum adesse posset.

Salvii responsum.

§. 42. Interim apud militem vulgabatur, Grubbium clam jactasse; adventu Torstensonii autores turbarum pœnas daturos. Idque eo magis credebatur, quod Lilliehœckius inter alia ad summos præfectos velut minabundus scripserat: militem non præmiis solum, sed & pœnis in officio continendum: cum nesciret, quam lubrico statu res foret. Inde queis male conscia mens fremere; statim atque Torstensonius in Germaniam adpulerit, mittendos ad ipsum, qui adversus talia securitatem stipulentur. Aut potius infesta in se consilia prævenienda, ac quicquid Suecorum in exercitu sit trucidandum. Quin & agitabatur jam, ut summis præfectis manus injicerentur. Ac quidam aperte profitebantur; se istorum imperiis non amplius obtemperaturos. Augebatur consternatio, quod Augustus Dux Friderico Landgravio dixisset; missos ab exercitu in Sueciam in custodiam datos. Nam tanto autore falsa spargi non credebatur. Ægros jam antea animos magis irritabat Gluckstadio reversus Schiccardus, qui multis crepabat; Regem Daniæ ipsos jubere, ut ante oculos sibi ponant statum Germaniæ maximam partem vastatæ, & ab exteris plane in totitudinem redigendæ. Suecos nil aliud quærere, quam ut regionibus late circum Pomeraniam destructis securitatem huic procurent. Inde Regem periculo proximum partibus ad pacem compellendis decrevisse triginta militum millia conscribere. Qui ad ipsum relicta militia Succica transire velint, iis offerri sex mensium stipendia, & ad finem usque belli lauta hospitia; sed maximum ejus militiæ fructum libertatem & gloriam Germanicæ nationis fore. Sed & constabat istas turbas à Duce Augusto foveri, cujus consiliarii multa secreta cum Succicis ductoribus miscebant, ac palam multa sinistra de Succis spargebant. Ac fama erat, quosdam Vinarienſium in eadem inclinare. Quanquam autem Schiccardus nihil scripti haberet, quo à se jactata demonstrare posset; ac summi præfecti, Grubbiusque vanitatis istum arguere latagerent: multi tamen capita conferre, nec obscure in Danum propendere, velut Imperii, & Saxoniæ membrum, ac sibi subjectos in istas partes pertrahere; quod pacem in ejusdem manu sitam, simul pecuniæ abundantem crederent. Hisce machinationibus disjiciendis Salvius Danicis ministris per fidos sibi homines insinuat; de Schiccardi negotiatione gnarum se; ac si huic aures præbeantur, magnam inter Regna Arctoa offensæ causam fore. Isti contra disserebant: Daniæ Regi animum non esse, ullum è Succico exercitu corrumpere; sed si quis obtenta honesta missione operam suam offerat, eum à se repudiari non posse. Nec ipsum tam petulanti milite opus habere: ac militem conscripturum, sibi obtemperantem, non cui ipse obnoxius esse debeat. Quin vana pleraque ab isto sparsa credere. Ista literis aliorum sibi relata per idoneos homines Salvius inter ductores dedi curabat, quo Schiccardo fides demeretur. Ac inter hæc missi in Sueciam, aliique regrediebantur, qui plene sibi satisfactum testabantur. Et inter alios Fridericum Landgravium quater mille unciales dono dati deliniverant. Insignem quoq; circa conciliandos militum animos operam navabat Mortaignius, Hackiusque tribuni, qui multa in exercitu gratia & autoritate florebant. Quæ omnia efficiebant, ne res apud exercitum in nervum erumperet.

1641. Alius exercitus instrumenta.

Schiccardi machinationes.

Quibus obstitutur.

§. 43. Interim ad Guelferbytum aqua eousque intumuerat, ut vix duæ ulnæ deessent, quo minus vallum superaret; ac jam propugnaculum unum prociderat, milesque casas suas in altiora subdu-

Ad Guelferbytum res sanguinis de procedit.

1641. subducere neceſſum habuerat. Ac credebatur, ſi machinas commodare voluiſſent Luneburgici, ut aqua ſimul & igne urgeri obſeſſi potuiſſent, oppidum brevi ad deditionem fuiſſe compellendum. Sed quos ea res maxime ſpectabat, minimum ad eam conferebant, labore in ſolos Succicos, & Vinarienſes devoluto, quibus inter maximos ſolis ardores opus faciendum erat. Aſt hoſtis, cui Succici exercitus conditio ignota non erat, propius ſuccedere conſtituit, pabulo imprimis, quod longius petendum erat, intercepto munimentis ad Guelferbytum eos extracturus. Igitur deſertis apud Bockelam caſtris cis Leichtenburgum apud vicum Zedelam conſidet, ac nemine obſiſtente provinciam late populatur. Ea cauſa ſubigebat, ut ſociati exercitus de obſidio Guelferbyti ſolvendo conſilia caperent. Nam nec deditionis certa ſpes erat, operibus ſegnitie Luneburgicorum tardius procedentibus, ac propinquo hoſte in anguſtum redigebatur pabulatio. Haſſi quoque hactenus ægre detenti, tandem novis acceptis mandatis utiq; diſceſſuros ſe profitebantur. Contra metus erat, ne Hazfeldio è Weſtphalia ingruente fœderati hinc inde incluſi in arctum compellerentur, ni mature in alia ſe loca ſubducerent. Et jam ſecreto hactenus ab Auguſto Duce tractatus cum hoſte agitati in publicũ erumpebant, dum iſte per literas ab Archiduce petit ad ſe mitti, quibuscum colloquatur. Qui & hoc fine Wahlium Comitem, & Cancellarium Kaltſchmidium Brunſvvigam ire juſſerat, etſi hi, cum à Fœderatis inſidias ſibi ſtrui intelligerent, iter differrent. Eam cum hoſte colluſionem ſummi præfecti apud Succicos & Vinarienſes ægerrime ferebant, ac Luneburgicis in faciem exprobrabant, ſe à Ducibus, & qui horum conſiliorum conſcii fuerint, proditos. Unde habito cõſilio decernitur caſtra ad Guelferbytum deferenda. Nec mora, operibus raptim deſtructis, caſtris incenſis ſummo mane ante lucem diſceditur. Cum omnis exercitus tranſiſſet, agger perrumpitur, & aqua magno impetu Brunſuigam ruens non parum damni dederat, etſi paucas intra horas fluvius in veterem alveum rediret. Guelferbyti aqua dilapſa, valli magna pars in foſſam deſidebat. Miſerat Archidux Mercium cum ter mille equitibus ad ultimum iſtorum agmen carpendum: ſed qui longius digreſſis Fœderatis re infecta redibat. Ab eodem quoque Spigelius tribunus ſtatim Brunſuigam ire jubetur denuntiaturus, aggerem non à ſe, ſed à Succis laceratum, & hiſce damnũ ab aquis datum imputandum; quo iiſdem invidiam amicam apud urbem faceret. Fatebantur ductores Cæſarei, ſi Fœderatis annonæ ac pabuli copia fuiſſet, opera iſta nulla vi expugnari potuiſſe; quæ nunc incaſſum deſerebantur, maxima ſumtuum, laboris, ac temporis jactura facta.

Hoſtis propius accedit.

Guelferbyti obſidium abrumpitur.

22. Aug.

2. Sept.

§. 44. Sociatis exercitibus digreſſis Wahlius Brunſuigam accedit, ubi honorifice à magiſtratu urbis, tum præcipue à Duce Auguſto excipitur. Huic cum ſpes reſtituendi Guelferbyti facta eſſet, Vicecanceſſarium ſuum ad Archiducem mittit; mox ipſe ad eundem Solderam proficiſcitur, teſtatus, ſibi haut quidquam in animo eſſe à Cæſare ſeceſſionem facere, ſed iſti atque Imperio placita ſibi quoque probatum iri: viciſſim expectare, quæ fido imperii Principe digna ſint, ac præcipue, ut avita ſedes Guelferbytum reſtituatur. Ad hæc reſponſum Archidux differebat, quoad quæ reliquis Luneburgicis Ducibus ſententia ſit conſtaret. Unde Dux ad Cæſarem ſcribit; ſe quidem omnem lapidem moturum, ut agnati ſui ad eadem conſilia permoveantur. Id tamen ſi obtineri nequeat, eorum facto ſe non teneri, nec quo minus poſtulatis ſuis ſatisfiat, ab iſtorum declaratione ſuſpendi debere. Hinc diligentem is operam navabat, ut & iſti in Cæſaris partes pertraherentur. Quo fine ſub exitum Septembris Goslariæ tractatus Cæſarem inter & univerſos Duces Luneburgicos inſtituitur, quo etiam Landgravia legatos deſtinabat, uti ferebat, ne Luneburgici conſilia ſua præcipitarent. Nec præfecti Succici, interpoſita licet proteſtatione, conventum illum impedire poterant, etſi præter Auguſtum Ducem cæteri pollicerentur, bona fide ſe communicaturos, quæ ibi agerentur.

Dux Auguſtus in partes Cæſaris tranſit.

7. Sept.

14. Sept.

§. 45. Protecti Guelferbyto exercitus duo milliaria ultra Gilhornum proceſſerant; ac initio quidem Succis ad Albim conjunctioni cum Stalhantſchio quærendæ, Vinarienſibus & Haſſis in Weſtphaliam abire ſedebat. Sed quia reliqui Duces Luneburgici petebant, ne ita repente deſtituerentur, ſed ut ſtativis intra ipſorum provinciã captis hoſtis ſiſteretur, quantum penes ſe foret auxilii offerentes; viſum fuit eis Alleram regreſſis Sarſtedii ad Leinam caſtris munitis conſidere. Contra hoſtis Peina, & Steinbrugga deſertis eis Leinam regreſſus inter Alfeldiam & Gronoviam metatus, Vilurgi ad Huxteram ponte ſtrato Hazfeldium expectabat.

Succiei Sarſtedii conſiſtunt. 7. Sept.

9. Sept.

14. Sept.

§. 46. Sarſtedii dum Succicus exercitus hæret, ſecunda vice Gluckſtadio redierat Schiccardus multis denuo promiſſis, & hortatibus apud ductores inſtans, ut Daniæ Regis auſpicia ſequi velint. Qui licet pleriſq; vanitatis ſuſpectus parum idoneus tantæ rei autor haberetur, non tamen deerant, qui eundem lapidem, jubente an inſcio Rege incertum, volverent. Quos inter Bauerus nuper apud Succos munifica miſſione potitus, nunc ſummi excubiarum præfecti dignatione apud Danos auctus, per Nienburgum & Mindam ad exercitum tendebat. Cujus iter etſi translata in alium locum caſtra interrumpebant; quid tamen animo agitaret, ſatis prodebant, quæ paſſim ab eo differebantur. Germanis pacem utiq; inter ſe faciendam, circa quam Daniæ Rex, Germanus & ipſe Princeps, operam navaturus ſit. Hunc quia exteros pacem adſpernari, bellumque finibus ſuis propius advolvi ſentiat, valido cum exercitu medium ſe bellantibus illaturum, ac conciliatis Cæſari Germanis exteros eliminaturum. Hoc fine ab Angliæ Rege pecuniam, & militem expectari ſublevandæ Palatini cauſæ. Tum Batavos, alioſque Succica ſocietate abſtrahendos. Regem ab omnibus Proteſtantibus, & parte Catholicorum ad hæc auſa ſolicitari. Et ne bellum ea occaſione inter Daniam & Sueciam exardeſcat, Regem translato in filium Regno iſta ſub Ducis Holſatiæ perſona peracturum. Initium rei gerendæ apud Vilurgim futurum, obtentu Luneburgicis oppida à Succis detenta reſtituendi.

Daniæ machinationes circa corrumpendum exercitum.

§. 47. Enimvero iſtis corruptelis prævalebat indies gliſcens apud pleroſque in Succicas partes affectus, poſtquam aperte jam Auguſtus Dux ad Cæſarem tranſierat. Is quippe hactenus omni arte iſtos in exercitu motus aluerat; & clam cum Cæſare, Saxoniæ Electore, aliisque adverſariis literarum commercia exercuerat, Danixque Regem ad infeſta Succis conſilia ſtimulaverat. Sed nunc manifeſta ad Cæſarem defectione omnem apud milites fidem decoxerat; & ſegnius quam jactatum fuerat delectus Danici procedebant. Tum pecuniæ Hamburgo ſubmiſſæ multorum inopiam ſublevarant; ac reverti è Suecia Rochovius & Mortaignius grata omnia retulerant. Sicut animorum mutatio non levis animadverteretur, ac præter ſummum ducem ſupplementa, & pecuniam nihil deeſſet. Sed quia Torſtenſonius, cum Julio menſe navem conſcenturus eſſet, familiaris morbus ad medium uſque Septembrem Holmiæ detinebat, gliſcente apud militem inopia, ductores Grubbium Hamburgum mittunt, ut petitam antehac à Salvio pecuniam extunderet. Quo fine & mox eodem Mortaignius tribunus

Moris in exercitu ſubſidium.

Miles denuo pecuniam ſolicitat.

1641. tribunus deſtinatur. Huic ſcripto mandatum erat, percunctari, quid ſuper duce, & auxilio è Suecia mittendo expectandum ſit: tum ut duorum menſium ſtipendium, ac in ſingulas inſuper equitum turmas milleni unciales, in peditum cohortes quingeni exſolverentur, additis veſtimentis; ut præterea quæ tormentaria res requirat, ſufficerentur; captivi ductores de publico redimerentur, ac ipſi deinceps pari conditione cum Vinarienſibus habérentur. Addebatur proteſtatio, ni poſtulata annuantur, ſibi non iri imputatum mala, quæ redacto ad deſperationem militi proventura ſint. Hæc poſtulata quantumvis dura temperamentum admiſſura ſpes erat, quod ducem nunc è Suecia deſiderarent, cujus hactenus exiguam cupidinem oſtenderant. Inde prima Salvio cura erat, Mortaignium conciliare, magna inter ductores gratia & auroritate; cui dignatio ſummi excubiarum præfecti, ac annua penſio, ſimul decem uncialium millia ſtatim offerebantur, ſi circa temperanda exercitus poſtulata operam navaret. Id quod hic ſedulo facturum ſe recipiebat; oblatam tamen ſummam accipere detrectabat, quoad promiſſum ſtudium repræſentaſſet. Tum ſecreta hæc haberi petebat, quæ inter milites vulgata autoritatem ipſius deſtructura erant. Convenit inde ſervando in præſens exercitui tercentenis triginta millibus uncialium opus eſſe. Addebat Mortaignius, è re fore enormem legionum numerum coërceri; quod ne inviti admittant, ductoribus ſe perſuaſurum. Quanquam autem, cum ad exercitum rediiſſet, acta ejus initio ductores adſpernarentur, & rem integram ad Torſtenſonii adventum ſervare mallent: mox tamen perſuaſi quod offerebatur acceptant, de reliquis cum Torſtenſonio tranſacturi. Ne tamen promiſſa eluderentur, è ſuo numero Hamburgum mittunt, qui in conſpectu ſuo pecuniam à Salvio obſignatam certum apud hominem deponi curarent; quod eam ad exercitum deferri tutum non foret.

Dorſtena deditur: 10. Sept.

§. 48. Inter iſta Dorſtena, quam Geiſius tribunus hactenus defenderat, honeſtis conditionibus Hazfeldio deditur; cui ut ſubvenire poſſent Haſſi, tandem obtinuerant, ut non ipſi ſolum abirent, ſed & à Suecicis & Vinarienſibus aliquot equitum millia, & mille pedites è Weſtphalicis præſidiis ſub Kœnigsmarckii ducem adderentur.

15. Sept. Sed cum jam apud Rintelium Viſurgim tranſire parárent, nuntio deditionis accepto in caſtra re infecta redeunt; multum queſti, dum aliena vindicatum eunt, ſua ſe perdidiſſe. Ubi contendentibus licet Regiis præfectis, circa ſummam rerum potiſſimum ſervandam eſſe connitendum; pervincebat tamen Eberſteinius Comes, qui Haſſicis copiis præerat, ſibi utique laborandum eſſe, ne Landgraviæ res plane peſſumdentur. Igitur ut tuto ſtativa ſua per Weſtphaliam Haſſici attingere poſſent, bina equitum millia & mille pedites ſub Wittenbergio præſidio adjunguntur. Ita poſt Haſſos digreſſos ſoli Suecici & Vinarienſes in caſtris ad Sarſtedium remanebant. Nam Luneburgici jam antea in oppida ſua diſceſſerant, multa expoſtulantes, regionem ſuam ab hoſte juxta atque amicis evaſtari.

Haſſici diſcedunt. 26. Sept.

Torſtenſonius in Germania adpellit. 4. Octob.

§. 49. Adpellebat tandem Stralſundæ Leonardus Torſtenſonius, quem licet trium hebdomadarum adverſa navigatione irritatus morbus iterum lecto affixiſſet, ſtatim tamen copias undique excitat, quas ad exercitum junctim ducere conſtituerat, quo ſibi autoritatem, ſociis fiduciam adderet. Tum præmittuntur, qui apud Boizenburgum Albim ponte inſternerent, ubi paulum ſubſiſtere conſtitueret; ſimul quia Cæſarei miniſtri circa comparandum nomine urbium Hanſeaticarum exercitum Hamburgi ſatagebant, cui Clitzingius abdicata Luneburgicorum militia præficiendus erat. Et eo tempore Daniæ Rex Fulsbutelæ in Hamburgenſium agro caſtra poſuerat; de quo fide digni referebant, Leopoldo Archiduci promiſiſſe, ſi circa Electorem Palatinum, & communem Amneſtiam ſibi ſatisfieret, copias ſuas Cæſareis juncturum Suecis Germanico ſolo depellendis, pertracta quoque in partes Domo Luneburgica. Et ferebatur conſilium eſſe, poſtquam Torſtenſonius ad exercitum penetraſſet, à tergo circumventum, marique ſecluſum delere, unoque ictu bello finem imponere. Ut omnino circumſpectione aliqua opus foret, antequam à mari Torſtenſonius digrederetur. Enimvero exercitus Suecicus Sarſtedii metatus, quo etiam Wittenbergius poſt deductos in Weſtphaliam Haſſos reverterat, etſi premente non parum inopia ad bonam mentem fere redierat, ac novi ducis magnum præ ſe deſiderium ferebat, egregia Mortaigni tribuni circa ſanandos animos opera. Quem & una cum Dœrflingio tribuno Stralſundam miſerant, ut Torſtenſonio de adventu gratularetur, avideque ipſum ab omnibus expectari teſtaretur, modo aliqua ratione militis inopiæ ſubveniretur. Quos cum Torſtenſonius percontaretur, quo modo exercitui ſatisfaciendum, & incommodis, quæ iſtum premerent, medendum cenſerent? ipſo ad exercitum veniente omnia melius conventura reſpondebant. Chriſtianus quoque Ludovicus Luneburgicus Dux, quem iſti in itinere adierant, de extrema in partibus conſtantia teſtatus fuerat, modo promiſſum diu auxilium adveniret. Sed & in diem erat, quod Cæſarei apud Hanſeaticos machinabantur; quorum conatibus eludendis Clitzingius à Salvio ad ſumendam militiam Suecicam ſolicitabatur, in quam etiam ſe magis, quam in adverſam partem pronum oſtendebat. Et Dani arma magis ad tuendos proprios fines, premendumque Hamburgum, & mediationi ſuæ pondus addendum ſpectare judicabantur, quam ut aperte Suecos tunc laceſſiturus crederetur. Quæ & nondum eouſque invaluerant, ut non, ubi ſe commoviſſet, intra primordia opprimi poſſet. Igitur placebat ocyus ad exercitum ire, comitantibus iſti firmando ſexaginta duobus equitum, quadraginta octo peditum ſignis. Proximus à Torſtenſonio locus adſignatus erat Joanni Lilliehœckio hactenus Pomeraniæ Ulterioris Gubernatori, indignante Pfulio, qui ne quis ſibi præferretur apud Rectores Sueciæ inſtiterat. Quibus rationes reip. & belli excuſantibus, is abdicato munere Hamburgum ſe conferebat offenſæ manifeſtus, nec unquam viſo Salvio, à quo tamen magna pecuniæ ſumma ipſi numerata fuerat.

1641. Is ad exercitum ſe conferre conſtituit.

Cæſarei Kimbeccam capiunt, & multa alia loca. 13. Oct.

§. 50. Aſt Cæſarei ſucceſſibus mirum quantum inflati, & Suecicos magis indies ſpernentes Eimbeccam initio Octobris invaſerant. Poſt factos acceſſus, & quaſſata machinis mœnia ignis injicitur, qui tertiam fere oppidi partem in cineres redigit. Incendio graſſante octo per horas in exteriora munimenta à Cæſareis aſſultus fit; quos tamen obſeſſi non ſine clade acriter repellunt. Sed dum hoſtis ignes jactare pergit, oppidanis conſternatis Gœrzkius excubiarum prætectus animo concidens oppidum dedit, Hamelam cum milite ſuo dimiſſus. Quo nomine mox pœnas capite luit, cæteris quoque præfectis, præter duos, ignominiæ cauſa miſſis. Mox & Northeimum, Spiegelberga, Ericiburgum, & alia invalida oppida imperata faciunt. Hazfeldius quoque poſt captam Dorſtenam è Weſtphalia movens Mundam, & Duderſtadium in poteſtatem redegerat, quorum hoc Gœrzkius tribunus una cum Gleichenſteina arce duris legibus dediderat, præſidiario militi ad hoſtium ſti-

pendia

1641. pendia transeundi potestate facta; ut abeuntem tribunum è trecentis non nisi quinquaginta sequerentur. Castellæ eminus equitatu claudebantur, & excitatis ad Werram & Fuldam fluvios castellis magna vis frumenti congerebatur: ut omnia longe lateque Cæsareorum hospitiis paterent. Inde Goettingam Piccolomineus invadit, quam Schœnbergius & Oppermannus subtribuni cum mille provincialibus delectis tuebantur; quibus à Christiano Ludovico Duce injunctum erat, ut frænum mordentes oppidanos vel cum cæde compescerent. Eodem quoque Rotâ quingentis equitibus stipatus quingentos pedites in conspectu hostium immittebat; qui tamen in receptu per Hassiam incumbentibus Cæsareis ducentos suorum deliderabat. Sed quia id oppidum valido præsidio, & omnibus necessariis instructum erat, ingruente etiam hieme, & adpropinquante Torstensonio paulo post Cæsarei obsidium omisere.

Gimingam frustra obsident.

16. Oct.

Luneburgicorum postulata, &, promissa.

§. 51. Vix Boizeburgum accesserat Torstensonius, cum à Christiano Ludovico Duce missus adest Otto Mauderodius, qui demonstrata præsenti rerum facie petebat, periculum Domui Luneburgicæ imminens averteretur; ac ut à Salvio & Grubbio promissa Nienburgi, aliorumque locorum restitutio repræsentaretur. Cui Torstensonius; exercitui, Ducumque ditioni ocyus se subventurum. De Nienburgo differebat, quoad perspiceret, quomodo res se daturæ essent, & quid à Ducibus expectandum foret. Nam quicquid de Salvii, & Grubbii pollicitatione fieret, mutata interim rerum facie, ac tractatibus Goslariæ ferventibus, haut tutum erat reddito Nienburgo res Suecorum per Westphaliam evertere. Aderat quoque à Friderico Cellensi Duce Harburgius, qui & ipse auxilium poscebat, simul percontabatur, quodnam iter ipse ingredi velit, ut annona exercitui parari posset. Uterque legatorum confirmabat, statim atque Torstensonius adfuerit, equitatum Luneburgicum hactenus paulisper à Succico exercitu digressum, cum hoc denuo jungendum. Uterque amplissime de affectu & constantia Ducum in partibus testabantur. Inde cum copiis Albim transgressus Torstensonius Bleckedæ considet, longius inde progressus modico ab exercitu intervallo metaturus, ut si universus exercitus in potestate foret, suas copias cum isto jungeret: sin frænum idem moderet, in fide perstantes ad se pertraheret, pro re nata deinceps consilium capturus. Bleckedæ ipsum Luneburgici & Hassici Legati à conventu Goslariensi ad Daniæ Regem missi adeunt, qui gratulatione super adventu defuncti petebant iter ab ipso accelerari, quo istorum ditio præsentibus malis liberetur. Tum causas conventus Goslariensis exponunt, demonstrantes, à se Noribergæ & Ratisponæ acta id effecisse, ut de justitia consilii sui omnibus pateat, ac reliqui Protestantes, quæ saluti ipsorum faciant, penitius perspiciant. Nec Goslariæ aliud à se agi, quam ut via communi paci muniatur. Hac autem ad Regem Daniæ missione id quæri, ut ostentâ iniquitate conditionum Goslariæ sibi latarum is permoveatur, ad communis pacis tractatus acrius urgendos; idemque sulciendis Protestantium rebus arma expediat, aut saltem minetur. Unde, ne quid ex hac legatione suspicionis captetur, petebant. Denique ut circa restitutionem oppidorum præstentur, quæ in ipsius adventum promissa sint. Ad hæc Torstensonius; mox se auxilia Ducibus laturum adfore; communes pacis tractatus propediem ordiendos. De oppidorum restitutione forte coram cum ipsis Ducibus acturum de cætero pollicitus omnia, quæ tempus & ratio belli ferat. Ast Gunterrodius Legatus Hassicus secreto pandebat; esse Goslariæ, qui quacunque ratione cum Cæsare transigere ardeant. Eoque suadebat, ut exercitu propius admoto congressus iste turbaretur, ac maturato communis pacis conventu prætextum adversis consiliis adimeretur. Quin & fatebatur Schenckius, jamtum ad Guelferbytum infecta in Succos consilia fuisse agitata, ni boni quidam obstitissent.

Torstensonius Albim transgreditur 20. Nov.

Legatorum Luneburgicorum alia propositio. 21. Nov.

§. 52. Torstensonius inde per Medingam, Oldenstadium, & Hermsburgum, Winsenam ad Alleram progreditur; quo exercitus Sarstadio ob inopiam pabuli, ac ut eo commodius duci jungeretur, se contulerat. Heic primum opus erat à Friderico, & Christiano Ludovico Ducibus consilium exquirere, quid in præsens suscipiendum foret. Qui post consultationem inter se habitam legatos ad ipsum se missuros respondent. Mox & Belloregardius, ac præcipui ductorum Vinariensium accedunt denuntiantes; sibi decretum propediem Rhenũ versus movere, quod valida ibi supplementa è Gallia expectent, & firmato nunc Succico exercitu præsentia tua opus non amplius sit. Hac ratione distractis per se hostium viribus, rebus Succicis, & causæ communi plus emolumenti posse conciliari, quam si diutius juncti maneant; præsertim cum ægritudo exercitus recrudescere possit, si Succicus miles videat, Vinariensibus denuo pecuniam numerari, cujus solutio flagitantibus ductoribus diutius differri nequeat. Vera tamen discessûs causa erat, quod non solum opima sibi hiberna quærerent, sed & Rex Galliæ jussisset Guebrianum tantisper ea parte limitem Galliæ tegere, dum ipse totam belli molem ad fines Hispaniæ expugnando Perpigniano vertit. Contra Torstensonius ostendere: summæ rerum periculosum esse, ipsos ita repente rebus nondum rite dispositis, & antequam de hostium destinatis constet discedere. Etiam nunc ipsis junctis hostem equitatu prævalere; digressis se planè imparem fore, ac hoste pro lubitu grassante sat habiturum vim arcere; tandemq; receptus necessitatem impositum iri, quo Luneburgici & Hassici ad desperationem, & consilia Galliæ juxta ac Sueciæ noxia sint compellendi. Hostem arma ipsorum ad Rhenum non magis curaturum, quam quondam Banerio ad Torgam circumsesso; quippe cui decretum sit Suecos primum tota vi obtruere; inde cæteros evertere in proclivi fore. Ista semel iterumque ingerebantur Torstensonio in ipsorum stativa profecto, ac protestante, ut saltem eousque maneant quoad iterum propius hostem progressus foret. Enimvero hisce insuper habitis isti per Mindam trans Visurgim in Westphaliam discedunt. Ea res Torstensonii destinata non parum turbabat, cui animus fuerat istis permanentibus statim in hostem movere: ac Erfordia liberata iter ad Stalhantschium aperire, ut hunc ad se evocare, aut eidem auxilio venire pro re nata posset. Sed nunc ab iisdem destituto, & incerta Luneburgicorum voluntate quiescendum erat, quoad de horum consiliis & hostium conatibus pateret. Et quia commeatus ac pabulum trans Alleram rarescebat magna cum molestia militum longe petendum, simul sparsi hostium invasioni patebant, totus exercitus cis Alleram retrahitur, stativis inter id flumen & Sulzam dispositis. Ipse dux Bergis prætorium statuebat.

Torstensonius ad exercitum venit. 15. Nov.

Vinarienses discedunt.

24. Nov. Torstensonii destinata turbantur.

2. Dec.

§. 53. Ast Piccolomineus post omissum Goettingæ obsidium copias suas per Eichsfeldiam, Anhaltinam ditionem, & vicina loca in hiberna deducebat, missis in Halberstadiensem ditionem aliquot legionibus, ut eandem adversum Suecorum invasionem firmarent, tum operam darent, ne quid annonæ istorum adventu superesset. Universæ autem hostium copiæ, Cæsarei, Bavarici,

Piccolomineus in hiberna discedit.

Hazfeldius, & Saxonici, ita disposita erant, ut si res exigeret, facile conjungi possent. Ac Hazfeldius quidem in Thuringiam progressus copias inter Arnstadium & Gotham collocaverat, velut obsidium Erfordiæ minitans, non quod ad vim faciendam vires essent, sed quia spes erat varias per artes, & ostentata à Cæsare venia oppidanos in Suecos irritatum iri. Ferebantur quoque tractatus agitari inter eundem, ac Moguntinum Electorem super hujus jure in eam urbem in Hazfeldium transferendo. Quod jus in se derivare satagebat Saxoniæ Elector, & ne Hazfeldius solus res ad Erfordiam moderaretur, ipse eo se conferebat, quo captam urbem sibi vindicaret. Quæ res oppidanis evulgata parum grata erat, quod mallent ex veteri pacto Moguntinæ sedi subesse. Ita in Decembrem usque mensem Hazfeldius ibi quiescebat, nulla vi in urbem tentata: etsi copiæ ipsius interim non parum imminuerentur per desertiones, & catervis Suecicis ex urbe subinde carpentibus. Heldrunga tamen arce per id tempus Cæsarei potiebantur errore præfecti; qui cum Cæsareorum caterva adequitans pecora abigeret, ipse cum cæteris ductoribus, & septuaginta equitibus in istos eruptione facta, plerisque suorum cæsis cum reliquis vivus in manus hostium incidit. Qui in arce restabant, licet strenue arma capesserent, ad arcendam vim impares erant. Masfelda quoq; in Franconia arx perfidia præfecti natione Itali hosti traditur, qui & ideo Cæsaris sacramento accedebat.

Hazfeldius Erfordiam minatur.

Cæsarei Heldrungam & Masfeldam capiunt.

§. 54. Torstensonio interim præcipua cura erat, ut super stipendiis exercitui satisfaceret; quod negotium difficilius opinione procedebat præfectis, summam initio propositam acriter flagitantibus. Post multam demum disceptationem pronuntiat; plus se quam obtulerit præstare non posse, utcunque res ceciderit. Inde additis in futurum promissis pauci primum, mox eorum exemplo plures, demum universi adquiescunt. Sed cum è Suecia destinatum non sufficeret, centum octoginta millia uncialium insuper privata Salvii fide à mercatoribus Hamburgensibus mutuo sumenda erant; quod alias dilata toties promissa solutione seditio exercitus, ac rerum Suecicarum per Germaniam eversio imminebat. Inde cum Legatis Luneburgicis Thoma Grootio, Hodenbergio, & Ottone Mauderodio consultatur, Torstensonio de ratione belli gerendi, atque auxiliis proponente, istis super restitutione oppidorum ingeminantibus. Ac de primo quidem Luneburgicis videbatur ut Torstensonius quam primum exhausto jam Luneburgico agro in Halberstadiensem transiret. Sibi infessa ab hoste oppida Bockelam & Alfeldam expugnanda, ne Hildesiæ & Hanoveræ velut obsessi agant: quo fine mille quingentos pedites à Torstensonio commodari sibi petebant. Cui contra consultum non videbatur peditatum imminuere; eoque proponebat, se adjunctis Ducum copiis tentaturum, num ex itinere ista oppida expugnare possit. Id quod Luneburgici abnuebant, quod metuerent, ne deinceps eadem oppida milite Succico insiderentur. Obtendebatur tamen exhausta provincia toti exercitui alendo impar: sed proprias copias ei negotio sufficere, præsertim si Succici recta Goslariam, & ad Hercyniam sylvam progressi horum terga tuta præstent. Quod ad extremum Torstensonius annuebat, simul ut proprium militem locis expugnatis Duces imponerent, differrent tamen ea loca invadere, quoad ipse idoneam adversus hostes stationem cepisset. Offerebant præterea isti duas equitum alas Torstensonio conjungendas, non prius tamen quam Bockela & Alfelda capta; & ea quidem lege, ut non longius, quam ad Salam aut Onestrum abducantur, pari conditione cum Succicis habeantur, soliusque Torstensonii imperia excipiant. Tum si invadente domi hoste revocentur, ne detineantur: vicissim stipulati, si necessitas postulet vel toto cum exercitu Torstensonius ipsis subveniat. Id quod hic acceptabat, ut tamen de majore equitum manu instaret, quod hostes ea copiarum parte prævalerent. Ast restitutionem suorum oppidorum Luneburgicis exposcentibus ostendebatur: statuisse quidem Rectores Sueciæ Ducibus satisfacere; sed post ipsius è Suecia discessum, ubi de tractatu Goslariensi, & aliis mutationibus innotuisset, istos hæsitare. Unde fœdere à Ducibus nondum ratihabito, sibi novum ex Suecia mandatum expectandum. Quo responso offensi legati, cum de Ducum fide & constantia, exhaustis aut imminentibus malis, totiesque factis sibi promissis multa jactassent, spem sibi fuisse ferebant, tandem aliquando sibi satisfactum iri. Torstensonius quanquam Rectores Sueciæ in Nienburgi restitutionem haut consensuros nosset, & modica spes fœderis aut firmæ conjunctionis ostenderetur: tamen hac rerum facie Duces protelare tutum non rebatur; ne prætextum præberet Succorum partibus abdicatis ad hostem transeundi, culpa invidiaque facti in Suecos devoluta. Præsertim cum multi è Succico exercitu, ipsaque Landgravia censerent duriter Duces detentis oppidis haberi. Unde super Nienburgi restitutione, quæ potissimum quærebatur, hanc conditionem ferebat, ut vel præsidiarii in Ducum æque ac Reginæ verba jurarent, vel præsidio deducto munimenta solo æquarentur. Addebat tamen, non prius hac se conditione teneri velle, quam ratihabito fœdere, & abrupto tractatu Goslariensi, omnibusque controversiis cum Cæsare ad communem pacificationem rejectis. Legati fœderis vocabulum repudiabant, licet à paris valoris conventione abhorrere non viderentur. Goslariensi tractatu asseverabant privata duntaxat Ducum negotia agitari, nullo sociorum Regum, aliorumque præjudicio. Satis se Pragensis pacis fructus degustasse, eoque omnia rempublicam spectantia ad communes tractatus reservare. Quod si tamen Goslariæ privatis Ducum desideriis consulatur, non esse, quare id repudient. Sociis Regnis offensæ antàm se haut præbituros, ac quantum in se operam daturos, ut Goslariæ, & Osnabrugæ Suecis satisfiat. Quanquam autem conditione à Torstensonio lata utcunque placati viderentur, instabant tamen, ut citra exceptionem oppida sibi sua restituerentur, ac Torstensonius diuturnis ipsos stativis quam primum liberaret. Hic de discessu annuere; super Nienburgo restituendo Reginam consulturum. Interim curaturum, ut in gratiam Ducum minoribus quibusdam locis præsidia deducantur, si prius sibi caveatur, munitiones plane destruendas, nec novum illis præsidium imponendum; tum ut tributa in usum sui exercitus prorogentur. Hoc responso accepto 23. Dec. isti discedunt.

Torstensonius exercitui satisfacit.

Acta Torstensonii cum Luneburgicis.

1641.

§. 55. Inter hos tractatus Torstensonius acutissimo corripitur morbo, quo si extingui ipsum tunc contigisset, periculosissimo res Succorum in Germania statu erant, nullo pari autoritate apud exercitum, & qui tot difficili ingenio homines temperare posset. Nam Lilliehoeckius adhuc recens, Wrangelius alio abierat, Wittenbergius crure fracto decumbebat, Pfulius cingulum posuerat, solus Kœnigsmarkius apud equitatum, Mortaignius apud peditatum supererant. Intra paucos tamen dies è morbo refectus ducis munia iterum exercere incipiebat. Alias ab hoste ad anni usque finem nihil tentatum, nisi quod mense Decembri Sperreuterus

Periculosa exercitus conditio Torstensonio ægrotante. 9. Dec.

Irritus hostium conatus.

41. tens cum quinque equitum millibus ſinuato per Uleenam itinere raptim ſtativa Suecorum incurrere conaretur, poſt oppreſſos quos poterat apud VVintenam trans Alleram faceſſiturus. Sed Hœtingslebius ſubtribunus cum ducentis equitibus in Halberſtadienſem agrum miſſus, ac manu iſti impactus amiſſis ſuorum triginta de Sperreuteri adventu divulgabat qui deprehenſum ſe ſentiens re infecta ad ſuos rediit. Apud hoſtes Hazfeldius in Superiorem Haſſiam & Wetteraviam, relicta Thuringia, tendebat reficiendis ibi copiis, & ut tractum Rheni inferiorem adverſus Haſſos & Vinarienſes tueretur. Quorum illi à Suecis digreſſi, novisque in VVeſtphalia copiis aucti ſub finem Octobris Rhenum transgrediuntur, Santenamque, Sonsbecam, & Alpenam in poteſtatem redigunt. Cœptum tamen Ordingæ obſidium re infecta ſolvunt; conatu quoque in Keiſersvverram fallente. Ac dum Hammum repentino aſſultu opprimere inſtituunt, centum quinquaginta ſuorum amiſere. Propoſitum iſtis erat Colonienſem & Juliacenſem agrum tributis ſubjicere; ac Piccolominei, & Hazfeldii conjunctionem Proteſtantium rebus tam pernicioſam diſtrahere. Eodem quoque Eberſteinius Comes cum reliquis copiis, quæ præſidiis VVeſtphalicis detrahi poterant, ſequitur. Hiſce repellendis agreſtium complura millia conglobantur, quibus aliquot equitum ſe turmæ jungunt, quæ ſub Eppio tribuno manum Haſſicorum apud Alpenam opprimunt. E VVeſtphalia quoque Vehlenus cum tribus militum millibus adproperabat. Tum fœdus mutuæ defenſionis inter Colonienſem Electorem, Palatinum Neoburgicum, & Leodienſes agitabatur, cui Melander præficiendus dicebatur; quem ad ſe nuper accedentem Cæſar omnibus gratiæ indiciis exceperat. Et idem ſtatim Neoburgico, & Juliacenſibus Ordinibus per literas injunxerat, omnem neutralitatem abrumperent; Gallis, Vinarienſibus, Haſſis receptum, tranſitum, ſtipendia ne præberent, ſed hoſtilia iisdem intentarent. Vinarienſes contra poſt relictos Suecos, cum paulum in Oſnabrugenſi agro quieviſſent, & ipſi Haſſos ſequi inſtituunt. Ad finem tamen anni usque circa Veſaliam hærebant, quoad cum præfecto ejus oppidi ſuper tranſitu Rheni convenirent. Eorum adventus ingentem terrorem tractu Rhenano dabat. Et quanquam provinciales in Colonienſi agro, ac Juliacenſes Ordines autoritate Cæſaris invito quantumvis Palatino arma caperent; tamen tumultuariæ manui diſſiſi Lamboium quem nuper ægre extruſerant, è Belgio evocant; qui & cupide trajecto apud Venloam Moſa iſtis obviam ſe ferre inſtituit.

Haſſi trans Rhenum abeunt.

Ut & Vinarienſes.

Contra quos Lamboius evocatur. 27. Dec.

§. 56. E Sileſia Stalhantſchius initio anni, poſtquam capta ibi loca idoneis præſidiis firmaſſet, verſus Luſatiam Inferiorem, & Marchiam progrediebatur, cum jam Brandeburgicæ copiæ irruptionem in Pomeraniam agitarent. Quæ audito hujus adventu raptim intra Berolinum ſe conjiciunt, ejus urbis defenſionem ope civium & provincialium molientes, quo fine ſuburbia, ac vicina prædia incendunt, Stalhantſchius aquis paſſim gelu conſtrictis urbem tentare inſtituit. In itinere Zoſſenam arcem centum quinquaginta dimachis inſeſſam capit, captamque demolitur. Tum à Præſidibus Pomeraniæ auxilium ſibi ſubigendo Berolino ſubmitti poſtulat. Sed remittente frigore, ac vaſtitate Marchiæ territus in Luſatiam regreditur. Sileſiæ ſimul rebus, ac Saxonicis, Brandeburgicisque in Pomeraniam conatibus obſervandis. Et quia à Banerio juſſus erat, ſi hoſtis è Sileſia in primarium Suecorum exercitum moveret, è veſtigio inſequi, legiones ita diſponit, ut ſi opus foret ſtatim contrahi poſſent. Duæ quoque equeſtres legiones Juterbocæ locantur, quæ una cum tribus Luccæ tendentibus hoſtem perpetuis incurſibus fatigarent, ac ſi quid forte copiarum pontem ad VVittebergam tranſiret, obſervarent. Ita Cæſarei per ſuperiorem Sileſiam, Sueci per Luſatiam hibernorum quiete fruebantur, nulla re memorabili geſta, niſi quod VVanckius Gœrlicii præfectus adſcitis duabus Boleslaviæ hoſpitantibus equitum turmis Biſchofsverram ſcalis admotis capit, ac integram equitum turmam opprimit. In reditu centum pedites Dreſda egreſſos offendit, quorum viginti amplius concidit, reliquos captivos abſtrahit. Poſt cum nunciatum eſſet, aliquot hoſtium legiones è Sileſia Zvviccaviam mitti, ac Banerii exercitum ſuperato Sala in tuto eſſe, Stalhantſchius ſtatim verſus Superiorem Sileſiam movet, ut vel iſtarum legionum iter impediret, vel imminuto jam hoſti aliqua noceret. Qui & ſtatim Suecorum audito adventu apud Neiſſam, & Strelenam copias Gœtzio duce contrahit. In quem etſi Stalhantſchio ire animus eſſet, tamen agris inter montes & Oderam plane vaſtatis, ac oppidis ab hoſte inſeſſis, unde militem aleret non reperiebat. Igitur ne fruſtra iter ingreſſus foret, de Glogovia majore ſubigenda cogitationem ſuſcipit. Ac ut tergum ſibi tutum præſtaret, Lubenam arcem, Ligniciam inter & Glogoviam ſitam, ſexaginta peditibus inſeſſam capit, hoſte ſe haurquidquam movente. Inde Heinzendorfum arcem petit, infeſtandis itineribus moleſtam, & ſitus opportunitate non ſpernendam. Cæſarei ad Kazbacum fluentum inter Ligniciam & Parchvvitzam caſtris poſitis, novem licet bellatorum millia explentes Suecos quinque millia parum excedentes recta via invadere non audebant, quod hi impeditis locis conſediſſent. Sed repente inter Suecorum caſtra & Glogoviam ad Oderam properant, ut Beutenam & caſtra fluvio adſita interciperent. Stalhantſchio de hoſtium itinere nuntius veniebat ea ipſa hora, qua præſidium Heinzendorfii, quinquaginta militibus conſtans, ſuper deditione agere inciperet. Igitur ut eo negotio defungeretur, honeſtas illi conditiones indulget, ac firmata præſidio arce inter Beutenam ac hoſtem itinere properato dimidium ante diem, quam hoſtis Oderam attingit, ac celſiore loco aciem explicat. Mox & hoſtis inſtructis ordinibus intra quadrantem milliaris ſubit, præter leves velitationes nihil auſus. Stalhantſchius cum hoſtem numero longe prævalere videret, per noctem loricam caſtris prætendit, quod crederet, ſequenti die iſtum recta in ſe iturum. Sed is præter modicas velitationes nihil tentans, cum ad veſperam usque in acie conſtitiſſet, diſploſis omnibus tubis ac tormentis retro vertit, & quadrantem milliaris abhinc ad Oderam caſtra munit, quem & ponte inſternit, Stalhantſchio commeatum è Polonia, & qui adverſo flumine ſubvehebatur, ſimul commercia cum præſidiis trans Oderam interceptum. Ita ſub finem Junii munitis utrinque caſtris conſidetur, duriore Suecicorum conditione, quibus frumenti copia non niſi è modicis ſuis ſtativis erat, cum Cæſareis amica Polonia, & tota retro Sileſia pateret, equitatu quoque longe prævalentibus. Dum ita in propinquo deſidet uterque exercitus, quotidianis fere velitationibus certabatur, proſperiore ut plurimum Suecicarum fortuna, qui modicis, ſed crebris damnis hoſtem carpebant; inter alia equitum triginta manu centum quadraginta hoſtilium equitum catervam intercipiente.

1641.

Idem in Sileſiam movet.

Lubenam & Heinzendorfum capit. 2. Jun.

Hoſtem prævenit. 16. Jun.

§. 57. Enimvero poſt aliquot dies hoſtis caſtris excedere, ac celſiore in loco ordinibus explicatis ad veſperam usque conſiſtere: unde Bobera flumine

Hoſtis ab Odera item ad alia. 3. Jul.

1641. mine inter Sprottaviam & Boleslaviam ſupera-
to recta in Superiorem Luſatiam tendere. Ubi
primo Lauba peditum cohorte Succica inſeſſa
magis oppidanorum proditione, quam vi armo-
Gœrlicium obſidet. rum ſubigitur. Inde Gœrlicium petitur, quod
Wanckius ſubtribunus cum duodecim deſulto-
rum centuriis obtinebat, ab annona & adpara-
tu bellico ſic ſatis inſtructus. Adducebat eodem
Saxoniæ Elector mille quingentos equites, duo
peditum millia, Luſatiam iſto oppido expugnato
à Succis utique purgaturus. Stalhantſchius hoſtem
quidem inſequi ardebat; ſed numero prævalen-
tem prælio lacesſere, ac ſummam rerum per Sile-
ſiam, à qua ſecuritas Meclenburgicæ & Pomera-
niæ magnam partem pendebat, aleæ ſubjicere ra-
tionis non erat. Unde placebat in arrepta ſtatio-
ne ſubſiſtere, & ſupplementa è Pomerania expe-
ctare, cujus Præſides bis mille pedites totidem equi-
tes poſcebat; quo apertis camporum par eſſet ho-
ſti Saxonicis nunc copiis aucto; ad quem etiam in
caſtris apud Gœrliciam ex aula Cæſareis acceſſerat
Franciſcus Albertus Lauenburgicus Dux, Arn-
heimii conſilia executurus, ſuſcepto tunc ſummo
in exercitum imperio, quem juſſus erat ad decem
peditum quinque equitum millia augere, Ode-
ramque & Havelam tueri. Quo fine & paſſim de-
lectus fervebant; ad quos cum Hamburgenſes ac
Lubecenſes pecuniam ſuppediturí dicerentur,
30. Jul. Rectores Sueciæ literis eos monebant, ne ſuble-
varent expeditionem ipſis quoque demum exitio-
ſam futuram. Porro Gœrlicii Wanckius ſuburbia
incenderat, ac parte oppidi in extremi uſum refu-
gii novis munitionibus abſciſſa, de auxilio ſecurus
Electori deditionem imperanti ferociter reſpon-
derat. Nec ſegnius defenſionem adminiſtrabat, ut
opinione diutius obſidium extraheretur. Et cum
Elector continuis fulminationibus neque pulveri
neque machinis parceret, iſte non niſi certos ictus
dirigebat, quorum unus ſubtribunum ad latus E-
13. Aug. lectoris diſcerpebat. Poſt ruinam editam & incen-
ſos cuniculos validus aſſultus datur in quo præter
ducentos Saxonicos octingenti Cæſarei cæſi aut
ſauciati, quos inter ſubtribunus, excubiarum præ-
fectus, novem centuriones, aliique ductores.
20. Aug. In oppugnando quoque molendino centum quin-
quaginta hoſtium periere. Cæterum quia metue-
bat hoſtis, ne Stalhantſchius obſeſſis ſubveniret,
caſtra lorica circumdat, & caſtella idoneis locis ex-
citat. Iſti equidem bis mille octingenti milites è
Pomerania acceſſerant, cum plures mittere Præſi-
des provinciæ rebus apud primarium exercitum
Stalhant- ſchius Sa- ganum procedit. 14 Aug. 16. Aug. ambiguis non auderent. Horum acceſſione quan-
quam nondum hoſti par, Brandeburgicis inſuper
copiis aucto, propius tamen ſubire conſtituit, ſi
fors occaſio daretur hoſtem infeſtandi. Unde re-
lictis inter Beutenam & Glogoviam caſtris Saga-
num usque progreditur. Neque tamen hoſtem
numero ſuperiorem intra munita caſtra invadere
tutum putabat, nec ob interjectas Sagano & Gœr-
licio continuas ſylvas propiorem capeſſere ſtatio-
nem dabatur, omnibus circum ab hoſte vaſtatis.
Unde ibi ſubſiſtere neceſſum erat, ut tamen ſubin-
de caterva in hoſtem emitterentur, ſimul obſeſſis,
quels ſuper adventu ſuo ſignificabat, animus ad-
deretur. Etſi vix ullum operæ pretium fieret, da-
tis acceptisque damnis, quæ Succis ob paucitatem
gravius ſentiebantur. Et acrius Gœrlicium indies
urgebat Elector vel cum excidio potiri oppido per-
vicax. Unde obſeſſis licet per continuas eruptio-
nes renitentibus propius ſemper vis admovebatur.
12. Sept. Accedebat demum pulveris pyrii defectus, de quo
VVanckius Stalhantſchio ſignificabat; ni cito ſub-
Wanckio deditionem veniatur, non diutius ſuſtineri poſſe. Cum igi-
tur huic nulla facultas liberandi oppidi foret,
Wanckius demum honeſtis conditionibus liberũ 1641.
diſceſſum paciſcitur. Nec eo ſecius hoſtis abrupto Leges non
pacto qui quondam ſub Cæſare aut Saxone ſtipen- ſervantur.
dia fecerant, poſt capti Succicam militiam ſumſe-
rant, abſtrahebat, ut ex undecim centuriis,
quæ oppido excedebant, vix trecenti à Wanc-
kio Saganum deducerentur. Obtentui Elector tu-
mebat, quod & antehac Loitii in Pomerania legio-
ni ſuæ deditionis leges ſervatæ non eſſent, idque
ipſum Cæſareis Wolaviæ contigiſſet. Convен-
tum præterea fuiſſe, ut capti utrinque dimitteren-
tur, & quod adparatus bellici ſupererat Saxonicis
conſignaretur; quorum neutrum Wanckio fuerit
præſtitum, quin inſuper præfectum vigilum Sa-
xonicum ab illis cæſum, ſigniferum ſauciatum. Et-
ſi Wanckius in eos, qui hoc facinus patraverant, è
veſtigio animadverſiſſet.

§. 58. Poſt expugnatum Gœrlicium Franciſcus Hoſtium
Albertus cum exercitu Boberam verſus movens progreſſus
primo Boleslaviam per quatriduum incaſſum ten- per Sileſi-
tat. Inde Beutenam oppidum defenſioni ineptum am.
diripit; ſed caſtellum in Oderæ inſula poſitum poſt 17. Octob.
inanem vim quadringentis militibus eminus cir-
cumſidendum commendabat. Mox Freiſtadium
tenui præſidio inſeſſum citra laborem, arcem vi
admota in poteſtatem redigit. Hinc Grunbergæ
aliquot per dies ſubſiſtit, uti credebatur, Croſ-
næ inhians, qua obtenta receptus Succicis præclu-
ſus videbatur. Sed quia præſidiarii Crotinæ alacrem
defenſionem adornabant, ac in exhauſta regione
nihil annonæ occurrebat, Naumburgum flectit, 2. Nov.
ac denuo Bobera transmiſſo Sommerfeldæ conſi-
det, ubi ex utraque Luſatia ſubvectio patebat.
Ita intra duo milliaria Succorum caſtra circum circa ambierat, ſi forte in aperta camporum eos per-
trahere poſſet. Enimvero Succos multitudo ho-
ſtium immotos apud Saganum ſubſiſtere ſubigebat
magna cum miſeria luctantes, cum hoſtis equitum
numero triplo ſuperior quotidie circa caſtra vaga-
retur; ut nemini longius progredi liceret. Et
jam abſumtis omnibus ne parſimoniæ quidem, qua
tenuem hactenus penum aluerat Stalhantſchius,
locus ſupererat. Subſiſtendum tamen utique erat,
ni præſenti ſe exitio objicere vellet, quoad hoſtis
transmiſſo iterum Bobera ſpatium receptui dediſ-
ſet. Et quia caſtra hoſtis apud Sommerfeldam po- Stalhant-
ſita iter Crotinam verſus abſciderant, Stalhant- ſchius in
ſchius modico præſidio Sagani relicto Beutenam il- hiberna ſe
lætus evadit; ibique ſuperato Odera Zullicham de- recipit,
ſcendit, ac legiones non melius habitas, quam ſi 17. Nov.
adverſo è prælio profugiſſent, inter Oderam &
VVartam fluvios in hibernis diſponit. Stalhant-
ſchio digreſſo hoſtis nullo negotio Saganum, Sprot-
taviam, Lubenam, & Heinzendorfum recuperat,
ac denuo circa Freiſtadium metatur. Unde me-
tuebat Stalhantſchius, ne forte per Oderam gla-
cie conſtrictum hoſtis ingruens hiberna ipſius tur-
baret. Eoque diligenter ejusdem motus explora-
re, ac legiones paratas eſſe jubere, ſi res exigeret
Landsbergam ſe recepturus. Sed eo metu ſoluta
ipſum glacies liberabat, & quod Lauenburgicus
ſuperato apud Glogoviam flumine circa Guraviam
copias in hiberna deduceret. Cæterum exercitus i- 17. Dec.
ſte Succicus tantum non ad extrema redactus erat. Miſera ex-
Legiones attritæ laboribus, ac numeris inminu- ercitus
tæ. Regio quam inſederant vix panem ad modi- Succici
cum tempus præbebat; nedum ut copiæ inde reſici conditio.
aut ſuppleri poſſent. Et jam ductores conſumta
patientia ſeditioſas voces ſpargere, ac lautiora ho-
ſpitia, pecuniamque flagitare. Quibus malis Stal-
hantſchius remedium per literas & miſſo Helmol-
do VVrangelio apud Torſtenſonium quærebat,
expoſita quoque virium inæqualitate, cum Succi
vix tria equitum, totidem peditum millia additis
ſeptin-

1641. septingentis explerent; hostis contra septem equitum, sex peditum millia in campum educere posset, novis insuper delectibus magis firmandus. Cui & Polonia non parum favebat, ubi quanquam sollicitante Legato Gallico Avaugurio publice interdictum esset, ne ex eo Regno miles trans limites educeretur, clam tamen omnibus modis Cæsarei sublevabantur. Nec pauci militum conquisitores Cæsarei in finibus Poloniæ versus Sternbergensem districtum hærentes Suecicos, qui ob inopiam frequentes deserebant, suis stipendiis addicebant.

Per Pomeraniam & Marchiam gesta.

§. 59. In Pomerania Suecos inter & Brandeburgicos mutuis excursionibus certabatur, his Paschvalci & circa prædas agentibus, illis duodecim infra Custrinum vicos aquis circumfluos aditum sternente glacie flamma delentibus, quod remissum subito gelu nihil avehi pateretur. Ast Schvvartzenbergius Comes Marchiæ præses apud conventum Ordinum ejus provinciæ proposuerat de quatuordecim novis legionibus conscribendis, ac hisce licet abnuentibus, delectus ordiri cœperat, Havelandia & Tolbovienſi districtu recens collectis in stationem assignata. Hisce conatibus disturbandis, ac ut Pomeraniam onere levaret Joannes Lilliehœkius tribunum Thuronem Bremium cum sedecim centuriis equitum peditumque excurrere jubet. Qui itinere per Zedenicum & Grenseam facto, Ruppinum cum adsita arce nullo negotio in potestatem redigit. Inde Havelbergam progressus in itinere duas equitum turmas opprimit. Havelbergæ Basilica milite vacua reperiebatur. Sed qui oppidum insederat centurio cum quadraginta peditibus Suecorum adventu animadverso in VVerbense castellum confugit. Ita oppidum istud, & magna Havelandiæ pars nemine resistente in potestatem venit, ac Ratenavia præsidio firmatur. Enimvero in Marchia novo sub Electore alia videbantur consilia agitari. Quem Schvvartzenbergius, cui dimovendo commoda occasio quærebatur, ægritudine animi extinctus non modica cura solvit, ne is forte Spandoam, Custrinumque in Cæsaris manus consignaret. Consilium Electori erat apud Cæsarem obtinere, ut suo nomine præsente tamen Cæsareo ministro, cum Suecis super legibus pacis agere posset, eoque fine inducias per Pomeraniam, & Marchiam cum his inire cupiebat. Quæ an Suecis placerent, per Schliebium tribunum è Præsidibus Pomeraniæ percontabatur. Ab Avauxio quoque scriptis literis petebat, ut per Salvium aliosque amicæ transactioni inter se ac Suecos fundamenta poneret, aut saltem ut induciæ aut neutralitas sibi concederentur. Id quod Avauxius vehementer suadebat, qui spem inde Electorem in partes pertrahendi conceperat. Publice quoque Elector per Marchiam edixerat, ut hostilia adversus Pomeraniam, & agentes ibi Suecos omitterentur. Suspicionem tamen hisce excitabat, quod Cæsar per Martinicium Comitem ab eodem petierat, equitatum sibi suum concederet ad exercitum, quem sub Arnheimio & Lauenburgico formatum ibat. Id quod Elector annuebat majore parte eodem dimissa, qua Cæsar pro lubitu uteretur. Excusabant tamen Brandeburgici: equitatum istum Cæsari jam ante jurejurando devinctum, qui & ideo refractarium se Electori exhibeat, ac Marchiæ oneri magis quam commodo sit; cujus ideo missionem Ordines provinciales flagitarint. Ita istum occasionem eo se onere exsolvendi arripuisse. Et in septingentis non amplius equitibus exiguum momentum fore.

6. Mart.

11. Mart. Suecici in Havelandiam irrumpunt.

Brandeburgici in pacem inclinant. 5. Mart.

Axelius Lilius in

§. 60. Mox ipse Axelius Lilius cum aliquot peditum centuriis in Havelandiam proficiscitur, ubi secus quam crediderat, nil frumenti inveniebat, nisi quod incolæ hinc inde defoderant, ipli Spandoam & Brandeburgum Vetus refugi. Posterius quoque oppidum, uti constituerat, invadere non poterat, quod Stalhantschius tres legiones è Silesia huc missas revocasset. Dum Navvæ metatur, mille amplius Brandeburgici equites ante oppidū se ostendebant; sed ipso contra progresso cum minore licet manu isti pugnam conserere non ausi retrocedebant, amisso signifero & aliquot gregariis. Ad eum inde Borgstorfius tribunus mittebat, qui denunciaret; cum Electoris Legatus jam in Sueciam profectus sit instaurandæ amicitiæ, ipse Havelandia decederet; quo facto & Brandeburgicos nil hostile in Suecos extra Marchiam suscepturos. Habebat in mandatis Lilius, amicitiæ officiis cum Brandeburgicis paria facere; nec tamen occupatis locis decedere. Igitur dissimulata oppidorum restitutione in id consentiebat, ut hostilia utrinque omitterentur, modo copiis suis frumentum præberetur. Cujus & mox aliquantum Havelbergam convehebatur. Sed quia interim mutata apud primarios exercitus rerum facie Cæsarei per Magdeburgum facile ingruere poterant, qui & Brandeburgicis operam suam ad Suecos expellendos obtulerant; simul nihil annonæ à provincialibus nisi per vim exprimi poterat, ac inter res ancipites Pomeraniæ cumprimis ratio habenda erat: igitur deportato VVitstocum ex Havelandia frumento ipse in Pomeraniam cum peditibus redire constituit; ut tamen discessum suum Electori velut instaurandæ cum ipso amicitiæ susceptum imputaret. Ruppini tamen & VVitstoci equites, & pars peditum relinquitur; quibus interdicitur quidquam per vim provincialibus eripere, aut ullo modo ipsos lædere. Havelbergæ quoque præsidio imponitur obtinendo Havelæ transitu. Exadversum Ernestus Brandeburgicus Marchio è Borussia in Schvvartzenbergii Comitis locum succedens, post obtentam Spandoam, cui Cæsarei jam imminebant, amicum se Suecis exhibere, ac statim edictum promulgare, ne quis suorum in Pomeraniam aut Meclenburgicam excurrat: tum & Lilliestrœmium olim captum dimittere, Saxone frustra intercedente. Apud Lilliehœckium quoque instat, ut copiæ Suecicæ è Marchia deducantur, quoad missa in Sueciam legatione super neutralitate convenerit. Cui iste multa cum verborum humanitate Reginæ sibi jussa expectanda excusabat. Ita hostilia inter Suecos & Brandeburgicos cessabant; & reliquo anni omnia per Pomeraniam pacata erant, nisi quod Crocovius delectibus agendis per Borussiam & Cassubiam operatus nonnihil suspicionis excitabat; quem fama erat Lauenburgico è Silesia ingruente hac parte incubiturum. Nec eo secius idem literis ad Lilliehœckium, & Regni Cancellarium datis, ac per Goldsteinium tribunum operam suam Suecis offerebat. Queis tamen circumspectio adhibenda videbatur circa hominem bello quidem non spernendum, sed qui quondam citra missionem ipsorum partes deseruerat. Ast ille moræ impatiens, quod cupide suam operam arreptum iri speravisset, an quia rem serio non egerat, ac tantum summa pecuniæ Suecos emuncturum se crediderat, partibus Cæsareis constanter adhærebat nullo Suecorum sensu, quibus homo ingratus, seditiosus, & semper querulus parum cordi erat; sed non leviter indignante Goldsteinio, qui operam isti Suecorum militiæ adjungendo frustra sumserat.

1641. Marchiam progreditur.

Idem inde excedit, subsidia in Brandeburgicos hostilibus.

5. Maji.

§. 61. In Saxonia Inferiore circa initium anni novum incendium moliebatur Hermannus Boothius, qui è Borussia cum aliis Cæsareis ductoribus veniens de conscribendis aliquot legionib' & loco

Hermanni Boothii machinationes in

ad

1641. Saxonia Inferiore.

ad Mare Balticum occupando agitabat, ipſi quoq; Wiſmariæ inſidiatus. Tum ſuper nova in Livoniam irruptione conſilia miſcebat; ut incitante Cæſare Coſacci Zaporoviani Poloniam pervaderent, quibus è Polonia manus à Korſio tribuno adjungenda foret. Et perſuadere Polonis conabatur Cæſareus miniſter Greiffenclovius, ne Cæſarem circa Livoniæ occupationem impedirent, quod ea via Sueci quam commodiſſime Pomerania iterum avelli queant; ac Livonia à Cæſare poſſeſſa Poloniæ deinceps propugnaculi inſtar adverſus Succos & Ruſſos futura ſit. Enimvero turbandis Boothii conatibus Salvius ſocios aliquot ipſius pecunia corrupit; quos inter Soltavius quidam fuit Succus ortu, qui è Suecia quondam ob delictum profugus, inde Cæſarea ſub militia ſubtribuni munere fungebatur. Is accepta à Salvio pecunia, & promiſſa impunitate Boothium vivum aut mortuum una cum ſcriptis traditurum ſe pollicebatur. Sed cum Salvius animadverteret, nihil aliud à Soltavio agi, quam ut argento ipſum emungeret, alia via rem aggreſſus, Baſthorſtum, quod primo loco à Boothio invadendum erat, milite è VVilmaria præſidio firmari curat. Inde per aliquem è ſociis pecunia emtum, ut is Buxtehudæ detineretur, efficit, ubi rogante Duce Harburgico in cuſtodiam ab Archiepiſcopo Bremenſi datur; id quod hic Salvio antea petenti abnuerat. Soltavium autem Salvius in ædes ſuas pellectum, mox rhedæ ſuæ impoſitum Lauenburgum, hinc VViſmariam mittit. Unde in Sueciam deductus capite pœnas luit. Is inter alia faſſus fuerat, Boothium circa irruptionem in Livoniam à Poloniæ Rege adjutum. E reliquis Boothii ductoribus Salvius pecunia quosdam ſibi adjunxit; reliqui venditis armis, quorum non modicum numerum iſte Hamburgi paraverat, in diverſa abiere. Ita ignis iſte intra primas ſcintillas oppreſſus. Boothium tamen ut in manus ſibi traderet Archiepiſcopus, nullo modo impetrare Salvius valebat, quod is excuſaret; jure gentium fas non eſſe, unum bellantium in alterius manus tradi ab eo, qui neutrarum ſe partium ſerat: ac Cæſari tale quid petenti non minus ſe negaturum. Cæſarem jam ante ſibi ſat iniquum, id quod nuper in cauſa ipſius adverſus Bremam urbem oſtenderit; hoc facto plane irritandum. Tum à Duce Harburgenſi ſe rogatum, ut iſtum ſiſteret, quo hic jure cum ipſo experiri ob inſidias oppido Harburgo ſtructas, ac cum Duce Georgio negotium communicare queat. Nec eo minus Harburgico Duci reſponderat: Sibi conſtare, Boothium Cæſaris eſſe militem, cujus dimiſſionem Cæſareus legatus, & Buxtehudenſes metu periculi in futurum inſtantes poſtulent. Igitur ſe accepta cautione iſtum dimiſſurum. Id quod & faciebat, licet rogante Harburgico, ut eum ſaltem detineret, quousque à Duce Georgio reſponſum accepiſſet. Aſt ſuper abducto Soltavio Luzovius apud Senatum Hamburgenſem graviter queri; Cæſareæ militiæ iſtum eſſe ſubtribunum, ac Salvium ad ſatisfactionem ob id autum compellendum. Nec minus Senatus arguebat jurisdictionem ſuam violatam; eoque abductum reſtitui poſtulabat. Adverſus Luzovium Salvius demonſtrabat; Soltavium annum abhinc ab Archiduce miſſionem accepiſſe; nec Boothio fidem de integro obſtrinxiſſe, quippe qui mutuo perfidiam & proditionem exprobraverint. Regia pecunia per duos menſes ſuſtentatum; & cum Cæſareus miles non amplius ſit, ad ipſum id negotium haut pertinere. Hamburgenſibus reponebatur: Iſtum hominem ſubditum Reginæ eſſe, & in ædibus ſuis comprehenſum. Legatis jus eſſe famulos ſuos domi ſuæ in cuſtodiam dare & punire, non implorato magiſtratus ubi degunt ſubſidio; qui ſi Legatum tale quid ſuſcipientem impedire velit, in Principis faſtigium, & jus gentium delicturus ſit. Legatorum porro privilegia ad vehicula quoque & naves eorum porrigi. Unde Senatum non habere, quod queratur, Soltavio in ſua rheda per ipſorum ſolum transvecto; quæ violari ſalvo jure gentium non potuerit. Et cum alios ſuos miniſtros curru ſuo transvehere liceat, quare noxium miniſtrum non liceat? Jurisdictionem ipſorum ad Legatos ſummorum Principum non pertinere; eoque eandem à ſe violari non potuiſſe; quam nec violare animus ſibi fuerit, ſed tantum perfidum miniſtrum in cuſtodiam redigere. Nec ſua intereſſe, interpoſita proteſtatione jurisdictioni ſuæ cavere velint. Enimvero mox conticeſcebat & Luzovius, qui ob ſecretos quos agitabat tractatus Salvium irritare nolebat; & Senatus, qui in ſpeciem magis quam ſerio rem egerat.

1641.

Salvius illi obſiſtit.

Boothius capitur.

13. Mart.

Idem à Præſule Bremenſi dimittitur. Super abducto Soltavio querela.

§. 62. Inſtituebant poſt Hamburgi conventum præcipui Hanſeaticorum Lubecenſes, Bremenſesque ipſis cum Hamburgenſibus deliberaturi, quid agendum ſibi ſit quod Cæſar acriter ipſos urgeret, ut ex decreto Ratisponenſi exterorum Regum ductores & miniſtros amoveant, pecunias ipſorum ne trajiciant, nec annonam aut paratū bellicum iisdem vendant. Ea occaſione gravis querela movebatur, quod præfecti Suecici oppidorum, quæ Albi alluuntur, velut ſuo nomine navigia mercibus onuſta pecuniæ quid poſcerent non vectigalis, ſed *recognitionis* vocabulo, ut eo mollius res acciperetur. Et Daniæ quidem Rex ad Salvium ſcribebat; hoc onere illos etiam, quos bellum non tangeret, ac præcipue ſubjectos ſuos premi. Id quod Suecia ſibi non ſit arrogatura, nec tale quid miniſtris ſuis mandatura. Ac iſti rei mature ſe medicinam facturum, ne inolitum malum majore conatu moliendum ſit. Hamburgi quoque & Lubecæ, quod eodem tempore multi mercatorum currus pretioſis mercibus onuſti à milite exſpoliati forent, parum à tumultu res aberat. Et fremebat plebs, pecuniis Suecicis manus injiciendas, & Salvii domum diripiendam. Ac poſtulabant Hanſeatici nova in Albi onera abrogari, ac ſpolia reſtitui, prædonesque plecti: aut aliam reſtitutionis viam à ſe incundam. Aſt Salvius & literis ad Daniæ Regem, & apud Hanſeaticos rem excuſare; non à Torſtenſonio, ſed oppidorum præfectis militaribus id ſuſceptum; qui non vectigal novum agitent; ſed quia hoſtis omnē ad ipſos ſubvectionem vetuerit, hos talionis jure itidem commercia cum ipſo abrumpere potuiſſe. Ne tamen pacatis noceatur modica accepta recognitione navigandi licentiam permittere voluiſſe. Id quod & jure gentium liceat, nec mercatoribus noceat, qui iſta onera in precia mercium imputent. Negotium tamen hoc ſuperioribus ſe diligenter commendaturum. Ad Torſtenſonium quoque Hanſeatici ſcribebant; merces à ſe transportari, quarum nullus aut exiguus in bello uſus qualia commercia extra bellum poſitis jure gentium libera ſint. Certificationes & viſitationes mercatoribus moleſtiſſimas, & quocunque vocabulo iſtud onus incruſtetur, vectigal eſſe. Toto hoc bello quid non exactum? & exemplo ſemel introducto cæteros quoque flumini adſitos Principes paria impoſituros. Ita commercia plane oppreſſum iri, Suecorum non minus quam hoſtium detrimento. Quibus Torſtenſonius reponebat; iſta exigere ſibi fas utique eſſe more omnium Principum bellantium. Quod ſi tamen ad ſe mittere velint mandatis inſtructos ſe ita acturum, ut æquitatem ſuam deſideraturi non ſint. Et Rectores Sueciæ cenſuerant cum Hamburgenſis urbis favore ad hoc bellum utique

Contro-verſia Hamburgenſium ſuper vectigali in Albi.

23. Nov.

25. Nov.

5. Dec.

1641. Id quod omittitur.

ntique opus ſit, omittendum potius iſtud commodum, quam huic neceſſitatem imponendam, ut aut in Cæſaris partes transeat, aut Dani conſiliis innexa per violentam viam onus id excuſſum eat. Ita navigatio in Albi libera permiſſa, ut tamen hæc conceſſio rationi belli, & juri gentium non præjudicaret, ac ea licentia non prius inciperet, quam hoſtili exercitu ab Albi digreſſo: tum ut vel ſingulæ naves apud Torſtenſonium profiterentur, id quod ſub Banerio hactenus factum fuerat, vel ut uno donativo in univerſum defungantur. Quorum poſterius Hamburgenſibus probabatur.

Per ſuperiorem Germaniam geſta, menſe Februar.

§. 63. Per ſuperiorem Germaniam pauca eo anno memoratu digna gerebantur, mole belli in diverſam partem incumbente. Oiſonvillius Briſaci præfectus aſſumtis mille peditibus, quingentis equitibus laceram arcem Wilſtadium, quatuordecim peditibus infeſtam vi, Oberkircham, quam turma equitum obtinebat, deditione in poteſtatem redigebat, vicinæ regioni ſtipendia imperaturus. Et fama erat, Haillerium pluribus cum copiis adventare. Cæſarei contra, ut progreſſus iſtos ſiſterent, ſimul Offenburgo annonam inferrent, duo millia è Landaviæ, Spiræ, VVormatiæ, Philipsburgi, & Heilbrunnæ præſidiis contrahunt; in quos jam ad quartum à VVilſtadio milliare progreſſos Oiſonvillius equites ſuos emittit, ut nonnullis interceptis de hoſtium ſtatu penitius cognoſcerent. Aſt hos incontulto ruentes Cæſarei cæſis aut captis ducentis rejiciunt; reliqui effuſa fuga VVilſtadium repetunt. Ubi Oiſonvillius machinis in tuta ſubductis propere Briſacum remeat, Oberkircha deſerta, ſed VVilſtadio centum quinquaginta peditibus firmato. Quod tamen mox à Cæſareis paucos intra dies deditione recuperatum. Qui & longius progreſſi Mahlbergam arcem quinquaginta peditibus infeſtam in poteſtatem redigunt, ac munimentis nudant. Inde Gillius Haſius adſcitis aliquot Lamboii legionibus, quæ ad Moſellam ſtativa habuerant, Crucenacum petit. Quod oppidum ſtatim imperata facit, arx non ultra decimum diem reſiſtit perfidia præſidiariorū; qui præfectum obnixe ſe tueri conantem Haſio in manus tradunt; quo facto arx juxta ac oppidum militi in prædam conceſſum. Contra Erlachius mille quingentis peditibus, mille equitibus in vallem Kinzingenſem irrumpens Gengenbacum fruſtra oppugnabat, amiſſis ducentis repulſus, quos inter ſubtribunus, & duo centuriones. Haſius poſt adjuncto Horſtio excubiarum apud Bavaricos ſummo præfecto Fridburgum Brisgoviæ oppugnare aggreſſus eſt. Sed acriter reſiſtente Canotskio præfecto nullum operæ precium fecit, niſi quod magnam partem meſſis corrumperet. Quod damnum tamen tum ipſe, tum VViderholtius Hohentvvilæ præfectus excurſionibus penſabant, quorum hic inter alia duas hoſtium cohortes Pfullingæ opprimebat, abductis qui cædi ſuperfuerant. Erlachius poſt navigiis ſecundo Rheno excurſionem facere inſtituit; ac jam circa Landaviam, Spiramque & ex altera Rheni ripa Badenæ vicinum tractum populabatur. Sed coëuntibus in eum Cæſareis trepidus in Alſatiam regreditur. Aſt quia Hohentvvilani Sueviam late infeſtam tenebant, Cæſarei primo tribus legionibus circumpoſitis excurſiones eorum claudere conantur. Inde Sparrius, & Gillius Haſius coactis aliquot millibus vim propius admotum eunt certa cum fiducia arce potiundi. Quo fine multi foſſores metallici Oeniponte adducti agendis cuniculis tum magna vis tormentorum & mortariorum adhibita. Quibus tamen omnibus nihil efficiebatur. Nam & duritia rupis, cui arx ſuperpoſita, fodientium labores eludebat, & globi immenſam ob altitudinem aberrabant, aut evanido impetu validiſſimis muris impingebantur, nullo quoque ignium effectu. Obſeſſi contra certiores deſuper ictus dirigere, & continuis eruptionibus multos trucidare. Accedebat ad poſtremum ſævitia frigoris, unde crebræ militum deſertiones, quos hærentes in vicina Helvetia conquiſitores Gallicis ſtipendiis autorabant. Igitur amotis machinis & omiſſa propiore vi, munitis, & ad oppidi fere inſtar extructis caſtris miles aliquandiu conſidet. VViderholtius interim præfectus minis promiſſisque incaſſum tentatur. Sollicitantur inde Scaphuſani, ut ipſi perſuadeant in Helvetiorum manus arcem conſignare, aut neutralitatis leges accipere. Sed iſte impenetrabilis ad honeſtam usque Germaniæ pacem arcem à ſe tenendam aſſeverabat. Tandem cum omnis labor fruſtra ſumeretur, Haſius Sparrio diſcors cum copiis ſuis inde ſa- 12. Dec.
ceſſit. Et Erlachius interim valida manu coacta in cæteros numero valde imminutos irruere parabat. Cujus adventu audito Cæſarei tanta cum 11. Dec.
trepidatione faceſſunt, ut integris caſtris annonam paratumque bellicum, ac plerasque ſarcinas relinquerent, deſideratis inter obſidium bis mille amplius, cum obſeſſi cavillarentur, nullum iſtos aliud operæ pretium feciſſe, quam quod duo loca dictu indecora globis disjecerint.

Circa fœdus Luneburgicum acta.

§. 64. Super fœdere cum Luneburgicis Ducibus ſuperiore anno concepto ut ratihabitio exhiberetur, ſubinde apud Salvium inſtabant Duces, iteratis querelis ſuper injuriis præſidiariorum. Mox Legati à Ducibus eo nomine Hamburgum veniunt Joannes Chriſtophorus Kœtteritzius, Juſtus Kipius, & Henricus Schraderus, Drebberno Cancellario Harburgico velut internuntii vices obeunte. Hi apud Salvium de permutatione ratificationis proponebant, ac ut poſtulatis Ducum 7. April.
ſatisfieret, tum de legibus & modo futuræ pacificationis, denique ſuper diſtrahendis hoſtium armis, belloque gerendo. Sed altero mox die mors Ducis Georgii nuntiabatur. Unde Legatis res differenda, & alia mandata expectanda erant. Simul Salvius hæſitandi anſam arripiebat. Quanquam enim Dux Georgius filio ſucceſſori teſtamento injunxerat cœptum opus conſtanter exſequi: tamen, cum novus Princeps viceſimum ætatis annum agens placido ingenio foret, eruditorum magis quam militum converſatione gaudens; ſumma rerum militarium penes avunculum ipſius Joannem Landgravium futura videbatur, ſuſpecta etiam Conſiliariorum ac provincialium Ordinum conſtantia. Unde Salvius petebat negotium differri, quoad declaratio Reginæ adeſſet & Gallicum fœdus abſolveretur. Nec legati abnuebant, queis perſuaſum erat, Salvio ratificationis inſtrumentum jam transmiſſum, hoc nec affirmante, nec valde abnuente. Et iſti diſcedentes ampliter pol- 1. Maji.
licebantur, in eo quoque Salvii ſententiam probantes honeſtæ ac ſecuræ paci obtinendæ neceſſum eſſe duas Coronas ac Duces ſuos arctæ unioni inhærere; omnemque disjunctionis ſpem Cæſari adimere. Quærebantur tamen, ſocios Duces Suecis tributarios eſſe, tot myriadibus in præſidia horum erogatis. Et Cratzenſteinium Nienburgi præfectum durius nunc in provinciales, quam antea ſævire, à quo uti & aliis ſylvæ cædantur obtentu muniendorum oppidorum; revera materiam Hamburgenſibus ac Bremenſibus vendi extruendis navibus. Circa iſthæc ſi Ducibus ſatisfiat, reliqua facile conventura.

Rectorum Sueciæ ſuper eo fœdere ſententia.

§. 65. Enimvero Rectores Sueciæ jam dudum ſat documenti ceperant, quantum fœderibus cum Germaniæ Principibus fidendum foret; queis ſolenne, ſi quid incideret ipſos peculiariter tangens, omiſſa ſumma rerum privatis commodis conſultū

ire

Gengenbacum & Fribergum fruſtra oppugnantur.

Hohentvvilæ irruptiones, obſidium.

1641. ire ſummo cum Sueciæ damno ac præjudicio; ſimul expenſa ejus Domus conditione id fœdus modicæ firmitatis centebant. Fridericus Dux ætate ac natura timidior, ac miniſtris obnoxius fortaſſe parum in Sueciam pronis. Auguſtus Dux ſibi ſoli obtemperans, ac ingenio vario, quandoque præter rationem mutabilis ſæpius opinionis ſuæ pervicax. De Ducis Georgii filio ætas, de vidua ſexus parum promittebat. Avunculo Ducis Joanni Landgravio ſat prudentiæ & bonarum artium, ſed ambiguus in Suecos animus. Cæſar Ducibus Guelferbytum, imo & Halberſtadium offerre dicebatur, ſi arma ipſi ſociare vellent; aut neutralitatem, ſi exteris Regibus copias ſuas non conjungerent. Tum ingruebat exercitus Cæſareus, omnia amica oſtentans, ſi Suecicas partes deſererent, aut in abnuentes totam belli colluviem effuſurus. Cæterum an oppida ſua Ducibus reſtituenda forent, anxie anquirebatur. Durante bello Nienburgo & Minda cedi absque exitio rerum per VVeſtphaliam non poterat; & eadem poſt pacem Pragenſem in poteſtatem redacta ingens fortunæ beneficium fuerat. Præter Bleckedam nullus tunc Suecis tranſitus Albis obtinebatur. Securitatem non in verbis & promiſſis, ſed in re ſitam judicabant, & ſi eandem ſibi præſtare ipſi poſſent. Per fœdus alteri facultatem in manus dare res noſtras perdendi, ſapientis non eſſe. Notum, quales olim iſti Duces in Suecos ſe exhibuerint, qua de cauſa arma junxerint, quomodo poſt conjunctionem ſe geſſerint. Quod Ratiſponæ maſcule ſententiam dixerint, in eo fortunam magis armorum Suecicorum, quam ſua conſilia ſecutos. Multo ſapientiorem fuiſſe Guſtavum Regem à Brandeburgico ſolida cautione exacta, quam qui poſtea Spandoa & Landsberga reddita viam ipſi velut muniverint ad pacem Pragenſem amplectendam, & hoſtilia in Suecos ſumenda. Improvidum eſſe, rem è manibus amittere, antequam conſtet, quæ iſti conſilia poſt obitum Ducis Georgii capturi ſint. Abnegatam reſtitutionem forte obtentui ſumendam à Suecis diſcedendi. Sed iſtis receptis expeditius id facturos, & majore Suecicarum rerum damno. Denique ſatius eſſe Salvii pollicita deſtitui, quam tantam noxam reipublicæ adferri. Nihilo ſecius quia ſatis adparebat, ni toties iteratis iplorum deſideriis aliqua ratione ſatisfieret, ab iisdem amici nihil expectandum eſſe, placebat ceſſione oppidi unius & alterius mediterranei, ac remiſſione pendentis inde tributi ipſos delinire.

Alia Legatio valde minax. ſed nug. Legatorum propoſitio.

§. 66. Poſt Banerii mortem denuo à Ducibus Hamburgum mittebatur Kœtteritzius & Hodenbergius, quibus à Suecico exercitu adjunctus erat Seckendorfius tribunus. Hi profitebantur, à Ducibus ideo literatos viros non miſſos, ne accurata negotiatione tempus extrahatur. Sibi tanquam viris militaribus injunctum Salvio absque circuitione dicere; Duces nolle diutius in ancipiti hærere, ſed utique noſſe cupere, reddenda ſua oppida & tributa abolenda ſint, an minus. Extollebantur inde merita in Suecos per biennium exhibita: tranſitum Albis conceſſum, annonam, receptum præbitum, arma cum ipſis in Cæſarem juncta. In gratiæ vicem ſylvas ſuas à Suecicis præſidiariis cæſas, agros vaſtatos, ſubditos exhauſtos, ut multi eorum exilii cauſa ſolum verterint. Sex millia uncialium menſtrua ipſis extorqueri, à toto inſuper exercitu regionem perdi. Cæſarem nunc omnia, quæ hactenus optaverint offerre; reſpuentibus proſcriptionem, cædem, incendia intentare. Cui quid reſpondeant vix ſibi conſtare. Unde noſſe velle, num is ratihabitionem exhibere, ac loca ſua reddere ipſis poſſit, aut velit. Si faciat, Duces Sueciæ adhæſuros, quoad honeſta pax parta ſit, vel cum omnium ſuarum fortunarum periculo. Sin minus, vitio ſibi datum non iri, ſi alia ratione rebus ſuis conſulant. Salvius contra pro officiis Sueciæ exhibitis gratias agebat, quæ in propriam ipſorum & patriæ ſalutem ceſſerint. Contra extollebat, quæ Sueci tam in commune, quam peculiare Ducum bonum fecerint. Alias ratificationem ſe exhibere nunquam recuſaſſe, ſed tantum dilationem petiiſſe, quoad fœdus Gallicum abſolutum ſit; id quod Sueciæ non magis, quam ipſis Ducibus commodo cedat. Nec eo ſegnius interim omnia præſtita, quam fœdere ratihabito. Nunc non ſolum fœdus Gallicum haut abſolutum, ſed & Ducis Georgii obitum interveniſſe, non abſurdam dubitandi cauſam. Ejus filium juventa, Fridericum Ducem ſenio parum firmos, Auguſtum Ducem arcana literarum commercia cum hoſtibus miſcere. Igitur ſex hebdomadum dilationem petebat, quoad reſponſum è Suecia ad ipſorum & exercitus poſtulata allatum ſit. Interim Gallico fœdere perfecto omnia ex voto ipſis exhibitum iri. Salvii ſermonem Seckendorfius poſt prolatas ab exercitu fidei literas excipiebat. Univerſos ductores poſtulata legatorum juſta cenſere. Duces utique in Suecorum partes tranſiiſſe, copias ſociaſſe, in Cæſarem hoſtilia ſumſiſſe, præcipue ob detentum Guelferbytum. In Gallo ob diverſa ſacra parum fiduciæ collocandi. Luneburgicos Duces eorundem ſacrorum participes, & Germana fide; quorum cauſam exercitus deſerere non poſſit. Banerium quatuordecies ſcriptis iſta promiſiſſe, queis multæ exſecrationes acceſſerint. Ejus verba Salvio non eludenda; alias inuſitata mala inde proventura. Plane fieri non poſſe, ut Duces quatuordecim millia propriorum militum, ſimul exercitum Suecicum alant, ſi ſex intuper præſidiis opprimantur. Igitur aliquando moras amputandas. Iſthæc commotiore geſtu, animoque quam ipſi legati proferebat, velut Ducibus, non Sueciæ fidem addixiſſet. Quin cum Salvius ante congreſſum ipſius colloquium exposceret, id abnuebat, jactans, ſe nolle adulatorem videri. Sed una cum Legatis accedebat, ac plane ipſorum cauſam agebat. Addebat de indignatione exercitus, & aſpero Banerii imperio, ductorumque paupertate, & ut dux ſufficeretur militi acceptus. Seckendorfii verba Legati excipiebant: ultra annum ſe dilatos, nunc denuo rem extrahi. Se ſat videre quo iſta ſpectent. Duces juxta & exercitum rem, non verba expetere. Salvius delibe- Negotiatio continuatur. 17. Jun.
randi ſpatio ſumto poſtera die Legatos accedens moræ culpam denuo in tarditatem fœderis Gallici, ac mortem Georgii Ducis conferebat. Tum ne minus aperte ageret, de ſecretis literarum commerciis Auguſti Ducis cum Franciſco Alberto Lauenburgico, Saxoniæ Electore, & Cæſareis proferebat; in quarum una idem conſilium, quod Schickardus ſubtribunus agitarat, inveniebatur, ut cum Germano milite pax concluderetur, pauci Suecis Gallisque in malam rem expulſis. Tum interrogabat; an non hæc ſufficiant ad interponendum quid deliberationis, ne oppidorum traditio præcipitetur, quoad idonea cautio obtenta fuerit? Legati fatebantur, Auguſtum Ducem ſuo abundare ſenſu, eoque cæteros Duces expugnatum Guelferbytum in ſolius ejus manus nolle conſignare. Cauſam tamen his præbuiſſe Suecorum tergiverſationes, ac inter iſta incerta non potuiſſe non hoſtium oblata audire, ac rem, quoad à Suecis plenam declarationem obtinuerit, in integro tenere. Quod ſi denuo mora quæratur, nihil ſe boni ominari. Se quidem Suecicis partibus addictiſſimos; ſed quod alii quoque Ducum miniſtri tales ſint, ſpondere non poſſe. Igitur ſaltem ut

minora

1641. minora oppida concedantur poſtulábant, quoad perfecto fœdere Gallico reliqua tradantur, nec re plane infecta ad ſuos redeant. Salvius excuſábat; nunquam ſibi in milites imperium datum. Nec temere togatis miniſtris arbitria belli pacisque, ac fœderum committi, aut facultatem tanti momenti oppida condonandi. Si tale quid ipſe audeat, præfectos oppidorum non parituros. Quin ipſa Ducum cum exercitu conventione rem iſtam in adventum novi imperatoris dilatam. Igitur denuo exiguam moram petebat, quoad à Regina reſponſum adeſſet. Id quod Legati cum Seckendorfio adſpernabantur.

Temperamentum propoſitur.

§. 67. Cæterum ſuper hoc negotio certum hominem ad Avauxium miſerat Guebrianus; & Landgravia de eodem Deichmanno in mandatis dederat. Joannes quoque Landgravius ad Cniphuſium, & Scotici ductores ad Averium Reſidentem Anglicum ſcripſerant; omnes in eo conſpirantes, Domum Luneburgicam & exercitum Suecicum in præcipiti ſtare, ac magnopere neceſſarium eſſe, ne iſti legati re plane infecta redeant. Et Salvius commendatione ſummorum præfectorum Seckendorfio velut in viaticum quingentos unciales numerabat; quibus ille delinitus Salvii excuſationes probare, ac velut mediatoris partes ſuſcipere. Ab his ejuſmodi temperamentum proponebatur. Obtinerent Sueci Mindam ad pacem uſque, tunc Ducibus tradendam; & Bleckedam, quoad alio ad Albim tranſitu potiti ſint. Nienburgum munimentis exueretur, vel Ducum præſidio cuſtodiretur in Reginæ quoque verba adigendo: aut ſaltem Suecicum præſidium Ducibus quoque ſacramentum diceret; quibus & cura eius præſidii alendi relinquenda, prohibendis præfecti injuriis. Reliquis locis Sueci plane decederent, non niſi privato præfectorum lucro inſervientibus. His legibus permutationem fœderis fieri poſſe. Quoad hæc perficiantur Salvius ſtatim Wolfsburgum, & Wælpam tradat, & tributa Nienburgum inferenda moderetur. Has conditiones acceptari ſuadebant Avauxius, Cniphuſius, Seckendorfius, Cenchinarus, Averius. Cum igitur Legati, ab iiſdem licet ſolicitati, nullo modo dilationem vel minimam admittere vellent, Salvius tandem in pleraſque conditiones conſentiebat, & inprimis ut Wolfsburgum, & Wælpa ſtatim Ducibus redderentur. Ita Legati aliquo modo ſibi ſatisfactum oſtendebant; & quanquam circa Nienburgum & Bleckedam ut ita tranſigerent in mandatis non haberent, judicabant tamen, Duces has leges non abnuituros.

29. Jun. Ad extremum orabant, ut vel Nienburgi munitiones deſtruantur, vel alendo præſidio aliunde quid conferatur, quod provinciales circum in Oldenburgicam & vicina plane dilapſuri ſint, quo facto præſidium ſublatis vivendi mediis ultro interiturum.

Sueci fœdus Luneburgicum ratihabent. 1. Jul.

§. 68. Aſt Rectores Sueciæ, expenſa præſenti rerum facie, fœdus ſuperiore anno cum Luneburgica Domo à Salvio conceptum ratum habent, ac inſtrumentum eidem transmittunt. Simul ſummis exercitus præfectis ſcribunt. Ducibus circa expugnandum Guelferbytum, & tuendam provinciam fidelem operam navent. Et quanquam indignum judicarent, milites ſe huic negotio ingeſſiſſe, ac Duces coitione cuiusmodi facta reſtitutionem oppidorum velut vi extortum iviſſe; iſta tamen iniquitati temporum condonanda videbantur, modo Nienburgum & Bleckedam retinerent, ſaltem ut durante bello præſidiarii tam in Reginæ, quam Ducum verba adigerentur. Ad Cratzenſteinium quoque Nienburgi præfectum ſcribitur, ut ſi Salvius de tradenda Wælpa, Nienburgo ſubjecta, ſignificaret, ipſi obtemperaret. Dantur quoque ad Luneburgicos Duces literæ, quibus cauſa moræ in fœdus Gallicum, & mortem Ducis Georgii confertur; nec inde tamen rem publicam detrimenti quid cepiſſe, cum interim utrinque nihil omiſſum ſit cauſæ communi proficuum. Numquam ſibi in mentem veniſſe Ducum oppida in ipſorum fraudem detinere; tantum eorum cuſtodiam in utriusque commodum adverſus machinationes hoſtium ſibi vindicaſſe. Salvio injunctum, ut circa ratificationem, & alia quæ deſiderent maxima ex parte ipſis ſatisfaciat. Hæ literæ antequam Ducibus redderentur, hi Sal- 24. Jul.
vio ſcripſerant; ut tandem poſtulatis ſuis ſatisfiat, & oppida ſibi ſua ocyus reſtituantur; nulla fœderis aut ratihabitionis mentione facta. Unde Salvius Regias literas illis transmittit, ſimul ſignificat, ſibi injunctum ſuper cæteris negotiis cum ipſis tranſigere; quo fine ipſorum deputatos expectet. Ad quæ diu neque literæ neque Fœdus Luneburgicum irritum. 25. Aug.
deputati comparebant. Demum poſt mentem Drebbernus literas à Ducibus afferebat, quibus præter alia oppida etiam Mindam, quam antehac remiſerant, tradi poſtulábant citra ullam conditionem, & antequam fœdus permutata ratihabitione firmaretur. Quod etſi non parum ſuſpicionis injiciebat: tamen hac diſſimulata Salvius ſignificabat; ſi ratihabitionem permutare velint ſe reliqua loca præter Mindam, Nienburgum & Bleckedam ex mandato traditurum: ſuper reliquis cum Torſtenſonio mox venturo conveniri poſſe. Sed ad hoc nihil reſpondebatur, ac fœdus illud plane expirabat Ducibus ad diverſa ſe conſilia flectentibus, ac tota mente in Goslarienſem tractatum defixis.

De Goslariensi tractatu.

§. 69. Hujus ſumma capita heic referre non abs re fuerit, poſtquam ſequenti anno ejuſdem acta prælio ad Lipſiam in Torſtenſonii manus inciderunt. Cæſarei normam agendorum pacem Pragenſem, ac noviſſimum Receſſum Ratisponenſem cum promulgata ibi amneſtia ponebant: eoque poſtulabant, ut Duces à Cæſaris ſe hoſtibus disjungerent, omni fœdere & communicatione cum ipſis abſtinerent, copias ſuas revocarent, nec ullum deinceps auxilium iiſdem ferrent. Tum ut copias Cæſareo exercitui jungerent, ac ſua præſidia in Cæſaris ſimul verba adigerent. Denique Hildeſiam urbem cum prælatu Electori Colonienſi reſtituerent; ac in partem tributorum & onerum communium venirent. Eadem ab Haſſis poſtulabantur, quibus & Hirſchfelda abjudicabatur, tum ut oppida per Weſtphaliam & Friſiam occupata dominis ſuis reſtituerent. Quanquam Cæſarei Commiſſarii nollent de Luneburgicorum & Haſſorum cauſa ſimul agere, jactantes, negotia diſparia eſſe, & unum alteri impedimento fore: revera ne viderentur fœdus inter Luneburgicos & Haſſos probare. Contra Luneburgici id cumprimis ſpectabant, ut onera belli ex utraque parte amolirentur, & *neutralitatem* obtinerent, licet id vocabulum declinarent. Unde fundamenti loco decretum Circuli Inferioris Saxoniæ anno triceſimo octavo factum ſubſternebant. Pacem Pragenſem non aliter admittebant, quam quouſque legibus Imperii conveniret. Nuperum Receſſum Ratisponenſem agnoſcere detrectabant. Circa disjungendas à Suecicis copias tam Luneburgici, quam Haſſici contendebant. Fœdus tamen ullum adverſus Cæſarem à ſe initum pernegabant. Tributa & onera belli obtentu vaſſitaris ditioni

1641. ſuæ illatæ deprecabantur. Peculiariter autem Luneburgici urgebant oppida ſibi ſua reſtitui, utque digreſſis Suecicis & Vinarienſibus Cæſareus exercitus finibus ſuis excedat, ac ut Hildeſienſis cauſa ad amicam tranſactionem deducatur. Sed Haſſi longius procedebant, & quod Landgraviæ perſuaſum erat, peculiari pace rebus ſuis non conſuli, non pro ſe ſolum cum Cæſare transigere volebant; ſed ut cum exteris quoque Regnis ſimul agatur, atque iſtis pariter tractatibus utraque domus includatur. Tum ut Palatinus æquis conditionibus reſtituatur, amneſtia ad initium uſque belli Bohemici extenſa. Hirſchfelda velut bono titulo parta & poſſeſſa cedere abnuebant. Loca extra Haſſiam ſuis præſidiis inſideri, Cæſari atque Imperio proficuum contendebant, ne iſta in adverſæ partis manus inciderent, nec Cæſareus exercitus iiſdem tuendis imminueretur. Quæ omnia à Cæſareis rejiciebantur, qui cumprimis armorum conjunctionem omnibus modis exigebant, quam Principum Legati plane abnuebant. Unde ne tractatus abrumperetur, placebat, rem utrinque ad ſuperiores referri. Poſt tamen tractatu ad finem anni continuato Cæſareis hinc, inde Luneburgenſibus aliquid remittentibus, ſimul operam navante Legato Danico Hagio, qui mediatoris partes obibat, inter hos quidem fere convenit. Haſſos Cæſarei ſuſpicabantur non ſerio rem agere, ſed tantum negotiationem cum Luneburgicis turbatum ire, quos & maluerant nunquam ad hos tractatus acceſſiſſe. Lenius tamen deinceps & minus aculeatis verbis, quam ab initio, cum iſtis agebant, ne ipſos plane protelarent, & rem in integro retinerent.

Acta circa neutralitatem Brandeburgicam. 15. Maji.

§. 70. Elector Brandeburgicus uti novo principatu multum de odiis in Suecos remiſiſſe videbatur; ita & Sueci animorum acerbitatem quantum poſſent mitigare conabantur. Quo fine ad Electorem ablegabatur Axelis Achatii F., alloquio ſuper obitu Patris defuncturus, tum de propenſione Reginæ ad amicitiam cum illo colendam teſtaturus, & ut exploraret, in quænam conſilia Princeps iſte inclinaret. Exquirere quoque idem jubebatur, quid animi circa Reginam matrem foret è Suecia profugam, ut commodiore quam nunc loco degeret. Nam in Sueciam ipſa reverti nolebat. Unde optabant Rectores Sueciæ, iſtam apud Brandeburgicum degere, certa pecuniæ ſumma ex ejus dotalitio ſolvenda quantum æs alienum ab ipſà contractum admitteret. Qua de re & poſtea cum Leuchtmaro agebatur: qui ad Principem id ſe relaturum recipiebat. Eodem tempore Elector Winterfeldium Hamburgum miſerat cum Salvio acturum, ut hoſtilia utrinque omitterentur, Suecicus miles è Marchia deduceretur, commercia in Albi aperirentur, ac tabellariis liber tranſitus præſtaretur, velut prævia futuræ compoſitioni. Cui Salvius: circa poſteriora nullam fore difficultatem; ac ductoribus ſe Suecicis ſcripturum, ut Brandeburgicos ſubjectos mollius quam hoſtes habeant: ſed tota provincia, antequam cum Electore tranſactum ſit decedi non poſſe. Nec dubium tamen quin Holmiæ Electori ſit ſatisfaciendum, ſi eo Legatum mittere placeat.

Legatus Brandeburgicus in Sueciam venit. 9. Jun.

§. 71. Venit inde in Sueciam ab Electore miſſus Leuchtmarus; cujus literæ, quas adferebat, fiduciariæ non uno nomine vitioſæ judicabantur. Nam & Reginæ titulus *Serene* tantum tribuebatur; cum tamen inter Guſtavum Regem, & defunctum Electorem conventum foret, ut Elector Regi titulum *Sereniſſimi*, hic iſti *Celſiſſimi* tribueret: & Teutonica eædem lingua concepta erant; cum Latina adhibenda foret, ni Suecica ſibi reſponderi vellet. Tum literæ ad Rectores Sueciæ non alio titulo inſcriptæ erant, quam is propriis conſiliariis tribuere ſolet. Sed cum literæ Legato redhibitæ eſſent, is culpam in imperitiam recentium ſcribarum conferebat, magnopere rogans, ut iſtæ interpolita proteſtatione acceptentur, pollicituſque iſta in poſterum emendatum iri. Publica admiſſione præter ſolemnia de obitu veteris, & ſucceſſione novi Principis, literas à conventu Ratiſponenſi reddebat, utque pax Reginæ cordi ſit petebat. Aſt privatim proponebat; Regina apud Landgraviam ageret, ut ipſius copiæ è Clivica & Marcana ditione deducantur, eidemque immunitas à belli moleſtiis indulgeatur: ut dotalitium Viduæ Electoralis oneribus bellicis eximatur; Erneſto Marchioni Ducatus Carnoviæ reſtituatur. Tum ut cauſæ Palatinæ futuris tractatibus ratio habeatur. Ad quæ expedita reſponſio erat: Tempora, & res Sueciæ non ferre, ut Clivico ſe negotio immiſceant, quod Hollandorum & Landgraviæ rationes turbare nolint; & ſua maxime interſit, per Weſtphaliam occupata retinere. Circa dotalitium Viduæ annuebant, modo par immunitas ab hoſte obtineatur. De Marchione Erneſto, ac Palatina cauſa quantum in ſe pollicebantur: de hac tamen addebatur, modo cæteri quorum interſit opera & conſilio, per arma aut tractatus rem promoveant. Nam ſi Suecia ſola deſtituatur, excuſatam eam habendam, ſi quem ſibi propoſuerit ſcopum non penitus aſſequi valeat.

1641.

Ejus poſtulata.

Super neutralitate concedenda conſultatio.

§. 72. Sed præcipuum erat, quod Elector bello, quo ſe Parens ſuaſu pravorum conſiliariorum induiſſet, exire cuperet: quo fine ſuper induciis & neutralitate proponebat, de qua & Cæſar aſſenſerit, permiſſo inſuper ut Elector ſuper Pomerania cum Sueeis tractare queat. Ea de re cum in Senatu diſceptaretur, quibuſdam videbatur; in ea conventione parum fiduciæ collocandum. Eſſe inſuper Electori modicas vires, nec hoſtium inſigne momentum addere. Per inducias hoſpitia Suecici militis & tributa per Marchiam ceſſatura. Tum cavendum eſſe ne capiti poſtremo fœderis Pomeranici quid derogetur, neve Electori occaſio pandatur Pomeranorum animos ſibi conciliandi. Pleriſque tamen placebat tractatus hoſce repudiandos non eſſe. Jam vivo patre oſtendiſſe Electorem, ejus conſilia ſibi parum probari, quæ nunc per ambages haut obſcure damnet. Expulſos à patre miniſtros revocatos; & morte Schvvartzenbergii conjunctionem cum Saxone non parum imminutam. Ceſſantibus armis Pomeraniam & Meclenburgicam ipſa cum Marchia iterum excolendam, magno cum Suecorum emolumento, etiam ubi poſt ad arma redeundum ſit. Tolli hoc modo periculoſas è Boruſſia in Livoniam machinationes. Futuris de pace tractatibus utile fore vel unum ex Electorali Collegio Sueciæ jungi. Quin ipſàm inſtauratæ cum iſto amicitiæ famam multorum animos in Germania mutaturam, aliosque ad paria invitaturam. Nec parum præjudicii hoc exemplo Pragenſi paci adferri, præſertim ſi Cæſar ipſe inducias probet; quæ & aliquid ad eludendos Lauenburgici conatus facturæ videantur. Denique ne quid Pomeraniæ rebus fraudis adferatur, ſatis provideri poſſe.

§. 73. Has ob rationes cum Legato in has leges conventum. Per proximum biennium à eas cum permu-

Neutralitas cum

1641. Brandeburgici Legato concludunt.

permutata ratihabitione induciæ ſint inter Reginam Sueciæ omnibus locis ab ipſa occupatis aut deinceps occupandis, incluſa quoque Meclenburgica, & Brandenburgicum Electorem, ceſſentque omnia invicem hoſtilia, nec quid utrinque tentetur, quod alteri fraudi ſit: commercia utrinque libera ſint, nec novo oneri obnoxia. Clivenſis & Marcana ditio in præſenti ſtatu relinquatur. Sueci retineant tantiſper Drieſenam, Landsbergam, Francofurtum, & Garlebiam cum adſitis diſtrictibus, ex quibus præſidia illorum alantur; ut & omnia bona ad Ordinem Teutonicum ſpectantia. Poſt ratihabitionem quoque Suecis Werbenſe caſtellum & oppidum tradatur, aut vi expugnare id liceat, ſalvis de cætero induciis. Contra Sueci in Vetere Marchia Tangermundam, Stendaliam, Schaulam, & Oſterburgum reddant. Elector hoſtibus tranſitum per Cuſtrinum, Spandoam, & Peizam Pomeraniam verſus ne concedat, nec commeatu ejuvet. Quod ſi tota mole iidem ingruant, ac tranſitu arceri non poſſint, Suecis integrum ſit in Marchiam ipſi obviam procedere, ac alias ratione belli exigente cum exercitu Marchiam tranſire, annonam ſuppeditantibus provincialibus Prædatores utrinque prehenſos punire liceat. Captivi utrinque abſque lytro dimittantur. Si quis privatus in hæc pacta deliquerit, ipſe damnum reparet, ſalvis de cætero induciis. Denique prohibeat Elector, ne miles à Cæſare in ipſius ditione colligatur, aut moleſtiæ quid Suecicis inde creetur. Pacto adjecto cavebatur, ut Reginæ miniſtrum Cuſtrini habere liceat, qui obſervaret, ne quid à miniſtris Electoralibus adverſus hoc pactum fiat, neu quid ab his aut aliis in fraudem Reginæ ſuſcipiatur. Et ſi quid tale fieri deprehendat, miniſtros Electorales monere poſſit, ut illa corrigantur; & ad Gubernatorem Pomeraniæ referat. Tum ut ſubditis Sueciæ, ſi qua negotia in Marchia expedienda habeant, adſiſtat. Ea pacta à Commiſſariis Regiis, & Legato Electorali ſubſcribebantur: ratificatio intra menſes permutanda erat, ubi & per deputatos utrinque ſuper hoſpitiis, ac tributorum reſiduis, præſidiorumque alimentis tranſigendum ſit. Et quia Leuchtmarus ad hos tractatus peculiari procuratorio inſtructus non erat, ſcripto cavebat, ſe effecturum, ut iſtud intra id tempus in Suecorum manus tradatur. De matrimonio inter Reginam & Electorem per ambages jaciebat, quod nondum tempus maturum videretur, ut palam de eo ageretur. Alias non commodiore via controverſiam circa Pomeraniam expediri poſſe. Addebat, ſe Suecis vitio non poſſe dare, quod durioribus conditionibus induciasadſtrinxerint. Mox ad Lillichœckium, Axelium Lilium, & Ericum Ulfiparium mandata expediuntur, ut omni invaſione in Electoris terras abſtineatur, & ſubditis utrinque libere commeare liceat. Tum & mature ratihabitio in Pomeraniam transmittitur. Nec aliter Brandeburgici præ ſe ferebant, quam quod & ipſi pacta ratihabere velint. Et ſcribebat Elector, etſi jam poſt elapſum permutandæ ratihabitioni diem, ad Præſidem Pomeraniæ: ſe ſuos Stetinum tractatibus abſolvendis miſſurum, ſi quis ibi à Regina mandatis inſtructus ſit. Reſponſum, ratificationem jam allatam, ac ſtatim permutandam, ubi ſuper iis, quæ reſtent, conventum fuerit. Et cum monitum ſimul eſſet, tempus ratificationi permutandæ dictum elapſum eſſe; Elector moram excuſabat, quod Leuchtmarus adverſis ventis detentus è Suecia ſerius adpuliſſet; ac ſibi Warſoviæ inveſtitura Ducatus Boruſſiæ ſuſcipienda fuerit. Mox quoque Stetini aderat Joannes Georgius Bornius Novæ Marchiæ Cancellarius, abſque plenipotentia tamen & ratificatione, quam à Leuchtmaro mox ſecuturo allatum iri confirmabat. Interim hoſtilia utrinque omittebantur; & Stalhantſchii miles quotidie Cuſtrinum neceſſaria emendi cauta nemine prohibente introibat.

1641. 28. Dec.

Fœderis Gallici prorogatio tarde procedit.

§. 74. Fœderis Gallici prorogatio tarde procedebat, dum nec Avauxius à latis antea conditionibus, nec Salvius à mandatis ſuis diſcedere vult. Ac teſtabatur Avauxius; quantum penes ſe fuerit jam præſtitum. Mandata Regis ſibi transgredi nefas. Si vel nunc nuntius peculiaris per Suecos concluſæ pacis adferatur, ſereno eum animo ſe auditurum. Ac ut Salvio omnem ſpem augendorum ſubſidiorum demeret, ſuper inopia pecuniæ in Gallia querelas movebat; cui Regno longe minores opes ſint, quam vulgo jactentur. Bullionium Ducem, ſummum Quæſtorem nuper defunctum Regi ſuaviſſe; cum aliis amicitiam & ſocietatem coleret, ſed ſubſidia nemini amplius daret, ſuasque opes ſuo militi augendo impenderet, fineſque ſuos tueretur: nam alios per proprii ſtatus rationes utique teneri ad procurandam Europæ ſecuritatem. Quod conſilium nunc in aula magni habeatur. Nec minus tamen è geſtibus ejus obſervabatur, ipſum fœdus non plane pro conclamato habere, ac id continuari, quam tolli malle. Et ſcrupulum eidem injecerant Ordinum Imperii literæ ad Reginam, imprimis, quod non alia in illis Galliæ mentio fieret, quam ut prorogationem fœderis cum eadem diſſuaderent. Salvius vicißim teſtari dolorem negotii irriti; mandata nec ſibi excedere fas fuiſſe; quæ tamen ipſe æquiſſima judicaverit. Aſt Rectores Sueciæ etſi fœdus pro deſperato haberent, Salvio tamen injungebant, rem adhuc integram teneret, ac Avauxio perſuaſum eſſe pateretur, quaſi Suecia adhuc fœdus continuare cuperet, quod diutius conjunctione Vinarienſium copiarum fruerentur, etſi quæ parum grata offerebantur, obtentu ejus fœderis declinare poſſent. Quin ſi vel maxime id expiraret, Salvius non minus quam antea cum Avauxio amicitiam colere, & conſilia communicare jubebatur, nec expreſſe fœderi renuntiare, ut cæteri non aliter judicare poſſint, quam fœderis adhuc ſpem eſſe; Inprimis ne Luneburgici & Haſſi illa ex cauſa forte ad tranſigendum cum Cæſare permoveantur. Sicuti nec rebus ſuis exinde aliud damnum metuebant, quam quod ſubſidia deſitura eſſent. Præſertim cum animadverteretur, Gallos non multo plus ſatisfactionis à Suecis obtineri cupere, quam Cæſar jam obtulerat. Qui & è mandatis Stenoni Bielkio quondam datis, & cum capto Lillieſtrœmio interceptis intellexerat, Suecos etiam minore præmio adquieſcere tunc voluiſſe. Avauxius porro iiſdem quibus antehac artibus Salvium compellere nitebatur ad acceptandas, quas ipſe ferebat, fœderis leges. Præcipue diſſerens, Regi ſuo in manu eſſe, quandocunque placeat peculiarem ſibi pacem comparare, modo ut Briſacum reſtituere velit. Eundem à ſacerdotibus ſuis continuo obtundi. Tum de ſubſidiis, quorum dies dudum ceſſerat, & quæ Hamburgi in promtu erant, nihil ſolvere; velut nova ſibi mandata forent expectanda. De quorum ſolutione ſpem modo adimebat, modo faciebat.

Avauxii artes.

Nova ab Avauxio latæ conditiones.

§. 75. Aſt idem poſtea literis ex aula acceptis quadringenta octoginta uncialium millia offerebat. Hamburgi bonis penſionibus menſe Majo & Novembri ſolvenda, cum alias viginti uncialium millia pecuniæ inter Amſteloda-

1. Sept. 2. Nov. 14. Oct. 22. Nov. 16. Dec.

1641. mum & Hamburgum trajiciendæ detrahenda eſſent. Tum de bello in Cæſarem validius gerendo, ac liberando Guſtavo Hornio pollicebatur. Sed viciſſim loca tractatibus pacis antehac deſignata utique mutari cupiebat. Hos quippe alias ob Lubecæ & Coloniæ intercapedinem difficillimos, & tantum non impoſſibiles fore, ac certiſſimam Regnorum disjunctionem parituros. Quod ſi Suecia tantillam rem abnuat, toti orbi adpariturum, Regem pro cauſa communi omnia feciſſe, ſed à Suecia in tam minuta re deſtitutum, ac fœdus tunc plane conclamatum fore. Salvius uti in reliquis Gallorum conditiones adprobabat, (nam de ſubtili nimis ſubſidiorum computatione mercatoribus digna monere pudor prohibebat,) ita circa mutationem locorum annuere ſe poſſe negabat, niſi novis è Sue-
26. Febr. cia mandatis acceptis. Quibus accelerandis Avauxius San-Romanum in Sueciam propere mittit: tum reſidua ſubſidiorum ſtatim exſolvit, ne longiore eorum detentione poſtulatum ſuum extorquere velle videretur. Interim velut matu-
Idem variam ſe gerit. rando negotio formulam fœderis concipiebat, id quod antea abnuerat: quæ cum nonnulla contineret, in quæ Salvius conſentire non poterat, ſuper iis in Sueciam erat referendum. Nec invito Salvio ea mora accidebat, quod fama eſſet Luſitanos fœdus cum Suecia affectare, & inſignia ſubſidia offerre, forte retractanda, ſi intellexerint, Sueciam Gallico jam fœdere ad bellum continuandum obligari. Intermedio tamen tempore ita varium ac difficilem ſe exhibebat Avauxius, ut quid ab ipſo expectandum foret, vix conſtaret. Nam & diem ſolvendorum ſubſidiorum mutabat: & ſi Salvius è Suecia declarationem accepiſſet, eandem ſe quoque in Galliam miſſurum ferebat, id quod moram negotio, novaſque difficultates allaturum agnoſcebat. Tum quæ ſuper mutato ſolutionis loco abſque mandato annuiſſet, dubitabat, num in aula adprobanda ſint. Inprimis autem cum Salvius modeſte moneret, ut ſuper liberando Guſtavo Hornio expreſſe fœderi inſereretur, iſte graviter excandeſcere, quod verbo Regio non ſat fidei ineſſe cenſeretur: nec unquam hac lege fœdus à ſe ineundum. Hinc aſperis in Salvium verbis invehi, ac plenas indignitatum literas ſcribere Salvio non minus aculeatas reponente. Quin & privatim convitia in Suecos jacere, penſionarios Gallorum vocitans, nec ipſorum arma poſt mortuum Banerium denario à ſe æſtimari. Ni fœdus pro ſuo lubitu concludatur, ſe promiſſo quatuor menſium ſtipendio exercitum Suecicum corrupturum, & quæ Regno nunc ſolvantur ſubſidia militi impenſurum.

Rectorum Sueciæ moderatio. §. 76. Ex iſta importunitate Rectores Sueciæ quidem ſuſpicabantur, Gallis fœdus parum curari, ejusque abrumpendi occaſionem captari, quod forte rebellione Catalaunorum confiderent, quorum legatis permiſſum fuerat apud Regem tecto capite verba facere, velut à libero populo venientibus; & quod novo Luſitaniæ Regi proſpere res ſuccederent. Simul quod viderent Suecis ſe nocere poſſe avocatis Vinarienſibus, & corruptis Suecorum ductoribus jam antea animo ægris. Quando tamen difficultates, quibus domi & apud exercitum premebantur, conſiderabant, haut expedire videbatur, hoc tempore fœdus Gallicum amittere, ac conjunctionem iſtam cum offenſa abrumpere. Nam quæ Cæſar Ordineſque Ratiſponæ ſuper pace moliebantur, tarde procedebant; qui & num ſerio rem agerent, dubium adhuc habebatur. Unde imprudens fuerat, ob incertam pacis ſpem Gallicam amicitiam abjicere, & huic anſam præbere, adverſus ſe utendi mediis, quibus ipſi frui poterant. Eoque modicarum injuriarum, ſuſpicionumque ſenſum diſſimulare ſatius habebant. Ac jubebatur Salvius iſtas ſcriptiones omittere, hiſce injuriis anſam præbentes; ac ſi quid forte aſperi incideret, ejus memoriam ſcripro ne conſignare. Sed & in mutationem loci tractandæ pacis conſentire placebat, quod ea res tanti non ſit, ut ideo conjunctio cum Gallia abrumpenda foret. Et revera propioribus locis communicatio melius ſuccedebat. Nam in eodem cum Gallis loco tractatus inſtituere nolebant ob difficultates è diſparitate ſacrorum, & colliſiones circa præcedentiam orituras. Quod ſi autem Oſnabrugam repudiarent Cæſarei ob præſidium Suecicum, conſentiebant idem deduci, modo caveatur, irrito tractatu id denuo recipiendum. Quod ſi tamen pars adverſa & mediatores in id oppidum conſentire nollent, nec ipſi uſque adeo Oſnabrugæ alligari volebant, ut ideo negotium pacis ſiſti deberet; ſed eo caſu alia vicina loca communi conſenſu erant eligenda. Quod ſi tamen ſerio fœdus eluſum iret Avauxius, Salvius id non curare jubebatur, ſed rem in ſuſpenſo relinquere, quod alia conſilia à ſe capta eſſent. Ac ſperabant, ſe non minus difficultatum Gallis conciliaturos eſſe, quam hi Sueciæ attractum irent. Nec curaret, quæ de præveniendo differeret Avauxius. Ita enim implicitos bello eſſe Gallos, ut raptim ſe extricaturi non ſint. Hac declaratione Hamburgum allata Legati ſepoſitis ſcrupulis ac diffidentia, privatiſque offenſis reip. condonatis ad abſolvendum fœdus accingebantur. Ac amputatis difficultati- Capita quædam ſeponuntur.
bus non pauca tantiſper in medio relinquebantur, velut de exercitu Vinarienſi & locis ad ſuperiorem Rhenum, quod Avauxius conſtanter defectum mandati excuſaret. Circa peculiares inducias Gallos inter & Hiſpanos in Italia & Belgio demonſtrabat Salvius, quantopere iſtæ Suecorum conſilia & arma turbarent: eoque ſuper iiſdem omittendis caput pacto inſeri cupiebat. Sed Avauxio itidem defectum mandati obtendente, illud omittere viſum. Neque de validius gerendo in Germania bello fœdere exprimi Gallus patiebatur, etſi Regem ad id paratum oſtenderet. Et Sueci priore pacto ſatis cautum judicabant, modo id exacte à Gallis obſervaretur: ac quantumcunque ſolicite verbis caveretur, non plus illos tamen quam videretur facturos. Id quoque concedebatur, ut ſuper permutando Hornio Legatus tantum verbo ſuo caveret.

Fœdus Gallicum abſolvitur. §. 77. Circa ſubſidia conveniebat, ut ad finem uſque belli annua quadringenta octoginta millia uncialium binis penſionibus fine Junii & Decembris menſis Hamburgi in *banco* quod vocant ſolverentur. Super loco tractatuum, cum jam Salvius Oſnabrugam acceptaſſet, Avauxius novum ſcrupulum movebat, ac ſolam Oſnabrugam pro Suecis, ſed pro Gallis Monaſterium aut Coloniam, & Francofurtum, aut Moguntiam deſignare cupiebat, obtendens, priori fœdere Suecis optionem relictam inter Hamburgum & Lubecam, Gallos ſoli Coloniæ adſtrictos fuiſſe. Nunc viciſſim par eſſe Suecos ſoli Oſnabrugæ obligari, ac Gallis optionem inter duo loca indulgeri. Idque tanto acrius urgebat, quod & Ordines Imperii Spiram aut Wormatiam, & Francofurtum aut Moguntiam proponerent, velut Oſnabruga & Monaſterio parum commodis. Sicuti & revera Oſnabruga lacerum erat oppidum, à mari & flumine remotum; & octo hoſtilibus præſidiis circumdatum. Tandem novis ex aula mandatis acceptis Monaſterio & Oſnabruga adquieſcebat, ſed ut tamen poſt concluſum fœdus nihilominus ſuper Fran-

1641. Francofurto & Moguntia instare vellet. Inducias Succi rebus suis haut proficuas judicabant. Nam interim Cæsar cum Ordinibus transigere poterat, indecisa cum Succis controversia; & recrudescente deinceps bello longe difficilius futurum erat exercitus & arma parare. Tum circa id tempus Polonicæ induciæ ad finem vergebant, aut novæ cum vicinis lites exsurgere poterant; quo casu & bellum, & tractatus molestiores futuri erant. Quin nec Gallis inducias tutas judicabant, quod Hispani per eas nil aliud quærerent, quam res suas domi firmare, internaque Galliæ mala fovere, illabefacta destinatorum suorum summa. Unde inductarum nullam in fœdere mentionem fieri malebant. Quanquam & credebant, oblatas licet inducias à Gallis acceptatum non iri, quod Richelii autoritas in armis & potentia exercitus verteretur; & Galliæ pro more magnorum imperiorum bello opus foret; quæ nec concessura erat, ut Hispani otium nanciscerentur subjugandis iterum Catalaunis, Lusitanisque. Acriter tamen urgente Avauxio, quod negotio tamdiu agitato tandem aliquando finis imponendus foret, demum & in has contentiunt, ut tamen inviti ad illas acceptandas non adstringerentur. Quo casu Galli trecenta millia uncialium annua Succis promittebant. Tandem nova postulata circa sacra proponebat Avauxius, ut duo cœnobia in Westphalia, Ottenda & Wietersheimum ad Melitenses Equites spectantia restituerentur. Quod negotium Salvius in Suecia commendaturum sè recipiebat; quo & ille adquiescebat. Tum & de Catholicis in Germania inferi cupiebat, ut suis bonis *absque ullo onere* fruerentur. Id quod absurdum esse ostendebat Salvius, cum ejusmodi immunitatem ne Protestantibus quidem præstari ratio belli permittat: ac suspicionem concipiebat, occasionem quæri fœdus abrumpendi; aut Gallum omnia, quæ in mentem venirent, extorquere velle, quod nosset, quanta pecuniæ inopia exercitum premeret. Acrius tamen contendenti Avauxio hactenus indulgebat Salvius, ut pateretur Catholicis caveri super bonorum possessione, expunctis vocabulis *absque omni onere*: sed ut pari modo Protestantibus quoque caveretur. Sic ut inferro illo capite nihil obtineret Avauxius, quam ut studium suum in Romana sacra venditaret. Dubitatum quoque in Suecia fuerat, annon peculiari capite caveri vellent, ut Legati Succici pari quo aliorum Regum Legati honore haberentur ob frequentes indignitates, quæ in Grotium Lutetiæ tentatæ fuerant. Rem tamen accurate expendentibus tutius judicabatur nihil movere, ne ipsi non tam stabilisse, quam in dubium vocasse antiquissimi Regni fastigium viderentur. Declinandis tamen illis vellicationibus decernebatur Grotium ex ista aula evocandum substecto ministro Residentis duntaxat dignatione. Quem & alias ægre ferebant velut Legatum Succicum libros publicare Pontifici, ejusque factioni non parum faventes; quod plerique Protestantes in sinistram partem accipiebant; etsi is amori in pacem id sè dare excusaret. Ita negotiationi huic finis impositus, ac priori fœderi, quod ad finem usque belli prorogabatur, pauca tantum quæ memoravimus addebantur, quæ intra duos menses utique ratificanda erant; cum Avauxius pati nollet, ut Salvius Reginæ liberam ratihabendi facultatem reservaret.

30. Jun.

Secreti tractatus cum Luzovio sectionantur.

§. 78. Gallico fœderi impediendo Luzovius magno studio secretos cum Salvio tractatus agitaverat: qui & formulam pacis huic transmiserat, in qua venia promittebatur omnibus, qui ab anno uicesimo adversus Cæsarem arma gessissent, amnestia ad illos Ordines restringebatur, qui pace exclusi hactenus in eam recepti non fuissent, nec ejusdem legibus satisfecissent. De satisfactione Suecia eadem reperebantur, quæ quondam Lauenburgico scripto oblata fuerant. Congressum hinc frequenter flagitanti Luzovio Salvius vario obtentu abnuebat; revera ut ostenderent, latas conditiones se dedignari; & quia verebatur, ne Luzovio nil aliud propositum esset, quam ipsum tentare, præsertim cum eodem tempore Cæsar Danum de prosequenda mediatione monuisset. Ist hanc dubitationem Luzovius discutere nitebatur: Cæsarem non ita abrupte Dani mediationem tollere posse, quæ in speciem retineatur; si brevior via cum Regina transigendi detur, Danum valere jussurum. Enimvero quia jampridem Danus filii sui nuptiis Avauxio in faciem dixerat: se potius bellum decreturum, quam committurum, ut Suecia pugnum terræ in Germania retineat; ac nuper Christianus Thomæ F. Cancellarius Penzio scripserat; hucusque Danos bellum hoc velut alienum adspexisse, sed statim atque animadverterint Succos pedem in Germania figere velle, rem velut suam aggressuros: nullam commodiorem rationem ducebat Salvius intensam mediationem declinandi, quam secretos tractatus. Præterea quod isto tempore Cæsar Dano non valde addictus videretur, quem iste circa cautam Pinnebergicam, & vectigal Glucstadiense non parum offenderat. Nec vero de Luzovio aliter judicare poterat, quam serio ipsum rem agere. Ac testabantur, qui eodem familiariter utebantur, ei persuasum, Cæsari hanc viam pacis concludendæ maxime placere; nec eundem de successu negotii dubitare. Accedebat nupera Cataloniæ & Lusitaniæ defectio. Unde censebat Salvius, si Reginæ non magis Europæ tranquillitas quam propria foret, ipsam commode nunc peculiari pace potiri posse, per secretos tractatus exclusa Dani mediatione. Ac satis adparebat, Gallos prorogato fœdere Sueciam diuturno bello involutum ire; ac præstare pacem propinquam amplecti, quam spe auxilii Gallici dubio eventui rem committere. Saltem Avauxio, si quid suboleret, stimulum additum iri, ut majore facilitate circa prorogationem fœderis procedat. Has ob rationes placebat denuo cum Luzovio congredi. Ne tamen à se quid elici posset, quo hostis post Ratisponæ, aut apud Gallos, Luneburgicos, Hassosve advertus Sueciam abuteretur, constituerat ita cum ipso agere, ut circa formulam oblatam solidis rationibus demonstraret, quid admitti non posset: sed quid ipse cuperet, Luzovio tantum conjectandum relinqueret; protestatus insuper extremam tententiam super tribus controversis capitibus à se pandi necdum posse. Ita forsan se quid ab isto expiscaturus erat.

Salvii consideraciones circa secretos tractatus.

§. 79. Inde aliquoties apud dictum senatorem urbis congrediuntur, cujus domum Salvius soluto comitatu, Luzovius mutata veste inter tenebras per posticum in aliam plateam exiens ingrediebatur. Hic circa amnestiam ostendebat, Sueciam decreto Cæsaris & Ordinum Ratisponæ acquiescere par esse, qui sepositis Bohemis, provinciis hæreditariis, & causa Palatina inter irreconciliatos, gravatos, recidivosque pro ratione personarum, & delictorum discrimen faciendum suaserint. Inprimis insinuabat, Palatini restitutionem certis conditionibus à Cæsare circumscribendam Reginæ satisfactionis loco tricies centies mille unciarum, mox Rugiam insulam, & Stralsundam in feudum Reginæ & masculis ejus hæredibus offerebat. Inde priori summæ decies centena unciarum millia addebat, & hypothecæ loco Rugiam, ac Citeriorem Pomeraniam ad Penam usq; fluvium;

Ab Luzovio oblata circa amnestiam.

Circa satisfactionem Suecia.

by Google

1641. quam demum feudi nomine pro Regina, ejusque masculis hæredibus ostentabat. Salvius contra demonstrare, pacis tempore è tota Pomerania ad Ducem non ultra octoginta tria uncialium millia rediisse; ut ad tolerandos aulæ sumtus pleræque ipsius præfecturæ oppignorandæ fuerint: quæ vix ter centenis uncialium millibus redimi queant. Regalia quoque Ducis valde modica fuisse. Ita totam Pomeraniam non sufficturam alendis ministris ac præsidiis,& revera Sueciæ oneri futuram. Tum incongruum esse feudum ad solam Reginam restringi, ejusque sobolem,cum vix inter privatos ad unicum hominem soleat respici. Luzovius de hac re ad Cæsarem diligenter se perscripturum ferebat quem quantum in se facturum speraret. Monebat tamen,temperaret postulata Salvius. Si Sueci inter membra Imperii adscribi cuperent,ne nimis Cæsarem urgerent,sed moderatis legibus potius deciderent; id quod arctiori deinceps conjunctioni occasionem præbiturum sit. Sin ista repudientur Cæsarem ad alia consilia descensurum. Militibus demum, qui post factam pacem Cæsaris sacramento accederent, duorum aut trium mensium stipendia pollicebatur Luzovius,deinceps pari cum Cæsaris milite conditione habendis. Heic excipiebat Salvius, istud pacem non sapere, exercitum augere, cum potius eradicandæ diffidentiæ miles utrinque sit dimittendus. Reponebat Luzovius, eo casu pacem cum Gallia non futuram; ut Cæsar evitare non possit; quin copias suas augeat. Super his tamen omnibus presseriorem se Cæsaris declarationem expectare ferebat,rogans Salvium,ut rem tantisper integram retineat; quod hæc transigendi ratio sine dubio optima sit. Salvius contra: Cæsarem & Ordines literis ad Daniæ Regem solennes tractatus urgere; nec super Sueciæ satisfactione Ratisponæ,aut cum Brandeburgico super Pomerania adhuc actum. Ordinibus quoq; Imperii persuasum penes solum Cæsarem non esse ipsorum citra consensum pacem concludere. Ad quæ Luzovius: Cæsarem non posse non ista libertatis simulacra Ordinibus relinquere. Si tamen breviore via pace potiri queat, id non repudiaturum, aut dilaturum. De Brandeburgici consensu certum jam esse; ac ejus negotii perficiundi causâ Martinicium Comitem Regium-Montem proficisci. Nec dubium quin Ordines adprobaturi sint, quæ ipse cum Regina concluserit. Addebat, ut fœderis Gallici prorogatio, aut saltem ratificatio differatur. Excipiebat Salvius; Cæsarem, dum internam Imperii pacem ab externa separat, nil aliud agere, quam ut, Ordinibus Imperii societate exterorum Regum divulsis, hos tanto acriore bello petat; quæ causâ Reges ad fœdus arctius adstringendum compellat. Luzovius; Consilium de Germania primum intus, post exterius tranquillanda à Dano originem trahere. Sed Cæsari jam patere, hunc sub pacis vocabulo belli continuationem adversus utrumque Regnum spectare, quo ipse interim in turbido piscari & cupitis suis potiri queat. Unde Cæsarem Dano offensum malle secretos tractatus absque isto procedere. Et ut dictis fidem faceret, literas Cæsaris ostendebat notis conscriptas, sed quibus hic sua manu addiderat; Se licet capto Slangio, & pulso Banerio latas Salvio conditiones non retractare, nec dubitare, quin hic jam concluſurus, ac tam insignem provinciam Reginæ suæ conservaturus sit; quæ forte bello extracto ab eadem obtinenda non sit. Repetitis hinc subinde hortatibus adspergebantur minæ, inflatis receptu Banerii animis: si placerent conditiones, tandem mentem suam declararet; tunc è vestigio pacem fore: alias indicta & infecta omnia esse, quæ hactenus dicta ac facta sint. Nec talia deinceps oblatum iri, sed Cæsarem extrema omnia tentaturum, ut Suecis præmia gladio exsolvat. Ac conscius arcani congressus senator Bartholdus Mœllerus jam novas Vesperas Siculas strui memorabat, ni leges pacis accipiantur. 1641.

ac militum.

Luzovius Salvio dubia deinceps omnia.

Idem minas spargit.

§. 80. Ast Salvio multas ob causas consultum videbatur super satisfactione cum Cæsare in antecessum convenire, solenni tractatu nihilo secius procedente. Bellum indies ingravescere, Amheimii & Lauenburgici factionem glisscere: Ordines Imperii super amnestia ipsos transigere, circa quam corrigendam invitis quorum intererat opera incassum videbatur sumenda. Neque vero Galli ampliorem cupiebant satisfactionem Sueciæ obvenire, quam quæ nunc oblata fuerat. Tum Dano & Brandeburgico apud tractatus intervenientibus omnia futura erant difficiliora. Receptu quoque Banerii animus hosti additus; nec ulla exercitus sedes idonea præter Brunsuicensem ditionem, cum Silesia ac Moravia supererat. In illam si descendatur, vastitatem fore antequam æstas ingruat: totius Circuli animos,ob imminuta commercia jam ægros, plane alienatum iri accedente insuper Dani offensa, cujus filius Fridericus Georgii Ducis filiam ambibat. In Silesiam Vinarienses non secuturos. Ita ubi separati fuerint, exercitus, singulos hosti impares fore: conjunctos inopia atterendos. Nec adversus hæc incommoda consilii quid occurrere, quod ad diuturnitatem valeat. Nam ut pecuniæ quid sit parandis supplementis, rarum tamen nunc inveniri militem, ac deesse loca illi colligendo. Tum apud exercitum summos juxta ac imos belli tædium cepisse. Parum spei esse,Galliam majore conatu bellum in Germania sumturam. Luneburgicos & Hassos, ni plus emolumenti è Suecica societate capiant, quam hostis ostentet, facile hujus ac reliquorum sociorum solicitationibus cessuros, præsertim defuncto Duce Georgio, quo plurimum fidebatur. His porro abstractis ac ingruente hinc Arnheimio & Lauenburgico, inde Cæsareis & Bavaricis, Succicos quantumvis acerrime connixos numero obruendos. Accedebat valetudo Banerii, cui si quid humanitus contigisset, atrociora metuenda erant. His autem difficultatibus omnibus exiri posse, si cito honesta pace potiri detur. Unde à Luzovio petebat Salvius, hoc negotium ne abrumperet quoad à Suecia responsum ipse acceperit. Nam sibi id valde cordi esse. Inde conscius arcani senator caput de satisfactione à Luzovio conceptum afferebat, quo Rugia ac Stralsunda cum tota Citeriore Pomerania in feudum Imperii Reginæ ejusque masculæ proli offerebatur; qua deficiente ea provincia Regno hypothecæ loco pro quadraginta auri tonnis obtinenda sit. Insuper Cæsarem polliceri, se nemini permissurum militem adversus Sueciam in Germania conscribere. Quin si Suecia quid vicissim offerat, ipsum eandem adversus quosvis hostes tutam præstiturum. Hæc ut acceptarentur, magna vis rationum adducebatur. Gallos peculiarem pacem præreprurus; Luneburgicos, quod à Succis sibi non satisfiat, ad Cæsarem transituros, Arnheimii & Lauenburgici arma glisscere. Succicum exercitum jam cessim ire. Nulla in præsens obligatione Succos stringi, quominus citra ullius querelam suo arbitrio pacem concludere queant; & rebus ubique nutantibus honeste nunc acceptata pace imminentia mala declinari. Nil superesse Sueciæ, quod sperare queat, præter paucas Ulterioris Pomeraniæ præfecturas, mox à Regina aliis donandas. Obtineri quod maximum sit, sessionem & suffragium in Conventibus Imperii & Circuli Saxonici, simul portum in Germania, & idoneum conducendo militi adversus

Salvius in secretos tractatus proclivis est.

24. April.

Luzovius Salvio pacem seperatam persuadere nititur.

1641. ſus vicinos locum. Si ulterius tergiverſentur, Cæſarem cum Gallis transacturum, conceſſis in Superiore Germania, quæ heic Suecis deſtinaverat. Tum quæ Brandeburgico in Sileſia ob ceſſam Pomeraniam daturus erat, Arnheimii & Lauenburgici delectibus impenſurum. Internam Germaniæ tranquillitatem facile obtentum iri, ſi querulis Ordinum paulum quid indulgeatur. Inde ferro Suecis præmia exſolvenda. Nec deeſſe media Cæſari, quibus Danum Suecia immittat.

Salvius cum Luzovio colloquium.

§. 81. Congreſſu mox habito Luzovius caput circa amneſtiam, prout id quondam Stralſundæ ab Oxenſtierna conceptum erat ſubſcribere non dubitabat; modo anni decimi octavi mentio non fiat, & ut circa ſingulorum Ordinum querelas placitis Conventus Ratiſponenſis ſtetur. Quod ſi Suecia Palatini, Bohemorum, & hæreditariarum provinciarum patrocinium ſuſcipere nolit, id quod Cæſar verebatur, lautius forte eidem, quam formula expreſſum ſit, ſatisfactum iri. De tota tamen Pomerania ſpem plane non facere; ſed de Stetino, ac vicis ad Oderam & ſimilibus non valde abnuere. Quod in conceſſione feudi ſolius Reginæ & hæredum mentio fiat, Sueciæ absque fraude eſſe. Nam à nemine unquam quadraginta auri tonnas exſolutum iri. Proferebat inſuper literas à Cæſare prolixiſſimas, quibus præter dicta ſpondebat, ſe Sueciæ ſuper Pomerania adverſus Polonum, Danum, Brandeburgicum, & quosvis cauturum, ac fœdus ſimul, ſi Reginæ conditiones ferre placeat, eo nomine initurum. Salvium, ut iſtas conditiones haut repudiandas judicaret, movebat Avauxii circa fœdus tergiverſatio; & quod nuntiatum eſſet, Gallos ſeparatam pacem à Cæſare anxie ambire; quo nomine Stella quidam diſſimulata perſona Ratiſponam miſſus ſit. Videbatur quoque Cæſari pax cordi eſſe, quod Turca finibus Hungariæ & Stiriæ minaretur. Tum præter lubricum apud exercitum & ſocios ſtatum terrebant, quæ apud Danos ac Polonos infenſa Sueciæ conſilia agitari dicebantur. Igitur cenſebat, tentandum eſſe, num ſecretam per negotiationem pax concludi poſſit, ut tamen ſolennes tractatus, & fœdus Gallicum non omittantur. Nam ſi res iſta via non ſuccedat, omnia fore integra. Paci ſecreto concluſæ Galliam pro more includi poſſe, ſuſcepta inter hanc & Cæſarem mediatione.

Salvio laudat conditiones accipiendas videntur.

Rectores Sueciæ ſecretos tractatus abrumpi jubent.

§. 82. Enimvero Rectoribus Sueciæ alia plane ſententia ſedebat. Hi ſecretos congreſſus non alio fine permiſerant, quam explorandæ hoſtium menti; non quod eam viam idoneam ducerent tanto bello ponendo. Neque vero pars adverſa aliud iſtis tractatibus ſperaverat, quam Sueciam à ſociis & amicis disjungere, ac orbis ludibrio exponere; cum ſatis conſtaret, Cæſari cum Brandeburgico nondum ſuper Pomerania convenille, neque de talibus ſtatuere penes ſolum Cæſarem eſſe. Porro Sueciæ ſecuritatem, quam hoc bello inprimis ſpectaverant, in eo verti, ut Germania, ac præcipue viciniores Circuli priſtinæ libertati reſtituantur. Eoque ſuper plena amneſtia primo omnium loco contenderant; de reliquis ſub iſtius favore, aut pari paſſu. Nam ſi pax ex voto non procederet, in eo capite tractatus adhæreſcere honeſtiſſimum putabatur. Aſt Luzovius hoc ordine inverſo tantum de ſatisfactione Sueciæ agere, quo hoſtibus calumniandi anſa præberetur, velut illa ſuo tantum commodo inhiaret, publica cauſa inſuper habita. Sed nec quæ offerebantur tanti eſſe, ut ad ea amplectenda ita cupide ruendum ſit: neque ſolum Cæſarem Pomeraniam poſſe dare: & ſi ea ſola ſpectetur, ſatius fore cum Brandeburgico agere; uti plures ante annos Saxonem inter & Brandeburgicum ſuper iſta Sueciæ cedenda tractatum fuerat. Propoſitionem quoque Ratiſponæ factam monere, cavendum eſſe ab ejusmodi tractatibus, ubi negotiationis cum Banerio odioſiſſime mentio facta erat, diſſimulata tamen non modice veritate. Nunc ſepoſita ſolida ſecuritate feudo malignis legibus circumſcripto deliniri, quo fortaſſe ab hoſte pro lubitu ejici iterum queant, nec tutum Sueciæ nec honeſtum eſſe. Latas à Cæſare conditiones non alio ſpectare, quam Suecis à Gallia diſſociatis paucos Germaniæ Ordines, qui adhuc Reginam reſpiciant, ad deſperationem adigere, & quam aperta via nondum potuerunt, obliqua Sueciam ſubvertere. Cæſarem inſuper poſt pacem Suecicam exercitum non exautoraturum, ſed Suecici acceſſione firmaturum, ac totam belli molem in Gallos verſurum. Quibus oppreſſis aut ad iniquam pacem compulſis in Imperium ipſe tanto ſuccinctus exercitu rediturus ſit, inermes Proteſtantes, Sueciamque pro lubitu temperaturus. Igitur non in præſens modo, ſed futurum quoque proſpecturis nonniſi ſuper communi pace laborandum. Eam plerosque Proteſtantes, Gallos inſuper, Belgas, & Anglos optare; qui ſeparata pace vel Sueciæ nihil amplius fidei adhibituri ſint; cum tamen eorum amicitia huic utique retinenda ſit, ubi controverſiæ quid cum vicinis oriatur. Quæ offeratur, pacem pro ſolo hoſtium lubitu ſtaturam, aut majoribus moleſtiis, quam quas nunc amolitum erat, ipſos immerſuram. Denique Luzovii minis pueros terrendos, non viros tanta ſecundarum, adverſarumque rerum experientia. Et quia vix amplius quid à Luzovio elici poſſe videbatur, qui ferocius loqui incipiebat, Salvius jubebatur ſecretam iſtam negotiationem plane abrumpere, & omnia ad ſolennem tractatum rejicere, ac Luzovium ulterius inſtantem hortari, ut ad hunce promovendum pro virili connitatur. Quo reſponſo & Salvius ſemel atque iterum ſecretos congreſſus poſtulantem amolichatur.

Legatio Danica ſuper pace. 16. Jan.

§. 83. Aſt publicorum tractatuum primordia lente admodum procedebant. Mittebat Daniæ Rex Legatum in Sueciam Georgium VVindium Senatorem qui apud Reginam proponebat: Regi à Cæſare nuper ſplendida legatione ſignificatum, literas ſalvi conductus pro Suecorum in Germania ſociis ea, qua petitum fuerit, forma conceptas ſtatim tradendas, atque intellectum ſit eas acceptatum iri, ac viciſſim hinc diplomata pro Cæſareis, Moguntinis, & Brandeburgicis legatis exhibeantur. Cæſareorum porro diplomatum eam eſſe formulam, ut Rex perſpicere nequeat, quid in iis deſiderari poſſit; (quorum apographum offerebat.) Et quia Cæſar jam omnia annuerit, quæ initio tractatuum ab ipſo poſtulata fuerint, Regem ſperare, in Regina moram non fore, quo minus tam diuturnum bellum tandem ad tractatus deducatur; tum Catholicis gloriandi materia adimatur, quaſi major ipſis cura pacis ſit, quam Evangelicis. Addebat de incommodis in viciniam ex eo bello redundantibus, & quod Regi magna cum impenſa limites milite ſint firmandi, commerciis quoque ſubditorum valde imminutis. Equidem cauſam bello jactari ſacra ac libertatem Germaniæ, vicinorumque conſervationem. Aſt ædibus ſacris, ſcholisque vaſtitatem illatam, ſacerdotes ad mendicitatem redactos, oppida vicoſque deſtructos, incolas gladio fameque ſuperſtites ad ſolum vertendum compulſos. Quibus malis ſiſtendis nulla occaſio prætermittenda ſit. Ad extremum petebat adjungi ſibi, quibuscum ſuper tempore & loco tractatuum conſtituat. His dictis Legatus à Reginâ digrediens monebatur, ſe à Rectoribus Sueciæ ac Senatu expectari. Sed is negans paratum ad

Legatus in Senatum venire abnuit.

1641. hoc se esse domum discedebat. Quare offensi Rectores duos Senatores, qui Legatum comitabantur, prandium cum ipso capturos in Senatum revocabant, pensandæ contumeliæ. Ac placebat, non amplius ipsum monere, quoad ultro auditi
17. Jan. pereret. Sequenti die Petrus Wibius Cancellario Legati orationem coram Regina dictam scripto traditum veniebat. Sed quam hic accipere abnuebat. Minorennes apud Reges solennes tantum salutationes, seria negotiorum apud Tutores proponi. Cur iste statum Sueciæ reformare aggrediatur? Si præter exempla literarum Cæsarearum nihil adferat, legatione opus non fuisse, sed ea per Wibium potuisse tradi. Et stabat sententia Senatui, ni negotium suum rite apud se exponat legatus; absque responso eundem dimittere: Eidem, cum apud Cancellarium salutatione se defuncturum denuntiaret, hic responderi jubebat: Si dedignetur apud Senatum auditi, nec se ipsius salutationem curare. Cæterum credebatur istum agendi modum Legato asperi alias ingenii viro præscriptum, ut Senatus Daniæ, qui hactenus Regem à bello in Succos cohibuerat, in hosce irritaretur. Nec segniter increpitabatur Residens Wibius, quare is Senatum contumelia afficere, & instituta ipsius corrigere conaretur, quæ reliqui Legati omnes secuti sint. Offerebat hinc VVindius, se orationem apud Reginam dictam in Senatu repetiturum. Sed
20. Jan. cum ne id quidem admitteretur, tandem posita pertinacia in Senatu negotium suum pro more exponebat: excusans institutorum Sueciæ ignorantiam, & culpa in VVibium collata, à quo melius edoctus non sit. Qui tamen fremebat; Legati munere susceptο ipsum nosse debuisse, quæ sibi agenda forent. Post circa exempla diplomatum à Legato tradita annotabatur, omissa quidem esse verba tantopere hactenus agitata, *nondum reconciliatis*, ac interNegocium de diplomatibus Hamburgum rejiciendis. tum esse, ut socii Sueciæ *per se aut Coronarum plenipotentiarios* tractare queant: occurrere tamen nonnulla errata, quæ emendari oporteat. Inter quæ extantiora erant, quod licet Regina Cæsari plenum titulum dedisset; hic tamen eandem velut obiter nominarat *Serenissimam Reginam & Coronam Suecia*. Ast Landgraviæ in margine duntaxat adscriptum erat *Illustr.* ut discerni non posset, Illustrem an Illustrissimam dicerent. Quia tamen ipsa diplomatum autographa inspici necessum erat, ea res Hamburgum ad Salvium rejiciebatur, cui etiam diplomata pro Cæsareis & Electoralibus Legatis transmittenda erant. De loco tractatuum tunc nondum circa Hamburgum aut Lubecam mutatum erat. De die non nisi cum consensu Regis Galliæ per fœdus statui posse, cui ejus rei maturatio commendanda sit. Ubi serio rem à Cæsare agi adpareat, unum aut binos Senatores in Germaniam mittendos, tractatibus absque mora auspicandis. Monebatur insuper Rex, ut quia non nili conjunctim cum Gallia tractatum ordiri queant, apud Regem Hispaniæ instet, ut pro Belgis quoque diplomata exhibeantur.
27. Jan. Quod responsum scripto conceptum illi tradebatur; simul solide destruebantur, quæ is verbis sat aculeatis exprobraverat, velut penes Succos extracti belli causa fuisset. Cæterum hoc quidem ejus legationis prætextum erat. Nam revera VVindio isti inprimis propositum fuerat apud unum aut alterum privatim explorare, quid à Batavis Legatis heic superiore anno actum foret. Cui de compacto responsum: illos questos fuisse de inusitatis oneribus rigidoque agendi modo, ac petiisse, Succi veteres ipsorum amici operam conferrent, ut ista deinceps abrogentur. Quibus repositum fuisse; si quid Succi contribuere possint ad controversias eas amica via componendas, libenter facturos. Idem quoque monitus, quare responsum ad literas Senatus Suecici tamdiu dilatum foret; non aliud habebat quod reponeret, quam Senatum semel duntaxat ex eo tempore Coldingæ convenisse, tam multis ibi negotiis obrutum, ut eo de negotio cogitare non potuerit. In reditu tamen se de eodem moniturum. Legatus iste discedens neque Reginam neque Senatum salutabat, nulla alia ratione allegata, quam quod diceret, is molestum se esse nolle. Cum iste legationis suæ eventum Regi retulisset, hic respondebat: miram sibi rem videri; utramque partem cupidam se tractatuum verbis testari, utramque revera ab iis abhorrere. 1641.

§. 84. Paulo post diplomata salvi conductus à Rectoribus Sueciæ pro Legatis Cæsareis & Electoralibus justa forma adornati Hamburgum mittuntur, ut Salvius eadem cum Cæsareis, si hæc absque vitio invenirentur, permutaret. Mox Daniæ Rege per literas tam Luzovium quam Salvium monente, autographa diplomatum Lucæ Langermanno Decano, cui Rex id negotium commiserat, traduntur, ac Legatis inspicienda permittuntur, inspectione facta Decano restituenda. In Cæsareis diplomatibus eadem vitia, quæ in exemplo Holmiensi, occurrebant, præterquam quod maculis & sordibus obtita, velut aquis corrupta forent. Quæ ut corrigerentur Salvius monebat; & quia Galli de mutando tractatuum loco agitabant, ut pro isto spatium relinqueretur. De quo & ipsum Regem literis monebat, pro more 10. Mart. cavillantem; diplomata reipsa bona esse, sed non ita secundum grammaticam concinnata, uti Salvius velit. Luzovius tamen ista se emendata huc iterum curaturum recipiebat. Accedebat & alia tractaribus mora, quod allatis licet emendatis diplomatibus ad designandum diem accedi non posset. Nam Avauxius negabat super die se statuturum nisi diplomata pro Gallis & Belgis pariter heic exhibeantur: utque de hoc apud Daniæ Regem instaret Salvius, petebat. Contra Cæsar diplomata pro Gallis non Hamburgum, sed Coloniam missurus erat: & Danus quidquam cum Gallis negotii esse sibi negabat. Salvi conductus Hamburgi utrinque inspiciendus. 24. Febr.

§. 85. Allata jam Hamburgum erant denuo Cæsarea diplomata pergameno inscripta cum pleno Reginæ titulo. Sed, cum pro Sueciæ sociis sibina exemplа conscripta essent, quorum unum Lubecæ & Hamburgi vocabulum, alterum nullo designato nomine tractatuum locum exprimeret; pro Suecicis Commissariis unum duntaxat allatum erat, quod Lubecæ & Hamburgi nomen præ se ferebat. Quæ una erat novæ moræ causa, quod interea Sueci Gallique convenissent Osnabrugæ & Monasterii tractatus suscipere. Quia porro Cæsar integrum Reginæ titulum expressérat, Luzovius postulabat, ut & integer Cæsaris titulus in omnibus diplomatis repræsentaretur, quæ compendiosum duntaxat continebant. Denique & Cæsar diplomata pro Gallis Coloniam videbatur missurus, ubi à Gallis nemo aderat, qui ista acceptaret. Quæ tamen antequam traderentur, Avauxius diem conventui designare abnuebat, nec Salvius per fœdus poterat. Quæ impedimenta Sal- 12. Maji. vius Daniæ Regi per literas significat, proponitque, ut dum diplomata ob titulum Cæsaris transcribuntur, ipse apud hunc agat, ut propter loca tractatuum adhuc dubia alternans vocabulum ponatur, amputandis novis moris: utque diplomata pro Gallis Hamburgum mittantur, quod Rex Galliæ nullibi quam heic plenipotentiarium habeat. Expetebat super hisce Salvii colloquium Luzovius; id quod ille abnuebat, ni simul cum Avauxio ageretur, quod ex fœdere uni Coronarum citra alteram nihil statuere fas esset. Reginam Nova morarum causa.

Vera ejus legationis causa.

id

1641. id multis ab annis monuiſſe, idemque nuper Ordinibus Imperii Ratiſponam ſcripſiſſe, qui iſthoc haut iniquum agnoverint. Cæſarem ſemper de ſtudio communis pacis teſtatum. Quare igitur non æque apud unam, quam alteram partem novis moris finem imponat? Luzovius proponebat; referret Salvius omnia ad Avauxium, & mediatoris velut vicem obiret. Aſt Salvius neutrum id decere cenſebat. Nam Gallos ignominiæ ſibi ducturos, ſi cum ipſis per ſe agere dedignetur; & abſurdum erat Succos, tanquam adverſam partem inter Cæſarem & Gallum mediatorum vices obire. Eas rationes Luzovio in ſcriptum redactas tradi curabat, miſſo quoque Ratiſponam exemplo, ne quis moræ culpam Succis impingere poſſet. Significabat tamen, ſibi congreſſum non diſplicere, ſi iſte ita inſtituatur, ut Avauxius velut ex improviſo interveniat, & ſic inter ipſos ſuper eo negotio tranſigatur. Sed Luzovius excuſabat, à Cæſare ſibi injunctum mediante Salvio cum Gallo agere. Revera tamen iſte metuebat, ne Avauxius Ferdinando Imperatorum titulum denegaret. Avauxius contra velut juſſu Regis ſui Salvio denuntiat; decretum Regi eſſe totam Lotharingiam reſtituere; multo minus circa Briſacum & Alſatiam moram fore. Usque adeo cordi eidem eſſe non fines Regni proferre, ſed communem ſecuritatem firmare; ne Succi credant Regem ipſos infinito bello implicare velle. Ita cum circa præparamenta pacis neque ſolus Salvius poſſet, neque Luzovius pariter cum Gallo tranſigere vellet, negotium in Auguſtum usque menſem quieſcebat.

Gallica præliminaria Hamburgi quoque tractantur.

§. 86. Effecerat interim Daniæ Rex apud Cæſarem, ut Galliæ quoque pacis præliminaria Hamburgum transferrentur, ac Luzovio ſuper illis tranſigere mandaretur. Iſtis perficiendis à Dano Langermannus delegabatur. Heic nulla inter Luzovium & Salvium difficultate Avauxius, antequam diem conventui diceret poſtulabat, Regis Hiſpaniæ conſenſum in tempus & locum tractatuum exhiberi, ac tria inſuper diplomata, pro Treverenſi Electore, pro Duce Sabaudiæ tanquam tutrice filii, & Regente, ac pro univerſis Ducibus Luneburgicis. Quorum diplomatum neutrum cum Luzovio ad manum foret, nec miniſter Hiſpanicus adeſſet, ex quo Regis iſtius ſententia intelligi poſſit, novæ difficultates ſurgebant. Equidem cautionem ſuam interponebat Luzovius iſta ſe curaturum. Quam usque adeo negligebat Avauxius, ut initio negotiationem plane ſuſpendere vellet, quoad iſta allata forent. Mox ne invidiam protracti negotii in ſe devolveret, ac ea tergiverſatione turbas in exercitu Succico accenderet, conſentiebat, ſi Daniæ Rex ſcripto caveat iſta brevi allatum iri, tempus conventui circa initium futuri anni deſignatutum, & reliqua diplo-
ad Augut. mata absque mora permutaturum. Enimvero abnuebat Rex cui de voluntate Cæſaris non conſta-
3. Septemb. bat, fidem ſuam periculo exponere, ac Salvio per literas proponebat, Avauxium permoveat, ut vel ſuo poſtulato deſiſtat; vel Luzovii cautione adquieſcat. Alias reſponſum Ratiſpona expectandum. Inde circa initium Octobris Cæſar Luzovio memorata tria diplomata transmittit, addito, ſe ſpondere ab Hiſpano rata habenda, quæ Luzovius ſuper loco & tempore tractatuum transegerit. Cæterum quanquam iſta Galli diverticula ægre ferrent Succi, quæ haut quidquam ex fœdere mutari tenebantur, ac Luzovius identidem ad ſecretos tractatus invitaret; tamen quod argento Gallico vehementer exercitus indigeret, iſtæ moleſtiæ devorandæ erant; ac Luzovii ſolicitationibus ſemper fœdus occinebatur. Ita October menſis incaſſum elabitur, dum neque Luzovius cum utroque Legato Regio tractare vult, & Daniæ Rex, in quem iſte negotium rejiciebat, ex Holſatia abeſſet. 1641.

Avauxii tergiverſationes. 8. Nov.

§. 87. Ablegatur inde Hamburgum à Daniæ Rege Langermannus; ut ſalvis conductibus permutatis certum diem auſpicando tractatui diceret, ac præparamentis pacis aliquando ſummam manū imponeret. Enimvero tergiverſabatur Avauxius Cæſaris tanquam hoſtis ſponſionem pro Rege Hiſpaniæ admittere; ac pertendebat, ut conſenſus Regis vel miſſo Legato, vel ſcripto Hamburgi prius declaretur, quam præliminaria concludantur: tum ut novo diplomate Chriſtina Sabauda Tutrix & Regens nuncuparetur. Eſſe illam in poſſeſſione, ex teſtamento mariti; nec alio reſpectu tractatibus interfore. Minus grave Cæſari cum titulum dare, quam Duci eodem cedere; præſertim in præliminaribus, & per proteſtationem reſervato jure tertii, cum inter tractatus ea lis ſit decidenda. Nec ſe repugnare, ſi Cæſar ipſam modernam Regentem vocet. Reponebat Luzovius; eo titulo utique præjudicari non Cardinali ſolum Sabaudo, & Principi Thomæ, qui eam tutelam ſibi vindicent; ſed & Cæſari atque Imperio. Quam enim exemtionem ab Imperio obtendat Sabaudia, Cæſarem negare; eoque matrem agnatis ſuperſtitibus tutelam pupillorum filiorum gerere non poſſe. Hinc & Landgraviam titulum Tutricis apud Ordines tuos provinciales, non apud Cæſarem & alios uſurpate, nec ut is in diplomate exprimatur poſtulare. Aſt Salvius obſecrare, & ſuadere, ne pax retardetur. Iſthoc ad bellum Germanicum, & fœdus non pertinere: & moras hafce ſociis Regnis ingentem invidiam conflaturas. Ac fortaſſe Luneburgicis ſtatim ſtimulum inde addendum ad maturandos Goslariæ tractatus. Quæ cum parum curaret Avauxius, proponebat Salvius, ut in diplomate non Dux vidua, ſed minorennis Dux Sabaudiæ nominaretur. Sed quia nihilominus tempus labebatur, dum novum ex aula diploma petitur, aliud temperamentum inveniebatur, ut vel Avauxius diploma acciperet cum proteſtatione, Ducis juri nihil derogatum iri; vel diem conventui diceret hac lege, ſi diploma interim cum poſtulato titulo adferatur, & Daniæ Rex tantisper fide jubeat. Quorum hoc ab Avauxio acceptatum. Circa ſponſionem Cæſaris pro Hiſpano placebat, ut quia Avauxius literis autographis ad Luzovium in manus traditis adquieſcere nolebat; Daniæ Rex iis acceptis fidem ſuam interponeret. Qui & non ad conatum ſolum, ſed & Avauxio 4. Dec. acriter contendente; pute ad iſtud ſe tandem adſtringebat.

Difficultas circa titulum Sabaudiæ.

§. 88. Ita demum ad concipiendam conventionis præliminaris formulam accedebatur. Et Sue- Tractatus præliminaris. cicis quidem tractatibus Oſnabruga, Gallicis Monaſterium decernebatur, quibus placebat præſidia utriusque partis deduci oppidaque interim juramento, quo uni aut alteri parti obſtricta forent, exſolvi, & plenæ neutralitatis legibus obligari; quæ interim proprio milite, aut per oppidanos cuſtodienda ſint. Fruſtra frementibus Cæſareis; ignominioſum id ſibi, velut in publica Cæſaris atque Imperii fide minus ſecuritatis foret. Tum ut magiſtratus oppidorum ſcripto toti conventui ſuper fidelitate ſua, ac tuendis legatis, eorumque comitatu ac rebus caveat; & ſi quid communi tractatuum bono cedens ab eo poſtuletur, morigerum ſe præbeat, ita tamen ſi omnium partium conſenſu id injungatur. Oſnabrugæ Salvius peculiariter cavebat, ne quid circa ſacra, & alia ibi novaretur. Tum ſecuritati itinerum inter iſta oppida proſpiciebatur. Poſtulabat quoque Salvius, ut ob majorem ſecuritatem, & commodiorem ſubvectionem præſidia vicinis oppidis Vechta, Clop- Circa locum conventus cautelæ.
penburgo, Furſtenavia, & Rhena deducerentur.

Nec

1641. Nec improbabat Luzovius, sed nihil in mandatis super eo se habere excusabat. Unde Avauxio suadente ea res ad tractatus primarios rejecta, & simpliciter de libera annonæ subvectione expressum. Tandem cavebatur, ut si tractatus irriti abrumperentur, utrumque oppidum cum Petriburgo prope Osnabrugam in præsentem statum reponeretur. Inde super numero diplomatum tuti itineris constituebatur. Succi à Cæsare diplomata postulabant pro Plenipotentiariis Suecicis, pro Residente Gallico Osnabrugæ negotiis interfuturo; pro Domo Palatina; pro Domo Luneburgica, pro Landgravia Cassellana; denique pro omnibus Ordinibus Imperii Sueciæ sociis & adhærentibus. Gallus tam à Cæsare, quam Hispano exigebat salvos conductus pro Plenipotentiariis Gallicis, pro Residente Suecico Monasterii, pro Duce Sabaudiæ pro Belgis Fœderatis, pro deputatis Electoris Trevirensis, pro Carolo Ludovico Palatino, ejusque fratribus; pro Ducibus Luneburgicis, pro Landgravia; denique pro omnibus & singulis Ordinibus Galliæ sociis & adhærentibus, eorumve deputatis. Regii vicissim exhibituri erant diplomata pro ipsorum sociis in universum, ac separatim pro Colonienſi Electore & Bavaro. Circa diploma Sabaudicum Avauxius expresse testabatur, ut Tutricis & Regentis titulus utique adderetur. Tum ne quid moræ circa diplomata Hispanica oriretur, quod Cardinalis Infans Belgii Gubernator interim fato concessisset, patiebatur Avauxius, ut quæ ab eodem vivo scripta forent, valida essent, si ab Hispaniæ Rege adprobarentur.

Diplomata salvi conductus numerantur.

9. Nov.

§. 89. Circa tempus ordiendis tractibus placebat, ut diplomata intra duos menses ab hac conventione permutarentur. Ea permutatione diversis locis susceptæ confusionis quid, novæque moræ pareret, Hamburgi per ministros Danicos expedienda erat. Ab eo tempore intra mensem tractatui exordium fieret. Ita cum prævia conventio decimo quinto Decembris concluſa foret, initium tractatus in eundem diem mensis Martii incidebat. Quod angustum licet spatium Salvius admittebat, si forte Goslarienſem, qui tunc fervebat, tractatum hoc modo elidere posset, si adpareret ad communes tractatus ita properari longe firmius Luneburgicorum rebus cauturos. His omnibus addebat Avauxius, ut uterque tractatus Gallicus & Suecicus unus tantum sit & pro uno habeatur, eoque neuter ante alterum, nisi legibus utrinque conventis satisfactum fuerit, impletus censeatur. Quæ verba Suecico instrumento Salvius inferere initio abnuebat, quod hoc modo Sueciæ expectandum foret quoad super diplomate Sabaudico, & Batavico, Regisque Hispaniæ consensu obtentum esset; quæ omnia ad bellum Germanicum, eique superstructum fœdus Gallicum non pertinebant. Quia tamen Axauxius declarabat, his verbis Reginam ultra fœdus non obligandam, tandem illa admittebat cum expressa reservatione, ut eadem ultra fœderis sensum non porrigerentur: idque partim in Avauxii gratiam, partim ut hostibus omnem spem Coronas separandi adimeret. Et quia de præliminaribus tantum agebatur, Sueciæ non magnum præjudicium inde nasci poterat.

Tempus tractatui statuitur.

De unitate tractatuum.

§. 90. Cum hoc modo circa rem ipsam convenisset, novæ super titulo difficultates oriebantur; quod Avauxius in instrumento Cæsaris titulum Ferdinando dare abnueret, negans id sibi licere, nisi *in ordine ad tractatus pacis*, adeoque non nisi in diplomatis salvorum conductuum, quando illa permutarentur. Nam forte metuebat, ut Cæsare non præstante, quæ Daniæ spoponderat, ipse retractare posset, quod Cæsari semel dedisset. Unde istum Regis Hungariæ vocabulo duntaxat adpellatum, Hispano postponebat. Id quod neque Daniæ Rex, neque Luzovius admittere volebat, aut poterat. Et Salvio id ipsum displicebat; cum hoc instrumentum utique primus gradus, & velut introitus foret *in ordine ad tractatus pacis*. Et quia in enumeratione diplomatum Cæsaris nomen ponebatur; cur non in exordio & fine instrumenti idem exprimeretur? Pertinaciter tamen contranitente Avauxio placebat, eundem instrumentum non subscribere, sed Luzovio peculiare scriptum tradere, quo declararetur, Galliæ Regi hoc instrumentum probari eumque illi per omnia satisfacturum. Tandem & super eminentia sui Regis præ Regina & Regno Sueciæ movebat Avauxius, isti contendit omnium populorum, inprimis Christianorum præcedentiam præ aliis Regibus deberi. Eoque postulabat, ut in Suecico instrumento Monasterium Osnabrugæ, & Galliæ Regis nomen Reginæ præponeretur, saltem alternis vicibus. Nam in fœderibus se tulisse, & adhuc ferre, ut in Gallico instrumento Regis sui nomen, in Suecico Reginæ præponatur. Sed quia hoc instrumentum circa præliminaria tractatus in manus tertii, Cæsaris ac Dani, perventurum sit, istud sibi permittere haut licere. Id quod Avauxii nomine San-Romanus Salvio, modestis tamen verbis ac gestibus, exponebat. Ast Salvius non parum offensus absque circuitione testari: haut minus sibi suæ Reginæ, quam illi sui Regis dignitatem observandam. Per omnia sacra obtecrare, ne hanc chordam tangat, ingratum valde sonum daturam. Se talia in Sueciam ne referre quidem audere: quod exploratum sibi sit, amicitiam, fœdus, subsidia, auxilia potius insuper habenda, quam talia ferenda. Sed cum Avauxius ipse fateretur, hanc materiam valde delicatam esse, petebat temperamentum aliquod inveniri. Unde proponebat Salvius, ut vel nullum solenne instrumentum conficeretur, sed uterque per epistolam duntaxat Regi Daniæ significet, se in locum tempusque dictum consentire, expressis quæ postulat diplomatibus: vel ut uterque instrumentum suum cum Luzovio formaret, nec unus de alterius nomine, tractatuve aut postulatis mentionem faceret. Id quod Avauxius adspernabatur, quod cuperet, Sueciam ad obtinenda Galliæ postulata apud Cæsarem & Hispanum pariter incumbere. Igitur placebat, ut ipse in suo instrumento Monasterii & Galliæ Regis, Salvius in suo Osnabrugæ & Reginæ vocabulum præponeret, idemque Luzovius faceret. Mittebat inde Avauxius San-Romanum in Galliam, id hac potissimum ratione excusaturum, quod Cæsareus Legatus itidem pari passu cum Salvio tractare necessum habuerit, eoque non fuisse, quare ullam prærogativam heic sibi arrogaret. Ita præliminari tractatui tot per annos agitato demum colophon impositus est, quem verbis conceptis heic inferere visum.

& præcedentiam à Gallo præcessam.

Difficultates circa titulum Cæsaris.

25. Dec.

Sacræ Cæsareæ Majestatis & Imperii Aulico-Consiliarius ad Circulum inferioris Saxoniæ, & ad Pacis Præliminaria cum Potestate deputatus Legatus, Conradus à Lutzovv, universis ac singulis, quorum interest, constare volumus, postquam multis retro annis agitari cœperunt rationes instituendæ de Pace universali Tractationis, atque aliæ ex aliis difficultates in Præliminaribus emersérunt, tandem, Deo aspirante, & Serenissimi Regis Daniæ, tanquam Mediatoris, interpositâ autoritate, factum esse, ut inter Nos, simul ac Serenissimæ Reginæ Regnique Sueciæ Aulæ-Cancellarium & Legatum, Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Joannem Adler Salvium dicta Præliminaria concluſa sint, sequentem in modum:

Lo-

1641. Loca universalis Tractatus sint Osnabruga & Monasterium in Westphalia, ex quorum utroque statim post commutatos (ut infra dicetur) salvos Conductus, educantur militaria partium præsidia, & durantibus congressibus, dictæ civitates, sacramento utriusque partis solutæ, ad Neutralitatem obligentur. Magistratui interim proprio cum milite & civibus sua cujusque urbis custodia relinquatur: Ipse vicissim dato reversali obstringatur ad fidelitatem ac securitatem toti conventui præstandam ac Tractantium res ac personas comitatumque sancte habendum & custodiendum. Et si quid ab eo, pro communi Tractatus bono, requisitum fuerit, præstet ie quidem obsequentem, neutri? tamen partis jussa exequatur, nisi ab utroq; Legatorum corpore collegiatim insinuata.

Jura & Privilegia Civitatis Osnabrugensis interim salva maneant, & Templa, Scholæ, Curiæ penes Senatum. In cognominem vero Diœcesin neutra belligerantium pars plus juris factive sibi sumat, quam tempore hujus Contractus habeat.

Uterque Congressus pro uno habeatur, atque ideo non solum itinera inter utramque urbem omnibus, quorum interest, ultro citroque libere secureque commeari posse, tuta sunto: sed & quicunque locus interjectus particulari Tractantium conventui, pro mutua communicatione, videbitur commodus, eadem, qua dictæ urbes, securitate fruatur.

Libera quoque sit in omnia dicta loca literarum, Commeatus, & rerum omnium, tanto Conventui necessariarum importatio, exportatioque, nec ab ulla parte, ullove modo aut prætextu usquam turbetur, sed potius omni meliori modo promoveatur.

Si vero, quod Deus avertat, Tractatus re infecta dissolvi contigerit, recipiant Osnabruga, Petersburgum & Monasterium statum & præsidia, quæ nunc habent, omni ex parte, ac sancte religioseque servetur Neutralitas ad sex hebdomadas post abruptos Tractatus.

Salvi Conductus pro utroque Congressu commutentur utrinque omnes intra duos menses à die hujus conventionis. Et ne diversis dissitisque procul locis facienda commutatio implicet negotium, morasque novas afferat, fiat illa Hamburgi per Regios Daniæ Ministros.

Et quidem ad Congressum Osnabrugensem ex parte Augustissimi Imperatoris tradantur sequentes salvi Conductus:

1. Pro Reginæ Regnique Sueciæ Plenipotentiariis.
2. Pro Residente Gallico.
3. Pro domo Palatina.
4. Pro domo Brunsuicensi & Luneburgensi.
5. Pro domo Hassiaca Castellana.
6. Pro universis Imperii statibus, Sueciæ Fœderatis & adhærentibus in genere.

Ex parte vero Serenissimæ Reginæ Sueciæ tradantur sequentes salvi conductus:

1. Pro Imperatoris Plenipotentiariis.
2. Pro Deputatis Electoris Moguntini.
3. Pro Electoris Brandeburgici Deputatis.

Supradicti salvi conductus omnes & singuli, tam ex parte Romani Imperatoris, quam Reginæ Sueciæ, sub ea formula, quæ novissime per Mediatorum Legatos communicata partibus, & ab iis probata fuit, concepti extradantur.

Singulis quoque salvis Conductibus supradicta Tractatus Universalis loca perspective inserantur. Et præsentis Tractatus Autographum, data singulis Legatis copia authentica, apud Serenissimum Regem Daniæ deponatur.

Dies autem auspicando utrique Congressui, Osnabrugensi & Monasteriensi, dicta constitutaque esto vigesima quinta Mensis Martii proxime venturi, quod felix faustumque Orbi Christiano det esse Deus. 1641.

Præsens autem Tractatus cum altero, super iisdem Pacis universalis Præliminaribus hodierna quoque die conclusæ, inter Nos, Conradum à Lutzovv, pro Imperatore Romano & Rege Hispaniarum ex una, & Illustrissimum Legatum, Dominum Claudium de Mesmes, Comitem d'Avaux pro Christianissimo Rege ex altera parte, unus idemque sit Tractatus, nec, nisi adimpletis utriusque conditionibus, alterutri pro impleto habeatur.

Quæcunque supra de die locisque tractatuum dicta sunt, ea à Principalibus utrinque nostris peculiari Instrumento rata habebuntur, eaque ratihabitio, una cum enumeratis salvis conductibus præstituto tempore ac loco reciproce commutabitur.

In quorum omnium fidem roburque præsentes manibus nostris signatas, sigillis quoque mutuis firmavimus. Hamburgi die 25. 15. Decembris Anno 1641.

L.S. Conradus à Lutsow.

Legati Gallici peculiaris Ratificatio his verbis concepta erat: Christianissimi Regis per Germaniam Extraordinarius Legatus, Claudius de Mesmes, Comes d'Avaux, Universis, quorum interest, notum testatumque volumus, Nos de Tractatu super Pacis universalis Præliminaribus, qui inter Nos & Illustrissimos ac Excellentissimos Legatos, Dominum Conradum à Lutzovv, & Dominum Joannem Salvium, hodierna die respective conclusus, & ab illis subscriptus, atque in manus Serenissimi Daniæ Regis, uti Mediatoris, data Nobis authentica copia, depositus est, convenisse in omnibus ac singulis, ad rei substantiam pertinentibus, videlicet loca & diem congressuum, mutuamque salvorum Conductuum, qui in illo recensentur, & sub formulis, quæ ibidem declarantur, traditionem, prout per præsentes convenimus, parem vim habiturus, ac si dicto Tractatui Nos quoque subscripsissemus, ejusque conditiones omnes hic insertæ & repetitæ fuissent. In quorum fidem hasce, manu & sigillo nostro munitas, apud præmemoratum Daniæ Serenissimum Regem vicissim deposuimus, earundem ratihabitionem à sua Christianissima Majestate, una cum dictis salvis Conductibus, statuto tempore ac loco promittentes. Actum Hamburgi die 25. 15. Decembris Anno supra Millesimum sexcentesimo quadragesimo primo.

L.S. Claudius de Mesmes.

§. 91. Tandem & quæ Ratisponæ acta fuerunt, quantum instituto nostro sufficit, strictim exsequemur. Ibi circa initium anni decernebatur, ut tis fœderatis Regibus Lubeca, Hamburgum, Colonia & Noriberga in locum tractatus proponerentur, optione ipsis relicta. Etsi nonnulli cupiebant Noribergæ potissimum negotium suscipi, quod propinquitate Ordinum id expeditius videretur suscipiendum. Quo fine & diploma tuti itineris Hamburgum transmittebatur, si Salvius isto uti veller. Scribuntur hinc ab universis Ordinibus literæ ad Reginam Sueciæ, quibus ipsi persuadere cumprimis laragunt, à Cæsare & se pacem serio quæri. Id Cæsarem ab aliquot annis egisse; hunc Conventum indictum investigandis paci maturandæ mediis; jam diplomata eo, quo postulatum sit, modo formata. Sperare se, Reginæ quoque cupidinem pacis, quam semper præ se tulerit, persistere:

Acta conventus Ratisponensis.

Circa pacem communem.

17. Jan.

1641. ſiſtere: eoque petere, ſua quoque diplomata maturet, Legatosque plenis cum mandatis Lubecam, Hamburgum, aut Noribergam mittat. Pari argumento literæ ſcribebantur ad Rectores, tum ad ipſos Sueciæ Ordines, quos tunc conventum agitare crediderant. Hæ literæ per miniſtrum
29. Febr. Danicum redditæ magni momenti in Suecia videbantur, quod juſtitiam armorum Suecicorum
27. Mart. non obſcure agnoſcere viderentur. Regina reſponſo ſuo non abnegabat, nihil ſe hactenus æqui ab adverſa parte expectaſſe, dum conſiderarit, quibus offenſis Guſtavus quondam Rex in arma pertractus, quibus artibus inde adverſa pars graſſata, quo aſtu pax Pragenſis compoſita ſit morbos Germaniæ exacerbatura, qui agendi modus circa pacis tractatus obſervatus. Teſtatur tamen, utique cordi eſſe ſibi pacem univerſos complexam æquis conditionibus reduci. Poſtulat inde, ut errata diplomatum emendentur, Batavisque ſalvi conductus concedantur. Sua quidem diplomata dudum Hamburgum miſſa, ubi Salvius Legatus plena agendi facultate inſtructus degat. Tum ut & Ordines in Oſnabrugam & Monaſterium conſentiant petit, de quibus ſibi cum Gallo convenerit. Ex his literis cum pateret, Sueciam utique junctim cum Gallia de pace acturam, Ordines quoq; conjunctos cum Regnis ſociis tractatus decernunt. Ac licet propoſita Weſtphaliæ oppida minus idonea pleriſque viderentur; placebat tamen in iſta conſentire, ſi ea Regibus ſententia ſederet. Quo fine Luzo-
19. Jun. vio ſcribitur, ut ſi Galli Coloniam aut VVormatiam, Sueci Hamburgum aut Francofurtum abnuant, Monaſterium & Oſnabrugam approbet, ut tamen hac præſidium Suecicum prius deducatur. Repetebant Ordines Imperii ad Reginam
4. Jul. literis de Cæſaris ſuoque in pacem ſtudio, & ut ipſa idem conſervet hortantur. Quibus pari teſta-
15. Sept. tione à Regina reſponſum. Nec præter iſthæc quidquam ibi gerebatur, quod ad communes pacis tractatus ſpectaret; etſi plerisque Ordines tanto magis ad eos reſpicere inciperent, quo minus in iſthoc Conventu operæ pretium tranquillandæ Germaniæ fieri cernerent.

Circa amneſtiam. §. 92. Viſum quippe univerſis fuerat, tollendis belli cauſis cumprimis neceſſarium eſſe amneſtiam ſanciri. Sed ſuper ejus modo in ſuperioribus Collegiis, diſcrepantes erant ſententiæ. Aliqui non ullum præſentius reducendæ concordiæ internæ remedium cenſebant, quam eandem absque ulla exceptione fieri. Sed plures evincebant, ſequenda eſſe pacis Pragenſis veſtigia, & adjunctum huic inſtrumentum velut pacis publicæ obſtaculum duntaxat tollendum; cum præſuppoſitis tamen & reſervatis pace Pragenſi expreſſis, aut in legibus Imperii, ac communi jure fundatis. Injiciebant quoque novum ſcrupulum Auſtriaci, qui, quod Bernhardus Dux in reatu obiiſſet, ſi Alſatia recuperari non poſſit, actionem ſibi in hæ-
25. Jan. reditatem ipſius reſervabant: proteſtantibus Vinarienſibus, factorum ipſius ſe non fuiſſe participes, ejusque portionem in ſe devolutam non jure hæreditario, ſed ex pacto & providentia majorum. Quin Cæſarem collata ante triennium inveſtitura caviſſe, Bernhardi Ducis excluſionem ipſis fraudi non fore. Initium porro amneſtiæ quidam ad primordia belli Bohemici retrahi cupiebant. Sed major pars Pragenſi paci inhærens, ita concludebat, ut annus viceſimus ſeptimus, & triceſimus ejus initium eſſet; ſtatim tamen poſt perfectam amneſtiam cauſæ diſſidiorum ſub titulo gravaminum ſive ex pace Pragenſi, ſive aliunde ortæ ad initium usque belli tollerentur. Aſt circa exſequendam amneſtiam Cæſar cum majore Ordinum parte cenſebat; cum ejus ſcopus ſit pax, & tranquillitas præcipue interna, eam hac conditione conceſſam in- 1641.
telligi, ſi quidem per eam ſcopus iſte revera obtineatur: eoque effectum ipſius ſuſpendendum, quoad interna Imperii tranquillitas revera ſecuta, omnesque Ordines adverſa parte disjuncti unanimes Cæſari uniti fuerint. Aliis tamen abſurdum videbatur, effectum amneſtiæ ad internam usque tranquillitatem differri, cum ea ipſa medium curandis malis inteſtinis eſſe debeat. Collegium quoque Urbium conſtanter contendebat, iſtam quam latiſſime extendendam, citra quam duraturæ concordiæ ſpem eſſe negabant. Enimvero ſaniora ſentientes numero vincebantur, & usque adeo Cæſarei à plena amneſtia abhorrebant, ut Trautmansdorfius jactare non dubitaret, malle ſe Cæſari ſuadere, ut tamdiu Madriti exulem agat, atque Fridericus Palatinus in Hollandia egerit, quam amneſtiam ab Evangelicis poſtulatam indulgere. Quin &, cum ita ſollicite diſcrimen pacis internæ & externæ inculcaretur, & amneſtiæ iſta lex addita eſſet, ut non valeret, niſi quicquid eſt Ordinum ab exteris ſe disjunxiſſet, facile patebat id à Cæſare agi, ut unitis Germaniæ viribus exteros ad pacis leges pro lubitu ſuo adigeret. Sicuti & tunc quam maxime de novo Imperii, quem vocabant, exercitu ad Albim & Oderam formando agitabatur ſub Arnheimio & Franciſco Alberto Lauenburgico; & ferebatur iſte ſpem intercipiendi Hamburgi, ac Stralſundæ per internas proditiones cepiſſe. Sed & genium iſtius Conventus ſpectans Marchio Durlacenſis, quantumvis amice invitatus, Ratis- 10. Febr.
ponam venire abnuerat ad communes pacis tractatus provocans. Sed Trevirenſis Elector, cum quæ ferebantur ejus liberationi leges acceptare nollet, cuſtodia haut emittebatur. Cæterum cum per ipſos Ordines amneſtia tam multis conditionibus & exceptionibus circumſcripta foret, Cæſarei in ſinu gaudebant, quod ipſi ſcopum ſuum obtinuiſſent, & tamen invidiam hinc orituram in Ordines derivare potuiſſent. De qua cum Feiltſchius, Culmbacenſis Cancellarius apud Trautmansdorfium inſtaret, ut à Cæſare ejusmodi amneſtiæ declaratio fieret, quæ nemini juſtam querendi cauſam præberet, iſte reſponderat: ſi Ordines eam bonam fecerunt eadem bona manebit. Et ſane cum iſta poſt promulgaretur, tam variis modis circumſcripta & reſtricta ſatis patebat, nihil ultra Pragentem pacem promotum eſſe. Nec eo minus *generalis* amneſtiæ vocabulo illa venditabatur, ac velut ex conſenſu omnium Ordinum ſancita; cum tamen non pauci è Collegio Principum diſſenſiſſent, & Collegium Civitatum conſtanter contradixiſſet. Sane & cordatiſſimi è Cæſareis Conſiliariis eandem improbabant, quod effectus ejus in longum prominerent; cum mala Germaniæ præſentibus remediis opus habeant. Seminarium id eſſe novi belli. Et quis eousque vitam produxerit, ut cum omnibus, qui bello hoc impliciti ſunt, tranſigatur? aut quis Cæſari ſe ſubmiſerit, ſi norit, ni & reliqui omnes idem fecerint, reſtitutione ſe re ipſa non gaviſurum.

§. 93. De gravaminibus conſignandis, è quibus Ordinum inter ſe diffidentia pullulaverat, Cæſar ipſe anſam præbuerat, & Catholici diſerte ſpem iſtorum abolendorum fecerant: unde Evangelicis ſua colligere & digerere cura fuerat. Sed cum in rem præſentem veniendum eſſet; ac Evangelici ſuperiſtis emendandis ad tractatus cum Catholicis deſcendere cuperet, hi abnuebant. Ita iſthoc negotium dilatum, poſt plane intermiſſum fuit, non parum annitente Legato Pontificis, qui circa id tempus apud Cæſarem proteſtationem ſuper negotio pacis & gravaminum interpoſuerat. Circa gravamina.

§. 94. De bello continuando major cura, cui Circa bel. ſuſtin. lum.

1641. sustentando Electores & Principes centum viginti mensis Romanos, Civitates dimidiam duntaxat partem annuebant. Tum Helvetii solicitantur, ne Gallis transitum per suas terras, militem, annonam, arma aliaque bello necessaria præbeant; ac si Gallus Imperium novo exercitu perat, populares suos ipsi militantes avocent. Operam insuper dent, ut loca per Gallos occupata restituantur, ac inprimis Burgundiæ neutralitas indulgeatur; simul Hohentwila ad obsequium redigatur. Inde accendendis hostium viribus nova edicta avocatoria decernuntur promissis & minis mixta. Agitatum quoque ne hosti apparatus bellicus, & annona vendatur neu idem trajicienda per collybos pecunia juvetur; Urbicis contradicentibus, quod maritimarum cumprimis urbium salus exterorum commerciis staret.

Luneburgici & Hassici legati masculè loquuntur.

§. 95. Porro ad huncce Conventum salvo conductu accepto accedentes Luneburgici, & Hassici Legati masculè differebant: amnestiam universis citra exceptionem indulgendam, & causas amovendas, quæ bello huic originem aut fomentum dederint: externis bellis finem per amicos tractatus potius, quam arma imponendam. Adjungebant querelam, quod ad conventum huncce rite vocati non sint, petentes, ut sessionem suam capere, & suffragia ferre integrum sibi sit. De qua Cæsar Ordinesque spem ipsis faciebant magnoperè instantes, ut à Suecis se disjungant. Ad quæ isti animo se reponere, injunctum sibi super communi pace, & socias adeo Coronas complexa agere: peculiari tractatu nec Principibus suis, nec Imperio consuli. Per illimitatam amnestiam, & sublatis gravaminibus internæ diffidentiæ semina exscindenda, & externum belli continuandi obtentum præscindendum; tum an quid præterea causæ habeant quærendum. De quo autequam constet, Principes suos haut quidquam cœco impetu in istos ruituros. Arma se sumsisse, ut pacem promoveant, ac vastitatem terris suis arceant: non ut cuipiam vim inferant. Ferendum quoque non esse, hactenus Cæsarem solis cum Electoribus belli ac pacis arbitrium sibi sumsisse, exclusis reliquis Ordinibus. Nam cum in Electorali Collegio Catholici suffragiorum numero vincant, semper in manu Cæsaris & Catholicorum fore Germaniam bello involvere. Ergo & his sua bella solis gerenda. Contra Cæsar nihil omittebat, ut istos in partes suas pertraheret, spe facta nullum militem ipsorum terras ingressurum, privatis quoque eorum desideriis satisfaciendum, ac neutralitatem usque ad pacem iisdem indulgendam; Halberstadiensi insuper præsulatu oblato, si à Suecis plane se dissociarent. Si hæc abnuerent, nunquam in gratiam deinceps eos receptum iri. Ac spes erat speciosas istas pollicitationes effectu non carituras, operam inprimis sedulam navante Francisco Alberto Lauenburgico, cui secreta cum Augusto Duce Brunsuicensi commercia intercedebant; qui & cum Ratisponam venisset, novas conditiones
12. Aug. conciliandæ Domui Luneburgicæ afferebat. Nec eo secius iidem, novis domo mandatis acceptis, in Ordinum conventu publice Principum suorum nomine testantur; si amnestia sine exceptione concedatur, præcipuis gravaminibus medela adferatur, cuique suum restituatur, & tractatus pacis cum exteris Regibus quamprimum suscipiatur, omne se obsequium Cæsari exhibituros, Orbique demonstraturos, à se præter tranquillitatem Imperii nihil spectari. Enimvero quia hæc graviter impugnabant amnestiam jam jam partui vicinam, ista oratio aspere accepta. Unde statim salvi con-
Idem Ratisponæ ex. ductus beneficio privati, quantum possint Ratisponæ esse jubebantur frustra orantes, ut ad finem conventus, aut saltem quoad à Principibus suis mandatum acceperint, manere liceat. Abeuntibus tubicen Cæsareus additus, qui istos in tutum deduceret. 1641.

Circa Palatinam causam acta.

§. 96. Accesserant quoque Ratisponam à Palatino Electore missi legati Pæplitzius tribunus, & Conradus Spina, quorum negotiationi præcipuum robur erat additurus Legatus Anglicus Thomas Rovvius. Qui apud Batavos & alibi transiens jactaverat, hanc extremam fore Regis sui in hac causa legationem. Se non nisi jussum interrogare, num Palatinatum ultro restituere, an rem ad extrema deducere velint? Nec enim difficile fore vi armisque restitutionem quærere. Nam Parlamenta trium Regnorum Britannicorum decrevisse, viginti quatuor millia militum suis sumtibus emittere Palatinatui recuperando. Et revera magnum in causam Palatinam studium declarabant Parlamenta Anglicum & Scoticum. Ac in Sueciam cum literis destinabatur tribunus Ludovicus Leslæus, à Regina scisciturus, quousque negotium pacis in Germania processisset; simul petiturus, ne res præcipitetur. Regi ac Parlamentis decretum rem serio aggredi. Et tàm magna erat populi inclinatio, ac si pecunia suppeteret, ingens brevi militum multitudo cogi poterat. Quæ tamen omnia mox ob recrudescentes istis in Regnis turbas incassum cadebant. Aderat quoque eandem ob causam à Daniæ Rege missus Cornificius Ulfeldius. Nam Rex iste Anglo & Palatino suaserat, ut sepositis armis amica via rem aggrederentur, mediatione sua oblata, Suecis jam antea eum qui sequebatur eventum ominantibus. Cui illudendo spes à Cæsare fiebat, Inferiorem Palatinatum statim restituendum, Superiorem data pecuniæ summa: Electoralem dignitatem post Bavari mortem in Carolum Ludovicum devolvendam. Etsi revera Cæsar expectaret, quomodo res se Britannicæ daturæ essent, aut quis arma ipsius in Germania successus maneret. Nam amoto metu facile erat tractatus eludere; & summam pecuniæ in immensum intendere. Cæterum prima morarum causa isto in negotio à Danico Legato oriebatur, quod literæ ipsius fiduciariæ titulum duntaxat *Cæsareæ dignitatis*, & *Dilectionis*, non *Majestatis* exprimerent. Id enim fastigio suo repugnare centebat Cæsar; Ulfeldio nequidquam excipiente, non à Duce Holsatiæ, sed à Daniæ Rege se missum, qui æque ac Cæsar neminem superiorem agnoscat. Nec permittente licet Cæsare tantisper ad negotii disceptationem accedere volebat. Ita dum novæ literæ adferrentur, mensis amplius frustra elabebatur. Anglicus tamen legatus, qui jam medio mense Julio causam adventus sui publice apud Cæsarem exposuerat, cum amnestiam properari cerneret, omnem lapidem movebat, ne ista festinatione Palatino præjudicii quid crearetur. Unde scripto Cæsari atque Ordinibus 10. Aug.
tradiro petebat; ut publicatio edicti de amnestia ad finem usque tractatus differretur. Ad quod Cæ- 11. Aug.
sar reponebat; haut sibi in animo esse, Palatina causa ex amnestiæ edicto secluså tractatui super ea peculiari moram injicere; quin si illa ante Conventus finem absolvatur, Recessui inserendam. Sin minus, futuro comprehendendam. Et utcunque tractatus cadat, istam exceptionem Palatinæ causæ præjudicio non futuram. Nec eo se- 16. Sept.
cius publicata post amnestia solennem adversus eandem interponebat protestationem Legatus; quam actis inseri à Moguntino Directorio petebat. Danicus legatus inter hæc acceptis à suo Rege, quales Cæsar postulaverat literis, publice verba faciens testabatur, Regem suum in hac causa æqui mediatoris partes obiturum. Actionis inde initium

1641. 20. Sept. fiebat, ubi libello exhibito Palatini plenam ſuæ familiæ reſtitutionem poſtulabant, qualis anno decimo octavo fuerat, una cum penſatione damnorum, Principi, ejusque ſubditis ac terris hoc bello datorum. Bavarici contra non minus extremis inhærentes poſtulatis hiſce plane contradicebant, jactantes, juſto ab ſe titulo dignationem Electoralem cum ſuperiore Palatinatu, & partibus Inferioris cis Rhenum ſitis poſſideri. Si tamen Palatini moderata petant, ſe æqua viciſſim oblaturos. Sed quia interim conventus ad finem tendebat, ac Cæſar Viennam feſtinabat; proponebatur, ut illi quorum intererat eodem ſe conferrent. Id quod Bavarus initio abnuebat, Ratisponæ in conſpectu omnium Ordinum ſe tractaturum crepans. Mox tamen ab Aurſpergio Comite, quem Cæſar eo nomine Monachium miſerat, perſuaſus flectebat; Regum quoque Legati conſentiebant, modo certi ſint, id fruſtra non fore. Electorum legati facile in Cæſaris ſententiam pedibus ibant. Ita continuando Viennæ tractatui primo Novembris dies conſtituitur. Cæſar teſtandæ in Domum Palatinam clementiæ Rupertum Principem captivitate exſolvebat, ea duntaxat lege, ne arma adverſus Cæſarem Domumque Auſtriacam deinceps gereret.

Cauſa Palatina Viennam rejicitur.

Judicium de Conventu Ratisponenſi.

§. 97. Circa conventum iſtum annotabant rerum gnari, veterem ſuffragiorum morem ac libertatem haut quidquam obſervatum. Quidam aſtu circumventi, alii vi compulſi quæ nolebant cenſebant. Quibusdam decretis ex aula Cæſarea miſſis injungebatur, quid pro ſententia dicere deberent. Aliquando numerus valebat, ubi per leges nullus iſtius reſpectus erat. In Electorali Collegio Catholici Cæſari addicti, nec minus Saxo. Brandeburgici reliquis diſſoni numero vincebantur, quos & ob tractatus cum Suecis Cæſar torvo vultu adſpiciebat. In Principum Collegio Auſtriaci præſidebant, qui & aliquot Principatuum quos poſſidebant nomine ſuffragia ferebant. Qui ex Electoralibus familiis erant, haut ægre Electorum ad voluntatem ſe componebant. Tum triginta amplius Evangelicorum ſuffragia aberant. Catholici blandimentis alliciebantur, & pudore, ne Evangelicis gloriam obſequii adverſus Cæſarem concederent. Tergiverſantes à Legato Pontificis, Hiſpanique, aut Cæſaris miniſtris increpabantur; anathema Pontificis, offenſa Cæſaris, ſubtractio penſionis Hiſpanicæ oſtentabatur. Quæ Urbici circa amneſtiam & tributa contradixerant, in Receſſu tranſibantur, velut inter ipſa Collegia numerus valeret. Legati Luneburgici & Haſſici absque præſciru & conſenſu Ordinum Ratispona ejiciebantur. Quanquam autem Cæſar hoc modo quæ vellet obtinebat; præſertim quia ad extremum plerique moræ & ſumtuum tædio domum anhelabant: nihil tamen circa adjungendos ſibi Ordines profeciſſe intelligebatur. Plerique acerbas querelas movebant, ſervitium lege ſancitum, & libertati publicæ exſequias hoc conventu ductas.

Palatina cauſa Viennæ demum ſuſcipitur. 9. Nov.

§. 98. Viennam dehinc tardius accedentibus Legatis Electoralibus Anglicus moræ impatiens, quod ſibi certum agendi tempus à Rege ſuo præſcriptum foret, libellum mediatoribus præſentibus exhibet, quo ab Hiſpano Legato declarari poſtulabat: num is mandatum habeat circa hoc negotium tranſigendi, & quod conventum fuerit exſequendi? Nec minus, an Bavaro animus ſit, Electoralem dignitatem, & omnia, quæ Palatinorum anno decimo octavo fuerant, reſtituere? Quo caſu ejuſmodi ſe media propoſiturum, ex quibus adparituram ſit, Regi ſuo ſcopum eſſe hac legatione pacem Germaniæ, & Orbis Chriſtiani promovere. Sed ubi ſua poſtulata abnuantur aut differantur, alia conſilia à Rege ſuo capeſſenda. Ad quæ Hiſpanicus legatus Marchio caſtelli Roderici reponebat. A Rege ſuo Cardinali Infanti, & ab hoc ſibi mandata fuiſſe data, ſed ea hujus morte expiraſſe. Unde novum ſibi ex Hiſpania mandatum expectandum. Oſtendebat tamen omnia, quæ circa Inferiorem Palatinatum concludenda ſint, rata habitum iri his legibus, ſi per iſthæc pax obtineatur, & Regi ſuo congrua ſatisfactio detur. Cæſar tamen hac declaratione mediatoribus tradita, negotium ſuſcipi, non obſtante Cardinalis morte, decernebat, absque conditione quod concluſum ſit exſecuturum ſe recipiens. Aſt Palatinis dictæ ab Hiſpano leges non parum ſcrupuli injiciebant, quod non caperent, quamnam pacem iſte intelligeret, aut quam ſatisfactionem Hiſpanus poſtulare poſſet eo nomine, quod is per annos viginti & unum rei alienæ fructus percepiſſet. Inprimis autem Palatini Ludovici Philippi deputatus ſcripto oblato oſtendebat; ſuum Principem innocentem pupillum per vim, & alieni belli calamitate patrimonio exutum, quod omni naturali ac civili jure reſtitui debeat. Unde ſperare, à ſe Hiſpaniæ Regem nihil ſatisfactionis poſtulaturum; quin potius mediatores operam daturos, ut ſibi de damno per injuriam dato ſatisfiat. Contra Bavarici, quam Ratisponæ ediderant declarationem, denuo repetunt, omnia plane Palatinis abnuentes. Sed mediatoribus hortantibus, ut ſepoſitis extremis moderata proponantur, idque utraque parte probante; jam quæſtio oriebatur à quonam temperamentum aliquod primo proponendum foret? Nam mediatores licet à partibus ad hoc invitati, id abnuebant. Bavarici in Palatinos id devolutum ibant. Hi contra contendebant, Bavaricis velut poſſeſſoribus id potius competere; præſertim cum nuntiatum ſit, ipſis ejusmodi media ſuppetere, ex quibus ſpes amicæ tranſactionis ſit. Cum mediatores eadem ingererent, illi, præmiſſa reſervatione jurium ſui Principis, & ut hæc indicta ſint, niti toto negotio abſoluto, declarabant; Palatinatus Inferioris partem à ſe poſſeſſam in Cæſaris manus reſignandam, qui eam poſt Palatino, prout ex uſu reip. videatur eſſe, reſtituere poſſit: modo tamen & cum cæteris, qui alias Palatinatus Inferioris partes poſſident, itidem tranſactum ſit. Quo modo Palatinis cenſebant egregie conſuli, ſi reliqui exemplum Bavari ſequantur. Mulhuſæ quondam conventu Electorum decretum, ſi non ſpernenda pars ditionis Palatinis reſtituatur, ipſis adquieſcendum eſſe. Unde ſi nunc de ſuperiore quoque provincia movere velint, repellendos. Aſt Anglicus Legatus hoc non contentus ſtatim poſtulabat, ut & ſuper Electorali dignitate, & ſuperiore Palatinatu mentem ſuam declararent. Se enim à Rege miſſum non ad portionem aliquam, aut alimenta vel ſtipem petendam, ſed antiquum jus per Imperii leges firmatum innocentibus Principibus vindicandum. Si Bavarici declaratione jam facta inhæreant, operam heic ludi. Gemina Palatini Legati ingerebant, graviter queſti, Mulhuſino ſe decreto adſtringi. Hinc utriusque partis declaratio Cæſari exhibebatur. In hoc ſtatu id negotium ad finem uſque anni hærebat, Anglico legato valde perturbato, & nihil fauſti ſuper ſucceſſu ominante. Et in Angliam expreſſis idem verbis ſcribebat: mera ludibria heic agitari; & ocyus rem ſerio ſuſcipiendam. Alias tempus fruſtra elapſurum, contracta illorum offenſa, à quibus auxilium ſit expectandum.

1641. Hiſpanici Legati declaratio.

7. Dec.

Bavaricorum declaratio. 22. Nov.

7. Dec.

10. Dec.

§. 99. Eodem anno Ragozius Andream Gaudium Hamburgum miſerat; qui apud Regios Legatos acriter inſtabat, ut ſocii Reges vel legatos in

Tranſylvanica.

1641. in Transylvaniam mittant, vel statim scripto caveant de iis, quæ nunc postularet: pollicitus Principem absque mora adversus Cæsarem bellum orsurum, ad quod paratus sit, modo aliqua sibi ratione à Regibus satisfiat. Postulata autem hæc erant: Darent operam Reges, quantum in se, ut à Porta Ottomannica Ragozio bellum suscipiendi licentia fiat: tum ut primo anno duæ auri tonnæ cum dimidia, sequentibus binæ numerentur. Nec ut in antecessum sibi solvatur, Principem postulare, sed bellum suis impensis orturum, modo caveatur, in posterum conventam pecuniam repræsentatum iri. Militum affatim ipsi supperere. Ad quæ Avauxius Regis sui nomine dimidiam conventæ pecuniæ partem offerebat; accentebat, etiam primo anno duabus auri tonnis cum Principe decidi posse; præsertim cum hic videatur aliis cautis in bellum impelli. Ast Sueci, quanquam optabant Ragozium arma sumere, tamen non tanti quod ostentabatur censebant, ut ideo pecunia reliquæ militiæ subtracta eo impendenda foret. Nam publici boni causâ cum nihil facturum: quæ privatum commodum exigat, etiam absque fœdere facturum. Unde parum super propositis capitibus cum missio agebat Salvius, ac laxioribus duntaxat pollicitis oneratum dimittebat.

Lusitanicus Legatus in Dania rejicitur.

§. 100. Novam is annus amicitiam Sueciæ peperit, dum Joannes IV. Lusitaniæ Rex post vindicatum id Regnum passim Legatos dimittit, adplausum illius facti, aut auxilium quæsturos. Eam ob causam in Arctoa Regna mittebatur Franciscus Sufa Cutinius, qui Hafniæ diu nullo ad Regem accessu hærebat, ut tandem re infecta discedere statueret. Quo audito Rex Fridericiburgum eum invitabat, convivii honore dignandum. Interroganti, an admittendus sit, tanquam Legatus Regius, an velut privatus è Lusitania nobilis? Rex reponebat; penes ipsum esse, quid de se statuere velit: literas tamen se Lusitaniæ Regis nolle acceptare, nec ejusdem se negotio immiscere. Hannibal quippe Scestedius tunc quam maxime in Hispania circa fœdus, ut credebatur, agitabat; & Cornificius Ulfeldius in aulam Cæsaris legationem adornabat; unde omni studio Austriacorum offensio declinabatur. Et judicabat Danus, Regis novi res stabiles non fore. Adiit tamen Regem Legatus tanquam privatus, nullo eximio honoris signo accepto, nisi quod Danus in salutem Lusitaniæ Regis ipsi propinaret. Cæterum dissimulaverat ille, se in Sueciam iturum; quod eo nomine parum in Dania acceptum fore Hollandi monuissent. Unde & Regi de hoc interroganti responderat, clausâ sibi mandata circa futurum iter tradita, non prius resignanda, quam rebus in Dania confectis. Igitur demum post negatam publicam audientiam de itinere suo in Sueciam fatebatur. Cui Ulfeldius reponebat; ibi ipsum inventurum inimicos inimicorum suorum. Igitur in Sueciam digressus cum Telgam pervenisset, præmittit ad Oxenstiernam Cancellarium, qui de adventu suo significaret, ac num gratus ille sit futurus percontaretur. Respondebatur ad morem Regiorum legatorum acceptum iri; & quia ipsius herus legitimus Rex agnoscebatur, *Excellentiæ* titulus ultro offerebatur. Fiduciariæ literæ hanc inscriptionem exprimebant: *Altissimæ & Potentissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ & Gothiæ.* Monitus ignorantiam suam excusabat, quod longo tempore inter utraque Regna nihil commercii intercessisset. In posterum tamen id emendatum iri. Denuntiabatur inde Legato; si Latina lingua uti velit, eadem respondendum; sin vernaculam suam adhibere malit, Succica responsum formandum, à Secretario interpretandum. Accedenti Legato Regina tres passus obviam progressa manum porrigebat, quam ipse in genua se submittens osculabatur. Monitus inde à Regina Legatus caput tegebat. Mox latinam orationem orsus, nudato semper capite post solemnia honoris verba differebat: De jure Ducum Bragantiæ in Lusitaniæ Regnum omnibus constare. Sed eodem ipsos Philippum II. Castellæ Regem astu ac per vim exclusisse. Hunc subacto isto Regno Ordinibus libertatem ademisse, privilegia evertisse, omnia confudisse, civium opes & sanguinem exhausisse. Eam se tyrannidem tolerare necessum habuisse, quoad tandem proximo mense Decembri Joannes Bragantiæ Dux ejus nominis Quartus Ulyssipone Rex proclamatus, ac paulo post coronatus fuerit. Eum successum velut propitium Divini Numinis signum tum aliis Principibus, tum per se significatum jam potentissimæ Septentrionis Reginæ, Magni Gustavi Filiæ, qui vivus ac moriens triumphavit. Huic se Regis sui nomine offerre fraternitatem, amicitiam, & antiquum, sed hactenus inter utriusque Regni cives intermissum commerciorum usum, abolitis oneribus, quæ per Inquisitionem, & tyrannica Castellanorum tributa sint imposita. Reliqua peculiaribus coram deputatis expositurum. Respondebatur ab Oxenstierna Cancellario oratione non minus honorifica. Secreto congressu idem Legatus super fœdere offensivo & defensivo proponebat, & ut Lusitaniæ Rex paci aut indutiis in Germania ineundis includeretur: tum ut Eduardi fratris Regii liberatio procuretur, quem sibi militantem Cæsari in custodiam datum Hispano tradiderat, à quo in arcem Mediolanensem abductus fuerat. Demum ut navigatio, ac commerciorum libertas & privilegia instaurentur. Enimvero quo minus armorum societas iniretur, belli Germanici moles, & intercapedo locorum Reginam tàm excusabat. Adparatus tamen bellici & armorum, quantum tres naves caperent, ipsi vendebatur. Tum circa præliminaria pacis jam fere convenisse, quæ ob novam hancce causam retracturi nequeant. In ipsa tamen pacis negotiatione tum circa totam Lusitaniæ causam, tum circa Eduardum Principem facturos quantum possint: spem sibi tamen successus esse exiguam, nec ad certi quid posse obstringi. Fuerat alias Eduardus iste ante annum & amplius Hamburgi dissimulata persona, & Avauxio Salvioque typis impressam Domus suæ genealogiam miserat. Quem isti ad fortia consilia, & vindicandum hæreditarium Regnum hortabantur, ut tamen non crederent, ita celeriter rem successuram. Inter alia ex Legato quærebat Oxenstierna; cum Bragantini jus ad Regnum sibi comperere asseverent, quare Castellani eam Domum non subvertissent? Cui Legatus; ob Nobilitatem Regni ei Domui studiis addictissimam id non ausos. De cætero Castellanorum vires domi valde debiles esse. Consulebat quoque Oxenstiernam Legatus; cum justus sit à suo Rege ad Conventum Ratisponensem proficisci, quid sibi censeret faciendum? Cui iste; itinera per Germaniam intuta, & Cæsarem Lusitanis inimicum: contumeliam ipsi à Daniæ Rege illatam ob Hispani amicitiam, quanto magis eam à Cæsare metuendam, quem ea res propius tangat. Rectius facturum Legatum, si in Lusitaniam regressus de statu Germaniæ Regem suum doceat, nec ita temere hujus dignationem ancipiti aleæ exponat. Si tamen utique ire velit, prius ad Cæsarem & Ordines scribendum, causasque Regni recuperati exponendas. Nam ex responso facile judicaturum, quam in partem isti eam rem accipiant. Simul literas tuti itineris Ratisponam petendas.

1641. 4. Jun.

Ejus propositio.

Idem in Suecia honorifice excipitur.

1642. Fœdus commerciorum cum Lusitanis. 5. Nov.

§. 101. Enimvero potius isti erat circa fœdus commerciorum cum Suecis satagere, quod demum in has leges conclusum. Instauretur amicitia inter utramque gentem, ob usurpationem Castellanorum hactenus suspensa. Ne alter alterius hostes juvet. Liceat tamen commercia exercere cum alterutrius hoste ad loca obsidionè non cincta. Commercia utrinque sint libera navibus tam privatorum, quam Regiis. Arma & frumentum in Lusitaniam advecta à vectigalibus sint immunia. Suecis è Lusitania omnis generis merces, & nummos exportare licitum sit. Naves utrinq; ad angarias non compellantur, nisi volentibus navarchis pro conventa mercede. Ad vendendum nemo cogatur, sed merces liceat ab uno portu transferre in alium. Ubi vento adverso in portum alterius subducere se navis necessum habuerit, non adigatur ad merces suas vendendas, nisi ultro voluerit. Spolia Hispanis erepta liceat in alterius portubus vendere citra detractionem, soluto tantum portorio. Naufragis ad littus subveniatur, & quæ ex undis servata sunt Dominis sibi servare & avehere liceat nullo ob usum litoris onere. Liceat utriusque Regni civibus utrinque habitare commercii causa, nullo in capita aut bona onere aut censu imponendo. Bona utrinque defunctorum in altero Regno hæredibus exportare liceat, aut distrahere. Ne quis ejusdem nationis pro altero, qui solvendo non est, solvere cogatur. Lites privatas inter cives ejusdem Regni hujus minister componat, sine tamen aliqua coercitione publica: crimina ad magistratus ordinarios spectent; Sed adversus indigenas magistratus loci jus reddat. Transfugas nautas magistratus loci teneatur restituere dominis; quibus & ipsis suos comprehendere fas sit. Si cui furto quid sublatum sit, magistratus loci operam accommodet investigando puniendoque furi, ac furtivam ad rem restituendam. Uterque Rex in alterius Regno possit habere Residentem protegendis Regis sui civibus. Is possit sibi adsciscere interpretem, & ministros quos velit, & rationem victus inire, quæ placeat, modo id sine strepitu & scandalo fiat: id quod ad cæteros utriusque Regni cives porrigatur. Residentis potus, & alia à vectigali & quovis onere sint libera: idemque securitate per jus gentium quæsita fruatur. Subditi utrinque libertate circa sacra fruantur, modo ne publico sint offendiculo. Designetur locus utrinque sepeliundis mortuis. Si quæ utrinque reperta fuerint mancipia ad alterutram nationem spectantia, libera dimittantur. Si unius bona publicari mercantur, alterius innocentis bona, quæ cum istis conjuncta fuerint, separentur, & domino serventur. Exigendis debitis adhibeatur ordinarius processus, non repressaliæ. Gaudeant utrinque subditi illis privilegiis, quæ aliis amicis ac fœderatis nationibus concessa sunt. Ratificatio intra sex menses fiat, Hamburgi inter ministros utriusque Regni permutanda. Cupiebant quoque Suedi libertatem ad Indiam Orientalem navigandi sibi paciſci. Sed cum abnueret Legatus, placebat de India nihil in contrarium fœderi inferere, ne quod præjudicium posteritati crearetur, neve Suecia juri ab ipsa natura concesso renuntiasse videretur.

Danica.

§. 102. Inter hæc omnia Daniæ Regis cæcæ machinationes Suecorum rebus non parum difficultatis conciliabant. Contraxerat is obtentu finium tuendorum copias non invalidas. Ac dum aliæ nationes Europæ bello invicem implicantur, vectigal Oresundicum pro lubitu intendebat, quod aliis otium non fore crederet ipsum coërcendi. Vectigal quoque Gluckstadiense, cujus indulti tempus dudum elapsum erat, usurpare pergebat. Cum inde Suecos inter & Hollandos fœdus agitari intelligeret, ipse Legatos in Angliam, Hispaniam, Moscoviam circummittebat. Arnheimius quoque novam conjunctionem Danum inter, Polonum, Saxonem, Brandeburgicum, ac Luneburgicos molitus fuerat. Quæ omnia Suecos subigebant, ut classem militemque semper domi in promtu habere cogerentur, nec ea, quam res exigebat, supplementorum vi exercitus Germanicos firmare possent. Unde & Banerio, ac post Torstensonio in mandatis dabatur, semper oculos in Dani conatus reflecterent, ut si quo iste prorumpere vellet, statim in ipsum invadere possent; quod conservatio patriæ rebus Germaniæ potior foret. Etsi constabat, Senatum Danicum Regis sui consiliis bellicis non parum obstitisse subinde ingerentem; res Daniæ bello sustinendo inhabiles. Deesse exteros amicos, qui tergum ipsis tutum præstent. Angliam intestinis malis laborare, ac per nuptias Arausionensis cum filia Regis Hollandiæ innecti. Hispaniam per Catalaunos & Lusitanos distineri. Nec eo secius Rex, cum bellum in Saxoniam Inferiorem devolvi cerneret, ac Suecicam classem paratam stare audiret, conjunctionem Suecorum cum Hollandis suspectans, offensum se Cæsari, ac Hamburgensibus iratum simulans, raptim exercitum contrahit, qui octodecim millia explere ferebatur. Obtentui sumebatur, ne forte Cæsareus exercitus finibus suis propinquans possessionem Comitatus Pinnebergici capesseret: revera ut instructus pro re nata consilium capere, idque statim exsequi posset. Quæ res diffidentiam Suecorum augebat, præsertim cum rumor ferret, fœdus inter Regem Saxonemque & Brandeburgicum cudi, ut Suecos quidem in ditiones Cæsaris hæreditarias progredi paterentur, sed post à tergo iisdem se objicerent, & intercluso reditu bellum uno ictu absolverent. Quicquid ejus esset, sane Rex castris non procul Hamburgo positis scriptum publicaverat, quo tantum non Cæsari bellum indixisse videbatur, aperte jactitans: satis perspicere animum Cæsari nunquam fuisse pacem inire, ac mediationem suam in mera ludibria desituram. Danici quoq; ministri jam repente frigidius de tractatibus pacis differebant, quibus paulo ante ita acriter inhiterant. Enimvero hisce, quæ palam spargebantur prudentiores parum fidei adhibebant, ac propius vero videbatur, armatam ipsum mediationē agitare. Certe in conventu Senatorum proponebat, suas copias neq; ad vim inferendam, neq; sustinendam sufficere; eoque nova tributa delectibus habendis eos poscebat. Cui Senatus repostuerat: vi illata opus non esse cum hostis non sit. Si necessitas exigat, sat militum parari posse. Supervacuo motu suspiciones vicinorum non irritandas. Quo responso Rex iratus raptim se ex Dania in Holsatiam contulerat. Ira cum Dano bellum quidem nondum erat, nec arma tamen minus in promtu habenda, quam bello jam denuntiato. Vexationes interim Oresundicæ in annos gliscebant. Ad literas Senatus Succici, quo remedium novationibus fieri à Senatu Danico postulaverant, responsum scripto conceptum extundi non poterat. Strœmfeldio tamen subinde monenti differebant ministri Danici: stare sententiam Regi, ut quicquid adparatus bellici per fretum sit trajiciendum, scripto consignatum ipsi exhibeatur, addito loco, quo tenderet; utique Rex præsenti pecunia numerata retinere possit, quicquid placeat; frustra excipiente Strœmfeldio; id pactis Regnorum adversari, ac istas moras mercatoribus damno cedere. Idem responsum repetebat post Cancellarius Christianus Thomæ F. addito: Suecos de vexationibus publicanorum, hos de fraudibus certificationum queri. Igitur de remedio cogitandum esse, quo utriusque partis querelæ tollantur.

1642.

Mense Octobr.

1641. lantur. Circa ea, quæ ex Pernavienſibus præter jus exacta erant, idem errorum publicanorum exculabat, velut credidiſſent, id oppidum in Pomerania ſitum. Nec tamen, ut ſcripto reſponſum exhiberetur, impetrari poterat. Sed & nova onera ſurgebant. Conventum inter duo Regna fuerat, ut ſi Succicus miles legionatim aut turmatim tranſire fretum vellet, Daniæ Regis conſenſus requireretur. Id nunc longius porrigere Dani inſtituebant. Pauci ductores Succici Stralſiuda Gothoburgum conducto navigio trajecturi erant. In freto cum nauta quidnam veheret profeſſus eſſet, iter ſuum pergere volebat; ſed tormentis in navigium detonantibus ancoras jacere cogebatur. Et poſtera quidem die dimittebatur: poſtulatum tamen, ut & hoc caſu venia peteretur. Denuntiabatur etiam Strœmfeldio belliciſ Succorum navibus ſignificaret, ut dum Croneburgum prætervehuntur, ſummi mali apluſtria demant: Danos idem facturos ſi Succicam arcem præternavigent. Quod & ante uſu receptum non fuerat. Sed nec ferre volebant Dani, ut Sueciæ naves ex Oceano venientes tantiſper in freto ſubſiſterent, quoad certificationes è Suecia adferri ſibi curaſſent; ſed hæ aut ſtatim exhibendæ, aut vectigal periolvendum erat. Tum ſi quando numeroſa mercatoriarum navium claſſis in freto adpulerat, Succicis navibus, aut quæ Succicas merces vehebant, ad extremum uſque, quoad cæteræ omnes expeditæ forent, expectandum erat, ſpretis Strœmfeldii querimoniis. Diſceptabatur quoque lis inter nautam Succicum, & publicanum Danicum ob vectigal injuſte extortum in ſummo Daniæ judicio. Cum Rex & Senatus rationem non viderent Succum damnandi, ad collegium nauticum rem rejiciebant, ut ſaltem mora Succum torquerent. Ejusmodi injuriæ per tot annos continuatæ non poterant non demum patientiam conſumere.

Hollandi. §. 103. Iſthanc porro inter Succos Danoſq; diffidentiam in emolumentum ſuum vertere non negligebant Hollandi. Nam Danus horum cum Succis conjunctionem metuens placidius cum illis in freto Oreſundico agere cœperat; quo inſtigante etiam Archiepiſcopus Bremenſis ſe mediatorem controverſiis illorum offerebat. Quam occaſionem Hollandi reſpuendam non rati primo hactenus interpoſitionem Præſulis admittebant, ut de loco & tempore conventus cum eo tranſigeretur, quod alias ille parum idoneus arbiter in lite paterna videretur. 5. Maji. Ac maluerant Succis mediatoribus uti. Quo fine & perablegatum, qui ratihabitionem fœderis Holmiam attulerat, petebant, ut Regina Legatos in Germaniam mittere velit, controverſiis ipſorum cum Dano una cum Bremenſi Præſule operam navaturos. Ad quod pronos ſe declarabant Rectores Sueciæ. Reſidenti tamen Spiringio injungebant, diſtinctius ab Hollandis percunctaretur, quam operam à Succis ſibi exhiberi velint. Nam ut mediatorum partes ſuſciperent, id Hollandi ſuis literis non videbantur petiiſſe. Ut autem ſolummodo Hollandicis Legatis adſiſterent, id ſuperfluum cenſebant. Danus contra ad declinandam Succorum interpoſitionē moderatum ſe adverſus Hollandos exhibebat, relaxatis quoque navibus, quæ apud Colam Lapponiæ detentæ fuerant. Ac aperte jactaverat, malle ſe rem ad bellum deduci, quam iſtam mediationem admittere. Unde Hollandi ne inviſo mediatore cauſam ſuam redderent 21. Maji. difficiliorem, & tamen recenti cum Succis conjunctioni ſatisfacerent, per literas à Rectoribus Sueciæ petunt, Salvio injungerent, ut cum Legatis ſuis Stadæ tractatus cum Dano ſuſcepturis conſilia conferat. Qua ſuper re Salvio mandata mittebantur, addito tamen, ut invitatus licet Stadam ne accedat. Nam quod hoc ſuper negotio cum Dano nihil egiſſent, neque mediatoris neque partis vices ſubire poterant: & ultro ſe obtrudentibus contumelia aliqua inferri poterat, præterquam quod ſociam cum Præſule operam navare adipernarentur. Quod ſi autem tractatus iſte re infecta & irritatis animis abrumperetur, jubebatur Salvius Succicam mediationem offerre, aut ſi hæc ſuffectura non videatur controverſiæ tollendæ, apud Hollandos teſtari, Succos pronos eſſe ad alia conſilia cum illis capeſſenda. Alias malebant Succi Hollandis cum Dano convenire, modo vectigal ad veterem modum reduci poſſet. Sin minus, jubebatur operam dare, ut res maneret in ſuſpenſo, caute tamen procederet, ne iſti Succiam ad auxilium ferendum tempore tam difficili obſtringerent. Poſt tamen Rex, cum diligenter Legatos Hollandicos cum Salvio conſilia conferre cerneret, per contemtum cavillatus fuerat; rem ſane citra Succos poſſe transigi. Cæterum ejus tractatus initio Hollandi propoſuerant, mare Balticum & Oceanum eſſe liberum ac nullo jure Regem vectigal exigere: ſi quid datum ſit, magis redimendæ moleſtiæ, quam ex debito datum. Naves à ſe non exonerari, ſed maris & venti innoxio uſu præterire. Tum ſi maxime vectigal ſolvendum ſit, non plus ſe ſoluturos, quam anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo quarto inter Carolum V. & Chriſtianum III. Regem conventum ſit, ubi uſitati vectigalis mentio fiat. Sed reponebat Danus: nullo ſe modo paſſurum ſua jura majeſtatis in dubium vocari. Pacta illa fuiſſe inita cum Domo Burgundica, nec ad Hollandos quidquam ſpectare, quorum reſpublica poſt ea tempora orta ſit: in cujus Domus jura hi ſe ſucceſſiſſe fruſtra ferant. Denique uſitata vectigalia eſſe, quæ pro tempore ac re nata exigantur. Tandem tamen innuebat Rex, ſe paſſurum, ut ſuper moderamine aliquo agatur, ſicuti & cum Anglis factum ſit. Id cum Hollandi proponere nollent, Rex demum declarabat, ut in proximum quinquennium eo modo vectigalis uterentur, qui anno hujus ſeculi triceſimo ſeptimo fuerat. Sed & alias Hollandorum poſtulatis ſatisfactum. Legati poſt Gluckſtadii à Rege honorifice habiti ac dimiſſi. Ea res compoſita magnū apud Danos excitabat gaudium, quod nunc à nemine amplius periculum ſibi metuendum crederent; ac tanto ſecurius Succos contemnebant.

Legatio Ducis Holſatiæ. §. 104. Denique miſerat & Fridericus Holſatiæ Dux Joannem Albertum Mandelsloium in Sueciam petitum, ut controverſia, quæ Reginæ Matri cum Sueciæ Rectoribus orta foret, componatur, ipſique concedatur reditibus doralitii ſui extra Sueciam frui. Ejus in literis ſiniſtre acceptum, quod 5. Mart. Dux nil præter nomen ſuum ſubſcripſiſſet, nullo præmiſſo teſtandæ benevolentiæ vocabulo, (Itali *corteſiam* vocant.) Ipſi reſponſum, Mirum ſibi videri, quod Duci perſuaſum ſit, eam cauſam tantum Rectores Sueciæ tangere. Nam hos ſane omnem honorem Reginæ Matri ſemper exhibuiſſe, doralitium ejus auxiſſe, æs alienum diſſolviſſe. Semel tantum monuiſſe, ne ejuſmodi dicta jaceret, quæ aliquando ipſius filiam ſolio, ſi iſta reipſa exprimeret, evolvere poſſint. Si quid ab ipſis peccatum fuerit, nimia lenitate peccatum. Ipſam pravorum hominum conſiliis obtemperantem inaudito exemplo in contumeliam Regis quondam mariti, Reginæ filiæ totiusque nationis Regno profugiſſe; cum, ſi qua re offenderetur, amicorum interpoſitione uti in proclivi foret. Nolle ſe miſſa pecunia iter iſtud promovere in Regni ignominiam ſuſceptum: ac reditus doralitii diſſolvendo ære alieno ab ipſa contracto impendendos. Ita re infecta legatus iſte dimiſſus eſt.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM

LIBER DECIMUS QUARTUS.

EPITOME.

1. *Torſtenſonius quieſcere cogitur. Idem propius hoſtem movet.* 2. *Hoſtis viciſſim in Suecos tendit.* 3. *Seckendorfium capite plectitur.* 4. *Hoſtis cis Albim venit. Ejus conſilia. Caterva hoſtium in Meclenburgicam præmittitur.* 5. *Torſtenſonii conſilia.* 6. *Hoſtis trans Albim revertit. Novæ Pfulii per Saxoniam machinationes.* 7. *Kœnigsmarckius Mansfeldæ obſidium diſturbat.* 8. *Torſtenſonius in Sileſiam cogitat.* 9. *Legatio Luneburgicorum ad Torſtenſonium. Idem Goslarienſem tractatum diſſuadet; Legatiſque reſpondet.* 10. *Idem Sileſiam verſus iter inſtituit.* 11. *Sueci tota Sileſia expelluntur. Stalhantſchius periclitatur.* 12. *Torſtenſonius occupat Luccam.* 13. *Gubbenam, Soraviam, Saganum, Glogoviam Majorem, Guram, Freiſtadium, Wolaviam, Drochenbergam, Militſchiam, Parchwitzam, Jauram, Strigaviam. Schwveidnitia obſidetur.* 14. *Ei Franciſcus Albertus Lauenburgicus ſuccurrere conatur. Idem profligatur, capitur, & moritur.* 15. *Schwveidnitia capitur. Torſtenſonius Cæſareos fruſtra inſequitur. Idem capit Olmucium, Littam, & Neuſtadium Moraviæ.* 16. *Lilliehœckius Neiſſam capit. Oppela expugnatur. Briega incaſſum obſidetur.* 17. *Ei Cæſarei ſubveniunt. Torſtenſonius obſidium ſolvit.* 18. *Cæſarei Suecos ſequuntur. Suchim ad Cæſareos transfugit.* 19. *Kœnigsmarckius in Saxoniam mittitur. Torſtenſonius Gubbenam uſque recedit.* 20. *Cæſarei Glogoviam obſident. Auxilia è Suecia adveniunt. Torſtenſonius ad liberandam Glogoviam ſe movet. Glogoviæ obſidium ſolvitur.* 21. *Reliqua auxilia adveniunt. Heinſendorfium deſtruitur. Boleslavia inflammatur. Zittavia occupatur.* 22. *Conventio ſuper captivorum redemtione & permutatione.* 23. *Kœnigsmarckii acta.* 24. *Torſtenſonius in Miſniam movet; Lipſiamque obſidet.* 25. *Cæſarei ad liberandam Lipſiam veniunt. Leopoldus prælium committere ſtatuit. Acies Cæſarearum. Acies Suecorum.* 26. *Prælium ad Lipſiam. Cæſareorum clades.* 27. *Torſtenſonius obſidium Lipſiæ repetit.* 28. *Electoris filius ſuper neutralitate proponere incipit. Lipſia deditur.* 29. *Cum Electoris filio incaſſum tractatur.* 30. *Torſtenſonius in Bohemiam cogitat. Idem Freibergam obſidet.* 31. *Cæſarei in Bohemia ſe colligunt.* 32. *Excurſiones Suecorum per Moraviam & Sileſiam.* 33. *Kœnigsmarckius Aſcaniam & Querfurtum occupat.* 34. *Hermannus Bothius vapulat.* 35. *Erfordienſium excurſiones.* 36. *Vinarienſium & Haſſicorum geſta. Hi Lamboium invadunt. Eorundem victoria.* 37. *Iidem multa oppida per Colonienſem & Juliacenſem ditionem occupant.* 38. *Guebrianus Lechnicham oppugnat. Cæſarei ingruunt. Joannes Wertanus vapulat.* 39. *Guebrianus cis Rhenum abit. Idem in Franconiam effunditur.* 40. *Cæſarei & Bavarici in Franconiam tendunt.* 41. *Per ſuperiorem Germaniam geſta.* 42. *Excurſiones è Polonia in Pomeraniam, Caroli Guſtavi Palatini periculum. Res Pomeraniæ ordinantur.* 43. *Acta tractatuum ſuper induciis Brandeburgicis. Luchtmari propoſitio. Oxenſtiernæ reſponſio. Diſceptatio de plenipotentia:* 44. *De pacto adjecto: de præſidiis: de tributis:* 45. *De bonis Equitum Teutonicorum. Brandeburgici varios ſe gerunt. Iidem re infecta diſcedunt.* 46. *Tractatus Stetini inſtauratur. Brandeburgici denuo re infecta diſcedunt.* 47. *Nova Brandeburgicorum in Sueciam legatio. Motus animorum ob eam legationem.* 48. *Legatorum negotiatio de Regina Matre: de induciis:* 49. *De matrimonio Reginæ cum Electore Brandeburgico.* 50. *Negotiatio de pace communi. Sueci præliminarem tractatum ratihabent.* 51. *Luzovius Hamburgo avocatur. Cæſarei æque ac Galli pacem nolunt.* 52. *Cæſar præliminarem tractatum ratihabere non vult. Litera Cæſaris ad Regem Daniæ.* 53. *Daniæ Regis ad Legatos Regios miſſio. Legati Regii Cæſaris literas improbant.* 54. *Cenſura Cæſarearum literarum.* 55. *Legati Regii dubia ſua miniſtro Danico exponunt. Danus apud Legatos utrinque inſtat. Horum reſponſio.* 56. *Cæſar ſeparatos tractatus captat. Luzovius diſcedens de ſeparata pace movet. Salvii reſponſum.* 57. *Coronæ eo magis junguntur. Rectorum Sueciæ ſuper his judicium.* 58. *Cæſaris factum defenditur & arguitur. Danus Cæſaris tergiverſationem improbat.* 59. *Cæſar denuo Suecos ad ſecretos tractatus ſolicitat.* 60. *Danus Cæſarem*

Digitized by Google

ſarem ad ratificandum hortatur. Cæſar præliminarem tractatum firmat. 61. Id Danis Rex denuntiat. Legati reſpondent. 62. Danus in Sueciam ſcribit. Dani circa mediationem ſecus acta. Avauxium in Galliam abit. Tractatus pacis hærent. Cæſarei denuo ſeparatos tractatus tentant. 63. Deſiderata circa ratificationem Cæſaream. Tractatus per Cæſarem extrahuntur. 64. Cæſarei ex morte Richelii mutationem ſperant. Galli Suecos confirmant. 65. Cæſarei ſeparatos tractatus urgere non deſiſtunt. 66. Galli de induciis cum Electoribus Catholicis proponunt. Eas Sueci repudiant. 67. Goslarienſes tractatus concludunter. 68. Tractatus Goslarienſis Brunſuigæ recoquitur. Judicium Rectorum Sueciæ de iſto tractatu. 69. Landgravius ſe excuſat. 70. Guelferbytum non evacuatur. Hildeſia neutralitatem ambit. Luneburgici exauctorati Cæſaream militiam adſpernantur. 71. Circa Palatinam cauſam Vienne acta. Cæſaris declaratio. Anglicus & Palatini Legati re infecta diſcedunt. 72. Angliæ Regis in Sueciam miſſio. 73. Cum Ragezio acta. 74. Danica. 75. Nova Suecia.

1642. Torſtenſonius quieſcere cogitat.

TOrſtenſonius, quanquam adventu ipſius ſanatus animis miles, pecuniaque auctus ad rem gerendam probe inſtructus eſſet, quo minus tamen in hoſtem confeſtim movere poſſet, Guebriani diſceſſus effecerat, & quod promiſſa à Luneburgicis equitatus conjunctio haut repræſentaretur; ſimul quia exitum tractatus Goslarienſis operiebatur, ac è gravillimo morbo vires tarde reficiebantur. Cæſarei contra ac Bavarici ad Salam & Oneſtrum hærebant Suecorum motus ſpeculaturi, uti equeſtribus copiis prævalentes, ita peditatu inferiores. Cæterum Torſtenſonium ut caſtra moveret inopia ſubigebat, & quod eques à ſeptimo jam milliari pabulum petere cogeretur. Torſtenſonius propius hoſtem movet. 2. Jan. Unde morbo licet nondum plane liberatus, Berga Wittingam hoſtem propius concedit; Kœnigsmarckium cum parte equitatus tranſitus Alleræ ad Wolfsburgum Fosfeldam, & Uſfeldam obſervare jubet. Cum pars copiarum per Marchiam Veterem ſtativa caperet, provinciales renitebantur, & agreſtes deſertis vicis in paludes Drœmlingentes refugi in palantes milites ſævire non dubitabant. Quos tamen repoſita vis & edicta ſuorum præfectorum mox coercebant. Mittebatur eo nomine ab Erneſto Marchione ad Torſtenſonium Otto Suerinus, qui ſuper ingreſſu exercitus in provinciam, & exactionibus, ac militum injuriis non ſine verborum acerbitate querebatur: quæ niſi confeſtim corrigantur, inducias pro ruptis habitum iri. Torſtenſonius contra rationem belli & neceſſitatem excuſabat, quo caſu & tranſitum, & alimenta Sueci pacto inductarum ſibi ſtipulati ſint. Amice primo imperatum frumentum, à detrectantibus vi fuiſſe exigendum. Injuriarum initium ab agreſtibus profectum. Tum pacta inductarum ab Electore nondum ratihabita. Et quia ex pacto caſtellum Werbenſe Suecis non fuerat traditum, ſed inter tractatus ſolo æquatum, Veterem Marchiam priore in ſtatu hoſtilitatis remanſiſſe. Pollicebatur tamen ſe quamprimum ratio belli ferat, ea provincia exceſſurum. Sed quo minus hiſce ſtativis ſtatim digrederetur, cauſa erat, quod qui adducebantur captivi de conſiliis hoſtium nihil referrent, & quia de Luneburgicorum deſtinatis dubitabatur. Ipſi quippe nondum cum Cæſare ſibi convenſſe aſſeverabant; ac mittus eo fine Hildeſiam Belloregardius miniſter Gallicus, retulerat, negotium in longum extrahi, & ſpeculari Duces progreſſus armorum & tractatuum pacis communium. Et tamen Goslaria nuntiabatur, omnia ibi transacta, & ratihabitionem tantum expectari. Unde conſultū videbatur ſpeculari, quo id negotium evaſurum eſſet, antequam iſtis oris diſcederetur, ne forte novus è tergo hoſtis poſtea conſurgeret. Accedebat humido cœlo invium machinis iter, & ob præmaturum motum recrudeſcens Torſtenſonii morbus.

Hoſtis in Suecos movet.

§. 2. Hujus fama ad hoſtem perlata eum excitaverat, ut denuo in Suecos ire decerneret, velut duce deſtitutos. Nam & fato functum rumor vulgabat. Et Cunradus Bertramus Pfulius Adami frater in Cæſaris partes transgreſſus, nunc tempus eſſe monebat rem tentandi. Tum ſpes erat, propius ſuggreſſo Archiduce quosdam è ductoribus Suecicis, qui clandeſtina cum hoſte literarum commercia alebant, ſacramento Cæſaris acceſſuros. Eam ob cauſam Archidux, Piccolomineus, & VVahlius cum univerſis Cæſaris ac Bavari copiis per profundas luto vias magna cum militis defatigatione in Marchiam tendunt, ſtativis Stendaliæ captis. Torſtenſonius motu hoſtium cognito, cum 26. Jan. vis morbi interni remiſiſſet, vexante licet manuum pedumque malo, Wittinga Soltquellam lectica 23. Jan. defertur, exercitu retro id oppidum diſpoſito. Tum Garlebia milite & paratu bellico firmatur, ac Kœnigsmarckius Apenburgum progredi jubetur, per dimiſſos paſſim exploratores hoſtium iter obſervaturus. Per hunc cum intellexiſſet Torſtenſonius, univerſas hoſtium vires circa Stendaliam, & Tangermundam conſiſtere, à tergo ecurus exercitum cum tormentis per Soltquellam Arnſeam deducit. Kœnigsmarckius cum legionibus aliquot tranſitus Uchtæ fluvii, qui à Garlebia præter Oſterburgum, & Schuſam Albi illabitur, cuſtoditum mittitur. Sed jam Croatarum manus Oſterburgum præceperat, quam licet Kœnigsmarckius immiſſo cum quingentis equitibus ſubtribuno iterum inde exturbaret; ingruente tamen cum ſiniſtro hoſtium cornu Bruxo Comite Sueci oppido iterum exceſſerunt; quod duabus dragonum legionibus hoſtis inſedit. Ad has expellendas VVrangelius cum quinque peditum phalangibus, & aliquot equitum legionibus mittitur; cujus vim Cæſarei non expectantes deſerto oppido ad ſuos citra damnum ſe recipiunt. Recuperatum oppidum, & omnes ad Albim usque tranſitus valida manu inſidentur, ut facile hoſtis ſi vim tentaret, arcendus videretur. 1. Febr.

Seckendorfius capite plectitur.

§. 3. Dum eo loci exercitus hæret, in lucem erumpunt, quæ à Seckendorfio tribuno cum hoſte agitata clam erant commercia. Quod negotium paulo altius eſt repetendum. Superiore anno apud Guelferbytum captus fuerat Geylingius tribunus, qui fide ſua obſtricta in caſtris liber agebat multa cum ductoribus Suecicis familiaritate. Is animadverſa animorum ægritudine, ut erat callidus, ambiguis ſermonibus turbidos magis accendere tanto audacius, quod modica tunc imperantium autoritas, & inopia plerisque militiæ tædium feciſſet. Hac occaſione arrepta paſſim de ſtudio Cæſaris in pacem diſſerere, & qui reſpectus plurimos hactenus in arma egerit, neque Cæſarem ſacra Proteſtantium oppugnare, neque Suecos ob eadem aſſerenda bellum gerere; quo paulatim fidem in Suecos, ſtudiumque labefactaret. Ei præ cæteris aurem præbuerat Seckendorfius, qui inde conſilium capiebat deſertis Suecorum partibus Cæſareæ militiæ accedere. Id quod poſt obtentam

1642. rite miſſionem nefas non erat; ſed is dum perverſa rem via aggreditur deprehenſus capite pœnas luit. Geylingius ad ſuos poſtliminio reverſus, ut cœptam à ſe telam perſequeretur, literas ab Archiduce impetrat, quibus hic teſtabatur, gratum ſibi eſſe Germanos hoſti militantes in ſe tandem deſcendere, ac patriæ ſortem expendere, cujus exitio extranei immineant. Tempus jam eſſe, quicquid Germanorum eſt juncta opera exterorum jugum excutere, & internæ concordiæ inſtaurandæ operam dare, quam hactenus ſuſpiciones è ſacrorum diverſitate ortæ potiſſimum turbarint. Hæc à Cæſare non infeſtari ipſum Geylingium teſtari poſſe, qui diverſus licet ritu non minus Cæſari æſtimetur: nec inferiorem Proteſtantium quam Catholicorum numerum ipſi militare. Quin nuper Franciſco Alberto Lauenburgico ſummam imperii per Sileſiam delatam. Ergo adimeret ipſe Germanis ductoribus inter Succos militantibus eam diffidentiam, Cæſarisque & ſuo verbo illis caveret, huc transeuntibus veniam præteritorum, ſacra ſalva præmia, honoresque pro cujusque meriti præſto fore. Has literas, ut res eo ſecretior eſſet, Leopoldus ſua manu ſcripterat, quarum autographū inter ſuppellectilem Seckendorfii poſt repertum. Eas porro Geylingius huic clam ſubmiſerat, addito, ut lectas & idoneis amicis oſtenſas ſibi remitteret. Sed retinuerat literas Seckendorfius, ſorte ut ſibi magis caveret; & compluribus easdem ductoribus tam è Vinarienſi quam Succico exercitu oſtendebat, eosque in Cæſaris partes pertrahere nitebatur; quorum nonnulli jam id polliciti fuerant. Neque tamen de negotio inter tam multos vulgato quiſpiam aut ſummis præfectis, aut poſt Torſtenſonio indicium fecerat, magno nutantium animorum argumento. Seckendorfius inde non Geylingio tantum, ſed & Piccolomineo ſcribere, qui gratiam Cæſaris & ſtipendia pollicebatur, ſi à Succis digreſſus legionem pro Cæſare inſtruere vellet. Iſte inſuper poſtulabat, ſibi ſuper reſiduis apud Succos ſtipendiis ſatisfieri, quæ diſceſſu ſuo amiſſurus ſit; oſtendens alios agminatim ſecuturos, ſi lautis ipſum conditionibus potiri videant. Enimvero Cæſari perſuaſum erat, Succorum exercitum eo jam redactum, ut ductoribus neceſſum ſit gratiam Cæſaris ultro ambire; nec iſtorum tranſitionem ſibi tam care
12. Octobr. emendam. Unde idem per literas fratri Leopoldo
41. injungebat; illis tantum ductoribus qui ſubjectas ſibi turmas ſecum adducerent, pro ratione dignationis præmia polliceretur: cæteris, qui ſoli venirent, veniam præteritorum abſq; ullo præmio offerret, prout avocatorium edictum exprimebat: penſationem reſiduorum apud Succos ſtipendiorum ut iniquam abnueret. Et malebat transfugia gregariorum, quam procerum oneroſis ſub conditionibus. Eam ob cauſam Geylingius aliquandiu Seckendorfio ſcribere omittebat, quod promiſſa à ſe præſtari non poſſe videret: quo de ſilentio hic poſtremis literis querebatur. Atque idem cœpti per-
25. Nov. vicax ut citra ſuſpicionem literas ad hoſtem mitte-
41. re poſſet, à Torſtenſonio literas commeatus pro ſuo tubicine obtinuerat, obtendens, ab hoſte ſe commeatum pro uxore impetraturum, ut Hamburgo Erfordiam proficiſci poſſit. Idemque poſt cum intelligeret, Conradum Bertramum Pfulium ad Cæſaris exercitum ſe conferre, Hamburgum verſus properabat, ut cum iſto colloqueretur; quem tamen Bremervœrdæ jam abiiſſe intelligebat. Quin & poſt duos turmarum præfectos transfugas cum mandatis ad Geylingium præmiſerat. Tandem impatiens deſtinati tubicinem è ſtativis ſuis ad caſtra
26. Jan. hoſtium dimittebat, cui dicis cauſa ſcheda aperta ad Geylingium dabatur ſuper commeatu uxori ſuæ impetrando. Sed tribus obſignatis literis ad Geylingium & Pfulium petita ſua reperens certum re- 1642.
ſponſum expoſcebat. Tum ut in ſpeciem pro uxore, ſed ſerio pro ſe & aliis, qui cum ipſo tranſituri eſſent, commeatus literæ mitterentur, addita pollicitatione, ſi honeſtis ipſe conditionibus mactetur, plures exemplum imitaturos, indies glicente apud Succicos animorum ægritudine. Tum petebat, Magdeburgi præfectum moneri, in quod oppidum obtenta miſſione ſtatim ſe collaturus ſit. Apud tubicinem literarum argumentum fingebatur de ære alieno transfugarum præfectorum. Tu- 30. Jan.
bicen Apenburgi à ſtatione excubitorum interrogatus, Garlebiam, inde ad caſtra hoſtium pergere ſe reſponderat ob tribuni ſui negotium cum ſummi ducis venia. Cum jam aliquo usque progreſſus eſſet, ſuſpecta res præfectis videri; qui per aliquot equites raptim miſſos Apenburgum cum retrahunt. Inſpecta aperta ſcheda, nihil ſecreti præ ſe ferebat; ſed Torſtenſonii commeatus paulo veruſtior ſcrupulum injiciebat. Igitur tubicen ad Kœnigsmarckium, qui ibi præerat, mittitur, & apud ſodalem tubicinem in alterum diem detinetur, cujus interceſſione ad herum ſuum ut revertat conceditur. Iter ingreſſurus ſentit literas, quas in theca, qua minores tubi ad ephippium geſtantur, abdiderat, amiſſas, queis in ſtabulo fruſtra inveſtigaris, & quod exigui momenti eſſe crederet neglectis, ad tribunum redit. Seckendorfius, cum iſte 31. Jan.
de ſucceſſu itineris amiſſisque literis narraret, has quidem parum curare ſe ſimulabat. Cæterum ad præfectos, qui tubicinem ſuum ſtitiſſent, Apenburgum mittit, & ipſe Soltquellam ad Torſtenſo- 1. Febr.
nium abit, ſuper injuria ſibi illata graviter queſtus, quam ipſe, ni ſibi ſatisfiat, ulturus ſit. Interim Apenburgi in tubicinis hoſpitio catulus forte epiſtolas è fimo protractas ludibundus hinc inde raptabat. Quod cum aſſtantes obtervarent, inſpectis literis illæ ipſæ deprehendebantur, quas tubicen amiſerat, Seckendorfii manu ad Geylingium, & Pfulium ſcriptæ. Quæ confeſtim Soltquellam miſſæ eo ipſo tempore, quo Seckendorfius de injuria ſibi illata expoſtulatum venerat. Qui ſtatim 3. Febr.
in cuſtodiam datus judicio ſiſtitur, quod duo ſummi vigilum præfecti, ſex tribuni, quatuor ſubtribuni componebant, omnes natione Germani, & Seckendorfii amici, juramento adacti. Cum factum aperte legibus militaribus repugnaret, ac nulla reo idonea defenſio ſuppeteret, damnatus omnium calculis capite truncatur. Torſtenſonius cum hujus ſupplicio autoritatem imperii ſui non parum ſtabiliſſet, expedire cenſebat in conſcios non inquirere, eosque pœnitentiæ ſuæ emendandos relinquere; tum curam uxoris, liberorumque parvulorum Erfordiæ ſuſcipere, quæ morituro præcipua ſolicitudo fuerat.

§. 4. Aſt hoſtis cum apud Succos tranquilla omnia Hoſtis cis Albim venit.
cognoviſſet, ac ipſos retro flumen, & profundas tunc uligines conſiſtere, ubi invadere iſtos non audebat, mox & premente annonæ ac pabuli inopia Tangermundæ binis pontibus navalibus Albim tranſit. Propoſitum ipſi fuerat in Meclenburgi- 2. Febr.
cam deſcendere, quod ea regione orti nobiles, qui Ejus conſilia.
Cæſari militabant, confirmaſſent, vel in annum alimenta exercitum ibi inventurum. Simul credebatur, omnes Albis tranſitus, Hamburgum usque iſtum occupaturum, abductisque navigiis & pontonibus Succos ora maris Baltici excluſurum, uno aut altero è primariis ibi oppidis invaſo. Quanquam Torſtenſonio cumprimis verosimile videbatur hoſtem id agere, ut Succos denuo cis Albim retractos vaſtatam per regionem in angustum compelleret, paucis eodem è Germanicis ductoribus ſecuturis, & per inopiam ſeditione eruptura; de qua Seckendorfius ſpem fecerat. Eo Caterva
ſine hoſtium in

1642. Meclenburgicam præmittitur.

fine Goldackerus tribunus cum octingentis Croatis, & levis armaturæ equitibus mature eo præmittitur; qui cum frustra Salvio, Hamburgum post habitum Wismariæ cum Joanne Oxenstierna Legato colloquium revertenti insidias struxisset, præfectum turmæ Neurothum, qui istum deduxerat, incautius agentem apud Wittebergam Inferiorem oppressserat, cæsisque reliquis ipsum cum metatore captivum abduxerat. Inde apud Dœmitzam trans Albim progressus, Slangii legioni Dannebergæ & Hizcaræ hospitanti immunebat. Sed hac ad excipiendum hostem parata, re infecta cis Albim revertus de intercipiendo Boizenburgo & Lauenburgo agitabat. Ac jam quæstor militaris Rostochii adpulerat, annonam & necessaria pro exercitu Cæsareo congesturus. Unde territi Meclenburgici Duces Leopoldo per literas miseram faciem provinciæ exponunt, rogantque ob manifestam paupertatem annonam illi imperare parceret, nec cum exercitu huc concederet Goldackero revocato.

8. Febr.

25. Febr.

Torstensonii consilia.

§. 5. Contra Torstensonius, qui post digressum Guebrianum de Silesia invadenda cogitaverat, hostis motu istis destinatis exclusus non parum quid sibi suscipiendum foret anxius agebat. Quid circa tuendam oram maritimam Regina mandasset, sat notum erat; & credebat adhuc viam sibi dari, ut superato Albi inter istam & hostem medium se objiceret. Enimvero scrupulum movebat prævalens numero hostium exercitus, quem quinquaginta sex validæ equitum alæ, præter Croatas & dragones ac undecim peditum phalanges quingentorum fere capitum componebant. Cum Suecis peditatu licet prævalentibus quadraginta duntaxat, eæque parum numerosæ alæ forent. Qua manu hostem ultro lacessere nulla ratio erat, prætertim objectu Havelæ tutum. Quod si autem satis habere vellet hostem arcuisse, nullam annonæ expediendæ rationem perspiciebat, cum hosti subvecto Albis pateret, ipsi præter inopem regionem, & oppida litoralia vix suis præsidiis alendis sufficitura nihil restaret. Et gravissimus metus erat, ne pressius miseria exercitus in seditionem erumperet, cui deliniendo nihil pecuniæ supperebat, nuper data absumta, aut oblivioni tradita, ut jam paulatim novam poscere inciperent. Ac forte plerique ductorum in eas se angustias conjicere abnuituri erant. Igitur judicabat, quæ hostis de expeditione sua mare versus sparserat ipsi illudendo, & in eas oras pertrahendo inventa. Et si utique eo se conferret hostis, præter populationes agrorum hac anni tempestate vix aliud operæ pretium facturum, validis oppidis modico cum peditatu tentandis impar, aut si tentasset, certo suorum exitio. Nec ipse tam longe aberat, ut non laborantibus oppidis mature subvenire posset. Igitur statuerat eo quem ceperat loco hostis conatus speculari, num forte uti fama erat, Bavarici à Cæsareis disjuncturi se sint. Quo casu cis Albim regressus prælio Cæsareos lacessiturus erat, milite suo adhuc sat alacri ad rem gerendam. Quod si autem istud citra periculum summæ rei tentari non posset, ac hostis opportunis ad Albim locis se teneret, ipsius in Silesiam intercluso itinere, in Westphaliam & ad Rhenum penetraturus erat, hoste non sine maxima molestia eodem secuturo; ubi ipsi contra Gallorum & Hassorum conjunctio patebat. In quem eventum Stalhantschio defensionem oræ maritimæ commendaverat, ut peditatu per oppida distributo cum equitatu Pomeraniæ Ulterioris, & Novæ Marchiæ aditus tueretur, quoad aperto mox mari è Suecia auxilia submitterentur.

Hostis trans Albim.

§. 6. Enimvero hostis paupertate Meclenburgicæ mox perpecta, isto itinere omisso in Marchia aliquantisper subsistere constituerat; quo fine ejus Prælidi Ernesto Marchioni annonam imperabat. Qui cum inopiam provinciæ demonstrasset, iste ne inutiliter exercitum consumeret, retro pedem ferre cogebatur. Unde diversa quam venerat via Servestam, inde Aquas inter & Barbyam ponte navali trans Albim redit; quo per fluitantia glaciei fragmenta abrupto ultimum agmen VViteberga flumen transit. Ut tamen Suecos à tergo distraheret, Conradum Bertramum Pfulium cum Ulrico Pentzio Hamburgum mittit. Proposuerat iste de novo ad Albim exercitu formando. Esse sibi ad manus Adamum Pfulium fratrem, quatuor tribunos, complures altiorum graduum ductores è Suecico exercitu magnum numerum gregariorum ex eodem abducturos, unde adjunctis novis delectibus duodecim millia confici possint; quibus Cæsareorum octo millia accessura sint. Pecuniam & commeatum ut suppeditent Hamburgenses cum Lubecensibus & Bremensibus per privilegia in Hispania, aliaque promissa inducendos. Consilii hujus summam in Albi flumine obtinendo verti. Unde primam exercitus sedem circa Dœmitzam fore. Quo fine & Magdeburgum, & Luneburgum oppidum cum arce Calberga sibi tradenda, & omne vectigalium jus in Albi flumine; cujus accolæ Principes præcipua ditionum suarum parte sint exuendi, ut vires in Cæsarem quid deinceps tentandi adimantur, nec plus relinquendum, quam unde commode vivere queant. His ademta dictis urbibus, & bene meritis militibus addicenda. Quanquam autem non constat, quousque Leopoldus ista consilia effectui dari posse censuerit; tamen quia vel modicus eorum successus destinata Succorum non parum turbaturus erat, autor Pfulius magnifice donatus cum idoneis mandatis ad urbes & conducendum militem mittitur data non modica pecuniæ summa. Etsi, quod post referemus, pauca tanto hiatu digna sint præstita.

1642. bim revertit.

21. Febr.

Nove Pfulii per Saxoniam machinationes.

§. 7. Dum eis Albim hostis hæret, Torstensonius Kœnigsmarckium miserat ad hostem arcis Mansfeldæ obsidio depellendum. Qui cum aliquot equitum legionibus raptim profectus, famamque sui præveniens obsessores improviso oppressit. Eorum magna pars cæsa. Capti subtribunus Richardus, Schafgotschius excubiarum præfectus, duo turmarum præfecti, totidem centuriones, aliiq; ductores cum ducentis gregariis, omnibusq; impedimentis. Equitum nonnulli fuga evaserant. Arx inde ad tempus annona firmata. Sed quia ex interceptis Piccolominei literis Kœnigsmarckius intellexerat, eum Suecis ad arcem liberandam accedentibus Albi transmisso è latere incursurum, hic circum Hercyniam sylvam retro iter capit, Croatis Northusiam usq; eminus frustra insequentibus. Ejus subtribunus ad latus incedens præfectum turmæ cum quadraginta equitibus Eimbecca progressum opprimit, ac cæsis quibusdam cum reliquis captum abducit. Cæterum hostis aliquot septimanas per inopes regiones aspera anni tempestate vagatus nō minorem hominum equorumque jacturam fecerat, quam si justo prælio victus fuisset. Bavarici inde statim à Cæsareis separati præter Erfordiam, qua erumpentes catervæ non paucos eorum interceperant, in Franconiam, & Fuldensem præsulatum progrediebantur, viris jumentisque pessime habitis. Equitum quasi duo millia, præter eos, qui magno numero equis amissis ad pedes redacti erant, peditum duodecim centuriæ supererant. Cæsarei contra Hala Salfeldam usque per Misniam & Thuringiam hospitia ceperant fœda immanitate in provinciales grassati, obscœna cumprimis petulantia in ædes sacras per vicos exercita, sacrisque Romano ritu per oppidorum templa factis. Quibus

Kœnigsmarckius Mansfeldæ obsidium disturbat. 21. Febr.

Bavarici à Cæsareis separantur.

1642. bus ſuper Injuriis graviſſime cum Leopoldo expoſtulabat Saxoniæ Elector, cum Archidux ad ipſum diverteret celeribus equis Viennam tendens, ut Cæſarem fratrem de conditione belli edoceret.

27. Mart. Torſtenſonius in Sileſiam copias.

§. 8. Aſt Torſtenſonius famelica ſtativa relinquere certus ac commodiore jam valetudine tres ſibi vias patere videbat; unam recta in hoſtem, alteram cis Albim in Sileſiam, tertiam trans Viturgim in Weſtphaliam Rhenum verſus. Hoſtem equidem in præſens viribus æquabat, aut ſuperabat. Sed per vaſtatum agrum Magdeburgicum & Halberſtadienſem exercitu ducto Piccolomineum opportunis inter Salam & Oneſtrum locis conſidentem invadere, ſuosque exeta in regione inter hoſtilia circum præſidia periculis, & moleſtiis objicere rationis non videbatur. In VVeſtphaliam aut ſuperiorem Germaniam ſi tenderet, Cæſarei iterum Bavaricis juncti ad latus ipſi inceſſuri erant; nec Vinarienſium ſibi conjunctionem exoptandam ducebat, quod experientia comperiſſet, Suecici militis animos ægreſcere lautioribus iſtorum ſtipendiis cominus inſpectis. Interim Lauenburgicum gliſcentibus indies delectibus, Stalhantſchio ad Wartam propulſo in Pomeraniam perruptorum; nec ſibi deinceps tam longe digreſſo ei provinciæ opem ferre in proclivi fore. Igitur ſtabat ſententia in Sileſiam penetrare, inſeſſoque Odera Pomeraniam tegere libera inter hanc, & ipſum communicatione; adjuncto Stalhantſchio ardui quid ſuſcipere, hoſtique obſiſtere par. Et hoſtis in Mitniam ac Thuringiam concedens eam viam ultro velut aperuerat. Eo fine pons navalis apud Werbenam extruitur.

Legatio Luneburgicorum ad Torſtenſonium.

§. 9. Inter hæc à Luneburgicis Ducibus aderant Legati Thomas Grootius, Fridericus Schenkius, & Hodenbergius; qui prolixe rationes, queis Duces ad ſuſcipiendos & perſequendos tractatus Goslarienſes permoti ſint, explicabant: quos tamen nondum concluſos aſſeverabant. Equidem conceptam fuiſſe formulam, & rumorem eſſe Cæſaris ratihabitionem ad Leopoldi Cancellarium Kaltſchmidium allatam: ſed quia hic Ducibus nondum ejus exemplum edere voluerit, Duces decreviſſe, ni latas à ſe conditiones obtineant, cum Cæſare non depeciſci, ſic ut de eventu tractatuum adhuc incertum ſit. Ita tamen à ſe actum, ut iſti ſociis Regnis fraudi non ſint; ac in poſterum quoque eandem viam inſtituros. Unde & noluiſſe copias ſuas Cæſari jungere, ſed quas ipſi non retinerent citra exceptionem exautoraturos, qui ſine dubio exercitui Succico ſint acceſſuri. Tandem percontabantur, ſi demum cum Cæſare tranſigerent absque tamen detrimento Sueciæ, quid ab ipſo & exercitu Succico ſibi expectandum ſit. Addebantur querelæ ſuper nonnullis militum injuriis, utque oppida ſibi ſua reſtituerentur eo præcipue colore, quod Cæſarei hoc eatu locorum à ſe occuparorum reſtitutionem promiſerint, Alfelda jam & Bockela reddita. Torſtenſonius Goslarienſes tractatus disjicere cupidus Legatis oſtendebat; inſtare communis pacis tractatus, in qua ipſorum ſolida ſecuritas verſatur. Peculiaria pacta intuta, & quamdiu horum Cæſari ſpes ſit, ægre ad iſtos adduci; ac bellum interim cum ſociis Regnis continuari; cujus onera in ipſos redundent. Parum ſupereſſe ipſis quod amittant, aut metuant. Primarium ipſorum hoſtem Colonienſem Præſulem magna nuper clade afflictum, Vinarienſes victoria alacres, Bavaricos abiiſſe. Cæſareis modicas vires, Succicum exercitum vegetum, & Cæſareas ditiones invadere paratum: ipſis manum non ſpernendam eſſe. Inde ſpem ſibi, Duces abruptis cum hoſte tractatibus bello ac pace operam Succis ſociaturos. Enimvero perſiſtere in ſententia ſua Legati, ac ſi acrius urgerentur, ægre id ferre, tum de ſincero Ducum animo teſtari, & ne ad deſperationem compellantur obtecrare. Torſtenſonius re per aliquot dies deliberata videbat fieri poſſe, ut plane rejecti Duces propius ſe hoſti innecterent, quam forte ab initio conſtituiſſent; nec ſibi volenti licet integrum in ditione ipſorum hærere, aut quicquid conſilii capturi eſſent prohibere. Tum transactione hoc modo, uti Legati aſſeverabant, temperata, Suecorum partes parum jacturæ, Cæſaris non multum incrementi cepiſſe. Ductores quoque Germanicos, ſi Duces aſperius habeantur, id ægre laturos; aut hoſce forte ad tertias partes tamdiu agitatas cum Dano, Haſſis, & Hanſeaticis compulſum iri. Igitur Legatis ita reſpondet; Legatis ſe denuo ſuadere Ducibus, ut tractatus Goſlariæ ſponderetur. abrumpant, & in partibus firmi ad pacem usque 10. Mart. communem perſiſtant, ubi Regina cauſam iſtorum non minore ſtudio quam propriam actura ſit, ut quam uberrime ipſis ſatisfiat. Sed re non amplius integra, etſi parum amice à Ducibus factum, tamen quia ardua res ſit, ac Legati de nonnullis conditionibus caverint, quarum rationem Regina forte ſe ſit habitura, ſe diligenter de hoc negotio ad illam relaturum, & mandata expectaturum; interim amicitiam continuaturum. Indicium tamen amici ipſorum animi fore, ſi quas dimiſſuri ſint copias, ſibi relinquant. Legati hoc reſponſo læti, libenter ſe copias ſuas Suecis conceſſuros teſtari, id tamen aperte non audere. Noſſe tamen, ductores nullam quam Suecicam militiam præoptare. Circa oppida ne quid à ſe poſtularetur, Torſtenſonius rogabat; noſſe ipſos, quousque Regina de iſtis antea annuerit. Nunc longe difficilius quam tunc concedi poſſe, dum ſecreti cum hoſte tractatus agitantur, & hic jam oppida quædam reddiderit. Cæterum nuper Nienburgi præfectus Cratzenſteinius caſtrum Bruchutam Veterem occupaverat hoc obtentu, velut Daniæ Regem præſidium imponere meditantem prævertere voluerit. Id redditurum ſe Torſtenſonius promittebat hac lege, ut munitionibus dejectis neque Duces præſidium ipſi imponerent, neque hoſtem paterentur. Eo reſponſo cum plane ſibi ſatisfactum 17. Mart. Legati oſtenderent, Soltquella Hamburgum proficiſcuntur. Ac fortaſſe ad Daniæ Regem pergere conſtituerant. Nam inſinuaverant, ſe ejus Regis interceſſione apud Reginam uſuros. Quibus ſignificatum, non minus gratum fore, ſi Duces ipſi ad Reginam ſcribere, aut Legatos mittere velint. Confirmabant quoque iſti Legati, Landgraviam omnes hoſce tractatus adprobaſſe. Id quod tamen Haſſici miniſtri cum exprobraretur abnuebant.

Torſtenſonius Goslarienſem tractatum diſſuadet.

§. 10. Torſtenſonium per aliquot adhuc dies morabantur annona Hamburgo ſubvehenda, & navigia ponti extruendo neceſſaria, quod Albis incunte Martio menſe fragmentis glaciei fluitaret. Illis difficultatibus ſuperatis exercitui ut ad VVerbenam ſe colligeret, edicitur. Ne tamen hoſti de ipſius deſtinatis in anteceſſum innoteſceret, per viam, qua in Weſtphaliam itur, annona imperatur. Kœnigsmarckius inde valida cum caterva, quæ primi agminis ſpeciem referebat, recta verſus hoſtis ſtativa progredi, ac tumultum excitare jubetur; qui & irruptis Croatarum Quedlinburgi hoſpitiis non paucos cæcidit, quinquaginta cum inſigni præda captivos abduxit. Inde cura Veteris Marchiæ, & locorum, quæ Suecis adhuc per Brunſuicenſem agrum obtinebantur, Tobiæ Duvvalio commendata, Torſtenſonius tandem Soltquella movens per Arnſeam, & Schuſam VVerbenam procedit. Ubi luſtratus exercitus biduum Albi ſuperando inſumit. Poſt Havelam apud Ha- 16. 17. Mart. velber-

Torſtenſonius inter Sileſiam verſus inſtituit. 19. Mart. 21. Mart. 24. Mart.

1642. velbergam transmissum Zigesar exercitus eluctatur difficili itinere, sed nullo ab hoste accepto damno, nisi quod caterva hostium apud Dessaviam Albim transgressa Dœrfflingii subtribunum cum quadraginta equitibus oppressérat. In omen faustæ expeditionis accipiebat Torstensonius, quod ab hoste spatium sibi relictum foret ut medium se Piccolominei & Lauenburgici copiis inferere posset, & quod inter tantam inopiam exercitui obsequium, & ad rem gerendam promtitudo constaret; cui vinculi instar erat amor in ducem, & opimorum spes hospitiorum; etsi hic, ut pecunia & supplementa sibi è Suecia mature submitterentur, rogaverat.

Succi rem Silesia expelluntur. 20. Jan.

§. 11. Ita quidem tunc in Silesiam recta tendebat Torstensonius, ubi hactenus Suecorum res plane prostratæ fuerant. Quin & per Sternbergensem districtum dispositæ Stalhantschii legiones sub initium anni parum ab exitio aberant, dum conniventibus Polonis Cæsareorum equitum tria fere millia circuitu per Poloniam capto repente ingruunt, ni cum jamjam impetum daturi essent, Stalhantschius legiones raptim contraxisset. Unde illi pauculis tantum impedimentis direptis eandem, qua venerant, viam re infecta relegebant. Eo super facto Stalhantschius apud vicinos Poloniæ præfectos per literas expostulabat velut induciis adverso, & ne talia deinceps hosti permittantur. Alias & sibi necessitatem injungi intra Poloniæ fines hosti occurrendi. Et sane eo minus istam cum hoste collusionem expectaverant Succi, quod Poloni ipsorum catervis transitum abnuerent. Paulo ante Franciscus Albertus Lauenburgicus Dux Carlatum arcem impetu ceperat, cæsis omnibus quos intus invenerat. Inde apud Glogoviam Oderam transgressus castella apud Beutenam à Stalhantschio in insula fluvii excitata aggreditur, queis Calovius excubiarum præfectus præerat, idoneo annonæ & paratus bellici provisu. Sed prima munitio à Suecis ultro deserebatur: alteram hostis vi expugnabat. Unde territi, qui in primario castello erant, honestas abitus leges pacti id dedunt: quod à Cæsareis statim solo æquatum. Inde Boleslavia petitur, cujus præsidiarii in arcem se recipiebant; qui tamen eadem tormentis acriter verberata mox citra exceptionem se dedunt. Nec Lemberga, cum vis intentaretur, moram faciebat; & præsidium honestis conditionibus oppido dedito Crosnam dimissum. Ita Lauenburgicus post expulsos tota provincia Suecos copias late ad Moraviam usque per hiberna dispergit. Interim agendis delectibus Crocovius, Christovius, Mitzlasius, alii acri studio operabantur, magna vi pecuniæ à Cæsare suppeditata; ac parabatur in proximam æstatem exercitus viginti millia bellatorum expleturus. Solicitabat etiam Lauenburgicus per secretarium suum Daniæ Regem, ut ex Holsatiæ latere Suecos invaderet, & Meclenburgica expelleret. Interim Stalhantschii copiæ è Pomerania ut cunque reficiebantur nulla re gesta, nisi quod Helmoldus Wrangelius repentino assultu Grunbergæ centuriam Croatarum oppressérat; quoad ingruente in Silesiam Torstensonio ut huic se jungerent excirentur.

Stalhantschius pernicitatur.

4. Febr.

11. Mart.

7. April. Torstensonius occupat Luccam.

§. 12. Hic quippe Zigesare movens, capto per Briezam & Juterbocum itinere Luccam perveniebat, quam Delovius excubiarum præfectus cum ducentis peditibus Saxonicis insidebat. Is deditionem imperanti Torstensonio ferociter respondebat. Unde suggestibus per noctem excitatis sequenti mane duæ turres, & munimentum portæ antepositum, inde mœnia machinis verberantur, & omnia assultui dando parantur. Ita territus præfectus de tradendo oppido pacisci cupit. Qui etsi nihil placidi meruerat, tam exigua cum manu invalido loco exercitum sistere ausus, & quia Saxones Gœrlicii pacta non servaverant: tamen tot innocentium in oppido miseratione tactus Torstensonius, & ad majora properans annuit, ut ipse cum suis discederet, redditis desertoribus. Oppido imponitur valida equitum & dimacharum manus observandis Saxonicorum motibus, & ut per excursiones eorum delectus impedirent. Ea occasione Torstensonius Saxoni per literas violata Gœrlicii pacta exprobrat, & quod captivos ita duriter habeat compedibus oneratos, & servilibus operibus admotos. Quæ crudelitas ni omittatur, paria se relaturum. Elector prioris facti culpam responso suo à se amoliri; circa captivos spreta Cæsaris ac sua edicta avocatoria obtendere, ob quæ ditione sua oriundi asperiorem castigationem mereantur. Ac solo sacrorum obtentu civem adversus Principem suum arma gerere ne Torstensono quidem probatum. Lucca Caloviam itur, ubi quanquam rumor increbesceret, Piccolomineum & Saxonem trans Albim, Lauenburgicum cis eundem copias contrahere, haut eo secius in Silesiam pergebat Torstensonius, prælium haut derrectaturus, si occasio detur. Erant illi peditum septem millia, bene habitus miles, equitum quinque millia, & insuper tria, qui equis morbo amissis incedebant. His Stalhantschius bina equitū, totidem peditum millia adjungebat. Hostis contra non supra quinque peditum millia in aciem educere poterat: equitum tria millia Piccolomineus, quinque Lauenburgicus, duo Elector habere censebatur. Ut vires utrinque prope pares essent.

1642. 30. Mart. 12. April. 6. Maji. 11. April.

1. April. Gubbenam;

§. 13. Interim Stalhantschius Gubbenam, quam quatuor equitum, quinque dragonum turmæ cum ducentis peditibus insidebant, post vim acriter illatam repulsamque subigit hac lege, ut superioribus ductoribus abeundi facultas daretur, inferiores arbitrio se ipsius traderent. Ex quibus, qui antea Succicam militiam secuti erant, ad vetera signa redibant: reliqui equis ademtis dimissi. Apud Soraviam idem cum suis Torstensonio jungitur. Soraviam centurio insidebat cum centum viginti peditibus, qui arma sumere abnuentibus oppidanis in arcem se confert, quam sequenti die dedit. Centurio ille, quia ex pacto milites quosdam Succicos non tradiderat, in custodiam cum suis datur. Saganum inde proceditur ab hoste desertum. Præmittebatur cum majore parte equitatus Wittenbergius, ut Glogoviam majorem eminus cingeret: reliquus exercitus mox insequitur. Oppidum operibus & milite sat firmatum post adventum Succici exercitus ducenti pedites ingressi erant, quod tumidus aquis Odera à Suecis non statim transiri posset, ut ex illa parte oppidum nondum circumsessum foret. Dum obsidio omnia parantur, intelligit Torstensonius à Lauenburgico copias contrahi oppido liberando; & exigua annonæ copia erat, ut exercitus eo loco diu ali non posset. Igitur amputandis moris placebat ex omni parte assultum dare. Impressio ita acriter suscepta, ut nulla licet ruina edita, Basilica primum trans Oderam, inde ipsum oppidum primo imperu expugnaretur, exigua Succici militis jactura. Præsidiariorum pars cæsi, reliqui cum præfecto Augusto Mauritio Rothavio tribuno, & aliis ductoribus captivi facti. In oppido magna vis frumenti, ac paratus bellici, ac quindecim tormenta ænea inventa. Oppidum, antequam efferatus miles sedari posset, direptum; quo tumultu ignis templumcum octodecim domibus absumsit. Interim in alteram Oderæ ripam quindecim equitum alæ non sine labore traductæ erant; & quia fama ferebat, eo ipso die, quo oppidum expugnabatur, Lauenburgicum ad succurrendum

16. April. 17. April. Soraviam; 18. April. Saganum; 19. April. 21. April. Glogoviam majorem. 24. April.

1642. rendum ſuis adventare, Schutzius ſubtribunus cum ducentis quinquaginta equitibus Hundeslocum verſus exploratum præmittitur; qui primo in quinquaginta pedites incidit, quos partim cædit, partim capit. Inde & centum octoginta equites promigat capto qui eos ducebat ſubtribuno: de adventu majorum copiarum nihil audiebatur. Unde Curam; Kœnigsmarckius cum quindecim illis alis Guram pergit, quam altero aſſultu expugnat, cæſis omnibus qui in armis reperti erant. In citeriore Oderæ ripa Stalhantſchius ab exercitu digreſſus Sprottoviam & Freiſtadium in poteſtatem redigit, præſidiariis citra exceptionem ſe dedentibus. Torſtenſonius cum Glogoviæ validum præſidium ſub Neurotho tribuno impoſuiſſet, Oderam ibi transgreſſus verſus ſuperiorem Sileſiam pedem infert, ut hoſtem cominus urgeret, & quod his oris omnia eſſent vaſtata. Wolavia machinis ſtatim verberata. Unde qui oppido præerat excubiarum præfectus Falckenbergius ſuper deditione agere cœpit. Sed cum defenſionem præmature omiſiſſet, Succicus miles per portam, aut ruinam mœnium irrumpit pacto nondum abſoluto. Ita ductores captivitatem ſubiere; gregarii Succicis legionibus admixti. Duæ cohortes erant, dragonum una, peditum altera cum aliquot equitibus. Dracheberga inde & Militſchia expugnata, ne à tergo relictæ inter exercituni & Glogoviam commeantes infeſtarent. Et Drachenberga quidem poſt paucos tormentorum ictus deditionem fecit. Ductores capti, gregarii ſacramento Succorum adacti. Citius opinione res confecta eſt, quod præſidiarius inter ſe diſcors, præmature defenſionem loci non invalidi deſereret. Ad Leubuſam Odera vado iterum transitur. Parchvvitza arx ſine exceptione deditur. Ligniciam catervæ equitum circumſultant quidem; ſed tunc prævalidi oppidi obſidio ſe implicare conſultum non vitum. Igitur omiſſo iſto Jauram itur, ex qua optio cum quinquaginta peditibus profugus Strigaviam ſe contulerat. Id oppidum admotis machinis ſtatim deditur; ac centurio cum centum quinquaginta peditibus dimittitur, quadraginta equites, qui exploratum miſſi forte in oppido deprehendebantur, equis multantur. Schvveidniciam in poteſtatem utique redigere placebat opportuno ſitu ad coercendas è montanis arcibus excurſiones, & infeſtandis Bohemiæ finibus, & quæ ſpeculæ vice eſſet obſervandis, ſi quæ ex Mitnia aut Bohemia ſubmitterentur, auxiliis. Sed & annona quærebatur exercitui, in quo omnibus circum vaſtatis plerique panem aliquot per dies non acceperant. Oppido tres tantum cohortes inerant Burreo ſubtribuno; minor numerus, quam pro tuendis latioribus operibus. Igitur ſtatim Kœnigsmarckius primo cum agmine præcurrere jubetur prohibiturus, ne quid copiarum amplius, oppido immitteretur.

§. 14. Cæſarei ſub Lauenburgico Duce tarde in hiberna conceſſerant, ac late tota regione diſperſi agebant. Unde dum lente iterum coëunt, Succis occaſio naſcebatur res ſuas in Sileſia magis quam unquam antea firmandi. Tandem Dux contractis legionibus inter Wratislaviam & Weidam conſederat, omnibus circum acceſſibus munitis, ut non prius in Succos moturus videretur, quam Piccolominei copiæ adeſſent, quarum pars jam advenerat, reliquæ propediem expectabantur. Siſtendis tamen illorum progreſſibus conſtituerat Schvveidniciæ plus militum & annonæ immittere, quod ipſe maxima cum equitatus parte deducturus erat. Interceperant ea nocte tres Wratislavienſes cives Succi, qui nuntiabant, vidiſſe ſe hoſtem apud urbem decem cum legionibus flumine ſuperato huc tendere. Unde ſtatim Kœnigsmarckius monetur, ut ſibi caveat; & VVittenbergius cum ſuo cornu ut propius iſtum ſubeat jubetur, quo ſibi invicem auxilium ferre poſſint. Poſtero die Torſtenſonio à Kœnigsmarckio nuntius venit, Lauenburgicum cum univerſo equitatu, tribus tantum legionibus exceptis, quingentis inſuper dimachis, & quatuor tormentis magna diligentia Schvveidniciam verſus iter facere. Igitur & ipſe toto cū exercitu quantum poteſt, eodem accelerat, ut hoſtem præverteret; ita felici cum ſucceſſu, ut cum copiis ſuis ad oppidum conſiſteret, cum jam ad quadrantem miliaris Lauenburgicus ſuggreſſus eſſet. Igitur dux Succicus poſtquam validis ſtationibus aditus, qui ad oppidum ferebant, ſepſiſſet, gravioribus machinis & impedimentis relictis, quibus tuendis duæ peditum phalanges, tex equitum alæ adſtitebant, cum reliquo exercitu hoſti obviam tendit, præmiſſa equitum manu, quæ iſtum laceſſeret & moraretur, ne abſque prælio pedem referre poſſet. Lauenburgicus huc ſe redactum videns, ut aut pugna eſſet committenda, aut confuſis ordinibus abeundum, cum equitatu ſuo ſub radicibus montis, cui Zotenbergæ vocabulum, conſiſtit. Succi cominus ſubeuntes tela emiſerunt. Primam impreſſionem ſuſtinebat ſiniſtrum hoſtium cornu; ſed cum reliquæ turmæ turbare inciperent, omnes repente terga vertunt, ac turbatis ordinibus in fugam effunduntur. Quos Succi divertis viis ad quinque miliaria perſequuntur, plurimis cæſis captisque. Adjuvit fugientes nullis anguſtiis impedita, ac tenui ſylva obſita planities. Inter captivos erat ipſe Dux graviter ſaucius, Hanovius ſummus excubiarum præfectus, Warlofskius tribunus, ſubtribunus Knochius, quinque vigiliarum, novem turmarum præfecti, duo centuriones, aliorum ductorum ſeptuaginta amplius, gregariorum præter eos, qui ſtatim lignis Succorum ſuccedebant, undecim centuriæ. Potiebantur quoque Succi quatuordecim vexillis, quatuor tormentis; exigua ſuorum jactura, niſi quod Munchuſius tribunus brachium ſauciatus foret. Hoſtis ter mille amplius equites deſiderabat. Sed maximum erat in ipſo Duce capto momentum, penes quem ſumma rei illis in oris cura: quo ex vulneribus decedente tela conſiliorum ab Arnheimio cœpta in irritum cadebat. Corpus exanime gratis remiſſum, facili & decora adverſus hoſtem liberalitate. Ex inventis apud eum ſcriptis cognoſcebatur, quæ deſtinata animo agitaverat, & quantam molem belli in Succos excitaturus fuerat, ni caſus hic eum interceſſiſſet. Judicabant periti, extremo tempore graviter ipſum peccaſſe, quod Glogoviam validiore præſidio non firmaſſet, & ſolo cum equitatu acceſſiſſet hoſte tam propinquo. Nec parum ipſius militis ignavia increpabatur.

§. 15. Hac victoria parta Torſtenſonius ad Schvveidniciam regreſſus omnem vim admovet, Burreo deditionem adſpernante; donec ruina mœnium edita, & parato aſſultu, ignibus quoque & ſaxis volitantibus, oppidani præfecto diſcordes elato albo vexillo deditioni ſe paratos oſtenderunt. Ita fracta Burrei pertinacia, qui per ipſam ruinam ad Torſtenſonium deſcendere cogebatur, ob importunam ferociam ſtatim in cuſtodiam datus. Præſidiarii, quorum tres centuriæ, traditis vexillis, plerique Succorum ſacramento acceſſere. Equites quinquaginta militiam abnuentes ademtis equis dimiſſi. Exercitus hinc Neiſſæ admovetur. Sed quia nuntiabatur, reliquas Lauenburgici copias, quibus Fernamondus & Bornevallius imperabant, ad VVratislaviam caſtris deſertis per Troppaviam in Moraviam tendere, Cæſareis in Bohemia jungendas; Torſtenſonius ſtatim Reichvvaldum tribunum valida cum manu verſus Kœnigs-

1642.

21. Maji. Idem à Kœnigsmarckio nuntius venit, Lauenburgicum cum univerſo equitatu, tribus tantum legionibus exceptis, quingentis inſuper dimachis, & quatuor tormentis magna diligentia Schvveidniciam verſus iter facere. Igitur & ipſe toto cū exercitu quantum poteſt, eodem accelerat, ut hoſtem præverteret; ita felici cum ſucceſſu, ut cum copiis ſuis ad oppidum conſiſteret, cum jam ad quadrantem miliaris Lauenburgicus ſuggreſſus eſſet. Igitur dux Succicus poſtquam validis ſtationibus aditus, qui ad oppidum ferebant, ſepſiſſet, gravioribus machinis & impedimentis relictis, quibus tuendis duæ peditum phalanges, tex equitum alæ adſtitebant, cum reliquo exercitu hoſti obviam tendit, præmiſſa equitum manu, quæ iſtum laceſſeret & moraretur, ne abſque prælio pedem referre poſſet. Lauenburgicus huc ſe redactum videns, ut aut pugna eſſet committenda, aut confuſis ordinibus abeundum, cum equitatu ſuo ſub radicibus montis, cui Zotenbergæ vocabulum, conſiſtit. Succi cominus ſubeuntes tela emiſerunt. Primam impreſſionem ſuſtinebat ſiniſtrum hoſtium cornu; ſed cum reliquæ turmæ turbare inciperent, omnes repente terga vertunt, ac turbatis ordinibus in fugam effunduntur. Quos Succi divertis viis ad quinque miliaria perſequuntur, plurimis cæſis captisque. Adjuvit fugientes nullis anguſtiis impedita, ac tenui ſylva obſita planities. Inter captivos erat ipſe Dux graviter ſaucius, Hanovius ſummus excubiarum præfectus, Warlofskius tribunus, ſubtribunus Knochius, quinque vigiliarum, novem turmarum præfecti, duo centuriones, aliorum ductorum ſeptuaginta amplius, gregariorum præter eos, qui ſtatim lignis Succorum ſuccedebant, undecim centuriæ. Potiebantur quoque Succi quatuordecim vexillis, quatuor tormentis; exigua ſuorum jactura, niſi quod Munchuſius tribunus brachium ſauciatus foret. Hoſtis ter mille amplius equites deſiderabat. Sed maximum erat in ipſo Duce capto momentum, penes quem ſumma rei illis in oris cura: quo ex vulneribus decedente tela conſiliorum ab Arnheimio cœpta in irritum cadebat. Corpus exanime gratis remiſſum, facili & decora adverſus hoſtem liberalitate. Ex inventis apud eum ſcriptis cognoſcebatur, quæ deſtinata animo agitaverat, & quantam molem belli in Succos excitaturus fuerat, ni caſus hic eum interceſſiſſet. Judicabant periti, extremo tempore graviter ipſum peccaſſe, quod Glogoviam validiore præſidio non firmaſſet, & ſolo cum equitatu acceſſiſſet hoſte tam propinquo. Nec parum ipſius militis ignavia increpabatur.

Idem præfligatur & capitur.

Idem moritur. 31. Maji.

§. 15. Hac victoria parta Torſtenſonius ad Schvveidniciam regreſſus omnem vim admovet, Burreo deditionem adſpernante; donec ruina mœnium edita, & parato aſſultu, ignibus quoque & ſaxis volitantibus, oppidani præfecto diſcordes elato albo vexillo deditioni ſe paratos oſtenderunt. Ita fracta Burrei pertinacia, qui per ipſam ruinam ad Torſtenſonium deſcendere cogebatur, ob importunam ferociam ſtatim in cuſtodiam datus. Præſidiarii, quorum tres centuriæ, traditis vexillis, plerique Succorum ſacramento acceſſere. Equites quinquaginta militiam abnuentes ademtis equis dimiſſi. Exercitus hinc Neiſſæ admovetur. Sed quia nuntiabatur, reliquas Lauenburgici copias, quibus Fernamondus & Bornevallius imperabant, ad VVratislaviam caſtris deſertis per Troppaviam in Moraviam tendere, Cæſareis in Bohemia jungendas; Torſtenſonius ſtatim Reichvvaldum tribunum valida cum manu verſus Kœnigs-

Schvveidnicia capitur. 24. Maji.

27. Maji. Torſtenſonius Cæſareos fruſtra inſequitur.

Franciſcus Albertus Dux Lauenburgicus Schvveidniciæ ſuccurrere conatur.

Schvveidnicia obſidetur.

20. Maji.

Strigaviam,

Jauram;

19. Maji.

Parchvvitzam;

14. Maji.

Militſchiam;

Drachenbergam;

13. Maji.

Wolaviam;

6. Maji.

Freiſtadium;

Sprottoviam;

Heinſtadium;

1642. nigsgræciam mittit. Major peditatus pars cum aliquot equitum alis ſub Lilliehœckio, & Mortaiguio ad Neiſſæ obſidium continuandum relinquitur. Ipſe cum reliquis copiis hoſtem propere inſequitur. Reichvvaldus re infecta redibat, Torſtenſonius quantum poſſet feſtinans præter Troppaviam intactam curſum Hoſam intendit. Sed hoſtis aſperos ad ſiniſtram montes ingreſſus ſequentis impetum eludebat. Nam eo penetrare haut tutum erat equitatu deſeſſo, & modica peditum manu, hoſte jam longius progreſſo. Immiſſæ tamen expeditæ catervæ paucos interceperunt. Quos inter Helmoldus Wrangelius Rebbeckii legionem pedeſtrem trecentorum capitum apud Sternbergam oppreſſit, & gregariis plerisque caſis, ductores & alios, queis ferrum pepercerat, captivos abduxit. Recta inde Olmucium Moraviæ tendit Torſtenſonius, quod tenuiore præſidio, quam pro ſpatii captu

31. Maji. inteſſum cognoverat. Cum propius acceſſiſſet, nuntiatur, ordines provinciales, qui in oppido congregati fuerant ſimul opulentiſſimos civium pretioſis rebus convaſatis Auſtriam verſus fugam arripuiſſe. Ad quos perſequendos cum centum quinquaginta equitibus mittitur Rochovius ſubtribunus, qui iſtos quinto ab Olmucio milliari aſſecutus erat, ni è montibus Bohemicis prorumpens Madelovius tribunus eos conatus diſturbaſſet ipſo Rochovio capto. Helmoldus tamen Wrangelius à priore excurſione redux cum trecentis equitibus ad ſextum Vienna milliare progreſſus multos inſignes viros

Idem Olmucium capit. intercipit, opimaque præda potitur. Cæterum Olmucium tuebatur Miniarus tribunus cum octo centuriis à Crocovio recens conſcriptis præter oppidanos. Torſtenſonius cum exercitu accedens ſuburbio capto ſtationes equitum circa diſponere; peditesque propius ſubire, machinis fulminare. Heic

1. Jun. Plantingius ſubtribunus, dum acceſſus ad oppidum communis luſtrat, globo trajectus occumbit, ob virturem ſuis multum deſideratus. Quinquam

4. Jun. 5. Jun. autem Torſtenſonio ſat peditum non eſſet ad vim faciendam; obſeſſi tamen quarto die deditionem pacti ſequenti Brinam deducuntur. Oppido validum præſidium imponitur ſub Georgio Paiculio tribuno, cui Hammerſtemius tribunus, & Wanckius adjungitur; tum omnia providentur, quæ ad vim ſuſtinendam facerent; quod ſummam belli hac in provincia in id oppidum conferre decreviſſet. Olmucio capto Kœnigsmarckius Littam &

& Littam ac Neuſtadium Moraviæ. Neuſtadium Moraviæ occupat. Littæ modicum præſidium impoſitum parum valido oppido; cujus præfecto injungitur, ut ſi vis major ingrueret, Neuſtadium ilta deſerta ſe reciperet.

§. 16. Torſtenſonius hinc è Moravia ad relictas in Sileſia copias regreditur tentaturus, num reliqua ad Oderam loca in poteſtatem redigere poſſet, ne qua hoſtilia præſidia à tergo relinquerentur. In itinere Troppavia milite vacua Suecos ultro admittit. Interea Lilliehœckius Niſſam

Lilliehœckius Niſſam capit. 6. Jun. egregie munitam ad deditionem compulerat; cujus præfectus Wachenheimius tribunus cum paucis ſuis peditibus Pragam dimiſſus. Sed ſubtribunus legionis Borrianæ, quod legibus pacti non exacte ſatisfeciſſet, detentis quibuſdam qui antea Suecis militaverant, cum ductoribus in cuſtodiam datus; legio Suecicis cohortibus admixta. Apud Coſelam Torſtenſonius Lilliehœckio iterum jungitur. Id oppidum impetu expugnatur; arx citra exceptionem ſe dedit; cujus præfectus Ungarus tribunus in captivitatem redigitur. Inde mox fide de revertendo data dimiſſus, promiſſi incurioſus arma adverſus Suecos iterum exercuit. Munimenta tam oppido quam arci detracta. Oppela mox poſt editam mœnium ruinam aſſultu capitur, præſidiariis in arcem re-

Oppela expugnata. fugientibus. Trecenti dimachæ erant, qui poſt biduum citra exceptionem ſe dedunt, ac ad Suecorum militiam tranſeunt. Briegam inde operibus & præſidio munitiſſimam, cui Mœderus tribunus præerat, Torſtenſonius aggreditur, ut Wratislaviam in anguſtum redactam vel in partes pertraheret, vel ad neutralitatem permoveret. Quam urbem etiam per literas tentaverat; ſed quæ oſtentata in Cæſarem fide omnia pacta adſpernabatur; ferociam tamen exuitura credebatur poſt Briegam expugnatam, nec Ligniciam moram amplius facturam. Hoc modo Pomeraniæ ſecuritati cumprimis cavebatur, & ſtabilis bello ſedes intra hæreditarias Cæſaris provincias ponebatur. Enimvero apud Briegam pugna aſperrima ſurgebat. Sueci munimentum exterius ex-

30. Jun. pugnaverant, & promoto ad foſſam gradu cuniculorum opera eandem impletum ibant. Contra obſeſſi acriter reniti, & cum numero pollerent, (mille quingenti erant, veteranus miles) crebris eruptionibus obſeſſos fatigare; pertracto inter cæteros in oppidum ſubtribuno Antonio. Multi quotidie tam ductores, quam gregarii cadebant. Sauciabantur inter alios Mortaignius ſummus vigiliarum præfectus, Conradus Oppelius ſummus metator, Roſencrantzius, Simon Grundelius. Et quia robur peditatus, & egregios duces Torſtenſonius per occupata loca diſtribuerat, pauci ſupererant, qui in curarum partem ſubirent. Nec minus equos gravis morbus infeſtabat, quorum decem millia, ex quo tempore ab Albi exercitus diſceſſerat, procubuerant. Et quanquam plurimi per Moraviam & ſuperiorem Sileſiam equi interciperentur, illi tamen in privatos uſus cedebant exiguo in publicum emolumento. Et qui equis carebant, palantes prædam malebant agere; quam in caſtris munia obire. Ita magnis impiicitus difficultatibus hærere Torſtenſonius. Quibus tollendis pecuniam mitti poſtulabat cum adparatu bellico & tormentis ad firmanda adverſus obſidiones oppida. Tum ut ſupplementa militum è Suecia, (duo equitum, ſex peditum millia trecenti expectabantur,) venire properarent, quo hoſti tota mole ingruenti par foret. Et quia ſub autumnum ſoliti ſibi morbi impetum metuebat, miſſionem ſuam, & ut alius exercitui præficeretur, à Regina petebat. Cæterum ma-

14. Jul. gna militis Suecici cum jactura jam Briega ad extremum redacta videbatur, & ſegnius ex oppido, nulla amplius ex arce tela emittebantur. Et cognoſcebatur poſt intra biduum obſeſſos deditionem fuiſſe facturos.

Cæſarei Briegæ ſubvenire unt. §. 17. Enimvero Cæſar ad ſiſtendos Suecorum ſucceſſus omnes vires exciebat. Contraxerat apud Brinam Piccolomineus, qui è Lauenburgici exercitu ſupererant; è Bohemia copias adduxerat Bucheimius Comes; quæ in Belgium deſtinabantur legiones revocantur; ex Hungaria quoque auxilia aderant. Cæſareum exercitum duodecim equitum millia, in ſeptuaginta quinque alas diſtributa, præter Croatas, & octo peditum millia explebant. Cum Torſtenſonio quadraginta octo tantum equitum alæ eſſent, nec ultra quater mille pedites in aciem educi poſſent; quod Briegæ obſidium plurimos abſumſiſſet, & Glogoviæ Olmucioque quinque millia præſidio impoſita forent. Jamque Leopoldus Archidux cum Piccolomineo Brina movebant, ut Briegæ ſuccurrerent. Primum agmen cis ſylvam adproperabat, ut Slangium tribunum cum ſua legione Troppaviæ interciperet. Quem ſe recipientem ad quartum uſque à Suecicis caſtris milliare perſecutus fuerat hoſtis, non paucis interceptis. Torſtenſonius, hoſte numero in tantum prævalente, haut conſultum judicabat ſummam rerum ancipiti aleæ exponere, præſertim

1642. cum propediem auxilia è Suecia expectaret, & injunctum sibi esset caute agere, & ante omnia exercitus conservationem præ oculis habere. Igitur quo intempestivum prælium declinaret, soluto Briegæ obsidio, Oderam vado transit; qui tamen mox ira aquis tumescebat, ut eo loco transitus non amplius pateret. Hinc per Bernstadium & Oelsam Guram recedit, ut ab auxiliis adventantibus propius abesset, nec quo minus cum istis conjungeretur, prohiberi posset. Olmucium interim, arx Oppelensis, & Schvveidnicia validis præsidiis tenebantur. Sed Neissa, quæ numerosum nimis militem requirebat adversus hostem & infensos partibus oppidanos, destructis portis turribusque, defensioni inutilis reddebatur.

Torstensonius obsidium solvit. 15. Jul.

Cæsarei Suecos sequuntur.

§. 18. Ast Cæsarei, qui Olmucium tribus equitum legionibus, & selectorum provincialium manu eminus circumstellum reliquerant, validas aliquot catervis frustra ad carpendum abeuntium agmen immissis, parvis itineribus secundum Oderam descendebant, extructo apud Wratislaviam ponte. Nec aliter judicabat Torstensonius, quam istos propius suggressos prælio ipsum lacessituros, aut in angustias redacturos. Sane omnes captivi referebant, Archiducem prælio paratum venire. Igitur apud Guram subsistebat Torstensonius, quoad de istius conatibus certiora intelligeret; pro re nata tamen circa Glogoviam, aut alibi ad Oderam stationem capturus, quoad subsidio missus è Suecia miles adveniret. Dum ad Guram hæret exercitus Suchius tribunus in Poloniam, hinc ad Cæsareos transfugit, quod de Stalhantschio, dum is solus in Silesia rem gerit, multa sinistra ad primarium exercitum scripsisset. Id quod cum Stalhantschius resciscerat, comprehensum in jus vocat. Archidux benigne exceptum statim pecunia ad scribendam legionem instruit.

23. Jul.

Suchius ad Cæsareos transfugit.

§. 19. Cæterum quia in Saxonia novam flammam excitarum ibat Conradus Bertramus Pfullius cum sociis, qui novis delectibus, ac ut Luneburgicis exautoratos sibi adsciscerat, operam dabat, Torstensonius Kœnigsmarckium in Misniam, Thuringiam & Saxoniam mittit istis turbis mature opprimendis. Additur ipsi modica manus, quam è præsidiis per istas oras, & per novos delectus, qui mire ipsi succedere solebant, auctus erat. Injunctum, ut quantum possit istum tractum, inprimis Augusti Ducis Brunsuicensis ditionem tributis subjiceret, quod hic multis modis infensum se exhibuerat, præcipuus autor Luneburgicis ad deferendam Suecorum societatem. Reliquis tamen Luneburgicis Ducibus, si liberum ipsi transitum concederent, nec ab se exautoratos militia Suecica arcerent, & de cætero amicos se exhiberent, nihil molestiæ inferret. Kœnigsmarckio vix digresso Croatarum caterva usque sub Suecorum stationem succedebat; ac nuntiabatur, hostem in altera Oderæ ripa Parchvvitzam usque progressum, ac Steinaviæ flumen ponte navali jungere. Torstensonio diutius Guræ subsistere jam ante molestum erat, regione circum & retro plane exhausta; ac à fronte hostis valido cum equitatu imminebat. Tum metus accedebat, ne hic catervis suis ipsum cis Oderam distringeret; interim ex altera ripa Glogovia præterita Crosnam modice munitam raptim opprimeret, ac medius inter ipsum ac mare interpositus venientia auxilia accessu excluderet. Nec deerant, qui asseverarent, hosti de transitu Custrini concedendo cautum esse; quo casu huic aditus in Pomeraniam pandebatur, communicatione cum ea provincia Suecico duci intercepta. Quod si hostis recta in ipsum tenderet, præsio nunc impar forte ad intempestivum receptum compellendus erat. Unde satius habebat maturo in tutiora receptu conatus hostium antevertere. Ita Gura movens præter Glogoviam in ripa Oderæ Polonica per Zullicham, Crosnam proficiscitur, ibique transmisso fluvio, ac ulterius apud Gubbenam retro Neissam fluvium concedit, & qua hic Oderæ miscetur castris locum capit. Sic frontem ipsius Neissa tegebat; à latere Lusatia pabulationi patebat; à tergo auxiliis tutus accessus muniebatur. Quod si Lusatia non sufficiente è Marchia quid petendum esset, id salvis induciarum legibus, quæ necessitatem & rationem belli exceperant, fieri poterat. Ast Cæsarei Parchvvitza recuperata Steinaviam moverant, tota provincia nullum non immanitatis ac libidinis genus velut in hostico exercentes. Inde ad oppugnandam Glogoviam majorem vertuntur; quos Suecі crebris excursionibus inquietabant. Inter alia Slangius tribunus cum quatuordecim alis Freistadium usque progressus, Bruæum Comitem cum aliquot legionibus ibi in suburbiis hospitantem deprehendit, ac injecto tectis igne multos cædit, tribunum Heisterum, tresque turmarum præfectos cum multis aliis captos abducit. Partem tamen suburbii defendebat Bruæus; & quia Slangius intelligebat, dextrum hostium cornu non procul abesse, haut diu moratus incolumis in castra revertit.

30. Jul.

3. Aug.

4. Aug.

16. Aug.

Cæsarei Glogoviam obsident.

§. 20. Cæsarei porro apud Glogoviam uno tantum loco juxta flumen accessus agebant. Basilicam trans Oderam plane intactam relinquebant, nisi quod validæ catervæ noctu diuque subjectos campos persultarent; magno obsessis levamento, qui totas vires ad tuendum oppidum conferre poterant. Hi ab initio crebris eruptionibus hosti non parum damni dederant, quoad ita caute huc procederet, ut per eruptiones noceri ipsi amplius non posset. Inde tormentis obsessi quantum possent subeuntes infestabant, simul omnia repellendis assultibus adornabant. Semel jam hostis ad impetum dandum copias disposuerat; sed animadverso, apud obsessos omnia ad vim excipiendam parata, suis receptui signum dabat. Interim complura navigia adducebantur, ratesque struebantur, quibus à latere, quod flumen alluit, vis fieret; & quicquid obsessi obniterentur per arenosum solum accessus facile ad fossam procedebant, quæ quod aquis careret, facilem aditum ad radices valli præbebat. Nec dubium erat, quin hostis omni ex parte assultum tentaturus esset ad oppidum, quod in utramque partem tanti momenti, erat. Torstensonio, qui toto animo in id liberandum ferebatur, nihil præter auxilia è Suecia deerant, quorum mora res prope extremum periculum pervenerat. Adpulerant tandem quatuor peditum millia è Suecia, Carolo Gustavo Wrangelio deducente; sed equitum duæ tantum turmæ portum adhuc tenere poterant. Hæc manus primo Greiffenhagam progrediebatur, cæteros qui sequebantur expectatura. Sed urgentibus à Torstensonio nuntiis transmisso apud Gartzium Odera Suetam, inde præter Francofurtum ad exercitum properant. Torstensonio primum placuerat per ripam Polonicam ad liberandum oppidum tendere, quod exercitus hostilis citra fluvium altioribus locis consisteret; nec ipsius accessum impedire posset, ni soluto obsidio, & deserta loci opportunitate trans flumen obviam ipsi procederet. Quo facto ipse scopo suo potitus erat; & prælii committendi necessitatem facile declinare licebat. Simul auxiliis, quæ via Landsbergensi expectabantur, eo securiorem accessum fore, si forte hostis in Sternbergensi districtu occurrere istis vellet. Sed cum hæc per citeriorem ripam præter Francofurtum

Auxilia à Suecia adveniunt. 17. Jul.

18. Aug. Torstensonius ad liberandam Glogoviam se movet.

1642. tum breviore via adventare audiret, in eadem ripa consistere placebat; metuens quoque, ne per
24. Aug. longiores moras oppidum amitteretur. Ita cum Wrangelius Francofurtum attigisse nuntiaretur, motis castris Crotnam procedit certus prælio confligere, cujus & miles cupidus erat. Nec major equitum numerus timebatur, quod illi conflictu ad Schvveidniciam animo debilitati, reliqui recens
26. Aug. collecti judicarentur. Lissæ Wrangelius cum auxiliis Torstensonio jungitur. Unde per Grunbergam & Wartenbergam Neusaltzam proceditur; ubi aciem disponebat Torstensonius, suo cuique loco assignato. Cum nuntiaretur novem alas hostilium equitum circa Beutenam consistere, missus cum sinistro cornu Slangius sub castra usque hostium eos insequebatur. Pervenerat jam Torstensonius ad alterum à Glogovia milliare: sed nec hostis munitis quæ insederat locis se movebat, nec intra illa citra periculum invadi poterat. Et quanquam inter velitandum Piccolo-
30. Aug. mineus per tubicinem Hæckingio tribuno denuntiaverat, se crastino die in loca æqua descensurum, ac prælio certaturum; tamen aliis ex indiciis haut colligebatur serio id ipsum velle. Unde Torstensonius ut eo tutius ad oppidum penetraret, in alteram ripam transire constituit, qua hostis nullos accessus egerat, nec locorum opportuni-
29. Aug. tate juvabatur. Eo die vada late explorantur; nec tamen inveniebatur, quo machinæ transvehi possent. Sed insequenti nocte adpulsu mobilium are-
30. Aug. natum uno milliari supra Beutenam vadum adparebat, quo quinque intra horas totus exercitus cum machinis & impedimentis ita celeriter transit, ut hostis eum motum vix sentiret. Obortis tenebris ad octavam milliaris partem à Glogovia Succi silentio consistebant. Observatum fuit dimidia post hora, quam exercitus transgressus esset, arenis dilabentibus vadum eo loco desisse, ut ne eques quidem amplius ibidem transire posset. Cæsarei hoc animadverso, statim desertis accessibus & flumine, in castra locis altioribus sita ita celeriter se recipiunt, ut licet Torstensonius cum aliquot turmis per oppidum adproperaret, neminem amplius deprehenderet; & in celliora loca eniti rationis non erat. Ita orta luce Lubenam Cæsarei digrediuntur, mille ducentis eo obsidio desideratis.

Glogoviæ obsidium solvitur.

Reliqua auxilia adveniunt.

§. 21. Torstensonius apud Glogoviam in ripa Polonica suis quierem concedebat, quoad equitatus è Suecia missus adesset; quod hostis eo virium genere prævaleret, qui & insuper tria Hungarorum millia, & quæ Olmuciam circumsidebant
9. Sept. legiones evocabat. Postquam cum isto equitatu Axelius Lilius adesset, Torstensonius statim motis castris per Glogoviam in citeriorem ripam transit, Heinzendorfum arcem Glogovienſi præsidio infestam occupaturus; inde Schvveidniciæ provisurus, & si occasio detur prælium commissurus. Glogoviæ Neurothus relictus, qui per obsidium rem bene gesserat, cum idoneo peditum numero & centum equitibus; reliqui in expeditionem educuntur. Heinzendorfum postera die citra exceptio-
11. Sept. Heinzendorfum destruitur. nem se dedit; & quia præsidio id tenere superfluum visum, munimentis dejectis tecta igne absumuntur. Boleslavia inflammatur. Boleslaviam hinc itur, quam centurio cum centum peditibus insidebat. Cum oppidani arma caperent, Torstensonius ignes injici jubet, queis oppidum in cineres redactum. Miles irrumpens quæ poterat diripiebat. Præsidiarii in arcem refugerant. Sed cum Torstensonius intelligeret Leopoldum, qui ad latus incedebat, Lembergam tendere, ut ipsum præverteret, haut operæ pretium ducebat arci oppugnandæ tempus impendere. Igitur statim Lem-
14. Sept. bergam properatum, ubi aliquot Cæsareorum catervæ se ostendebant, quibuscum velitatio commissa. Sed prævertebat Torstensonius, omnibus circa montibus & opportunis situ locis præreptis. Cæsarei sesquimilliari inde Lehnæ consistebant. Et quanquam sequente luce aliquot alæ accede-
15. Sept. rent; tamen cum interim Lemberga, quam centum viginti dragones tuebantur, allultu capta esset, plerisque cæsis, ac Cæsareæ turmæ recederent, nihil tunc amplius gestum. Archidux Schmied-
16. Sept. bergam, Torstensonius Laubam tendebat, ut suis de pane prospiceret, simul hostem circa destinata sua incertum redderet. Laubæ triginta Saxonici desultores intercipiebantur. Hinc Torstensonius per viam, quæ Gœrlicium fert, milliare unum progressus, mox converso itinere ad turrim prope Fridlandam succedit. Nam quia Archidux Frid-
18. Sept. bergam verterat, suspicio erat, cum præter hoc oppidum in Bohemiam iturum. Id quod Torstensonius impedire, simul ad prælium eundem compellere cupiebat, invitante ratione belli, & loci opportunitate. Unde sequenti die fluentum ad Fridlandam
19. Sept. transgressus celsioribus locis aciem explicabat. Cæsarei propius suggressi illo ipso vico, quo proxima nocte Succi egerant, considebant. Per biduum ibi præter modicas velitationes nihil gestum, queis inter alios è Cæsareis Sperreuteri subtribunus, è Succicis Brinckius tribunus occubuit. Torstensonius
22. Sept. inde Zittaviam accedebat; Leopoldus postero die
23. Sept. insequebatur, dimidio abhinc milliari confidens, sine dubio isti oppido subventurus. Unde Torsten-
Zittavia occupatur. sonius propius movens in ipso suburbio stationem capit; ac machinis admotis munimentum exterius occupat. Mox deditio citra pactum facta, & præfectus cum centum viginti prædiariis in captivitatem redactus. Hæc in conspectu Cæsarei exercitus gerebantur. Heic aliquot dies quieti dabat Torstensonius. Cæsarei non procul inde sub Gresensteina arce immoti consistebant; ac videbantur Succis semper à latere incessuri, prohibendæ horum in Bohemiam irruptioni. Inter hæc mutuis excursionibus certabatur memoratu indignis; nisi quod Reichvvaldus tribun⁹ cum aliquot equi-
29. Sept. tum centuriis noctu Croatarum stativa, quæ extra Cæsareorum castra in vico erant, aggressus, incenso vico plurimos eorum interfecit, & subtribunum Palfium Comitem cum aliis ductoribus, & quingentis equis in castra pertraxit.

Conventio⁹ super captivorum redemtione & permutatione.

§. 22. Dum in propinquo hærent exercitus, conventio super omnium captivorum permutatione, & modo lytri in posterum initur, flagitantibus id ductoribus ob incerta belli, præsertim, qui ditionibus Cæsareis oriundi erant. Simul non exigui momenti videbatur, hoc modo avocatoria Cæsaris edicta velut retractari, & oblatam in iis veniam inanem reddi. Illi adornandæ è parte Suecorum congrediebantur Wittenbergius, Mortaignius, Gustavus Otto Steinbeckius, & Duglassius; è Cæsareis Bucheimius Comes, Antonius Webelius, Mislickius, & Ranftius, bini utrinque summi excubiarum præfecti, & tribuni. Sub finem negotii V Vittenbergius Cæsareos deputatos, quibus & alii utrinque se adjunxerant, convivio excepit. Cum inde discedentes hoste Succi modico spatio honoris gratia prosequerentur, Cæsareus tribunus Spiegelius Duglassium lacessere, inde disploto tubo periculosum vulnus pectori infligere. Sed Spiegelium statim tres turmarum præfecti, qui Duglassium comitabantur, multis vulneribus conficiebant. Neque tamen is casus cæteros in rixam pertrahebat. Conventum heic, ut quicquid utrinque captivorum esset, statim permutaretur. Si quis deinceps caperetur, oblato lytro citra moram dimitteretur, ni ratio belli aliquantisper eum detineri suaderet; nec ad mutandam militiam cogeretur. Excipie-

1642. cipiebant Sueci Saxonicos niſi qui nunc ſub Piccolomini ducu capti forent, quoad Elector à ſe captos ita duriter habere deſineret. Circa duces tribunis ſuperiores ſupremis utrinque ducibus ſtatuendi facultas relinquebatur. Cæterum lytrum tribuno ſtatuebantur unciales mille, ſubtribuno quingenti, præfecto excubiarum trecenti, præfecto turmæ ducenti, centurioni centum quinquaginta, optioni quinquaginta, ſignifero quadraginta, metatori triginta. Inferiores ductores equeſtres denis, aut duodenis, pedeſtres octonis aut ſenis taxabantur. Gregario equiti octo unciales, pediti quatuor ſtatuti erant. Qui rem tormentariam curabant,& cæteri heic non expreſſi menſtruo ſtipendio redimendi erant. In hoc lytro muneris tantum militaris, non natalium ratio haberetur, niſi forte ſummi belligerantes in unum aut alterum peculiarem actionem extra belli rationem haberent.

Kœnigsmarckii acta.

§. 23. Alt Kœnigsmarckius Guræ à Torſtenſonio digreſſus Albi apud Pretſcham ſuperato præter Lipſiam in Thuringiam approperat; ubi aſſumtis Erfordiæ trecentis equitibus, ſexaginta dragonibus, & quadringentis peditibus Northuſam invadit, in qua Cæſareus ſubtribunus Columbus legioni conteribendæ operabatur. Is ad deditionem citra exceptionem adactus cum ſex turmarum præfectis, quinque optionibus, totidem ſigniferis Erfordiam mittitur, gregariis trecentis Suecorum militiæ adſcriptis. Duderſtadium & Gleichenſteina arx à ſelectis provincialium inſeſſa ne repugnare quidem audebat. Inde Gandersheimum in Brunſuicenſem agrum concedit, & ei ditioni una cum Halberſtadienſi, & Magdeburgica ſtipendium imperat, conquiſitoribus militum late dimiſſis. Interea hoſtis Cizenſem arcem, cui Kœnigsmarckius centurionem cum quadraginta dimachis impoſuerat, oppugnabat; cui liberandæ hic Gandersheimio in Miſniam advolat. Sed hoſtis duas tantum ante horas præcipitem ſe ſubduxerat, ut nonniſi centum pedites in ipſius manus inciderent. Hinc Naumburgum ſe convertit, ubi Goldackerus tribunus hoſpitabatur, à reliquis copiis ſeclusus. Poſt editam mœnium ruinam aſſultu facto in oppidum perrumpi non potuit. Ita centum quinquaginta ſuorum, partim cæſis, partim fauciatis re infecta inde ſe recepit. Sed præcipuus ipſi labor erat ſeptuaginta alas equitum, duodecim cohortes deſultorum, octo peditum recens conſcribere. Mittebat quoque Laurentium Lindanum ſubtribunum Caſſellas ad Landgraviam ſuper jungendis copiis; de quo ipſa ſpem faciebat: ſimul collecta per Weſtphaliam manus arceſſebatur. Inde hoſtilia ſtativa per Miſniam, Magdeburgicam, Halberſtadienſem præſulatum, & Franconiam pervadere agitabat; hoſti non parum formidatus, quod magnus ad ipſum confluxus militum fieret, & brevi validum equitatum collecturus videretur. Interim aliquot Cæſareæ, & Saxonicæ catervæ pulſabantur. Inter alias ducenti quinquaginta equites Aſcania progreſſi Arnſtedii pabulationi vacabant. Hos Mansfeldæ præfectus onuſtis jam curribus abituros invaſit, & Eichfeldio ſubtribuno cum quadraginta cæſis Calenbergium præfectum equitum cum octo ductoribus, & viginti quinque captivis abduxit. Audierat quoque Kœnigsmarkius turmam equitum centum viginti capitum in finibus Bohemiæ diſtrictu Elnbogenſi hærere. Ad eam oppriimendam caterva mittitur, quæ præfectum turmæ cum quadraginta equitibus captivum abſtrahit, reliquis cæſis.

10. Sept.

Torſtenſonius in Miſniam movet.

§. 24. Torſtenſonius cum neque in Bohemiam penetrare obſiſtente hoſte, nec ad prælium eundem pertrahere poſſet, ac altioribus locis conſiſtentem invadere temerarium eſſet, premente in ſuper inter hoſtilia circum præſidia annonæ ac pabuli inopia, cum hoſti tota retro Bohemia pateret; paulo inferius ad Albim ſe convertere inſtituit, quo exercitui laxius proſpiceret, & Kœnigsmarckium eo tutius ad ſe arceſſeret. Igitur Zittavia movens, quantum anni tempeſtas & moles exercitus ferret, adproperabat, catervis hoſtium continuo à latere incumbentibus. Budiſſina & Camentza præteritur. Haynam Majorem invadere animus erat. Sed cum rumor eſſet, qui falſus dein deprehenſus, hoſtem copiis auctum Camenzam perveniſſe, ut Haynæ ſubveniret ſatius videbatur prehenſo Albi Kœnigsmarckio jungi. Is fluvius apud Torgam ſuperabatur partim ponte, partim vadis hinc inde repertis. Inde Lipſia petebatur, duabus duntaxat cohortibus infeſſa. Et quia nuntiabatur, Goldackerum tribunum, qui cum legione ſua Naumburgi hærebat, ab Electore iſtuc ire juſſum, Helmoldus Wrangelius cum ſex equitum alis eo properare jubetur, ut iſtum acceſſu prohibeat. Goldackerus cum ſe jam Naumburgo Weiſſenfelſam contuliſſet, ingruente hinc Kœnigsmarckio, inde VVrangelio, neque Lipſiam progredi, neque retro Naumburgum vertere poterat. Ita VVeiſſenfelſiæ hærendum erat, quoad audito prælii eventu in Bohemiam ſe ſubduceret. Soyus quoque Baro, qui per Voigtlandiam hoſpitabatur, Cizam uſque progreſſus erat, ut Lipſiæ militem immitteret. Sed Kœnigsmarckius & VVrangelius omnes aditus obſepſerant; & Torſtenſonius totum mox exercitū admovebat, ſpe oppido potiundi, aut ſi hoſtis ſubveniret, prælii occaſionem inventurus; cujus committendi cupid' erat, quod hoſtili exercitu integro ſat idonea ſuis hiberna deeſſent. Stalhantſchio ſummi ducis ſeu Generalis in equitatum dignatio, antehac inuſitatus titulus, confertur, ut ſi quid ipſi & Lilliehœckio accidiſſet, exercitui caput non deeſſet, quoad à Regina alius dux ſummo cum imperio ſufficeretur. Poſt triduum univerſus peditatus circa oppidum diſponitur, velut tota vi aſſultum facturus. Præmittitur præfectus excubiarum cum ſelecta manu ruinam mœnium ad Collegium Paulinum exploraturus. Sed hic mandata ſiniſtre exſecutus alium, quam juſſus erat locum petierat, relictis quoque ſcalis, quæ in foſſam deportandæ erant. Prima hinc phalanx per errorem injuſſu ducis in foſſam ſe penetrabat. Sed ſcalis non repertis, queis exteriorem pomærii murum, antea non conſpectum, ſuperaret, inter continuas obſeſſorum diſploſiones pedem fumare non poterat. Ita re infecta ad acceſſus ſuos ſe recepit, amiſſo Kiliano excubiarum præfecto, & quibuſdam aliis ductoribus, ac ſexaginta gregariis.

1642.

5. Oct.

Lipſiam obſidet.

17. Oct.

20. Oct.

Cæſarei ad liberandam Lipſiam veniunt.

§. 25. Cæſarei interim, quibus Lipſiam liberare quantivis habebatur, Albim tranſierant, quibus Saxo duas adhuc equitum legiones, unam dimacharum, & quingentos pedites addiderat. Eorum adventu nuntiato Torſtenſonius vim adverſus oppidum adhibere omittit, ſtationibus tamen circa obtentis. Sequenti luce Bucheimius Comes cum ſiniſtro cornu equitatus hoſtilis aliquot milliaria reliquum exercitū prægreſſus dicebatur. Unde Torſtenſonius ſub veſperam cum univerſo equitatu caſtris egreditur, illum ſi poſſet invaſurus. Tenebris ingruentibus caterva præmittitur, certius rem exploratura; abs qua interceptus captivus narrat, hoſtem inter VVurcenam & Grimmam ſeſquimilliari abhinc conſiſtere. Igitur Suecicus dux ad peditatum ſe ſuum mature recipit, quid hoſti in animo eſſet ſpeculaturus. Sequenti mane cum hoſtem Lipſiæ paulatim propinquare animadverteret, haut placebat eo quem ceperat loco conſiſtere,

21. Oct.

22. Oct.

1642. ſtere, quod hoc poſitu Lipſiam à tergo, hoſtem à fronte habiturus eſſet. Et quia hactenus hoſtis oblatam pugnæ facultatem aliquoties detrectaverat, ut huic perſuaderetur, Suecos timore correptos ceſſim ire, relicta à tergo Lipſia per anguſtum tranſitum unum milliare cum exercitu recedit. Eas anguſtias dum exercitus ſilatim ſuperat, leves cum præcurſoribus hoſtium velitationes committebantur. Et conabatur hoſtis Carolum Guſtavum VVrangelium, qui cum ſua phalange poſtremus in ſuburbio ſubſtiterat, reliquo exercitu excludere; qui tamen in conſpectu hoſtium poſtremo ſuorum agmini magna cum dexteritate illæſus ſe conjungebat. Archidux numero equitum potior, qui ſexaginta validas alas exceptis Croatis & Hungaris componebant quibus undecim peditum phalanges accedebant, favente inſuper camporum planitie, & quia Guebrianus cum Vinarienſibus propediem ſeſe Suecis juncturus credebatur; Torſtenſonium abſq; prælio dimittendum haut cenſebat. Eoq; hoc recedente, & ipſe mox anguſtiis ſuperatis noctem apud vicum Schuſam exigebat. Summo mane Cæſarei in acie conſiſtebant. Dextri cornu curam ſuſceperat Marchio Hannibal Gonzaga, cujus primam aciem Bruæus Comes alteram Bornevallius ducebat. Siniſtro cornu Bucheimius Comes præerat. Peditatum adminiſtrabat Marchio Camillus Gonzaga, cum Fernamondo, & Antonio VVebelio. Machinas Suiſius Comes curabat. Summam rerum Archidux Leopoldus VVilhelmus & Piccolomineus moderabantur. Torſtenſonius cum videret Cæſareos paulatim apertis campis in ipſum progredi, ſuos quoque in aciem explicatos hoſti obviam ducit. Ejus dextrum cornu Stalhantſchius, & VVittenbergius, ſiniſtrum Kœnigsmarckius & Slangius, peditatum Lilliehœckius cum Carolo Guſtavo VVrangelio & Mortaignio curabant. Poſtremam aciem ad improviſos caſus diſpoſitam Axelius Lilius regebat. Quia autem Cæſarei frontem verſus occidentem; Succi verſus Auſtrum obverterant, ſimul hoſtis ſiniſtrum eorum cornu à latere invadere inſtituebat, Torſtenſonius repente ſuorum aciem circumagit, ut æquata fronte cum hoſte concurrere poſſet.

Leopoldus prælium committere ſtatuit.

Acies Cæſareorum. 23. Oct.

Acies Succorum.

Prælium ad Lipſiam.

§. 26. Ita machinis primo in Cæſareos Succi fulminare cœperunt; illi non ſegniter reſpondent juſto altius primo ejaculati, mox certiore ictu. Globi confertim emiſſi magnam utrinque ſtragem dederunt. Inter alia paulo poſt cœptum prælium globus ut credebatur catenatus ingens rebus Succicis malum minabatur. Idem quippe Torſtenſonii equum retro ephippium dorſo impactus diſcerpebat, abrepta parte exterioris amiculi. Inde Caroli Guſtavi Palatini Comitis, qui poſt Regno Sueciæ potitus eſt, equum vulnere per collum adacto, tum Rabenavii turmæ præfecti equum proſternit, lacerata quoque hujus tunica pellibus ſuffulta. Laurentius Grubbius Conſiliarius medius divellitur; Martino Quaſtio ſcribæ femur aufertur. Iſta ab uno globo. Porro ſiniſtrum Cæſareorum cornu turmis nondum rite explicatis, VVittenbergius cum prima, mox cum ſecunda acie Stalhantſchius irruens, ſtatim turbabat. Equidem aliquot alæ è prima Cæſareorum acie, & duæ vel tres è ſecunda ſat acriter initio reſiſtebant; plerique tamen ſoluris ordinibus in fugam effundebantur, nec præter paucos ad inſtaurandam pugnam permoveri poterant, quantumvis ipſe Archidux ante legiones conſiſtens hortatu, precibus, increpando, demum verbera miſcendo ductores æque ac gregarios ad repetendum certamen excitaret. Pulſo hoſte dextrum Succorum cornu medio campi ſpatio conſiſtebat, ne à reliqua acie nimium avelleretur. Contra ſiniſtrum Succorum cornu primo impetu pellebatur, cæſo inter alios Erico Slangio ſummo excubiarum præfecto. Et impedimenta tantus jam terror afflabat, ut quidam calonum ſolutis à curribus equis aufugerent. Magno tamen ducum labore turbati ordines reparabantur, ſtrenuam inter alios operam navante Carolo Guſtavo Palatino, ut idem cornu denuo acrem in hoſtes impreſſionem faceret. Peditum conflictu phalanx tribuni Danielis Ouvris quæ ſiniſtrum latus primæ aciei claudebat, ab hoſte impellebatur, capto ipſo tribuno. Sed cæteræ legiones utrinque immotæ perſiſtebant poſt conſumtos globos ſariſſis gladiisque rem gerentes, aut inverſis tuborum ſcapis ſe mutuo dedolantes. Sed quia Cæſareus peditatus è ſiniſtro latere fuga equitum nudatus fuerat, Lilliehœckius è ſecunda acie ſubductum Duglaſſium cum quatuor legionibus è transverſo in iſtum ducit. Unde Cæſarei ceſſim ad propinquam ſylvulam ſe recipiebant. Quos ut præverteret Lilliehœckius, eorumque terga invaderet, longius cum aliquot turmis progreſſus in cohortem Leopoldi prætoriam ſuis auxilio ſubmiſſam incidebat, quæ ipſo ingruente poſt foſſam conſtiterat. In hanc dum ipſe cum paucis miniſtris prægreditur, turmæque ita celeriter foſſam tranſire, & manum conſerere haut valerent, iſti magna vi irruentes multis vulneribus cum proſtravere. Interveniebat iſti conflictui Carolus Guſtavus Palatinus, quem qua acerrima pugna ſurgebat, laborantibus ſubſidio ſuus ardor rapiebat; cui Lilliehœckius ad necem tauciun ſe ſentiens, uxorem liberosque commendabat. Lilliehœckius mox ſuſa illa hoſtium manu extra prælii tumultum elatus ad veſperam uſque protracto ſpiritu victoriam ſuorum inter extrema ſolatium mortis habuit. Interea dextrum Succorum cornu, quod medio campo paulilper conſiſtens ſpeculabatur, num è profugo ſiniſtro hoſtium cornu quiſpiam pugnam inſtaurare vellet, in dextrum hoſtium cornu à tergo citato gradu vadit. Unde qui iſto cornu conſtiterant Cæſarei, cum à fronte & tergo hoſtem ſibi imminere cernerent, effuſa fuga in diverſa abeunt. Sed peditatus Cæſareus etſi cruenta pugna defunctus ſylvulam attigiſſet, à Succis tamen acerrime incumbentibus in aperta camporum iterum propellitur; ubi ab equitatu circumfuſo pars cæſa; alii ſalutem inclamabant Succicæ militiæ ſe offerentes; & catervatim ipſis cum vexillis ad Succos tranſeuntes. Tribunus quoque Daniel Ouvris initio prælii captus magno cum hoſtium agmine ad ſuos revertit. Ita univerſus hoſtium peditatus qui cædi ſuperfuerat, in Succorum poteſtatem redigitur. Equitatus Cæſareus tribus ſe viis, VVittebergam, Grimmam, & Dreſdam proripiebat; quem Succi per tria milliaria inſequuntur interceptis omnibus impedimentis. Cauſam cladis quidam in Hungaros & Croatas retulere, qui manum conſerere abnuentes ſtatim ſe ſubduxerant, cum ſi pugnam capeſſere voluiſſent, quando ſiniſtrum Succorum cornu initio vacillabat, magnum momentum ſuis adferre potuiſſent. Major culpa penes ſiniſtrum Cæſareorum cornu, quod Succis ingruentibus nondum rite diſpoſitum fuerat, ac ſemel pulſum pugnam repetere non audebat. Cæſareorum qui in loco pugnæ, aut in fuga cædebantur, circiter quinque millia numerabantur. Inter quos è primariis ducibus occubuerant ſummus excubiarum præfectus Soyus Baro, tribuni Munſterus, Nicola, VVincius, Heiſterus, Pallavicinus Marchio Archiducis cubicularius. Sauciati, quantum nobis conſtat tribuni Vorhauerus, Pompejus Comes, Moncada, VVarloſkius, Coloredus junior, & ſubtribunus Pallavicinus. Capiebantur ſummi rei tormentariæ præfecti, Suiſius Comes & Fernamondus,

Cæſareorum clades.

1642. mondus, tribuni Felix Guſmannus de Zuniga, Ranftius, Wachenheimius, Kraftius, tres ſummi quos vocant Adjutantes, decem ſubtribuni, totidem excubiarum, ſeptem turmarum præfecti, triginta duo centuriones, ſeptuaginta ſeptem optiones, undecim equeſtres vexilliferi; centum duodecim inferiores ductores, quatuor millia quingenti amplius gregarii, centum è miniſtris Leopoldi aulicis. Ipſe Leopoldus maximum periculum incurrerat, lateri jam admoto ſclopeto equeſtri, quod ignem non conceperat, ac bis inde Suecorum manibus equi velocitate ægre ſubductus. Potiebantur Sueci ſexaginta novem equeſtribus, centum viginti & uno pedeſtribus ſignis, quadraginta ſex machinis æneis, Archiducis tabulario, & ſupellectile magni pretii. Quanquam nec ipſis victoria incruenta foret, cæſo Slangio, Laurentio Grubbio, tribunis Bibovio & Schlibio, ſubtribunis Trotzigio & Stingio, centurione Joanne Banerio, pluribusque aliis ductoribus, & bis mille circiter gregariis. Sauciati Stalhantſchius, Guſtavus Otto Stenbockius, Galbrechtus, Meierus, Guſtavus Lœvvenhauptius, alii, & gregariorum duo quaſi millia. Guſtavus Banerius Petri filius & ipſe ſaucius primo conflictu ab hoſte captivus abſtrahebatur. Sed præcipua jactura habebatur ſummi rei tormentariæ præfecti Joannis Lilliehœckii, ob virtutem, animi magnitudinem, & prudentiam inſigniter æſtimati, qui & ſi Torſtenſonio quid humanitus accidiſſet, aut is miſſionem obtinuiſſet, ſummo in exercitum imperio deſtinatus fuerat.

Torſtenſonius obſidium Lipſiæ capit.

§. 27. Exercitus Suecicus quantumvis victor cruento prælio non parum fatigatus erat, ut confeſtim longo itinere in hoſtem duci non poſſet. Nec equi in promtu erant, queis tot hoſti ereptæ machinæ trahi poſſent. Sic ut quanquam forte expediebat abſque mora tam egregiam victoriam perſequi, ſauciis non minus quam cæteris quies aliqua foret indulgenda. Et pedes ingruente hieme veſtibus inſtruendus erat. Simul ductores Torſtenſonium pecuniam poſcebant, cui vix erat, unde vexilla offerentibus præmia ut ſolet exſolveret. His incommodis Lipſia medicinam allatura ſperabatur, in qua & alias magnum momentum erat. Igitur poſtquam Kœnigsmarckium in Saxoniam Inferiorem dimiſiſſet, cum peditatu & parte equitum ad Lipſiam iterum conſidet, reliquus equitatus circa Cizam, ſaucii per vicina oppida diſtribuuntur. Sed quia plurimi è prælio in oppidum profugerant, quatuor armatorum millia cum præſidio explentes, Torſtenſonius initio citra vim Joachimum Schleinicium, & ſenatum oppidanum ad deditionem permovere tentabat; à quibus & deputati ad ipſum mittebantur. Sed cum hi præter ſummam pecuniæ ut oppido decederet nihil offerrent, ad vim converſus arcem Pleiſſenburgum invadere inſtituit, quod ea capta oppidum ſtatim imperata facturum eſſet; cum hoc licet capto circa expugnandam arcem novus labor ſumendus eſſet. Lipſienſes cum viderent ſerio rem agi, petiere, ut ſibi Dreſdam liceret mittere, qui conditionem oppidi Electori demonſtraret.

9. Nov. Ita ipſi ferebant. Id quod à Torſtenſonio conceſſũ, ut tamen haut ſecius acceſſus interim ad foſſam uſ-

7. 8. Nov. que promoverentur. Inde valida turris machinis perforata, ad defenſionem inutilis redditur. Propugnaculum quoque verberatur, ſubinde globis

11. Nov. ignivomis & ſaxis injectis. Contra obſeſſi ſubito erumpere, & in ſuggeſtu ad crepidinem foſſæ aliquot tormenta clavis configere; mox ipſum ſuggeſtum inflammare, cæſo centurione Ulfſaxio, & captivis aliquot abductis. Intulerant terrorem manuarii globi ignivomi, quos dum Sueci declinant, turbabantur, adeo ut niſi Palatinus Princeps Carolus Guſtavus cum Wrangelio accurrens ſuos in hoſtem incitaſſet, opera vacua deſtituta forent. Senſit poſtea Princeps Palatinus globum ſibi per femoralia tranſiiſſe, cute non perſtricta. Cum eadem 15. Nov. frequentius tentarent obſeſſi, Sueci demum audacius ſubeuntes ita excipiunt, ut viginti amplius cæſis, quatuor captivis deſideratis in oppidum repellerentur. Ita erumpendi libido retuſa.

§. 28. Interim reverſis quos Dreſdam miſerant Lipſienſes, denuo colloquium inſtituitur irrito ſucceſſu, quod hi præſidium admittere abnuerent, neutralitatis tantum leges ſubituri. Petentibus tamen denuo conceſſum, ut Dreſdam mittere liceret. Venerat cum deputatis Lipſienſibus Dreſda ſubtribunus Knochius, qui allatis à primogenito Electoris filio patri cognomine literis, queis pro Lipſia intercedebat, ac de neutralitate aut induciis mentione injecta quibus legibus in eas Torſtenſonius conſentire vellet, exquirebat. Cui hic repo- 17. Nov. nebat; traditis in cautionis vicem Magdeburgo, Witteberga, & Lipſia, expeditiſque ad alenda præſidia ſtipendiis ſe hoſtilia adverſus Electoris ditionem inhibiturum, modo ab ſe acta Regina rata habeat. Interim Sueci fodiendo ſub propugna- 23. Nov. culum arcis progreſſi, id incenſo ſubtus cuniculo magnam partem in foſſam dejecerant, ut via ad tentandum aſſultum pateret. Et jam alius cuniculus parabatur proruendæ turri, & propugnaculi reliquiis; eoque redacti erant obſeſſi, ut obſeſſoribus nihil amplius nocere poſſent. Igitur ſerio ſu- 25. Nov. per deditione agere incipiunt Chriſtophorus Lipſia dedi- tur. Trandorfius arcis, Joachimus Schleinicius oppidi præfectus. Ac primo quidem petebant, ut Sueci præſidium arci impoſuiſſe contenti, oppido neutralitatem concederent. Sed Torſtenſonio id aſpernante, Trandorfius in has leges paciſcitur, ut ipſe cum ſuis in tuta deduceretur; arx cum omni pararu bellico, machinis, & annona illo ipſo die traderetur; quam mox C. G. Wrangelius cum cohortibus Suecicis per ruinam intrat. Pariter Schleinicius ſibi ſuoque militi diſceſſum more militari paciſcitur, tradita ſimul arce Weiſſenfelſenſi, quæ ipſius imperio ſuberat. Si qui tamen è ſuis ad Suecos tranſire vellent, id liberum erat. Cavebatur quoque ſecuritati miniſtrorum Electoralium, & tabellariorum. Qui è prælio in oppidum 27. Nov. refugerant captivorum loco habebantur. Sed de oppido & civibus Schleinicius ob continuas inter ipſos offenſas in pacto nullam mentionem fecerat. Quod ab Electore graviter acceptum, cum capta licet arce nonnulla in favorem oppidi paciſci licuiſſet. Poterat ſic de oppido Torſtenſonius pro lubitu ſtatuere; ſatius tamen ducebat modica pecuniæ ſumma decidere, inſtruendo ad futuram expeditionem peditatui, quam id militi diripiendum concedere. Igitur in centum quinquaginta millia uncialium convenitur. Et quanquam longe majorem ſummam extorquere licuiſſet, extraneorum mercatorum mercibus manu injecta; tamen in futurum utilius rebatur, immodica exactione cives non exhaurire, aut extraneos à frequentandis nundinis abſterrere. Hamburgenſium imprimis mercibus proſpectum. A civibus fides exigitur, ut nundinarum tempore multorum hominum in oppidum confluxu ſtationes obeant, ne quid ab hoſte tunc tentetur. Ut nihil literarum cum hoſtibus in fraudem Reginæ commutent; & ſi quid conſilii adverſus oppidum agitari intelligant, præfecto ſignificent, idemque pro virili impediant. Si quæ literæ ab Electore aut ducibus Cæſareis ad ipſos dentur eas non reſignatas præfecto tradant. Si quem ſuorum infeſti quid moliri ſentiant, eum coerceant, aut præfecto tradant. Ad ordinandas ejus oppidi & vicini tractus res Axelius Lilius relictus.

Electoris filius ſuper neutralitate proponere incipit.

1642. ctus. Præſidio è Suecis conſtanti Petrus Ribbingius præficitur:

Cum Electoris filio incaſſum tractatus.

§. 29. Veniebat inde ab Electoris filio primogenito miſſus Haugvvicius, qui primo teſtabatur, propoſitos de induciis tractatus haut derogaturos obligationi Electoris, qua Cæſari & imperio obſtringatur. Poſtulabat inde, ut Torſtenſonius, retento uno atque altero quem occupaſſet loco, de modo ſtipendii mentem ſuam exprimeret. Tum ut ſi utique per Electoris ditiones exercitui Suecico transeundum foret, iter maturaret; hoſpitia, & militi recens conducto ſtativa aſſignare parceret. Torſtenſonio animus erat, tractatus hoſce alere, & Principem quantum poterat demulcere, ut ſi ditione Electoris excedendum foret, à tergo ſibi cautum eſſet: de cætero res ita diſpoſituros, ut ne ſi velit quidem Elector nocere poſſit. Præſertim cum hac rerum facie reliqua Electoris oppida abſque detrimento exercitus vi oppugnari non poſ-

20. Dec. ſent, cui utique quiete opus erat. Igitur Haugvvicio reſpondet: Electoris ſe obligationem turbare nolle, modo is conſilia ſua ad communem Proteſtantium ſalutem temperet. Loco idoneo ad Albim ſibi opus eſſe ad ſui ſecuritatem. De modo ſtipendii deinceps tranſigendum. Tranſitum per Electoris ditiones liberum ſibi fore, quem quantum poſſit maturaturus ſit, ut tamen exercitui annona præbeatur. In has leges ſe cum Electore, ſi ipſe velit, conventurum ſalva Reginæ ratihabitione, cum ipſe ſuper hoc negotio nihil in mandatis habeat. Quanquam autem è Conſiliariis Electoralibus quidam ſcripto demonſtrarent, ejusmodi tranſactionem ex neceſſitate, & ad ſervandos ſuos ſuſceptam officio in Cæſarem & Imperium non repugnare; ſimul offenſæ quid Electori cum Cæſare intercederet; unde & hic ſuorum manum Zvviccaviæ Saxonico præſidio adjunxerat, velut Electori diffiſus: tamen inſtanti licet filio non-

24. Dec. dum manus dare volebat Elector. Id quod & iſte per literas Torſtenſonio ſignificat, ne id in ſiniſtram partem accipiat, & ſe excuſatum habeat; tum ut *innocentibus civibus* parcat. Si quæ tamen occaſio tractandi allubeſcat, eam ſe haut omiſſurum.

Torſtenſonius in Bohemiam ergitur.

§. 30. Torſtenſonius refecto utcunque exercitu, & ſanaris plerisque prælio ſauciis in Bohemiam movere inſtituebat; etſi illuc irrumpere ſat difficile videbatur futurum, niſi Guebrianus in Franconiam tendens partem Cæſarei militis in ſe averteret. Ut hoſtis ambigeret, qua parte venturus

18. Dec. eſſet, pontem apud Torgam refici jubet. Præmiſſus cum equitatu Wittenbergius Chemniciam, quam ſexaginta tantum Saxonici milites inſidebant, nullo repugnante in poteſtatem redigit. Torſtenſonius cum machinis & octo egregiis peditum phalangibus, ut viam ſibi in Bohemiam muniret,

Idem Freibergam obſidet. 21. Dec. Freibergam accedit, equitatu intra duo milliaria circum diſpoſito. Ad hoc oppidum ut aliquantiſper ſubſiſteret, hiberni cœli aſperitas itineri importuna ſuadebat; & quod relatum eſſet, oppidum ultra octiduum vim ſuſtinere non poſſe. Quo capto ingenti quoque annonæ vi potiturum ſe ſperabat; quæ & cauſa fuerat, quare hanc potius, quam Zvviccaviam impeteret.

Cæſarei in Bohemia ſe colligunt.

§. 31. Cæſarei interim ſuſas apud Lipſiam copias colligere, & futuræ expeditioni inſtruere. Venerant quoque in Franconiam ab inferiori Rheno Hazfeldius & Bavarici; quorum ille omni alio reſpectu ſepoſito in Bohemiam ire jubebatur. Cum Bavaro agebatur, ut VVahlius ad fines Bohemiæ in Superiore Palatinatu accederet, Archiducis Leopoldi imperia accepturus. His omnibus junctis pares ſe Suecis, aut ſuperiores arbitrabantur fore. Acuendæ in poſterum ſuorum virtuti, in Madelovii tribuni legionem, quæ prælio ad Lipſiam prima fugam arripuerat, atroci ſupplicio animadverſum. Combuſta per carnificem vexilla, gladii ante ora fracti, quorum fragmina clavorum uſum ad patibulum ſubiere. Ductores & decimus quisque gregariorum ſorte ducti laqueo necati; reliqui infamia notati. 1642.

Excurſiones Suecicorum per Moraviam & Siliciam.

§. 32. Abſente Cæſareo exercitu Olmucii præſidiarii longe lateque excurrebant, oppreſſa inter alia Liſchvvicia Ducatus Carnoviæ oppido; unde magna vis annonæ Olmucium convecta. In Sileſia Oppelæ præſidium Strelenam oppidum diripuerat. Oelſam quoque ſubtribunus Cloſius ſubito impetu oppreſſit, interceptis quatuor Cæſareorum cohortibus, quæ ibi agebant. Sed dum moras nectit, ab Hofkirchio ſummo exercitus Legato ibi includitur; qui poſt ruinam mœnium editam oppidum impetu capit, cæſis quos deprehenderat. Reliqui in arcem refugi absque exceptione ſe dedunt. Plerique tamen gregarii poſt ad ſuos revertebant: & Gronsfeldius turmæ præfectus Wolavia excurrens ducentis quinquaginta hoſtilibus equis potiebatur. Turrius Comes, qui Laubæ hactenus ſtativa habuerat, juſſu Torſtenſonii id oppidum Reichvvaldo tribuno cedebat, Hirſchbergæ hoſpitium capeſſiturus, ubi Cæſareum præſidium agebat. Sed dum iſte ſcalis admotis oppidum 22. Dec. expugnatum it, acriter repulſus ipſe cum præfecto excubiarum cadit, multi fauciantur: reliquos ſubtribunus re infecta reducit.

Kœnigsmarckius Aſcaniam & Querfurtum occupat. 12. Dec.

§. 33. Kœnigsmarckius poſt prælium à Torſtenſonio digreſſus Aſcaniam primo expugnat, præſidiariis ſub ſua ſigna diſtributis. Inde aſſumtis, qui è Weſtphalia venerant, mille circiter equitibus ac dragonibus Querfurtum invadit; ubi Cæſarei, qui arcem defendebant, poſt admotas machinas abitum paciſcuntur; etſi plerique gregarii Suecorum ſacramento ultro acceſſere. Sed mox à Torſtenſonio in Miſniam revocatus, dum circa Glaucham & in Voigtlandia hoſpitaretur, caterva hoſtilis è Bohemia ingruens Funckium tribunum, qui cum legione ſua equeſtri & quatuor cohortibus dimacharum Meranæ tendebat, repente opprimit, cæſis, qui deprehendi poterant, equitibus, quos inter ipſe tribunus, dum per medios hoſtes erumpere conatur, cadit. Dimachæ tamen in cæmeterium refugi Cæſareos acriter repulere, qui haut diu ibi morati cum præda & aliquot captivis ad ſuos ſe receperunt.

Hermannus Boothius vapulat. 17. Octobr.

§. 34. In Saxonia Inferiore tandem Hermanni Boothii & Adami Henrici Penzii conatus erumpebant, quorum ille cum trecentis quinquaginta deſultoribus, hic cum ducentis equitibus Hamburgo proficiſcebatur, honoris cauſa ad unum milliare proſequente Auerſpergio Comite Legato Cæſareo. Hos inſidiis excepturus Carolus Ruthius tribunus raptim collecta ducentorum equitum manu ad Billam fluentum ſylva rectus adventantes expectat. Poſtero die dum iſti apud Schifsbecam duobus Hamburgo milliaribus annonam ſuis diſtribuunt, ac læti epulis vacant, ſexaginta equites à Ruthio exploratum præmiſſi ſubito ingruunt, ac ſeptuaginta dimachas cædunt, multos fauciant, quosdam capiunt; reliqui in fugam effunduntur. Ipſe Boothius præceps cymba Billam trajiciens Hamburgum ſe trepidus proripit. Penzius tamen cum ſuis equitibus inſtauratis ordinibus Suecos numero inferiores Steinbecam usque rejicit, tribus cæſis. Longius perſequi nolebat, cum non procul inde Ruthius conſiſteret. Collegerat tamen Boothius iterum centum quinquaginta dimachas, qui non procul Hamburgo conſederant. Hiſce per ſubornatos à Salvio homines perſuadetur, Suecos noctu irrupturos globis ignivomis inſtru-

1642. instructos. Unde isti perterriti in diversa se proripiunt necem ductoribus intentantes, qui ipsos retinere satagebant. Boothius hinc ab Auerspergio Comite munere suo exutus omnibus ludibrio erat, & quia is in custodiam eundem daturus erat, nullibi comparebat. Penzius tamen collectis centum viginti equitibus trajecto ad Blanckenesam Albi Magdeburgum demum perveniebat, cui cum hospitium indulgere in urbe nollet Trandorfius, ipse cum quadraginta equitibus pransum ibi tantisper remanet, cæteris Burgum oppidum versus dimissis. In hos Schœnherrus tribunus à Kœnigsmarckio emissus incidit, qui partem eorum cædit, quosdam capit. Qui supererant, cum subtribuno per Havelbergam Dœmitzam se recipiunt. Penzius Magdeburgi de clade suorum audiens, & ipse eodem sequi instituit. Sed Duvvalius Garlebia manum equitum apud Tangermundam trans Albim miserat, qui Penzii catervam dum flumen trajicere parat, deprehendunt, ac triginta equos instratos, viginti homines Garlebiam captos abducunt. Ipse Penzius pedes aufugiens latebris captivitatem declinabat. Ita istorum hominum conatus magno hiatu cœptus inglorium finem sortitus est.

Erfordien-sium excursiones. 30. Mart.

§. 35. Qui Erfordiæ præerat Ermes tribunus eo anno crebris excursionibus non spernendam operam navabat. Inter alia cum alam Croatarum Graussæ hospitari cognovisset, ducentos peditos cum aliquot equitibus eo mittit; qui nondum orta luce admotis scalis in oppidum penetrantes plerosque cædunt, paucis exceptis quos latebræ tegebant. Præfecti cum quibusdam gregariis & ducentis quinquaginta equis Erfordiam deducti. 24. Aprii. Succorum tres duntaxat desiderati. Rudolstadii duæ legiones VVolferamsdorfii, & Krafftii, sed infrequentes, stativa habebant. In eas subtribuni Laurentius Lindanus, & Balthasar Rædigerus cum trecentis equitibus, quadringentis peditibus Erfordia sub vesperam pluvio cœlo profecti, sed per tenebras recta via aberrantes orta jam luce ad oppidum perveneruntur. Cæsarei quanquam orto tumultu equos raptim conscenderent; incumbentibus tamen Suecis post acrem conflictum non paucis desideratis per aversam portam trans Salam plerique evasere. Succi tamen omnibus impedimentis, tribus vexillis, quadringentis equis, & 4. Maji. viginti captivis potiti sunt. Post & caterva Erfordiensium integram equitum turmam è Fourii legione Friburgi interceptam abducebat. Idem quoque late sub Noribergam usque, & in Palatinatum Superiorem excurrebant, præsulatu VVurtzburgensi stipendiis subjecto. Mainungam etiam scalis admotis occupant; omnibus, qui ibi inveniebantur interceptis. Oppido centum peditum præsidium impositum vicino tractui coërcendo. Cæterum Erfordienses imbelles animos & hostium solicitationibus titubantes subinde ostendebant; quos literis Regina & Torstensonius confirmatum ibant. Ea urbs ut eminus circumsideretur Sigismundus Heutherus omnem lapidem movebat, contranitentibus Altenburgi & Vinariæ Ducibus, qui Electori suæ ditionis vastitatem inde orituram demonstrabant. Idem Duces Consiliarium in urbem mittebant, velut super tributis cum præfecto transacturum; revera clam Senatui urbis de neutralitate propositurum, ad quam hic valde pronum se ostendebat. Sed præfectus Ermes re intellecta legato acriter exprobrabat, quod se inscio de tanti momenti re cum Senatu egisset, penes quem de ista statuere non esset; cum talia apud Reginam aut Torstensonium quærenda sint.

Vinarien-sium & Guebrianus cum Gallis & Vinariensibus superato apud Vesaliam Rheno jungitur. Juncti Ordinem modico præsidio infessam occupant. Inde Linam proxime adsitam, quam valida manus obtinebat, accedunt. Lamboius contra cum quatuor equitum, quinque peditum millibus Hulstæ, Kempenæ, & circa tendens Electori Colonienti scripserat; non opus esse Hazfeldii copiis trans Rhenum ductis; se solum hosti sufficere. Cui tamen Elector responderat; ne prælium tentaret, quoad Hazfeldius ipsi se junxisset. Cujus copiæ licet longo ab Erfordia itinere fatigatæ quietem optarent; tamen instante Electore è VVetteravia Coloniam versus iter instituunt, primo agmine jam Andernacum progresso. Ipse Hazfeldius Bonnam pervenerat, cum Electore consilia collaturus. Sed & Venloæ jam mille equites, ter mille pedites convenerant, Hispanicus miles, Lambojo si opus foret sociandi; è quibus quadringenti sclopetarii se ipsi junxerant. Ita magna moles in Vinariensis & Hassos surgebat, ni subito impetu coëuntem undique hostem præverterent. Ea causa Guebrianum & Eberstenium Hassis imperantem subigebat, ut citra moram cum Lambojo prælio decernerent. Contraxerat iste copias suas intra munimentum agreste, objecto triplici fossa, duplici aggere, & densa arbustorum serie, quæ equos non transmitteret. In istam munitionem Guebrianus cum selecta peditum manu impetum primo faciens repellitur. Sed mox universus peditatus post acrem conflictum irrumpit hoste rejecto; & ut equiti via pateret, raptim ligonibus agger æquatur. Ita equitatus labantem acri peditatus impressione hostem plane impellit, & in fugam effusum persequitur. Asperrima pugna committebatur à tribus Hassicis phalangibus, quæ machinas hostium à veteranis legionibus, & cataphracto equite defensas jam semel arripuerant; sed Lambojo contranitente extra munitionem in aperta camporum iterum propulsæ, & ab Eberstenio recollectæ instaurato impetu denuo aggerem irruperunt, ac extortas hosti machinas in ipsum converterunt. Commodo victoribus fuit, quod hostium machinæ propius aggerem celsiore loco positæ, globos justo altius ejacularentur, & assultu ita repentino parum damni dare possent. Cum contra fœderatorum tormenta longius remota arcuato jactu non modicam stragem ederent. Insignis ea clades erat, quod pauci admodum ductores hostium evaderent. Capiebatur ipse Lambojus, summus excubiarum præfectus Mercius, tribuni quindecim, quos inter Ladronius Comes, Eppius, Hiacynthus de Vera, Rodovanus, Saverius, Broeckius, undecim subtribuni, novem excubiarum, viginti octo turmarum præfecti; triginta novem centuriones; quinquaginta & unus optiones, quinque metatores, triginta duo signiferi equestres, quadraginta pedestres, reliquorum ter mille amplius. Ereptæ quoque fuerant hosti sex machinæ, centum octo signa pedestria, quinquaginta octo equestria, cum omnibus impedimentis. Vinarienses contra tribunum Flersheimium, Hassi aliquot centuriones, desiderabant, præter quadringentos cæsos aut saucios. Eo prælio profugi mille quasi equites iterum se collegerant, qui per Juliacum ad Hazfeldium se recipere constituerant. Eos Rosa inter Durenam & Karpenam deprehensos ita multabat, ut pauci evaderent. Tribunus Zellius Baro cum aliquot præfectis, & multis gregariis, tribusque signis capiebatur. Sed & mox 11. Jan. Guisenæi tribuni legio trecentorum capitum à sexcentis equitibus Hassicis apud Dormagum opprimitur, ut pauci homines effugerent; omnes equi in istorum manus inciderent.

1642. Hassico-rum gesta. 2. Januar. 4. Januar.

Vinarien-ses & Hass. Lambojum invadunt.

Eorundem victoria.

§. 36. Hassi sub finem superioris anni trans Rhenum in Præsulatum Colonienscm irruperant. Iis

§. 37.

1642. Eidem multa oppida per Colonienſem & Juliacenſem ditionem occupant. 28. Jun.

§. 37. Victores inde Noveſium; poſt Kerpenam oppidum deditione capiunt. Ea nocte trecenti pedites Geldra ſubmiſſi accedebant, ignari oppidum jam ab hoſte teneri; quorum quadraginta in oppidum recepti; cæteros dum errore cognito retrocedunt, Haſſi erumpentes trucidant. Arcem Gronsfeldius aliquandiu acriter defenſam ad extremum citra exceptionem dedidit: quadraginta præſidiarii victorum cohortibus admixti. Capta quoque Caſtera, Grefenbrucum, Benheimum, Durena, Lina, Hulcrota arx, Tolbiacum, Eiskircha. Duorum poſteriorum præſidiarii ultro victoribus ſacramentum dixere. Immenſa iſto tractu præda, & magna imprimis equorum vis parta. Mox omnes ad Moſellam usque imperata facere. Palatinus Neoburgicus, & Aquisgranum neutralitatem ſolicite ambire; quorum exemplum Leodienſes ſecuti. Quin & de eadem obtinenda Ordines Colonienſes legatos Novetium mittebant, ſed re infecta, cum immenſam pecuniæ ſummam peterentur. Ita quidem Fœderatis porta ad majora gerenda pandebatur. Sed iidem poſt primum impetum languide victoriam perſequebantur, multis mirantibus. Nec ulla pactorum ſervandorum cura; ſed omnia diripiebantur & perdebantur, velut parta diu poſſidere nollent. Id quod ipſis Haſſiacis ducibus vehementer diſplicebat; cum alias rite adminiſtrata in longum ſufficere potuiſſent, majoribus gerendis adminiculo futura.

Guebrianus Lechnichiam oppugnat. 9. April. 29. April.

§. 38. Guebrianus inde opimis refectas hoſpitiis copias Lechnichiæ admover, quam obſeſſi acriter tuentur, donec proſtratis mœnibus, incenſo oppido in arcem ſe reciperent. Interim ad ſiſtendos fœderatorum progreſſus hoſtes undique coibant. Hazfeldius ſuos evocabat, Enckefortius è diſſipatis Lamboji copiis tria millia iterum collegerat. Ingruebat quoque cum Bavaricis copiis Wahlius; & cum ſua manu Lotharingiæ Dux. Guebrianus cum prævalidæ arcis mœnia nequidquam verberaſſet, etſi Cæſarei non longius quam Aldenkircham in Sainenſi Comitatu proceſſiſſent, obſidio tamen ſoluto ad reſiſtendum hoſti ſe componit. Eidem in auxilium miſerant Hollandi triginta peditum cohortes, dicis cauſa prius exauctoratas; quas iſte per occupata oppida diſtribuebat, ſuo milite inde educto. Haſſis Noveſium, Lina, & Ordinga conceditur, augendo numero eorum, quos in campum educturus erat. Inde caſtra ad Erpam flumen ponit, ubi omnes copias contrahebat, adjunctis recentibus è Gallia auxiliis quatuor millium quingentorum Britannorum. Aſt Cæſarei evocato etiam è Weſtphalia Vehleno, Rhenum apud Coloniam transgreſſi recta in Fœderatos tendunt, Zonzæ primo caſtra metati: inde Grimmelingshuſam tranſituri. Ita ut atrox prælium imminere videretur, ſi Fœderati pedem figere vellent. Sed hi ſtatione ad Grefenbrucham deſerta inter Linam & Rurortam conſederunt, munimentis ſibi circumpoſitis. Arauſionenſis quoque Princeps cum viginti duobus millibus inter Rheinbergam & Orſojam adpulerat, ut iſti exercitus mutuo ſibi auxilio eſſe poſſent, ſi res exigeret. Etſi de cætero Fœderatorum conditio non optima foret, qui omnibus ubique diſſipatis nullibi penum congeſſerant, ut vix iſto loco diu viderentur ſubſiſtere poſſe. Ita munitis utrinque caſtris immoti hærebant, nulla re memorabili geſta, niſi quod excurſiones ſubinde colliderentur; & Cæſarei Angerortam cis Rhenum ſitam, Neoburgici præſidio inſeſſam, occuparent. Subinde tamen iſti copias ſuas augebant; ſimul cum Franciſco de Melos ſuper conjunctione Hiſpanici exercitus agebant; nullo ſucceſſu, poſtquam hic duras nimis leges proponeret, & Arauſionenſis Colonienſi Electori denuntiaret, ſi Hiſpanus Hazfeldio ſociaretur, ſe neutralitate ſepoſita Guebriano acceſſurum. Unde Hiſpanus dux cum maxima copiarum parte in Brabantiam & Arteſiam concedit, relicta ſub Fontano Comite manu ad obſervandos Arauſionenſis motus. Advenerat quoque ad Cæſareos Joannes Wertanus, poſtquam pro Guſtavo Hornio ipſe una cum Hofkirchio & Bucheimio Comite libertati reſtitutus eſſet. Qui ut erat impiger crebris excurſionibus Vinarienſium ad mille quingentos equos intercipiebat. Poſt tamen cum Liedbergam arcem, horæ tantum itinere à Guebriani caſtris ſitam, invaderet octingentorum equitum caterva ſtipatus, à Rosa ita excipitur, ut magna caterva parte cæſa, multi caperentur; quos inter duo ſubtribuni, unus excubiarum, quinque turmarum præfecti. Ipſe cum tribuno V Vollio ægre pedes per paludes evadebat. 1642. 16. Sept. Joannes V Wertanus vapulat.

§. 39. Menſe Septembri, cum Arauſionenſis caſtris apud Orſoiam motis in hiberna concederet, terga Guebriani nudabantur; quem &, copioſa licet annona, pabuli inopia premebat: ac Cæſarei interceptis paulatim propioribus locis in anguſtias eum redigere laborabant. Igitur cum Haſſis cis Rhenum abire conſtituit; & ne hoſtes ipſius itineri obſiſterent, Moſam velut reſpiciens repente Veſaliam flexit, & ſuperato Rheno, inde Amati per Comitatum Teclenburgicum in Oſnabrugenſem usque agrum copias diffundit, late populatione facta. Sed cum exhauſtæ antea regiones cito migrandi neceſſitatem imponerent, ſuperato infra Hamelam Viturgi in Hildeſienſem agrum abit numeris ita diminutis, ut præſidii cauſa viginti quatuor Haſſicorum equitum turmæ proſequerentur, reliquis ſub Eberſtenio Comite circa Coesfeldam in hiberna diſcedentibus. Guebrianus inde per Oſterodam & Mulhuſam Oneſtrum verſus pergit, à Torſtenſonio circa expugnandam Lipſiam ſatagente ſolicitatus, quod de adventu hoſtium rumor eſſet, ut ſibi neceſſitate exigente auxilium ferret. Cujus opera etſi poſt non indigeret Torſtenſonius, tamen Buttſtadium ad ipſum accedit de futuris in hoſtem deſtinatis conſilia collaturus. Et quia hoſtis omnes copias contractum ibat, Torſtenſonius ipſi perſuadere conabatur, ut pauliſper copias ſecum ſociaret, quoad de hoſtium deſtinatis liquidius conſtaret: etſi de cætero Rectores Sueciæ nollent, eum conjunctionem cum Guebriano affectare, niſi extrema neceſſitate urgente. Sed quicquid rationum iſte adhiberet, Guebrianus ad Mœnum ſibi utique & Rhenum abeundum pertendebat. Quo ut tuto pervenire poſſet, Landgravia præter memoratas turmas peditum quoque manum addebat. Nam etſi equitatum duceret non ſpernendum, peditum tamen vix duo millia erant, & ex auxiliis nupero vere è Gallia miſſis ſexcenti non amplius ſupererant, reliqui mortui, aut in patriam iterum dilapſi fuerant. Inde itinere per Langenſaltzam, Iſenacum, Smalcaldiam, & Mellerſtadium capto Gemundam properat. Ibi ſuperato Mœno Mergentheimi hoſpitium ipſe capit, copiis circum diſpoſitis, quæ longe lateque Franconiam & Sueviam populabantur eo importunius, quod immenſa calonum vis exercitum ſequeretur, & numerus equorum, quos paſſim raptos ſecum trahebant, ad nonaginta millia adſcendere diceretur. Guebrianus cis Rhenum abit. 24. Sept. 3. Octobr. 15. Nov. Idem in Franconiam effunditur.

§. 40. Aſt Cæſarei & Bavarici Fœderatis digreſſis loca ab his occupata recuperaturi poſt Bebberam & Hulcrotam deditione captam Noveſio obſidium circumponere parabant. Sed audito Guebrianum Kœnigsmarckio jungendum in Franconiam tendere, & ipſi eodem proficiſci conſtituunt. Durena tamen obiter occupata, cujus præſidiarii etſi Cæſarei & Bavarici in Franconiam tendunt. 10. Octobr.

Cæſarei ingrediuntur. 5. Jun.

17. Maji.

1642. etti ſtipulati eſſent, ut Veſaliam deducerentur; in itinere à Bavaricis ſpoliati, & ad mutandam militiam compulſi fuerant, Hazfeldio factum improbante. Cum vix in Franconiam perveniſſent equitatum valde attritum refecturi, Hazfeldius à Cæſare in Bohemiam propere excitur. Noribergenſes, cum circa ſuam urbem Cæſareos luſtrari cernerent, ſe peti metuentes clam ad Salvium ſcribi curant, ut duces Succici, ſi à Cæſareis urbs invadatur, huic ſubveniant. Sibi enim decretum, agris populationi hoſtium expoſitis mœnia tueri. Sed Hazfeldius in Bohemiam recta ibat. Bavarici autem per Palatinatum ſuperiorem, & circa Donavvertam hoſpitia capiebant provinciis ſuis tegendis, & ut Guebrianum obſervarent. Interim Haſſi, nullo ad Inferiorem Rhenum hoſte, totum à Moſella tractum ſtipendiis ſubjiciebant.

Per Superiorem Germaniam geſta.

§. 41. Per ſuperiorem Germaniam mole belli alio converſa, modicis tantum excurſionibus certabatur. Widerholtius Hohentvvilæ præfectus, cum quæ hactenus eminus eum obſederant copiæ ad Hazfeldium deſcendiſſent, libertatem nactus longe lateque excurrebat, non paucos hinc inde intercipiens, magnasque prædas agens. Auſtriaci cumprimis ſubditi gravibus tributis exercebantur, quorum plurimi ſuperiorum juſſu ſolum vertebant. Cæſarei contra Villinga excurrentes propius Friburgum ſuggreſſi non modica præda onuſti revertebant; quos tamen Canoſskii equites Friburgo inſequentes deprehenſos ita multant, ut centum cæſis aut captis vix duodecim evaderent. Melius ſuccedebat res Bitlingero ſubtribuno, qui Philipsburgo, & vicinis præſidiis ſexcentorum militum manum contractam Druſenheimi trans Rhenum ducebat, ac Hagenoenſium pecora abigebat. His ſervandis cum Hagenoæ præſidiarii fidentius erumperent, circumventi cæſis viginti centum amplius captivos hoſti cum pecoribus abducendos reliquerunt. Cæterum Bavarico exercitu in Colonienſem ditionem digreſſo, ne forte Briſacenſes impreſſionem in Sueviam tentarent, Mercius Bavaricus Dux tria peditum millia circa Villingam, Dutlingam, & Rotvvilam contrahebat. Trans Rhenum Lotharingiæ Dux, qui hactenus ad Moſellam & Saram populationibus & tributis extorquendis operatus fuerat, in Alſatiam
14. Jul. movet, ac Molzheimum præſidio vacuum occupat, è qua vicinam circa regionem evallat. Credebatur iſte Mercio junctus Hagenoæ obſidium ſuſcepturus; quo fine apud Stollhofiam ponti navali extruendo omnia parabantur, & machinæ Heidelberga arceſſebantur. Mercius quoque è
31. Jul. ſtativis verſus Inferiorem Marchionatum movere incipiebat. Sed eos conatus turbabat Wildenſteina Danubio adſita arx à Widerholtio per inſidias intercepta, opportuno admodum ſitu infeſtandæ regioni. Quam tamen paulo poſt Mercius recuperavit, atrocibus minis perterrito præfecto, ut citra neceſſitatem arcem dederet, liberum ſibi abitum ſtipulatus. Aſt Lotharingus Molzheimo movens poſt tentatum fruſtra Ehenheimum Superius, repente in Dambacum oppidum vertit, viginti quatuor peditibus inteſſum; qui deditionem
1. Aug. bis imperanti ferociter reſpondent. Eodem à Mofero tribuno Benfeldæ præfecto miſſus centurio cum triginta peditibus penetrabat. Dux quanquam conſumtis omnibus globis, & ruina mœnium edita per quatriduum omnem vim adhibuiſſet; tamen obſeſſis ſtrenue reſiſtentibus infecta re
4. Aug. diſcedit, Haillerium Lamottæ obſidio depulſurus. Eo digreſſo Oiſonvillius Briſaci præfectus Badenam oppidum & vicina loca diripit; Mercio tamen ſe movente propere in tuta remeat. Interim Widerholtius Homburgum arcem non procul Zella ad lacum ſitam vi expugnat, direptamque flammis dat. Mox & Zellæ præfectum Roſhum ſubtribunum cum ſexaginta equitibus opprimit, ac parte cæſa ipſum cum reliquis captivum Hohentvvilam abſtrahit. Cum inde Mercius in Superiorem Palatinatum evocatus eſſet, Erlachius collectis apud Briſacum tribus millibus Hohentvvilam primo accedit. Inde poſt Cœnobium Petershuſiam apud Conſtantiam, & Meinaviam fruſtra tentatam incenſis circa oppidum ædificiis Dutlingam vertit, octoginta peditibus infeſſam, cui raptim Creuzius Cæſareus ſubtribunus duabus ante horis, quam Erlachius adveniret, centum viginti pedites immiſerat. Eum propere inſecutus cum equitatu Erlachius in ſuburbio Ehingæ cum ſeptem turmis oppreſſit; quarum maximam partem delevit. Interim Widerholtius, qui cum machinis & peditatu apud Dutlingam remanſerat, poſt ruinam edi-
23. Nov. tam impetu in oppidum perrumpit, ac præſidiarios partim cædit, reliquos in captivitatem dat. Balinga inde direptionem pecunia redimere cogitur. Widerholtius hinc ad oppugnandam Blumbergam arcem ſibi valde infeſtam accingitur; & Erlachius longius in Sueviam penetraturus erat. Sed cum Mercius propere ingrueret, mature ſe recipit, &
2. Dec. cum captivis ac præda ſalvus Briſacum pervenit. Widerholtius quoque ſoluto Blumbergæ obſidio machinas intra Tvvilam ſuam revehit. Ita irritus Mercius iram in Dutlingam & Balingam effundit, quibus Erlachius pepercerat, ac ea oppida militi ſuo in prædam concedit. Sub finem anni Fribur-
25. Dec. genſes Freibergam arcem aſtu interceperunt.

Excurſiones Succorum in Poloco in Pomeraniam.

§. 42. Per Pomeraniam prævalentibus in Sileſia Succorum armis eo anno omnia tranquilla. Nec eo ſecius ingens periculum, dum per eam ad exercitum proficiſcitur, incurrebat Carolus Guſtavus Palatinus Princeps. Is ex peregrinatione redux otioſæ domi vitæ impatiens formandæ aut exercendæ virtuti occaſionem anxie quærebat, quam Germanicum bellum ſplendidiſſimam offerebat. Ipſius tamen pater tentandis procerum animis ſuper illo ad Senatum referebat, quid ipſi potiſſimum ſuſcipiendum cenſerent? Senatus, quo illa tenderent, ſatis intelligens, cum tunc temporis omnia integra ſervare vellet; non publicam eam curam eſſe, ſed privatam patris, quid ſuper negotiis & fortuna filii ſtatuere velit; nec habere ſe, quod publico nomine heic decernant. Velut privatim tamen ſuadere, ut volonis tantiſper vocabulo ſub Torſtentonio bellandi artes addiſceret. Nam illam imperii partem ipſi tunc tradere verebatur ob juventam & nonnulla diffidentia, ne exercitum ſibi adjungeret. Et quia pater nihil poſtulabat, quam ut privatus in exercitu eſſe poſſet, quo colore id abnuerent non inveniebant. Ita in Pomeraniam delatus Princeps menſe Septembri proſequente cohorte Finnica per Landsbergam in Sileſiam iturus erat. Sed cum nullum periculum Caroli Guſtavi Palatini periculum. ſubeſſe crederet, Finnos illos Stargardia ad ſiniſtram verſus Landsbergam præire jubet, ipſe venatione ſe interim delectaturus. Enimvero viginti quatuor Cæſarei equites clam è Polonia progreſſi, medio itinere apud Wanſinum vicum adventantem excepturi ſubſidebant. Commodum accidebat, ut Merbachius turmæ præfectus cum viginti equitibus & ipſe ad exercitum profecturus, Principem comitaretur, quindecim ſuorum equitum Landsbergam præmiſſis; qui apud dictum vicum ad catervam hoſtilem amicos eſſe rati intrepide accedunt. Cæſarei & ipſos amice ſalutant, & num quid de Palatino audiſſent percontantur. Illi cum præfecto ſuo & turma Finnorum mox adfore reſpondebant. Quo audito Cæſarei, impares ſe fore judicantes, ſtatim quatuor iſtorum cædunt, aliquot

1642. quot captivos abducunt, & raptim Poloniam versus facessunt. Ita periculum, in quod alias Princeps præcipitaturus erat, declinatum. Sed & paulo ante caterva sexaginta equitum è Polonia Novum Stetinum improviso irrupit, ac directo oppido nonnullos cives trucidavit, arce tantum non intercepta; magnaque cum præda in Poloniam se recepit. Ea manus Polonorum fuisse credebatur, qui Cæsareos se milites tulerant, facie sordibus deformata, ne agnosci possent. Sane interfuerant duo Poloni nobiles in finibus habitantes Tarnovius, & Pigilotskius. Culmensis Palatinus Melchior Weierus abducta pecora exiguo pretio à raptoribus emta spoliatis iterum reluenda offerebat. Sed & aliæ prædatorum catervæ apud Suetam semel atque iterum Oderam transgressæ rapinas exercuerant; quibus coërcendis præsidia idoneis locis dispositа. Rectores Sueciæ istis è Polonia excursionibus auditis, Joanni Oxenstiernæ, qui tunc Pomeraniæ res ordinabat, scribunt; circa exprobrandam Poloniæ induciarum violationem caute ageret, neque eo nomine ad ipsum Regem literas daret; sed tantum ad ministros Reipublicæ quid actum foret exponeret, & ut ista corrigantur postularet; ne præcalidis querelis inducie intempestive abrumperentur. Cæterum quia Sueci jamdudum fiduciam retinendæ Pomeraniæ ceperant, ei in mandatis dederant, ut regimen ejus provinciæ velut ad interregnum delapiæ instauraret. Ab hoc igitur Consilium quod vocant Status, duo tribunalia, Consistorium Ecclesiasticum, & Academia reposita, eorumque Assessores & ministri in Reginæ verba adacti, cujus & nomine deinceps jus dictum, omniaque negotia publica expedita. Magno provincialium gaudio, nisi quod pauci Proceres, qui in Brandeburgicum inclinabant, pro-
24. Jan. testationem scripto conceptam, & decem sigillis obsignatam per Notarium publicum ministris Reginæ insinuatum irent, de cujus argumento quia jam constabat, libellus acceptatus non fuit. Miserant etiam Stetinenses eo tempore ablegatum ad Daniæ Regem super moderatione vectigalis in freto Oresundico acturum. Quod ubi Oxenstierna innotuit, arcessitos oppidi decuriones graviter increpuit, velut violato Reginæ jure. Qui Hanseatici fœderis vi, & Lubecensium exemplo id se fecisse excusabant; de cætero culpam deprecantes, nec in posterum tale quid admissum iri polliciti.

Res Pomeraniæ ordinantur.

Acta tractatuum super induciis Brandeburgicis.

§. 43. Initio hujus anni de perficiundis cum Electore Brandeburgico inducianum pactis agitari cœptum; quo nomine ab Electore missi Bornius Cancellarius, & Leuchtmarus Stetinum venerant; quibuscum ut tractarent, ab Joanne Oxenstierna Lillieströemius & Gerhardus Reenschildius delegati erant. Proponebant Brandeburgici, ut negotium Stetini absolveretur, cum Succi Stargardiæ mallent; & nonnulla in pacto Holmiensi remitterentur. Cum delegati Succici negarent de talibus se in mandatis habere, Leuchtmarus Stralsundam abit, ubi Oxenstierna tunc age-
11. Febr. Leuchtmari propositio. bat. Apud eum cum super loco tractatuum leviter tetigisset, de arctiore cum Regina tractatu per ambages jacere cœpit: Electori à puero displicuisse dissidia, quæ ipsius patri cum Succis instinctu pravorum consiliariorum exorta fuerint; ipsumque eo nomine gratia paterna fere excidisse; usque adeo nullam eorum culpam penes eundem hærere. Nil magis in votis esse, quam amicitiam cum Regina & Regno Sueciæ instaurare. Et si Oxenstierna arctiores tractatus aupicandi facultatem habeat, ab Electore statim Legatos cum plenis mandatis adfore. Inde ad formulam tractatus inter Axelium Oxenstiernam, & Sigismundum Gœtzium Moguntiæ anno tricesimo quarto delineatam devolvebatur, in qua fundamentum amicæ transactionis positum judicabat; etsi ista adhuc plenius discuti, & alia media tollendæ controversiæ inveniri possint. Oxenstierna contra testari; Regi- Oxenstiernæ responsum. nam non minus illis dissidiis indoluisse, eaque ut tollantur dudum optasse, idque acceptatis induciis declarasse. Eos tractatus specimen & fundamentum amicitiæ, & arctioris tractatus fore; quos ideo perfici necesse sit. Nam Moguntinum negotium intra nudam delineationem stetisse; & faciem rerum ab eo tempore valde mutatam. Tractatibus adornandis Golnoam proponebat, ni Stralsundæ eos suscipere mallet. Leuchtmarus velut absque collegæ consensu nihil decernere posset, Stetinum regreditur. Unde paulo post cum 8. Mart. Bornio, & tribus quæstoribus provincialibus Stralsundam revertit. Habito congressu Leuchtmarus primo plenipotentiam ad Holmienses tractatus, ad quam curandam scripto se obstrinxerat, exhibet; quæ idonea agnoscitur. Ad præsentes Disceptatio de plenipotentia. tractatus nullam novam plenipotentiam; sed tantum literas fidei ad Oxenstiernam attulerat; qua nec opus esse ferebat, cum præsens tractatus accessorium duntaxat Holmiensis sit, ubi de summa rei jam sit conventum. Eoque Electori persuasum fuisse per istam plenipotentiam sibi ad præsens negotium sat autoritatis conferri. Accessisse insuper literas fidei; & minutias has esse scrupulos circa plenipotentiam movendo negotium extrahere, cum satis constet Electoris se consiliarios esse, ad hanc rem expediendam peculiariter missos. Ast delegati Succici reponebant: Præsens negotium, etsi à pacto Holmensi promanans, revera novum & nondum decisum esse, Commissariis insuper, tempore & loco mutatis. Ad accessoria quoque propriam plenipotentiam desiderari. Sic anno vicesimo nono in Borussia tractatum de sequestro, & teloniorum modo accessorium fuisse tractatus induciarum; nec eo minus plenipotentiam postulatam, & exhibitam. Literas fiduciæ ad Oxenstiernam directas, in quibus nec de hoc negotio expressa mentio facta sit; cum Electori satis constiterit, non per Oxenstiernam, sed per alios hunc tractatum obeundum. Nec ignotum esse, quæ vis literis fiduciæ insit. Viros negotiorum publicorum peritos plenipotentiam inter minutias habere non posse. Ministros aliquid in emolumentū Principum suorum posse concludere, velut negotiorum gestores sub spe rati; sed ut concludatur aliquid Principi obligationem allaturum, velut à Commissariis, procuratorio opus esse. Ideo se quoque à Regina plenipotentia instructos, quæ sibi ab istis eo magis nunc exigenda sit, quo utrinque æqualitas observetur. Huic difficultati tollendæ Brandeburgici scriptam cautionem offerebant, se procuratorium ante finitum tractatum exhibituros. Id quod Oxenstierna, etsi culpa moræ in Brandeburgicos devolvi posset, probabat, ne abrupta negotiatione negotium in principio sisteret, & Electorem protelaret, cujus Legati tam longum iter fecerant; præsertim cum pari ratione cum Leuchtmaro in Suecia actum foret. Addidit tamen, intra quatuor septimanas istud exhibendum; ac si citius res conficiatur, Legatis non secius discedendi libertatem fore.

§. 44. Inspectis inde ratihabitionum instrumentis, in Succico Brandeburgici quod desiderarent nihil habebant. Sed in Brandeburgico pactum adjectum plane omissum erat, & non nisi principalis conventionis capita exprimebantur. Hinc Succici delegati ostendere; se nisi ratihabito pacto adjecto longius progredi non posse. Leuchtmarus contra; se in Suecia valde contendisse, ut id omitteretur: Electorem istud ægerrime tulisse, quod in fraudem

De pacto adjecto. 11. Mart.

1642. fraudem ipſius Statui vergat, & dignitati atque fidei non parum deroget; ejusdem quoque finem lenioribus remediis poſſe obtineri. Sed Sueci reponere; Sibi non injunctum jam transacta rationibus ſtabilire; ſed concluſa perficere. Tandem Brandeburgici caput id tantiſper ſeponi petebant, quoad reſponſum ab Electore accepiſſent. Quod & ipſum Oxenſtierna annuebat, & ut alia interim diſcuterentur, præſertim cum ratihabitio niſi transactis omnibus permutari non poſſet. Addidit tamen; niſi ratihabito pacto adjecto ad concluſionem perveniri non poſſe. Inde controverſia oriebatur circa caſtellum Werbenſe, quod à Brandeburgicis ſolo æquatum nuper fuerat: à quo inſtaurando usque adeo hi abhorrebant, ut mallent Veterem Marchiam Suecorum arbitrio relinquere; de quo & pacto cautum erat. Aſſenſere tamen, ut Succis id reficere, ſi velint, integrum ſit. Poſtulabant inde, ut Garlebia, Francofurto, & Lœckenitza præſidia Succica deducantur; Succici contra negabant in conventis ſe mutare quidquam poſſe. Et Lœckenitzæ in pacto mentionem non factam (hac enim ratione Brandeburgici nitebantur,) obtenuitatem loci, qui Stetino ſuburbani propugnaculi inſtar ſit, & tranſitum per Randoviam flumen præbeat. Ita Brandeburgici adquiescebant. Circa jurisdictionem in locis per præſidia Succica obtinendis placebat, eam penes Electorem in oppidanos manere. Sed ubi inter militem & oppidanum lis ſit, ea per deputatos ab utriusque magiſtratu decideretur. Si militi adverſum paganum actio ſit, ne is per appellationem ad aulam Electoris trahi poſſit. Ad alenda præſidia Croſinæ, Francofurti, Landsbergæ, Drieſenæ, Garlebiæ, & caſtelli Werbenſis Sueci deſignationem exhibebant, quæ ad quadringenties decies octies mille unciales adſcendebat. Brandeburgici ſummæ magnitudine conſternati non niſi octodecim millia uncialium annua offerebant. Quod uti Sueci adſpernabantur, ita dictæ ſummæ aliquid detrahi poſſe oſtendebant. Sed Brandeburgici ad hoc definiendum conventu Ordinum provincialium opus eſſe aſſerebant.

De præſidiis.

De jurisdictione.

De tributis.

§. 45. Poſtulabant quoque Brandeburgici, ut Sonnebergum, & reliqua bona Ordinis Equitum Teutonicorum reſtituerentur, Leuchtmaro aſſeverante, ni hoc obtineatur, tutum ſibi ad aulam acceſſum non fore ob indignationem Equitum. Enimvero quia de hoc pacto Holmienſi conventum erat, & Elector idem in ratihabitione ſua expreſſerat, Sueci judicabant, eam rem Electori parum cordi eſſe; quod non crederetur hunc retractare velle, quod jam annuerat; præſertim cum Elector ſibi pacto Holmienſi de hiſce facultatem deinceps agendi reſervaſſet. Ita cum Brandeburgici nihil amplius obtinere poſſent, Succicis defectum mandati obtendentibus, iſti conſtituebant de actis ad Electorem referre, & rem in unum & alterum menſem differre, quoad conſilio cum Ordinibus provincialibus habito ab Electore plene conſtitutum ſit. Id quod Oxenſtiernæ per codicillum inſinuant, addito, ut alius locus tractatui deinceps aſſignetur parcendis ſumtibus. Quanquam autem Oxenſtierna ſuſpicaretur, Brandeburgicos magis veniſſe, ut aliquid circa majoris momenti rem expiſcarentur, quam quod pactum Holmienſe ratificare vellent; viſum tamen iſtos
10. Mart. denuo cum delegatis Succicis congredi. Heic Brandeburgici liberalius centum millia uncialium annua offerebant, additis viginti millibus frumenti modiis. Simul poſtulatis, quæ hactenus urſerant, deliſtere; & id tantum petere, ut recenti inſtrumento inſeratur: ipſos ut ſua poſtulata obtinerent omnem operam contumſiſſe, ſed à Succicis

De bonis Equitum Teutonicorum.

impetrare non potuiſſe, quod omnia Holmiæ definita forent. Quod annuere Succicis facile videbatur. Ita ſpes erat tractatus feliciter abſolutum iri, & jam concinnando inſtrumento manus admovebatur. Sed mox Brandeburgici incertum qua de cauſa omnia fere quæ nuper placuerant, retractabant defectum mandati excutantes, & aliquot hebdomadum dilationem poſtulabant. Interim ſe Stetini Principis ſui declarationem expectaturos, & curaturos, ut conventus provincialium maturetur expediendis præſidiorum alimentis. Simul in Oxenſtiernæ arbitrium referebant, ſi delegatos Stetinum mittere velit tractatui continuando, ubi Electoris declaratio veniſſet. Ita iſti Stralſunda Stetinum diſcedebant, non repugnante Oxenſtierna. De arctiore conjunctione à Leuchtmaro inſinuata nihil actum, quod neque hic amplius quid ſuper ea tangeret; neque illi conſultum videretur talia ultro movere. Alias expedire videbatur Succis, quod ratificatio eo tempore permutata non foret. Nam quæ tunc Electoris ditioni per hoſpitia Stalhantſchii, & tranſitum Torſtenſonii per Marchiam moleſtia dabatur, melius obtentu dilatæ per ipſum Electorem ratihabitionis excuſari poterat. Nec minus hoſtilitas ceſſabat, & omnes provinciæ reditus in Succorum poteſtate manebant, quibus poſt ratificationem cedendum erat.

1642. Brandeburgici rationes gerunt.

5. April. Iidem re infecta diſcedunt.

§. 46. Paulo poſt Stetini, quo & Oxenſtierna ſe interim contulerat, negotium denuo ſuſcipitur. Ubi Brandeburgici quidem Legati procuratorium, quod Stralſundæ deſiderabatur, exhibebant. Sed in ipſo negotio iidem motis antea difficultatibus plures addebant, ut omnia pacti capita refingere velle viderentur. Equidem de pacto adjecto Succi demum cedere ſtatuerant, modo primaria conventio ſalva perſiſteret. Aſt Elector in reparationem caſtelli Werbenſis conſentire abnuebat, aut ut Vetus Marchia in Succorum manibus relinqueretur. Tum præſidiariis Lœckenitzæ *ſervitia* quæ vocant è Marchia Uckerana denegare, tributi moderationem, & ut reditus ſibi ſui relinquantur poſtulare; monopolium inſuper ſalis, & ut Francofurtanis jus ſtapulæ adverſus Stetinenſes ſalvum eſſet: tum navigatio Wartæ fluminis Polonis iterum aperiretur. De bonis Equitum Teutonicorum ut ad futuram tractationem rejiceretur concedebat; modo iſti ratam partem ad onera Marchiæ conferrent, velut qui inter hujus Ordines cenſerentur. Addebat, vim eorum, quæ Holmiæ concluſa forent, plane ab Electoris ratihabitione ſuſpendi; quæ quanquam hujus manu ac ſigillo firmata penes ſe ſit, injunctum tamen ſibi eam non tradere, niſi hiſce conceſſis. Cum iſta neque annuere Succici, nec iisdem deſiſtere Brandeburgici vellent, tandem hi contendebant, ut hoc negotium vel ad Electoris è Boruſſia in Marchiam adventum, vel aliam ipſius legationem in Succiam differatur. Interea nihilo ſecius hoſtilia ceſſent, & uti Electori acceſſus, & commorario in Marchia, abitusque omni periculo & offenſa vacuus ſit. Circa quod ad extremum maxime ſatagere videbantur, & ut ſcripto ſuper iſto caveretur poſtulabant. Sed Oxenſtierna primario negotio adhuc imperfecto ad tale quid ſe aſtringere, quod ſoli Electori proficuum, Reginæ forte onerоſum eſſet futurum, haut conſultum ducebat; eoque ſuper iſta re mandata Reginæ ſibi expectanda reponebat. Ita Bornius raptim inſalutato Oxenſtierna Cuſtrinum abibat. Sed Leuchtmaro valedicenti Oxenſtierna ſuper Pomerania differendi ultro occaſionem ſuppeditabat; quod ille inter alias rationes reſtituendi bona Equitum Teutonicorum jactaſſet; cum Elector Reginæ totam Pomeraniam in biennium concedat, Succos viciſſim ipſi tantilla Marchiæ

Tractatus Stetini inſtauratur. 11. Maji.

Brandeburgici iterum re infecta diſcedunt.

1642. chiæ particula gratificari posse. Sed iste id negotium declinare, & ad Electoris adventum omnia reiicere. Et satis adparebat, à Brandenburgico controversiam de Pomerania pacto connubiali, quod agitabant, interendam. Paulo post Legatorum discessum Custrinenses navigio Succico, quod machinas & paratum bellicum Landsbergam, & Drielenam devehebat; transitum abnegaverant, quam antea non gravatim permiserant. Ejus mutationis causam scitanti per literas Oxenstiernæ Ernestus Marchio respondebat: ab Electore id prohibitum, & talium rerum transvectionem præter ejusmodi oppida ægre concedi solere. Id quoque Electori apud Cæsarem & Imperii Ordines fraudi esse posse. Mox tamen Elector ultro quibusvis rebus promiscue transitum concedendum rescribebat. Idem dehinc Leuchtmari literis, & post misso Schulenburgio Oxenstiernæ significat; decretum sibi cœptum negotium absolvere. Interim hostilia cessent, nec subditis ob dilatos tractatus molestiæ quid inferatur; tum ut frumentum per Wartam & Oderam Custrinum devehere integrum sit. Utrumq; annuebat Oxenstierna, testatus tamen, ratihabitionem pacti Holmiensis futuræ negotiationi utique fundamenti loco substernendam. Cæterum ex illo hoc tractandi modo Sueci judicabant, ab Electore data opera tempus extrahi, ut quo belli fortuna se datura esset, discerni posset. Nec Sueci eam moram ægre ferebant, quibus in lucro habebatur, si tractatus ille succederet.

1. Jun.

6. Jun.

Novæ Brandeburgi in Sueciam legationis. 22. Aug.

§. 47. Adpuleram post in Suecia ab Electore missi Sigismundus Gœrtzius Cancellarius, & Leuchtmarus. Ea legatio totius prope Christiani orbis animos advertebat, quod super connubio inter Reginam Sueciæ, & Electorem actum iri ubique crederetur. Equidem Legati illi palam id tantum jactabant, super Regina Matre ejusq; dotalitio & tractatu inducierarum nondum completo à se actum iri. Enimvero nemini prudenti persuadebatur tam modici negotii causa vergente in autumnum anno missum Gœrtzium Consilii secretioris caput, virum Metus mi- lenio debilem. In primis autem ea res ingentem Pomorum ob- lonis, Danisque scrupulum injiciebat. Isti jam ante eam lega- crebras Leuchtmari hinc inde itiones sinistre acceperant, usque adeo, ut nuper Stetino reversus Gedani sistendus esset, ni propere is eam urbem transisset. Nunc ista hæc legatio suspicionem augebat. Eoque Poloniæ Rex Magnum Cancellarium Ossalinskium cum insigni ducentorum hominũ comitatu Regium-Montem ad Electorem mittebat, obtentu controversias circa homagium Borussiæ nomine ab isto præstandum componendi; revera ut scopum ejus legationis expiscaretur, & Electorem ab eo matrimonio averteret, quod Cæsari quoque atque Hispano formidabatur. Tribun° Artischofskius eo tempore è Belgio redux, quo à Poloniæ Rege missus fuerat, Cniphusio Hamburgi præfecto dixerat; si matrimonium id succederet, Regem Uladislaum quiescere non posse; atrocibus insuper verbis in Electorem invectus, quod is Poloniæ Vasallus Regnum affectaret, quod Rex sibi deberi pertenderet. Danus quoq; incrementa potentiæ Sueciæ horrebat; ad quem tunc à Polono Baudissius missus erat sub specie offensam ob abreptas quondam à Dano ad Gedanensem portum naves abolendi, veteremque amicitiam restituendi; simul operam Poloni circa componendam pacem oblaturus; revera ut quid Dano animi foret exquireret, & eum in casum arctiori fœderi Polonum inter & Danum viam sterneret. Belgis Fœderatis id connubium non ingratum fore credebatur, etsi Bohemiæ Regina & Princeps Arausionensis eum sponsum suis filiabus præoptabant. Eidem & Anglicanum Parlamentum favebat; nam de ipso Rege dubitabatur. Sane Averius Anglicus Hamburgi minister ejus successum palam optabat. Avauxius judicium suum in suspenso tenebat; & quia id connubium non vehementer suadebat, dubitare videbatur, num id Galliæ expediret. Protestantes Germaniæ Ordines Suecis non infensi id exoptatissimum ducebant, velut ea conjunctione solidum paci fundamentum substernendum foret. Ast apud exercitum præfecti juxta ac milites futuro matrimonio magna jam poculorum vi fausta ominabantur; ac credebatur, quicquid foret Evangelici militis isto succedente ad Succos agminatim confluxurum.

1642.

Legationum negotiatio de Regina Matre

§. 48. Enimvero Legati, quanquam publica audientia testati essent: eo se fine missos, ut amicitia superiore anno inter Reginam & Electorem instaurari cœpta amplius firmetur; tamen post neque scripto, neque congressu cum deputatis à Senatu habito præter memorata capita de Regina Matre, & inducis quidquam movebant. Et de eo quidem facile conventum, ut Regina Mater in Borussia degeret, cujus usibus Electori quotannis triginta uncialium millia Gedani exsolvenda essent. Nam eandem tunc ne volentem quidem in Sueciam recipi consultum videbatur, ne minorennem filiam in Senatum instigaret, aut si discors filiæ ageret, majore deformitate; tutius reditura si vellet, postquam filia susceptο regimine se stabilisset: id quod & post anno 1649. factum. Remoram tamen huic negotio injicere conabatur Rex Daniæ, cujus nomine Petrus Wibius apud Rectores Sueciæ proponebat; Regem suadere non posse, ut Regina in Borussiam se conferat, sub alieno ibi nutu victura, libertatis, cujus amantissima sit, expers. Unde malle ipsam in Dania retinere; quoad filia regimen capesseret; non hostem se, sed benevolum vicinum esse, eique amica omnia exhibiturum. Aut si ipsa malit, posse eam Schœningam ad sororem suam Gabrielis Berleni Viduam se conferre. Addebat, ut de dotalitio disponere ipsi concedatur. Huic responsum; Reginæ filiæ 16. Sept. satius videri, eam apud Electorem degere, quicum jam eo nomine conventio sit inita, ad quam ipse Rex ante viam velut muniverit. Quod si Rex utique istam migrationem dissuadere velit, ferendum, quod emendari non possit. Se tamen Deo & hominibus excusatum iri, si pietatem adversus matrem citra suam culpam expromere impediatur. Quanquam revera Rex ista in speciem tantum movebat, qui jamdudum sumtuosam hospitem honeste amittendi occasionem optarat; & ipse aliquoties ad Electorales Viduas scripserat, ut Reginam Matrem ad se pertraherent. Mittebant Legati nobilem Holmia in Daniam ad Reginam, de migratione in Borussiam significaturum. Quæ initio responsum differebat, quoad cum Rege, qui tunc in Holsatia aberat, locuta esset. Tandem tamen frequenti vere in Borussiam abiturã se respondebat. Inducierum tractatus quo minus absolveretur obstabat, quod Brandeburgici alendis Suecorum præsidiis centum millia uncialium, viginti millia modiorũ frumenti offerrent, ad quam summam etiam Vetus Marchia rata collatura erat; cum Sueci isti summæ quadraginta uncialium millia annua addi postularent. Unde hæc res denuo ad Oxenstiernam pressius discepranda remittebatur. Sed & Stetinenses querebantur, ab Electore merces per ipsius terras transeuntes novis vectigalibus onerari; id quod expressis pacti verbis repugnabat. Ad quæ Legati parum quod reponerent habebant; ignorari à se ista; Electori jus esse talia in suis terris constituere; eadem ab Electoris patre introducta ante initam conventionem: nec Stetinensibus fraudi esse, qui pretia mercium hoc nomine augeant. Sed denuntiabatur, vix in-

Et de induciis.

1642. ductarum pacta perfectum iri, nisi onere isto abolito.

De matrimonio Reginæ cum Electore Brandeburgico.

§. 49. Enimvero super connubio Reginæ cum Electore Legati privatis tantum sermonibus procerum animos tentabant. Sane constabat Gustavo Regi id connubium valde expetitum, quod magnis rebus circa Pomeraniam, Borussiam, & ipsam Poloniam fundamentum substernebat. Sed ab istius excessu ingens rerum mutatio contigerat. Et tunc Regina autoritatem patriam sequi tenebatur. Nunc tutoribus circa minorennem haut quidquam par potestas; & plena Reginæ ætas utique expectanda erat, ut liquido consensu ipsa de se statuere posset. Et Rex Gustavus dixerat; Principem in Suecia educandum, ut linguæ moribusque Suecicis, simul sacris adsuesceret. Quanquam Elector circa id tempus conciliandis Lutheranorum & Reformatorum sententiis operam dabat Regio-Monte inter Bœhmium, & Bergium Theologos colloquio instituto; ut multis, Danis præsertim, persuasum esset, Electorem sacra Lutherana professurum. Legatis tamen id, quod ambiebant, haut aperte abnegatum: sed super eo ad Reginam, & Senatum, Ordinesque referendum, & mature deliberandum, placide reponebatur. Cancellarii tamen Oxenstiernæ mens erat, id connubium Sueciæ non expedire. Nam præter discrepantiam circa sacra, Principem eum pervicaci videri ingenio, cui cum splendidum patrimonium sit, Sueciam minus cordi fore. Extraneis Regibus solitum Sueciam opibus exhaurire, easque cum præcipuis muneribus in populares suos transferre. Nec sueviſſe eum cum Ordinibus tractare, & eorum libertatem ferre. Fortasse & ipsum amitæ exemplo cœlum, solumque Sueciæ fastiditurum. Ipsam Reginam alloquendi legatis nulla facultas dabatur, quæ tunc Regni provincias circumibat, ut subditos nosceret, & ab iisdem nosceretur. E cujus absentia, & aliis indiciis homines profunda prudentia judicabant, Suecis id matrimonium parum cordi esse; eoque honestius suo Principi, quæ forte in mandatis habebant, solenniter non expromere. Et sane absentia Reginæ eo magis affectata videbatur, quod initio ejus anni, quem ipsa sextum decimum ætatis ingrediebatur, Senatui placuisset, effulgente jam supra annos & sexum mentis lumine, cum ipsa magni momenti negotia communicari; quo tractandis negotiis publicis, eorumque oneri ferendo assuesceret, nec imperium ad ministros transmitteret, per ludicra aut vana tempore prodacto. Et quia non defuturi erant, qui sinistram illi de Rectoribus & Senatu opinionem impressuri erant, utile videbatur eandem in Senatu assidentem quid ageretur arbitrari, & quid utile Regno, quid noxium foret è bonis ministris percipere; ut ipsa vana solidis discernere posset, si qui deinceps sinistra instillare aggrederentur. Ab hoc instituto tam salutari Reginam præter necessitatem distractam haut sine gravi causa factum videbatur. Legati tamen publice spargebant, negotiationem suam Electori plane satisfeciſſe. Sane in Polonia post ipsorum reditum ea suspicio usq; adeo imminuta non erat, ut in capitibus futuro Ordinum conventu proponendis id quoque exprimeretur: quid faciendum, quod Elector Regni vasallus matrimonium cum inimica Domo agitet, ex quo multum periculi Poloniæ provenire queat; Cæterum ad tractatus induciarum in Pomeranim remissos Regina statim post legatorum discessum novum procu-
11. Oct. 29. Dec. ratorium transmittebat. Sed Elector lentius agebat; ut tamen circa finem anni literis ad Joannem Oxenstiernam moram excusaret. Iter quippe in Marchiam varias ad causas fuisse differendum; quod tamen mox ingressurus sit; & è propinquo negotium facilius expediendum. 1642.

Negotiatio de pace.

§. 50. Paci reducendæ Sueci hactenus nihil idoneorum mediorum omiserant; quos domi incommoda belli indies magis premebant, exhaustis per delectus provinciis, & peregrini militis constantiæ parum fidebatur. Unde & à Rectoribus Sueciæ præliminaris tractatus statim ratihabebatur, triplici ejusdem instrumento ad Salvium transmisso; quorum primo transactio super loco & tempore tractatuum firmabatur, omissis reliquis capitibus. Sed secundo & tertio tota conventio verbotenus inserebatur, hoc tantum discrimine, quod in uno Cæsaris & Luzovii, in altero Regis Galliæ & Avauxii nomen præponeretur. Salvio injunctum, nisi primo repudiato posterioribus non uti; utque tentaret, num Cæsarei illud acceptare velint, quo Galliæ Regis nomen præponebatur. Simul jubebatur diligenter operam dare, quo tractatus utique procederent. Quod si tamen Gallia, uti suspicio erat, tractatibus nondum parata foret, ita rem temperaret, ne amicitia cum eo Regno abrumperetur, & invidia moræ à Suecia in alios devolveretur. Tum ne quid Sueciæ posset imputari, Joannes Oxenstierna, & Salvius jam in Germania erant, plenis mandatis super pace tractanda instructi; quo & Thuro Bielkius, qui tertius destinabatur, pro-
22. Jan. pediem profecturus erat. Oxenstierna quoque, & Salvius Wismariæ congressi super mandatis suis consilia contulerant; ac placebat ut statim atque Salvii conductus permutati essent, Oxenstierna Hamburgum se conferret. Sed & Ordines Sueciæ, qui tunc Holmiæ conventum agitabant, probatis
25. Febr. Rectorum hactenus actis petebant, ne ulla occasio honestæ & tutæ pacis omitteretur. Quia tamen illa vix obtineri posse videbatur, nisi bello acriter gesto, delectus militum, & tributa ab iisdem promptè offerebantur.

Sueci præliminares tractatum ratihabent.

Luzovius Hamburgo avocatur.

§. 51. Enimvero omnium animis in permutationem diplomatum tuti itineris intentis, à Cæsare negotio remora injicitur revocato Luzovio, qui hactenus Hamburgi circa præliminarem tractatum adornandum sategerat; in cujus locum Joannes Weicardus Aurspergius Comes mittebatur. Illum licet Daniæ Rex ob aculeatas in ipsum scriptas literas avocari à Cæsare petiisset; tamen jam antequam Regis literæ Viennam perlatæ essent, super eodem amovendo decretum erat. Incurrerat is offensam apud Cæsarem, quod super præliminaribus solenni ac scripto tactatu convenisset, eoque destinata Cæsaris turbasset, cui in animo erat bellum extrahere, & culpam dilatæ pacis in Sueciæ Regna devolvere; de quo multis indiciis sat constabat. In aula Cæsaris paucus de pace sermo, & Electoralibus Viennæ præsentibus Legatis nondum de ea quid significatum. Et quamvis Germaniæ Ordines pacem summopere optarent, in quam etiam Ferdinandi genius inclinabat: Hispani tamen, à quorum consiliis ipse plane dependebat, à pace tunc abhorrebant, ob nimios Gallorum progressus simul; interna Galliæ mutatio expectabatur per mortem Regis, Cardinalis Richelii, & Pontificis Urbani VIII. & si quis casus faciem armorum alterare posset. Animos addebant prorogatæ in decennium cum Turcis induciæ, decretum Ratisponense ad placitum Cæsaris formatum, recuperata per Lauenburgicum Silesia, classis Americana argento onusta in portum incolumis deducta; prosperæ Hispanis in Catalonia res, Protestantes Ordines Germaniæ plane pessumdati, Suecia diuturno bello exhausta, opes Galliæ indies minuentes. Huc insuper consilia vertebantur, ut Luneburgicos, Hassosque Regnis avulsos sibi adjungerent, ipsaque Regna invicem suspecta

Cæsar æque ac Galli pacem aspernatur.

reddita

1641. reddita diſſociarent; inde Sueciæ tanquam debiliori, qualem ipſi vellent, pacem ſeparatam obtruderent, eandem cum Pragenſi eventum ſortituram, ut inde tota vi Gallia invadi poſſit. Inſuper de Anglo & Dano in partes pertrahendo laborabatur; quarum illi ſpes Palatinum reſtituendi, huic vectigal Glucſtadiense, & Comitatus Pinnebergicus oſtentabatur. Ac graviter impegiſſe cenſebatur Luzovius, quod Danum irritaſſet: id quod Cæſarei arrubis Salvii, & Hamburgenſium adſcribebant. Eodem ſpectabant ſeparati tractatus per Cæſareos ſubinde Sueeis oblati, & quod Aurſpergius, tractatibus pacis Germanicæ non expectatis, Hiſpanicis initium dare feſtinaret. Nec ipſe Aurſpergius Lucæ Langermanno Conſiliario Danico fateri dubitabat; id ſe optare, ut Coronæ ſeparentur. Cui hic reponebat; Regem quoque Daniæ omnem lapidem, ut id fieret, movifſe, ſed nullo ſucceſſu. Unde Sueci judicabant eo rem redijſe, ut vel ipſi armis in provincias Cæſaris translatis hunc ad communem pacem acceptandam vi compellerent; vel ipſi in angustias redacti leges à Cæſare admitterent. Sed & Gallis pax tunc parum cordi erat, queis animos addebat obtenta nuper à Vmarienſibus & Haſſis victoria, Hohentvvila ſervata, ſcriptus apud Helvetios miles, Pontifex Gallicis rebus ſtudens, Sueeorum & Batavorum exercitus integri, bellum Luſitanicum, propriis armorum in Cataloniam adparatus. Et gaudebat Avauxius à Cæſare morarum occaſionem præberi, cum alias modicam apud Regem gratiam miturus fuiſſet tam propere abſoluto tractatu prælimmari. Ita Hiſpani Cæſarem, Galli Sueeos à pace retrahebant; Cæſar inſuper Sueeos Gallis, utrosque Germaniæ Ordinibus divellere laborabat, quo prætextum amnestiæ illis ſubtraheret.

Cæſar præliminarium tractatum ſolenniter ratihabere non vult. Literæ Cæſaris ad Regem Daniæ.

§. 52. Porro Aurſpergius comitante caterva Sueeica Hamburgum deductus diem decimum quintum Februarii permutandæ ratificationi præliminarium deſtinatum ſilentio elabi patiebatur, nulla ſignificatione oblata, num illam ſecum haberet, an minus. Literas tamen à Cæſare Kalendis Februarijs datas ad Regem Daniæ mittebat, per quas, nec alio modo, Cæſar prævios tractatus firmare cupiebat. In his literis fundamenti loco ſubſternebatur, omnia quæ à Luzovio interventu Langermanni cum Salvio & Avauxio acta eſſent, ab ipſius & aliorum quorum intererat adprobatione pendere. Quare autem Cæſar tractatum ea, qua conceptus erat formula, ratihabere abnueret, hi prætextus ferebantur, quod Luzovius cum Regijs Legatis tanquam par cum paribus tractaſſet, neque Cæſaris nomen utrulumque æque in Sueeico & Gallico, quam ſuo inſtrumento præponiſſet. Tum quod Oſnabrugam & Monaſterium neutri bellantium parti addicta declaraſſet, conceſſo inſuper, ut illæ urbes juramento ſuo tantiſper exſolverentur, & toti conventui per earum urbium magiſtratum ſcripto caveretur. Quorum hoc Cæſari contumeliæ cedat, velut parum cautionis iſtius diplomatis inſit, illud vero Imperio fraudi ſit, cujus juriſdictioni hæc oppida eximantur. Nec ferendum judicabat Cæſar, hæc verba inſtrumento inſerta fuiſſe, *quod actio cum Sueeis & Gallis pro una eademque ſit habenda*; quaſi Cæſar hoc ipſo fœdus inter ea Regna adprobet. De cætero literis ad Daniæ Regem ſcriptis idem ſalvum conductum pro Sabaudio annuebat ea forma, quam Galli expetebant, ut tamen is ab Aurſpergio non prius tradatur, quam cæteris omnibus circa præliminaria tranſactis, & ut univerſum negotiũ à ſola ejus diplomatis traditione pendeat; tum ne ea res Cardinalis Sabaudi, & Principis Thomæ juri circa tutelam fraudi ſit. Præterea quanquam Avauxius ad talia cum Cæſareo miniſtro tranſigenda procuratorium non exhibuerit, quin ultrò faſtus ſit, idem absque mandato à ſe agi: concedebat tamen Cæſar pro ſe & Rege Hiſpaniæ, ut Monaſterii & Oſnabrugæ tractatus inſtituerentur, ac poſt permutata diplomata præſidijs inde deductis utrumq; oppidum proprio militi & oppidanis cuſtodiendum relinqueretur; Oſnabrugæ quoque privilegia ac ſacra ſalva forent. E ſuperfluo quoque fratri Leopoldo, & cæteris ducibus injungendum erat, ut poſtquam Legati eam intraſſent, adverſus Oſnabrugam & Petriburgum nihil hoſtile tentarent. Idemq; pro Rege Hiſpaniæ, Bavaroque, & Saxone ſpondebatur, ut tamen pars adverſa pari modo caveret. Probabat quoque Cæſar, quæ ſuper itinerum & tabellariorum ſecuritate conventa fuerant, & ut abrupto tractatu intra ſex ſeptimanas adverſus Oſnabrugam & adſitum caſtrum nil hoſtile ſuſciperetur, Sueecoque præſidio reverti eodem integrum eſſet: quo jure & Monaſterium fruceretur. Circa diem permutandorum diplomatum, & inchoandi congreſſus declarabat, quo maturius iſte fieret, eo gratius id ſibi Regique Hiſpaniæ fore; ac jam pridem Commiſſarijs ſuis, ut in procinctu ſint, injunxiſſe: præſtolari quoque, ut miniſter Gallicus requiſita ab ipſo diplomata rite concepta exhibeat: ab Aurſpergio diem auſpicando tractatui diplomatibus inferendum, eaque Regi tradenda. Loco fratrum Palatinorum, Ducum Brunſuicenſium fratrum, & cognatorum, & Landgraviæ contentiebat Cæſar, ut Domus Palatina, Brunſuicenſis & Luneburgenſis, ut & Haſſica Caſſellenſis in diplomatis perſcriberetur. Circa locum Oſnabrugæ & Monaſterio interjectum congreſſibus legatorum probaturus erat, quicquid inter Legatos conventum foret. Parcendo tempori omnia diplomata, etiam quæ ab Infante Hiſpaniæ Lutetiam ad Legatum Venetum transmiſſa fuerant, Hamburgum curanda. Ad Regem Hiſpaniæ ſuper firmandis ab Infante datis diplomatis primo quoque tempore ſcripturum, ut tamen nihilo ſecius tractatus, antequam reſponſum inde veniat, inchoentur. Addebatur, quicquid in illa tranſactione autoritati Cæſareæ & Imperij adverſum comprehendatur, ei ſe haut quidquam allenturi, neque id adprobare: ſimul ut Rex adverſam partem permoveat, ut congreſſum hunc ſincere, absque fraude & captione ſuſcipiat. Aurſpergio injunctum, ut ſi Regi placeat unum & alterum planius exponat. Præter hæc Aurſpergius ferebat, omnia penes ſe diplomata pro Sueeis Gallisque ad pacem Germanicam ſpectantia eſſe, quæ ſtatim permutari queant. Diem tamen auſpicandis tractatibus differre poſſe, quoad Hiſpanica, quæ propediem expectet, advenerint: moræ cautam in mortem Infantis, & Madriti intervallum rejiciens. Interim Germanicæ pacis tractatus apparandos.

Daniæ Regis ad Legatos Regios miſſio, 22. Febr.

§. 53. Daniæ Rex inde Legatis Regijs exemplum Cæſareæ epiſtolæ per Langermannum oſtendi curabat, addito, ſibi videri eam ratificationi æquivalere, cum quæ per prævios tractatus definiri ſoleant annuantur. Probari à Cæſare locum tractatus, diplomata Aurſpergio transmiſſa; eidem facultatem datam diem congreſſus nominandi. Offerebat inſuper, ſe ejus epiſtolæ autographum, aut exemplum fide dignum transmiſſurum. Salvius deſiderio pacis initio cenſebat, cum Cæſar primaria tria capita annuerit, diplomata ad pacem Germanicam ſpectantia poſſe permutari; idemque Avauxio perſuadere conabatur. Aſt huic ſolennis Cæſaris ratificatio utique exigenda videbatur. Et utrique mox re maturius expenſa adparebat, præterquam quod à dignitate ſociorum Regnorum non eſſet, iſtas literas in ratihabitionis locum admittere, neque rationes quæ adduc-

Lecti Regii literæ Cæſaris improbatæ.

1642. cebantur ſufficere, quo minus Cæſar tractatus prævios ſolenni modo confirmet, neque literas illas ita formatas eſſe, ut ratihabitionis vicem ſubire poſſint. Cæſaris & Imperii faſtigio à ſe nil detrahi; ſed nec paſſuros à Cæſare ſociorum Regnorum dignitatem imminui. Sane hæc ad Cæſaris majeſtatem ne comiter quidem colendam teneri; eoque deinceps non aliter, quam ut pares cum paribus ſolent, tractandum. Ut loca tractatuum bello utrinque eximantur, ad æqualitatem tractatuum facere. Nec Cæſarem ad locum alterutrius Regni ditioni ſubjectum Legatos miſſurum; nec ſociorum Regnorum Legatos oppida Cæſari obnoxia ſubituros. Iniquum eſſe Suecos amore pacis Oſnabrugæ præſidium deducere, & eandem Cæſari juramento devinctam manere. Cæſarea diplomata ſuo loco relinqui; nec tamen memoria excidiſſe, eadem Brandenſteinio Comiti prodeſſe non potuiſſe, quo minus in carcere apud Saxoniæ Electorem extinctus ſit. Statum medium iſtis oppidis ad tempus indultum neutri partium fraudi eſſe, & abruptis tractatibus omnia in priſtinam conditionem reponenda. Imo non Cæſari, ſed Sueciæ quid inde decedere, in cujus poteſtate nunc Oſnabruga ſit. Ut Cæſar fœdus Suecorum cum Gallis probet, non magis à ſe deſiderari, quam ut ipſi Cæſaris cum quibusvis fœdera probent. Utrique Regno ſtare ſententiam, arma ſimul gerere, ſimul pacem inire. Ita quo magis adparebat hoſtem circa dividenda ſocia Regna laborare, eo arctius iſta, eorumque miniſtri ſe mutuo amplectebantur.

Cenſura Cæſareanum literatum.

§. 54. In literis porro Cæſareis fruſtra fundamenti loco ponebatur; in arbitrio Cæſaris & ſociorum relictum Hamburgi conventa firmare velint, an minus. Nam Luzovius plena poteſtate circa præliminaria inſtructus non ſub libero, ſed neceſſario rato concluſerat. In exordio literarum Avauxius obſervabat, etſi Daniæ Rex tam pro diplomate Sabaudico, quam conſenſu Hiſpanico fidem ſuam interpoſuerat, Cæſarem de priore tantum mentionem feciſſe, altero plane prætermiſſo. Idem quoque ægre ferebat, à Cæſare ſcriptum; facultate agendi ipſum inſtructum non fuiſſe, & absque mandato egiſſe; adductis eo fine ſuis ad Regem Daniæ literis. Plenipotentiam ſuam ad prævios æque ac primarios tractatus jam ante triennium Curtio Comiti exhibitam. In literis ad Daniæ Regem obiter indicaſſe; ſe in ipſius honorem conventui diem dixiſſe ante permutata diplomata, liberalius quam mandata ſua fuerant, ne paci remora objiciatur: addidiſſe tamen, Regem Galliæ conventa utique probaturum. De cætero nihil à ſe ſine mandato actum, & ſe paratum Regis ſui ratihabitionem exhibere. Abſurdum eſſe, cum Cæſarei tantum pacis deſiderium jactent, eoſdem ita ſiniſtre interpretari, quæ ipſe ſtudio pacis fecerit. Idem ſuper loco tractatuum deſiderabat, quod cum Cæſar circa Oſnabrugam & Petriburgum cavere voluerit, ne à ducibus ſuis impererentur, de Monaſterio ſiluerit, velut ampliorem Succicis, quam Gallicis tractatibus ſecuritatem præſtiturus. Nec ad rem facere, quod Monaſterium Colonienſi Præſuli ſit ſubjectum, eoque tali cautione opus non habeat. Nam Oſnabrugæ parem rationem poſt deductum præſidium Succicum eſſe; ſi hæc conſideretur velut Oſnabrugenſi Præſuli ſubjecta, aut armis Succicis ſubacta. Nam priore caſu Cæſarem non plus cautionis Oſnabrugæ, quam Monaſterio præſtare debere: altero caſu à Succis non plus cautionis pro Oſnabruga exigi debere, quam ipſe pro Monaſterio præſtet. Suſpecta quoque videbantur verba, *poſtquam noſtri & aliorum Regum ac Principum Legati Oſnabrugam intraverint.* Nam forte urbi cautum non fore ingreſſo uno aut altero Regio Legato, antequam Cæſarei adfuerint, aut deducto præſidio Succico, antequam omnes Legati advenerint. Et cum de hac cautione antea conventum non ſit, novas nunc per eam moras quæri. Sed & Salvio diſplicebat, quod cum Cæſar permiſiſſet, ut abruptis forte tractatibus Succi ſuum præſidium Oſnabrugæ iterum inducerent, circa Monaſterium idem fieri debere adderetur. Cum tamen illorum oppidorum diſpar foret conditio, quod Monaſterium non niſi proprio milite obtineretur, idemque Cæſareum præſidium admiſſurum non eſſet. Unde cum poſterior conditio dicto caſu ceſſatura foret, verebatur, ne inde prætextum arriperetur præſidium Succicum intra Oſnabrugam iterum haut admittendi. Porro diplomatis Cæſar laxe tantum mentionem fecerat, non expreſſe, an illa exhibiturus ſit, quæ Luzovius in tractatu præliminari promiſiſſet, & illis adquieturus, quæ Regii Legati viciſſim obtulerant. Quin & eo tempore novi quid movebat Cæſar circa Ducem Lotharingiæ, pro quo Regem Galliæ peculiare diploma poſcebat; Aurſpergio vetito citra iſtud reliqua permutare: idemque ut apud Avauxium urgeret, à Rege Daniæ poſtulabat. Præterea ſcripturum quidem Cæſar ſe ad Regem Hiſpaniæ ferebat ſuper firmandis ab Infante datis diplomatis: ut tamen reſponſo non expectato tractatus incipi vellet: cum tamen Luzovio non pro ſe ſolum, ſed & pro Hiſpano tractare mandaſſet, & hic Hiſpanorum æque ac Cæſareorum diplomatum permutationem ſtata die recepiſſet. Tandem neque diem congreſſui ordiendo Cæſar expreſſerat, ſed tantum obſoletam formulam repetierat, *quo citius, eo gratius.* Et eo ipſo dum ſcribebat, Aurſpergio ſe injunxiſſe, ſuper uno & altero uberiorem declarationem edere, nova tranſactione opus futurum erat, ſuper qua Regii Legati mandata non habebant; ſed potius juſſi erant priori conventioni inſiſtere, ejusque ratificationem cum Cæſarea permutare.

Legati Regii dubia ſua Miniſtro Danico expo-nunt.

§. 55. Has ob rationes Legati Regii Langermanno oſtenderunt: Cæſari idoneam cauſam non eſſe ſolennem ratihabitionem abnuendi; literas ejuſdem ad Daniæ Regem ratihabitionis loco admiſſum non iri, mendis præſertim magni momenti refertas. Se quod ſuum erat præſtitiſſe, concluſo tractatu & ratihabitione obtenta. Jam poteſtatem ſuam circa præliminaria expiraſſe. Sibi propria autoritate à ſuperioribus firmata abolere fas non eſſe. Ut ſuperre cum Legato Cæſaris, plenis mandatis inſtructo, & ſub neceſſario rato concluſa novus tractatus ſuſcipiatur cum novo Legato Cæſareo, de cujus plenipotentia ſibi non conſtet, novis ſibi mandatis opus eſſe. Non poſſe non intentionem Cæſaris à ſe ſuſpectam haberi. Luzovium tractatu concluſo avocatum: forte & Aurſpergium, ſi cum ipſo tranſactum fuerit, avocandum tertio Legato ſubſtituto. Igitur ſe non poſſe non ſolennem Cæſaris ratificationem urgere. Non ſperare ſe, Cæſareo ex mandato per laborioſam Regis Daniæ operam concluſa, & jam omnibus quorum intereſt denuntiata à Cæſare retractatum iri cum ludibrio ſociorum Regnorum: aut eundem tam aperto indicio orbi Chriſtiano fidem facturum, pacem ſibi cordi non eſſe. Se tamen ad ſuperiores relaturos, & reſponſum expectaturos: interim omnia in integro manſura. Ita tractatus quieſcebant, quoad à ſuperioribus reſponſum allatum eſſet. Et quanquam poſt Aurſpergius indicaret Hiſpanica diplomata allata; tamen neque de forma illorum conſtabat, & eadem non ſufficiebant deficiente adhuc Cæſaris ratihabitione. Inter hæc dies quoque ordiendis tractatibus dicta elabebatur.

1642. batur. Circa finem tamen menſis Martii Langermanno à Rege Daniæ injungebatur, ut apud Aurſpergium inſtet; Cæſaris ratihabitionem promoveat, aut ſaltem rationes, ob quas hic tergiverſetur, ſcripto edat; ſimul Legatis Regiis perſuadeat, re ipſa obtenta formulas non adeo anxie aucupandas. Iſti Aurſpergius reſpondebat: ſe Legatorum Regiorum ſcrupulos Cæſari ſignificaſſe; reſponſum nondum accepiſſe. Vix credere, à Cæſare mutatum quid iri. Rationes, quæ Cæſarem moveant, ſcripto concipere ſuperfluum, quas ipſe ex ſermone ſuo facile colligere potuerit. Salvius reponebat; ni ab initio partibus juxta ac mediatori placuiſſet, omnia ſcripto tranſigi, forte acquieſcere ſe potuiſſe ſumma rerum obtenta. Sed nunc cum ſociæ Coronæ ad certi quid obligare ſe non dubitarint, ut lubricum hoſtem firmius ſtringerent, eo minus nunc mutari quidquam poſſe, quo clarius appareat, culpam non penes ſe, ſed partem adverſam eſſe, quo minus conventa impleantur. Eidem quoque ratihabitionem Reginæ oſtendebat; & ut apud Cæſarem ſuper eadem inſtaret petebat. In eundem ſenſum & Avauxius iſti ſe reſpondiſſe ferebat.

Danus apud Legatos utrinque inſtat.

Horum reſponſio.

§. 56. Enimvero Cæſarei uti communes tractatus averſabantur, ita ſeparatos cum Suecis omni ſtudio captabant. Nam dum iſta publice diſputantur, Aurſpergius aliquoties Salvio denuntiabat; ſe cum ipſo ſolo ſuper pace acturum, nec dubitare, quin facile inter ipſos conventurum ſit, ac Suecos lautioribus conditionibus potituros, quam multis perſuaſum ſit. Se jam animo proſpicere, licet ad communes tractatus res deducatur, ob Gallos à pace alienos nil confectum iri. Eadem Werdenhagius per literas Lubeca ingerebat. Nec tamen iſta ita ſecreto agebantur, ut non & aliis, qui Cæſarei miniſtri non erant, innoteſcerent: Quin & ante Aurſpergii adventum Joannes Chriſtophorus Bulovius, Holſatiæ Ducis conſiliarius, Salvio ſcripſerat; illum eo fine venire, ut ſecretos cum Suecis tractatus tentet. Sed & Luzovius Hamburgo diſcedens eadem chorda oberrabat. Is ad ædes Salvii accedebat ipſi valedicturus, petens ut ad ſe deſcenderet in aream templo circumjectam, ad quam domus ipſius ſita erat, aut in ipſum templum. Salvio inhumanum videbatur id officii averſari, eoque deſcendens arbitris utrinque miniſtris cum ipſo colloqui ſtatuit. Luzovius poſt gratias actas de tuti itineris literis, infelicem ſe querebatur, præliminari tractatu non ad mentem Cæſaris confecto. Se hominem eſſe errandi periculo non immunem; nec ſententiam aulæ ſatis aſſecutum. Subtilitatum iſtarum inſolentem facile à Salvio & Avauxio magis exercitatis ſupplantari potuiſſe. Tamen etiam hinc digreſſo animum pacis cupidum perſtiturum, & ad eam deinceps promovendam pro virili incubiturum. Inde Cæſaris acta probare, Gallos perſtringere, quorum rationes pacem non ferant; eoque fruſtra communes tractatus adornari; quos conciliare nimis arduum ſit, nec eo magis in pacem deſituros. Salvius quotiescunque iſta moverentur, Suecorum in pacem ſtudium, circa candorem Cæſareorum diffidentiam oſtenderat: de cætero propoſitas conditiones neque annuens neque repudians, num forte plura expiſcari poſſet. Sed Luzovio tunc reſpondebat: Gratiarum actionem pro tuto commeatu ſuperfluam eſſe. Moleſtum ſibi ejus diſceſſum, cujus animum paci pronum norit; nec penes illum culpam eſſe, quod conventa non firmentur. Eundem nil poſſe, aut poni paſſim eſſe, quod à ratione abhorreat; & à Daniæ Rege, qui & ipſe inter Ordines Imperii ſit, omnia probata. Aulam Viennenſem ab Hiſpanis regi; per hos Cæſarem à pace retrahi. Hactenus non citra ſpeciem veri jactatum, Gallos à pace abhorrere: ſed nunc illos oblata ſua ratificatione excuſatos omnem invidiam in Cæſarem vertiſſe. Nil heic aliud ſupereſſe, quam ut Cæſar ratificationem ſuam exhibeat. Ni iſte tractandi modus ſuccedat, ab altero parum expectandum. Ubi ad communes tractatus perventum fuerit, multos intervenire pacis cupidos, qui Gallos quoque ad eandem omni ſtudio compulſuri ſint. Si tunc hi nullo modo æquas leges admittere velint, demum de ſeparatis tractatibus agendi tempus fore. Ab ipſo latas conditiones ita ſcrupuloſis conditionibus circumſcriptas, ut facile appareat; à Cæſareis rem ſerio non agi. Demum fruſtra ipſum de Regnorum ſeparatione cogitationem ſuſcipere. Quæ omnia Salvius Avauxio mox communicabat.

1642.

Cæſar ſeparatos tractatus negat.

Luzovius diſcedens de ſeparata pace movet.

31. Mart.

Salvii reſponſum

§. 57. Et ſane quo magis pellucebat, quid per Coronæ iſthæc quærceretur, eo arctius ſociorum Regnorum miniſtris conſilia miſcere viſum, ne per diviſionem Auſtriaci ſcopo ſuo potirentur. Et quid ſeparatis tractatibus obtinendum foret, jam exemplo in Germania omnium oculis exponebant. Eoque ſtabat, junctum arma ac pacem proſequi; cum jam ſociatis tractatibus obtineri non poſſent, à ſeparatis ſperare fruſtra foret. Et quanquam Sueci ex fœdere quod tantum res Germaniæ ſpectabat, Hiſpanica diplomata morari non tenerentur; tamen quod Avauxius abſque illis ad tractatus Germanicos deſcendere abnueret, & ipſi pedem figere cogebantur. A Gallia quippe divulſi hujus amicitiam & auxilia amittebant, incerti num Cæſar honeſtam pacem daturus eſſet. Ita utrinque irriti ludibrium omnibus debituri erant. Igitur Regii Legati inter ſe conveniunt, ſolennem Cæſaris ratificationem urgere, ſuam præſentem oſtentare, omnemque moræ invidiam in Cæſarem devolvere. Idem & Rectoribus Sueciæ placebat, queis præter dignitatem videbatur, ſolenniter concluſos tractatus nuda ad Regem Daniæ epiſtola velut obiter firmari. Et ſi Cæſari integrum foret ita ſolenniter concluſa abrumpere, ſat adparere, quid ab ipſo circa primarios tractatus expectandum. Et quia novæ difficultates inter Cæſarem & Gallum orituræ videbantur, eædem melius componi poſſe judicabantur, ſi conceptis jam formulis inhærerent; quod hiſce irritis ad incerta novorum tractatuum abripiendi ſint. Quod ſi tamen Aurſpergius utiq; à Luzovio concluſa iterare vellet, id demum concedi poſſe, modo Avauxius conſentiat, nec novum inſtrumentum alia, quam prius, formula concipiatur. Sed & plane repudiare ſeparatos tractatus placebat; etſi communes, qui in longum extrahendi videbantur, magnis difficultatibus non carerent. De amicorum conſtantia non ſatis cautum eſſe. Cum diverſi tam diverſa poſtulent, arduum fore leges pacis invenire omnib' placituras. Adornandas tot Principum intricatiſſimas rationes, Cæſaris, Hiſpani, Poloni, Dani, Belgarum; quæ ſeparatis tractatibus melius componantur. Gallos quoque loca capta reſtituere abnituros ob ſecuritatem ſui Regni. Cæſarem abſque Hiſpano non concluſurum. Sueciæ emolumenta ſub Dano mediatore tractare anceps fore. Deſuturum tandem exercitibus unde alantur, quos hoſtis in anguſtum redigere laboret. Domi tenuitatem ærarii premere, ac ſatis haberi præſidia oræ maritimæ ſuſtentare. Contra exemplo conventionum cum Saxone & nuper cum Luneburgicis ſatis adparebat, bonam pacem ſeparatis tractatibus hautquidquam obtineri poſſe: per eoſque Cæſarem id egiſſe, ut iſtos Regiis partibus abſtraheret, inde conventorum nihil præſtaret. De Cæſaris mente ſatis ex eo patere, quod præviam conventionē firmare

eo magis junctum.

Rectorum Sueciæ ſuper his judicium.

1642. abnuat, quæ parum ipsi præjudicii afferat. Multo minus pacem ab ipso ratihabendam; nec ansam defore totum negotium evertendi. Luzovio æque ampla mandata fuisse, quam Aurispergio; quem & superiore anno, cum Belgas Fœderatos ad separatam pacem movere conaretur, hi repudiaverant. Deserta Gallia aliorum reprehensionem incursuros, à Cæsare nihil solidi obtenturos. Igitur tutissimum, res Sueciæ per peculiares tractatus periculo non exponere: sed firmo pede incedere, & unitis tractatibus insistere. Id fas fœderum & promissa exigere; id orbem Christianum expectare.

Cæsaris factum defenditur & arguitur.

§. 58. Ast Aurispergius literis ad quosdam Imperii Ordines missis Cæsaris factum defendebat hoc colore, quod licet solennis ratihabitio Cæsaris defuerit, ipse tamen ad permutanda salvi conductus diplomata paratum se ostenderit; indignum clamitans ob tantillam causam, quod ratihabitio ad Daniæ Regem, & non ad partem adversam directa fuerit, tam salutare opus inhiberi. Testabatur insuper, quantopere Cæsar cupiat congressum inchoari, de cujus felici successu eo minus dubitandum, quo magis ossores pacis circa eum eludendum laborent, quod prævideant cœptis tractatibus facile conclusionem secuturam. Contra Salvius retundendis illis criminationibus epistolam sub *Amici ad Amicum* vocabulo publicat, qua seriem negotii exponit, ac refutatis rationibus Cæsaris culpam dilatæ pacis in ipsum devolvit. Avauxius quoque sat acerbas in epistolam Cæsaris ad Daniæ Regem *Notas* edebat, per quas imprimis aulæ Gallicæ demonstratum ibat; prudenter à se factum properato præliminari tractatu, quo invidia, qua Cæsar Coronas onerare satagebat, in ipsum reciderit. Quas & jussu Regis sui ad Danum mittit. Cui Cæsaris rationes exigui ponderis videbantur; & præcipue circa primam communis Regum causa verti videbatur. Ac meminerat, sibi cum Cæsare parem quondam controversiam fuisse, cum Cæsar postularet, ut Rex ad ipsum scriberet, *Vestra Cæsarea Majestas & Dilectio*, Rex contra non aliter scribere vellet, quam *Vestra Dilectio & Cæsarea Majestas*, illud velut Rex Daniæ, hoc velut Holsatiæ Dux. Eoque Regiorum postulata improbare non poterat. Iste Langermannum hinc Hamburgum ad Salvium mittit scisscitatum, num ipse circa literas Cæsaris idem cum Avauxio sentiat, an forte aliud desideret? Cui Salvius respondet: Avauxii Notas se nondum vidisse; sed ex epistola *Amici ad Amicum* suam mentem sat intelligi posse. In eo sibi cum Avauxio convenire, si Cæsar prævium pactum, uti Reges fecerint, firmare velit, super tempore congressus facile conveniri posse. Interea Aurispergius negare non desinebat, Avauxio plenipotentiam esse; & ut is autoritatem suam demonstraret postulabat; tunc se novos cum ipso tractatus orsurum. Contra Avauxius ratificationem sui Regis ipsi ingerere, quavis plenipotentia potiorem, ac ut iste parem à Cæsare ratihabitionem procuraret, postulabat. Eadem & Salvius occinebat.

26. Maji. Danus Cæsaris tergiversationem improbat.

31. Jun.

16. Jun.

Cæsar denuo ad secretos tractatus Suecos sollicitat.

§. 59. Enimvero aulæ Viennensis gnari facile judicabant, Cæsarem nisi armis compulsum communes tractatus non admissurum. Unde & invisa maxime erat illa clausula, *quod uterque tractatus pro uno debeat haberi*, qua admissa, gravissime à Luzovio erratum arguebant, etsi ipsi palam dolorem suum profiteri erubescerent. Interim ad peculiares tractatus Suecos solicitare non desistebant. Luzovius ad secretarium suum Vienna Hamburgum scribebat; Cæsarem in separatos cum Regina tractatus valde pronum esse. Id quod hic Salvio ostendebat, scisscitaturus, num in hos consentiendi facultatem habeat. Sed iste reponere: ipsos fidem apud se consumsisse; curaret Luzovius, ut Cæsaris ratificatio adferatur, tunc tractatus mox successuros. Pari modo Aurispergius subinde apud Salvium super istis movebat. A quo cum eadem semper reponerentur, iste ab Adolfo Friderico Meclenburgicæ Duce per literas petebat; fidum ad se hominem mitteret, cui singulare quid ad pacem faciens pandere velit. Eo fine Hamburgum veniebat Ducis Secretarius Simon Gabriel *zur Nedden*, qui jussus erat ab Aurispergio propolita cum Salvio communicare. Huic Aurispergius memorare de studio Cæsaris in pacem, de difficultatibus apud communes tractatus infinitis, & exitum non habituris. Gallos ob prosperum belli successum à pace alienos, eorundem societatem intutam & lubricam, queis fœdera non ultra quam collibitum serventur: & mox pacem exclusis Suecis inituros, in excusationem allata ratione status. Nuper Torstensonium in agro Brunsuicensi, quicquid iste contra testaretur, inter belli molem destituisse. Ad extremum Suecos ab istis deceptum iri. Richelium penes quem summa consiliorum Galliæ, in ea aula solum hactenus partes Suecicas sustinuisse. Eum jam civiliter mortuum, Regis gratia tepefacta. Unde consilia deinceps non in usum Sueciæ ibi capienda. Ita præstare ocyus ante Gallos bello excedere, & cum Cæsare transigere. Eo fine à se peculiares Salvio tractatus oblatos; quos cum iste abnuerit, & sibi nihilo secius persuasum sit, si Regina nosset, quam lautæ conditiones per tales tractatus à Cæsare obtineri queant, hos ab illa rejectum non iri; igitur se constituisse illas Joanni Oxenstiernæ secreto pandere: & malle cum isto agere, quam Hamburgi cum Salvio, imminente arcanis Avauxio. Inde petebat, ut Dux commeatum Petro Schmalzio ab Oxenstierna obtineret, quem clam Stetinum missurus sit, adornandis secretis tractatibus. Hæc ne Salvio quidem panderet. Ast Meclenburgicus minister cum, uti jussus erat, ad Salvium omnia retulisset, hic meras offucias id judicare, ut Suecos à præliminari tractatu avulsos, vanaque spe illusos Gallica societate abstraheret, culpa pacis protractæ in ipsos devoluta, si lubricas aut iniquas leges acceptare abnuerent. Hanc conditionem Reginæ nunquam probatum iri; nec id indignitatis admittendum, ut cum Petro Schmalzio tractetur, desertore patriæ, qui ob prave gesta negotia in custodiam datus, indeque elapsus Cæsareo se servitio addixerit, abnegatis sacris, & fide patriæ debita. Integrum tamen Duci esse tentare quid Oxenstierna responsurus sit. Sed quia suspicabatur, Schmalzium fortasse ideo ad Cæsarem transfugisse, ut insigni officio reditum sibi in patriam sterneret, haut abs re judicabat, ex illo destinata hostium expiscari. Præsertim cum etiam ipsi Galli aliquam mutationem aulæ suæ imminere judicarent. Sane & Avauxium pater literis monuerat, ne fidem suam, uti aliquoties fecerat, apud mercatores interponeret, expresse addito, si Richelio aliquid humani accidisset, se neque pro subsidiis neque pro reliquo fœdere cauturum. Ast Oxenstiernæ omnes secreti tractatus suspecti habebantur, eoque Salvium monebat, aurem istis plane occluderet, nec Gallis diffidentiæ ansam præberet. Nec validiorem rationem esse, quare fœderata Regna firmiter invicem cohærere debeant, quam quod circa ista dissocianda Cæsar tantopere laboret. Negotium cum Schmalzio inane ludibrium esse. Nam si Cæsari cordi foret per æquas conditiones Reginæ satisfacere, alio quam Schmalzio ministro opus fore. Idem præfecto aulæ Ducis Meclenburgici ad se misso respondebat: à Regina nihil se in mandatis super secretis

4 Jun.

1642. cretis tractatibus habere, quæ utique velit rem ad communes tractatus deduci, ad quos conventio præliminaris referatur. Ducem ex hoc negotio perſpicere, quantopere Cæſari plena Germaniæ quies cordi ſit, dum tali modo ſeparatos tractatus molitur. Schmalzium impurum & ſtolidum hominem eſſe, ineptum juxta atque indignum id genus negotiis. Hæc Meclenburgico ablegato viva voce reſpondebantur; nam nec ipſe ſcripto negotium propoſuerat. Ita & iſte Cæſareorum conatus in irritum cecidit.

Danus Cæſarem ad ratificandum hortatur.

§. 60. Cum ita neque Cæſar ſolennem ratificationem exhiberet, & ſociorum Regum Legati quo magis ille tergiverſaretur, eo firmius poſtulatis ſuis inſiſterent, invidia belli extracti in Cæſarem devoluta; Daniæ Rex, qui negotium rite confectum judicabat, idem nunc fere pro deſperato habebat. Et quia Aurſpergius propius ad rem non accedebat, per literas Cæſarem hortatur, ut in tam arduo negotio, ex quo ſalus Germaniæ dependeat; ita ſe gerat, ut cupido pacis, quam hactenus exhibuerit, ne ab adverſa quidem parte argui poſſit. Aurſpergio inde Glucſtadium ad Regem profecto, ut Cæſari legiones quasdam ſuas, ſimul licentiam in Holſatia militem conducendi concederet, utrumque abnuebat. Idem tamen in negotio pacis aliquot ſeptimanarum dilationem perebat, intra quas Cæſar extremam declarationem ſuam circa ratificationem editurus ſit. Quanquam autem plerique crederent, à Cæſare per ſilentium tempus extractum iri, quod differre confirmationem pacti abnuere nimis invidioſum, & nunc annuere parum honeſtum foret, velut arma Suecica in provincias ipſius penetrantia metum incuſſiſſent: Viennæ tamen decreto idem firmatur; ſimul Aurſpergio injungitur, ut ſtatim ad Regem Daniæ, ubicunque locorum agat, ſe conferat. Hic accepto inſtrumento citra moram ad Regem abit. Sed præcipuum negotium fuiſſe intelligebatur, à Rege duodecim militum millia, & ſexcenties mille unciales mutuo petere, oblata viciſſim vectigalis Glucſtadienſis prorogatione, ac Pinnebergici Comitatus, ac Bremenſis Præſulatus confirmatione. Sed circa pacem conveniebat, ut permutando ratificationis inſtrumento, tum ordiendis tractatibus dies decerneretur.

13 Jul.

Circa præliminarem tractatum firmat.

14. Jul.

29. Jul.

Id Daniæ Rex denunciat.

§. 61. Dat inde Rex ad Salvium literas, jam ab Aurſpergio omnia allata, quæ Cæſari ex conventione per Luzovium inita ſint præſtanda. Quæ ab Hiſpaniæ Rege deſiderentur propediem adfore.

13. Aug.

Unde ſe diem viceſimum nonum Auguſti permutandis inſtrumentis ratihabitionis, ac diplomatis ſalvi conductus dicere: ſed ut Cæſari ſpatium ſit Hiſpanica diplomata curandi Kalendis Decembris tractatibus initium fore: qui dies ut & ipſi placeat poſtulat. Eadem Avauxio ſcribebantur, addito, ut iter, quod in Galliam adornabat, eousque differret. Regiis Legatis lætum erat ratificationem Cæſaris tandem allatam, quæ ab ſe acta non obſcure probabat, ac iſtum ultro iniquitatis, ac belli citra cauſam protracti arguebat. Hactenus Cæſarei miniſtri ſermonibus ac ſcriptis jactaverant, tractatum præliminarem faſtigio Cæſaris & Imperii repugnare, ac ferri plane non poſſe. Luzovius gravis erroris inſimulabatur, ac à Legatione revocabatur. Aurſpergius iſto repudiato omnem lapidem movebat, ut ad nova pacta Legatos Regios deduceret. Nunc repente omnia rite peracta erant, Luzovius erroris expers, dignatio Cæſaris & Imperii nullibi violata. Nec eo ſecius unus & alter ſcrupulus incidebat, qui in cauſa erat, ut Legati non ſtatim poſtulato Regis aſſurgere poſſent. Rex hiſce inconſultis diem nuncupaverat, nullo inſtrumentorum exemplo exhibito, ut num omnia rite concepta forent, intelligi poſſet. Et quia Hiſpanica diplomata deficiebant, metus erat, ne Cæſar, ubi ei re ſua id judicaret communes tractatus non procedere, elabendi rimam ſibi reſervaret; interim ſua ratificatione exhibita favorem captaret, poſt invidiam extractæ pacis denuo in ſocios Reges devolveret; quod facile proſpiceret fore, ut Galli abſque diplomatis Hiſpanicis ad tractatus deſcendere non velint, & Sueci abſque Gallis non poſſint. Et quanquam Rex oſtenderat, Aurſpergium promiſiſſe iſta propediem adfore: Legatis tamen Regis ea cautio parum idonea videbatur. Nam & Luzovio fat facultatis fuerat ad tractandum, & Daniæ Rex fidem inſuper ſuam interpoſuerat; nec eo magis conventa ſuo tempore repræſentata fuerant. Eoque nec Aurſpergii autoritas ſufficere ceniebatur ad factum tanti Regis præſtandum. Ea de cauſa Avauxius Regi reſpondet; ſe neque à verbis pacti, neque a ſuis mandatis diſcedere poſſe, quo juſſus ſit plenam & præſentem Cæſaris atque Hiſpani ratificationem exigere. Eam ſi Rex procuret, penes ſe & Suecos moram non fore. Iter ſe tamen in aliquot dies dilaturum magis in honorem Regis, quam ob operæ pretium. Sed Salvius diem permutandis inſtrumentis probabat: circa diem autem ordiendi conventus Regi conſiderandum relinquebat, num id gentium moribus, ac tot Principum dignitati & ſecuritati congruum ſit, eos ad certum diem locumque convenire, aut ſaltem ad conveniendum invitari nondum acceptis diplomatis. Quod ſi forte quæ deſiderantur inſtrumenta, vel plane non exhibeantur, vel non juſta die aut forma, ut per ea congreſſus honeſte & tuto ſuſcipi non poſſit; decentius fore nominanda die ſuperſederi, quam tot Principibus illudi. Igitur urgeret Rex partem adverſam, ut totam conventionem Hamburgenſem plene præſtaret.

18. Aug.

Legati reſpondent.

§. 62. Dederat quoque Rex in Sueciam literas, à Petro VVibio poſt exhibitas: Cæſarem ipſo inſtante deſideratam ratificationem miſiſſe, cujus autographum Aurſpergius ſibi oſtenderit, in ipſius placitum collato, quem diem ſtatuere velit, ratificationi & diplomatis permutandis. Huic permutationi Regem Kalendas Decembris dixiſſe, ſi Reginæ & Galliarum Regi ita videatur. Quod ut adprobet, ac intra eum diem ſua inſtrumenta præſto ſint, petere. Nam & Aurſpergium recepiſſe omnia quæ à parte Cæſaris & Hiſpani promiſſa ſint, tunc adfore. Wibio ſtatim reſpondetur; Reginæ eum diem vel inchoandis tractatibus gratum fore. Sed quia Wibius nullum exemplum ratihabitionis exhibebat, certi quid declarari non poterat; quam quod Salvio injungendum ſit; cum Legato Gallico rem mature expenderet, & quæ ſalva ratione, dignitate, & ſecuritate fieri poſſint, faceret, quæ abſolvendæ conventioni præviæ requirerentur; ac ſi ab hoſte ſerio res agatur, ne horam negligeret, quo minus tractatus ſtatim ſuſcipiatur. Eundem diem Kal. Decembr. Rex Daniæ poſt exceptione ſua ad legatorum literas exprimebat, non uti antea auſpicandis tractatibus; ſed permutandæ ratihabitioni & diplomatis; quibus recte ſe habentibus dies inchoandis tractatibus dici queat. Sed quia Legati animadvertebant, Regem non ſolum à ſe acta defendere, id quod facile ferri poterat; ſed & ab adverſa parte errata levi tantum brachio tangere, & ipſorum rationes variorum prætextuum vocabulo notare, quos ſuo loco relinqueret; illi denuo acta ſua tueri, moræ culpa in Cæſareos conjecta, quæ oblique ipſis à Rege impingebatur: de cætero dictum à Rege diem permutandis inſtrumentis acceptabant. Mirum tamen ipſis videbatur, Regem literis ſeptimo Auguſti

Danes in Sueciam ſcribit.

7. Aug.

12. Aug.

11. Aug.

30. Aug.

Dani circa media-

Digitized by Google

1642. Hafnia ad Reginam ſcriptis Kalendas Decemb. permutandis inſtrumentis propoſuiſſe; paulo poſt decimo tertio Auguſti literis ad ipſos eidem actui vicetimum nonum Auguſti, Kalendas Decembr. ordiendis tractatibus nominaſſe. Unde ſuſpicio oriebatur, Regem præfixo tam anguſto ſpatio permutandis diplomatis id captaſſe, ut dum idem iſti acceptare detrectant, occaſio præberetur culpam morarum iisdem impingendi. Saltem id manifeſtum erat, tantum negotium non ea, qua par erat, circumſpectione tractari, labili Regis per ſenium memoria, aut quia miniſtri Gluckſtadienſes, quid Hafniæ ſcriptum foret, ignorarent. Sed & hoc iniquum videbatur Legatis, à Rege omnes ipſorum literas Cæſareis miniſtris ſtatim communicari, ipſis autem nunquam aut raro ea, quæ Cæſar ejusve miniſtri ſcripſiſſent. Qua de re uterque apud Regem querebatur. Inter hæc Avauxius in Galliam abibat, relicto Hamburgi San-Romano inſtrumentis permutandis, ſi apud adverſam partem omnia ſe recte haberent. An autem iſte diem quoque ordiendis tractatibus nuncupaturus eſſet, Avauxius dubitabat, antequam ipſe in Gallia faciem rerum expoſuiſſet; ex quo nova pacis mora metuebatur. Interim in ſuſpenſo manebat negotium à parte Cæſaris, quod Hiſpanica diplomata adeſſent à Franciſco de Melos duntaxat ſubſcripta; quæ Avauxius acceptare abnuerat. Unde Auripergius tandem intra Kalendas Decembr. iſta rite adornata adfore recipiebat. Quæ & Sueci, quantumvis bellum Hiſpanicum ipſos non tangeret, expectare cogebantur; quod Gallus cum Cæſare non prius, quam cum Hiſpano tractare vellet; nec Sueciæ rationes ferrent à Gallia disjungi. Nam etſi ex fœdere ad morandos Hiſpanicos tractatus non tenerentur; tamen quia bellum utique gerendum erat, haut conſultum vitium tam potentem ſocium amittere, qui ſuppeditata pecunia, & diſtractis ad Rhenum hoſtibus non parum ipſorum arma ſublevabat. Et cœptis licet absque Gallia tractatibus, de pace non eo magis cautum erat. Etſi adverſus Gallos Sueci ſubinde teſtarentur, id non ex debito, ſed ex benevolentia fieri, & haut eo ſecius ſalvum fœdus & omnia ſibi integra fore. Igitur placebat, à Gallis non disjungi, nec initium tractatuum deſignare, niſi allatis diplomatis Hiſpanicis. Præſertim cum conventione Hamburgenſi cautum id foret, cujus unum caput ſi perrumpere Cæſari permitteretur, plura forte mox molliturus erat. Et conſtabat, Cæſarem ad tractatus niſi conſentientibus Hiſpanicis deſcendere non poſſe. Interim Auripergius antequam Cæſarea ratificatio adferretur, per Cniphuſium tribunum Salvii ſecretum colloquium expetierat; ac poſt denuo ad Meclenburgicum Ducem ſuper ſalvo conductu Schmalzii ſcribebat. Quorum prius Salvius abnuebat; & Oxenſtierna tam fœdum internuntium averſari pergebat. Et quanquam nuntiaretur, Gallos miniſtro Stella ſecretos cum Bavaro tractatus agitare; haut ideo communem congreſſum deferendum cenſebant Sueci, nec illam negotiationem communi cauſæ obfuturam. Et quanquam pro captu temporum conſilia mutari ſoleant; & Avauxii diſceſſus nonnihil ſcrupuli injiceret; tamen haut vero ſimile videbatur, Gallos ita repente bello, quo cum Cæſare & Hiſpano altiſſime immergebantur, ſeſe extricaturos.

Avauxius in Galliam abit.

Tractatus pacis hærent.

Deſiderata circa ratificationem Cæſaream.

§. 63. Circa finem demum menſis Septembris Salvio per Langermannum exemplum Cæſareæ ratificationis tradebatur; quod dum iſte curioſius rimatur, ne forte latibula quædam ſibi pars adverſa ſtruxiſſet, notabat inter alia, à Cæſare probari *formam conventionis*, quæ dictio haut quidquam ipſi ſatisfaciebat, cum cavillandi anſam præbere poſſet, velut à Cæſare non materia conventionis, ſed forma, ſtructura tantum capitum, non contenta firmarentur. Expreſſa quoque erat permutationi inſtrumentorum, & ordiendo tractatui dies, quæ dudum ceſſerat. Neque Luzovio titulus Legati tributus erat, ſine dubio ne faterentur, quod hactenus negaverant, ipſum tali modo conventionem formare in mandatis habuiſſe. Sed nec Salvius Legatus vocabatur, quod in contumeliam Reginæ redundabat. Id quoque ſupinam negligentiam arguebat, quod æquipollentia verba eadem periodo poſita erant, *vigore præſentium, & harum vigore literarum.* Denique & in fine omiſſa erat clauſula; conventa bona fide impletum iri. Quæ Salvius è veſtigio Langermanno indicabat, & mox ſcripto latius deducebat. Adhibitis inde in conſilium San-Romano & Deichmanno, illo Gallico, hoc Haſſico miniſtro, Gallus quidem oblata morarum anſa vehementer lætabatur, easq; notas ſtatim publicare cupiebat. Sed Haſſo ſatius videbatur, iſthæc per Langermannum Auripergio inſinuari, num ille eadem citra ambages corrigenda ſuſcipere velit; quo caſu ea divulgari ſupervacuum erat. Sin hoc abnueret, ad Regem Daniæ iſta referenda, ut intra Kalendas Decembris emendentur. Id conſilium Salvius hactenus ſequebatur, ut publicationem ſcripti ſui ad Kalendas Decembris differre ſtatueret, ne moras nectendi occaſionem aucupari videretur; interim Langermannus velut privato ſermone iſta apud Auripergium exponeret, moneretque ut citra ſtrepitum intra Kal. Decembr. corrigantur. Id quod hic tam apud Regem, quam Auripergium velut proprio motu faciebat. Monebant tamen Rectores Sueciæ Salvium, ut circa notas iſtas caute procederet, neve diſſidentiam adverſus Cæſarem ita aperte apricaretur; nec ſcrupuloſus nimis foret circa ea, quæ rem ipſam proprie non tangerent; præſertim cum mediator Danus omnia in ſiniſtram partem caperet. Cæterum mox San-Romano in mentem veniebat, Succos longius velut gradum promoviſſe, quod Salvio exemplum ratificationis Cæſareæ exhibitum fuerat, atq; idem quæ deſideraret, jam Auripergio per Langermannum inſinuaverat; quorum neutrum ipſi contigerit. Unde licet omnia iſto conſcio & probante acta forent; tamen veritus, ne forte tractatus diſpari gradu procederent; à Salvio petebat, ut neque ſermone, neque ſcripto mentem ſuam Auripergio circa inſtrumentum ratificationis panderet, tum ut ſibi quoque ejusdem exemplum exhiberetur. Quorum prius ſerum jam erat. Poſterius abnuebat Auripergius, quod San-Romanus legationis ſuæ fidem nondum feciſſet, niſi Daniæ Rege id poſtulante. Ita Regis opera exemplo iſte potitur, teſtatus tamen, non prius mentem ſuam ſe expoſiturum, quam è Gallia reſponſum acceperit. Inde ut omnia pari paſſu procederent, cum Salvio convenit, ut nec hic ſcripto mentem ſuam ante Kalendas Decembr. exponeret; etſi quid ipſe deſideraret, jam è Langermanno Auripergius didicerat. Ita res ad Decembrem menſem extrahebatur, cujus Kalendæ permutationi inſtrumentorum deſtinatæ, ſilente non minus Auripergio, quam Daniæ Rege elabebantur. Neque Regis movere quid placebat, cum omnibus conſtaret, ſe paratos eſſe, ne viderentur anxie pacem velut mendicare. Tandem tamen ipſis placebat, notas Salvii typis publicare, detegendis artibus Cæſaris, queis pacis differendæ moras nectebat; ſimul apud Regem Daniæ ſolennem proteſtationem interponere. Sed mox aderat a Rege Daniæ minus Langermannus, qui Salvio denuntiat, Hiſpanica diplomata Bruxellas perlata, inde Viennam mittenda, mox Hamburgi adfore, cum inſtrumen-

Cæſarei denuo ſeparatos tractatus temnunt.

Tractatus per Cæſareos eximuntur.

23. Dec.

31. Dec.

1642. ſtrumento ratificationis ad ipſius mentem emendato; eoque petebat, ne modicam moram ægre ferat, & ut dies permutationi dictus prorogetur. Cui Salvius; Sibi San-Romanoque prorogatione opus non eſſe, dudum paratis. Aurſpergius, qui dilationem peteret, indicaret, quo ſpatio ſibi opus ſit rebus ſuis adornandis, ni Rex illi diem præfigere malit; aut ni ſatius ſit, nullam diem certam ſtatui, Cæſare ultro ita feſtinaturo, prout cupido pacis conveniret. Quæ omnia Langermanno æqua videbantur.

Cæſarei ex morte Richelii mutationem ſperant. 24. Nov.

§. 64. Interhæc Richelius Cardinalis fato functus erat, cujus moribundi hoc dictum inter alia notatum fuerat: Multa ſe feciſſe, quæ non omnibus probarentur; ſed ita ſe judicaſſe pro perſona, quam ſuſtinebat, & rerum ſtatu non debuiſſe aliter fieri. Rogaſſe quoque Regem dicebatur, ut per biennium adhuc bellum continuaret; ſic pacem parari poſſe, qualem velit. Cæterum quia iſte præcipuus architectus conſiliorum fuerat adverſus Auſtriacos ejus mors ingenti horum gaudio excipiebatur, nec jactare quidam dubitabant, naturam iſto ſublato haut ignobilius tropæum erexiſſe, quam Succos victoria nuper ad Lipſiam parta. Sic ut jam communes fere tractatus negligerent, & mutationes rerum in Gallia captarent; cum antea Succos ad ſeparatam pacem pellicere ſategiſſent, quibus Pomeraniam æquo animo daturi fuerant. Sed nunc defuncto Richelio ſpes erat, cum Gallia ipſis conventurum. Chavignius quippe & Noyerius inter ſe diſcordes; Mazarinus exterus, & ſub Hiſpani imperio natus, qui & Pontifici fere addictus habebatur, tunc Gallis iniquior. Regi parum vitæ reſtare videbatur, quem & viventem belli tædium brevi ſubiturum ſperabatur. Eundem & jam pœnitebat declarationis adverſus fratrem; ſimul reſtitui cœperant, qui opera Richelii gratia ipſius exciderant. Denique & affinitas & communia ſacra tandem vim habitura credebantur ad conjungendos eorum animos, quos Richelii ambitio velut per violentiam diſtraxerat. Contra Galliæ Rex Reginam Sueciæ literis confirmabat: Regni negotia eodem quo hactenus vigore proceſſura: fœdus ſe conſtanter culturum, ſubſidia præbiturum, neque ſegnius arma geſturum, quoad communis pax orbi Chriſtiano parta fuerit, tali fundamento innixa, ut non facile impoſterum turbari queat. Et conſtabat Principem Condæum pro ſententia dixiſſe, ut Rex circa externas res Richelii conſilia ſequeretur, circa interna & domeſtica non item, ubi ille multum ſuis affectibus tribuerat. Quæ ſententia Regi valde probata fuerat. Eadem Miniſtri Regii Salvio Hamburgi ingerebant, tantum non ignominiæ loco accipientes, ſi quis crederet, cum Richelii morte fortia conſilia collapſa eſſe. Addebant, ſibi ſatis conſtare, hoſtem æque apud Succos, quam apud Gallos diſtractionem moliri. Sed uti ipſi ejus ſolicitationes inſuper habebant, ita paria de Succis ſperare. Quos ad conſtantiam Salvius hortatus, de Succorum fide ſecuros eſſe jubebat.

Cæſarei ſeparatos tractatus apud Torſtenſonium urgere non deſinunt.

§. 65. Interhæc Cæſarei ſeparatos tractatus tam apud Torſtenſonium, quam Salvium tentare non deſinebant. Et iſti quidem Rectores Sueciæ injunxerant, ut Cæſareis communes tractatus ingereret, interim de prono Reginæ in pacem animo ſemper teſtaretur. Nec eo ſecius velut proprio motu expiſcari conaretur, num ſerio rem iſti agant, & quas conditiones Cæſar Sueciæ & Ordinibus Imperii dare velit. Cautiſſime tamen procederet, ut neque Gallis offenſæ anſam præberet, neque ullam occaſionem negligeret honeſtam Sueciæ & Germaniæ pacem arripiendi. Hamburgi Aurſpergius internuntio utebatur Cniphuſio tribuno. 1642. Scripſerat quoque ad Brandium Contulem Hamburgenſem Franciſcus de Melos Belgii Gubernator, & Legatus Hiſpanicus in aula Viennenſi; ut Cæſaris & Hiſpaniæ Regis nomine Succis non bonam tantum pacem, ſed & arctiorem conjunctionem offerret. Jactabant iſti; optari quidem à ſe communes tractatus, ſed difficillimos eorum & lentiſſimos progreſſus animo proſpicere. Ideo cum Succis ſeparatim prius tranſigere velle; inde communes tractatus proſequi, & cum Gallis quoque paciſci, modo æquas iſti rationes admittant; ſed ſi adverſus æquitatem hi pertendant, pacem ſaltem Succicam perfectutos. Exponeret modo Salvius, quas pacis conditiones Suecia optet; ſe tales daturos, quales illa Gallis juncta obtentura non ſit. Ut negotio ſecretum conſtaret proponebatur, ut inter Salvium & Cniphuſium, aut Contulem Brandium ſolos res ageretur, & omnia characteribus numerorum conciperentur: aut ſi Salvius forte fraudem ſubeſſe ſuſpicaretur, nihil ipſe ſcripto conciperet, ut ſi forte res emanet, eo conſtantius factum abnegare poſſit. Eodem fine re tranſacta Cæſaretn inſtrumentum pacis ſua manu & ſigillo firmatum Salvio traditurum: Salvio contra integrum fore Succicum inſtrumentum obſignata a ſe theca clauſum tantiſper apud Cniphuſium deponere, quoad communium tractatuum ſucceſſus tentatus ſit. Et agebat Brandius rem eo majore ſtudio, quod ipſe velut Hamburgenſis Daniæ Regem mediationis munere excludi optaret, ne hic forte confirmationem vectigalis Glueſtadienſis à Cæſare præmium operæ ferret. Aurſpergius ſuper legibus pacis cum Cniphuſio differens de reſtitutione Domus Palatinæ dixerat: Cæſari graves eſſe cauſas, ut malit dignitatem Electoralem ad Palatinos reverti, quam penes Bavarum manere, ſecreta cum Gallis commercia ſemper alentem, & qui Cæſareum diadema ſuo potius capiti, quam Auſtriaci cujuspiam optet. Ferdinandum II. conſilia ſua præcipitaſſe collata in Bavarum Palatini dignitate & ditione; melius facturum, ſi Hiſpanorum conſilia ſecutus rem integram reliquiſſet, & utramque Domum in ſuſpenſo tenuiſſet, quoad de eventu rerum conſtaret. Jam facta difficilius emendari. Nec tamen ubi ad tractatus perventum ſit, temperamentum defore. Nec ſuper Pomerania difficultatem futuram; ac publicum bonum privati alicujus rationibus antehabendum. Oſtendebatur inde lubricus Galliæ ſtatus, qui Sueciæ ſuadeat, pacem ocyus occupare. Idem Aurſpergius ut Salvii animo irreperet, nuntiabat, ad Cæſarem ſe ſcripſiſſe, ut ipſi ſecuritatis literæ ampliſſima forma mitterentur, quo extra urbem libere proficiſci poſſit; paresque ſibi à Regina curari petebat; teſtatus honorem colloquii ipſius à ſe optari. Sed & iſte ædes, quas Joannes Oxenſtierna Hamburgi conduxerat, clam perluſtraverat, id præcipue percunctatus, num illæ plura uno oſtia haberent, ſi is Hamburgum perveniſſet, clam ad ipſum inviſendi. Salvio difficultates communium tractatuum ſatis perſpectæ erant, nec abſimile vero videbatur, Cæſarem & Hiſpanum, queis res in anguſto cæperant eſſe, pacem & amicitiam Reginæ cupere; ac fama erat, Catholicos Francofurti cum Gallis mira conſilia agitare. Rectores tamen Sueciæ, queis per hæc omnia nil præter diſſociationem Regnorum quæri perſuaſiſſimum erat, iſtos tractatus declinare ipſum juſſerant. Unde is Aurſpergium ad communes tractatus remittebat. Literas ſecuritatis Reginam non abnuituram; ſed eas ſuperfluas eſſe, cum publica diplomata præſto ſint, ſat cautionis habentia; nec deinceps colloquii occaſionem defore.

§. 66.

Digitized by Google

1642. Galli de induciis cum Electoribus Catholicis propo-nunt.

§. 66. Eodem tempore nuntiabatur, Electores Catholicos cum Gallo clanculum ſuper faſtigio Regis Romanorum in ipſum conferendo agitare. Tum & Stellam cum Bavarico miniſtro in Helvetia ſecreta colloquia habuiſſe, ac Bavaro quantumvis decrepito idem diadema obtuliſſe. De quo uti nobis parum compertum, ita conſtabat ſuper neutralitate inter Gallos & Bavarum, cæterosque Electores Catholicos tractatum. Ac indicabat Salvio San-Romanus Regis ſui nomine, Bavarum Lutetiæ per Nuntium Pontificis Regi neutralitatem pro ſe & reliquis Electorib⁹ obtuliſſe. Sed quia Rex absque præſcitu & conſenſu Reginæ nihil ſtatuere velit, noſſe cupere, num ipſa id è re communi judicet. Regem credere iſtam non repudiandam, quod tunc Cæſar tanto acrius premi queat. Enimvero Rectoribus Sueciæ id negotium valde diſplicebat, quod cenſerent hanc viam tentari, cum alia non ſuccederet Sueciam à Gallia divellendi, ut in illam omnes ſuas vires effundere Catholici queant. Nam Bavarum nimis arcte Cæſari innexum; Moguntinum & Colonienſem Hiſpanicis ſtipendiis autorari; qui & hoc modo Vinarienſes Colonienſi agro dimotum eant. Gallum fœdus cum Electoribus affectare, Bavarique ſecretas cum eodem rationes ſat notas eſſe. Iſtum quoque id reſpicere, ut Germanici belli cura ſolutus omne robur in Hiſpanum vertere poſſit: quo caſu, totam belli colluviem in Suecos ruituram. Vinarienſes exautoratos ad Cæſaris ſtipendia transituros; aut ſi ad Suecos accedere velint, ſatis conſtare, conjunctionem cum alienis exercitibus nunquam rebus Sueciæ bene ceſſiſſe. Iſtos argento & lautis hoſpitiis inhiare, quæ fido ipſorum militi ſubtrahenda ſint. Etiam ſub ducis Sueciei imperium compoſitis æmulationem adverſus cæteros permanſuram. Semel à Gallo disjunctis facile offenſæ anſam incidere poſſe. Tunc in proclivi ipſi fore junctis cum Cæſare conſiliis Germania Suecos exturbare, ſimul quicquid eſt Proteſtantium peſſundare. Igitur evocatum ad ſe Rorreum hortabantur; quantum in ſe impediret, ne periculoſa iſta conſilia locum inveniant, ſed omnia ad communes tractatus remittantur. Poſt ejusmodi inducias univerſæ Germaniæ vires in Suecos ruituras: nec Sueciæ rationes ferre, ut omne robur adverſus Germaniam vertat; cum Regni fines tribus è lateribus contra vicinos firmandi ſint. Bavarum jam ante viginti annos Gallis illuſiſſe. Eundem & inanibus tractatibus Guſtavo Regi fucum feciſſe. Eadem Salvius Hamburgi San-Romano inculcabat. Uterque viciſſim teſtabatur, Galliæ mentem haut quidquam eſſe fœderi quid adverſum facere; cui hoc tantum ſpectetur, ut diſſenſiones inter Cæſarem & Electores ſerantur. Nec incommodi quid inde verendum, quod citra conſenſum Reginæ Rex nihil heic ſuſcepturus ſit.

24. Octobr.

Et Sueci repudiant.

Goslarienſes tractatus concluduntur.

§. 67. Goslariæ circa exitum ſuperioris anni inter Cæſareos & Luneburgicos pleraque convenerant. Ac Cæſarei quidem id præcipue urgebant, ut Duces citra exceptionem Pragenſi paci, ac nupero decreto Ratiſponenſi ſubſcriberent, ac malebant ſuper conjunctione copiarum remittere. Ipſos jam ante ſcripto pacem Pragenſem profeſſos, quam Receſſus Ratiſponenſis interpretetur; & ſi qui ſcrupuli ſint, eos hac conventione amoveri. Ita amplectebantur pacem Pragenſem cum Ratiſponenſi decreto Duces; ut tamen ſibi quoque bono ceſſurum paciſcerentur, ſi quid deinceps publicis Imperii conventibus circa eam declaretur, corrigatur, aut mitigetur. Tum ut præſens conventio futuræ paci communi præjudicio non ſit, cujus emolumenta ſibi quoque reſervabant. Tam parum huic tractatui fortunas ſuas ſuperſtruebant. Conſequens erat, ut Duces omnibus fœderibus cum extraneis aut aliis Imperii Ordinibus contra Cæſarem & Imperium initis renuntiarent. Quæ illa à ſe facta Duces negabant. Militem, quo Duces ad tuenda ſua oppida opus non haberent, ut vi Pragenſis pacis ſibi adjungerent, Cæſarei poſtulabant, ſaltem quando hoſtis ditione ipſorum plane expulſus fuerit. Interim copias ſuas ſtatim ab hoſtibus revocarent, nec hitce ſubſidii quid ferrent. Luneburgici contra reponebant; pacem à ſe quæri, non hoſtis mutationem: & Suecos, ubi ipſi Cæſareis ſe junxerint, ſine dubio hoſtilia inducturos. Neque id ſe poſtulare, ut neutrarum partium habeantur, ſed ut ſtatum ſuum ipſis conſervare liceat. Igitur mediam viam tenendam, per quam & pax inveniatur, ac novum & majus periculum declinetur. Id quod ſeparatione copiarum ſuarum à Suecis obtineri queat; qua facta hoſti parum roboris deinceps ex Inferiori Saxonia acceſſurum. Si conjunctioni armorum inſiſtant Cæſarei, Landgraviam ægre ad transactionem pertractum iri. Secuturos ſuum exemplum Evangelicos ductores & milites, qui licet ad ſigna Cæſaris non tranſeant, ad otium tamen conceſſuri ſint. Cæſarei cum conſiderarent, quantum rebus ſuis conduceret Luneburgicos à Suecis disjungi; ſimul metuerent, ne ſi nimis urgerentur, per deſperationem denuo Torſtenſonio ſe ſociarent, tracto fortaſſe in partes Rege Daniæ, aliisque ejus Circuli Principibus; id quod aliquoties ingerebat Henricus Langenbeckius, cujus eo tractatu primariæ partes erant; de conjunctione remittebant; & ut copiæ exautorarentur ſatis habebant, hac tamen lege, ut Archiduci ſtatim index turmarum exhiberetur, eorumque exautoratio iſto præſcio inſtitueretur, ut ſtatim cum dimiſſis de ſubeundo Cæſaris ſacramento agi queat; ad quod & ipſi Duces operam conferrent, tum ne ad Suecos tranſirent impedire ſtuderent. Quæ cum Duces abnuerent, tandem Cæſarei ſatis habebant exautorationem aperte & bona fide fieri, nulla cum hoſte colluſione. Negabant tamen Duces eam fieri poſſe, quoad Sueci æque ac Cæſarei ſua ditione exceſſiſſent, & excurſiones ceſſarent. Quod Cæſarei admittebant, modo diſceſſus tantum Sueciei exercitus, non etiam abductio præſidiorum Sueticorum intelligeretur. Nam credebant iſti Suecis cis Albim rejectis, Luneburgicos ultro Cæſareorum conjunctionem affectaturos, ſiquidem oppida ſua à Suecis recuperare vellent. Poſtulaverant quoque Cæſarei, ut præſidiarius Ducum miles Cæſaris pariter ſacramento adſtringeretur. Sed Duces nullam circa ſacramentum ſuorum mutationem admittere volebant; fidem tamen ſuam Cæſari obſtringere parati, operam ſe daturos, ne oppida ſua in hoſtium poteſtatem veniant, neve ex illis damnum Cæſareis inferatur. Se in Cæſaris, milites in ſua fide fore. Ita Cæſarei adquieſcebant, ſtipulati tamen, ut innoxius ſuis in munita oppida aditus, forumque, tum ſi opus ſit tranſitus per provinciam concedatur, ipſi viciſſim periculoſis cum hoſte commerciis abſtineant. Placebat quoque à Ducibus non niſi viginti menſium Romanorum tributum exſolvi, quibus tamen detrahendum ſit, quod alendis ſuis præſidiis Duces impenderint. Reſtitutionem occupatorum locorum in caſum jungendarum copiarum initio promiſſam Cæſarei poſt retractabant; jactantes opus ſibi utique eſſe tegendo his in oris ſuo exercitui, quoad hoſtis plane depulſus foret. Sed contranitentibus Ducibus demum Cæſarei annuebant, omnia à ſe occupata loca eſſe reſtituenda, peculiariter quoque expreſſa Eimbecca. Duces contra in minoris præſulatus Hildeſienſis reſtitutionem

1642. consentiebant, extincta ob fructus percipiendos actione: reliqua eo in statu permanerent, qui anno triceſimo hujus ſeculi fuerit. Circa Hildeſiam oppidum Duces non tam reſtitutionem ejus abnuebant, quam ne Colonienſis Electoris præſidium imponeretur. Cæſarei contra ſuper eo ſibi utique cavêri cupiebant. Igitur placebat, è Cæſareo exercitu præſidium imponi, ſed quod nulli ex Ordinibus Imperii obſtrictum foret. Viciſſim Cæſarei Guelferbyti reſtitutionem pollicebantur, quod libenter cum Hildeſia permutare volebant, commodiore in media provincia ſitu, & quod Hamela quoque hoc obtentu potituros ſe ſperarent, velut ad Hildeſienſem præſulatum ſpectante, etſi iſtum reſpectum tunc diſſimularent. Controverſia circa majorem præſulatum ad amicos tractatus ſeponebatur. In has fere leges Cæſareos inter & Luneburgicos Goslariæ tunc concluſum. Tractatui firmando Kaltſchmidius Archiducis Cancellarius Viennam proficiſcitur. Haſſos quoque inviſiſſimos Cæſarei jam humanius excipiebant; etſi cum conceptam ab iſtis formulam Landgravia improbaret, negotiatio irrita foret.

6. Jan.

Tractatus Goslarienſis Brunsvigæ recognitus.

§. 68. Viennæ tamen nonnulla Goslariæ conventa ulterius ventilanda videbantur, Colonienſi præſertim & Bavaro intercedente; & quod Cæſar nullo modo Guelferbyto cedere vellet. Igitur tractatus Goslaria Brunsvigam transfertur; quo etiam Landgravia à Chriſtiano Ludovico Duce invitatur, addito; ni ipſa ſuos Legatos mittat, ſe haut eo ſecius in negotio proceſſurum. Eam porro ſpem Duces de ſucceſſu tractatuum ceperant, ut jam defuncti Ducis Georgii corpus, & machinæ majores Hildeſia Cellam deveherentur: Cæſarei contra Altfelda & Bœckela præſidium deducerent. Ac Brunsvigæ quidem denuo inter Cæſareos & Luneburgicos conveniebat. Id quod Fredericus, & Chriſtianus Ludovicus Duces Torſtenſonio per literas ſignificant, petentes, exhauſtas à ſuis ſubditis moleſtias ad animum revocaret, nec quid noxæ amplius iisdem à ſuis inferri pateretur. Ipſi à ſe viciſſim hoſtile nihil verendum. Eadem Drebbernus Salvio ingerebat, addito; Duces nihilo ſecius Suecis amicos fore: ſimul ut legato, quem hi propediem in Sueciam mittere conſtituiſſent, placidam admiſſionem præpararet. Et tamen conſtabat, eosdem latas nuper à Cæſare leges acceptaſſe, ac Landgraviæ perſuaſiſſe, ut & ipſa Reinardum Schæferum, ac Vice-cancellarium Deinhardum, alias ad tranſigendum cum Cæſare valde proclivem, Brunsvigam ad inſtaurandos tractatus ablegaret. Cæterum Rectoribus Sueciæ iſta Luneburgicorum cum Cæſare transactio haut mira aut inopina acciderat, queis crebris experimentis compertum erat, ſub favore Succicorum armorum Germaniæ Principes viam ſibi ad transactionem cum Cæſare munire, & eosdem neque cura boni publici, neque per fœdera retineri, quo minus, ſi privatis ipſorum deſideriis ſatisfiat, Cæſari accedant; & intempeſtiva à partibus ſeceſſione, ac limitata amneſtia acceptata, cauſam publicam apud communes futuros tractatus reddant difficiliorem. Gaudebant tamen, quod de munitis oppidis, prout iſti flagitaverant, non conceſſiſſent. Torſtenſonio ſcribebatur, ne hoc facto ad hoſtilia in Duces induenda moveretur: utque iſtorum terris ad exercitus conſervationem uteretur. De cætero ſatius haberet, Succica præſidia iſtorum oppidis vi expelli, quam ut eadem ultro deducantur. Unde tam iſte quam Salvius ſuper neutralitate & reſtituendis oppidis ſat intempeſtive quidem moventibus, amice reſpondebat; melius quidem facturos fuiſſe, omiſſis iſtis tractatibus communem pacem expectare; de-

24. Mart.

29. April.

Judicium Rectorum Sueciæ de iſto tractatu.

ſideria tamen ipſorum Reginæ de meliore nota commendaturos. 1642.

§. 69. Sed & Landgravia tractatus ſuos cum hoſte apud Rectores Sueciæ excuſatum ibat, quæ dudum poſtulaverat, demum concedi ſibi monens. Iſti judicabant, eam deſtinatis ſuis non dimovendam, ſive poſtulata ipſius annuerent, ſive minus; ac nihil aliud quærere, quam ut Sueciæ onerosam obligationem impingeret, ipſa à vinculo immunis, urque culpam in Suecos devolveret, ubi commoda cum hoſte tranſigendi occaſio arrideret. Unde placebat, poſtulata ipſius blande differre, tractatus cum hoſte diſſuadere, benevolentiam teſtari, reliqua tempori committere. Sane iſti Principi ſolenne erat, cum hoſte tractatus temper alere ob incerta belli, ut pro re nata ad pacem via pateret, & concluſionem vario obtentu eludere: apud Suecos ſubinde teſtari, nihil à ſe in fraudem communis cauſæ concluſum iri.

Landgravia ſe excuſat.

§. 70. Cæterum quanquam ratificatio Cæſarea Goslarienſis tractatus mense Junio adferretur; conſtabat tamen Guelferbyti evacuationem non ſecuturam, intercedente Colonienſi & Bavaro, & quia horum copiæ Hildeſia excluſæ forent. Unde & Guelferbyti præfectus jactabat; ſe nullius, niſi Bavari imperium agnoſcere; ſimul ingentem pecuniæ ſummam ob ſumptus in ſtructuram munimentorum, & reſidua tributorum exigebat; etſi Goslariæ aliter conventum foret. Sed & Hildeſienſibus Cæſareum præſidium admittere detrectantibus certum tempus præfigebatur, intra quod ipſi immunitatem ejus oneris à Cæſare impetrarent, aut præſidium utique admitterent. Illis tamen ob progreſſus Succicos permiſſum, proprio milite urbem ſuam cuſtodire. Iidem ut à Fœderatis quoque Regibus neutralitatem obtinerent, per Hanſeaticos apud Salvium, & Avauxium agebant. Qui ad Principes ſuos ſe relaturos pollicebantur, ſpe optati reſponſi facta. Interim hoſtile nihil illatum iri. Et non ingratum erat Rectoribus Sueciæ, ut oppidum iſthoc extra belli onera poneretur, modo & Cæſarei idem indulgerent. Nam præterquam quod Hanſeaticis gratificari cuperent, etiam hoc modo Cæſari anſam præbere volebant eo pertinacius Guelferbyto inhærendi; qui arcem utique obtinendam ſibi ducebat frœnandæ Inferiori Saxoniæ. Et commodiore erat ſitu Hildeſia ubere circum agro, quam Guelferbytum, ubi omnia late exhauſta erant; cujus detenti injuria Luneburgicis offenſæ in Cæſarem cauſam præbitura erat. Spargebatur poſt Cæſarea præſidia Guelferbyto, Eimbecca, & aliis locis educta alibi adverſus Suecos rem geſſura; mox tamen Kœnigsmarckius illis oris ingruens obtentui ſumebatur, quare Guelferbyto excedere non tutum ferrent. Spes porro Cæſaris erat è Luneburgicorum exautoratis copiis validam ſe manum conflaturos; ei quoque Suecos toto Albi depulſos intra Wiſmariam compingerent. Circa quod negotium cumprimis ſatagebat Cunradus Bertramus Pfulius, ſolicitato Clitzingio, aliisque à Succica & Luneburgica militia digreſſis ductoribus. Quos inter & frater ipſius erat Adamus Pfulius, offenſæ in Suecos cauſam obtendens prælatum ſibi Lilliehœckium, qui & eo tempore miſſionem ſuam è Suecia per literas petebat aculeatis verbis refertas, ac additis minis; etiam negata miſſione arrepturum ſe, quæ offeratur, fortunam. Cui cum Rectores Sueciæ publice reſpondere dedignarentur, Axelius Oxenſtierna quaſi privato nomine ingratum animum exprobrat, in aula Regis Guſtavi educato, & cui omnes fortunas debeat, ex gratia magis quam merito multis præſtantioribus prælato; cui & fœdum per ejusmodi literas à Regina miſſionem flagitare. Minas

Guelferbytum non evacuatum.

Hildeſia neutralitatem amplit.

Luneburgici exautoratis militiam adſperantur.

ipſius

1642. ipſius flocci haberi. Ita iſte quantumvis iratus quieſcebat ſuaſu uxoris & amicorum, & quod florentia Succorum arma conſpiceret. Sed & Conradi Pfulii delectus languebant, deficiente argento, & Saxoniæ Ordinibus hoſpitia abnuentibus, & quia miles Succica quam Cæſarea ſigna ſequi malebat. Et jam Salvius per Drebbernum plerosque Luneburgicorum ductorum in Succicas partes pertraxerat, ut ad Cæſareorum ſolicitationes, & promiſſa aures obſtruerent. Sic ut Cæſarei, cum viderent fruſtra ab ſe illum militem captari, à Ducibus peterent, ut exautorationem differrent. Et Pfulius tædio iſtius militiæ captus haut difficulter ad Succicas partes rediturus videbatur, ſi tanti fuiſſet iſtum ſolicitare.

Circa Palatinam cauſam Viennæ acta.

§. 71. Circa Palatinam cauſam Viennæ oleum & opera perdebatur. Cæſaris declaratio laxis verborum formulis conſtabat; cæterorum quorum intererat nemo præter Bavarum ſententiam ſuam ediderat. Unde mediatores apud Cæſarem inſtare; ſua autoritate partem alteram permoveat, ut propius ad rem accedat. Inter quæ tamen non parum temporis incaſſum elabebatur, quod Mediatores abſque Cancellario Moguntino, qui tunc è podagra decumbebat, in cauſa nihil ſuſcipere pollent, aut vellent; Anglico Legato ægre ferente non moram magis, quam futilem ejus prætextum. Videbatur tamen ideo præcipue tempus extrahi, quod Hiſpanicus Legatus procuratorio inſtructus non eſſet. Id quod iſte per obitum Cardinalis Infantis excuſabat; ac ei obtinendo nuntium à ſe in Hiſpaniam miſſum. Cæterum Hiſpanici Legati propoſitionem cum Palatini digerere non poſſent, à Rege Hiſpaniæ ante triennium Legato Anglico datam declarationem exhibent, qua Rex promiſerat, loca Inferioris Palatinatus à ſe citra reſtitutionem reſtitutum iri, quam primum ſuper eo cum Cæſare convenerit. Tum & expetebant, ut Cæſar mentem ſuam diſtinctius explicaret circa præfecturam Germersheimenſem, tum qualem pacem, aut ſatisfactionem Hiſpanus in propoſitione ſua intelligat, & qua lege Bavarus à ſe occupata

3. Febr. reſtituere velit. Quæ capita Cæſari per mediatores exhibebantur. Bavarici contra inſtantibus mediatoribus denuo teſtantur; ſi Palatini à ſe oblata circa partes Inferioris Palatinatus acceptarint, ſe paſſuros, ut æquis conditionibus de ſuperiore provincia & dignitate ſeptemvirali tractetur. Aſt Anglicus Legatus Mediatoribus ſcripto diſceſſum ſuum denuntiabat, ni majore ſtudio quam hactenus res agatur. Petentibus tamen mediatoribus,

16. Febr. & ſtudium ſuum in cauſa pollicentibus, iter differre ſe oſtendebat. Cæſar inde Mediatoribus inſtantibus profitebatur; cum Hiſpanico Legato procuratorium deſit, ſe Regis Hiſpaniæ, ac Claudiæ Archiducis partes, quæ ſuper præfectura Germersheimenſi actionem intendebat, in ſe ſuſceſturum, ea lege, ſi Legatus Anglicus Regis ſui nomine fœdus cum Cæſare & Imperio adverſus hujus hoſtes inire velit, de cujus Legibus cum me-

17. Febr. diatoribus conſultandum ſit. Ad quæ Legatus Anglicus ſtatim reponebat: conſtare ſibi prius debere, quid circa reſtituendum non Inferiorem modo, ſed & ſuperiorem Palatinatum ſimul cum Electorali dignitate decernendum ſit. Tunc demum ex mandato ſui Regis ad negotium fœderis

24. Febr. acceſſurum. Igitur Bavaricorum ſententiam ſuper reſtitutione mediatores extunderent. Bavarici ad hæc priori declarationi inſiſtere, teſtati, plura ſe in mandatis non habere; addito, ſi quod ab initio placuerat, de Inferiore Palatinatu tranſactum ſit, Principem ſuum circa reliqua nil omiſſurum, quod finiendæ liti faciat. Inter alia iſti jactabant: Inferiorem provinciam proprium & antiquum Palatinorum patrimonium eſſe; ſuperiorem ex vetere ſua indole ad Bavariæ Ducatum ſpectare. Huic ſententiæ cum Bavarici firmiter inhærerent, Mediatoribus placebat illos non amplius urgere, quoad circa Inferiorem Palatinatum omnia conveniſſent. Inde mittendo in compendium negotio, cauſa Viduæ Senioris Palatinæ, ejusque filiæ Catharinæ, tum & Ludovici Philippi Palatini ſeponitur, quos innoxios belli alieni calamitas involverat, & quibus per ipſam pacem Pragenſem injuſte ablata reſtitui debebant. Cæteris qui circa Inferiorem Palatinatum actionis quid moverent, ut Cæſar certum tempus præfigeret edendis ſuis poſtulatis petebatur. Quan- 2. Mart. quam autem Legato Anglico Bruxellis transeunti dictum fuerat, ex Hiſpania plenipotentiam haut ſecuturam, quod ibi moris non ſit, ſuper ejusmodi rebus, & cum talibus extra Regnum tractare: accipiebat tamen Legatus Hiſpanicus procuratorium, uti ipſe ferebat, ampliſſima cum facultate tractandi, concludendi, exſequendi. De quo per Mediatores Anglico Legato ſignificat, ex eo ſciſcitatus; num ipſi placeat par procuratorium obtinere; ac num in ejusmodi arduis negotiis conſenſu Parlamenti opus ſit. Ad quæ Anglus reponebat: tantopere jactatam Hiſpani plenipotentiam eſſe privatam Regis epiſtolam, non ad Cæſarem, Reges, Electores & Principes, ſed ad ſubditum ſuum directam, non juſto ſigillo munitam, & chartæ, non pergameno inſcriptam; ac ſua multis partibus inferiorem. Unde ſe infecta rediſcedere, quam aliam petere malle. Circa Parlamenti conſenſum reſpondebat; penes ſolum Regem eſſe jus belli ac fœderum, ſic ut in ipſius arbitrio ſit, ſuper talibus ad Parlamentum referre velit, an minus. Tum Parlamentum utrumque pro cauſa Palatina enixius fere ſtudium, quam ipſum Regem oſtendiſſe. Tractatibus abſolutis ejusdem adprobationem facile obtentum iri. Id 31. Mart. Angli reſponſum mediatores Cæſari exponunt, ac promtam circa principale negotium declarationem petunt. Enimvero id ſatis conſtabat, à Cæſare potiſſimum reſpici, quid emolumenti Angliæ Rex Domui Auſtriacæ viciſſim pro reſtituto Palatinatu præſtare poſſit, ac velit. Sane de fœdere offenſivo & defenſivo, armorumque conjunctione Legatus Anglicus ſcripto & ſermone pollicitus fuerat; ſi negotium Palatinum ex voto componeretur. Id quod & Hiſpanus Legatus per *congrua ſatisfactionis* vocabulum inſinuaverat. Et eodem fine ſuper conſenſu Parlamenti motum fuerat, quod metueretur, à Rege promiſſa inania fore, ni Parlamentum conſentiret. Sed & Danicus Legatus circa id fœdus combinandum ſatagebat. Enimvero Rex tunc Parlamento diſcors ne ſuis quidem rebus conſulere valebat. Unde Cæſar nulla ſibi ex Anglia ſpe ad vetera ludibria revolutus, poſt tædioſas moras tandem declarabat: ſi Palatini Cæſaris ſcripto, aut per Legatos Cæſari ſe debito modo declaratio. ſubmittant, & omnibus fœderibus præſentibus & futuris contra Cæſarem, Imperium, & Do- 26. April. mum Auſtriacam renuntient, Cæſarem delicti ab ipſis aut eorundem Parente admiſſi veniam daturum, in Palatinatum Inferiorem eosdem repoſiturum, pro Germersheimenſi præfectura ſortem, pro qua pignori oppoſita illa ſit, redditurum; quin & ſuperiorem Palatinatum reſtituturum, ubi Rex Angliæ aut Palatini tredecim milliones florenorum una ſumma exſolverint diluendo debito, quo Cæſar Bavaro obſtrictus ſit, pignore in Auſtria ſuper Anaſſum conſtituto: quoad dicta ſumma exſoluta ſit, Bavarum velut legitimum dominum in poſſeſſione Superioris Palatinatus manſurum. Excipiebatur tamen Comitatus Cham,

qui

1642. qui priſcis temporibus Ducatus Bavariæ, non Superioris Palatinatus pars fuerit. Addebatur, ut Romani ritus, & omnia Monachorum ac Jeſuitarum cœnobia ac collegia in præſente ſtatu relinquantur; validæ perſiſtant à Cæſare aut Bavaro factæ donationes, infeudationes, ac res judicatæ: nulla ſit Palatinis actio adverſus poſſeſſores ſuper fructibus perceptis, aut damno dato. Dignitas Electoralis ſit penes Maximilianum ejuſque hæredes maſculos, tum penes tres inſuper alios ex linea Wilhelmina: tum demum ea dignitas alternis inter Wilhelminam & Palatinam lineam geratur; alterutra harum extincta id faſtigium penes ſuperſtitem maneat. Ex adverſo fœdus, ſuper quo jam conveniendum, implendum, eoque nomine idonee cavendum eſſe. Hujus quippe reſpectu hanc declarationem à Cæſare fieri; quo non ſecuto hanc quoque invalidam fore. Hæc declaratio non ſolenni forma Cæſareo ſigillo, & Vice-Cancellarii atque Secretarii manu munita, ſed ſolius *Latini Regiſtratoris* nomine ſubſcripta exhibebatur. Quod quibuſdam mediatorum indignum videbatur; reliqui id excuſabant, quod forte Cæſar dubitarit, num illa acceptanda ſit. Et ſane Palatini eam Principi ſuo contumeliosam, iniquam, & quæ præſtari plane non poſſit, judicabant: ad quam nihil reponere dignaturi ſint, ni prout æquitas & ratio exigat, refingatur. Ac Anglus oſtendebat, ante omnia Palatinarum Inferiorem eodem jure, quo anno hujus ſeculi decimo octavo fuerat, reſtituendum: tunc demum ſuper Electoratu & Superiore provincia tractatus ſe admiſſurum. Idem cum mediatores ſuper tredecim millionibus inſtarent, reponebat; ſuper offerenda pecunia nihil ſibi mandatum; extra mandatum tamen & ſub ſpe rati ſexcenties mille unciales offerre. Id quod Bavari adſpernabantur: à Principe ſuo hauquidquam ſibi injunctum de remiſſione crediti ſui cum Anglo aut Palatinis movere, ſed Cæſari tanquam legitimo debitori, & conſtituto pignori incumbere, penes hunc relicto, in quas leges cum Palatinis tranſigere velit. Cæſaris declaratione in Angliam miſſa, Legatus una cum Palatinis Vienna domum reverti jubetur. Anglum valedicentem Cæſar blande habitum magnificeque donatum dimittebat, pollicitus, ad decimum diem Januarii ſequentis anni eos tractatus inſtaurandos; tum ſe Palatinis circa præfecturam Germersheimenſem ſatisfacturum, ac operam daturum, ut Bavari creditum diſſolvatur: Offerret Angliæ Rex idoneam ſummam, & Palatinos ab extremis poſtulatis dehortetur; ſe ipſum inſignem partem ejus ſummæ in ſe ſuſcepturum; forte & Bavarum non nihil remiſſurum. Circa dignitatem Electoralem tractare ne feſtinaret: fata viam inventura. Cum cæteris quorum intereſt facile conventurum. Quibus verborum blandimentis utcunque ſatisfactum ſibi Legatus Anglicus oſtendebat.

Anglicus & Palatini Legati re infecta diſcedunt. 3. Jun.

Angliæ Regis in Sueciam miſſio. 19. Apriſ. 30. Aug.

§. 72. Dum iſta Viennæ aguntur, Angliæ Rex Ludovicum Leſlæum tribunum cum literis in Sueciam miſerat, quibus Palatini cauſam Reginæ commendabat. Ei reſponſum; facturam ſe quantum poſſit, modo Rex & alii, quorum intereſt, ſuam quoque operam conferre velint. Ac dudum Palatinæ Domus res melius habituras fuiſſe, niſi ipſa à cæteris ſola deſtituta fuiſſet. Scripſerat quoque Elector Palatinus; ſe non potuiſſe propoſitos à Cæſare tractatus abnuere, quanquam ſibi illuſum iri ſat prævideret; ne Cæſar invidiam in ipſum conjiceret, & ſequente Ordinum conventu plane excluderet. Ad eas literas reſpondebatur; ut is Regem Angliæ permoveret ad auxilia Succis ſubmittenda, quo Palatinatus armis recuperari queat. Etſi cum tranquillis Angliæ rebus nihil auxilii impetrari potuiſſet, multo minus nunc aliquid ſperandum inde foret, aperto inter Regem ac Parlamentum flagrante bello. Super cujus cauſis judicabat Axelius Oxenſtierna: cavendum eſſe Regi ab extremis conſiliis, ac ne libero populo dominatum introducere aggrediatur. Quia porro iſthoc tempore Rex dixerat, ut omnes exterorum Statuum miniſtri negotia ſua apud ipſum exponerent, quæ ipſa Parlamentum contrario edicto ad ſe pertrahere conabatur, Rectores Sueciæ, ne obliqua via iſti controverſiæ immiſcerentur, utque omnem utrinque offenſæ occaſionem declinarent, Reſidenti ſuo in Anglia Michaeli *Le Blon*, qui tunc in Hollandiam excurreret, injungunt, tantiſper heic ſubſiſtat, nec niſi novis acceptis mandatis in Angliam redeat. 1642.

Cum Ragozio actum.

§. 73. E Transſylvania menſe Junio profectus nuntius ſpem fecerat, Ragozium inſtante autumno, arma in Cæſarem ſumturum, modo fœcia Regna ad ipſum mittant, & ſuper poſtulatis ejuſdem caveant. Iſtius Principis conjunctio in ſe quidem hautquidquam ſpernenda videbatur. Nam & opinio conciliabatur, velut in diverſa quoque terrarum parte Sueci moliri quid valerent; & Polono ad iſtam ſocietatem oculi erant reflectendi. Ac ſi revera in arma prorumperet, haut modicum momentum daturus erat; ubi ea ſpes fefellerit, nihil jacturæ accipiebatur. Ac jam ſpretum ſe à Succis querebatur, offenſæque cauſam in hos conjiciebat. Sed quare hactenus id negotium à Succis ſegnius actum foret, præcipua cauſa fuerat, quod pecunia non ſuppeteret, quam ſuo exercitui detractam in iſtum erogarent, nondum ſatis cauto, num res ab ipſo ſerio agatur: & quia ex hactenus actis, rerumque ipſius conditione judicabatur, eundem adverſus Cæſarem in Hungaria nihil moturum, ni Turca ſimul eodem ingrueret. Unde quia Turca jam cum Ruſſo bellum de Aſſaco poſuerat, prius expectandum videbatur quid iſte ſuſcepturus eſſet, quam cum Ragozio fœdus concluderetur. Turcam autem aliquid moliturum ſuſpicio erat, quod alias rationibus magnorum imperiorum repugnet diu quieſcere; ac credebatur Ragozius clam exploraſſe, à Turca Cæſarem peti. Eam ob cauſam placebat Torſtenſonio tribunos Dœrflingium & Plettenbergium ad Ragozium mittere, ut ad bellum in Cæſarem hunc impellerent, aut ſi is abnueret, tentarent, num manum aliquam cogere poſſint, qua irruptio in ditiones Cæſaris ſuſciperetur. Iter iſti ſumebant per Poloniam, ductores ſe ferentes, qui miſſione obtenta, fortunas ſuas alibi locorum quæſituri ſint. Cum menſe Septembri apud Ragozium mandata expoſuiſſent, hic certa capita concipiebat, à Regina Sueciæ, ejusque fœderatis annuenda, quorum ſumma hæc erat. Impetrarent Fœderati Reges conſenſum Imperatoris Turcici, ut is Ragozium cum familia ſua bonique in protectionem ſuſcipiat, ei ſi opus ſit auxilium ferat, ubi ab alio invadatur, aut terris ſuis forte expulſum armis reſtituat. Ad parem tutelam quoque ſocii Reges ſe obſtringant. Si ipſe, aut poſt ſua fata uxor, liberique bonis in Hungaria & Transſylvania ſitis expellantur annua quadragena unicalium millia exſolvantur, quoad in ſua bona reſtituti ſint. Tueantur ſocii Reges libertatem, privilegia, ac præſentia ſacra Hungariæ & Transſylvaniæ adverſus omnes, qui violare iſta aggrediantur; ut tamen hujus protectionis nomine nullam actionem in Regnum Hungariæ, aut Transſylvaniam prætendant. Primo belli anno exſolvant ducenta mil- 10. Jul.

1642. lia uncialium, ſequentibus centena quinquagena millia. Tum ter mille pedites extraneos Principis exercitui conjungant, & plenis ſemper numeris præſtent, Principis tamen ſacramento obſtrictos, ejusque imperio obnoxios. Principi quoque integrum ſit in Fœderatorum terris militem conſcribere. Ne pacem aut inducias ineant, niſi cum conſenſu ipſius, aut ſe defuncto, Ordinum Hungariæ & Transſylvaniæ, quæ ipſis fraudi non ſint, & queis iidem includantur, quo juribus & bonis ſuis tuto frui queant. Si poſt pacem factam Princeps à Domo Auſtriaca invadatur, Fœderati Reges defenſionem ejus ſuſcipiant, & auxilium mittant. Denique operam dent, ut quæ Transſylvaniæ à Solimanno conceſſa eſt pax, firma perſiſtat. His capitibus acceptis Rectores Sueciæ, re cum Rorteo miniſtro Gallico communicata, formulam fœderis concipiunt, ac Torſtenſonio in mandatis dant, ut ſuper iſto cum Ragozio tranſigat, eumque permovere ſtudeat, ut quamprimum in bellum contra Cæſarem erumpat.

Danica. §. 74. Hoc anno Dani moleſtias, queis Sucorũ commercia in freto Oreſundico premebant, uſque adeo non remittebant, ut novis potius veteres cumularent. Redibant è Luſitania tres naves
16. April. Regiæ bellicæ, nonnihil ſalis vehentes. Illis tranſitum concedere per fretum Dani recuſabant, etſi noſſent, & naves, & ſal quod vehebant, ad Reginam ſpectare; eo obtentu, quod *certificationes* non haberent. Unde navarchis Hafniam erat proficiſcendum impetrandæ tranſitus veniæ. Conſtituerant Dani ingentem pontonem ad brevia non procul freto, queis Lappæ vocabulum eſt. Eum cum duæ naves Sueciæ ex America venientes præterirent, è pontone tormentum diſplodebatur; unde Sueciis navarchis neceſſitas fiebat anchoras jaciendi, & ad pontonem accedendi, multa *Rojæ nobilis* irrogata, quod per diploſionem machinæ monendi fuiſſent. Tum apud Hafniam ſubſiſtere cogebantur, quoad à præfecto Regio veniam proficiſcendi obtinerent. Hactenus quoque frumentum Regium, quod Revalia in Hollandiam vehe-
5. Nov. batur, à vectigali in freto immune fuerat. Sed jam navis ejusmodi frumento onuſta, & Gubernatoris teſtimonio munita, ad exſolvendum vectigal compellebatur, obtentu ſumto, quod Regis Daniæ merces Rigæ, & alibi vectigali onerentur, & revera omne illud frumentum ad Hollandos ſpectet.
19. Nov. Veniebat Wiſmaria celox, quo nuntius victoriæ apud Lipſiam in freto vehebatur. Is cum expoſito in terram nuntio domum reverti vellet, comprehenſus & Hafniam deductus; nautæ velut captivi in arcem pertracti; mox tamen inſpecto teſtimonio dimiſſi. Cauſa ferebatur, quod in teloneo nomen ſuum profeſſi non eſſent; cum tamen præter nuntium nihil veherent. Juſſerat etiam Rex certificationes Sueciças annorum quatuor ex teloneo Hafniam deferri, ut computaretur, quanto Sueciæ merces per fretum transvectæ ſuperarent eas, quæ à Danis in Sueciam importarentur. Quod Stetinenſem tranſactionem ita interpretari vellet, velut Sueciis non plus immunitatis in freto competeret, quam quanti illa foret, qua Dani in Suecia fruerentur. Tum & aliam Sueciæ libertatis interpretationem meditabantur, velut eadem ad iſtas duntaxat merces ſpectaret, quæ per fretum in Sueciam, non quæ ad alia loca Mari Baltico adſita vehuntur. Ac palam Miniſtro Sueciço denuntiabat Cancellarius; ſi Sueci id pertenderent, Regem alia media diſpecturum. Cum porro illo tempore duplum vectigal in freto præter Gedanenſes & Livonos nemo exſolveret, Streemfeldius id onus pro Livonis deprecatus, rejiciebatur; Danos quoque ingens in Livonia vectigal exſolvere. 1642.
Cum tamen non plus quam aliæ nationes darent. Tandem & quatuor fere poſt annos ad querelas Senatus Sueciçi ad Daniæ Senatum reſpondebatur; quod anno triceſimo nono arma quædam in freto detenta fuerint, id Regis Angliæ rogatu factum, & mox emendatum. Sibi non conſtare navium Sueciçarum iter in freto impediri, ni ipſæ ab uſu & vitiis certificationum cauſam præbeant. Circa Pernavienſes ex errore factum, quod telonæ credidiſſent id oppidum in Pomerania ſitum. Cæterum omnibus armis transvehendis peculiarem Regis conſenſum obtinendum, quod & pactis anno viceſimo quarto in finibus Regnorum initis conforme ſit. Etſi à Stroemfeldio ſatis oſtenſum foret: ea pacta duntaxat ad illa arma pertinere, quæ tunc Guſtavus Rex ex Hollandia adferri curabat in uſum belli, quod in Livonia & Boruſſia contra Polonum gerebatur. Nequaquam autem ad illa arma extendi debere, quæ in Suecia confecta ad amica utrique Regno loca vehantur, non certo bello deſtinata, ſed ad inſtar aliarum mercium venalia. Ac difficultates iſtas circa id genus arma demum anno triceſimo ſexto moveri cæptas, quando ab Hollandis enorme in nitrum vectigal extorquebatur. Quanquam & eodem anno Angli novis oneribus in freto premerentur, obtentu tumto, quod Angliæ Rex tractatum à Rovvio Glucſtadii concluſum ratum non habuiſſet. Revera autem in turbido piſcari animus erat, confuſo tunc Angliæ ſtatu, & oſtentando quod in freto obtendebat juri, ac ut iniquo tempore Anglos ad tranſigendum ex ipſius libidine compelleret. Sed & periculoſiſſimum tunc Sueciæ negotium Danum inter & Ruſſos coquebatur, dum Danus Woldemaro filio ſuo è ſecundaria uxore genita Annam (Irenem alii vocant,) Czaris filiam in uxorem ambit; cui dos petebatur Novogardia Magna, & Pleſcovia cum prætenſione Ruſſorum ad Ingriam & alia loca à Sueciis poſſeſſa, quæ quondam ad Ruſſiam ſpectaverint: quæ per arma aut tractatus recuperanda forent. Etſi Ruſſi Caſanum dare malebant. Ei negotio promovendo in V Woldemarum præfectura inſulæ Oeſaliæ conferebatur hac lege, ut nemini ſuper reditibus rationem reddere teneretur. Idem juventa, ac forte ſomniis novi Regni Livonici ferox, cum ab Oeſalia Hafniam veheretur, navem Sueciçam bellicam non procul Bornholmia occurrentem tribus tormentis diſploſis monebat, ut ejus navarchus velum demitteret, ac ad ipſius navem accederet. Quod cum Sueçus adſpernaretur, V Woldemarus omnibus tormentis in iſtum fulminare ardebat, ni Andreas Bildius Daniæ archiſtrategus, qui ſimul vehebatur, attinuiſſet oſtendens, Sueçum potius demergi navem ſuam paſſurum, quam id faceret. Ita Sueçus præternavigabat. Nec eo tecius ſuper hoc facto apud Rectores Sueciæ querelam movebat Petrus V Vibius, petito, ut navarchus iſte pœnas daret. Cui oſtendebatur, Danum potius pœnam promeritum, intentata præter morem, & pacta contumelia. Cæterum quanquam Senatus Daniæ Regi ingereret, ut niſi laceſſitus bello ſe haut immiſceret; quo fine & ab eodem petebat, ut in Dania, quam Glucſtadii agere mallet, & Legatos extraneos nullibi, quam Hafniæ audiret: tamen ea monita haut ſufficiebant competendis infeſtis in Sueciam conſiliis; præſertim cum Rex non paucos in Senatum legiſſet, qui plane ab ipſius nutu pendebat. Tunc quoque Hafnia novis munimentis firmari cæpta, refragante primum Equeſtri Ordine, mox permittente, cum apud vicinos quoque circa emunienda oppida laborari oſtenderetur.

§. 75. Hoc anno Joannes Princius in Novam Sueciam

1642. Sueciam in America Septentrionali sitam Gubernator mittitur, novæ provinciæ res ordinaturus: quo aliquot ante annos mercatores quidam Batavi auspiciis Reginæ Christinæ colonias deducere cæperant. Hi cum barbaris ejus regionis indigenis ac dominis convenerant, ut Novæ illius Sueciæ fines essent in longitudinem à promontorio Hinlopen supra latus occidentale Sinus Godvini (*Godvins Bay*) ad ripam magni fluminis Australis (*Sud Revier*) usque ad Minquel Kil, ubi Castellum Christina situm est; inde longius per ripam dicti fluminis, usque ad locum Indigenis dictum Sankikas, ubi extremum Suecicum castellum est. Qui tractus triginta quasi milliaria Germanica in longitudinem patet. In latitudinem autem versus interiora conventum fuerat, ut Suecis quantum terrarum vellent, occupare liceret. Sed Hollandi qui ad orientalem fluminis Australis ripam castellum Nassovium extruxerant, jus obtendebant in omnem tractum à Suecis ad occiduam ejusdem ripam occupatum; quem & aliquot post annos exclusis Suecis sibi vindicarunt. 1642.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM

LIBER DECIMUS QUINTUS.

EPITOME.

1. *Obsidium Freiberga.* 2. *A Luneburgicis missi Torstensonium adeunt. Cæsarei Freiberga succurrunt. Torstensonius Freiberga discedit.* 3. *Is Augusto Saxoniæ Duci commeatum retractat. Idem Albim transit. Brunam vapulat, ut & tribunus Ungarus.* 4. *Cæsarei in Bohemiam abeunt.* 5. *Torstensonius in Bohemiam irrumpit: Albim transit: in Moraviam tendit.* 6. *Gallasius eodem sequitur.* 7. *Sueci multa Moraviæ loca capiunt.* 8. *Suecici vapulant.* 9. *Torstensonius castra mutat.* 10. *Conventio super redemtione captivorum.* 11. *Bucheimius Comes vapulat. Torstensonius hostem lacessit.* 12. *Cæsarii irritum iter. Cæsareorum caterva vapulat.* 13. *Eulenberga capitur. Gallasius Moraviam capit. Torstensonius in Holsatiam abire jubetur.* 14. *Idem in Silesiam transit:* 15. *De induciis proponit: per Silesiam descendit:* 16. *Cum Polonis literas commutat:* 17. *E Silesia versus Holsatiam movet.* 18. *Gallasius Suecos in Lusatiam usque sequitur. Idem Lubenam, Lembergam, & Zittaviam capit.* 19. *Kœnigsmarckii acta. Is Halberstadium intercipit.* 20. *Crocovius in Pomeraniam irrumpit. Idem Poloniæ fines transit.* 21. *Kœnigsmarckius in Pomeraniam properat.* 22. *Idem Crocovium apud Belgardum obsidet.* 23. *Poloni in antecessum se excusant. Crocovius per Poloniam evadit.* 24. *Danus loca quædam Meclenburgica captat. Dæmitzæ obsidium.* 25. *Guelferbytum à Cæsareis evacuatur.* 26. *Hassorum gesta.* 27. *Guebriani gesta. Lotharingus Bavaricis jungitur. Wertanus vapulat. Geppinga expugnatur.* 28. *Guebrianus ad Rhenum recedit.* 29. *Idem tarde se movet; Hohentwilam se confert:* 30. *Frustra in Wirtenbergicam irrumpere nititur: ad Rhenum se vertit:* 31. *Circa Benfeldam copias distribuit.* 32. *Bavarici Rhenum transeunt. Auxilia è Gallia adveniunt. Guebrianus in Sueviam movet.* 33. *Rotwila à Gallis expugnatur. Guebrianus è vulnere obit. Bavarici in Gallos movent.* 34. *Gallorum & Vinariensium ad Dutlingam cladis. Ejus cladis magnitudo. Rotwila à Bavaricis recuperatur. Turennius ad exercitum venit.* 35. *Tractatus inducias cum Brandeburgico adhuc haret.* 36. *Acta circa pacem communem, à qua Cæsarei abhorrent. Emendata à Cæsare ratificatio adest. Id Aurspergius Dano significat.* 37. *Eorum exempla exhibentur. In illis desiderata. Rectoribus Suecia mutatio displicet.* 38. *Circa Hispanica diplomata defectus.* 39. *Rex Daniæ diem ordiendo tractatui dicit. Ejus agendi ratio non probatur.* 40. *Cæsarei separatos tractatus captant, quos Sueci adspernantur. Aurspergius suspectas securitatis literas petit.* 41. *Cæsareorum secreta in Galliam missio. Ea rejicitur.* 42. *Prævia conventio tandem permutatur. Salvius mutationem rerum timet.* 43. *De initio tractatuum Ordinibus Imperii significatur. Cæsar studium pacis pre se fert.* 44. *Loca tractatuum juramento exsolvuntur. Difficultates circa deducendum Osnabrugæ præsidium.* 45. *Legati tarde iter moliuntur.* 46. *Causam suam commendat Elector Palatinus, ut & immediata Imperii Nobilitas.* 47. *Ex morte Regis Galliæ mutatio metuitur. Fœdus inter Suecos & Gallos confirmatur.* 48. *Aurspergius denuo de separatis tractatibus.*

Digitized by Google

tatibus movet. Suspectus Gallia status. 49. *Osnabruga evacuatur. Legati Cæsarei mature accedunt. Alii paulatim sequuntur.* 50. *Polonica Legatio dissuadetur.* 51. *Dani moram agre ferunt: quibus respondetur.* 52. *Invitatio Ordinum adhuc differtur. Salvius Osnabrugam accedere constituit.* 53. *Ordines Imperii à Suecis ad tractatus invitantur.* 54. *Fœderatorum Regnorum scopus.* 55. *Salvius Osnabrugam ingreditur. Cum Danicis Legatis congressus.* 56. *Legati Gallici iter ingrediuntur. Hispanici Legati Monasterium veniunt.* 57. *Salvius præter destinatum Osnabruga manet.* 58. *Lusitani ad pacis tractatum admitti cupiunt.* 59. *Acta Deputationis Francofurtensis. Legatorum Electoralium Vienna sententia.* 60. *Brandeburgico conventus ille displicet. Ordinum inclinatio. Fit propositio. Ordines ante omnia de pace agi volunt.* 61. *Austriaci de interna, Ordines de externa pace prius agi volunt. Burgundus bellum suadet. Reliqui contradicunt.* 62. *An Principale Collegium ad tractatus venire debeat? Austriaci repugnant; Principales eo mittere utique volunt.* 63. *De modo missionis. De causis hujus belli inquiritur. Cæsar conventum eum dissolvi cupit.* 64. *Electorales nolunt à Principalibus ad tractatus pacis mitti. Principales contra nituntur.* 65. *Missiones circulares hærent. Principes Deputationem ad locum tractatuum transferri cupiunt. Austriaci eam translationem impedire student. Electorales ab utrisque dissentiunt.* 66. *Cæsarei de negotiis Ordinum in tractatibus pacis agi nolunt:* 67. *Et missionibus ad loca tractatuum repugnant. Ordines contra tendunt, Electores in diversa abeunt.* 68. *Res ad Cæsarem refertur. Principales protestantur.* 69. *Cæsar Conventum Francofurti continuandum decernit. Principales consultationes suspendunt. Principalium consilia.* 70. *Circa Palatinam causam acta.* 71. *Circa amnestiam agitata.* 72. *Circa gravamina Ordinum conatus.* 73. *Transsylvanica. Super fœdere cum Ragozio consultatio.* 74. *Torstensonius Ragozium stimulat. Ragozius pronum se bello ostendit. Torstensonius in Transsylvaniam mittit. Bellum à Ragozio in Cæsarem sumitur.* 75. *Poloni machinationes.* 76. *Danorum cum Russis machinationes.* 77. *Dani Hamburgenses argento emungunt. Iidem Suecis Pomeraniam invident:* 78. *Sub Rudena à Suecis vectigal exigunt. Suecorum navibus in Oresunda manus injiciunt.* 79. *Sueci initio modeste queruntur.* 80. *Consultatio super bello Danico. Rationes contra.* 81. *Rationes pro bello.* 82. *Bellum in Danum decernitur.* 83. *Consultatio super cedenda Pomerania. Rationes pro ea retinenda.* 84. *Rationes pro eadem cedenda. Ea cedendum certo modo decernitur.* 85. *Missio ad Brandeburgicum.* 86. *Dani ut injurias emendent frustra monentur.* 87. *Conventus Ordinum Regni.* 88. *Exteris de hoc bello significatur.*

1644. Obsidium Freibergæ.

SUperioris anni exitu Torstensonius post captam Lipsiam Freibergæ animum adjecerat, ut gemino velut compede Misniam stringeret. Oppidum istud, quod muri turribus interjectis cum fossa lat profunda cingebant, nullo ad recentiores artis regulas munimento tuebatur Schwemicius tribunus, vir strenuus, cum aliquot peditum centuriis. Tum oppidani, & magnus metallicorum numerus, & profugi provinciales arma intrepidi ceperant; queis animum addebant per meatus subterraneos subinde ab Electore penetrantes nuntii. Dum situs oppidi exploratur, aliquot dies primum elabuntur. Hinc propugnaculum rotundum portæ Petrinæ & mœnia utrinque verberantur: simul cuniculus ad exterius fossæ labrum agitur; sed eo
8. Jan. fallente assultus dari tunc non poterat. Sequenti die post repetitam verberationem, & cuniculum ducenti pedites assultum auspicantur; qui
1. Jan. & in ruinas mœnium enituntur. Sed nullo modo per objectos palos & abscissos aditus perrumpere dabatur. Cadebant ibi è Suecicis duo centuriones cum quinquaginta gregariis centum sauciati. Unde majore mole accessus moliendi erant, qui continuas ob pluvias lente procedebant. Inter ista Torstensonius assumto equitatu & selecta peditum manu versus Bohemicos montes pro-
7. Jan. cedit, num Cæsareis per hiberna dispersis noxæ quid inferre possit. Sed profundæ luto viæ, & morbus ducis non nisi viginti equitibus interceptis mox in castra redire subigebat. Morbo Tor-
9. Jan. stensonius per mensem lecto affixus tenebatur, haut exigua obsidii remora. Simul fœda tempestas obsessores urgebat, ac metallici contrarios agendo cuniculos subterraneum laborem eludebant.

§. 2. Ad hoc oppidum hærentem Torstensonium à Luneburgicis Ducibus missi adeunt, quibus & Augustus Dux ablegatum addiderat. Hujus literæ ad Leopoldum prælio apud Lipsiam interceptæ, ac de infenso ejusdem in Suecos animo testantes ipsius ablegato à Torstensonio legendæ exhibebantur; simul admissio negabatur, ni cæteri interfuissent. Petebant isti stipendia ditionibus ipsorum imperata remitti aut mitigari; tum Wælpam & Hoyam deducto præsidio munitionibus nudari; ac discessuris Cæsareorum è sua provincia præsidiis tutum iter concedi. Torstensonius stipendia ad certum modum deducebat. Circa VVælpam annuebat ea lege, ut vicissim Ehrenburgum à Cæsareis insessum mœnibus nudetur. De Hoya differebatur. Cæsareis præsidiis tutum iter promittebatur, si in Bergensem agrum descendere vellent. Cæsarei interim contracto apud Launam equitatu subitam incursionem in Suecorum stativa meditabantur. Quibus Torstensonius cum maxima exercitus parte Frauensteinam usque obviam procedit. Sed cum hi Suecorum motu cognito recessissent, ad Freibergam reditur. Ubi jam turris portæ Petrinæ impositæ à Suecis tenebatur, unde in plateas quasdam despectus. Vicinæ turri, ne à Suecis occupari posset, oppidani ignem injecerant. Post priorem cuniculum irritum alius sub ipsa mœnia agitur; qui magna eorum parte dejecta latum obsessoribus aditum præbebat. Sed quo minus assultus fieret, progressus in vicina hostium
16. Febr. exercitus efficiebat novem equitum, quinque peditum millibus constans: & equitatus quidem Dippoldisvvaldam, peditatus Glashuttam processerat. Cum hoc etsi manu conferere non dubitaret Torstensonius; verebatur tamen, ne hostis propius admotis castris pabulatores in angustum

1643. A Luneburgicis missi Torstensonium adeunt.

24. Jan. Cæsarei Freibergæ succurrunt.

1643. guſtum compelleret. Nec arcta jam annona ibi locorum diutius hærere patiebatur, cum hoſti à tergo Bohemia, à latere Dreſda & Zvvicca-via commeatum præberet. Igitur iſte relicta Freiberga facto per Dæbelam itinere Strelenæ ad Albim conſidet, conſilia hoſtis ſpeculaturus. Diſcedenti Croatas immittebat Piccolomineus, quos poſtremo agmini ingruentes ita repellebat Kœnigsmarckius, ut denuo impetum dare haut libido foret. Delideraverant eo in obſidio mille quingentos milites Sueci, partim cæſos, partim ad vetera Cæſareorum ſigna refugos. Freiberga liberata hoſtis non parum gloriabatur, quod Sueci præter amiſſos milites, temporis non exiguam jacturam feciſſent, inhibita perſecutione tam egregiæ victoriæ. Contra nec Torſtenſonius operam luſiſſe videbatur, quod id ſaltem obtinuerat, ut Cæſarei commodiſſima hiberna Piſſenam ultra ad Danubium porrecta, queis vires inſigniter reficere potuiſſent, per preces Electoris aſpera anni tempeſtate relinquere congerentur, per viginti amplius milliaria equitatu ita afflicto, ut mox è Miſnia quinque millia equitum amiſſis equis in Auſtriam dimittendi forent.

Torſtenſonius Freiberga diſcedit. 17. Febr. ao. Febr.

Torſtenſonius Auguſto Saxoniæ Duci commeatum retractat.

25. Febr.

§. 3. Porro cum poſt captam Lipſiam Elector Saxoniæ moderatiora conſilia agitaturus crederetur, Torſtenſonius filio ejuſdem Auguſto commeatum dederat Halam ſe conferendi, atque Mauritioburgi ſedem capiendi. Sed quia interim iſte de acerbiſſimo in Succos odio nihil remiſerat, & hic præſulatus Magdeburgici regimen arripuerat, indicto etiam Circuli Inferioris Saxoniæ conventu; Torſtenſonius retractato commeatu ipſi, ut Dreſdam ſe conferat, denuntiat. Quo nuntio Dux valde perturbatus id ſaltem temporis ſibi indulgeri rogabat, quo in Succiam ſcribere, & reſponſum inde expectare poſſet. Quod eo facilius concedebat Torſtenſonius, quia indictum Circuli conventum ipſo poſtulante omiſerat. Porro Torſtenſonius apud Strelenam ſuperato Albi Elſtervverdæ prætorium figit, exercitu circum diſpoſito, ut quiete ſe reficeret. Contra Piccolomineus circa Dreſdam hærebat, Suecorum motus obſervaturus. Ab hoc emiſſus Bruæus Comes cum duobus equitum millibus Wittenbergium Muckenbergæ ſtativa habentem invadere meditabatur. Ejus conſilio cognito Torſtenſonius Elſtervverda cum majore equitatus parte progreſſus, Bruæum Senftenbergæ in ſuburbio deprehendit. Ubi licet Cæſareis arma parandi ſpatium eſſet, vi tamen perrumpentibus Suecicis plurimi cæduntur, reliqui dimiſſis equis per foſſam in oppidum ſe conjiciunt. Sueci ſexcentis equis inſtructis, quatuor inſuper turmarum præfectis, aliisque ductoribus captivis potiuntur. Paulo poſt Torſtenſonius ob commodiora ſtativa in Luſatiam progreſſus Budiſſinam, & Reichenbacum copias diſtribuit. Ubi recens militum manus è Weſtphalia, cui hoſtis in via fruſtra inſidias ſtruxerat, deducente Kœnigsmarckio ad exercitum pervenit. Qui tamen cum imminutis quibusdam legionibus iterum trans Albim mittitur, ſupplendis numeris, ac obſervando, ſi quid ad Albim & Viſurgim hoſtis moveret; ſi opus foret Torſtenſonio auxilium properaturus. Eo loco Suecicus exercitus in Aprilem uſque menſem hærebat, frequentibus excurſorum catervis hoſtem carpens, quarum pleræque multa cum præda & captivis revertebans. Inter alia tribunus Ungarus cum trecentis equitibus propius Suecorum ſtativa ſuccedens aliquot Succicos interceperat. Eum Reichvvaldus tribunus, Zittaviæ hoſpitans in Bohemia non procul Fridlanda in villa cum ſuis pernoctantem deprehendit, ac incenſa villa plerosque cæcidit, quos inter ſubtribunus cum aliquot turmarum præfectis erat, reliquis incendio abſumtis, aut captis; quos inter ipſe tribunus cum duobus excubiarum præfectis. Sueci quos iſte interceperat liberantur. Iſtum Ungarum ſuperiore anno captum, & ſuper revertendo fide data dimiſſum, cum ea neglecta reverti neglexiſſet, Torſtenſonius manibus pedibusque vinctum Zittaviæ in carcerem compingit, quoad precibus aliorum motus pari cum reliquis captivis conditione frui pateretur. Idem Reichvvaldus paulo poſt Hofkirchium Oppelæ obſidio depulerat. Hic dilatandis ſuis hoſpitiis Cloſium ſubtribunum cum majore parte ſuæ legionis Oeſſæ oppreſſerat. Inde Oppelam impetu expugnare aggreſſus in ruinam murorum à ſe editam aſſultum dederat; ſed amiſſis ſuorum centum quinquaginta aliquandiu eminus oppido adſidebat, donec adventante Reichvvaldo Briegam ſe reciperet. 1643.

Idem Albim cranſit.

Bruæus vapulat.

Ungarus tribunus vapulat. 22. Mart.

§. 4. Cæſarei contra intellecto Succicorum apud Elſtervverdam motu in Bohemiam recedebant, aſſumtis legionibus Saxonicis, quas Elector coercendis Lipſienſibus retinere maluerat. Inde cum circa Leutmericiam paulum hæſiſſent, in diſtrictum Kœnigsgræcenſem progrediuntur, Succis, ſi in Moraviam penetrare vellent, ſe objecturi. Ab exercitu Cæſareo Archidux Leopoldus Paſſavium diſceſſerat, Trautmansdorfio Comiti uti creditur offenſus. Piccolomineus ad Hiſpanimilitiam transibat. Unde imperium exercitus iterum Gallatio deferebatur, lætantibus Suecis, quod ſolitum iſti noſſent Cæſareos exercitus deſtruere. Firmaverat is exercitum tribus millibus recens conſcriptis, ac Florentinus Dux manum Italorum adducebat, ſimul quicquid undique copiarum reſtabat excitur. Et quia Hiſpanicum aurum deficiebat, Cæſar mutui vocabulo ingentem pecuniæ vim ſubditis extorquebat. Suecicum exercitum tunc quinque peditum millia, veteranus & ſelectus miles, tredecim equitum componebant, ſed quorum ſex millia amiſſis equis ad pedes deſcenderant. Tum premente pecuniæ inopia acerbis omnia queſtibus perſonabant. Torſtenſonius ægros, & millionem in Succiam meditantes monitis, precibus, promiſſis componere, ad pecuniam curandam Alexandro Erskeino Hamburgum miſſo. Huic proficiſcenti magnus ſe ductorum numerus adjunxerat; quibus deducendis Torſtenſonius centum quinquaginta equites, quinquaginta pedites addiderat, monito ut per Breibuſium viam caperent, & primis diebus magna itinera properarent. Aſt illi Laubam abeuntes minutis itineribus incedebant. Unde emiſſi à Cæſareis trecenti ſexaginta equites, raptim percurſis quindecim milliaribus eos Freienvvaldæ ſummo mane invadunt, ac equites incenſis ædibus, queis hoſpitabantur diſſipant, ſarcinasque diripiunt. Pedites tamen carragine facta acriter reſiſtunt, ac cæſis quibuſdam hoſtes Gœrlicium recedere cogunt. Apud Succicos tribunus Beckerus occubuerat, Plato tribunus graviter ſauciabatur. Cæteri incolumes Crosnam pervenere. Cæſarei in Bohemiam abeunt. 15. April.

§. 5. Aſt Torſtenſonius ſtativis apud Budiſſinam movens, cum Seidenbergæ exercitum luſtraſſet, aſſumto equitatu & duabus peditum phalangibus in Bohemiam Turnaviam ad Gezeram flumen properabat, num occupato ibi ponte hoſtem per ſtativa ſparſum opprimere poſſet. Sed eos conatus vis morbi reddebat irritos, quæ complures per dies lecto affixum detinebat. Præmiſſis tamen Wittenbergius Zvviani Croatarum ſarcinas ac trecentos equos, cum ſubtribuno & excubi-

Torſtenſonius in Bohemiam irrumpit. 7. April. 15. April.

1643. rumpræfecto, aliisque intercipit; cæteri raptim in tuta se subduxerant. Inde per Boleslavienſem diſtrictum multa loca diripit. Reliquus exercitus per Fridlandam, Reiſſenbergam, Munchen-Græciam itinere facto Lockovvitzam pervenit; ubi Torſtenſonius prætorium ſtatuit, legionibus
18. April. per vicina diſpoſitis. Heic à Wrangelio Scala, à
23. April. Mortaignio Nebra, montanæ arces non invalidæ, in poteſtatem rediguntur. Boleslavienſem arcem ſubtribunus Rebenſtockius ſubigebat, Leipenſis
22. April. arx impetu expugnata. Alia quoque oppida & arces per octo circum milliaria præſidiis hoſtium inſeſſa à Succis occupantur. Caterva Succicorum
27. April. Zittavia progreſſa poſt Plaſcovvitzum direptum cum Leutmericiam acceſſiſſet, tantum terrorem militi, qui oppidum cuſtodiebat, intulerat, ut eo deſerto trans Albim in caſtellum ſe reciperet. Ita nullo impediente in Bohemiam penetratum; ac Gallaſio à Cæſare injunctum dicebatur, ne cum hoſte manum conſereret, ſed deſtinatis iſtius ſe objiceret, ac per catervas eundem carperet. Idem ut Succos aditu Moraviæ arceret, copias trans Albim contraxerat Kœnigsgræciæ prætorio ſtatuto; tum equitatum ſecundum fluminis ripam Brandeiſiam uſque diſtribuerat. Evocatur huc quicquid alibi ſupererat copiarum, & quæ Olmucium hactenus circumſederat manus huc evocatur; quæ tamen Succicos adeo arcte intercludere non poterat, ut non ſubinde excurſionibus hoſti damnum darent, capto inter alia Schœnkirchio tribuno, qui Vienna magnam pecuniæ ſummam militibus in ſtipendium allatum veniebat. In Poloniam quoque à Cæſare Starenbergius Comes mittitur, militem & pecuniam petiturus. Sed pecunia Polonis non ſuppetebat; circa militem ſubmittendum Ordines dubitabant, ac non parum iſtius petitis obſiſtebat Avaugurius Legatus Gallicus. Unde Starenbergius inſalutatis Ordinibus ta-
2. Maji. cite Warſovia diſcedebat. Torſtenſonius Stalhantſchium è Pomerania, & alias è Sileſia copias expectans, urgente commeatus ac pabuli inopia Lockovvitza movens, ac apud Turnaviam ſuperato Gezera prætorium Munchen-Græciæ conſtituit. Quo oppido per incuriam militum flammis abſumto caſtra Boleslaviam Novam transferuntur. Per id tempus nil nili per excurſorum catervas geſtum. Etſi cum hoſtis trans Albim ſe teneret, pauci captivi intercipi poſſent; & ob ſylvas monteſque inſidiis opportunos, ac hoſtiles circum arces Succicum exercitum diffundi rationis non eſſet. Venerant inde è Sileſia Otto Sackius, & Meierus tribuni, ille cum equeſtri, hic pedeſtri legione ac machinis quibuſdam, ac paratu bellico. Qua in provincia nuper quadringenti circiter equites Succici direpto Uratislaviæ ſuburbio magnas prædas egerant. Qui & poſt Bernſtadium exſpoliant, ſuperveniente tribuno Avvackio cæſis compluribus in fugam conjecto. Igitur quanquam abſente adhuc Stalhantſchio Torſtenſonius morbo jam liberatus in hoſtem ire conſtituit, antequam hic nimium ſe firmaſſet. Et quia is in Kœnigs-Græciæ opportunis locis conſederat, impreſſione in diverſam partem facta latibulis ſuis eum extrahere
20. Maji. conſtituit. Ita Mælnicca petitur, centum duntaxat peditibus inſeſſa, qui ſtatim arbitrio ſe ipſius
22. Maji. permittunt. In oppido inſignis annonæ copia reperta. Eodem die cum parte equitatus Albim va-
Idem Albim tranſit. do transgreſſus, mille ſelectos hoſtium equites ſub Henningo tribuno deprehenſos partim Pragam, partim Brandeiſiam perſequebatur, non paucis ductoribus ac gregariis interceptis. Structo hinc ponte apud Mælniccam, exercitus Albim
27. Maji. tranſit, inter id flumen & Muldam caſtra metatus, quoad Stalhantſchius cum quadringentis equitibus, totidem peditibus adeſſet. Eo Succici exercitus motu Gallaſius Kœnigs-Græcia extractus ad 1643.
Brandeiſiam conſederat. Torſtenſonius inde toto 31. Maji.
cum exercitu in aciem diſpoſito intra machinæ jactum ſub caſtra hoſtium ſuccedit, num his forte lubido foret prælium conſerendi. Enimvero caſtris nemo prodibat, præter tres Croatarum catervas, quæ eminus campum percurrebant. Unde Torſtenſonius Pragam converſus, per vicinas urbi vineas trans Proſicium montem iter capit, inſultandi cauſa eandem diſploſis aliquot machinis ſalutans; quo ipſo die tribuni Madelovius, & Fou- La Four.
rius ob fugam prælio Lipſiaco arreptam ibidem pœnas capite luebant.

§. 6. Ita Moraviam verſus progreditur nemine Idem in Moraviam tendit.
obſiſtente, quod Cæſarei non credidiſſent, ipſum viam inter hoſtilem exercitum, & Pragam capere auſurum. Iter inde per Brodam Bohemicam, Kuttenbergam, Meſtitiam, Crudinam, Leutomiſchelam, Zvveitam, & Triebam properatur, donec apud Mugliciam caſtra ponerentur. Animus Torſtenſonio erat, Olmucium & Neuſtadium Moraviæ annona ac paratu bellico inſtruere, ac ſi occaſio daretur, prælio decertare. Gallaſius contra, tunc novem equitum, ſex peditum millibus inſtructus, quia de tam celeri Succicorum profectione ſuſpicatus non fuerat, magnam equitatus partem pabulatum ire permiſerat. Unde in campum prodire non auſus Croatas tantum & levium equitum catervas Suecorum veſtigia legere juſſerat, qui acriter repulſi, ac nuſpiam ſe diſpandente Succico milite nullum operæ pretium fecerant. Gallaſius, quo tutior incederet, Gallaſius eodem ſequitur.
Brandeiſiæ Albim ſuperans Parduvvirzam tendit: ubi iterum id flumen transgreſſus à dextris Succos præteriens Brinam contendebat, caſtra Suecorum inter Zvveitam & Triebam Moraviæ modico ex intervallo prætergreſſus, ut pars agminis, & impedimenta inde conſpici poſſent. Unde & Torſtenſonius ſtatim copiis in aciem diſpoſitis, ac diſploſis machinis Cæſareos ad pugnam provocabat; qui hunc nihil morati, cœptum iter urgebant.

§. 7. Interim à Wrangelio Litta, à Plettenber- Sueci multa loca Moraviæ capiunt.
gio tribuno Sternberga arx ſubigitur. Mox & ab 9. Jun.
iſto Blumelavia arx octoginta peditibus inſeſſa, à 12. Jun.
Mortaignio Trieba arx capitur, qua miles & in- 14. Jun.
colæ tecta via in vicinam ſylvam profugerant. 16. Jun.
Cremſieram Torſtenſonius aſſultu expugnat; ſed incendium ipſos per hoſtes, an ab irrumpente milite, excitatum ingentem annonæ vim corrumpebat. Legio ibi dimacharum Paſſuæi tribuni, & centum quinquaginta ſelecti equites capti. Cæſarei ad ſubveniendum iſti oppido jam intra quartum milliare ſuggreſſi erant; ſed cum id captum audirent, Auſterlitzam recedunt. Hinc Dobitſchoviam ſe vertit Torſtenſonius, ſitu firmiſſimum locum; cui quod Gallaſius utique ſubventurus crederetur, omnia prælio diſponuntur. Sed Gallaſio non adparente præfectus deditionem properat; quo nomine mox apud ſuos capite pœnas luit. Trecenti præſidiarii ultro ad Suecorum militiam tranſiere. Magna ibi præda reperta. Viciſſim Cæſarei in Bohemia Boleslavienſem arcem, ſuſis ducentis equitibus, qui Zittavia ſubventum ibant, capiunt: quinquaginta qui inſederant dimachæ Cæſareis cohortibus admixti. Torſtenſonius inde non procul Dobitſchovia, Gallaſius apud Coletinum munitis natura locis conſidet, quicquid ubique Cæſari reſtabat militum ad ſe evocans. Et jam duodecim equitum millia in caſtris habebat, peditatu quoque Suecis ſuperior. Cum Torſtenſonio ſex equitum millia quingenti non amplius eſſent, equis & armis inſtructi, magna parte pedibus incedente; peditatus quindecim legionibus abſol-

1643. absolveretur. Sed Suecicus miles veteranus, Cæsareus magnam partem recens conscriptus erat. Torstensonio, ut suos equis instrueret, sedula opera dabatur. Tum Kœnigsmarckium cum novis delectibus in Bohemiam evocare decreverat. Ac si supplementa è Suecia advenirent, fiducia erat, hostem trans Danubium propulsum iri. His in castris Carolus Gustavus Princeps Palatinus, qui hactenus volonis conditione in exercitu egerat, suasu Torstensonii certam functionem suscipit, ne si forte ab hoste caperetur, difficilior redemtio foret, tunc ex natalibus, non militari munere æstimandus; quem, cum inter tirocinia superiorem gradum ipse deprecaretur, Torstensonius turmæ suæ prætoriæ præficiebat.

Suecici vapulant. §. 8. Metantibus ita in propinquo exercitibus inter excursores crebris velitationibus certabatur, meliore ut plurimum Suecicorum successu, nisi quod aliquando duo Cæsareorum signiferi cum ducentis equitibus rem prospere gesserunt. Petierant à Torstensonio Devvicii, Berneri, & Duglassii legiones, ut sibi in assignata per montanam provinciæ partem hospitia discedere liceret conquirendæ ad instruendos sè pecuniæ. Quod dux cum non esset, unde indigentes sublevaret, abnuere non poterat; impedimenta tamen & signa in castris relicta. Isti in montana digressi vico quopiam confederant, nullis circa excubiis dispositis. Unde intempesta nocte, dum securi somno vacant, ab ingruentibus illis signiferis opprimuntur. Dæhnius subtribunus cum quibusdam aliis cæditur: Bernerus tribunus è vulneribus mox obit, ductores plerique, & multi gregarii equites capiuntur: reliquos dispersos latebræ tegebant, quorum plerique in castra revertebant. Major ignominia, quam clades accepta. Devvicius tribunus cui in reliquos imperium fuerat, & cujus socordiæ *id malum debebatur*, è captivitate redux damnabatur, ut ignominiosâ *missione* ab exercitu pelleretur. Precibus tamen fœminarum datum, ut solido modo militiam abdicare liceret. Ea res Viennæ insolenti gaudio accepta, & machinæ circa vallum displosæ. Interim Cæsarei intra dimidium milliare à Suecis confederant excitis undique copiis, ut hosce numero non parum excederent. Bucheimius Comes tria peditum millia nuper adduxerat, & mox complura Hungarorum millia adfore nunciabantur. Unde annona Suecis arctior, & pabulum è longinquo non citra periculum petebatur, Cæsareis equitatu prævalentibus, ac provincialibus infestis. Tum & morbi gliscebant, quod castra tuto quidem inter duo flumina loco, sed ob uliginem insalubri posita essent.

Torstensonius castra mutat. 24. Jul. 25. Jul. §. 9. Igitur Torstensonius impedimentis & machinis per noctem silentio præmissis, sequenti die cum exercitu secutus Mestevicæ dimidio à Prerauia milliari considet, fertilibus & pabulo abundantibus agris; ac castra per vallem metatur, montibus circum munitam. Eo Suecicorum motu sexcenti Cæsarei præsidium Presniciæ agitantes, terrore consternati Brinam se recipiunt. Heic loci maturæ jam fruges, & pabulum equitibus laxius; qui & aliquoties catervis in hostem strenue rem gerebant, inter alia trecentis equis interceptis. Gallasius hunc ipsum in locum castra transferre destinaverat, ni Torstensonius præveniisset; unde isti intra vetera castra subsistendum erat. Heic hærentibus Suecis Slavvackæ seu Walachi necessaria sedulo subvehebant, utut semel atque iterum à catervis Cæsareis graviter multarentur, ac Cæsar edicto veniam illis polliceretur, si commerciis cum hoste abstinerent. Qui tamen ideo favorem in partes Suecicas non exuebant. Aliquando tamen Croatæ & Hungari per insidias non modicam vim equorum, sarcinis vehendis adhibitorum, longius à castris pascentium abegerant enormi iterum Cæsareorum gaudio. Inter hæc ingens manus Croatarum & Hungarorum in castra Cæsarea adpulerat, quos licet major prædas agendi, quam pugnandi amor teneret, ipsis tamen passim persultantibus gravioris armaturæ equiti parcebatur, Suecicis non parum defatigatis. Et major eorum numerus ab ipso Cæsare adducendus expectabatur, cujus itineri magna pecuniæ vis à subditis extorquebatur. Sed quanquam abundante in Cæsareis castris annona, ingens tamen fœtor, equorum cadaveribus passim stratis, & immensa muscarum colluvies homines juxta ac jumenta misere infestabat.

Conventio super redemtione captivorum. 9. Aug. §. 10. Heic loci renovabatur conventio super captivorum redemtione, superiore anno ad Zittaviam inita, quæ nunc ad superiores duces extendebatur, apud omnes quoque per universam Germaniam copias valitura; Suecicis id ducibus ob incertabellorum flagitantibus. Respectus ibi habebatur solius functionis militaris, nullus dignitatis, aut natalium. Taxabatur Generalis locum tenens, qui supremus Cæsareæ militiæ gradus, quindecim millibus aureorum, Campi-marschallus decem, summus rei tormentariæ præfectus quinque, summus equitatus aut peditatus dux tribus, summus vigilum præfectus duobus millibus aureorum. Aliæ functiones militari statui inservientes menstruo stipendio æstimabantur. Sacerdotes, fœminæ, pueri, corpora exanima absque lytro dimittenda, uti & inermia ductorum ministeria. Tum & actiones abolitæ, quæ in unum vel alterum captivum extra causam belli esse possent. Qui fidem captori datam negligeret, à judice castrensi ter monendus erat; ni ad hostem reverteret, aut idoneam cautam adducere posset, ignominia notandus. Qui incolumitate accepta post datam fidem profugeret, ad hostem remittendus erat; aut si graves fugæ rationes habuisset, lytrum haut eo secius exsolvendum. Captivus post acceptatam incolumitatem nil hostile tentaret, aut si id fecerit, promissa salute non amplius gauderet. Qui captivum post salutem acceptatam per vindictæ ardorem occideret, in jus vocatus pœnas daret.

Bucheimius Comes vapulat. 16. Aug. §. 11. Cæterum decreverat hostis facta per Crocovium in Pomeraniam impressione Succos provinciis hæreditariis extrahere, quo & Bucheimius Comes cum mille quingentis equitibus destinabatur. Is præter Hollitschoviam à Suecis infestam in Silesiam tendebat, alias ibi è Bohemia copias sibi adjuncturus. Ejus profectione audita Torstensonius cum valida equitum manu è vestigio insecutus, quarto à castris milliari deprehensum citra pugnam in fugam propellit, ac ultra Tetschinum Vetus persequitur. Major hostium pars ibi cæsa aut capta. Ipse Bucheimius tertio equo ægre elapsus Troppaviam evadebat, ubi sexcentos quasi suorum iterum colligebat. Torstensonius ut Gallasio illiane revocandi necessitatem adferret, & quia Cæsar cum multis Hungarorum millibus adventurus spargebatur, propius hostem urgere instituit, præsertim deficiente iterum pabulo, quod inter arces hostium præsidiis infestas longe petendum erat. Igitur impedimenta Olmucium mittuntur accelerando agmini. Hinc vado Moravam amnem ille transgressus ad hostium castra accedit, queis sè hautquicquam commoventibus Vvitschoviam tendit, dimissis passim catervis, quæ plurimos hostium intercipiunt, ac populationem terroremque late circumferunt. Ab istis quoque Brinæ suburbium diripitur, & flammis datur, ubi quatuor turmæ è Schœnkirchii tribuni legio-

Torstensonius hostem lacessit. 21. Augusti. 22. Augusti.

1643. ne tendebant; quarum major pars cæditur, reliqui capiuntur; quos inter ſubtribunus, & Hiſpanicus tribunus Didacus de Villa Lobos. Sed quia Gallaſius intra caſtra ſe ſua tenebat, revocato etiam ad ſe Bucheimio, haut conſultum viſum ab impedi-
25. Auguſt. mentis longius digredi. Igitur retro ad caſtra hoſtium, & longius Olmucium verſus recedit Torſtenſonius, adſumendis impedimentis. Inde recta Brinam movet, oppidum iſtud tentaturus, aut hoſtem in prælium protracturus. Ejus conſilio animadverſo Gallaſius ſtatim ſexcentos pedites, centum caraphractos oppido immitti. Ipſe mox cum univerſo exercitu eodem ſequitur, ac inter Brinam & Mederzitzam celſo monte caſtra metatur, profunda valle & palude à Suecis diviſus, qui retro Cœnobium Oberdavvitzam conſederant. Paucos poſt dies flumen transgreſſi Cæſarei ſub ipſa Spilberga arce tendebant. Sed quanquam utraq; caſtra vix majoris machinæ jactu diſtarent; montibus tamen & viarum anguſtiis impedita regio hoſtem invitum ad prælium pertrahi non patiebatur. Nec intra hoſtilia circum præſidia diu conſiſtere licebat, apertis agrorum late vaſtatis. Igitur cum Torſtenſonius de Crocovii in Pomeraniam irruptione audiret, iterum Olmucium revertebat, infeſta illi oppido loca quantum dabatur occuparurus, ac quoad poſſet in ea ſtatione hæſurus. Decreverat alias ſupplementa è Suecia ſubmittenda per VVeſtphaliæ præſidia diſtribuere, educto inde veterano milite: tum per Kœnigsmarckium impreſſione alibi facta partem hoſtium à ſe avertere, aut illum ad ſe evocare. Ita ſuperior hoſte aut illi par, facile pedem in ditionibus Cæſaris figere poterat. Sed nullis è Suecia copiis eo anno miſſis ob inſtans bellum Danicum, & Kœnigsmarkio adverſus Crocovium occupato ea conſilia irrita erant.

Cæſaris iter. 17. Auguſt. §. 12. Cæſar interim magno cum comitatu Niclasburgum pervenerat. Cauſam aliqui ferebant, ut ſua præſentia Gallaſii ſegnitiem corrigeret, qui tot millibus auctus nihil tentare in hoſtem auſus fuerat; an ut Hungaros in Suecos excitaret. Quo fine & ſtatim Scalitzam ſe conferebat, ut Hungaris eo propior eſſet, quorum multa millia adventura ſperabantur. Et jactabant Cæſarei, exercitum ad triginta ſex bellatorum millia augendum, ipſo numero Suecos obruiturum. Sed è quindecim Hungarorum millibus, quæ ſperabantur, vix tria millia adventabant, pleriſque indictam à Palatino expeditionem abnuentibus, quod per privilegia extra Regni fines militare non tenerentur; quæ per tot ſecula acinace defenſa, ut & nunc ſarta tecta ſervarent, Epiſcopus Jaurinenſis monuiſſe dicebatur. Forte & aliquid ad rem fecerat, quod Torſtenſonius literis ad Palatinum ſcriptis confirmarat; Hungariæ à ſe nihil hoſtile metuendum, ac capitis pœna ſuo militi ſe interdixiſſe, ne quis
7. Sept. ejus Regni limites ingrederetur. Ita Cæſar ne viſis quidem ſuis caſtris Viennam redit, cui maximum à Suecica caterva periculum imminebat, ni hanc error viæ alio avertiſſet. Quo nomine & poſt Viennæ ſupplicatio indicta. Ægre quoque iſtius catervæ manus evaſerat Legatus Hiſpanicus: curtus tamen aliquot, queis Auſtriaci proceres vehebantur, intercepti inſidiatoribus non modicum operæ pretium fuerant. Torſtenſonius inde arcis Blumelaviæ munimentis disjectis, ac Holitſchovia, Petzoravia, aliisque oppidis militi in prædam conceſſis, Olmucio movens Sternbergam inter & Neuſtadium ſub montibus, qui Sileſiam Moravia diſcernunt, conſidet. Eximere Joannem Wittenbergium tribunum cum trecentis equitibus magnos boum & ovium greges Olmucium de-
Cæſarea- ducere juſſerat, inſtruendo penu. Is oppido remeans in ſexcentos hoſtium equites uno à Sternberga milliari incidebat; quibus cum par non eſſet, ceſſim Sternbergam verſus ſe recipiebat. Commodum hoc in oppido agebat Torſtenſonii legio prætoria; cujus ſubtribunus cum Wittenbergium cedentem conſpiceret, ſtatim cum ſuis auxilio accurrens cum iſto in hoſtem ruit. Ita hujus magna pars cæditur. Gerſtorfius tribunus, ac Fridmannus ſubtribunus cum aliquot ductoribus & multis gregariis capiuntur, præfecto vigilum cum paucis evadente. 1643. rum caterva vapulat.

§. 13. Hac regione dum Torſtenſonius hæret, Eulenbergam arcem Suecicis præſidiis valde inteſtam oppugnare inſtituit, edito in monte ſitam. Cum tormenta parum proficerent evibrata ingentibus mortariis ſaxorum vis militem anguſto ſpatio incluſum vehementer turbabat, ſimul actus per rupes cuniculus partem arcis cum quinquaginta militibus in ſublimi eliſerat. Unde territus præfectus Lichtenſteinius ſubtribunus, accedente quoque aquæ penuria, ut Neiſſam deducatur, paciſcitur. In arce magna vis annonæ ac paratus bellici reperta; tum opes provincialium eo congeſtæ, millione uncialium taxatæ. Præ-
16. Sept. fectus Viennæ de propera deditione arguebatur; etſi alii cenſerent ad extrema redactum ſuſtinere amplius haut valuiſſe. Gallaſius contra Torſten- Gallaſius
ſonium Olmucio digreſſum ſtatim à latere inſequi- Miraviam
tur, ac tranſito Morava flumine Littam, inde capit.
Muglitzam & Miraviam tendit; quarum hanc præſidio Suecico inſeſſam, cum non ſine magno labore veteres muros disjeciſſet, aſſultu tandem capit, cæſis centum & triginta qui eam tuebantur præſidiariis. Bruæus quoque Comes per inſidias Jorda-
23. Sept. num tribunum circumvenerat, ſexaginta cæſis, centum ipſo cum tribuno captis. Aſt Torſtenſonius poſt Eulenbergam captam communicationem cum præſidiis Sileſiacis hactenus fere intercluſam iterum aperuerat. Ea cauſa Jacobum Tœrnſchil-
25. Maji. dium Oppelæ tam diu detinuerat, quem menſe Torſtenſo-
Majo Rectores Sueciæ cum literis miſerant, qui- nius in
bus ſub Hiemem in Holſatiam penetrare iſte jube- Holſatiam
batur. Eo nuntio accepto lætus ſtatim in Sileſiam abire jube-
tranſire conſtituebat. Sed diſſimulandis deſtinatis ſpargebat, ſe propius Pomeraniam movere, ne firmatus pluribus copiis Crocovius ad mare belli ſedem figeret. In Moravia Olmucium; Neuſtadium, & Eulenberga valido præſidio, & omnibus neceſſariis inſtruuntur; reliqua loca munimentis nudantur. Eulenberga capitur.

§. 14. In Sileſiam transgreſſus Torſtenſonius unum & alterum diem ad Carnoviam ſubſiſtebat, Idem in Si-
quam machinis & ignibus infeſtabat. Sed cum, leſiam
oppidanis ac milite acriter reſiſtentibus, ita raptim tranſit.
3. Octob. expugnari oppidum non poſſet, eo relicto Glogoviam Minorem tendit, Hotzeplotza in itinere direpta. Circa Glogoviam aliquot per dies exercitui quies indulgetur, tum ut hoſti ſi vellet pugnandi copia præberetur. Quanquam enim hoſtium exercitus hac æſtate numeroſo ſubinde equitatu auctus fuerat; tamen peſtis per caſtra ſæviens non minorem numerum abſumſerat; quæ præcipue Hungaris incubuerat; quorum & quingenti apud Suecos capti hærebant, reliqui carervatim domum refugerant. Et licet adhuc levis equitatus numero prævalerent Cæſarei; Torſtenſonius tamen veterano confiſus milite prælii committendi occaſionem dari optabat. Aſt Gallaſius caute procedere, ac pugnæ ſe non præbere, idque tantum agere, ut Suecos Bohemiæ ingreſſu arceret. Igitur tribus à Suecis milliaribus apud Carnoviam conſidebat. Nihil heic memorabile geſtum, niſi
30. Sept. quod Croatarum caterva multaretur, quadraginta captis. Suecorum quoque poſtremo agmini

immi-

1643. imminens Starſchedelius ſubtribunus cum quadringentis equitibus ita excipiebatur, ut vix cum centuria ad ſuos reverteret. Cæterum ex interceptis literis conſtabat, Gallaſio perſuaſum eſſe, Torſtenſonium in Pomeraniam properare ad Crocovium opprimendum. Unde & ei ſcripſerat, pro re nata ſe inde ſubduceret, quod per famelicam regionem nullo modo exercitus ſubvenire ipſi poſſet.

Torſtenſonius de induciis proponit.

§. 15. In caſtris ad Glogoviam Minorem Torſtenſonius, prout à Rectoribus Sueciæ juſſus erat, apud Gerſtorfium tribunum, libertati tunc reſtitutum velut obiter inſinuabat ſuper inducis obtentu inſtantium pacis tractatuum, qui nunc partibus in æquilibrio conſtitutis facilius ſint proceſſuri, quam ſi fortuna in alterutram partem vergens victori ad repudiandas æquas conditiones ſpiritus adderet. Revera tamen Cæſareos tantiſper amoliri, & tergum ſibi tutum præſtare cupiebat, ut eo acrius Danum premere poſſet. Ac juſſus erat Torſtenſonius, ſi Cæſarei in eas ſerio conſentirent, ad extremum per Moraviam & ſuperiorem Sileſiam occupata loca Cæſareis reſtituere. Gallaſius ac reliqui duces ab iis non alienos ſe oſtendebant: ſed quia abſque præſcitu Cæſaris nihil certi reſpondere poterant, res Viennam relata. Aſt ibi dilatum reſponſum, & longius interim digreſſis exercitibus, ac irruptione in Daniam evulgata negotium irritum fuit. Torſtenſonius porro, ut Cæſareos æque ac Danos conſilia ſua cælaret, iter ſuum varia ambage implicat, ac Glogovia Minori

Idem per Sileſiam deſcendit.

8. Octobr. movens, præter Falckenbergam itinere facto, primo cum agmine Briegam circumdari jubebat, velut obſidium ſuſcepturus. Sed mox velut

21. in. Oct. Schvveidniciam iturus Grotcoviam, inde Strelenam vertit. Hinc ad unum à Wratislavia milliare

28. Octobr. per unum & alterum diem conſidet. Ubi aliquoties tubicines ac tympanotribæ ad urbis portas ac-

31. Octobr. cedentes vini, aromatum, ac aliarum rerum emendi facultatem petebant; quorum neminem oppidani admiſſione, aut reſponſo dignabantur. Iſte Succici exercitus regreſſus, citra neceſſitatem ſuſceptus, omnes admiratione afficiebat: ſed qui altius expendebant, facile ſecreti quid ſubeſſe judicabant. Hoſtis Succos à ſiniſtris ſemper ſequebatur, ſed ut intra ſecundum milliare non accederet, & ſub radicibus montium iter faciens Bohemiam tegeret. Et captivi quidem confirmabant, Schvveidniciam ab iſto invadendam; optante ſane Torſtenſonio, quod oppidum iſthoc egregio milite, ac reliquis neceſſariis foret inſtructum, deſtruendo exercitui Cæſareo anſam præbiturum. Sed ingruens gelu ea deſtinata ſi quæ fuerant impediebat, præſertim cum Torſtenſonius è propinquo ſubventurus ſuis videretur. Sed quia his, queis Torſtenſonius tendebat, locis omnia vaſtata erant, & Crocovius adhuc Pomeraniæ inhæreret, data occaſione à Gallaſio firmandus, ſimul ob aſperum frigus

21. Octobr. miles ſub tecta deducendus erat; transmiſſo Odera circa Wohlaviam, Drachenbergam, & Oelſam copias diſtribuit, aliquandiu heic ſubſtiturus, ut Kœnigsmarckio circa Crocovium ſatagenti tergum tutum præſtaret. Nam & Gallaſius Hofkirchium cum legionibus aliquot per Bohemiam in Miſniam miſerat, ſi quà inde in Pomeraniam penetrare poſſet; tum turmæ aliquot tranſito apud Briegam Odera per Poloniam eodem pervadere

6. Nov. agitabant. His ut mature ſe opponeret, Glogoviam Majorem deſcendebat, ſi opus foret, in Pomeraniam iturus extinguendo ejus provinciæ incendio, priusquam novo ſe bello immergeret. Sed jam avertendo Hofkirchio Axelius Lilius Balthaſarem ſubtribunum cum turmis aliquot Croſnam miſerat cuſtodiendis Oderæ tranſitibus. Et à Torſtenſonio Helmoldus Wrangelius tribus cum legionibus Wartam & Noterzam fluminа obſervare jubetur, Kœnigsmarckio, ſi opus ſit, præſto turus. 1643.

§. 16. Ipſe cum exercitu iterum trans Oderam regreditur, ne excurſores ſui Polonis querelarum cauſam præberent; in omnes interim motus hoſtium intentus, ac inprimis num Poloni cum hoſte colluderent, indulto ipſi tranſitu. Nam eo caſu Oderam rementus hoſtem ſibi in Polonia deprehenſum ſeu alibi ſequi conſtituerat. Quod & ipſum citra ambages Schlichtingio judici provinciali per literas denuntiabat, quibus ſuper conceſſo Crocovianis tranſitu expoſtulabat, addito; ne reditus iisdem indulgeretur. Ad eas literas à Schlichtingio transmiſſas Opalinskius Palatinus Poſnanienſis reſpondebat: Crocovium inſcio & invito Rege & Senatu tranſitum ſumſiſſe, nec de tali conatu ipſos in pacata regione cogitaſſe: eundem tamen regreſſu arcendum. Quod ſi tamen aliqua manus turmam tranſeat, id Regno imputari non poſſe, nec pro violatione pactorum habendum. Ita ſpatioſam eſſe Poloniam, ut fines ejus ubique cuſtodiri nequeant; præſertim cum nullæ in finibus arces extent, quas veluti libertati adverſas majores non toleraverint. Ne Torſtenſonius quid committeret, quod ad violanda pacta pertineat. Alias Regi neceſſum fore militem è Lithuania evocatum in finibus diſponere; ex quo facile ingentibus turbis anſa dari queat: ſaltem commercia eo facto impeditum iri. Torſtenſonius tamen ad iſta reponebat; ſe officiarum occaſionib⁹ declinandis trans Oderam conceſſiſſe. Quod ſi tamen Cæſarei ipſis conniventibus per Poloniam quacunque ratione tranſitum machinentur, ſibi cis fluvium redeundum, & hoſtem ubicunque deprehendatur perſequendum. Inde excuſatum ſe velle haberi, nec cauſam penes ſe fore, ut pacta violentur. Nec à ſe quidquam ſuſcipiendum, niſi urgente neceſſitate: offenſæ ab ſe initium præbitum haut iri.

Idem cum Polonis literas commutat. 25. Octob. 3. Nov.

§. 17. Sed cum à Crocovio nullus amplius metus eſſet, ac jam tempus de hibernis cogitare moneret, mandatam è Suecia, expeditionem quam tectiſſime ſuſcipere conſtituit. Unde Tœrnichildium in Sueciam dimittit nuntiaturum, intra quatuor aut quinque Septimanas in Holſatia ſe futurum; cujus adventus magna ſolicitudine Rectores Sueciæ liberabat, quod nullo ad literas quas tulerat reſponſo accepto, quid ipſi factum eſſet, ignorarent. Glogovia Majore movens Torſtenſonius per Triebelam, Forſtam, Hoyersvverdam, Luccam, & Juterbocum progrediebatur. Apud

16. Nov. Torgam ponte navali Albim inſternere juſſerat ſparſo rumore, aliquot dierum quiete, peditem in Miſnia recreandum; inde facto per Superiorem Palatinatum itinere in Bavaria hibernaturum. Et jam tantus terror Bavariam afflaverat, ut provinciales ad arma vocati in finibus diſponerentur. Sed Torſtenſonius præterito iſto ponte Zerveſtam tendebat, jactans apud Barbyam Albim ſe tranſiturum, hibernis per Magdeburgicum, Halberſtadienſem, & vicinum agrum ſumtis. Interim Sandaviam deſcendens apud Tangermundam pontem extrui curat velut Albim ibi ſuperaturus. Havel-

6. Dec. bergam delato nullus amplius color erat deſtinatis diſſimulandis. Itaque ducibus convocatis mandata Reginæ expoſuit, ac opima hiberna per Holſatiam ac Jutiam poſt tot exhauſtos labores ſperare juſſit. Ea re miles magno gaudio affectus alacriter abſoluto itinere, medio menſe Decembri Holſatiam velut diluvio inundavit.

Idem è Sileſia verſus Holſatiam movet.

§. 18. Gallaſius contra cum audiſſet, Torſtenſonium apud Glogoviam Oderam tranſiſſe, ne is forte ſubito in Bohemiam ſe conjiceret, & ipſe

Gallaſius Succos in Luſatiam

apud

1643. apud Wratislaviam idem flumen ſuperat, ac præ-
itque ſequitur. ter Lignicium, Fridlandam, Schmidbergam vers⁹,
10. Nov. hinc in Luſatiam Superiorem properat. Ubi audito Succos longius digreſſos, eos ſequi haut placebat, præſertim cum exploratores, qui Havelbergam usque excurrerant, retuliſſent, per exhauſtam regionem inclementi cœlo militem citra exitium duci non poſſe. Ut tamen aliquod operæ pretium faceret, Lubenam ab optione & viginti peditibus cuſtoditam occupat. Lemberga, quam Oeſterlingii legio inſidebat, deditione capitur; præſidiarius Francofurtum more militari diſcedere permiſſum. Circa Zittaviam plus laboris inſumtum, quam tribuni Reichvvaldus, & Brandeshagius accerrime tuebantur. Sed cum Elector Saxoniæ majores machinas, & alia neceſſaria ſuppeditaret, continua verberatione, & cuniculis munimenta quatiebantur. Aſſultum inde tota vi Cæſarei dant; ſed plurimis ſuorum deſideratis, rejiciuntur. Ita tandem ad deditionem faciendam compelluntur, relictis, qui antea ſub Cæſare aut Saxone ſtipendia fecerant, quæ maxima pars fuerat. Et ipſe tamen hoſtis octingentos ſuorum eo obſidio deſideraverat. Eo facto Gallaſius male habitum militem per provincias Cæſaris in hiberna diſtribuit, eminus circumſeſſis, quæ Succis tenebant, locis.

Idem Lubenam, Lembergam & Zittaviam capit.

29. Dec.

Kœnigsmarckii acta.

§. 19. Kœnigsmarckium à Torſtenſonii exercitu digreſſum, ſupra memoravimus. Is repente in Miſniam vertebat, magna circa Dreſdam Veterem populatione facta, ut Electorem belli malis ad mitiora conſilia flecteret. Inde Albi ſuperato in Voigtlandiam ibat; ubi Kinskium tribunum Curiæ Varisicorum relinquebat, ſupplendæ ſuæ legioni, quæ late Bohemiam percurrebat. Ipſe Culmbaco copias admovet, ac Marchiones terrore ad tributa compellit. In easdem leges Bambergenſis Præſul adigitur. Wurtzburgenſis Bavaro, ac Lotharingo conſiliis tergiverſabatur. Sed cum Bavaricos Guebrianus diſtineret, Lotharingici impares è Franconia in Sueviam faceſſerent, Kœnigsmarckius terrendo Præſuli circa Kitzingam vicos aliquot egregios inflammat. Inde Mellerſtadium impetitur, trecentis peditibus cuſtoditum; qui aſſultu bis repulſo, tandem deditione facta Kœnigshoviam dimittuntur. Inde & Georgius Landgravius ad ſtipendium, & hoſpitia præbenda compellitur. Francofurtenſes imperata tributa abnuebant; ut tamen Succicis urbem introire liceret permittebant. Et jam late tractum Rheno vicinum hoſpitiis ac tributis amplecti parabat, cum in Saxoniam Interiorem vocatus Fuldenſibus in tranſitu pecunia emunctis in Thuringiam vertit, ac per Eichfeldiam in Saxoniam properat, ut Magdeburgicis meſſem corrumperet, ac hoſtem Halberſtadienſi agro exturbaret. Sub Ejus adventum Erfordiæ præfectus Ermes Lohram arcem in Hohnſteinenſi Comitatu ſitam, quam Centurio cum triginta peditibus inſidebat, absque exceptione ad deditionem compulit. Contra ad Kinskium Curiæ opprimendum Cappunius tribunus è Bohemia ingruebat; qui hujus adventu animadverſo cum diffuſum oppidum tueri non poſſet, in arcem ſe confert, aſſultantibus non ſine jactura repulſis. Haut longius tamen ibi morari auſus, arce præſidio firmata diſcedit; ac tributis exigendis intentus tandem Rhembdæ ab hoſte opprimitur, ubi ipſe cum plerisque ſuorum, quos pernix fuga non eripuerat, capitur. Aſt Kœnigsmarckius Oſchersleb ia, aliisque locis ſubito impetu oppreſſis, Halberſtadium inſidiis petit. Quadringenti pedites per noctem in deſertis ædibus ac cellis portæ vicinis occultantur; ducenti equites in proximo vico ſubſiſtunt. Ipſe cum ſua, ac Bartſchii legione paulo longius ſubſidet. Porta aperta excubitores pro more prodibant circumſpecturi num quid extra inſidiarum lateret, & propius licet Succicorum latibula progreſſi, his ſilentibus nihil ſuſpicati in oppidum recedunt. Prodeunt inde ſex milites Succici agreſtium habitu, ſecures humeris, tergo faſces graminis geſtantes, brevioribus ſub veſte ſclopetis occultatis. Ad portam accedentes percontantibus excubitoribus ruſticos ſe reſpondent, & ad opus faciendum in oppidum tendere. Mox rixa oborta excubitores trucidant, ablatis ſumbis, queis penſilis pons attrahebatur. Mox cæteri latebris erumpere, & eques advolare: tum occupata porta ſtationem primariam in foro diſſipare, ac quidquid militum in plateis occurrebat cædere. Reliqui terrore correpti in turres, queis mœnia diſtinguuntur, confugiunt. Nec multum tamen ab exitio aberant, qui in oppidum penetraverant, quod Cæſareorum quidam animo collecto portam iterum occupaſſent depulſo qui eam tuebatur centurione, ac reliquis aditum præſtruxiſſent. Cum tamen cæteri, qui in turres confugerant, deſcendere non auderent, Succici porta denuo expugnata Kœnigsmarckium cum ſuis admittunt. Ita tentata nequidquam defenſione Cæſarei manus dederunt. Captivitatem heic ſubibant Tattenbachius Comes, tribuni Heiſterus, & Petrus Jacobus, ſubtribunus Creutzius, cum ſex centurionibus, totidem optionibus & ſignieris; quadringenti amplius gregarii militiam Sueticam profitebantur. Succi tamen Bartſchium à proprio milite per imprudentiam trajectum, & Claubergium, tribunos deſiderabant. Kœnigsmarckius rebus heic diſpoſitis Magdeburgo copias admovet, corrumpendæ meſſi; Behrio tribuno in altera Albis ripa excubare juſſo, ne forte Dœmitzæ obſidium inde turbaretur. Hinc Sladena arx aſſultu expugnatur, cæſis præſidiariis. Oſtervvicum lata & profunda foſſa firmabat, cujus defenſionem Nicolaus Inomvillius veteranus ductor ſtrenue ſuſcipiebat. Unde non ſine labore acceſſus moliendi, cæſis aut ſauciis Succicorum ducentis. Poterat tandem præfectus citra exceptionem ad deditionem compelli; ſed quod gravius negotium Kœnigsmarckii operam deſideraret, eidem permiſſum, ut honeſtis legibus Guelferbytum deduceretur.

19. Maji.

6. Aug.

17. Aug.

Idem Halberſtadium intercipit. 23. Jul.

§. 20. Nam ne diutius his in oris tempus terere poſſet Kœnigsmarckius, ortum in Pomerania incendium elliciebat, ad quod reſtinguendum ocyus is advolare juſſus erat. Gallaſius ut Torſtenſonium ditionibus Cæſareis averteret, res Pomeraniæ turbare inſtituebat. Ei expeditioni deſtinatur Joachimus Erneſtus Crocovius, ſumma vigilarum præfectura jam auctus, cui velut indigenæ illa provincia notiſſima, & qui cognatos, popularesque ſuos facile in partes tracturus credebatur. Is adſumtis tribus equitum dragonumque millibus è Bohemia in Luſatiam tendit, per præmiſſum tribunum Ludecam Francofurtum ad Oderam ſi poſſit intercepturus. Qua ſpe evolutus flumen id ratibus trajicit; quarum tamen nonnullæ ſolutæ quinquaginta circiter milites, ac duas minores machinas in aquas effudere. Hinc in Sternbergenſem diſtrictum progreſſus, ut VVartæ tranſitum inveniret, caſtellum ad Zantocham oppugnare inſtituit. Sed à tribuno Kyhlio ibi repulſus, cum qua Succica præſidia tenebant via præcluderetur, in Poloniam vertit, ac Suerini objectam ab oppidanis trabem tranſverſariam vi perrumpit, ubi ſuperato VVarta, inde Noteza flumine, in Ulteriorem Pomeraniam irruit. Expoſtulanti ſuper iſthoc auto Poſnanienſi Palatino Crocovius negabat, id ſe conſcio factum, ſed dum ipſe morbo decumbit

Crocovius in Pomeraniam irrumpit.

17. Aug.

Idem Poloniæ fines tranſit.

20. Sept.

1643. bit ductores se ignaro eam viam ingressos. Nec id tamen pactis inter Poloniæ & Bohemiæ Regna repugnare, nec solere amicis innoxium transitum denegari. Mittebatur & Posnaniam desertor patriæ Petrus Smaltzius eidem facto excusando. Ingressus Pomeraniam Crocovius Stargardiæ stativa capit, excursoribus nemine prohibente sub Dammum usque persultantibus. Statim ad Ordines provinciales literæ dantur, quibus conciliandis cæptorum autorem Brandeburgicum Electorem laudabat. Stipendia mox & frumentum provincialibus imperantur, ac apud Belgardum idoneus castris locus dispicitur, receptui serviturus, quem munimentis circumdat magna annonæ vi eodem congesta; ut ni mature expelleretur, magnopere ibi se firmaturus esset.

Kœnigsmarckius in Pomeraniam properat.

§. 21. Huic compescendo propere Halberstadiensi agro excitur Kœnigsmarckius; qui in Misniam trangressis initio aliquot duntaxat legiones mittere destinaverat. Sed mox periculi magnitudine intellecta, & urgentibus Torstensonii jussis

2.Sept. Lipsia cum universis suis copiis movens Torgæ

9.Sept. Albi, Crosnæ Odera superato, non recta Landsbergam tendit; sed ut hosti à tergo ingrueret, eadem fere qua Crocovius via per Suerinum Polonicum Driesenam vertit. Eo transitu pacta violata

19.Sept. repetitis literis exprobrabat Opalinskius Posnaniæ

1.Octobr. Palatinus, præsertim quod vici aliquot direpti, & innocentes cæsi dicerentur. Omitterentur in posterum talia, nec abrumpendæ paci ansa præberetur; alias universos nobiles ad arma vocandos, & adversæ parti jungendos, ac vim vi repellendam.

7.Octobr. Cui Kœnigsmarckius reponebat: Literarum ipsius sensum adiequi se non satis potuisse. Pactis utique vetari, ne Poloni alteruti in Germania bellantium parti auxilium ferant. Nec obscurum esse, utrum magis acculandi sint qui Cæsareis transitum concesserint, quam qui hostem necessitate, & belli ratione exigente, ubicunque eum deprehenderint, persequi instituant. Super vicis direptis neminem apud se quæstum. Si tamen autores damni dati indicentur, id reparatum iri, noxiis pœnam infligendam. Si Poloni tam levi de causa pacta abrumpere, & hostibus Sueciæ se jungere velint, ferendum quod corrigi nequeat: sibi tamen ejus rei causam imputatum non iri. Nam se necessitate compulsum ipsorum fines tetigisse; ipsos ad ultroneam vim descendere. Sapientum haut esse ad extrema statim provolare. A se transitus initium non factum. Ne Poloni deinceps hostium turmis transitum, nec Crocovio cum suis regressum concederent. Se quidem deinceps finibus ipsorum abstenturum. Kœnigsmarckius porro manu peditum è præsidiis Pomeraniæ, & machinis aliquot auctus hostem statione sua exturbare, aut inclusum, fame conficere instituebat: Is dum nemo adest, qui resisteret, per provinciam pro libidine grassatus fuerat, ac præter Belgardum, Schifelbeinam, Gœrlinumque, & Cœslinum in potestatem redegerat. Treptoæ cives clausis portis assultantes repellere ausi erant: sed ab irrumpentibus pessimè habiti, sedecim trucidatis, oppido per triduum in prædam concesso. Camminum quoque præsidio vacuum hostes occuparant, ac jam in Wollinentem insulam transmittere parabant. Sed ingruente Kœnigsmarckio propere deserto Cammino Belgardum in castra se recipiunt, egregie munita & commeatu instructa.

Idem Crocovium apud Belgardum obsidet.

§. 22. Kœnigsmarckius primo Vorhaurum tribunum, qui valida cum manu machinis Stetino advectis infidiabatur, acriter castigat, cæsisque compluribus, cantum captivis potitur. Inde Schifelbeinam tendit, interceptis in itinere centum octoginta equitibus, & tribuni Suchii impedimentis. Circa arcem tamen expugnandam tempus tunc terere non visum, ne hosti castra sua magis firmandi spatium relinqueretur. Ad quæ ipse 23.Sept. accedens machinis è vicino monte in oppidum & adsita castra fulminabat exiguo fructu, quod miles munimentis tegeretur, & eludendis ignibus recta ædium demolitus esset, contignationibus arena stratis. Unde cum hoc loco parum efficeret, Gærlinum se conferebat, si forte isto è latere commodior ad hostem accessus foret. Ejus oppidi arcem qui custodiebant triginta duo dimachæ paululum resistentes citra exceptionem se dedunt. Stativa hinc ad Parsantam flumen capiuntur. Oe- 27 Sept. sterlingus tribunus cum manu peditum Cœslinum mittitur, trecentis dragonibus, octoginta equitibus insessum, quia admoris machinis deditionem pacisCuntur. In ejus pacti legibus quia omissum erat, ut obsessi sine mora & recta via, (id quod in delineatione pacti expressum fuerat,) ad aliquod è proximis Cæsareorum præsidiis deducerentur; emissi per varias ambages hinc inde raptabantur, tandem per Landsbergam & Crosnam deducti sexaginta non amplius Gœrlicium pervenunt, reliquis in itinere absumtis aut dilapsis. Denuo inde ad castra apud Belgardum accedit Kœnigsmarckius, quæ tamen equitatu licet validus, deficiente pedite vi oppugnare non poterat, globis magno numero incassum emissis. Sed & cum una tantum ex parte obsidere hostem posset, quod copias dividere tutum non esset, excursiones istius plane prohibere non dabatur. Et quo minus excitatis circa castellis idem coërceri posset, paucitas itidem peditum obstabat. Spes tamen erat, quod multa equorum millia è Pomerania raptorum in castris essent, pabuli inopiam cito discessum imperaturam. Interea Oesterlingus tribunus peditum ac 14.Octobr. dragonum manu succinctus Schifelbeinam recuperat; ejus præfectus decem duntaxat gregariis comitantibus ad suos abit; reliqui sexaginta Suecicam militiam sumsere. Sed quia aspero autumni cælo morbi Suecicos inter glisebant, Kœnigsmarckius ut militem sub tecta deduceret Parsanta flumine superato circa Massoviam per vicos militem distribuit; ut tamen ad hostium usque castra stationes disponerentur. Crocovius altera parte liber statim catervas aliquot emittebat, quarum una Gœrlinum nullo præsidio insessum inflammat; alia per tenebras Cœslinum prætergressa Zanoviam diripit. Sed quæ Cœslini tendebant duæ equitum turmæ è vestigio insecutæ præda consarcinanda distractos cædunt, aut capiunt, trecentis equis potitæ. Mittuntur quoque nongenti equites ad arcem Stetini Novi recuperandam; qui trecentos hostium in itinere deprehensos cædunt, octoginta captivis abductis. Alia quoque Succica caterva centum quinquaginta, alia quadraginta octo equos multis cum captivis in castra adducebat.

§. 23. Cum ita castigari passim Cæsareani im- Poloni in proviso per Poloniam evaturi viderentur, an ut antecessum promissum clam transitum dissimularet Posnania- se excu- Palatinus, an evertendis Suecorum querelis Kœ- sant nigsmarckio scribit; si qua hostis repente irrumpe- 12.Octobr. ret, sibi ne imputaret; se nullo exercitu ad pugnam parato transitum negare non posse. Ideo limitem milite firmare neglexisse, quod alta pace & pactis cum utroque bellantium confisus nihil hostile metuerit. Sed Kœnigsmarckius eam excusationem adspernatus illi per literas diserte denuntiabat: Si 20.Octobr. Cæsareis transitus concedatur, sibi quoque necessum fore istos in Poloniam sequi; & quod Poloni se non posse profiteantur, id per suos effecturum, ut Pomerania ex hac parte non amplius infestetur. Nam intercluso transitu brevi exitium hosti imminere.

1643. nere. Sibi Poloniæ conditionem non adeo incognitam, ut non intelligat, si ſerio ipſe velit, ſat virium eſſe ad Crocovium tranſitu arcendum. Eoque non prohibito tranſitu pacta non poſſe non violata videri. Nec eo ſecius Crocovius paulo poſt relictis ſarcinis ſummo ſilentio è caſtris ad Belgardum ſe proripit. Kœnigsmarckius motu ejus nuntiato ſtatim ad caſtra ſe confert, quæ tamen quod à poſtremo hoſtis agmine poſt meridiem usque tenerentur, de ejus protectione ita liquido intelligere non poterat. Sed poſtremo agmini digreſſo Landgravium Fridericum cum expedita manu abeuntibus immittit; qui tribus à Belgardo milliaribus apud tranſitum Parſantæ fluvii illos aſſequitur. Sed quia hoſtis pontem deſtruxerat, provolutis in aquas tribus machinis, per noctem ibi ſubſiſtendum erat, quoad pons reficeretur. Poſtera die idem citato curſu præter vehicula aliquot & captivos deprehendere nihil poterat, quod hoſtis multum viæ præcepiſſet, dejectis poſt ſe pontibus, qui non ſine mora reparabantur. Interim ille per pontem ad Schneidemuhlam in Poloniam evaſerat, quo ſi per binas tantum horas Poloni ipſum arcuiſſent, in manus Suecorum inciderat. Kœnigsmarckius quanquam Opalinskio minatus fuerat, ſe Crocovium in Poloniam ſecuturum; tamen absque mandato, & inſalutatis Poloniæ Ordinibus ſuſcipere non audebat, quod diſſidio inter duo Regna anſam præbere poſſet; præſertim ſi hoſtis longius in Poloniam ſe conjiceret, nec pecunia ſibi in promtu eſſet, qua ſuis copiis neceſſaria quævis ibi emeret. Igitur ſatis habebat ad limitem Poloniæ hoſtem perſequi; præſertim cum Poloni tranſitum ultro concedere abnuerent, nec ipſe vi perrumpere conſultum duceret. Ita relictis quinque machinis & impedimentis evadebat Crocovius cum mille circiter ducentis ſuorum, qui è tribus, queis initio venerat, millibus ſupererant. Ipſe in Poloniam concedebat præda non plane vacuus; copias Warlofskio in Sileſiam deducendas dabat. Caſtra ita munierat, ut vel validum exercitum diu arcere poſſet. Hac irruptione licet Pomeraniæ non leve damnum illatum eſſet, gaudebant tamen Sueci hoſtem ita propere ejectum, qui longe majora dare mala poterat. Kœnigsmarckius per Landsbergam, & Croſnam retro iter legens apud Luccam in Lutatia Torſtenſonio jungebatur; à quo tamen ſtatim trans Albim miſſus per præſulatum Hildeſienſem copias ſuas diſtribuebat; juſſus Cæſaris, Dani, Bremenſis Præſulis, aut Luneburgicorum delectus diſſipare, ac Landgraviæ, ſi opus foret, auxilium ferre.

Crocovius per Poloniam evadit 6. Nov.

Danus loca quædam Meclenburgica captat.

§. 24. Jam ſuperiore anno ſuper expugnanda Dœmitza agitatum fuerat, Suecorum rebus per Meclenburgicam valde moleſta, & ob quam plura ejus provinciæ loca præſidiis firmanda erant. Sed cum alia obſtacula id negotium impedirent, Duci Meclenburgico ſuggeritur, ut apud Cæſarem præſidium id deduci peteret. Quo obtento placebat munimentis arcem exuere, ne denuo hoſtis nidulari ibi poſſet. Sed iſta petita Cæſar rejecerat. Apud
24. April. eundem mox Daniæ Rex inſtabat, ut eadem arx ſibi concederetur, quippe quæ inter oppigneratas ſibi Meclenburgicæ præfecturas eſſet, citra quam reliquas non tat commode vindicare, aut tueri poſſit, pollicitus ſe illam ita ſervaturum, ut in alterius manus ne incidat, neve Cæſareis ex ea damnum detur. Cui petito pronum ſe declaraſſe Cæ-
8. April. ſarem ferebatur. Sed & idem Rex apud Rectores Sueciæ per literas ac Petrum VVibium poſtulaverat, ut præfecturæ illæ Meclenburgicæ hoſpitationibus militum & tributis eximerentur, quippe in quibus quondam Matri ſuæ ob pecuniam creditam hypotheca foret conſtituta. Id poſtulatum Rectoribus Sueciæ altius videbatur penetrare; nec ſat cauſæ adparebat, quare Dano circa id gratificarentur. Nam & hic quondam pace ſua Duces Meclenburgicos excluſos Cæſari in prædam expoſuerat, neque hactenus de iſta hypotheca mentionem fecerat. Eam provinciam à ſe hoſti ereptam, ac jure belli poſſeſſam; quam Duces poſt acceptatam Pragenſem pacem, quæ Suecos hoſtes declarat, magis ipſorum conceſſione & indulgentia, quam ſuo jure obtineant. Placebat tamen caute procedere, ne forte Danus ad ſuſcipiendum quid permoveretur, quod conſilia Succica præcipitaret; ac rem extrahere, ſi tempus forte conſilium ſuppediter. Et quia intutum judicabatur cum illo diſceptare, qui in bellum erumpere poſſet ipſis adhuc imparatis: igitur reſpondebatur: Regem Guſtavum eam provinciam ab hoſte recuperaſſe; nec ſperare ſe Regem quid poſtulaturum, quo rationes ſuæ ibi turbentur, aut hoſti emolumentum concilietur. Regem ſequeſtrem optime facturum, ſi ad pacis tractatus id negotium ſeponat. Nec in obſcuro eſſe, quare ipſi durante bello illis locis cedere nequeant. Nec aliud reſpondebatur, cum Danus reponeret; eam rem in commodum Ducum cedere, qui commiſeratione digni ſint; nec id negotium ad pacis tractatus ſpectare, cum hypotheca ſua utique in dubium vocari nequeat. Neque Succicis armis fraudem quari, cum Cæſarei in ſuam gratiam iſtis locis abſtenturi ſint. Enimvero præverrendis Dani machinationibus placebat obſidiũ ejus arcis properare, cujus adminiſtratio Erico Joannis Ulfiparrio, Wiſmariæ præfecto committebatur. Et invitabat occaſio quod nullus in propinquo hoſtilis exercitus obſeſſores turbare poſſet. Igitur è Pomeraniæ & Meclenburgicæ præſidiis ſeptendecim peditum centuriæ contrahuntur; tum ſeptingenti amplius equites trans Albim diſponuntur arcendis, ſi qui inferre quid arci velint. Illis equitibus conglobata agreſtium Luneburgicorum manus ingruere conata, ita excipitur, ut fere quadringentiorum cæderentur. Primo igitur impetu hoſtis 26. Jul. ex adjitis inſulis in oppidum repellitur. Acceſſus inde ad oppidum ſimul & arcem aguntur. Cæterum paucis ante obſidium diebus Waraſinus Magdeburgo miſſus. Locatello veteri præfecto ſucceſſerat. Et diſcors Locatellus petebat oppido ſe emitti, & addito præſidio Lubecam deduci, quod exuta militia domum ſit conceſſurus. Quod cum haut ægre annueret Ulfiparrius, iſte oppido exce- 28. Jul. debat. Sed quod nusquam de tempore, quo Lubecam deducendus erat, expreſſum foret, & ratio belli ſuaderet, ut non ſtatim dimitteretur, præſertim cum ſecum haberet deſignationem annonæ & adparatus bellici, quo arx inſtructa eſſet, quam exhibere nullo modo volebat, (nam vim adhibere durum videbatur;) igitur tantiſper Neuhauſam deducitur, ac liberaliter ibi habetur, quoad menſe Auguſto liber dimitteretur. Oppidum inde poſt 11. Aug. binos aſſultus irritos tertio impetu capitur exiguo Suecorum damno, licet acriter reſiſtente hoſte. Qui ferrum aut captivitatem evaſerant, in arcem ſe receperunt. Inde arx tribus è ſuggeſtibus verberata jam ſpem propinquæ expugnationis præbebat, cum de motu Crocovii vulgatur. Qui cum ad Dœmitzam liberandam venire crederetur, Ulfparrius majores machinas Albi Bleckedam devehi curat, ipſe interim cum copiis in oppido ſubſiſtens. Sed cum iſtum in Pomeraniam vertiſſe conſtaret, 25. Aug. revocatis machinis verberatio inſtauratur, exiguo obſeſſorum damno, quos vallum tegebat. Ita obſidium in Octobrem menſem extractum. Et quia ingens Pomeraniæ à Crocovio periculum imminere videbatur, Ulfiparrius à Rectoribus Sueciæ jubetur pedites, quos Pomeraniæ oppidis detraxerat, eo remittere, & obſidium ſolvere. Hic tamen

Dæmitzæ obſidium.

1643. men exhauſtum laborem haut fruſtra perditurus, cum ſolis quingentis, quos Meclenburgicis præſidiis decerpſerat, obſidio immoratur. Ac jam per machinas & eliſo cuniculo aſſultaturus acceſſum 11.Oct. fecerat, cum VVaraſinus honeſtas deditionis leges paciſcitur. Eum, cum ex pacto Magdeburgum deducendus eſſet, è ducentis & quadraginta, vix viginti ſequebantur; reliqui ultro Suecorum militiæ accedebant: quos & viginti ægroti, qui adverſo Albi navigiis ſubvehendi erant, imitabantur. In arce paratus bellici aliquantum, annonæ parum repertum.

Guelferbytum à Cæſareis evacuatur. §. 25. Abſoluti hoc anno demum fuerant dudum agitati Cæſarem inter & Luneburgicos tractatus; quibus conventum, ut Cæſaris præſidia Guelferbyto, Eimbecca, & aliis in Brunſvicenſi agro locis deducerentur. Pro hiſce tuti itineris literas à Legato Oxenſtierna Auguſtus Brunsvicenſis Dux petebat. Is etſi hunc diſceſſum Suecorum rebus valde proficuum judicaret, tamen cum talia in mandatis non haberet, ac vereretur, ne Cæſarei ipſius cautionem adſpernarentur, rem ad Torſtenſonium rejiciebat. Nec eo minus Cæſarea præſidia Guelferbyto, Eimbecca, & Goslaria, tum arcibus Levvenburgo, Peina, & Hornburgo excedebant, Huxteram usque equitatu Luneburgico proſequente. Tribus horis, antequam Guelferbyto Cæſarei exirent, tabellarii duo, à Cæſare unus, alter à Moguntino ad præfectum arcis miſſi aderant; quos cum ſiniſtri quid adferre Dux Auguſtus ſuſpicaretur, aditum ad præfectum non concedebat, quoad egreſſis Cæſareis ſuus miles introiſſet. Nec fefellerat iſtum ſua conjectura. Nam jubebatur præfectus oppido non excedere, & variis obtentibus Ducem eludere. Unde cum præfectus lectis ante portam literis, retro ſe cum ſuis ad portam verteret, jactans peculiare quid ſibi Cæſaris nomine cum Duce agendum eſſe, revera ut pontem penſilem occuparet; eo jam ſubducto irritus diſcedebat. Ira compede exutus iſte Dux poſt & in conventu Deputatorum, & in tractatibus ſententiam ſuper Republica multa cum libertate 5.Oct. dixit. Paulo poſt à Chriſtiano Ludovico Duce Luneburgico Bulovius ad Legatos Suecicos Joannem Oxenſtiernam, & Salvium tunc Mindæ agentes mittitur, qui de milite Suecico ſuæ ditionis oppidis educendo petebat, quod & Cæſar ſua præſidia amoviſſet tum ut Hildeſienſi oppido & præſulatui neutralitas indulgeretur. Utrumque negotium ad Torſtenſonium rejectum. Sed eo minus rationis erat iſta annuere, quod Dux non parum in Daniæ Regem inclinaret recentem ob affinitatem; & de adparatu armorum per Inferioris Saxoniæ Circulum ſuſpicio eſſet, de quibus in nuptiis Friderici filii cum Ducis ſorore Rex Glucſtadii egerat. Poſtulabat quoque iſte Dux, ut octo præfecturæ Hildeſienſis præſulatus, quas Goslarienſi tranſactione obtinuerat, Suecorum tributis eximerentur; magni imputans, quod Legati ſuæ Domus ita male pro republica in Conventibus publicis loquerentur. Quod uti laudandum erat; ita melius facturus fuiſſe Suecis videbatur, ſi & re ipſa operam ad ſublevandam cauſam communem jungere, nec totum belli onus in ſolam Sueciam devolvere voluiſſet.

Haſſorum geſta. §. 26. Haſſi poſt digreſſos inferiore Rheni tractu Cæſareos Noveſium, ac Linnam munimentis firmabant adigendis ad tributa vicinis regionibus. Ac Juliacenſes quidem Ordines decem millibus uncialium menſtruis deciderant. Colonienſibus ad tranſigendum compellendis Woringa, Tolbiacum, alia loca diripiuntur, multis oppidanis Noveſium abductis. Unde moti provinciales deputatos Noveſium mittunt; qui cum in ſex mille quingentos unciales menſtruos conveniſſent, Clerici pactum averſabantur, eas pecunias melius proprio militi ſcribendo, quam alieno alendo impendi jactantes. Et præfectus Kempenæ à Guebriano conſtitutus parem ſummam ſibi depoſcebat, vi ſtatim intentata. Unde & Haſſi abrupto pacto vi graſſantur, ac multos provinciales Novenſium abſtractos non modicis lytris taxant. In VVeſtphalia ab iſtis circa initium an- 27.Maii. ni nihil geſtum, niſi quod manus Lipſtadio progreſſa, duas Cæſareorum turmas apud VVertam opprimebat. Interim Vehlenus contractis ad Zonzam copiis Oedam arcem prope Kempenam expugnabat, & credebatur ipſam Kempenam tentaturus, ni Haſſi ſubito è VVeſtphalia ingruiſſent; qui ſtatim eam arcem recipiunt, in qua tria tormenta ænea, ingens mortarium, & inſignis adparatus bellicus inventus, obſidio Kempenæ adhibendus: quo avecto munimenta arci detracta. Guebriani inde juſſu Kempena Haſſis traditur, ſic ut hiſce ſolis tributa Transrhenanæ regionis cederent. Poſt in VVeſtphaliam regre- 2.Maji. diuntur, ubi Paderbornam nocturno aſſultu tentant; ac jam exteriora munimenta perruperant; ſed excubitoribus alacriter reſiſtentibus, quoad præſidiarii & oppidani armati accurrerent, non ſine ſtrage repelluntur. Dortmunda quoque ab Eberſteinio Comite fruſtra nec ſine jactura ſuorum tentata. Nec minus ad Bruelam irriti erant 16.Maji. Haſſi, ubi Elector Colonienſis cum Coadjutore Maximiliano Henrico, & trecentis militibus agebat. Heic quippe iſti per noctem ingruentes rejecti inflammatis circum vicis abeunt. Eodem tempore ſuper deducendis Friſia Orientali præſidiis cum Landgravia agebatur; quæ ut rogari deſineret, tandem conſentiebat, ſed ſub conditionibus, quæ rem in longum extraherent, ac ut conventa non aliter rata eſſent, quam ſi ſocii Reges conſentirent. Impoſuerat inde præſidium Eberſteinius arci Gronſeldæ non procul Trajecto ad Moſam ſitæ, ut ex ea Leodienſem agrum tributis ſubjiceret. Aſt Leodienſes ſub ductu Ca- 18.Jul. nonici Karcumi quinquies mille amplius numero tormentis admotis Kavverbergium præfectum ad deditionem compellunt. Mox arcem ingreſſi iſtum inſuper habito pacto trucidant, & veſtibus exutum exanime corpus pro feneſtris ſuſpendunt: tum & reliquos octoginta numero cædunt, ſex exceptis, quos latebræ tegebant. Hinc cum pleræque Cæſareæ copiæ iſtis ex oris in Lucenburgicam Hiſpanis ſubſidio iviſſent, Eberſteinius cum quinque millibus Haſſicorum apud Veſaliam Rhe- 29.Aug. num transgreſſus poſt Bredenbendam occupatam Durenæ obſidium circumponit, quam Mandelslovius cum trecentis non amplius militibus tuebatur. Poſt rem utrinque ſtrenue geſtam ad extrema redactis obſeſſis Neoburgicus Palatinus obtinet, ut Cæſareo præſidio educto oppidum extra commercia belli utrinque poneretur, nullo milite inſidendum; quam in rem Hatzfeldius, & Eberſteinius fidem ſuam interponebant. Inde ab Haſſis territorium Aquisgranenſe tributis ſubjicitur. Eberſteinius poſtquam id aſſecutus fuerat, ut Cæſareos Hiſpanis abſtraheret, inſtructis rite præſidiis cis Rhenum reverſus circa Lipſtadium copias diſtribuit. Interim Lautersheimius cum octingentis equitibus per Marpurgum, & Corbacum Stadbergam proceſſerat, ut Cæſareum militem Brunſuicenſibus oppidis eductum, qui circa Huxteram hærebat, in tutum deduceret. Ejus itinere intellecto Landgravia Geiſium ſummum excubiarum præfectum cum viginti novem equitū turmis, ſeptingentis ſelectis peditibus mittit. Is ſummo mane vetus ſeu inferius oppidum impetu irrumpit, ac plurimis cæſis, præ-

1643. ter ſexcentos equos inſtructos ſeptuaginta ductores ac gregarios capit, quos inter & Adolfus Hermannus Comes Lippienſis. Reliqui latebris teguntur, aut in ſuperiorem oppidi partem ſe ſubducunt. Patebat Geiſio major occaſio rei bene gerendæ, ſi ſexcentos equites, qui intra tres horas cum tribuno Boſio adfuturi erant, excipere, aut recenti terrore in Cæſareos ad Huxteram tendere voluiſſet. Sed monitus licet utrumque neſcio qua de cauſa omittebat. Ita Cæſareos iſtos Hatzfeldius poſt eis Rhenum concedens ſibi conjungebat. Hoc digreſſo Corzius tribunus Noveſii præfectus cum mille militum manu ſuperiorem Colonienſis præſulatus partem irrumpit tributis exigendis, ac poſt direptos complures vicos Rheinbacum oppidulũ tentat. Ubi jam nonnulli per portam petarda disjectã irruperant; ſed decem deſideratis per oppidanos repelluntur. Inde Rheinsheimo arci ſat munitæ ſexaginta militum præſidium imponit, ac præda onuſtus Noveſium redit. Ea tamen arx cum machinæ tantum in conſpectum ductæ eſſent, per ignaviam deditur; ac præſidiarii ab illis ipſis, per quos in tutum deducendi erant, ſpoliati trucidantur. Inde ab Haſſicis Bergershauſa arx centum militum præſidio, novisque munimentis firmatur. Cæterum toto iſt hoc anno ſuper parandis copiis ad defenſionem Circuli VVeſtphalici agitatum fuerat. Id negotium in eo cumprimis hæſerat, quod Cæſar ſummam earum copiarum directionem ex legibus pacis Pragenſis ſibi vindicare vellet; id quod Ordinibus diſpliceb at, ne Cæſar iſtas ſuos ad uſus adhiberet. Inde Colonienſem inter & Neoburgicum ſuper imperio in eum militem certabatur; quorum illi Cæſar, huic plerique Ordinum ſtudebant. De hoc quia conveniri non poterat, res exitu caruit. Demum cum Hatzfeldius cum ſuis in ſuperiorem Germaniam tenderet, ut Gallis ibi obſiſteret, Haſſi facili negotio Kirchaina, & Alsfelda occupata per ſuperiorem Haſſiam hoſpitia capiunt. Sed mox clade Gallorum ſoliciti, ne forte Hatzfeldius totam molem belli in ipſos devolveret, Kœnigsmarckii auxilium, ſi res ferat, ſibi expoſcunt.

10. Octobr.
26. Octobr.

Guebriani gesta.

§. 27. Initio hujus anni Guebrianus cum Gallis & Vinarienſibus per Franconiam hoſpitabatur, ob digreſſos inde Cæſareos late graſſatus, ut tamen Bavaricis locis diligenter abſtineret. Hinc in Wurtenbergicam procedens, prætorio Canſtadii poſito multa loca parum munita in poteſtatem redigebat; ac ni frigus obſtitiſſet Heilbrunnam videbatur tentaturus, tenui tunc præſidio firmatam. Huic ſiſtendo Bavarici ſub Mercio, & VVertano contractis apud Donavvertam copiis præter Norlingam, Dunckelſpulam, & Halam Neccarsulmam deſcendunt. Quorum adventu cognito Guebrianus ſtatim in planitie apud Waiblingam copias ſuas in aciem diſponit prælii copiam facturus. Sed Bavarici nuspiam prodibant, antequam Lotharingici adveniſſent. Lotharingiæ quippe Ducem, ut Rheno ſuperato ſuis aut Bavaricopiis jungeretur, Cæſar crebris nuntiis ſolicitaverat; quibus ille repoſuerat: per triennium nullam ſui rationem habitam, nec hoſpitia ſibi, aut ſtipendia præbita: unde copias expeditioni haut idoneas. Sed Bavari ſummum in ſuas copias imperium offerentis ſolicitatione permotus, trajecto apud VVormatiam Rheno circa Heilbrunnam Bavaricis jungitur, ſummumque in eas imperium ſuſcipit, è conſilio cæterorum ducum gerendum. Exercitu apud Botvvarum luſtrato, VVertanus aſſumta valida equitum dragonumque manu in Guebrianticos per hoſpitia diviſos irruptionem ſuſcipit. Horum tres equeſtres legiones cum quadringentis dimachis Hoppaci hoſpitabantur, proximo vico aliæ quatuor legiones non per tecta diſperſæ, ſed inſtructis ſemper equis. Wertanus apud Hoppacum Remſam flumen tranſiturus pontem doliis ſaxo impletis obſtructum invenit, quem & duodecim milites cuſtodiebant. Iſta dum amoventur, Guebrianticis ſpatium dabatur ſe inſtruendi, quos & excubitorum diſploſiones jam adverterant. Unde cum Wertanus in vicum irrumperet, acre certamen conſertum, accurrentibus & è proximo vicolegionibus. Ita Bavarici profligati in fugam conjiciuntur ducentis eorum cæſis, quos inter Stephanus Wertanus Joannis frater turmæ præfectus; Woltius tribunus ſauciatur. Complures ductores, ac centum gregarii capti; ipſe Wertanus cum multis aliis Remſam fluvium nando transmittere cogitur, quo non pauci mergebantur. Bavarici hinc motis caſtris velut Laungam & Donavverdam ituri, cum ultra Schorndorfum proceſſiſſent, ſubito Gœppingam vertunt, quam quinquaginta equites, ſeptuaginta pedites tuebantur. Ubi poſt nonnullos aſſultus repulſos, tandem per ruinam mœnium irrumpunt, omnibusque puberibus interfectis oppidum diripiunt. Miles ac præcipui oppidani in arcem refugi arbitrio ſe hoſtium dedunt; gregarii Bavaricis admixti, centurio captus. Ipſi tamen ducentos cum ſubtribuno inter oppugnandum amiſerant. Magna in oppido præda parta. Sed & fœda libidinis ac ſævitiæ ſpecimina à milite cumprimis Lotharingico edita. Bavarici hinc Kircheimum ſub Tecca tendunt, ubi ipſis Guebrianus occurrit, ſuis Gœppingæ auxilium ſero laturus. Heic uterque exercitus opportuno ſibi loco per biduum in acie conſiſtit, ut tamen neuter in locum iniquum deſcendere, aut ex eo hoſtem invadere auderet. Bavarici hinc à tergo Guebrianum circumituri videbantur. Unde hic Reutlingam, in qua quadraginta Bavaricos interceperat, ſtativa transfert, hoſte non procul inde Metzingæ in valle Auracenſi tendente.

Wertanus repulsus.

24. Jan. Gœppinga expugnatur. 26. Jan.

31. Jan.

2. Febr.

§. 28. Interea Oiſonvillius Briſaci præfectus contracta manu, & VViderholtio adjuncto Blumbergam arcem machinis verberatam in poteſtatem redegit. Sed majus operæ pretium fuit Uberlinga, ubi VViderholtius per exploratores cognoverat, unam portarum nullis clathris penſilibus, ſed tribus duntaxat ſimplicibus valvis munitam. Igitur hoc autore eo tenditur, ac primo crepuſculo per ſummum ſilentium extremis valvis petarda admovetur. Cujus ſtrepitu excitati oppidani è celſa turri nonnullos ingruentium telis proſternunt; ſed cæteri perfractis valvis acriter perrumpunt. Primo impetu cæſi oppidanorum quindecim, qui in armis deprehendebantur: plures qui navigiis Conſtantiam tendebant, lacu merſi; oppidum per quinque horas militi conceditur diripiendum. Maxima in eo præda parta, octoginta amplius machinæ minoris formæ; armorum, annonæ, vini maxima vis, qua VViderholtius Hohentvvilam egregie inſtruebat. Oppidum octingentis peditibus, octoginta equitibus ab Oiſonvillio inſidetur, qui cives ſacramento Galliæ adigit, agreſtibus ejectis. Viciſſim Guebriantici Rotenfelſa arce in VVurtzburgenſi prætulatu ſita, & Hornecca ad Nicrum expulſi fuerant. Eos tamen, qui Stetenfelſam arcem non procul Heilbrunna obſidebant, miſſa à Guebriano caterva diſpulerat. Aſt VVertanus excurrendi indefeſſus, cum bis mille ſelectis equitibus inſolita via per Achlam Guebrianticis noctu ingruebat, abrepta in ſtativis legionis VVitgenſteinianæ parte impedimentorum & jumentorum. Sed aſſultantibus undique Guebrianticis ad caſtra usque Bavarica repellitur, deſideratis centum amplius ductoribus & gregariis. Eodem tempore caterva Guebrianticorum Tubingæ imminens à Drucmulle-

Galli Uberlingam intercipiunt. 19. Jan.

Lotharingus Bavaricis jungitur. 18. Jan. 21. Jan.

3. Febr. Wertan. Guebri. ticos

ro re-

1643. ro repellitur, triginta cæsis. Guebrianus inde pabulo deficiente Rotenburgum ad Nicrum transit; Bavarici Tubingæ castra metantur. Heic
20. Febr. tres Guebrianticæ legiones Hamersdorfi tendentes, repente à Wertano invaduntur; quæ licet strenue pugnam capesserent, tamen numero obrutæ cessim ire, & ad proximas legiones se recipere cogebantur, peditibus quinquaginta, & equitibus paucis desideratis. Sed trium legionum impedimentis Wertanus plane potiebatur. Atterebant modica hæc damna Guebrianticos; & quia Bavarici numero prævalebant, ac nova supplementa expectabant, veritus Guebrianus, ne à tergo infestaretur, per Sylvam Nigram & Kenzingensem vallem ad Rhenum movet, in itinere intercepto Gengenbaco, ubi optio cum septuaginta peditibus hærebat, simul
23. Febr. Ortenburgo & Wilstadiensi arce. Animus erat circa Stolhovam & Badenam legiones quiete reficere. Sed mox cum Bavaricos Cuppenheimo militem immisisse intelligeret, direptis circa oppidis retro vertens à Kenzinga Laufenburgum usque sub Nigræ Sylvæ radicibus legiones distribuit, novas è Gallia copias expectans: cujus præsidia, quæ Mildenburgi in Franconia & Lauffæ reliquerat, interim ab hoste expugnata fuerant. Bavarici satis habebant, lautis Wurtenbergicæ hospitiis eos expulisse, haut parum gloriabundi, quod cum ipsi Guebrianticos tam crebris irruptionibus turbassent, hi contra nil unquam tentare ausi fuissent. Inde per Wurtenbergicam hospitia capiunt, quam provinciam quadringentis amplius mensibus Romanis emungunt, acriter cumprimis multatis, apud quos Guebrianus hospitia ceperat, velut hosti favissent. Sed & Lotharingiæ Dux pro lubitu in Franconia hospitabatur, brevi tempore locis, quæ stativis complexus fuerat, trecentos amplius menses Romanos extorquens.

Guebrianus ad Rhenum recedit.

Idem tarde se movet.

§. 29. Cæterum Guebrianus novam expeditionem sat tarde moliebatur, utut pecunia & supplementa è Gallia sub finem Aprilis mensis advenissent, & equitatus sic satis se refecisset. Bavarici contra Offenburgum, ne forte à Guebriano opprimeretur, annona & milite instruunt. Tum apud Spiram Rhenum navali ponte sternunt, ac validum isti oppido præsidium imponunt prohibendo Guebriano, si forte Moguntiam versus descendere vellet. Trecenti quoque equites trajecto apud Germersheimum Rheno circa Benfeldam magnam populationem faciebant. In Durlacensi ditione, Pfortzheimi cum
4 Maji. primis & Grabæ, provinciales ad sacra Pontificia vi compelli à Bavaricis cœperant. Novam inde moram Guebriano adferebat mors Galliæ Regis, & quia Teutonici ductores licentius, ut novo imperio solet, scripto postulabant, ut præter acceptam pecuniam menstruum adhuc stipendium solveretur; Brisaci præsidium æquali Germanorum ac Gallorum numero constaret, & si quæ loca magni momenti caperentur, eorum custodia utrique nationi pariter committerentur; addito ne castra moverentur, antequam hæc postulata expedita forent. Solicitabat quoque clam Germanicos ductores Bavarus, ut Gallis desertis ad se transirent. Quos tamen Guebrianus dextre delinitos in officio continebat. Tandem hic contractis copiis Hohentvvilam versus movet. Consilium ipsi erat inter lacum Bodanicum ac Danubii fontes pedem figere, ac hosti necessitatem adferre, vel prælio certandi, vel iter ipsi Illarum fluvium versus concedendi inde ad Licum Donavvertam usque processuro, ac provinciarum à tergo tributis fruituro. Sed quia regio, quam transiturus erat, plane exhausta commeatu fuerat, apud Hohentvvilam tantisper consistere constituerat, quoad seges in agris matureseeret, annona interim è vicina Scaphusia petita. Eis castris dum hæret recens è Gallia miles parcæ diætæ insolens per Helvetios magno numero domum aufugere, eques ob toleratam diu inopiam fremere; Hohentvvilani vicinos sibi agros plane evastari dolere. Tum duces inter se discordes, Germani Gallique milites æmuli, asperati plerorumque ductorum Germanorum animi. Imminutus quoque exercitus Hassorum discessu, qui hactenus Guebrianticos prosecuti, quod parem cum illis laborem toleralssent, stipendiorum se expertes indignabantur. Illi concedente Galliæ Rege dimissi mille quingenti numero, accelerando itineri pedites Rheno devehunt. Inde supra Germersheimum exscensione facta infra Heidelbergam Nicro superato Handschuchsheimi prætoriam Lotharingi turmam ejusque supellectilem opprimunt, ipso Duce ægre Manheimum evadente. Is enim, quanquam super eodem cum Gallia reconciliando Aurelianensis Dux satagebat, à Bavaro persuasus denuo imperium in ejus copias susceptum ibat. Ast Bavarici, & Lotharingici ad sedecim millia aucti Guebriani destinata eluduri circa Moskircham & Pfulendorfum se huic objiciunt. Ita propinquos inter exercitus crebris excursionibus certabatur, prosperiore ut plurimum Guebrianticorum successu; inter alia ducentis quinquaginta Bavaricis inter Hohentvvilam & Uberlingam deletis. Ac ita acriter se mutuo infestabant, ut facile hostilitatem bona fide invicem exerceri diceres.

9. Jun. Guebrianus Hohentvvilam movet.

§. 30. Sed inopia subigente Guebrianus incensis castris Salmansvveileram movet; cui Bavarici apud Marcsdorfum se objiciunt duarum horarum inter utrumque exercitum intervallo. Sed cum Bavaricis è Suevia annonæ affatim subveheretur, cujus penuria Guebrianus iterum premi cœperat, prior castra movere necessum habebat, ac iter VVurtenbergicam versus per Stockachum, Dutlingam, & Speichingam arripit. In itinere Rotvvilam expugnare conabatur, quam tormentis verberatam quatuor locis noctu assultibus tentat. Sed oppidanis acriter resistentibus viginti suorum cæsis, triginta saucils, Sultzam pergit cum ipe Horbam & Rotenburgum ad Nicrum attingendi. Enimvero Bavarici per Sueviæ Alpes adproperantes, interposita à Guebriano ad Rotvvilam mora, hunc prævertunt; ac Empfingæ inter Sultzam & Horbam occupato altiore loco accessu Horbæ eum excludunt. Postero die Guebrianici Holzhusæ, Bavarici Empfingæ instructa utrinque acie consistebant. Sed Guebriano certandi cupido Bavarici pugnæ copiam non faciebant. Hinc iste Nicrum apud Oberdorfum, Bavarici apud Sulzam transeunt, à latere eidem semper incedentes tam opportuno locorum delectu, ut Guebriano neque perrumpendi, neque ipsos invadendi occasio præberetur. Ita nil supererat quam deserta Suevia per Kinsingensem vallem iterum ad Rhenum vertere, peditatu non parum imminuto. Bavarici dextrum ipsi latus semper claudebant, ne qua in VVurtenbergicam se vertere posset. Hinc in Badensem provinciam progrediuntur, quo Guebrianum plane trans Rhenum pellerent, ponte insuper apud Philipsburgum structo, quo & ultra Rhenum eundem premerent. Guebrianus complures dies in valle Kenzingensi terit, morbis equorum, & per famem exercitu valde debilitato. Inde in Inferiorem provinciam Badensem se conferre instituit, tridui quiete exercitui apud Argen-

Idem frustra in VVurtenbergicam penetrare nititur. 5. Jun.

12. Jul.

16. Jul.

17. Jul.

18. Jul.

19. Jul.

Guebrianus ad Rhenum vertit.

1643. toratum indulta, quo ſibi neceſſaria ex iſta urbe miles coemere poſſet. Sed hoſtis inſtituto ejus cognito, ſimul moris ab ipſo interpoſitis, duo millia equitum Raſtadium miſerat. Quo cum & Guebriani primum agmen verteret, jam iter ſibi illa parte præcluſum inveniebat. Ita hic indignabundus veſtigia retro legit, ac inter Wilſtadium & Kehlam conſidet, Oberkircha præſidio firmata, ne hoſtis ea via irrumpere poſſet. Inde ponte apud Rheinaviam ſtruendo animum adplicat.

9.Aug.

Idem circa Benfeldam copias diſtribuit.

§. 31. Benfeldæ præfectus Fridericus Moſerus cum ſuum diſtrictum peti videret, à Guebriano poſtulabat, ut vel Britàci, vel alio loco Rhenum tranſiret, ne hoſpitia ſua, quibus & nuper à Galliæ Rege cautum erat, vaſtarentur. Sed cum iſta inſuper haberet Guebrianus, Moſerus Ehenheimum ſuperius & Dambacum Andloamque, ſimul præcipuas Nobilium arces milite firmat ac provinciales monet, ut quicquid ſuarum rerum poſſent, intra munita loca conferrent. Ita Guebrianicus miles circa Benfeldam per hoſpitia diſtribuitur; ubi in omnem licentiam effuſus rapiendo, perdendo, veterem Vinarienſium gloriam non parum imminuebat. Unde & Argentoratenſes illos in urbem admittere, aut forum præbere niſi ductoribus abnuebant. De cætero miſera ſat ejus exercitus facies. Equitum tria, peditum totidem millia ſupererant; calonum enormis numerus; famelici omnes, & animis turbidi. Quod Gallorum ſupererat in patriam diffugere ſtudebat. Vinarienſes reſpectus ductorum utcunque continebat, & quia norant, ſe periſſe, ſi diſſolverentur. Omnes proditionem, & pravam belli adminiſtrationem arguere, ac alium ducem circumſpicere. Nec obſcure Tupadelius fremere: Summum ducem, & qui juxta ipſum curarent, nulla peritia belli è libris diſſerere, ac conſilia capere ſupra vires poſita. Tum ſolos ſe ſapientes judicare: aliorum conſilia ſuis diverſa adſpernari: imo odiſſe, qui non adplaudant. Hoſtem ab ipſis ſemper contemni; ſi quis ſecus ſentiat ſuſpectum haberi. In conſilio unam ſemper vocem audiri; hoſtem profligandum: ubi in rem præſentem ventum fuerit, plurima iſtis auſis deeſſe. Interim nullo annonæ proviſu militem circumtrahi ac perdi. Cæterum & Benfeldenſes eam hoſpitationem ægerrime ferebant, qua ſibi unde viverent ſubtrahebatur; cujus injuriæ ratio credebatur, quod ſuperiore Alſatia, inter ductores fere diſtributa & exculta, parcere vellent; an ut ſubtractis Benfeldæ mediis unde ſuſtentaretur, Suecis neceſſitas adferretur id oppidum Gallis tradendi.

18.Aug.

Bavarici Rhenum tranſeunt.

§. 32. Bavarici contra propius Argentoratum ſuggreſſi tranſitum pontis, aut navigia poſtulabant. Id quod Argentoratenſes abnuebant; ſed forum præbitum. Oberkirchæ & Wilſtadii à Guebriano relicti citra exceptionem ſubiguntur. Inde cum per Inferiorem Marchionatum aliquot dies quieviſſent, ponte apud Lauterburgum ſtructo Rhenum tranſeunt, ac circa Weiſſenburgum conſident. Nec Guebriano ulla cura fuerat iſtos tranſitu arcendi; & uſque adeo animum depoſuerat Inferioris Alſatiæ tuendæ, ut Montauſſierus Marchio ſuperioris Alſatiæ præfectus gravi ſub pœna ediceret, ut provinciales, quicquid frumenti haberent præter unum ſaccum Colmariam ac Sletſtadium deferrent; velut de hac quoque provincia defendenda deſperatum foret. Bavarici tamen præcepta ſtatione immoti hærere, nec longius tendere nec validas verſus Superiorem Alſatiam catervas dimittere, velut ex compacto quieſcerent. Biſchvveileram tamen Chriſtiani Palatini ſedem conglobata prædatorum manus plane diripit, quantumvis Princeps ille Cæſareis & Bavaricis partibus eximiè faveret. Sed circa finem Septembris cis Rhenum iterum concedunt excitis undique copiis, quod poſt captam Theonvillam Guebriano novus è Gallia miles adveniret. Eum adducebat Enguianus Dux in decem equitum, undecim peditum legiones digeſtum; quibus apud Dachſteinum luſtratis ipſe in Galliam remeabat, translato in Ranzovium earum copiarum imperio, ut tamen ſumma rerum penes Guebrianum foret. Ita veteribus copiis junc̃ti apud Rheinaviam cis Rhenum vadunt, Benfeldenſibus inſignem annonæ vim ſubminiſtrantibus. Etſi hi pontem navalem obſervare nollent, ne Gallis deinceps viam huc vertendi occaſio foret. Conſilium erat in Superiorem Sueviam, & ſi res ferret in ipſam Bavariam penetrare, quo Principi huic deſiderium pacis naſceretur, aut ut ſaltem intra proprios limites revocato exercitu moleſtias belli, quas in alios devolvere ars ipſi erat, deguſtaret. Et Ranzovius aperte jactabat; propediem ſe Monachii futurum, aut periturum. Iter denuo per Kenzingenſem vallem, & Nigram Sylvam in Sueviam ſumitur. Aliquot mortaria & quindecim tormenta exercitum ſequebantur. Bavarici, qui mature cis Rhenum receſſerant, Mahlbergæ Neuenburgum inter & Etlingam caſtra muniunt, qua Gallis in Palatinatum, aut Heilbrunnam deſcenſuris iter capiendum erat; quos huc verſuros certo ſibi perſuaſerant. Excitis præterea Lotharingicis, legionibus aliquot Hiſpanicis, & Hatzfeldio cum præſidiis Saxonia deductis ingentem exercitum conflaverant.

1643.

Auxilia è Gallia adveniunt.

21.Oct.

Guebrianus in Sueviam movet.

§. 33. Primum Gallicis copiis damnum à Sporckio tribuno inferebatur, qui mille quingentis equitibus ſtiparus, tres legiones equeſtres Geislingæ non procul Balinga hoſpitantes noctu invadebat, octo ſignis ereptis, ac uno excubiarum, quinque turmarum præfectis, aliisque ductoribus, inſuper ducentis gregariis captis. Ipſe Roſa ſupremus excubiarum præfectus ægre in arcem evaſerat. Inde Rotvvilam Galli invadunt parum munitum oppidum; ſed ubi inſignis annonæ copia congeſta erat. Huic primo per quinque dies otioſus miles adſidebat, quod machinæ diverſam viam ingreſſæ eſſent. Inde obſidium ſuſcipitur ſævum inter gelu, ac nullo circumcommeatu, aut pabulo. Poſt admotam vim oppidani ac miles acerrime reſiſtebant, quoad lata murorum ruina edita foret. Unde territi oppidani arma ponunt, & ſubtribunus Tobadus cum quingentis dimachis, inter quos multi ſauciati erant, deditione facta Balingam dimittitur. Id oppidum magno nimis conſtabat Gallis, quorum exercitus quindecim millibus conſtans jam ad decem millia decreverat, recentibus cumprimis Gallis per Helvetios, Venetias, aut in patriam refugientibus, magno quoque numero per vulnera, frigus, ac famem extincto. Ipſi Guebriano brachium globo colliſum, quo poſtea abſciſſo extinguebatur. Oppido Fridericus Dux VVartenbergicus imponitur. Fatigatus hoc obſidio miles Dutlingam ducitur, ut eo tractu nonnulla quiete ſe reficeret. Aſt Bavarici cum præter opinionem Gallos per vallem Kenzingenſem iter ſumſiſſe comperiſſent, in VVurtenbergicam progreſſi Rotenburgum ad Nicrum tendunt, ubi quæ expectabant, copiæ illis jungunturi. Heic conſilio habito placebat: recta in Gallos ire. Sequenti die Danubius apud Simmeringam ſuperatur, & Moskircham usque procedi-tur, ubi per noctem exercitus in aciem diſponitur. Heic exploratores referunt, Gallos ad Danubium Dutlingæ, Muhlheimi, & Mæringæ diviſis copiis conſediſſe. Igitur placebat recta Dutlingam

Rotvvila à Gallis expugnatur.

Guebrianus è valetudine obit.

13.Nov.

12.Nov.

16.Oct.

11.Nov.

Bavarici Gallos vent.

13.No

1643. lingam ire, ubi ſummi duces cum machinis tendebant: quibus oppreſſis reliquos facile turbatum iri ſperabatur. Occultandis deſtinatis impedimenta Bavariam verſus iter ingredi jubentur, velut aditus Bavariæ Gallis obſtructum irent; quæ ut Gallis nuntiarentur, multis captivis ad ſuos elabendi ultro occaſio præbebatur. Ita hi velut nullo periculo citra curam agebant. Et intercepti magno numero à præcurſoribus Bavaricis uno ore affirmabant; in Gallicis caſtris non aliter credi, quam hoſtem in Bavariam abire, nec de ejus acceſſu quidquam conſtare, ac militem pabulatum dimitti.

Gallorum & Vimarienſium ad Dutlingam clades. 14. Nov.

§. 34. Ita Bavarici magna ſpe rei bene gerendæ inſtincti per noctem ſuperata ſylva ſummo mane ante eandem ordinibus in aciem explicatis conſiſtunt. Præcedebat Joannes Wertanus cum duodecim alis expeditiſſimorum equitum, quem Reuſchenbergius cum peditatus parte ſequebatur. Primum agmen ducebat tribunus Wolfius, qui mille aureorum promiſſo per Mercium animatus ſubito impetu ſtationem equitum ante Dutlingam opprimit, mox machinas in cœmeterio extra oppidum diſpoſitas in poteſtatem redigit, duobus tantum ſuorum ſauciis. Interim Mercius, & Hatzfeldius cum aliquot legionibus ſuperato Danubio ex eo latere opportunum locum capiunt. Ita ſumma celeritate Dutlinga undique cincta nemini exitus aut introitus ibi patebat, ut Gallicæ legiones divulſæ ſibi invicem ſuccurrere non poſſent. Roſa, qui Mœringæ cum octo equeſtribus legionibus, aliquot peditum phalangibus tendebat, audito tumultu impedimenta addito valido præſidio nota via Lauffenburgum mittit, ipſe cum ſuis Dutlingæ ſubventurus. Quo cum propinquaret, Mercium & Hatzfeldium ante ſe reperit; qui ſtatim cum equitatu in ipſum movent, peditatu pone ſequente. His cum imparem ſe videret Roſa, Rotvvilam abit, multis veterum Gallorum propriaque phalange incolumi, ſecum abductis. Cæteræ quoque phalanges ſervari poterant, ſi ipſi obtemperare voluiſſent. Sed cum illæ è ſtativis diſcedere nollent, injuſſu Montaulſieri, qui Dutlingæ incluſus erat, poſt paucas horas circumventæ plane delebantur. Octo inſuper legiones equeſtres, ſeptem peditum phalanges ſat confuſis ordinibus Lauffenburgum evadebant, relictis impedimentis; quas hoſtis *amiſſa Rotvvila luce Lauffenburgum provocaſſe* non infacere cavillabatur. Inde Dutlinga, in qua plerique ſuperiorum ducum agebant, machinis acerrime verberata arbitrio ſe victorum permittit.

25. Nov. Mulheimi quoque, & Neidingæ octo legiones Gallicæ, quæ cum Ranzovio recens venerant, ſimul Scotica, & Italica legio, quod injuſſu ducum loco ſe movere nollent, ab hoſte cinguntur. E quibus Scoti atque Itali ſtrenue pugnam capeſſebant, & obnixe in veſtigio ſtabant; ſed numero tandem obruti, cæſis gregariis ductores capiuntur. Galli undique circumventos ſe conſpicati ſalutem petunt & obtinent. Hac clade Bavarici tria millia cæſa

Ejus cladis magnitudo. referebant. Id quod liberalius jactatum videbatur, quod Germanicæ legiones omnes tam equeſtres quam pedeſtres ſalvæ evaſiſſent, præter pedeſtrem Klugii, quæ Dutlingæ capta, & Badenſem equeſtrem, quæ in receptu ſignum unum cum aliquot equitibus amiſerat. Maxima ſtrages legionibus recens è Gallia adductis incubuerat, quæ jam ante numeris valde imminutæ fuerant, & pleræque captivitatem ſubierant. Captorum numerum quatuor millia impleſſe facilius creditur. E ducibus ſuperioris gradus præter Tupadelium, Roſam, & quæſtorem exercitus Tracium nemo evaſerat. Dutlingæ capti Ranzovius, Ohmius, Schonbeckius, Montaulſierus, Sirotus, Normentierus, Klugius, Norhaſius, multi alii; duæ quoque cohortes è milite Regis prætoriano, præter inſignem prædam; Fœminæ tamen cum rhedis ſuis non direptis ſarcinis Scaphuſiam dimiſſæ; Mœringæ Vitrius Marchio, Mulheimi Montmedius, Mouieronus, & plures præfecti, tum viginti quinque centuriones è Reginæ & Cardinalis legione intercepti. Ea clades per ſupinam negligentiam accepta præter ignominiam id quoque mali pariebat, quod Bavaricis nunc pro lubitu hoſpitia extendere, & futuræ ſe expeditioni firmare, ſimul Hatzfeldium inſigni acceſſione auctum Weſtphaliæ immittere liceret. Et quanquam Gallia huic damno reparando ſat potens erat, quæ & acriore ſtudio ad eluendã ignominiam à vetere amico, quicum occulta ſemper commercia coluerat, illatam incubitura credebatur; non ita facile tamen exercitus Bavarico pariterum contrahi poſſe credebatur, quod Germani militis ſcribendi nulla copia, & Galli in Germaniam inviti trahebantur, ac ad ejus aſperitatem ſtatim fatiſcebant. Rotvvilæ ubi farinæ & adparatus bellici nihil, Roſa dimidiam fere partem veteris peditatus Guebriantici reliquerat, ſub imperio Friderici Ducis Wurtenbergici. Id oppidum Bavarici ſtatim circumſident, ac continua verberatione magnam mœnium ruinam faciunt. Nec obſeſſis initio alias deditionis leges, quam Dutlingæ, concedere volebant. Tandem permiſſum, ut ductores liberi abirent. Gregarii Bavarico ſacramento adacti; ſimul ſeptuaginta vexilla tradita. Ita iterum tres Germanicæ, duæ Gallicæ legiones amiſſæ, ut è veteri peditatu duæ tantum ſupereſſent, Hatſteiniana, & Flava. Quæ cladi ſuperfuerant copiæ per Suntgoviam, & Superiorem Alſatiam diſtribuuntur, quibus reparandis multa cum pecunia Turennius mittitur, Germano militi jam ſub Bernhardo Duce cognitus, & præ aliis Gallis dilectus atque æſtimatus. Is imperium exercitus ſuſcipiebat, præter alia trium menſium ſtipendia reſidua, & unus menſis extra ordinem annuens inſtruendo militi. Peditum duo millia, totidem equitum ſupererant. Pollicebantur tamen præfecti, ſe propediem quatuor millia equitum præſtituros. Bavari contra tot captivis, & novis delectibus aucti magna cum mole ſequenti anno in expeditionem ituri metuebantur.

Rotvvila à Bavaricis recuperatur. 25. Nov. Turennius ad exercitum venit.

1643.

§. 35. Elector Brandeburgicus è Boruſſia in Marchiam redux ſtatim de adventu ſuo Joanni Oxenſtiernæ per literas ſignificat; tum ſe ſuper induciis perficiundis cum Ordinibus ſuis deliberaturum; magnam adverſus iſtum, ac alios præfectos Suecicos humanitatem oſtendens. Aderant inde Stetini Gœtzius Cancellarius, & Leuchtmarus, cum nonnullis ex Ordinum Provincialium numero. Cum his circa reliqua nondum deciſa facile conveniri poſſe videbatur. Sed circa modum tributi negotium hærebat, cum Oxenſtierna ducenta uncialium millia, ad extremum centum quadraginta millia poſtularet: Brandeburgici ultra viginti quatuor modiorum frumenti, ac centum & quindecim uncialium millia offerre, ac præſtare ſe poſſe negarent, vaſtitatem ac miſeriam Marchiæ allegantes. Ita tunc nihil concluſum, ſed utrinque res ad Principes relata, ac omnia in præſenti ſtatu relicta. Cæterum Legati Brandeburgici magnam ſpem arctioris inter Reginam & Electorem conjunctionis oſtendere. Simul ſuper Pomerania movebant, ſciſcitati num Oxenſtierna mandatis eſſet inſtructus, ferentes dubium ſibi non eſſe, quin idonea tranſigendi ſuper eadem ratio ſit invenienda. Sed quia Oxenſtiernæ ideo hæc moveri videbantur, ut ipſius ſententia ſuper ſatisfactione, quam Sueci inſtantibus pacis tractatibus poſtulaturi eſſent, explorareturr, is parum ad iſta

Tractatus inducialium cum Brandeburgico adhuc haeret 15. Febr.

1643. respondebat. Unde & cum isti demonstrarent, Electori gratum fore, si commodo loco colloqui posset, is iter ad tractatus pacis mox suscipiendum excusabat. Sane constabat, Electorem adhuc connubium cum Regina animo agitasse; quo fine
18. Jun. & Baronem ab Efferen cum secretis mandatis in Sueciam mittebat; qui Lilliestrœmio confirmabat; Electori federe, pro isthoc matrimonio omnia sua periculo exponere.

Acta circa pacem communem, à qua Cæsarei abhorrent.

§. 36. Initio hujus anni fœderatorum Regum ministri Hamburgi agentes querebantur, quod cum urgente Daniæ Rege Kalendas Decembres nuper præteritas permutandis præliminarium instrumentis acceperint, à Cæsareis tamen adhuc res extrahatur. Ac Salvius cumprimis exprobrabat, Joannem Oxenstiernam Legatum jam sesquiannum in Germania egisse magnis cum sumtibus, non sine ludibrio; qui nisi tandem serio res agatur, forte proximo vere in Sueciam sit revocandus, haut ita temere deinceps inani pacis spe inde extrahendus. Et constabat, Cæsaris Consiliarios censuisse, prævalentibus Suecorum armis de pace agere non consultum, quod ab hisce nunc leges accipiendæ sint; sed arma prius ad æquilibrium reducenda, & æquam pacem militum opera conficiendam. Ac Cæsari differenti; occupandam pacem antequam major clades accipiatur, ne post duriores leges subire necessum sit; Trautmansdorfius responderat: si nunc Cæsar pacem faciat omnia amissum iri, quæ Catholici suæ Ecclesiæ à temporibus Rudolfi II. adquisiverint. Haut eo secius tamen Vienna aderat nova & emendata prævii pacti ratihabitio, qua non forma tantum conventionis, sed ipsa conventio confirmabatur, ac Salvio titulus Legati tribuebatur. Dies scriptionis eadem, quæ primo instrumento, exprimebatur secunda Julii anni superioris. Sed quia dies permutandis instrumentis ac auspicandis tractatibus statuta dudum erat elapsa, addebatur alia declaratio Cæsarea decima quinta Decembris data, qua in Aurspergium facultas conferebatur cum adversa parte super alia die transigendi. Circa hæc instrumenta etsi Langermannus Decanus statim operam suam offerret; placebat tamen Aurspergio ad Daniæ Regem scribere, ut iste diem permutationi statueret. Qui & alias omnia ad eum Regem referre sueverat, vel huic demulcendo, vel negotio extrahendo, an quod Langermanno non satis fideret.

Emendata à Cæsare ratificatio additi.

Ad Aurspergius Dano significat. 7. Jan.

Eorum exempla exhibentur. 3. Febr.

In illis defideratur.

§. 37. Exempla inde ratificationis Cæsareæ cum adjuncta declaratione, ac diplomatum ex parte Succica ad tractatus Osnabrugenses requisitorum Salvio exhibentur; nec minus Gallico Ministro San-Romano, quæ Monasterientibus præstare Cæsar tenebatur; Regiis vicissim suorum instrumentorum apographa tradentibus. In ratificatione Salvio suspecta cumprimis videbantur ea verba, adprobationi præliminarium subnexa; *quantum per rerum naturam licuit & licet*, velut per eam ansa quæratur omnibus conventis eludendis. Adjecta declaratio supervacua habebatur, quia nova ratificatio, in qua præliminare pactum ad verbum exprimebatur, Regiis ratificationibus plane similis erat. Diplomata salvi conductus, à formula, ante biennium Rectoribus Sueciæ exhibita & probata, consentiente Salvio nonnihil mutata erant. Cum enim antea tam Cæsareorum, quam Regiorum eadem esset formula, Salvio placuerat addi, ut non solum præfectorum bellicorum, sed & Electorum, Principum & Ordinum, per quorum ditiones Legatis transeundum foret, mentio fieret. Unde & Cæsarei omissa priore formula ea diplomata ad modum in Cæsarea Cancellaria receptum expedierant; quæ Salvius, cum Reginæ dignationi nihil detraheretur, & securitati Legatorum satis caveretur, acceptanda censebat. In diplomate Palatino, & Hassico Domus Palatina, & Hasso-Casselliana exprimebatur, ministris horum id malentibus, declinandæ controversiæ ob negatum Electoris titulum, & quia totam Domum quam singulos Principes exprimi amplius erat. Luneburgicorum diplomata renovata non fuerant, quod ipsi plane cum Cæsare transegissent, simul operam suam circa componendas cum extraneis Coronis controversias obtulissent. Unde à Cæsare non inter partes, sed sequestrium numero habebantur, quibus salvo conductu opus non foret. Rectoribus tamen Sueciæ ista mutatio parum arridebat, etsi re ipsa in melius facta; quod circa rem tractatam uni parti absque altera nihil plane innovare fas sit. Sic tractatibus cum Dano & Polono omnia è condicto esse concepta, ut ne apex quidem mutari debuerit. Ipsi porro non aliam formulam viderant, quam quondam à Georgio Windio exhibitam, & post à Cæsare paulisper correctam. Unde primo Salvius postulare jubebatur, ut illa ad conventam formulam expedirentur. Nec ideo tamen negotio mora injiciebatur, quod priora illa diplomata adhuc Hamburgi extarent, ac Salvio utra mallet eligendi potestas foret. Ita ut Sueci circa præliminaria nihil amplius desiderarent. Probabantur quoq; Gallico Ministro Cæsarea in usum Galliæ instrumenta.

Rectoribus Sueciæ mutatio displicet.

Circa Hispanica diplomata defectus.

§. 38. Sed circa Hispanica negotium hærebat, quæ non aderant aut saltem non proferebantur; & quæ Aurspergius exhibebat parum idonea censebantur. Circa diplomata salvi conductus Aurspergius diversis gradibus utebatur. Nam primo iterum proferebat à Francisco de Melos edita, quæ à Rege octavo Octobris superiore anno Saragossæ confirmata erant. Sed quia in pacto prævio non Francisci de Melos, sed Cardinalis Infantis mentio facta erat, utut ille in hujus provinciam successisset, à San-Romano illa repudiabantur. Edebat inde Aurspergius procuratorium ab Hispaniæ Rege Cæsari datum, quo facultas ipsi dabatur requisita ex Hispanica parte diplomata eadem qua tua formula expediendi. Quæ à Cæsare confecta nunc Aurspergius offerebat. Sed quia San-Romano constabat, Cæsarem ab ipso Hispaniæ Rege subscripta diplomata Aurspergio dudum transmisisse, ea ut proferrentur instabat. Ita tandem 3. Febr. horum exempla Langermanno exhibentur. Inter hæc diplomata deerat id, quod Succico apud Monasterium Residenti debebatur: reliqua non ad conventam formulam concepta erant. In exordio notabatur, quod scriptum foret; Regem à Cæsare de mutatione loci Colonia Monasterium intellexisse; cum is utique velut primaria pars hæc per se sciverit, aut scire debuerit. Tum diplomate exprimebatur tantum liber transitus per Hispanicas ditiones, & ubi horum arma & exercitus reperirentur: de tuta commoratione in loco tractatuum nulla mentio. Insuper nec pergameno erant inscripta diplomata, nec spatium inserendis Legatorum nominibus, & diei tractatuum relictum. Sed uti primum non magni erat momenti; ita ad alterum Aurspergius reponebat; Cæsarem cujus summo imperio loca tractatuum subsint, securitati commorationis suis diplomatis sat cavisse. Quin & communi jure in itu etiam de reditu, multoque magis de commoratione in loco pro intermedio tempore cautum intelligi. Omissionem spatii per multitudinem negotiorum irrepsisse. Eos tamen defectus diplomatibus à Cæsare vi mandati confectis, & exhibita ratificatione cum inserto pacto intra diem congressus se suppleturum. Circa illam quippe ratificationem major adhuc scrupulus erat.

Equi-

1643. Equidem Rex Hiſpaniæ eodem ſcripto, quo Franciſci de Melos diplomata firmarat, etiam prælimi-
narem conventionem Hamburgenſem probarat, ſed paucis duntaxat verbis, ut neque tempus, quo illa inita, neque nomina Legatorum, per quos concluſa foret, exprimerentur; idque valde ſuperfunctorie, velut eadem non ipſum ſpectaret; cum tamen ea conventio tam ipſius quam Cæſaris nomine à Luzovio confecta foret. Nec ratihabitio aderat ad debitam formulam, inſerta tota conventione, uti à Cæſare & ſociis Regnis factum. Unde pertendebat San-Romanus ejusmodi ratificationem ab Hiſpano exhibendam, antequam dies auſpicandis tractatibus nuncupari queat. Id quod & ipſi diſerte ex aula injunctum erat. Nam Gallis iſtud neceſſarium cenſebatur ob eam maxime clauſulam, *ut utrique tractatus pro uno habeatur*, tum ut locus tractatuum bello eximeretur, & ſecuritas tertio loco intermedio præſtaretur, in quo Regii Legati quandoque congredi poſſint. Auſpergius cum tale inſtrumentum à Rege Hiſpaniæ nondum haberet, (etſi San-Romano ſecus eſſet perſuaſum,) nec conſtaret, an ita brevi iſtud procurare poſſet, proponebat, ſe ejusmodi ratificationem à Cæſare Hiſpani nomine ex vi mandati exhibiturum intra id temporis ſpatium, quo literis hinc inde mittendis opus foret; ſcripto inſuper cauturus, talem ratificationem ab ipſo Hiſpaniæ Rege intra diem congreſſus, aut certe initio tractatus adfore.

4. Febr. §. 39. Cum & hoc acceptare San-Romanus dubitaret, Auſpergius nomine Cæſaris & Hiſpani
Rex Daniæ dirm ordinodo tractatui dicit. à Daniæ Rege petit, ut inſuper habitis adverſæ partis ſcrupulis certum conventui diem præfigat, eumque partibus ſignificet. Ita Rex vicesimum
11. Febr. octavum Aprilis permutationi inſtrumentorum præliminarium, decimum quintum Maji ordiendo congreſſui deſignat. Quibus de cauſis hoc à Rege Auſpergius petierit, è Regiis literis colligebatur. San-Romanum à promiſſo diſcedisſe arguebat, quod nunc diplomatis Hiſpanicis, & propoſito à ſe temperamento adquieſcere nolit. Atqui San-Romanus hactenus duntaxat ab Auſpergio propoſita non rejecerat, ut de iis deliberaturum ſe reſponderet. Sed plane ſe iis adquieturum nusquam promiſerat; & ipſe Auſpergius literis ſuis fatebatur, ipſum aliquot dierum dilationem petiiſſe. Addiderat Auſpergius; San-Romanum ne verbo quidem ſignificaſſe, quare Hiſpanica diplomata non probaret. Cum licet eas cauſas literis ad Langermannum, queis ſuper formula diplomatum querebatur, non expreſſiſſet; eas tamen jam antea Auſpergio ſignificaſſet, cui & illæ ſat notæ erant. Quod autem Auſpergius Romani exceptiones inutiles, & quæ alium potius, quam Regium Miniſtrum decerent, vocaret, id ab ipſo velut adverſario utcunque ferre, & ſuo loco relinqui
Ejus agendi ratio probatur. poterat. Sed quod Daniæ Rex easdem invalidas tanto negotio differendo, & plane futiles pronuntiarat, id ſpeciem habebat animi aperte nimis in alteram partem vergentis. Præterea non miniſtri ſolum Regii, ſed & horum Principes ſiniſtre capiebant; ipſis inconſultis velut pro imperio diem deſignatam, quod utriusque partis conſenſu fieri decebat. Tum & mirum videbatur, diem permutandis inſtrumentis tam longe prolatum; congreſſus diem ita anguſto limite inclutum, ut vix duarum hebdomadarum ſpatium interponeretur. Id quod & ipſe Auſpergius abſurdum cenſebat; qui ad anticipandum permutationis diem paratum ſe oſtendebat. Sane utut omnia inſtrumenta tunc recte ſe habuiſſent; tamen à Salvio dies congreſſus Oxenſtiernæ ſignificandus; tum & huic iter ingrediendum, & uterque decoro paratu inſtruendus erat; præſidium quoque Oſnabruga deducendum: ad quæ omnia tantillum ſpatium non ſufficiebat. Id quod multo magis circa Gallicos Legatos locum habebat, & alios remotiores, ad quos ita cito diplomata circumitti non poterant, nedum ut ipſi dicto die Oſnabrugam aut Monaſterium accedere poſſent. Igitur ſuſpicio erat, id à Rege non alio fine factum, quam ut Regiis miniſtris anſam præberet propoſita à ſe abnuendi; quo ipſe invidiam protractæ pacis in hos devolvere poſſet. Id quod 17. Febr. Salvius Langermanno Regias literas tradenti in os exprobrabat. Nec omiſiſſent Miniſtri Regii Dano ſtatim reſpondere, ni aliunde affulgens boni ſucceſſus ſpes eos tantiſper attinuiſſet. Langermanno interim ſignificabatur; ſe dictum à Rege diem non averſari; quod ſi tamen Auſpergius citius ſe parare poſſit, Regi non adverſum fore, permutationem anticipent, eaque facta diem ordiendo tractatui nuncupent, prout Principibus ſuis, & aliis quorum intereſt id commodum judicaturi ſint.

Cæſarei ſeparatos tractatus captant. §. 40. Inter has moras Cæſarei ſeparatos tractatus apud utramque Coronam captare non ceſſabant. Eos Hamburgi Auſpergius Oxenſtiernio interprete Salvio proponebat, multa cum aſſeveratione, Suecos ni huc deſcendant, à Gallis utique aliquando illudendos. Circa conditiones tamen ejus pacis valde rectum ſe gerebat; ſimul id omne procul Gallorum notitiam habendum ferebat. Nec eo ſecius fama tota urbe vulgabat; Cæſarem malle ſeorſim cum Suecia, quam cum utroque Regno ſimul tranſigere. Quod ideo ſpartum de induſtria ab Auſpergio credebatur, ut Galli ſeparatam cum Cæſare pacem occuparent. Sed & Gallis accurate conſtabat, quid ſingulis diebus Auſpergius ageret, per ſacrificum Germanum, cujus opera Avauxius ante, nunc San-Romanus utebatur, qui familiariter cum Auſpergii Jeſuita verſabatur. Langermannum quoque Gallicis partibus Avauxius devinxerat, ut quid rerum Auſpergius gereret, fideliter referret. Ac fortaſſe ipſe Oxenſtius Gallica penſione illigatus erat, ut forte non adeo religioſe ſecretum ſervaret. Unde ſatius vilum San-
Quos Suedi adſpernantur. Romano ultro pandere, quid Auſpergius affectaret, quam ut ab aliis id reſciſceret. Qui candor Gallo valde probabatur. Rorteus tamen Gallicus Holmiæ miniſter ſolicitus, ne forte iſtis aures præberet Salvius, Rectores Sueciæ urgebat, interdicerent huic quævis cum Auſpergio ſecreta commercia. Hi quanquam antea Salvio permiſerant hac via Cæſareorum mentem ſuper conditionibus pacis expiſcari; tamen prætens rerum facies ſuadebat, iſta exploratione plane ſuperſederi, ne Gallis ulla ſiniſtre ſuſpicandi occaſio præberetur. Et ſatis patebat, id negotium ita ſecreto tractari non poſſe, ut non aliqua ad Gallos emanaret, ac ſemina diſſidentiæ in horum animis ſpargeret; id quod adverſæ parti unice quærebatur. Simul perſpiciebant, ſuis rebus nihil utilius, quam Gallorum amicitiam colere, quibus ſolis è reliquis ſociis tuto confidere poterant. Unde Salvio denuo injunctum, omnia ad communes tractatus rejicere; utque de ſua conſtantia Gallicos miniſtros ſecuros eſſe jubeat. Petierat quoque Auſpergius per Langer-
Auſpergius ſuſpectæ ſecuritatis literas petit. mannum, obtineret Salvius à Regina literas ſecuritatis, ut ipſe quinque aut ſex milliaria circa Hamburgum exſpatiari poſſit; pares Salvio literas à Cæſare offerens. Salvio id innoxium videbatur, quod nullus in vicinia locus eſſet, ubi plura in Succos machinari, quam Hamburgi poſſet. Simul utile judicabat, ſe eas literas à Cæſare accipere, quod is per has commorationem ſuam Hamburgi probaret; cum antea ſubinde Hamburgenſibus inſtitiſſet, ut ipſum & Gallicos miniſtros urbe amove-

1643. rent. Sed & San-Romanus cenſebat, id humanitaris Auriſpergio facile exhiberi poſſe; paresque à Galliæ Rege literas offerebat, ſi à Cæſare ſibi quoque
11. Febr. tales præſtarentur. Nec in Suecia ſuper his literis ſcrupulus occurrebat, quin ſtatim Salvio transmitterentur. Quia tamen Rorteus cenſuerat, rem exigui in ſe momenti ſuſpicionem in Gallia excitare poſſe, velut ſecretis congreſſibus occaſio quæratur, Salvius denuo caute jubebatur agere, & non citra San-Romani conſenſum. Quin nequidem ſi negotium ſuccederet, iſta licentia uti; quod Cæſarei ſi ipſum deprehenderint, manus injicere non ſint omiſſuri. Id tamen facile Auriſpergio annuebatur, ut literæ hinc inde miſſæ Lipſiam citra impedimentum tranſirent; cum in commune utilius eſſet, literarum commercia non turbari.

Cæſareorum ſecreta in Galliam miſſa. §. 41. Sed & in Galliam ſub finem ſuperioris anni miſſus fuerat Georgius Herberſteinius Monachus Dominicanus cum literis fidei à Trautmansdorfio ad Richelium; quo defuncto is codicillum Mazarino Cardinali offerebat; cujus inutio ſtudium Cæſaris circa pacem Orbi Chriſtiano reddendam, veteremque cum Gallia amicitiam inſtaurandam, tum avertendum à Catholica religione exitium multis extollebat, culpam eorum malorum à Cæſare amolitus, qui inteſtinis Germaniæ diſſidiis velut torrente abſtractus ſit. Memorabat inde, quod die per Luzovium ſtatuta partium deputati congreſſum non obierint, penes Gallos culpam eſſe, quorum nomine nemo Hamburgi comparuerit. Igitur Cardinalis apud Regem inſtaret, ut miniſtrum cum idoneis mandatis eo mitteret. In fine addebatur; ſe ſingularia nunc non tangere, quod Rex communi tractatui inhæreat, ac ſine dubio ſeparatam negotiationem adſpernetur. In Gallia graviter acceptum, ab iſto Monacho culpam protractæ pacis Cæſari detractam Gallis impingi. Unde dato reſponſo late oſtendebatur; penes Galliæ Regem non ſtare, quo minus Europa pace fruatur; ſed Viennæ deſiderium pacis in ſpeciem tantum per aliquot annos oſtentatum captandæ auræ populari. Tum falſo argui Kalendis Decembris neminem Galliæ nomine Hamburgi fuiſſe, cum Viennæ ſatis conſter poſt Avauxii diſceſſum San-Romanum Reſidentis munus obiiſſe. Id quod Rex Galliæ Daniæ Regi diſertis literis ſignificarit; à quo iſte pro publico miniſtro agnitus ſit. Denique Cæſarem non melius de ſtudio ſuo in pacem teſtaturum, quam ſi ocyus Hamburgi conventa impleat. Non opus habuiſſe Trautmansdorfium hac in Galliam miſſione; cum ipſe in manu teneat, quod tam procul quærat. Optime de bono publico meriturum, ſi Cæſari & Hiſpaniæ Regi perſuadeat, ut conventioni Hamburgenſi ſatisfaciant. Verum ultima codicilli verba ſat arguebant, ipſum ſecretos tractatus captaſſe. Unde & ſimul inſinuarat; ſi quidem communis pax non ita cito perfici poſſit, Cæſarem ſeparatæ cum Gallia paci pronum eſſe. Ferebant tamen Galli, iſta abrupte rejecta; de cætero humaniter habitum, & accepto reſponſo cum præſidio ad fines deductum. Iſta Chavignius ſtatim Salvio communicabat, oſtentando circa pacem Gallorum candori, & quod ſeparatos ſecum tractatus neque admittere, neque diſſimulare velint.

Rejicitur.

Prævia conventio tandem permutatur. §. 42. Interim Batavi formula diplomatum, quam Hiſpani exhibuerant, adquieſcere ſe ſignificarant, de quo San-Romanus dubitaverat ob clauſulam ambiguam & obſcuram; *non permitterent, ut ipſis tam in itu, quam in reditu quidquam moleſtiæ aut impedimenti adferatur.* E Gallia quoque San-Romanus jubebatur, ſi res ipſa in adverſæ partis inſtrumentis recte ſe habeat, apices non morari; ut tamen omni modo id ageret, quo Hiſpanica ratihabitio cum inſerto prævio pacto exhibeatur. Igitur cum quæ in diplomatis tuti itineris deſiderarentur, rem ipſam parum tangerent, illis adquieſcebat. Sed quia diploma pro Reſidente Succico Monaſterii decrat una cum ſolenni ratificatione; huic defectui ſupplendo Auriſpergius ſat plauſibilia temperamenta proponebat, multa de promtitudine ſua jactans, & inutilis moræ Regios arguens. Unde quo res tandem finem ſortiretur, nec Regii in mora eſſent, cum ſerum foret ratihabitionem ex Hiſpania afferendam, aut Cæſaream ex vi mandati Vienna expectare, aut Daniæ Regis ſponſionem expoſcere, Salvius San-Romano perſuadet, ut Auriſpergius citra exceptionem ſcripto ſe adſtringat ad ea, quæ deſiderabantur, inſtrumenta intra initium tractatuum exhibenda. Hinc de die auſpicandis tractatibus agi cæptum; quem Regii non niſi poſt tres menſes à permutatione inſtrumentorum conſtitui poſſe cenſebant; de quo & in mandatis habebant; & tanto ſpatio opus erat, ut omnibus quorum intererat ſignificatio rite fieret: Auriſpergio fruſtra clamitante; nil aliud quæri, quam ut labente interim magna æſtatis parte judicari queat, quo ſe belli alea datura ſit. Ita tandem finem obtinebat præliminaris negotiatio, & omnia inſtrumenta ex condicto permutabantur. Rectores Sueciæ, ne qua nova mora foret, Salvium mutata diplomata acceptare juſſerant. Aſt ille, antequam ea literæ advenirent, utraque diplomata, vetera & mutata, tradi ſibi curaverat, ne omiſſis quidem illis, quæ pro Luneburgica Domo poſtulata fuerant, etſi illis non amplius opus eſſet; cum ipſa pacto Goslarienſi ſtipulata eſſet, ut iſtis tractatibus ſibi adeſſe integrum foret. Gallico miniſtro Auriſpergius caverat intra initium tractatuum Hiſpanicam ratihabitionem adfore, exhibita interim ea, quam Cæſar procuratorio nomine confecerat. Dies auſpicandis principalibus tractatibus Kalendæ Julii ſtatuebantur, ſuper quo ſcripta conventio à Cæſareo & Regiis miniſtris perficiebatur. Eo negotio confecto Auriſpergius inſigne præ ſe gaudium ferebat, celeribus nuntiis eo nomine Viennam, & Francofurtum ad Mœnum miſſis. Sincerior apud Suecos lætitia; Langermannus pro navata opera à Regina torque donabatur. Tunc demum Salvius ad Regis Daniæ literas undecimo Februarii ſcriptas reſpondet; etſi pars adverſa quæ debuerit non præſtiterit: tamen in honorem Regis, & amore pacis temperamentum admiſſum. A Rege deſignatos dies lubenter admiſſurum fuiſſe; Sed cum temporis ratio aliquam mutationem requiſiverit, Regem non ægre laturum, quod unus dies anticipatus, alter prolatus fuerit. Cæterum quia hoc tempore ob ingraveſcentem Regis Galliæ valetudinem magna rebus mutatio imminere metuebatur, velut cum morte ipſius Succico fœdere expiraturo, ut jam nemo mercatorum Hamburgi in ipſem ſubſidiorum Gallicorum pecuniæ quid credere vellet: Salvius Sueciæ intereſſe cenſebat, ſi difficillimæ leges pacis in anteceſſum cum Auriſpergio præformarentur, antequam Oſnabrugam iretur, declinandæ etiam mediatoris iniquitati: ita negotiationem in compendium redigi poſſe. Enimvero id Rectoribus Sueciæ diſplicebat, quibus fixum erat, cum Gallia ſimul bellum gerere, ac finire. Fortaſſe Galliæ res mutationi obnoxias; ſed præſentius malum, quod nihil ſinceri ab hoſte obtineri queat. Rege licet extincto rationes Regni non expirare: nec defuturos patriæ amantes, qui Regis & Richelii conſilia ſint perſecuturi; imo quos ad eadem arripienda neceſſitas compulſura ſit, ni patriam è ſummo, quo nunc ſplendeſcat, faſtigio in ruinā pertrahere velint. Cæſarea Ratificatio

1643. 1643.

23. Mart. 1. Jul. 25. Mart. Salvius mutationem rerum timet.

Pacti

1643. Pacti Præliminaris his verbis concepta erat: *Ferdinandus* III. *&c. agnoſcimus & notum facimus, tenore præſentium, Univerſis, quod cum inter Conſiliarium noſtrum Imperialem Aulicum, Conradum à Lutzow ſpeciali mandato inſtructum, pro Nobis & Sereniſſimo Hiſpaniarum Rege Catholico, Conſobrino & Fratre noſtro chariſſimo ex una, ac Sereniſſima Regina ac Regni Suecia Legatum & Aula Cancellarium, Joannem Adler Salvium, ex altera, partibus, conventio, quoad Præliminaria Pacis Univerſalis Hamburgi 25. Decembris anni proxime elapſi, milleſimi, ſexenteſimi, quadrageſimi primi, in eum, qui ſequitur, modum, concluſa fuerit (Tenor Conventionis ad verbum.) Nos perinde nihil in Nobis deſiderari cupientes, quod ad tam ſalutare pacis negotium promovendum pertinere ullo modo poſſit, præinſertam Conventionem per omnia confirmavimus, ratihabuimus, & approbavimus, prout vigore præſentium confirmamus, ratihabemus, & approbamus, non contra facturi Nos Ipſi, neque ut ab aliis quicquam contra fiat, permiſſuri. In cujus rei fidem haſce, manu noſtra ſubſcripſimus, Sigilli noſtri Cæſarei impreſſione muniri juſſimus. Quæ dabantur in Civitate noſtra Vienna, die vigeſima ſecunda Menſis Julii, anno Domini milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Romani ſexto, Hungarici decimo octavo, Bohemici vero decimo ſexto.*

FERDINANDUS.

FERDINANDUS COMES CURTIUS.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

JOAN WALDERODE.

Renovata Cæſaris Ratificatio talis erat. *Ferdinandus* III. *&c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, & quomodolibet intereſſe poteſt, notum teſtatumque facimus, cum ad aures noſtras pervenerit, circa Ratificationem ſuper conventione quoad Præliminaria ad Tractatum Pacis Univerſalis inter Conſiliarium noſtrum Imperialem Aulicum, Conradum à Lutzow, ſpeciali mandato inſtructum, pro Nobis & Sereniſſimo Hiſpaniarum Rege Catholico, Conſobrino, Affine & Fratre noſtro chariſſimo, ex una, & Sereniſſima Regina Regnique Suecia Aula Cancellarium & Legatum, Joannem Adler Salvium, ex altera parte, Hamburgi, vigeſima quinta Decembris anni proxime prateriti, concluſa, à Nobis vigeſima ſecunda Julii nuperi expeditam ſcrupulos ac dubia nonnulla excitata fuiſſe, Nos declaraſſe, prout præſentium tenore declaramus, non fuiſſe, nec eſſe aliam mentem vel intentionem noſtram, quam prælibatam Conventionem in omnibus ſuis Punctis, clauſulis & articulis, quantum per rerum naturam licuit & licet, confirmare & ratificare, prout adhuc, & tenore præſentium, autoritate Imperiali, omni meliori modo ex ſuperabundanti confirmamus & ratificamus; ad terminos vero, tam extradendis Salvis Conductibus, aliisque Inſtrumentis, quam Congreſſui ipſi aſpicando præfixos, quod attinet, cum ii tempore Ratihabitionis, dicto videlicet vigeſimo ſecundo Julii à Nobis expedita, pridem elapſi fuiſſent, atque idcirco confirmari non poſſent, illi defectui (per quem tamen cætera utilia nequaquam viriari aut inutilia reddi poſſe, explorati juris eſt) ſupplendo non tantum Conſiliario noſtro Imperiali Aulico, & pro tempore ad accommodanda Præliminaria Pacis deputato Legato, Magnifico, noſtro & Sacri Imperii fideli Dilecto, Joanni Vescardo, Comiti in Auersberg, Libero Baroni in Schan & Seiſſenberg, Ducatus noſtri Carniola ſupremo hæreditario Mareſchallo & Camerario, in mandatis dediſſe, ut de aliis terminis præfigendis cum altera parte vel partibus quantocyus conveniret, verum etiam Sereniſſimum Regem Daniæ & Norwegiæ ad hanc rem promovendam benevole requiſivisse: Prout Serenitas ſua amice fecit, quantumque in ſe fuit, ſtudium & operam in hoc ſuam Reſpublicæ præſtitit, adeoque inter Partes de Termino ad extradendos Salvos Conductus, & alia Inſtrumenta de novo conventum fuit. Ac tametſi quidem de his omnibus publice notiſſimum ſit, attamen ex ſuperabundanti de hac mente, intentione & voluntate noſtra teſtatum facere voluiſſe, & facere, cum hac inſuper declaratione; quod quicquid per præfatam Conventionem concluſum fuit, & imposterum quoad hac præliminaria à dicto Legato noſtro concludetur, id totum firmum & ratum apud Nos erit, & debite executioni demandabitur, harum vigore literarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigillo noſtro Imperiali munitarum. Quæ dabantur in Civitate noſtra Vienna, die decima quinta menſis Decembris Anno Domini milleſimo, ſexenteſimo quadrageſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum, ut ſupra.*

1643.

Regis Galliæ Ratificatio hæc erat. *Loüis par la Grace de Dieu, Roy de France, & de Navarre, à tous ceux, qui ces preſentes Lettres verront, Salut. Ayans veu en noſtre Conſeil la declaration faitte par noſtre aymé & feal Conſeiller en nos Conſeils, Commandeur de nos Ordres & noſtre Ambaſſadeur extraordinaire en Allemagne le Sr. Comte d' Avaux le 25. Decembre, mil ſix cents quarante & un, ſur le Traitté conclu le même jour, touchant les Preparatoires à la Paix par l'entremiſe de noſtre tres-cher & tres-aymé bon Frere, Couſin, Allié, & Confederé, le Roy de Dannemarck, entre le dit Sr. Comte d' Avaux & les autres Ambaſſadeurs y denommez, de laquelle Declaration la teneur s'enſuit. (tenor Declarationis ad verbum) Sçavoir faiſons, que pour le deſir, que Nous avons, de voir une bonne Paix & Tranquillité eſtablie dans la Chreſtienté, Nous avons agreé, Approuvé, ratifié, & Agreons, & ratifions par les preſentes ſignées de noſtre main la dite Declaration faite par noſtre Ambaſſadeur extraordinaire, voulons obſerver, & executer tout ce, à quoy il s' eſt obligé en Noſtre Nom par icelle; Car tel eſt noſtre plaiſir. En teſmoin de quoy Nous avons fait mettre noſtre Seél à ces dites preſentes. Donné à Valence le 26. jour de Fevrier l'an de Grace Mil ſix cents quarante, & de noſtre Regne le trente deux.*

LOUIS.

par le Roy.

BOUTHILLIER.

De initio tractatuum Ordinibus Imperii ſignificandi.

§. 43. Viſum inde, à Legatis Suecicis ſuper ordiendo pacis tractatu Ordinibus Imperii ſignificari; non quod ea res illorum notitiam fugeret, ſed teſtando Reginæ affectui, curæque, ac tractatum illum non Sueciæ ſolum, ſed & ipſorum commoda ſpectare. Et quia Oxenſtierna tunc in Pomerania agebat, Salvius ſuo tantum nomine eam denuntiationem facere jubebatur, quæ poſt ab utroque Legato junctim repetenda eſſet. Is igitur prolixe memorabat, quanto labore per ſeptem annos opus fuerit, quoad tandem poſtulata diplomata extunderentur. Quod ſi Regina fœderatos ac ſacrorum ſocios ut deſtitueret in animum inducere potuiſſet, rem facile ac dudum confectam fuiſſe. Sed quia Ipſa publica privatis antepoſuerit, ac aliorum cauſam non minus quam ſuam cordi habuerit, ſimul quia ita decebat, incommoda belli hactenus per virtutem & conſtantiam ſuperanda fuiſſe. Nunc indicto Oſnabrugæ & Monaſterii conventu, ne quispiam, quem hoc bellum ullo modo ſpectat, prætereatur, communia diplomata à Cæſare impetrata, quorum exempla deinceps transmittenda ſint. Id ſe in anteceſſum Ordinibus ſignificare, ut ſi & ipſi calculum ſuum reducendæ paci addere velint, Legatos ſuos mature inſtruere, alioſque ad eadem hortari queant. Ni externa Germaniæ pax junctim cum interna tractetur, neutram obtentum iri; eamque longe atrociore cum exteris

ed by Google

1643. exteris bello, quam nunc implicandam. An autem novum bellum ſit idoneum medium veteri bello extinguendo penes illos judicium eſſe, qui præteriti temporis experientiam ceperint. Reginam uti hactenus cauſam publicam ſummo ſtudio propugnaverit, ita & deinceps nihil reliqui facturam, quo omnes & ſinguli honeſta ac tuta pace potiantur. Nec minus ſtudium promovendi tra-
Cæſar ſtudium pacis præ ſe fert. 25. April
ctatus Cæſar præ ſe ferebat, Gallaſio per literas injungens, curaret, ut diplomata ab ſe, & Hiſpania Rege data militi ſacroſancta habeantur. Qui & ſtatim id juſſum Cæſaris prævio tubarum ac tympanorum clangore per caſtra, ac Cæſarea paſſim præſidia promulgabat. Id & monente Aurſpergio Torſtenſonius à Regina facere jubebatur. Salvi Conductus Cæſarei pro Legatis Suecicis formula. *Ferdinandus* III. *&c. Univerſis & ſingulis noſtris & Sacri Romani Imperii Principibus, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus, Electoribus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Caſtellanis, Capitaneis, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Gubernatoribus, Locumtenentibus, Rectoribus, Magiſtratibus, Exercituum Ductoribus, cumprimis equeſtrium, quam pedeſtrium Copiarum, Tribunis, Capitaneis, Vexilliferis, Centurionibus, aliisque quacunque munera atque militaria Officia gerentibus, Burgimagiſtris, Conſulibus, Paſſuum, Pontium & Portuum quorumvis cuſtodibus, ac Claſſium, ac huarumcunque navium Prefectis, Urbium item & locorum, terrarum, Communitatum Officialibus, ac cæteris quibuscunque noſtris, & Sacri Imperii, Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus Dilectis, Gratiam noſtram Cæſaream & omne bonum. Mandamus & præcipimus Devotionibus & Dilectionibus veſtris, & Vobis, ut quos Sereniſſima Princeps, Domina Chriſtina, (cum titulo) & Regnum Suecia Plenipotentiarios Oſnabrugam, ut Tractatibus Pacis inter Nos, & Sacrum Imperium, noſtroſque Socios & Adherentes ex una, & dictam Sereniſſimam Reginam & Regnum Suecia, Ejusdemque Confœderatos & Adherentes ex altera Partibus, inſtituendis interſint, jam deſtinavit, vel deſtinatura eſt, illuc proficiſcentes, per omnia territoria ac loca Poteſtati ac Juriſdictioni ſua ac veſtra ſubjecta, una cum comitibus, Familiaribus, famulis, equis, curribus, rebus, ſarcinis ac ſcripturis, quas ſecum habituri ſunt, libere, tuto, ſecure atque expedite ire, tranſire, recedere ac redire ſinant & ſinatis, nec permittant, nec permittatis, ut Ipſis velin itu, vel in reditu, & quamdiu ibi Oſnabrugæ fuerint, quicquam periculi, moleſtiæ, aut impedimenti afferatur, quin potius, quibuscunque rebus poterunt & poteritis, ſi neceſſitas vel Ipſi ita poſtulaverint, juvent & juvetis. Mandamus quoque, ut Curſores, nuncii & tabellarii, qui vel Oſnabrugam ad dictos Commiſſarios mittentur, vel inde ab ipſis Monaſterium, aut alio expedientur, durantibus hiſce Tractatibus, libere, ſecure, tuto atque expedite ire, proficiſci, tranſire ac redire ſinant ac ſinatis. Spondentes fide & verbo noſtro Cæſareo, nullo Nos modo commiſſuros, ut per Nos & noſtros Nubiſve Adherentes dictorum Plenipotentiariorum ſecuritas, libertasve ulla ratione turbetur, quin potius jam nunc ſerio ac ſtricte mandamus omnibus & ſingulis Juriſdictioni noſtræ ſubjectis ne cuiquam ex ſupradictis ullavia auſint contravenire. Hac in re Devos. & Dilec. Veſtra & Vos, peragent & peragetis benignam, ſeriam atque omnimodam noſtram voluntatem. Harum teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum. Datum in Civitate noſtra Vienna, die vigeſima octava Menſis Januarii, anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum, Romani ſexto, Hungarici decimo ſeptimo, Boemici vero decimoquinto.*

FERDINANDUS. &c.

§. 44. Mittebatur inde à Cæſare Joannes Cranius Conſiliarius Aulicus, qui oppida tractatibus deſtinata juramento Cæſaris tantiſper exſolveret, & extra commercia belli poneret. Id quod Monaſterii ſolenniter & citra difficultatem peractum, quod ſuo tantum milite cuſtodiebatur. Sed circa Oſnabrugam Succico præſidio inſeſſam nonnihil difficultatis movebatur. Equidem aderat à Cæſare diploma tuti itineris pro præſidio inde educendo. Miſerat quoq; Torſtenſonius mandatum ad Salvium pro Borgſtorfio tribuno oppidi præfecto, ut inde excederet. Idem juſſum nuper renovatum in itinere interciderat. Interim Guſtavus Guſtavi F. cui ejus præſulatus adminiſtratio, redituſque, ſimul oppidi præfectura delata fuerat, Oſnabrugam pervenerat; qui priori Torſtenſonii juſſui parere abnuebat, velut ad ſe non directo, donec novum à Regina, aut Torſtenſonio acciperet; quicquid Salvius ingereret, in Succia, cum præfectura oppidi ipſi deferretur, de abſolutis præliminaribus; ac Torſtenſonio, cum id juſſum ſcriberet, de collata ipſi præfectura nondum conſtitiſſe. Inprimis Petriburgo cedere abnuebat, in quod ſe recipere decreverat ſexaginta ſatellitibus ſtipatus. Nam ceſſante licet in præſidium oppidi præfectura, adminiſtrationem Epiſcopatus per prævium pactum ſibi relinqui. Ac revera anceps videbatur tanti momenti locum amittere, antequam de tractatuum ſucceſſu certo conſtaret. Unde proponebat Salvius, ut Guſtaviſonius ad obſervandam neutralitatem ſcripto ſe obſtringeret, aut pontem inſuper, quo ex arce oppidum aditur, demoliretur. Enimvero contendebant Cæſarei, æque ac Dani, eam arcem, quæ oppido imminebat, non aliis quam oppidanorum cuſtodibus obtinendum. Alias neque Cæſarem neque reliquos ei oppido Legatos ſuos credituros. Quanquam enim in prævia conventione circa deductionem præſidii ſolius oppidi, non Petriburgi, mentio facta erat; tamen quia iſthæc arx circa reductionem præſidii tractatu incaſſum ſoluto exprimebatur; conſequens erat deductionem præceſſiſſe, ſi reductio locum haberet. Qua ſuper re aliquoties ad Salvium ſcribebat Daniæ Rex, miſſo & Conſiliario ſuo Franciſco Stapelio, qui multis demonſtrabat, quanta invidia in Succos eſſet redundatura, ſi tam ſolicite ab ipſis deſideratum pacis negotium ideo adhæreſceret. Igitur quod Torſtenſonius longius abeſſet, res ad Rectores Sueciæ relata, qui ſtatim imperant, præſidium tam ex arce, quam urbe deducendum. Ita hæc res in menſem Julium extracta.

1643. Loca tractatuum juramento exſolvuntur. 19. Mart.

Difficultates circa deducendum Oſnabrugæ præſidium.

§. 45. Nec ideo tamen nulla tractatui remora, quod omnium partium Legati ita ſe gererent, ut conventum diem haut ita accurate obſervatum iri liqueret. pateret. Equidem à Cæſare Cranius mature Monaſterii aderat, adornandis Legatorum diverſoriis. Quo fine & à Daniæ Rege Cancellarius Lippius Glucſtadio Oſnabrugam præmittebatur. Rorteus 23. Jun. quoque hactenus in Suecia, nunc ad Oſnabrugenſes tractatus Reſidens Hamburgi adpulerat, ſub initium Julii Oſnabrugam iturus. Sed & San-Romanus propediem Monaſterium ſe conferre decreverat. Ita quidem inferiorum graduum miniſtri paulatim aderant. Sed de principum Legatorum acceſſu nihil dum audiebatur. Equidem Joannes Oxenſtierna Sueciæ Legationis caput è Pomerania ſat mature Wiſmariam ſe contulerat, poſt pau- 22. Maji. corum dierum moram recta Oſnabrugam iturus. Cui à Regina injunctum erat, comitatum reliquumque paratum modeſte adornare, quod nimius ſplendor vanitatis ſpeciē habeat; ac præſtet modico uti comitatu, ſed bene culto, quā diffuſo nimis, pellucente quandoque inopia. Sed quia de Cæſareis, Gallis, Danisve nihil dum auditum fuerat,

Legati de iter moliuntur.

idem

1643. 30. Jun. idem poſt pluſculos dies Lauenburgum proficiſcitur; ubi cum Salvio congreſſus commorari ibi ſtatuit, quoad de aliorum Legatorum, cumprimis Danorum, acceſſu conſtaret. Eadem & reliquis mens erat, in alios reſpicere, ac lente feſtinare, ne diu incaſſum expectare neceſſum foret, proſtitura Principum ſuorum dignitate; nec tamen ita ſegniter movere, ut culpa retardati tractatus in ipſos devolvi poſſet. Sane Suecicis Legatis diſerte injunctum erat, ne Oſnabrugam primi accederent, nemine alio præſente irriſui futuri.

Cauſam ſuam commendat Elector Palatinus. 8. April. §. 46. Spe tractatuum ita propinqua, illi quorum intererat cauſam ſuam commendare Legatis incipiebant. Quos inter Elector Palatinus ab Oxenſtierna petierat, ut cauſa ſua, cui tranquillitas publica non parum inniteretur, diſerte tractatui pacis inſereretur: Id quod & ab Agnato ſuo Carolo Guſtavo Palatino contendebat, ut eandem Reginæ & 9. Maji. Senatui de meliore nota commendaret. Quæ quantum in ſe ample promittebat; monito tamen, ut Elector apud Reges Galliæ, ac Daniæ ac Imperii Ordines itidem inſtet, ut ea in cauſa operam ſibi ſuam jungant, ne ipſa in tam difficili negotio ſola deſtituatur; ac tota invidiæ moles ſibi incumbat, velut ſola Palatinatus reſtitutionem moliri audeat; cum Suecorū facta jam antea calumniis ſint ſatis obnoxia. Ita quidem Palatinus cauſam ſuam utiq; communi in tractatu diſceptari cupiebat; quo & Cæſar eandem traditis diplomatis remiſiſſe videbatur. De quo ipſo Elector apud Conventum Francofurtenſem inſiſtebat. Etſi Bavarus id omnibus modis impedire conaretur, perſuaſo Francofurtenſi conventu, ut à Cæſare peterent, peculiarem tractatum inſtaurari, qui ad id pronus Calendas Octobris ſtatuebat, quo ea res ante tractatus communes deciderētur. Scripſerat quoque idem ad Daniæ Regem, ut ea cauſa ad peculiares tractatus remitteretur; jactans ea diplomata à Cæſare adhibita eſſe tantum, ut Gallis & Suecis acriter contendentibus ſatisfieret; nec ibi expreſſum ut illa cauſa utique Oſnabrugæ deciderētur. Quaſi ideo Palatinis data forent diplomata, ut alienæ fabulæ otioſi adſiderent ſpectatores. Id quod ne Regina permitteret Palatinus 18. Aug. literis perebat. Ac Daniæ Rex ad Electorum literas reponebat: ſibi fas non eſſe Palatinum ad peculiares tractatus in aula Cæſarea remittere declinandæ Gallorum ac Suecorum ſuſpicioni, ſi ea cauſa, unde præcipuus diffidentiæ fons, præteriri, ac ſeparatos ad tractatus trahi debeat. De immediata Nobilitate in Pragenſi pace tam circa amneſtiam, quam ſacra mentio facta erat. Sed dum Palatina, Durlacena, & Mansfeldica actio excipitur, plurimi ejus ordinis excluſi erant. Non pauci etiam ex eo tempore Suecorum partes ſecuti fuerant; quorum ſi nulla in pace mentio fieret, metuebant, ne in ipſos deinceps faba cuderetur. Sed & circa libertatem ſacrorum Pirnenſis formula de ſubjectis eorum diſerte expreſſerat; quod Pragenſi pace mutatum ſubſtituta clauſula; *prout pax eligioſa fert.* Cujus pacis verba & jam dudum, & edicto illo Cæſareo anni viceſimi nom haut parum detorta fuerant. Unde verebantur, ni ſibi caveatur, fore, ut nec illi quorum bona publicata fuerant, reſtituerentur, & plures fiſco adſcriberentur; cæterorum ſacra mutarentur. Eoque à Regina per literas petebant, Legatis ſuis injungeret, ut ipſorum cauſam ſuſcipiant, ne ſibi per ſecreta pacta, aut reſervata periculum damnumve creetur.

Ut & Immediata Nobilitas.

De morte Regis Galliæ nuncio nuncupatur. 7. April. 4. Maji. §. 47. Inter hæc Galliæ Rex Ludovicus XIII. cum extrema ſibi imminere ſentiret, Reginæ adminiſtrationem Regni, & tutelam Filii cognominis commendaverat, cui certum Conſiliū ſuper ſummа rerum circumponebat. Inde quarta die Maii hora ſecunda pomeridiana, qua die, horaq; ante triginta tres annos pater ipſius confoſſus fuerat, animam exhalabat, veneno, ut medici judicabant potionatus. Ejus mors à novo Rege Ludovico XIV. & Matre Regente Anna Auſtriaca Reginæ Sueciæ per literas nuntiabatur; quarum initio etſi fœderis mentio facta eſſet; tamen ſequentibus verbis cum operam ſuam circa communem cauſam, pacisque inſtaurationem offerrent, de fœdere ſilentio involverant. Quo innui videbatur, Gallos quidem ad cauſam communem operam navaturos, ſed ut fœdere ſtringi nolint. Ac ſcribebat Grotius è Gallia; ſe ex omnibus colloquiis cum Miniſtris Regiis obſervaſſe, ipſos cupere, ut Suecis non aliter perſuaſum ſit, quam Gallos conſtanter fœdere ſtaturos; de induſtria tamē tam ſcripto quam ſermone declinare diſertam de obſervando fœdere mentionem, ut à morte Regis integrum ipſis ſit fœderi inhærere, aut decedere, prout ex uſu videretur. Ea res Rectoribus Sueciæ non mediocrem ſcrupulum injecit, eoque neceſſarium viſum à novo Rege ejus fœderis confirmationem poſtulare. Etſi Gallici Miniſtri de iſtius continuatione dubitare fas non eſſe confirmabant, quod id non inter Reges ſolum, ſed & Regna, & ad certum tempus concluſum ſit. Unde & ſubſidia in tempore ſolvenda, & Guebrianum divertendæ à Suecis hoſtium moli rem geſturum. Sed mox Galliæ Rex monitus fœdus firmabat ſolenni inſtrumento, cui tamē ipſa fœderis formula inſerta non erat. Ea in ratificatione nonnihil ſcrupuli injiciebant ea verba; *nos id adprobavimus, in quantum opus eſt, aut erit.* Quæ verba tamen San-Romanus ita explicat. *in quantum opus eſt Regina Suecia, non Regi Chriſtianiſſimo*; velut aſſatim cavere velit Rex Reginæ; haut quaquam autem ipſe aliqua duntaxat parte obligationis defungi, aut fidē commodo ſuo metiri. Quæ ſcrupuloſitas ideo non ſupervlua videbatur, quod Grotius monuiſſet; in Gallia magnos eſſe cavillatores. Mazarinus quoque confirmabat, ob mortem Regis in conſiliis Gallicis nihil mutatum iri. A Rectoribus Sueciæ ſimili inſtrumento fœdus Gallicum firmatum. Confirmationis tam Sueciæ quam Gallicæ formulam heic adponere placet. *Nos Chriſtina, &c. conſtare volumus Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, quod, cum divino Numini viſum fuerit, de mortali vita Sereniſſimi quondam ac Potentiſſimi Principis, Fratris, Conſanguinei, & Fœderati noſtri Chariſſimi, Domini Ludovici XIII. Francia & Navarra Regis Chriſtianiſſimi, laudatiſſima recordationis, nuper diſponere, atque in paternum deinceps ſolium Regnumque collocare Sereniſſimum itidem ac Potentiſſimum Principem, Fratrem, Conſanguineum & Fœderatum noſtrum chariſſimum, Dominum Ludovicum XIV. Francia & Navarra Regem Chriſtianiſſimum, Nos, ſicut Fœdus, quod nobis cum vivo Domino Parente & Prædeceſſore ſuo Sereniſſimo, Regnoque Gallia interceſſit, ſancte ſemper coluimus, ita cum moderno Rege filio dilectoque Regno id ipſum in ejus Sereniſſimam propagatum pari conatu ac propoſito ſervare decrevimus. Quanquam vero non modo inter Reges, ſed Regna quoque ipſa Suecia & Gallia fœdera mutuo ſancita ſint, ut omnino illibatus ipſis vigor conſtare debeat, non obſtante, ſi quid alteri Fœderatorum humani accidat; cum tamen moderno Chriſtianiſſimo Regi, eiuque Sereniſſimæ Domine Matri Regenti, Sereni noſtra chariſſimæ placuerit, Fœderis, ac nominatim Anno 1641. cum poſtremo percuſſi renovatique, tabulas ſingulari inſtrumento, quoad opus eſt vel erit, approbatas confirmare, Noſque certiorare, de conſtanti ſua Sereniſſimæ animo ac propoſito, in Fœdere Nobiſcum, Regnoque noſtro perſiſtendi, Idcirco, quo luculentius conſtet ſuæ Sereniſſimæ certiorque illa eſſet de noſtra ſententia atque Propoſito inſiſtendi fœderibus mutuis, quorum poſtremum Anno 1641. die ultima menſis Junii inter Legatos utrinque noſtros tractatum, renovatum, ac concluſum, nec non die 20. proximè ſequentis Julii ejuſdem anni à Nobis ſolenni inſtrumen-*

1645. Fœdus inter Sueciæ & Gallos confirmatur.

1643. *to confirmatum fuit; Nos dictum fœderis tractatum, singulosque ejusdem Articulos, quoad opus est aut erit, approbavimus, & ratihabuimus, prout tenore vigoreque præsentium illum illosque approbamus & ratihabemus, fide verboque regio promittentes, Nos illum illosque servaturas, nec passuras, ut à Nostratibus ullo modo violetur aut violentur. In quorum majorem fidem præsentes sigillo Regni nostri, nostrorumque ac Regni Suecia respective Tutorum & Administratorum manuum subscriptione roboravimus. Dabantur in Regia nostra Stockholmensi die vigesima octava Julii, Anno supra Millesimum, sexcentesimum quadragesimo tertio.*

Petrus Brahe. Gustavus Horn. Claudius Flemming. Axelius Oxenstierna. Gabriel Oxenstierna.

Louis, par la Grace de Dieu, Roy de la France & de la Navarre, à tous ceux, qui ces presentes lettres verront, salut. Nostre intention etant de demeurer avec les Amis & Alliéz de cette Couronne, qui ont concurru, avec le defunct Roy nôtre tres-honoré Seigneur & Pere au bien & repos de la Chrétienté, Nous Nous sommes fait representer en nôtre Conseil, la Reine Regente nôtre tres-honorée Dame & Mere y étant presente, les Traitez d'Alliance, que le defunct Roy nôtre Seigneur & Pere à fait durant sa vie avec divers Roys, Princes & Etats, & entre autres le dernier fait entre luy & le Royaume de France d'une part, & nôtre tres-chere & tres aimée Sœur, Cousine & Alliée, la Reine de Suede & la Couronne & Royaume de Suede, d'autre, le dernier Juin 1641. ratifié, par le defunct Roy, nôtre tres-honnoré Seigneur & Pere le 12. Aoust 1641. Lequel Traité, & un chacun des Articles d'iceluy ayant été leuz en nôtre Conseil, Nous l'avons de l'advis de la Reine Regente, nôtre Dame & Mere, autant que besoing est, ou serois approuvé, agreé, ratifié & confirmé approuvons, agreons, ratifions & confirmons par ces presentes signées de nôtre main. Promettons en foy & parole de Roy, de l'observer & executer inviolablement sans y contrevenir, ny permettre, qu'il y soit contravenu de nôtre part en quelque façon & maniere, que ce soit, directement ou indirectement. Car tel est nôtre plaisir. En Tesmoing de quoy Nous avons fait mettre nôtre seel à ces presentes. Donné à Paris le 20. jour de Juin l'an de Mil six cent quarante trois & de nôtre Regne de premier.

LOUIS.

Par le Roy, la Reine Regente, sa Mere presente.

BOUTHILLIER.

21. Jul. / 31. Maji. Sed & Regina Regens ultro prævium conventionem, & omnia diplomata probabat, idque instrumentum Hamburgum ad San-Romanum mittebat, qui id statim Regi Daniæ Glucstadii reddendum curabat. Porro quanquam Cæsar literis ad Reginam Galliæ consolatoriis confirmasset, quæ cum defuncto Rege super tractanda Monasterii pace convenissent, rata fore, denuo transmissis pro legatione Gallica diplomatibus; multi tamen asseverabant, ex Hispania nullos Legatos adfore, ac Cæsarem Hispani negotia ex mandato acturum. Quin credebant multi, Monasterienſem tractatum inanem fore, Hispanis in bellum magis quam pacem pronis. Id quod & sententia à Burgundo in Conventu Francofurtensi dicta innuebat. Ea tamen consilia, si quæ fuerant, clades ad Rocrojum immutaverat. Certe Aurspergius, quæ de Hispanorum emansione fama ferebat, constanter inficiabatur. Et Antonius Brunus literas tuti itineris à Salvio postulabat, obtinebatque.

Aurspergius denuo de separatis tractatibus mones.

§. 48. Haut minus tamen Aurspergius ingens desiderium cum Salvio colloquendi ostendebat. Ac percontatus erat à Rectoribus Sueciæ Salvius post permutata instrumenta, num oblatam ab Aurspergio visitationem admittere debeat. Cui responsum fuerat; prius quæreret, num & junctim San-Romanum apud se invisurus sit: solitarium colloquium declinaret. Si tamen acriter instet, rem cum San-Romano communicet; qui vix videatur abnuere posse congressum, præter inania verborum nil habiturum. Caute tamen ageret, nec Gallis suspicionem moveret. Sed quia San-Romanus non obscure innuerat, ea colloquia sibi parum probari, nimirum & ille congressus repudiandus erat. Ita exclusis colloquiis Aurspergius, per Medicum quendam Lusitanum, religione Judæum, Francisci de Melos quondam præceptorem, Salvio aureos montes pollicetur, si peculiarem tractatum acceptare velit, multa ostentans, quæ sperari metuique possint. Mi- 12. Maji. thobius quoque apud Salvium literas fidei à Francisco Carolo Lauenburgico Duce proferebat, ut ipsum Reginæ commendare velit ad obtinendum Mindensem Præsulatum. Idem Henrici Julii Ducis nomine insinuabat; si Regina Domum Palatinam, Bohemos, ac ditionum hæreditariarum incolas destitueret, de Pomerania ipsi cedenda dubium non fore. Nec deerant, qui hæc post Galliæ Regis mortem non repudianda censerent. Regina Re- Suspectus gens Hispaniæ Regis, & Augustæ soror erat. Ea Gallis ſtapost obitum Regis ultra ipsius dispositionem ampliorem potestatem acceperat, ut majori suffragiorum parti non adstringeretur. Quid consiliorum Aurelianensis Dux, & Condæus hactenus agitassent, non obscurum erat. Reliqui consiliarii ab ipsa negligi cæperant, quibus & duos sibi addictissimos adjunxerat, Præsidem Baileulium, & Episcopum Bellovacensem. Chevreusiæ & Castronovano, quos inter extrema adhuc Rex proscripserat, in aulam redire permissum. Tum & Guisia Domus iterum caput efferre, Jesuitis mancipata, Evangelicis infestissima. Quæ omnia de constantia consiliorum Gallicorum suspicionem injiciebant, ac ut facile inter fratrem & sororem conveniret, quicquid de sociis fieret. Accedebat, quod hactenus Hispanorum Viennæ Legatus Ordinarius Castel-Rodrigus, cum per Saxoniam inferiorem in Westphaliam tenderet, Scheningæ apud Ducissam disseruerat; se quovis pignore cum ipsa certaturū, intra mensem à die cæpti tractatus inter Hispaniam & Galliam pacem fore. Unde suspicio erat, super controversiis inter ipsos clam transactum, & communes tractatus non nisi solenni promulgationi inservituros. Unde non pauci Salvio, ut idem faceret, suadebant, postquam Aurspergius invitabat. Enimvero ista omnia rejicere Salvius jussus erat; quod Rectores Sueciæ certam spem concepissent, Galliæ opera honestam pacem obtentum iri, florentibus ubique ejusdem armis, & ita propinquo communi tractatu, per quem longe facilius commoda & securitatem suam obtinere posset, quam clandestina conventione. Tum fiducia erat apud Reginam Regentem affectum in filium, & rationes status vinculo sororio longe potiores fore.

§. 49. Interim Oxenstierna ut aliqua negotii spe- Osnabruga cie tempus traheret, Bleckedæ, Soltquellæ, & Gar- evacuatur. lebiæ præsidia lustrabat, ne præmaturo Osnabrugam accessu Reginæ dignitatem prostitueret, nec moræ culpa ipsi posset impingi, in propinquo versanti. Et hactenus moram aliquam injecerat Osnabrugæ præsidium nondum deductum, Cæsareis valde querentibus præviam conventionem violari, cujus vi jam tres ante menses oppido decedendum fuerat. Id quod & Gallasius literis ad Torsten- 10. Jul. sonium urgebat. Et quia Hasslici Cœsfelda excurrentes cœnobium Divi Mauritii Monasterienſi oppido adsitum noctu exspoliaverant, abductis quibusdam sacerdotibus, & oppidanis, Cæsarei urgebant, ut de utriusque oppidi neutralitate per Suecica & Hassica castra publicaretur. Mandatum tamen è Suecia Gustavisonio tergiversationem adimebat, ut deducto Osnabruga & Petriburgo præsidio utriusque claves Senatui oppidano traderet, accepta ab isthoc cautione, omnibus se, quæ præliminari tra-

8. Jul.

ctatu

1643. ſtatu continerentur, ſtaturos, & tractatu irrito Suecicum præſidium recepturos, ſalvis ſuis privilegiis. Arx per quadraginta oppidanos deinceps cuſtodiebatur. Eo facto Aurſpergius, acceptis à Salvio literis tuti itineris mox Oſnabrugam ſe conferebat, ubi jam & Cranius erat. Joannes Ludovicus Comes
14. Jul. Naſſovi⁹ Cæſaris itidem Plenipotentiarius Colonia Monaſterium ibat, quo & Iſaacus Volmarus, & Antonius Brunus è Conventu Francofurtenſi tendebant. Eodē porro dignationis gradu cum Naſſovio & Lambergio Volmarus & Cranius diplomati plenipotentiæ inſertierant, cum alias in Germania uſu receptum foret, ut ſolennium legationū caput eſſet illuſtri loco natus, ſplendori ſuſtinendo, cui Doctor adjungeretur inferiori gradu, quæ ſermonis aut calami decus exigant obiturus. Sed nunc Volmarum præ Longuevillio Duce ſuperiorē obtinere locum, alias in publico tam modico apparatu utentem id multis ridiculum videbatur. Hac matura ad tractatus profectione Cæſarei cupidinem pacis oſtentare, ac benevolentiam Ordinum Imperii captare, tacite accuſata Coronarum velut à pace abhorrentium tarditate. Dubium tamen erat, num ſolus Aurſpergius & Cranius auſpicari negotiationem poſſent, quod rumor eſſet, plures à Cæſare eo mittendos, & Viennæ adhuc circa concinnanda eorum mandata
Aſſi pulatim ſequuntur. laborari. Noluerat Daniæ Rex ſuos præmature accedere, antequam de reliquorum mediatorum adventu conſtaret, quod utercq; tractatus pro uno habendus eſſet. Mox tamen & iſti, Juſtus Hœckius Regni Cancellarius, Gregorius Krabbius Senator, &
26. Aug. Lucas Langermannus Decanus Hamburgenſis, (nam Lippius jam aderat,) Oſnabrugam ingrediuntur, famulia centum tribus capitibus conſtante, ac ſexaginta equis comitantibus. Paulo tardius mo-
19. Sept. vebat Legatus Venetus Aloyſius Contarenus, qui acceptis à Salvio tuti itineris literis Francofurto Coloniam deſcendebat non numeroſo, ſed elegan-
ter cultu comitatu. In Gallia huic legationi obeundæ Claudio Memmio Avauxio Comiti Chavignius collega erat deſtinatus; in cujus locum ſurrogabatur Abel Servientus Comes, quod iſtius opera ad arcana Regni negotia Regina uti mallet. Qui tardi cauſam itineris in motus à Beaufortio Duce adverſus Mazarinum excitatos referebant, in Octobrem uſq; menſem Pariſiis hærentes; unde in Hollandiam cogitabant, cum Ordinibus ſuper legibus pacis, & modo procedendi collocuturi. Ad quorum adventum & Hollandi Legatorum ſuorum mandata adornanda diſtulerant. Inter Hiſpanos Didacus Savedra Conſilii Indici Aſſeſſor mentē Julio per Galliam in Belgium proficiſcebatur, quem Regina ſuſpicioni apud fœderatos declinandæ Lutetiam accedere noluerat, ſed recta ad Belgarum fines deduci juſſerat. Quis præter Brunum ab Hiſpanis ad tractatus deſtinatus eſſet, nondum conſtabat. Galli moræ cauſam in Hiſpanos, hi in Gallos rejiciebant; neuter prior in loco tractatuum adeſſe volebat. Ab Electoribus nemo adhuc comparebat; quod ipſi Regiis ac Veneto Legato ſuos pares haberi vellent. Ne à reliquis quidem Ordinibus quiſquam adhuc iter ingreſſus erat, quod Cæſar quidem in eorum arbitrio reliquerat, num ad loca tractatuum accedere vellent, non tamen permiſſo ſuffragii jure. Inter quæ Galli poſtulare cæperant, ut Luſitaniæ quoque Regis Legatus ad tractatus admitteretur. Sed quia prævidebant Cæſarem & Hiſpanos manibus pedibuſq; repugnaturos, nec opus ſibi eſſe propter Luſitanos negotiationem ſiſtere; quantum res ferret duntaxat pro iſto niti decreverant.

Polonici Legatio ſtatuen-te. §. 50. Sed & Poloniæ Rex Legatos eodem mittere cupiebat Sigiſmundum Gyldenſtiernam Stumi Caſtellanum, & Boraſtum, utrumque gente Suecum, ut ibi controverſia ſua cum Suecis diſcepta-

retur, quod iſti tractatus *univerſales* dicerentur. Inde & Mediatoris partes affectabat; ac ferebatur Dano propoſuiſſe, ut ſepoſito bello Hiſpanico primum circa pacem Germaniæ adornandam laboraretur. Cui conſilio Avaugurius Gallicus in Polonia Legatus obſiſtebat, oſtendens, Regem haut pro dignitate facturum miſſa legatione, cum neſciat, an & quomodo admittenda ſit; neq; de hoc inſtituto partibus antea rite ſignificatum ſuiſſe; neque Danum in contortium mediationis ipſum recepturum. Ita repudiatum orbi ludibrium debiturum. Sane Cæſar Poloni mediationem plane reculaverat, ne Danum offenderet. Rectores tamen Sueciæ in eum ca-
19. Aug. ſum Legatis ſuis in mandatis dederant; ſi Poloni proprium negotium proponere velint, amice cum illis agerent, ſed rem integram ſervarent. Sed ſi operam ſuam velut mediatores oblatum venirent, modeſte id declinarent, defectum mandati cauſantes; nec cōſtare ſibi, an iſta mediatio Reginæ Sueciæ oblata, & ab eadem acceptata ſit. Tum inprimis oſtenderent, quid difficultatis ipſis cum Dano circa priorem locum ſit oriturum, ac ultum ægre in ſocietatem functionis, ſuper qua tot per annos ſategerit, alios admiſſurum, quo invidia reculatæ mediationis in iſtum devolveretur.

Dani mo-ram ægre ferunt. §. 51. Porro Legati Succici Joannes Oxenſtierna, & Salvius Mindam tandem delati Scheringium
28. Aug. Roſenhanium Oſnabrugam præmittunt, ut Cæſareis ac Danicis Legatis confirmaret, illos ſtatim adfore, quam primum ſpes propinqua tractatuum adpareret. Aſt hi moram iſtam ægre ferebant, & Aur-
15. Sept. ſpergius per Langermannum Literis Salvio promiſſum ſuum in mentem revocabat, quo declaraverat, ſtatim atque Danici Legati adfuerint, ſe Oſnabrugam iturum. Addebat querelam Langermannus, ſe accuſari, quod Collegis ſuis ſuaſerit ita mature in viam ſe dare, poſtquam nunc Succi Oſnabrugam accedere tergiverſentur, priuſquam alios appropinquare videant. Cui Salvius reponebat: Ha-
16. Sept. Quibus re-ſponderur. ctenus promiſſo ſe ſatisfeciſſe, quod ſtatim atque Danici Glucſtadio diſceſſerint, & ipſe Hamburgo moverit. Confeſtim Oſnabrugam pervolare à ſe non promiſſum; ubi non ſit, quod ſolus agere queat; cum ſibi per fœdus Gallicum non liceat abſque Gallis tractatus ordiri. Multos alios prævio pacto nominatos, qui adhuc deſiderentur, Venetum Legatum, Electorum & Principum deputatos, qui ante cœptos tractatus expectandi ſint. Num Cæſari abſque Ordinib⁹ pacem concludere fas eſſet? Mediatorum eſſe paulo promtius accedere, quo cæteros ſuo exemplo ad maturandum iter permoveant. Paria Legati Danici junctim repetebant; paria à Sue-
15. Sept. cicis reponebantur: cum de reliquorum adventu nihil certi adhuc audiatur, ipſorum acceſſu opus non eſſe. Jactabant inde Dani, ſe per duas adhuc ſeptimanas expectaturos; intra id tempus ni cæteri Legati veniant, diſceſſuros. Quod quidem lubentibus Succis facere poterant, quibus iſtorum mediatio plane ſuſpecta, & inviſa erat. Galli autem impatientiam ridebant, & quam parum deceat tam mature tædio fatiſcere, qui tanto in negotio ſequeſtris partes ſuſcipere auſus ſit. Avauxium quondam ad mediatoris munus Suecos inter & Polonos miſſum in Boruſſia integrum ſemeſtre hæſiſſe, antequam partes ad congreſſum deducere valuerit.

Invitatio Ordinum adhuc differtur. §. 52. Porro Legatis Succicis in animo erat Minda ſalvum conductum & invitatorias literas ad Imperii Ordines mittere, anſam inde arrepturi moram ſuam eo in oppido excuſandi, ſimul illis Oſnabrugam pertrahendis. Inprimis utile videbatur ad Conventum Francofurtenſem ſcribere, quod Cæſar Ordines nonnulla indulgendo, aut minis ad nut⁹ ſuos diſponere agiraret; ac metus eſſet, ne pauci, qui fortiter loquebantur, mora Regiorum Legatorum in

1643. desperationem acti Cæsaris postulatis se submitterent. Sed quia pleriq; Deputati tunc Francofurto domũ abscesserant, illa invitatio in præsens omissa. Et Galli censebant, missionem diplomatum sub tractatus initium differendã, quod Ordines reverentia in Cæsarem, aut terrore illa forte accepturi non sint, nisi tractatu reapte cœpto. Id potius videbatur Salvium Osnabrugam progredi adparandis ibi necessariis, ac ut Cæsaris ac Dani Legatis moram excusaret. Quanquam enim Cæsarei quod Succicos accusarent non habebant, quod abtentibus Gallis haut plus Osnabrugæ, quam Mindæ ad pacem proficere possent; multi tamẽ prudentes judicabant, jam tempestivũ esse Osnabrugam movere incitandis Germaniæ Ordinibus, ac ut malevolis calumniandi occasio subtraheretur. Tum & militem promtiorem fore, si de suis emolumentis agi audiat. Adimendam quoque Gallis persuasionem esse, Suecos ab ipsorum plane nutu pendere, quæ fortasse ipsis morarum causa sit. Tum & ob ancipitem belli aleam commodissimum esse Osnabrugæ agere. Nam tunc demum eo properare, quando adversi quid accidisset, speciem timiditatis habiturum. Deniq; inclinationes, & studia adversæ partis, aut sequestris interim explorari posse. Ipsam tamẽ negotiationem ad Gallorum usq; adventum differendam; queis & forte ea res calcaria ad maturandum iter additura sit. Contra Rectores Sueciæ jusserant Mindæ morari, quoad Gallos Monasterio propinquare constaret. Ita enim conventum esse, ac offensam Gallorum declinari, quos sine dubio Cæsarei cum Danis separatos tractatus agitando Succica societate avellere conaturi sint. Deniq; si Dani Osnabruga se propipiant, vile id damnũ fore. Igitur temperamentum adhiberi placebat, ut solus Salvius Osnabrugam præiret; quod & à Cæsareis ac Danis observatum fuerat.

Salvius Osnabrugam accedere constituit.

Ordines Imperii ad tractatus à Succis invitantur.

§. 53. Jam quoq; maturum videbatur salvum conductũ pro Ordinibus à Cæsare obtentum transmitti, eosque ad tractatus pacis invitari; monente id quoque Landgraviæ legato Jacobo Hofio, quod ab Ordinibus is thoc expectari constaret. Diploma Rintelii imprimitur parcendæ scripturæ; exempla per Senatum Osnabrugensem cum autographo conferuntur, oppidique sigillo firmantur. Addebantur quoq; à Legatis Succicis literæ tuti itineris. In epistola invitatoria exponebatur; accessum Osnabrugam hactenus fuisse differendum, quod Ordinibus abtentibus, queis junctim cum Cæsare belli ac pacis jura competant, à se nihil agi potuerit, illis præsertim, quorum causam fœderata Regna æq; ac suam propugnarint. Mitti nunc diplomata à Cæsare hoc fine obtenta. Non ipsi solum suos mitterent, sed & cæteros cohortarentur, Protestantes cumprimis, ut communem causam juncta opera promotum eant. Reginam separatos tractat⁹ privatim ac publice periculosos semper judicasse. Ei studium fore, ut nihil separatim ac per partes, sed omnia simul cum honesta ac tuta pace obtineantur. E diversis licet occasionibus in arma prolapsos eundẽ scopum habere, ut iniquitate temporum labefacta Germaniæ libertas solide instauretur una cum vicinorum securitate, quæ isti innexa sit. Eam rem præcipue ipsos Ordines tangere, vicinos non nisi per eorundem lat⁹: ac tanto majore studio nunc connitendum, quo apertius sit, ex horũ tractatuum successu pendere, quo loco religio deinceps ipsorum, & libertas futura sit. Has literas ad præcipuos Protestantium sigillatim mitti placebat, ne quis excusare posset, non sat tutum sibi fuisse ad tractatus accedere. Simul quæ mens Ordinum esset, hinc adpariturum erat. Quod si ista invitatio negligeretur, communicato cum Gallis consilio alia media dispicienda erant. Ordines tamen Silesiæ & Bohemiæ Rectoribus Sueciæ invitari non placebat; quod pauci essent & exules: reliquis nulla libertas, ac pro Cæsare studium; ac metus erat, ne contumeliose illç litteræ acceptarentur. Hoc igitur modo tunc invitabatur Fridericus Palatinus Bipontinus, Wilhelmus, & Fridericus Wilhelmus Saxoniæ Duces; Augustus Magdeburgi Administrator, Christianus Marchio Brandeburgicus, tres Duces Luneburgici, Everhardus Dux Wurtenbergicus, (qui jam antea per Residentem Mockelium cautam suam Reginæ commendaverat, quod durissima conventione adstrictus fortasse iniquam, qua premebatur, sortem exponere ipse non sit ausurus,) Fridericus Marchio Badensis, Georgius Hassiæ Landgravius; è Comitibus Fridericus Hohenlojus, Oetinganus, Joannes Nassovius Saræpontanus, Joannes Casimirus Rheingravius; è civitatibus Noriberga, Augusta, Argentoratum, Ratispona, Ulma, Lubeca, Hamburgum, Brema, Wormaria, Rotenburgum ad Tubarum, Norlinga, Weissenburgum, Landavia, Colmaria.

1643.

Fœderatorum Regnorum scopus.

§. 54. Is porro sociis Regnis præcipuus scopus, Austriacam potentiam ad æquilibriũ cum aliis in orbe Christiano potentiis deducere. Etsi Succi potissimum Cæsarem respicerent, qui ubi Germaniam absoluto sibi imperio subjectam teneret, omnibus vicinis formidandus erat futur⁹. Quale imperii genus Ferdinandus II. magno studio affectaverat, tot per annos nullis Comitus habitis, ac interim suo arbitrio summa rerum administrata, qui & uniendis per Germaniam sacris edictum illud de restituendis bonis Ecclesiasticis condiderat. Nec dispar Ferdinando III. mens, qui in Francofurtensi Conventu Ordinibus jus armorum & pacis detractum ibat, quos & cum jure suffragii ad tractat⁹ pacis admittere nolebat; haut quoq; concessurus, ut socii Reges aliquid proponerent, quod ad Imperium ejusque Ordines spectaret. Contra Regiis Legatis fixum sedebat ante omnia plenam Ordinum restitutionem pertendere, quod qui sua Fœderatorum Regum ope recuperassent, connixuri utique forent, ut & istis satisfieret. Tum stabilita Ordinum libertate, ac coërcito Cæsaris dominatu vicinorum securitati consulebatur. Quo fine & Legatis Succicis injunctum erat, ne Catholicorum quidem Ordinum jura ac libertatem negligere: tum & inprimis, ut operam darent, ne si tractatus abrumpi contingat, ob privata Sueciæ commoda, sed ob Ordinum negotia id fieret. Gallis autem tum Cæsaris potentiam circumscribere, tum præcipue Hispanos premere animus erat, sat jam debilitatos Cataloniæ & Lusitanorum defectione, ut milite ac pecunia deficiente adversus hos & in Belgio bellum vix segniter propulsare possent. Quos quantopere despicerent, vel inde judicare licebat, quod vivo adhuc Ludovico XIII. ipsorum Legatis injunctum, idemq; solenni decreto in Consilio Regio repetitum foret, ut Monasterii Galliæ jura in Navarram, Castiliam, Toletum, Aragoniam, Cataloniam, Lusitaniam, (nam & in hanc potius sibi quam Bragantinis jus tribuebant,) Siciliam, Neapolim, Majorcam, Mediolanum utramque Burgundiam, Flandriam, Lucenburgum, Hannoniam, Frisiam, Hollandiam, Lotharingiam, & plura loca demonstratum irent, eorumq; Regnorum ac provinciarum restitutionem postularent; ut tamen potius, quam tractatus abrumpatur, præsentes detentores in possessione manere patiantur; de jure & prætensione tamen Galliæ nihil remitterent, sed eam integram reservarent, quo à futuris Regibus vindicari queat. Circa solam Majorcam addebatur, ut in eam jure, ac prætensione Galliæ plane cedere possint, velut æquo demum animo passuris Gallis, ut Hispaniæ Rex citra contradictionem Majoricæ imperitet, ubi reliquis ditionib⁹ exutus foret. Eodem tamẽ decreto agnoscebant Galli, se Reginæ Sueciæ super restituenda veteribus

14. Nov.

16. Jan.

domi-

1643. dominis Alſatia promiſiſſe; quod & facturos ſe denuo declarabant.

Salvius Oſnabrugam ingreditur

§. 55. Porro Salvius Oſnabrugam accedere hactenus diſſulerat, quod Gallis id diſpliceret, ac ne iſti ſuper ſeparato tractatu ſuſpicarentur, præſertim cum Mithobius talium rerum internuntius circa finem Octobris Hamburgo Oſnabrugam ſe contuliſſet. Sed quia jam certi nuntii adferebantur, Gallicos Legatos in iter ſe dediſſe, qui & acceleraturi eam ob cauſam credebantur, Oſnabrugam demum

17. Nov. ingreditur. Conſiſtebant ante urbem in armis cives. Ad portam ſenatus oratione exceptũ, inde currum ejus prægreſſus ad hoſpitium deducebat, diſplosis dum portam intrat tribus machinis. Vinum hinc, avena, & piſces, quæ urbium Germanicarum lautia ſunt, donabantur. A Danicis Legatis primum ſalutatus, eundem honorem poſt biduum reponebat. Utrinq; alteri in ſua domo prior locus deferebatur. Nil ibi præter ceremonias, niſi quod Dani ſuper pertinacibus circa præcedentiam controverſiis, inter Gallos præſertim Hiſpanoſque, querelas moverent, quæ conventum tamdiu extraxerint. Inprimis in Gallos invecti, quos à pace alienos eſſe ſibi conſtare ferebant. Addebant, ſi Sueci ſentiant Gallos tergiverſari, ſat cautæ iſtis eſſe aliam viam bello ponendo circumſpicere. Salvius contra oſtendebat; Sueciam ſemel atq; iterum fœdus cum Gallis non niſi in triennium concluſiſſe, aliquando per ſeſquiannum ſuſpendiſſe non ſine ſubſidiorum jactura. Sed cum qui à Cæſare oſtentabantur tractatus mera ludibria fuerint, ad finem uſque belli fœdus fuiſſe prorogandum, ut juncta opera pax honeſta obtineretur. Sic adverſæ parti omnẽ ſpem ſeparati tractatus ademtam. Gallicis Legatis licet præſentibus nihil ſuſcipi poſſe, quoad Ordines Imperii adſint, quos Cæſar ſtabiliendo ſuo dominatui, non ea qua ipſi poſtulant conditione ad tractatus admittere velit; quæ maxima morarum cauſa ſit futura. Dani confirmabant, à ſuo quoq; Rege agnoſci, Cæſarem ad dominatum adſpirare, eoque Ordinum præſentia utique opus eſſe, qui haut quid quam emanſuri ſint.

Legati Gallici iter ingrediuntur.

§. 56. Tandem & Gallici Legati iter ingreſſi erant, qui Mezieræ, ubi naves ingredi volebant, ſecundo Moſa Trajectum deſcenſuri ab Hiſpanis duodecim per dies detinebantur, quod hi nomina functionesque omnium, qui Legatos comitabantur, edi ſibi vellent, ob Luſitanos & Catalanos Deputatos, qui ſub ipſorum comitatu & protectione proficiſcebantur. Sed cum Galli conſtanter abnuerent Hiſpanis ſuper comitib' ſuis rationem reddere, tandem nul-

27. Oct. lo examine dimittebantur. Trajecto Bredam, inde Hagam abibant. Cauſa ejus diverticuli ferebatur, ut Batavos hactenus circa communẽ cauſam paulo frigidiores excitarent, tum de legib' pacis, & modo tractandi conſilia conferrent. Inter alia obtinebant, ut Batavi validam equitum manum in finibus ſuis

8. Dec. diſponerent, tuendo ſi opus ſit Haſſorum tergo. Sed cum diutius Hagæ morarentur, Avauxius literis ad Legatos Suecicos datis excuſabat ob mortem Regis mandata ſua tardius adornata, ac mirandum adhuc eſſe novo Regis pueri imperio intra quatuor menſes iſta potuiſſe abſolvi. Tum per tres ſeptimanas ſe ab Hiſpanis detentos. Iter in Hollandiam pacis boniq; publici cauſa ſuſceptum. Porro iſtorum Hagæ

29. Nov. commorationem, in quartum mentem protractã Hiſpani acriter increpabant, velut ex quo averſus paci animus pelluceret, ſubinde minati, ſe proteſtatione interpoſita hinc abituros. Sed vera morarum iſtarum cauſa erat, quod Galli Ordines permovere vellẽt ad Deputatos ſuos Monaſterium mittendos, quo junctim cum ipſis pacem aut inducias concluderent: eoque ſtipulabantur, ne una pars in tractatibus longius quam altera progrederetur, tum ut mutua actorum communicatio fieret, nec una pars citra alteram concluderet. Idque ideo poſtulabant Galli, ne Belgæ ſeparatim Hagæ cum Hiſpanis tractarent, ubi Caſtelrodricus ſæpius ipſis nomine Hiſpaniarum Regis chartam quam vocant blancam obtulerat. Tum quod ſperarent, Belgas hoc congreſſu obnoxios ipſis futuros, quorum opibus ſibi ſociatis inſigne rebus ſuis emolumentum præcipiebant, pace, aut belli continuatione. Et hinc Belgarum, inde Suecorum armis firmati nihil metuendum ſibi ducebant, aliis potius leges præſcripturi. Contra Belgas duo ſcrupuli urgebant, quod & ſplendidius ipſis foret, ſi Domi ſuæ tractatus peragerentur: nec Monaſterium prius accedere vellent, niſi Venetis pares haberentur. Ac ſane Arauſionenſis Princeps Gallis denunciabat, haut tutum Galliæ tractatus Belgicæ pacis in ſeptem homines transferre procul à provinciis, qui ſtatim atque Hiſpanos adſpicerẽt, horum blanditiis & promiſſis capiendi ſint, natura pecuniarum aviditſimi, & corrumpi faciles, pacemq; cum Hiſpanis excluſa Gallia facturi. Et præſtare cum Hiſpanis negotiationem Hagæ inſtitui, ubi diverſitas ſacrorum, affectuum, & commodorum concluſionem redditura ſit longe difficiliorem. Enimvero prudens id conſultum, eventu poſt probatum, tunc à privati commodi ſtudio profectum credebatur, quod Arauſionenſi Domui non pax aut induciæ, ſed bellum & imperium placeat. Sed & tunc novam cum Belgis conventionem ineebant Galli ſuper bello continuando, ut inter arma lautioribus pacis conditionibus potirentur. Præmittebatur inde Rorteus, qui Oſnabrugæ Salvio confirmabat, Legatos circa Kalendas Januarias Monaſterii fore. Simul petebat, ut ſtatim atq; iſti eo perveniſſent, Sueci intermedio loco cum ipſis congredi velint ſuper legibus pacis, ac modo tractandi conſilia collaturi, & qua via vaſti Auſtriacorum ſpiritus ad moderationem ſint diſponendi. Interim

18. Oct. Hiſpanici Legati Monaſterium veniunt.

Hiſpanici Legati Monaſterium veniunt. Oſtendebant, ſe ſatis ſuperque ſuis mandatis ſatisfecerunt, ſi Gallis ſatisfactum eſſet. Sed Gallos ſuis mandatis non

1641. let. Et jam ante Gallicam cladem agitaverat potius tractatum abrumpere, quam Ordinibus liberum aditum eo concedere: aut indictis Comitiis hos divertere. Huic rei obtentum subministrare nolebant Sueci; tum ne Ordines uti Salvii Osnabrugam accessum lati perceperant, ita eo iterum digresso tractatu desperato cum Cæsare utcunq; transigerent. Sed & Croisque Germanicos ductores in Suecico exercitu belli tædium cæperat, quos ni propinquæ pacis spes retineret, metus erat, ne magna eorum pars militiam exueret. Quin & Gallici Legati Salvio Osnabruga digresso longiores moras jam post cladem Dutlinganam nexuri metuebantur, ne per pusillanimitatem properasse viderentur, cum antea magnam spem concepissent, Guebriani in Bavariam irruptione adversam partem paci facilem fore. Has ob causas placebat Salvio Osnabrugæ manere, Oxenstierna interim Mindæ subsistente.

Lusitani ad pacis tractatum admitti cupiunt. 31. Aug.

§. 58. A Lusitaniæ Rege Holmiam missus fuerat Rodericus Botellus, qui apud Reginam alloquium Lusitanica lingua exponebat, cui Suecico idiomate responsum. Cum Regina ei annueret, ut caput tegeret, id faciebat, & quamdiu loqueretur tecto capite adstabat. Sed & cum primum ingredienti Regina manum osculandam offerret, id omittebat: ast post finitam orationem, & acceptum responsum accedens in utrumq; genu submissus Reginæ manum osculo delibabat. Petebat iste, ut tanquam Legatus Regius apud tractatus admitteretur, aut si id obtineri nequeat, privatus in comitatu Suecicorum Legatorum adesset, utq; Regina Regis sui causam ibi susciperet. Eiusdem causam Rex Galliæ quoque 29. Oct. Reginæ diligenter commendabat. Regina etsi Lusitano favebat, tamen cum ea admissio ex prævio pacto postulari non posset, metus erat, ne si acriter contenderet, tractatibus abrumpendis occasio nasceretur. Igitur responsum; præliminarem conventionem immutari non amplius posse; ni calumniam hanc in se Sueci pertrahere velint, ipsis pacem cordi non esse, quam novis difficultatibus eludere instituant. Ubi tamen omnes Legati convenerint, Suecicos cum Gallis & Batavis operâ daturos, ut is sub Legati dignatione admittatur. Id si obtineri non possit, in Legatorum comitatu acturum. Circa Lusitanicam causam quantum in se facturam. Is inde literis tuti itineris instructus navi bellica Wilmariam, hic addito præsidio Mindam deducitur.

Acta Deputationis Francofurtensis.

§. 59. Non parum ad illustranda eorũ temporum consilia faciet, si quid tum in Conventu Deputatorum Francofurti agitatum fuerit, strictim recenseamus. Jam superiore anno Electores Catholici Moguntiæ super defensione tractus Rhenani decreverant, simul ut Legatio Romam mitteretur ad orandum Pontificẽ, quo sua autoritate apud Galliæ Regem pacem permoveat. Monebatur quoq; Saxo & Brandeburgicus, apud Daniæ Regem instarent, ut iste Suecos & Landgraviam ad amplectendam pacem disponeret. Visum inde Conventum Deputatorum, de quo in Comitiis Ratisponensibus decretum fuerat, ad Kalendas Augusti Francofurtum ad Mœnum indici. Ejus causa præscribebatur instauratio judiciorum publicorum, sed quia inter arma leges silent, plerisq; satius videbatur super reducenda pace agitare, quæ stabilita dein facile justitiã pariturа sit. Id quod & Ordines Circuli Franconici, & 29. Jun. alii peculiaribus hinc inde congressib' censuerant. 42. Interea Cæsar à Legatis Electoralibus, qui Viennæ ob negotium Palatinum hærebant, per decretum exquisiverat, quæ ratio commodissima videretur objecta per adversarios pacis tractatibus impedimenta amoliendi. Qui pro sentẽtia dicebant; Bavarus & Saxo apud Galliæ Regem explorarent, qua de causa is Legatos ad designata tractatibus loca mittere tergiversetur; ac si intelligãt, à communi ipsum pace abhorrere, scisciterentur; num is solus, aut junctis fœderatis cum Cæsare & Imperio transigere velit? Quo ex responso Cæsari metus oriebatur ne destituto Hispano ad solam pacem Germanicam incumberetur. Unde impediẽdæ isti Legationi Cæsar reponebat; ea opus non esse, cum de hoc negotio melius in communi conventu agi queat; ac expectandũ, num Gallicus Hamburgi Minister diplomata permutaturus sit. Moguntiam Gebhardus mittitur, discutiendæ legationi Romanæ. Cui Elector pronũ te declarabat, ut ea legatio ad Conventum usq; Deputatorum differatur; ac si utique procedat, Hispani commoda haut quidquam neglectum iri.

Legatorum Electoralium Viennæ sententia. 12. Jul. 42. 29. Jul.

Propositio fit. 11. Febr. 43. 16. Febr.

§. 60. Tardius porro procedebat ille Conventus propter absentiam Saxonis & Brandeburgici. Unde cum ob cladem interim ad Lipsiam acceptã maturatis consiliis opus, Moguntinus cum Colonienſi, ac Bavaro utrumq; Electorem per literas hortatur, 16. Nov. ocyus suos mittant super pace consilia collaturos. 42. Et à Saxone quidem paulo post Joannes Leuberus aderat. Brandeburgicus autem censebat; Franco- 7. Dec. furti non plus effectum iri, quam antea Noribergæ; & Ratisponæ; quod absente adversa parte nihil certi concludi queat. Unde satius esse communes pacis tractatus respicere, ubi alterius partis postulata percipi possint; citra quod tempus & opera ludatur. Quanquam autem propositio Francofurti nondum facta esset, Ordinum tamen Legati utriusq; religionis privatis inter se sermonibus agitabant Hispanorum causam à turbis Germaniæ seiparandam, ac Cæsarem ad hoc omnimodo permovendum. Ni velit, ipsos inter se decreturos, bello Hispanico se non miscere, nec ad illud quid conferre. Quo ab Hispanis intellecto Antonius Brunus, Burgundiæ Cancellarius eo mittitur, ut sociata cum Cæsareis opera isthæc consilia disturbaret. Post multã tergiversationem demum à Cæsareis Legatis, Ernesto Oetingensi, & Georgio Ulrico Wolckensteinio Comitibus proponitur super justitia instaurãda, obiter addito, quid circa pacem hactenus factum sit. Sed cum inde ad consultationes in Senatu Principum accederetur, pleriq; de pace agendum contendebant, Austriacis plane adspernantibus: super justitia à Cæsare propositum; de qua & Recessu Ratisponensi expressum; nec Conventibus Deputatorum alia tractari sueviſſe, quam quæ proximis Comitiis huc rejecta sint. Moguntini Electoris indictione de ista sola expositum; & quanquam idem postea aliis Ordinũ significarit, etiam super pacis negotio heic agendum; ad Cæsarem tamen nihil relatum, qui & propter ditiones, & propter merita præteriri non debuerit. Ex adversa parte neminem adesse; communes tractat' hoc ipso impediri, mediatores turbari, hostes tardiores ad pacem reddi. Vix ulli distincta super pace mandata esse, quæ si domo demum petenda sint, multum temporis frustra elapsurum. Sane sibi super hoc capite nihil in mandatis datum. Si cæteri utiq; de pace agere velint, protestatione interposita suffragium sibi suum reservaturos ac omnia prius ad Cæsarem relaturos. Ast reliqui omnes, excepto Burgundo, de pace prius, quam justitia agendum contendebant. Hanc esse pacis filiam, & quæ præcipue per bellum collapsa sit. Gravissimum malorum primo loco tollendum; inde reliquis faciliorẽ medicinam fore. Conventibus Deputatorũ præcipuam esse materiam tranquillitatẽ Imperii. Et si leges de hoc sileant, ipsam necessitatem urgere, & periculum in mora esse. Ita reliquorum è Collegio Principum sententia adversus Austriacos, & Burgundos prævalebat, adstipulante etiam Electorali Collegio.

Ordinum inclinatio.

Ordines ante omnia de pace agi volunt.

§. 61. Hoc pervicto jam distinctius super negotio pacis in Collegio Principum proponendum erat. Id quod Austriaci, penes quos ejus Senatus tunc directorium erat, abnuebant, defectum mandati excu-

Austriaci de interna, Ordines de externa pace prius agi volunt.

1643. cusantes. Si tamen reliqui sententias dicere velint, se illas protocollo excepturos, ac ad Cæsarē relaturos. Id cum insolens videretur, Luneburgico autore placebat reliquis sententias non præcipitare, sed quid Electoralibus super hoc capite videatur expectare, Austriacis & Burgundo frustra contranitentibus. Visum porro Electoralibus fuerat, de externa prius, quam interna pace disputiendum. Contra Austriaci eam ipsam ansam contradicendi arripiebant. Non ferendum, ut Electorales sibi persuadeant, Principale Collegium modo ipsis placito adstringi. Ratisponæ de interna prius, post externa pace agitatum. Si exteri pacem adspernentur, arma ipsis utique opponenda, quæ nisi unito intus Imperio parari nequeant. Eosdem, si Ordinibus inter se convenire audiant, eo facilius æquas pacis leges admissuros, sublato belli prætexto, velut restitutionem Ordinum quærant. Ac si ne tunc quidem arma ponere velint, Orbi adpariturum isto obtentu illos nil aliud quæsivisse, quam fines suos proferre, & Germaniā lacerare. Enimvero cæteri in alia omnia discedebant. Exteros in visceribus Imperii hærentes indies magis diffundi, cui periculo ante omnia occurrendum. Ad internam pacē nisi per externam pertingi non posse. Pragensi pace, quæ circa intestinas controversias tantum satagebat, nihil profectum. Per tractatus, non per arma huic malo medendum. Qui internam pacem turbant, ab exteris fulciri. His ergo pacatis, & illis quietem ultro redituram. Adversus hæc Burgundus pro sententia dicebat: Non tutius, nec idoneum magis paci reducendæ medium, quam bene instructa arma, quibus neglectis frustra de pace agitari. Una manu gladiū, altera leges pacis adversæ parti ostentandas, siquidem æqua pax obtinenda sit. Mollem agendi viam fractas vires arguere, hosti pertinaciam addere. Ergo concordiam intus priore loco stabiliendam. Si Ordines se unanimes Cæsari adversus hostes jungant, hos brevi Germania pullos pacem avide amplexuros. Sed reliqui omnes secus censebant: Arma hactenus male cessisse; tentandum nunc an per tractatus pax obtineri possit. Fœderatorum Regum potentiam in se magnam, cosq; ita pedem fixisse in Germania, ut vix per vim dimoveri iterū queant. Maritimis præcipue oppidis Succos ægre depellendos, quamdiu mari subveniri istis queat. Germaniæ opes exhaustas bello longius continuando; & quæ supersunt, exterorum æque ac propriis ipsorum usibus patere. Ita decernebatur, media potius obtinendæ pacis, quam belli continuandi esse dispicienda.

Burgundus bellum suadet. 3. Mart.

Reliqui contradicunt.

§. 62. Movebatur inde quæstio: an & quomodo Collegii Principale pacis futuræ tractatibus interesse debeat? Austriaci, & Burgundi latius ducebant, universi Principum Collegii nomine missionem omittendam; ac singulis Ordinibus, quibus terrarum quid ademtum, integrum relinquendum, quibus mandatis suos instruere velint. Id decreto Ratisponensi insinuari, ut singuli potius, quam Collegiatim mittant. Futuros tractatus ad controversias, si quæ Cæsari cum Ordinibus intercedant, non pertinere quæ jam pace Pragensi, decreto Ratisponensi, ac peculiaribus tranlactionibus compositæ sint, ut ex illis nihil turbarum in Imperio metuendum sit. Cæsarem per se observaturum, quæ ad salutem Imperii faciant. Iis controversiis tractatus in longum una cum bello extractum iri, pacem difficiliorem reddi. Paucos Deputatos cæteris omnibus ægre satisfacturos; & omnia tamen ad absentes referri infinitum fore. Nec dum expeditum, num isti Deputati una cum Cæsareis & Electoralibus Legatis consultationib' adesse, an duntaxat desideria sua ad Cæsareos referre, ac horum decisionem expectare debeant? Talia quoque occursura, quæ ob discrimen Sacrorū, alia dissidia remoram tractatibus injicere queant. Denique quem mandata istis Deputatis formaturum, ut omnibus ad palatum sint? Et omnium sententias exquiri, aut in unum digeri non posse. Hasis tamen monentibus Austriaci disputabant, non tam quæri, num Principibus mittendi jus sit, quam an expediat? Ast cæteris omnibus hæ rationes tanti non videbantur; ut ideo Principum Collegio jus suum negligendum sit. De potestate belli & pacis cum Cæsare omnes Ordines participare, nec circa jus suffragii uni præ reliquis prærogativæ quid competere. Id quadrare ad formam reipublicæ, legesque, & usum ad belli hujus initia usque receptum. Quæ ab anno vicesimo tertio Conventibus & Electoralibus acta sunt, potius iniquitati temporum condonanda, quam ut ideo Electoribus potestas de bello & pace statuendi in fraudem Principalis Collegii concedenda sit. Esse Electoribus eximia quædam jura, ac gradum dignitatis eminentiorem; in cæteris Principes ipsis æquales in hac præsertim causa, quæ hosce æque ac Electores tangat. Unde si Electores jus suffragii heic obtendant, Principibus quoq; idem concedendum. Ideoq; eo prestius nunc urgendum, quod jus Principum hactenus multis modis neglectum sit. Unde concludebatur; à Principibus è suo Collegio aliquos ad instantes pacis tractatus cum plena suffragii potestate mittendos, non solum tuendo suo juri, & vitando præjudicio, sed & quia ipsorum æque ac aliorum interest. Idem ut urbici pro se contendebant.

Principales eo mittere utique volunt.

An Principale quoque Collegium ad tractatus pacis mittere debeat?

Austriaci repugnant.

§. 63. Intricatior inde consultatio surgebat; quinam & per quos deputandi, & quibus mandatis instruendi? Ubi tandem placebat, per singulos Circulos habitis conventib' super mandatis deliberandum, ac cujusque Circuli nomine certos delegandos qui in loco tractatuum una cum Electoribus suffragia ferant, ac concluso formando manum admoveant. Quod idem & urbici sibi deposcebant. Sed quia ad formanda deputatorum mandata necessarium videbatur nosse, quas ob causas hactenus in Germania bellatum sit, ante omnia in penitissimam belli originem inquirere placebat. Austriaci eas notorias esse jactabant. Per viginti tres annos bellum gestum, tot libris id argumentū præbuisse, tot Conventus agitatos, ubi causæ belli juxta, ac remedia discussæ sint. Si nunc demum de his inquiratur, Cæsarem argui, velut ipse veram belli causam non intellexerit. Socios Reges, ac Gallos cum primis armis suis speciosum colorem obtendere, Ordinum libertatem restituere ac stabilire; cum ipsis propositum sit, suæ Monarchiæ fines proferre, Germaniam lacerare, & Franciam Orientalem cum Occidentali jungere. Enimvero Austriacis regerebatur: Si mature in causas belli cœpti aut prorogati juxta leges Imperii inquisitum fuisset, bellum cum exteris declinari, ac meliore cum successu geri, faciliusque poni potuisse. Sed quia insciis & inconsultis Principibus, & Ordinibus bellum decretum & gestum sit, inde separationes & confusiones ortas: & multos, cum ab utraq; parte male haberentur, ac causas belli ignorarent, non dijudicasse, pro se, an contra bellum gereretur. Interim omnes promiscue belli calamitatib' obnoxios fuisse. Ea mala vitari potuisse, jure Ordinum circa bellum ac pacem ab initio rite observato. Nunc cum de pace agendum sit, ad quam per amotas belli causas perveniatur, utique cognitione causarum belli opus esse; ni imperitos medicos imitari velint, qui non perspectis morbi causis remedia adplicār. Heic igitur quibusdam videbatur, eas optime cognitum iri, postquam ad tractatus pacis perventum fuerit. Aliis ferum id videbatur, easque in antecessum explorandas. Austriaci cum suffragiorum numero premerentur, proponebant, à Daniæ Rege petendum; ut quia socios Reges à pace abhorrere ad-

De modo missionis.

De causis hujus belli inquirendo.

1643. pareat, ex iſtis ſciſcitetur, quibus cauſis ad bellum continuandum impellantur. Sed cum ea via pleriſque anceps videretur, quod fœderati Dano non exacte reſponſuri, aut hic illos præſertim Gallos, quorum negotiis ſe miſcere nolebat, non libenter interrogaturus ſit; placebat ab Electoribus conſiliorum, quæ Cæſari ſuper hoc negotio ſæpius ſuggeſſiſſent, communicationem poſtulari. Ita ab Electoribus quædam ſcripta huc facientia exhibentur, addita tamen proteſtatione, id deinceps ſibi præjudicio non fore. Eam proteſtationem ægre ferebant Principes, qui pertendebant, jus ſibi eſſe communicationem poſtulandi eorū, quæ omnes Ordines tangerent; præſertim cum Electoribus circa talia cæteris Ordinibus præteritis nihil decernere liceat. Ita tam Catholici quam Evangelici Ordines magno ſtudio ad pacem incumbebant, ſingulari inter ſe concordia, præter Auſtriacos, & Bavaricos, aliosque qui privatis commodis inhiabant. E quibus Bavarici id quoque agebant, ut Franconicum, Suevicum & Bavaricum Circulos ſuo arbitrio ſubjectos tenere, ac hoſpitationibus, tributiſque pro lubitu emungere poſſent. Ex Electorali Collegio Saxonici vehementer urgebant, ſuſpenſionem effectus amneſtiæ tolli, Palatinam cauſam Francofurtum evocatam decidi, gravamina circa religionem hoc Conventu componi. Primarius Moguntini Legatus Schvvalbacius jactabat; ſe non imitaturum eos, qui nuper Ratiſponam miſſi fuerant, qui Hiſpanico auro emti cum Auſtriacis conſpiraverint, ac bono publico non parum obſtiterint. Hiſpaniam & Belgium non uſque adeo ad Germaniam ſpectare, ut hæc ideo tam exitioſo bello perdi debeat. Cæſareis haut quaquā placebat Ordines ita libere loqui, ac negotio pacis penitus ſe immiſcere velle. Unde Conventum hunc diſſolvi malebant, quo nomine & Cæſar miſſo Werlino Moguntino Electori perſuadere conabatur, ut ſoluto Deputatorum Conventu de Comitiis convocandis diſpiceret, ubi de negotio pacis commodius agi poſſit. Id quod Elector adſpernabatur, qui turbidis hiſce temporibus univerſos Ordines haut vocari poſſe ſtatuebat.

Cæſar Conventum cum diſſolvi cupit.

§. 64. Quanquam mox de Comitiis iterum ſilebatur, quod Electorales, ac Bavarus cum primis Cæſari obſecundantes inſtituto Principum & Ordinum circa miſſionem ad tractatus pacis obſiſtere decreviſſent. Electorales quippe, quare iſta Principum miſſione ſupertedendum ſit, multis rationibus oſtendere conabantur. Conſultationibus inter tam multos diffuſis omnia facile ad partem adverſam emanatura. Ne ipſos quidem Electores nuperis Comitiis Collegialem miſſionem decreviſſe; ſed deputatos duntaxat quoſdam abiq; ſuffragii jure Cæſari velut intimos Conſiliariorū adiore. Fortaſſe & abſentibus Ordinum eam miſſionem probatum non iri. Tractatibus moram iri injectū tarde inter variantes tot Principum ſententias adornandis mandatis; ac nondum obtento pro ea legatione tuti itineris diplomate. Daniæ Regi à Cæſare & Electoribus mediationem delatam, nullo Principalis Collegii facta mentione. Ratiſponæ decreta per paucos Ordines ſubverti non fas eſſe. Diffidentiam deniq; oſtendi adverſus Cæſarem, eique adjunctos Electores, velut ſimul cum Dano pacem Imperio ſalutarem condituri non ſint. His de cauſis poſtulabant; deſiſterent conſiliis iſtis Principales, ac ſatis haberent, ſi quorum peculiariter intereſt apud tractatus pacis comparere, Cæſareisque Commiſſariis ſua negotia exponere queant. Enimvero Principes, & Ordines contra contendere: In negotiis, quæ ſalutem Imperii ſpectent, inter quæ vel præcipua ſint bellum & pax, nullo ſe modo præteriri debere. Sua æque ac Electorum intereſſe. Habere Electores peculiarem ſibi poteſtatem eligendi Cæſares, ac munia illa hæreditaria: alias inter ipſos & reliquos Principes nullum diſcrimen, ſed pares honores, paria onera. Non obſcure deſtrui jura ſua, & exercendum nunc ab Electoribus actum cum excluſione Principum, adverſus hos deinceps allegandum. Id quod legibus, conſuetudini ad præſentis uſq; belli initia exercitæ, dignitati, ac ſaluti ſuæ, ſanæ deniq; rationi repugnet. Anno ſuperioris ſeculi nonageſimo quarto, & hujus ſeculi tertio tractatibus inter Hiſpanos, ac Belgas agitatis Ordinum legatos pari juri ac mandato Commiſſariis Cæſareis adjunctos, etſi Ordinum tunc peculiariter non intereſſet. Fœderata Regna id poſtulare, ut alii quoque Ordines adſint, ac nolle, ut ſoli Electores totius Imperii nomine agant. Facilius negotia in tractatibus expeditum iri Ordinibus præſentibus, qui de negotiis ſuis citra moram Conventum edocere queant. Suos deputatos æque ſilentii tenaces eſſe poſſe, quam Electorales; nec ob iſtum reſpectum aliis Imperii negotiis Ordines excludi. Non perſuaderi ſibi, Electorales tractatibus adeſſe velle tantum ut mutos ſpectatores: Saltem ſuos non alia conditione adfuturos, quam Electorales. Non obſcure diffidentiam adverſus Principes oſtendere Electores, quod tam ſolicite ipſos tractatibus pacis arcere ſtudeant. Hoc modo Ordines paulatim à ſummis Reip. negotiis excludi, & omnia ad ſolos Electores revocari. Diffidentiæ tollendæ non præſentius remedium, quam univerſos Ordines tractatibus adhibere. Nuperam pacem eo maxime nomine non omnibus ſatisfeciſſe, quod multi queſti ſint, ſua deliderla non fuiſſe audita. Teſtabantur tamen ſe Cæſareo faſtigio, ac Electorum eminentiæ nil detractum velle, nec te congreſſibus Cæſareos inter & Regios Legatos ingeſturos. Eſſe penes Cæſareos totius negotii directionem, ut tamen Principum deputati æque ac Electorales deliberationibus adhibeantur, & quæ ſalutem Imperii ſpectant, ipſorum cum conſenſu expediantur. Quanquam autem nonnulli, quos inter Wurtzburgenſis, removendis quæ per Electorales movebantur difficultatibus cenſerent, è ſingulis Circulis ſingulos tantum deputandos; contradicebant tamen reliqui ob diſcrepantia inter Ordines ſacra, & quod inferioris gradus Ordines, Prælati, Comiteſque præteriri ſe nollent. Inprimis teſtabantur Urbici, ſuum Collegium per Principes abſque peculiari mandato non poſſe repræſentari; memoratis inter Hiſpanos & Belgas tractatibus Noribergam, & Coloniam inter deputatos fuiſſe. Non deterius ſibi circa talia jus, quam Principibus eſſe.

Electorales nolunt à Principibus ad tractatus pacis mitti.

9. April.

Principes contra nituntur.

19. April.

§. 65. Electorales cum cæteros Ordines à ſua ſententia dimovere non poſſent, nec tamē ut illis conſentirent in mandatis haberent, rem ad Principes ſuos domum referunt, eoque negotio tantiſper ſepoſito ad alia converruntur. Cæſarei Commiſſarii cum ſententiā ſuam rogarentur, ſimpliciter ad decretum Ratiſponenſe provocabant. Num autem Principes, Ordineſque cum jure ſuffragii admittendi eſſent, ſilebant, ſperantes ipſum tempus anſam mutandis Principum deſtinatis allaturum. Interim quo eos à ſententia deducerent, nulli operæ parcebant; quæ nec inanis erat. Quanquam enim priori ſententiæ de miſſionibus Circularibus aliquandiu inhærerent Principales, excepto Monaſterienſi, qui ſententiam ſuam retractabat: tandem clauſula addebatur; ſi commodius remedium inveniatur, id ſe non repudiaturos. Electorales quoque lenius jam cum cæteris Ordinibus agere, ac per Colonienſes ac Bavaricos Legatos declarare: Sibi haut quicquam in animo fuiſſe ipſorum jura in dubium vocare; ſed iſta duntaxat à ſe mota oſtendendis Circularium miſſionum difficultatibus. Mox poſtulabant, ut, cum per mandata ſua probare nequeant, Ordines collegiatim cum jure ſuffragii ad tracta-

Miſſiones Circulares hærent.

15. April.

20. April.

28. April.

1643. tractatus pacis mittere; ipſi ex vi clauſulæ nuper decreto ſuo additæ compendioſiorem viam proponerent. Conſultatione habita Principales perpiciebant, ſi diſſentientibus Electoralibus miſſiones Circulares decernerentur, diſſidiis anſam præberi, & ſcopum admiſſionis ad tractatus obtentum non iri. Decretum quoque ſuum ab Auſtriaco, Bavarico, Burgundico, Weſtphalico, Rhenano Electorali, & ſuperioreSaxonico repudiandum; reliquos ob diverſa ſacra, & ſtudia ægre conventuros, ac unitos licet evincendo negotio non ſuffecturos. Ac revera multitudinem Legatorum ſilentio ſervando parum idoneam fore. Unde primum Wurtzburgenſis proponebat: Quia hic Deputatorum Conventus omnes Circulos repræſentet, quem & utrique religione addicti Ordines agnoſcant, eum prorogandum, & vel ad locum tractatuum transferendum, vel Francofurti relinquendum ad illa citra moram expedienda, quæ pacis negotium requirat, ac ſervandis Ordinum juribus. Id vero à Cæſareis cupide arreptum, & Auſtriaci in conſenſu Principalium id vehementer ſuadebant. Etſi enim Deputatorum Conventibus alias ſolitum non ſit de pace externa agere; ipſos tamen multa jam circa pacem agitaſſe, nemine contradicente, ſed omnibus potius applaudentibus. Nec ipſos Electorales intercedendi cauſam habituros, quod inſuper habito Ratiſponenſi decreto de pace heic agitare cæperint. His reliqui eo facilius adſtipulabantur, quod Cæſarei nondum quid animo volverent, aperuiſſent, ac perinde ſibi eſſe ottenderent, Conventus Francofurti maneret, an alio transferretur. Ac vix aliud medium aptius centebant ſervandis Ordinum juribus, ſuoque ſcopo obtinendo, & tollendis per Electorales motis difficultatibus. Sed cum propius ad rem accedendum eſſet, Auſtriaci eam translationem ad locum tractatuum rationibus hinc inde conſarcinatis impedire nitebantur. Cæſarem ſub initium tractatuum in propiorem hiſce locum conceſſurum, cui ut Ordines præſto adſint, è dignitate eſſe. Tum poſtulatis horum facilius à Cæſare, quam apud tractatus pacis ſatisfieri poſſe. Præſertim cum cauſa Palatina in aula Cæſaris decidenda ſit; id quod præſente Deputatione commodiſſime fieri queat. Fortaſſe quoque Electorales reliquorum Ordinum exemplo decretam ad tractatus legationem omiſſuros. Eoque cenſebant, Deputationem ad locum ubi Cæſar acturus ſit, transferendam. Auſtriacis ſe cæteri Ordines acriter opponebant, translationem Deputationis ad locum tractatuum ita neceſſariam cententes, ut perinde ducerent, domi plane manere, quam loco tertio convenire. A ſe translationem Deputationis decretam, non ut otioſi tractatus eminus ſpectare velint, ſed ut & ipſi operam ſuam conferant. Et quia Electores eo utique miſſuri ſint, ſe deteriore quam ipſos conditione eſſe nolle. Electorales contra neque prorogari Deputationem, nec transferri volebant; Bavaro cum primis metuente, ne cauſa Palatina ad Conventum Deputatorum traheretur. Ac maluiſſent ab Ordinibus circulatim, aut quavis alia ratione mitti, modo non per formam Collegii ut revera iſta miſſio ſine autoritate, ac pondere foret. Idque ut Ordinibus perſuaderent, ſuam quoque legationem circa Collegii formam fore aſſerebant. Inde ab Auſtriacis pro ſententia dictum: Cæſarem graves ob rationes Deputationem transferri haut conſultum ducere, ſed ut ea Francofurti continuetur velle; adducta inter alias ratione, quod ex diſſenſu inter Electorale & Principale Collegium in loco tractatuum multa mala oritura; ac Legati Ordinum ſuis concertationibus ludibrium exteris ſint debituri. Ea propoſitio Ordines non parum turbabat, deſtinatis ſuis plane adverſa, & quod metuerent; ne Electoribus in ſuas partes tractis Cæſarea ſententia prævaleret. Unde in eum caſum certas cautelas meditabantur; puta, ut arctior quædam Deputatio è numero Ordinum Osnabrugam, & Monaſterium mitteretur, quæ æque ac Electorales Legati negotiis intereſſet, ac quæ gererentur ad Collegium Principale referret. Tum ut ſingulis Ordinum, qui vellent, eo mittere liberum foret. Ita jus Ordinum conſervari, ac ipſis ſat contuli poſſe. Quas conditiones Cæſari non ingratas fore Auſtriaci ipſem faciebant. 1643.

Principes Deputationem ad locum tractatuum transferri cupiunt. 19. April.

9. Maji.

Auſtriaci eam translationem impedire ſtudent.

12. Maji.

Electorales ab utriſque diſſentiunt.

10. Jun. 12. Jun.

§. 66. Dum iſta prolixis conſultationibus in caſſum agitantur, Cæſarei quoque centebant; apud tractatus pacis non niſi controverſias cum exteris Regnis diſceptandas: reliquas omnes, ex pace religiola aut profana promanantes, & quę Ordines inter ſe ſpectent, aut ſi quæ alia remedio videantur opus habere ad receptos in Imperio conventus remittenda; ne exteris Regibus arbitria rerum Imperii deferri videantur. Id quod ſalva dignitate Cæſaris atq; Ordinum fieri nequeat. In hoc cum Electorales Cæſareis conſpirarent, illi ut per Auſtriacos in conſeſſu Principalium id proponeretur faciunt, utq; ſuper hoc decretū fieret, poſtulant. Spem eſſe exteros Reges privatas illas lites parum curaturos. Plerumq; tamen Ordinum videbatur, ſuper hoc in præſens nihil concludendum, ſed expectandum, quid exteri Reges propoſituri ſint. Jam nuperis Comitiis permiſſum, ut cuilibet Ordinum liceat ſuas querelas eo deferre. Cavendum, ne dum facilitati tractatuum conſultum itur, ab eorundem ſcopo aberretur. Saltem ſuper amneſtia Regios eſſe propoſituros. Uti autem Cæſarei iſthæc negotia tractatibus pacis ſubtrahere cupiebant; ita viciſſim oſtendebant; Hiſpanos ita luculenter de Imperio meritos, ut eorū cauſam cumprimis circa Burgundiam, ac Belgium negligere, ac à pace Imperii ſeparare non poſſint. Cæſarei negotiis Ordinum in tractatibus pacis agi nolunt.

§ 67. Porro ſuper translatione Deputationis ad loca tractatuum multa Francofurti diceptatio, Cæſareis differentibus, Cæſari plenam in negotio pacis directionem jure majeſtatis competere, nec ipſum ad Ordines jure ſuffragii admittendos teneri; ſed eorum conſiliis ex placito uti poſſe. Quo fine exempla à Gallia, Suecia, aliiſque Monarchiis, ſat quidem intempeſtive, adducebantur. Metus quoque erat, ne Ordines in communibus tractatibus a commodis Hiſpanorum & Auſtriacorū peculiaribus ſe disjungerent; ac cumprimis Evangelici, ni poſtulatis & querelis eorum ſatisfiat, ſociis Regnis denuo ſe innecterent, armiſque jus ſuum perſequerentur. Principales contra, quare Conventus hic ad loca tractatuū transferendus ſit, multa adducebant: Conventu Francofurti continuato ſcopum ſuum non aſſecuturos Ordines; relationes à locis tractatuum non ſat mature, aut perfecte Francofurtum allatum iri. Multa negotia tantam moram non ferre. Tum qui modus conſultandi Francofurti ſit tenendus, nondum expeditum. Lente hinc proceſſuros tractatus, ſi modo in Ordinum ſententia momentum aliquod eſſe debeat. Electores non obſtante Deputationis prorogatione ad tractatus miſſuros, queis tanta præ cæteris Ordinibus prærogativa non ſit concedenda. Arctiore è Senatu Principum Deputatione novas difficultates oriri. Ipſas Coronas ideo præ Colonia & Hamburgo elegiſſe Monaſterium & Osnabrugam, oppida min⁹ commoda, ut eo expeditior foret communicatio. Suecos cum ſolo Cæſare atque Electoribus abſque aliorum Ordinum interventu non tractaturos. Unde præſtare ab initio ſe eo conferre, quam poſt longam diſceptationem demum cogi. Paucos Ordines Francofurtum miſſuros, ſed omnes potius ituros, ubi de ſumma rerum agatur, multis præſertim jam ea, quæ hactenus heic acta ſunt, cavillantibus. Ita dum alii heic, cæteri alibi negotia agitant, omnia confuſionis & diſtractionis plena fo- Cæſarei miſſionibus ad loca tractatuum repugnant. Ordines contra conduat.

1643. re. In loco tractatuum Ordines conventus suos seorsim acturos, modica cũ exteris communicatione. Si qui ex Ordinibus siniſtra consilia agitent, facilius ab universis compesci posse. Unde Principalibus placebat has rationes Cæsari demonstrare, quo & is in translationem Conventus contentiat, Electorib⁹ quoque in eandem sententiam pertractis. Aſt hi Francofurti subsistendum contendebant: Penes Cęsarem esse superDeputationum loco statuere. Tum Monasterium potius, an Osnabrugam eundem? Illic Suecos, heic Gallos offensum iri. Ad utrumque locum Deputatis missis parũ concordibus consiliis omnia actum iri. Igitur censebant, è sententia Cæsaris conventum Francofurti continuandum, quoad pateat, quomodo tractatus pacis daturi se sint, ubi pro re nata tolli hic aut prorogari possit. Ista quidem ab Electoralibus palam jactabantur: revera autem hoc modo sibi eminentiam præ Principibus quæsitum ibant. Tum & Bavarus metuebat, ne hoc modo Palatina causa ad communes tractatus traheretur; & Saxo, ne pax sua Pragensis acrem castigationem subiret.

Electorales in diversa abeunt.

Res ad Cæsarem referuntur.

§. 68. Dum ita neutri sua sententia decedunt, Electorales tandem ad Cæsaream decisionem provocabant. Principales etsi alias in hujusmodi Conventibus solitũ, dissidentes Collegiorum sententias ad Cæsarem referre; diserte tamen testabantur, se hoc negotium decisioni Cæsareæ submittere non posse, quod jam in antecessum constet, Cæsarem cum Electoribus facere. Nec eo secius tamen cum à Directorio Moguntino sententiæ Collegiorũ adductis utrinq; rationibus conciperentur, clausula addebatur: hæc ad Cæsareos Commissarios referenda, & expectandũ esse, num Cæsar in propositam à Principibus translationem sit consensur⁹, an continuationem Francofurti probaturus. Eo scripto publice prælecto per festinationem Directorii super ea clausula tunc nihil moneri poterat, & sic absq; ulteriore deliberatione à consessu discedebatur. Mox tamen cum eam clausulam sibi præjudicio fore metuerent Principales, velut Cæsareæ decisioni se submisissent, eandem sibi à Moguntinis communicari petunt. Sed hi abnuebant, causati, id citra fraudem Electoralis Collegii fieri non posse: nam talia scripta in pleno consessu prælecta, annotatis jam omnium monitis, deinceps uni vel alteri corrigenda concedi non posse. Austriaci quoq; idem se sentire ferebant; nec Cæsarem ad transferendum utiq; conventum ab ipsis obstringi posse. Contra principales apud Directoriũ Austriacum protestationem scripto interponunt; se eam clausulã pro mera submissione non agnoscere, ac in omnẽ eventum rem sibi integram, & jus suum reservare. Quanquã enim alias decisionem Cæsaream abnuere odiosum esset; tamen cum de libertate ac salute ipsorum ageretur, ea reverentia tantisper seponenda erat. Cæsarei hinc & pars Electoralium, cum primis Bavarici, apud Catholicos Ordines ostiatim circumire, preces minasq; miscere, nũ ipsos hac sententia dimovere possent; de religione agi clamantes, si Evangelici in loco tractatuum Suecis patrocinantibus postulata sua urgere possint. Contra Luneburgicus Legatus Langenbeckius, & alii monere, ne isto obtentu defensionem libertatis, ac jurium suorum omitterent. Ubi Vorburgius inprimis Wurtzburgensis Legatus insignẽ constantiam apud Evangelicos declarabat; Mirum videri Catholicos Ordines tam simplices haberi, velut post tot annorum experientiam prætextus à veris belli causis discernere haut norint, & sub inani sacrorũ colore ob alieni Regni commoda bello diutius se arteri sint passuri. Tum Evangelicos monebat, ne sacra profanis misceant, ne ipsis necessitas imponatur Catholicis bellum extrahere volentib⁹ se adjungendi. Ex Electoralibus quoq; Brandeburgicus Matthæus Wesenbecius plane cum Principalibus sentiebat. Et Colonienſis Buschmannus rationibus Principalitũ convictus pro translatione Conventus commisurum se testabatur. Ea Ordinum constantia Cæsareos non parum movebat, præsertim cum Brandeburgicus, & alii è Principum Collegio jactarent; si Deputatio Francofurti continuanda sit, se domum discessuros. Inde enim cæteros ad repræsentandam Imperii personam non suffecturos; ac plerosque Ordinum quocunque modo ad loca tractatuum abituros; ut satius videatur, si universus Conventus eo transferatur. Unde Cæsarei demum judicabant; si translatio nullo modo impediri possit, satius esse Conventum Monasterium, quam Osnabrugam transferri, ne Evangelicis occasio sit consilia cum Legatis Suecicis miscendi. Et huc spectabant etiam illi Catholici, qui cum Evangelicis circa translationem consentiebant. In quorum gratiam, & ut hos sibi conjunctos retinerent, Evangelici non repugnandum censebant, quod sperarent, demum quoque idem circa Osnabrugam obtentum iri.

1643.

Principales protestantur.

17. Jul.

13. Jul.

§. 69. Veniebat post responsum à Cæsare, quale prævitum fuerat; ut Deputatio Francofurti continuaretur, quod ipse in vicina conferre se velit, ut cominus consilia Ordinum exquirere possit. Legati Principum quibus neque id annuere, neque Cæsareis rationibus rejectis dissolvendo Conventui ansam præbere mandatum erat, decernebant tandem ad modicum tempus consultationes suspendere; interim Legatis liberum fore Francofurti hærere, an domum abire, ne tamen abrumpere Conventum videantur. Quo instituto cum per Electorales, atque Austriacos nullis rationum momentis dimoveri possent; Moguntinum tandem Directorium declarabat: id utcunque ferri posse, modo discessuri ocyus revertant; interim pro captu temporum, & in rebus moram non ferentibus, consessus non plane intermittendos. Ita Luneburgicus, Wurtzburgensis, & Noribergensis discessere, polliciti postridie Kalendas Octobres iterum se adfore; quo die consultationes instaurandas decernebatur. Eo tempore elapso, etsi Evangelici Luneburgicum expectari peterent; Austriacum tamen Directorium formulam decreti promulgat, qua ex decisione Cæsarea in prorogandam Francofurti Deputationem consentitur. Quo decreto artibus suis extuso haut din: ovebatur, quicquid reliqui obtenderent, ac Luneburgicus indignabundus aliquandiu consessibus abstineret. Interim cum Daniæ Rex missis ad Electorales literis Principalium postulata probaret, his animus iterum addebatur, ut de illato sibi præjudicio corrigendo dispicere conarentur. Quod tamen abrumpendo Conventui ansam præbere nollent, placebat prorogationem Francofurti differre non probare, sed rem in suspenso relinquere, quoad appareret, quousque socia Regna hanc causam susciperent, aut alia via panderetur. Interim quocunque modo ad tractatus ire sedebat, quicquid de jure suffragii ac Collegiali missione fieret, modo destinata sua obtinerent. Ita inanem fore Francofurtanum Conventum, si Ordines in ipsis tractatuum locis causam suam agerent. Tum & Suecis per Landgraviam demonstrandum; si Ordinibus jus suffragii circa bellum & pacem adimitur, nunquam æquilibrium istud, quod ipsis tantopere cordi sit, obtentum iri, Ordinesque invitos ad ferenda belli onera à Cæsare cogendos. Quæ monere tanto magis necessarium erat, quod Suecі alias videbantur Evangelicorum commoda reipsa curaturi; sed num illi cum jure suffragii, & velut Collegium ad tractatus venirent, parum pensi essent habituri. Statuebant tamen non alio modo accedere, quam velut membra & Ordines Imperii una cum Cæsare & Catholicis, nequaquam ad accusatorum instar querelas

Cæsar conventum Francofurti continuari decernit.

17. Aug.

Principales consultationes suspendunt.

4. Sept.

2. Nov.

Principalium Consilia.

1643. relas ſuas adverſus Cæſarem atq; Catholicos expoſituri, ne propius Sueciæ innexi ſperatam cum Catholicis concordiam abrumperent, divulſo plane Imperii corpore. Et ea quidem Principum, qui Conventum transferri volebant, mens erat. Queis Electorales obnitebantur tuendæ propriæ eminentiæ, quo cæteros Ordines conſultationibus ſuper bello & pace excluderent. Nec minus Cæſarei, ut Ordines Osnabruga diverterent, omnem lapidem movebant, ſparſo inter alia, proximo vere Noribergæ, aut Ratisponæ Comitia indicenda.

Circa Palatinam cauſam acta. §. 70. Ad eum guſtum reliqua negotia ad ſolidam Germaniæ tranquillitatẽ facientia iſto in Conventu tractabantur. Ac Palatina quidem cauſa ut Francofurti decideretur inter alios Saxo urgebat; Bavaricis contra, qui Ordinibus diffidebant, valde repugnantibus. Qui diſputabant, eam cauſam Ratiſponæ mox Viennæ agitatam, cui nunquam Principes ſe immiſcere voluerint; id ſi nunc poſtuletur, Daniæ Regi & Electoribus ignominiæ fore. His pleriq; ex Electoribus aſſentiebant, ea potiſſimum de cauſa, quod id negotium plurimum temporis abſumturum eſſet; interim Conventui finem imponendum. Quibus & Principales accedebant hactenus, ut à Cæſare peteretur, eam cauſam ocyus expediret, Francofurti mentione non facta. Monebant tamen aliqui, Ludovici Philippi Palatini mentionem peculiariter faciendam, qui cum nullam partem hujus belli attigerit, citra exceptionem ſit reſtituendus. Sed iſtis literis ad ſummam cauſæ nihil promotum.

13. Jul. Circa amneſtiam agitata. §. 71. Circa amneſtiam Saxonici cum primis ſuadebant; ſuſpenſionem effectus ejusdem Ratiſponenſi decreto ſancitam eſſe abolendam; quod rationi repugnet, illos, qui dudum cum Cæſare in gratiam redierunt, bonis ſuis excludi propter eos, qui adhuc adverſis partibus adhæreant, cum iſtorum nulla plane culpa ſit. Idem à Franconico Circulo delegati ingerebant. VVurtenbergicus præcipue Dux, ut ante tractatus pacis plene reſtitueretur, contendebat, par eſſe hanc gratiam à Cæſare occupari, quam alias exteri Reges in ſe derivaturi ſint. Auſtriaci tamen à nupero decreto Ratiſponenſi recedendum non cenſebant. Contumaces Ordinum haut eo ſecius apud hoſtem manſuros, qui ſpem ſuam non inclementia Cæſaris, ſed in communi tractatu repoſuerint. Hinc & VVurtembergicis expectandum. Bavarici contra VVurtembergici poſtulatis ea lege annuendum cenſebant, ſi per fratrem ſuum, qui inter Vinarienſes militabat, eas copias in partes Cæſaris traduceret. Poſt multam diſceptationem tandem concluſum, ut decreto Ratiſponenſi ſtaretur. Paulo poſt tamen placebat Ordinibus Cæſari ſuadere, ut eam ſuſpenſionem tolleret, Auſtriacis priori ſententiæ, & Ratiſponenſi ſcito mordicus inhærentibus. Nullam mutationis cauſam adparere. Decretum pacti vim habens à tam paucis Ordinibus tolli non poſſe. Illis, qui cum exceptione reſtituri ſint, cogitandum eſſe, in Cæſaris tunc arbitrio fuiſſe gratiam illis impertire, an bonis ſuis exutos eosdem rejicere. Contra Ordines oſtendebant; hoc conceſſo ingentem gratiam Cæſarem inturum illuſtri cum clementiæ fama. Eidem parum decorum fore, ſi per exteros id exprimatur. Unionem Ordinum per hoc inſigniter promovendam, quæ exteris cauſam præbitura ſit ad æquas pacis leges eo facilius admittendas, prætexto iſto ſublato. Et conſentiebant ea in re cum Principalibus Electoralibus. Cum in eam rem decretum jam factum eſſet, Auſtriaci nomine Archiducis Claudiæ proteſtationem interponebant, ne Ahla, Hohenſtauffa, & Blaubeura Wurtenbergico reſtituerentur, velut quæ loca ad Domum Auſtriacam pertineant. Bavaricis tamen inſtantibus Electorales decreverant Cæſarem rogandum, ut reſtitutio fieret juxta amneſtiam Ratiſponenſi decreto promulgatam, quod Pragenſem pacem reſpiciebat. Nam circa Palatinam cauſam Bavarum pace potiſſimum Pragenſi, & dicto decreto niti. In Principali Collegio ſententiæ diſcrepabant. Evangelici, inprimis Luneburgicus, & Pomeranus, (cujus vicem Brandeburgicus Legatus obibat,) cenſebant; Conſultum non eſſe, Ordines adeo preſſe Pragenſi paci, ac Ratiſponenſi decreto ſe adſtringere. Exteros ea repudiata laxiorem amneſtiam agitare. Cum his an pro Ratiſponenſi amneſtia velut pro aris & focis certandum? Turpius poſt fore ab ea decedere, ſi nunc denuo ſtabilita ſit. Divertum cenſebant Prælati, qui ægre Cœnobiis VVurtenbergicis cedebant; privatum commodum multa juris ſpecie adornantes. Etſi alii Catholici, & ipſe Conſtantienſis publicum bonum privatis paucorum reſpectibus anteferendum diſſererent. Poſt longam diſceptationem per plura ſuffragia decretum, ut Cæſar rogaretur, ſuſpenſionem effectus amneſtiæ Ratiſponenſi decreto ſancitam plane aboleret; operam ſuam circa reliquos Ordines hoſtium partibus abſtrahendos polliciti. Hauseo ſecius tamen Auſtriaci, ac Bavarici rem miſcebant, 17. Aug. ut in formula omnium Collegiorum nomine concepta inſereretur de amneſtia ad decretum Ratiſponenſe exigenda; indignantibus licet Luneburgico, & Pomerano, ut tamen iſtud decretum neque diſerte adprobarent, neque eidem contradicerent. 13. Octob. Quanquam autem Daniæ Rex literis ad Electores ſcriptis vehementer ſuaderet, amneſtiam ac reſtitutionem citra exceptionem fieri, quo ſociis Regnis anſa ſubtraheretur Ordines beneficio ſibi devinciendi: tamen Cæſar ad literas Deputatorum Francofurtenſium reſpondere differebat, velut re iſta in Comitiis decidenda; quod decretum Comitiale per Deputatos corrigi nequeat, neque jus ex illo quæſitum aliis adimi debeat. Ac facile judicabant periti, niſi admota vi iſtorum nihil obtentum iri.

Circa gravamina Ordinum inania conatus. §. 72. Denique & tollendis inter utriusque Religionis Ordines *Gravaminibus* placebat novam Deputationem pari utrinque numero deſignari; quid tamen ab hac expediendum foret, non inter omnes conveniebat. Equidem Catholici cenſebant, omnia huc trahenda, nec quidquam talium ad tractatus pacis, ne poſtulantibus quidem exteris Regibus, revocandum, utpote quæ ſolius Cæſaris atque Ordinum, non exterorum arbitrio ſubjecta ſint. Et huc etiam inclinabant Cæſarei, qui obtentu novæ hujus Deputationis, quæ in favorem unius vel alterius Ordinis apud tractatus pacis proponenda forent, eludi, & ſub gravaminis vocabulo Francofurtum remitti poſſe ſperabant. Evangelici contra etſi videri non vellent gravamina ad tractatus pacis trahere, aut exterorum arbitrio ſubjicere velle; tamen quod conſtaret exteros Reges indeciſas adhuc nonnullas Ordinum controverſias inter belli cauſas adducere, ac legibus pacis ultro inſerere velle, ſimul ut omnia in eum ſtatum, qui ante bellum fuit, reponantur; non videbant, qua ratione omnia iſta tractatib⁹ pacis ſubtrahi poſſet. Igitur cenſebant, ut hæc Deputatio non obſtet illis, quæ à ſociis Regnis ultro apud tractatus pacis proponenda forent, illis tantum controverſiis ad Deputationem remiſſis, quæ per pacem deciſæ non eſſent. Sed nec de tempore ejus Deputationis conveniebat. Auſtriaci ex peculiari juſſu Cæſaris una cũ reliquis Catholicis cenſebant, id negotium ſemeſtri poſt concluſam pacem tuciendum. Tractatus pacis brevi ſucceſſuros; nec periculum in mora eſſe, quod per Pragenſem pacem poſſeſſio bonorum Eccleſiaſticorũ in quadraginta annos ſit firmata, ac decennium eadem pace conſtituũ tentandæ transactioni nondum elapſum. Nec metuendum eſſe Evangelicis, id negotium à Catholi-

1643. licis in longum iri extractum; cum hi gravatos se querantur, & negotio discusso non pauca bona recuperaturos se sperent; ut proprii emolumenti causa moras sint amputaturi. Evangelici contra judicabant, magis è re ac dignitate Imperii esse, ista gravamina ocyus ante tractatus pacis, aut simul componi, una cum communi amnestia, ac restitutione. Hac in consultatione cum Catholici numero suffragiorum vincerent, Directorium Austriacum istorum sententiæ velut majoris partis Evangelicos quoque adstringere conabatur; his contra ostendentibus, in rebus circa pacem sacrorum suffragia non numerari, sed eas utique per amicam partium transactionem componendas, interposita quoque protestatione. Ita Austriaci caput hoc relationi ad Cæsarem inferere omiserunt.

11. Aug.

Transylvanica. Super fœdere cum Ragozio consultatio.

§. 73. Hoc anno, quæ diu cum Ragozio agitata fuerant, ad maturitatem veniebant; Dœrflingio, quem Torstensonius è Transylvania reversum eo nomine in Sueciam miserat, confirmante, illum Principem belli in Cæsarē per sè cupidum ab Ordinibus Hungariæ stimulari, qui exactiones, & nova quædam onera sibi imposita indignabantur. Igitur super eo fœdere in Senatu denuo deliberabatur. Qui fœdus id insuper habendum suadebant, differebant; ingenia ejus nationis lubricæ fidei, ac non parum è barbarie trahentia. Parum opulentam eam esse regionem, ac pauper vulgus. Grave esse ad Portam Ottomannicā incerto eventu mittere petendæ pro Ragozio veniæ, ut ipsi in Cæsarem arma movere liceat. Gallos quoq; non valde in id fœdus inclinare videri. Alii contra ostendere; Ragozio se movente Cæsari copias suas adhibendas tuendis propriis provinciis, quibus novo bello exhaustis eū facilius ad pacem compulsum iri; præsertim cum ipsi ab Hispania undique nunc pressa parum auxilii expectandum sit. Potentem esse Ragozium, & multa bellatorum millia educere posse, cui & fortasse Hungari se adjuncturi sint. Demendæ nobis suspicioni declarasse, non prius se pecuniam nos poscere, quam post mota jam arma. Ferri insuper Principem candido esse animo, ac stata ætate extra juvenilem inconstantiam; & cui non modicus thesaurus sit congestus. Igitur placebat, super hoc negotio cum Gallis consilia sociare, ac Torstensonio in mandatis dare, ut si commode posset, eo negotio colophonem imponeret.

Torstensonius Ragozium stimulat. 25. Febr.

§. 74. Ast Torstensonius audito, Ragozium militem & arma in promtu habere, simul perspiciens, quantopere hac ratione Cæsaris consilia turbari possint, literis eum in bellum irritare instituit, præsertim cum Cæsarei circa istum demulcendum anxie satagerent. Negotium tamen fœderis Hamburgum remittit, ubi cum Gallis quoque simul agendi commodus sit locus; quo si Legatum mittere placeat, postulatis ipsius satisfactum iri. Quia tamen ista Hamburgum missio in longum prominebat, sua fide spondebat, quæ ipse nuper Dœrflingio ac Plettenbergio proposuisset, à Regina Sueciæ & Galliæ Rege ratihabitū iri. Ad hæc Ragozius ostendebat; se sola Reginæ ratihabitione contentum fore, si hæc spondeat, Gallicam intra semestre secuturam. Sed cum Torstensonius istius ratificationis tarditatem intercapedine locorum, & intuto viarū excusaret, ac se vi mandati sui ista ratihabiturum; proponebat Ragozius, ut is autographum sui mandati sibi transmitteret, quoad Reginę ratificatio allata esset. Tum consensu Portæ opus esse, saltem ut conniveat, nec diserte bello ipsi interdicat. Sed quod omnia ibi auro sint venalia, ac sexaginta uncialium millia ei cōsensui obtinendo requirantur, de suo se viginti millia præbiturum, si reliquam summam socii Reges contribuerint. Tum fidum hominem ad se mittendū, quicum consilia conferre queat, & qui inde ad Portam profectus una cum Gallico ac suo ministro rem ibi confectā det. Ubi super priori convenerint, expeditionem se susceptum. Consensum Portę facile obtinendum. Torstensonius, quod Ragozius ita acriter de ratificatione instaret, citra eandem ipsum arma non sumturum judicabat. Unde Reginam, ut illam properaret, rogabat. Sua tamen mandata Ragozio mittere dubitabat, quod non solenni instrumento concepta, sed epistolæ inserta forent, quæ multa insuper secreta continebat. Igitur placuit Rebenstockium subtribunum in Transylvaniam ablegare cum ratificatione propositorum à Ragozio capitum, sua manu & sigillo ex vi mandati facta. Et quo minor diffidentiæ causa esset, offerebat Ragozio, ut è Succico exercitu duos duces eligeret, obsidum loco ab ipso tanti per custodiendos, quoad Reginæ ratihabitio advenisset, simul exemplum mandati sui transmittit. His ad Ragozium perlatis, hic Conventum Ordinum suorum indicit, super hoc negotio cum ipsis deliberaturus. Sed quod censeret hos in bellum vix consensuros citra Reginę ratificationem, quam tamen ita cito adferri non posse perspiciebat, ut autographum mandati sui Torstensonius Legenizam mitteret postulat, unde id suo periculo in Transylvaniam adferendum curaturus sit, post allatam Reginæ ratificationem bona fide restituendum. Sed cum Rebenstockius Ragozio causas ostenderet, quare Torstensonius id mittere dubitaret; hic contra Ordines suos utique Sueciæ sigillum ac Rectorum manus videre velle testaretur; proponebat Ragozius, ut Torstensonius partem epistolæ, quæ alia secreta contineret, obtegeret, apertis relictis quæ negotiū ipsius spectarent. Super consensu Portæ obtinendo Legatus Gallicus Hayus literis Constantinopoli scriptis operā suam offerebat; nō tamen velut à Rege suo jussus. Quibus literis initio iste nonnihil perturbabatur, quod à se potissimum rem ibi agendam videret. Denuo tamen Legatum Gallicum, & suum ibi hortabatur, muneribus consensum Turcarum obtinerent, saltem ut ad hoc bellum connivere velint. Simul utile censebat Sueciæ quoque nomine aliquem Constantinopolim mitti. Ostendebat dehinc Ragozius, ni Rebenstockius in mandatis habeat sociarum Coronarū postulata vicissim proponere, fœdus nunc concludi non posse. Hic etsi nullo plane mandato, solo rei conficiundæ ardore quæ sibi æqua videbantur Regnorum nomine capita concipit, præsertim super tribus peditum millibus cum Ragozii exercitu conjungendis, qui vicissim aliquot Hungarorum equitū millia Succis transscripturus sit. Nam de tribus illis peditum millibus, ac centum uncialium millibus Ragozio cum primis cordi erat. Torstensonius inter has moras rei gerendæ tempus amitti dolens iterum proponebat, ut Transylvaniæ Ordines certum ad se hominem ablegarent inspiciendis suis mandatis. Tum Rebenstockium Constantinopolim ad Legatum Gallicū proficisci jubet, ut, quousq; Ragozii negotium in ea aula promovisset, cognosceret, ac ad idem conficiendum hortaretur. Sed ad Vezierum scribere, aut ut Rebenstockius cum hoc ageret, consultum non videbatur ob ceremoniarum ambages, & quia accessum ad istum non nisi turgida crumena aperire poterat. De tribus peditum, ac centum uncialium millibus nulla mentio fiebat; quod istis innotescere nollet, pedite se carere non posse, nec pecuniam in promtu esse. Interim Transylvaniæ Ordines propositum à Ragozio fœdus & bellum in Cæsarem decreverant. Unde per totam provinciam statim copiæ lustrantur, ac per Hungariam equites conscribuntur. Id ut Torstensonio Rebenstockius significet jubetur, tum ut Principis ac Ordinum nomine postulet, autographum mandati ab isto Legenizam mitti. Id quod & Torstensonius,

Torstensonius Transylvaniam mittit.

11. Aug.

15. Jul.

22. Aug.

Ragozius pronum se bello ostendit.

ne

1643. ne his destinatis mora injiceretur, facit, simul ad rem gerendam hortatur, de tribus Germanicorum peditum millibus, quantum rationes belli laturæ sint spem faciens, ubi in arma is erupissèt. Tum obtinendo Portæ consensu Rebenstockium Constantinopolim mittit. Ubi Gallici, Hollandici, ac Ragozii Ministrorum opera eo res deducitur, ut Turcarum Imperator posita quam è propinquantibus Suecorum armis ceperat suspicione, Transylvano non solum arma in Cæsarem sumere permitteret; sed & VValachiæ, ac Moldaviæ, Principibus, ac Budensi Purpurato mandaret, equitatum, & si quæ alia peteret auxilia ipsi præstare. Eo cum responso Rebenstockius ante finem anni Albam Juliam revertebat; quo accepto Ragozius bellum decernit. Mox à Torstensonio petit, ut ubi ipsè cum exercitu agat, sibi significaret, quo suas copias ipsi jungere, aut si ea conjunctione opus non sit, saltem promissos equites mittere possit; vicissim dimidiam annui subsidii partem, ac tria peditum millia in promtu haberet. Sed istæ literæ à Cæsareis non procul Wohlavia intercipiebantur, earum latore male habito.

17. Sept.

Bellum à Ragozio in Cæsarem sumitur.

Poloni machinatores.

§. 75. Eodem anno apud Sueciæ vicinos infestorum huic consiliorum structuræ tanto clarius crumpebant, quo propius apparebat, à Suecis gloriosum finem bello Germanico imponendum. Ac apud Polonos quidem variis indiciis colligi poterat, quid consiliorum in secreto agitaretur. In Comitus, quæ hoc anno Warsaviæ habebantur, nono loco fuerat proponendum; quod Princeps Feudatarius connubium agitet in Domo inimica, unde magnum Reipublicæ periculum deinceps provenire queat. Etsi post Cancellarius propositione facta id caput omittebat, nec super eo connubio ita fervide ut antea differebatur, quod fortasse aliam de isto sententiam concepissent. In Comitiis tamen consultationes secreto habitæ multum suspicionis injiciebant, quod iste consultandi modus antea in usu non fuisset. Exceptæ quoque fuerant Regis voces; Suecos esse gentem quiescere nesciam, ac eosdem jam Dunæ & Oderæ fluminibus vincula injectum ire. Id quoque altius penetrabat, quod in Pomerelliæ Conventu Stargardiæ articulo decimo quinto propositum fuerat: ut Rex Poloniæ è Suecis scisciteretur, an æternam pacem cum Polonia concludere velint, ut si oblatam pacem abnuerint, eo maturius ad bellum se parare queant. Et quanquam Legatus Gallicus Avaugurius contraniteretur, ut ne durante bello Germanico tractatus cum Suecia super pace perpetua urgerent: scribebat nihilo secius sub finem anni ad Reginam Jacobus Dux Curlandiæ, operamque suam circa conciliandam Suecos inter Polonosque pacem offerebat, incertum ferio, an ut occasio quæreretur abrumpendis induciis. Sane judicabant prudentiores, haut consultum esse istos tunc tractatus suscipi. Respondebatur tamen Duci; operam ipsius gratam esse, sed quo negotium ita arduum cum aliqua spe successus suscipiatur, bene facturum, si rem ad Mediatores referat, ac interim partium animos paci admittendæ præparet. Ita honesto colore res eludebatur. Sed & acres Polonis stimulos admovebat missus à Cæsare Comes Starenbergius, multis ostendens Poloniæ imminens periculum, si tanta fortuna Suecos prosequi pergeret. Ipsam jam à Suecis velut indagine cingi; hos fœderi cum Ragozio innecti; finem belli Germanici principium Polonici fore. Et quia prævidebat Senatores isti bello obstituros, suadebat, ut Polonus Danum in Sueciam incitaret, eumque auxiliis tecte sublevaret. Tum ut Woldemari Comitis desideria apud Russos commenda- 1643.
ret: Quin eo usque progressum accepimus, ut Regi proponere non dubitaret, prætensionem suam in Sueciam Dano transscriberet accepta refusione, quod illa sibi haut usui videatur futura. Eam prætensionem post à Dano in VVoldemarum filium transferendam, ut tanto splendidior Czaris gener incedere possit. Ita si hinc Danus, inde Russus invadat, Suecos non solum Germania dimovendos, sed & domi periclitaturos. Quibus tamen consiliis Avaugurius acriter obnitebatur, ad disjicienda infesta Sueciæ consilia à Galliæ Rege tunc missus. Haut ex decoro facturos Polonos, si ad alendum id bellum operam conferre velint; circa quod componendum ab aliis laboretur. Tum ista consilia Proceribus suspecta reddere, velut contra libertatem Reipublicæ tendentia. Quibus & id præ oculis versabatur, quod vergente Regis valetudine brevi mors ipsius imminere crederetur; cum incidente interregno nationem bello implicitam agere haut consultum ducerent. Imprimis autem, quæ cum Dano agitabantur, suspecta erant, ad quem à Polono Bauditius missus fuerat, literis fiduciariis instructus non à Rege solum, sed & à præcipuis Poloniæ Senatoribus, Sapieha, Principe Dominico, Koniespolskio, Ossalinskio Suecis cum primis infestissimo, aliisque. Qui cum Gedanum reverteret, spargebat, rem à se ex voto confectam. Privatim tamen Schliebio tribuno dixerat: multa belli movendi consilia in Polonia, Daniaque agitari; sed remoram injici, quod uterque Rex rei gerendæ per se cupidus Senatui suo sit obnoxius, qui à bello abhorreat. Sed & tractatum fuerat de utriusque Regis colloquio Uratislaburgi apud Pautzkam, aut in Olivæ Cœnobio instituendo; ac jam è Polonia missi aderant, qui diversoria Olivæ adpararent; etsi Danus post eo venire abnueret. Eorum consiliorum scenam paulo apertius pandebat Griesheimius Eichsfeldiæ quondam præfectus, nunc Regis Poloniæ Cubicularius, quem Rex Monasterium miserat citra Legati dignationem explorandi causa, & ut cum Danicis Legatis assidua literarum commercia exerceret, ipse tamen Osnabrugam ne accederet. Is spe præmii, & ut erepta sibi in Eichsfeldia recuperaret Legatis Suecicis prodebat, quæ ex Poloniæ Regis ore audisse se multis cum exsecrationibus testabatur. Causam machinationum inter Polonum ac Danum, queis & Russum illigare conentur esse, quod credatur, Suecos pensandis belli sumtibus Pomeraniam postulaturos: hi ne quid terræ in Germania retineant, istos manibus pedibusque obniti constituisse. A Dano cumprimis id negotium fervide agi; qui Cæsari ac Brandeburgico cessionem eam omnibus modis dissuadeat: asseverans, malle se bellum Suecicum in se trahere, quam pati, ut Suecis Pomerania concedatur. Polonum tamen credi non aperte in bellum descensurum, sed clam pecunia & milite Danum sublevarurum. Nuper Cæsare Niclasburgum profecto, cum in aula Polonica rumor percrebuisset, Cæsarem cum Torstensonio seorsim transacturum, Regem valde perturbatum ne Pomerania forte daretur, ad Schlickium Comitem scripsisse ejus negotii impediendi causa. Woldemari connubium huc spectare, ut Russus in Sueciam incitetur. Polono tamen circa id scrupulum esse, qui uti non ægre laturus sit, à Russo Ingriam recuperari; ita ut hic in Livonia pedem figat, haut è re Poloniæ videri. Brandeburgicum potius, quam Pomerania cedat, extrema quæque tentaturum; quod & ipse cum aliis tum Landgraviæ declaraverit. Suspicionem tamen Regibus injicere, quod iste connubii

cum

1643. cum Regina Sueciæ ſpem nondum exuerit. Quo fine & eundem duorum Theologorum, Bergii & Agricolæ, ſententiam ſuper diſcrimine ſacrorum Lutheranorum & Reformatorum exquiſiviſſe; quibus ex voto reſpondentibus magnopere lætatum. Unde utrumque Regem judicaſſe, eam conjunctionem ſibi plus moleſtiæ, quam bellum Germanicum daturam. Sane cum Legatus Brandeburgicus in Dania Reginæ Matris profectionem in Boruſſiam ea ætate expeditam daret, neque ſumtus præbiti, neque donum abeunti oblatum, neque ullus è Senatorio Ordine, aut miniſtris Regiis eum inviſerat. Eosdem porro fundamentum conſiliorum ſuorum in eo collocaſſe, ut Gallia à Sueciis ſejungeretur; de quo Polonum apud Mazarinum diligenter inſtitiſſe, cujus amicitiæ conciliandæ Cardinalitium pileum, Poloniæ debitum, in iſtius è ſorore nepotem tranſtuliſſe. Legibus pacis inter Cæſarem & Gallum adornandis, quæ circa Britiacum & Alſatiam maxime hæſuræ videantur, à Polono in Gallia propoſitum fuiſſe matrimonium inter juvenem Archiducem Oenipontanum, & Ducis Aurelianenſis filiam, quæ dotis nomine iſta loca Domui Auſtriacæ ſit illatura; idque conſilium patri puellæ valde probari. Quanquam autem Avaugurius confirmaret, à Polonia tunc nihil apertæ hoſtilitatis immineret, qui & impedierat, ne Crocovio è Polonia ac Boruſſia auxilia ſubmitterentur: Sueci tamen haut eo ſecius oppida Livoniæ muniments, præſidiis, annona firmare, militemque in promtu habere, eique provinciæ Hermannum VVrangelum expertum bello ducem præficere.

Danorum cum Ruſſis machinationes.

§. 76. Inter Ruſſos quoque Danosque crebræ iſto anno miſſiones, per quas infeſta Sueciæ conſilia coqui conſtabat. Aprili menſe duo celeres nuntii è Ruſſia per Gedanum in Daniam tendebant. Baudiſius Hamburgi differere; ſi Polonus, Danus & Ruſſus Sueciam diverſis in locis invaderent, brevi pacem in Germania fore. Sane Ruſſorum animos Danicis conſiliis non parum infectos indicio erat, quod cum novus Reſidens in Petri Krusbiærnii locum Muſcoviam mittendus eſſet, Ruſſi eum admittere abnuerent; quin Krusbiærnio denuntiarent, domum diſcederet, ipſo heic præſente opus non eſſe; quod ſuper Reſidente pacto æternæ pacis nihil cautum ſit, nec ipſi ea functione miniſtrum Holmiæ habeant. Super VVoldemari Comitis matrimonio cum Czaris filia Petrus Marcelius à Dano in Ruſſiam mittebatur. Eo in Daniam reverſo Woldemari iter in Ruſſiam inſtruebatur, magnifico paratu, ac Rege magis circa hunc ſatagente, quam circa Friderici Filii nuptias. Illius quoque prandio Hafniæ ſignum tubis ac tympanis Principum more dabatur. Adjungebantur ipſi duo Legati, qui ex itinere cum Poloniæ Rege inter alia ſuper conjunctione inter Daniam, Poloniam, ac Ruſſiam agerent, retundendis Succorum per Germaniam nimium florentibus armis. Et jam ante Poloniæ Regi per Baudiſium Danus caverat; id connubium ipſi nunc aut poſterum fraudi non fore; ſed id præſidium ſibi circumponere, ubi ad manus cum Sueciis ventum fuerit.

Dani Hamburgenſes argento emungunt.

§. 77. Enimvero uti iſtorum conatus in diem prominere videbantur; ita quæ Daniæ Rex eo anno expromebat, ferri amplius non poterant. Ejus anni initio terra mariq; arma parabantur obſcuro primum fine; mox Hamburgum peti adparebat. Inter cautas irarum in eam urbem adducebatur, quod Hamburgenſes differerent; eo minus reverentiæ ſibi in tuenda ſua libertate adhibendum, quod civitati ſuæ res non cum Daniæ Rege, ſed cum Holſatiæ Duce ſit. Quas argutias Rex nullo modo ferre poterat, quod utique Daniæ Regis perſonam tangant, quæ vel ſub Oldenburgici Comitis, vel Holſatiæ Ducis vocabulo inferantur; cavillatus, ſi quis Albertum ab Eitzen in lutum provolvat, Conſulem utique Hamburgenſem ſordibus coopertum iri. Juſſus fuerat Salvius, ſi Hamburgenſes valde inſtarent, mediationem Suecicam Regi offerre; inſuper habito, ſi vel paulo indignius ea rejiciatur, aut ipſe inſolentius ab eodem tractetur. Quod ſi tamen ſentiat rem ad transactionem ſpectare, occulto impediat, ne finem ea ſortiatur; interim Hamburgenſibus animos addat, ac de Suecico auxilio certos eſſe jubeat. Sed illi grandi quantumvis ſumma decidere, quam bello commercia ſua turbari malebant. Quanquam autem poſt emunctos argento Hamburgenſes claſſis ac miles provincialis domum dimitteretur, exauctorata conductitii parte; ac multi cenſerent, Regem ætate provecta quietem magis quam bellum meditari; Sueciis tamen pacati in ipſos animi fidem haut quidquam faciebat. Id hactenus iſte captaverat, ut clade aliqua fracti Sueci Germania cum ignominia pellerentur; quo ipſe portam ſibi aperiri ſperabat ad iſtos domi pro lubitu inſultandos. Sed ſuperiore anno cum debilitati Cæſarei Sueços ingruentes utcunque propulſare ſatis haberent, & apud Polonos modo magnitudinem Auſtriacam parum decente auxilia procarentur; non amplius ſe capiebat invidia. Unde obtentu Hamburgum caſtigandi exercitus contrahitur, quo armatus pacis leges pro lubitu Sueciis diſpenſare poſſet; Germania excedere ultro nolentes armis cogeret. In ea conſilia ſolicitabantur Bremenſis Præſul, Oldenburgicus Comes, & Luneburgici, qui adſcito Colonienſi, aliisque quibusdam Catholicis tertias partes formare meditabantur. Ipſe ad Baudiſium frequenti convivio in ea verba eruperat; ſerius ocyus ſe cum Sueciis utique colliſum iri. Ejusdem Viennæ Reſidens Bidenbachius à Cæſare petierat vectigal Glueſtadienſe prorogari, Comitatus Pinnebergenſis poſſeſſionem firmari, Hamburgenſe privilegium aboleri, ipſosque Holſatiæ obſequio addici, matrimonium Bremenſis Præſulis firmari, tum ut conſentiat Cæſar, poſſeſſionem præfecturarum per Meclenburgicam ſibi oppigneratarum, ac Dœmitzæ à ſe apprehendi, conceſſa inſuper inſula Rugia. Ea ſi Cæſar annueret, ac pro re nata auxilia ſibi ſubminiſtraret, pollicebatur intra ſemeſtre Succos ſe Germania pulſurum. Venerat quoque ad Salvium ab Holſatiæ Duce Frederico miſſus Johannes Chriſtophorus Bulovius, ſuper inſtantibus pacis tractatibus ipſi gratulaturus; cæterum valde vereri ſe addens, ne ob Pomeraniam Sueci ac Dani inter ſe committantur. Unde Ducis nomine ſecreto rogabat, ſi res in arma eruperit, ut ſibi ſuæque ditioni parcatur, velut qui nullam ejusmodi conſiliorum partem attigerit. Et cum Salvius reſponderet; de Pomerania hactenus parum actum, quid deinceps futurum ſit, neſcire, ac mandata nondum accepiſſe; iſte concuſſo capite innuebat, ſat ſibi de illis conſtare, quæ in Dania agitarentur. In eandem ſententiam cum Salvio diſſerebat Bremenſis Cancellarius Theodorus Reinkingius, modica penſione Sueciæ autoratus; Pomeraniam pomum Eridis fore, ac metuere ſe, ne Dani ac Poloni acrius, quam ullus Germanorum ſe opponant. Non credere ſe quidem Dano cum Cæſare jam fœdus eſſe; non futurum eſſe, haut quidquam præſtiturum. Quin & Cæſareus Legatus Volmarus Rolenhanio Suecico miniſtro inter privatos ſermones dixerat; Danum mediatorem Sueciis plus obfuturum, quam profuturum.

1643. modo ferre poterat, quod utique Daniæ Regis perſonam tangant, quæ vel ſub Oldenburgici Comitis, vel Holſatiæ Ducis vocabulo inferantur; cavillatus, ſi quis Albertum ab Eitzen in lutum provolvat, Conſulem utique Hamburgenſem ſordibus coopertum iri. Juſſus fuerat Salvius, ſi Hamburgenſes valde inſtarent, mediationem Suecicam Regi offerre; inſuper habito, ſi vel paulo indignius ea rejiciatur, aut ipſe inſolentius ab eodem tractetur. Quod ſi tamen ſentiat rem ad transactionem ſpectare, occulto impediat, ne finem ea ſortiatur; interim Hamburgenſibus animos addat, ac de Suecico auxilio certos eſſe jubeat. Sed illi grandi quantumvis ſumma decidere, quam bello commercia ſua turbari malebant. Quanquam autem poſt emunctos argento Hamburgenſes claſſis ac miles provincialis domum dimitteretur, exauctorata conductitii parte; ac multi cenſerent, Regem ætate provecta quietem magis quam bellum meditari; Sueciis tamen pacati in ipſos animi fidem haut quidquam faciebat. Id hactenus iſte captaverat, ut clade aliqua fracti Sueci Germania cum ignominia pellerentur; quo ipſe portam ſibi aperiri ſperabat ad iſtos domi pro lubitu inſultandos. Sed ſuperiore anno cum debilitati Cæſarei Sueços ingruentes utcunque propulſare ſatis haberent, & apud Polonos modo magnitudinem Auſtriacam parum decente auxilia procarentur; non amplius ſe capiebat invidia. Unde obtentu Hamburgum caſtigandi exercitus contrahitur, quo armatus pacis leges pro lubitu Sueciis diſpenſare poſſet; Germania excedere ultro nolentes armis cogeret. In ea conſilia ſolicitabantur Bremenſis Præſul, Oldenburgicus Comes, & Luneburgici, qui adſcito Colonienſi, aliisque quibusdam Catholicis tertias partes formare meditabantur. Ipſe ad Baudiſium frequenti convivio in ea verba eruperat; ſerius ocyus ſe cum Sueciis utique colliſum iri. Ejusdem Viennæ Reſidens Bidenbachius à Cæſare petierat vectigal Glueſtadienſe prorogari, Comitatus Pinnebergenſis poſſeſſionem firmari, Hamburgenſe privilegium aboleri, ipſosque Holſatiæ obſequio addici, matrimonium Bremenſis Præſulis firmari, tum ut conſentiat Cæſar, poſſeſſionem præfecturarum per Meclenburgicam ſibi oppigneratarum, ac Dœmitzæ à ſe apprehendi, conceſſa inſuper inſula Rugia. Ea ſi Cæſar annueret, ac pro re nata auxilia ſibi ſubminiſtraret, pollicebatur intra ſemeſtre Succos ſe Germania pulſurum. Venerat 14. Jul. quoque ad Salvium ab Holſatiæ Duce Frederico miſſus Johannes Chriſtophorus Bulovius, ſuper inſtantibus pacis tractatibus ipſi gratulaturus; cæterum valde vereri ſe addens, ne ob Pomeraniam Sueci ac Dani inter ſe committantur. Unde Ducis nomine ſecreto rogabat, ſi res in arma eruperit, ut ſibi ſuæque ditioni parcatur, velut qui nullam ejusmodi conſiliorum partem attigerit. Et cum Salvius reſponderet; de Pomerania hactenus parum actum, quid deinceps futurum ſit, neſcire, ac mandata nondum accepiſſe; iſte concuſſo capite innuebat, ſat ſibi de illis conſtare, quæ in Dania agitarentur. In eandem ſententiam cum Salvio diſſerebat Bremenſis Cancellarius Theodorus Reinkingius, modica penſione Sueciæ autoratus; Pomeraniam pomum Eridis fore, ac metuere ſe, ne Dani ac Poloni acrius, quam ullus Germanorum ſe opponant. Non credere ſe quidem Dano cum Cæſare jam fœdus eſſe; non futurum eſſe, haut quidquam præſtiturum. Quin & Cæſareus Legatus Volmarus Rolenhanio Suecico miniſtro inter privatos ſermones dixerat; Danum mediatorem Sueciis plus obfuturum, quam profuturum.

Idem Suecis Pomeraniam invident.

18. Maii

§. 78.

1643. Sub Rudenam Dani à Suecis vectigal exigunt. 21. April.

§. 78. Sed vectigalis vocabulo vexationes clara in luce exercebantur. Miserat armatam navem sub Rudenam insulam Daniæ Rex. Ejus præfectus Joanni Oxenstiernæ tunc Pomeraniæ res ordinanti scribebat; vectigal pro omnibus bonis ad Coronam Sueciæ pertinentibus, quæ illac præterirent, exsolvendum esse. Addebantur rationes, quod Regi Daniæ non constet, Sueciæ immunitatem à vectigali isto loco competere, ac eundem pro asseribus & armentis quibusdam, quæ ad prædium defuncti sui filii Ulrici in Buzovienti prætulatu situm devehebantur, Wismariæ vectigal exsolvisse. Hoc modo vectigali Danico subjiciebantur omnia, quæ in usum militis Suecici in Pomeraniam vehebantur. Rectores Sueciæ suis scribebant, paterentur istum pro lubitu agere, protestatione tamen semper interposita. Nam satis adparebat, adversus istas vellicationes brevi fortius remedium fore adhibendum. Præsertim cum vexationes in Oresunda hoc anno eousque excessissent, ut jam nullo amplius modo ferri possent. Obtentui sumebatur à Dano, Suecos pacta violare, dum exteris narionibus certificationes suas accommodando Danorum vectigalia defraudent. E tabulis vectigalium constare, Suecos intra paucos annos immunitate viginti sex auri tonnarum in Oresunda fruitos fuisse, cum contra Danorum in Sueciæ portubus immunitas exigua valde fuerit. Constare sibi de opibus Suecicorum civium, ad quos nullo modo spectare queant omnes merces, quibus eorum nomen obtenditur. Esse Ludovico Geerio opulentos in Hollandia socios, qui sub ipsius vocabulo immunitate fruantur. Alios modico accepto præmio nomen suum certificationibus accommodare. Igitur & sibi fas esse naves sistere, quoad inquisitum ac probatum sit, num certificationes recte se habeant: si fraus deprehensa sit, usurum se jure Regio; nec recusare, quo minus in Suecia par jus in suos statuatur. Addebatur, Regem Gustavum anno vicesimo quarto tantum non vi ac minis iniqua pacta Danis extorsisse; ea nunc hac temporis opportunitate se correcturos, immunitate Suecica sublata aut circumcisa. Hoc igitur fine Rex Februario mense conventu Senatorum habito de ista Suecorum immunitate inter alia proposuerat, cujus abusu reditus sui valde imminuerentur. Sed cum præcipui Senatorum, Christophorus Ulfeldius, Tago Tottius, & Justus Hœckius, qui Suecos hoc tempore lacessi nolebant, Regis mentem intelligerent, propere Hafnia discedebant, ne Senatus-consultum posset fieri, Rege non parum indignante. Nec ideo destinata sua exsequi omittebat Rex; quibus ut eo minus remoræ per Senatum injiceretur, Proregem constituerat Cornificium Ulfeldium generum suum, acerbi virum ingenii, ac Suecis infestissimum. Instrumentum calumniarum nacti fuerant quendam Danielem *de Rees*, qui suo exemplo fallacias certificationum probatum ibat, aliquot per annos Holmiæ se habitasse, jure civitatis non potitum; nec eo secius aliquot navibus Oresundam transeuntibus nomen suum accommodasse. Westervvici quoque affinem suum Joannem Philippi F. Consulem haut paucas fallas certificationes confeciisse. Is igitur hac flagitiorum, si quæ revera fuerant, professione tantam sibi fidem conciliaverat, ut velut arbiter navium Suecicarum in Oresunda constitueretur, quas postquam à publicanis expeditæ fuerant, ipse novæ inquisitioni subjiciebat, prout lubitum dimittens, aut imposito milite Hafniam abstrahens ad causam coram Collegio navali dicendam. Adjunctum is habebat quendam Nicolaum Kockium, qui quondam apud Gedanum ob fraudes admissas à Spiringio multatus magna cum acerbitate odium in Suecos expromebat. Hos Sycophantas magno Daniæ malo causam fore, ipsi publicani, & cordatiores Danorum ominabantur. Hafniæ, si nulla fraudis suspicio hæreret, naves post molestam vexationem demum dimittebantur, magna temporis jactura facta, nulla in delatores calumniæ pœna, nec præstita ab his damni reparatione. Ast si in ullam merem, quæ viginti uncialium esset, qualiscunque fraudis suspicio quadraret, è nupero Regis edicto navis cum omnibus mercibus fisco addicebatur, nullo nocentium; aut innocentium discrimine facto. Novum illud judicium ex vilibus, aut obnoxiis hominibus constans in speciem tantum exercebatur, cui fere à Prorege Ulfeldio sententiæ dictabantur, qui & ipse in partem prædæ veniebat. Iidem ibi actores ac testes: Nautæ qui judicio sistebantur; rerum ferè ignari quid responderent non habebant; nulla advocati facta copia. Quæ Minister Suecicus obtenderet, non curabantur; cui ut examinibus nautarum interesset, non concedebatur. Isto judicio damnati ut ad Regem Senatumque provocarent, Suecis consultum videbatur; ut quid ille facturus esset adpareret. Ubi nonnulli quidem absoluti, ac bona sua recipere iussi, quinta tamen parte penes delatores manente. Sed quia bona navesque jam distractæ erant, Ulfeldius non sine morositate vix tertiam pretii partem offerebat. Et Rex ipse videri volebat non tam jure, quam ex gratia restituere, severo vultu pronuntians; alia vice non sic abituros. Rationis tamen erat non omnia restitui, quo vexationibus istis color non deesset. Præcipuum prætextum jactabatur; certificationes non rite conceptas, queis expressum non foret, ea bona illius esse propria, cujus nomen exprimeretur. Quod tamen neque pactis cautum, neque hactenus usitatum fuerat. Insuper & à peregrinis portibus vectigal exigebatur, velut Stetinensi pacto illi ab immunitate excepti forent. Et cum reponeretur, quare ergo tot per annos id exigere omisissent; cum irrisu responsum, eam suam culpam esse, ac sibi damno cessisse. Ne bonis quidem Reginæ parcebatur; si immunitate gaudere vellet, eam à Daniæ Rege fuisse petendam; cum tamen totum Sueciæ Regnum ea libertate gauderet. Tum ne cavillandi color deesset, mensuram navium Suecicarum explorabant; quod & antea inusitatum erat, & cum illis navibus immunitas competeret, supervacuum. Isthoc porro processu ita terrebantur nautæ Suecici, ut licet indubiis certificationibus instructi vectigal quantumvis duplicatum exsolvere mallent, ipsis publicanis id suggerentibus, quod licet certificationibus à se probatis nihilominus denuo inquisitioni subjiciendi, & Hafniam deducendi forent. Eadem acerbitas & reliquas nationes ita terrebat, ut eo anno navigatio per Oresundam solito tenuior fuerit.

1643.

Dani Suecorum navibus in Oresunda manus injiciens.

§. 79. Super his injuriis cum initio ad Rectores Sueciæ referretur, isti quidem satis judicabant, Dano ferociam accessisse, quod persuasum haberet, Batavos se haut commoturos, ac Polonos invidia erga successus Suecicorum ab armis non temperaturos. Tum & satis animadver-

Suedi initio moderate quærunt.

Digitized by Google

1643. tebant, Danum obtentu litis cum Hamburgenſibus copias contraxiſſe, ut ſi Sueci ſe commoverent, ipſe paratus imparatis ſubito ingruere poſſet. Enimvero his ſatius videbatur injuriarum exſecutionem in opportunum magis tempus differre. Eoque placebat bellum clam parare, Dano in arma erumpendi occaſionem haut præbere, inſultationes ferre, vectigal ſolvere, Danicis civibus nihilo ſecius immunitatem in Suecia relinquere. Strœmfeldius jubebatur modeſte, & citra minas queri, ac demonſtrare; talia pactis adverſari; ſi quid fraudis admiſſum ſit, id expreſſo in pactis modo expediendum; innocentes cum nocentibus plecti iniquum eſſe. Si quid novi antevertendis fraudibus comminiſci velint, id prius cum Regina Sueciæ communicandum; & ex utriuſque gentis conſenſu lanciendum. Si quid peccatum eſſe à quopiam Sueco demonſtratum fuerit, Reginam in iſtum animadverſuram. Tum ut Senatus Daniæ talibus ſe interponeret, ne amicitia inter duo Regna minuatur. Interim quid ab ipſis ageretur, accurate obſervaret. Ad hæc Prorex Ulfeldius, cui iſtas querelas exponebat Strœmfeldius; fraudibus Succicorum civium non aliud remedium potuiſſe adhiberi. Ab Holmenſibus civibus certificationes peregrinis mercatoribus ultro offerri; talium miſſo in Curiam aureo affatim haberi poſſe. Tum & Danicos cives in Suecia ſat duriter haberi. Iſtas fraudes non amplius ferri poſſe, quidquid commercia inde turbatum iri jactetur. Talia porro ad paucos duntaxat privatos, non ad ipſa Regna pertinere. Prorſus velut everſis commerciis ipſum Regnum nihil detrimenti caperet. Etſi Chriſtiano Thomæ F. Cancellario, aliiſque moderatis viris iſta valde diſplicere conſtaret: Nonnihil tamen ſuſpicionis Danis injiciebatur, cum nulla eo anno ſupplementa in Germaniam mitti, ac Guſtavum Hornium in Suecia manere audirent, quem Torſtenſonio tam frequenter ex morbo decumbenti ſucceſſurum crediderant. Unde & aliquantiſper placidius loquebatur Ulfeldius, quam antea, & acta aliquo modo excuſare velle videbatur. Sed mox ad priorem acerbitatem reditum, eo tamen diſcrimine, ut minus pretioſis mercibus onuſtæ, aut exiguæ naves citra moleſtiam transmitterentur, opulentis, & ubi aliquod calumniæ pretium inſidiæ potiſſimum ſtruerentur.

Conſultatio ſuper bello Danico.

§. 80. Tali modo cum Succorum commercia plane ſubvertere, ac ſuæ libidini ſubjicere conaretur Danus, quid agendum foret præſente in Senatu Regina, imperio quantumvis nondum ſuſcepto, expenſis utrinque rationibus inquirebatur. Verſabatur ante oculos periculum non ſolum ab Auſtriacis, ſed & Dano, Polono, Ruſſo imminens, qui ad turbanda Sueciæ conſilia, fortunamque ſubruendam incumbebant; immenſæ ſtimulis invidiæ agitati, ut Germanicum bellum inglorio fine, nulla ſecuritate, aut emolumento parto clauderetur. Id porro hactenus Dano negotium fuiſſe patebat, Sueciam contemnere, alios in ipſam irritare, vires imminuere, domi, ſi poſſet, res ejuſdem turbare. Iſta hactenus tolerata aut eluſa, quamdiu citra extrema conatus iſti ſubſiſtebant. Nunc talia intentabantur, quæ citra certum Sueciæ exitium, ac irreparabile damnum ferri non poterant, pactisque inſuper habitis per everſa commercia privatæ juxta publicæque opes ſubruebantur. Tum pro imperio omnia agere Danus, hoſtilibus retor-

12. 22. 16. Maji.

ſionibus ſævire, velut abrupta jam pace. His diſſimulatis ferocius inſultandi eoſdem anſa præbebatur, velut ex facili tolerantes, aut timiditatem impotentiamque ſuam fatentes. Nec aliud ſupererat, quam ut poſt tantam patientiam ferrum jugulo exciperetur. Quanquam autem eo res videretur rediiſſe, ut non amplius quæreretur, declinari bellum poſſet, nec ne; ſed inferre bellum præſtaret, an ex hoſtis commodo id admittere; non tamen deerant, qui quantalibet injuriarum tolerantia bellum Danicum inpræſens vitandum ſuaderent. Duras quidem digeſtu Dani injurias; ſed ſatius eſſe minore malo defungi, quam intempeſtivo remedio in majus exitium præcipitare. Ignominiam à Danis illatam eo minoris eſſe; quod Angli Batavique eadem toleraverint, tranſactione quamvis dura importunitatem iſtius redemiſſe ſatis habentes. Neminem non Principem lucro ſuo invigilare, nec adeo indignandum, ſi quis terrarum aut aquarum ſuarum reditus, quantum poſſit, excultum eat. Si aſperrime expoſtulatum fuerit, culpam in publicanos ac miniſtros conjectum iri. Sat gravi Sueciam bello jam implicitam hærere. Novo bello conſiliorum telam Regi Guſtavo cœptam plane abrumpi. Deſerenda eſſe Moraviæ ac Sileſiæ loca, per quæ honeſtæ pacis leges à Cæſare redimi poterant. Surrecturum forte & in Livonia bellum, in quod Polonus dudum pronus ſit, Dano nunc invitante. Si uno duntaxat bello implicemur, Polonum ac Ruſſum haut temere ſe commoturum. Sed duplici bello diſtrictis verendum eſſe, ne ipſa in nos occaſio iſtos pertrahat. Tum ſi quid cladis acceptum fuerit, neminem non ad aliquam naufragii noſtri tabulam rapiendam accurſurum. Peritura quæ per Germaniam tanto cum labore parta ſunt; ſi bello iſto nondum poſito, novum ordiamur; adverſus tot tamque validos hoſtes viribus noſtris haut quidquam ſuffecturis. Sueciam longo bello viris exhauſtam, acciſas opes tanto oneri haut pares. Deſerto bello Germanico ſubſidia Gallica ceſſatura, maximi hactenus momenti ad ſumtus belli tolerandos. Jam ad ipſum limen pacis Germanicæ perventum, cujus conciliatorem Danus agat: eos tractatus bello cum Danis orto hæſuros, aut pace facta omnia per Germaniam æque ac Daniam parta reſtituenda, implicitis utriuſque belli rationibus. Gallicum fœdus in lubrico fore, ſi adpareat, Germaniæ rebus poſthabitis circa Daniam hos ſatagere. Ita novum bellum orſis vetere nondum poſito ſummam rerum diſcrimini exponi. Id denique potius agendum, ut pacatam Regni adminiſtrationem Regina ſuſcipiat, quam duplicis belli cura inter primordia imperii obruatur.

1643.

Rationes contra.

Rationes pro bello.

§. 81. Aſt quibus bellum non amplius differendum videbatur, poſt injurias Dani atque inſultationes longo ordine enumeratas differebant; ſi diutius iſta tolerentur, nec modum, nec finem injuriarum fore. Daniam nunc officinam eſſe, ubi infeſta in Sueciam conſilia cudantur, per Polonos ac Ruſſos expromenda, ni mature interrumpantur. In promtu arma Danum habere, ut noſtris in Germania commodis obſtet, iſtiusque exitum ſibi glorioſum, nobis indecorum ſtruat. Turbata navigatione omnia Regni incrementa, omnes nervos incidi, cives ademtis rem quærendi mediis ad deſperationem agi, vectigalibus interceptis ærarium ſubverti. Sub Rudenam ipſum annonam ac paratum bellicum,

quo

1643. quo miles noſter in Germania ſublevandus, ſuæ libidini ſubjicere. Ni obſiſtatur gliſcente ipſius audacia ad Livoniæ portus naves ſuas diſpoſiturum, ac ibi quoque vectigal exacturum. Non expectandum, quoad is omnia, quæ in Sueciam parturit, conſilia excluſerit. Experientia conſtare, quo majore animo maſcula in Danum conſilia ceperimus, eo melius res noſtras ſe habuiſſe, ac eo citius infenſis eundem machinationibus ſuperſedi ſſe; tolerantia importunitatem ejuſdem incrementa ſumſiſſe. E noſtris opibus rem eum quæſitum ire, ut tanto validior nobis ingruere queat. Ulfeldium non dubitaſſe fateri; Danum eo Succos redacturum, ut nulla amplius Succica navis Oreſundam tranſeat: id ſi iſte effectum dederit, de Suecia actum eſſe. Si à noſtris injuriam ſibi factam credidiſſet, querelam ad nos deferre, ac viam pactis publicis deſignatam inire debuiſſe. Nunc iſtis inſuper habitis, imperare, exſequi, auferre, velut ſervitio ſuo addictis. Quo diutius bellum differatur, eo magis Sueciam enervatum iri. Per infidam cum Dano pacem nec domi ſecuritatem conſtare, ac res per Germaniam languide adminiſtrandas. Ita nec hinc bello finem nos invenire, ac domi fruſtra atteri. Falſo credi oblatis tractatibus hiſce malis medicinam poſſe fieri. Ex hiſtoriis patriis conſtare, Danos tractatus ſemper eouſque extraxiſſe, quoad intra fines noſtros ſe conjecerint. Quamdiu in ancipiti res noſtræ per Germaniam fluctuarint, quievi ſſe Danum; nunc poſtquam in Cæſareis provinciis pedem nos fixiſſe viderit, & ipſum arma parare, ut vel indecoras pacis leges nobis obtrudat, vel Cæſari ſe adjungat. Quo minus hactenus nos invaſerit, id unum obſtitiſſe, quod arma noſtra in Germania adhuc erecta ſteterint. Illis ubi infauſti quid accidat, & ipſum in nos eruperum. Ac ſi ullum è bello Germanico fructum ſperamus, Danum nobis prius frangendum. Id ni fiat, ſerius ocyus illum Germania nos expulſurum: eo contuſo, omnia nobis deſtinata facilius ſucceſſura. Si ſtrenue rem ſuſcipiamus, fieri poſſe, ut bellum Danicum ſe ipſum alat. Invadente hinc in Scaniam Hornio, inde in Jutiam Torſtenſonio, tum impetitis è Pomerania inſulis brevi res ipſi in anguſto fore; Silentio tantum opus eſſe, ne deſtinata noſtra antevertat, ac conſilia turbet. Ut in Germania miles ipſi nequeat conſcribi, nos facile prohibituros. Eſſe nobis ſocios, eſſe amicos, quorum rationes noſtris rationibus hoc bello ſint implicitæ. Nec ita temere otioſos ſpectatores acturos Batavos, etſi prono in Angliæ Regem Dano, amicum Arauſionenſi. Favere Scotos, favere Parlamentum Anglicanum; qui ſi aliud nihil præſtent, Regi obſtituros, ne auxilia Dano mittere queat. In Germania ita res diſponendas, ut hoſtium vis tantiſper ibi propulſari queat. In Danum omnes vires effundendas, ac primum ictum ita librandum, ut iſte in vertiginem detur; ac quæ nobis meditatur in ipſum devolvenda. Cæſari non ita in proclivi fore brevi nos omnibus Germaniæ locis expellere, firmata præcipue Olmutio, Glogovia, Erfordia, Lipſia. Erepto licet uno alteroque oppido ad ſummam rerum parum profici. Quod ſi in Daniam ſequantur Cæſarei, eo maiorem eidem vaſtitatem illaturos. Daniam nobis Germania propiorem, ac proprii Regni ſalutem magis nos tangere, quam Germaniæ Ordinum commoda. Propiorem ac nocentiorem quoque hoſtem Danum, quam Auſtriacos. Denique cum neceſſitatem belli incolumitas nobis noſtra ac libertas imperet, dubitandum adhuc eſſe, noſtro an hoſtium tempore bellandum, opprimere an opprimi ſatius ſit? 1643.

§. 82. In hanc ſententiam cum ab omnibus iturn eſſet, placebat eo anno ſupplementa in Germaniam non mittere, ac partem præfectorum, militumque domum revocare tironibus admiſcendam. Torſtenſonius jubebatur bellum per æſtatem extrahere, ac vergente in hiemem anno in Holſatiam penetrare, copiaſque Danicas diſſipare, ac quæ poſſit loca opprimere. Quod ſi interrogetur, cujus juſſu id faciat; reſponderet, neceſſitate coactum hiberna quærere; ſi tamen à Regina mandata accipiat, in tempore ſe inde abiturum. Holſatiæ Ducem amice haberet, ſi is extra belli contortia ſe removeat. Inde omnia domi nullo cum ſtrepitu ad bellum diſponi, arma, pecunia, claſſis parari, munimenta oppidorum reſici. In Ingria quoque & Livonia omnia ad vim excipiendam adornantur. Non tamen in Suecia prius prorumpere viſum, quam Torſtenſonium in Holſatiam adpuliſſe conſtaret. Ea conſilia tot conſciis capta exquiſito ſilentio tegebantur, ut ad Danum nihil emaneret, antequam Torſtenſonius in Holſatiam ſe infudiſſet. Num à Gallis auxilium adverſus Danos petendum foret, aliquandiu dubitatum. Sed re curatius expenſa placuit id omittere, ne iſta occaſione conſilia ante tempus vulgarentur, ac illi forte ſubſidia retraherent, ſi noſſent, aliud præter Germanicum bellum parari. Et quia belli hujus rationes Galliam parum tangebant, vix inde quid levamenti expectabatur. Sed nec Belgas Fœderatos in auxilium vocare viſum, quoad bellum cœptum eſſet. Bellum in Danum decernitur.

§. 83. Decreto bello Danico, cujus ſucceſſus atque exitus prævideri non poterat, & ordiendis mox pacis Germanicæ tractatibus, id quoque dilceprabatur; num poſtulandæ in ſatisfactionem Pomeraniæ utique inſiſtendum, an vero ea potius cedendum eſſet? Nam ſuſpicio erat, circa hanc præcipue tractatus hæſuros. Id quod hac rerum facie quam maxime declinare cupiebant Sueci, ne iſta occaſione rationes belli Germanici cum Danico implicarentur, quas ſeparatas manere cupiebant; neve utroque bello in longum extracto, agglomerantibus ſe pluribus hoſtibus, utrinque ſperato fructu excideront. Quanquam enim illa nondum aperte à Succis petita fuerat; omnibus tamen perſuaſum erat, in eandem oculos ab iis conjectos. Quæ circa eandem omni modo retinendam laborandum ſuadebant, non pauca erant. Poſſeſſionem ejus idoneo titulo partam expulſis inde Cæſareis. Jus belli poſt in fœdus mutatum, quod Brandeburgicus vivo Guſtavo Rege ſubſcribere noluerit, quin poſt hoſtilia in nos ſumſerit. Si quid terrarum in Germania habendum ſit, nullam Sueciæ magis opportunam. Ea dimiſſa periculum olim Sueciæ oriri poſſe, cujus prævertendi cauſa Rex Guſtavus quondam inter alia bellum moverit. Retentam non parum momenti conferre poſſe, tuendæ adverſus malevolorum machinationes Sueciæ. Ex ea commode Oreſundam infeſtari poſſe, ac tedem belli Danici è Weſtrogothia, Smalandiaque diverti. Per eam in Conventibus Imperii, & Superioris Saxoniæ ſuffragium obtineri, quod Guſtavus Rex cupide affectaverit, obſervandis & impediendis infenſis Sueciæ ibi conſiliis. Poſſeſſione maritimæ oræ Sueciam adverſus invaſio- Conſultatio ſuper cedenda Pomeraniæ. Rationes pro ea retinenda.

1643. nes Auſtriacorum muniri. Sedem ibi eſſe conducendi militis Germanici. Ex ea cominus conatus hoſtium obſervari poſſe, ac ſi opus ſit, ex eadem à tergo iſtos invadi. Reſurgente potentia Auſtriaca Brandeburgico forte non ſatis virium ad eandem tuendam fore. Ordines Germaniæ ea à nobis retenta pacis ſecuritati amplius cautum credituros. Nec Cæſarem magis ægre laturum, Succos Pomerania, quam Danum Holſatia potiri. Dani, Poloniique invidiam etiam ceſſa Pomerania non deſituram; quin iſtum creditурum, ſui metu eam nos retinere non auſos. Ei provinciæ ſi renuntiaverimus, Ordinibus Germaniæ parum curæ deinceps fore, ut nobis ſatisfiat. Ex eadem ſeptem intra horas Daniæ inſulas invadi poſſe; cum alias à Suecia claſſis longo itinere adverſus Daniam educatur; quæ & nunc è Pomerania commeatu refici poſſit. Ea mediante non Danum ſolum diſtrahi poſſe; ſed & per eandem in Boruſſiam, ac Poloniam iter patere.

Rationes pro eadem cedenda.

§. 84. Aſt qui eadem cedendum cenſebant, demonſtrabant; magna cum invidia nobis objici, quod Guſtavus Rex initio belli declararit, nil aliud ſibi quæri, quam ut res Germaniæ in priſtinum ſtatum reponantur. Jus belli in fœdus eſſe verſum, ac Brandeburgicum jus ſibi ſuum integrum reſervaſſe. Ut ea durante bello retineatur affatim rationum eſſe; ſed ſecuta pace eam utique reſtituendam, Brandeburgico exclamaturo, iniquum eſſe, ut ipſi ſoli aliquid decerpatur, cum tam acriter à nobis pro cæterorum reſtitutione certetur. Lubricam ejus provinciæ poſſeſſionem Sueciæ fore. Eam opibus exhauſtam; nobiles juxta plebemque animo à nobis averſos, præcipuos Brandeburgico addictos. Stralſundam morosam eſſe ac refractariam, quæ potius quam caſtellum admittat, ad Danum ſit tranſitura. Florentibus noſtris armis eandem à nobis ſtare: ſi fortuna reflaverit, tergum obverſuram. Tum ita enormia eſſe ejus provinciæ privilegia, ut ipſi Principi leges præſcribere queant. Æmulos noſtros crediturос, tam magnum ex ea nobis fructum percipi, ut quieturi non ſint, antequam nos inde exturbaverint. Porro ut illi ſuccurratur totis claſſibus opus eſſe, quibus per hibernos menſes iter plane clauſum ſit. Exemplo Angliæ ſatis patere, quam difficile ſit diviſas mari provincias retinere. Stetino capto reliqua provincia nos expellere in proclivi fore. Solam Pomeraniam Brandeburgicum à nobis alienare, ac conjunctioni Danum inter, Polonumque cauſam præbere. Quinquies centenis uncialium millibus, ſimul decem militum millibus opus eſſe ad eam provinciam idoneis præſidiis tuendam; ex qua tamen etiam alta pace Principibus quondam non ſupra centum viginti millia redierint, nobis etſi portoria retineamus ultra ducenta millia redire nequeant. Ne iſthac potiamur manibus pedibuſque obnixuros Cæſarem, Polonum, Danum, Brandeburgicum; nec cum poſtremo horum, niſi ea ceſſa, fidam unquam amicitiam fore. Nec obtenturos nos eandem, niſi prævalentibus noſtris armis; id quod præſtare penes nos non ſit, nec in pace tuituros abſque magnis præſidiis; præſertim ubi cum aliis vicinis bellum nobis interceſſerit. Contra eadem ceſſa, Brandeburgicum commodis noſtris obſtringendum, quo connivente iter nobis per Boruſſiam in Poloniam, ſi opus ſit, patere queat. Si Polonus in eam irruperit, nullum nobis à Cæſare aut Imperio auxilium ferendum. Igitur ultro eam potius Brandeburgico dandam, quam ut eadem ab ipſo aut Cæſare nobis eripiatur. Hoc facto reliquas pacis conditiones longe faciliores fore. Pacis cauſa dimiſſam quondam Boruſſiam Pomerania longe potiorem; nec hac æque nobis opus eſſe, atque Livonia. Brandeburgico nunquam animum deceſſurum eam recuperandi; ac tandem aliquando nos inde nulla refuſione facta ejiciendos. Rationibus utrinque expenſis placebat declinandæ invidiæ, & eludendis vicinorum machinationibus, ubi ad tractatus perventum foret Pomeraniæ mordicus non inhærere; idque Brandeburgico oblique inſinuandum, ut eo acrius pro noſtra ſatisfactione connitatur, aut ſaltem ne hoſtibus ſe noſtris ſocier. Sed ingentem potius pecuniæ ſummam ſtipulari, retenta interim hypothecæ nomine parte Pomeraniæ, & Wiſmaria ſub lege commiſſoria, ni ſolutio conventa die fiat. Ac facile ſperari poſſe, ſolutionem non futuram, aut aliquam temporum mutationem interventuram, ut illa abſque invidia ad nos devolvatur. Interim commoditatibus ejus adverſus vicinos uti nos poſſe: Inprimis videndum, quis tractatuum juxta, bellique ſucceſſus ſit futurus. Dano in Ordinem redacto totas vires in Cæſarem effundere integrum fore. In tractatibus pacis primo loco amneſtiam urgendam, quæ & ſecuritatem Sueciæ præſtitura ſit adverſus Auſtriacos potentia eorum per Ordines librata, & gloriam velut pro aliena libertate certantibus. Inde ſuper militum, ultimo loco de Reginæ ſatisfactione agendum. Interea fata viam inventura. Extremum in ſatisfactione militum duos milliones, in Reginæ ſex fore. Hanc ſummam accipere ſatius eſſe, quam bellum grave ac periculoſum gerere, aliud fortaſſe paritурum. Hoc modo pacem in Germania parari; ſaltem tam æquis conditionibus latis orbem judicaturum, bellum deinceps à Succis non ex habendi cupidine, ſed neceſſitate geri. Pro captu tamen futuri temporis conſilia temperanda eſſe.

1643. Ea cedendum certo modo decernitur.

Miſſio ad Brandeburgicum.

§. 85. Ea cum ſententia ſtaret, Joachimus Tranſæus *à Roſenec* cum commendatitiis Reginæ literis Berolinum mittitur, velut privati negotii expediendi cauſa, revera ut oblique Electori inſinuaret, Reginam à reſtituenda Pomerania non alienam eſſe, quo ipſi adverſus Danum & in tractatibus pacis faveret, aut ſaltem ne cum Dano conſilia ſociaret. Nam conſtabat Regem Daniæ Brandeburgico obtuliſſe, ſi ipſi ſe conjungere velit, ſe vel Coronam ſuam periculo expoſiturum, ut ipſi Pomerania reſtituatur. Ac ſi pro temporum ratione illa utique reddenda foret, decentius erat, ſponte id feciſſe videri. Qua de cauſa tamen ea miſſio nunc potiſſimum fieret, ipſi Tranſæo indicium non fiebat. Jubebatur is oſtendere, ideo ſe privati habitu miſſum, quod ſolennes Electoris in Sueciam miſſiones tanto rumore agitatæ ſint, ac vicinorum fœderibus anſam præbuerint. Tum exponeret, Reginæ cordi eſſe, Evangelicos Ordines in ſtatum anni decimi octavi reſtitui, pacem Pragenſem ſubverti, Palatinum reponi; & ad eundem finem Electorem hortetur. Si de Pomerania Elector mentionem injecerit, reponeret; Elector operam det, & alios urgeat, ut Sueciæ ſatisfiat; de quo ubi convenerit, rem circa Pomeraniam fore facilem. Quam tamen ſatisfactionem Suecia poſtulet, non exprimeret, nec ad certi quid ſe obſtringeret; tantum velut privato ſermone jace-

ret,

1643 ret, se intellexisse, Reginam à restituenda Pomerania, Ulteriore præsertim, non alienam esse, si alia ratione sibi satisfieri queat. Extolleret magnitudinem sumtuum, adduceret exemplum Saxonis & Bavari adversus ipsum Cæsarem, & Dani adversus Suecos circa Elsburgum, qui haut timide calculum posuerint. Omnia tamen Reginæ integra servaret, ac magis Electoris mentem expiscaretur, quam suam panderet, ac spe recuperandæ Pomeraniæ delinitum à conspiratione cum Suecise hostibus averteret. Ad quæ Elector declarabat; sibi quoque placere pacis Pragensis antiquationem, & ut abolita in universum ante actorum memoria omnia in integrum restituantur.

Dani ut injurias emendent, frustra monentur.

§. 86. Quanquam autem Suedi justis ac necessariis causis in bellum Danicum agerentur, visum tamen ad Senatum Daniæ scribi, quia ita decebat, & ut Ordinibus Regni, & reliquis omnibus hæc destinata eo facilius probarentur.

3. Jun. Iis literis ostendebatur, quam inique cum Suecicis civibus in Oresunda agatur; postulato, ut apud Regem ista corrigi curent. Si quis convinceretur fraudis quid admisisse, non impune laturum. Interim non universa commercia turbanda. Pactis & recepta hactenus consuetudine aliam viam designari querimoniis componendis.

21. Jul. Ad eas literas cum Cornificius Ulfeldius; & Christianus Thomæ F. respondarent; jure facta esse, quæ accusarentur; Rectores Suecise altera vice literas dare decreverant, ne quid intermisisse viderentur, quod ad declinandum bellum faceret. Quas tamen paulo asperius temperare visum, ut in omnem eventum clarigationis vicem subire possent. Eoque diserte exprobratur; pacta esse violata, injuriam illatam; quam nec possint, nec velint ferre. Eas literas

29. Aug. in Daniam Joannes Stalhantschius perferebat; à quo tamen Prorex & Cancellarius illas accipere, aut publice eundem admittere nolebant, excusantes; sibi non esse fas exteri Principis internuntios audire insscio Rege. A Stromfeldio tamen ordinatio ministro eas se accepturos. Id

1. Sept. factum dein Petrus Wibius excusabat, Regem esse ætate provecta, veterem dominandi, ac suspicacem. Senatum ipso imperante ter multatum. Cancellarium inter juniores Senatores

26. Oct. esse, Regis metuentem. Ad eas literas Senatus Daniæ reponebat: mirari se, omnia quæ hac ætate in Oresunda corrigere, ita sinistre accipi, cum è ducentis navibus, quæ hoc anno fretum transierint, octo tantum detentæ sint, è quibus tres iterum relaxatæ. Suecicis civibus injuriam non esse factam; Regem ipsum in supremo judicio præsedisse. De peregrinis potulentis per pacta cautum, ut Suedi non plus solverent, quam Danici cives: in hos autem paucos ante annos eo nomine vectigal impositum. Ad rationes tamen Suecici Senatus nihil reponebatur. Ac satis adparebat, ab istis rem extrahi, quoad paratis omnibus in arma erumpere possent. Sane valde ferociter Cornificius Ulfeldius

9. Nov. cum Stromfeldio expostulabat: Mirum esse Suecos tanto bello immerios novum agitare. Nam posteriores Senatus Suecici literas non nisi pro denuntiatione belli à se posse haberi. Sibi satis adparere, quo ista pertineant. Unde facturos, ne imparati inveniantur. Se talem contumeliam haut laturos. Ita Tribsesæ aut Malchini consuli solere scribi. Neque vero ex præcipitantia animi, sed deliberato consilio talia scripta fuisse, ac plus in recessu habere. Ejusmodi literas hinc inde exaratas belli prænuntias esse solere. Quanquam in Suecia multi veterani sint præfecti ac milites, se tamen media via occursuros. Immunitatem in Oresunda ad merces tantum Suecicas pertinere, quæ Suecicis navibus proprios per nautas vehantur. Bello commisso si ea semel amissa fuerit, nunquam recuperandam. Regem Daniæ dudum à Cæsare & Polono ad arma in Suecos sumenda solicitatum; ni quiescerent, sat ipsis omni è latere negotii facessendum. Singulis annis Oresundam querelis resonare, ac bellum pace infida præstare. Hæc ex impotentia animi jactaret, an ut Stromfeldium expiscaretur, aut terreret, incertum est. Sat tamen constabat, Regis ac Senatus animos commotos fuisse, ac omnia belli paratibus strepere cœpisse. Ac jam duo millia in Scaniam missa ad fines Suecise disponebantur. Etsi breve ad tempus animum recepisse viderentur, quod clade Gallorum ad Dutlingam Torstensonii destinata turbata crederent.

Conventus Ordinum Regni.

§. 87. Cæterum in Suecia, cum Torstensonium exsequendis in Holsatiam destinatis propinquare pateret, Ordines Regni convocabantur, è quorum numero selectis quid circa bellum Danicum decretum esset, secreto communicabatur. Qui etsi optabant, eo bello supersederi

14. Oct. potuisse: id tamen justum ac necessarium, simul inevitabile agnoscebant. Tempus erumpendi, modusque Reginæ arbitrio relinquebatur. Illo Conventu miles, pecunia, frumentum decernebatur; tum ut Regina ætatis anno decimo octavo plenam Regni administrationem susciperet. Nam quod Recessu Norcopensi definitum erat, ut Reges Suecise si dictum annum ingrederentur, dimidiam regiminis partem susciperent, id quomodo expediri posset, non constabat. Nam ejusmodi divisum imperium videbatur lubricum, sine autoritate, ineptum negotiis cum extraneis expediendis. Ac jam decreto Nicopensi anno hujus seculi undecimo priori Recessui derogatum fuerat.

Exercitus de hoc bello significatur.

§. 88. Scribebatur inde ad Joannem Oxenstiernam, & Salvium; negotium pacis ne abrumperent; apud omnes confirmarent, Suecos velle Germaniam in pristinum statum reponere. Gallos & Landgraviam animarent. Interim rem servarent integram, tempusque extraherent. Inprimis Gallis ostenderent, id bellum non potuisse declinari, testati Reginam non minore constantia communem in Germania causam exsecuturam. In Hollandiam mittebatur Ludovicus Geerius, ut si Ordines Generales in societatem belli pertrahi non possent, à privatis triginta naves bellicas conduceret. Ac sane optatum accidebat Belgis, rem inter Suecos & Danos ad arma deduci. Quanquam enim post fœdus cum Suecis mollius eosdem habuisset Danus, acerbitate in Suecos potissimum expromta: tatis tamen perspiciebant, his oppressis se Dani arbitrio exponendos. Malebant tamen Suecos armis suis ferociam Dani frangere, ut ipsi extra periculum positi ex alieno certamine emolumentum captarent, ostentato cominus metu ad commoda sibi pacta Danum adacturi. Ac Arausionensis Princeps Suecis iniquior horum commodis quantum poterat obstabat. Etsi alias isto anno novæ quid offensæ inter Danum, Hollandosque inciderat, quod Daniæ Rex in

1643. Oresunda contra pacta ante biennium inita à nautis Hollandicis pecunias extorsisset. Super qua re Ordines Belgii ad Regem scripserant: si tali modo agere pergeret, satius esse commercia simul & semel aboleri; multis minacibus verbis additis. Earum literarum latorem Prorex Ulfeldius laqueo necandum jactabat, si jure ageretur. Miserat idem Rex ad Batavos paulo ante literas, quibus *clementissimam suam salutationem* præscripserat. Eas cum ministro Danico isti redhibuissent, Rex repposuerat; ita antiquitus à Daniæ Regibus ad illos scribi solitum; nec dignationem Hollandiæ jam majorem, quam antea: si quid potentiæ accessisset, id esse ex spoliis vicinorum. Cæterum quia bellum isthoc Danicum tribus nitidissimis libris *Joannes Henricus Boeclerus* composuit, id à me interpolari supervacuum fuerit. 1643.



SAMUE-

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFI RERUM SUECICARUM

LIBER DECIMUS SEXTUS.

EPITOME.

1. *Torſtenſonius exercitum firmat. Luneburgici tributa detrectant.* 2. *Bremenſis Præſul hoſtilia ſumit. Kœnigsmarckius in Miſniam abit.* 3. *Hatzfeldii inanis expeditio.* 4. *Cæſareorum conſilium. Gallaſius in Holſatiam movet. Boitzenburgum expugnat. Dani Gallaſio junguntur.* 5. *Torſtenſonius Gallaſio obviam tendit. Idem Holſatia excedit. Gallaſius Albim tranſit.* 6. *Dani à Cæſareis non ſine offenſa ſeparantur.* 7. *Torſtenſonius Gallaſium inſequitur.* 8. *Saxo loca quædam Miſniæ recuperat.* 9. *Kœnigsmarckius in Miſniam excurrit.* 10. *Gallaſius Bernburgi caſtra metatur. Torſtenſonius eodem tendit.* 11. *Caſtra caſtris opponuntur. Cæſarei pabulatores vapulant.* 12. *Gallaſio auxilia veniunt.* 13. *Cæſarei Eislebiam diripiunt. Gallaſius Magdeburgum evadit. Pabulatores Cæſarei intercipiuntur.* 14. *Cæſareus equitatus vapulat.* 15. *Torſtenſonius in Miſniam abit.* 16. *Reliquiæ Gallaſiani exercitus Witebergam evadunt.* 17. *Per Sileſiam geſta. Cæſarei recuperant Drachenbergam, Schvveidniciam, Wolaviam. Glogovia fruſtra obſidetur. Cæſarei Oppelam capiunt.* 18. *Olmutium fruſtra obſidetur.* 19. *Croſna & Francofurtum Brandeburgico reſtituuntur.* 20. *Ragozius in Hungariam irrumpit. Polonus mediatorem ſe pacis offert.* 21. *Sueci pacta cum Ragozio rata habent.* 22. *Ragozius recedit. Cæſarei Caſſoviam fruſtra oppugnant. Miſera Cæſareorum conditio.* 23. *De pace agitatur.* 24. *Cæſarei denuo ingruunt.* 25. *Per Superiorem Germaniam geſta. Bavarici Uberlingam recipiunt. Briſaci præſidiarii ſeditionem induunt. Circa Hohentvvilam irrita conventio.* 26. *Turennius in Bavaricos movet; duasque ipſorum legiones cædit. Bavarici Friburgum obſident. Turennius caſtra mutat. Friburgum Bavarico deditur.* 27. *Enguianus Dux è Gallia venit. Idem partem caſtrorum Bavaricorum expugnat. Alia vicerepellitur.* 28. *Galli Bavaricos cedentes multant. Hohentvvilæ obſidium ſolvitur.* 29. *Enguianus Philipsburgum petit. Bavarici copias augent. Galli Manheimium ac Spiram capiunt. Philipsburgum à Gallis expugnatur. Franckendalia eminus circumſidetur. Wormatia & Moguntia capiuntur. Enguianus in Galliam redit.* 30. *Haſſiaci ad Rhenum accedunt. His Bavarici fruſtra inſidias ſtruunt. Bavarici denuo ad Rhenum movent.* 31. *Gleenii irritus conatus. Bavarici in hiberna concedunt.* 32. *Hoſſiacorum acta. Motus Friſiæ Orientalis.* 33. *Circa pacem acta. Legati Danici Oſnabruga diſcedunt. Suecici de ſtudio pacis teſtantur. Iidem Ordines Imperii denuo hortantur.* 34. *Quinam Legati in loco adfuerint. Galli Monaſterium veniunt. Oxenſtierna Oſnabrugam intrat.* 35. *Ordines nondum adſunt.* 36. *Legati Regii colloqui nondum poſſunt.* 37. *Galli Ordines ad tractatus invitant. Landgravia Deputatos hortatur.* 38. *Circa procuratoria edenda Cæſarei Oſnabruga tergiverſantur.* 39. *In procuratoriis Monaſterii multa deſiderantur; in Cæſareo, in Hiſpanico;* 40. *In Gallico.* 41. *Cæſarei abſque Danis tractare nolunt.* 42. *De modo tractandi Oſnabruga dubitatur. De Veneta mediatione.* 43. *Ordines Imperii adhuc accedere tardant. Controverſia Ordinum cum Venetis. Reliqui Ordines de acceſſu diſſentiunt. Landgravia ad tractatus mittit. Pomerani diſcedunt.* 44. *Salvius Monaſterium excurrit. Gallorum de bello Danico querela. De invitatoriis Gallorum literis. De procuratorio Suecico. De tractatibus Danicis.* 45. *De ſubſidiis. De Ragoziano fœdere.* 46. *Cæſarei moræ culpam Suecis impingere cupiunt. Iis Sueci reſpondent. Luneburgicus Legatus venit Oſnabrugam, & abit.* 47. *Tractatus Monaſterii quoque quieſcunt. Servientus Oſnabrugam venit.* 48. *Gallia Rex Ordines Imperii ad tractatus invitat. Idem & Legati Gallici faciunt.* 49. *Cæſarei jam ultro procuratoria exhibere cupiunt. In procuratorio Cæſareo pauca deſiderantur.* 50. *Cæſareorum circa procuratorium probandum mora.* 51. *Lambergius Comes Oſnabrugam venit. Legatus Luſitanus Monaſterium venit. Luſitani Suecis arctius fœdus offerunt.* 52. *Cæſarei ſecretos tractatus tentant.* 53. *Legati Suecici Ordines Imperii denuo invitant; non ſine effectu.* 54. *Procuratoria Oſnabruga pro commutatis habentur.* 55. *Monaſterii ſuper procuratoriis diſceptationes. Suecorum de iis judicium.* 56. *Salvii cum Gallis acta, de prima propoſitione, de ordine tractandorum.* 57. *De tractatibus Monaſterium transferendis; quod Sueci abnuunt.* 58. *Procuratoria Oſnabruga mutuo*

Digitized by Google

traduntur. 59. *Monaſterii prima propoſitio fit. Oſnabrugæ immediate agitur probantibus Evangelicis. Oſnabrugæ propoſitio prima fit.* 60. *Contenta propoſitionum. Judicium de Regiorum propoſitione.* 61. *Poſtulatum Gallorum de Trevirenſi omnes improbant.* 62. *Regiorum poſtulatum de adventu Ordinum Cæſarei eſt ingratum; ſui & Mediatoribus. Regiorum ſententia.* 63. *Cæſar Electores Venetiis pares habet.* 64. *Cæſarei Stralſundæ ſalvum conductum negant.* 65. *Cæſarei funus Luſitanicum abripiunt. De ſalvo conductu pro Luſitanis Gallorum ſententia.* 66. *Deputationis Francofurtenſis acta.* 67. *Diſceptatio de Legatorum Gallicorum literis;* 68. *De amneſtia & gravaminibus,* 69. *Polonica.* 70. *Moſcovitica.* 71. *Regina Chriſtina regimen ſuſcipit.*

1644. Torſtenſonius exercitum format.

TOrſtenſonius Holſatiæ, Jutiæque inſulis, etſi minores opinione opes ibi reperiſſet, nobilibus, civiumque locupletiſſimis Lubecam, Hamburgumque, aut Danicas in inſulas refugis; tamen quantum poteſt augendo exercitui operam dabat, inter ſupplementa diſtributis, quoscunque è conductitio Danorum milite in poteſtatem redegerat. Delectus quoque Hamburgi, Lubecæque habiti, ac Mortaignius in Hollandiam miſſus, ut quæ ibi parabatur claſſi maturandæ operam daret, ſimul duo peditum millia conduceret. Obſervandis per Saxoniam rebus Kœnigsmarckius cum expedita manu deſtinabatur, cui ſupplendis legionibus, ac ſcribendis novis Inferior Saxonia cum Oldenburgenſi Comitatu aſſignabatur. Sed minor deſignatione proventus erat. Nam Bremenſis Prælul bellum malebat, Oldenburgicus Comes Cæſareis clam pecunias, Dano nuper copias ſubmiſiſſe arguebatur; quorum utrumque is abnuebat, extra belli conſortia deinceps quoque manſurum ſe profeſſus: cæterum ut immunitate hactenus indulta frueretur pertendebat. Sed & Luneburgici Duces onera abnuebant, ſimul ut Hildeſienſi agro miles Succicus deduceretur poſtulabant, Torſtenſonio contra inevitabilem belli neceſſitatem excuſante, & cum ipſe pro tuenda eorum ditione, ac promovendæ honeſtæ paci operam navet, æquum non eſſe, eosdem in nullam oneris partem venire. Ea Legatis, quos Duces ſuper Kœnigsmarckii poſtulatis queſturos ad Torſtenſonium miſerant, reſpondebantur, acriter repreſſo Legatorum uno, qui ſat importune minas ſpargebat. Nec minus tamen iidem exemtionem à tributis apud Joannem Oxenſtiernam Mindæ poſtulabant: Sibi per nuperam cum Cæſare transactionem hujus hoſtibus pecunias conferre fas non eſſe. Eo fine ſuorum ſibi oppidorum tutelam conceſſam, ut parti utrique tributa negare poſſent. Si Succos pecunia juverint, inutilem fore ſuam circa communes tractatus operam, velut in adverſam partem deſcenderint. Controverſias Succiæ cum Danis ad ſe non ſpectare. Addebatur, ut oppidis ſuis præſidia Succica deducantur. Eadem poſtea per literas à Regina petebant. Sed de oppidis ad inſtantes pacis tractatus rejectum; reliqua onera neceſſitas ac ratio belli excuſabat. VVeſtphaliæ porro rebus Guſtavus Otto Stenbockius præficiebatur. Pomeraniæ oppida inſpicere Duglaſſius jubetur; in quam & Petrus Andreæ F. cum equeſtri legione deſtinatur ad ſubita belli excipienda. Reichvvaldus tribunus cum quingentis equitibus in Sileſiam miſſus, ut è Polonia frumentum Glogoviæ inferret. Inter quæ Hermannus Boothius, dum novas in Livoniam irruptiones meditatur, per Succicos præfectos Hamburgi intercipitur, quem Torſtenſonius Wiſmariam deduci in cuſtodiam jubet, in Sueciam deinde trajiciendum. Nam ob pactum circa captivos cum hoſte initum ſupplicio afficere quantumvis meritum non audebat. Arctiori ejus cuſtodiæ æs alienum, quod in Suecia quondam contraxerat, obtendebatur. Etſi idem poſt cuſtodia elapſus lacucum, qui ipſi in Suecia paratus erat, effugiebat. Eodem quoque tempore Adamus Schickardus quondam poſt obitum Banerii turbarum incentor, nunc circa Roſtochium in Cæſareorum manus tradendum agitans à Wiſmarienſibus intercipiebatur, cum is, ne petente Torſtenſonio dederetur, fuga ſe proripere conaretur. Meclenburgicus ut fido magis homini Roſtochium cuſtodiendum crederet monebatur. 1644

§. 2. Aſt Kœnigsmarckius cum Bremenſi ac Verdenſi prælulatui tributa imperaſſet, ſuſpecto Prælule eodem adproperat, ac Verdam in poteſtatem redigit, quadraginta peditibus cum optione inteſtam. Inde propius Stadam ſuggreſſus mitti poſtulabat, qui ſecum tranſigerent. Adpernante Prælule ſtatim in hoſtilia prorumpitur, ac provincia, qua pertingere licebat, à Kœnigsmarckio lubigitur, diſſipatis iſtius delectibus, ipſo viciſſim non minus qua dabatur Succicos intercipiente ac cædente. Sed tunc quidem dilato Bremenſi negotio in Miſniam abire potius habebatur. Cæſareorum enim equitum centuriæ ſedecim ſuperato apud Dreſdam Albi Grimmæ conſederant. Unde Axelius Lilius Lipſiæ tunc præfectus equites ſuos hoſti haut pares Naumburgum dimittebat. E Torgenſi arce præſidiarios Lipſiam ſe recipere juſſos in via ſubito ingruens hoſtis opprimebat, gregariis centum quinquaginta inter ſupplementa diſtributis, præfecto Dreſdam deducto. Hinc à Cæſareis VVeiſſenfelſa oppidum direptum, duabus quoque machinis minoribus, quæ arci iſti firmandæ Lipſia ſubmittebantur, in via una cum duodecim peditibus per Croatas interceptis. Ac animus Cæſareis erat Lipſiam paulatim in angustias redigere, vicinis circa oppidis inteſtis. Enimvero Kœnigsmarckius, qui Axelio Lilio ad curandam Pomeraniam evocato iſtum tractum tueri juſſus erat, audito Cæſareorum conatu huc excurrere conſtituit, quod in Bremenſi agro ſtagnantes hiberna tempeſtate aquæ longius progredi prohiberent. Is repente ingruens Cæſareos Grimmæ agentes oppreſſiſſet, ni monente transfuga iſti mature ſe Pegaviam verſus ſubduxiſſent; triginta equitibus in receptu deſideratis. Quinquaginta tamen dimachæ in Grimmenſi arce relicti ab iſto capti. Pegaviam quod pedites ad manum non eſſent, invadere tunc non licebat. Nec reliquis, qui Altenburgum receſſerant, inſiſtere tutum videbatur propinquis Hatzfeldianis, qui nuper Mainungam ternis aſſultibus poſt quadringentos ſuorum amiſſos deditione ceperant. Unde copiis ſuis ad Salam reductis quietis nonnihil indulgendum cenſebat, in omnes interim hoſtium motus intentus. Nec diu poſt, audito tribunum Reckovvicium excurrendi ſolertem cum Croatarum legione

Bremenſis Prælul hoſtilia ſumit.

Kœnigsmarckius in Miſniam abit. 15. Jan.

14. Jan.

11. Jan.

7. April.

Luneburgici onera detrectant.

7. Jan.

20. Jan.

1644. ne Cizæ agere, ſolita celeritate advolat, ac ſummo mane quantumvis paratum profligat, præter ipſum tribunum centum quinquaginta cæſis captisque.

Hatzfeldii ſuarum expeditio.

§. 3. Mox tamen cum Hatzfeldius è Franconia movens Rudolfo Colloredo, ac Bruæo non procul Chemnicia ſubſiſtentibus ſe junxiſſet, præter

20. April. ſolitum militem Bavaricas quasdam legiones trahens; Kœnigsmarckius iſtis impar Hala Eislebiam, inde trans Werram ſe recipit, & à Landgravia auxiliis ſe ſublevari poſtulat. Quæ licet metueret, ne iſta occaſione hoſtis intra ipſius provinciam pertraheretur; è Superiore tamen Haſſia Joannem Geiſium cum bis mille equitibus evocat, cum Kœnigsmarckio, qua ratio belli ſuaderet, hoſtibus occurſurum. Interea Hatzfeldius Cæſareo, Bavaricoque milite ſtipatus apud Jenam ſuperato Sala Northuſam abierat, ubi relictis octingentis peditibus præter ægrotos cum ſex equitum millibus, ac valida peditum manu Wernigerodam, inde Goslariam & Oſtervvicum progreditur. Credebatur Halberſtadium tentaturus, ni cuncta ibi parata ad repellendam vim comperiſſet. Nec dubium erat, quin Luneburgicos tranſitum per ſuam provinciam, annonamque ac paratum bellicum cum machinis popoſcerit, ut Archiepiſcopo Bremenſi copias ſociare poſſet. Sed illis hæc omnia abnuentibus ea deſtinata fruſtra fuere. Contra Kœnigsmarckius cum Haſſi propius licet ſuggreſſi conjunctionem vario obtentu, ac præcipue pabuli inopia excularent, à finibus Haſſiæ repente Lipſiam

30. April. revolat. Sed & Hatzfeldius è ſtativis ad Sylvam Hercyniam eadem qua venerat via trans Salam regreditur, ſuis legionibus in vetera hoſpitia, Bavaricis in Superiorem Palatinatum dimiſſis. Cæſarei ſub Colloredo, & Bruæo circa Zvvieeaviam ſubſiſtebant Gallaſio è Bohemia ſe moventi ſociandi. Tota hac expeditione Hatzfeldius non aliud operæ pretium fecerat, quam ut præfectum turmæ è Kœnigsmarckianis cum quinquaginta circiter equitibus intereiperet, ipſius contra equitatu iſthoc itinere non parum attrito. Kœnigsmarckius interim Lipſiam milite ac annona firmat, oppidanis arma adimit, quod pacta quondam à decurionibus ſuis cum Torſtenſonio inita ſubſcribere nollent. Minora quoquè Miſniæ oppida, quod munimentis ita repente nudari non poſſent, præſidiis obtinere ſatius ducebat morando hoſti. Inde per Halberſtadienſem ditionem Viſurgim verſus properat ſiſtendis Archiepiſcopi conatibus, qui paterno bello implicitus Suecis hoſtilia qua poterat intendebat.

Cæſareorum conſilium.

§. 4. Cognita Suecorum in Daniam irruptione, Cæſarei duces, cum Hiſpanis, Bavaricisque Paſſavii convenerant, ſuper ratione belli deinceps gerendi conſilia collaturi. His placebat, non tam Danum bello eximere, quam Suecos intra anguſtias Cherſoneſi Cimbricæ, in quas ſe conjecerant, concludere, ac ſi vi non poſſent opprimi, fami deſtruendos tradere. Eo fine Gallaſius cum primario Cæſaris exercitu in Holſatiam ire jubetur. Ex altera parte Hatzfeldius Bremenſi Præſuli juncturus ſe erat; cui Orientales Friſii excuſſo Haſſorum jugo, cum Oldenburgico, Luneburgicisque ſociandi ſperabantur, queis Kœnigsmarckium Haſſosque opprimere in proclivi foret. Bavaricos in ſuperiore Germania ſat habituros Gallicas copias ſubmoviſſe. Ita oppreſſio intra Holſatiam Torſtenſonio loca præſidiis Suecicis inſeſſa vi aut fame facile in poteſtatem redactum iri. Cæterum menſe Martio Cæſar Regi ſignificat, Gallaſium cum exercitu propediem ipſi auxilio iturum; tum hortatur, ut ſuas ipſi copias jungat, operamque adverſus communem hoſtem navet. Lente tamen Gallaſii expeditio procedebat, qui vergente jam menſe Majo luſtratis apud Falckenoam copiis per Nariſcos in Miſniam movet, ubi Colloredus, & Bruæus, ſimul quinque legiones Hatzfeldicæ ipſi ſociantur. Cizam progreſſus arcem ibi ſexaginta peditibus inſeſſam machinis quatit, ac dum præfectus ſuper deditione dubitat, aſſultu expugnat, præſidiariis ſub ſua ſigna diſtributis. Sequebantur iſtum octo equitum millia, cum ſexcentis Croatis ac duabus dimacharum legionibus; peditatus quatuor hominum millia explebat. Præter Lipſiam progreſſo Sala apud Bernburgum, Albis apud Werbenam ſuperatur. Poſt tranſitam Havelbergam, ac Perlebergam Meclenburgicæ infunditur, ac Boitzenburgenſem turrim invadit. Eam Jonas Simonis vigilum præfectus cum ſexaginta peditibus octo per dies ſtrenue tuebatur, occiſis Cæſareorum ducentis amplius, ſauciatis trecentis. Tandem derivatis è foſſa aquis ſubjectus cuniculus turrim cum omnibus præſidiariis in aërem evibrat. Eo impetu & adjectum caſtellum vi perrumpitur, trucidatis omnibus, qui intus reperiebantur. Hinc Oldesloæ caſtra muniebat Gallaſius, valida manu paluſtrem verſus tractum emiſſa, intercludendæ viæ inter Stapelholmiam, & Sleſvvicum, qua legionibus Succicis è Jutia transeundum erat. Quæ deſtinata Torſtenſonii vigilantia eludebat. Bruæus quoque cum mille equitibus exploratum emiſſus noctu Chilonium irrumpebat, quod duas per horas diripiebatur, cæſis viginti & uno militibus Succicis, qui ægroti decumbebant, octodecim captivis abductis. Acris ibi penuria peditatui Cæſareo incubuit, ob quam plurimi Hamburgum ac Lubecam diffugere, cadaverosâ facie famem profeſſi. Donec inopiæ ab Hamburgenſibus ſubveniretur ſubvecta annona; quorum vici haut eo ſecius hoſtili modo diripiebantur, donec Gallaſius inſigni dono delinitus modeſtiam militis ſui polliceretur. Illis in caſtris Danicus quoque miles ipſi jungitur; mille equites, duo peditum millia quingenti erant. Gallaſius inde Segebergam, mox Chilonium movet: quod oppidum impetu perruptum; arx deditione capitur. Oppidum militi in prædam conceſſum. Bruæus inde mille cum equitibus in Hœckingium tribunum incidebat, qui à Torſtenſonio trecentis cum equitibus miſſus erat, inveſtigandis Cæſareis per ſylvas diſperſis. Eo conflictu ipſe tribunus cum ſubtribuno ac turmæ præfecto cecidit, dimidia quoque gregariorum pars cæſa aut capta: reliquis ægre evadentibus.

§. 5. Ait Torſtenſonius contractis apud Rensburgum copiis haut è re judicans diu ibi deſidere, in hoſtem ire, ac prælii copiam facere conſtituit. Unde tranſito Eidora Neomonaſterium movet; Rensburgo præſidium deducit firmando peditatui ſuo, quod iſti tuendo ſeptingentis militibus opus eſſet, nec oppidum iisdem alendis ſufficeret. Inſequente mox Gallaſio Torſtenſonius acie locis æquis explicata ad meridiem usque conſtitit. Sed quia Gallaſius inhibito agmine inter paludibus internata virgulta ſubſiſtebat, Torſtenſonius ad vicum Bornchovam, poſtera die Segebergam progreditur, unde præſidio deducto arcem igne deiet. Hinc Oldesloam abit, ubi hoſtis è veſtigio inſecutus in adverſo colle pedem firmabat. Credidit Torſtenſonius eum peditatu ſuperiorem prælii copiam facturum; eoque etſi locus ob uliginem, & ſparſa paſſim virgulta explicandæ acici incommodus

1644. Gall. furia Holſatiam movet.

29. Maji.

12. Jun.

Boizenburgum expugnat.

18. Jul.

19. Jul.

20. Jul.

Dani Gallaſio jungun-tur.

4. Aug.

Torſtenſonius Gallaſio obviam tendit.

8. Aug.

9. Aug.

10. Aug.

Idem Holſatia excedit.

11. Aug.

1644. modus eſſet, ſequenti mane cum machinis propius hoſtem ſuggreditur. Sed cum hic munitis jam caſtris ſe teneret, mutuas inter diſploſiones & modicas velitationes dies conſumtus, pauculis apud Succos cadentibus. Raceburgi hinc paucos per dies Torſtenſonius ſubſiſtit, dum commeatus Lubeca petitur, quæ urbs licet affectu in Succos parum prona, florenti Succicorum exercitui forum abnuere non audebat. Cæterum Torſtenſonius tanta induſtria iter inſtituerat, ut licet ante ora hoſtis exercitum traduceret, ne unico quidem vehiculo iſte potiri poſſet, quod impedimenta valido cum præſidio ſemper præmitterentur. Idem porro Holſatia ideo prior excedebat, ut conſumtis omnibus hoſtem ſubſequentem penuria attereret. Gallaſius intellecto Torſtenſonium Raceburgum conceſſiſſe, Mælnæ conſidere decreverat, ſi Danis apud ipſum morari placuiſſet. Sed his abnuentibus recta Lauenburgum tendit, ac munitis ante vaſtatam arcem caſtris ſe tenet, quoad ponte perfecto copias in alteram Albis ripam traduceret. Poſtremo ejus agmini valida Succicorum caterva incumbebat, quæ multis cæſis quadringentos milites cum parte impedimentorum intercipiebat. Ita Gallaſius hac expeditione nullum operæ pretium fecerat, niſi forte turrim Boizenburgi evertiſſe, ac Holſatiam funditus evaſtaſſe tanti fuit. Equidem ipſe gloriabatur, Danis ſe exhibuiſſe, quæ ab ullo mortalium præſtari poſſent: Judicabant tamen alii, Succicam claſſem in Chilonienſi portu adverſis ventis detentam potuiſſe opprimi, ſi, antequam Succicus exercitus contraheretur, iſte adproperaſſet. Conſilium porro ipſi erat Magdeburgum ire; inde apud Havelam conſidere, prout res ſuaderet arma converſurus.

1644. 1. Aug.

16. Aug. Gallaſius Albim tranſit. 20. Aug.

Dani à Cæſareis non ſine offenſa ſeparantur.

§. 6. Danicæ porro copiæ brevi hac expeditione ad dimidiam partem per ſeditiones imminutæ; quæ cum ad Holſatiæ limites una cum Cæſareis perveniſſent, longius progredi abnuebant, niſi novis à Rege mandatis acceptis. Fremebant inde, promiſſa ſibi ſervata non fuiſſe; neminem comparuiſſe, qui ſtipendia & annonam expediret. Nec impedimenta ſibi eſſe tanto itineri adornata; non alia mente veniſſe, quam ut prælio certarent. Ita quicquid caneret Gallaſius, in ſtativa tua regredi pertendebant. Sed cum idem oſtenderet, nunc regreſſos facile à Succis opprimendos, ipſum trans Albim Bardevicum usque ſequebantur. Inde per Bremenſem agrum itinere facto cis Albim Glucſtadium ſe recipiebant. Diſceſſum fuit magna utrinque offenſa, & mutuas inter exprobrationes. Gallaſius querebatur, Danos ample pollicitos parum ſervaſſe, ac multa finxiſſe. Duorum menſium ſtipendia pro exercitu Cæſareo promiſiſſe, tum omnium ſuarum copiarum conjunctionem, ac complura agreſtium millia. Jactaſſe inſuper claſſem Succicam & peditatum à ſe deletum. Utraque mania comperta. Dani contra exprobrabant, Gallaſium circa opprimendam Suecorum claſſem, & exercitum intra anguſtias hærentem, officium non feciſſe. Inter pocula eundem jactaſſe, ita Succos à ſe incluſos, ut nemo eorum evaſurus inde ſit. Nunc præter os ipſius eosdem tranſiſſe. Hic interim per Veterem Marchiam, quantum poterat, verſus Magdeburgum properabat, multis paſſim ſigna deferentibus, aut per Dræmlingenſes ruſticos trucidatis.

Torſtenſonius Gallaſium inſequitur.

§. 7. Aſt Torſtenſonius, etſi jam Danos ulterius premendi Gallaſio digreſſo facultas eſſet; tamen quod metueret, ne hic refectis aut firmatis per utramque Saxoniam copiis validior mox ingrueret, è veſtigio ipſum perſequi conſtituit. Igitur commeatu Lubeca inſtructus Gadebuſchiam petit, paulisper ibi moraturus, quoad Albis ponte ſterneretur. Animus ipſi erat Dæmitzæ Albim tranſire, quo fine ejus arcis præfectum omnia parata ponti extruendo habere juſſerat. Aſt hic præter juſſum ſatagens pontem properabat, antequam ex adverſa ripa caſtellum illi tegendo extructum foret. Eo cognito Gallaſius Fraudituſchium ſupremum vigiliarum præfectum cum bis mille equitibus miſit ponti deſtruendo; qui centum equites Succicos ibi transgreſſos fudit, ac quibusdam captis, cæteros Garlebiam fugere coëgit. Inde caſtello exiguo oppreſſo vicinas huic ripæ rates deſtruxit. Ita pons ille interruptus; quo ſi ſtatim uti potuiſſet Torſtenſonius, Gallaſius exitium non videbatur declinaturus. Nunc mora aliqua intercedebat, dum Boizenburgi pons extruitur, ac dux à ſolito ſibi morbo recreatur.

1644. 19. Aug. 1. Sept.

Elector quædam loca Miſniæ recuperat. 1. Jul. 20. Jul.

§. 8. Aſt Saxoniæ Elector digreſſo Koenigsmarckio obſidium Chemnitiæ circumpoſuerat; quam cum primo impetu expugnaturum ſe nequidquam ſperaſſet, deliberato Schweinitio tribuno, aliisque ſolitas obſidentium artes admovebat, ac tandem ſolo tenus mœnia dejiciebat. Ita Muhlius tribunus, qui ſtrenue rem geſſerat, oppidum in has leges dedit, ut ipſe cum ſuis Erfordiam deduceretur, exceptis illis, qui quondam ſub Cæſare aut Electore ſtipendia fecerant; equitibus equi ademti. Inde Grimmenſis arx impetitur, quam optio per flagitium nulla neceſſitate dedebat; quo nomine & mox pœnas capite luit. Rochlicenſis arx aſſultu expugnatur. Optio præſidii ob convicia in Electorem jacta, queis immodicum venandi ſtudium exprobrabatur, ab hoc in furcam ſublatus. Apud Leiſnicenſem arcem deditionis leges ſervatæ non ſunt, ſed omnes gregarii ſacramento Electoris adacti. In Luſatia quoque Sonnevvalda ab Electore recuperata; equites, qui oppidum inſederant, equis ademtis dimiſſi. Lucca lento obſidio ad famem jam erat redacta, cui juſſu Axelii Lilii è Pomerania ſubventurus accedebat Petrus Andreæ F. tribunus cum ſex equitum turmis. Sed huic Callenbergius tribunus Saxonicus cum ſex equitum, quatuor dragonum turmis apud Libenaviam occurrit, ac numero prævalens Succos pellit, uno turmæ præfecto cæſo, altero capto. Centum quoque gregarii necem aut captivitatem ſubiere, multi diſperſi, ut tribunus cum ducentis duntaxat in Pomeraniam reverteret.

20. Jul. 1. Aug.

Koenigsmarckius in Miſniam excurrit. 23. Jul.

§. 9. Kœnigsmarckius interea magnam Bremenſis præſulatus partem imperata facere coëgerat. Sed & ipſius catervæ hinc inde Albim transmittentes Gallaſianos carpebant; quarum una Bieckedæ Albim transgreſſa apud Mælnam centum Croatas oppreſſerat, ac reliquis cæſis quadraginta cum ſubtribuno abduxerat. Sed Saxoniæ Electorem præſidiis Succicis per Miſniam inſultantem non amplius ferens, cum valida equitum manu eo excurrere inſtituit. In itinere tribunum Ungarum cum quadringentis equitibus Saxonicis apud Eglam deprehendit, quem arci incluſum in manibus jam ſe habere credebat. Sed is facto per murum foramine, ac palude circumfuſa aſſeribus ſtrata per ſilentia noctis cum ſuis Magdeburgum evaſit. Quam ob ſocordiam ſignifer, qui ſtationi illa parte præfuerat, capite mox pœnas dedit. Extremorum tamen nonnulli, qui tardius fugam adornabant, cæſi. Inde aſſumta è Lipſienſi præſidio peditum manu arcem Torgenſem machinis verberatam in poteſtatem redigit, centurione cum centum

14. Aug.

1644 centum quinquaginta peditibus citra exceptionem ſe dedente, ex quibus ſexaginta amplius, qui Succis antea militaverant, ad vetera ſigna rediere, reliquis captivitatis ſortem ſubeuntibus. Lucca quoque diſſipatis Saxonicis obſidio liberata, ac commeatu firmata, eique Reichvvaldus tribunus præfectus. Sed cum Gallaſium adverſo Albi movere cognitum eſſet, Kœnigsmarckius deducto Torgenſi arci præſidio è Miſnia in Halberſtadienſem agrum deſcendit, Cæſareorum conatus obſervaturus, ac ut pone ſequenti Torſtenſonio ſe
6.Sept. jungeret. Vix ille abierat, cum Elector Eilenbergenſi arci vim admovet, ac poſt ruinam editam impetu perrumpit, Optione cum triginta peditibus trucidato, cui ne paciſceretur vetitum fuerat. Inde copias ſuas Enckefortio tradit, qui eas denuo in
11.Sept. Cæſaris verba adigit. Ab hoc Lucca honeſtis legibus ad deditionem compellitur, præſidio Halberſtadium deducto. Deditionem accelerabat, quod Reichvvaldus tribunus ſaxo ictus obire munia non poſſet, ac reliqui præfecti ſegnius curarent.

Gallaſius Bernburgi caſtra movet. 8.Sept.

§. 10. Aſt Gallaſius quantum poſſet accelerans Magdeburgum, mox Stasfurtum attigerat, inde apud Bernburgum ad Salam in monte caſtra munit, peditatu numeris valde imminuto. In eo itinere Bruæus cum ter mille equitibus Kœnigsmarckianam catervam quingentorum equitum ſub Kinskio & Schœnherro tribunis exploratum emiſſam non procul Egla deprehendit; quam ſtrenue licet reſiſtentem, cum numero prævaleret, in fugam conjecit, ac Halberſtadium usque perſecutus eſt. Uterque tribunus cum duobus ſubtribunis, & aliquot præfectis captus, gregariorum trecenti deſiderati. Contra Torſtenſonius, è ſolito
Torſtenſonius eodem tendit. 7.Sept. ſibi morbo recreatus, dimiſſo in Holſatiam Jutiamque cum legionibus aliquot Helmoldo Wrangelio, per Luneburgicam iter ingreditur. Ad Halberſtadium Kœnigsmarckius cum novem equitum alis, octingentis peditibus ipſi jungitur.
18.Sept. Inde Aſcaniam Torſtenſonius procedit. Ubi bidui quiete exercitui conceſſa, quod hoſti tam celerem ſui adventum parum ſperatum intelligeret,
16.Sept. Alslebiam ad Salam uno milliari ſupra Bernburgum ſitam progreditur. Sed quia hoſtis munitis
17.Sept. in monte caſtris invadi non poterat, iſte Salam vado tranſiit, ac arcem Bernburgenſem, quam medius fluvius oppido ſejungit, occupavit, cæſis qui eam tuebantur, ac turmis Cæſareis trans flumen rejectis, hoſte machinis incaſſum fulminante. Copya tribunus cum ducentis peditibus arci imponitur, quam globis ignivomis Cæſarei incaſſum infeſtabant. Torſtenſonius cum exercitu ſecundum Salæ ripam ex adverſo Munchneuburgi tendebat; ubi diſpoſitis machinis hoſtem caſtra mutare crebro globorum jactu cogebat. Mox & è Bernburgenſi arce machinis fulminantibus altera vice tentoria alio transferre ſubigebat. Inter hæc Gallaſius nulli conflictui anſam præbuerat, ut facile à prælio ipſum abhorrere pateret. Ita uterque exercitus caſtris oppoſitis ad finem usque Septembris hærebat. Qui à Gallaſianis intercipiebantur confirmabant, valida auxilia ab ipſo expectari. Et idem caſtra ſua exquiſite muniebat, ut facile adpareret, ipſi in animo eſſe diutius ibi morari.

Gallaſius caſtris oppoſitus.

§. 11. Quanquam autem Torſtenſonius non diſpiceret, unde auxilia hoſti venire poſſent; tamen Kœnigsmarckium cum quindecim alis trans Albim mittit, ſi quid de adventu Cæſareorum audiretur. Sed ſilente ibi fama, ac Saxonicis poſt captam Luccam in tuta digreſſis in caſtra iſte redit, 1644
ſexaginta Cæſareis equitibus apud Albim oppreſſis. Igitur ſtabat ſententia Torſtenſonio Gallaſium non amittere, ſeu Magdeburgum verteret; ſeu adverſo Sala adſcenderet; quæ ſolæ ipſi viæ patebant. Tum quantum poteſt exercitum angebat, evocatis Lipſia & Erfordia, aliisque oppidis; qui commode præſidiis detrahi poterant. Landgravia quoque monetur mille quingentos equites; mille pedites ſubmittere. Tum validæ equitum ſtationes Munchneuburgi; Calbæ; Halberſtadii; Aſcaniæ, Mansfeldæ; ac vicinis locis diſponebantur, compeſcendis hoſtium excurſionibus; ut nullibi prope niſi Magdeburgo annona non ſine magna moleſtia, & periculo ipſis petenda eſſet. Unde ingens in caſtris Gallaſii penuria, ut viri & equi paſſim procumberent, multi ad Suecos transfugerent; Danis, ac qui his favebant cavillantibus, in media nunc Germania incluſum teneri, qui nuper Suecos à ſe in caſſes redactos gloriatus fuerat. Inter hæc Fridericus Haſſiæ Landgravius, dum Lipſia ad Torſtenſonii caſtra cum quinquaginta equitum præſidio proficiſcitur, à validiore hoſtium caterva invaditur, quæ cæſo turmæ præfecto Stellano Mœrnero cum viginti equitibus Dœliciam ipſum refugere cogit. Viciſſim per Torſtenſonii catervas, quæ retro hoſtium caſtra ſubinde perſultabant, plurimi quotidie intercipiebantur. Ex his Cæſarei pabulatores vapulant. 4 Octobr. intellectum à Gallaſio è ſingulis turmis novenos equites cum univerſis pabulatoribus Quedlinburgum verſus emiſſos. Adverſus quos Kœnigsmarckius noctu cum bis mille equitibus mittitur ſub quinque tribunis, quos inter & Carolus Guſtavus Palatinus erat, eo militiæ gradu in Curlandica legione tunc functus. Iſte Salam Calbæ transgreſſus inter Aſcaniam & Sanderslebiam Cæſareos turmatim conſiſtentes una cum pabulatoribus deprehendit. Præmiſſus fuerat ad dextram cum centum equitibus Palatinus, cum totidem ad ſiniſtram Duglaſſius, ut hoſtis ex utroque latere & à fronte ſimul invaderetur. Sed Palatini turmam magno numero irruens hoſtis fundebat; ipſum octo equites in angulum duarum ſepium concurſu factum compulerant, quorum tres gladio ille transadigebat, cæteri tubis inverſis caput humerosque graviter tundebant, donec accurrentes alii cæſis hoſtibus ſaucium eripèrent. Sed mox univerſis ingruentibus conflictu commiſſo Cæſarei fuſi pars Mansfeldam; reliqui caſtra verſus fugam arripiunt. Qui primo impetu in manus inciderant, cædebantur, cæteri fere capti, quos inter plurimi præfecti. Per hos cognitum mille quingentos equites fuiſſe, qui caſtris egreſſi forent: Ex his duæ catervæ, quæ conflictui non adfuerant, verſus Hercyniam ſylvam ſe proripuerant, è reliquis vix centum evaſerant. Inter cæſos ſubtribunus Spitznaſius, & præfecti turmæ Mareſchallus, ac Grevierius Comes, aliique ductores erant. Suecorum pauci admodum, nec ullus inter hos ductor deſiderabantur. Capta equorum tria millia, ac vehiculorum magna vis igne delera. Kœnigsmarckius 9.Octobr. captivis Halberſtadium deductis ſalvus in caſtra revertebat. Ea clades famem in caſtris Gallaſii non parum augebat.

§. 12. Huic enixe roganti Saxoniæ Elector equitatum ſuum ſub Enckefortio duce auxilio mittebat, cui & duæ Cæſareorum legiones è Sileſia acceſſerant. Tum & rumor ſpargebatur, plures mox è Franconia, ac Sileſia adfore. Aſt Torſtenſonius etſi hoſti par, quod ipſum undique circumdatum intra caſtra fame perdere conſtituiſſet, Haſ-

Gallaſio auxilia veniunt.

licas

1644. ſicas copias ſub Geiſio duce ad ſe accitum ibat. Kœnigsmarckius Aſcaniam miſſus, qui continuis excurſionibus frumentatione excluſum ſummas in anguſtias redegit; unde magna hominum jumentorumque vis fame extabeſcebat, cum Suecicis in caſtris annonæ aſſatim eſſet. Nec aliud Gallaſio relictum, quam ut repente noctu Magdeburgum ſe proriperet. Quo tunc & canes, gallos, ac aſinos caſtris dimoveri juſſerat, ne iter ipſius clamore proderent. Ei deprehendendo Torſtenſonius diligenter invigilabat, Sala tribus latiſſimis pontibus ſtrato, ut abeuntium veſtigiis ſtatim inhærere poſſet. Tum & Albi apud Aquas pons injicitur, ut ſi Gallaſius Magdeburgum evaderet commeatu Witteberga ſubvehendo excluderetur. Inter quæ Duglaſſii ſubtribunus cum trecentis equitibus trans Albim exploratum miſſus non procul Magdeburgo in inſula duarum Cæſarearum legionum ſarcinas deprehendit, quibus

4.Nov. direptis, ſexcentis equis ac captivis aliquot, multaque præda potitur.

Cæſarei Eislebiam diripiunt. 11.Nov.

§. 13. Miſerat inde Gallaſius pabulatores ſuos Eislebiam, ubi oppidani acriter initio reſiſtere, cæſis triginta amplius, ſauciatis pluribus. Sed cum diffuſo oppido tuendo haut pares forent, Cæſarei irrumpentes magnam ejus partem diripiunt; donec oppidani collectis denuo animis iſtos iterum expellunt. Eo cognito Torſtenſonius cum majore equitatus parte præter hoſtis caſtra Eislebiam verſus iſtis intercipiendis tendit. Gallaſius cum

Gallaſius Magdeburgum evadit. quid ageretur ſatis conjiceret, ac illis pabulatoribus deſectis extremum ſibi à fame exitium imminere videret, ea occaſione uſus ſequenti nocte tacitus non citra trepidationem è caſtris Stasfurtum, inde Magdeburgum ſe proripit, magna vi vehiculorum ac ægrotorum in caſtris, tum duabus grandioribus machinis Stasfurti relictis. Noctu in Suecicis caſtris eo motu percepto, diſploſis duabus machinis ſignum datur. Quo audito omiſſis pabulatoribus Torſtenſonius ad ſua caſtra revehitur. Sed hoſte jam longius progreſſo, & equis ex itinere de-

Pabulatores Cæſarei intercipiuntur. 12.Nov. feſſis ſtatim inſequi conſultum non ducebat. Poſtera luce, dum Succi circa exſpolianda Gallaſii caſtra occupantur, miſſi Eislebiam pabulatores cum adjuncto mille quingentorum equitum & dragonum præſidio revertunt, ſuos diſceſſiſſe ignari. Quibus ſtatim ingruentes Sueci univerſum pabulatorum agmen intercipiunt cum adjuncta militum manu, è quibus trecenti tantum fuga retro arrepta in Hercyniam ſylvam evadunt. Inter captivos erant ſubtribunus, excubiarum præfectus, multique ductores alii. Torſtenſonius hinc duas equitum legiones, mille pedites Serveſtam mittebat, ne hoſtis ejus oppidi commoditate frueretur, & ut, ſi Albim iſte tranſiret, infeſtari inde poſſet. Simul in hoſtem intentus ſuos Aquis apud pontem paratos habebat.

§. 14. Sed cum Cæſareum equitatum Magdeburgi incluſum è pabuli inopia brevi exitium ma-

11.Nov. neret, Bruæus, & Enckefortius, ſi qua evadere poſſent, media nocte ſummo cum ſilentio fugam adornant, Gallaſio cum peditatu, machinis, & ſarcinis Magdeburgi relicto. Ea re cognita Torſtenſonius toto cum equitatu, ac parte peditum equis impoſita iſtos inſequitur, itinere altius Witebergam verſus flexo, ut eo oppido illos excluderet.

Cæſareus equitatus vapulat. Apud Niemeccam non procul Juterboca eos aſſecutus per reliquam noctis partem juxta conſiſtebat. Sed ſummo mane eosdem aggreſſus, nulla

13.Nov. ſuorum jactura in fugam conjicit, ac ad unum à Lucca milliari perculſis inſtat. Cæſorum numerus ob latitudinem camporum imſri non poterat. 1644. Capti Enckefortius, tribuni Avvackius & Schleinicius, ac præfectorum magnus numerus, cum mille quingentis gregariis; accedebant octodecim vexilla, & ter mille quingenti equi. Bruæus ægre Suecorum manibus elapſus cū quadringentis quaſi Sonnevvaldam evadebat. Reliqui late diſperſi qua quisque poterat ſe eripiebant. Maxima clades duabus Saxonicis legionibus incubuerat, quæ agmen clauſerant, è quibus vix triginta evaſerant, multum querente Enckefortio, à Bruæo ſe deſertum. Ita deleto Cæſareo equitatu Torſtenſonius Kœnigsmarckium, &, qui commodum tunc advenerant, Haſſos ad oblidendum intra Magdeburgi ſuburbia Gallaſium relinquebat.

Torſtenſonius in Miſniam abit. 4.Dec. §. 15. Ipſe cum reliquo exercitu in Miſniam vertit, ac Pegaviæ, quam trecenti Saxonici ſub Gerſtorfio tribuno inſederant Lipſienſibus valde infeſti, deditionem imperat, multum hortatus præfectum, ne ſua pertinacia oppido invalido exitium arceſſeret. Sed iſto defenſionem adornante noctu ignivomi globi injiciuntur, à quibus excitata flamma vento dilata oppidum in cineres redegit. Gerſtorfius repudiatam prius deditionem nunc ſero affectans cum ſuis arbitrio victoris ſe permittere cogitur. Ipſe cum ſubtribuno Wedelbuichio, ac reliquis ductoribus captivitatem ſubiit; gregariorum plerique Succicis turmis admixti. Idem fatum centuria peditum ſubit, quæ arcem Cizenſem inſidebat. Inde longos poſt labores legiones per Miſniam & Thuringiam in hiberna diſtribuuntur, quibus ad finem usque anni quietem agitabant. Ipſe Torſtenſonius prætorium Cizæ conſtituerat, catervis ſubinde in Bohemiam miſſis, quæ vicinum Miſniæ tractum tributis ſubjiciebant. Tum imprimis augendis copiis operam navabat. Et quia in Bohemiam penetraturus metuebat, ne Hatzfeldius ac Bavarici, & quicquid illis partibus copiarum ſupereſſet, ipſi ingruerent, poſtquam Galli jam in hiberna conceſſerant, tribunum Laurentium Lindanum, & Avaugurium Reſidentem Gallicum ad Legatos Gallicos Monaſterium mittit; operam darent, ut copiæ Gallicæ quamprimum relictis hibernis in hoſtem rem geterent, ne ſibi ſoli univerſa belli moles incumberet; aut ſi iſte utique in Succos ſe verteret, eundem è veſtigio ſequerentur, ac ad communem cauſam operam ſecum jungerent. Elector quoque Saxoniæ armiſtitium jam circumſpicere videbatur, urgentibus filiis, è quibus Auguſtus Magdeburgi Adminiſtrator, cum Vinarienſi Duce, ac Schvvartzburgio Comite ad Torſtenſonium inviſens ſuper eo velut obiter mentionem injiciebat, à quo non abhorrere ſe Torſtenſonius innuebat, etſi nec id magnopere affectare videri vellet. Quanquam enim à Saxone parum amplius periculi immineret, acciſis valde ipſius copiis, & vaſtata provincia; tamen quia Luſatia ipſi ſupererat novis delectibus agendis, ac in Cæſareas provincias penetraturo expediebat à tergo omnia pacata habere, haut inutile videbatur cum eo Principe tranſigere. Et ſpes erat, tandem malis fractum ferociam exuturum. Quo fine & per ambages inſinuari ipſi curat, decretum ſibi omnem circa Dreſdam ad octavum usque milliare regionem flammis evaſtare. Cæterum quanquam ipſe in Holſatiam reverti juſſus eſſet ad rem adverſus Danos gerendam; tamen cum neque totum exercitum eodem pertrahere poſſet, neque ſe abſente haberet, quem iſti tantiſper præficeret, potius videbatur tota vi bellum in Cæſaris provincias ad

Danu-

1644. Danubium usque devolvere, ut tandem aliquando is paci animum adplicaret; tum ut Ragozio animus adderetur, ne cum Cæsare transigeret.

Reliquiæ Gallasiani exercitus Witebergam evadunt.

§. 16. Interim Gallasium Magdeburgi inclusum Kœnigsmarckius, & Geisius urgebant. Albis Schonbeccæ, & Aquis ponte stratus erat prohibendæ subvectioni, & ut fugam tentanti statim insisti posset. Ex altera ripa Serveſta, ac Burgum valida manu tenebatur, stationibus passim dispositis, ne quid inde urbi posset inferri. Et quia constabat apud Gallasium agitatum fuisse, ut pedites navigiis impositi secundo Albi Glucstadium vehérentur; Kœnigsmarckius ipsos statim insequi jubebatur. Tum & Dæmitzæ omnia disponebantur, ne impune illac transirent. Inter hæc Gallasianos panis, salis ac lignorum inopia mire urgebat. Oppidani ne pretium quidem offerentibus annonam vendebant, ac interdictum ab Electore erat Trandorfio urbis præfecto, ne ex penu suo illis quid præberet, si vel maxime omnibus fame pereundum foret. Unde ductores gregariique, qua licebat deferere, equinis quoque carnibus jam deficientibus. Transfugæ, qui magno numero Succicæ militiæ adscribi petebant, fere repudiabantur, quod fame ac frigore confectos vires desistituerent obeundis muniis. Ipse Gallasius bina in dies crapula mœrorem ob rem male gestam diluebat, exsecrantibus omnibus tantum exercituum perdendorum artificem; quem tamen favor Maximiliani Trautmansdorfii Comitis in aula Cæsaris tutum præstabat. Tandem cum glacies Albi fluitans Suecorum pontes perrupisset, nec pontonibus flumen trajicere liceret, Gallasius reliquias sui exercitus, bis mille peditibus, aut inermibus equitibus constantes, cum duodecim machinis minoribus Witebergam præmittit, reliquis machinis & vexillis Magdeburgi retentis. Hos Kœnigsmarckiani qui trans Albim agebant, statim impetere, ac mille captivos ex illis, qui lassitudine, aut ultro agmen deseruerant, intercipere. Quod tamen isti numero inferiores essent, nec pedite aut dimachis fulcirentur; hostis contra agmen carragine tegeret, ac machinis uteretur, internecio huic inferri non poterat. Ita mille circiter milites Witebergam, inde in Bohemiam perveniunt; miseræ reliquiæ selecti & veterani exercitus, quem proxima æstate in Holsatiam Gallasius deduxerat, citra prælium ad ineitas deducti. Unde novum circa exercitum formandum Cæsar satagebat, cui Hatzfeldius dux constituebatur, initio nonnihil tergiversatus, quod antea sibi seniori Piccolomineus prælatus esset. Is in Bohemiam quatuor millia solitum sibi militem deducebat; cui adjunguntur, qui Gallasiano exercitui superfuerant, & qui hactenus Olmucium, & Silesiæ oppida obsederant. Gœtzius quoque, qui in Hungaria rem gesserat, & aliquot Bavaricorum millia evocantur; queis ut Pragæ convenirent indictum.

Per Silesiam gesta.

Cæsarei recuperant Drachenbergam.

§. 17. Torstentionio longe in Holsatia absente Cæsarei circa recuperanda Silesiæ oppida summo studio connixi fuerant. Ac Drachenberga quidem oppidum sub finem nuper elapsi anni proditione transfugæ Optionis in potestatem hostium concesserat: Arx tamen, cui eadem struebantur, vigilantia præfecti servata; quam toto hinc anno laxiore obsidio pressam missus è Pomerania tribunus Petrus Andreæ F. mense Decembri liberavit, è quadringentis, qui assidebant, Cæsareis ducentis quinquaginta captis.

Schweidnicium.

Schweidnicia mature annonæ, ac salis inopia premi cœperat. Unde Seestedius tribunus, qui oppido præerat, aliquot centurias pauperum incolarum inde ejecerat. Nec eo minus arcte inclusus tandem fame subigente deditionem in has leges fecit, ut ipse cum omnibus ductoribus, ac Sueco Finnoque milite Francofurtum deduceretur, Germanis sub Cæsarea signa distributis. In vicina quoque arce Furstenstena Cæsarei octoginta peditibus Suecicis potiti fuerant. Wolaviam jussu Gœrzii, cui summam per ista loca curam demandaverat Cæsar, Mirzlasius tribunus vi oppugnabat, admotis machinis, & injecto igne. Inde tribus locis assultum dabat non sine clade suorum repulsus, ac ipse femur globo trajectus. Nec minus infelici successu alter assultus tentabatur, quingentis amplius Cæsareorum cæsis. Unde omissa vi laxius obsidium circumponitur, quod ut eo diutius sustineret præfectus, ducentos amplius provinciales oppido expellebat; tum & crebris eruptionibus obsessores carpebat. Tandem annona deficiente honestis conditionibus oppidum dedit, cum ducentis peditibus, tribus machinis, ac omnibus tormentis Crosnam deductus. Glogoviam Majorem cum vi oppugnare non auderet, eminus circumdabat Gœrzius validis catervis Freistadii, Sagani, Sprottaviæ, Grunbergæ, Zullichæ, & Schweibusiæ dispositis. Ipse stativa Guræ ceperat, ne è Polonia commeatus oppido subvehi posset. Ac jamdudum obsessis in anguillum cibaria redierant, ni Poloni, lucri cupidine periculum vincente, subinde frumentum clam intulissent, etsi deprehensis equi adimerentur, quibusdam & aures à Cæsareis abscinderentur. Mittebatur tamen post à Torstensonio Reichwaldus tribunus cum quingentis equitibus, cui se è Pomerania Robertus Duglasius, ac Petrus Andreæ F. cum equestri legione ac dragonum manu Crosnæ jungebant. Quorum adventu audito, quod Succicorum numerus in majus vulgaretur, stationes Cæsareæ vicinis ex oppidis præcipites Guram se propipiunt, inde longius Winzingam, & Auritam recedunt, ubi Gœrzius omnes copias contrahebat. Ita Sueeis spatium dabatur sex mensium annonam oppido inferendi. Quo facto in Pomeraniam discedentes frustra mille quingenti Cæsarei equites insequebantur. Sed & post Neurothus oppidi præfectus emissa caterva frumentum è Polonia interebat, Cæsareis qui Guræ stationem habebant, frustra id impedire conantibus. Ne messis circa oppidum à Cæsareis corrumpi posset, centum equites è Pomerania Axelius Lilius submittebat. Post tamen cum plerique Cæsarei, qui per Silesiam hæserant, Gallasio in Holsatiam abeunti se junxissent, id oppidum deinceps extra molestiam erat. Sed Oppela quam subtribunus Gunnius cum trecentis peditibus insidebat, fame demum urgente honestis conditionibus deditur, præsidio Crosnam deducto, relictis tamen tormentis.

1644. 6. Maji. VVolavia. 26. Jun. 29. Jun. Glogovia frustra obsidetur. 16. Martii. Cæsarei Oppelam capiunt.

Olmucium frustra obsidetur.

§. 18. In Moravia Crocovius mense Aprili Lechnitzam arcem per triduum machinis quassaverat. Sed falso rumore de Torstentonii in Misniam adventu territus nocte repente obsidium solvit. Mox abolendæ huic ignominiæ circa expugnandum Olmucium satagit; quod post vim frustra tentatam eminus includere obsidio instituit. Jussus tamen à Cæsare vim instaurare, cum operam luderet, functione sua amovetur, inque ejus locum Ladislaus Wallensteinius Comes sufficitur. Is contractis quatuor millibus partim militibus, partim provincialibus castella primo idoneis locis circumponit, ut nihil annonæ inferri posset. Inde paulatim vis admovetur machinis, ignibus,

Digitized by Google

1644. cuniculis, intercepta etiam aqua. Contra qui oppido præerat tribunus Georgius Paiculius firmatis diligenter munimentis vim facile eludebat, etsi præsidium morbis non parum foret imminutum; ac multi præter necessitatem ad hostem transfugerent. Militi quoque annonæ latis, sed aquæ penuria coquendæ cerevisiæ fatigabat. Oppidani ipsi men, quos penus deficiebat, ex urbe dimissi, retentis opificibus necessariis, qui è publico alebantur. Cæterum cum vis parum proficeret, insidiis tentatum oppidum, scenam proditioni adornanti-
10. Sept. bus sacerdotibus. Horum è consilio sexcenti Cæsarei milites inter continuas displosiones obumbrante nebula ædes Decani admotis scalis occuparant. Inde per occultos meatus quinquaginta eorum in Basilicam oppido contiguam penetraverant, reliquis centum & quinquaginta, qui istos sequi debebant, per tenebras ab eadem via aberrantibus. Hi jam ad extremam portam, qua plateæ oppidi adeuntur, accesserant. Sed re animadversa Sueci concursu undique facto istos concideruntcapto qui eos ducebat subtribuno Gunthero. E Suecis centurio ac pauci gregarii cadebant. Qui in Decani ædibus hærebant, admotis demum machinis atque ignibus exturbati, non paucis desideratis; qua oppugnatione Sueci centurionem cum Optione & gregariis aliquot amiserant. Post irritas insidias omissa vi laxius obsidetur oppidum usque ad finem Septembris; ubi submissis ex Hungaria novis copiis, ac machinis Vienna adductis acerrima verberatio instituitur, Suecis aliquoties
9. Nov. feliciter erumpentibus. Assultu inde tentato Cæsarei repelluntur, aliquot centuriis desideratis, ducentis sauciatis. Unde omissa oppugnatione provinciales dimittuntur, machinæ Brinam avehuntur; tandem & copiæ, quæ eminus oppido assidebant, in Bohemiam ad Hatzfeldium evocantur. Ita soluto penitus obsidio Sueci percursa tota provincia oppido, cui jam fames imminebat, annonam inferunt. Neustadium Moraviæ centum equites insidebant, qui quotidianis excursionibus hosti non parum damni dabant, quod omnibus circa Olmucium satagentibus id oppidum ita arcte includi non posset. Struebantur tamen oppido per sacerdotes insidiæ, qui Cæsareis suggesserant, ut ad portam, quæ sola patebat, subito impetum darent, peditibus retro equites in equis considentibus. Sed præfectus oppidi Danckvvartus tribunus re cognita, insidias illas ultro promovebat, ut ingruentes tanto majore cum damno repelleret. Qui tamen erumpente uno è Suecicis ductoribus mature pedem retro ferebant, desideratis viginti amplius, quibusdam captis. Eulenberga denique arx penuria aquæ premebatur, infectis veneno fontibus. Nec eo minus obsessi obsessores crebris eruptionibus fatigabant. Ita qui circa oppugnanda Moraviæ præsidia Cæsareis sumebatur labor, in irritum cadebat.

Crosna & Francofurtum Brandeburgico restituuntur.

§. 19. Cæterum digresso in Holsatiam Torstensonio periculum erat, ne à Cæsareis Crosna atque Francofurtum, quæ Suecicis præsidiis obtinebantur, invaderentur. Unde Elector clam super istis sibi restituendis movebat. Quod quidem facile annuendum censebat Torstensonius, neque oppidorum munitionibus, neque præsidiis sat validis ad vim hostium sustinendam. Obtendebatur tamen id fieri sublevandæ Academiæ Francofurtanæ, & quod Vidua Electoralis dudum instituisset, Crosna velut doralitio suo oppido præsidium deduci. Post nonnullam disceptationem in has leges conventum; provideret Elector, ne ista oppida in Cæsareorum manus inciderent; ut Suecicis copiis per ea liber transitus concederetur, nec minus tabellariis, & quæ ad præsidia Silesiaca è Pomerania subvehenda forent. Tum quæ tributa alendis præsidiis hactenus à vicina regione exsoluta erant, deinceps quoque solverentur, tertia parte detracta. Secreto quoque articulo cavebatur, ut si contingeret eadem à Cæsareis occupari, Elector ad hoste iterum expellendos operam conferret. Ita utriq; oppido præsidium deductum. Crosnæ pons 30. Jul. destruitur, durante bello haut reficiendus. Ea res Cæsareis Legatis Osnabrugæ nuntiata, non parum scrupuli injiciebat, præsertim cum eodem tempore in Clivica ditione Electori ab Hassis Duisburgum, Dinslaca, & Holta restituerentur. 1644.

Ragozius

§. 20. Ast multo magis Cæsareorum destinata perturbabant à Ragozio mota hoc anno arma. Is quippe obtenta apud aulam Turcicam venia, promisso insuper auxilio, tum stimulante Rebenstockio ablegato Succico cum triginta sex millibus, magnam partem equitibus, Hungariam versus progreditur, ac Carolio, Calaviaque occupata ad utramque Tibisci ripam multa loca in potestatem redigit. Zatmariam inprimis & Toccayam; Cassoviam insuper, & Epperias. Causæ belli hæ vulgabantur, quod ferre amplius non potuerit libertatem Regni Hungariæ circa sacra & profana à Sacrificis cumprimis proculcari. Cui contrario scripto à Cæsare occursum, in quo causæ belli à Ragozio adductæ sicco plane pede transibantur. Cæterum acerbe exprobrabantur literarum cum Suecis commercia, quarum nonnullæ per Cæsareos interceptæ fuerant; tum ingratus in Cæsarem animus, tot prædiis in ipsum parentemque collatis. Injiciebatur etiam Ordinibus Transsylvaniæ suspicio, velut ope fœderatorum Regnorum hæreditarium sibi Principatum strueret, solicitato etiam in bellum Turca. Uterque Hungariæ salutem curæ sibi testabatur, ejusque nationis favorem captabat. Inter initia tamen belli spes pacis ostendebatur, cui conciliandæ operam apud Ragozium Poloniæ Rex offerebat. A qua alienum se Transsylvanus ostendebat, quod crediderat, Torstensonium in vicinia agere, ut statim cum ipso jungi posset. Nunc cum ita longe discessisse eundem intelligeret, non parum animo turbabatur, velut impar bello sustinendo, quoad iste reverteret. Præsertim postquam missus ab ipso retulisset, Torstensonium è Jutia ante adultum gramen haut moturum. Cum ipse ideo tam mature copias eduxisset, quod Rebenstockius jactasset, solitum Suecis etiam media hieme in expeditionem ire. Id quod huic tunc non citra acerbitatem exprobrabatur. Nec minus ægre ferebat, pecuniam promissam, & tria peditum millia nusquam comparere. Accedebat cædes principis Purpuratorum in aula Turcica, (primum Vezierum vocant;) in Ragozium proni, Cæsareis infensi; cujus successorem ut sibi adjungeret Cæsar nulli operæ parsurus erat. Nec obscure jam fremebat Ragozius, ni exitium sibi suæque provinciæ attrahere velit, à bello discedendum esse. Ragozius in Hungariam irrumpit. 18. Jan. 17. Febr. 23. Febr.

Polonus mediatorem se pacis offert.

§. 21. Ast Rectores Sueciæ cum satis æstimarent, quale momentum hoc tempore rebus suis arma Ragozii adferre possent, valde cupiebant conventa cum ipso rata habere, quæ ab eodem jam typis vulgata erant ostentandæ suæ cum fœderatis Coronis conjunctioni. Sed quæ formula ratificationis adhibenda foret dubitabatur, quod Princeps quædam dunraxat capita à se præstanda subscripsisset, Rebenstockius autem vicissim scripto consignas-

Sueci pacta cum Ragozio rati habent.

1644. signasset, quæ à Coronis exhibenda essent, non confecto solenni instrumento. Et durum erat, extemporaneam scriptionem non expensis rite verbis ita crude probare. Visum igitur per epistolam
23. April. excusare solennem ratihabitionem cum promisso, omnia cum Torstensonio conventa à Regina servatum iri. Offerebat insuper Torstensonius oppida Moraviæ Olmucium, Neustadiumque, & Eulenbergam arcem una cum præsidiariis Suecicis, queis pro suo lubitu uti posset Ragozius, impositio in eorum vicem suo milite, aut si ita mallet, munimentis dejectis. Quo fine jussa ad præfectos Ragozio transmittebantur. Clam tamen hisce injunctum, excedere tergiversentur, quoad pateret, quo tractatus Ragozii cum Cæsare evasuri essent. Quæ tamen literæ mense demum Augusto ad Ragozium perferebantur.

Ragozius necatur. §. 22. Ragozius interim cum ad Nitram usque flumen, & Lebenciam processisset, subsistebat, & equitatum suum opportunis retro locis collocabat, quoad de Torstensonii adventu certi quid audiret. Ast Joannes Gœtzius, quem Cæsar duodecim millibus militum Germanorum summo cum imperio præfecerat, cum suo militi tironi Ragozium diffidere perspiceret, omnibus modis in prælium pertrahere istum conabatur. Sed hic non sine trepidatione trans Podrecham usque flumen se recipiebat; inter hunc & Tibiscum castris positis, quod novitio cum milite de summa rerum certare parum tutum judicaret. Simul metus erat, ne à latere Polonus ingrueret, quem Cæsar per sororem suam isti nupram ad bellum Ragozio indicendum stimulabat. Quæ tamen circa id tempus fato functa eo metu Ragozium exsolvit. Sed magis hunc exasperabant à Torstensonio redditæ literæ, quibus de pecunia & promisso pedite silebatur; cæterum à se, & Gustavo Hornio Danum nunc urgeri, ut remotis à tergo obstaculis eo validius dein Cæsarem premere possint. Nurantem tamen Rebenstockius confirmabat, sancte asseverans, Torstensonium utique venturum, & promissa expleturum. Ita denuo fidem dabat Ragozius, conventis se staturum, si appareat promissa sibi præstitum iri. Ast Gœtzius dum Transylvanos frustra insequitur, magna annonæ, pabulique inopia circumventus plurimos suorum amittit. Et cum videret, se illos ad montana vertentes assequi non posse, Cassoviam flectit; in quam quinque legiones impetum dare jubet, quæ Ragozianos è suburbio in urbem non sine damno repellunt. Sed cum in ipsam jam fossam penetrassent, non solum inde rejiciuntur, sed & eruptione facta magna cum clade profligantur. Nec eo secius isti oppido affidere Gœtzius instituebat, ne Ragozius, cujus Legati expectabantur, ipso recedente, duriores pacis leges ferret. Illis in stativis magna cum miseria conflictabatur Cæsareus miles. Panis ac pabuli summa penuria, ac Ragozius molendina late circum destruxerat; tum insalubres aquæ, ac invalescente æstu morbus Hungaricus, & ipsa demum pestilentia. Ragoziani quoque continuis excursionibus assultare, ac agrestes sylvis infestis, si quos Cæsareorum intercepterant, trucidare, aut Turcis vendere; Cæsareis non mollius in Transylvanos sævientibus. Arx quoque Serencia inter utraque castra posita, à Ragozio impetu expugnatur, cæsis centum quinquaginta
26. Jul. præsidiariis. Igitur Gœtzius extremo exitio declinando Cepusium retrocedit, incumbentibus à tergo aliquot Ragozianorum equitum millibus, ut ipsi è duodecim millibus, initio in Superiorem Hungariam deductis, vix quater mille milites superessent, iique miserè habiti.

Cæsarei Cassoviam frustra oppugnant.

Miseria Cæsareorum conditio.

1644.

De pace agitatur. §. 23. Inter quæ negotium pacis sequestre Polono fervebat. Propositerat initio sat duras pacis leges Ragozius, quas facile obtenturus videbatur, excepto capite de libertate sacrorum, & ejiciendis Hungariæ Regno Jesuitis. Mox cedente Ragozio Cæsareis spes erat, hunc tradito Cæsari exercitu menstruum insuper stipendium Cæsareis copiis exsoluturum. Sed mox irrita Cassoviæ oppugnatione, ac recedente Gœtzio animus Ragozio redire. Et quanquam Legatum Viennam mitteret; Rebenstockio tamen confirmabat; à se nil aliud quæri, quam ut tempus extrahatur, quoad Torstensonius adpropinquet; in cujus adventu omnis tunc Ragozio spes sita erat. Cæsar contra compellendo ad pacem Ragozio solennem legationem ad aulam Turcicam destinabat; etsi alias inter istos Principes receptum, ejusmodi legationes utrinque simul mitti, ac Legatos in finibus velut permutari. Sed tunc dignitate potius habebatur, Ragozio amoto omnem vim in Succos vertere. Eam legationem obibat Tscheminus Comes pecuniosus senex, magnificis donariis instructus, magna cum spe rei bene gerendæ, quod novus Purpuratorum Princeps Cæsari magis, quam Ragozio faventem se ostendebat. Et præmissus à Cæsare ad Budensem purpuratum Beygottius tribunus omnia amica pollicebatur. Post abitum Gœtzii bello nihil memorabile gestum, nisi quod Ragozius Ungvvaram & Jessenaviam arcem vi expugnaverat, Cæsarei contra Muranum arcem per insidias intercipiebant, cæsis qui intus convivium agitabant Transylvanis. Ut porro Moraviæ op-
25. Jul. pida, quæ Torstensonius offerebat, invaderet Ragozius, quinque equitum millia ad Poloniæ fines miserat, per eam regionem istuc penetratura. Sed cum Poloni aditus milite obseptissent, is conatus in irritum cadebat. Nam recta via per Hungariam in Moraviam ire non audebant.

Cæsarei denuo ingruunt. §. 24. Gœtzius posthæc refectis quiete copiis, & recente milite in Silesia, tum levi cumprimis equitatu auctus, Villeccam versus & Cassoviam denuo movet, Ragozianis semper cedentibus, & ubi ad manus perventum erat, vapulantibus. Et non parum ægrescebat animis Ragozius, quod de Torstensonio nihil dum certi cognosceret, & ad literas in Sueciam & Galliam missas post semestre nihil responsi acciperet, consumta jam Rebenstockii fide, cujus multa dicta res destituerat. Proponuntur inter hæc à Polono induciæ, quoad tractatus pacis absolverentur. Eum ne Ragozius offenderet, rem ad Ordines suos refert; qui repudiatis induciis tractatus pacis arripiendos suadebant. Cum commodum literæ Reginæ adferuntur, quibus conventa rata habebantur; nec minus de pecunia, quæ per Venetias collybo trajiciebatur, nuntiatur. Unde Ragozio, quem prope jam desponderat, animus redire. Et quanquam tractatus pacis utique suscipiendos sibi duceret, quo Ordines belli onera spe pacis lubentius tolerarent, pollicebatur tamen Rebenstockio, se tractatus in Octobrem mensem prorogaturum, eosque per lentas moras extracturum. Nec dictis fides derat. Etsi totum negotium à nutu aulæ Turcicæ pendebat, cui si cum Cæsare conveniret, Ragozio pacem amplectendi necessitas incumbebat. Ita ad finem usque anni tractatus hærebant, Ragozio cum primis urgente, quod & Torstensonius per literas ingerebat, ut sacris à Romano ritu diversis per Hungariam libertas foret. Nec bello quid

1644. amplius tunc geſtum, ingruente hieme, & Cæſareis copiis in Bohemiam adverſus Torſtenſonium
4. Nov. evocatis. Sub finem anni Rebenſtockius qui Suecorum negotia apud Ragozium egerat, vita concedit, vir impiger, & Reginæ fidus; ſed militiam profeſſo ſubtilitas togata negotia tractandi decerat.

Per Superiorem Germaniam geſta.

§. 25. Qui Dutlinganam cladem evaſerant Galli per Alſatiam, inde Lotharingiam, ac Burgundiam Comitatum in hiberna deducuntur. Bavarici contra, quo hoſpitiis Suevicis citra impedimentum frui poſſent, Uberlingæ laxius obſidium circumponere inſtituunt; cujus præfectus Courvallius Vicecomes, quo diutius ſuſtineret, inops vulgus oppido ejicit, militi annonam parce diſtribuit, equites eruptione facta Hohentvvilam evadere jubet. Tum Bavaricos duobus caſtellis, quorum plura iſti locis opportunis exciraverant, expellit. Sed cum moræ Bavaricos tæderet, ſub finem Martii menſis vim oppido admovent. Cui eludendæ Galli ſumma ædium tecta demoliti contignationes terra inſternunt adverſus ignes; tum continuis eruptionibus hoſtem fatigare, captis tribunis Haslangio, & VVolfio, cum multis aliis. Bavarici contra turres & pinnacula murorum dejicere, acceſſus ad foſſam promovere, exteriores munitiones expugnare, tandem ruinam edere, & cuniculos ſub fundamenta mœnium agere. Ita cum extrema aſſultu mox tentando imminerent, Courvallius, cum non ſatis militum haberet ad vim repellendam, honeſtis legibus oppidum

Bavarici Uberlingam recipiunt.

2. Maji. Briſaci præſidiarii ſeditionem inducunt.

dedit, & cum trecentis ſuorum Briſacum deducitur. Cui & ipſi oppido tunc periculum imminebat à præſidiariis Gallis, qui ſeditionem induerant, ac proturbatis præfectis Oiſonvillium ad ipſos progredientem male multarant. Tum direptis per oppidum tabernis tota nocte debacchantur, minati,

29. Mart. ni octo menſium reſidua ſtipendia confeſtim exſolvantur, ſe ſpoliato atque incenſo oppido ad VVertanum tranſituros. Ægre tandem ab Erlachio placantur, oblato ſtatim quinque menſium ſtipendio, reliquo intra duas ſeptimanas exſolvendo. Germanus miles licet in ſtatione ſua quietus egiſſet, tamen & eadem ſibi præſtari poſtulabat, quæ Galli minis expreſſerant. Imminebant huic occaſioni Cæſarei, ac magna pecuniæ ſumma oppidum licitabantur. Ac jam inter autores ſeditionis ſuper eo Bavaricis tradendo agitabatur, cum Erlachio res proditur, ac iſti in cuſtodiam abſtrahuntur. Ita Gallus miles animis cadere, & Erlachius cum Germanis ſuis omnia providere, admiſſa quoque in oppidum equitum manu. Equuleo admoti

4. Maji. captivi de ſuis deſtinatis, & conſciis fatentur; è quibus ſex Galli in furcam ſublati, quibus unus Germanus ſocius jungitur, populares ſuos in ſocietatem flagitii pertrahere conatus. Erlachius demum Gallos acriter increpitos novo ſacramento adigit. Hohentvvilã inde includere circumpoſitis caſtellis Mercius Bavaricorum dux ſatagebat. Sed quia jaculationibus & eruptionibus ex arce multi ſternebantur, connitentibus Oenopotanis, & Conſtanticenſibus Legatis cum VViderholtio, probante VVurtenbergico Duce, convenitur, ut arx

Circa Hohentvvilam irrita conventio.

20. Maji. ea penes Ducem maneat, qui & annitente Bavaro in omnia ſua bona, quæ adhuc detenta fuerant reponendus ſit. VViderholtius accepta pecuniæ ſumma, & anteactorum venia Cæſaris ſacramento accederet. Conventa Cæſari ac Bavaro ratificanda tranſmittuntur. Interim in unum menſem inducia fiebant, quo ſpatio Bavaricis circa ſua caſtella extruenda pergere, Hohentvvilanis libere ire ac redire liceret. Etſi ipſe Mercius conventa rata habitum iri dubitaret. Sane adſpernabatur conventa Bavarus, qui præfecturam provincialem Sueviæ tunc captabat, cui iſta arx mire inſervitura fuerat, eoque eandem utique in poteſtatem redigere conſtituerat. Unde elapſo menſe hoſtilia utrinque iterum exercebantur. 1644.

§. 26. Bavaricis ita cis Rhenum ſatagentibus, Turennius è Burgundia & Lotharingia in Alſatiam remeat. Inde nemine deſtinatorum conſcio repente per Briſacum recta in Bavaricos circa Hohentvvilam diſperſos properat; quibus parem Dutlinganæ cladem repoſuerat, ni ruſticus adventum ipſius prodidiſſet. Duæ tamen legiones inter Doneſchingam & Huſingam ab ipſo oppreſſæ, equitum una, altera deſultorum. Cæſi ducenti amplius, capti quadringenti cum multis præfectis, ſeptem vexillis & omnibus impedimentis. Interim univerſæ Bavaricæ copiæ idoneo loco coiverant, ut facile vim propulſare poſſent. Sed quia Turennius diuturnæ expeditioni ſe non paraverat, ac ob VViderholtii tractatus cum Bavaricis dubitaret, quid ab ipſo expectandum ſibi foret, cum inſigni præda trans Rhenum in Alſatiam ite-

Turennius in Bavaricos movet: 24. Majl.

Duasque ipſorum legiones cædit.

28. Maji. rum concedit, expectaturus quid Bavarici ſuſcepturi eſſent. Aſt hi relicta ad obſidendam Hohentvvilam idonea manu primo verſus Sylveſtres 17. Jun. urbes, mox flexo itinere Friburgum movent, eique oppido vim admovent. Qua re cognita Turennius ſuperato apud Briſacum Rheno inſtructa acie Friburgum verſus procedit, Bava-

Bavarici Friburgum obſident. 22. Jun. ricis intra munimenta caſtrorum ſe tenentibus. Ita uterque exercitus dimidiæ horæ intervallo inter Friburgum, & Kirchoviam adverſis caſtris conſidet. Bavaricus exercitus octo millibus equitum, novem peditum conſtabat. Turenniani quindecim bellatorum millia explebant. Turennius continuis aſſultibus Bavaricos fatigare, ut hi ſemper in armis conſiſtere cogerentur.

27. Jun. Canoſkius quoque Friburgi præfectus eruptione facta tres machinas cum multis captivis in oppidum pertrahebat, plurimis per acceſſus cæſis. Tum crebris excurſorum conflictibus multi ſubinde captivi in Turennii caſtra abripi; plures ſigna deſerere, ut intra paucos dies Bavarici duo millia deſiderarent. Nec hi eo ſecius intra caſtra ſua hærere, ac oppidum arcemque continuis verberationibus infeſtare. Paulo poſt Kirbenreuterus tribunus ſex-

4. Jul. centis equitibus ſtipatus Turennianis pabulatoribus apud Straſam inſidias ſtruebat; quem Roſa re prodita ita excepit, ut quadringentos equos inſtructos cum trecentis captivis ipſi eripuerit. Wertanus quoque, dum Gallicis caſtris aſſultat, ab eo-

9. Jul. dem Roſa non ſine damno repellebatur. Cæterum Turennius, cum Bavaricos ſylvis ac montibus tectos invadere non daretur, & pabulum ac aqua

Turennius caſtra mutat. 14. Jul. deficere inciperet, caſtra Gozingam transfert, ubi ad Rheinfeldam uſque tuto pabulari dicebat, ſubvectione Briſaco, Neuburgo, & tota ex Helvetia à tergo patente. Bavarici contra ad expugnandum Friburgum omnem vim adhibere. Sub-

1. Jul. urbium à Divo Joanne dictum quarto aſſultu, centuriis aliquot militum deſideratis, expugnatum

8. Jul. fuerat. Inde ipſum oppidum terno aſſultu in caſtrum petitur. Poſt & cum injectis ignibus incendium intra mœnia exortum fuiſſet, eliſis quoque

15. Jul. duobus cuniculis alius aſſultus tentatur, obſeſſis ſtrenue vim repellentibus, ac inſuper crebra eruptione hoſtem fatigantibus. Sed tandem cum edita lata mœnium ruina extrema vis admovenda eſſet, Canoſkius tuendis tam amplis munimentis

Friburgum Bavaricis deditur.

im-

1644. impar, ac deficiente paratu bellico, cum in plumbi vicem dudum ſtannum adhibitum fuiſſet, honeſtis legibus deditionem facit, ac cum ſexcentis militibus, qui ipſi ſuperfuerant, Britàcum dimittitur.

Enguianus Dux è Gallia venit.

§. 27. Cum Friburgum jam inter extrema luctaretur, Ludovicus Borbonius, Enguianus Dux cum quatuor equitum, tribus peditum millibus, ſelecto milite in Alſatia adpellit. Cujus adventus

17. Jul. ut Friburgenſibus innoteſceret, Britàci quatuor

22. Jul. machinis majoribus bis diſplolis, tum ignibus è ſumma arcis turri ſignum jam ſero datur. Is Turennio junctus conſilio habito Bavaricos intra caſtra vi aggredi conſtituit. Opus arduum incredibili animorum ardore à Gallis, ignominiam Dutlingæ acceptam eluere cupientibus, ſuſcipitur, tanta utrinque rabie, ut quidam, cum reliqua arma

24. Jul. deficerent, cultros demum reluctantibus jugulo demiſerint. Tandem poſt atrocem quinque horarum pugnam Galli duo præcipua caſtella perrumpebant, ubi quidquid hoſtium repertum erat, interneciono deletum præter paucos præfectos, qui vita donabantur. È Bavarico peditatu quatuor legiones conciſæ ferebantur; è Gallis quingenti ceciderant, totidem ſauciatis. Bavarici hinc non citra trepidationem deſertis caſtris ultra Friburgum in monte arci contiguo conſident, quem quatruplici palorum ordine, & excitatis raptim munimentis firmabant. Sed Enguianus uno die ſuis

26. Jul. ad quietem conceſſo pugnam repetit, ac montem iſtum octo per horas incredibili impetu oppugnat, nec ſibi nec ſuis parcens. Nam & ipſe binos globos thorace ferreo exceperat, & tres ſub ipſo equi telis proſtrati occubuerant. Ac jam munimenta Galli perruperant; ſed à cataphractis, quos Wertanus ad pedes deſcendere juſſerat, demum repelluntur. Bino hoc aſſultu duo millia amplius militum Galli deſiderabant, pluribus ſauciatis. Inter cæſos aliquot centuriæ præfectorum, volonesque illuſtri loco orti erant; Marchio Mor-billierus, Comes Rouſſillonus Campi-Mareſchallus, Hatſteinius tribunus, ſubtribuni Jerlandius, & Remchingius. Rocque-ſervierus è vulnere paulo poſtobiit, cum multis aliis. Imprimis ſtrages aliquot Turennianis legionibus incumbebat; è quibus in Schmidbergiana legione quindecim tantum ſclopetarii, ſex ſarriſſarii apud tigna conſtitebant; è Flava veteri omnes centuriones, uno excepto ceciderant; in Hatſteiniana unus tantum optio ſupererat. Id tamen damni Enguianus elevans plures una nocte Pariſiis generari cavillabatur. Bavaricorum mille ducenti ceciderc, quos inter Caſpar Mercius, ſummus excubiarum Magiſter, à ſuis valde deſideratus: nec minor ſauciorum numerus.

Idem partem caſtrorum Bavaricorum expugnat.

Alia vice repelluntur.

§. 28. Idem cum Bavaricis in monte conſiſtentibus nihil noceri poſſe videret, Langendenzlingam, VValdkirchamque, & alias infra Friburgum valles petit Bavaricis pabulatione excludendis. Quo animadverſo Mercius Bavaricus dux eodem die per Kirzachanam vallem Villingam verſus ſe proripit, velut Gallos per Sylvam Nigram præverſurus. Sed Roſa primum Gallorum agmen ductans apud cænobium Divi Petri media ſylva Mercium aſſequitur; qui primo quidem Roſam repellit; ſed toto exercitu Gallico incumbente id agebat, ut ſuos imminenti cladi eriperet. Et legiones quidem pleræque evadebant, etſi numeris non parum imminutis; majore tamen machinarum parte & omnibus impedimentis Galli potiebantur, qui & è veſtigio inſequentes poſtremum

30. Jul. Galli Bavaricos cedentes mulant.

agmen carpebant. Bavarici demum Villingam ac Rotvvilam prætervecti apud Schonbergam in monte conſident: Hucuſque inſequentes Galli poſtera die retro iter legebant. Ita tunc Gallorum manibus elabebantur Bavarici, ſed male habiti amiſſis ſarcinis, ac plerisque machinis, tum exercitu à ſeptendecim millibus ad novem millia imminuto, amiſſis plerisque equis, & qui ſupererant eneruibus, cum per decem dies ſolis ſoliis querneis alendi fuiſſent. Galli licet & ipſi ſuorum non paucos amiſiſſent; tamen profligato hoſte alacres ſpem conceperant rei bene gerendæ, antequam Bavarici reficere ſe poſſent. Ea Bavaricorum clades Hohentvvilæ quoque obſidium ſolvebat, ad quam tredecim centuriæ relictæ fuerant, quas continuis eruptionibus, ac jaculationibus VViderholtius fatigabat. Donec illæ audito, quid apud Friburgum eſſet geſtum, magna cum trepidatione Cellam ſe proriperent, VViderholtio inter perſequendum duas machinas cum centurione, & aliquot gregarius intercipiente. Ita propere porro diceſſum, ut nec tugurii ignem injicerent, & paratus bellici, annonæque non parum relinquerent. Liberati Hohentvvilani à lacu Bodamico ultra Ulmam tributis regionem ſubjiciebant.

1644. 1. Aug. 3. Aug. Hohentvvilæ obſidium ſolvitur. 5. Aug.

§. 29. Enguianus poſt omiſſos Bavaricos in Kenzinganam vallem regreſſus, arcem VVeiſſeneccam non procul Friburgo ſitam expugnat. Unde credebatur id oppidum invaſurus ruinis nondum reparatis facile cellurum. Sed majora animo agitans, tum fœtore cadaverum circa protelante, in Marchionatum Inferiorem digreditur, copiis circa Pforrzheimum, Durlacum & Brettam diſpoſitis, velut Heilbrunnam petiturus, inde in Franconia Hatſicis jungendus. Unde & Mercius tribunum VVolfium cum ſua legione raptim tuendæ Heilbrunnæ mittebat. Sed Philipsburgum petebatur, cui circumfulas paludes intenſiſſimus tunc æſtus fere exſiccaverat. Bavarici contra Schonberga Rotenburgum digreſſi qua poterant copiis augendis operam dabant. Tum & è Franconia tres equeſtres, totidem pedeſtres legiones Hatzfeldicæ arceſſuntur, quæ alias in Belgium Hiſpanis auxilio deſtinabantur. Aſt Galli Manhemium exiguo præſidio inteſſum nullo negotio in poteſtatem redigunt. Inde Philipsburgo copias admovent, cujus præfectus Bambergius vicinos circa pagos, & molendina cum magna frumenti vi incendit. Qui ſecundo Rheno deſluebant Galli Germersheimi centum triginta Lotharingicos milites ſuo ſacramento adegerant. Spira Lotharingici ultro Franckendaliam profugiebant. Unde imperante Enguiano ea urbs ultro trecentos Gallos admiſit. Spirenſi quoque Cameræ petenti Dux ſecuritatem, & immunitatem multa cum verborum humanitate indulſit, juri dicundo eam vacare jubens. Mercatoribus Francofurtum profecturis tutum iter una cum mercibus, excepto frumento & adparatu bellico, jubens annuebat. Ad Philipsburgum porro caſtellum ad molendinum primo loco expugnatum, ducentis Gallis, centum propugnatoribus cadentibus. Bavarici uſque adeo deſpiciebantur, ut munimenta caſtris ſuis circumponere Galli inſuper haberent. Continua inde machinarum tonitrua, & ſumma cum alacritate ad foſſam uſque acceſſus promoti, in quam aliquot centuriæ doliorum arena impletorum, & faſcium vis præcipitantur. Bambergius oppidi præfectus quadringentos quinquaginta non amplius milites ſecum habe-

Enguianus Philipsburgum petit.

Bavarici copias augent.

26. Aug.

Galli Manheimum ac Spiram capiunt.

28. Aug.

30. Aug.

Philipsburgum à Gallis capitur.

1644. bat, cum tamen pro mille ſtipendia ſolitus eſſet accipere. Et quanquam nuper à quæſtore Bavarico duodecim uncialium millia in bellicos paratus accepiſſet, vix tamen duodecim pulveris nitrati dolia præſto erant. Unde cum Enguianus neque militi neque pulveri parcens loricam valli & ſuggeſtus diſjeciſſet, iſte animis collapſis colloquium expoſcebat, antequam Galli follam tranſiſſent.

29. Aug. Ita undecimo obſidii die oppidum honeſtis legibus deditum. Bambergius cum ſuis Heilbrunnam deductus. In oppido ſeptuaginta ſex machinæ inventæ.

Franckendalia eminus circumſidetur. Franckendaliam tenui præſidio infeſſam valida peditum manus è Lucenburgico agro ſubmiſſa commodum tunc firmaverat, quam Saverius tribunus cum quadringentis ſelectis equitibus deduxerat.

4 Sept. Sed ad ſuos reverſurum non procul Franckendalia Fleckenſteinius tribunus oppreſſit, cæſis cum ſubtribuno plerisque, ipſoque tribuno cum centum gregariis capto: trecenti quinquaginta inſtructi equi prædæ ceſſerunt. Unde oppido iſti fatigatum exercitum ingruente autumno admovere non viſum; ac ſatis habebatur id laxius circumſediſſe.

Wormatia & Moguntia capitur. Wormatiam, quam Lotharingicus tribunus Nettingius cum ducentis militibus inſidebat, Turennius nullo reſiſtente in poteſtatem accipit; militemque ſub ſigna Gallica redigit. Oppenheimum ex itinere occupatum. Inde Moguntiam petit Enguianus, qua Elector Hermanſteinum profugerat. Et quanquam Wolfius tribunus cum ſeptingentis militibus à Bavarico exercitu ſubmiſſus ad ripam Rheni adverſam adeſſet; Capitulum tamen eum admittere abnuebat, quod ſatius duceret transactione cum Gallis

6. Sept. imminentem tempeſtatem declinare. Indulgebat Moguntinis molliſſimas conditiones Enguianus; impoſito tantum ſtipendio, quod quingentis alendis, qui in urbe relinquebantur, ſufficeret. Cæterorum onerum venia facta. Rebus ibi diſpoſitis iterum in Alſatiam adiecendit. Ad Landaviam

19. Sept. ſelecta manus mittitur, quæ quadringentos ibi Lotharingicos acriter reſiſtentes demum honeſtam ad deditionem compellit; etſi plerique ultro Gallicæ militiæ accederent.

Enguianus in Galliam redit. His geſtis Enguianus cum Gallico equitatu in Galliam revertit, ingenti gloria mactus. Addiderat gratiam miles ſevera diſciplina coërcitus, ac ſecuritas provincialibus præſtita, & quia erga quoſvis promtam humanitatem oſtenderat.

Haſſiaci ad Rhenum accedunt. §. 30. Dum iſta à Gallis geruntur, Landgravia, quo promtam ſe Galliæ officiis oſtenderet, duo militum millia Geiſio duce Rhenum verſus miſerat, auxilio ſi opus foret Gallis futura. Illi Hœchſtam ſubito opprimunt, cæſis quos in armis deprehenderant: inde Urſellis ſtativa capiunt. Sed cum animadverterent, ſe à Bavaricis peti, opportune Kirchainam recedunt.

His Bavarici fruſtra ſubſidias ſtrenue. Nam Bavarici, quibus tunc Hatzfeldius ſummo cum imperio præerat, cum circa Neccars-Ulmam Philipsburgi obſidium otioſe ſpectaſſent, audito Haſſicorum motu repente Wertanum cum triginta ſex equitum turmis præmittunt, qui Mæno apud Kelſterbacum ſuperato improviſus circa Francofurtum adpellit, quem totus exercitus duodecim millibus conſtans ſequebatur. Sed Haſſi ante ipſas duodecim horas in tuta ſe receperant, Wertano fruſtra Puzbacum

14. Sept. inſiſtente, ac paucos moratores intercipiente. Ita irriti verſus Sylvam Ottonianam, inde Heilbrunnam ſe recipiunt, nullo operæ pretio facto, niſi quod feſtinato itinere ſuos fatigaſſent, ac qua tranſierant vaſtitatem dediſſent; Steinhemi cumprimis Moguntinæ ditionis oppido atrociter graſſati, velut præſulatus ob pactum cum Gallis in hoſtiles partes conceſſiſſet. Id quod & Schwalbacius Moguntinus Legatus Bavaricis in pleno Deputatorum Francofurti conſeſſu acerbe exprobrabat, addito; vel Turcam ac Tartarum adverſus tam barbarum militem recte in auxilium vocari. Circa exitum Septembris Bavarici Heilbrunna Ladenburgum deſcendunt, ac miſſa ſelecta manu Manheimum ſubito opprimunt, cæſis quos ibi invenerant Gallis. Ubi & Roſa, qui cum caterva equitum cis Rhenum explorandi cauſa excurrerat, vix ſolus per vallum, inde exigua cymba trans Rhenum evaſit, omnibus, quos ſecum habebat, amiſſis. Turennius contra, qui digreſſo Enguiano ad oram Rheni curabat, quod hic robur equitatus in Galliam abduxiſſet, & tirones Galli intempeſtivo uvarum muſtique uſu morbis valde imminuti forent, ſatis habebat diſpoſitis hinc inde ſtationibus tranſitu Rheni Bavaricos arcuiſſe.

Bavarici denuo ad Rhenum movent:

§. 31. Nam Bavarici Manheimo reparato, ac trajecto Mœno idoneum transeundo Rheno locum quærebant, quibus & Glenius è Weſtphalia movens cum copiis ſuis ſe junctурus erat, per hiemem recuperaturi, quod æſtate amiſerant. Porro Glenius apud Andernacum ſuperato Rheno, inde Moſella Baccaracum irruperat; ubi arcem quinquaginta Gallis infeſſam oppugnat, ſed cæſo ſummo vigilum præfecto Schnettero, multisque aliis irritus repellitur; inde diſcedens oppidum militi in prædam concedit. Hinc apud Confluentes ponte Rhenum inſternere inſtituit; & credebatur Bavaricos huc deſcenſuros, ac ſuperato flumine junctim Gallis ingruituros. Sed hi metu Torſtenſonii ad tuendas Bavari provincias revocantur, non alio operæ pretio facto, quam quod Hœchſtam ab Hallis infeſſam expugnarent, imminuto per deſertiones ad duo millia exercitu. Ad Viam Montanam Bensheimum, quod ducentis Gallis obtinebatur, aſſultu expugnant, deſideratis tamen aliquot ſuorum centuriis, quos inter & tribunus Wolfius; cujus morte exacerbati Gallos omnes trucidant, excepto præfecto & Optione. Weinheimi qui tendebant ducenti pedites, ultro ſe hoſtium arbitrio commiſerunt inter ſupplementa diſtributi. Inde in hiberna per Franconiam & Sueviam conceſſere. Glenius interim circa Moſellam hæſerat; qui & ipſe poſt Caſtellaunam & Simmeram fruſtra tentatas ſublata conjunctionis Bavaricæ ſpe in Weſtphaliam revertit. Turennius digreſſis Bavaricis Gernsheimum Moguntinæ ditionis oppidum Bavarico præſidio infeſſum, occupat. Inde arcem Crucenacenſem, obtentis acriter reſiſtentibus, demum terrore cuniculi ſub mœnia acti ad deditionem compellit: inde & ipſe ſuos per hiberna à Baſilea ad Moſellam diſtribuit.

Glenii initus comitia.

Bavarici in hiberna concedunt.

18. Dec.

§. 32. Quæ ab Haſſicis hoc anno gerebantur, hæc fere erant. In Weſtphalia Holſatiæ Ducem Lemgovia Huxteram proficiſcentem cum multis præfectis ac centum gregariis interceperant. Rabenhauptius aſſumtis quingentis equitibus, totidem peditibus, ac trecentis dimachis Noveſio proceſſerat, velut tributa exacturus, revera ut Lotharingicos Eſchweileri in ſtativis ſuis opprimeret. Ac primo quidem impetu una legio fugatur; tres autem in campum progreſſæ pugnam ſtrenue capeſſebant; tandem & ipſæ in fugam compelluntur, deſideratis duobus tribunis, ac amiſſis ſarcinis. Enimvero in fugam jam effuſis duæ Cæſareæ legiones ſubveniunt. Unde Lotharingici receptis animis Haſſicos Noveſium abeuntes iterum aſſe-

Haſſicorum actio Mart.

1. April.

1644. assecuti, post acrem pugnam fundunt, tum omni præda captivisque receptis, centum quinquaginta cædunt, ipsumque Rabenhauptium cum multis præfectis capiunt. Interfuerat pugnæ Wilhelmus Landgravius juvenis, qui post edita eximiæ virtutis specimina salvus Novesium cum reliquis evasit. Eam cladem Hassici per inanem jactantiam conciliasse sibi credebantur, dum post rem benegestam inutiles moras nectunt, ac diploſis, quæ hosti eripuerant, machinis velut signum Cæsareis legionibus in vicinia tendentibus dant. Ea occasione usus Elector Colonienſis, Bergershusam ad deditionem compulit. Sed & parum aberat, quin Vehlenus valida cum manu Dorstena progressus subito impetu Coesfeldiam oppressisset, qui jam superato vallo portas moliebatur, cum Hassi è turribus, & ad portas conglobati post acrem duarum horarum pugnam ingruentes repellunt. Trans Rhenum ab Hassis Bredenbenda & Bonneberga arces, inde Zantena, Raita, Linnicha, & Elsweilera occupantur. Contra iidem Brandeburgico Electori oppida Clivica præter Calcariam iterum consignabant, ut eo validiores in expeditionem prodire possent. Majoris momenti erat, quod Comes Frisiæ Orientalis conniventibus Batavis, aut saltem Arausionensi Principe arma pararet, Auricam sibi suisque copiis liberum accessum deposcens, Hassosque, ni ultro facessere vellent, vi ejecturus. Quod cum hi abnuerent, res ad manus deveniebat, ac Frisii pulsi centum cæsos, ducentos capros desiderabant. Erat ea res magnopere cordi Landgraviæ, quæ & maximam partem suarum copiarum duce Eberſteinio huc contraxerat tam opimis hospitiis tuendis. Et fœderati Reges graviter ferebant, hoc modo Hassorum se auxilio privari. Unde & Suecici Legati Comitem literis ab eo cœpto deducere conabantur; & Galli apud Ordines Generales vehementer instabant, ut ei liti componendæ se interponerent. Quj & ægre licet Legatos suos eo miserunt, quorum opera ad mensem usque Martium Induciæ factæ, spondentibus Batavis hostilia utrinque interim cessatura. Stipendiorum modus ad undecim uncialium millia menstrua redactus. Ita rebus utcunque compositis pleræque Hassicæ copiæ sub Geisii ductu (nam Eberſteinius Comes paulo ante fato functus erat,) Torstensonio adversus Gallasium auxilio accedunt, reliquiis hujus intra Magdeburgum includendis operam navaturæ.

Motus Frisiæ Orientalis.

11. Oct.

Circa pacem acta.

§. 33. Bellum Danicum uti varios animorum motus excitaverat; ita ne moram paci idem adferret, metuebatur, Cæsareis animos sumturis, & amoto jam pacis sequestre. Unde novus agendi modus, uberior tractationis materia, nova mandata. Ac sane toto hoc tractatu observare licet, Cæsareos pro habitu Succicorum armorum negotiationis progressum temperasse. Si Cæsaris hæreditariæ provinciæ premebantur, faciles se exhibebant; istis liberatis cessim ibant, securi, an Ordinum ditiones armis vastarentur, quod his oppressis autoritas ipsorum glisceret. Quæ & ratio erat, quare Gallasius Torstensonium in Holsatiam sequeretur, ac Cæsarei aliquot per menses tractatus eluderent, eventum belli Danici speculaturi. Etsi & apud reliquos morarum causæ non deerant, dum Gallici Legati inter se dissident, Savedra, quod de Piguerandæ adventu audiret, nihil negotii suscipere vellet; & Sueci adventum Ordinum expectarent. Abibant quidem Osnabruga Legati Danici, cum Salvio postridie discessus per Langermannum id denuntiassent, addito, Stadæ substituros, quoad adpareret, num novæ inter Regna turbæ in ipsa herba opprimi queant. Illi cum à Torstensonio tutum iter per Holsatiam in Daniam peterent, is initio istis concedere dubitabat. Mox tamen monebant Rectores Sueciæ, ne id abnueret; ut tamen potius Lubeca maritimo, quam terrestri per Holsatiam itinere ipsos proficisci sineret. Manebat tamen Osnabrugæ Langermannus curandis Dani negotiis, & quia hic mediatoris munus circa Suecos deposuisse, circa alios retinuisse videri volebat. Sedebat Dano communem cum Cæsare adversus Suecos causam agere; eoque & per literas ab Electoribus petebat, ne ipso inaudito ad pacis tractationem descenderent, utque juncta opera adversus injuste illatam vim defenderetur. Contra Salvius demulcendis, qui novum ob bellum pacis spem prope exuerant, testari: Reginam ob subitum huncce casum consilia circa reducendam communem pacem haut mutasse, nec se Legatorum Danicorum, si mansissent, conversationem aversaturum fuisse. Sed eum ipsis abire placuerit, causam non fuisse istorum mediationem magnopere affectandi, cujus modicos fructus Suecia hactenus senserit. Et his licet amotis non detore paci inveniendæ viam. Gallis autem, & Landgraviæ de constanti sua opera circa societatem pacis bellique confirmabat; ac Reginam fœderi non minus, quam antea satisfacturam. Dani vexationes non amplius ferri potuisse. Reginæ consilia ab ipso turbata; impedisse eundem, ne omnes vires in Germanicum bellum verti potuerint; tacito adversus ipsum bello Sueciam domi velut tabe attenuatam, præstandis fœdere conventis imparem redditam. Longe plus proximo anno in Germania potuisse effici, ni Danus subegisset copias domi detinere. Spem esse Danum brevi ad saniora consilia compellendum, cujus injuriis liberati Sueci eo validiorem deinceps Galliæ operam navaturi sint. Danum successibus Suecorum ægrescentem cum divellere fœderata Regna non posset, id difficultatum objecisse, ut fœderi satisfieri non potuerit. Eo coërcito validius in Cæsarem arma gesturos. Si quid interim res Germaniæ præter spem detrimenti capiant, id brevi reparandum. Et quia aliqui Ordinum responso ad invitatorias Legatorum literas innuerant, se mittere suos non posse, antequam Regnorum Legati in loco tractatuum pervenissent; Oxenstierna denuo literis ipsos monet; cardinem totius negotii jam in eo verti, ut Ordines adsint, nec absque iisdem suscipi quid circa pacem posse. Ea causa se Mindæ, Gallos Hagæ tamdiu substitisse. Maturarent igitur suos mittere, & alios hortarentur. Bellum Danicum huic negotio moram non injecturum, nec eo minus causam communem cordi sibi fore.

Legati Danici Osnabruga discedunt.

19. Jan.

Sueci de studio pacis testantur.

Ordines Imperii idem denuo hortantur.

15. Febr.

§. 34. Cæterum Osnabrugæ Cæsaris nomine aderant Aurispergius Comes, & Cranius, qui nuper jussos se ferebant ad extremum usque subsistere, ut Orbi constaret, penes Cæsarem culpam irritæ pacis non esse. Salvius præter destinata ibi hactenus hæserat. Ac maluerant Galli ipsum Mindæ mansisse, aut eodem statim revertisse, quod metuerent, ne separata inter ipsum & Cæsareos negotiatio agitaretur. Monasterii, Cæsarei & Hispanici aderant; in Zapatæ tamen locum, nuper fato functi, alius sufficiendus erat. Qui Gallos tamdiu à se exspectatos ægerrime ferebant; minati par pati se relaturos, ac ubi isti advenerint, se abituros, compositio quoque scripto, quo

Quinam Legati in loco adfuerint.

1644. oſtenſuri erant, quis revera communem pacem adſpernetur. Aderat quoque Legatus Venetus Aloiſius Contarenus. Pontificis Nuntius Fabius Chiſius Coloniæ paratus erat ſtatim eo accedere, atque Galli veniſſent. Fuerat is ſuffectus in locum Cardinalis Roſetti, ſed qui legatione Anglicana male rem geſſerat male temperato zelo turbarum, queis Regnum iſtud quaſſabatur non minima cauſa; tum Mazarino invitus, & à Gallis velut ipſis iniquus improbatus. Unde ab Urbano Pontifice, qui in Gallos propendebat, facile iſta functione iterum dimovebatur. Chiſius contra nobili apud Senenſes familia ortus, literis egregie tinctus erat, moribus inculpatus, fuco procul, ſed non niſi Melitenſi, & Colonienſi legatione antea obita modico rerum tractandarum uſu, ſed quo Monaſterienſi negotiatione examuſſim imbutus fuit. In Mediatoris munere obeundo ſociatis ſemper conſiliis cum Veneto agere, etſi ſæpius circa iſtos divellendos laboraretur. Tum & in neutram partem inclinare, licet ſubinde ab his aut illis ſolicitatus; unde & utrique parti parum amabatur, inviſo fere, qui noſtris accedere partibus abnuit. Ordines quoque Imperii oſtendebant, quamprimum Galli adeſſent, ſe ſuos eodem ablegaturos. Ita tunc ſoli Galli in mora eſſe arguebantur. Quam tamen mox amovebat Avauxius Monaſterium adpellens, cui Cæſarei, Hiſpani, ac Venetus rhedas ad quadrantem milliaris obviam mittebant. Eum paucos poſt dies ſecutus eſt Abel Servientus, Collegæ diſcors; cujus rei cauſa erat, quod hic Cardinali familiaris erat, à quo & miſſus credebatur paci impediendæ; quem & urebat, quod Avauxius tractatu Hamburgenſi multum ſibi autoritatis apud Germanos pepererat, qua & ſe importunius jactabat. Sed poſt longam æmulationem Servientus Avauxio prævalebat, aulæ favore, ac animi dotibus, artibuſque potior, magnaque negotiorum peritia, cum Avauxius judicio eſſet debili, ſemper dubitabundus, ne forte agendo erraret, hæſitans, tardus, & exigua in aula autoritate: quæ omnia in Serviento ſecus erant. Ex eo diſſidio non exigua tractatibus mora, ac dum iſte ſententiam ſuam adverſus collegam tueri contendit, ſæpe arcana mandatorum intempeſtive vulgabantur.

Galli Monaſterium venium. 7. Mart.

9. Mart. Mox quoque aderat Pontificis Nuntius, cui Cæſarei, & Gallus vehicula obviam prodire jubebant, Hiſpani non item. Pudore comparationis, quod Gallus familia numeroſa ac ſplendida uteretur.

15. Mart. Sicuti & paulo poſt cum in Cathedrale templum introiſſent Hiſpani, ac Avauxium centum quinquaginta miniſtris ſtipatum ibi deprehendiſſent, relato pede per alteram templi januam excedebant. Petierant à Cæſareis, ne & ipſi Nuntio obviam mitterent obtentu ignorati adventus. Quod hi annuere non poterant, cum ipſe de adventu ſuo

16. Mart. bis ipſis ſignificaſſet. Alter Legatus Abel Servientus Comes paulo tardius adventabat ob valetudinem, & quod ratificatio eorum quæ cum Batavis egerat, expectanda foret. Sequenti die Jo-

Oxenſtierna Oſnabrugam intrat 17. Mart. annes Oxenſtierna Oſnabrugam intrat. Obtulerant Cæſarei Salvio, ſi eædem ceremoniæ placerent, quæ Gallis Monaſterii exhibitæ forent, ſe quoque Oxenſtiernæ rhedam ſuam obviam miſſuros, ut tamen ea proxime ipſum nulla interjecta incederet; ac is ſtatim poſt adventum ſuum ſuper hoc humanitatis officio gratias ageret; intra biduum ab ingreſſu ſe ipſum ſalutaturos, parem mox honorem ab eodem expectaturos. Id quod ita acceptarum. Non tamen longius rheda proceſſit, quam qua grandior machina ejaculari poteſt. Poſtridie ab ingreſſu Oxenſtierna per Mylonium Secretarium legationis Cæſareis pro exhibito honore gratias egit. Reponebat Aurſpergius; id ex more factum, & inſtaurandæ inter Imperium & Sueciam veteri amicitiæ. Primam ſalutationem obibant Cæſarei; reponebat eum honorem interjecto biduo Oxenſtierna. Præter honoris verba, & mutuam circa ſtudium pacis teſtationem tunc nihil dictum. 1644. 30. Mart. 2. April.

§. 35. Præſentibus jam partium legatis mora penes Ordines Imperii erat. Hos ſocii Reges inter tractandum utique Cæſari adjungere cupiebant, iiſque jus belli ac pacis reſtituere, quod cum ipſis commune Cæſar hactenus ſibi ſoli arrogaverat. Id enim præcipuum ſecuritatis ſuæ fundamentum ſtatuebant, ac ne Cæſar dominatum Germaniæ invadere, vicinoſque pro lubitu bellis exercere poſſet, ſi Ordines ſuffragii jure circa bellum & pacem gauderent. Et proclives in hanc rem erant Ordines, cumprimis Evangelici, modo de initio tractationis prius conſtaret. Et licet forte Francofurti propoſita Deputationis translatio non ſuccederet; tamen prout cuique commodum mittere decreverant, modo tractandi in ipſo loco facile expediendo. Ac jam quidem amoto Dano Suecia abſque mediatore cum Cæſareis tractare cupiebant; ſed ea res Gallis ſuſpicionem injiciebat, eoque de Venetorum opera adhibenda proponebant. Quæ etſi Reginæ quondam ingrata non fuerat, cum tamen Legati nunc nihil in mandatis ſuper ea haberent, res ad eandem referenda erat. Ordines nondum adſunt.

§. 36. Galli porro ſtatim atque Monaſterium adpuliſſent, ingens cum Suecis colloquendi deſiderium oſtendebant, ac negabant ſe quidquam ſuſcepturos, niſi re cum ipſis communicata. Incidebat tamen huic congreſſui non nihil difficultatis, quod non ſatis idoneus utrique urbi interjectus reperiretur locus. Tum & Galli primam ſalutationem ſibi utique depoſcebant, velut dignitate potiores. Succi contra quanquam dolendum judicarent tanto negotio per inania moram injici; tamen quia exemplo ſemel admiſſo inemendabile deinceps præjudicium Reginæ conciliabatur, ac ea prærogativa ſæpius affectata, nunquam agnita fuerat, nullo modo in id poſtulatum conſentire poterant. Unde prout juſſi erant æqualitatis rationibus inſiſtentes pertendebant, ut qui prior ad locum congreſſus acceſſiſſet, poſterius venienti primum ſalutationis honorem exhiberet; quod inter ſummos utrinque Principes ſemper ſolitum. Aut ſi hoc Galli abnuerent, ſorti res committeretur. Sed & incidebat Salvii longior valetudo. Ac vagabantur inter utrumque oppidum catervæ militum, modo Cæſareos ſe, modo Danicos aut Bremenſes ferentium, qui Succicis Legatis inſidias ſtruebant, ut his extra urbem progredi haut tutum videretur. Legati Regii colloqui nondum poſſunt.

§. 37. Dantur inde à Gallis ad ſingulos Ordines literæ, queis eos ad adeundos tractatus invitabant. Iis tamen non, uti Succi, exemplum ſalvi conductus addiderant, quod promulgato à Cæſare communi diplomate ſat cautum Ordinibus judicarent. Earum literarum principio ſuum in pacem ſtudium extollere, culpam protracti hactenus negotii in Auſtriacos devolvere. Nunc ſe ſocioſque paratos adeſſe: aſt nullum adhuc ex Imperii Ordinibus comparere. Ubi nunc eſſe illos, quorum maxime cauſa bellum ſuſceptum & feliciter geſtum? Ubi illas voces amneſtiam flagitantium, & quæ nunc ultro ſe offert, inſtaurandi Imperii occaſionem. Eam præcipuam ſibi belli cauſam ſtatuiſſe Gallos, Succoſque eo conſilio arma ſumſiſſe, non niſi reddita Germaniæ libertate ponenda. Id Auſtriacos ſe-

Galli Ordines ad tractatus invitant. 6. April.

ejus

cius interpretatos ita voluiſſe accipi; quaſi Regnis res ſuæ tantum curæ eſſent, commoda Ordinum obtentui ſumerentur. Utrius partis verior oratio, magna alterutrius mercede heic patefaciendum. Nunc demum detrahendam perſonam, profitendumque palam in hoc conventu, quid ſibi quiſque bello quæſiverit. Venirent igitur in rem præſentem Germaniæ Proceres, conſiliorum, factorumque ipſorum teſtes futuri, & haut dubie adjutores. Si rite publicam Europæ cauſam auſpicari, atque abſolvere fas ſit, non niſi cum Imperatore & ſtatibus ſimul & ſemel tranſigendum. Jus belli quippe ac pacis iſti uni haut competere; neque Galliam, quæ Germanicam prætulit, & conſtanter tutata eſt libertatem, in eaque non parum præſidii ſibi eſſe ſentit, hæc legitima Imperii, & propriæ ſecuritatis fundamenta convelli unquam paſſuram. Seriem bellorum, queis tamdiu populus Chriſtianus conflictatur, ab hoc fere capite fluxiſſe, quod Principibus Ordinibuſque Imperii ſuus non ſit ſervatus honos, ſua jura ſervata, nonnullis etiam terras, imo & ipſam corporis libertatem ereptam. Quæ ad omnes ab ipſis Imperii primordiis, ac primum latis legibus pertinent, ea ad unum fere contraxiſſe paucorum potentiam. Jamdudum circumferri, Auſtriacam Domum Monarchiam Europæ moliri. Baſin tanti ædificii conſtituere in dominatu Germaniæ, velut centro Europæ. Huic ſtabiliendo omnia Majeſtatis jura, vim legum, munia magiſtratuum Ordinibus Imperii paulatim ademtum ire. Solam Electores aliquot, & Principes in exilium egiſſe. Solam hactenus armorum jus ſibi aſſeruiſſe. Nunc quoque Francofurti in eo totam eſſe, ut ſibi vindicet tractandæ pacis arbitrium. Quod ni Ordines, quibuſcum diviſum Cæſar imperium habet, mature prohibuerint, actum eſſe de libertate Germaniæ, jactum firmatumque fundamentum Monarchiæ ubique regnaturæ. Cum vero DEi beneficio ita ſe dent tempora, ut liceat tantis malis mederi, ejuſque rei cauſa frequentes fœderatorum Principum Legati Monaſterium & Oſnabrugam convenerint, impoſituri tot conatibus pulcerrimum diem, hortari ſe jam Ordines nomine Chriſtianiſſimi Regis, ne cum publicæ rei tum privatæ in tanta expectatione deſint, & ſuos continuo miniſtros huc mittant, daturos ipſis operam, ne armis jam pene parta tractatu delibetur cautio communis ſecuritatis. Eo fine Ordinibus ſalvum conductum impetratum, quem initio plane abnuerit Cæſar; longo poſt tempore conceſſiſſe iis verbis, quæ infra dignitatem Ordinum eſſent, ea ſententia, quæ autoritatem nullam præſtaret. Providendum illis eſſe, ne, quod tandem magna contentione illorum cauſa expreſſum eſt, eorundem incuria in caſſum cadat. Sin tantam ſinant rei gerendæ opportunitatem corrumpi, hanc pacem ad ipſos non ſpectaturam. Compoſitis cæteris Europæ partibus ſolam Germaniam de ſtatu dejectam non tantum à ſoluto legibus Imperatore, ſed etiam, ut è re Hiſpanorum fuerit, ab extremis Gadibus aut bellandi aut quieſcendi ſuſpenſas habituram rationes. Itaque Germanorum negotium inprimis agi. Miſeranda patriæ calamitate ſummum id in Imperio imperium ipſis ſtetiſſe. Expertos eſſe, & Pragenſem pacem fidem facere. Si vocatis, ut par erat omnibus Imperii Principibus inſtituta fuiſſet illa tractatio, liberas graveſque ſententias dicendas fuiſſe, & incendium illud, quo Germania arſit, quodque hodie ne ruina quidem extinguitur, nunquam fuiſſe excitatum. Senſiſſent Ordines ſub nomine ejuſmodi pacis irritamenta belli latere, ac pro ea qua pollent autoritate monituros fuiſſe. Tam triſti experientia edoctos haut ſe rurſus præteriri paſſuros in hoc maxime loco, ubi de ſumma rerum agitur. Haut è dignitate fore alibi ſeorſim conventum ipſos habere, omnium, quæ heic gerentur ignaros, nulla conſultandi facultate. Excluſos nimirum ſalutari Conventu tantos Principes in loco remoto hæſuros, additamentum partium. Ac ut dignitas inſuper habeatur, de jure, de fortunis agi. Ad diſſitos hinc magnis itineribus inania rerum perlatum iri, arcanorum ignaros, neque ſincerum quid audituros, quod aliter quam eſt ipſis referri alterius intereſt. Nimirum in tantis & impeditiſſimis negotiis os ori admovendum, omnia coram adminiſtranda; internuntiis, epiſtolis, relationibus quodcunque lubitum eſt interpolari facile, adulterarique. In peculiaria illa paucorum Comitia gratiam facile irrepere; ſordibus enim ibi eſſe locum, vix quenquam ſuſpicari audere. Utut ſit, omnia Imperatoris arbitratu ut gerantur neceſſe eſſe. Majoribus Comitiis, ubi numerus & autoritas æquitati ſuffragantur, veritatem in aperta luce collocari. Quem porro moram penſaturum pacis tantopere concupitæ? Ejus miros amores cum profiteantur Cæſarei, non eſſe cur ad ambages confugiant, quæ neceſſario ſuccedanea & ſubordinata illa Comitia conſequentur. Metuendum quoque, ne inter longiores moras è ſubitis armorum caſibus nova conſilia capiantur, quibus negotium pacis plane intercidat. Hæc ex munere ſibi impoſito Ordinibus ſignificanda fuiſſe, pro publico quidem, ac ſingulari Imperii Principum bono, ſi ſerio animum adjecerint. Sin cunctatione ſua, vel adverſariorum artibus fiat, ut præſentiſſimam opem ferenti, ac in partem victoriarum vocanti amiciſſimo Regi non auſcultent, fruſtra poſthac amiſſum Imperii decus quæſituros, fruſtra Auream Bullam, Conſtitutiones Imperiales, Tranſactionem Paſſavienſem, fruſtra Capitulationem & ſacramenta Cæſarum, aut Sanctionem Pragmaticam, obſoleta nomina, imploraturos. Unius Domus patrimonium fore Germaniam, & quo Bohemia fato, primarium Imperii membrum, eodem totum Imperii corpus corruiturum. Denique priſtinam dignitatem, jura, libertatem, aut heic recuperanda eſſe, aut nullibi; talique inpoſterum fortuna uſuros, qualem ſibi communicatis ſecum conſiliis in hoc Chriſtiani Orbis ſenatu fecerint. Harum literarum exemplum ad Deputatos Francofurtum mittebatur, ſimul ad Civitates Imperiales, in quas ſingulare Galli ſtudium teſtabantur, earumque emolumenta in hac pacis tractatione peculiariter obſervanda ſibi à Rege injunctum. Eas literas nemo non juſto aſperiores agnoſcebat, & ipſe Servientus ſervorem Avauxii arguebat. Quas & Cæſar datis ad Ordines literis acriter increpabat, ſubdola Gallorum conſilia, & ambitioſa deſtinata arguens, qui verbo Germaniæ libertatem crepent, revera ad eandem enervandam viam muniant. Addebat & Landgravio literas ad Deputationem Francofurtanam, queis ut negotium pacis ſerio & citra moram ſuſcipiant, hortabatur. Non dubium eſſe, quin ubi ſemel pleno conventu in rem præſentem ventum fuerit, admiſſi hactenus errores ab omnibus ſint agnoſcendi, præſentibuſque ac futuris malis remedium inveniendum, ac diſſidia Imperii ſolidanda. Hac occaſione amiſſa parem deinceps incaſſum quæſitum iri. Ordines ſua abſentia ſe ipſos jure belli & pacis exuturos. Si Reges abſque Ordinum interventu

1644.

Landgravio Deputatos hortatur. 30. Aprilis

1644. ventu tractationem ſuſcipere abnuant, ſpem pacis plane decollare. Denique Reges, qui bellum ſe gerere ad ſervandam veterem Imperii faciem Ordinumque libertatem jactent, ubi Ordines id inſuper habuerint, ſibi conſulturos, ac ob ſecuritatem ſuorum Regnorum aliam viam iſtis valde moleſtam inituros.

Circa Procuratoria danda Cæſarei Oſnabrugæ retergiversantur.

§. 38. Proximum erat procuratoria hinc inde inſpici atque tradi. Quod ut fieret Venetus & Hiſpani, & ex parte Cæſarei urgebant, ut aliquando negotiationis initium fieret. Nec minus Regiis, ut id quamprimum ſuſciperetur, placebat. Verum quia poſt diſceſſum Danorum Oſnabrugæ mediator decrat, Rorteus Suecis propoſuerat; num placeret Venetum ſolennem, aut velut ſubſidiariam operam heic navare? Sed illi nondum mandata ſibi ob longinquitatem & difficultatem viarum allata excuſabant. Ne tamen tractatio adhæreſceret, per Decanum Heiſtermannum è Cæſareis ſciſcitantur; num placeat procuratoria edere, & qua ratione id commode fieri queat? Cæſarei paratos ſe quidem oſtendere, ſed cum in mandatis non habeant abſque mediatore negotium ſuſcipere, aliquot hebdomadum dilationem petebant, quoad Vienna reſponſum accepiſſent, parem humanitatem Suecis viciſſim indulturi. Ita Oſnabrugæ id negotium diu ſilebat.

15. April.

In Procuratoriis Monaſterii multa deſiderantur.

§. 39. Aſt Monaſterii procuratoria jam mutuo exhibita fuerant inconſultis Suecis, quod hi velut fœderi adverſum exprobrabant, Rorteus utcunque excuſabat; nec ipſam negotiationem, niſi re cum Suecis communicata, ibi ſuſceptum iri. Et mox Galli, cum audirent Cæſareos circa edendum procuratorium moras nectere, teſtabantur; ſe ob fœdus progredi longius non poſſe, quoad Suecis ibi ſatisfactum ſit. Quanquam & nonnulla in procuratoriis utrinque deſiderarentur. Galli notabant, à Cæſare titulum Ducis Burgundiæ uſurpari, cum Carolus V. & Hiſpaniæ Reges diverſis tractatibus ei renuntiarint. Tum à Cæſare miſſis *Commiſſariorum* duntaxat vocabulum tribui, quo variæ perſonæ notentur infra dignationem Legatorum conſtitutæ. Igitur daret Cæſar illis titulum Legatorum, aut ſe honores Legatis ſolitos illis non exhibituros. Porro initio, cum de præſenti bello tangeretur, fœderatorum & adhærentium mentio facta erat; ſed ea clauſula, qua Cæſar ſuis poteſtatem ſuper pace agendi conferebat, de illis plane ſilebatur; ubi tamen mentionem eorum injici ob Landgraviam & alios neceſſarium videbatur. Denique facultas media tantum, queis ad pacem perveniri poſſit, reſpicere videbatur; non ipſam pacem concludendam, obſignandam, & perficiendam. Ex Hiſpanica plenipotentia Galli deleri poſtulabant titulos Regnorum Portugalliæ, & Navarræ, Ducatus Burgundiæ & Comitatus Barcellonæ. Portugalliæ Regem ab ſe agnoſci Joannem IV. Navarræ Regnum Galliæ Regi deberi; nullo jure penes Hiſpanum eſſe. Burgundiam Gallorum eſſe, Cataloniam conſenſu Ordinum ad vetus Galliæ jus rediiſſe. Sed cum ſuper illis titulis omittendis obtinere non poſſent, proteſtabantur, id Regi ſuo fraudi non fore: Ac ſi forte procuratorium ipſorum ſit emendandum, titulo Regis Galliæ & Navarræ & *cætera* ſe addituros, innuendis quæ omitterentur ditionibus. Loco vocabulorum *ex placito Cæſaris*, reponi volebant, *ex conſenſu eorum, quorum intereſt*. Tum & verba è quibus colligi poterat, Regem Hiſpaniæ ad pacem invitatum fuiſſe, plane expungi poſtulabant. Sed præcipuus ſcrupulus erat, quod ſinguli Hiſpanici Legati peculiare haberent procuratorium, quod ad alios Plenipotentiarios, quibuſcum ſimul tractare deberent, referebatur; nec tamen exprimebatur, quinam & quot illi Plenipotentiarii eſſent, & num qui adeſſent abſque illis agere quid poſſent. Tum & captioſa habebantur illa verba; quod in tractatione omnia illa agere deberent, *quæ ex uſu rei Chriſtianæ, & peculiari commodo Regis Hiſpaniæ, ipſiuſque amicorum & ſociorum, & Domus Auſtriacæ eſſent.* Nam licebat dein Hiſpano omnia quæ acta forent, irrita declarare, obtentu ſumto, illa bono Orbis Chriſtiani, aut peculiari ſuo, ſuorumque non congruere. Denique & monebatur, *Plenipotentiarios* tantum illos, non Legatos dictos. 1644.

In Gallico.

§. 40. In Gallico viciſſim non minora deſiderabantur. Ejus exordio cauſam belli Cæſari defuncto, Domuique Auſtriacæ, ejuſque ſociis aperte, tum moras pacis oblique imputari, Cæſarei ferendum non cenſebant. Exprimebatur inde Legatos tantum ad invenienda paci reducendæ media, non ad eam concludendam, aut firmandam conſtitutos. Referebatur procuratorium ad ſocios Galliæ, ut una cum illis tractaretur. Quorum aliqui nondum aderant, nec an venturi ſint, conſtabat; nec ſi venirent, num legationis ſuæ plenam fidem facturi eſſent. Ita per eam clauſulam quæ cum Gallis tractarentur irrita fore, defectu poteſtatis. Ob interveniens quoque Danicum bellum Cæſarei cum Suecis citra Danos agere nolebant. Tum & porrectum erat procuratorium Gallicum ad fœderatos in Italia, quorum tamen nomina expreſſa non erant. Atqui ſi hi tantum intelligerentur, quibus jam Cæſar peculiaribus diplomatis caverat, eam procuratorii extenſionem ſuperfluam eſſe: ſin alii reſpicerentur, à pacto prævio diſcedi. Denique ob pupillarem Regis ætatem majore cautione à Regina, à Tutoribus, & Principibus Regii Sanguinis opus videri, inprimis à Duce Aurelianenſi, cujus conſenſu procuratorium conceſſum exprimebatur. Et quia Franciſcus I. conventionem Madritenſem non ſervaverat, quod à Parlamento confirmata non foret; forte & nunc Parlamenti autoritate opus eſſe. Ob hos igitur defectus Gallica tractatio ultro hærebat. Declarabant tamen Galli, ne quid culpæ ſibi poſſet imputari, ſe formulam procuratorii, qualem Cæſarei & Hiſpani probarent concepturos, & in aulam ſubſcribendam & firmandam tranſmiſſuros, ſi iſti idem faciant. Quod facile proceſſurum videbatur, ni Oſnabrugæ tractationi remora injecta foret. Unde monentibus Suecis, ut negotiatio utcunque pari paſſu procederet, id tantiſper omiſſum.

In Hiſpanica.

Cæſarei abſque Danis tractare nolunt.

§. 41. Nam Oſnabrugæ Cæſarei poſt longam diſſimulationem, per Heiſtermannum Decanum Suecis denuntiant, juſſos ſe abſque Dano non agere; non expreſſo, de mediatione Dani, an de ejuſdem cauſa id intelligendum eſſet. Unde ut diſtinctius res perciperetur, Suecis ablegantibus idem à Cæſareis id reſponſi retulit: poſtquam Daniæ Rex Oſnabruga pulſus ſit ademta mediatione, idque ipſe Cæſari per literas ſignificarit, Suecoque communes hoſtes declararit, nec Danica mediatio ad præſentem rerum faciem quadret; judicare ſe, Danum omiſſa mediatione controverſiam ſuam cum Suecis heic decidi velle. Id quod Cæſar recuſare non poſſit ob merita Regis de prævio tractatu, & pacis negotio, & ob vicinitatis jura, & quia huc conventus Orbi Chriſtiano com-

24. Maji.

27. Maji.

1644. communis futurus ſit. Jam quoque Cæſarei à Gallis, ut in id conſentirent, petierant, ut Danica cauſa heic diſceptaretur. Id quod Galli plane abnuebant, ac Thuillerio jam ſuper ea lite componenda injunctum oſtendebant. Alias ferebant Cæſareis circa edenda Oſnabrugæ procuratoria nil difficultatis fore, quod ſuper earum formula jam inter miniſtros utrinque conventum ſit, nec aliud ſupereſſe, quam ut autographa ad conceptam antea formulam conferantur.

De modo tractandi Oſnabrugæ dubitatur.

§. 42. Agitabatur hinc illa quæſtio; quo modo Oſnabrugæ poſt ſublatam mediationem Danicam negotiatio inſtituenda ſit? Danum denuo iſti muneri adhiberi, poſtquam in partes diſceſſerat, non congruebat. Abſque mediatore tractari Sueci cupiebant, nec Cæſarei abnuebant; excuſabant tantum, ſe Vienna nondum reſponſum accepiſſe, quo ſtatim ſcripſerint, atque Sueci de iſta re innuiſſent. Gallis tantum hic agendi modus parum placebat, ne familiariter nimis Sueci cum Cæſareis converſandi occaſionem nanciſcerentur. Veneti mediationem Monaſterii omnes acceptaverant, tanto magis neceſſariam, quod Chiſius nihil eorum, quæ Proteſtantes ſpectabant, attingere vellet. Pronum quoque Contarenus ſe oſtendebat ad eandem operam Oſnabrugæ obeundam: ampliſſima ſe facultate à Republica inſtructum circa pacem in Germania agendi, nec Monaſterio magis quam Oſnabrugæ adſtringi. Addebat tamen, ſi volente Daniæ Rege id fieri poſſit; nam hoc invito, Venetos ſe non ingeſturos. Ac à Cæſareis intellexerat; Regem mediationi ſuæ adhuc inhærere, nec ut alius in ipſius locum ſubeat velle. Sed & Deputati Electorales Francofurti Venetam mediationem Cæſari eadem conditione acceptandam ſuaſerant, ut ne Dano offenſæ anſa præberetur, tum ne faſtigio Collegii Electoralis fraudi id foret. Nec adhuc certum erat, num Cæſar eandem mediationem circa Oſnabrugicos tractatus acceptaturus eſſet. Sueci eum honorem Venetis non invidebant. Sed ſcrupulus erat, quod unicus tantum Legatus adeſſet, ſi prima negotii origo inſpiceretur, Monaſterienſi duntaxat tractationi deſtinatus. Id quod in emolumentum ſuum trahebant Galli, prærogativam quandam inde ſibi fabricaturi, per Rorteum proponentes, ut vel Oſnabrugenſis tractatus Monaſterium transferretur, vel Secretarius Status nomine Reipublicæ Venetæ ejus rei cauſa Oſnabrugæ ſemper hæſurus id muneris obiret. Quorum prius prævia conventioni repugnabat, neutrum à dignitate Reginæ Regnique Sueciæ erat; quod ita Oſnabrugenſis actio acceſſorium Monaſterienſis, & Suecica pax Gallicæ appendix futura eſſet. Igitur poſtulabant Sueci, ut vel Veneti alium adhuc mitterent pari dignatione & mandato cum Contareno; vel Contarenus per vices Oſnabrugæ aut Monaſterii ageret. Inter hæc Legatorum Suecicorum miniſtri, & ipſe Mylonius, dum Mindam proficiſcitur, à Cæſareo milite violatus & ſpoliatus fuerat, literis etiam aliquoties interceptis; quod, expoſtulantibus Suecis, in poſterum emendatum iri Cæſarei pollicebantur.

De Veneta mediatione.

Ordines Imperii adhuc accedere tardant.

§. 43. Porro Imperii Ordines, etſi ipſorum maxime intereſſet, rari adhuc comparebant. Monaſterii pauci, Oſnabrugæ præter Hamburgenſem Meurerum, Pomerani tantum, Ecſtedius & Rungius aderant, qui in comitatu Oxenſtiernæ venerant, & Ordinum claſſe cenſeri non poterant. Electorales eam ob cauſam emanebant, quod Cæſar Venetos Regibus pares, & velut ultimos in ordine Coronatorum habendos annuiſſet quam dignationem ingenti pecuniæ ſumma illis vendidiſſe ferebatur. Unde & Cæſarei Legati Contareno rhedam obviam miſſam, Excellentiæ titulum, ſuperiorem in ſuis ædibus locum, & alia Regiis Legatis ſolita exhibuerant. Eundem honorem Electorales exigebant, & ut Venetis per omnia æquales haberentur: de quo Cæſarei nihil in mandatis habebant. Eam ob cauſam Franciſcus Wilhelmus Oſnabrugenſis Præſul, qui Colonienſis Electoris vices impleturus erat, Widenbruggæ ſubſiſtens Monaſterium adire abnuebat. Eadem Moguntino abſentiæ cauſa, Brandenburgicus cæterorum exemplum aucupabatur, nec ipſe primum impetum excepturus, nec Collegio præjudicium allaturus. Ac miſſo Monaſterium Nobili, Moguntini exemplum ſibi reſpiciendum excuſabat. Ac ſuſpicabantur quidam, hanc prærogativam Venetis à Cæſare venditam deprimendis Electoribus, vel ut hos, reliquoſque Ordines, tractatibus protelaret. Cæteris Ordinibus parum inter ſe conveniebat. Franconicus Circulus concluſerat, ad tractatus mittendum, & jus ſuffragii utique tuendum. In Suevico Circulo ubi Catholici prævalebant, per majorem partem decretum, miſſione ſuperſedendum. Ac Auguſtanus ſuffragio ſuo declaraverat, id illicitum, & ſoli Cæſari cum Electoribus de pace ſtatuendi jus eſſe. Scilicet quia Catholici, qui in ea urbe rerum potiebantur, metuebant, ne in priorem ſtatum urbs reponeretur. Elector Saxoniæ, cui Superioris Saxoniæ Circuli directio, ad Ratiſponæ ac Francofurti decreta provocabat, eoque cum reliquis ejus Circuli membris conſilia conferre ſupervacuum ducebat. Legati Succici, queis Ordines ad tractatus pertrahere cordi erat, etſi moras nectentibus Cæſareis patientiam non exuere juberentur; tamen ut Ordines ad maturandam miſſionem impellerent, rumorem ſparſerant, velut ob tergiverſationem adverſæ partis, procuratorium edere abnuentis, & ob moras Ordinum Mindam conceſſuri, ibique quomodo res ſe datura eſſet, expectaturi. Nec carebat fructu id conſilium: Nam quidam Ordinum metu, ne tractatus plane abrumperetur, quamprimum eo mittere ſtatuebant. Ante alios Landgravia Reinhardum Scheffernm Oſnabrugam, Adolfum Wilhelmum Crociegum, & Joannem Vultejum Monaſterium ablegat; quorum hos Cæſareis parum gratos fuiſſe vel inde adparebat, quod cum per Oratorem Venetum admiſſionem peterent, Cæſarei frigide & abrupte reſponderent; ipſi de ſuo adventu ſignificarent, & reſponſum expectarent. Pomeranis, queis fiduciariæ literæ nullæ erant, admiſſio à Cæſareis plane negabatur. Unde cum euntibus in longum tractatibus ſibi de viatico ultra ſemeſtre non proſpexiſſent, Succos conſulebant, num ad tempus domum proficiſci expediret? Quod ipſi eorum in arbitrio relinquebant; præſentia eorundem, aut abſentia in neutram partem quidquam valitura. Ita iſti menſe Julio domum revertere. Contra Oſnabrugam venerat Legatus Luſitanus Rodericus Botellus, valido Suecorum equitum præſidio huc deductus; quem qui bene cupiebant monuerant, ſi ſalutem ſuam amaret, ne à Succico comitatu longius diſcederet. Quod & alter Luſitanus, qui Monaſterii erat, faciebat, uſque adeo Gallis ſe attemperans, ut & lugubres veſtes, queis iſti tunc ob mortem Regis utebantur, aſſumeret.

1644. Controverſia Electorum cum Venetis.

Reliqui Ordines de acceſſu diſſentiunt.

Landgravia ad tractatus mittit.

§. 44. Legatis tandem Regiis Harcotta placebat

1644. Monasterium excutit.

bat habendis inter se congressibus, locus utroque oppido æqualiter distans. Quo minus tamen ibi, quod valde cupiebant, convenire possent, obstabat valetudo Avauxii, & quia frequentes eam regionem persultabant hostium catervæ, quæ ne sub

30. Maji. Dani aut Archiepiscopi nomine contumeliam ipsis inferrent, metuebatur. Equidem ad Archiepiscopum scribebant, tabellariis literisque suis tutum transitum concederet, tum & peculiari diplo-

11. Jun. mate suæ securitati caveret. Qui responso suo de tabellariis & literis ample pollicebatur: de Legatorum securitate silebat, ac potius Oxenstiernam insimulabat, velut multis modis leges pacifici Legati transgressum. Addebat, Cæsaris mentem circa dandum salvum conductum non fuisse istum ad hostiles conatus adversus fidos ipsi Principes extendere; & ex Jure Gentium constare, quousque securitas Legatorum, si hostilia moliantur, valeat. Ita quæ ipsi mens esset, haut obscure colligebatur. Sed cum varias ob causas colloquio foret opus, tandem placebat Salvium dissimulata

19. Jun. persona raptim Monasterium excurrere. Is à Gallis ibi atque Veneto absque pompa primum salutatus, id officium pari modo reddebat. Quere-

Gallorum de bello Danico querela. bantur ibi Galli, tractatus pacis ob bellum Danicum hærere. Cæsarem quippe licet à pace alias abhorrentem plausibile nunc accepisse prætextum rem extrahendi, velut Danum destituere nefas sit. Equidem justissimas Suecis ejus belli causas; & fatebatur Axauxius, se plures injurias, quam quæ scripto publico recensentur, cum in Dania ageret, observasse. Sed parum tempestive susceptum arguebant, cum si intra Cæsareas provincias substitisset Torstensonius, Ragozio junctus facile jam Cæsarem ad pacem compellere potuerit. Reponebat Salvius; non eam solam paci moram; sed & contumeliosas Legatorum Gallicorum literas invitatorias, & procuratorii vitia tractatibus obstare. Tum ostendebat, quid injuriarum, damnorum, & contumeliarum, quotque per annos Sueci à Danis toleraverint, & Gallis suadentibus dissimulaverint; donec cum jam fundamenta status domestici subrui cœpissent, ad id consilii sane invitis descendendum fuerit. Sed cum per objecta à Dano obstacula Cæsarem nunquam totis viribus invadere licuerit, communis fœderis rationes postulasse, ista simul & semel amoveri. Quod nihil antea cum Gallis communicatum fuerit, taci-

De invitatoriis Gallorum literis. turnitatem, consilii animam, non aliter tulisse. Circa invitatorias literas excipiebat Avauxius, multa ex ipsius Salvii epistolis in eas translata. Fatebatur Salvius ista omnia verissima esse, & Ordinibus ubi advenerint eadem in faciem dicenda; publicis tamen scriptis majorem moderationem adhibendam. Sic se Collegamque eadem rationum momenta mollioribus duntaxat verbis adduxisse. In procuratorio Suecico mirari se dicebant

De procuratorio Suecico. Galli, quod Regina Cæsari titulum *Majestatis* dederit; quod corrigi postulabant, ne Cæsar super Galliam extolleretur. Nam se Cæsari loco, non titulis cedere. Et si Regina Cæsari *Majestatis* titulum tribuere pergat, Galliam eundem postulaturam. Addebant, ob ludibria Cæsareorum se dubitasse, num alteruter, aut uterque Monasterio discederet, Rorteo tantum relicto, ne tractatus plane abrupisse videantur. Sed cum Mediatores duos menses constituerint, intra quos procuratoria emendata sint exhibenda, id tempus se expectaturos. Interim adpariturum, num contro-

De tractatibus Danicis. versia Danica in finibus Regnorum sit componenda. Nam ut ea Osnabrugam trahatur, haut è re fore, cum Cæsari occasio inde sit nascenda, pacem Germanicam juxta ac bellum Danicum protelandi. Quod si tamen lis Danica ocyus in finibus decidi queat, id cunei vicem habiturum compellendo ad pacem Cæsari, tota tunc bellimoles in ipsum devolvenda. 1644.

De subsidiis. §. 45. Inde Salvio subsidiorum solutionem postulanti reponebant Galli: cum Suecorum exercitus relicta Germania in Daniam concessisset, sibi imperatum non modo nihil subsidiorum exolvere, præsertim cum Galliæ Rex velut pacis inter Suecos & Danos Sequester ab omni belli Danici consortio removere se debeat; sed potius Reginam subsidia poscere, quippe cum bellum Danicum multis sumtibus Galliæ causam præbuerit. Nec ad aliud se bellum, quam Germanicum subsidia promisisse. Aut debuisse prius super Danico cum ipsis communicari, & conveniri. Necdum constare, num bellum Danicum è bello Germanico, aut fœdere Gallico enatum sit. Ad quæ Salvius; Bellum Germanicum fœdusque Gallicum utique Dano ansam præbuisse Suecorum consilia turbandi. Eundem inde magno studio egisse, ut fœdus illud dissueret. Cum id non succederet, Cæsari suasisse externam Germaniæ pacem ab interna separare, ut si fœderati Reges pacis leges quas ipse velit adspernarentur, utrique unitas Germaniæ vires objicere possit. Et quanquam his in Orelunda accesserit, tamen Danum, nisi Suecia bello Germanico implicita, eam moturum non fuisse. Quin ea de causa istam litem intendisse, ut Sueciæ media adimeret id bellum sustinendi, simul suspicionibus ipsos agitaret, ut è Cæsareis provinciis eosdem retraheret. Quæ omnia fœderi, & bello Germanico adversari. Quin occupandum fuisse Suecis bellum, ni occupari mallent. Et apud Osnabrugenses tractatus è præsumtis Suecorum postulatis causam bello Danum fuisse aucupaturum. Neque vero Reginam bellum Germanicum deseruisse. Plurima adhuc oppida præsidiis teneri; Kœnigsmarkium rem gerere; Torstensonium ubi securitatis communis fundamentum in Dania posuerit, in Germaniam reversurum. Maximum fructum, quem Gallia è Suecorum armis ceperit, esse, quod hostium arma ab istius finibus distraxerit. Hunc eo magis obtineri, quo remotius arma avertantur. Quod si Galli nunc subsidia negent, fœdus sublatum iri visum: id quod forte periculosis consiliis viam sit aperturum. Nam Cæsarem, quantumcunque studium servandæ Daniæ jactet, quavis hora separatam cum Suecis pacem etiam excluso Dano facturum, si ipsi Germania excedere velint. Permovebant ista Gallos, qui valde metuebant, ne Sueci omnibus per Germaniam locis Cæsari cederent, & hoc connivente Daniam subjugarent, velut in pensationis vicem. Igitur post modicam tergiversationem subsidii solutionem offerebant, ea tamen lege, ne idem adversus Daniam impenderetur, sed Hamburgi tantisper intra ipsorum manus esset, quoad Torstensonius in Germaniam regrederetur. Id vero durum valde Salvius ostendere. Sane Suecos se in fœdere hautquidquam obstrinxisse pecunias ad rationes accepti & expensi recipere. Nec eo fœdere ipsis caveri, ab alio hoste se interim invasum non iri. Tum absurdum esse, dum circa externum & remotius bellum laboratur, statum domesticum periculo exponere. Et quare Gallos non transtulisse bellum in ditiones Cæsaris, sed arma tantum in contiguis sibi regionibus circumferre, velut ad tegendos proprios fines? Igitur & Regi-

ne

1644. hæ fas esse per Kœnigsmarckium hostes fatigare, & totas vires proprio bello impendere. Idem quippe Suecia bellum Danicum, quod Gallis Hispanicum. Pertractas à se Cæsaris copias in Hollatiam, ut is Bavaro auxilium adversus Gallos submittere non potuerit. Et nihil interesse in Hollatia, an alibi cum Cæsare digladiemur. Neque subsidia illa ad totum bellum proficere, ut adeo accurate ad calculum revocanda sint. Denique non ita de Gallia meritam Sueciam, ut illa hanc Dano proculcandam prostituere debeat. Ita tunc quidem subsidiorum solutionem extundebat Salvius, ut tamen satis adpareret, ni Torstensonius ante hiemem in Germaniam rediret, ista deinceps ægre secutura. Avauxius post, cum istius tergiversationis subpuderet; eam à Serviento profectam excusabat. Tandem & Ragozii mentione injecta de Torstensonio querebantur Galli; quod is absque mandato Regem Galliæ obligare ausus esset. Substantiam fœderis equidem se expleturos; formam instrumenti valde displicere; multoque magis, quod pecuniæ summa Ottomannicæ Portæ solvenda diserte ibi exprimatur. Esse hoc ex illis, quæ fieri, non dici debeant. Ideo se per literas rem ipsam, non formam instrumenti ratihabituros. Tum se certum hominem per Poloniam ad Ragozium missuros, qui in proposito ipsum confirmet; simul de inchoatis pacis tractatibus significet, ut suos Legatos mature huc mittere queat. Hæc erant, quæ tunc cum Legatis Gallicis Monasterii agebantur. De legibus pacis ad ipsam tractationem rejiciebatur; de satisfactione fœderatorum Regnorum nullum verbum.

De Ragoziano fœdere.

Cæsarei moræ culpam Suecis impingere cupiunt.

§. 46. Cæsarei interim omnem lapidem movebant, ut de suo in pacem studio aliis persuaderent, invidiamque ejus protractæ in Suecos devolverent. Imprimis exaggerabantur arma in Danum sumta, & quod Rex iste, utriusque partis consensu sequester adsumtus, ita subito functione sua dejectus esset. Is cum paci cupiat includi, à se tractationi initium fieri non posse; præsertim cum Sueci scripto publico inter causas belli adduxerint, quod Rex in negotio pacis Cæsari magis quam Suecis studuerit. Quem nunc eam ob causam male multatum à Cæsare destitui iniquum sit.

Iis Sueci respondent.

Nec communem pacem fieri posse, si bellum in Hollatia, quæ Germaniæ utique pars sit, geri pergat: Contra Legati Suecici ostendebant, quam absurde bellum Danicum velut remora pacis Germaniæ obtendatur. Ejus causas Germaniam non spectare, nec à mediatione Regis primam originem deducere; sed peculiares injurias, & contumelias Suecia illatas armis fuisse vindicandas. Daniæ quoque Regem non modo Galliæ, & Batavorum mediationem acceptasse, sed & istius Ministros Hagæ ægre tulisse, Thuillerium ex Hollandia per ambages Monasterium & Osnabrugam petere, nec recta in Daniam promovendæ negotiationi tendere. Tum Senatum Danicum pronum se negotiationi in finibus Regnorum ostendisse. Quæ cum brevi instituenda sit, Danum ipsum litem suam Osnabrugam trahi nolle. Quin Danicum ministrum Langermannum ultro fateri, per Danicum bellum non stare, quo minus Cæsarei tractatum Osnabrugæ auspicentur. Dano sequestre commode careri posse. Et cur non oblata Veneti opera sit acceptata? Cur Ordines, quos belli malis utrinque pressos in pacis partem
19. Jul. venire par sit, variis artibus hinc protelari? In eundem sensum literæ retundendis ipsorum criminationibus à Legatis Suecicis conscriptæ per Boyertum Syndicum Osnabrugensem Cæsareis exhibentur. Hi cum de argumento earum è Boyerto intellexissent, magnopere perturbati eas tandem acceptare abnuunt, obtentu sumto, quod obsignatæ ab hoste venirent. Et quanquam idem Syndicus postera die suggerentibus Suecis ostendisset; aliam præfectorum militarium rationem esse, quam Legatorum ad pacem ineundam missorum; haut eo magis tamen literas admittebant. Inter sermocinandum tamen cum Syndico ne verbo quidem super Danico bello tangebant; sed ut Suecis significaret, brevi se mandata instituendæ tractationi expectare. Literæ illæ mox à Suecis passim divulgatæ Cæsareos non parum confundebant. Venerat paulo ante à Luneburgicis Ducibus Osnabrugam missus Jacobus Lampadius, qui primo restitutionem oppidorum, quæ Suecicis præsidiis in ea provincia tenebantur, postulabat. Quam rem Legati ad Torstensonium rejiciebant. Offerebat inde operam suam conciliandæ paci; id quod Principes sui Goslarienſi pacto sibi reservarint. Revera propositum ipsi fuerat, quo loco tractatus essent explorare. Unde & paulo post iterum discedebat testatus, se satis deprehendisse morarum causas. Principibus suis haut fuisse persuasum, Cæsareos tantopere à pace abhorrere, uti ipse nunc perspexerit. Quæ cum calamo committere nolit, domum abire decrevisse, utilem operam præstiturum suos apud Principes, & reliquos Circuli Ordines, ut quamprimum Legati huc veniant. Intra tres septimanas se reversurum; quod tamen longius dilatum. Scripserat & antea Magdeburgicus Administrator, gravissimas exactiones, queis ditio sua prematur, in causa esse, quo minus Legatos miserit. Ab illis si respirare paululum detur, suos Osnabrugam venturos. Reliquorum Ordinum nemo adhuc adventus sui spem ostendebat.

1644.

Luneburgicus Legatus venit Osnabrugam, & advir. 5. Jul.

1. Aug.

8. Jul.

Tractatus Monasterii quoque quiescunt.

§. 47. Efficiebant Cæsareorum Osnabrugæ tergiversationes, ut nec Galli amplius de procuratoriis ad eandem formulam redigendis laborarent, quod ab ipsis initio propositum fuerat, Hispanis tempus frustra teri clamitantibus. Donec Mediatores proponerent, probatam omnibus formulam adornari, & Monasterium intra conventum tempus afferri; ut tamen Galli istam edere, aut tractationem suscipere non teneantur, antequam Osnabrugæ super procuratoriis conventum fuerit, ut tractatio utrinque pari passu procedat. Ea de re ut Suecos consuleret, simul reddendæ salutationi Servientus citra pompam Osnabrugam veniebat. Ubi Suecis quidem ista facile probabantur. Cæterum Servientus nunc longe mollius, quam nuper Monasterii differebat. De subsidiis nulli amplius scrupuli. Ragozio pecuniam Venetias transmissam. Regem apud Aulam Turcicam per Oratorem suum agere, non quidem ut ipsi Turcæ bellum Cæsari faciant, sed ne Ragozii destinata impediant. Id quod vitio sibi verti nequeat. Torstensonii acta & consilia valde probabantur. In Gallia sat cognitum, quantopere Suecos Danus offenderit, ac ipsos dudum miratos, istum insultantem tamdiu tolerari. Ac facile ferre ipsos posse istum Regem castigari, modo brevi lis ea componatur.

Servientus Osnabrugam venit.

§. 48. Ast Galliæ Rex mitigandæ offensæ, quam acerbæ Legatorum ad Ordines literæ excitaverant, ipse ad eosdem literas conscribit, quibus significat; Monasterium è suis quos summa prudentia ac fide habuerit missos, quos de mente sua plene docuerit, ac idoneis mandatis instruxerit.

Gallia Rex Ordines Imperii ad tractatus invitat. 10. Aug.

1644. rit. Eos ſuo juſſu Ordines invitaſſe, ut ſuos mitterent tractatibus adornandis operaturos. Iisdem ſerio injunctum, non ſolum commoda Germaniæ quantum poſſint promovere; ſed & Ordinum conſilia ac ſententiam exquirere, & ſequi. Tum & ideo præſentiam Ordinum à ſe deſiderari, ut eorum, quæ à ſuis Legatis gerantur, arbitri ſint, & ubi eo, quo juſſi ſint, candore agentes animadverterint, judicare queant, quam inique adverſa pars de ipſius deſtinatis ſpargat. Unde ſe non parum commotum illis, quæ Francofurti adverſus Legatos ſuos jactata perceperit, qui haut eo ſecius tantam moderationem oſtenſuri ſint, ut ſatis adpariturum ſit, ſucceſſus armorum nihil inſolentiæ ſibi addidiſſe. Se ipſos ad Monaſterium adeundum hortari, ut eodem pacis ſpiritu, quo ipſe agatur, & ad eandem juſtitiæ & æquitatis normam ibi incedere velint. Regiis literis Legati Gallici ſuas quoque addebant, quibus ad Regis literas, ſuasque priores provocabant, quas ita ſiniſtro ſenſu Cæſarei ceperint. Se jam certo Ordines expectare interim nihil ſuſcipere, & ſpeculari, quo tandem objecta per adverſarios obſtacula evatura ſint, & qua ratione iſti in viam reduci queant. Mitterent Ordines ſibi ad tam ſalutare opus adjutores, quibuſcum omnia ad pacem ſpectantia communicaturi ſint. Addebant, quid circa procuratoria hucuſque actum ſit. Se quidem nullam cautelam abnuere, nihil non quod vel tantillum ſuſpicionis excitare queat deleturos, tantum ut pax procedat. Tum & à Suecis Legatis acta defendebant, dilutis quæ ſuper Danico bello objecta fuerant, Intentatas ſibi Francofurti criminationes refellere facillimum eſſe, ſed quia calumniis contemtius nihil, pace nil carius habeant, ſatius eſſe iſtas ſilentio involvere quam acerbo reſponſo novis litigiis anſam præbere. Neminem fore, qui hanc animi moderationem debilitati virium adſcripturus ſit, à qua ſuſpicione continuæ Regis victoriæ ipſos liberent; cui tamen ſepoſito quovis alio reſpectu pax quæratur. Conferrent & Ordines huc operam ſuam, ac viderent, quantopere Regi pax Germaniæ proficua cordi ſit. Injunctum ſibi non ſolum cum Ordinibus conſilia conferre, ſed & absque horum conſenſu in rebus Germaniam ſpectantibus nihil decernere. Non ad ſeditioſa conciliabula Ordines vocari. Decreto Ratisponenſi, & per diplomata Cæſarea, legesque Imperii ipſis fas eſſe conventum hunc adire, locum capere, ſuffragia exprimere. Jure ſuo uſos neminem reprehenſurum; & eo jure aut nunc, aut nunquam utendum. Suſtinuiſſe hactenus Ordines belli onera; cur à conſiliis pacis excludantur? Cur non in partem admittantur tractationis, per quam tantis calamitatibus ſint liberandi. Regi ſuo animum non eſſe, legitimum decus Cæſareæ poteſtatis ſolicitare: nec Gallos Proteſtantium, nec Suecos Catholicorum libertati inſidiari. Utrisque id agi, ut illi in priſtinum ſtatum reponantur æquabili inter Cæſarem & Ordines temperamento. Id inſtitutum nemini non patriæ amanti poſſe probari. Sed providendum ipſis, ne agendi tempora inanibus conſultationibus prodigant, nec circa miſſionem legatorum nimis anxie aliorum exempla reſpiciant. Fortaſſe eos quorum exempla patientius quam tutius captent, occultis artibus prohiberi, aut ob privatum emolumentum rempublicam inſuper habere. Quod ſi ipſi oppreſſam patriam ſublevare non poſſint, aut nolint, ne tamen obſtarent glorioſæ illorum operæ, qui communem libertatem vindicare, & pacem Orbi Chriſtiano reddere inſtituant. Ejus diei magno ſe deſiderio teneri, & operam daturos, ut non parum tum ad ſingulorum, tum ad publicum contuliſſe commodum videantur. 1644.

Idem & Gallici Legati faciunt. 4 Sept.

§. 49. Vix Oſnabruga diſceſſerat Servientus, cum Cæſarei per Decanum Heiſtermannum Suecis ſignificant; ſe paratos ad exhibenda procuratoria, ſciſcitati, num & ipſis ita videatur, & num placeat per Secretarios utrinque id fieri? Quid ad ſubitam hanc mutationem Cæſareos compulerit, varie judicabatur. Plerique Enguiani Ducis ſucceſſibus id tribuebant, & quod Torſtenſonius, qui Holſatiæ angulo incluſus credebatur, iterum in Germaniam vertiſſet. Igitur rebus ipſorum in deterius euntibus, & antequam alia calamitas accederet, tractatus ordiendi anſam quærebant. Et mirum erat de Danico negotio, cui hactenus ita pertinaciter inſtiterant, nunc ne verbo mentionem fieri. Cujus rei aliqui hanc rationem reddebant; quod Cæſar apud Danum id, quod ſperaverat, auxilium non inveniſſet, cum offenſa digreſſis utriusque ducibus; unde nec Cæſarem in illius gratiam diutius tractatus differre voluiſſe; quod nec ipſe Rex amplius deſiderabat. Sueci etſi ſuperfluum judicabant, Aurſpergium, qui dudum diſceſſum meditabatur, legationis ſuæ fidem facere; tamen ne novos ſcrupulos movendo, Cæſareis cavillandi anſam præberent, quod offerebatur acceptabant. Proponebant inde Sueci, ut Secretarii inſtrumenta in tabulario Guſtavi, Guſtavi F. mutuo traderent, ac deſcriberent. Sed cum Cæſareis iſte locus partibus addictus videretur, volebant, ut Secretarius Suecicus inſtrumentum ad ipſos primum deferret, inde ſuum ſe ad Suecos miſſuros. Id quod Suecis diſplicebat, velut Reginæ indecorum, & quia non ſatis cautum erat, num Cæſarei Succico procuratorio viſo ſuum remiſſuri eſſent. Tandem placebat utrumque autographum cum exemplo fide digno ad Heiſtermannum deferri; inde per unam & alteram horam à Legatis utrinque inſpectum eodem remitti, exemplo utrinque retento. In Cæſareo inſtrumento quæ à Suecis deſiderabantur, exigui momenti erant. Titulum *Potentiſſimi* nec alius Regibus tribuere Cæſar ſueverat; ac Gallus titulo *Sereniſſimi & Chriſtianiſſimi* adquieſcere ſe profitebatur. Sic & quod Cæſar à ſe nullos plena cum agendi facultate *Commiſſarios* nuncupaſſet, id perinde habebatur, ac ſi *Legatos* dixiſſet. Nec ad rem facere credebatur, quod in exordio utriusque partis fœderatorum mentio fiebat, in clauſula diſpoſitiva omittebatur. Nam & pari ratione in Suecorum procuratorio expreſſum erat, & fœderatis ipſo præliminari pacto, & ſalvo conductu cavebatur. Denique & Suecos *partem adverſam* vocari inſuper habebatur, etſi quondam Sigismundus Marchio nodum in eo ſcirpo quæſiſſet.

Cæſarei jam ultro procuratoria exhibere cupiunt. 11. Aug.

In procuratorio Cæſareo pacta deſiderata.

§. 50. Mittebant inde ad Cæſareos Sueci, num quid in ipſorum procuratorio deſiderarent; ſimul ut ſciſcitarentur, quinam tractandi modus placeret. Sed iſti exemplum procuratorii ad Collegas ſuos Monaſterium miſſum excuſabant, quorum ſententiam propediem expectent. Cum Mylonius moneret, ut ſi quæ vellent mature indicarent, quod præcipitante autumno difficile maritimum è Suecia ſit iter; Aurſpergius reponebat; quæ deſiderari queant, exigui eſſe momenti, & facta declaratione facile tolli poſſe. Poſt biduum Cæſarei Heiſtermannum ad Suecos mittunt, qui referebat; à Monaſterienſibus quædam exigui momenti notata; quæ tamen communicare dubitent, quod ad exemplum Vienna tranſmiſſum in-

Cæſarei cum Suecis procuratorium mutandum nolle. 2 Sept.

era

1644 tra tres ſeptimanas reſponſum expectent; ubi fortaſſe iſtæ minutiæ negligantur. Iſtam dilationem Galli ac Venetus Orator ægre ferebant, infinitam tractatibus moram metuentes, ſi omnia Viennam referenda eſſent.

Lambergius Comes Oſnabrugam venit, 11. Sept.

§. 51. Veniebat inter hæc in abituri mox Auſpergii locum Joannes Maximilianus Lambergius Comes, qui eo quo dictum eſt modo Sueeis procuratorium ſuum exhibebat. Auſpergius citra pompam diſcedebat, cum prius per miniſtrum nobilem Suecis valedixiſſet. Eodem tempore Monaſterium veniebat Franciſcus Andrada, velut extraordinarii à Luſitaniæ Rege Legati munere functurus, à trecentis Batavicis equitibus ad portas uſque urbis deductus. De hoc Galli cenſebant; ipſorum quidem valde intereſſe, id Regnum ſubſiſtere frangendæ Hiſpanorum potentiæ; nec id ſe fulcire omiſſuros. Regem quoque Galliæ è Luſitania venientes Regiorum minuſtrorum honore afficere. Sed dubitare, num huc miſſi Regiorum Legatorum dignationem tuturi ſint. Sat laboris ſibi exhauſtum, antequam rem cum Cæſare & Hiſpano ad tractatum deducere potuerint. Si nunc ſub initium de Luſitanis, & Catalaunis mentio injiciatur, fortaſſe totum negotium interruptum iri. Nam Cæſarem & Hiſpanum Luſitano Regis titulum non daturos, nec Luſitanos citra eum titulum commeatus literas acceptaturos, ſine quo heic ſat tuto non ſint acturi. Unde & Servientus, cum Oſnabrugæ eſſet, Botello ſalutare ipſum cupienti ſignificarat, neque *Excellentiæ* vocabulum, neque dextræ manus honorem ipſi daturum. Qua de cauſa & Botellus ſalutationem omittebat. Sueci tamen, quod hic legati dignatione apud Reginam fuerat, nec iſtam adhuc renuntiarat, *Excellentiæ* titulum ipſi impertiebant; Botellus contra per modeſtiam delatum dextræ manus honorem abnuebat. Oſtendebat alias Botellus iſte, Luſitaniæ Regem Suecis annuam pecuniam ſolurum, ſi arctiori fœdere jungi eidem velint, nec arma prius ponere, quam Luſitanos inter, & Caſtilianos pax foret conſtituta. Sed Sueci negabant quidquam ſibi ſuper hoc negotio mandatum, nec conſtare, num Gallus in has leges cum Luſitano convenerit. Et cum ingenti terrarum ac marium intervallo Suecia ac Luſitania disjungantur, fœdus & conjunctionem illorum non niſi interventu Galli poſſe fulciri. Igitur Luſitano prius cum Gallo fœdus incundum, aut ſi factum id jam ſit, communicandum: tunc ad Reginam ſe relaturos.

Luſitani Suecis arctius fœdus offerunt.

Cæſarei ſecretos tractatus tentant.

§. 52. Dum ita publicis tractatibus via ſternitur, Cæſarei Hiſpanique non omittebant ſecretos tractatus tentare. Et in Galliam quidem è Flandria advenerat Chevreuſia certis conditionibus pacis inſtructa, ut Reginam Regentem à ſociis abſtraheret. Cujus tamen conatus cum Mazarini vigilantia eluti eſſent, tantum Hiſpani odium adverſus ipſum conceperant, ut ejuſdem vitæ clandeſtinas inſidias ſtruerent. Oſnabrugæ autem Auſpergius antequam diſcederet, Mylonii colloquium exoretat. Quod Legati plane declinandum non cenſebant; neque tamen ſtatim accurrere è decoro erat, ne avidi nimis viderentur cognoſcendi id, quod ſuſpicabantur. Igitur excuſata tantiſper valetudine aliquot poſt dies alterius negotii obtentu iſtum adibat. Ibi inter alios ſermones Auſpergius per ambages jaciebat: viam tractandi à ſe quondam Hamburgi inſinuatam adhuc patere. Eſſe Galliæ rationes publicas ad pacem, ſed privatas obſtare, eamque infinitum bellum meditari. Se jam in Aulam Cæſaris diſceſſurum, noſſe cupere, quæ heic Suecorum mens ſit. Mylonius contra velut obiter memorabat; Cæſareos eo modo nunquam ſerio rem egiſſe, & expeditiſſimam viam per tractatus publicos ad pacem patere. Ita irritum conatus deſtituebat.

15. Oct.

1644

§. 53. Cæterum cum poſt Lambergii adventum ex Ordinibus nondum quiſpiam adpareret, Legati Suecici ad Deputatos Francofurtenſes literas dant; quibus graviter querebantur, omnes bellum exſecrari, pacem votis expetere; ſed hujus reducendæ media nemini cordi eſſe. Alterum jam annum labi, ex quo adeſſe heic debuerant, quorum intereſt. Exteros à remotis locis huc ſe contuliſſe; Germanorum, de quorum ſalute agitur, neminem adhuc comparere. Binos Electores Oſnabrugenſi & Monaſterienſi tractationi deſtinatos deſiderari. Reliqui Ordines ut ſalvo conductu potirentur, ſeptem per annos diceptatione & armis certatum: nec eo magis quenquam eorum heic ſe oſtendere. Si patribus patriæ ſalus hujus cordi non ſit, ſi columnæ Imperii ruentem Germaniam fulcire negligant, ſi Ordinibus perinde ſit, ſtet an cadat res publica; quid ab exteris ſperandum, ſi ſentiant, non modo media inſtaurandæ pacis propriæque ſalutis contemtim haberi, ac pro gratia culpam protractæ negotiationis in ſe devolvi. Cæſareos hactenus tergiverſationibus ſuis bellum Danicum, aut moras Gallorum obtendiſſe. Nunc Gallos pacem urgere; Danicam litem in finibus Regnorum componi. Obtuliſſe ſe Cæſareis varios tractandi modos abſque Mediatore, per Subdelegatos, conciliatore Veneto, aut Ordinibus Imperii, denique ut ſcriptis omnia agantur. Nihil horum admiſſum. Auſpergium diſceſſurum ludibrii cauſa procuratorium edidiſſe. Nunc tandem cum poſt Lambergii adventum propior ſpes rei gerendæ alluceat, Ordinibus manus admovendas, ne per ofiores pacis novæ moræ injiciantur. Horum abſque opera haut pacem, ne tractatus quidem ſperandos; Cæſarem abſque ipſis pacem concludere non poſſe, Fœderatos Reges noſſe. Ab omnibus partibus ipſorum acceſſui cautum: conſentire Cæſarem: eſſe ipſis jus tanti momenti negotium ſuffragiis decidendi: ipſorum rem maxime agi. Non ad illegitima conventicula vocari, ſed ad honeſtam pacem concludendam, ac ut media diſpiciantur, quibus citra cujuſpiam fraudem communis quies ita firmetur, ut & Ordinum libertati in futurum, & vicinorum ſecuritati caveatur. Pacem longe minoribus ſumtibus conſici, quam bellum continuari. Et bello vel per ſeculum extracto pacem aliquando faciendam. Ea cur non ocyus occupetur, antequam plane expiret patria? Quod ſi longiores moræ nectantur, & alii reſpectus bono publico præferantur, culpam mali inde proventuri non penes ſe fore, ſed penes illos, qui operam ſibi ſociare noluerint. Venirent denique ſi placeret, ac præſentibus malis finem imponerent; aut vitio ſibi non verterent, ſi una cum ſociis ad alia conſilia capeſſenda cogantur. Hæ literæ cum prima vice non recte curatæ eſſent, denuo adjectis aliis Francofurtum transmiſſæ, & typis publicatæ. Præter has peculiares quoque literæ ad ſingulos Ordines pari argumento datæ, ac inprimis ad Evangelicos, & ex Catholicis illos, qui hactenus ſat maſcule pro libertate locuti fuerant; Salisburgenſem, Bambergenſem, Wurtzburgenſem, Conſtantienſem, Eichſtadienſem, & Prælatos. Hæ literæ, præſertim quod dicerentur,

Legati Suecici Ordines Imperii denuo invitant. 14. Oct.

29. Nov.

Non ſine effectu.

1644. ni venirent, nec pacem nec tractatus futuros, haut modicum pondus habuiſſe ſentiebantur, ut jam paſſim Ordines movere ſe inciperent. Ac reſpondebant pro Circulo Franconico Bambergenſis & Wurtzburgenſis cum Norimberga, ſibi decretum eſſe ad tractatus mittere, quorum exemplum alii ſecuturi credebantur.

Procuratoria Oſnabrugæ pro commutatis habentur. 12. Oct.

§. 54. Oſnabrugæ interim Cæſarei Suecis declarant, ſe in ipſorum procuratoriis nihil deſiderare, nec per ſe ſtare, quo minus ſtatim hinc inde tradantur. Cupiebant Sueci, ut Reginæ titulus *Potentiſſimæ* daretur, ac ut Cæſarei pro *Commiſſariis* & *Plenipotentiariis* à Cæſare *Legatorum* nomine inſignirentur. Sed cum Cæſarei oſtenderent, nulli Europæ Regi à Cæſare eum titulum dari, Sueci tandem adquieſcebant ea lege, ut ſi Cæſar ulli Regi eum titulum tribueret, Reginæ quoque Sueciæ eundem ne denegaret. De Legati vocabulo nihil difficultatis fore. Ne tamen à Gallis quid contra conventa egiſſe, aut à Cæſareis moras nexuiſſe arguerentur, declarabant, ſe procuratoria Cæſarea probare, ac pro commutatis habere; mutuam tamen traditionem differre, quoad Monaſterium ad Gallos ſuper ea re ſcripſerint. Quod reſponſum Cæſareis probabatur.

Monaſterii ſuper procuratoriis diſceptationes.

§. 55. Aſt Monaſterii ſuper concipienda communi procuratoriorum formula hactenus diſceptatum fuerat. Cupiebant Cæſarei eam ad formam Oſnabrugenſem Suecis probatam exprimi. Abnuebant Galli, qui & in Suecicis ſcrupulum movebant, ob quem & hæc, & Cæſarea emendari volebant. Scilicet ut in clauſula quoque diſpoſitiva fœderatorum & adhærentium mentio fieret, ſicuti in exordio ſcripti facta erat. Rationem afferebant; Cæſareis omiſſa ea clauſula anſam porrigi tentandis ſeparatis tractatibus. Quanquam enim hi disjunctionem Regnorum forte ſpirare non aſſint, nec tam craſſam perfidiam in conſpectu Orbis patratum iri veroſimile ſit: oblatis tamen lautis conditionibus iſtos tentare id non omiſſuros, præſertim ubi ullam ſucceſſus ſpem temporum mutatio fecerit. Nam ſat aſſutiæ illis eſſe, & occaſionem ad furandum invitare. Id igitur obſtaculum talibus moliendis, è procuratorio Cæſareos ea verba amovere velle. Et ut circa fœderata Regna nihil proficiant; ſpem tamen eſſe Ordines Germaniæ Regnis innexos avellere. Id quod non exigui ſit momenti, cum conjunctio iſtorum de ſtatu Germaniæ agendi cauſam porrigat. Et Ordinibus illis conſtantiam acceſſuram, ſi poſtulato huic inſiſti à ſe intellexerint. Suecis contra formulam in Suecia conceptam ac probatam, quam ipſi citra exceptionem admiſerant, retractandi nullus color erat. Nec ea verba ad procuratorii perfectionem quid facere judicabant. Nam de conſtantia Regum fœderatorum dubitare nefas eſſe. Ordinibus Germaniæ de ſtudio Regum circa vindicandam illorum libertatem ſat conſtare, ex fœdere, ex pacto præliminari, ſalvo conductu, literis invitatoriis ſemel iterumque repetitis. Nemini ignotum, quantum laborem Reges impenderint, ut collato cum Ordinibus conſilio malis ipſorum mederi poſſint, etſi ſubinde occaſio foret per ſecretos tractatus bello defungendi. Nuntiatum ſibi, plerosque Ordinum ſuo invitatu Oſnabrugam & Monaſterium cogitare: qui licet favore Regnorum in priorem ſtatum reponi optent; ſocios tamen ſe & adhærentes eorum profeſſuri non ſint. Ac ſi de hac re item agitari audierint, fortaſſe ne Cæſaris hoſtes & Regum adhærentes videantur, acceſſum ſuum dilaturos. Quin ſatius habituros, propter ipſos iſti clauſulæ non inſiſti, nec tractatibus moram injici. Sicuti quondam Luneburgici Salvio ſcripſerant, ne in ipſorum gratiam de ſalvo conductu moveat, quod Goslarienſi pacto aditum ſibi ad communes tractatus jam receperint. Quod ſi Ordines per imprudentiam, puſillanimitatem, aut alias cautas ad tractatus non accedant, aut parti adverſæ eos quavis arte hinc avertenti aures præbeant, hac clauſula Legatis ad ordiendos tractatus viam præcludi; aut novam tunc mutationem procuratorii quærendam. Unde ſatius cenſebant ea verba omittere, & ex vi prævii pacti, & ſalvi conductus Ordinum rem agere. Hoſti denique re ipſa oſtendendum, fruſtra ab ipſo diſſociationem Regnorum quæri. Quanquam igitur Galli efficere non poſſent, ut Sueci mutationem in procuratorio tentarent; ſuis tamen poſtulatis apud Cæſareos inſiſtebant, inter alia hanc ob rationem, quod, ſi nunc iiſdem tantopere hactenus agitatis deſiſterent, Cæſarei id interpretaturi ſint, velut ipſos eo redegerint, ut ſuis fœderatis deſtitutis in ſeparatos tractatus facile conſentiant. Ac ordinibus ſuſpicionem injectum iri, velut ab ipſis deſerendi ſint. Ita tandem pervicere, ut ea clauſula Monaſterienſibus procuratoriis inſereretur; ac ſub initium Novembris in certam procuratorii formulam conſentium, quæ intra duos menſes ab omni parte perfecta exhiberetur. Concipitur hinc à Nuntio Pontificis, & Veneto temporaria conventio, lucrando tempori, ut quæ intra duos iſtos menſes acta forent, ex vi editi jam Aprili menſe procuratorii, & ejus, quod mox afferendum eſſet, valida forent.

1644.

Salvii cum Gallis acta.

§. 56. Convenerat antehac inter Legatos Regios, ut Harcottæ loco intermedio congrederentur, ſi quando collatis conſiliis opus eſſet. Sed nunc Gallis potius videbatur, ipſos alternis vicibus Oſnabrugæ & Monaſterii decimo quinto quoque die invitare. Id quod & Suecis placebat, ut tamen certo tempori adſtringi nollent, ſed prout neceſſitas rerum ac tempeſtas ferret. Ita cum Servientus proxime Oſnabrugæ fuiſſet, Salvius Monaſterium excurrens rationibus jam adductis oſtendebat, ſuperfluum eſſe ſuper mutatione procuratorii quid movere: Se tamen à Cæſareis ſtipulaturos, ut quia Collegæ ipſorum Monaſterienſes procuratorio ſuo de fœderatis interviſſent, illi pariter facerent, ſi forte idonea poteſtate cum adverſæ partis ſociis tractandi inſtructi non forent. Quod Gallis probatum. Placebat inde ad tractationem accedi, nec tamen abſentibus Ordinibus quidquam ſuſcipi ad ipſam rem pertinens; eoque convenebat prima vice nihil aliud proponi, quam ut Cæſar, Regesque Ordines ad tractatus adeundos hortentur. Ita ipſos ſibi conſtare, qui hactenus profeſſi ſint, ſe absque Ordinibus tractare nolle; & fundamenta tamen negotii oblique tangi, dum ad dividendum inter Cæſarem & Ordines jus belli & pacis via ſternitur. Id quod Gallis arridebat; qui judicabant, non parum temporis hac propoſitione Cæſareis ingrata conſumtum iri. Circa modum tractandi Galli optabant, Suecos Veneto conciliatore uti velle; quod omnes aliæ diſceptandi viæ ipſis ſuſpectæ forent. Ordo tractandorum hic placebat, ut poſt adventum Ordinum primo poſtuletur reſtitutio Germaniæ in eum ſtatum, qui anno hujus ſeculi decimo octavo fuerit. Et, ſi Suecis ita videretur, Galli declaraturos ſe ferebant, ſe arma ſua Germanico ſolo plane deducturos; non quod ſpes ſit, Cæſarem in eam reſtitutionem ſimpliciter conſenſurum, præſertim cir-

De prima propoſitione.

De ordine tractandorum.

Suecorum de iis judicium.

1644 circa Bohemiam, ac ditiones hæreditarias atque Palatinatum, ſed devolvendæ in iſtum invidiæ; ac ut ſi idem quædam exciperet, ſibi quoque eo plauſibilior daretur anſa unum & alterum reſervandi. Et revera judicabat Mazarinus, haut è re Gallorum eſſe ſerio inſtare, ut omnia in ſtatum anni decimi octavi reponantur; quod hoc modo Bavarus, à quo ſuis commodis haut parum fuleri ſperabant, ſtatim protelandus eſſet, velut dignitate Electorali & terris Palatino ereptis iterum exuendus; ſimul ipſis juxta ac Suecis prætextum adimeretur quid terrarum in Germania retinendi.

De tractatibus Monaſterium transferendis.

§. 57. Multis inde rationibus Galli & tunc & deinceps Suecos urgebant, ut ad communicanda eo commodius invicem conſilia plane Monaſterium ſe conferrent. Ita Reſidente, ſcriptione, tabellariis, hinc inde itione opus non fore: ita compendioſius inter ipſos & cum hoſte tranſigi poſſe. Ordinibus vix ſumtus ſuppetere uni legationi, nedum binæ alendæ. Dano ſpem mediationis plane adimi, qui poſt factam cum Suecis pacem eam denuo dicatur affectare; nec minus Polono, quem forte Cæſar propoſiturus ſit, cujus reſpectu etiam initio Venetos admittere abnuerit. Et poſſe tunc Oratorem Venetum eo munere apud utroſque commodius defungi. Suecicos tractatus eo fore ſplendidiores, quod ipſi fere ſoli Oſnabrugæ, tota Europa Monaſterii agat, ac ſane ibi centum amplius ſejuges rhedæ numerabantur. Ac vitandæ colliſioni ſcripro ſe conventuros, in omnibus rebus pari dignitate concurrere, tertio in loco nunquam congredi, Regium Legatum adventantem aut diſcedentem rheda neque excipere, neque deducere. Cum Pontificio Nuntio ut Suecicongrediantur opus non eſſe. Cæſareos & Hiſpanos in ſuis ædibus Suecis lubenter digniorem locum delaturos: id quod Hiſpani jam Reſidenti Roſenhanio fecerint. Ad quæ reponebatur; momenta rationum dudum in utramque partem librata; inde utriusque partis conſenſu decretum factum; id tollere penes ſe non eſſe: & talia conantes invidiam protracti belli ſubituros. In Sueciam hiberno mari tardum literis iter. Interim Ordines utroque loco conventuros, & tractationi initium facturos. Si forte Regina in hanc mutationem conſenſerit, Cæſaris inde voluntatem exquirendam, & nova diplomata tuti itineris impetranda. Oſnabrugam quoque præſidium reducendum.

Quod Suecia abnuat.

Procuratoria Oſnabrugæ mutuo traduntur.

§. 58. Reverſo Oſnabrugam Salvio Cæſarei tradendis hinc inde procuratoriis paratos ſe oſtendebant. Succi contra cum id Monaſterii factum non eſſet, & tamen conventione interpolita tractatibus initium dari placuiſſet, par temperamentum proponebant, ut tantiſper procuratoria utraque in Curia Urbis deponerentur, ac interim ad negotiationem accederetur. Tum ſuper ſæpius memorata clauſula de fœderatis & adhærentibus hactenus mentionem injiciebant, quod eam ſuperfluam judicarent, velut re per pactum prævium ac ſalvos conductus definita; quo à Cæſareis expiſcarentur, num iſtis facultas collata foret cum ipſorum fœderatis agendi. Cæſarei uti de plena tractandi poteſtate teſtabantur: ita ut procuratoria tertio loco deponerent, aut temporariam conventionem exemplo Monaſterienſium inirent, in mandatis ſe habere negabant. Mox tamen cum Galli, qui antea traditioni procuratoriorum repugnaverant, in Suecorum arbitrio relinquerent, deponere iſta, an permutare vellent,
11. Nov. Succi tandem in mutuam traditionem conſentiebant. Nec mora Succi per Syndicum Boyertum 1644
ſua ad Cæſareos mittunt, horum vicißim eodem adportante recipientes. Ita poſt tantas moras, quæ ad præparandos tractatus ſpectabant, abſolvebantur. Plenipotentia Cæſarea talis erat: *FERDINANDUS III. &c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, notum teſtatumque facimus, Poſtquam ab aliquo jam tempore, primum inter Divum Parentem noſtrum, Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem, Dominum Ferdinandum II. Romanorum electum Imperatorem &c. pientiſſima ac glorioſiſſima memoria, deinde etiam inter Nos ſocioſque noſtros, ab una parte, & Sereniſſimum quondam Principem, Dominum Guſtavum Adolphum, Sueciæ, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Eſthoniæ & Carelie, Ingriæque Dominum, ac poſt eum è vita diſceſſum inter modernam Sereniſſimam Principem, Dominam Chriſtinam, Sueciæ, Gothorum, Vandalorumque deſignatam Reginam & Principem hereditariam &c. Ejuſque Confœderatos & Adhærentes, ex altera parte, non ſine multa ſanguinis Chriſtiani profuſione, & multarum Germaniæ Provinciarum deſolatione, armis ſatis vehementer ſit decertatum, nuper vero ad Tractatus ſuper compoſitione ejuſmodi Motuum Oſnabrugæ inſtituendos, & concludendos ex Partium utrinque belligerantium Conventione dies undecima Julii, anni proxime præteriti indicta fuerit. Hinc Nos, ex Noſtra parte, nihil eorum, quæ ad promovendum & concludendum tam ſalutare negotium ullo modo pertinere poſſunt, deſiderari volentes, Magnifico, nec non honorabili, dilecto, noſtris Conſiliariis Imperialibus Amicis, & Sacri Imperii Fidelibus, Dilectis, Johanni Maximiliano, Comiti à Lamberg, Camerario noſtro, & Joanni Crane, J. U. Licentiato, plenam & ſufficientem poteſtatem tribuerimus, prout hiſce animo deliberato tribuimus, ad comparendum dicto loco, congrediendumq; noſtro nomine, vel per ſe, vel per Subdelegatos ſuos, cum iis, quos dicta Sereniſſima Regina, Regnumq; Sueciæ ad hanc rem legitimis ac ſufficientibus Mandatis ac Plenipotentia inſtructos conſtituerit, aut impoſterum conſtituere poterit, Commiſſarios ſive Plenipotentiarios, ad tractandum, agendum & ſtatuendum de Viis, Mediis, ac conditionibus omnibus, quibus propoſitus utrinque ſcopus, Amicitiæ nimirum ac pacis redintegratio, obtineri ac ſtabiliri poſſit. Quicquid igitur dicti Commiſſarii noſtri, cum adverſæ partis Commiſſariis, vel eorum Subdelegatis, in hunc finem, per ſe, ſive per ſuos Subdelegatos, tractaverint, egerint ac ſtatuerint, id Nos omni meliori modo ratum gratumque habituros, vigore harum Imperialis ac inviolabili fide promittimus. In quorum fidem roburque præſentes, manu noſtra ſubſcripſimus, ſigillo noſtro Imperatorio firmari juſſimus. Datum in Civitate noſtra Vienna, die decima tertia Menſis Junii Anno Domini Milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo quarto, Regnorum noſtrorum, Romani octavo, Hungarici decimo nono, Bohemici vero decimo ſeptimo.*

FERDINANDUS.

FERDINANDUS Comes Cartius.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium

JOAN WALDERODE.

Suecica Plenipotentia his verbis concepta erat: *Nos Chriſtina, &c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, notum teſtatumque facimus, poſtquam ab aliquo jam tempore, primum inter Divum Parentem noſtrum, Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, Dominum Guſtavum Adolphum &c. Pientiſſima ac glorioſiſſima recordationis; deinde etiam inter nos Regnumque Sueciæ ac Socios noſtros ab una parte, & Sereniſſimum quondam ac Potentiſſimum Principem, Dominum Ferdinandum II. &c. ac poſt ejus è vita diſceſ-*

by Google

1644. *ſum, inter moderatum ejuſdem nominis, Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, Dominum Ferdinandum III. &c. eius que Confœderatos & Adhærentes, ab altera parte, non ſine multa ſanguinis Chriſtiani effuſione, & multarum Germaniæ Provinciarum deſolatione, armis ſatis vehementer ſit decertatum, ipſa vero humanitatis ratio ſuaderet, ut de pace & tranquillitate reſtituenda, bello motibus ſedandis cogitatio utrinque ſuſcipiatur. Nos, ſicuti hunc ſemper armorum noſtrorum ſcopum propoſitum habuimus, ita, ut ne quid à parte noſtra deſit, quod ad tam ſalutare negotium apprehendendum promovendumque pertinere ullo modo poterit; in mandatis propterea dedimus ac commiſimus, ſicut & vigore harum in mandatis damus ac committimus, Noſtris noſtrique Regni fidelibus, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis, Nobis ſincere dilectis, Domino Johanni Oxenſtierna, Noſtro Regnique Suecia Senatori, Cancellariæ Conſiliario, Libero Baroni in Kimitho, Domino in Fiholm, Harningsholm, & Tullgarn; Domino Thuroni Bielke, itidem noſtro Regnique Suecia Senatori, & Judicii Regis Supremi Aſſeſſori, Libero Baroni in Saleſtad, Domino in Frosvvik, Domino Johanni Salvio, noſtro Conſiliario ſecretiori, Aulæ Cancellario, & hactenus in Germania Legato, hereditario in Offerby & Tullingen, plenam ac tantæ rei ſufficientem poteſtatem tribuimus, ut cum iis, quos Cæſarea Majeſtas ad hanc rem legitimis ac ſufficientibus Mandatis ac Plenipotentia inſtructos conſtituit, aut conſtituere poterit, Commiſſariis vel ipſi, vel per ſubdelegatos ſuos congrediantur, tractent, agant ac ſtatuant, de viis, mediis, ac conditionibus omnibus, quibus propoſitus utrinque ſcopus, Amicitia nimirum ac pacis redintegratio, obtineri ac ſtabiliri poſſit. Quicquid igitur dicti Legati noſtri cum alterius Partis Commiſſariis aut eorum ſubdelegatis egerint aut ſtatuerint, non obſtante unius abſentia, morbo aut alio gravi impedimento: id Nos omni meliori modo ratum gratumque habituras, vigore harum Regia ac inviolabili fide promittimus. In quorum fidem majorem ac certitudinem præſentes, manibus Tutorum noſtrorum, & Regni Suecia Adminiſtratorum ſubſcriptas, ſigillo noſtro Regnique majoris munire juſſimus. Dabantur in Regia noſtra Stockholmenſi, die vigeſima Auguſti anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, quadrageſimo primo.*

Matthias Soop. Jacobus de la Gardie.
Carolus Guldenhelm. Axelius Oxenſtirn.
Gabriel Oxenſtirn.

Monaſterii prima propoſitio ſit. 24. Nov.

§. 59. Inde Monaſterii urgentibus Sequeſtribus utraque pars ad faciendam propoſitionem progreditur: quam etſi Sueci communicatam prius voluerant, quo ipſorum verba invicem conſpirarent; Gallis tamen id ſuperfluum videbatur, quod jam ſuper ejus argumento cum Salvio conveniſſent. Cæſarei & Hiſpani Latina Lingua, Galli vernacula ſua utebantur. Quorum hi & di ſerte teſtabantur, ſe nolle teneri, ut deinceps ſcripto ſemper agant, ne in proceſſum negotiatio degeneret. Oſnabrugæ autem placebat nullo mediatore inter partes agere, ita tamen ut prout videretur vel ipſi Legati, aut eorum ſubdelegati congrederentur, vel per internuntios, aut ſcripto pro re nata diſceptarent. Declarabant tamen Sueci, Venetam mediationem à ſe non repudiari; ac Cæſarei teſtabantur, ſe nolle Principi ſuo facultatem admittendi ſequeſtrem adimere. Iſte porro agendi modus citra Sequeſtrem Evangelicis valde probabatur, Lampadio cumprimis Luneburgico, ac Scheffero Caſtellano; qui confirmabant, Dani mediationem Suecis juxta ac Evangelicis noxiam fuiſſe futuram, quod iſte ſemper id egerit, ut interna Germaniæ pax & negotia Ordinum à fœderatorum Regnorum cauſa ſejungerentur. Et referebat Lampadius, Danicos Miniſtros Glucſtadii in nuptiis Friderici Bremenſis Adminiſtratoris diſſeruiſſe: Sibi non placere gravamina Imperii per hoſce tractatus tolli, ſed eadem ad Comitia remitti: heic non niſi cum exteris Regnis tranſigendum. Sed & iſidem Venetæ mediatio parum ad palatum erat, ne forte in Pontificiorum partes propenderet, ubi ſuper bonis Eccleſiaſticis agendum foret. Cæſarei mox per Heiſtermanum Suecis denuntiant, num pro materia tractandorum formulam Schœnbeckianam adſumere velint? Sueci, qui ſcripto conceptam à Cæſareis propoſitionem malebant, ignorare ſe ſimulabant, quid rei Schœnbeckiana formula, aut ubi terrarum Schœnbecca ſita foret. Cæſarei reponebant; ſe per hanc intelligere omnia, quondam inter Saxoniæ Electorem & Axelium Oxenſtiernam agitata. Sueci contra ſcripto propoſitionem ſuam conceperant. Et cum ab initio dubitaſſent, num ſuper ſupplendo Electorum Collegio moverent ſaltem laxioribus verbis, ut tam Palatinus, quam Trevirenſis intelligi poſſet; id mox ſatius videbatur omitti. Lampadio, qui aliquoties internuntii operam obtulerat, liberum fiebat, num eam propoſitionem ad Cæſareos deferre vellet. Qui hoc officii hac duntaxat vice deprecatione, in poſterum, ubi odioſa hæc materia de Ordinum præſentia amota eſſet, eo promptiorem ſe pollicitus. Ita eo præterito propoſitionem ſuam ſcripto conceptam per Secretarium legationis Mylonium iſtis miſere. 27. Nov.

Oſnabrugæ propoſitio prima &c.

§. 60. Cæſarei fundamentum tractationi ſubſternebant Oſnabrugæ quidem Schœnbeccæ quondam acta, Monaſterii autem pacem Anno tricesimo Ratisponæ inter Ferdinandum II. & Ludovicum XIII. probantibus Electoribus factam, poſtulantes, ut quæ ex eo tempore Cæſari, Romano Imperio, Domui Auſtriacæ, eorumque ſociis & adhærentibus, ac cumprimis Lotharingiæ Duci adempta forent, reſtituerentur. Hiſpani quoque propoſitione ſua omnium bello ablatorum reſtitutionem fieri debere contendebant. Sed Regii ex compacto poſtulabant, ut Cæſar Ordines Imperii hortaretur, quin compelleret tractatibus adeſſe, velut citra quos ſuper pace nec rite agi, nec ſecure concludi poſſit. Addiderant Galli de Trevirenſis reſtitutione, ſuper qua ita ſervide inſtabant, ut longius ſe in tractatu progreſſuros negarent, antequam is plena libertate trueretur. Enim vero hac Gallorum propoſitione Cæſarei & Hiſpani Monaſterii valde indignari, & queri, Gallos non longius voluiſſe progredi, ac tamen ipſos induxiſſe, ad mentem ſuam ita diſtincte declarandam. Ab iſtis ac Mediatoribus ſe deceptos, dum Galli in propoſitionis vicem intempeſtivas tractatibus remoras objecerint. Addebant Hiſpani, prioribus inter ſe & Gallos tractatibus erepta bello ſemper reſtituta fuiſſe, ac noviſſima pace, quadraginta loca à ſe occupata Gallis reddidiſſe. Contra Gallis ridiculum videbatur, adverſam partem tantopere exclamare, velut egregia facta propoſitione, cum vix laxius quid proferri potuerit. Laudari eam potuiſſe, ſi terminus reſtitutionis ad annum decimum octavum relatus fuiſſet: ad quem acceptandum Cæſareos compulſum iri ſpes ſit, data inſuper Regnis ſatisfactione. Sed ut Auſtriaca Domus in florentiſſimum, quo unquam fuit ſtatum, anni triceſimi reponatur, quæ præcipua belli cauſa fuerat, craſſum nimis poſtulatum eſſe pro laptis ipſorum rebus, & urgentibus hinc inde hoſtibus.

Contenta propoſitionum.

Judicium de Regiorum propoſitione.

Poſtulatorium

§. 61. Sed de liberando Trevirenſi à Gallis plerique

Oſnabrugæ immediate agitur.

Probandibus Evangelicis.

1644. rique intempestive motum censebant. Catholicis præposterum id videbatur, cum de captivis libertati restituendis ultimo loco agi soleat; nunc de illo dimittendo instari, antequam princeps negotium cœptum sit. Cum Cæsar commune diploma pro sociis Regnorum concessisset, Avauxium peculiare pro Trevirensi postulasse. Id indultum, sed non aliter, quam ut ejus Deputati tuto accedere queant. Ab Electorali Collegio decretum, ut Trevirensis tantisper à dignatione & munere Septemvirali suspensus sit. Pontificem quoq; postulasse, ut is suo nomine Viennæ detineretur. Unde à solo Cæsare absque Electorum, & Pontificis consensu dimitti eum non posse. Interim Viennæ eundem libertate gaudere, ac non prohiberi, quo minus Deputatos huc mittat. Sibi longe probabilius Lotharingi restitutionem postulari posse, qui nemini obnoxius Princeps sua ditione immerens ejectus sit. Sed nec Evangelici dispiciebant, quare Trevirensis liberatio velut prævium caput morandis tractatibus objiceretur. Conventum de pace ideo institutum, ut bello læsi in pristinum statum reponerentur. Ad hunc finem tractatus tendere, ac naturæ repugnare, effectum causam suam præcurrere. Recte Gallos liberando Trevirensi studere, sed non nisi absoluto Tractatu. Si omnes qui læsos sequerentur, ante tractatus restitui postulent, parum superfore, de quo deinceps agatur. Aut cur non idem pro cæteris captivis & oppressis exigatur? Iniquum esse infinitorum aliorum neglecta salute, uni consuli; & in eo solo pacem adhærescere. Ita Galli invidiam protractæ pacis haut videbantur declinaturi, si talia inter ipsa primordia movere non desisterent. Unde Evangelici æque ac Catholici apud illos instabant; ut id negotium ad ipsos tractatus differrent; alias enim horum initium nunquam fore, si nunc hoc, nunc aliud negotium ad tractatus pertinens præpostero ordine expediri velint. Eadem Suecis mens, qui postulatum id primariæ tractationi magno impedimento fore putabant. Id quod literis ad istos demonstrabant; metuendum esse, ne hæc res adventum Ordinum remoretur magis, quam promoveat; quod crediturí sint, incassum se huc venire prius, quam ea lis decisa sit.

Gallorum & Trevirensi omnes improbant.

29. Nov.

Regiorum postulatum de Ordinum adventu Cæsareis est ingratum.

§. 62. Ast commune Regiorum postulatum de adventu Ordinum Cæsareis non minus ingratum erat. Objiciebatur; Gustavum Regem, ac post utriusque Regni Ministros utique protestatos, sibi bellum non cum Imperio, & Ordinibus, sed cum Cæsare ac Domo Austriaca esse. Ipsos Ordines semel atque iterum invitatos licet, venire neglexisse, velut superfluum id sit; quod nuperis Comitiis Cæsari atque Electoribus ea res commissa sit, absoluta demum futuris Comitiis per universos firmanda. Unde salvo decreto Comitiali Ordines nunc convenire non posse, ni aliis Comitiis diversum conclusum fuerit. Nec eo secius singulis liberum esse accedere, ac privata sua desideria exponere. Si conventioni præviæ ita stricte inhæreatur, non omnes Ordines, sed Regum duntaxat fœderatos, & adhærentes exprimi: unde ejusdem limites à Regiis migrari. Cæsarem se haut obstrinxisse ad illos cogendos; sed dato salvo conductu permisisse ut veniant, siquidem ipsi velint. Comitia indicere, ad quæ comparere Ordines teneantur, longum fore. Osnabrugam & Monasterium vix omnes capere posse. Denique exempla non extare Ordinum pacis tractatibus adhibitorum. Et jus ipsis manere integrum, dum singuli, qui lætos se putent, adesse queant, ratihabitione penes universos manente. Mediatores etiam, qui Gallos ab hoc instituto avertere laborabant, id cum primis urgebant; Quot & quosnam Ordines apud tractatus desiderent, quorum adventum expectare velint? Quos exprimi, ut firmo tractatus fundamento innitatur, necessium sit. Nam alias centum licet adveniant, uno tantum abiente, nil actum iri. Dein quousque illi expectandi sint? ne isthoc obtentu res in infinitum extrahatur. Quid denique cum illis si veniant, agendum, & qua ratione tractatibus adesse debeant? Hoc enim Comitia non esse, ubi omnibus jus suffragii sit, & potestas statuendi inter Cæsarem & ipsos divisa. Et differebat inprimis Contarenus: Multum temporis inutiliter teri, antequam isti conveniant. Interea aleam belli mutari posse, & succumbentibus Regum armis longe maligniores conditiones admittendas. Nimio rem eximie perficiendi studio sæpe eam totam corrumpi. Tum considerandum, Quo fine adventus Ordinum postuletur. Si enim id agatur, ut jus pacis inter Cæsarem & Ordines dividatur, id in dictis Comitiis obtineri posse, & ratihabitione eorum, quæ hoc concluta sunt. Quod si præsentes Ordines in suas partes attrahere studeant, Regii operam ipsos ludere; & qui semel Austriacis mancipio se addixere, iis incassum quicquid est jurium ac privilegiorum ostentari. Potius eorum adventu Cæsaris partes sublevatum iri. Igitur cum Galliæ interesse Germaniam non uniri, sed dividi, alendum potius dissidium, & satis habendum, præcipuos ipsorum amicos & socios huc venire, quos arctius sibi illigare, adscitis clam aliis, queant. Austriacis addictos omittendos, nec in eorum gratiam tractatus differendos. Efficiebant hæ rationes, ut Galli jam nutarent, & Suecorum sententiam exquirerent. Qui ista magni momenti ducebant, ac imprimis quousque illos expectari par esset. Considerabant tamen simul, si repente à priore suo instituto ipsi discederent, & tractatus ante istorum adventum auspicarentur, aut saltem id præ se ferrent, offensam Ordinum se incursuros, ac gratiam è susceptа eorundem causa collectam consumturos. Igitur placebat, eousque factæ propositioni inhærere, quoad mutata procuratoria Monasterium allata, & invicem tradita fuissent. Si Ordines interim veniant, facile modum inventum iri, quo ad tractatus concurrant. Sin emaneant, aliud consilium Regnorum scopo accommodum capi posse. Id quod Gallis probabatur, & huic sententiæ inhæsuros se declarabant.

1644. Ut & Mediatoribus.

Qui vuol meglio guarda il fine.

Regiorum sententia.

Cæsar Electores Veneris pares habet.

§. 63. Convenerant porro inter se Electores nullo modo ad loca tractatuum accedere, ni Cæsar honoris ritibus ipsos Venetis æquipararet. Nam persuaserant sibi, Regios absque ipsorum Deputatis primariam tractationem non orsuros. Super qua re & Bavarus apud Cæsarem diligenter institerat; simul suadens, ut & ipse Ordines ad conventum obeundum invitaret, quo arceri non possent, captandæ eorum benevolentiæ; ac se mox, fratremque Colonienſem Electorem suos missurum. Igitur Cæsar amovendæ moræ suis mandat, ut eodem honore ac ritu, quo Venetum, Electorales excipiant, quo & cæteris eum honorem abnegandi prætextum tolleretur. Eo facto Franciscus Wilhelmus Osnabrugensis Præsul, ab Electore Colonienſi Deputatus, hactenus Widenbruggæ moratus, medio mense Novembri Monasterium insigni cum pompa ingreditur, eodem quo Venetus honore à

1644. Cæſareis exceptus. Quem mox Brandeburgica Legatio ſecutura nuntiabatur. Ab aliis Ordinibus, præter Lampadium Luneburgicum, adpellebat Abrahamus Keiſerus Meclenburgicus Deputatus, & alius à Joanne Saræpontano Comite miſſus. A Lubeca David Glokinus, à Brema Liborius de Lina, & Gerhardus Kochius, Hamburgo Meuterus aderant. Wurtenbergicus quoque Dux in Suevico, Neoburgicus in Weſtphalico Circulo miſſiones cum reliquis Ordinibus agitabant. Contra Cæſar Comitia meditari ferebatur ob tributa ad bellum, & ut Ordines tractatibus averteret, ac jus ſuffragii iiſdem heic adimeret, Regibuſque abſtractos ad talem eos locum perduceret, ubi commodius eoſdem ad nutus ſuos temperare daretur.

Cæſarei Stralſundæ ſalvum conductum negant.

§. 64. Nova inde controverſia oriebatur circa commeatum Stralſundenſium, quem per Suecos requiſitum Cæſarei abnuebant, velut is omnibus Ordinibus, & cumprimis Brandeburgico fraudi foret, ſi *mediata* quæ vocant oppida heic admittantur; Contendebant Sueci, in prævia conventione ſub Statuum vocabulo immediatos juxta ac mediatos intelligi. Differre à *Fœderatis Adhærentes*, ac per hos præcipue notari eos, queis jus fœderum non ſit; quales ſint municipales urbes, & privati, qui Suecis militent. Contra Cæſarei afferebant; Status nomine neminem deſignari, niſi qui immediate Imperio ſubſit: & *Confœderatos* atque *Adhærentes* adjectiva eſſe, quæ ad ſubſtantivum *Status* referantur. Unde ſenſum eſſe: Cæſarem iis duntaxat Statibus ſalvum conductum debere, qui Sueciæ fœderati & adhærentes ſint. Et ſi contra Salvius è literis ad Regem Daniæ ſcriptis oſtenderet, ſe vocabula *adhærentes*, & *veniant* formulæ quæ tunc concipiebatur, expreſſe inferenda poſtulaſſe, quod alii Regnorum adhærentes, qui ex Ordinum numero non ſint, æque ac Ordines commeatu opus habeant, illiſque liberum eſſe debeat, ſi velint, tractatus adire. Id quod Cæſar, cum Daniæ Rex ad eum referret, annuerat. Inhærebant tamen ſententiæ ſuæ Cæſarei, ac proponebant, ut Sueci Stralſundenſes literis tuti itineris inſtruerent; ſe verbo cauturos, nihil noxæ iſtis illatum iri. Sed abnuebant Sueci, velut prævia conventioni adverſum, & in ſequelam trahendum; probantibus qui aderant Evangelicis, qui ſatis diſpicere non poterant, quid præjudicii Cæſari & Ordinibus oriri poſſet, ſi Stralſunda ſalvum conductum acciperet. Nec Galli minus eam Cæſareorum tergiverſationem improbabant.

1618. 29. Sept. 3. Octob. 17. Nov.

Cæſarei funus Luſitanicum abripiunt. 5. Dec. 30. Dec.

§. 65. Sed & alia lis ſurgebat ob exanime corpus Roderici Botelli Luſitani Oſnabrugæ defuncti, quod aromatibus conditum Mindam avehebatur, proſequente Oxenſtiernæ famulo. Id Cæſarei excurſores capulo perforato cum reliquis rebus Furſtenaviam abripuerant. Eo facinore intellecto Sueci apud Cæſareos expoſtulabant: Juri gentium repugnare, exanime hominis corpus ita barbare tractari; nec Luſitanos Cæſari profeſſos hoſtes; ac ſi forent, haut fas eſſe eum violare, qui Oſnabrugæ non dignatione Legati Luſitani, ſed in comitatu ipſorum egerit. Nonnullos Luſitanos & Catalaunos in comitatu Legatorum Gallicorum non Germaniam ſolum, ſed & per Hiſpanorum præſidia illæſos tranſiſſe. Prævio pacto omnibus, qui in legatorum comitatu ſunt, de itu & manſione cautum eſſe. Unde poſtulabant; communem Legatorum ſecuritatem tuerentur, & ablata reſtitui curarent pœna in facinoris autorem ſtatuta. Ni fecerint, ſibi imputarent, ſi ob hoc, & complura adverſus Cæſaream cautionem admiſſa facinora inſignem ipſi vindictam ſumerent. Cæſarei Suecicum quidem famulum ſtatim dimittebant; de cadavere ad Collegas ſuos Monaſterium ſcripſiſſe ſe excuſabant. Petierat alias Luſitanus recens Monaſterium delatus Andrada, ut Galli ab Hiſpanis ſibi ſalvum conductum impetrarent. Galli quanquam Luſitanos pace comprehendere cuperent; tamen rem tam odioſam inter primordia negotiationis movere haut conſultum ducebant, Hiſpanis objecturis occaſionem captari tractatus evertendi. Nec adparebat, quomodo Luſitani petitis ſatisfieri poſſet. Nam neque Bragantino Regis titulum Hiſpani daturi erant; neque rebellis vocabulum Luſitanus acceptaturus. Igitur judicabant Galli, imprudenter Luſitanos ſe diſſuadentibus huc properaſſe, cum oſtentum eſſet, nullum ipſos operæ pretium heic facturos; & cum huc veniſſent, poſtulare non dubitaſſe, ut media in Germania, in qua tot per annos bellatum fuerat, aliis præteritis de ipſorum cauſa primo loco agatur, &, per eam forte ad reliqua aditus præcludatur; præſertim cum ipſis bellum tam parum cordi ſit, qui occaſione tam egregia in Hiſpanos nihil tentent: Et quanquam Andrada proponeret, ſufficere ſibi, ſi Cæſar & Hiſpani Gallis ſcripto cavent, tutos fore, queis ſociorum ſuorum Galli ſalvum conductum impertiant; Galli tamen id negotium nunc tangere utique nolebant, quod à rebus Germaniæ auſpicari tractatus conſtituiſſent.

De ſalvo conductu pro Luſitanis Gallorum ſententia.

Deputatio nis Francofurtenſis acta.

§. 66. Paucis quoque perſtringere lubet ea, quæ hoc anno in Conventu Deputatorum Francofurti acta fuerint, quantum ad inſtitutum noſtrum ſpectant. Scripſerat Daniæ Rex ad Electorale Collegium ſuper irruptione Succorum, ac ne ſe inconſulto ſeparata cum Suecis pax iniretur, petebat. Cui Electorales, Brandeburgico excepto, facile annuebant, viciſſim poſtulantes, ne Rex, uti promiſerat, ſeorſim cum Suecis tranſigeret, aut Gallorum aliorumque mediatorum opera ad pacem promoveri ſe pateretur. Et quia Rex iſte ſubinde monuerat de communi amneſtia promulganda, ac inteſtina concordia inſtauranda, Electorales probato ejus conſilio per literas à Cæſare contendebant, ut eam rem ocyus effectui dare velit. Nec eo ſecius Cæſar iſta petita abnuere, cauſatus difficultates, quæ circa ordiendos pacis tractatus inciderent, & quam parum adhuc ſpei appareat univerſos Ordines ſecum iri conjunctum, pauciſque admodum Daniæ cauſa cordi ſit.

19. April. 20. April.

Diſceptatio de Legatorum Gallicorum literis. 31. Maji.

§. 67. Quas Legati Gallici ad Ordines Imperii literas dederant, magno ibi motu exagitabantur, Cæſare illas non in ſui tantum, Domuſque Auſtriacæ, ſed & univerſorum Ordinum contumeliam trahente. Unde ipſius nomine Auſtriacus in conceſſu Deputatorum poſt longam in Regios invectivam ab Ordinibus exquirebat, qua ratione tanta injuria adverſus iſtos *calumniatores* ac *diffamantes* (ea vocabula adhibebantur) foret retorquenda? Magni momenti ea propoſitio videbatur, eoque Deputati nova ſibi domo mandata expectanda ſtatuebant. Ac ſcripſerat ipſe Cæſar ad Ordines Deputatos, ut ſuos Francofurti mandatis inſtruerent, quæ atrocitati injuriæ quadrarent. Re in conſultationem deducta, omnes quidem refutandas injurias cenſebant aſperius aut lenius, prout ſtudio in partes ducebantur. Sed circa modum diſcrepabatur, Auſtriaci cum Bavaro, & Burgundo; qui Ordines cum Gallis colliſi optabant, injuriam ad totum Imperium pertinentem

ab

1644. ab universis Ordinibus ulciscendam contendebant, & Gallis suas literas redhibendas, aspera exprobratione addita. Alii reliqui moderata suadere, acerbis scriptis animos exasperari nullo fructu, nisi quod tractatibus remora injiciatur. Melius talia generoso silentio sperni. Quin reipsa refellenda quæ objiciantur, adornata demum serio ad tractatus missione, sine qua exiguam pacis spem Regii ostendant. Denique Cæsar suo arbitrio, suoque, non Ordinum nomine eam injuriam ulcisceretur. Sed post inutiles, & exitu carentes disceptationes, cum Gallorum arma vicino tractu invalescerent, negotium id plane conticuit.

De amnestia & gravaminibus.

§. 68. Denique in eo omnes consentiebant, esse è re Germaniæ, ut clausula de suspendendo amnestiæ effectu, è Ratisponenti decreto aboleretur. Id quod multis adductis rationibus per literas Cæsarem rogabant. Atque id ipse Bavarus, aliique Austriacis addicti eo se fine agere non dissimulabant, quod florentibus Gallorum armis nulla pacis spes in tractatibus, sed in armis juncta vi prosequendis sit. Quo fine & compositionem gravaminum ocyus suscipiendam suadebant. Id quod Evangelicis ad palatum haut erat, qui parum solidi & æqui citra Regum operam sibi pollicebantur; præsertim cum Cæsarei ostenderent; id ægre obtentum iri, ut in Judicio Cæsareo Aulico Assessores pari utriusque Religionis numero constituantur. Cæterum etsi Cæsar Conventum Francofurti utique prorogari cuperet, pro re nata isto usurus, & ut Ordines tractatibus abstraheret: Deputati tamen, cum nil superesset, quod hoic agerent, ut iste suspenderetur cupiebant, quoad declarationeCæsarea allata finis eidem facto decreto imponeretur. Ac sub exitum anni deliberationes ad mensem dilatæ, omnesque tam Electorales, quam Principales de adeundis pacis tractatibus agitavere.

Polonica.

§. 69. Cæterum suscepto bello Danico Sueci non præter rem verebantur, ne forte & Polonus instigante Cæsare & Dano in arma erumperet. Et sane missus à Dano fuerat Pudevvellius, qui annitente Gerhardo Dænhofio Regi Poloniæ persuaderet, ut inducias solveret. Sed & Austriaca factio Regem in Ragozium excitare nitebatur. Unde ad Regem Galliæ Rectores Sueciæ scribebant, ut is Legatum in Poloniam mitteret infestis sibi consiliis durante bello Danico avertendis. Quanquam autem Poloniæ Rex perResidentem suum in Gallia Mazarino persuadere niteretur, non esse è re Galliæ magnos Suecorum progressus; mittebatur tamen in Poloniam Bregius Vicecomes, qui noxiis communi causæ consiliis obsisteret. Qui & operæ pretium fecerat non spernendum, sedatis Polonorum animis, quos falsò rumore Dani agitaverant, velut Torstensonio deliberatum fuerit, in Poloniam potius an in Holsatiam se conjiceret suo exercitui reficiendo. Idem & Tartaros Zaporovienses incitare conati fuerant, ut incursionem in Livoniam facerent. Quibus tamen ut transitum concederent, Polonis haut quidquam persuadebatur; qui non citra acerbitatem Danis exprobrabant; ni Anno tricesimo octavo ab ipsis impediti fuissent portorium ad Gedanum capere, nunc non terra tantum, sed & mari illis se potuisse subvenire. Permoverat porro Regem Bregius, ut scripto ipsi caveret, se nec in Ragoziani, nec Danici belli partem venturum, modo ipse non lacesseretur; & inducierum pacta sancte se servaturum. Id quod
23. Febr. eo facilius obtinebatur, quod sub id ipsum tempus defuncta Regina Austriacorum autoritas in ista aula languere inciperet. Interim super suscipiendis inter Sueciam & Poloniam tractatibus Curlandiæ Dux denuo movebat, & à Rectoribus Sueciæ, quibus Mediatoribus uti velint, exquirebat. Cum hi veteres se retenturos responderent, Gallum, 2. Jun. Anglum, Batavos, & si quis horum id muneris abnueret, super alio surrogando conventuros, Curlandus ostendebat, Polonos de aliis Mediatoribus adsciscendis cogitare, causatos Galliæ Regis pueritiam, & turbas Angliæ, ac eorum loco offerre Venetos, ac Magnum Hetruriæ Ducem. Qui cum Suecis parum probarentur, respondebatur Duci: pueritiam Regis Galliæ per Ministros suppleri; turbarum in Anglia finem cito sperari. Igitur apud hoice instaret, ut ipsi ad tractatus adornandos animum adplicarent. Id quod in diem fore satis perspiciebatur.

Moscovitica.

§. 70. Sed & in Moscovia, quæ à Danis agitabantur, in irritum cadebant. De istis usque adeo dubium non erat, ut Regina Galliæ, antequam Torstensonius in Holsatiam moveret, per Brienium Legato Grotio nuntiaret; sibi compertum, in Moscovia adversus Suecos arma parari. Venerat porro in Moscoviam Woldemarus Comes magnifico comitatu, prosequentibus duobus Legatis Danicis Olao Pasbergo, & Stenone Bildio, ac splendide admodum a Russis excipiebatur. Nec eo 21. Jun. secius Residenti Suecico Petro Krusbiarno Cancellarius denuntiabat; auditum sibi, bellum Suecos inter & Danos ortum inter alia ob Woldemari in Russiam iter. Declarare Czarem, se pacta æternæ pacis sancte servaturum. A Woldemaro ut nuptiæ complerentur instante, Russi vicissim postulabant, ut baptismo ritu Ecclesiæ suæ denuo initiaretur; hac inter alias ratione adducta, quod is prima salutatione Czaris sceptrum osculatus esset, eoque teneri ipsum in omnibus voluntati ejusdem obtemperare. Istum cum baptismum Woldemarus abnueret, ac jam Russorum ludibria deprehenderet, consilium cepit fugæ tribus comitantibus in Poloniam suscipiendæ. Igitur ingruentibus te- 9. Maji. nebris ad portam urbis cum accederet, agnitus sistitur, ac transitu arcetur. Cum vi perrumpere conaretur, verberibus haut leviter dedolatum ad hospitium suum Russi retrahunt, ubi tumultu orto prorumpentes ipsius famuli aliquot Russorum occidunt. Inde arctiore custodia circumdatur Woldemarus. Urgentibus super nuptiis Legatis Danicis, nil nisi baptismus Russicus ingeminabatur. Et cum matrimonium succedere non posset, ac ipse tamen ea mente venerit, ut filii loco Czari esset, sat opum huic esse, unde eundem alat. Sed sequenti anno cum Michael Fœderovvicius fato concederet, filius & successor hujus Alexius, ad se nihil ista spectare testatus, humanissime habitum & liberaliter donatum dimisit, prosequentibus Legatis Danicis, & Polonico, (& ipso pro ejusdem liberatione connixo,) ut tamen scripto caveret, nil hostile se unquam adversus Russiam tentaturum. 16. Jul. 21. Aug.

Regina regimen suscipit. 7. Dec.

§. 71. Sub finem anni Conventus Ordinum Regni Holmiæ habitus, ad expedienda, quæ duplici bello necessaria habebantur, supplementa, nautas, arma, annonam, pecuniam. Sed eidem præcipuam celebritatem addidit, quod tunc Christina Regni habenas ipsa susciperet. Gesserant hactenus Reginæ tutelam, summamque Reipublicæ curam quinque supremi, qui vocantur, Regni Officiales, iidemque Senatus Principes, Gabriel Oxenstierna Gustavi F. Drozetus, Jacobus Gardius, Archistrategus, Carolus Gyldenhielmius, Admiralius, Axelius Oxenstierna, Cancellarius, Gabriel Oxenstierna

1644 na Benedicti F. Theſaurarius: quicis tamen quicquid negotiorum publicorum erat, adhibito in conſilium Senatu expeditum fuerat. Illuxerat natalis Reginæ expleto ætatis Anno decimo octavo, cum in conſeſſu omnium Ordinum Cancellarius Collegarum nomine Reginam argenteo ſolio collocatam decenti oratione rogat, ipſa jam ætate matura Regni ſui habenas ſuſciperet, cujus vicaria cura ipſi ſe abdicent; de obſequio ſuo in poſterum teſtatus, ſimul vota & omina felicis ac glorioſi deinceps regiminis miſcens. Excepit Regina gravi & adpoſita oratione, fidam atque prudentem tam difficilibus temporibus operam ſibi patriæque exhibitam laudibus extollens. Cætera Cancellarium exequi juſſit; qui Reginæ nomine gratias Ordinibus egit, quod obſequio ac forti fidelique opera nunquam hactenus reipublicæ defuerint. Tum ut deinceps quæ bonos cives decent exhibere pergant, admonuit; & à Regina indefeſſam pro ſalute Regni curam, ac in omnes & ſingulos benevolentiam, ſtudiumque expectare juſſit. Mox ſingulorum Ordinum nomine ſinguli prodiere, qui gratulatione ac vota profudere magno ſane animorum motu, cum avitum ſceptrum capeſſere viderent Reginam, cui præter paterni nominis gloriam, amoremque tam inuſitatæ animi dotes apud omnes admirationem juxta ac venerationem conciliabant. Tutorum acta ſolenni ſcripto per Reginam firmata, ac teſtimonium ipſis præbitum tutelæ, ac Regni fideliter adminiſtrati. Etſi iſta pulcerrima foret adprobatio reipublicæ bene geſtæ, quod eodem deinceps conſiliorum tenore cœptam rerum telam Regina pertexere pergeret, eorundem in poſterum quoque conſilio uſa, nec circa magiſtratus, negotiorumque adminiſtros notabili mutatione ſuſcepta. Quanquam non minus ſolidæ prudentiæ, ac compoſiti in Regina animi indicium foret, ipſam à via ſapienter deſignata haut deflexiſſe. 1644

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

1. *Torſtenſonius in Bohemiam movet.* 2. *Super induciis cum Saxone agitur.* 3. *Cæſarei copias contrahunt.* 4. *Sueci longius in Bohemiam tendunt. Eis Cæſarei ſe objiciunt.* 5. *Hi Moldam tranſeunt. Cæſarei apud Jancoviam illis ſe objiciunt. Sueci prælio certare conſtituunt.* 6. *Diſpoſitio aciei. Primus ad Jancoviam conflictus.* 7. *Prima Cæſareorum ſtrages.* 8. *Alterius conflictus occaſio. Cæſarei fugantur. Numerus cæſorum & captorum.* 9. *Cæſar Viennam ſe recipit. Torſtenſonius ad Danubium movet. Iglaviam capit, & Cremſam.* 10. *Danubium tranſire non poteſt: ad Miſtelbacum conſidet.* 11. *Cæſar exercitum reparat.* 12. *Torſtenſonii per Auſtriam progreſſus. Obſidium Brinæ.* 13. *Galli fœdus cum Ragozio ineunt.* 14. *Ragoziani ſe Suecis jungunt. Sueci Tyrnam occupant. Ragoziani militis indoles. Diverſa Torſtenſonii & Ragozii intentio.* 15. *Cæſarei caſtellum ad pontem Viennenſem recuperant.* 16. *De captivorum redemtione agitur.* 17. *Brinæ obſidium tarde procedit.* 18. *Ragozius propius movet. Ejus vires & habitudo animi.* 19. *Ejuſdem filius in caſtra Torſtenſonii venit. Is in Moraviam accedit.* 20. *Nutat.* 21. *Cæſar hunc ad pacem permovet.* 22. *Ragozii cum Torſtenſonio congreſſus. Iſte in Tranſylvaniam redit.* 23. *Torſtenſonius Brinæ obſidium ſolvit: Leopoldum inſequi non poteſt: in Bohemiam tranſit.* 24. & 25. *Kœnigsmarckius in Moraviam & Sileſiam excurrit. Torſtenſonius ab exercitu diſcedit; Imperium in Wrangelium confert. Exercitus Suecicus denuo in Bohemiam irrumpit.* 26. *Kœnigsmarckii acta.* 27. *De induciis cum Saxone agitur. Legio Suecica vapulat.* 28. *Inducie cum Saxone concluduntur.* 29. *Circa Magdeburgum acta.* 30. *Ab Haſſis acta.* 31. *Gallorum per Germaniam geſta. Turennius cis Rhenum progreditur.* 32. *Prælium ad Mergentheimum. Gallorum clades.* 33. *Bavarici in Haſſiam eunt. Kœnigsmarckius Turennio ſuccurrit. Bavarici Kirchainam fruſtra oppugnant.* 34. *Sociata copia Enguiano Duci junguntur. Enguiani progreſſus.* 35. *Prælium ad Altersheimum.* 36. *Cæſi utrinque, captique. Enguianus Norlingæ neutralitatem concedit: Dunckelſpulam capit: in Galliam redit.* 37. *Cæſarei Bavaricis ſuccurrunt. Turennius ad Rhenum ſe recipit. Bavarici multa oppida recuperant. Turennius Treveros occupat.* 38. *Haſſi Marburgenſem ditionem ſibi vindicant. Haſſorum ad Inferiorem Rheni ripam acta.* 39. *Deputationi Francofurtenſi finis imponitur.* 40. *Tractatuum pacis continuatio. Diſceptatio ſuper ſalvo conductu Stralſundenſium.* 41. *Ut & Argentoratenſium*

Digitized by Google

1643. ratenſium. 42. *Diſceptatio ſuper funere miniſtri Luſitani.* 43. *Ordines tarde ad conventum mo-* 1645.
vent. 44. *Negotiatio de pace adhuc differtur.* 45. *Hanſeaticorum cum Serviento ſuper admiſſione lis. Eorundem à Suecis petita.* 46. *Plenipotentiæ Monaſterium adferuntur. Galli Ordines denuo ad tractatus invitant.* 47. *Mediatores propoſitionem urgent. Avauxii cum Legatis Suecicis congreſſus. De honore Legatis Electoralibus exhibendo.* 48. *Procuratoria Monaſterii permutantur. Hiſpanici procuratorii defectus. Galli propoſitionem edunt inconſultis Suecis. Ejus contenta. Idem Hiſpanis novam propoſitionem edunt.* 49. *Sueci eam propoſitionem agre ferunt. Galli ſe excuſant. Cæſarei Suecos ad propoſitionem fruſtra urgent.* 50. *Cæſarei ad Gallorum propoſitionem reſpondent.* 51. *Lambergius ſe publice Legatum gerit. Hic fruſtra temperamentum circa Stralſundam proponit. Oxenſtierna conſultatio cum Gallis ſuper propoſitione.* 52. *Ordines paulatim accedunt.* 53. *Hi propoſitionem urgent. Cæſarei cauſam Ordinum heic agi nolunt.* 54. *De induciis inter Gallos & Bavarum.* 55. *Hiſpani ad Gallorum propoſitionem reſpondent.* 56. *Elector Trevirenſis liberatur.* 57. *Electorales Legati pari cum Regiis honore excipiuntur.* 58. *Propoſitio inter Suecos & Gallos concinnatur. Sueci moras propoſitionis agre ferunt.* 59. *De ſalvo conductu Mediatorum diſceptatur.* 60. *Palatini Electoris miniſtri adveniunt. Electorales Oſnabrugæ Mediatorum partes aſſectant.* 61. *Luſitanorum poſtulata.* 62. *Propoſitio inter Suecos & Gallos diſcutitur.* 63. *Circa Stralſunda ſalvum conductum temperamentum.* 64. *De modo exhibendæ propoſitionis.* 65. *Propoſitio ipſa Succorum; & Gallorum.* 66. *Gallica propoſitio conventioni non reſpondet.* 67. *Judicia de utraque propoſitione.* 68. *Mediatores de induciis proponunt.* 69. *Controverſia ſuper modo tractandi. Cæſaris intentio. Cæſareorum eo nomine ad Ordines propoſitio.* 70. *Ordinum ſententiæ ſuper Electoribus: ſuper Deputatione: ſuper Circularibus conſultationibus. Conſultatio Comitialis placet. Abſentes non amplius morandi. De transferendis tractatibus, aut dividendis Ordinibus. De ſupplenda mediatione.* 71. *Ordines à Comitiis abhorrent.* 72. *Longuevillanus & Pigneranda Monaſterium ingrediuntur.* 73. *Cæſareorum & Electoralium decretum.* 74. *Quod cæteris Ordinibus diſplicet; ut & Suecis.* 75. *Oſnabrugenſium ſententia ſuper eo decreto.* 76. *Ea Cæſareis diſplicet, & Mediatoribus. Gallorum ſuper ea mens.* 77. *Electoris Saxoniæ Legatis ſalvus conductus datur.* 78. *Oſnabrugenſes Ordines Monaſterium invitantur.* 79. *Illorum reſponſum.* 80. *Cæſar Ordines ad tractatus advocat. Cæſarei de Oſnabrugenſibus queruntur. Monaſterienſium ſuper modo conſultandi declaratio.* 81. *Controverſia ſuper excluſione certorum Ordinum, Magdeburgici, Caſſellani, Durlaceni, & Sarcpontani. Magdeburgici & Caſſellani reſponſum.* 82. *Cæſarei reſponſum ad Regiorum propoſitionem exhibere detrectant. Quatuor Ordines ſolenni actu excluduntur invitis Suecis. Cæſareorum reſponſum Ordinibus traditur.* 83. *Ejus reſponſi formula.* 84. *Reſponſum ad Gallorum propoſitionem.* 85. *Judicium de hoc reſponſo.* 86. *Super Cæſareorum reſponſo Regiis tradendo dubium.* 87. *Controverſia ſuper quatuor excluſis continuatur. De Magdeburgico in ſcamnum ſecularium recipiendo.* 88. *Mediatores diſtinctim ſuper ſatisfactione proponi cupiunt. Galli Palatinis ſpem faciunt.* 89. *Venetus denuo Oſnabrugæ mediationem offert.* 90. *Quæſtio de civitatum Imperialium voto deciſivo. De ſuffragio Provinciarum per Suecos poſſeſſarum.* 91. *De Excellentia Legatorum Electoralium.* 92. *Cæſarei ſeparatos cum Suecis tractatus captant.* 93. *Cæſarei reſponſum ſuum per Electorales Suecis inſinuare conantur.* 94. *Sueci ſalvum conductum mediatorum denuo poſtulant.* 95. *Controverſia de quatuor excluſis continuatur.* 96. *Palatini proteſtatio rejicitur.* 97. *De Trautmanſdorfio Comite magna eſt expectatio.* 98. *Labardæum pro Legato Sueci agnoſcere abnuunt.* 99. *Querela Palatini Sulzbacenſis: immediatæ Nobilitatis: exulum Auſtriacorum, & civitatis Egrana.* 100. *Novum de Amneſtia decretum promulgatur.* 101. *Circa ſatisfactionem Coronarum difficultas.* 102. *Trautmanſdorfius Monaſterium venit.* 103. *Oſnabrugenſium ſententia ſuper pace. Diſceptatio inter Lutheranos & Reformatos.* 104. *Controverſia cum Hanſeaticis.* 105. *Caſſellanorum poſtulata. Salvus conductus mediatis tandem conceditur.* 106. *Controverſia circa excluſos Ordines componitur.* 107. *Evangelici gravamina ſua exhibent, de Reſervato Eccleſiaſtico;* 108. *de bonis Eccleſiaſticis mediatis;* 109. *de autonomia ſubditorum;* 110. *de reditibus ſacris;* 111. *de juriſdictione Eccleſiaſtica;* 112. *de Edicto Ferdinandi II.* 113. *Gravamina Politica.* 114. *De his judicium quorundam Evangelicorum, & Catholicorum.* 115. *Stralſundenſium petita.* 116. *Oxenſtierna cum Gallis Monaſterii congreſſus.* 117. *Suecorum Replica ad Cæſareorum reſponſum.* 118. *Gallorum Replica.* 119. *Eam Ordines ſibi communicari petunt.* 120. *Tractatus cum Hiſpanis quieſcit. Hiſpani cum Hollandis ſeparatim tractare cupiunt;* 121. *& Cæſarei cum Suecis.* 122. *Ceremonialia.* 123. *Regina Sororſina cum Brandeburgico de Pomerania tractare non vult.* 124. *De induciis cum Bavaro.* 125. *Suſpicio Reginæ in Gallos velut Dano faventes.* 126. *Polonica.* 127. *Anglica.*

Torſten-

Digitized by Google

1645. Torſtenſonius in Bohemiam movet.

TOrſtenſonius, flagrante quamtumvis bello Danico, in Holſatiam & Jutiam vertere haut conſultum rebatur, quod Cæſar ſpatium inſtaurandi copias nactus totam belli colluviem in eas oras effuſurus eſſet, ubi Suecico exercitui cum inopia conflictandum ſit; milite quoque illuc ſequi abnuente, ubi inglorium exitium nulla ſpe prædæ eundem manebat. Igitur in Cæſareas provincias penetrare conſtituit, prohibendis novis hoſtium delectibus, & ut Ragozio, valde id quidem flagitanti, propior eſſet, eumque à tranſactione cum Cæſare averteret. Tum & Gallis hac expeditione omnis ſiniſtre ſuſpicandi anſa adimebatur; & ea unica ratio erat Cæſarem ad pacem compellendi. Cujus quæ mens fuerit, vel inde judicare licet, quod, cum paulo poſt Torſtenſonii in Bohemiam ingreſſum falſus rumor de clade Suecorum Monaſterii diditus eſſet, Naſſovius Comes, Cæſareus Legatus nunc tempus amplius de pace agendi eſſe negaret. Exercitus apud Penicam luſtratus novem equitum, ſex peditum millibus quingentis conſtare compertus. Miles egregius, bene habitus, inſtructuſque, ac rei gerendæ cupidus. Torſtenſonius quanquam gravante valetudine cum neque miſſionem obtinere poſſet, nec alius ducum ſummam rerum ſuſcipere auderet, animi magnitudine ac ſtudio in patriam vires ſupplente, per Annebergam in Bohemiam vadit. Ubi Cadenæ, & per vicina oppida aliquamdiu ſubſiſtendum erat ob profundas ſoluto gelu vias, & quia Satzæ fluitans glacie Egra pontem abſtulerat. Inter excurſiones minutis ibi catervis certatum, aliquando centum quadraginta Bavaricis interceptis. Animus Torſtenſonio erat, validam ſtationem ad Moldam fluvium, aut Danubium ipſum capeſſere, inde imperio in alium translato in Holſatiam abire, quod Regina volebat, ut inde abdicata plane rerum cura in Sueciam eo facilius ſe conferre poſſet. Rebus per Miſniam, Saxoniam, & Weſtphaliam Kœnigsmarckius præficitur, juſſus cumprimis ad opprimendum Bremenſem Præſulem, ac evaſtandum paluſtrem Holſatiæ tractum ſociata cum Helmoldo Wrangelio opera conniti, ne Daniæ Regi facultas vires inſtaurandi relinqueretur. Brandeburgico Electori, Garlebiam ſibi, Landsbergam, Drieſenamque deductis Suecicis præſidiis petenti demonſtratum; ita conditionem belli eſſe, ut alterutri bellantium eorum locorum tranſitu ſit utendum; quem uti Cæſareis abnuere Elector non audeat, ita eodem Suecis negato ipſi magna difficultate implicentur, conceſſo, Elector apud Cæſarem offenſam contracturus ſit, fortaſſe ab hoc hoſtis loco habendus.

9. Jan.

§. 2. Eodem tempore Ragozio de adventu ſuo Torſtenſonius per literas ſignificat, ac ut quinque millia equitum ad ſe mittat; & Olmucio annonam inferat. Cum Saxoniæ Electore iterum ſuper induciis agi cœperat, ſatagente cumprimis ipſius filio Auguſto, Adminiſtratore Magdeburgico, qui cum Torſtenſonium, quem Cizæ inviſerat, ab iis non alienum reperiſſet, apud Patrem inſtabat, ut Halæ congreſſus illis ineundis haberetur. Id quod agitari Sebottendorfius Saxonis Conſiliarius Auſtriaca penſione illigatus ſtatim Cæſari ſignificat; qui & literis & miſſo Comite Megavio Electorem ne tuas partes deſtituat monebat. Unde multæ preces à filio apud patrem adhibendæ erant, ut ad tractatus iſtos deſcendere vellet; quibus ſucceſſum Torſtenſonius optabat, quo in Bohemiam penetrans tergum tutum haberet, & citra moleſtiam communicatione cum prælidiis ſuis retro frui poſſet. Et ſane iſtius à Cæſare ſeceſſus haut exigui momenti videbatur; præſertim cum eidem occaſio non deeſſet novis delectibus inſtituendis, queis Suecorum arma diſtringeret. Unde mandatis cum iſto agendi Axelius Lilius, & Lilieſtroemius à Torſtenſonio inſtruebantur.

Super indu- ciis cum Saxone agitur.

1645.

Cæſarei copias concentrant.

§. 3. Aſt Cæſarei ſummo ſtudio exercitui reparando incumbebant. Hatzfeldicis legionibus adjunctæ Gallaſianarum copiarum reliquiæ, quæ armis equiſque inſtruebantur. Ex Hungaria Gœtzius cum octo equitum, tribus peditum legionibus evocatur. Acceſſerant à Bavaro duo equitum, tria peditum millia ſub Wertano & Joanne Reuſchenbergio, operam prælio navatura. Ita ſedecim bellatorum millia implebantur, in quos ſummum imperium Hatzfeldio delatum. Nam Gallaſius Magdeburgo elapſus, etſi culpam rei male geſtæ à ſe removere ſtuduiſſet, perdito tamen quacunque ratione tam egregio exercitu apud Cæſarem minoris habebatur. Ipſe Cæſar cum Leopol- 14. Jan.
do fratre Pragam ſe contulerat, ſuorum virtutem hortatibus promiſſiſque excitans; cui Virgo Mater per ſomnium victoriam adverſus Suecos promiſſe in vulgus ſpargebatur excitandis ſuperſtitione animis. Cujus ſomnii fiducia ducibus ſuis, ut prælio utique certarent, injunxiſſe ferebatur. Tum velut propitiando Numini atrocia edicta in Proteſtantium ſacra per Auſtriam repetitis vicibus 4. 25. Jan.
promulgantur.

Succi longius in Bohemiam tendunt.

§. 4. Torſtenſonius contra incenſo Brixio oppido, cum arcem incaſſum tentaſſet, Cadena movens, itinere per Willenitzam, Kitſcham, Luditzam, Chlumam, Tuſcham, inde Miſà flumine ſuperato per Doorzanum, Schvvihofam, Przenitzam ſumto, Glattaviam pergit, prælio ſemper paratus incedens. Hatzfeldius contra, qui Grun- Eis Cæſarei ſe objiciunt.
bergæ ſtativa habuerat, ut Suecis ſe objiceret, Planitzam, & Oroſchovvitzam properat, opportuno loco progreſſum iſtorum interclufurus. Crediderat Cæſar Succos in Auſtriam ſupra Anaſſum tendere, pronis in ipſos ob communia ſacra ibi agreſtibus; quo Glattavia per Budevveiſam, inde per Auream, quam vocant, Semitam facilis acceſſus. Quanquam & in Superiorem Palatinatum, & ſuperato Molda ad liberandum obſidio Olmucium inde in Auſtriam via patebat; qua Succos interclufiſſe Cæſar magnæ inſtar victoriæ habiturus erat. Id quod haut in arduo fore credebatur, cum Cæſarei quatuor millium numero Succos à ſe ſuperari ferrent. Succi per montana Zephiecam, 16. Febr.
inde Oroſchovvitzam delati hoſtem trans Ottovvam flumen opportuno loco confidentem reperiunt, ut ejus invadendi facultas non eſſet. Tormentis tamen aliquot per horas certatum, ac hoſtium ſtatio ante oppidum pulſa, cæſis nonnullis, captiſque. Per eam noctem uterque exercitus ſub dio intenſiſſimum per frigus conſtitit. Poſtridie Torſtenſonius explicata acie prælio 19. Febr.
ſe offerebat. Sed cum neque Cæſarei eis flumen in locum æquum deſcendere vellent: neque ipſe ad iſtos iniquis locis ſuccedere conſultum duceret; ad ſiniſtram ſecundum fluvium Ottovvam verſus Stracovvitzam progreditur, hoſte in altera ripa ex adverſum incedente. Inter eundum ex omnibus collibus è machinis jaculationes fiebant. Sed quia Stracovvitzam hoſtis valida dimacharum manu firmaverat, quam in conſpectu Cæſarei exercitus oppugnare rationis non erat;

Tor-

1645. 18. Febr. Torſtenſonius Rodomiſſelam flectit, uno ad quiescendum die ſuis dato; Piſecca interim fruſtra tentata, cui & ipſi validam manum hoſtis immiſerat. Igitur per Criciomum, ac Miroditzam, Lidamque demum Klukenitzam, ad Moldam attingit, itinere antea curribus non trito, nedum ut auditum unquam ſit, machinas eo trans vehi poſſe.

19. Febr. 20. Febr.

§. 5. Hoſti propoſitum fuerat Suecis iter obſtruere, eosque, ut in Misniam reverterent, compellere. Ac jam ſibi perſuaſerant, iſtos numero Cæſarei exercitus perterritos, cum iter in Auſtriam præcluſum cernerent, per Leutmericiam Bohemia excedere conſtituiſſe. Ea res hoſti ſecuritatem addidiſſe videtur, ut minus ſolicite Suecorum iter obſervaret. Aſthi ad vicum jam dictum inter Orliccam & Zuiccoviam equitatum cum machinis & impedimentis vado transmiſere, peditiglacies pontis vicem ſupplevit. Hoſtis ea re cognita propere motis Stracovvitza caſtris inter Teinam & Budevveiſam ſuperato Molda Tabor accelerat, ac impedimentis heic & Budevveiſæ relictis Suecos raptim inſequitur. Hi per Sedlezomium progreſſi, inde per Watitzam Brodam Teutonicam cogitabant. Sed his apud Jancoviam tribus à Tabore milliaribus Cæſarei ſe objiciebant opportuno loco caſtris locatis, ut Jancovia utrique exercitui interjecta neutri uſui foret. Suecorum ſtatui explorando Joannes Sporckius tribunus cum trecentis equitibus ſub ipſa caſtra ſucceſſerat; quem validior Suecicorum manus in ſiniſtrum Cæſareorum cornu impegit, capto jam ipſo tribuno; quem tamen ſubvenientes ſui liberarunt, Suecorum non paucis cæſis, captisque: quod velut magni ſucceſſus auſpicium Cæſari celeribus nuntiis Pragam ſignificatum. Quanquam autem aſpera montibus regio aciem rite explicari non ſineret: tamen cum hoſtis ſemper Suecorum lateri hæreret, hiberni cœli inclementia ſub dio ipſos fatigaturus, conſilio habito Torſtenſonius hoſtem invadere conſtituit, licet peditum numero parem, equitatu tribus millibus potiorem. Nec minus hoſtiles duces prælio proni, urgentibus à Cæſare iteratis juſſis, & quia Bavarus ſuos ad breve tempus absque ſarcinis miſſos ob ingruentes Gallos revocabat, Wertano aſſeverante, ni intra triduum res geratur, ſibi in Bavariam abeundum eſſe. Unde ut tantis auxiliis uterentur, aleam prælii tentare decreverant.

Suecі Moldam transeunt.

21. Febr.

Cæſarei apud Jancoviam illis ſe objiciunt.

Suecі prælio certare conſtituunt.

§. 6. Apud Suecos dextrum cornu regebat Arvidus Wittenbergius, & Goldſteinius, ſupremus vigilum præfectus. Siniſtrum Robertus Duglaſſius, peditatum Mortaignius curabat. Singulis equitum alis quadrageni pedites interpoſiti erant. Cæſareorum ſiniſtro cornu præerat Gœtzius cum comitibus Bruæo, Baſſompetra & Pompeio; dextrum quod Bavarici obtinebant, Wertanus, Mercius, & Trauditſchius adminiſtrabant. Peditatum Suiſius Comes, Reuſchenbergius, & Don Felix ducebant. Symboli ſecundarii vicem apud Cæſareos ſubibat, ne cujus vitæ parceretur, quod in ipſos prope vertebat. Torſtenſonius hoſtium ſtatu cognito cum ſuis ad dextram verſus Woriciam flectebat, montem cui ſacellum impoſitum occupaturus, ut altiore loco, ventoque, & patentioribus ad dextram campis potiretur; ſimul hoſtem opportunitate loci ſui detraheret, & ad mutandam ſtationem adigeret. Nec conſilio ſucceſſus deerat, Gœtzio pariter cum ſiniſtro cornu ac peditatus parte ad eum montem properante. Hoſtem tamen breviore licet ſpatio inde diſtantem Suecі prævertebant, quos prius iter ingreſſos Cæſarei ſerius animadverterant, quod initio credidiſſent Suecos per eandem, qua venerant, viam reverti. Sed & denſa ſylva Cæſareos inter & montem interjecta erat, cujus anguſtiæ iſtorum iter non parum retardabant. Ita adventantes Cæſarei Suecos ordinibus explicatis conſiſtentes invenere, qui & longius antepoſitam villam dimachis inſederant. Gœtzius ſpe montis occupandi fruſtratus in proximo ſylvoſo colle cum dimachis conſiſtit; pedites ac equitatum, cui per dictam ſylvam via non patebat, à ſiniſtra eam circumire jubet.

Dispoſitio utri.

Keiu Quartier. Primus ad Jancoviam conflictus. 24. Febr.

§. 7. Heic dimachæ hoſtiles, acriter licet reſiſtentes, à ſelectis peditibus & primo dextri cornu agmine ad unum fere concili. Dextrum Suecorum cornu in hoſtilem equitatum irruens hunc poſt aſperum conflictum in fugam propulit eo facilius, quod anguſto campo, montibus ac ſylvis utrinque circumdato, non niſi paucæ in fronte alæ poſſent conſiſtere, quæ repulſæ poſterioribus impactæ, cum Suecі denſis ordinibus incumberent, eas ſimul in fugam abripuere. Inter hæc & pedites utrinque manus conſeruere, Cæſareis & heic pulſis, quos Gœtzius primo conflictu binis globis trajectus occumbens non parum turbaverat. Hatzfeldius ſtrepitu pugnæ audito, reliquo exercitui, ut ſtatim frontem huc verteret, & ſuis auxilio acceleraret, imperat. Unde peditatus cum machinis ſtatim dictam ſylvam intrat, velut planam ibi viam repertrurus. Equitatus citato curſu ſylvam circumvehitur, cum profligatæ jam Gœtzii turmæ iſtis obviam ruunt. Igitur Hatzfeldius toto cum exercitu in celſiorem retro locum ſe ſubduxit. Plures tamen machinæ, quas confragoſa in ſylva retrovertere non dabatur, ibi relinquendæ erant cum plerisque curribus, queis globi vehebantur; quo caſu & quæ ſupererant inutiles reddebantur. Suecis incumbentibus Hatzfeldius ceſſim ſemper eundo ad quintum usque montem in quo proxima nocte metatus fuerat, perveniebat; retro quem celeri receptu & fuga Gœtzianorum turbatos ordines quantum tempus ferret iterum inter arbuſta compoſuit. Torſtenſonius quantum ſylvis ac montibus impedita regio ferebat, è veſtigio ſequi, ac tormentis ſubinde in hoſtem fulminare. Sed dum ipſius peditatus hoſtili peditatui imminet, & ob anguſtias loci univerſæ phalanges æquata fronte incedere non poſſunt, duæ phalanges, Mortaignius & Seſtedii pugnæ ardore reliquas longius prægreſſæ incautius hoſti invehuntur; à quo male habitæ Seſtedium tribunum cum plurimis aliis, ac vexillis quindecim amiſere.

Alterius conflictus occaſio.

§. 8. Placebat Torſtenſonio inclinante in veſperam die hoſtem ſic latis multatum dimittere, parente jam in Auſtriam & Moraviam pro lubitu via. Unde exercitus eo loco, quo hoſtes priore nocte conſtiterant, metari jubebatur. Sed quia è primo agmine nuntiabatur, hoſtem circa transeundas viarum anguſtias trepidare, ac tegendo receptui ſylvoſum montem peditibus inſeſſum reliquiſſe qui facile expugnari poſſet; ipſe dux ad locum inſpiciendum vehitur, ac ſelectos pedites cum decem minoribus machinis eodem ire jubet. Sed hoſtis qui, ſecus ac nuntiatum erat, poſt iſtum montem in acie ſtabat, totum ſuum peditatum ſelectæ iſti Suecicorum manui immittit; quæ & retro pedem fert, relictis machinis. Inde & Torſtenſonio ſuæ phalanges huc evocatæ; & hoſtis, cum pugnam declinari non poſſe videret, cum univerſis copiis magno impetu in Suecos prorupit. Ita hora poſt meridiem ſecunda aſperrima pugna conſeritur.

1645. Cæsarei fugantur. tur. Magno utrinque nisu duas per horas pugnatum, cum demum utrumque hostium cornu in fugam propellitur. Hatzfeldius cum paucis equitum turmis ac peditatu per dimidiam adhuc horam sustinens à Succis sinuata in lunam acie circumdatur. Ubi maxima cædes edita: reliqui ipso cum Hatzfeldio capti sunt: paucos fuga, quos inter Saxonicus tribunus Callenbergius, eripuit. Durante conflictu aliquot hostium alæ è sinistro cornu dextrum Succorum cornu circumiverant; quæ si Succos à tergo invasissent, haut modicum operæ pretium facturæ fuerant. Sed illæ prædam pugnæ antehabentes ad vehicula diripienda verterant; ac paulo post cum ipsa præda à Suecis excepti plerique trucidabantur. Fuerat in hostium manibus ipsa Torstensonii uxor, quæ mox suis supervenientibus liberabatur. E Cæsareis occubuere Joannes Gœtzius supremus dux; tribuni Waldeccius Comes, Piccolomineus junior; subtribuni Maxfeldius, Stimbla, Grefius, magnus aliorum præfectorum numerus, quorum multi vulneribus deformes agnosci non poterant. Cæsorum quatuor millia amplius centebantur; nam accurate supputari per montes ac sylvas sparsi non poterant. Inter captos erat ipse Hatzfeldius, quem aliqui gregarii interceptum, cum quis esset dissimularet, prope interfecerant, ni è centum aureis apud ipsum repertis haut infimæ dignationis præfectum conjectassent. E superioribus insuper ducibus capti Saradeskius, Don Felix, Trauditschius, & Bruæus, qui paulo post è vulneribus obiit. Tribuni Schiferus, Tappius, Meuterus, Bunovius, Lanovius, Kœnigseckius, Mœrschius: subtribuni quatuordecim; novem vigilum, viginti tres turmarum præfecti; viginti quatuor centuriones, & quorum vice cohortibus præsunt tredecim; optiones octoginta unus; metatores legionum duo; viginti sex equestres, triginta duo pedestres signiferi: inferiorum ordinum præfecti centum septem; tubicines viginti unus, machinarii sexaginta sex; gregariorum supra quatuor millia. Sporckius saucius mox Iglaviæ interceptus. Potiti quoque sunt Sueci tormentis viginti sex; triginta quatuor pedestribus quadraginta octo equestribus signis. E Succicis occubuere tribuni Reuschelius, & Sestedius, præfectus vigilum Forckius, centurio Kevenhullerus, cum præfectis aliis, & gregariorum duobus fere millibus. Sauciati, Goldsteinius à Bruæo Comite singulari congressu, tribuni Mullerus & Penzius; subtribuni, Letmatus, Merbachus, Harderus, Uxculius. Eo prælio Carolus Gustavus Palatinus etsi nullum corpore vulnus excepit, quam densa tamen inter tela versatus fuerit indicio esse potest, quod & pileus ac tunica, ipso quoque indusio lacerato, globis trajectus fuerit, cæsariem, pro more ejus temporis in dextrum humerum descendentem, globus transiens avulserit. Ita flos exercitus Cæsarei & Bavarici tantum non sub ipsius Cæsaris oculis concisus Torstensonio quo vellet iter aperuit. Causam suæ cladis Cæsarei ferebant, quod Sueci machinis ita strenue usi essent, cum ipsi suas mature amisissent. Wertanus quoque arguebatur ad alterum conflictum audacia sua causam dedisse, cum prima clade defungi potuisse viderentur. Sed Hatzfeldio errata sua Gallasius vetere æmulatione acerbe exprobrabat; etsi ille Cæsari se purgare satageret. Sueci faventis Numinis indicium habuere, quod usque ad prælium constricta gelu humo machinæ facile veherentur, & Torstensonius ita firma valetudine uteretur, ut equo vehi posset; cum statim post prælium pluvio cœlo viæ mollescerent, & ducem solitus morbus lectulo affigeret. 1645.

Numerus cæsorum & captorum.

§. 9. At Cæsar tantæ cladis nuntio consternatus statim Praga Ratisponam, inde secundo Danubio Viennam properavit, dimisso ad Superiorem Austriam tuendam fratre Leopoldo. Gallasius jam plane ipsi conciliatus, cum alienis erroribus suos obliterasset, sparsos è fuga componere jussus est. Torstensonius contra tam insigni victoria ita uti constituerat, ut belli sede in Cæsareis provinciis fixa hunc demum ad serio amplectendam pacem compelleret. Unde cum unum diem suis ad quietem indulsisset, omisso Tabore recta Danubium petere instituit. Ad Ragozium nuntius de victoria mittitur, isque monetur, ut ad communem causam acriter connitatur, levemque equitatum Suecis associet. E loco prælii Wotitzam, inde Chernovvitzam, & Pilgramum tenditur, obiter in potestatem redacta Broda Teutonica, & Neuhausa, ubi magna vis armorum, quæ Vienna ad exercitum Cæsareum submissa erat, intercepta. Iglaviam Wittenbergius cum duodecim equitum legionibus, bis mille peditibus præmittitur, ubi oppidani captis licet initio armis, mox imperata faciunt, Sporckius heic tribunus, ac multi præfecti vulneribus debilitati capiuntur. Olmucium Joannes Walterus subtribunus cum valida manu missus abigendis obsessoribus. Sed jam Ladislaus Wallensteinius, qui oppido isti adsederat, audito prælii eventu propere Brinam se receperat. Obsessi eruptione facta opera circum excitata disjecere, magna quoque frumenti vi recepta. Iglavia captivi ac saucii, ac superfluæ machinarum relinquuntur; oppido tuendo Oesterlingus tribunus cum quatuor equitum, duabus peditum legionibus imponitur. Cum per aliquot dies morbus ducem heic detinuisset, Znaimam tendit vicinis circa oppidis in potestatem redactis. Tandem apud Cremsam Danubius attingitur; ubi collecta è prælio hostium manus, cum ob ingruentes tenebras, & aspera montium statim invadi non posset, trepida trans Danubium se recepit. Cognitum ibi impedimenta hostilia Weiskircham è Bohemia adpulisse. In illa immissus cum aliquot equitum alis Duglassius mille quingentis equis & vexillis aliquot potitus est. Steina inde, quam centurio cum centum peditibus, simul oppidanis tuebatur, impetu expugnata, cæsis qui armati reperiebantur. Cremsam tribunus Ranstius cum trecentis peditibus insidebat, qui postquam quintum in diem sustinuisset, tandem honestis legibus deditionem facere cupiebat. Sed rejectis quas petebat conditionibus, arbitrio se victoris dedere jubetur. Cum tergiversaretur, vis iterum admota, qua compulsus demum hanc legem admittit, & ut Sueci ruinam mœnium tantisper insideant, annuit. Quo dum enituntur, subito vis globorum in eos effunditur, quibus subtribunus Essenius cum aliquot gregariis cadit. Præfectus vigilum Suanto Bielckius femur globo trajicitur, quo vulnere paulo post perit, summo cum ducis dolore. Ob id facinus Ranstius tribunus, culpam licet ab se amolitus, cum reliquis ductoribus capitalem subiit, gregarii Succicis cohortibus admixti. Et eo magis iram merebatur Ranstius ille, quod prælio ad Lipsiam captus, ac fide data dimissus iterum sistere se neglexerat. Gravenecca quoque arx, quam centurio cum viginti septem peditibus, & provincialium manu tuebatur, arbitrio se victoris permittere cogitur. Eum centurionem cum proditet, Torstensonius prosterni, inde per car-

Cæsar Viennam se recipit. 25. Febr.

Torstensonius Iglaviam capit. 3. Mart.

9. Mart.

14. Mart.

15. Mart.

16. Mart.

Cremsa capitur.

19. Mart.

1645. carnificem ad portam ſuſpendi juſſit ob proterviam [illegible]guæ, & ut hoc exemplo territæ aliæ invicta arces juſto exercitui ſe opponere meruerint. Voluerat Torſtenſonius collectis Cremſæ navigiis Danubio trajecto in ripa ſtationem capere, ac inſtaurato, qui dejectus erat, ponte fluvium ibi tranſire. Sed hoſtis pleraque navigia corruperat, & quæ ad manus erant, idoneis copiis transportandis non ſufficiebant. Terror tamen ſubinde velut à perrupturis oſtendebatur. Ad agreſtes autem in Auſtriam ſuper Anaſſum nulli nuntio penetrare dabatur.

Torſtenſonius Danubium tranſire non poteſt.

§. 10. Eo minus porro Cremſæ Danubium tranſire Torſtenſonius laborabat, quod Ragozium præcipue reſpiceret; qui, niſi propius accedente ipſo, nil ſe ſuſceppturum oſtenderat. Ac rumor erat, trans Wagam flumen iſtum metari. Unde ocyus Hungariæ ad fines accedere cupiebat, intra Viennam & Presburgum facile viam transeundo Danubio reperturus, & tunc ad utramque ripam bellum Auſtriæ una cum Ragozio infuſurus. Sed poſt rumor ille falſus deprehendebatur,

28. Mart. Ragozio tunc in Transſylvania abiente. Igitur

30. Mart. Torſtenſonius ſecundum Danubium movens primo Corneuburgum deditione cepit. Inde munitionem ad pontem Viennenſem invaſit; quam nocte ſequente hoſtis deſeruit, igne ædificiis ac proximo ponti injecto: quam Torſtenſonius valido præſidio firmavit. Inter hæc Ladislaus Barcozius Hungaricus dux cum duobus millibus Hungaricorum & Polonicorum equitum ad Moravam flumen confederat, indeque catervis emiſſis Suecicos quoſdam pabulatores interceperat, reciſis capitibus barbaro more in ſaccum conjectis. In hos Jordanus tribunus cum legionibus aliquot immiſſus qui tranſitu fluminis ad Angeram eos pepulit, pontemque in poteſtatem redegit cæſo Polonico tribuno Sebinskio, aliisque. Eo terrore manus iſta diſperſa nusquam poſt comparuit. Torſtenſonius aditum illum præſidio cuſtodit, ne ea parte invadi poſſet. Ac ut exercitum poſt tot labores quiete reficeret, Miſtelbaci, & vicino tractu eum diſtribuit, hoſte jam ultra Danubium rejecto.

Cæſarea arcium reparat. 23. Mart.

§. 11. Aſt Cæſar Viennam delatus Ordines Imperii literis confirmat; tum reparando exercitui magno ſtudio incumbit. In Italiam Leslæus mittitur, à Pontifice & Principibus Italis auxilium petiturus. * Ex Hungaria Bucheimus Comes cum reliquis ibi copiis in Auſtriam evocatur. Tria millia militum erant, dimidiam partem inermium. E prælio profugi quidam in Auſtriam ſe receperant, ubi rapinis atque incendiis hoſtili more graſſabantur, donec Suecis ingruentibus trans Danubium faceſſerent. Per Bohemiam palantes Gallaſius contrahebat. Sed nulla equeſtrium legionum ſexaginta capita excedebat. Praga quadringenti pedites educebantur, qui viginti legionum vocabula ac centum viginti vexilla præferebant. Ad has ſupplendas provincialibus miles imperatur. Auſtriam, ipſamque Viennam ingens terror afflaverat; unde Auguſta cum prole Cæſarea Græziam Stiriæ ſe conferebat. Alii Salisburgum, ipſasque Venetias fugam adornabant, ni Cæſar acri edicto vetuiſſet, ne quis extra provinciarum ſuarum fines ſe conferret.

Torſtenſonii per Auſtriam progreſſus.

§. 12. Dum Torſtenſonius Miſtelbaci conſidet, Mortaignius cum manu peditum Niclasburgum mittitur, centurione cum nonaginta peditibus inſeſſum; qui deditionem imperatam initio abnuebat, quod oppidani ſimul ferociter arma corripuerent. Sed hi poſtera luce collapſis animis centurionem compulerunt, ut arbitrio Suecorum ſe permitteret. Hoc in oppido inventæ quinquaginta quatuor machinæ, & prædæ magna vis. Præter hoc alia quoque oppida præſidio Cæſareis inteſſa citra exceptionem in poteſtatem redacta, Laba, Falckenſteina, Stotza, Wolfersdorfum, Gædinga, Wetela, Oltrovia. Refecto paulum milite Mittelbaco movens Torſtenſonius Hohenaviam cum vicina arce Ravensburgo, quam valido cum præſidio Vetterus tribunus inſidebat, ad deditionem compulit. Inde ad oppugnandam Brinam vertitur, magni momenti oppidum media Moravia ſitum: quo obtento ſtativis citra Danubium Sueci tuto frui poterant. Etſi magna hujus obſidii difficultas prævidebatur ob firmiſſima munimenta, & quia præfectos peculiares cauſæ, ut extrema ſuſtinerent, ſubigebant. Nam arcem Spilbergam curabat Ouglebius natione Scotus, qui antea, dum ſub Suecis in Boruſſia militaret, ob patratam cædem inde profugerat. Oppido præerat tribunus Suchius, & ipſe antea Suecicam militiam ſecutus, qui ob Stalhantſchium ſiniſtris ſcriptis lætum in cuſtodiam datus, eademque elapſus ad Cæſareos transfugerat. Nec eo ſecius rem tentare Torſtenſonius conſtituit dictam ob cauſam, & quia ob Ragozium in oris Hungariæ vicinis morandum erat. Et fama erat trecentos duntaxat milites in oppido eſſe, ac præcipuos civium in Hungariam profugiſſe; tum annonam, ac paratum bellicum apud Olmucium conſumtum. Nec ob turbatas Cæſareorum res ita facile oppido ſuccurſum iri ſperabatur. Miles quoque rei gerendæ avidus, & tot loca hactenus ſubacta fiduciam addebant. Unde oppido timul, & quæ eidem imminet arci Spilbergæ, vis admovetur; acceſſus fiunt, mœnia noctu diuque quatiuntur, cuniculi ſub duo arcis propugnacula promoventur. Tarde tamen ac difficulter obſidium procedebat ob prævalidas munitiones, & quia obſeſſi acerrime repugnabant, non paucis ſubinde obſidentium cadentibus. Et jam antea peditum numerus non parum imminutus erat nupero prælio, & tot oppidis expugnatis, ac præſidio munitis. Tum & pulveris inopia premebat, cujus utique ea copia ſervanda erat, quæ ſufficeret, ſi prælii committendi neceſſitas foret. Quia tamen videbat Torſtenſonius, niſi hoc oppido expugnato in Moravia commode ſibi ſubſiſtere non licere, in obſidio perſiſtebat, certus ſi hoſtis ſubſidio veniret numero non valde ſuperior, prælio certare. Sed ſi iſte Bavaricis copiis prævalens obſidium ſolvere ipſum ſubigeret, ſpes tamen erat non defore rationem ſervandi exercitus. Quo fine Kœnigsmarckius poſt res in Saxonia Inferiore compoſitas in Bohemiam, & Superiorem Sileſiam movere jubetur diſſipandis hoſtium delectibus, & ut tergum Torſtenſonii fulciret.

1645.

17. April.

20 April. Obſidium Brinæ.

Galli fœdus cum Ragozio iniunt.

§. 13. Interea miſſus à Galliæ Rege in Transſylvaniam Antonius Croiſſius ſuper fœdere cum Ragozio egerat. Quanquam enim hic conventis cum Rebenſtockio inhærere cuperet, tamen quod iſte abſque ſui Regis conſenſu illa inita diceret, hinc inde quædam mutata, ac fœdus tandem Muncacii ſcripto conceptum. Præcipua mutatio in eo vertebatur, quod prior conventio utrumque Regnum, hæc ſolam Galliam reſpiceret; eoque dimidia tantum pars ſubſidiorum, & loco promiſſi militis quadraginta octo uncialium millia exprimebantur. Catholici in peculiarem Regis Galliæ protectionem recipiebantur irrita cautione, cum illi exciperentur, qui Auſtriacæ Domui

22. April.

1645. adhærerent, id quod omnes in Hungaria Catholici faciebant. Sed dum Ragozio differre permittitur cum Cæsare transigere, si ab aula Turcica arma ponere juberetur, eidem prætextum dabatur inicia Gallia cum Cæsare pacem faciendi non solum, si revera Turca juberet, sed & si alias belli tæderet. Abnuerat tamen Croisilius ante id fœdus concludere, quam Ragozius Legatos suos Tyrna revocaret, ubi cum Cæsareis hactenus tractatus agitarant; & scripto caveret, se cum Legato Cæsareo, qui sub idem tempus in ipsius castra venerat, nihil super separata pace, & in fraudem hujus fœderis facturum, sed absque mora eundem dimissurum. Urgebat inde Croisilius Ragozium ut cum exercitu propius Torstensonium moveret. Sed hic tergiversari, causatus gramen sibi expectandum; spem tamen facere, & Legato Gallico & Torstensonio, se mense Majo à Tibisco Tyrnam, & Presburgum versus progressurum. Interea ducem suum Gabriel Bacosium cum insigni exercitus parte præmisisse. Qui & statim de accessu suo Torstensonio significat, & promissos mille quingentos pedites acriter flagitat.

Bacon Gabriel.

Ragozini le Suecis jungunt. 3. Maji.

§. 14. Bacosus iste cum ob Cæsareos Presburgi hærentes propius accedere metueret, Torstensonius illi Duglassium obviam mittit, cum valida equitum manu, quam Carolus Gustavus Palatinus ductabat. Hic non procul Schwedloa Ragozianis jungitur, qui septem equitum fere milia, duodecim peditum Hungaricorum ac Walachorum centurias implebant. Ex quibus postera die, dum retro Ostroam iter instituunt, tumultu orto ducenti pedites Hungari in montana lignis relictis diffugiunt. Scalitzam progressis Fridericus Landgravius cum sex equitum legionibus jungitur, qui Cæsareos ad Presburgum se congregantes dilapsi jussus fuerat. Sed cum isti jam ultro trans Danubium recessissent, Duglassius ostentandæ fiduciæ, ac ut Ragozio, & qui Suecorum partibus per Hungariam favebant Evangelicis animos adderet, Tyrnam occupare constituit. Oppidani cum in subeuntes primo machinis jacularentur, post duas horas animis collapsi super deditione agere cœperunt, ac sequenti die in has leges convenere, ut septingenti equites trecenti pedites Hungarici præsidio intra oppidum reciperentur. Quo facto Suecici cum Ragozianis cis Albos Montes remeant. His vix digressis Adamus Forgatschius Comes cum Hungarorum manu Ragozianos nullo negotio Tyrna iterum ejecit. Disponuntur inde Ragoziani apud Hollitscham in ulteriore Moravvæ ripa, ut ab invationibus hostium tuti essent, ac pro re nata operam navare possent. Sed mox cum Torstensonius duo Hungarorum equitum millia Wittenbergio jungi juberet obsidio castelli ad pontem Viennensem solvendo, seditio in castris Hungarorum orta est, qua sexcenti domum profugerunt: reliqui coitione facta vim in præfectos meditabantur, & quicquid Duglassius occineret, non prius Moravvam se transituros clamabant, quam duorum mensium stipendiis acceptis. Qui tamen pecunia à Torstensonio submissa utcunque placabantur, nulla in seditionis autores statuta pœna obtentu libertatis Hungaricæ. Eo minor verecundia erat paulo post quoque parem vesaniam induendi. Ex istis auspiciis Torstensonius facile judicabat, quid subsidii ab istis copiis sibi foret expectandum. Præfecti forte non spernendi; sed gregariorum dissoluta licentia, obsequii & disciplinæ nescia, nullus in agmine aut excursione ordo; tum ad tumultus proni, ac ducibus magis suis quam hostibus metuendi. Retinenda tamen ea turba erat, præsertim post illatam Turennio à Bavaricis cladem, qualecunque auxilium, si hi Cæsareis juncti ingruerent. Inter hæc Ragozius literis atque nuntius promissam à Rebenstockio pecuniam ac militem poscere, ac ut Constantinopolim mitteretur, qui nomine Reginæ impediret, ne ipse ex illa aula arma ponere juberetur. Et de pecunia quidem annuebat Torstensonius; sed peditum quidem centurias præstare non poterat peditatu suo valde imminuto. Et cum non esset, quem in aulam Turcicam mitteret, Legato Gallico Hayo scribit, ut apud principem Purpuratorum dilatam legationem excuset ejusque propediem mittendæ spem faciat. De cætero cupiebat Torstensonius à Ragozio Presburgum invadi, ac ut ibi superato Danubio stativa exercitui suo quæreret. Ragozius contra malebat à Torstensonio Presburgum expugnari, sibique tradi; nam ut Suecico præsidio id oppidum insideretur, plane abhorrebat. Eidem quoque animus erat non diu in Hungaria morari, ut, ejus Regni Ordinibus quantum posset parceret favori eorum retinendo; sed in hæreditarias Cæsaris provincias cis Danubium pedem movere. Id quod Torstensonio plane displicebat, qui cum ex illis vix suo exercitui alimenta expediret, tanta mole dissolutæ turbæ pariter infusa famem moxsuis prævidebat.

1645.

Diversa Torstensonii, & Ragozii inceptа.

Cæsarei castellum ad pontem Viennensem recuperant. 20. Maji.

§. 15. Ast Cæsarei, audita Gallorum ad Mergentheimum clade, alacres castellum ad pontem Viennensem centum quinquaginta peditibus insessum invasere, ac tormentis acriter verberatum sequenti die assultu utrinque dato impetiere. Nec mora, præsidiarii abjectis armis se dedunt. Subtribunus præfectus cum triginta aliis in munimentum interius se recipit, sed ingruentibus impar citra pactum in hostium manus pervenit. Caula tam subitæ jacturæ fuerat, quod licet Torstensonius veteranos præsidio ejus castelli deligi jussisset, tribuni nuper è Cæsareis captos substituissent, qui sacramenti recens dicti immemores pugnam detrectabant. Multi gravius flagitium suspicabantur, velut hoste ab ipsis ultro invitato. Postera luce Wittenbergius cum valida equitum manu serum auxilium aderat. Exiguum quoque castellum in insula Danubii ex adversum Cremitæ situm, quo ejus fluminis navigatio prohiberi poterat, à Cæsareis subito impetu paulo post oppressum.

Succi Tyrnam occupant. 17. Maji.

18. Maji.

19. Maji.

Ragoziani militis insolens.

De captivorum redemptione agitur.

§. 16. Sub idem tempus Cæsar, circa reparandum exercitum satagens, præfectos suos à Suecis captos ex conventione antehac inita permutandos aut redimendos præberi instabat; Torstensonio contra moras nectente, quod Cæsar suppletis licet copiis citra veteranos illos ductores prælium tentaturus non videretur; & quia Cæsarei hactenus eam conventionem parum religiose servaverant. Quia tamen duces Suecici ob ancipites bellorum casus eandem firmam persistere utique cupiebant, Torstensonius trahendo tempori postulabat, ut ea conventio ab ipso Cæsare ratihaberetur, quod, dum vicissim Reginæ ratificatio adfertur, aliquot menses elapsuri forent. Tum ne præstantissimis liberatis reliquos penes Suecos relinqueret Cæsar, iste pertendebat, quicquid penes se esset captivorum à summo ad imum simul redimi; id quod sibi magno levamento, Cæsari autem ob rei nummariæ angustias difficile futurum erat. Cæsar circa ratificationem facilem plane se præbuit, declarans, Torstensonii se fide adquiescere, quoad Reginæ ratificatio ad-

1645. adseratur. Nec eo secius pecunia deficiente in longum extrahebatur captivorum redemtio. Unde cum horum ob multitudinem (nam quingenti amplius erant,) molesta foret custodia, nec ad oram maritimam abduci viis undique interseptis iidem possent, quos & alias eo transferre intutum videbatur, ne novas ibi res machinarentur, ac cum Dano commercia secreta agitarent, plurimos eorum fide accepta ad suos dimittit Torstensonius, interque eos ipsum Hatzfeldium ea lege, ut interea nullam militarem operam Cæsari navarent.

Brinæ obsidium tarde procedit.

§. 17. Tarde inter hæc procedebat Brinæ obsidium, Succico peditatu valde imminuto, & maligna pulveris pyrii copia. Unde cum machinis parcius uti necessum foret, cuniculi agebantur, quos per distinctam rupibus humum ægre miles moliebatur. Obsessos contra acerrime resistentes fames urgebat, ac pulveris penuria. Hanc ut supplerent sexcenti equites Praga profecti, ducente Passiæo tribuno per occulta sylvarum ignorati prope Brinam suggrediuntur, ibique densis arbustis recti silentio ad noctem usque subsistunt. Unde obortis tenebris subito impetu in stationem equitum ante castra consistentem irruunt, ac Galbrechtum tribunum cum optione, & aliquot gregariis occidunt. Eo tumultu trecenti dragones, centum octoginta saccos pulvere plenos ferentes in oppidum perrupere. Reliqui in sylvam pede relato illæsi re bene gesta ad suos remearunt. Nec modica obsidio remora à Torstensonii morbo accessit, qui per mensem lectulo affixum tenuit. Nec eo secius oppido affidere statuerat, quo ad vel id expugnaret, vel hoste ingruente relinquere cogeretur; præsertim cum Ragozio jam propinquante his utique oris subsistendum foret.

Ragozius propius movet. 7. Jul.

§. 18. Is quippe Cassovia, ubi conventum Ordinum agitaverat, Filleccam parvis itineribus movebat. Euntem legatus Turcicus assequebatur, qui, uti ipse ferebat, Principis Purpuratorum nomine denuntiaret, ne in Provincias Cæsaris hæreditarias irrumperet, atrocibus minis additis. Nec eo minus idem literis Torstensonio confirmabat, se isto interdicto non obstante in suscepta semel causa substituturum. Simul Duglassium cum bis mille equitibus una cum Bacoso obviam sibi mitti postulabat; mirante Torstensonio, quare tanto stipatus exercitu modicam Cæsareorum manum apud Presburgum hærentem metueret. Igitur missus cum septem aliis equitum Teutonicorum Duglassius, & cum mille quingentis Hungaris Jarmirus tribunus: reliquæ sub Bacoso copiæ ad Gædingam subsistere jussæ. Apud Tapolchanum Ragozio Duglassius jungitur honorifice exceptus, quo instante ille ad Wagam flumen progreditur, ac Tyrnam iterum nullo negotio occupat.

Ejus vires & habitus animi.

Hinc cis Wagam castra ponuntur. Exercitum Ragozii componebant viginti quinque bellatorum millia; è quibus mille Germani, septies mille Hungari, Transylvani, & Walachi pedites; reliqui omnes equites: comitabantur quadraginta machinæ. Ipsi Principi candidus animus, sed paulo timidior, nec satis obstirmatus, qui clade Turennii in Franconia audita haut parum trepidationis ostendebat. Uxor quoque, filiusque, & pauci è consiliariis in Suecicas partes proni: cæteri omnes à Cæsare corrupti pacem vehementer suadebant, quam etiam populus inclamabat. Et Cæsareus Legatus palam in ipsius castris agens haut parum suspicionis injiciebat. Cæterum promissæ à Rebenstockio copiæ, ac pecuniæ subinde 1645. flagitabantur. Torstensonius uti pedite carere non poterat, ita ipso tam prope suggresso Ragozium hoc postulato superstiturum sperabat. Circa pecuniam quanquam Dux Succicus verebatur, ne Transylvanus hac accepta cum Cæsare transigeret; ne tamen huic ansam à conventis discedendi præberet, eam utcunque corradere constituit. Igitur Alexandrum Erskeinum ad ipsum misit, 26. Jun. qui de adventu gratularetur, ac ad propius progrediendum stimulos adderet. Cui Ragozius reponebat; animum quidem sibi esse superatis Albis Montibus prope Torstensonii castra considere. Sed vereri, ne in exhausta jam à Succis regione fames utrumque exercitum invadat; tum ne Hungari à tergo turbas dent, & Hungaria se excludant. Missurum tamen septem millia selectorum equitum sub filio Sigismundo. Cum reliquis copiis sub Albis Montibus metaturum, & si opus sit, auxilio adfuturum.

Ragozii junior in castra Torstensonii venit. 9. Jul.

§. 19. Nec mora cum dicto equitum numero Ragozius junior Moravvam tranſit, & simul cum Jano Keminio in castra Torstensonii ad Brinam provehitur. Colloquium potenti Carolus Gustavus Palatinus, VVirtenbergius, & Erskeinus adjunguntur. Querebatur ibi Princeps patris sui nomine, fœdus à Regina non fuisse absolutum. Kemini Jano. Tum ut subsidium pecuniarium integrum pro anno præterito, dimidium pro præsenti exsolvatur, una cum pecunia ad obtinendum Portæ consensum impenta. Ac ut præter promissos mille quingentos pedites octingenti equites commodentur Cassoviam mittendi ad autoritatem sibi è societate Succica apud Turcas, Polonosque conciliandam. Tum ut Legatus ad Aulam Turcicam mittatur. Vicissim paratum se ostendebat excursioni in hostem faciendæ, & quid valerent sui Hungari specimini edendo. Responsum: Quo minus solenni more fœdus absolveretur, occupationes sub recens Reginæ regimen, ac longum, intutumque iter in causa fuisse. Literis tamen Reginam Principi confirmasse conventa se servaturam; ac mox à Regina Legatum mittendum, qui ipsi plene satisfaciat. Subsidium præteriti anni statim exsolvendum: plura in præsens præstari non posse. Si opus sit, se toto cum exercitu, aut ejus parte pro re nata ipsi auxilio iturum. Super equitibus Ragozio annuere non poterat Torstensonius, quod octingenti illi quater mille Hungaris æquivalerent; nec ullo modo consultum foret, Turcis aut Polonis suspicionem injicere. Ne tamen Ragozium offenderet, excusabat, se nunc durante Brinæ obsidio illis carere non posse; ea capta eosdem missurum. Denique ad Portam Legatum ocyus iturum: interim literas ad principem Purpuratorum dandas, ne Ragozii terris molestiam inferat. Excursionem in Bohemiam facere haut consultum videbatur, quod magnis itineribus fatigandus esset exercitus, si operæ pretium fieri deberet. Nec soluin peditatum ad Brinam citra equitatum tuto relinqui. Ac melius Cæsareos ad Presburgum coëuntes invadi. Sed Torstensonius, qui securitati utriusque exercitus, & premendæ Brinæ expedire judicabat, ut Ragozius cum omnibus copiis cis Moravvam concederet, jam antea Laurentium Lindanum tribunum ad eum miserat, ut hoc ipsi persuaderet, campos matura segete plenos ostentans, ut fames metuenda non esset. Ita Ragozius annitente quoque Duglassio, & Croissio, superatis Albis Montibus, ac Moravvæ flumine intra Gædingam & Luntenburgum

6. Jul.

Ragozius in Moraviam accedit.

1645. gum conſidet, cum non procul inde ipſius filius apud Eisgrubam metaretur.

§. 20. Nec eo minus idem ſecreto cum Cæſare ſuper pace tractabat, cujus Legatus nuntium ingenti cum faſciculo literarum Poſonium mittebat, Ragozianis noctu cum deducentibus. Paulo poſt Ragozius junior à Torſtenſonio literis petit, Wittenbergium ad ſe cum Croiſſio, & Erskeinio mitti, quibuscum magni momenti negotium ſit communicaturus. Nam quo minus ipſe ad eum accedat, manu hoſtium, quæ circa Scompham ſe oſtendat, impediri. His poſtera die accedentibus nomine patris ſui proponit ingens periculum, quod Transſylvaniæ à Turcis immineat, ac Torſtenſonii conſilium exquirit. Cum Deputati ſententiam Principis audire prius vellent, Janus Keminius, qui ſimul aderat, confeſtim erumpebat; nullam ſibi aliam ſalutis viam videri, quam pacis cum Cæſare tractatus in fœdere reſervatos absque fœderatorum præjudicio. Mox fallſus rumor de Cæſareorum adventu tantum conſternationis excitabat, ut Deputati re infecta diſcederent. Eodem die literas ſat aſperas ad Torſtenſonium dabat Ragozius, queis dimidiam partem ſubſidii pro præſenti anno, & largitiones in aula Turcica factas ipſum poſcebat: addito, ſi credidiſſet, hæc ſibi abnegatum iri, ſe monitis eorum, qui id fœdus ab initio aut poſt diſſuaſerint, aures fuiſſe præbiturum, & alia conſilia capturum. Cui Torſtenſonius placide, ne ipſum irritaret; cum Carolo Avaugurio Legato Gallico conſilia ſe ſociaturum, ut ipſi ſatisfiat. Ac ſtatuerat, etiam hanc pecuniam exſolvere potius, quam abrumpendo fœderi colorem præbere. Inter iſta majores aliquot machinas, & quod Germanorum peditum habebat Ragozius Torſtenſonio ad Brinam miſerat; ubi duabus ruinis editis ad alteram aſſultus factus, ſi forte pedem in domo mœnibus propinqua figere poſſent. Sed quia optio juſſa Torſtenſonii ſecius intellexerat, iniquo loco miles incaſſum aſſultans re infecta repulſus eſt, amiſſis duobus centurionibus, triginta gregariis: centum inſuper ſauciatis.

15. Jul. Ragozius hurat. 18. Jul. 29. Jul.

Cæſar Ragozium ad pacem permovet.

§. 21. Aſt Cæſar quanquam magnam partem copiarum advertiſſet: tamen cum metueret, ne huic junctus Torſtenſonius vi Danubium perumperet cum periculo ſummæ rerum, præſertim ſi à ſuperiore ejus fluminis parte Galli ingruerent, ſtatuit ante omnia novum hunc hoſtem amoliri, ejusque poſtulatis ſatisfacere. Unde Proceres Hungarici Romanis ſacris addicti, quos inter Comitzius proximo à Principe imperio anſam arripiebant Ragozio inculcandi; talibus à Cæſare oblatis non modo cauſas belli in conventu Transſylvaniæ allegatas tolli, ſed & tranquillitatem Hungariæ reſtitui. Tum Hungaros belli jam pertæſos ægre ferre, ſe contra leges Regni extra fines militatum abductos; ac octo per menſes à penatibus disjunctos contineri diutius non poſſe. Id quoque animadvertebat Ragozius, Torſtenſonium non ad ipſius nutum bellum gerere, uti qui quondam cum Betleno ſocietatem iniverant; ſed ante omnia Suecici exercitus conſervationem reſpicere.

26. Jul. Hitce motus eo deſcendit, ut Legatum Cæſareum publice audiret; mox nuntium Viennam ablegaret petendæ ratificationi eorum, quæ convenerant. Antequam tamen inſtrumenta pacis hinc inde traderentur, Torſtenſonii colloquium expetiit, excuſandis quæ egerat, & quia ſic decere videbatur. Id cum agi ſentiret Torſtenſonius, cum congreſſum vario obtentu differre conabatur, ſi interim vel Brinam expugnare, vel Kœnigsmarckium cum ſuis copiis adſciſcere poſſet. Sed acrius inſtabat Ragozius, ac denuntiabat, ob imminens Transſylvaniæ à Turca periculum iter ſe differre non amplius poſſe; ſimul pedites & machinas, quas Torſtenſonio ad Brinam expugnandam commodaverat, avocabat. Igitur quod nondum omnia ſolvendo Brinæ obſidio expedita forent, Erskeinus ad Ragozium mittitur morarum cauſas demonſtraturus, ac ſuper loco, & tempore congreſſus conventurus. Cæterum cum Torſtenſonius Croiſſio exprobraret, hiſce cauſam ipſum dediſſe, dum in fœdere Ragozio diſerte integrum reliquerit inſtante à Turca periculo cum Cæſare transigere, hic reponebat: Turcæ denuntiationem obtentui ſumi. Non enim credi poſſe, Turcam Vaſalli & tributarii ſui progreſſus ægre ferre, dum quicquid ab hoc adquiſitum fuerit, ſub imperium illius redigatur. Sed Jano Keminio, qui apud Ragozium omnia poſſit, octo uncialium millia à Cæſare oblata. Unde ſuadebat, eidem duodecim millia offerenda, ut in his partibus perſiſtat. Quod fruſtra fore Torſtenſonius judicabat; qui & Croiſſio diſſuadebat, ne adverſus Ragozium proteſtationem interponeret, quod is facturum ſe minabatur: cum hic viciſſim teſtaturus ſit, nihil eorum, quæ fœdere promiſſa ſint, fuiſſe præſtitum.

Torſtenſonii cum Ragozio congreſſus.

§. 22. Placebat inde congreſſum Eisgrubæ fieri, quo ſe Torſtenſonius cum Carolo Guſtavo Palatino, & reliquis ducibus contulerat. Eodem & mox Ragozius invitante Torſtenſonio acceſſit, cui ad dimidium milliare hic cum quinque legionibus equeſtribus obviam ivit. Inter primam ſalutationem, equis non deſcendebant, & Palatinus ſeniori Principi ultro loco cedebat. In hoſpitium 10. Aug. Torſtenſonii, ubi Legati Gallici Croiſſius, & Avaugurius cum reliquis ducibus præſto erant, accedebant Ragozius junior, & Keminius, qui oſtendebant, jam aliquot millia Turcarum in procinctu ſtare, in Transſylvaniam irruptura, ni interdicto ipſi pareant: eam neceſſitatem ſibi allatam cum Cæſare tranſigendi citra fœderatorum fraudem, copiasque è Cæſaris ditione in Transſylvaniam reducendi. Addebant, certo ſibi conſtare, Cæſarem conventa non impleturum; eoque Principem arma retro Caſſoviam in promtu habiturum, ac ſi vel apicem Cæſar non ſervet, poſt tres menſes eadem reſumturum. Ea tamen lege, ut ſocii Reges Turcæ conſenſum obtineant, ſemperque conſervent; ne Poloniæ Rex Principem turbet, aut Cæſari delectus permittat, utque fœdus in præſenti ſtatu permaneat, ac ratificationes Regiæ ſolennes interim exhibeantur. Partem tamen copiarum apud Succos relinquere, aut pacem cum Cæſare differre abnuebant. Peculiari poſt congreſſu, à quo Gallici Legati aberant, Torſtenſonius Ragozium teſtimonium poſcebat, à Regina omnia, quæ fœdere promiſſa fuerint, præſtita, ut ipſe & Hungari honeſtam & ſibi proficuam pacem Cæſari extorquere potuerint. Sed cum Ragozius viciſſim peteret teſtimonium ſibi impletæ fidei exhiberi, Torſtenſonius illo poſtulato deſiſtebat. Autographas tamen Reginæ ac Torſtenſonii literas Transſylvanus reſtituebat. Gallicis Legatis inde placebat, Croiſſium Conſtantinopolim ire ad explorandum rerum ſtatum, & num Ragozium denuo in arma pertrahere poſſit. Cui & Torſtenſonius mandatum dabat, ac nomine Reginæ ratam partem offe-

Ragozius cum Torſtenſonio congredi vult.

rebat,

1645. Ragozius in Transylvaniam redit.

rebat, si quid causæ communi utile efficeretur. Ragozius inde citra moram trans Moravvam in Hungariam recessit, cujus pedites Teutonici, quos parum laute habuerat, plerique ad Suecos, aut Cæsareos transfugiebant. Hungarici equitatus partem Bucheimius Comes ad se pertrahere studebat, insuper id habente Torstensonio, qui istos parum metuendos expertus fuerat. Nec eo minus sequenti anno Ragozius Danielem *de Vargyas* Lipsiam ad Torstensonium mittebat, ad amicitiam & fœdus denuo offerendum. Qua de re hic ad Reginam se relaturum recipiebat; etsi sæpe judicaret, à Ragozio non id agi, ut denuo bello se immisceret, sed ut Cæsareis tacite velut minaretur, quo conventas leges implerent.

Torstensonius Brinæ obsidium solvit.

§. 23. Quanquam autem Cæsar isto hoste liberatus soli Suecico bello vacare posset, & Torstensonius diœcesin Hungarorum non modico fulcro nudatus foret: haut ideo tamen obsidium Brinæ solvisset, cujus capiendæ spes nondum defecerat, ni penuria commeatus ac pabuli, ac diuturnis è castris intolerandus fœtor locum mutare subegisset. Unde exercitum Brina dimotum Mistelbacum deducit, ibique aliquot dierum quietem eidem indulget. Ubi continuo habito placebat recta in hostem ire, ac prælium tentare: aut detrectantem trans Danubium compellere, ut Austria ex utraque ripa exhauriretur. Leopoldus quippe Archidux, pace cum Ragozio facta, exercitum Presburgo amotum Viennæ cis flumen reduxerat. Sed audito Suecorum adventu mox in alteram se ripam recepit castris contra Cremsam positis; quo & Gallasius è Bohemia evocabatur. Torstensonius contra incensis ad Mistelbacum castris, & evastatis Hungariam versus agris in citeriore ripa Stockeraviæ confedit. Straverant Cæsarei Danubium ponte duobus supra Cremsam miliaribus, & credebantur adscitis Bavaricis Suecos invasuri, aut commeatu exclusos extra Provinciam compulsuri. Sed inanis erat ea suspicio, dum Leopoldus cum parte copiarum Bavaris adversus Gallos auxilio properat. Reliqui sub Bucheimio transitum Danubii observabant; quos pestilentia, ac diarrhœa infestabat. Quanquam nec ab hoc malo immunes Suecі, peste infectis legionibus, quæ cum Duglassio apud Ragozium fuerant, eoque seorsim tendentibus; reliquis ob intemperantem pomorum & uvarum usum pronuvio alvi correptis. Cæterum Leopoldus adeo diligenter transitus Danubii obsepierat, ut octo dierum iter præripuerit, priusquam Torstensonius de eo resciscet. Ea cauta erat, cur insequi ipsum non institueret, si vel maxime fluvium perrumpere licuisset. Tum per superioris Austriæ montes grave agmen ducere difficillimum erat: ac sine dubio Gallis trans Rhenum pulsis tota mole hostis in ipsum ruiturus erat iniquitate locorum impeditum. Ita porro alteram Danubii ripam custodiebant Cæsarei, ut nisi glacie viam sternente eo pervadi non posset, nec in citeriore Austria gerendum quid restabat; ac militi post tot labores quietis quid concedendum erat. Igitur alia hospitia circumspicere instituit Torstensonius, antequam pluvia autumni tempestas vias lubricaret, ac Leopoldus cum Bavaricis regressus per angustias montium vadenti incumberet. Gallorum tunc iniqua erat suspicio & querela, velut ob arcana cum Cæsareis commercia Torstensonius non impedierit Leopoldi cum Bavaricis conjunctionem, ne Turennium iterum trans Rhenum repellere posset: cum id prohibere penes ipsum non foret. Ne tamen Austria molestius belli liberaretur, Corneuburgum & Cremsa novis munitionibus, omnibusque necessariis instruuntur, addita præter peditum præsidium manu equitum extorquendis tributis. Regio circum ita exhauritur, ut obsidium circumponi vix posset. Tum sociandis cum Olmucio & Iglavia commerciis, arcibus Tetschæ, Falckensteinæ, Storzæ, Niclasburgo, & Ravensburgo præsidia imponuntur. 1645.

Idem in Bohemiam transit.

§. 24. Ita sub finem Septembris Suecicus exercitus ex Austria male habita in Bohemiam transit, quo & Cæsarei sequuntur, id Regnum quantum possent protecturi. Equitatus Suecicus octo millibus adhuc constabat: sed peditatus ob multa præsidia, continuos labores, ac grave Brinæ obsidium, ad bis mille quingentos decreverat, veteranos & laboribus induratos; nam qui post prælium Jancovienſe capti sacramentum Suecis dixerant, plerique ad vetera signa refugerant. Cæsareis major peditum numerus; sed recens corrasa turba belandi imperita; ac præcipui veteranorum præfectorum in Suecorum manibus erant. Znaimæ præsidium deductum; sed Iglavia valida manu tenebatur. Incedebat exercitus per Walitzam, Trebitschiam, Meseritzam; hinc Molda ad sinistram relicto per Marovvitzam, Bisteritzam, Ingervvitzam, Politeckiam, & Leutomischelam. Parduvvitza quadringentis peditibus infesta, cum imperata facere abnueret, injectis ignibus in cineres redigitur. Miles in arcem refugus hostem, & incendium evadebat. Animus Torstensonio erat Kœnigsgræciam imperare. Sed quia solitus ipsum morbus infestabat, ac deleto flammis suburbio, & proximis circum vicis sub tecto miles collocari non poterat, illa missa Jacomiriæ considet, legionibus circa dispositis inter media hostium præsidia, exiguo damno ob providentiam Ducis. Morbi contagiosi cum pomis & uvis Austriacis cessabant. Discedebat ibi ab exercitu in Sueciam Carolus Gustavus Palatinus post luculenta tanto sub Imperatore militaris virturis specimina; cui inter solennes epulas digredienti paratas Torstensonius sceptrum ominabatur. 15. Octob. 31. Octob.

Torstensonius Leopoldum insequi non potest.

Kœnigsmarckius in Moraviam & Silesiam excurrit.

§. 25. Mittitur hinc in Moraviam Kœnigsmarckius, ut oppidis per Suecos infessis annonam inferret. Qui raptim profectus late populatione facta frumenti ac pecorum affatim Olmucio, Iglaviæ, Neustadio, & Eulenbergæ accumulavit. Inde in Silesiam flectens Freudenthalium oppressit. Carnoviam edita mœnium ruina expugnavit: mox & Leobschutzam in potestatem redegit. Sed ut Torstensonio iterum jungeretur, mox in Silesiam inferiorem properabat; ubi arces Franckensteinam, Furstensteinam, Lehnhausamque, ex qua Suecis hactenus multum damni illarum fuerat, occupabat. Torstensonius quoque, cum diutius inter hostium præsidia subsistere tæderet, Kœnigsmarckio in Silesiam obviam procedit, cui junctus Greiffenbergam tendit, iterum in Bohemiam se penetraturus. Capta Greffensteina per Fridlandam Leutmericiam versus iter instituit; quod oppidum occupare, ibique superato Albi circa Egram fluvium pedem figere placebat. Sed cum ipsius morbus usque adeo invaluisset, ut vix lectica gestationem amplius ferre posset, & ob eundem sæpe rei gerendæ occationes amittendæ forent, malo quoque 22. Nov. 3. Dec.

Torstensonius ab exercitu discedit.

1645. jam ipſas cervices petente: Lipſiam conferre ſe conſtituit, num forte ibi valetudinem reparare poſſet. Et quia Carolus Guſtavus Wrangelius nondum adpulerat, quem ſuprema rei tormentariæ præfectura auctum Regina ſucceſſorem ipſi deſtinabat, curam exercitus interim Arvido Wittenbergio committit. In itinere tamen iſtum Eulenbergæ offendit cum copiis, quas finito bello Danico ex Holſatia & Scania adducebat. Ubi certa lege ſummum exercitus imperium in iſtum transfert; adjectis monitis, ut ſedem belli in Cæſareis ditionibus figat, ac citra neceſſitatem aleam prælii ne tentet; tum ſi quid ſuper tractatibus moveatur, ad ſe remittat. Torſtenſonio digreſſo, qui & Kœnigsmarckium ſecum abducebat, exercitus Succicus expugnata Fridlandæ arce in Bohemiam denuo invadens Melniccam nullo reſiſtente, ac Leutmericiam diffugiente præſidio occupavit, ac valida manu firmavit. Tetſchena arx à Paiculio ſupremo vigiliarum præfecto fruſtra tentata. Inde Wittenbergius apud Sahorianum Albim; mox Egram fluvium glacie ſtratum tranſit, & Salitzæ non procul Commothavia ſubliſtit, quoad Wrangelius cum ſuis adeſſet. Utriſque copiis junctis duodecim equitum, ſeptem peditum millia implebantur; validus exercitus, & Cæſareo etiam parte Bavarorum aucto par. Cæſarei contra, qui hiberna ſibi ad fines Miſniæ ab Egra Leutmericiam uſque deſtinaverant, adventu Succorum turbati Pilſenam, inde Budevveiſam receſſerunt. Auxilia quoque Bavarica ſub Werrani ductu accedere abnuebant, donec ipſe Leopoldus Monachium profectus Bavaro perſuaderet, ut ſuas copias Cæſareis jungi juberet.

4. Dec. Idem imperium in Carolum Guſtavum Wrangelium confert.

Exercitus Succicus denuo in Bohemiam irrumpit.

6. Dec.

25. Dec.

31. Dec.

§. 26. Aſt Kœnigsmarckius, qui ſub finem ſuperioris anni reliquias Gallaſiani exercitus Magdeburgi obſederat, illis elapſis Hornburgum arcem verterat, tribus Guelferbyto milliaribus diſtantem, quam admota vi ad deditionem citra exceptionem compulit, gregarius ſub ſua ſigna diſtributis. Arci munitiones detractæ. Quæ idem hoc anno per Bremenſem præſulatum geſſerit, à Scriptore Danici belli expoſitum. Poſt eam provinciam ſubactam in Miſniam tendebat. Sed poſt Turennii apud Mergentheimum cladem, cum Bavarici Haſſiæ imminerent, etſi Torſtenſonius in Bohemiam ire juſſiſſet, implorante Landgravia, ac probantibus Oſnabrugæ Legatis, Huxteræ ſuperato Viſurgi in Haſſiam concedit, Haſſicis junctus Turennio auxilium laturus. Cum nullo modo ferendum judicaret, ut Turennii copiæ, quæ poſt cladem ſe collegerant, à Bavaricis plane delerentur, & Landgraviæ ditio iſtorum libidini exponeretur. Turennium aliquamdiu, mox & Enguianum Ducem comitatus, poſt ab eodem ad viam Montanam ſeparatur, ægre ferentibus Gallis, qui diutius ejuſdem conjunctione frui malebant. Unde & Longuevillius Dux San-Romanum cum literis ad Legatos Succicos Oſnabrugam mittebat, ut ipſi perſuaderent, ne diverſus abiret. Hi literis datis eam cauſam ipſi quidem commendabant; ſed quod Torſtenſonius jamdudum propius accedere juſſiſſet, nullis ſuper conjunctione cum Gallis mandatis, cenſebant, ſi Enguianus Turennio junctus Bavaricis par foret, melius eſſe ipſum relictis Gallis per Franconiam in Bohemiam ire. Igitur Legatorum ſententiam & Torſtenſonii juſſa ſecutus Kœnigsmarckius indignante licet Enguiano in Franconiam abit, in itinere Wurtzburgenſem, ac Bambergenſem Præſules pecunia emungens. Schvveinfurtum prætereuntis poſtremo agmini Cæſarei validam catervam immittunt; ſed quæ ita excipitur, ut minima pars ad ſuos reverteret. Inde per Culmbacenſem agrum in Miſniam pergit, cujus adventu audito Saxonicæ legiones, quæ ſub Hanavio ſupremo vigilum præfecto inter Lipſiam & Cizam hæſerant, Dreſdam ſe receperunt. Obviam ipſi cum peditum manu ac machinis Lipſia procedebat Axelius Lilius, quo operam ſociante Rochlicenſem arcem impetu expugnat. Mox ad occupandam Leiſnicenſem arcem Lilio relicto, ipſe cum equitibus & dimachis Dreſdam excurrit, num Saxonicas copias eis Albim deprehendere poſſet. Sed hæ adventu ejus animadverſo ſub Dreſdæ mœnia confugerant, centum captivis relictis. Poſt captam Leiſniciam Axelius Lilius iterum ipſi jungitur, ſimulque Miſenam invadit. Oppidum nullo negotio capitur, ac diripitur, quod cives; dum iſtis deditio imperatur, tubicinem prope adſtantem, globo trajeciſſent. Arx admota vi expugnatur, præſidiariis arbitrio ipſius ſe dedentibus. Inde poſt inducias cum Saxoniæ Electore concluſas ſuperato Albi in Luſatiam tenuit, ubi arcem Grenſenſteinam triginta peditibus, totidem equitibus infeſſam in ditionem redigit. Hinc magnis itineribus per Superiorem Sileſiam properans Torſtenſonio jungitur.

Kœnigsmarckii acta.

16. Jan.

17. Maji.

1. Jul.

1645.

3. Aug.

14. Aug.

§. 27. Super induciis cum Saxoniæ Electore ampla mandata acceperat Axelius Lilius, qui iſtius filium, Auguſtum Ducem, ad eas promovendas ſtimulabat. Is per ſe cupidus apud patrem, ut iis aurem præberet, inſtabat. Aſt hic filii preces adſpernatus obtendere: id negotium calumniandi anſam præbiturum, velut ipſe cauſam ſuam ab Imperio ſeparare, aut peculiari tractatu communem pacificationem difficiliorem reddere inſtituat. Alias ni laceſſatur, facile quieturum. Ac ſubinde literis ac legatis urgebat Cæſar, ut in fide adverſus ſe, ac Domum Auſtriacam firmus perſiſteret. Igitur durioribus mediis compellendum judicans Torſtenſonius Axelio Lilio injungit; ut Electoris terras, qua pertingere poſſit, gravibus tributis ſubjiciat, ipſique Electori inutiles reddat; ac circa Dreſdam ad utramque Albis ripam omnia loca, quæ imperata abnuerent, flammis vaſtaret. Eo fine Lilius Reichvvaldum è Franconia, Petrum Andreæ tribunos è Sileſia evocat, ac ad occupanda loca à Saxonicis præſidiis inſeſſa vertitur. Ac primo Torgenſis arx ſexaginta peditibus defenſa citra pactum in poteſtatem redacta. Inde in Sileſiam iterum mittebatur Petrus Andreæ, ut aſſumptis Glogoviæ aliquot peditum centuriis propere Dreſdam verteret, & in ulteriore Albis ripa meſſem corrumperet; id quod Reichvvaldus in citeriore ripa facturus erat. Aſt ea deſtinata infauſtus caſus evertebat. Injunctum erat Petro Andreæ, ut intra quatriduum iter Glogoviam abſolveret. Aſt is juſſorum immemor Gubbenam divertebat reliduis tributorum extorquendis. Unde Saxonicis inſequentibus ſpatium fuit eundem in vico Starſchedel uno à Gubbena milliari adſequendi, ubi ipſius miles feſſus & ſecurus ſomno ſe dederat. Saxonici per tenebras ingruentes centum viginti ceciderunt, plures ceperunt. Tribunus ipſe,

De induciis cum Saxoniæ Electore agitur.

18. Maji.

Legio Suecica vapulat.

1645. ipſe, & ſubtribunus Ulfsparrius, cum per unum & alterum diem in arce reſtitiſſent, tandem & ipſi dedere ſe coguntur, & cum quinque ſignis, & centum quinquaginta amplius captivis magno cum plauſu Dreſdam deducuntur. Ducenti fere ademtis equis Glogoviam evadebant. Is ſucceſſus animos Electori addidit, ut vim magis, quam tractatus meditaretur. Unde tria equitum millia ſub Hanario Pegaviam verſus mittebantur, ubi Reichvvaldus tribunus cum ſuis tendebat. Sed is numero impar Naumburgum, inde Erfordiam ſe recepit. Non longius tamen inſecuti Saxonici, Cæſareique in Bohemiam revertebant.

§. 28. Ad extremum tamen Elector acriter graſſante Kœnigsmarckio, & fatigantibus prece filiis ad tractatus deſcendit. Poſt quatuordecim dierum diſceptationem Induciæ concluſæ, quod neutralitatem inire fidei, qua Cæſari atque Imperio obſtrictus foret, adverſum judicaret Elector; eoque in ſex duntaxat menſes initio illæ inibantur. Nec Succi circa vocabulum contendendum cenſebant re obtenta. Leges inducia-rum hæ fere erant. Electori fidem Cæſari atque Imperio debitam ſervare integram liceat, nec adverſus eandem quid admittere adigatur. Præter tres equitum legiones Elector Cæſari nihil copiarum commodet, nec eidem in ſua ditione conquiſitionem militum indulgeat. Succis ſi opus ſit innoxium per terras Electoris iter pateat, ut tamen intra tertium à Dreſda milliare ne accedant. Initio ultimi menſis utraque pars teneatur declarare, inducias porrigere, an abrumpere velit. Elector redditibus ſuis iterum fruatur, exceptis, quos Lipſia præbet; Succis exſolvat menſtrua undecim uncialium millia, & certum frumenti modum. Reliquis locis per Miſniam occupatis præter Lipſiam præſidia deducantur. Tranſitus Albis Succis Torgæ pateat. Commercia terra, fluminibuſque libera ſint. Magdeburgi obſidioni Saxo impedimentum ne adferat. Ingens levamentum Electoris ditioni induciæ illæ adferebant; nec minus tamen Succis eædem utiles videbantur. Nam primus is erat gradus Electorem à partibus Cæſareis avellendi. Et potiebatur ſcopo ſuo Torſtenſonius, ne per Saxonicos à tergo diſtraheretur. Tum id copiarum adhuc habebat Elector, ut pro lubitu leges ipſi haut poſſent præſcribi. Ipſi enim ſex legiones equeſtres erant, quibus Cæſar tres addiderat; aliæ quatuor in finibus Bohemiæ hærebant; ita ut vel Kœnigsmarkii iter impedire poſſent, vel Cæſareis junctæ idem hiſce roboris, quod Kœnigsmarckius Torſtenſonio, allaturæ eſſent. Tum facile erat Saxoni hac cum manu oppida Miſniæ præter Lipſiam recuperare, Lipſiam laxiore obſidio premere, Magdeburgi obſidium ſolvere, Halberſtadienſem agrum infeſtare, ſi Kœnigsmarckius ad Torſtenſonium digrederetur. Sed præcipuus fructus erat, quod per illas Evangelicorum animi hoc rerum articulo non parum erigerentur ad cauſam communem intrepide agendam. Unde & eaſdem citra moram Torſtenſonius ratihabuit, capitis pœna ſuis denuntiata, ſi quis violare illas auderet. Nec minore lætitia Electoris provincia eaſdem acceptabat, frementibus contra Catholicis, & convitia jactantibus. Queis retundendis Saxonici oſtendebant; non initio Cæſare initas, & per eas ſalvam perſtare obligationem verſus Cæſarem & Imperium. Ac latius fuiſſe hoc modo cum Succis decidere, quam plane opprimi. Cæſarem nunc ſibi retinere legiones, quas Electori in auxilium deſtinaverat, & tres Saxonicas inſuper accipere, queis alias caruturus erat. Tum ſemeſtri duntaxat tempore illas circumſcribi avertendo graviori malo. Denique Remp. nunc, & communem pacem efficacius ab Electore, quam inter hoſtilia arma promoveri poſſe. Has porro inducias prorogare, uti primogenitus Electoris filius ſummopere ſtudebat: ita per eaſdem conſilia in Cæſaris aula valde turbabantur, eaque animorum mutatio adferebatur, ut tertio Electoris filio Chriſtiano Sucidnicenſem in Sileſia Ducatum offerret Cæſar, ſiquidem Elector omiſſis induciis arma in Succos retinere vellet.

1645

14 Sept. Induciæ cum Saxone concluduntur.

§. 29. Hoc anno Magdeburgum eminus à Succis cingebatur, per diſpoſitas proximis oppidis ſtationes ſubvectione prohibita; mox & meſſe ad utramque Albis ripam corrupta, abactiſque pecoribus. Aliquando tamen obtenti eruptione facta illos, qui in oppido Burgo tendebant, non ſupertunctorie multabant. Inter hæc de urbe bello eximenda agitatum, ſuper quo & Adminiſtrator, & oppidani apud Cæſarem tam Adminiſtrator, & Elector, ipſius pater, quam oppidani, ut is præſidium urbe deduceret; quod alias fame illud conficiendum; ac finito jam bello Danico urbs ſine dubio majore vi oppugnanda, & à Succis in ditionem redigenda ſit. Id quod ne fieret, Cæſar conſentiebat ut ſuus inde miles excederet, & ut urbi præſidium ab Adminiſtratore ſimul, & decurionibus imponeretur, in utrorumque verba adigendum. Hoc reſponſo Cæſaris obtento apud Torſtenſonium inſtabat Adminiſtrator, ut obſidium ſolveretur. A quo non alienum ille ſe oſtendebat, modo idonee caveatur, ex ea urbe Cæſareis nihil opis latum iri, nec iſto Albis tranſitu eoſdem uſuros. Nam in ſcripto, quod iſte offerebat, parum cautionis Duci Succico videbatur. Igitur ſi obtineri non poſſet, ut Succicum præſidium reciperetur, latius ducebat urbem ſuis tantum civibus cuſtodiendam relinqui, quam Adminiſtratorem quoque in partem præſidii admitti. Sed id negotium ſequenti demum anno exitum habuit.

Circa Magdeburgum acta.

§. 30. Ab Haſſis initio hujus anni nihil memorabile geſtum, niſi quod Geiſius, dum Magdeburgo relicto verſus Haſſiam regreditur, rogatu Ernſtii tribuni Erfordiæ præfecti Heldrungam arcem Thuringiæ infeſtam vi ad deditionem adegit; cui inde munimenta detracta. Reliquæ Haſſorum copiæ per ſtativa Weſtphaliæ, & Friſiæ queſcebant, oppidorum ſuorum cuſtodiæ invigilantes, quod Batavi Comite Friſiæ inſtante decreviſſent eam provinciam Haſſis ſubtrahere, & qua ratione id fieri deberet deliberarent. Ita conatibus iſtorum obſervandis vacandum erat, niſi

Ab Haſſis acta. 3. Febr.

1645. 27. Febr. nisi quod eorum manus noctu Tellichtum oppidulum subito oppressit, & binas Cæsareorum cohortes, pedestrem unam, equestrem alteram interceptas Lipstadium abduxit.

Gallorum per Germaniam gesta. §. 31. Gallicus sub Turennio miles ad Rhenum, & Saram, inque Darmstadiensi agro sumtis hibernis se reficiebat. Inter quæ Courvallius Moguntiæ præfectus cum septingentis militibus Urselias oppidulum, centum peditibus & agrestium manu defensum, ad tributa exsolvenda compulsum ibat. Sed Bavarici è vicinis stativis coëuntes Gallos à tergo invaserunt, eorumque ducentos interfecerunt, duabus machinis ereptis: reliqui tantisper Francofurti latitarunt, quoad à suis in tuta deducerentur. Eam ignominiam Galli post incendio ejus oppidi ulti sunt. Inde Rosa excursionem in Sueviam faciebat, turbandæ Bavaricorum quieti, & ut equos conquireret. Hinc in Durlacensem agrum descendens minora oppida Bavaricis infesta occupare conabatur. Sed Brettam invadenti Mercius repente supervenit, ut is propere cum equitibus refugere cogeretur, quingentis peditibus Bruchsaliæ relictis, queis potitus fuisset Mercius, ni Turennius raptim contractis copiis suppetias tulisset. Qui mox exercitu ad Philipsburgum lustrato cis Rhenum movit, ac Pforzemi consedit; cum Erlachius interim collecta bis mille militum manu Lichtenaviam arcem subegisset. Bavarici contra, ut Turennii conatibus obviam irent, trans Nicrum constiterunt. Turennius inde non procul Stutgardia Nicrum transgressus Botmari, Mercius Weiblingæ stativa locavit, ut duarum spatio horarum exercitu utroque dissito excursores crebris velitationibus colliderentur. Mox iste Halam oppidanis repugnare non ausis occupatam præsidio firmat. Constabant Turennii Copiæ quatuor equitum millibus maximam partem Germanis; peditum tribus millibus fere Gallis; præter sexcentos Germanos. Sequebatur solito major impedimentorum, & vehiculorum turba. Bavarici, qui novem millia explebant, audito Gallorum itinere eodem properabant; sed jam capto oppido venientes, Turennium opportunis locis se tenentem aggredi non ausi prope Elvvangam considunt. Turennius cum Danubium versus iturus crederetur, ad Tubarum vertit, ac Mergentheimum, Rotenburgum, & alia circum loca occupat, ac prætorio Mergentheimi constituto legiones equestres ad plura milliaria dispertitur, cum contra Bavarici angusto spatio apud Feuchtvvangam se continerent. Interea Erlachius Mosero Benfeldæ præfecto junctus Wilhelmum Marchionem Badensem compulerat, ut Stolhofam Gallis traderet: Kuppenheimum, quod Bissingerus cum turma equitum, & peditum manu acriter tuebatur, vi ad deditionem adegerat, ac stationibus Wilstadii, Oberkirchæ, Gengenbaci, atque Ettingæ dispositis Offenburgum eminus incluserat. Hinc Rhenum transgressus cum Wildensteinam arcem in Murbacensi præsulatu sitam machinis frustra verberasset, eminus circumsessam fame urgebat. Sed & qui pontem navalem apud Spiram custodiebat Gallicus centurio, repentino assultu Gernsheimum oppressit.

16. Mart. Turennius cis Rhenum movet.

6. April.

6. April.

9. April.

Pugna ad Mergentheimum. §. 32. At Bavarici contractis undique copiis Turennianos invadere constituerunt, quos late dispersos solutius agere audiebant. Quos ut eo magis in securitatem darent, rumorem spargebant, se retro Durvvangam, & ad Altemulum flumen abituros. Igitur sub vesperam Feuchtvvanga profecti per totam noctem summo silentio Prætteldam, postera die ad modicum Mergentheimo milliare progressi contra vicum Herbsthausam in acie constitere. Turennius contra audito Bavaricorum motu peditatum ad sylvulam prope dictum vicum, equites ad utrumque latus revocat, qui quidem propere contrahi poterant. Nam tres legiones finito jam conflictu adveniebant, aliæ tres plane emanebant. Bavaricus peditatus sub Reuschenbergio Turennianos numero longe inferiores invadit, ac post brevem pugnam in fugam compulsos ita acriter insequitur, ut Herbsthausæ, quod volebant, pedem figere non possent, captis qui cædi superfuerant. Dextrum Bavaricorum cornu sinistro Turennii, cui Rosa præerat, impactum ab hoc acriter turbatis Ordinibus repulsum; dum qui à sinistris constiterat Bavaricus eques dextros Turennianos funderet. Sed mox dextrum Bavaricorum cornu accurrente Kolbio tribuno, qui in subsidiis steterat, & Wertano cum aliquot turmis è sinistro auxilium ferente sinistrum Turennianum numero obrutum demum in fugam dabat, ipso Rosa capto. Turennius initio Mergentheimum se recipit, ubi tres equestres legiones, quæ prælio non interfuerant, occurrebant: cum quibus gradum firmare, ac suos è fuga colligere conabatur. Bischofshoviam iter capturus. Sed Bavarici è vestigio secuti recta ad oppidum ruebant. Ubi dum Turennius cum sua, & Tracii legione recipere se conatur, à reliquis suorum divulsus, per biduum cæsus aut captus credebatur. Is tamen ad dextram longius deflectens hostem declinavit, & adjumto in itinere Rusvvurmio tribuno, qui pugnæ non interfuerat, apud Hamelburgum superato Mœno præter Fuldam in Superiorem Hassiam evasit. Comes quoque Wirgenteinius cum cæterarum legionum reliquiis supra Wertam Mœnum, inde Spessartum sylvam transgressus apud Laurerbacum Turennio junctus est. Ibi duo millia, qui cladem evaserant, collecta. Mille quoque alii per Erbacensem Comitatum Gernsheimum, aut trans Nicrum Philipsburgum effugerant. Maxima strages peditibus incubuerat, quorum & plurimi, qui è prælio se subduxerant, ab agrestibus ad Mœnum, & in Spessarto sylva trucidabantur. Gallis machinæ suæ nulli usui fuerant, quæ prælio jam commisso è stativis demum attrahebantur; cum apud Bavaricos illæ magnum operæ pretium fecissent. Præter Rosam capti fuerant Schmidbergius Campi-Marschallus, Vice-Comes La Mota, & Passagius supremi vigilum præfecti, subtribuni duo, quatuor excubiarum præfecti, aliorum ductorum centum quinquaginta amplius, tum mille quingenti gregarii. Accedebant quinquaginta amplius vexilla, quatuor machinæ, totidem muli numinis onusti. Duas majores machinas quingenti pedites Hala Mergentheimum versus deducebant, quos & ipsos Bavarici cædebant machinis captis. Ea victoria Cæsareos magna spe melioris in posterum fortunæ implevit. Causa hujus cladis eadem, quæ antehac Durlingæ, nimia securitas; quam num aluerint secreti tractatus, qui Gallos inter, & Bavarum tunc agitari dicebantur, nobis parum compertum. Sane Bavarus in sua ditione vetuisse ferebatur, ne Turennianus exercitus hostium vocabulo notaretur. Servientus Legatus Gallicus apud Rosenhanium Monasterii culpam

Gallorum cladem.

24. April.

25. April.

ejus

1645. ejus mali oblique in Suecos devolutum ibat, velut intempestiva suspicione separati tractatus & collusionis cum hoste effecissent, ut Turennio nondum sat parato in Bavaricos eundum fuerit. Cui Legati Succici Olnabruga denuntiabant; non præter rationem Bavari negotiationem in Gallia sibi suspectam fuisse, non quod crederent Gallos statim ab ipso proposita arrepturos, sed quia compertum sit, Bavarum consilia tua per ejusmodi astutias expromere. Postulatum à se, ut Turennius rem gerere inciperet, quod Torstensonius circa ipsa hostium penetralia invadenda satageret, & quia Gallia sæpius iteraverit, se partem virium hostilium in illam Germaniæ oram aversuram. Haut quidquam tamen id à se quæsitum, ut Gallici duces nulla ratione suarum ac partis adversæ virium habita in hostem ruerent, & per cladem sponte accersitam studium pro communi causâ ostenderent.

Bavarici in Hassiam eunt.

§. 33. Post hanc victoriam Bavarici ad Rhenum vertunt, ac Gernsheimum deditione recuperant. Ac metus erat, ne transmisso Rheno Gallorum ibi hospitia interciperent; quæ tamen Erlachius raptim milite firmaverat. Sed illi flexo itinere Mœnum apud Hœchstam transeunt, & cum aliquantisper circa Francofurtum quievissent, Giessam versus tendunt. Quorum adventu Turenniani, qui hactenus inter Giessam & Marpurgum consederant, direptis hospitiis suis sub Ziegenhainæ munimenta se receperunt. Quo & Hassici, qui diu Amœnoburgum obsederant, verterunt. Bavarici hinc Kirchainam oppugnare instituunt. Landgravia, cum bellum sibi propius advolvi cerneret, legiones suas statim è Westphalia evocat. Tum Kœnigsmarckium, qui è Bremensi agro in Misniam tendebat, ut sibi ac Turennii reliquiis opem ferret, rogat. Qui, licet Torstensonii jussa alio vocarent, tamen probantibus Legatis Succicis apud Huxteram Visurgim transgressus in Hassiam profectus Wolfshagæ Turennio jungitur. Juncti Corbacum veniunt, quo & Hassici è Westphalia properabant. Bavarici interim Kirchainam, quam Henricus Uffelius cum sexcentis peditibus tuebatur, omni vi oppugnabant, ignitis globis, & atrocibus minis obsessorum animos frustra territantes. Magna quoque mœnium ruina edita, quam Uffelius excitatis absciss libus iterum obstruit, ac intrepidus Bavaricorum assultum expectat. Quem cum ad extrema sustinenda obstirmatum viderent Bavarici, eodem die obsidium solverunt; ac cum aliquot per dies Amœnoburgo assedissent, mox retro in Wetteraviam abiere circa Gelnhusam castra metati.

Kœnigsmarckius Turennio succurrit. 21. Maji.

Bavarici Kirchainam frustra oppugnant.

Succiæ copiæ Enguiano Duci junguntur.

§. 34. Hassorum cum Kœnigsmarckio ac Turennio conjunctione exercitus quatuordecim millium conflatus erat. Et quia Succicus Dux Torstensonii jussa, Hassi Westphaliam respiciebant, hisce placebat. Turennium ad Rhenum deducere, ubi copiæ ipsius se collegerant, eoque facto ad sua reverti. Sed cum id plane averteretur Turennius, caulatus, nihil ibi esse, unde miles viveret, vitum copias illas cis Rhenum evocare, & ex hostium motu consilium capere. Eo fine & ipsi in Wetteraviam Fridbergam versus tendunt. Quos Bavarici expectare non ausi Mœno superato apud Aschaffenburgum castra locant. Fœderatorum copiæ primo Francofurtum accedunt, quod promte forum offerebat. Inde Gelnhusam versus iter ingrediuntur. Sed audito Enguiani Ducis adventu subito vertunt, interceptis aliquot Bavaricorum catervis, ac superato inter Francofurtum & Hanoviam Mœno Viam Montanam ingrediuntur. Bavarici contra castris ad Aschaffenburgum relictis Miltenburgum, hinc per sylvam Ottonianam Heilbrunnam versus iter instituunt. Fœderati cum ex itinere Weinheimi centum pedites intercepissent, Ladenburgi Nicrum transeunt, & Enguiano, qui cum sex peditum, quatuor equitum millibus, egregio milite, per Alsatiam descendens apud Spiram Rhenum superaverat, conjunguntur. Sed & Bavarici qui post victoriam apud Mergentheimum atrocem sibi tempestatem incubituram præviderant, exercitui augendo sedulam operam dabant, Gleenio è Westphalia cum quatermille quingentis militibus ad se evocato; quo in Franconia ipsis juncto magnis itineribus Heilbrunnam properabant, ut hostem transitu Nicri arcerent. Enguianus, cum aliquot dies circa Heidelbergam hæsisset, itidem Heilbrunnam vadit, ac cis Nicrum castra ponit. Mox Wimpfinam centum viginti Bavaricis peditibus intactam citra exceptionem subigit, ibique superato Nicro Neustadium ad Cochetum pergit, Bavaricis contra Halam castra transferentibus. Mergenthaliam inde, ac Rotenburgum ad Tubarum Enguianus tendit, compluribus in itinere locis incensis, quod provinciales nupera clade in Gallos fugientes sæviisse arguerentur, Rotenburgum post paucas machinas diplotas citra pactum se dedebat. Centum octoginta milites inter cohortes Gallicas distributi; oppidani duriter habiti, ac militum licentiæ ac libidini frœna laxata, quod isti arma gestasse dicerentur. Ad hoc oppidum per aliquot dies Enguianus hæsit. Sed Bavarici cum Halam præsidio firmassent, in vetera sua castra Feuchtvvangam se contulerunt. Crebræ inter hæc excursorum velitationes, prosperiore plerumque Gallorum fortuna, inter alia non procul Onolzbaco trecentis Bavaricis equitibus cæsis. Rotenburgo recta in Bavaricos ibat Enguianus, sed qui ob munitiones castrorum, & interjectum rivum ac paludem ad prælium pertrahi non poterant. Eam ob causam Enguianus sequenti die Dunckelspulam vertit, quam proxima nocte Creutzius tribunus cum sexcentis peditibus ingressus fuerat; qui cum imperatam deditionem abnueret, statim accessus ad oppidum agi cœperunt. Eadem nocte Bavarici Feuchtvvanga Norlingam iter intenderant. Unde Enguianus statim omissa Dunckelspula obviam hosti adproperat, ipsumque apud Durvvangam vicum adsequitur. Hoc cognito Bavarici idoneo loco sylvas inter & paludes considebant, castellis quibusdam raptim excitatis, ut Galli citra periculum istos invadere non possent. Ita hoc die nihil actum, nisi quod mutuis machinarum vibrationibus non pauci viri equique prosternerentur. Sequenti nocte Bavarici denuo ea statione relicta Trudingam & Oetingam redibant. Contra Gallicus Dux præter Dunckelspulam iterum Norlingam properavit, ac deditionem abnuenti vim admovere instituit; cum exploratores retulere, Bavaricos citato gradu Donavvertam tendere, impetum Ducis objectu Danubii declinaturos. Quorum iter cum sesqui milliari tantum distaret, Enguianus statim profectionis signum dare, suosque in aciem disponere, ac præter Norlingam & Wallersteinam in hostem ducere. Sed qui præmissis impedimentis commodo loco apud vicum, arcemque Allersheimum aciem pro lubitu disponendi spatium habuerat.

1645.

Enguiani progressus.

21. Jun.

30. Jun.

8. Jul.

14. Jul.

20. Jul.

21. Jul.

22. Jul.

23. Jul.

24. Jul.

§. 35. Tres ibi montes erigebantur, quorum Pugna uni

1645. ad Allersheimum.

uni arx ſuperſtructa erat, vico in adſita planitie poſito. Siniſtrum cornu Bavarici inter duos celſiores montes ac vicum, dextrum ad ſiniſtrum vici latus ad tertium uſque montem collocaverant. Vicum ipſum valida peditum manus inſederat, quæ omni ex parte loricas excitabat; tum machinæ opportunis locis poſitæ ſubjecta camporum infeſtabant. Eos per campos Enguiano cum ſuis nullo objecto tegmine procedendum erat, exiguo ſuarum machinarum uſu. Dextrum ipſius cornu componebant equites nuper è Gallia adducti ſub Grammondo Campimareſchallo. Siniſtro cornu Turennius cum ſuis Germanis, ac veteranis Vinarienſibus legionibus adſiterat. Mediam peditum aciem Bellenavius, Marſinus, & Chaſteleuxius curabant. In ſecunda acie à dextris Chabotus cum aliquot equitum peditumque catervis, à ſiniſtris Haſſi ſub Geiſio, ſex peditum phalanges, decem equitum alæ diſpoſiti erant, cui Ohmius, & Betzius Turenniani tribuni cum ſingulis alis acceſſerant. Enguianus explorato hoſtium ſtatu capto circuitu dextrum ſuum cornu in ſiniſtrum hoſtium vicum inter & ſecundum montem ducere conſtituerat. Sed cum præter loricam foſſa quoque ibi objecta nuntiaretur, & imminentibus à latere è vico peditibus, eo conſilio miſſo vicum ante omnia invadere placuit. Igitur totum eo peditatum immiſit; quo & Bavarici plerumque peditatum ſuis auxilio adducebant. Ita hora poſt meridiem ſecunda aſperrima pugna ſurgit multa utrinque cæde. Bavarici acerrime reſiſtebant, donec à Gallis vicus inflammaretur. Unde iſti in duo Nobilium prætoria ſaxo extructa confugerunt, è quibus diu adhuc repugnabant. Gillii Haſii legio quadringentorum capitum è templo, quo ſe receperat, vim Gallorum propulſabat. Vico expugnato Bavaricorum ſiniſtrum cornu munitionibus ſuis tanto impetu in dextrum Gallorum cornu erupit, ut illud plane in fugam propelleret. Et quanquam Chabotus cum ſecunda acie Bavaricis ſtrenue occurreret, ac aliquantiſper eos ſuſtineret; tamen quia pulſi non iterum poſt ipſum pedem figebant, & ipſe turbatis ordinibus fundebatur. Nec minus Turennius qui cum ſiniſtro cornu in hoſtem juxta vicum conſiſtentem impetum dederat, male habitus repellebatur. Enimvero profligatas jam res Geiſius reſtituit, qui ſecundam Haſſorum aciem, diſperſis licet Turennianis jam occurrentibus, in dextrum hoſtium cornu intrepidus duxit, ac inter vicum & montem, cui machina ac pedites impoſiti erant, ſpretis machinarum & tuborum diſploſionibus, hoſtiles equites numero longe ſuperiores invaſit. Ubi primo vir viro collatus aliquandiu ſubſiſtebant, quod neutri prius tubos diſplodere vellent, donec facto à Bavaris initio Haſſi hoſce, quantumvis omnes cataphractos, in fugam compellerent. Inter quæ & Uffelius ſubtribunus pedites hoſtiles, qui celſa in rupe lorica circumvallati conſtiterant, acriter impetit, ac tribuno Bergero inde dejecto grandioribus machinis potitur. Sic ut dextrum hoſtium cornu, cui Gleenius præerat, plane loco pelleretur. Una tamen phalanx Haſſica ſub Franco vigilum præfecto, quem Geiſius in vicum adverſus hoſtilem peditatum ire juſſerat, à duabus cataphractorum alis, qui Enguiani catervas fugaverant, circumventa internecione fere deletur. Interim & Turenniani equites inſtauratis ordinibus in ſiniſtrum hoſtium cornu, quod oppoſitos ſibi Gallos fugaverat, ac machinis potitum fuerat, cæſis qui eas tractabant, impetum dedit, Bavarici, cum dextrum ſuorum cornu plane proſtratum intelligerent, captas machinas deſeruere, & longe poſt tertium montem, ubi octo adhuc minoris formæ tormenta habebant, conſtitere. Quos tenebris jam incumbentibus invadere haut conſultum vitium. Ita Galli Haſſique in loco conflictus per noctem quieſcebant: Wertanus autem cum reliquiis copiarum, & octo machinis ea nocte per ſylvas Donavvertam evadebat. Gillii Haſſii legio, quæ è templo multum damni dederat, Geiſio ſe cum omnibus vexillis dedebat. 1645.

Caſi utrinque; capti que.

§. 36. E Bavaricis præter plurimos præfectos, ac bis mille gregarios, initio conflictus in vico ceciderat Franciſcus Mercius ſupremus dux, ob fortitudinem, & prudentiam à ſuis valde deſideratus. Inter captos erat Gleenius, Cæſareorum ſummus dux, tribuni Holſatiæ Dux, Stahlius, Royerius, Hillius, Coppius, Bangerus, præter plures alios præfectos, & mille trecentos gregarios, quorum plerique in Haſſorum manus inciderant. Ereptæ quoque Bavaricis machinæ ſedecim, ſigna pedeſtria quindecim, equeſtria novendecim. Impedimenta jam Donavvertam verſus præmiſſa proprius miles diripuerat. E Gallis occubuerant Chateleuxius, Marchio Piſagierius: è Turenniani VVirtgenſteinius Comes, Truchſeſſius, Saurzapfius tribuni; ex Haſſicis tribunus Schvvertius, præfecti vigilum Francus & Zullichius. E vulneribus decedebant Bellenavius, ſubtribunus Heilmannus, præfectus vigilum Geiſius. Ipſe Enguianus globo brachium ſauciatus fuerat. E Gallis capiebatur Grammondus, Marchio Caſtri S. Martini, ac multi præfecti, gregariique è Gallico peditatu. Occubuerant quoque mille octingenti gregarii. Ita parum habebant Galli quod gloriarentur victoria tam multo ſanguine parta, niſi quod campo, tormentiſque, & ſignis aliquot potiti eſſent; cujus tamen cauſa in Germanos, ac præcipue in Haſſos ab omnibus referebatur. Unde & Geiſius, ac Landgravius Erneſtus à Regina Galliæ magnifice donabantur. Galli equites ſe excuſabant, quod diſploſionibus hoſtium jam debilitati impetum recentium ſuſtinere non potuerint. Grammondus mox cum Gleenio permutatus, quorum ille à Bavaro Monachii honorifice exceptus ac donatus, mandatisque ſuper neutralitate inſtructus dimittitur. Pari modo Gleenius ab Enguiano habitus. VVertanus & Reuſchenbergius poſitis in monte ad Donavvertam caſtris fugientes contrahebant. Sed Enguianus ſequenti à prælio die exercitum Norlingæ admovet, ac oppido neutralitatem, trecentis Bavaricis, qui præſidium ibi agitabant, liberum diſceſſum offerebat. Sed cum ſubtribunus Baldinus ferociter reſponderet, acceſſus facti, & eadem adhuc nocte ruina murorum edita fuit. Rogatu tamen oppidanorum vis dilata, ac miles poſtera die citra exceptionem dedere ſe coactus eſt. Oppido ut neutrarum eſſet partium indultum. Ea res Enguiano commode cadebat, reliciendis famelicis, ac curandis ſauciis. Oppidani autem quanquam hac transactione ingens periculum avertiſſent, Bavarus tamen iiſdem non leviter ſe offenſum oſtendit. Cum apud Norlingam octo per dies ſubſtitiſſet Enguianus, Dunckelſpulam movit, à quingentis Bavaricis inſeſſam; qui cum acriter reſiſterent, magna vi cogendi erant. Quibus cum extrema imminerent, vita donata, ea lege ut captivorum loco eſſent. Huic oppido trecenti præſidiarii ab Enguiano impoſiti, ac Heilbrunnam verſus iter inſtitutum. Sed quia id oppidum mille quingentis mili-

Enguianus Norlingæ neutralitatem concedit.

8. Aug.

Dunckelſpulam capit. 14. Aug.

1645. militibus sub tribus tribunis defendebatur, Dux vim adhibere omisit, ac per vicina loca copias distribuit. Ipse Enguianus accedente ad vulnus ardente febri ac dysenteria non citra vitæ periculum lectica Philipsburgum delatus est, ubi è morbo recreatus jussu Reginæ in Galliam revertit, imperio in exercitum penes Turennium relicto.

In Galliam redit. 15. Sept.

§. 37. Interim Bavarici apud Donavverram omnibus modis reficiebantur, ac præsidia è Bavaricis oppidis deducebantur exercitui augendo, in quorum locum delecti provinciales substituti. Cæsari quoque Bavarus denuntiaverat, si ab ipso deseratur, ad oblatam à Gallo neutralitatem sibi descendendum esse. Unde ad Ducem præmittebatur Leopoldus, & Gallasius cum auxiliis quantum poterat adproperabat, quæ quinquies mille quadringentis bellatoribus constabant. Hoc modo firmati Bavarici, cum Galli longius discederent, animis refumtis in regionem Remsæ fluminis adsitam movent. Turennius contra cum ob pabuli inopiam circa Heilbrunnam diutius subsistere non posset, Gemundam Suevicam iter intendebat. Sed præveniente hoste Halam vertit, saltem ut stativis ubi quantum liceret frueretur. Cum nulla è Gallis auxiliorum propinqua spe facil. prævideret, hoste incumbente ad Rhenum sibi recedendum. Ac sane ingruentibus Cæsareis Bavaricisque, queis imparem se sentiebat, Turennius propere Wimpfinam abiit, cui validum præsidium imposuit, gravioribus machinis, quæ avehi non poterant, ibi relictis. Cum reliquo exercitu per quinque dies noctesque continuato itinere Philipsburgum salvus evasit, spes fuerat Leopoldo Wilhelmo Archiduci, se Gallos intercluta via deleturum, ac tota inde mole oppressis Suecis bello finem impositurum. Acti Wertani consilio locus fuisset, Turennii copiæ, quibus in conspectu hostium angustiæ silatim transeundæ erant, perierant. Sed dum reliqui ob latitudinem militum victoriam in crastinum differendam suadent, velut certa Gallorum clade, iste interim iter præceperat. Ita expeditionis tam cruentæ exiguus fructus erat. Et Cæsarei Bavaricique, Gallos utique sub munimenta Philipsburgi secuti, post paucos dies annona deficiente regrediuntur, & minora oppida Gallico præsidio infesta recuperant. Inter alia Ptorzemi duabus machinis majoribus; Wimpfinæ octo ponuntur, ubi è septingentis præsidiariis Germani Cæsareæ militiæ adscribuntur, Gallis Philipsburgum dimissis. Animus Turennio erat Wimpfinæ succurrere, sed ob refractarias legiones id omittendum erat. Quadringenti Galli Mergenthaliam insidentes, cum noctu trans Mœnum evadere conarentur, deprehensi cædebantur, præter paucos, quos latebræ tegebant. Cæsarei inde Bavaricis disjuncti evocante Cæsare in Bohemiam properabant. Sed Bavarici post Dunckelspulam, & Rotenburgum eadem cum Wimpfina lege subactas per Franconiam, & Sueviam in hibernis locantur. Enguiani equites male habiti in Lotharingiam concesserunt; pedites, qua quisque volebat, dilabebantur. Tres legiones cis Rhenum ad Lanum flumen disponuntur. Quia tamen tractus ad Rhenum exhaustus erat, Turennius nonnullas legiones ad Mosellam duxit; ubi perente Electore Hispani ut Trevirorum urbe excederent compulsi. Claves urbis Electori Turennius tradidit, eamque proprio milite tuendam reliquit. Inde Lucenburgicum agrum tributo emungit. Reliquæ legiones ab Hagenoa secundum Rhenum hospitia sumserant, nec viribus nec animo ad rem cis Rhenum gerendam sufficientes.

5. Sept.

Bavarici multa oppida recuperant. 15. Oct.

8. Nov.

Turennius Treviros occupat.

1645.

§. 38. Ast Hassi sub Geisio duce, cum Galli apud Philipsburgum in tuta pervenissent, numeris sat imminuti, per alteram Rheni ripam descendebant: quibus Landgravia San-Andreanam tribunum valida cum manu obviam mittit, ex itinere Fridbergam in cassum opprimere conatum. Landgravia detractam quondam suæ Domus Marpurgensem ditionem hac occasione vindicatura per Geisium Putzbacum primo, inde Marpurgum oppidum facili negotio occupat. Arcem Marpurgensem Landgravius Georgius omnibus necessariis firmaverat ejusque præfecto Willichio ut ad extremum sustineret imperaverat, spe certa subsidii facta; sed quæ Bavaricis abnuentibus irrita erat. Filii tamen Landgravii, qui primo tumultu in arcem refugerant, a Cassellanis liberi emittuntur. Ad inferiores Rheni partes digresso Glenio, Rabenhauptius Novesii præfectus in Coloniensem ditionem excurrerat, ac compellendis ad tributa provincialibus magnas prædas egerat. Huic repellendo Elector Coloniensis Vehlenum è Westphalia evocaverat, qui valida cum manu illum invasit. sed is apud Bergershausam loco idoneo consistens ingruentes acriter rejecit, prædamque integram Novesium deduxit. Unde populationi declinandæ provincialibus super tributis transigendum erat. Occupabant inde Eiskircham Hassi, magnoque studio muniebant, toti circum vicinia non parum molesti.

Hassi Marburgensem ditionem sibi vindicant.

Hassorum ad inferiorem Rheni ripam acta. 15. Jul.

§. 39. In conventu Deputatorum Francofurtano post inanes disceptationes Cæsar tandem annuit, ut Ordines tractatibus pacis ad formam Collegii intersse possent; cum latius videretur ultro concedere, quod prohiberi non poterit. Nam animadverterat, quicquid contra niteretur, Ordines utique illuc missuros. Idque peculiari propositione Deputatis promulgat, hac tamen lege, ut ea missio autoritati Cæsareæ, & prærogativæ Electorum fraudi ne sit, neu ab Ordinibus ablegati congressibus Cæsarcorum Legatorum cum extraneis se ingerant, sed tantum consilio & opera ipsis præsto sint; longius ne progrediantur, aut tractatus extrahant. Addebatur; omnia quæ ibi agerentur, Francofurtanæ Deputationi communicanda, & exsequendis pacis legibus Comitia convocatum iri. Nam Cæsari animus non erat, Conventum Francofurtanum abrumpere. Unde & ab Austriaco Directorio quæstiones proponebantur; quot, & quinam ex Ordinibus ad tractatus pacis ablegandi? num è solis Deputatis Francofurtanis, an etiam ab aliis? Item, qua ratione tractatibus intersse debeant? Super his quæstionibus cum Deputati ad Principes suos referrent, illi responso accepto unanimiter censuerunt; haut è re esse Deputationem Francofurti continuari; quod deliberationes tot diversis locis institutæ magnam moram negotio daturæ sint; nec moris sit, super eadem re pluribus locis Deputatorum conventus agitari. Eoq; placebat universam disceptationem in locum tractatuum rejicere. In eo tamen Electorales à Principalibus differebant, quod illi Deputationem Francofurtanam plane tolli cupiebant, obtentu sumto; è Comitiali Decreto hunc conventum instaurandis judiciis indictum, nec ad jus belli ac pacis pertinere. Sed revera cum ipsi forma Collegii adesse decrevissent, judicabant, hoc conventu dissoluto reliquos Ordines non facile modum inventuros instar Collegii ibi adornandi; eoque se uti-

Deputationi Francofurtanæ finis imponitur. 27. Jan.

1645. que prærogativa præ cæteris potituros. Contra Principales, & urbici contendebant, Deputationem illhanc ad locum tractatuum utique transferendam; quod Cæsar ipsis concesserit, eodem quo Electores modo tractatibus adesse; & hæc Deputatio universos Ordines repræsentet, ad quam singuli Ordinum sua negotia deferre possint. Re ad
24. Mart. Cæsarem delata, hic probata Principum sententia pronuntiavit, Deputationem Monasterium deferendam. Luneburgicus tamen & alii monebant, si res ita ferat, Evangelicis liberum fore Osnabrugæ quoque tractatibus interesse. Id quod Cæsareis non parum displicebat; nec tamen ratio erat, qua id prohibere possent. Nec eo secius super nova Deputatione ad Kalendas May sequentis anni Francofurti habenda decernebatur componendis gravaminibus, quæ Cæsar & Catholici in tractatibus pacis tangi nolebant. Ubi dum inter Catholicos Deputatos Augusta quoque Vindelicorum refertur, Saxo & Brandeburgicus protestationem interponunt, ne id civibus Evangelicis ejus urbis fraudi sit, qui iniquo pacto hactenus Magistratu excluſi fuerant. Significabant quoque Cæsarei Legati, super Amnestia à Cæsare ad votum Ordinum propediem decernendum, ut quoad decretum id adferretur, Francofurti morarentur: cujus videndi ingens desiderium Ordines tenebat. Sed cum illud nusquam compareret, Deputati moræ pertæsi unus post alterum discessere,
12. April. ac demum Bavarum abeuntem omnes secuti. Ita Conventus iste per triennium extractus tandem solutus est.

Tractatuum pacis continuatio. Disceptatio super salvo conductu Stralsundensium.

§. 40. Tractatus pacis, qui anno superiore translatis in Daniam armis fere quieverant, iisdem denuo in Germaniam revolutis, nunc velut revivisscere cœperant. Quibus tamen remoram injiciebat, quod Cæsarei Stralsundensibus salvum conductum pertinaciter abnuerent, causati; confusionem & moram paci nascituram *mediatorum* Ordinum interventu; & istorum exemplo multos alios eadem postulaturos. Potius hinc intelligi, Succis pacem cordi non esse, hoc obtentu ad negotiationem accedere abnuentibus. Absurdum esse, cum ob Europæ pacem constituendam congressus sit institutus, à Stralsunda initium fieri parum decorum Regnis, si quicquid est, municipiorum, & privatorum ipsis addictorum, heic comparere velint: ac melius esse istorum negotia per Legatos Regios expediri. Ægre laturos Ordines, si ipsorum subjecti, queis jus Comitiorum & suffragii non sit, dominis suis velut pari gradu adjungantur. Denique si utique adesse velint, commune diploma Cæsaris, & literas Legatorum Succicorum tut securitatis præstare; ob tantillum negotium totam tractationem sisti indignum esse. Ast Succis non tam de Stralsunda agebatur, quam ne prævia conventio hoc initio everteretur. Nam quid Stralsundenses tam anxia salvi conductus petitione quærerent, non obscurum erat; ut nimirum se à reliquo Pomeraniæ corpore sejungerent, ac in plenam libertatem urbium Imperialium vindicarent. Quos conatus nec impugnare tunc, nec sublevare rationis erat. Unde si ab initio Cæsarei declarassent, tutum istis accessum fore, nil difficultatis motum fuisset. Nunc pacti vocabula cavillantibus resistendum erat, ne forte majoris momenti capita solicitarentur. Cum tamen Cæsarei declararent, eum salvum conductum dignitati Ordinum adversari, id negotium ad Ordinum adventum differendum censebant Sueci. Ac demum Cæsarei diploma non plane amplius abnuebant, sed ut res ad Brandeburgici adventum differretur postulabant, quod ejus Electoris maxime interesset. 1645.

Ut & Argentoratensium conductum.

§. 41. Majoris momenti erat, quod cum rogatu Argentoratensium Succici Legati pro istis salvum conductum apud Cæsareos postularent; hi
15. Jan. responderent: Argentoratenses nuperis Comitiis fœderi Succico, Gallicoque renuntiasse, & hactenus fidei adversus Cæsarem atque Imperium observantes fuisse. Unde ex vi conventionis prævia salvum conductum ipsis dari non posse. Alias si debito eum loco requirant, negatum non iri. Argentoratenses etsi urgente Cæsare temporibus cedere coacti fuerant: tamen rebus in melius mutatis animos relumserant, ac jam petito diplomate ostendebant, Succicam societatem se nunquam serio abdicasse, quam & Sueci ex sua parte illibatam servarint. Et Reginam in præliminari tractatione illos sociorum suorum classe censuisse; etsi à Cæsare pro iisdem non peculiare, sed commune duntaxat diploma obtineri potuerit: quod nunc abnegetur. Unde cum Succi super iniquitate Cæsareorum graviter quererentur, tandem hi Argentoratensibus salvum conductum indulgent, sed ut Hamburgensis pacti mentio omitteretur, quod in aliis diplomatis factum erat. Super quo morosius contendendum Succi haut censebant.

Disceptatio super funere Ministri Lusitani.

§. 42. Lusitani Ministri funere abrepto Succi negarant, se in tractatu perrecturos, ni sibi satisfieret. Excipiebant Cæsarei, in literis tuti itineris neque funeris mentionem factam, neque ad quem bona adjuncta spectarent. Tum solum Oxenstiernam subscripsisse. Sed ista incassum jactari indicio erat, quod jam, antequam illæ literæ inspectæ forent, funeri insidiæ essent structæ. Demum post nonnullam disceptationem inter Oxenstiernam & Gleenium supremum Cæsareorum in
30. Jan. Westphalia ducem funus cum rebus dimissum. Molestum tamen erat autori facinoris id impune fuisse, ac delicta militaria ad duces Cæsareos remitti, ac à militibus Legatorum diplomata istorum censuræ subjici. Hac occasione cum Andrada Lusitano Monasterii Ministro liticulæ nonnihil ortum, quod hic quereretur, à Succicis *Excellentiæ* titulum sibi non tributum. Cui Sueci reponebant: ne ipsum quidem Legati titulum atque dignationem præ se ferre; nec materiam literarum tulisse, etsi talium non parcis eum titulum tribuere. Nam ipsum eadem conditione apud Gallicos Legatos agere, qua Botellus apud se Osnabrugæ egerit, cujus funus violatum eo nomine querantur, quod is in comitatu suo fuerit.

Ordines tarde ad conventum movent.

§. 43. Præcipuam tamen remoram tractatibus injiciebat tarditas Ordinum, è quibus anni initio præter Luneburgicum, Meclenburgicum, Cassellanum, Saræpontanum, Lubecensem, Hamburgensem, & Bremensem nemo adhuc aderat. Veniebat post Francofurto missus Zacharias
5. Febr. Stenglinus cum mandatis à civibus Evangelicis Augustanis, & Comitibus Oetinganis, Protestantium sacra secutis. Spem propinqui accessus faciebant Moguntinus, & Brandeburgicus. Franconicus Circulus Bambergæ decretum de legatione communi nomine mittenda fecerat; sed quod per legatos à Cæsare ad Catholicos Ordines missos fere subversum fuit, qui ipsos solicitabant, ut saltem à conjunctione cum Evangelicis eosdem averterent, & missionem decretam tantum Monasterium restringerent, ubi Papa mediatoris munere fungebatur, neglectis Succis, qui hactenus

sacro-

1645. ſacrorum Evangelicorum libertatem ſcopum armorum ſuorum jactaverant. Nec deerant tamen, qui labantes firmarent: ac conventu Noribergæ acto ea legatio denuo decernitur, & mandata concipiuntur. Id decretum tamen declinandæ Cæſareorum offenſæ non publico nomine Suecicis inſinuatum, ſed per fidos homines ad Ordinum ibi Legatos perſcriptum. Ac nonnulli ex Ordinibus ad literas Suecorum invitatorias reſpondebant, communis decreti mentione facta. Pariter Circulus Suevicus conventu Ulmæ habito communem legationem decernebat; deque ea Legatis Suecicis ſignificabat. Eodem fine & Circuli Weſtphalici congreſſus à Palatino Neoburgico Coloniam indictus. Wetteravici quoque Comites eodem nomine ocyus conventum agitabant. Tota præterea Palatina Domus legationem adornabat, præter Chriſtianum Birckenfeldenſem, qui cum jus ſuffragii in Comitiis non haberet, nullum operæ pretium Oſnabrugæ facturum ſe cenſebat. Darmſtadienſis impreſſo à Suecis diplomate non contentus, peculiare ſibi à legatis transmitti petebat. Colmarienſes per Suecicos ſibi ſalvum conductum apud Cæſareos obtinere petebant. Equeſter Ordo cupidum ſe mittendi reſponderat. Nec minus Dux Altenburgicus ac Gothanus, Magdeburgicusque Adminiſtrator, & Holſatiæ Dux legatos ſe miſſuros declarabant. Sed Anhaldini, ob ditionem ſuam nuper ab utroque exercitu plane vaſtatam impares ſe nunc curæ publicæ excuſabant.

21. Jan.

22. Jan.

28. Jan.

2. Jan.

Negotiatio de pace adhuc differtur.

§. 44. Porro quia Monaſterii ad decimum diem Januarii emendatæ plenipotentiæ exhibendæ erant, ad quod tempus legatos Ordinum expectandos inter Suecos Gallosque convenerat, & vero hi nondum comparebant: non citra rationem dubitabatur: num allatis plenipotentiis Ordines diutius expectandi, & actio differenda, an vero primaria oppoſitio expromenda foret? Quorum hoc Cæſarei magnopere cupiebant, qui ubique circa miſſiones Ordinum impediendas ſatagebant, quod metuerent, ne, ubi congregatis non ſatisfieret, ab ipſis conſilia Cæſari parum proficua capeſſerentur. Qui jam Oſnabrugæ aderant Ordinum Legati apud Suecos ſollicite inſtabant, ut negotium differretur, ſaltem quoad Brandeburgici adeſſent. Ordines hactenus, quare ſibi ad tractatus utique accedendum ſit, hanc rationem jactaſſe, quia ſocii Reges id valde deſiderent, & abſque illis de pace agere nolint. Quod ſi nunc abſque iisdem propoſitio fiat, partem adverſam id accepturam velut eo poſtulato Regii deſiterint; ex quo & Ordinum deſtinata vacillatura ſint, ſi Regios ipſorum adventum non amplius morari adpareat. Quod ſi & facta propoſitione tractatus jam cœperint, & abſentes ex ea prolixam diſceptationem prævideant, fortaſſe tardius adhuc molituros, ac Cæſareis amplius ſpatium fore iſtos conventu arcendi. Franconicum imprimis Circulum expectandum, qui exemplo ſuo ad maſcula conſilia cæteros ſit ſtimulaturus, Catholicis ibi ſociam operam cum Evangelicis navantibus. Succi contra oſtendebant, quantum laboris ipſi ſumſerint circa excitandos Ordines, ac jam annum amplius iſtos expectaverint. Nunc demum conventus eoſdem agitare præſentibus Legatis Cæſareis, circa negotium impediendum omnem lapidem moventibus. Mediatores Monaſterii, ut negotio initium fiat urgere exprobrantes, Ordinum adventum obtentui ſumi tractatibus extrahendis. Moræ hucuſque colorem fuiſſe procuratoria nondum allata: eum nunc conſumptum. Nec minus tamen præſentes Ordinum Legati, Caſſellanus cumprimis, contendebant, utut nemo accuſare ipſos poſſit, ſi poſt tantas moras omiſſis Ordinibus, negotium ſuum auſpicentur: tamen paululum adhuc tædium tarditatis, & Mediatorum importunitatem digererent, & nonnihil temporis communi Evangelicorum cauſæ indulgerent. Id quod demum Legati Suecici annuebant, quod tantum operæ pro admiſſione Ordinum impendiſſent, & horum præſentia rebus ſuis proficua foret, & quia jam plerique ad iter ſe comparare nuntiabantur, Moguntinus præcipue, & Brandeburgicus à Cæſare & Ordinibus peculiariter deputati. Ut tamen ad certum tempus ſe non obſtringerent, ac diſerte teſtarentur, ſi nimias moras iſti nectere pergerent, occaſionem ſe tractandi non omiſſuros.

1645.

§. 45. Inter hæc Hanſeaticorum Legati Monaſterium profecti erant ſalutandis Cæſareis, Regiisque Legatis. Hoc cum primo Avauxium, præſente Serviento inviterent; ac ſequenti die eodem officio apud Hiſpanos fungerentur, tertio demum die Servientum domi ſuæ adituri non admittebantur, quod is caularetur, pari ſe cum Avauxio dignatione, nec ſibi minus, quam ipſi Regis autoritatem tuendam. Addebat, cum ipſi Hiſpanos priore quam ſe loco adiiſſent, à ſe ipſos monitos, ut acceſſu abſtinerent; id quod iidem inſuper habuerint. Contra Hanſeatici demonſtrabant; per Servienti miniſtros horam ſibi acceſſus deſignatam; in ipſius ædibus rite ſe a familiaribus exceptos, ac in conclave deductos. Poſt nobilem denuntiaſſe, Legatum aliis negotiis diſtrictum vacare ipſis non poſſe. Tum quia Hiſpanos priores ſalutarint, in Regis Galliæ ſuamque imminutionem ceſſurum, ſi nunc eos admittat. Quanquam autem Hanſeatici ad hæc, quæ in rem erant, regeſſerint, eaque Serviento à familiari ſuo relata ſint, ipſum tamen haut eo minus admiſſionem abnuiſſe. Eam repulſam Hanſeatici ægre ferre, ac inſignis contumeliæ loco habere. Talia cum invitatoriis Gallorum literis haut quadrare, ut venirent amice invitatos; nunc venientes contumelia perfundi. Tum cauſæ ſuæ tuendæ ſcriptum concipiunt, quo demonſtrant Fiduciarias ſuas literas utrumque Legatum Gallum ſpectaſſe: ſe de adventu ſuo, Avauxio velut primo Legato ſignificaſſe, apud quem Servientus tunc adfuerit. Utrumque ſe allocutos: ſuo ſermone finito ipſos paululum disgreſſos ſuper reſponſo conveniſſe; Avauxium utriusque nomine reſpondiſſe. Pari modo Suecis Oſnabrugæ hunc honorem exhibuiſſe: Monaſterii quoque Naſſovium Comitem dixiſſe, non opus fuiſſe Volmarum ab ipſis ſeparatim adiri, ni valetudo ejus id requirat. Cum Gallis ſatisfeciſſe ſe crederent, Hiſpanos poſtridie ſalutaſſe. Servientum ſeorſim inviſere voluiſſe majoris reverentiæ cauſa, ac monente Avauxio: unum tamen diem huic officio interpoſuiſſe, quod proxima ſtatim die moleſti eſſe iſti noluerint, & quia Rorteo, ac San-Romano abitum adornante diſtrictum negotiis ipſum crediderint. Id diſſidium tamen, cum ſequenti mense Servientus Oſnabrugam veniſſet, opera Haſſici Legati Schefferi compoſitum; ac placuit, à neutra parte mentionem fieri eorum, quæ Monaſterii acta erant. Unde ſalutationis officium ab Hanſeaticis Serviento ibi exhibitum, & ab hoc iiſdem redditum. Hanſeatici porro, quod mox ad primam propoſitionem accedendum crederent, petita ſua Succis

Hanſeaticorum cum Serviento ſuper admiſſione lis. 19 Jan. 22. Jan.

Borcandem à Succis petita. 25. Jan.

1645. insinuabant, si non huic statim inserenda, saltem subsequenti tractatione observanda. Eorum summa hæc erat, ut illæ Urbes diserte paci includerentur, in priorem conditionem circa sacra & civilia reponerentur, amotis prætidiis, aliisque oneribus: commercia terra marique pristinæ libertati restituerentur, privilegia & ex pactis quæsita jura servarentur, omnibus oneribus tam circa statum urbium, quam commercia abolitis. Hamburgenses peculiariter Glucstadiense vectigal, à Daniæ Rege per hoc bellum opprimendis illorum commerciis introductum, tolli petebant.

Plenipotentiæ Monasterium afferuntur. 20. Jan.

§. 46. Monasterii convento die Cæsareæ & Gallicæ plenipotentiæ aderant; Hispanorum nondum adpulerant; qui tamen culpam in Gallos conferebant, quod cursor ab ipsis detentus fuisset. Quanquam autem & hæ mox adferrentur, permutatio tamen earundem in Februarium utque mensem extrahebatur; quod Cæsarei prius propositionem à Gallis edi cuperent; id quod hi à ratione abhorrere censebant. Inde Galli denuo velut ex superfluo literas ad Ordines Imperii dederunt, hortati, ut eam causam, in qua salus Germaniæ vertatur, suo suffragio juvent. Id num legibus Imperii & ipsorum statui conveniat, penes ipsos judicium esse. Sane id centere, qui jam adsint, qui ad quietem Europæ, ac patriæ salutem omni studio incumbant. Horum exemplis invidiam, si qua timeatur, consumtam; nec superesse aliquid, quare suo jure, ipsorumque opera uti differant. Occasionem forte cito transituram ipsos invitare. Non ad futuros, sed ad præsentes, & jam cœptos tractatus vocari: quid deinceps in absentium gratiam differendi non sint. Harum literarum postrema verba illis displicebant, qui absentium Ordinum adventum expectari optabant, quod censerent, eam factæ nuper à Gallis propositioni repugnare; ac Cæsareos gavisuros, velut postulato suo circa præsentiam Ordinum illi decesserint, absentes autem Ordines hac ratione territos tardiores fore.

Galli Ordines denuo ad tractatus invitant. 20. Jan.

Mediatores propositionem urgent.

§. 47. Post allatas plenipotentias acriter instabant Mediatores, ut tractandi demum initium fieret. Ordinum absentiam obtentui duntaxat sumi extrahendis tractatibus. Quod si è re ipsorum sit bellum duci, latius esse id aperte profiteri, quam sibi, totique orbi illudere. Ter jam invitatos Ordines, diuque expectatos. Si quid ob suam absentiam sinistri contingat, propriæ ipsorum negligentiæ imputandum. Legatos officio tuo abunde satisfeciste. Addebant Cæsarei; constare sibi Legatos Gallicos ex aula mandata accepisse, ut abientes Ordines non amplius morentur, sed ad tractatus accedant. Rosenhahnius contra Gallis rationes ingerebat, ob quas Succi actione paululum adhuc superedendum ducerent; quas & ipsi probabant. Sed cum illas non ita aperte jactari deceret, plausibilior color adhibendus erat Mediatoribus sedandis. Igitur placebat Avauxium Osnabrugam proficisci, ad cujus usque reditum ut isti adquiescerent obtentum. Hic Succis Osnabrugæ multis demonstrabat; Socia Regna Ordinum commoda prævio pacto quæsiviste, de omnibus iisdem significasse, repetitis vicibus ad tractatus invitasse. Eorum quod tam pauci ac ita tarde adsint, penes illos ipsos culpam hærere. Haut par esse illos amplius urgere, qui cum possint sibi consulere, ipsi non velint, nec audeant. Spem adventus sui eosdem in infinitum extrahere: interim in Regna invidiam, ac belli onera redundare. Non deesse, qui decorum Regiis ac gratiosum judicent, si super Ordinum commodis ipsi transigant; ac citius negotium ita proceturum, quam admissa tanta multitudine discrepantibus sententiis, studiisque. Succi uti hæc non abnuebant, ita præsentium Ordinum enixas preces repetebant, ac in ipsius arbitrio relinquebant, num audire illos vellet. Separatim ad Avauxium vocati Lampadius, Schæfferus, Keiserus, Langlæus eadem, quæ Succi, ingerebant: exiguam hanc ce moram promtiore negotiatione abunde pensari, ubi ipsi Ordines consilia sua instaurando Germaniæ statui hactenus collapso conferant; ac ad securitatem Regnorum multum interesse, istam pristinæ conditioni restitui. Et cum Ordines penes se jus belli & pacis esse contendant, ei juri magnum præjudicium iri allatum, propositione ipsis absentibus facta. Ita & Avauxius in exiguam moram consentiebat. Sed ne isthac mora precibus præsentium Ordinum data videretur, placebat obtentui sumi, quod Moguntini & Brandeburgici Legati propediem adfuturi sint, qui nomine Collegii Electoralis tractatibus adsistere debeant, quibus absentibus propositio rite non fiat. Id quod præsentibus Ordinum Legatis valde probabatur. Præterea, ut quas pacis leges laturi essent Sueci, expiscaretur Avauxius, aliquot formulas transactionis circa res Germanicas, Italicas, & Hispanicas proferebat, sed summa tantum capita continentes, & quas non nisi obiter inspiciendas præbebat. Quem pari artificio eludebant Sueci. Circa satisfactionem tamen & securitatem sociorum Regnorum utrisque placebat, id utique contendendum, ut Ordines tractatibus adsint. Eorum quippe consilio, quorum maxime interfit, se usuros, qui & obtento per hanc pacem pristino statu, ita sibi sint cauturi, ut si quid deinceps Cæsar in ipsos aut Regna tentare paci adversum velit, junctis viribus causam communem sustinere queant. Tum eosdem ob commodiorem consiliorum communicationem, & ut auxilio Regem eo promtius uti queant, haut refragaturos, si ipsi ditione aliqua in solo Germanico potiantur. Denique & super honore Legatis Electoralibus exhibendo differebatur. Sane Colonienscm, Franciscum Wilhelmum Osnabrugensem Præsulem, jussu Cæsaris Cæsarei pari fere secum dignatione habuerant, ac Veneto æquaverant. Quorum exemplum non poterant non Galli imitari, præsertim cum is Principali dignatione fulgeret. Sed & circa reliquos judicabat Avauxius, pari honore cum Colonienti afficiendos, ni pro favore adversa consilia ab ipsis expectare velint. Nec inutile Sociis Regnis, Cæsari Principes aliquot circumponi dignitate ipsi suppares: cum quantum Electorali fastigio accrescat, tantum Cæsareo decedat; ac eo plus rationis esse fœdera cum illis nectere, eosdemque contra Cæsarem fulcire. Inprimis Brandeburgicum hoc honore demulcendum censebat, qui & alias in ipsorum partes favore inclinabat.

De honore Legatis Electoralibus exhibendo.

25. Jan. Avauxii cum Legatis Suecicis congressus.

§. 48. Avauxio Monasterium regresso procuratoria hinc inde tradebantur. Et Cæsareum quidem Gallicumque ad conventam formulam expressa erant. Sed in Hispanico notabant Galli, quod cum Rex Cæsari *Serenissimi* titulum addiderit, Galliæ Regem solo *Fratris sui* nomine nuncuparit. Prioribus quoque tres alii Commissarii adjuncti erant, quorum alii *Extraordinarii Plenipotentiaris Legati*, alii simpliciter *Plenipotentiarii* dicebantur, & omnes quidem pari potestate, ut tamen reliquis absentibus uni *ex illis* potestas agendi & con-

Procuratoria Monasterii permutantur, 5. Febr. Hispanici procuratorii defectus.

1645. concludendi esset. Quod vocabulum ambiguitatis quid habere Gallis videbatur, incerto num ad utrumque genus Commissariorum, an ad prius duntaxat pertineret. Denique & alia dies instrumento inserta est, quinta Januarii hujus anni; quo ipso quæ ad eam diem acta erant, retractari videbantur. Isti defectus etsi non Mediatoribus solum, sed & ipsis Hispanis displicerent; quia tamen Galli significarant, se ob eos solos tractationem non moraturos. Mediatores acriter institebant, ut tandem ad principale negotium accederetur. Porro acceperant nuper ex aula propositionem Galli, quam exhibere jussi erant, sententia tamen Suecorum prius audita. Cum his convenerat Osnabrugæ Avauxius circa istam adhuc differendam, ac Monasterium reversus idem Rosenhahnio confirmarat. Sed jam discors Avauxio Servientus cum Mediatoribus sentire, ac Avauxium ad edendam propositionem urgere. Qui renitens licet quartum in diem à cæteris obtunditur metu offensæ in Aula contrahendæ. Ita ea propositio Cæsareis per Gallos exhibetur: qua initio super adventu Ordinum monetur, quod quo frequentior sit congressus, eo curatius Imperii leges observatum, ac pacis firmitatem stabilitum iri ipes sit. Tum ut Trevirensis Elector libertati restituatur vi præliminaris pacti, quo omnibus Galliæ fœderatis adesse permittitur, illiusque legatis peculiare diploma obtinetur; quod inane sit, ni ipse eo in loco constituatur, ut libera cum eodem sit communicatio. Pronum esse Regem accipiendis mediis, per quæ tura pax in Imperio, sincera amicitia cum Cæsare constituatur; quo fine sententiam Ordinum secuturus sit, nulla proprii emolumenti ratione habita, nisi quatenus idem in commodum & securitatem Ordinum redundet. Tum ut fœderatis ac adhærentibus suis satisfiat. Circa res Italiæ idem sibi, quod Principibus ejusdem propositum; eoque se Pontificis, Venetorum, ac ipsorum, qui cum Hispano stant, sententiam secuturum, salvis tamen suis juribus & actionibus. Pace conventa ab Ordinibus Imperii, & Principibus Italiæ differte adprobanda & ratihabenda. Eodem momento Hispanis quoque nova propositio exhibetur, quæ in rebus Imperium, Italiam, & securitatem pacis spectantibus cum priori conspirabat. Sed circa negotia, quæ inter ipsos & Hispanos verterentur, duæ viæ proponebantur; ut vel res in præsenti statu permaneant, vel si Hispani quondam ad Galliam spectantia nuper armis recuperata, ad rationes revocare velint, se paratos singula disquisitioni subjicere, ut omnes intelligant, utris æquitas magis cordi sit. Interim par esse, ut Gallia nunc, sicut quondam Hispania, bello parta emolumenta retineat.

Galli propositionem edunt inconsultis Suecis.

19. Febr. Ejus contenta.

Fidem Hispanis novam propositionem exhibent.

Suecі eam propositionem ægre ferunt.

§. 49. Suecos ea res non parum turbabat, quod & Galli conventis non stetissent, & ex quo tempore Avauxius Osnabruga discesserat, ne verbo de mutata sua sententia significassent, ac negotiationem ipsis inscіis orsi essent. Adversarios quippe sine dubio exulturos, velut fœdere inter Regna, & præliminari pacto abrupto, ac apud Ordines sparsuros, à sociis præsentiam ipsorum tantum ludibrii causâ jactatam; qui forte turbatis jam suis destinatis cum Cæsare utcunque transacturi sint, si animadvertant conventis non stari, & Suecorum sociorumque nullam rationem haberi. Quin suspicio erat, fama suffragante, secretos tractatus inter ipsos ac Cæsarem agitari. Quod illis demonstrare Rosenhahnius jubebatur, ac num quid monstri alerent expiscari. Avauxium invitum huc perstractum constabat. Sed Servientus ut factum excusaret, ipse Osnabrugam excurrit. Ostendebat iste jussum Aulæ eam ob causam factum, quod Pontifex & Italiæ Principes movere se incipiant, & cum Gallicus ibi Legatus non sit, haut constare quid ab illis expectari debeat. Igitur illis demulcendis decretum culpam protractæ pacis amoliri, ac Pontificis Nuntio satisfacere. Et quia de procuratorii Hispanici defectibus vulgatum sit, Ordines facile novam morarum ansam arrepturos, velut incassum heic acturos procuratoriis nondum ad liquidum deductis. Huic avertendo id scriptum exhibitum exordii duntaxat, non justæ propositionis instar habens, mediatoribus demulcendis. Nil Suecis præjudicii allatum, qui hoc commodi obtineant, ut Ordines deinceps majore cum fiducia ipsis, quam Gallis sint adhæsuri. Suecis etsi justa querelarum causa foret: tamen cum ea propositio modici esset momenti, & facta infecta fieri non possent, adquievere; præsertim cum Servientus sancte confirmaret, id scriptum pro non exhibito habitum iri, ac se pari passu cum Suecis ad primam usque propositionem progressuros. Ex hac tamen Gallorum propositione Cæsarei Osnabrugæ ansam arripiebant Suecos monendi, ut & ipsi, sed distinctius quam Galli, tractanda exponerent. Quibus Suedi cavillationem vocabuli *Adhærentes*, eoque obtentu negatum Stralsundæ salvum conductum exprobrabant; quæ controversia tamen ad Brandeburgici adventum seposita sit. Cæsarei contra negabant, se autoribus eam litem huc dilatam; nec esse ut nova mandata expectent, aut eam rem morentur. Nam Cæsarem ejusmodi *mediatis* salvum conductum salvis Ordinum juribus dare non posse, nec ex prævio pacto teneri. Quod si tamen Stralsunda & similes urbes suos mittere velint, à Cæsare nihil hostile illis metuendum.

1645. 24. Febr. Galli se excusant.

Cæsarei Suecos ad propositionem frustra urgent. 19. Febr.

§. 50. Ad Gallorum propositionem Cæsarei Monasterii respondebant: Per se non stetisse, quo minus Ordines huc venerint. Sed quia intra tot menses tam pauci comparuerint, eo minus Gallos morandi causas habere, quod jam duorum Electorum Legati adsint, quorum alter totius Collegii Electoralis nomine mandata habeat, Liberationem Trevirensis ad tractatus ipsos, non præliminaria pertinere. Distincte exprimendum fuisse, quid Rex suo nomine Cæsarem & Imperium poscat; aut si nihil poscat, id quoque significandum. Tum & singulos Fœderatos exprimendos, ut sciatur, quibuscum, & quo modo tractandum sit. Post Germanica negotia ad Italica accedi posse. De cautione non initio tractatuum, sed in fine agendum: nec repugnare Cæsarem, quo minus conventa omnium Ordinum consensu firmentur, & executioni dentur: æqualitati tamen utrinque servandæ opus fore, ut eadem non à Rege solo, sed & ab omnibus Galliæ Ordinibus rata habeantur.

Cæsarei ad Gallorum propositionem respondent. 28. Febr.

§. 51. Lambergius Comes, qui hactenus Osnabrugæ dissimulato splendore egerat, nunc Legatum publice se gesturus id Suecis per Heistermannum insinuaverat, solennem ab his salutationem expectans. Sed cum illi ob omissam solitam denuntiationem invisere eum nollent, per Secretarium soli Oxenstiernæ id significat, nulla Salvii facta mentione. Id quoque adspernati Suecі, quod istæ rituum minutiæ Monasterii scrupulose observarentur salutationem omisere; donec utrique Legato solennіter facta esset denuntiatio. Tunc demum Cæsareum Legatum honoris gratia

Lambergius se publice Legatum gerit.

1. Mart.

1645. ediere, pari officio ab eodem mox recepto. Ad
6. 10. Mart. amoliendum è Stralſundæ ſalvo conductu obſta-
Hic fruſtra tempe- culum id temperamenti Lambergius proponebat,
ramentum circa Stral- ut ea res denuo ad Cæſarem referretur, ac ab eo
ſundam proponit. reſponſum expectaretur. Interim Electorum Ordinumque Legatos venturos, quorum ſententia exquiri poſſit. Nec eo minus propoſitionem à Suecis expromendam. Displicebat id Suecis, qui ab Hamburgenſi pacto diſcedere, & ibi tranſacta in dubium revocare, aut Ordinum cenſuræ

14. Mart. ſubjicere nolebant, etſi everſo præliminári pacto exigua tractatuum ſpes ſuperſit; Monaſterii tamen cum ſociis ſuper ea re conſulturos. Abibat

Oxenſtiernæ conſultatio cum Gallis ſuper propoſitione. ex eo Oxenſtierna formulam propoſitionis Gallis communicaturus; qui nihil adhuc certi ſuper ejus capitibus decreverant, ſed mandata prius ex aula expectabant. Super modo tamen propoſitionis utrinque placebat; eam ocyus faciendam, frequentibus jam Ordinibus: nec ideo tamen poſtulatis è prævio pacto hactenus agitatis, puta de Stralſunda & Trevirenſi, deſiſtendum. Quod ſi adverſarii adhuc tergiverſentur, & illis ſepoſitis ad primariam propoſitionem accedatur, ea poſtulata reſervanda, ut ſi res ferat, deinceps urgeri queant; idque exordio propoſitionis una cum morarum cauſis inſerendum. Omnia porro chartis conſignata pariter exhibenda eſſe, etſi Galli initio oſtenderent, ipſos inter, Italosque, & Hiſpanos ſingula capita conventionum ſermone diſcuti, hinc ſcripto concipi. Succi contra cenſebant; omnia ſcripto delignari Legatis commodius eſſe, ac Ordines, qui cupide propoſitioni inhient gaviſuros, ſi uno intuitu perſpiciant, in quo res vertatur, & quid in eorum gratiam ſocia Regna moliantur. Ac eum agendi modum ſeptentrionalibus uſitatum. Omnia communi Regnorum nomine, & velut uno ore expromenda. Denique capita propoſitionis laxiore verborum ſenſu concipienda, ut tamen pro re nata ad peculiaria deſcendi poſſit. Porro ſecuritati Regnorum hac maxime ratione caveri videbatur, ſi anteactorum à Bohemico uſque bello oblivio ſanciatur; ſi Ordines priſtinæ libertati reſtituantur; ſi diſſidia inter Ordines ob diverſa ſacra componantur; ſi Cæſar nullo modo Regnorum ſociorum litibus cum vicinis ſe immiſcere, aut hiſce auxilium ferre queat. Placebat inde Suecis formulam propoſitionis intra octiduum adornari: quod tamen à Gallis convento die præſtari non poterat, quibus illa Pariſiis expectanda erat. Unde & hi exhibitioni certum tempus ſtatuere nolebant; eam tamen inter Paſcha & Pentecoſten fieri poſſe ſpem faciebant.

Ordines paulatim accedunt. 22. Febr. §. 52. Inter hæc Monaſterii adpulerant à Bavaro Georgius Chriſtophorus Haslangius Baro, & Joannes Adolfus Krebſius, tenui comitatu, qui eodem quo Colonienſis honore excepti. Et ut colliſio inter Veneti, & Colonienſis rhedas obviam ipſis progreſſas declinaretur, Gallorum ſuaſu Oſnabrugenſis Præſul, velut Bavarica Domo oriundus, Legatis occurrebat, eosque in ſuam rhedam recipiebat. Ab iſtis Galli priusquam Hiſpani ſalutabantur, quod illi rhedas ſuas iisdem obviam miſiſſent, Hiſpani non idem. Galli ipſis, Haslangio cumprimis, *Excellentia* titulum non denegaſſent, niſi Naſſovius Comes eos in *tertia*, quod vocant, *perſona* alloqui cœpiſſet, quod exemplum Galli ſecuti ſunt. Eam dictionem Haslangius, etſi non à toto Collegio Electorali miſſus, vicißim adverſus iſtos adhibebat, etſi Krebſius *Excellentia* vocabulum iisdem impertiret. Venetus quoque initio Excellentiæ titulum abnuebant, in tertia perſona 1645.
ipſium allocutus: cui pari formula Haslangius reſpondebat. Sed cum Galli poſt cum titulum ipſi tribuerent, reliqui exemplum imitabantur. Franconici Circuli nomine Conradus Gobelius Bam- 5. Mart.
bergenſis, Joannes Mullerus Culmbacenſis, Tobias Oelhafius Noribergenſis aderant; qui & Bavarorum exemplo primo loco Cæſareos, inde Gallos, tum Hiſpanum Didacum Savedram ſalutant. Priores duo Monaſterii ſubſiſtebant, tertius comitante Sebaſtiano Ottone Ulmenſi Oſnabrugam ſe conferebat. Aderat quoque à Sab- 13. Mart.
audo Claudius Chaborus Divi Mauritii Marchio, cui Gallorum, Rotenhanii, Colonienſis, & Bavarorum rhedæ extra urbem honoris cauſa occurrebant. Batavorum acceſſum hactenus impedierat, quod *Excellentia* titulum, dextræ manus honorem in ipſorum ædibus, & primam ſalutationem Legati Galli iisdem abnuerent; quo honoris genere iſtos aſficiendos Rex paulo poſt juſſerat. Oſnabrugam veniebant à Landgravio 4 Mart.
Darmſtadienſi Joannes Jacobus Wolfius à To- 20. Mart.
denvvart, & Juſtus Synoldus Schultzius: à Wurtembergico Duce Joannes Conradus Varenbulerus, ab Argentoratenſibus Marcus Otto mandata quoque Joannis Caſimiri Rheingravii ferens. Nuntiabatur Suecis, Brandeburgico decretum Monaſterii prius, quam Oſnabrugæ ingreſſum celebrare; cum tamen è placito Cæſaris & Ordinum ille Oſnabrugenſibus tractatibus deſtinatus eſſet; præſertim cum & Oſnabrugæ Cæſarei Legati eſſent, & hoc modo conventui Monaſterienſi ac Gallis prærogativa dari videretur. Igitur Succi iſtum monebant: ſi poſteriore loco Oſnabrugam ingrederetur, forte experturum quod nollet.

Ordines propoſitionem urgent. §. 53. Laboraverant hactenus Legati Ordinum Oſnabrugæ præſentes, ut propoſitio paululum differretur. Nunc iidem non minus enixe inſtabant eandem ocyus fieri, velut abſentium acceſſum maturaturam, ſi intelligant, Ordinum cauſam Regnis fœderatis cordi eſſe. Nec durantibus tractatibus Comitia deſiderabant, ne ſi Cæſarei circa negotia heic agitata ſcopum ſuum non obtinerent, eadem iſthuc traherent, ubi numero ſuffragiorum victuri ſint. Quin id potius agebant, ut deſideria ac *gravamina* ſua ſuffragantibus Regis armis pervincerent, poſt in Comitiis confirmanda. Unde Caſſellanus Lampadii inſtinctu ſcripto Suecis offerebat, quæ Ordinum nomine propoſitioni inſerenda; ac in tractatibus obtervanda ſint. Urbium quoque petita peculiari ſcripto exhibebantur. Et Stenglinus civium Auguſtanorum Evangelicorum cauſam commendabat, ut eorum in propoſitione expreſſa mentio fieret, aut ſaltem ut privatæ Ordinum tranſactiones, Pragenſi pace & Ratisponenſi decreto exceptæ, abolerentur. Meclenburgicus quoque controverſiam cum Daniæ Rege ex pecunia credita ortam huc admiſcere volebat. Nec minus Cæſarei propoſi- Cæſarei cauſam Ordinum heic agi nolunt.
tionem urgebant, ut tamen mallent Regios de ſuis duntaxat commodis ſatagere, excluſa Ordinum cauſa. Et aperte jactabat Cranius; Ordinum deſideria huc non ſpectare: quæ ſi Regii ſuſcipiant, parum de ſucceſſu tractatuum ſperandum. Contendebant quoque, ſoli Cæſari jus pacis competere, qui & ſolus per Legatos ſuos præliminare pactum abſolverit. Ac jam Ratisponæ ab Ordinibus decretum, ut certi Electores tractatibus adeſſent, quorum Conſilio Cæſarei uti poſſint. Cæteris Ordinibus uti quo minus adſint

1645. sint non interdictum; ita nec præsentiam eorundem necessariam, nec ipsos morandos; aut respiciendos.

De indutiis inter Gallos & Bavarum.

§. 54. Inter hæc spargebatur, Bavarum Gallorum amicitiæ ambitiosè adrepere, ac Neutralitatem affectare; idque Romæ per Pontificem, Lutetiæ per Jesuitam clam eo missum, & Monasterii per Osnabrugensem præsulem agitari. Fidem faciebat, quod sub finem superioris anni duces Bavarici permoveri non possent, ut copias trans Rhenum ducerent, & Gallos Spira, Wormatia, Moguntia, & Binga, vicinisque hospitiis ejicerent, quod in proclivi ipsis fuerat. Sed & in responso
26. Oct. Anno 44. ad literas Galli invitatorias non obscure huic palpam obtruserat Bavarus: *Spem sibi esse, Regem Patris sui exempla rerum ipsius rationem habiturum eo magis, quod Regis Legatis injunctum sit, ut cum ipsius Legatis amice & confidenter agant. Quod si Rex ea mandata verbo tantum renovare, suosque, quantum justitia ac propria securitas patiuntur, ab iisdem sublevari velit, ab omnibus piis, quorum salus causa sua innexa sit, magnam gratiam initurum, beneficium paternum insigniter auicturum, ac Domum suam Gallia perpetuo vinculo adstricturum.* Nec obscurum erat, talia Palatinam ob causam fieri, de qua Gallis persuadere conatus fuerat; sacrorum Romanorum plurimum interesse, ut penes ipsum Electoratus, ac ditio Palatina maneat.
20. Jan. Unde & Electoris Palatini Secretarius Gernandus apud Succicos Legatos instabat; eos conatus Domui Palatinæ & causæ communi valde noxios sua autoritate impedirent; præsertim cum & ipsorum Succorum interfit, qui jam anno tricesimo secundo probe intellexerint, quos fructus à Ligistis affectata neutralitas produxerit: nunc quoque copiis hostilibus, quas Galli hactenus distinuerunt, in solos Succos ruituris. Eo super negotio inquirentibus Succis Galli fatebantur: Bavarum per Jesuitam Confessionarium suum Parisios missum inducias petiisse, quoad bellum pace finitum fuerit: cum tamen ad tractatus Westphalicos rejectum. Nam separatas inducias frustra quæri, communes non nisi Succorum consentiu iniri posse. Quod si Duci spes inducierum facta sit, certo sibi persuaderent Succi, à Gallis nihil aliud agi, quam Bavaro ludibria ipsis ante illata reponere, eumque in casses pellicere. Ac brevi adpariturum inter amica quantumvis verba non minus acriter ipsum invadendum.

Hispani ad Gallorum propositionem respondent. 8. April.

§. 55. Ad Gallorum propositionem Hispani reponebant: Latas ab illis conditiones iniquas esse. Ut Gallia bello occupata retineat injustum esse, & legibus adversum, quæ spoliatum ante omnia restitui jubeant. Insolitum id inter Christianos Principes, & præcipue isthæc Regna, ac Hispanos ex animi magnitudine pace Vervinensi loca numero & dignatione non inferiora illis, quæ nunc Galli teneant, restituisse; etsi ut tunc propter sumtus in Galliam impensos quædam detinerentur, plausibile prætextum foret. Quod si à Gallis quædam loca controversi juris bello occupata sint, ea tantisper possideri non præter rationem esse. Sed ut illa quoque ob solam belli fortunam retinenda sint, quæ diuturna possessione, cessionibus, pactisque juratis firmata fuerunt, iniquissimum esse. Veteres prætensiones tigillatim discutere haut in proclivi, & ad posteritatem intutum, pacique adversum. Et experientia compertum, ejusmodi disceptationes inter hæc Regna successu caruisse, dum neutrum alteri cedere, & de commodis suis specioso prætexto nixis remittere quid dignatur. 1645.

Elector Trevirensis libertatur. 8. April.

§. 56. Eodem tempore Cæsar non modicam tractatuum remoram amovebat, in libertatem restituto Philippo Christophoro Electore Trevirensi; qui tamen scripto prius fidem dederat, statutum se pace Pragensi, quam citra exceptionem acceptabat, tum iis quæ in Electione & Coronatione Cæsarea, & ab Electorali Collegio hactenus decreta forent. Hermanstetinum inuper ad finem belli Cæsaris arbitrio relecturum; contra ut Philipsburgum Gallorum manibus eripiatur, curaturum. Denique omnia in se hactenus a quocunque patrata haut vindicaturum, imprimis offensam adversus Præpositum Metternichium, aliosque suos subditos remissurum. Multi mirabantur, illum post decennalem custodiam in tam duras leges ab ipso sæpius repudiatas consensisse, cum Gallia circa eundem liberandum acriter instaret, ac Cæsar huc jam redactus esset, ut parum amplius reluctaturus videretur. Eoque multi credebant, id scriptum, quod in vulgus sparsum erat, confictum esse. Galli tamen id factum agerrime ferebant, & fœditragi convitio Electorem notabant. Pontificius Nuntius non citra jactantiam eam liberationem Papæ autoritati adscribebat. Sed Galli cum de eadem Nuntius ipsis significasset, respondebant; se ex Rosenhahnio de eadem jam intellexisse, (quod haut ita se habebat,) ac sine dubio à Torstensonio validissimam rationem allatam, qua Cæsar ad dandam libertatem permotus sit: seu quia ita res erat, seu quod Pontifici hanc gloriam inviderent. Cæterum Elector iste liberatus apud tractatus deinceps Cæsaris se destinatis acriter objecit, vindictæ cupidine, & animi acerbitate per provectam ætatem haut imminuta. Unde judicabatur, Cæsarem melius fuisse facturum, si quod Mediatores monitu Gallorum contenderant, secutus esset, ut Pontifici Ferrariæ custodiendus traderetur, quoad pax concluta foret. Id quod cæteris Electoribus displicebat, velut indignum foret, ipsorum Collegam extra Germaniam abduci: eoque apud Salisburgensem tantisper custodiri maluerant.

Electorales Legati pari cum Regiis honore excipiuntur.

§. 57. Tardius accessum ad tractatus moliti fuerant Electores, quod pari cum Venetis honore haberi vellent. Id cum Cæsar tandem annueret, Colonienstis Legatus Monasterium ingrediebatur. Brandeburgici per Quilovium à Succis postulabant, ut ipsis accedentibus idem, qui Veneto Monasterii honos exhiberetur, obviam missis rhedis, prima salutatione, dextræ manus in Succorum ædibus honore, & *Excellentiæ* titulo. Rationes addebantur, quod Cæsarei & Regii eum honorem Colonienti exhibuerint, ac Cæsarei eundem Osnabrugæ ipsis offerant: quodque à toto Collegio, cujus membrum Rex unus sit, deputati sint: & quod Brandeburgicus Evangelica sacra profiteatur, Reginæque propinqua consanguinitate jungatur. Succi, quanquam hactenus moris non fuerat Electorales Regiis pari dignatione haberi, ac ipsi diserte in mandatis haberent Electores priore loco non invisere, petitum honorem abnuendum non censebant, quod alias Brandeburgici Monasterium prius ingressuri essent, ubi is honor ipsis patebat, dilata Osnabruga, quoad ipsis satisfieret. Et quod Brandeburgico deferebatur velut totius Collegii deputato, in quo & Rex Bohemiæ censebatur, singuli id statim arrogare sibi non posse videbantur. Idem postulantibus Moguntinus tributum,

1645. Hugoni Eberhardo Cratzio à *Scharfenſtein*, Henrico Brœmſero Vicedomino, & Joh. Conrado Krebtio. His cum Cæſarei & Regii rhedas ſuas obviam miſiſſent, eoſque à Cæſareis adjunctus aulicus in campo ſalutaſſet, velut intolentia honoris ne valvam quidem rhedæ aperiebant, ſed manu tantum per feneſtram porrecta immoti ſedebant. Succico aulico valvam rhedæ aperiebant, & aſſurgebant, non tamen, quod alias uſitatum, curru egreſſi ſalutationem ſtantes excipiebant. Eam ruſticitatem Cæſarei ac Regii mox ita ulciſcebantur, ut, cum ad Moguntinorum ædes perveniſſent, hiſce inſalutatis diſcederent; cum alias Legati in ſuas ædes ab iſtis deduci, ac valedictione honorari ſoleant. Brandeburgici Legati, Joannes Witgenſteinius Comes, Baro Lœvvius, & Fritzius quid circa ingreſſum Moguntinorum contigiſſet, obſervari curaverant. Unde ſtatim miſſo ad Suecos Quilovio ſolennia rituum ipſorum miſſis offerebant rogantes, uti hi ipſos viciſſim in ædes ſuas deducerent: Quod facile promiſſum. Cum Brandeburgici oppido propinquarent, Cratzium Comitem in campo ante ſe offendebant, etſi ipſi hunc honorem deprecati eſſent. Volebat ille, Brandeburgicos in ipſius currum tranſire eodem modo, uti Bavarici in Oſnabrugenſis Præſulis currum Monaſterii concenderant. Sed Brandeburgici reponebant; Franciſcum Wilhelmum Præſulem Bavarica Domo ortum, Colonienſis, qui Bavaro frater eſſet, Legatum, Epiſcopum, & Principem Imperii. Tum Electoris ſe currum habere, quo inter ſolennia hæc uti velint. Ita Cratzius curru ſuo dimiſſo apud Brandeburgicos ultimo loco adſidebat. Brandeburgici oppidum ingreſſi ſtatim Succis pro honore gratias per ſuos egerunt, ac quæ Moguntinus tentaverat, à ſe haut profecta excuſavere. Succi ut Moguntinos ulciſcerentur, Brandeburgicos priore loco inviſebant. Servienti tamen, & Brandeburgicorum interventu ejus offenſæ memoria abolita, ac Succi Moguntinis ſalutationem exhibuerunt, receperuntque. Brandeburgici eodem honore Monaſterii excepti, & colliſioni cum Veneto vitandæ in Præſulis Oſnabrugenſis rhedam una cum Bavaricis tranſierunt. Circuli porro Franconici delegati, dum Succos Oſnabrugæ ſalutant, præter pacem nil aliud à ſe quæri profitebantur, quam ut ſalutare æquilibrium legibus conſtitutum in Imperio inſtauretur.

24. April.

Propoſitio inter Sueco & Gallos concinnatur.

§. 58. Sed ut propoſitio maturaretur, Ordines Suecos, Succi Gallos urgebant; quorum hi jam ejus formulam ex aula acceperant. Unde Servientus Oſnabrugam proficiſcitur, ut ea cum Succis communicata in eandem utrinque ſententiam conſpirarent. Ac in cæteris quidem facile conveniebant. Circa ſacra autem, & quæ inde pendent, Succi contendebant; Aſſeſſores Cameræ Spirenſis, & Curiæ Aulicæ pari numero ex utraque religione conſtituendos; in negotiis circa ſacra ſuffragia non numeranda, ſed eadem per amicam tranſactionem ex æquo componenda: ſuper bonis ſacris, jure emigrandi, & Ferdinandi I. declaratione amice tranſigendum: ubi Proteſtantium ſacra publice aut privatim in uſu fuerunt ante motus Bohemicos, ea inſtauranda, reſtitutis in ſua bona, qui eo nomine ſolum verterunt: Reformatos diſerte paci ſacræ includendos. Quæ Gallo parum ad palatum erant; ac de bonis ſacris, quæ Evangelici hactenus uſurpaverint, puta de Magdeburgico, Bremenſi, aliiſque præſulatibus, plene tranſigi poſſe haut putabat. Victus tamen formulam demum ab Haſſo conceptam probabat, pollicitus propoſitionem adverſæ parti ſaltem tempore Paſchatis ac Pentecoſtes feſtis interjecto exhibendam. Nec eo minus moras iſti nectebant, quod nova Pariſiis mandata expectanda forent, ac gliſcente inter Avaunium & Servientum diſcordia, ut ille de omittenda legatione & diſceſſu agitaret. Quas moras Succi ægre admodum ferebant, quod florentibus nunc ſuis armis iſta adverſæ parti ingrata proponi & obtineri poſſent. Cæſarei contra propoſitionem non ut ante urgebant, ac frigide admodum de iſta loquebantur, velut parum eandem curarent, ſine dubio vertam armorum fortunam captantes, ut tunc leges pacis pro lubitu ferre poſſent; quæ ipſis Succis ſeſtinandi cauſa erat. Ordines inſuper reperitis invitationibus excitati jam frequentes aderant, quibus propoſitionis propediem edendæ ſpes facta erat: ea ſubinde prolata, fides ac favor ipſorum contumebatur. Quod ſi Galli ita cito ſuam propoſitionem concinnare non valerent, haut eo ſecius Succos ſuam exprimere poſſe, eodem cum Gallica argumento; ac quæ Succis reponenda ſint, ad Gallos quoque accommodare in promtu eſſe. Demum & Succos primum impetum daturos, ac invidiam in ſe ſuſcepturos, ſi Catholicis poſtulata ipſorum ad palatum non forent. Servientus etſi has rationes probaret, rogare tamen non deſinebat; paucos adhuc dies cauſæ communi fraudi non futuros, pollicitus poſt Pentecoſtes feſtum nullam amplius in ſe moram fore. Nec eo ſecius Monaſterii Sequeſtres Gallos urgebant, Contareno fingente Cæſareos in ſalvos conductus *mediatorum* conſenſiſſe; & Oxenſtiernam confirmaſſe, etiam eo non conceſſo propoſitionem à ſe exhibendam. Sic ut ſoli tunc Galli moræ culpam ſuſtinerent.

Succi moras propoſitionis ægre ferunt.

De ſalvo conductu mediatorum diſceptatur.

§. 59. Interim negotium de ſalvo conductu Stralſundæ, & aliorum municipiorum abſolvere ante propoſitionem laborabant Succi, Cæſareis denuntiantes, ni in eo ſibi ſatisfiat, ſe ad propoſitionem accedere non poſſe; ſimul ut cum Electoralibus, in quorum adventum id rejectum fuerat, conſultarent, monebant. Reſpondebant paulo poſt Cæſarei: Electorales pronuntiaſſe, ſuper ea re omnium Ordinum cognitionem eſſe; & quia Deputati Francofurtani eam quæſtionem jam expenderint, de quorum ſententia ſibi nondum conſtet, eo negotio ſepoſito ad propoſitionem accederent. Succi re cum Gallis communicata reponebant: non obſcure ipſos rem eluſum ire, dum ad Electores, inde ad Deputatos eandem rejiciunt. Semel conventa, & à Cæſare firmata in dubium denuo vocari non poſſe. Quod ſi ita agere pergant Cæſarei, vitio ſibi datum non iri, ſi propoſitionem differant. Cranius inde Cæſareus Legatus Lampadium, quem inter reliquos autoritate valere norat, multis rationibus permovere nitebatur, ut reliquos Evangelicos circa hanc controverſiam in partes Cæſaris pertraheret. Aſt hic potius alios monebat, ne Cranio talia ſuadenti aures præberent. Ex hujus porro ſermone Lampadius collegerat, Cæſareis non agi de jure & dignitate Ordinum ſervanda, ſed ne, ſemel edito ejuſmodi ſalvi conductus exemplo, ſubditi Cæſaris è provinciis hæreditariis Oſnabrugam ſe conferant, faventibus Succis ad recuperanda ſua incubituri. Tandem Cæſarei Legatis Ordinum proponunt; ſe pro Stralſunda & Erfordia duo diplomata tuti itineris exhibituros, nulla tamen pra-

29. April.

28. April.

1645. prævii pacti mentione facta, & non ex debito, sed velut ex liberalitate. Aſt Ordinum Legati re expensâ decernunt; ex ante actis non aliter se posse judicare, quam Suecis, qui non tam de Stralsunda, quam prævia conventione laborent, eum salvum conductum velut ex debito præstandum. Quam sententiam per Lampadium, & Stenglinum Cæsareis exponi volebant. Ea re Cæsareis prodita, Cranius raptim ex oppido profectus est: & Lambergius obtentu abientis Collegæ admittere illos abnuit. Intererat Cranius conventui,
24. Maji. quem Cæsarei, Moguntini, ac Colonienſes Monasterio profecti Lengerici agitabant, ubi super illo negotio decernebatur; Cæsareos præfracte ejusmodi salvum conductum velut prævio pacto debitum negaturos. De quo Brandeburgici Suecis indicium faciebant, addito, se apud Cæsareos questos, quod eo conventu excluſi fuerint. Sed hos respondisse; cum de ipsorum sententia sat constaret, noluisse itineris molestiam iisdem imponere. Nam cupiebant Brandeburgici Suecis persuadere, se cum ipsis in hoc negotio sentire; serio an falso haut dixerim. Sane fatebatur postea Rosenhanio Contarenus, cum Cæsarei circa illos salvos conductus parum scrupuli moverent, & reliqui Electorales æquum postulari censerent, Brandeburgicos præcipue illis se opposuisse.

Palatini Electoris ministri adveniunt.

§. 60. Electoris Palatini nomine hactenus solus Gernandus adfuerat. Ei nunc Joachimus Camerarius adjungitur; qui salutato Monasterii Serviento haut satis extollere poterant, quantum iste studium erga eam causam ostenderit, & quam prolixe pollicitus fuerit. Inde ambo Osnabrugam profecti Suecis suam causam commendabant. Legatorum tamen dignationem Princeps suus ipsis addere noluerat, quod alias idem cum reliquis. Electoralibus honor petendus fuisset,

Electorales Osnabrugæ mediatorum partes affectant.

quem adversa pars concessura haut erat. Osnabrugæ porro cum nemo esset, qui Mediatoris partes obiret, Electorales qui heic erant legati eas affectabant; de quo Brandeburgici apud Suecos velut obiter insinuabant. Id vero Suecis incongruum videbatur, quod Electores decreto Comitiali, & ex vi procuratorii sui constituti essent, ut Cæsareis in præsenti negotio consiliis operaque adessent; id quod ad Sequestris officium non quadrabat. Et quanquam Brandeburgici à Principe suo novum procuratorium accepissent, in quo de opera Cæsari navanda mentio facta non erat: id tamen Suecis ingratum erat, quod Galli Suecis & Monasterium Osnabrugæ præponerentur. Quod isti inscribarum errorem rejiciebant, & emendatum iri pollicebantur. Ac superiore anno Cæsareis spes facta erat de Venetorum mediatione admittenda. Moguntinus quoque Cæsari nimium addictus, & Brandeburgicus in negotio satisfactionis parum æquus metuebatur. Tum & consensum fuerat, ut Lampadius internuntii in vicem adhiberetur. Eas ob rationes placebat defectum mandati excusare, interim quoad Regina aliter juberet, Electoralibus liberum fore, si velint internuntiorum operam inter partes obire.

Lusitanorum postulata.

§. 61. Qui Monasterii hactenus egerant Lusitani, Franciscus Andrada Leitao, & Ludovicus Pereira de Castro novum à Rege suo procuratorium acceperant. Unde & Galli & Suecі istos Regiorum Legatorum honore deinceps habere constituerunt. Perebant isti, ut à Cæsareis salvus conductus pro ipsis obtineatur, Regisque sui causa & Principis Eduardi liberatio propositioni inferatur. Suecі, quod nullus Osnabrugæ Lusitanus esset, postulandi commeatus molestiam Gallis relinquebant. Lusitaniæ Regis mentionem non alia ratione fieri posse, quam sub finem, ubi qui tractatibus includuntur nominari solent. Ut Bragantinus cum Hatzfeldio permutetur, quod Lusitani cupiebant, id sui esse arbitrii negabant. 1645.

Propositio inter Suecos & Gallos discutitur.

§. 62. Avauxius inde velut Suecis valedicturus Osnabrugam venit. Nam is tædio Collegæ discedendi veniam in aula flagitaverat; mox tamen à Mazarino monitus privatam molestiam publico condonare, in legatione persistebat. Is inter alia Suecorum mentem super satisfactione expiscari conabatur, & num Gallis Benfeldam pro summa pecuniæ, aut gratis concedere velint. Aſt Suecі id à se potissimum respici ferebant, ut libertate Germaniæ constituta suam ob securitatem Austriacæ potentiæ obex ponatur. Super satisfactione in progressu tractatuum videndum. Id enim captandæ benevolentiæ facere, si publicum bonum ante privatum habere videantur: & pro successu annorum conditiones deinceps laxari aut stringi posse. De Benfelda nihil se in mandatis habere. Modicam inde propositioni moram roganti, quamvis Ordinibus super eadem instantibus, Suecі annuebant. Et quia Servientus monuerat, quædam sibi in Suecorum propo-
22. Maij. sitione non placere, tum ut Avauxio valedictionis honorem reponerent, Monasterium se contulerunt. Ubi denuo formula propositionis inter ipsos discutiebatur. In exordio displicebat, inter causas belli à Suecis adduci, ut consanguinei *ac sacrorum fœcis* defenderentur; & quod illud bello quæri dicebatur, ut Ordines *absque sacrorum discrimine* vinculo concordiæ jungerentur. Ferre quoque nolebant ista verba: ut omnes immediati & mediati Ordines Imperii, *cumprimis Protestantes, interque hos Reformati* in statum anni decimi octavi *in sacris & profanis* restituantur; & quod *Regni Bohemiæ* mentio fieret: Item, ut *exercitium religionis, ubi ante motus Bohemicos fuerat, deinceps quoque maneret, & qui ideo in exilium acti forent, bonis suis restituerentur.* Equidem non negabant, se circa restitutionem Ordinum ad eundem cum Suecis scopum conniti debere: & quia Evangelicorum maior pars sit, & in partes firmiore fide & affectu, horum præcipuam rationem habendam. Sed eam rem initio non ita aperte agendam, quod Cæsar Pontificem facile ad auxilia ipsi ferenda permoveri queat, si huic persuasum sit, Ecclesiæ Romanæ commoda hoc in bello verti. Contra sacrorum mentione omissa Gallos facilius Cæsaris conatum elusuros. Catholicos quoque Ordines Austriacis non addictos in æquas pacis leges proclives esse, quibus ob sacra scrupulus non sit injiciendus, ne novam Ligam fabricentur; cui si Pontifex & Italiæ Principes nomina dent hostium numerum augeri, quem imminui expediat. Suecі uti in cæteris, rem ipsam retinuisse contenti, concedebant; ita verba *in sacris & profanis*, quæ formulæ fœderis Wismarienſis congruebant, utique retinenda censebant. Gallis tamen liberum relinquebant, num ipsi ea verba omittere velint; si modo formulam suam ita laxe concipiant, ut ista subintelligi possint. Ut quoque Bohemiæ mentio fieret, evincebant non quod illud Regnum iterum

in

1645. in Palatinum conferri cupiant, sed quod idem certo modo ad Imperium spectet, Electorali munere innexum, & ex eo beneficii Germanici origo emanavit: præsertim cum Austriaca Domus possessionem Cæsareæ dignitatis hujus Regni opibus diu conservarit. Unde occasionem haut negligendam Bohemis liberum electionis jus restituendi, & inde Austriacis Cæsareum fastigium detrahendi. Ac fortasse Bohemos libertate recuperata firmandis suis rebus è Gallia Regem perituros. Ita Suecorum propositio quantum poterat ad Gallorum mentem adaptabatur, ac ab his vicissim Suecis, ut eundem sensum exprimerent, stipulabantur. Ac dies demum exhibendæ propositioni statuebatur.

Circa Stralsundæ salvum conductum temperamentum.

§. 63. Osnabrugam reversis Suecis, cum neque Cæsarei in salvum conductum Stralsundæ consentirent, nec propositio differri amplius posset, ab Electoralibus id temperamenti propositum, ut isti circa ejus traditionem diserte suum sibi jus reservarent. Sueci quanquam postulatum suum prævio pacto fateretur, probantibus id quoque Ordinibus, ac metus esset, ne hoc exemplo Cæsar plura solicitaret: tamen id temperamentum tandem admittendum censebant, quod eo obtentu à Cæsare tempus extrahi Ordines judicarent, ut exercitu interim reparato Suecorum postulatis animosius contradicere posset. Et longe plausibilius erat florentibus, quam collapsis rebus, studium pacis ostentare. Tum ea res militi animum velut propinqua præmiorum spe additura erat; ac Ordinibus imputari poterat, velut in ipsorum gratiam de suo jure remiserint; quod tamen interpolita protestatione salvum retineri poterat. Denique expedire videbatur, ut quamprimum intelligerent, quid de sua propositione hostes juxta atque amici judicarent.

De modo exhibendæ propositionis.

§. 64. Circa modum exhibendæ propositionis primo Suecis & Electoralibus placebat, solemni actu in Curia oppidi fieri. Id quod Cæsarei abnuebant, ne Sueci forte ea occasione armorum suorum causas, justitiamque publice deducerent, culpamque morarum in ipsos conjicerent. Tum ne Ordines velut corpus Imperii referentes huic actui intervenire viderentur. Id quod omni studio declinabant: testati se acceptam propositionem ad publicam quam vocant *dictaturam* non remissuros, ne Ordines ad modum Collegii huic convenisse videantur, nec eandem quam in Comitiis potestatem arrogare sibi audeant; singulis tamen cupientibus exempli copiam faciendam. Insinuabant tamen Cæsarei Electoralibus, se facile concessuros ut à Suecis propositio in ipsorum manus tradatur, sibi mox reddenda. Id Ordinum Legatis displicebat, quod Cæsarei vetere more distractionem Ordinum, Electores prærogativam, & Mediatorum vices affectarent. Et quia sperabant Brandeburgicum communem Ordinum causam non parum sublevaturum, mediatoris partibus susceptis in neutram ipsi partem inclinandum erat. Igitur per Cassellanum Suecos rogant, ut his Cæsareorum & Electoralium conatibus obsistant. Sueci satis perspiciebant, si actui huic soli Electorales adhiberentur, ipsos paulatim Sequestrium partes invasuros. Id quod cum alias ob causas, tum ideo nolebant, quia cæteri Ordines id deprecabantur. Unde potius videbatur, si per selectos ex omnibus Ordinibus id fieret. Sed quod unico illo, qui traditionem præ- 30 Maji.

cedebat, die id negotium expediri non posset, placebat per Secretarium Matthiam Mylonium propositionem Cæsareis exhiberi, ne vel Ordinibus præjudicium afferretur, vel Electoralibus via ad mediationem panderetur. Instante propositione Legati Ordinum caulam Germaniæ communem Suecis solicite commendabant; tum inprimis Magdeburgici Conradus Einsidelius, & Joannes Crullius rogabant, de abolenda pace Pragensi diserte propositioni inferretur; id quod ne Saxoniæ quidem Electore invito futurum sit, qui dudum intelligat, ea se pace in fraudem inductum, cui tamen hactenus ob Lutariam adhæserit; etsi eidem retinendæ in tractatibus via inveniri possit. Quod haut ægre à Suecis impetratum. Adfereba- Gallica propositio conventioni non respondet. 30. Maji.
tur hinc Monasterio exemplum propositionis à Gallis exhibendæ, quæ ad conventum modum haut concepta reperiebatur. Inprimis circa Amnestiam neque Electoris Palatini, neque ullius pace Pragensi excluſi diserta mentio fiebat, ac restitutioni suspecta clausula addebatur, ex qua adversa pars facile conjicere poterat, istos de hoc postulato facile quid remissuros; *excepto tamen, si quid diversi hoc tractatu conclusum fuerit.* Caput de pace religiosa, bonis sacris, gravaminibus circa sacra & profana, eorumque amica compositione plane omissum. De Ragozio nulla mentio. Demum abrupta & concisa omnia, ut suspicio esset, Gallos postulata sua ita adornasse, ut super illis facile transigi posset, invidiæ odiosarum rerum in Suecos devoluta. Quæ ut ad conventum modum corrigerentur, Sueci frustra monebant.

Propositio ipsa. 1. Jun.

§. 65. Ita tandem propositio per Mylonium ad Cæsareos delata; quæ quoniam futuræ negotiationi fundamentum præstat, visum est conceptis verbis eam huc inferere. *Quemadmodum S. Regia Majestas Suecia ab initio præsentium Germaniæ motuum, quantum literis, nuntiis & legationibus unquam fieri potuit, id unice cavit, ne periculoso hoc bello corriperetur: ita postquam vitare omnino non potuit, quin pro necessaria sua securitatis, libertatisque publicæ defensione arma caperet, hunc semper bello scopum præfixit, idque jam à quindecim annis quæsivit solicite, ut tractatum moresque Regibus solenni non modo cum Serenissimo Imperatore Romano quamprimum decore transigeret, sed & Imperator ipse hac ratione cum Ordinibus Imperii confidentia, ipsique inter se Ordines indissolubili concordiæ vinculo redunirentur. Cum enim sua & finitimorum mala ab Imperii malis orirı animadverteret, haut difficulter prævidebat, illa rite curari non posse, nisi hæc sublatis: adeoque utrisque simul sanandis necessaria fore cum Exterorum tum Ipsorum Ordinum Imperii concursum, suffragia, cooperationem. Hoc fine fœdus fecit cum Rege Christianissimo, plurimisque dictorum Procerum. Hac intentione tot annos inter præparatoria laboravit, ut omnes, quorum interest, debita securitate munitis admitterentur. Eoque tot annorum bella sustinere coacta fuit, non sine multa temporis, sumtuum, laboris, adeoque, quod maxime dolendum est, Christiani sanguinis jactura. Cujus culpam nil attinet hoc loco repetere, quo non eam ad contendendum, quam omnibus amicis, æquique viri ac rationibus conciliandum animos accessimus. Sufficit ex ante actis Orbi universo de Regiorum armorum justitia abunde constare; quæ tamen & ipsa luculentissime ostendi potest requirentibus occasionum momentis. Id saltem etiamnum querela dignum est, quod cum tot annorum sudore ac sanguine opus fuerat, antequam debita obtineri poterant salvi conductus, jam demum, postquam non modo pro dicta statibus citra distinctionem inter mediatos & immediatos,) sed & generatim pro universis & singulis Regnorum adhærentibus, qui non sunt Status Imperii, sub Cæsarea manu sigilloque obtenti sunt, Imperatoria, Regia-*

que

1645. que fides, publica pacta & diplomata ita exponantur, ac si nemo eorum securitate gaudere debeat præter solos Imperii status immediatos, contra expressissima salvorum conductuum verba. Hoc modo nobiscum agi cernentibus merito quidem cautio deberet esse, ne ordine præposterο, contraque omnium tractatuum naturam & indolem ad principale negotium transiremus, nisi præliminaribus rite adimpletis. Veruntamen quoniam anxie maturandum suadent non solum ipsius rei necessitas, sed etiam afflicta Christianitatis suspiria comitata præsentium unanimia statuum vota precesque, ne omnes videant, tum quantum eorum sententiæ deferamus, tum quo studio pacis feratur Sac. Reg. Majestas Suecia, re tota cum Legatis Gallicis diligenter communicata, consiliis mutuis facienda statuimus sequentia fundamenta, sed ea lege, ut etiamnum ante replicam residuis præliminarium desideriis debite satisfiat. Quod igitur felix faustumque jubeat esse Deus, quia Cæsareis Dominis Legatis haut inconveniens visum est, ut pro materia tractandi reassumantur, qui ante novennium à Regni Suecia Cancellario, & Electore Saxonia delineati sunt articuli, hic eos præsenti rerum statui saltem propius accommodatos, cum media pro supra dicto scopo obtinendo, rationi & æquitati maxime consentanea ponimus: salvo tamen nobis, cæterisque quorum interest, fœderatis & adhærentibus nostris, jure mutandi, addendi, demendi, explicandique, quidquid ulterius pro communi pace restaurandaque firmandaque necessarium visum fuerit. In Nomine Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis; I. Bellum, quod inter Reges Regnaque Suecia & Gallia, eorumque fœderatos & adhærentes ex una; tum Imperatorem Romanum & Domum Austriacam, eorumque socios & assistentes, exteros & Germanos ab altera parte sat acriter hactenus gestum est, cum omnibus priorum dissidiorum reliquiis ab initio motuum Bohemia vigore præsentis transactionis ita componatur ac sopiatur, ut nec ejus nec ullius alterius rei causa vel prætextu alter alteri posthac quidquam hostilitatis aut inimicitiæ, molestiæ, vel impedimenti quoad personas, status aut securitatem per se vel per alios, clam aut palam, directe vel indirecte, specie juris aut via facti, in Imperio aut ubiam extra illud [non obstantibus ullis prioribus pactis] inferat, aut inferri patiatur; sed omnes & singuli hinc inde hactenus tam ante bellum, quam in bello verbis, scriptis, aut factis illatæ injuriæ absque omni personarum rerumve respectu ita penitus aboleantur, ut quicquid eo nomine alter adversus alterum prætendere potuisset, perpetua sit oblivione sepultum. II. Vicissim pax Christiana, universalis, perpetua inter dictos Serenissimos Reges Regnaque Suecia & Gallia, eorumque fœderatos Imperii status & adhærentes, nec non Serenissimum Imperatorem, ejus hæredes ac successores, Domum Austriacam, dictosque socios & assistentes, Regem Hispaniarum, Electores, Principes & Civitates ita mutuo renovetur ac stabiliatur, adeoque sincere serioque in posterum servetur & colatur, ut omni ex parte, & cum universo imperio Romano amicitia firma, fida vicinitas, & secura studiorum pacis cultura revirescant & reflorescant. III. Quia vero externum & intestinum bellum eo nexu inter se cohærent, ut neutrum pro rite compositο haberi possit, nisi utriusque causæ tollantur, externa vero causæ ab internis ita stant, ut ista tolli nequeant, nisi his sublatis: ideo necessum est, ut ante omnia à Serenissimo Imperatore Romano per universalem & illimitatam Amnestiam universi & singuli Status, tam mediate quam immediate Imperio subjecti, inprimis qui cum Regibus & Regnis Suecia Galliave quacunque necessitudine juncti fuerant, aut etiamnum sunt, Electores, Principes, Comites, Barones, Civitates, liberaque Imperii Nobilitas, (inter alios Regnum Bohemia cum annexis, Domus Palatina, Wurtenbergica, Badensis, Augusta Vindelicorum, &c.) tam quoad dignitates & bona, quam quoad dignitates, libertates, & jura restituantur plenarie in eum statum in sacris & profanis, in quo ante exortos anno 1618. Imperii motus prosperrime floruere, non obstantibus, sed annullatis quibuscunque interim per proscriptiones, confiscationes, res judicatas, generales aut particulares transactiones, præcipue Pragensem, aliove quocunque modo factis in contrarium mutationibus. IV. Restituntorum in sua quisque status, jurisque possessione ita firmetur ac stabiliatur, ut nullus in posterum facto inde dejici possit vel debeat. Quod si vero quem jure convenire vel experiri necesse fuerit, eumodi ineatur justitiæ ratio per omnia, ut ea imposterum absque omni personarum rerumve respectu unicuique juxta fundamentales Imperii leges & constitutiones, præcipue pacem religionis (qua etiam Reformati comprehenduntur, eoque omnium supra infraque de Evangelicis dictorum, pari cum iisdem jure participes;) æquabiliter administretur. V. Ut autem omnis in futurum internis externisque motibus ansa præcidatur, hac potissimum requiruntur, ut si Rex Romanorum eligendus sit, non eligatur nisi vacante Imperio: si novæ leges ferendæ, veteresve interpretandæ fuerint, si bellum bellicive apparatus; si pax aut fœdera facienda: si publica Ordinibus tributa imponenda; si aliquis Imperii Status dignitate bonisve exuendus videatur: nihil horum aut quidquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi cum Comitiali, liberoque omnium Imperii Ordinum suffragio & consensu. VI. Sicut autem dictis Statibus cætera omnia ipsis de jure competentia Regalia perpetuo illibata manebunt: ita jus faciendi cum Exteris fœdera pro sua cujusque conservatione & securitate singulis perpetuo liberum esto. VII. Et ut eo perfectior sit Ordinum inter se concordia, quæcunque hactenus inter Evangelicos, & Catholico-Romanos de pace Religionis & bonis Ecclesiasticis mota sunt controversiæ, ea communibus utrinque partis consiliis operaque simul cum hoc tractatu absque ulteriore ad alios dilatione, amicis, æquis & Christianis modis ita penitus solideque componantur, ut non duntaxat de vero certoque intellectu dictæ pacis religiosæ nullum amplius superfit dubium, sed & cætera Ecclesiastica & Politica gravamina, quæ dictos Proceres tamdiu ab invicem distraxerunt, funditus extirpentur, nullo bellorum semine relicto. Quinimo si quæ in posterum ab ejusmodi rebus dubia inter eos oriantur, ea quoque, ut omnis evitetur occasio turbarum, non nisi amicabili compositione ex æquo bonoque communi expediantur. VIII. Ad universalem quoque pertinet Amnestiam, ut omnes & singuli tam bellici officiales, militesque, quam Consiliarii & ministri togati, Civiles & Ecclesiastici, sive ex hereditariis Imperatoris, sive aliis exteris, aut Imperii provinciis oriundi, quocunque nomine aut conditione censeantur, qui Regibus Regnisque Suecia vel Gallia, eorumve fœderatis aut adhærentibus toga vel sago militaverunt, aut quocunque modo adhæserunt, à summo ad infimum, ab infimo ad summum absque ullo discrimine vel exceptione cum uxoribus, liberis, hæredibus, successoribus & servitoribus, quoad personas & bona in eum vitæ, famæ, honoris, conscientiæ, libertatis, jurium ac privilegiorum statum, quo ante dictos motus gavisi sunt, aut jure gaudere potuerant, postliminio restituantur: nec verum personis aut bonis, hujus viginti septem annorum militia causa ullum vertetur præjudicium, ullave actio vel accusatio intentetur, multo minus ulla pœna damnumve sub quocunque prætextu irrogetur. IX. Omnes & singuli utriusque partis captivi citra discrimen sagi vel togæ [inter eos serenissimi Regis Portugallia frater Princeps Eduardus,] intra mensem à dato absque lytro liberi dimittantur. Quodsi quis ante hos tractatus sub lytri sponsione dimissus fuerit, is lytro nondum soluto illud solvere adhuc teneatur. Qui vero post istos hosce tractatus lytrum quidem promisit, nondum tamen dimissus est, is abs-

1645.

1645. *abſque lytro dimittatur. Sive autem lytrum promiſſum fuerit, ſive non, omnes indiſcrete captivi cuſtodia ſumtus ſolvere teneantur. X. Satisfactio Regibus Regniſque debita ita fiat, ut pro præteritis præſtentur indemnia, & cum fœderatis ſuis in futurum ſecura. XI. Eorum officialibus & militiæ ſolvantur ex æquo & bono juſta ſua prætenſiones, abſque onere dictorum Regnorum. XII. Eodem modo Regnorum fœderatis, qui cum iiſdem in armis ſunt, cumprimis Illuſtriſſimis Landgravio Haſſiæ, & Principi Tranſſylvaniæ, eorumque militiæ ex æquo & bono ſatisfiat. XIII. His ratis præſtitiſque loca ab utriſque occupata cum tormentis bellicis & eorum annexis, aliiſque ibi repertis mobilibus, ſuis quaque prioribus legitimis dominis reddantur. Redita vero ſive maritima & limitanea, ſive mediterranea fuerint, ab ulterioribus utriuſque partis præſidiis perpetuo poſthac libera ſunto. XIV. Denique omnium belligerantium partium in Imperio militia totaliter exanteretur, Suedica nationis milite, & quantum è Germanis pro ſe retinere voluerit Sereniſſima Regina Sueciæ in ſuos ſtatus translato. XV. Tandem ut ſtudia pacis viciſſim reflorescant, quæ ante annum 1618. inter omnes partes vigere commercia, cum omnibus inde dependentibus inviolabili priſtina libertatis curſu terra marique modis omnibus aſſerantur, remotis, quæ interim irrepſerant impedimentis, prout in progreſſu tractatus latius exponetur. XVI. Hac pacificatione ex parte Regum Regnorumque Sueciæ & Galliæ comprehendantur, qui voluerint, Reges & Principes, ante concluſionem tractatus nominandi. XVII. Quod ſi poſt pacem hanc initam contigerit alli partium ea, quæ in ſupradictis articulis promiſſa ſunt, non ſervari, teneantur Reges Regnaque Sueciæ & Galliæ, atque univerſi ſtatus Imperii, junctis cum parte læſa conſiliis viribuſque arma ſumere ſine mora aut tergiverſatione ad repellendam injuriam, ſtatim atque poſt menſem, ex quo fuerint ab injuriam paſſo monita. XVIII. In horum omnium & ſingulorum fidem maiumque robur Inſtrumenta pacis manibus & ſigillis utriuſque partis Legatorum munita ſtatim hoc mutuo extradantur: eorum ratihabitiones a Regibus Sueciæ Galliæque & eorum fœderatis, tum ab Imperatore & Ordinibus Imperii, ut moris eſt, ſignata intra menſes à dato communentur, hac denique commutatæ publicatio & executio pacis excipiant & ſequantur. Quæ omnia cum ita comparata ſint, ut unicuique quod ſuum eſt tribuant, & concilient, Sereniſſimo Imperatori ſummum honorem & reſpectum, Ordinibus Imperii tum amorem venerationemque erga ſuam Majeſtatem, tum fidam inter ſe concordiam, totique Imperio non modo legitimam libertatem, ſed & perpetuam cum finitimis Regibus & Rebuspublicis amicitiam; his autem debitam ſuorum Statuum ſecuritatem: nequaquam dubitat Legatio Suecica, quin Cæſarei Domini Legati, quo ſunt in patriam, communemque quietem affectu ita ſe ex ipſorum Imperii Procerum, Deputatorumve judicio & conſiliis erga ſingula ſcripto ſint declaraturi, ut exinde Orbi univerſo conſtet, eos quod verbis hactenus ſæpe profitentur, reipſa tandem præſtare velle, nempe univerſis optatam, firmam, conſtantemque pacem. Oſnabrugæ ipſa Dominica Trinitatis Anno 1645.*

Gallorum propoſitio non reſpondet conventioni.

§. 66. Eodem die & à Gallis Monaſterii exhibita propoſitio, quam non ex conventione fuiſſe conceptam Sueci querebantur, præſertim nulla ſacrorum mentione facta. Cujus rei culpam Servientus in moroſum nimis Avauxii erga ſacra Romana ſtudium rejiciebat. In commune tamen excudabant, ex aula formulam ſibi transmiſſam, quam interpolare nefas fuerit. Ac ita laxis verbis omnia eſſe perſtricta, ut & iſta facile ſubintelligi poſſint: nec minus quam Succos ſe ad eadem obtinenda in tractatu ipſo incubituros. Cum Rotenhahnius reponeret; ni gravamina circa tranſactionem Auguſtanam & bona Eccleſiaſtica penitus tollantur, ſtabilem pacem ſperari non poſſe; Avauxius reſpondebat; non uſque adeo circa omnia belli ſemina eradicanda laborandum; ac præſtare, ut in præſens arma honeſte, nec citra emolumentum ponantur. Num deinceps alia bellorum tela orituta ſit, non uſque adeo præcavendum eſſe. Cæterum Sueci non admodum ægre ferebant, à Gallis Evangelicorum commoda ita frigide acta; quod illi, quantum favoris apud Catholicos & Pontificem aucupari conſtituerant, tantum apud Evangelicos prodigerent. Sed & illud perſpiciebant Sueci, cum Galli ex ſuo ingenio omnia agerent, deinceps ſibi circa talia communicanda non adeo anxie eſſe laborandum. 1645.

Judicia de utraque propoſitione.

§. 67. Vulgata jam utraque propoſitio varia hominum judicia incurrebat. Ac in Gallica quidem id Sequeſtribus diſplicebat, quod in exordio jus addendi, demendi, mutandique ſibi reſervaſſent, velut ex fortuna belli leges pacis aſperaturi. Quæ verba & in Suecica Cæſarei adſpernabantur jactantes, non prius ad tractatus ſe acceſſuros, quam Regii declaraſſent, quid iiſdem ſibi velint. Contarenus quoque judicabat circa reſtitutionem nimis laxe poſitum, *non obſtantibus quibuvis transactionibus*; cum hoc modo multæ conventiones maturo judicio initæ reſcindendæ forent, velut quæ inter Colonienſem & Luneburgicos ſuper Hildeſienſi præſulatu inita fuerat. An ſub reſcindendis proſcriptionibus Palatina quoque cauſa comprehenderetur Contareno ſciſcitanti, Galli ajebant. Quam & abolendam ipſe cenſebat. Plerique tamen videbatur, tanti rem momenti diſertis verbis fuiſſe exprimendam. Quod de Rege Romanorum vivo Imperatore non eligendo poſitum erat, id Oſnabrugenſis Præſul Electorum juri derogare notabat. Eduardi Bragantini mentionem haut caute factam Contarenus putabat, ne forte Hiſpani anſam inde caperent veneno iſtum tollendi. Super cautione denique pacis, & ſatisfactione Galliæ clarius explicari cupiebat Contarenus. Id quod Galli ad Longuevillii Ducis adventum rejiciebant. Aſt Suecorum propoſitio apud Evangelicos magno applauſu excepta, quibus & certatim ab his gratiæ actæ, non ſolum quod communis Germaniæ ſalutis rationem habuiſſent, ſed & omnia ita temperaſſent, ut cuilibet peculiaria ſua deliderio ſub Reginæ favore pervincendi occaſio eſſet. Ipſi Brandeburgici teſtabantur, omnia quæ propoſita forent æquitate niti, iiſque pro virili ſe ſuffragaturos. Spem tamen eſſe, ſatisfactionem moderatam iri poſtulatum. Nam ut aliqua fiat, ac Cæſar belli ſumtus ſolvat, æquum ducebant. Sed Catholicis longe alia mens, queis ſuperbum nimis videbatur, Cæſaris poteſtatem atque autoritatem ita anguſtis finibus circumſcribi. Mirabantur quoque de Reformatis paci Religionis includendis expreſſam mentionem fieri. Circa ſatisfactionem obſcure inſinuatam anguem in herba latere. Nec abolitio pacis Pragenſis, & peculiarium transactionum arridebat. Compoſitionem Catholicos inter & Evangelicos optandam magis, quam ſperandam. Cæſarei Oſnabrugæ vel octo annorum meditatione aſperiores excogitari leges potuiſſe negabant. Volmarus cumprimis in iras effutus verbis in eam debacchari; ſi talem prævidiſſent, nunquam acceptaturos fuiſſe. Haut ſe eam rejectio

dig-

1645. dignaturos, ſed aliam propoſitionem eidem oppoſituros, quæ Succis *Hiſpanica (quaſi dicas mira ac monſtro ſimilis)* adparitura ſit, ſicut illa ipſis Succica cœloque Arctoo aſperior videatur. Spem pacis plane deploratam, & Succos eam cordi ſibi non eſſe ſatis oſtendere. Quid aliud ſupereſſe quam ut Sueci quoq; inter Ordines Imperii eſſe velint? Moriturum ſe potius, quam Cæſari ut talem pacem ineat ſuaſurum.

Mediatores de induciis proponunt, 7. Jun.

§. 68. Poſt exhibitam propoſitionem Monaſterii Mediatores ſuper induciis in ſex menſes proponebant ea lege, ut cuncta in præſenti ſtatu tantiſper maneant. Ad iſthoc ea ſe ratione moveri ſcribant, quod perſpicerent per eventus belli tractatus alterari, ac ita multorum menſium laborem irritum reddi. Venetum quoque peculiariter periculum movebat, ſuæ Reipublicæ à Turcis imminens, quibus melius obſiſti poſſit Chriſtianis inter ſe conciliatis. Huic ſuccinebat Bavarus, obtentu boni publici peculiare commodum captans, quod per inducias velut caput Ligæ exercitum retenturus eſſet, Catholicis ad eum alendum tributa collaturis, retentis etiam, quæ occupaverat, locis. Sed Cæſareis eam ipſam ob cauſam inducias diſpliebant, quod Bavaro eædem tam lucroſæ eſſent futuræ. Galli in ambiguo hærebant, quod ſatis perſpicerent, Cæſarem non niſi armorum vi ad pacem compelli poſſe, & tamen per inducias tam multorum à ſe occupatorum poſſeſſione frui cuperent. Eas porro à Succis eo minus repudiatum iri cenſebant Mediatores, quo latius hi Cæſaris Provincias armis ſuis complexi fuerant. Sueci etſi conſilium ab hoſte profectum ſuſpectarent, ad Reginam tamen, & Torſtentonium relaturos ſe recipiebant. Sed Legati Ordinum Oſnabrugæ cum id agitari intelligerent, manibus pedibusque obnitebantur, quod inducia præſenti rerum facie Cæſari emolumentum, Evangelicis exitium allaturæ eſſent. Cæſarem fede belli in ejus Provinciis fixa ad æquas pacis leges compelli poſſe. Ne Sueci occaſionem amitterent hoſtem in ordinem redigendi, & victoria ſua rite uterentur. Sueci re accuratius perpenſa judicabant, priusquam certi quid concludatur, conſtare debere; ab hoſte, an à Mediatoribus id negotium profectum ſit: ad totam Europam, an ad ſolam Germaniam inducia pertinere debeant: tum quibus legibus, & quousq; incundæ ſint? Ad ea Rorteus reponebat; eam rem à Mediatoribus proficiſci, ac Cæſarem, Hiſpanosque utique conſenſuros. Ad reliqua quod reſponderet, nihil habebat. Ex hoc Sueci liquido videbantur colligere; eas inducias ab hoſte proficiſci, ac neceſſitatem ipſi hoc conſilii expreſſiſſe, duris Cæſaris in ditione hæreditaria, Hiſpani in Belgio, & Catalonia rebus; quo ſociis Regibus fructum hujus expeditionis eriperent, ac vires interim reciperent. Haut tamen eas abrupte rejiciendas judicabant, ſed rem potius in integro retinendam: interim haut eo ſegnius bellum gerendum, ac pacis negotiationi inſtandum.

Controverſia ſuper modo tractandi.

Cæſaris intentio.

§. 69. Regiorum propoſitio cum totius Imperii ſtatum, Ordinumque libertatem ſpectaret, jam ardua quæſtio agitari cœpit circa modum, quo Ordines ſuper legibus pacis inter ſe conſultare, ac ad tractatus cum Regiis concurrere deberent. Equidem Cæſaris mens ab initio fuerat abſque Ordinum interventu pacem tractare. Unde hiſce ſubmovendis variæ artes tentatæ. Cum plane excludi non poſſent, primo certi Electores deſignati, qui conſilio Cæſareis adſiſterent. Poſt cum Deputati Ordinum Francofurti negotio pacis manum admoverent, Cæſareis incaſſum reluctantibus, ſuper Deputatione Francofurti proroganda inter tractatus pacis laborabant, ut penes ſe ſolos Monaſterii & Oſnabrugæ rerum moderamen eſſet. Sed cum alii Ordines haut eo ſecius ad tractatus pacis aditum molirentur, tandem ut ea Deputatio Monaſterium transferretur licet ægre conſentiebant: quod cum paucis, quorum plerique ipſorum partibus addicti, aut ſaltem non adverſi habebantur, melius ſibi conventurum ſperarent, reliquis ſuffragiorum numero obruendis. Et hoc 8. Jun. fine Volmarus Oſnabrugam excurrens evocatis in Cæſareorum ædes Electoralibus, Luneburgico, Conſtantienſi, & Noribergenſi, qui ordinariæ Deputationis membra erant, ſcripto proponit: Cum Cæſaris conſenſu Deputatio Franco furtana Monaſterium translata ſit, primo quæri, qua ratione Ordines, qui ex ea Deputatione Oſnabrugæ nunc agant, permovendi ſint, ut Monaſterium ſe conferant; quo caſu ſuper communicatione omnium, quæ Oſnabrugæ aguntur, diſpiciendum. Quod ſi iſti Oſnabrugam deferere nolint, ut deputatio ſit dividenda, quæri, quinam Oſnabrugæ, aut quinam Monaſterii manere debeant; quomodo communicationes rerum propoſitarum, & ſuffragiorum initirui queant, & quo intermedio loco, ſi res ferat, congreſſus ſit habendus: an ibi res per ſolos Deputato ordinarios expedienda, an quidam extra ordinem adjungendi, & quinam illi ſint? Quia porro totius Imperii interſit, tractatus ocyus abſolvi, diſpiciendum, an non ſatius ſit Electores ac reliquos Ordines conſultationes ſuas unum intra Collegium revocare; tum ne qui extra Deputationem ſunt Ordines ſuffragii jure excludantur, videndum, quomodo Ordines iſti ſuffragia ſua per Deputatos illos ferre queant, ac tamen forma Deputationis velut legitimi Collegii conſtet. Num præterea inſuper habita quorundam abientia ad primarium negotium diſceptandum ſit accedendum: & qua ratione munus mediatorium, quod Oſnabrugæ deficit, ſit ſupplendum? Denique cum poſt exhibitam propoſitionem Galli de ſalvo conductu Ragozii legatis concedendo moveant, quomodo iniquæ iſti petitioni ſit occurrendum? Ex his tamen id duntaxat caput, quod de omnibus Ordinibus in unum Collegium compingendis movebat, cunctis promiſcue Ordinibus; totum autem ſcriptum ſolis Electoralibus communicabatur.

Cæſareorum eo nomine ad Ordines propoſitio.

Ordinum ſententia ſuper Electoribus.

§. 70. Ordines re in deliberationem deducta in eo primum conſpirabant, Electoribus heic nil prærogativæ indulgendum, ſed alios æque Ordines tractatibus adhibendos, ipſo quoque Brandeburgico probante: cum id negotium ipſos æque, ac Cæſarem, Electoresque tangant; qui & belli mala ac onera pariter toleraverint, ac ad promovendam ſalutem publicam non minus adſtringantur. Cum porro tres modi deliberandi in Imperio ſint recepti, Comitia, Circulares, ac Deputatorum conventus; ſuper Deputatione quidem videbatur; promovendæ juſtitiæ illam deſtinatam, non tractatibus pacis: nec plus ſibi poteſtatis arrogare excluſis cæteris poſſe, nec reliquos in tanti negotii momenti decretis ſuis adſtringere, ni peculiaribus ad hoc mandatis inſtruatur. Nec per ſolam loci mutationem plus poteſtatis in ipſam collatum, quam antea habuerit. Neque paucos iſtos tantum onus in ſe ſuſcepturos, ut ad rationes reddendas obſtringi velint, ſive incaſſum abrumpantur tra-

Super Deputatione.

1645. ctatus, sive ad finem perducantur, aliis, ubi leges pacis disiplicuerint, cum hitce expostulaturis; uti circa Pragensem pacem factum. Inprimis Luneburgicus testabatur, suos Principes, nec si cæteri quidem velint, id onus sibi imponi passuros. Sed nec adparebat ratio, qua, manente Deputationis forma, reliqui extra eandem constituti nihilo secius sua suffragia ferre possint. Haut magis congruere videbatur, ut consultationes *circulatim* instituerentur, cum hoc modo fieri posset, ut novem aut plurium Principum suffragia non plus quam unius aut duorum aliorum valerent. Nec circularium conventuum potestatem ad istius indolis negotia porrigi. Ac insolitum, in congressu omnium Ordinum suffragia circulatim ferri. Præter Franconicum & Suevicum alios ea collegii forma non adesse. Denique si ejusdem Circuli Legati omnes in uno loco agant, alterutros Regiorum Legatorum offensum iri: quod si autem dividere se velint, arduum ac tardum fore circularia suffragia colligere. Supererat igitur, ut hicce Ordinum conventus Comitiis par haberetur, eoque & consultationes per tria collegia Electorum, Principum, & Urbium instituerentur: cum utique per Comitia totum Imperium longe melius repræsentetur, quam per Deputatos, quorum autoritas à Comitialibus decretis dependeat. Nec eo minus Ordines jus suffragii heic habituros, quod à Cæsare vocati non sint; cum vocatio id jus ipsis haut quidquam tribuat, sed quod Ordinum numero censeantur. Huic consequens videbatur, absentes non amplius morari, quibus & mittendi facultas fuerit, & obligatio servandæ patriæ ultro adcurrendi. Ita absque vitio à præsentibus consultandi initium fieri posse, ut tamen absentibus liberum sit suos huc mittere, ratis manentibus, quæ interea heic transacta sint. Num à Cæsare denuo vocandi sint, in hujus arbitrio positum esse. Sed quia tractatus duobus locis haut sine difficultate procedebant, quidam censebant, eosdem Coloniam, aut alio transferendos, ubi & facile congressus Ordinum Comitiorum faciem induere possit. Quia tamen Regii ægre huc descensuri erant, duplex via erat, ut Collegiorum indivisorum unum, idque validius uno, reliqua duo altero loco agerent: vel Collegia divisa utrinque residerent, arduis negotiorum invicem communicandis. Circa supplendam demum Osnabrugæ mediationem, etsi Henricus Julius Lauenburgicus Dux denuo operam suam offerret, decentius tamen visum è præsentibus designari, qui Cæsareorum ac Regiorum proposita ac responsa hinc inde ferrent: quo fine ex Electoribus Moguntinus & Brandeburgicus, è Principalibus Constantiensis, & Luneburgicus, ex Urbicis Noribergensis & Coloniensis nuncupabantur. Hanc suam sententiam Ordines scripto conceptam Cæsareis tradiderunt: qui super ea deliberaturi cum Electoralibus utrinque Lengricham se contulerunt.

Super Circularibus consultationibus.

Consultatio Comitialis placet.

Abſentes non amplius morandi.

De transferendis tractatibus, aut dividendis Ordinibus.

De supplenda mediatione.

19. Jun.

Ordines à Comitiis abhorrent.

§. 71. Inter quæ Sueci Brandeburgicis proponebant, an non è re sit à Cæsare Comitia indici, ut tamen, qui nunc adsint, in locis tractatuum maneant, & quæ agantur observent, & ad Comitia referant. Ibi quippe Ordines patrocinantibus Suecorum armis desideria sua obtinere, ac diu molesta gravamina abolere posse, restituto simul cum libertate sua pleno Comitiorum usu, quem Cæsar hactenus per Electorales, ac Deputatorum conventus paulatim abolere sit conatus. Brandeburgici contra ostendebant; mala Germaniæ adspernari moras, quæ indicendis Comitiis requirantur; nec Evangelicis Ordinibus per Comitia fat ponderis esse, pari licet cum Catholicis fere numero, dum non pauci per litigia super priore loco, & quod possessoribus Prælatuum sessio negetur, congressibus arceantur: cum contra Catholici semper frequentes adsint, novis insuper non ita pridem in Ordinum dignitatem provectis, ut facile Evangelicos suffragiorum numero obruere queant. Nec alias Cæsareis artes deesse, quibus pro libertate fortius loqui audentes protelent. Igitur ne Comitiorum mentionem injicerent rogabant. Conventui huic ob frequentiam Ordinum præter vocabulum Comitiorum nihil deesse. Et similem congressum sub Maximiliano II. An. 1567. ex decreto Comitiorum Herfordiæ indictum, habitumque. 1645.

Longuevillius & Pegneranda Monasterium ingrediuntur. 20. Jun.

§. 72. Adpulerat inde Monasterium Josephus Bergaignius, Cameracensis Archiepiscopus, Hispaniarum Regis legatus; quem paucos post dies insecutus est Henricus Dux Longuevillius à Rege Galliæ Princeps legationi suæ destinatus; sic ut post ejus adventum Avauxius, & Servientus fere consiliariorum duntaxat loco forent, adducto etiam Secretario legationis sibi obnoxio, cui menstruum stipendium mille floreni erant. Huic oppidum ingressuro præter Gallicos nemo Legatorum obviam processit; tum ut ejus pompa tanto esset insignior, nulla ab aliis accessione, tum ob controversiam inter Contarenum Venetum, & Osnabrugensem Præsulem Collegii Electoralis Legatum; quorum hic initio Venetum præcedere cupiebat; quod inter Electores Rex quoque Bohemiæ censeretur; post ut alternis rhedas adventantibus obviam mitterent, obtulit; Veneto obnixe nullo interjecto post Gallos & Hispanos incessum pertendente. Unde & Chisius constituebat nemini deinceps rhedam obviam mittere; id quod & post à reliquis ad finem usque conventus fuit observatum. Comitatus alias isti numerosus ac splendidissimus. Cum contra Caspar 23. Jun. Pegnerandæ Comes, & ipse Legationis Hispanicæ Princeps, modico, nec satis ad splendorem digesto uteretur, deprecatus quoque, ne oppidani in armis ipsius adventu consisterent. Priore tamen loco hunc licet posterius ingressum Cæsarei invisebant, quod Longuevillius *Celsitudinis* se titulo salutari vellet. *Altesse.* Id quod Hispani plane abnuebant, causati, etiam Condæum, & Suessionensem, Engolemiumque & Vindocinensem regio sanguine ortos, cum legatorum munere fungerentur, Excellentiæ titulo fuisse contentos; unde Pegneranda, cum utique Excellentiæ titulum accipere & dare pertenderet, toto tempore à visitando eodem abstinuit, magno tractatuum impedimento, quos perficere haut arduum videbatur fuisse, si solis istis inter se colloqui licuisset. Eoque multi suspicabantur istam Longuevillii prætensionem Mazarino suggerente susceptam, qui huic gloriam confectæ pacis inviderit, præsertim cum is Condæi affinitate implicitus esset. Idem cum Hispano Cæsarei pertendebant, quoad Trautmansdorfius adveniret, qui inanium parum curiosus contentus erat, ut utrinque tertia persona adhiberetur. Id quod & Mediatores faciebant. Etsi Volmarus post circa Excellentiæ vocabulum Gallo gratificaretur. Ast Sueci petenti eum titulum haut ægre largiebantur, cum Regio se sanguine apud Gallos ortum, ac supremum Novi Castri Principem ostenderet. Cæterum fuerat Pegneranda mediocri familia ortus, sed tertio loco genitus; unde juvenilibus annis litera-

1645. literatum ſtudiis ſe adplicuerat, aliquamdiu etiam lectoris publici in Salmantica Academia munere functus. Aſt duobus fratribus majoribus natu mortuis hæreditate aucto uxoris ducendæ neceſſitatem conſervatio familiæ impoſuerat, quam & egregie nobilem, & formoſiſſimam nactus eſt, ſic ut crederetur eam ob cauſam à Rege ad exteros ablegatus, cui etiam reditum ſæpius petenti abnegaverat, quod adhuc improlis anno ætatis quinquagetimo ageret. Is nunquam peculiaribus Electorum legatis dextræ manus honorem domi ſuæ, aut titulum Excellentiæ dare dignabatur: ac initio velut attonitus audiebat, haut reverentius de Cæſare, Hiſpaniarum Rege, & Domo Auſtriaca, quam de aliis Principibus, ſermones haberi, quod iſti in Hiſpania tantum non Numinum in vicem colantur. Cæterum is penitus ſibi perſuaſerat, Mazarinum pacem averſari, quod bello diteſcendi materia ſuique conſilii adhibendi eo major neceſſitas foret. Et tractatus in ſpeciem ſumtos, ut plebs ſpe propinquæ pacis eo facilius tributorum onera toleraret. Hac perſuaſione imbutus cenſebat, omnem cum Gallis negotiationem inanem eſſe, eamque non alio fine adhibebat, quam ut Belgas ad ſeparatam pacem permoveret. Quo & Scopo poſitus eſt, magis ſæpe Gallorum tractandi modo, quam propria induſtria.

Cæſareorum & Electoralium decretum. 31. Aug. & Sept.

§. 73. Aſt Cæſarei & Electorales Lengrichæ habito congreſſu decernunt: Omnes utique Ordines cum jure ſuffragii quovis modo ad tractatus admittendos, quantumvis à recepto conſultandi modo ſit diſcedendum. Tum à Cæſare ſingulis, qui nondum huc comparuerint, denuntiandum, num huc ſe conferre velint, nullo præfixo certi temporis articulo: addito, ni adfuerint, haut eo ſecius negotium peragendum, & decreto huic facto omnes ſtringendos. Iſtorum adventu per tria Imperii Collegia conſultationes ad finem usque tractatuum continuari poſſe. Sed ne interim, quoad illi adpulerint, tempus fruſtra teratur, conſultationes ab Electoralibus, & qui è Deputatorum numero huic adſint Ordinibus, in duas pro more Curias diviſis, Monaſterii inſtituendas, Deputationis tamen nomine diſſimulato. His binas è Principum, totidem è Civitatum claſſe adjungendos, quos ipſis Ordinibus deligere placuerit. Tum ne Succis offenſæ prætextus præbeatur, Moguntinos & Brandeburgicos qui nunc ſint Oſnabrugæ manſuros, ſalva ipſorum Monaſterium legatione, quibus bini è Principum, totidem è Civitatum numero adjungendi; penes quos ſit Cæſareis conſilio adeſſe, quæ ibi aguntur cum Monaſterienſibus communicare, cæterorum Ordinum deſideria excipere, ac ad Monaſterienſem conventum referre. Mediationem Oſnabrugæ per Moguntinos & Brandeburgicos, ſalvo tamen Daniæ Regis jure, tantiſper ſupplendam: aut ſi Sueci utique velint, reliquos ibi delegatos iſtos aſſociandos. Iſthoc decretum Electorales diu premebant ob negatum ipſis à Principalibus *Excellentiæ* titulum; quæ controverſia omnem inter ipſos communicationem abruperat. Eius decreti cognoſcendi deſiderio à Principalibus eum titulum extorqueri poſſe ſperaverant. Brandeburgici tamen ſtatim, quæ Lengrichæ acta forent, referebant; Catholicos mordicus inhæſiſſe decreto Francofurtenſi ſuper Deputatione Monaſterium transferenda: ſe ſolos rationum pondere contrarium eviciſſe. Id tamen diſſimulabant, tam communem Ordinum conventum, quam Deputatorum interim conſultationes ſoli Monaſterio adſtrictos. Contra fingebant, haſce conſultationes ſex duntaxat ſeptimanarum ſpatio circumſcriptas; interea à Cæſare id decretum ratihabendum; ac tunc modo in Comitiis ſolito procedendum. Id quod ab aliis relatum, ne Brandeburgici quidem Salvio amplius inficiabantur. 1645. 12. Jul.

Id cæteris Ordinibus diſplicet.

§. 74. Aſt Legati Ordinum Oſnabrugæ apud Succos acriter conqueri; affectari ab Electoralibus inſolitum hactenus *Excellentiæ* titulum: contra inſtituta Imperii ita contumelioſe, & velut adverſus ſubjectos ſecum agi: ſe inſciis decretum factum, & ſibi quousque tractatibus pacis intervenire debeant præſcriptum. Atqui ſatius fore in eorum partes concedere, qui jura ipſorum tueri ſtatuerint, quam cum illis, à quibus proculcentur, adverſus ſacrorum & libertatis defenſores pugnare. Nec obſcurum eſſe, vanam ſpem oſtentari tractatuum, in quibus ſuffragia ipſorum locum habitura ſint; revera *Deputationem* diſſimulato licet vocabulo obtrudi. Ita Cæſarem, cui pro lubitu ratificationem ſuam extrahere integrum ſit, ſcopo ſuo potiturum, cæteris Ordinibus tractatu excluſis. Igitur petebant, auctoritate ſua ad diſſipandos eos conatus conniterentur. Eadem Succorum de iſto decreto mens, qui ignominioſum ſibi judicabant, ſe numeros deinceps fore tractatibus Oſnabruga Monaſterium pertractis. Id quod Salvius Lœvvio Brandeburgico Legato atpere exprobrabat, minatus; hoc ſi fiat, vitio ſibi datum non iri, ſi pacem ſuam ſeorſim faciant, prætento Brandeburgico, ac reliquis Ordinibus, qui ſalutaria conſilia ultro oppugnarum eant. Iſte ut videbatur nonnihil turbatus re cum Cæſareis & Moguntinis communicata Monaſterium excurrebat. Unde reverſus ſtatim Succis ſignificat; operæ ſe pretium ibi non feciſſe, Colonienſi & Bavaro prætracte decreto Lengrichæ facto inhærentibus, quod retractari ſuo Collegio contumelioſum fore. Succorum non eſſe multa ſuper modo conſultandi inter Ordines movere; ſed adverſus propoſitionem ſuam obiicienda diluere. Huic à Succis reponebatur; Electoralibus contumelioſum non fore cum aliis Ordinibus conſpirare, ac modum conſultandi univerſorum decreto conſtitui. Aſt Ordinibus turpe ab Electoribus leges accipere. Regum ſociorum quoque intereſſe, qui Ordines ad tractatus invitarint. Cæſarem ipſum ſuffragii jus agnoſcere: quod qua ratione exercendum ſit, ipſis inter ſe ſtatuendum. A ſe atque Gallis jus belli pacisque vindicari Ordinibus. Atqui ſi ab Electoribus ejuſmodi decretum condatur, quo alios ſtare neceſſum ſit, id jus ipſo in limine elidi, ac in ſolos Electores non obſcure transſcribi. Uti & Succia.

Oſnabrugenſium ſententia ſuper eo decreto. 17. Jul.

§. 75. Mox ſuper decreto Lengrichæ facto Ordines Oſnabrugæ congregati ejusmodi declarationem edunt; qua uti à Cæſare Ordines huc evocari probabant, ita tractatus Monaſterium ſolum transferri nec utile, nec præliminari pacto, nuperoque Receſſui imperii congruum cenſebant. Nam pro lubitu ſubverſis, quæ tanto labore convenerunt, quid de reliqua negotiatione ſperandum? Nec Succos in eam Ordinum abſtractionem conſenſuros, quæ ſi refragantibus iſtis pertendatur, forte tractatus plane abrumpendos. Nec à ſe probari poſſe conſultandi modum, quem

1645. tantisper observandum Electorales decreverint. Quæ omnes spectant ab omnibus curanda; ac si ab omnibus Ordinibus suffragia sint ferenda, Deputationem Francofurtensem longe diverso fine constitutam locum habere non posse. Qua semel irrepente, in infinitum eludi posse collegiales deliberationes obtentu non secutæ Cæsareæ ratihabitionis, aut alterius cautæ. Adjunctis paucis è Principum & Civitatum classe reliquis exclusis querendi causam dari, nec per æmulationem ac diffidentiam facile in paucos illos consensum iri. Igitur utique consultationes per tria Collegia auspicandas, non spernenda jam Ordinum præsentia, & pluribus propediem adfuturis. Sed, qua ratione utroque in loco simul deliberationes instituendæ forent, non ita in expedito erat, cum multos ex Ordinibus in utroque loco legatos habere res bello acciſæ non paterentur. Ac si pars Ordinum Osnabrugæ, reliqui Monasterii manerent, metus erat, ne omnes Catholici Monasterium se conferrent; unde magnæ æmulationis ac diffidentiæ, distractionisque ansa iterrectura sit. Igitur ab initio Urbici centebant, duo debiliora Collegia in uno, tertium validius in altero loco sedem figere debere; Principales tamen centebant; minimum fore difficultatis, si collegia in se dividantur, ut tamen communicatis invicem consiliis omnia decernantur. Quod & Urbici tandem probavere, modo utrinque partes ex utraque religione constarent, ne forte hac occasione distractio Ordinum è diversitate sacrorum oriretur. Communicationes in loco intermedio, aut, quod Regiis Legatis solitum sit, alternis vicibus in hoc aut
25. Jul. illo tractatus loco faciendas. Id decretum scripto conceptum Ordinibus Monasterienſibus exhibent, rogantes, ut re expensa in eundem secum modum consipirent.

Ea Cæsareis displicent. §. 76. Ita quantopere Cæsareis displicerent, dissimulare non poterat Lambergius Comes, qui Oxenstiernam invisens differebat: in promtu jam sibi Collegæque suo esse responsum Succis fere placiturum, nec prolixa replica opus habiturum. Optandum fuisse, negotio huic solos Electores adhibitos, nec alios Ordines invitatos: tunc enim facile transigi potuisse. Nunc postquam alii Ordines cum suffragii jure huc pertracti sint, adquiescendum esse, quoad ipsi super modo consultandi convenerint. Eo expedito, & à Cæsare ratihabito, penes se moram non fore. Qui Monasterii erant Cæsarei Legati diserte profitebantur, eum consultandi modum, quem & plerique ibidem agentium Ordinum adipernentur, à se nunquam probandum, quo mordicus defenso non obscure proficeri Ordines, plus sibi externis in Regibus, quam in Cæsare, fiduciæ reponi. Mediatores quoque cum audirent, Succis decretum Lengrichæ factum displicere, non segniter in hos invehi: Illos ipsos esse, qui paci manibus pedibusque obnitantur: ad quos non spectat, isti se negotio ingerere. Honestius facturos, si diserte profiteantur, pacem se nolle. Fieri nullo modo posse, ut duobus locis cum Ordinibus deliberationes instituí queant. Et cum Succi iniquas moras objiciant, Gallos bene acturos, si diversam viam ingrediantur. Quin & Avauxius eam ob causam Osnabrugam excurrens judicabat; Francofurtensem Deputationem plane sublatam, ac aliam illius loco deliberandi formam inventam, quam ipse judicet citra fraudem communis causæ admitti posse; quæ & Succis non alio nomine displiceat, quam quod Electores Monasterium cum conventum transferre velint: cujus rei penes Ordines arbi- 1645.
trium sit. Nec ægre laturos se, si Ordinibus Osnabrugæ manere placeat. Contra Oxenstierna ostendere; ab Electoralibus Lengrichæ Deputationis vocabulum deletum, rem ipsam retentam, & quidem citra modum & tempus, quod vario obtentu pro lubitu extrahi posset. Succos nil aliud quærere, quam ut universis Ordinibus sua libertas constet, ac non minus Principum, quam Electorum habeatur ratio. Eoque permittendum, ut ipsi Ordines cum Electoribus ea super re transigant. Id vero neque ferendum, ut in tertium locum à Cæsareis tractatus transferantur. Nam se idem ob multas rationes concedere non posse; & Ordines à Regiis separatos Cæsaris libidini obnoxios fore. Quin nec dissimulabat Brandeburgicus Fritzius, Cæsarcorum consilia huc spectare, ut 15. Jul.
primo Regna socia Ordinibus Monasterium vocatis æmulatione & diffidentia distrahantur: inde Ordines Regnis divulsi, interque se commissi pessundentur.

Electoris Saxoniæ Legatis salvus conductus datur. §. 77. Has inter disceptationes Cæsarei pro Saxoniæ Electoris Legatis Succos Salvum conductum poscunt. Dubitabant initio Succi, quod præliminari pacto Moguntini duntaxat & Brandeburgici Electorum facta esset mentio; ac metus foret, ne Saxo ad subvertenda salutaria consilia incumberet. Tum Cæsareis ob negatum Stralsundæ salvum conductum nunc par referri posse. Brandeburgici tamen, Luneburgicus, & Casellanus à Succis super hac re consulti differebant; cum à Regnis omnes Ordines invitati sint, Saxoni accessum negari non posse, utut Austriacis addicto. Generosius fore ne inimicorum quidem præsentiam apud tractatus defugere. Si Saxo solito sibi hactenus more Evangelicorum commodis obstare audeat, non defore viam ipsum retundendi. Quas rationes eo magis admittebant Succi, ut eo facilius, si opus foret, pro Ragozio & aliis idem obtinerent. Ac fortasse Saxonem nunc aliam consiliorum viam ingressurum.

Osnabrugenses Ordines Monasterium invitantur. 29. Jul. §. 78. Ast qui è Principum classe Monasterii erant, in deliberationem vocato Osnabrugensium placito decernebant; non melius in compendium mitti has disceptationes, quam si illi Monasterium se conferant, super forma & modo consultandi deliberaturi; quod intermedius locus tot legatos non capiat; Constantiensi, & Wurtembergico frustra refragantibus; quorum hunc adeo contemnebant Bavari, ut loquentem interturbare non verentur. Quos & numero suffragiorum obruere in proclivi erat, Austriaco, Bavaro, & Burgundo conspirantibus, quos Monasterienſis, ac Osnabrugensis, simul Mindensis ac Verdensis præsulatus suffragia fulciebant: aliis Catholicis, queis boni publici cura, metu mussitantibus. Eandem sententiam Cæsarei, ac Electorales probabant, qui & Brandeburgicos hortabantur, ut vario rationum paratu Osnabrugensibus persuadeant, Monasterium ad paucos saltem dies citra præjudicium futuræ actionis concedere; ubi præsente Directorio Moguntino & Austriaco super hoc negotio sit statuendum. Nec Succis offensæ causam præberi instauratis liberis Ordinum conventibus, quos ipsi curæ sibi esse profiteantur. Et hoc actu sublata Deputatione consultationem per tria Collegia incipi. Servientus heic Osna- 4 Aug.
brugæ apud Succos querebatur, paucos Monasterii Evangelicos, eosque ita trepidos, ut se suosque Collegas de actis docere vix audeant: cum ex adversa parte ibi adsint viri callidi, qui sæpe

& Mediatoribus.

Gallorum super ea mente. 22. Jul.

fucum

1645. fucum ipſis faciant. Alias confirmabat, ſe ſuosque Collegas ad eundem ſcopum connixuros.

Oſnabrugenſium reſponſum.

§. 79. Oſnabrugenſium non paucis id Monaſterienſium poſtulatum haut diſplicebat, velut parcendo tempori interviens, parta quoque moderationis laude; ac iſtis vicißim, ubi res exigat, Oſnabrugam accedendi neceſſitatem allatum iri. Poſt aliquot dierum diſceptationem Suecorum ſententia exquirebatur. Sueci verebantur, ne Ordines ſemel Monaſterium delati à Cæſareis ibi omni modo ſiſterentur; aut ſaltem quod Gallis placebat, eorundem conventus alternis Oſnabrugæ, & Monaſterii agendum. Ubi facile fieri poterat, ut præcipua capita Monaſterii ſub Catholicorum directione deciderentur, levioribus Oſnabrugam rejectis. Igitur ne vel paucos ad dies Monaſterium ſe conferrent, monebant. Addebantur plures rationes, quibus hi permori Monaſterienſibus reſpondent: conſtare ſibi, fœderatos Reges nullum deliberandi modum quo Ordines à locis in prævio pacto deſignatis ad alterutrum horum, aut tertium avocentur admiſſuros, ſed potius tractatum abrupturos; queis offendæ anſam præbere nolint. Et ſi talem modum deliberandi agitent, ſruſtra à ſe iter ſuſceptum iri. Igitur petere, ut vel a ſe propoſitum deliberandi modum probent, vel ſi quid ſecus videatur, ſcripto moneant. Addebant; ut potius Cæſareos ſuper maturando ad Suecorum propoſitionem reſponſo urgeant. Placebat ea ſententia Brandeburgicis quoque. Sed Cæſarei ægerrime ferebant, deſtinata ita hoc modo eludi. Erat quippe in promtu Cæſareum reſcriptum, ſtatim atque Ordines Monaſterium ſe contuliſſent promulgandum, quo vetabantur inde diſcedere. Simul id agitabant, ut Imperii gravamina à tractatibus pacis dividerentur, peculiari conventione inter ipſos mediante Cæſare componenda. Sed & Contarenus, ipſeque Longuevillius indignabantur, velut Suecorum ſuggeſtionibus iſtæ moræ foverentur bello

13. Aug. extrahendo. Unde Oxenſtiernæ vitium Monaſterium excurrere, ubi Gallis oſtendit; id quæri à Cæſareis repudiato modo conſultandi ab Oſnabrugenſibus propoſito, ut Regna à ſe invicem, Ordinesque ab his divellantur. Galliæ non minus quam Sueciæ intereſſe, ut his conatibus obviam catur, idque efficiatur, ut Monaſterienſes in modum Oſnabrugenſibus placitum conſentiant, vel meliorem ſi poſſint proponant. Addebantur & alia huc ſpectantia, quibus Galli, qui hactenus Monaſterienſium poſtulata non iniqua judicaverant, Oſnabrugenſium ſententiam probare jam videbantur. Eadem & Contareno ingeſta non parum ponderis apud ipſum habebant.

Cæſar Ordines ad tractatus advocat 19. Aug.

§. 80. A Cæſare mox literæ totum per Imperium emittuntur, per quas Ordinibus exponit: cum Regiorum propoſitio Ordines non parum tangat, quorum juribus ipſe nihil derogatum velit; ut, ſi id factum nondum ſit, ſuos ocyus idoneis cum mandatis ad tractatus mittant, eosque in eo qui nunc eſt ſtatu, cum tribus Imperii receptis Collegiis continuent, ſuisque Commiſſariis conſilio ac ope fideliter adſiſtant. Eodem

Cæſarei de Oſnabrugenſibus querentur. 19. Aug. tempore Cæſarei ſcripto Ordinibus exhibito querebantur, Oſnabrugenſes propoſitum conventum repudiaſſe, cujus non alius ſcopus fuerit, quam ut receptæ inter Ordines communicationis vicem ſubiret; non paucis quoque dubiis circa modum tractandi per præſentium utrinq; diſceptationem expediendis. Super quibus antequam convenerit, reſponſum ad propoſitionem Regiorum exhiberi non poſſe. Quæ moræ cum Cæſari moleſtiſſimæ ſint, poſtulabant, ut quid ſuper Oſnabrugenſium ſententia videatur, declarent. Ordinum Legati conventu habito ita decernunt: Omnes Ordines, queis hactenus ſeſſio & votum in Comitiis fuit, ad conſultandum cum pleno ſuffragii jure admittendos; conſultationes per tria Collegia facta hinc inde communicatione ad concluſionem deducendas. Tum, refragantibus licet Auſtriaco, Bavaro, ac Burgundo cæteri pervicere, ut ob rationes ab Oſnabrugenſibus adductas tria Imperii Collegia inter ſe diviſa utroque in loco reſideant. Addebatur tamen, ſi in progreſſu tractatuum expeditior modus inveniatur, eum iſto omiſſo amplecti liberum fore. Sed quia Oſnabrugæ è Principum claſſe Catholicus nemo, Monaſterii Evangelici pauci erant, placebat Wurtzburgenſem, Monaſterienſem, Paderbornenſem, Hildeſienſem, Oſnabrugenſem ac Mindenſem Oſnabrugam ſe conferre; Luneburgico, Saxonico, Franconicorum Comitum ablegato, ac Noribergenſi Monaſterium vicißim ituris. Urbicis, & aliis Ordinibus pro re nata huc aut illuc ſe conferre liberum fore. Quæ & Oſnabrugenſibus probabantur. Ita quidem hæcce controverſia, quæ per aliquot menſes agitata fuerat, tandem componebatur. Eam à Cæſareis inter alias cauſas motam ſuſpicio erat extrahendis cum Ordinum invidia tractatibus, quod languentibus heri ſui armis pax qualem hic cuperet obtineri non poſſet.

Monaſterienſium ſuper modo conſulendi declaratio. 23. Aug.

Controverſia ſuper excluſione certorum Ordinum.

§. 81. Sed mox novum oriebatur litigium ſuper Magdeburgico, Caſtellano, Durlacenſi, Naſſovio-Saræpontano, & Argentoratenſi, qui ab Oſnabrugenſibus hactenus ad deliberationes admiſſi fuerant, ſed quos Cæſarei, ac Monaſterienſes utique excludendos contendebant. Etſi de Argentinenſi mox Cæſarei remittebant. Magdeburgico opponebatur; Auguſtum Saxoniæ Ducem cum Præſulatum unice titulo & occaſione Pragenſis Pacis poſſidere, qua non niſi ſeſſio in Conventibus Circularibus indulta ſit. Quo titulo ipſe ultro renuntiaverit, invalida poſtulatione innixus. Proteſtantes Præſulatuum poſſeſſores ab anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo quinto per *Reſervatum Eccleſiaſticum* à Comitiis excluſos. Quod gravamen per tractatus expediendum præpoſtere proprio autu vindicetur. Caſtellano objiciebatur, Landgravium cum exteris Regibus Cæſaris hoſtibus fœdere innexum, cujus Vidua adhuc bellum in Cæſarem gerat, de cujus ſatisfactione Regii expreſſe in propoſitione mentionem faciant. Unde abſurdum, eosdem Legatum in conſultationibus Imperii tolerari. Ex prævia conventione colligi fideles Imperii Ordines ſalvo conductu opus non habere, ac citra illum acceſſum ad deliberationes Imperii habere: contra per ſalvum conductum Cæſaris iſtam pro parte nondum reconciliata declarari, adeoque à conſiliis publicis ad futuram usque reconciliationem excludi. Regios præteritorum oblivionem, per quam jus ſuffragii reſtituatur, inter conditiones pacis referre: unde id haut quidquam velut negotium expeditum ante pacem præſupponi poſſe. Aperirent ſibi prius Haſſi, acceptata Cæſarea gratia, viam ad ſuffragium, quam ipſi ſibi occluſerint, & hinc cum aliis fidelibus Ordinibus ad reſtinguendam belli flammam incumbant. Iisdem rationibus Durlacenus, & Saræpontanus, nondum Cæſari reconciliati, velut regnorum adhærentes ab Imperii deliberationibus excludebantur. Contra

Caſtellani.

Durlacenſis & Saræpontanus.

1645. Magdeburgici respondum.

Magdeburgici contendebant, Ducem non Pragenſi pace, ſed legitimo & ordinario modo per canonicam poſtulationem Prælulatu potituum. Anno viceſimo quinto Coadjutorem, viceſimo octavo Archiepiſcopum rite poſtulatum; nec pace Pragenſi jus ſuum adimi eidem potuiſſe. Quo jure Evangelici Præſules Comitus excluſi hactenus fuerint, inter gravamina diſcutiendum. Enimvero de hoc in præſens quæſtionem non eſſe; ſed num, quorum ſalus in pace vertitur, ad deliberationes admitti ſententiamque dicere par ſit? Eſſe hunc conventum extraordinarium, qui exemplis per Comitia uſurpatis ita preſſe regi non

Et Caſſellani. debeat. Caſſellani jactabant: Indubium ſibi ſuffragii jus, quo jam de facto exui non poſſint hoc præſertim extraordinario conventu, ubi de univerſi Imperii, ac ſingulorum ſalute agatur. Fœdus ſuum cum exteris, & arma ad ſalutem Imperii ſpectare; nec hoſtium ſe loco haberi poſſe: quorum inſtitutum à multis Ordinibus Catholicis juxta ac Evangelicis probetur. Quod mentio ſui in præliminari conventione facta, ſalvusque conductus à Cæſare datus ſit, non magis ſibi eſſe fraudi debere, quam Bavaro, & Colonenſi. Ordines jam non conveniſſe, velut conſiliarios Cæſaris de pace deliberaturos, ſed ut ſuo nomine cauſas belli ac præſentem Imperii ſtatum expendant, pacisque leges pro bono & ſalute Imperii adaptent, etſi illæ ipſum quoque Cæſarem tangant. Ut Durlacenus & Saræpontanus excluderentur, vix idoneus prætextus adparebat. Unde & Witgenſteinio Comiti, alias Cæſareorum circa Magdeburgicum, & Caſſellanum conatus non valde improbanti, videbatur poſterioribus his injuriam fieri; eoque pro iſtorum admiſſione Monaſterii ſuffragium fieri curaverat; etſi in mandatis haberet, in hoc negotio medium ſe gerere. Adſtipulabantur hiſce Oſnabrugenſes, & quia heic non Comitiorum, ſed pacis cauſa convenerint, non tam inſtituta Imperii quam regulas Juris Gentium reſpiciendas, quibus congruum ſit, ut cum omnium interſit Ordinum, omnes quoque cum pleno

4. Sept. ſuffragii jure admittantur. Eoque è Monaſterienſium declaratione hæc verba: *quæ hactenus feſtio & votum in Comitiis fuit*, expungi poſtulabant, ſubſtituique: *qui Legatos Oſnabrugam & Monaſterium miſerint, aut adhuc miſſuri ſint.*

Cæſarei reſponſum ad Regiorum propoſitionem exhibere detrectant.

§. 82. Cæſarei jam Julio menſe jactaverant; reſponſum ſuum ad Regiorum propoſitionem in promtu eſſe, nec aliud expectare, quam ut Ordinibus ſuper modo conſultandi conveniat. Ea

20. Sept. res in Septembrem uſque extrahebatur, cum novum litigium ſuper excluſione quatuor dictorum Ordinum oritur. Nam cum Ordinum Legati Oſnabrugæ apud Cæſareos inſtarent, ut ſi reſponſum ſolenniter exhibere dubitarent, id certis à ſe deputatis citra pompam traderent: illi reponebant; juſſos ſe reſponſum omnibus Ordinibus exhibere, ſed non prius, quam quatuor illis conſeſſu excluſis. De cætero ferebant; reſponſum ſuum Regiorum ac Ordinum ſpem ſuperaturum, pleriſque quæ illi poſtularant conceſſis. Iſthæc tanta cupidine videndi Ordines inflammaverant, ut plerosque oblivio ſubiret eos, quos Cæſarei Senatu excludere moliebantur, tuendi. Qui & per

13. Sept. emiſſarios ſuos Ordinum animos labefactatum ibant, & velut re in longum extrahenda in ſecuritatem dabant. Sed mox Witgenſteinius Oxenſtiernæ velut ſecreto indicium faciebat, Cæſareos conſtituiſſe tertio abhinc die reſponſum Ordinibus ſolenniter tradere; ita tamen ut ſi quatuor iſti in Curia ſimul compareant, ipſi potius re infecta domum diceſſuri ſint. Id quippe ſibi à Cæſare differte in mandatis datum. Succus hanc à ſe excluſionem probari poſſe negabat, velut decreto Ordinum adverſam; præſertim cum iſti maſcule pro communi cauſa hactenus locuti ſint. Cum tamen Luneburgicum & Meclenburgicum ad ſe arceſſeret, nonnihil mutatos illos deprehendebat, differentes; Cæſareis iſtorum excluſionem, Regiis & Ordinibus divertum urgentibus, culpam morarum his impactum iri. Igitur cum hic actus iſtis tantum præjudicii adferre non poſſit, ſi ad eundem non invitentur, ſatius eſſe iisdem perſuaderi, ut ultro abeſſe velint, quo tandem aliquando Cæſareorum reſponſo Ordines potiantur. Et San-Romanus, qui raptim Monaſterium excurrerat explorandæ Gallorum ſententiæ, referebat; junctis viribus contendendum eſſe, ne quatuor iſti conſultationibus excludantur, modo ipſi in eo propoſito firmi perſiſtant. Enimvero Magdeburgicus jam Ordinum perſuationibus, & Cæſareorum minis cederat. Durlacenus aberat. Saræpontanus id fraudi ſibi eſſe negabat, quod pridie Comitum Wetteravicorum nomine duo ablegati adpulſſent, quorum claſſe ipſe quoque cenſeatur. Solus Caſſellanus inter ſacrum ſaxumque ſtabat, inde urgentibus Principis ſuæ juſſis, & animos addente Regiorum patrocinio; hinc ſubeunte metu, ne in curiam perrumpenti contumelia inferatur; aut ne obteſtationibus univerſorum Ordinum cedendum ſit; cum nunc velut non vocatus iſtum actum ſe initio ſuſceptum ſimulare poſſit, velitque. Nec 15. Sept. eo minus, cum jam in Curiam coirent Ordinum Legati, Oxenſtierna miſſo Mylonio teſtabatur; ſe Gallosque paratos eſſe omni opera pro iſtorum admiſſione conniti. Quod ſi ipſi jura ſua imminui inſuper habeant, & exinde cauſa communis detrimenti quid capiat, Regios excuſatos haberi velle. Huic Ordines per Lœvvium, Saxo-Altenburgicum, Wetteravicum, & Argentoratenſem reſpondent; Monitum ipſius magni eſſe ponderis: ſed anguſtiam temporis deliberandi moras excludere, Cæſareis mox Curiam ingreſſuris. Hinc Cæſarem Imperii caput, inde Sueciam Evangelicorum patronam urgere; utriusque offenſa ut declinetur magnam ſolicitudinem eſſe. Magdeburgicum, & Saræpontanum jam ultro ceſſiſſe, Durlacenum abeſſe: ſolum Caſſellanum reluctari, ſed qui paulum connivendo magnam paci remoram amovere queat. Ita quidem de ſe meritam Sueciam, ut ſi Legatus utique velit, non repugnaturi ſint actum hunc plane omitti. Si tamen id concedatur, quod vehementer rogent, omnium nomine ſe polliceri, hoc Cæſareorum reſponſo obtento ad alias conſultationes ſe non deſcenſuros, niſi quatuor illis in Senatum denuo receptis. Oxenſtierna contra oſtendere, arte Cæſareorum effectum, ut Regiis, ac Ordinum Legatis ſpatium non ſit relictum hanc rem mature expendendi. Nec aliam ob cauſam illos ſolenni conventu reſponſum exhibere voluiſſe, quam ut publica contumelia afficere poſſent Regum ſocios, & qui operam ſimul contulerint, ut ipſorum immoderata, Legibusque Imperii adverſa conſilia judicio Ordinum ſubjicerentur. Excluſos ut juri ſuo inſiſtant ſat cauſæ habere. Se quoque rem hanc mali exempli cenſere, & quantum in ſe ſit illi impediendo incumbere paratum. Si tamen hiſce poſthabitis Cæſareum reſponſum utique exhiberi velint, ipſorum ſe arbitrio relinquere, modo de-

1645. Quatuor Ordines ſolenni actu excluduntur invitis Suecis.

in-

inceps erga extluſos ſic, ut promiſerint, ſe gerant. Ita tandem Cæſarei per ſelectos Ordinum in curiam deducti, cum literas fiduciarias ad univerſos Ordines exhibuiſſent, eoſdem monent, negotium pacis inter ſe fideliter expendant, & quid ſibi de Regiorum propoſitione videatur, quamprimum exponant. In hac quædam Cæſarem, univerſumque Imperium ſpectare, quæ nullibi melius quam in Comitiis diſceptari poſſint: quædam ad Cæſarem & Electorale Collegium, reliqua ad Cæſarem, Domumque Auſtriacam pertinere. Circa ſingula horum facile inventum iri, quid ſeponendum, quidve concedendum ſit. Scriptum inde obſignatum Moguntino traditum, Legatique eadem qua venerant pompa domum deducti. Monaſterii quoque Cæſarei, non ſentientibus Gallis Hatloque, Ordinibus ſubito convocatis reſponſum ſuum exhibuere. Quæ præteritio, ne Principibus ſuis fraudi eſſet, Magdeburgici, Caſſellanique proteſtationem mox interpoſuere. Id reſponſum verbis conceptis huc adponere placet.

Cæſarei mittere ſe ſcribunt Ordinibus gratum, 15. Sept.

17. Sept.

Eius reſponſi formula.

§. 83. *Qua intentione vel ſtudio Corona Sueciæ arma in Imperium intulerit, Plenipotentiarii Cæſarei ſupervacuum exiſtimant inquirere, cum de Sacra Cæſarea Majeſtatis ejuſque Patris pientiſſimæ defuncti innocentia toti Chriſtiano Orbi ſatis conſtet, neque huc conventus ad diſceptandum de juſtitia belli, ſed ad ejuſdem compoſitionem amicabilem ſit inſtitutus; nec per dictam S. C. Majeſtatem unquam ſteterit, quo minus illud citius componeretur, prout ipſa, & parens ejus Auguſtiſſimus, innata ipſis manſuetudine inducti, ſemper maluerunt bella medio pacatis, quam armatis finire. Non vident etiam Plenipotentiarii Cæſarei, quam Corona Sueciæ ex eo querendi cauſam habeat, quod non in omnes pro ejuſdem fœderatis petitos ſalvos conductus S. C. Majeſtas quantocyus conſenſerit, minus autem quod conceſſos pro ſtatibus Imperii non ad alios, quam immediate eidem ſubjectos extendi voluerit. Nam ut taceatur, quod in hoc tractatus à principio non aliter, quam ut inter ſolas partes principales ageretur, abſque mentione tot fœderatorum convenerit, & eventus doceat, conceſſionem tam profuſam ſalvorum conductuum huic rei promovendæ minime profuiſſe, nec prodeſſe, ſane ex litera conventionis præliminaris & ipſorum ſalvorum conductuum, prout aſſeritur, haut oſtendi poteſt, eos etiam pro iis datos eſſe, qui non ſunt ſtatus, adeoque contra eorundem expreſſiſſima verba aliter exponi. Proſtant publice confeſſiones utriuſque partis ab anno 1643. uſque ad finem fere 1644. tractatum præliminarem undiquaque rite impletum eſſe, factamque hinc inde omnium ſalvorum conductuum, cæterorumque Inſtrumentorum commutationem, nihilque aliud quam congreſſum utriuſque partis Legatorum ad tractandum principale negotium ſupereſſe. Quæ cum ita ſe habeant, Legati Cæſarei ſalvos conductus pro mediatis concedere non tenentur. Quod ſi vero Domini Legati Regii Coronæ Sueciæ certum aliquem & tolerabilem numerum, pro quibus tales deſiderent, ſemel pro ſemper ediderint, reque cum Dominis Electoribus, Principibus ac Statibus Imperii communicata, id citra præjudicium S. C. Majeſtatis & illorum omnium fieri poſſe, & ad promovendum negotium pacis pertinere viſum fuerit, ad conteſtandum tanto magis S. Cæſarea Majeſtatis propenſiſſimam in promotionem tractatuum voluntatem Plenipotentiarii Cæſarei etiam in hoc nihil in ſe deſiderari paſſuri ſunt; ita tamen ut interim in tractatione Pacis procedatur, neve ex eo mora nulla nova tractatui injiciatur, & reſervata ſibi etiam ſuper articulis à Dominis Legatis Sueticis propoſitis, (tametſi illi tractatui Schonbeckiano admodum ſint diſformes,) ſimilis addendi, minuendi & explicando ſe ulterius poteſtate, factaque prius Electorum, Principum, aliorumque Statuum Imperii præſentibus Legatis communicatione, placet, ut tractatus hic inchoetur & concludatur.* 1645.

In Nomine Sacroſanctæ & Individuæ Trinitatis.

I. Placet, ut bellum quod inter S. Cæſaream Majeſtatem & S. Romanum Imperium, ejuſdemque Electores, Principes, ac Status, Regem Hiſpaniarum Catholicum & Domum Auſtriacam, omnes ipſorum fœderatos & adhærentes ex una, & Reges Regnaque Sueciæ & Franciæ, omnes ipſorum fœderatos & adhærentes ex altera partibus ab anno 1630. huc uſque ſat acriter geſtum eſt, cum omnibus priorum diſſidiorum reliquiis vigore præſentis Tranſactionis ita componatur ac ſopiatur, ut nec ejus, nec ullius alterius rei cauſa vel prætextu ex hoc bello alter alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiæ, moleſtiæ vel impedimenti, quoad perſonas, ſtatum aut ſecuritatem, per ſe vel per alios, clam aut palam, directe vel indirecte, ſpecie juris aut via facti in Imperio aut uſquam extra illud (non obſtantibus illis prioribus actis in contrarium facientibus,) inferat aut inferri patiatur, ſed omnes & ſingula hinc inde hactenus occaſione hujus belli verbis, ſcriptis, aut factis injuria illata abſque omni perſonarum rerumve reſpectu ita penitus aboleantur, ut quicquid eo nomine alter adverſus alterum prætendere potuiſſet, perpetua ſit oblivione ſepultum. II. Viciſſim pax Chriſtiana, univerſalis, perpetua inter dictam S. C. Majeſtatem & S. Rom. Imperium, omneſque ejuſdem Electores, Principes, ac Status, Regem Hiſpaniarum Catholicum & Domum Auſtriacam, omnes ipſius fœderatos & adhærentes, & Reges, Regnaque Sueciæ & Franciæ, omnes ipſorum fœderatos & adhærentes, eorumque reſpective ſucceſſores & hæredes ita mutuo renovetur & ſtabiliatur, adeoque ſincere ſerioque in poſterum ſervetur & colatur, ut omni ex parte & cum univerſo Rom. Imperio amicitia firma, fida vicinitas, & ſecura ſtudiorum pacis cultura revireſcant & reflореſcant. III. Juxta univerſalem, illimitatam, & in Comitiis Ratiſponenſibus 1641. concluſam & publicatam Amneſtiam univerſi & ſinguli ſtatus tam immediate quam mediate Imperio ſubjecti, qui cum Regibus & Regnis Sueciæ Galliæque quacunque neceſſitudine etiamnum junctis Principes, Comites, Barones, Civitates, liberaque Imperii Nobilitas tam quoad ditiones & bona, quam quoad dignitates, libertates & jura reſtituentur plenarie in eum ſtatum in ſacris & profanis, in quo ante hoc bellum inter Imperium Romanum & Coronam Sueciæ exortum floruere. Non obſtantibus, ſed annullatis quibuſcunque interim per proſcriptiones, confiſcationes, res judicatas, generales aut particulares tranſactiones, aliove quocunque modo factis in contrarium mutationibus, præterquam de quibus proximo receſſu Imperii A. 1641. Ratiſponæ aliter ſtatutum fuit, & ceſſata ſuſpenſione effectus Amneſtiæ ibidem ſancitæ. IV. Reſtituendorum in ſua quiſque ſtatus jurisque poſſeſſione ita firmetur ac ſtabiliatur, ut nullus in poſterum facto inde dejici poſſit vel debeat. Quod ſi vero quem jure convenire vel experiri neceſſe fuerit, ejuſmodi ineatur juſtitiæ ratio per omnia, ut ea in poſterum abſque omni perſonarum rerumve reſpectu unicuique juxta fundamentales Imperii leges & conſtitutiones, præcipue pacem Religionis æquabiliter adminiſtretur. Quantum vero ad illos, qui ſe Reformatos vocant attinet S. Cæſarea Majeſtas non adverſatur, quo minus illius & hujus pacis beneficio, ſi ipſi velint & quiete vivant, uti frui poſſint. V. VI. VII. Quicquid in hoc articulo continetur, jura S. Cæſareæ Ma-

1641. *jestatis & Statuum Imperii inter se, adeoque leges fundamentales & statum ipsum Imperii concernit. Quarum rerum causa vel ratione Imperatori cum Coronis exteris neque commercium aliquod est, neque bellum susceptum vel gestum hactenus fuit. Quod si super iisdem Majestati Sacra cum quibusdam Statibus Imperii dissensionis vel dissidii aliquid intercesserit, id jam pridem penitus compositum sublatumque est. Non superest ex illis praeter unam Landgraviam Hassiae, quae hodie quavis de causa in armis contra Majestatem Suam stet. Quae tamen Landgravia non aliam ob rem hactenus in armis perseverat, quam quod sibi à fœdere Suecico recedere, donec pax cum Coronis coaluerit, non esse integrum dicat. Atque idcirco non vident Plenipotentiarii Cæsarei, quo titulo vel fundamento Corona Suecia quoad hac à Majestate Sua aliquid praetendat. Sunt in manibus constitutiones Imperiales, ipsaque Aurea Bulla; ex quibus, quid cuique juris competat, quidque in electione Regis Romanorum in Imperatorem promovendi, aliisque publicis deliberationibus ac negotiis observandum sit, clare constat. Hic Majestas Sua firmiter insistit, neque contra eorundem praescripta quemcunque Electorum, Principum vel Statuum gravare, sed potius juxta eosdem omnes & singulos protegere & manutenere intendit. Quod si durantibus hac tam difficilibus variisque ac diuturnis belli motibus contra vel praeter eorundem placita quippiam contigerit, id magis ipsiusmet belli & temporum injuria ac calamitatibus (a quibus credibile ne Corona quidem Suecia aut Gallia Status ac subditos per omnia exemptos immunesque fuisse,) quam intentioni Majestatis S. Imperialis est adscribendum: quarum rerum querela simul cum pace ipsa restaurata cessatura sunt. Si circa ipsas Constitutiones & leges Imperii mutandum, emendandum, interpretandum, declarandumve aliquid fuerit, id cum ex earundem Constitutionum tenore, tum ex pratensione Dominorum Plenipotentiariorum Suecicorum his ipsis articulis comprehensa non alio, quam ad plena Comitia Imperialia pertinet. Et potest quidem hoc responsum solidissimis rationibus nixum sufficere ad repellendam circa hanc materiam omnem ulteriorem instantiam Dominorum Plenipotentiariorum Suecia. Ne quis tamen existimet Majestati Cesareae grave esse assentiri iis, quae legibus Imperialibus sunt consentanea. V. Declarant Plenipotentiarii Cæsarei ad quintum Articulum, placere, si nova in Imperio Leges ferenda, veteresque interpretanda fuerint, si bellum bellicive apparatus, si pax aut fœdera facienda, si publica Ordinibus tributa imponenda, nihil horum aut quidquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi cum Comitiali isveroque omnium Imperii Ordinum suffragio & consensu: salvis tamen iis quae ad Imperatorem & Collegium Electorale solum pertinent, & salvis eorundem juribus & praeeminentiis, omniaque intelligenda juxta morem ab antiquo in Imperio receptum. Reliqua, quae sunt in propositione huic Articulo adjuncta, de non eligendo Rege Romanorum nisi vacante Imperio, magis adversantur juribus Imperii & libertati Electorum, nec non Aureae Bullae, & Capitulationibus Cæsareis, quam quod eisdem sint consentanea: prout hoc procul dubio ipsimet Electores, pro ea qua pollent in hoc autoritate cum opus fuerit, melius declarabunt. Quod si etiam aliquis Status dignitate bonisque exuendus videatur, contra illum aliter non est procedendum, quam secundum Imperii Constitutiones & Capitulationes Cæsareas. VI. Placet, ut sicut dictis Statibus catera omnia Ipsis de jure competentia Regalia perpetuo illibata maneant; ita jus faciendi cum exteris fœdera pro sua cujusque conservatione & securitate singulis perpetuo liberum sit, modo tamen ea fœdera non sint contra Imperatorem & Imperium, & Pacem ejusdem publicam, fiantque salvo per omnia juramento, quo quis Imperatori & Imperio obstrictus est. VII. Placet ut quacunque* 1641.

hactenus inter Catholicos & Augustanae Confessioni addictos & Protestantes de Pace Religionis & bonis Ecclesiasticis mota sunt controversiae, ea communibus utriusque partis consiliis operaque simul cum hoc tractatu absque ulteriori ad alios conventus, si Electoribus, Principibus, & Statibus ita visum fuerit, dilatione, amicis, aquis & Christianis modis ita penitus solideque componantur, ut non duntaxat de vero certoque intellectu dicta Pacis religiosa nullum amplius supersit dubium, sed & cetera Ecclesiastica & Politica gravamina, quae dictos Proceres & Status tamdiu ab invicem distraxerunt, fundatus extirpentur, nullo bellorum semine relicto, quinimo, si quae in posterum de ejusmodi rebus dubia inter eos oriantur; ea quoque ut omnis evitetur occasio turbarum, ex aequo bonoque communi expediantur. VIII. Placet, ut juxta supra dictum articulum tertium jamque promulgatam Amnestiam, omnes & singuli tam bellici officiales militesque, quam consiliarii & ministri togati civiles & Ecclesiastici, quocunque nomine aut conditione censentur, qui uni alterive parti, earumque fœderatis & adhaerentibus, toga vel sago militaverunt à summo ad infimum, ab infimo ad summum, absque ullo discrimine vel exceptione cum uxoribus, liberis, haeredibus, successoribus & servitoribus quo ad personas & bona in eum vitae, famae, honoris, conscientiae, libertatis, jurium & privilegiorum statum, quo ante dictos motus gavisi sunt, aut jure gaudere potuerint, utrinque restituantur, nec eorum personis aut bonis hujus militiae causa creentur ullum praejudicium, ullave actio vel accusatio intentetur; multo minus ulla poena, damnumve sub quocunque pretexu irrogetur. IX. Placet, ut omnes & singuli utriusque partis captivi, citra discrimen sagi vel togae intra mensem à dato absque lytro libere dimittantur. Quod si quis ante hos tractatus sub lytri sponsione dimissus fuerit, is lytro nondum soluto id solvere adhuc teneatur. Qui vero post initos hosce tractatus lytrum quidem promisit, nondum tamen dimissus est, is vigore paragraphi primi absque lytro dimittatur. Sive autem lytrum promissum fuerit, sive non, omnes indistincte captivi custodiae sumtus solvere teneantur. Caeterum non agnoscunt Legati Cæsarei alium Regem Portugalliae, quam Regem Catholicum: ad quem negotium de liberando Eduardo Bragantino remittunt. X. XI. XII. Plenipotentiarii Cæsarei respondent, S. C. Majestatem Regnum Regnique ad ullam factionem non teneri; quin potius eam a Regina Regnoque Suecia instam postulandi causam habere, prout illam Sua Majestas in eventum, quo praeter opinionem hic tractatus pacis non perficiatur, expresse reservat. Ac tametsi quidem à tractatu Schœnbeckiano quoad hunc punctum recedendi causam habeant sufficientem, eo quod Regina Regnumque Suecia, id quod iis tunc temporis ex mero pacis studio oblatum fuit, non acceptaverit, imo deinceps bello contra Majestatem suam, & S. Rom. Imperium, Regnaque & provincias hereditarias continuato, iisdem qua ferro, qua flamma majorem vastitatem intulerit, majoribusque damnis & expensis causam dederit: si tamen Electoribus, Principibus & Statibus Imperii, quorum maxime interest, dicto tractatui Schœnbeckiano in hoc quoque puncto placeat inhaerere, Plenipotentiarii Cæsarei nihil refragaturi sunt. Cum Landgravia Hassiae in certas conditiones pridem conventum est, has adhuc Sacra Majestas ratas habet. Princeps Transylvaniae non pertinet ad Status Imperii Suecia confœderatos & adhaerentes per Germaniam. XIII. Placet ut pace hac concluſa & publicata loca ab utraque parte occupata cum tormentis bellicis & eorum annexis, aliisque ibidem repertis mobilibus suis prioribus legitimis dominis intra terminum duorum mensium à publicatione pacis reddantur. Reddita vero sive maritima & limitanea, sive mediterranea fuerint ab ulterioribus omnibus occasione hujus belli introdu-

1645. *Introductis præſidiis utriuſque partis perpetuo poſthac ſint liberæ. XIV. Placet denique ut omnium belligerantium partium in Imperio militia totaliter exanteretur, retentis ex iis qui volent, & in ſuos ſtatus traducto eo tantum numero, quem quæque pars pro ſecuritate ſua neceſſarium judicaverit. XV. Placet, ut quæ ante hac bella inter omnes partes vigutre commercia, cum omnibus inde dependentibus inviolato priſtinæ libertatis curſui terra marique modis omnibus aſſerantur, remotis quæ interim irrepſerunt impedimentis. Et cum Domini Plenipotentiarii Suecici ulteriorem ſibi de hac expoſitionem reſervent, Plenipotentiarii Cæſarei eam fieri deſiderant, declaraturi ſe tum ſuper eadem, prout res & ratio requiret. XVI. Placet, ut in hac pacificatione ex parte Regum Regnorumque Suecia & Galliæ comprehendantur, qui voluerint, Reges & Principes ante concluſionem Tractatus nominandi; ſicut vicißim ex parte Majeſtatis Cæſareæ comprehendantur, qui voluerint, ab eadem nominandi. XVII. Reſpondent Plenipotentiarii Cæſarei, quod ſi poſt pacem hanc initam contigerit ulli partium vel fœderatorum & adhærentium, ea, quæ in ſupradictis Articulis promiſſa ſunt, non ſervari, nec ea intra ſpatium jam conveniendum poſſint amicabiliter componi, vel juris aſſeqvatione terminari, (quæ tamen via, ne ſtatim ad arma concurratur, ſed Chriſtiano ſanguini parcatur, ante omnia tentari, & de modo ejus jam tractari & concludi debet,) tencantur tam una quam altera pars, atque utriuſque partis fœderati & adhærentes, junctis cum parte læſa conſiliis viribuſque, arma ſumere ſine mora aut tergiverſatione ad repellendam injuriam, ſtatim atque poſt dictum ſpatium conventum, & rem non tranſactam vel decißam fuerint ab injuriam paſſo admoniti. XVIII. In horum omnium & ſingulorum fidem majuſque robur inſtrumenta pacis manibus & ſigillis utriuſque partis Legatorum firmata ſtatim hic mutuo extradantur, atque ex illo momento pax firma & rata ſit, & arma ceſſent; atque interim ad hunc finem eo citius aſſequendum, parcendumque ſanguini Chriſtiano, de brevi & æquo armiſtitio conveniatur: ita tamen, ut in tractatione ipſius pacis ſimul procedatur, neve ex eo mora ullæ pacis tractatui injiciatur. Eorum vero confirmationes tam ab Imperatore ac Imperii Statibus, quam Regibus Regnisque Suecia ac Galliæ, eorundemque Ordinibus & Statibus, ut moris eſt, juxta formulas concipiendas ſignatæ intra duos Menſes à dato hujus communicentur. His denique communitatis publicatio & executio Pacis excipiat & ſequatur. His ita declaratis ſi Corona Suecia adquieverit, & eaque illi incumbunt, debite præſtiterit, non dubitant Plenipotentiarii Cæſarei, quin pax utrique parti honorifica, firma, & perpetua exſtitura ſit, & omnia ex commoda exinde proventura, quæ Domini Legati Suecici Imperatori & Imperio totique Orbi Chriſtiano anguarantur.*

J. Maxim. Comes de Lamberg. Jo. Crane.

Reſponſum ad Gallorum propoſitionem.

§. 84. In eundem ſenſum, & iiſdem fere verbis Monaſterii ad Gallorum propoſitionem reſpondebatur, niſi quod de reſtituendo Lotharingiæ Duce additum erat. „*Et quia ad diuturnitatem hujus pacis conciliandam Galli poſtulaverant, ne Cæſarei deinceps ſe controverſiis inter Galliam & Hiſpaniam immiſcerent, Cæſarei reponebant; in id poſtulatum conſentire neque ſupremam Cæſaris inter Chriſtiani orbis Reges & Principes dignitatem, ac univerſalis Eccleſiæ Advocati munus, neque debita vaſallo protectionis obligationem, neque propinqui ſanguinis ac naturæ jura, nec gratitudinis rationem ob tot tamque illuſtria Imperatori ac Imperio, totique orbi Chriſtiano in diverſis occaſionibus præſtita gratuita officia permittere. Quod ſi tamen utique bellis inter Galliam & Hiſpaniam ſe ingerere non debeat Cæſar, Gallos viciſſim Suecis, ſi quid belli ipſis cum Cæſare oriatur, nullo modo auxilia ferre debere; & nihilominus ſalva ſemper perſiſtere jura Imperatori, Ordinibuſque ac Regi Catholico ex Imperii legibus & conſtitutionibus, ac præcipue ex tranſactione Burgundica Anno 1548. ab Imperio confirmata competentibus.* 1645.

Judicium de hoc reſponſo.

§. 85. Iſthoc ex reſponſo Sueci atque Evangelici haut adeo ingens in Cæſare pacis deſiderium colligere poterant, cum ad ea, quæ ab iſto concedi videbantur, jam antea vi juratæ ſuæ capitulationis teneretur; reliqua inſidioſis conditionibus circumſcriberentur. Id præcipue placebat, quod Cæſar amicos tractatus ſuper controverſiis circa pacem religioſam, & bona ſacra agitatis annueret. Id quod tamen Gallis magnopere diſplicuiſſe ferebatur: qui apud mediatores queſti fuerant, ea de re in Suecico reſponſo, non ſuo, mentionem fa- 22. Sept. ctam: quibus hi repoſuerant; Suecos ſolos eam rem tetigiſſe. Unde Galli jactabant: id caput data opera à ſe præteritum, & ſibi animum fuiſſe, iſti ad extremum obmutui, imo Galliam potius cum Hiſpania, Auſtria, ac Catholicis in Imperio adverſus hæreticos conſilia operamque ſociaturam iſtorum inſtituto impediendo. Nunc ſatis adparere Cæſari non tam ſacra curæ eſſe, quam ut hac conceſſione Proteſtantium favorem aucupetur. Quæ à Mediatoribus relata Cæſarei ſtatim actis ſuis inſeruerant. Etſi Galli poſt pleraque iſta inficiabantur; tantum ſe mediatoribus rationes omiſſi ejus capitis expoſuiſſe, quod in fraudem Catholicæ religionis facere quid ſibi nefas foret. Nec eo minus operam daturos, ut inter Ordines conveniat.

Super Cæſareorum reſponſo Regiis tradendo dubium.

§. 86. Poſt exhibitam Cæſareorum declarationem quæſtio apud Ordines oriebatur; num utique neceſſarium foret hos ſuper ea ſententiam prius dicere; quam Regiis eadem tradatur? Monaſterii pleriſque videbatur, eo fine ſibi eam exhibitam, ut, quid de illa cenſerent, Cæſareis exponerent. Unde præpoſterum fore poſt traditum id reſponſum Mediatoribus, inde Regiis, demum idem deliberationi ſubjicere. Contra ad maturandos tractatus facturum erat, reſponſum Regiis ocyus communicari, quo ſpatium foret idem expendendi, ac ad ſuperiores ſuos referendi; ut tamen nondum id pro re concluſa habeatur, ſed ut Ordinum prius ſententiæ audiantur, iiſdemque jus ſuffragii ſalvum ſit. Ita decretum fiebat, Cæſareorum arbitrio relinquendum, num Mediatoribus declarationem ſuam communicare velint: addito tamen, imperfectum adhuc id opus, ſuper quo deliberationi prius ſubjiciendo Ordines mentem ſuam Cæſareis exponere velint. Othabrugenſes quoque ſatis perſpiciebant, ſolis ſuis conſultationibus parum ad ſummam rei profici, quæ magnam partem ex Regiorum arbitrio dependeat. Unde placebat Cæſareos monere, reſponſum id Regiis communicarent; ſimul hiſce ut id acceptent perſuadere. Quo facto monita ſua hiſce communicaturi erant, ut illa replicæ inſerant, ipſique adeo emolumenta ſua Regiis patrocinantibus evincere poſſint. Regii quanquam ideo Ordines ad tractatus invitati eſſent, ne à Cæſare quid abſque illorum conſilio & conſenſu ſuſciperetur, ac re inter Cæſareos Ordinesque hærente invidia moræ in iſtos redundatura eſſet: ſatius tamen videbatur Ordines interruntiorum vices obire, ac poſt replicam Regiorum redigendis in concor-

1645. concordiam partium ſententiis operam navare. Nam ſi ab Ordinibus prius omnia diſcutienda forent, multum temporis fruſtra terebatur, ac metus erat, ne Cæſarei Ordines Regios divulſos ſuis plane partibus adjungerent: qui & facile à Cæſareis ſeduci poterant, ne à Regiis cautè ipſorum ageretur; id quod ante acceptum Cæſareorum reſponſum hi commode facere non poterant. Denique ſatisfactionem eo facilius Ordinum opera obtentum iri, ſi animadvertant, ipſorum commoda Regis cordi eſſe.

Controverſia ſuper quatuor excluſis continuatur.

§. 87. Quatuor illos, quos Principum ſenatu tantiſper, dum Cæſareorum reſponſum traditur, excluſos diximus, Oſnabrugenſes utique admittendos decreverant. Quo nomine & Monaſterienſibus per literas expoſuerunt, quæ circa exhibitionem reſponſi contigiſſent, ut ipſi fidem ſuam Sueciis obſtringere neceſſum habuerint, neminem Ordinum deliberationibus adfuturum, niſi quatuor illis vocatis. Adverſus Magdeburgicum nihil rationis ſupereſſe: qui & declaraverit, quæ hoc tractatu ad formulam Comitiorum haut adſtricto fierent, deinceps à ſe in exemplum non alleganda. Cæteros utique audiendos eſſe, quos ſatius ſit ſententiam inter alios Ordines amice, quam exterorum Regum favore ſublevatos, inſenſis animis expromere. Petere igitur, ne ipſi in re manifeſta ſcrupulos moveant, Cæſareisque perſuadeant, ne hanc ob cauſam paci mora injiciatur. Hiſce Monaſterienſes acerbas literas reponebant, quas etſi major pars omitti, aut ſaltem mitigari cenſerent, Auſtriaci tamen inſcio Senatu
21. Sept. illas transmiſere. Addebatur exprobratio; ejusmodi obligationem, quæ univerſos Ordines, ipſumque Cæſarem ſpectet, inducere penes ipſos non fuiſſe, & ut ejuſmodi illicitis deinceps abſtineant. Quia autem Monaſterienſes literis ſuis quædam inſeruerant, quæ altius penetrare videbantur, Oſnabrugenſes miſſo Monaſterium Georgio Achatio Hehero Vinarienſi, & Gloxino Lubecenſi illis expreſſè contradicunt, reſervatis ſibi
30. Sept. quæ opus foret. Sed ab his, quæ poſtremis literis ſignificaſſent, nullo ſe modo receſſuros. Circa
De Magdeburgico in ſcamnum ſecularium recipiendo. Magdeburgicum, plerisque videbatur, ſi iſte in extraordinario hoc negotio ſedem in ſecularium ſcamno capere velit, Catholicos Monaſterii minus repugnaturos, qui alias conſcientiæ id ſuæ adverſari jactent. Qui & ab hoc temperamento, quod citra fraudem ipſius cauſæ fiat, ſe non alienum eſſe teſtabatur. Sed cum Catholici metuerent, ne Magdeburgici exemplo alii Evangelici Præſulatuum poſſeſſores paria poſtularent, ac jam Meclenburgicus velut Sucrinenſis & Raceburgenſis præſulatus poſſeſſor, ne ſibi præjudicium fieret, moneret; Magdeburgicus tamen peculiari jure niti videbatur, velut Primas Germaniæ, & qui Senatu excluſus locum ſententiæ non invenichat. Cum reliquis Evangelicis Epiſcopatuum poſſeſſoribus aliorum Principatuum nomine citra controverſiam Senatus pateret. Unde decernebatur, Magdeburgici admiſſioni utique inſiſtendum. Meclenburgico autem, cæterisque perſuadendum, ea prætenſione tantiſper deſiſterent; deque hoc ſpem Catholicis Monaſterii faciendam.

Mediatores diſtinctius ſuper ſatisfactione proponi volunt.

§. 88. Aſt Mediatores Monaſterii Gallos urgebant, ut maturando negotio ſuper ſatisfactione diſtinctius mentem ſuam exponerent, fœderatisque idem perſuaderent. Promtos ſe heic oſtendebant Galli, apud Sueeos jactantes; totam ſe Alſatiam cum Philipsburgo poſtulaturos; nec dubitare, quin de Benfelda Sueci gratificaturi ipſis ſint. Sueci contra præmaturum cenſebant de ſatisfactione movere. Unde & à Brandeburgicis oblatos ſuper Pomerania tractatus variis prætextibus eludebant; ipſis tamen inſtantibus mandata è Suecia petituros ſe pollicebantur. Palatinis ablegatis de Gallorum in ipſos ſtudio ſcrupulum injecerant continua horum cum Bavaris commercia. Unde cum illi apud hos quæ in rem eſſent monere non omitterent, Galli non ſine exſecrationibus teſtabantur; nil ſibi tractatuum cum Bavaris in fraudem Domus Palatinæ agitari. Galliam circa integram Palatinarum terrarum reſtitutionem nec latum quidem pedem ceſſuram. Id juſtitiam ejus cautæ requirere, ac ipſius Galliæ ſecuritatem. Sed quando de Electorali dignitate mentio fiebat, contractis humeris innuebant, maximam circa hanc difficultatem fore. Circa quam cum ita ingenue mentem ſuam panderent, Palatini in reliquis quoque verba deſtinatis reſpondere ſibi perſuadebant. 1645.

Galli Palatinis ſpem faciunt.

§. 89. Oſnabrugæ cum poſt amotum Danum Electorales inſtinctu Cæſaris fruſtra mediationem captaſſent, repugnantibus tam Sueeis, quam Ordinibus; Contarenus denuo Reip. ſuæ operam obtulit, velut quam Cæſarei acceptaſſent, ac Regina Sueciæ olim admiſiſſet. Sed quia Legatus ei muneri obeundo præſto non ſit, noſſe cupiebat, num placeat, ſi quis Reſidentis dignatione id operæ ibi ſuſceperit? Cui reſponſum; non diſplicere Reip. Venetæ mediationem: ſed ut iſti muneri exercendo minore vir dignatione, quam ipſe Monaſterii foret, adhibeatur, id haut congruum, nec Sueciæ acceptum fore. Etſi tam de Contareno, quam Chiſio Galli quererentur, velut nimium in Hiſpani partes pronis.

Venetus denuo Oſnabrugæ mediationem offert.

§. 90. Movebatur quoque tunc Civitatibus Imperialibus per Cæſareos controverſia ſuper ipſarum ſuffragio, quod illi conſultationis aut conſilii, non deciſionis vim habere contendebant. Contra David Gloxinus peculiari ſcripto oſtendebat, Civitates jus ferendi ſuffragii pari cum cæteris Ordinibus efficacia habere; eadem formula ad Comitia vocari, in ſubſcriptione eodem modo cum aliis ipſarum mentionem fieri. Et quanquam conſpirantibus duabus ſuperioribus Curiis unicum ipſorum ſuffragium numero vincatur; tamen ubi illæ inter ſe diſſenſerint, eam Curiam vincere, cui civitatum ſuffragium accedat. In quam rem è nuperis Ratisbonæ Comitiis exempla adducebantur. Oſnabrugæ quoque in Senatu Principum quæſtio turgebat ſuper occupatis per Sueeos Provinciis, Pomeraniæ Ducatu, Præſulatibus Bremenſi, Verdenſi, Mindenſi, Oſnabrugenſi, & Halberſtadienſi, quis eorum nomine ſuffragium ferre debeat? Nam iſtarum nomine Regina Ordinibus ſe Imperii inſerere nondum poterat. Ut Ordines provinciales aut Canonicorum Collegia eas vices ſubirent, haut ſatis è dignitate, nec ſine præjudicio erat, velut Regina de jure belli quid remiſiſſet. Et quanquam Sede vacante Capitula Epiſcoporum vices ſuppleant; tamen nunc vacantiam non eſſe, cum Regina bellica ex occupatione potius jus, quam Epiſcopi ex electione, obtendat. Sed nec reliqui Ordines *Mediatos* iſtos in Senatum admiſſuri erant. Igitur placebat diſſimulandum eſſe, iſtorum præſulatuum nomine ſuffragium ferri ab illis, qui alias eoſdem ſibi vindicatum irent, & ab adverſa parte pro legitimis dominis agnoſcerentur.

Quæſtio de Civitatum Imperialium voto deciſivo.

De ſuffragio Provinciarum per Sueeos poſſeſſarum.

§. 91. Cum ob titulum *Excellentiæ*, quem Elec-

De Excellentia

1645. Legatorum Electoralium.

ctorales à reliquorum Ordinum Legatis exigebant, congressus inter ipsos impedirentur; Principales decreverant hactenus Electoralibus indulgere, ut velut ultro, ac citra superiorum mandata in hoc duntaxat tractatu capitibus legationum Electoralium eum titulum deferrent, salvo tamen jure suorum Principum, & ne ista res ad alios actus porrigeretur. Enimvero uti creditum fuerat, à Cæsareis & controversiam super modo consultandi, & hancce super titulis injectam committendis inter se Ordinibus: ita eodem spectare censebatur, quod nunc Cæsarei illis ad se evocatis pro imperio injungerent, eo titulo Electores dignati; qui à se iisdem haut denegetur. Unde Principales, omisso quod ceperant consilio, ne superioribus suis præjudicium crearent, ad hosce rem istam referre cogebantur. Succi à toto Electorali Collegio missos pari cum Regiis honore affecerant; Cæsareis exemplo præeuntibus. Etsi is honor primariis duntaxat Legatis, qui & alias illustri erant loco nati deferretur, uti è Moguntinis erat Cratzius Comes, & Brœmserus Baro, è Brandeburgicis Witgensteinius Comes, Baroque Lœvvius. Jureconsulti autem Krebsius, Fritzius, Wetenbecius; Fromholtus in incessu, ac sessione inferiorem locum capiebant, nullo alio quam *Dom. Ablegatorum* titulo. Sed nunc quid agendum foret, si eum honorem singuli deposcerent, non parum dubitabant. Ac præter alia metuebant, ne Principum, Civitatumque Legatos offenderent, qui hactenus manibus pedibusque obnixi erant, ne Electorale fastigium ipsis prægrave fieret; Electorales autem delato isto honore parum sibi obstringerent, velut eundem Cæsari debituros. Contra Galli, etsi Principalium rationes probarent, jam Bavaricum eo honore mactare cœperant, quem nunc retractare difficile erat; simul ferebant, ex aula sibi injunctum, capita præsertim Electoralium Legationum hoc titulo salutare. Unde judicabant, circa finem tractatuum alium titulum pro Regiis Legatis comminiscendum quo à reliquis dispari dignatione, sed qui parem honorem affectarent, distinguerentur. Quo fine quidam vocabulum *Sublimitatis* pro Legatis Regiis proponebant. Nam *Excellentiam* etiam Scholæ contagio videri obsolescere.

Cæsarei secretos cum Suecis tractatus capiunt.

§. 92. Inter publicos pacis tractatus Cæsarei haut omittebant secretos cum Suecis tentare opera Didaci Savedræ Legati Hispanici. Is, contracta Monasterii cum Rosenhahnio familiaritate, prolixum sermonem ingressus, ante omnia demonstrare conabatur; Gallos à pace abhorrere, ac Suecos ab iis intra semestre decipiendos. Jam antiquitus exiguam fœderum curam Gallis fuisse, ac non ita pridem hos cum Venetis, Sabaudo, & Parmensi adversus Genuam, & Hispanicam in Italia factionem societatem iniisse; mox tamen istis insciis clam tractatu cum Hispanis conclusio socios destituisse. Nec minus nunc Gallos cum Suecicis Legatis fraudulenter agere, ac secretos tractatus machinari; scriptum profetens, quo propositæ à Gallis pacis condiriones continebantur. Super his quotidie cum Electoralibus negotiari clam ipsis Cæsareis: Nec dubium sibi Electores amore pacis fraudibus se præbituros, Ecclesiasticos cumprimis, qui vix unde victitent habeant, & quorum parum interfit, sub Cæsaris, an Galli patrocinio degant. Promisisse Gallos Bavaro, dignitatem Electoralem ipsi ac terras Palatinas salvas fore: Moguntino, ac Trevirensi, ac Francisco Wilhelmo Osnabrugensi prætulatus suos restitutum iri: hos vicissim pollicitos operam suam, ut Galli occupatas hoc bello ditiones retineant. Quæ hactenus ab Austriacis consilia sub dominatum redigendæ Germaniæ agitata arguantur; nunc cogente necessitate abjecta. Quin jam ipsorum re vera interesse, ut primo interregno Cæsarea dignitas in aliam familiam Principalem inferatur. Cum enim Imperium sit velut sponsa absque dote, maximisque sumtibus onerata, quibus tolerandis Domus Austriaca cum Regnis ac provinciis suis, subsidio accedentibus tot ex Hispania myriadibus, vix par fuerit, gratum huic fore, si & alius experiendo discat quanti is honor constet; mox tædium sui pariturus. Interea Austriacos invidia liberandos velut perpetuam Imperii possessionem affectantes, & mox ultro iterum ambiendos, ob lene ipsorum regimen, & quia nulla Domus isti oneri sufficiat. Alias Cæsaris ac Hispani res fere ad extremum redactas, vacillantibus præsertim jam Electoribus, & evastatis ditionibus hæreditariis. Igitur cum spes non sit, Galliam paci se præbituram, optimum fore, si Suecia honestis conditionibus eam amplectatur; cujus exemplum sequendi necessitatem Galliæ fore, aut si nolit, Sueciam armis cum gloria positis bellum illis relinquere posse, qui cupiant. Quod si id negotium sibi committatur, se brevi pacis leges opimiores quam nunc credi possint, Sueciæ contecturum; idemque ita secrete peracturum, ut nemini mortalium tale quid agitari suspicio oriri queat. Enimvero Legati Succici, re per Rosenhahnium ad ipsos delata, agnoscebant quidem statum, Cæsaris & Hispani non multo meliorem, quam Savedra depinxerat: Enimvero ideo consiliorum telam eos plane abrupisse, id persuadere sibi non poterant. Nec quæ à Gallis hactenus agebantur, tantam ab ipsis perfidiam, quantam Hispanus arguebat, metui linebant. A Bavaro latæ conditiones cum ipsis communicatæ fuerant, & quæ cum hoc atque Moguntino, Trevirensique tractabantur, eo spectabant, ut hi à Cæsare divellerentur maximo cum Austriacarum rerum damno. Unde judicabant, ista ab Hispano insidiose sparsa diffidentia inter Socia Regna, dissidioque serendo. Equidem curiose observandas Gallorum actiones; quamdiu tamen eandem quam hactenus viam insisterent, cavendum, ne familiari nimis cum adversariis conversatione suspicionum ansa ipsis præbeatur. Unde suadebant Rosenhahnio, quantum possit Savedram defugeret, aut ad ejusmodi sermones ne descenderet. Ita Hispani conatus irriti fuere.

Cæsarei responsum suum per Electorales Suecis insinuare conantur. 5. Octob.

§ 93. Cæterum moniru Ordinum Cæsarei responsum suum Osnabrugæ Regiis per Electorales exhibere decreverant. Id quod Brandeburgici Suecis sub vesperam significabant, crastini diei horam octavam huic actui designantes. Addito, ut si Suecorum replica Cæsareis iterum tradenda foret, sibi ejus operæ honor ne abnegaretur. Suecis ipsa angustia temporis suspicionem movebat, nec obscurum erat Electorales paulatim mediatorum munus invadere velle: id quod Ordinibus displicere norant. Unde reponebant; melius fore, si per selectos ex Ordinibus id fiat; quo in actu Brandeburgici sine dubio primi loci prærogativa potituri sint. Et Luneburgicus, Castellanus ac Meclenburgicus, quibus ea res à Suecis statim communicabatur, agnoscebant, hoc ipso mediationem Regiis juxta & Ordinibus parum proficuam, ac præ hisce eminentiam affectari, quam ipsi

1645. ipſi per hoſce tractatus intra juſtos limites compactum iri ſperent. Redibant mox Moguntini, & Brandeburgici Secretarii, narrantes cum in Cæſareorum arbitrio ſitum ſit, cujus opera heic uti velint, in honorem Reginæ amborum Electorum Legatos delectos ob defectum Mediatoris, & quia ob titulum *Excellentiæ* Principales iſtis hac in functione miſceri nequeant. Oxenſtierna cum valetudinis minus commodæ obtentu rem pauliſper diſtuliſſet, tandem ut & Brandeburgicis, & Ordinibus ſatisfieret, ſimul adverſus Moguntinum offenſa oſtenderetur, quod primarium ſuum Legatum Oſnabrugâ avocaſſet, reſpondebat; cum ob valetudinem ſuam tam ſplendidam miſſionem admittere haut integrum ſit, non diſplicere ſibi, ut traditio per Cæſareum Secretarium fiat. Sed ſi in ſequentem diem expectare velint, honori ſibi ducturos, ſi Brandeburgici ſoli Cæſareum reſponſum adferrent. Brandeburgici etſi honorem ſibi exhiberi agnoſcerent; tamen ægre id laturos Cæſareos, ac Moguntinos videbant. Unde cum ſatis quid Sueci vellent perſpicerent, à
22. Oct. Secretario id ſcriptum hiſce exhiberi patiebantur.

Sueci ſalvum conductum mediatorum denuò poſtulant.

§. 94. Cæſareorum reſponſo accepto Sueci id cumprimis non digerebant, quod iſti ſuper ſalvo conductu *mediatorum* ingreſſu ſcripti adduxerant. Et quanquam Galli cenſerent, Replicam prius adornandam, inde Cæſareis denuntiandum, non prius eam editum iri, quam circa id negotium ſibi ſatisfactum fuerit: tamen quia & colloquio cum Suecis habito Cæſarei jactabant, ipſos nullo jure ei poſtulato inſiſtere, ſcripto rem illam deducere inſtituunt, idque Cæſareis exhibendum cu-
21. Oct. rant. Oſtendebatur ibi ab initio Regios poſtulaſſe, omnes quorum intereſt ad tractatus admittendos debita ſecuritate munitos. Id quippe prioribus conventibus omiſſum cauſam præcipuam fuiſſe, quare ſtabilis pax coaleſcere non potuerit, excluſis ad novum bellum confugientibus. Non *immediatorum* autem, ſed *mediatorum* quoque, ut tuto huc veniant, intereſſe, quorum cauſam nemo melius quam ipſi agere queant. Id poſtulatum quod Cæſar abnueret, tractatus præliminares ſeptimum in annum extractos. Demum Cæſarem in id conſenſiſſe ex ipſa ſalvi conductus formula ſatis patere, qua nullo diſcrimine mediatorum & immediatorum *adhærentibus* Regnorum ſecuritas tribuatur; nec alio ſenſu Suecos, Regemque Daniæ id intellexiſſe. Salvium transmiſſam à Danico Cancellario Reventlovio ſalvi conductus formulam, in qua vocabulum *adhærentes* omiſſum erat, remiſiſſe, idemque vocabulum ut inſeratur poſtulaſſe, adnexa ratione; *quod alii Coronarum adhærentes, qui ex Ordinum claſſe non eſſent, æque ac Ordines ſalvo conductu opus habeant.* His literis per Danum ad Cæſarem transmiſſis id verbi poſtea inſertum. Nec perſpicere ſe, cur tanta heic difficultas moveatur, cum duæ duntaxat, aut ſummum tres urbes ea diplomata hactenus deſiderarint non in Cæſaris aut ſuperiorum ſuorum fraudem, quippe quæ Suecorum armis teneantur, nec ut ſeſſionem ſibi in Comitiis vindicent, ſed ut emolumenta ac jura ſua eo melius obſervent. Harum certum numerum ut ipſi edant non teneri: ac raro citra præjudicium, quod ſimpliciter conceſſum ſit, ad certum modum reſtringi.

De quatuor excluſis controverſia conciſa.

§. 95. Quos ab Oſnabrugenſibus ad Monaſterienſes miſſos diximus, Vinarienſis ac Lubecenſis ab hiſce contendebant; mutarent ſuam ſententiam, ac paterentur Magdeburgicum, & reliquos deliberationibus adeſſe, ne forte hac occaſione tractatus non ſine exitio patriæ abrumpatur. In horum ſenatu cum ſententiæ dicerentur, Auſtriacus ſuccinente Burgundo, ac Bavaro clamitabat; malle ſe hinc diſcedere, quàm ut id fiat pati. Quibus plerique Præſulum ſuffragabantur, tum ne Magdeburgici exemplo aliis Evangelicis Præſulibus aditus panderetur; tum quia Caſſellanis ob emunctam tributis Weſtphaliam infenſi erant. Quorum quidam eo uſque incaluerant, ut vel ſtatim eam ob cauſam tractatus abrumpi non recuſarent. Mox tamen congreſſu cum Oſnabru- 6. Oct.
genſibus habito demum concedebant, ut Magdeburgicus inter ſeculares ſeſſionem caperet, nullo Catholicis in poſterum præjudicio, & ut quantum in ſe prohiberent, ne alii Evangelici præſulatuum poſſeſſores ad ſeſſionem adſpirarent. Sed & ad extremum adductis pro Caſſellana rationibus cedebant, modo Cæſareis ſatisfieri poſſet valde quidem indignantibus, ejus legatos, dum eadem ferrum in Cæſarem ſtringit, non niſi ſemel perfunctoria ſalutatione ipſos dignatos, ut vix alia quam hoſtilia conſilia ab iiſdem expectari queant. Contra Longuevillius Dux ex convento cum Sue- 7. Oct.
cis Oſnabrugenſium Deputatis ſignificabat: ne verbum quidem ſuper pacis negotio amplius facturos, ni ſuper admiſſione hac ſibi illisque quorum interest, ſatisfactum ſit, præcipuo pro Caſſellana ſtudio. Nam pro Magdeburgico remiſſius nitebantur. Inde Sequeſtres hiſce proponebant; excluſos forte hac lege admiſſum iri, ſi Magdeburgicus ſeparatam ab Eccleſiaſticis & ſecularibus ſedem arripiat, ac Caſſellani Cæſareos prius ſalutatum eant. Quorum prius Galli in Magdeburgici arbitrium contulerunt; poſterius ea lege admiſerunt, ſi ea ſalutatio non neceſſitatis, ſed civilitatis ſpeciem habeat. Ac ut Cæſarei Magdeburgicum eo citius admitterent, declarabant: ſe aliorum quoque Præſulum paris conditionis cauſam ſuſcepturos, ſi qui à ſe id poſtulent, antequam cum Magdeburgico tranſactum ſit: ſed hoc admiſſo cæteros ſe rejecturos. Nec eo minus Monaſterienſes, qui ægre admodum ad iſtorum admiſſionem deſcendebant, denuò re in conſultationem deducta decreverunt, apud Regios, ac Oſnabrugenſes Ordines tentare, num alia via res componi poſſit; tam Cæſareorum Oſnabrugæ, quam Moguntini & Brandeburgici opera apud hoſce uſuri. Placebat quoque ab Auſtriacis eo mitti, qui directoris vices, à Magdeburgicis hactenus obitas, in Senatu Principum ſuſciperet: tum ut è Catholicis aliqui eo ſe conferant autoritate ſua ſecum ſentientibus pondus addituri. Denique rogandum Saxoniæ Electorem, ut filium iſta prætenſione deſiſtere hortetur. Ita Oſnabru- 17. Oct.
genſes Deputati re prope infecta diſceſſere. Eas moras à Cæſareis injectas conſtabat, ut ſpatium foret ex aula ſuper hoc negotio mandata accipiendi.

Palatini proteſtatio rejicitur.

§. 96. Inter hæc Palatinus Elector proteſtationem ſervando ſuo juri adverſus Bavari uſurpationes conceptam ſuis Monaſterium transmiſerat. Quam tamen Brandeburgici ab his conſulti præmaturam cenſebant & couſque differendam, quoad ſuper Palatina cauſa agi inciperet; præſertim cum metus ſit, ut id ſcriptum admittatur. Quia tamen ita juſſi erant, ablegati Palatini id Moguntino velut Collegii Electoralis Præſidi obtulere; 19. Oct.
qui acceptare id abnuit, quod Bavarus in Unionem Electoralem receptus ab omnibus pro tali agnoſcatur, nec ea ſuper dignitate controverſiam

eidem

1645. eidem moveri par ſit. Ea de repulſa quanquam Palatini quererentur: tamen ſatis patebat, ab Ordinibus parum ipſis heic firmamenti fore, plerisque jactantibus, ſe litem hanc nolle facere ſuam. Unde maximum in Regiis præſidium ſibi repoſitum videbant. E quibus tamen Galli de recuperanda ditione amplam, de dignitate Electorali exiguam ſpem oſtendebant. Eoque in Palatinorum arbitrio relinquebant, num fortunæ aleam proprio Marte ſubievante nemine tentare, an vero certa pro ambiguis amplecti mallent. Nam quod de æquilibrio in Electorali Collegio objiciebatur, id Galli reſpondebant ſuo auxilio commode ſuppletum iri.

De Trautmansdorfio Comite magna eſt expectatio.

§. 97. Eodem tempore Electoris Trevirenſis Legati Hugo Fridericus Eltzius, Joannes Anetanus, Bruerius & Schererus Monaſterium ſolenni pompa ingreſſi ſunt, Cæſareorum Gallorumque rhedis obviam prodeuntibus. Qui tamen mox inſuper habita Longuevillii Ducis commendatione, parum præſtabilem operam circa admiſſionem excluſorum navabant. Sed longe majoris momenti erat, quod Cæſarei literas ſecuri itineris pro Trautmansdorfio Comite non Regios ſolum, ſed & Joannem Vultejum Caſtellanum poſcebant, Oſnabrugæ ſimul ac Monaſterii facta in iis mentione, quod is utraque in urbe maturando pacis negotio deſtinatus eſſet. Ingentem de eo ſpem excitaverant Cæſarei, velut ejus opera paucos intra menſes pax concludenda foret, Evangelicis omnia ex voto obtenturis. Regii tamen, ac cumprimis Galli, ſuſpicabantur, præcipuum ipſius negotium fore Ordinibus illudere, & utcunque ſatisfacere, iisque in partes Cæſaris pertractis internam, quam vocabant, pacem ſtabilire. Tum Regios Ordinibus disjungere, aut ſi ullo modo fieri poſſit, inter ſe committere. Ac jam rumor præceſſerat, Ordinum primo, inde Succorum poſtulata annuiturum, inſuper habitis Gallis, quibus nihil gratificaturus ſit. Eam ob cauſam Regii Legati inter ſe convenere circumſpecte, ac ſociatis animis conſiliisque agere, ac eludendis Cæſareorum conatibus præcipuos Ordinum clam confirmare, ne conſilia ſua præcipitent, aut ſeparatos ad tractatus ſeduci ſe patiantur, ſed ſuam, Coronarumque cauſam conjunctim abſolvi curent.

Labardæum pro Legato agnoſcere Succi abnuunt. 21. Oct.

§. 98. In locum Rortei è Galliâ Oſnabrugam Labardæus mittebatur, qui ut Legati dignatione haberetur, Succis perſuadere ſatagebat, ſolicitantibus id quoque Gallis Monaſterio Legatis, qui eum honorem ipſi detulerant. Ferebatur eum à Rege Legatum ad Helvetios deſtinatum; ſed cum rerum exterarum peritia pollere crederetur, huc ad tempus miſſum. Sibi perſuaſum Reginam hac ratione majore honore affici; quin mediatores miratos, cum Succi Reſidentem duntaxat Monaſterii habeant, Gallos iſtorum tractatus Legato honorare. Succi, qui obiter tranſeunti eum honorem negaturi non erant, cum ſtabilem Oſnabrugæ ſedem meditari videretur, id abnuere velut præliminari conventioni adverſum, qua ſemel infracta exemplum ad plura tranſiturum erat; & quia ex eo facile colliſio aliqua oriri poterat. Unde oſtendebant, ſi Galli utique velint, ſibi hanc rem velut novam ad Reginam referendam, ejusque juſſa expectanda. Unde Labardæus ea prætenſione deſiſtebat, ac Monaſterienſes ſe honorem illum iſti feſtinaſſe pœnitebat.

Querela Palatini Sultzbacenſis.

§. 99. Cœperant jam complures ad Legatos Succicos querimonias ſuas deferre. Quos inter Auguſtus Palatinus Sultzbacenſis ſcripto oſtendebat; Principatum Neoburgicum quondam à Palatino Ottone Henrico in patruelem ſuum Wolfgangum donatione per Imperatorem confirmatâ collatum, cui inhærens æs alienum Ordines provinciales ea lege diſſolvendum in ſe ſuſceperint, ut ſacra ad formulam Auguſtanam perpetuo ipſis libera forent. Eam donationem poſt teſtamento renovatam, per quod & omnibus in infinitum ſucceſſoribus Auguſtana ſacra ita ſint injuncta, ut ſi quis eadem abrogare ausus ſit, Principatu excidat in proximum agnatum devolvendo. Idem quoque Palatinum Wolfgangum teſtamento caviſſe per Maximilianum II. Cæſarem firmato. Per eundem quoque jus primogenituræ introductum, certis portionibus in poſt-genitos collatis, in quas primogenito Philippo Ludovico certa quædam jura in ſpeciem præeminentiæ reſervata ſint. Eandem legem hujus teſtamento filio Wolfgango Wilhelmo ſub pœna commiſſi dictam; quam hic & vivo adhuc parente, & eo defuncto cum regimen ſuſciperet ratam habuerit. Haut eo ſecius tamen hunc non ſolum per ſuam ditionem, ſed etiam fraternis in portionibus Auguſtana ſacra abrogaſſe, civibus vi ad Romanos ritus compulſis, ipſis quoque fratrum auctis vi eo nomine intentata; qui & obtentu ſuperioritatis territorialis, quæ tamen certis limitibus circumſcripta ſit, aliis modis fratribus moleſtus fuerit. Illhæc violentia ut tam in ſacris quam civilibus ab ipſorum ſubjectis amoveatur, resque in priorem ſtatum reponantur, Sultzbacenſis rogabat. Alt *Immediatæ*, quæ vocatur, Nobilitas ſacris Evangelicis addicta querebatur, ſibi aditum ad beneficia Eccleſiaſtica præcludi, quorum magna pars à majoribus ſuis profecta ſit. Tum pacem Auguſtanam per Catholicos ita arctis limitibus circumſcriptam, ut ab anno hujus ſeculi viceſimo nono ipſorum ſubjecti per vim ad ſacra Romana ſint compulſi, velut iſta pax ad ſolos nobiles ſpectet. Cui malo remedium fieri, ſimul ut amneſtia ad annum decimum octavum retrahatur, petebant. Sed & exules Auſtriaci, ſubjectarumque Provinciarum, interprete Hehero Vinarienſi, cauſam ſuam peculiariter commendabant, quod in Succica propoſitione Bohemorum duntaxat mentio facta ſit, & ipſi jam ante motus Bohemicos exercitio ſacrorum Evangelicorum privati fuerint. Igitur ut bonis, dignitatibusque, & libero ſacrorum uſui reſtituerentur, orabant. Denique Egra urbs oſtendebat, ſe cum cognomine diſtrictu in immediato Imperii ſolo extra terminos Regni Bohemiæ ſitam ante trecentos triginta annos ex cauſâ pignoris ſub Regno acceſſiſſe: poſt eam tamen oppignorationem aliquoties in Comitiis comparuiſſe, ac non ad modum Bohemicarum, ſed Imperialium urbium habitam; quin nuperis Comitiis Ratisponenſibus ultro intra membra Imperii exemta & reſtituenda relatam fuiſſe. Nec eo minus advertus fidem à Cæſare, & Electore Saxoniæ datam Evangelicis ſacris privatam, quingentis ejectis, qui Romanas ceremonias abnuerant; quibus oppido excedentibus quarta bonorum pars ademta fuerit. Eam ob cauſam ipſa reſtitutionem in integrum expoſcebat.

Immediatæ Nobilitatis.

Exulum Auſtriacorum.

Et civitatis Egranæ.

Novum de amneſtia decretum promulgatur 1. Oct. 30. Oct.

§. 100. De nova Amneſtiæ formula promulganda Cæſarei jamdudum ſpem fecerant, quæ nunc à Cæſare promulgata per totum Imperium dimittebatur. Per eam clauſula effectum ejuſdem ſuſpendens tollebatur, manentibus de cætero limitationibus, queis eam *Receſſus* Ratisponenſis circum-

1645. cumscripserat. Id edictum cum Osnabrugam adferretur, quo minus publice affigeretur Sueci Legati apud decuriones intercedebant. Idem tamen Monasterii nullo prohibente affixum; Gallis testantibus captiosum id, atque in fraudem potius quam emolumentum Ordinum cedere: ac è re sua esse, idem Ordinibus innotescere, ut adversæ partis fraudes intelligant, ac quam jejuno exitu tantopere decantata amnestia claudatur. Sane nullo modo eadem Evangelicis Ordinibus satisfaciebat. Quod & Osnabrugenses Cæsareis Legatis demonstrabant, petentes ut illa rite concepta denuo sub finem tractatuum publicetur.

Circa satisfactionem Coronatum difficultas.

§. 101. Incipiebat jam magnis animorum motibus agitari Regnorum satisfactio, Gallis non obscure amplius Alsatiam cum Philipsburgo innuentibus. Qui & ab Ordinibus Osnabrugensibus postulabant, ut in sua sententia demolitionem Benfeldæ, ac Philipsburgi silentio præterirent, Argentoratensibus aliisque adstitis Ordinibus amicam viciniam polliciti, si cupitis ipsorum non obsisterent. Eam occasionem Cæsarei arripiebant Ordinibus in suas partes pertrahendis.

91. Oct. Qui & Osnabrugæ evocatis ad se Altenburgico, Argentoratensi, & Colmariensi Gallorum destinata exponebant; nec Cæsari in animo esse tam nobilem Imperii partem, in qua duodecim Imperiales urbes sitæ sint, alienare. Igitur Ordines mature media circumspicerent istud prohibendi. Sueci quanquam satisfactionem præcipuam in Regni sui securitate sitam jactarent, quæ Ordinibus in pristinum statum repositis fere proventura esset; tamen ab hinc Pomeraniam affectari nemini non persuasum erat. Quæ Provincia etsi Cæsareos languidius, quam Alsatia velut propria tangeret; tamen Ordinibus inculcare non omittebant; periculosam eam rem non solum ob mutilationem Imperii, sed & quod exteris janua pandatur invadendæ Germaniæ inde per Alsatiam, hinc per Pomeraniam. Nam licet bello nunc posito, temporis successu, & hominum mutatione facile novam cum istis turbarum materiam enasci posse. Inprimis apud Hanseaticos Suecorum potentiam exaggerabant, & quantum periculi ipsis immineat, si isti tot portubus in ora Germaniæ potiantur. Simul ostendebant, si vires ipsi suas conferre velint, haut necessum fore tam insignes Germaniæ partes exteris absorbendas tradere. Quo nomine & Cæsareus apud Hamburgenses Minister Plettenbergius Daniæ Regem denuo ad arma pertrahere nitebatur. Inprimis Brandeburgici magnam heic solicitudinem ostendere. Ac initio omnem Sueciæ satisfactionem abnuere, Cæsareisque indignari, quod dum ad Schœnbeckianam formulam provocant, istis præmiorum spem fecissent; id quod & Gallis paria postulandi ansam dederit. Inde non apud Cæsareos tantum, Ordinesque, sed ipsos apud Suecos manibus pedibusque obnitebantur: Electorem extrema quæque prius tentaturum, quam ut vel minimam Pomeraniæ partem concedat. Si vis tentetur adpariturum, quid inde proventurum sit. Non Cæsarem solum, sed & Polonum, Danumque ad vindicandam Pomeraniam auxilia promisisse. Ordines desperata consilia capessituros, cum securitatis suæ tantopere interssit. Ipsos Gallos Suecorum destinata haut probare. Nam Austriacis erepta tanquam hostibus jure retineri posse. Sed à Suecis Pomeraniam absurde postulari, cum non Brandeburgicus, sed Cæsar ipsis satisfactionem debeat. Unde postulabant, ea prætensione abstinerent, alias merita sua in Ordines penitus consumturi. Sueci contra demonstrabant; si huc res deducatur, Electoris damnum haut quæri, sed æquivalens, aut melius quid pro Pomerania ipsi reddendum. Nunquam ipsum Pomeraniæ possessionem tenuisse, ac ni Suecorum arma intervenissent, forte in Bavarum eam fuisse transferendam, aut Cæsaris patrimonio innectendam. Præcipitia consilia ipsi Electori maximo damno cessura. Externa auxilia parum lucrosa, & neminem gratis suppetias laturum, ac illa, super quibus certatur, in sumtus belli eroganda. Sed Witgensteinius permutationem, aut pensationem apud Electorem locum inventuram prætracte negabat. Matrimonio tamen cum Regina succedente litem circa Pomeraniam expiraturam. Quo casu alia ratione Suecis satisfieri quea, Bremensi prætulatu, aut simili quopiam dato. Sane constabat, Brandeburgicis non tam de Provincia illa agi, quam quod hoc modo spes de connubio Reginæ plane interimi videretur. Nam si illhoc Sueciæ placeret, Pomerania lege connubii eidem innectebatur, & alia ipsi satisfactio patebat. Nunc Pomerania postulata quid de connubio sperandum, facile adparebat. Ita Brandeburgici, qui hactenus Suecis haut spernendam operam navarant, ab his magis in dies alienabantur, præsertim cum Legati Suecici ostenderent, de peculiari transactione circa Pomeraniam se nihil in mandatis habere, sed eam rem ad communes tractatus rejicere jussos. Unde omnibus modis Ordines in suas partes pertrahere nitebantur, jactantes, Electorem in ipso exercitu Suecico non exiguam factionem sibi addictam habere. Nec Cæsarei omittebant, hac occasione istum ad arma in Suecos submenda stimulare.

Trautmandorfius Monasterium venit. 19. Nov.

§. 102. Venit inde Monasterium Maximilianus Trautmansdortius Comes consiliorum in aula Cæsarea arbiter; qui quacunque transierat, omnes propinquæ pacis spe impleverat, inprimis testatus, Ordinum desideriis plene satisfactum iri. Magnis ille laudibus ferebatur, quod privatas rationes post publicum bonum habuisset, quod gratiosis aulicis alias haut solitum sit à conspectu principum longius digredi. Consilium ipsi fuerat Ordinibus primum satisfacere, tisque Cæsari unitis exteros armis, & artibus compellere ad Germaniam citra præmium relinquendam. Et quærebatur sane hoc consilio dignitas Imperii, sed quia eo ipso autoritas Cæsaris inligniter glisceba, Ordines suspicione perstringebantur, quod isti temperandæ exteros in Germaniam exciissent. Unde his destinatis evolutus, Protestantibus satisfacere constituit, & hac via Suecos sibi conciliare, & à Gallis divellere; id quod Hispani suggerebant, ut Imperium in Galliam concitaretur. Quæ consilia Gallis per Bavaricos & alios Catholicos communicata effecerant, ut Bavaro se arctius innecterent, & Suecos non parum suspectarent. Idem primo loco Hispanos, inde Gallos invisebat, ac his indignantibus nulla ambage jactabat: id huic loco quam optime congruere, ut primo amicis honos exhibeatur, inde neutri partium addictis, ad extremum hostibus. Et quia in omnibus ingenua libertate nullo fuco utebatur, multa ab ipso citra offensam fiebant, quæ ab alio facta tolerata non fuissent. Is prima salutatione super Gallorum satisfactione differens Alsatiam quidem nullo modo à Cæsare concedi posse ferebat. Mandatum tamen sibi Metensem, Tullensem, & Virodunensem Episcopatus offerre, quibus jus Imperii

1645. perli in Pignarolum, tum & Moyenvicum, munimentis prius dejectis, acceſſurum ſit. Quæ à Gallis cum irriſu accepta ſua ſibi dari cavillantibus; veluti ſi Cæſari offeratur ut Auſtriam retineat. Sed non diu Monaſterii moratus iſte Oſnabrugam ſe contulit. Cujus conatus ut præverteret Servientus paucos ante dies eodem excurrerat, ne forte is Ordines ſeduceret, ac Suecos opimis conditionibus à Gallia divelleret; queis prolixe de Gallorum in fœdere conſtantia pollicebatur; Ordines ſimul hortatus, ut junctis animis, antequam Trautmansdorfius adeſſet, certi quid decernerent, cui inſiſtere velint, & cui ipſi Repliçam ſuam ſuperſtruere poſſint.

5. Dec. 27. Nov.

Oſnabrugenſium ſententia ſuper pace.

§. 103. Satis egerant hactenus Oſnabrugenſes circa concipiendam ſuam ſententiam ſuper Regiorum propoſitione, & Cæſareorum reſponſo; quæ huc redibat, ut abolitis circa Eccleſiaſtica & Politica gravaminibus omnia in ſtatum anni decimi octavi reponerentur. De Regnorum ſatisfactione obiter monitum; cum horum poſtulata ita laxe concepta ſint, ut non conſtet, quid, & à quo petatur; unde, etſi ſua peculiariter non interſit, ſententiam ſe in ſuſpenſo habituros, quoad Regii mentem ſuam diſtinctius expoſuerint. Alias facile inter ipſos ſuper omnibus convenerat: niſi quod Lutheranos inter & Reformatos nonnihil controverſiæ ortum. Nam ut hi ſacra ſua tuto exercere poſſent, quod Sueci poſtulaverant, & Cæſarei annuiſſe videbantur, illi quidem non invidebant. Ut tamen iidem pacis religioſæ beneficio per omnia, ac præcipue jure ſacra mutandi gauderent, haut æquo animo ferebant; quod Reformati non minus quam Pontificii circa propaganda ſua dogmata laborarent, nuper etiam Lutheranorum querelis è Clivia ad Legatos Suecicos delatis. Quia autem verba in propoſitione Suecica, & Cæſareorum reſponſo laxius poſita erant, quæ ſucceſſu temporis in magnum Auguſtanæ Confeſſionis præjudicium trahi poterant, placebat cautionem à Reformatis exigendam, antevertendis è ſiniſtra interpretatione incommodis. Qua ſuper re Suecos clanculum per Magdeburgicos conulebant. Id quod Sueci vehementer diſſuadebant, velut diſſidio aut diffidentiæ cauſam alieno plane tempore daturum, adverſariis in ſinu gaviſuris. Unde Lutherani, ne Reformatorum inſtituta aperte probarent, in declaratione ſua ſuper quartum articulum id negotium ſilentio transmiſerant. Id quod Reformatis ſuſpectum videbatur, qui, ut Lutherani candide ſuam mentem aperirent, poſtulabant. Igitur cum hi formulam quandam conciperent, iſti eam corrigi petebant, ita ut ſuper eadem inter ipſos conveniri non poſſet, Brandeburgicis cumprimis & Haſſis rem acriter urgentibus. Quorum illi differebant, ſe Auguſtanam Confeſſionem, cui pax Religionis innititur, amplecti, ut tamen ad opiniones deinceps exoras adſtringi nec velint, nec poſſint. Nec eò minus ſe ab omnibus Statibus Auguſtanæ Confeſſionis ſacrorum ſocios in omnibus Imperii conventibus, & electione Cæſarum habitos. Nec Pontificios quid ſcrupuli moturos, qui circa controverſias inter Theologos Auguſtanæ Confeſſioni addictos neutri parti adſtipulentur.

Diſceptatio inter Lutheranos & Reformatos.

Controverſia cum Hanſeaticis.

§. 104. Sed & inter Principales, atque Hanſeaticos controverſiæ quid oriebatur, quod horum expreſſa à Suecis mentio facta eſſet, idemque, cum Ordines in declaratione ſua facturos ſe recepiſſent, poſt Principales mutata ſententia omiſſe. Oſtendebant hi, moris non eſſe in conventibus Imperii Hanſeaticorum, velut diſtincti corporis, inter Ordines mentionem fieri. Idemque ſuperfluum eſſe, quod Hanſeaticarum nonnullæ jam antea Imperialium clatſe cenſeantur, uti quarum perſonam ſui Principes referant; quibus fraudi ſit, ſi iſtæ per ſe cauſam ſuam hoc agent. Nec ſatis conſtare, cui fundamento fœdus Hanſeaticorum innitatur, quem finem ſpectet, & quæ urbes eo contineantur. Contra Hanſeatici reponebant: Non Comitia hæc, ſed communis pacis conventum, cui obeundo ſocia Regna pro mediatis æque ac immediatis ſalvum conductum obtinuerint, illosque æque ac hos reſtitui poſtulaverint. Unde & eorundem gravamina audiri par eſſe, præſertim cum & ſubditorum Cæſareorum, ac ſingulorum quorundam mentio ſit facta. Tum & Hanſeaticorum conditionem ſeparatam plane a ſingularium urbium ſtatu eſſe. Haut in animo ſibi eſſe, lites, quæ ſingulis urbibus cum Principibus ſuis intercedunt, huc trahere; ſed id duntaxat quærere, ut omnia in eum ſtatum, qui ante bellum fuit, reponantur. Scopum fœderis ſui nullius fraudem, ſed commerciorum conſervationem ſpectare, idque à Cæſare, Imperioque & omnibus fere Europæ Regibus probatum, confirmatumque. Quo ſublato privilegia, quæ illa ſocietas apud victa Regna obtinet, magno cum Germaniæ malo collaptura ſint. Hanſeaticorum denique vocabulo illas urbes nunc comprehendi, quæ à quinquaginta amplius annis, & hoc quoque tempore uti fœderi adhæſerint.

1645.

Caſſellanorum poſtulata. 30. Nov.

§. 105. Obtulerunt & tunc poſtulata ſua Caſſellani, quibus, poſt communem amneſtiam, ac reſtitutionem omnium in anni decimi octavi ſtatum, abolitis gravaminibus circa ſacra & profana, cupiebant ſibi ſuisq; omnibus peculiariter ſuper bonis, dignitatibus, juribus, receptoque apud ſe ſacrorum uſu caveri. Tum ut Cæſar jus primogenituræ in ea Domo, omnesque conventiones inter ſe, & cum aliis confirmet. Ut ſibi ex teſtamento Ludovici ſenioris debitæ, aliæque terræ ab anno decimo octavo vi ereptæ cum omnibus fructibus & damnis expenſisque reſtituantur. Comitis Waldeccæ prætenſiones ob damna bellica, & ſumptus hoſpitiorum, queis ipſe cauſam dedit, aboleantur. Denique ut à Bavaro, Ligiſtisque data ſibi damna refundantur; interim ſibi loca occupata detinere integrum ſit. Non modicam negotio pacis moram hactenus ſalvus conductus *mediatorum* dederat, quem Cæſarei prætracte abnuerant, donec Trautmansdorfius Oſnabrugam adveniens inſigni facilitate oſtentata pro Erfordia, & Stralſunda diplomata ad eum, quem petierant Sueci, modum exhiberet. Quibus poſtulandis Sueci hactenus inhiterant, non tam quod iſtarum urbium ablegatis tuto Oſnabrugæ agere non liceret, quam ut præluminari conventioni ſatisfieret. Idem Trautmansdorfius prima ſalutatione inter alia poſtulaverat, ut Sueci ad caput de ſatisfactione duntaxat ſcripto replicarent, ut Cæſar, cui divitâ cum Ordinibus in Imperio poteſtas, eo commodius cum hiſce deliberare poſſit. Nam amneſtiæ jam à Cæſare ſatisfactum, & gravamina in Comitiis decidenda.

Salvus conductus mediatis tandem conceditur. 7. Dec.

Controverſia circa excluſos Ordines componitur.

§. 106. Illi Ordines, queis ſuper admiſſione in Senatum à Catholicis controverſiam moram diximus, haut eo ſecius Oſnabrugæ deliberationibus interfuerant. Et quia Catholici cedere abnuebant, ad extrema fere proceſſum, dum quidam Evangelicorum ſeorſim deliberationes inſtituere

1645. agitant, quos inter Magdeburgicus, Luneburgicus, Meclenburgicus, Lubecenſis, Argentoratenſis, aliique: unde ſeparatio Ordinum utriusque religionis ſecutura erat. Quidam etiam conjunctionem cum Succis, & arma differebant, niſi
20. Nov. alii ſedatiores id inhibuiſſent. Tandem Monaſterienſes metu, ne in nervum res erumperet, declararunt, ut Magdeburgicus tanquam Saxoniæ Dux ſcamno ſeculari conſideret, certa cautione interpoſita; Caſſellanus in cauſis Imperii publicis admitteretur; in militaribus, & quæ ipſius Principem ſpectarent, Senatu excederet. Durlacenum quoque, & Saræpontanum Senatus capaces fore, ſi Pacem Pragenſem admittant. Sed cum alii iſtas conditiones repudiatum iri oſtenderent, circa Durlacenum & Saræpontanum placebat, iſtos prius apud Cæſareos Legatos profiteri, ſe Cæſarem pro legitimo ſuo capite agnoſcere, ac operam
22. Nov. in communem rempublicam collaturos: id quod ſtatim factum. Reſtabat igitur ſola Magdeburgici cautio, cujus formula à Culmbacenſi, & Wurtenbergico Oſnabrugam transmittebatur,
26. Nov. addito, ne omnia ad vivum exigerentur. Enimvero Magdeburgici negabant eam ab ſe admitti poſſe; quod nefas ſibi ſit, Principem ſuum ſolo Ducis Saxoniæ vocabulo inſignire, excluſis aliis titulis. Nec reliquos Principes conceſſuros, ut ille velut Dux Saxoniæ, quo reſpectu ditione careat, ſententiam dicat; id quod periculoſi exempli ſit: nec eo caſu cautione opus fore. Agnoſcere quoque nolebant, ſuper Magdeburgici ſeſſione & voto quidquam hactenus conſuetudine publica in contrarium receptum. Sed & penes ſe eſſe negabant, cæteros Evangelicos Epiſcopatuum poſſeſſores ſenatu excludere; etſi pollicerentur, ſe operam & diligentiam navaturos, ut iſti hac prætenſione deſiſtant. Suſpicio erat, morarum cauſas affectari, quod ab aliis quoque Evangelicis eam cautionem ſubſcribi vellent; cum Legatos inconſultis Principibus id non auſuros conſtaret. Deni-
7. Dec. que iniquum videbatur, à Catholicorum parte ea, quæ nunc agantur, pro non actis haberi; ſibi viciſſim non pari clauſula caveri. Tandem à Monaſterienſibus Oſnabrugam miſſi ſunt Jo. Conradus Krebſius, Petrus Buſchmannus, Leonardus Richtersbergius, Petrus Weimſius, Joannes Philippus Vorburgius Moguntini, Colonienſis, Au-
11. Dec. ſtriaci, Burgundi & Herbipolenſis Deputati: qui cum Evangelicis tandem in has leges convenere, ut in præſens Magdeburgicus Poſtulati Adminiſtratoris nomine transverſo ſcamno inter Eccleſiaſticos & ſeculares ſedeat, ac poſt Auſtriacum, Bavarum, ac Burgundum ſententiam dicat, de cætero ea res communi cauſæ præjudicium ne adferat.

Evangelici gravamina ſua exhibent.

§. 107. Deerat adhuc Oſnabrugenſium ſententia ſuper Regiorum propoſitione, ac Cæſareorum reſponſo, quam dudum in omnia capita meditabantur. Sed monebant quidam, Monaſterienſes Catholicos eam haut quaquam velut à Collegio Ordinum legitime profectam agnituros; quam diſſidii cauſam Oſnabrugenſes præbere nolebant. Sed nec inter Lutheranos & Reformatos ſuper articulo quarto ſatis conveniebat, quod hi cuperent, iſtos expreſſe profiteri, utrosque æque pace religionis contineri; id quod Lutherani ſuppreſſa plane ſua ſententia declinatum ibant. Suſpicio etiam erat, quia de ſatisfactione Coronarum frigide admodum velut de re, quæ ipſos non tangeret, mentionem fecerant, Succi contra paucis ſaltem verbis exprimi monuerant, iſtam jure à ſe poſtulari, eam offenſæ materiam hoc modo evitare conſultum duxiſſe. Igitur *gravamina* duntaxat ſua quæ vocabant excerpere, ac vulgare placebat, quæ Cæſareis, Succiſque ac Moguntino Directorio per Deputatos exhibita, ſimul Gallis 11. Dec. cæterisque Ordinibus Monaſterium transmiſſa ſunt. Quorum initio præfati: illatas ſibi adverſus Paſſavienſem tranſactionem, Pacemque Religionis multiplices injurias nunc haut memorati diſſidii excitandi cauſa, aut in cujusquam offenſam, aut ut ipſam pacem Religionis ſolicitare animus ſit; ſed demonſtrandis pacis obſtaculis, quibus haut amotis, tuta quies in Imperio fruſtra ſperetur; nec credendum fœderatos Reges, qui ſecuritatem ſuam tranquillitati Germaniæ ſuperſtruant, arma poſituros, niſi penitus ſublato hoc diffidentiæ turbarumque fonte. Ac primo quere- Gravamen Primum de reſervato Eccleſiaſtico.
bantur, à Catholicis perhiberi, Præſules Canonicoſque, ubi ad ſacra Evangelica tranſierint, præſulatibus ac beneficiis ſuis excidere, etiamſi Capitulum quoque in eam mutationem conſentiat, aut pariter ad eadem ſacra tranſire velit. Quo fine ſtrictiorem juramenti formulam, aſperioreſque leges introductas. Evangelicis Præſulibus, quod hi pallium à Pontifice non acceperint, Regalia, ſimul ſeſſionem ac ſuffragium in Comitiis abnegari. Id quod diſertis verbis pacis religioſæ repugnet, qua caveatur, ne quis Ordinum ob Auguſtanam Confeſſionem moleſtia afficiatur, ſed ſacris, ditionibus, juribusque ſuis quiete fruatur. Quod etiam anni 1541. 1544. & Paſſavii 1552. ſancitum. Nec Electorale Collegium anno 1555. cum prima pacis Religioſæ formula conciperetur, ullam huic mutationem voluiſſe, aut velle potuiſſe, quando ſuper perficienda iſta pace, ac introducenda æqualitate quam maxime agebatur, ut Evangelici ſibi ſacrorumque ſociis aditum ad dignitates & emolumenta ſacra præcluderent, ac non citra contumeliam, & conſcientiæ violationem religionem ſuam notarent, velut cauſam, & modum amittendi dignitates & ditiones. Neque auditos fuiſſe illos Præſules, qui ad ſolos *Seculares* Ordines pacem illam reſtringi cupiebant. Quæ omnia, cum Anno 1583. Gebhardus Elector Colonienſis ob aſſumtam formulam Auguſtanam non ſine contumelia, ac præjudicio Cæſaris ac Imperii à Pontifice præſulatu, ac Electorali dignitate exueretur, Cæſari per Palatinum, Saxonem, & Brandeburgicum Electores ita ſolide demonſtrata ſint, ut agnoſcente Thuano Hiſtorico ad ea reſponderi non potuerit. Fruſtra è pace ſacra objici clauſulam illam, quæ *Reſervati Eccleſiaſtici* vocabulo vulgo venit, cum illa vim legis nunquam induerit, ac facultate obligandi deſtituatur, nec generali conſtitutioni per eam derogari potuerit, quod expreſſe additum ſit: Ordines ſuper eo negotio convenire non potuiſſe. Nam nec novas ferri leges, nec veteres interpretando alterari poſſe, niſi univerſorum Ordinum conſenſu. Ac Paſſavii anno 1552. conventum, ne in cauſa religionis major pars ſuffragiorum reliquos adſtringeret. Neque Regi Ferdinando, ac Catholicis Ordinibus, ſi maxime voluiſſent, poteſtatem fuiſſe legibus Imperii, & paci religionis abſque conſenſu Evangelicorum, qui iſti clauſulæ ſemper contradixerunt, derogandi. Quin nec Evangelicos eam rem unquam in arbitrium Regis Ferdinandi contuliſſe, ſed hunc ex poteſtate per Cæſarem collata ita diſpoſuiſſe; quæ hucusque non porrigatur, ut invitis Ordinibus legem obtrudere queat. Et quanquam Evangelici teſtati ſint, ſe Regi præſcri-

1645. ſcribere non poſſe quid ex conceſſione Cæſarea facere, aut omittere velit; mox tamen eodem ſcripto addidiſſe; ſe in Reſervatum id conſentire non poſſe: & cum factum interendi Reſervati prohibere non poſſent, ſaltem verba ut mitigarentur poſtulaſſe. Eum diſſentium ſequentibus conventibus, & ubicunque occaſio tulerit, ſerio repetiiſſe. Ac Ferdinandum Cæſarem An. 1557. d. 17. Februarii promiſiſſe, ſe iſtius contradictionis memorem fore. Maximilianum quoque II. id caput litigiotum habuiſſe, ſuper quo alia transactio tentanda ſit. Etſi Evangelici eam rem indubiam habeant, Catholicos Reſervato iſto, verbis, rationi, & ſcopo conſtitutionum Imperialium adverſa fronte repugnante abſtinere, nec tot illuſtres, egregiasque familias Cathedralium Eccleſiarum functionibus, & beneficiis, quorum pleraque ab ipſorum majoribus profecta ſint, excluſum ire. Tum ut recens introducta juramenta ac ſtatuta aboleantur, nec uti hactenus impediatur, quominus Evangelici Prælules Regalibus, juſto titulo, ac ſeſſione & ſuffragio in Imperii conventibus potiantur. Ne Evangelicis acceſſus ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica obtentu jurium Papalium dudum ſuſpenſorum intercipiatur, aut difficilis reddatur, multo minus Auguſtanam Confeſſionem profeſſi dignitatibus, & commodis excludantur; ſed ut potius, ubi excluſi iſti ſunt, ad præbendas & in capitula reſtituantur, ac ſede vacante Evangelici Prælules eligantur.

Gravamen ſecundum de bonis Eccleſiaſticis mediatis.

§. 108. Demonſtrabant inde, poteſtatem circa ſacra apud Evangelicos Ordines à jure territoriali dependere, cui & facultas comperat ſuper bonis ad ullus ſacros deſtinatis diſponendi. Nec eo ſecius Catholicos Evangelicis litem ſuper mediatis cœnobiis templisque movisſe, quæ à tempore tranſactionis Paſſavienſis Eccleſiaſtici quocunq; modo poſſederint, velut Evangelicis Ordinibus licet in territoriis ipſorum ſita reformare fas non fuerit. In quem finem falſo allegari quædam ex pace Auſtuitana (§. *Dagegen.* §. *Dieweil auch*, §. *Dann und.* §. *Als auch.*) & decretum Comitiale An. 1544. quibus tamen nihil aliud ſtatuatur, quam ut Eccleſiaſticis, & Monachis, qui ob religionem in alias ditiones conceſſerunt reditus ſui ex Evangelicorum ditionibus concedantur, in quorum poſſeſſione tempore Paſſavienſis tranſactionis fuerint. Ac Camerales Spirenſes hanc regulam tradere; cujus eſt regio, ejuſdem eſſe de religione diſpoſitionem: qui & lites Evangelicis ob reducta bona Eccleſiaſtica motas decidere noluerint, ſed ad Comitia rejecerint. Catholicos contra ſubitis proceſſibus, mandatis, & commiſſionibus ex aula Cæſarea obtentis, ac præcipue Edicto Anni 1629. Evangelicos oppreſſiſſe, ac multa Cœnobia reditusque citra cauſæ cognitionem, & ignorato accuſatore eripuiſſe. Unde pacis intereſſe, Catholicos in poſterum talibus auſis abſtinere, & ab Anno 1618. erepta Cœnobia, templa, ſcholas, reditus ſacros reſtituere. Tum ut Equeſtri Ordini jus circa ſacra ſubditorum ſuorum diſponendi liberum ſit. Ubi tamen mixtim diverſis ſacris addicti habitarunt, rem relinquendam in eo ſtatu, qui Anno 1618. fuit. Inprimis duriſſimas leges, quibus Aquisgranum, Auguſta, Dunckelſpula aliæque urbes ſubjectæ fuerunt, abolendas.

Gravamen tertium de autonomia ſubditorum.

§. 109. Oſtenſum dehinc, Pace Auguſtana cautum, ne Evangelici ſubditi Catholicorum Ordinum ob religionem in exilium ejiciantur, ſed ut in arbitrio ipſorum ſit manere, aut æqua bonorum portione relicta emigrare. Quæ claris verbis diſpoſita cum Catholici ſolicitare inciperent, Ferdinandum Regem jam Anno 1555. d. 26. Sept. illis demonſtraſſe; mutilam fore pacem, & male fidam, ni ſubditi quoque ſacrorum libertate fruantur; eoque omnibus promiſcue conſulendum. Unde Catholicos Ordines eam rem Regis ultius arbitrio commiſiſſe; qui & declaraverit, ſubditis receptum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium relinquendum. Ad quam declarationem in Comitiis Ratisponenſibus anno 1575. productam Catholici nil aliud quod reponerent habuiſſe, quam ſe iſtam ignorare; ac declarationes ejusmodi in pace religiosa prohibitas. Id quod tamen de futuris, & ad inſtantiam unius partis obtentis declarationibus intelligendum; ac fruſtra ignorantiam adverſus notoria Imperii acta allegari. Nec eo minus Evangelicos ſubditos paſſim, etiam ubi exercitium ſuorum ſacrorum magno pretio redemerunt, immaniter habitos. Non publicum modo cultum ademtum, ſed & apud vicinos eo uti veritum: privatim ſermones ſacros audire, libros Evangelicos legere, hymnos canere graviſſimis pœnis interdictum, ac qui contra feciſſe deprehenſi ſint, velut atrociſſimo delicto admiſſo ingenti pecuniæ ſumma, aut diuturnis carceribus mulctatos. Acceſſiſſe immenſum contemtum. Velut inteſtabiles rejici, ab honoribus & muneribus excludi, concionatorum liberos velut illegitimos notari; feuda niſi præſtito prius juramento religionis non conferri, quin ſepulturam velut extremæ ſacramoniis abnegari. Porro emigraturos magna bonorum parte emunctos: alicubi volentibus emigrationem plane interdictam, & carceribus aliisque moleſtiis multos ad Pontificia ſacra compulſos. Iſthanc contumeliam & perſecutionem tanquam radicem diffidentiæ, & exacerbationis penitus exſcindendam, extorta bona reſtituenda, publicum exercitium ubi quondam fuit reſtituendum, ubi non fuit introducendum, neminem ad bona ſua vendenda ob religionem cogendum, nec ideo jus civitatis alicui denegandum. Inprimis Palatini Auguſti liberos in ſtatum anni 1625. tam in Eccleſiaſticis quam Politicis reſtituendos.

Gravamen quartum de reditibus ſacris.

§. 110. Cum porro pace religioſa cautum ſit, ut reditus Evangelicorum Cœnobiis, aliisque ſacris locis è Catholicorum terris debiti præbeantur; utque è reditibus ſacris, quæ ex Evangelicorum provinciis Catholicorum terris debentur, Sacerdotibus, Scholis, Xenodochiis, pauperibus proſpiciatur: omnia his contraria fieri: reditus inhiberi, ad eleemoſynas percipiendas Evangelicis non admitti, Sacerdotibus, & Xenodochiis debita ſubtrahi. In quam rem præcipue Auguſtanorum, Weiſſenburgenſium, Biberacenſium, Kaufbeurenſium, Dunckelſpulenſium, Ravensburgicorum, Lindavienſium, & aliorum querimoniæ notoriæ ſint.

Gravamen quintum de Jurisdictione Eccleſiaſtica.

§. 111. Cautum inſuper eadem pace, ut jurisdictio Eccleſiaſtica, & jura, quæ Papa ſibi arrogat, ita ſuſpenſa & ſublata ſint, ut ea nullo modo adverſus Evangelicos Ordines eorumque ſubjectos exerceri queant. Quo & ſpectent conventiones, atque *Concordata* inter Pontifices, ac priores Cæſares inita, Canonesque, & quicquid paci huic fraudi eſſe poſſit. Autos tamen Catholicos Prælules hinc inde Evangelicorum civium cauſas matrimoniales ad ſe trahere, eorum Conſiſtoria turbare, Calendarium Novum obtrudere turbandis eorundem ritus. Quin haut dubitaſſe Nuntios Pontificios Jurisdictionem in Evangelicorum

1645. Præſulatus uſurpare, Prælatos ad videndum ſe privari citare, diſpentare, præbendas aſſignare, per proteſtationes iis quæ inter Ordines convenerunt, intercedere. Ipſum Pontificem in Evangelicorum Præſulatibus vacantia beneficia diſtribuere, ſuper bonis ſacris diſponere, precum primariarum jus exercere. Quibus omnibus via ſubruendæ pacis ſacræ muniatur.

Gravamen ſextum de ſcriptis pacem ſacram impugnantibus, & edicto Ferdinandi.

§. 112. Querebantur denique Evangelici per *Burchardi Anatomiam*, & *Clerum Dillingenſium Compoſitionem pacis*, aliaque ſeditioſa ſcripta pacem Auguſtanam aperte impugnatam, velut temporariam, & vi extortam tolerantiam, nec illos qui contra proteſtari ſint, obligantem, ac ad ſolos Lutheranos ſtrictiſſime dictos ſpectantem. Nec in Cæſaris & Ordinum poteſtate ſitum de bonis ſacris, licet in feudum ab Imperio concedi ſolitis, diſponere, quod ſint res extra commercia hominum poſitæ: eoque Evangelicis nulla commoda poſſeſſionum, nec præſcriptiones concedendas. Alios importunis & falſis precibus adverſus Evangelicos proceſſus à Cæſare obtinuiſſe, quorum initium ab executione factum. Tandem ut ſemel quicquid eſt Evangelicorum everteretur, proxime defunctum Cæſarem à Catholicis permotum, ut exemplo plane inſolito inauditis Evangelicis Anno 1629. Edictum promulgaret, quo pacis ſacræ præcipua capita in Catholicorum favorem detorſerit, reliqua ad futuram diſceptationem ſepoſuerit, iis tamen fundamentis jactis, quæ facile indicarent, qualis pax deinceps ſperanda foret. Mox Commiſſarios paſſim dimiſſos manu militari ſuccinctos, Edictumque nequidquam obteſtantibus Evangelicis executioni datum, tot annorum lacrymis deploratum. Id à Cæſare Edicti & declarationis, à Catholicis edictalis ſententiæ vocabulo nuncupari ſuevisſe: cum tamen declarationes ab una partium obtentæ in pace Auguſtana differte prohibeantur: ac ad vim pragmaticæ ſanctionis conſenſus Ordinum requiratur; ac ipſe Cæſar, dum alteri parti addictum ſe profitetur, ad judicialem ſententiam pronunciandam idoneus non ſit, præſertim Evangelicis non auditis, qui reorum loco habebantur. Nec unquam in Cæſaris arbitrium collatum tamdiu agitata gravamina inſolito exemplo decidere, & pacem religionis declarare, ipſis neque auditis, neque conſentientibus, & quidem tali modo, ut plane omni pace excluderentur. Eoque edictum illud diſertis verbis abrogandum. Hæc igitur omnia ut abſque ulteriore dilatione hoc pacis tractatu componantur poſtulabant, citra quæ pax firma obtineri, aut durare non poſſit. Addebatur, Franciſcanos aliosque Monachos adigendos, ut ad hanc quoq; pacem adſtrictos ſe profiteantur, compeſcendæ eorundem in Evangelicos proterviæ.

Gravamina Politica de pluralitate ſuffragiorum VII.

§. 113. Præter hæc ad religionem ſpectantia querebantur quoque Evangelici Ordines, in Conventibus Imperii non ſine maximo tuo præjudicio à Catholicis ad majora ſemper ſuffragia provocari, velut illis contradicere nefas ſit. Quæ in rebus quidem defenſionem Imperii ſpectantibus, ac Electione Cæſarum, aut ubi duo Ordinum Collegia conſentiunt, locum obtinere per leges Imperii debeant. Sed in negotiis ex mero Ordinum placito pendentibus, ac ubi utrique religioni addicti partium loco ſint, naturali æquitati repugnare, ſi una pars alteri leges, aut onera obtrudere audeat. Unde non ſolum circa religionem tributa, & illa negotia, ubi Ordines ſinguli conſiderantur, ſed & in quibuſvis aliis, ubi Catholici & Evangelici partium loco habentur, ſuffragia non numeranda, ſed utramque partem pro æquali judicandam. Nam ſi Evangelicis ſententia plurium ſemper ſtare neceſſum ſit, è conventibus imperii nihil præter damnum, & denum exitium ipſis expectandum. Inprimis cum in Ordinariis Deputatorum Conventibus Catholici Evangelicos numero longe exceſſerint, æquum eſſe, numerum Deputatorum Evangelicorum Catholicis æquari, quorum & hi monendi ſint, limites per decreta Comitialia poſitos ne migrent, neu quæ ad conventus univerſorum Ordinum ſpectant ſibi arrogent. Tum ut in quibusvis extraordinariis Deputationibus par utriusque religionis Aſſeſſorum ſit numerus. Cum etiam Donawverta præcipitatis mandatis, & executione omni liberrate circa ſacra, & ſtatum civilem exciderit, & vero Rudolphus Cæſar 1609. plenam ejus oppidi reſtitutionem citra exceptionem, nec expenſarum habita ratione promiſerit, orandum eſſe Cæſarem ut anteceſſoris promiſſum nunc expleat, ac illud oppidum in priorem ſtatum reponat. Recenſebatur inde, quid malorum ex juſtitia hactenus prave adminiſtrata promanarit. Ac inprimis de Cæſarea Curia Aulica graves querimoniæ motæ; eam meris Catholicis Aſſeſſoribus compoſitam, cautas religionem & ſtatum Ordinum ſpectantes etiam quæ Spiræ jam agi cœperunt, ad ſe pertrahere; cujuslibet etiam privati petito proceſſus & mandata ſine clauſula decernere, adempto Ordinibus beneficio primæ inſtantiæ, appellationis, & reviſionis; Commiſſiones properatas, nec ſitis alterutri parti æquas conſtituere, & ad nudam harum relationem moleſtas ſententias ferre; Evangelicos Ordines, inprimis liberas civitates executionibus urgere; imo quotidam ſuperiorum Ordinum, non antegreſſa legitima cognitione, dignitate, ac ditionibus exuiſſe; denique multis modis odium adverſus Evangelicos exprompſiſſe, ac juſtitiæ obtentu paribus bello calamitatibus eoſdem obruiſſe. In Spirenſi autem Camera lites per infinitas moras ad ſeros uſque nepotes extrahi, non tam culpa partium, advocatorum, aut judicum, quam ob litium multitudinem, quibus expediendis vix integrum ſeculum etiam pleno judicum numero ſufficiat, nedum ſi plures quotidie accumulentur. Annectebantur quorundam Ordinum peculiares querelæ de Judicio Cæſareo Rotvvilano, Judicio provinciali in Suevia, & Præfectura Provinciali Hagenoica; quæ plane abolerí petebant. Contra expediendæ litium multitudini proponebatur, Judicio Aulico Circulum Auſtriacum & Bavaricum, Spirenſi Cameræ utrumq; Rhenanum cum Burgundico aſſignandum, ac nova duo tribunalia erigenda, quorum tum utrique Saxonicus cum Weſtphalico, alteri Franconicus & Suevicus tribuendus ſit; pari inter ſe poteſtate, in quibus concurrentia, præventio, avocatio, aut inhibitio locum non habeant, ac ut actor ſemper forum rei ſortiri teneatur. Omnia autem pari numero aſſeſſorum utriusque religionis implenda; inter quos ſi ob paritatem ſuffragiorum res decidi non poſſit, eandem ad conventum univerſorum Ordinum remittendam. Si quæ alia huc ſpectent, cum exteris Legatis tædium morura ſint, ad Comitia rejiciebantur; in quibus etiam diſpiciendum, qua ratione ex æquo bonoque conſulendum ſit debitoribus, qui belli calamitate fortunis imminuti, aut plane everſi ſint. His omnibus magno numero ſubneſtebantur querelæ Evangelicorum civium Au-

1645.

De impari Deputatorum numero VIII

De Donawverta oppido. IX.

De juſtitia publica. X.

gu-

1645. gustæ, Dunckelspulæ, Biberaci, Ravensburgi, Kaufbeuræ; quibus asperrime se, atque inhumaniter à Catholicis oppressos demonstrabant.

De hiis judicium quorundam Evangelicorum.

§. 114. Isthæc porro gravamina multis rationibus adornata quibusdam etiam Evangelicis non admodum placebant, quod vererentur, ne Catholici aniam inde arriperent geminum querimoniarum catalogum texendi. Ita in immensum erupturam scriptionis proluviem majore indies animorum utrinque exacerbatione. Unde censebant, melius fuisse paucis verbis rem complecti, rationum explicatione ad colloquii disceptationem rejecta. Nec deerant, qui judicarent, ista haut ita propere publicanda fuisse. Quid Cæsarei super hisce judicarent, è termone Secretarii, quem Trautmansdorfius ad Salvium miserat, colligi poterat; qui differebat, nunquam sibi persuaderi, Reges Sueciæ, & Galliæ ad hanc formulam subditis suis imperare in animo habere. Cui tamen Salvius os obturabat, ostenso discrimine inter utriusque Regni subditos, & Imperii Electores, Principes, atque Ordines, qui haut quidquam pari cum istis classe sint censendi. Catholicis autem præcipue dolebat, quod Reservatum Ecclesiasticum aboleri peteretur; quo sublato Romana sacra brevi in Germania extinguenda sint. Collatis tamen consiliis decreverunt; Gravamina Ecclesiastica Monasterii disceptanda, ac decidenda, Evangelicis contra pertendentibus, super iisdem Osnabrugæ utique agendum, quod Sueci eorum in sua propositione mentionem fecissent, non ita Galli; & quia præsente Chisio qui ista tangere nullo modo volebat, eadem disceptare haut congrueret. Præsertim cum Trautmansdorfius maximam partem temporis Osnabrugæ degere constituisset, Monasterium duntaxat pro re nata excursurus. Unde & Suecos ut idem pertenderent, rogabant.

Et Catholicorum, 20. Dec.

20. Dec.

Stralsundensium petita.

§. 115. Adpulerunt eo tempore Stralsundensium ablegati, qui à Suecis inter alia petebant, ut amnestiæ nominatim, ac si fieri posset separato articulo includerentur, quod diserta cautione opus se habere putarent, utpote qui primi extraneo bello januam aperuisse arguantur. Præsertim cum à Gustavo Rege ejus urbis defensio inter causas belli publicata sit. Tum ut caput de satisfactione ita temperetur, ne pristinus urbis status detrimenti quid capiat; nec ipsi pace hac in duriorem, quam ante bellum, conditionem reponantur, neu præsidio onerentur: præsertim cum non armis subacti sint, sed ultronea conventione Suecorum partibus accesserint. Utque ubi pace reducta cum reliqua Pomerania iterum conjuncti fuerint, vetere statu gaudeant, & levamenti potius quid ex ea conjunctione quam detrimenti percipiant, abolitis ipsorum gravaminibus, & redditis juribus privilegiisque. Denique ut prædia à Gustavo Rege pro ingentibus pecuniæ summis sibi addicta urbis jurisdictioni & tributis subjecta sint, deque hoc in pace ipsis caveatur.

Oxenstierna cum Gallis Monasterii congressus, 6. Dec.

§. 116. Sub finem anni Oxenstierna Monasterium profectus est, extinguendo rumori, velut parum inter Suecos, Gallosque conveniret, de quo & Contarenus literis in Hollandiam scriptis confirmarat; tum ut cum Gallis consultaret, quæ ad Cæsareorum responsum reponenda forent. Præter ista placebat, Cæsareos salvum conductum pro Lusitanis poscere, & quidem ut initio ostenderent, se hoc postulato obnixe inhæsuros; Cæsareis tamen acriter reluctantibus istud omittere. Ersi Galli sibi reservarent cum Hispanis ad tractatus haut descendere, nisi circa hoc sibi satisfactum sit. Et agnoscebant quidem Galli, Suecos haut teneri ad arma continuanda, quoad cum Hispanis quoque bellum positum sit. Cum tamen ipsi pacis cupidi sint, sperare pari passu tractatus utrosque processuros; ad quod Sueci quam possint operam collaturi sint. Quod si tamen Hispanicum bellum diutius gerendum sit, interrogabant, an non exercitum Suecicum ejusque partem facta mutione stipendiis suis autorare queant? Id quod Suecus ad Reginam se relaturum pollicebatur. Circa quartum articulum de quo inter ipsos Evangelicos parum conveniebat, vitium in præsens levi brachio tangere, remedio in aliud tempus rejecto. Circa gravamina Ordinum quæreba tur, annon id affectandum sit, ut Regum velut arbitrio eadem subjiciantur? Sed satius visum septimum articulum propositionis Suecicæ sequi, ut Ordines ipsi quacunque ratione super istis inter se transigant, Regis utilem operam navantibus. Eadem materia cur non & ipsi mentionem fecissent, cum collegas suos Longuevillius subinde interrogaret, hi reponebant; aliam nunc rerum faciem, quam præterita æstate, & nunc à se commodius ista, quam eo tempore urgeri posse. Circa Suecicam satisfactionem cum Oxenstierna de quibusdam Episcopatibus tetigisset, Galli omnibus modis reniti; conscientiam, & existimationem suam haut admittere Suecis hoc tavere. Pontificem, alias ipsis tat iniquum, aniam calumniandi aucupari; hac causa accedente sine dubio confœderationem in Italia molliturum, Cæsari haut leves vires additurum. Extra Pratulatus quicquid postularent Sueci omni se ope promoturos. Ad extremum tamen declarabant; si utique Pratulatus quosdam affectarent, illis animum adplicarent, qui jam ante ab Evangelicis possideantur, qualis Bremensis sit. Ersi metuant; ne Daniæ Rex ægre id ferat, ac forte male coalitum vulnus retricet. De Osnabruga & Minda adspernabantur, ne Franciscum Wilhelmum Episcopum Bavaro addictum offenderent. De Verda utcunque concedebant; circa quam & Bremam difertis verbis excipiebant; ei postulato se non reluctaturos, nec tamen aperte idem sublevaturos. Quia porro utriusque propositionis Regiæ capita non eodem ordine disposita erant, placebat confusioni inter disceptandum evitandæ universa capita ad quatuor classes referre; quarum prima contineret ad Imperium spectantia, de Amnestia, Juribus Ordinum, eorumque Gravaminibus, ac de Commerciis; secunda Regnorum & militum satisfactionem; tertia pacis securitatem; quarta tractatuum complementum, & executionem. Replica porro Regiorum ut scripto conciperetur Ordines per Schurzium Darmstadiensem, & Oelhafium Noribergicum à Suecis peterant, quod metuerent, ne si verbis inter Legatos res disceptetur, Ordines magno cum labore obtentum jus iterum amitterent, à tractatuum moderamine excluſi. Gallis tamen acriter contendentibus, ut replica verbis fieret, Oxenstierna tandem cessit. Dubitatum inde super Regiis utrinque Residentibus, num non solum dum Replicant, sed & quibusvis aliis tractationibus interesse debeant? Galli enim ostendebant, Pontificis Nuntium Suecicum Residentem eodem secum loco tolerare nolle; id quod molestum sibi esse ferebant: paratos se tamen quicquid ipsi mediatoribus proponerent, & quid responsi accipe-

1645. rent, Rosenhahnio statim communicare. Id quod Oxenstiernæ haut satisfaciebat, quod ita in Gallorum arbitrio sit futurum, quid istius notitiæ subtrahere velint. Eoque contendebat, quamdiu Rosenhahnius congressibus Legatorum cum Mediatoribus arceretur, Labardæum quoque Osnabrugæ ad colloquia Suecorum cum Cæsareis admitti non posse; qui tamen de omnibus quæ agantur bona fide certior sit reddendus.

Sueci ad Cæsareorum responsum replicant. 28. Dec.

§. 117. Oxenstierna Osnabrugam reversus quid Monasterii actum foret Deputatis Ordinum Altenburgico ac Luneburgico exposuit. Quibus ista valde probabantur, ac denuo emolumenta Ordinum ipsis commendabant, polliciti, Sueciæ desideriis se vicissim velificaturos. Satis intelligere se, à Suecis primum imperum excipiendum, quos ipsi velut succenturiati fida opera fulturi sint. De cætero omnes plurimum lætitiæ ac spei ostendebant, præter Brandeburgicos, quos cura Pomeraniæ coquebat. Unde misso Wesenbecio à Suecis postulabant, ne circa satisfactionem Sueciæ ejus Ducatus mentionem injicerent; tum ut Reformatorum causam sibi commendatam haberent. Accedebant inde Sueci ad Trautmansdorfii ædes, ubi & Lambergius, Craniusque aderant. Placebat ibi replicam verbis facere quam tamen Secretarii Legationum utrinque scripto exciperent. Ac initio quidem Sueci censebant verba in exordio Cæsarei responsi posita, *qua intentione Corona Sueciæ arma Germaniæ intulerit*, superflua esse; cum notorium sit Gustavum Regem haut ultro, sed armis Cæsareis ac Ligisticis lacessitum, ac ut oppressis Ordinibus succurreret, in bellum pertractum, cum aliud malo remedium non esset. Negabant quoque bellum à se adversus *universum Imperium Ordinesque* gestum; sed Cæsarem tantum, Ligamque, ac socios in Germania hostium loco habitos. Nec adparere, quare Hispaniæ Regem ipsi inter Suecorum hostes retulerint; cum nec Regina, nec Hispanici Legati ullam inter ea Regna hostilitatem agnoscant. Quid per Schœnbeckianum tractatum intelligeretur quærentibus Suecis, Cæsarei respondebant; eo vocabulo omnia comprehendi, quæ inter Axelium Oxenstiernam quondam, & Saxoniæ Electorem acta sint. Ea ut nunc demum incudi subjicerentur Sueci non recusabant, modo præsenti tempori adaptarentur. Potestatem quoque addendi, demendi, ac interpretandi ad finem usque tractatuum denuo sibi reservabant. Inter impedimenta tractatuum Sueci Lusitano, Cæsarei Lotharingo negatum salvum conductum adducebant. Sed quia Cæsarei statim declarabant, eam rem, utcunque cadat, paci remoram non allaturam, quam & Gallis mentem esse Sueci norant, eadem sepositа ad principale negotium accedebatur. Circa Amnestiam Sueci contendebant, ejus initium ad primam belli Originem retrahendum. Ante annum tricesimum, quod initium Cæsarei cupiebant, pleraque patrata, quæ bello causam dederint. Ratisponæ non omnia prout par erat confecta, nec Ordinibus promulgatam ibi Amnestiam satisfacere, quæ Regnum Bohemiæ, hæreditarias Cæsaris provincias, Palatinam causam, Wurtenbergicum, Durlacenum, Saræpontanum, Augustam, Egram, Donavvertam, alioſque excludat, reliquis non nisi Pragensem pacem indulgeat. Quæ pax tamen intalutatis illis, quorum maxime interetat, facta, post vi metuque nonnullis obtrusa, nunquam ex post facto legitime confirmata sit: quæque male fidarum induciarum cum Ordinibus, sed clarigationis vim adversus exteras Coronas habuerit; qua persistente facile nova bellorum flamma exarsura sit; eoque serio pacem cupientibus eandem una cum Ratisponensi Amnestia plane tollendam. In tertio articulo Cæsarei ea verba omiserant, (qui cum Regnis Sueciæ Galliæque quacunque necessitudine *junctis fuerunt*) excludendis illis, qui per vim ad renuntiandum fœderi compulsi fuerant. Unde Sueci nullo modo ea verba expungi volebant. Sic & octavo articulo Cæsarei verba illa induxerant; (*sive ex hereditariis Imperatoris* provinciis oriundi,) ut istos amnestiæ beneficio excluderent; quos tamen Sueci utique illa complecti volebant. Ad Suecorum articulum quintum & sextum Cæsarei repositum erant, *earum rerum Imperatori cum Coronis externis nullam communionem esse*. Adversum quæ Sueci ostendebant: Coronas ante id tempus non magis de Germaniæ statu, quam Cæsarem de iplorum solicitum fuisse; optandum quoque fuisse, Cæsarem, antequam bellum è Bohemia in Germaniam, inde adversus Sueciam, Galliamque verteret, ac tot Ordines bonis exueret, Edictumque anni vicesimi noni conderet, consensum Ordinum rite requisivisse, ac malis indies invalescentibus occurrisse. Tunc enim Lipsiensi conventu, belloque civili aut externo supersederi potuisse; nec Regibus causam fuisse Ordinum libertati ac juribus patrocinandi. Sed quia ista inscis Ordinibus suscepta tantis malis originem præbuerint, vicinis, quorum securitas, tranquillo statu, ac æquilibrio Romani Imperii nitatur, non minus quam Ordinibus fas esse eo conniti, ut istud ad publicas leges in pristinum statum reponatur. Improbabant quoque Sueci illa verba Cæsarei responsi: *Quod si super iisdem Cæsar cum quibusdam Statibus Imperii dissensionis vel dissidii aliquid intercesserit, id jampridem penitus compositum, sublatumque est; prater unam Landgraviam Hassiæ.* Quærebant porro, quid sibi vellet illa clausula; *salvis tamen iis, qua ad Imperatorem & Collegium Electorale solum pertinent, juxta morem ab antiquo in Imperio receptum*? Quæ sint ista *jura* & præeminentiæ Cæsaris & Electorum, quarum nonnullas forte alii Ordines haut agnoscant? Quis *antiquus* mos sit, & num plane ad tempora Tiberii Cæsaris retrocatur. In articulo sexto Sueci verbis; (*modo ea fœdera non sint contra Imperatorem*) addebant, *ut Imperatorem*: ut si hic officii limites prætergressus adversus leges Imperii fundamentales quid tentaret, aut unum alterumve ex Ordinibus injusta vi peteret, huic fœdera cum exteris ad Imperii & suam defensionem inire fas foret. Ad quartum articulum quærebant, quo illa de Reformatis verba spectarent: *si ipsi velint, & quiete vivent*. Ad septimum articulum ostendebant, Evangelicos sua gravamina ipsis exhibuisse, Catholicos suas quoque querelas forte jam adornasse. Illos æqua reconciliationis media admissuros. Idem ut Cæsar & Catholici faciant, Imperii salutem exigere. Ubi æqua forte omnes agant, invidiam abesse. Gravamina veram belli scaturiginem, quæ ut indecisa maneant, Coronas ferre non posse. Unde nosse cupiebant, ubi & quando tractatio inter Ordines eo nomine

1645.

sit

1645. sit instituenda? Circa *satisfactionem* Sueciæ, quod Cæsarei ad formulam Schœnbeckianam provocassent, Sueci quo id spectaret, quærebant. Cæsareis respondentibus, summam pecuniæ intelligi, cum Saxoniæ Elector tunc viginti quinque tonnas auri obtulerit; Sueci reponebant: Saxonem equidem jactasse, tale quid à se oblatum, aliisque id persuasisse; falsas quoque literas ad invidiam Sueeis faciendam eo nomine spartas. Enimvero licet Saxo tale quid offerre forte in mandatis habuerit; eidem tamen demonstratum fuisse, Sueciæ hoc modo satisfieri non posse, cui securitas imposterum maxime spectabatur. Ad quæ tunc nil aliud repositum, quam ut Sueci Stralsundam facessirent, ibique responsum expectarent. Nunc multo minus pecuniam admitti posse. Immerentes, invitosque in bellum pertractos jam sedecim per annos gestum: pace semper cupita potiri nondum potuisse. Inde immensos sumtus fecisse, irreparabilia damna sensisse amissis insuper tot viris fortibus, ac inæstimabili Rege. Cum igitur gentium jus, & ob oculos posita exempla, simul antegressa promissa ac pacta dictitent, Reginam & Coronam Sueciæ indemnem præstandam, eidemque adversus futura pericula cavendum, vitio sibi verti non posse, si locis bello occupatis non prius decedant, quam idonea cautione & satisfactione accepta. Urgentibus inde Cæsareis, ut mentem suam distinctius panderent, demonstrabant; cum Cæsar bello causam dederit, Reginam præcipue ipsum, dehinc Ordines refusionem poscere. Paratam esse loca per Moraviam & Austriam occupata restituere: vicissim Silesiam, Pomeraniam cum Præsulatu Camino, Wismariam & Pælam cum castello à Balæna dicto, & Warnemundam, simul quos occuparit præsulatus cautionis aut satisfactionis loco retenturam, ab Imperio feudi nomine recognoscendos. Interroganti Traumansdorfio, quos præsulatus vellent, respondebatur: omnes, qui in Reginæ potestate sint, inprimis Bremensem Verdensemque; per cæteros fœderatis satisfieri posse. Hac enumeratione Traumansdorfius, bona verba! exclamabat: ita nimirum cito tractatibus colophonem imponi posse. Sane in omnium temporum memoria inauditum ejusmodi pacis leges cuipiam dictas. Solam Silesiam sexaginta in longitudinem milliaria patere, ac sedecim Principatus complecti, è quibus Cæsar inde ab anno vicesimo, septuaginta quinque milliones tributi nomine percepit. Majoris eam à se æstimari, quam Bohemiæ Regnum. Si Cæsar Holmiæ, uti Franciscus I. Madriti, captivus teneretur, ampliora peti non posse. Adversus quæ Sueci regerebant: nihil postulari, quo fines Imperii, aut Cæsaris eminentia imminuatur. Cæsaris vasallagio, quo jam Reges Hispaniæ ac Daniæ teneantur, Reginam nunc accedere, abs qua bello Turcico valida auxilia sint expectanda. Sed surdis narrabatur fabula, ac ferebant; cum Collegis suis Monasteriensibus, quid facto heic opus sit, consultaturos. Num Ordinibus ista significanda forent quærentibus, Sueci reponebant, eam ipsam ob causam hæc à se prolata, ut istis eadem innotescant. Quæ Cæsarei de tractatibus cum Ragozio peculiaribus narrabant, Sueci suo loco relinquebant. De Landgravia mirabantur Cæsareos perhibere, dudum cum illa transactum: cujus Legatus plane diversum asserat. De militum stipendiis Cæsarei ne verbo quidem mentionem fecerant; unde ut & circa hæc mentem suam explicarent, monebantur. Ad articulum primum denuo notabatur, Ordines Imperii velut hostes Regibus opponi, cum ab hinc id potius fuerit actum, ut illi pristinæ libertati restituantur. Et quod hostibus Sueciæ annumeretur Hispaniæ Rex, quo cum Sueci nunquam publico bello impliciti fuerint, ac Hispanici Legati Monasterii profitentur, se amica omnia a Regina Regnoque Sueciæ expectare. Inducenda quoque videbantur illa verba velut suspecta, quod *ex hoc bello* aut *occasione hujus belli* nihil hostilitatis sit inferendum; velut Cæsar forte meditetur alio obtentu, puta ob Livoniam, arma Sueciæ inferre. Circa articulum decimum septimum monebatur, in Cæsareo responso Ordinum Imperii mentionem non factam: cum tamen hi velut tertii intervenientes Cæsarem inter, & Coronas considerentur, & quorum sit æquilibrium utrinque temperare. Unde opus fore, hunc articulum ita concipi, prout ipsorum propositio eundem exprimat. Ad articulum nonum Sueci conventionem super captivorum redemtione à Torstensonio initam prælo sequendam monebant. Tum de Eduardo Bragantino postulabant, ut is velut fraternorum consiliorum haut particeps libertati reddatur, ac ut Hispanica acquisitio, quæ actionem ipsi intentare dicebatur, inhibeatur. Idem & Evangelici Ordines, ac cum primis Hanseatici monebant, queis ad Lusitaniam Legatio excolitur, ne forte Rex Lusitanus captum media in Germania fratrem manuplorum navibus injecta ultum eat: Ad articulum decimum tertium prælior hæc declaratio addebatur, ut machinæ ad Reginam spectantes sive ejus insigna præ se ferant, seu minus, præliis, aut urbibus expugnatis captæ, post conclusam pacem abduci possint. In articulo decimo quarto suspecta videbantur ea verba: utrique parti *retinere* licere milites qui volent, *eo tantum numero, quem pro securitate sua necessarium judicaverint.* Nam hoc obtentu Cæsarem integrum exercitum retinere, aut præsidia ita augere posse, ut facile exercitus conflari inde queat. Id quod vicinis formidolosum. Denique circa articulum decimum octavum Sueci inducias plane repudiabant, quod crederent longe facilius æquam pacem armata nunc manu, quam illis post sepositis, obtentum iri.

Basta, basta!

1645.

§. 118. Eodem die & Galli Monasterii replicam suam ad Cæsareorum responsum apud Nuntium Pontificium inde adsumto Rosenhahnio, & Vulteio Hasso apud Contarenum, exponebant, hoc dicta scripto excipiente. Præter pleraque à Sueeis monita Lotharingi mentionem fieri nolebant, quod hic jam cum Rege transegisset. In tertio articulo offendebantur vocabulo *Suprema Imperatoris dignitatis*: posse enim *prima* sufficere, ne ex *suprema* voce superius aliquod imperium in Reges alios Christiani Orbis affectetur. Nesciebant quoque, quo fine restrictio illa addita foret, *salvo jure Imperatori ex Imperii legibus, & præcipue ex transactione Burgundica competente.* Illhanc quippe transactionem nunquam usu invaluisse. Et Evangelici Ordines in sua sententia id reservatum omitti postulaverant. Censebant quoque Galli, absurde à Cæsareis postulari, ne ipsi se bello inter Cæsarem & Suecos immiscerent, sicut ipsi postulaverant, ne Cæsar bellis inter

Gallorum replica.

1645. inter Galliam, & Hiſpaniam ſe ingereret. Nam ſi Cæſar cum Imperio bellum Sueciæ intentet, præſentem pacem violari: ſed bella Galliæ cum Hiſpania hunc tractatum plane non tangere. Circa nonum articulum declarabant, electionem Regis Romanorum vivo Cæſare fieri poſſe, dummodo eligatur è diverſa à ſuperſtite Cæſare familia, magiſque utilitatem Imperii, quam Cæſaris voluntatem, ac privatum commodum reſpiciat. Jam quoque Galli de abolendis Ordinum Gravaminibus non ſequius quam Succi urgebant, Mediatoribus non parum mirantibus, cum in propoſitione de iſtis non tetigiſſent. Quod ipſi excuſabant; ex eo tempore ab Evangelicis iſta ſcripto concepta, quibus Catholici ſua quoque oppoſituri ſint. Circa aſſecurationem pacis proponebant de fœdere *guarantico*, prout Succi articulo decimo ſeptimo monuerant, inter Coronas, Ordines Imperii, ac reliquos Principes hunc paci inclutos velut commodiſſimo ejuſdem firmamento. Satisfactionis & cautionis loco deſignabant totam ſuperiorem & Inferiorem Alſatiam cum omnibus juribus, quibus Landgravii Alſatiæ, & Archiduces Auſtriæ illam poſſederant; quam Rex ab Imperio cum ſeſſione & voto in Comitiis titulo Landgravii Alſatiæ in feudum recogniturus ſit. Philipsburgum inſuper cum locis vicinis & appertinentibus, quantum alendo præſidio, & ſervandæ munitioni ſufficeturum ſit; una cum linea communicationis cum Gallia. Reliqua quæ occuparint loca, præter hic nominata à ſe priſtinis dominis reſtituenda. Lotharingi cauſam ad hos tractatus pertinere negabant, ac potius poſtulabant, ut Cæſar præſenti tractatu promittat, ſe Gallos in poſſeſſione Lotharingiæ non turbaturum, quæ non uno titulo ad Regem Galliæ ſpectet; ac Cæſari cauſam non eſſe iſti negotio ſe immiſcendi poſt Ducis cum Gallia tractatum, quo is omnibus fœderibus cum Domo Auſtriaca renuntiaverit.

Ordines replicam ſibi communicari petunt, 30. Dec.

§. 119. His peractis Evangelici Ordines per Deputatos à Succis acta ſibi communicari petierunt; addito, ut ſi Cæſarei circa ea, quæ Ordines ſpectent, ipſis inſalutatis concludere quid auderent, Succi id ſibi ſignificarent: tum ut gravamina radicitus componantur, quod ex illis præſens bellum promanarit, ac Sueciæ plurimum intereſſit concordiam inter Ordines inſtaurari. Succi ut protocollum poſtulare paululum differrent, ſuadebant; ne Cæſarei hoc intellecto ipſos ſuper duplica in conſilium vocare omitterent, ſermone tamen quid actum foret referebant, ac in primis quam ægre tulerit Trautmansdorfius, Sileſiam ſatisfactionis loco poſtulatam, cum circa alias provincias parum indignationis oſtenderet. Cæterum pollicebantur, circa negotia Imperii ipſis inconſultis ſe nihil ſuſcepturos. Et hucuſque hoc anno tractatus pacis Germanicæ proceſſerunt.

Tractatus cum Hiſpani quieſcit.

§. 120. Aſt inter Gallos, Hiſpanoſque tractatio Monaſterii plane quieſcebat, abſentibus Belgarum Fœderatorum Legatis; ac monentibus licet Mediatoribus, ut tantiſper, quoad iſti adeſſent, res in anteceſſum diſcuterentur, Galli id abnuebant avertendæ ſuſpicioni, velut abſque iſtis acturi eſſent. Cæterum num eas Hollandis moras oblati ab Hiſpanis ſeparati tractatus injecerint, nobis haut ſatis compertum. Sane conſtat Hiſpanos

Hiſpani cum Hol-

omni ſtudio egiſſe, ut ipſos communibus Monaſterii tractatibus abſtraherent. Miſerat Franciſcus de Melos Belgii Hiſpanici Gubernator nobilem fœminam ad Araujonensem, aureos montes pollicitam, ſi ad ſeparatos tractatus Fœderatos Ordines inducere poſſit. Eadem de re Conſilium Belgii ſupremum per emiſſarium quendam Salamancam Ordines Fœderatos ſolicitaverat, addito, hunc in mandatis habere in eas leges, quas ipſi velint, pacem concludere; quin eundem *chartam* quam vocant *blancam* ipſis oblaturum, cui pro lubitu conditiones pacis inſcribere poſſint. Scripſerat quoque Caſtelrodrigus ad eoſdem Ordines pacem aut longas inducias offerens, certos homines cum mandatis Hagam miſſurus, ſi ipſi velint. Qui omnes tamen Monaſterium rejecti.

1645. Landi ſeorſim tractare cupiunt.

Cæſarei ſe paratos cum Suecis tractatus cayeant, 20. Oct.

§. 121. Pares tractatus Hiſpani inter Suecos, & Cæſareos Monaſterii ſtruebant. De quibus Pigneranda Comes apud Rotenhahnium movebat, ſibi à Cæſare in mandatis datum Reginæ optimas exoptataſque pacis conditiones offerre, quæ ipſi ſine dubio gratæ ſint futuræ. Quas ut eidem ſecreto pandat, totum abſque Collegis venille. Addebat, ſe Suecis aditum ad commercia cum Hiſpanis in Indiis æque ac aliis ei Monarchiæ ſubjectis ditionibus aperire, nec cum Hollandis pacem concluſurum, niſi Sueciæ commodis rite obſervatis. Sed quia Rotenhahnius jurus erat ejuſmodi ſermones declinare, ad communes tractatus rem rejiciebat, negans ullas conditiones quantumvis ſplendidas ſeorſim admiſſum iri. Quæ cum repulſæ in vicem Pigneranda acciperet, conditiones proferre omittebat. Poſtera nihilominus die per tribunum Peſchvvicium Rotenhahnio denuntiabat; ſe credidiſſe ipſum ſuper illis conditionibus ſecum acturum fuiſſe, ubi inentem ſuam latius explicaturus fuerit. Sed & Savedra Rotenhahnium monebat: 31. Oct. ut ſi communi pace poturi non poſſent Succi, mature ſibi proſpicerent, ac cum Cæſare tranſigerent: alias certo certius ipſis impoſitum iri. Nam quia Galli perſpiciant ſe hac via in præſens per bellum & fœdus cum Succis ſcopum ſuum obtinere non poſſe, ac potius omnium Catholicorum æterna in ſe odia provocare, aliam rationem ipſos inituros, ac Catholicis, Cæſarique junctos Evangelicis arma illaturos. Ita non ſolum Alſatia ponturos, ſed & volente Cæſare ac vicinis parta quiete poſſeſſuros. Simul, quod præcipue affectent, patronos Catholicæ Eccleſiæ, & arbitros rerum Germanicarum fore. Hoc modo inſuper magnis ſumtibus, quos hactenus toleraverint, aleæque belli ſe ſubducturos. Nam ſi ex fœdere, quod nunc ſub incude ſit, duodecim millia militum Cæſari Ligæque auxilio mittant, id citra ſumtus ipſorum fore. Sane loco communis pacis paucos intra menſes novum fœdus, novumque bellum excludendum. Trautmansdorfius quoque Oxenſtiernæ oſtendebat; ſibi peculiaria eſſe mandata cum Suecis ſeorſim tractandi, quæ, ſi ipſis ea res arrideat, editurus ſit. Iſthæc tamen omnia à diverſis diverſo modo tentata ad eundem ſcopum collineare cenſebantur, ut ſocia Regna invicem divellerentur; eoque ſurdis auribus transmittebantur. Equidem Succi aliis è locis monebantur, ut ſibi à periculoſis conſiliis, quæ Galli adverſus Evangelicos in Germania agitent, caverent, quippe quibus id quæratur, ut Catholicis in partes ſuas pertractis

Evan-

1645. Evangelicos in ordinem redigant, & ſuper ipſorum gravaminibus pro lubitu rationes ſubducant. Etti haut veroſimile videbatur, Gallos ita repente conſilia adverſus Auſtriacos, & Hiſpanos hactenus expromta immutaturos. Galli tamen talia ſubodorati non levi ſuſpicione perſtringebantur, ut Sueci vix aperte Cæſareos inviſere auderent. Præſertim cum ſpargeretur, à Cæſare Legatos apud Torſtenſonium fuiſſe, & hunc peculiari ex mandato cum ipſis tractatus agitaſſe. Addebatur, Archiducem Leopoldum Torſtenſonio in Bohemiam tendente è ſuperiore Germania ita tarde moviſſe; quod Cæſarei ob ſecreta inter ipſos commercia fieri profitebantur.

Ceremonialia. §. 122. Non abs re quoque fuerit quædam ad ceremonias ſpectantia paucis tangere. Inter Reſidentes Regios, ac Principum Legatos his ſuper præcedentia moveri nunc ceperat, quam hactenus Haſſus aliique Rotenhahnio Rorteoque haut negaverant. Sed nunc nonnulli ſerius Monaſterium accedentes ideo Rotenhahnium inviſere abnuebant, ac licet diebus Dominicis apud ipſum ſacris intereſſent, eundem ſalutare aut alioqui dedignabantur. Neoburgico Palatino à Legatis Suecicis redhibitæ litera ad Reginam, quibus Ipſam tantum *Sereniſſimam Principem*, non Reginam, omiſſo *Potentiſſima* titulo, *Regiamque Dignitatem* non *Majeſtatem* nuncupaverat. Quos titulos tamen Palatinus, iiſdem literis Guſtavo quondam Regi tribuerat. De ſe quoque loquens vocabulo *Nos*, & *Noſtrum* uſus fuerat. Quæ mox tamen à Palatino corrigebantur. Iidem defectus occurrebant in literis Adminiſtratoris Magdeburgici, & Circuli Franconici ad Reginam. Quorum ille morem ſuæ Cancellariæ excuſabat, & quod alias inter Principum ac privatorum ad Reginam literas nihil diſcriminis futurum ſit. Daniæ quoque Regem eadem deinde poſtulaturum. *Majeſtatis* titulum Reginæ literis à Principe propria manu ſcriptis dari, iis quæ ex Cancellaria emittuntur, id inſolitum. Franconici Deputati à Cancellaria Bambergenſi erratum profitebantur. Nec eo ſecius literæ iſtæ legatis remiſſæ. A Venetis literas ad Reginam ferebat Generinus, quæ *Excellentiſſime* & *Illuſtriſſimæ* inſcriptionem exprimebant. Cui cum Sueci oſtenderent, Legatos Regios ejuſmodi titulis honorari, ille Rempublicam Venetam moris veteris retinentiſſimam reponebat, quæ nec aliis titulis, quam antiquitus receptis adverſus Papam, Cardinales, alioſque Reges utatur; nec eo minus iter in Sueciam ad perferendas eas literas urgebat.

Regina ſeorſim cum Brandeburgico de Pomerania tractare non vult. 6 Mart. §. 123. Brandeburgicus Elector cum proſpiceret, Cæſarem incrementis ipſius parum favere, ac Suecis ex Evangelicorum potius quam Catholicorum terris ſatisfacere velle, ut Pomeraniæ caveret datis ad Joannem Oxenſtiernam literis peculiares ſuper Pomerania tractatus ad formulam quondam Francofurti ad Mœnum conceptam expoſcebat. Regina re ad ipſam relata, judicabat, Electorem prævidere, Cæſarem mox armis ad amplectendam pacem compellendum, ac propediem de Sueciæ ſatisfactione fore agendum. Eundem hactenus neutri bellantium parti addictum egiſſe, ſed citra certæ conventionis vinculum, ita ut pro captu temporum quieſcere, aut ad arma redire integrum foret. Nec dubium habebatur, quin occulta conſilia ſuper Pomerania cum Dano ipſi interceſſiſſent; quæ tamen num ad maturitatem perducta forent, incertum erat. Igitur placebat tractatibus iſtis declinatis ſimpliciter fœderi Pomeranico inhærere; excuſato, Francofurtanam formulam ſpectaſſe ad retinendam Parentis ipſius amicitiam, eumque à Pragenſi pace avertendum. Hanc rationem dudum expiraſſe; ac dictam formulam ultro ab iſto rejectam, nec hactenus de eadem iterum actum. Nunc commodiſſime cum Cæſare ac toto Imperio tranſactum iri. Ejus conſilii ratio erat, ne Regina Electorem offenderet, antequam conſtaret, num Cæſar atque Ordines in Pomeraniæ ceſſionem conſentiri eſſent; ac ne Cæſari anſam præberet, ſeparato tractatu ſuſcepto Pomeraniam abnuendi. 1645.

De induciis cum Bavaro. §. 124. De induciis cum Bavaro ineundis à Gallis tunc proponebatur ſpecioſo prætextu, ut tam potens ſocius Auſtriacis abſtraheretur. Sed à Bavaro rem ſerio gerente Gallis perſuaderi non poterat, tantopere rationibus Auſtriacorum implicito. Cujus & hucuſque acta ſat oſtendebant, illum nil niſi tempus extractum, & occaſionem nocendi captatum ire. Ac obtentis induciis copias ſuas Cæſareis tranſcripturus erat, metu Gallorum amoto: ira fœderi Gallico, cauſaque communi plus nociturus erat, quam profeſſa hoſtilitate. Gallis inducias Saxoni & Brandeburgico à Regina conceſſas objicientibus reponendum erat: Koenigſmarckium temeſtres duntaxat cum Saxone inducias pepigiſſe, ut in Bohemiam iturus tergum tutum haberet: quarum tamen firmitas à Reginæ ratihabitione pendeat; ac eas abrumpendas, ſi Gallis videatur. Hunc æque ac Brandeburgum eo redactum, ut nomine & fama plus quam reipſa quid præſtare valeant. Utrumque Sueciæ quondam ſocium, quos in partes iterum pertrahi fas ſit.

Suſpicio Reginæ in Gallos velut Dano faventes. L' Eſtrade. §. 125. Hujus anni initio non levis Reginæ ſuſpicio adverſus Gallos injecta fuit, quod cum Hollandi auxilia Sueciæ in Danum decreviſſent, Legatus Gallicus Eſtrada Hagæ ne id fieret publice interceſſiſſet. Hac de re cum Regina per Marcum Duncanum Ceritantem Miniſtrum ſuum in aula Gallica quereretur, Mazarinus reſpondebat: Eſtradam juſſum Batavos ad expeditionem in Flandriam ſuſcipiendam urgere: de bello Danico nihil in mandatis habuiſſe; quod, quo tempore mittebatur, nullus adhuc rumor eſſet, Hollandos auxilia adverſus Regem Daniæ deſtinare. Sed hunc ſine dubio ab Arauſionente inductum, quod videret, res ſuas languide in Flandria proceſſuras Hollandis in bellum Danicum verſis. Ita Eſtradam Arauſionenſi obnoxium, in cujus exercitu legionem obtineat, citra mandata eo proceſſiſſe. Alias pacem Suecos inter & Danos optare Gallos. Eam ſi Danus abnuat, non Hollandos ſolum ad auxilia ferenda hortaturos, ſed & ipſos eidem bellum indicturos. Quæ utcunque Reginæ ſatisfaciebant, cui ſatis conſtabat Gallis æquilibrium inter Arctoa Regna cordi eſſe. Quæ & Hollandorum mens fuerat; à quibus cum Daniæ Rex poſtularet, operam ſuam interponerent, quo Fridericus Dux Bremenſem ditionem recuperaret, iſti abnuerant, quod mallent, Suecos ea Provincia potiri Holſatiæ, & Oldenburgico Comitatui interpoſitos, quam à Dano continuum litoris Germanici tractum poſſideri.

Polonica. §. 126. Menſe Februario hujus anni in Polo-

1645. niam mittebatur Axelius Sparrius cum literis ad Regem, queis ſuſceptum à Regina regimen ſignificabatur, ſimul ut animos Polonorum exploraret. Apud hunc Gerhardus Dænhofius expiſcari conabatur, num Chriſtina Uladislao tunc viduo nubere velit? Super quo negotio jam antea Forbuſius in Sueciam miſſus fuerat, ſed qui nullo accepto reſponſo redierat. Commendandis hiſce nuptiis jactabat: optatiſſimam hanc eſſe occaſionem ea Regna combinandi. Poſſe Sueciam interim per Senatum adminiſtrari, uti Regina minorenni factum. Hoc connubio Evangelica ſacra profeſſos in Polonia ſublevatum iri. Uladislao multum adhuc vigoris eſſe. Intellectum ſibi, Succiæ Proceribus non bene cum Carolo Guſtavo Palatino convenire, ut ne cum illo quidem matrimonium ſit ſperandum. Brandeburgicos miniſtros profiteri, herum ſuum earum nuptiarum ſpem plane depoſuiſſe. Senatores tamen Poloniæ diſſuaſiſſe Regi, ne aperte id matrimonium peteret ob declinandam repulſæ contumeliam, quod in Suecia Sigiſmundi liberi lege publica ſpe ſceptri potiundi in perpetuum ſint excluſi. Quæ Sparrius velut mandatis ſuis ſuperiora modeſte declinabat. De cætero ſuſpectum habebatur, quod Uladislaus Vendenſem, Dorpatenſem, & Pernavienſem Caſtellanatum, qui minorum caſtellanatuum claſſe, ad quam ſecretiora conſilia nihil pertinent, hactenus omnium poſtremi fuerant, non ita pridem inter majores retulerat; quorum par cum Palatinatibus in Senatu dignitas habetur; & quod Cancellarius Oſſalinskius Dorpatenſi Caſtellanatu donari ſe paſſus fuerat. Propoſitum quoque fuit tunc in Comitiis Poloniæ: Pacis cum Suecis tractandæ exiguam ſpem eſſe; & ex literis horum nihil certi continentibus patere, quam parum ipſi in pacem proni ſint. Itaque ſummopere neceſſarium eſſe negotium id maturari, ut demum Respublica ſciat, quid inde ſibi ſperandum, quid metuendum. Nam hautquidquam ex re eſſe tractatus de æterna pace adeo procraſtinare, ſi futuram hoſtilitatem, & patriæ invaſionem antevertere velint. Etſi tunc ſuper hoc negotio in Comitiis nihil certi definiebatur. Sed & cum pace Danica Oeſilia Inſula in Sueciam transferretur, Uladislaus Rex adverſus eam translationem ſolennem proteſtationem interponebat, non eo ſolum nomine, quod ea inſula Ducatus Livoniæ pars ſit: ſed & quia Daniæ Rex ob ingentem pecuniæ ſummam à ſe mutuo acceptam omnia ſua bona eidem oppignoraverit, quantum ad id creditum neceſſarium ſit; quo nomine ipſe eam inſulam in peculiaris hypothecæ vicem animo ſibi deſtinarit. Simul Joannem Georgium Carmelum in Oeſiliam mittebat, qui Ebbonem Ulfeldium ejus Gubernatorem Danicum, & provinciales ſolicitaret, ut repudiato Succorum imperio ſub Uladislai ditionem concederent; quorum & non pauci in eam rem ſat proni deprehendebantur. Eos tamen conatus Reginæ vigilantia antevertit. 1645.

§. 127. Initio belli Danici Regina ad Parlamentum Angliæ & Scotiæ literas dederat per Hugonem Moatum perferendas, quibus auxilium ejus adverſus Danum petierat, non tam ſpe illo potiundi, quam ne Dano quid ſubſidii ex eo Regno accederet. Sed Moatus dum præter mandati ſui ſcopum circa id negotium ſatagit, non mediocrem Gallis ſuſpicionem injecerat. Hoc demum anno à Parlamento per tribunum Butlæum reſponſum adferebatur, quo ad arctius fœdus cum Regina incundum paratum ſe oſtendebat. Enimvero id Reginæ haut videbatur conſultum, bello Danico jam compoſito, & quia tutum non videbatur Parlamenti cauſam aperte probare, utut Regem iſtum Succiæ infenſum conſtaret. Igitur placebat fœdus declinare. Ne tamen Parlamenti offenſam incurreret; Legatum eo ſe miſſuram ferebat, qui ſequeſtris munus inter Regem & Parlamentum ſuſcipiat. Prius tamen inferioris gradus ablegatum eodem iturum, qui num iſta opera utrinque grata ſit futura, exploraturus ſit. Ita facile invenienda erat occaſio negotium id eludendi. Anglia. 1. Maji.

SAMUELIS PUFENDORFI RERUM SUECICARUM

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

Wrangelius arcem Brixenſem capit. Cæſarei ac Bavarici ſe conjungunt. 2. Sueci è Bohemia ſe recipiunt. 3. Cæſarei Scalam arcem recuperant, & Furſtenſteinam. 4. Inducia cum Electore Saxoniæ prorogantur. 5. Magdeburgum ſuo præſidio relinquitur. 6. Sueci ad Viſurgim movere conſtituunt. 7. Wrangelius Huxteram capit, Paderbornam, & Stadbergam. 8. Idem in Haſſiam ſuperiorem progreditur. 9. Cum Landgravio Darmſtadienſi diſceptatio. 10. Cæſarei Franconiam inſident. 11. Turennius copias contrahit. 12. Kœnigsmarckius Wrangelio jungitur. Idem Lemgoviam expugnat. 13. Turennius conjunctionem detrectat; id quod Succorum rationes perturbat. 14. Wrangelium in Haſſia ſubſiſtere conſtituit; ad Amanoburgum caſtra ponit. 15. Cæſarei in Succos tendunt.

Digitized by Google

1646. *tendunt.* 16. *Iidem cum fame conflictantur. Bannigshusius Suecis jungitur.* 17. *Cæsarei recedunt. Turennius Vesalia Rhenum transit; & Wrangelio jungitur.* 18. *Wrangelio summum exercitus imperium confertur. Torstensonius in Sueciam abit.* 19. *Socii exercitus in hostem tendunt. Cæsareorum valida caterva vapulat.* 20. *Hostis ad Lanum recedit. Fœderati ab Hanovienſi Comite cautionem accipiunt.* 21. *Iidem in ſuperiorem Germaniam tendunt. Wrangelius Rainam expugnat.* 22. *Trepidatio per Bavariam. Bavarici vapulant.* 23. *Auguſta obſidetur;* 24. *Cui Cæſarei ſubveniunt.* 25. *Fœderatorum conſultatio. Obſidium Auguſtæ ſolvitur.* 26. *Fœderati Laugingam diſcedunt. Wrangelii diſpoſitio. Hostis cis Licum in Sueviam transit. Fœderati in hoſtem tendunt. Iidem denuo in Bavariam irrumpunt.* 27. *Cæſarei in Bavariam revertunt.* 28. *Galli longius in Bavariam penetrare nolunt. De induciis agi incipit. Fœderati Bavaria iterum excedunt.* 29. *Iidem per Sueviam copias diſtribuunt.* 30. *Wrangelius inducias averſatur: cum Herbipolenſi Epiſcopo transigit.* 31. *Cæſarei vapulant. Donawerta à Suecis deſcritur, & recuperatur.* 32. *Fœderati in hiberna diſcedunt, Wrangelius clauſtra montium ad Bregentiam occupat. Idem ad Helvetios ſcribit.* 33. *Wittenbergius in Sileſiam mittitur. Cæſarei Teſchenam arcem, & Niclasburgum recuperant.* 34. *Iidem Cremſam obſident; quæ deditur.* 35. *Wittenbergius Wartenbergam occupat. Franckenſteina à Cæſareis recuperatur.* 36. *Ut & Corneuburgum.* 37. *Wittenbergius tandem ſupplementis jungitur. Cæſarei recedunt. Iidem reliqua Auſtriæ loca recuperant.* 38. *Wittenbergius Polckenhainum capit: idem in Bohemiam abit. Cæſarei vapulant.* 39. *Wittenbergius in Moraviam, & Superiorem Sileſiam tendit.* 40. *Caſſellani Marburgenſem arcem occupant. Ad inferiorem Rhenum geſta.* 41. *Darmſtadienſes Kirchhainum ſubigunt.* 42. *Quam Caſſellani recuperant. Zonſa fruſtra obſidetur.* 43. *Larvenhauptius Caſſellanis auxilio venit. Darmſtadienſes vapulant. Paderborna à Caſſellanis amittitur; & Eskircha.* 44. *Tractatuum pacis continuatio. Replica Regiorum Ordinibus communicatur.* 45. *De Suecorum replica quorundam judicium.* 46. *Monaſterienſium de modo conſultandi ſententia.* 47. *Oſnabruga diſſidium ſuper Reformatis gliſcit. Palatinorum intempeſtivus zelus.* 48. *Oſnabrugenſium ſententia de modo conſultandi, ut & Cæſareorum, atque Regiorum, denique univerſorum Ordinum.* 49. *Tractatus pacis tarde procedunt.* 50. *Catholicorum gravamina novem. A* 51. *ad* 57. *Ubi ſuper gravaminibus agendum diſceptatur.* 58. *Sueci novum procuratorium exhibent.* 59. *Inter Legatos Suecos, Gallosque diſceptatio.* 60. *Evangelicorum ſuper gravaminibus declaratio.* 61. *Circa ſatisfactionem diſceptatio. De Alſatia, Sileſia, Pomerania.* 62. *Colloquia Suecorum cum Brandeburgicis ſuper Pomerania.* 63. *Oppoſitio Ordinum Pomeraniæ, & Stralſundæ: ut & Regis Poloniæ.* 64. *De Wismaria. De Bremenſi & aliis præſulatibus.* 65. *Trautmansdorfii mora Oſnabrugæ Gallis eſt ſuſpecta. A Cæſare Suecis oblata.* 66. *Trautmansdorfius Monaſterium diſcedit.* 67. *Ordinum ſententia ſuper Amneſtia.* 68. *Super aſſecuratione pacis quorundam ſententia.* 69. *Catholicorum ſuper gravaminibus Eccleſiaſticis declaratio. Super temporaria tranſactione diverſorum ſententia.* 70. *Cæſareorum ſuper iſtis à Suecis poſtulatum. Catholici in tractatus ſuper gravaminibus conſentiunt.* 71. *Gravamina Politica novem.* 72. *Trautmansdorfius cum Gallis de ſatisfactione agit.* 73. *Cæſarei ſcriptum adverſus Gallos evulgant. Galli id ſcriptum non curant.* 74. *De Mediolano fruſtra proponitur, & de Alſatia Inferiore. Super Lotharingi ſalvo conductu Cæſarei denuo movent.* 75. *Hollandi Suecorum ſatisfactioni ſe opponunt. Mox tamen deſiſtunt.* 76. *Cæſarei nova circa ſatisfactionem proponunt. Gallorum ſuper hoc; ut & Salvii,* 77. *ac Reginæ ſententia.* 78. *Occultæ Cæſareorum artes. Tractatus inter Gallos & Bavarum.* 79. *Mediatores de induciis proponunt; quas Galli non improbant, Suecis ſuſpectas habent.* 80. *Tractatus inter Gallos & Hiſpanos.* 81. *Hollandorum Legati Monaſterium ingrediuntur; tractatus cum Hiſpanis ordiuntur.* 82. *De Palatina cauſa ſententia Cæſareorum, Evangelicorum, Suecorum & Gallorum.* 83. *Varia variorum poſtulata. Bohemici exules ſalvum conductum quærunt. Querela Spirenſium de Philipsburgo; Archipræſulis Magdeburgici de urbe cognomine; Darmſtadienſium de Caſſellanis; Immediatæ nobilitatis de Palatino; Saræpontani de Moguntino; Argentoratenſium de Benfelda. Cæremonialia.* 84. *De præcedentia inter Ordinem Equeſtrem, & Urbes.* 85. *Super gravaminibus inter Ordines tractatur.* 86. *Nova Evangelicorum ſuper gravaminibus propoſitio.* 87. *Super ſatisfactione Coronarum agitata.* 88. *Caſſellana ſatisfactio.* 89. *Saxonici Electorales Legati adveniunt.* 90. *Querela Erfordienſium;* 91. *& Duderſtadienſium.* 92. *Ordinum ſuper legibus pacis ſententia.* 93. *Catholicorum extrema declaratio circa gravamina Eccleſiaſtica.* 94. *De temporaria tranſactione diverſorum judicia.* 95. *Cæſarei Suecis duplicam exhibent.* 96. *Peculiaris declaratio ſuper ſatisfactione Suecica. Amplior Cæſareorum declaratio.* 97. *Prima formula pacis.* 98. *Ordinum de hac formula ſententia. Ea Cæſareis diſplicet.* 99. *Monaſterii duplica exhibetur. Ejus contenta.* 100. *Trautmansdorfii artes. Cæſarei hoſtilia omitti poſtulant.* 101. *Iidem Briſacum cedere Gallis nolunt. Galli eidem pertinaciter inhærent. Quibus Bavarus adſtipulatur.* 102. *Formula ſatisfactionis Gallicæ.*

1646. 103. *Gallorum ſuper eadem declaratio. Galli hanc declarationem clam Sueciæ faciunt.* 104. *De ſatisfactione Suecica Evangelicorum Ordinum ſententia.* 105. *De commerciis ſententia Principum.* 106. *Reformatorum monita.* 107. *Palatinorum monita circa formulam pacis. Bavarici contra nituntur.* 108. *Saxonici Legati Suecos inviſunt.* 109. *Ragozii nova molitiones. Colonienſis & Oſnabrugenſis neutralitatem affectant.* 110. *Ulterior circa amneſtiam negotiatio.* 111. *De ditionibus hereditariis.* 112. *Nova Catholicorum ſuper gravaminibus declaratio.* 113. *Evangelicorum ad eam reſponſio.* 114. *Saxonicorum ſententia. Trautmansdorfii ſuper hac declaratio. Evangelici Saxonicorum interpoſitionem declinant.* 115. *Catholicorum nova declaratio.* 116. *Catholici Gallorum favorem captant. Evangelici heic diſſentiunt.* 117. *Satisfactio Suecica vacillat. Cæſareorum ſententia: quam Galli probant; Sueci abnuunt.* 118. *Circa Wiſmariam nova propoſitio.* 119. *Galli plura poſtulant.* 120. *De ſatisfactione militum. De ſubſcriptione Ordinum.* 121. *Galli ad ſeparatos tractatus ſolicitantur.* 122. *Tractatus inter Gallos & Hiſpanos continuatio.* 123. *De tractatu inter Hiſpanos & Hollandos.* 124. *Temperamentum circa cauſam Palatinam. Neoburgici petitum.* 125. *Lis inter Urbes & Equeſtrem Ordinem ſuper præcedentia.* 126. *Inter Suecos Gallosque ſuſpiciones.* 127. *Oxenſtierna congreſſum cum Gallis Monaſterii.* 128. *Cæſaris & Saxonis litera ad Evangelicos.* 129. *Nova Evangelicorum circa gravamina declaratio.* 130. *Brandeburgicus ſeparatos tractatus ſuper Pomerania offert. Reformatorum poſtulata.* 131. *Inter Hiſpanos & Hollandos acta.* 132. *Galli tractatum ſuum properant.* 133. *Satisfactionis Gallica leges.* 134. *Gallici Legati Oſnabrugam veniunt. A Gallis diſputata de ſua ſatisfactione; de neceſſitate pacis.* 135. *De exhibendo inſtrumento pacis.* 136. *De Suecica ſatisfactione. Circa Pomeraniam difficultates.* 137. *Gallorum ſententia. Suecici Legati rem differunt. Trautmansdorfius diſceſſum minatur.* 138. *De Palatina cauſa.* 139. *De controverſia & ſatisfactione Haſſica.* 140. *De militum ſatisfactione:* 141. *De induciis proponitur.* 142. *De Eduardi Braganzini liberatione.* 143. *Evangelicorum circa gravamina diſſenſio.* 144. *Catholici nuperam formulam adſpernantur.* 145. *De Autonomia ſubditorum Evangelicorum in Catholicorum ditionibus.* 146. *Evangelici ad Regios rem iſtam referunt. Galli tergiverſantur.* 147. *Id quod Evangelicis ſuſpectum.* 148. *Cæſarei tractationem iſtam immutare cupiunt.* 149. *Saxonicorum ſententia:* 150. *Quæ Oſnabrugenſibus diſplicet, ut & Saxonis directio. Suecorum ſententia.* 151. *De Suecica ſatisfactione nova propoſitio.* 152. *Ceremonialia.* 153. *Ulterius ſuper gravaminibus acta.* 154. *Evangelicorum quorundam cum Catholicis diſceptatio. Evangelici inter ſe diſſident.* 155. *De cauſa Palatina.* 156. *Poloni tractatibus ſe immiſcere volunt.* 157. *Separati inter Suecos & Brandeburgicos tractatus ſuſcipiuntur.* 158. *Galli Suecos urgent. Reginæ nova mandata ſuper Pomerania.* 159. *Salvius Monaſterium abit.* 160. *Monaſterienſium de Suecorum ſatisfactione ſententia. De ſatisfactione militum.* 161. *Brandeburgicorum procuratorium rejicitur. De Suecica ſatisfactione poſtulatum.* 162. *Cæſareorum reſponſum.* 163. *Novum quoque Brandeburgicorum procuratorium rejicitur. Brandeburgici contra acta Monaſterii proteſtantur.* 164. *Pomeranorum circa ſatisfactionem propoſitum temperamentum.* 165. *De gravaminibus Monaſterii actitata.* 166. *Brandeburgicorum nova propoſitio. Suecorum de hac ſententia. Reginæ extrema declaratio ſuper Pomerania.* 167. *Brandeburgicus Hollandorum interpoſitionem affectat. Plettenbergii & San-Romani apud Brandeburgicum propoſitio. Brandeburgici reſponſum.* 168. *Cæſarei totam Pomeraniam Suecis offerunt.* 169. *Sueci acceptant. Pomeranorum ſolicitudo.* 170. *De Wiſmaria Cæſareorum ſententia.* 171. *Sententia Brandeburgici; Cæſareorum & Gallorum.* 172. *De cauſa Marpurgenſi. De ſatisfactione Haſſica.* 173. *De tractatu inter Hiſpanos & Hollandos.* 174. *De pace inter Cæſarem & Gallos. De pace inter Gallos & Hiſpanos.* 175. *Legatio Luneburgica.* 176. *Archiepiſcopi Bremenſis.* 177. *Holſatica.* 178. *Neoburgica.* 179. *Legatio Magni Gardii in Galliam.* 180. *Veneti auxilium contra Turcas petunt.* 181. *Polonica.* 182. *Legatio à Moſco.* 183. *Hollandica.* 184. *Danica.* 1646.

SUb

Digitized by Google

1646. Wrangelius arcem Brixienſem capit.

SUb finem ſuperioris anni Lipſiam ab exercitu conceſſerat Torſtenſonius refocillandæ indies ingravescenti valetudini; quem tamen ut ſupremam belli directionem tantiſper retineret, & Caroli Guſtavi Wrangelii recens imperium conſilio atque autoritate fulciret, Regina juſſerat. Componebant eo tempore exercitum Succicum quindecim millia amplius equitum, octo millia peditum, veteranus ac ſelectus miles, præter præſidia per Auſtriam, Moraviam, Sileſiam, Bohemiam, Weſtphaliam & utramque Saxoniam, & quas Kœnigsmarckius ſeorſim ductabat copias. Sequebantur ſeptuaginta amplius machinæ, ac idonea paratus bellici copia: ut Cæſareos quidem, ni univerſo Bavarico exercitu fulcirentur, facile ſuſtinere Sueci poſſent. Primum Wrangelii facinus erat Brixienſis arcis, hactenus nulli hoſti tentatæ expugnatio, quam poſt acrem tridui oppugnationem, deficiente obſeſſos pulvere ad
9. Jan. deditionem compulit, inſigni annonæ proviſu
21. Jan. divitem. Brixia in Sileſiam mittebatur Reichvvaldus tribunus diſſipandis Cæſareis, qui Succica ibi præſidia infeſtare cœperant. Hic in itinere
14. Jan. non procul Leipa Bohemica Palfium Comitem cum ſua legione multa adhuc nocte oppreſſit, caproque tribuno cum trecentis gregariis, ac præfectorum plerisque reliquos cæcidit. Brixia Cadenam Wrangelius progreſſus ad finem uſque menſis Januarii quietem exercitui indulſit, ſimul quid Cæſarei Bavaricique agitarent obſervans. De
Cæſarei ac Bavarici ſe conjungunt. quorum conjunctione cum rumoribus primum, inde certis nuntiis conſtaret, legiones circa Cadenam arctius collocat, tum anguſtias viarum per Bohemicos montes in poteſtate tenet, ſi forte receptu opus eſſet. Ingruebat quippe Cæſareus exercitus tredecim equitum, undecim peditum millibus conſtans; cui Bavaricorum equitum duodecim, peditum octodecim legiones accedebant: vires Succis haut parum potiores. Cæſarei cum verererentur, ne Gallis iterum apud Rhenum ſe moventibus Bavarico exercitui illuc diſcedendum foret, neu VVrangelius Kœnigsmarckii nuper digreſſi copiis firmaretur, ocyus in Succos ire ac prælium tentare conſtituerant; præſertim cum inopia diu his in oris ipſos conſiſtere non permitteret. Eo fine Leopoldus VVilhelmus Archidux exercitum apud Pilſenam luſtravit, ac quæ ad ſervandam diſciplinam pertinent, magna cura tanxit, recta in Succos ducturus.

Succi è Bohemia ſe recipiunt. §. 2. Aſt VVrangelius, cum neque prælii aleam cum hoſte viribus ſuperiore citra neceſſitatem tentare tutum foret, nec munitis heic loci caſtris diu conſidere ob pabuli annonæque inopiam liceret, de concilii ſententia mature in tutum ſe recipere decrevit. Præſertim cum Bavarici, qui citra impedimenta venerant, non diu Cæſareos ſecuturi crederentur; ac poſt accedente Kœnigsmarckio aut è Succia ſupplemento auctior viribus hoſtem denuo urgere poſſet. Idem Torſtenſonio videbatur; qui & monebat, in ſiniſtram quantum poſſit flecteret, ac Saxonis ditionibus parceret; tum opportuno ad Salam loco conſideret, ut ſi hoſtis inſecutus Miſniam caſtris premeret, Electoris animus eo magis à Cæſare averteretur. Interim Kœnigsmarckium, qui in Bremenſem agrum conceſſerat, exciri poſſe. Ita præmiſſis impedimentis per anguſtias apud Preſniciam in Miſniam tenditur, octoginta equitum hoſtilium caterva in itinere oppreſſa; inde per Glauchum, Altenburgumque trans Salam itur, ac legiones eo diſtrictu diſtribuuntur. Contra Cæſarei velut fugatis è Bohemia Succis lætabundi, Egram, inde in Culmbacenſem agrum digrediuntur, quem hoſtili plane modo populantur, ac latius per Franconiam ſe diffundunt. Inter exercitus ita longis ſpatiis diſſitos nihil geſtum, niſi quod Cannebergius ſubtribunus Leopoldi cohortem 23. Febr. prætoriam equeſtrem, centum viginti capitum non procul Cronaco oppreſſit magna parte capta, reliquis cæſis. 1646.

Cæſarei Skalam arcem recuperant. §. 3. Digreſſis è Bohemia Succicis Ungarus tribunus contracta manu Skalam arcem admotis machinis ad deditionem demum compulit. In Sileſia præfectus Succicus arcis Furſtenſteinæ, dum plerosque præſidiarios hoſtilem ad catervam opprimendam educit, ipſe in cauſſes delapſus cum ſuis interceptus eſt. In arce ſedecim tantum præſidiarii Et Furſtenſteinam. ſupererant: quos repente circumſeſſos Cæſarei ad deditionem adegere. Sed idem Franckenſteinam arcem adventu Reichvvaldi tribunt deſerere cogebantur. In Moravia caterva Succicorum tributi exigendi cauſſa Iglavia egreſſa non procul Sirovvitza Cappunium tribunum tribus turmis ſtipatum profligabat, ipſumque cum aliquot præfectis, & quadraginta gregarius captivum abſtrahebat. Sed audito tumultu qui Sirovvitzæ tende- 13. Febr. bant Cæſarei Succicos inſecuti, cum numero prævalerent, ſuos recuperarunt, cæſisque horum non paucis plerosque ceperunt.

Induciæ cum Electore Saxoniæ prorogantur. §. 4. De induciis cum Electore Saxoniæ prorogandis, etſi rebus ſuis valde proficuas eaſdem ſentiebat, prior movere nolebat Torſtenſonius; cui in animo erat, ſi abruptis hiſce bellum reſumeret Elector, exercitu repente excito pertinaciam ipſius frangere. Ac Cæſar miſſo Poppelio legato ingentibus ipſum promiſſis, oblata quoque *charta* quam vocant *blanca*, oneraverat, ut hoſtilia in Succos reſumeret, cui è ſecretiore conſilio Sebottendorfius, & Fridericus Metſchius Auſtriaco ſtipendio illigati ſuffragabantur. Perpulere tamen majores natu filii patrem, ut ſalutaria ac tuta Provinciæ ſuæ conſilia admitteret. Ita reſumendis tra- 20. Febr. ctatibus Eulenbergæ conveniunt Reginæ nomine Axelius Lilius, & Alexander Erskenius, Electoris vice Arnheimius ſummus excubiarum præfectus, & Joannes Georgius Oppelius; quibus Adminiſtratoris Magdeburgici nomine Einſidelius, & ab Anhaldinis Principibus Knochius ſubtribunus aderat. Evicere ibi Sueci, ut diſerte pacto interereturr, id ad ſucceſſores utrinque pertinere: quod Elector ſenio provectior, & fœdus quondam cum Guſtavo Rege initum ab ipſo iſthoc obtentu eluſum foret. Tum ne Elector Landgravio Darmſtadienſi adverſus Caſſellanam militem ſubmitteret; quod Saxonici cupiebant. Tempus induciarum uſque ad concluſam pacem, aut communes inducias productum. Ut tamen obligatio adverſus Cæſarem atque Imperium ſalva perſiſteret, Elector ſibi excipiebat; de cætero Cæſari nihil copiarum, hoſpitiorumque, ac adparatus bellici, nec loca delectibus agendis præbiturus. Succicis contra copiis tranſitus per terras Electoris concedebatur innoxius, & quidem ut poſt tertium quemque itineris diem unus quieti agendæ interponeretur. Urbem & arcem Lipſienſem cum enixe ſibi reſtituendam contenderet Elector, ne abrupta negatione hunc offenderent, hactenus annuebant Succici, ut ſuper ea re apud ipſam Reginam ageretur. Conventum quoque, ut octo millia uncialium menſtrua ex Electoris di-

1646. tionibus Suecis solverentur, & quinque millia modiorum frumenti alendis præsidiis, utque transitu Albis, si opus sit, Suecis uti liceret extra tertium duntaxat à Dresda milliare. Si quid ab alterutrius subjectis per tempus induciarum delinquatur, cognitionem & animadversionem ejus fore, cujus imperio delinquens subsit. Super controversia Hassiaca placebat, ut Elector apud Darmstadiensem, Torstensonius apud Cassellanam operam daret, quo eadem amica ratione sopiatur. In has fe-
11. Mart. re leges induciæ illæ tunc conclusæ, indignantibus Cæsareis, contra non parum lætantibus Evangelicis, quod eas paci promovendæ momenti quid allaturas sperarent. Nisi quod Brandeburgicus judicaret, Reginam magis magisque Saxonis conjunctionem affectare, quem in ipsum non sat æquo esse animo constet: qui & pro Pomerania ne unum quidem verbum facturus sit, quam malit in Suecorum manibus manere, quam ut Brandeburgicæ Domui accrescat.

Magdeburgum suo præsidio relinquitur.

§. 5. Magdeburgum hactenus obsidio eminus circumposito incluserant Suecі, interceptis quoque sexaginta amplius equitibus, & multis vehiculis, quæ pabuli petendi causa prodierant. Sed cum plurium adhuc mensium frumentum in urbe esset, ac oblidium magnos sumtus requireret, è vastata circum regione haut farciendos; tum Suecico exercitu in Thuringia agente ex altera ripa per Lusatiam Cæsareis annonâ urbi inferre promtum foret, profligatis simul obsessoribus: Torstensonio vilium per institutos tractatus ea molestia defungi. Præcipua difficultas erat, quod neque Cæsar & Saxo Suecicum, nec Torstensonius Administratoris Augusti præsidium in urbe ferre vellent. Igitur placebat, deducto qui nunc insidebat milite, urbem ducentis quinquaginta peditibus ab ipsa conductis, custodiri: de cætero Suecos inter, & urbem amica omnia esse. Paria Administrator pro se, & Archiepiscopatu pollicebatur. Ita Aprili mense Trandorfius tribunus cum Cæsareo milite urbe excessit, Suecico milite comitante in Bohemiam deductus, etsi in itinere ducenti pedites ob non soluta stipendia signa deserrent.

Suecі ad Visurgim movere constituunt.

§. 6. Enimvero quo minus exercitus Suecicus in hibernis per Thuringiam & circa hærere posset, inopia efficiebat, & quod isthoc onere Evangelicorum Principum Provincias diutius premere nollet. Promiserant autem Galli, se medio mense Majo cum exercitu Moguntiæ futuros, ac per Avaugurium postulabant, ea in loca Suecі se conferrent, ut ob conjunctionem Cæsareorum & Bavaricorum & ipsi mutuo auxilia sibi ferre possint. Experiendo porro Torstensonius didicerat, Cæsareos ac Bavaricos licet nunc Gallis, Suecis juncta vi incumbentes, fere per hiemem maximas vires in Suecos effudisse, & quæ per æstatem ab his parta fuerant, hieme recuperasse non sine magno dispendio militis Suecici, cui hibernorum quiete frui negabatur. Unde quo juncti Gallis Suecі eo commodius Cæsareos Bavaricis sociatos propulsare possent, probato Gallorum postulato cum Wrangelio, qui Liptiæ illum adierat, decrevit, omissa ad sinistram in Cæsareas Provincias irruptione ad dextram vertere, ac Gallis propinquare. Interim ne frustra tempus tereretur Huxteram Hassiæ ac Suecicis stativis infestam expugnandam, hostemque plane regionibus inter Visurgim, Albimque excludendum. Post Huxteram captam intra milliaria aliquot ad Gallos accedendum, ne hostis ipsorum conjunctionem impedire posset. Plane tamen cum iisdem copiæ ne 1646.
jungerentur, nisi Cæsarei & Bavarici pariter instruant, ac prælium instare videatur. Sed ne Cæsareæ ditiones à belli calamitatibus respirarent, Wittenbergius cum parte legionum Silesiæ immissus. His super destinatis Landgravia certior reddebatur, simul ut copias suas sociaret, ac Huxteram trans Visurgim cingeret postulabatur. Enimvero hæc consilia isti parum probabantur, quod metueret, ne hostis medium sè Suecis, Gallisque interpositurus Hassiam inundaret. Addebat de difficultatibus obsidendæ Huxteræ; & copiis suis sibi opus esse Superioris Hassiæ stativis tuendis. Ac potius ut in Silesiam verteret Wrangelius suadebat; aut si utique Gallis jungi cuperet, per Superiorem Hassiam & Wetteraviam
12. April. iter susciperet. Cui vicissim Torstensonius per literas demonstrabat; in Silesiam abeuntes à Gallis nimium disjungi, viamque auxilii mutuo ferendi obsepiri. Nec in Hassiam Superiorem nunc penetrare tutum hoste vicino, ac viribus prævalente. Ne sedem belli in Inferiore Hassia statuat hostis, adscitis Kœnigsmarckii & ipsius copiis haut difficulter prohiberi posse. Cæterum id utique expedire, quod & hosti hactenus solitum, socios exercitus ita tendere, ut pro re nata in hostem jungi queant. Sic probatis Torstensonii rationibus ad
18. April. expugnandam Huxteram machinas & pulverem obtulit; tum ut Paderborna quoque subigeretur sibique traderetur postulavit, pensandis damnis, quæ hoc Suecici exercitus itinere tributaria ipsius loca captura erant.

Wrangelius Huxteram capit.

§. 7. Ita Wrangelius sub initium Aprilis è Thuringia Visurgim versus movit. Ipse cum equitatu & selectis peditum prægressus, cum Furstenbergam attigisset, intellexit, Holsatiæ Ducem, qui cum equestri legione Huxteram insidebat, oppido pridie excessisse. Unde raptim manum equitum pontonibus trajecit, si forte istum adhuc deprehendere possent. Qui tamen, quod idem in tuta jam evasisset, irriti rediere. Trans-
16. April. gressus ponte navali exercitus Huxteræ vim admovit, quam cum aliquot per dies strenue sustinuisset oppidi præfectus Joannes Forgellus subtribunus, tandem post editam mœnium ruinam
19. April. deditionem fecit ea lege, ut ipse ducesque cum tarcinis suis salvi Hammum deducerentur, gregarii trecenti quinquaginta pedites, sexaginta equites militiæ Suecicæ accederent. Oppidum cum numeroso præsidio tenere haut operæ pretium videretur, munimentis nudatum, ne hostis ibi denuo nidulari posset. Missus interea à Wrangelio in Paderbornensem agrum fuerat Duglassius cum valida equitum manu ad eminus cingendam Paderbornam, qui ex itinere Brackelam oppidum,
24. April. centum quinquaginta peditibus insidium, ac munitas arces Neuhausani & Lipsprincam sexagenis peditibus defensas occupavit, milite sub Suecica signa redacto. Sed & qui Drengenberga in arce aliquot per dies Duglassio restiterat centurio, adventante cum toto exercitu Wrangelio citra ex-
30. April. ceptionem se dedidit. Paderbornam inde proces- Et Paderbornam.
5. Maji. sum, quæ minore, quam creditum fuerat, negotio cessit. Nam tertio obsidii die, cum objectum portæ propugnaculum tentaretur, obsessis id ultro deferentibus à Suecis statim occupatur. Unde territus oppidi præfectus Seibelstorfius tribunus arbitrio Ducis Suecici se commisit; ipse cum reliquis præfectis captivorum sortem subiit, quadringenti pedites, centum quinquaginta equites militiæ Suecorum adscripti. Cives, quod arma ges-

1646. geſſiſſent, pecunia multati. Oppidum Landgraviæ conceſſum. Ejusdem rogatu Statberga, ſeu Marsberga petitur, excurſionibus Haſſorum ſtativis valde moleſta. Hanc machinis verberatam, cum jam cuniculi agendi forent, Coraſcus tribunus in easdem, quas Huxtera ſubierat, leges dedidit. Ipſe cum præfectis Dortmundam deductus; trecenti pedites, quadraginta equites Succicam militiam ſubiere. Inventæ ibi quatuor majores machinæ, nec ſpernenda adparatus bellici & annonæ copia. Oppido munitiones detractæ.

10. Aug.

& Statbergam, vi 15. Aug.

Wrangelius intra Saſſiam Superiorem progreditur.

§. 8. Interea Turennius per literas ſignificarat, ſe Kalendis Junii Rhenum Baccaraci tranſiturum: petebatque Marpurgum procederet VVrangelius, & partem equitatus ad Lanum fluvium obviam ſibi mitteret. Scribebat quoque VVeisbada Guntherodius tribunus, Turennium jam Moguntiæ adpulisſe. Igitur VVrangelius obtinendæ Gallorum conjunctioni, cujus cauſa in has oras exercitum verterat, Statberga Marpurgum duxit,

23. Maji. ex itinere Caſſellis ſalutata Landgravia. Inde præter Gieſſam VVetzlariæ caſtra ponit, Gallorum adventum expectaturus, qui inter Bingam & Baccaracum ponte Rhenum ſtraverant, & Moguntia eo verſus movere cœperant. Aderat quoque à Landgravia Geiſius cum valida manu, & è VVeſtphalia Kœnigsmarckius huc contendebat. Simul Bænnigshuſius cum copiis, quas Galliæ Regis auſpiciis per VVeſtphaliam & vicina loca conduxerat, adfuturus ſperabatur.

Cum Landgravio Darmſtadienſi diſceptatio.

§. 9. Inter hæc Landgravius Georgius delectibus agendis non ſegniter incubuerat: cui & binæ equitum, totidem peditum legiones Cæſareæ acceſſerant. Melander quoque Cæſareorum nunc per VVeſtphaliam Dux, ſi opus foret, auxilia pollicitus fuerat. Hiſce fretus copiis, queis Eberſteinium Comitem præfecerat, Putzbacum, quod

19. Aprili. centum Caſſellani pedites inſidebant, recuperat. Arma parantem pecunia ſublevabat Hiſpaniæ Rex, quicum opera Caſtelrodrici fœdus inierat, quo eoſdem amicos & hoſtes cum ipſo habere tenebatur. Jactabat tamen illa haut quicquam ad offenſionem Sueciæ pertinere, ſed ad jura ſua adverſus violentiam Caſſellanæ tuenda. Aſt Suecis, etſi controverſiæ iſtorum Principum non niſi amica ratione immiſcere ſe cuperent, iſte armorum paratus non parum ſuſpectus erat. Eoque

21. Maji. Torſtenſonius Lipſia literis Darmſtadienſem monuerat; delectibus ſuperſederet, ac Cæſareas legiones ab ſe dimitteret. Alias ſi quid mali eo nomine eveniat, ſibi ipſe imputaret. Idem quoque VVrangelio ſcripſerat, ut legiones illas, & ipſum Landgravium, ni poſtulatis ſatisfaceret, hoſtili

22. Maji. modo haberet. Unde & hic in Superiorem Haſſiam progrediens cum valida equitum, peditumque manu easdem legiones interceptum ibat, quæ intra teli jactum apud Gieſſam tendebant. Sed hæ ipſo ingruente ſub oppidi foſſam ſe receperant. In quas militem machinarum ictibus obnoxium immittere, haut imperatorium viſum. Nec conſultum erat circa Gieſſam tunc tendentibus ſuis ad hoſtilia ſumenda Landgravium compellere, qui excurſionibus eo oppido factis haut paucos Suecorum palantes intercipere poterat: cum nunc idem oppidum ementibus forum præberet. Quanquam autem multis rationibus VVrangelius contenderet, ut quatuor illas legiones Landgravius amoliretur, id tamen hic conſtanter abnuebat: ſuas illas eſſe, à ſe quondam conſcriptas, & Cæſari commodatas, nunc repetiras in controverſia, quæ nullo modo Suecorum arma, ſed privatum Domus Haſſiæ negotium ſpectet, cujus cognitio penes Cæſarem ſit. Nec litem ſibi cum Caſſellana velut Sueciæ Fœderata, ſed ut Statu Imperii intercedere. Ob legiones Cæſari antea conceſſas non magis hoſtilia ſe meritum, quam alios Evangelicos Ordines; ejusque facti cauſas jam olim Reginæ adprobaſſe. Tum Anno tricesimo quarto Suecis quoque à ſe nonnullas copias traditas. Nec magis idem VVrangelio aures præbebat poſtulanti, ut poſitis armis controverſia inter agnatos Principes amica via componeretur; quod propius ſubiens Cæſaris exercitus animos ipſi adderet. Et cum VVrangelius teſtaretur, extra culpam ſe fore, ſi quid detrimenti ipſi inferatur, dum Cæſaris miles ubicunque locorum deprehenſus hoſtili modo habendus ſit; Landgravius viciſſim proteſtabatur, injuriam ſibi facere, qui Caſſellanæ ſe controverſiæ immiſceat, ac jus ſuum tuentem impediat. 1646.

Cæſarei Franconiam infidere.

§. 10. Aſt Cæſarei poſt Suecorum è Bohemia diceſſum in Franconiam abierant, ſtativis ſecundum Mœni ripam poſitis arcendæ horum in Superiorem Germaniam irruptioni. Nec ad eorundem in VVeſtphalia progreſſus ſe commoverant, niſi quod legiones nonnullas in Sileſiam adverſus VVittenbergium mitterent. Inanis quoque ab ipſis excurſio Erfordiam verſus facta, quam ope Pontificiorum ſacerdotum & civium oppreſſuros, ſe ſperaverant; quod vigilantia præfecti Succici conatus iſtos irritos reddidiſſet. Sub finem menſis

21. Maji. Maji luſtratæ apud Schweinfurtum copiæ, ob pecuniæ veſtimentorumque defectum animis haut parum ægræ. Inde Neuſtadium ad Salam progreſſi Cæſarei Hamelburgum, Bavarici Gemundam iter intendebant, velut per Fuldenſem agrum in Haſſiam Inferiorem contra Suecos ituri. Sed horum itinere in Superiorem Haſſiam cognito, ſecundum Mœnum Aſchaffenburgum, ac Hanoviam deſcenderunt, diviſis quidem caſtris confidentes, Cæſarei Rotenbaci, Bavarici infra Aſchaffenburgum, ut tamen brevi tempore conjungi iterum poſſent. Eorum acceſſum Darmſtadienſis anxie petierat, ſpe quoque ipſis validorum auxiliorum facta.

Turennius copias contrahit.

§. 11. Circa idem tempus Turennius quoque copias ſuas ex hibernis contrahere cœperat, quæ tribus peditum, equitum quatuor millibus, octingentis conſtabant, addito quadringentorum dimacharum agmine. Cui è VVeſtphalia Bænnigshauſius cum tribus millibus recens conſcriptis acceſſurus erat. Deſtinatum ipſi fuerat, uti apud Moſerum tribunum Benfeldæ differebat, cavere, ne hoſtis junctis viribus alterutrum Regiorum exercituum invaderet: eamque ob cauſam nolle ſe ſtatim Rhenum tranſire, ne Cæſareis Bavaricisque pariter incumbentibus non citra damnum pedem referre cogatur, iiſdem mox tota mole Suecos petituris. Quæ conſilia & Suecis Ducibus per Grotium juniorem exponebat poſtulans, ut hi propius Rhenum moveant, ac ſi non placeat caſtra caſtris jungere, ſaltem ita prope conſideant, ut pro re nata auxilium invicem ferre poſſint, ne alterutri neceſſitas inferatur cum damno pedem referendi. Quo & Suecorum ductum conſilia ſpectabant. Apud VVormatiam inde copias luſtravit Turennius, ac corrupta circa Franckendaliam ſegete id oppidum eminus claudere inſtituit. Supra Baccaracum Rhenus ponte navali ſtratus erat, quo & Turennius cum exercitu deſcendit; ac literis ad Avaugurium paratum ſe

10. Maji. tranſeundo Rheno oſtendit, modo Sueci Limbur-

1646. burgum usque obviam sibi procedant: quod hostis apud Aschaffenburgum tendens cum gravibus machinis ac mole impedimentorum inter Baccaracum & Lanum iter facientem, Suecis ad dextram relictis, invadere possit. Unde omnibus persuasum erat, eam conjunctionem propediem futuram.

Kœnigsmarckius Wrangelio jungitur.

§. 12. Kœnigsmarckius quoque post captam Bremerværdam, cui rogatu Friderici Præsulis Melander è Westphalia subvenire frustra agitaverat, à Torstensonio jussus erat Wrangelium suis legionibus firmare, quoad is cum Turennio exercitum junxisset. Nam alias ipsi cura tractus inter Amasim, Werram, Mœnum, Albimque commissa erat. Is igitur contractis legionibus ex itinere Vechtam expugnare cupiebat, ac jam machinas admovere cœperat; cum urgentibus à
21. Maji. Wrangelio literis omisso obsidio præter Witlagam, Mindamque, & Hervordiam, Lemgoviam
22. Maii. properat Cæsareo præsidio infestam. Quam obiter expugnaturus tormentis primo turrim portæ
Idem Lemgoviam expugnat. superstructam quatit. Inde media nocte sex locis assultum dat, ac intra horæ spatium unam portam occupat desideratis suorum nonnullis, quos inter duo centuriones, & unus signifer. Per eam portam, cum aliis in locis Cæsarei strenue resisterent, in oppidum penetratum. Pervenerunt heic in Suecorum potestatem Joannes Casimirus Leiningæ Comes tribunus, Lautersheimius, & Levinus Fridericus Wittenbergius subtribuni, præfectus vigilum cum tribus centurionibus, aliisq; ductoribus, ac gregarii quadringenti cum quinque
28. Maji. vexillis, & octo machinis æneis. Pirmonda arx haut expectata vi deditionem fecit, ac sex peditum manipuli, qui eam insidebant, Warendorfum dimissi. Inde per Waldeccensem Comitatum profectus Wrangelio cum ter mille quingentis equitibus, totidem peditibus, simul octingentis dimachis
6. Jun. jungitur; ad quem & Geisius viginti septem Hassicorum equitum turmas adduxerat. Horum adventu Wrangelius constituerat Limburgum movere, quod Turennius petierat, ut is post superatum Rhenum eo tutius accedere posset. Inde junctis exercitibus in superiorem Germaniam, ipsamque Bavariam penetrare animus erat.

Turennius conjunctionem detrectat. 8. Jun.

§. 13. Enim vero veniebat tunc ad Wrangelium à Mazarino ad Turennium, missus Nobilis, qui proponebat; Hollandos hoc anno expeditionem in Flandriam omisisse, cui Galli rationes suas superstruxerint. Unde omnes copias, quas ad Mosellam destinaverant, in Flandriam fuisse mittendas; simul partem militis Turenniani in Lucenburgicam deducendam ad certa ibi destinata exequenda. Gratum proinde Turennio fore, si Wrangelius per mensem in vicinia subsistere possit, quoad ea destinata perfecta sint. Tunc Gallos validioribus cum copiis certo ipsi jungendos, ac maturescente messe expeditionem commodius suscepturum iri. Interim, si opus sit, reliquum sibi militem cum novis Bænnigshausii delectibus ad sex capitum millia Wrangelio accessura, eundemque annona à Galliæ Rege sublevandum. Insperata isthæc res VVrangelii rationes non parum perturbavit. Is quippe fide à Rege Galliæ, ac Turennio data confisus, eousque progressus fuerat, ubi facile summo periculo involvi posset. Atque huic itineri non parum temporis impensum erat, quod ab ipso, & Kœnigsmarckio in VVestphalia longe utilius collocari poterat. His in oris per aspera montium subsisti, quod Galli velle videbantur, cum tam numeroso exercitu non poterat. Si tantisper retro iretur, universæ hostium copiæ Landgraviam oppressuræ erant. Hæc ut Turennio demonstraret, VVrangelius Sigismundum Przimskium tribunum, & hoc ab hoste intercepto, Bulovium mittebat. Qui VVetzlariam reversus id responsi retulit: conjunctionem fieri nunc non posse, ac jussum se ex aula à VVrangelio contendere, ut aliquot per septimanas his locis morari placeat. Se tamen misso nuntio confestim cupita VVrangelio ad Regem relaturum, nec dubitare quin illis satisfaciendum sit; cujus reditus intra decimum quintum diem utique futurus sit. Isthoc responsum, toties iteratis promissis adversa fronte repugnans, gravi suspicione Suecorum animos perstrinxit, accedente præsertim rumore de induciis inter Gallos, & Bavaricos initis. Sane 7. Maji. jam sub initium Maji Gleenius Bavaricus Dux edictum Hasfurti promulgaverat, quo omni hostilitate & offensa adversus Gallos abstinere suos jusserat, velut Deputati Gallici in armistitium non solum cum Bavaro, sed & cum Cæsare consensissent, ac eo nomine tubicinem ad Turennium misissent. Etsi Galli obtendebant, Bavaricis Monasterii à Servienro de armistitio spem factam, antequam is super eodem Osnabrugæ cum Suecis consultaret; de quo isti velut certa re ad Principem suum retulerint; unde præproperam armistitii promulgationem per errorem factam. Sed Suecis refragantibus omnia mutata. Si quid tale tamen factum sit, Suecorum cum Saxone exemplo factum, ac deinceps rite fieri posse.

Id quod Suecorum rationes perturbat.

§. 14. Ita fallente Gallorum conjunctione, & ingruente universa hostium mole magna circumspectione opus erat. Qua de re cum à VVrangelio ad consilium referretur, patebat, præsente rerum facie duas tantum superesse vias. Vel enim ante Hassiam stationem capessendam regendis Landgraviæ terris; vel in VVestphaliam revertendum, ac commodiorem occasionem rem in hostem gerendi expectandam. Enimvero in VVestphaliam eunti tanto exercitui annonæ inopia mox incubitura erat. Tum Cassellana sævitiæ hostium exponebatur, sede belli in Hassiam devoluta. Insuper ita longe à Rheno discedebatur, ut conjunctio cum Turennio deinceps longe difficilior futura esset. Igitur placebat circa Amœnoburgum Hassiæ Inferiori præjacens oppidum stationem arripere, quoad de Gallorum consiliis certiora adferrentur, hostiumque conatus observare. Landgraviam haut dubitaturam in duobus malis minus eligere, ac ad breve potius tempus exercitui ex sua ditione annonam præbituram, quam hostium se arbitrio exponere; præsertim messe jam propinqua; quæ frumenti affatim exhibitura erat. Id consilium Landgraviæ denuntiatur, simul postulatur ut cum ipsius salus in hoc præcipue vertatur, annonam ministret, ac copias, quotquot præsidiis subtrahi possint, auxilio submittat. Inde ut tria millia Gallici militis à Bænnigshausio recens collecta Suecis jungerentur, opera dabatur.
12. Jun. Ita moris VVetzlaria castris Kirchainam, inde Amœnoburgum proceditur; cum interim Geisius Gleichbergam arcem non procul Giessa sitam expugnasset obsessos aqua & pane deficiente. No-
Ad Amœnoburgum castra ponit. naginta quoque pedites, & sexaginta equites, qui Amœnoburgum insidebant, citra exceptionem dedere se cogebantur. Oppidum cum arce munimentis nudatum, ad quod VVrangelius una cum Kœnigsmarckio, & Geisio opportuno loco
15. Jun. castra metatur, hostem intrepido animo expecturus.

Wrangelius in Hassia subsistere constituit.

1646.

7. Jun.

§. 15. Ast

1646. §. 15. Aſt hoſtiles exercitus, qui hactenus circa Aichaffenburgum & Hanoviam ſubſtiterant, compluribus legionibus quas Reuſchenbergius adducebat firmati, Fridbergam, Putzbacumque progreſſi, mox præter Gieſſam recta in Suecos vadunt, prælium tentaturi. Triginta bellatorum millia explere ſe jactabant: quibus non parum animi addiderat adventus Melandri, qui diſtributis per Weſtphaliæ oppida copiis, cum quadringentis equitibus per Occidentalem ſylvam ad Cæſareum exercitum evaſerat, canos ſuos, uti ferebat, Suecis perdendis impenſurus. Tum abſentiam Torſtenſonii ab exercitu Suecico majoris quam decem millium jacturam æſtimabant, qui machinarum expedito uſu in prælis tantum ipſis damni intulerat, quantum à nemine alio metuebant. Ac initio hoſtis caſtra Suecica intra ſesquimilliare ad dextram præteriit: mox flectens in valle apud Burgmindam, inde propius ad dimidium milliare ſuccedens inter Hombergam ad Ohmam, & Schweinsbergam loco celſo caſtra poſuit, unde in caſtra Suecica deſpectus erat. Sequenti die inter duo caſtra acriter cum Bavaricorum manu apud molendinum quoddam confligebatur, non modico horum damno, inter alia binis vulneribus ſauciato ipſo Gleenio, ac pluribus præfectis, gregariiſque cæſis ac vulneratis. Frequentes præterea inter excurſorum catervas velitationes æquali fere utrinque damno. Inter alia Bellorегardius Gallicus apud Landgraviam Reſidens, dum è Suecicis caſtris Caſſellas revertit, ducentis equitibus deducentibus, in Cæſareos incidit, qui magnam præſidii partem cæciderunt, ipſo ægre Herbornam elapſo.

Cæſarei cum fame conflictantur.

§. 16. Conſilium porro Cæſareis fuerat intercepta annona Suecos urgere, ac horum cum Turennio conjunctionem impedire. Quæ deſtinata tamen in contrarium verterunt, cum Suecis annona Caſſellis præberetur. Sed qui Cæſareis è Franconia ſubvehebatur panis longinquitate itineris, & intenſo æſtu magnam partem corruptus fuerat. Unde pedes fame ita debilitatus eſt, ut vix armis ſuſtinendis ſufficeret. Nec multo lautior equitum conditio, quod caſtra arido in monte, ubi nec aquæ nec pabuli copia, locata forent. Qui & fami diſpellendæ longe lateque excurrebant, ac omnia paſſim diripiebant, non magis Moguntinis, ac Darmſtadienſibus, quam aliis parcentes. Sed & cum prius Cæſarei Bavaricique Suecicos numero longe ſuperarent, Wrangelius, ut Bænnigshauſius ſibi jungeretur, diligenter inſtiterat. Qui & demum, inopia licet pecuniæ fatigante, Suecico exercitui acceſſerat, paulo amplius quam tria militum millia Gallico argento conducta adducens. Quibus firmatus Wrangelius jam non amplius dubitabat vel in conſpectu hoſtium conjunctionem cum Turennio ſuſcipere.

Bænigshauſius Suecis jungitur.

7. Jul.

Cæſarei recedunt. 6. Jul.

§. 17. Enimvero Cæſarei, cum deſtinata ſua incaſſum cecidiſſe intelligerent, haut expectato Turennio, ea qua venerant via remeant, fœtore, annonæque, ac pabuli inopia urgente, præter immenſam equorum ſtragem exercitu quatuor millibus militum amplius imminuto. Plurimos quoque excurrentes Ziegenhaina Haſſici, & circa montem à Cervis dictum præfectus turmæ, Longus Haſſus vulgo dictus, verſans interceperat. Cum contra Suecis affatim annonæ Caſſellis ſubminiſtraretur; qui Cæſareis diutius ſubſiſtentibus ſimilem Bernburgenſi eventum augurabantur. Digreſſis Cæſareis mox Homberga ad Ohmam & Svveinsberga horum præſidiis infeſta per Haſſos recuperantur, præſidiariis citra exceptionem ſe dedentibus. Turennius interim ſolutum Baccaraci pontem Veſaliam Superiorem transtulerat, ac legionibus aliquot ſub Hoquincurtii ductu auctus per tractum Moſellanum ſuis aliquot dierum quietem indulſit. Mox cum propinquantibus hoſtium exercitibus ibi Rhenum transgredi non auderet, ſuperato Moſella Veſaliam Inferiorem deſcendit, ibique menſe Julio in citeriorem ripam tranſiit, Batavico ejus oppidi præfecto tranſitum aliquantiſper abnuente, velut neutralitati cum Cæſare cultæ repugnantem; quoad tandem Longuevillio Duce, & duobus Hollandicis Legatis Monaſterio huc excurrentibus eum concederet. Conſtabant tunc Turennii copiæ ter mille quingentis equitibus, mille quingentis peditibus, quos lento itinere per Weſtphaliam, inde Waldeccenſem Comitatum, Haſſiamque tractos apud Gieſſam Suecico exercitui jungit. Is quippe, cum hoſtis apud Ilmenſtadium Cœnobium caſtra munire cœpiſſet, matura jam meſſe famem recreaturus, Amœnoburgo huc ſe contulerat, Staufenberga arce ex itinere in poteſtatem redacta. Prætorium Langengæntæ poſitum, loco ad inſidias hoſtium pabulatoribus ponendas idoneo, quorum & complures à Suecis intercepti.

1646. Turennius Veſaliæ Rhenum tranſit. 8. Jun. 10. Jul. Turennius Wrangelio jungitur. 31. Jul.

§. 18. Aderat tunc apud exercitum à Regina miſſus Erskeinus diplomata Wrangelio adferens, quibus ſupremi ducis munere, ſimul Senatoria dignitate augebatur cum ſumma armorum per Germaniam directione, niſi quod Pomeraniæ, Meclenburgicæ, Bremenſisque ac Verdenſis præſulatus regimen Torſtenſonio reſervabatur. Addebantur mandata, ut primaria à Suecis infeſſa loca omnibus neceſſariis ad vim ſuſtinendam inſtrueret, & ut ex iis, ſi opus ſit, ipſe exercitus ſublevari poſſit. Tum ut Viſurgim, Albim, ac Oderam flumina in poteſtate haberet, ne hoſtis iiſdem uti ad infeſtanda Suecica ſtativa queat; potius eo conniteretur, ut hoſtis intra proprias provincias redactus ſuas ipſe vires atterat. Copiis Wittenbergio ac Kœnigsmarckio ſubditis hoſtem diſtraheret, vel pro re nata eas ſibi adſciſceret: alterutrum tamen iſtis locis rem gerere curaret, unde oram maritimam adverſus conatus hoſtium tueri poſſit, quo ipſi deſtinata ſua in ſuperiore Germania citra impedimentum perſequi liceat. Nam placebat Reginæ, ut is in Bavariam penetraret, ac ſi hoſtis forte munitis ſe caſtris objiceret, illum præteriret, ne obſidiis munitarum urbium tempus tereret. Juſſus quoque Gallos in Bavarum incitare, ac ut iſti hieme juxta ac æſtate rem gerant efficere. Cætera pro ratione belli de ſententia Conſilii expediret. Adjecerat Regina literas ſua manu ſcriptas, quibus hortabatur, ut non inferiorem ſe iis, in quorum locum ſuccedebat, exhiberet. Ex hoc tempore ſumma belli per Germaniam Caroli Guſtavi Wrangelii ductu adminiſtrabatur. Nam etſi Regina maluiſſet, Torſtenſonium idoneo loco in Germania ſubſiſtere, ac conſilio Wrangelium juvare, quoad hic autoritate, uſuque imperandi ſe firmaſſet, is tamen tædio morbi indies ingraveſcentis, ac ut partum decus lubrico fortunæ ſubductum in tuto collocaret, repetitis ſubinde precibus à Regina tandem obtinuerat, ut exuto imperio in patriam reverti liceret. Quo & hac æſtate adpulit, immenſa gloria mactus, rebus per quinquennium ſingulari cum felicitate ac prudentia geſtis, queis tot prælis,

Wrangelio ſummum exercitus imperium conferitur.

Torſtenſonius in Suecia obit.

1646. urbibusque expugnatis victor potentiam hostis insigniter fregit.

Socii exercitus in hostem tendunt.

§. 19. Post Turennii cum Wrangelio conjunctionem deliberabatur, num propius hostem considendum, ejusque exitum tentandum; an isto præterito ad Danubium progrediendum foret? Quorum prius cum Galli magnopere probarent,

8. Aug. statim motis apud Giessam castris præter Fridbergam proceditur: ubi hostis in conspectu erat, qui ante castra in acie constitens coronationem novi Bohemiæ Regis Ferdinandi IV. festiva displosione

9. Aug. celebrabat. Sequenti die sub castra hostium in aciem dispositi succedunt: verum qui objectu Niddæ fluminis angusti, sed ob altas ripas difficili transitu, simul excitatis operibus ruti agebant, ne equitibus quidem velitandi copia facta. Sed quia diutius heic loci hærere, ac hostibus Franconiæ ac Francofurti à tergo subvectiones liberas concedere haut consultum videbatur, placebat ipsos statim prætergredi; quæ via tamen ineunda foret paulum addubitabatur. Quidam censebant sinistram versus in Franconiam abeundum, quod metus sit, ne ad dextram flexuros Cæsarei transitu Niddæ fluminis prohibeant. Ac isto tractu omnia exhausta cum iisdem Steinheimi & Aschaffenburgi à tergo annona in promtu sit. Wrangelio tamen placebat ad dextram ire, ac transitum Niddæ apud Bonnameisam invadere: quo obrento hosti subvectio Francofurto, Hanovia, & à Mœno flumine, tum iter ad Danubium intercipi possit. Nam in Franconiam ad sinistram tendentibus, ubi hostis hibernaverat, cum inopia luctandum, ac per Spessartum sylvam tardum gravi agmini iter emetiendum. Interim ad Mœnum fluvium hostem occursurum, transituque ipsos

6. Aug. arcere conaturum. Hac sententia prævalente postera luce Bonnameisam Fœderati properant, horæ itinere Francofurto dissitam, quam centum quinquaginta hostium Scloperarii custodiebant, sed qui toto exercitu ingruente arrepta fuga mox omnes in Suecorum manus inciderunt. Fœderati statim superato flumine celsiora campi insederunt. Horum motu cognito hostis quoque iter ingressus fuerat, ut transitu Niddæ istos arceret, ac munimentum agreste Francofurtanis arvis prætensum occuparet. Præmittebantur quindecim equitum centuriæ, queis Bavaricus vigiliarum præfectus summus Sporckius præerat, qui tantisper istos sustineret, quoad totus exercitus accederet.

Cæsareorum valida excerva vapulat. 5. Aug. Sed Suecis jam perita loca obtinentibus, ea manus per Kœnigsmarckianam legionem in fugam conjecta, plurimis ductoribus gregariisque captis. Nox Buscheimi quieti data: Sequenti die cum hostis trans Niddam edito loco consisteret, fœderati denuo in ipsum tendunt, si forte ad prælium elicere eundem possent. Sed neque Windecca oppido, nec ripa Niddæ depellere hostem dabatur. Ita totum per diem flumine dirimente exercitus utrinque in acie steterе, machinis in se mutuo fulminantes. Consilium Fœderatis fuerat postero mane Windeccam, & transitus Niddæ vi in potestatem redigere. Sed hostis nocte evocatis ad se, qui ista loca tuebantur, retro in vetera castra concesserat: quem cum Fœderati oppugnare ibi haut tutum censerent, circa Windeccam fatigato militi per unum & alterum diem

7. Aug. quietem indulsere, Francofurto, & Hanovia annonam suppeditante, quarum urbium opportunitate, simul penu suo Steinheimi, & Aschaffenburgi hostis jam excluſus erat. Is ne ad dextram trans montem ab Avibus dictum in Franconiam, & ad Mœnum perrumpere, aut subvectione ex illis locis frui posset, Kœnigsmarckius cum duodecim equitum alis, ac desultorum manu Gelnhusam missus est, quam insidentes quinquaginta dimachæ sine mora sub Suecorum signa concessere. Turennius etiam quatuor peditum phalangibus, duabus equitum legionibus Moguntia adventantibus obviam profectus Steinheimum ex itinere expugnavit, non exiguo penu à Cæsareis ibi congesto potitus. 1646.

Hostis ad Lanum recedit.

§. 20. Hoc modo hostis in angustias non modicas redigebatur obstructis jam plerisque accessibus, per quos receptus, aut annonæ subvectio patebat. Unde nec diutius heic subsistere inopia patiebatur, nec tutum erat è conspectu Fœderatorum exercituum se subducere. Sed intellecto Kœnigsmarckium ac Turennium cum valida manu è castris discessisse, illorum absentiam in ultus suos vertere constituit. Unde silentio noctis 8. Aug. transito Nidda Fridbergam, Putzbacum, & relicta ad dextram Braunfelsia Wilmarum ad Lanum concessit. Ejus motu à Fœderatis cognito, equitatum immittere terum erat longius jam progressio, ac pontibus passim dejectis; qui & accelerando itineri aliquot curruum centurias cremaverat. Consilium hosti fuerat vel Suecos pugnandi cupidos superiori Germania aversos in Westphaliam pertrahere, vel si isti Mœnum aut Nicrum peterent, flexo ad dextram aut sinistram itinere prævenire aut subsequi, pugnandi necessitate declinata, ejusque destinatis quantum detur obsistere. Enimvero huc hostem insequi, ubi omnia exhausta erant, Fœderatis haut placebat; sed potius habebatur in Superiorem Germaniam penetrare, ubi & oppidorum præsidia fere imminuta erant, plerisque in expeditionem eductis. Igitur statim Windecca Hanoviam tendunt, quæ ut præsidium Suecicum admitteret, Wrangelius cum tutore Comitis Georgio Eberhardo Erbacensi per Erskenum agebat. Is erti de studio suo in socios Reges, caulamque communem prolixe testaretur, quod & foro præbito declaraverat; id tamen postulatum deprecabatur, sancte confirmans se volente Cæsareos nunquam hoc oppido potituros. Unde quia & Turennius dimidiam præsidii partem sibi depoſcebat, & Landgravia eidem oppido inhiabat, nec vi expugnare id in proclivi erat quingentis militibus, & non imbelli cive infestum; satius VVrangelio visum scripta Comitis cautione adquiescere, qua pollicebatur, in oppidum hostile præsidium non admittere, ac Fœderatis exer- 9. Aug. citibus amica omnia exhibere. Cui vicissim si opus foret defensionem VVrangelius promittebat.

Fœderati ab Hanoviensi Comite cautionem accipiunt.

Fœderati in Superiorem Germaniam tendunt.

§. 21. Aschaffenburgum inde Fœderati petunt, cujus præsidiarii resistere haut ausi se dedunt: ubi & insignis penus à Cæsareis congestus reperiebatur. Quanquam autem Schweinfurto potiri VVrangelius cupiebat; tamen ne hosti ea mora spatium daretur apud Danubium ipsum prævertendi, illo omisso Mœnus superatur, directo obiter Selingenstadio. Heilbrunnam versus Duglassius 13. Aug. cum octo equitum millibus præmittebatur, si citra temporis jacturam illa in potestatem redigi posset. Sed cum cognitum foret id oppidum bis mille militum præsidio teneri, eodem quoq; omisso ad Danubiū properabatur. Ac ut tanto exercitui eo laxior foret annonæ pabuliq; commoditas, placebat Suecicos,

1646. cicos, Galloſque pauliſper ſeparari, apud Danubium iterum jungendos. Unde Turennius cum ſuis per Neoſtadium ad Cocharum in VVurtenbergicam deflectebat, Schorndorfum ſi poſſit ex itinere occupaturus. VVrangelius per Tubari ac Jaxtæ valles Nidenaviam, inde Halam Suevicam ſe
21. Aug. conferebat. Bavarus interim utriuſque exercitus adventu audito ſuorum ſocordiam deteſtatus non ſine trepidatione decimum quemque Provinciali um in arma ciet, adituſque Provinciæ ad Danubium, & Licum inſidet. Tum pontem Donavvertæ, ac queis ſupra Danubius atque Illarus ſternitur igne corrumpi jubet nullo fructu, cum ob continuam cœli ſiccitatem ea flumina paſſim vadis tranſiri poſſent. Hala Wrangelius Ketlerum ac Wanckium cum ſuis legionibus Dunckelſpulam ire juſſit præſidio ibi futuros. Norlingam Kœnigsmarckius præmiſſus, unde Bavaricus ſubtribunus Kipsheimius cum duabus peditum cohortibus profugerat. Eodem autem cum quingentis aliis redire juſſus, dum de ipſo admittendo oppidani deliberant, Kœnigsmarckii adventu denuo verſus Danubium ſe proripuit. Ira oppidum iſtud Suecicum præſidium recepit. Norlinga ſummum vigiliarum præfectum Fridericum Chriſtophorum Hammerſteinium Wrangelius Donavvertam præcurrere jubet ad pontem occupandum, ad cujus alteram extremitatem Drucmullerus cum octingentis equitibus conſiſtebat, Suecorum adventu ſtatim ignem ponti injecturus. Unde Hammerſteinius, uti juſſus erat, vado apud Hochſtadium Danubium tranſiens, Drucmullerum, dum
Bavarici vapulant. circa pontem deſtruendum ſatagit, invaſit, ac profligatum Rainam uſque perſecutus eſt, multis in fuga cæſis, centum ſeptuaginta cum Habſpergio ſubtribuno captis. Interea Turennius Schorndorfum exiguo præſidio inſeſſum admotis machinis,
30. Aug. & acceſſibus ad foſſam promotis ad deditionem compulerat. Bavaricis militari modo Heilbrunnam diſcedere permiſſum; oppidum Ducis Wurtenbergici poteſtati relictum, ſexcentorum tamen militum præſidio ſub Grotio juniore impoſito.
3. Sept. Wrangelius Donavvertæ raptim reparato ponte
4. Sept. exercitum ſine mora tranſmiſit, ac Rainam ad Licum iter intendit. Ibi ad Oberndorfum refecto ponte Bavaricis fruſtra machinas evibrantibus pedites trans Licum duxit. Cum equitatu Kœnigs-
Wrangelius Rainam expugnat. marckius vado flumen permeat. Rainæ oppido ſtatim machinæ admotæ, præſidiarius acriter reſiſtentibus. Sed cum hinc Wrangelius, inde Turennius (qui tranſmiſſo apud Laugingam Danubio huc adpulerat,) acceſſus ad foſſam uſque promoverent, Provinciales animis collapſi ſtationem deſeruere, nec miles conductus tuendo oppido
11. Sept. par fuit. Unde præfectus honeſtis legibus deditionem fecit, ac cum centum quinquaginta militibus, quadringentis venatoribus, ac ſexcentis Provincialibus Ingolſtadium deductus eſt. In oppido viginti quinque machinæ æneæ, ac inſignis copia paratus bellici, annonæque reperta. Suecorum in obſidio viginti quinque cæſi, ſauciati Grundelius tribunus, quinque centuriones, nonaginta gregarii.

Trepidatio per Bavariam. §. 22. Hac Fœderatorum irruptione per totam Bavariam trepidatio ac fuga. Ipſe Princeps Monachio Waſſerburgum, inde Braunaviam ſe contulit. Tum ut omnes pontes dejicerentur juſſit, ac ut ferramenta molendinis ſtatim eximerentur, & ingruente hoſte ignis injiceretur. Monachium tamen ut ad extremum ſe defenderet præceptum: quo fine & manus equitum, peditumque Ingolſtadio illuc evocabatur, ſed quam in itinere Fœderati 1646.
male multabant. Kœnigsmarckius quippe, dum Raina oppugnatur, cum pleroque Suecico ac Gallico equitatu Schrobenhauſam miſſus fuerat, ut obſidentium terga tuta præſtaret. Is cognito octingentos equites dragonesque cum Colbio & Creutzio tribunis proxima nocte Ingolſtadii Danubium
6. Sept. tranſiſſe Monachium tendentes, repente ingruens
Bavarici vapulant. apud Pfaffenhovam eos aſſecutus eſt, ac ducentos quaſi cæcidit, quos inter ſubtribunus, præfectus turmæ aliique ductores centum ſexaginta cepit. Sed qui eodem iter inſtituebant ſexcenti pedites Neuburgum ſe illæſi ſubduxere.

Auguſta obſidetur. §. 23. Wrangelius, Raina valido præſidio firmata, Auguſtam inde accedit. Hanc etſi ante omnia in poteſtatem redigere cupierat; tamen interjectam huc ac Donavvertæ Rainam prius intercipere rationis videbatur, quod pauco hanc milite inſideri noſſet, neve Auguſta oppugnata exinde commercia inter Donavvertam, & exercitum impedirentur, aut hoſtiles copiæ caſtris ad id oppidum poſitis Fœderatas Danubio plane excluderent, ac Donavvertam interciperent. Qua citra ingens negotium expugnata aditus in Bavariam patebat. Solicitaverat interim Auguſtanos Wrangelius mitio in urbem Erskeino, num ultro Suecicum præſidium admittere vellent; quod tres duntaxat cohortes in urbe eſſent, & munitiones à Suecis quondam excitatæ fere ſubtediſſent. Aſt illi à tractatu haut alienos ſe ſimulantes Erskeinum detinebant, donec diverſis è locis quindecim militum centuriæ ad urbem defendendam accurrerent; quorum inducia tractatus abrumpunt, ſimul Catholicos cives armant, Evangelicis duo templa olim erepta, & ſolita in Senatu loca polliciti, ſi arma pariter arripere velint. Id quod hi abnuebant, eventum tractatuum pacis patienter expectaturi, & ademta ſemel arma non niſi publica lege reſumturi. Igitur ſpe ſua eluſi Fœderati vim admovere conſtituerunt, quod hac urbe capta tota retro Suevia & VVurtembergica ipſorum hoſpitiis, quicquid ad Iſaram uſque patet prædis expoſitum erat, reliqua Bavaria per proprium militem exhauriendа. Ac conveniebat inter VVrangelium & Turennium, ut urbi capiendæ par ex utroque exercitu præſidium imponeretur; penes utrum eſſet præfectum conſtituere, ſorte decerneretur. Ita refectis apud Lechhauſam & Fridbergam pontibus Fœderati eis Licum urbi circumfunduntur, 18. Sept.
ad quam ſumma vi acceſſus tribus locis aguntur, ac in ipſam foſſam penetratur, expugnato quoque munimento, quod Klenckanæ portæ prætenditur. Tum magna vis globorum ignivomorum in urbem conjecta, quæ non parum damni, eliſis hominibus, ædibuſque intulit. Nec minus obſeſſi acriter reſiſtere, machinis, tubiſque continuo è vallo detonare, tum crebro per tenebras erumpere, Suecorum opera turbare, tecta ſuburbana ſibi obſtantia flammis delere. Caterva quoque equitum ſemper plateas perſultare, ne forte Evangelici cives adibus prodire, aut in cœtus coire auderent. Ac abundante hominum multitudine nova in urbe opera excitari, ſtrenuam cumprimis operam navante tribuno Franciſco Royero, qui in urbem jam obſeſſam cum trecentis quinquaginta dimachis, nocturnis tenebris tectus penetraverat. Nec quidquam neceſſariarum rerum deerat, niſi quod intercepta aqua panis penuria vulgus premere inciperet. Interim Mundelheimi præſidium cum obſeſſorum terga infeſtaret, Kœnigsmarckius facili negotio ſubigit, ſeptuaginta

1646. g nta ibi dragonibus, & magna equorum vi potitus.

Cæsarei Augustæ subveniunt.

§. 24. Enimvero jam sub propugnaculum urbis cuniculi agi cæperant, deditio, aut assultus imminebat, cum Cæsarei, Bavaricique laborantí subvenere. Recesserant illi Limburgum usque ad Lanum. Ibi adscitis è Westphalia duabus legionibus non amplius, subigente inopia ac multo magis necessitate, dum Fœderati in Bavariam tendunt, suis succurrere constituere, ad Mœnum obiter Aschaffenburgo, Miltenburgo, ac Steinheimio expugnatis. Id quod tamen magna cum circumspectione fusceperunt, laxo ad sinistram circuitu facto trans montem ab Avibus cognominatum in Fuldensem agrum, Schweinfurtum inde, Bambergamque, tum Forcheimum, ac Noribergensium ditionem, mox per Superiorem Palatinatum ad Danubium infra Ratisponam progressi. Ibi cum aliquot per dies subsitissent, tandem apud Straubingam Danubium transmisere.

29. Sept. Landshutam hinc ad Isaram tendentes, quo & tria amplius peditum millia à Cæsare auxilio missa venerant.

22. Sept. Heic habito consilio Augustæ utique subvenire decreverunt, refectis non parum, auctisque in Bavaria copiis, quæ tredecim millia sexcentos equites, novem millia quadringentos pedites, dragones mille quingentos complectebantur.

Fœderatorum consultatio.

§. 25. Fœderati, intellectis hostium destinatis, quid facto esset opus consultabant. Equidem manum cum istis conferere ardebant, quo fine promtum erat superato Lico apud Fridbergam adventantes excipere, ni obsidium urbis solvendum esset. Nam ut tantam urbem tam valido præsidio firmatam obsidio premerent, ac hosti tota mole ingruenti simul occurrerent, fieri non poterat. Obsidium porro deserere durum erat propinqua urbis capiendæ spe: nec ideo explorata prælii facultas erat, cum hosti intra angustias, ac paludes ita consistere liceret, ut invitus ad pugnam protrahi non posset. Igitur placebat apud Augustam consistere, quod sperarent intra eam urbem & Landsbergam, ubi crebris vadis Licus transitur, in citeriorem ripam hostes trajecturos urbis liberandæ causa, & sic ultro prælii copiam facturos. Interim ut urbem expugnarent omni vi commitebantur; ac Fridbergam & quicquid vicorum intra duo milliaria trans flumen jacet flammis delebant,

30. Sept. ut sub dio hosti consistendum ibi foret: castellum quoque ad alteram pontis partem, qua usitatus per flumen transitus, excitant. Enimvero Cæsareis id tantum agebatur, ut immisso urbi novo milite obsidentium laborem redderent irritum.

12. Oct. Obsidium Augustæ solvitur. Eoque per Dachaviam, ac Fridbergam itinere facto Lechaulam Augustæ oppositam accessere, ubi vado Licus transiri poterat. Heic ingruentes hostes arcere loci conditio non patiebatur. Nam humiles Licum inter & urbem campi haut ita late patentes ubique telis è vallo expositi erant. Nec campos illos pererrantes rivi sat spatii præbebant ad pedites excitatis loricis tegendos, quo minus telis ex urbe juxta, & adversa Lici ripa obnoxii starent. Quod cum rationis non esset, nec destinata

3. Oct. hostis impediri possent, qui jam celsiore ripa machinas suis protegendis disposuerat; nil aliud Fœderatis supererat quam obsidium solvere ac transitu fluminis decedere. Id quod citra trepidationem factum. Tum explicatis in aciem ordinibus patente campo dimidio ab urbe milliari Fœderatorum exercitus constitit, signo ad Suecicum morem dato hostem provocans, si forte isti prælii conserendi animus esset. Ast hic, equitatu transmisso cum istos in acie consistentes conspiceret, retro statim trans flumen concedebat, Augustæ obsidium solvisse contentus. Hac in oppugnatione è Suecico exercitu non amplius sexaginta quinque gregarii, ac præfecti nonnulli cecidere. Paulo plures quam ducenti sauciati quos inter subtribuni Bonartus, Forbusius, & Gaudius, ac præfectus vigilum Pavvius. Turenniani tamen plus damni accepere. 1646.

Fœderati Laugingam discedunt.

§. 26. Cum hostem haut quidquam prælii copiam facturum constaret, Fœderati Laugingam recedunt, quod oppidum novis munimentis diligenter firmatur, ut certus Danubii transitus semper in promptu esset; cum Donavverta ob adsitum montem adversus vim machinarum defendi non posset. Tum pecunia Noribergæ per Melchiorem Degingium procurata equis, armisque, & aliis necessariis miles iterum instruitur, ne in hiberna longius ab hoste discedere necessum foret. Et quia Caspar Cornelius Mortaignius, summus peditum dux imperium in Landgraviæ exercitum suscipiebat, in ejus locum Gustavus Otto Steinbockius, qui hactenus Westphaliæ curam egerat, sufficitur; adjunctis Gustavo Leuenhauptio, & Wolfio Ludingshusio, summa vigiliarum præfectura auctis. Nam qui eo munere hactenus primarium apud exercitum functus erat Payculus, sub Wittenbergio in Silesia peditatui præficiebatur. Gallici porro duces, hactenus satis concordes, si forte in diversa abituri essent, Wittenbergio injungebatur, ut postquam Cæsar pleraque vires huc verterat, valida impressione hostem distraheret, aut si opus foret, cum primario exercitu copias sociaret. Id quippe præcipue spectabat Wrangelius, ut belli sedes in Bavaria figeretur, quo ista per hostilem juxta ac amicum militem exhausta ejus Principis vires enervarentur. Cui scopo obtinendo ipse hostis anſam præbebat. Nam is post liberatam Augustam retro inter Aicham & Schrobenhausam concesserat. Inde Lico binis pontibus supra Landsbergam strato, cis flumen transierat relictis, qui Rainensis præsidii excursiones coërcerent, velut tota vi Fœderatos invasurus, cujus exercitus viginti quinque bellatorum millibus constabat, quem octoginta circiter machinæ sequebantur. Iter iste Mundelsheimum, Memmingamque intendebat. Tum longius Illarum ultra pergit, ut Fœderatis annona & pabulatione exclusis trans Danubium iterum abeundi necessitatem adferret. Qui tamen non statim perspicere poterant, quo consilio tam longe à finibus suis digrederetur. Suspicio erat, illi perfugium fuisse, fœderatos ipsius metu his regionibus ultro facessituros: cui opinioni forte ansam dederat, quod Wrangelius uxorem suam, aliorumque præfectorum plerasque, tum duas machinas usu detritas Norlingam miserat; unde hosti creditum totum exercitum eodem secuturum, cui & animus videbatur fuisse abeuntibus incumbere. E-

Fœderati in hostem tendunt. nimvero Wrangelius hostium motu cognito una cum Turennio Lauginga hostem versus Jettingam, Kircheimum & Angelbergam tendit, prælio certaturus, aut si hostis abnueret, in Bavariam penetraturus. Angelbergæ intellectum, hostem trans Illarum abiisse, viamque velut ultro ad Li-

25. Oct. cum ostendisse. Unde isti citra moram Landsbergam petivere, ubi præfectus turmæ cum septuaginta equitibus interceptus est. Oppido præsidium à Turennio impositum, ut & ipse Lici transitum in potestate haberet, cum Sueci Rainam obtinerent. Præmittitur hinc Reichvvaldus cum quatuor equitum legionibus ad Schongam occupandam,

13. Oct. Hostis de Licum in Suevicam transit.

24. Oct.

Iidem in Bavariam denuo irrumpunt.

tranſi-

1645. transitumque hostium arcendum. Sed prævenientibus ittorum dimachis exclusus pontem tamen Lici corrupit. Hostis Fœderatorum itinere cognito extemplo Memminga Kaufbeuram, inde ad Licum properat, ac infra Schongam Lædæ castra ponit; cui in adversa ripa Fœderati Omenetorpi non procul Landsberga castra opponunt, ac Bavaricos propria ditione excludunt. Weilheimum inde oppidum sexaginta dimachis infestum, 29. Oct. propugnantibus etiam ducentis oppidanis, & provincialium manu, impetu expugnatum non sine ingenti strage eorum, qui male consulta pertinacia validiorum iram lacessiverant. Excurrentes 1. Nov. quoque trans Licum catervæ non parum damni hostibus dedere, interceptis inter alia mille pabulatorum equis.

§. 27. Cæsarei, Bavaricique cum summopere in Bavaricam penetrare, ac invisos inde hospites expellere cuperent, in Suevica Lici ripa Schongam versus adscenderunt, si patrocinantibus machinis pontem extruere possent. Sed Fœderatis in adversa ripa altiore loco consistentibus iste conatus irritus fuit. Cum autem altius Tirolenses per montes iter instituere non possent, retro Monachium Suevicum vertunt ponte ad Augustam usuri. 3. Nov. Sed obstantibus Fridbergæ Fœderatis ne heic quidem perrumpere dabatur. Tandem extructis sex pontibus, quos secundo flumine deducebant apud Cænobium Thierhauptam Licum transiere tanta cum trepidatione, ut multos tardius molientes aut palantes Suecis intercipiendos relinquerent. 7. Nov. Fœderatis animus erat & illic hostem transitu arcere. Sed cum per uliginosas circa Fridbergam vias machinæ trahi non possent, & circa Augustam omnia exhausta forent, longius ad dextram itinere Menchingam capto hostem jam Schrobenhausam elapsum invenerunt.

Cæsarei in Bavariam revertunt.

§. 28. Fuerat Wrangelio propositum longius in Bavariam penetrare, ac apud Freisingam Isaræ transitum tentare, ut & hostis eodem pertraheretur, & Bavaria intra Oenum Licumque ab amicis pariter ac hostibus vastaretur. Sed Gallici duces, cum ab initio id probassent, mox mutato consilio sequi Freisingam detrectarunt, protestatione interposita; sibi constitutum trans Licum in Suevian reverti, ac ibi captis hibernis militem fessum recreare. Obtentui sumebantur induciæ, quas Bavarus tunc affectabat: quarum causa Croisius Monasterio à Legatis Gallicis missus erat. Is primo accessu Wrangelio remissius insinuare; Monasterii super induciis fœderatos inter Reges, & Cæsarem, atque Bavarum fuisse propositum, seque ad cognoscendam ipsius sententiam venisse. Cui Wrangelius: inducias præsenti armorum facie Regnis haut proficuas; ac longe satius fore apertam jam Bavariam populari, Principique huic nocendi vires adimere; id quod pacis tractatus non parum promoturum sit. Alias super istis nihil in mandatis sibi datum. Nec eo secius Galli tractatus istos, ac discessum è Bavaria urgere, quicquid contra niteretur Wrangelius; hostem penitus pessumdandum ingerens, & ea parte premendum, qua tenerrimus sensus. Suevicis hospitiis fruendis sat temporis superesse. Sed cum Gallos de sententia haut decedere videret, terris inter Licum & Isaram quantam posset vastitatem inferre secum constituit. Ita Bavariam pessime habitam Fœderati iterum deseruere, Licoque apud Schongam superato. Hujus repentini è Bavaria discessus causa in vulgus spargebatur annonæ pabulique inopia. Revera tamen Galli ob communia sacra, ac veterem amicitiam ejus Principis miseratione tangebantur, ad quem plane perdendum cum Suecis incumbere nolebant; quibus & olim ratio fuit, istum Domus Austriacæ æmulum fovere. Sed nec eo usque premere hostem cupiebant, ut Suecis Galliæ deinceps auxiliis carere commode possent; quos uti succumbere oneri nolebant, ita ubi res ipsis nimium prospere videbantur fluere, ad æquilibrium eosdem revocare artificium erat. Ex ea ducum dissensione spem Catholici concipiebant, amicitiam inter Sueciam, Galliamque plane abruptam iri. Reginæ tamen prudentia & moderatione infra spem ejus dissensionis effectus iterit.

1646.

Galli longius in Bavariam penetrare nolunt.

De induciis agi incipit. 4. Nov.

§. 29. Schonga Kaufbeuram Fœderati discedunt, unde profuga, sexaginta quatuor equitum turma à Suecis insequentibus intercipitur. Inde late per superiorem Sueviam diffunduntur, plerisque oppidis ultro portas pandentibus, nisi quod signifer, qui arcem Mundelheimensem cum quadraginta dragonibus insidebat admotis demum machinis ad deditionem compellendus fuit. Cui 20. Nov. arci, avecto qui congestus ibi erat penu, ignis injectus. Hospitia ita inter se distribuerant fœderati, ut Turennius quidem loca versus Danubium, & Wurtenbergicam ad dextram caperet, Suecis Regio ad sinistram versus Bodamicum lacum cederet. Nec in hostem quidquam gestum, nisi per excu- 22. Nov. siorum catervas; quarum una centum sexaginta Croatas Bavaro militantes inter Rainam & Mundelheimum profligavit, quinquaginta eorum captis. Campoduni subtribunus Schlangenhauffius cum dimacharum ala collocatus erat prohibendis montana regione excursionibus; qui oppido diffuto defendendo impar arcem insidebat. Eum 1. Dec. tribunus Caspar Schockius cum valida militum agrestiumque manu ante lucem invasit, & acriter licet resistenti duo propugnacula extorsit. Connixis tamen orta luce Suecis hostes iterum ejecti, septuaginta amplius cæsis: Sueci triginta fere desideraverant, una cum equis & impedimentis in oppido relictis. Cis Danubium Dunckelspula à Ketlero, Norlinga à Bulovio insidebantur ad Franconiam tributis subjiciendam. Jurgasio tribuno, qui Donavverram obtinebat, injunctum hoste ingruente ponti ignem injicere, ac Rainam se conferre. Poleius tribunus, ac Weierus subtribunus qui VVembdingæ hactenus stativa habuerant, VVeissenburgum occupare jubentur. Cum oppidani metu præsidii VViltzburgensis tergiversarentur; scalis admotis in oppidum pervadtur. Ex eo Suecipartem superioris Palatinatus tributis subiecere. Sultzberga quoque arx Neumarco uno milliari dissita præsidio firmata.

Fœderati Bavaria iterum excedunt. 13. Nov.

Iidem pro Sueviam copias distribuunt.

§. 30. Inducias cum Bavaro non tam Turennius, quam alii Galli fervido in Romanos ritus studio urgebant, queis frigidam suffundebat Croisius Monasterio missus, qui nunc ferocius super tractatibus suscipiendis instabat. Bavarus quoque velut re jam explorata locum & tempus congressus exposcebat. Enimvero VVrangelius judicabat induciarum obtentu hostem id quærere, ut amoto cervicibus suis Fœderatorum exercitu spatium nanciscereturfuturæ expeditioni separandi, resq; collapsas reficiendi. Contra quæ Suecis per has inducias forte cedenda sint hospitia exhausta, & exercitui supplendo parum conducentia. Ductores occasionem inde arrepturos in Sueciam proficiscendi, Reginamq; infinitis precibus obtundendi. Gallos ob promta stipendia militi ad se tracturos, & qui Romana sacra profitean-

Wrangelius inducias avertitur.

1646. ſiteantur per ſacerdotes ſeducendos. Bello inſtaurato militem quieti adſuetum ægre ſe in expeditionem morurum, ac non niſi ſoluta pecunia alacritatem retumturum. Hoſtem contra recentes vires in bellum allaturum. Accedebant juſſa Reginæ, quibus injungebatur tractatibus de induciisabſtinere, ac ſi invitaretur, mandati defectum obtendere. Unde conſtituerat rem extrahere, quoad nova ſibi à Regina mandata venirent. Sed quia paulo ante ſummus Quæſtor Petrus Brandius à Legatis Suecicis Oſnabruga venerat, mandatis ſuper eo negotio inſtructus; unde cum Croiſſius non ſine importunitate tractatus urgeret, velut inter Legatos Regios ſuper iiſdem jam conveniſſet, adempto tergiverſandi obtentu Wrangelio congreſſus deputatorum admittendus erat, ne Gallos plane offenderet, neve à pace abhorrere Succorum animi, bellique infinita cupidine duci crederentur. Decreverat tamen ita duras induciis leges dicere, ut illæ non temere ad finem perducendæ forent. Eodem tamen tempore cum Joanne Philippo Schœnbornio Herbipolenſi Epiſcopo ſuper modo menſtruorum tributorum conventum: & ut Epiſcopus intra ſua oppida à Cæſare, aut Bavaro præſidia ne admittat, neve per ſuos Succis, eorumque ſociis hoſtile quid inferri patiatur, ſed catervis ac toti exercitui liberum tranſitum concedat, ac annonam ſuppeditet, commercia libera concedat, ac per omnia amicum ſe gerat.

Cum Herbipolenſi Epiſcopo tranſigitur.

Cæſarei vapulant.

§. 31. Inter hæc Cæſarei juxta, ac Bavarici Licum inter, & Iſaram diſperſi tendebant, exhauſtam per regionem non modice cum inopia conflictati; unde & quotidie transfugæ Rainam veniebant, qui inde ad exercitum Succicum mittebantur. Et crebræ Succorum excurſiones ſubinde quoſdam iſtorum carpebant. Apud Neuburgum inde Danubius ponte ſternitur: ac ſuſpicio erat hoſtem repente tranſiturum, ac Donavvertam, Weiſſenburgum, aut Norlingam à Succis infeſtas invaſurum. Unde Wrangelius deſtinata hoſtium penitius exploraturus, ſimul tentaturus, num vel diſperſis adhuc per hoſpitia legionibus, vel iter ingreſſis damni quid interre poſſet, una cum Turennio ac pleroque Succico equitatu, & novem Gallicis equitum legionibus Babenhauſia Rainam verſus iter ingreditur. Dum eo tendit, miſſi à Steinackero tribuno Rainæ præfecto nuntiant, ab hoſte ſublatum Neuburgo pontem Ingolſtadium deductum, exercitusque hoſtiles iter ingreſſos, Bavaricum ad ſiniſtram præter Neuburgum, Cæſareum ad dextram Schrobenhauſam verſus, poſtremum agmen non procul Raina incedere. Unde Fœderati duces quantum poterant accelerantes ſequenti die pontem apud Rainam tranſivere. Ubi non procul bis mille equites Cæſareos ſub Pompejo, ac Philippo ſummis vigilum præfectis deprehendunt. Quos propere inſecuti non procul Brucheimo invadunt. Hi commodo licet loco conſiſtentes repugnare non auſi Neuburgum verſus ſe proripuere; quos ad dimidium milliare uſque ab illo oppido Succi, Gallique inſecuti ducentos amplius cæcidere, plurimos ceperunt, quos inter multi præfecti. Quo minus longius procederent, fatigati celerato itinere equi impediebant. Eodem tempore Jurgaſius tribunus Donavvertæ impoſitus rumore invaſuri ipſum hoſtis territus, cum Rainam, quo ſe alias conferre juſſus erat, ab hoſte circumſideri crederet, Laugingam ſe contulit. In cujus locum hoſtis ſtatim turmam equitum immiſit. Sed Wrangelius præpropere diſceſſit offenſus præfectum vigilum Joannem Roſam cum centum quinquaginta peditibus Lauginga tribus navibus eodem dimittit, qui impetu dato oppidum irrupit, ac cæſis captiſque nonnullis hoſtilium equitum, reliquos oppido præcipites ejecit. Pons ſtatim à Succis reparatus, ac in Jurgaſii locum ſubtribunus Gaudius oppido præpoſitus.

1646.

Donavvertæ à Succis deſeritur & recuperatur.

4. Dec.

5. Dec.

6. Dec.

§. 32. Tandem provecta jam hieme ſub tecta deducere ſuos ſtatuerunt Fœderatorum duces. Et Wrangelius quidem Babenhauſa movens prætorio Leutkirchæ poſito legiones circa Bodamicum lacum Lindaviam uſque & Uberlingam diſtribuit. Turennius contra Biberaci ipſe conſidens Meskirchæ, Pfullendorfi, Mengæ, ac vicinis locis ſuos diſpertitus eſt. Cæterum agreſtes in Algovia retro Iſnam oppidum munimenta excitaverant, unde crebris eruptionibus Succorum hiberna infeſtabant. Illis compeſcendis Wrangelius comitante Mortaignio & Duglaſſio cum bis mille peditibus, mille equitibus, ac quibuſdam machinis Leutkircha eo movit: ſub veſperam tamen Iſnæ adpellens ob ingruentes tenebras nihil in iſtos tentare potuit. Orta luce, cum ad munimenta accederetur, deprehenſum, alios hinc inde per montes, reliquos in clauſtra Bregentina diffugiſſe. Quæ res Wrangelio ad majora audenda animam præbuit, ut ad invadenda ea clauſtra, queis aditus ad Helvetios, Rhætoſque, & in Italiam panditur, animum adjiceret. Unde ſequenti die ad quadrantem uſque milliaris ſuggreſſus, poſtero mane deſtinata exſecutus eſt. Clauſtra illa, ex uno latere aſſurgentibus Alpibus, ex altero alluente lacu Bodamico, vix in eam latitudinem patent; ut currus pertranſire queat. Objacet caſtellum, qua Lindavia acceditur, probe munitum. Retro clauſtra Bregentia ſita eſt, & juxta validum caſtellum, ſed poſteriore parte apertum, quippe unde nullus hoſtis metuitur. Longius Pfannenberga arx celſæ rupi incumbit, nec ipſa facilis expugnatu. Horum locorum cura Eſchero tribuno commiſſa erat. Succis ingruentibus agreſtes celſis in montibus ad ſiniſtram ſe oſtendebant, ad quos juſſu VVrangelii aliquot peditum centuriæ enixæ illos non ſegniter licet reſiſtentes inde proturbarunt. Agreſtes inferius apud rupem, & ſupra clauſtra poſitum vicum aliud caſtellum excitaverant, ſimul ſecundum montes loricam objeceerant, ubi pede firmato iterum acriter in ſubeuntes tela ejaculabantur. Quos & inde VVrangelius, ac Mortaignius cum manu peditum impetu facto ejecere. Fugitivi in aliud caſtellum ſub abrupta rupe ſitum, ac ponte penſili munitum ruebant; ubi ſi pedem figere, ac pontem retro attrahere potuiſſent, aditus hoſti plane obſtructus erat. Enimvero ita alacriter veſtigiis fugientium inhærebant Succi, ut iſtis ſpatium non eſſet pontem attrahendi, quin hi ſimul irrumperent. Unde miſeri longius per montem in Bregentiam oppidum, ac adſitum caſtellum ſe conjecere. Quibus uti alas timor addiderat, ut per abrupta montium præcipiti ſaltu ſe demitterent, alii devolverentur: ita veterano Succorum peditiſolitus ardor, ac opimæ ſpes prædæ non minus alacritatis inſpirabat, ut idem caſtellum ſimul cum agreſtibus attingerent. Interim & Succi montem ad ſiniſtram enixi erant, è quo exiguis machinis, & tubis longioribus munimenta hoſtium infeſtari poterant. Unde caſtellum illud inſidentes milites, & agreſtes cum conſpicerent Succos jam à tergo quoque imminere, ubi caſtellum apertum erat, &

Fœderati in hiberna diſcedunt. 12. Dec.

VVrangelius clauſtra montium apud Bregentiam occupat. 22. Dec.

23. Dec.

24. Dec.

25. Dec.

ipſi

1646. ipſi inde ſe proripiunt. Eorum aliqui in navigia vacua apud oppidum conſiſtentia cum impetu ſe conjecerunt; ſed illis pondere ſubſidentibus lacu hauſti ſunt. Alii effugium terra quærentes, in Suecorum manus delapſi trucidabantur. His igitur caſtellis cum oppido in poteſtatem redactis ipſa adhuc claulta reſtabant; quæ per duas horas ſtrenue defendebantur, donec urgentibus hinc inde Suecis tandem ceſſere. Inciderat quoque in Suecorum manus Etcherus tribunus, qui Pfannenbergæ arcis præſidiariis deditionem imperare compellebatur. Ita cum armata ſimul militum manus ſubiret, Suecia arce illa citra pugnam potiti ſunt. Captæ ibi duodecim machinæ æneæ, undecim vexilla. Agreſtium ſex millia fuerant, quorum major pars periit Suecorum pauci admodum ceciderunt, quos inter centurio Henricus Wrangelius Reinoldi filius. In oppido maxima præda inventa, quam aliqui quadraginta auri tonnis æſtimarunt. Cæterum ne Helvetii occupato in ipſorum terras aditu offenderentur, Wrangelius literas ad ipſos dedit quibus de ſuo Bregentiam adventu ſignificat, confirmans ipſis à ſe ſuisque nil niſi amica expectanda. Sub capitis quoque pœna edixit apud exercitum, ne quis in eam regionem excurrere audeat: miſſo ad fines latrunculatore, qui rapinam autòs promiſcue laqueo ſuffocaret. Cæſarei contra, Bavaricique Bavariam à ſe quoque peſſime habitam inſtante Principe tandem menſe Decembri deſeruere, ac tranſito apud Ingolſtadium Danubio illi quidem in Superiorem Palatinatum, hi in Aichſtadienſem præſulatum conceſſerunt. Imperium in Cæſareos, poſtquam Archidux in aulam abierat, Gallaſio iterum collatum; & Hatzfeldius ob adverſam valetudinem miſſione impetrata in prædia ſua in Franconia ſe recepit.

Idem ad Helvetios ſcribit.

Wittenbergius in Sileſiam mittitur.

§. 33. Dictum ſupra eſt, VVittenbergium poſtquam primarius exercitus in VVeſtphaliam tendebat, in Sileſiam miſſum obſervandis hoſtium conatibus, qui loca ibi à Suecis inſeſſa recuperare inſtituebant. Adjungebantur illi tria millia equitum, dimachæ nongenti, pedites mille; quos ille apud Serveſtam trans Albim duxit. Inde Trevenbritzam abitur, ubi luſtratis copiis Soram Saganumque renditur, tandemque Naumburgi ad Boberam caſtra ponuntur. In itinere caterva Croatarum non procul Gœrlicio à Suecicis oppreſſa. Dum Wittenbergii iter per vaſtatas fere regiones tardius procedit, Avvackius tribunus interim collecta manu Teſchenam arcem oppugnatum ibat, quam Solihartus ſubtribunus ſtrenue tuebatur, obſidentium non paucis cæſis. Tandem parte munimentorum per cuniculum diſjecta arx dedita, liberque diſceſſus iis, qui antea ſub Cæſare ſtipendia non fecerant, permiſſus. Aſt Niclasburgum incuria præſidii Suecici noctu à Cæſareis oppreſſum, in captivitatem redactis qui intus erant præfectis. Eadem in Iglaviam agitabantur conſcio intus cive, ac milite; ſed qui re mature detecta ultro carnificis munus manibus ſibi illatis præcipiebant.

19. April.

30. April.

Cæſarei Teſchenam arcem recuperant.

8. April.

& Niclasburgum.

9. April.

Eidem Cremſam obſident.

§. 34. In Auſtria Cremſa eminus hactenus circumſeſſa omni vi oppugnari cœperat, cujus expeditionis curam ſuſceperat Joannes Chriſtophorus Bucheimius Comes, coacta quinque millium manu, ac multis machinis Vienna adductis. Etſi alias id oppidum ipſe loci ſitus parum validum redderet. Cæſarei machinis pinnacula mœnium diſjicere, & acceſſus ad foſſam agere. Contra qui oppido præerat Jacobus Lundius ſubtribunus, ejecta inopi turba, quo diutius annona ſufficeret, tecta ædium demolitus eſt, ac ſummis tabulatis arenam ſuperfudit. Tum continuis diſplosionibus obſeſſorибus non parum damni intulit. Hi contra machinis munimenta, turresque dejicere, ac defenſioni inepras reddere; victumque in montem machinas attrahere, quarum ictibus omnes plateæ oppidi expoſitæ erant. Ac deprehenſo, qui ad præfectum literas auxilii ſpem facientes perferre conabatur, vis intendebatur ac injectis ignibus duodecim domus conflagrabant; obſeſſis interim eruptione facta non paucos captivos in oppidum pertrahentibus. Obſidio urgendo aderat Suchius defenſa Brina clarus, qui & non modicum operæ pretium feciſſe judicabatur. Inde tribus locis ſub oppidi propugnacula cuniculi acti: undecim è ſuggeſtibus mœnia tribus locis dejecta; & exteriora maximo impetu expugnata, ut nulla ratio oppidum tuendi amplius ſuperetſet. Mittitur hinc in oppidum à Bucheimio Comite tympanotriba, obſeſſis deditionem citra conditionem offerens. Sed cum hi mori mallent, quam iſtam conditionem ſubire, datis utrinque obſidibus in honeſtas deditionis leges conventum, ac Lundius cum ducentis, qui ipſi ſuperfuerant, Glogoviam deductus eſt, exceptis illis, qui antea ſub Cæſare militaverant.

1646.

Eadem deditur 2. 5. April.

Wittenbergius Wartenbergam occupat. 14. Maji.

§. 35. Wittenbergius interim, tranſito apud Glogoviam Odera, Wartenbergam Polonicam ſexaginta peditibus ſub præfecto vigilum inſeſſam invadere conſtituit, quod præſidium minus eſſet, quam pro oppidi capacitate. Sed præfectus derivatis licet è foſſa aquis obſiſtere pertinax, dum oppidani non ſine tumultu in arcem faceſſere jubent, ab irrumpentibus Suecis una cum ſuis oppreſſus eſt. Ut oppidum illud novis munimentis firmaretur, quod Wittenbergius cupiebat, coëuntes hoſtium copiæ ſpatium non indulgebant. Eoque ſatius viſum munimentis detractis id deſerere, & caſtris apud Hernſtadium poſitis motus hoſtium obſervare. Qui cum numero longe potiores Raimondi Montecuculi ductu ingruerent, Guram retro concedebat. Et quia nuntiabatur, catervas Cæſareorum in Polonia vicina latitare, ac inde palantes Suecos ex improviſo aſſultare, ad Judicem Provincialem Schlichtingium miſit, qui hac de re conquereretur, ſimul denuntians, ſibi vitio datum non iri, ſi hoſtem ubicunque deprehenſus fuerit perſequatur. Cui iſte declarabat, id quidem pace ſua futurum; quin non interceſturum ſe, quo minus vel injectis flammis inſidiatores vicis expellat. Cæſareis inde Parchvvitzam uſque deſcendentibus, VVittenbergius Gura movens ſub Glogovia conſidebat. Ubi præfectus vigilum Rœrſcheidius cum ala equitum Hirſchbergam miſſus in itinere à Cæſareis vapulat, quinquaginta ſuorum amiſſis. Qui tamen paulo poſt felici excurſione damnum id penſavit. Sed & mox alia Suecorum caterva centum equitum apud Neumarcum profligatur non paucis cæſis. Triginta quoque equites Franckenſteina progreſſi per eoſdem intercepti. Eam arcem, velut ideo præſidio deſtituram, Montecuculus facili negotio in poteſtatem ſe redacturum ſperaverat. Cujus conatibus explorandis centurio Crengelius arcis præfectus quatuordecim equites emiſerat, qui Cæſareos ſe ferentes per medios hoſtes vagabantur, donec captata occaſione præfectum vigilum cum quibuſdam aliis cæderent, abductis quatuor vexillis, ac non paucis captivis. Arci inde vis admota, obſeſſis ſtrenue repugnantibus; qui tamen

2. Jun.

18. Jun.

17. Jun.

Franckenſteina à Cæſareis recuperatur.

1646. cuniculo jam ſub arcem acto ea lege deditionem pacti ſunt, ut præfectus cum ſuis Glogoviam deduceretur, præter iſtos qui antea ſub Cæſare militaverant; quibus ad vetera ſigna redeundum
3. Jul. erat. In Bohemia quoque Contius Comes Lubnitzam arcem per quinque ſeptimanas acriter impugnatam bis licet rejectis aſſultantibus, compulerat, ut citra exceptionem ſe dederet.
4. Jun. §. 36. In Auſtria Bucheimius Comes poſt Cremſam recuperatam Corneuburgum omni vi oppugnare cœperat. Ei liberando Wittenbergius animum intendebat, quod à Copya tribuno, qui oppidum tuebatur, nuntiaretur modicum & imbellem hoſti equitatum eſſe. Cujus rei ſpecimen ſubtribunus Quaſtius ceperat, qui cum exigua ſuorum manu totam Furſtenbergii legionem Stockeraviam usque præcipitem egerat, non paucis captis. Unde proponebat iſte, ſi aliquot equitum centuriæ à Wittenbergio per ſylvas Olmucium & ultra mitterentur, facile per opera hoſtium evadi, ſimul erumpentibus obſeſſis obſeſſores opprimi, deleriquepoſſe. Huic conſilio exſequendo Wittenbergius Gœrtzkio tribuno ſenſim modicas equitum catervas Leobſchutzam ſubmiſit, quibus ad ſuam legionem adjunctis eam expeditionem ſuſceptu rus erat. Ea ut hoſtes falleret, Wittenbergius cum equitatu ſuo Ligniciam verſus progreditur, velut Framekenſteinæ ſubventurus ut hoſtium animos
4. Jul. huc averteret. Gœrtzkius Leobſchutza movens ſumto per Ravensburgum itinere ad unum à Corneuburgo milliare illæſus pervenit: ſed cum opera ita invicem connexa comperiſſet, ut nulla ratione perrumpi poſſent, ſimul obſeſſores ad ipſum excipiendum paratos conſiſtere, infecta re pedem referre coactus eſt. Cæterum Bucheimius iſti oppido oppugnando ſummam vim adhibere: continua folla, loricaque interjectis caſtellis id primo circumplecti; inde acceſſus ad foſſam agere, diverſis è ſuggeſtibus in mœnia turresque machinis ingentibus fulminare, globosque ignivomos injicere. Adverſus quæ Copya tribunus nova intus opera ſtruere, continuis diſploſionibus obſeſſores
30. Jun. fatigare; tum eruptione facta multis cæſis, quadraginta amplius captivos in oppidum pertrahere. Obſeſſores inde cum tribus in locis mœnia proſtraviſſent, aſſultum tentarant, ac poſt aſperrimam pugnam per ruinas in foſſam interiorem penetrarunt; globis tamen manuariis infeſtati, & reliquis non ſequentibus retro ceſſere. Et obſeſſi cum ruinæ defendendæ impares ſe cernerent, partem ejus trabibus, lignisque impleverunt, ignibusque injectis incenderunt. Cæſareorum trecenti amplius eo aſſultu cæſi, aut ſauciati. Ex obſeſſis quinquaginta deſiderati, aut vulnerati. Verberatio tamen redintegratur, ac quarto loco mœnia proſternuntur. Ac jam ad extrema redacto oppido literæ à Bucheimio ad præfectum miſſæ, quibus deditionem ſine exceptione imperabat. Copya quanquam nulla amplius reſiſtendi facultas eſſet, tamen duras illas leges adſpernatus, contradicente licet Suchio, & Hunoldſteinio hac conditione Bucheimio oppidum dedit, ut relictis qui Cæſari antea militaverant, cum reliquis dimitteretur; vexilla tamen complicanda, & arma ſub brachiis geſtanda erant. Excedebant oppido non amplius nonaginta equites, ſexaginta pedites, præter ſaucios, queis in oppido manere permiſſum, quoad curati eſſent. Cæſarei durante obſidio mille quingentos deſideravere. In oppido pulveris parum, annonæ affatim repertum.

Wittenbergius §. 37. Aſt Wittenbergius lento auxiliorum è Suecia acceſſu Glogoviæ adſidens, deficiente annona, pabuloque, & ut auxilia eo tutius excipere poſſet, Schvvibuſſam retroceſſit, ac totum ferè menſem ibi hæſit, nulla re geſta, niſi quod excurſorum catervæ quoſdam hoſtium ſubinde carpebant. Montecuculus interim Lehhauſam arcem poſt vim fruſtra tentatam tandem fame ad deditionem compulit, eandemque deſtruxit. Inde Fridlandam, atque Greiffenſteinam arces oppugnare inſtituit. Enimvero Wittenbergius, cum tria peditum millia è Suecia acceſſiſſent, quos pro- 25. Aug.
pediem nongenti equites ſecuturi erant, Schvveibuſſa Glogoviam redit, ubi tranſito Odera per Hainam, Levvenbergam, & Grieffenbergam ad obſeſſas arces liberandas tendit. Ejus adventu au- Cæſarei
dito Montecuculus Strigæ Jauræque munimen- recedunt,
ta demolitus, apud Reichenbergam trans montes 3. Sept.
in Bohemiam abiit. Quem longius progreſſum per aſpera viarum cum perſequi non poſſet VVittenbergius, poſt Fridlandam, Greiffenſteinamque annona firmatas in ſuperiorem Sileſiam cogitabat, ſi forte locis per Auſtriam, quæ Suecis adhuc ſupererant, ſubvenire poſſet. Sed illa invalidis præſidiis inteſſa jam in hoſtium poteſtatem concеſſerant. Ravensburgum Bucheimius, cum plerique præſidiarii morbo decumberent, facili 12. Aug.
negotio recuperaverat. Hoc cum plerisque copiis in Bavariam digreſſo, Suchius Falckenſteina 20. Aug.
arce potitus eſt. Viginti pedites Stotzæ tuendæ impares noctu inde profugi in tuta ſe receperunt. Sed quæ in Moravia à Suecis obtinebantur oppida, Olmucium, Neuſtadium, Iglavia, à Cæſareis eminus includebantur, etſi quæ propius aſſultabant catervæ aliquoties non leviter vapularent. Inter alios præfectus vigilum Salhauſius cum caterva centum ſexaginta equitum ab Olmucenſibus profligabatur, triginta amplius cæſis, quadraginta captis.

§. 38. VVittenbergius contra Greiffenberga Wittenbergius
Schvveinhauſam progreſſus eſt, ubi aliquot per Polckenhainam
dies ſubſtitit, ut Guſtavum Hornium Eberhardi capit.
filium tribunum cum Suecis ac Finnonibus equi- 7. Sept.
tibus exciperet, ſimul ſuos reficeret; & quia ob continuas pluvias viæ machinis inviæ erant redditæ, ne tamen tempus plane otio tereret, Polckenhainam invadere inſtituit. Et oppido quidem intra horam Sueci potiebantur. Miles in arcem ſe conferens oppido ignem injecerat, qui à Suecis reſtinctus eſt, inque eo inſignis copia annonæ pecorumque inventa, quæ toti exercitui ad tempus non modicum ſufficiebat. Arcem acriter tuebatur Zedlicius Baro, ut tormentis illa verberanda eſſet, donec occupato à Suecis veſtibulo ho- 16. Sept.
rum arbitrio iſte ſe cogeretur permittere, fruſtra octo uncialium millia offerens, ſi libere ſibi diſcedere permitteretur. Præſidio inde Jaura, Parchvvitza, & Hirſchberga à VVittenbergio inſidentur, coërcendis Lignicenſibus, & ut Provincia late tributis ſubjiceretur. Montecuculus porro è Sileſia in Bohemiam cedens primo Trautenaviæ ſex à Suecico exercitu milliaribus conſederat; inde Kœnigsgræciam converſus evocato paſſim milite ſe confirmaverat. Unde cum parum militis Cæſarei per Moraviam ſupereſſet, præſidiarii Sue- 8. Sept.
cici ejus Provinciæ juncta manu in Auſtriam pervaſere, ac Stockeravia direpta ſub Viennenſem pontem uſque perſultantes magna cum præda ad ſuos reverſi ſunt. Aſt Montecuculus cum jam Ratisponam verſus properaret, Cæſareo Bavaricoque exercitui ſe adjuncturus, Leopoldo Archiduce jubente in Bohemia ſubſtitit, VVittenbergii

1646. bergii progressibus se objecturus. Hujus Bavariam versus motu cognito VVittenbergius Polckenhaina Landshutam movet. In itinere exploratores referebant, Montecuculo digresso Hanavium summum vigiliarum præfectum cum septem legionibus Harschitzæ remansisse. Quas subita impressione obruiturus VVittenbergius assumto pleroque equitatu ad sesquimilliare à stativis hostium progressus est. Per noctem sylvis tectus quievit; mox summo mane stationem hostium trecentis equitibus constantem toto à stativis milliari securam deprehendit. Quanquam autem Hanavius orta luce de Suecorum adventu à rustico intellexerat, ac remotius tendentes legiones Parduvvitzam se conferre jusserat, ipse cum duabus legionibus eodem se recepturus: tamen Suecis subito ingruentibus hautquidquam pugnam aulus in fugam effusius est, Suecis tria per milliaria insequentibus. Illa in fuga multi cæsi, trecenti amplius gregarii, compluresque præfecti capti, duobus cum vexillis, ac trium legionum impedimentis, tum mille quingentis equis. Reliquæ legiones tumultu audito Podiebradam, aut Kœnigsgræciam se propipuere. Circa idem tempus caterva equitum ab Axelio Lilio Lipsia missa ad liberandam arcem Brixiensem, in Bohemia à Cæsareis eminus circumsessam, extructum ibi castellum repente oppresserat, duodecim peditibus cum centurione cæsis, quinquaginta capris. Caterva quoque Suecorum Greifensteina sub Boleslaviam excurrens Wachtendoncum subtribunum cæciderat, VVallensteinium juniorem Comitem cum aliis captivum abduxerat. A VVittenbergio Nachoda arx expugnatur, & late circum oppida pecunia emunguntur. Eodem mittente etiam Gunnius tribunus Neustædelium Bohemicum expugnavit, ex pacto dimissis sexaginta peditibus cum centurione, qui eam tuebantur: sed non modica Croatarum & Dragonum manus, quæ eodem se receperat, captiva remansit.

Wittenbergius in Bohemiam abit. 20. Sept.

21. Sept. Cæsarei repulsam.

9. Sept.

§. 39. Dehinc VVittenbergius è lassitudine refectis suis in Moraviam vertit, præsidiis ibi Suecicis de annona prospecturus; ex itinere Montecuculo, qui apud Czaslaviam se ostenderat, Tabor usque pulso. E Moravia in Superiorem Silesiam transiit, ac missa trans Oderam manu eum tractum tributis subjecit, nisi quod in honorem Poloniæ Regis Ducatui Oppelæ & Ratiboriæ parcebatur. Oelsæ stativa cum sua legione ceperat Ernestus Guntherus Holsatiæ Dux, qui intellecto manum Cæsareorum Elbingæ prope VVratislaviam agere, subtribunum cum centum quinquaginta equitibus eodem misit, qui & noctu ingruens plerisque una cum multis equis, armisque potitus est; pauci per tenebras trans fluenta VVratislaviam evasere. E superiore Silesia in Inferiorem VVittenbergius lentis itinetibus descendebat, anni tempestate ad majora molienda inepta, & quantum dabatur Ohlaviensem arcem munimentis firmabat, situ opportunam, & compescendis ea parte VVratislaviensibus. Cui fini & Jeltscha arx à Gunnio tribuno oppressa inserviebat. Eo tractu ad finem usque anni persistebat. Montecuculus contra ad tuendas Cæsaris Provincias à Leopoldo Archiduce remissus excitis licet undique copiis quacunque VVittenbergius ingruebat, subinde cedebat. Ac hunc in Silesiam per Glacensem Comitatum Neustam versus insecutus, mox Suecis in eum se vertentibus in Bohemiam propere regreditur, male habitis duabus catervis centum octoginta equitum ab ipso emissis, quorum magna pars cæsa aut capta. Vicissim tamen legio Ducis Holsatiæ Oeliæ tendens, dum tributis exigendis vacat, à Cappunio tribuno male multata est, multis cæsis, ac centum quinquaginta captis.

Wittenbergius in Moraviam tendit,

& Superiorem Silesiam.

1646.

§. 40. Circa initium hujus anni Cassellani arcem Marpurgensem post diuturnum obsidium, cum obsessis nulla auxilii spes superesset, ad deditionem adegerant: etsi præfectus arcis VVilichius subtribunus id facinus mox capite luerit. Rabenhauptius quoque Novelii præfectus excursione in Montensem Ducatum facta quædam oppida arcesque occupaverat, earumque nonnullas demolitus fuerat. Blyenburgo autem, VVindeccæ, & Heuckesvvagæ præsidium imposuerat; etsi prius paulo post per Sparrium tribunum recuperatum fuit. Idem Rabenhauptius noctu Zontam oppidum admotis petardis irrumpere conabatur; & jam perruptis exterioribus ad internam portam perruperat; sed irrita per tres horas pugna tandem repulsus est, præter lauciatos centurione atque optione cum septem gregariis amisso. Contra Sparrius VVindeccam per aliquot dies acriter, & non sine suorum jactura oppugnatam fama adventantium Hassicorum irritus deterebat. Circa finem mensis Junii Rabenhauptius valida cum manu per Superiorem præfulatus Colonienses partem grassabatur, direptis qui tributa abnuerant. Eiskircham versus cum præda properantem Dunckelius tribunus manu contracta insequebatur. Sed ille præmissa præda cum reliquis in sylva ad utrumque viæ latus opportune considebat, & ingruentes Colonienses ita excepit, ut tribunus Dunckelius cum quibusdam præfectis, ac multis gregariis statim caderet. Reliquorum in fugam conjectorum Hassi non paucos occiderunt, centum amplius captivis abductis: ac cum præda salvi Eiskircham pervenere.

Cassellani Marpurgensem arcem occupant.

Ad inferiorem Rhenum gesta.

15. Mart.

9. April.

20. April.

§. 41. Ast in Hassia Superiore Landgravius Georgius, digressis in Sueviam Fœderatorum exercitibus, copias suas, quæ sedecim equitum turmis, mille ducentis peditibus constabant, Kirchainam misit, centum viginti duntaxat peditibus sub Joanne Friderico Uffelio infestam. Hic bis repulsis assultantibus demum honestam deditionem pactus Ziegenhainam deducitur. Landgravia oppido huic liberando statim Geisium cum suis legionibus ab exercitu Fœderatorum avocat, qui & apud Mœnum ab his digressus, cum jam oppidum ante duas horas deditionem fecisset, sero advenit. Unde in sylva non procul Ziegenhaina constitit. Interim bis mille amplius Cæsarei equites ad insidias Geisio struendas sub Mercio summo vigiliarum præfecto missi Darmstadiensibus se junxerant, Geisium in statione sua invasuri. Hic cum solos Darmstadienses adventare crederet, intrepide ipsos expectabat. Mox cum numero obrui se videret, dum Ziegenhainam recipere se conatur, non paucos suorum desideravit cæsos captosque, amissis quoque septem vexillis, ac plerisque impedimentis. Darmstadienses inde Reuschenbergam, & Blancsteinam arces exiguo præsidio infestas occupant, antequam Geisius copias recolligere posset. Contra Saxius subtribunus à Darmstadiensi delectibus agendis Smalcaldiam missus ab Ermelio Erfordiæ præfecto oppressus est. Tum à Wrangelio mandata ad Sylvæ Occidentalis, ac Wetteraviæ, vicinorumque locorum incolas dimittuntur, ne imperata à Darmstadiensi tributa exsolvant. Simul eidem

Darmstadienses Kirchainam subigunt,

& Cassellanos pulsant.

1646. non obſcure denuntiatur; ni Marpurgenſem controverſiam ad amicos tractatus deducat, Caſſellanam à ſe deſertum non iri. Id quod & Regina Joanni Chriſtiano Boineburgio, qui eam ob cauſam à Darmſtadienſi in Sueciam tunc miſſus fuerat, reſpondebat.

Caſſellani Kirchainam recuperant.

§. 42. Digreſſis in Bavariam hoſtilibus exercitibus Geiſius recenti milite firmatus Kirchainam nuper à Darmſtadienſibus expugnatam iterum invaſit, & poſt repulſum aſſultum, in quo Caſſellanorum viginti occubuerant, centum ſauciati fuerant, ad deditionem compulit, oppidique munimenta disjecit. Inde cum in Eberſteinium Comitem moveret, hic apud Gieſſam conſidebat, quoad Melander è Weſtphalia per Occidentalem ſylvam iſti cum aliquot legionibus conjungeretur. Cujus adventu Geiſius poſt annonam Marpurgo illatam ad Ziegenheinam conſedit. Melander tamen nullo alio operæ pretio facto, quam quod excurſione in Haſſiam Inferiorem magnam vim pecorum abegiſſet, nuntio de Zonſæ obſidio motus propere ad Colonienſem provinciam remeavit.

Zonſa fruſtra obſiderat.

Rabenhauptius quippe poſtquam Sparrium ſummum vigiliarum apud Colonienſem Electorem præfectum obſidio Hammersbaci arcis depulerat, Zonſam denuo vertit, poſt Melandri diſceſſum modico præſidio infeſtam. Cujus expugnandæ tanto major ſpes erat, quod quinque peditum cohortes à Sparrio illuc ire juſſas Rabenhauptius non procul iſto oppido oppreſſerat, ac parte earum cæſa reliquas ceperat. Jam edita magna murorum ruina bis ſuper deditione paciſci cupiebant obſeſſi; ſed dum citra exceptionem iſtos in poteſtatem redigere ardet Rabenhauptius, Melander interim oppido auxilio advenit. Quem ille equitatu prævalentem, & quod peditem præſidiis detractum periculo exponere nollet, expectare haut auſus obſidio ſoluto Noveſium ſe recipit: id tamen eo conatu aſſecutus, quod Melandrum Haſſia detraxerat.

Lœuenhauptius Caſſellanis auxilio venit.

§. 43. Interea Guſtavus Adolfus Lœuenhauptius Comes ſummus vigilum præfectus è Weſtphalia quingentos equites, mille quingentos pedites in Haſſiam adduxit, ac Geiſio, qui nuper Herbſteinam arcem duabus cohortibus Darmſtadienſibus infeſſam citra exceptionem ſubegerat, circa montem ab Avibus dictum jungitur. Animus ipſis erat Landgravii Georgii vires plane contundere: cui quominus à ſocero Electore Saxoniæ auxilia venirent, ſolus Suecorum reſpectus obſtabat, qui haut obſcure denuntiabant, non paſſuros ſe, ut is alia ratione, quam amicæ compoſitionis viam tentando ei negotio ſe ingerat. Darmſtadienſes igitur nonnullis à Melandro ſubmiſſis copiis firmati Biedecoppam arcem paucis Caſſellanis infeſſam oppugnare inſtituerant. Sed Geiſio ingruente Wetzlariam verſus trepide recedunt; inde Franckenbergæ ſtativa capiunt, circumjectis locis tributa imperaturi. Ea re comperta, Geiſius Lœuenhauptio junctus Marpurgo propere in iſtos movet, ac ſequenti mane apud Franckenbergam adpellit. Darmſtadienſes per excubitores tumultu facto cum catervam tantum excurſorum adeſſe crederent, in campum progreſſi cum præcurſoribus velitari cœperunt. Sed univerſis copiis cum impetu è valle prorumpentibus Darmſtadienſes primo conflictu in fugam conjecti ſunt. Cæſi horum quingenti, capti octingenti quos inter duo tribuni Mauritius Henricus Naſſovius Comes, & Galla, totidem ſubtribuni, ac complures aliorum graduum præfecti. Amiſſa quoque duodecim ſigna cum duobus machinis & omnibus impedimentis, ac mille equis. Eberſteinius Comes vix centum equitibus comitantibus ſuperato Adrana fluvio in Weſtphaliam evaſit; ubi aliquandiu circa Attendornam conſtitit; poſt recollectis trecentis non amplius poſt digreſſos ex Haſſia Suecos per ſylvam Occidentalem Wetzlariam ſe recepit. Caſſellanis inde Reuſchenberga, & Wolferſtorfium arces citra exceptionem ſe dedunt, ſexaginta qui inerant peditibus ſub ipſorum ſigna ſuccedentibus. Diverſa tamen parte amiſſâ Paderborna recentis victoriæ lætitiam refrigerabat: quam quingenti è Melandri copiis ſummo mane ſubito invaſere, ac poſt acrem trium horarum oppugnationem tandem irrupere cæſo, captove quod oppidum tuebatur Haſſico præſidio. Sævientibus in ſe cognatis Principibus Dux Saxoniæ Wilhelmus ſuper induciis propoſuit, per eas tentaturus, num amica via lis ea componi poſſit: à quibus utraque pars non alienam ſe declarabat. Lœuenhauptius poſt hæc cum Suecicis copiis Haſſia accedens in Thuringiam, inde per Franconiam ad primarium Suecorum exercitum ſe contulit. Interea Melander ex Haſſia in Colonienſem præſulatum regreſſus Eiskircham modico præſidio infeſſam invaſerat, & acriter licet reſiſtentem ad deditionem compulerat. Inde Heinsbergam arcem, tum Niedeccam, Monaſterium Eifaliæ, & Durenam ſubegit, ſtativaque ſua non parum dilatavit. Quibus rebus patratis in hiberna ſuos diſpoſuit; ex quibus caterva ſexaginta equitum ab Haſſis non procul Colonia cæſa eſt.

1646.

Paderborna a Caſſellanis amittitur. 20. Nov.

Et Eiskircha. 5. Nov.

§. 44. Sub finem ſuperioris anni Regii Legati, quid in Cæſareorum reſponſo deſiderarent, repoſuerant. Ejus congreſſus acta Cæſarei Moguntino Sueci Caſſellano, Altenburgico, aliisque communicabant. Sed Monaſterii Galli à Moguntino poſtulabant Deputatos è corpore Ordinum utriusque religionis pari numero ad ſe mitti, quibus nonnulla ſint propoſituri. Id poſtulatum Moguntino moribus Imperii videbatur adverſari, quod exteri Reges, quin & ipſe Cæſar, ſi quid cum univerſis Ordinibus agendum ſit, per ſuos Legatos in horum conſeſſu id proponere ſoleant. Tum verebatur, ne Mediatores, ac Cæſarei ægre ferrent, ſi ſuper replica non per ipſos, ſed per Gallos primum intelligerent. Igitur convocatis Ordinibus quid agendum exquirit. E quibus pauci qui aderant Evangelici cenſebant; Deputationem quam Galli deſiderent, non abnuendam, ne mora tractatibus injiciatur; quod queis arma in manu ſint, cupitis non facile diſcedant. Nec veteris moris ita accurate rationem habendam, quod hic conventus Comitiorum faciem non plane exprimat. Et cum Oſnabrugæ Suecis invitantibus, Ordines comparuerint, Gallos offenſum iri, ubi idem abnuatur. Auſtriacus contra, & ejus partibus addicti diſſerebant; Huic Gallorum poſtulato nulla ratione annuendum, quos ita pro imperio agere ferri non poſſit. Conceſſum tamen in eorum ſententiam, qui cenſebant; Gallos lenibus verbis de more in Imperio recepto monendos, eosdemque rogandos, ut replicam Mediatoribus tradant per Cæſareos inde ſibi communicandam, tum ſi quid proponere velint, in conſeſſu omnium Ordinum audiendos. Sed Moguntinus præpropere, decreto Ordinum nondum concepto, Gallorum poſtulatum abnuerat, non ſine gravi horum offenſa facile moleſtas difficultates paritura, ni mox de Ordinum ſententia melius edocti iſtud quic-

Tractatuum pacis continuatio. Replica Regiorum Ordinibus communicatur. 1. Jan.

Darmſtadienſes vapulant. 8. Nov.

1646. quicquid erat tædii bono publico condonare maluissent.

De Suecorum replica quorundam judicium.

§. 45. Suecorum porro Replica uti Cæsareis ad palatum plane non erat, ita & Cassellanis displicebat, quod Darmstadiensis non in hostium numerum, sed eorum relatus esset, qui neutris partibus addicti haberentur. Quæ verba tamen in Cæsareo duntaxat, non Suecico Protocollo extabant; eoque Austriacas per artes inserta credebantur: nec id à se dictum Sueci meminerant. Tum & de satisfactione sua frigidius actum arguebant; qui scrupulus tamen ipsis per Suecos facile exemtus. Lusitani querebantur, salvum conductum pro se postulatum quidem, sed mox additum, ideo tractatus haut quidquam sufflaminatum iri. Quæ verba Sueci à se prolata abnuebant, cum nec in suis actis extarent: etsi eam ob causam replicam differre supervacuum judicassent. Galli, præter hoc cum Lusitanis commune, id primo deliderabant, quod Sueci Hispanum inter suos hostes recensere noluissent, cum tamen ille Rex præcipuum Domus Austriacæ membrum, ac potentissimus Cæsaris auxiliaris foret. De quo tamen ipsi levi duntaxat brachio tangebant. Sed de illo acriter expostulabant, quod Osnabrugæ Labardæus Residens Gallicus congressu Suecorum cum Cæsareis exclusus fuisset, secus ac in fœdere cautum foret. Tum quod in satisfactione Suecica Catholicorum præsulatuum facta esset mentio; de quo aliter cum Oxenstierna nuper conventum sit, ubi non nisi ad Bremensem & Verdensem præsulatum connivere se velle declaraverint.

Monasteriensium de modo consultandi sententia.

§. 46. Monasterienses Ordines Gallorum Replica accepta super eo primum inquirebant; quis in deliberando ordo sit observandus, & num capita propositionum Regiarum presse sequenda? Bavaricus censebat, à satisfactione initium faciendum; quod reliqua capita fere Ordines ipsos tangant, qui super iis etiam absque exterorum Regum interventu transigere possint. Spes quippe erat placatis Regibus Evangelicorum gravamina & restitutionem eludi posse. Evicit tamen major pars in Collegio Electorali, ac unanimis Principalium sententia, ut ordini per Suecos designato, quo materia tractandorum in quatuor classes digesta fuerat, ab ipsis quoque insisteretur; tum ut super obscurioribus quibusdam locis Gallorum declaratio exquireretur.

Osnabrugæ diffidium super Reformatis gliscit.

§. 47. Osnabrugæ Magdeburgicus Austriaco Richtersbergio Collegii Principalis directorio cesserat. Hoc tamen ex morbo decumbente Ordines interim apud Magdeburgicum conventus agitabant, quibus Regiorum replicas discutiebant. His conventibus Reformati super inclusione sua in pacem Augustanam, &, quod in dubium revocari incipiebat, reformandi jure, denuo movebant, questi cumprimis, Lutheranos à se scriptam cautionem exigere, cujus formula nuper Hamburgi typis divulgata erat. Unde differtam Lutheranos declarationem poscebant, num iisdem quibus ipsi gaudeant conditionibus se quoque paci sacræ inclusos velint? Sed quia Lutherani ad Legatos Suecos, qui ipsorum mentionem in sua propositione fecerant, velut optimos verborum suorum interpretes provocabant, Sueci autem neque sacrorum socios destituere, nec Reformatos protelare volebant, ea controversia horum autoritate ad amicam transactionem differebatur.

Palatinorum intempestivus zelus.

Quo ipso Lutheranorum in se studia haut parum refrigerabant; ac jam quidam dubitabant, quid sibi faciendum, si Bavarus libertatem Lutheranis sacris in Palatinatu concedere, Palatinus abnuere velit: cum iniquum sit, Suecia Reginæ cæterisque hanc pro restituto Palatinatu gratiam reddi, ut socii sacrorum persecutionibus exponantur. Ac absurdum videbatur, cum Brandeburgicus aliique ex animo se Augustanæ Formulæ addictos sæpius professi essent, nunc potestatem ambire ejusdem citra controversiam participes exterminandi. Eandem ob causam Lutherani maluissent, Suecicos ministros potius quam Brandeburgicos pro Pomerania in Senatu Principum suffragium ferre; qui ut jus circa sacra disponendi pro Reformatis obtinerent, summopere nitebantur. 1646.

Osnabrugensium sententia de modo consultandi 24. Jan.

§. 48. Sed Austriacus Legatus post restituram valetudinem convocatos apud Ordines primo declarati postulabat, ut quæ nunc super admissione Magdeburgici extra ordinem concessa forent, apud justos Ordinum conventus in exemplum non traherentur. Proponebat inde, circa consultationes ordinem à Suecis designatum esse sequendum, ac Labardæum monendum, ut & Galli eandem viam insistant, quo omnia æquato velut passu procedant. Tum ut, antequam à Gallis obscurorum declaratio petatur, illa prius curate discutiantur, num illustratione utique opus habeant. Porro Cæsareis etsi valde optandum fuerat, Regios ab Ordinibus divelli: tamen à Bavaris proposita methodus haut quidquam arridebat, quod intelligerent Gallis ex Austriacorum patrimonio satisfaciendum; atque huic petito non Evangelicos solum, Regum rationibus innexos, sed & Catholicorum nonnullos, ac ipsum Bavarum privatos ob respectus Gallis suffragaturos. Sed si res inter utriusque religionis Ordines, ipsumque Cæsarem compositæ forent, spes erat Ordinum opera Gallos ad moderatiora postulata disponi posse. Enimvero Regii, etsi satisfactionem suam neglectis cæteris capitibus haut quæsierant; periculosum tamen judicabant, si Ordines super Imperii negotiis prius inter se transigerent, satisfactione eousque dilata. Quod metus esset, ne Ordines rebus inter ipsos & cum Cæsare compositis Regnorum commoda insuper haberent; imo forte Cæsari adjungerentur, eique, si Reges oblatis conditionibus adquiescere nollent, adversus hosce auxilia ferrent. Ac dudum suis Legatis injunxerat Regina, sedulo operam darent, ut si forte tractatus pacis abrumpi contingeret, ad causam Ordinum potius, quam suam satisfactionem iidem adhæresceret. Unde etsi ordinem tractandorum à se ipsis propositum improbare non poterant, malebant tamen omnia capita prius excuti, quam inter Osnabrugenses ac Monasterienses atque Ordinum Collegia communicatio fieret, nec super negotiis Imperii plene transigi, antequam circa ipsorum satisfactionem conventum fuisset. Regiis igitur monentibus tam Monasterienses quam Osnabrugensibus Ordinibus placebat, communicationibus (*relationem & correlationem* vocant,) inter Collegia Ordinum abstinere, quoad omnes tractandorum classes excussæ forent. Addebant tamen Osnabrugenses, se non eo minus Cæsareis sententiam suam super capitibus primæ classis exhibituros, quo hi de istis cum Regiis tractare possint, quo ad ipsi reliquas classes expedirent. Tum ut gravamina per certos Deputatos componantur. Super quibus cum acria Catholicorum in diversum

Ut & Cæsareorum.

Atque Regiorum.

Denique universorum Ordinum.

1646. versum ſtudia metuerent, decreverant: ſi Catholici pro more ipſos ſuffragiorum numero urgerent, inſuper habitis rationibus, ſe ſuffragia ſua ſcripta Cæſari additis idoneis demonſtrationibus transmiſſuros; apud quem ſi nihil proficerent, Regiorum ope remedia malis ſuis quæſiturros. Idem & Vinarienſem, Culmbacenſem, Luneburgicum, Caſſellanum, Wurtenbergicum, Pomeranum, Durlacenum, & à Franconicis Comitibus miſſum Monaſterium deſtinabant, Senatui Principum interfuturos: ſed de modo communicandi nihil adhuc certi conſtituerant. Si tamen non liceret proprium Directorio ſcribam adjungere, qui acta exciperet, ſubinde excerpta eorum petituri, aut literis, & per Deputatos Oſnabrugenſibus ſignificaturi erant, quæ Monaſterii gererentur.

Tractatus Pacis tarde procedunt. 25. Jan.

§. 49. Cum per integrum menſem poſt exhibitam Replicam in negotio pacis nihil promoveretur, Trautmansdorfius miſſo Secretario apud Suecicos ſuper tarditate tractatuum querebatur. Cum ipſi ſpes fuerit intra hoc tempus negotii plane conficiendi, jam demum ad deliberationes accedi; quæ mora Ordinibus, ac præcipue Catholicis, qui gravamina ſua nondum ediderint, imputanda ſit. Unde penes Legatos eſſe diſpicere quæ via maturandis tractatibus ineunda ſit. Succi quanquam ſuſpicarentur ad peculiares ſe tractatus invitari; tamen his inſuper habitis, nec ipſi ſegnius de tarditate tractatuum querebantur; nec ſibi conſtare, quinam in mora ſint, cum omnium æque interſit negotium mature peragi. Poſtulabant igitur, ut ipſe autoritate ſua recens cœptas deliberationes, tum inprimis diſcuſſionem gravaminum promoveat.

Catholicorum gravamina.

§. 50. Paulo tardius circa congerenda ſua gravamina moliti fuerant Catholici; cujus moræ tædio Oſnabrugenſes Ordines per Altenburgicum, Luneburgicum, Wetteravicum, & Lubecenſem

29. Jan. à Trautmansdorfio petiere, ut Catholicos de iſtis exhibendis moneat. Qua ſolicitudine tamen opus non erat, cum eo ipſo die eadem ſcripto concepta per Reigersbergium Moguntinum, Culmbacenſi, & VVurtenbergico Monaſterii exhiberentur, ſociis ſacrorum Osnabrugam transmittenda. Ejus ſcripti initio Catholici Ordines, ac inprimis Eccleſiaſtici teſtabantur, pacem ſacram licet juribus ſuis non parum derogantem integre à ſe ſervatam; viciſſim ſe ab illo tempore huc uſque continuo ab Auguſtanæ Confeſſioni addictis Ordinibus adverſus eandem pacem, Imperiique leges tam circa ſacra quam profana turbatos, læſosque, ac reliquorum ſacrorum bonorum incertos ab octoginta jam annis juſtitiæ beneficio frui non potuiſſe. Sed quia Auguſtani controverſias cum Catholicis adverſus pacem ſacram ſibi motas pro fonte diffidentiæ & obſtaculo pacis habeant, earumque culpam ipſis non obſcure imputent, quibus non deciſis exteri Reges arma depoſituri non ſint; viſum ſibi oſtendere, Catholicos neque Auguſtanis, neque exteris Regibus ullam diffidentiæ ac offenſæ, multo minus continuati hactenus belli cauſam dediſſe, ſed jura ſe ſua pacificis mediis ſemper vindicare voluiſſe, & adhuc velle. Et quanquam Deputatis Francofurti viſum ſit, eas controverſias maturandis pacis tractatibus ad aliud tempus locumque rejicere: tamen quia nunc Auguſtanis aliud placet, ſe quoque difficiles non fore, modo pax ſacra, legesque Imperii hujus negotiationis norma, & compoſitionis regula habeantur.

§. 51. Quibus præmiſſis id primo juſtum ra- 1646. tionique conſentaneum contendebant, ut qui or- Primum. dinem ſacrum mutaverit, dignitate quoque & bonis excidat, quæ nullo alio titulo obtinuerit, quam quod Ordines ſacros ritu Catholico gereret. Ità pace ſacra diſerte cautum, quam Cæſar lege Regia ſervaturum ſe promiſerit, & juxta quam Cameræ jus dicere injunctum. Ac perinde eſſe, num Præſul cum conſenſu Capituli ſacra mutet, & hoc ſimul cum ipſo Auguſtanam formulam, ampleƈtatur; cum pax illa æque de pluribus, quam uno diſponat, eademque prohibitionis ratio apud plures, quam unum valeat; quod nempe tales incapaces ſint, qui beneficia Eccleſiaſtica poſſideant, ex jure divino, fundatorum diſpoſitionibus, generalibus Eccleſiæ Catholicæ, nec non Imperialibus Conſtitutionibus, & noviſſime Statuum Imperii Anno 1555. initis ac juratis fœderibus. Præterea jure ſacro ac civili neque Epiſcopos neque Capitulum Dominos eſſe jurium Eccleſiæ, ſed Adminiſtratores, qui univerſo Ordini Eccleſiaſtico per pacta privata nihil adimere aut condonare queant; ac uno contradicente jus toti Ordini ſervari. Quanquam prima præſulatuum occupatio ab Epiſcopis Auguſtanæ Confeſſioni addictis haut quidquam univerſorum Capitularium conſenſu facta ſit, ſed arte fere aut Marte, ad exemplum Gebhardi Truchſeſii Electoris Colonienſis. Nonnullos, ut dignitates ſacras invadere poſſent, ſuper ſervandis Catholicis ritibus juramento caviſſe, alios Catholicæ Religionis profeſſionem, ac inferiores Ordines ſuſcepiſſe; poſt præſulatibus, aliisque dignitatibus Eccleſiaſticis potitos ſacra Catholica eliminare non dubitaſſe. Nulla porro nova ſtatuta excludendis alienæ religioni addictis à ſe condita, cum ab initio Catholicæ Religionis nemo niſi Catholicus ad illas dignitates fuerit admiſſus. Et ſi poſt ortum Religionis diſſidium Clerici arctius veteribus ſacris adſtricti ſint, id Auguſtanæ Confeſſioni addictos non tangere, qui dum pax ſacra conditur, illis ſe haut moveri declaraverint. Contra ferendum non eſſe, Auguſtanos non contentos in Catholicos præſulatus invaſiſſe, etiam auſos ſtatuta ac formulas juramentorum ad excluſionem Catholicorum comminiſci. Collationem Regalium, ac jus ſeſſionis & ſuffragii in Comitiis velut acceſſoria Epiſcopalis dignitatis habenda, circa quæ conſtitutionem pacis ſacræ, ac receptum morem merito retineri. Fruſtra ad priores Imperii Receſſus de Anno 1541. & 1544. ipſamque tranſactionem Paſſavienſem provocari; cum illis poſterius ſancita Religionis pace derogatum ſit: non minus ac generalibus verbis conceſſa Auguſtanæ Confeſſioni libertas Reſervato Eccleſiaſtico ſit reſtricta. Circa quod ſi vel maxime Auguſtanis alia intentio fuerit, eam tamen neque legis neque contractus vim effectumque habere, cum diverſum publica & utrinque placita lege ſit ſancitum. Nec per id Reſervatum exiſtimationi Auguſtanorum quid decederet, nec libertati conſcientiæ, de qua ſola iſti ab initio ſoliciti fuerant; cum etiam ſine beneficiis ſacris Auguſtanæ Formulæ adhærere liceat. Gebhardum Truchſeſium ſe ipſum dignitatis, ac bonorum inde pendentium incapacem reddidiſſe, talemque à ſummo judice Eccleſiaſtico, ac Cæſare declaratum: de cujus conatu non quidem Auguſtanæ Confeſſionis ſocii, ſed Catholici cauſam querendi habeant; quod tali exemplo ſemel admiſſo de ritibus Catholicis in Germania actum foret: ipſosque tantum de damno vitando, non inferendo

1646. ferendo certasse. Quanquam porro circa Reservatum Ecclesiasticum additum sit, utriusque Religionis Ordinibus super eo convenire non potuisse; Augustanorum tamen assensum quoad effectum obligatorium in hoc satis adhibitum isto capite ad Imperatoris decisionem remisso. Cum enim Catholici Ordines in libertatem Augustanæ Confessionis Ecclesiasticis concedendam, ac suspensionem Ecclesiasticæ jurisdictionis consentire pariter non possent nec vellent, Augustanos hanc demum declarationem edidisse; si Catholici suspensionem Jurisdictionis Ecclesiasticæ admittant, se quoque caput alterum remissuros. Cum igitur Catholici conditionem propositam circa suspensionem jurisdictionis sacræ impleverint, Augustanos quoque ad alterum caput obstringi; aut simolint, universam pacem tollendam, & rem in pristinum statum reponendam: præsertim cum pax illa Ordini Ecclesiastico longe plus præjudicii, quam emolumenti adferat. Eosdem quoque non abnuisse, quo minus Cæsar è plenitudine potestatis ita, uti factum decideret, aut ipsi in foro civili ad eam decisionem observandam teneantur, id duntaxat testatos, eo nomine se Reservatum non adprobare, ne gloriæ divinæ quid detrahant, aut conscientiæ suæ scrupulum injiciant. Dum ea pax promulgatur, protestationem non interposuisse. Quin postea libello supplici ad Maximilianum Cæsarem Anno 1576. agnovisse, ipsi summam decidendi potestatem in hoc negotio competere. Quæ eo minus in dubium revocari queat, quod Cæsarea illa constitutione Catholicis non novum jus tribuatur, sed id, quod ab initio Imperii ad Germanos translati habuerint, confirmetur: Augustanis autem ad præsulatus illos nullum plane jus competat. Esse insuper jure Justinianæo dispositum: *Ecclesiis omnibus adimendas esse, qui vel levi argumento a judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare.* Idem in Gallia, Poloniaque, & alibi observari, ubi diversus licet circa sacra sensus toleretur, præsulatuum præter Catholicos nemo capax sit. Et cum sacerdos Augustanæ Confessioni addictus, ubi Catholicos ritus assumserit, functione & reditibus exuatur; cur eadem lex Catholicis denegetur? Quod igitur Protestantes post pacem Augustanam non solum Reservatum Ecclesiasticum impugnare, sed & varia ratione in Præsulatus intrudere se cœperint, id à Catholicis semper primum, & maximum gravamen habitum, ex quo præcipue diffidentia inter Ordines, & infinita mala promanarint: quibus ut medicina fiat, differtis verbis pacis sacræ standum, ac immediata bona Ecclesiastica post transactionem Passaviensem à Protestantibus quovis modo occupata, Catholicis restituenda esse.

Secundum. §. 52. Haut levius gravamen esse, quod Ordines Augustanæ Confessioni addicti pace illa concessum ejusdem Confessionis liberum exercitium extenderint ad invadenda bona sacra in ipsorum ditionibus sita: cum eadem pax in futurum Catholicorum ritibus bonisque non minus ample caveat, ac ea solum tranquillitatis causa Protestantibus relinquantur, quæ ante Passaviensem transactionem ab ipsis occupata sint. Et cum reliquis subditis, qui sacra mutant, bona sua vendere, atque emigrare liceat: quo obtentu solos Catholicos sacerdotes, ob retenta vetera sacra bonis suis plane exuendos? præsertim cum ipsi Protestantes intolerabilem contumeliam jactent, religionem pro causa & modo amittendi dominii haberi: & longe favorabilior sit causa eorum; qui ob retenta vetera sacra bonis suis exuantur, quam eorum qui ob mutata placita bonorum veteri Religioni adhærentium incapaces se suo facto reddiderint. Igitur cum nunc amica via controversiis componendis quæratur, Catholicos postulare, ut Mediata bona sacra à Protestantibus Ordinibus post transactionem Passaviensem occupata in veterem statum reponantur. Peculiariter porro querebantur de civitatibus Imperialibus, quæ adversus pacis Augustanæ decreta Catholicos sacerdotes passim templis, reditibusque suis exuerint, civesque ea sacra professos Magistratibus dimoverint. Quæ frustra jus superioritatis sibi competens jactent, cum ex eo nequaquam jus introducendæ Religionis dependeat; earumque Magistratus nequaquam dominium jurisdictionis adversus cives habeant, sed tantum in vicem gubernatorum illis præsint, civesque cum Magistratu communia jura ac privilegia obtineant. Et cum alias Protestantes negent circa Religionem majora suffragia valere, par utique esse, minorem civium numerum a majore circa sacra leges non accipere, refragante cumprimis sanctione publica. Unde & omnia, quæ in urbibus istis novata sunt, in integrum esse restituenda. Denique nobilitatem immediatam, sibi concessa libertate eo usque abusam, ut Catholicos ritus per vicos suos abolere Augustanis subrogatis ausa sit: cum tamen illa libertas ad Nobiles solos spectet. Quod & ipsum corrigendum sit; non minus ac illud, quod Nobilitas immediata per Palatinatum & alibi prædia habens à potentioribus in exercitio Catholicæ Religionis etiam in propriis ædibus turbata sit, nullo à Landsassiis discrimine.

Tertium. §. 53. Arguebant præterea, à Protestantibus adversus actorum publicorum fidem allegari Ferdinandi Cæsaris decretum, quo cautum feratur subditis Catholicorum Ordinum Augustana sacra profess. A. 1555. 24. Sept. fessis, manere velint, an soluta modica bonorum parte alio concedere. Postulasse quidem Protestantes, dum pacis sacræ formula concipitur, ut omnibus subditis utriusque Religionis libertas rituum salva sit. Quod cum Catholici recusarent, Protestantes eam libertatem pro Nobilitate immediata, ac Hanseaticis, aliisque urbibus popposciisse. Quod & ipsum negatum, addito; par esse, quod juris Protestantes Catholicis concedentibus in suos subditos exercent, eodem & hosce in suos frui. Nec de allegato decreto Ferdinandeo quidquam auditum, donec Anno 1575. Ratisponæ à Palatinis id editum, postulatumque, ut Capitulationi Cæsareæ inseretur; Catholicis Electoribus plane id agnoscere abnuentibus. Cum etiam proximo Anno 1576. in Conventu Ratisponensi libertas sacrorum pro subditis Moguntinis in Eichsfeldia, Fuldensibus, aliisque per Evangelicos Ordines à Cæsare postularetur, Catholicos acriter questos, ab Evangelicis Ordinibus alienorum civium patrocinium suscipi, cum ipsis curæ non sit, quid Evangelici in propriis ditionibus agant. Nec minus Cæsarem declarasse, se utique hoc in negotio paci Au- 25. Aug. gustanæ inhæsurum. Quo rescripto cum Evangelici adquiescere nollent, ac denuo Cæsarem fatali tunc morbo implicitum urgerent minati, ni petitis potiantur, se adversus Turcam auxilia non subministraturos: Cæsarem firmiter in sententia perstitisse, protestatum, si ob negata auxilia propugnaculum orbis Christiani à barbaris everti contigerit. Hac igitur, aliisque rationibus manifestum

1646. eſſe, pacem Religionis inter Cæſarem & Ordines duntaxat conſtituram ad ſubditos non ſpectare. Et quanquam nonnulli Ordines Catholici ſubditis ſuis libertatem Religionis multis in locis ultro indulſerint, animo eorum & obſequio adverſus ſe pignerando: compertum tamen, hos antiam odiorum inde arripuiſſe, ac Principibus ſuis obſequium plane abnuiſſe, ad ipſosque imperio exuendos omni vi conniti cœpiſſe. Quale quid de Catholicis ſubditis auditum non ſit. Contra Catholicos cives à Proteſtantibus ubique fere exterminatos ſæpius in Comitiis oſtenſum; & tamen, qui vim intulerunt de illata conqueri, & autoritate legis contra legem agere. Quæ cum ita ſint, Evangelicos à Catholicis nullo jure poſtulare, quominus ſubditos ſuos ad ſua ſacra amplectenda, aut ſi abnuant, ad emigrandum compellere queant. Sed quod emigrationis per Catholicos arctum nimis temporis ſpatium ſit præfixum, aliæque moleſtiæ illatæ, prout Evangelici querantur; de eo nihil ſibi conſtare: ac ſi quid tale factum ſit, id deinceps emendandum.

Quartum. §. 54. Oſtendebant inde Evangelicos falſo queri, à Catholicis Ordinibus reditus ſacros è ſuis ditionibus provenientes, qui antea ad præſulatus & cœnobia ab ipſis occupata ſpectaverint, detineri; cum ad illos reditus Evangelicis nullum plane jus competat, quæ tempore Paſſavienſis tranſactionis ab iſtis poſſeſſa non ſint. Cum porro pace Auguſtana Catholicorum Præſulum juriſdictio hactenus duntaxat ſit ſuſpenſa, ut adverſus Proteſtantium religionem, fidem, conſtitutionem Miniſtrorum, ritus ac ſtatuta Eccleſiaſtica non valeat; circa reliqua permaneat, prout hactenus in exercitio fuerit: Proteſtantes etiam in hiſce Præſulum juriſdictionem turbaſſe erectis Conſiſtoriis, ad quæ Præſulibus reſervatæ cauſæ ſint pertractæ, ſubditique etiam Catholici ab adeundis tribunalibus ordinariis Præſulum prohibiti. Imo in locis, ubi poſt pacem ſacram utrique religioni libertas relicta, Ordinarias locorum viſitationes Catholicorum templorum, & perſonarum ſacrarum exerceri prohibitas. Quæ præterea Evangelici moveant ſuper abolitione jurium Papalium, proviſionum, conceſſionum, commiſſionum, tranſactionum, & concordatorum Germaniæ Canonum, extra pacem ſacram eſſe, ac omnem ipſis materiam querendi ſubtractum iri, ſi ereptos contra illam pacem Præſulatus in priſtinum ſtatum reponant.

Sextum. §. 55. Quanquam autem pax Auguſtana ideo tam claris verbis concepta ſit, ut ex ejuſdem interpretatione oritura novarum controverſiarum ſeges ſuffocetur: Proteſtantium tamen plurimos inventos, qui de Jure publico, ac imprimis pace ſacra commentari, eamque ad libidinem ſuam detorquere auſi ſint; cum tamen arcana & acta Imperii fere ignota ipſis ſint, quam ignorantiam etiam nonnulli ultro profiteantur, & utcunque audita à ſe tradi jactent. Quin & prætextu tituli ſcholaſtici adverſus Cæſarem, ejuſque ſupremam poteſtatem, & Catholicos varias aſſertiones novas, altiuſque penetrantes publicare, ac ſi aliquot ejuſmodi Scriptores ſimilitudine affectuum conſpirent, communem doctrinam ſeu opinionem Doctorum, & conſuetudinem contrariam inde procudere. Quale genus ſcriptorum Catholici raro admodum, & non niſi ab aliis provocati, aut ad ſuperiorum ſuorum defenſionem ediderint. Eſſe porro legibus Imperii abunde cautum, proceſſus executivos decerni poſſe, ubi notoria attentata, turbationes, ſpolia, violentæ occupationes contigerunt. Ac Cæſarem edicti ſui Anno 1629. ſat graves rationes adduxiſſe. Ipſos Evangelicos ſubinde gravaminum ſuorum contra pacem Religionis deciſionem a Cæſare petiiſſe; ejuſque heic fundatam juriſdictionem agnoviſſe. Quanquam iſto edicto à Cæſare nil aliud definitum, quam quod pax Auguſtana diſertis verbis dictitet, poſtquam omnes Evangelicorum prætextus auditi, ac poſt maturam conſiderationem inanes deprehenſi ſint; nec per idem paci ſacræ quidquam derogatum. Ac mirum eſſe, cum Proteſtantes fictam Ferdinandi I. declarationem ſibi faventem tantopere jactent, alio loco Cæſari, (qui ſupremus eſt legum Imperialium Judex & Executor, & in cauſis ejuſmodi non ſuam, ſed Imperii ac publicam, & ſic alienam litem dijudicat,) omnem poteſtatem in cauſis religionis detrahere, ac ſtudium partium atque nullitatem objicere; cum etiam in inferioribus judiciis adverſus latam in notoriis ſententiam exceptio nullitatis non admittatur. Quis porro pro ſocio Auguſtanæ Confeſſionis, (nam Evangelici vocabulum legibus Imperii non receptum,) habendus ſit, ex ſubſcriptione formulæ Anno 1530. Auguſtæ exhibitæ conſtare non minus quam notorium ſit, quis Catholicus ſit. A quorum utriſque diſcrepantia dogmata ex Imperio proſcribi apertum ſit. Reliquis, quæ Catholicis objecta ſint, à ſe conſtanter contradici, cum res ipſa loquatur, utra pars alteri poſt pacem Religiosam moleſtiam faceſſierit. Nec tamen abnuere Catholicos ſuper his & aliis propoſitam à Proteſtantibus diſceptationem amicam ſuſcipere.

Septimum. §. 56. Iniquum inſuper eſſe, Proteſtantes plura ſuffragia adſpernari, aut eorum vim intra anguſtos nimium cancellos redigere; puta, ut non valeant, ubi Ordines ut ſinguli conſiderantur, & ubi Proteſtantes unam, Catholici alteram partem conſtituunt. Cum communis regula ſit, omnia negotia ſtatum Imperii ſpectantia, per majorem ſuffragiorum partem decidenda, niſi quæ per Imperii conſtitutiones diſerte excipiantur. Igitur à Proteſtantibus preſſius explicandum, in quibus cauſis plura ſuffragia valere, aut non valere debeant. Nam exceptionem ab ipſis propoſitam non niſi confuſionem parere idoneam eſſe. Tum ſalutem publicam requirere, ut ubi plura ſuffragia locum habere non debeant, aliud medium expediendis negotiis inveniatur: cum alias conſtitutionum Imperii nullus alius ſit effectus futurus, quam ut utraque pars non ſine detrimento Reip. ſuæ ſententiæ citra deciſionem pertinaciter inhæſura ſit. Sane Catholicos omnium negotiorum, quæ legibus definita non ſint, aut de quibus Ordines inter ſe convenire nequeunt, deciſionem Cæſari detuliſſe. Circa ordinarios Deputatorum conventus certis Ordinibus publica Imperii lege vetus jus quæſitum, ſuper quo illo ipſo anno, quo pax Auguſtana inita ſit, inter utriuſque religionis addictos conventum. Iiſdem Deputatis certa negotia commiſſa; queis poſiti limites excedendi non ſint. Extraordinarias Deputationes pro re nata conſtitui. E Receſſibus autem Imperii ante & poſt pacem Auguſtanam non adparere, parem utriuſque religionis numerum Deputatorum eſſe debere: nec à Catholicis heic quid extra publicorum Comitiorum decretum admittendum. De Donavverta, quæ pervicacia tua juſtam pœnam in ſe attraxerit, rem non fore difficilem, ſi Bavaro ſumtus in executionem ſententiæ facti re-

Octavum.

Nonum.

ſun-

1646. fundantur. Denique ſuper corrigenda Juſtitia commodius in Comitiis, quam nunc non ſine remora pacis actum iri.

Ubi ſuper gravaminibus agendum, diſceptatur.

§. 57. Publicatis hoc modo utriuſque partis gravaminibus quæſtio erat; quo loco ſuper iſtis tractatio foret ſuſcipienda? Nonnulli Evangelicorum Monaſterii, Bavaro cumprimis vicini, ut Wurtenbergicus, Culmbacenſis, & Franconici Comites, hactenus Catholicis cedebant, ut gravamina univerſa, aut dimidia eorum pars Monaſterii expedirentur. Sed reliqui omnes, quibus Bavari & Catholicorum minor reſpectus, Oſnabrugam præferebant. Suecos quippe ſolos propoſitione ſua eorundem mentionem feciſſe, non Gallos. Unde his cauſam non eſſe ſuper iſtorum abolitione contendendi: illos, ſi id negotium Monaſterium pertraſſatur, ſine dubio contradicturos. Nec commode hac de re actum iri Monaſterii ſub oculis Chiſii, qui ullam inter partes tranſactionem ſuper bonis Eccleſiaſticis nunquam probaturus ſit. Jam quoque Oſnabrugæ Catholicorum Legatos eſſe non exiguo numero, inprimis Moguntinos, Colonienſes, Bavaricos, quibus facile alii poſſint adjungi. Contra Catholicis ab initio parum ad palatum erat eo ſe conferre, ubi res ipſorum detrimentum capturæ videbantur. Et cum Monaſterii Electorale quoque Collegium reſideret, Oſnabrugenſibus cedere parum ex dignitate judicabant. Præſertim cum Monaſterii major ipſis quam Oſnabrugæ autoritas eſſet. Eoque jam ſub finem elapſi nuper anni decreverant, gravamina Eccleſiaſtica Monaſterii decidenda.

Succi novum procuratorium exhibent.

§. 58. Trautmanſdorfius Oſnabrugam accedens per Cranium Succicis Legatis novum procuratorium exhibuerat, petito, ut & ipſi tale à Regina obtinerent. Sed quia in Cæſareo præter formulam Hamburgi conventam addita erant vocabula *confirmandum & concludendum*, Regina ejus diplomatis duo exempla confici jubebat, unum ad conventam formulam, omiſſo tantum vocabulo Thuronis Bielckii, qui tertio antea legatus deſtinatus fuerat; alterum Cæſareo reſpondens, inſertis dictis vocabulis. Legatis injungitur prius primo loco exhibere; eo à Cæſareis rejecto alterum 2. Febr. expromere. Sed cum Salvius Trautmanſdorfio prius exemplum exhiberet, addito id per omnia ex veteri procuratorio expreſſum; hic citra moram id ne præſente quidem iſto perlectum acceptabat, nec unquam poſt de non additis *concludendi & confirmandi* vocabulis mentionem faciebat.

Inter Legatos Succos Galloſque diſceptatio.

§. 59. Gliſcebat interim Suecos inter Galloſque Legatos diſſidium ſuper excluſione Labardæi, & quod præſulatus quoſdam Succi in præmium ſibi poſtulaverant, quorum illud fœderi publico, hoc conventioni nuper cum Oxenſtierna Monaſterii initæ repugnare Longuevillius fremebat. Addebantur variæ exprobrationes non citra acerbitatem de bello Danico citra conſenſum Galliæ moto, eoque Rege Mediatoris munere dejecto: de induciis eadem inſcia cum Brandeburgico & Saxone initis: de intempeſtivo Kœnigſmarckii ab Enguiano Duce diſceſſu. Eorum queſtuum cum neque modus neque finis eſſet, Legati Roſenhahnio Reſidenti injungebant; Gallorum converſatione tantiſper abſtineret; inter ea curate obſervaret, num quæ forte alia agitarent, quibus excuſandis iſta tantopere exaggerarent. Ac jam inhiare iſti diſſidio pars adverſa cœperat, Gallis innuens (prout ipſi ferebant,) ſi diverſa à communi tractatu via placeat, non ingrata viciſſim media oblatum iri. Ea res ne in nervum erumperet, & quia do aliis quoque communicandum erat, Avauxius Oſnabrugam profectus eſt. Ac de Luſitania quidem huic facile ſatisfactum, cum Succi abnuerent, à 2. Febr. ſe unquam dictum, tractatus inſuper habito Luſitanorum ſalvo conductu continuandos. Miſſus quoque ad Trautmanſtorfium Secretarius pollicitationi ipſum admonens, quod ſuper iſto ſalvo conductu ad Collegas ſuos Monaſterium ſcripturus ſit: qui & operam ſuam promte offerebat. Ad reliqua à Gallis objecta reponebatur: Utrumque Reſidentem pari gradu habendum, nec uni concedendum, ut ulterius ſe ingerat, quam alter admittatur, aut admitti queat. Quamdiu igitur congreſſibus publicis, queis Nuntius Pontificis interveniat, Roſenhahnius Monaſterii excludatur, Labardæum quoque ad Legatorum utriuſque partis publica colloquia admitti haut quidquam poſſe. Ferri non poſſe Chiſii faſtidium, qui Monaſterii ſacram functionem utique non obeat. Et tamen Romæ, & alibi ipſam ad miſſam impune accedere Evangelicos, qui per ſolam curioſitatem eo veniant. Reſidentem tantum videndi & auſcultandi cauſa illis congreſſibus intereſſe nullo ſuffragii ferendi jure. Ipſos Canones permittere cum excommunicatis tractare, ſi de re magni momenti agatur. Danicum bellum objici, nuper Galliæ Regis interventu compoſitum, importunum videri. Et cum Danus ſuffLaminatis commerciis ſummam rerum Succiæ convellere auſus ſit, ei ut non ocyus obviam eatur poſtulare, perinde eſſe, ac ſi Galli de fœdere fracto arguantur, ubi ob ortas domi difficultates ab exteris rebus omni vi urgendis divertantur. Nec fœdere Sueciam ita arcte ſtringi, ut domeſticas res ante externas habere nefas ſit. Mediationis munus à Dano non alio fine ſumtum, quam ut Succiæ noceret; id quod vel hoc indicio conſtet, quod ita pertinaciter circa id negotium ſategerit, licet Succi omnia de induſtria fecerint & dixerint, quæ ipſum ad idem omittendum permovere poſſent. Inducias cum Saxone & Brandeburgico velut ſociorum Regnorum emolumento cedentes à Gallis olim probatas, quæ nunc inique exprobrentur. Veteres iſtos fuiſſe Succiæ ſocios, inde hoſtilia induiſſe: eoſdem paulatim ad amicitiam pertrahere cauſæ communi proficuum, & tertio capiti fœderis Wiſmarienſis congruere. Gallis cum Brandeburgico nunquam bellum fuiſſe, cujus amicitiam ipſi potius ſtudioſe affectarint; ac conſcio, quin parario Rorteo tractatus cum iſto primum ſuiceptos. Cum Saxone transigere majus Succiæ jus fuiſſe, quam Galliæ cum Lotharingo; quod hic communis utrique Regno hoſtis fuerit; adverſus Saxonem Gallos nunquam aperte hoſtilia profeſſos, nec armis unquam cum eodem colliſos. Quin & eos induciarum tractatus inſcia Regina à ducibus initio ſuſceptos, & ad ſemeſtre duntaxat concluſos ſub ſperati: & Avaugurium à Torſtenſonio conſultum eaſdem haut improbaſſe. Quod ſi tamen illas inducias cauſæ communi noxias probare poſſint Galli, haut difficile fore illas abrumpere. Majore iniquitate Kœnigsmarckii diſceſſum exprobrari, cui neque Regina, neque Torſtenſonius ut Gallis ſe jungeret imperarit, factum tamen non improbaſſe, quod Gallorum res exigeret, & Suecorum conditio id permitteret. Obtentum quoque per eam conjunctionem, quod quærebatur; & ſociatis Haſſis Gallos pares hoſti fuiſſe. Sed num perpetuo Galli Kœnigsmarckio affectandi erant;

1646. erant; aut propriæ res, & repetita ſubinde Torſtenſonii juſſa inſuper habenda? Denique in tanta negotiorum varietate non poſſe non quandoque circa minora quid negligi, ob quæ tamen fides Principum haut quidquam in dubium vocari queat. Quin & plurima à Gallis facta quæ Suecis diſplicuerint, quæ ipſi ſpe futuræ emendationis tolerare, quam cum acerbitate perſtringere maluerint. Præſulatus denique à Suecis petitos Galliam non tangere, quorum & plerique Evangelica placita amplectantur. Nec Reginam ſe opponere Gallis totam Alſatiam depoſcentibus, in qua plurimi ſint Auguſtanam formulam profeſſi. Et ſi Romanis ritibus tantopere metuant Galli, poſſe illis etiam in Suecorum ditionem tranſcriptis caveri. Id quidem fateri Oxenſtiernam, Gallos præſulatibus inter Suecíæ ſatisfactionem nominatis Monaſterii interceſſiſſe, demum circa Brementem & Verdenſem diſſimulaturos ſe tuliſſe: haut ideo tamen conveniſſe, ut ne ſuo periculo quæ Regina juberet proponere liceret. His rationibus convictus Avauxius adquieſcebat, ad extremum ſecreto ſibi communicari petens, quid circa præſulatus Sueci remittere, cui inſiſtere velint. Quod cum pandere præmaturum videretur, in aliud tempus rejectum. Super Labardæi porro excluſione eadem ut Holmiæ expoſtularet ad Catparem Coignetum Thuillerium Monaſterienſes Legati ſcripſerant: id quod, hoc jam è Suecia digreſſo, à Petro Chanuto Reſidente verbis modeſtis factum. Cui itidem reſponſum; ni Suecicus Miniſter Monaſterii omnibus congreſſibus tam Legatorum inter ſe, quam cum utroque Mediatore interveneriſ Gallicum Oſnabrugæ admitti non poſſe. Et ſtabat ea ſententia, nec à Gallis Legatis verbo hac de re mentio amplius facta, forte quia Thuillerius eandem ampliusagitari diſſuaſiſſet. Et quia modus tractandi denuo mutatus; dum ſcriptis deinceps, non ſermone diſceptatur, occaſio iſtius diſſidii ultro evaneſcebat. Nam ex omnibus nationibus nulla jam magis prolixis ſcriptionibus gaudet, quam Germani, præſertim quod Deputati Ordinum ſere Legiſtæ eſſent: cum Galli pleraque ſermonibus expedire mallent.

Evangelicorum ſuper gravaminibus declaratio. 31. Febr.

§. 60. Ab Evangelicis inde Trautmansdorfius poſtulabat; cum utriuſque partis ſcripta ſuper gravaminibus edita ſint, toto prope cœlo diſcrepantia, ut de temperamento adhibendo nunc cogitent. Unde cum ab ipſis Gravamina primo ſint exhibita, ad quæ Catholici reſponderint, ipſorum eſſe molliora proponere. Idque eo magis, quod Catholici, licet ut id negotium Oſnabrugæ diſceptetur, conceſſuri ſint, antequam temperamenta ſint propoſita, ſuos non niſi ad audiendum & referendum mandatis inſtruere poſſint; quod indecorum, & moras tractatibus injecturum ſit. Id cum ad Suecos referretur, hisconſultum haut videbatur Evangelicos ita propere huc deſcendere, & ſuper principali negotio diſtinctius ſententiam exponere, cum de loco & tempore tractandi nondum conventum ſit, necdum inſpectis deputatorum procuratoriis. Ac licet de Trautmansdorfii ſtudio tractatus hac ratione maturandi non dubitent; circumſpecte tamen agendum, quod Cæſar hoc in negotio ipſis ſemper ſuſpectus, & alteri parti addictus habitus fuerit. Forte quoque Catholicos ab ipſis propoſita repudiaturos, ac tractationem abnituros, antequam ad moderatiora deſcenderint, id quod remoram negotio injecturum ſit. Adverſus hæc etſi quod regererent Evangelici parum haberent: fidem tamen Trautmansdorfio adhibebant ſancte aſſeveranti bona fide cum ipſis ſe acturum, & parilem declarationem à Catholicis obtenturum; tum & omnem lapidem moturum, ut ſuper amica eorum compoſitione quamprimum tractatio inſtituatur. Eoque ſententiam ſuam ſcripto conceptam ipſi exhibuere, addito, quia à Suecis de iſtis gravaminibus propoſitum ſit, ipſis integrum fore, ſi quæ videantur ſuper iiſdem monere. Id quod tamen ægre ferebat Trautmansdorfius, cum negotia Imperii ad Suecos non ſpectent; eoque ſi Ordinibus inter ſe, & cum Cæſare ſuper hiſce conveniat, ipſis non niſi de ſatisfactione ſua agendum ſuperfore. Quod ſi tamen longius iſta, & ad patrocinii quandam ſpeciem pertineant, Catholicis ſi paria circumſpiciant vitio datum non iri. Porro fundamenti loco ſubſternebant eo ſcripto Evangelici omnia in ſtatum, qui anno decimo octavo fuerat, reponenda. Tum pleriſque poſtulatis prius exhibitis inſiſtere, & ea hinc inde illuſtrare. Citra Reſervatum Eccleſiaſticum æquum cenſebant, ſi Catholicus Præſul conſenſu univerſi Capituli, aut majoris partis Evangelica placita profiteatur, jure Superioritatis reformationem ſuſcipi poſſe, adhibito ſimul Ordinum provincialium conſenſu, ſicubi & iſti in partem ejus juris veniant. Sed ſi Prætul ſolus, aut cum minore Capitularium parte ad Evangelicorum ritus tranſeat, jus reformandi ipſi haut competere, dum vivit tamen dignitatem, ditionem, redituſque retinere; in cujus defuncti locum Evangelicum, aut Catholicum ſurrogare liberum fore. Quod ſi & Catholicum Capitulum Evangelicum Præſulem eligat, nec huic jus reformandi competere, dignitatem tamen & beneficia, dum vivit, ſalva fore. Quæ ſuper Catholicis præſulatibus propoſita ſint, Evangelicos quoque in ſuis admitturos. Si cui Præſuli jus reformandi non competat, ei ſacrorum exercitium in ſacello domeſtico fore. Preces primarias Cæſari relinqui, ut tamen Evangelicæ religioni addicti, & quales cujuſque loci conſuetudo requirit, præſententur. Addebant, ut unus non niſi uno beneficio gaudeat, ne pluribus in paucos cumulatis cæteri excludantur, cum iſta ideo à Principibus, Comitibus, Nobilibus, aliiſque fundata ſint, ut poſteri ipſorum dignitatem inde tueantur. Poſtulabant hinc omnia mediata cœnobia & collegia, quæ ipſi anno decimo octavo poſſederint, ſibi reſtitui, remiſſis tamen fructibus perceptis ac percipiendis. Viciſſim quæ in Evangelicorum ditione à Catholicis dicto anno adhuc poſſeſſa ſint, ab illis non reformentur; ut tamen penes Ordines, in quorum gratiam inſtituta ſunt, permaneant, nec in Jeſuitas transferantur. Tum Conventibus aut majori parti integrum fore Evangelicos Abbates, Priores & Conventuales eligere, aut Evangelica ſacra ſuſcipere, ac Cœnobia Evangelicis Magiſtratibus reſignare. Tum ut ſingulis ad ſacra Evangelica tranſire fas ſit. Inſpectionem penes Evangelicos fore; ac Catholicos illos Conventuales Evangelicis Magiſtratibus tam in criminalibus quam civilibus ſubjici, ac ad recepta onera ferenda teneri; ſalvis quoque aliis juribus, quæ anno decimo octavo Evangelici in ea exercuerint. Porro ſubditis Evangelicis Catholicorum Ordinum religionis ſuæ exercitium non ſolum ex dicti anni poſſeſſione, ſed & ex Ferdinandea declaratione, literis Majeſtatis, conceſſionibus, privilegiis, pactis depoſcebant, iterum reſtituendum, ſi vel maxime iſto anno jam abrogatum fuerit, & nunquam in poſterum turbandum. Tum ut reliquis Evangelicis ſubditis, aut qui in poſterum hæc ſacra amplexuri ſint, ſaltem privatus domi cultus indulgeatur, pete-

1646. petebant. Quartum gravamen ita declarabant; illos reditus qui Evangelicis præſulatibus & conventibus è Catholicorum territoriis debeantur, citra tergiverſationem exſolvendos, ſalvis etiam in Catholicorum extra territorium ſita cœnobia juribus protectionis, Advocatiæ, aliiſque. Si qui reditus ex bonis ſacris ad Evangelica templa ſcholaſque, alioſque pios uſus deſtinata ſint, illa ſalva fore, etiam ubi fundatorum poſteri ad Romanos ritus tranſierint. Si qui reditus ex alieno territorio ejuſmodi Conventibus jam deſtructis debeantur, penes illos manſuros, qui anno decimo octavo in poſſeſſione fuerint. Ex eo tempore deſolatorum reditus territorium ſecuturos, in quo illi ſiti ſunt. Circa reliqua gravamina eadem quæ antea ſtabat ſententia. Addebatur, ut etiam diſſidia ſuper capitibus fidei componantur, à Cæſare liberum Concilium nationale idoneo Germaniæ loco convocandum, cujus directio exemplo Conſtantini Magni, penes Cæſarem ſit: ad quod etiam alii Reges, Principeſque, ut pios, doctos, ac pacificos viros mittant, invitandi ſint.

Circa ſatisfactionem diſceptatio.

§. 61. Haut minor difficultas circa Regum ſatisfactionem erat, quod illa multos tangeret. Alſatia & Sileſia in Auſtriacorum patrimonio erat; Pomeraniam Brandeburgicus vindicabat: Wismaria Meclenburgicus, Bremenſi ac Verdenſi præſulatu Fridericus Dux ægre cedebant: reliquos præſulatus Reginæ relinquere Catholicis intolerandum videbatur. Circa Alſatiam cum primis

De Alſatia. jactabatur, illam Archiducibus Oenipontanis in pupillari ætate conſtitutis adimi nefas eſſe. Ac petebant à Mediatoribus Cæſarei, Gallos monerent, ut poſtulata ſua temperent; pupillis innocentibus, aliiſque ditiones ſuas per vim ne detineant; Sed illis reſtitutis pacem promoveant, citra quam Cæſar Turcas tranſitu in terras Venetorum prohibere nequeat. Cui petito annuentes Mediatores proteſtationis inſtar apud Gallos interponebant, quod orbis Chriſtianus ob immoderata ipſorum poſtulata maximo à Turcis periculo exponatur, dum Cæſaris vires huc avertuntur. Addebatur, Helvetios id ægre ferre, qui Cæſari duodecim militum millia obtulerint, ne Galli Alſatia potian-

De Sileſia. tur. Sileſia Cæſar carere nec poterat, nec volebat. Etſi Ordines illam à Suecis poſtulatam fuiſſe haut ægre ferebant, quo & Cæſar ſentiret, quid animi illis fuerit, quos ipſius pater ditionibus exuerat. Nec obſcure Cæſarei Brandeburgicis ejus rei culpam imputabant, veſut hi cum Suecis colluderent, ut Elector Pomeraniæ cedendæ damnum è Sileſia repararet. Id quod Lambergius cum apud Witgenſteinium epularetur, inter pocula in os huic exprobraverat, eouſque hoc exaſperato, ut prope à verbis ad verbera perventum

De Pomerania. eſſet. Conſtabat tamen, id conſilium de nominanda Sileſia à Brandeburgicis haut profectum. Quin Axelius Oxenſtierna in eo graviter erratum ab Electore judicabat, quod is non ultro Suecis Pomeraniam obtulerit, ac pro ea Sileſiam ſibi depopoſcerit, quam ut iſte obtineret Sueci omnibus viribus conniſuri fuerant. Equidem ut Suecia locum inter Ordines Imperii nanciſceretur, Evangelicis non diſplicebat. Sed ut illa Pomeraniam

8. Jan. retineret, Brandeburgici manibus pedibuſque renitebantur. Qui & ſub initium anni Suecicorum Legatorum colloquium petiere, & ut ſcribam adhibere liceret, qui dicta ſcripto conſignaret. Quod cum Suecis novum, & ad ardua pertinens videretur, aliquot dierum dilationem exegerunt. Interim miſere, qui exquireret, num à ſe propo-

1646. nenda ſcripto prius edere placeat, quo ea rite expendi, ac idoneo reſponſo expediri poſſint? Illi ſcriptum quidem abnuere, ſermone tamen ſignificare; de Pomerania agi: & quia animadvertant, à Witgenſteinio antea hanc circa rem propoſita à Suecis ſiniſtre accepta, quod forte non ſat accurate intellecta fuerint, adhibituros, qui omnia in acta referat. Juſſos ſe quoque Cæſareis, Regiis, aliiſque Legatis Principis ſui in Pomeraniam jus ob oculos ponere, quo ipſe volens ceſſurus non ſit. Si vis admoveatur, eam in præſens à ſe repelli non poſſe, ſed rem fatis committendam. Non ita de Evangelicorum cauſa ipſum meritum, quam à ſuſcepto regimine pro virili promoverit. Nec credere, à Regina ſerio id agi, ut ipſe provincia ſua exuatur.

Colloquia Suecorum cum Brandeburgicis ſuper Pomerania.

§. 62. Poſt aliquot dies ad Suecos acceſſere Witgenſteinius, Lœvvius, Weſenbecius, & Fromholtus. Ubi præmiſſis utrinque, quæ in rem erant, ſcriptum à Brandeburgicis recitatum hoc ſenſu: Electori haut perſuaſum, Pomeraniam à Regina ſerio poſtulari; ſed ideo tantum ejuſdem mentionem injectam, ut nihil omitteretur earum provinciarum, quas Sueci hactenus armis obtinuerint, ac ut multa remittentes eo major favor proſequeretur. Adducebantur inde Guſtavi quondam Regis & Cancellarii Oxenſtiernæ declaratio, Domus Brandeburgicæ liquidum in eam provinciam jus, Electoris innocentia, & cognatus Reginæ ſanguis, ipſius Pomeraniæ commoditas, quæ nulla alia provincia penſari poſſit: nec præſulatus licet triplo majores cum hæreditaria ditione comparari poſſe. Denique Electorem cupere arctiore fœdere cum Regina & Corona Sueciæ jungi, quo hujus ſecuritati longe uberius cavendum ſit, quam ſi nunc ipſius ditiones magno cum detrimento ejuſdem, & cauſæ Evangelicæ dilacerentur. Sueci 24. Jan. paulo poſt ad Brandeburgicos accedentes, pari colore horum ſcriptum pro ſerio non habere, ſed ideo Electoris jus & nobilitatem Pomeraniæ tantopere extolli, ut pro hac ob bonum publicum ceſſa tanto largius ipſi ſatisfiat: ad quod ut viciſſim Regina connitatur par eſſe. Sed cum Brandeburgici ſerio rem à ſe agi aſſeverarent, Sueci quæſivere, num aliud temperamentum proponere juſſi ſint; cum Elector utique idoneam & æquam ſatisfactionem Sueciæ negaturus non ſit? Et cum Brandeburgici tergiverſarentur, Sueci oſtenderunt: quo loco res Germaniæ, ac inprimis Pomeraniæ fuerint ſub Guſtavi Regis in Germaniam adventum. Cum hujus magna pars à Cæſareis ſubacta eſſet, Electoris Patrem ne unum quidem equum eidem liberandæ inſtraviſſe, ſed Regiis armis hoſtem inde pulſum. Cum Rex poſtea, qui jure belli illam vindicare ſibi poterat, fœdus cum Duce & Ordinibus Pomeraniæ mallet, Electorem nunquam id ratihabere voluiſſe, ac plures vias ei controverſiæ componendæ propoſitas repudiaſſe: demum junctis cum hoſte armis Suecos, ipſamque Pomeraniam infeſtaſſe. Nec diſſimulabatur, Regem Guſtavum à nemine acrius ad ſuſcipiendum bellum Germanicum ſolicitatum quam ab iſto; à nemine plus auxilii eidem promiſſum, minus præſtitum. Ac licet qui nunc rerum potitur Elector mitiora præ ſe tulerit; tamen cum nunc à Cæſare æquæ Ordinibus conditiones, Sueciæ pro immenſis ſumtibus idonea penſatio expectandæ videantur, neminem plus difficultatis quam illum movere. Hinc non obſcure jactabant; cum nemo amplius valde refragetur,

quin

1646. quin Suecia jure terrarum quid à Cæsare & Imperio postulare queat, nullam Provinciam Sueciæ opportunius sitam, quam Pomeraniam securitatis causâ, & ut Evangelicis è Suecia si opus sit, auxilium ferri queat. Electori nihil decessurum, sed paris pretii Provinciam reddendam. Ipsum Pomeraniam nunquam possedisse, jusque ejusdem ob superius memorata non parum alteratum. Contra à Suecia eandem jure optimo maximo possessam. Brandeburgici contra; ad objecta abunde responderi posse, si prolixa disceptatio placeat: nec ea Principem suum tangere. Melius facturos Succos, si illa respiciant, quæ nullius sint. Ast Sueci; ea ipsa Brandeburgico non indecora fore, præsertim Magdeburgicum præsulatum terris ipsius maxime opportunum. Ira tunc
7. Febr. discessum. Paulo post Wirgensteinius Monasterium abiturus cum Suecis valediceret, hosque à sententia non discedere animadverteret, differebat: Electorem hoc tempore vim haut oppositurum: velut privatim tamen Suecos monebat: Cæsareis licet concedentibus ipsos hanc Provinciam nunquam secure ac pacifice plurimorum ob diversa commoda atque invidiam possessuros; eorum inprimis, quos commercia Maris Baltici tangant, ac præcipue ob Hollandos, qui nuper Electori cessionem ejus terræ dissuaserint, & in omnem eventum auxilia illi vindicandæ obtulerint. Paria Poloniæ Regem agitare, qui si Elector in istam cessionem consenserit, sine dubio Ducali Borussiæ manum sit injecturus. Denique Pomeranos potius arma arrepturos, quam invito Electore in Reginæ ditionem cessuros. Addebat tamen, Electorem pro rata ad Sueciæ satisfactionem collaturum. Ex quo colligebatur, Electorem demum in partem aliquam Pomeraniæ consensurum. Etsi Wirgensteinius de portu duntaxat aliquo mentionem injiceret, quod de cætero Wismaria & præsulatus aliqui Sueciæ desideria satis expleturi sint.

Oppositio Ordinum Pomeraniæ & Stralsundæ. 31. Jan.

§. 63. Sed & Ordinum Pomeraniæ Deputati Marcus Eckstedius, & Fridericus Rungius libello Suecis oblato inter alia de satisfactione mentione injecta monebant super privilegiis suis, quæ vi fœderis Regii ac plurimorum promissorum integra præstanda sint. Illis autem cautum, Pomeraniæ Ordines alterius juramento non adigendos, quam cui hactenus obstricti sint. Cum autem jam ab Anno millesimo quingentesimo vicesimo nono Ordines Provinciales Domui Brandeburgicæ in eum, qui nunc extitit, casum sacramentum dixerint; ita super satisfactione Sueciæ agendum, ut Privilegiorum & conscientiarum suarum ratio habeatur. Sequenti die Stralsundenses obtentu ejusdem Privilegii oppignerationem quoque sui, de qua Schænbeckiana formula tetigerat, deprecabantur. Nam ejus urbis inter satisfactionem
Ut æ Regis Poloniæ. peculiariter mentio facta non fuerat. Rex denique Poloniæ ex vetustis monumentis demonstraturum se ferebat, tum alia Ulterioris Pomeraniæ loca, tum inprimis Stolpensem, Rugenvvaldensem, & Schlagensem districtum quondam ad Poloniam spectasse. Unde sub exitum superioris anni ad Contarenum scripserat, ut illæ partes Pomeraniæ intactæ maneant, ne sibi ac Reipublicæ sua jura tuendi necessitas imponatur. Missus & postea Monasterium ab eodem Minister omnes prensabat, ne Succis tota Pomerania concedatur, quod is ferre non possit, Succos sibi ex utroque latere in Livonia, & Pomerania vicinos fieri.

1646. §. 64. Circa Wismariam cum Hanseatici se opponebant, tum Meclenburgici Ducis Legatus De VVismaria. 10. Febr. scripto protestabatur, herum suum in eam cessionem consentire non posse, ac si jus in armis reponatur, rem eam Deo committere. Innuebat tamen, si Regina portus Wismariensis usum in stationem navium hieme aut æstate desideret, super hoc non difficulter conveniri posse. Succi contra demonstrabant, quæ Ducum Meclenburgicorum conditio fuerit, cum Rex Gustavus in Germaniam moveret, quos hic extorres ditionibus suis restituerit. Igitur quod totum Regi debeant ejus exiguam partem Reginæ concedere haut gravaturos: meliore præsertim ditione pensandam. Cogitarent quoque, quid adversa pars quondam Wismariæ machinata sit. Quale periculum etsi nunc è propinquo non adpareat; tamen olim eadem consilia instaurari posse, ni in tempore obviam eatur. Circa Bremensem præsulatum inter De Bremenſi & aliis præſulatibus. cedebat Fridericus Holsatiæ Dux, ejus Administrator, qui literis ab Ordinibus Osnabrugæ petitis rat, juris sui ad illum præsulatum rationem haberent, nec paterentur illum Sueciæ in satisfactionem assignari. Sed circa alios præsulatus præter omnes Catholicos Galli quoque Suecis repugnabant; qui & ipsam Pomeraniam hisce invidere dicebantur. Sane Wirgensteinius, qui fervide plane hoc negotium tractabat, Galliam ostentabat, velut adversus Succos operam navaturam, Servientum ex ipso quæsivisse, quid ab Electore Gallia expectare possit, si adversus Succos in arma prorumperet? Legati quoque Polonici tunc è Gallia reducis Medicus Salvio confirmabat, plerosque ejus aulæ Ministros dissensisse: Certum id haberent Poloni, se laboraturos, ne Sueci Pomerania potiantur, quin nec terrarum quid in Germania retineant. Quæ dicta etsi Legati Gallici inficiarentur, tamen circa satisfactionem ita differebant: Sibi super Alsatia cum solis Austriacis agi, nec quempiam alium ex Ordinibus offendi, eoque expeditæ transactionis sibi spem esse. Succos contra ob proposita satisfactionis capita, cum multis Ordinibus, eorumque amicis collidi, eoque difficilius scopo suo potituros.

Trautmansdorfii mora Osnabrugæ Gallis est suspecta.

§. 65. Trautmansdorfius, ex quo primum Monasterio Osnabrugam concesserat, immotus hic hæserat, frigus & difficiles vias obtendens. Qua mora Gallis non parum suspecta habebatur, occultos tractatus conjectantibus, præsertim si Gravamina quoque Osnabrugæ decidenda forent: quo casu plerique Ordines, & præcipua tractatio eodem pertrahebantur. Simul metuebant, ne iste socia Regna atque Ordines distrahere niteretur: quem ad scopum & Pontifex atque Veneti operam collaturi erant, qui Cæsari suaserant, Succis atque Ordinibus Imperii satisfaceret, eosque hoc modo à Gallia divelleret. Idque Gallici Legati per Labardæum apud Succos non dissimulabant. Cæterum Trautmansdorfius, ne plane Gallos irritaret Monasterium profecturus, prius omni
A Cæsare Suecis oblata. modo Succis satisfacere nitebatur. Primo offerebatur Pomerania citerior opportuno cumprimis Sueciæ situ: & vel eo nomine maximi facienda, quod semper apertum velut ostium in Germaniam pandat. Pro qua Cæsar Electori Ducatus Crosnæ & Carnoviæ repensurus sit. Nam Crosnam ab ipso non jure, sed per conniventiam Cæsaris possideri. Ejusdem quoque prætensionem in Carnoviam inanem esse, quæ non fiscali demum actione, sed potiori jure in Cæsarem devoluta sit. Quin & è Brandeburgicorum sermonibus colligebatur,

1646. batur, Electorem demum circa citeriorem Pomeraniam manus daturum. Huic Trautmansdorfius addebat Bremensem ac Verdensem prælulatus, à Cæsare in feudum Reginæ concedendos, hac lege, ut ea collatio non ad Regnum Sueciæ, sed ad solam Reginam, & ex ea descendentes pertineat, utque iidem indolem Ecclesiasticorum bonorum, salvo quoque Capitulo, retineant, ac in pristino aut præsenti statu permaneant, aut prout super aliis bonis sacris hoc tractatu sit disponendum. Sueci hæc quidem non plane repudiabant; addebant tamen Silesiam, aut si hanc Regina in gratiam Cæsaris remitteret, aliam paris pretii Provinciam. Tum Pomeraniam dividi non posse; ac solam citeriorem offerre haut Cæsareum, nec acceptare Regium. Wismariam quoque omissam, qua Regina carere nequeat. Adjectas etiam conditiones parum gratas. Per primam Sueciæ securitati parum contuli. Æternæ pacis conditiones pari indole oportere esse. Tum Prælulatus in secularium Principatuum titulum ac jura mutandos: alias ad tempus tantum illos dari, & Regno oneri magis quam emolumento cessuros. Contra Trautmansdorfius Silesiam pupillam oculorum Cæsaris indigitare, quam tangendi Suecos lubido subitura non sit. Pomerania utraque ut alienetur Brandeburgicos, & cæteros quorum interest consentire nolle. Ne super citeriore quidem Provincia annuisse, & hanc solo Cæsaris jussu se obtulisse, quod spes sit media ipsis persuadendis inventum iri. Vicina Regna Poloniæ ac Daniæ Pomeraniam Sueciæ invidere ob periculum, quod ipsis exinde immineat. Suecis possessionem Pomeraniæ nunquam pacificam fore. Vix quæ hæreditate ac justissimo titulo obveniant citra invidiam & lites teneri; quid futurum terræ invitis Dominis partæ? Qui plus justo complectatur, parum valide stringere. Moderata durare, & arcum nimis intentum frangi. Polonos in partem Ulterioris Pomeraniæ actionem movere, quam aliqui in totam eam Provinciam ad Oderam usque extendant. Ea tota Suecis cessa, ac Polonia actionem suam persequente, quid incommodi Germaniæ non metuendum? Reginæ rebus in Citeriore Pomerania melius caveri, si Ulterior penes Electorem maneat, velut objecto aggere illam à Polonis separatura. Ordines Imperii, qui nil magis quam bellum horreant, majore affectu Reginam amplexuros, si illa ipsos constantiæ pace relinquat omni procul novarum turbarum ansa. Wismaria ut potiatur Regina, Cæsarem facile ferre posse, ni Meclenburgicus obstet, qui tota ditione, quam nobilissima hac ejus parte carere malit. Conditiones feudales non nisi ad certas familias referri posse. Regna & respublicas æternas, eoque fiduciariorum bonorum incapaces. Forte tamen hæc feuda, si Regina absque hærede obierit; ad ipsius successorem, ejusque familiam porrigi posse. Indolem prælatuum mutari non posse; ac Catholicos intra & extra Germaniam omnia furtim potius ac deorsum verti optare, quam ut bona sacra hoc modo alienentur.

Trautmansdorfius Monasterium discedit. 16. Febr.

§. 66. Ita Trautmansdorfius Monasterium concessit, Gallos mora ipsius offensos placaturus, & horum quoque pacem sicraturus; rumore divulgato, velut Sueci immania postulassent, ac præstitu impossibilia, quibus & plurimi quorum interfit se opponant. Inde decretum sibi Gallos tentare, quibuscum super arduis sit transigendum, sed ut expeditior ad finem perveniendi via pateat. Qui jam haut obscure innuerint, ubi 1646.
satisfactum sibi utcumque sit, haut ægre se à Suecis dissociandos. Circa gravamina etsi ab initio in Evangelicorum postulata Catholicos nunquam consensuros jactarat; tamen post mutata sententia illis spem haut obscuram faciebat, se Catholicos permoturum, ut paucos intra dies tractatus super istis suscipiant. Evangelicos tamen monebat, Suecosque ut idem faciant rogabat, ne extremis inhærere velint. Simul ut quantopere pax cordi sibi sit ostenderet, donatam sibi quondam Weinspergam, & Neustadium ad Cocharum Duci Wurtenbergico resignabat.

Ordinum sententia super Amnestia. 19. Jan.

§. 67. Inter hæc Ordines Osnabrugæ super propositione Regia, ac Cæsareorum responsis tatagebant. Ac super Amnestia quidem Austriaco referente Magdeburgicus, qui primo loco sententiam dicebat, omnibus citra exceptionem veniam dandam, Pacemque Pragensem abolendam suadebat, Cæsareis valde mirantibus tantopere à patris sententia discrepantem filium. Magdeburgico omnes reliqui adstipulabantur, excepto Darmstadiensi, qui ob favorem Cæsaris in causa Marpurgensi expromtum sententiam in aliud tempus differebat. At Monasterienses diversa omnia sentiebant, & quicquid pauci qui aderant Evangelici contra differerent, probata Pace Pragensi ac Ratisponensi decreto Amnestiæ ac restitutionis terminum in Ecclesiasticis annum vicesimum septimum, politicis trigesimum statuebant. Et cum Evangelici Osnabruga suffragia sua eodem transmitterent, pauciora quam Catholicorum Monasterii deprehendebantur. Unde & Austriaci velut ex majore suffragiorum parte decretum in sententiam Catholicorum formare conabantur: Evangelicis contra protestantibus, conventum hunc hactenus Comitiorum formam referre, quod Ordines in tria Collegia digesti sint. De cætero indolem liberi tractatus habere, ac singulorum querelas audiendas, ac non ex numero utcunq; corratorum suffragiorum, sed rationum ponderibus rem decidendam. Tum sententiam suam scripto concipiunt, eamque Austriaco directorio exhibent, petito, ut formulæ decreti inferatur; eandemq; Cæsareis, ac Regiis Legatis tradunt. Super reliquis capitibus deliberationes demum sub initium Martii absolvebantur. Monasterienses, suis consultationibus perfectis, cum viderent circa amnestiam difficultatis quid fore, decreverant sententiam suam super prima classe capitum in pleno consessu recitare, indeque Cæsareis Legatis tradere, addito libello, quo Cæsareis permitteretur ex illorum sententia retinere, quæ ex usu Imperii, pacique promovendæ, tum legibus Imperialibus & receptæ consuetudini congrua viderentur. Osnabrugensibus contra haut placebat sententiam super tota prima classe promere. Nec ferendum putabant, Monasterienses sibi solis autoritatem totius Collegii Principalis arrogare, antequam secum in certam sententiam convenissent. Tum Suecos ægre laturos, si decretum Monasterii prius, quam Osnabrugæ reciretur, atque exhibeatur. Igitur literis ad eos datis postulabant; rem differrent, quoad recitatio utrinque simul possit fieri, ac certus dies exhibitioni pariter faciendæ constituatur. Monebant quoque libello ad Legatos Cæsareos differre inferendum: ut hi discrepantium sententiarum rationem non obstante suffragiorum numero haberent, ac citra consensum Ordinum nihil concluderent. Quibus postulatis & Monasterienses locum dabant. 7. Mart. 18. Mart. 21. Mart. 20. Mart.

1646. Super assecuratione pacis quotundam sententia.

§. 68. In tertia tractandorum classe circa assecurationem pacis Magdeburgicus suggerente Lampadio ita cavendum censebat: ut omnes quorum interest Ecclesiastici cumprimis Electores, & Prælati ad hanc pacem servandam se fide juramenti adstringant, auxilium quoque adversus ejusdem infractores laturi: Pax hæc non solum pragmatica sanctio perpetuo valitura in Imperio sit, sed & ultronea, haut violenta pacificatio, conventio publica, & legitima tractatio habeatur, legibus fundamentalibus inserenda, & futuris Comitiis confirmanda; simul capitulationibus Cæsareis inserenda, ac per omnia Imperii, Ordinumque tribunalia legis vim habitura. Porro ea verba, queis Cæsar Pontifici defensionem pollicetur, è Capitulatione Cæsarea expungenda. Adversus hanc pacem nullas Constitutiones Imperii, jurave communia, litis pendentias, res judicatas, decreta præteriti aut futuri temporis, tum nec edictum Cæsareum Anni vicesimi noni, pacemve Pragensem, aut peculiares transactiones valituras: irritis quoque Concilii Constantiensis, aliisque Decretis, ac præsentibus, futurisque Pontificum dispensationibus & absolutionibus. Tuendæ paci profanæ Circulorum statuta instauranda. Bohemiæ quoque Regnum legibus pacis profanæ, & judicio Imperiali aulico subjiciendum, quippe ex quo turbarum origo in reliquam Germaniam promanarit, idemque undecimum Circulum futurum. Turbis in Imperio enatis ex legibus Circulorum statim occurrendum. Turbatores pacis fama, ditione, bonisque multandos, etiam Ecclesiastici Ordinis. Ut quilibet Ordinum teneatur, quæ adversus pacem hanc patrari sentiat, præfectis Circulorum, aut Tribunalibus Imperii denuntiare. Si quis Ordinum à Cæsare bello impetatur, illi ad Comitia provocandum, à Cæsare abnuente Moguntino eadem indicere fas fore; ut obortæ controversiæ Ordinum universorum opera sopiantur. Insuper præsidia Hispanica oppidis Imperii deducenda, ne Batavis ansa sit Hispano milite expulso ista sibi vindicandi. A Jesuitis contra fundamenta fidei publicæ, & societatis humanæ doceri: quæ Cæsari, aliisque Regibus cum iis, qui Pontificem non agnoscunt, convenerint, servanda non esse. Igitur paci firmandæ non parum profecturum, si & isti exemplo à Veneta Rep. sumto Germania exterminentur, præsertim cum infinitis fraudibus illos ad Evangelicorum bona grassari oporteat, qui sociorum hinc Religionis possessiones variis artificiis invadere non dubitant. Saltem caverent Catholici, ne Jesuitæ deinceps aliquid contra fidem publicam scribant aut doceant, ni velut turbatores pacis pœnas dare velint. Tum Jesuitas & omnes Clericos fractæ huius pacis reos seculari judicio subjectos fore, Ecclesiastici fori beneficio exclusos.

Catholicorum super gravaminibus Ecclesiasticis declaratio.

§. 69. Ast propositi Evangelicos inter & Catholicos super gravaminibus Ecclesiasticis tractatus tarde admodum & difficulter procedebant, quos Catholici in longum proferebant, Gallis eosdem ne ad transactionem descenderent obfirmantibus: quod hi tamen apud Suecos inficiabantur. Catholici nuperum Evangelicorum scriptum velut ipsis gravaminibus asperius ac ad extrema vergens arguebant, omnemq; transactionem respuens. Cui & ipsi aliud scriptum opposuere; in quo fundamenti loco dies duodecimus anni vicesimi septimi substernebatur, à quo die transactio temporaria in annos quadraginta valitura sit, intra quos amica compositio ab utraque parte tentanda, aut hac irrita, deinceps utrique jus suum citra arma processûs fori persequendum. Nam in perpetuam bonorum sacrorum alienationem consentire potestatem suam excedere, ni à Pontifice sibi sacris interdici velint: nec posteros nunc conventis stringi posse. Circa primum gravamen Reservato Ecclesiastico presse inhærebant, si vel maxime Episcopus totius Capituli consensu Augustanam formulam amplecti velit: idque valiturum circa illos præsulatus & bona sacra, quæ dum pax Augustana conditur à Catholicis possessa, aut post legitime recuperata fuerint: quorum æterna possessio penes Catholicos esse debeat. Quæ illo tempore ab Evangelicis possessa, nec post à Catholicis recuperata sint, ad quadraginta annos istis quiete relinquenda, ut tamen Catholicis ad ista omnia accessus pateat, ac Romani ritus in ædibus Cathedralibus liberi sint. Circa talium Regalia, ac sessionem in Comitiis, & conventibus Circularibus mos hactenus receptus maneat. Immediata bona ab Evangelicis ad reditus camerales adplicata per ordinarias electiones aut postulationes Capitulorum in priorem statum reponantur, ad quas etiam Catholici deinceps admittantur. Mediata bona intra dictos annos penes Evangelicos maneant, exceptis qui anno vicelimo septimo ab Evangelicis quidem possessa sunt; sed ut interim is, qui tunc erat possessionis titulus expiraverit; aut quæ sententia judiciali, vel per peculiares conventiones Catholicis cesserint. Equester Ordo soli Imperio obnoxius in vicis suis Augustana sacra per quadraginta annos à dicto die retineat: sed in posterum nemini in vicis suis aliquid in fraudem Catholicæ religionis novandum. Urbes Imperiales, ubi exercitium Evangelicorum dogmatum eo anno solum viguit, id per quadraginta annos retineant una cum sacris bonis tunc possessis; ut tamen Catholicis pro ipsorum numero aliquot templa concedantur. Quæ ex eo tempore Catholicis ademta fuerint, aut destructa, restituantur. Ubi peculiares extant conventiones tam circa sacra, quam civilia, illæ maneant. Catholicis civibus in illis urbibus molestia ne creetur. Circa tertium gravamen contendebant, in Catholicorum Magistratuum arbitrio fore subditos diversa sacra professos retinere, aut illis migrationem imperare: ut tamen solum versus angustum nimis temporis spatium ne præfigant, nec eosdem præter æquum onerent. Adversus municipia etiam queis Augustana sacra à tempore pacis religiosè recepta, nobilesque provinciales debitum moderamen adhibendum. Circa quintum gravamen reditus Catholicorum è Protestantium terris qui usibus sacris applicati fuerint, per annos quadraginta hisce relinquebantur, ut tamen Catholici post pacem in horum partem venirent. In quinto gravamine à jurisdictione Ecclesiastica, quæ Evangelicis Magistratibus ad quadraginta annos indulgenda sit, eximebantur causæ matrimoniales, & quæ jus patronatus, decimas, sacrilegia, & similes spectant; quæ Ordinariis reservabantur. Super discrimine quoque Calendarii amice conveniendum. Sexto gravamine de Edicto anni vicesimi noni in neutram partem pronuntiabatur, quod super ejus capitibus nunc transigendum foret. Scire quoque cupiebant, an & quousque Reformatos paci Augustanæ inclusos velint? Anabaptistas, & similes haut tolerandos. Circa reliqua gravamina prior sententia perstitebat. Ejus-

mo-

1646. modi porro temporariam tranſactionem jam ante Pragenſi pace ſancitam Galli haut repudiandam ceniebant, velut quæ firmior futura ſit, quam ſi perpetuæ bonorum ſacrorum ceſſioni inſiſtatur, quæ promiſſa licet ſervari hautquidquam pollit. Evangelici Monaſterienſes quoque ſufficere judicabant, ſi ultra annos pace Pragenſi indultos totidem, aut plures obtinerentur. Nam poſteritati res ſuas curæ fore. Sed reliqui Evangelici inducias has, non pacem habere, nec duraturam internorum malorum medelam atrocius bellum deinceps generaturam.

Cæſareorum ſuper his à Suecis poſtulatum. 8. Mart.

§. 70. Apud Suecos Cæſarei congreſſu habito differebant: Gravamina politica ad Comitia remittenda: ſuper Eccleſiaſticis tractatum inſtituere ſupervacuum fore. Catholicos quippe plura, quam hoc ſcripto deſignentur, per conſcientiam indulgere non poſſe: Evangelicis autem hitce adquieſcere in proclivi eſſe; ad quod ut Sueci eosdem permoveant par eſſe. Si quid ulteriore illuſtratione opus habeat, ſcripto id poſſe fieri, prout jam cœptum. Sueci contra oſtendebant; Cæſareorum reſponſo in ejuſmodi tractatus jam conſenſum. Trautmansdorffium quoque Monaſterium abeuntem id negotium ſe promoturum recepiſſe. Se quidem Evangelicos, ut æquas conditiones admittant, hortaturos: perſpicere tamen, vix optatum effectum ſperari poſſe, Catholicis non ſolum priori ſententiæ inhærentibus, ſed & tractationem ſubterfugientibus. Mox tamen Catholicorum nomine Moguntini, & Bavaricus ad Suecos accedentes, cum hi prolixis ſcriptionibus ſuperſedendum ſuaderent, ac certos deputandos, qui cum Evangelicis citra moram Oſnabrugæ tractatus ordiantur; id probari à ſe ferebant, ac jam huic negotio deſignatos illos, qui è Catholicis Oſnabrugæ eſſent; quibus ſi opus fuerit Monaſterio alii ſint adjungendi. Cæterum ampliſſimis verbis teſtabantur, quantopere Evangelicis pro virili ſatisfacere cupiant. Contarenus quoque de ſucceſſu hujus negotii ample ſperabat, quod tranſactio inter Ordines ſatisfactioni Regum, totique paci facilitatem allatura videretur. Dixerant porro inter alia memorati Catholicorum Legati: interponerent ſe Sueci utrique parti; ante omnia autem Evangelicos ad honeſtas, tolerabiles, & Chriſtiana æquanimitate dignas conditiones permoverent: id quod promovendæ paci haut parum collaturum ſit. Ea verba Evangelici, cum ipſis referrentur, ita accipiebant, velut Catholici Suecos Mediatores tractatui futuro ſuper gravaminibus adoptaſſent. Ac initio ſuſpicabantur id à Catholicis eo conſilio factum, ut Sueci Mediatione ſuſcepta remiſſiore quam hactenus ſtudio ipſorum cauſam tuerentur, quo utrique parti æquos ſe probarent. Quia tamen maximam ſpem in horum patrocinio repoſitam habebant, omiſſa iſta ſuſpicione Suecis oblatam interpoſitionem amplectendam judicabant. Id quod rogatum, ad hoſce ablegabantur Altenburgicus, Vinarienſis, Meclenburgicus, Wetteravicus, Lubecenſis, & Eslingenſis. Sed Sueci cum dubitarent, num ſerio iſta à Catholicis dicta eſſent, ad colloquium cum Gallis rem differebant, ex quibus quærendum ſit, num tale quid Catholici ab ipſis poſtularint, & quid ipſi facere decreverint. Ac ſane Catholici verba ſua retractabant, inficiati, ſe Suecorum interpoſitionem in cauſa gravaminum requiſiviſſe. Sed quia Evangelici extremis inhærent, ſe duntaxat à Suecis petiiſſe, ad moderata illos poſtulata permoverent.

Catholici in tractatus ſuper gravaminibus conſentiunt. 10. Mart.

11. Mart.

§. 71. Exhibebant quoque Evangelici Auſtriaco directorio *gravamina* uti vocabantur *politica*, quæ cum Catholicis ſibi communia rebantur. Inter quæ primo loco querebantur tot per annos omiſſa univerſorum Ordinum Comitia, citra quæ pax publica ſervari nequeat, cum in tam vaſto Imperio non poſſint non multa irrepere, quibus mature medicina ſit facienda. Unde è re videri ſingulis triennis, & intermedio tempore, quoties neceſſitas Reip. requirat, Conventus Ordinum indici, ad quos omnes nemine excluſo vocentur qui tamen mature expeditis negotiis ultra trimeſtre non protrahentur. Deinde ut militia per Imperium adornetur, matricula integretur, ejusmodi tributorum modus temperetur, laceri Circuli inſtaurentur; neve Ordinibus per externum Cæſaris militem contumelia, aut damnum inferatur. Ne Collegium Electorale deinceps, uti hactenus, reliquorum Ordinum jura involet. Et quia ex mutatis ſubinde Cæſarum capitulationibus adpareat, jura Reip. fluctuare, ac ſtatum Imperii perpetuis mutationibus obnoxium agere; ſuper duratura conſtitutione nunc, aut proximis Comitiis cum conſenſu Electorum & Ordinum conveniendum. Et ſi correctione aliqua opus ſit, eam in Comitiis decernendam. Equidem quæ Electoribus ſolis per Aureæ Bullæ legem competant, à ſe non ſolicitari. Sed id ferendum non eſſe, ſuis dictis ipſos jura Ordinum communia belli & pacis, fœderum, collectarum, proſcriptionum, vectigalium paulatim in ſe trahere, leges Imperii mutare, & adverſus has decreta in fraudem cæterorum Ordinum formare. Nec minus indignum, Electorales Legatos in Ordinariis Deputatorum Conventibus à reliquorum Ordinum Deputatis ſe disjungere; cum tamen per leges Imperii conjunctim negotia ibi tractari, & viritim ſuffragia ferri debeant. Præterea ne Electorales Legati inſolitum antea à Principalibus *Excellentiæ* titulum affectent, non citra fraudem Principalium familiarum, ac moram tractatuum impedita communicatione. Alias & Principes ſibi ejuſmodi inuſitatos titulos aſſumturos. Ne porro Urbibus Imperialibus curiatum ſuffragium in dubium vocetur. Neu de Ordinum terris, ac immediatis Imperii vicis pro lubitu ipſis inauditis diſponatur, iidemque in alios transferantur, aut in fraudem Ordinum inter urbes Imperiales referantur; quod circa Bremenſem urbem factum ſit. Ne quis Ordinum ſe ſuosque oneribus ac jurisdictioni Imperii eximat, aut immediatos ad municipalem conditionem redigat. Neve collectis communi conſenſu placitis aliqui citra juſtam cauſam eximantur in oppreſſionem reliquorum. Ne Ordinum ſubditis privilegia, immunitates, & exemtiones tribuantur, iſtis inauditis. Ut qui circa conferendas dignitates abulis exercitus ſit, corrigatur: neve veterum familiarum ſplendor obfuſcetur, honorum inſignibus in inmeritos congeſtis. Nec recens ad Principum & Comitum dignationem provecti ſeſſione ac ſuffragio inter Ordines potiantur, niſi idoneis bonis immediatis prædii, ac oneribus ſtatuum ferendis pares; de cætero Mediatorum bonorum reſpectu Ordinibus ut antea ſubjecti maneant. Denique mercedem pro perferendis epiſtolis, in aula Cæſarea Anno vicesimo primo demum exigi cœptam, remittendam eſſe. Hiſce Comites Wetteravici peculiares ſuas querelas appendicis in vicem addiderant.

1646. Gravamina Politica 7. Mart. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octavum. Nonum.

§. 72. Interim Galli poſtulata ſua hiſce verbis conceperant: „ *Pro ulteriore ſecuritate Coronarum* Traut-mansdorffius cum

1646. Galli de satisfactione agit.

„*& Principum Imperii fœderatorum, nec non pro debita Gallia satisfactione rationi consentaneum esse, praeter oblationes jam ipsi factas (quam vis rerum jam ab antiquo ad Coronam pertinentium,) ut cedant Gallia Alsatia superior ac inferior, inclusis Sundgovia, Brisaco, Brisgovia, & Civitatibus cum omni causa, omnivè jure, quo ante præsens bellum possidebantur à Principibus Domus Austriacæ. Item maneant in possessione Philipsburgi, cum suo territorio ac dependentiis, locisque omnibus ad liberam & securam cum Regno Gallia communicationem. Si tamen Imperator & Imperium è re sua esse judicaverint, ut dicta utraque Alsatia cum Philipsburgo & suis adhærentiis recognoscantur ab Imperio, non recusabit, modo sessionem habeat & suffragium in dietis, sicut alii Principes & Status Imperii.* Monasterium igitur reversus Trautmansdorfius hisce in satisfactionis vicem denuo Metim, Tullum, ac Virodunum obtulit, præter quos Episcopatus nihil concedi ipsis posse. Ad eos acceptandos ut Gallos permoveret, & ipse jactabat, & passim spargi curabat; sibi cum Suecis super satisfactione jam convenisse, nec aliud restare, quam ut responso Reginæ ipsorum acta probentur. Mediatores quoque ferebant, Suecos & si immensa postulaverint, pleraque remissuros, & demum dimidia Pomeraniæ parte contentos fore. Ast Galli ista præfracte rejicere; ni plura dentur satius fore tractatus plane abrumpere frementes. Nec majoris ista à se fieri, quam si Suecis Livonia offeratur. Sed quo sua postulata eo gratiora facerent, ostendebant; pace concluta octo peditum, duo equitum millia adversus Turcam auxilio Cæsari se subministraturos. Quibus si Sueci, ac Imperii Ordines militem suum addant, facile exercitum conflari posse, qui Austriacis longe plura, quam nunc hac pace decedant, adquirere queat.

Cæsarei scriptum adversus Gallos evulgant.

§. 73. Interea Cæsarei scriptum divulgarunt, ea complexum, quæ Austriacus, in Senatu Principum pro sententia dixerat. Eo demonstrabatur, Gallis non competere causam vel ob propriam aut sociorum securitatem, vel ex aliqua obligatione satisfactionis quid postulandi. Veram ipsorum securitatem in mutua confœderatione omnium eorum, quos pax isthæc spectat, & Ordinum Imperii consistere. Unde non securitatem sed cupidinem fines Regni sui proferendi ipsos ad talia postulandi impellere. Nec ad eam præstandam Cæsari obligationis quid esse ex contractu, aut delicto. Neque ex conventione Ratisponæ anno tricesimo inita, & sequenti anno Clerasci firmata Galliæ ullam querendi causam competere. Qui ex Ordinibus Evangelicis fœdus cum Gallia ferierint, non id spectasse, ut huic eo nomine pensationis quid petere fas sit; sed potius Gallum ultro auxilia sua nihil impensarum nomine stipulatum obtulisse: quin disertis verbis promisisse, quæcunque loca hoc bello ad Imperium, Ordinesque spectantia in ipsius potestatem pervenerint, secuta pace prioribus dominis restituenda, sumtibus belli hautquidquam imputatis. Addebatur, oblatos præsulatus, urbesque haut adeo parvi æstimandos, qui à Gallis non alio titulo, quam violentæ detentionis possideantur. Nuper defunctum Archiducem Leopoldum, ad quem ditiones illæ Rheno adsitæ spectaverint in Galliam nihil deliquisse, nedum liberos ipsius impuberes, quibus sua nullo jure subtrahi queant. Et quia Galli publice testentur, se bellum adversus Imperium haut gessisse, nullo colore ipsos tractum istum Rheni ad Imperium spectantem sibi vindicatum ire. Ac tamen abesse, ut ea res securitati Ordinum cedat, ut potius Germania perpetuis Gallorum irruptionibus vicinique Ordines servitii periculo exponendi sint. Ipsorum denique Ordinum sententia judicari Gallorum postulata iniqua, ac prioribus pactis, dignitati Imperii, Galliæ ipsius existimationi, ac mori inter Christianos Principes recepto repugnare. Revera tamen Ordinum sententia non paulo mollius concepta fuerat, ac plures censuerant; satisfactio danda sit, necnè, in medio esse relinquendum. Unde multi non mediocriter indignabantur, talia circa sententiam Ordinum publicari. Cæsarei tamen excusabant ista hautquidquam sparta remorandis tractatibus, sed ut Galli ad moderatiora permoveantur, & ex pertinaci immoderatorum postulatione imminens ruptura prævertatur. Nec animum sibi esse semel oblatis prætracte insistere, sed peculiari tractatione propius ad rem accessuros. Contra Franciscus Lotharingus Virodunensis Episcopus oblato libello Cæsareos monebat, ne tres illos Episcopatus Gallis concederent, quod inde non solum ruina Domus Lotharingicæ, Burgundiæ, & Lucenburgensis Ducatus dependeat, sed & multorum Imperii statuum, Bipontini, & Birckenfeldensis, Comitum Nassoviorum, Hanoviensium, Eberstheinensium, Leiningensium, Rheingraviorum, Salmensium & aliorum, qui ex liberis Imperii statibus Coronæ Gallicæ abjectissimi subditi sint futuri. Enimvero Galli Cæsareorum scriptum flocci facere, ac postulatis suis immoti insistere, apud Mediatores jactantes, sibi super Ordinum studio ad ista obtinenda, satis cautum, nec ignorare quid Mendelius Bavaricus Consiliarius Viennæ rerum nunc gerat, qui Cæsari necessitatem Gallicæ pacis etiam cum jactura Alsatiæ inculcet, addita protestatione ni rationi Cæsar locum relinquat.

Galli id scriptum non curant.

De Mediolano frustra proponitur.

§. 74. Cum igitur constaret Gallos oblatis præsulatibus haut adquieturos, agitari cœptum, an non Hispani permoveri queant ad Mediolanensem Ducatum Gallis cedendum? Quod cum ad Legatos Gallicos referretur, id sibi haut displicere ostendebant. Enimvero cum Hispani id plane adspernarentur, Cæsarei de Alsatia Inferiore Gallis insuper cedenda proposuere, quæ tertiam fere totius Alsatiæ partem absolvat, Regalibus magis quam reditibus æstimanda: cum & ipsi Galli jactent, non tam proventuum magnitudinem, quam securitatem à se spectari. Ita iter ipsis è Lotharingia ad Rhenum patere & regionem sex milliaria in latitudinem extendi, Hagenoa & Weisslenburgo non spernendis oppidis ornatam. Ast Galli postulati sui pervicaces vicissim Cæsari alia officia pollicebantur circa filium ad Imperiale fastigium promovendum, & auxilia in Turcam ferenda; tum ad emolumenta quædam, ac liberiorem potestatem in Bohemia & hæreditariis ditionibus obtinendam. Ita defugere non poterant Cæsarei quin totam Alsatiam annuerent, ac de Brisgovia duntaxat, ac sylvestribus oppidis difficultatem adhuc moverent. Inter quæ & denuo Cæsarei per Mediatores apud Gallos de salvo conductu Lotharingiæ Duci concedendo instabant. Quem ut extunderent Mediatores, ostendebant; Cæsareos Regibus etiam super mediatorum salvo conductu, aliisque postulatis indulsisse. Igitur par esse & ipsos de pertinacia sua quid remittere. Ordines quoque æqua postulari censere. Tum Alsatiam Lotharingi rationibus implicitam, ac ipso absente super hac plene transigi non posse. Sed Galli ista

Et Alsatia Inferiore.

Super Lotharingi salvo conductu Cæsarei denuo movent.

1646. ista præfracte respuebant, mirati à Cæsareis totiens explota in scenam produci. Prævia conventione semel perrupta parum quoque super primarii tractatus firmitate sperandum.

Hollandi Succorum satisfactioni sese opponunt.

§. 75. Monasterii Belgarum Fœderatorum Legati recens eo delati obsistere cœperant, ne Succi Pomerania potirentur, invidia ob gliscentia Succorum commercia queis tractus iste maritimus plus incrementorum daturus erat; & favore Araulionensis in Brandeburgicum ob agitatas cum ipsius sorore nuptias. Id quod Brandeburgicis legatis non parum ferociæ addebat non obscure gloriantibus; Electori deinceps hoc negotium parum solicitudinis daturum; quod tàt multi sint, qui alienationi Pomeraniæ obnitantur Polonus, Danus, Hanseatici, Belgæ insuper Fœderati. Ac judicabant Galli tam graves contradictiones haut spernendas; quod juncta multorum opera dato idoneo temporis spatio facile remoram negotio injicere possit. Eoque istorum conatus properata pacis conclusione, sicuti circa Danicam pacem factum sit, antevertendos. Ast Succi Hollandis vicissim demonstrabant; inopinum plane sibi, ipsos potissimum emolumentis Reginæ contraniti qui tam arcto fœdere Sueciæ innexi sint, ac ultro agnoscant, Succorum armis magno se onere levatos, ac spatium nactos rebus suis prospiciendi. Unde ejusmodi gratiam sibi rependi iniquissimam fore. Sane Hollandorum parum interesse, Succi an Brandeburgicus Pomeraniam obtineant. Paria à Gallis, ut hi ferebant, ingerebantur. Igitur licet Trautmansdorfius nulli operæ parceret, ut istos clam in Sueciam stimularet; tamen iidem mutato consilio circa Pomeraniam nil difficultatis se moturos declarabant: quod exigua sibi illo tractu commercia sint; ac fatebantur, haut in mandatis sibi datum ista hæc movere, aut aliis Imperii negotiis se ingerere.

Mox tamen deflebant.

Cæsarei nova circa Succicam satisfactionem proponunt.

§. 76. Trautmansdorfius inde aliam viam ingressus Succis optionem relinquebat; utrum Bremensem & Verdensem prælulatum cum citeriore Pomerania, an totam Pomeraniam citra prælulatus mallent. Sibi spem esse Brandeburgici consensum super citeriori Pomerania obtinendi. In totam Pomeraniam eundem nunquam consensurum, sed protestatione interpolita, quod prohibere nequeat tantisper toleraturum, futuri temporis occasionibus imminentem. Galli prius ut acceptaretur suadebant, quod non parum interfit, si Regina quæ darentur non contradicentibus priorious dominis obtineat. Sed quia tam ipsi quam cæteri Catholici absurdum ducebant, Episcopatus in seculares principatus mutari, proponebant; eos prælulatus in unum & alterum è Sueciæ Proceribus conferendos, qui sacro sub titulo illos possiderent, adjuncto quoque Coadjutore; & Canonicos ita stringi posse, ut retenta in speciem libera electione illi semper in Sueciæ potestate permaneant. Sed tutissimum circa Pomeraniam temperamentum matrimonium inter Reginam & Electorem videbatur, quo casu Regina citra ambages ista provincia potitura sit, in cujus locum alia regio in satisfactionis vicem peti queat. Super Wismaria monebant, num forte ea certos ad annos Reginæ relinqui, aut, quod Meclenburgici proponebant, navium libera statio in portu per peculiare pactum concedi possit; salvo Ducum supremo jure. Parum ab hac sententia abibat Salvius: ni Brandeburgici cum consensu tota Pomerania obtineatur, serius ocyus super ea ferro certandum esse. Ex ulteriore Pomerania

Gallorum super hoc sententia.

Salvii sententia.

forte plus redituum provenire, quam è Bremensi ac Verdensi prælulatu. Sed plerasque præfecturas hypotheca oneratas, ut velut de novo emendæ sint. Ac retenta in prælulatibus bona sacra ad pentatura. Præcipuum publice utum esse, quod Regina ostius trium nobilissimorum fluminum, Oderæ, Albis, ac Visurgis potiatur, ac in tribus Circulis Mari Baltico & Oceano contiguis, in Saxonico superiore ob Pomeraniam, in Interiore ob Bremeniem in Westphalico ob Verdeniem prælulatum sessionem & suffragium obtineat. Mari quoque Gothoburgum inter, & Albis atque Visurgis ostia facilem esse communicationem. Porro Pomeraniam ulteriorem cum Odera muri instar interpositi habere adversus Poloniam. Hujus Regem, cum sentiat, Ordines ob privatam ipsius cum Suecia litem nolle diutius arma gerere, omnes vias circumspicere ipsam Rempublicam cum Suecia lite implicandi, ut obliqua ratione cautam suam opibus Reip. persequi possit. Unde haut inconsultum, illos conatus prævertere, & propugnaculum velut duobus Regnis interjicere. Denique si nunc ob totam Pomeraniam cum Electore in arma prorumpatur, multos præfectos hujus ditione oriundos, qui Reginæ nunc militant, ad Principis sui partes transituros. Quin Landgraviam Casellanum armatum validumque nunc Electoris sororem in thorum recipere? qui & alias ob mutuæ successionis pactum jus aliquod in Pomeraniam obtendat. Contra spem esse, Electorem demum in citerioris Pomeraniæ cessionem consensurum. Ita, si Bremensi Administratori dato Halberstadiensi prælulatu satisfiat, negotium bona cum gratia omnium quorum interfit confici posse.

1646.

Reginæ sententia. 17. Mart.

§. 77. Ast Holmiæ cum super hoc negotio Regina ad Senatum referret, in utramque partem differebatur, præsertim cum suspicio esset, jam Cæsarem inter, Gallosque clam convenisse, ac in solos mox Succos belli totam molem incubituram. Equidem erant, qui quam opportuna loca Succicis armis tenerentur, ostenderent; quæ tam modico pretio amitti durum sit. Moderata postulantibus haut ideo minus invidorum fore. Quin ipso bello Germanico multorum invidiam coërceri, ne Succiam lacessere audeant, Dani, Poloni, Brandeburgici, & ubi hic Araulionensis filiam ducat, etiam Belgarum. Valida in proximam ætatem supplementa in promtu esse. Ac Turcam forte arma moturum. Alii contra egregium centebant non sine gloria tam diuturno gravique bello colophonem imposuisse. Ingentem esse militum molentiam, à qua magnum periculum immineat; Sueciæ tenues opes tanto bello sustinendo; anceps Martis vices. Ita temperanda postulata, ut succedente tractatu patria operæ pretium faciat, eodem abrupto, æquitas Reginæ orbi adprobetur, & quod fortunam reverenter habere didicerit. Trautmansdorfium dum ista offert, sine dubio cum illis quorum interest clam convenisse. Relicta Ulteriore Pomerania Brandeburgicum utcunque placandum quæ & ipsa Polonos non levi suspicione perstringat, Regno ipsorum longo limite annexa. Iisdem ad Citeriorem Pomeraniam aditum non patere. Si ulterior provincia retineatur, ob vicini potentiam validum semper exercitum ibi alendum magno cum Sueciæ onere, quod exhausta bello regio impensis non sufficiat. Polonum totas vires convertere promptum esse, & Landsberga, Driesenaque restituta eandem velut propugnaculis nu-

tiatam patere. Bello ibi Suecos inter & Polonos exorto totam se Germaniam immittere posse, hoc obtentu eis mare ipsos rejecturam. Tum profundissimæ esse considerationis, Polonus magis, an Danus Sueciæ sit respiciendus; & an non præstet omissis Polono vicinis circa coërcendum Danum cogitationes intendere, qui nunquam bona fide quietem agat. Haut multo minoris esse Bremensem, Verdensemque præsulatum, insignis adversus Danum momenti. Tum Wismariam situ commodo, ob portum, & Teutonico militi conscribendo, ac ut cominus vicinorum negotia inspici possint. Igitur placebat, potius quam tractatus abrumperetur, à Trautmansdorfio oblata, sed honestis & tutis sub conditionibus, & adjecto Stetino, ad extremum acceptanda esse.

Occultæ Cæsareorum artes.

§. 78. Inter hæc occultas tentare artes non omittebant Cæsarei. Quanquam enim toties repudiatos peculiares tractatus Suecis haut aperte offerrent; subinde tamen ostendebat Trautmansdorfius, sibi cupitum cum Suecis prius decidere. Ipsis quippe præmia postulare jus fasque esse in Germaniam evocatis; & tot munita loca insidentibus: Gallorum contra bellum injustissimum, postulata iniquissima esse. Addebatur tamen, haut ideo separationem Regnorum quæri, aut divisam pacem, sed ut Suecі Gallos ad æquas conditiones admittendas permoveant, velut mox civitate donandi, ac Cæsari & Imperio arctius quam ulli fœderatorum innectendi. Nec dubium fore si eam viam insistant Suecі, Gallos ad moderatiora descensuros. Idem contra, statim atque Gallis controversiæ quid cum Suecis ob non admissum Labardæum obortum intellexisset, istis ostendebat; si Galliæ alia inire consilia placeat, dubium non esse, quin ex voto cum Cæsare transactura sit. Nec dissimulabant Galli, Contarenum sæpe ipsis suasisse, ut à Suecis disjuncti pacem sibi suam seorsim facerent; quod is judicaret, quamdiu ea Regna conjuncta persistant paci expediundæ nullam rationem esse. Quin ab ipsis Suecos velut anguem in sinu foveri, ex improviso mortium aliquando daturos. Persuadendis Gallis addebatur; Suecos, dum duplicam Cæsareis exhiberent, jactasse, à Gallis petitam satisfactionem immodicam, & à ratione alienam esse; nec à se probari, Gallos ita pervicaciter Lotharingo commeatum abnuere. Quorum utrumque fictum erat. Constabat quoque Mendelium Bavaricum ministrum Viennæ pacem cum Gallis valde suasisse, quâ obtenta Catholicos alteri parti pares fore. Nec magnam jacturam habendam Gallis Alsatiam reliquisse, quippe ex qua vix quadraginta uncialium millia annua redierint, cum ad eandem tuendam septuaginta millibus opus fuerit. Unde Wirgensteinius Suecicos Legatos monebat; caverent sibi, nec nimium Gallorum constantiæ confiderent. Quin & Curlandiæ Dux Paulo Helmes Livoniæ Secretario Riga nuper ad se evocato velut in specimen singularis amicitiæ significaverat, nuptiis suis è Vicecomite Bregio, aliisque Gallis se intellexisse, Galliæ Regem primo quoque tempore si non pacem saltem separatas inducias cum hostibus suis initurum, Suecis in bello destitutis. Et eam rem in aula Gallica magno studio clam agitari. Unde non esse, quod Regina Fœderatis suis nimium confidat. Et cum Helmes allatis rationibus contra tenderet, Dux multa cum asseveratione eadem firmare pergebat. Quibus omnibus cum eventus non responderit, merito eadem in fraudem illiciendis Suecis conficta judicare licet. Id tamen Galli non inficiabantur, se cum Bavaro super induciis agere divellendo à Cæsare valido socio: atque id non minus sibi integrum esse, quam quod Suecі cum Saxone transegerint. Et si quid discriminis inter utramque negotiationem intercederet, satis demonstraretur. Sane Evangelici istos cum Bavaro tractatus vehementer horrebant, quod per eos, ni curata circumspectio adhiberetur, scopus ipsorum, laborque demum eludendus sit.

1646. Tractatus inter Gallos & Bavarum.

Mediatores de induciis proponunt.

§. 79. Sed & aperte Monasterii Sequestres Cæsareis Gallisque de induciis proposuere, quod jam spes pacis alluceat partibus inter se æqualibus; sed si alterutra insigni clade debilitetur, magnam tractatibus remoram injectum iri. Quam rem Contarenus cumprimis acriter urgebat, periculum Christiano orbi à Turca ostentans, qui Venetam ditionem ducentorum millium exercitu inundare agitet: quo facto Gallos in cauta fore, ut res Christianorum tantum detrimenti capiat. Ista sibi probari non obscure significabat Avaulxius, ingenue fassus intra trimestre è Gallia copias venire non posse, quæ eis Rhenum in hostem rem gerant. Interim universas hostium vires Suecis incubituras, quibus vel prælio certandum, vel retro cedendum fuerit. Hosti quoque animos accessisse Torstensonii discessu, & Wrangelii auctoritatem nondum ita coalitam, ut, si adversi quid contigerit, retinendis in officio militibus par sit.

Quas Galli non improbant.

Suecі suspectas habent.

Ast Suecі neq; breves inducias paucorum mensium, neque longiores aliquot annorum probabant. Nam priori casu ob vastatas provincias legiones utique dispergendæ erant, queis in hospitia deducendis, ac iterum contrahendis unus & alter mensis requirebatur, ut parum temporis illis per quietem reficiendis superfuturum esset. Hosti contra auxilia undique excidendi spatium dabatur: qui & veteres artes Suecicum militem corrumpendi omissurus haut erat, animis vulgi prætertim per otium ad res novas pronis. Quanquam si certo constaret intra inducias tractatus absolvendos legionibus hinc inde sparsis, facilius super stipendiis cum ipsis transigi posse videbatur, quam [illegible] junctæ tenderent. Enimvero optari potius quam sperari pax intra tam paucos menses poterat, multis iisque durissimis nodis adhuc dissolvendis. Longiorum autem induciarum leges non minore difficultate, quam ipsius pacis adornondæ erant: nec qua ratione interim exercitus aleretur adparebat. Quæ & Ordinum Imperii sententia erat; qui istas à Mediatoribus propositas valde indignabantur: quod per eadem infinitis belli oneribus ad exitium usque opprimendi exponerentur, utriusque partis exercitibus per ipsorum ditiones distribuendis. Unde metus erat, ne illis, qui pacem internam seposita externa amplectendam suaserant, aurem præberent, & utcunque cum Cæsare transigerent, Regnis sub mole belli destitutis. Qua de causa ejusmodi inducias Suecі omni modo declinandas judicabant.

Tractatus inter Gallos & Hispanos.

§. 80. Sub initium anni Hispani per Mediatores Gallis significaverant, Regem cum Gallia in eas leges tractaturum, quas ipsa Regina Regens propositura sit: quæ velut soror, & Regio in Hispania sanguine orta eam moderationem sit adhibitura, ut istæ leges fratri, ac patriæ non intolerabiles existant. Legatis quoque injunctum omnia subscribere, quæ à Gallis exhibenda sint, Causam porro istius rei hanc Hispani habebant, ut Gallorum sententiam super conditionibus pacis elicerent; queis si displicerent, facile erat dicere,

1646. re, iſtas Hiſpaniæ intolerabiles eſſe. Igitur quanquam iſthæc Gallis proficua & gloriosa viderentur, haut tamen ab his ita cupide, ut forte Hiſpani ſperaverant acceptabantur. Nam reſponſum: ſe preſſius Hiſpanorum ad ſuam propoſitionem reſponſum expectaſſe. Sed quia alius nunc agendi modus placeat, providendum ſibi, ne iſthæc oblata fœderatis excluſis intelligantur, neu alibi quam Monaſterii pax abſolvatur. Quja autem Hiſpani alia occaſione etiam ſuper induciis in Cataloma mentionem injecerant, Galli res ipſorum ægras inde conjectabant, ac ſpem pacis brevi coa-
15. Febr. lituræ conceperant. Quo fine in aulam mitere,
5. Mart. qui certa in hanc rem mandata adferret. Is reverſus retulit: Reginam cum Fratris ſui humanitate paria facere, ipſique arbitrium deferre ejuſmodi pacis leges concipiendi, quæ præſenti ſtatui rerum ſint attemperatæ: ſuper quibus ipſa pro captu præſentium temporum declarationem editura ſit, quæ Reginam Galliæ deceat. Simul Legatis injunctum, ſi Hiſpani hanc viam inſiſterent, ipſi conventa abſolverent, addito tamen ut & ſociorum emolumenta obſerventur, & Monaſterii
11. Mart. res conficiatur. Hiſpani dehinc Sequeſtribus has pacis conditiones velut extremas tulerunt: ſi Galli omnia per Belgium, & Catalonam, alibique occupata loca, ſimul Lotharingiæ Ducem reſtituant, & omne auxilium Hiſpaniæ hoſtibus, ac rebellibus ſubtrahant, perpetuo ſe illis jure Landreſium, Heſdinum, Bapaumam, ac Damvillerium cum diſtrictibus ſuis relicturos. Hæc uti Gal-
26. Mart. lis ridicula adparebant; ita viciſſim oſtendebant; ſi utique ipſi occuparorum locorum reſtitutionem poſcantur, Navarram prius ſibi reddendam. Quæ ſi abnuatur, omnia ſe quæ occuparint retenturos, nec alia lege tractaturos. Pro reſtituta autem Navarra æquivalens, & amplius reddendum.
30. Mart. Sub idem tempus Didacus Savedra Monaſterio in Flandriam, inde in Hiſpaniam diſceſſit, cauſatus à Rege ſe evocatum, quod plures ipſe, quam Gallus, Legatos ibi habere nollet. Revera tamen Pegnerandæ, & Bruni artibus id effectum erat, qui obaſperum ac moroſum viri ingenium, quod arguebant, ipſi diſcordes egerant. Ac ipſe indignatus erat, quod cum initio primus Legatorum fuiſſet, poſt Pegneranda, & Cameracenſis Præſul Joſephus Bergaignius ipſi præferrentur.

Hollandorum Legati Monaſterium ingrediuntur.

§. 81. Sub finem proximi anni Hollandorum Legati Monaſterium ingreſſi fuerant; quibus cum Galli & Luſitanus nobiles miniſtros cum rhedis obviam miſiſſent, Hollandi ſalutantibus haut adſurrexerant: nec in hoſpitia proſequutos pro more dimiſerant, ſed ſellis velut adfixi dextras abeuntibus porrexerant. Eam ruſticitatem Longuevillius modeſte ultus eſt, dum ipſorum Secretarium pro receptione gratias agentem per utrumque conclave humaniſſime deduxit. Sed ipſo regreſſo ſubornatus quiſpiam è Gallis Batavo in aurem inſuſurravit: videſne quanto humanior ſit Dux veſtris Legatis, qui nobis neque in curru, neque de ſellis aſſurgere noverant. Alias ab omnibus, ipſisque adeo Hiſpanis eodem quo Venetus
8. Jan. honore excipiebantur. Cum Roſenhahnius eos inviteret, omnes octo numero ad januam conclavis ipſum excipiebant, & in medium receptum, quatuor præcedentibus, totidem ſequentibus ad caminum in medio collocabant. Teutonica lingua ipſos ſalutanti hi Belgica reſponderunt, nulla verborum pompa adhibita. Tractandi initio cum Hiſpanis facto, hi quidem procuratorium iſtorum ſtatim probaverunt. Sed in Hiſpanico Belgæ ſcrupulum movebant, quod illud ſoluin Pegnerandam ſpectabat, cui tamen facultas ſit alios ſubſtituendi. Cum igitur & ſuper reliquorum Legatorum procuratorio ſciſcitarentur, Pigneranda repoſuit, ſe iſtos ſibi ſubſtiturum. Vocaverat præterea Rex iſtos quidem *Plenipotentiarios Statuum Unitorum*, ut tamen alio loco ſuos Belgas *provincias obedientes* nuncuparet, velut tacite Hollandos rebellionis argueret. Quo tamen inſuper habito tractatus cum Hiſpanis auſpicabantur, hiſce amplas conditiones offerentibus, ſi abſque Gallis tractatus ſuſcipere vellent.

1646. Tractatus cum Hiſpanis ordiuntur.

(Los Plenipotentiarios de los Eſtados unidos.)

De Palatina cauſa ſententia Cæſareorum.

§. 82. Palatinam cauſam Cæſarei Bavarique cum ſociis ad peculiares tractatus pertrahere cupiebant, ac Palatinis ablegatis perſuadere nitebantur; non eſſe quod rationes ſuas communibus tractatibus ſuperſtruant: nam ſocios Reges obtentis ſibi cupitis ipſos deinceps inſuper habituros. Quanquam autem Moguntinus Monaſterii publico conſilio dicere non dubitaret, Palatinos ad ſeparatam negotiationem pronos eſſe: conſtabat tamen hiſce injunctum, ne à Regia via ad tramites quoidam abduci ſe paterentur. Unde & hi, ut ea cauſa tanto integrius diceparetur, à tribus Imperii Collegiis petebant, ut dum de ea cauſa agitur, conſeſſu excederent, qui è Palatinis ditionibus quid detineant, aut prætendant, ni gratis idem dimittere velint. Trautmansdortius inprimis circa eam rem tatagebat, ac Palatinis per ambages inſinuabat; ſe mirari, quod ipſum hactenus non adierint, ac amicæ tractationis initium fecerint. Sed cum ſentiret, ipſos à communibus tractatibus haut dimoveri, iiſdem denuntiabat: ſe communes apud tractatus hautquidquam Palatini commodis obſturum, ſed deliderio duntaxat ejus cognoſcere velle. Ita demum ad ſe pellectos eo-
12. Febr. dem quo ſecundarios Electorum Legatos honore excepit. Circa rem ipſam declaravit, plenam Palatini reſtitutionem haut ſperandam. De temperamento circa Electoralem dignitatem ſtatuere penes Electorale Collegium eſſe. Inferiorem Palatinatum reſtitui poſſe: ſuperiorem penes Bavarum manſurum vel hypothecæ in vicem pro creditis Cæſari tredecim millionibus, vel proprio jure in ſolutum ſat caro imputandum. Idem poſtera die apertius Succicis Legatis
13. Febr. denuntiavit, tria media fuiſſe propoſita, ut vel Bohemicum locum Palatinus in Electorali Collegio acciperet, vel alternis cum Bavaro Electoratum obtineret vel octavus Elector crearetur. Primum Cæſari, alterum Bavaro ingratum; unde non niſi poſtremum ſupereſſe; ut tamen Bavarus primum, Palatinus extremum locum inter Electores ſeculares ſortiatur. In eadem ſententia omnes fere Catholici, ipſique Sequeſtres Monaſterii erant. Evangelici quanquam perfectam Domus Palatinæ reſtitutionem cupiebant; tamen difficillime id obtentum iri ſuis perſpiciebant. Præſertim cum ditionibus ſuis plane exutus eſſet Palatinus, & opibus defectus ad ſui reſtitutionem nihil conferre poſſet, alienæ gratiæ obnoxius, & nullo tunc Angliæ inteſtinis turbis implicitæ reſpectu. Bavarus contra potens, ac in Germania, & extra magnæ autoritatis: Quia igitur Bavarici jactabant; ſi Palatini reſtitutio citra exceptionem urgeatur, extrema Principem ſuum

per ſe aliosque tentaturum, ſuper temperamento aliquo tractatus facile admilluram: igitur à Palatinis legatis poſtulabant, petitorum ſuorum indolem probe expenderent, eandemque ſic moderarentur, ut communis cauſa nihil inde moræ, aut detrimenti patiatur. Aſt Sueci pro plena Palatini reſtitutione certabant, ſimul Evangelicos Ordines hortabantur; ſerio rem urgerent, ac magis reſpicerent, quid jus fasque poſcat, quam quæ adverſa pars præter rationem jacet. Galli contra ambigui ita Palatinum ſubleuare, ut Bavarum non offenderent. Unde graves Palatinorum queſtus audiebantur, Gallos priorum promiſſorum immemores arguentium; qui nunc exiguam perfectæ reſtitutionis ſpem faciant, ac non ipſi ſolum Bavaro faveant, à quo tam ſæpe illuſi ſint, circa retinendam quavis ratione Electoralem dignationem; ſed & Suecos in ſententiam pertractum eant, ſpe facta Bavarici auxilii ad obtinendam Reginæ cupitam ſatisfactionem. Addidit ea res Bavaricis ingentes ſpiritus, ut pleno Ordinum conſeſſu gloriarentur; certo ſibi conſtare, Gallos Palatini reſtitutionem haut urgere, ſed ut illi Friderici proſcriptionem, & dignitatis Electoralis in Bavarum translationem adprobarint, ac promoverint, ita & eandem tuituros. Cum etiam Brandeburgici in Senatu Electorali ſuper Palatino reſtituendo liberius verba facerent, Bavarici ſtatim acrem proteſtationem oppoſuere, ſe Palatinam cauſam communi Amneſtiæ haut quidquam innecti paſſuros, nec unquam parto Electoratu ceſſuros. Si qui in diverſum nitantur, operam ludere ac nil niſi oleum incendio addere.

Varia variorum poſtulata.

§. 83. Inter hæc varia à variis movebantur. Ac exules quidem Bohemici ob ſacra expulſi, qui in Saxoniæ Electoris ditione conſederant, cum jam ante biennium apud Electorem ſuper commeatu ad tractatus pacis inſtituiſſent, in profectionem Legatorum ipſius rejecti tandemque moræ pertæſi, à Regina Sueciæ, Legatisque ipſius contendebant, ut horum opera ſibi acceſſus Oſnabrugam obtineretur. Spirenſes ſuper Epiſcopo ſuo querelam movebant, quod cum ab univerſa Unione anno decimo octavo Philipsburgi munimenta dejecta forent, ipſis accuſante Epiſcopo in aula Cæſarea centies mille uncialium multa dicta fuerit ſarciendis ſumtibus; & rejecta provocatione ſua tranſigendi ſibi cum iſto neceſſitatem impoſitam. Quæ velut iniqua & vi extorta aboleri petiere. Magdeburgici Adminiſtratoris legati conceſſum à Ferdinando II. Magdeburgo urbi jus muniendi, ac partem agrorum cum duobus oppidis ad præſulatum ſpectantibus reſcindi poſtulabant. Darmſtadienſes quoque, ut transactioni anno vicesimo ſeptimo cum Caſſellanis initæ relinquerentur, horum prætenſionibus rejectis inſtabant. Wolfgangus Gemmingius, *Immediatæ Nobilitatis* ablegatus iniquas Philipsburgenſium Gallorum exactiones deprecabatur; ſimul quoniam Palatinus antea vicinis debilioribus circa ſacra & civilia moleſtus fuerit, petebat, ut ejusdem reſtitutione Equeſtri Ordini in futurum advertius iſtius oppreſſiones caveatur. Querebatur quoque Comes Naſſovio-Saræpontanus, à Moguntino poſt pacem Pragenſem Bibrici & Mosbaci, ubi diu ante Paſſavienſem transactionem ritus Auguſtani introducti fuerint, Jeſuitas & Auguſtinianos Monachos præter jus reductos, cum tamen ad Electorem hactenus neque jus territorii, neque juriſdictio Eccleſiaſtica ibi ſpectaverit; quorum & patrocinium Gallicus Moguntiæ præfectus Courvallius velut juſſu ſui Regis ſuſcipiebat. Ea ut Suecorum apud Regem Galliæ interceſſione corrigerentur petebat. Benfelda ne potirentur Galli Argentoratenſes valde metuebant, capiſtri inſtar urbi ſuæ futura. Igitur memoratis, quæ Guſtavo Hornio quondam ad hoc oppidum expugnandum ejuſque poſt præfectis ad idem ſervandum contulerint, ut iſthoc pace facta munimentis exuatur inſtabant. 1646.

Spirenſium de Philipsburgo querela.

Archipræſulis Magdeburgici de urbe cognomine.

Darmſtadienſium de Caſſellanis

Immediatæ Nobilitatis de Palatino.

Saræpontani de Moguntino.

De præcedentia inter Ordinem Equeſtrem & Urbes.

§. 84. Sed & ſuper digniore loco inter Equeſtrem Ordinem ac Imperiales Urbes controverſia incaleſcebat, quod Legati Suecici ignorantia ejus litis propoſitione ſua illum hiſce poſtpoſuerant: quem ordinem & Cæſarei reſponſo ſuo ſecuti erant. Id à quibuſdam arreptum, velut lis ſecundum Urbes data eſſet. Quam ob cauſam Wolfgangus Gemmingius ſcripto publicato demonſtrabat; in omnibus Imperii Legibus, ipſaque pace Auguſtana perpetuo uſu Nobilitatem Urbibus præpoſitam. Idem obtinere in Gallia, Hiſpania, Anglia, Italia, ipſoque adeo Belgio Fœderato; idem uſu omnium populorum, naturæque & gentium jure probari. Igitur ne Ordini, in quem eximiæ virtuti ſago togave expromtæ acceſſus pateat id præjudicii creetur; neve is in conventu tam illuſtri, & velut in conſpectu Orbis terrarum gradu dejiciatur. Quod ſi tamen Legati ſimpliciter ſibi gratificari dubitent, ſaltem velut æquato examine lancem teneant, ac alia occaſione Equeſtrem Ordinem Urbibus viciſſim proponant. Interim ſcripto teſtentur, ſibi in animo haut fuiſſe præjudicium Ordini Equeſtri creare, ac non tam dignitatem perſonarum, quam ſeriem rerum ſpectatam, eamque litem ab ipſis in medio relinqui; propria inter Nobiles ac Urbes tranſactione componendam.

Super Gravaminibus inter Ordines tractatus.

§. 85. Tractari dehinc inter Ordines Evangelicos & Catholicos cœperat ſuper Gravaminibus magno cum illorum gaudio, ac ſpe optati eventus quod hi ingenue profiterentur, ſtabiliendæ tranquillitati internæ iſta utique componenda eſſe. Huic diſceptationi ex Electorum Collegio deputabantur Moguntinus, Colonienſis, & Brandeburgicus; ex Evangelicorum Principum numero Altenburgicus, Vinarienſis, Culmbacenſis, Luneburgicus, Meclenburgicus, Caſſellanus, Wetteravius; è Catholicis Auſtriacus, Herbipolenſis, Conſtantienſis, Corvejanus, Bavaricus: Ex Urbibus Evangelicis Argentoratum, Ratiſpona, Lubeca, Noriberga; Catholicorum Comitum ac Urbium nomine Leuxelringius ſententiam dicebat. Primo conventu Moguntinus Catholicorum nomine ordiebatur: Se non putaſſe Gravamina è ſacris orta huic agitanda: ac credidiſſe commodius iſta ad Deputationem extraordinariam ex decreto Francofurtano ſeponi. Nec tamen abnuere, quo minus & hoc loco de illis agatur. Quo fine à ſe capita quædam propoſita ſint, ſuper quibus mentem ſuam ſigillatim exponere Evangelicis integrum fore. Ad hoc antequam ab hiſce reſponderetur, litigium inter Evangelicos ſuper directorio oriebatur, quod quondam à Palatino licet affectatum Saxo ſibi perpetuo vindicaverat. Id quod cæteri Brandeburgico velut Reformato concedendum haut cenſebant, Saxonis præſertim Legatis 2. Aprii.

pro-

1646. propediem adfuturis. Unde tantiſper Altenburgico illud deferebatur, qui & nupero Conventu Ratisponenti etiam Electoralibus Saxonicis præſentibus reliquorum nomine verba fecerat. Adverſus iſthoc Brandeburgici proteſtationem interponebant, ſat acerbis quidem verbis conceptam, Catholicis ob iſtorum diſcordiam gaudentibus. Evangelici tamen reſponſo tunc dilato querelam ad Suecos deferebant: qui improbato Brandeburgicorum facto, ut deinceps alperitate verborum abſtinerent, ſuadebant. Brandeburgici etſi deinceps Altenburgico litem intendere omitterent, tamen dum alii in peculiare conclave deliberandi cauſa ſecedunt, ſuo loco non digrediebantur. Aſt Moguntino reſponſum: compoſitionem Gravaminum à Sueeis inter conditiones pacis propoſitam, quibus poſt & Galli adſtipulati ſint. Ab utriſque propriæ ſecuritatis fundamentum in eo collocari, ut inter utriuſque Religionis Ordines diſſidia radicitus tollantur. Idem ut fieret à Cæſare decretum extèndendis penitus diſcordiæ ſeminibus. De cæteto rogabant, ut Catholicis ſuper propoſitione ſua Trautmansdorfio tradita colloquium ſuſcipere placeat. Inde velut in judicio diſceptatum, utra pars agendi initium facere debeat? Catholici, ut ſuper reſponſo à ſe edito Evangelici mentem ſuam declararent, contendebant, quod natura tractatuum requirat, partes alternis verba facere. Ab Evangelicis initium proponendi factum, Catholicos excepiſſe; nunc illorum vices redire. Evangelici contra: Catholicorum ſcriptum ſerius quidem exhibitum, ſed prius conceptum; nec ad propoſita à ſe reſponſi quid continere. Nec eo fine à ſe propoſitionem exhibitam, ut mutuis ſcriptis diſceptetur, ſed ut ex conventione cum Trautmansdorfio anta inde ſumatur tractatus ſuſcipiendi. Utraque inde pars à ſe allatas conditiones extollere, adverſæ partis elevare. Catholici; relinqui à ſe utique Evangelicis bona ſacra, de quibus hactenus certatum ſit; cum Evangelici contra reliquis, quæ adhuc ſibi poſſideantur, bonis periculum creent. Evangelici contra: à Catholicis non niſi Pragenſis pacis leges repeti, explicari, aut intendi: quæ pax tamen fomes tanti belli fuerit; unde & fœderatos Reges eandem nunc plane antiquatam velle. Tum inducias duntaxat certorum annorum à Catholicis ſtrui; cum tamen exemplo pacis Auguſtanæ præſentem ejuſdem explicationem æternæ durationis eſſe oporteat: nec temporaria tranſactione quieti patriæ conſuli. Hoc modo nec Cæſareo decreto ſatisfieri, & Regios eadem haut adquieturos. Catholici etſi nunquam vi bona iſta à ſe vindicatum iri confirmarent: id tamen aperte profitebantur, in perpetuam ceſſionem ſacrorum bonorum ſalva conſcientia conſentire ſe non poſſe. Nec Cæſaris mentem eſſe, ullum ad perpetuam ſui juris renuntiationem compellere, ſed ut ex legibus Imperii, & æquitate ejuſmodi tranſactio ineatur, quæ in futurum omnem violentiam excludat. Reges fœderatos Pragenſem pacem improbaſſe non ob diſpoſitionem circa bona ſacra ibi factam, ſed quod ipſis inconſultis reſtitutio occupatorum locorum abſque prævia tractatione illis pro imperio injungeretur: id quod ab ipſis acceptum velut bellum denuntiaretur. Ad iſtos gravamina haut ſpectare; nec Gallos eorum cura tangi. Quin hos obtentis quæ deſiderent ſacrorum Romanorum
2. 3. 4. April. defenſionem ſuſcepturos. Id quod Evangelicis non parum ſcrupuli injecit. Ita dum neutra pars alteri quidquam cedit, tres congreſſus incaſſum 1646.
contuniti. Iſthæc omnia Evangelici Sueeis communicabant; qui cum perſpicerent, iſtis cum duris adversaris rem eſſe, nec paucorum animos labare, timidis fiduciam, reliquis conſtantiam inculcare non deſinebant. Et quia Trautmansdorfius tunc Oſnabrugam regreſſus erat, aliquot dies 3. April.
tractatione ſuperſederi ſuadebant, dum ipſi apud eundem inſiliunt, ut ſua autoritate Catholicos ad æquiora permoveat. Poſt interjectos aliquot dies 9. April.
convenu habito Evangelici ſepolitis ambagibus, & ſcriptis utrinque exhibitis, denuo ad ſententiam ſuam ſuper gravaminibus declarandam paratos ſe oſtendebant: ut tamen in antecellum ei negotio certa fundamenta ſubſtruantur, deinceps haut iterum ſolicitanda. Ac primo loco poſtulabant Evangelici, ut non præſentes ſolum, ſed & abſentes Ordines huice quæ concludenda ſint, teneantur, nec ulla contradictio, aut proteſtatio nunc aut in poſterum adverſus illa admittatur. Catholici hæc in expedito fore reponebant, & bona fide à ſe rem agi. Sed quia de abſentibus, & Proteſtantibus diſerte mentionem non faciebant, Evangelici ulteriorem declarationem exigendam censebant. Secundo poſtulabant Evangelici; normam hujus negotiationis Paſſavienſem Transactionem, & Pacem Auguſtanam habendam, non quæ Catholicis interna mentis forte dictamina ſuggerant. Ita enim inextricabilem quæſtionem moveri, utrius partis placita veritate nitantur: ac obtentu conſcientiæ conventa in poſterum facile rerum convelli poſſe. Catholici pacem Auguſtanam pro regula tractatuum agnoſcebant, Paſſavienſe pactum ſilentio transibant. Circa conſcientiam neutrum alteri poſſe præſcribere, quantum cedere poſſit aut velit, ſed quemlibet ſibi ipſi limites conſcientiæ ſuæ ſtatuere. Tertio teſtabantur Evangelici, ſe temporariam conventionem non admiſſuros, ſed quæ convenerint æterna fore, eo ſenſu, quem Pax Auguſtana expreſſerit, donec plene ſuper controverſiis circa ſacra transactum ſit. Alias manſurum diffidentiæ fomitem, ac per induciarum tempus nova bella adornatum iri, quibus exteri ſe iterum ingeſturi ſint non ſine exitio Germaniæ. Plane amovendum eſſe ſcopulum, ad quem Reſpublica tantum non naufragium fecerit. Diſtinctione inter viam facti & juris rem non confici: illam quippe jam antea pace profana prohiberi. Catholici regerebant: Non ſtatim temporariam pacem fore, etiamſi actioni in bona ſacra in perpetuum non renuntietur. Cæſarem & Reges non aliud ſpectare, quam ut via facti in perpetuum excludatur: cum viam juris obſtruere iniquum ſit. Sed ne in poſterum obtentu licitæ defenſionis in bellum res erumpere queat, nunc amice tranſigendum eſſe. Denique & illud poſtulabant Evangelici, ut ipſi pari cum Catholicis jure agant, velut qui æqualis inter ſe dignitatis, & conditionis ſint. Inter quæ & Evangelici monebant, Auguſtam Vindelicorum injuria Catholicis Urbibus accenſeri, in qua Confeſſio ipſorum ſit exhibita, & maxima civium pars Evangelica ſacra profiteatur: ac illam urbem è præcipuis eſſe, quæ circa ſacra & civilia plene ſit reſtituenda. Nam quod eadem Ratisponæ, & poſt Francofurti Catholicis Urbibus annumerata ſit, ei facto ab Electore Saxoniæ ſemper contradictum fuiſſe.

§. 86. Rem ipſam dehinc aggreſſi Evangelici parum à prius propoſitis diſcedebant. Circa Novatorum primum

1646. circa gravamina proposita 14. April.

primum gravamen declarabant; Si Præsul sacra mutet dignitatem & ditionem salvam ipsi fore ut tamen reformatione sacrorum abstineat, etsi totum Capitulum aut major pars in eandem religionem concedat; salvis de cætero juribus superioritatis; Circa Canonicos rem in statum anni decimi octavi reponendam; & ubi mixti Evangelicis Catholici Canonici fuerint, eundem numerum utriusque religionis, qui dicto anno fuerit, retinendum: nec minus, si quis eorum ad alia sacra transierit, reditus salvos fore; post ejus obitum tamen alium ex eadem religione surrogandum. Tum ne uni plura beneficia possidere fas sit, ut tamen qui in præsens plura teneant, ea dum vivunt retineant. Circa tertium gravamen illis Catholicorum Ordinum subditis publicum sacrorum exercitium postulare desinebant, quibus per declarationem Ferdinandeam, literas Majestatis, ac peculiaria pacta, ac concessiones cautum non foret, ut tamen iisdem libertas conscientiæ salva sit, nec emigrandi necessitas imponatur, ac sacrorum suorum usus apud vicinos, aut privatos intra parietes indulgeatur. Idque ad illos extendendum, qui in posterum sacra mutaverint, aut ex aliis locis ibi domicilium fixuri sint, quibus jura civitatis, & munia publica, aliaque civium beneficia deneganda non sint. Eadem se Catholicis civibus in suis ditionibus concessuros. Circa quintum contendebant, jurisdictionem Ecclesiasticam, & jura Papalia plane abolenda, Preces primarias à Cæsare, ubi id usu receptum, merito exerceri, ut tamen, qui præsentatur Evangelicis sit sacris addictus, & qualem de cætero statuta requirunt. Circa reliqua nihil à se remitti posse ferebant. Addebat Equester Ordo priori petito suo, ut circa sacra pari cum superioribus Ordinibus jure gaudeant, uti intra arces ac domos suas sacra sibi exercere liberum sit, etsi in adjunctum vicum aut oppidum potestatis nihil habeant. Urbes quoque Imperiales eam communem querelam movebant, quod durante hoc bello hinc inde circa sacra novatum sit, obtentu alicubi sumto ex vetustis tempore *Interimistico* latis sententiis, uti Ratisponæ, Augustæ, & Colmariæ factum. In universum porro per urbes illas, sive sola Augustana sacra, sive utraque simul publice coluerint, omnia in statum anni decimi octavi restituenda, abolitis quæ hactenus mutata sint. Sed quia Dunckelspula, & Biberacum jam ante dictum annum opprimi cœperint, ad originem earum molestiarum esse adscendendum. Nec consuli his, aliisque quæ pari sint conditione, posse, nisi omnia munia pari utriusque religionis numero hominibus obeantur. Syndicum tamen constituere penes illos fore, qui numero in quavis urbe prævalcant.

Super satisfactione Coronarum agitata. 9. April.

§. 87. Inter hæc Trautmansdorfio Osnabrugam reverso Cæsarei colloquio cum Suecis habito multis querebantur, Silesiæ ab hisce mentionem factam, qua cedere Domus Austriaca nullo modo queat. Ad quæ tandem Sueci declarabant; si utique Reginæ in gratiam Cæsaris prætensione in Silesiam desistendum sit, eam lacunam supplendam aliis quos occuparit Præsulatibus, ac nominatim Osnabrugensi ac Mindensi, cum quibusdam præfecturis Monasterienſis Bræmæ vicinis, Sassenburgo, Bevvegera, Meppa, Cloppenburgo, Vechta, & Wilshausa. Ad quæ nova postulata uti Cæsarei humeros trahebant; ita gaudebant; Suecos non obnixe Silesiæ insistere: quin & statim divulgabant, Suecos ejusdem petitione jam destitisse. Optionem dehinc Trautmansdorfius offerebat, totam Pomeraniam solam, an citeriorem cum Bremensi & Verdensi præsulatu simul accipere Sueci vellent. Addebat, ægre Brandeburgicum quicquid pentationis offeratur, ad cedendam totam Pomeraniam adduci posse. Si tamen Sueci constanter ei petito insistant, sibi tentandum, num iste ad præsulatus ejus loco acceptandos permoveri queat. Se tamen suadere, ut posteriorem conditionem Sueci admittant, in quam Elector facilius consensurus sit, gratiorem quoque Imperii Ordinibus, & vicinis minus invidiosam futuram. Totam Pomeraniam simul cum Præsulatibus, nec feudi jura pro Regno obtineri, multo minus præsulatus in seculares Ducatus mutari posse. Galli Monasterii postulaverant Alsatiam Superiorem & Inferiorem, ac Sundgoviam, Brisacumque cum omnibus additamentis, prout Domus Austriaca, & inprimis Archiducis Leopoldi filii impuberes hactenus possederint: quatuor tamen oppidis Sylvestribus & reliqua Brisgovia cessuri. Tum & jus præsidii Philipsburgi, Benfeldæ, & Tabernis sibi deposcebant eo modo, super quo conveniendum sit. Cæsarei vicissim postulabant; omnes Ordines & Urbes utriusque Alsatiæ, quæ antea immediate sub Imperio fuerint, in priorem statum reponendas, salva pristina libertate. Tum ut Philipsburgum Spirensi, Benfelda, & Tabernæ Argentoratensi Episcopo restituerentur. Hac lege demum utramque Alsatiam sub Landgraviatus titulo annuebant eo modo, quo ab Austriacis possessa fuerit. Diserte quoque excipiebant quatuor urbes Sylvestres cum territoriis suis ad utramque Rheni ripam, totam Brisgoviam, & in eadem sita oppida antiquitus ad Austriacam Domum spectantia: Ortenaviam & Imperiales Urbes Offenburgum, Gengenbacum, Cellas ad Ammersbacum. Tum ut Leopoldi hæredibus quatuor milliones Coronatorum, aut quinque milliones uncialium intra biennium proximum exsolverentur. Super Brisaco mandata ex aula Cæsaris expectabantur. Simul communes induciæ in Imperio Burgundicum quoque Circulum complexæ quærebantur. De quibus mox Servientus Osnabrugam profectus apud Suecos proponebat, à quibus Galli non alienos se ostendebant: sed quas Sueci sive breves sive longiores rebus suis noxias demonstrabant.

1646. 14. April.

Cassellana satisfactio.

§. 88. In lucem quoque jam prodibant Cassellanæ Landgraviæ postulata, quicis sibi deposcebat intra Hassiæ fines sita oppida & præfecturas Moguntinæ ditionis, Fritzlariam, Naumburgum, Neustadium, & Amœnoburgum; Colonienſis ditionis Comitatum Arnsbergam, cum oppidis Medenbaco, Hallenberga, & Winterberga, cum adjunctis; oppidula Marsbergam, Votemarsam, Beverungam, & Kugelbergam, in quæ Corveianæ ditionis Cassellanæ Domui alias jus reluendi competat. Paderbornensem insuper Præsulatum, & è Monasterienſi Episcopatu oppidum & præfecturam Bucholtiam, cum Burggraviatu Strombergensi, & inde dependentibus; denique Fuldenſia oppida & præfecturas Greisam, Furstenecam, & Rockenstulam; præfecturam Vacham, & quæ alia Hassicæ & Hirschfeldensi ditioni interter-

1646. 15. April. terpoſita erant. Addebantur ſtipendia militum, & reſidua tributorum. Ea poſtulata per Oxenſtiernam Lambergio Comiti exhibita. Queis vulgatis Catholici immenſum indignabantur. Ipſi quoque Galli vehementer commoti Haſſicos Legatos torvo vultu adſpiciebant: quin aperte fremebant: tantum abeſſe, ut hæc poſtularis ullo modo ſuffragari velint, ut potius ad eadem elidenda cum adverſâ parte operam junctûri ſint.

Saxonici Electorales Legati adveniunt. 9. April.

§. 89. Eodem tempore Electoris Saxoniæ Legati, Joannes Erneſtus Piſtoris, & Joannes Leuberus Oſnabrugam adpulere, quorum ingreſſu ceremoniæ apud alios Legatos ſolitæ haut adhibitæ ſunt. Ipſi quoque primum ſalutandi cauſa Trautmansdorfium & Collegas adiere; quod Elector veterem morem ſervare, & Cæſaris velut ſuperioris Legatis debitum deferre honorem juſſiſſet. Unde nec incedendo aut ſedendo priorem locum, aut Excellentiæ titulum, ſibi depoſcebant. Idem Succis quoque de adventu ſuo ſignificavere, fortaſſe quia ab ipſis prima vice adiri, & eodem quo alii Legati Electorales honore affici cuperent. Sed quia apud Cæſareos ultro honore illo ceſſerant, quem alii tanto ambitu expetierant, Succi dignationis Reginæ ſuæ retinentiſſimi, ne inter Cæſareos & Regios Legatos diſcrimen ſtatueretur, cavebant. Idem paulatim cum uno & altero ſuper negotio pacis conſilia conferre cœperunt; ſed cum ab Evangelicorum deputatis rogarentur, ut directorium in ipſorum conſultationibus, præſertim ſuper capite gravaminum ſuſciperent, id in mandatis ſibi datum negaverunt.

Querela Erfordienſium.

§. 90. Exhibuere tunc ab Erfordienſibus miſſi Succis libellum, quo pertendebant, ſuam urbem Imperio ſoli ſubeſſe, ſed Moguntinum eandem ſub Archipræſulatus ditionem redigere laboraſſe: Eam in veteribus Ordinum Catalogis expreſſam, inter Ordines certo tributo taxatam, ad Comitia & Concilia vocatam, ibique ſeſſionem & ſuffragium obtinuiſſe: ex Aureæ Bullæ lege cum aliis Imperii Ordinibus Saxonem & Brandeburgicum Electores conducere; in hunc uſque diem jus Academiæ, fœderum, belli & fiſci quiete poſſidere. Comitem Gleichenſem ſibi quondam præfectum & Advocatum Imperialem primam & immediatam inſtantiam in Spirenſi Camera & complura alia Imperialis urbis requiſita à Cæſaribus, Regibus, Pontificibus, Epiſcopis, & Electoribus adquiſita. Sed ſuperioribus ſeculis, cum jura ſuperioritatis haut ita ſcrupuloſe uti nunc obſervarentur, magiſtratum urbis ad Comitia vocatum Moguntino ſuffragium ſuum detuliſſe, aut ratam communium onerum partem per eundem aut alios exſolvendam curaſſe bona fide, & quod iſtud fraudi ſibi haut fore crederet. Ita factum tandem, ut Moguntinus libertatem urbis in dubium vocare inſtituerit, & anno 1521. publicata matricula ipſam, nulla prævia cauſæ cognitione, expungendam curaverit: Quanquam autem majores ipſorum apud Cameram Spirenſem jus ſuum liquido deduxerint; tamen petito ſuo potiri non potuiſſe, ac multas inſuper moleſtias circa ſacra & privilegia expertos. Inprimis poſt pacem Auguſtanam ſacra ſua ſubinde turbata. Et quanquam Elector Saxoniæ Pragenſi pace peculiariter urbi ipſorum caverit; Moguntinum tamen velut adverſus rem inter alios actam proteſtatum. Eam cauſam fuiſſe, ut cum Joanne Banerio denuo pactum iniverint, quo ſtipulati ſint futuris pacis tractatibus diſertam urbis ſuæ mentionem faciendam. Unde petebant, abolitis queis premerentur gravaminibus, urbem ſuam priſtinæ libertati reſtitui, ac controverſias à Moguntino motas aboleri. 1646.

Ut & Duderſtadienſium.

§. 91. Sed & Duderſtadienſes Legatis Succicis ſcripto exponebant, oppidum iſtud utique ad annum 1574. Auguſtanis ſacris gaviſum. Archiepiſcopo Daniele ad ſedem Moguntinam promoto oppidanos pro more confirmationem jurium ſuorum petiiſſe, & prout ſibi perſuaſerant, ex voto reſponſum accepiſſe; ubi ipſe res ſuo in oppidum ingreſſu invenerit, ita deinceps manſûras. Inde talem fraudis machinam ſtructam, ut Sacerdos oppidi clam ad Romanos ritus deficeret, & ex compacto Elector die Dominica oppidum introiret, cum plebs ad celebranda ſacra recepto more in templo convenîſſet. Huic Electore quoque templum ingreſſo nequam Sacerdotem Miſſam ritu Romano decantare cœpiſſe. Unde iſti antiam arreptam Evangelica ſacra abolendi, & cives varus oppreſſionibus ad Romana placita compellendi. Donec anno 1632. Dux Wilhelmus Vinarienſis Evangelicos oppido Sacerdotes reſtituerit, quos à Pappenhemio mox expulſos Dux Georgius Luneburgicus reduxerit. Sed hos iterum poſt Pragenſem pacem à Kœnigsmarckio ſibi redditos. Unde petebant de ſacrorum ſibi uſû, prout anno 1574. recepta fuerint, in poſterum caveri, ſalvo de cætero adverſus Moguntinum obſequio.

Ordinum ſuper legibus pacis ſententia. 17. Aprili.

§. 92. Abſolverant jam Ordines conſultationes ſuas ſuper legibus pacis circa quas ſeriem à Regiis obſervatam ſecuti erant, ut tamen illa duntaxat tangerent, in quibus Cæſarei à Regiis diſcrepabant, cæteris præteritis. De vocabulo igitur *in Imperium* in exordio Cæſarei reſponſi poſito cenſebant, etſi res ipſa oſtendat, hoc bello Imperium in cineres ſubſediſſe; præſtare tamen à Cæſareis id diſſimulari, & cauſam belli à neutra partium tangi; eoque Cæſareis de tali formula cogitandum, quæ neutram partem perſtringat. Quæſtionem *num inter Sueciam & Hiſpaniam hoſtilitas* ſit, placebat utriusque Regni declarationi mutuæ relinquere. De *formula Schaunbeckiana*, cum nondum vim obligandi ſortita fuerit, nil à Cæſareis deinceps moveri viſum. Super commeatu Luſitanorum major pars cenſebat; cum Luſitanicum bellum nullo modo res Germaniæ ſpectet, non opus eſſe, ut Cæſar illum annuat; ſed id negotium ad eos quorum intereſt, rejiciendum, ne per ſe difficiles tractatus aliarum admixtione rerum magis intricentur. Pauciores tamen ſuadebant; ſi ob illum negatum Gallis primario negotio moram injiciant. Cæſari huic temperamentum aliquid diſpiciendum, ut ea controverſia negotiis Imperii ne immiſceatur. Circa amneſtiæ principium Catholici & Evangelici in alia omnia diſceſſere. Ille quippe nupero decreto Ratisponenſi, & ſublata clauſula qua effectus ſuſpendebatur, adquieſcendum cenſebant, Eccleſiaſticis in anni vicesimi ſeptimi, politicis in triceſimi ſtatum repoſitis: ut tamen qui intra annum decimum octavum, & viceſimum ſeptimum ſe læſos querantur, eorum cauſa peculiari diſcuſſioni ſubjiciatur; Palatinam cauſam ſeparatis tractatibus expediendam, ut tamen pariter cum communi pace abſolvatur. Evangelici contra ad tollenda radicitus belli ſemina utique amneſtia citra exceptionem ab anno decimo octavo opus judicabant: id quod & cæteri Reges contendant. Palatinam quo-

1646. quoque cauſam communium tractatuum partem habendam, nec ab his divellendam. Domum præterea Wurtenbergicam, Durlacenam, Sarræpontanam alioſque, Ordinem Equeſtrem & Urbes inprimis Auguſtam, Blaubeuram, Ravensburgum, Lindaviam, Egram, alias, tum & Olnabrugam, Hildeſiam, Mindam, & quotvis etiam mediatos in dicti anni decimi octavi ſtatum reponendos, ſublatis omnibus in contrarium actis: ut tamen jactura rerum mobilium, & fructuum interim perceptorum publico condonetur, & immobilia recuperaſſe ſatis habeatur. Status civilis Regni Bohemiæ ſuo loco relinquebatur, ut tamen Brandeburgico Carnoviæ Ducatus redderetur: ſed circa ſacra placebat *Literæ Majeſtatis* suo vigori relinqui, per quas non Proceribus ſolum, ſed & plebi cautum fuerit, à cujus maxima parte motuum culpa abſit. Tum ut aliarum Cæſaris ditionum cives ſacris & bonis ſuis reſtituantur. Pacem porro Pragenſem plane abrogandam exteris Regibus invitam, & non niſi induciarum vim habentem, cum Cæſar utique perpetuam ſe pacem affectare declaret, qua omnia dimidiorum temina penitus tollantur. Denique & quatuor præfecturæ Saxoni poſſeſſæ Magdeburgico Præſulatui reddi poſtulabantur. Quanquam autem Catholici, qui Evangelicos numero ſuperabant, in ſuam ſententiam diſceſſionem fieri pertendebant; intercedebant tamen Evangelici, ac ut ſua quoque ſuffragia communi ſententiæ interererentur, obtinebant. Circa alteram claſſem monebatur, privilegia Ordinum diſtincte inſtrumento pacis inſerenda, ac verba *juxta morem ab antiquo, & ſalvis tamen iis*, velut ambigua expungenda. Circa exceptionem fœderibus Ordinum addendam verba à Sueeis adpoſita ſuperflua videbantur, quod jam legibus Imperii cautum ſit, qua ratione exceſſibus ante hoc bellum circa eadem committi ſolitis ſit medendum. Pacta mutuæ ſucceſſionis inter Domum Saxonicam, Brandeburgicam, & Haſſicam, ſimilesque veteri ſuo vigori relinqui viſum. Quæſtionem à Gallis ad primum caput motam, num pacem cum ipſis excluſa Hiſpania in Imperio inire haut placeat; Ordines ſeponendam ſuadebant, donec ſuper aliis ad tranquillandum Imperium ſpectantibus conventum fuerit. Equidem & Hiſpano pacem optabant ob multa Imperio præſtita beneficia, & quia nomine Burgundiæ Imperii membrum, ob Mediolanum Vaſallus eſſet. Quod ſi tamen Galli admixto bello Luſitanico, Catalaunico, & aliis Germaniam haut ſpectantibus, tractatus morentur, pacem Germaniæ non ideo differendam. Lotharingiæ Dux certas ob ditiones Imperio innexus, & vicinus à tractatibus haut excludendus videbatur; eoque ut Cæſarei apud Gallos ſuper ſalvo commeatu eidem concedendo inſtent monebatur, ut ne tamen tractatus pacis ideo extrahantur. A Gallis propoſita adverſus hæreditariam in Cæſareo faſtigio ſucceſſionem media repudiabantur, velut Aureæ Bullæ, conſuetudini, Electorum juri atque Ordinum libertati repugnantia. Et quanquam nonnulli ex Evangelicis cenſerent, quæſtionem, num vivo Imperatore Rex Romanorum ſit eligendus in Comitiis definiendam, & hoc modo Gallis ſatisfaciendum: tamen id ab aliis rejectum, velut diſſidia Electores inter & Principes excitare aptum, illis jus eligendi circumſcribi ægre laturis. Igitur id negotium inter ambo Collegia componendum ad Comitia remitti pleriſque videbatur. Commerciorum inſtaurandorum haut alia via adparebat, quam ipſa pax, & ut inter belli turbas impoſita vectigalia, aliaque onera aboleantur. Circa ſatisfactionem Gallicam ma,or pars cenſebat, inſiſtendum eſſe tribus præſulatibus, Metenſi, Tullenſi, Virodunenſi, ac juribus in Pignarolum & Moyenvicum, quæ Trautmanſtorfius prima vice Gallis obtulerat; nec ultra quid annuendum. Tum laborandum, ut Sueeis data pecuniæ ſumma ſatisfiat. Id ſi fieri nequeat, cum nemini per majora ſuffragia ditio ſua adimi queat, ejuſmodi temperamentum adhibitis in conſilium quorum intereſt diſpiciendum, quod Imperio maxime videatur tolerabile. Quæ conventa ſint, deinceps Ordinibus communicanda. Et quia Sueci partem ſatisfactionis ſuæ in abolitione Gravaminum reponant, ut illa ocyus expediantur curandum. Quo loco Brandeburgici proteſtationem ſuper Pomerania interponebant, ne illa provincia in Sueeos transferatur. Unde & quidam cenſebant, rogandos eſſe Sueeos, ut duris hiſce poſtulatis deſiſtant, quod Ordinibus per ſuffragia ſua nemini terras ſuas adimere fas ſit, & duraturæ pacis optimus ſit modus, ſi omnia in eum, qui ante bellum fuerat, ſtatum reponantur. Adverſus Caſſellanorum poſtulata objiciebatur immenſa vis tributorum VVeſtphalico, & Rhenano Circulis extorta: & cum alii damna hoc bello accepta, ſumtuſque factos publico condonent, æquum eſſe, ut & iſti occupata loca gratis reſtituant. Denique & ſatisfactionem militum, velut ſupra vires ſuas plane exhauſtas poſitam, deprecabantur. In tertia claſſe, ubi de reciproca obligatione, & omiſſione auxilii circa turbas in poſterum orituras placebat Ordinibus, ut in Cæſareorum declaratione ad caput tertium Gallicæ propoſitionis, verbis *Majeſtas ſua Imperialis* adderetur, *una cum Statibus Imperii*. De cætero Cæſari legem præſcribere nolebant, ſi propriarum ditionum intuitu Hiſpanis auxilium ferre, aut alia fœdera Imperium non tangentia inire vellet. Judicabant etiam utile ſuper certo modo conveniri, quo deinceps obortæ controverſiæ citra arma componendæ forent. Sed ut, incaſſum tentata amica compoſitione, omnes Imperii Ordines ex fœdere à Regiis propoſito una cum læta parte arma arripiant adverſus illum, qui pacem violarit, altioris indaginis videbatur: eoque vocabula, *universi Status Imperii*, è capite decimo ſeptimo deleri cupiebant. Nam ſi quid litium inter Ordines invicem oriatur, leges Imperii viam componendi præſcribere; de controverſiis inter Cæſarem & Imperium, aut cum exteris Regibus in Comitiis diſceptandum. Unde reciprocam obligationem omitti placebat, ac ſufficere viſum, ſi Ordinum eo modo mentio fieret, prout in exordio & clauſula Receſſuum Imperii fuevit: tum ut cautelæ à Magdeburgico propoſitæ expendantur. Viſum quoque vocabula *ex hoc bello*, & *occaſione hujus belli* velut ſuperflua induci. Circa Juliacenſem controverſiam hac pace cavendum cenſebant, ne Imperii quies exterorum auxiliis evocatis per eam amplius turbetur, utque omnis vis deinceps abſit. In quarta claſſe circa Eduardum Bragantinum ſententiis diſſidebatur: quibuſdam id negotium tanquam ab Imperio alienum haut movendum; aliis ut Cæſar ad interceſſionem apud Hiſpanum permoveatur, conſentibus; ut tamen ideo pacis mora ne injiciatur. Super munitorum locorum reſtitutione cum Regiis agendum, ut nihil aliud rerum mobilium ſecum auferant, quam intulerint, imprimiſque archiva integra relinquant.

1648.

1646. quant. Tum ut pace concluſa hoſtiles actus ſtatim ceſſent, & conventa citra moram executioni dentur. Exautorationem militum ita inſtituendam, ut ea neque Regnis ſuſpicionem, neque Ordinibus moleſtiam creet. Quid copiarum Cæſari retinendum ſit tuendis ditionibus, imminente præſertim à Turca periculo, præſcribi non poſſe. Singulis quoque Ordinibus ſua oppida præſidiis firmare integrum fore. Denique Fœderatorum & Adhærentium, omniumque Imperii Statuum & Equeſtris Ordinis diſerte mentionem in pace faciendam, eamque recepto in Imperio more ſubſcripturam Monaſterii & Oſnabrugæ ſolenniter promulgandam. Hiſce addebantur Evangelicorum Gravamina Politica, aut nunc aut futuris proximis Comitiis emendanda.

Catholicorum extrema declaratio circa gravamina Eccleſiaſtica. 18. April.

§. 93. Congreſſu inter Evangelicos & Catholicos ſuper Gravaminibus iterum habito, hi quidem ea, quæ illi nuper circa Præſules ad alia ſacra tranſeuntes propoſuerant, velut incongrua aſpernabantur; quod in Reſervato Eccleſiaſtico hautquidquam ſermo ſit de jure Reformandi, ſed de retinendis dignitatibus & beneficiis. Id Reſervatum, citra quod Majores ſui in pacem Religionis conſentire noluerint, ut nunc aboleatur, ſe nunquam paſſuros, nec aliam æqualitatem cum Evangelicis admiſſuros, quam quæ illa pace continetur. Cæterum Evangelici bona ſacra immediata ac mediata, quæ anno viceſimo nono poſſederint, ad Annos ſexaginta abhinc poſſideant; interea opera detur, ut per amicos tractatus ea controverſia plane componatur. Equeſter quoque Ordo uſum ſacrorum, quæ dicto anno in vicis ejuſdem introducta fuerant, retineat. Nec minus urbibus Imperialibus, ubi ſoli Auguſtani ritus recepti ſunt, eadem una cum bonis ſacris ad expreſſos ſupra annos permaneant. Jurisdictio denique ſacra non ſolum circa dogmata & ceremonias, ſed & circa cauſas matrimoniales ſuſpendatur. Iſthæc ſi Evangelicis haut ſufficiant, ſibi Monaſterium reverſis rem ad cæteros referendam. Id quod & paulo poſt ab iſtis factum. Aſt Evangelici, poſtquam Catholicos ita difficiles heic perſpicerent, ne forte id negotium ad alium conventum rejiceretur, decreverunt Cæſareos ac Suecicos Legatos de iis, quæ inter ipſos acta forent, edocere, num ipſi forte hanc controverſiam componendi viam, re tamen ſecum communicata, invenire poſſint. Simul ſcriptum exhibuere, quo leges tranſactionis ad ipſorum mentem continebantur. Cujus fundamentum erat: Paſſavienſe pactum, & pacem Auguſtanam ſartam tectam fore; quæ nunc convenerint, pro ejuſdem pacis duratura declaratione habenda, donec diſſidium religionis penitus ſublatum ſit. De cætero prius propoſitis querelis & poſtulatis fere inhærebatur, niſi quod circa Reſervatum Eccleſiaſticum, cum animadverteretur Catholicis non tam religionem quam ditionem gordi eſſe, concederent; ut Catholicus Epiſcopus ſi ſacra mutet præſulatu cedat, ſalva exiſtimatione. Idem jus Evangelicis Epiſcopis fore. Nec à ſe Præſulatus, quos Catholici Anno decimo octavo poſſederint, deinceps ſolicitandos. Mediata bona ſacra, prout dicto anno poſſeſſa ſunt, ita penes eosdem deinceps maneant. In tertio gravamine Evangelicis in Bohemiæ Regno, eique annexis, nec non Auſtriacis Provinciis ſacrorum uſus, prout dicto anno fuerat, deinceps quoque concedendus poſtulabatur; ac ut Catholicis Ordinibus liberum ſit civibus Evangelicis cultum publicum, quem antea non habuerant, indulgere. Jus emigrandi ſubditorum arbitrio relinquatur; ultro migrare volentes iniquo onere ne premantur. Ne quis ex ſolo jure gladii, centenæ, retentionis, patronatus, & ſimilibus jus reformandi ſacra ſibi arroget. Si quæ contra facta ſint, corrigantur. Pacta, quæ Evangelici Ordines cum Catholicis ſubditis inivere, ſerventur. Circa quintum gravamen ſtipulabantur, cognitionem, quis Evangelicorum numero ſit cenſendus, penes Evangelicos fore. Par Catholicis jus in ſuos eſſe. In Imperialibus urbibus circa ſacra omnia in ſtatum Anni decimi octavi reponenda. Inprimis Dunckelſpulæ, Biberaco, & Donavvertæ ſtatum, qui tempore factæ pacis Auguſtanæ fuerat, reddendum. Circa ſextum gravamen proponebant, ne utrinque in ſcholis publicis quidquam paci ſacræ, ac præſenti conventioni adverſum doceatur. Iſthoc ſcriptum per Altenburgicum, aliosque Suecis traditum, addita petitione, ut quia inter ſe & Catholicos ob horum pervicaciam convenire nequeat, ipſi negotium hoc ſuſcipiant, ac præſenti tractatu controverſiam gravaminum ad optatum finem perducant. Et obſervatum fuit, Evangelicos tunc haut paulo timidiores factos, poſtquam Suecico exercitu e Cæſareis ditionibus digreſſo Catholici aſtute ſparterant, ſuper inducis Cæſarem inter, Suecosque convenille. 24. April.

De temporaria tranſactione diverſorum judicia.

§. 94. Enimvero in hoc maxima difficultas vertebatur, quod Catholici non niſi temporariam transactionem admittere vellent: cum Evangelici diſsererent; præſenti ætati utcunque conſuli, poſteris velut teſtamento par bellum relinqui, quo nunc Germania conflagret, quibus tamen provideri ratio ac fas jubeat. Equidem Catholicos diſcrimen inter viam facti & juris jactare; ſed quale jus illud ſit, ex quo ea controverſia decidenda ſit, inter poſteros prius diſceptandum fore. Trautmansdorfius ſuadebat, ſexaginta ac forte plures annos acceptandos: ac proximis Comitiis Regnorum interventu ſuper perpetuitate conveniendum. Galli cenſebant, ſiquidem perpetuitatis vocabulum Catholici averſentur, amore pacis ejuſmodi temperamentum admittendum, quod diſſimulato vocabulo reipſa perpetuitatem involvat; puta, ut neque per annos conventos, nec poſt illos elapſos via juris aut facti, ſed amica duntaxat compoſitio tentetur, ac ea tantisper non obtenta anni præſentis conventionis ſubinde prorogentur. Id quippe tutius fore, quam ſi fortaſſe ad perpetuum pactum Catholici compellantur, quibus per ſcita religionis ſua nefas ſit ſacra bona alienare, niſi cum Pontificis conſenſu, qui nunquam obtinendus ſit. Unde ejuſmodi conventionem è parte Catholicorum inanem, & obligatione caſſum fore, quam prima occaſione abſque perfidiæ nota abrumpere queant: cum contra certos in annos ſuper iſtis bonis quædam concedere illicitum non ſit etiam citra Pontificis conſenſum. Igitur ſi Evangelici clauſulam de prorogenda conventione poſt definitos annos inſerant, plus ipſos quam unquam poſtularunt obtenturos, ac pro lubrica conventione talem, cujus duratio ab ipſorum placito dependeat.

Cæſarei Suecis duplicam exhibent, 21. April.

§. 95. Poſt elapſis demum ſedecim ab edita replica ſeptimanas Cæſarei Legati ſolenni ad Suecicos acceſſu duplicam ſuam exhibuere, quam ab iſtorum Secretario prælectam ſequenti luce ſcriptam miſere. In qua, morarum cauſa in tardas Ordinum conſultationes conjecta, & de ſerio pacis ſtudio teſtati, commeatum Luſitanorum velut

1646. rem novam, & extra prævium pactum abnuebant. Verba procœmii, (*qua intentione vel ſtudio Corona Suecia arma in Imperium intulerit*) cauſasque belli haut morandas, cum Inſtrumenti Pacis exordium alio modo ſit concipiendum; nec de juſtitia cauſæ, ſed reducenda pace diſceptetur. Poſſe tamen ex interceptis ad Transſylvanum Anno 1626. literis demonſtrari, jam ante miſſa Polono à Cæſare auxilia, ante edictum de reddendis bonis ſacris, ac Meclenburgicos expulſos, quin ante obſidium Stralſundæ, de inferendis Cæſari, Domuique Auſtriacæ armis agitatum fuiſſe. Et quanquam res ipſa loquatur, poſt pacem Pragenſem Suecorum armis non ſolas Cæſaris ditiones, ſed totum Imperium, Ordinesque nullo ſacrorum diſcrimine peritos, eorumque oppida & ditiones velut belli jure adhuc detineri: tamen declinandis novis litigiis pro voce *in Imperium*, vocem *in Germaniam* ſubſtituendam. Articulo primo Cæſarei reſponſi vocabulum (*Sacrum Romanum Imperium*) omitti non poſſe, quod hoc modo Cæſar ab Ordinibus divelli videatur; id quod parum conveniat tractatui concordiæ cauſa ſuſcepto. Etſi Sueci negent, cum Hiſpaniæ Rege ut tali bellum ſibi eſſe; eundem tamen inſigne columen Domus Auſtriacæ eſſe, ejusque Regnum ac Provincias hæreditarias à Suecis vaſtatas, & ex parte adhuc armis teneri. Igitur eum Regem merito a Cæſare inter ſuos Fœderatos & aſſiſtentes numerari. Ejusdem mentionem Articulo ſecundo propoſitionis Suecicæ nullo diſcrimine factam: pro Luſitanis commeatum, ac Eduardi Bragantini velut Regis Luſitaniæ fratris liberationem poſtulatam: quæ ſane amicitiæ ſpecimina non ſint. Quia tamen Legati Suecici aliter declarent, eo magis ſpem eſſe, ipſos Luſitanicam cauſam non ſuſcepturos, ſed ad illos quorum intereſt remiſſuros, ne per ſe difficiles tractatus tot admixtis negotiis intricatiores reddantur. Per Schœnbeckianam formulam tractationem pacis inter Saxoniæ Electorem & Cancellarium Oxenſtiernam Anno 1635. inſtitutam intelligi ne ipſis quidem Suecis ignotum, qui ejus in procœmio propoſitionis ſuæ mentionem fecerint. E prima claſſe tractandorum per Suecos deſignata circa Amneſtiam Cæſarei nupero decreto Ratisponenſi addita abolitione effectus ſuſpenſivi inhærebant, ac ut reſtitutio in civilibus ad Anni triceſimi, in Eccleſiaſticis ad viceſimi ſeptimi ſtatum fiat: ut tamen ſi qui læſos ſe ferant audiantur, ac Palatina cauſa peculiari negotiatione inter communes hoſce tractatus expediatur, modo ipſi Palatini huc deſcendere velint. Amneſtiæ quippe principium publica Imperii lege ſancitum moveri non poſſe, & ex more apud omnes gentes recepto iſtam ad limites ſui belli reſtringendam. Nec inteſtina bella huc trahi poſſe. Nam Bohemicas turbas peculiare eſſe negotium, & dudum compoſitum: Mansfeldii, & Chriſtiani Brunſuicenſis arma ultro dilapſa: Danicum bellum pace finitum: Palatinam cauſam, quæ iſtis tumultibus prætextum præbuerit, peculiaribus tractatibus aliquoties etiam ante hoc bellum, ac deinceps agitatam. Bellum Anno triceſimo inter Catholicos & Proteſtantes Ordines ortum pace Pragenſi, & per Amneſtiam ſopitum: ut jam nil niſi externa arma ſuperſint, quæ Anno triceſimo eruperint. Jam autem juri gentium repugnare, & in omni hiſtoria inauditum eſſe, belli compoſitionem ultra ſuum principium retrahi. Ubi enim nulla damna & injuriæ contigerint, nulla quoque per amneſtiam aboleri poſſe. Et ab ipſis Suecicis Legatis primos actus hoſtiles ad Annum viceſimum octavum referri. Ipſum Guſtavum Adolfum Regem literis ad Electores profiteri, ſe non ſolum durante bello Germanico cum Cæſare ac toto Imperio illæſam amicitiam extra partium ſtudia coluiſſe, ſed & nullam ſpeciem ullius læſionis præ ſe tuliſſe. Ea profeſſione Regis ſtante, nullum utique jus vel cauſam belli adverſus Cæſarem & Imperium fuiſſe, eoque nullo colore amneſtiam ad Annum decimum octavum retrahi. Quin tractatu inter Electorem Saxoniæ & Axelium Oxenſtiernam agitato hunc eodem poſtulato tandem deſtitiſſe, ac Anno triceſimo adquieviſſe, inſertis primo capiti hiſce verbis: *ut reliqui Ordines, qui pacem Pragenſem non acceptarunt, isdem amneſtiæ includantur, & pari cum reliquis conditione habeantur.* Porro publicatam jam Amneſtiam ſufficere, quippe omnia continentem, quæ à Suecico bello dependeant. Nam Palatinam cauſam, nullo juris colore molliendam, ac nulli Ordinum probatam merito ad ſeparatos tractatus remitti. Guſtavum Regem inter cauſas belli à ſe publicatas eam non recenſuiſſe, ac niſi alia interveniſſent, ob eandem arma moturum non fuiſſe. Wurtenbergico & Saræpontano per amneſtiam conſuli. Durlaceni cauſam eſſe deciſam, & transactam, nec à bello dependere. Auguſtanis civibus non uſum ſacrorum, ſed templa duntaxat ademta, quæ ipſi Catholicis violata pace Religionis ademerant, facta poteſtate propriis ſumtibus ædem ſacram ſibi extruendi. Et ſi quid querelarum ſuperſit, audiri poſſe. Egram oppidum, & Bohemiæ Regnum, Provinciasque Cæſaris hæreditarias jure ſuperioritatis amneſtiæ exemtas Principem ſuum ſequi; nec ad hoc bellum ſpectare, nec id petere, ut ſui mentio his tractatibus fiat, ſed diverſum potius cupere, nec unquam Sueciæ fœderibus fuiſſe innexas. Si quæ privilegia quondam habuerint, eorum confirmationem à Ferdinando II. oblatam repudiaſſe, ac perduellionis crimine contracto iiſdem jure gentium excidiſſe. Ordines quoque haut repugnaſſe, quo minus illæ Provinciæ in Conventu Ratisponenſi amneſtia excluderentur. Unde & merito in reſponſione Cæſarea ad Articulum octavum ea verba (*ſive ex hæreditariis Imperatoris Provinciis orundi*) omiſſa fuiſſe. Mulhuſæ Anno viceſimo ſeptimo omnia, quæ ad id uſque tempus acta fuerant, ab Electoribus firmata. Amneſtia retro tracta tot res judicatas & tranſactas, & à Ferdinando II. prævia cauſæ cognitione legitime concluſas & exſecutioni datas ſubverti, aliis jus ſuum adimi non ſine ipſius & Electorum contumelia, novam offenſarum & turbarum materiam: cum amneſtia ad ſolos caſus & cauſas belli pertineat, cujus obtentu res judicatas & tranſactas reſcindi, rationi & æquitati ac juri partibus quæſito repugnare. Denique ſubverſa Amneſtia jam promulgata diffidentiam gliſcere, ſi adpareat decreta à Cæſare & Ordinibus facta pro captu temporum aboleri poſſe. Quod ſi tamen à Regno Sueciæ ante Annum triceſimum hoſtile quid patratum ſit, id facile oblivione ſepeliendum. Si quæ præterea privatæ cauſæ moveantur, quæ peculiari tranſactione opus habeant, illis quoque conſulendum, quantum citra remoram pacis, & ſalvis Imperii Legibus fieri poſſit. Ut tamen reliqua omnia quæ communes tractatus morari poſſunt, ad Comitia rejiciantur. Additum, ut amneſtia non illis minus qui à Cæſareis ejusque ſociorum partibus ſtetere, proſit, quam qui fœderatos Reges ſecuti ſunt.

1646. sunt. Per verba in responso Cæsareo ad Articulum quintum posita: *juxta morem ab antiquo receptum*, intelligi præsentem Imperii Statum, & ejusdem fundamentales Leges, consuetudines & observantias, non qui tempore antiquorum, & primorum Imperatorum Romanorum fuerit. Quæ addenda fuisse, quod multa circa modum expediendi negotia in Imperio antiquitus observentur, quæ jure scripto non contineantur. Jus fœderum cum exteris Cæsarem Ordinibus quidem concessisse; eadem tamen cautæ cognitionem requirere, ne ex illis Imperio damnum nascatur. Et jam decreto Comitiorum Wormatiensium Anno 1495. cautum, ut causæ fœderum, antequam concludantur, ad Cæsarem & Status Imperii referantur, eorumque consensus adhibeatur. Id quod eo magis Ordinibus incumbat, quod ipse Cæsar lege Regia teneatur nulla fœdera intra aut extra Imperium nisi expresso consensu Electorum inire. Unde plus licentiæ indulgeri Ordinibus, quam Cæsari, absurdum fore. E quibus sensum verborum Articuli tertii: *Modo non sint fœdera contra Imperatorem, & Imperium, & pacem ejusdem publicam*, facile illustrari posse, id quod à Legatis Suecicis desideratum sit. Verba in responso Cæsareo ad Articulum quartum, *si velint & quiete vivant*, sat perspicua esse. Quod si eadem Suecis obscura videantur, penes illos esse apertius declarare, quomodo propositionem suam intelligant, & quid circa ista verba desiderent. Circa satisfactionem Regnorum declarationi, quam solo amore pacis non ex debito viva voce jam fecerant, insistebant, super qua & peculiaria instrumenta conficienda sint. Ea tamen cum exceptione, ut si cum Regiis super ista convenire non possint, primæ declarationi insistatur. Etsi optandum fuerit, Regios apud se quoque locum reliquisse illi regulæ: quod quis juris in alium statuit, eo ipsum uti par esse: & cum circa amnestiam tantopere pro Anno decimo octavo pugnent, pari generositate circa satisfactionem eundem annum observare voluissent. Landgraviæ tum tuum belli & damnorum nomine nihil deberi. Circa reliqua ejus petita tractatus posse suscipi. Penes eandem esse semel conceptæ transactioni colophonem imponere. Cuique parti militis sui stipendia exsolvenda, nec Regios habere, quod eo nomine Cæsarem & Imperium poscant. Verba in Articulo tertio responsi Cæsarei ad propositionem Gallicam posita, *Quod Corona Gallia neque directe neque indirecte bellis & controversiis, quæ inter S. Cæsaream Majestatem & Imperium ac Coronam Suecia nasci possint, immiscere sese debeat*, facile induci posse; modo vicissim Galli prætensione sua adversus Cæsarem hoc casu decedant, & propositæ à Cæsareis ad Articulum decimum septimum obligatione adquiescant. Articulo decimo septimo propositionis Suecicæ designatum fœdus adversus violatores pacis Cæsarem non avertari, etsi super eodem Ordinibus varia dubia oriantur; ac spatium trium annorum præfigendum videri, intra quod media amicæ transactionis tententur; quo incassum elapso parti lætæ succurrendum sit. Enimvero ut Ordinum Imperii mentio fiat verbis (*æque universi Imperii Status*) insertis, superfluum esse: quod neque Ordines id cupiant, ac idem unum cum Cæsare corpus constituant, cujus caput Cæsar sit, omnesque actus, qui pro Imperio expediuntur, nomine Imperatoris tanquam legitimi Administratoris expediri soleant. Magis absurdum esse, Ordinibus velut tertius inter Cæsarem & Regna æquilibrium tenendum committi, 1646. velut non æque suo capiti quam Ordines Galliæ & Sueciæ assistere teneantur. Eduardi Braganti ni liberationem ad Cæsarem non spectare, sed apud Hispaniæ Regem quærendam. Regios militari more non plura mobilia è restituendis locis abducturos, quam ipsi intulerint. Exautorationem militum utrinque ita faciendam, ut neutri parti suspicionis quid injiciatur. Cæsari tamen haut invidendum id copiarum sub signis retinere, quod tuendis finibus, imminente præsertim nunc à Turca periculo, sufficiat. A parte Cæsaris pacis inclutum iri omnes ipsius fœderatos & assistentes, ac imprimis Regis Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ, omnesque Principes ac Respublicas Italiæ. Pacem à Legatis subscriptam citra moram executioni dandam, ejusque Instrumentum Cæsaris ac Reginæ Sueciæ, tum & Ordinum Imperii ac Sueciæ subscriptione firmandum. Ratificationes convento tempore Osnabrugæ hinc inde tradendas. Addebatur demum, Cæsareis spem esse Regios, nulla amplius exceptione ad concipiendam pacis formulam secum accessuros esse.

§. 96. Hisce addiderant Cæsarei peculiarem declarationem, quibus legibus Pomeraniam Citeriorem Reginæ, ejusque masculis hæredibus & successoribus, aut proximo post hanc Regi Sueciæ, ejusque masculis hæredibus in feudum concessuri sint. Nempe, ut his extinctis ea Provincia Brandeburgico restituatur citra exceptionem impensarum, aut meliorationum. Ut Brandeburgici simultanea investitura sicut antea utantur. Ut Regina & successores, quamdiu eam Provinciam obtineant, Cæsari & Imperio illius nomine debitam reverentiam & obsequium præstent: omnia onera ac tributa Imperii, ac salaria Cameræ Spirensis pro rata exsolvant: ejus Provinciæ Ordinibus & incolis, ac inprimis Stralsundæ statum, jura ac Privilegia conservent, ac si quæ bona eorum, qui Cæsaris partes secuti sunt, in fiscum redacta fuerint, restituantur. Regina & Regnum Sueciæ omnibus fœderibus contra Cæsarem, Domumque Austriacam, ejusque socios hactenus initis renuntiet, ac intuitu hujus Provinciæ cum vicinis Ordinibus ac Regnis concordiam colat, ne ob ipsam Cæsari ac Imperio novum bellum nascatur; commercia pristinæ libertati relinquantur. Si Regina ejusque successores in usum Regni sui delectus militum instituere velint, leges Imperii circa easdem observent, prævio consensu Cæsaris, ac præfecti Circuli, nec non solita cautione. Denique idem ejus Provinciæ nomine tribunalibus Imperii obnoxii sint. Cæterum ut Regina duorum Præsulatuum petitione supersedere velit, denuo Cæsarei monuere, velut circa quos disponere extra Cæsaris potestatem sit; polliciti donationes Reginæ circa bona illorum præsulatuum ratas fore, aut donatariis earum pretium præsenti pecunia refundendum. Quod si tamen desistere nolint, Cæsarem declarare, Bremensem & Verdensem Præsulatum penes Reginam Sueciæ & successores fore, quamdiu Pomerania penes ipsos fuerit, hisce quidem legibus: ut illi Præsulatus indolem ac titulum suum retineant, nulla in secularem statum facta mutatione. Regina in utroque Administratores constituat, qui ab illis titulum gerant, Cæsari & tribunalibus Imperii eo nomine subjecti. Capitulis, Ordinibus ac subditis illorum præsulatuum status, jura, ac Privilegia salva permaneant. Circa sacra tantisper nihil novetur. Bremensi urbi im-

Peculiaris declaratio super factafactione Suecica.

1646. mediata conditio maneat, quamdiu Præſulatus ille penes Sueciam fuerit, quoad lis, quæ ſuper ea re inter Præſulatum & urbem in aula Cæſaris pendet, decifa fuerit. Onera & tributa Imperii pro rata ab iſtis præſulatibus uti hactenus ſolvantur. Omnium harum provinciarum nomine Reginæ & ſucceſſoribus non niſi unicum in Comitiis ſuffragium competat: ſed in Conventibus Circularibus uſus in ſingulis Circulis receptus obſervetur. Præſenti Archipræſulatus poſſeſſori locus in quo reſidere queat reſervetur, cui & certi proventus annui, ſuper quibus tranſigendum ſit, concedantur. Feudo Pomeraniæ extincto Suecia his quoque præſulatibus citra exceptionem cedat. Viciſſim Regina Sueciæ non ſolum tanquam futurum Imperii membrum, ſed & velut amica & vicina Cæſari auxilio & conſilio adſiſtat. Si Galli immodicis poſtulatis inhærcant, ac bellum in Germania adverſus Cæſarem continuent, Regina ad æquas leges acceptandas illos adigat. Operam quoque Cæſari Regina navet ut Palatinus reſtituta certis conditionibus inferiore provincia adquieſcat, ſuperiore una cum dignitate Electorali penes Bavarum, & Wilhelminam lineam manente. Tum ut morte Ludovici Wurtenbergici anno 1595. vacans feudum Blaubeura cum oppigneratis locis Hohenſtauffa, & Achla, Auſtriacæ Domui relinquantur. Reliqua omnia à Suecis occupata loca, & in his quoque Halberſtadienſis Præſulatus, & Benfelda legitimis dominis reddantur. Iſthæc tamen omnia uſque ad plenam pacis concluſionem citra obligationem fore. Illa quidem ſcripto Suecis Cæſarei offerebant. Proximo tamen congreſſu inter ſermocinandum jactabant; Cæſari placere, ut Regina & Regnum Sueciæ præter utrumque præſulatum & Wiſmariam tota Pomerania in ſatisfactionis vicem potiatur: eundemque operam daturum, ut Brandeburgicus in id conſentiat: cui viciſſim tantam pecuniæ ſummam, quanta Suecis ante hac oblata ſit, exſolvendam, & qua hæc non ſufficiat, Halberſtadienſem præſulatum ſuperaddendum. Inſuper formulam futuræ pacis latine conceptam præiegebant, quam & paulo poſt, Trautmansdorfio Monaſterium digreſſo, Lambergius & Cranius Legatis Suecicis exhibebant.

Amplior Cæſarei tum declaratio. 20. April.

28. April.

Prima formula pacis.

§. 97. Exprimebat ea formula Ordinem propoſitionis Sueciæ. Ejus primo capite Cæſar cum Imperio atque Ordinibus Hiſpaniæque Rege utrique Regi velut hoſtes oppoſiti erant, ſecus ac Sueci monuerant. Amneſtia ac reſtitutio in civilibus ad annum tricelimum, in Eccleſiaſticis ad viceſimum ſeptimum reſtringebatur. Auſtriacæ quoque Domui pace Pragenſi conceſſa ac nominatim Blaubeura, Hohenſtauffa, & Achla reſervabantur. Amneſtia iisdem exceptionibus circumſcribebatur, quas decretum nuperum Ratisponenſe exhibebat. Clauſulam *ſalvo ius*, retinuerant, alteram autem, *juxta morem ab antiquo receptum*, ex monito Ordinum illuſtraverant, addito, ſi quis ex Ordinibus Imperii dignitate ac ditione ſit exuendus, non aliter cum ipſo quam juxta leges Imperii, & Capitulationem Cæſaream procedendum. Nemini reſtituto ſua de facto adimenda. Quod ſi cui actio intentetur, jus incorrupte juxta leges Imperii dicendum. Inclusioni Reformatorum in pacem Auguſtanam adhuc inveniebantur adjuncta verba, *ſi velint, & quiete vivant*. Capite de commerciis differte cavebatur, ne naves bellicæ in portus Maris Baltici, & Albim ac Viſurgim flumina adducantur, aut caſtella ad eadem excitentur, navigationi & commerciis, vicinisque moleſta; & ſi quæ jam extructa ſint, deſtruantur. In Albi quoque ab Hamburgo ad mare usque nulla vectigalia niſi antiquitus inſtituta tolerentur. Palatinum, ſi decenter ſe ſubmittat, à Cæſare proſcriptionis nexu exſolvendum, ut tamen in Palatinatu Inferiore cultus Catholicus cum omnibus juribus & reditibus ſalvus ſit. Dignitatem autem Electoralem, & quæ inde pendent, cum Superiore Palatinatu ſemper penes Bavarum manſura: Palatinum tamen octavo loco inter Electores numerandum. Excipiebantur tamen Via Montana Moguntino, & præfectura Germersheimenſis Archiducis Leopoldi hæredibus reſtituenda, tum quæ Darmſtadienſi è Palatinatu conceſſa erant, & Joannis Schœnbergenſis Comitis hæredibus vicus Neuenheimum, ac Baroni Brœmſero vicus Gaulsheimum cum locis oppigneratis; Tum ut quæcunque à Cæſare in Palatinatu Inferiore diſpoſita ſunt, firma perſiſtant. In ſatisfactionem Reginæ Sueciæ Bremenſis ac Verdenſis præſulatus, Wismaria urbs, totaque Pomerania offerebatur, quantum Cæſari circa ea diſponere fas, & ſalvo eorum quorum intereſt conſenſu ac ratihabitione, legibus ſupra expreſſis. Viciſſim Brandeburgico Halberſtadienſis Præſulatus tribuatur, quamdiu Sueciæ Reges dictas ditiones obtinerent. Chriſtiano quoque Wilhelmo Præſulatus Magdeburgici quondam Adminiſtratori ſuper annua penſione duodecies mille uncialium è reditibus ejus præſulatus peculiari capite cavebatur. Conjunctio armorum adverſus infractores pacis à Suecis articulo 17. propoſita, hactenus admittebatur, ut ad partes duntaxat nunc inter ſe bello certantes pertineret. Sed omnes aliæ lites ſive in Imperio & ditionibus Cæſaris, ſive in Regno Sueciæ ortæ ex legibus & uſu utriusque Reipublicæ decidirentur, nec Cæſarem Sueciæ, aut Reginam Germaniæ negotiis ſe immiſcere fas fore. In articulo de captivis Eduardus Bragantinus omittebatur. Denique ſuper locis ceſſis differte monebatur, ut ſive maritima forent, ſive mediterranea, præſidiis occaſione hujus belli impoſitis deinceps plane immunia ſint.

Ordinum de hac formula ſententia. 5. Maji.

§. 98. Ea formula cum per Legatos Suecicos Ordinibus communicata eſſet, hi conſultatione habita ſuper illa ſententiam ſuam iisdem expoſuere, petito, ut deinceps quoque Imperii, ac præcipue Evangelicorum commoda cordi habeant. Cæterum eadem Evangelicis cumprimis parum ſatisfaciebat, quod conſilia ſua ſuper ordinanda Republica, ac firma pace conſtituenda plane ſilentio transmiſſa forent. Unde, quæ mutari vellent paſſim notabantur. Præcipue displicebat, quod omnia Pragenſi paci & Ratisponenſi amneſtiæ ſuperſtructa forent; ac cenſebant, amneſtiam citra exceptionem ſanciendam, cujus initium ad annum decimum octavum ſit retrahendum, Pragenſi ſponſione cum omnibus quæ inde pendent, plane abolita. Tum Palatinum plene reſtituendum, abrogatis ibi Romanis ſacris: nec per Auream Bullam octavum Electoratum admitti poſſe. Reſtituendum quoque, & nomine exprimendum Ludovicum Philippum Lauterenſem Palatinum, qui jam anno viceſimo tertio innocens declaratus ſit, à negotio Palatino penitus remotus: Palatinum inſuper Sulzbacenſem Chriſtianum Auguſtum; tum Wurtenbergicum, Durlacenum, Saræpontanum, Rheingravios, Hohenloicos, alios. Reddendum Brandeburgico Du-

1646. Ducatum Carnoviæ, & Præſulatui Magdeburgico decerptas præfecturas. Denique Luneburgicæ Domui quatuor auri tonnas Pragenſi pace inpactas remittendas. Horum in futuro pacis Inſtrumento formando Sueci memores ſe fore polliciti ſunt. Enimvero hæc Suecos inter & Ordines agitata Cæſareis diſplicebant, quippe qui interpretabantur; id Suecos egiſſe ut Ordines in Cæſarem incitarent, quod ea formula ad iſtorum palatum non eſſet; nec digerebant, quod iſti Suecis prius quam ſibi ſententiam ſuam indicaſſent. Si Catholici Ordines pari modo cum Gallis agant, facile diviſionem Ordinum inde proventuram. Simul jactabant, eam formulam Suecis non eo fine datam, ut ad eam pacis leges concinnentur, aut eidem inhæreatur, ſed ut ſententia iſtorum duntaxat exploretur. Nec eo ſecius Sueci Electoralibus petentibus eorum, quæ inter ſe ac Principales & Urbicos acta eſſent, copiam faciebant. Ita demum & per Cæſareos ea formula Ordinibus exhibita.

Ei Cæſareis diſplicet.

Monaſterii duplica exhibetur.

§. 99. Monaſterii reſponſum ad replicam Gallorum Cæſarei Sequeſtribus exhibuerant, quo inter alia prolixe deductæ erant rationes, ob quas Cæſar Alſatia Gallis cedere non poſſet. Sed quia Sequeſtres cernebant, ejusmodi diffuſa ſcripta extrahendo negotio, & irritandis animis facere, placebat reſectis ſuperfluis quæ in rem eſſent paucis reponere. Ita dies aliquot ſerius iſte actus Monaſterii quam Oſnabrugæ contigit. Quæ cum reſponſo Suecis dato conſpirant, ſupervacuum fuerit repetere. Quod Galli negent bellum ſibi cum *Imperio* geri, proteſtationem eſſe facto contrariam, nec Cæſarem ab Imperio diveiſi hoc tractatu poſſe. Agnoviſſe id Suecos tractatus Schœnbeckiano, quo Cæſar & Imperium ex una, ipſi ex altera parte conſtituti ſint. Eosdem his ipſis tractatibus profeſſos, ſe hoſtium loco habere Cæſarem, inde Catholicos omnes, & quotquot Cæſari adſtiterunt. Omnes quoque Ordines huc congreſſos Cæſari conſilio præſto eſſe. Unde pacem utique inter Cæſarem & Imperium ex una, & Galliam ex altera parte concludendam. Porro Præliminari conventione cautum eſſe, hoc conventu Hiſpanorum & Gallorum controverſias componendas; cui utique inhærendum ſit, præſertim cum Galli adeo ſolicite poſtulaverint, eandem ab ipſo Hiſpaniarum Rege ratihaberi; quo fine & ſalvos conductus utrinque datos, & Legatos Hiſpanicos huc acceſſiſſe. Gallicos quoque Legatos de hoc in mandatis habere. Quin id ipſos Gallos propoſitionis ſuæ articulo tertio præſuppoſuiſſe, dum à Cæſare ſtipulare cupiunt, ne deinceps diſſidiis Galliam inter & Hiſpaniam ſe immiſceat. Pro Lotharingo denuo tutus acceſſus poſtulabatur; quem & omnium Ordinum ſuffragia probarint. Id quoque æquiſſimum, ut vel Galli bello inter Cæſarem, Suecosque orto his auxilia ne ferant; vel Cæſarem obſtringere omittant ad auxilia Hiſpano cum Gallis bellanti non ferenda. Si tamen alia ratione pacis firmitati caveri queat, ac Galli eam conditionem omittant, ſe quoque eidem non inhæſuros. De cætero transactionem Burgundicam anno 1548. factam utique uſu receptam contendebant, cujus vi Domus Burgundica ſemper ſeſſionem & ſuffragium in Imperio obtinuerit, tributa publice indicta exſolverit, diverſas exſecutiones pro defenſione pacis publicæ in gratiam Catholicorum Principum ſuſceperit, aliaque ibi conventa præſtiterit. Quod enim Imperium tumultibus Belgicis ſe non miſcuerit id alios ob reſpectus factum. Amneſtia ut ad annum decimum octavum retrahatur, cauſam non eſſe: cum ex eo tempore ad tricesimum usque annum Cæſari cum Gallis nullum in Germania bellum fuerit: & quæ in Italia contigerant, pace Ratisponenſi, ac mox Cleraicana ſint compoſita. Statibus Imperii jam decreto Ratisponenſi cautum, ubi & additum fuerit: id ratum & firmum eſſe debere; in quamcunque partem incerta belli alea cadat. Eam fidem cum haut dubie Proteſtantes, ſi plena penes Cæſarem & Catholicos victoria ſteteſſet, imploraturi fuerint; par eſſe ſorte in ipſos promiore, ut iidem fidem Cæſari & Catholicis ſervent. Si qui Ordines ſuperſint, quibuscum peculiariter tranſigendum Regiis Legatis videatur, id Cæſareos non defugere, modo abſque retardatione pacis, & ſalvis Imperii legibus, rectaque ratione fiat. Quæ ſuper electione Regis Romanorum Galli monuerint, Legibus Imperii, aliaque jam definita eſſe, nec ad exteros pertinere iſta arctius circumſcribere. Si quid heic dubii ſit, in Comitiis decidendum. Circa fœdus *guaranticum* à Gallis propoſitum declarabant; ſi poſt pacem ulli partium vel fœderatorum vel adhærentium conventa non ſervari contigerit, nec ea res intra triennium amica tranſactione aut juris diſceptatione terminari queat, utramque partem, & utriusque fœderatos & adhærentes junctis cum ſatis conſiliis viribusque ad arma ſumenda teneri. Sed circa verba illa de *Statibus Imperii addendis*, primo declarandum, fœdus hoc publicæ per Imperium jurisdictioni impedimento eſſe non debere. Deinde cum Status Imperii velut tertios intervenientes conſtituere nil aliud ſit, quam eorum reverentiam & obſequium erga Cæſarem tollere, id quod rationi adverſetur: in ejusmodi additionem ne ipſos quidem Status conſenſuros. Non repugnare tamen Cæſarem, ut cum ipſo & Ordines conjunctim unam partem faciant, ſi Rex Chriſtianiſſimus pacis leges transgreſſus fuerit, iidem una cum Cæſare arma in Regem Galliæ arripere teneantur. Landgraviæ ullam ſatisfactionem deberi aut dari oportere negabant. Æquum etiam eſſe, ut quisque ſuo militi ſtipendia exſolvat. Circa Lotharingum denique Cæſarem in fraudem Imperii Gallorum poſtulatis annuere non poſſe; pertinere iſta ad jus Imperii, cui bellum ſe intuliſſe Galli negent. Renuntiationem, quæ à Duce Carolo facta dicitur, fœderibus cum Auſtriaca Domo, ad ea non poſſe extendi quibus ille Imperio obligatus eſt, per conventionem anno 1542. initam. Hoc in reſponſo cum multa alia Gallis diſplicebant, tum quod de Pignerolo nulla mentio facta eſſet.

1646.

Ejus contenta.

25. April.

§. 100. Cæterum poſt exhibitam Suecis pacis formulam Trautmansdorfius Oſnabruga Monaſterium revertit, difficultates, uti ferebat, amoliturus, quas Catholici ſuper gravaminibus moverant. Is apud Gallos jactabat, cum Suecis omnia jam tranſacta, quibus tota Pomerania cum Wismaria & duobus Præſulatibus oblata ſit, tradita inſuper pacis formula, ut ibi nil fere deſideretur. Tum contentum adverſus Gallos oſtendere. Id quod non parum ſcrupuli ac diffidentiæ apud hoſce excitabat; eoque per Labardeum à Suecis poſtulabant; lentius feſtinarent, quo tractatus utrinque pari paſſu procedere poſſint. Cui oſtenſum longius adhuc à meta pacem Oſnabrugæ quam Monaſterii abeſſe, cum Cæſar Gallis obtulerit, quæ concedere penes ipſum ſit; Suecis aliorum bono oſtentari, quibus antequam conſen-

Trautmansdorfii artes. 27. April.

1646. Cæſarei hoſtilia omitti poſtulant. 4. Maji.

ſentiant aliunde ſatisfaciendum ſit. Paulo poſt literas ad Collegas ſuos Oſnabrugenſes Monaſterio dabat Trautmansdorfius, ut cum Suecis ſuper omittendis hoſtilibus agerent; utpote quibus oblata ſatisfactio ac pleraque à ſe propoſita jam probentur, exhibito inſuper pacis inſtrumento; ac nihil amplius ſuperſit, quam ut Ordines ſuper gravaminibus ſuis tranſigant, circa quæ Catholici æquitatem ſuam Proteſtantibus ſine dubio adprobaturi ſint. Eas literas Cæſarei per Secretarium Suecis oſtendebant, petito ut ſuper illis ſecum colloquium ſumant, aut ſententiam ſuam per fidum hominem ipſis pandant. Eas literas cum ad alendam Gallorum ſuſpicionem miſſas judicarent Succi, citra moram per Biærneclovium Secretarium (cui Myloni antea vocabulum fuerat) Cæſareis demonſtrant; hautquicquam ſummam pacis ac res Imperii ad Fœderatos Reges ſpectantes eo provectas, quo Trautmansdorfius ferat. Oblata ſibi quædam, ſed conditionibus ingratis, & quæ Cæſarem haut ſtringant. Formulam à Cæſareis exhibitam imperfectam eſſe, reſervato jure addendi, demendique, & qua teneri non velint, niſi pace ſecuta. Denique ſuper induciis nihil adhuc actum, quas præceſſiſſe oporteat, ſi hoſtilia ceſſare debeant.

Cæſarei Briſacum cedere Gallis nolunt.

§. 101. Super ſatisfactione Gallica inde agenti Trautmansdorfio maximam movebat difficultatem Briſacum, quod Galli retinere, Cæſarei recuperare magnopere cupiebant. Oſtendebant hi, Gallos antea ſemper parte Alſatiæ contentos ſe fore declaraſſe. Iam totam eam Provinciam, ac præſulatus tres oblatos, queis adquieſcere ipſos par ſit. Gallos ſemper à natura fixum limitem inter ſe & Germaniam affectaſſe; nec congruere ipſos nunc cis Rhenum pedem promotum ire. Briſacum eo loco ſitum, ut id amitti tranquillitas Germaniæ nullo modo ferat. In alia quoque Provincia Briſacum poſitum, quæ magnis turbis ſit involvenda primario oppido avulſo, & cum Alſatia connexo. Et quia Galli aſſerant, ſecuritatis ſuæ cauſa Briſacum poſtulari, ne ex eo noxa ſibi inferatur, Cæſarem annuere, ut munimentis oppidum nudetur, ac pons ibi deſtruatur, tum ut in adverſa ripa aliam munitionem æque validam Galli excitent. Ac ut eo facilius hos ad reſtituendum Briſacum permoverent Cæſarei, per Sequeſtres illis totam Alſatiam offerebant ſummi imperii jure poſſidendam, & ut illa deinceps à Germania non amplius dependeret. Et cum ne id quidem Gallis ſatisfaceret, addebatur Philipsburgum itidem cis flumen ſitum, ſed cujus velut alieni jactura levior videbatur: tum Reinfelda, & Lauffenburgum, Rheno tranſeundo opportuna loca: Tabernæ inſuper & Benfelda, qua Succi ceſſuri ſperabantur. Nec eo minus Briſaco munimenta detrahenda ſalvo ponte. Aſſeverabant inſuper, iſtud Gallorum poſtulatum ne Suecis quidem probari. Iidem contra Suecis atque Imperii Ordinibus oſtendebant: Briſacum eſſe velut portam Germaniæ, cujus opportunitas Gallos invitatura ſit, ut data occaſione in vicinas terras ſe effundant. Nationem eſſe quietis imparientem, quæ diu ne inter ſe quidem, ne dum cum aliis pacem colere queat. Inter ipſos & Hiſpanos centum viginti Annorum ſpatio vicies quinquies pacem factam, toties infractam, utut ſanctiſſimis ſacramentis firmatam. Eam ob cauſam ipſius quoque Reginæ, quæ mox inter Ordines Imperii adopranda ſit, intereſſe, ne Galli cis Rhenum pedem figant. Enimvero Galli ſuo poſtulato pertinaciter inſiſtere, quo quicquid Cæſarei obluctarentur, tandem pro tuturos ſe ſperabant. Et quia Trautmansdorfius receperat, ſe ſuper cedendo Briſaco literas ad Cæſarem ſcripturum, iſti jam Regem ſuper eo oppido ſecurum eſſe juſſerant. Eo minus ipſis quidquam remittere integrum erat. Mediatoribus reponebatur: Suſpectum ſibi videri, Cæſarem tantopere circa id oppidum tergiverſari. Sine dubio arcanam ſubeſſe cauſam, tantoque magis ſibi contranitendum. Ponte ſalvo oppidi munimenta inſtaurare haut difficile fore; ea via facile iſtos impetum in Gallos dare, & amiſſa recuperare poſſe. Quæ nunc offerantur nova plane eſſe, nec à ſe in aulam referenda, ſed ſuper priore propoſitione tractatus cum ipſis ingreſſuros. Et poſtquam ſemel ſpem contenſus Cæſarei fecerint, quem ipſi tamdiu expectarint, rationis non eſſe, eo deſerto novas conditiones ferre aut admittere. Perinde ac ſi omiſſa Pomerania, de qua tamdiu diſceptatum fuit, ſuper alia Provincia nunc agi incipiat. Gallis haut obſcure adſtipulabatur Bavarus, ut eorum viciſſim favorem in cauſa Palatina ſibi pigneraret; & ut Gallos tanto propiores haberet firmamento ſibi futuros. Ipſe quippe Auſtriacis æmulus, Proteſtantibus exoſus, quos tot per Annos oppreſſerat; nec Catholicis valde amatus, quos tributis emunxerat, quorum magnam partem ærario ſuo condiderat. Qui & nuper Legatum in aulam Cæſaris miſerat eam ſolam ob cauſam, ut Briſaci ceſſionem ſuaderet. Cujus importunitati tandem Cæſar concedere cogebatur, cum alias Galli haut difficulter permoveri poſſe viderentur, ut Rhenum terminum eſſe paterentur. De cujus Principis conſiliis Cæſarei graviter querebantur, velut per quæ ad indignas & noxias conditiones acceptandas compellantur. Eum quippe, ni omnia ex ipſius libidine agantur, ſtatim minas ſpargere: ſuas ſe res ſibi habiturum deſtituto Cæſare. Ita tandem eo res rediit, ut Cæſarei Gallis Briſacum concedere neceſſum haberent. Huic negotio perficiendo Trautmansdorfius longiores moras Monaſterii nectebat, ac binis vicibus Gallicos Legatos inviſebat, pari honore ab ipſis non recepto.

1646. tinaciter inhærent.

Quibus Bavarus adſtipulatur.

Formula ſatisfactionis Gallicæ. 19. Maji.

§. 102. Jam igitur ſuper Gallorum ſatisfactione ſcriptum Cæſarei conceperant, quod per Sequeſtres Gallis exhibuere, cui non pauca in fraudem Suecorum & Evangelicorum inſerta erant, ut quod uno loco amitterent, alio recuperare velle viderentur. Ac primo quidem Domui Auſtriacæ reſtitui ſtipulabantur quatuor urbes Sylveſtres, Rheinfeldam, Seckingam, Lauffenburgum, & Waldshutum cum ſubjecta regione ad utramque Rheni ripam, Comitatum Hauenſteinum, Sylvam Nigram, Superiorem & Inferiorem Briſgoviam, totamque Ortenaviam. Tum ut commercia in Rheno libera ſint, nec novis vectigalibus onerentur. Amneſtiæ decretum anno quadrageſimo primo Ratisponæ promulgatum ſalvum permaneat: Dignitas Electoralis cum Superiore Palatinatu Bavariæ Duci, & lineæ Wilhelminæ perpetuo relinquatur. Palatinus octavo Electoratu, & inferiore Palatinatu certis ſub legibus potiatur. Circa gravamina Auguſtanam formulam profeſſis haut permittatur duriores Catholicis conditiones extorquere, quam hactenus ab hiſce oblatæ ſint. Succici Legati præſulatus Oſnabrugenſem & Mindenſem, tum Monaſterienſia oppida Vechtam & Meppam petere deſiſtant. Brandeburgicus in Pomeraniæ vicem Halberſtadienſi Præſulatu, cujus ſtatus Eccleſiaſticus immu-

Galli eidem per-

1646. mutandus non ſit, adquieſcat, nec Cæſar ipſi ad ampliorem penſationem teneatur. Caſſellani nihil ad Moguntinam, Colonienſem, aut Fuldenſem ditionem ſpectans in ſatisfactionem petant. Lotharingus reſtituatur. Pax cum Hiſpano ſimul concludatur, eaque communi inſtrumento inſeratur. Rex Galliæ declaret, quid auxiliorum Cæſari adverſus Turcam præſtiturus ſit. Denique Archiducis Leopoldi hæredibus in ſolatium ceſſarum ditionum quinque uncialium milliones exſolvantur. His duntaxat ſub conditionibus Cæſarei Gallis annuebant tres præſulatus, Metenſem, Tullenſem, Virodunenſem, urbemque Imperialem Metim, Pignarolum item & Moyenvicum, Briſàcumque cum adjecto agro ad canalem Rheni, cui à molendino cognomen: præter hæc Sundgoviam cum utraque Alſatia. Addebatur, ut Galli debita, queis iſtæ ditiones hærebant, in ſe reciperent: quæ ex linea Borbonica extincta ad Auſtriacos redituræ ſint. Relinquat quoque Rex Galliæ Ordines tam ſacros quam ſeculares in Alſatia ſitos Imperio immediate ſubjectos veteri libertati ac juribus, ac præſidia illis locis, nominatim Tabernis & Benfelda deducat, nec iſtos novis ac in Germania inuſitatis Parlamentis ſubjiciat. Privatorum quoque bonis hæc ceſſio fraudi non ſit, ac omnes vaſalli, ſubditi, oppidani, & incolæ immobilia ſua bona abolitis confiſcationibus recuperent. Philipsburgo præſidium Gallicum educatur, idque Spirenſi Præſuli reddatur. Comitatus Achla, & Dynaſtia Hohenſtauffa, & Blaubeura penes Domum Auſtriacam maneant. Hohentvvila autem in Nellenburgico Landgraviatu ſita munimentis nudetur. Denique Auſtriaci, quamdiu Briſacum in Gallorum manibus fuerit, Lindaviam ad Lacum Bodamicum ſuo milite inſideant.

Gallorum ſuper eadem declaratio.

§. 103. Sed & Gallis placebat ſuper ſatisfactione ſua tranſigere, his tamen legibus, ut quæ nunc agantur, non prius valida ſint, quam reliqua omnia communem Imperii ſalutem ſpectantia ſimul tranſacta fuerint; tum Reginæ Sueciæ ac Landgraviæ ſatisfiat, & heic concluſa ab Ordinibus rata habeantur. Oblatas porro terras hac lege acceptabant, ut eæ in perpetuum ad Regnum Galliæ ſpectent ſupremi Imperii jure, nullo amplius cum Germania nexu. Briſaci territorium per Deputatos utrinque definiatur, ac Cæſareis liberum ſit, tres vicos ad id oppidum ſpectantes longius in Briſgovia ſitos propioribus fundis permutare. Ne quis locus inter Baſileam & Philipsburgum muniatur, neque opera excitentur, quibus Rhenus alveo ſuo dimoveatur. Neuenburgo munitiones detrahantur. Æs alienum, quo cedendæ Provinciæ oneratæ ferebantur, prius diſtincte exprimi volebant, quam ſuper ejus ſolutione mentem ſuam declararent. Ut poſt extinctam Borboniorum lineam eæ terræ ad Auſtriacos redirent, id adſpernabantur. De iis, quæ ſuper novo Parlamento monebantur non prius ſententiam ſuam expoſituri erant, quam viſa formula ceſſionis, ut judicare poſſint, qua ratione jus incolis eorum locorum deinceps dicendum ſit. Philipsburgo ut Cæſar ſe ingerat opus non eſſe, ſed ſuper eo inter Regem & Electorem Trevirenſem tranſactum iri, accedente poſt Cæſaris & Imperii adprobatione. Litem inter Domum Auſtriacam, & Wurtenbergicos privatam eſſe, quæ Regem non tangat; unde hunc non repugnaturum, quo minus iſti ex æquo ſatisfiat. De Hohentvvila & Lindavia prius cum Duce Wurtenbergico, & Ordinibus Imperii communicandum. Ut loca à Cæſareis expreſſa reſtituerentur, Galli annuebant, etſi antea propoſuiſſent, illa Bavaro pro creditis tredecim millionibus in ſolutum danda, quo Palatinus partem ſuperioris Provinciæ recuperare poſſit. Porro uti Regi Galliæ in loca à ſe reſtituenda, ita Cæſari in cedenda nihil deinceps actionis fore. Navigia Rheno commeantia Briſaci ſiſtere, & perluſtrare liceat. Super Amneſtia cum foederatis conſilia ſibi conferenda. Inferiorem Palatinatum abſque exceptione reſtituendum, prout is à Palatino poſſeſſus fuerit, quo tempore inde expellebatur, libero duntaxat Catholici ritus exercitio. De ſatisfactione Suecica cum iſtius Regni Legatis agendum, quos non credant eo modo Oſnabrugenſem & Mindenſem præſulatum poſtulaſſe: nec defore alia media, per quæ iſtis ſatisfiat. Landgraviam utique penſatione dignam, eamque in poſſeſſione eorum tuendam, quæ ipſi ex ſucceſſione Marpurgenſi debentur. Lotharingicam cauſam his tractatibus admiſceri non poſſe. Si tamen Dux ille armis poſitis Legatos in Galliam mittat, in honorem Cæſaris amice eos recipiendos, ac ſuper executione tranſactionis antea cum Duce initæ ex æquo conveniendum. Per id tamen negotium huic tractatui moram non fore. Cæſar quoque eidem Duci auxilia ne præſtet, quæ nec Rex Duci adverſus Cæſarem præſtiturus ſit. Cum Hiſpanis pacem ſe concludere paratos. Sed ſi Hiſpani reſtitutionem eorum, quæ hoc bello per Gallos recuperata ſunt, conſtanter pertendant, contra Regi Galliæ de iis, quæ majoribus ipſius præteritis belliserepta ſunt, ſatisfacere abnuant, in aperto eſſe, ipſos pacem nolle, nec æquum eſſe, Germaniæ pacem ideo differri. Auxilia adverſus Turcam, & refuſio Leopoldi Archiducis hæredibus antequam annuatur, prius videndum, qui ſtatus cedendarum Regi terrarum ſit, & quæ æris alieni ſumma. Benfelda penes Præſulem Argentoratenſem maneret, munimentis tamen dejectis, & caſtello Rheinaviæ deſtructo. Eandem legem Tabernis, & arci Hohenbaaræ dici; cujus oppidi cives ad neutralitatem accurate obſervandam, ac tranſitum copiis Regiis, quoties poſtulabitur, concedendum obſtringendos. Hanc declarationem Galli inſciis Suecis, Haſſiſque fecerunt, qui tamen aliunde ejus exemplum nacti fuerant. Id quod Roſenhahnius cum Longuevillium Ducem inviſeret, exprobrabat; hoc fruſtra excuſante, ejus deſcribendæ ſpatium non fuiſſe; cum jam ante octiduum eandem exhibuiſſent. Ea re Legati Succi graviter offendebantur. Ipſi quippe, cum Labardæo denuntiaſſent, ſe cum Cæſareis ſuper formula pacis exhibita collocuturos, atque hic iſtud haut probaſſet, eam rem diſtulerant. Unde Galli à prævio pacto, quo omnia utrinque pari paſſu agenda erant, longius diſceſſiſſe arguebantur, non de propriis tantum rebus, ſed & illis, quæ ſocios cauſamque communem ſpectent, ipſis inconſultis, & clanculum ſententia ſat intempeſtive expromta. Cæſarei tamen Gallorum declaratione hautquidquam ſe adquieſcere oſtendebant, ac Trautmanſdorfius velut re deſperata, Viennam ſe reverſurum ſpargebat, ſtatim atque Oſnabrugam adiiſſet, ubi & mox iterum adpulit.

Galli hanc declarationem clam Suecis faciunt. 26. Maji.

De quo Sueci querantur.

27. Maji.

29. Maji. De ſatisfactione Suecica.

§. 104. Eundem à tota Pomerania Suecis cedenda haut alienum fuiſſe ſupra diximus. Et

1646. Gallis perſuaſum erat, Succos eadem potituros, ut tamen Electori pro illa refuſio fieret, diſſerentes ſe in gratiam Reginæ, & acceleranda paci potius de ſuis poſtulatis quid remiſſuros, ut iſti tanto uberius ſatisfieri queat. Sed Brandeburgicorum Legatorum diſpar erat ſententia. Lœvvio Witgenſteinii pervicacia diſplicebat, qui & apud Succos propoſuerat, ut Electori loco Pomeraniæ inter alia Glogovienſis & Saganenſis ducatus in Sileſia daretur. Simul ut Principis ſui extremam ſententiam exquireret, ad ipſum proficiſcebatur.
7. Maji. 3. Maji. Aſt Witgenſteinius initio præter Rugiam, inſulam & præfecturas Bartham, & Tribſeſam nihil
25. Maji. offerre. Poſt Succis adſpernantibus citeriorem Pomeraniam annuere, ut tamen Electori paris
6. Jun. pretii terræ viciſſim darentur, totam Pomeraniam præfracte abnegare. Idem paulo poſt ab Electore ad ſe ſcriptas literas Succis oſtendit, quibus ſignificare hic juſſus eſt, ſe jam deprehendere quam fraudulenter Cæſarei cum ipſo agant: unde & alia ſibi conſilia ineunda fore. Tum ſcire cupiebat, num Regina, ſi pax procedat, parte Pomeraniæ contenta eſſe velit, & quid pro ea ſibi dandum? Aut bello continuato num Reginæ placeat arctius Electori jungi renovato armiſtitio, aut fœdere inito. Cui Oxenſtierna reponebat: Reginam utique toti Pomeraniæ inſiſtere, ut tamen eadem Electori abunde penſetur operam daturam, modo norit, quid ipſi præcipue arrideat. Sed neque de hoc, neque de conditionibus fœderis certi quid expromere volebat Witgenſteinius, niſi quod Halberſtadienſem præſulatum, de quo præter Glogoviam, & Saganum obiter mentio injecta fuerat, velut imparem adſpernaretur. Aſt Evangelicorum Ordinum ablegati, Altenburgicus, Vinarienſis, Luneburgicus, alii, cum, quæ ad extremum Succis ſuper ea re ſententia foederet, fruſtra expiſcari conati eſſent, demum ipſi ſententiam ſuam exponunt. Se quidem totam Pomeraniam Reginæ non invidere, cujus merita longe ampliora lubenter agnoſcant. Ac inter alia non diſſimulabat Lampadius, Domum Brunſvicenſem anno triceſimo eo redactam, ut è ſeptuaginta duabus præfecturis non niſi ſex illi ſuperfuerint; ſexaginta ſex à Cæſareis abreptas, ac hinc inde diſtractas: quarum recuperationem poſt Divinum Numen Succorum armis debeant. Tamen cum Brandeburgico parum conſtet, à quo refuſio ipſi præſtanda ſit, eum omnimodo totius Pomeraniæ ceſſioni obnixurum, quicquid demum ex pervicacia ſecuturum ſit. Unde videri ſibi, Reginam ſola Citeriore, aut ſi malit Ulteriore Pomerania adquieſcere poſſe. Ita Electori querendi, aut refuſionem petendi cauſam non fore. Nam ni Guſtavi Regis felicia arma interveniſſent, ne Marchiæ quidem poſſeſſionem ipſi turam fuiſſe futuram; nedum ut Pomeraniæ hæreditatem creturus fuerit. Saneadactum jam à Fridlando Pomeraniæ Principem, ordineſque provinciales, ut ſi Stralſunda Cæſaris voluntati reſiſtere pergeret, belli ſumtus, ac diſpendia ipſi exſolverent; quo nomine tantiſper Pomerania hypothecæ nomine detinenda fuerit. Magdeburgicum & Halberſtadienſem præſulatum ipſi ſuccedaneum dari commode non poſſe. Iſtius reditus totius Pomeraniæ proventum ſuperare; etſi hæc forte ſitu magis opportuno ſit. In Halberſtadienſem Luneburgicæ Domui jus eſſe, in ejus alienationem haut facile conſenturæ. Satis haberet Elector alterutram Pomeraniæ partem retinuiſſe: præſertim ſi meminerit, Majores ipſius ante centum abhinc annos Brandeburgicum, Havelbergenſem, & Lebuſienſem præſulatus non ſolum ad ſecularem conditionem redactos ſibi vindicaſſe, ſed & tributa ex iis Imperio debita detinuiſſe, in ſummam ingentem exſurgentia: quorum nomine, quæ adverſus ipſum competat actio jam extingui queat. Ejus quoque majores Boruſſiam Imperio avulſam Poloniæ ſubjeciſſe. Alii tamen, ac cum primis Caſſellani, majus erga Brandeburgicum ſtudium oſtendere, qui pro tota Pomerania præter Croſnenſem, Carnovienſem, Glogovienſem, ac Saganenſem Ducatus Halberſtadienſem quoque præſulatum, & poſt Adminiſtratoris obitum Magdeburgicum penſationis in vicem proponebant. 1646.

Evangelicorum Ordinum ſententia. 15. Maji.

§. 105. Quæ ſuper Commerciis ab Urbicis monita fuerant, Principalibus haut exaſſe probabantur. Ea de re in Magdeburgici ſententiam ſcripto conceptam cæteri diſceſſere. Diſplicebat illis Imperiales urbes ſeſe cum Hanſeaticis combinaſſe, cum harum ab illis diſpar plane conditio, & earundem multæ citra controverſiam Principibus ſubjectæ forent. Inuſitatum quoqe eſſe, Hanſeaticorum miſſis legatorum vocabulum tribui. Diſpoſitionem circa commercia primario penes urbes eſſe, id fraudi Cæſari, Principibuſque, quin & privatis fore. Unde ante omnia Cæſaris & Ordinum monita heic reſpicienda. Alias facile probabatur recens inventa onera in fluminibus abrogari, ac non niſi ab antiquo conſtituta vectigalia retineri: nec in poſterum nova introduci, aut vetera augeri niſi de Cæſaris & Ordinum ſententia. Manufacturas à ſolis Urbibus vindicari ferendum non eſſe, velut monopolium redolens. Non tamen repugnabant, quo minus fœdus Hanſeaticum, qua commerciorum commoditatem ſpectat, confirmetur, modo id Ordinibus fraudi non ſit. Reliqua facile probabantur. Enimvero Succis gratum fuit, ipſos Ordines ſeſe Hanſeaticorum poſtulatis quibuſdam opponere. Et ſcripſerat Regina Legatis, ut advertus iſtos Principibus faverent, quod Hanſeatici in bello Succos auxilio non ſublevaſſent: ac prima iſtius fœderis origo adverſus Septentrionalia Regna eſſet inſtituta; unde & florentibus ipſorum rebus ſemper litibus cum hiſce Regnis involuti fuerant. Sed nec obſcurum erat, Hanſeaticos abolitionem vectigalium in portibus Maris Baltici hoc bello introductorum quærere; quæ ut retinere conarentur Legati, à Regina juſſi erant. De commerciis Principum ſententia.

§. 106. A Legatis Succicis Reformati ſcripto petiere, ut ſuſpecta illa verba, *Si velint & quiete agant*, à Cæſareis ſuæ formulæ infarcta, utique expungerent, quippe queis nova fundamenta debilitandis Proteſtantibus jaciantur, diſſidiorum ſemine occulte ſparſo: Cæterum æque ſe pacis ſacræ & profanæ, quam alios Ordines, capaces, nunquam pace Auguſtana legitime excluſos. A Succicis Legatis non ideo ſui mentionem diſerte factam, velut nunc primum in pacem recipiendi ſint, ſed quia Catholici ſubdole ipſos eadem excludere ſategerint. Nec in univerſum Succos nova Evangelicis adquiſitum, ſed vetera conſervatum ire. Plane à præſentium conditione temporum abhorrere, Evangelicos in partes diſcedere, ac unam partem alteri impingere, quod deinceps anſam præbiturum ſit univerſorum vires frangendi. Multo minus per Catholicos excitatam controverſiam ſuper excluſione Reformatorum indecoram relinquendam, paratam turbandis Evangelicorum rebus materiam. Jam luculentam porrigi occaſionem Succorum providentia Reformatorum monita. 7. Maji.

Catho-

1646. Catholicis viam dividendis, & debilitandis Evangelicis in perpetuum intercludendi.

Palatinorum monita circa formulam pacis.

§. 107. Circa eandem pacis formulam nuper à Cæsareis exhibitam Palatini Legati plura notabant, quæ per existimationem & conscientiam ferri à se haut possint. Electorem neque delicti, neque proscriptionis in se factæ sibi conscium. Ipsum ex pacto majorum, ac per leges Imperii cum nativitate plenum jus ad dignitatem, & ditionem Palatinam adquisivisse; nec in parentem ipsius acta eidem fraudi esse, qui nulla judicii forma damnatus, nec ullius criminis legitime convictus sit. Eadem quoque una cum mani proscriptione cum ipso tepulta, & à Regibus Fœderatis semper improbata. Nec adparere, quare præter tanta mala tamdiu exhausta nunc dignitatem suam Bavaro relinquere debeat. Ditiones itidem vi legum & primogenituræ, non hæreditario jure ipsi deberi, quæ per injuriam tamdiu detentæ fuerint: unde eadem abolitis in contrarium actis in priorem statum reponi par esse: ac ab omni ratione abhorrere, eadem alienis debitis onerari. Sane Bavarum nihil ipsum poscere. Et si quid omnino in tertium devolvendum sit, id prius ad liquidum deducendum, ac num jure nitatur ea prætentio investigandum. In Germersheimentem præfecturam Austriacæ Domui nihil plane juris competere; nisi quod anno vicesimo primo per vim occupata, & hactenus possessa sit. Oppidum fortasse paucis cum vicis ab Imperio quondam pignori oppositum per Palatinos ex privilegio suo exsoluta forte in se translatum: de quo tamen nulla acta extent; & sufficere, quod Palatini eandem cum aliis pignoribus ab Imperio velut feudum agnoscant, ad quod tuendum Cæsar jurata ex capitulatione teneatur. Ludovicum Darmstadiensem anno vicesimo primo præfecturam Uzbergensem, & dimidiam partem communionis Umstadiensis ob ingruens ab Hispanis periculum à Regimine Heidelbergensi in depositi locum petiisse, quandocunque reposceretur, una cum reditibus restituendam. Post anno vicesimo tertio obtentu damni à Durlaceno & Mansfeldico exercitu mutationem possessionis à Cæsare astu obtinuisse. Cujus filius Georgius anno tricesimo quinto arcem oppidumque Caubam, & vectigal ibi Rhenanum per injuriam invaserit. Anno 1461. & 1463. loca quædam ad Viam Montanam in Fridericum Primum ob auxilia Archiepiscopatui Moguntino præstita titulo emptionis cum pacto adjecto de reluendo pro insigni summa pecuniæ translata; qualis translatio ex ejus seculi more oppignoratio solebat vocari. Ea per ducentos annos quiete possessa, nemine interim reluitionem offerente. Tandem anno vicesimo primo per Hispanos occupata Moguntinum eodem violentiæ vitio invasisse. Equidem anno vicesimo primo Archiepiscopum Joannem Schweickartum reluitionem Regimini Heidelbergensi obtulisse, nunquam tamen præstitisse; cui & post eadem ex mera donatione Cæsarea remissa dicatur. Præfecturam Neuenheimensem Joannem Carolum Comitem Schœnbergicum nuda Cæsarea donatione adquisivisse. Eadem temporum iniquitate Baronem Brœmserum vicum Gaulsheimum ad Rhenum, & Monasterium ad Næham à Ferdinando II. cum Palatinatus esset, occupatum. Hæ donationes si firmæ persistant, non nisi miserum Palatinatus sceleton superfuturum. Bona sacra per Hispanos & Bavaros occupata, post ex parte in Jesuitas, alios que translata, quæ una cum sacris in pristinum statum reponi Evangelicorum interest. Eninvero ne quid ponderis ea scriptio haberet, Bavarici sategere, qui Gallos cumprimis in partes suas pertraxerant, apud quos mire extollebant, quam præstabilem operam circa Regum satisfactionem navassent. Quo colore & Suecos sibi adjungere nitebantur. Sed & iidem quorundam Evangelicorum suffragia, Darmstadiensis, Bayrutensis, & Onolzbacensis promissa pecuniæ summa, tum Wurtenbergici ostentata plena suæ ditionis restitutione, conciliatum sibi ivisse dicebantur. 1646.

Bavarici contra nituntur.

§. 108. Inter hæc Electorales Saxonici Legati cum aliquamdiu Osnabrugæ egissent, ac interea neque Suecos ipsi salutassent, neque ab his salutati essent, tandem cum ab se initium faciendum esse cernerent, Suecis accessum suum denuntiarunt, petentes ut eodem, & non majore honore, quam Trautmansdorfius ipsis detulerat, exciperentur. Id quod & factum; ac interjecto die idem salutationis honos ipsis repositus. E sermonibus ipsorum colligebatur, iisdem haut placere amnestiæ initium ad annum decimum octavum retrahi, ne universum Ferdinandi II regimen damnari videretur: sed melius fore intermedium aliquem terminum constitui.

Saxonici Legati Suecicos juvant.

26. Maji.

§. 109. Circa idem tempus Croisius, qui aliquandiu Galliæ Regis nomine apud Transilvanum legatus fuerat, Monasterio Osnabrugam veniens ejus Principis literas Suecis ostendit, quibus de inconstantia & suspicione Turcarum Imperatoris querebatur, per quam necessitas sibi allata sit cum Cæsare transigendi. Ast hunc multis partibus à pacto discedere, inter alia quibusdam templis non restitutis, & nonnullis insuper ereptis. Unde se demum ad arma in Cæsarem sumenda pronum tessabatur, ingentes sibi pecuniæ summas deposcens, ac ut præsenti paci includatur. Legati Suecici hac de re ad Reginam relaturos se promittebant; simul expedire judicabant, ejus Principis studium in partes retineri, quoad pateret, quo res evatura sit, ut si Cæsar forte pacem abnueret, oblata societas in usus verteretur. Interim in destinatis suis clam obfirmandum, ac ipse animos ejus alendos, ut Cæsar ista suspicione perstrictus eo facilius paci se adplicet. Idem Croisius pro Electore Colonienti ut neutratum partium esse liceret ambibat, cui infusa tunc in Westphaliam Suecorum arma merum incussèrant; quam & Osnabrugensi Præsuli è præliminari pacto deberi contendebat. Ac de Colonienti quidem Legati rem ad duces bellicos rejiciebant; ad quos cum mittere vellet Elector, Cæsarei literas tuti itineris abnuebant. Nam metus erat, cum Brandeburgicus & Saxo jam apertas, Trevirensis tacitas cum hoste inducias agitarent, ne quarto nunc Electore eandem viam insistente Cæsar solus destitutus ad duras pacis leges compelleretur. Circa Osnabrugensem responsum; prævia conventione nil aliud cautum, quam ut inter Gustavum Gustavi F. & Franciscum Wilhelmum Præsulem res in præsenti statu permaneat. De cætero huncce leges neutralitatis haut quidquam observasse, sed quacunque datum fuerit Cæsareis auxilia submisisse, Suecis damna intulisse. Nec eo minus arma ab isto abstinenda Croisius contendebat, ne isthac occasione securitas Legatorum bello in vicinia desæviente turbaretur.

Ragozii novæ molitiones.

Colonienſis & Osnabrugensis neutralitatem affectant.

§. 110.

1646. Ulterior circa Amneſtiæ negotium.

§. 110. Trautmanſdorfio Oſnabrugam reverſo ſuper capitibus adhuc controverſis diſceptari iterum incipiebat. Ubi maximam difficultatem præbebat temporis Articulus, à quo Amneſtiæ principium eſſet faciendum, Sueeis Anno decimo octavo, Cæſareis tempori Pragenſi paci prænxo inhærentibus: quorum & hi diſerte teſtabantur, ſi Sueci ita obnixe ſuo termino inſiſtant, nullam pacis ſpem eſſe, quod Cæſar malit extrema tentare, quam Patris ſui acta plane ſubverſa videre. Inter illa de intermedio tempore proponebatur, ut Annus viceſimus quartus principium Amneſtiæ conſtitueretur, hac tamen lege, ut quibus per illum non conſulatur, qui tamen juſtas reſtitutionem petendi cauſas habeant, peculiariter ſatisfieret, eorumque mentio diſerte in pace exprimeretur. Id principium Cæſarei demum circa ſacra & civilia probavere. Sueci ab Ordinibus poſtulabant, ut extremam ſibi, à qua diſcedendum non foret, ſententiam panderent. Et Urbici quidem eum terminum probabant, quippe per quem quatuor ſuperioribus Circulis, tum Weſtphalico, & utrique Saxonico conſuleretur, præter Dunckelſpulam, & Biberacum, quarum querelæ ante Annum decimum octavum initium ceperant. Huic ſententiæ Electorales Saxonici, & ex Principalibus non pauci accedebant. Altenburgicus tamen, Vinarienſis, ac Luneburgicus decimo octavo Anno adhuc inſiſtebant. Galli quoque centebant, ſi Ordines iſtum temporis Articulum probarent, Cæſareis haec facile concedi, ac intermedium ſpatium acceptari poſſe. Sed Sueeis, cum non niſi de Anno decimo octavo in mandatis haberent, ad Reginam res referenda erat.

De ditionibus hæreditariis.

§. 111. Enimvero circa hæreditarias Cæſaris Provincias conveniri plane non poterat, Cæſareis jactantibus, Ferdinandum malle omnia ſubverti, quam pati, ut circa ſubditos ſuos lex ſibi dicatur. Indignum eſſe à Regina & Ordinibus talia tentari. Cæſari haut animum eſſe ſtatum Sueciæ refringere, aut Ordinum jura territorialia turbare. Idem à Regina expectare. Multo minus Ordinibus fas eſſe iſta poſtulare, cum omnes pari jure in ſibi ſubjectos gaudeant. Unde ſi Auſtriacæ Domui haec quædam præſcribere velint, deterioris hanc fore conditionis, quam infimum Ordinum, cum tamen ea inter Principes primum locum ſortiatur. Inprimis hanc rem Trautmanſdorfius magna cum contentione agebat, non ſolum apud Sueeos, ſed
25. Jun. & præcipue apud Evangelicos, quibus ad ſe evocatis declarabat: Cæſarem neque vi, neque commodo ad iſtud permotum iri. Publicum exercitium Auguſtanæ Formulæ in ditionibus Cæſareis cauſam eſſe omnium malorum, quibus Germania conflagraverit. Inde ortas turbas Bohemicas, aliarum Provinciarum ſeditiones, à Palatino acceptatam Bohemicam Coronam, & omnium ſequentium malorum catenam. In Regno Bohemiæ vix centum ſupereſſe Auguſtanæ Confeſſioni addictos, paucos quoque in reliquis Provinciis reſtare, præter aliquot Nobiles in Auſtria, ad quorum ſacra Cæſar ſemper connivere ſit ſolitus. Omnes igitur haſce difficultates ab Exulibus Bohemicis proficiſci, quibus cavendum tamen ſit, ne ea res demum exitio vertat, Cæſarque reliquos eorundem reditus millionem excedentes in fiſcum redigat, bello continuando impendendos. Cui ab Evangelicis reſponſum; Conſcientiæ ſuæ grave fore hanc cauſam plane deſerere: nec vitio ſibi dari poſſe, ſi eadem ſacra profeſſorum miſeriam ſaltem intercedendo ſublevare conentur. Aſt Sueeici Legati, cum nondum ab Anno decimo octavo diſcedere liceret, *Literas* quas vocant *Majeſtatis* à prioribus Cæſaribus conceſſas ingerebant, queis frui ſubditos Provinciarum hæreditariarum par ſit. Reginam ferre non poſſe, illorum conſcientias tam aſpero jugo ſubjici. Cæſari leges non præſcribi, ſed id tantum poſtulari, ut Provinciales rite quæſitis juribus ac Privilegiis relinquantur. Sed Cæſarei ſententiæ ſuæ inhærere, poteſtatem reformandi ſacra cum jure territoriali connexam oſtendere, ac nil niſi flebile migrandi beneficium in octo aut decem adhuc annos prorogandum indulgere. 1646.

Nova Catholicorum ſuper gravaminibus declaratio.

§. 112. Super Gravaminibus Catholici conſtituerant non amplius cum Evangelicis colloquia agitare, ſed Trautmanſdorfio, Collegiſque ipſius eam rem committere; cui & ulteriorem ſuam declarationem, quam vocabant, exhibebant, per quem illa Evangelicis tradebatur. Ubi primo loco hanc conditionem præmittebant; cum Evangelicis ex hac tranſactione plus emolumenti, quam antea habuerint, accedat, ipſi viciſſim decreto Ratiſponenſi circa Amneſtiam adquieſcerent. Bonorum ſacrorum poſſeſſio in centum Annos à die concluſæ pacis indulgebatur, interim actiones Catholicis eo nomine competentes ſuſpenderentur, via facti in perpetuum præcluſa. Reſervatum Eccleſiaſticum immotum perſiſteret. Mediata bona ſacra, quæ Catholici die 12. Novembris Anno 1627. poſſederint, aut adhuc poſſideant, ubicunque ſita ſint, una cum hominibus Eccleſiaſticis, ſacris, juribus ac reditibus ſuis relinquerentur, nec à Proteſtantibus turbarentur. Salvæ tamen manerent inter utriuſque religionis conſortes ſuper his factæ tranſactiones peculiares, ut & res judiciali ſententia deciſæ. Manerent Pontificii menſes ſui, & quæ collationes per Concordata Germaniæ ipſi competunt, uti & Cæſari primariæ preces. Poſſeſſores illorum præſulatuum Evangelici Annatas & Jura pallii, quæ Catholici Papæ, Cæſari exſolverent. Catholicis Canonicis illorum præſulatuum ſtatis horis ſacra ſua colere liceret. Eorundem poſſeſſoribus à Cæſare poſt præſtitum homagium indultum adminiſtrandi concederetur. Circa ſeſſionem & ſuffragium in Comitiis hactenus receptus mos permaneret. Circa Imperiales urbes Pragenſi pace ſtaretur. Equeſter Ordo in poſſeſſione vel quaſi exercitii religionis, quæ 12. Nov. ſt. n. Anno 1627. fuerit, permaneret. De jure emigrandi diſponere penes Ordines eſſet, circa quod Catholici æquam moderationem polliceabantur. Eccleſiaſtica Juriſdictio etiam circa cauſas matrimoniales ſuſpenderetur, ſi utraque pars Auguſtanæ Confeſſioni ſit addicta. Circa reliqua Epiſcopis ſuum jus permaneret. Gravaminibus Eccleſiaſticis hoc conventu deciſis, ac rite diſpoſitis reditibus ad ſuſtentationem Judicii Aulici & Cameræ Spirenſis, pluribus dicaſteriis opus non fore. Præſentatio Judicum hactenus recepta manerer; in cauſis tamen ex pace religionis deſcendentibus ſemper pares numero utriuſque Religionis judices ſederent. Cæſar quoque certum numerum Aſſeſſorum Evangelicorum Curiæ Aulicæ adſcriberet. Denique in Comitiis circa cauſas religionis major ſuffragiorum pars ne prævaleret.

Evangelicorum ad eam reſponſio.

§. 113. Aſt Evangelici, queis cauſam ſuam ſolis Cæſareis committere haut tutum videbatur, quæ ſua circa iſthæc ſententia foret, illis juxta ac Sueeis ſcripto tradebant, iſtamque his commendabant,

ut

1646. ut tamen inſciis Ordinibus & abſque eorum conſenſu nihil ſtatuerent. Eo ſcripto rejiciebatur conditio à Catholicis præmiſſa, velut à præſenti negotio aliena, nec ipſis Catholicis proficua, ſi actiones ex injuriis ante triceſimum Annum ſibi illatis firmæ adhuc perſiſterent. Et quare quieti patriæ per Amneſtiam Ratiſponentem conſultum non ſit, alibi ſat manifeſte demonſtratum. Negabant quoque Evangelici ex hac tranſactione emolumenti quid ſe capere, cum Catholicis præter tres Electoratus triginta tres Epiſcopatus, & ſeptuaginta una Prælaturæ maneant: Evangelicis contra ſedecim duntaxat Epiſcopatus, & ſex Prælaturæ inter Ordines Imperii locum ſortitæ relinquantur. Nec ſufficiebant ſexaginta Annis additi quadraginta, quibus elapſis Catholicis actio ſalva maneret, nulla mentione amicæ compoſitionis facta. Ab Anno quoque octavo decimo ad viceſimum ſeptimum multa contigiſſe Evangelicis noxia, quæ ad priorem ſtatum reducenda ſint. Par quoque eſſe, ut ſepoſito Reſervato Eccleſiaſtico ejuſmodi æqualitas conſtituatur, per quam quicquid juris Catholici in ſuis ditionibus exerceant, id Evangelicis quoque ſuis in Provinciis permiſſum ſit. Alias prius propoſita hinc inde illuſtrabantur. Circa primum gravamen monebant; Præſulibus ad alia ſacra tranſeuntibus pro dignitate, ac præſulatus captu ad vitam reditus, quibus ſuſtententur, aſſignandos. Id annuebant, ut qui Catholicorum Canonicorum numerus Anno decimo octavo fuerit, deinceps permaneat; Evangelicis tamen ad Catholicorum beneficia ſacra acceſſus non plane intercluſus ſit. Simul monebant, in quibuſdam Cathedralibus ſedibus familias nobiles urbanas Doctores, alioſque idoneos viros excludi; id quod emendandum. Evangelicis in bona ſacra ſuis in ditionibus ſita, quorum poſſeſſio Anno decimo octavo penes Catholicos fuit, recepta jura permaneant. Circa ſubditos Evangelicos Catholicorum Ordinum inprimis mentio fieret Equeſtris Ordinis; Urbium, ac incolarum Præſulatuum Mindenſis, Oſnabrugenſis, Halberſtadienſis, Hildeſienſis, Monaſterienſis, Paderbornenſis, Fuldenſis, Eichſfeldiæ, & Corveienſis Abbatiæ: tum Erfordiæ, Huxteræ, Hilpolſteinæ, Heideccæ, & omnium Neoburgici ſubditorum, ut ſi quæ pacta ſint inita, libertatem ſacrorum & conſcientiæ illorum lædentia, irrita declarentur. Sulzbacenſis quoque Palatinus una cum ſubjectis in ſtatum Anni decimi octavi reponatur, abolitis à Palatino Wolfgango Wilhelmo in contrarium actis. A ſolo dominio directo, aut jure gladii jus reformandi ſacra ne dependeat, nec hoc obtentu circa ſacra in feudis quidquam novetur. Edictum Anni viceſimi noni hoc modo ultro corruiturum judicabatur. Circa juſtitiam unum adhuc dicaſterium poſtulabatur, cujus ſedes Halberſtadii aut Hildeſiæ eſſet, quoad Magdeburgum inſtauratum ſit, ac ita quidem, ut judicio Aulico Circuli Auſtriacus & Bavaricus, Cameræ Spirenſi uterque Rhenanus, Franconicus, Suevicus, & Burgundicus, novo tribunali uterque Saxonicus & Weſtphalicus ſubjiciatur.

Saxonicorum ſententia. 5. Jan.

§. 114. Aſt Saxonici Electorales, etſi nihil in mandatis ſibi datum ferrent, velut privato auſu reliquis inſciis novum temperamentum Trautmanſdorfio propoſuere: ut circa bona ſacra, via facti in perpetuum excluſa, via juris centum ad Annos ſuſpendatur; qui ad alios centum prorogentur, ubi interim res amice tranſacta non fuerit. Reſtitutionem ab Anno viceſimo quarto faciendam: ſi qui ante eum annum læſi fuerint, illis pro re nata conſulendum. Evangelici Præſules ad Comitia & alios Imperii Conventus vocentur, cum ſuffragii jure. Ferdinandina quoque declaratio Anno 1555. d. 24. Julii Auguſtæ data valida ſit. Bohemis, Moravis, & Auſtriacis liber ſit juxta Auguſtanam Formulam cultus; ac nominatim Egræ, quæ Imperialis Urbis ſit. Sileſia, & Uratislavia urbs tanto magis in priſtinam conditionem reſtituatur, quod Elector Saxoniæ ex Cæſaris autoritate fidem ſuam interpoſuerit. Jus emigrandi Evangelicis ex pace Religionis plane liberum ſit. Majora ſuffragia in contributionibus non valeant, niſi quando adverſus Turcam auxilia ſunt conferenda. Judicium Aulicum concurrentem cum Camera Spirenſi juriſdictionem retineat, qua cedere Cæſari ignominiæ ſit futurum: utrinque tamen utriuſque Religionis aſſeſſores pari numero ſint. Contra Trautmanſdorfius cenſebat; quæ ſuper Provinciis hæreditariis peterentur, concedi non poſſe, niſi quod jus emigrandi ad octo Annos prorogari, excurſus ſacrorum cauſa ad vicina Evangelica loca tolerari, & in Sileſia Duces ac Ordines, exceptis Ducatibus ad Cameram Cæſaream devolutis, Religioni ſuæ relinqui poſſint. Evangelici Præſules ad Comitia admiſſi certo loco conſideant, & Adminiſtratorum vocabulo nuncupentur. Catholicorum circa jus emigrandi, ſubditoſque reformandi cum Evangelicis par poteſtas ſit. A dominio directo, ac jure gladii jus circa ſacra ne dependeat. Controverſiæ circa negotia Religionis non niſi amica ratione componantur. Equeſter Ordo ac Imperiales Urbes in ſtatum Anni viceſimi ſeptimi circa ſacra reponantur. Minda, Oſnabruga, & Halberſtadium penes ſuos Epiſcopos maneant. In omnibus negotiis Eccleſiaſticis via juris in centum annos, via facti in perpetuum ſit excluſa. Quicunque Epiſcopus ſeu Catholicus ſeu Evangelicus ſacra mutaverit, Præſulatu excidat, nec alimenta ipſi ex eo debeantur; excepto tamen vetere Magdeburgici Præſulatus Adminiſtratore. Patritii & Doctores in præſulatibus, ubi id moris eſt, recipiantur. Nobiles Evangelici in Mindenſi & Oſnabrugenſi præſulatu tolerentur. Ut in conventibus Deputatorum par ab utraque religione numerus ſit, in Comitiis definiendum. Certum numerum Aſſeſſorum Evangelicorum à Cæſare in Judicium Aulicum adoptandum, quo negotia ullo modo religionem ſpectantia pari ab utraque religione aſſeſſorum numero peragantur. Iſthæc inter ſe & Trautmanſdorfium acta cum Saxonici Evangelicis communicarent, ac ſententiam eorum exquirerent, nonnullis quidem propoſita temperamenta non adſpernanda videbantur, quæ hinc inde adhibita lima demum admitti poſſint. Sed quia Saxonici interpoſitionem in controverſia gravaminum affectare videbantur, id pleriſque diſplicebat, qui eam operam ſemel Suecis delatam retractare nolebant. Unde hac de re per Altenburgicum & Luneburgicum Suecis ſignificant, ut ſi forte Cæſarei ſequenti tractatione ad Saxonicorum ſententiam provocent, illis præmeditato occurri poſſit.

Trautmanſdorfii ſuper hac declaratio.

Evangelici Saxonicorum interpoſitionem declinant.

15. Jul.

Catholicorum nova declaratio. 2. Jul.

§. 115. Catholici dehinc conſilio habito novam declarationem circa gravamina concinnabant; cujus initio optabant Cæſareum ſuper Amneſtia edictum validum perſiſtere, quippe per modum publicæ conventionis inter utriuſque religionis Ordines ſancitum. Sed circa amneſtiæ initium annum viceſimum quartum probabant. Poſſeſſionem

1646. sionem bonorum sacrorum ad centum annos indulgebant; interim amica compositio tentaretur, & ante hanc neque actio, multo minus via facti susciperetur, nisi de norma, juxta quam hoc negotium decidendum sit, conventum fuerit. Quæ hoc conventu transigenda sint, pro perpetua declaratione pacis sacræ habeantur, ad plenam utriusque religionis compositionem valitura. Reservati Ecclesiastici vocabulo omisso res ipsa exprimebatur, & ut Catholicus Præsul sacrorum professione mutata præsulatu excideret; quod tamen de præsulibus Evangelicis ad Pontificia sacra transeuntibus omittebatur. Circa præsulatus Evangelicis restituendos neutra pars nomine fructuum perceptorum, damni, aut impensarum quid prætenderet. Tribus tamen Præsularibus à Trautmansdorfio jam exceptis Verdensem addebant. Menses Papales, & aliæ collationes, quæ anno vicesimo quarto usu adhuc receptæ fuerunt, Pontifici; Annatæ, ac Jura pallii, simul primariæ preces Cæsari reservabantur. Id quoque indulgebatur, ut Evangelici possessores præsulatuum, queis libera adhuc electio, & status haut mutatus pertisteret, nominatim Magdeburgensis, Bremensis, Lubecensis sub titulo electorum Episcoporum ad Comitia, & alios Conventus publicos vocarentur, sed loco separato considerent, & post Catholicos pari dignatione sententiam dicerent, electi tamen indultum in Aula Cæsarea intra annum & diem requirerent, eoque obtento Cæsari sacramentum dicerent: simul Capitulis jus eligendi liberum permaneret. Circa pluralitatem beneficiorum penes Evangelicos fore, quid statuere velint: Catholicos dispositionem juris Canonici, ac placita Pontificis secuturos. A mediatis bonis sacris, quæ penes Evangelicos manere deberent, excipiebantur illa, quæ notorie extra territorium occupantium sita, aut aliis Catholicis Ordinibus incorporata forent. Contradicebant quoque illis juribus, quæ Evangelici in cœnobia Catholica suis in terris sita sibi arrogaverant. Circa jus emigrandi priori sententiæ insistebant, quod Ordinibus velut superioritate territoriali gaudentibus jus reformandi competat; & uti subditus cum læsione conscientiæ sub Principe aliquo habitare non teneatur; ita nec Principem teneri eos, qui reformationem subire abnuunt, in territorio suo tolerare. Augustanæ urbis status circa religionem maneat, qualis ipsius deditione fuit constitutus; civibus tamen Evangelicis liberum sit templum unum, & alterum usibus suis extruere. Circa reliqua cum iis, quæ à Trautmansdorfio proposita erant, conspirabant.

Catholici Gallorum favorem captant.

§. 116. Cæterum quanquam Catholici juxta ac Evangelici harum controversiarum arbitrium Cæsareis ac Suecis certo modo detulerant: tamen illi Gallis insuper suam causam commendare aggrediebantur, quorum suffragio facile Evangelicis se prævalituros sperabant. Enimvero uti Cæsari displicebat Evangelicos cum Suecis separatas tractationes suscepisse, eoque fine peculiarem deputationem constituisse: id quod per literas istis exprobrabat: ita non minus molestum erat Catholicos Gallis se innexum ire. Nam si Galli è Catholicorum parte gravaminibus Ordinum se ingererent, jam res Gallico, non Austriaco auspicio processuræ erant, & quantum autoritatis & gratiæ Gallis in Germania accrescebat, tantundem Austriacis decessurum erat. Ast Evangelici, cum alias haut difficulter longe plura obtenturi viderentur, sibi ipsi obstabant, dum in partes digressi sententiis dissident. Nam Urbici, ac quidam Principalium de Altenburgico, Luneburgico, Magdeburgicis, & quibusdam aliis querebantur, velut qui perpetuos Ordinum Deputatos se tulerint, Legatos Suecicos accesserint, de maximi momenti rebus insciis aliis deliberare, ac scripta concipere ausi sint, ab Urbicis aut aliis Principalibus nunquam probata. Inprimis centum annis, quos Catholici offerebant, adquiescebant, nec necessarium judicabant, etiam post elapsos illos perpetuam suspensionem juris & facti pertendere. Pacem in diebus nostris orandam: posteris sua tempora curæ fore. Equidem probandam eorum intentionem, qui pro perpetuitate pugnent. Simul tamen tempora, & rei obtinendæ difficultatem respiciendam, ac exitium multis imminens, ni moderata consilia locum inveniant. Satishaberent, si rescissis rebus judicatis & transactis suum cuique restituatur, ac Evangelici Præsules suffragium in Comitiis obtineant. Sed nec esse, quare annum decimum octavum ita obnixe urgeant, cum vicesimus quartus sufficere possit, præsertim cum intra illos annos enormiter lætis ad peculiarem restitutionem aditus pateat. Sed nec Ordines novo tribunali tantopere indigere, modo priora rite disponantur, pari numero ex utraque religione Assessoribus constituto. Ea res conjecturam præbebat, ob dissensionem Evangelicorum, & quia posterioribus duobus scriptis Catholici non spernendas conditiones obtulisse videbantur, Evangelicos potius quam pacem amittant easdem acceptaturos esse.

Satisfactio Suecia vocatur.

§. 117. Nuper exhibita pacis formula quæ Cæsarei Suecia Reginæ obtulerant, ob additas durissimas conditiones magnis adhuc difficultatibus implicita hærebat. Nam circa præsulatus Cæsarei dejerabant, neque in Cæsaris, neque Pontificis potestate esse istos ad secularem conditionem redigere. Circa totam Pomeraniam autem, & Wismariam Cæsar iis quorum intererat assensum suum reservaverat. Enimvero non hi solum, sed & universi Ordines negabant penes Cæsarem esse hoc modo aliquid in alterum transferre. Ac testabantur Brandeburgici, nunquam Electorem in alienationem totius Pomeraniæ consensurum. Quin & iidem de citeriore provincia decerpere quid conabantur, oblata denuo Rugia & paucis præfecturis. Saltem spes erat quæ trans Penam fluvium sita sunt retinendi. Ac scripserat Elector 1. Jun. ad Culmbacensem Marchionem; utut forte jure ac dominio suo in Pomeraniam cedere adigatur, volentem tamen Domui suæ nihil condonaturum. Quin & à Pomeraniæ Ordinibus milli jactabant; se etiam quam maxime heic audiendos, nec inconsultos ad pecorum instar alienari posse, antequam vinculum, quo Electori obstringantur, legitime dissolutum, ac de privilegiis suis sibi cautum fuerit. Sed & iidem super cultu religionis Evangelicæ sibi caveri volebant, & ut patrimonialia Principis bona ad veteres usus revocarentur, præsidia oppidis deducerentur, nova vectigalia & tributa abrogarentur, antequam homagium præstare tenerentur. Tum ut Caminensis præsulatus integer persisteret, ne numerus Ordinum provincialium, Prælatis, Nobilibus, & oppidis constans abolitis Prælatis imminueretur. Eam ob causam Cæsarei ad veteres conditiones revoluti petebant, ut Succi expensis quæ totius Pomeraniæ cessionem comitentur difficultatibus, citeriore Pomerania contenti sint. Cum satius sit hanc cum aliis egregiis provinciis accipere,

14. Jun.

Evangelici heic dissentiunt.

Cæsareorum sententia.

1646. re, quam ejusmodi additamentum affectare, quod stabilem & quietam possessionem reliquorum omnium turbare queat. Domum Brandeburgicam non solum in se potentem esse, sed & Saxonicam Hallicamque pacto *confraternitatis* eidem innexas offensum iri. Vicinos Polonos, Danos, Moscos, alios eo nomine invidia uri, ex qua non Pomerania solum, sed & tota Germania turbis involvi posset.

Quam Galli probant. Eandem sententiam Galli quoque fovebant, qui ad futura tempora respiciendum, ac ut diuturna possessio stabiliatur censebant. Se quoque ampliores pro Gallia conditiones obtinere potuisse, sed ultro Regi suo moderatiora consilia ingessisse; quæ & non sine adplausu probata sint. Enimvero Sueci postulato suo de tota Pomerania inhærere; ac abunde mediorum esse Electori redhostiendo. Alias satis nosse, malevolos Reginæ vel minimam fortunæ accessionem ægris oculis adspicere, quæ etiam tota Pomerania remissa non ideo minore invidia laboratura sit. Nec mirum eos quorum interest repugnare, cum nemo nisi majoris mali metu suis rebus cedat. Tanto magis necessum esse, ut suæ securitati prospiciant, & ita res suas disponant, ut invidi vel nolentes ad pacifica consilia flectantur. Reginæ culpa Imperio nihil turbæ oriturum esse: quin potius si ipsa prout postulatur inter ejus membra recipiatur, ad ejusdem tranquillitatem & incrementum omnem operam collaturam. Hoc modo totam Pomeraniam petere persistentibus nil aliud supererat, quam neglecto Brandeburgici consensu à Cæsare eandem accipere, hac tamen lege, ut Ordines cum Cæsareis instrumentum Pacis subscriberent, ac ad evictionem Reginæ præstandam se obstringerent.

Sueci abnuunt.

Circa Wismariam nova propositio. §. 118. Nec magis in Wismariæ alienationem Meclenburgicus consentiebat, qui non tam protestationibus, quibus parum profici judicabat, quam precibus rem gerere instituebat. Se Reginæ ac Regno Sueciæ maximopere obstrictum, cujus solius auxilio ditiones suas recuperarit. Eo magis sperare, eandem integrum sibi beneficium præstare malle, quam pretiosissimam ejus partem decerpere, quæ sola turbidis temporibus Ducali familiæ asylum præstare queat. Liberam duntaxat & tutam stationem Sueciæ classi quovis casu eo in portu offerebat, quæ publica Imperii lege confirmanda sit. Cæsarei tamen & alii Evangelici longius progressi Reginæ offerebant, ut ipsa ac Dux æquo jure urbi portuque imperarent, qua ratione utrique consultum fore. Nec deerant ex Evangelicis, loco Wismariæ, si eam Suecis relinquere cogeretur, Duci Raceburgicum Præsulatum dandum censerent. Sed intercedebant Luneburgici Cellenses obtentu pactorum inter Domum Cellensem & Gustrovienssem, quibus cautum sit, ut ejus præsulatus administrationem istæ Domus alternis vicibus obtinerent.

Galli plura postulant. §. 119. Ast Galli, quo Cæsarem eo facilius ad Brisacum concedendum inducerent, tam huic quam Bavaro fidem dederant, eo obtento statim sese concluturos. Sed ubi Brisacum extorsissent, Philipsburgum, de quo prioribus scriptis dissimulaverant, jam aperte sibi omnium cum indignatione deposcebant: etsi ut eo minor invidia esset, præsidii jure contentos se fore declarabant, Dominio penes Præsulem Spirensem manente. Addebant & decem Imperiales urbes in Alsatia sitas, & ad Hagenoicam præfecturam Provincialem pertinentes, Colmariam, Schletstadium, Hagenoam, Weissenburgum, Landaviam, Ehenheimum superius, Turcheimum, Keisersbergam, Monasterium in Gregorii valle, & Rosheimum, una cum Comitibus & Equestri Ordine ejus Provinciæ. Dictas quippe urbes non uti Argentoratum & alias pleno jure Imperiales esse, sed Austriacæ Domui ob præfecturam Hagenoicam certis legibus, per quas *Suprematus* ipsarum non nihil decedat, obnoxias: quæ jura jam in Galliam, ad quam reliqua Alsatiæ allodiali jure devolvantur, sint transferenda. Id si obtinere nequeant earum loco quatuor oppida Sylvestria deposcebant. Cæsarei contra Sundgoviam & Alsatiam pleno Dominii jure in Gallos transferre constituerant, nullo amplius feudi à Cæsare vinculo; cujus rei causam scisitantibus Legatis Suecicis hanc Trautmansdorfius fallus erat; ut Gallos, quibuscum alias multa sibi discepranda sint, à consiliis Imperii excluderent, & post data occasione eam Provinciam iisdem iterum eripere possent meliore prætextu, quam si aliquo adhuc vinculo Germaniæ innecteretur. Sic enim haut opus fore, ut Ordines ejus defensionem suscipiant, si Hispani eam Provinciam recuperatum eant. Sed urbes illas decem alienare penes Cæsarem esse negabant. Nec digerere poterant, oppidis Sylvestribus insuper sibi decedendum fore. Ea re tamen inter Cæsareos, & Gallos disceptata, hi Archiduci Oenipontano ob cessam Alsatiam tres florenorum milliones trina pensione promisere, dimidia quoque parte æris alieni, quo Alsatia obstringebatur, in se recepta. Tum de postulatis suis nonnihil remittere, ac utramque Alsatiam, Suntgoviam, & Brisacum, Philipsburgumque, cum decem urbibus Alsaticis, aut earum loco quatuor Sylvestribus deposcebant: quo casu millionem florenorum priori summæ addituri sint. Tum Cæsari imminente à Turca periculo certam pecuniæ summam annuam, ac bello exorto decem millia militum suo sumtu alendorum in auxilium offerebant. Denique prætensioni in Benfeldam, si illa à Suecis præsulatui Argentoratensi restitueretur, desistebant. Ad has conditiones paulo moderatiores Galli artibus Trautmansdorfii permoti credebantur, qui Olnabruga Monasterium reversus rumorem sparserat, Suecorum satisfactionem jam ad liquidum perductam: cui fidem adhibentes Galli in ambiguo hærere, ac invidiam per immoderata postulata retardatæ pacis in se derivare nolebant. Sed post, re penitius intellecta, verba sua retractare cupientibus honestus color deerat.

1646. 15. Junii.

De satisfactione militum. §. 120. Quod reliqua pacis capita attinet, circa stipendia militum Trautmansdorfius initio conficiebat, illos post conclutam pacem junctim adversus Turcam ducendos. Sed cum Sueci ostenderent, milites novam expeditionem non suscepturos, ni super priore satisfactum ipsis fuerit, ad quod ingenti pecuniæ summa opus sit: idem proponebat, Circulorum alios Cæsareis & Bavaricis, alios Suecicis hoc fine assignandos. Circa subscriptionem Instrumenti Pacis Regiis placebat, eam non à Cæsare solum, sed & ab Ordinibus faciendam, ut hoc modo ad evictionem contra quosvis etiam ipsum Cæsarem, si contra faxit, præstandam se obstringerent. Contra Cæsarei soli Cæsari subscriptionem vindicabant recepto antiquitus more, ac Cæsarem solum utique pacem cum Turca, Dano, Gallis, Mantuano non ita pridem subscripsisse: adprobationem Ordinum sequentibus Comitiis accedere posse. Quod si Regii suo petito insistant, Cæsarem pari jure postulaturum,

De subscriptione Ordinum.

1646. ut & utriusque Regni Ordines subscribant. Enimvero ingens discrimen inter Imperii, & Regnorum Ordines Cæsareis demonstrabatur. Hanc quippe subscriptionem ad jus belli & pacis pertinere, in cujus partem Ordines Imperii veniant. Unde & eosdem pro jure suffragii in hisce tractatibus tantopere pugnasse, atque id demum obtinuisse. Igitur qui simul cum Cæsare tractaverint, eosdem una cum illo ad subscriptionem admittendos. Turcica bella adversus Regnum Hungariæ gesta quibus Imperium auxilia submiserit, eoque Cæsarem pacem cum Turca velut Hungariæ Regem subscripsisse. Circa tractatus Danicos, Mantuanos,& similes vel Ordinum Imperii parum interfuisse, vel eorum præteritionem commune Imperii gravamen esse, non minus ac Pragensem negotiationem, tantorum malorum causam. Nec opus esse ratihabitionem in Comitia differri, cum præsens conventus sat celebris sit. Æquilibrium, quod Ordinibus inter partes bellantes temperandum sit, Cæsari æque ac sociis Regibus commodo cedere; cum Ordines arma arripere adversus quemcunque teneantur, qui pacem infregerit. Denique si exemplum ejusmodi subscriptionis non extet, hanc deinceps inter exempla fore; per quam jus belli & pacis Ordinibus competens adversus Cæsaris contradictionem luculenter adstruatur. Et in hac re Ordinum Legati cum Regiis conspirabant, qui & Suecis Osnabrugæ eandem impense commendabant; ac jam formulam mandati conceperant à Principibus suis sibi expediendi, ubi tractatus ad optatum finem vergere adpareat, ex quo citra moram subscriptione perfungi possint.

Galli ad separatos tractatus sollicitantur.

§. 121. Inter hæc cum Sueci toti Pomeraniæ insisterent, ac inducias abnuerent, à quibus Galli non abhorrere videbantur, qui & Citeriorem Pomeraniam acceptandam suadebant; Cæsarei ansam inde arripuere Gallos si possent à sociis avellendi. Quos per Mediatores hortabantur; ad propositas nuper conditiones mentem suam prolixius explicarent, nec ita stricte fœderatis adhærescerent, qui absque ipsis satisfactione potituri sint. Tum ut inducias inirent, postquam res jam ad pacem spectare videatur. Quorum utrumque à se rejectum fuisse Galli Rosenhahnio profitebantur.

8. Jun.

Tractatus inter Gallos & Hispanos continuatio.

§. 122. Inter hæc negotiatio Gallorum & Hispanorum parum proficiebat, nisi quod Hispani quatuor oppidis antea oblatis, Landrecio, Hesdino, Bapaumæ & Damvillieno adderent Comitatum Arteliam, & Ruscinonensem, Rosas, Perpiniacum, & Theonvillam. Quibus Galli adquiescere nolebant, etsi Trautmansdorfius jactaret Ruscinonensem agrum toto Navarræ Regno pretiosiorem esse. De cætero quærebatur Contarenus, Pignerandam nimis Hispanico genio indulgere, nec captui præsentium se temporum attemperare nosse. Tractabiliorem fuisse Savedram, cui major rerum extra Hispaniam usus. Hunc quidquid posset remoræ objicere, & ne minimam quidem rem suscipere, nisi peculiari ex aula mandato. Qui &, cum nil quod responderet superesset, peculiari cum gestu hæc verba velut vaticinabundus ex oraculo depromebat: *Deus est potens, causa ipsius agitur.* Excepta etiam ejus vox fuerat; si credidisset eo rem redituram, ut Rex suus Artesia & Ruscinonensi Comitatu tam prerioſis Coronæ suæ ornamentis cedere cogeretur, se brachium ut sibi abscinderetur prius passurum, quam ex Hispania digrederetur. Quia porro Hispani

Dios es poderoso, la cosa à fuya.

metuebant, ne Cæsarei pacem Germanicam deproperarent ipsorum causa neglecta, eos tractatus quantum possent remorari satagebant. Unde cum intellexissent, satisfactionem Gallicam circa Brisacum potissimum adhærescere, Cæsareis suggerebant; sibi certo constare, Gallicam Aulam sola Alsatia absque isto oppido adquiescere decreviſſe. Et Gallicos Legatos sola privata ambitione duci ad Brisacum expoſcendum, ut plus quam in mandatis habeant confecisse dicantur. Cum hic astus non succederet, Cæsareis persuadere laborabant, ut ne Germanica pax concluderetur, nisi & sua cum Gallis pace perfecta. Nec eo minus ad invidiam Gallis faciendam rumor ab istis didebatur: à Gallis id agi, ut Germanica negotiatio cum Hispanica implicetur. Id quod Ordinibus Imperii Evangelicis cumprimis non parum scrupuli injiciebat. Unde per Deputatos à Suecicis Legatis petebant, ipsis conatibus apud Gallos obviam irent. Etsi enim Hispaniæ Rex ob Belgium, Burgundiam, & Mediolanum Imperio aliquatenus sit conjunctus, eoque nomine ab Ordinibus causam suam suscipi aliquoties petierit; tamen Ordines istis controversiis huc usque immiscere se noluisse, velut quæ non ex Imperio aut dictis provinciis, sed ex Hispania originem suam trahant. 1646.

De tractatu inter Hispanos & Hollandos.

§. 123. Facilius tractatio inter Hispanos, Belgasque Fœderatos videbatur procedere; quorum hi cum super induciis proponerent, ad eas Hispani pronos se ostendebant, modo Galli non admiscerentur. Contra Belgæ ab initio haut aliud præ se ferebant, quam se ulterius quam Gallos progredi non posse. Addiderant aliquas conditiones, velut quod Hispani ipsos liberos agnoscere populos debeant, in quos nihil juris etiam post elapsas inducias prætendendum ipsis sit: tum ne hostilia cessent, nisi allata Regis Hispaniæ ratificatione, & alia similia. Quanquam autem tractatus inter Gallos & Hispanos quiescerent, horum tamen negotiatio cum Belgis procedebat, utraque parte in id negotium prona. Hollandia cumprimis provincia acri in pacem studio rapiebatur, ac Hispanis favere incipiebat, ut pacem separatam omnino aucupari videretur. Quæ res apud Gallos non modicam suspicionem excitabat, præsertim cum secreto res à Belgis ageretur, qui non inficiabantur; injunctum sibi ab Ordinibus Generalibus, ne actorum suorum exemplum Gallis communicarent. Eoque isti querebantur, haut sincere secum à Belgis agi; si Hollandi pacem occupent, sibi quoque cum Hispanis, quibus alias pares futuri non sint, transigendum. Saltem istos præpropera pacis cupidine Galliam intempestive ad pacem pertracturos. Uti tamen acriter instantibus Gallis tractationem cum Hispanis tunc suspenderunt, quoad pari cum illis passu procedere possent: ita adparebat, ab Hispanis id quæsitum, ut spe propinquæ transactionis ejus æstatis expeditionem eluderent; quem scopum etiam magna ex parte assequebantur. Eodem tempore Belgici 11. Jun. Legati ad Suecicos Osnabrugam Secretarium mittebant qui hisce Reformatorum causam, tum plenam Palatini restitutionem commendaret, & ut Evangelici ac Reformati Nobiles in Monasterienſi præsulatu, ac reliqua Westphalia exercitio suæ religionis gaudeant, ac ad beneficia Ecclesiastica, & munera civilia admittantur. Simul ut controversia super Pomerania cum Brandeburgico amice componatur; ac Hassicus miles Orientali Frisia educatur. Circa Pomeraniam à Suecis repositum: Sibi nil aliud quæsitum, quam fulcrum

1646. crum Evangelicorum causæ struere, cui si opus sit inniti queant, idq; bona cum Electoris, & agnatorum gratia. Ad quam rem ipsi quoque operam collaturi sint, parem promptitudinem à se vicissim experturi. Sed de Frisico negotio responsum: Magnopere causæ communis interesse, arma Landgraviæ sustentari. Per ea ingens periculum ab ipso Comite averti, quod alias ipsum ab adversa parte maneat. Quicquid oneris id sit, jam finem in propinquo esse: tot per annos patienter tolerata, exiguo adhuc tempore ferri posse. Si frænum ille mordeat, Hassos occupata vi tuturos: nec Reges fidissimam sociorum deserturos.

Temperamentum circa causam Palatinam.

§. 124. In Palatina causa circa dignitatem Electoralem duplex temperamentum proponebatur, ut vel hac alternis à Bavarica, & Palatina Domo gereretur, vel ut Carolus Ludovicus octavum Electoratum, & ultimum in Collegio locum obtineret. Quorum hoc Evangelici Ordines Legibus Imperii repugnare censebant, eoque priorem rationem potiorem ducebant, ut Maximiliano Bavaro ejusque filio Palatinus Princeps, inde Bavarus, Palatinusque alternis succederent. In quam sententiam etiam Sueci inclinabant, ut tamen Maximilianum statim Carolus Ludovicus exciperet, si quidem Galli, uti adparebat, studere Bavaro pergerent. Cæsareis contra posterius probabatur, ac ipse Bavarus alternationem plane aversabatur, quod per eam Palatinis ansa præbeatur semel partam dignitatem retinendi, id quod, uti ferebant, jam ante trecentos annos variis artibus effecerint Bavarica Domo exclusa; quæ nova bellorum causa futura sit. Et hanc sententiam Legatis Ordinum quos alternæ dignitati favere constabat, scripto significabat. Cui & Galli succinebant, omni studio Bavarum sibi devincire satagentes. Inter hæc Palatini Neoburgici Wolfgangi Wilhelmi Legati super Principis sui jure protestari, quod ipsi ex legibus Imperii, ac pactis familiæ per Cæsares confirmatis ad Electoralem dignitatem annexasque ei ditiones sit quæsitum, de quo & ipse, paterque & avus à Cæsaribus investituram acceperit. Eaque pacta non ad solum casum lineæ Heidelbergensis per mortem extinctæ pertinere, sed ad hunc etiam, quo Fridericus V. suo facto dignitate & ditione excidisse feratur: cum circa successiones pluribus simul adquisitas unius factum alteri fraudi esse nequeat. Imo jam Anno 1620. Ferdinandum II. Neoburgico investituram super eo succedendi jure promisisse: & cum ipse post de investitura Bavaro concessa quereretur, eundem Cæsarem declarasse, id eidem fraudi non fore, eamque clausulam literis investituræ Bavaro datis inseri curasse. Id jus ut Principi suo sartum tectum maneret, idem legatus Neoburgicus apud Suecos instabat. Enimvero ista apud Ordines, ac præcipue apud Cæsareos parum ponderis habere sentiebantur. Cui & magnam apud Evangelicos invidiam excitabat ostensa in Sulzbacenses cives austeritas, quos iste ob deductum ministri aulici Augustanam formulam professi funus atpero edicto increpaverat.

Neoburgici petitum.

27. Jun.

Lis inter Urbes Imperiales & Equestrem Ordinem super Præcedentia.

§. 125. Eodem tempore ab Imperialibus Civitatibus scriptum vulgabatur, Wolfgango Gemmingio oppositum, qui Ordini Equestri præ Urbibus digniorem locum nuper vindicatum iverat. Eo inficiabantur, perpetuo usu receptum, ut Equester Ordo ante Urbes in actis Imperii nominetur; cum in contrarium exempla extent, & ista quondam promiscue usurpata reperiantur. Nec Equestrem Ordinem ante annum 1619. super hoc negotio Urbibus litem movisse; unde & his nullam antea causam fuisse de præposteto aut promiscuo scribendi ordine querelam movendi. Cæterum Urbes dignatione Statuum Imperii citra dubium Equestri Ordini præpollere. Quo nomine & prior Urbibus locus in Conventu Noribergensi Anno 1619. & Francofurtano Anno 1631. & 1634. Nobilibus frustra contradicentibus, relictum. Nec Imperiales Urbes velut privatos homines considerandos, sed velut respublicas & universitates, cum inseparabili dignatione Status Imperii, quibus una cum Electoribus & Principibus sessio & suffragium in Comitiis competat. Episcopos quoque & Prælatos humiliore loco ortos ob dignitatem Ordinibus Imperii adhærentem præferri illis, qui alias natalium præstantia præcellant. Exemplo quoque Helvetiorum & Italicarum civitatum constare, Respublicas liberas tam conjunctim quam divisim Nobilibus præferri. Quin Comites, Barones, & *immediates* Nobiles in quibusdam urbibus jus civitatis adeptos, ac alicubi in Senatum receptos, quosdam civilem subjectionem subiisse. Dari in quibusdam urbibus antiquissimas familias, quæ si velint in societates Ordinis Equestris recipiantur, ac ad ludos Equestres nullo contradicente admittantur. Quid in aliis Regnis receptum sit, huc non pertinere, cum alibi dignatio Urbium Imperialium non reperiatur. Absurde à Gemmingio postulari, ut Nobilibus ob militarem functionem faveatur. Nam milites non velut Ordines, sed velut privatos stipendia facere, & longe plurimos urbibus oriundos castra secutos, qui non minus strenue quam Nobiles rem gesserint, nec gregariorum loco habendi sint. Nec ambitione se duci, sed ut jura Ordinum in solenni hoc conventu, libertati quam maxime instaurandæ destinato, imminui ne patiantur. Cæterum & occultus metus Urbicis suberat, ne hoc ipso suffragium ipsorum decisivum, quod Moguntinus in dubium vocaverat, labefactaretur. Nec eo secius Principales in Equestris Ordinis partes inclinabant. Ac Moguntinis intellecto ab Urbicis id affectari, ut Instrumentum Pacis futurum priore præ Nobilibus loco subscriberent, apud Trautmansdorfium ne id fieret contendebat, velut legibus Imperii & consuetudini adversum. Quod & hic facturum se recepit. Sed & Principales nupero scripto super Gravaminibus ordinem in pace Augustana observatum secuti caput de Equestri Ordine præmiserant, addito tamen, id urbibus præjudicio non fore. Urbici contra per Francofurtanum legatum Gallis exemplum ejusdem scripti, in quo Urbes Nobilibus præpositi erant, Monasterii exhibendum curaverant, ut si Nobiles, quod Osnabrugæ gestum fuerat, pro actu possessorio allegare vellent, Urbes Monasteriensem actum opponere possent.

1646.

Inter Suecos Gallosque suspiciones.

§. 126. Inter hæc apud Suecos suspiciones in Gallos gliscere, quod Turennius Wrangelio jungi cunctaretur, cujus tamen spe cum hic longius Rhenum versus se penetrasset, tota Cæsareorum & Bavaricorum mole circumfusus non sine periculo hærebat. Qua de re Legati Succici apud Gallos graviter querebantur, præsertim cum nuntiatum esset, Turennium jussum deserto bello Germanico in Belgium vertere. Contra Galli testari, Turennii cunctationem sibi molestam; nec tamen inficiabantur, ipsum ex aula mandatum accepisse à Wrangelio cognoscendi, num hic ipsius

1646. præsentia per mensem exsequendo alibi arduo negotio carere posſit; ut tamen citra ejusdem consensum nihil susciperet. Succos itidem insciis Gallis è Germania in Daniam bellum transtulisse. Sed cum Turennius conjunctionem cum Wrangelio necessariam judicet, se quoque isti suasisse, ne illam amplius differat. His utut specioſe dictis haut quidquam plena fides à Suecis adhibebatur, qui sedecim Annorum experientia didicerant, Gallos Suecorum progressus in Catholicorum ditionibus nunquam æquis oculis adspexisse: & uti prolapsas ipsorum res sublevatum iverant, ita insigniter florentes clam subruere sategisse; nec mergi ipsos, nec emergere voluisse. Tum malle ut adversus Cæsaris ditiones arma vertantur, quam adversus Bavarum, quem tot licet acceptis ignominiis ingenti studio colebant. Unde credebatur, ea Turennii cunctatione id quæri, ut Wrangelius Bavaria, quam tunc invadere meditabatur, divertteretur. Suspicionem augebant Briennæ Comitis literæ ad Avaugurium, à Cæsareis interceptæ, & Suecis aliisque communicatæ; è quibus constabat, ægre ferre Gallos Bavarum peti, cui ut terror incutiatur, sibi non ingratum: sed serio eundem plecti, & paci & religioni Catholicæ noxium futurum. Unde Avaugurius monebatur, istud clam & velut proprio instinctu impedire. Nec abnuebat Longuevillius, ad Turennium super hac re, etsi non à se, scriptum fuisse. Illæ suspiciones uti Cæsareorum animos non parum erigebant; ita cum paulo post adpareret, Succos etiam absque Turennio hosti sustinendo pares esse, iidem non parum iterum deprimebantur.

Oxenstiernæ congressus cum Gallis Monasterii.

§. 127. Porro jamdudum res requirebat, ut Regii Legati inter se colloquerentur super responso ad Cæsareorum duplicam, & exhibitam pacis formulam; ac jam Aprili mense Suecis placuerat congressum intermedio loco Lengrichæ institui. De quo cum Gallis proponeretur, Longuevillius initio pronum se ferre, ac ut paucos intra dies fieret, optare. Mox moras nectere, velut negotio prius matura deliberatione discutiendo, aut quod Lengrichæ non satis idonea hospitiorum facultas, quorum commodissimum jam Succi occupaverant. Et cum Galli extra vicum illum prætorium Nobilis cujusdam sibi delegissent, nova quæstio surgebat, utri alteros prius salutare deberent. Nam quia vicus ille propius Osnabruga quam Monasterio distat, Galli postulabant, ut Succi velut priores ad istum locum perventuri, prius ipsos salutandi causa adirent. Id quod, si sors ita ferret, ut priores ibi adpellerent, Succi non abnuebant; sed ut ad id stricte tenerentur, id vero nolebant. Vicissim Avauxius & Servientus tenuitatem hospitiorum adspernabantur, velut valetudini suæ adversam, ipso Longuevillio mollitiem eorundem cavillante. Revera tamen cupiebant Suecos Monasterium ad ipsos accedere. Unde & illi recepto mori inhærere satius ducebant. Quia tamen Legati Gallici hactenus singuli duntaxat Osnabrugæ fuerant, ambo Succi illos primi Monasterium accedere nolebant; simul ne forte hac occasione præcipua negotiorum Monasterium pertracta ibi decideretur, aut Catholici quædam ibi extunderent, quæ Evangelicis fraudi forent. Igitur eo demum solus Oxenstierna profectus est. Colloquio habito Galli primo de studio Regis sui in pacem prolixe testabantur, modo illa honesta & tuta foret. Pium esse, & Christianissimi Regis titulo dignum effusioni sanguinis Christiani modum statuere. Gallos in universum pacem anhelare, ac belli oneribus deferiscere; Clericos cumprimis tributa detestari in Ecclesiæ Romanæ detrimentum impendenda. In Italia Papam Hispanis proclivem, ac Principes novum fœdus agitare, ut Gallia tot undique ingruentibus hostibus par futura non videatur. Belgas Fœderatos secreta cum Hispano negotiatione ipsorum consilia non parum turbare, qui ubi transegerint, res Galliæ maximis difficultatibus intricari. Helvetios quoque novam Gallorum viciniam in Alsatia haut æquis oculis adspicere. Oxenstiernam haut segnius Reginæ pronum in pacem animum extollere: postquam spes sit, valitis Austriacorum consiliis jam compressis libertatem Germaniæ constitutum iri. Haut minora Sueciam belli incommoda sentire. Germaniam exhaustam, & bello alendo imparem: milites quoque diuturni laboris tædia cepisse. Et erat utique per tot delectus exhausta viris Suecia; nec consultum videbatur tot victoriarum fructum inter incertam fortunæ aleam diutius relinquere. Sane ipsam Reginam ingens pacis desiderium tenebat mansuetudine ingenii, & quia stabiliendæ domi autoritati pacem expedire judicabat, ac ne ab illis dependere necessum haberet, qui ob usum rerum consiliis, ac regendis exercitibus dimoveri non poterant. Cum inde capita pacificationis discuterentur, adparebat Gallos reliqua præter satisfactionem leviter expendisse, aut exigui momenti ducere. Amnestiæ & restitutionis initium ab Anno vicesimo quarto Gallis capiendum placebat. In Palatina causa Cæsareorum sententia circa dignitatem Electoralem iisdem probabatur. Circa ditiones satis haberent Palatini, inferiorem Provinciam haut mutilatam, ac superioris partem recuperasse; reliquam Bavaro in solutum perpetuo jure dandam. Nec tàt honorifice de ipso Carolo Ludovico loquebantur, qui tantum Regum favorem nullo suo facto meritus sit. Contra Bavari animum, potentiam, opes, ac administrationem magnis laudibus extollebant, cujus amicitiam magis quam Palatini conservare, ac eundem adversus hunc fulcire rationis sit. Circa jura Ordinum utrinque placebat delenda illa verba Articulo quinto: *Salvis iis, quæ ad Electoris & Collegium Electorale solum pertinent, & salvis eorundem juribus & præeminentiis*; aut distincte ista jura exprimenda. Gravaminibus Ordinum Galli parum tangebantur, ac videbantur ista indecisa malle, quod è re ipsorum non esset Ordinum animos per concordiam coalescere. De commerciis quoque ad Suecos rejiciebant. De satisfactione jactabant, Alsatiam sibi emendam, & ex reditibus cessarum terrarum vix usuras erogatæ pecuniæ redire. Suecis suadebant ut dimidiam Pomeraniam, Bremam, Verdamque & Wismariam cum eorum quorum interest consentu accipiant. In totius Pomeraniæ alienationem Brandeburgicum nunquam consensurum. Circa Landgraviæ satisfactionem se non minus quam circa propriam connixuros, excepta tamen Paderborna, & aliis bonis sacris; ac insignem pecuniæ summam eidem procurandam. Quid emolumentorum militibus suis quærerent, Succi dispicerent; nam de his nisi pro Germano suo milite se non laboraturos. Circa assecurationem pacis placebat, Ordines quoque se obstringere ad tuendam pacem, si forte illam à Cæsare violari contingat. Reliqua non ejus esse ponderis, ut pacem morari debeant. Tandem videbatur responsum scripto concipiendum, capitibus

24. Jun.

in

1646. in quatuor claſſes digeſtis, idque ocyus Cæſareis exhibendum: ſed prius Legatos Regios medio loco congreſſuros ad ſcripta mutuo communicanda, ne ejusmodi inæqualitas qualis circa primam propoſitionem obtingat. Et hæc tunc Monaſterii inter Regios Legatos agebantur. Oxenſtiernam Monaſterium abeuntem Saxonici, Witgenſteinius, & plerique Evangelicorum Ordinum Legati eodem ſequebantur, quod crederent, ibi pacem concludendam, aut ſaltem pleraque controverſia decidenda. Unde & Oxenſtiernam acriter urgebant, ut Salvium eodem evocaret. Aſt ille ſalva dignitate Reginæ, ac ſine detrimento ſummæ rerum id non fieri poſſe perſpiciebat. Catholicis Ordinibus ob acceſſum Evangelicorum non parum ſuperbiæ acceſſerat. Trautmansdorfius, & alii adverſæ partis ob infaustos Gallorum in Belgio caſus, & dilatam Turennii conjunctionem tepide pacem, & non ſine faſtu tractabant, quod ſperarent exercitus citra pugnam non ſeparandos, ac ante conjunctionem Suecos clade aliqua caſtigandos. Unde, prout fortuna favente conſueverant, circa omnes Articulos ceſſim velut ibant. Quod ſi ſumentibus ſpe ſucceſſus Cæſareorum animis uterque Legatus Suecicus deſerta ſede ſua Monaſterium abiiſſet, videri poterant diffidentia rerum ſuarum pacem quibuscunque legibus emendicare. Unde Salvium Monaſterium venire haut placebat. Et Evangelici, cum opinionis ſuæ falſos ſe cernerent, paulatim Oſnabrugam remearunt; quo & paulo poſt Oxenſtierna rediit, cum Salvio formulam pacis adornaturus.

8. Jul.

Cæſaris & Saxon. literæ ad Evangelicos.

14. Jun.

§. 128. Aſt Cæſar, cum adpareret Evangelicos cauſæ ſuæ præſidium fere in Suecorum favore repoſuiſſe, literas ad Altenburgum, Vinarienſem, & Luneburgicum Duces dedit, quorum Legati præ reliquis cum Suecicis conſilia ſociaverant. Illis oſtendebat, Ordines ideo à ſe ad hunc conventum vocatos, ut promovendæ paci Legatis ſuis conſilio adſiſterent, non ut cum ſuis ac Imperii hoſtibus ſeparatas negotiationes miſcerent, eoque fini peculiares Deputationes conſtituerent. Unde ut ſitos talia omittere juberent poſtulabat. Idem quoque ad Saxoniæ Electorem ſcribebat, ut pro ſua autoritate illis conatibus per ſe ac Legatos ſuos obviam iret, ac eo rem deduceret, ut tam amplis conditionibus à ſe circa Amneſtiam & gravamina jam oblatis adquieſcere velint. Cui Cæſaris poſtulato obtemperans Elector datis ad eosdem Principes literis demonſtrabat: Principes in Comitiis Ratisponenſibus ac Deputatione Francofurtana jus ſuffragii circa tractatus pacis non alio fine tam ſolicite quæſiviſſe, quam ut Cæſari eo expeditius reducendæ paci conſilio adeſſent, non ut ſeparata conſilia cum exteris coquerent. Addebat, Catholicos jam amore pacis hactenus ceſſiſſe, ut primaria cauſa belli Anno triceſimo primo moti ſublata ſit. Circa reliqua haut quidquam tantum in mora periculum videri, ut eadem utique ſub clypeo decidenda ſint. Nec eſſe quod à Gallis auxilii quid expectent, quos conſcientia ſua non permittat Catholicos ad plura concedenda armis ſuis adigere. Suecos quoque inopia, hoſtiumque oppoſitis copiis premi, Polonos valida arma parare, Batavos ob Pomeraniæ translationem, & Friſiæ hoſpitia ægreſcere. Danos ob nuper extortam pacem, ereptamque Bremenſem Provinciam infenſos. Quæ omnia ſuadeant, ne Suecorum favori

14. Jun. nimium confidant. Enimvero his haut permoti Evangelici reverſo Oxenſtierna per Deputatos quid Monaſterii actum ſit communicari ſibi petunt, cauſamque ſuam denuo commendant. Quos Legati Suecici conſtanti animo eſſe, & occaſione res ſuas ſtabiliendi, forte nunquam reditura, dextre uti jubent. 1646.

Nova Evangelicorum circa gravamina declaratio.

*§. 129. His animati Evangelici re inter ſe deliberata haut ita temere poſtulatis ſuis cedere conſtituunt, ac recens conceptam declarationem Cæſareis exhibent, additis precibus, ut ſuper illa diſceptationem cum Suecis ingreſſi rem ad optatum finem perducant. Quibus Cæſarei reſpondent: ſe haut quidquam rem immediate cum Suecis pertractandam ſuscepiſſe; ſed duntaxat eandem apud Catholicos, ſicuti Sueci apud Evangelicos, promovere voluiſſe. Id cum à prioribus Cæſareorum promiſſis abire videretur, Evangelici citra moram Suecis exemplum ſuæ declarationis offerunt, ac ſua commoda denuo Reginæ impenſiſſime commendant. Ejus ſcripti exordio diſplicebat, à Catholicis Amneſtiam Gravaminibus miſceri, illamque huic tractatui velut conditionem inſeri. Fundamenti loco ſubſternebatur tranſactio Paſſavientis, & pax Religionis, cujus perpetua declaratio hicce tractatus eſſe debeat: tum ut omnimoda æqualitas inter utrique religioni addictos ſervetur, & per vim atque arma adverſus neutram partem unquam procedatur. Circa ſacra omnes in ſtatum Anni viceſimi primi reponendos, abolitis in contrarium actis: nec tamen ante id tempus lætos excludi, nominatim Palatinum Ludovicum Philippum, qui & ipſe in priorem poſſeſſionem tam circa ſacra quam civilia mittendus ſit. Duraret hæc tranſactio in centum annos, quibus labentibus aut elapſis amica conventio ſuſcipiatur, quid circa immediata bona ſacra faciendum, nec via juris prius incatur, quam ſuper judice & judicio, tum norma legis, & proceſſus convenerit. Interim Reſervatum Eccleſiaſticum valeret, idque circa utrique Religioni addictos; ac ut alimenta idonea illis præbeantur, quibus ob mutata ſacra munere ſit cedendum: Electiones in Præſulatibus Evangelicis fierent ex veteribus ſtatutis, modo nihil in ſe contineant Auguſtanæ Confeſſioni adversum: electi præſulatus hæreditarios ne facerent, & liberum Capitulis eligendi jus maneret. Menſes Papales in illis duntaxat præſulatibus concederentur, ubi Catholici Capitulares dicto tempore pariter admiſſi, & ubi in horum locum alius ſurrogandus. Annatas, Jura Pallii, & confirmationum exigere ne liceret. Preces primarias Cæſar obtineret, ſed ut in locum Evangelicorum non niſi Evangelicos præſentaret. Evangelici Præſules ad Conventus Imperii vocarentur, ac ſuffragio, priſtinoque loco potirentur, ac controverſia inter Magdeburgicum & Salisburgenſem jam componeretur. In Capitulis mixtis numerus Evangelicorum Capitularium maneret, qui dicto Anno viceſimo primo fuerit. Qui plures præſulatus ſit nactus, illos dum viveret retineret. In poſterum ſinguli ſingulis, aut ſi reditus tenues ſint binis, ternisve ſint contenti. Mediata bona ſacra prout Anno viceſimo primo poſſeſſa ſunt, in perpetuum poſſiderentur, ſub quibus & pignoris loco poſſeſſa comprehenderentur. Immediatus Equeſter Ordo, ipſiusque ſubjecti libertati ſacrorum relinquerentur. Imperiales urbes tam in ſacris quam civilibus ſtatu Anni viceſimi primi deinceps frueren-tur. Urbi Auguſtæ peculiariter cavebatur, ut & Dunckelſpulæ, Kaufbeuræ, & Biberaco, ante

1646. dictum annum læſis. Egra quoque ac Donavverta veteri libertati reſtituerentur. Civibus Aquisgranenſibus publica ſa[illegible] Evangelica, & aditus ad munia paterent, prout ab anno 1578. ad 1598. habuerunt. Evangelici ſubditi Catholicorum Ordinum publicum religionis ſuæ exercitium, quod dicto anno, aut antea ex pacto, privilegio, uſuve diuturno quæſiverunt, retinerent, eodem exuti idem recuperarent. Nominatim heic mentio fiebat Nobilium, Oppidorum & ſubditorum in prælulatibus Mindenſi, Osnabrugenſi, Halberſtadienſi, Hildeſienſi, Monalterienſi, Paderbornenſi, Fuldenſi in Eichsfeldia, & Corveia Abbatia, tum & Erfordiæ, Duderſtadii, Huxteræ, item Hilpolſteini, Heideceæ, & aliorum Neoburgicorum ſubditorum. In Sileſia ſacra publica, quæ dicto anno viceſimo primo fuerant reſtituerentur, prout id ab Electore Saxoniæ ex mandato Cæſaris promiſſum. Nec minus Bohemiæ Regno & provinciis Auſtriacis ſacra Auguſtana indulgerentur, exulesque bonis ſuis reſtituerentur. Fruetur Sulzbacenſis Palatinus, ejusque ſubditi, ac vidua Palatina Hilpolſteini relidens libertate ſacrorum, prout anno viceſimo primo fuit, abolitis à Neoburgico contra actis. Reliqui ſubditi Evangelici, queis ad ſacra ſua publice exercenda jus non ſit quæſitum, migrandi neceſſitas ne adferatur, niſi ultro velint; interim ſacra intra privatos parietes, aut apud vicinos exerceant, nec dereriore quam alii conditione habeantur. Dominium directum, jurisdictio criminalis, jus centenæ, & ſimilia poteſtatem ſacra reformandi ne largirentur. Jurisdictio Eccleſiaſtica adverſus Evangelicos Ordines, eorumque ſubditos plane tolleretur. Denique prius poſtulata repetebantur de æquali Deputatorum numero inſtituendo tertio dicaſterio, & ne majora ſuffragia in cauſis religionis, tributorum, & ubi Ordines non ut unum corpus, ſed in partes Evangelicorum & Catholicorum diviſi ſpectantur, valerent.

Brandeburgicus ſeparatos tractatus ſuper Pomerania offert. 17. Jul.

§. 130. Brandeburgici Legati expedito Suecorum colloquio nomine Electoris ſeparatos tractatus ſuper Pomerania obtulerant, Gallis & Belgis Fœderatis mediationem obituris. Queis Sueci poſtero die reſponderunt ſe inter communem pacificationem, ac præſentem rerum faciem nullum locum ejusmodi tractatui relictum videre, nec ſuper eo quidquam in mandatis ſibi datum. Multo minus tam ſolennem mediationem acceptare ſibi fas eſſe. Nec vero tractatu opus eſſe, cum toti Pomeraniæ inſiſtere juſſi ſint. Ad quæ Wirgenſteinius reponebat; Cæſari ea, quæ Electoris ſunt, alienare nefas; atque idem Trautmansdorfium agnoviſſe. Electorem nunquam ad cedendam totam Pomeraniam conſenturum. Si Regina id pertendat, ipſum Deo atque tempori cauſam ſuam commendaturum. Eadem Lœvvius ab Electore revertus repetebat. Obtinuerant quoque Brandeburgici ab univerſis Evangelicis, ut Deputatione tredecim legatorum in hac cauſa apud Suecos intervenirent. Hi magna cum verborum modeſtia exponebant, hautquidquam emolumenta Reginæ impeditum venire, ſed quia ea res diſſidii anſam inter Reginam & Electorem paritura videatur, idoneum temperamentum commendare. Queis pari humanitate occurſum. Ad extremum tamen ferebant, ſe Electorem ad cedendam utramque provinciam permoturos, viciſſim Suecis & Brandeburgicis conſilio & opera adfuturos, ut Elector paris pretii ditione potiatur. Eodem modo & qui à Monaſterienſibus Ordinibus ad Suecos in eadem cauſa ablegati erant, dimiſſi. Nec eo minus Brandeburgici obnixe totam Pomeraniam abnuere, nec de æquivalente ditione mentionem velle facere, quamdiu Sueci ſuo poſtulato inſiſterent. Eum ſitum eſſe Pomeraniæ ad alias Electoris ditiones, ut omnem æſtimationem ſuperet. Quin præſtare Suecis partem provinciæ volente, quam totam invito Electore accipere. Quam nec absque validis præſidiis obtinere liceat ob invidiam Poloni, Danique & Hanſeaticorum: quibus alendis provincia ipſa haut ſuffeceritac ſi ſumtus è Suecia ſupplendi ſint, eam provinciam Reginæ oneri fore. Quod ſi parte Pomeraniæ contenta eſſe velit Regina, Electorem arcto amicitiæ fœdere jungi eidem cupere: Ulteriore provincia Citeriorem adverſus Polonos tegi, reliquorum invidiam delituram Ordines provinciales libenter Reginæ imperium ſubituros; præſto fore tutelam totius Germaniæ: ita modico ipſi præſidio opus fore. Eadem opera Wirgenſteinius Reformatorum cauſam Suecis commendavit, ac ut amicitia inter Evangelicos conſtituta perpetuum fœdus in Pontificios ſanciretur. Hoc poſtulatum ſolenni Deputatione repetebatur, ac id maxime videbatur quæri, ut iſti ex aſſe æquarentur illis qui Formulam Auguſtanam nulla variatione amplectuntur, jure quoque circa ſacra disponendi macti. Cui poſtulato non Catholici ſolum, ſed & alii Evangelici obſiſtebant, veriti, ne Reformati ipſorum quoque ritus extirpandi anſam quærerent. Sueci autem de Reformatis non niſi laxioribus verbis propoſuerant, ac ut omnes Ordines in ſtatum anni decimi octavi reponerentur. Id ſi Reformati obtinerent, à ſe nil amplius deſiderari poſſe centebant. Nam ſi tunc jus reformandi citra controverſiam obtinuiſſent, rem claram eſſe: ſin dubium tunc fuerit, oſtendebant, ſe id aliis Ordinibus invitis obtrudere non poſſe.

1646. 27. Jul.

Reformatorum poſtulata. 17. Jul.

16. Aug.

Inter Hiſpanos & Hollandos acta.

§. 131. Aſt Monaſterii tractatio inter Hiſpanos Belgasque expedite procedebat. Ubi hicce agendi modus fuerat obſervatus, ut ſtatim atque de aliquo capite conveniſſet, quorum ſeptuaginta amplius erant, idem ligillatim ſubſcriberetur. Poſt ne qua ſchedarum amitteretur, omnia in unum ſcriptum redigebantur, cui & aliquot è Belgis nomina adpoſuere, addito, ut quæ nunc tranſacta, ſuo tempore inſtrumento pacis inſererentur. Eo cum ſcripto quatuor è Legatorum numero, inter quos Adrianus Pavvius præcipuus iſtorum autor, Hagam profecti ſunt, magnam ſpem oſtentantes ratihabitionis brevi adferendæ. Equidem provinciæ, quarum Legati non ſubſcripſerant, iſta ſibi haut probari teſtabantur: ac ipſa Hollandia, quæ præ reliquis tractatui promovendo inſtiterat, agnoſcebat, nullam cauſam fuiſſe negotium præcipitandi; quid tamen ſolidi ſubeſſet dubitabatur. Sane conſtabat in conſeſſu Ordinum Generalium quoſdam diſſeruiſſe, haut abs re fore, ſi ipſi ſeparatam pacem præciperent, per quam Cæſari Hiſpanoque ſpatium detur fœderatorum Regum progreſſus ſiſtendi, quorum incrementa nimium gliſcant prægravi exercituum vicinia & imminuto commerciorum cultu. Quin manifeſto pellucebat eorum invidia, quorum artibus Succicus exercitus in Germania prope in periculum præcipitaverat; ac expeditio in Flandriam ſucceſſu caruerat, dum Aurelianenſem & Enguianum Duces ſpe rei per Arauſionenſem gerendæ pellectos Belgæ deſtituerant.

Galli

§. 132. Permovit ea res Gallos, ut & ipſi circa pa-

1646. tractatum suum properant.

pacem cum Hiſpanis ſatagerent: cui conciliandæ [illegible]di operam ſuam obtulere; ſimul Gallos ſtimulabant, ut & hi crederent, cum Hiſpanis brevi pacem coaliturum. Sed propius tangebat Sueços, quod ſuper Gallorum emolumentis inter hos atque Cæſareos magno ſtudio ageretur. Equidem ad menſem uſque Auguſtum frigidos ſe geſſerant Cæſarei, non ſine moleſtia Gallorum nativo ingenii fervore lentorem ejuſmodi averſantium. Ac ſatis patebat, Cæſareos felicem ſucceſſum armorum ſuorum captare; ſimul Hiſpanos ſolos bello implicitos deſtruere nolle. Unde & hanc ſuæ pacis conditionem ſtatuebant, ſi & Hiſpanica pariter concluderetur; nam & ad Alſatiam Hiſpano hæreditarium ius competere, qui nihil ſuper eadem amice cum ipſo tranſactum fuerit, Franckendaliam è manibus haut amiſſurus ſit. Unde & proteſtationem apud Mediatores interponebant, ni Galli Hiſpanos tractatibus includere velint, ſibi decretum negotiationem abrumpere. Sed cum ſors belli ſecius cecidiſſet, abdicatis Hiſpanis media citra hoſce cum Gallis tranſigendi circumſpicienda erant. Equidem oſtendebat Trautmandorffius, ſe domum diſceſſurum; ac jam itineri dies dicta erat, literæque tuti itineris a Regiis petitæ, obtentæque, non quod ſerio rem ageret, ſed ut Gallis ad maturandos tractatus calcar ſubderet. Nec minus mediatores diſceſſum minabantur, ni ſerio magis res agatur. Quibus moti Galli ſpem æquiorum conditionum faciebant. Unde iſti acrius indies inſtare: ut tractationem reſumerent, exprobrantes, nimium ipſos ſociis adhærere, quibuſcum velut pacem adſpernantibus
11. Aug. nulla tranſigendi ratio ſuperſit. Nec Galli ab eo negotio alieni erant, quo invidiam retardatæ ob privata tua commoda pacis amolirentur. Cæſareis autem ſpes erat, ſi cum Gallis tranſactum foret, Sueços ad moderatiores conditiones acceptandas compelli poſſe.

Satisfactionis Gallicæ leges.

§. 133. Ita Gallis Cæſarei offerebant primo Præſulatum Metenſem, Tullenſem ac Virodunenſem cum Urbe Meti, eodem modo Galliæ deinceps ſubjectos futuros, ſicuti antehac Imperio fuerant; ut tamen prior ſtatus maneat, ac Virodunenſis Epiſcopatus penes Franciſcum Lotharingiæ Ducem velut legitimum Præſulem relinquatur; quibus Pignarolum, & Moyenvicum accedebat. Secundo Briſacum cum adſitis oppidulis Hochſtædio, Impſinga, Harta, & Achera, ſalvis tamen privilegiis. Tum Superiorem & Inferiorem Alſatiam, Sundgoviam, & præfecturam provincialem in decem urbes Imperiales Alſatiæ cum omnibus iuribus, ſalva religione Catholica, uti antea ſub Auſtriacis fuerat, & abolitis, ſi quæ per bellum novata ſint. Tertio ut Gallis Philipsburgi perpetuum præſidium certo numero habere liceat, quod Regi Galliæ ſimul & Spirenſi Epiſcopo ſacramento obſtrictum, ſed à ſolo Rege alendum ſit. Hac ſatisfactione Galli adquieſcebant: ſed ſecundo capiti adjiciebant, ut reſtituræ à Sueciis, Benfeldæ, caſtello Rheinavia, Tabernis Alſaticis, Hohenbaaræ, & Neuenburgo ad Rhenum munimenta detraherentur, nec iis locis præſidia haberentur: tum ut Gallicis copiis liber tranſitus Tabernis ſemper concederetur; nec caſtella cis Rhenum inter Baſileam ac Philipsburgum excitarentur, nec Rhenus vetere ſuo alveo averteretur: Viciſſim Galli I. Archiduci Ferdinando Carolo reſtituerent quatuor oppida ſylveſtria, Comitatum Hauenſteinum, ſylvam Nigram, totam Briſgoviam cum oppidis in ea ſitis, prout olim ad Domum Auſtriacam pertinuit; ſimul totam Ortenaviam, cum oppidis Imperialibus Offenburgo, Gengenbaco, & Cellis ad Ammersbacum; ut ad illa omnia Rex Galliæ nihil juris prætendat. II. Tum ut commercia inter utriuſque ripæ Rheni accolas, ac navigatio ejus fluminis citra nova vectigalia libera ſit. III. Omnes inſuper Vaſalli cives & incolæ locorum ceſſorum ſua bona recuperent; abolitis à Duce Bernhardo factis, & à Rege confirmatis donationibus. IV. Relinqueret quoque Rex in immediato ſtatu ac reſpectu ad Imperium Epiſcopos Baſileenſem & Argentoratenſem, aliaſque in Alſatia Imperii Ordines, Abbatem Murbacenſem & Luderenſem, Abbatiſſam Andlovienſem, & Monaſterii in Valle S. Georgii, Palatinos Lutzelſteinenſes, Comites & Barones Hanoviæ, Fleckenſteinæ & Oberſteinæ, Equeſtrem Ordinem in Alſatia Inferiore, ſimul decem Urbes Imperiales *Landvogdie* Hagenoicæ ſubjectas, nec plus juris ſibi in eas arroget, quam Auſtriaci habuerunt, & hoc tractatu ceſſum eſt. V. Omnia reliqua loca cis & trans Rhenum veteribus dominis reſtituantur, nulla tamtuum penſatione petita. VI. Archiduci Ferdinando Carolo duo milliones uncialium intra biennium ſolvantur. VII. Gallia duos trientes æris alieni, quo Camera Enſisheimenſis obſtricta eſt, in ſe ſuſcipiat. VIII. Rex Galliæ per triennium ob metum Turcici belli annua pendat centena quinquagena uncialium millia, præſidiis limitaneis impendenda: ac ſi in apertum bellum res eruperit, decem millia militum ſuis ſumtibus alenda ſubmittat. IX. Ne Turennius amplius adverſus Cæſarem, aut Ordines Imperii bellum gerat. Tandem X. ut cum Hiſpano pax ſimul concludatur, & XI. Lotharingus huic paci includatur. Hiſce tribus poſtremis capitibus velut conditionibus reliqua omnia ſuperſtructa erant, ut ni illa præſtarentur, reliqua extra obligationem eſſent. Circa pleraque hæc Cæſareorum poſtulata Galli parum ſcrupuli movebant, niſi quod quintum caput plane omitterent. Id quod & Mediatores diſſimulandum ſuadebant, quo Galli eo citius negotiationem cum Sueciis & Proteſtantibus, quam in ſe receperant, aggredi poſſent. Sextum circa caput non niſi tres milliones librarum Francicarum terna penſione ſolvendarum annuebant. Enimvero id diuerte teſtabantur, ſi Hiſpani hoc bello amiſſa loca repoſcerent, ac prioribus bellis parta reſtituere abnuerent, pacis ipſem nullam eſſe. Lotharingi quoque reſtitutionem plane abnuebant, qui ad bellum Germanicum non ſpectet. Quin proponebant, ne Cæſar adverſus Galliam, aut Gallia adverſus Cæſarem auxilium ipſi præſtaret, quo omnis diffidii anſa in poſterum inter Cæſarem ac Gallos præſcinderetur. Quod ſi tamen Dux ille poſitis armis Legatos in Aulam Gallicam mittat, illos in gratiam Cæſaris benigne admittendos & audiendos, & omnia ſuper executione tractatus cum ipſo Duce quondam agitati ex æquo componenda eſſe. Hiſce complura addebantur communibus tractatibus adhuc indeciſa, quibus obtinendis ut Galli operam navarent Cæſarei ſtipulabantur: I. Ut amneſtiæ initium anno viceſimo quarto ſtatueretur. II. Palatini reſtitutio ad eum modum fieret, quem Cæſarei antea deſignaverant, utque Via Montana ad Moguntinum rediret. III. Circa

1646. gravamina Eccleſiaſtica poſtrema Catholicorum declaratione ſtaretur, ac Evangelici tertio dicaſterio in Saxonia erigendo deſiſterent. IV. Commercia per totum Imperium ex legibus publicis etiam in locis Galliæ ac Sueciæ cedendis libera eſſent. V. Ut Sueci dimidia Pomerania contenti reliquam Brandeburgico, Wilmariam Meclenburgico reſtituerent; utque Bremæ Verdæque ſtatus Eccleſiaſticus ſervaretur; cum Suecis plus circa bona ſacra, quam Ordinibus Imperii concedi non poſſit. VI. Ut Cæſar neque Bavaro evictionem ad Superiorem Palatinatum, nec Brandeburgico refuſionem ob Pomeraniam præſtare teneretur. VII. Archiduci Ferdinando Carolo dynaſtiæ Achla, Blaubeura, & Hohenſtaufa relinquerentur. VIII. Hohentwilæ munimenta deſtruerentur; nec prius quam hoc fiat, Cæſar ad Auracum, Aſpergam, & Schorndorfum reſtituendum obſtringeretur. IX. In penſationem Britiaci Cæſar Lindaviam perpetuo præſidio obtineret, tegendis Auſtriacis provinciis. X. Denique Wurtenbergicus pro dynaſtia Heidenheimo quingenties mille florenos exſolveret, pro qua ſumma eandem Cæſar Bavaro oppignoraverat. Nam hunc præcipue Ducem carpere cupiebant Auſtriaci, ſarciendis utcunque damnis, quæ his tractatibus acciperent. Id quod Joannes Wilhelmus Gollius Oenipontanus Legatus aperte fatebatur addito; meruiſſe id Ducem, cujus culpa præcipue bellum poſt mortem Guſtavi Regis tamdiu extractum ſit. Nam ni iſte Heilbrunnæ præ reliquis Ordinibus rem tanto ſtudio egiſſet, nunquam fœdus coaliturum fuiſſe, Suecorum tunc armis ultro collapſuris. Nec minus id negotium tedulo urgebat Iſaacus Volmarus, Wurtenbergica licet ortus, qui peculiari colloquio Gallis jura Domus Auſtriacæ in Hohenſtauffam, Achlam, & Blaubeuram inculcatum ibat, multis in Wurtenbergicum invectus, velut apud quem omnia beneficia ab Auſtriacis per annos ducentos quinquaginta congeſta nil aliud effecerint, quam ut iſte omnibus in Auſtriacam Domum inſurgentibus ſocium ſe adjunxerit. Nec eandem eo Duce prius amico uſuram, quam in eum ſtatum redacto, ut nocere nequeat. Cæterum in hac tractatione Fabius Chiſius, ubi de Catholica religione, boniſque ſacris agebatur, nomine ſedis Romanæ ſemper intercellit, ac ne in eorum alienationem Catholici conſentirent hortatus eſt, etſi pacem ideo impedire nollet, nec repugnaret, quo minus ex inevitabili neceſſitate ad ejuſmodi concluſionem deſcenderetur. Galli etſi circa hæc ſat faciles ſe præberent, & pleraque probarent, iſtis ſe haut reluctaturos teſtati: non tamen, uti poſtulabatur, fidem ſuam eo nomine obſtringere audebant, ne à ſociis fœderis limites migraſſe arguerentur. Unde etſi dicta capita cum Suecis, & Proteſtantibus expedienda verbo in ſe ſuſcepiſſent; de iis tamen in ſcripta conventionis formula omiſere. Cui & hæ conditiones adjiciebantur; iſthæc rata non fore, ni & ſuper negotiis ſtatum totius Imperii ſpectantibus communi pace tranſactum fuerit, cujus partem præſens conventio conſtitueret. Tum ut ſuſcepta cum Suecis ſuper ipſorum poſtulatis tractatio abſolveretur ac Caſſellanæ Domui ſatisfieret. Demum ut Ordines Imperii iſta omnia rata haberent, eademque ſervatum iri caverent. Sed communis pacis tractatu irrito iſthanc quoque conventionem nullam fore. Ita id negotium abſolutum, ac ſimul conventum, ut hujus tranſactionis formula in Mediatorum manus deponeretur, nec aliis communicaretur. Haut abs re fuerit heic monuiſſe, primum articulum à Cæſareis „hiſce verbis fuiſſe conceptum. *Primo, quod jura „ſuperioritatis in Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem, ac „Virodunenſem, Urbemque Metim eo modo, quo hactenus ad Romanum ſpectabat Imperium, in poſterum ad „Coronam Galliæ ſpectare debeant, reſervato tamen jure „Metropolitano ad Archiepiſcopatum Trevirenſem pertinente, omnium inſuper Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumque feudis, jure clientelari, „ceteriſque rebus, qua cuilibet eorum in hu Epiſcopatibus competere poſſunt. In quibus omnibus per Regem „Chriſtianiſſimum nullatenus moleſtari, ſed omnes & ſingulis in eo quo ſunt ſtatu immediata ſubjectionis erga „Romanum Imperium relinqui debebunt.* Sed hunc „articulum Galli ita formabant: *Primo, quod ſupremum dominium, jura ſuperioritatis, aliaque omnia „in Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem, & Virodunenſem, urbeſque cognomines, harumque Epiſcopatuum diſtrictus, & nominatim Moyenvicum eo modo, quo hactenus ad Romanum ſpectabat Imperium, in poſterum „ad Coronam Gallie ſpectare debeant, ſervato tamen jure Metropolitano ad Archiepiſcopatum Trevirenſem pertinente.* Quanquam autem adjectis conditionibus cavere voluerant Galli, ne in fraudem ſociorum quid egiſſe viderentur: experientia tamen compertum fœderum exiguam fere rationem haberi, poſtquam altera pars peculiaria ſibi deſtinata aſſecuta ſit, & ſociorum emolumenta, aut commune bonum ſeginus curari. Quin metus erat, ne Galli Suecos ad intempeſtivam tranſactionem compellere inſtituerent; qui jam apud alios haut obſcure jactabant: haut ita Suecis ſe innexos, ut non ſtatim ab ipſis ſejungi poſſint. Se iſidem nulla circuitione adhibita dicturos, ut poſtulata ſua ad æquitatem temperent. Nam ob enormia illorum deſideria ſe bellum haut quidquam continuaturos. 1646.

§. 134. Decreverant porro Legati Gallici obtentu conſolationis officio apud Oxenſtiernam ob mortem uxoris defungendi junctim Oſnabrugam accedere. Id quod mature menſe Auguſto ſignificavere, poſtulato ne funus prius deduceretur. Iter tamen eum per menſem diſtulere Servientum pedibus laborare cauſati: revera ut tractatus cum Cæſareis prius abſolverent. Suecis tamen fervida cum Cæſareis negotiatio eo plus ſuſpicionis excitabat, quo ſecretius ibi acta habebantur. Et ſcripta hinc inde exhibita Suecis ab aliis prius, quam à Gallis communicabantur. Ac in aperto erat, quo magis tractatio Monaſterii ferveret, eo frigidius Oſnabrugæ rem geri. Unde metuebatur, ne Galli demum ſocios deſtituerent, id quod à Cæſareis enixe quæri ſatis conſtabat. Eoque Sueci datis 31. Aug. literis Gallos monebant, ut ex convento congreſſus haberetur inſtrumento pacis excutiendo; ac ſi Oſnabrugam accedere grave ſit, ſe Lengrichæ cum ipſis collocuturos. Sed hi re jam cum Cæſareis tranſacta magno cum comitatu Oſnabrugam acceſſere, Suecorum rhedis extra Urbem ſolenniter obviam prodeuntibus. Quos poſtera die tres Belgarum Legati, qui ſoli Monaſterii hactenus reſtiterant, Pavvius, Franciſcus Donia, & Adrianus Clantius ſine pompa ſecuti ſunt, ſimul plerique Evangelici Monaſterii agentes

Gallici Legati Oſnabrugam veniunt.

8. Supra.

8. Supra.

1646. tes huc ſe contulere, commodis ſuis invigilaturi. Sed & Cæſarei huc acceſſere, præter Trautmanſdorfium, quem faucibus hærens teſtæ cancrinæ fruſtulum non citra periculum vitæ detinebat, donec poſt octiduum vomitu rejiceretur. Contarenus per literas Legatos Suecicos ad promovendam pacem, & amplectendas æquas conditiones hortabatur, oſtenſo periculo, quod orbi Chriſtiano à Turca immineret. Poſt præmiſſa ſolennia Galli Suecos de iis, quæ Monaſterii acta eſſent, certiores reddebant, quæ & ſine dubio à Roſenhahnio perſcripta ſint, & quod jam cum Cæſareis ſuper ſua ſatisfactione tranſegerint, infecta tamen futura, ni communis tractatus ſuccedat, ac Regina, Landgraviaque poſtulatis ſuis potita ſit. Scriptam tranſactionis formulam prælegebant, haut exhibito tamen exemplo, niſi adjectarum conditionum; cauſati imperfectam eſſe rem, quam variis quidem de cauſis in Pontificii Nuntii manibus reliquerint, ſed quam publicare dubitent, antequam adpareat, quo totum negotium ſit evaſurum. Cæterum quæ Gallia accipiat, ſatisfactionis vocabulo venire non poſſe, utpote caro emta, omnibus ſine dubio Gallorum facilitatem miraturis. Sed Regem id onus ſubire maluiſſe, quam diutius bello implicitum hærere, quod paucos per menſes majorem auri ſummam abſorbeat, quam pro Alſatia ſit promiſſa; incerto, num poſt exhauſtas plures moleſtias ejuſmodi conditiones obtineri, aut pari gloria arma poni queant. Inde ſuper neceſſitate pacis differere: Galliam argento exhauſtam; tot egregios, illuſtreſque viros amiſſos, nupera præſertim Mardici oppugnatione: qui primariis Domibus luctum, Reginæ commiſerationem, ac ingens pacis deſiderium excitent. Ac ſi Hollandi pacem aut inducias cum Hiſpanis præcipiant, vix adparere, quæ Galliæ ſpes ſit cum fructu bellum deinceps gerendi. Ingentes inde queſtus in Hollandorum Legatos effundere, tam importune properato tractatu: quæ res aulæ Gallicæ tanti viſa fuerit, ut, ſi pax non alia ratione obtineri poſſet, vel emenda foret.

A Gallis diſputata de ſua ſatisfactione.

De neceſſitate Pacis.

De exhibendo inſtrumento pacis.

§. 135. Ad hæc Sueci repoſuere, Reginam hoc bello nil aliud, quam honeſtam & tutam pacem quæſiviſſe, nec à ſe ullam occaſionem eadem potiundi neglectam: hactenus tamen parum promoviſſe, Cæſareis omnia ad ſuum Inſtrumentum, quod tamdiu meditati ſint, rejicientibus. Se quidem circa Suecicum Inſtrumentum formandum hunc congreſſum expetiiſſe, quo de compacto, & communi conſilio utrinque id in lucem proferri queat. Ac ſi Galli parati ſint, in ſe moram non fore. Se quippe formulam pacis adornaſſe, quam poſt factam cum ipſis communicationem Cæſareis edituri ſint impenſe id poſtulantibus; ac inſtare Ordines, ne Reginæ ſatisfactio, & ipſorum commoda divellantur. Galli contra Inſtrumento ſuo formando nondum manum admoverant, cauſati, præmaturum eſſe in lucem id proferre. Pleraque adhuc cruda & infecta. Circa plurima adhuc toto cœlo diſſideri, eoque inſtrumento edito animis utrinque exacerbatis forte tractatus plane abruptum iri. Sibi ſatius viſum rem per partes tranſigere, & antequam circa omnia convenerit, iſta uno ſcripto haut complecti. Caput circa ſatisfactionem ſe abſolviſſe: optare ut & Sueci Oſnabrugæ ſuper ea tranſigere poſſint. Sueci contra oſtendere, Sueciæ Galliæque, & aliorum vicinorum ſatisfactionem præcipuam in hoc conſiſtere, ut negotia Germaniæ modo à ſe propoſito componantur. Quo non obtento reliqua commoda fere inutilia, ac Regnis dedecori redundatura. Ab ipſis hactenus jactatum: bellum ſuſceptum inſtaurando priſtino Germaniæ ſtatui ac libertati: eo fine Ordines ad tractatus invitatos auxilio ſuo promiſſo: quorum commoda nunc negligi, ipſos quoque Reges tangentia, turpe fore. Ordines ſeparatam Gallorum ſuper ſuis præmiis tractationem ægerrime tuliſſe, ac ut omnia pari paſſu peragantur impenſe petiiſſe. Galli etſi oſtenderent, eandem ſibi quoque mentem eſſe, nec Regem, niſi Germaniæ rebus prout juſtitiæ ratio exigit compoſitis, arma exuturum: Suecis tamen ſuadebant, quo negotium ordine evolveretur, à ſatisfactione ſua ordiri, aliis rebus pro cujuſque indole ſecuturis. Inter negotia Imperii multa eſſe, quæ initio intendi, poſt remitti queant, prout privatæ rationes ſe darent. His rite ſubductis cætera animoſius defendi poſſe, ac ni adverſa pars æquas conditiones admittat, juſtitiam belli luculentius adparituram. 1646.

De Suecica ſatisfactione.

§. 136. Sic igitur Galli Suecicam ſatisfactionem acriter urgere, ut ſatis pateret, eo fine ipſos Oſnabrugam veniſſe: circa quam aſperrima inter Legatos Regios diſceptatio ſurrexit. Sueci Præſulatus duos ſibi depoſcebant ea lege, ut illi in ſeculares principatus converterentur: quos Cæſarei non niſi ſub præſenti titulo, & conditione concedere volebant, quibus & Galli ob communia ſacra adſtipulabantur. Wiſmariam Sueci citra exceptionem, & nullo ad Meclenburgicos Duces reſpectu poſtulabant: Cæſarei Ducem in conſortium dominii ejus urbis admittendum contendebant, utut ipſe Dux ſimpliciter alienationi ejuſdem contradiceret. Pomeraniam integram Sueci affectabant, Brandeburgicis obnixe reluctantibus; quod poſtulatum & Galli temperare ſatagebant, oſtendentes, ſe apud Brandeburgicos ſæpius acriter inſtitiſſe, ſed illos ultroneam ceſſionem conſtanter abnuere. Et quia Gallicus in Suecia Miniſter Chanutus ſignificarit, à Regina decretum Citeriore Pomerania adquieſcere; ab ipſis poſtulabant, ut amota tergiverſatione negotio finem imponant. Enimvero Sueci inficiabantur, tale quid à Regina decretum; ac expeditiſſimum judicabant, ſi Elector tota Pomerania cedat, & quam refuſionem poſtulet, oſtendat. Hac ceſſione poſſe ipſum Carnovienſem Ducatum recuperare: tum *bannum* abolere, quod ob ſubtractam Imperio Boruſſiam incurrerit: citra controverſiam retinere Brandeburgenſem, Havelbergenſem & Lebuſienſem præſulatus, ultra ſeculum detentos, ac tributis publicis eo nomine exſolvendis in proprios uſus converſis: inſuper Glogovienſi & Saganenſi Ducatu, aut Magdeburgico & Halberſtadienſi præſulatu potiri. Reginam ipſius poſtulata quantum poſſit fulturam. Relatum ſibi non ſolum Marchiæ Ordines, ſed & Culmbacenſem, Anſpacenſemque Marchiones ipſius agnatos ſuaſiſſe, ſi Regina Pomeraniam dividere nolit, mature, & antequam in arma res erumpat, in boni publici gratiam cederet, & de æquivalente ageret, Regina favente facile obtinendo. Pomerani quoque Deputati magis quam antea flecti cœperant, ac Elector paulatim remiſſurus quid videbatur. Unde Galli anſam arripiebant denuo Brandeburgicos urgendi: qui tamen præfracte regerebant; Electorem nunquam in totam Pomeraniam,

1646. niam, aut Citeriorem una cum Stetino pro æquivalente, aut in ſolam Citeriorem citra æquivalens cedendam conſenſurum. Quin & in medio relinquebant, num Citerior Provincia cum ipſius conſenſu obtineri poſſit. Addebant ſententiam Ordinum Pomeraniæ quoque exquirendam, quos inter, & Domum Brandeburgicam mutua pacta intercedant; ac non magis Electorem eam Provinciam, ejuſque partem alienare poſſe, quam hi abſque Electoris conſenſu alterius imperio ſe ſubdere: Ac licet Elector ſacramenti ipſis veniam faciat; penes ipſos tamen fore, annon potius Polonorum, Belgarum, aut alterius protectioni ſubmittere ſe velint, quam Suecorum dura imperia, graveſque exactiones diutius tolerare: præſertim cum Pomerani tanquam liber populus, Imperio Romano quondam certis legibus ultro ſe ſubjecerint. Animos hiſce addebat, quod eorum cauſam fulcirent, quicunque Sueciæ opportunitatem Pomeraniæ invidebant. Quos inter miſſus à Poloniæ Rege Matthias Crocovius pro Electore velut Regis iſtius vaſallo, ac pro jure iſti Reipublicæ in Pomeraniam competente acriter contendebat: addito, Regem facile quidem pati poſſe, ut Reginæ Sueciæ ex æquo ſatisfiat, ac in poſterum adverſus ſubitam invaſionem caveatur: haut tamen credidiſſe, Pomeraniam poſtulandam fuiſſe, in qua Poloniæ quoque ſecuritas vertatur, & pro qua ſibi non minus, quam Reginæ pro ſua laborandum ſit. Belgarum quoque Legati, qui hanc ob cauſam præcipue Oſnabrugam venerant, moderatione adverſus Electorem utendum ſuadebant. Nam etſi ut Regina Regni ſui ſecuritati proſpiceret non improbabant: ita tamen rem temperandam, ne Reginæ cognatus, ac Evangelicarum partium princeps, in quo cauſæ communi non leve præſidium repoſitum ſit, ſua potiſſimum jactura pacem redimere cogatur; ac Reginæ, quæ
25. Sept. ad diuturnitatem faciant, reſpicienda. Evangelici quoque Ordines cauſam Pomeranicam amicæ tranſactioni, quæ utrique parti grata foret, commendabant. Quibus Sueci reponebant: ſibi haut injunctum cum Brandeburgico ſolennem tractatum ſuſcipere; ſed cum Cæſareis ſibi negotium eſſe. Cum Cæſare Reginam bellum geſſiſſe, hunc ſatisfactionem ſe poſcere: eundem totam Pomeraniam obtuliſſe, ac ad promiſſa ſua præſtanda teneri: qui & ſuper penſatione cum Electore tranſacturus ſit. Quod ſi tamen Elector extra juſtos tractatus per ſe, aut alios proponat, quid loco totius Pomeraniæ expetat, id negotio non parum facilitatis allaturum. Id reſponſum cum poſt in conſeſſu Ordinum Evangelicorum referretur, Brandeburgicus Legatus, qui pro Pomerania ſuffragium ferebat, ſat quidem fervide, acceptabat Suecos ſatisfactionem non ab Electore, ſed à Cæſare exigere; cujus conſequens ſit, Electorem à Regina hoſtem non haberi, eoque nullam eſſe rationem, cur à Cæſare quæ Electoris ſint poſtulentur. Simul graves querimonias miſcebat, neminem Ordinum ſerio hanc rem agere; minatus, eo demum rem redituram, ut alii vicini, quos hæc res tangat, in partem oneris ſint venturi.

Circa Pomeraniam difficultates.

Galforum ſententia.

§. 137. Galli igitur è præſenti rerum conditione Suecis duas vias proponebant, quarum alterutra ſit ſequenda; ut vel totam Pomeraniam abſque Brandeburgici conſenſu evincerent, vel Pomerania Citeriore, & Rugia contenti eſſent. Priore caſu bellum continuandum, cujus pericula & onera manifeſta ſint, & cui non ſolum Sue- 1646.
ciæ malevoli ſe ingeſturi, ſed & quod alias amicis invidiæ faces ſubditurum ſit. Nam perſiſtente licet in fide Gallia, verendum tamen eſſe, ne Belgæ deterra communi cauſa ſeparatim cum Hiſpanis tranſigant. Manifeſtum eſſe, quid mali eorum cunctatio circa hujus æſtatis expeditionem produxerit. Quod ſi plane cum Hiſpanis in amicitiam redeant, totam Hiſpanici belli molem Galliæ incubituram. Unde Gallis neceſſitatem allatum iri vires ſuas à Germania revocandi, ac Hiſpanis facultatem fore Cæſarem validioribus auxiliis ſublevandi. Cæſarem operam daturum Brandeburgico fulciendo, & ut alii in Imperio, & extra eidem adſiſtant. Jam Hafniæ ab Hiſpanis fœdus inter Daniam & Poloniam proponi ad vires Suecorum diſtrahendas. Nec ſuſpicione carere frequentiorem ſolito Batavorum cum Danis & Polonis communicationem. Iſtorum Legatos pro Electore apud Succos commendationem interponere: apud alios infenſiora ſpargere. Hanſeaticos quoque gliſcentem in dies Suecorum potentiam horrere. Ordines Imperii diuturni belli tædio captos, ſi utcunque rebus ſuis conſulere queant, ad pacem ruituros Suecorum commodis inſuper habitis. Quod ſi autem Regina Citeriore Pomerania, & Rugia ſit contenta, ſpem eſſe Electorem tandem conſenſurum; aut ſi tergiverſari pergat, totum hunc conventum à Reginæ partibus ſtaturum; cujus unanimi conſenſu ipſa cupitis potitura ſit, omnibus, quos hic tractatus comprehendat evictionem præſtituris. Imitarentur Sueci Galliæ Regis exemplum, qui pacis in gratiam de ſuis poſtulatis non parum remiſerit, & quæ dentur tantum non emere voluerit. Succici Legati etſi has rationes in medio relinquerent, tamen cum alia mandata non haberent, prioribus poſtulatis inſtitere. Ad Reginam tamen ſe omnia relaturos promiſerunt, ad quam & Legati Gallici ſcripturos ſe ferebant. Iidem cum apud Succos, tum alios hoc imprimis cuneo utebantur, circa pacem ſuam cum Cæſare ac Hiſpano nihil difficultatis ſupereſſe. Quo fine & à San-Romano literas proferebant, quibus ſignificabat, Hiſpanos mandata accepiſſe in eas fere leges, quas Galli velint, pacem concludendi. Id quod ex Fabio Chiſio intellexerit, qui Monaſterii glorietur; pacem manu ſe tenere, ac reverſis Oſnabruga Legatis Gallicis ſine dubio eandem cum utriuſque partis bona gratia ad exitum perducturum. Eodem fine & de Trautmanſdorfii diſceſſu ſpargebatur; de quo Lambergius, & Cranius, cum Succos inviſerent, denuntiabant, à Cæſare ipſum jampridem avocatum; quamdiu ſpes fuerit tractatuum abſolvendorum, iter ſubinde diſtuliſſe: ſed Pomeraniæ negotio ad vadum adhærente propediem diſceſſurum. Quibus Sueci oſtendebant, ſe ex ſua parte omnia feciſſe, ac poſtquam Cæſar in Pomeraniam conſenſerit expectaſſe, ut ipſe illis quorum intereſt ſatisfaciat; quorum conſenſum procurare Cæſar Reginæ teneatur. Contra Cæſarei excipiebant; Cæſarem non plus, quam ipſe habeat, dare poſſe, nec ulterius promiſiſſe, quam quantum penes ipſum foret.

Succici Legati rem differunt.

Trautmanſdorfius diſceſſum minatur. 20. Sept.

§. 138. Circa Palatinam cauſam Bavarus ſubinde octavum Electoratum ingerere, ac alternas vices abnuere. Nec enim adparere, quare Palatinus has tantopere affectet, illum recuſet; cum alternis gerenda dignitas Electoralis nil ditionis ipſis additura ſit: octavus autem Electoratus ſuffragium in eligendo Cæſare cæteris par attribuat,

De Palatina cauſa.

Nec

1646. Nec hæreditarium munus Palatino defore. Sane plura Palatinus non videbatur obtenturus ob Regis Angliæ res plane proſtratas, unde omnis auxilii ſpes decollaverat. Et plerique Evangelicorum cenſebant, circumſpiciendam eſſe rationem Bavarum à Cæſare divellendi. Quo fine huic dignitate Electorali, quam poſſidebat, & parte Superioris Palatinatus; Palatino reliqua ſuperioris parte, & Inferiore Provincia, ſimul octavo Electoratu ſatisfaciendum cenſebant. Eandem ſententiam & Galli fovebant; Bavarum, ſi juncta Regum arma ingruant, & quæ tantopere cupiat offerantur, pacis ſibi proficuæ concluſioni Viennæ omni ſtudio incubiturum. Illum prudentia valere, ac ſatis noſſe, Viennæ ſe ſuſpectum juxta, & exoſum. Opibus quoque, & egregio milite inſtructum, ſimul extrema ſenecta, & cujus valde interſit, pacem utrique Regno probatam fieri. Hunc mature Cæſari avellendum. Nam ſi prius quam id fiat, fato concedat, viduam, liberos, militem, ac Provinciam ejuſdem in Cæſaris manibus fore, bello continuando non leve momentum. Ac confirmabat Bavaricus Legatus, ſi Princeps ille Electoratum, & pleramque partem Superioris Palatinatus retineat, circa reliqua capita ſatisfactionis, Amneſtiæ, & gravaminum componenda acerrime connixurum.

De controverſia & ſatisfactione Haſſica.

§. 139. In controverſia circa ſucceſſionem Marpurgenſem Caſſellani cupiebant cauſam hoc conventu decidi, aut Regiorum Legatorum interventu amice componi. Sed Darmſtadienſis ſententiæ à Cæſare pronuntiatæ inhærebat, quam amica poſt tranſactio jurejurando firmata exceperit. Nec conſultum ſibi illis arbitris cauſam agere, qui adverſæ parti fœdere innexi ſint. Præſertim cum Longuevillius apud Cæſareos in hæc verba eruperit: ſi vel maxime Landgraviæ cauſa injuſtiſſima foret, ſe tamen illam utique ſublevaturos. Ac ſi tranſactione opus ſit, Domos Saxonicam, & Brandeburgicam, fraternitatis vinculo Haſſicæ junctas, interpoſitionem commodiſſime ſuſcepturas. Si Saxoniæ Elector ſuſpectus ſit; ex eadem Domo alium poſſe ſurrogari. Caſſellani contra modum in pacto mutuæ ſucceſſionis præſcriptum abnuere, quod Darmſtadienſis iſto neglecto ad Aulam Cæſaream cauſam pertraxerit; ex quo fonte diſſidia inter Darmſtadienſem & Caſſellanam Domum promanarint. Tunc verebantur, ne cauſa ad fraternas Domus devoluta in longum extraheretur. Igitur hoc negotium inter alia Ordinum Gravamina deciſum communis pacis formulæ inſeri cupiebant. Simul petebant Darmſtadienſi certum tempus præfigi, intra quod ni mentem ſuam declaret, ſociorum Regum armis ſit petendus, ac ad reddendas omnes illas terras compellendus, quæ antea à Caſſellana Domo poſſeſſæ ſint. Circa hæc poſtulata Galli oſtendebant; ſe & apud tractatus, & per arma Caſſellanæ cauſam ſublevaturos, quoad ipſi ſatisfiat, quod Darmſtadienſis, poſt longa cum Cæſare & Hiſpano commercia demum arma ſua Cæſari ſocios in Reges junxerit. Et hanc præcipuam ſatisfactionis partem fore. Nam ad Paderbornam, & alia bona Eccleſiaſtica adquirenda Gallos per conſcientiam opem ferre non poſſe. Haut tamen repugnaturos, ſi millione uncialium inſuper potiatur, quibuſdam locis interim pignoris in vicem relictis. Contra Succici Legati ſuper Marpurgenſi lite à Regina nihil in mandatis acceperant. Sed ut Landgravia Paderbornenſem præſulatum, aut ejus partem nanciſcatur operam ſuam pollicebantur.

1646. De militum ſatisfactione.

§. 140. Circa militum ſtipendia Galli oſtendebant; ſe pro Gallia eadem ideo petere omiſiſſe, quo Succicus exercitus tanto facilius & uberius iis potiatur. Eaque ſe pro Succis Monaſterii ſtipulatos, nec Trautmansdorfium abnuiſſe, qui cenſuerit, ubi ſuper ſumma conventum fuerit, Ordines eorundem ratas partes in ſe ſuſcepturos.

De induciis proponitur.

§. 141. Ad communes inſuper inducias Galli valde proclives ſe oſtendebant, ne per aleam belli rebus mutatis pax, cujus nunc propinqua ſpes allucebat, difficilior redderetur, aut in longum extraheretur. Eoque ſi Succis videatur, ad Duces exercituum una cum Cæſareis miſſuri erant; qui, quo loco tractatus pacis ſint referant, ſimul moneant, ne rem ad extrema deducant; ſed ut ſuper induciis inter ſe conveniant. Id hoc congreſſu Galli, & miſſus à Contareno Generinus Secretarius apud Succos urgebant: utiles eas Regibus, eorumque ſociis eſſe, Cæſareis intra provincias hæreditarias, Bavaricis ultra Danubium redactis, omnique citra regione Regiorum hoſpitiis patente, non ſine maximo exercituum incremento. Quanquam autem Succici Legati, quod Regina inducias nunquam probaſſet, variis rationibus eadem diſſuaderent; tamen Gallis urgentibus ad Wrangelium ſcripturos ſe receperunt, ejuſque ſententiam ſuper hoc negotio exploraturos. Quo fine Petrum Brandium ſummum Quæſtorum ad iſtum ablegant: qui & ſuper militum commodis ejuſdem mentem cognoſceret. Quo & Gallici Legati Croiſſium miſerunt.

De Edvardi Bragantini liberatione.

§. 142. Oſnabrugam quoque tunc venerat Franciſcus Andrada de Eduardo Bragantino ſollicitus; cui intentata Mediolani apud Inquiſitionem actione Hiſpani extrema intentabant; ut ejus liberationem, ſimul Regis ſui cauſam commendaret; arctiſſimum inſuper fœdus Reginæ oblaturus. Galli uti circa Luſitanorum commeatum, & Eduardi libetationem hactenus ſatisfecerant; apud Sequeſtres ſuper actione huic intentata proteſtationem interpoſituri: ita primariam cauſam ad Germanicam pacem haut ſpectare judicabant, quæ cum Hiſpano tranſigenda ſit. Multo minus Succis placebat eandem Germaniæ negotiis, jam antea ſat intricatis immiſcere. Unde prius factæ declarationi inſiſtebant; qua & Luſitanus adquieſcere cogebatur, id tantum poſtulans, ut Rex ſuus nominatim paci includatur, ac ſibi teſtimonium detur, ſuper Eduardo liberando Legatos Succicos à ſe diligenter monitos.

Evangelicorum circa gravamina diſſenſio.

§. 143. Circa formulam illam componendorum Gravaminum, quam nuper ab Evangelicis exhibitam diximus, ne hi quidem omnes eadem ſentiebant. Saxonici Electorales tepida huic conſilia agitare, ac præcipue capita à Cæſareis nuper propoſita ferè probare: nec reliqua tanti eſſe, ut ideo exitioſi belli continuatione Imperium peſſumdandum ſit. Unde & Evangelicis moderatiora ſuaderunt, ægre ferentes, ſua monita uſque adeo locum non invenifſe, ut etiam novæ controverſiæ animos magis exacerbaturæ ſint motæ, veluti de lite inter Magdeburgicum, & Salisburgenſem. Etſi enim formulam illam bene adornatam agnoſcerent; tamen quæ poſtulabantur optanda magis, quam ſperanda putabant. His multos Evangelicorum labefactos in ſuam ſententiam pertraxere, Monaſterienſes cumprimis, & qui ſuperiorem Germaniam incolunt, in Saxonicorum Ducalium cumprimis, & Luneburgicorum duritiam invecti, velut qui procul à Pontificiis; & ex-

1646. & extra periculum positi tuto speciosa ac fortia differant.

Catholici nuperam formulam adsperuantur.

§. 144. Ast Catholicos dicta jam formula non parum asperavit non sine minis frementes, ni ad moderatiora Evangelici descendant, totum negotium abrumpendum, ac fatis committendum. Multa in sui exitium tendentia passim inserta, & speciosо æqualitatis vocabulo id quæri, ut suas ditiones cum Evangelicis partiri jubeantur. Quo plura ipsi remiserint, eo magis Evangelicos postulata intendisse, nec se amplius super illis tractatus agitare salva conscientia, & per sacrorum suorum scita posse. Unde in posterum omni disceptatione supersedere constituebant; ac ne Cæsareorum

14. Sept. quidem nuperum scriptum probabant; sed formulæ à se vicesimo Junii exhibitæ inhæsuros se testabantur; è qua suppressa Cæsarei formulam suam secundo Julii editam fere concinnaverant, ac Catholicorum nomine Evangelicis tradiderant. Sed & novam disquisitionem sæpius memoratæ formulæ Catholici composuerant, in qua illud novum erat, quod sigillatim enumerari postularent omnes præsulatus, Cœnobia, ac bona sacra, quæ Evangelici retinere velint: sic enim præscindi controversiam circa *terminum à quo* hactenus agitatam. De Cætero Catholici prioribus suis postulatis rigide institerant, & eadem passim intenderant, multa verborum acerbitate inspersa. Simul non uno loco sibi ipsis repugnantia à Protestantibus peti arguerant. Quod scriptum tamen itidem à Cæsareis suppressum forte fortuna in Evangelicorum manus incidit. Porro istos spiritus Catholicis addebant vetus Saxonis ingenium, & Evangelicorum timiditas, ac discordia, quæstu magis prosequenda, quam ut emendationis spes esset. Ac suspicio erat Cæsareos Catholicis clam stimulos subdere: Ac ferebatur arctius nuper inter Cæsarem, & Hispanum fœdus ictum, quo pacem separatam haut inire decreverant, sed potius temporum conversiones aucupari, ac ad dissociandos Suecis Gallos incumbere. Hollandos jam eam in viam perductos: nunc & Galli solicitabantur, quibuscum super satisfactione tanto studio transactum fuerat. Sane manifeste deprehendebatur, ex eo tempore Catholicis plurimum insolentiæ accessisse; qui haut obscure gloriabantur; Gallos jam suis partibus accessisse, qui sacrorum socios auxilio cassos deserturi non sint.

De Autonomia subditorum Evangelicorum in Catholicorum ditionibus.

§. 145. Inprimis autem circa concedendum liberum religionis suæ exercitium Evangelicis sub Catholicorum ditione habitantibus (*autonomiam* vocabant) acerrime disceptabatur; cui tam Cæsarei quam alii Catholici manibus pedibusque obnitebantur. Vix uspiam in protestantium terris tolerari, qui à placitis ipsorum dissentiant, nec Catholicos hisce legem dare velle, quid subditis suis ipsi faciant. Non aliud exigere æqualitatem illam, quam Evangelici tantopere crepent: præsertim cum illa autonomia paci Augustanæ plane repugnet. Ne igitur iniquis postulatis Evangelici rem extraherent. Haut sibi animum esse quenquam invitum Protestantium sacris abstrahere. Cuilibet integrum fore bonis suis divenditis alio migrare. Plus terrarum Protestantes in Germania possidere, quam Catholicos: & passim prædia venalia extare. Eandem sententiam Saxonici Electorales fovebant, quod ab æquitate, & æqualitate abhorreat, Catholicis in ipsorum ditionibus obtrudere velle, quæ in Evangelicorum terris tolerata nunquam sint; & quæ ad summam Ordinum potestatem spectare judicentur. Excipiebant tamen Siletiam, cui Elector ex mandato Cæsaris fidem dederit. Contra pars Evangelicorum ad istam causam urgendam per conscientiam adstringi se judicabant; quod perspicere non possint istam paci sacræ repugnare: quin naturali ac gentium jure vetitum, conscientius vim inferre, ac durum esse socios sacrorum hanc solam ob causam penatibus suis ejici. Alii tamen Electoralibus Saxonicis desiderio pacis adstipulabantur, Ducalibus Saxonicis, & Luneburgicis non leviter indignati, quod huic proposito ita pertinaciter adhuc inhærerent, nec Suecos ab eodem dimoturum irent. 1646.

Evangelici ad Regios rem istam referunt.

§. 146. Evangelici porro Catholicorum scriptum nacti per Deputatos Suecis id communicabant, ut ipsi collato cum Gallis consilio quid deinceps agendum foret sententiam suam exponerent. Ad quæ Sueci declarabant ita se acturos, ut in se 15. Sept. quidem nihil desiderari possit. Indicabant tamen sibi compertum, Gallos nihil quod Catholicis oneri futurum sit, facturos. Horum igitur mentì penitus explorandæ Evangelici ipsi Gallicos Legatos adibant, Gravaminum emendationem illis commendantes: simul rogantes, è Catholicis atque Evangelicis binos ad se vocarent, audituri, quid circa gravamina dubii adhuc supersit, & qua ratione illhæc plane aboleri queant. Enimvero Galli itatum ea, quæ religionem spectant, à civilibus discernere, & circa hæc opem suam citra exceptionem polliceri: priora ut æqua ratione componantur optare; quæ & penitius cognoscendi sibi otium in præsens non sit itineri accinctis. Posse tamen ipsos aliquot suorum ablegare, qui Monasterii super hoc negotio se plene edoceant. Ita Monasterium discessisse, assumto in suum co- 18. Sept. mitatum majoris securitatis causà Lusitano Andrada.

Galli tergiversantur.

Id quod Evangelicis suspectum.

§. 147. Ex hisce Evangelicis haut parum suspicionis oriebatur, velut Galli post obtenta, quæ ipsi cupierant, solicitantibus Catholicis à prioribus consiliis discessissent, curaturi primo loco ut Suecis satisfiat; inde Evangelicos ad ejusmodi Gravaminum compositionem adacturi, quæ è Catholicorum re foret. Unde per quosdam suo- 23. Sept. rum apud Suecos instant, ut Regina deinceps quoque commodis ipsorum patrocinetur. Tum ut alteruter Legatorum, aut uterque Monasterium proficiscatur, qui cum Gallis super Imperii negotiis, de quibus inter utrique religioni addictos disceptetur conveniat, ut eadem simul cum aliis expediantur. Sueci autem, cum per Rosenhahnium à Gallis exquirerent, num ejusmodi congressus in gratiam Ordinum acceptus ipsis sit futurus, parum ad eum proclives illos deprehendebant; quod obtenderent, Suecos eam rem Trautmandorfio Osnabrugam regresso commodius ibi composituros.

Cæsarei tractationem istam immutare cupiunt.

§. 148. Ast Cæsarei Osnabrugæ juxta ac Monasterii evocatis ad se Evangelicis ostendebant; Catholicos postremam ipsorum circa Gravamina declarationem aversari, velut multa nova paradoxa, sibique repugnantia, & iniqua complexam, 15. Sept. quæ ulteriori disceptationi subjicere nolint. Unde sicuti Catholici multis capitibus non parum remiserint, ita & ipsi propius ad scopum accederent, ut negotium mature, ad colophonem perduci queat. Conabantur dehinc alium negotiationi modum adornare, initio questi, Evangelicos ab ordine à Cæsareis exhibiti scripti, quod Catholici plane probent, discessisse, ac in sua formula

1646. mula aliam methodum ſecutos, novam confuſioni ac diſſidiis materiam. Unde poſtulabant ut Evangelici ſuo poſthabito ordine à Cæſareis adhibitum ſequerentur. Præterea ſcriptum 2. vel 12. Julii Evangelicis exhibitum non à Catholicis, ſed à ſe profectum, velut temperamentum è Catholicorum, & Evangelicorum declaratione, non eo fine, ut Evangelici ſuper eodem ſententiam ſuam ſcripto exponerent, ſed ut coram tam ipſorum quam Catholicorum mentem cognoſcerent. Eoque deinceps commutatis invicem ſcriptis ſuperſedendum, ac omnia colloquiis diſcepranda cenſebant. Sed quia Catholici, ut Oſnabrugam iterum accedant, ægre permovendi ſint, ſibi commodiſſimum videri, quoſdam Evangelicorum Monaſterium ſe conferre cum Cæſareis ſuper ſingulis capitibus collocuturos, qui Catholicorum vicißim ſententia explorata utrasque magis magisque ad æquas tranſactionis leges deducturi ſint. Id quod expeditius futurum ſit, quam ſi utraque pars nullo medio inter ſe ſermone, aut ſcriptis non ſine ambagibus diſceptet. Eſſe & aliam cauſam, quare Evangelici Monaſterium concedere debeant, quod Trautmansdorfio hanc ob cauſam Oſnabrugam per alia negotia reverti non liceat, citra quem reliqui Legati eam rem in ſe ſuſcipere non audeant. Quid Cæſarei hoc inſtituto quærerent, in obſcuro non erat: ſcilicet cum Succos Oſnabrugam non deſerturos ſat conſtaret, hac via negotium iſtud Succorum directioni extortum ſibi vindicare conabantur. Nec Trautmansdorfius diſſimulabat, Proteſtantes Oſnabrugæ nimium Suecis innexos, è quorum conſiliis plane dependeant, ipſis inconſultis nihil ſuſcipere audentes. Et ut Succos Evangelicis ſuſpectos redderent, ſpargere non dubitabant; iſtos tranſactionem cum Catholicis, quoad peculiarem ſibi ſatisfactionem obtinuiſſent, magis ſufflaminare, quam promovere ſtuduiſſe. Adiebatur, ut negotium ocyus expediatur, nullius magis quam Franconici Circuli intereſſe. Bavarum brevi hoſtes finibus ſuis dimoturum: inde utriusque partis exercitus per hunc hiberna capturos. Saxones longius remotos eminus inſpectis alienis malis parum moveri.

Saxonicorum ſententia.

§. 149. His omnibus Evangelicorum conſilia non parum turbabantur, ac in diverſa tendere incipiebant. Ac Monaſterii quidem Elector Saxoniæ ſuos Legatos Evangelicorum conſeſſibus præſidere juſſerat, ſuſcepta quoque ipſius nomine inter utramque partem interpoſitione: quod animadvertat, negotium circa gravamina valde intricatum reddi. Unde & iſti Monaſterii præſentes Evangelicos, Brandeburgicum, Culmbacenſem, Caſtellanum, & quem Franconici Comites miſerant, ad ſe evocavere, ſuper poſtrema Cæſareorum propoſitione cum ipſis conſulturi. Ubi poſt multas dubitationes primo placuit, in honorem Cæſaris, ejusque Legatorum in Evangelicorum ſcripto obſervatum ordinem utut luculentiorem relinquendum, & Cæſareorum veſtigiis inſiſtendum. Sed nec id diſplicebat, quod Cæſarei propoſuerant, ut colloquio res diſceptaretur. Circa quod tamen hæc difficultas vertebatur, quod Catholici dicerent; ſe non amplius in Evangelicorum gratiam, quod aliquoties jam fecerint, Oſnabrugam ituros. Id quod & Trautmansdorfius facturum ſe negabat. Contra nec Evangelicis Monaſterium ire ſedebat, quod ſuper Gravaminibus Osnabrugæ tractatio finienda videbatur, ubi & cœpta fuerat. Nec Legati Sue-

21. Sept.

cici, qui una cum Cæſareis interpoſitionem delatam in ſe ſuſceperant, paſſuri erant, majorem heic Cæſarcorum, quam ſui rationem haberi. Undecircumſpecte procedendum judicabant vitandæ utrinque offentioni; cujus commodam invenire rationem in arduo erat. Quanquam vero ſat aperte demonſtrari poterat, in Evangelicorum libello ſibi repugnantia non reperiri, declinandæ tamen animorum exacerbationi refutatione ſcripto concepta ſuperſedendum videbatur. 1646.

§. 150. Enimvero Evangelici Oſnabrugenſes, ut libellus ſuus ita acerbe proſcinderetur, digerere haut poterant: unde peculiari ſcripto, quæ iſti impingebantur, dilutum ibant. Nec videbant, qua ratione in ordinem à Cæſareis præſcriptum conſentire poſſent; quod hoc modo poſtrema ipſorum declaratio, tanto cum labore Lengrichæ formata, ſubvertatur. Ubi & ſuper modo tractandi conventum fuerat, ut Cæſarei & Sueci tractationem de gravaminibus ſuſciperent, & accedente Ordinum ratihabitione abſolverent. Nec cum Catholicis ſub Cæſarcorum directione à ſe agi poſſe, ut Sueci non citra ignominiam excludantur. Id decretum Cæſareis per Deputatos ſignificarunt, qui initio præſcripto à ſe ordini inhærebant, tandem tamen de hoc concedi poſſe innuebant, modo res denuo diſceptetur, ac paulo lenior declaratio fiat. Quod autem Sueci ad tractationem ſuper Gravaminibus admittendi ſint, aut quod Cæſarei & Catholici in id unquam conſenſerint, id primo abnuere; poſt cum quæ acta forent clare demonſtrarentur, Monaſterium ad collegas ſuos relaturos ſe promiſere. Sed nec Evangelicis placebat, Saxonicos Electorales directionem ſuorum negotiorum ſuſcepiſſe. Nam quia Principis ejus conſilia Cæſari obnoxia habebantur, metus erat, ne Cæſareis inde occaſio naſceretur, prout Hiſpanorum ſe res darent, negotium id temperandi. Ac ſi demum tranſactio ſequeretur, Saxonicorum opera nil amplius, quam Pragæ obtentum fuerat, ſperabant. Qui & ſummam ſuorum conſiliorum jam ſatis oſtenderant. Unde reliquorum nomine Altenburgicus hac de re acriter querebatur, reſtatus, Saxonico Electori ſe nec poſſe nec velle directorium relinquere, qui tam diſtorta & pernicioſa conſilia hactenus agitarit, & adhuc agitet. Sed nec ulli Electori, aut Principi directorium jure competere, ſed ab Ordinibus communi ſuffragio aliquem conſtitui moderandis ejusmodi negotiis. Simul Succos rogabat, media diſpicerent, quibus Saxonici inſtituto ſuo dimoveri poſſint. Succici Legati cum ſentirent, conatus Saxonicorum non ſolum Proteſtantibus fraudi eſſe, ſed & ſuſceptos abſtrahendis Oſnabruga tractatibus, Cæſareis, cum novum circa ſatisfactionem temperamentum proponerent, ea occaſione demonſtrabant; Reginæ ſatisfactionem non privatis emolumentis, ſed præcipue compoſitione negotiorum Imperii, & concluſa communi honeſtaque pace conſtare. Sibi compertum plerosque Evangelicorum ad omnia æqua promtos, paucos horum ob privata commoda, tum Catholicos variis artibus remoram negotio injicere. Etſi jam inter ipſos convenerit, ut Ordines querimonias ſuas Osnabrugæ diſceptent, ac Cæſarei una ſecum tractationem ſuſcipiant. Sibi quidem iſtas artes diſplicere, quas nec Evangelici in univerſum probaturi ſint. Ad quæ Cæſarei; propoſitis temperamentis omnem ſe fidem apud Catholicos decoxiſſe. Unde malle ſe, Ordines ipſos inter ſe

Qua Oſnabrugenſibus diſplicent.

21. Sept.

Ut & Saxonis directio.

Succorum ſententia. 27. Sept.

1646. transigere; ac ſpem eſſe, ſi utrinque nonnulla remittantur, facile lites eorundem componi poſſe.
30. Sept. Inde Sueci invitatis ad ſe Evangelicorum Deputatis expoſuere, quantopere Sueciæ rationes ipſorum emolumentis implicitæ ſint. Tum quæſivere, quæ ipſis ſententia ſedeat; quam ita formarent, prout gloria Dei, & ſalus patriæ ſuaſerit. Eo promtius Evangelicorum cauſam ſe acturos, quod ſpes ſit, Reginam futura pace locum inter Imperii Ordines ſortituram. His habita deliberatione craſtina die reſponſum: Evangelicos nolle placitum ſemel tractandi locum mutari. In eandem ſententiam ad Evangelicos Monaſterii agentes ſcribebant, ut ſi Catholici ſuper mutatione loci moverent, modeſtis verbis, ſed maſcula ſententia oſtenderent, Evangelicos in eam conſentire non poſſe. Quod ſi præter ſpem Monaſterienſes Catholicis huic concedere velint, ſe quidem nunquam huc diſſenſuros abrupte teſtabantur.

1. Oct.

De Suecica ſatisfactione nova propoſitio. 24. Sept.

§. 151. Inter hæc miſſus à Legatis Gallicis Oſnabrugam venit San-Romanus, Suecis nuntiaturus, Trautmansdorfium tandem Brandeburgici conſenſum ſuper cedenda Reginæ Pomerania Citeriore obtinuiſſe, ac ut hanc una cum diviſo Wifmariæ imperio, & Bremenſi, Verdenſique Epiſcopatu ſub ſacro titulo peperui feudi lege poſſeſſura ſit; evictionem Cæſare, Ordinibusque univerſis præſtituris. Id Gallis ſat honorificum videbatur, & rebus Sueciæ non parum ſecuritatis, ac firmitatis additurum. Jam quoque tractatus iterum procedere, qui hactenus circa eam ſatisfactionem adhæſerant. Immodicis poſtulatis occaſionem, quæ jam occupari queat, elapſuram, &
27. Sept. Suecorum res in alium ſtatum improviſum prolapſuras. Eadem Cæſarei Oratores Suecis ſe inviſentibus memorabant eo duntaxat diſcrimine, quod ſuper conſenſu Electoris cavere nollent, ſed Cæſarem eidem obtinendo operam navaturum, aut ſi is nullo modo extundi queat, effecturum, ut ea ſatisfactio decreto Comitiorum ſanciatur, toto Imperio evictionem promiſſuro. Enimvero cum ea res in conſeſſu Evangelicorum referretur, Weſenbecius ſancte aſſeverabat, neque Electorem conſenſum præbuiſſe, nec ſibi à Cæſareis quidquam ea ſuper re ſignificatum. Quin & Cæſareos à ſe interrogatos, num iſthoc Suecis obtulerint, reſpondiſſe; id nullo alio fine factum, quam expiſcandæ Succorum ſententiæ. Et Witgenſteinius confirmabat, ab Electore proteſtationem ſcripto interponendam. Simul oſtendebat, eundem Berolino moviſſe præter Oſnabrugam in Clivicam Provinciam protecturum: ante cujus adventum eam rem à ſe in medio relinquendam. Ea dilatio Suecis valde opportuna accidebat, invidia extractæ pacis à ſe in Brandeburgicum jam devolvenda, cum ipſi antea ſuper oblatis à Cæſare conditionibus ad Reginam referre coacti eſſent.

Ceremonialia.

§. 152. Nonnulla quoque ad ritus ſpectantia tangere non abs re fuerit. Cum Julio mente Witgenſteinius procuratoria ſibi ac Collegis ſuis fidem facientia Suecis exhibuiſſet, congreſſumque horum expoſceret; hi Heidio, qui antea cum Portmanno & Fromholto Monaſterii egerat, nunc autem Oſnabrugam acceſſerat, honorem primario Legato Witgenſteinio exhiberi ſolitum abnuebant; quod Longueuillius Dux hunc eidem antea negaſſet. Quanquam alias idem, quoties Monaſterii abſentis VVitgenſteinii vices ſuſtineret, eodem cum ipſo honore à Cæſareis, Hiſpanis, & Electoralibus mactaretur. Quam ob cauſam iſte uti Gallum nunquam adierat, ita & nunc congreſſu cum Suecis abſtinuit. Querebantur quoque Urbici, congreſſu Evangelicorum Lengrichæ Equeſtrem Ordinem ſibi antelatum. Sed Regii ut neutram partem offenderent, id temperamentum commenti ſunt, ut ſi ſcripto eorum mentio eſſet facienda, bina exempla conficerentur, quorum uno Imperiales Urbes, altero Nobiles præponerentur; addita proteſtatione, hunc ordinem neutri præjudicio fore. Offerebat quo- 15. Jul.
que Poloniæ Regis Reſidens Crocovius Suecis literas fiduciarias patenti forma ad omnes Legatos Oſnabrugæ & Monaſterii directas, audiri ab hiſce poſtulans. Sed quia Poloniæ Rex Sueciæ titulum ſibi adſcripſerat, remiſſis literis reſponſum: ſe admiſſionem, & omnem functioni ipſius debitum honorem exhibituros fuiſſe; abſque hoc titulo ſi foret. Nam præter Reginam Chriſtinam alium ſe Sueciæ Regem ignorare. Quod ſi alias literas offerat, aut temperamentum idoneum comminiſci norit, lubenter ejus poſtulato ſe annuituros. Colliſionis quoque nonnihil inter Saxonicos & Brandeburgicos Legatos Monaſterii contigit. Brandeburgici, cum Saxonici directorium in conſeſſu Evangelicorum ſibi vindicarent, congreſſumque indicerent, ac quæ diſceptanda forent, ad Senatum referrent, haut repugnaverant. Sed cum altera vice Saxonici conventum in ædes ſuas evocarent, Brandeburgici id abnuebant, poſtulantes, ut vel alternis vicibus apud illos, aut ſe, vel in tertio loco congreſſus fieret. Unde & poſt in Curia Legati convenere. Diſceſſerat paulo ante Oſnabruga Labardæus, Gallici Reſidentis munere ibi functus; cui abeunti honorem Legatis ſolitum Succi exhibuere, quod ad Helvetios ea dignatione abire ſe teſtaretur. In cujus locum Henricus Grullardus ſucceſſit.

De la Cour Groullard. 9. Oct.

§. 153. Oſnabrugæ Evangelici Catholicis per Deputatos ſiniſtram, quam de nupera ſua declaratione conceperant, opinionem adimere ſatagebant: nec æqualitatem à ſe poſtulatam alio ſpectare, quam ut æquo & pari cum iſtis jure degere queant, ſiquidem ſtabilis concordia inter ipſos conſtituenda ſit. Ac ſi qua ad extremum vergentia, aut rationi repugnantia in ſuo libello oſtendantur, ſe iisdem æquo animo deceſſuros. Ea ut ſociis ſuis Monaſterium referant rogabant, ipſosque permoveant huc redire tractationi inſtaurandæ, quod placitus ſemel tractandi locus modusque mutari nequeat. Nec ſcriptis amplius ſe diſceptaturos, ſed collatis ſermonibus, quousque convenire queant, tentaturos. Inde Cæſareos Succosque inter ſe tractationem ſuſcepturos. Sane Succos haut paſſuros Reginæ ſuæ eam contumeliam inferri, ut ipſi hoc negotio excludantur aut idem Monaſterium pertrahatur. Catholici gratum ſibi reſpondebant Evangelicos moderata conſilia agitare. Sed ſuper certo tractandi modo utriusque partis conſenſu conventum, aut cautam hanc utique Oſnabrugæ diſceptandam, ſibi non conſtare, niſi quod vago ſermone quædam jactata ſint. Aſt Monaſterii eodem die Trautmansdorfius evocatis ad ſe Evangelicis denuntiat; apud ſocios ſacrorum Oſnabrugæ agerent, ut eorum aliqui Monaſterium ſe conferant, cum Catholicis tractationem continuaturi; aut ut ab iſtis mandata eo nomine ipſis dentur, quo negotium demum tranſactione finiri queat; ſpe ſimul facta propoſitas à Cæſareis conditiones etſi refragantibus adhuc quibus-

Ulterius ſuper Gravaminibus acta. 2. Oct.

dam

1646. dam Catholicis ipsos obtenturos. Eadem per Lambergium, Craniumque Osnabrugensibus proponebantur, addito, ad præterita tempora cogitationes reflecterent. Sane talia majoribus ipsorum oblata maxima cum lætitia fuisse accepranda. Monasterienses neque annuere Cæsareis, neque abnuere ausi rem ad Osnabrugenses rejecere; apud quos ut ipsi suam autoritatem interponere velint tractationi promovendæ petebant. Contra Osnabrugenses citra ambages declarare, à modo & loco tractandi jam convento discedere penes se non esse. Sed & super Reservato Ecclesiastico longe plura se remisisse, quam majores à conscientia sua impetrare potuerint.

Evangelicorum quorundam cum Catholicis disceptatio.

§. 154. Enimvero quia Evangelici metuebant, tractatibus inter Cæsarem & Gallos, Hispanosque & Batavos jam longius provectis, ac Suecica satisfactione quotidie agitata, ne forte ipsorum causa inter extrema rejiceretur, nonnulli eorum cum quibusdam Catholicis, Salisburgensi, Herbipolensi, Bambergensi, Aichstadiensi, & Constantiensi congrediuntur tentaturi, num controversa adhuc Gravaminum capita componi possint. Disceptatione per quatuordecim dies continuata Herbipolensis cumprimis circa præcipua capita cum Evangelicis transigebat, salvis tamen aliorum Catholicorum sententiis. Qui res judicatas ab anno vicesimo quarto rescindi haut probavere, postulantes, ubi partes in judicium consensserint, ac forma juris rite observata sit, illæ validæ persistant, cæteræ irritæ sint. Sed nec Evangelicis subditis rituum suorum liberum exercitium concedere ullo modo voluere; super jure tamen emigrandi, ejusque tempore æquum temperamentum admissuri. Inter ista Salvium Monasterium excurrentem plerique Evangelicorum eodem secuti sunt, quo cœptos tractatus, si possent, ad finem deducerent. Enimvero Catholici ferociam & pervicaciam solito majorem ostendebant. Se tertia jam vice ad Evangelicos Osnabrugam accessisse; par esse, ut & ipsi aliquando Monasterium se conferant, ubi princeps Legatorum Cæsareorum, & plerique Electorales degant. Tum lætitiam præ se ferre, velut Evangelicis ad ipsorum placita se attemperaturis, quod Poloni, Dani, Hollandi, aliique jam novum fœdus agitent, sistendis Suecorum progressibus, ac Galli cumprimis in Catholicorum partes concedant. Et sane Longuevillius Rosenhahnio dixerat: Evangelicos jam plus obtinuisse, quam ab initio speraverant, restitutionem omnium à viginti duobus retro annis, perpetuam possessionem bonorum sacrorum, se[illegible]nem in Comitiis & alia. Si reliqua ex voto ob[illegible]nere nequeant, cogitandum ipsis esse, bellum non ob sacra; aut ista ob gravamina cœptum. Si socia Regna pacis amore tam multa remiserint, ipsorum adhærentibus, qui ad bellum parum contulerint, extremis haut inhærendum, nec minutissima quæque pervincenda. Aut si cedere nolint, ac in ipsorum gratiam bellum sit continuandum, arma & ipsis induenda, ac quid opis ad communem cautam adferre valeant, re ipsa ostendendum. Aft inter Evangelicos parum concordes Saxonici Electorales denuo ad intermedias quasdam conditiones devolvebantur: nec probabant, reliquos adversam partem ad tam duras leges adigere velle. Sibi quidem discrte à Principe suo injunctum, Monasterii Catholicos apud Ordines manere, nec ad Evangelicos Osnabrugam accedere, sed cum illis, qui secum sentiant, tertio loco congredi tractatibus absolvendis. Reliqui Evangelici, etsi mollius, quam Osnabrugenses loquerentur; haut tamen videri volebant cum Saxonicis conspirare, aut consilia causæ communi noxia agitare. Nec directorium Saxonicum longius porrigi, quam ad ipsos exiguo numero ibi agentes; cum alias Saxonicis primus inter ipsos locus competat: ac tutius esse illos, sibi immixtos agere, ubi inscitis aliis concludere nil possint, quam ut seorsim cum Cæsareis consilia misceant. Osnabrugenses etsi initio constituerant super Gravaminibus non alibi quam Osnabrugæ tractare: tamen cum Catholici sententiæ tuæ inhærerent, ac Monasterienses Evangelici id optarent, Salvium, uti dictum, eodem sequebantur, suum negotium ocyus absoluturi. Nam persuasum illis fuerat, Regios sua præcipue emolumenta spectare, quibus obtentis Imperii negotia, ac cumprimis gravamina jejunius, quam nunc credatur, abrumpenda, ac pacem exiguo cum Evangelicorum fructu properandam. 1646.

De causa Palatina.

§. 155. Eodem tempore Osnabrugæ apud Evangelicos Bavari nomine Krebsius institit, ut circa Palatinum propositis per Cæsareos conditionibus adquiescerent. Cui præcipui Evangelicorum, Altenburgicus, Vinariensis, Luneburgicus hactenus assentiebant, ut Bavarus dignitatem Electoralem, ac partem Superioris Palatinatus pignoris loco retineret, quo iste voto suo potitus Cæsareis partibus abstraheretur, ingens momentum non solum communi paci, sed & Evangelicorum causæ promovendæ additurus. Idem Krebsius Oxenstiernæ congressu, quod Bavaro Electoris titulum tribuere nollet, declinato, apud Salvium, qui circa eum titulum ipsi gratificabatur, postulata sua exposuit, inter alia in Palatinum Fridericum acriter invectus, velut totius belli, & inde promanantium malorum autorem. Unde ipso proscripto Bavarum dignitate Electorali cum superiore Palatinatu pro erogatis tredecim millionibus mactum. Cui Salvius inter alia reposuit: si Bavaro damna, quæ Evangelicis dedit, reparanda sint, totum ipsius Ducatum non sufficiturum. Solam domum Brunsuicensem ob detentum Guelferbytum, & secutam inde regionis vastitatem quadraginta millionibus litem ipsi taxare posse, ne de cæterorum damnis quid memoretur; sic ut Bavaro de tredecim millionibus parcius crepandum sit.

Poloni tractatibus se immiscere volunt.

§. 156. Incipiebant circa id tempus Polonici Ministri Roncalio, & Crocovius differere, ut controversia sui Regis cum Suecis his tractatibus componeretur. Id quod Galli haut incongruum judicabant, quod fortasse Cæsari aliquid in Silesia extorqueri possit, Regi ejusque hæredibus pro prætensione in Sueciam dandum. Quia tamen hic tractatus alias sat operosus erat, Polonica controversia admixta difficilior futurus, quam etiam omni modo hinc amoliri Legati Suecici jussi erant, eo postulato desistebant, à Gallis petentes, ut post finitos hosce tractatus id negotium susceptra mediatione ordiantur; confirmantes à Rege suo pacem æternam affectari, ipsumque omni jure in Sueciam cessurum, modo parte Livoniæ, aut Pomeraniæ pro sua domo potiatur. Quanquam contra ne Suecis Ulterior Pomerania concederetur, acriter contendebant, quod ad securitatem Regni sui valde interfit, cum de Citeriore non tantopere soliciti forent.

Evangelici inter se dissident.

Separati inter Suecos & Brandeburgicos tractatus suscipiuntur.

§. 157. Adhuc tamen satisfactio Suecica multis difficultatibus implicita hærebat. Brementis præsulatus translationi Fridericus Dux quondam

1646. Administrator, Verdensis Franciscus Wilhelmus Episcopus intercedebat. In cessionem Wismariæ Meclenburgicus consentire abnuens Legatos suos Osnabruga domum revocaverat. Cæsareorum super Pomerania propositionem Brandeburgici aversabantur, protestatione apud ipsos interposita. Sed quia Brandeburgici aliquoties separatis tractatibus promptos se ostenderant, Regina Legatis suis tunc temporis mandata mittit istos suscipiendi; super quibus tamen haut eadem utriusque Legati sententia. Oxenstierna quippe tentandum censebat, num ea via difficultas superari posset. Salvius præstare ajebat communibus tractatibus insistere: ac si Brandeburgicus conditionibus à Cæsare latis assentire nolit, vel invito isto totam Pomeraniam sub cautione Imperii recipiendam. Prævalente tamen Oxenstiernæ sententia, Reginæ mandatis fulta, Brandeburgicis
10. Oct. Reginæ voluntas indicatur. Hi avide oblatis arreptis eodem die ad Succicos accessere, mandata, quæ Lœvvius nuper Berolino attulerat, ostendentes. Sed cum peculiare procuratorium ad hunc actum Sueci exigerent, Brandeburgici eo non opus esse contendebant, quod sufficiente jam autoritate sint instructi per generalem plenipotentiam, initio sui adventus exhibitam, tum fiduciariis nuper literis prolatis, ac præsentibus mandatis. Ac si Sueci illud postulare pertendant, ab ipsis quoque par diploma exigendum. Enimvero ostendebant Sueci disparem inter ipsos rationem. Nam toti conventui notum esse, se nomine Reginæ totam Pomeraniam postulasse: Brandeburgicos publice asseverasse, Electorem non consensurum. Unde cum nunc diversam sententiam præ se ferant, procuratorio opus esse. Ita demum paucos intra dies id afferendum Brandeburgici recipiebant. Cum autem ipsa res sermone ventilaretur, Brandeburgici Succis aliquot partes suorum mandatorum ostendebant; & inter alia extremum velut gradum, ultra quem progredi non debeant; qui præter Rugiam exiguam duntaxat Pomeraniæ partem complecterentur. Cujus loco Elector postulare non verebatur Glogoviensem, & Saganensem Ducatum, Præsulatus Magdeburgicum, Halberstadiensem, Hildesiensem, Mindensem, Osnabrugensem. Ex quibus facile colligi poterat, quanti totam Pomeraniam indicaturus esset. Contra Sueci toti Pomeraniæ insistere; petentes sibi secreto pandi, quid pro illa Elector postulet, & quid terrarum ipsi commodissimum sit; quibus ut is potiatur enixam se operam daturos. Evangelicæ causæ interesse tam Reginæ, quam Electori egregie satisfieri. E Silesia sibi Elector æquivalens dispiceret. Quæ ipse offerat jejuna nimis esse. E Rugia Ducibus vix trecentos unciales annuos redisse. Reliquas præfecturas exigui esse momenti. Nec per easdem securitati Sueciæ caveri, cum facili negotio illis ejici iterum queat. Cæsareos, Gallos, Mediatores, Hollandos, Ordines Imperii consensu Pomeraniam Citeriorem addicere, quosdam Stetinum addere, & tractum ad Oderam. Sed spem esse totam Pomeraniam etiam cum Electoris consensu obtinendi. Quod si tamen in Ulteriore Pomerania una vel altera præfectura sit peculiari situs commoditate, circa eam permutandam faciles se fore. Sed Brandeburgici multis cum exsecrationibus negabant Citeriorem Pomeraniam, nedum totam cedi posse, nec hilum Ulterioris Pomeraniæ, inprimis Stetinum, & loca ad Oderam. Hollandos acriter apud Electorem institisse, ut Oderam cum locis ad ejus ripam sitis in potestate teneat. Id requirere Electoris statum ob commercia, & communicationem cum aliis ejus provinciis: ac navigationi Regium Montem inter, & Custrinum constare libertatem debere, præsidiis & publicanis Succicis haut obnoxiam. Et quanquam Legati Succici veterem vectigalium modum, aut à recentibus immunitatem Electoralibus mercibus polliceantur, Electorem tamen nolle ab alterius gratia pendere. Potuisse quondam Gryfenhagæ præfectum omnem Oderæ navigationem sistere. Sibi non vacare è Suecia remedium adversus ministrorum Succicorum libidinem petere. Igitur avertendis omnibus controversiis, ac ut stabile in posterum amicitiæ fundamentum ponatur, optimum fore, si Odera ex asse in Electoris potestate sit. Eam rem Electori tantopere cordi esse, ut malit tractatus hos omittere, futurosque rerum eventus expectare, quam Oderæ ostia Reginæ concedendo irreparabili damno ditiones suas involvere. 1646.

§. 158. Gallicis Legatis ab initio placebat, Sue- Galli Sue-
cos iter suum Monasterium differre, quoad plena cos ut re-
Reginæ mandata super satisfactione allata sint; ne gent.
pars adversa cavilletur ipsos ut remoram negotio injicerent venire. Interim Germaniæ Ordines super Imperii rebus pro captu conventuros. Sed mox acriter Succos urgere, ut Monasterium profecti extrema Reginæ postulata ederent, culpa protracti tractatus in ipsos rejecta. Ordines quoque Evangelici instare, uti idem super negotiis Imperii cum Gallis consultent. Regina hactenus Reginæ
Legatis suis aliquoties injunxerat, ulteriore Po- nova man-
merania postulanda non desistere, etsi bellum data super
ideo extrahendum foret. Sed nunc comperto Gal- Pomera-
lorum tractatus cum Cæsare & Hispanis maxi- nia.
mam partem profligatos, verebatur, ne iis absolutis sibi leges præscriberentur, neve Galli obtentis quæ ipsi cupiant Sueciæ commoda insuper haberent. Sed & brevi Hispanos inter & Belgas Fœderatos conventurum videbatur. Simul Evangelici instabiles, inter se divisi, ac Saxonicis Brandeburgicisque consiliis turbati, ubi serio res agi cœpisset, facile cum Cæsare qualibuscunque conditionibus transacturi metuebantur. Ita Regina sola inter hostium arma destituta ad parum decoras, aut proficuas leges acceptandas vel invita compellenda erat, accessuris insuper vicinorum, eorumque æmulorum Regum machinationibus. Quæ omnia Salvius natura timidior per literas Reginæ ingerebat, addito: milites belli tædio captos: Evangelicos judices, Germaniæ, Sueciæque securitatem in hoc [illegible]nsistere, ut inter Reginam & Electorem amicitia constet. Denique Gallorum Belgarumque & aliorum invidiam in nervum erupturam, ni ad moderatiora petenda descendatur. Igitur cum nunc certa sententia capessenda esset, nec ut sola bellum gereret rebus suis expedire judicaret, decrevit tandem, ut Legati sui totam Pomeraniam æterna feudi lege, si non cum consensu Electoris, saltem sub evictione Cæsaris atque Imperii postulare pergerent. Post frustra consumtam extremam diligentiam gradatim nonnulla ulterioris Pomeraniæ loca concederent, primo mediterranea, inde maritima, usque ad Stetinum, Wollinum, Caminensem præsulatum, & Colbergam. Pro Stetino retinendo acerrime contenderent, ad extremum tamen & illo cederent, ut tamen Wollinum, & tria Oderæ ostia, Caminensisque præsulatus, & si quæ alia loca tuendæ Citeriori Pomeraniæ 19. Sept.

1646. taniæ inſerviant, penes Sueciam utique manerent. Addebatur, ut cum Brandeburgicis peculiares tractatus ſuper Pomerania inſtituerentur, ſi illi eos depoſcerent, abſque tamen interventu Gallorum, & Belgarum, quod hi negotiationem extracturi viderentur; aut ſi citra oſtentam Galli excludi non poſſint, nemo tamen præterea admitteretur.

Salvius Monaſterium abit. 22. Oct.

§. 159. His mandatis allatis placebat Salvium ſolum Monaſterium abire explorando ibi rerum ſtatui, ſimul ut cum Gallis ſuper Imperii negotiis conſultaret, hotque ut Brandeburgicum tota Pomerania cedere perſuaderent, ac ne tractatus cum Hiſpanis præcipitarent, permoveret: quem Oxenſtierna, ubi res exigeret, eodem ſecuturus erat. Pridie quam abiret Salvius, auditus ab utroque Legato Suecico fuerat Cleenius Secretarius Danicus, oſtendens à Rege ſuo juſſum ſe tractatibus adeſſe, ipſiusque commodis invigilare. Quæ in eo magnam partem verti credebantur, ne Sueci Pomerania potirentur, ad quod impediendum ipſe Hollandis certa media propoſuerat. Salvium plerique ex Evangelicis eodem ſecuti ſunt. Is operam ibi dedit, ne Hollandi ac Galli cum Hiſpanis tranſigere feſtinarent, hisque occaſio daretur Cæſarem copiis ſublevandi, qui & jam Lamboyum, Lotharingumque deſtinaſſe dicebatur irruptioni trans Viſurgim Albimque, aut circa Moguntiam Briſacumque tentandæ. Tum quia Brandeburgicus ceſſioni Pomeraniæ tam acriter reluctabatur, à Cæſareis & Gallis poſtulavit, ut ipſum illac in Cliviam tranſeuntem ſalutarent, ac temperamento admittendo perſuaderent. Quo

22. Oct. fine & Galli San-Romanum Clivos ad ipſum ablegarunt: Cæſareique idem ſe facturos pollicitſunt, qui & Electorale, ac Principale Collegium Urbicosque monuere, ut pro ſe quodque eodem mitteret.

Monaſterienſium de Suecica ſatisfactione ſententia.

§. 160. Monaſterienſibus in univerſum placebat Electori Reginæ nomine denuntiari, ſi in Citeriorem Pomeraniam & alia quæ poſtularentur loca conſentiat, reliqua ipſi reſtitutum iri: ſin tergiverſetur, utramque ſuffragante & evictionem præſtante Imperio retinendam. Omnes quippe operam ſuam obtuliſſe Electoris conſenſui eliciendo, addita declaratione, ubi ille pertinaciter abnuerit, Imperium Romanum, & ſocios Reges junctа ope rem confecturos, ac futuro Comitiali decreto inertiores promiſſa evictione. Non quod ſerio id vellent, aut Suecis totam Pomeraniam optarent, ſed ut hoc velut cuneo partem extunderent. Quanquam enim Ordines Pomeraniæ Provinciales ac Stralſundenſes teſtabantur, oprandum ſibi integram Pomeraniam ab uno retineri, ſive Regina ſit, ſive Elector, modo privilegia ſibi ſua ſalva maneant: ſuadebant tamen Cæſarei, Galli, & reliqui omnes, ut Regina Citeriore Provincia contenta foret, quod ad utriusque alienationem Elector vix adducendus ſit. Sed quia Elector Odera flumine, & Stetino velut Ducali ſede vix ceſſurus videbatur, Galli ac Venetus judicabant, aliquot auri tonnas illi dandas, qui Stetino cariturus erat. Quo fine Galli duos librarum milliones offerebant, ſi Cæſar pro illis Urbes Sylveſtres pignori opponeret. Aut ſi Regina terras malet, Longuevillius putabat, Magdeburgicum Præſulatum poſt Adminiſtratoris præſentis obitum ſub Archiepiſcopali jure in Reginam transferendum, ſi ipſa totam Ulteriorem Pomeraniam cum Stetino Electori cederet. De Bremenſi præſulatu Salvio ſpem faciebant Cæſarei, fortaſſe Reginam eo poſituram ſub jure & titulo ſecularis Ducatus, ac poſſe Capitulares & Monachos in alia loca transferri, modo vel Verdenſis præſulatus reditus, vel alii ipſorum alimentis deſtinentur. Erſi decentius ſit, dum vivunt alimenta illis indulgere, nullis in demortuorum locum ſurrogatis, quam ita repente in exilium illos ejicere. Porro & de Wilzhuſa præfectura velut parte præſulatus Bremenſis cum moveret Salvius, ac ut Mecklenburgico Duci pro Wiſmaria Raceburgicus præſulatus daretur; prius non plane abnuebant Cæſarei, poſterius diſerte pollicebantur. Circa ſatisfactionem militum Cæſarei proponebant, ut tota Germania inter Suecicum, Cæſareum & Bavaricum exercitum divideretur, certis regionibus cuique aſſignatis. Sed Galli, Venetus, ipſique Cæſarei centebant, qui præſidia agitarint milites nil habere quod prætendant. Sed & qui ſub ſignis retinendus ſit, militem parum quod poſſulet habiturum. Exautorandis æqua lege ſatisfaciendum.

De ſatisfactione militum.

Brandeburgicorum procuratorium novum rejicitur. 24. Oct.

§. 161. Vix Monaſterium digreſſus erat Salvius, cum Brandeburgici a Principe ſuo reverſi novum procuratorium adierunt, quo facultas conferebatur ſuper parte citerioris Pomeraniæ pro ſufficiente tamen æquivalente tractatus ſuſcipiendi. Nec de propoſito per Suecos fœdere vel verbo mentio facta erat. Id procuratorium ſibi exhibitum Oxenſtierna rejecit; nec tali ſe fundamento tractatus ſuperſtruere poſſe. Et quanquam Brandeburgici Legati colloquio Lengrichæ habito Oxenſtiernæ oſtenderent, alia ſe procuratoria à Principe ſuo petiſſe, quæ propediem expectent, eoque ut tantiper Monaſterium abire differat; ne peculiaris hæc tractatus plane evaniſſe videatur: tamen poſt irritam aliquot dierum expectationem demum & ipſe Mo-4. Nov. naſterium profectus eſt. Quo vix adpulerat, cum Galli acriter inſtant, decretoriam Reginæ ſuper Pomerania ſententiam tandem ederet, quæ ſola pacem moretur. Sueci poſtquam ſeparati cum Brandeburgico tractatus exigua ſpes eſſet, San-Romano Clivis reverſo confirmante, Electorem potius quam Stetino & Odera cedat, extrema tentaturum: negotium iſthoc communes per tractatus expedite conſtituere, id ipſum quoque Cæſareis, Gallis alisque ſuadentibus. Un-8. Nov. de ſcripto poſtularunt totam Pomeraniam Citeriorem cum inſulis Rugia & Wollino, Præſulatu Camminenſi, Damma & quidquid trans Oderam ſitum ad Citeriorem Provinciam pertinet. Tum ſimultaneam inveſtituram pro Ulteriore Pomerania, & expectativam ejuſdem Provinciæ, ſi Domum Electoralem Brandeburgicam extingui contigerit, & eius loco tantisper aliud quid paris pretii. Inde Wismariam cum portu & caſtello à balæna dicto, & præfecturam Pælam, ac Neuclotter. Tum præſulatum Bremenſem, ac Verdenſem cum oppido, & præfectura Wilzhuſa ſub titulo ſecularium Ducatuum, feudi lege à Cæſare & Imperio obtinendos; quorum nomine & Regina Coronaque Sueciæ ſeſſionem, & tot ſuffragia, quot priores poſſeſſores, in Conventibus Imperii & Circulorum obtentura ſit. Viciſſim promittebant, Reginam Sueciæ Cæſari & Imperio earumque Provinciarum nomine homagium præſtituram, Ordinibus Provincialibus jura ac privilegia confirmaturam; illis queis ob Cæſaream militiam bona fuerint adempta, eadem reddi-

1646. turam, tum harum Provinciarum intuitu cum vicinis amicitiam culturam, ne Cæſar & Imperium Sueciæ cauſa bello involvatur. Contra ſi Reginæ ac Regno Sueciæ harum reſpectu controverſia moveatur, Cæſar & Imperium ipſam adverſus quoſcunque tueretur. Penes Electorem Brandeburgicum reliqua Pomerania Ulterior maneret ſalvis donationibus, queis Regina quoſdam præfectos militares in ea Provincia mactavit. Huic inſuper, ac Meclenburgico pro Wiſmaria, & Friderico Duci pro Bremenſi & Verdenſi præſulatu idoneam penſationem præſtandam. Si quis horum conſentire abnuerit, Regina ſub Cæſaris & Imperii tutela quæ poſſidet detineat. Denique militiæ Sueciæ, prout ex æquo conventum fuerit, nec minus Landgraviæ ex formula adjuncta ſatisfieret. Id ſcriptum Reginæ non parum diſplicebat, quod Legati haut obſervatis gradibus ſibi præſcriptis præpropere extremam Reginæ ſententiam aperuiſſent. Cujus rei culpam Oxenſtierna in Salvium rejiciebat, qui ſe diſſentiente Monaſterium feſtinarit, ac ad iſta ſe abſente deſcenderit, unde poſt gradum revocare non poſſit. Ac ideo Monaſterium ſibi fuiſſe occurrendum, ut Collegam inde detraheret, nimia facilitate dignitatem Reginæ, ac commoda proſtituentem. Quam ob cauſam & idem propere Monaſterio ſe iterum ſubducebat; Salvio vicißim Oxenſtiernæ nunium rigorem arguente; quæ præcipua cauſa gravium inter iſtos viros ſimultatum fuit. Ipſe Elector poſt Salvium à ſe corruptum ſpartit.

Cæſareorum reſponſum. 20. Nov.

§. 162. Ad hæc Cæſarei ſcripto reſponderunt: De Pomerania Citeriore ſe aſſentiri, quæ antiquis limitibus ſit cenſenda, non minus trans quam cis Oderam locis comprehenſis. Poſtulatum de ſimultanea inveſtitura novum, eoque omittendum; quæ & hoc caſu inſignem inæqualitatem habeat, quod illa alias utrique parti ſpem futuræ ſucceſſionis conferat, alterutra extincta; qui caſus heic accidere non poſſit, Regno Sueciæ immortali. Nec parum æmulationis eam rem apud alios Germaniæ Principes excitaturam. Et cum Sueci reſtituta Ulteriore Pomerania magnum ſe Electori beneficium dare ferant, rationi & æquitati repugnare, Cæſarem ob alterius commodum damnum pati. Ceſſionem præfecturæ Pœlæ & Neucloſter itidem novi quid eſſe; nec temere credendum, Ducem in eam conſenturum. Parum quoque glorioſum Reginæ, ſuis armis reſtitutum Principem tam inſigni terrarum parte exuere. Wilzhuſam Epiſcopatus Monaſterienſis in præſens partem eſſe: nec aliam ſibi mentem fuiſſe, cum de transferendis in Reginam Præſulatibus Bremenſi ac Verdenſi ageretur, quam ut in præſenti ſtatu permanerent. Quos in ſæcularem conditionem mutare penes Cæſarem non ſit, ni Eccleſia conſentiat. Camminenſem Epiſcopatum ad Pomeraniam non pertinere, ſed Imperio ſoli ſubjectum, inque illa conditione merito relinquendum. Friderico Duci pro ceſſa Bremenſis Præſulatus adminiſtratione à Cæſare penſationem non deberi, qui ipſe fateatur, ſe jus ſuum armis amiſiſſe, nec à Cæſare quidquam prætendat, aut eidem ſuæ jacturæ cauſam imputet. Excipiebatur quoque urbs Bremenſis, quæ & antea inter Imperiales urbes habita ſit, & adhuc habeatur, cujus Privilegiis & libertati nihil derogatum velint. Brandeburgico Halberſtadienſis Epiſcoparus, ſalvo ejus ſtatu Eccleſiaſtico, & ditpoſitione ab Archiduce Leopoldo facta, Meclenburgico Raceburgenſis in penſationem damni offerebatur. Intuitu Bremenſis, & Verdenſis præſulatus Reginam unico duntaxat in Comitiis ſuffragio gaviſuram, cum prioribus Adminiſtratoribus aditus ad Comitia plane negatus fuerit. Quod ſi Brandeburgicus & Meclenburgicus conſentire nolint, retineret Regina, quæ in Pomerania & Meclenburgica jam obtinet nullo contradicente, ac nihilominus cum Cæſare & Imperio pacem inviolatam coleret. 1646.

Novum quoque Brandeburgicorum procuratorium rejicitur. 11. Nov.

§. 163. Interea Brandeburgicis Legatis novum à Principe ſuo procuratorium transmiſſum fuerat, quod Oxenſtiernæ Osnabrugam reverſo Wirgenſteinius & Lœvvius exhibuere. In quo iſti diſplicebat, quod lingua Latina conceptum non eſſet, & quod moleſtas quaſdam loquendi formulas exprimeret, velut quod *Elector amore pacis, & favore in Reginam & Regnum Sueciæ tandem conſque ſe viceris.* Nec videbatur Oxenſtiernæ conſultum, Reginam ad curandum Electori æquivalens tam ſtricta ſe obligatione induere. Unde cum hoc procuratorio tractatus ordiri ſe poſſe Oxenſtierna negaret, Wirgenſteinius ipſe ad Electorem abire conſtituit, velut procuratorium quale Sueci deſiderabant obtenturus; interim ut res in integro maneat rogans, ac ne in præjudicium Electoris cum Cæſareis quid concludatur. Idem quoque cum Collegis ſuis propoſitioni à Suecis Monaſterii factæ, Cæſareorumque declarationi ſcripto intercedebat; quo querebatur, privato Cæſareorum auſo inconſultis Ordinibus Electorem circa alienationem Pomeraniæ graviſſime læſum: præſertim cum Cæſar non ſuo tantum, ſed & totius Imperii nomine Sueciæ evictionem promiſerit, ni Elector ultro conſenſerit. Id quod priori cum Ordinibus facto concluſo repugnet, ac communi libertati maximæ fraudi ſit. Accedere, quod cum Suecis jam amica tractatio ſuſcepta fuerit non ſine ſpe felicis ſucceſſus. Ordines hactenus ſententiis ſuis declaraſſe, ſe nulli *Conſtatuum* ditiones ſuffragiis ſuis ademturos, ſed potius omnia prævio conſenſu, ac matura deliberatione amice tranſigenda. Tractatum ejuſmodi invita altera parte concluſum deinceps ingentibus motibus cauſam præbiturum: idque ipſum additam evictionis clauſulam ſatis arguere: quæ & à Gallorum ſatisfactione abſit. Unde ab Ordinibus Evangelicis poſtulabant, apud Cæſareos & Suecos inſtent iſtam cautionem omitti; tum æquiora pacis media circumſpicerent, ne Electori neceſſum ſit publice ſuper diſſenſu ſuo teſtandi. Brandeburgici contra acta Monaſterii proteſtantur.

Pomeranorum circa ſatisfactionem propoſitum temperamentum. 15. Nov.

§. 164. Paulo poſt Pomeranorum & Stralſundenſium Deputati apud Oxenſtiernam novum temperamentum propoſuere circa Sueciæ ſatisfactionem juxta ac pacis ſecuritatem. Ut Reginæ aliis extra Pomeraniam Provinciis ſatisfieret: tum arctiſſimo fœdere, & pacto ſucceſſorio Brandeburgicæ Domui innecteretur à Cæſare & Ordinibus Imperii confirmando, addita ſimultanea inveſtitura, & homagio Ordinum Pomeraniæ in eventum extinctæ familiæ Electoralis. Ita Reginam nunc extra Pomeraniam inſigni ſatisfactione potiri una cum jure ad Pomeraniam, Simul tolli difficultatem circa Pomeraniæ diviſionem, remoramque communi paci ex æquivalente Electori inveſtigando orituram; nec minus vicinorum invidiam, quorum interſit, ne Sueci tanto tractu ad mare Balticum potiantur. Enimvero hoc temperamentum, licet ſpecioſis coloribus adornatum,

Oxen-

1646. Oxenſtiernæ haut idoneum videbatur obtendendo ſecuritatis petitæ ſcopo. Unde iſtis reponebat: Sero talia proponi, ac difficilius eadem expediri, quam quæ Reginæ nomine jam poſtulata ſint.

De Gravaminibus Monaſterii actitata.

§. 165. Porro Salvium Monaſterium proficiſcentem plerique Evangelici Oſnabruga ſecuti fuerant. Ea occaſione Trautmanſdorffius Saxonicos Electorales hortabatur, ut cum plerique Catholici & Evangelici hæc adſint, Gravamina tandem ad finem deducerentur. Id cum ad Evangelicos referretur, placebat, Oxenſtierna præcipue, eodem accedente, cœpta antehac cum Catholicis, ac Junio menſe intermiſſa colloquia inſtaurari, ea tamen addita lege, ne diutius, quam Legati Suecici Monaſterii agerent, iſta extrahantur, ne tractatus Gravaminum Oſnabruga dimoveatur. Id quod Evangelicis, qui Oſnabrugæ remanſerant, ſignificabatur, ut ipſi huc accederent, aut Monaſterienſibus facultatem ſuo nomine agendi conferrent. Colloquio per ſenos utrinque legatos inſtituto, Evangelici cum in aliis capitibus remittebant, tum, ut initium reſtitutionis in annum viceſimum quartum conferretur. De quo ſtatim ſocis ſacrorum Oſnabrugam ſignificabant, ut cum Oxenſtierna rem communicarent, ac quousque cedi poſſe ipſi arbitrentur, panderent. Ac dederat quidem Regina Legatis ſuis in mandatis, ut pro anno decimo octavo niterentur: quod ſi tamen Ordines anno viceſimo quarto contenti ſint, ipſi quoque incaſum pro alienis commodis laborare omitterent; quod invitis beneficium non detur, & nulli facti ſui gratia futura ſit; ſi ipſa reluctetur annuentibus illis quorum præcipue intererat. Sane ſi illi ſe ipſos deſtituerant, non erat, quare in bello perſiſteretur; præſertim cum in amicitia iſtorum parum præſidii reponendum foret. Cæterum obſervatum fuerat, Catholicos complures difficultates movere, temperamenta tamen non ipſos proponere, ſed audire tantum, & quæ diſplicebant ad ſuperiores ſuos rejicere. Unde ſuſpicabantur Evangelici, iſtos tempus extractum ire; ut Gravamina ad extremum dilata poſt adornatam Regnorum ſatisfactionem in Comitia, aut peculiarem tractatum rejicerentur, aut cum inſigni Evangelicorum damno præcipitarentur. Eoque de hoc Catholicorum agendi modo acerrime queſti decreverunt, diſcrepantia adhuc inter ipſos, Catholicoſque capita denuo excutere, quouſque ſalva conſcientia ac per mandata ſua remittere poſſint: de quibus convenire cum Catholicis nequeant, Cæſareis, & Regis Legatis commendare ut ipſi ſua autoritate huic negotio finem imponant, & placita inſtrumento pacis inſerant: Nec minus Catholici ſtatuerant ſua commoda, quæ in hoc negotio verterentur, Trautmanſdorfio concredere: idque Evangelicis

5. Nov.

10. 11. Nov.

14. Nov. ſignificabant. Quj & ipſi hoc ſibi placere teſtabantur, quod iſtius magna apud Catholicos eſſet autoritas: addito tamen, mentem ſuam non eſſe huic negotio finem imponere, ſed tantum hoc colloquio id ita digerere, ut eo facilius Oſnabrugæ ſuper Gravaminibus tranſigi poſſit. Ac ne viderentur Reginam negligere, à Salvio æque, ac Trautmanſdorfio petunt, ipſi inter ſe colloquium ſuſcipiant, in eorundem arbitrio relinquentes, num quoſdam ex Ordinum Legatis adeſſe velint. Salvius jam ante formulam tranſactionis conceperat, quam Evangelicis cum ſuperioribus ſuis communicandam exhibebat. Inde cum Cæſareis Legatis colloquio ſuſcepto utriuſque partis declarationes excutiebat, ac diſcrepantias præcipuas annotabat; id tamen ſtipulatus, ut tranſactio hæc perpetuæ ſit durationis, eaque demum Oſnabrugæ perficiatur. Inde tam Evangelici, quam Catholici ſuper iis, quæ nondum convenerant, extremam ſuam declarationem, qua cedere nec poſſint nec velint, exhibuere hac tamen lege, ut ea tunc demum valida forent, quando & reliquæ controverſiæ, interque has Palatina cauſa, componerentur, & pax ſequeretur: nec Proteſtantibus integrum fore hanc declarationem velut firmam arripere, & novis inde rebus in controverſiam vocatis pacem morari. Nam pace non ſecuta Cæſarem, & Catholicos iis, quæ nunc concedant teneri nolle. Enimvero iſta negotiatio abrumpebatur Salvio Oſnabrugam regreſſo, cui ſub diceſſum Galli ac Venetus duos milliones, aut minimum duodecies centena uncialium millia offerebant à Cæſare & Imperio ſolvenda, ſi Regina Stetino deſiſtere velit. Salvium Evangelici quoque Ordines, qui ejus gratia Monaſterii acceſſerant, Oſnabrugam ſecuti ſunt, quod Suecis abſentibus negotiationem Monaſterii continuare nollent. Oſnabrugæ cum tractatus hoîce inſtauratum irent, Sueci monebant; viderent, ne ſeparata iſthac negotiatione adverſa pars Reginam ab Evangelicis Ordinibus disjungeret. Reſpondebant hi; ame dubio quidem ejuſmodi ſeparationem Catholicos aucupari. Quia tamen omnia ad finem vergere videantur, ac Catholici deſiderium præ ſe ferant tractatus Oſnabrugæ reaſſumendi, haut conſultum ſe ducere, congreſſus cum hîîce recuſare; ea tamen lege, ut nullum caput ad finem perducatur, niſi re cum Suecis communicata, ac tranſactis licet omnibus res pro indecîſa habeatur, quoad ſuper Suecica ſatisfactione conventum ſit. Quinquam autem, tardius Monaſterio moventibus Volmaro, & Catholicis, ante initium novi anni tractatio non ſuſciperetur, Evangelici tamen tantiſper rem inter ſe diſcutere, ac hinc inde quæpiam temperamenta admittere, ut brevi omnia abſolvenda viderentur. Quj & mox tam Cæſareos, quam Suecicos Legatos ſolenni Deputatione rogabant, ut ipſi inter ſe congreſſi eam tractationem aliquibus Ordinum præſentibus ſuſcipere velint.

1646.

18. 19. Nov.

22. Nov.

1. Dec.

29. Dec.

Reginæ extrema declaratio ſuper Pomerania.

§. 166. Inter hæc Regina Brandeburgici tergiverſationibus offenſa; qui frigide admodum exiguam Pomeraniæ partem obtulerat, ad conſtantiam animum obfirmare decreverat. Nam moderatione licet adhibita invidorum, & inimicorum numerus minuendus non erat. Eoque vitium unice ſecuritatem Regni reſpicere, & aliquid acquirere, quod opera dignum foret, quidquid malevoli ringerentur. Unde hanc extremam circa Pomeraniam ſententiam ad Legatos ſuos Oſnabrugam mittit; ſi Elector in ceſſionem totius Pomeraniæ Citerioris, inſulæque Rugiæ, & quicquid ad ulteriorem Pomeraniam ſpectans cis Oderam jacet, conſentiat, additis Golnoa & Wollino, ac tractu aliquo ad alteram Oderæ ripam, ſe reliqua Ulterioris Pomeraniæ, ac præſulatum Caminenſem, Colbergamque oppidum, tum quæ per Marchiam loca præſidiis ſuis obtineat, reddituram ac firmæ amicitiæ fidem daturam, accepta tamen eo nomine à Cæſare certa pecuniæ ſumma. Sin conſentire in hæc nolit, ſe totam Pomeraniam antea oblatam perpetui feudi lege ab Imperio agnituram, ac loca Marchiæ tamdiu detenturam, quoad Elector ſuper iis ſecum convenerit. Quo caſu Cæſar Pomeranos fide Electori data extol-

16. 17. Nov.

1646. vere, eosdemque ad homagium Reginæ præstandum remittere, simul eandem in quieta possessione ejus Provinciæ adversus quoslibet tueri debeat. Utrum ex hisce acceptare velit Elector
26. Nov. optionem, penes ipsum fore. Eam Reginæ sententiam Sueci mox Cæsareis ac Gallis significant, addito, de hac nihil remissum iri. Unde Galli mox San-Romanum, Cæsarei Plettenbergium
1. a. Dec. ad Electorem mittere, qui ipsi persuaderent, ut tandem aliam, quam hactenus sententiam ingrediatur. Accedebant literæ ab Electorali Collegio, quibus misera Germaniæ facies ob oculos ponebatur, cui nisi matura pace consulatur, extrema pernicies immineat: Eoque talia consilia amplectatur, quæ totius Imperii necessitas exigat, ac amore Patriæ, & pacis de suo aliquid concedat, pensatione alibi accepta, cum & Cæsar de suo patrimonio haut spernendam partem Galliæ transcripserit. Ubi tergiverseretur, vitio sibi dari non posse, si abrumpendis ocyus belli malis saluti Patriæ per pacem consulant, in leges à Suecis propositas concludendam. Interea Brandeburgici Legati aliud à Principe suo procuratorium acceperant tractatui super Pomerania, & fœdere cum Suecis instituendo: quod etsi Latina lingua conceptum foret, emendatis, quæ in priori desiderabantur; Suecis tamen istam tractationem differre placebat, quoad adpareret, quid Elector San-Romano & Plettenbergio responsurus esset.
Brandeburgicorum nova propositio. Enimvero Brandeburgici ad proposita à Pomeranis devoluti apud Cæsareos, Gallos, Batavos Imperiique Ordines instabant, ut Suecos petenda Pomerania depellerent, ejus loco offerentes Bremensem, Verdensem, Osnabrugensem, Mindensem, Hildesiensem Præsulatus, Comitatumque Schaumburgum, Hoyam, & Diepholtum una cum tractu ad Amasim, qui Meppam, Vechtam, Cloppenburgum, Wilzhusamque complectitur. Addebant expectativam in universam Pomeraniam in casum extinctæ familiæ Electoralis; ac simultaneam investituram; interim Electorem Reginæ fœdere, ac Ordines Provinciales *eventuali homagio* de libero ulu portuum cauturos. Hunc enim potissimum à Regina respici judicabant, cum reditus longe opimiores è Provinciis ad Visurgin, quam è Pomerania provenire queant. Ista licet prima fronte sat speciosa ægre Suecis obtineri posse judicabant. Cæsarei, Galli, Catholici Ordines manibus pedibusque renitebantur, ne tractu Amalano, Osnabruga, Minda, Hildesia excíderent. Schaumburgensem Comitatum Landgravia, & Comes Lippensis sibi vindicatum ibant. Hoya, & Diepholto Luneburgici carere nolebant. Quos possessione sua depellere invidiosius longe erat, cum Brandeburgicus nunquam Pomeraniæ possessionem tenuerit. Visurgis insuper magnis intervallis Sueciæ disjunctus, cui ægre succurri queat, & unde Sueci facilius, quam è Pomerania expellendi sint. Nova hac propositione moram tractatibus injici, cum super dictis Provinciis nemo Legatorum quid in mandatis habeat. Unde Legati Suecici prioribus suis postulatis inhærendum judicabant: nec tamen ilthæc abrupte repudiare visum. Eoque respondebant; se talia citra mandata proponere non posse; sed si Cæsarei, Galli, Hollandique eadem offerant, se ad Reginam scripturos. Cum satis nossent, neque Gallos, neque Hollandos nimis vicinos sibi Suecos optare, multo minus Catholicos hisce Episcopatus concessuros. Equidem ut Sueci Pomerania potirentur, Hollandi, 1646.
ut Wisinaria Luneburgici parum æquo animo ferebant, quod his Raceburgo plane carendum erat. Iisdem tamen gravius futurum erat Hoya & Diepholto cedere, Hollandi squeminus sulpicionis injiciebat, à Suecis Pomeraniam, quam Meppam & Amasim, insideri. Eoque Legati Suecici judicabant, haut abs re esse, si vulgo crederetur Reginæ perinde esse, Pomerania, an regionibus ad Visurgim potiretur, ut eo acrius pro Pomerania niterentur. Ista tamen propositio nemini non displicere perspiciebatur. Unde & è Senatu Principum Deputati Suecis ista postulata dissuadebant, præter jam adducta ostendentes; longe difficilius hæc quam Pomeraniam, & vix citra bellum obtineri posse.
14. Dec.

§. 167. Ast Brandeburgicus, qui eodem tempore Arausionensis filiam connubio sibi junxerat, per hunc Belgas solicitat: eam cautam suscipiant, nec patiantur ipsum suis ditionibus exui. Eadem Elector in consessu Ordinum Generalium per Deputatos suos petit; Reginam Sueciæ sua interpositione permoveant, ut Pomerania petenda desistat, ac alia satisfactionis media arripiat, aut saltem à se oblatis contenta sit. Quod si autem Imperium & Gallia Suecorum postulatis utique vehementer instituat, operam dent, ut ipse idonea pensatione potiatur. Inter hæc missus à Cæsare eis Legatus ad Electorem Plettenbergius ipsi exposuit, Cæsari decretum pacem haut diutius morari, aut ob ejusdem cum Suecis controversiam bellum extrahere, universis Ordinibus, ipsisque Gallis finem tandem negotio imponi instantibus. Quod si Elector in prius Suecorum postulatum consentire nolit, Cæsarem concesso altero tractatus conclusurum. Eadem ingerebat San-Romanus, addito, si Elector annuat, jus succedendi in Præsulatu Magdeburgico post Administratoris præsentis fata, ac possessionem præsulatus Halberstadiensis, (paulo durioribus tamen conditionibus circumscriptam,) datum iri. Ast Elector, qui præter simultaneam investituram, & partem Citerioris Pomeraniæ usque ad Ukeram flumen nil concedere statuerat, apud Plettenbergium graviter querebatur, se invito ditiones suas condonari, præsertim cum alia via Suecis satisfieri potuerit. Æquitati, ac omnium gentium juri, Cæsareæ Capitulationi, ac toties iteratis decretis repugnare innocentem Electorem hæreditaria ditione privari, eamque in ipsius, ac totius Imperii fraudem tam potenti Regno transcribi. Cæterum se cum agnatis suis, ac Ordinibus Pomeraniæ consultaturum, ac inde Legatis suis ocyus mandata missurum, quid demum pacis causa concedere, & quale æquivalens postulare velit. Addebat tamen, se nunquam Odera decedere velle, nec sine ruina Domus suæ posse. Igitur petebat, ne in tanti momenti negotio, ex quo non suæ solum ditionis, sed & totius Germaniæ salus ac tranquillitas pendeat, nimis se urgeant, sed potius à Pomeranis proposita media arripiant. Aut si alia ratio iniri nequeat, etsi multos ob respectus quamlibet Pomeraniæ partem omni æstimatione superiorem judicet, de idonea sibi pensatione prospiciant. San-Romanus quoque ab eodem regressus referebat; se quicquid diligentiæ adhiberet, plus extorquere non potuisse, quam ut de cedenda Citeriore Pomerania spem faceret: sed de Ulteriore quid remittere quantiscunque condi-
Brandeburgicus Hollandorum interpositionem affectat. 8. Dec.
Plettenbergii & San-Romani apud Brandeburgicum propositio.
Brandeburgici responsum. 7. Dec.
17. Dec.

Digitized by Google

1646. conditionibus abrupte negaſſe. Reverſo Monaſterium Pletenbergio Cæſarei aliquot per dies quieti Electoris declarationem expectabant. Sed cum mora longior videretur, ſub finem anni è Brandeburgicis Legatis quærebant, an nondum Principis ſui mandata acceperint? Qui id negabant, ſimul apud Cæſareos, Succoſque inſtabant, neh oc negotium nimis properarent.

Cæſarei totam Pomeraniam Succis offerunt.

§. 168. Aſt Cæſarei Electoris moras pertæſi Volmarum Oſnabrugam mittere conſtituerunt ad finem negotiationi imponendum. Nec minus Succi Cæſareis denuntiabant, ſe non amplius priori à ſe lata conditione teneri velle, ſed totam

24. Dec. Pomeraniam evictionem præſtante toto Imperio

27. Dec. acceptaturos. His Volmarus cum Lambergio, & Cranio oſtendebat; ex Electoris declaratione ſatis patere, ipſum in partes Ulterioris Pomeraniæ, quas Succi Citeriori adjici cupiant, conſentire nolle. Cum autem Cæſar officio ſuo ſatisfecerit, ac ſalus Germaniæ, totiuſque Orbis Chriſtiani moram non ferat, nec ob Electoris pertinaciam tractatus hic, optatum jam exitum pollicitus, extrahendus ultra ſit; ſibi à Collegis ſuis Monaſterii agentibus injunctum è Succis percunctari, poſtquam Elector ſtudio moras, & effugium captet, num placeat totam Pomeraniam ſub Cæſaris & Imperii evictione acceptare? Quo caſu Trautmanſdorfius ſtatim valetudine quantumvis gravante, huc acceſſurus, ac ſuper evictionis legibus tranſacturus ſit. Porro conſtabat, Cæſareos maluiſſe totam Pomeraniam abſque conſenſu Electoris dare, quam dimidiam eodem conſentiente. Quod Galli, ac omnes Evangelici ideo judicabant fieri, ut in præſens Succos amolirentur, tum Evangelicos Principes inter ſe committerent, ac eo majorem invidiam Succis facerent: ſimul ſi aliquando hi cum aliis bello colliderentur, tecte Brandeburgicum ſolicitarent, ut illos iterum inde ejiceret. Neque enim Cæſaris evictioni magnopere confidendum. Quam ob rationem etiam Salvio videbatur, parte potius Pomeraniæ adquieſcendum: Oxenſtierna contra ſentiente, totam potius vel invito Electore retinendam, quicum etiam nunc temporum ex neceſſitate conſentiente olim non minus ſuper parte Pomeraniæ armis fore certandum. Unde præſtare Electori vires nocendi ſubtrahere, ac retinere, quæ alendis copiis tuendæ Provinciæ ſufficientibus requirantur.

Succi acceptant.

§. 169. Succi, quibus iſthæc pronis auribus accipiebantur, demonſtrabant, mirum ſibi videri Electoris reſponſum ſpatium deliberandi nunc poſcentis, cum jam ante annum nomine Reginæ totam Pomeraniam poſtulaverint, imo amore pacis orbi Chriſtiano tam neceſſariæ Ulteriorem Pomeraniam maxima parte remiſerint, & vel reliquam Provinciam cum conſenſu Electoris, vel hoc abnuente totam, ſub evictione Cæſaris, & Imperii ſe retenturos declararint. Sic ut Elector queri non poſſit, ſibi ſpatium defuiſſe cum agnatis conſultandi. De cætero quæ offerebatur totam Pomeraniam acceptabant, id tantum ſciſcitati; num id negotium Ordinibus communicatum, ac ab hiſce deliberationi ſubjectum ſit; ac num & hi factum probent? Quibus Volmarus reſpondebat: id quidem nondum pleno in conſeſſu factum, quod Suecorum ſententiam prius cognoſcere velint: qua jam percepta, quamprimum ſe eam rem ad eoſdem relaturos, ac quod ſperent brevi confecturos. Tum poſtulabat, exponerent, in quas leges Succi evictionem præſtari cupiant. Quod hi facturos ſe receperunt, in Trautmanſdorii arbitrium conferentes, venire ipſe huc, an per Collegas ſuos rem expedire malit. Qui & ſub finem anni Oſnabrugam acceſſit. Circa evictionem Volmarus de- 31. Dec. clarabat, Cæſarem ad tuendam eam Provinciam eo modo ſefe obligaturum, qui Statutis Imperii conformis, ac Regnorum, Provinciarumque ſuarum hæreditariarum ſtatui idoneus ſit; cum ipſe heic & Cæſaris, & Regis Hungariæ, ac Bohemiæ perſonam ſuſtineat. Tum obligatione mutua opus fore, quæ vix aliter quam per fœdus fieri queat. Ubi omnia heic tranſacta fuerint, Reginam à Cæſare inveſtituram accipere poſſe; mox à Cæſare Commiſſarium in Pomeraniam mittendum, qui Provinciales fide Brandeburgico data exſolvat, eamque Reginæ dari jubeat. Nam ut Cæſar ſubditos obſequii vinculo exuat, in Imperio uſu receptum eſſe. Inter hæc Pomeranorum Pomeranorum ſolicitudo. ablegati anxii agere metu diffidii Reginam inter, & Electorem oriturî; quod non viderent, qua ratione obligatione advertus Electorem exſolvi poſſint, niſi ipſo conſentiente. Quo caſu & Provincia validis præſidiis obtinenda erat, ad quæ alenda tributis, noviſque vectigalibus continuatis opus erat; quæ ut cum bello deſinerent, optabant. Tum ſublato appellationis beneficio libertati ſuæ metuebant. Unde iſti Oſnabrugæ inſtabant, quicquid demum de illa Provincia ſtatueretur, ut libertatem ac privilegia, quibus ante bellum gaviſi ſint, ſarta tectaque ſervent, & ex cauſa belli introducta præſidia, atque onera pace reddita abſcantur, caſtella hinc inde adverſus privilegia Stetini, aliiſque oppidis excitata ſolo æquentur, donationesque, queis bona Ducis menſalia valde attrita ſint, revocentur; & ex illis onera publica deinceps tolerentur: quæ omnia ut Inſtrumento Pacis inſerantur rogabant. Stralſundenſes quoque ſuis privilegiis peculiari Articulo caveri cupiebant; ac ut præſidium deduceretur, caſtella circa oppidum ſolo æquarentur, extrema provocatio ſalva foret, ac nova vectigalia abolerentur.

De Wiſmaria Cæſareorum ſententia.

§. 170. Wiſmariam Cæſarei Reginæ in feudum ab Imperio recognoſcendum offerebant, in cujus locum Duci Adolfo Friderico Raceburgenſis præſulatus dandus ſit. Adverſus quod hic reponebat; ſe honeſte ac illæſa conſcientia cum præſulatum Guſtrovienſi Duci, cujus tutor ſit, ſubtrahere non poſſe. Nec Luneburgicos temere jure ſuo ad eundem ceſſuros, quod utraque Domus, Luneburgica & Meclenburgica, inter ſe, & cum Capitulo pactum ſuper Adminiſtratione alternis vicibus gerenda iniverit. Sed regerebatur: Guſtrovienſem æque ac Suerinenſem Succorum armis reſtitutum; per quæ & Domus Luneburgica, cui è ſeptuaginta duabus præfecturis pauculæ ſuperfuerint, ſua recuperarit; quæ prætenſione ad tantillum præſulatum æquo animo cedere debeat; præſertim cum ejuſmodi pacta ſucceſſoria circa præſulatus nullo jure nitantur. Si quis ſcrupulus Duci Adolfo Friderico reſtet, illum per condominium amoveri poſſe; dum Wiſmaria, ejuſque portus à Regina, ac Duce pro indiviſo poſſidendus ſit, præſidio in utriuſque verba adacto. Reginæ quoque ſecuritati peculiaribus pactis caveri

Digitized by Google

1646. caveri posse. Atque id condominium ut Legati sui acceptarent, Regina jusserat, qui & jam scripto ejus negotii leges complexi erant. Sed quia Dux communionem plane adspernabatur, ut mori se malle scriberet, quam velut gemmam ditionis suæ alienare, Legatis placebat declarationem suam tantisper supprimere.

Sententia Brandeburgici.

§. 171. Ast Brandeburgicus parum commoveri videbatur, quod Cæsar totam Pomeraniam in Suecos invito ipso collaturum se jactaret: cum hoc casu Suecis non magis quam Cæsari arma exuere integrum esset futurum, eoque vera pax iniri non posset, nisi satisfactum ipsi fuerit. Ejus tamen Legati dilationem aucupantes Suecis persuadere conabantur; Electorem priorem ipsorum propositionem haut rejecisse, sed deliberandi spatium quæsivisse: cujus responsum intra sex dies adfuturum sit. Interim ut rem integram tenerent, rogabant. Contra Cæsarei Legati haut aliud ostendebant, quam Reginæ declarationem de tota Pomerania invito Brandeburgico accipienda sibi plane probari; qui & de studio in pacem apud Suecos prolixe testabantur, non segniter in pertinaciam Electoris invecti. Qui & Evangelicorum Deputatis, rogatu Brandeburgicorum exiguam negotio moram petentibus, multis demonstrabant; jussu a Cæsare cum Electore actum; & deprehendere te, nullam apud eundem tanti momenti causam superesse, ut Cæsar & universi Ordines ipsius causa bello implicati hærere debeant. Ac gaudere videbantur, sibi necessitatem jam ademtam Electori pro spontanea Pomeraniæ cessione æquivalens reponendi. Præsertim cum præter Halberstadiensem præsulatum vix quidquam dari queat, ideo quod Capitulum Magdeburgense nuper Ernestum Augustum Luneburgicum Ducem Coadjutorem elegisset: unde novæ difficultates circa eum præsulatum, qui inter alia Electori destinabatur, oriri metuebantur. Gallis autem, qui hactenus circa Citeriorem Pomeraniam cum consensu Electoris tacegerant, cum intellexissent Suecos aliter cum Cæsareis convenisse, nec id sibi displicere ostendebant. Ast Suecis vehementer suadebant, ut negotium suum quantum possent accelerarent, eoque ipso varia obstacula deinceps surrectura præverterent. Cum primis id agerent, ut hæc conclusio pacem Hispanorum cum Hollandis præverteret, ne hi forte iis hostibus liberati adversus Suecos concitari se patiantur. Regina inter hæc priora sua mandata iteraverat, queis ut immoti Legati insisterent jubebat. Quanquam maluisset totam Pomeraniam invito Electore adquirere, quam eam Provinciam cum ipso dividere; quod crederet, non magis stabile fundamentum securitatis suæ in Electoris consensu, quam in Cæsaris & Imperii evictione collocari posse.

Cæsareorum.

Et Gallorum.

De causa Marpurgensi.

§. 172. Causam Marpurgensem Landgravia decreverat à communibus tractatibus haut sejungere; etsi facile admissura erat, ut cognati Principes circa eandem componendam operam navarent. Cui & fœderati Reges promiserant, se pacem non facturos, nisi Cassellana Domus quæ per Darmstadiensem subtracta fuerant recuperasset. Ast Darmstadiensis ostendebat, se quidem Suecicam Mediationem facile admissurum: sed quia ob arctam Regnorum conjunctionem Galli quoque se ingesturi sint, eam Mediationem declinatum ibat, ac malebat rem ex legibus Imperii & confraternitatis pacto componi. Id quod cum Schutzius, & Wolfius Darmstadienses Legati Oxenstiernæ significarent, hic reponebat: Gallos utique una cum ipso ejus controversiæ compositionem aggressuros. Quod si compertum sit à Darmstadiensi rem extrahi, sibi quoque alia consilia capessenda. Sane Reges eam causam non segnius, quam propriam curaturos, quo eadem decisa Instrumento Pacis inseratur. Acrius à Longuevillio responsum: controversiam hanc componi non posse, nisi Cassellanis pars Principatus Marpurgensis, præfectura Smalcaldensis, & inferior Comitatus Cattimelibocensis restituatur. Circa fructus perceptos temperamentum inveniri posse. Forte & modicam portionem earum ditionum Cassellanos ultro remissuros. Nec Gallos quieturos, nisi eidem plane satisfactum fuerit. Brandeburgicum, Palatinum, alios pacis gratia ditionum suarum non exiguam jacturam facere: id quod Darmstadiensi tanto facilius sit, quod ipse non de damno vitando, sed captando lucro certet. Ex hisce Cassellanis spes fiebat, Darmstadiensem demum ad alia consilia descensurum. Porro de satisfactione Hassica Sueci Monasterii diserte mentionem fecerant: sed quam Cæsarei responso suo omiserant, post tamen moniti declaraverant; ubi de Reginæ satisfactione tractatum sit, super stipendiis militum, ac tandem Landgraviæ satisfactione agendum. Unde Cassellani suspicabantur, à Cæsareis id agi, ut ipsorum causa ad extremum rejecta demum plane eludatur: aut saltem invidia protractæ pacis in ipsos devolvatur. Cui ut occurrerent, à Suecicis Legatis petunt, ut suam satisfactionem cum Cassellana conjungant, ac utramque pari passu ad finem deducant.

30. Nov.

De satisfactione Hassica.

De tractatu inter Hispanos & Hollandos.

§. 173. Monasterii sub finem anni negotiatio inter Hispanos & Hollandos eo processerat, ut pauca adhuc, eaque exigui momenti restarent brevi tempore absolvenda. Sane insignem pacis cupidinem præ se ferebant Hispani, ut Belgas Fœderatos pro *justificatis liberis populis* declararent, ac quicquid locorum illi occupassent, relinquerent optione oblata, utrum in has leges triginta annorum inducias, an æternam pacem concludere mallent. In quorum posterius Hollandia cumprimis inclinabat, quæ & reliquas Provincias, Zelandia excepta quæ initio intercedebat, in eandem sententiam perduxerat. Conventum quoque fuerat, ut Cæsar & Imperium eos tractatus probarent. Demum & Zelandia, quæ negotium paulisper morata fuerat, consensit. Ita omnes illæ Provinciæ pacem cum Hispano amplectebantur, Germanicam pacem haut quidquam expectaturæ, idque illarum legati Suecis non obscure denuntiabant. Festinationi sistendæ Servientus Hagam proficisci constituebat, à Belgicis Legatis petens, ut interea negotiationem cum Hispanis suspenderent. Qui tamen non nisi decem dierum dilationem annuentes, iis elapsis statim cum Hispanis congressi circa instrumentum pacis concinnandum sategere. Subscriptioni locus Belgis ex oppo- 23. Dec.
sito Hispanorum pari gradu relinquebatur: qua peracta Pegneranda progressus istos hisce verbis salutasse dicitur: *Descendit de solio suo Rex, & Vos nunc amplectitur non ut subditos, sed ut amicos suos.* Sequenti luce Antonius Brunus Bruxellas properabat curandæ Regis ratificationi. Declarabant tamen Gallis Belgæ; Articulos conventos ac sigillo munitos effectum plenæ tractationis non habituros, nisi Galliæ ex fœdere anni quadragesimi quarti itidem satisfactum fuerit.

23. Oct.

§. 174.

1646. De pace inter Cæsarem & Gallos.

§. 174. Inter Cæsarem quoque & Gallos pax parum modo pro conclusa habebatur, cujus instrumentum jam scripto conceptum ferebatur. Et aperte differebant Galli, sibi pacem necessariam esse; se aliis exemplo praituros, ac cum Cæsare & Imperio primum transacturos. Sperare socios, ac inprimis Suecos secuturos, ac conditiones pacis non nimium intensuros, ad quod illis persuadendum ipsi connisuri sint. Suas res non ferre propter alios perpetuum bellum gerere. Qualia & ipsi Reginæ Chanutus Holmiæ subinde occinebat. Quæ tamen, licet pacis cupidissima, tam glorioſe gesta arma abjicere nolebat prius, quam postulatis suis potita foret, ac Ordinum Germaniæ libertatem, quæ Gallis parum cordi erat, stabilisset. Præsertim cum Axelio Oxenstiernæ haut persuaderetur, à Cæsare serio pacem quæri, nisi majore periculo à Turca, aut Suecicis armis admoto. Sed & inter Gallos & Hispanos brevi conventurum videbatur, Belgis post absolutam suam pacem mediationem suscipientibus. Quos ad sedulam huic navandam operam Trautmansdorfius stimulabat; Insigniter ipsos de utraque parte merituros, ac gloriam reportaturos sua dexteritate conciliatæ orbi Christiano pacis. Inde fervide negotium amplexi Gallos, uti hi querebantur, acriter ad pacem impellere, ac non paucas difficultates tollere. Hispani cum non pauca remitterent, id solatii loco sibi occinebant: fatali quondam revolutione Hispaniam Galliæ prævaluisse, nunc versas vices; sed & sibi aliquando sortem redituram. Tum adducebant, quod quondam Galli capti Anglis victoribus, & sibi insultantibus reposuisse dicuntur: res aliam faciem induituras, *quando peccata Anglorum prævalerent Gallicis.* Contra Gallos, etsi non tantopere in pacem cum Hispanis proclives, Belgæ trahebant, sic ut subinde præter voluntatem horum proposita temperamenta admittere cogerentur. Et isthæc quidem Osnabrugæ & Monasterii hoc anno acta.

De pace inter Gallos & Hispanos.

Legatio Luneburgica, 12. Jan.

§. 175. Eodem anno Regina Holmiæ variis Legationibus adibatur. Ac Luneburgici quidem Thomam Grootium, Ottonem Otronis Mauderodium, & Joachimum Iverfium miserunt, qui post gratulationem super suscepto Regni moderamine suis ditionibus parci petiverunt, sublatis belli oneribus, ac tributa ad moderationem deduci, simul loca, quæ in ipsorum Provincia Suecicis præsidiis obtinerentur, his deductis sibi reddi. Quibus Regina amice respondit; facturam se, quantum ratio belli permittat, suisque severe injuncturam, ut injuriis ac iniquis exactionibus abstineant. Locis quæ repetant ut durante bello cedat, hujus necessitates non ferre. Facta pace penes se moram non fore. Annuere se tamen, ut Hoyæ dejectis munitionibus præsidium deducatur; tum ut Ducum merces Vitiurgi subvectæ à vectigali immunes sint.

Legatio Archiepiscopi Bremensis. 27. Jun.

§. 176. Aderant quoque à Friderico Archiepiscopo Bremensi Caspar Oerzenius, & Joannes Helmius, restitutionem præsulatus Bremensis petentes, quod Princeps nulla sua culpa calamitatibus paterni belli foret involutus. His Regina vicissim demonstrabat, quam Princeps ille belli initio haut se gesserit, prout par erat neutras partes secuturo; utque multis actibus parum amicis Koenigsmarckio necessitatem attulerit arma in ipsum vertendi. Si tamen Legatis facultas agendi sit, se tractatus cum ipsis susceptura. Demum & annuebat, ut Archiepiscopi præsidium intra Bremerværdam maneret, modo circa tributa Provinciæ non satageret, & cum hostibus Suecorum nihil commercii exerceret. Sed quia Regina insuper plenipotentiam Ordinum Provincialium postulabat, si cum Archiepiscopo tractandum foret, hic Legatos suos repente domum revocabat, postulans tamen, ut tractatus Hamburgum transferantur, tum ut præfectura Verdensis sibi concedatur, ac tria uncialium millia è Stadensi ærario ad Bremerværdæ præsidium alendum. Quorum utrumque abnuebat Regina, quod Broemsebroënsi pace cautum sit, ut id negotium in Suecia disceptetur. Et mox cum Bramerværdenses multa suspecta agitarent, eamque arcem copioso commeatu ac milite firmarent; simul ex interceptis literis pateret, Ducem Fridericum à Melandro è Westphalia auxilia petere; Koenigsmarckius illis exturbatis eam arcem in potestatem redigebat. Et ex eo tempore Regina hunc præsulatum sibi vindicare laborabat. Nam quia Danus etiam eodem reddito odia in Suecos exuturus non erat, satius videbatur, isto retento eundem hinc inde magis constrictum tenere. 1646.

Legatio Holsatica, 24. Jul.

§. 177. A Duce Friderico Holsato-Gottorpiensi Legatus pensationem damni per bellum Danicum accepti postulabat, ac ut adversus excurliones militum sibi caveretur: Quorum hoc uti annuebatur; ita quæ belli necessitate facta sint, à restituendi debito semota judicabantur, præsertim cum Suedi bello causam non dedissent. Idem quoque auxilium Reginæ adversis temporibus stipulabatur, quod semper Dani oppressionibus & injuriis obnoxius degeret. Cui Regina amice pollicebatur, quod Suecia interesset eum Ducem à Dano non opprimi; & cognatio cum Duce idoneum prætextum præbebat mediationi suscipiendæ, si quid inter ipsos controversiæ exortum foret.

Legatio Neoburgica. Octobr.

§. 178. A Palatino Neoburgico Henricus Christophorus Griesheimius adpellebat, qui sollicite Electoris Palatini restitutionem commendabat, ac ut ditio Neoburgica ad Danubium belli malis eximeretur; tum ut Regina in causa Juliacensi sibi adversus Brandeburgicum faveret, quam Osnabrugæ componi optabat. Regina etsi Carolum Ludovicum tantum favorem vix meruisse judicaret, & Bavarus ob potentiam haut negligendus videretur: quia tamen publicæ rationes cautam Palatinam negligi non ferebant, quantum penes se foret uti hactenus præstiterat, ita deinceps quoque pollicebatur. Et revera injunxerat Legatis suis Regina, ut pro plena Palatini restitutione, quantum possint, niterentur, non tamen ut eo solo nomine pax abrumperetur: tum ne paterentur Germersheimensem præfecturam, & alia Palatinatui Interiori decerpi, cum admutilatam Provinciam restitui vix operæ pretium sit. De Neoburgica ditione ad duces suos se scripturam pollicebatur. Sed circa Juliacensem causam difficultas petiti ostenta, ne videretur novis difficultatibus sat arduum alias tractatum implicare velle, plerisque jam negotiis profligatis, cum de ista hactenus nihil motum fuerit.

Legatio Magni Gardii in Gallam.

§. 179. Eodem anno in Galliam missus est Magnus Gabriel Gardius Comes, primus solennem legationem è Suecia in Galliam obiturus. Unde Regina fortuna sua ac amicitia cum illo Regno dignum

1646. dignum judicabat splendidissimum eidem comitatum, paratumque circumponere. Adjungebatur Paulus Strasburgius consilio si qua opus adfuturus. Præcipuum ipsi negotium gratulatione de successu armorum, ac gratiarum actione defungi pro opera à Thuillerio navata circa pacem cum Dano nuper compositam, oblato simul exemplo pactorum Brœmtebroensium, quod Rex sua subscriptione, sigilloque majoris solennitatis causa firmaturus erat. Jubebatur insuper hortari Regem ad constanter colendum fœdus, utrique Regno tam gloriosum, & proficuum: & ut is fidelem operam Reginæ sociare pergat ad solidam Germaniæ pacem constituendam; utque ex fœdere à Legatis Gallicis omnia pari passu cum Suecis agantur, neve hostis ullam separationis, aut dissidii spem inter ea Regna concipere queat. Tum ut Gallicæ copiæ in Germania augeantur, & juncto consilio, manuque cum Suecis rem gerant, quod frustra circa pacem satagatur, nisi Cæsare armorum vi demum ad acceptandas æquas leges compulso. Monebat quoque, à Bavaro sibi caveret Rex, nec intempestiva adversus istum indulgentia pacem moraretur; quippe per quem Cæsaris arma aliquoties jam labefactata subinde instaurata sint: à quo & propositæ induciæ fallaces, ac intutæ sint, ac in magnum Cæsari commodum cessuræ, quod is amoto à Gallis metu universas vires in Suecos, Hassosque sit versurus, Reginæ, sociorumque consiliis haut parum turbatis. Præsertim cum ejusmodi conventio parum ad fœderis leges quadret, ac longe alia ratio Brandeburgici & Saxonis, quam Bavari sit; cum illi nunquam armis cum Gallia colluti fuerint; à Bavaro autem Cæsari præcipuum firmamentum accesserit. Addebatur de firmandis Protestantium in Germania partibus, quorum statum ac libertatem conservari sociorum Regnorum interfit, velut qui in hæc semper proclives se ostenderint, cum Catholici fere Austriacæ factioni innexi fuerint. Inprimis commendabatur Palatinæ ac Durlacenæ Domus restitutio, & ut Casiellanæ Principis postulatis satisfieret, quæ maxima constantia ad communem cautam sustinendam haut parum contulerit. Præter hæc, si forte à Gallicis Ministris ultro mentio injiceretur de fœdere cum Danis ineundo, quod tunc agitari rumor erat, jubebatur testari, Reginam ad pacem cum illis servandam proclivem esse: cæterum non videre, ab hisce rem serio geri, ut qui hactenus contraria semper Sueciæ consilia sectati sint. Quod si & Galli de Polonica pace moneant, ostenderet, citra concitationem tamen animi, à Polonis aliquoties infractas inducias, irruptione Hermanni Boothii, tentata Oesalia, & aliis: simul tamen testaretur, Reginam haut eo tecius paci promtam, sed nosse prius cupere, quibus conditionibus Poloni pacem velint, ut exinde consilia sua formare queat. His mandatis instructus ille Gothoburgo Diepam quatuor navibus bellicis numeroso ac splendido comitatu devectus est. Lu-
17. Aug. tetiam ingresso præsentium ibi Legatorum rhedæ honoris gratia obviam processere, exceptis Hollandis, quod nupero Polonici Legati adventu ipsorum familiares, ac rhedarius cum Sabaudicis super primo incessu acri rixa collisi forent. Cum Ducem Aurelianensem salutaret, dextræ manus honorem ipsi relinquebat, velut qui *Altitudinis Regiæ* titulo, Tutoriisque Regii, & summi per Galliam Vicarii præfulgeret. Sed eundem honorem Cardinali Mazarino deferre à Regina vetitum. Quod si tamen is Legato dextræ manus honorem 1646.
abnueret, velut privatus, & exura Legati pompa ipsum adiret, ne congressum viri plane defugiendo offensæ ansam præberet. Inde cum Cardinalis in antecessum ad Legatum misisset, scisciatum, quo honore is ipsum affecturus sit: responsum; Reginam quovis ipsum honore dignum censere. Sed neque Ministros Regum id dignationis obtendere posse, quod æqualitatis cum Regibus indicium sit. Et quam Cardinalitiæ purpuræ venerationem Catholici Reges deferre soleant, à se deferri præter decorum suæ religionis esse. Ita deinde Cardinalem adit velut deposita Legati persona, tantum Nobilibus quibusdam stipantibus nullo Reginæ Ministro aut famulo comitante; qui & dextram manum domi suæ sibi vindicabat. Quanquam sequenti anno cum Scheringius Rotenhahnius in Galliam Legatus Ordinarius mitteretur, eidem injungeretur Mazarino dextræ manus honorem exemplo aliorum Legatorum Regiorum haut abnuere, quod absque illo tunc in ista Aula nihil obtineri posset. Nam quod olim Hugo Grotius, imitante ejusdem exemplo Leycestrio Comite, Legato Anglico, Richelio Cardinali dextræ manus honorem deferre noluerat, id non leve ipsi odium conciliaverat. Unde & Oxentiierna Cancellarius, ne ministri invidia heri commodis detrimenti quid adferret, negotiationem Gallicam Holmiam, aut Hamburgum pertrahere studebat, ut eo minor Suecico Legato cum Richelio congrediendi necessitas foret. Cæterum Gardius à Rege ac Regina Matre Fontisbellaquei publice auditus, inde tres per septimanas omni honoris genere exceptus est, qualem ante ipsum nulli Legato exhibitum Galli negabant; Regina Matre eam quoque lætitiæ causam allegante, quod sub Reginarum invicem amicarum regimine Regna illa hæc socia tanta armorum felicitate florerent. Briennæ Comes, cui negotia cum extraneis expedire functio in aula erat, à Legato titulum *Excellentiæ* sibi tribui postulabat; id quod hic plane abnuit. Cæterum quæ proponebat Legatus sat liberaliter Ministri Regii annuebant. Ac exemplum quidem pactorum Brœmtebroensium Rex sua subscriptione, & sigillo adornatum exhibebat. Ubi tamen ratificatio Reginæ Sueciæ, & Regis Daniæ omissa erat; quod Briennius diceret; pacta ipsa, non ratificationem Regum firmari opus esse. Revera autem nomen suum infra illorum Regum nomina ponere nolebat. De firmandis quoque Turcmii copiis promittebat Briennius, sed ita, ut de pecuniæ inopia non parum quereretur, omnibus in universum Ministris ingerentibus; Galliam utique Germaniæ pace opus habere. Catholicos in Germania Briennius ferebat deinceps non minus sociis Regnis adhæsuros status sui conservandi gratia. Nec tamen Regem Evangelicis invidere, quæ salva ratione & æquitate postulent. Et Cardinalis aliquoties Hassico Ministro Dornbergio in faciem dixerat: Arduum esse Lanogravine satisfactioni adstipulari, quod illa sibi Ecclesiastica bona depoſcat. Nam etsi ipsa promittat se circa sacra nihil novaturam; periculosum tamen esse Catholicos Evangelico Principi subjicere. Dum Gardius in aula agit, adferebatur, super satisfactione Gallica transactum, ut jam tota Gallia pacem propinqua spe præciperet. Eo tamen postulante, ut Suecicæ quoque satisfactionis ratio haberetur, Gallicis Legatis Monasterium scribebatur: à se facta tantisper velut infecta haberentur, quoad Reginæ

juxta

1646. juxta, ac Landgraviæ fuerit ſatisfactum. Poſtulabat quoque Cardinalis ut Regina Lutetiæ perpetuum Legatum ſeu Reſidentem, ſicuti Chriſtianiſſimus Rex Holmiæ, haberet. Ita Legatus ex aula diceſſit, in quam non minus liberalitatis effuderat, quam honoris ipſe receperat. Quæ familiam domum devecturæ erant duæ naves, (nam ipſe terreſtri itinere reverti juſſus erat,) cum littus Diepæ legerent, ingenti cum nave bellica Anglicana integrum per diem machinis depugnabant, quod hæc poſtularet, ut illæ ſumma velorum ſibi ſubmitterent. Demum tamen Anglicana navis receſſit, cum intelligeret, Legato vehendo illas deſtinatas, etſi ita jam à Suecicis navibus perforata, ut parum à ſubmerſionis periculo abſuerit.

Veneti auxilium contra Turcam petunt. 29. Jan.

§. 180. Sub initium ejuſdem anni Holmiam adpulit Vincentius Generinus Nobilis Venetus, qui ejus Reipublicæ nomine auxilium adverſus Turcam, tunc Cretam infeſtis armis petentem, implorabat. Literæ quas ad Reginam à Duce adferebat, non niſi *Illuſtriſſimæ & Excellentiſſimæ* titulum præ ſe ferebant, quem & Legatus Venetus Monaſterii ſibi vindicabat. Sed excuſabat iſte Rempublicam veteris moris retinentiſſimam, quæ nec adverſus alios Reges ampliore titulo utatur. Ita Regina tandem literas illas acceptabat, præmiſſa tamen proteſtatione. Sed ſuper ipſo petitu in utramque partem rationes ſe oſtendebant. Auxilia conferre ad progreſſus Turcæ ſiſtendos, quam maxime glorioſum Reginæ futurum erat: ac dudum ſalus Orbis Chriſtiani flagitaverat, potentiæ tam formidandi hoſtis, & cui omne nomen Chriſtianum juxta exoſum, junctis viribus obviam fuiſſe itum, cui dum nunquam pacem, nunquam duos hoſtes habere artificium eſt, ſingulos carpendo ad univerſos ſubruendos via ſtruitur. Enimvero ne Regina bello ſe iſti miſceret, graviores rationes obſtabant. Belli jam antea Sueciæ affatim: eandemque à Turca longiſſime remotam. Et cur Cæſar auxilio ſe non accingeret, cujus ditionibus iſte quam maxime imminet; qui tamen dominatui ſuo in Germania ſtruendo opes conſumere malit? Sueciam nullo fœdere, aut accepto beneficio obſtringi, ut vires ſuas prodigat; præſertim cum ipſi nullus amicus ſit, cujus auxilio viciſſim uti queat, Gallis & Hollandis cæca invidia flagrantibus. Cogitandum quoque, num commerciis Suecorum expediat ſigna in Turcam ferre, cum eam ob cauſam Angli & Hollandi fœdus ejusdem & amicitiam colant. Axelium Oxenſtiernam quondam Hagæ Venetum Legatum fruſtra ad auxilia in bellum Germanicum conferenda ſolicitaſſe, cum tamen ejus Reip. non parum intereſſet potentiam Auſtriacam caſtigari. Denique nec pecuniam, nec militem Sueciæ ſupereſſe; minime omnium autem expedire naves bellicas imminui, aut tam longinque expeditionis periculo ſubjici. Denique vix cum ullo Principum fœderibus innecti magis lubricum eſſe, quam cum Veneris, à quibus ſocios ac ſtipendia facientes deſtitui frequens ſit; queis nec quæ Belgis fœdere promiſerant præſtare cordi fuerit. Placuit tamen honeſto colore petita eludere, eoque Generino poſt multam amicitiæ ac pronæ voluntatis teſtationem oſtenſum, quanta moles belli Germanici incumbat, quod omni vi ſit profligandum: tum tempore opus eſſe ad auxilia adparanda; & conſtare prius debere, quid ab iſta Republica viciſſim ſit expectandum. Unde neceſſum fore fœdus inter Reginam & Rempublicam iniri, cujus leges ſcripto conceptæ Generino exhibitæ; qui cum facultate agendi inſtructum ſe negaret, oſtenſum; Legatis Suecicis Oſnabrugam mandata transmiſſum iri, quibuscum Contarenus, ſi velit, ſuper fœdere tractare poſſit. Sed is poſt Generino Monaſterium regreſſo Legatis Suecicis pro benevola Reginæ declaratione gratias egit: cæterum conditiones à Regina propoſitas de fœdere offenſivo ac defenſivo, deque jungendis cum Suecico exercitu copiis à Republica præſtari non poſſe. Ita negotium illud effectu caruit; & quantum Veneti Suecis ad bellum Germanicum opis contulere, tantundem repenſum. 1646.

Polonica. 25. Mart.

§. 181. Paulo poſt à Duce Curlandiæ exemplum literarum à Senatoribus Poloniæ ad ipſum ſcriptarum transmittebatur, quibus illi declarabant arbitros ſe admiſſuros, quos Sueci nominarint, Gallos, Anglos & Belgas, quibus ipſi Venetos adjuncturi ſint. Ipſe Dux pro ſe cautionem expoſcebat, ut ſibi extra belli contagium agere liceret, ſi ad arma inter Sueciam & Poloniam eruptum fuerit. Ea res Reginæ non parum ſuſpecta videbatur, velut iſte hoc modo expiſcatum iret, quæ ſibi ſuper bello Polonico mens foret; aut velut in Polonia jam conſilia ſuper abrumpendis induciis agitarentur. De quo & ipſo parum amica expectabantur propter affinitatem Brandeburgici ob Pomeraniam infenſi. Sane Dux cum Paulo Helmes Riga ad ſe evocato varios ſermones miſcuerat, qui monſtri aliquid alere videbantur. Cum res ad Senatum referretur, Reginæ haut placebat arbitrorum ſententiæ cauſam ſuam ſubjicere; quod & inter ſummos Principes parum frequentatur. Id quoque decorum judicabatur, reſponſa ſibi ſemper conſtare, & excuſatis præſentium temporum impedimentis, ac remiſſione ad mediatores tempus extrahere. In præſens enim ſuper qua re tractandum ſit non adparebat, cum ſine dubio Poloni, uti quondam in Boruſſia, Livoniam prætenſioni in Sueciam cedendæ poſtulaturi ſint, qua provincia Suecia carere nequeat: ac ſtolidum ſit commodis ſuis amiſſis Polonorum deinceps libidini obnoxium agere. Sed nec adparebat, quibus mediatoribus in præſens Regina tuto confidere poſſit, dum omnes ægris oculis ipſius fortunam reſpicerent. Unde quia Senatores Poloniæ rem frigide videbantur agere, conſultiſſimum erat, Reginam quoque tractatus declinare, quamdiu poſſet, & amicis reſponſis iſtos delinire. Interim forte Turcam ſe moturum, quo arma inferente maxime opportunum ſit cum Polonis tractatus ſuſcipere. Et quanquam aliqui cenſerent nunc maxime commodum fore negotiationem ingredi florentibus in Germania Suecicis armis, quæ ſtatim per Sileſiam in viſcera Poloniæ ſe infundere queant; Cancellario tamen Oxenſtiernæ videbatur prius id laborandum, ut exercitus præmiis macti Germania deducantur; & pax executioni detur, aliæque difficultates amoveantur. Nam utut nullus exercitus in Germania ſit, eas tamen Sueciæ in pace vires eſſe, quas Polonus ſpernere non poſſit. Polonici quoque Senatores in Suecorum placitum rejecerant de loco & tempore tractatuum ſtatuere, etſi ipſi Francofurtum ad Oderam ſibi placere oſtenderent. Sed Reginæ vitium, de loco & tempore ad Sequeſtros rejicere, ac magis locum aliquem Germaniæ, Lubecam aut Hamburgum, admittere, quam qui in finibus Poloniæ ſitus ſit, quod huc exercitu quoque propius adducto opus ſit, &

1646. 27. April. ut cum luxu Polonorum, immenſoque comitatu paria fiant. Unde demum Curlando in hanc ſententiam reſponſum Senatorum Succiæ nomine: Valde ſibi ipſius ſtudium circa pacem conciliandam probari. Se non abnuere, quo minus & Veneti reliquis ſequeſtribus adjungantur. Si Regi Angliæ per internos motus otium non ſit iſti negotiationi vacare, hanc non eo minus per reliquos expediri poſſe. Diem tractatibus à ſe præfigi non poſſe; niſi cum conſenſu Mediatorum, & antequam omnia diſpoſita, & digeſta ſint, ut ſpes boni ſucceſſus velut cominus allubeſcat. Locum commodiſſimum videri aliquam Hanſeaticarum urbium neutri parti obnoxiam. Adduntur hortatus, ut in hoc negotio ſtrenuam navare operam pergat. Circa neutralitatem reſponſum, ut ipſe ſuper ejus legibus mentem ſuam declaret, & qua ratione viciſſim Reginæ cavere velit, ac ut vel aliquem huc mittat, negotio huic abſolvendo, aut Reginam Paulo Helmes mandata transmiſſuram, ut cum eodem tranſigat. Interim tempore extracto pro re nata conſilia capienda erant. Commovebant paulo poſt Reginam haut parum nuntii de novis Regis Poloniæ delectibus, quos adverſus Sueciam inſtitui maxime veroſimile videbatur, præſertim cum Cæſarei ſubinde iſti occinerent: Suecos bello in Germania poſito ſtatim Poloniam armis petituros, & præcipui, qui delectibus iſtis operabantur, Suecis infenſi eſſent. Unde nihil ſpernendum judicans Regina & ipſa per Livoniam ſine ſtrepitu arma parat, eoque fine Guſtavum Hornium in eam provinciam ire jubet; ut ad omnes caſus dux idoneus ibi præſto foret. Ne tamen Poloni ſuſpicione perſtricti forte deſtinata ſua properarent, ſpargebatur, Hornium non niſi ad prædia ſua viſenda proficiſci. Rumores tamen iſti paulatim iterum evanuere. Petebat
20. Oct. poſt Rex Poloniæ per literas à Torſtenſonio aliquot millia militum auxilio in Turcas. Re ad Reginam rejecta reſponſum: rationem belli nunc non ferre, ut exercitus imminuantur, ſed pace facta ſe libenter conceſſuram, ut Rex exautoratos milites ſuis ſtipendiis adſciſcat.

Legatio à Moſco. 22. Maji. §. 182. Aderant eo anno ab Alexio novo Moſcorum Czare miſſi tres Legati, qui prout pactis Stolbovienſibus cautum eſt, fœdus & amicitiam renovatum ibant: qui & ſcripto conceptam æternæ pacis confirmationem à Principe ſuo obtulere, pari inſtrumento à Regina viciſſim accepto. Cum ad Reginam publice audiendi deducerentur, Legati nonaginta famulis ſtipati incedere, pannos auro intextos, ac Zobellinas pelles dono ferentibus. Ipſi orationes à ſe recitandas chartis in cylindri formam convolutis deſcriptas, capitalibus literis auro pictis, manibus præferebant; è quibus unam lineam poſt alteram legebant interprete verſionem ſuam interponente nullo verborum aut ſenſus diſcrimine obſervato. Qui literas Czaris ferebat nigro ſerico involutas, cum ad eas accipiendas Cancellarius accederet, illas huic reddere abnuit, & ad Reginam progreſſus feroci cum gravitate huic eas in manus tradidit. Iidem alias laute habiti, cum abunde ſibi ſatisfactum eſſe teſtarentur, domum reverterunt. 1646.

§. 183. Cum Hollandis hoc anno amicitia non parum refrixiſſe videbatur, invidia in Suecorum progreſſus haut obſcuris indiciis erumpente, & quia naves Succicas ad certum genus vectigalis titulo maris à piratis purgandi onerabant; revera autem ut alio ſub titulo vectigal Oreſundicum, à quo Sueci immunes erant, extorquerent, ne Succicæ naves hoc onere exemtæ majore quam Hollandicæ compendio commercia exercerent. Id onus ut amolirentur Hollandi, Regina cum antea per Spiringium Reſidentem, tum nunc literis minacibus poſtulabat. Quibus cum parum illi moverentur, Regina viciſſim Hollandicis navibus certum vectigalis modum impoſuit, à quo indigenarum naves immunes erant non ſine querela Hollandorum, velut hoc ipſo pacta anno quadrageſimo inita violata forent. Hollandica. Veil-geld. 24. Iun.

§. 184. Eas ſimultates in commodum ſuum verſurus Daniæ Rex Cornificium Ulfeldium in Hollandiam miſit. Cum enim perſpiceret, amicitiam cum Anglis, Auſtriacis & Hiſpanis hactenus ambitioſe cultam parum ſibi proficuam fuiſſe, vela vertere, & Hollandorum, Gallorumque favorem captare inſtituit. Iſte publice, ac privatim potentiam Suecorum in Mari Baltico magna cum invidia extollere, & uti immodicis poſtulatis bellum extrahere, inſignesque ſibi per Germaniam provincias ſubjicere conentur: queis Belgæ mature obviam ire debeant, ni commercia ſua per Mare Balticum extremo periculo exponere velint. Idem & mercatores quoſdam ſubornaverat, ut apud Ordines quæſtus intenderent, artibus Suecorum effectum, dum exterorum naves majore vectigali quam indigenarum ſubjiciunt, ut paucæ Hollandorum naves Succiæ portus nunc frequentare queant. Ira tandem futurum, ut Sueci omne lucrum è ſuis commerciis ſibi ſolis vindicaturi ſint. Quibus rebus effectum eſt, ut ea Reſpublica exuto in Sueciam affectu Daniæ deinceps ſtudere inciperet. Danica.

SAMUE-

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFI RERUM SUECICARUM

LIBER DECIMUS NONUS.

EPITOME.

1647. 1. *Acta cum Helvetiis.* 2. *Wrangelius Lindavia obſidium molitur. Galli Uberlingam tentant.* 1647. 3. *Cæſarei Sultzbergum capiunt; Weiſſenburgum obſident; quod deditur. Melander exercitui Cæſareo præficitur.* 4. *Kœnigsmarckius in Weſtphaliam mittitur.* 5. *Acta tractatus induciarum inter Suecos, Cæſareos & Bavaricos. Succicorum Deputatorum mandata. Iidem Ulmam veniunt. Prima offenſa circa Ceremonias. Bavaricorum prima propoſitio.* 6. *Succorum ad hanc declaratio: Succi diſcedunt.* 7. *Wrangelius inſulam Meinaviam capit: Lindavia obſidium ſolvit; Bregentiam deſerit.* 8. *Tractatus induciarum inſtauratur, ejuſque cauſa. Tractatus initium. Bavaricorum propoſitio.* 9. *Succorum de hac ſententia. Qui cum Gallis rem communicant.* 10. *Succi poſtulata ſua temperant. Bavarici ſerio à ſe rem geri teſtantur.* 11. *Succicorum cum Bavaricis negotiatio.* 12. *Regii Bavaricam declarationem urgent.* 13. *Cæſarei quoque tractare cupiunt. Iidem Bavaricis ſuccenſent.* 14. *Inſtrumentum conficitur; non ſatis expolitum; quod Bavaro ratihabendum transmittitur.* 15. *Gebhardi apud Bavarum negotiatio.* 16. *Idem Ulmam venit. Num idem audiendus deliberatur.* 17. *Ejus cum Regiis negotiatio. Cæſarcorum propoſitio.* 18. *Ratificatio Bavarica adſertur.* 19. *Wrangelius inducias ratas habet. Inſtrumenta tractatuum hinc inde traduntur.* 20. *Capita conventionis.* 21. *Oppida conventa Succis traduntur.* 22. *Gebhardi congreſſus cum Wrangelio. Hunc tractatum Cæſarei agerrime ferunt.* 23. *Galli Tubingenſem arcem expugnant. Leuenhauptius ad exercitum venit.* 24. *Wrangelius Schweinfurtum obſidet, & expugnat.* 25. *Equitatui quies indulgetur.* 26. *Inducia ab Electore Colonienſi ratificantur. Bavarus nihil copiarum exautorat.* 27. *Regina inducias cum Cæſare abnuit.* 28. *Turennius in Moguntinam ditionem progreditur; Idem Aſchaffenburgum & Hæchſtam capit. Moguntinus cum Turennio tranſigit.* 29. *Darmſtadienſis à Turennio duriter habetur. Super hoſpitiis inter Suecos & Gallos tranſigitur. Turennius è Germania evocatur.* 30. *Wrangelius Wittenbergium ad ſe arceſſit; Egram accedit; in Bohemiam excurrit. Curia Variſcorum capitur. Obſidium Egræ.* 31. *Cæſarcorum conditio.* 32. *Obſidium Egræ continuatur. Ea capitur.* 33. *Exercitus Bavaricus tumultuatur.* 34. *Is tumultus ſedatur. Bavarus apud Cæſarem queritur. Idem Succis eſt ſuſpectus. Hornius ad Bavarum mittitur. Bavarus tumultum iſtum agre fert.* 35. *Hornius ab Electore redit. Cæſar Bavaro reſpondet.* 36. *Idem Falckenaviam arcem capit: Prope Suecos conſidet. Succi in caſtra Cæſaris irrumpunt.* 37. *Cæſarcorum incommoda. Cæſar primus caſtra movet:* 38. *Inde & Wrangelius. Hoſtis contra hunc progreditur.* 39. *Bavarus avocatoria Cæſaris reſellit. Wrangelii ad Bavarum ſuper ratificatione armiſtitii litera. Regina ratificatio adſertur, & Monachium mittitur. Bavarus ratificationem abnuit.* 40. *Wrangelius Bavaro reſpondet. Electoris replica.* 41. *Cæſarei Tribelam occupant. Conflictus ad Tribelam.* 42. *Cæſarei caſtra movent: ut & Succi: Qui tres hoſtium legiones cædunt. Wrangelius ad Tæpelam conſidet. Cæſarei pelluntur. Cæſarei altera vice repelluntur. Exercitus hoſtiles ſeparantur.* 43. *Bavarus cum Cæſare tranſigit.* 44. *Ejus tranſactionis contenta. Cæſaris edictum Cæſarei ingentes ſpiritus ſumunt.* 45. *Wrangelii deſtinata. Bavarus inducias renuntiat. Herbipolenſis Epiſcopi conſtantia.* 46. *Wrangelius loca quadam Bohemiæ tenet. Idem in Miſniam tendit.* 47. *Bavarus Memmingam invadit. Idem copias ſuas Cæſareis jungit. Wrangelius Salam tranſit. Wittenbergius in Sileſiam mittitur.* 48. *VVrangelius Turennii conjunctionem affectat. Idem Viſurgim tranſit.* 49. *VVanchii adverſus Saxoniæ Electorem conatus. Idem capitur ac damnatur.* 50. *Cæſarei in Thuringiam veniunt:* 51. *Inde in Haſſiam flectunt.* 52. *VVrangelius Oldendorfum recedit; copias in hiberna diſtribuit. Gleichenſteinum arx fruſtra à Succis tentatur.* 53. *Cæſarei in hiberna diſcedunt: Melander Marpurgum*

Digitized by Google

1647. *expugnat : idem ſauciatur.* 54. *VVittenbergii geſta. Montecuculum in Sileſiam revertit ; in quem* 1647.
VVittenbergius tendit. 95. *Hic iterum in hoſtem movet. Idem ad VVrangelium evocatur.*
56. *Cæſarei Olmucium & Iglaviam eminus obſident. Cæſarei pelluntur.* 57. *Iidem Iglaviam obſident. Eadem deditur. VVittenbergius in Sileſiam redit.* 58. *Cæſarei caſtellum ad Kœnigsvvartam recuperant. Egra cominus circumſidetur. Cæſarea legio opprimitur.* 59. *Kœnigsmarckii & Haſſorum actu. Kœnigsmarckius Caſſellanæ auxilio venit. Haſſi Niedeccam recuperant. Super conciliandis Caſſellanis & Darmſtadienſibus fruſtra agitur.* 60. *Colonienſis Elector armiſtitium acceptat. Idem de Haſſis queritur.* 61. *Cæſarei VVeſtphalia decedere nolunt.* 62. *Kœnigsmarckius Vechtam obſidet, & capit ; ut & Furſtenaviam ; & VVeidenbruggam.* 63. *Landgravia Darmſtadienſi plura loca occupat. Mortaignius cadit.* 64. *Elector Colonienſis inducias abrumpit.* 65. *Kœnigsmarckii reſponſum ; Landgraviæ reſponſum.* 66. *Hoſtilia reſumuntur. Haſſi Paderbornam obſident. Lamboius in Friſiam irrumpit.* 67. *Eum Sueci & Haſſi invadunt. Lamboius ad Rhenum confidet ; & à Suecis, Haſſisque obſidetur ;* 68. *ac tandem deſeritur. Haſſi caſtella Friſiæ recuperant. Lamboius complura loca recuperat.* 69. *De legionum Vinarienſium ſeditione.* 70. *Seditio gliſcit. Turennius ad ſeditioſos mittit. Hi Roſam ducem expoſcunt. Hic retro eos ducere cogitur. Legiones cis Rhenum redeunt. Turennius id fruſtra impedire conatur.* 71. *Idem cum hiſce cis Rhenum tractat.* 72. *Seditio recrudeſcit. Legiones verſus Nicrum abeunt. Roſa in cuſtodiam datur.* 73. *Legiones novum ſibi ducem conſtituunt. Eas Cæſar tentat. Turennius denuo cum illis tractat. Illæ trans Mœnum abeunt. Turennius ab iſtis repellitur. Turennius in Belgium abit.* 74. *VVrangelius hos motus præſens erat. Legiones ad Viſurgim conſedunt.* 75. *Kœnigsmarckius VVarendorſum aggredi cupit ; poſt omittit.* 76. *Idem Vinarienſes accipere dubitat. Gallici Legati fruſtra cum illis agunt. Vinarienſium poſtulata. Cum illis facta conventio.* 77. *Per ſuperiorem Sueviam geſta. Cæſarei Wangenam opprimunt ; Gieſſam capiunt ; Ravensburgum fruſtra tentant : id Sueci ultro deſerunt.* 78. *Sueci fruſtra Uberlingæ ſubvenire conantur. Legio Gallica à Cæſareis intercipitur. Langenargæ à Cæſareis fruſtra tentatur.* 79. *Sueci Biberacum deſerunt. Bavarus Memmingæ deditionem imperat. Sueci ad vim excipiendam ſe comparant. Memmingæ deditur.* 80. *Norlingæ obſidetur. Cæſarei Wormatiam fruſtra tentant.* 81. *Galli inducias cum Bavaro continuant. Turennius ad Rhenum redit ; idem Bavaro inducias renuntiat.* 82. *Tractatus de pace continuatio. Conventio ſuper Pomerania cum Brandeburgico ab omnibus optatur.* 83. *Hollandi acriter inſtant.* 84. *Ordines Imperii optant. Brandeburgici ad tractandum ſe offerunt : id quod Avauxius ſuadet. Cæſarei promiſſam evictionem retractant.* 85. *Sueci tractatum acceptant. Brandeburgicorum ſententia.* 86. *Avauxii pro Brandeburgico ſtudium. Tractatio cum Brandeburgicis ; Ea abſolvitur.* 87. *Brandeburgici Cæſareos æquivalens poſcunt.* 88. *Circa petitos Epiſcopatus multi ſe opponunt.* 89. *Brandeburgici reſpondent.* 90. *Sueci Brandeburgico favent. Cæſarei petitos præſulatus annuunt : De Minda ſpem faciunt. Luneburgici alios præſulatus affectant.* 91. *De ſatisfactione Suecica : De Pomerania : De Wismaria.* 92. *De Bremenſi ditione.* 93. *Tractatus ille concluditur.* 94. *Huic contradicit Meclenburgicus ; Fridericus Adminiſtrator Bremenſis & Fridericus Dux Gottorpienſis.* 95. *Super Gravaminibus negotiatio.* 96. *Peculiaris Gravaminum diſceptatio.* 97. *De autonomia ſubditorum.* 98. *Super Principe Serveſtano monitum.* 99. *De cauſa Palatina.* 100. *Eam ſoli Sueci ſuſtinent.* 101. *Super amneſtia utriusque partis formula.* 102. *De cauſa Caſſellana.* 103. *Gallorum de Hollandis querelæ. Servienti negotiatio Hagæ.* 104. *De tractatibus Gallorum cum Hiſpanis.* 105. *Cæſarei formulam inſtrumenti pacis exhibent ; ut & Sueci. Palatini proteſtatio. Sueci Cæſareorum propoſitis in cauſa Palatina accedunt. Ea res differtur.* 106. *De Wurtenbergici reſtitutione.* 107 *De cauſa Badenſi. De reliquis reſtituendis. De ſubditis Cæſareis.* 108. *De Gravaminibus Catholici Cæſareorum acta improbant ; ut & Galli. Cæſarei ſe excuſant.* 109. *Ea negotiatio continuatur. De ſubditorum Cæſareorum autonomia.* 110. *De adminiſtratione Juſtitiæ.* 111. *De negotiis Imperii.* 112. *De veſtigali Oldenburgico.* 113. *Reliquiæ ſatisfactionis Suecicæ.* 114. *De æquivalente negotiatio pauliſper hæret. De urbe Magdeburgi libertate. Brandeburgicus Minda potitur. Meclenburgicum æquivalens.* 115. *De Oſnabrugenſi Præſulatu.* 116. *De æquivalente Adminiſtratoris Bremenſis.* 117. *De Haſſica controverſia & ſatisfactione.* 118. *Aliæ quædam differentiæ.* 119. *De ſatisfactione exercitus.* 120. *Exercitus poſtulata.* 121. *Monaſterii tractatus frigent.* 122. *De Kœnigsmarckio querelæ.* 123. *Cæſarei Monaſterii duo inſtrumenta edunt. Galli lente agunt.* 124. *De Palatina cauſa.* 125. *De Wurtenbergici reſtitutione. De cauſa Badenſi.* 126. *Catholici Oſnabrugæ acta ſuper Gravaminibus ſubvertere cupiunt.* 127. *Cæſarei illis ſtare nolunt. Cæſareorum ad Catholicos propoſitio.* 128. *Catholici ſuis conſiliis inhærent.* 129. *De ſubditorum Cæſareorum ſacris. De Meclenburgico æquivalente.* 130. *Bavarici de ceſſione Bremenſi queruntur. Id Sueci ægre ferunt. Ea controverſia componitur.* 131. *De Caſſellanis poſtulatis.* 132. *Galli de Religione Inſtrumento ſuo inſeri nolunt. Ne Cæſar Hiſpanis auxilium ferat.* 133 *Galli*

Inſtru-

Digitized by Google

1647. *Inſtrumentum ſuum nolunt edere integrum; ſed tantum caput de ſua ſatisfactione.* 134. *Evangelici Suecos adeunt.* 135. *Tractatuum inter Gallos & Hiſpanos;* 136. *Inter Hiſpanos & Belgas continuatio.* 137. *Pax nutat.* 138. *Trautmansdorfius diſceſſum parat lubentibus Catholicis, invitis Evangelicis.* 139. *Evangelici circa eam rem ſatagunt.* 140. *Cæſarei Suecis ſpem faciunt. Trautmansdorfius tractare amplius abnuit. Salvii cum Volmaro congreſſus.* 141. *Trautmansdorfius Monaſterio diſcedit.* 142. *Catholici paritatem Auguſtæ admittere nolunt. Evangelici vacillant.* 143. *Sueci adhuc Monaſterii manent.* 144. *Galli Inſtrumentum ſuum edunt.* 145. *Cæſarei tractationem differunt.* 146. *De ſatisfactione Haſſica.* 147. *Guarantia Belgarum cum Gallis abſolvitur.* 148. *Pax in ancipiti eſt. Succici Legati Oſnabrugam redeunt.* 149. *De ſatisfactione militum. De hocce poſtulato judicium. Ea res differtur.* 150. *Catholici Oſnabrugæ conventa retractant.* 151. *Sueci ſcripto ſe in cauſa Palatina declarant.* 152. *Tractatus Pacis Oſnabrugæ quieſcit.* 153. *Gallicum Inſtrumentum diſcutitur. Ordinum ſententia de decem Urbibus Alſaticis; de Vaſallis Metenſibus; de Lotharingiæ Duce;* 154. *Servientus Oſnabrugam venit.* 155. *Catholici inſoleſcunt. Evangelici ſunt timidi.* 156. *Cæſarei vacillant.* 157. *Magdeburgicus proteſtationem interponit.* 158. *De vectigali Oldenburgico.* 159. *Helvetiorum poſtulata.* 160. *Evangelici Volmarum Oſnabrugam expetunt. Galli Suecos Monaſterium invitant.* 161. *Cæſarei ob rupturam Bavari inſoleſcunt.* 162. *Evangelici ſuper mora Cæſareos interpellant; ut & Suecos. Iidem à pravis conſiliis cohibentur.* 163. *Tractatus inter Gallos & Hiſpanos quieſcit.* 164. *Tractatio inter Hiſpanos & Belgas:* 165. *A Salvio Monaſterii acta. Galli lente molliuntur.* 166. *Bavarus rupturam ſuam excuſat. Evangelicorum de hac judicium.* 167. *Regina Bavaro reſpondet.* 168. *Regina de Bavaro apud Aulam Gallicam queritur. Regina conſtantia circa pacem ſectandam.* 169. *Catholici declarationem ſuam edunt. Cæſarei moras nectunt.* 170. *Cum Catholicis poſt reſponſum Cæſaris tractant.* 171. *Evangelici Cæſareos propter tarditatem interpellant.* 172. *Sueci Imperii negotia Ordinum arbitrio committunt. Cæſarei Evangelicos in Suecos ſtimulant.* 173. *Sueci iſta Ordinibus exprobrant:* 174. *Ac invidiam ſatisfactionis Militaris mitigant.* 175. *De ſatisfactione Haſſica. Tranſactio in cauſa Marpurgenſi à Darmſtadienſi improbatur.* 176. *Bavarus Cæſarem ad pacem impellit. Volmarus Oſnabrugam ire jubetur.* 177. *Primus tamen Gallorum ſatisfactionem expedit.* 178. *Volmarus Oſnabrugam ſine plenipotentia venit.* 179. *Cæſarei abſque Suecis tractare volunt. Id quod Evangelicis diſplicet. Succicorum ad Cæſareos propoſitio.* 180. *Moguntini electio. De modo agendi colloquium.* 181. *Prima difficultas ſuper rebus jam tranſactis.* 182. *Evangelici Cæſareos ad tractandum impellunt.* 183. *Cæſarei Evangelicis mutationem conventorum ſuadent.* 184. *Hiſpanici Legati Oſnabrugæ acta.* 185. *De ſatisfactione militum Regina ſententia.* 186. *Cæſarei declarationem ſuam in Inſtrumentum Pacis edunt. Evangelicorum de hoc ſententia.* 187. *Suecorum reſervata circa futuram tractationem; Circa quæ Cæſarei tergiverſantur.* 188. *Inſtrumentum Pacis excutitur.* 189. *Reſtitutio Electoris Palatini: Palatini Simmerenſis: Bipontini, Lautereccenſis;* 190. *Sulzbacenſis:* 191. *Marchionis Culmbacenſis:* 192. *Wurtenbergici: Mimbelgardenſis: Durlaceni, Carnoviæ, Ducis Crojæ:* 193. *Naſſoviorum Siegenenſium,* 194. *Sarepontani.* 195. *Hanovienſis;* 196. *Solmenſis & Iſenburgici;* 197. *Rheingraviorum:* 198. *Witgenſteinii:* 199. *Falckenſteinii:* 200. *Waldeccenſis;* 201. *Oetingani;* 202. *Hohenloici;* 203. *Lœwenſteinii;* 204. *Erbacenſis;* 205. *Brandenſteinii, aliorum;* 206. *Urbium quarundam.* 207. *De gravaminibus.* 208. *Catholicorum correctiones circa gravamina.* 209. *De Reformatis: De Erfordia: De vectigali Oldenburgico.* 210. *De Suecica ſatisfactione.* 211. *De Hamburgenſi Capitulo.* 212. *De extinctione Capituli Bremenſis.* 213. *De Brema Urbe.* 214. *De titulo Reginæ.* 215. *De inveſtitura.* 216. *De militum ſatisfactione.* 217. *De æquivalente Brandeburgico:* 218. *Meclenburgico:* 219. *Luneburgico.* 220. *De cauſa Haſſica.* 221. *Cæſareis pax cordi non eſſe videtur.* 222. *Cæſarei Suecos arguunt: Hi ſe excuſant.* 223. *Continuatio tractatuum inter Cæſarem & Gallos: Gallos & Hiſpanos: Hiſpanos & Belgas.* 224. *Sparrii Comitis inanis propoſitio.* 225. *De fœdere Luſitanico.* 226. *Tranſſylvanica.* 227. *Curlandi negotiatio circa tractatum Polonicos. Idem neutralitatem obtinet.* 228. *Legatio in Moſcoviam.* 229. *Navium Succicarum cum Anglis colliſio.*

Digitized by Google

1647. Acta cum Helvetiis.

Occupata sub finem superioris anni à Wrangelio montium ad Brigantiam claustra ingentem motum apud vicinos Helvetios dederant, etsi is ultro de amicitia sua securos ipsos esse jussisset. Unde armis arreptis aditus regionis oblidere, ter duodena selecta Provincialium millia expeditioni destinare, quibus vicenæ quaternæ machinæ adjunctæ.

3. Jan. Nec tamen statim ferrum stringere; sed octo Legatis ad Wrangelium missis, scisciatari, num conventio cum Gustavo Rege inita, qua ut extra belli hujus contagium agerent sibi stipulati fuerant, firma subsisteret? Nam si vis, & injuria à ditione, ac civibus suis abstineatur, Suecico quoque exercitui à se amica omnia expectanda. Quibus Wrangelius amica omnia respondet, simul ut suis apud Helvetios forum præbeatur postulat. Iidem Legati cum jamjam discessuri essent, literas Wrangelio tradidere, quas in itinere sibi missas ignaris à quo scriptæ forent ferebant. Unde & Wrangelius, cum à privato quopiam exaratas crederet, iis demum digressis, eas resignabat. Adparebat tamen ab Helvetiorum universitate datas, quibus querebantur; suis terris à Suecico milite varias injurias jam illatas, intercluſa quoque salis subvectione, ac minis adversus ipsos sparsis. Simul postulabant, declararet, quo in ipsos animo foret, ac ut militem hisce oris deducat, & injuriis deinceps parcat. Quibus respondit Wrangelius: Sibi de offensa aut minis, quas arguant, nihil constare; ac si quis suorum talia audeat, haut impune laturum; de cætero amicitiam cum ipsis constanter culturum, pariaque ab iisdem expectaturum. Privatorum ferocia dicta, quæ nec apud ipsos desint, ne curarent. Hostium à se occupatis locis citra necessitatem cedere haut Succici moris esse; unde se hæc retenturum, quamdiu ratio belli, aut quæ mox speretur pax permittat. Demum postulat, ne Lindaviæ à se obsidendæ per lacum quid subvehatur. Has literas Wrangelius Carolo Marino apud Helvetios Suecico Residenti transmittit consessui fœderatorum exhibendas; qui & eadem sermone repetere jubetur; simul operam dare, ut militi suo ab Helvetiis commercia libera relinquantur. Nec minus Rhætos de amicitia

7. Jan. sua securos esse jussit, quos & ipsos vicinia Suecorum non parum turbarat. Qui literis Meienfelda datis vicissim amica pollicebantur. Aderant

9. Jan. 11. Jan. tamen paulo post ab Helvetiis decem Legati, qui & oratione & scripto postulabant, ut Wrangelius Abbati & oppido S. Galli eandem immunitatem à molestiis belli præstaret, stativa longiuscule ab Helveticis finibus removeret, ne ipsis stationes opponere necesse sit; subvectionem salis aliaque commercia libera, ac ab omni onere immunia permitteret, copiasque suas ipsorum territorio, & Constantia abstineret. Quæ facile annuebat Wrangelius, suis quoque ad ipsos mercandi causâ commeantibus parem securitatem stipulatus. De Constantia tamen addebat, si ratio belli eam invadi suadeat, se ita cum territorio Helvetico acturum, uti amicitia mutua requirat. Utque si navigia sua ad ipsorum ripam tempestate compellantur, amice habeantur, ac dimittantur.

Wrangelius Lindaviæ obsidium molitur.

§. 2. Visum porro Wrangelio Lindaviam tentare, qua occupata tractus ad lacum Bodamicum tributis subjici, ac hosti, quæ annuatim circa colligebantur, supplementa intercipi poterant. Spem successus dabat, quod cives etsi armis exuti Evangelicis sacris addicti essent, ac non nisi quadringentorum militum præsidium in oppido ageret, præter sexcentos agrestes, imbelle, si vis ingruat, auxilium. Duodecim navigia Bregentiæ capta aptabantur, ut machinas ferre possent, prohibendo, ne quid per lacum in oppidum importaretur. Et quia id in insula positum non nisi ignibus infestari poterat, Cœnobium Capucinorum ponti propinquum occupatur, simul Aschachi suggestus excitantur, jaculandis globis ignivomis, accessusque ad castellum, quo pontis aditus obsepitur, fiunt. Distrahendo hosti Turennius monetur Uberlingam interim tentare, centum tantum peditibus, totidem dimachis infestam. Qui & una cum Widerholtio noctu duodecim peditum centurias, mille equites admovit, num subito impetu oppidum opprimere posset. Sed præsidiariis paratis conatus irritus fuit: nec justum obsidium Turennio moliri placuit. Balinga tamen modicum oppidum à Schœnbeccio summo vigiliarum præfecto post vim per biduum admotam in potestatem redacta est.

1647.

Galli Uberlingam tentant. 12. Jan.

29. Dec. A. 1646.

§. 3. At Cæsarei, Suecis, Gallisque in superiorem Sueviam digressis, cis Danubium in Præfuturum Aichstadiensem concesserant, ubi Suecos quantum possent carpere instituebant. Ac primo Sulzberga arx, è qua vicinus tractus tributis subjiciebatur, viginti quatuor desultoribus insessa, à tribuno Kolbio admotis machinis ad deditionem citra exceptionem compellitur. Weissenburgo in Norico viginti amplius Cæsareorum ac Bavaricorum catervæ circumfusæ deditionem imperant, sed quibus præfectus Weyerus subtribunus militari ferocia respondet, qui & omnia ad vim repellendam strenue adparaverat. Ita per aliquot dies trecenti equites circumsultabant intercludendo accessui, donec sex militum millia cum machinis Ingolstadio petitis accessere, qui extructis suggestibus magnam vim ignivomorum globorum injecere. Inde globis fere ignitis fulminant, tum accessibus ad fossam promotis, ingentem mœnium ruinam, qua lata in oppidum via pandebatur, edunt. Bis dehinc assultantes hostes obsessi cæsis aliquot istorum centuriis repulerunt. Ignibus tamen globisque jaciendis, quorum septem millia septingenti amplius numerabantur, pergitur ingenti cum strage ædium, quarum & una atque altera in cineres concedit. Tandem cum nulla resistendi facultas supereſſet, post adhibitos dudum globos stanneos, deficiente jam & pulvere, Weierus honestis conditionibus oppidum dedidit, ac relictis qui antea Cæsaris militiam professi fuerant, ad exercitum dimissus est. Durante obsidio non nisi duodecim milites, quatuor agrestes in oppido occubuerant. E Cæsareis ac Bavaricis septingenti amplius cæsi aut sauciati. VVeiero non modicæ gloriæ fuit, leviter munito oppido tantam hostium vim complures per dies sustinuisse. Discedentem militem contra pacta ante oppidum hostis spoliavit, parte vehiculorum, & equorum abrepta. Sed in miseros oppidanos, licet arma non arripuissent, ac ignibus tantum restinguendis vacassent, atrocius sævitum, quorum bona militi in prædam permissa. Ac ne puberes cæderentur, ac oppidum igne deleretur, intercessioni Klippelii Commendatoris Provincialis Franconiæ datum ferebatur; cui eo nomine viginti quatuor prædia rustica ab oppidanis cedenda erant. Quingentorum insuper militum præsidium impositum, ac consules decurionesque Ratispo-

Cæsarei Sulzbergam capiunt. 7. Jan.

Weissenburgum obsident. 3. Jan.

8. Jan.

18. Jan.

Quod deditur. 21. Jan.

nam

1647. nam in cuſtodiam abducti, magnaque pecuniæ ſumma emuncti. Bavarici inde in ſuperiorem Palatinatum, Cæſarei in Bohemiam hibernatum diſceſſere. Cæſareo exercitui, cum Gallaſius morbo articulari, ac febri debilitatus ad ſuſtinendos belli labores fere inhabilis eſſet, Melander præficitur, qui hactenus Weſtphalicis duntaxat copiis præfuerat, Comitis dignatione vocabulo Holzapfel mactus, qui cum valida ſuorum caterva Francofurtum, inde Wurtzburgum protectus demum apud exercitum adpulit.

Melander exercitui Cæſareo præficitur.

2. Febr. Kœnigſmarckius in Weſtphaliam mittitur.

§. 4. Circa idem tempus Wrangelius Kœnigſmarckium cum aliquot legionibus è Suevia in Weſtphaliam dimittit, diſturbandis ibi hoſtium delectibus, ac aperiendæ communicationis lineæ; tum ne quis à tergo Suecis ingrueret proviſurum. Is Mergentheimum progreſſus, Wertheimi Mœnum ſuperare, inde in Haſſiam ac Weſtphaliam penetrare conſtituerat. Ad cum intercipiendum Trauditſchius, & Joannes Wertanus cum quinque equitum millibus, mille ſelectis peditibus, ac quindecim machinis profecti fuerant; qui præter

3. Febr. Noribergam Winsheimum, & Uffenheimum raptim procedebant. Kœnigſmarckius iplorum deſtinatis mature cognitis ſat quidem ſpatii habebat, ſuperato apud Wertheimum Mœno hoſtem evadere, quo & Herbipolenſis Epiſcopus navigia, annonamque accelerando itineri comportari curaverat; ni fluitantia per Mœnum glaciei fragmina tranſitum arcuiſſent. Unde cum hoſtis numero longe prævaleret, capto in arena conſilio, pedites cum machinis & parte impedimentorum

4. Febr. Mergentheimo includit; ipſe cum equitatu retro Schorndorfum verſus cedit nulla jactura niſi aliquot vehiculorum, & centum prope calonum, quos excurrentes Heilbrunna catervæ intercepérant. Inde à Turennio qui vicino tractu hiemabat, auxilium petit, ſi forte hoſtis Mergentheimum invadere auderet; qui & ſtatim decem equeſtres legiones expeditas ad ipſum ire jubet, Mergentheimo ſi opus foret una cum Kœnigſmarckio

5. Febr. ſubventuras. Sed hoſtis Uffenheimum delatus, cum deſtinata ſua patere cerneret, ſtatim iter retro vertit, haut alio operæ pretio facto, quam ut quingentos ſuorum amitteret, qui partim deſeruerant, partim acri frigore perierant. Ita Kœnigſmarckius, periculo amoto, aſſumtis quos Mergentheimi reliquerat Wertheimum tendit, ubi nemine impediente Mœnum ſuperavit, inde ſuperiorem in Haſſiam progreſſus.

Acta tractatus inducierum inter Suecos, Cæſareos & Bavaricos.

§. 5. Inter hæc tractatus induciarum fervere cœperant, quibus agitandis utriuſque partis conſenſu Ulma locus deſtinabatur. Ab his cum initio Wrangelius abhorreret, Gallorum offenſæ vitandæ, qui acriter illas urgebant, in eaſdem demum deſcendit, etſi in ſua poſtulata hoſtes haut temere conſenſuros crederet. Sane iiſdem Avaugurius

21. Jan. & Croiſſius, quibuſcum Bregentiæ colloquium inſtituebatur, acriter contradicebant; ad extremum tamen eadem in medio relinquebant. Contra iidem Gallica poſtulata ſciſcitante Wrangelio diſſimulare, velut à Turennio nondum ſibi communicata; quæ tamen ex ipſo Suecici delegati ubi ſtativa ejus tranſierint, facile intellecturi ſint.

Suecicorum Deputatorum mandata. 14. Jan.

Tractatibus obeundis deſtinabantur Robertus Duglaſſius ſummus vigiliarum præfectus, & Petrus Brandius Quæſtor. Illis injunctum erat conditiones non ferre, ſed quid adverſa pars propoſitura eſſet, exſpectare. Cæterum id agerent, ut hoſpitiis exercituum hoſtilium relinquerent regiones trans Danubium, excepta Suevia; Suecis, Gallis & Haſſis quæ citra ſunt ſervarent; ac Suecis quidem utrumque Saxonicum & Franconicum Circulos, tum Moraviam totamque Sileſiam ſtipularentur, & quinque diſtrictus in Bohemia, Miſniæ ac Sileſiæ vicinos, præter loca Weſtphaliæ præſidiis ſuis inſeſta, aut tributis ſubjecta. Cautionis vicem ſubirent Auguſta Vindelicorum, Egra, & Pardovvitza; hoſti vicißim Raina & Donavverta traderentur. Quam cautionem ſi plane abnuat adverſa pars, & ipſi eandem remitterent, hoſpitiis tamen utique retentis. Armiſtitium in duos menſes fieret, ea lege, ut utraque pars duabus ante horum finem ſeptimanis declaret, omittere illud, an prorogare placeat. Principio armiſtitii obſidium Brixenſis arcis amoveretur, & captivi utrinque permutarentur. Durante eodem inter milites utrinque nulla ſit communicatio vitandæ colliſioni, aut corruptioni. Commerciis quoque liber curſus relinqueretur. Iſti porro cum in itinere Turennium non offendiſſent, Ulmam delati, Cæſareos Commiſſà-

Iidem Ulmam veniunt. 17. Jan.

riosOttonem Ludovicum Wachenheimium ſummum vigiliarum præfectum, & Georgium Nicolaum Rotenbergium; Bavaricos Joannem Reuſchenbergium, Joannem Kutnerum & Bartholomæum Schæterum invenerunt; cum Galli poſt tres demum horas adpuliſſent. Ante horum acceſſum Succi Cæſareis ac Bavaricis jam adventum ſuum pro more denuntiarant, iidemque horam admittendæ ſalutationis in poſterum diem deſi-

18. Jan. gnarant. Cum tamen iſti haut eo ſecius Gallos prius inviterent, Succi iidem deinceps ad ſe accedentibus admiſſionem abnuebant. Ea res primum tractatibus impedimentum objecit. Quanquam enim Cæſarei ingerent, non aliter ſibi fuiſſe perſuaſum, quam Gallos primo loco urbem introiſſe; ac ob contumeliam negatæ admiſſionis ſibi ſatisfieri poſtularent; Succi tamen oſtenſa prætexti vanitate nil ſibi cum iſtis negotii fore oſtendebant, quoad nova a VVrangelio mandata acceperint. Quo reſponſo etiam Bavaricos impenſius ſe excuſantes, ac Cæſareorum ſibi exemplum utique ſequendum fuiſſe oſtendentes, protelabant; etſi VVachenheimius, qui ob valetudinem primæ ſalutationi non adfuerat, offerret, ſe prima vice Suecos, inde Gallos invitaturum, vel etiam Suecis ſalutatis Gallos plane non aditurum. Galli Cæſareorum factum primo defendere, velut Monaſterii quoque idem ordo ſervatus ſit. Sed cum Succi id inficiarentur, rogabant; ne iſthoc errati ita aſpere exciperent: alias omnes clamaturos, à pace ipſos abhorrere, qui ob inania ceremoniarum tam ſalutare negotium abrumpere velint. His Gallorum precibus, ac adverſæ partis excuſatione Succi permoti, offenſa ſepoſita ad tractatus deſcendunt, ea tamen lege, ut adverſa pars primam propoſitionem faciat; tum ſi contraria mandata à VVrangelio accipiant, ad reſpondendum ne teneantur. Quarum priorem conditionem Cæſarei plane abnuebant; Bavarici autem deliberaturos ſe reſpondebant; nec eo minus literas, quibus legationis ſuæ fidem facerent, utri-

23. Jan. que exhibebant. Cæſareis tergiverſantibus, Bavarici demum Cæſaris ſuique Principis nomine propoſitionem edidere, velut iſti hujus factum utique

Bavaricorum prima propoſitio. 25. Jan. ſequendum ſit. Adverſus quod à Cæſareis proteſtatio interpoſita, indignum clamantibus ab Electore Cæſari tantum præjudicii fieri, Galli contra Bavaricis animos addebant, haut obſcure jactantes; Bavaricos potius, quam Suecos re infecta diſcedere patiantur, ſeparatum cum fœderatis

Prima offenſa circa ceremonias.

Digitized by Google

1647. Regnis tractatum suscepturos. Conditiones armistitii, quas Bavarici ferebant, hæ erant: Durante hoc tractatu omnia ubique hostilia ac progressus armorum statim cessarent, & utraque bellantium pars in eo statu persisteret, quoad super hospitiis conventum fuerit. Cæsaris & Imperii exercitibus præter hæreditarias provincias Bavaricus, Suevicus & Franconicus Circuli in ulum hibernorum relinquerentur. Sub Bavarico Circulo Superior Palatinatus, & Inferioris Cisrhenanæ partes comprehenderentur; Raina quoque, Donavverta, Mundelheimum, VVorindinga, Heidenheimum & VVeissensteiga deductis præsidiis Bavaro restituerentur. Peculiariter etiam his induciis Electoris Colonienlis ditiones comprehenderentur, ubi & tributa ad moderationem sint redigenda. Id armistitium ad plenam usque pacis conclusionem duraret, circa quam maturandam omnes operam navarent. Si qui militares præfecti, aut gregarii injussu Superiorum vim faciant, induciæ nihilominus persisterent: violatores præfectis suis exhibiti pœnis subjicerentur. Neutra pars exercitum interim augeret, cum propediem pacis conclusio expectetur. Quæ à fœderatis Regnis super communibus inducis concludenda sint, ea ut à Cæsare rata habeantur Electorem præstiturum.

Sueeorum ad hanc declaratio.

§. 6. Ex hisce conditionibus Sueci judicabant, Bavaricos hautquicquam studio promovendæ pacis ad hos tractatus descendisse, sed ut horum obtentu tempus extraherent; & quia Cæsareo, Bavaricoque exercitui pleramque Germaniæ partem vindicatum ibant, Succis copiis in utramque Saxoniam compactis, queis una cum præsidiis per Misniam, Silesiam, Bohemiam, Sueviam brevi extabescendum esset. Multo absurdius habebatur postulare, ut tot annorum labore ipsi ultro cedant. A Cæsareis potius moderanda VVestphaliæ tributa, qui illa additionibus etiam per Suecos & Hassos infestis extorqueant. Denique sibi haut consultum cum Bavaricis super Cæsaris negotio agere, postquam Cæsarei delegati ferant, nova
25. Jan. à se domo mandata expectari. Hanc sententiam mox Bavaricis indicant, & quia VVrangelius audito, Cæsareos propositionem facere abnuisse, jusserat illos inde digredi, adverse partis Legatis per Herbipolensem Ministrum id denuntiant, testati per se non stetisse, quo minus negotium succederet. Acriter tamen instabant Galli ne abitum Sueci properarent polliciti, se Bavaricos ad separatum cum Regnis tractatum inducturos. Qui & effecerunt, ut Bavarici plenipotentiam ad ejusmodi negotiationem producerent, ejusque scriptum exemplum communicarent. Id quod à Suecis quidem acceptatum; sed quia improvisa ea res, & de qua nihil injunctum erat, ad nova mandata petenda discessérunt, polliciti intra octiduum se Ulmam reversuros, aut saltem significaturos, tractatus hos admittere velit VVrangelius, an minus. Id quod ægerrime ferebant Galli minantes si tractatus cum Bavaro abnuerent Sueci, se jussos seorsim cum hocce pacisci. Ejus rei necessitatem sibi inde asseri, quod in proximam æstatem ab Hollandis nihil subsidii expectent, eoque Turennii copiis in Lucenburgica, & Belgio utendum sit. Ante discessum Reuschenbergius Duglassio ad colloquium invitato velut obiter insinuabat, Bavarum certo modo Cæsaris partes jam deserere constituisse; quin id dudum cupiisse, si
30. Jan. per utrumque Regnum extra bili consortia agere licuisset. Duglassio Bregentiam reverso VVrangelius adhibitis in consilium ducibus tractatus instaurandos decrevit. 1647.

Wrangelius insulam Meinaviam occupat.

§. 7. Inter hæc iste hautquidquam otio indulgens insulam & arcem Meinaviam, in lacu Bodamico inter Uberlingam, & Constantiam sitam, invadere constituit, quam modico militе infestam intellexerat. Unde ipse tredecim
1. Febr. navigiis, quingentos pedites summo mane ripæ admovit, militibus & agrestibus initio non segniter resistentibus & præfecto arcis in subeuntes machinis fulminante. Sed cum iste inter arcem, ac excitatum in ripa castellum excensione facta impetum in resistentes faceret, hi animis collapti in fugam se dederunt, ac castello relictis ibi quinque machinis, ultro se ejecerunt. Præfectus arcis cum deditio imperaretur, ad resistendum se primo parabat. Mox ad-
3. Febr. motis à VVrangelio machinis cum honestis legibus pacisci cuperet, id tantum permissum, ut ipse cum centurione Constantiam incolumis abiret, sexaginta manipularibus inter supplementa distributis. In arce triginta tres machinæ æneæ inventæ, & non spernenda armorum, apparatus bellici, ac vini copia. VVrangelius cum idoneum locum judicaret infestandæ Constantiæ; Uberlingæque, ac interiori lacus parti, centum quinquaginta pedites, triginta equites sub Balhormio præfecto vigilum præsidio imposuit. Ad Lindaviam tamen VVrangelio res parum ex voto successit, quod navigia, licet quotidie lacum circa oppidum percurrerent, prohibere non potuissent, quin aliquot centuriæ militum ac farina, cujus inopia præcipue laborabatur, inferrentur. Nec segniter resistebat Cæsareus præfectus Maximilianus VVilibaldus VVolteggius Comes, porta quæ continentem spectat obstructa, ac dejectis aliquot jugis lapidei pontis. Qui magno numero injiciebantur globi septem quidem domos statim inflammaverant; incendium tamen, ne latius serpere posset, statim restinctum. Sub castellum ponti adsitum demum cuniculus magno cum labore agebatur, quo latus ejusdem subvertum. Nec tamen Succis pedem ibi ingere licebat, quod tegumentum deesset adversus continuos globorum ex oppido grandines. Ita demum abstractis machinis obsidium solutum.
23. Febr. Interjecto tempore valida arx Langenarga, in ipso quoque lacu sita à Succis nemine resistente occupatur. Cæterum cum illis locis annona pabulumque deficere cœpisset, VVrangelius disjectis claustris castellisque ad Bregentiam, destructaque Bregentiam deser-
26. Febr. arce Pfannenberga, copias inde abducit, ac retro iter vertens Ravensburgi prætorium statuit. Exercitus circa disponitur, quoad de eventu tractatus Ulmensis constaret. Præsidium tamen Neuburgi in Comitatu Bregentino, Langenargæ & Meinaviæ relictum. E quibus Neuburgum post VVrangelii discessum, machinisque verberatum, cum nemo esset qui subveniret, aliquanto post ad deditionem adigebatur.

Tractatus indutiarum instauratur, ejusque causa.

§. 8. VVrangelium ut Ulmensem tractatum instauraret, non una causa permovebat. Si enim Bavarus serio rem ageret, eo partibus Cæsareis avulso Succica arma non parum levabantur, pacique maturandæ insigne momentum adferebatur. Quod si Bavarus forte alia hoc obtentu captaret, suspiciones tamen, & diffidentiam inter hunc & Cæsarem excitari non inutile erat. Sed & Succicis Deputatis digressis Galli, Ulmæ restiterant, testati, si Sueci honestis legibus inducias cum

1647. cum Bavaro abnuerent, sibi à Legatis Monasterien-
sibus injunctum, ut soli cum eodem eas con-
cluderent, nec tam optatam occasionem Bava-
rum à Cæsare disjungendi amitterent. Id quippe
non minus sibi per fœdus licitum, quam quod
Sueci cum Brandeburgico & Saxone inducias ini-
verint. Aſt hoc facto Galli copias suas è Germa-
nia in Belgium deducturi erant, quod inter Hispa-
nos & Hollandos jam pax convenisset: quo cau
tota armorum hostilium moles Suecis solis incubi-
tura erat. Haut alia tamen lege tractatum suscipe-
re visum, quam ut Bavarus prior conditiones pro-
poneret, ac copias suas à Cæsare disjungeret.
Nam si priori propositioni insisteret, aut Cæsareos
utique includere vellet, tractatum plane adiper-
nari decreverat. Eoque Deputatis suis injunxerat,
si Cæsarei forte congressum exposcerent, non qui-
dem plane eum recusarent, sed audirent ab ipsis
proposita, & ad se referrent, de cætero omni
cum illis negotiatione supersedentes. Deputati
isti erant Caspar Cornelius Mortaignius, & Ro-
bertus Dugiatius, quibus Georgius Snoilskius
Tractatus initium. 6. Febr. adjunctus erat. Cum Ulmam venissent, statim
Cæsarei ac Bavarici tempus congressus ab illis ex-
quirunt. Cæsareis responsum, sibi cum istis tra-
ctatus suscipere haut mandatum, eoque nescire,
quo fine congressum expetant, nisi forte velint pri-
vati ipsos salutare velint. Ita Cæsarei accedere
omiserunt. Bavarici autem sine mora admissi,
qui & ultro propositionem se edituros ferebant.
Quibus Sueci repoluerunt; citra ambages, more
militari, non Legatorum subtilitate rem agerent.
7. Febr. Bavaricorum propositio. 8. Febr. Post cunabita hinc inde procuratoria Bavarici scri-
pto peculiare armistitium pro Electore Bavarico,
ejusque ditionibus, ac copiis expoſcunt, quibus
& ipsius frater Elector Coloniensis cum suis præ-
sularibus sit includendus; stipulati tamen sibi cer-
tos districtus sustentando suo exercitui ad futuram
usque pacem, ac nominatim totum Circulum Ba-
varicum, & à Suecis occupata loca ad Electorem
spectantia, Rainam, Donavvertam, Wembdin-
gam, Heidenheimum, Weissensteigam & Mun-
delheimum; tum superiorem Palatinatum, & Infe-
rioris partem cisrhenanam. Et quia Bavariæ ma-
gna pars vastata sit, postulabant addi, si non to-
tum Suevicum & Franconicum Circulum, saltem præter ea loca, quæ Bavarus jam suis præsidiis
obtineat, tantum hospitiorum quantum suis co-
piis sufficiat.

Suecorum de hac sententia. §. 9. Aſt Succicis Delegatis injunctum erat; quantum possint Bavarum propriis ditionibus, & Circulo cognomini includere, quem ipsi concedere Wrangelius decreverat, restitutis quoque locis ad ipsum pertinentibus. Contra ut idem Suevico & Franconico Circulo plane renuntiaret, ac præsidia sua inde deduceret, cupiebat, Wurtenbergico cumprimis Duci munimentis restitutis. Cautionis in vicem petebat Augustam, & Ambergam. Sed Memmingam, Uberlingam & Heilbrunnam velut pensationem, pro locis, quæ hoc tractatu Bavaro cederentur. Unde discrepantibus tam longe conditionibus Sueci, antequam cum Bavaris negotiari inciperent, Gallis mandata sua communicare constituerant. Qui illis acriter contradicebant, nec ad talia Bavarum compelli posse, eoque ut postulata mitigarent, vehementer instabant, denuo testati; ni Sueci simul cum ipsis armistitium æquis legibus ineant, nec occasionem duos Electores à Cæsare dissocian-
Qui cum Gallis rem communicant. di arripiant, se solos cum hisce transacturos. Quin 1647.
& toto tractatu Bavaris aperte studebant, ac Sue-
corum postulatis ubique se objiciebant, ut Sueeis
acrius cum hisce, quam cum Bavaricis disceptan-
dum foret. Qui & totam Sueviam Bavaro hospi-
tus facile indulsissent, ni Sueci se opposuissent.
Qui cum ostenderent, se regiones, queis Bava-
rum decedere cupiant, non soli Sueciæ, sed &
Galliæ simul quærere, Galli reponebant; se nihil
istorum desiderare, nec consultum ducere, tam
proficuum publico negotium per ejusmodi iniqua
postulata sustamnari. Inducias utique mundas, nec concedendum ut Bavarus penitus opprimatur. Quin Bavaricis plura, quam ipsi postularent, offerebant; quibus & aperte declarabant, modo cum Suecia transegerint, sibi cum ipsis intra dimidiam horam conventurum. Ita cum Galli magis adversæ partis, quam sociorum causam agerent, quid ab illis expectandum foret Sueeis vix constabat. Idem & acriter contendebant, non habere Suecos quod circa Sueviam satagant, quæ Gallicis hospitiis cum consensu Torstemonii & Wrangelii adsignata sit. Ac malle se loca Rheno propinqua in hostium, quam Suecorum manibus esse; quod illos inde expellendi aliqua spes sit, hos non item. Incalescente disceptatione Galli demum, cum Suecos verbis haut protelari cernerent, ad minora devolvi, ac ostendere; quam utiles ac necessariæ inducia: sint, quod Gallia argento exhausta haut eo quo hactenus vigore res Germanicas sustentare queat, præsertim cum post pacem inter Hispanos & Hollandos ad Belgium Hispanicum oculi magis reflectendi sint; id quod propius ipsos, quam Germania tangat. Contra Sueci demonstrare, Wrangelio non minus operam dandam, ut pro locis Bavaro restituendis talia recipiat, quibus hic ad servandam fidem compelli posset; nec consultum esse aditus Bavariæ gratis amittere. Eo cautius autem eidem agendum, quod à Regina nihil super tractatu hoc suscipiendo in mandatis habeat, cui ob solam Gallorum flagitationem locum dederit. Unde tales ipsi conditiones pacisceudas, queis factum suum Reginæ probare queat. Ita paulatim ad moderatiora descentum, & Galli qui hactenus postulata sua dissimulaverant, unum atque alterum locum ex iis, quæ Sueci nominaverant, obtendere cœperunt; Sueeis reponentibus, cum Galli non habeant, quod Bavaro restituant, non esse, quod ab hoc pensationis in vicem exigant. Circa restitutionem Wurtenbergicorum locorum facile inter ipsos conveniebat. Ambergam quoque Sueci mox remittebant, velut partem Superioris Palatinatus Bavaricorum stativis concedendi. Augustæ, si illa obtineri posset, Galli dimidiam sibi partem præsidii deposcebant; etsi post latius visum, eam urbem utriusque partis præsidio vacuam neutralitati relinquendam. Memmingam Galli Suecis pro Raina, aliisque Bavaricis locis concedebant, cujus præsidio alendo tractus inter Illarum, Danubium, & Licum destinabatur. Ad Uberlingam Galli oculos adjecerant, quam tamen obnixe sibi vindicabant Sueci, quod per eandem Constantia ad neutralitatem compelli, Lindavia paulo minus quam obsessa teneri posset; etsi prævidebatur, valido præsidio opus fore ob cives Romanorum sacrorum pervicaces; ac ob tributa controversiæ quid cum Hohentvvilanis facile oriri posse: Heilbrunna ut neutrarum partium esset Sueci contendebant: Sed Gallis acriter sibi eandem vindicantibus, illi tandem non repugnaturo-

1647. ros se declarabant. Contra Galli Offenburgum munitionibus detractis Benfeldæ tributis subjici patiebantur.

Suec. postulata sua tempestant.

§. 10. Wrangelius collisione suorum cum Gallis intellecta, ne hi forte ad separatas inducias ruerent, suisque copiis trans Rhenum ductis totam belli colluviem in ipsum devolverent; istorum morositati cedere statuit, modo primarium scopum attingeret, Bavarum Cæsareis partibus disjunxisse. Unde ipsius jussu responsum ad Bavaricorum propositionem ita formabatur, prout hisce non ingratum fore è Gallorum sermonibus intellexerat. Testabantur tamen Sueci, se haut gradatim & per ambages postulata sua expromere, sed simplicitate militari agere. Bavarici contra toto tractatu rem serio ab se agi multis rationibus demonstratum ibant. Electorem senio gravem filiis tenera ætate pacatam possessionem terrarum suarum relinquere velle. Pacem semper sincere suasisse; sed aulam Cæsaream à talibus regi, queis omnia ad privatum commodum referantur; & quæ Schlickius, aut Trautmansdorfius suadeant plus ponderis habere, quam senis Electoris & consanguinei consilia. Cæsarem plane ab Hispania dependere Bavaro infestissima. De nativo odio Austriacæ, & Bavaricæ Domus nemini ignotum; & Electoris patrem dicere solitum; si Austriacus, ac Bavaricus sanguis eidem patinæ infundatur, utrumque mixtionis impatientem seorsim mansurum. Electoris uxorem, utut Sororem Cæsaris jussisse Regiis Deputatis denunciari; ne ipsam velut Austriaca Domo oriundam respicerent, sed velut Electricem Bavariæ, quæ omnes affectus ejus Domus induerit, in quam denupta sit, haut minus quam Regina Galliæ, quæ filii sui incrementa etiam cum jactura Hispaniæ, ex qua ortum trahit, quærat. Præterea fortunam Cæsari nunquam non infestam restare. Bavaricos, ubi soli rem gesserint, victores semper extitisse; Cæsareis junctos adversam fortunam expertos. Apud Francofurtum & Memmingam ita segniter à Cæsareis ducibus rem administratam, ut hostem velut ultro in Bavariam invitasse videantur. Sed nec beneficiis Bavarum Cæsari obstrictum, cum hic isti longe plura debeat. Bavarum à prælio in Monte Albo ad hoc usque tempus fidelem Cæsari operam navasse, ac res ipsius prolapsas semel atque iterum restituisse, sceptrumque & coronam eidem conservasse. Electoralem dignitatem non tam isti, quam reliquis Electoribus, & Regi Galliæ in acceptis ferre. Vastatum Palatinatum oneri magis sibi quam emolumento, ob quem egregium pignus in Austria supra Anasum constitutum dimiserit; ac pro tot millionibus in gratiam Cæsaris erogatis longe meliores & ampliores terras emi potuisse. Superesse porro Cæsari unde bellum alat, & una licet alterave Provincia amissa plures restare, ex quibus vicissitudinem fortunæ aucupari possit: Bavaro modicam Provinciæ partem superstitem, quam Cæsaris cautà aleæ exponere nequeat. Equidem non deesse qui inducias dissuadeant; sed quibus nihil sit, quod in Bavaria amittant. Tractatibus absolutis Electorem facti sui rationes scripto publicaturum. Talia Bavarici non sine motu animi ingerebant, addito, jussos se ab Electore separatam cum Regiis negotiationem persequi, nec cum Cæsareis causam conjungere, si vel maxime & ipsi cum Regiis pacifici velint.

28. Febr.

Bavarici serio à se rem agi testantur.

§. 11. In ipsa porro negotiatione id præcipue dubium habebatur, cum Elector non tantum pro se velut Elector, sed & velut supremus Dux exercitus ad universum Imperium spectantis super induciis agat, num copias Imperii sibi subditas ita in potestate habeat, ut quicquid invito Cæsare ipsorum nomine polliceatur, hæ citra contradictionem probaturæ, ipsique obsequium præstituræ sint? Sane Bavarici fidenter in se recipiebant, Electorem exercitus sui sat potentem, in quem nec alteri quid juris competat; quippe quem is maximam partem conscripserit, ac tot per annos aluerit. Omnes tribunos ab ipso legionibus Præfectos, Ductoresque varia ratione eidem obstrictos; nec metuere, ut quis obsequium exuat; aut si quis fœnum mordeat, statim in custodiam dandum. De Colonienli Electore, quem Bavarus induciis includere cupiebat, Wrangelius initio dubitabat, ne id hospitiis, ac tributis Reginæ, & Landgraviæ fraudi esset, de cujus sententia non satis constabat. Quia tamen hujus nomine subtribunus Adolfus Majus Ulmæ tractatibus aderat, ejusdem commoda huic cordi fore confidebat; eoque Deputatis suis in mandatis dabat, si Colonienſis Cæsareum militem oppidis suis dimoveret, ac Landgraviæ occupata loca quiete relinqueret, & super tributis exæquo transigeret; ut cum isto quoque inducias concluderent. Ita certa capita utrinque scripto concipiuntur, nulla fere nisi super Memminga, & Uberlinga disceptatione, quas urbes Imperiales exteris ab ipso velut Electore tradi parum decorum judicabat; quas potius suæ libertati relinqui par sit, postquam non amplius opus habeat propriæ securitatis gratia præsidiis suis easdem obtinere. Ad extremum Bavarici declarabant, se molliendæ invidiæ præsidia sua inde educturos; quas quomodo Regii in potestatem suam redigere queant, ipsi viderint, queis & super præsidiis inter se transigere licitum sit. Quo casu Succos proximos esse utrique oppido occupando, velut qui vicina circum regione potiantur. Sed Sueci istud adspernabantur velut ambiguum; & Bavaricis digressis alios ea oppida præripere, aut oppidanos portam accessuris claudere posse. Ac forte hanc primam occasionem æmulationis inter Regios futuram. Unde & eadem sibi utique à Bavaricis in manus traderentur, Sueci contendebant.

1647. Succicum cum Bavaricis negotiatio.

Regii Bavaricam declarationem urgent.

§. 12. Porro injunxerat suis Wrangelius, ne tractando tempus tererent, sed quantum daretur perspicere laborarent, quid huic negotii solidi subesset, & quidem quoad exercitus per hiberna quiesceret; cujus statio ob penuriam annonæ, ac pabuli propediem mutanda erat. Nam nunc Bavarum metus coquebat, ne forte in ipsius Provinciam Sueci se iterum effunderent; quo metu amoto, illisque eis Danubium regressis forte duriores conditiones laturus erat. Unde Bavaricis denuntiant: eam, quam protulissent, super Memminga, & Uberlinga decretoriam Wrangelii sententiam esse; ac ni intra sextum abhinc diem responso quale cupiant potiantur, ne horæ quidem mora interjecta ad exercitum reversuros. Simul Gallos postquam cum ipsis super Heilbrunna, & Offenburgo transegissent, permovebant, ut gemina Bavaricis significarent.

26. Febr.

29. Febr.

Cæsarei quoque tractare cupiunt.

§. 13. Cæsarei etsi initio super primæ salutationis honore dubitarent, mox tamen eo respectu sepositio, Succicos invisunt, post verba honoris invicem commutata tractatibus initium. fac tu-

15. Febr.

1647. facturi injunctum ſibi ferentes talia proponere, quæ Suecis utique ſatisfactura ſint. Sed cum intelligerent, Succicos quæ proponerentur ad ducem relaturos, Cæſareo faſtigio indignum ducebant propoſitionem edere, antequam conſtaret, num pars adverſa cum ipſis tractatus ſuſcipere velit. Unde ut Wrangelii ſententia ſuper hac re exquireretur, poſtulabant. Simul errorem circa primam ſalutationem admiſſum excuſabant, velut ex imprudentia profectum. Et quia VVrangelius cum Bavaricis, qui ad eundem lapidem impegerint, tractatus eo nomine non abnuerit; cauſam non eſſe, quo minus & ſecum agatur, qui deterioris utique conditionis non ſint. Nec obſcurum erat ipſos anxie hujus negotii exitum circumſpicere. 18. Febr. Eoſdem cum dehinc Snoilskius velut privato nomine inviſeret, hi laxioribus verbis inſinuabant; ſe gratiora forte quam Bavaricos propoſituros: ac minus oneroſas Suecis conditiones ſibi ſtipulaturos. Sane Cæſarem, qui hactenus ferro Suecis nihil extorquere potuerit, vix compendii quid ex hoc tractatu ſibi polliceri. Rediit poſt ad 22. Febr. Succicos Roſenbergius tantum non preces adhibens, ne ſe hujus fabulæ otioſum ſpectatorem eſſe patiantur; Suecis, uti antea, rem ad VVrangelium rejicientibus. 24. Febr. Unde poſt biduum VVachenheimius apud Succos militari impatientia inanem tractatum diris devovebat, acerbe in Bavarum invectus, cujus cupira ni Cæſar tanta conſtantia tuitus eſſet, dudum communem pacem conſtitui potuiſſe. A Bavaricis quoque delegatis in fraudem ſe inductos, queis mandata ſua, antequam Ulmam accederent, oſtenderint; circa quæ hoſce nihil ſcrupuli moviſſe, & nihilominus ſecreta mandata ad ſeparatos tractatus ſecum attuliſſe. Eoſdem quoque in cauſa eſſe, quare Sueci non primo loco à ſe ſalutati ſint. Nam ſe prius advenientes primo loco inviſere pro more voluiſſe; Bavaros contra contendiſſe, Gallis primæ ſalutationis honorem citra controverſiam deberi; ac nihilo ſecius culpam poſt in ipſos devolvere auſos. Denique ſecreta inter Gallos Bavaricoſque commercia dudum agitari; quæ & cauſa fuerit, quare nupera æſtate Turennius conjunctionem ſuarum copiarum cum Suecis tamdiu diſtulerit.

Idem Bavaricis ſuccenſent.

Inſtrumentum conficitur, 26. Febr.

§. 14. Die condicto Bavarici Electoris declarationem circa Memmingam & Uberlingam Suecis exhibuere, ubi circa modum tradendi Sueci adhuc nonnihil deſiderabant quod expedire Bavaricis permandata ſua non licebat. Poſt triduum 1. Mart. tamen formulam conventionis ad Suecorum mentem concinnatam proferebant, ad quam Sueci, quæ videbantur, monebant. Formula ſic adornata, cum apud Succicos Bavarici pranderent, Reuſchenbergius inter pocula ambigue diſſerere: Vix perſuaderi ſibi, hoc tractatu pacem promotum iri. Cæſare oppreſſo Bavarum quoque in ordinem redigendum, qui & ad Interiorem Palatinatum citra exceptionem cedendum adigendus ſit. Autoritatem hactenus illi ſedecim millia bellatorum circumpoſuiſſe; inermem nullo numero fore. Ni præcipitati fuiſſent tractatus facile conditionem *uti poſſidetis* obtineri potuiſſe. Se tantum umbræ vicem heic ſuſtinuiſſe, aliis qui ſecreta mandata habeant ſibi adjunctis. Et revera tum hoc, tum aliis indiciis patebat, huic viro à Principe ſuo parum fidei adhiberi. Cæterum formula illa ſcrupulos quotidam continebat, quos amoveri è re fuerat, ni Gallorum importunitas negotio finem utcunque imponere ſubegiſſet, qui præter veteres minas de tractatibus ſeorſim concludendis non pauco altius penetrantia jaciebant. Et Suecis cum huice plus negotii quam cum Bavaricis erat; qui & iiidem plus indulgebant, quam ipſi poſtularent, quæ vel per acrem diſceptationem retrahenda, vel demum concedenda erant. Quanquam etiam VVrangelius inſtaret, conventa ſtatim exſecutioni danda eſſe, non expectata Reginæ ratificatione; diverſum tamen Galli demum in gratiam Bavari pervicere. Sic ut longe lautiores conditiones obtineri potuiſſent, abique Gallis ſi fuiſſet. Et quanquam Turennius candide rem agere videretur, Croiſſium tamen ſecretis mandatis in fraudem Evangelicorum tendentibus inſtructum haut manis ſuſpicio erat. Subſcriptum à Deputatis inſtrumentum Kutnerus ad Electorem deferendum ſuſcipit, pollicitus intra decendium ratihabitionem iſtius ſe curaturum; ſimul ut Elector declaret, ſe Memmingam & Uberlingam in Suecorum manus traditurum. Nam Deputati non amplius in mandatis habebant, quam ut promitterent, Bavarica præſidia inde eductum iri, quibus qua ratione ſuum immitterent militem, in Suecorum arbitrio relinquebant. Teſtabantur tamen Sueci, ni Elector traditionem eorum oppidorum petito modo annueret, conventa omnia fore irrita. Idem porro Kutnerus antequam proficiſceretur à Croiſſio petierat, Suecos hortaretur propius Bavariam movere, ut metu irrupturi exercitus permotus Elector eo citius conventa firmaret. Cui conſilio obtemperans VVrangelius validam manum per Landsbergam Bavariæ immiſit, quæ late populatione facta per Rainam iterum eis Licum receſſit. Ferebat Croiſſius, privati commodi cauſa Kutnerum tantopere negotio deproperando inſtitiſſe, quod prædiis ipſius in Bavaria viginti quinque equites impoſiti eſſent alendi, quoad induciæ confectæ forent. Ad hujus uſque reditum VVrangelio in ſtativis Delmentingæ uno ab Ulma milliari ſubſiſtendum erat, premente licet non parum penuria. Cui conſtitutum erat, allata ratihabitione in Franconiam abire, ac expugnato Schweinfurto lineam communicationis inter Sueviam, & VVeſtphaliam firmare; induciis irritis in Bavariam ſedem belli denuo translaturus.

1647.

Quod Bavar. ratihabitum tranſmittitur. 4. Mart.

6. Mart.

Gebhardi apud Bavarum negotiatio.

§. 15. Enimvero huic negotio diſturbando Cæſar Juſtum Gebhardum Conſiliarium aulicum ad Bavarum miſerat, virum prudentia & dexteritate agendi inſignem; qui VValſenburgi apud Electorem omnes artes explicabat, quo hunc ab iſtis induciis abduceret. Diſſerebat is, quanto animi cum dolore Cæſar perceperit, ipſum ſeparatos cum Regiis tractatus ſuſcepiſſe, è quibus nil aliud, quam diſtractio utrique exitiota ſecutura ſit. Per ejuſmodi inducias hautquidquam ipſius ditiones ac rem publicam conſervari, ſed potius majori periculo exponi. Fortaſſe ipſum aliquamdiu beneficio ordinis gaviſurum, demum tamen extremo exitio involvendum, pace ac ſalute orbis Chriſtiani nulla ratione magis quam hac convellenda. Addebat, à Cæſare validis ſupplementis exercitum firmari, qui totus ſervandis Electoris ditionibus impendendus ſit, neglecto proptiarum Provinciarum periculo. Simul Provinciam ſuprà Anaſſum, ipſamque Interiorem Auſtriam ſuſtentandis Electoris copiis aſſignatum iri. Ita porro attenuatas eſſe copias Succicas, ut vel ſolæ Bavaricæ hiſce ſuſtinendis ſufficiant, ut cauſa non ſit, quare hic tractatus tantopere feſtinetur. Denique urbes Imperiales ab Electore hoſti condonari ferendum plane non eſſe. Huic à Bavaricis regere-

Non ſatis expoſitum.

reba-

1647. rebatur: Cæsareos variis difficultatibus motis tamdiu communem negotiationem extraxisse, Regnorum fœderatorum Deputatis propositum fuisse Ulma discedere, nec deinceps reverti; unde Electori servandis suis ditionibus huc decurrendum fuisse; id quod non magis sibi vitio verti queat, quam Saxoni, Brandeburgico, & Trevirensi Electoribus. Rem non amplius esse integram, sed tractatus utique continuandos. Nec tamen invidere Cæsari, si & ipse cum fœderatis agere velit; nec ei rei à se impedimentum injiciendum. Urbes Imperiales non alia lege tradendas, quam ut eas Regiis ad futuram usque pacem præsidiis tenendas relicturus sit, sicuti easdem ipse suæ securitatis causa intederit, salvis earundem juribus. Cum ita operam à se ludi cerneret Gebhardus, Ulmam iter instituit, ad extremum rogitans, ut à Bavaricis sibi acta negotiationis ederentur. Id
4. Mart. quod Elector promittebat quidem, nec tamen ulterius servabat, quam ut suis Deputatis scriberet, summa duntaxat capita cum ipso communicarent; graviter conquerente Gebhardo, Cæsarem citius è Bibliopolis, quam tabulariis Electoralibus hos tractatus nacturum.

Gebhardus Ulmam venit.

§. 16. Ulmæ interim Rosenbergius apud Suecicos institerat, ut Gebhardum expectare velint; privatam salutem suam in hoc verti, ut iste culpam irriti negotii simul sustineat. Etsi satis norit, illum quoque non minus incassum laboraturum. Tum jactabatur, Gebhardum non minus potestatis habere, ac si Cæsar ipse adesset; eundem nullis ex aula expectatis mandatis cum Suecis tractaturum; hisque plene satisfacturum. Pacta firmiora utique fore, si conjunctim incantur. Cum Ulmæ adpulisset Gebhardus, inter Suecos, & Gallos consultatum, num expediat Cæsareorum propositionem audire; ac ipse ipsos lactare, quoad appareat, quem eventum tractatus cum Bavaro sortiatur. Galli id plane dissuadebant; quod Bavarus hoc animadverso negotium extracturus sit. Contra Suecі ostendebant, si Bavarus videat Cæsarem non plane repudiari, eundem peculiares tractatus maturaturum, ne forte Cæsar Regiis lautiores, quam Bavarus conditiones annuat. Tum nec ideo Cæsarem plane rejiciendum, ut, si Bavarus forte Regios decipiat, per tractatus cum Cæsare vindictam ab ipso sumere queant. Ad quæ Crocilius reponebat: si vel maxime Bavarus ipsis illusurus sit, se tamen adversus hunc cum Cæsare nihil tractaturum; de quo & ipsi Electori satis constet. Tandem Galli hactenus cedebant, ut ostenderent, se ipsius propositionem audituros, nec tractatus plane abnituros: ut tamen omnia in Suecicos rejicerent, quo invidiam irriti negotii in hosce derivarent.

4. Mart. Num Gebhardus audiendus, deliberatur.

Ejus cum Regiis negotiatio. 5. Mart.

§. 17. Cum Suecі dehinc salutandi causa Gebhardum accessissent, hic ostendebat; à Cæsare sibi injunctum tractatus, prout in præsens se haberent, continuare. Tum expositis moræ causis, quod interea Regii cum Bavaricis separatos tractatus suscepерint, suo loco relinquebat; cæterum instructum se à Cæsare una cum Bavaricis, aut seorsim agere. Quanquam autem in ejusmodi tractatibus illa pars, quæ successu armorum præpollet, conditiones ferre soleat, eoque à Regiis primam propositionem fieri par fuerit, qui potiores se armis jam credant: id tamen si abnuant, se non dubitare propositionem edere, modo Regii declarent, se tractatus ingressuros; nec eo secius VVrangelio liberum esse, concludere velit, an minus. Absurdum esse tutum accessum præstare illis, quibuscum agere nolis. Equidem ad con- 1647.
cludendum se nullo modo Suecicum ducem adstringere velle, cum ab una aut altera parte conditiones ferri possint, quæ admitti nequeant: id tamen inauditum esse, & à more gentium abhorrere, unam partem proponere, alteram tantum propositа audire nulla facta declaratione. Cum Suecі confirmarent, haut aliud sibi à duce suo mandatum, quam audire propositа, & ad ipsum referre; qui omnia ad Reginam relaturus sit: Gebhardus prolixe differebat; cuilibet duci licitum esse pro necessitate & captu belli inducias inire. Osnabrugæ quoque & Monasterii inter principes partes belligerantium placuisse inducias iniri; unde Regios magis cum Cæsare velut principali, quam Bavaro velut accessorio ex pacto ad tractandum teneri. Haut vitio verti posse Regiis, si quam lautissimas conditiones affectent; sed non perspicere se, quid Suecia ex separatis tractatibus lucretur. Nam Cæsarem vel plane debellandum, vel minus. Hoc casu oriri bellum diuturnum, anceps; ac evenire aliis posse, quæ Cæsari antehac tot victoriis claro acciderunt. Priori casu considerandum, in quem fructus redundaturus sit. Verendum autem esse, Austriacas Provincias utpote Catholicas pellundato Ferdinando Catholicum potius principem amplexuros. Ita Gallum, Bavarumque, quos inter dudum secreta consiliorum commercia agitantur, brabæum de quo Suecі certarunt intercepturos; quin ubi rebus suis consuluerint, malum Suecis, eorumque sociis Evangelicis daturos. Exhibuit inde Gebhardus cum Wachenheimio Suecicis propositionem scripto conceptam, in ipsorum arbitrio relinquens, ad referendum, an ad tractandum illam acceptare velint. Ea inducias in tres duntaxat aut quatuor menses continebat, quod spes sit, brevius intra spatium communem pacem coalituram; ac tutius certo tempore inducias circumscribi; quam ad conclusionem communis pacis extendi; quod ipsi hoc occasionem extrahendis in longum tractatibus præbere possit. Intra id spatium omnes Provincias, munitiones, & hospitia militum in eodem statu permanerent, quo primo inducarum die fuerunt. Hanc propositionem solis Suecis exhibebant, non simul & Gallis: quod Galli jam cum Cæsare transegerint, ac in præsens tantum inter auxilia Suecorum censendi sint; eoque hac actione Suecos magis quam Gallos respiciendos, cum & ipsi Suecicis armis magis premantur.

Cæsareorum propositio. 14. Mart.

§. 18. Aft Kutnerus in Bavaria plus difficultatum inveniebat, quam crediderat, quod Gebhardus literis ad omnes Consiliarios, Electorisque uxorem, & Confessionarium exaratis negotium id turbare summis viribus annixus esset. Ipse tamen, ut capto semel consilio inhæreret Elector, constanter suadere ostentato exitio; quod ditionibus ipsius jamjam immineat. Id quod & Scharerus per literas ingerebat. Quæ ratio apud Electorem prævalebat, ut conventionem ratihaberet, promissa quoque Memmingæ, & Uberlingæ traditione, eo, quo Suecici desideraverant, modo. Sed quia Wrangelius nonnulla in Instrumento à Deputatis subscripto corrigi cupiebat, suosque monuerat, à Bavaricis postularent, ut eadem in Electorali ratificatione emendarentur: Kutnerus Electoris declarationem adferebat, Instrumentum Ulmæ ad Suecorum mentem adaptatum à Deputatis utrinque denuo subscribendum. Quam ob causam Elector Instrumentum

Ratificatio Bavarica adfertur.

ipsum

1647. ipſum ratificationi pro more inſerere non poterat, ſed cum Kutnero ratificationem interim valituram mittebat, quæ cum Wrangeliana permutaretur; aliam ratificationem, cui totum Inſtrumentum inſertum eſſet, pollicitus, ſtatim atque Reginæ ratihabitio allata ſit. Elector quoque ſimul ad præfectum Memmingæ VVinterſcheidium tribunum ſcripſerat, decurionibus ſignificaret, ut ſibi ipſis de pulvere pyrio proſpicerent. De quo hi Suecos Ulmæ certiores reddebant, teſtati luben tiſſimo animo ipſos à ſe admiſſum iri. Sed quia de Uberlinganis Romano ritui addictiſſimis ſuſpicio erat, ne Cæſareos clam admitterent, ac rumor jam ferebat, quoſdam Hiſpanos è Tirolenſi provincia clam Uberlingam penetraturos; ne forte ea res totam negotiationem turbaret, ejus oppidi præfecto ab Elector injungitur, ne ullum militem eo recipiat absque mandato ipſius propria manu ſubſcripto. Præfecto quoque Offenburgi, de cujus obſequio Elector non ſatis conſtabat, ſignificatur, quid ſuper illo oppido decretum ſit, & extrema ipſi immineret, ni eductis Cæſareis copiis Bavaricas admittat. Confirmabat quoque Kutnerus, Electorem copias ſuas à Cæſareis plane jam ſeparaſſe, & cum quindecim Cæſareorum equitum centuriæ è Bohemia in Superiorem Palatinatum revertiſſent, Sporckium cum totidem equitibus obviam miſiſſe, denuntiaturum, ni ultro ea provincia excedant vi expellendos. Ad Cæſarem autem prolixis literis datis demonſtrat; ipſius Deputatorum culpa factum, quo minus communes induciæ initæ ſint; nec aliam ſibi viam ſuperfuiſſe extremis malis ſe ſuasque ditiones eripiendi, ingruentibus jam maxime hoſtilibus exercitibus, quibus repellendis idoneæ vires nuſpiam adpareant. Quanquam autem per has inducias haut levis offenſa inter Cæſarem & Bavarum gliſceret; mirum tamen videbatur, hoc ipſo tempore unum atque alterum locum à Bavaro Cæſareis tradi. Nam VVeiſſenburgo in Norico digreſſis Bavaricis trecenti Cæſarei admiſſi, quorum præfectus oppidanos ſi Sueci quid tentarent, ad arma ſumenda juramento adſtringebat. Caſtello item ponti Ratisponenſi adſito ducenti pedites Bavarici excedebant, quod à præfecto Ratisponæ Cæſareo milite firmatum. Etſi paulo poſt Bavarus pœnitentia ductus ducentos pedites eodem mitteret, caſtellum denuo inſeſſuros; quos tamen Cæſarei admittere abnuebant.

8. Mart.

18. Mart.

8. Mart.

23. Mart.

Wrangelius inducias ratas habet.

§. 19. VVrangelius etſi circa leges induciarum præter ſua mandata Bavaro plura indulta perſpiceret: magni tamen momenti judicabat Bavarum à Cæſare diſjunxiſſe. Quo non ſolum Cæſareis conſilia inſigniter turbabantur, ſed & vires infringebantur avulſo Bavarico exercitu, qui toto bello Cæſareis prope par fuerat. Ac ſi cum ſolo Cæſare deinceps bellum gerendum, nec magnis copiis in VVeſtphalia adverſus Colonienſem opus foret, brevi iſte ad glorioſam Sueciæ pacem compellendus videbatur. Nec abſurdam permutationem eſſe, pro Raina, Donavverta, ac aliis modicis oppidis Memmingam & Uberlingam recepiſſe, Succicis rebus in Superiore Suevia, & ad lacum Bodamicum ſtabiliendis idoneam. Quidquid ſubſidii Bavarus hactenus è Suevia habuerit, id ipſi ademtum Regiis nunc accreſcere. Memmingam jugo Bavarico liberari. Evangelicos Auguſtæ cives ad neutralitatem eluctari. VVurtenbergico Duci ſpem propiorem fieri ad ſua recuperanda. In Bavariam ſi denuo irrumpatur, præter alias difficultates verendum eſſe, ne Galli eodem ire abnuant. Ac revera ingrata erat VVrangelio Gallorum conjunctio, eoque per Bavaricas inducias ſolus absque Gallis alibi bellum adminiſtrare poterat, procul æmulatione ob hoſpitia & alia, quæ indies magis inter Succicas & Gallicas copias gliſcebat. Eas ob cauſas inducirum formulam hinc inde leviter correctam & ipſe ratam habuit, promulgato ſimul edicto, quo omnes Reginæ Sueciæ imperium agnoſcentes adverſus Electoris Bavariæ milites, ſubditos, ditionesque hoſtilibus abſtinere jubebat, vetito tamen, ne quis ſuorum ad Bavarica hoſpitia, caſtra, aut præſidia ſe conferat. Demum tractatus abſolvitur novis inſtrumentis formatis, & denuo per Deputatos ſubſcriptis, manente tamen ad poſtulatum Bavaricorum quarto die Martii, quo prius inſtrumentum confectum erat; quæ ſtatim una cum ratificationibus hinc inde traduntur. Obſides à Succis dati Guſtavus Hornius Eberhardi F. à Gallis Fleckenſteinius, à Bavaris Royerius tribuni, quorum illi Auguſtam, hi ad VVrangelium Erpacum miſſi.

1647.

15. Mart.

§. 20. Ejus porro conventionis capita hæc erant. Inter Regna Sueciæ, Galliæ, eorumque ſocios in Germania ex una, & Electorem Bavariæ Colonienſemque, cum Coadjutore ex altera parte induciæ ſint à primo die concluſæ hujus conventionis ad communem uſque Germaniæ pacem, nec à Regiis copiis quid hoſtile in utriusque Electoris ditiones, tum Superiorem Palatinatum, & Inferioris partes Cisrhenanas, Bavaroque aſſignata hoſpitia exerceatur. Viciſſim Bavarus ſubjectum ſibi exercitum à Cæſareis copiis diſjungat, nec Regum hoſtibus ſubſidii quid ullo modo præſtet, quod quidem ad rem militarem ſpectet: Salva tamen adverſus Imperium, hujusque caput obligatione, quantum absque fraude præſentis tractatus fieri poſſit. Bavaricis hoſpitiis ac tributis totus Circulus Bavaricus, & Superior Palatinatus cum Inferioris partibus Cisrhenanis relinquatur ad futuram uſque pacem; Epiſcopatus autem Aichſtadienſis usque ad traditas Regias ratificationes; tranſitu tamen innoxio Succicis copiis per iſta hoſpitia conceſſo, ſi inevitabilis belli neceſſitas ſubegerit, qui Electori mature prius denuntiandus. Bavaria tamen utraque, & quicquid intra Licum; Danubiumque ſitum eſt, ab omni tranſitu ſit immunis. Idem & circa Cæſareas copias obſervetur. Bavarus Succis Memmingam & Uberlingam ſecuritatis cauſa tradat; hi contra ipſi Rainam, Donavvertam, VVembdingam, & Mundelheimum, cum ſubjectis tractibus reſtituant; quam in rem utrinque obſides dentur. Ratificationibus Regiis horum tractatuum exhibitis Bavarus VVurtenbergico quæ in ipſius ditione inſident loca deductis præſidiis reſtituat, Aſpergam, Hohenauracum, Hornbergam, Schiltacum, Albeccam, & Tubingam. Poſt ratificationes Regias exhibitas Auguſta deductis aliorum præſidiis neutralitate deinceps gaudeat, ac tam Regiis quam Electori ſcripto caveat de non admittendo Cæſareo præſidio. De copiis ſuis Elector nihil hoſtibus Regum tradat; ſi quas tamen exautorare placuerit, eas utrique bellantium parti in ſua ſtipendia adſciſcere integrum erit. Nequi præfecti aut milites utriusque partis in alterius ſtativa absque peculiari ducum permiſſu ſe conferant. Si qui deinceps ab una parte ad alteram transfugerint, reſtituantur. Si à privatis adverſus has inducias delinquatur, eædem

Capita conventionis.

1647. dem nihilominus firmæ perſiſtant; in delinquentes utraque pars pro gravitate facinoris animadvertat. Commerciis ſecuritas absque novo onere conſtet; excepto inſtrumento bellico, quod ad hoſtes adportatur. Captivi utrinque ſine lytro dimittantur, niſi qui jam ante ad hoc exſolvendum ſe obſtrinxerint. Hæ induciæ ab Electore Colonienſi; ejusque Coadjutore intra duos menſes firmentur, idemque Elector oppida ſua præſidiis utrique Regno hoſtilibus quantum in ſe purget, ac à Cæſareis ſe plane circa negotia bellica disjungat, tributa, aut delectus ne præbeat, ac ſi Regii quibuſdam ad ipſum ſpectantibus locis Cæſarea præſidia vi expellere inſtituant, ne impediat; quæ loca inde Electori nullo impoſito præſidio reſtituantur, niſi belli ratio aliter exigat. Quod ſi Osnabrugæ & Monaſterii communes induciæ, aut pax interim concludatur, illis hæc peculiaris conventio ne ſit præjudicio. Hæc ex parte Reginæ Sueciæ non ante rata ſint, quam ab utroque Electore etiam cum Galliæ Rege tranſactum ſit. Uberlingæ Romani ritus à Suecico præſidio ne turbentur. Offenburgum ut in Suecorum manus perveniat, Elector operam dabit: ſin præſidium excedere abnuat, Suecis integrum erit vi iſtud inde expellere. Ratificatione Regia non ſecuta tradita utrinque oppida præſentibus poſſeſſoribus reſtituantur. Si Elector Colonienſis hanc conventionem non ratihabuerit, ea ad ipſum non ſpecter, ut tamen eadem circa Electorem Bavariæ perſtet. Si qui Memmingæ, aut Uberlingæ una cum præſidio Bavarico excedere velint, id permiſſum ſit; remanentibus bona ſua ſalva ſint. Ratificatio Reginæ Sueciæ intra quinque menſes, Landgraviæ intra duos Electori Bavariæ exhibeatur. In eandem fere ſententiam inter Gallos & Bavarum concluſum, niſi quod Galli exciperent, ſibi integrum fore obſidium arcis Tubingenſis continuare. Qui & Bavaricis copiis in hoſpitiorum uſum concedebant loca ad Bavarum pertinentia inter fluvios Licum & Mindelam, excepta Lavinga, Gundelfinga, Hœchſtedio, & locis inter Ulmam & Donavvertam ſitis ad Ducatum Neoburgicum ſpectantibus, quæ Galli ſibi reſervabant. Heilbrunna quoque deducto præſidio Bavarico Gallorum militi infidenda concedebatur. Viciſſim Galli Heidenheimum ac VVeiſſenſteigam Bavaro reſtituebant, ſalvo VVurtenbergici Ducis jure. Ratihabitio Regis Galliæ intra ſex ſeptimanas exhibenda promittebatur; qua non ſecuta Galli Heilbrunnam, Bavari VVeiſſenſteigam & Heidenheimum reſtituerent. Pro Argentoratenſibus VVrangelius peculiariter libertatem commerciorum ſtipulabatur, quæ Bavari obtentu litis inter urbem illam, & Bavaricum Conſiliarium Krebſium in Rheno hactenus ſtiterant.

Oppida conventa Suecis traduntur. 18. Mart.

§. 21. Acceſſum inde ad executionem conventorum. Ac Memmingæ quidem traditio citra obſtaculum fiebat, quo VVrangelius Duglaſſium miſit, adjuncto Sigismundo Prziemskio tribuno, futuro oppidi præfecto, cum trecentis peditibus ac quinquaginta equitibus: quem ante portam Bavaricus præfectus humaniter excepit, ac ut in oppidum diverteret petiit; cui Duglaſſius non minore humanitate occurrit. Et quanquam ſtatim oppidi traditionem expoſcere poſſet, tamen ſuadentibus & cavent ribus oppidanis armatis, ac Bavarico præſidio prævalentibus, inque Suecicas partes pronis cum triginta duntaxat equitibus oppidum introiit, Prziemskio cum reliquis ante portam relicto; cui ſecreto mandabat, ſi quid tumultus in oppido audiret, in vallum eniti properaret. Sequenti die ſtationes valli Suecico militi traditæ, excepta porta per quam Bavaricis excedendum; qui & poſtero die modeſte relicto oppido Mundelheimum abibant. In oppido quadraginta duæ machinæ inventæ. Uberlingam Joachimus Volcmannus tribunus cum quadringentis peditibus, centum equitibus mittebatur; qui cum eo perveniſſet, oppidi præfectus Faber ſubtribunus proxima nocte Conſtantiam duobus cum navigiis profectus erat, pollicitus circa meridiem iterum ſe aſſore. Cum ultra deſtinatam horam moraretur, Volcmannus vigilum præfecto, proximo poſt ipſum imperio, Electoris mandatum exhibet, poſtulans ut oppidum ſibi tradatur. Is quanquam parendum juſſis electoris agnoſceret, tamen ad reditum ſubtribuni, aut ſequentem in diem dilationem quærebat. Unde Volcmannus doli metuens copias ſuas una cum machinis, quas ducebat, oppido ad ſiniſtram prope lacum admovet, ac in colle diſponit, duos obſides, unum è præſidio, alterum ex oppidanis cum totidem ſuorum permutandos expoſcens. Hæc dum fiunt, octo navigia Lindavia & Conſtantia curſum recta Uberlingam intendentia conſpiciuntur. Unde Cæſareos milites advehi ſuſpicatus, ſuos arma expedire, ac in ſubeuntia navigia machinas explodi jubet; quæ ſtatim curſum retro vertebant. Sane citra eam circumſpectionem traditio oppidi vix ſecutura videbatur; præſertim cum eodem die oppidani à Cæſare per literas monerentur, ne Suecicum præſidium admitterent, quibus & illi parere ſi licuiſſet conſtituerant. Ita poſtera die Bavarici oppido exceſſere, in quo ſexaginta amplius machinæ, & non parum adparatus bellici inveniebatur. Heilbrunnæ quoque Gallis à Bavaro tradita, frementē licet præſidio, cujus & pars aſtu oppido prius educenda erat, ne vim tentare poſſet. Viciſſim à Suecis Raina & alia loca citra moram reddebantur, quo facto obſides tribuni utrinque ad ſuos dimiſſi. Mortaignius petenti Landgraviæ, quæ ſuis copiis eum præficere cupiebat, à Suecis conceſſus ſalvis, quas à Regina hactenus tenuerat, penſionibus & donationibus; in cujus locum peditatui Guſtavus Otto Steenbockius præficitur. Duglaſſio pro navata hiſce tractatibus opera titulus ſupremi per Sueviam Gubernatoris confertur. Enimvero Offenburgi præfectus, acceptis Bavari literis de tradendo Suecis oppido, ad Cæſarem prius ipſumque Bavarum ſibi mittendum reſpondit. Qui tamen tenui præſidio inſtructus, nec præfectis, civibusque ſatis fidens facile vi expelli poterat, ſi Gallis operam ſociare placuiſſet. Quibus abnuentibus, iſto quidem oppido Suecis potiri haut dabatur.

Gebhardi congreſſus cum Wrangelio. 23. Mart.

§. 22. Aſt Gebhardus cum circa tractatus hoſce impediendos operam luſiſſet, Wrangelii congreſſum expoſcit, à quo in proximo Ulmæ vico Seflinga ad prandium invitatur. Diſſerebat iſte; Sociis Regnis equidem vitio dari non poſſe, quod quavis ratione hoſtium vires deſtruere laborent, parum ex officio tamen egiſſe Bavarum, qui præcipuus incentor belli, & maxima pacis remora nunc ſe diſcrimini ſubductum eat, Cæſare intra ancipitia deſtituto. Ad omnia illa, quæ bellum excitarint & tamdiu aluerint, præcipue ad reformanda ſacra Bavarum Cæſari acerrimos ſtimulos ſubdidiſſe. Per quadriennium jam conſultatum fuiſſe, Auſtriacis & Bavaricis Theologis in con-

ſilium

1647. filium adhibitis: num fas sit, præsulatus in perpetuum alienare? Id affirmasse Austriacos ad communem pacem redimendam: Bavaros divertium asseruisse, nec ipsum Electorem sententiam suam candide voluisse expromere. Cum Cæsar pro autoritate finem negotio imponere statueret, homines intempestivo pietatis zelo exclamasse; jam denuo Christum in crucem tolli. Bavarum quoque obstitisse, ne Palatina causa unquam ad liquidum deduci potuerit. Jam obtentu necessitatis à Cæsare deficere, & quia rectis suæ Provinciæ ab igne metuat, ejusmodi oppida in hostium manus consignare, quæ non nisi maxima mole expugnari poterant. Id num salvo officio factum sit, judicium penes universum orbem fore: nec sibi constare, quæ consilia Cæsar huic oppositurus sit. Sane Cæsaris res maximis difficultatibus implicitas, præsertim si Bavarus hostilia in istum sumat, & obtentu pignoris unam aut alteram Provinciam invadat. Ex oppresso tamen Cæsare Reginam Sueciæ exiguum emolumentum capturam: cum constet inter Gallos, Pontificem, Italos Principes, Bavarum, alios que in Germania Catholicos fœdus agitari in Suecos & Evangelicos. Et si tantum temporis indulgeatur, ut in rem erumpere queat, perniciosos ejusdem effectus sistere serum fore. Jam tempus adhuc esse oppositio idoneo libramento id eludere, si Cæsar Domusque Austriaca cum Suecis se conjungat. Quod ut fieri possit, occasione & prætextu opus esse, quo consilia conferri queant. Et si ejusmodi quid Wrangelius in mandatis habeat, citra ambages rem confectum iri. Affectare Cæsarem Reginæ amicitiam. Ipsum ætate nondum provecta totum Imperii tempus inter adversa ac laboriosa exegisse, tranquillius regimen summopere anhelare. Filium ipsi admodum adolescentem, cujus fortunas inter turbida hæc, & ancipitem armorum aleam stabilire nequeat. Hungariæ quoque res lubricas ambigua cum Turcis pace. Adversus has induciis aut pace opus esse. Ex induciis illas Cæsari quam maxime placere, quæ ad secuturam usque pacem porrigantur. Nec tamen eidem displicere, quæ certo tempore definiantur; cum nihil aliud ritus quæratur, quam ut eædem paci, non bello subserviant. Captasse Wrangelium armistitio Bavarico emolumentum aliquod, à Cæsare amplius capi posse; eoque si conditionem Reginæ meliorem reddendi occasio offeratur, non magis mandata è Suecia, quam circa Bavaricas inducias, illi expectanda. Expromeret, quas velit conditiones; indicando & licitando emtionem demum contrahi. Bavaro facile fuisse aliena condonare; Cæsarem longe liberaliorem fore. Se jam obtulisse, ut quod quisque in præsens possidet, retineat; ita Reginæ copiis hospitia à mari Baltico ad Bodamicum usque lacum patere. Si unus & alter locus insuper petatur, ne id quidem negotio moram allaturum. Exercitum Suecicum ad Schweinfurtum obsidendum profectici: id oppidum si velit, Wrangelium lubente Cæsare intra octiduum habiturum. Pro Memminga quoque & Uberlinga Cæsarem Lignicam & Briegam in Silesia daturum, rebus Suecorum longe commodiora oppida; unde & Cæsari occasionem fore Wrangelium beneficio mactandi, postquam una duntaxat anima obsset, quo minus illi Ducatus ad Cæsarem pleno jure devolvantur. Quod si Regina pacem malit, eam nunc aliis dare in ipsius manu positum. Jam occasionem eidem præberi fines proferendi, simul à sociis sacrorum, totoque Imperio maximam gratiam ineundi. Cæsarem nihil non concessurum, tam improviso à Bavaro destitutum, præsertim recenti adhuc vulnere. Circa Ordinum gravamina Cæsarem difficilem non fore, modo de pace cautum ipsi sit. Multos per annos Ordines ab ipso in aliorum gratiam sustie offendendos; moderata ejusdem consilia ab aliis semper in transversum rapta, qui ipsum tam cruento bello implicuerint, nunc deserant. Nil superesse, quam ut Sueci promant, quid tandem cupiant. Osnabrugæ si Cæsar Suecis & Evangelicis concedere quid velit, non solum à Catholicis in Germania, sed & ab ipsis Gallis difficultates objici. Continuarentur illi tractatus in speciem; cæterum sibi VVrangelius secreto panderet, in quas conditiones Regina pacem cum Cæsare initura sit, etiam adversus unius aut alterius contradictiones exequendam. Nec Galliæ offentam curandam, quæ jam post transactionem cum Cæsare inter accessorias partes belli contenda sit; cui nulla querendi causa, si Sueci pariter de suis commodis, & circa Gravamina pro Evangelicis cum Cæsare decidant. Nec verosimile esse, Sueciam eousque Galliæ innexam, ut etiam remotis belli causis ex sola hujus libidine bellum continuare necesse habeat. Ad extremum petebat Gebhardus, ut VVrangelius, si nunc conveniri non possit, salvum conductum semper valiturum præbeat, ut, quoties è re sit, tuto ad exercitum Suecicum accedere queat. VVrangelius ad hæc defectum mandati excusare, & rem Osnabrugam rejicere, pollicitus tamen, se omnia ad Reginam perscripturum; ac si demceps venire cupiat, literas tuti itineris, & tubicinem postulanti numquam non præsto fore. De cætero separato Bavari tractatu Cæsarei immensum indignabantur, ac Gebhardus apud VVrangelium, ubi potu incaluisset, à Bavaro non ex officio honesti viri actum jactabat. Ipse Archidux Leopoldus VVilhelmus itinere in Belgium non procul Colonia audiente viro Principe dixerat; Bavarum longe atrociore læsæ Majestatis crimine adversus Cæsarem, quam Fridericum Palatinum, se obstrinxisse. Sed & eandem rem multi duces in exercitu Bavarico avertabantur. Gleenius supremus dux, cum addicata militia Bavarica in Belgium concederet, Furtæ apud civem ejus oppidi multa ignominiosa in Electorem jaciebat: perfide ipsum cum Cæsare egisse; ita secreto rem actam, ut neque ipse, neque VVerranus quidquam receiverint. Se belli jam tædio captum; si tamen à Cæsare exercitus in Bavarum mittatur, alacriter se arma repeturum ad hunc ditionibus suis ejiciendum. 1647.

Hinc tractatum Cæsarei ægerrime ferunt.

§. 23. Dum Ulmæ tractatus fervet, à bellicis actionibus fere cessabatur, nisi quod Turennius arcem Tubingensem, globis & cuniculis non parum quassatam, post annus mensis obsidium ad deditionem redegerat. Contra Enckefortius, à Cæsare Tirolensi Provinciæ præfectus, digresso VVrangelio Neuenburgo arci non procul Bregentia sito obsidium circumponere cœperat. Gustavus Adolfus Lœwenhauptius Comes, summus vigiliarum præfectus, cum in superiorem Germaniam tenderet, ob Cæsareos VVestenburgum obsidentes Dambaci ad Sylvam Thuringicam subsistere necessum habuerat; quem & mox ortus ad Visurgim tumultus eodem fere averterat. Nam hostis contracta è præsidiis VVestphaliæ valida manu, cum omnia glacie constricta essent, apud Achemum in Bremensem Præsulatum cis Visurgim irruperat, ac proximis vicis direptis, agrestibus multum damni dederat, magno pecorum & equo-

Galli Tubingensem arcem expugnant. 7. Mart.

Lœwenhauptius ad exercitum venit.

13. Febr.

1647. equorum numero abrepto. Unde consilium erat Lœuenhauptio ad otiens incendium extinguendum, antequam latius serperet, accurrere; quo fine retro ad Onestrum flumen iter vertebat. Audito tamen prædatores ea Provincia iterum excessisse, & urgentibus Wrangelii jussis, cum jam hostes post Weissenburgum expugnatum in hiberna concessissent, Northusam, inde Creutzbergam iter intendit; hinc Spessarto sylva, & apud
24. Mart. Wertheimum Mœno superato non procul Norlinga VVrangelio jungitur, ubi hic exercitum eis Danubium reductum lustrabat. Undeis Norlinga præsidio firmata, Dunckelspulam, mox Ro-
27. Mart. tenburgum ad Tubarum, posteraque die VVinsheimum accedit; ac mox facto per Kitzingam
29. Mart. itinere Schweinfurto admovetur; quod oppidum
30. Mart. expugnare VVrangelius constituerat, velut quod lineam communicationis inter VVestphaliam ac
Wrangelius Schweinfurtum obsidet. superiorem Sueviam interrumpebat. Etsi Turennius promissum sæpius iteratum de præbendo ad id obsidium peditatu retractaret, obtentu Lotharingici Rheno propinquantis. Spem successus dabat dissordia præfectorum hostilium, ac quod in oppido exigua annonæ ac pabuli, paratusque bellici copia esset. Tuebantur id duo militum millia equites fere, quorum aliquot legiones a Melandro è VVestphalia evocatæ Suecis opinione citius ingruentibus huc se conjecerant, pabulo deficiente obsidium haut diu toleraturæ. Norimberga ad hoc obsidium insignem vim globorum & pulveris nitrati submiserat, clam armamentario suo depromtam, ne in vulgi oculos ea res incurreret.

Schweinfurti obsidium. §. 24. Schweinfurto uti quæ expugnandis urbibus inventa, VVrangelius strenue admovebat; hæc non segniter vim propulsabat Ladronius Comes summus vigiliarum Præfectus, qui in oppido curabat. Hic & cives ad arma sumenda compulerat, singulis inter binos milites collocatis, ne junctæ stationem aliquam obsessoribus prodere pos-
21. April. sent. Equites crebris eruptionibus obsessores fatigare, quarum una tribunus Petrus Andreæ Linderothius transfosso equo evolutus in oppidum pertrahebatur; etsi Cæsareorum tunc viginti occumberent, triginta amplius caperentur. Inde
23. April. Sueci duo exteriora munimenta assultantes ejecto hoste, nullo suorum desiderato, expugnant. Tum tres turres machinis dejiciuntur, globisque ignivomis binæ ædes in oppido inflammantur. De-
24. April. mum Ladronius de tuendo oppido desperans incundo deditionis pacto se offert. Quod non alia lege VVrangelius annuebat, quam ut isto cum præfectis dimisso, gregarii, qui Succica signa sequi nollent, ad captivorum sortem redigerentur. Eas conditiones cum Ladronius abnueret, verberatio instaurata; mox necessitate pudorem superante,
25. April. illas amplexus sequenti luce oppido excessit, Egram versus deductus. Septingenti tunc equites, quadringenti pedites Succicis legionibus admixti.

Equitatui quies indulgetur. §. 25. Schweinfurto capto VVrangelius in Bohemiam ire instituit, Egram, si res ferat, invasurus. Sed quominus iter confestim ingrederetur, equitatus reficiendi cura efficiebat, equis magno numero mortuis, reliquis per montosa Sueviæ, ac longo itinere defatigatis. Unde isti legiones per Franconiam tantisper distribuendæ erant, Præsule Bambergensi, & præcipue VVurtzburgensi promtam opem conferentibus. Quo nomine & Regina hunc literis propria manu scriptis gratias egit. Haut diutius tamen, quam necessitas exige-

1647. bat, his oris otio indulgens VVrangelius edicto le-
30. April. giones circa medium mensem Majum equis armisque instructas esse jubet. A Franconici Circuli Ordinibus Norimbergam convocatis postulatum, ut Schweinfurti, & aliorum ea regione oppidorum præsidiis alendis necessaria conferrent.

Induciæ ab Electore Coloniense ratificantur. 2. Maji. §. 26. Inter hæc apud VVrangelium ab Electore Colonienssi missus Ditericus Landsbergius adest, ratihabitionem conventionis Ulmensis nomine ejusdem Electoris afferens. Addebatur Catalogus copiarum Electoralium, quæ duodecim equitum centuriis, quater mille octingentis septuaginta peditibus constabant; simul quæ loca ipsius, aut Cæsareis præsidiis tenerentur, pollicitus omnem se operam daturum, ut Cæsarei oppidis sibi subjectis dimoveantur. Postulabat insuper diem locumque adsignari, ubi super moderandis per VVestphalicum Circulum tributis agendum sit: tum ut Kœnigsmarckius Vechtæ obsidium omitteret, aut si ea expugnata jam sit, eandem ex convento Electori consignaret. Huic VVrangelius à se subscriptam ratificationem vicissim tradit, quo ad Reginæ confirmatio adferretur. Simul edicto suis imperat, ut adversus Electoris ditiones militesque, nil hostile, sed amica omnia exerceant. Super moderandis tributis etsi Landgravæ cumprimis interesset, Kalendis Junii Monasterii si videretur, agendum. De Vechta, cujus oppugnationem Kœnigsmarckius susceperat, nihil se absque peculiari mandato Reginæ statuere posse. Sed & Bavaro conventa servare cordi esse videbatur, nisi quod suspectum foret parum militum ab ipso exautorari præter eos, qui numerosa prole onusti domicilium in Bavaria figere vellent. Reliquorum missio dilata, ac præfectis qui exautorationem metuebant, spes facta continuandæ militiæ. Venetus quoque Secretarius, & Sperreuterus, qui legiones aliquot in stipendia ejus Reipublicæ pertracturos se speraverant, re infecta Monachio dimissi, ne conducendi quidem militis facultate concessa. Eo magis optabat VVrangelius ratificationem Reginæ è Suecia properari, sicuti Gallica jam Aprili mense per Hoquincurtium Bavaro tradita erat. Sed & Landgravia cum has inducias causæ communi ac promovendæ paci utiles judicaret, ratificationi se paratam declara-
1. April. bat, nil præter Catalogum desiderans, quæ loca Cæsareis, quæ Colonienssibus præsidiis tenerentur, quæ item copiæ ad Cæsarem, quæ ad Electorem spectarent; quod alias mixto Cæsareo & Colonienssi milite hostilia non commode cessare possent.

Bavarus nihil copiarum exautorat. Reginæ inducias cum Cæsare abnuit. §. 27. Interea reversus Viennam Gebhardus ad Melchiorem Franciscum Oetinganum Comitem scripserat, se uti super ruto itinere caveatur denuo ad VVrangelium accessurum, ac tales conditiones communium induciarum laturum, quas forte Sueci repudiaturi non sint. Eas literas Comes Wrangelio transmittebat. Enimvero Regina jam consilia sua peculiari armistitio superstruxerat, quo crediderat Bavarum bona fide Cæsareis partibus avulsum, inducias cum Cæsare præsentibus rebus haut proficuas judicans. Unde jusserat super hisce cum Cæsareis tractatus haut suscipere, & si qui se offerrent Osnabrugam rejicere. Sub idem tempus Hanoviæ Comes Neutra-
1. Maji. litatis pactum superiore anno à tutore suo Erbacensi Comite initum confirmat, pollicitus se Hanoviam, & Babenhusam proprio milite tuiturum excluso quovis alio præsidio, Succisque amica

omnia

omnia præstiturum. Cui Wrangelius vicissim immunitatem ab hospitiis, tributisque, ac si opus foret defectionem promittebat. Sed & Erbacensem Comitem in protectionem Suecicam receperat Wrangelius, Breubergensem dynastiam tributis eximens, quo alendo Breubergæ arcis præsidio sufficeret; intra quam si opus sit Suecicum se præsidium recepturum pollicebatur, excluiis aliis omnibus; cujus præsidiarii Reginæ quoque Sueciæ fidem daturi sint.

Turennius in Moguntinam ditionem progreditur.

§. 28. At Turennius initio Aprilis copias suas hinc inde per Sueviam ad Rhenum usque & Viam Montanam distribuerat, ipse valida cum manu in Moguntinam ditionem ad Mœnum progressus. Moguntinus Elector cum se peti cerneret, Babenhausam duodecim per annos detentam Hanoviæ Comiti resignat, milite hinc educto Aschaffenburgum firmaturus. Sed antequam Babenhausa egressi huc adpellerent, Turenniani ingruentes plerosque cædunt, reliquos capiunt. Idem & tres cohortes Darmstadienses Budinga evocatas in itinere trucidant. Contra Franckendalia & Gernsheimo progressa manus duas Gallicas legiones Zwingenbergæ ad Viam Montanam Baccho libantes ex improviso opprimit, multisque cæsis trecentos captivos abducit. Aschaffenburgum inde oppidum Turennio statim paruit. Miles in arcem refugus mox quoque illius arbitrio se dedit; præfectis dimissis gregarii sub Gallica signa distributi. Hœchstam Cæsareus vigiliarum præfectus Webelius cum ducentis quinquaginta peditibus intidebat. Sed qui magna mœnium ruina edita brevi ad deditionem citra exceptionem compulsus est. Ita gregarii militiæ Gallicæ adscripti; Webelius abitum sibi licet stipulatus ob varias prætensiones detinetur; inde cum custodes vino sopiti essent jam evaserat, sed gravi e muris lapsu debilitatus, cum tardius fugeret, retractus pretio libertatem paciscì cogitur. Ad Keltersbacum inde Turennius superato Mœno in Geraviam transit, Gernsheimum à Cæsareis infestum occupaturus. Cæterum super neutralitate cum Moguntino hactenus pluribus congressibus Francofurti, & in Turenni stativis actum fuerat, nullo effectu ob pertinaciam Electoris, qui ignominiosum sibi jactabat, extrema senecta à Cæsare gravibus malis circumvento deficere. Sed Gallis acriter urgentibus, cum nusquam auxilii spes esset, necessitati cedens suo & Capituli nomine cum Turennio super emittendis utrinque hostilibus transegit. Leges pacti erant, ut Elector hibernorum onus quinquaginta millibus florenorum redimeret, Gernsheimo Cæsareum præsidium dimoveret, dejectis munimentis, nisi quantum tegendis incolis sufficeret: Arce Starckenberga præsidium deduceret; Steinheimum Gallis traderet; iisdem & Hœchstam in potestate relinqueret, & apud Kœnigsteinam & Lohnsteinam liberum transitum præstaret. Vicissim Turennius promittebat, se omnes copias ditione Moguntina cis Rhenum deducturum. Inde Cæsarei sub tribuno Mandelslovio Gernsheimo excedentes à Gallis Hermansteinum deducuntur. Oppidum Moguntino traditur, & ex pacto munimentis nudatur.

Idem Aschaffenburgum & Hœchstam capit.

20. April.

Moguntinus cum Turennio transigit.

19. April.

Darmstadienses à Turennio duriter habentur.

§. 29. Cum Darmstadienses asperius à Turennio actum, cui hic denunciabat, ni cum Casellana Principe transigerent, se hostis loco ipsum habiturum. Et tunc legiones, queis Darmstadium, vicinusque tractus assignatus erat, in duos menses sexaginta florenorum millia alimentorum nomine exigebant; cui summæ cum exhausta regio non sufficeret, viginti amplius campanæ è templis Francofurtum abiatæ, ac venditæ. Cum nec harum pretium sufficeret, præcipui incolarum compedibus onusti abducebantur, Wrangelio Landgravii rogatu apud Turennium frustra intercedente. Nec minus duas equitum legiones, quingentos pedites Turennius retrom Wetteraviam misit, Casellanis adversus Darmstadienses adjuturos; qui tamen paulo post rediere, quod ipsorum auxilio haut opus esset. Paulo post cum Ozbergam arcem subegisset, Darmstadienti præsidio inter supplementa recepto, cum exercitu in vallem ad Tubarum concedit, prætorio Buchotsheimi capto, quoad certa à Rege mandata acciperet. Huic super Hospitiis inter utrumque Regium exercitum in has leges convenitur. Gallis tota Suevia cis Danubium cederet, excepta Norlinga, Dunckeltpula, Comitatu Oetingano, & Elvvangenti prætulatu; qua Suecis relinquebantur. Ulmensi territorio neutralitas tributorumque immunitas indulgeretur. Suecі Sueviam trans Danubium retinerent, excepto tractu inter Mindelam, Danubium & Licum, Schongaviam & Kauf beuram usque, qui Gallis sit tribuendus, ubi Bavari post inducіarum ratihabitionem inde excesserint. In Franconia Galli Limburgensem, Erbacensem, & Hohenloicum Comitatum, & Rotenburgum ad Tubarum sortirentur. Suecі prætensione in Electoratum Moguntinum superiorem, Galli in ea renuntiarent, quæ ad Ordinem Teutonicum Mergenthalii spectant. In locum Ahiæ & Bopfingæ Suecі Gallis præfecturam Neccarsulmensem relinquerent. Cæterum Turennius jam antea mandatum ex aula acceperat, ut Germania relicta in Lucemburgicam abiret, quod Hispani in Flandria copias suas non parum firmarent. Ea quidem cautà palam ferebatur. Revera Galli his induciis, quas tanta cum contentione affectarant, id agebant, ut Bavaro sparium se reficiendi præberetur, ac eo prætextu Gallicis è Germania copiis evocatis Suecorum successus languescerent. At Turennius misso Passagio illud iter deprecabatur, præter alias excusationes ostendens, Germanicum qui sub se mereret militem eam expeditionem aversari; ac Suecis non parum scrupuli injectum iri, his copiis ita longe abductis. Erant qui crederent, ipsum quoque malle in Germania manere, ubi summo cum imperio rem administrabat, quam in Flandria superioris ducis jussui obnoxium agere. Enimvero Passagius mense Majo reversus repetita mandata attulit, queis in Belgium citra tergiversationem proficisci jussus est. Quibus acceptis ut cum Wrangelio colloqui Wurtzburgi posset, petebat. Quo cum hic se contulisset, Hocquincurtium offendit, quod Turennius gravi catharro in itinere se oppressum excusaret; ex quo aulæ Gallicæ jussa Wrangelius intellexit.

1647.

25. April.

Super hospitiis inter Suecos & Gallos transigitur.

20. Maji.

Turennius è Germania evocatur.

21. Maji.

§. 30. Ita cum VVrangelius perspiceret, in auxiliis Gallicis parum sibi repositum, de Kœnigsmarckio, & VVittenbergio, quorum hic in Silesia, ille in VVestphalia curabat, ad se evocando agitat. Sed ne Kœnigsmarckio digresso Cæsar Lotharingum indidem ad se arcesseret, illum tantisper ibi subsistere, ac una cum Hatheis Lotharingum distinere jubet, ut ipse eo expeditius adversus Cæsareos in Bohemia rem gerere posset. Quanquam autem & VVittenbergium in Silesia relinqui expediebat distrahendis ibi Cæsareis legionibus, & quia complura à Suecis loca nondum

Wrangelius VVittenbergium ad se evocat.

1647. munimentis sarfirmata erant, ac circa Wratislavienses ad neutralitatem permovendos tunc quam maxime satageretur: prævalente tamen summa rerum jubetur is è Silesia movere, acita iter instituere, ut ubi res exigeret, cum primario exercitu se conjungere posset. Wrangelius inde contractis copiis Bambergam tendit, ubi acceptis Osnabruga literis, quod Bavarus jam iterum infesta meditetur, cum Episcopo ea super re colloquitur. Qui ipsi confirmabat, etsi forte Bavarus ad inimica Succis destinata seduci se passus fuerit, Ordines tamen Franconiæ favorem in partes Succicas, & capta semel consilia constanter retenturos: de quo etiam per literas Reginæ cavere velint. Inde lustrato apud Hohlfeldam exercitu, Culmbacum prætergreditur ad Egram adpellit. Heic cum nuntiaretur, hostem in sylva Bohemica apud Kœnigswartam duobus abhinc milliaribus, qua via in Bohemiam arctatur, castellum excitasse, ac præsidio firmasse, cum octo equestribus legionibus ac parte dimacharum ad idem subigendum profectus est. Sed cum vacuum id inveniret, manum dimacharum eidem præsidio imposuit. Heic signifer Staba, ubi tres Cæsareæ legiones tendebant, Egram iturus interceptus est, ex quo cognitum, illas de accessu Succorum ignaras agere. Unde Wrangelius eodem accelerans securas oppressérat, ni noctu adventum ipsius præcedente Cæsarei moniti præcipites inde se propripuissent, pars Glattaviam, alii Pilsenam versus cursu instituto. Nec eo minus plurimi in fuga intercepti; quin nec reliqui evatissent, ni fessi longo itinere equi à persequendo desitere subegissent. Ita Wrangelius direpta Staba, Miesa, aliisque circum locis ad exercitum revertit. Idem peditum equitumque manui, Lipsia, Erfordiaque evocata, injunxerat, ut ex itinere Curiam Variscorum sexaginta Cæsareis dimachis intessam occuparent, quo & Lœuenhauptium Culmbaco miserat. Obsessi etsi acriter resisterent, cæsis lanciatisque Succorum compluribus; tandem globis ignibusque strenue jactis deserto oppido in arcem se recipientes ea lege deditionem fecerunt, ut dimissis præfectis gregarii sacramento Succico adigerentur. Egram insidebat Franciscus Paradisius tribunus, strenuus vir, cum tribus equitum, quinque dimacharum turmis, decem peditum cohortibus; mille quadraginta numero capita erant, veteranus & egregius miles; unde difficile obsidium prospiciebatur. Audito Succorum adventu Paradisius statim suburbiis circa ignem injecerat, nec tamen prohibere poterat, quin paucos intra dies Sueci ad loricam fossæ exteriorem accederent. Excitatis inde suggestibus turres & propugnacula quassantur, ac defensioni inutiles redduntur, tum crebri ignes jactantur; ac jam miles fossa superata sub ipsa mœnia gradum promoverat.

Egram excedit, 2. Jun.

20. Jun. In Bohemiam excurrit.

21. Jun.

Curia Variscorum capitur.

10. Jun. 26. Jun.

Obsidium Egræ.

§. 31. Dum hæc à Wrangelio geruntur, apud Cæsareos Matthias Gallasius fato suo Viennæ functus erat; in cujus locum Melander Comes Holzapfel sufficiebatur, cui ut ferebatur, Cæsar par Gallasio imperium, eandemque dignationem tribuere noluerat, sed ut jussa aulæ expectaret, nec pro arbitrio bellum administraret. Qua lege is imperium exercitus suscipere abnuerat, quod, quæ in campo agerentur, aula fere ignoraret, ac bellantibus sæpe consilium in arena sit capiendum ob subitas rerum vicissitudines; quæ ni recte administrentur, nihilo-secius à se rationem exigendam. Statim atque hic imperium susceperat, sinceriorem affectus, & major rei bene gerendæ fiducia, quam antea, inter milites sentiebatur; ac ipse consiliis, quæ Cæsari suggerebat, magnam sui æstimationem, ac spem excitaverat. Ejusdem quoque diligentia exercitus numero valde imminutus, ac malehabitus, brevi tempore reparabatur, qui nunc triginta sex equitum, septendecim peditum, quatuor desultorum legionibus constabat, animis, qui antea valde collapsi fuerant, non modice refectis, ut militari dicterio jactaretur; qui Cæsarem sceptro exuere instituit, ei prius acerbum pomum esse degustandum, allusione ad recens Melandri cognomen facta. Is igitur quicquid ubique copiarum erat in Bohemia, Budevveisam contraxit; quo & ipse mox Cæsar se contulit. Scribebatur quoque ad Luneburgicos Duces, ut copias suas Cæsari adjungerent, afflictasque Imperii res sublevatum irent. Qui de studio suo in pacem testati, militem suum servandis muniris oppidis vix sufficere excusabant; de cætero pacem ingerentes, velut solam malis Germaniæ medicinam.

1647.

21. Jun.

Obsidium Egræ continuatur.

§. 32. Inter hæc Wrangelius omni vi Egram oppugnare, accessusque ad ipsa mœnia & propugnacula promovere, eorundem fundamenta mox moliturus: simul castellum exterius assultu expugnare. Huc redacto oppido cum deditio imperaretur, Paradisius datis utrinque obsidibus super deditione agere cœpit, initio postulans, ut sibi ad Cæsareos duces mittere liceret, interim per viginti quatuor horas induciæ essent. Quod cum Wrangelius abrupte negaret, post horæ spatium ad vim reditum. Inde à Succis in pomœrium penetratum, cui tamen subjectus cuniculus ab obsessis incensus aliquot præfectos militesque Succicos in aerem evibravit: cæsus quoque præfectus vigilum Gertnerus; Essenius subtribunus sauciatus. Et quia Wrangelius literas Cæsaris interceperat, queis Paradisium ad extrema sustinenda animabat spe auxilii intra paucos dies utique ferendi, tanto magis obsessos urgere, cuniculis turres ac vallum disjicere, ut obsessis præter excitatam post ruinas loricam nihil supereset. Equidem emiserat Paradisius, qui Cæsarem, oppidi extrema necessitate indicata, properatum auxilium posceret, quorum unus deprehensus, cum ad restim damnaretur, prodito cuniculo, in quo Sueci novem dolia pulveris inveniebant, vitam redemit. Sed auxilio nusquam adparente, & imminentibus extremis, ut militari more cum omni præsidio discedere liceret postulabat. Id quod negatum, ac id duntaxat concessum, ut eos milites, qui semper stipendia apud Cæsarem meruissent, cum impedimentis, armis, & signis abduceret. Quod cum Paradisio displiceret, tractatio iterum abrupta. Unde à Wrangelio vis instauratur, ac post novam mœnium ruinam factam, phalanges jamjam assuitum daturæ producuntur. ita flexit tandem Paradisius, ac in has leges oppidum dedidit, ut ipse cum præfectis superioribus, eorumque sarcinis dimitteretur, gregarius miles cum inferioribus præfectis per Succicas legiones distribueretur. Victores insigni fortitudinis laude Paradisium ferebant, ac fatebatur Wrangelius cum nullo sibi ante hac rem fuisse, qui majore pertinacia restiterit. Nec eo minus à Cæsare in custodiam datus parum ab extremo supplicio aberat, quod Cæsar literis propria manu scriptis promisisset, modo tres adhuc per horas oppidum teneret, se ipsi subventurum. Sane exercitus Cæsareus,

6. Jul.

7. Jul.

Egra capitur.

Cæsareorum conditio. 15. April.

19. April.

1647. fareus, quem ipſe Cæſar ducebat, tribus duntaxat milliaribus aberat, propoſiti certus oppidum obſidio liberandi; ac eo ipſo die, quo deditio fiebat, ſignum propinqui auxilii diſplosis tribus machinis dabatur. Quin & Wrangelio propoſitum fuerat, ſi ad Cæſaris uſque adventum ſuſtinere Paradiſius potuiſſet, ſoluto obſidio in Thuringiam recedere. Traditum à quibuſdam eſt, potuiſſe biduo citius Cæſareos ad Egram adpellere, ſi rectam viam ingreſſi eſſent. Sed quia eadem ſumta Comitis Henrici Schlickii prædia tangenda fuerant, quo iis parceretur, eum velut Conſilii Bellici præſidem effeciſſe, ut exercitus circuitu facto tardius adveniret. In oppido novendecim machinæ æneæ, ac non ſpernendæ reliquiæ adparatus bellici, annonæque inſignis copia reperta. Cives direptionem quindecim millibus uncialium redemerunt. Durante obſidio Wrangelius pulveris
1. Jul. pyrii complura vaſa Norimberga advehi curabat, centum ſexaginta equitibus deducentibus. Sed qui ſuperveniente Cæſareorum è Weiſſenburgo caterva apud Laufam opprimebantur, cæſis captiſque quadraginta. Pulvis tamen in oppido Laufa ſervatus poſt ad exercitum deductus eſt.

Exercitus Bavaricus tumultuatur.

§. 33. Dum hæc geruntur, induciæ cum Bavaro indies magis vacillare; de cujus rei origine altius repetendum. Cæſarem ita repente à Bavaro deſtitutum plerique è Bavarico exercitu ægre ferebant. Quos inter præcipue Wertani & Sporckii indignatio eminebat; qui ſecreta inde commercia cum Cæſare miſcere inſtituerunt, & exercitum ob tenuia ſtipendia animis exulceratum ipſi tradendum in ſe receperunt. His à Cæſare eo major fides habita, quod Wertanus excurrendi ſolertiſſimus magna apud equitatum autoritate erat; quem in Cæſaris partes tranſeuntem cæteri facile ſecuturi ſperabantur. Internuntius horum Solmenſis Comes erat ſub Wertano Præfectus Vigilum, ab hoc aliquoties ad Cæſarem miſſus. Contulerat quoque ſe in Wertani familiam Hiſpanus quidam, ſine dubio ut hanc telam ordiretur ſubornatus. His porro deſtinatis exſequendis Bavarus ipſe anſam præbuerat, dum adverſus prædatorias Suecorum catervas, quæ invito Wrangelio per Superiorem Palatinatum prædas egerant, ut partem copiarum Wertanus in eam Provinciam duceret injungit tuendis finibus, & inhibendis populationibus. Aſt hic ea occaſione arrepta omnes equeſtres legiones cum impedimentis hibernis evocat; & quia peditatui imperare non poterat, Holtzium ſupremum excubiarum præfectum, qui ei præerat, præſente mortis metu intentato cogit concepta à ſe juſſa ſubſcribere, cum is pedeſtribus legionibus abſque Electoris conſenſu iter indicere abnueret. Et legionum aliæ huc, aliæ alio ire juſſæ, pleriſque tamen, ut Viltzhovam ad Danubium quatuor ſupra Paſſavium milliaribus ſe conferant, præcipitur. Tribunus quoque Caſpar Schachius, qui cum legione dimacharum inter Licum & Mindelam hoſpitabatur, Memmingam modico præſidio inteſſam opprimere jubetur. Ita ſubito univerſus exercitus ſe movit, qui velut Bavariæ, ubi parce fuerat habitus, valedicturus qua pertingere poterat omnia diripiebat, mappam velut mittente Wertano, qui & Electorales miniſtros capi, ac lytro emungi præceperat conciliandis ſibi prædæ dulcedine vulgi militaris animis, ac ut ademta ſpe veniæ in facinore obfirmarentur. Quin ferebatur ſubornaſſe, qui Electori, & quibuſdam primariis ejuſdem miniſtris manus injicerent. 1647.

§. 34. Ea de conſpiratione cum Elector intelligeret, ſtatim ad omnes tribunos literæ dimittuntur, quibus à ſeditioſis disjungere ſe jubentur. Simul Wertanus infamis declaratur, & decem millia uncialium in ejuſdem caput, ſingula millia in reliquos ſeditionis autores illis, qui vivos aut mortuos traderent, pronuntiantur. Id edictum per totam Bavariam, & Superiorem Palatinatum, ac apud legiones, queis ſub Druchſellero obſequium conſtabat, publicatur. Elector quoque ſtatim celeri nuntio Memmingæ præfectum monet, ut ab inſidiis ſibi caveat. Cæterum quia pauciſſimi ductores conſpirationis conſcii, plerique per tranſmiſſa mandata decepti fuerant, manipularibus plane rerum ignaris; literis hiſce & edictis vitis confeſtim retro vertentes in ſacramento Electoris ſe perſtituros declarabant; ſic ut Wertanus & Sporckius à proprius legionibus deſerti cum paucis Miniſtris ad Cæſarem tranſfugerent. Comiti Solmenſi præcipuo rebellionis Architecto à VVertana legione manus injiciuntur, quem Elector Ingolſtadium in cuſtodiam deduci imperat. Legiones ſtatim in priora hiberna reverſæ, quas Elector menſtruo ſtipendio, & uberioribus in poſterum alimentis penitus placabat. Duo duntaxat dragonum tribuni Creutzius & Schachius flagitii pervicaces perſiſtebant; quorum hic cum legione ſua ad Enckefortium in Tirolin profugit; ille apud Cæſareum Ratiſponæ Præfectum hæſit, cujus legio cum in Bohemiam penetrare non poſſet, retro ad Electoris obſequium rediit. Literas inde ad Cæſarem Bavarus dat, quibus exprobrat conſpirationem in aula ipſius per Solmenſem Comitem concinnatam atque adprobatam, quin jubente Cæſare ſuſceptam. Ubi & decretum fuiſſe dicatur, ut poſt liberatam Egram Cæſareus exercitus in Bavariam deduceretur, ſibique, & præcipuis miniſtris manus injicerentur. Quibus malis & hoc accedat, quod Sueci Gallique, velut his ſe conſcio & ex compacto geſtis, repente in Bavariam arma translaturi fuerint. Unde noſſe cupere, unde tanta odia ſit meritus, immota hactenus in Cæſarem fide, & quid inpoſterum ab ipſo expectandum ſibi ſit?

Tumultus ſedatur. 23. Jun.

Bavarus apud Cæſarem queritur. 26. Jun.

§. 34. Nec ideo tamen apud Suecos ſinceri animi fidem aſſequebatur, præſertim cum Kevenhullerus Comes nuper à Cæſare ad eum Legatus miſſus fuiſſet; & eo ipſo tempore Legati Suecici Olnabrugæ ad VVrangelium ſcriberent; rumorem ibi glifcere; Bavarum quicquid ſimulet periculoſas machinationes agitare, validoque exercitui contrahendo operam dare, colludentibus quoque, à quibus amica omnia expectentur; eoque accuratam ipſi cautionem adhibendam. Quæ à Blumenthalio ad VVitgenſteinium Comitem perſcripta ſint; addito, fœdus adverſus Evangelicos intra & extra Germaniam ſtrui, cujus moderator Bavarus Gallica ſub protectione ſit futurus. Cum igitur conſtaret, à Bavaro militem non exautorari, ac ab eodem potius copiæ augeri dicerentur, VVrangelio è re viſum ad Deputatos antea Ulmenſes Kutnerum & Schæferum ſcribere, ac indu-
20. Jun. cias à ſe ſancte obſervatum iri confirmare. Qui reſponſo ſuo exponunt, qua de cauſa Elector legiones quaſdam in Superiore Palatinatu contraxerit; ſimul negant, novis delectibus Electorem

Idem Suecis eſt ſuſpectus.

1647. vacare, sed Ulmensi conventioni constanter insistere: rogantque Legatis Suecicis siniistram opinionem admitat, & de Electoris innocentia testetur. VVrangelius inde ab Avaugurio, & subtribuno Hafflico Majo impetrat, ut obiter Præfectos Bavaricos in Superiore Palatinatu invisant, ac quæ ibi gerantur cominus inspiciant. His obviam venit Kutnerus, ab Elector ad VVrangelium destinatus, ut de militari seditione ipsum edoceret, ne
24. Jun. suspicionis quid, velut è compositio ista gesta forent, conciperet. Idem & apud VVrangelium
29. Jun. testabatur, Electorem pactum Ulmense firmiter servaturum. Simul offerebat, se apud ipsum mansurum, donec quo res hæc evasura sit constaret; ostendens, copias per Superiorem Palatinatum iniunctum tergo Suecorum cavere, ac VVertanum quantum possint persequi. Dimisso tamen à se Kutnero, Wrangelius Benedictum Hornium centurionem ad Electorem ablegat cum literis,
Hornius ad Bava. rum mittitur. quibus percontatur; num placeat adjuncto fidelibus suis legionibus Regiorum auxilio rebelles persequi? Postera die cum cognitum esset, legiones
1. Jul. ad obsequium rediisse, aliis literis à VVrangelio
2. Jul. ostenditur, Cæsareos tentatis in Electorem hostilibus pactum Ulmense violasse, & commodis quæ pro ipsis Elector stipulatus sit, excidisse: & huic potius cautam esse infesta quæque iis reponendi. Unde petebat, declararet Elector; num legiones suas cum Regiis ad rem in Cæsareos gerendam jungere, aut saltem iisdem transitum per suas ditiones intercludere, aliaque incommoda objicere velit? Ex his omnibus colligi non poterat, instigante aut saltem connivente Bavaro eam seditionem excitatam; quin is gravem potius indignationem præ se ferebat. Ac ad fratrem Colonien-
Bavarus tumultum istum agre fert. sem Electorem propria manu scripserat; se, quamdiu gutta sanguinis superstit, hujus injuriæ vindictam à Cæsareis ejusdem autoribus sumturum. Inprimis VVertano & Sporckio acerbis vocabulis perfidiam exprobrare, illius prædio Bodensteino statum in fiscum redacto. Ab Avaugurio quoque per Schæferum petebat, ad Præfectos Philipsburgi & Moguntiæ scriberet, VVertani prædium apud Bruchsaliam, & in Rhingovia innammarent. Ab Hallis quoque postulabat, ut Præfectus Novesii dynastiam ejusdem Odenkircham, & arcem in Juliacensi agro sitam, nec non Sporckii duo nobilia prædia apud Vacham igne vastaret in pœnam tantæ perfidiæ. Nec minus Cæsar qua vulpina non pertingeret, leoninam assuere, promulgato edicto avocatorio, quo Imperii copiæ Bavari ductui hactenus subjectæ ab ipso discedere jubebantur; quod à Præfecto Ratisponensi publice affixum. Idem Præfectus cum intellexisset, mittitur
6. Jul. à se subtribunum Stamlerum Landshutæ in carcerem conjectum; quod seditiosæ literæ apud eum deprehensæ forent, ipse quoque Bavaricum subtribunum Lichtenavium Ratisponæ correptum in sordidum carcerem detrusit, Landshutensibus denuntians, paria se illorum præfectis illaturum, quæ in suos statuerentur.

Hornius ab Elector ornatus. §. 35. Rediit paulo post Benedictus Hornius ab Elector multis asseverationibus immotæ fidei onustus, ac honorifice admodum in ea aula habitus. Addiderat Elector literas, quibus confirmabat, se Cæsareis transitum per Superiorem Palatinatum negaturum; simul de fide sua VVrangelium securum esse jubebat. Ad Bavari literas à Cæsare prolixe responsum; quæ sub eius ductu hactenus copiæ fuerint, ad Cæsarem & universum Imperium spectare, sumtibusque Imperii & Provinciarum Cæsarearum fere inclementas eo fine, ut cum Cæsareis copiis rem in communes hostes Gallos, Suecosque gererent. Nunc ipsum, se invito separatis inducis cum hoste initis, Imperio in hasce copias à Parente suo ac se collato excidisse; eoque iisdem non alia quam Cæsarea justa deinceps respicienda; quas & ad officium sibi præstandum excitari necessum fuerit, hostili exercitu in Bohemiam irrumpente. Igitur iras in VVertanum, quique ipsum secuti sunt exueret, nec impediret, quo minus copiæ ad se accedant. Id utrique Domui, toti Imperio, ac Religioni Christianæ salutare; præsertim cum Gallis jam Rhenum trangressis hac conjunctione Suecorum in Bohemiam irruptio facile sisti queat; nec reducendæ decoræ paci præsentius remedium, quam conjunctis consiliis ac viribus in communes Germaniæ hostes pugnare. Eo ipso die alterum avo- 17. Jul.
1647. Cæsar Bavaro respondet. catorium edictum à Cæsare Ratisponæ, & alibi promulgatum, cui adductæ jam rationes interæ erant. Et ubi hoc parum proficeret, de tertio insuper edendo differebatur, proscriptionis pœna in non parentes decreta; sic ut jam Bavarici Duces super indemnitate in eum casum apud Electorem movere inciperent; ad quorum præcipuos literæ propria Cæsaris manu scriptæ clam datæ fuerant.

Cæsar Falkenaviam arcem capit. §. 36. Amissa Egra Cæsar, qui sua præsentia militi animum, rebus gerendis pondus addebat, cum exercitu Schlackenvvaldæ duobus à Wrangelio milliaribus munitis castris consederat. Ejus primum ibi opus erat Falckenaviam arcem invadere, cui à Wittenbergio captæ centurio cum 15. Jul.
Prope Suecos considet. sexaginta peditibus impositus erat; quæ & postera Ratim die admotis machinis in potestatem redacta, quod manipulares, qui plerique sub Cæsare antehac militaverant, armis abjectis pugnam detrectarent. Inde superato Egra flumine versus cognomine oppidum procedit, ante quod in monte, cui à patibulo vocabulum, juxta Suecos consident, flumine duntaxat interjecto. Wrangelius quippe adventante Cæsare castra movere nec volebat, nec commode poterat, quod nondum retectis oppidi munimentis tanto à se labore expugnati, in prochvi futurum erat Cæsari idem recuperasse. Eoque consistendum sibi heic judicabat, quæ tempus ferret susceptarus. Post biduum summo mane Wrangelius aliquot equitum alas sub Helmoldo Wrangelio emisit, tentaturas, num Cæsaris stationes opprimere pos- Suecii in castra Cæsaris irrumpunt. sint. Ex his tres legiones, quæ agmen ducebant, statim duas stationes in fugam conjecerunt, & cum fugientibus simul in castra usque ad primariam stationem, & Cæsaris prætorium irruperunt; ubi non parum damni Cæsareis illatum, multis equis aliaque præda abrepta, ingentique tumultu omnibus completis. Ac parum aberat, quin ipse Cæsar caperetur. Nam duo equites equis desilientes ad Cæsaris cubiculave accurrebant, ac unum è custodibus corporis excubias ad fores agentem propria machæra confodiebant, longius ad Cæsarem irrupturi, ni concursu facto unus eorum cæderetur, alter caperetur. In ista trepidatione Cæsar vestitu nocturno duntaxat indutus agre evasisse memoratur. Et querebatur Helmoldus, reliquas

1647. reliquas legiones non pari alacritate ipſum ſecutas, ſibique indolem loci non ſatis accurate cognitam: alias Cæſarem manibus ſuis vix elapſurum fuiſſe. Sed dum Sueci longius in Caſtra Cæſarea ſe penetrant, coëuntibus interim hoſtilibus legionibus non ſine jactura repelluntur, amiſſo Adolpho Hoppio ſubtribuno, duobus Optionibus, & aliquot gregariis. Capiebatur Chriſtiernus Hornius ſubtribunus, præfectus turmæ, tres optiones ac complures gregarii; qui poſt aliquot dies à Cæſare omnes ad ſuos remiſſi. Cæſar hoc caſu monitus caſtra ſua pluribus munimentis firmavit, haut ſegniore Succorum providentia.

16. Jul.

Cæſareorum incommoda.

§. 37. His caſtris Cæſarei haut modicis cum incommodis conflictabantur. Excuſſi Succorum machinis globi ex alta cumprimis oppidi turre paſſim volitantes homines, equosque diſcerpebant, ut Cæſaris ducumque tentoria latis loricis ſepienda eſſent; reliquos fere effoſſa humus tegebat. Inter alios & Wertanus globo ſelibri leviter caput perſtrictus eſt. Fames inſuper mox urgebat; multis querentibus, longe confuſius rem annonariam adminiſtrari præſente Cæſare, quam antea; ac in Bohemia frumentum deeſſe. Tum in nudo monte Miſniam verſus caſtra poſita; cum hoſti hoc modo Bohemia fere à tergo relicta ſit, unde ſubvectione Cæſareos excludere queat. Et qui è Miſnia, Voigtlandia, Altenburgico Ducatu curandus erat commeatus, tarde admodum expediebatur. Accedebat & aquæ penuria, quod Sueci fluvium à Cæſareis caſtris alio avertiſſent; unde celſioribus locis putei effodiendi erant, quorum aquis putridis viri juxta & equi morbis correpti procumbebant. Inprimis recens conſcripta agreſtium & opificum turba talium inſolens paſſim extabeſcere, aut deſerere, haut quidquam territa ſuppliciis quorundam, qui deprehenſi laqueo necabantur. Nec pauci veterani ad Succos transfugere, ut pedites ab equitatu velut cuſtodiendi eſſent. Equitatum quoque inopia pabuli atterebat per aliquot milliaria petendi, pabulatoribus ſubinde per Succos interceptis. Tum longe lateque per Culmbacenſem Marchionatum, Miſniam, Voigtlandiam, Thuringiam, palantes ab agreſtibus, aut Succorum catervis trucidati, aut capti; cui fini cumprimis Curia Variſcorum recens à Suecis occupata inſerviebat. Perſuaſum Cæſari fuerat, Succorum exercitum Egræ obſidio valde attritum, ut vix ſex equitum, duo peditum millia ſupereſſent; eumque audito ipſius adventu mox in Thuringiam faceſſiturum. Sed cum falſum opinionis ſe, ſimul detrimenta ſuarum copiarum cerneret, præmiſſis ſub veſperam machinis & impedimentis poſtero mane cum exercitu ſequitur: ob macilentos tamen equos tormentariæ rei deſtinatos, & aſpera viarum ad Elnbogam ſubſiſtere cogebatur. Mille Suecici equites, qui extremo agmini imminebant, plurimos moratores aut ægrotos in caſtris, ac in itinere interceperunt. Ac conſtabat hoſtem per duodecim dies, quibus caſtra contulerat, duo amplius equorum millia, multoſque equites amiſiſſe, magis adhuc imminuto peditum numero, ut captivi ipſi jacturam hanc ſex capitum millibus æſtimarent.

Cæſar primus caſtra movet.

28. 29. Jul.

Wrangelius quoque caſtra movet.

§. 38. Egra jam refectis ruinis, excitatiſque novis operibus, tum annona probe firmata erat. Unde hoſte digreſſo VVrangelius quoque cum & cibaria deficere iſto tractu inciperent, relictis caſtris ſylvam Bohemicam ad Kœnigsvvartæ anguſtias tranſit, & apud Planam conſedit, qua regione annonæ, pabulique non parum reperiebatur. Ubi tamdiu ſubſiſtere decreverat, quoad pateret, quid conſilii hoſtis capturus eſſet. Nam ſi longius in Bohemiam ſe immergeret, metuendum erat, ne hoſtis, qui verius Thermas Carolinas proceſſerat, occaſionem inde arriperet medium ſe inter ipſum & ſylvam interponendi, ac commercia cum Franconia intercludendi. Unde ut tergum tutum haberet, ſummopere proſpiciendum erat. Enimvero hoſtis prævertenda Succorum in Bohemiam irruptioni Elnboga ad Thermas Carolinas, Engelhautam proceſſerat; unde ſinuato per montes itinere Pilſenam verterat, Tuſchoviæ milliari uno ab iſthoc oppido conſidens. Ipſe Cæſar Pilſenam ſe contulerat, inde Pragam abiturus ſubentibus ducibus, quod aulæ miniſtri exercitui non parum moleſti eſſent, præreptis commoditſimis hoſpitiis, ac cibariis; quorum turelæ ſex militum millia deſtinata erant, melius adverſus hoſtem adhibenda. Ita Cæſaris deſtinata hoſtem provinciis hæreditariis arcendi in contrarium vertebant, Bohemia à Cæſareo juxta ac Succico exercitu vaſtata.

1647.

2. Aug.

Hoſtis adverſus ipſum progreditur.

§. 39. Inter hæc Bavarus omnes ſuas legiones luſtraverat, ſolutoque ſtipendio in ſua verba denuo adegerat, non minus atque Royerum tribunum Auguſtæ præfectum, qui cum legione ſua promiſerat, nullius præterquam Electoris imperium agnoſcere. Et quia Cæſar tum edicto avocatorio, tum privatis literis ductores militeſque ipſius ad ſe pertrahere conatus fuerat, ad eoſdem literas Monachio datas emittit, quibus rationes in edicto Cæſareo adductas deſtruit, factique ſui denuo juſtitia demonſtrata, ac quod penes Cæſarem non ſit imperio hactenus geſto ipſum exuere, eos ad obſequium deinceps continuandum hortatur. Hactenus itaque ſic ſe geſſerat, ut Sueci quod de eo quererentur non haberent: quando mox hiſce ſuſpicio non levis injecta fuit. VVrangelius ut conventio Ulmenſis à Regina firmaretur, diligenter inſtiterat, ne iſta ſtato tempore non exhibita Electori diffidentiæ cauſa naſceretur; utque ratificatione allata is ad implendas, quæ adhuc reſtabant, conditiones eo magis urgeri poſſet. Sed quia iſta ob intervalla locorum, aliaſque cauſas tardius adferebatur, ac dies ei permutandæ dictus mox cedebat, è caſtris ad Egram literis ab ipſo petit: ſi forte Regia ratificatio ad conventum diem non adſit, ne ſiniſtri quid ſuſpicetur, ſed certo ſibi perſuadeat, eam utique adfore. Interim inducianum leges examuſſim à ſe ſervatum iri. Cui Elector: Succicos Plenipotentiarios Oſnabrugæ apud ſuos Legatos eadem pollicitos, quæ ut repræſententur ipſe ſit expectaturus; nec circa ſuam ratihabitionem moram fore. Sequenti ſtatim die Reginæ ratificatio VVrangelio reddebatur, de qua jam hoſtes juxta atque amici dubitare cœperant. Enimvero Regina nuntium de Bavaricorum propoſitione læta acceperat, velut quæ ex offenſa in Cæſarem, aut ejuſdem contemtu proficiſceretur, & quod Bavarus ſuæ magis conſervationi, quam Auſtriacorum ſtuderet, ac Imperium in priſtinum reponi ſtatum, quam Cæſaris dominatui obnoxium mallet. Eoque negotium iſtud ſuccedere cupiebat, quod Bavaricis copiis remotis Cæſareus exercitus non amplius formidandus eſſet; & hoſtilitate per VVeſt-

Bavarus avocatoria Cæſaris refellit.

Wrangelii ad Bavarum ſuper ratificatione armiſtitii literæ.

15. Jul.

21. Jul.

Reginæ ratificatio adfertur.

22. Jul.

23. Jul.

1647. Weſtphaliam ceſſante haut parum Succica arma levarentur. Præſertim cum tractatum cum aversanti Gallorum offensa incurreretur; qui & Comiti Magno Gardio in Gallia legationem obeunti diserte occinuerant; sibi cum Bavaro separatim convenire fas esse salvo cum Suecis fœdere. Unus duntaxat scrupulus urgebat, ne iste hoc modo à causa Palatina Succiam disjungeret, quam ipsa præ reliquis hactenus sustinuerat. Quanquam enim Palatinus Elector parum de Suecia meritus erat utpote adversantia ejus destinatis consilia sectatus; ob communem tamen utilitatem ejusdem salus negligenda non erat, utut ipse ratione parum idonea ad eam tenderet. Unde præter alia id præcipue observari volebat, ne eo tractatu Palatinæ causæ præjudicium afferretur; quam integram remitti Olinabrugam jubebat, ubi Legatis pro ea quantum possent connitendum erat, ne tamen ob eam solam bellum extraheretur. Nam si eadem ab Ordinibus destitueretur, Reginæ soli incassum niti haut placebat. Porro ipsa, ne in sua ratificatione mora esset, tria ejusdem exempla confici jusserat, quæ diversa via ad Wrangelium curabantur. Quod primum adpulerat statim ab hoc Monachium per Benedictum Hornium missum est. Cui injunctum; confirmaret Electori de fida conventorum observatione; tum parem ab illhoc ratihabitionem reciperet, ac ut quæ restant expleantur moneret. In ea ratificatione sibi reddita nihil quod desideraret Elector habebat, nisi quod Avaugurius natraret, sibi à Kutnero scriptum, haut placuisse, quod eadem Succica lingua esset concepta, alias eandem Ulmensi conventioni congruere. Nec eo secius quæ petebantur Bavarus præstare tergiversabatur; nisi quod à discedente Hornio stipularetur, ut Wrangelius inducias observare pergeret, quod & ipse pro se sit facturus. Causæ tergiversandi hæ adferebantur; Electorem Colonien sem & ejus Coadjutorem Maximilianum Henricum hujus conventionis consortes esse, quos & Regia ratificatio pariter respiceret. Unde necessum esse rem cum hisce communicari, eorumque declarationem expectari. Circa Offenburgum promisso se suo satisfecisse, sed præfectum obsequi abnuisse. Per Legatos quoque cum Gallis egisse super evacuandis Wurtenbergicis oppidis; qui ad Legatos suos Monasterium rem cum Suecicis componendam rejecerint. Ubi quid inter hos convenerit, simul quæ Colonien sis Electoris sit sententia, intellexerit. Wrangelio quæ res exigat, respondurum. Addebat, Landgraviæ ratificationem, quæ ex pacto Ulmensi ante tres menses abhinc exhibenda fuerat, nondum comparuisse; quæ non minus atque Kœnigsmarckius Colonien sis Electoris ditiones post inducias gravius quam antea urgeat, nullo fere capite ejus pacti servato, cum Wrangelius ipse testis sit, quam sancte à se, suoque fratre pactis satisfactum sit.

Ex Monachium mittitur 24. Jul.

Bavarus ratificationem abnuit. 29. Jul. 31. Jul.

Wrangelius Bavaro respondet. 7. Aug.

§. 40. Istæc Wrangelio tanto magis inopina accidebant, quod ante octiduum Elector literis suis nulla de his rebus mentione facta Reginæ ratificationem se expectare scripserat, interim suam in promptu fore. Nec difficiebat, quare super pacto pure concepto, ac rite firmato novi nunc tractatus sint instituendi; aut ad Galliæ declarationem provocari, ad quam id pactum non spectet, nisi qua Suecia fœdere innexa sit. Si quæ à Landgravia, aut Kœnigsmarckio contra leges induciarum facta sint, mirum quod non prius ad se querelam Elector Colonien sis detulerit, ut quantum in se remedium adferre posset. Nec constare sibi, quare Landgravia ratificationem suam non exhibuerit. Per ipsam porro conventionem Ulmen sem licitum Cæsareos oppidis Colonien sibus vi expellere, si Elector eos amovere nequeat. Sed nec Regiis vitio posse verti, si sua stativa adversus Cæsareos licita ratione tueantur. Igitur denuo postulabat, ratificationem sibi transmitti, oppidisque Vurtenbergicis Bavarica præsidia deduci, tum conventa hospitia suis cedi operamque dari, ut Aspergæ præsidiarii, qui seditionem induerant inde expellantur. Circa Offenburgo Electoris declaratione adquiescebat. Hisce Elector prolixas literas reposuit, queis præcipue Landgraviam arguebat, velut quæ ratificationem nunquam obtulerit, nec ejusdem exhibendæ diem sibi prorogari petierit; sed contrariis actionibus ostenderit, se illa conventione nolle teneri. Cujus & Legati Monasterii diserte fassi sint, se armis suis otium imperare non posse, nec unius aut alterius Electoris neutralitate rebus suis contuli; sed aut arma secum conjungenda, aut hostilitatem profitendam. Ita sat sibi causarum ratificationem differendi, præsertim cum Vrangelio cautione interim data satis prospectum sit. De Kœnigsmarckio Colonien sem apud Gallicos & Suecicos Legatos sæpius questum, nec monita defuisse, quæ tamen effectu caruerint. Unde & querimonias ad Vrangelium deferri supervacuum visum, cujus acta notoria hunc latere haut potuisse. Colonien sem pro virili connixum, ut oppida sua Cæsareis præsidiis liberarentur; nec spem successus defuisse, ni cupiditas patientiam præcurrisset. Nec minus queri Colonien sem, Suecos uti propere nimis ad Cæsareos vi expellendos ruerint; ita de restituendis ipsi ex pacto locis sæpius haut curasse. Quod ipse à Gallis petierit, hospitia intra Licum & Mindelam, inque Aichstadien si præsulatu sibi relinqui, oppidaque Vurtenbergica, Augustamque, & alia loca in præsenti statu manere, id non ideo factum, ut Vrangelii imperio bellico fraudem faceret, aut eundem præteriret; sed ut Gallorum interpositione ipsius, ac si opus sit Reginæ consensus obtineretur. Et jussi Regis sui Gallicos Legatos cum Suecis Monasterii egisse, de quo sine dubio ad Vrangelium perscriptum sit. Cum igitur Rex Galliæ & Turennius, quantum ipsorum interest, suis petitis annuerint; non dubitare, quin & Vrangelius consensum suum additurus, nec cessionem istorum locorum & hospitiorum postulaturus sit. Cum pro præsenti facie belli ne ipse quidem consulturus sibi sit copias dimittere; queis tamen alendis sola Bavaria non sufficiat, ni per has valitatem suæ provinciæ, quam factis induciis declinatum iverit, inducere velit. Denique quod Aspergæ præsidiarii obsequium exuerint, sibi imputari non posse.

Electoris replica. 19. Aug.

Cæsarei Tribelam occupant. 6. Aug.

§. 41. Dum ita erupturæ iterum hostilitati præluditur, in Bohemia inimici exercitus denuo castra castris contulerant. Cæsarei quippe Tuschovia moventes, ac Suecos versus progressi ex itinere arcem Tribelam triginta dimachis Suecicis sub signifero invadunt; quam per unum atque alterum diem machinis verberatam altero demum 7. Aug. assultu post depulsum priorem expugnant. Signifero tamen, qui cum suis in angulum arcis se receperat, venia vitæ facta. Huic arci ut subveniret

1647. niret VVrangelius, valida cum manu equitum peditumque accesserat. Sed cum aditus non pateret, nisi per flumen præaltis ripis, adsistentibus in vicino monte universis hostium copiis, tanti non videbatur ancipitem aleam tentare. Ante istam arcem loco celsiore inter duas sylvas Cæsarei castra metabantur, ex omni parte natura & operibus probe munita. Sic jam iterum eo res redierat, ut illius conditio potior esset futura, cui annona ad extremum suppeteret. Et constituerat VVrangelius, quantum posset, ibi pedem figere, quo Bohemia ab utroque exercitu vastaretur. Neque vero Cæsarcorum res optimo loco erant, sic ut multi Piccolominei prudentiam desiderarent, ac non pauci duces missione petita ab exercitu discederent. Et ex interceptis literis patebat, ipsum Melandrum, & VVertanum præsentibus offensos consilio bellico non adesse, jactantes, qui Cæsarem in has angustias conjecerint; cum inde iterum educerent. Cui tamen mox paulo lætior fortuna allubescere visa. Sueci quippe turbandis hostium laboribus duas minores machinas sub extremitatem sylvæ collocaverant, quas dum diutius ibi relinquunt, manus peditum arboribus tecta adrepens, ac subito ingruens depulsa statione machinas istas in vallem præcipitatas abripuit, antequam Sueci subvenire possent. Modicus hic successus ad majora tentanda animum addidit. Sueci ex opposito hostis non procul à sylva duo castella extruere cœperant, adpositis quibusdam machinis, eo melius observando istius motui. Sed cum hic è castris suis, unde in oppositos campos despectus erat, observaret, castella ista nondum ad justam defensionem deducta, nec loricam castrorum perfectam, consilium cepit, cum equitatu subito in castra eorum irrumpendi, interim castella ista & adpositas machinas invasurus. Eo fine exercitus ante lucem in vallem & sylvam castris proximam summo silentio eductus ibi tectus usque ad primam horam pomeridianam substitit: & cum à transfugis intelligeret, Suecos eo die magno numero è castris pabulatum abiisse, quod falsum tamen erat; alacris ad destinata exsequenda ruit. Peditatu igitur in valle relicto equites bipartito in celsiorem locum propere enixi, in proximam Suecorum stationem sex legionibus equestribus constantem tanto cum impetu feruntur, ut strenue licet resistentes numero obruros ordinibus turbatis pellerent, ac decem signa eriperent, sic ut magna aliqua clades imminere videretur. VVrangelius tamen aliique duces mox advolantes fusos restituerunt; ac tam diu hostem sustinuerunt, quoad equestres Suecorum legiones paulatim adessent. Acerrimus inde conflictus duas per horas confertus, utraque parte locum obnixe tuente; ubi Sueci iterum tria signa amisere, totidem hosti eripuere pluribus potituri, ni pleraque hostis in castris suis reliquisset. Hosti cumprimis id commode ceciderat, quod ad pugnam conserendam instructus, ac probe dispositus venisset, Sueci contra rite in aciem se digerendi spatium non haberent; sed prout quæque legio è castris adproperabat, ita manus consertum iret, nec VVrangelio tesseram pro more distribuere vacaret. Durante hoc conflictu pars peditum hostilium memorata duo castella, ac machinas magno cum impetu invasit; quam Sueci plurimis cæsis sauciatisque rejecerunt. Hostilis quoque equitatus turbatis ordinibus repulsus ad peditatum usque suum in sylva consistentem rejiciebatur, absque quo si fuisset, major ipsum clades manebat.

Conflictus ad Tribelam.

22. Aug.

Cæsarei numerum à se cæsorum in majus vulgaverant, ingentem cumprimis lætitiam ob capta tredecim signa testati. E Suecicis cecidere Helmoldus VVrangelius, dum fortissime præliatur globo trajectus; Canutus subtribunus, præfecti vigilum Mullerus, & Hornetserus, septem turmarum præfecti, metator legionis unus, tres optiones, signiferi septem, septendecim inferiorum ordinum ductores, gregarii equites centum septendecim. Sauciati tribunus Rabius, qui post ex vulneribus obiit; tres vigiliarum, octo turmarum præfecti, decem signiferi, duo metatores, undecim decuriones, gregariorum centum nonaginta. Quotnam apud Cæsareos ceciderint, nobis haut compertum; nisi quod ipsi faterentur; se ducentos prope desiderasse, quos inter tres subtribuni, ac totidem vigiliarum præfecti, centum insuper sauciatis. Captorum utrinque pauci erant, plerisque in fervore pugnæ cæsis. Sueci Comitem Golnicium subtribunum, præfectum vigilum unum, & aliquot alios præfectos ceperant. Ipsi duos duntaxat præfectos turmarum desiderabant; qui vivi in hostium potestatem pervenissent. Post conflictum hunc utraque pars castris se suis tenebat nulla re suscepta, nisi quod excursiones hinc inde se mutuo carperent.

1647.

§. 42. Verens jam Wrangelius cœperat; ne deficiente annona, pabuloque castra sibi primo loco movenda essent; etsi unique in Bohemia hærere constituerat, quod & Regina jusserat. Sed ea cura ipsum levabant Cæsarei, qui noctu magna cum festinatione castris desertis iter Heidam ad dextram à Suecicis castris manum instituebant, inde longius adhuc declinantes retro Planam confidebant, tergum Superiori Palatinatui obvertentes; velut Suecos intra sua castra arctius coërcituri; annona pabuloque intercluso. Wrangelius cum suspicaretur Cæsareos castellum ad Kœnigsvvartam inter Egram & Planam situm interceptum ire; illis prævertendis & ipse castra movet, ac eis Planam ad castellum illud tendit. Sed quanquam iter pro virili acceleraret, tamen quia per montana loca incedebat, cum Cæsarei planitiem expeditius transirent, hi illum præveniebant. Heic cum ingruente vespera ad angustias viarum hinc inde consisterent Cæsarei, præcelsum montem sylvis obsitum inter utrumque exercitum situm tres dimacharum legiones occuparant; equis in sylva relictis in summam rupem enixæ. Quas Wrangelius cum tribus peditum phalangibus invasit, ac undique circumventas in conspectu exercitus Cæsarei, sero ad eadem eripiendas connitente Melandro; penitus oppressit, ac plurimis cæsis Paschovium tribunum, ac præfectos quosdam cum plerisque gregariis cepit; una cum omnibus equis; & octo signis, Sommedam tribunum sauciavit. E Suecicis duo centuriones, totidemque optiones cecidere. Quo patrato VVrangelius montem, qui exiguo suis emolumento erat, iterum deseruit. Et cum vereretur, ne Cæsarei, uti jam Egra ipsum diseluserant, ita iterum le præterito apud Tæpelam iter Cadenam intersepirent, ne Hammersteinio summo vigiliarum præfecto, quem Kœnigsmarckius è VVestphalia cum aliquot legionibus miserat, ad ipsum via pateret, Tæpelam se conferre constituit, urgente etiam commeatus & pabuli penuria, & quod nullus locus castris magis idoneus foret. Unde noctu eodem abiit, ac inter id oppidum Deusingamque celsiore loco consedit. Cæsarei quoque è vestigio ad latus ipsum secuti, circa meridiem ad modicum

Cæsarei castra movent.

24. Aug.

25. Aug.

Ut & Sueci.

Qui tres hostium legiones cædunt.

Wrangelius ad Tæpelam consident.

29. Aug.

1647. 30. Aug. dicum fluentum ex altera oppidi parte labens adpulerunt. Ubi in posterum usque diem quieti constiterunt, nisi quod sat acrem cum Suecis velitationem susciperent. Sed sequenti mane superato fluento ante oppidum Suecis castra opponunt, quæ statim lorica circumvallare instituunt. Cum inde Wrangelius celsiore loco oppidum versus inter utraque castra munitionem excitare inciperet, Cæsarei structa in valle acie cum dextra ala versus castellum istud, & quæ adsistebat equitum stationem duabus legionibus constantem se concitant. Sed quia non solum equitum statio, sed & pedites è castello acriter resistebant, quoad plures legiones Suecicæ adcurrerent, asperum certamen conseritur, quo Cæsarei oppidum versus repelluntur, multis suorum desideratis, quos inter Weierstrasius subtribunus, præfectus vigilum, aliique ductores. Zobelius quoque subtribunus, aliique præfecti & equites gregarii nonnulli à Suecis capti. Apud Suecos Sevvedus Ribbingius Ostrogothicæ legionis subtribunus occubuit, ac pauci alii. In tumultu pugnæ duo signiferi Finnonici per errorem vexilla in medios hostes intulerant, quibus & hi ponti sunt. Videbatur res ad justum prælium processura, Suecico equitatu paulatim in campum procedente, cum Cæsarei ex adversa parte ordinibus instructis consisterent. Sed vespera propinquante horum phalanges oppidum versus retrocessere. Nec eo minus Cæsarei iterum noctu cum quibusdam legionibus equitum, ac selectis peditibus castellum istud tentavere, nondum plane perfectum; sed multa cum cæde, ac vulneribus repulsi sunt. Suecicorum pauci tantum sauciati; quos inter Avaugurio, qui Minister Gallicus apud Suecicum exercitum legioni simul præerat, cum utroque conflictu rem strenue gessisset, brachium duplici globo perfractum. Sueci inde editis locis castella, suggestusque extruebant, ac castra muniebant, quod & à Cæsareis factum; machinisque se mutuo infestabant. Tum aperto campo adversos sibi accessus ita prope invicem promovebant, ut vix centum passuum intervallo utraque opera distarent. Nec ulla dies abibat, quin velitandi occasio foret. Toto hoc bello nunquam duo exercitus ita prope à se invicem consedere, & quidem ut illos nec fluentum, nec angustior transitus, sed nuda opera manu excitata dividerent. Unde vix fieri posse credebatur, ut citra pugnam separarentur; id quod tamen paulo post contigit. Cæsarei quippe nulla re amplius gesta castris relictis à Suecis aversi in vetera castra ad Tribelam reverterunt. Eodem die Wrangelius Lutitzam, Mitcham, inde Cadenam tendit, ac dimidio ultra hanc milliari Egram versus consedit, auxilia ab Hammersteinio adducta expectans. Qui cum Annebergam attigisset, VVrangelius superato Egra flumine Satzam perrexit, exercituque circum disposito prætorium in oppido constituit. Hunc finem habuit expeditio Bohemica in tertium mensem extracta, Suecis eo cumprimis nomine gloriosa, quod Cæsareos tertia vice loco cedere subegerint, cum tamen secunda, & tertia coitione Cæsarei propriis è ditionibus copiosa subvectione fruerentur; Suecicis ex hostico commeatus esset contrahendus, numero insuper militum longe inferioribus. Nam initio expeditionis Cæsareus equitatus, quindecim amplius millibus, peditatus novem prope millibus constabat. Et paucis quidem equitibus equi deerant, cum si qui suos amisissent, Melander statim alios suffici curaret, pecunia abunde suppetente, quod Hispaniæ Rex tres uncialium milliones ad hanc expeditionem suppeditasse diceretur. Apud Suecos contra magna equitum pars ad pedes redacta erat. Ac in universo quidem equitatu novem millia, sexcenti quadraginta quatuor numerabantur, quos inter tria amplius millia equis carebant. Peditatus quater mille, quingenta, triginta capita explebat. 1647.

Cæsarei pelluntur.

Cæsarei altera vice repelluntur.

Exercitus hostiles separantur.

2. Sept.

§. 43. Dum VVrangelius cum Cæsareis in Bohemia luctatur, male sopita hactenus cum Bavaro hostilitas resurgebat. Miserat is post ablolutos Ulmæ tractatus Gronsfeldium Comitem in Galliam, quo reverso mox inter Cæsarem & ipsum tractatio instituitur componendo inter eos dissidio; quo fine Kevenhullerus Comes & Mendelius Pallavii congrediuntur. Leniendæ animorum exacerbationi Cæsar Ratisponæ præfecto injunxerat, ut Bavaricos milites & subditos amice habeat; unde omissa, quæ hactenus sub portis ejus urbis rigide exercita fuerat, inquisitione Bavarici milites magno numero urbem frequentabant. Ac brevi tempore inter eos conventum, formulaque sedecim articulis constans concepta; qui à Cæsare statim ratihabebantur, exceptis quatuor quos ad peculiarem transactionem seponi placuit. Spectabant isti, quantum nobis constat, VVertanum & Sporckium, tum tribunos Creutzium, & Brisigellum Ratisponæ præfectum, queis vehementer irascebatur Bavarus; tum damnum, quod seditiosæ legiones in Bavaria dederant, ab eodem octies centenis florenorum millibus taxatum. Inde Kevenhullerus Monachium profectus multo cum honore recipitur. Fama erat, Bavaricos Deputatos, qui Ulmæ fuerant, hoc negotium ægre tulisse, nec in consilium vocatos, cum de abrumpendis induciis ageretur; qui & ingenue fassi erant, si à Suecis omnes isti infamium deceptorum titulo notarentur, injuriam ipsis haut fieri.

Bavarus cum Cæsare transigit.

§. 44. Transactione illa, quæ à Cæsare Pilsenæ, à Bavaro Monachii firmabatur, hæc continebantur. Conjungeret Elector copias suas cum Cæsareis adversus Suecos in Bohemia tunc grassantes. Abolerentur edicta avocatoria, ac alia declaratione scrupulus Bayarici militis animis eximeretur. Cæsar nulla ratione Bavaricum exercitum ad se pertraheret, ac prius super ejus imperio conventa renovarentur. Electori liceret militem suum Cæsareo conjunctum quotiescunque opus sit ad provinciarum suarum defensionem revocare: quibus & Cæsar, ubi opus fuerit, advertus hostiles invasiones succurreret: qui nec absque Electoris consentu pacem aut inducias cum hoste iniret, (quod Elector vicissim promittebat.) Si ob belli necessitatem Cæsareo exercitui in Bavariam sit eundum, penes Electorem summum ejus imperium foret. Cæsar Bavaro dignitatem Electoralem, terrasque Palatini ex investitura Ferdinandi II. sartas tectas præstaret, prout & inter Cæsarem Regiosque Monasterii conventum est, ac Ordines induceret, ut pacem non alia lege concludant. Sub hac conjunctione exercituum Cæsar unice pacem quæreret ocyus promovendam, cum Elector non nisi ad finem hujus expeditionis bellum gerere possit ac velit. Daret quoque operam Cæsar apud Ordines, ut super controversiis inter se quam primum transigant. Prospiceret Cæsar conjuncto sibi Bavarico exercitui de necessariis citra impensas Electoris, tum & de hibernis in Suevia & Franconia; ac Salisburgensem ad assignatam tributorum portionem

Ejus transactionis contenta, 7. Sept.

1647. nem exſolvendam adſtringeret. Electori ob damna hac æſtate accepta à Catholicis Ordinibus penſatio fieret; Cæſarque tertiam partem pecuniæ ſubſidiariæ, ac menſtruum ſtipendium exſolveret. Oppidum ad Aulam Ratisponæ oppoſitum ſtatim Electori traderetur. Cæſar Bavaricos milites equis, ſi qui illis deſtituantur, inſtrueret, tum pace facta ad Bavarici militis ſatisfactionem Suevicum, Franconicum, & Bavaricum Circulos ſeponeret. Excipiebat quoque Elector, ne copiæ ſuæ adverſus Gallos ullo modo ducerentur, niſi ipſi abruptis induciis cum Suecis ſe conjunxerint; nam cum hiſce concluſas inducias ſe ratihabitione firmaſſe, easque ſervaturum ſe promiſiſſe. Statim poſt renuntiatas Suecis inducias Elector copias ſuas, qua commodiſſime fieri poſſit, conjungeret tanto numero, quem ratio belli requiſiverit. Hoc tractatu abſoluto Cæſar edictum promulgat, quo avocatoria ſua retractat, ac cum Bavaro ſuper omnibus præteritis tranſactum profitetur; ſimul ad obſequium huic præſtandum milites hortatur abolita anteactorum memoria. Nec minus oppidum ad Aulam Bavaro redditur, ac Briſigellus Ratisponenſi præſidio hactenus præfectus, utut Cæſari fideliſſimus, in Bavari gratiam munere dimovetur. Cæterum ob hanc tranſactionem Cæſarei immane quantos ſpiritus ſumebant, velut hac Bavari conjunctione res Suecorum, qui ne ſolos quidem Cæſareos numero æquabant, jam conclamatæ eſſent; præſertim cum rumor jactaretur, Saxonem quoque & Brandeburgicum arma cum Cæſare ſociaturos; ac de Gallis mira ſpargerentur. Bavaricus inde exercitus armis equiſque inſtructiſſimus circa Straubingam contractus, eis Danubium ducitur, apud Chamum luſtrandus ut non amplius obſcurum eſſet, quonam iſte iter intenderet.

Cæſaris edictum.

Cæſarei ingentes ſpiritus ſumunt.

Wrangelii deſtinata.

§. 45. Wrangelius ſtatim atque Bavarus circa ratificationem tergiverſari ceperat, monſtri quid ali ſuſpicabatur, præſertim poſtquam exercitum ab eo contrahi inaudiret. Igitur ſi Elector inducias abrumperet, pro præſenti exercitus ſui conditione, tertia equitum parte ad pedes redacta, haut aliud remedium diſpiciebat, quam ut in tutum locum retrocedere poſſet, quoad Kœnigsmarckium, & Hallicos ſibi adjungeret, poſtquam nulla Gallici auxilii ſpes alluceret, nec conſtaret, an Turennius unquam in Germaniam reverſurus eſſet. Ita dum animo agitat, à Bavaro literæ per tubicinem adferuntur, quibus induciis renuntiat; addito ſcripto, quo is hujus facti cauſas deduxerat, quas ita graves ipſe deprehenderit, ut nec Wrangelius, nec quivis alius ſuum conſilium improbaturus ſit. Ejus ſcripti refutatione Wrangelius ad alios rejecta, id tantum reſponſi per tubicinem repoſuit; injuriam ſibi fieri, velut ipſe Reginæ ratificationem dudum apud ſe detentam privati emolumenti cauſa ſuppreſſerit, nec niſi elapſo prope termino ediderit. Cæterum rem ipſam Numini perfidiæ vindici committebat, nec alios bonos id factum probaturos; addito ut Reginæ ratificatio ſibi remitteretur. Wurtzburgenſis tamen Epiſcopus Bavari factum ſuo loco relinquens, Wrangelio confirmabat, ſe conventis cum ipſo, & cœptis ſemel de pace promovenda conſiliis conſtanter inhæſurum: nec ſe novo Catholicorum fœderi, quod Monaſterii tunc cudebatur, unquam nomen daturum. Eandem Bambergenſis Epiſcopi mentem eſſe.

Bavarus inducias renuntiat. 18. Sept.

Wurtzburgenſis Epiſcopi conſtantia.

Wrangelius loca quædam

§. 46. Wrangelius porro cum junctis Cæſaris ac Bavari copiis par non eſſet, motis caſtris Priſnicium verſus progreditur, non niſi Egram poſt ſe, Brixentem arcem & caſtellum ad Kœnigswvartam in Bohemia præſidiis infectas retinens. Et Brixenſis quidem arcis præſidiarii Bohemiam late excurſionibus infeſtam, ac tributis obnoxiam tenebant, interceptis præter alios, etiam Marazino & Wallenſteinio Comitibus cum ſubtribuno, & viginti equitibus. Egræ præficiebatur Copya tribunus, nuper Corneuburgo in Auſtria ſtrenue defenſo clarus, cui injungebatur, cives juramento adigere, aut abnuentibus arma adunere, numeroſis eorundem conventiculis inhibitis. Et quia duces juxta ac gregarii, qui propinqua ipſe pacem & præmia præceperant, nunc in novos bellorum fluctus abſtracti infinitas ſuper inopia querimonias movere incipiebant: Wrangelius à Legatis Suecicis poſtulabat, idoneam pecuniæ ſummam diſpicerent, qua & neceſſitatibus militum ſuccurri, & ægreſcentium animi recreari poſſint. Simul proponit, ut inermes equites per Brunſuicenſes ac Luneburgicas terras diſtribuantur, quo armis & equis denuo inſtrui queant. Et quia Electoris Saxoniæ terra è Bohemia moventi tangenda erat, offenſæ declinandæ, ac ut quantum poſſet innoxius fieret tranſitus, ab ipſo petit, ut mature annona advehatur, ac conſtituantur, qui exercitum deducant. Qui viciſſim poſtulat, ut is injurias militum à ſubditis ſuis arceat, itaque rem dirigat, ne tota belli colluvies ipſius terris infundatur. Addebatur exprobratio; hoc rem non fuiſſe redituram, ſi Suecici Legati propoſitas nuper pacis conditiones, cum Trautmansdorfius adhuc adeſſet, acceptaſſent. Hinc edicto Wrangelius militibus injungit, ne Electoris ſubditos ullo modo lædant; latrunculatore hinc inde dimiſſo, qui vagabundos citra moram laqueo necaret. Per anguſtias inde ad Pretiniciam in Miſniam progreſſus Sletam, Glauchamque itinere facto, Romneburgum attigit. Ubi unius diei quietem exercitui indulſit reficiendæ equorum laſſitudini, & ut de hoſtium conatibus exploraret. Et quia intelligebat; Kœnigsmarckium cum Lamboio luctantem ita brevi accedere non poſſe, ſibi autem his oris diu ob inopiam annonæ ſubſiſtere non licere, de itinere in Franconiam ſuſcipiendo cogitabat, quoad iſti advenire vacaret, tentaturus, num ſuſcepta cum equitum manu excurſione Memmingæ, aliisque per Sueviam locis non ſat valido præſidio firmatis ſubvenire poſſit: præſertim cum Turennius Rhenum verſus movere nuntiaretur. Interim Memmingenſes ad expromenda vetera in partes ſtudia, & conſtantiam advertus Bavari minas, illecebasque hortatur. Nec minus ejus oppidi præfectum Przimskium ad ſtrenue rem gerendam animat. Et quia inaudierat, Cæſareos de opprimendo Magdeburgo agitare, ejus urbis Senatum per literas monet, ſedula circumſpectione inſidias à ſe averruncent.

1647. Bohemiam tenet. 20. Sept.

6. Sept.

19. Sept.

5. Jul.

Idem in Miſniam tendit. 22. Sept. 27. Sept.

29. Sept.

§. 47. Aſt Bavarus poſt abruptas inducias quatuor equitum, totidem peditum legiones Memmingam verſus miſit, iſti oppido in poteſtatem redigendo, quibus grandium machinarum numerus accedebat. Reliquas tredecim legiones Gronsfeldii Comitis ductu, per Straubingam, Chamumque in Bohemiam ire juſſit. De conſilio ſuo ad præfectos Gallicos Lauingam, Schorndorfum & Heilbrunnam, ipſumque præcipue Turennium perſcribit; ſe haut eo ſecius cultam hactenus cum Gallia amicitiam ſervaturum; Nec minus ſpem ſibi eſſe, Turennium præfectis iſtis, aliiſque

Bavarus Memmingam invadit. 18. Sept.

Idem copias Cæſareas jungit.

1647. aliisque à Gallia dependentibus injuncturum, ne iis quæ contra Suecos ſuſciperentur, ſe immiſceant, aut quidquam infeſti adverſus ſuos ſuſcipiant. Idem ut circa Gallos obſervarent, ſerio ſe ſuis injunxiſſe. Inde ſociati Bavaricis Cæſarei in Suecos tendunt, & paulatim anguſtiis ad Pirſuitiam propinquant, ita tamen, ut Cæſarei recta Cadenam & ultra, Bavarici per Deuſingam, Engelhauſam, Joachimi vallem & Wielenthaliam progrederentur. Unde Wrangelio vilum iter in Franconiam omittere, ne ipſo ad latus digreſſo Cæſarei recta in Saxoniam Inferiorem tendentes Viſurgim, Albimque flumina in poteſtatem redigerent. Sed cum par hoſtilibus exercitibus non eſſet, longius retrocedendum erat. Ita cum Lipſiæ curam Axelio Lilio commendaſſet, ad-

8. Oct. junĉta equitum manu ad excurſiones in hoſtem inſtituendas, intellectis hoſtium deſtinatis è ſexaginta equitibus apud Altenburgum interceptis,

VVrangelius Salam tranſit. Ronneberga Cizam Pegaviamque abit, Salam apud Mersburgum trajecturus. Ubi cum dextrum equitatus cornu jam tranſiſſet, machinis inſequentibus pons frangebatur. Unde neceſſum erat cum reliquo exercitu Naumburgum ire, ac per pontem apud Ketenam iſtum traducere. Ita copiæ inter Butſtadium & Eckardsbergam iterum conjunguntur. Dejectis Jenæ & alibi queis Sala tranſitur pontibus, Vippacum, Langenſaltzam & Mulhuſam proceditur. Butſtadio Fridericus Lœvvius vigilum præfectus cum quatuor dimacharum cohortibus Schvveinfurtum mittitur præſidio ibi firmando; quo & Roſenſchmidius vigilum præfectus cum pari dimacharum numero ſe recipere neceſſum habebat, poſtquam VVinsheimum, & Norlingam penetrare, uti juſſus

19. Oct. erat, non dabatur. Præter Mulhuſam in Eichsfeldiam conceditur; ubi cum rumor eſſet VVertanum cum aliquot legionibus in Sileſiam ire juſſum, ne forte in Pomeraniam quid tentaret, VVit-

VVittenbergius in Sileſiam mittitur. tenbergius cum valida manu eodem mittitur, anteverrendis iſtius conatibus, ſimul ut Iglaviam obſidio, quo tunc premebatur, liberaret.

§. 48. Cum VVrangelius per Eichsfeldiam Fridlandam uſque prope Gœttingam perveniſſet, à

Wrangelius Turennii conjunctionem affectat. 20. Oct. Turennio miſſus Perronius ipſi occurrit, nuntians, hunc apud Moguntiam cum quinque militum millibus hærere ipſi ſe juncturum. Ab eo jam antea VVrangelius literis poſtulaverat, ut Memmingæ ſubveniret. Sed Turennius ea cum manu ſolus in hoſtem ire verebatur. Cui nec VVrangelius repugnabat, inde adjuncto quoque Kœnigsmarckio & Haſſicis in hoſtem perrecturus. Sed cum hoſte in Haſſiam transgreſſo via ad conjunctionem intercluſa fuiſſet, remiſſo Perronio apud Turennium inſtabat, ut is Bavaro bellum iterum indiceret, Memmingamque liberaret, aut ſaltem eo fine ſe moveret, aliave ratione hoſtem diſtraheret. Enimvero hic nihil ſibi ex aula ſuper belli indictione mandatum excuſare, cui & parum ponderis futurum ſit, tam modicis copiis inſtructo. Et Bavaro hoſtilia adverſus Galliam reſumente hoſpitia ſua per Sueviam, ni amplioribus copiis fulciatur, periclitatura. Nec longius ſe progredi poſſe, niſi promiſſa è Flandria auxilia adſint, aut ni accedens propius VVrangelius viam

VVrangelius Viſurgim tranſit 25. Oct. conjunctioni muniat. Cæterum hic Fridlanda movens præter Gœttingam, & Uslariam Viſurgim verſus tendit; quem & apud Huxteram ponte navali tranſit, prætorio Corveiæ ſtatuto, hoc tractu quietis nonnihil exercitui conceſſurus, niſi hoſtium conatus alio traherent. Sed quia intelle-

1647. xerat, Kœnigsmarckium & Haſſicum ducem Rabenhauptium, omiſſo ad Rhenam Lamboio, in Friſiam Orientalem abiiſſe, ne forte hoſtis medium ſe ipſis interponeret, utrique ſcribit, quantum poſſint ad Viſurgim properarent, ut junctis viribus eo efficacius rem gerere queant.

§. 49. Paulo ante fœdiſſimi exempli facinus in Saxoniæ Electorem per Jacobum VVanckium tribunum, fortem alias & benemeritum virum, intentabatur. Hunc aliquot ante annos Electot Gœrlicii obſederat, & ad deditionem adactum contra datam fidem pleraque parte legionis egregiæ, ac numeroſæ exuerat, quam is poſt nullo modo ad priſtinum decus inſtaurare valuerat. Ex quo immortale odium adverſus Electorem idem conceperat, cui explendo jamdudum de intercipienda Dresda conſilium agitaverat. Ante annum fere Dunckelſpulæ ſigniferum ſuæ legionis Andream Hofmannum ſolicitaverat, qui multos per annos Dresdæ egerat, ut ſpatioſa ibi domo vacua conducta ſexaginta milites ab ſe paulatim ſubmittendos ſecreto aleret, aliosque idoneos in ſocietatem traheret. Tum paratis omnibus, condicto die ſe cum trecentis dimachis ſub noctem tacite oppido ſucceſſurum. Porta aperta ſignifer cum ſuis eo rueret, ac vigiles cæderet: mox ſe advolaturum, ac in oppidum irruperurum. Sed id conſilium cum difficilem habere exſecutionem videretur, à ſignifero tunc repudiatum. Nec minus vindictæ libidine ardens, dum VVrangelius in Bohemia adverſus Cæſareos rem gerit, ſemel atque iterum Lipſiam Halamque velut ob privata negotia abeundi veniam fruſtra petiit; quam demum Suecico exercitu in Miſniam regreſſo impetravit. Inde clam ſolicitavit, qui ſecum excurſionem facturi eſſent, magna ſpe prædæ oſtentata; ac pertracto in ſocietatem præfecto vigilum legionis prætoriæ Janſchovio, ac ſubtribuno Prunello excurrendi ſolertiſſimo quingentorum equitum catervam ſibi adjunxerat. Prunello fatebatur, ſibi decretum Electorem cum tota familia trucidare. Et cum is reponeret, id Suecico duci diſpliciturum, reſpondebat; modo ſemel Dresda potiatur, ſe iſtius iras facile ſpreturum. Addebat, cauponem eſſe prope portam horum conſcium, in cujus ædibus ſui latitare deberent. Vix octo viros pontem penſilem moliri poſſe, qui ne ſubtrahi queat; facile ſe prohibiturum. Id facinus VVrangelius per ſupra dictum ſigniferum altero poſtquam VVanc-

VVanckius capitur. kius profectus erat die cognovit; qui ſtatim valida catervam citato quantum poſſet curſu inſequi iſtum juſſit, VVanckium vivum aut mortuum reducturam. Ita captus ille in arcem Lipſienſem 8. Oct. deductus eſt. Eam rem ægerrime ferebat VVrangelius, ne forte irritatus Elector in Cæſaris partes iterum concederet. Unde ut oſtenderet, Reginæ ſibique id facinus diſplicere, VVanckium judicio militari ſiſtendum decrevit. De quo uti Elector intellexit, VVrangelio per literas gratias egit, ac ut pro merito in reum animadvertatur, rogavit. Judicio Oldendorfii habito, quod ſedecim ductores, præſide Guſtavo Hornio ſummo excubiarum præfecto componebant, reus crimen perduellionis admiſiſſe videbatur, temerata fide publica per Reginam Electori data, ex quo facinore reſpublica non parum detrimenti capere potuiſſet. Igitur pronuntiatum, ut ipſi os corde pectoribus eruto verberaretur, inde corpus quadripartitum totidem rotis imponeretur. VVanckius cum Lipſiæ 21. Oct. ſententia ipſi prælegeretur, aliam excurſionis cauſam fingere, defenſionem meditari. Uxor quo-

Ideni damnatur. 18. Oct.

que

1647. que ejus ad pedes Electoris provoluta veniam implorare. Tum & Axelius Lilius apud Electorem intercedere, quod facinus intra conatum subsistitisset, ac ille alias fidam partibus Succicis operam navasset. Adversus quæ Elector immotus exsecutionem sententiæ flagitare. Sed Wrangelius defensionem haut abnuendam censens, jubebat peritum juris ipsi concedi, qui responsum adornaret, ejusque exemplum tum Electori, tum sibi transmitteret. Ita unus & alter mensis extractus, ac Wrangelio novam expeditionem ingresso de hisce cogitandi parum spacii relictum. Qua mora interposita demum Wanckius supplicium effugit. Reginæ tamen jussu idem Lipsiæ in custodia detentus, quoad deducto inde Succorum præsidio liber dimitteretur, diuturna custodia, & amisso tribunatu sat pœnæ dedisse creditus cogitati sceleris, & quod effectui plane non potuisse dari videbatur.

Cæsarei in Thuringiam veniunt.

§. 50. Ast Cæsareus exercitus duodecim equitum, septem peditum millibus constans, quibus à Bavaro quatuor millia equitum, mille quingenti pedites accedebant, è vestigio Succos per Sylvam Bohemicam insequebatur. Ac initio Cæsarei Annebergæ, Bavarici Snebergæ metabantur. Inde Cizam & Eisenbergam, demum Jenam progrediuntur. Ubi cum duas per septimanas quievissent. Jenæ Salam transeunt; Erfordiam ita prope cum exercitu subeuntes, ut obsidium ejus suscepturi viderentur. Sed mox Ilmam, Arnstadiumque, ac Gothanum in districtum diffunduntur, qua incedebant omnia fœde populati, etiam frugiferis arboribus citra necessitatem excisis. Ipsi quoque mox inopia, quam rapinis fecerant, premi; pedites frequentes deserere, plurimi equi procumbere. Multos quoque à Wrangelio remissæ, ac Lipsia, Erfordia & Mansfelda excurrentes catervæ intercipere; sic ut istorum numerus non parum minueretur. Nec minus tamen Succicus exercitus cum inopia conflictari, quæ demum patientiam expugnatura videbatur. Ac si hostis insequi ipsum perrexisset, antequam Kœnigsmarckium Hassosque adjungere sibi, & equites, quorum tria millia quingenti amplius ad pedes descenderant, instruere posset, non solum longius recedendi necessitas afferebatur, sed & turbarum quid, & consternationis inter milites orituram metuebatur.

21. Oct.

23. Oct.

Hostis in Hassiam flectebat.

§. 51. Enimvero hostis in Hassiam flectebat, conjunctioni Gallorum cum Wrangelio impediendæ, an quia Melander odio suo in Landgraviam devastata ipsius ditione litare cupiebat. Sane Succis lætum accidebat, spatium sibi concedi exercitui reficiendo. Ac manifestum erat, à morte Gustavi Regis nunquam propiori periculo Succos admotos fuisse, victoriarum suarum fructum amittendi, si Cæsarei acriter ipsis institissent, nullo ad se confirmandum spatio relicto. Sed cum Melander in Hassiam verteret, periti rerum statim inanem ejus expeditionis successum augurabantur, quod nullus adhuc exercitus Hassiam ingressus esset, qui exitium ibi non invenisset ob frequentes arces, angustiasque, ac montes asperos, & agrestes feroces insigni in Principem suam fide, tractandorumque armorum solertia. Interea præfectus vigilum cum quingentis delultoribus à Melandro Magdeburgum missus est, qui recipi se in urbem petebat, ac ut Cæsareis penum ibi struere, transituque uti liceret. Ex quibus hoc & istud decuriones annuebant, admissione intra urbem, quæ potissimum spectabatur, negata. Ita iste qua venerat via remeare cogebatur. Cæsarei per Isenacum & Creutzbergam Hassiæ infusi, præcurrente cum valida equitum manu Montecuculo, late omnia populabantur, Provinciamque pervagati inter Werram, Fuldam & Adranam metabantur, ingentibus tributis ubique extortis. Incendiis grassari incipientes Landgraviæ minæ inhibebant; ni desisterent, pari modo cum prælatibus VVestphaliæ ad Colonienlem Electorem spectantibus actum iri. Paulo post Lamboius Rhena digressus cum Melandro Gudensbergæ congressus est, postquam copias suas per VValdecentem Comitatum dispossuisset.

1647.

11. Nov.

Wrangelius Oldendorfum recedit.

§. 52. VVrangelius contra apud Huxteram subsistere decreverat, parandis equis è Brunsuicensi & Luneburgica ditione, cum alia ratio non superesset; quo nomine cum Ducibus illis tractatus susceptus. Inter hæc comperto hostem flumine Fulda transito in se tendere, & quia alias hoc tractu deficiente annona morari non dabatur, subducendo in tuta exercitui, longius secundum flumen descendere placuit. Igitur motis Huxtera castris Oldendorfum acceditur, ac deductus Huxtera pons ibi iterum struitur. Tum dimissis hinc inde altero Visurgis latere catervis significatur, ne VVestphalica ripa descendant, sed transito Castellis Fulda, ac VVitzenhausæ VVerra, ad exercitum pergant. Simul à Luneburgico petitur, navigia quæ Mundæ sint, Hamelam deducat, ne hosti, si forte velit, pontis extruendi facultas sit. Inde miles diuturno labore fatigatus, per prælatum Halberstadiensem, Hildesiensem & Mindensem, tum Brunsuicensi agro inter Visurgim & Leinam, & per Schauenburgicum Comitatum distribuitur. & cum Duces circa suppeditandos equos tergiverlarentur, ac cœptam eo nomine negotiationem extraherent, quia res moram non ferebat, VVrangelius denuntiat; ni promtius annuant, necessitatem sibi imponi equos Provincialibus per suos imperandi. Cui fini aliquot tribunos cum bis mille trecentis inermibus equitibus Cellensi, & Guelferbytanæ ditioni immisit: qui pro rata abs quavis præfectura certum equorum numerum exigerent, si ultro non præstarentur. Et malebant Duces cogi, ne ultro istos subministrasse apud Cæsarem viderentur, neu huic eadem postulandi ansa præberetur. Id quod Ducum Legati ipsi tacite suggerebant, simul innuebant, præfectis Ducalibus clam injunctum, ut istud negotium promotum irent. Hildesiensis quoque prælatus incolis ea lege adversus excursorum injurias cautum, si septingentos equites equis armisque instruerent. De cætero ne obtentu præstandæ securitatis Provinciales pecunia ex militum libidine emungerentur, acribus edictis inhibebatur. Et quia hostium catervæ VVarendorfo, Meppa, ac Rhena in stativa Suecorum excurrere, Provincialesque tributo emungere audebant, VVrangelius edicto denuntiabat, haut obstante circa captivorum redemtionem pacto; quicunque intra hæc Suecorum hospitia deprehenderetur, nullo discrimine cæsum iri. Idem ut Augusto Brunsuicensi Duci vicissim gratificaretur, ipso petente VVulfsburgo arce præsidium deducit, munitionibus prius dejectis. Simul demulcendo Brandeburgico Comitatus Ravensburgicus hospitiis ac tributis exemtus. Scilicet ne unus & alter forte Cæsaris solicitationibus aurem præberet. Qui & nuper Curtium Comitem ad Electorem Saxoniæ miserat, in Cæsareas partes hunc denuo pertrahere conaturum, oblato summo in exercitum impe-

8. Nov.

Copias in hiberna distribuit.

1647. rio, & præſulatu Magdeburgico atque Halberſtadienſi. Et quanquam iſte re infecta diſceſſerat, haut eo ſecius propediem Princeps Lobcovvicius adfuturus Dresdæ dicebatur, qui Electorem ad congreſſum cum Cæſare Leutmericiam, aut alium opportunum in locum pertraheret; ubi plene Saxoni de reſumenda in Suecos hoſtilitate perſuaſum iri ſpes erat. Contra Wrangelius, cum Elector conventa pacto inducierum tributa remitti poſtularet, quod nupero utriuſque exercitus tranſitu Provinciæ ſuæ plurimum detrimenti cepiſſent, rigida exactione abſtinendum, & quam molliſſime agendum Axelio Lilio injunxit, ne forte hoc obtentu ad infeſta conſilia impelleretur. Alias unica ipſi cura erat exercitum reficere, ac per Luneburgicam ditionem equis inſtruere; quod etſi Ducibus illis ſat durum videretur; tamen iiſdem inevitabilis belli neceſſitas ſubinde ingerebatur; & quo magis tergiverſarentur, eo diutius exercitui in ipſorum ditione morandum fore. Nam propoſitum ipſi erat, poſt refectum exercitum ſtatim aſſumto Kœnigsmarckio, & Haſſicis in hoſtem tendere, nec tantum otii eidem concedere, ut copias per hiberna diſponere poſſet; cumprimis ardens à Bavaro ob abruptas inducias vindictam ſumere. Ne tamen per hibernorum otium plane à bellicis actionibus ceſſaretur, Duglaſſium cum mille equitibus ducentis quinquaginta dragonibus mittit, qui Gleichenſteinam Eichsfeldiæ arcem in poteſtatem redigeret; quam à Suecis quondam munitionibus nudatam Cæſarei nuper immiſſo præſidio reparatum ibant. Is ſinuato per Haſſiam itinere dum machinas admovet, ac Fabiano Ferſenio qua acceſſus agendi demonſtrat, tubi majoris globo tergum trajectus Gœttingam lectica deportandus erat. Unde cum nemo eſſet idonea autoritate, qui cœptum negotium perficeret, abductis machinis arx omiſſa; præſertim cum Bavarici non procul in Franconia tendentes jam circa Salzungam coirent,

Gleichenſteina arx fruſtra à Suecis tentatur.

9. Dec.

Cæſarei in hiberna diſcedunt.

§. 53. Aſt Cæſarei per Haſſiam hinc inde vagi jam ad Dimelam flumen Warburgi, & circa hærebant; mox retro Fritzlariam, & ad Adranam vertebant; inde verſus Viſurgim Geiſmariam, & Grebenſteinam progrediebantur, velut eo flumine ſuperato Suecorum hiberna irrupturi; nullo alio fructu, quam ut Haſſiam funditus evaſtarent, non modice tamen & ipſi numeris imminuti. Ita poſt exeſam Haſſiam alia ſtativa circumſpicienda erant, Bavaricis præcipue inſtantibus, quibus alias cum Cæſareis parum conveniebat, ut in Franconiam deductæ copiæ hibernorum quiete reficerentur. Unde iſti à Cæſareis digreſſi in Fuldenſem Præſulatum tranſiere, ex itinere Fridvvalda arce, quam ſexaginta Haſſici pedites inſidebant, ad deditionem redacta. Quibus & Wolferſtorfa arx, viginti peditibus cuſtodita citra exceptionem ſe dedidit. Parvis inde itineribus Mœnum verſus movere, ac in Herbipolenſem, Bambergenſemque Præſulatum inſuſi occupatis Meinburgo ac Zabelſteina arcibus, Schvveinfurtum eminus clauſere. At Melander velut ægre Haſſiam deſereret, Fritzlariæ, Corbaci, Franckenbergæ; Kirchainæ complures legiones collocavit, Homburgumque arcem valida dimacharum manu firmavit; quibus legionibus alimenta ex inferiore Haſſia ferro, flammisque extorquenda aſſignantur. Reliquæ in Thuringia ditionibus Altenburgici, Vinarienſis Ducis, ac Schvvarzburgici Comitis, tum Coburgicis, Culmbacenſibus, & Hennebergicis terris immiſſæ. Sedecim legiones ſecum retinuit ad Marpurgum expugnandum, in cujus oppidi poſſeſſionem Landgravium Georgium reponere avebat, poſtquam hic Princeps conventionem ſuper Marpurgenſi lite opera Joannis Chriſtiani Boineburgii nuper Caſſellis initam ratam habere abnuerat. Ac oppidum quidem ſat diffuſum, nec ſufficienti præſidio inſtructum facili negotio expugnabatur. Nam edita tribus è ſuggeſtibus murorum ruina quatuorque locis aſſultu dato, Caſſellanus miles in arcem, & vicinas huic ædes nullo damno accepto ſe recepit. Unde Cæſareus miles oppidum irrumpens, rapinis, ſævitia ac libidine cives peſſime habuit. Arx inde acceſſibus, machinis, ac cuniculis tentata; quæ cum celſo ſitu, validisque munimentis vim facile eluderet, ac hiberno cœlo miles laborem ægerrime toleraret, mox obſidio liberata eſt. Munimenta oppidi, portæque, & turres ſubjecto pul- 25. Dec.
vere nitrato dejectæ. Reliquis legionibus digreſſis aliquot adhuc pedeſtres in oppido ſubſtitere, in quas ex arce erumpens Stauffius tribunus haut parum ſtragis dederat. Ita & iſtæ exercitum ſequuntur, nullo operæ pretio facto, ut quæ nec ædes in clivo pontis prope arcem ſitas expugnare valuiſſent, amiſſis aliquot centuriis præfectorum, gregariorumque, & inter alios Reichio ſupremo vigiliarum præfecto. Ac parum aberat, quin ipſe Melander Melander quinque ante cum diſceſſum dies exi- Guciatur.
tium inveniret. Nam Stauffius arcis præfectus cognito iſtius diverſorio apud Danielem Seipium machinas in triclinium direxerat, audito tubis ſignum prandio dari, menſæ eum mox accubiturum conjectans. Sed forte incidentia quædam negotia ut tardius menſæ accederet, effecerant. Ita juſto maturius diſploſæ machinæ; nec eo minus caput & pectus fragmine trabis, quod globus impactus avulſerat, graviter ſauciatus eſt, ut ſanguis ægre ſiſti poſſet. Badenſi quoque Marchioni qui tunc aderat, aliquot dentes excuſſi; excubitori ad januam adſtanti caput avulſum. Hoſpite Seipio globus inter crura medius nulla noxa transvolavit.

§. 54. In Sileſia ſub finem ſuperioris anni Wit- Wittenbergius hoſtem in vicinam Bohemiam propu- bergii geſta.
lerat. Inde ad Olaviam regreſſo occaſio naſcebatur copias inſigniter augendi, quod Poloniæ Rex ob ejus Reipublicæ ſuſpiciones mercenarium militem exautorare coactus eſſet. Et jam complures præfecti Succicæ ſe militiæ offerebant; qui, cum pecuniæ parum eſſet, promiſſis onerabantur, nec ad Cæſarem tranſirent. Igitur è re vitum, poſt firmatam idoneo præſidio Olaviam, cui Gunnus tribunus præficiebatur, exercitum trans Oderam in diſtrictum Namslavienſem deducere, annona abundantem, legionesque per hiberna diſtribuere, quæ acceſſu militis à Polono exautorati numeris gliſcebant. Eo tempore præfectis præſidiorum Succicorum injungebatur novo vectigali merces Vratislavienſium onerare, decima pretii parte exacta; quod cum hactenus ipſorum commerciis libertas & ſecuritas à Succis præſtita eſſet, ipſi vicißim forum in urbe Succico militi, quantumvis rogati, indulgere nollent, cum Cæſareos omni ratione ſublevatum irent. Aſt Montecucu- Montecu-
lus Comes, cum Succos trans Oderam conceſſiſſe culus in
audiret, è Bohemia regreſſus Landshuti primum, Sileſiam
inde apud Hirſchbergam conſedit, hoſtili modo revertit.
omnia depopulatus. Et rumor erat à Cæſare ipſi injunctum, ut diſtrictum circa Polckenhainam, Hirſchbergam, Goldbergam & Lembergam funditus evaſtaret. Cujus & miles inter alia nobile

præ-

1647. Melander Marpurgum expugnat.

4. Dec.

1647. 11. Jan. prædium Wuſtermitzam incenderat, in quo centum octoginta octo homines flammis periere. Inde Munſterbergam progreſſus Olaviam per inſidias intercipere noctu admotis ſcalis conabatur; ſed proditus re infecta Munſterbergam rediit. In quem Wittenbergius rendit. Contra Wittenbergius ob udum cœlum, ſolumque Namslaviam oppugnare prohibitus, eis Oderam regreſſus Strelenam verſus tendit, ſi qua poſſet, Montecuculum multaturus; ſed qui mature Nimtſcham ſub montes Bohemicos ſe recepit. Wittenbergius poſtquam Clemmium præfectum vigilum valida cum equitum manu miſiſſet, ut arci Brixenſi ligna & alia neceſſaria inferret, Freibergam, inde Reichenbacum pergit. Ubi intellecto Montecuculum in Comitatu Glacenſi circa Braunam tendere, raptim cum expedita manu profectus apud Politziam anguſto loco catervam hoſtilem deprehendit, cujus magnam partem cædit, capitque. Per fugitivos excitato tumultu Montecuculus magna cum trepidatione Koenigsgræciam uſque ſe proripit, aliquot centuriis ſuorum, ac propria ſupellectile deſideratis. Ei Wittenbergius Nachotum uſque inſiſtens, inde Johannisbergam arcem non procul Glacio ſitam occupat, centum dimacharum præſidio impoſito. Oppelam poſthæc invaſurum, quam Cæſareus adhuc miles inſidebat, Regis Poloniæ reſpectus, ad quem Oppelenſis & Ratiborienſis Ducatus ſpectabat, inhibuit. Unde ea omiſſa Freiſtadium regreſſus; mox Oderbergæ caſtris raptim motis conſedit, quod alto ſe conferre, infeſtis in Moraviam & Bohemiam Cæſareis legionibus profunda luto humus non patiebatur. Montecuculus Succis è Glacenſi Comitatu digreſſis apud Landscronam ad fines Moraviæ ſtativa poſuit, iſtorum conatus obſervaturus; mox Strelenam vertit, velut Olaviam, & alia loca Succis inteſta tentaturus. Sed eo conſilio omiſſo Munſterbergam; inde Johannisbergam flexit, cujus obſidium dum ob profundas montanis locis nives 29. Mart. fruſtra molitur, retro Grulicham in Bohemiam ceſſit; ubi Pompejus Comes, ſummus excubiarum præfectus, cum aliquot legionibus ipſi junctus eſt. Ita auctus copiis in VVittenbergium vadere conſtituit; qui munimentis caſtrorum apud Oderbergam conſiſus, intrepidus ipſum expectabat. Et quia nuntiabatur, illum Ratiboriæ Oderam tranſiturum, VVittenbergius hoſti arcendo iſti oppido arcique militem immittit. Ac ne Poloniæ Rex eo facto offenderetur, neceſſitatem demonſtrat, ac ne præſidium oppidanis oneri foret, proſpicit. Ita hoſtis nulla ſpe rei bene gerendæ, utut jam Freudendaliam prægreſſus receſſit; & Pompejus quidem cum ſuis Grulicham rediit, Montecuculus Neiſſam ſe contulit. Eo hoſtium motu cognito equites Succici Carnoviæ, Leobſchurzii, Olmucii, & Neuſtadii facta manu poſtremum hoſtium agmen profligarunt; inde impedimenta cupidius quam cautius invaſere, quod hoſtium legiones non procul incedentes in ipſos verterentur, ac ſtrenue licet reſiſtentes tandem in fugam propellerent, captis præfecto turmæ, duobus optionibus, & viginti gregariis novem carſis; quanquam & Succici quinquaginta captivos Eulenbergam pertraherent.

Wittenbergius iterum in hoſtem movet. 11. April. §. 56. Porro VVittenbergius Oderbergæ ſuos nemine reſiſtente refectum ibat: ita Montecuculus ſuas legiones per munita Sileſiæ loca diſtribuit. Sed ubi ſiccatæ jam viæ itineri faciendo aptæ forent, VVittenbergius Uratislaviam verſus progreditur in campum à canibus dictum, Montecuculi binas legiones quæ Elbingæ tendebant oppreſſurus. Quæ tamen quadrante horæ ante ipſius adventum a ruſtico monitæ ſub vallum Uratislaviæ ſe ſubduxerant, impedimentis pleriſque Succico militi in prædam relictis. Eam jacturam paulo poſt penſabat præfectus turmæ, quem vulgo Valentinum Cæcum vocabant, qui Lignicia longe lateque in ipſam uſque Saxoniam excurrebat; ac tunc inter Deſſaviam, & Serveſtam Albim transgreſſus Novæ-Haldenſlebiæ in Magdeburgico præſulatu tribunum Joannem Chriſtophorum Frœlichium capit, Dannebergium occidit, Axelio Lilio fruſtra equitum manum ad eum perſequendum mittente. VVittenbergius inde Aurifi infra Uratislaviam navali ponte Oderam tranſit, Neumarco cum valida equitum peditumque manu inteſſo, Uratislavienſibus commercia cum Lignicenſibus intercludit. Unde illi in anguſtias redacti, quod antea abnuerant, per ſuburbia Succicis forum deinceps præbuere. Aurifi VVittenbergius aliquandiu ſubſiſtebat, motus hoſtium, cujus legiones per munita oppida ſpartæ erant, tum mandatum VVrangelii expectans; quæ cauta erat, ut obſidio alicujus oppidi ſe implicare haut conſultum duceret. Ubi cum audiret Uratislaviam jam annonæ caritate laborare, eam urbem infeſtiora iterum ſpirantem arctius premere interclusa ſubvectione inſtruit. Et glicente fame ſpes erat eandem ad neutralitatem acceptandam compulſum iri, cum à VVrangelio in Bohemiam ubi ſumma rerum tunc vertebatur, ſe conferre juſſus eſt. Igitur diſpoſitis Sileſiæ rebus per Lufatiam in Miſniam abit, Albique inter Strelam & Miſenam ſuperato, Egram verſus iter intendit, ac dum VVrangelius circa Egram expugnandam ſatagit, interim ipſe arcem Falckenaviam in poteſtatem redegit, octoginta propugnatoribus inter cohortes ſuas diſtributis. Idem ad Wrangelium evocatus.

§. 56. Poſt VVittenbergii è Sileſia diſceſſum Cæſareis facultas dabatur Olmucenſes, longe lateque circumjecta perſultantes, locatis per vicina oppida validis ſtationibus coërcendi. Simul aliquot agreſtium centuriæ contractæ, ad meſſem circa id oppidum corrumpendam. Nec minus Iglavienſes circumpoſitis per vicina loca legionibus arctius incluſi. Cæſarei quoque late jam Sileſiam pervagati provinciales tributis emungebant. Cui negotio dum operatur VVurbius Comes Oderam cum valida equitum manu transgreſſus, in ſubtribunum Quaſtium Glogovia progreſſum incidit; à quo acriter multatus duobus turmarum præfectis, pluribuſque ductoribus & quinquaginta gregariis amiſſis, ægre Succorum manus evaſit. Quaſtius inde Lignicenſium meſſem plane corrupit; quod cum Valentinus Cæcus oppido erumpens prohibere vellet, ipſe graviter ſaucius multis ſuorum amiſſis repulſus eſt. Johannisberga tamen arx in Cæſareorum iterum poteſtatem redacta, cujus præſidiarii cum Leobſchutzam per montes evadere conarentur, intercluſo à Glacenſibus itinere in arcem repulſi, poſt ad deditionem adacti ſunt. Succis tunc magnam frumenti vim congerere per otium licebat, quod Montecuculus legiones ſuas è Sileſia ad primarium exercitum in Bohemiam deduxiſſet. Porro Cæſarei ut Uratislavienſibus, quorum commercia VVrangelius quoque edicto publicato inhibuerat, reſpirandi facultatem darent, aliquot equitum turmas Strelenæ, Briegæ & Namslæ collocant, Succorum excurſionibus Oelſa & Olavia compeſcendis. Ipſe tribunus Avvackius eo fine Bern- Cæſarei Olmucium & Iglaviam eminus obſident. 4. Jun.

1647. ſtadii cum quadringentis circiter militibus conſederat, idem ſimul Suecis Olaviam, & Jeltſcham inſidentibus annonam interceptorus. Id haut ferentes Sueci, coactis ſeptingentis quinquaginta ſub Quaſtio ſubtribuno equitibus, quadringentis quinquaginta peditibus Bernſtadium tendunt.

11. Aug. Cæſarei pelluntur. Ingruentibus ante portam occurrit quidem Avvackius, ſed acriter exceptus, & in oppidum rejectus eſt; in quod Suecici equites cum ipſo ſimul irrupiſſent, ni dimachiæ & ſclopetarii in aditu ſuburbiorum diſpoſiti obſtitiſſent. Subeuntibus mox Suecicis peditibus Cæſarei igne ſuburbiis immiſſo in oppidum ſe receperunt. Avvackius etſi defenſionem meditari videretur; tamen media nocte per portam terra obſtructam, eoque Suecis incuſtoditam, amotis quæ obſtabant repente erupit, ac cum ſuis Namslam evaſit. Bernſtadio Sueci omnia munimenta detraxere, ut & Strelenæ; qua itidem Cæſarei ſe proripuerant. Trautenaviæ quoque quatuor equitum centuriæ, & pedites aliquot locati erant, ad aditum Suecis in Bohemiam intercludendum, ne tributa inde exigere poſſent.

4. Sept. Eos opprimere cum Quaſtius fruſtra conatus eſſet,

10. Sept. mox junctis quingentis equitibus, duabusque machinis, poſt aliquot ejaculationes impetu in oppidum irrupit. Cæſarei in arcem refugi duas per horas reſiſtunt; ſed admotis machinis Suecorum arbitrio ſe dedunt. Ita capti duo turmarum præfecti, totidem ſigniferi, tres optiones ac centum quinquaginta gregarii cum quatuor vexillis equeſtribus: centurio inſuper & quadraginta pedites, cum multis equis & impedimentis. E Suecis quinque ceciderant. Mœnia heic cum portis diruuntur, arci ignis injicitur, quod operæ pretium non eſſet præſidium heic ponere.

Cæſarei Iglaviam obſident. §. 57. Aſt Cæſarei cum per Schneiderum tribunum meſſem circa Iglaviam prius corrupiſſent, contracta ſub Ludovico Suchio manu id oppidum circumſidere inſtituunt; quo & Bucheimius Comes è Bohemia cum aliquot legionibus ire jubetur. In ſubeuntes Oeſterlingus tribunus oppidi præfectus eruptione ſemel iterumque facta, ob-

2. Sept. ſeſſores non leviter multabat. Ob paucitatem tamen Cæſarei militis ſegnius procedebat obſidium, donec pluribus hinc inde contractis copiis circa Octobris initium vis fieri inciperet, acceſſu ad labrum foſſæ duobus locis promoto, ac cuniculo ſub exterius munimentum acto, Suecis quavis vi oppoſita reluctantibus. Inde viginti majoribus machinis oppidum verberatum, jactis ſubinde ignivomis globis, etſi modico cum obſeſſorum damno. Ex altera oppidi parte, quod minus arcte premebatur, Sueci quotidianis eruptionibus hoſtem fatigabant, multis captivis in oppidum pertractis; ac parum aberat, quin ipſe Bucheimius in Engelii vigilum præfecti manum incideret. Munimentorum hinc exteriorum pinnacula globis diſſipantur; ſed ſubjecti cuniculi retro in obſeſſores impetu effuſo haut paucos eliſerunt. Aſſulto mox dato ea munimenta irrumpunt Cæſarei; ſed expulſi iterum vallo ſuffoſſo iſtis demum potiuntur non ſine inſigni ſuorum jactura, dum acerrime renituntur Sueci, inter alios ad necem vulnerato tribuno Straſoldo, qui paulo poſt è vulneribus obiit. E munimentis iſtis Cæſarei cuniculos ſub vallum egerunt. Inde edita murorum ruina phalanges velut aſſultum daturæ diſponuntur, ac miſſo tympanotriba, deditio imperatur. Quam obſeſſi abnuebant, quod poſt dejecta mœnia reductus præfixis palis excitaſſent, latamque foſſam, adactis ad opus faciendum oppidanis depreſ-

20. Nov. ſos ſub vallum egerunt. Inde edita murorum ruina phalanges velut aſſultum daturæ diſponuntur, ac miſſo tympanotriba, deditio imperatur. Quam obſeſſi abnuebant, quod poſt dejecta mœnia reductus præfixis palis excitaſſent, latamque foſſam, adactis ad opus faciendum oppidanis depreſſiſſent, retro quam magno animo hoſtem expectabant. Simul domus aliquot munierant, ac parietibus perfoſſis conjunxerant, è quibus ſi Cæſarei in oppidum perrumperent, reſiſtere decreverant. Demum & curiam lorica circumdederant, extremi refugii vices ſubituram. De quo cum Cæſarei à transfugis cognoviſſent, omiſſo aſſultu cuniculis rem agere ſatius ducebant. Inter quæ apud Cæſareos Cnoringius tribunus, dum vallo conſenſo aditus oppidi luſtrat, globo trajectus occumbit. Quod fatum paulo poſt & Oeſterlingum oppidi præfectum manebat; de cujus morte, ſimul obſeſſorum conditione, cum ex decurione, qui cum decem peditibus è ſtatione ſua ad hoſtem tranſilierat, innotuiſſet, Suchius ad tribunum Claudium Benedicti, in quem cura oppidi poſt mortem Oeſterlingi devoluta erat, veterem dum ipſe apud Suecos meret commilitonem, miſit, qui extremæ ipſum neceſſitati fruſtra obluctari oſtenderet, adempta omni auxilii ſpe. Qui reſpondit, ſe deditionem honeſtis conditionibus non abnuiturum. Sed cum Bucheimius ut ſuo arbitrio ſe permitteret, poſtularet, ille mori ſe malle declarabat, quam conditionibus parum honeſtis oppido excedere. Ita Suchio moderante permiſſum ut militari modo cum omnibus ſuis, præter eos, qui antea Cæſari militaverant, Glogoviam Majorem deduceretur. Quam tamen conventionem Cæſarei haut ſervavere, pleriſque Suecorum ſpoliatis, ac male habitis, ut vix per Bucheimium & Suchium injuria furentis vulgi ſiſti poſſet. Hoc obſidio Cæſareorum mille quingenti ſauciati, cæſive, è quibus Straſoldus & Cnoringius tribuni pedeſtres, Seidevvicius equeſtris, quorum hic à proprio milite, dum nocturnas ſtationes circumeundo hoſtem ſe ſimulat, trajectus eſt. Longe majorem tamen militum jacturam facturi fuerant, ni agreſtium & metalli foſſorum opera ad acceſſus & cuniculos agendos uti fuiſſent. Suecici dimidiam partem præſidii amiſerant, præcipua Oeſterlingi jactura, qui ſi vixiſſet, ad Wittenbergii uſque adventum oppidum defenſurus credebatur, cum nec paratus bellicus, nec annona obſeſſos deficeret. Wittenbergius quippe in Eichsfeldia

Wittenbergius in Sileſiam redit. à Wrangelio digreſſus, facto per Luneburgicam provinciam itinere, apud Dæmitzam Albim ſuperaverat, inde per Meclenburgicam, & Marchiam in Sileſiam properans, quicquid militum præſidiis oppidorum detrahi poterat, ſibi adjunxerat. Goldbergæ & Hainæ pauci dies quieti conceſſi, recreandis à tanto itinere equis. Inde in Bohemiam ire, ac Iglaviæ ſuccurrere decreverat, depulſis aut alio diſtractis obſeſſoribus. Ac jam Hirſchberga movens Jauram pervenerat, copiis luſtratis longius proceſſurus, cum de amiſſa Iglavia nuntius adfertur. Igitur inhibito itinere, cum, quas ſecum ducebat, legiones magnopere quiete indigerent, nec ingruente hieme quidquam in hoſtem tentare liceret, illas per hiberna diſtribuit, ut tamen ſi opus foret, brevi tempore contrahi iterum poſſent. Ipſe Glogoviæ prætorium ſtatuit. Eodem reliquiæ præſidii Iglavienſis quoque adpellebant, ad ducentos pedites, centum equites redactæ. Apud has cum ſuper deditionis cauſis inquireret Wittenbergius, paucitas militum allegabatur, per quam ſtationes prout res exigebat firmare, aut vim ulterius ad extremum licet connixi ſuſtinere haut potuerint. Wittenbergio poſt in Sileſia à Cæſare Bucheimius Comes opponebatur.

1647.

Iglavia deditur. 27. Nov.

28. Nov.

16. Dec.

§. 58. Wrangelio Bohemia digreſſo, Cæſar tri- Cæſarei

§ 647. tribunum Lacronium cum tribus legionibus ac quatuor machinis mifit oppugnando ad Kœnigſvvarram caſtello. Ad quod cum acceſſus agi, ac globi igniti jactari cœpiſſent, centurio qui præerat territus poſt ſegnem defenſionem arbitrio ſe hoſtium dedidit, utut annona in tres menſes ſuppeteret, ac paratus bellici affatim eſſet. Ipſe cum præfectis captivitatem ſubiit, quinquaginta ſex gregarii Cæſaris ſacramento adacti. In eum centurionem Copya tribunus Egræ præfectus Wrangelii juſſu ab hoſte redemtum, flagitiique compertum animadvertit. Egram non niſi eminus circumſidere placebat; quo fine aſpero decreto provinciales monebantur, ne quid in oppidum inferrent, atroci pœna in eos qui contra fecerint ſtatuta. Et qui Waldſaxæ, ac Kemnathi tendebant Bavarici equites, ſi quos deprehendebant eo quid importantes, naribus & auribus truncabant. E quibus & Wurtenbergicus Dux Ulricus noctu Aſcham vicum oppreſſit, multiſque incolis trucidatis omnia diripuit. Indeab illis copiis, quæ Kœnigsvvartenſe caſtellum expugnaverant, Wonſidela aſſu occupatur, qua raptim munita, ac inſeſſis vicinis arcibus Libenſteina, Wildenſteina, Lœvvenſteina & aliis, arcte includebantur Egrani, per concædes quoque obſtructis viis in Palatinatum & Bohemiam ferentibus. Quia tamen Ulrico Wurtenbergico digreſſo obſidentium numerus imminutus erat, Copya monente Axelius Lilius, ut illi oppido annona interretur, ſexcentos amplius equites Schvveinfurto ac Lipſia Erfordiam contrahit, qui ductu Chriſtiani Clemmii per Curiam Variſcorum Egram profecti ſunt. His Copya, adjunctis ſuis equitibus, ac centum peditibus, duabuſque machinis, diſerte injunxerat, ut Mitterteichæ inter VValdſaxam & VVonſidelam conſiderent conjunctiom hoſtium impediendæ, interim per minutas catervas pecora Egram compellerent. Sed illi ad VValdſaxam diutius hærentes hoſti ſpatium dabant, ut ſexcentos equites, ac nonnullos dragones contrahere poſſet. Ita iſti re infecta, & ne unico quidem ex hoſte intercepto recedunt, pauculis duntaxat pecoribus Egram deductis. Ejus conatus irritum eventum Copya in diſcordiam præfectorum conferebat, quod non adeſſet, cujus autoritatem cæteri ſequerentur; qui & in regreſſu viginti ab hoſtibus intereeptos deſiderabant. Circa idem tempus ſubtribunus Quaſtius ex Inferiore Sileſia in ſuperiorem tendens inter Leobſchutzam & Neuſſam Gerlingcofskium tribunum cum tota ſua legione deprehendit; cui ſtatim in fugam effuſæ ita acriter Succi inſiſtere, ut ipſe tribunus cum ſubtribuno & quinquaginta equitibus ægre evaderet, cæterorum plerique cæſi, duo turmarum præfecti, ac quinquaginta gregarii capti.

caſtellum ad Kœnigsvvartam recuperant. 13. Oct. 15. Oct.

Egra eminus circumſidetur.

2. Nov.

17. Nov.

20. Oct.

Cæſarea legio opprimitur.

§. 59. Circa finem ſuperioris anni VVilhelmus Saxoniæ Dux inducias inter Caſſellanos ac Darmſtadienſes conciliare ſategerat, miſſo CaſſellasBruſchenckio, ubi iſtarum leges jam ſcripto concipiebantur. Nec eo minus exacerbatis animis per mutuas excurſiones ſe carpere, ac Darmſtadienſis quantum poterat copias firmare, ſpe quoque de Lotharingi auxilio concepta, qui poſtquam tractum Transrhenanum qua in Belgium vergit ingenti pecuniæ ſumma emunxiſſet, iſti ſubventurus dicebatur. Quo fine pons navalis inter Confluentes & Andernacum ſtrui cœperat: etſi poſt iſte Dux alio vertebat. Contra VVrangelius Kœnigſmarckio è Superiore Suevia dimiſſo injunxerat, Caſſellanæ qua opus foret adverſus Darmſtadienſem auxilium ferre. Qui apud VVertheimum ſuperato Mœno in itinere VVolfgangum Julium Comitem Hohenloicum cum quatuor turmis Salmunſtera opprimit, ac gregarios legionibus ſuis admiſcet. Inde in Superiorem Haſſiam progreſſus Kirchainam accedit, quadringentis peditibus Darmſtadienſibus infeſſam, ubi Geiſius cum parte Haſſicarum copiarum ei jungitur. Excitatis raptim ſuggeſtibus oppidum ſedecim machinis verberatum; ac eodem adhuc die Darmſtadienſes ad deditionem ſine exceptioneadacti. Captivos machinatque Kœnigsmarckius & Haſſi inter ſe diviſere. Inde in VVeſtphaliam ac Inferiorem Saxoniam progreſſus copias ſuas per hiberna diſpoſuit. Ad quem paulo ante Elector Saxoniæ ſcripſerat, ut vim à Genero ſuo abſtineat, de quo & Torſtenſonius, dum Eulenburgæ de induciis agitur, pollicitus ſit; præſertim cum jam Oſnabrugæ ſuper ea controverſia componenda quam maxime ſatagatur. Eodem argumento & idem ad VVrangelium literas dedit. Et ſane quod Caſſellanam viribus prævalentem conſpiceret Darmſtadienſis, inducias cum illa ſolicite affectabat, ſed quas illa rebus ob Ulmenſem conventionem non parum mutatis, repudiabat, validam expeditionem in iſtum meditata. Caterum eo tractu tunc nihil memorabile geſtum, niſi quod Haſſi menſe Februario Niedeccam arcem Neoburgico præſidio inſeſſam per inſidias occuparent, ad Colonienſem prælulatum tributis ſubjiciendum valde opportunam. Porro imminentem à Caſſellana tempeſtatem ut averteret Darmſtadienſis, Eberſteinium Comitem, & Joannem VVilhelmum Schaferum ad VVrangelium miſit, qui ſignificarent, ſe inducias in leges à Caſſellana cupitas ſubſcripſiſſe, oblata ceſſione non ſpernendi terrarum tractus. Addebantur preces, Landgraviam ad eas conditiones acceptandas permoveret, ac Kœnigſmarckium hoſtilia inhibere juberet. Id quod facturum ſe VVrangelius recipiebat: idemq; Duglaſſio in Sueciam abeunti, ut Caſſellas diverteret, injungebat, Landgraviæque demonſtraret, quantum damni atque impedimenti cauſæ communi ex eo diſſidio oriretur in cognatum Principem verſis armis, quæ alias paci acceleranda multum momenti adferre poterant. Aſt Caſſellana; quæ Darmſtadienſis offerret jejuna eſſe reſpondebat, ac inane ludibrium, cum omni modo ab eodem id agatur, ut externa arma in Caſſellanam ditionem pertrahantur. Unde & ſibi ad vim fuiſſe confugiendum. Honori tamen VVrangelii ſe daturum, ut ſi Darmſtadienſis Inferiore Comitatu Cattimelibocenſi, qui quondam ad ſuam Domum ſpectaverit, decedat, æquis legibus inducias cum ipſo initura ſit, cauſa Marpurgenſi interim Oſnabrugæ de ſententia Regiorum Legatorum tranſigenda. Nec eo tecius ipſi Darmſtadienſi de induciis plane abnuebat, quod mallet florentibus Succorum armis rem plane componi, quam temporariis pactis litem produci.

Kœnigsmarckii & Haſſorum acta.

Kœnigsmarckius Caſſellanæ auxilio venit. 21. Febr.

1647.

26. Febr.

Kirchainam capit.

1. Mart.

4. Mart.

12. Mart.

Haſſi Niedeccam capiunt.

Super conciliandis Caſſellanis ac Darmſtadienſibus fruſtra agitur.

16. April.

§. 60. Sed nec Landgraviæ cum Colonienſi Electore ſatis conveniebat. Firmaverat hic inducias apud VVrangelium per Dietericum Landsbergium, uti ſupra diximus. Eadem apud Griesheimium, quem VVrangelius ad ipſum miſerat, repetebat, addito, ſpem ſibi eſſe ſubditos ſuos ex hiſce induciis fructum capturos; ac Cæſareos ultro oppidis ſuis exceſſuros. Inde per omnia ſua præſidia de hoſtilitate adverſus fœderata Regna ac Caſſellanam omittenda ſolenniter promulgat, approbante quoque majore Capituli parte; eandemque declarationem Landgraviæ ſignificat, ad-

Colonienſis Elector armiſtitium accepat.

1. Maji.

1647. 5. Maji. Junctо catalogo propriarum legionum, ac infeſſorum ab hiſce oppidorum. Simul ut ſuos ad conventum ſuper moderandis tributis ableget poſtulat. Idem paulo poſt Coadjutoris Maximiliani Henrici ratificationem exhibebat, rogans ut à Wrangelio Deputati ad Kalendas Junias cum ſuis congrediantur, idemque apud Landgraviam ſua autoritate obtineat, ut ſui ſubditi per hatce inducias levamenti aliquid ſentiant. Nam etſi ſpes ſibi fuerit Haſſos hoſtilia omiſſuros; ſentiſſe tamen præter alia infeſta acerbam tributorum exactionem haut remiſiſſe. Quæ res ſtatim ab initio Electoris animum aſperaverat; præſertim cum ad conventum, quem ſuper moderandis tributis Monaſterii haberi Wrangelio placuerat, à Caſſellana nemo compareret; eoque idem conventus in irritum caderet, poſtquam per quatriduum à Wrangelio miſſus Petrus Brandius, & Colonienſes Deputati fruſtra Haſſicos expectaſſent. Quam rem Succi ægre ferebant, quod conſtaret, Hiſpanos apud Electorem ſuper abrumpendis induciis acriter inſtitiſſe, ac Archiducem Leopoldum VVilhelmum Belgii tunc Gubernatorem auxilium illi liberaliter obtuliſſe. Eoque metus erat, ne Colonienſis relumtis armis denuo Cæſareis partibus accederet, quod ditiones ipſius non minus, quam aperto bello per Haſſos tributis premerentur.

25. Maji.

Idem de Haſſis queritur.

Cæſarei Weſtphalia decedere molunt.

§. 61. Porro Colonienſis ſtatim atque induciis ſubſcribere conſtituiſſet, ab Ottone Chriſtophoro Sparrio ſupremo Vigilum præfecto poſtulaverat, ut Cæſarea præſidia omnibus ipſius oppidis amoveret, quæ proprio deinceps milite tueri velit. Atque is Eiskircham, Zonſamque dejectis prius munimentis, aliaque trans Rhenum ſita loca deducto milite deferebat. Cæterum quæ cis Rhenum in VVeſtphalia à Cæſareis inſidebantur oppida, non modo retinebat, ſed & quæ Electoris milite firmabantur, in poteſtatem redigere conabatur; id quod circa Dorſtenam ei ſuccedebat. Id oppidum ut in poteſtate haberet Elector, quinque equitum turmas miſerat, cum mandatis ad præfectum, ne abſque peculiari ſuo juſſu alterius imperio obtemperet. Hos Sparrius in itinere occurrens ſecum retinet, ac una cum illis recta Dorſtenam pergit, ubi, quod præfecto de mandatis Electoris nihil conſtaret à Sparrio ſuppreſſis, citra tergiverſationem intromiſſus eſt. Inde convocatos præſidiarios interrogabat, num hoc oppidum in obſequio Cæſaris retinere velint; ac pleriſque annuentibus reliquos ad Electorem provocantes ejiciebat. VVarendorfo cum Cæſarei ut excederent in procinctu eſſent, mandato Trautmansdorfii accepto ibi ſubſiſtebant; tum Paderbornæ ac Vechtæ obnixi inhærebant.

Kœnigsmarckius Vechtam obſidet. 17. April. 3. Maji.

§. 62. Hos Vechta ut ejiceret Kœnigsmarckius, copias ſuas quiete refectas apud Mindam luſtrat, inde recta ad id oppidum ducit. Cujus obſidio inter alia cumprimis memoratu dignum accidebat, quod dum pedites nonnulli exteriore foſſæ lorica hoſtium ſtationem expellere jubentur, hæc confeſtim ad pontem quo foſſa tranſibatur properaret, quam Succici è veſtigio inſecuti, dicto citius in vallum enituntur. Hi cum ſubveniri ſibi clamarent, ac ſpes impetu expugnandi oppidi foret, Kœnigſmarckius plures eo penetrare jubet. Sed accurrentium multitudine fractus pons eos, qui jam tranſierant, extremo periculo exponebat. Hi ut exitio eripere ſe poſſent, cæteris à labro foſſæ prius recedere non licebat continua diſplosione hoſtem ſubmoventibus, quam illicis foſſam è vallo gradum retuliſſent. Etſi par fere hoſti periculum, qui in ſumma valli lorica intectus ſtabat. Eo conflictu decem è Succicis occiſi, aliquot ſauciati; præcipua Brandeshagii tribuni jactura. Inde exteriore foſſæ lorica potitus Kœnigsmarckius tres vineas per foſſam ad vallum egit, ſimul dimidiam amplius oppidi partem ignibus injectis cremavit. Nec eo minus Archæ Comes oppidi præfectus interritum ſe oſtendere, ac literis ad Sparrium ſcriptis jactare, ab omnibus rebus abunde ſe inſtructum. Nam perſuaſerat ſibi Kœnigsmarckium hoc audito infecta re obſidium ſoluturum, ac ad VVrangelium abiturum, à quo huncce avocatum ex interceptis literis ſe cognoviſſe hoſtes ſparſerant. Sed cum iſte haut deſiſteret, quingentis inſuper equitibus, octingentis peditibus à Landgravia auctus, & jam vineæ vallo propinquarent, præfectus oppidi ut univerſo præſidio excedere liceret, poſtulabat. Id cum abnueret Kœnigsmarckius, ac opus ſtrenue urgeret, mox in vallum impetum daturus, Archæ Comes in has demum leges oppidum dedit, ut ipſe cum ductoribus eorumque ſupellectile Hammum deducatur, quingentis gregariis cum ſeptem vexillis in poteſtate Succorum relictis. Oppidum expugnatum ut ſibi traderetur Colonienſis Elector poſtulabat, aut ut ſaltem miniſtri ipſius in functiones ſolitas reponerentur: tum ut tributa minuerentur, ac VVarendorfo vis abſtineretur, quod ſpes eſſet Cæſareos inde amovendi, qui Colonienſi milite mixti præſidium ibi agitabant. Kœnigsmarckius de cedendo oppido ad VVrangelium, de minuendis tributis Monaſterium rejicere, cæterum miniſtros Electoris munia ſua libere exercituros. VVarendorfo ſe vim abſtenturum, modo ne præſidiarii è circumjecta regione tributa exigant. Quod ne fieret Electorales Deputati curaturos ſe recipiebant. Kœnigsmarckius inde dilatandis per VVeſtphaliam Succicis ſtativis Furſtenaviam invaſit, quam & paucos intra dies vi adhibita, ad deditionem adegit. Qua capta VVarendorfum confidens, nonnihil quietis copiis ſuis indulſit. Inde cum fruſtra ſuper neutralitate cum Franciſco VVilhelmo Oſnabrugenſi Præſule tractatus agitaſſet, VVeidenbruggam petiit, quam admota per quatuor ſeptimanas omni vi demum ad deditionem compulit, ea lege, ut Reumundus ſubtribunus cum omnibus præfectis & militibus, præter eos qui Succis antea militaverant, quorum ducenti erant, ſimul armis ac impedimentis Siburgum deduceretur. Sed quia vexillorum mentio in deditionis pacto facta non erat, his abreptis plerique gregarii ſacramento ſe ſoluros arbitrati apud Succos remanſere, ut è ſeptingentis non niſi centum ſexaginta diſcederent. Id oppidum quod longius à reliquis Succorum præſidiis remotum eſſet, ſubrutis munimentis à Kœnigsmarckio poſt deſeritur. Ita totam hic VVeſtphaliam terrore afflabat, in quem quæ apud Siburgum conſiſtebat Cæſareorum manus nihil autà Lamboium è Belgio in ſubſidium expectabat. Inter quæ & Haſſi Pollemi, non procul Colonia, cohortem peditum Cæſareorum integram interceperant.

1647.

14. Maji.

16. Maji. Et capit.

Ut & Furſtenaviam. 24. Maji. 1. Jun.

Et Weidenbruggam.

5. Jul.

7. Maji.

§. 63. Dum hæc in VVeſtphalia geruntur, Caſſellana Darmſtadienſem, proxeneta VVilhelmo Duce Saxoniæ, peculiarem tractatum aut inducias fruſtra captantem, vi aggreſſa fuerat ductu Caſparis Cornelii Mortaignii, quem nuper miſſione à Regina obtenta copiis ſuis præfecerat. Is Caſſellis

Landgravia Darmſtadienſi compl'ura loca eripit.

8. Maji.

mo-

1647. movens primo Merloviam arcem triginta peditibus infeſſam nullo negotio in poteſtatem redigit. Grunberga diffugiente mature præſidio ultro portas pandebat. Fridberga inde petebatur; quod
20. Maji. oppidum Haſſi aſſultu expugnabant, duorum duntaxat militum jactura, Cæſareis in arcem refugis; quæ & injectis aliquot globis ignivomis citra exceptionem ſe dedebat. Tribunus Reiffenbergius Francofurtum dimiſſus, tradita tamen prius Reiffenberga arce; gregarii centum ſexaginta Haſſicis cohortibus admixti. Inde in Haſſiam
21. Maji. regreſſus Kœnigsberga, ac Blanckenſteina arce, ac in ea ſexaginta peditibus potitur; quarum illa incenſa, & arx pulvere pyrio diſjecta. A Landgravio quoque Erneſto octoginta pedites Gieſſa progreſſi cæſi, captive. Darmſtadienſis cum inferiorem ſe armis videret, Smalcaldiam oppidum, præfecturamque, tum dimidiam partem ditionum, quæ in controverſiam veniebant, Caſſellanæ offerebat. Quas conditiones illa adſpernata ad inferiorem Comitatum Cattimelibocorum animum adjecit. Quo fine Mortaignius Hohnſteinam arcem non procul Schvvalbaco
1. Jun. ſubigit. Qui & nullo negotio Fano D. Goaris, ac Caſtello Cattorum Reinfelſæ oppoſito potitur, Darmſtadienſibus ob terrorem defenſionem haut auſis. Cauba tamen acriter reſiſtebat, donec cuni-
22. Jun. culis adactis demum cederet. Palatium quoque medio Rheno ſitum admotis demum machinis ſe dedit. Aſt qui Rheinfelſam inſederant, omnibus viribus ad eam muniendam incumbebant, cui & Mortaignius exercitum, quem ad Vetaliam Superiorem
27. Jun. trans Rhenum duxerat, admovebat, ac oppugnationi neceſſaria parabat, obſeſſis contra
Mortaignius cadit. continuo ex arce fulminantibus. Huic, dum propius adequitat ſitum loci penitius inſpecturus,
25. Jun. globo majoris machinæ crus abreptum: quo vulnere per imperitiam Chirurgorum poſt aliquot
8. Jul. dies extinctus eſt. Ad quam arcem dum fatagitur, inter Caſſellanam & Darmſtadienſem ſuper induciis in aliquot ſeptimanas tranſactum eſt; ubi inter alia convenerat, ut illa arx earum initio Caſſellanæ ultro traderetur. Iidem Haſſi inter hæc non procul Duſſeldorfo ducentos pedites Cæſareos dum Rhenum tranſire conantur oppreſſerant, & Gœrzio ſubtribuno cum pleriſque cæſis, reliquos captivos abduxerant. Iidem & apud Durenam quadringentos pedites Cæſareos in fugam dederant, dimidia eorum parte cæſa, aut capta.

Elector Colonienſis inducias abrumpit.

§. 64. Enimvero præter ſpem bellum in Weſtphalia recrudeſcebat, quod inter alia Kœnigſmarkium impediebat, ne in Bohemiam, quo à Wrangelio evocabatur, proficiſci poſſet. Quæ res diſſidio cauſam inter duces iſtos præbuit, Wrangelio vim imperii ſpretam querente, Kœnigſmarckio reponente; ſe digreſſo res per Weſtphaliam peſſum fuiſſe ituras, hoſtibus poſt ex ea Provincia Succorum terga infeſtaturis. Quæ ratio & Reginæ probabatur; vel ſerio, vel quia offenſæ anſam præbere nolebat viro tam egregie merito, & quo ſua arma carere non poterant; & cui ſi Succorum militiam exuere placuiſſet, apud Cæſareos lautiſſimæ conditiones patebant. Eadem quoque Wrangelio demulcendo per literas poſtulabat, ne quæ contigiſſent ad unguem exigere velit, neu ad præſentem Reipublicæ utilitatem acta in diminutionem imperii ſui acciperet. Simul Legatis ſuis Oſnabrugenſibus mandat, iſtorum ducum animis iterum conciliandis operam dent. Etſi Wrangelius contra cenſeret, Kœnigſmarckium melius factum fuiſſe, ſi Weſtphaliæ rebus Caſſellanæ commendatis, antequam Colonienſis inducias abrumperet, in Bohemiam ſe contuliſſet, ut Cæſarei toties offerente ſe occaſione profligari poſſent. Quo facto Bavarum & Colonienſem inducias haut fuiſſe abrupturos, velut qui omnia ſua conſilia ſtatu primarii exercitus metiebantur. Bello renovando cauſam aut prætextum præbebat, quod Colonienſis, induciis non ita pridem Ulmæ concluſis, renuntiaret. Rationem allegabat, quod Kœnigſmarckius ipſius militi tributa, & alimenta ex tractu Amaſano, Monaſterienſi Præſulatu, & Pirmontenſi Comitatu, in quæ nuper copiæ Succicæ deductæ ſint, intercepiſſet; id quod communi induciarum indoli, per quam omnia in præſenti ſtatu manere debeant, ac diſertis verbis pacti Ulmenſis repugnet. Quodque ejuſdem miles ſub ipſas Monaſterii portas hoſtili modo prædas egerit, Saſſenberga quoque arce, quam Colonienſis duntaxat miles inſidebat, occupata, & munimentis firmata. Caſſellanam præterea tractatibus pacis in ſuam ſatisfactionem talia depoſcere non veritam, quæ à ſe ſalva exiſtimatione, & conſcientia præſtari non poſſint. Quæ nec ullum ipſi ex induciis fructum conceſſerit, nulla tributorum moderatione facta, nec Deputatis ad conventum à VVrangelio Monaſterium indictum miſſis. Quin per Legatos ſuos declaraſſe; ſe nolle circa tributa certis limitibus circumſcribi, ſed eadem ex uſu rerum ſuarum intenſuram aut remiſſuram, non citra contumeliam addito; ſi ſublevari Provincias ſuas ipſe velit, proprium militem exautoraret; ſcilicet ut ſuæ Provinciæ Haſſorum libidini expoſitæ
1. Aug. forent. Eas rationes per literas Bonnæ datas Succicis ducibus exponebat, è quibus conſtare centebat, ſub infructuoſo ſibi induciarum vocabulo Succos Haſſosque id agere, ut oppida & Provincias ipſius ſubigant. Sed nec Reginæ ratificationem elapſis jam quinque conventis menſibus uſquam comparuiſſe. Unde nihil ſupereſſe ſibi, quam naturali lege permiſſam defenſionem ſuſcipere, & à Cæſare oblata auxilia non repudiare. Eodem argumento quoque ad Landgraviam literas dabat.

Kœnigſmarckii reſponſum 20. Aug.

§. 65. Kœnigſmarckius ad ea, quæ ſibi objiciebantur, reponebat: Haut quaquam tributa ſe ex propriis Electoris ditionibus intervertiſſe, quin potius edixiſſe, ut Præfectis Electoralibus iſtorum exactio pro lubitu relinqueretur. Pirmontenſem arcem jam ante annum, & antequam de induciis mentio fieret, à ſe occupatam, ac ejus poſſeſſionem VValdeccenſibus Comitibus eandem ſibi vindicantibus conceſſam. Quæ apud Monaſterium prædas egiſſe arguantur, catervas fortaſſe è Cæſareis fuiſſe; aut ſi è ſuis fuerint, id ſibi vehementer diſplicuiſſe: eas excurſiones ſeveris edictis prohibuiſſe, in deprehenſos animadvertiſſe, tutelari milite paſſim diſtributo illis obviam iviſſe. Qui læſi fuerint, ad ſe querelam debuiſſe deferre; ſi ipſe malo mederi abnuiſſet, tunc demum id factum ſibi imputari potuiſſe. Nullo modo militem in expeditione ita coërceri poſſe, uti qui mœnibus clauditur. Ob privata autem militum delicta, vetantibus ducibus patrata ſtatim inter amicos extrema tentare, ac hoſtilia inducere iniquum eſſe. Saſſenberga non aliter ſe uſum, quam ſervando ſuo commeatui adverſus pluvias; quo fine arcem modica lorica circumdederit, ac ſuum militem impoſuerit, Electoralibus militibus inde nequaquam ejectis. Nec longius una nocte ſuam ſtationem ibi ſubſtitiſſe, excitatis operibus ſtatim iterum ſolo æquatis. Juſtius ſe de Paderbornenſibus præſidiariis queri poſſe, qui

Ele-

1647. Electoris jussu tributorum Cæsareorum exactionem è Suecicis hospitiis promoverint; ex quo oppido etiam Cæsareæ catervæ, queis ibi fustugium præbitum, suis non parum damni dederint. Nec Landgraviæ deerant, quæ responderet. Postulata sua Osnabrugæ, velut abrumpendarum inducia-

Landgraviæ responsum.

rum causam absurde adduci. Per Ulmense pactum se non diserte ad moderanda tributa, sed ad conventum duntaxat super illis adstringi. Nec eo minus tam in Colonienſi, quam Monasterienſi Præfulatu plurimum de tributis remissile. Tum & in congressum, ob incidentia negotia paululum dilatum consensisse, ac ab Electore loci temporisque designationem expectasse. Quin amicitiæ stabiliendæ causa jam legationem ad ipsum destinasse, ni de mutato ejusdem animo constare cœpisset. Id vero armis suis maxime exitiosum, si Cæsarei, profecti hostes, & Colonienses incerti amici, ex Hassicis hospitiis majora tributa quam sui exigant, ipsiusque copias in angustum redigant. Ac revera expulsionem Cæsareani, imminutionem Electoralis militis præsentissimum fuisse medium temperandis tributis. Ac serio sibi fuisse decretum, tracto in Westphalia hoste Provinciam illam maxima onerum parte levare. Denique haut statim fas fuisse inducias abrumpere, etsi congressu habito tributa ad ipsius placitum remissa non fuissent.

Hostilia resumuntur.

§. 66. A verbis mox ad manus perventum, dum Colonienses Cloppenburgi complures Suecicos milites intercepere; qui & irruptione in Hassiam facta quatuor pagos incenderunt, multos diripuerunt magno pecudum numero abacto. Contra Hassorum quingenti Novesio progressi Brielam oppidum scalis admotis captum diripuere, militis quoque Electoralis in arcem refugi equis & impedimentis potiti. Inde Paderbornam aggredi instituunt; quo fine Landgravia Kœnigsmarckium auxilium poscit. Qui grandiores machinas, ac militem ipsi se commodaturum pollicebatur, quoad Vinarienses legiones composuisset. Nam eo facto sibi cum omnibus copiis, quas contrahere posset, ad Wrangelium acriter instantem in Bohemiam abeundum. Unde & statim superato Leina flumine Paderbornam accedit, ubi acriter res gerebatur, Præfecto oppidi Bertramo Movillio subtribuno fortiter resistente, cæsis Uffelio subtribuno, compluribus centurionibus & aliis. Qui & ita aditus omnes obstruxerat, ut sine multa cæde irrumpi non posset. Nec eo secius Hassi sub ipsa mœnia penetrare, ac cuniculos agere, ut parum ab oppido capiendo abessent, cum de Lamboii in Frisiam Orientalem irruptione nuntius ipsos juxta ac Kœnigsmarckium ad servanda sua hospitia eodem avertit. Lamboius enim, qui aliquamdiu Coloniæ Lotharingi copias expectarat, cum has apud Hispanos in Belgio hærere videret, summa cum diligentia militem colligebat, promulgato etiam Cæsareo edicto, quo Electoris Colonienſis copiæ ad Cæsaris sacramentum evocabantur. Quo tamen opus non erat, cum paulo post Elector aperte in Cæsaris partes iterum transiret, ac militem suum sane non invalidum Lamboji imperio subderet. Ita hic insigni manu succinctus Paderbornam non recta via, sed impressione alibi facta liberatum ibat Frisiam Orientalem invasurus, præcipuum Hassicæ militiæ firmamentum: qua occupata per Oldenburgicum Comitatum in Bremensem ditionem irrupturus credebatur. Eo animo primum circa Monasterium adpulit, unde Sparrium cum quindecim equitum centuriis, ac peditum manu recta per Rhenam Frisiæ, immisit; qui castellum Weimerense incassum tentabat, quod Hassi apertis catarrhactis circumjectum agrum aquis submersissent. Sparrium è vestigio Lamboius secutus post duo castella occupata Strickhusæ obsidium circumponere parabat, exploratoribus undiquaque dimissis, qui de Kœnigsmarckii motu referrent, ex quo ipse consilia in futurum capturus erat.

1647.

24. Aug.

Hassi Paderbornam obsident.

24. Aug.

Lamboius in Frisiam irrumpit.

§. 67. Is Lamboji conatus Hassios juxta ac Suecos non mediocriter turbabat. Nam præter opima Frisiæ hospitia, si destinata successissent, Cæsarei maritimum iter auxiliis Hispanicis patens à tergo accipiebant; à fronte patebat Westphalia, vagina illa exercituum; quibus deinde facile cervices submissset Oldenburgicus Comitatus, ut solo Visurgi à Bremensi Provincia dividerentur. Ex altera Frisii Occidentales, & Hollandi in Cæsareos proni, ob invidiam in Suecos haut ægre laturi videbantur Bremensi agro hosce exturbari. Ita Hassis Paderborna brevi subigenda erat relinquenda, ne Lamboio spatium relinqueretur in Frisia pedem figendi. Kœnigsmarckius quoque mutato consilio ad Wrangelium abeundi, Hammersteinium duntaxat cum quatuor equestribus legionibus eidem submisit. Ipse cum Vinariensibus legionibus, quæ iter in Bohemiam abnuebant, nec idoneis præfectis adhuc instructæ erant, in Westphalia subsistebat Cæsareorum consilius dissipandis, & periculo à Bremensi Provincia averruncando. Unde abductis Paderborna machinis, quarum graviores Lemgoviæ deponebantur, Hassis junctus raptim Frisiam versus properat, Lamboium in angustias ibi redacturus. Sed hic nuntio de Kœnigsmarckii motu accepto in Frisia haut diu moratus, relicto in duobus à se captis castellis valido præsidio, adverso Amisio progreditur, ut Lippia flumine superato in tuta evaderet. Aſt Suecici, Hassique itinere per Lengricham facto, copiisque apud Barbeccam lustratis, isti ita subito ingruunt, ut relictis quos è Frisia rapuerat equis, armentisque ultra Rhenam subsistere cogeretur; ubi idem in Cœnobio Bentlaga non procul Rhena lito stationem capiebat, cæso ante se querceto, quo frons adversus hostes tegeretur. Ac initia quidem Suecis, Hassisque bene se dabant. Nam Kœnigsmarckius ad Emsdittam non procul Rhena adpellens, cum videret hostem intra sua munimenta difficulter posse invadi, ac annonam ex oppido Rhena præberi, hanc ignitis globis inflammat, vento noctu ignem promovente, ut trecentæ triginta domus conflagrarent. Mox & Cœnobium Bentlaga igne deletum. Inde Emsditta noctis silentio movens, & apud pagum Mersenam Amisum transiens, prope Rhenam ac Cæsareorum castra edito in monte consedit, ac munimenta excitare cœpit. Lamboius castra istius nondum emunita intelligens, ac præcipue Hassicis machinis ex uno latere nullam adhuc loricam objectam, noctu Holsatiæ Ducem cum equitatu irruptionem tentare jubet; sed qui præceps multis suorum captis, ac quadraginta cæsis rejiciebatur. Sueci ea pugna subtribunum Schæferum, ac vexillum unum, Hassi itidem subtribunum, præfectum vigilum, & octo gregarios desiderabant. Munitionibus perfectis Kœnigsmarckius suggestus aliquot excitat, è quibus castra hostium, ac oppidum globis infestari possent. Et quanquam hostis in castris oppido, flumine ac opere firmatis invadi non posset; Suecis tamen Hassisque spes erat, eundem intercluso commeatu ac pabulo fame atterendum. Et qui pabulatores hostium deduxerant, semel atque iterum gravi-

Eum Sueci & Hassi invadunt.

4. Sept.

Lamboius apud Rhenam consident.

7. 8. Sept.

9. Sept.

A Suecis Hassisque obsidetur.

10. Sept.

13. Sept.

1647. graviter multabantur, interceptis præfecto vigilum, quatuor Præfectis turmarum, aliquot optionibus & ſignifèris, ac magna gregariorum multitudine; non paucis quoque occiſis. Nec minus ſequentibus diebus trecenti amplius multis cum equis capiebantur, Vinarienſibus ſtrenue rem gerentibus. Continuis cladibus adeo terrebatur hoſtis, ut multos per dies è caſtris prodire non auderet, ſtramine, quo tuguria tegebantur, in pabuli vicem adhibito. Sed quia obſeſſores Steinfurtum retro ipſorum caſtra ſitum nullo præſidio firmarant, fide adverſæ partis nimium confiſi, quorum cum Haſſis conventione locus iſte neutralitatis beneficio fruebatur; idem à Lautersheimio inſeſſus ſubvectionem Suecis difficilem reddebat: qui è Weſtphaliæ Præſidiis mille quingentos pedites; quadringentos equites contraxerat. Hic tamen mox, cum nonnihil annonæ, caſtris Lamboji clam inferret, ac in reditu Suecorum ſtationibus inſultaret, globo trajectus occumbebat, cum aliis Præfectis ac gregariis; Seeſtedius ſubtribunus cum octoginta equitibus à fœderatis capiebatur.

17. Sept.

11. Oct.

Ac tandem deſtitut.

§. 68. Tandem animadvertebatur Lamboium caſtra ad dimidiam partem contraxiſſe; unde conjectabat Kœnigſmarckius, iſtum relictis ibi peditibus, ac machinis cum ſolo equitatu evaſurum. Id quod haut facile prohiberi poterat, cum ſuos noctu in minutas catervas diſtributos Meppam, Warendorſum & Steinfurtum à ſe dimitteret, vix quingentis equitibus ſecum retentis. Cum igitur peditatui in hiemem uſque annona ſupperet, fœderati autem inſeſſis circa ab hoſte oppidis è remotis locis magno comitante præſidio commeatum petere cogerentur, ne ultro fame ſuos conficerent, diſcedere conſtituunt. Et Rabenhauptius quidem cum Haſſis in Friſiam abit, quem Kœnigsmarckius ad ejus fines uſque deduxit. Sed cum Wrangelius ad Vitſurgim adpelleret, & ipſe eodem vertit. Rabenhauptius inde caſtella Friſiæ à Cæſareis occupata haut arduo negotio recuperat. Ac Dielenſe quidem citra exceptionem ſe dedebat, viginti peditibus Haſſorum ſacramento adactis. Alterum caſtellum ad Amiſum poſitum, quod militari vocabulo à proſpectu in ſylvam vocabatur, *Guck in den boſch*, centurio cum quadraginta peditibus ultro deſerebat, ad primarium caſtellum Jemmingenſe refugus; quod machinis quaſſatum demum deditur, præſidiariis Meppam deductis, è quibus tamen ducenti prope, qui antea Suecicis in partibus militaverant, detenti. Weilerus ſubtribunus Haſſicus, qui per ignaviam id caſtellum Lamboio dediderat, capite multatus eſt. His geſtis Rabenhauptius Haſſiam verſus tendebat, una cum Suecis in hoſtem iturus. Præter hæc Haſſi Borckena progreſſi centum viginti pedites inter Dorſtenam & Veſaliam interceperant, viginti quinque cæſis, reliquis captis. Lamboius contra obſidio ad Rhenam liberatus per Monaſterienſem Præſulatum in Saurlandiam progreditur, ac Gundesbergæ cum Melandro collocutus ad Rhenum vertit, ab iſthoc pedeſtribus aliquot legionibus auctus: Is primo Windeccam arcem machinis & ignibus ad deditionem compellit, Haſſico Præſidio Noveſium deducto. Poſt & Niedecca arx intra triduum ſubigitur. Mox Durena invaditur, utut neutralitatem ſibi ſtipulata, & Neoburgico Præſidio inſeſſa, quæ machinis atque ignibus jactis cum infeſtari cœpiſſet, oppidani territi defenſionem abnuebant. Unde & Præfectus animis collapſus oppido excedebat. Inde Coloniam profectus Lamboius cum Juliacenſibus Ordinibus ſuper poſtulatis hoſpitiis certa pecuniæ ſumma decidebat. Interea equitatus iſtius in hiberna diſcedebat; à peditatu autem ſub Woldemaro Comite Caſter arx ob paucitatem propugnatorum languide defenſa capitur.

4. Nov.

Lamboius complura loca recuperat.

21. Nov.

1. Dec.

Haſſi caſtella Friſiæ recuperant, 25. Oct.

1647.

§. 69. Idem annus veteribus legionibus Vinarienſibus, quæ poſt Ducis Bernhardi mortem ſub Gallicis auſpiciis militaverant, finem attulit, dum ſeditione ſolutæ in novas legiones ſub Suecorum militia refinguntur. De cujus ſeditionis origine ac progreſſu altius repetendum eſt. Turennius poſt Ulmenſe pactum, cum Schmidbergio oræ Rhenanæ, Varennio Suevicorum & Wurtenbergicorum locorum curam commendaſſet, exercitum lento agmine trans Rhenum Tabernas verſus ducebat. Ejus exercitus præfecti dudum in Turennium offenſam conceperant variis de cauſis. Querebantur illi ſalutantes reſalutatione non dignatum; legionum deſideria exponentes, & vetera pacta ut ſervarentur petentes haut audiſſe, aut aſperis verbis protelaſſe: in demortuorum præfectorum locum non ex ipſis legionibus Germanos, ſed Gallos ſurrogaſſe; exercitum nunquam luſtraſſe, nec duces in conſilium adhibuiſſe; promiſſa ſtipendia, ſupplementa, & hiberna non repræſentaſſe. Jam ad externum bellum trahi, ac tamen de pecunia altum eſſe ſilentium ſeptem menſium ſtipendiis reliquis. Super his quidam primariorum ducum coitione Argentorati facta quædam poſtulata ſcripto concipiunt, ac mutuo ſe exiſtimationis ſub jactura obſtringunt, ne qua legio apud Tabernas tramitem ſuperet, quoad omnes ibi convenerint, ac deſideriis ſuis potitæ ſint. Ea poſtulata poſtero die ab omnibus tam ducibus quam gregariis probabantur. Contendebant iſti, ut Teutonicis legionibus non Galli aut extranei ductores, ſed qui ſub illis legionibus meruiſſent; præficiantur; ut juſtitia hactenus recepto more deinceps quoque adminiſtretur; ipſæ ne disjungantur; ut ſibi in aula habere liceat, qui exercitus negotiis invigilet; denique ſeptem menſium ſtipendia, quorum dies ceſſerit, ſolvantur. Tum ne militiam Gallicam perpetuo ſequi teneantur; ſed pro lubitu ſuo miſſione potiantur. Denique ex aula ſibi caveatur, hæc aula nunquam vindicatum, aut exprobratum iri. Ad ea obtinenda ſocia ſe opera incubituros pollicebantur, infamia notando illo, qui à cæteris ſe disjunxerit, aut communem caulam prodiderit. Eam ob rem poſtero die vetus Roſæ legio, quæ prima Tabernas acceſſerat, per tramitem montes ſuperare abnuit alias legiones expectatura, ut ipſarum deſideria ab univerſis Turennio exponerentur, Roſa, qui recens è captivitate Bavarica redierat, fruſtra eam ad imperata facienda hortante. Mox & Turennius ſuperveniens cum promiſſis miniſque ad ingrediendum iter nequidquam eandem permovere conatus eſſet, abnuentes increpans, nec ſe amplius imperare obſequii ignaris velle, Tabernas provehitur, ubi pedites ac machinæ montes tranſibant.

De legionum Vinárienſium ſeditione.

4. Jun.

5. Jun.

§. 70. Interea & aliæ legiones equeſtres adventant, novem numero, Roſæ, Mazarini, Fleckenſteinii, VVitgenſteinii, Petzii, Ohmii, Ruſvvurmii, Tupadelii & Schutzii, quibus Roſæ legio dimacharum accedebat, & Schœnbeckiana pedeſtris, vetus flava dicta, etſi pleriſque dilapſis ad octoginta capita redacta. Heic univerſi fremere; ſibi promiſſa in Germania militantibus non ſervata,

Seditio gliſcit.

1647. ta, nedum ea in Gallia ſervatum iri, ubi in poteſtate Gallorum futuri ſint. Legiones non luſtratione more bellico habita ſparſim Rhenum traductas, ut aſtu in Galliam pellicerentur, ubi diſtractæ in ſervitium redigendæ ſint. Idem ſibi eventurum, quod à Bannighuſio in Galliam deductis legionibus, quas fama erat ademtis equis navibus impoſitas, ac in Cataloniam abreptas. Cis Rhenum reducerentur, ubi fidelem Regi operam navaturi ſint, non tamen ſub Gallico, ſed Germanico duce; quo fine Roſa proponebatur; quem noctu irruptione in Turennii hoſpitium facta vi abſtracturi erant, ni à præfectis coërciti fuiſſent.

Turennius ad ſeditioſos mittit. 6. Jun.

Hi poſtquam gregarius miles jam frœnum momordiſſet, Turennio denuntiant; ni legionibus ſatisfiat, ſe continere ipſas non amplius poſſe. Igitur hic Roſam, Vicecomitem Metium, Tracium quæſtorem, Fleckenſteinium & Schutzium ad ſeditioſos mittit; num turbas illas componere poſſint. Iſti cum ex omnibus legionibus tertios Præfectos Tabernas evocarent, hi oppidum introire abnuebant, ac ut iidem ad ſe in campum prodirent, poſtulabant. Quod & demum faciendum erat, Tracio fruſtra clamitante, hoc modo Regis autoritatem proſtitui.

De la Met.

Hi Roſam Ducem expoſcant.

Heic poſt rationes & promiſſa incaſſum conſumta demum à ſeditioſis Roſa Dux expoſcitur; qui & de reliquorum ſententia tam periculoſam functionem ſuſcipit, ne tam egregiæ turmæ dilaberentur. Hinc legiones ſigillatim appellatas ad obſequium reducere nitebatur, in præſens duorum menſium ſtipendio promiſſo, pro reliquis fide ſua interpoſita. Quæ adſpernatus miles in Germaniam reduci flagitabat. Remotis inde Præfectis ducentos ſeligunt audacia inſignes, qui Roſæ viam, qua ducturus ipſos eſſet, monſtrarent. Is demum ægre eos permovebat, ut promitterent, ſi cis Rhenum ipſos reduceret, ac tam diu ibi morari ſineret, quoad ſuper poſtulatis in aulam tranſmittendis ſatisfactum ſibi fuerit, ſe ipſi ac reliquis Præfectis parituros, ac in Regis verba denuo juraturos. Cum Roſa interrogaret, ſi forte Rex poſtulata abnueret, num haut eo minus ſub ſuo ac reliquorum præfectorum imperio pro communi Evangelicorum cauſa militare velint? id vero ſibi utique ſedere omnes inclamavere, in eamque rem compoſito agmine Tabernis Argentoratum verſus progrediuntur. Inde navigiis Rhenum tranſmittere cœperunt, juramento prius ſe invicem adſtringentes: ſi Rex opera ipſorum uti amplius nolit, ſe ad Suecicum exercitum tranſituros, eaque lege qua ſub Bernardo Duce militaturos; interim Roſæ, Fleckenſteinio, cæteriſque Præfectis parituros. Aſt Turennius jam Sarburgum progreſſus copias retro vertit, ſeditioſos verbis aut vi ad officium reducturus: montibuſque ad Tabernas ſuperatis in Alſatiam redit, acerbe in Argentoratenſes invectus ob commodata legionibus navigia, Roſæque mandans, ne quas trajicere Rhenum pateretur, ſero, cum pars impedimentorum & equitum jam tranſiſſet, & navigia in legionum manu eſſent. Quanquam autem Turennio operapeditatus, & tormentorum loco arbuſtis obſito trajectum impedire in prochivi fuerat: tamen cum Fleckenſteinius oſtenderet, vim citra exitium legionum admoveri non poſſe, reliquorum Ducum ſuaſu ſeſe reprimebat, ac Duraſium, Fleckenſteinium, Paſſagium & Schœnbeckium mittebat, qui blandis verbis eos ad manendum permoverent. Sed iſti omnia adipernati non niſi ſuperato Rheno cum Turennio ſe acturos fremebant. Ita transitus ultro conceſſus data etiam cautione, poſtremo agmini noxæ nihil illatum iri.

Legiones cis Rhenum redeunt.

Turennius id fruſtra impedire conatur. 9. Jun. 11. Jun.

1647.

§. 71. Turennius hinc morigeris copiis ad Weiersheimum relictis, & ipſe Stolhofiam venit, legionibus apud Raſtadium, ac poſt ob graminis copiam Rencham locatis. Quæ conſentiebant Rhenum iterum tranſire, & Regi militare, ſed non extra Germaniam aut Lucenburgicam, ſub Gallico quidem duce, non admixtis tamen aliis è Gallica natione Præfectis; nec ob privatas Galliæ cauſas, ſed ob ſalutem Proteſtantium, & libertatem Germaniæ. Eadem porro quæ antea poſtulata repetebantur, niſi quod de pecunia dimidiam partem remitterent; ac ut promiſſa ſtipendia exacte ſolverentur. Addebant, ut ob ſecuritatem ſuam locus ſibi ad Rhenum tradatur: Turennius de Præfectis juſtitiaque, & ut legiones conjunctim agerent, haut ægre annuebat, promiſſo quoque duorum menſium ſtipendio. Tum in aula operam daturum, ut circa reliqua ipſis ſatisfiat. Ita fere inter ipſos convenerat, Roſa ad placandos milites enixam operam navante. Sed cum alii contra tendentes à Roſa compoſita turbarent, is ad ſingularum legionum Præfectos ſcribit, ut mentem ſuam ſeorſim, non adhibitis in conſilium aliis, declararent; num Regi Galliæ ulterius militare, ac dictis jam legibus acceptaque pecunia Turennium in Lucenburgicam ſequi velint? Nam in hac confuſione hinc inde vagari ſibi turpe, nec diutius apud legiones manſurum. Id quod omnes uno ore affirmabant; ut magna ſpes eſſet, omnia brevi compoſitum iri; ac pecunia promiſſa Baſileæ, & Argentorati conquirebatur. Inter quæ legiones Oberkircham verſus movere cœperunt.

Idem cum his cis Rhenum tradit.

§. 72. Roſa legionum reſponſum, ac conceptam eum in ſenſum tranſactionem Turennio ad ſubſcribendum tranſmittebat, ſimul illas è præfectura Oberkirchana Rhenum verſus ducebat, cum Mazarini legio diffidentia adverſus Turennium ſeditionem inſtaurare, aliaſque ad paria incitare cœpit, ut relictis ductoribus aſſumtis ſignis aliam viam Buhlam verſus inirent. Conſternationi cauſam præbebat rumor ditus, velut Turennius pluribus copiis auctus vi eos in ordinem redigere inſtitueret. Ea ſuſpicione perſtricta etiam Roſæ vetus legio reliquas ſequebatur, Præfectis nequidquam eas retinere ſatagentibus. Turennius ac Roſa cum reliquis Præfectis abeuntes ſecuti denuo tractatus ſuſcipiunt, ut ſaltem ad reditum nuntii in aulam miſſi ſubſiſterent. Heic conventum, ut apud Buhlam luſtratione obita Turennio parituros ſe promitterent; qui circa Coppenheimum eos per ſtativa diſponebat. Heic à Bavaro Legatus Eiſenvvichius adfert, Bavaricas copias autore Wertano tumultuari, ac ad Cæſarem tranſire. Ubi Turennius à legionibus exquirebat, num accepto unius menſis ſtipendio in Bohemiam excurrere placeret? Quo poſtulato irritati novam tranſactionem priore longe graviorem adornant, qua inter alia excipiebant, ſe nunquam Rhenum tranſituros, ac ſi ab hoſte pelli ipſos contingat, ne verſus Rhenum, ſed exercitum Suecicum receptus fiat. Si hæc abnueret Turennius, miſſionem poſtulabant. Animis ita tumentibus Erlingam itur. Ubi præfectorum aliqui gregariis ſuſpecti, eoque ſibi metuentes, à Turennio petebant, ut Præfectos in oppido, gregarios extra tendere juberet. Id quod Roſa licet diſſuadente factum. Ita cum nemo eſſet, qui ægros animos mulceret, multi qui oleum flammæ adderent, equites

Seditio recrudeſcit. 24. Jun.

25. Jun.

Legiones verſus Niceram abeunt.

1647. quites tandem Præfectis in oppido relictis Nicrum versus explicatis signis iter ingrediuntur. Erat tunc Etlingæ apud Turennium Rosa, cujus acta, etsi ille verbis probaret, ostensa tamen intus concepta, velut clam seditionem foveret, ipsum custodiæ dare constituit. Quo fine aliquot centurias tacite Philipsburgo evocat, ac amota Germanorum statione Gallos substituit. Tum ut citra tumultum destinata perficerentur, ipse ad Rosam cænatum ivit; sed digressus post cœnam misso Præfecto in custodiam ipsum misit. Nanceium inde deductus per annum amplius detentus est, quoad Regina Suecia ac Landgravia intercedente demum liberaretur.

1647. Rosa in custodiam datur.

Legiones novum sibi ducem constituunt.

§. 73. Legiones Eltinga absque præfectis digressæ ductorem sibi constituunt Wilhelmum Hempelium Vinaria oriundum, studiis liberalibus quondam operatum. Is ore procax cæteris mutinantibus apud Tabernas primum, ac post sæpius legionum postulata expoluerat, eoque auctoritatem sibi apud vulgus militare paraverat. Singulis turmis vetustissimus equitum tantisper præficitur. Ita legionatim incedebant, non solutius quam summis ducibus præsentibus. Quorum adventu tota circum regio trepidat velut omnia direpturi forent. Unde & raptim Stutgardia milite firmata. Sed illi citra injurias, necessaria accepisse contenti, gravem in eos pœnam denuntiant, qui in Wurtenbergica, aliisque locis Evangelicis vim cuipiam inferret. Apud Vaihingam Nicro superato Bottmarum, VVeinsbergamque, inde Nidenaviam ad Juxtam flumen transibant, ubi per aliquot dies substitere expectaturi, num veteres duces cum ipsis acturi quid essent. Has legiones ut ad se pertraheret Cæsar Bœnighusium, qui abdicata nuper Gallorum militia, Cæsareas partes amplexus erat, cum mandatis misit. Is Asperga, ubi Bavaricum præsidium in Cæsaris partes pellexerat, literas ad istos dedit, quibus acriter in socia Regna invectus diffidentiam ipsorum adversus Gallos alere satagebat; qui &, licet ad Suecos ipsi transierint, ob fœderis necessitudinem vindictæ occasionem facile sint inventuri. Si ad se certos homines ablegare velint Cæsaris nomine cum ipsis acturum, ut omnibus præsenti penuria ex voto satisfiat. Instrumento ad has Bœnigshusius subtribuno VVirtzio uti constituerat, sed qui Marbaci interceptus, Ulmamque ad Nicrum deductus, quid iste machinaretur prodebat alias à Cæsaris militia abhorrentibus. E ducibus suis, qui Heilbrunnam ipsos secuti fuerant, Fleckensteinius asperis literis proscriptionem, & infamiam minabatur, si oblatas antea leges adspernarentur. Quibus hi non minus ferociter respondebant. Turennius paulo lenius scribebat: culpam seditionis penes Rosam esse, qui ipsos per præfectos quosdam Regis sacramento abducere conatus sit. Si ad officium redierint, lautius quam antea habendos. Fictos fuisse rumores seditioni excitandæ de Germanis in Cataloniam deductis, & quod ipsi quoque vi sint competendi, si quis has inter turbas præfectum suum offendisse visus sit, cujus iram metuat, alteri turmæ nomen daret; aut si malit, missionem peteret. Si ad obsequium redire placeat, in assignata sibi hospitia eis Rhenum concederent. Milites ad hæc modestius reponere; se biduum heic mansuros, interea Turennius cum Rosa ac Fleckensteinio accederent, extremam declarationem allaturi: quibus venientibus nihil infesti sit inferendum, utcunque tractatio cadat. Sed non aliter quam in campo inter universas legiones tractaturos. Nam verebantur, ne in oppidis à pedite Gallico circumventi in ordinem redigerentur. Sed quia Rosa Etlingæ captivus tenebatur, Fleckensteinius ob asperas literas, ac Turennius solus venire non audebat, biduum id frustra elabebatur. Ita omisso Turennio trans Mœnum concedebant Herbipolensis præsulis ditionem citra noxam transeuntes, summo supplicio nonnullis, qui atrocius deliquerant, affectis, ut justo regi imperio crederes. Turennius hos cum copiis suis insecutus multos pollicitis ad obsequium reducturus erat, ni iræ indulgens, quosdam ad præfectos suos revertentes equuleo subjectos fœdis tormentis lacerasset, sine dubio quosdam exsculpturus, quibus Rosam argueret. Unde universi asperati transactionem cum ipso deinceps refugiebant. Tandem ad manus ventum fuit, dum Turennius Conigshofa Arnsteinum angustam per viam tendentes quatuor cum machinis, sexcentis peditibus, aliquot Gallorum equitum centuriis, ac ipsorum quondam præfectis in alam compositis subito aggreditur. Ast illi acriter hunc cum equitibus suis ad pedites usque & machinas repellebant, graviter multandum, si priores legiones, quæ angustias viæ jam transierant, postremis subvenire potuissent. Quamquam & nunc ex ipsius copiis plurimi cæsi, aut sauciati forent. E seditiosis dimachæ, qui agmen claudebant, plurimum damni acceperant, tribus vexillis amissis, ac nonnullis captis. Nec ultra insistens Turennius ad Rhenum iterum vertit, recensione reliqui apud se Germanici militis facta. Ipsius prætoria, Rosæ nova, & Ohmii legiones integræ aderant. E Petzii legione ducenti equites restabant; dimidia quoque dimacharum pars, ac è reliquis non spernendus numerus redierat. Infrequentes legiones in aliquot alas refinguntur, dimissis absque stipendio superfluis ductoribus. Inde in Regis Galliæ verba denuo adacti, ac menstruo stipendio deliniti Turennium in Lucenburgicam, & Belgium secuti sunt.

Illæ trans Mœnum abeunt.

Turennius abiisti, repellitur.

Turennius in Belgium abit.

§. 74. VVrangelius cum Turennius ab ipso discederet, certis indiciis haut obscure collegerat, eas legiones ægre extra Germaniam abituras: etsi huc rem processuram haut crediderat. Nunc haut admittendum censebat, ut istæ ad hostium stipendia accederent. Nec minus tamen circumspecte agendum erat, ne Gallis offensæ ansa præberetur. Unde rem hanc ad Legatos Regios Osnabrugam referebat, ut quæ Gallicorum sententia esset exquirerent. Nam si eædem ad obsequium Galliæ revocari non possent, tantisper in usum causæ communis apud Suecicum exercitum retinendas, quoad animi istarum iterum compositi forent. Inde rem apud consilium bellicum, præsente Ministro Gallico Avaugurio proponit; ubi placebat Avaugurium, cum tribuno Friderico Reichardo ad illas mittendum, qui moneret, ne post tot merita in causam communem collata jam propinqua pace in transversum abirent, neu ob aliquas in Gallos offensas vetera destinata, fidemque exuerent, VVrangelium autoritatem suam interpositurum, ne hic motus ipsi fraudi sit. Sed si Gallicam militiam plane aversari cernerentur, ne per desperationem ad hostes transirent, ostenderent; VVrangelio non ingratum fore, si ad ipsius exercitum se conferant, quibus is amica omnia exhibiturus sit, quoad cum Gallis in gratiam redierint, aut alio modo res compolita sit. His cum mandatis illi Plana proficiscuntur. Sed cum legiones Visurgim versus progressas intellexissent, ad

Wrangelius hos motus præsensorat.

Turennius denuo cum illis tractat.

18. Jul.

4. Aug.

4. Aug.

1647. 9. Aug. ad Wrangelium irriti redeunt. Kœnigsmarckio Wrangelius ſcribebat, Legatos Regios conſuleret, annon expediat, eos ne ad hoſtem tranſeant, penes ſe retinere, quoad Reginæ mandata advenerint; cum de Gallia utique credi par ſit, eam iſtas apud Succos, quam apud hoſtes eſſe malle. Nam & Cæſar denuo Sparrium cum valida manu Cronacum miſerat, non modica argenti ſumma onuſtum, qui ad illos ſolicitandos tubicinem præmiſerat. Cui iſti reſpondent: ſe non Cæſari, ſed Reginæ Succiæ militaturos. Cæterum iidem poſt à Turennio intentatam Gallicam militiam plane abjurabant, fruſtulatim illum conciſuri, qui de illa reſumenda verbum faceret. Inde longius progreſſi Neuſtadio ad Ermeſium tribunum Erfordiæ præfectum ſcribunt; ſibi cum Gallia nihil deinceps negotii fore, ſed pro Succis & Evangelicis omnia impenſuros. Nec dubitare, quin is conſilio ac ope ſit adfuturus. Cum Ermelius ad Wrangelium eos deducere cuperet, hi abnuebant, quod idoneis impedimentis inſtructi non ſint; ac quiete ſibi opus eſſe, ut expeditioni rite ſe parare queant. Se ad Kœnigsmarckium in Weſtphaliam abituros. Huc viam ſibi monſtraret, quo & Erfordienſium hoſpitus parcatur, ac ſibi annona ac pabulum ſupperat. Nec obſcure innuebant, ſi à Succis repudientur, ad Lamboium abituros, ubi opimis hoſpitiis potituri ſint. His permotus Ermelius duos præfectos ipſis adjungit, quorum unus apud eoſdem maneret, alter cum quinquaginta equitibus ad Kœnigsmarckium Mindam prægrederetur. In itinere Haſſicus tribunus ipſos adibat, qui in Landgraviæ militiam, aut hujus obtentu in Gallum pertrahere illos conabatur, ac ut priores ſuos præfectos iterum admitterent. Id quod hi præfracte abnuebant.

Legiones ad Viſurgim concedunt. 25. Jul.

9. Aug.

Kœnigsmarckius Warendorfum aggredi cupit.

§. 75. Circa idem tempus Kœnigsmarckius poſt expugnatam Wiedenbruggam Warendorfum tentare conſtituerat, Succorum per Weſtphaliam rebus penitus ſtabiliendis. In quem propius ſubeuntem cum valida præſidiariorum manus erumperet, multa cum cæde ab ipſo repellitur, amiſſo etiam, qui erumpentes duxerat, Wolfeggio ſubtribuno. Inde dimidio ab oppido milliari ad Amiſum caſtra munit. Et quia Legati Monaſterienſes, ut vicinæ regioni quantum poſſet parceretur, poſtulaverant, acribus edictis, ac diſtributo tutelari paſſim milite prædabundos coërcet. Sed quod ſolus ſubigendo valido oppido haut par eſſet, Haſſicas copias, quæ poſt inducias cum Darmſtadienſi parum quod agerent habebant, expectare conſtituit. Eum cum Monaſterienſis prælulatus Ordines rogarent, ut oppidum omitteret, is non modo annuebat, ſi Elector Colonienſis Cæſareis amotis oppidum in ſuam poteſtatem redigere valeret, ſed & Wiedenbruggam Vechtamque deductis Succicis præſidiis redditurum ſe promittebat. Cæterum cum evocante V Vrangelio in Bohemiam abire decreviſſet, cum Rabenhauptio agit, ut is aſſumta Succicorum manu Haſſico milite id oppidum invaderet. Quod negotium hic poſt multas licet tergiverſationes ſuſcipiebat. Sed mox Landgravia literis monſtrat, haut expedire ancipiti eorum in Bohemia ſtatu diuturno obſidio copias fatigare; ac ſatius eſſe, expectare quo ſe res ibi daturæ ſint. Ita obſidium iſtud mutatione poſt rerum plane omiſſum. Et jam Kœnigsmarckius in Thuringiam & Franconiam iter adproperabat, ni Vinarienſes interveniſſent, & proſperæ Succorum in Bohemia res ipſius auxilium non magnopere deſiderarent.

Poſt omiſſa.

1647.

§. 76. Ab iſtis legionibus præmiſſi apud VVarendorfum ipſum adeunt; ſe Reginæ Succiæ in ullum cauſæ Evangelicæ militaturos; ni recipiantur, abolita præteritorum memoria, ſibi ad hoſtes tranſeundi neceſſitatem imponi. Kœnigsmarckius illos longe abeſſe optabat, ne fortaſſe contagio ſuos milites inficerent, neve ſi admittantur, Galli offenſam conciperent. Sed nec expediebat à tergo ambiguos relinquere, ac hoſpitia ſua libidini eorum exponere; aut ultro accedentes plane repudiare ad hoſtem tranſituros, aut hinc inde dilapſuros. Eoque ſatius viſum in partes Succicas pertractos cauſæ communi adhibere, quam ob metum offenſæ Gallicæ tam egregium militem amittere. Prius tamen ad Legatos Succicos Oſnabrugam ſcribit, ut rem ad Gallicos Legatos referant, num ipſi forte rationem norint iſtos placandi, aut ante abitum ſuum hiſce oris amovendi. Aut ſi hæc non ſuccedant, num conſentire velint, ſe cum illis utcunque tranſigere. Pari argumento ipſe ad Longuevillium Ducem literas dat. Legati Succici jam antea Wrangelio monente cum Gallis de hac re egerant. Sed cum hi crederent, illos facile ad obtequium redituros, amplius movere omiſerant, ne forte clam ſeditionem alere viderentur. Nunc Kœnigsmarckii literis allatis denuo Gallos monent; qui miſſo Stenglino à Kœnigsmarckio petunt, ut legiones iterum ad obſequium Regis Galliæ adducere laboret. Ab hoc eo nomine præmiſſi præfecti cum operam luſiſſent, tandem & ipſe cum Stenglino ad legiones profectus eſt, uterque quæ movendis animis faciunt ingerens. Enimvero illi teſtari, mori ſe malle quam ad Gallicum ſacramentum redire. Ac ni dux Succicus ipſos accepter, decreviſſe ſe intra viginti quatuor horas ſignis laceratis in diverſa abire. Ita Stenglinus re infecta diſceſſit; ut Kœnigsmarckio neceſſitas adferretur tractatus cum illis ſuſcipiendi. Poſtulabant hi reficiendis viris equisque duorum menſium hoſpitia, ac menſtruum ſacramenti initio ſtipendium. Tum ne Gallicam in militiam ipſos traheret, ſed ut in Succiæ & Ordinum Imperii uſum eoſdem adhiberet. Quod ſi ipſos ſecum ad primarium exercitum deduxerit, ne ibi relinqueret, ſed ſecum inde abductos ſuis ſub copiis retineret. Denique pace concluſa, ne ad extera loca abſtraheret, ſed in ſolo Germanico exautoraret. Inter hæc poſtulata primo præcipua inerat difficultas, quod reliquum æſtatis hoc modo incaſſum elapſurum eſſet, ingruente poſt hieme exiguo illorum uſu. Quia tamen Kœnigsmarckii res tunc non ferebant, ipſos eis Viſurgim relinquere, neceſſarium viſum ſecum abductos trans id flumen per oppida, ac tuta loca diſtribuere, nec ſtatim illorum opera uti, ſed quamdiu ibi ageret, ac periculum ab hoſte non ſubigeret, quietem ipſis indulgere. Menſtruum ſtipendium ſtatim repræſentatum. In poſterum pari cum reliquis legionibus conditione habendis. Ad Gallicam militiam repetendam non cogendos; ſi tamen oblatas à Gallis conditiones ultro acceptare velint, à Succis haut impediendos. Si Kœnigsmarckio humanitus quid accidat, aut ſi ejus opera Reginæ haut amplius uti placeat, aut ipſe militiam abdicet, in Reginæ fide permanſuros, ac qui dein præficiendus ipſis ſit, duci parituros. Si poſt finitum hoc bellum Regina ipſorum opera uti velit, denuo cum illis tranſigendum. Si qui inter Succicas & Haſſicas copias invenirentur ipſorum legioni-

Idem Vinarienſes accipere dubitat.

8. Aug.

Gallici Legati fruſtra cum illis agunt.

23. Aug.

Vinarienſium poſtulata.

Cum illis facta conventio.

1647. gionibus quondam adscripti, hisce denuo adjungendos. Ea pacta equites isti juramento, Kœnigsmarckius subscriptione sua firmavit. Recensione facta, mille sexcenta sexaginta capita inventa; veteranus & egregius miles, inferiore Saxonia fere oriundus, qui vel duplo majorem hostium numerum non formidaret. Initio seditionis longe plures fuerant, sed magna pars ad Turennium redierat, multi in diversa dilapsi erant; non paucos quoque sine duce palantes rustici trucidaverant. Reliquos Kœnigsmarckius in quatuor legiones digessit. Cæterum Reginæ id Vinariensium factum summopere displicebat, ne hoc exemplo suus quoque exercitus frœnum morderet. Simul secreta solicitudo animum coquebat, ne forte Kœnigsmarckius istis copiis succinctus prætextu libertatis Germanicæ vindicandæ cæteros populares in se traheret, bellique arbitria invaderet, tam speciosо vocabulo oculos animosque Germanorum in se versurus.

Per superiorem Sueviam gesta.

§. 77. In superiore Suevia post Wrangelii in Bohemiam discessum Succorum res retro collapsæ referebantur. Bavaricus tribunus Caspar Schachius dehortante licet Electore cum legione dimacharum octingentorum capitum ad Cæsarem transierat. Hic una cum Enckefortio per Algoviam dominari, Succicum tutelarem militem oppidis immunitis expellere, ac regionem tributis subjicere. Ab iisdem Wangena noctu oppressa, fabro murario exiguam portam per mœnia prodente, Oppidum per tres horas direptum; Succicus præfectus cum viginti tribus equitibus Lindaviam abductus. Inde Giessa invaditur, exigua prope Lindaviam arx uliginoso loco sita, quam Succicus optio cum triginta amplius peditibus triplici palorum ordine firmaverat. Ea per sex dies machinis verberata in has leges deditur, ut qui Cæsari antea militaverant, ad vetus sacramentum redeant, reliqui discedant. Istum VVrangelius coram militari Judicio causam dicere jubebat, quod præmature locum non leviter munitum hosti tradidisset. Inde Ravensburgum oppidum petitur, quod præfectus vigilum nonaginta cum militibus tuebatur, oppidanis quoque arma sumentibus. Id vi ac insidiis frustra tentatum, Cæsarei re infecta decessere. Sed cum iidem mox pluribus copiis firmarentur, ac multi è Bavaricis ad ipsos deficerent, præsidiis quoque Rotvvilæ, Friburgi, Offenburgi, Villingæ, Hornbergæ, ac aliis eo tractu Cæsareum sacramentum professis, Ravensburgum iterum peti credebatur. Unde consternati cives adventu hostis arma se abjecturos ferebant. Qua de causa Volcmannus Uberlingæ præfectus Succicum militem, ne in hostium manus incideret, inde evocabat. Ita oppidum ingressi Cæsarei acriter in oppidanos sacra Augustana professos sæviunt, plerisque in exilium ejectis velut perduellibus; etsi cum denuo in Cæsaris verba jurarent, venia anteactorum ipsis promissa fuisset.

Cæsarei Wangenam opprimunt. 23. Jul. Giessam capiunt.

4. Aug.

Ravensburgum frustra tentant. 3. Aug. 8. Aug.

Succi ultro deserunt.

Succi frustra Uberlingæ subvenire conantur.

§. 78. Dum totam Sueviam persultant Cæsarei, Uberlingæ à fame periculum imminere coperat, cui ægre in sex hebdomadas annona suppetebat. Huic levandæ cum à VVrangelio tunc nihil conferri posset, Moserus Benfeldæ præfectus à Turennio, sub initium Augusti in Alsatiam reverso, eo fine auxilium petit. Qui & Schmidbergio, cui præsidiorum Gallicorum per VVurtenbergicam & ad Danubium cura commissa erat, ut operam ipsi navet injungit. Ita inter hunc, & Moserum convenit contracta è præsidiis manu annonam Uberlingæ inferre. Ac Moserus quidem cum trecentis quinquaginta peditibus, septuaginta equitibus Benfelda movens, ad Rheinaviam superato Rheno Balingam pervenerat, ubi Schmidbergius mille amplius equites sociaturum se receperat. Volcmanno etiam Uberlinga cum aliqua manu accessuro. Enimvero dum Schmidbergicus miles inter Horbam coit Schlagmanni legio dimacharum trecentorum quinquaginta capitum Cæsareæ catervæ ducentis quinquaginta equitibus constanti subito impingitur. Ubi tribunus nimis fervide in hostem ruens statim initio pugnæ cadit. Unde turbato milite plerique præfecti capiuntur, vix dimidia legionis parte elapsa. Sed & plerique alii, quos Schmidbergius evocaverat, haut comparebant. Hortante tamen Mosero Dutlingam usque cum illis qui aderant processum. Sed cum nuntiaretur, hostem equitum numero longe prævalentem non procul abesse, Schmidbergius in VVurtenbergicam recessit. Unde & Mosero necessitas allata Benfeldam redeundi. Volcmannus qui cum suis Stocachum accesserat, cum VViderholtii equitibus se juncturus, audito Schmidbergii recessu raptim Uberlingam repetebat, vix Cæsareorum manus, qui eundem interceptum veniebant, elapsus. Ita consilium Uberlingæ annonam inferendi frustra fuit. Paulo post Schachius tribunus cum sua legione Mœringam ad Danubium vertit, ubi Baumbachii legio pedestris, ad Turennii exercitum spectans, tendebat. Hæc initio extra oppidum in montem concedebat; mox tamen detentionem haut ausa hosti se dedebat. Ita subtribunus, cæterique præfecti, ac undecim vexilla, cum ducentis quinquaginta gregariis, in hostium manus pervenerunt. Etsi ista de compacto gesta fuisse suspicio erat, quod moniti licet de periculo, ad tutiora se recipere negligerent, ac post præfecti juxta ac gregarii, Cæsareæ militiæ accederent. Contra Volcmannus triginta capitum catervam Constantia progressam in Meinavia insula conciderat: cui insulæ firmandæ qui Mœrsburgum hactenus insederant immissi, postquam Mœrsburgensi arci ignis injectus fuerat. Cæterum cum hostis tota regione potiretur, præsidia Succica per Sueviam haut parum in angustias redigebantur. Vicissim per navigia Lindavienses, & Constantienses multum molestiæ inferri poterat: sed cum Helvetii commerciis istorum oppidorum carere nollent, quos offendere haut tutum erat, ac Uberlingæ expediret lacu necessaria sibi subvehi, à Volcmanno commerciis libertas ad utrumque oppidum concessa. Langenarga inde arx, quam centurio Succicus cum quadraginta amplius peditibus insidebat, proditione gregarii qui antea apud Cæsareos stipendia fecerat, in cineres consedit, milite tamen, annonaque, & paratu bellico salvo, quem firmi fornices texerant. Eam arcem triduo post Constantienses, ac Lindavienses navigis, tribunus Schachius terra impetebant. Sed quos præfectus & submissæ Uberlinga naves strenue repellebant.

1647. 18. Aug.

25. Aug.

Legio Gallica à Cæsareis intercipitur.

Langenarga à Cæsareis frustra tentatur.

6. Sept.

5. Sept.

§. 79. Post abruptas inducias Bavaro prima cura erat Memmingam recuperare. In eam Przimskius quicquid in vicinis pagis annonæ inveniebatur congesserat, firmando præsidio centum quinquaginta milites Biberaci tendentes ad se evocaverat. Sed intercluso per Bavaricos itinere, isti Uberlingam se recipere cogebantur. Ita Biberaco à Cæsareis statim præsidium immissum. Memmingam Bavarus initio per literas tentavit ad oppida-

Succi Biberacum deserunt.

15 Sept.

Bavarus Memmingæ dedi-

1647. tionem impetrat.

pidanos ſcriptas, quibus nuntiabat, gravibus de cauſis Wrangelio ſe inducias renuntiaſſe,& à Cæſare ſibi injunctum, Memmingam in priorem ſtatum reponere. Igitur Suecico præſidio ut ultro excedat perſuaderent, aut ſi abnuat, nulla iſtud re operave ſublevarent; gravibus minis additis.

De la Pierre.

His literis aliæ ab ſummo vigilum præfecto Petra ad Przimskium adjungebantur, quibus, ut ultro oppido decederet, monebat tuto abitu oblato. Si

Sueci ad vim excipiendam ſe comparant.

recuſet vim adhibitum iri. Aſt Suecicus præfectus verba adſpernatus ad vim excipiendam omnia parat. Et quia quingentos paulo minus milites in oppido habebat,ut cives quoque arma arriperent, cupiebat. Sed magiſtratu deprecante ſatis habebat ducentos juvenes opificum miniſtros ſelegiſſe ad tuendas ſtationes, qua minimum ab hoſte periculum: reliqui cives ignibus reſtinguendis invigilaturi erant. Equites in foro ſtationem habere juſſi percurſis ſubinde plateis, ne quis in oppido tumultus excitaretur. Stramen ac fœnum ſub dio comportatum. Tum ne pretia rerum per

17. Sept. obſidium intenderentur edictum. Copiæ inde Bavaricæ oppido ſubeuntes ſtatim acceſſus moliuntur, ſuggeſtibusque excitatis machinis mœnia

25. Sept. quatiunt, ignivomoſque globos injiciunt, queis duo ſtabula frugibus nondum excuſſis plena conflagrabant, magno cum oppidanorum terrore. Unde edictum de talibus ſub dio exportandis acrius repetitum. Iidem & aliquot agreſtium centurias ad opus faciendum adhibebant, multis quoque metallorum foſſoribus adductis, qui cuniculos agerent. Contra Przimskius injecta mole rivum, qui oppidum perlabitur, ſiſtens magnam circa partem aquis ſubmerſit; tum machinis & eruptionibus multum damni obſeſſoribus intulit,

25. Sept. quarum una Bavaricos cæſis quadraginta, multis captis ſauciatisque proximis acceſſibus expulit, quinque machinis clave confixis. Sic ut Bavarici ſub finem Septembris jam quingentos ſuorum deſiderarent, præter magnum ſauciatorum numerum. Nec eo minus iidem urgere & cum ad foſſam uſque penetraſſent, cuniculis munimenta disjicere, ac crebris aſſultibus exteriora munimenta impetere, quibus tamen magna cum clade iterum ejecti ſunt. Ita novem per ſeptimanas obſidio extracto, cum præfectus militeſque ſumma virtute rem gererent, ad extremum parce licet ulurpatus pulvis pyrius deficere cœpit, ut duo tantum dolia ſupereſſent. Militum quoque numerus non parum imminutus, cæſis quinquaginta, præter ſaucios ad munia obeunda inhabiles.

10. Nov. Unde cum nulla auxilii ſpes adpareret, Przimskius ſuper deditione agere cœpit, & cum tractatu abrupto ad vim reditum fuiſſet, tandem con-

14. Nov. venit, ut idem cum ſuis Erfordiam deduceretur,

Memmingæ deditur. relictis qui ante Cæſari & Bavaro militaverant, nec legitime dimiſſi fuerant. Ita Przimskius cum trecentis amplius, qui reſtabant, oppido exceſſit; quorum tamen dimidia pars ex pacto ad Cæſarea & Bavarica ſigna rediit; ut centum viginti pedites, triginta equites duntaxat ſupereſſent. In oppido quinquaginta ſex milites cæſi, ſexaginta ſauciati fuerant, cum obſeſſores mille quingentos, ac inter hos præfectos quoſdam inſignes deſideraſſent.

Norlinga obſidetur.

§. 80. Sed & Norlingæ vis intentabatur; Oetinga prius ac vicinis circa locis Bavarico inſeſſis, ac ſubvectione intercluſa. Quo tamen Wrangelii juſſu ſubtribunus VVeierus relicta Dunckelſpula cum valida dimacharum ac equitum manu commodum ſe penetraverat firmando præſidio, quod ſub Bulovio tribuno oppidum tuebatur. Hoſtis inde VValterſteinam arcem, uno Norlinga milliari diſſitam ſeptuaginta peditibus inſeſſam aſtu in poteſtatem redigebat, fictis literis noctu per duos equites præfecto traditis, queis raptim à Bulovio Norlingam ſe conferre jubebatur. His ille fidem adhibens non expectata luce in viam ſe dedit: ſed in campum progreſſus à ducentis equitibus oppreſſus eſt parte ſuorum cæſa, reliquis una cum ipſo captis: pauci Norlingam evaſerunt. Pari aſtu, inde admotis ſcalis ab hoſte tentata Spilberga, irrito utrinque conatu. Poſt Memmingam expugnatam propius Norlingæ à Bavaricis vis admota. Sed quod ingruente hieme juſtum obſidium moliri grave eſſet militi adverſus frigus parum munito, ignibus oppidum tentare inſtituunt; poſtquam literis cives, ut Suecicum præſidium amolirentur fruſtra permovere tentaſſent, quod literæ illæ à Bulovio interceptæ eſſent. Ita ſedecim è mortariis globi quadringenti in op-

11. Dec. pidum injecti ſexaginta domos inflammaverunt, eo acrius graſſante igne, quia pleræque ſtramine repletæ erant, quod in aperta loca exportari præfectus fruſtra juſſerat. Durante incendio decuriones ac ſacerdotes à Bulovio flagitabant, ut cum hoſte ſuper deditione ageret; ſed qui precibus illis neglectus oppidum tenere conſtituerat, rebus ita diſpoſitis, ut cives quoque coërcere poſſet, ſi frænum forte morderent. Poſtero die pauci globi in-

12. Dec. jecti, ac inſequente nocte hoſtis abductis machinis re infecta diſceſſit. Ad Rhenum interim Cæſarei duce Bœnnigshuſio caſtellum ad Moguntiam in monte Divi Jacobi ſitum per inſidias tentare conſtituerant, prodente Canonico Furſtenbergio; ſed quod ducenti milites, qui Franckendalia expectabantur, pluvio cælo ad conditam horam adeſſe non potuiſſent, conatus incaſſum cadebat. Horneccum tamen oppidulum, triginta peditibus infeſſum, ab iiſdem occupatum. Iidem poſt

Cæſarei Wormatiam fruſtra tentant.

adjunctis Franckendalienſibus VVormatiam aggrediuntur, quam per octo dies machinis, globisque ignivomis ſat acriter inteſtant. Sed poſt

26. Sept. cum ſubmiſſa Philipsburgo manus per portam

4. Oct. Rhenanam urbem introiiſſet, eruptio fit, qua corruptis hoſtium machinis complures cæduntur. Unde ſub veſperam obſeſſores re infecta faceſſunt, ſeptuaginta fere ſuorum deſideratis.

Galli inducias cum Bavaro continuant.

§. 81. Cæterum eas rerum vices per ſuperiorem Sueviam declinare poterant Sueci, ſi Galli adverſus Bavarum rem gerere voluiſſent. Sed hi induciarum leges ſervare pergebant, negantes ſibi hoſtilia adverſus iſtum tentare injunctum. Quin nec permittere volebant, ut per Laugingam Memmingæ à Suecis ſubveniretur, quod facile mille equitum opera fieri poſſe videbatur. Quin à Suecis poſtulare audebant, ut è Bavaricis ſtativis ad Gallica proficiſcentibus tutus tranſitus per Suecica præſidia concederetur; quod tamen Moſerus Benfeldæ præfectus abnuebat, Erlacnio Briſaci Gubernatore nequidquam indignante. Gallici Legati, cum de hac re per Suecicos moveretur, vehementer ſibi Bavari factum diſplicere ferebant; nec Galliam heic à Suecis ſe diſjuncturam; ad quod & fœdere teneatur. Moram tamen excuſabant, quod nondum refecto Turennii exercitu, & ad Rhenum progreſſo, bellum Bavaro indicere tutum non ſit, ne is interim loca ab ipſis inteſſa repente opprimat. Aſt ineunte Octobri Turennius è Lucenburgica redux præter Laurerecam Crucenacum tendit. Ubi dum ſuis per aliquot dies quietem indulget, Falckenſtei-

Turennius ad Rhenum redit.

nam

1647. 19. Oct. nam arcem Lotharingico milite infeſſam vicinis moleſtiſſimo expugnare conſtituit. Machinis admotis præſidiarii abjectis armis Gallorum ſe arbitrio permiſere. Arx primo à Gallis præſidio firmata, poſt dejectis munitionibus iterum deſerta. 5. Nov. Dirmſteina quoque arce viginti Franckendalienſes admotis machinis ejecti. Inde ad Rhenum 10. Dec. progreſſus Turennius circa Ingelheimum, & retro copias diſponit. Tum miſſo tubicine Bavaro Bavaro inducias renunciat. denuntiat, Regem fœderis cum Suecia memorem, quamdiu is Suecos hoſtium loco haberet, junctis conſiliis rem adverſus ipſum geſturum. Simul per omnia Gallica præſidia inducias jam expiraſſe promulgat. Id quod Bavaro inexpectatum accidit, quod Legatus ipſius Krebſius è Gallia nuper redux diverſa plane ipſi perſuaſiſſet. Turennio propoſitum erat, non ſecùs in hoſtem rem gerere modicis ſibi viribus, ſed Wrangelio ſe ſociare. Jactabat tamen, non prius ſe conjunctionem ſuſceptum in, quam ſuper legionibus ad Kœnigsmarckum transgreſſis ſibi ſatisfactum eſſet, iisdem reſtituris, vel aliis pari numero ac præſtantia traditis.

Tractatum de pace continuatio. Convention ſuper Pomerania cum Brandeburgico ab omnibus optatur. §. 82. Initio hujus anni tractatio ſuper Pomerania fervebat, quam Suecі integram absque conſenſu Brandeburgici expoſcebant evictionem Cæſare & Imperio præſtituro. Etſi ſatis animadvertebatur, Gallos, Hollandos, Ordines Imperii, ipſosque Cæſareos malle conſentium Electoris ſuper eadem accedere. Eo fine Suecici Legati à Trautmansdorfio poſtulabant, ut, quoniam aliqui ex Ordinibus Imperii evictionem abnuituri, alii eandem parum curaturi ferantur, eorundem ſententiam ſuper iſta exquirat, ac ſi opus ſit iſtos ad eam comprobandam permoveat. Id ſibi non 1. Jan. diſplicere Cæſarei oſtendebant, ſcripti eo nomine Ordinibus proponendi Suecis copiam ſe facturos 4. Jan. polliciti. Id ſcriptum mox Cæſarei Suecis prælegunt, percunctati, num idem ſtatim edi velint? Suecі, cum conſtaret, quantopere multi huic negotio repugnaturi eſſent, quo fine & Belgarum 8. Jan. Legati Osnabrugam venerant; ſatius judicabant, dilata Ordinum conſultatione ſtatim cum Cæſareis tranſigere; quo deinceps contradicturis reponere poſſent, rem non amplius eſſe integram. Unde Cæſareis capita quædam prælegebant ſuper univerſa Reginæ ſatisfactione, in quibus præter pauca alia id tantum abnuebant Cæſarei, quod Regina totius Pomeraniæ nomine duo ſuffragia in Comitiis poſtularet. Id enim in Imperio inauditarum, ac poſtremum Ducem poſt duorum Ducatuum coalitionem non niſi unico uſum. Ad extremum tamen erumpebat Trautmansdorfius: ſibi conſtare, Electorem in citeriorem Pomeraniam, & partes cupitas Ulterioris conſenturum; idque Belgas adventantes velle. Et cum Suecі reponerent; ſe non amplius propoſita Electori optione teneri, Trautmansdorfius id quidem ſuo loco à ſe relinqui ajebat, ac idem urgendo Electori ſervire poſſe: cæterum tutiſſimum credere, ſi Regina partem cum conſenſu Electoris accepiſſe contenta totam Pomeraniam abſque ejuſdem conſenſu ne petat.

Hollandi acriter inſtant. 4. 5. Jan. §. 83. Eodem & ſequenti die Hollandi id negotium apud Suecos longe acrius urgebant. Jure Pomeraniam Electori deberi, qua innocentem, & qui arma nunquam adverſus Reginam tulerit, exui nefas ſit; cum Guſtavus quondam Rex hanc præcipuam armorum cauſam tulerit, Germanicam libertatem, & ditionibus ſuis ſpoliatos Principes reſtituere. Durius eſſe tam propinqua conſanguinitate Reginæ junctum ſuis terris privari; qui haut ſane ſpernendis conditionibus de ſuo Reginæ ſatisfacere voluerit. Pacem longe plus ſecuritatis ac gloriæ habituram, ſi cum conſenſu Electoris tranſigatur. Alias crudum ſtatui Sueciæ vulnus adhæſurum, nunquam funditus curandum, noviſque bellis materiam præbiturum ancipiti aleæ obnoxiis. Si pacificus cognatuſque Princeps ita durirer à Regina habeatur, quid alius ab eadem expectandum? Cum non aliam ob cauſam tanto ardore aliena petantur, quam quia tam opportuno ſitu ſunt. Haut levi ſuſpicione vicinos perſtringi, quod videant hoc obtentu Suecos imperium Maris Baltici, & commerciorum affectare; quæ res cum alios, tum Belgas Fœderatos ad vivum tangat, qui cum fœdere anni quadrageſimi libertatem commerciorum, & navigationis reſpexerint, nunc jure ſuo, ne ea detrimenti quid capiat, proſpicere debeant. Ad quæ Suecі; Reginam unquè ſibi ſatisfieri velle bona cum gratia eorum quorum intereſt. Eo fine alternativam propoſitam, qua ab Electore repudiata, Reginam eandem retractaſſe. Unde optime ſibi conſulturum Electorem, ſi in totam Pomeraniam conſentiat, ac idoneum æquivalens diſpiciat, cui obtinendo Regina pro viribus connixura ſit. Huc Electorem Belgæ flecterent. Hi regerebant; Id ſe jam tentaſſe nullo ſucceſſu, quod Elector tam commoda reliquis ſuis ditionibus regione carere nequeat. Unde ſi Suecis cordi ſit rem amice tranſigere, ad alternativam ante propoſitam redeundum; non quod certo conſtet Electorem conſenſurum, ſed ut via compoſitioni amicæ pandatur. Simul innuebant, Oderam inter Reginæ & Electoris ditiones limitem fore, uti Galli Brandeburgicis ſpem fecerint. Quod ſi Regina totam Pomeraniam poſtulare pertendat, non pacem, ſed novum bellum ſecuturum. Reginam coram toto orbe conteſtatam, à ſe pacem ſerio quæri; hæc poſtulata diverſum plane arguere. Belgas Fœderatos, quorum maxime intereſſit commercens in Mari Baltico libertatem conſtare, non poſſe non amicam tranſactionem commendare prævertendæ tempeſtati, quæ deinceps in fraudem commerciorum ſurrectura videatur. Cauſam hos ſuſpicionum aliis non præbere, & ab aliis ſibi præberi 12. Jan. nolle. Ita Belgarum apud Suecos ſermo modeſtus ac placidus erat ad commendationis modum; & ut iis, quæ à Suecis reponebantur, adquieſcere viderentur. Apud Haſſicos tamen oſtenderant; ægre ſe ferre, Suecos non ſtatim interceſſioni ſuæ locum dediſſe. Et Longuevillius Avauxio ſcribebat; iſtos ea velut repulſa graviter iratos fuiſſe. Ordines Imperii optant. Inter Ordines Imperii Electorales Monaſterii evictionem decreverant, ni Brandeburgicus in ceſſionem partium Pomeraniæ conſentiret; quam evictionem tamen ad totam Pomeraniam non extendebant. Eadem nec aliis cordi erat; & ipſi Evangelici Osnabrugæ optabant, rem amice, & cum conſenſu Electoris tranſigi. Inde cum Brandeburgici, & Ordines Pomeraniæ Provinciales ab ipſis peterent; operam darent, ut inter Cæſareos & Suecicos negotium ad dies aliquot differretur, quo Electori ad tractatus via aperta ma- 5. Jan. neat; per Deputatos apud Suecicos teſtabantur; gratiſſimum ſibi fore tantillam moram indulgeri, & amicam inde tranſactionem ſequi. In eundem ſenſum alii quoque differebant non ſine miſeratione, hanc ob cauſam pacem, ac negotia Imperii differri, nec obſcura ſignificatione Brandeburgici poſtulata ſibi probari.

1647. Brandeburgici ad tractandum se offerunt. 6. Jan. 7. Jan.

§. 84. Redibat tunc Osnabrugam Avauxius, & mox VVitgensteinius Clivis redux, quorum adventu negotium hoc aliam plane faciem induebat. Nam Elector mutata demum sententia parte Pomeraniæ accepta paris pretii ditione carere, quam omnem Domus suæ fortunam aleæ exponere decreverat. Id quod agnati Marchiones vehementer suadebant, protestationem interposituri, si is extremis insistere pergeret. Unde Elector Legatis suis in mandatis dederat, dictam alternativam certo modo amplecti. Id quod VVitgensteinius statim Avauxio, & Hollandicis Legatis significabat; qui & magna cum spe negotiationem hanc instauratum ibant. Et Avauxius quidem cumprimis de temperamento admittendo ingerebat; Gallos ut Reginæ pleue satisfiat cupere, sed sperare ea petitum iri, quæ præstari possint. Totam Pomeraniam volente Electore obtineri haut posse. Evictionem lubricam, nec sat ex dignitate; eoque parte potius ejus Provinciæ adquiescendum. Respicerent Sueci, quæ ab Hollandis erga Gallos patrata sint, non benefactores duntaxat, sed status sui creatores. Num hos dubitaturos Suecis se opponere, aliosque incitare in causa, quæ commercia ipsorum tangit? Sane quod Brandeburgicus tam præfracte tota Pomerania cedere abnuerit, solos Hollandos in causa fuisse; queis jam persuasum sit, orbis terrarum arbitria, ac ut Gallos, Hispanosque ad nutum suum temperent, in sua manu esse. Araufionensem Principem cum clientibus in ea republica potentissimis uxori obnoxiis agere, quæ omnibus modis Ordines in generi sui partes pertrahere laboret. Id quod ut ipse Suecis demonstraret, Mazarinus jusserat. Ista tamen omnia Suecos nondum permovebant, ut postulatis suis desisterent, ni Cæsarei promissam evictionem retractassent; quod sufficere putarent, proposita tota Pomerania sub Cæsaris evictione Electorem à se ad amplectendam primam alternativæ partem compulsum. Unde Suecis denuntiarunt; si Elector in partem Pomeraniæ consentiat, de quo sibi constet, Reginam non amplius totam Pomeraniam sub Cæsaris & Imperii evictione petere posse. Equidem Electorem antehac eam conditionem repudiasse; sed præpropere & adjunctis clausulis, quæ idem exculent, & rem tantisper integram retinere videantur, quoad ejus Legati advenerint. Eos jam adesse; nec Electorem pro tantilla mora tanta pœna affici posse, ut tota Pomerania gratis carendum sit. Haut alia lege se pro tota Pomerania evictionem obtulisse, quam si Elector priorem alternativæ partem repudiaverit. Hanc nunc ab illo ambabus ulnis arripi; qua & Suecis adquiescendum sit. Hanc sententiam non Suecis modo, sed & aliis passim vulgavere, haut parum partis adversæ animis obfirmatis.

8. Jan. Id quod Avauxius suadet. Cæsarei promissam evictionem retractant.

Sueci tractatum acceptant.

§. 85. Cum itaque omnium favor in Electorem emineret, Sueci vela vento attemperare, ac denuo tractatus cum Brandeburgicis admittere constituunt, Avauxio Mediatore, qui operam suam in hanc rem obtulerat. Id quod facile ferre Cæsarei videbantur, qui quoties de hac re cum Suecis colloquerentur, suadebant quidem Electoris contentum super satisfactione quærendum; haut tamen illos acriter urgere audebant, quod ipsi totam Pomeraniam Suecis jam obtulissent. Brandeburgici initio pertendebant Oderam limitem inter Reginæ & Electoris ditionem statuendum. Stetino quoque ægre carere volebant, oblatis duodecies centenis uncialium millibus, quæ Galli proposuerant illi, cui isto oppido cedendum foret. Sed cum ista repudiarentur, prior pars alternativæ acceptanda erat, ut tamen sibi reservarent, Electori integrum fore per literas aut legationem apud Reginam tentare, num id oppidum obtineri queat. Eam porro alternativam intelligi volebant juxta propositionem à Suecicis Legatis Monasterii die octavo Novembris factam. Vicissim postulabatur præsulatum Halberstadiensem, Magdeburgicum, ubi vacare contigerit, ac interea temporis aliam Provinciam utendam fruendam; tum Mindensem, cum Comitatu Schaumburgico, duodecies insuper centena uncialium millia in Stetini vicem. His addebatur, ut navigatio & usus Oderæ fluminis Electori, ejusque subditis liber sit. Ut loca Marchiæ, & Ulterioris Pomeraniæ una cum machinis restituantur; simul *Commendæ*, & bona Equitum Divi Joannis à Suecicis Præfectis nunc possessa. Ut Electoralibus navibus statio, commerciorumque inter utriusque subditos liber usus; inprimis communicationis linea inter Pomeraniam & Borussiam sit. Ut Regiæ donationes in Pomerania abolcantur; reliqua tributorum & militum satisfactio remittantur. Pomeraniæ titulus & insignia, tum sessio & suffragium in Comitiis Electori reserventur: denique fida amicitia, & vicinia inter Sueciam, & Brandeburgicam Domum colatur. De fœdere cum Regina, quod velut obiter jactabatur, haut magni momenti visum. Contra Suecis à Brandeburgico postulatum æquivalens enorme videbatur. Sed quia sat probabile erat, ab Electore revera istas Provincias affectari opportuno reliquis ipsius ditionibus situ, tum dimidia Pomerania longe potiores, suspicio Legatis Suecicis oriebatur istum tota demum Pomerania cessurum æquivalente illo arrepto. Unde prius postulatum de tota Pomerania cum contensu Electoris per Avauxium repetebant, operam suam polliciti, ut Elector petito æquivalente potiatur. Sed cum Brandeburgici, quod Avauxius referebat, id plane aspernarentur, tandem ad alternativam redeundum erat.

Brandeburgicorum sententia.

Suecorum sententia.

§. 86. Ita cum Brandeburgicis negotiatio susceptа parario Avauxio, qui summa quidem ope ad rem conficiendam connitebatur, sed ut acrius pro Brandeburgico, quam pro Suecia studium ostenderet; quin majore contentione, quam ipsi Brandeburgici negotium ageret. Ingens Sueciæ periculum imminere abrupto hocce tractatu, ac si Pomeraniam invito Electore obtinere velit. Quamdiu Elector transactionem offerat, eamque Suecorum propositioni superstruat, neque Galliam pacis evictionem suscepturam, neque quenquam extra studia partium positum Suecorum instituta probaturum. Nec minis abstinebatur. Abaula sibi injunctum, è Suecis differre percunctari pacem velint, nec ne? Non Mediatoris tantum se munere fungi, quod & statim exiturus sit, sed Legati quoque Regis Galliæ. Si Sueci pacem nolint, id sine circuitione declarent. Regem Christianissimum diutius ferre non posse, ut Turca tantos quotidie progressus faciat cum omnium Principum Christianorum damno ac ignominia. Ista quidem obtentui sumebantur. Cæterum revera Galli bello in Germania diutius sustinendo impares tunc erant, exhausto domi ærario, & Hispanico bello nunc satis incumbente. Eoque cum sibi cupita obtinuissent, Suecos ad qualemcunque satisfactionem amplectendam urgebant. Porro in ipsa tractatione Brandeburgici

Avauxii pro Brandeburgico studium.

Tractatus cum Brandeburgicis

Dam-

1647. Dammum oppidulum ſibi reſervare cupiebant, detractis munitionibus; quo poſtulato tamen mox deſiſtebant. Super Caminenſi Præſulatu acrius certatum, quod Sueci Reginæ omnia jura, quæ Duces Pomeraniæ antea in eundem habuerant, reſervarent: Brandeburgici autem ea plane abnuerent, quod Succici Legati poſtremo ſcripto eum præſulatum, oppidumque Colbergam Electori ſe conceſſuros diſertis verbis declaraſſent. Sueci porro eo poſtulato Prælaturas, & Præbendas rejiciebant, quorum collatio penes Duces citerioris Pomeraniæ antea fuerat, quæ, dum hæc Provincia cum omnibus pertinentibus ceditur, illis ſubtrahi non poterat. Avauxius Brandeburgicis favens proponebat, ut Præbendæ recepto hactenus loco manerent, ſed ita ut circa eas, quæ ad citeriorem Pomeraniam ſpectarent, penes Reginam jus nominandi, penes Electorem jus conferendi è citeriore Provincia oriundis eſſet. Sed nolebant Sueci quidquam negotii eſſe Electori cum eo quod Reginam ſpectabat. Ita Avauxio & Brandeburgicis deſiſtendum erat; ut tamen diſertis verbis exprimerent Prælaturas & Præbendas ad Citeriorem Pomeraniam pertinentes, reliquas omnes Electori expreſſe reſervarent, ne fortaſſe generalia verba (*jus quod Duci citerioris Pomeraniæ antehac competierat, in Epiſcopatum & Capitulum Caminenſe*) longius porrigerentur. Cupiebant quoque Sueci tranſactioni inſerere, ut Dux Crojæ, quoad viveret, Epiſcopatus Caminenſis poſſeſſionem rite partam retineret. Quod Brandeburgici velut novum abnuebant, defectum mandati oculantes. Sueci in præſens id ſeponi demum conſentiebant, ut tamen Avauxius, & Legati promitterent, ſe ocyus Electoris conſenſum curaturos. Succeſſionem Sueci ad ſolam Electoris progeniem reſtringere volebant, mox tamen de Anipacenſi & Culmbacenſi linea gratificabantur. Tantum de Chriſtiano Marchione, quondam Magdeburgico Adminiſtratore, pauliſper dubitatum. Sed cum Brandeburgici offenderent eum ſenio provectum nulla prolis ſpe, admiſere, ut ſucceſſio ad univerſam Domum Electoralem ſine exceptione extenderetur. Porro Sueci præter Golnoam, Piricenſem quoque & Colbacenſem præfecturam citeriori Provinciæ adjungere ſtudebant una cum millione uncialium eo nomine, quod durante Domo Brandeburgica Ulteriore Provincia carendum foret. Quod Brandeburgici repudiabant, velut nunquam antea petitum. Ita Sueci ſola demum Golnoa adquieſcebant ea tamen lege, ne circa reliqua Brandeburgici difficiles ſe exhiberent. Super donationibus prædiorum in ulteriore provincia acriter diſceptatum, quæ ut ductoribus bellicis ſalvæ permanerent Wrangelius per literas poſtulaverat. Et demonſtrabant Avauxio Sueci, iſta bene meritis, & adhuc merentibus haut tuto ſubtrahi, præſertim ad certum duntaxat tempus data. Sed hic una cum Electoralibus pertendere; donationibus illis ſalvis Electori ſolum dominium Provinciæ directum, aliis uſumfructum relinqui. Nam præfecturas pleraſque à Viduis Ducalibus teneri, reliquas donationibus in alios translatas. Sic & Gallos donationes per Alſatiam & Sundgoviam ſuſtuliſſe. Melius militibus conſuli ſolutis ſtipendiis, quam per donationes brevi expiraturas. Ac permovebat demum Sueeos Avauxius, ut iſtis deſiſterent, ea tamen lege, ut Avauxius duodecim tonnas auri, quas pro locis in Pomerania & alibi Electori ceſſis Sueci prætendebant, expediret, ſimul negotium de militum ſatisfactione promoveret. Neque tamen donationes illas diſertis verbis retractare placebat, ac ſatis habebatur illas Reginæ expreſſe non reſervatas, Provincia Electori ceſſa pleno jure tam dominii utilis quam directi. In quo Sueci eo facilius Brandeburgicis gratificabantur, quod hi viciſſim illis ſuper ripa Orientali Oderæ lacuſque, cui Friſchhaff vocabulum, & Divenoæ conceſſuros promitterent. Hanc enim à Griffenhaga ad mare uſque Sueci nunc diſerte poſtulabant, & quidem vocabulo *adjacentium utrinque terrarum*. Contra Brandeburgici id initio plane abnuere, velut de quo Monaſterii mentio facta non eſſet; poſt ad quinque aut ſex duntaxat pedes eam ripam reſtringere volebant. Avauxio uti Suecorum poſtulatum amplum nimis, ita quod Brandeburgici offerebant, vile & abſurdum videbatur. Igitur verbis pro *adjacentium terrarum*, ſubſtituebat, *adjacentis terræ*, velut minus late patentia. De cætero cum latitudinem illius ripæ orientalis definire nunc tempus non ferret, ad futuram amicam tranſactionem eadem rejiciebatur. E titulo ſuo ut Elector Rugiam & Stettinum expungeret, Sueci poſtulabant. Sed Brandeburgici è vetuſtis monumentis demonſtrabant, eum proprie Ulterioris Pomeraniæ titulum eſſe. Præcedentiam Sueci Reginæ in univerſum, Brandeburgici alternis vicibus ſibi vindicatum ibant. Equidem Electori ſuper loco nullam cum Regina controverſiam eſſe; ſed nunc eandem cum ipſo concurrere, non ut Reginam, ſed ut Ducem Pomeraniæ. Et ipſam quidem majore parte potiri, Electori tamen eam portionem cedere, quæ antiquo more priorem locum ſortita ſit. Nec eo minus concedebant, ut Regina priorem locum in conventibus Circularibus obtineret, modo in Comitiis alternationi locum relinqueret. Nam ſi ſeſſio controverſia careret, facile Reginæ & huic cedi poſſe. Sed nunc quinque Domus in Comitiis ſeſſionem alternare, Pomeranicam, Meclenburgicam, Haſſicam, Wurtenbergicam & Badenſem, in quorum numerum Lauenburgici & Holſati fruſtra recipi quærant. Quod ſi Regina priorem locum retineat, Electori ſemper poſt dictas Domos non ſine ignominia conſidendum eſſe. Hanc ob cauſam Sueci Brandeburgicorum poſtulato annuebant. Demum cupiebant Sueci, ut Brandeburgicus Ordines Provinciales & ſubditos juramento exſolveret & peculiari inſtrumento pro ſe Domoque Electorali omni prætenſioni in ea, quæ Suecis relinquerentur, renuntiaret. In quod Brandeburgici poſt aliquam tergiverſationem demum conſentiebant. Circa reſtitutionem Pomeraniæ Ulterioris & locorum Marchiæ Brandeburgici & Avauxius omnes machinas & paratum bellicum, qui tempore primæ occupationis fuerat, ſtipulabantur. Sed Sueci oſtendebant; quo jure alii Ordines ex Inſtrumento pacis uterentur, Electorem quoque circa hæc uſurum. Et quanquam Brandeburgici contenderent, ob ceſſam Reginæ tam inſignem Provinciam Electori præ cæteris indulgeri quid poſſe; Sueci tamen metuebant, ne alii hoc in exemplum traherent: Ita illhoc petitum omiſſum. De Commendis & Equitum Divi Joannis bonis à Regina donatis Sueci ut reſtituerentur, facile concedebant, quantum quidem eorum extra terras Reginæ conceſſis jaceret: Remiſſionem reliquorum tributorum Brandeburgici obtinere non poterant. De condonanda rata Electoris portione ad ſatisfactionem militum

1647.

1647. Sueci ad Cæsarem, & Ordines Imperii rejiciebant. Immunitatem à vectigalibus neque expresse promittere volebant Sueci, neque diserte abnuere, cum Brandeburgici eam veteri more inter Principes receptam ostenderent. Unde res ad ulteriorem Reginæ declarationem remissa. Ita excussis præcipuis capitibus Avauxius contendebat, ut se præsente tota tranſactio recenseretur, tum subscriptione firmaretur prævertendis variationibus, quæ nunc aut deinceps oriri possent, ac ut Brandeburgici eo confidentius de æquivalente suo, ac negotiis Imperii agere possent. Ac postulabat quidem is duo scripta concipi, quorum altero de donationibus ductorum in ulteriore Pomerania revocandis, de immunitate vectigalium & machinis diserte inſereretur: quod tamen secreto habendum, ne ista ab aliis in exemplum traherentur. Enimvero uti Sueci duo posteriora non annuerant, ita consensum super abolendis ducum donationibus publicare haut tutum ducebant; quod etiam ad secretissima penetrare soleat hominum curiositas. Ita de secreto quidem scripto omissum. Ut reliqua scripto adornarentur, Avauxio acriter in-
28. Jan. stante abnuere demum Sueci non poterant; eaque formula à Secretario Legationis Biœrnklovio subscripta, ac retentis plerisque verbis post Instrumento pacis inserta fuit. Displicebat tamen Senatui Sueciæ, à Legatis alternativam fuisse acceptatam, cum judicaret, ea rerum facie totam Pomeraniam posse obtineri, Dano debili, Polonis in pacem pronis, languido Belgarum in Brandeburgicum studio, & Electori demum necessitatem fore consentiendi, siquidem æquivalente aliqua potiri velit. Ac plerique censebant, à Legatis jam conventa esse retractanda. Pervicit tamen Chanutus Legatus Gallicus apud Reginam pacis cupidissimam, ostentata omnium, & cumprimis Galliæ offensa, ut illa conventis adquiesceret.

Transactio absolvitur.

Brandeburgici Cæsareos æquivalens petunt.

§. 87. Caterum pro his, quæ Sueeis concedebantur, æquivalentes ditiones ut reciperent, Brandeburgici acriter connitebantur. Inter quas primo loco postulabatur Episcopatus Halberstadiensis cum omnibus juribus ad eum pertinentibus; ejusque nomine sessio & suffragium in Comitiis, & conventibus Circularibus. Utque ea ditio, licet Sopita circa Religionem lite, in perpetuum penes Electorem maneret. Eandem tamen parvo taxabant, quod Comitatus Rheinsteinensis Comiti Tattenbachio, Hohensteinensis Schvvarzburgensibus & Stolbergensibus seponeretur. Unde insuper Magdeburgicum Archiepiscopatum, ubi præsentem Administratorem mori contingeret, deposcebant, abolita si qua interim facta sit electione; ac ut tunc Elector possessionem propria autoritate arripere possit; interim in eum eventum Ordines suo juramento adigeret, ac loco quatuor præfecturarum Saxoni à Cæsare concessarum Eglam præfecturam ad Capitulum alias spectantem statim accipiat: post ubi plenam Præsulatus possessionem nactus fuerit, tertiam partem omnium præbendarum, & bonorum Capitularium redditibus Principalibus adplicet. His adjungebatur Episcopatus Caminensis. Hæc omnia eodem jure à se obtinenda stipulabantur, quo Bremensis ac Verdensis Episcopatus Reginæ Sueciæ concedendus sit. Sed quia hæ ditiones neque redituum magnitudine, neque situs opportunitate comparari possent cum ea Pomeraniæ parte, quæ Sueeis tradebatur; addebantur Episcopatus Mindensis, & duodecies centena millia uncialium illi antehac promissa, qui Stetino caruturus sit. Quod si tamen Cæsari & Imperio molestum sit tantam pecuniæ summam exolvere, proponebant, ut Electorales ditiones à rata satisfactionis militaris, & ab omnibus Imperii contributionibus in decennium immunes essent. 1647.

Circa petitos Episcopatus nulli se opponunt.

§. 88. Enimvero pecuniam hanc aut propositum temperamentum Cæsarei abnuebant, velut reliquis Ordinibus oneri cessurum. Offerebant tamen, se Electori illas Imperii collectas remissuros, quæ is nomine Episcopatus Brandeburgensis, Havelbergensis & Lebusiensis, nec non bonorum Ordinis Teutonici in Borussia multis ab annis in hoc usque tempus deberet. Sed super Episcopatibus quidam Evangelicorum acrius, quam ipsi Cæsarei se opponebant. Nam super Halberstadienti Episcopatu inprimis querelas movebat Fridericus antea Bremensis Administrator, velut qui multos abhinc annos Coadjutoris jus sibi quæsiverit, quod nunc sede vacante pleno effectu potitum sit: quem titulum omnes Evangelici Ordines, ac ipsius Electoris Parens sibi detulerint. Ipsum Electorem his tractatibus crebro jactasse; Cæsarem nullius Principis Imperii jura ac ditiones salvis divinis humanisque legibus condonare posse, nisi ex causa delicti, aut accedente illorum consensu, quorum interest. Nec Electorem ullo jure ut de alieno sibi satisfiat passurum; cum ipse velut Imperii legibus subjectus Regum exemplis uti nequeat; nec à se quidquam velut pro meritis, aut jure belli prætendere possit. Sibi tantum temporarium jus quæri: quo elapso haut ægre laturum, si Elector ea ditione potiatur. Quamdiu autem sua jura durent, Electorem bonæ fidei possessionem nanciscinon posse. Quo fine ille per Cleenium statim protestationem in-
24. Jan. terponi curabat; quam post per Theodorum
17. Mart. Reinkingium repetebat, à Sueecis Legatis postulans, ut secuta pace ejus ditionis possessio non in Electoris, sed suas manus consignaretur. Translationi Magdeburgici Archiepiscopatus intercedebat Augustus Saxoniæ Dux obtentu juramenti, quo promiserit, se illius præsentem statum, ac jura & privilegia sarta tecta servaturum. Sed circa utrumque Præsulatum contradicebat Domus Luneburgica, quod Dux Ernestus Augustus nuper Coadjutor Magdeburgicus designatus, Joannes Fridericus autem & Antonius Ulricus Duces Halberstadii Canonici forent; quem Præsulatum, si jus electionis persisteret, in suas manus perventurum speraverant. Inprimis jactabant; maximi pretii bona in hunc Præsulatum à Domo Brunsvicensi ac Luneburgica collata; unde hanc ab isto in perpetuum excludi iniquum; saltem donata, & impensas revocari par esse. Præter has privatas, alias quoque rationes Brandeburgicis opponebant. Electori nihil pensationis pro parte Pomeraniæ in Reginam translatæ deberi. Citra Regis Gustavi operam istum hanc Provinciam nunquam Cæsaris manibus ereptum fuisse, forte & totum Electoratum, aut ejus partem insuper amissurum. Qualem se Parens Electoris adversus Suecos gesserit, notorium esse. Crebris hortatibus, & ostentata in præmium Pomerania Gustavum ab Elector in bellum pertractum, quod hic non solum deseruerit, sed & post hostilia in Sueciam induerit. Quod Regina insignem Pomeraniæ partem Electori reddiderit, magis amore pacis factum, quam ob illius merita, aut quod eo nomine Ele-

1647. Electori æquivalens sit postulandum. Sat habiturum, si quæ Imperio nomine Episcopatus Brandeburgensis & Lebusiensis, tum Borussiæ debeat remittantur, quorum summa ad tredecies centena florenorum millia adscendat. Tum quæ poscat enormia esse, triplo fere taxationem excedentia earum terrarum, quæ Sueciæ tradantur. Menstruas quippe contributiones Magdeburgici Episcopatus mille trecentis florenis taxari, Halberstadiensis quadringentis triginta duobus, Caminensis centum octoginta quatuor, Mindensis totidem; quæ summa bis mille centum florenos conficiat: cum utraque Pomerania non nisi mille ducentis octo florenis menstruis taxetur. Saltem Elector apud Catholicos, qui bello causam dederint, aliquid terrarum in satisfactionem affectaret. Evangelicorum Principum quæsita jura ne præriperet. Inprimis querebantur, quod cum hactenus tantopere super immediatis bonis Ecclesiasticis certatum sit, nunc dum ex illis fructus aliquis speratur, pleraque in satisfactionis vicem absorbeantur, onere hoc in solos Evangelicos devoluto, dum Principalibus Domibus ad ista aditus præcluditur. Demum & Suecis demonstrabant, quantum incrementi Reformatis in Imperio accessurum sit, si Brandeburgicus tot Principatus amplis antea suis ditionibus adjungat, in quos pravo suo more paulatim Reformatos ritus sit introducturus; simul tot suffragiis in Senatu Principum & Directorio in Circulo Inferioris Saxoniæ, ac fortasse in Comitiis præsidio inter Evangelicos Ordines, quo Magdeburgicus nunc usus sit, potiatur. Id quod non minus sacris Evangelicis exitiosum sit futurum, quam periculosum Sueciæ, si Electoris potentia nimium glisçat. His rationibus ut locus relinquatur, Luneburgici à Suecicis Legatis petebant, ac ut præsens facies persisteret. De
6. Febr. quibus & jam antea Cæsareos monuerant, alia
10. Jan. protestatione interposita se Circulo Inferioris Saxoniæ, suisque Principibus, & dictorum Episcopatuum Capitulis jura sua reservaturos. Quam rem fervide agebant alioque in suam sententiam pertrahere conabantur. Nec sine minis Lampadius Trautmansdorfio non semel in os dixerat; Si Luneburgici Magdeburgico, & Halberstadiensi Præsulatu excludantur, Pacem haut coituram.

Brandeburgici respondent. §. 89. Nec tamen Brandeburgicis quod reponerent deerat. Augusto Saxoniæ Duci nihil decedere, cui dum vivit jus suum salvum sit. Coadjutorem Magdeburgicum in fraudem hujus conventionis nuper sumtum, postquam auditum esset, de isto præsulatu in Electorem transferendo agitari. Simoniæ speciem esse, quod Luneburgici jactent, quædam bona in eum præsulatum à se collata, ut is perpetuo in ipsorum familia permaneat. Quin Electori pro Pomerania pensatio debeatur, à nemine in dubium vocari; Episcopatus ab adversa parte justo liberalius taxatos, cum reditus Capituli simul computati sint, qui tertiam partem bonorum Episcopalium æquent. Præterea Magdeburgico Præsulatui quatuor præfecturas, Halberstadiensi duas dynastias detrahi; quibus supplendis Minda vix pertingat; & Magdeburgicæ ditionis possessionem Electorem vivum ægre obtenturum. Cæsareos, Gallos, Catholicos & pleroque Evangelicos Ordines contendere, ut Elector Magdeburgico & Halberstadiensi Episcopatu potiatur; nec Luneburgicis causam esse, quare tanto conatu repugnent. Directorium Circuli Inferioris Saxoniæ, etsi antea id usitatum non fuerit, Electorem alternis cum Regina gesturum invidiæ declinandæ. 1647.

Suecі Brandeburgico favent. §. 90. Suecos ex una parte Luneburgicorum rationes, ex altera universi fere Conventus Electori faventis contentius movebant. Reginæ equidem, uti Luneburgici agnoscebant, in totam Pomeraniam prætentio probabilis; ob quam tamen illa jus Electorum majoribus in Pomeraniam quæsitum nunquam in dubium revocaverat; eoque cum Electoris & agnatorum consensu eam provinciam adquirere voluerat, simul æquum & utile judicaverat pensationis in vicem alia istum ditione potiri, ne Imperio exinde turbarum causa nasceretur. Cum porro Elector consentire in partem Pomeraniæ tergiversaretur, ac Succi cum Cæsareis super tota Pomerania absque istius consensu transigere vellent, Evangelici Ordines ipsique Luneburgici preces interposuerant, ut volente Electore negotium conficeretur, ipsique pensatio contingeret. Transegerant inde cum Electore Succi, & quanquam ad æquivalens illi præstandum non tenerentur, tamen ejus postulatum improbare non poterant; nec par erat Luneburgicos nunc in dubium revocare, quod antea probaverant. Id porro æquivalens è Cæsareis ditionibus peti nunc non poterat: & si Catholici Præsulatus, puta Monasterienses & Hildesienses, deposcerentur, non Cæsar solum & Catholici Ordines, sed & Galli repugnaturi erant. Ita nulla expeditior erat via, qua Electori satisfieret, quam per propositos jam præsulatus. Quam sen-
8. Febr. tentiam suam Succi Magdeburgicis & Luneburgicis Legatis pandebant. Cæsarei circa Mag-
Cæsarei pe- deburgicum, Halberstadiensem & Caminensem
ctos præsu- Episcopatum Brandeburgico concedendum
latus an- promtos se exhibebant; Halberstadienti tamen ea
nuunt. lex addebatur, ut status sacrorum & bonorum Ecclesiasticorum permaneret, prout conventione Archiducis Leopoldi Wilhelmi cum capitulo definitum fuit, utque penes Comitem Tattenbachium Comitatus Reinsteinensis maneret, & feuda ab Archiduce cum consensu Capituli data renovarentur. Circa Magdeburgicum Præsulatum urbs Magdeburgum excipiebatur, de qua etiam Succi Legati Instrumento pacis peculiari articulo cavere volebant. Pro quatuor præfecturis in præsens statim Egla, & deinceps quarta pars omnium Præbendarum concedebatur. In his præsulatibus Augustanis sacris liberum exercitium, prout nunc in usu esset reservabatur; tum ut inter utriusque Religionis Ordines super gravaminibus constituenda in his æque ac aliis Electoralibus ditionibus valerent. Nec repugnabant, quo minus Electoris agnati titulo suo Principes se horum Præsulatuum nuncuparent. Circa Mindam
De Minda spem fa- hærebant, cui etiam Succi resistebantur, quod
ciunt. eam in Meclenburgicam pro Wismaria transferre cuperent ineundæ apud hunc gratiæ. Quia autem istius Legatus, quod offerebatur, negligebat arripere, ac tempus deliberando extrahebat, Brandeburgici occasioni immnentes apud Cæsareos
10. Febr. ita acriter instabant, ut scripto promitterent de illo Episcopatu in Electorem eadem cum Halberstadiensi lege transferendo, si is penes Evangelicos maneret. Ita Luneburgici cum frustra se
Luneburgi- Brandeburgicis obluctari cernerent, de Hildesien-
ci alios præsulatus affectant. si, Mindensi & Osnabrugensi Episcopatibus in se
13. Febr. transferendis proponebant. Sed Hildesiensis

citra

1647. citra dubium Catholicus erat præſulatus, cujus Coadjutor Bavaricus Dux erat; & obſtabat Luneburgicis quoque tranſactio cum Colonienſi Electore ſuper eo præſulatu inita. Circa Mindenſem Brandeburgici iſtos anteverterant. Oſnabrugenſi Epiſcopus Franciſcus Wilhelmus cedere nolebat, ac ut Guſtavus Guſtavi F. qui hactenus iſtum poſſederat, eundem ad vitam retineret, Suecici Legati contendebant. Cæſarei tamen oſtendebant, ſi Luneburgici expectativa poſt Guſtavum, aut Franciſcum Wilhelmum, prout tractatus inter ipſos ſuccederet, contenti eſſe velint, fieri poſſe, ut ex ea Domo Coadjutor ſumatur.

De ſatisfactione Suecica 26. Jan.

§. 91. Inter hæc Sueci ſuper ſua ſatisfactione cum Cæſareis in univerſum tranſigebant, cujus capita ſcripto concepta, mutuis inde congreſſibus excutiebantur. Ejus exordio iſti inter cautas petitæ ſatisfactionis poſuerant, *ſuaque tum indemnitati, tum propriæ communique amicorum ſuorum ſecuritati condigne proſpiceretur.* Ex eo quia concludi videbatur, Cæſarem Sueciæ ejuſque amicis citra cauſam periculum intentaſſe, Cæſarei hæc verba ſubſtitui cupiebant; *Pacique publicæ in Imperio reſtauranda, condigne proſpiceretur.* Quæ facile à Suecis admittebantur. Circa Pomeraniam parum habebant Cæſarei, quod monerent, niſi quod vocabulo vectigalium *modernorum* adjunctum ferre nollent, ut illa duntaxat intelligentur, quæ ante Suecorum adventum in uſu fuerant; nullo fructu, cum peculiarem diſpoſitionem ſuper vectigalibus admittere cogerentur. Volebant quoque Cæſarei, ut de æquivalente Electori præſtando diſerte inſereretur; Suecis abnuentibus, quod in tranſactione cum Brandeburgicis facta de illo omiſſum eſſet, ac poſſe inter Cæſareos ac Brandeburgicos illud ſeorſim expediri. Sed cum Cæſarei vehementer inſtarent, quod à ſe ægre iſtud, niſi Suecis ſimul connitentibus, evinci poſſit, hi demum annuebant. Ac à Cæſareis initio de Magdeburgico tantum & Halberſtadienſi Epiſcopatu mentio fiebat; ſed cum interim de Mindenſi quoque moveretur, clauſula generalis addebatur, qua hic quoque comprehendi poſſet; Wiſmariæ Cæſarei initio præfecturam Neucloſter detractam cupiebant; mox ſufficere ſignificabant, ſi Regina cum aliis terris prope oppidum ſitis eam permutare velit. Poſtulaverant Sueci, ut præſidium Wiſmariæ Duci quoque Meclenburgico juramentum præſtaret, ſed præfectus dextra duntaxat data fidem obſtringeret, Cæſareis ut & hic ſacramentum Duci diceret contendentibus, exemplo Caſalis, & Philipsburgi, ubi Gallicus præfectus etiam Mantuano Duci, & Epiſcopo Spirenſi jurat. Cum igitur Cæſarei judicarent, per hoc Ducem eo facilius ut conſentiat permoveri poſſe, Sueci quoque, ne quid in ſe deſideraretur id probabant. Quo fine Cæſarei Meclenburgico præſulatum Suerinenſem ſeu Burzovienſem, ac Raceburgicum in penſationem Witmariæ offerebant, ac ut dimidiam Præbendarum partem in uſus ſuos vertere poſſet. Sed cum hæc Duci non ſufficerent, ac Sueci utique eidem ſatisfactum cuperent, à Meclenburgico Legato exquirebant, num aliud quid ille deſideret, & annon Mindenſis Epiſcopatus ipſi arrideat? Nam permutationem non abſurdam putabant, ſi pro Wiſmaria, ex qua nunquam ultra ducentos quinquaginta unciales annuos ipſi redibant, Mindenſem ditionem acciperet, vicies mille uncialium proventu inſignem. Sed cum Legatus iſte defectum mandati excuſans præſulatum iſtum acceptare dubitaret, ſimul Ducis rationes Suecorum poſtulato oppoſitas tàm aculeatas publicaret; Sueci non ſolum Ducis cauſam agere omittebant, ſed & clauſulam addebant; ni Dux in conventa capita conſentiat, Reginam excluſo Ducis condominio illas partes Meclenburgicæ à Cæſare & Imperio in feudum accepturam, eodem evictionem præſtituro. 1647.

De Wiſmaria.

De Bremenſi dictione.

§. 92. Bremenſi Præſulatui unitum Capitulum Hamburgenſe, de quo antea mentio facta non erat, Sueci diſertis verbis adjungebant. Id quod facile patiebantur Cæſarei, modo Hamburgenſi urbi ſua libertas, ac jura ſalva perſiſterent. Sed circa præfecturam Wilzhuſanam, de qua inter Bremenſes & Monaſterienſes Epiſcopos hactenus litigatum fuerat, Cæſarei hæc verba addi volebant; *ſi per ſententiam Cameræ Imperialis Archiepiſcopatui Bremenſi adjudicata fuerit.* Cum id non ſuccederet, ſummam pecuniæ pro ea offerebant. Sed & hac repudiata demum, ut ea Bremenſem præſulatum ſequeretur, concedebant. Circa titulum Sueci ab initio vocabulum *Principatus* adhibuerant; quod Cæſarei facile annuebant, quod & Epiſcopi Germaniæ Principum nomine veniant. Sed mox vitandæ ambiguitati, iſti *Ducatus* vocabulum ſurrogabant; quod abſurdum ſit, Bremenſem Præſulatum, qui antea in Comitiis omnes ſeculares præceſſerit, nunc eodem cum Rugia ordine cenſeri. A Bremenſi Capitulo miſſus Juſtus Bruningius exhibito libello poſtulaverat, ut ſi præſulatus utique Reginæ tradendus ſit, Collegio Canonicorum, aliiſque Eccleſiis, ſimul Cœnobiis tam Evangelicis, quam Catholicis, Ordinibuſque provincialibus, Prælatis, Equitibus & Oppidis prior ſtatus, privilegia bona legeſque, prout ſub Archiepiſcopis fuerunt, perſiſterent, Papæ quoque ſuis menſibus, ac Cæſari primariis precibus reſervatis. Contra Sueci Capitulo plane extincto bona Regiis reditibus adplicari cupiebant. Id quod Cæſarei ægre digerebant; & quanquam ad extremum de Capitulo expungerent, Suecorum tamen poſtulatum conventioni inſerere abnuebant, jactantes; etſi forte bona illa à præſentibus poſſeſſoribus male collocentur, ea tamen prima ex inſtitutione honori Numinis deſtinata; nec Reginæ proventus inſigniter auctura. Nec penes Cæſarem eſſe talia expreſſe concedere. Reginæ deinceps circa iſta facere integrum fore, quod alii fecerint; ac facilius tunc Cæſari & Imperio futurum ad facta connivere quam diſerte in anteceſſum iſta permittere. Sed cum ſcripto ſibi caveri Sueci cuperent, id temperamentum demum admiſſum, ut res ipſa concederetur, licet mitioribus verbis velata. Denique Bremam Cæſarei immediatam & liberam Imperii urbem citra contradictionem declarari volebant, velut quæ dudum ſeſſionem & ſuffragium in Comitiis obtinuerit, nupero Cæſaris diplomate firmatum, nec ullo colore retractandũ. Sueci reponebant; ejuſmodi decretum jam olim quoque fuiſſe obtentum; unde & hoc nunc æque, ac prius illud productis ab Archiepiſcopo rationibus in contrarium, irritum fieri poſſe. Reginam urbi privilegia rite parta ademta non cupere, ac facile pati, ut eundem quem antea reſpectum adverſus Principem provinciæ gerat, controverſia ſuper immediatate ad amicam tranſactionem, aut deciſionem judicialem rejecta. Id quod Cæſarei 15. Dec. 1646.

velut

1647. velut temperamentum, quo neutri parti præjudicium adferatur, ac præsenti possessioni tantisper insistatur, facile admittebant. Nam suaserat, Trautmansdorfius, ne immediatum ejus urbis statum Regina nimis acriter solicitaret, quod sibi constet, Bremenses tuendæ suæ libertati in eum casum fœdus cum Hollandis agitare. Harum igitur ditionum nomine à Cæsare & Imperio feudi lege acceptarum Regina inter Ordines Imperii admittebatur. Circa sessionem & suffragium in Comitiis (nam circa conventus Circulares prior manebat locus,) Cæsarei sufficere judicabant, si Suecia duobus gauderet suffragiis, uno pro Bremensi & Verdensi provincia, altero pro Pomerania. Sed quia singuli Prælatus peculiare suffragium antea habuerant, Sueci eorum altero exui recusabant. De Pomeraniæ porro sessione res liquida erat. Sed de sessione Bremensis & Verdensis Ducatus Cæsarei ad futura Comitia rejectum volebant, quod ea res multos tangat. Cum tamen Sueci in ambiguo hærere nollent, declarabant tandem Cæsarei, ut illi proximum post Marchiones Brandeburgicos locum sortirentur. Circa privilegium de non appellando, & erigendam Academiam liberales erant Cæsarei. Portoria in perpetuum, & ut Cæsari taxationem eorundem inspicere, ac pro lubitu moderari non liceret, tardiusannuebantur, ni Sueci circa summam pecuniæ pro cessione locorum à se infestorum dimidiam partem remisissent. Pro ea Sueci duodecies centena uncialium millia postulabant; quam summam Cæsarei initio plane recusabant, velut Monasterii non promissam, & quia non alio nomine de eadem spes facta sit, quam si Stetinum Electori relinqueretur. Tum ipsos simultanea investitura, & expectativa Ulterioris Pomeraniæ potiri, unde iniquum esse pretium ejus ditionis accipere, quæ aliquando in ipsos devolvenda sit. Alia loca ut restituantur, Pomeraniam citeriorem, aliasque ditiones Reginæ dari ut pax fiat, cujus vigore quisque sua recipiat quæ ideo pecunia insuper redimenda non sint. Sed cum Sueci postulato suo insisterent, Cæsareis ad tractatus utique descendendum erat; in quibus Sueci demum ad sexies tuque centena millia remisere. Quod tamen hoc caput divulgari nollent Cæsarei, placuit separato scripto illud concipi. Denique in conclusione vocabulum *evictionis*, & mox *guarantia* à Cæsareis delebatur, velut variis disceptationibus antam præbere aptum. Sueci contra cum exprimerentur, quæ à Regina vicissim præstanda forent, vocabulum *fidelitatis* in *Juramentum Fidelitatis* convertebant. Optabant Sueci, ut ditiones quæ in Germania accepturi essent sub dignatione Electoratus possiderent. Qua de re cum Oxenstierna apud Avauxium insinuaret, hic vehementer abhorrere se ostendebat, exclamans nihil aliud restare, quam ut Lutheranis quoque Imperium postuletur. Unde cum id postulatum cum insuperabili difficultate conjunctum judicarent Sueci, de eodem publice movere omiserunt.

Tractatus ille concludirur. 4. Febr.

§. 93. Ita omnibus jam transactis, cum nil aliud superesset, quam ut clausula adderetur, quibus hæc conventio Instrumento Pacis inserenda significaretur, Avauxius se immiscere incipiebat, postulans, ut de Galliæ quoque negotiis mentio fieret, & quousque illa decisa sint, hæc pacta in pendenti efficacia forent. Nam equidem Galliam cum Cæsare, & concluta servare velle; sed restare quædam nondum transacta, inprimis ne Cæsari velut Archiduci Austriæ licitum sit Hispano auxilium ferre. Ea disceptatio in quartum diem negotium extrahebat. Tunc demum pacti bina exempla confecta, quorum altero Cæsaris, altero Reginæ nomen priore loco ponebatur. In Suecico exemplo numerus Calendarii veteris supra, novi infra ponebatur, in Cæsareo vice versâ. Instrumentum Secretarii Legationis Wilhelmus Schrœderus Cæsareus, & Matthias Bicernclovius Suecicus subscribebant. Sed caput de pecunia seorsim conceptum ipsi Legati Trautmansdorfius, Lambergius, Cranius & Volmarus sua manu firmavere. Permutatio instrumentorum hoc modo peragebatur: ut Bicernclovius Cæsareos ad ea inter se & conferenda, & subscribenda accederet, Schrœderus Suecicos invisens his Cæsarea duo scripta traderet. Hac porro transactione etsi Sueci non omnia ex voto obtinerent; nihil tamen in causæ publicæ præjudicium admittebant, uti à Gallicis factum, qui Alsatia potiti se non posse credidderant, ni circa Amnestiam & Gravamina Ordinum non pauca remitterent. Unde cum Cæsarei Palatinam causam, aliaque pro lubitu suo hac occasione decidere vellent, addita hac clausula (*Hæc omnia intelligentur ut simul etiam causa Palatina juxta conditiones in Instrumento Pacis positas, determinata maneat, ac Pax in reliquis etiam per Imperium sequatur, alias vero neutra ex parte obligatoria sint.*) Sueci abrupte id repudiabant, nec sibi improba hæc postulata, ac insolitam cauponationem placere, ac se super Sueciæ satisfactione haut admixtis alienis negotiis acturos. Circa summam autem pecuniæ peculiari scripto ita placebat, ut quadraginta uncialium millia de futuris Imperii collectis; quæ consensu Ordinum Imperii in Comitiis indicendæ, & à Suecia pro rata parte provinciarum ipsi cessarum exsolvendæ forent, detraherentur, ita ut eadem harum provinciarum nomine nullas Cæsari & Imperio collectas præstare teneatur, niti dicta summa compensata. Reliqua ducenta uncialium millia à Cæsare intra tres menses à die pacis subscriptæ Hamburgi exsolverentur.

1647. 8. Febr.

§. 94. Enimvero huic conventioni acerrime contradicebat Adolfus Fridericus Meclenburgicus Dux, qui id temperamentum proponebat, ut Reginæ navibus in portu Wismarienti libera esset statio; utque eadem portoriis Wismariæ & Warnemundæ salva tamen sua portione, ad certos annos frueretur, simul præfectus à se Wismariæ constitutus juramento adigeretur ad pacta conventa inter Reginam & Ducem firmiter observanda. Ni hæc admittantur, actionem sibi, ac posteris in Wismariam salvam fore. Butzovienti & Raceburgenti præsulatibus sibi haut satisfieri, tenui reditu, & qui pupillo suo Gustavo Adolfo Duci debeantur, ac ocello suæ ditionis haut comparandi sint. Simul multa incommoda, quæ ex Stecorum postulato promanarent, scripto concipi, & Osnabrugæ ad invidiam hisce faciendam disseminari juberat, solenni protestatione interposita. Ejus Legato, cum tam arctis mandatis circumscriptus esset, nullum temperamentum admittere licebat, eoque perfecta conventione ad Principem suum proficiscebatur acta relaturus; qui demum sub Martii exitum Osnabrugam revertebat. Eidem Cæsarei per literas significabant, quæ sibi cum Suecis super locis ad ipsum pertinentibus convenissent, rogantes, ut exemplo aliorum Ordinum ipsiusque Cæsaris mi-

Huic conventioni contradicit Meclenburgicus.

8. Febr.

seræ

1647. ſeræ Imperii conditioni ac neceſſitati cederet, ac in illam conventionem conſentiret paci maturandæ, ac ne incaſſum obluctatus plura mala ſuæ ditioni arceſſeret. Friderici Ducis Holſatiæ, quondam Bremenſis Adminiſtratoris nomine miſſus Reinkingius ſero Oſnabrugam adpellebat re jam tranſacta. Unde cum ſuper alienatione præſulatuum movere ſerum foret, Suecos æquivalens poſcebat. Ab his ad Cæſareos remittebatur, qui contemtim eum habebant; ut Trautmansdorfius poſtulata proponere exorſum interrumperet; non amplius tempus eſſe de iſtis loquendi ferens. Qua ſuper indignitate is ſcripto graviſſime querebatur, ac demum, ſi utique pacis cauſa Bremenſis Præſulatus Suecis cedendus ſit, ejus loco Hildeſienſem ſuo Principi depoſcebat. Iſti negotio uti Sueci ſe haut ingerebant; ita Cæſarei molli cum repulſa iſtum dimittendum judicabant: Fridericum mox Regno potiturum longe potiori, quam qua in præſens carendum ſit ditione; ac licet nunc magno cum labore æquivalens extunderet, iſtud eo caſu reſignandum fore. Denique quod de Capitulo Hamburgenſi mentio facta eſſet, non ſolum ea urbs querebatur literis ad Reginam ſcriptis; ſed & cum primis Fridericus Gottorpienſis Dux nomine Domus Holſaticæ poſtulabat, idem ſatisfactioni Suecicæ haut inferendum. Nam Capitulum & Eccleſiam Cathedralem Hamburgenſem à multis annis diœceſin non amplius habuiſſe, ſed ſubditos Holſaticos eſſe, & ad conventus Provinciales Prælatorum nomine vocari, eoque nomine in partem onerum Provincialium venire. Penes Holſaticam Domum Advocatiam eſſe ejus Capituli, & jus Præpoſituram aliaſque præbendas conferendi, quod neque à Cæſare, neque ab Archiepiſcopo Bremenſi unquam in dubium revocatum ſit. Sed Cæſarei declarabant; in Suecos non plus collatum, quam poſtremus Præſul habuerit, eoque nec Domui Holſaticæ, nec Hamburgenſi urbi hoc tractatu præjudicium illatum.

Friderieus Adminiſtrator Bremenſis. 15. Febr.

16. Febr.

Et Friderieus Dux Gottorpienſis.

Super Gravaminibus negotiatio.

§. 95. Initio anni Cæſarei declarabant, ſibi placere modum ſuper Gravaminibus per Evangelicos propoſitum, ut citra Mediatoris operam Cæſarei Suecique ea tranſigerent, quorum iſti nonnullos ex Catholicis, hi ex Evangelicis Ordinibus adjunctos ſibi haberent, rebus citius expediendis. Inde poſt profligatam ſatisfactionem Suecicam, Cæſarei declarationem ſuam primo loco, quod

12. Febr. jam ordo Catholicos tangeret, lingua Teutonica conceptam Suecis exhibuere; qui eandem ſtatim Evangelicis Deputatis tradiderunt examinandam. Hi deprehendebant, Cæſareos multa, ſecus ac conventum fuerat, omiſiſſe, alia addidiſſe; inverſo inſuper capitum ordine, & Libero Equeſtri Ordine, ac Urbibus Imperialibus inter Articulos de Nobilibus Provincialibus & ſubditis conjectis. Ex quo ſuſpicio naſcebatur, ne ex hoc fundamento Cæſar olim urbes Imperiales Patrimonialibus bonis, & Equeſtrem Ordinem ſubditis accenſere aggrederetur. Diſplicebat quoque Urbibus, quod poſt Equeſtrem Ordinem collo-

27. Febr. catæ eſſent. Huic oppoſitam declarationem Suecicis Legatis traditam Salvius ad Cæſareos deferebat. Quæ cum Cæſareis ad palatum non eſſet,

5. Mart. aliud ſcriptum elicuit, quod per Suecos Evangelicis redditum eſt. Reliqua diſceptatio ſermone peracta. Acriter porro Evangelicos urgebant Cæſarei, ut latas à ſe conditiones admitterent, nec ob paucas res exigui momenti bellum alerent. Cum enim Regnis ſociis jam ſatisfactum ſit, nec alia belli gerendi cauſa ſuperſit, quam quæ per Evangelicorum gravamina ſuggeratur, haut aliter credi poſſe, quam Evangelicis placere arma Cæſari inferre, ac Catholicis bellum ſacrum indicere. Simulabat quoque Trautmansdorfius, velle deſperata re Monaſterium abiturus ſit; quem ad differendum iter Evangelici precibus multis demum permovere. Sed & Catholici id agebant, ut hoc negotium poſt reliqua omnia dilatum demum ad Comitia rejiceretur. Quod ne à Suecis admitteretur, Evangelici diligenter inſtabant, ut gravamina cum aliis negotiis pari paſſu tractarentur, prout initio ab ipſis propoſitum fuerat. Obſtinatos inſuper ſe oſtendebant Catholici, ac ceſſim velut ibant, minati ſe abrupto negotio domum abituros. Quam pertinaciam alebat Avauxius ſuper hoc negotio cum Cæſareis conſilia ſedulo conferens, & Catholicos, ſicubi pacis amore remittere vellent animans; qui & ſubinde ingerebat; puſillanimitatem ipſis plus, quam adverſam belli fortunam nocere. Tum apud Suecos eorundem cauſam fervide agebat; ut non ſolum Oſnabrugæ, & Monaſterii; ſed & in Italia ac Romæ *Salvator Catholicorum* nuncuparetur; quo elogio ſibi mirum quantum placebat. Enimvero uti eo tempore Bavarici conſilia ſua à bello ad inducias verterant, ita & ipſis in tractatibus diverſam viam inſiſtere cœperant, id quod & Catholicorum rationes nonnihil turbabat. Nam hactenus Bavarici obtinendis quæ captabant privatis commodis, gravamina valde intenderant, facile probantibus Catholicis, qui tot opimis bonis ægre carebant; ac videbantur eam cauſam patrocinantibus Gallis pervicturi. Sed cum hac via parum promoverent, nec Galli obnitentibus Suecis perrumpere poſſent, illi mutata velificatione Evangelicorum favorem captabant, polliciti circa gravamina & alia deſideria his ſatisfactum iri, ſi Electoris petita per ipſos ſubleventur. Inde & Catholicorum animi frangebantur, ſubducto tam valido fulcro; & moderatiora Bavaricis ingerentibus cæteri quoque paulatim ad molliora flectebant. Ipſe quoque Avauxius de- 24. Mart.
nuo Oſnabrugam reverſus priore aſperitate omiſſa jam omnibus modis Evangelicos demulcere inſtituebat. Ex horum præcipuis nonnulli judicabant, utendum fortuna, cujus favore res ſuæ huc provectæ ſint, ut quas libitum ſit conditiones adverſæ parti temperare queant. Reliqui animo horum laudato, cum gliſcens indies periculum expenderent, mediam viam inſiſtere tutius cenſebant; ſic ut remittentibus utrinque ſpiritibus amicæ tranſactionis ſpes magis indies alluceret. Aſt Sueci, cum neque ſatisfactio ſua ad liquidum perducta, nec Landgraviæ & militum deſideria adhuc expedita forent, apud Cæſareos inſtabant, ut & de hiſce ageretur, nec interea in Imperii negotiis longius pergeretur. Unde ſepoſitis ſuper gravaminum materia congreſſibus, plenum Pacis Inſtrumentum, cui & caput de Gravaminibus ad mentem Evangelicorum inſertum erat, adornare, ac Cæſareis exhibere conſtituunt. Evangelici contra conſiderabant, Cæſareos poſt Bavari inducias ad plura cedenda permoveri poſſe, modo cum ipſis ante editum pacis Inſtrumentum ulterius ageretur: quos nunc facilius quid & decentius remiſſuros ſpes ſit, quam poſt exhibitum Inſtrumentum, ademto nunc prætextu velut vi iſta metuque extorta ſint, cum dicto Inſtrumento Cæſareis oprio relinqueretur, his legibus pacem, an belli continuationem mallent. Unde Evangelicorum

roga-

1647. 29. Mart. rogatu, Sueci aliquoties soli cum Cæsareis colloqui demum præsentibus ab utraque religione Ordinibus partium declarationes excussum ibant, in quibus multa utrinque remissa, non pauca tamen adhuc repugnantia inveniebantur.

Peculiaris Gravaminum disceptatio.

§. 96. Primo capite Catholici Gravamina cum Amnestia implicare omittebant: Evangelici contra quæsitam à se æqualitatem legibus Imperii, & pace Augustana circumscribi patiebantur. Secundo capite utrinque placebat *terminus à quo* annus vicesimus quartus. Tantum peculiaria quædam jam addebantur, ad quæ negotium paulisper adhærescebat. Postulabant Evangelici, Augustæ, Dunckelspulæ, Ravensburgo & Biberaco, non solum sacra prout dicto anno fuerant, salva persistere, sed & munia publica pari utriusque Religionis numero obiri. Tum ut Aquisgrani saltem extra urbem Protestantibus templum concedatur, iidemque pari cum Catholicis jure gaudeant. Utque Spira nuper introducti Capucini amoveantur, ac Donavverta libertati circa sacra & civilia, qua anni hujus seculi septimo gavisa fuerat, restituatur. Contra Catholici ab initio Mindensem Præsulatum hoc termino eximere, sibique reservare cupiebant. De quatuor istis urbibus paulum reluctari Evangelicorum postulatis assensere. De Aquisgrano nihil concessum, Cæsareis ad sententiam à Rudolfo II. anno superioris seculi nonagesimo tertio latam provocantibus. Super Capucinis Spirensibus tanti non visum plura movere. De Donavverta Cæsareis delatum, ut ad futura Comitia ea lis remitteretur. Mindam Cæsarei Francisco Wilhelmo Episcopo servatum volebant, post ejus mortem alternis vicibus ab Evangelicis possidendam. Sed cum animadverterent, eam Brandeburgico superpondii loco addendam, de eadem facile remittebant. Tertio capite circa *terminum ad quem* Evangelici demum spatium centum annorum admiserant, addita tamen clausula, per quam revera perpetua possessio stabiliretur. Unde & Cæsarei ac Catholici seposita temporaria transactione, cui antea tam acriter inhiterant, in talem, quæ usque ad Christianam & amicam controversiarum compositionem duraret, consensérunt; tandem & vocabulum *in perpetuum* inseri permiserunt. In formula sua Evangelici Præsulatui Magdeburgico titulum *Primatus* addiderant; quem Cæsarei omisere; nec isti ultra urgebant, quod ea dignatio mox expiratura esset. *Actualem possessionem* Evangelici pro norma in hoc negotio habuerant: Cæsarei surrogarant *titulum ad apprehendendam possessionem habilem*; quæ verba litigiis præbere ansam idonea, Evangelicis urgentibus expungenda erant. Cæsarei ab initio postulabant, ut si Ecclesiastico ob mutata sacra præsulatu esset decedendum, fructus perceptos ille restitueret: Evangelici contra isti extantes adhuc fructus reservatum ibant. Tandem utrinque placuit, consumtos penes ipsum mansuros, detractis in posterum ex eo præsulatu alimentis, quæ Evangelici hactenus isti stipulari voluerant. Circa Osnabrugensem Episcopatum præcipua difficultas erat, quem Evangelici sibi vindicabant, etsi Anno vicesimo quarto à Catholico Episcopo possessum. Rationes adducebantur, quod ab anno superioris seculi tricesimo secundo plerique ejus Præsulatus, & oppidi incolæ sacra Augustana amplexi, omnesq; Episcopi à centum abhinc annis eidem ritui addicti fuerint usque ad Cardinalem Zolleranum; qui tamen Evangelica sacra toleraverit; nec ultra septennium is Episcopatus in Catholicorum manibus fuerit; quibus jure belli per Suecos ereptus, pristinæ sacrorum libertati restituturus sit. Unde Suecis, Evangelicisque non ferendum, tot millia animarum Catholicorum potestati iterum subdi. Contra tendebat Episcopus Franciscus Wilhelmus, pro quo Avauxius acriter nitebatur, apud Legatos Suecicos jactans; sibi è Suecia Chanutum scripsisse, Reginæ placere omisso Episcopatu illo aliquam pecuniæ summam pro Gustavo Gustavi F. stipulandam. Sed & reliqui Gallici Legati ita acriter contendebant, ut San-Romanus exclamaret; mori se malle, quam Osnabrugensem Præsulatum destituere. Unde & 29. Mart. Lambergius Monasterium proficiscebatur è Gallis scisciturus, quid facturi sint, si Sueci Osnabrugam inter Evangelicos præsulatus trahere pergant? Num Turennius se Cæsareis juncturus sit, ad eum Præsulatum Catholicis vindicandum? Quin & denuntiabat Suecis Avauxius, ex Aula 2. April. injunctum ipsis significare, Galliam examussim fœderi satisfecisse, quin valida armorum conjunctione plura debitis præstitisse; ac judicare haut amplius teneri se vel ad exercitum in Germania habendum, vel ad pecuniarium subsidium subministrandum, quod Regna jam satisfactione sua potita sint, nec quidquam restet, præter minutorum quorundam Principum, & Ordinum litigia, quorum curam Gallia nunquam susceperit, nec fœdus eo pertinere duxerit, ut heic omnes ejusmodi tricæ componi debeant. Et si quæ superstint, solam Sueciam illis componendis sufficere. Suecos inconsultis Gallis arma è Germania in Daniam transtulisse; idem nunc Gallis fas esse. Sueci primo, num serio ista loqueretur, interrogare: & Avauxio id affirmante, ad Reginam se relaturos dicebant. Interim demonstrabant, mirum sibi videri Gallos credere, à Regibus jam omnia præstita, ad quæ fœdere obstringantur; eoque nomine Gallos bello se subductum ire. Præcipuum scopum fuisse, socios & adhærentes Regnorum tueri, honestamque ac decoram pacem obtinere. Sane ab initio liberaliter Ordines Imperii à Gallis ab hos tractatus fuisse invitatos, nullo discrimine, magni an minuti sint, sed quicunque læsos se querantur. Venisse hos, ac eorum negotia communi hactenus consilio tractata. Quod tarde negotiatio procedat, non suam culpam, sed adversæ partis esse; & ipsam negotiorum multitudinem raptim expediri non posse. Quin Evangelicos, qui Regiis partibus faverint, suspicari, jam super Gravaminibus Ecclesiasticis transigi potuisse, ni Galli remoram objecissent. Certe quo minus caput de satisfactione ad liquidum deducatur, ipsum obstare, qui tam enixe pro Osnabrugensi Præsulatu pugnet. Absurde de expeditione Danica recoqui. Quæ cum ita sint, mirari se, unde talia mandata Aulæ Gallicæ in mentem venire potuerint. Quibus auditis Avauxius rogabat, ne ad Reginam ista referrent. Quanquam & eadem de re apud ipsam Reginam Chanutus proponebat, verbis tamen longe placidioribus, & ut asperitatem ab Avauxio adhibitam excusaret. Sed & cæteris Legatis Gallicis demonstrabant Sueci; ipsos salvo fœdere repugnare heic sibi nefas esse; cujus scopus sit, omnia in eum statum, qui ante bellum fuerat, reponere; quo tempore Episcopatu illo Evangelici sint poriti. Unde isti non pauca de fervore suo remittere; & declarabat Longuevillius; si ostendatur sibi, conscientiam suam eo cesso non lædi, se non repugnaturum. Et Avauxius Evangelicorum Deputatus eo nomine ipsum invi-

1647. sentibus respondebat: Si eum praesulatum bona cum Caesareorum, & Catholicorum gratia obtinere queant, se non renixurum. Sed si non alia ratione, quam bello producto, Catholicis extorqueri possit, se ideo pacem non impediturum. Ita tandem eo res redit, ut Caesarei declararent, se cum Catholicis Ordinibus super hoc negotio acturos, quibus contradicentibus se quidem praesulatu illo decedere non posse; sed si his placeat eundem Evangelicis tradi, se non interceslturos. Circa quintum caput Catholici Statuta Episcopatuum utique servanda contendebant; quod Evangelicis monentibus ita restrictum; quatenus ista Legibus Imperii, Tractationi Passavienli, Paci Augustanae & praesenti conventioni congruerent, & in respectu Praesulatuum, qui penes Protestantes mansuri sint, nihil Augustanae Confessioni adversum continerent. De jure primariarum Precum facile utrinque consensum. Praetensionem Sedis Romanae Catholici *executione à brachio seculari impertienda carituram* declaraverant: Evangelici addiderant, ut eadem & *validitate* careret. Tum ut adderetur; Papalem provisionem Capitulis immediate è Curia Romana, & tempore legitimo insinuandam. Capiti sexto Evangelici verba *absque Pontificia confirmatione* diserte inseruerant; quae Caesarei velut Pontifici parum honorifica ut expungerentur obtinebant. Exceperant quoque Catholici illa bona Ecclesiastica; quae reditibus Principum adplicata erant. Alias enim magnus Evangelicis suffragiorum numerus in Senatu Principum accesserat, si & eorum nomine possessores istorum bonorum Principes suffragium ferre potuissent. *Taxam* Caesarei pro infeudatione duplam cupiebant: Evangelici, ut ultra *taxa* ordinariae summam dimidia insuper ejusdem pars penderetur, annuebant. Volebant quoque Caesarei, ut semper aliquot Canonici cum Praetule in Comitiis comparerent *pro conservatione Status Ecclesiastici.* Sed instantibus Evangelicis admisere, ut Praesulibus cum Capitulis statuere liberum foret, quinam, & quot ad Imperii conventus mittendi sint. Super titulis, sessione, & suffragiis facile conventum. Lis inter Salisburgensem & Magdeburgicum, quod hujus primatus jam ultro expiraret, silentio involuta. In septimo articulo de Capitulis mixtis super Argentoratensi Capitulo disceptabatur, quod Evangelici diserte inter ista referri cupiebant. Catholici contra censebant, etsi vi pacti anno hujus seculi quarto initi octo Canonici Evangelici in quindecim annos admissi fuerint, quibus tempus post in septennium prorogatum, sic ut illi anno vicesimo quarto adhuc tolerati sint; tamen quia eo septennio elapso Canonicatus possessi iterum dimittendi fuerant, & mox totum Capitulum è meris Catholicis compositum fuerit, contendebant, deinceps quoque totum eum Praesulatum in Catholicorum manibus relinquendum. Ita negotium id in ancipiti manebat, etsi Evangelici spem nondum abjicerent in partem ejus Praesulatus veniendi. Octavum articulum Evangelici ultro emendaverant, qui cum antea contendissent, ne cui plura beneficia simul possidere liceret, nunc cavebant, ne id ad eos praesulatus, qui in Sueciae satisfactionem, aut aequivalentem pensationem darentur, pertineret. Nono capite prima lis erat super Caenobiis Wurtenbergicis, quae cum omni causa Duci ut restituerentur Evangelici instabant. His Caesarei ab initio octo subtrahere cupiebant, velut extra ditionem occupantis sita in dynastia Hohenstaufa, Blaubeura & Comitatu Achia; puta Lorcham, Adelbergam, Blaubeuram, Pfullingam, Maulbrunnam, Herrenalbam, S. Georgii in Sylva Nigra & Reichenbacum: post tribus adhuc insistebant, Reichenbaco, S. Georgii & Blaubeurae, quam una cum dynastia cognomine, & Heidenheimo Austriacae Domui vindicatum ibant: demum omnibus decedere cogebantur. Circa *mediata* bona sacra ad Catholicos spectantia, & in Evangelicorum ditionibus sita, ut non nisi illis restituerentur, quorum ordini ab initio dicati fuerant, Catholici hanc exceptionem addiderant; *nisi talium religiosorum ordo plane intercideret.* Huic clausulae Evangelici aliam restrictionem subnectebant; ut in ejusmodi Ordinem denuo conferantur, qui *ante dissidia Religionis exorta in Germania in usu fuerit:* nimirum ne ista omnia per Jesuitas absorberentur. Circa *Collegia mixta*, in quae anno vicesimo quarto Catholici, & Evangelici pariter admissi fuerant, Caesarei exercitium Religionis omiserant; quod Evangelicis monentibus iterum insertum. Vicissim Catholici juribus illis, quae in bona ipsorum Ecclesiastica Evangelici sibi reservabant, restrictionem addebant; quam & Evangelici tolerabant. Maxima lis circa oppignerationes agitata, Evangelicis contendentibus, ut immediatis Imperii Ordinibus, & Communitatibus, in alterius ditionem hoc nomine traditis soluta sorte reluere se, ac pristino statui vindicare liceat. Quo nomine Egram oppidum velut oppignerationem Imperialem circa sacra & civilia libertati pristinae restitui volebant. Sed quia haec res Caesarem tangebat, silentio praetereunda erat. Reliquis pignoribus in universum Catholici reluitionem indulgere cupiebant. Sed Evangelici oppignerationes Imperiales ab aliis secernendas censebant. In illis enim reluitioni locum non esse, secus ac communi jure traditur, à cujus placitis etiam in hoc discedant, quod possessor fructus pignoris non in sortem imputet, contra eorum nomine tributa Imperii exsolvere teneatur. Et Capitulationibus Caesareis insertum esse, ut Caesar Ordines in possessione pignorum non minus ac aliorum bonorum tueatur; sic ut nec Caesar, nec alius eadem reluere possit. Adversus quod durante bello passim actum erat, dum Evangelicis sua pignora, opprimendis praecipue illorum sacris, erepta sunt. Quo nomine cumprimis Lindavia, & Weissenburgum in Norico querebantur; quibus modicas ob oppignerationes plurimum molestiae fuerat datum. Alia pignora Evangelici communis juris dispositioni relinquebant, id tantum postulantes, ut post reluitionem subditis usus sacrorum, qui anno vicesimo quarto fuerat, citra impedimentum concedatur. Quod Caesarei demum non plane abnuebant, ut tamen domino directo sua quoque sacra simul introducere integrum sit. Circa duodecimum articulum Catholici reservatum sententiae Caesareae contra Ulmam anno vicesimo nono requirente Episcopo Constantiensi latam super visitatione Caenobii Wangae ritibusque Catholicis delebant, addita contra sub finem clausula cassatoria quam omiserant. Et quia iidem ferre nolebant de Urbibus Imperialibus dici, quod sub Evangelica religione *prosperrime floruerunt*, Evangelici, ut *fuerunt* substitueretur, patiebantur.

1647.

§. 97. Sed maxima difficultas erat super libero sacrorum usu subditis Catholicorum Magistratuum, ac cumprimis per hereditarias Caesaris ditiones

De annonis subditorum.

1647. tiones concedendo. Cæsarei & Catholici fundamenti loco substernebant, Ordinibus ex jure territorii, & Suprematus jus quoque reformandi sacra competere, ac jam pace Augustana subditis beneficium emigrandi concessum. Principes ultro Christianis dignam moderationem adhibituros, ut nemini justa querendi causa futura sit. Emigratione imperantibus æque ac subditis consuli, dum neque subditus cum læsione conscientiæ sub Principis sui ditione manere cogitur, neque hic sacra sua abnuentes tolerare tenetur. Quod si tamen quondam inter ipsos Imperii status, Ordinesque Provinciales, ac subditos peculiaria pacta inita sint, illa deinceps inviolata serventur. Qualia inter Moguntinum Electorem, & Erfordienses, Episcopum Hildesiensem, & Luneburgicos Duces super hoc præsulatu extent. Quibus par jus Osnabrugenses, & Mindenses subditi per Conniventiam Præsulum quæsiverint. Contra Evangelici id præcipue respicere, ut anni vicesimi quarti status reponeretur; cujus anni quacunque parte si qui subditi liberum sacrorum usum habuerint, eundem pari conditione retinerent, abolitis in contrarium initis transactionibus, ac nominatim ea, quæ inter Luneburgicos, & Hildesiensem Præsulem facta sit. A reliquis autem subditis, qui dicto anno exercitium sacrorum haut habuere, discernebant eos, qui post publicatam pacem Religionem mutarent, aut per hæreditates, aliave occasione bona sub diversæ Religionis Magistratu sortirentur. Prioribus ne migrandi necessitas imponeretur, sed quamdiu velint habitare integrum esset, sacris intra privatos parietes, aut apud vicinos obitis. Reliquis non nisi post annum decimum quintum certa lege migrandum. Evangelicos aut Catholicos subditos recens recipere cuique magistratui liberum foret. Circa hæc Catholici id concedebant, ut Catholicorum Ordinum vasalli ac subditi, qui anno vicesimo quarto usum sacrorum Augustanorum non expresso pacto, sed conniventibus superioribus habuere, in priorem statum reponerentur. Si quæ pacta extent, ea servarentur. Illis, qui dicto anno usum sacrorum non habuerant, itidem concedebant, ut penates suos incolere, possent nulla migrandi necessitate. De extremo genere silentio prætermissum. Ita Catholici pleraque ex Evangelicorum voto annuebant. Enimvero circa subditos Provinciarum Cæsarearum Cæsar nil sibi circa sacra, aut civilia præscribi, nec jure Reformandi, ab Ordinibus utriusque Religionis passim usurpato, ipse carere volebat, quod nullo pacto sibi ademtum foret. Nec ad extremum Cæsarei plus indulgebant, quam ut Duces in Silesia, Augustanam Formulam professi, Briegensis, Lignicensis, Munsterbergensis & Oelsensis cum Uratislavia urbe ejus libero usui relinquerentur. Aliis Comitibus, Baronibus & Nobilibus, qui in reliquis Silesiæ Ducatibus, ac Inferiore Austria habitarent, quamdiu pacifice agerent, ac summo Principi obsequium adprobarent, migrare necessum non esset. Quod si tamen ultro solum vertere velint, nec bona sua vendere commode possint, certo anni tempore rebus suis ordinandis tutus accessus pateret. Id quod tamen Augustanam Formulam sequentibus, non alia dogmata amplexis indulgendum. Atque in hoc capite Galli & Avauxius cumprimis, Suecorum & Evangelicorum postulatis acriter obluctabantur, Cæsareisque favebant. Evangelici, cum indignum crederent, miseros exules destituere, qui, quod probata sibi sacra ob mortalium imperia ejurare noluerant, patriam & opimas possessiones reliquerant, per delegatos denuo hac super re apud Cæsareos instituere, ut Silesiæ Ordines pactis Anno vicesimo primo cum Saxone initis, & à Cæsare firmatis relinquerentur; Bohemis, Moravis & Austriacis pristina pacta, privilegia & literæ quas vocant, Majestatis indulgerentur ad exemplum Hungarorum, quibus complura templa colendis sacris Evangelicis concessa sint. His Cæsarei responderunt; jam plus se, quam in mandatis haberent, indulsisse; quod quam in partem Cæsar accepturus sit, sibi non constare. Desinerent igitur postulare, quæ in sua potestate non sint. Haut ignota sibi pacta super Silesiorum libertate. Sed res postea mutatas; ac cum sequenti tempore Saxonici Suecis juncti in Silesiam irrupissent, aliam conventionem initam, à qua subditi hæreditarii excepti fuerint, eoque prius pactum aretatum; post Pragensem Pacem supervenisse. Quod si Elector Saxoniæ apud Cæsarem aliud obtineat, id se libenter secuturos. Literas Majestatis Rudolfo Cæsari à Bohemis & Moravis vi extortas, cum illum Regno ejecturi viderentur. Nec ignotum, quomodo iidem Matthiæ consiliarios feneſtra dejecerint. Ferdinandum II. eas literas ab se confirmatas Regni Ordinibus obtulisse; sed quas hi contemtim remiserint; jactantes, illa se confirmatione opus non habere. Inde arma in Cæsarem corripuisse, armis à Cæsare subactos. Ita injuriam illis non factam, qui repudiata gratia belli aleam tentarint, ac jura sua proprio delicto amiserint. Austriam Cæsaris Provinciam esse, & cum Cæsar toleret, ut vel infimus ex Equestri Ordine, & minima oppida vigore juris territorialis reformationem sacrorum usurpent, cur ipse solus deteriore conditione sit? Denique pacta illa sola indulgentia niti. Alias ostendebant, si Evangelici conceptam formulam admittant, intra paucos dies negotio colophonem imponi posse. Sin minus, abruptorum tractatuum culpam ipsis unice impactum iri, non Suecis, quos ab Evangelicis milligari constet. Ea Cæsarcorum constantia Evangelicos non parum turbabat, qui licet tot egregiis viris consulere mire cupiebant, valde tamen dubium habebatur, num ob solam hanc causam belli producti calamitatibus atterendos se exponere debeant; cum nondum constaret, an tunc Cæsareis Provinciis utique consulendum foret. A Suecis tamen Legatis petebant, ut hanc rem de meliore nota sibi commendatam haberent; qui & quantum in se foret, pollicebantur. Haut tamen tacendum puto, initio hujus anni in Sueciam à Lauenburgico Duce Henrico Julio missum Mithobium, qui obtentu aliorum negotiorum secreto scisciteretur; num Regina utique ad extremum pro libertate sacrorum Evangelicorum in Regno Bohemiæ connixura sit? Nam sibi constare, Legatos Cæsareos in mandatis habere, ut demum istam concedant. Hoc quippe casu Principem suum plura prædia in Bohemia emturum, qui licet Catholicis sacris addictus Evangelicæ tamen Religionis propagationi faveat. Qui num serio ista moverit, & quo fine, nobis haut compertum. Super Articulo 14. 15. 17. & 18. facile conveniebatur, nisi quod hinc inde quædam verba ab una vel altera parte majoris fucis causa inererentur, aut expungerentur. In decimo sexto capite Catholici, quantumvis initio multum renitentes, jurisdictione Ecclesiastica tere cedebant. Circa decimum nonum iidem denuo contendebant, extra

1647. 30. Mart.

1647. controverſiam circa Religionem, & fluentes inde conventiones, ac quæſtiones, receptum in Imperio modum negotia publica per plura ſuffragia expediendi retinendum; quod nulla alia ratio ſit commune Imperii decretum formandi. Si qui tamen Ordinum ſuper menſuram facultatum tributa ſibi taxata arguant, iis querelam ad Cæſarem deferre integrum fore. Evangelici contra ſi poſtulatum ſuum obtinere non poſſent, malebant id in medio relinqui, amicæ compoſitioni ſeponendum. Denique Articulo viceſimo Cæſarei Evangelicorum poſtulata circa tertium tribunal, & reformationem juſtitiæ ad futura Comitia rejiciebant; quod & plerique Evangelici, præter nonnullos è Circulo inferiore Saxonico, haut aſpernabantur. Et hucuſque tunc gravamina deducta erant, circa quæ Catholici hinc inde non pauca remiſerant; id quod tamen non omnibus iſtorum ſacra profeſſis probabatur. Et prodibat circa id tempus Monaſterii à Jeſuita conſcriptus liber Dillingano operi non abſimilis, magna cum Suecorum & Evangelicorum moleſtia, ne forte Catholici ſat moderata nunc conſilia ingreſſi iſtis dogmatibus in transverſum iterum abriperentur.

Super Principe Serveſtano monitum.

§. 98. Inter Auguſtanæ Confeſſioni addictos, & Reformatos controverſiæ nonnihil ſuper Anhaldino Principatu agitabatur. Joannes Anhaldinus Princeps partis Serveſtanæ apud Oldenburgicum Comitem educatus, ſacris Auguſtanis ſe addixerat. Id quod agnatis ipſius diſplicebat, qui ideo Anno triceſimo quinto, ipſo abſente & impubere pactum familiæ ſancire inſtituerant, quo Senioratum in jus primogenituræ extendere, & iſtum cum ditione ſua ſacris Reformatis adſtringere conati fuerant. Cui tamen hic maturos annos ingreſſus conſtanter contradicebat: eum Principatum antiquitus diviſioni obnoxium, aliquoties etiam diviſum, & quemlibet eorum ſolum Cæſarem ſuperiorem agnoviſſe ad modum aliorum Imperii Principum, queis ſummum in ditiones ſuas regimen, Majori Domus haut obnoxium. Extremam quoque diviſionem inter parentem ſuum, ejusque fatrem cum omnibus Regalibus, juribusque, ac dignitatibus factam; cujus vi parens ſuus omnia Principum jura in ſacris & civilibus nemine contradicente in portione ſua ad vitæ finem exercuerit. Ne igitur ipſius patrueles cum aliis Reformatis in fraudem ejuſdem quid Oſnabrugæ molirentur, apud Suecos & alios Evangelicos petebat. Unde cum Reformati formulam cautionis, quam paci includi cupiebant, concepiſſent, ab Evangelicis ea clauſula addebatur, ut iſti Principi ſupremátus ſuus, ac jus Territorii integrum maneret.

De cauſa Palatina.

31. Febr.

§. 99. Circa caput de Amneſtia ipſi Cæſarei cauſam Palatinam ante omnia decidendam judicabant, qua non compoſita reliquis negotiis impenſus labor inutilis foret. Eo fine Suecis ſcripto conceptam formulam exhibebant, repetitis fere priusà ſe propoſitis, quibus & alias conditiones ſat duras addiderant, oblato quoque octavo inter Electores loco, ac inferiore Palatinatu non citra exceptiones. Ludibrii cauſa jactabant, ſibi conſtare Palatinum Carolum Ludovicum, ſcita ſuæ Religionis ſecutum, cauſam ſuam immutabili fatorum diſpoſitioni committere. Ejus ſcripti Sueci Joachimo Camerario, & Meiſtertingo Palatinis ablegatis copiam fecere, qui licet à conſilio fere, & mandatis deſtituti declarabant: Bavarus Electoralem dignitatem quoad viveret, retineret; ipſo mortuo iſta ad Palatinam Domum revolveretur, Bavarique poſteri octavo loco contenti forent. Tum idem pro pecuniis creditis, licet nondum ad liquidum deductis, nec ac Palatinum ſpectantibus, dynaſtiam Chamenſem cum perpetuo reluendi jure retineret. Cæſareis ex his id quidem 1647. 1. Febr. gratum erat, Auſtriacos tredecim millionum debito per dynaſtiam Chamenſem liberandos. Reliqua velut in extremum vergentia adſpernabantur. Fridericum Palatinum manifeſto læſæ Majeſtatis crimine teneri: jam Reſpublicas præmiis & pœnis contineri; nec publico expedire, ut tantum facinus ipſi impune ſit. Non meruiſſe eundem liberoſque, ut vel minimum reſtituatur; qui nunc oblatas lautas conditiones acceptare faſtidiant. His adſtipulabantur Saxonici, qui Succis 20. Febr. hanc cauſam ad propoſitas fere leges componendam commendabant. Bavarum non ſolum à toto Imperio ſed & aliis Regibus ac Rebuſp. Electorem agnoſci; qui potens, ac dignitatis retinentiſſimus extrema potius tentaturus ſit, quam ſe poſteroſque ad inferiorem gradum depulſum conſpicere velit. Contra Palatinum Fridericum autorem tantarum in Imperio turbarum haut meritum, ut ipſius ob liberos reſpublica exitio exponatur. Haut ſpernenda quæ offerantur, ac poſſe adhuc pleraſque ditiones recuperari. Sueci porro, cum Avauxium tentarent, ut juncta ſecum opera Palatinum ſublevaret, aut ſaltem in tam favorabili cauſa, qua expulſos Principes ditionibus ſuis reſtituere ſatagerent, ne adverſaretur, id præfracte annuebat, diſſerens: Galliam ab initio Friderici acta circa Bohemiæ Regnum improbaſſe, ac palam & miſſis Legatis diſſuaſiſſe; quæ nunc accommodato patrocinio probare nequeat. Iſtius rebus perditis, & Electoratu in Bavarum translato, Galliam hunc Electorem agnoviſſe. Quin ipſum Guſtavum Regem tractatu cum Charnaſæo, Gallia inſtante eo titulo ipſum nuncupaſſe. Unde & Gallicos miniſtros domi & alibi, in Anglia, Hollandia, Germania, Palatino Electoralem titulum negaſſe. Anglicum Legatum Thomam Rovvium Hamburgi quondam contendiſſe, ut Carolo Ludovico Electoris vocabulum tribueretur; ſed cum videret, pervincere id ſe non poſſe, eo poſtulato deſtitiſſe. Eundem Carolum Ludovicum in publicum nihil contuliſſe, nec de Gallia vel hilum meritum: nec in ejus gratiam Galliam gazam ſuam, ac tot fortium virorum ſanguinem effudiſſe. Galliam huc redactam, ut bello diutius ſuſtinendo impar ſit. Ordinem Eccleſiaſticum, qui ad hoc bellum magnam pecuniæ vim conferat, ſi intellexerit illam Palatino reſtituendo impendi, non ſolum collationes deinceps abnuiturum, ſed & plebem in turbas incitaturum, velut opibus ſuis ad Bavaricæ Domus, quæ maximum Catholicis in Germania fulcrum ſit, oppreſſionem, ſuæque adeo Religionis fraudem erogatis. Reipſa ſe comperiſſe, Bavarum utiliſſimam operam ad Regum ſatisfactionem contuliſſe, quo nomine Gallia ipſi obſtricta ſit, ac ſperet, Sueciam viciſſim iſtius commoda promoturam. Nec alienum Bavarum eſſe ab arctiore fœdere cum Regina feriundo, poſtquam viderit, quam efficacem operam Regna contulerint ad frangendas Auſtriacorum vires. Ejus ſtatum ita comparatum, ut diu ſincera ipſi amicitia cum Auſtriaca Domo perſiſtere nequeat. Inde in Gallia utile haberi iſtum fulciri, & eouſque firmari, ut ſemper Auſtriacorum conatibus ſe objicere valeat. Galliæ ſpem naſci, Cæſarem & Hiſpanum arctiſſimo invicem

Digitized by Google

1647. vicem vinculo innexos divellendi. Nam ſi Cæſar Hiſpanum deſtituere nolit, Bavarum Cæſare deſerto Regibus ſe junĉturum, ingens rebus ipſorum in Germania momentum. Eam ob cauſam Galliam, ſubinde arĉtioribus commerciis Bavaro innexam, conſtituiſſe dignitatem ipſi Electoralem, & ſuperiorem Palatinatum ſalvum præſtare. Palatinos, ſi rem rite trutinent, haut eo ſecius pro illis, quæ opera Regnorum jam recipiant, hiſce æterna gratiæ animi lege obſtrictos fore. Cæterum id nunc oſtendebant Galli ſibi placere, ut Palatinis tota provincia inferior cum Via Montana, & aliis partibus, quæ Cæſarei exceperant, reſtituatur. Nam, uti Avauxius ferebat, etſi id Galli agerent, ut Moguntinus Via Montana potiretur; tamen ſi reliqua omnia convenerint; ac Sueci toti inferioris provinciæ reſtitutionem pertendant, haut pertinaciter ipſos reluĉaturos, obtentu ſumto, quod idoneæ ſibi rationes deſint, ob quas Moguntini poſtulatum facere debeant.

Nam ſoli Sueci ſuſtinent.

§. 100. Tot tantique Palatini adverſariis ſoli Sueci quantum dabatur reſiſtebant. Ac Cæſaris quidem reponebatur: Quidquid de Friderici delicto foret, ſane juſto majores ipſum ſobolemque pœnas diuturno exilio & tot calamitatibus luiſſe. Ac multis perſuaderi, Bavarum clam eundem ad acceptandam Coronam Bohemicam inſtigaſſe, ut occaſio foret ipſius dignitatem, ac ditionem invadendi. Palatinæ Domus malis & Imperii Ordines, & exteros tangi. Angliæ Regem, etſi domeſticis nunc turbis diſtrĉtum, ubi cum Parlamento in gratiam redierit, Palatinam cauſam ſerio amplexurum videri, ni ea interim æquis rationibus compoſita fuerit. Danum Palatino propinqua cognatione junĉtum. Belgas Fœderatos ob communia ſacra, aliosque reſpectus quantum poſſint connixuros. Igitur Cæſari eam cauſam ita componendam, ut ne ſerius ocyus novarum turbarum ſemina inde germinent. Conſtare quoque, haut quidquam probantibus Hiſpanis Bavarum Electorali dignitate poſitum. Saxonicis oſtendebatur, quid Saxo & Brandeburgicus Electores in ea cauſa ſcripſerint, & quam parum legitima via Bavarus ad Electoratum pervenerit. Qui quod in Imperio pro Electore agnitus fuerit, inde factum, quod iis, qui ex animo id averſabantur, vires ſe opponendi defuerint. Si res penitus inſpiciatur, Bavarum veram turbarum in Germania cauſam eſſe: qui ſi victoria ad Pragam contentus occaſionem inde non arripuiſſet ob privata commoda bellum alendi, Palatinum negotium in Bohemia finem ſortitum foret. Ex publicis quoque actis conſtare, Cæſarem à Bavaro impulſum ad publicandum famoſum illud anno 1629. edictum, ac inprimis ut tentato Magdeburgico & vicinis Præſulatibus Saxonem ad arma arripienda irritaret, quo anſa illum invadendi exiſteret. Tenax eſſet Bavarus dignitatis ſuæ utcunque partæ; Reginæ haut minus cordi eſſe oppreſſos Imperii Ordines ſublevare. Huic propoſito inter tot adverſa, viceſque fortunæ immotam inhæſiſſe. Nec de conſtantia ſua quidquam remiſſuram, ſi Bavarus neceſſitatem adferat bellum deinceps quoque continuandi. Quod ſi omnino amore pacis Aureæ Bullæ quid derogandum ſit, Palatinusque primo loco dimovendus, præſtare ut Saxo vetuſta dignatione illo potiatur, Bavaro in ſequiorem rejecto. Gallis autem, qui majore cum contentione rem agebant, reſpondebatur: Guſtavi Regis tractatu cum Charnaſſæo Bavarum non niſi Ducis Bavariæ titulo nuncupatum. Nec alio dignitatis vocabulo nuperum Reginæ in Gallia Legatum, Magnum Gardium Comitem ſcriptis ſuis cum Principem inſigniviſſe, Carolum Ludovicum de Regina parum meritum: ſed ejus patrocinium ideo ſuſcipi, quod vicinorum Principum interſit, Germaniam in eum ſtatum reponi, qui erat, antequam Auſtriaci ſocio Bavaro belli Bohemici flammam tota Germania diffunderent, ac uni ſtatui poſt alterum jugum imponerent. Eum præcipuum finem eſſe fœderis ſui cum Gallia. Fecerit aliquid pro ſatisfactione Gallica Bavarus: Aſt nihil amici eundem Reginæ meditari, dudum ex ejuſdem literis ad alios Imperii Principes exaratis patere; nec veteris animi mutati idonea indicia extare. Mirum quare Gallia tam pertinaciter illi faveat, à quo toties illuſa ſit. Is ſi deſtinatis potiatur, verendum eſſe, ne idem odioſius, quam quisquam alius, Regnorum ſociorum incrementa libret. Turpiſſimum eſſe rem ita temperare, ut non minus ille, quam Palatina Domus Regnis beneficium debeat. Hoc modo in ejuſmodi ſtatum eundem reponi, ut haut eo ſecius egregiam operam iiſdem navare poſſit. Quia etiam hæc cauſa totum Imperium & multos extraneos ſpectet, optimum fore cum Ordinibus conſultare, & de communi ſententia ſtatuere. Nam ſi his inconſultis quid decernatur, iſtos queſturos; Regios, poſtquam ſibi ſatisfactum ſit, Ordinum negotia inſuper habere. Providendum etiam eſſe, ne Reges ejuſmodi actum videantur probare, quo Cæſar pro arbitrio aliquem Ordinum exuerit; qui facile in jus invaleſcere queat non Germaniæ ſolum, ſed & vicinis periculoſum. Deniq; & tepido Gallorum circa Palatinam cauſam ſtudio Servienti in Hollandia negotiationem haut paulo difficiliorem reddi. Quanquam autem Avauxium, qui negotia Imperii ac inprimis peculiaria Ordinum deſideria parum curabat, iſta nihil movebant; ad extremum tamen in eo conſentiebat cum Ordinibus rem communicandam, nec abſque illis quidquam Cæſareis remittendum. Aſt Bavari de Gallorum favore ſecuri non tam precibus, quam minis cum Cæſareis agere. Si Sueci ſuo reſponſo inſiſtant, Cæſareis ſe partibus adhæſuros. Sed ſi Cæſar inſuper habito promiſſo ſuo Sueeis adſtipuletur, ſibi fœdere una cum quatuor Circulis, Bavarico, Suevico, Franconico & Weſtphalico Galliæ patrocinium amplecti. Interim non Catholicos ſolum Ordines ſibi adjungere ſatagebant, ſed & Evangelicis adrepebant, jactantes, Gravaminum compoſitioni ſeſe præ cæteris ad moleſtiam uſque aliorum Catholicorum inſtitiſſe; ac deinceps quoque pro virili & quantum æquitas ferat facturos. Idem & Sueeis ingerebant, addito, ſe pro Sueciæ ſatisfactione, & ut Regina inter Ordines Imperii adoptaretur, ſummopere contendiſſe, Bavarumque conſtituiſſe arĉtiori vinculo Reginæ innecti; ac filio per teſtamentum præcepiſſe, ut eandem non ſolum colat, ſed & priore ſocietate eidem jungatur. His Sueci oſtendebant; Reginæ ſatisfactionem in eo præcipue verti, ut Imperium, ſingulique Ordines deſideriis tuis potiantur; quorum non minima pars ſit Palatini reſtitutio. Eam cauſam cum conſilio & conſenſu Ordinum expediendam, quorum ſententiam una cum Avauxio exquirere conſtituerint. Id conſilium Bavarici ambabus manibus amplecti, ac ſtatim apud Cæſareos inſiſtere, ut ea res ad Ordines referatur. A Moguntino quoque impetrabant, ut peculiaris conſultatio trium Imperii Collegiorum inſtitueretur. Ubi nonnulli qui-

1647. 18. Mart. 22. Mart. dem deliberandi ſpatium petebant; concluſum tamen ex majore ſuffragiorum numero ad votum Bavarorum fiebat. Id quod Bavarici Succis ſignificabant poſtulantes, cum non ſolum Cæſar, Gallus, Hiſpanus, ſed & Imperii Ordines agnoverint, petita Principis circa dignitatem Electoralem jure ſubniti, ipſi quoque conſentum ſuum adderent. De ſuperiore Palatinatu parum difficultatis fore; qui ſi Bavaro abjudicetur, huic oppigneratas Cæſaris terras ſalvas eſſe. Reginam æterno beneficio Palatinam ſibi Domum obſtrinxiſſe, à conſanguineis etiam deſertam. Nec minus Principem ſuum Reginæ gratum animum pro tanto officio ſemper probaturum. Succos re ipſa ſenſuros, ſi æquis Domini ſui deliderüs clam velificentur, hunc efficaciſſimum cuneum fore reliqua nondum deciſa capita cum Cæſareis componendi. Quæ uti ardua ſint, ita in immortalem Reginæ laudem ceſſurum iſta hoc modo perfeciſſe. Succi cum in tanta re ita raptim conſtituere non poſſent, cum Avauxio, qui tunc Monaſterium abierat, conlulturos ſe reſpondent, quo decernatur, quod ad communem, & æquam pacem facturum ſit. Cæterum eo uſque Evangelicorum animos ceperant Bavarici, ut hi ſolenniter miſſis è ſuo numero Deputatis Succis ſuaderent, in Bavari delideria circa Electoralem dignitatem & Superiorem Palatinatum conſentire velint, ea tamen lege, ut Bavarici operam dent circa reliqua adhuc Gravaminum capita expedienda. Id ni faciant, quæ offerantur irrita fore.

28. Mart.

Super Amneſtia utriuſque partis formula.

§. 101. Dum hæc circa Palatinam cauſam agitantur, Succi integram formulam Inſtrumenti Pacis, excepto de gravaminibus capite, Cæſareis obtulerant, cui ſingulorum reſtitutionem, qui id à ſe petierant, ſigillatim inſeruerant, addito, ſi qui alii hoc deliderent, eorum quoque diſertam ſe mentionem facturos. Cum enim propoſitione ſua id poſtulaverint, ut omnes & ſinguli reſtituantur, conveniens judicabant, ſingulos ſua deſideria, & ad quæ recuperanda jus ſibi competere arbitrentur, diſtincte exprimere. Contra Cæſarei ſingulorum enumerationem adſpernabantur, quod eorum cauſæ partim communi amneſtia, partim ſententia judiciali, partim tranſactione ſuper Gravaminibus decitæ, nonnullæ adhuc ſub judice ſint, aliæ ad pacificationem præſentem nihil plane ſpectent.

De cauſa Caſſelana.

§. 102. De Caſſellanæ Principis deſideriis Cæſarei hactenus ſubinde licet moniti ſiluerant. Nunc abſoluta ſatisfactione Succica formulam proferebant, ſed quæ ſolam cauſam Marpurgenſem ſpectaret. Aſt cum Succi imperfectam eam monerent, ad libelli Haſſici ſingula capita reſpondebant. Ubi ea, quæ præſtare penes Cæſarem eſſet, diſtinguebant ab iis, quæ alios Imperii Ordines tangerent. E priore claſſe circa amneſtiam facile conventuri videbantur. Hirſchfeldenſem quoque Præſulatum annuebant Cæſarei, ſed ea lege, ut Caſſellanis in ſatisfactionis vicem imputaretur. Ut Reformati paci Auguſtanæ includerentur, admittebant Cæſarei. Nec circa confirmationem pactorum Confraternitatis inter Saxonicam, Brandeburgicam & Haſſicam Domum, tum ejus, quo jura primogenituræ conſtituuntur, & quod cum Hanovienſibus Comitibus initum erat, quidquam difficultatis movebatur, modo Cæſar ex eorum, quorum intereſt conſenſu decenter eo nomine adiretur. Ex altera negotiorum claſſe erat actio Waldeccenſis, cujus amica compoſitione Cæſarei Marpurgenſem litem in favorem Landgravii Georgii expedire cupiebant, adſpernantibus Caſſellanis, qui eam ad communem amneſtiam pertinere cenſebant, nec alia ejuſdem componendæ media deeſſe, ut Landgravii Georgii conſenſus tam caro emendus ſit. Sed ſuper Marpurgenſi negotio acrius certatum; circa cujus compoſitionem Succi magno ſtudio ſatagebant. Cæſarei autem, velut idem ipſos parum tangeret, proponebant, ut Confraternitatis pacto juncti Electores, ac Principes ſua interpoſitione idem ad amicam compoſitionem deducerent. Enimvero poſtulata Landgraviæ, quæ vicinorum Præſulum ditiones ſpectabant, Cæſarei plane averſabantur velut paci Religioſæ, cui tamen iſta includi cupiat, adverſantia. Nec plus Caſſellanis annuebant, quam præſulatum Hirſchfeldenſem, & quæ jura præſulatus Mindenſis in præfecturas Schaumburgicas habuerit; tum pro ipſius militibus ducenta uncialium millia. Contra Haſſici Hirſchfeldenſem præſulatum à ſe dudum poſſeſſum oſtendebant. Præfecturas quatuor Schaumburgicas acceptabant. Militibus ſuis pro ratione numeri ſatisfieri volebant, qui equitum quinque, peditum quindecim millia explerent. Demum & poſtulata ſua repetebant circa partes præſulatuum Catholicorum, quibus cauſam præbuerint infinita damna Haſſiæ ab iſtis data, quæ neque amneſtia, neque percepta tributa penſare valeant, præſertim cum à ſe longe majoris pretii oppida ſint reſtituenda. Porro Cæſarei hoc negotium differre cupiebant, quoad Gravamina, quæ totum Imperium ſpectabant, compoſita eſſent; cauſati, poſtea expeditius ei negotio vacandum, rebus majoris momenti abſolutis. Sed Succi obtenta ſatisfactione Haſſicam velut ſuæ partem ſimul decidi pertendebant. Eoque rem deducebant, ut Cæſarei poſtulata à Caſſellanis circa bona ſacra annituri viderentur, ni Galli Catholicorum partibus ſuſceptis Landgraviæ petitis ſe objeciſſent. Sicuti & Avauxius nullum ab Haſſis ſcriptum, in quo hujus ſatisfactionis mentio fieret, accipere dignabatur.

1647.

Gallorum de Hollandis querelæ.

§. 103. Aſt Monaſterii inter Hiſpanos, & Hollandos negotiatio plane quieſcebat. Horum Legati, qui ſub initium anni Oſnabrugam acceſſerant, negabant illam eousque provectam, prout fama ferebat. Nam & nonnulla adhuc componenda ſupereſſe, & tranſactis licet omnibus pacem tamen vocari non poſſe, ni abſoluto ſimul Gallorum tractatu. Enimvero haut eo ſecius Gallia ab Hollandis ſe circumventos querebantur, qui inſuper habitis ſuis monitis, & proteſtationibus cum Hiſpanis concluſerint. Nam etſi Hollandi excuſarent, tractatum illum non aliud eſſe, quam varias ſchedas ſubſcriptas; Galli tamen, qui ipſos articulos legerant, ferebant, ſeptuaginta octo numero eſſe ita plene conceptos, ut intra unam & alteram horam in juſti inſtrumenti formam redigi poſſint. Majorem ſe ab Hollandis conſtantiam expectaſſe ob patrocinium, auxilium & honorem à ſe iſti Reip. exhibitum, quo incrementa ejus inſigniter ſtabilita ſint. Sed quia illa benefactoribus tam indignam gratiam referat & magnitudinis ſuæ primum ſpecimen perfidiam edat, pares quoque huic flagitio ſucceſſus ſperandos. Inprimis Adrianum Pavvium & Joannem Cnuitium enormis in Hiſpanos ſtudii arguebant Galli, qui per ſecreta cum illis commercia multa Galliæ adverſa agitaverint. Unde & Gallici Legati, mandatis ex aula acceptis, horum duorum operam

circa

1647. Servienti negotium Hagæ.

circa tractatus cum Hispanis deinceps admittere abnuebant. Porro sistendis illis tractatibus sub finem nuper elapsi anni Servientus Hagam profectus apud Ordines Generales exposuerat; se super conclusione communis pacis, ejusque executione cum ipsis conventurum, quo de ejusdem firmitate spes concipi queat. Simul de fœdere guarantico movebat, cujus vi Hollandi Gallis auxilia tenerentur præstare, ubi hi non solum è Belgio, sed & quovis alio loco ab Hispanis impugnarentur. Nam guarantia ad solum Belgium restricta, Galliæ satius esse arma retinere, & alibi securitatem sibi dispicere. Ex Ordinibus porro Generalibus majori parti præpropera Monasterii tractatio displicebat, quod facile cernerent, eam ob causam Hispanos in tractatu cum Gallis, & Catholicos Imperii Ordines in Gravaminibus adversus Evangelicos, longe duriores se quam antea, gessisse. Unde & Godarto Reedio Ultrajectino deputato, qui transacta capita subscribere recusaverat, cum Hagam adpulisset, publice gratiæ actæ sunt. Simul censebant, Gallis circa fœdus guarantiæum esse satisfaciendum. Sed Hollandia provincia non sine impatientia in pacem ruebat, ac ut ocyus Monasterii res absolveretur, urgebat testata, se ad novam expeditionem suscipiendam adstringi nec velle, nec posse; sed Monasterii transactis stricte inhæsuram. Tum quæ prioribus fœderibus convenerint, accurate servanda, & huc usque super guarantia cum Serviento agendum. Longius haut progrediendum, ac né novam quidem declarationem edendam, ne Galli hac guarantia confisi Hispanos data opera ad bellum irritent, quo & suæ Reipublicæ necessitas imponatur vix deposita arma iterum arripiendi. Eo autem ferocius ista provincia loquebatur, quod maximam sumtuum publicorum partem ipsa toleraret. Nec frigidam suffundere Hispani omittebant, qui missio Philippo de Roy Servienti destinata eludere satagebant. Quem cum aliquæ provinciæ metu corruptelarum, & pravarum machinationum Haga amovendum censerent, Hollandia tuebatur, velut tempore per diploma ipsi indulto nondum elapso. Spargebatur quoque Castelrodricum propediem publicaturum, ut Belgii Fœderati incolæ citra literas tuti itineris Flandriam & Brabantiam accedere possint. Usque adeo omnibus artibus Hispani Belgas Gallis divulsos sibi adjungere studebant. Nuper & Brunus Hispanicus Legatus negato Hagæ accessu literis Daventria scriptis Ordines ad maturandam tractatuum conclusionem hortatus fuerat, addito; si cessent, tibi Collegisque necessitatem adferri Monasterio relicto alio abeundi, ubi meliorem operam Regi suo navare queant. E Belgarum Plenipotentiariis post reliquos in patriam regressos Monasterii adhuc restabat Pavvius, qui literas Regis Hispaniæ ad ministros suos Monasterii agentes (prout ipse ferebat,) interceptas Hagam mittebat hoc argumento: Inter Hispanos Gallosque secretum agitari tractatum, quo id effectum iri speretur, ut Galli Ruteni nonensi Comitatu, Catalonia, Porto Longo & Plumbino Hispanis cedant, Belgio vicissim recepto. Quas literas tamen plerique fictas agnoscebant, & si qua illis fides; cordatis persuasum, si utique Gallos vicinos habere oporteat amoto isto interposito velut aggere, satius esse, amicitia ipsorum retenta in partem prædæ venire, quam circa id sudare, quod impediri nequeat. Porro guarantiam Gallis ubique locorum citra exceptionem aut limitationem quinque provinciæ decernebant. Hollandia tamen, & hujus suasu Zelandia eam hoc modo restringendam pervincebant, ut declararetur, Galliam & Generales Ordines mutuam sibi guarantiam debere omnium locorum, quæ anno tricesimo quinto, cum fœdus iniretur, possessa utrinque sint, tum omnia, quæ in Belgio hactenus occupata, aut ante conclusos tractatus ad hunc occupanda, vel per ipsos tractatus ab hoste obtinenda sint. 1647.

De tractatibus Gallorum cum Hispanis.

§. 104. In tractatu Gallorum cum Hispanis initio anni Mediatores formulam quinquaginta amplius capitibus constantem Hispanis exhibuerant. Ad quæ hi vernacula lingua, & cum Longuevillius id adspernaretur, Gallica responsum reponebant, quo inter alia Portus Longus & Plumbinum à Gallis reperebatur. Sed Longuevillio hanc exceptionem repudiante declarabant, per ista loca pacis moram non fore. Præcipua controversia circa Lusitaniam erat, cui né annuas quidem inducias, Gallis huc demum descendentibus, Hispani concedere volebant. Ad extremum postulabatur, ut ab Hispanis pro ruptura pacis non habeatur, si Galli Lusitanis in bello auxilia ferant. Id quod Hispani verbo quidem annuebant, nec id commode prohiberi posse agnoscebant; sed scripto idem permittere detrectabant. Contra Galli suspicabantur, Hispanos ansam inde abrumpendæ paci arrepturos, si occasio arrideat; tantoque magis instabant, ut scripto id exprimeretur. Cui rei Pigneranda potissimum renitebatur non solum odio in Lusitanos, sed & quia Batavi ipsi perlubenter Lusitanos à Gallis facile destituendos, de quo ipse Regi suo confirmaverat, quæ nunc retractare turpe ducebat. Cui si quid obloqui vellent Collegæ, atperis eos verbis, velut commoda Regis sui prodituros, increpabat. Iidem quoque Hispani liberationem Eduardi Bragantini abnuebant, pro quo Andrada Lusitanus ducenta uncialium millia, quæ à Cæsareis statim post conclusam pacem Reginæ Sueciæ debebantur; illorum nomine exsolvenda recipiebat. Sed Hispani non nili post pacem cum Gallia factam dimittere illum volebant, nec alia lege, quam ut in Cæsaris aut Regis Galliæ manus traditus fidem daret, se nunquam fratri suo, & Regno Lusitaniæ operam bello adversus Hispanos navaturum, spondente insuper Cæsare, aut Galliæ Rege.

Cæsarei formulæ Instrumenti pacis exhibent.

§. 105. Cæsarei interim Osnabrugæ novam formulam Instrumenti Pacis Suecis exhibebant, à priori parum discrepantem, in qua de satisfactione Suecica omissum erat, quippe quæ pecuniaria negotiatione jam adornetur. In capite quoque de Amnestia enumeratio singulorum, qui restituendi essent, prætermissa; quorum distincta mentionem fieri Succi postulabant. Circa Gravamina nondum de Aquisgrano, Donavverta Osnabruga, Evangelicis Canonicatibus Argentorati, una sacrorum in ditionibus Catholicorum, ac præcipue Cæsaris expeditum erat. De gravaminibus Politicis plane omissum. Tum super juribus ac privilegiis Ordinum commerciisque scrupuli non modici restabant. Eo magis Succi festinabant hisce emendandis suam vicissim formulam edere; quæ Trautmansdorfio haut quidquam ad palatum erat, ut tam Osnabrugæ, quam post Monasterii, (quo mox se, frustra retinere ipsum Osnabrugæ cupientibus Evangelicis, conferebat) spargeret; Suecis pacem haut cordi esse, cum de pristino rigore nihil remittant: nec duriora postulari posse, si Cæsar ipse cum Consiliariis 7. Aprii.

1647. liariis Holmiæ captivus ſedeat. Ejus tamen Collegæ Oſnabrugæ relicti, Lambergius, Volmarus, Cranius eodem, quo ille diſceſſerat die Suecos invitare, Trautmandorfii abitum excuſare, quem neceſſaria negotia Monaſterium pertraxerint: ſe tamen interim quantum poſſint circa negotium pacis laboraturos. Inde multis congreſſibus Inſtrumentum Pacis diſcutere, ac plura componere; durioribus tamen quibuſdam nodis relictis.

Palatini proteſtantur. 2. April.

§. 105. Hos inter Palatina cauſa facile Princeps erat; de qua nuper Legati Ordinum ſententiam ſuam Cæſareis obtulerant. Advertus hanc Palatinus Elector ſolennem proteſtationem interponebat. Cauſam ſuam ſemper ad amicos tractatus remiſſam. Eo fine opera Regum à Cæſare ſalvum conductum pro ſe impetratum. Jam inter Cæſareos ac Regios Legatos ſuper ea hinc inde diſceptari cœptum. His fortaſſe placuiſſe, Ordinum ſententiam ſuper introducendo octavo Electoratu velut re nova, & legibus Imperii repugnante exquirere; non ea tamen mente, ut id cœptis tractatibus fraudi ſit. Eo gravius ſibi accidere, Ordines conſulto ſuo tractatibus certos limites præſcribere conari. Jus ſibi ſuum ſimul cum ipſa vita per leges Imperii datum facto tertii poſſeſſoris adimi, aut mutilari non poſſe. Ipſos Electores, cumprimis ſeculares, conventu Mulhulino deſcendentibus ſaltem ante natis jus ſuum integrum reſervaſſe. Denique in conſulto Ordinum plura expreſſa, quam ipſa propoſitio & conſultatio præ ſe ferat; & quia Electorales, Brandeburgicis exceptis, ſuorum Principum commoda ſuffragiis ſuis tam anxie Cæſareis commendarunt, ipſos merito ſuſpectos habendos. Colonienſem cumprimis in propriæ Domus cauſa ſententiam dicere iniquum eſſe. Enimvero Suecі, qui hactenus pro plena Palatini reſtitutione pugnaverant, nunc aliam inire viam inſtituerunt. Deprehenderant hactenus, eam cauſam reliquis non parum remoræ injeciſſe, Bavaricis acriter contranitentibus, ac non Catholicis ſolum, ſed & Evangelicis in partes ſuas pertractis; quorum hi per Deputatos ſuaſerant, amore pacis, ac ut Bavari opera componendis Gravaminibus redimeretur, Ordinum conſulto ſe attemperarent. Et qui Bavari ingenium norant, haut abſurde ſuſpicabantur, inter cauſas inducіarum cum Suecis initarum hanc fuiſſe non poſtremam, ut Suecos demulceret, ne ita acriter ipſius cupitis ſe objicerent; in quos mox arma reſumta, poſtquam quæ voluerat, obtinuiſſet. Ac ſuper dignitate Electorali non multum difficultatis erat, inſtituto octavo Electoratu, quem Palatinus repudiare non poterat. Sed repoſcebat Bavarus tredecim milliones, vel horum loco Palatinatum Superiorem, aut Auſtriam ſupra Anaſſum. Et hac ut Bavarus potiretur, Suecі cupiebant, ni Galli obſtitiſſent. Nam plus quidem ea conferebat ad Auſtriacorum vires minuendas, Bavari augendas: Aſt Galli utique decreverant eadem opera Bavarum augere, ac Palatinum deprimere. Bavarum viribus auctum Auſtriacis æmulum adponere cupiebant; cum hiſce ſolis in Germania præpotentibus omnes Catholici obnoxii eſſent futuri: contra Bavaro valido horum quoque pars aliqua adhæſura erat. Ita Bavari incrementa huic profutura, ut Catholicorum in Germania vires diviſæ frangerentur. Ut autem Palatina Domus debilitaretur, ratio erat, quod Helvetii Reformati, Palatini, ac Batavi Rheno omnes adſiti, ex uno latere, Britanni eadem ſacra profeſſi ex altero Galliam velut cingerent; qui hactenus Hugenottorum in Gallia vires ſuleiverant, paria deinceps quoque facturi, ſi qui motus oriretur. Hanc velut catenam ut Galli intringerent, depreſſo Palatino ſtudebant. Cum igitur Cæſarei Auſtriam ſupra Anaſſum amittere nollent, Galli ſuperiorem Provinciam Palatino invidерent, univerſi quoque Ordines pacem alieno diſpendio redemiſſe in lucro habentes eandem Bavaro decernerent, non poterant quoque non Suecі conſentire, & oſtenta in Bavarum inclinatione teſtari, illius deſiderio ſatisfieri poſſe. Id quod & Inſtrumento ſuo inſerebant, ea tamen lege, ut & Bavarus ſuam autoritatem accommodaret, quo ſuper Gravaminibus adhuc reſtantes, aliæque concluſionem adhuc morantes controverſiæ propediem expedirentur. Quo ipſo & Bavarum à Cæſare divellere ſtudebant, ſimul fœdera, quæ inter Gallos, Italos, aliosque Catholicos Status agitari dicebantur, eluſum ibant. Quanquam autem & Palatini monitis quibusdam additis, ſi aliud obtineri non poſſet, demum in eas leges conſentiebant: Cæſarei tamen, refrigerato in Bavarum ob inducias ſtudio, eam rem languide agebant haut obſcure innuentes, ſe Palatino non ſolum inferiorem Provinciam cum Electorali dignitate, ſed & ſuperiorem, ſi commode fieri poſſit, in Bavari odium reſtituram cupere. Quibuscum facile conſpirabant Suecі, ut id negotium adhuc dilatum, Monaſterium rejiceretur, quo Bavarus inter ſpem metumque retineretur, ne vel protelatus ad infeſta conſilia capeſſenda compelleretur, vel commodorum ſuorum plane ſecurus publica cauſa deſerta adverſæ parti ſe iterum adplicaret.

Ea res differtur.

§. 106. Wurtenbergicus Dux ut plena reſtitutione potiretur, Suecі inſtabant, quippe cui ob Heilbrunnenſe fœdus ditione ejecto præ reliquis jam per amneſtiam conſulendum erat. Quod & Cæſarei demum annuebant; etſi Catholici Prælati opima bona à Cæſare ſibi tradita ægerrime amitterent. Reſervabant tamen ſibi Cæſarei viam juris vindicandæ Blaubeuræ, Achlæ & Stauſæ, in quas Auſtriaca Domus jus prætendebat. Tum ut Wurtenbergicus Heidenheimum dynaſtiam quinquies centenis millibus florenorum, pro qua ſumma eadem Bavaro oppignerata erat, redimeret; reluendi jure annis viginti circumſcripto. Sed cum Suecі non huic ſolum poſtulato, ſed & toti Prætenſioni contradicerent, demum ut Dux ducenta millia velut ex liberalitate ſolvenda in ſe reciperet, volebant. Quæ Oxenſtierna plane adſpernabatur: iniquiſſimum eſſe, Wurtenbergicum Cæſaris debita luere. Mirari ſe potius Ducis æquanimitatem, quod non & fructus perceptos, ac percipiendos reperat. Sane ſi idem hos petat, nulli ſe operæ parcenturum, ut illis potiatur. Quod licet Cæſareis, ac cumprimis Volmaro, parum arrideret, eam tamen rem in medio relinquebant, ut ſpes eſſet ſuper Heidenheimo gratis reſtituendo obtentum iri.

De Wurtenbergici reſtitutione.

§. 107. Circa Badenſem cauſam acrius diſceptabatur. Nam licet Eduardi poſteri omnem actionem ſuper fructibus, impenſisque, & eo quod intereſt, per Cæſaream ſententiam ſibi adjudicatis, remitterent, duabus quoque præfecturis eo nomine ſibi traditis ceſſuri; abnuebat tamen Durlacenſis, ne titulum quidem, nedum dimidium Marchionatum illis largiturus. Cujus partes Suecі quantum poſſent propugnabant, demonſtrantes; ſententiam Cæſaream, cui Eduardinorum jus nitebatur, eo tempore latam, quo Marchio Georgius

De cauſa Badenſi.

Suecі Cæſareo um propoſitis in cauſa Palatina accedunt.

1647. gius Fridericus gratia Cæſaris exciderat. Eoque pacto eſſe, rem reſtitui in eum ſtatum, qui ante bellum fuerat, via juris utrique parti relicta. Sed Cæſarei rem divino ac humano juri repugnantem ducebant, Marchionem Wilhelmum ditione ſua, ac titulo, queis hactenus gaviſus ſit, exui: cum non Cæſar ſolum, exterique Reges ac Principes, ſed & ipſe Georgius Fridericus iſtum Marchionem agnoverit, in cujus rei fidem autographæ Georgii Friderici literæ producebantur, queis debito hunc titulo, ac patruelem nuncuparat. Quæ Friderico ademta citra controverſiam ad ipſum pertinuerint plene redditum iri. Sententiæ Cæſareæ ut derogetur, à ſe ferri non poſſe; niſi quod fructus perceptos, impenſaſque, & duas præfecturas, uti dictum, remitterent, ut tamen Wilhelmo Marchioni certos reditus annuos ex avita hæreditate, & illarum loco arcem Ritbergam prope Etlingam cum omnibus pertinentibus, ſimul Domui Auſtriacæ jura in Rœtelam, Badenvveileram & Sauſenbergam reſervarent. Omnes reliquos Ordines, qui reſtitutione ex communi amneſtia opus habebant, Cæſarei ſuo Inſtrumento præterierant, cauſati, illorum prætenſiones per communem amneſtiam, aut latas ſententias, aut compoſitionem gravaminum deciſas: quaſdam adhuc judicio diſceptari, alias præſentem pacem nihil ſpectare. Sed Sueci hac declaratione non contenti prolixum catalogum proferebant eorum, qui nominetenus amneſtiæ includi ab ipſis petierant. Quibus hucuſque indulgebant Cæſarei, ut ſuper ſingulis ſententiam ſuam panderent, haut multum à Succorum poſtulatis abeuntem. Super illis, qui Cæſareis Provinciis oriundi Reginæ ſagaris aut togatis muneribus innexi erant, aſpera controverſia ſurgebat; quos Sueci pari cum reliquis conditione habendos contendebant, reſtitutis omnibus bonis, quæ ante motus Bohemicos poſſederant. Sed Cæſarei non niſi illa reſtituere volebant, quæ iſtis ademta forent, poſtquam ſub foederatis Regibus merere cœpiſſent. Cui declarationi immoti inhærebant; quod alias primarii Cæſaris Miniſtri Trautmandorfius, Schlickius, Curtius, alii opimis donationibus è bonis illorum exulum, ac Cæſar ipſe annuis reditibus quadringenties mille florenorum, quos ex iiſdem bonis ærario ſuo adplicuerat, exuendi erant.

De reliquis reſtituendis.

De ſubditis Cæſareis.

De Gravaminibus Catholici Cæſareorum acta impugnant.

§. 108. Super Gravaminibus Cæſarei, Succis acriter connitentibus, non pauca in Evangelicorum gratiam remiſerant, Catholicis Ordinibus frementibus, tot præſulatus, aliaque bona ſacra Succis, Evangeliciſque concedi. Nec obſcure nimia Cæſareorum liberalitas perſtringebatur, qui nullo more præter conſenſum eorum, quorum intereſt, integros Principatus condonaſſent, è quibus inſignia ſubſidia bello gerendo collata ſint. Nam abſurde ab Auſtriacis exemplum medici adductum, qui non labra, nares, aureſque & alia utilia membra reſecare ſoleat; ac per ſummam injuriam ſuæ Religionis Præſules intra membra putrida referri. Frigidam huic ſuffundebant Galli, ac inprimis Avauxius male temperato in ſacra ſua zelo, an quia purpuræ Cardinalitiæ hoc merito inhiabat; qui dum id negotium diſceptatur Oſnabrugam profectus, Cæſareos, ne tam multa Evangelicis indulgerent, Catholicos, ut Cæſareis acriter reſiſterent, urgebat. Tum Evangelicos variis artibus terrere, inter alia jactans, ſi Hiſpanica pax præverteret, omnem ipſis ſpem eorum perituram, quæ nunc commoda ratione obtinere poſſint. Simul declarabat, Catholicos ipſi ſuam

Ut & Galli.

causam diligenter commendaſſe, nec Gallos ob ſacra bellum in Germania geſturos, aut Succos eo fine armis, argentoque ſublevaturos. Nam conſtare ſibi ſeparato ſuo exercitu, & ſubtracto pecuniario ſubſidio Evangelicos ad æquas circa gravamina conditiones deſcenſuros. Aſt Cæſarei iſtarum criminationum impatientes oſtendebant, non ultro ſe, ſed peculiari Deputatione invitatos iſthanc negotiationem componendis gravaminibus ſuſcepiſſe; ac ſuper controverſis capitibus Catholicorum Ordinum, eorum præcipue, quorum intereſt, ipſiuſque Avauxii ſententiam ſubinde exquiſiviſſe. Nec conſtantiam ſibi Catholicæ rei proficuam fuiſſe defuturam, ſi univerſis Catholicis firma conſilia, queis tuto inniti liceret, capeſſere placuiſſet. Enimvero cum Avauxius præter inania verba, Catholici præter inefficax ſtudium nihil attulerint, ſubinde *Pacem quocunque modo* occinentes, Bavarici ſimul quotidie, ac ſingulis prope horis, non ſine minis ut ad finem properetur, inſtiterint, induciis demum cum hoſte initis; æquos rerum arbitros haut ſibi vitio daturos fuiſſe, ſi vel plura conceſſiſſent, ac quovis pretio pacem redemiſſent. Quibus tamen hactenus inter tam evidentia pericula quantum potuerunt reluctati ſint. Quod ſi jam poſt omnem à ſe conſumtam diligentiam à Gallis præter vana promiſſa, ac ſterilem miſerationem nihil adferatur, nec Ordines arma ſecum ſociare, ac in neutras potius partes abire velint, non adparere quid amplius à Proteſtantibus obtineri queat.

Cæſarei ſe excuſant.

Ea negotia-tio continuatur.

§. 109. Pergebant inde hoc in negotio Cæſarei, & quam Evangelici elucidationem aliquot capitum circa gravamina deſideraverant, ſcripto conceptam exhibebant. Sequenti die Trautmansdorfius univerſis Evangelicis ad ſe evocatis exponebat; etſi in quibuſdam Articulis à pace Auguſtana diſceſſum fuiſſe videatur, Evangelicis tamen iſta, ſi tandem aliquando hiſce adquieſcere velint, à Cæſare & Imperio præſtanda. Sin minus, nec ſe teneri velle. Nec eo ſecius Evangelici conſiliis collatis nonnulla adhuc deſiderabant; & quia ſcriptorum reciprocatione parum efficiendum videbatur, à Succis petebant, ut ipſi pro virili tentarent, quid ad extremum pro Evangelicorum rebus à Catholicis obtineri queat. Qui & hoc negotium ſuſcipiebant quidem; ſed ne Gallos plane offenderent, remiſſius agendum erat. Sane videbantur illi lautiores adhuc conditiones obtinere potuiſſe, ni metus fuiſſet, ne Catholici in Gallorum patrocinium penitus ſe conjicerent; quod præſenti rerum ſtatu abſque magno cauſæ communis periculo fieri non poterat. Cum porro circa Gravamina tria præcipue ſupereſſent nondum ad liquidum deducta; de ſubditis Evangelicis in Catholicorum Ordinum ditionibus; de libertate ſacrorum in Cæſareis Provinciis, & de adminiſtranda Juſtitia; Sueci quidem, quæ Cæſarei circa primum caput ſat liberaliter annuerant, admittebant. Id tamen deſiderabant, quod eadem paucioribus verbis, ac paulo obſcurius concepta, ac ſcrupulis gignendis apta forent, & quod eorum, qui poſt publicatam pacem ſacra Evangelica profeſſuri ſint, mentio facta non eſſet. Addebant Sueci de iis, quæ cum uſu ſacrorum conjuncta ſunt, de Conſiſtoriis, Scholis, Miniſtris Eccleſiæ, jure Patronatus, & ſimilibus; ac ut in poſſeſſione omnium templorum, cœnobiorum, prochotrophiorum cum omnibus horum reditibus manerent, quoad vel in commune ſuper diſſidio Religionis, vel inter Ordines horumque ſubditos aliter conventum fuerit.

11. April.

18. April.

1647. fuerit. E tranſactionibus illæ tantum valerent, quæ praxi anni viceſimi quarti non adverſarentur: quo ipſo pactum Epiſcopi Hildeſienſis ſuper hoc prælatu cum Luneburgicis initum tollebatur; de quo & diſerta mentio fiebat. Qui poſt publicatam pacem Auguſtanæ Formulæ acceſſuri ſint, per quindecim annos tolerarentur; inde migrandi neceſſitas foret. Hæc omnia ſcripto concipiebantur utrinque parti probato, quod & Cæſarei Formulæ pacis à ſe menſe Junio typis publicatæ citra immutationem inſerebant; etſi poſt magnam ejus partem retractarent. Sed libero ſacrorum Evangelicorum exercitio per Bohemiam, & alias Cæſaris provincias Cæſarei acerrime renitebantur, inſtigante quoque Avauxio, qui verſipellis apud Suecos & Evangelicos jactabat; æqua ipſos petere, nec Cæſareos ſubditos negligendos; apud Cæſareos contra demonſtrabat, id non conſcientiæ ſolum, ſed & ſecuritati Cæſaris, atque exiſtimationi adverſari, ſi exterus Princeps ipſius civium patrocinium ſuſcipiat. Unde & Cæſarei Evangelicis ad ſe evocatis teſtabantur, plus à ſe concedi non poſſe; rogantes apud Suecos agant, ut hiſce adquieſcant. Crebris ſe literis ex aula prohiberi plura concedere. Si Sueci hanc ob cauſam bellum continuare velint, ferendum id ſibi eſſe; irrita tamen fore tunc omnia, quæ circa gravamina convoverunt. Evangelici cum neque ſupplicando, neque intercedendo effici quid a ſe poſſe cernerent, ac tamen ſubditis Cæſareis nihil præjudicii adferre vellent, id negotium Suecis commendabant, ut pro iiſdem quantum daretur conniterentur, modo ne ob eam cauſam pax abrumperetur. Ac ſi res ad ſtatum, qui ante motus Bohemicos fuerat, deduci nequeat, ut ſaltem ſingulis diſtrictibus quædam templa, Scholæque ipſorum ubibus concederentur, ſalva in univerſum conſcientiæ libertate. Tum ut Sileſiis plena ſacrorum libertas ex pacto cum Electore Saxoniæ anno viceſimo primo inito conſtaret, Jeſuitis inſuper Uratislavia ejectis. Sed hæc plane adſpernabantur Cæſarei; ignominioſum Cæſari fore id ipſum prohiberi, quod vel infimis Imperii Ordinibus permiſſum ſit. Nec ad plura, quam quæ ſupra jam circa iſtos concefſerant, permoveri poterant.

De ſubditorum Cæſareorum autonomia.

19. April.

De adminiſtratione Juſtitiæ.

§. 110. Circa Juſtitiam Evangelici plura ſummа tribunalia poſcere deſierant, ac locum duntaxat Cameræ Spirenſis mutari volebant; quod Cæſareis non valde diſplicere videbatur, qui Erfordiam, uti Sueci Egram, eo fine aſſignabant. Id quod tamen cum aliis rebus juſtitiam ſpectantibus ad proxima Comitia rejectum. Declarabant quoque Cæſarei, ſe non ſolum in Camera, ſed & judicio Aulico cauſas religionem, ejuſque conſectaria ſpectantes pari utriusque religionis aſſeſſorum numero decidi velle quo fine & Cæſar aliquot idoneos viros Auguſtanæ Confeſſioni addictos in Judicium Aulicum adſciturus ſit: cui & idem, qui in Camera Spirenſi obtineat, proceſſus ſit ſequendus, quantum cauſarum indoles ferat. Tum ſi quæ dubia occurrant circa ſenſum ſtatutorum Imperii, aut in cauſis religionis ob paritatem ſuffragiorum, ubi amica via componi non poſſint, ad Comitia referenda. Ordinibus quoque primam inſtantiam, Auſtregas, & privilegia de non appellando ſalva fore, mandatis aut commiſſionibus Cæſareis haut turbanda. Evangelici præter hæc poſtulabant, ut Conſiliarios Aulicos præſentare penes Ordines ſit. Tum ne Judicium Aulicum in cauſis Eccleſiaſticis juriſdictionem exerceat. In aliis cauſis, ubi prius rite conſtitutum ſit, concurrentem cum Camera juriſdictionem haberet, ne tamen Secretius Cæſaris Conſilium aut quod Conſcientiæ vocabulo inſignitur, controverſiis illis ſe immiſceat. Denique ut accuſatis optio ſit, in aula Cæſaris, aut Spiræ cauſam ſuam agere malint. Id quod in magnam ſui contumeliam accipiebant Cæſarei, velut in Aula Viennenſi jus parum integre dici exprobraretur. Unde & alios ab hoc poſtulato deterrebant præter ſolos Luneburgicos, qui id poſtulatum pro Saxonia Inferiore Succicæ Formulæ inſeri curabant. Ea res cum haut ſpernendi momenti videretur, Suecis anſam præbebat, ut iſthanc optionem intuitu provinciarum ſibi in Germania cedendarum, ſi forte ab aliquo ex Ordinibus convenirentur, à Cæſareis ſtipularentur. Tandem ſuper hoc capite à Cæſareis & Suecis concipitur conventio, quæ Evangelicis ſatisfactura credebatur, qua Cæſarei translationem Cameræ Spirenſis in alium locum & paritatem Aſſeſſorum utriusque religionis concedebant; quorum illud tamen poſt iſti plane everterunt, hoc acriter impugnarunt. De Reformatis tunc in Cæſareorum formula omiſſum erat; quo nomine à Suecis formula concipiebatur, ſuper qua hisce gravius cum ſacrorum ſuorum ſociis, quam cum Cæſareis litigium erat. Sed ea ſuper re Suecis circumſpecte procedendum erat, ut Hollandorum, Anglorum, Ragozii & aliorum, qui iſtis ſtudebant, offenſam declinarent.

1647.

De negotiis Imperii.

§. 111. Circa Imperii & Ordinum jura longe adhuc diſerepabant Sueci à Cæſareis. Sueci multa ſingularia poſtulatis ſuis inſeruerant, è quibus præcipua, quæ ſtatum Imperii ſpectabant, memorare ſufficerit. Manerent Electoribus eminentia, & jura per Auream Bullam ſancita, ut conventus agere, ac de negotiis Imperii conſultare queant; ut ne tamen quid abſque conſenſu reliquorum Ordinum concluderent, aut mutarent. Electio Regis Romanorum ne fieret, niſi Ordines in Comitiis id è republica judicaverint. Capitulatio perpetua concinnaretur, in qua nihil, niſi de conſenſu omnium Ordinum mutaretur; quod totius Imperii interſit, ne ejuſmodi leges fundamentales ſæpius immutentur. Non niſi libero Ordinum omnium conſenſu deinceps novæ leges ferrentur, veteres illuſtrarentur, bellum ſuſciperetur, tributa indicerentur militum, & hoſpitationes inſtituerentur, Ordinum ullus ſua dignitate ac ditione exueretur. Singulis triennus Comitia haberentur, ac interjecto tempore quoties neceſſitas exigeret, quæ tamen ultra trimeſtre ne durarent. Ordinibus ſua dignitas, libertas ac privilegia ſalva perſtarent, ipſisque inter ſe ac cum extraneis fœdera inire licitum eſſet tuendæ ſuæ ſaluti ac ſecuritati, modo illa non ſint contra Cæſarem & Imperium, nec in fraudem cedant paci communi, & juramento, quo Cæſari & Imperio obſtringuntur. Enimvero ſi Cæſar prior aliquem Ordinum invaderet, & defenſio, & eo fine ſuſcepta fœdera licita forent. Civitatibus Imperialibus votum deciſivum ſalvum foret, quarum numero Egra, atque Erfordia redderentur, adſcita inſuper Oſnabruga in præmium hoſpitii Legatis præbiti. Cæſarei contra generalem duntaxat formulam concinnabant; qua Ordinibus jus ſuffragii in omnibus Imperii negotiis annuebant, quæ non niſi Comitiis univerſorum conſenſu diſcutienda & decidenda ſint; exceptis tamen, quæ ad ſolum Cæſarem aut Collegium

1647. legium Electorale ſpectarent, & ſalvis horum juribus & prærogativa, ac ut omnia ad veterem in Imperio uſum, Legesque referantur. Ex quo fundamento poſtulatum de non eligendo Rege Romanorum vivo Cæſare rejiciebatur, velut inauditum, & olim fundamenta Imperii tentaturum. De perpetua Capitulatione in Comitiis diſpiciendum. Ut nequis Ordinum dignitate & ditione exui, aut proſcribi poſſit, niſi publicis Comitiis, & cum conſenſu Ordinum, id uſui multorum ſeculorum, Legibuſque Imperii adverſari; ac ſoluto hoc obedientiæ vinculo juſtitiam ob partium ſtudia plane expiraturam, & vim Imperii ſolutum iri. Indictionem Comitiorum peculiare jus eſſe Collegii Electoralis, quod huic inſtigantibus paucis adimi non debeat. Fœderibus addebatur, ne illa valida ſint, niſi Cæſar & Ordines in Comitiis ſuper illis cognoverint. Ut autem eadem adverſus Cæſarem quoque valere debeant, ne Succis quidem probari. De ſuffragio Urbium deciſivo non tam Cæſarem, quam quoſdam Principum repugnare. Quæ pro Erfordia, Egra & Oſnabruga poſtulentur, iniqua eſſe, nec in fraudem tertii concedenda. Inde Succi Cæſareis conſentientibus Evangelicorum Legatis exhibebant, circa quæ in negotiis Imperii, & aliis ipſos præcipue ſpectantibus nondum convenerat, explorandæ horum ſententiæ. Nam cum omnes ad concluſionem tractatuum properarent, circumſpecte agendum erat, & ex ſupra memoratis rebus utiliſſima, & maxime neceſſaria eligenda. Horum ſuaſu pleraque ſingularia poſtulata à Succis omiſſa, & ad proximum Imperii conventum rejecta. Circa reliqua inter Cæſareos & Succicos ad eum modum tranſactum, prout Inſtrumento Pacis inſertum legitur.

De vectigali Oldenburgico.

§. 112. Super commerciis nihil erat difficultatis niſi quod tunc primum de vectigali Oldenburgico in Viſurgi moveretur. Prætendebat Brema urbs dominium fluminis uſque ad mare, cujus vi in neutra ripa vectigal exigi poſſit. Et cum Comes poſt ſexaginta annorum litem demum anno viceſimo quarto telonium inſtituiſſet, id vi adhibita deſtruere iſta aggrediebatur. Nunc ut vel lis hæc ſublato vectigali terminaretur, vel litiſpendentia in Aulam Cæſaream remitteretur, petebat. Advertius quæ Comes conceſſionem Cæſaris ſententia Judicii Aulici, & repetitis decretis firmatam allegabat, quæ in controverſiam amplius deduci nequeat. Sed quia dominium urbis in Viſurgim neque Comes, neque Succi, neque Cæſarei agnoſcebant, ab his proponebatur, ut Bremenſes idonea pecuniæ ſumma Comiti oblata quatuor aut trium auri tonnarum eam litem redimerent, quam ut acceptet ſe Comiti perſuaſuros. Sed urbis ablegatus non nili de centum millibus uncialium ſpem faciebat, velut propria autoritate, ac ut penes urbem eſſet, id ratum habere. Simul ad Hollandorum patrocinium ſe conferebat. Unde inſtantibus licet Cæſareis ac Succis amica tunc compoſitio hærebat. Salvius aliquando apud Trautmansdorfium per jocum jecerat; Oldenburgico potius, quam vectigal illud Bremenſibus remitteret, id pro ſumma pecuniæ in Succos transferendum. Cui Trautmansdorfius: *per Deum, nolite tam ſubito monſtrare ungues*, repoſuerat.

Reliquæ ſatisfactionis Succicæ.

§. 113. Circa Wiſmariam Duci Meclenburgico per Cæſareos, Succoſque reſervatum fuerat, ut is junctum cum Regina imperium in id oppidum haberet, præſidiariis in ejuſdem ſimul verba adactis; ea tamen lege, ut Dux in hanc tranſactionem conſentiret: alias id oppidum ſoli Reginæ in perpetuum feudum à Cæſare concedendum. Atque ita formulæ pacis à Cæſareis hoc modo inſertum erat, ſed Meclenburgicus Legatus à Principe ſuo recens reverſus iſta conditione repudiata aliam proponebat, ut Regina Wiſmariam ad eundem modum, quo Hollandi Embdam, ad ſui ſecuritatem præſidio teneret, ipſi ſoli obnoxio, additis tamen multis reſtrictionibus & exceptionibus; quæ conditio ſi Reginæ placeret, eidem commune dominium in portum Wiſmarienſem, & munitionem à Balæna dictam offerebat. Id cum non admitteretur, demum in condominium Wiſmariæ conſentiebat, ſed certis itidem conditionibus circumſcriptum. Sed cum ipſi Cæſarei has tergiverſationes pro diſſenſu haberent, nec ideo negotium differendum cenſerent, in Succico Inſtrumento de communi dominio omittebatur. Et cum poſt Meclenburgicus in condominium, prout ante à Cæſareis & Succis deſignatum erat, conſentire veller, re jam tranſacta repellebatur. Quæ teſſio in Comitiis novo Ducatui Bremenſi aſſignanda eſſet, adhuc inquitebatur. Ab initio placuerat, proximum locum à Marchionibus Brandeburgicis in ſecularium ſcamno illi habendum eſſe; idque Cæſarei ſuo Inſtrumento expreſſerant. Succi contra mutata pauliſper ſententia Reginæ ob dignitatem primum locum in eo ſcamno poſtulabant, non ſuo, ſed aliorum Principum, ac præcipue Brandeburgicorum Electoralium inſtinctu, qui eo loco Reginam, quam Bavarum gaudere malebant, & quia Bavaro inter Electores recepto ſuffragium in Senatu Principum haut recte relinqui videbatur. Eam rem Cæſarei haut valde reluctati Monaſterium rejiciebant, ut quæ Bavaris mens eſſet intelligi poſſet. Sed cum Succi mox perſpicerent, Cæſareos forte hoc poſtulatum velut novum in calumniæ anſam arrepturos, eodem ultro deliſtebant.

De æquivalente negotiatio pauliſper hæret.

§. 114. Conſequens erat, ut ſuper æquivalente eorum, quibus de ſuo quædam amittenda fuerant, ageretur. Super hoc Succi formulam conceptam Cæſareis tradiderant, addita appendice de libero ſacrorum Evangelicorum in Cæſaris provinciis exercitio. Contra Cæſarei declarabant, ſi Succi iſti hoc poſtulato deſiſtere velint, ſe ſuper æquipollente facile viam inventuros. Sed cum Succi ita repente id negotium emittere non poſſent, ac Monaſterium ad ampliorem diſcuſſionem id rejicerent, Cæſarei negabant ſe plura ſuper ſatisfactione, & quæ huic connexa ſunt acturos, ni Succi poſtulato ſuo annuerent. Nam ſacra iſta palmarium eſſe negotium, quod reliquis omnibus evertendis facile anſam præbere queat. Nec alios Evangelicos Succis ſuaſuros, ut eam ob cauſam tractatus jam ad finem vergentes ruptionis periculo exponantur. Ea res Succorum deſtinata, qui abſolvendi tractatus gratia Monaſterium propediem abire voluerant, non parum turbabat. Unde Biornclovium illuc mittebant, qui de hac re ad Gallos & Venetum referret. Huic placebat, de ſacris Cæſareorum ſubditorum ad futuram negotiationem reſciendum; interim cætera diſcutienda. Quod cum & Cæſareis arrideret, ad tractatus mox redibatur. Ac circa Brandeburgicum æquivalens Succi quidem Magdeburgo urbi priſtina jura reſervatum ibant, acriter contra nitentibus Adminiſtratore atque

12. Maji.

De urbis Magdeburgicæ libertate.

Capi-

Digitized by Google

1647. Capitulo, qui & Brandeburgicos ad istud impediendum sibi adsciscere cupiebant. Sed Brandeburgici solum tunc contradicendi conatum Administratori & Capitulo relinquentes ferebant; si Elector aliquando possessionem Præsulatus sit arrepturus, consilia ipsi non defore, nec eundem, ut quid sibi decerpatur passurum. Nec eo minus quæ semel placuerant, Instrumento Pacis interebantur. Mindam à Cæsareis & Suecis eodem die Meclenburgico Legato oblatam, cum hic defectum mandati excusans acceptare distulisset, Brandeburgici interea interceperant. Quo minus hi & quatuor Schaumburgicis præfecturis potirentur, Casellani obstabant, quibus eædem destinabantur. Censuerat tamen Avauxius, Brandeburgico abunde satisfactum Halberstadio, Magdeburgo & reliqua Pomerania: Mindam à Luneburgicis & Meclenburgicis alternatim possidendam, aut ejus præfecturas inter ipsos dividendas. Meclenburgici hactenus magis circa servandam sibi Wismariam, quam æquivalens discipiendum tegerant. Unde præcepta jam Minda de Osnabruga cogitabant, ad quam Luneburgici oculos adjecerant, quos offendere Suecі nolebant. Ita præter Raceburgicum & Suerinensem Præsulatum nihil supererat; qui exigui momenti Meclenburgico videbantur, præsertim cum Dux Gustavus Adolfus ipsius è fratre nepos Raceburgicus Administrator designatus esset. Superpondii tamen loco additum, ut post defunctos qui nunc viverent Canonicos eorum reditus ærario suo adplicaret; utque vectigalia in Albi ad Bonzenburgum & Dæmizam, in viginti duntaxat annos concessa, perpetuo retineret, ac centum uncialium millia futuris Imperii tributis detraheret; id quod Suecorum opera impetratum, qui & Duci expectativam in Osnabrugensem Præsulatum, post extinctam familiam Luneburgicam stipulari cupiebant, ni Cæsarei id plane adspernati fuissent.

Brandeburgicus Minda potitur.

Meclenburgicum æquivalens.

De Osnabrugensi Præsulatu.

§. 115. Luneburgici in pensationem jurium in Magdeburgicum, Bremensem, Halberstadiensem & Raceburgicum Præsulatus, queis cesserant, Osnabrugensem Episcopatum postulabant; quem & Gustavus Gustavi ex donatione Reginæ, & Franciscus Wilhelmus Suecicis armis eodem ejectus sibi vindicatum ibant. Et Gustavo quidem ut studerent, aut saltem ut insignem pecuniæ summam eidem stipularentur, Suecicis Legatis à Regina injunctum erat; pro Francisco Wilhelmo universi Catholici, ipsique Galli nitebantur. Ac
8. April. Cæsarei quidem, cum Evangelici cum Episcopatum suis partibus depoſcerent, abrupte negabant, penes se esse, in id consentire, cum Catholici nullo modo eundem amittere velint. Avauxius iisdem pridie idem petentibus ambiguo insuper re-
9. April. sponso illuserat: tentarent fortunam, Gallos Osnabrugæ causâ bellum non gesturos. Quod cum hi in suum favorem traherent, Cæsarei ita interpretabantur: Gallos Francisco Wilhelmo valde faventes pro Osnabruga Evangelicis servanda bellum non gesturos, sed reliquis compositis copias Germania eductures, subtracto pecuniario subsidio. Et mox eandem sibi mentem fuisse
6. April. Avauxius agnoscebat. Re inter Evangelicos in consultationem deducta Altenburgicus censebat; si præsulatus ille ex asse obtineri nequeat, ad alternativam recurrendum, & eundem Francisco Wilhelmo dum vivat relinquendum ea lege, ut statim Evangelicus Coadjutor ipsi adjungatur, omnia quæ nunc possideant Evangelicis templa relinquantur, Petriburgum destruatur, Episcopo non nisi certis diebus, & certo cum comitum numero Osnabrugam introire liceat: Jesuitis in oppidum accessus deinceps negetur, denique Reginæ ac Luneburgicæ Domui tutela oppidi, & Provinciæ deferatur, ut solo subditorum rogatu absque alia processus forma oppressorum defensionem suscipere possint, & teneantur. In hanc sententiam etsi plerique discederent, conclusum tamen, nescio qua de causâ, generalibus duntaxat verbis conceptum omissâ Osnabrugæ mentione; Gravamina ut componerentur, absque tamen belli continuatione, Suecicos Legatos rogandos, ac ut citra ambages negotiatio ad finem perduceretur. De hoc concluso Avauxius primus Suecis significabat, velut Evangelici jam plane Osnabruga destituissent. Suecі cum non crederent, hos ita improvide egisse, non tam istud consultum à se, quam æquitatem negotii respici ferebant. Galliam pro Catholica Religione in fœdere nil aliud stipulatam, quam ut in eo statu relinqueretur, qui Anno decimo octavo fuerit, quo tempore Evangelici Minda & Osnabruga potiti sint. Unde Galliam contra fœdus facturam, si nunc renitatur. Ad quod Avauxius quod reponeret non habebat. Addebant, in Replica sua hos duos Præsulatus diserte à se reservatos, ut inde illis satisfieret, quibus per Suecicam satisfactionem aliquid decederet. Cæterum cum Suecі prævidissent, per quorundam inconstantiam, & incauta nimis commercia cum iis, qui Evangelica sacra oderant, causæ communi non parum detrimenti accedere posse; simul mirum videretur, Avauxio hanc rem, quæ solos Evangelicos tangebat, prius innotuisse, quam sibi, qui ab omnibus Evangelicis ad gravamina componenda rogati erant; id hisce, prout par erat, exprobrabant. Qui & errore agnito fidentius cum Suecis deinceps acturos se promittebant, omissa nimia cum Gallis familiaritate. Ita Suecі & Evangelici super hoc negotio conspirabant, Avauxio nequidquam Cæsareis minitante, si Osnabrugam Evangelicis concederent, se non solum Episcopatum Argentoratensem, sed & quatuor oppida Sylvestria, & Brisgoviam ab ipsis postulaturum. Suecis igitur instantibus certa pecuniæ summa Gustavo Gustavi destinabatur. In gratiam Cæsaris & Catholicorum Francisco Wilhelmo Episcopatus Osnabrugensis, quoad viveret, relictus ea lege, ut sacra eo statu, qui Anno vicesimo quarto fuerit, manerent, ac is Ordinibus Provincialibus super Privilegiis ac Juribus suis caveret. Et ipes erat, Episcopum deinceps conventis statutum, Suecorum, Brandeburgicorum & Luneburgicorum vicinia cinctum. Ut isto defuncto in perpetuum Præsulatus penes Evangelicos maneret, obtineri non poterat, sed ut alternis à Catholicis & Evangelicis, & quidem è Domo Luneburgica possideretur. Ita huic quoque Domui satisfactum, cujus & reliqua postulata Cæsarei facile admittebant. Nisi quod super Cœnobio Walckenrietha in Halberstadiensi Præsulatu, cujus Administrator Christianus Ludovicus Dux Luneburgicus erat, adhuc disceptaretur, quod hinc Luneburgici, inde Brandeburgicus ad se trahebant. De quo ad aliud tempus rejectum.

De æquivalente Administratoris Bremensis.

§. 116. Ut pro cessione Bremensis ac Verdensis Præsulatus, simul Coadjutoriatus Halberstadiensis jure temporarium quoddam æquivalens sibi tribueretur, per Reinkingium Fridericus Dux tedulo instabat. Cui à Cæsareis repositum Duci

ad

1647. ad recuperanda amissa per arctoam pacem viam patuisse, nec eundem efficaci modo hactenus circa ista laborasse, ac tantum non eadem pro derelictis habuisse. Lubecensi pace ipsius Patri Holsatiam & Jutiam restituram, ut pro filiis suis in præsulatus ullos ne quid prætenderet. Cæsarem insuper post mortem Comitis Schaumburgici dynastiam Pinnebergam ad se devolutam ipsi cessisse; sed & ut is Gluestadiense vectigal multos ultra concessum tempus annos exigeret dissimulasse. Tanto patientius ipsi tolerandum, istos præsulatus ad redimendam communem pacem impensos. Nec pari conditione ipsum censeri posse cum illis, queis pensatio facta sit. Et Archiducem Leopoldum Wilhelmum Halberstadio, Franciscum Wilhelmum Verda, Austriacos Alsatia gratis carere. Cæterum quo plus Cæsareos à pensatione ista abhorrere adparebat, eo frequentius de ista movebant Sueci, non quidem ut Duci Friderico gratificarentur, sed ut eo magis excusati essent, ac penes se culpam non hærere ostenderent, quod iste nihil acciperet. Unde Cæsarei demum proponebant, ut Duci præfecturæ Hildesienses, quas Luneburgici anno quadragesimo tertio Coloniensi Electori cesserant, ad vitam fruendæ darentur. Mox eo proposito omisso pecuniæ summa è collectis Imperii futuris eidem satisfacere constituebant.

De Hassica controversia & satisfactione.

§. 117. Marpurgensem controversiam Darmstadiensis demum transactione componi patiebatur; quod & Cassellanæ placebat, modo ista durante bello, & antequam arma plane deponerentur, expediretur. Ordinum Legati etsi controversiam illam à præsenti bello haut ortam, nec ad tractatus pacis proprie pertinere judicarent; tamen quia & illa quietem Germaniæ morabatur, Cæsareos, Regiosque Legatos orabant, ut isti componendæ ulterius invigilarent; quod tamen absque Imperii & aliorum Ordinum fraude fieret. Quam clausulam ideo addiderant, quod Darmstadiensis jactaret; se postulaturum, ut è publico sibi resarciatur, quod nunc malignitate temporum forte cedendum foret. Ita tandem formula transactionis à Darmstadiensibus concipitur, qua, insuper habitis sententiis judicialibus, & transactionibus hactenus factis, Cassellanis restituenda erat præfectura Smalcaldica, inferior Chattorum Comitatus, & Umstadiensis præfectura; tum ut Marpurgensis hæreditatis quinque octavæ partes Darmstadiensi. Cassellanæ tres octavæ partes assignarentur. Quæ formula & Cassellanis placebat, additis tantum paucis monitis, inter quæ præcipuum erat, ut proximæ præfecturæ sibi assignarentur, ac ab hac divisione Marpurgensis præfectura excideretur. Etsi ea transactionis formula Cæsareis parum placebat, qui Darmstadiensi lautiores conditiones conciliare cupiebant. Alias Landgravia prioribus postulatis suis adhuc insistebat, quæ præter Hirschfeldensem præsulatum quatuor præfecturas Schaumburgicas, & oppida nonnulla ad Moguntinum, vicinosque Catholicos præsulatus spectantia, sexcenta insuper uncialium millia complectebantur. Etsi Galli præsulatibus Catholicis nihil decerptum cuperent, Cæsarei autem præter Hirschfeldiam directum duntaxat dominium in quatuor præfecturas Schaumburgicas, eadem lege, qua à Mindensi præsulatu possessæ fuerant, annuerent, una cum sexcentis uncialium millibus, dimidia Comitatus Arenbergici parte pignoris in vicem detinenda, quoad illa exsoluta fuerint.

§. 118. Circa deducenda ex occupatis bello locis placebat Cæsareis, machinas, paratumque bellicum & annonam, quæ tempore occupationis ibi fuerint, & post eodem congesta sint, nullo discrimine ibi manere. Sueci contra ut machinas sive ibi repertas, sive post advectas abducere sibi integrum foret, postulabant. Id quod Ordinibus displicebat, quod meruerent, ne Cæsarei in locis à se occupatis idem postularent, & sic Germania ingenti numero machinarum bellicarum expoliaretur. Denique inter captivos restituendos Succi Eduardi Bragantini dissertam mentionem fecerant; Cæsarei eum omiserant, nec de eo quid polliceri volebant. Suecis tamen postulantibus recipiebant, se conditiones nuper à Lusitanis eo nomine propositas ad Cæsarem relaturos. Inter eos autem, quos expressis verbis paci suæ includerant Sueci, erat quoque Ragozius; qui eo tempore Franciscum Jarnæum Osnabrugam hoc nomine miserat, quod pax cum Cæsare ab ipso conclusa nondum exsecutioni data esset, nec quando id futurum foret, adhuc constaret. Unde Princeps iste hoc modo sibi cavere cupiebat.

1647. Aliæ quædam differentiæ.

De satisfactione ac exercitus.

§. 119. Profligatis jam plerisque pacis capitibus, restabat satisfactio militum; de qua aliquoties Sueci mentionem injecerant, ut tamen certi quid non definirent, quoad à Regina mandata essent allata. Eam Ordines longo bello exhausti, tanto magis horrebant, quod non Hassi solum, sed & Cæsarei, ac Bavarici pari modo satisfieri sibi cuperent. Unde Galli differere incipiebant; si Ordinibus pecuniam corradere non liceret, se eam præbituros, si quædam urbes Imperiales pignoris loco ipsis traderentur. Id porro negotium Reginæ magnopere cordi erat, ut ipsa ac Regnum Sueciæ immani onere levaretur, tot annorum stipendia exigente numerosissimo milite, qui sub ipsius auspiciis in Germania merebat, in quinquaginta sex equitum, sexaginta duas peditum, sex dragonum legiones digestus, quæ novendecim equitum, viginti quatuor peditum millia explebant, Teutonicę fere nationis, præter indigenas Sueco s ac Finnos. Quanquam & revera egregiam multos per annos operam is miles navarat recuperandæ Ordinum libertati circa sacra & civilia, quæ nunc per pacem stabilienda erat, ex qua etiam securitas Sueciæ non parum pendebat. Auspicia iste Gustavi Regis, inde Reginę Christinæ secutus immensos labores exhauserat, ac tot victoriis hostem ad recipiendas pacis leges compulerat. Sed & ingenti favore idem Gustavum Regem, ac post Reginam filiam semper tulerat, quem sibi posteritique deinceps quoque pignerare Sueciæ rebus haut parum expedire judicabatur. Et vero cum Suecia tot opes civesque, ipsum Regem incomparabilem ei bello impendisset, quod stabiliendæ Ordinum libertati magnam partem gestum erat, æquissimum videbatur non Cæsarem solum & Catholicos, sed & Evangelicos onus istud in se recipere. Quia porro idem non ad modum nudi mercenarii militis æstimari poterat, sed & propriam ob salutem, quæ in hac pace vertebatur, velut pars tractantium habendus erat, placebat nil nisi de exercitus consensu agere, ac de modo satisfactionis ejusdem sententiam audire. Præsertim cum neglecta militum cautâ ingentes molestiæ, & periculosi motus metuendi forent; nec infrequens, militem irritatum, ubi vires suas agnoscere cœperit, arbitrium belli ac pacis sibi arripere. Eo fine à Regina in Sueciam evocatus est Alexander Erskeinus, vetere apud exercitum

1647. notitia, & animos militares temperare callidus. Quem Regina re accurate deliberata, in Germa-
7. April. niam remisit cum mandatis ad Legatos, ut ne alia pacis capita penitus abiolverent, nisi satisfactione militum stabilita, quam neque spernerent, neque in postremum locum rejicerent, sed vel ante gravamina, vel simul cum iisdem expedirent: quod metus sit, ne Ordines desideriis suis potiti onus istud in Reginam devolverent. Scribebatur quoque ad Wrangelium aliosque superiorum graduum duces, ut Germanum militem ad moderanda postulata disponant, simul hortentur, patriæ afflictam conditionem ad animum revocent, & æquas temporumque captui accommodatas conditiones admittant, operamque suam nimis caro patriæ ne imputent. Sed quo de ducum sententia cognoscendi spatium foret, Legati Suecici iter Monasterienſe, quod adornaverant, extractum ibant. Sed quia omnes ad pacem properare videbantur, & pleraque discussa, paucos intra dies componi poterant, metus erat, ne si ad solum hoc caput tractatus adhæresceret, invidia protractæ pacis in ipsos devolveretur. Et ita acriter omnes ipsorum iter urgebant, ut tergiversandi color non amplius supereſſet. Unde quia credebant, Cæsareos distinctam magis declarationem super militum satisfactione postulaturos, posito per Erskeinum calculo deprehendebant, menstruum exercitus stipendium ultra quindecies centena uncialium
28. Maji. millia adscendere. Quo facto isti Monasterium concedebant, quo & Cæsarei & plerique alii Legati sequebantur.

Exercitus postulata. §. 120. Ad exercitum inde profecto Erskeino Wrangelius ducibus tribunisque Reginæ pro ipsis curam exposuit, quæ pacem non prius concludere decreverit, quam ipsi præmio laborum, fidæque operæ navatæ potiti sint. Illi gratus Reginæ per tribunum Jaroslaum Kinskium actis, fideque sua imposterum quoque obstricta, ad rem exactius ponderandam accedunt. Ubi id primo compertum, postquam Regina modicis ditionibus in Germania contenta fuerit, quæ inter milites distributæ haut quidquam sufficturæ sint, eidem haut amplius præmiorum suorum nomine molestiam facesſendam, sed eadem apud Ordines Imperii quærenda. Quia autem hi magna argenti penuria premantur, simul constet, quantopere miles quibusdam Ordinum exosus sit, qui secuta pace ob belli mala de ipsis forte vindictam sumturi sint: tutissimum censebant Provincias quasdam suo sanguine occupatas sibi possidendas concedi. Quo fine designabatur Præsulatus Hildesiensis, qua ad Episcopum spectat, Mindensis, Osnabrugensis, Paderbornensis, & quidquid de Monasterienſi inter Viturgim & Amasium jacet. Addebant in Silesia Ducatum Schvveidnicensem, Jaurensem, Saganensem, & Glogovienſem; ita quidem ut hæ ditiones inter milites divisæ sub summo Reginæ imperio gubernarentur. Quod si autem id obtineri nequeat, duodecim uncialium milliones, & ad extremum decem postulabantur. Tum ut donationes à Gustavo Rege, Regina Christina, Axelio Oxenstierna velut Directore Evangelici fœderis, summisque ducibus ipsis factæ, & quæ tributorum, alioque nomine oppignorata sunt, rata maneant. Denique ut exulibus, qui apud Suecos stipendia fecerint, eoque nomine gravia odia perpessi sint, inprimis Cæsarea ditione oriundis, bona sua hæreditaria restituantur, concesso quoque libero sacrorum usu. Hæc ut militum nomine proponerentur, Erskeinus cum mandatis Osnabrugam remittebatur; 1647.
quæ universi exercitus nomine a Wrangelio, Wittenbergio, Gustavo Ottone Steenbockio, Payculio, Helmoldo Wrangelio & Wolfio Ludingshusio subscripta.

Monasterii tractatus stagnat. §. 121. Dum Suecі circa adornandum pacis Instrumentum satagunt, Monasterienſes tempus nihil fere agendo extraxerant. Circa Germanicam pacem nihil actum erat, quam ut Galli capiti de assecuratione hanc conditionem inferi postularent, ut Cæsar non solum qua Cæsar, sed & qua Archidux Austriæ omni auxilio Hispanis directe, aut obliqua ratione ferendo renuntiaret; alias pacem se haut concluſuros, nec Suecis prius tractationi suæ finem imponere integrum fore. Negotiatio cum Hispanis ad Lusitanicam fere cautam adhærescebat, de qua Legatos Hispanicos nihil in mandatis habere Trautmansdorfius sancte asseverabat. De cætero utraque pars pacem verbis ingeminabat, à qua Contareni judicio animus abhorrebat. Ne tamen Mediatores plane nihil haberent quod agerent, Galli mense Aprili quædam capita exhibebant, Cataloniam ejusque Provinciæ fines spectantia. Tanto magis mirum Suecis videbatur, quod cum Avauxius Osnabrugæ ipsos ad maturandos tractatus non sine importunitate ac minis subsidii detrahendi instigasset, Monasterii diu cessatum fuisse intelligerent; Gallis non sine irritu ferentibus intra semestre proximum tractatus vix ad finem perductum iri. Per tempus aliquod hactenus Suecos se expectasse; sperare hos nunc idem facturos, nec tantopere properaturos. Sic ut nunc Galli à Suecis ad tractatus vicissim urgendi essent.

De Kœnigsmarckio querela. §. 122. Vix Monasterium adpulerant Suecі, cum acriter queruntur Cæsarei de armis Kœnigsmarckii per Osnabrugensem præsulatum grassantis expugnata nuper Furstenavia; quibus ipsi Galli succinebant, velut ista prævio pacto repugnarent, facilem antam abrumpendis tractatibus datura. Et cum Suecі ostenderent, plurima hostilia ab Episcopo Francisco VVilhelmo adversus Hamburgensem conventionem parrata; Galli reponebant, non Episcopum, sed Cæsarem esse partem contrahentem, & quæ ab Episcopi copiis patrata arguantur, ad infringendam pacti præliminaris vim haut valere. Sed Suecі ostendebant; Esse tamen Episcopum partis contrahentis adhærentem, de cujus infestis actionibus sæpius apud Cæsareos frustra questi sint. Injuriis igitur subinde auctis, cum ex oppidis suis extra Præsulatum Reginæ rebus multum damni intulerit, ad hoc remedium fuisse descendendum. Nam rationi repugnare, ipsi permissum esse Suecos lædere, hos paria reponere prohiberi. Ita paulatim illæ querimoniæ ultro obmutuerunt.

Cæsarei Monasterii duo Instrumenta Pacis edunt. 4. Jun. §. 123. Exhibebant inde Cæsarei Sequestribus duo exempla Instrumenti pacis, unum Fabio Chisio, alterum Contareno, quæ ab hisce Gallis tradebantur. In exemplo quod Chisio dabatur, de Religione & quæ ad eam spectant, studio omissum erat, quod iste eorum quæ in hac materia agerentur, ignorantiam affectabat; reliqua fere conspirabant cum formula, quam Cæsarei antea Osnabrugæ ediderant. Sed quod Veneto tradebatur, in rebus Galliæ & Sueciæ communibus Suecico Instrumento, prout nuper Osnabrugæ ventilatum fuerat, congruebat. Caput de satisfactione secus quam antea conventum fuerat, nunc formatum Galli arguebant; id quod ipsi, quos dudum adhibitæ antehac festinationis pœnitue-

1647. fuerat, haut ægre ferre videbantur, quo & ipsis interpolandi occasio nasceretur; nec obscure innuebant, se Argentoratensem Praesulatum affectare. Succi tamen maluerant unum duntaxat Instrumentum fuisse formatum, cui & Nuntii nomen salva reliquarum rerum substantia insertum foret. Aut si in Papæ gratiam bina fuerant concinnanda, ut alteri Instrumento clausula reservatoria inserta foret; quæ in Nuntii Instrumento omissa sint, non minus ad obligationem efficacia fore. Tum ut reliqua capita exacte in utroque convenirent, ne fortasse Pontifici occasio detur totum negotium eludendi. Haut abs re fuerit ipsa verba Cæsareæ formulæ, quæ tres Episcopatus spectant, hoc adscribere. *Quo magis autem pax & amicitia inter Imperatorem, S. Roman. Imperium, Domumque Austriacam, & Regem Christianissimum Regnumque Galliarum stabiliri, conservari, & assecurari possit, conventum est, quod supremum dominium, jura superioritatis, aliaque omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem & Virodunensem, urbesque cognomines, horum Episcopatuum districtus, & nominatim Moretvicum eo modo, quo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, imposterum ad Coronam Galliæ spectare debeant; reservato tamen jure Metropolitano ad Archiepiscopatum Trevirensis usum antiquum pertinente. Salvo etiam jure Sedis Apostolicæ, omnium insuper Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumque feudis, jure etiam clientelari, cæterisque rebus, quæ cuilibet in his Episcopatibus competere possunt. In quibus omnibus per Regem Christianissimum nullatenus molestari, sed omnes & singuli in eo quo sunt statu immediatæ subjectionis erga Romanum Imperium relinqui debebunt. Quemadmodum pariter Rex Christianissimus antiquas istorum Episcopatuum, Ecclesiarumque, Collegiorum, Præpositurarum, Prælaturarum, Abbatiarum, Prebendarumque fixas lationes juxta eorundem Episcopatuum diœceses nullatenus immutare, Commendatarias, aut aliis insuetis oneribus gravare, sed his omnibus propriam eligendi, postulandi aut conferendi facultatem, fundationibus, privilegiis, moribus, & institutis competentem, salvam atque illæsam permittere tenebitur.* Porro ita lente rem gerebant Galli, ut cum Succi statim adventu suo Instrumenti sui exemplum ipsis exhibuissent, complures post dies id à se adhuc perfectum negarent. Unde cum Succi abitum parante Trautmansdorfio illos urgerent, quantum possent sententiam suam ipsis super sito instrumento panderent; Galli id se facturos dicebant, si Cæsarei prius caput de Assecuratione rite adornassent; nimirum ut Cæsar, qua Cæsar, & qua Archidux, quocunque prætextu, clam palamve Hispaniæ Regi auxilium ne ferret. Qua re tamen desistebant, cum Succi ostenderent; plura adhuc indecisa nativo ordine prius expedienda, & de Assecuratione reliquis plane absolutis demum agendum. Ita paulatim Galli concinnando suo Instrumento manum admovebant. Interea Succi cum Cæsareis pluries congressi super negotiis nondum perfectis communicata cum Gallis re agitabant.

Galli lente agunt.

8. Jun.

De Palatina causa.

§. 124. In Palatina causa ut Succi Bavaro favorent, Galli acriter instistebant. Dubitasse aliquandiu cum Principem, quid facto sibi opus sit. Hostes ut istum in Succos denuo irritarent sedulo laborasse, velut Succis nihil amici adversus ipsum agitantibus, ac quæ jam conventa essent, etsi isti non satisfacientia, everturis. Unde non mediocriter laborandum sibi fuisse, ut Bavaricorum Legatorum spes aleretur. Igitur quamprimum gratum Bavaro in hoc negotio consilium caperent, quo adverse parti omnis spes præscindatur illum in partes suas retrahendi, simul ipse infestis consiliis divertatur. Succi inde quintum inter Electores Seculares locum probabant. Quod si Bavarica linea extingueretur, idem cum Cæsareis conspirabant eo casu octavum Electoratum expiraturum; etsi Neoburgicus peteret, ut idem tunc in proximos agnatos lineæ Rudolfinæ derivaretur. Superiorem Palatinatum Cæsarei æterno, & irrevocabili jure in Bavarum transferri volebant. Succi contra jus reluendi Palatino reservatum ibant, mox eam clausulam addere cupiebant, *donec Bavaro & hæredibus aliter satisfactum fuerit*, ne Palatinæ Domui spem illam Provinciam recipiendi penitus adimerent; quam tamen, cum neque Galli probarent, nec Cæsarei & Bavarici tolerarent, post omittere. Nec de usu sacrorum Evangelicorum in Superiore Provincia iidem concedebant, etsi praxis anni vicesimi quarti in aprico esset. Succi quoq; de alternatione munerum hæreditariorum Electoratui junctorum movebant; quod itidem ab istis rejectum. Demum in casum extinctorum hæredum feudalium lineæ Wilhelminæ Cæsarei hæredibus Bavari allodialibus melioration um refusionem reservabant. Id quod cum Succi adspernarentur, Galli autem probarent, placuit demum id suo tempore ex jure communi decidendum. Circa restitutionem Palatinatus Inferioris Cæsarei excipiebant feuda à Cæsare, aut Bavaro concessa, ritus Romanos hactenus introductos, cœnobia nonnulla, & cumprimis Viam Montanam Moguntino restituendam. Quæ & Gallis probabantur, nisi quod nova illa feuda revocari cuperent. Succi contra eam Provinciam Palatinis, sicut ante bellum possessa fuerat, restituendam contendebant. Congressu habito Cæsarei ostendebant, paucula feuda esse à Cæsare in quosdam Consiliarios Moguntinos collata; quorum possessores Succi Palatino commendare quidem, nondum tamen de iis Instrumento Pacis interere volebant. Romanis sacris Succi renitebantur, quod iis, quæ super amnestia & gravaminibus conventa sint, Palatinum gaudere non minus quam alios par sit. Etsi, ut Cæsarei referebant, Galli jactarent, illud ni fiat, vix se loca in Palatinatu intesta dimissuros. Circa reliqua bona Ecclesiastica super Gravaminibus conventio sequenda erat. De Via Montana Cæsarei jus Moguntini, & Gallorum contentum ostentabant, addito, plus rationis esse Reginæ quam Gallis, quare Moguntino in re manifesti juris faveat; quod ipsi inter Ordines Imperii adscitæ ejus Electoris velut Senatus Præsidis studio sæpius opus sit futurum. Succi cum perspicerent, jus reluendi Moguntino non plane adimi posse, id tantum postulabant, ut cum Palatinus bello istius possessione ejectus sit, in eam nunc reponeretur; ac Moguntino post integrum sit, prætensionem suam via juris persequi. Quod si iste terrarum tractus nullo modo Palatino servari posset, saltem sortem ipsi salvam manere cupiebant. Iidem quoque monebant, ut de pactis gentiliriis inter Domum Electoralem Palatinam, & Neoburgicam de omnibus juribus lineæ Rudolfinæ, quatenus huic conventioni non adversantur, deque feudis Juliacensibus diserte exprimeretur. Quia autem hoc modo Palatinatus non parum accidebatur, Succi Electorem onere alendi matrem, fratres atque sorores levandum censebant. A quo Cæsarei haut valde alienos se ostendebant, ut licet hinc ea res non plane tranigeretur, de grata tamen conventione spes esset. Ad-

1647. debant Succi, ut civibus Oppenheimenſibus ſacrorum uſus, qui anno viceſimo quarto fuerit, ſalvus permaneat, tum ut alii, qui uſum Auguſtanorum ſacrorum poſtularent, publice aut privatim per proprios, aut in vicinia habitantes Miniſtros eodem libere gauderent. Id quod Palatini Inſtrumento Pacis excluſum ad peculiarem cum Suecis conventionem rejectum cupiebant. Cæſarei contra & Galli citra tergiverſationem id probabant, quod ſuis ſacris id fraudi non foret.

De Wurtenbergici reſtitutione.

§. 125. Circa Wurtenbergici reſtitutionem præter Heidenheimum dynaſtiam nihil reſtabat, quam Cæſarei excipere cupiebant; aut ſaltem ut Dux Bavàro ſortem quingentorum millium florenorum, pro qua illa huic à Cæſare oppignorata fuerat, aut ſaltem ejus partem exſolvere teneretur. Sed conſpirantibus Suecis Gallisque eadem Duci absque onere reſtituta. Circa cauſam Badenſem Fridericus Marchio, qui ſub id tempus ipſe Monaſterium acceſſerat, per Legatos ſuos ejusmodi tranſactionis formulam proponebat: ut Cæſar vi communis amneſtiæ ipſum in ſuperiorem & inferiorem Marchionatum Badenſem, & Hochbergenſem, tum in ditiones Rœtelam, Badenvveileram, & Sauſenbergam, abolitis à Domo Auſtriaca motis proceſſibus, tum in dynaſtiam Stauffenam in Brisgovia & Hohengerolzeccam, reponeret, abrogata ſententia ſuper Marchionatu Superiore lata, ac prætenſione ob fructus perceptos ſumptusque, redditis, quæ eo nomine ademtæ fuerunt, præfecturis Stama & Renchinga, tum & penſione annua è Marchionatu inferiore hactenus præſtari ſolita. Vicißim offerebat Fridericus, ſe Wilhelmo Marchioni conceſſurum Comitatum Spanheimenſem & Rodomacherenſem, dynaſtias Uſeldingam, Herſprugam cum reliquis in Lucenburgica ad ſuperiorem Marchionatum pertinentibus terris, tam dynaſtiam Grevenſteinam, Abbatiam Schvvartzacham, præfecturas Buhelam, Steinbacum, Stauffenburgum, Beinheimum, Groſchvveileram & Stolhofam, reſervato ſibi tamen in Spanheimenſem Comitatum ſuprematu. Hac lege idem annuebat, ut Marchio Wilhelmus titulum & inſignia quondam uſurpata, tum in Conventibus publicis proximum à ſe locum teneret. Nam ſibi priorem diſcrte reſervarat. Ea poſtulata multis ardua videbantur. Nam ſi Fridericus Wilhelmum legitimum Marchionem agnoſcebat, nullo jure ſuperioris Marchionatus partem ipſi negare poterat. Sin agnoſcere abnuebat, probandum erat, iſtum haut legitime natum. Eam in rem cum probatio deficeret, nec tamen iſtum in plenam portionem admittere vellet, plerisque Ordinum res iniqua videbatur: nec Cæſareis à formula ſua diſcedere, aut plura offerre placebat.

De cauſa Badenſi. 8. Jun.

Catholici Oſnabrugæ acta ſuper Gravaminibus ſubvertere cupiunt.

§. 126. Acta quæ circa Gravamina Eccleſiaſtica Oſnabrugæ acta erant, Catholici Monaſterienſes reſcindere iterum ſatagebant, autore potiſſimum Epiſcopo Franciſco Wilhelmo, qui cæteros ad iſta retractanda inſtigabat, obtentu ſumto, quod eadem ipſis inſciis geſta forent. Frigidam quoque ſuffundebant Bavarici, ut ſi poſtulata ſua circa Palatinam cauſam non plane obtinerent, occaſionem extrahendæ pacis nancißcerentur. Haut tamen videri volebant ſummam rerum in dubium revocare circa ea, quæ de religione, & bonis Eccleſiaſticis conventa erant; ſed tantum ſingularia quædam ſollicitabant, antehac placitis repugnantia: velut de autonomia ſubditorum in ipſorum terris extra cautam pactorum, de paritate circa civilia Auguſtæ, Dunckelſpulæ & alibi, quæ neque anno viceſimo quarto fuerit, nec ab ipſis civibus deſiderata, ſed tantum à quibuſdam è Civitatum Collegio mota ſit, nonnullis Evangelicis improbantibus. Volebant quoque pacta inter Colonienſem & Luneburgicos circa ſacra prætilatus Hildeſienſis firma perſiſtere. Propter hæc & talia conſtituebant caput de Gravaminibus denuo in conſultationem deducere; quo fine à Principibus ſuis nova mandata expetebant. 1647.

Cæſarei illis ſtare volunt. 10. Jun.

§. 127. Talia agitari cum Succi intelligerent, apud Cæſareos ea de re acerrime querebantur. Haut ideo Monaſterium ſe veniſſe, ut quæ Oſnabrugæ tranſacta ſint, refingant, ſed ut ſuper iis, quæ indecißà adhuc reſtent, cum Gallis conſultent, ac pro re nata Cæſareorum mentem ſuper iſtis explorent. Si qui conventa moliri auderent, eum compeſcerent; alias ni Catholici his auſis deſiſtant, ſe omnia acta ludibrii loco habitura, ac velut abrupto tractatu re infecta reverſuros. Cæſarei talia agitari non abnuebant; ſed exigui iſta ponderis, nec, ſi de reliquis convenerit, pacti moram datura. Simul declarabant, non ſolum conventis ſe ſtaturos, ſed & ita cum Catholicis acturos, ut nihil difficultatis metuendum ſit. Eo fine Cæſarei apud conventum Catholicorum exponunt; quanta cum cura ac labore per quinque menſes cum Evangelicis, eorumque patronis Suecis ſuper Gravaminibus egerint, & quam multa iſtorum poſtulata demum averterint. Etſi autem nonnulla, quæ haut adhibita circumſpectione debita olim in fraudem rei Catholicæ vergere queant, indulgenda fuerint; non ſua tamen negligentia id factum, ſed quia ob fortunam belli adverſæ parti faventem plus extorqueri non potuerit. Eoque ſatius ſibi viſum eas conditiones admittere, per quæ Catholici ſua in poſterum retineant, ac funeſtis armis demum finis imponatur, quam pertinaci contradictione exitio cuncta involvere. Si Catholici hæc poſtulata plane avertere cupiant, ſolidiore conjunctione quam hactenus opus fore. Inanes querelas movere, nec ulla reſiſtendi media oſtendere illorum eſſe, qui pacem fruſtra remorari cupiant. Caput iſtud de autonomia vel decies à ſe refictum, nec amplius, quam poſtremo Inſtrumento exprimatur, obtineri potuiſſe. Et tamen ea ſe circumſpectione uſos, ut ſi heterodoxos iſtos accurate obſervare velint, variæ occaſionis deſuturæ non ſint eam libertatem iſtis adimendi, aut ditionibus ſuis eoſdem ejiciendi. Si ceſſimcant, ac tractatus abrumpant, reſiduis Catholicorum opibus extrema imminere. Omnes Catholicos Principes, Bavaro excepto, ita adverſæ partis armis oppreſſos, ut quantumvis velint, copias parare nequeant; nec à Gallis, aut Hiſpanis auxilii quid expectandum. Ergo caverent, ne dum Proteſtantibus paucula extorquere conantur, quæ ſupertint, plane perdant. Potius ita agerent, ne infantus à ſe labor fruſtra ſit, ac ocyus pax obtineri queat. Iſta quidem palam; Cæterum ſecreto apud Catholicos querebantur, Bavari defectione res Cæſaris afflictas; & cum Wertani opera exercitum ipſius ad ſe traducere fruſtra conati eſſent, Catholicos ſtimulabant, ut Bavarum Cæſari iterum conciliarent. Et quia Colonienſis, aut potius ipſius Capitula ægre ferebant, à Landgravia tributa non imminui, ſtimulante quoque Oſnabrugenſi, facile erat Cæſareis iſtum in arma iterum pertrahere; præſertim cum Reginæ ratihabitio haut ad futura crederetur; quod

Cæſareorum ad Catholicos propoſitio. 19. Jun.

ipſum

1647. ipſum Bavaro armorum ſumendorum neceſſitatem allaturum erat.

Catholici ſuis conſiliis inhærent.

§. 128. Enimvero Catholicis Evangelicorum poſtulata enormia plane videbantur, & quæ ni temperarentur, illæſa conſcientia admitti non poſſent; eoque conventa armis evertere decernebant hac præſertim occaſione, qua Gallorum copiæ à Suecicis ſeparatæ erant, ſed quia militem conſcribere, & juſtum exercitum parare ſerum erat, magna jam anni parte elapſa, & Suecis interim deſtinata ſua perſequentibus, haut promptius medium videbatur, quam Bavarum denuo Suecis immittere. Unde literis ad iſtum ſcriptis rogavere; Cæſareis copiis ſuas conjungeret, ac Suecos digreſſis Gallis non parum debilitatos ſociatis viribus alacriter invaderet, ſi non plane Germania, tamen hoſpitiis ſuis depellendos, aut inſigni clade multandos. Eſſe vires, eſſe occaſionem jam optatiſſimam: & ſe quicquid ad hunc finem foret pro virili collaturos.

De ſubditorum Cæſareorum ſacris.

§. 129. Circa Evangelicos ſubditos in Cæſareis provinciis Sueci nil amplius extorquere tunc poterant, quam ut Cæſarei tandem tria templa in Glogovienſi, Schweidnicenſi, & Jaurenſi Ducatibus, ſingula in ſingulis ad publicum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium extruenda annuerent. Quo Sueci adquieſcere cogebantur, addito, Reginam & Evangelicos Ordines apud Cæſarem interventuros, ut circa hoc caput amplius quid indulgeatur. Meclenburgicus iis, quæ penſandæ Wiſmariæ offerebantur, nondum contentus erat, ſed inſuper expectativam in Ducatum Luneburgicum ea Domo extincta; ſimul Miroviam & Demerovium Commendas in Meclenburgica ſitas, & centum inſuper uncialium millia, futuris Imperii tributis detrahenda, poſtulabat. Quorum illud, & iſtud Cæſarei concedere penes ſe negabant. Tantum prius conceſſis centum uncialium millibus, quingenta millia addebant.

De Meclenburgico æquivalente.

Bavarici de Seſſione Bremenſi querentur.

§. 130. Supra de poſtulato Suecorum circa Seſſionem Bremenſem memoravimus. Id Cæſarei ſtatim Bavaricis ſignificavere, non ſine exprobratione; id lucrum ab Electore ex induciis ſuis reportari, ut Sueci non ſolum loco ſuo in Senatu Principum ipſum ejicere, ſed & quæ circa Palatinam cauſam promiſerint, retractare aggrediantur. Huic poſtulato ut acriter ſe opponerent, Bavarus Legatis ſuis mandabat, qui & in conſeſſu omnium Ordinum multa verborum acerbitate in Suecos, & qui talia ipſis ſuggeſſiſſent, invehebantur. Iſtos obtenta ad votum ſatisfactione, tribusque in Senatu Principum ſuffragiis, cum proximo à Marchionibus Brandeburgicis loco contentos ſe oſtendiſſent, poſt aliquot mentes mutata ſententia, facto velut ſaltu Bavaricam Domum prima ſede inter ſeculares depellere, quin toto Principum Senatu cum injuria & infamia relegare conari. Id indigniſſimum exemplum ne admittatur, Electoralium familiarum quam maxime intereſſe. Seſſiones in Senatu Principum non ex dignitate, quam quis extra Imperium gerit, ſed conditione feudi Imperialis æſtimari; quod exemplo Regis Daniæ intuitu Holſatiæ conſtet. Duces Bavariæ quondam ea regione in Superiorem & Inferiorem diviſa pluribus uno ſuffragiis cum primæ ſedis prærogativa gaviſos. Nec mutatum, ſi Electori præter Electoralem ditionem alii principatus poſſideantur, ut & ipſe in Collegio Electorali ſedeat, & per ſuos in Senatu Principum ſuffragia ferat. Sic Palatinum reſpectu Simmeræ, & Lautereccæ; Saxonem Hennebergici Comitatus, Brandeburgicum Pomeraniæ in Senatu Principum locum ſortiri. Eosdem quoque Suecos nunc Superioris Palatinatus ceſſioni novas conditiones & reſtrictiones addere, moleſtiſſimo more ſemel placita recentibus additamentis labefactandi. Igitur monendos eosdem ut ſemel ab omnibus probata ne retractarent. Enimvero iſtud factum Sueci Legato Bavarico acriter exprobrabant. Super priore loco Brandeburgici, & aliorum inſtinctu quædam movilſe, mox edito ſcripto, certum locum non deſignaſſe, relicto ſpatio, ut futuræ tractationi omnia manerent integra. De Palatina quoque cauſa nunquam pure, ſed certo modo & ſub conditione, quam a Bavaro non impletam conſtet, annuiſſe, quin poſt plura quam initio indulſiſſe. Hac exprobratione Bavari nonnihil turbati culpam in alios rejiciebant, qui Principi ſuo rem aliter, ac geſta ſit, repræſentaſſent: nec ſe licere de præſenti formula Suecica ſatis cognitum ſit, defugere potuiſſe, quo minus injuncta proponerent. Inde Suecos rogabant, ut his inſuper habitis in cauſa Palatina, & aliis ad pacem ſpectantibus negotiis pergerent; nec dubium haberent, quin Elector conſilia ſua Reginæ ſit adprobaturus. Eodem modo Galli à Bavaro factam propoſitionem excuſabant; qui ab aliis malevolis incitatus ſit exinde emolumentum aliquod aucupantibus. Et univerſi Ordines offenſam hanc moderatis conſiliis abolendam cenſebant, acriter increpito, qui propoſitionem iſtam tam acerbis verbis adornaverat. Cæterum quia Suecis parum decorum videbatur, cum Bremenſis quondam in ſcamno Eccleſiaſtico quintum locum obtinuiſſet, jam in ſeculari poſt Brandeburgicos decimum quartum ſortiri; à Cæſareis poſtulavere, ut ea provincia licet in ſecularem Ducatum mutata, ne cujus poſſeſſio turbetur, veterem locum in ſcamno Eccleſiaſtico retineat, quod Auſtriaci & Burgundi ſeculares utique eodem ſcamno aſſideant. Ad quæ Cæſarei renitentes, ſi eadem cum iſtis ſacra profiteantur Sueci, Epiſcopos Catholicos forte non magnopere contra niſuros; qui nunc, ut ulli Evangelico inter ſe locum concedant, ægre induci queant. Eam ob cauſam Suecis tunc proponebant, ut vel in transverſo ſcamno primam ſedem Bremenſis ditionis nomine inter Evangelicos Epiſcopos caperent, ſicut Burgundus primum locum inter Catholicos Epiſcopos obtinet; aut ſi hoc duplicetur, ſcamno ſeculari medio loco inter Electorales Domos ſederent hoc modo, ut è ſingulis Domibus Electoralibus unus, Bavarus, Lauterenſis, Altenburgicus, Culmbacenſis, præſideret, inde Bremenſis ſequeretur. Sed poſteriori modo intercedebant, qui è Domo Palatina & Saxonica priorem præ Culmbacenſi ſedem habuerant. Igitur placebat Cæſareis, Reginam quinta ſede ſtatim poſt Neoburgicum, haut turbato vetere ordine poriri. Verdæ & Pomeraniæ vetera in Comitiis loca relinquebantur. In Circularibus Superioris Saxoniæ Pomerania citerior proximum ante ulteriorem, in Weſtphalico & Inferiore Saxonico Circulo Brema & Verda antiquum locum tenerent, Directorio Inferioris Saxoniæ inter Magdeburgicum & Bremenſem alternante.

1647.

Id Suecis ægre ferunt. 8. Jun.

Ea controverſia componitur. 12. Jun.

De Caſſelanis poſtulatis.

§. 131. Sed & Landgraviæ cauſa, ſegnius licet rem gerentibus Gallis, Suecorum opera propius ad ſcopum promovebatur. Poſtulabat iſta, in amneſtia expreſſam ſui mentionem fieri ob proſcriptionem, etſi nondum publicatam: utque

1647. omnia pacta, inprimis etiam quod Hanoviæ Comites cum Caſtellana Domo iniverant, diſerte confirmarentur; tum ut in quatuor præfecturas Schaumburgicas præter directum, utile quoque dominium haberet. Circa Marpurgenſe quoque negotium exigua differentia ſupererat. Cum Landgravia primo millionem, inde octingenta unciabum millia ad militum ſuorum ſatisfactionem poſtularet, Cæſar ultra ſexcenta millia annuere nolebant. Ea cauſa erat, quare tunc huic negotio finis imponi non poſſet.

Galli de Religione Inſtrumento ſuo inſerere nolunt.

§. 132. Poſt trium ſeptimanarum moram demum perpulere Gallos Succi, ut & illi Tabulas Pacis concinnare inciperent; qui pleraque utrique Regno communia è Succico in ſuum transferebant; niſi quod, quæ ſuper Religione & bonis ſacris conſtituta erant, omitterent, hac in ejus locum clauſula inſerta: ut omnia, quæ in Succico Inſtrumento ſuper Gravaminibus Eccleſiaſticis, & ſimilibus rebus, ſive in capite reſtitutionis, ſive alibi diſpoſita ſint, æque valeant, ac ſi ipſorum Inſtrumento ad verbum inſerta forent. Quanquam autem Succi hanc clauſulam lubricam judicarent, & olim adverſæ parti ſcrupulos movendi anſam præbere idoneam; ſimul fœderi congruere, utrumque Inſtrumentum conſpirare; plus tamen obtinere non poterant, quam ut Galli omiſſa autehac vocabula, *in Sacris & Profanis*, adderent. Quanquam & Avauxius pro zelo ſuo ægre huc deſcendebat, cum ſubſcribendum eſſet ingemiſcens; *vellem neſcire literas.* Cæterum cenſebant Galli, clauſulam iſtam ſufficere poſſe, eamque adhibere malebat, quam prolixam eorum Articulorum deductionem, ne Hiſpanis, & aliis Catholicis anſam præberent ipſos criminandi, velut qui operam ad ſocios ſacrorum debilitandos & opprimendos contulerint. Difficillimum, quod

Ne Cæſar Hiſpanis auxilium ferat.

Galli paci cupiebant inſeri, cautio erat, quam à Cæſare exigebant, ne is Hiſpano nunc, aut inpoſterum auxilium ferret. Equidem ne hoc qua Cæſar faceret, pollicebantur Cæſarei, idque ſervatum iri Ordines ſpondebant. Sed ut velut Auſtriæ Archidux ad hoc ſe obſtringeret, oppido quam durum videbatur. Regi Hiſpaniæ proles maſcula non erat, & Cæſar ducta hujus filia ſpem ſucceſſionis in totam Hiſpaniam tenebat; ita ut iſti non adſiſtere vix aliud eſſet, quam proprium Regnum deſtituere. Contra Galli Germanicam pacem inanem ducebant, ſi Cæſari velut Archiduci prætextu Hiſpanici nominis arma ipſis inferre liberum foret. Huic controverſiæ componendæ Galli quidem ad extremum concedebant, ut Cæſar Hiſpano auxilium ferret eo caſu, ſi ipſi hunc primi aggrederentur. Et Cæſarei videbantur annuituri, ut Hiſpano non adſiſterent; ſi is primus Galliam laceſſeret. Enimvero quanquam id temperamentum in futurum tempus valeret, manebat tamen difficultas de præſenti bello, ſi poſt concluſam pacem Germanicam bellum Hiſpanicum continuandum foret; quod Cæſar ſalva cum Gallis pace velut Archidux Auſtriæ Hiſpano ut auxilium ferret licere ſibi cuperet, Galli id permittere abnuerent. Ita nulla tunc via videbatur rem hanc componendi, quam ut Galli ſimul cum Hiſpanis nunc pacem inirent: id quod Germanicæ negotiationi non parum remoræ injecturum adparebat. Cæterum poſtulaverant à Regina Succiæ Galli, ut ne prius cum Cæſare pacem concluderet, quam hic in legem de non ferendo Hiſpanis auxilio conſenſiſſet. Id Regina neque annuere, neque negare volebat. Alias judicabat, Cæſari non magis interdici poſſe, ne Hiſpano, 1647. quam Gallis, ne Luſitano adſiſtant. Neque per fœdus ſe teneri pacem cum Cæſare haut concludere, niſi inter Gallos & Hiſpanos convenerit. Eoque Legatis injungebat; Gallis inſiſterent, ne ob rem, quæ fœdus non ſpectaret, pacem extraherent. Simul exprobrarent, quod cum ex fœdere in Auſtriam penetrare teneantur, jam totam Germaniam paucis præſidiis exceptis deſerant. Haut ſecius tamen, ſalva cauſa primaria, & citra obligationem apud Cæſareos in ſpeciem pro Gallis agerent, ut Hiſpanos ad pacem permoveant, nec aliter præ ſe ferrent, quam ſe haut concluſuros, niſi tranſactis inter Gallos & Hiſpanos rebus. Interim ipſi rem ſtrenue urgerent, ac Gallorum poſtulatum eluderent, nec ob id ſolum tractationem abrumperent. Ita circumſpecte porro agerent, ut ipſos ſola neceſſitas huc deduxiſſe videretur, ac ut reliquis omnibus tranſactis omnes agnoſcerent, nullam amplius rationem eſſe, quare ob eam ſolam cauſam bellum extrahatur.

Galli Inſtrumentum ſuum edere nolunt integrum;

§. 133. Quanquam autem Galli ſingula utrique Regno communia capita ſimul cum Succis expendiſſent, iſtas tamen partes inter ſe combinare differebant, & quanquam conſtaret intra paucas horas Inſtrumentum ipſorum perfici poſſe; tamen ut illud abſolverent atque ederent, adduci non poterant. Igitur non ſolum Cæſarei omnem culpam extractæ pacis in illos rejicere; ſed & Succi eas moras ægre ferre, ac ut calcar iſtis adderent jactare: cum Monaſterii jam integrum menſem hæſerint, modico operæ pretio facto, Osnabrugam ſe reverſuros expediendis ibi quæ adhuc reſtent. Ea denuntiatio tantum valuit, ut Galli demum Inſtrumentum ſuum prælegerent, cujus tamen exemplum haut exhibebant. Apud Succos diſſerebant, id ſe edituros, ſtatim atque ſufficientem declarationem ſuper ſatisfactione ſua acceperint. Nam compertum ſibi in Cæſareis Tabulis quædam interpolata, & à formula ante octo menſes formata diſceſſum fuiſſe. Inde res à ſe diſtinctius expreſſas. Sed Mediatoribus inſtantibus reſpondebant; ſe una cum Succis decreviſſe negotiatione ſuperſedere, quoad Palatina & Caſtellana cauſa tranſacta ſit. Tandem Longuevillius Dux, Avauxius & Grullardus Succis formulam ſatisfactionis prælegebant. His Succi ſignificabant; ſibi perſuaſum fuiſſe, Gallicam ſatisfactionem dudum tranſactam, id quod & ipſi ſolenniter ſibi Oſnabrugæ ſignificarint, eoque tantopere inſtitiſſe, Succicam itidem expediri. Et Grullardum ſubinde jactaſſe; modo Succi Monaſterium accederent, intra unius diei ſpatium ad concluſionem perveniri poſſe. Equidem ſe, ut Galliæ idonea ſatisfactio obtingat, optare, & quæ claris verbis expreſſa ſit; præſtitiſſe tamen, ipſos interea temporis circa eandem obtinendam ſategiſſe. Invidioſum id fore, & criminationibus expoſitum, ſi nunc poſt tantas moras loco totius Inſtrumenti tantopere ab omnibus deſiderati particulam duntaxat de ſatisfactione producerent. Nec eo ſecius Galli ſuo inſtituto inhærentes poſtero die dictum Articulum Cæſareis exhibuere.

Sed tantum caput de ſua ſatisfactione, 29. Jun.

30. Jun.

Evangelici Succos adeunt. 25. Jun.

§. 134. Paulo ante Evangelicorum Ordinum Legati, qui plerique Monaſterium acceſſerant, & ipſi morarum pertæſi, cum Succos de diſceſſu cogitare audirent, ſolenni Deputatione iſtos adeunt, rogantes, pauliſper adhuc heic maneant, utque ſibi, quæ nondum expedita pacem merentur, exponant. Utrumque Succi facile annuebant, ſcriptum etiam indicem, quem petierant, rerum nondum

1647. dum expeditarum libenter exhibituri; ni Galli postulassent id differri, quoad instrumentum suum, quod propediem futurum sit, in lucem prodiisset. Has Gallorum moras Ordines ægerrime ferebant, ac multi censebant, si Gallia pacem nolit dispiciendum, quomodo cum Suecis concludi, Ordinesque Catholici & Evangelici inter se conciliati, belli malis tandem aliquando liberari possint.

Tractatum inter Gallos & Hisp. mos continuatio.

§. 135. Tractatus inter Gallos, Hispanosque fere ad umbilicum perductos rumor vulgabat, qui tamen mox inanis compertus. Et quanquam Hispani Portum Longum & Plumbinum remisissent, ac Mediatores diversa insuper temperamenta proponerent, nonnulli tamen adhuc nodi tàt duri supererant. Inprimis circa Lusitaniam hærebatur. Cupiebant Galli Lusitanos aut paci aut induciis Catalonicis includere, aut, cum Hispani utrumque præfracte repudiarent, saltem id pacisci, ut salva pace Lusitanis auxilium ferre possent. Hoc auxilium Mediatores utraque parte consentiente ita temperabant, ut utrumque Regnum absque violatione pacis sociis suis intra defensionis modum assistere queat. Sed quia Hispani auxilia Gallorum Lusitanis submittenda certo militum numero, & finibus Regni Lusitaniæ circumscribebant, Galli autem ita arcte stringi nollent, aut saltem id sibi stipulatum irent, ut Lusitanis viginti militum millia auxilio mittere liceret, queis sub Lusitanici Regni nomine, & vexillis oppida Hispaniæ oppugnare integrum foret, haut promtum erat eum scrupulum amovere. Et Hispanis non parum ferociæ accesserat ob Armenterium captum; Pigneranda differente; hac rerum facie Hispanis longe utilius esse bellum continuare, quam pacem concludere. Galli contra ferebant, facile se pari, ut pax Germanica ab Hispanica separetur: nam concluså Germanica pace Hispanicam in expedito fore. Ast Hispani ostendebant; pace sua cum Gallis haut procedente, iis quæ super rebus Germaniæ concludenda sint, Hispaniarum Regem haut stringi, nec quæ præsidiis obtineant loca redditurum.

Tractatum inter Hispanos & Belgas continuatio.

§. 136. Eodem tempore Adrianus Pavvius Hollandicus Legatus passim sparserat, de nuptiis inter Gallos & Hispanos agitari, ac Hispanos sponsæ in dotis locum partes Hispanici Belgii reliquas cum prætensione in Provincias Unitas daturos, aut eas pro Catalonia, Ruscinonensi Comitatu, & locis in Italia occupatis permutaturos; quin fœdus inter Gallos, Hispanos & Pontificem cudi extirpandis Evangelicis. Eos rumores quanquam Galli vanitatis arguerent, haut parum tamen iisdem Belgæ ad pacem properandam incitabantur. Ac malebant Hispani pacis negotio in utramvis partem finem imponere, quam diutius in incerto hærere. Hollandia quoque Provincia pacem urgebat, Legatique ut Monasterium reverterent injunxerat, addito, ut circa restantes inter Galliam & Hispaniam controversias sequestrium vices obirent. Tum & superguarantia, quam nomine Regis sui Servientus quærebat, decretum conceperunt, quousque illa porrigi debeat; quam si Servientus repudiet, aut eadem acceptata haut eo secius pax cum Gallia extrahatur, se absque Gallia pacem cum Hispano concluturos. Hispani inter hæc Hollandis blandiri, portus suos ipsis pandere, hostilia in naves, merces que eorundem inhibere. Vicissim Belgæ Fœderati, quod Servientus offerebat, subsidium pecuniarum abnuere; & cum idem postularet, ut exercitum in expeditionem educerent, aut cum parte saltem illius hostem distinerent, ne totas vires in Gallos verteret posset, ad utrumque vires, aut voluntatem sibi esse negare. Reditus Provinciarum exhaustos bello gerendo non amplius sufficere: inde pacem sibi cum Hispanis utique concludendam, ac spem esse, Gallos idem facturos, antequam in deterius res irent. 1647.

Pax inter

§. 137. Ita quam tunc plerique Suecicis Legatis Monasterium profectis spem pacis brevi coalituræ conceperant, vana deprehendebatur. Omnes equidem pacem loqui, sed nec omnes ejus obtinendæ momenta observare, quidam hinc inde eidem obstacula ponere. Apud Cæsareos ardor pacis, quem hactenus præ se tulerant, haut parum refrigerari sentiebatur. Animos addiderant pax cum Hollandis propinqua, Hispanorum in Belgio successus, Ilerda à Gallis incastlum obsessa, tenues horum in Belgii finibus paratus, in seditionem pervicaces Vinarienses legiones. Contra Cæsari validæ per Bohemiam, & hæreditarias Provincias copiæ. Melander rei gerendæ cupidus, qui & ipse Cæsareos Legatos, ne nimium properarent, monuerat, exercitus Bavaricus in Cæsarem pronus. Ita intractabiliores quam antea non modo nullas circa negotia adhuc indecita rationes audiebant, sed & hinc inde quæ Osnabrugæ convenerant, retractabant. Quin & Galli etsi tunc rebus paulo durioribus ultro pacem extractum ire videbantur, quoad res suas in Belgio melius stabilissent. Suecis difficillimum negotium militum satisfactio supererat, super qua antequam convenisset, ad alia plane concludenda descendere ipsis haut licebat. Quin nec de illa ipsa certi quid proponere poterant, antequam Alexander Erskeinus ab exercitu revertisset. Ita Cæsareorum pertinacia, & Gallorum lentor idoneum ipsis prætextum præbebat invidiam extractæ pacis à se in alios derivandi.

Trautmansdorfius discessum parat, lubentibus Catholicis, invitis Evangelicis.

§. 138. His omnibus accedebat discessus Trautmansdorfii, qui quinquies jam à Cæsare avocatus, differri à se amplius iter posse negabat. Causam huic avocationi dedisse credebatur Legatus Hispanicus in Aula Cæsarea, ut solet, potens, succinentibus & qui Monasterii erant. Hi scripto ac sermone adversus acta ejusdem protestati jactarant: Si pacem is nunc cum Suecis concluserit, solum in causa fore, qui Domus Austriacæ fortunam resurgentem impediat. Antea quoque tractatus cum Gallis præcipitalle, velut plane de viribus Domus Austriacæ conclamatum foret. Iidem quoque conati fuerant gratiam ipsius in animo Cæsaris labefactare per Mariam Augustam, & Chiroguam Capucinum; qui tamen literis propria manu scriptis Comiti indicium faciebat, quid in ipsum Hispani molirentur. Unde mirum non est, Trautmansdorfio postea pacem Hispanicam parum curæ fuisse; ac Hispanos prohibere non potuisse, quo minus ipsi pace excluderentur. Quo fine Mediatores instigabant, ut demonstrarent, communem pacem rei Christianæ maxime utilem esse sistendis Turcarum progressibus: Tum & Lotharingum subornabant, ut misso Russiloro Cancellario suo, velut Episcopi Virodunensis delegato, adversus tractatus istos protestationem interponeret; Parlamento quoque Anglicano permoto, ut Palatini causam probaret; Denique tentati, se Franckendaliam restituere, aut in cessionem Alsatiæ consentire nolle. Cæterum & Pontificis Nuntius, Osnabrugensis Præsul Franciscus Wilhelmus, qui autoritate sua Catholicorum consultationes temperabat, simul Jesuitæ Monasterienses ob ista circa Gravamina Osnabrugæ acta acerbe perstringebant, ac omnes conspirabant, ut eundem Monasterio di-

1647. moverent. Etsi multi credebant, haut ægre tuliſſe Trautmansdorfium ſua acta labefactari, ſi forte verſa armorum fortuna Cæſar & Catholici leviore actura defungi poſſent. Nam prævalentibus Sueci facile ad conventa recurrere licebat. Contra abitu illius dolebant Evangelici, quod viri moderatio ad promovendam negotiationem plurimum contuliſſet; ac metus erat, ne eo digreſſo tractatus ſi non abrumperentur, ſaltem adhæreſcerent. Inde Principalibus & Urbicis ſociati Saxonici & Brandeburgici, qui hactenus ob negatum, quem affectabant, Excellentiæ titulum conſultationibus illorum abſtinuerant, cum ut diutius maneat, ro-
4. Jul. gare conſtituunt. Unde cum prius ex Suecis intellexiſſent, quo loco tractatus eſſent, Leuberum Saxonicum & Langenbeckium Luneburgicum ad Trautmansdorfium mittunt rogatum, ut unum adhuc diem maneat; interim ſe tentaturos, num negotio finem imponere poſſint; qui & tantillam moram ipſis annuebat. Quanquam autem viderent, difficillima rerum capita adhuc ſupereſſe, & quæ per biennium expediri non potuerant, ita raptim nunc confectum haut iri; totum tamen eum diem conſultationibus dabant. Interim Sueci apud Gallos quid facto eſſet opus deliberabant. Huſce Contarenus confirmarat, ipſum Trautmansdorfium manere cupere, ſed à Pegneranda ad diſceſſum impelli, qui ſperet illo digreſſo ſummum tractatus moderamen penes ſe fore. Nam Naſſovium & Lambergium placido eſſe ingenio, Cranium nullo numero, Volmarum multa prudentia, nec ſpernenda autoritate Hiſpanico ſtipendio illigatum, cuique è Pegnerandæ nutu pendere neceſſum ſit. Ne igitur deinceps ſumma rerum penes Hiſpanos eſſet, placebat Gallis, ut utrique ſeorſim ipſum invitentes idoneis rationibus eidem perſuadere niterentur, ſeptimanam unam atque alteram adhuc morari velit, quod ſpes ſit, interea tractatui finem imponi poſſe. Se propere Servientum huc evocaturos, ac Hollandicorum Legatorum reditui inſtituros, quo pax Germanica & Hiſpanica ſimul concludatur. Ita eam clauſulam, ad quam negotium jam adhæreat, ultro expiraturam, & inutilem futuram. Quanquam autem Sueci eidem ut manere vellet, ſupplicandum haut ducebant; tamen quod is primarius Cæſaris Miniſter foret, qui ſerio hactenus rem egerat, ac ambitioſe confectæ pacis gloriam affectare videbatur, Gallorum conſilium haut adſpernandum ducebant. Præſertim cum Trautmansdorfio morente ſpes eſſet, haut parum ad ſummam rerum profectum iri; ſin ſpretis ipſorum rationibus abire pergeret, favor ipſos comitaturus erat, nil quod penes ſe foret intentatum reliquiſſe. Unde illa adhuc veſpera ipſum invitentes obtinuere, ut pauculos adhuc dies mantûrum ſe polliceretur. Sed Regiis vix digreſſis Chiſius & Pegneranda aderant, qui ad iter ingrediendum ſtimulos denuo ſubdebant.

Evangelici circa eam rem ſatagunt. 5. Jul.

§. 139. Evangelici interim in ſeram uſque veſperam conſultatione extracta decretum formarant, quale per anguſtiam temporis, reique indolem dabatur, idque ſequenti mane per Deputatos Trautmansdorfio exhibuerant. Qui declarabat, ſaltem eouſque ſe manſurum, quoad Suecorum ſententiam cognoſceret, ac num ad concluſionem perveniri poſſit. Id Evangelici ſtatim Suecis ſignificant, diligenter rogantes, negotio finem imponant, ac conditiones reducendæ circa ſacra & civilia libertati jam obtentas amplectantur, quas incertæ armorum aleæ exponere temerarium ſit. Quanquam ſimul faterentur, rebus ſuis haut conducere, Gallos ſolos nunc cunctantius tractantes in bello deſtitui, quod Germaniæ inde ruina ſecutura ſit. Nam ſine dubio Cæſarem pacata Germania Galliam invaturum. Inde novi belli telam naſci: in qua ſi ſuccumbat Gallia, Cæſari facile fore victricia arma in illos vertere, qui hoc in bello Regibus ſtuduerint. Catholici contra ſuper ſublevando Cæſare, ac tuendæ Eccleſiæ Romanæ ſtatu conſilius collatis haut parum difficultatis invenerant. Nam quid à Bavaro expectandum eſſet, non conſtabat. Quin ea temporum mutatio contingere poterat, ut qui nunc arma pro ipſis gererent, eadem deinceps in ſe converterent. Quo caſu in poſterum minus fortaſſe, quam nunc obtinendum ſit. 1647.

Cæſarei Sueeis ſpem faciunt.

§. 140. Eodem die Lambergius, Volmarus & Cranius ad Suecos accedunt, inter alia formulam de Palatini reſtitutione adferentes, in qua parum quod deſiderarent Sueci inveniebant, niſi quod de uſu Catholicorum ſacrorum in Provincia Inferiore, prout nunc ſint, retinendo expungerent; quod & Cæſarei demum admittere. Oſtendebant quoque iſti, circa Gravamina ſe id duntaxat in Oſnabrugenſi tractatione deſiderare, ac emendatum cupere, de paritate munerum Auguſtæ, de ſubditis Evangelicis in Prætulatu Hildeſienſi, de Donavverta, de quindecim annis in Autonomia conſtitutis. Nec abs re fore, ſi denuo cum Trautmansdorfio colloqui velint. Inde Suecis de acceſſu ſuo ſignificantibus Trautmansdorfius ſequentis diei horam nonam condicit. Sed cum Sueci poſtera die congreſſui ſe accingerent, Trautmansdorfius denuntiat; ſe vale jam mutuo dicto commode colloquium admittere iterum non poſſe, niſi Sueci in conditiones à ſe ferendas pacem concluſuri ſint. Ea ſi mens ſedeat, in anteceſſum pollicerentur, ſe non amplius paritatem munerum in civitate Auguſtana, nec plus quam ſexcenta uncialium millia pro Landgravia ſtipulaturos. Id ſi annuere non conſtituerint, fruſtra colloquium ſecum ſuſcipi: cum Collegis tamen ſuis rem amplius diſcuti poſſe. Suecis id reſponſum non abſurdum videbatur, ni ipſi Cæſarei de hoc congreſſu propoſuiſſent, nec ipſe Trautmansdorfius excuſationem ad extremam uſque horam diſtuliſſet. Sed nunc imperioſe nimis agi, & præter ſolitum hactenus morem exprobrabant, addito; ſe ex negato congreſſu haut aliud colligere, quam ipſum Collegaſque hac ſimilique ratione tractatus turbatum ire. De colloquio cum Collegis ipſius, cum ante meridiem tempus non ſuperſit, poſt diſpecturos. Ita ſtatim oppido excedere Trautmansdorfius parabat, ni Evangelici, ac Brandeburgici cumprimis, ab ipſo obtinuiſſent, ut expectaturum ſe promitteret, quoad unicum adhuc colloquium haberetur. Id quod & Sueci demum annuebant, ea tamen lege, ut ſolus Salvius cum Volmaro congrederetur, præſentibus Brandeburgicis. Fiebat id horis pomeridianis in ædibus Wirgenſteinii. Sed vix per quadrantem horæ ſermones miſcuerant, cum irritatis animis diſcedere pararent, ni Brandeburgici ipſos iterum placaſſent; id quod quinta vice fiebat. Poſtulabat Volmarus, ut Romanus cultus in Palatinatu Inferiore maneret; quanquam ipſe & antea, & poſtremo colloquio de eodem remiſiſſet; nec eo depelli poterat, quicquid in contrarium occineretur. Circa Haſſicam cauſam uterque ſententiæ ſuæ mordicus inhærebat. Paritatem in urbe Auguſtana neque Salvius remittere, neque Volmarus concedere volebat. Durlaceni Legati Suecis perſuaſerant, pleriſque Cæſareorum formula contentis aſſentiri, modo Marchioni permittatur clauſulam addere, ut ipſa

Trautmansdorfius tractare amplius abnuit. 6. Jul.

Salvii cum Volmaro congreſſus.

1647. ut ipsi liberum sit jura sua inposterum liquidius demonstrare. Id quod abrupte à Volmaro negatum. Inter has disceptationes Volmarus à Trautmansdorfio schedam accipit, qua nosse cupiebat, num ea ipsa hora pax concludi posset: sin minus, utique sibi abeundum. Sed quia uterque perspiciebat hoc modo & ita raptim eam confici non posse, re infecta discessum. Suecis tamen sufficiebat Brandeburgicis testibus demonstrasse, penes se culpam infecti negotii non hæsisse.

Trautmansdorfius Monasterio discedit.

§. 141. Statim atque Volmarus in Trautmansdorfii ædes regressus esset, hic conscenso curru oppido excedebat, famam serio quæsitæ pacis relinquens, circa quam autoritate sua haut parum promoverat, eoque metus erat, ne ipso digresso omnia lente procederent. In itinere Moguntinum rogaverat, Legatis suis injungeret, ut Catholicorum animos ad pacem permoverent, quod isti Hispanorum consiliis nimium tribuerent. Idem quoque Francofurti, Noribergæ, & passim qua transierat, de Catholicorum duritie questus duo se potissimum Cæsari suggesturum ferebat, ut neque aleam prælii tentaret, & quæ ipse cum Suecis circa gravamina transegisset, rata haberet. Ejus sacerdos Noribergæ dissuaserat: Pontificis Nuntium, Hispanos & plerosque Catholicos acriter invitasse, ut inde avocaretur, ac in os exprobrasse; haut utilem ipsius apud tractatus præsentiam, & Evangelicis plura indies eundem concessurum; ne hæc quidem se servaturos, quæ ipse nimia facilitate indulserit. Malle se bellum in multos adhuc annos extrahi, quam pacem in eas, quæ nunc præscribantur, leges admittere. Quæ vera fuisse ipse eventus docuit. Sane perspiciebat iste, ingentem Cæsari molestiam incumbere non solum ab inimicorum Regnorum armis, sed & à morositate sociorum Hispanorum & Bavari. Qua ut Cæsar exiret initio quam maxime cupiebat, cum sola Suecia pacem inire excluta Gallia. Id cum non succederet, cum utroque Regno pacem concludendam judicabat, nec rationes Cæsaris cum Hispani rationibus utique implicandas. Nec tamen deerant, qui dissererent; Trautmansdorfium serium pacis studium præ se tulisse, ut Evangelicorum animos sibi conciliaret. Sed quia non mature cum Catholicis communicarat, quæ circa Gravamina Evangelicis annuerat, & ea res ad extremum dilata istis super nullitate querendi ansam dederat; credebatur id fecisse, vel pro Cæsareorum more imperiose, vel potius secte consciis Catholicis, ut his prætextus esset contradicendi, ac Cæsareis inde color nasceretur inhibitis tractatibus bellum continuandi.

Catholici paritatem Augustæ admittere nolunt.

§. 142. Cæterum jam ante Trautmansdorfii discessum Catholici coitione facta super Gravaminibus varios scrupulos movere cœperant, queis cumprimis paritas munerum publicorum ex utraque religione cum in aliis urbibus, tum Augustæ Vindelicorum impugnabatur. Incentor horum erat Leuxeltringius, qui primo Franciscum Wilhelmum Episcopum, Petrum Buschmannum Cancellarium, & Adamum Adami Priorem Murhartensem, complurium Catholicorum Ordinum nomine suffragia ferentem, in suam sententiam pertraxerat, quos Moguntinus, Salisburgensis, Bambergensis, Herbipolensis, alii sequebantur. Bavarici quoque etsi modeste, ostendebant, ab hero suo jussos contradicere. Jactabant isti, pari se jure Catholicorum Augustæ, quo isti Evangelicorum, patrocinium suscipere. Mererisse istos favorem, cum soli nuper urbem defendissent. Paritatem repugnare praxi anni vicesimi quarti; ac centum ab hinc annis Catholicos prærogativa gavisos. Quin nec ipsos Evangelicos cives Augustæ eam paritatem desiderare. Contra apud Evangelicos decretum erat semel placitis insistere, nisi quod quidam pro quindecim annis eorum nomine, qui deinceps in Catholicorum terris sacra Evangelica susceperi essent, haut ita præfracte contendendum censerent. Ac sane nisi paritas munerum Augustæ, & aliis urbibus obtineretur, hi tractatus citra fructum futuri illis erant, cum jam ante annum vicesimum quartum eam in statu suo molestiam sentissent. Quo anno & Augustæ penès Catholicos vis imperii fuerat, Evangelicis non nisi umbra relicta, quod majore suffragiorum numero semper vincerentur. Ita porro cum hisce egerant Catholici, ac in posterum se acturos minabantur, ut nisi paritate constituta Evangelicorum libertati cautum non esset. Et magnum in ea urbe momentum videbatur, quæ quadringenta uncialium millia annua, si opus foret, ad causam communem conferre poterat. Enimvero Catholicis ita acriter renitentibus plerique aliquid remittendum censebant; ac sufficere, si unus è Duumviris & Quæstoribus Evangelicus sit; reliqua in priore statu posse relinqui. Id quod Electoralibus Saxonicis & Brandeburgicis videbatur, quorum his injunctum erat pacem quocunque modo suadere, nec paritatem istam morari. Pacem quoque inclamabat Darmstadiensis, Wurtenbergicus, Meclenburgicus, Wetteravicus, Ratisponensis, Noribergensis, Francofurtanus, qui Saxonicis adstipulabantur. Contra Lampadius Luneburgicus iis, quæ Osnabrugæ convenerant, firmiter inhærendum censebat; cui Cassellanus, Argentinas & pauci alii accedebant; qui tamen causam adversus plures haut sustenturi videbantur. Inprimis Thumbshirnii Altenburgici facilitas, ac pusillanimitas improbabatur, qui una cum Saxonicis Electoralibus Catholicos prentans ad pacem admittendam hortabatur, ad infimas obtestationes per viscera divinæ misericordiæ descendens. Cui Argentinas in os exprobrabat; hoc modo ipsum partam hactenus laudem ad extremum perdere, nec eo redacta Evangelicorum arma, ut pacem mendicare necesse sit. Hac adversæ partis timiditate in commodum suum usi Catholici ferocius subinde agere, ac plura in Osnabrugæ conventis solicitare, ut jam multi restitutionem circa amnestiam & gravamina ad statum anni vicesimi quarti adspernarentur, qui tamen ab omnibus probatus, & fundamenti loco tractationi substratus fuerat. Sed Cæsarei Catholicorum consilio audito, prius sibi placitis abdicatis, paritatem illam retractabant; Volmaro jactante, vel cæteris omnibus transactis ob istham, velut ad oppressionem Catholicorum vergentem, bellum continuandum esse.

1647. Evangelici vacillant.

Suecis adhuc Monasterii manent.

§. 143. Trautmansdorfio digresso Suecis quoque Osnabrugam reverti parabant, ni Evangelici & Contarenus Venetus ipsos, ut paucos adhuc dies morentur, rogassent. Et suadebat cumprimis Contarenus ocyus tractatum concludendum, quod tempus nunc maxime opportunum sit gloriosam Reginæ pacem obtinendi. Eandem jam cupita satisfactione portam. Ordines in Universum, & plerosque singulorum quæ desiderarant obtinuisse. Si quæ superstint ex æquo decidi posse. inter Cæsarem & Gallum dubia quædam supersesse, sed

Digitized by Google

1647. sed initio pacis à Suecis facto & ista facile conventura. Legatos Hollandicos propediem expectari; queis mandatum sit omnibus modis pacem urgere. Eorum adventu si negotium infectum inveniatur, facile rerum faciem verti posse. Tempora mutationi obnoxia; multos bello huic implicitos, quorum studia atque commoda in diversum tendant. Ergo manerent, & ferrum dum candet cuderent. Nec segnius instabant Evangelici; satis patere Gallorum consilia non pacem, sed belli continuationem spectare. Sed cum bellum, postquam Regibus ac Ordinibus fere satisfactum sit, jam frustra geratur, cujus & malis tolerandis amplius pares haut sint, Gallis ad pacem exemplo præirent. Unde placebat Suecis Monasterii adhuc morari, ac petitis Ordinum expediendis pro virili incumbere, ut omnibus pateret, quantopere ipsi rem confectam cuperent.

Galli Instrumentorum suum edunt.

§. 144. Eo fine tum Succi, tum Evangelici Gallos hortantur, ut edito demum Instrumento suo ad conclusionem tractatuum procedere velint. Id quod hi Suecis prius ostensum tandem Mediatoribus exhibuere. Eo Instrumento complures duræ leges intertæ inveniebantur; cumprimis circa assecurationem, si pax Hispanica non simul concluderetur, ac ut Cæsar in posterum omne auxilium Hispano deneget. Tum ut civitates Imperiales in Alsatia, aliique immediati status Imperii, in Metensi, Tullensi ac Virodunensi præsulatu, ac Alsatia (quæ pleno jure à Cæsare Galliæ cederentur,) siti, aut feuda inde recognoscentes Regi velut mediati status deinceps subjicerentur; utque Cæsar titulo Landgravii Alsatiæ abstineret; ac Lotharingici causa hinc separaretur. Multa quoque de Sabaudo, Mantuano & similibus admixta erant, quæ huc non spectarent, non nisi remorandæ paci facientia. Circa quæ ut moderata consilia sequerentur, cum Succi monerent, Galli obnixe postulatis hisce insistebant, jactantes; Suecos ex fœdere ad omnia ista pervincenda teneri.

Cæsarei tractationem differunt.

§. 145. Post Trautmansdorfii abitum Brandeburgici se Cæsareis & Suecis interponebant non quidem ad modum solennium Mediatorum, queis ubi res exigat, rationem expediendi negotia, ac temperamenta proponere solitum est, sed ut inter partes hinc inde commearent, ac utriusque declarationes additis modeste rationibus referrent; ne partibus tam crebro congredi necessum foret, asperiore verbo facile irritandis. Et quia Trautmansdorfius discedens differuerat, sua profectione pacem impeditum non iri ac Collegas suos non minus tractationi incubituros, Succi quoque cum hisce circa absolvendos tractatus operam continuare decreverunt. Enimvero Cæsarei lente agere, & modo hæc, modo illa excusare, quoad serio Succi urgerent, num deinceps circa summam rerum agere secum velint? Ad quæ Cæsarei reponebant; spem sibi esse, valida fore, quæ cum Trautmansdorfio acta sint. Cæterum injunctum sibi haut longius procedere, quoad iste de actis apud Cæsarem retulisset. Unde rem tantisper in suspenso habendam, ac Cæsaris declarationem expectandam. Ita tractationem etsi nondum abruptam in longum extractum iri patebat, ex armorum successu deinceps à Cæsareis moderandam.

De satisfactione Hassea.

§. 146. Initio mensis Julii Landgraviæ postulata scripto concepta denuo Cæsareis per Suecos exhibebantur; queis inter alia satisfactionis loco octingenta uncialium millia petebantur, oppidis Moguntinis, Colonienſibus & Fuldensibus pignori opponendis, quoad ista exsoluta sint. Tum ut Hassicis militibus eodem modo quo Suecicis, pro rata satisfiat. Ad quæ à Cæsareis repositum; Moguntinum, Colonienſem & Fuldensem malle rem aleæ belli committere, quam ulla suæ ditionis loca Hassis in solutum aut pignoris antichretici loco concedere. Id tamen annuebant, ut Landgraviæ quadringenta uncialium millia intra certum tempus, de quo conveniendum sit, solvantur, ad quæ regiones Hassicis tributis hactenus subjectæ ratam partem conferre debeant. Ulteriorem pro militum satisfactione prætensionem plane adspernabantur. Præter hæc Cæsarei pacta successionis cum Hanoviæ Comitibus confirmare nolebant ob protestationem à Saxone interpositam, qui expectativam ejus Comitatus à Cæsare obtinuerit. Contra Cassellani Saxonicam protestationem inanem declarabant, quod Cæsar factam antea sibi concessionem re non amplius integra tollere nequeat. Marpurgense negotium Cæsarei ad Darmstadiensis declarationem, & pactum gentilitium revocare cupiebant. Sed Cassellani Regiorum declarationi obnixe insistebant; nec se alterius cognitioni causam subjecturos, quam semel Regum à toitrio credidissent. Et denuntiabant Regii Darmstadiensibus; se hactenus laborasse, ut id negotium ex utriusque partis placito componeretur; quod cum obtineri non potuerit, standum nunc eo, quod Succicis Tabulis continetur, ac res in statum anni decimi octavi reponendas. Adjiciebant Galli minas; Darmstadiensem, si tergiversetur, hostis loco habendum: se quippe ad asserendam Cassellanæ causam ex fœdere teneri.

1647.

Guarantia Belgarum cum Gallis absolvitur.

§. 147. Inter hæc *tractatus guarantici* inter Gallos & Belgas Fœderatos absolvebatur, Servient & Thuillerio Legatis Gallicis instantibus. Illo articulus continebatur; ne Galliæ Rex sociis suis adversus Fœderatum Belgium auxilium ferat. Ejus perspicuam declarationem Galli postulabant, quod, cum Belgæ, ac Succi ex fœdere auxilia mutuo ferre teneantur, adversus quosvis commerciorum libertatem turbaturos, si deinceps inter Gallos & Suecos super commerciis lis oriatur, Belgæ Suecis adsistere necessum habebant; eoque iniquum sit Galliam stringi in re, quæ Belgarum arbitrio relinquatur. Ad quæ Belgæ reponebant, hisce verbis Lusitanos respici. Sed cum ipso pacto communia verba tenerentur, Gallis ista expungi frustra contendentibus, multi verebantur, ne Succiæ æque, ac Lusitaniæ illa clausula opposita foret. Eo tractatu demum absoluto & subscripto, Belgæ ad pacem absolvendam Legatos suos Monasterium novis cum mandatis mittebant. Quia autem eosdem deinceps quoque Sequestrium vices inter Gallos Hispanosque obituros spes facta erat, postulabant Galli, ut distincte iisdem injungerent, quousque desideriis Galliæ in negotiis nondum decisis favere debeant. Cui postulato provincia Hollandia contradicebat, ut ea res ipsorum Legatorum arbitrio committeretur. Ex quo conjiciebatur, Gallis parum ab ea Republica in favorem sui expectandum, quod plerique istorum Legatorum Gallis parum æqui in Hispanos propenderent. His gestis Servientus Haga Mona-

19. Jul.

24. Jul.

1647. Monasterium revertebat; cui ut pro more donum
14. Jul. sex mille florenorum daretur, cum in consessu Ordinum proponeretur, Hollandia provincia intercedebat; quæ & solenniter eidem valedicere, ac extra oppidum deducere, cum ordo ipsam nunc tangeret, omittebat.

Pax in ancipiti est. §. 148. Ita pax tunc in ancipiti hærebat, multis rebus magni momenti nondum expeditis; & quia hactenus ea clausula tractatibus semper addita erat, ut si vel unicus articulus indecisus restaret, reliqui omnes de quibus conventum foret, citra obligationem essent. Nec spes erat brevi circa tractatus promovendos operæ pretium futurum. Catholici animis elati omnia conventa reficturos se minabantur, queis ferociam addebat Wertani ad Cæsarem defectio, anceps Suecicorum armorum apud Egram conditio, Vinariensium legionum seditio, solutum Ilerdæ obsidium, expugnatum Landresium: inprimis quod Bavarus in arma retrahendus speraretur, circa quod omnis lapis movebatur. Cæsarei citra nova mandata ad plura tractanda progressuri non erant, quæ quando afferenda forent, haut constabat. Qui & ostendebant, Cæsarem junctam cum Hispanis pacem cupere. De qua etsi Galli verbo ipsem facerent Hollandis modo reversis; rem tamen ipsam quantum possent variis remoris extrahebant; quibus etsi nullæ amplius in Germania copiæ forent, ob subsidium pecuniarium aspere obnitendum non erat. Evangelicorum Legati plerique attoniti, animisque ægri, tanto temporis, ac sumtuum dispendio nil adhuc effectum. Saxonicus Legatus Pistorius Monasterio domum proficiscebatur sumtibus uti ferebat impar, quorum magnitudinem & multi alii vix tolerabant: ac postquam Cæsarei mentem suam exposuissent, plerique Osnabrugam revertebant. Unde & ipse Oxenstierna, Salvio jam prægresso, eodem redire constituit, interposita prius apud Cæsareos protestatione; cum hi Osnabrugæ conventis discedere velint, se quoque illis, quæ circa satisfactionem, & alia transacta sint, amplius teneri nolle, ac nova è Suecia mandata expectaturum. Bavarico quoque Legato denuntiatum; etsi ipsius Principi in Palatina causa Regina insigniter gratificata sit, si tamen cum Cæsareis colludere ipsum pateat, illa quoque retractatum iri. Ita Osnabrugam iste rediit, post-
15. Jul. quam duos per menses Monasterii hæsisset, malignore jam pacis fiducia, quam cum eodem proficiscretur. Cujus propinquam spem cum plerique Evangelici, tum inprimis Osnabrugenses præceperant, ut ipsis Cæsareis incertum qua de causa suggerentibus Petriburgo munimenta dejicere inciperent. Quod tamen à Suecis statim atque id resciscerent inhibitum.

21. Jul. Suecici Legati Osnabrugam redeunt.

De satisfactione militum. §. 149. Paulo post ab exercitu Osnabrugam revertebat Erskeinus, ducum sententiam super militum satisfactione adferens. Unde Legati Suecici postulata exercitus libello concepta Cæsareis, qui
4. Aug. & ipsi Osnabrugam remeaverant, offerunt. Exprimebantur ibi quinquaginta sex equitum, sex dragonum, sexaginta tres peditum legiones. Singularum equestrium legionum menstrua stipendia novendecim millibus sexaginta quatuor uncialibus, dragonum 10980. pedestrium 8629. taxabantur. Accedebant pro re tormentaria in mensem centena millia uncialium, ac pro ducibus, ministris togatis, viduis ac pupillis 223507. Sic ut singuli menses duobus fere millionibus taxaren-

tur. Et quia decem mensium stipendia postulabantur, tota summa ad viginti uncialium millio- 1647.
nes adscendebat. Id scriptum à Cæsareis acceptabatur quidem, sed cum istud non tam se, quam Ordines spectaret, cum hisce id se communicaturos declarabant; qui & de hocce ad suos domum referebant. Ejus postulati magnitudo apud ple- De hocce postulato judicium.
rosque consternationem, apud alios iram excitabat. Quidam ex ipsis Evangelicis id plane rejiciendum, nec tractatus de eodem, quod præstari nullo modo posset, suscipiendos censebant. Potius ad concordiam redeundum Ordinibus utriusque Religionis, ac sociatis consiliis aliam viam, qua hisce malis exiri queat, dispiciendam. Alii cum Suecis agendum judicabant, ut postulata illa ad æquam moderationem deducerentur. Agnovisse se antea, par esse, Suecico militi à se satisfieri. Id nunc ita abrupte citra insignem Suecorum offensam rejici non posse. Reliqui differebant expectandos armorum eventus. Nam si contingat Suecos à Cæsareis Germania pelli, illorum non amplius rationem habendam; sed tunc Cæsareo militi satisfaciendum, quicum tolerabiliore lege quam cum Suecis decidi posse spes sit; ac in hos minore molestia, quam in Suecos, pecunias erogari in Germania mansuras. Sin fortuna Suecis faveat, sat spatii fore cum hisce transigendi. Ac facile perspiciebant Evangelici, se neque solos huic oneri ferendo pares, neque idem in solos Catholicos devolvi posse, sed utrisque humeros subdendos. Sed Catholici hoc negotium tangere plane abnuebant hanc potissimum ob causam, quod eo casu Cæsar, ac Bavarus paria pro suis exercitibus se stipulaturos declarassent. Ast Cæsarei postulata Suecorum magna cum invidia differre; tanta argenti summa Germaniam fere emi posse. Reginam acceptis quatuor Principatibus ipsam suo militi satisfacere par esse; nec improba desideria responsione dignanda. Ipse Cæsar literis ad præcipuos Ordinum datis immodestiam petitorum acerbe perstrinxerat hortatus, consilia, vires que secum sociarent; quo facto cum Regiis transigere in proclivi fore. Erskeinus contra, qui rem hanc agere non velut ex Reginæ mandato, sed solo exercitus nomine jussus erat, acriter instare, ut super eadem consultatio suscipiatur, minatus ad exercitum se abiturum, ac de rejectis ejus postulatis relaturum, qui consilia Ordinibus parum grata sit capessiturus. Denuntiasse jam Reginæ milites; non esse quod illa super ipsorum satisfactione curam suscipiat, cui viam ipsi sint inventuri. Fortasse hos deinceps tertiam tractantium partem fore, nec arma deposituros, nisi postulatis obtentis. Eidem tamen militarium exactionum adsuetudine ferocius differenti à cæteris haut remissius occursum. Nec absurde Lubecensis Gloxinus occinebat: nondum tempus esse militum præmia exigendi; pacem prius Germaniæ isti repræsentarent. * Mercedem non nisi post operam solvi. Enimvero aliam viam insistebant Legati Differunt.
Suecici apud Evangelicos sancte testati; ubi militibus satisfactum sit, se mox tractatibus finem imposituros. Addebatur, haut animum sibi esse petitæ summæ pertinaciter insistere, ac dolere sibi Ordines ejus magnitudine protelari. Id quod pronis auribus ab his acceptum. Nec tamen ad consultationes accedi poterat, nisi novis mandatis allatis: ac judicabant ipsi, id caput ad extremum cæteris omnibus transactis rejiciendum esse. Nec Suecis id negotium fervidius in præsens agere inte-

ized by Google

1647. integrum erat nutante fortuna belli, poſtquam indu-
cias Bavarus abruperat.

Catholici Oſnabrugæ conventa retractant.

§. 150. Eam ob cauſam & Catholici quæ Oſnabrugæ nuper convenerant plane aboleri volebant, velut tumultuario & ſine more inter Cæſareos & Suecos acta; quæ denuo maturo conſilio inter ipſos Ordines recoquenda ſint. Addebat oleum camino Jeſuita Mulmannus, qui ficto ſub nomine *Euſebii de Euſebiis* duo ſcripta typis publicaverat, queis titulus, *Judicium Theologicum ſuper quæſtione: An pax, qualem deſiderant Proteſtantes ſit ſecundum ſe illicita? & Vehiculum Judicii Theologici:* quibus acriter perſtringebantur, quæ nuper à Cæſareis conceſſa fuerant. Nec ſegnius Catholicos Ordines Hiſpani ſtimulabant promiſſis liberaliter auxiliis, quam primum pax inter ſe, & Gallos concluſa foret. Et quanquam Catholici initio conſtituerant miſſis Oſnabrugam Deputatis tentare, num ſuper illis, quæ ibidem concluſa erant, conveniri poſſit: id tamen mox omiſſum, Volmaro diſſuadente, quod Evangelici Suecorum fiducia ſine dubio prius conventis inhæſuri ſint. Ita illi ad bellum animis converſi repetitis precibus Bavarum ad hoſtilia in Suecos reſumenda ſtimulabant; cum
7. Aug. Evangelicis interim Oſnabrugæ alia agerentur, multis domum, aut in Hollandiam excurrentibus. Et quia circa ſacra ſubditorum Cæſareorum maxima difficultas erat, Saxonici Electorales & alii cenſebant; eam cauſam Suecis denuo commendandam, quo ita eandem moderentur, ne tractatus ideo abrumpatur. Quæ ſi impetrari non poſſint, providentiæ divinæ relinquenda; præſertim cum non conſtet, num iſtis bello conſulendum ſit; contra bello extracto facile utraque pars exitio involvi queat.

Suedi ſcripto ſeſe in Palatina cauſa declarant.

§. 151. Aſt Galli, ut Bavarum Cæſareis partibus averterent, apud Suecos acriter inſtabant, ut quæ nuper in cauſa Palatina Monaſterii declaraverant, ſcripto concepta ederent; quod metus ſit, ne ſi iſte diutius rerum ſuarum incertus relinquatur, Cæſari à quo valde ſolicitetur, iterum accedat. Ejus porro poſtulatis non pauci Evangelici ſtuduerant, quod idem ſpem feciſſet, ſe vicißim circa componenda gravamina utilem operam ipſis navaturum; quorum impulſu Suecі Bavaricis nuper omnia fere capita annuerant. Sed quia Cæſarei Suecos, quod ſcripto ſuam declarationem non edidiſſent, velut tergiverſantes arguebant, eaque ratione Bavarum communi Catholicorum conſpiratione in arma iterum propulſum ibant; Suecі verbo antehac conventa ſcripto concipiebant ad eum fere modum, uti poſtea Inſtrumento Pacis inſertum eſt. In quo & de bonis à Cæſare in Moguntinos miniſtros, & à Bavaro in Metternichium donationis titulo translatis mentio fiebat, cum Galli caviſſent, non allodialia, ſed feudalia iſta bona eſſe. Ea formula à Secretario Legationis ſubſcripta Gallis tranſmittebatur, addita tamen conditione, ut quemadmodum jam Bavaricis ſit ſatisfactum, ita & hi, quæ abſolvendæ adhuc pacі reſtent, ac inprimis de Succici exercitus præmiis promoverent. Quæ formula in Sueciam transmiſſa, citra moram à Regina firmabatur. Et Galli eo facto læti Eſpignium Avauxii agnatum ad Bavarum miſere, qui iſta nuntiaret, ſimul, ut is à conjungendis cum Cæſare armis arceretur, operam daret.

Tractatus pacis Oſnabrugæ quieſcit. 8. Aug.

§. 152. Cæſareis autem, qui tractatus continuaturi videbantur, Suecі exquirebant; an non à Catholicis, æque ac ipſi ab Evangelicis, in mandatis habuerint ſuper Gravaminibus tranſigere? An non ſubinde, quæ acta ſint, cum iſtis communicarint? quæ ſi ita eſſent, quo fine Catholici novam nunc conſultationem ſuper utrinque placitis inſtituerent? Cæſarei mandatum ſe iſtorum nomine agendi habuiſſe affirmabant; haut tamen minutias quaſvis cum Catholicis expendiſſe, ſed ſecutos, quod crederent ab hiſce admitti poſſe. Sed cum Monaſterium veniſſent, intellexiſſe, quæ Oſnabrugæ concluſa forent, paſſim à Catholicis carpi, coſque quicquid ipſi obſiſterent, novæ conſultationi initiiſſe, ac ſingulos à Principibus ſuis nova mandata expetiiſſe. Id quod à ſe prohiberi non potuerit. Cum de aliis capitibus quæ reſtabant Suecі moverent, à Cæſareis oſtenſum; ſe nondum acceptis poſt Trautmansdorfii abitum novis mandatis longius quam antea factum, progredi non poſſe. Quin demum dicebant; ſtandum iis fore, quæ ad extremum à Trautmansdorfio propoſita forent, & nova à Cæſare mandata haut expectanda. Ita adparebat, ipſos fiducia in armis poſita, è ſucceſſu rerum conſilium capturos; quod fama eſſet, res Suecorum ibi ſe non optime habere, queis adverſo prælio contuſis lautioribus conditionibus potiundi ſpes erat. Ita tractatus tunc plane quieſcebant, niſi quod Salvius aliquot cum Cranio congreſſibus Inſtrumenta pacis utraque conferret; ubi hic multa dudum tranſacta iterum in dubium revocabat; de quo Suecі Evangelicos, quid actum foret, noſſe cupientes, certiores reddebant, ut penes quem morarum cauſa ſit, clare perſpicerent.

Gallicum Inſtrumentum diſcutitur. 7. Aug.

§. 153. Enimvero Ordinibus, queis jam à Suecicis tractatibus otium erat, negotium faceſſebat Gallorum Inſtrumentum; ſuper quo à Moguntino tres quæſtiones ad deliberandum proponebantur. Quid cum decem urbibus Imperialibus ad præfecturam Hagenoicam ſpectantibus ſit agendum, quæ ut immediatum ſub Imperio ſtatum ſervent rogaverint; quod Gallis à Cæſare & Domo Auſtriaca, plus quam penes ipſum erat, heic conceſſum videatur? Num Vaſalli Epiſcopatus Metenſis, Tullenſis & Virodunenſis ceſſo Gallis dominio directo, Coronæ Galliæ ſubjecti eſſe debeant? Num Cæſari ſuadendum, ut excluſo Lotharingiæ Duce pacem abſolvat; an vero ut conſilio & ope, per arma aut tractatus, ipſi adſiſtat, quoad ditionibus ſuis reſtituatur? Ac ſuper decem Urbibus Alſaticis quidem conſtabat, Domum Auſtriacam nunquam jus dominii, aut pignoris, ſed ſolius Advocatiæ ſeu protectionis habuiſſe, idque temporarium duntaxat & perſonale, quod aliquando cum ſingulis præfectis provincialibus immutatum fuerit; nec ſemper penes Auſtriacam Domum, ſed & alias Principum familias hæſerit, quin nuper morte Leopoldi Archiducis tantum non extinctum ſit. Iſtud Advocatiæ jus non magis nunc in Galliam translatum intelligi poſſe, quam credibile ſit, Galliæ Regem hiſce legibus id ſuſcepturum. Nec enim præſumi poſſe, propter iſthanc dignitatem oneri magis quam lucro exundantem, Regem Galliæ jusjurandum, ac ſcriptam cautionem pro more præſtiturum, ſe iſtas urbes non pignoris loco Cæſaris ac Imperii nomine poſſeſſurum; conditionem ipſarum immediatam, ac omnia jura tuiturum; in quas leges ab omnibus antehac præfectis provincialibus juratum fuerit. Incongruum quoque fore, iſtum legibus Imperii haut obnoxium ad earum defenſionem adverſus quoſvis, ac forte adverſus ſe ipſum

Ordinum ſententia de decem Urbibus Alſaticis.

1647. se ipsum obstringi. Multo molestius futurum, si decem istæ Urbes cum aliis Imperii Ordinibus, aut exteris Principibus aut Rebuspubl. adversus ipsum Protectorem suum fœdus ineant; id quod per privilegium Carolinum ipsis liceat. Ignominiæ quoque cessurum Imperio, si harum urbium limitanearum protectionem extraneo Principi de novo deferat, velut membris suis adversus iniquam vim defendendis non sufficiat. Denique nec invitis illis urbibus Advocatum obtrudi posse, quod alias in favorem ipsarum institutæ oneri cessura sint. Has ob rationes universis Ordinibus, ac cumprimis Urbium Collegio placebat, Præfecturæ Hagenoicæ indolem perspicue deduci, & ad solos vicos Imperiales, velut Austriacas oppignerationes, ad quas illa proprie spectat restringi, ac decem immediatas Urbes Imperiales ob disparem conditionem inde eximi, ac plane præteriri, cumprimis Weissenburgum, & Landaviam, quas sub cessâ Gallis Alsatia haut comprehendi notorium sit. Circa Ordines Imperii à Metensi, Tullensi, ac Virodunensi Præsulatu feuda recognoscentes, quos inter insignes Principum & Comitum familiæ erant, cum de Gallica satisfactione ageretur, haut alia mens fuerat, quam ut Galliæ ea duntaxat jura in tres illos Præsulatus transcriberentur, quæ Imperium antea habuerat. Et constabat dictos Ordines, non obstante feudali adversus Episcopatus illos nexu, haut quidquam Ordinum Provincialium numero habitos, sed semper Cæsari ac Imperio immediate subjectos, ac nomine istorum feudorum non minus quam reliquarum ditionum suarum onera Imperii exsolvisse. Quemadmodum id frequentissimum sit in Germania, ut unus Ordinum ab altero feuda recognoscat salvo immediato statu, & ut eam ob causam inter subditos ipsius haut quidquam censeatur. Et quanquam in eum casum, quo à Præsulatibus illis dependentia feuda in alieno, ac nominatim Romani Imperii solo sita sint, vasallagium ad Galliam spectet, superioritatem tamen & Jurisdictionem penes Imperium manere. Quin nec bona feudalia in Præsulatibus sita feudi natura repugnante homines ligios efficere, sed vasallos istos intuitu feudorum, quæ ab Imperio recognoscunt, immediato suo statui ac libertati relinquendos. Unde haut adparebat, quo jure Gallia istorum Ordinum, sive mediati sint, sive immediati subjectionem affecter. Quia etiam Comitatus Pirtensis sub satisfactione Gallica continebatur, quem Basileensis Præsul antiquitus feudum suum esse prætendebat, Cæsareos monere placebat, ut isti Præsuli dominium directum ejus Comitatus reservaretur. Circa Lotharingiæ denique Ducem videbatur, cum is partem suarum ditionum Imperio obnoxiam agnoscat, hoc intuitu à tractatu eum non excludendum, ac operam dandam, ut & is paci includatur; ita tamen, ut ejus causa pax non extrahatur. Nam etsi optandum sit istam quoque litem componi, ac Instrumento Pacis inseri; cum tamen Galli contendant, Lotharingicum bellum origine & tempore à Germanico distingui, eoque nomine Ducem à præliminaribus, & præsentibus tractatibus hactenus excluserint; verendum esse, ne ista controversia pacem Germanicam magis reddat intricatam. Igitur Germaniæ afflictæ utilius videri, causam Lotharingicam, ac lites Hispanicas separatis cum Gallia tractatibus seponi. Quid autem Cæsari, velut Regi Hungariæ & Bohemiæ, aut Archiduci Austriæ citra opem aut fraudem Ordinum Imperii facere placeret, id arbitrio ipsius relinquebatur. Contra Cæsarei Legati declarabant, sibi restitutionem Lotharingi omni modo urgendam, nec ulla ratione tractatu pacis eundem negligi à se posse. 1647.

De Lotharingiæ Duce.

§. 154. Osnabrugam inde Servientus venit; de actis suis Hagæ Suecos certiores redditurus. Is ostendit, multas ibi se difficultates invenisse, quod Hispani, & qui cum his sentiebant, tantam pacis cupidinem apud vulgus excitassent, ut Ordines de conditione, & commodis suæ Reipublicæ, quidque emolumenti, aut damni proventurum inde sit, vix judicare potuerint. Hollandiam cumprimis cæco impetu in pacem ruisse, cui reliquæ Provinciæ, uti illa Consuli Bickero, & hic uxori suæ, obnoxiæ sint. Frustra fuisse, quæ ipse differuerit; neque fœderi, nec propriis rebus congruere, ita raptim Gallicis se partibus avellere. Demum negotium de guarantia utcunque absolvisse. Et quia è Chanuti literis intellexerit, Reginæ quintum ejus Articulum esse suspectum, velut quo contineatur, quod diffidentiæ inter socia Regna caulam præbere queat, se, ut ipsos hac de re edoceat, huc venisse. Haut inficias ire Belgas Fœderatos, cumprimis queis in mari Baltico commercia colantur, invidiam adversus Suecos concepisse, ac pro more ejus nationis liberis sermonibus istam apricari. Præcipue ægris oculis adspicere, quod Regina struendis se navibus det, quodque hac pace Pomerania, Wismaria, & Bremensi ditione potiatur una cum portoriis in Pomeraniæ & Meclenburgicæ ora, simul ad Ostia Visurgis, Albis & Oderæ pedem firmet. Tum Sueciæ cives in fretis Danicis immunitate gaudere, ac domi minoribus quam exteros vectigalibus onerari. Inde Suecos magis magisque commercia excolere, hinc inde lucro Hollandis prærepto. Cum autem commercia, & navigatio Belgii Uniti anima sit, facile judicari posse, quam alte ista apud Batavos penetrent. Inprimis & Leonem Aizemam Hanseaticorum Ministrum Sueciæ infestissimum frigidam suffundere. Quicquid tamen privati differerent, haut sensisse ab Ordinibus Generalibus hostile quid agitari. Quintum guarantiæ caput Lusitaniam respicere, quod Hollandi in Brasilia à Lusitanis patrata digerere nequeant, novoque antam bello captent. Quanquam Gallicus Secretarius Hugo Lionnius judicabat, forte Sueciam non minus, quam Lusitaniam peti, ac Pavvium nuper in consessu Ordinum de fœdere inter Belgas, Hispanum & Danum contra Sueciam super tuendo Maris Baltici imperio, aliisque rebus proposuisse; ad quod etiam Galli per Legatum Danicum Cornificium Ulfeldium invitati sint. Præter hæc Servientus ostendebat, Bavarum per Legatos suos Lutetiæ institisse, ut præsidia sibi in locis Wurtenbergicis & Augustæ retinere liceat, tum plura hospitia in usum exercitus sui concedantur. Quæ postulata ab Aula Gallica huc sint rejecta. Addebat, dicta loca invito extorqueri non facile posse. Tanto promtius ista eidem relinquenda, quo Cæsareis partibus avertatur. Nec posse eum diutius propriam intra ditionem copias suas continere absque utriusque exitio. Ac si hæc abnuantur, exemplo fratris Colonienſis Electoris, acriter instantibus Cæsareis & Catholicis, inducias renuntiaturum; quas ut servare pergat omnibus officiis demeren- 1647. Servientus Osnabrugam venit. 24. Aug.

1647. dus ſit. Sueci, ut Bavarus in ſtatu præſenti maneret, utilitlimum agnoſcebant, eoque, quantum per mandata ſua licebat, nuper circa Palatinam cauſam indulſerant, quicquid à Gallia poſtulabatur. Sed quod nunc petebatur, velut appendix Ulmenſis tractatus ad Wrangelium rejiciebatur. Enimvero Reginæ haut placebat amplius quid Bavaro præter conventa indulgeri, nec vires nocendi ultro ſuppeditandas, quod de fide ipſius ſibi parum polliceretur.

Catholici inſolescunt. 16. Sept.

§. 155. Catholici interim Monaſterii conſultationes ſuas non ſolum ſuper Gravaminibus, ſed & toto Inſtrumento Cæſareo abſolverant; queis inter ipſos, Cæſareosque prius difficilis ſtatuendum erat, an & qua ratione ad Oſnabrugenſes iſtæ referendæ forent. Cæterum immenſos illis ſpiritus dabant abruptæ à Bavaro induciæ, ac jam Deputatos Oſnabrugam mittere adpernati, ut Evangelici Monaſterium ſe conferrent excluſis Suecis, cupiebant, etſi alias ex alternandi lege Catholicis Oſnabrugam accedendum eſſet, cum nuper tres fere menſes Evangelici Monaſterii hæſitlent. Et 19. Sept. Moguntinus Legatus apud Schæterum Caſtellanum gloriabatur; victoriam nunc certo certius in Catholicorum manu eſſe. Jam dudum Evangelicos monitos, ne fiducia exterorum poſtulata ſua nimium intenderent. Si Monaſterium ipſi venire velint, ſuper controverſis capitibus tranſacturi, tempus adhuc eſſe; tantum ut Sueci actione dimoveantur, ac tractatio vel inter ſolos utrinque Ordines, vel arbitris Cæſareis inſtituatur. Et ſane ſcripto ſuo pleraque repudiabant, quæ inter Cæſareos, & Suecos Oſnabrugæ convenerant. Nec invectivis abſtinebatur, Leuxelringio Auguſtano earum rerum incentore cumprimis inter pocula declamante; quis Cæſareis poteſtatem dederit Catholicorum nomine concludendi? Cur primoribus Catholicorum fas ſit iſta in cæterorum fraudem probare? Quanquam & illi hæc à ſe rata haberi negent. Ad extrema plane deflexum fuiſſe. Ab Evangelicis plurima remittenda eſſe, ni negotium fieri irritum malint. Sed & iidem ad Inſtrumentum Cæſareum tantam farraginem objectionum congeſſerant, ut, ſi tractatio inſtauranda eſſet, brevi iſta expediri non poſſe videretur.

Evangelici ſunt timidi.

Evangelici contra fere animis deſici, præſertim quod perſuaſum ipſis eſſet, ſciente & conſentiente Gallia Bavarum inducias cum Suecis abrupiſſe; & poſt Turennii diſceſſum ſpargeretur, Avauxium Catholicis confirmaſſe, Gallum deinceps in Germania exercitum non habiturum. Sulpicionem augebat, quod Legatus Bavaricus in Gallia manſiſſet, & poſt induciarum renuntiationem Bavari libere Laugingæ verſarentur. Unde colligebant Evangelici, Catholicos ac Gallos clam conſpiraſſe de ipſorum commodis apud tractatus impediendis. Et haut obſcure ex Evangelicorum ſermonibus patebat, ſi denuo ſuper gravaminibus agendum ſit, haut parum ipſos de illis, quæ jam obtenta fuerant, remiſſuros.

Cæſarei vacillant.

§. 156. Aſt Cæſarei ab initio teſtabantur, quæ Oſnabrugæ cum Suecis convenerant manſura, haut obſtante Catholicorum interceſſione, quos norint iſtorum ſubverſionem agitare. Protocollorum fide demonſtrari poſſe, Catholicis omnia quæ acta ſint cognita fuiſſe, ac ſe non ſolum mandatis agendi ab illis inſtructos, ſed & ſubinde ſuper tranſactis illos certiores reddidiſſe. Nec deſore ſibi viam iſtorum conatus eludendi, præſertim cum pauci duntaxat, Leuxelringius, Adamus Adami, & ſimiles iſta moveant, nulla autoritate. Inprimis Volmarus teſtabatur; ſe conventa tuiturum, ac ne pax ad iſta adhæreat, Cæſarem ea omnia in modum Pragmaticæ Sanctionis, & transactionis publicæ promulgaturum ab Ordinibus adprobandæ; quam nemo ſit futurus, qui admittere abnuat. Iſta tamen ſimulari duntaxat mox patebat demulcendis Evangelicis; dum idem differebat; audienda ſaltem Catholicorum monita, ac certa temperamenta hinc inde admittenda; de quibus ipſe cum præcipuis Catholicorum diſpecturus ſit, ut tamen à conventis haut ita longe diſcedatur. Idem Volmarus quibuſdam Evangelicis oſtendebat, à Trautmansdorfio ſibi ſcriptum; ſe ac Collegas propediem à Cæſare declarationem & nova mandata de omnibus accepturos. Apud alios contra fatebatur, ſe ampliora mandata non expectare, nec unquam à Cæſare iſta mittenda. Id quod & Cranius quibuſdam ſignificabat. Ita non conſtantes ſibi ſermones eventum armorum ab ipſis captari arguebant.

1647.

Magdeburgicus proteſtationem interponit. 17. Sept.

§. 157. Sub iſthoc tempus Magdeburgicus Adminiſtrator Joannem Cruſium quoque (nam Einſidelius jam ante diſceſſerat,) domum evocavit, ſumtuum magnitudinem obtendens; ut tamen, ſi ſpes concluſionis adpareat, alium ſit huc remiſſurus. Ita directorium inter Evangelicos, à Magdeburgico hactenus geſtum, ad Altenburgicum devolvebatur. Idem tam apud Suecos, quam Cæſareos ſcripto proteſtationem ſuper alimentis Marchionis Chriſtiani Wilhelmi, aliisque negotiis interponebat. Ducem Auguſtum, ex quo tempore Præſulatum poſſederit, alimenta ſua inde capere non potuiſſe, nec annua duodecim uncialium millia ſibi inde proveniſſe; ac vix multos per annos vaſtatas præfecturas ita reparari poſſe, ut adſtrictæ quantumvis aulæ alendæ ſufficiant. Unde nullo juris colore tam inſignia alimenta præteriti temporis, & in poſterum à ſe, & Præſulatu exigi; ac Alumni conditionem lautiorem, quam alentis reddi. Certa tamen lege præfectura Zinna, quam Marchionis uxor dum viveret obtinuerit, & ex qua pacatis temporibus duodecim fere uncialium millia redierint, ipſi ceſſurum. Monebat quoque idem, inſtinctu Comitis Barbyenſis Electorem Saxoniæ prætenſionem ſuper dominio directo in præfecturam Eglam movere; de qua lis adhuc Spiræ pendeat, quales controverſias ad præſentes tractatus pertrahi inconveniens ſit. Sed translationi Præſulatus in Brandeburgicum tam Archiepiſcopus, quam Capitulum intercedebat: ille quidem eo nomine, quod jurejurando obſtrictus ſit ad Præſulatum in ſtatu ac juribus ſuis conſervandum. Capitulum autem prolixo ſcripto oſtendebat; ſe in quieta poſſeſſione libertatis ſuæ jam inde ab Ottonis I. temporibus fuiſſe, à quo Collegium ſuum cum ſupremo in hanc ditionem jure conditum ſit non tantum amore & animo cultum divinum propagandi, ſed & ea mente, ac fine, ut nobiles familiæ conſervarentur. Ac ſtatum hunce electitium eundem originem cum aliis Principatibus habere, ac eodem tempore, & alicubi prius, quam hæreditarium Principatuum ſtatum à Cæſaribus introductum. Prioribus Germaniæ bellis Præſulatum tanto ære alieno oppreſſum fuiſſe, oppignoratis præfecturis, & bonis menſalibus, ut velut ſui ipſius fundationem inſtaurare neceſſum

1647. ceſſum habuerit, pignorum reluitione è collectis Ordinum Provincialium facta. Cum ſedes illa per decennium vacaret ab anno ſuperioris ſeculi nonageſimo octavo ad ſexcenteſimum octavum prioribus bonis tantum prædiorum additum, quod annuos triginta uncialium reditus attingeret, eo melius firmando Collegio, quod ad conſervandas Illuſtres, ac Nobiles familias pertineat. Eglam quoque bonis noviter adquiſitis accenſeri, Capituli pecunia emtam, cujus dimidia pars redituum ſuſtentando templo Cathedrali, ac ejus Miniſtris deſtinata ſit. Priores Electores Brandeburgicos Joannem Georgium, Joachimum Fridericum & Joannem Sigiſmundum Prætulatui & Capitulo caviſſe ſuo ac poſterorum nomine, ſe nunquam jus ullum hæreditarium in eundem prætenſuros, ſed operam daturos, ut iſtius electitius ſtatus in perpetuum conſervaretur.

De vectigali Oldenburgico.

§. 158. Super vectigali in Viſurgi Brema urbs cum Comite Oldenburgico tranſigere non potuerat, hoc multum poſtulante, illa parum offerente: unde è ſententia Ordinum Imperii ad Articulum de commerciis iſtius mentio facta fuerat. Cæſar tamen noluerat iſtam vectigalis conceſſionem controverſiæ de jurisdictione in Viſurgim cuipiam præjudicio eſſe. Id quod Bremæ diſplicebat, quæ vim ſi qua eo nomine intentaretur, excipere ſtatuerat fiducia Hollandorum, qui vectigal illud tolerare nolebant, Comite acribus literis ut illo abſtineret monito. Et occaſionem inde captabant Cæſarei Hollandos cum Suecis committendi, rumore ſparſo, negotium de vectigali Viſurgico Suecis ita acriter inſtantibus Tabulis Pacis inſertum; quod hi oculos ad ditionem Oldenburgicam, & inprimis Comitatum Delmenhorſtanum, & dominium totius Viſurgis ob terras ad utramq; fluminis ripam ſitas adjecerint. Id quod non parum Belgarum animos aſperabat, ut jam aliqui è Proceribus Provinciæ Hollandiæ cenſerent, aliquot naves bellicas in Viſurgim mittendas, & vectigal vi inhibendum: quanquam aliis haut conſultum videretur eousque illam litem ſuam facere.

Helvetiorum poſtulata.

§. 159. Helvetiorum nomine aliquot jam menſes adfuerat Joannes Rudolfus Werſteinius Conſul Baſileenſis, qui poſtulabat, ut controverſiæ, quæ iſtorum Rebuspublicis cum Spirenſi Camera intercederent, heic abolerentur. Id quod Cæſarei quidem ſtatim annuebant, ut tamen ad Ordines quoque referrent, quorum ſententia ad Cæſarem transmittebatur. Sed quod Conſul iſte crederet, id negotium nihil difficultatis habiturum, declarationem Vienna haut expectans, à Cæſareis & Regiis Legatis cautionem ſcriptam exigebat, 30. Sept. id negotium Pacis Inſtrumento inſertum iri. Quæ & à Suecis libenter exhibita.

Evangelici Volmarum Oſnabrugam expetunt.

§. 160. È Cæſareis Legatis Oſnabrugæ tunc agebat Lambergius, magis Comitis titulo Legationi ſplendorem conciliaturus, quam quod tractandis tam gravibus negotiis par foret. Et Cranius congreſſibus cum Salvio pleraque à Trautmansdorfio, & Volmaro acta abnuerat, male temperato inſuper ſacrorum ſuorum zelo flagrans. Unde Evangelicis placebat Volmarum, ad quem ſumma tractatuum poſt Trautmansdorfii digreſſum redierat, Oſnabrugam invitare. Suecis cum ea res communicaretur, is ſcrupulus ſurgebat, quod Volmarus à Cæſare, non Oſnabrugam, ſed Monaſterium deſtinatus ſit; unde cum ipſo acta eludi poſſe, velut mandatis cum Suecis tractandi deſtituto. Simul videbantur Lambergii offenſam contracturi, velut minoris hunc quam Volmarum æſtimantes. In Evangelicorum tamen arbitrio relinquebant, quid ipſi publice expedire judicarent. Hi ad Lambergium & Cranium ea de cauſa acceſſere; qui ad Volmarum ſe ſcripturos recipiebant, nulla offenſæ ſignificatione id tantum addentes, eventu ipſo probandum, Volmarum non ampliora, quam ipſos mandata habere, nec in præſens operæ pretium facturum. Idem & Volmarus excuſabat, nova ſe à Cæſare mandata expectare ferens. Tum Catholicorum declarationem ſuper Gravaminibus in vicem inſtructionis ſibi ſequendam eſſe. Ira quam in iſto Viro ſpem repoſuerant Evangelici, lubrica erat, præſertim cum diceret, ab Archiduce Oenipontanâ ſe evocari, nec ultra Decembrem menſem his locis commoraturum. Mox tamen Galli per Grullardum Suecis ſignifi- Galli Suecos Monaſterium invitant. 19. Sept.
cant, ſibi haut placere Volmarum Oſnabrugam venire; potius expectare, ut ipſi Monaſterium excurrant; quod conſilia conferenda ſint, ſeu pax, ſeu belli continuatio ſequatur; nec ſe amplius Bavaro fidere. Turennium intra tres ſeptimanas decem cum millibus in Germania adfore, qui Hatſlicis conjunctis in uſum cauſæ communis rem geſturus ſit. Bavaro haut impune fore ab induciis reſiliiſſe: & Galliam non minore conſtantia, quam hactenus, Sueciæ adhæſuram. Cum autem interea de ſumtis à Bavaro armis innoteſceret, placebat Salvium Monaſterium proficiſci pro captu temporum cum Gallis conſulturum; ſimul iiſdem ſtimulos admoturum, ut Gallia deſtitutis prope à ſe Germaniæ rebus manus iterum admoveat, & Succicum exercitum, in quem tota hoſtium moles incumbebat, validiore quam hactenus auxilio fulciat.

§. 161. Abruptis porro induciis propinquæ nuper pacis ſpes in incertum eludi videbatur. Equidem Bavarici Monaſterii oſtendebant, reſumta à Principe ſuo arma paci promovendæ, ac hunc à Cæſare ſtipulatum, cum Suecis nuper conventa tueri. Ac referebat Volmarus, ſe à Bavaricis ad inſtaurandos tractatus impelli. Enimvero Catholici, Bavari armis confiſi, nil præter bellum ſpirabant, aut ſaltem ea, quæ in Evangelicorum emolumentum Sueci pepigerant, ſubvertere iterum meditabantur. Jactabatur inſuper, Saxonem Bavari exemplo ad Cæſaris partes rediturum. Cum Brandeburgico tractatus agitari, qui nec ipſe ab ea re abhorrere videatur. Solicitari Luneburgicos, qui cum pluribus aliis Cæſaris partes amplexuri ſperentur. Appariturum tunc, quid toti Sueci valeant. Nec minus ferebant Cæſarei, Bavaricas inducias Cæſari lucro ceciſſe, quod iſte alias tantas vires, uti nunc, comparaturus haut fuerit. Cæſareum exercitum jam antea prævalidum, acceſſione Bavaricorum Suecos triplo, & amplius excedere. Laudari à ſe prudentiam & virtutem Wrangelii, qui præter ſuam opinionem tamdiu Succicas res in Bohemia ſuſtinuerit. Sed nunc retrocedere compulſum, Cæſareis è veſtigio inſequentibus, cui per Superiorem Palatinatum Bavarici iter obſtructuri ſint. Ita inter medios interceptio internecionem imminere. Cæſarei ob ſuſpectam Bavari inſolescunt.

§. 162. Aſt Evangelici Cæſareorum & Catholicorum quadrimeſtrem moram ægre ferentes, per ei ſuper Electoralem Saxonicum, Altenburgicum & Vi- mora Ca-

1647. Cæsareos interpellant, 28. Sept.

narienſem Cæſareos de ſtudio pacis, quod antea ſemper præ ſe tulerint, admonent, quæ cauſa tractationem tamdiu remoretur ſcilicitati. Cæſarei cum non parcius quam antea de Cæſaris in pacem propenſione jactaſſent, culpam in ſolos Catholicos rejiciunt, qui monita tua proferre tamdiu diſtulerint. Unde Evangelici proponebant, ut ipſi, ac præcipui Catholicorum, queis pax cordi ſit, cum Suecis congreſſi negotio finem imponant: Si qui Catholicorum concluſa reſpuat, ei integrum fore cum Suecis ſuo periculo bellum gerere. Eam breviſſimam eſſe viam rem expediendi. Nam refractarios Prælatos, aliosque tricatores numero multos, viribus debiles eſſe. Quam conditionem tamen Cæſarei admittere dubitabant, priusquam ad Collegas ſuos Monaſterium retuliſſent. Contra cum & malevoli Evangelicis perſuadere inſtituiſſent, Suecos languide pro cauſa communi niti, ac de bello magis alendo, quam æqua pace cogitare; expreſſo Electoris Brandeburgici juſſu Fromholtus à Suecis percontatur, num ſerio pacis concluſionem cupiant, addito; Electori alias nova conſilia capeſſenda fore. Cui Sueci ita retponderunt, ut is abunde ſibi ſatisfactum agnoſceret. Cum igitur Evangelici in Suecis nihil quod deſiderarent, haberent, contra è Catholicorum actionibus adpareret, pacis cupidinem apud hos falſo obtendi, revera eventum belli captari, ut inde armis, quod ſperabant, ſuperiores Suecis atque Evangelicis pro lubitu pacis leges obtrudere poſſent; haut parum, quæ alias eruptura videbantur, adverſa Suecis conſilia retundebantur. Sane jam nutabat Saxoniæ Elector, & eousque hoſtium perſuationibus aures præbuerat, ut Suecis culpam protractæ pacis publice objectare non dubitaret. Brandeburgicus Hatſis per ditiones Clivicas & Weſtphalicas tributa interdixerat, ac paulatim arma parare cœperat. E cujus Legatis Fromholtus haut dubitabat fractas à Bavaro inducias laudare, addito, ni plures exemplum id imitentur, nunquam pacem obtentum iri. Agitabant quoq; conventum Duces Saxonici & Luneburgici, ut & ipſi copias conteriberent. Enimvero idem, uti arma in Suecos ſumturi videbantur, ſi penes hos mora pacis fuiſſet; ita fortibus conſiliis Cæſarem ad pacem compellere haut audebant, tantum non attoniti, ſi de talibus Sueci differere inciperent.

Ut & Suecos.

Eidem à pravis conſiliis cohibentur.

Tractatus inter Gallos & Hiſpanos quoque.

§. 163. Nec magis tractatus inter Gallos & Hiſpanos Monaſterii promovebant. Belgarum inconſtantia, languentia per Cataloniam, & Belgium Gallorum arma, legionum Vinarienſium ſeditio Hiſpanis animos addiderant; qui & Cæſareos, ne longius progrederentur, cohibebant. Sed nec Galli ad pacem properabant, qui ad tumultum Neapolitanum oculos conjeciſſe videbantur. Pegneranda Spadanis aquis utebatur. Longuevillius in Galliam excurrere parabat, ni Mediatores, & quidam Belgicorum Legatorum, qui Monaſterium redierant, inhibuiſſent, quod metus eſſet, ne plane tractatus abrumperetur. Et declarabant Belgici, reliquorum Collegarum ſuorum adventu operam ſe conciliandæ iſti paci daturos. Etſiquanquam Galli oſtenderent, haut libenter ſe Belgarum interpoſitione circa pacem Hiſpanicam uti; haut dubium tamen erat, quin ſerio iſti concludendæ paci incubituri eſſent, & quidem iis legibus, quæ Gallis parum ad palatum forent, nullo quoque reſpectu ad Suecos & Evangelicos habito. Quos & ad promovendam pacem Hiſpanicam impellere videbatur invidia in Suecos, & dulcedo, quam jam deguſtaverant, negotiationem inter tantos Reges temperandi; ut hac abſoluta paci quoque Germanicæ ſe immiſcere, eamque è commodo ſuo moderari poſſent. Quia autem Catholici pacem inter Gallos & Hiſpanos æque acriter urgebant, quo Hiſpanis facultas fieret auxiliis Cæſarem fulciendi; inde metus erat, ne Hiſpanica pax Germanicam præverteret. Igitur id omni ſtudio à Suecis agebatur, ut Germanica pax Hiſpanicam ſi non præcederet, ſaltem cum ea ſimul concluderetur: nec pro ratione præſentium temporum ægre ferebant, à Cæſareis & Catholicis id ſtrui, ut negotia Hiſpanica & Lotharingica Germanicis tractatibus implicarentur; aut quod Galli pacem Hiſpanicam cum Germanica combinare nunc agitarent, quam antea ab hac ſeparatam maluerant.

1647.

Tractatus inter Hiſpanos & Belgas.

§. 164. De Belgis credebatur, omiſſis quibuſdam minutiis eos ſuper concludenda pace conſtituiſſe. Horum tamen Legati cum Monaſterium revertiſſent, Pegneandæ ſcriptum diverſa capita complexum exhibebant. Cui ea res inopina videbatur, quod putarat, pacem jam plane confectam, poſtquam à Rege ſuo, quæ antea convenerant, probata eſſent. Unde ſcripto illo Bruxellas & in Hiſpaniam miſſo, declarationem Regis expectabat. Interim Pavvius & Cnuitius ſecretos cum Hiſpanis & Cæſareis congreſſus, uti antehac, continuare, ut de ſucceſſu pacis haut dubitaretur. Etſi Galli ſperarent, Belgas citra ipſos pacem haut concluſuros, quod anceps iſtis futurum ſit arma deponere, ac militem exautorare, quamdiu duo tam potentes vicini bello inter ſe impliciti forent, incerto eventu, & imminuta ejus Reipublicæ deinceps autoritate velut inermis; haut defuturo prætextu, ſi victori offenſo ipſos invadere placuerit.

A Salvio Monaſterii acta. 1. Oct.

§. 165. Salvius, uti jam monitum, Monaſterium profectus non tam de pace quam bello continuando egit, quod Wrangelius poſtulaſſet, apud Gallos inſiſti, ut Turennius, aut alius cum exercitu in Germaniam reverſus, vel cum ipſo copias conjungeret, vel partem hoſtium in ſe averteret. Id quod & iſte omni ſtudio agebat, ſimul ut præfecti Gallici Laugingæ, & alii in Superiore Germania oppidis hoſtilia in Bavaricos ſumerent; tum ut pecuniarium ſubſidium, ſi fieri poſſet, duplicaretur, aut ſaltem ſolitum anticiparetur, eo promtius reficiendo exercitui. Demonſtrabatur Gallis; ipſis flagitantibus inducias cum Bavaro initas, à quibus alias Regina aliena fuerit: tanto magis cauſam eſſe Gallis Bavarum hoſtem declarandi, ac rupturam iſtam ulciſcendi. Pacta induciarum cum utroque Regno ſimul fuiſſe concluſa; eoque cum utroque ſervanda, aut abrumpenda. Manifeſto patere Bavari conſilia Suecica & Gallica arma diſſociandi, fœdusque diſſolvendi. Id conſilium ut fruſtra ſit, hanc perfidiam à Gallis æque ac Suecis ad animum revocandam. Quia etiam Galli nuper educto è Germania exercitu parti adverſæ occaſionem dederint univerſas vires in Suecos effundendi, tanto æquius nunc eſſe amplioribus ſubſidiis hoſce ſublevari. Galli contra aſſeverabant, Turennio jam injunctum valido cum exercitu in Germaniam redire, ac Bavarum invadere; eo tamen nondum parato haut conſultum hoſtilia expromere, ne præſidia ſua per Superiorem Germaniam ſubito à Bavaricis opprimantur. Unde ob ingruentem hiemem, & quia Gallicus miles invi-

1647. invitus Rhenum transibat, in auxilio isto exigua spes erat. De augendis subsidiis Galli in aulam relaturos se recipiebant: nec inutile judicabant, si Christina ad Reginam Regentem, & Mazarinum eo nomine scriberet. Haut tamen certi quid promittebant, multo questu de inopia ærarii in Gallia; quam ob causam pacem tetro quærere, si vel circa conditiones ejus aliquid remittendum sit, se jussos. Frustra quoque de anticipatione pecuniarum movebatur, cum dies illis exsolvendis cessura sit, antequam argentum è Gallia in Germaniam trajici possit. Spem tamen faciebant Legati, conventa die illas repræsentandas. Ita præter inania verba Salvius tunc nihil Osnabrugam reportabat. Eadem postulata de duplicandis subsidiis post Regina literis ad Reginam Regentem, & Mazarinum nullo effectu iterabat. Inter quæ Contarenus de communibus induciis in aliquot septimanas mentionem injiciebat, quæ Salvio haut inutiles videbantur, quod Cæsarei tunc & Bavarici Suecis prævalerent: interim hiemem adfore, per quam, ni pax sequatur, armis augendis spatium sit. Sed Oxenstierna judicabat, alterius hanc rem indaginis esse, nec ita brevi super iisce conveniri posse. Et ad duces belli id negotium spectare. Ipsa Regina centebat communes inducias suis rebus haut expedire, eoque ejusmodi propositiones commode declinandas. Cæterum quamquam Succi omnem lapidem moverant Gallis in Bavarum irritandis, lente tamen ea res procedebat, istis insuper spargentibus, ipsos Legatos Succicos judicasse publico expedire, ut Galli arma advertus Bavarum differant. Quod ubi Suecis cognitum, literas ad Legatos Gallicos dant, quibus in memoriam ipsis revocant, quam sedulo testati sint, damnum quod Galli abductis è Germania copiis causæ communi dederint, aliquo modo reparatum iri, si Gallia Bavaro re ipsa ostendat, bellum soli Suecia indictum ab utroque Regno adversus ipsum gerendum. Nec spatium illi indulgendum, qui concesso armistitio abusus sit, & hanc quantamcunque Gallorum quietem in fraudem fœderis impensurus sit. Etiam minima Gallorum dissimulatione, nedum aperta conniventia hosti animos addi jacta pacis fundamenta convellendi, Regumque fautoribus terrorem incutiendi. Unde se subinde postulasse, ut Gallicæ copiæ Suecicis iterum conjunctæ hostium vires distraherent, aut saltem ut Gallica præsidia Bavaros hostium loco haberent. Iste Gallorum lentor id jam efficiebat, ut Landgravia, & alii Evangelici dubitarent, num illi inducias cum Bavaro abrupturi essent, maligniore indies Suecorum ipe. Quæ diffidentia facile majoribus malis in posterum præbere ansam poterat. Traditum est à non nemine, Oxenstiernam post abruptas à Bavaro inducias Gallis velut conscius iratum cum Cæsareis voluisse pacem absolvere exclusis Gallis, si Salvius subscribere voluisset. Quam ob tergiversationem hunece Oxenstierna apud Reginam accusaverit. Sed Reginam irriso Oxenstiernæ fervore hujus literas Salvio remisisse, qui Serviento eas ostenderet veluti testes, Suecian nullo modo à Gallia divelli posse. Trautmansdorfium quoque tunc eam occasionem fœderata Regna separandi omisisse, dum mandato Cæsaris stricte nimis inhæret, cui spes erat opera Wertani toto exercitu Bavarico potiundi. Cujus rei nullum vestigium à me repertum; nec ratio temporis satis congruit.

re. Oct. 6. Nov.

Galli lente moliuntur.

9. Dec.

§. 166. Ast Bavarus, ut tuptas à se inducias excuſaret, varias rationes conquirebat, quarum summa huc fere redibat: Eas initio à Suecis eorumque sociis affectatas, ac Monasterii propositas, inde à se peculiariter acceptatas, quod certam spem concepisset communes inducias, ac plenam pacem mox secuturam. Sed quia deprehenderit, peculiare armistitium pacem magis retardasse, quam promovisse; in quod nec ipse aliter consenserit, quam salva obligatione, qua Imperio teneatur, alia sibi consilia capienda, ac induciis quantum ad Coronam Suecia renuntiandum fuisse. Arguebantur præterea Legati, ducesque Suecici, quod conclusionem pacis remorati essent, ac multas minas adversus se, suasque ditiones sparserint; qui & præliminarem tractatum, & armistitii leges multis modis violarint. Postulata horum circa militum satisfactionem enormia esse, ac supra Ordinum vires. Landgraviæ ratihabitionem haut exhibitam: Reginæ a Wrangelio diu supprellam eo solum fine, ac ipe, ut Cæsare oppresso Bavariæ tanto gravior incumberet. Multis inde extollebat studium ac curam suam circa promovendam pacem, inprimisque ut Suecia juxta ac Gallia cum sociis intigra satisfactione potirentur. Contra sibi à Suecicis Legatis non modicam contumeliam illatam, dum prima fede tot per secula in Senatu Principum possessa ipsum expultum iverint; qui & Cæsareis peculiares inducias in sui fraudem obtulerint, quas tamen illi acceptare noluerint. Hæc & plura publico scripto complexus non Wrangelio tolum addita solenni induciarum renunciatione, & hostilium indictione, sed & Reginæ Suecia adjunctis literis transmisit. Legatis quoque Suecicis Osnabrugæ à Joanne Ernesto Leparo Bavarico exemplum traditum, addita scripta declaratione; Principis sui mentem haut esse pacis tractatibus remoram injicere, sed ut durante pacis tractatu armis in æquilibrio retentis eo citius, æqua, ac Christiana pax obtineri queat. Apud complures quoque Evangelicorum idem per suos testabatur; non alio fine sublatas inducias, & conjuncta cum Cæsare arma, quam maturandæ paci, & tractatibus demum ad optatum exitum deducendis; tum ut pro officio, quo patriæ obstringatur, Germania exterorum dominatui subducatur. Id Bavari consilium ac scriptum, prout cuique studium erat, diverso modo acceptum. Ex Evangelicis unus & alter id probasse dicebatur, velut hac sola via foret æquam pacem in Imperio à Regibus extorquendi. In universum tamen detestabantur non minus factum ipsum, quam scriptum, quod perspicerent, ea de quibus Bavarus Legatos Succicos arguebat, (exceptis viginti millionibus in satisfactionem militum postulatis,) Evangelicos præcipue Ordines tangere; illosque ideo tam aspere perstrictos, quod horum commodis enixius studuerant. Ac Luneburgicus diserte dicebat: veram armistitii conclusi causam fuisse, quod Elector haut aliam viam inveniret, adversus Regios exercitus se regendi, quod & literis ad Cæsarem mense Julio, & ad duces suos mense Augusto datis professus ipse erat; idem autem ab ipso abruptum, quod laxiora hospitia exercitui suo captaret: reliqua omnia, quæ obtentui sumerentur, inania esse. Cui & alii Evangelici è Principum Senatu adstipulabantur. Ac certe post amissa Franconiæ & Sueviæ hospitia eo res Bavaro redierat, ut vel suis copiis Circulus Bavaricus pro-

1647. Bavarus supturam suam excusat.

Evangelicorum de hac judicium.

1647. priæque ditiones plane exhauriendæ, vel istæ exautorandæ essent, quorum hoc a se impetrare non poterat, cum satis intelligeret, quantivis esse arma ad pacem usque retinere ad servanda per tractatus parta commoda, ne inermis à Cæsaris arbitrio dependere necessum haberet. Quo fine & antea propositerat de extendendis hospitiis. Quod cum Sueci abnuerent, ac de exautorando milite monerent, malebat fidei læsæ reus peragi, quam vel propriam vastare ditionem, vel armis exutis autoritatem amittere.

Regina Bavaro respondet.

§. 167. Ad Bavari literas Regina prolixe respondit. Persuasum sibi fuisse, Ipsum armis per inducias positis fidam ad promovendos pacis tractatus operam navaturum; nec in mentem venire potuisse, ita propere nulla data cautà à solenni pacto discessurum, de quo religiose servando tam prolixe testatus sit. Nunc cum sua ratificatione mature exhibita ab eo discesserit, satis adparere, ipsum haut serio cessationem ab armis quæsivisse, sed ut imminentium temporum necessitati se subtraheret. Conventionem secum, & cum Gallia initam sibi soli ita repente nulla prægressà disceptatione renuntiari jure haut potuisse. Eandem quoque non huic conditioni superstructam, si communis pax mox secutura sit; sed ad id usque tempus porrectam, quo pax, aut communes induciæ concludendæ sint. Ut Sequestres Monasterii de communibus induciis proponerent, id ab ipsorum munere alienum haut esse: certe à Legatis suis eas hautquidquam propositas; queis satis constet, ejusmodi inducias inter tot partes non minore difficultate, quam ipsam pacem conciliari, ac sæpe non paci, sed fraudibus viam struere. Certe istas à se mandatas haut fuisse. Cum communes induciæ ob moras à Cæsareis difficultates non procederent, peculiares à Bavaro initas, in quibus officium suum adversus Imperium ejusque caput sibi reservarit: quod ipsum tamen ita restrictum fuerit, ut induciarum tractationi fraudi esse non debeat. Quid salvo isthoc officio fieri possit suum non esse disquirere; de quo ipse optime judicare queat è primariis Imperii membris, qui securitatis, juris, ac existimationis tuæ haut incuriosius esse soleat. Sane si istas inire ab officio ipsius abiisset, honestius fuisse tractatu superseditse, ratificationem recusasse, Reginæ confirmationem non acceptasse, nec per ministros suos Wrangelium de constanti voluntate, & amica intentione securum esse jubere. Injuriam fieri Legatis suis, queis culpam protractæ pacis impingere conetur; de quo res ipsa satis testetur. Super Sueciæ satisfactione se ex æquo pensatione illis quorum interest facta, absque Imperii præjudicio cum Cæsareis transegisse. Circa Evangelicorum gravamina suo jussu Legatos suos eodem modo egisse, sicut Cæsarei alterius partis causam tuiti sint, summa cum moderatione. Pari studio si adversa pars ad pacem contendisset, eam hoc tempore jam absolvi potuisse. Quod Cæsarei rem extraxerint, id sibi suisque exprobrari non posse. Absurde quoque militum postulata argui, quibus ut satisfiat par esse. Nec summam adeo enormem videri debere, si meminisse velit, alios operam sane longe minorem haut levius imputasse. Nec inusitatum ingentia prima vice postulata post tractatione ad æquum deduci. Gravamina Ordinum ita prompte expediri non posse haut mirum, cum de illis antea sæpius tractatio sit suscepta irrito successu. Verba paulo acriora inter disceptandum jacta frustra inter cautas abrupti armistitii recenseri; nec in contumeliam statim trahendum, si quis minister pro domini sui eminentia contendat. Frustra traduci Kœnigsmarckii acta; nam Colonienfi ab induciis discedente illum haut amplius iisdem fuisse obstrictum; & ab isto fere petitum Francicum Wilhelmum Episcopum, qui variis molestiis illatis necessitatem imposuerit vires noxæ inferendæ ipsi adimendi. Cur Landgravia ratihabitionem omiserit, ipsam rationem reddituram. A suis Legatis commune armistitium Cæsareis aliquoties oblatum, ut Bavarus eo validius invadi posset, sibi non persuaderi; sane id à se in mandatis non habuisse. Nec cautam fuisse, cur arma à Cæsare in ipsum averteret, postquam per inducias amicitiæ suæ & sociorum accesserit. Denique se tam repentinæ rupturæ causam non præbuisse, sed ministris, ducibusque suis serio injunxisse, inducarum leges adversus ipsum sancte observarent, quod speraret, hunc gradum fore ad tam cruentum bellum aliquando finiendum. Sed cum res secus ceciderit, & ipse inducias, per quas nupera hieme ditiones suas imminenti cladi eripuerat, nunc contra repetita toties promissà abruperit, Deo & tempori id committere, & hoc exemplo monitam parcius deinceps fidem adhibituram. Hæ literæ lingua Suecica conscriptæ, adjuncta versione Teutonica, ad Wrangelium & ab hoc ad Bavarum transmissæ, qui latori præter testimonium earum acceptarum nihil responsi retribuit.

1647.

Reginâ de Bavaro apud Anglam Gallicanam queritur.

§. 168. Sed & literis ad Reginam Regentem Galliæ, & Mazarinum Cardinalem datis demonstrabat Christina, haut alio fine sibi, & non Galliæ simul Bavarum inducias renuntiasse, quam ut arma juxta & affectum, unionemque Regnorum dissolveret, ac diffidentiæ semina spargeret. Unde altutiam callidi Principis hactenus dissimulatam mature expenderent, ac improba istius ausa serio ulciscerentur. De cætero confidere se, Galliam fœdere firmiter staturam, nec concessuram, ut violatori fidei tam crassa fraus impune sit, cui par flagitium toto hoc bello non auditum; cum alia colorem utcunque admittant; hoc mediato ad decipiendum consilio susceptum sit. Porro Reginæ constantiæ capacem sectandæ.

Regina quanquam fat rationis habebat, quæ Bavaro circa cautam Palatinam indulta erant, revocandi; tamen cum judicaret magnanimitati suæ parum decorum fore, si ista ruptura vehementer commoveri videretur, Legatis suis injunxit, conventis starent, ac ob Bavari defectionem nihil solicitudinis præ se ferrent. Liquido tamen demonstrarent, injuste istum, nec ulla à Suecis præbita causa inducias abrupisse. Vetabantur quoque Gallis commercia cum Bavaro acerbe exprobrare, ne istos collusionis cum hoc arguere viderentur. Quia autem Bavarus Legatos Suecicos acriter perstrinxerat, & ex illorum factis colorem ruptis induciis circumponere conatus fuerat, placebat Reginæ istis scripto publico actorum suorum justitiam & sinceritatem orbi demonstrare, qui & fat aculeatis hinc inde verbis adspersum scriptum edidere; quo à Bavaro objecta vanitatis convincebant, & penes quem culpa protractæ pacis hæreat, clare ostendebant. Cujus publicationem frustra inhibere conabatur Contarenus, quod exacerbatis magis animis paci remoram inde orituram metueret. Sed tunc à Legatis Suecicis super eo facto scriptum publicatum, quod heic inserere, non abs re visum:

Defen-

1647. *Defensio Legationis Suecicæ, qua ostenditur Domino Electori Bavariæ nec jus nec fas fuisse, Inducias cum Regiæ Majestatis Suecicæ Campiductore, Domino Carolo Gustavo Wrangel. ad 14. Martii labentis anni contractis die 14. Mensis Septembris renunciare. Anno 1647.*

PRodiit nuper famosum è Superiori Germania scriptum, publicis typis excusum, quod alii Manifestum Bavaricum, Autor ipse Causas appellat quibus Dominus Elector Bavariæ inductus, Armistitio, cum Campiductore Suecico ad 14. Martii labentis anni contractio medio Septembris vicissim renunciarit. Hoc scriptum cum primum Legatis Suecicis ab Amico videndum concederetur, non potuerant sibi persuadere, id scitu vel consensu Domini Electoris Bavariæ, sed ab aliquo homine umbratico, bonis horis abutente, fictum fuisse. Etsi enim nec ipsi, nec ullus fere aliorum Legatorum alium Armistitii Bavarici eventum ab initio augurati sunt, quocunque tamen alio violationis colore prudentiam suæ Celsitudinis usuram credebant, quam ut extera Legationis innocentiam ejusmodi convicijs proscindi pateretur. Quia tamen e nuncijs subsecutis, potissimum vero Apographo propriarum suæ Celsitudinis literarum, tam ad Sacram Regiam Majestatem Sueciæ, quam ad Dominum Campiductorem Wrangel datarum, ut & ex Deputati Bavarici literis ad Legatos ipsos, præter omnem spem, certo tandem intellexerunt, suam Celsitudinem id non modo pro suo venditare, sed etiam passim per Imperium in odium dictorum Plenipotentiariorum disseminasse, non committendum putarunt, ut in præjudicium veritatis silentio transmitteretur. Regia quidem Majestas ad literas sibi missas jam ipsa respondit: nec negleturi sunt existimationis suæ tutelam Domina Landgravia Hassiæ, & exercituum duces. Quia vero non tam ferociter eos, ac dictos adoritur Legatos, etiam ab his imputationis immeritæ falsitas detecta fuit.

Summa scripti huc tendit, ac si sua Celsitudo sola cupiditate pacis, nullaque alio fine propositum a Regiorum Legatis Armistitium acceptarit, nisi ut co durante Tractatio pacis Osnabrugis & Monasterij expeditius procederet, potissimum vero post Plenipotentiariorum Suecicorum animos hac methodo sibi devinctos: idq; eo facilius fore sperarit, quod Regnis Fœderatis jam esset satisfactum; Cæsareani in reliquis æquissimas conditiones offerrent, Cæsarea Majestas Exercitus abduxisset, ipseque Elector Actiones bellicas plane sistierat. Contraria tamen omnia expertum esse. Facto enim Armistitio Suecos conditiones proposuisse duriores, animum minus aperuisse, egisse tectius, concessa revocasse, vel saltem aliter interpretatos, justas aversatos demonstrationes, minis denique ac juramentis proposita obtinere conatos esse. Imo ipsius Electoris subsellia in Senatu Principum fecisse controversa, acrius urgisse causam Palatinam. Cæsareanis Armistitium contra se obtulisse. Electorem Colonienjem & Episcopum Osnabrugensem infestasse contra pacta, ac tandem viginti Milliones pro militia Suecica postulasse. Idque potissimum, post quam Elector gladium in vaginam reconderat, Imperator Suecis impar esset, cæteri Catholici enervati; ut omnino periculum videretur, ne Suecici Imperium in Ecclesiasticis plane subverterent. Cum igitur ejusmodi processus culpa soli Armistitio Bavarico à quamplurimis adscriberetur, non potuisse suam Celsitudinem, quin illud vicissim rumperet, junctisque cum Imperatore viribus novum bellum redordiretur: animo tamen solius pacis promovendæ; quem etiam de Suecicis Legatis indubie sibi promitteret. Prout hæc omnia in dicto Manifesto odiosius latiusque deducuntur.

Ut igitur his criminationibus eodem ordine decenter respondeatur, imprimis quidem nemo magnopere dubitat, quin Dominus Elector Bavariæ, utut arma adhuc Paci præferat, magnas tamen habeat rationes, cur bello tandem sepposito pacem optare debeat. Cuncta enim obtinuit, quæ à bello sperare poterat. Ingentes thesauros ex omnibus Imperij Circulis, triginta fere annorum spatio cumulatim congestos, supremam inter Electores seculares dignitatem, Palatinatum superiorem totum cum Comitatu Cham & Satrapijs plus minus triginta: ut nihil ei ad summam suæ domus felicitatem deesse videatur, nisi ut hæc omnia septuagenarius pater impuberibus liberis secura relinquat. Utrum vero ea felicitate contentus hoc Armistitio viam paci parare voluerit, dee o majus est dubium. Certe quitot, tantasque spes certas incertæ bellorum aleæ denuo submittit, is absque dubio plus ultrà sibi proposuit. Qui per Armistitium firma possessionis securitatem adeptus, & quasi manu jam tenens, ea repudiata novum bellum redordiatur, cum verisimile est nec Armistitium sincere voluisse, nec per Armistitium pacem: cum contra naturam sit, ut hostilia facta ex animo pacifico oriantur, tam levibus innixa causis, ut è sequentium Articulorum examine manifestum patescet. Principio autem proponendi Armistitii occasionem non recte supponit, quasi jam à mense Septembri Anni 1646. inter Cæsareos Regiosque Commissarios de utriusque Regni Suecia Galliæque satisfactione conventum esset: ut parum amplius restaret, quod Pacem remorari posset. Gallica enim satisfactio jam demum hoc mense Octobri Anno 1647. completa est. De Suecica dicto Anno 1646. nihil certi statutum. Ac si vel maxime utraque in particulari jam tum conclusa fuisset, novit tamen sua Celsitudo, totumque Imperium, suam Regiam Majestatem Suecia semper contestatam fuisse, præcipuam satisfactionem suam in Evangelicorum Imperij statuum satisfactione consistere. Eo enim fine tam operose in Præliminaribus, ipsoque principalis Tractatus initio laboravit, ut status quoque admitterentur: non ut testes tantum forent particularis satisfactionis Suecicæ; sed ut ipsis quoque ex æquo, bonoque satisfieret. Quod cum ne nunc quidem factum sit, multo minus eo tempore potuit pro occasione & fundamento Armistitii ineundi suaderi. Ut autem vera ejus origo constet, sciendum est, id à Legatione Gallica non solum hac vice, sed & dudum ante ad Suecicos delatum: veruntamen ceu à Mediatoribus primo propositum. Mediatorum zelum in promovendis omnibus mediis ad pacem non potuerunt Suecі non magnopere laudare. At ut ipsi ullum Armistitium Electori Bavariæ proponerent, id nunquam animum inducere potuerant. Non quod ignorarent, Armistitia opportune contracta optima interdum pacis pararia esse. Sciunt, quiescentibus armis animisque sedatis multo expeditius procedere pacis negotium: sed partim, quod destituerentur mandato; partim quod sibi persuaderent, haut majori tempore pacem ipsam, quam ejusmodi Inducias confici posse. Præcipue vero, quod priorum temporum experimentis edocti, valde dubitarent, utrum id Elector serio intenderet, vel sincere servaturus esset. Ac propterea etiam Dominos Gallos fideliter monuerunt, ne facile fiderent, à quibus & ipsi sæpe decepti fuissent. Tandem vero, ubi Dominus Gallus proposito fidentius assisteret, postulata securitatis fideique Bavarica pignora retulerunt Sueci ad Aulam Regiam & exercituum Duces; quorum est, de ejusmodi negotijs statuere. Veruntamen neque hi multo promiores ad illud acceptandum fuere: cum ob rationes fere easdem, tum quod Bavariam ita comprehensam tenebant, ut absque certiori Pacis sponsione eam dimittere minime consultum arbitrarentur. Tandem tamen ad tot ingeminatas Bavaricorum Ministrorum sincerationes, interveniente potissimum fide & persuasionibus Gallorum, non quidem ab omni diffidentiæ scrupulo plane liberi, paulo tamen magis à tot tantorumque Virorum tam asseveranter factis assecurationibus, ad spem quam ad metum inclinamus, in ejusdem

1647. Tractationem condescenderunt. Atque hæc vera fuere armistitii primordia. Quod jam Manifestum Bavaricum asserit, suam Celsitudinem nullo alio fine Armistitium iniisse, nisi ut eo durante Tractatu Pacis eo promtius absolveretur, id promtius est dicere quam persuadere. Etsi enim ea conditio Recessui inserta fuerit, non tamen præsagium, sed fides in eo Suecos fefellit. Longe alias causas Bavarici Ministri in Conventu Ulmensi prætenderunt. Exercitus nimirum Bavaricos dum soli agunt, prosperos, cum Cæsareis junctos infelices: Autam Cæsaream regi ab hominibus plus fuit, quam publici commodi studiosis; horum tamen consilia consiliis Electoris præferri. Imperatorem ipsum dependere totum ab Hispanis, hostibus Bavarica domus infensissimis: tantam vero inter Austriacam & Bavaricam domos intercedere antipathiam, ut Electoris Parens sæpe dicere solitus sit; Utriusque sanguinem, si in unum vas funderetur, nequaquam coire posse. Et cætera, quæ in Protocollis Ulmensibus continentur. Hæ Causæ tunc aliæ fuerunt, quam quas jam Manifestum prætendit. Longe alias quoque causas sui Armistitii allegat Elector ipse in propriis literis, tam ad Cæsaream Majestatem de Mense Julio, quam ad suos Officiales, de Mense Augusto: quibus omnibus factæ culpam conjicit in Imperatorem, quasi is suam Celsitudinem tunc non modo deseruisset, sed etiam Regiorum armorum libidini adeo prostituisset, ut nulla alia ratione potuerit se, exercitum aut subditos (ut Formulæ sonant) salvare, nisi per ejusmodi armorum suspensionem. Eamque ob Causam Plenipotentiarii Bavarici Ulmæ sponte jactitabant; suum Principem publico Manifesto Cæsaream Majestatem vehementer incusaturum: quod tamen in fumum abiit. E quibus candidi Lectoris judicium esto, utrum sola promotio Pacis Armistitii scopus fuerit? Annon potius id actum sit, ut fœderatorum Regnorum arma, sue ditionis viscеribus pertinaciter inhærentia his technis eluderentur, suaque Celsitudo lucraretur tempus, quo sub induciarum securitate vires perditas pro novo bello restaurando impunius repararet? Sane tale aliquid in ipso Ulmensi Congressu non obscure innuebat principalis suæ Celsitudinis Minister, dum expresse Suecis diceret, longe aliud, quam Pacis curam, sub hoc Armistitio latere. Dixerunt id Cæsarei Domini Legati Suecicis Minaserit, visuros eos intra paucos menses aliam longe Bavari faciem. Et eventus præsagia comprobavit. Optimum nimirum Bavarici mentem polypi, sciuntque excellenter varias formas & effucias, pro varietate circumstantiarum assumere. Veri Protbei: Quid enim? Si armistitio pacem promovere decrevissent, cur ipsis Armistitii tabulis hanc clausulam inseruerunt; Etiamsi pax non tam subito sequatur, nihilominus singula Recessus Conclusa usque ad finem belli ab omnibus stricte observatum iri? sed ad hoc Electoris in promtu responsio est. Scribit enim ipse ad suum Præfectum Freiburgensem, die 23. Augusti, ejusmodi Armistitia ex levicula causa inopinato vicissim dissolvi posse. Id quod revera factum est. Sicut enim falsas & frivolas allegant causas Armistitii fidi: ita nihilo aut veriores aut pregnantiores afferunt ejusdem rupti & violati. Hoc tamen paulo callidius, quod non ipsi Regiæ Majestati Suecicæ, sed ipsius Ministris culpam impingunt: ut per eorum latus Nationem totam, si non minori sensu, saltem haut tanto cum strepitu perfodiant. Scire autem debebant, prudentes Ministros nihil agere sine Mandato. Mandasse vero tantarum virtutum Reginam rem turpissimam, pudet eos manifeste asserere. Constat enim Ratihabitionem dicti Armistitii à Regia Majestate Suecia intra Fatalia conventa suæ Celsitudini rite fuisse insinuatam, ab eademque rite acceptatam. Solummodo, ne ulla prætextuum tubula inexcussa relinquant, carpunt ejus tarditatem, quod non nisi sub finem decurrentium Fatalium advenerit: indeque nescio quas non suspiciones exsculpunt. Sciendum autem est, dictam ratihabitionem mense quidem Majo concepram fuisse, sed quoniam adventus Domini Douglassii, qui Tractatui Ulmensi interfuit, de die in diem Stockholmiæ 1647.
expectabatur, ut Regina tum ejus relationem intelligeret tum opera in Ratihabitionis diplomate deferendo uteretur, ipse vero tardaret, tandem, ne Fatalia frustra decurrerent, eo inexspectato Ratihabitio emissa est. Atque hæc vera causa ejus, si qua dici possit, tarditatis. Quicquid autem in eo carpunt, negare tamen non audent, intra Fatalia traditam fuisse: quod pro suæ Majestatis suorumque Ministrorum innocentia demonstranda sufficit. Non solum autem Armistitii ratihabitio rite peracta est, sed & omnes ejus conditiones ex parte Suecorum exactissime servatæ. Neque enim quicquam à Campiductore Wrangelio ejusve exercitu contra admissum esse vel questum est, vel queri potuit Manifestum Bavaricum. Kœnigsmarckium quidem accusat, quod is contra Præliminarem & Armistitii Conventiones præsidia Cæsarea Vechta exegerit, & Episcopatus Osnabrugensis urbes, Forstenaviam & Widenbrugge, violenter occuparit; sed frustra. Primo enim expressis verbis in Recessu Ulmensi reservatum fuit, ut, nisi ipse Elector Colonensis, quod ejus nomine promissum fuit, præsidia Cæsarea e suis munimentis exigeret, Fœderatis liberum esset, ea obsidere, expugnare, & hostium præsidiis inde expulsis, nova vicissim, si ratio belli requireret, imponere. Cum igitur id nec præstiterit, nec præstare forte voluerit aut potuerit, quid impedit, quo minus Kœnigsmarckius id ex Pacto exsequeretur? Quod ipse tamen non tantum optimo jure, sed pari etiam moderatione est exsecutus. Post captam enim urbem reditui & juri loci suæ Celsitudinis Electoralis Præfectis libere administranda reliquit. Deinde Conventionis Præliminaris ipsissima verba hæc sunt: In Diœcesin Osnabrugensem neutra Belligerantium Pars plus juris factive sibi sumat, quam tempore contractus habuit. Atqui Episcopus Franciscus Guilielmus, toto Tractatus tempore multo plus & juris & facti exercuit, quam Præliminaria permittebant. Tempore Tractatus Præliminaris tributa Episcopatus non excedebant sex, septemve millia thalerorum menstrua. Episcopus tamen cum Cæsareanis eadem ad quindecim millia menstruatim extorsit. Dum subditos Episcopatus securos servare teneretur, ut res domestica vacantes rectius conventui necessaria subministrare possent, ipse ultra ducentos ex aratro, è tugurris, e lectis, violenter extractos, imo flagris & fustibus vexatos rapuit ad Cæsaris militiam: quorum singulorum nomina Conventui Mense Julio edita fuere. Præterea militem suum præsidiarium è Widenbrugge & Forstenaw permisit non solum omnes vias publicas infestas reddere: qui & nuncus Legati Lusitanici tractarunt inhumaniter & Episcopatus Præsidem, è suo prædio raptum, carceribus mancipavunt, & Secretarium Legationis Suecicæ, Salvo conductu Cæsareo munitum, bis captivum abduxerunt, alium que Legationis Ministrum flagris excepernnt, plurimis insuper Assassiniis in via publica hinc inde ignominiose paratis; verum etiam extra Episcopatum erumpentes, Paderbornam assultu occuparunt, & in Episcopatus, Bremensem & Verdensem, ferro flammaque atrociter grassati sunt. Quæ omnia cum Conventionem Præliminarem è diametro impugnarent, nec ad sapius postulata remedia aliud quicquam reponeretur, nisi quod Conventio Præliminaris facta esset inter loca, non inter homines in iis locis, coactus est tandem Kœnigsmarckius, post quatuor annorum patientiam, ejusmodi ludibriis obviam procedere, securitatique publicæ aliter providere. Paratus tamen, occupata loca statim restituere; quo nomine, ut & ratione moderandorum tributorum Commissarium Brandi per quatuordecim dies Monasterii, cum potestate desuper tractandi habuit, modo Dominus Elector & Episcopus, cæterique Cæsareani de novo se obligarent, ad præliminarem Conventionem sincerius observandam. Sed surdis fabula narrabatur: Prout ipse Kœnigsmarckius proprio scripto Domino Electori ad oculum ita monstravit, ut hic actum

agere

1647. agere superfluum videatur. Imo vero, tametsi Legati Suecici eas obsidiones impedire non tenerentur (quo nomine tamen Manifestum Bavaricum eos perstringit) obtulerant tamen se ad controversiam subortam amice & ex voto, tam Domini Electoris, quam Domini Episcopi, componendam; prout ipsi Domini Legati tam Gallici, quam Venetus, ipseque adeo Dominus Comes à Trautmansdorff, optime norunt. Veruntamen, quod res erat, bene respondit Dominus Comes à Trautmansdorff Legato Suecico: Episcopum tam esse fidum Imperatori, ut odiosum Neutralitatis nomen prorsus aversetur. Quam nihili igitur hic pretextus fuerit pro publicis Inducijs violandis, ex dictis evidenter patet. In eo vero male coherentis figmenti conscientiam prodit Autor Manifesti Bavarici, quod non nisi timidiusculè armatos copiarum duces perstringit, Plenipotentiarios vero Regios, viros togatos & inermes, & quidem ob actiones bellicas, ad eos non pertinentes, audacissime adoriatur. Sed quam exilem ab iis triumphum reportet, æstima, sincere Lector ex sequentibus. Cumprimis vehementer exaggerat, sibi relatum esse, quod Sueci primum locum in subsellijs Principum Imperij Domino Electori Bavariæ controversum fecerint. Scire autem debuit non Suedos, sed magnam Ordinum Imperij, etiam Catholicorum, partem patrijs status fundamentis adversum judicasse, ut unius ratione Ducatus duo suffragia in diverso senatu ferrentur. Nec deerant, qui, si Dominus Elector Bavariæ contentus fuisset sola voce Electorali, Serenissimæ Reginæ Suecia honorem primi subsellij inter Principes seculares deferri haut injustum putarent: cum & Regina esset, & de Statu Imperij bene merita, ipsique ratione Archiepiscopatus Bremensis etiam superior, nempe quintus locus in scamno Ecclesiastico, ubi Austriaca & Burgundica domus primum occupant, jure deberetur. At quoniam, Religionis respectu, id minus convenire videbatur, urbanitas Principum Evangelicorum honorem quinti subsellij inter domos Electorales in scamno seculari ipsi obtulit. Ex falsa tamen suorum suppositione Dominus Elector Bavariæ maledicis literis in Legationem Suecicam, necdum auditam, acerbe invectus, Electores, Principesque ad inendam secum causam communem, tanquam ad commune incendium extinguendum, conclamavit. Ast ubi audivit, rem à cæterorum Electorum benevolentia jam ante decisam esse, pudibunda obmutuit causa communis. Has tamen invectivas cum improbaret totus Conventus, & Legati Suecici suæ Celsitudinis Deputato severius exprobrarent, monerentur, ut ejusmodi conviciis supersederet, ipse hanc admonitionem jam commodum accipit pro Armistitij violati causa: prorsus ut appareat, Bavaricos etiam in aere frangenda fidei bellorumque causas venari. Restitutionem afflictissimæ Domus Palatinæ conati sunt Sueci conditionibus, quam fieri poterat, tolerabilissimis obtinere; id tamen non nisi amicabili Tractatu, & persuasionibus modestis: sperantes, ut cum aliter Domino Electori Bavariæ cumulatius satisfieri poterat, non tam durum se exhiberet in proprium sanguinem, in innoxiam Rudolphinam Palatinam Domum. At cum obstinatione Bavaricorum aliorumque votis superarentur, ne ei soli pacem, invito imperio amplius trahere incusarentur, ad Imperatoris, ad Regis Christianissimi, ad propriam Electoris Bavariæ armatamque instantiam, suadente etiam majore parte Ordinum, quicquid pro sui status interesse desideravit, ipsi relictum est. Ut ita etiam hac imputatio sit nulla. Posito tamen, tam sessionem, quam satisfactionem ipsi ab initio tantopere disputatas fuisse; quæ tamen ratio suadere debuit, ut post utramque ex suo voto transactam, easdem denuo refricaret, ac pro justificatione perfidiæ novique belli allegaret? Nisi quod aliæ rationes justæ ipsi deessent. Sed nec absimili fundamento nititur, quod justitiam fractæ fidei, belliquecausam ex eo, ac si Sueci Cæsareanis Armistitium aliud, ut Bavariam ulciscerentur, obtulerint. Quanta vero absurditas, hostibus amicitiam obtulisse ut amicos, qualem Suecia tunc Bavarum æstimavit, ulciscerentur? Quod si vero Legato Suecica Cæsareanorum animos ob factum à Bavarico Imperatori, ut videbatur, invisum Armistitium, hoc modo per risum jocumque tentasset; num quid propterea suæ Celsitudinis Electoralis prudentiam deceret, violata fide publica, evanidis ejusmodi nugis novum bellum inædificare? Unum tamen verum est, in toto isto centone, quod Sueci pro exantlatione militiæ viginti milliones proposuerint: At quatuor falsitatibus Bavaricis stipatum. Potuit solus Elector Bavariæ, Imperatoris Romani Vasallus, pro exigui temporis opella, suo Domino alias non omnino indebita, sedecim Milliones postulare, tredecim tandem, idque cum fœnore, jure acceptare: Quenam proportionis iniquitas foret, integrum exercitum extraneum pro triginta fere annorum stipendijs, viginti saltem proposuisse? Attamen, quemadmodum ea summa solummodo pro materia Tractatus proposita fuit, ita falsum est, de ea quicquam adhuc tractatum esse; falsius, quod à solo Cæsare & Catholicis (etsi id bono jure fieri potuisset) postulata sit; falsissimum, Suecos declinasse, se nihil de ea remittere posse: Omnino vero veritatem superat, quod eum, nisi stante salvatur, vi exterquere minati sint. Quando ad Tractatum de summa ventum fuerit, monstrabunt Legati, monstrabit Militia ipsa, æquitatem suam, & Bavarici figmenti vanitatem. Cætera, quæ quasi per satyram congerit Bavarica violationis incrustator, ut ostendat, Plenipotentiarios Suecicos Pacem hucusque impedivisse, bellum vero solum animo fovisse, mera sunt calumnia. Scrutatorem cordium Deum testantur, nulla se alia Mandata à Serenissima sua Regina unquam habuisse, nec seipsos ullius alterius intentionis unquam fuisse, nisi ut quam fieri possit citissime honestam, æquam, securam undique Pacem procurarent; eoque fine non nisi justa æquitatique congrua proposuerant, aut dispari moderatione obtinere studuerant: quemadmodum pleraque in scriptis agitata æquioris Lectoris judicium non detrectabunt. Quod si vehementiora interdum disputationes, ut inter partes hostiles vix aliter fieri potest, intervenerint, id non modo Zelo Suecorum in obtinendis amicorum suorum æquissimis Postulatis, sed etiam adversæ Partis obstinationi, qua cæteros æque secum jure in communi Patria vivere prefracte hucusque recusarat, adscribendum est. Id scilicet urit Bavaricos, quod, cum totius belli tempore, ore, scriptoque Suecians traduxerint, ac si non libertatem Germaniæ, amicorumque salutem, sed Imperij Dominatum affectarit; jam tamen invitis cernere cogantur, hoc Tractatu cuncta ejusmodi dicteria, Scriptaque ve ipsa falsitatis convicta esse. Alias nemo æquus rerum æstimator mirabitur, in tanti momenti negotio, non secus ac in foro, dum una Pars proponit, altera excipit, conflictum ipsum per Replicas, Duplicas, Triplicas, aliasque vicissitudines varias subire formas, verborumque conceptus, antequam in unam Partes coire possint sententiam. Quodsi Elector Bavariæ hunc morem voluisset mutatum, cur non, interposita antestate, alterius Partis pervicaciam eo flexit, ut absque ambagibus æquitati maturius manus darent? Sed id jam, proh dolor! seculum vocatur, ut, cum Catholici Evangelicos hucusque Judæis Turcisque pejus habuerint, planeque ex Imperij consortio exscindere satagerint, dum hi servientem detrectant, injuriam illis facere accusentur. Nemo hucusque vehementius Bavaricis Bonorum Ecclesiasticorum occupationem, cum Evangelica Religionis & Evangelicorum exterminio suasit ac promovit. Nemo Statuum Constatus indignius armis tractavit. Istas injurias omittere debuerunt, & reciproci tractatus armorumque

1647.

1647. rumque vehementiam evitaſſent. Septem Annos in Præliminaribus inſumſerunt Catholici: octavi anni ceremonia ſua legitimationem Commiſſionis extraxerunt. Tractatum principalem jam in quintum annum producunt: Et tamen Suecis protracta Pacis moram impingunt. Si Armiſtitium faciliturandæ Paci commodum arbitrati ſunt Bavarici, cur non potius universale, cum multo promtius & expeditius maturandæ Pacis medium, quam hoc fallax Bavaricum, approbarunt? At dum hi ſuſpenſionem, illi continuationem armorum ſimularent, ex mutuo conflictu occaſio ſub manu nata fuit, qua, ſufflaminato Tractatu Pacis, utrique vires bellumque potentius inſtaurarent: majori Catholicorum Statuum numero belli, quam pacis conatibus obſtetricante. Hos enim veram fuiſſe cauſam tardatæ Pacis, niſi communio obſtaret, conſcientia Bavaricorum indubie confiteretur. Cum enim præterita hyeme negotium Pacis inter Cæſareos Suecicoſque Oſnabrugis eo deductum eſſet, ut vix quicquam reſtare videretur, niſi ut utrique, Monaſterium digreſſi, res Fœderatorum communes accommodarent, illico à Cæſareanorum Monaſterium adventu Deputati Catholicorum non modo Electorem Bavariæ ad fidem Suecis datam violandam per literas exſtimularunt, neceſſaria ad bellum omnia cumulatim offerentes: verum etiam Gallos ipſos ſolenni Deputatione ſolicitarunt, ut nefarium in Fœderatos arma converterent; prout menſis Aprilis Protocolla, literæque teſtantur. Quin etiam, cum menſe Junio Sueci, Monaſterium ſecuti, novem illic ſeptimanas hærerent, affectu ſtudioque Tractatus abſolvendi, adeo Dominum Comitem Trautmanſdorffium ab iis occupatum deprehenderunt: ut, dum aliter concluſionem honeſte declinare non poſſet, ſe avocatum profeſſus, abiret ad Imperatorem: non attento, quod utriuſque Corona Legati, una cum Evangelicis ei certo ſponderent, ſe intra paucos dies ad concludendum fore paratos. Imo vero, cum Evangelici Catholicos exorarent, ut ii quoque Comitis abitum tantiſper morarentur, hi quidem ſolenniter eum inviſerunt, ut loco diſſuaſionis iter proſperum apprecati, ſtimularunt ad abeundum: datiſque demum menſe Julio literis ad Electorem Bavariæ, cum ad Inducias rumpendum vehementius inſtigarunt. Neque his contenti, cum certiores jam eſſent de Imperatoris & Electoris exercituum conjunctione, ut ex armorum eventu conſilia Pacis diſpenſarent, totum ver, totamque æſtatem cavillationibus tranſſumſerunt: detrectantes ratihabere, quæ, ut Cæſareani Fœderatis concederent, iis antea ipſi commiſerant. Immunet jam menſis November, nec tamen adhuc ſciri poteſt, utrum permittere velint, Tractatum reaſſumi: etiamſi Plenipotentiarii Suecici, una cum Evangelicis Deputatis, toto illo tempore non omiſerint, reaſſumtionem ſtrenue urgere. Quæ omnia cum Bavaricis tam nota ſint, ut Elector ipſe omittere nequiverit, quin, renovatis ad Imperatorem de hoc ipſo menſe Octobri literis, eorum tergiverſationes extreme deteſtetur: publice tamen non illi, ſed Sueci tardatæ Pacis ruptique armiſtitii rei peragendi fuerunt. Prorſus ut appareat, Bavaricos ſuæ partis ſtudio nimium extra cancellos veritatis abrepoſos, inſontibus Suecis paucorum ſontium Catholicorum (neque enim omnibus Catholicis hæc imputantur) delicta ſtudio affricare conatos eſſe. Verumtamen, ut hæc defenſio brevibus abſolvatur, uno verbo dixiſſe ſufficerit, omnes dictas criminationes meras eſſe falſitates & calumnias à Pacis oſoribus in odium Suecorum & Evangelicorum impudenter confictas, & Electori Bavariæ per ludibrium ſubminiſtratas; ut hoc obtentu Pacem, jam fere ad umbilicum perductam, diſturbarent. Nequaquam enim credibile eſt, tantum Principem, ſibi relictum, tam frivolis cauſis ſua ſponte aſſenturi potuiſſe, ut contra datam fidem, manu ſigilloque Principali firmatam, ſprete inter Gentium, contemta Legationum publicarum ſanctimonia, pateretur, non modo exteræ Legationi Regiæ tam impoten-

ter inſultari, ſed & propriam exiſtimationem, famamque tam fœda Cataſtrophe devenuſtari. Neque enim ipſe Elector Tractatui Pacis ſive Oſnabrugenſi, ſive Monaſterienſi unquam interfuit, ut Ipſe videre, vel propriis auribus audire potuerit, quid aut quomodo unumquodque propoſitum, actumque fuerit; ſed omnia & ſingula inter privatos parietes à ſolis Cæſareis, Regiiſque Legatis acta ſunt: exceptis tantum Gravaminibus Eccleſiaſticis, qua præſente quidem Evangelicorum Deputatione, ſed paucis Seſſionibus abſoluta fuere. Id potius non pauci ſibi perſuadent, nimis facilem ſuæ Celſitudinis credulitatem à perverſe referentium malitia ſeductam, ejuſmodi prætextuum vanitates conquirere neceſſum habuiſſe, quibus animo deſtinatam, ante Armiſtitium confectum, ejuſdem rupturam collocarent. Quod ſi enim ad Protocolla appellaverint, Suecica Cæſareis collata in manifeſta eos falſitate conſtituent: utpote nullis ejuſmodi mendaciis maculata. Sin ab aliis Miniſtris Cæſareis hæc ſuæ Celſitudini ſuggeſta ſunt, in iis quidem, ut hoſtibus, magnopere requiri non debet, veritate an dolo tantur, modo intentam Armiſtitii rupturam, cujus eorum tantopere interfuit, obtinerent. Omnibus itaque circumſtantiis rite perpenſis, luce meridiana clarius apparet, actiones Plenipotentiariorum Suecicorum non juſte accuſari, ſed obtentui tantum ſumtas eſſe: Neceſſitatem vero temporis expreſſiſſe Bavaricis conſiliis hanc inventionem, ut artibus Armiſtitii ſe cumprimis ab incubantibus Fœderatorum armis ſpecioſius expedirent. Accedente vero Cæſareanorum, & aliquota Catholicorum partis inſtinctu, idem actum rupiſſe, ne nimis bona Pax Evangelicis concederetur. Hos inſuper ſtimulos à Bavaricis grate acceptos: ut ſui Principis copias, ſub Armiſtitii ſecuritate collectas, cum propriæ ditionis nimium graves, in vicinos, præſertim Evangelicos Status, exonerarent. Cætera nil, niſi hinc inde, præſertim vero à colliſis inter ſe Suecani nominis odio, Paciſque prædicatione, anxie quæſitos prætextus; quorum fuco temerata fides palliaretur. Plenipotentiarii Suecici confidenter provocant ad omnium, à ſtudio Partium alienorum, conſcientias: nulli dubitantes, quin longe aliud ab iis, quam à Bavaricis, teſtimonium ſint reportaturi. Quod tamen non eo huc adducitur, ut Suæ Celſitudinis exiſtimatio ſugilletur (abſit.) Norunt ſuam Celſitudinem altiori animo eſſe, quam ut id ſibi perſuaderi patiatur: Sed ſolummodo, ut innocentiam ſuam illæſam ſervent ac tueantur. Quod ſi intellexerint, ſuam Celſitudinem illata pœnitentia injuriæ ductum, mutato conſilio perſequendi Suecos, per armorum æquilibrium æquiorem Pacem ſerio ſtabiliri velle reipſa deprehendet, eos, nomine Mandatoque Sereniſſimæ ſuæ Reginæ ad communis Pacis ſcopum & intentionem promovendam manibus pedibuſque ſecum concurſuros. Sin minus, hoc ſaltem exemplo diſcent, cum Bavaricis impoſterum cautius mercari. Precantur autem Pacis & exercituum Deum: ut, poſitis hujuſmodi animorum armorumque contentionibus, unius ejuſdemque Reipublicæ Chriſtianæ Membra, cruefque mutuo tandem & indiſſolubili Pacis amoriſque vinculo coalescant & redintegrentur.

1647.

§. 169. Inter hæc Catholici Monaſterienſes poſt multas conſultationes ſententiam ſuam ſuper Oſnabrugæ tranſactis abſolverant, quam Cæſareis exhibuere, Cæſaris declarationem ſuper eadem expectaturi; quæ antequam adferretur tres minimum ſeptimanæ elabebantur. Quæ mora negotium extrahi cupientibus parum æſtimabatur, quod receſſus Suecici exercitus è Bohemia ingentes illis ſpiritus adderet, haut obſcure jactantibus; Evangelicos jam pacem cupere, rebus ſuis in ruinam vergentibus, ſed qua ad libitum potituri non ſint.

Catholici declarationem ſuam edunt. 1. Oct.

1647. Cæsarei moras nectunt.

sint. Nec minus Cæsarei rem extractum ibant, culpa in lentas Catholicorum deliberationes rejecta, ad quorum sententiam Cæsari transmissam antequam responsum ex aula veniat, à se nihil amplius suscipi possit. Ostendebant tamen pleraque Osnabrugæ conventa mansura, nisi quod hinc inde temperamenta sint adhibenda. Inter Bavaricos, qui utique pacem velint, & Cæsareos jam decretum, quid à Catholicis admittendum sit; eamque vel præcipuam fuisse legem sociatorum cum Cæsare armorum. Eo certiorem autem successum destinatis suis sperabant Cæsarei, quod primarii Evangelicorum quædam remisissent, alia facili negotio remissuri viderentur.

Cum Catholicis post responsum Cæsaris tractant.

§. 170. Post allatam Cæsaris ad scriptum Catholicorum declarationem Legati Cæsarei cum hisce super eo negotio congrediuntur. Ubi quanquam potentiores Catholicorum sat moderatos se exhiberent; tamen inter istam multitudinem, ac plerorumque morositatem duæ septimanæ disceptando consumebantur. Moram addebat Anselmi Casimiri Moguntini Electoris mors, & quod Episcopus Franciscus Wilhelmus aberat, Moguntiam uti credebatur profectus, novi Præsulis electioni interfuturus; quam dignitatem ipse spe præceperat. Etsi alii ferrent, Bavarum à fratre suo Colonienſi Electore obtinuisse, ut ne is amplius ipsius nomine suffragium ferret, ob violentiam animi consilia temporibus accommoda admittere nescius.

Evangelici Cæsareos propter tarditatem interpellant.

§. 171. Inter Evangelicos Osnabrugæ consultatum fuerat; si Sueci vindictæ à Bavaro sumendæ studio pace neglecta bellum persequi instituant, contra Cæsarei, & Catholicorum primores conventis stare velint, num etiam invitis Suecis cum Cæsareis atque Catholicis concludendum sit? Id quod Saxonici cumprimis, & Brandeburgici suadebant. Sed quia Sueci prævalente tunc hostium potentia victo ex Bavari injuria dolore in tractatione sibi semper similes erant, ut nulla moræ culpa ipsis imputari posset, cum contra Cæsarei & Catholici aliquot menses frustra extraxissent, Deputationem ad Cæsareos decernunt, quam Leuberus Saxonicus, Wesenbecius Brandeburgicus, cum Thumbshirnio & Augusto Carpzovio Altenburgicis, Hehero Vinariensi ac Culmbacensi obibant. Hi graves super mora querimonias movebant, per quam immensis belli malis obnoxia maneret Germania. Simul postulabant, cum Cæsarea declaratio jam adsit, ac primores Catholicorum conventa probent, ipsique sit super iis, quæ restant, facile quoque tractatum iri, id negotium ocyus iterum suscipiant, & ad finem deducant. Nam haut ferendum sibi videri ob paucos refractarios è Catholicorum numero mala patriæ indies ingravescere. Quæ à Cæsareis probabantur, addito tamen; si Catholici ulteriorem declarationem sententiæ suæ ad Cæsarem transmissæ urgeant, haut patere sibi, qua ratione certum quid, & omnes obstricturum concludi queat. Sed reponebant Evangelici: Satis sibi constare præcipuos Catholicorum non minus, quam Evangelicos pacem cupere: unde reliquos fere minorum gentium parum curandos, nec suffragia variis artibus conquisita ita scrupulose numeranda. Sane tolerari non posse, fœtidos quosdam Abbates, (erant Leuberi Saxonici verba,) queis nulla jactura metuatur, numero suffragiorum cæteris præjudicare velle: Adversus quod & nuperis Comitiis protestatio interposita sit. Id nisi corrigatur, Evangelicis, quibus omnibus eadem mens, vitio datum non iri, si cum Catholicis pacis amantibus transactione inita junctis inde consiliis, & viribus melius quam hactenus rebus suis consultum eant. Belli se malis utique liberari velle; cui bellum placeat, suo id periculo gereret. Ista non sine animorum motu proferebantur, ut facile pateret, exsuperantem ob moræ ludibria dolorem alia consilia suggesturum. 1647.

Sueci negotia Imperii Ordinum arbitrio committunt.

§. 172. Ast Regina Legatis suis circa Imperii negotia necdum compolita injunxerat; operam darent, ut exules & gravati in statum, qui ante bellum fuerat, reponerentur, tum ut circa Gravamina Evangelicis satisfieret; inprimis subjectis Cæsareis sacrorum libertas concederetur. Quod si autem postulata pervincere non possint, eorum decisionem Ordinibus relinquerent; qui jam antea jactarint, se Germanicis negotiis componendis sufficere. Unde Sueci Evangelicis denuntiabant; sibi decretum cum Trautmansdorfio transactis firmiter insistere, acquæ restant quantum detur urgere. Addebant tamen, sicut Regina de iis, quæ firmandis Evangelicorum rebus faciunt, haut facile quid remissura sit; ita nec Evangelicos invitos in bello detinere cupere. Unde se, si quæ cum Cæsareis expediri nequeant, ipsorum judicio commissuros, ac de eorundem sententia in leges, quæ à Cæsareis obtineri possint, pacem conclusuros. Isthæc à Suecis proposita Evangelicis mire arridebant, simul quæ Cæsarei irritandis in Reginam Evangelicis machinabantur, eludebant; quorum potentissimos illi per varias artes sibi adjungere moliebantur. Saxonem Cæsar per Legatos solicitabat, ut Bavari & Colonienſis exemplo abrupta neutralitate arma in Suecos resumeret, haut valde alienum ab hoc consilio, ac odii in Suecos manifestum. Qui & cum Wrangelius è Bohemia recedens commeatum parte ditionis Electoralis transita postulasset, exprobraverat; pacis conclusionem prætente adhuc Trautmansdorfio neglectam, nec sententiam Ordinum Monasterii quinto die Julii exhibitam ab ipsis observatam. Apud Brandeburgicum Blumenthalius à Cæsare missus familiariter agebat. Et Cæsar, uti Cassellani referebant, supremum in copias imperium per Westphaliam, & Inferiorem Saxoniam detulerat. Et cum antea Cæsarei Legati occupatam tunc temporis à Brandeburgico Hervordiam valde improbarent, ac ut de ea ad Senatum Ordinum referretur, urgerent; in gratiam istius mox efficiebant, ut quæ eo nomine ad Cæsarem decretæ erant literæ, per Moguntinum supprimerentur. Ipse quoque Elector copias augere: jam sex millibus collectis Belgæ aliquot millia addituros se promiserant, si opus foret. Cujus & Legati Bavari factum probasse dicebantur. Uterque Elector Saxo & Brandeburgicus à Rege Daniæ consilium exposcebant, num neutralitas cum Suecis sibi abrumpenda foret; ad quod Cæsar vehementer invitaret? Quorum & hic à Dano scisitabatur, quid ab ipso in casu ejus rupturæ expectandum foret? Luneburgici Duces, aliique literis in socia Regna à Cæsare irritabantur. Danus quoque stimulabatur, ut ereptos Præsulatus filio Friderico armis recuperatum iret.

Cæsarei Evangelicos in Suecos stimulant.

Sueci iste Ordinibus expro-brant.

§. 173. His intellectis Sueci, cum & animadverterent, Saxonicos, Brandeburgicos ac Luneburgicos familiarius solito inter se consilia conferre, necessarium judicabant apud istos super hisce rebus querelam movere. Ast illi haut abnuere,

Cæsa-

1647. Cæſarem à multis annis de interna, quam vocabant, pace conſtituenda agitaſſe; ſed Principes ſuos, comperto quam lubrica ejuſmodi pax Evangelicis futura ſit, ab hiſce conſiliis ſemper ſe diſjunxiſſe, idemque in poſterum facturos; quod ſpes ſit poſt tanta mala bello exhauſta ope Regum per communes hoſce tractatus pace, qualem optent, eaque ſtabili ſe potituros: & quantaſcunque conditiones à Catholicis oblatas non poſſe non Evangelicis ſuſpectas eſſe. Teſtabantur inſuper Saxonici, inducias ſe integre ſervaturos. Brandeburgici oblatum hero ſuo imperium, aut probatam à ſe Bavaricam rupturam inficiabantur. Equidem diſputatum inter ipſos fuiſſe, an non tres iſtæ Domus inter Evangelicos potentiſſimæ, cum Cæſar, Bavarus ac validiores Catholicorum pacem in leges Oſnabrugæ conventas cupiant, renitente imbelli Catholicorum turba, iſtis operam ſociare promovendæ paci debeant. Cæterum à Principibus ſuis nihil in fraudem Reginæ, communiſque Evangelicorum cauſæ agitari ſancte aſſeverabant.

Ac invidiam ſatisfactionis militaris uti-gant.

§. 174. Quia porro ob enormia militum poſtulata Sueci apud utriuſque Religionis Ordines magna invidia flagrabant, Cæſarei iſtam in uſus ſuos vertere callidi contendebant, ante omnia de Imperii negotiis tranſigendum, ad extremum de militibus diſpiciendum. Sueci quoque, etſi junctim iſta tractare juſſi eſſent, tamen ne offenſam augerent, languentibus tunc ipſorum armis exotum negotium ad commodiora tempora differendum judicabant. Leniendæ tamen invidiæ Ordinibus oſtendebant; ſe conventis cum Traurnansdorfio inhæſuros, quæ ſuperſint denuò ad ipſorum mentem adaptata Cæſareis exhibituros; ea ſi repudientur, Cæſareorum & Ordinum deciſioni omnia commiſſuros, modo ut hi vicißim æquam ſatisfactionem militibus annuant. Quæ quidem Ordinibus valde arridebant, quorum & aliqui poſtulata militum cordi ſibi fore teſtabantur, jam de tribus, quatuor aut quinque millionibus ſpem facientes.

De ſatisfactione Haſſica.

§. 175. Quia etiam Haſſica ſatisfactio non parum obſtiterat, quo minus menſe Julio tractatus Monaſterii abſolverentur, Sueci oſtentando in pacem ſtudio literis ad Landgraviam datis petebant; ne poſtulatis nimium intenſis pacem difficiliorem redderet. Quas literas Darmſtadienſibus Legatis legendas tranſmittebant, fruſtra querente Schæfero Caſſellano; cui à Succis abunde ſatisfiebat. Et facile animadvertebatur, Landgraviam Regiorum ſententiæ demum adquieturam. Interim & controverſia Marpurgenſis, parario Joanne Landgravio cum Boineburgio, quem Georgius Landgravius Caſſellas eo nomine miſerat, compoſita fuerat, niſi hic, quæ ſub ſpe rati acta erant, firmare abnuiſſet obtentu à ſacris ſumto. Etſi enim ab initio Boineburgius acriter contenderet, ut in omnibus locis, quæ is Caſſellani per hanc tranſactionem potirentur, ſacra prout à Darmſtadienſi introducta ſint manerent: Landgravia tamen in inferiore Cattorum Comitatu, & Smalcaldiæ, velut quæ antea non Marpurgenſis, ſed Caſſellanæ ditionis fuerint, ſibi leges præſcribi nullo modo ferre volebat. Unde demum ita res temperabatur, ut in Marpurgenſi ditione ritus prout Ludovici Senioris tempore fuerant manerent, Caſſellanis tamen ſuorum quoque ſacrorum uſus concederetur: viciſſim inferiori Cattorum Comitatui, & Smalcaldiæ ſacra Lutherana relinquerentur, ac nullius conſcientiæ vis inferretur. Enimvero Georgius Landgravius, Boineburgium mandata exceſſiſſe arguens, tranſactionem firmare adſpernabatur, quod Superioris Haſſiæ Theologi cenſuiſſent, Caſſellanorum poſtulata ſalva conſcientia admitti non poſſe. Qui & Gieſſa literis ad Legatos Suecicos datis poſtulabant, ut oppidum, arx, Academia & præfectura Marpurgenſis penes Landgravium Georgium maneret, tum invariata Auguſtana Confeſſio, excluſis quibuſvis diverſis placitis non Marpurgi ſolum, & toto Superiore Haſſiæ principatu, ſed & Smalcaldiæ, ac in Comitatu Inferiore Cattorum retineretur, haut admiſſis doctoribus & ſacerdotibus, qui eidem non ſerio addicti ſint. Caſſellana cum Darmſtadienſis pactum abnueret, & ipſa teneri illo nolebat, ac cauſam ad communes tractatus reiiciebat. Suſpicio erat, Theologorum zelum à Darmſtadienſi obtentui ſumtum; revera ipſum verſa partium fortuna lautiores ſibi conditiones aucupatum. Qua de re cum Badenhauſius Caſſellanæ in Suecia Reſidens apud Reginam quereretur, hæc Legatis ſuis injungebat, ut conditionibus, quæ quondam cum Gallicis convenerant, plane inhærerent.

Tranſactio in cauſa Marpurgenſi à Darmſtadienſi improbatur.

1647.

30. Oct.

§. 176. Cæterum cum Cæſar incerta adhuc inter Gallos Hiſpanoſque pace, in horum gratiam Germanicam pacem extracturus crederetur; Bavarus contra acriter inſtabat, ut tractatio inſtauraretur; velut qui deſideriis ſuis, quæ hoc bello captaverat potitus, iſta per pacem in tuto collocare ardebat. Qui & in hujus duntaxat anni expeditionem ſuarum copiarum conjunctionem annuerat, ante cujus finem pacem concludi volebat. Demonſtrabat iſte Cæſari; ſocia Regna ſuis cum ipſo armis conjunctis graviter commota, nec æquo animo per tractatus pacis parta jam commoda ancipiti denuo aleæ ſubjicere velle; unde vero ſimile videri, iſtorum Legatis pacem cordi eſſe, antequam adverſæ partis ſucceſſibus leges pacis reddantur duriores. Proteſtantes quoque antehac florentibus Suecorum armis circa Gravamina contumaces, jam anxia pacis cupidine tractabiliores. Igitur poſtulabat cœptos antea inter Catholicos & Proteſtantes congreſſus ſuper Gravaminibus ocyus reſumi, ac idonea in eam rem mandata ad Legatos Cæſareos mitti. Tum ut horum unus cum præcipuis Catholicorum in pacem pronis Monaſterio Oſnabrugam ſe conferat, qui renovatos tractatus æqua ratione temperatos, ad finem perducat. Quod ſi quidam Catholicorum æquas pacis leges adſpernentur, ac tractationi ſe ingerere conentur, ut cœptæ contradictioni inſiſtant, Cæſari excluſis hiſce pro autoritate cum Regiis & Proteſtantibus pacem, qualis haberi poſſit, concludendam, ac per Imperium publicandam, libertate ſingulis Ordinibus relicta, pacem eam acceptare, an proprio ſumtu ac periculo bellum continuare velint. Addebatur, ſi pax quocunque modo in alteram æſtatem extrahatur, ſe bello continuando non ſufficere; eoque caſu diſpecturum, qua ratione ſe ſuoſque in tutum ſubducat. Peculiariter autem monebat, utriuſque Regni ſatisfactionem, & quæ inde pendeant, ad liquidum deducendam, ne per eam tractatibus remora injiciatur, ac ne momentum quidem temporis heic amittendum. Scribebat quoque Bavaricus Legatus Erneſtus ad Oxenſtiernam; uti Princeps ſuus antea circa Sueciæ ſatisfactionem expediendam ſategerit; ita & nunc apud Cæſarem inſtare ut illa ſalva permaneat, quicunque armorum eventus ſit futurus, modo Regina, ejuſque Le-

Bavarus Cæſarem ad pacem impellit.

8. Nov.

1647. Legati viciſſim ipſius commodis faveant. His motus Cæſar expreſſa mandata Commiſſariis ſuis Monaſterium mittit, omnem operam navarent, ut à Saxonicis propoſiti congreſſus inter utriusque religionis Ordines Oſnabrugæ inſtituerentur; cui ſimul Volmarus Oſnabrugam ſe conferre debeat compoſitioni Ordinum invigilaturus.

Volmarus Oſnabrugam ire jubetur.

§. 177. Interea Monaſterii circa adornandam pacem Gallicam ſummo ſtudio laboratum fuerat; quam ob cauſam etiam Volmari iter Oſnabrugam aliquot per dies dilatum. Nam Galli cum ſibi perſuaſiſſent, Succos ipſius Oſnabrugam adventu cum Cæſareis concluſuros, illum Monaſterio amittere nolebant, niſi rebus ſuis expeditis, quod in Naſſovio Comite par negotiorum tractandorum dexteritas non eſſet. Ac circa articulum de Aſſecuratione Galli demum huc deſcendebant, ut quæſtio, num Cæſari velut Archiduci Auſtriæ Hiſpanis, ſi pax cum hiſce non ſimul concluderetur, auxilium ferre licitum ſit futurum, certis Imperii Ordinibus, de quibus conveniendum ſit, decidenda committeretur. Tum & caput de ſatisfactione plane abſolvebatur, ademta facultate addendi, demendi ac mutandi. Id caput ſequenti die à Secretario legationis Gallicæ Joſepho Bulengero ſubſcriptum ea forma, uti poſt Inſtrumento pacis idem inſertum. Ubi obſervandum circa Vaſallos trium præſulatuum Gallicam formulam ſeu *projectum*, uti vocant, ita habuiſſe: *Primo quod ſupremum dominium, jura ſuperioritatis aliaque omnia in Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem, & Virodunenſem, urbesque cognominas, horumque Epiſcopatuum diſtrictus & diœceſes cum omnibus Ducum, Principum, Comitum, Baronum Nobiliumque feudis, jure item clientelari, cæteriſque rebus, quæ intra dictos fines ad Romanum Imperium hactenus ſpectabant, & nominatim Moyenvicum ad Coronam Galliæ eodem modo ſpectare, eique incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter, cura ullam vel juris vel rei cujuscunque exceptionem; Reſervato tamen jure metropolitano ad Archiepiſcopum Trevirenſem ſpectante.* Sed quia feudatarii iſti Galliæ ſubjici nolebant, quod nunc ſinguli eſſent immediati Status Imperii, in Gallia autem ſinguli ſtatus eſſe non poſſent, eoque ad conditionem ſubditorum redigendi forent, igitur de feudatariis iſtis expungebantur. Præſertim cum ſuper iſtis feudis tam Cæſarei quam Galli ad protocolla, & teſtimonia Mediatorum provocarent; quæ utraque pro Cæſareis ſtare inveniebantur, nunquam huſce animum fuiſſe vaſallos iſtos Gallica ſatisfactione comprehendere. Et ipſi Galli Suecis in antecelſum ſignificaverant, ſi poſtulata pervincere non poſſent, ſe ad extremum ſimpliciter inhæſuros illis, quæ jam ante annum convenerant.

Prius tamen Gallorum satisfactionem expedit.

§. 178. Veniebat tandem Oſnabrugam Volmarus, qui tamen, quod peculiari ad hanc tractationem facultate inſtructus non eſſet, Suecis ſcrupulum injiciebat. Equidem oſtendebant Cæſarei, ſuperiore anno eundem Oſnabrugæ fuiſſe, ac neminem tunc de plenipotentia mentionem injeciſſe: pari modo ipſum nunc venire, nec eadem opus habere. Reponebant Succi; Volmarum tunc à Trautmansdorfio ægrotante ablegatum huc veniſſe, ipſius ſententiam ſuper Succica ſatisfactione, & Gravaminibus Cæſareis hoic Legatis expoſituram. Unde neque de ſuo adventu velut Legatum ſibi denuntiaſſe, nec ſe ipſum ſeorſim ſalutaſſe; ſed cum Lambergii Secretarius de ejusdem adventu ſignificaret, ſe Cæſareos Legatos junctim in Lambergii ædibus inviſiſſe. Mox adpellente Trautmansdorfio Volmarum velut ipſius ſubdelegatum tractatibus interfuiſſe. Nunc ipſum tanquam Legatum venire proprio nomine: eoque peculiari procuratorio autoritatem ſibi adſtruere debere. Quanquam autem Cæſarei reponerent, eundem & nunc velut perſonam acceſſoriam adeſſe, directoris vicem obiturum: Succis tamen incongruum videbatur, in tanti rebus momenti directorem agere, & perſonam acceſſoriam vocari. De cujus autoritate tanto magis inquirendum erat, quod ſi vel maxime is principalem tractatum non ſubſcribat, multi tamen actus intermedii occurrant, quos ipſe ſimul cum reliquis Cæſareis Legatis expedire, ac per eos viam ad univerſi negotii concluſionem ſternere debeat; quæ autem facile eludi poſſint obtentui ſumto facultatis defectu. Igitur Lambergius id temperamentum proponebat, ut citra moram ad tractationem deſcenderetur; interim ſe ad Cæſarem ſcripturos, ac certum intra tempus Volmari procuratorium repræſentaturos. Quod temperamentum & Succi, etſi juſſi eſſent cum Volmaro niſi præmiſſa debita legitimatione tractatus haut ſuſcipere, ne mora negotio adferretur admittere.

1647. 9. Nov.

§. 179. Inde evocatos ad ſe Evangelicos Cæſarei monent, ne petita nimis intendant, inprimis circa capita nondum expedita; tum ut ipſi cum Catholicis congredi velint. Hunc enim tractandi modum quoſdam pacis cupidos promptiſſimum cenſere, ac Cæſarem Catholicis eundem propoſuiſſe, cui placeat, Ordines utriusque religionis negotia ſua inter ſe diſceptare; cui tractationi promovendæ ipſi mediatorum in vicem omnem diligentiam adhibituri ſint. Sed cum hac ratione Succi tractatione excludi viderentur, Evangelici habita deliberatione receptum antehac agendi modum utiliſſimum cenſebant; ut Cæſarei & Succi delatam initio à Catholicis & Evangelicis negotiationem, & ab ipſis cœptam, reaſſumerent. Unde Cæſareos rogabant, eandem operam in ſe ſuſcipiant, Catholicosque Monaſterii, ut non per Deputatos, ſed univerſi adeſſe velint, permoveant; interim ſi forte iſtorum adventus differatur, nihilo ſecius agendi initium faciant. Circa res tractandas placebat, ut quæ jam tanto labore expeditæ ſint, immotæ perſiſtant, controverſiisque adhuc decidendis opera detur; circa quas utraq; pars parcendo tempori citra reſervationem ullorum graduum extremam ſententiam ſtatim expromeret. Quod ſi præter ſpem Cæſareis & Succis ſuper quibusdam negotiis convenire non poſſit, ſe una cum Catholicis ſuper illis expediendis amice conſilia collaturos, ac quod repererint temperamentum Cæſareis & Succis expoſituros. Id quod Cæſarei, ac inprimis ut quæ ſuper gravaminibus tranſacta jam eſſent, immota manerent, diferre ſibi tunc placere oſtendebant, nec priorem agendi modum retineri adſpernabantur. Id cum Evangelici Succis ſignificarent, poſtulantes, ut tractatus more prius inſtituto promovere velint, Succi citra moram apud Cæſareos proponebant, ut inſtauratis tractatibus, qui per aliquot menſes nulla ſua culpa interquieverint, ſemel conventa rata maneant, novæ diſceptationi aut retractationi haut obnoxia: tum ut circa ea quæ reſtent, Cæſarei ſententiam ſuam penitius exponant, quod nunc ordo proponendi ipſos tangat. Se viciſſim ita acturos, ut Reginæ ſuæ proclivem in pacem animum, & quantopere finem negotio imponere cupiat, ipſis facile ſint adprobaturi. Cæſarei moræ culpam in Catholicos rejiciebant, quorum

Cæſarei absque Succis tractare volunt. 9. Nov.

Id quod Evangelicis displiceat.

Succorum ad Cæſareos propoſitio. 11. Nov.

1647. rum nonnulli circa tranſacta ſcrupulum moverint. Eos nondum adveniſſe, unde nec circa propoſita à Suecis mentem ſuam plane declarare poſſe. Prævidere ſe quidem univerſos ad acceptanda conventa compelli haut poſſe: ſperare tamen præcipuos, & plures conſenſuros: id quod ad concluſionem ipſis ſuffecturum ſit.

Moguntini Electio. 9. Nov.

§. 180. Adventum Catholicorum Oſnabrugam remorata erat mors Electoris Moguntini, cui inter Ordines directoris munus incumbit. In ejus locum ſuffectus eſt Joannes Philippus Schœnbornius, Herbipolenſis Epiſcopus, Evangelicis æque ac Catholicis dilectus atque æſtimatus, qui neque Cæſari neque Bavaro obnoxius, ſed patriæ amantiſſimus habebatur; unde iſto directore Ordines non ſolum, ſed & ipſi Galli magnopere lætabantur. Cæſarei hinc Suecis offerebant, ſe Inſtrumentum Pacis à capite usque ad Calcem expenſuros, ac conventa à controverſis diſcreturos: interim Catholicos Monaſterio adfuturos, quibuscum ipſi, uti Succi cum Evangelicis, conſilia collaturi ſint. Eum agendi modum Succi quidem improbare non poterant, niſi quod prævideret, hac ratione militum ſatisfactionem poſtremo loco occurſuram, quam tamen ſimul cum aliis expedire juſſi erant. Unde ſatius judicabant, Cæſareos integrum inſtrumentum componere, & quidem ut initio jam tranſacta, inde controverſa quantum poſſint conſignarentur. Ita totum opus uno intuitu conſpiciendum dabatur, ſimul ipſi, quid ſatisfaciendo militi offerendum ſit, intellecturi erant. Id quod Cæſareis haut diſplicebat. Inter quæ & Catholicorum præcipui, Bavarici, Wurtzburgenſes, Bambergenſes adpulerant; quos mox Colonienſes, ac Trevirenſes ſecuturi erant eo magis in pacem proni, quo plura quæ amitterent, habebant, cum cæteris tenues res nullo jacturæ metu pertinaciam accenderent, eminente cumprimis fervore Oſnabrugenſis Prælulis, Adami Adami, & Leuxeltringii, qui nomine quinquaginta Ordinum ſuffragium ferebant.

De modo agendi colloquium. 15. Nov.

Prima difficultas ſuper rebus jam tranſactis.

§. 181. Cæterum prima colliſio circa res jam tranſactas fore prævidebatur, quod Succi decreviſſent ſemel conventis utique ſtare. Id quod & Gallis probabatur, qui ſemel placita pro ſacrotanctis habenda judicabant. Inter Evangelicos Saxonicus Electoralis ſpem faciebat, ſe quoque conventis inhæſurum. Etſi Brandenburgici ſecreto monerent, in ipſius verbis parum fiduciæ collocandum. Qui & ſuper controvertis adhuc capitibus judicabat, eorum quædam per Commiſſiones expedienda, reliquis ad Comitia rejectis. Altenburgicus & Vinarienſis per miſericordiam Dei, & vulnera Chriſti Catholicos obtestabant, ut pacem admittere velint; immemores pacem facilius intentato gladio, quam mendicando extundi: cum hos iſta mollities animi non parum in Evangelicos obfirmaret. Langenbeckio diſplicebat, Luneburgicos traduci velut ad extrema vergentes; unde ſe haut tanto cum fervore uti hactenus locuturum aperte dicebat. Cui regerebatur; haut inſolitum eſſe, bene agere, & male audire; nec malevolorum criminationes, ſed Deum, conſcientiam & cauſæ bonitatem reſpiciendam. Maximam præ omnibus conſtantiam oſtendebat Lampadius, confirmans, à ſemel placitis nunquam ſe diſceſſurum; alias fidem publicam, & per triennium exhauſtos labores inanes fore, ſpe quoque inpoſterum quid obtinendi ſublata,

Evangelici Cæſareos

§. 182. Porro cum Cæſarei etiam poſt Volmari adventum moras nectere pergerent, univerſi Evangelici ipſos adeuntes magnopere inſtant, ut negotium ſuſcipiant, addito, ſi quis Catholicorum tractatus impedire velit, ſuo id periculo factu- 1647. ad tractandum impellunt. 22. Nov.
rum; Principes ſuos utique bello finem imponi velle. Cum Cæſarei excuſarent, à Colonienſe neminem adhuc adeſſe, ſed propediem Buſchmannum, quem Franciſcus Wilhelmus Epiſcopus ad Brandeburgicum miſerit, expectari: Evangelicis incongruum videbatur, ob iſtius Præſulis privatum negotium publica negligenda; cum præſertim iſti pacem magis remorari, quam promovere cordi ſit, ſubverſis jam conventis. Nec aculeatis verbis abſtinebatur, Thumbshirnio fremente, velut pueris pupas oſtentari, mox tolli. Oſnabrugenſem privato affectu agitari, ob quem toti Imperio male non debeat eſſe. Principes ſuos in gratiam eorum perire, qui quod amittant nil habeant. Succos tractandi cupidos per ſemeſtre jam eludi. Cui & alii adſtipulabantur; ac adjiciebat Lampadius: gereret Franciſcus Wilhelmus bellum ſuo periculo, ſi velit. Bavarum ad Principes ſuos ſcripſiſſe; Si qui ex Catholicis concludere nollent, id omitterent. Se una cum cæteris haut eo minus pacem abſoluturos.

Cæſarei Evangelicis mutationem conventorum ſuadent. 27. Nov.

§. 183. Aſt Cæſarei, ut Evangelicos paulatim ad immutanda ea, quæ cum Trautmansdorfio convenerant, permoverent, hiſce, cum Catholici libellum ſuum nondum ediditſent, ad ſe evocatis propoſuere: Nota ſibi, quæ inter Trautmansdorfium, & Succos tranſacta ſint. Fateri tamen, illa non ita formata, ut ad diuturnitatem valeant. Equidem Catholicos ſibi negotium id commiſiſſe ea tamen lege, ut ipſis ratihabitio reſervaretur. Unde ſecutum, ut iſti varia monerent; quos inauditos Cæſar repellere haut poſſit. Hanc ipſam ob cauſam Pacem Pragenſem ſtabilem non fuiſſe, quod multi adverſus eandem multa objectarent. Eandem ob rationem tam multas controverſias ex Auguſtana pace, & ex his bellum hocce ortum. Si Evangelici nunc omnia ad vivum reſecatum eant, iterum parem fructum metuendum. Duraturam pacem cupientibus conſenſu eorum opus eſſe, quorum intereſt. Simul præcipua capita recenſebant, de quibus Catholici querantur, petentes, ut quid circa iſta admittere poſſint, ſignificent. 28. Nov.
Aſt Evangelici conſultatione habita declarant; Inter Trautmansdorfium, & Suecos conventa retractari, aut novæ diſceptationi ſubjici non poſſe. Conſenſum Catholicorum, utut ab initio forte ex parte abfuerit, poſt plene acceſſiſſe, dum poſt expromtas contradictiones, tandem aſſenſere, ut dictus Comes in momento diſceſſus in conditiones jam conventas concluderet, modo ſuper paucis, quæ reſtabant, tranſigi poſſet. In eandem quoque ſententiam juſſa Cæſaris ad ipſos extare. Si ipſi à conventis diſcedere audeant, Suecos circa alia idem facturos. Quin Cæſareos hoc modo procuratorium ſuum in dubium revocaturos: ac Suecos fortaſſe tractare amplius cum ipſis abnuituros. Ita trium annorum operam gratis perituram.

Hiſpanici Legati Oſnabrugam adv. 13. Nov.

§. 184. Inter hæc Oſnabrugam adpellebat Antonius Brunus Hiſpanicus Legatus, inſolitus plane hoſpes. Is in univerſum quidem apud Succos reſtabatur; optare Regem Catholicum, ut pax inter ipſum & Gallos pariter cum Germanica concludatur; cui promovendæ ut Succi operam navare velint, petebat; optans ſimul, per communem pacem Regi ſuo occaſionem præberi arctioris amicitiæ cum Regina jungendæ. Sed præcipuum ipſi negotium erat familiaria Gallo-

cum

1647. fum cum Bavaricis & Catholicis commercia Suecis ſuſpecta reddere. Hiſpani quippe exempla relationum, quas Gallici Legati ab octo retro menſibus in aulam miſerant, ac receptorum inde mandatorum corrupto ſcriba nacti fuerant, quæ peculiari volumine compoſita Brunus Joanni Oxenſtiernæ ſeparato congreſſu offerebat. Ex quibus adparebat Gallorum cum Catholicis ac Bavaro cumprimis, quem tantum non fœderati inſtar coluerant, colluſio, & quam periculoſa conſilia adverſus Evangelicos in Germania, ipſamque Sueciam agitaſſent. Et quia Joannes Oxenſtierna apud tractatus, & pater ipſius Axelius Regni Cancellarius apud Reginam, Gallorum male temperatis deſtinatis ſemper ſe objecerant, capitale odium ipſos in hos concepiſſe; Gallicosque miniſtros nulli operæ pepercriſſe, ut Reginam in ſenioremi, totamque Oxenſtierniam Domum irritarent; quo fine & San-Romanus bis in Sueciam, etſi alio ſub prætextu, miſſus fuerat. Clandeſtinas iſtas artes ab ea, quæ publice oſtendebatur, facie tantopere abhorrentes Oxenſtierna ægerrime ferebat, ac parum aberat, quin aſperas in rixas adverſus Gallos erumperet. Victo tamen dolore volumen illud ad Reginam mittere ſatius viſum. Quanquam iſta non ita ſecreto agebantur, quin Evangelicis innoteſcerent; ex quibus cum fructum haufere Sueci, quod iſti longe arctius ipſis ſe adjungerent, & quæ receptu Wrangelii e Bohemia in ipſorum ditiones, inprimis Luneburgicam, moleſtiæ derivatæ erant, eo patientius tolerarent. Et ferebatur Lampadius dixiſſe triginta amplius equos è ſuo prædio à Suecis abreptos; ſed ſe totidem inſuper libenter præbiturum, modo equitatus Suecicus ita inſtruatur, ut denuo in Cæſareos etiam abſque Gallorum opera movere queat. Regina tamen, Gallis tunc plane addicta, iſtis parum commovebatur, ac quæ communicabantur ſuo pretio relinquebat; ac ferebat perſuaſum ſibi pleraque magis in ſpeciem confecta, quam quod ſolidi quid ſubeſſet. Servientus, cum Oxenſtierna initio unam & alteram ſpeciminis gratia oſtendiſſet, illas plane fictas arguebat; & plus fidei adhibendum aſſeverationi amicorum, quam fraudulentæ machinationi hoſtium. Poſt tamen, cum plane commentitias verosimile non eſſet, (prout & poſt Chitius Hugoni Lionnæo Romæ fatebatur, ſibi ea de re conſtitiſſe;) Galli eas literas à Bruno interpolatas ferebant, dextre hinc inde intertis, quæ de Gallorum invidia in Suecos, & odio in Oxenſtiernam Domum teſtabantur. Sane manifeſtum erat, eo fine iſtas exhibitas, ut diſſentione inter ſocios, Legatosque ipſos excitata Reginæ conſilia turbarentur. Ac licet veri quid ſubeſſet, animum tamen communicantis reſpiciendum, nec intempeſtiva offenſa efficiendum, ut iſte ſcopo ſuo potiatur, nec ſpem diſſidii eidem præbendam. Unde Regina Oxenſtiernam monebat; ſilentio iſta premeret, ac ne ea res apud eos, quorum ſocietate utendum erat, diffidentiæ quid excitaret, Hiſpanorum converſatione deinceps plane abſtineret, præſertim cum certum ſit, nil ſinceri affectus iſtos in Sueciam gerere. Ipſa quoque, ut nil ſiniſtræ ſuſpicionis in animo ſibi hærere teſtaretur, ſimul oſtentandæ fiduciæ, id volumen paulo poſt inſigni generoſitatis ſpecimine Gallico Reſidenti Petro Chanuto tradidit. Cancellarius cum judicaret, eam rem ulcifci ſe non poſſe, ut non diſpliceat Reginæ, & Sueciam Galliæ collidat, de illis literis non aliter quam re ſuppoſititia locutus eſt. Ac mirati ſunt poſtea Galli magnitudinem animi in illo viro, quod tam atrocem offenſam reipublicæ condonaſſet, & contra emolumentum ſuæ patriæ nihil Gallis infeſtum, ut hoſce ulciſceretur, tentaſſet aut ſuaſiſſet. Sed nec cum Chanuto expoſtulandum cenſebat Regina; qui ſi prave quid ſcripſerit, ſoli Regi ſuo ad reddendas rationes teneatur. 1647.

§. 185. Quæ militum ſatisfactioni ſumma nuper à Legatis Suecicis propoſita erat, etſi in ſe Reginæ haut enormis, nec illorum meritis, laboribusque ſuperior videbatur, præſertim cum Bavarus Cæſari unam expeditionem tredecim millionibus imputaſſet, tamen quod metus eſſet, ne Ordines longo bello exhauſti, ſi poſtulato pertinaciter inhæreret, per deſperationem infeſta Sueciæ fœdera agitarent, ſatius ducebat iſtam moderari. Eoque Legatis ſuis injungebat, gradatim de eadem ad quinque usque milliones, non tamen ultra remittere. Ea ſumma cum poſtulato militum Egræ facto multo minor eſſet, Oxenſtierna ad Wrangelium tunc Mindæ agentem profectus eſt, de hac re cum ipſo & primariis ducibus collocuturus. Quibus ea ſumma pro numero ducum militumque nimis exigua videbatur, eoque apud Wrangelium inſtabant, ut deſideria ac neceſſitates militum Reginæ de meliore nota commendarer. De ſatisfactione militum Reginæ ſententia.

§. 186. Dum Oxenſtierna Mindæ hæret, Catholici Olnabrugam pleno numero acceſſerant; qui Cæſareis monita ſua, quomodo & quibus locis Inſtrumentum pacis correctum cupiant, exhibebant. Inde Cæſarei ſuam declarationem in quinque priores articulos ad Suecos adferebant; de reliquis exculabant, ſibi cum Catholicis haut ita propere convenire potuiſſe. Interim ſuper quinque illis articulis Sueci ſecum colloquerentur; reliquos citra moram ſecuturos. Enimvero abnuebant Sueci in ullos tractatus deſcendere, antequam totum complexum articulorum Pacis perſpexiſſent; eoque ut reliquos maturarent, valde inſtabant. Id quod ea de cauſa factum, quod caput de militum ſatisfactione pariter cum cæteris expedire juſſi forent. Unde cum Cæſareorum Declarationem ad reliquos articulos præter illum de aſſecuratione & executione accepiſſent, teſtabantur, circa reliquos nihil ſe acturos, niſi & ſuper militum poſtulato mentem ſuam iſti declaraſſent. Quod demum ab iſtdem in hunc ſenſum fiebat: Quoniam pax ad liquidum deducta jam ſit, ac nil reſtet, niſi ut ſuper diſtributione hoſpitiorum, quousque militi ſatisfactum ſit, conveniatur; ſcopo autem pacis haut congruat, eam ob cauſam diutius in armis manere; placere ſtatim poſt concluſionem & ſubſcriptam pacem ſuper diſtributione ac ſtipendiorum perſolutione tam Cæſarei quam Suecici exercitus amice agi; citra præjudicium tamen, & retractationem Pacis, cujus executionem iſta ſuper militum hoſpitiis, & ſtipendiis futura conventio nullo modo irritam reddere aut differre queat, aut debeat. Ita poſtulato huic Cæſarei ſatisfeciſſe videri volebant; eademque die Evangelicis hanc declarationem exhibebant, quo culpam moræ jam à ſe in Suecos devolverent. Evangelici hinc conſultatione habita è Catholicorum ſcriptis facile colligebant, hiſce pacem parum cordi eſſe; velut qui inſtrumentum Pacis ita interpolaram, ut pleraque antehac bona fide tranſacta iterum ſubverterentur. Ipſi contra, etſi nonnullis ſat trepidis, majore ſuffragiorum parte concludebant, à conventis cum Trautmansdor- Cæſarei declarationem ſuam in Inſtrumentum Pacis edunt. 4. Dec. 7. Dec. 8. Dec. 16. Dec. Evangelicorum de hac ſententia. 17. Dec.

1647. 18. Dec. dorfio haut discedendum; idemque ut Sueci facerent, per Deputatos rogabant; quod spes esset, Catholicos, si ipsi immoti persistant, monitis suis haut ita pervicaciter inhæsuros. Simul petebant, ut Sueci tentarent, quousque nondum transacta componi possent, seque de omnibus actis certiores redderent. Utrumque Sueci annuebant, ac simul demonstrabant, tam multa passim interpolata, ut nova prope tractatione opus videatur.

Sueconum reservata circa futuram tractationem. 19. Dec.

§. 187. Sequenti mox die Cæsarei à Suecis postulabant, ut citra moram capita pacis cum ipsis discuterent. Sed hi quod Cæsareorum declaratio prolixior esset, unum atque alterum diem ad deliberandum sibi concedi haut iniquum ducebant, cum Cæsareorum declaratio in septimum mensem expectanda fuerit. Ita antecessum tamen stipulabantur, ut semel placita non amplius displicerent; utque super militum satisfactione junctim cum aliis articulis ageretur; quæ expedita communem Germaniæ quietem multum promotura sit; quod Sueci, statim atque de ea convenerit, ad Wrangelium scripturi sint, quo is mature de ratione militem absque motu exautorandi dispicere queat. Enimvero reponebant Cæsarei: Catholicorum correctiones non plane rejiciendas, cum & Evangelici varia postulata addiderint ad conditionem suam meliorem reddendam. Tum omnibus pacis formulis adjectam reperiri clausulam, ut addere, demere, mutare integrum sit utique ad conclusionem tractatus. Porro pauca esse alicujus momenti, quæ Catholici correcta cupiant, queis expediendis, si singula excutiantur, facilis via sit invenienda. Probata à se nonnulla, quod præterita hieme & vere unius tantum partis rationes audiverint. Nunc cum & altera pars sua monita expromat, defugere se non posse, quin istis componendis viam dispiciant. Sueci contra facile agnoscebant, Catholicorum monita non omnia magni esse ponderis, de quibus non valde laborandum sit. Quin ostendebant, fere *clausulis salvatoriis* constare, quæ superfluæ videantur, quod tertio articulo cuique jus suum reservetur. Nil nunc amplius quæri, quam momentaneam possessionem, salvis petitorio & ordinario possessorio, ac ut ad possessionem bonorum & jurium suorum iterum perveniant, qui per bellum iis dimoti sint. Si præsenti possessori, qui per leges pacis priori cedere debeat, actio competat, eam facta pace salvam ipsi fore. De cætero Evangelicorum non paucos, quorum interest, domum abiisse, quod desideriis suis fere potiti sint, ac credant cum Cæsareis mature expensa, & concluta immota fore. Illos nunc ad ordiendos velut novos tractatus huc denuo evocare absurdum esse. Et cur Catholici non tunc, cum istæ res disceptarentur, monita sua expromserint? Quæ ignotæ illis nec fuerint, nec esse potuerint. Quanquam, si quæ jure prætendere queant, per dictam clausulam ipsis salva sint. Circa militum postulata Cæsarei ostendebant, haut eam sibi mentem esse, ut illa ab hoc tractatu in alium rejiciantur; modo ne nunc rebus adhuc crudis ea materia disceptetur multis cum difficultatibus conjuncta. Universos Ordines tam Evangelicos quam Catholicos à Suecis heic dissentire, qui pertendant, isthoc tempore ejusmodi satisfactionem se annuere nec posse, nec velle. Ignominiosum id Germaniæ; ac si quæ promittantur, per miserias temporum præstari non posse. Circa illam antequam mentem suam exponant, de pace prius certos esse cupere: quam immotam velint, etsi de illa nondum convenerit.

Circa quæ Cæsarei negiversantur.

§. 188. Sueci cum quo ista spectarent, facile intelligerent, ac tractatis cæteris militem vel citra præmia repellendum, vel cuique bellantium, ut suis mercenariis satisfaciat, relinquendum; ægre ad tractationem istam accedebant. Ac satis perspiciebant, antequam exercitus Suecicus bellum in terras hostium revolveret, hanc rem fervide agi non posse; quam tamen ut cum reliquis expedirent, Regina serio injunxerat. Sed acriter urgebant Evangelici, invitantibus quoque Cæsareis, ut Sueci tractationem subtertugere non pollent. Unde sex congressibus totum Pacis Instrumentum excussum, modico cum fructu, ac ut fere longius à pace discederetur. Exordio Cæsarei titulum *semper Augusti* inseri cupiebant, adstipulantibus Ordinibus. Id quod Suecos parum tangebat, nisi quod ostenderent, prioribus formulis id verbi omissum. Ne tamen tempus ea lite tereretur, pollicebantur, se aliorum Regiorum Legatorum exemplum secuturos. Circa primum articulum nihil movebatur. In secundo Cæsarei posuerant, *ab initio horum motuum*; Sueci malebant, *à primo horum motuum initio*: mox tamen omisere. Cæsarei verbis *tam ante bellum, quam in bello* subjunxerant, *sive ab hostibus in hostes, sive ab amicis ad amicos*, mox ut ea inducerentur passi sunt. In tertio articulo Sueci fœderum cum utroque Regno hoc modo mentionem fecerant, *occasione Bohemiæ, Germaniaque motuum, vel fœderum cum Suecia, Galliave.* Id quod initio Cæsarei admittebant; sed vicissim suis sociis in posterum caveri volebant; puta ne Palatinus pace facta Hispanos super damno dato compellare possit. Unde inseri volebant, *aliorumque hinc inde contractorum.* Mox tamen & hoc omisso, volebant vocabula, *cum Suecia, Gallia, aliorumque* plane dispungi, ac sententiam ita formari, *fœderum hinc inde contractorum*, quo utriusque partis sociis pariter caveretur. Quod & Suecis æquum videbatur, ut damna utrinque data aut accepta æterna oblivione sepelirentur. Cæsarei quoque communem clausulam salvatoriam, qua cuique post factam restitutionem suum jus reservabatur, clarioribus, & pluribus verbis expressérant; quod Sueci cum Evangelicis communicandum censebant. In articuli quarti principio Cæsarei transitionem, *ut autem specialius constet*, ferre nolebant, velut superfluam. Qua de re contendere cum Suecis haut operæ pretium videretur, permittere, ut Volmarus ista verba formaret, prout nunc Instrumento Pacis inserta sunt.

1647. Instrumentum Pacis excuditur.

Restitutio Electoris Palatini.

§. 189. Circa restitutionem Electoris Palatini Neoburgicus postulabat, sibi & aliis innocentibus è Palatina familia jus suum reservandum esse; contra clausulam de feudis Juliacensibus vel omittendam, vel mutandam. Quem Cæsarei repellebant obtendentes, quia Bavarus nolit, se nihil heic posse. Ast Sueci reponebant; non considerandum, quid Bavarus velit, sed quid justum & æquum sit. Ita prior clausula certo modo, altera ad petitum Neoburgici mutata Instrumento Pacis inserta est. Ludovicus Philippus Friderici Palatini frater, antequam annum decimum octavum attingeret, ditione sua exutus fuerat. Eum non solum Ferdinandus II. conventu Ratisponensi Anno vicesimo tertio innocentem declaraverat; sed & complures Reges, Ordinesque, ac inprimis Collegium Electorale Mulhusiæ Anno vicesimo septimo pro eo interceſſerant. Ita ejus restitutio nihil difficultatis habebat. Palatino Bipontino Moguntinus quartam partem vectigalis Viltzbacen-

Palatini Simmerenſis.

Bipontini.

1647. censis velut à Cæsare sibi donatam interceperat. Trevirensis quoque tanquam Spirensis Episcopus Hornbacum Cœnobium ex edicto Anni vicesimi noni vi armisque invaserat, haut obstante protestatione & appellatione. Quanquam autem Palatinus Joannes possessionem ejus Cœnobii adversus Spirensem tueretur, hic tamen Anno quadragesimo secundo apud Cæsarem obtinuerat, ut Moguntino injungeretur, Joannis filium Fridericum ejus Cœnobii possessione ejicere, immissis Spirensibus. Hæc ergo ut restituerentur, Cæsarei facile annuebant. Tantum Evangelici monebant; Bipontinum possessione vectigalis exciditle, Cœnobii non item. Cum igitur vocabulum *acceptæ*, à Cæsareis adhibitum cœnobio non quadraret, postulabant addi, & *respective retineat*, quod & factum. Leopoldus Ludovicus Palatinus Lauterec-censis, ejusque majores, velut Comites Veldentiæ publicum Religionis exercitium nemine contradicente ibi obtinuerant: donec Anno vicesimo octavo Trevirensis obtentu mandati Cæsarei, & juris gladii templa ejus Comitatus vi occupaverat. Sed cum Trevirensis intelligeret, cum jure gladii jus reformandi haut esse conjunctum, nuper ad eludendos tractatus priorem titulum in jus territoriale mutaverat, ac præter sacra etiam tributa invadere, statumq; Politicum turbare armata manu instituerat. Circa hujus ac Bipontini restitutionem Catholici clausulam salvatoriam annectere parabant, qua Moguntino, Trevirensi & Spirensi sua jura reservarentur. Id quod Sueci ferre nolebant, præsertim cum ab illis Principibus missi, quod conventis standum esse crederent, jam domum abiissent. Unde Cæsarei cum communem clausulam salvatoriam ad Articulum tertium refinxissent, has & similes clausulas salvatorias expuncturos se recipiebant.

Lauterec-censis.

Sultzba-censis.

§. 190. Circa Sultzbacensem Palatinum Sueci primo inter Grávamina hæc postulaverant, quæ post in caput de Amnestia referebantur: *Palatinus Solisbacensis una cum ditionibus & subditis suis hereditariis, in Ecclesiasticis & Politicis restituatur in eum statum, in quo ante destitutionem Dn. Parens ejusdem integerrime stetit, attentatis ab eo tempore sublatis & cessantibus. Retineat tamen Patruus ejus Palatinus Neoburgicus de cetero jura sua in ditionibus istis præcipua, quatenus ea ipsi competunt, sed usus eorum terminos, pactis & institutis prædecessorum & fundatoris circumscriptos, non excedat. Solisbacensi autem actiones, excessuum vel alio quovis nomine in eundem competentes, integra maneant, & amicabili tractatu componantur.* Ista pleraque Cæsarei probarant, nisi quod pro vocabulo *integerrime stetit*, reponerent, *fuit*; & ultimam clausulam, *sed usus eorum* usque ad finem dispungerent. Mox eadem plane inducebant. Catholicos in suis correctionibus Sultzbacensi usum sacrorum intra arcem duntaxat ipsi, aulicis, consiliariis, & ministris, concedere; nec Neoburgicum plus indulgere velle. In ea domo Majoratum receptum, ex quo jus territorii penes Neoburgicum sit, cui imperium in ditionem & subditos conjungatur. Sultzbacensem immediate à Cæsare dependere duntaxat circa personalia, puta, ut in Comitiis locum & suffragium habeat, ac consiliariis & aulicis suis imperet. Sed circa subditos ac portionem ditionis ob jurisdictionem territorialem Majorem familiæ superiorem agnoscendum, cui & jus circa sacra competat. Enimvero Sueci jura Neoburgici, ac exceptiones Sultzbacensis suo loco relinquebant, ac id duntaxat urgebant, ut hic in statum Anni vicesimi quarti reponeretur. Si jus ipsius tunc controversum fuerit, tale mansurum; ac Neoburgico actionem suam salvam fore, modo communis Amnestia, & inde promanans restitutio effectum sortiatur. Haut sufficere dixisse, Neoburgicum nolle; si causa æqua sit, eam utique admittendam. Sed Cæsarei longius progredi nolebant, ac caput istud seponi suadebant. Unde Sueci, cum res haut exigui momenti esset, quæ semel concluta nunc retractetur, cum iis quorum interest, & aliis Evangelicis communicaturos se declarabant.

1647.

§. 191. Marchiones Culmbacenses & Onolzbacenses apud Suecos institerant, ut sibi tertia, & decima sexta pars oppidi, arcis, & præfecturæ Kitzinganæ cum aliis præcipuis in ea juribus, totumque ibi Cœnobium, arx præterea Wiltzburgum, & jura presbyterialia in Comitatum Schvvartzenbergicum, & dynastiam Hohan-Landsbergam restituerentur; cui prætensionem septuagies mille florenorum in Austriæ Inferioris Ordines addiderant. Ex hisce postremum velut huc plane non spectans rejectum. Controversia super Kitzinga cum Bambergensi & Herbipolensi ad amicam transactionem, aut compendiosum processum intra certum tempus terminandum remissa. Wilzburgi, & jurium Presbyterialium restitutio à Cæsareis annuebatur. Mox tamen, Catholicis intercedentibus, de juribus illis retractabant; cautàti, ea jura ad Bambergensem & Herbipolensem spectare, & Marchionum postulata repugnare iis, quæ circa gravamina convenerant. Et quæ antea heic polliciti sint, ex manifestissimo errore promanasse. Ita Sueci permittebant, ut Marchionum Legati super hac re cum Cæsareis agerent.

Marchionum Culmbacensium.

§. 192. De Wurtenbergici restitutione jam antea cuncta transacta erant. Sed nunc Catholici postulabant, ut Monachi, qui in nominatis Cœnobiis adessent, aut eo destinati forent, pro se & successoribus eorundem possessionem retinerent. Circa Oberkircham quoque Argentoratensi, & circa alia quædam bona Ecclesiastica Spirensi præsulatui sua jura reservabant. Contra Sueci regerebant, isthoc caput ad unguem excussum, ac multis post congressibus probatum. Si hæc postulare pertendant, facile perspici posse, ipsos diverticula quærere negotio extrahendo; cum satis norint, per diserta Reginæ mandata Ducem à se non posse destitui. Igitur sperare se, Cæsareos magis justitiam causæ, & sua promissa, quam paucorum Monachorum preces respecturos. Adversus quæ Cæsarei parum quod reponerent habebant, nisi quod adderent; melius facturum Ducem Cœnobiis in suo statu relictis: nam ejusmodi bonis in profanos usus versis favorem Numinis vix sperandum. Id quod Sueci in arbitrio Ducis relinquebant. De cætero Cæsarei super Trevirensis pervicacia querebantur, qui jactaret, Oberkirchæ locum, ubi Cœnobium extructum sit, Spiram vocari, ac Maulbrunnense Cœnobium domum in urbe Spira habere: unde colligebant, utrumque ad Spirensem Præsulatum pertinere. Demonstratum ipsi esse, Spirensis Præsulatus jura, si valida sint, per communem clausulam salvatoriam tertio Articulo adjectam servari; sed quæ ab isto rejecta sint. Fiduciam ab eodem in Gallis reponi, qui sua formula ipsi jura sua in Ducatu Wurtenbergico reservarint. Unde Cæsarei, cum negarent se Trevirensem ut cederet persuaderi posse, proponebant, ut Wurtenbergicus opposita clausula salvatoria sibi consuleret. Sueci contra,

Wurtenbergici.

1647. rem tamdiu excuſſam, & toties probatam ingerebant; nec Cæſareos promiſſa ſua inſuper habituros: de Cæſareorum tamen temperamento ad Wurtenbergicos Legatos ſe relaturos. Mombelgardenſi Principi id monenti à Suecis immedietas ſub Imperio Romano diſertis verbis reſervabatur; quod & Cæſareis placebat. Controverſia Badenſis ne tunc quidem ad liquidum deducta; niſi quod Volmarus referret, Marchionis Friderici Legatum repudiatas menſe Julio conditiones admiſiurum. Ea ſi mens adhuc ſtet, ſe Wilhelmo Marchioni perſuaſuros, ut & ipſe iiſdem adquieſcat. De quo Succi ad eos, quorum intererat, & alios Ordines ſe relaturos recipiebant. Movebant inde Suoci ut Carnovienſis Ducatus Brandeburgico redderetur, conceſſo ſimul Auguſtanæ Confeſſionis uſu. Id quod Cæſarei ad Articulum de Provinciis hæreditariis rejiciebant. Pro Duce Croiæ Succi à Cæſareis obtinuerant, ut dynaſtia Vinſtinga immediatum Imperii feudum declararetur, ac Dux ejus nomine in prima inſtantia non niſi apud Auſtregas, aut ſuprema Imperii tribunalia pro re nata conveniretur. Sed contradicebat Lotharingus, qui feudum id ſuum aſſerebat; cui & Cæſarei retractato priore conſenſu adſtipulabantur. Contra Crojanus demonſtrabat, eam dynaſtiam vetuſtis illis quaternionibus ſub Mareſchallorum titulo contineri, majoreſque ſuos, matrem, ſeque ipſum in Spirenſi Camera conventos: quin poſtremis literis inveſtituræ, queis complura feuda in Lotharingia ſita ipſi confirmata ſint, Vinſtingæ mentionem factam, eam tamen inter Lotharingica feuda haut numeratam. Sed Cæſarei contendebant; Vinſtingam ex Amneſtiæ lege reſtituendam: num autem ea immediatum Imperii feudum ſit, nec ne, aliam quæſtionem eſſe. Si quæ jura Duci competant, per clauſulam ſalvatoriam Articulo tertio additam, integra manere. Ita & hæc res ad Ordines rejicienda erat.

Mombelgardenſis. Durlacenſi. Carnoviæ. Ducis Croiæ.

Naſſovio eum Siegenenſibus.

§. 193. In Naſſovica Domo lis primo oriebatur ſuper præcedentia inter Saræpontanam, & Siegenenſem lineam. Ac initio Succi, & horum exemplo Cæſarei Saræpontanos in formulis ſuis præpoſuerant, haut contradicente Joanne Naſſovio Legato Cæſareo, quod Saræpontanum negotium longe majoris momenti, quam Siegenente eſſet. Sed mox in ejuſdem gratiam, cum mentem mutaſſet, Cæſarei Saræpontanum in poſteriorem locum remittebant. Cujus Legatus prolixum ſcriptum ea ſuper re exhibebat, ac in eventum proteſtationem interponebat; de qua & petenti à Cæſareis & Suecis teſtimonium datum. Nec eo ſecius Siegenenſes priore loco potiebantur. Cæterum Siegenenſe negotium ita habebat. Mauritius Comes ſummus equitum apud Hollandos Præfectus, fratresque minores natu adverſus teſtamentum patris à majore natu fratre Joanne Hiſpanicam militiam profeſſo portione ſua in Comitatu Siegenenſi per decretum Cæſareum Anno viceſimo tertio emiſſum ope Hiſpanicorum armorum excluſi erant; eaque carere cogebantur, quoad Suecica arma invaleſcerent. Tunc poſſeſſionem quidem arripuerant, ſed poſt Norlingente prælium à fratre denuo ejecti erant. Hic anno triceſimo octavo decedens filium reliquerat impuberem Franciſcum Joannem ſub matris tutela; quæ in ſecuritatem ſui ac filii à Cæſare Mandatum protectorium ſuper dicto Comitatu obtinuit. Quo non obſtante Mauritius Comes initio anni quadrageſimi quarti poſſeſſionem denuo armata manu arripuit, ut tamen nepoti ex fratre relinqueret, quæ ex teſtamento & communi jure ipſi competebant; niſi quod arcem Siegenæ imminentem, quæ ad nepotem ſpectabat, præſidio firmaret inſuper habitis Cæſareis mandatis. Hanc cauſam cum ad tractatus pacis referrent Comites, ita res componebatur, ut amicæ tranſactioni, aut viæ juris locus relinqueretur; interim Mauritius & fratres in apprehenſa poſſeſſione quiete relinquerentur. Cæſarei Catholicorum monitu ea verba inſeruerant, *pro ſuis quotis duntaxat*; quorum vi Comitibus iſtis dicta arce cedendum eſſet. 1647.

§. 194. Naſſovius Saræpontanus ab Advocato fiſci Cæſarei læſæ Majeſtatis accuſatus, ac fortunis omnibus ſpoliatus fuerat. In Sarvverdam Comitarum Dux Lotharingiæ actionem moverat; cui tamen per ſententiam Cameræ Spirenſis Anno viceſimo nono tria duntaxat feuda Metenſia ſub eo Comitatu comprehenſa velut maſculina fuerant adjudicata: etſi ab iſthac Comes reviſionem poſtulabat. Aſt Dux ſententiam non ſolum pro lubitu exſecutioni ipſe dederat, ſed & totum Comitatum Sarvverdenſem, ac præfecturam Herbitzheimum inſuper invaſerat, ſpretis mandatis Cameræ Spirenſis; queis iſta Comiti reſtituere jubebatur. Comitatus Saræpontanus cum caſtro Homburgo Cæſareo milite primo inſidebatur, regimine penes Comitem manente; poſt Lotharingo tradebatur, (excepta præfectura Otvveilera, viduæ Comitis V Vilhelmi Ludovici dotalitia;) qui non ſolum Saræpontem, & Homburgum præſidio firmabat, ſed & regimen ſibi vindicabat. Lahra & Mahlberga in Briſgovia ſita Bambergio tribuno à Cæſare in ſolutum datæ fuerant. V Viſbadam donante Cæſare Moguntinus invaſerat, mutatione etiam ſacrorum ſuſcepta. Quoſdam pagos non procul V Vormatia Comiti cum V Vormatienſi Præſule communes hic ſolus ſibi excluſo Comite vindicaverat. Dynaſtias Stauſam & Kircheimum Præpoſitus Moguntinus Cæſaris permiſſu occupaverat. Comitatum Izſteinum Cæſareus Sequeſter inſidebat. Sed & reliqua Comitis bona in diverſos à Cæſare collata erant. In hæc omnia ut Comes reſtitueretur Cæſarei antea Oſnabrugæ facile conſenſerant, ut tamen Lotharingo jura & actiones ſuæ ſalvæ eſſent. Monaſterii Comitibus Leiningenſibus jus in Comitatum Sarvverdenſem reſervabatur. Sed jam, quæ de violenta Lotharingi invaſione expreſſa erant, delenda videbantur. Id quod & Succi admittebant, modo re ipſa Comes potiretur; quod & Comitis Legatus probabat. Sed & damni nomine à Duce Comes dynaſtiam Bitſcham, & præfecturas Saralbam, & Sargemundam obtendebat, aut ducenta uncialium millia, aut ad extremum, ut Dux omni prætenſioni in Saræpontanam Domum plane renuntiaret. Denique reviſionem ſententiæ à Camera latæ ſibi integram fore. Contra Cæſarei judicabant; quæ damni nomine à Duce prætenderet Comes, ea per Amneſtiam plane abolenda eſſe. Sed & circa hanc reſtitutionem Galli ſe opponebant ob tria iſta feuda Metenſia, & alia, quæ forte Regi ſuo competerent. De quo Saræpontanus querebatur, obtendens anno triceſimo tertio totum Comitatum Sarvverdenſem cum tribus illis feudis à Suecis conſenſu Regis Galliæ ſibi reſtitutum; quem biennio poſt Cæſarei ſibi ereptum in Lotharingum contulerint. Unde plenam ſibi reſtitutionem ex lege Amneſtiæ faciendam. Nunc quoque imperantem Galliæ Regem nupero vere per literas Legatis ſuis Comitis prætenſiones commendaſſe, ac nominatim de reſtituendo Comitatu Sar- Saræpontani.

1647. Sarvverda citra exceptionem iſtorum feudorum. Nec Regi Ducis intuitu jus ullum competere, quod hujus prætenſio per quæſitam reviſionem ſuſpenſa, aut ob violentam & illegitimam exſecutionem extincta ſit. Sed per Metenſem Epiſcopatum; qui Regi per hos tractatus cederet, huic in ea dominium directum eſſe, utile tamen Comiti relinquendum; qui feudum debito modo, prout conveniendum ſit, à Rege ſuſcipere velit, ſalva tamen ſua ab Imperio immedietate.

Hanovienſis. §. 195. Ut Hanovica Domus in præfecturas Bobenhauſam, Biſchoffsheimum & Wilſtadum reponeretur, Cæſareis antea placuerat. Sed Catholici reſtitutionem jam factam obtendebant, eoque iſta verba nunc diſpungenda. Aſt quia Comitum ablegatus de illa ſe ignorare profitebatur, Suecis ea retineri viſum: id quod & Cæſarei admittebant.

Solmenſium & Iſenburgicorum. §. 196. Solmenſis Comes Philippus Reinhardus Suecicis ſtipendiis immorauus fuerat, cujus bona anno triceſimo ſeptimo Georgio Landgravio à Cæſare donata fuerant: qui cum iſtius filius poſtea tranſactionem iniverat. Wolfgangus Henricus Iſenburgicus Comes Cæſareis magis adhuc inviſus non Suecorum ſolum militiam, ſed & Unionis, Chriſtiani Brunſvvicenſis Ducis ſecutus, ubi cum captus obtenta venia in grandem pecuniæ ſummam condemnatus fuerat Georgio Darmſtadienſi exſolvendam; qui in aliquot Iſenburgica oppida, vicoſque velut judiciale pignus inmittebatur. Poſt Norlinganum prælium Darmſtadienſis, toto Comitatu à Cæſare obtento, univerſam Comitum familiam ejecerat, cui poſt neceſſitas adferebatur cum Darmſtadienſi utcunque tranſigendi. Hæc pacta, quibus vis & metus cauſam dederat, Comites pace tolli cupiebant, ac ut in priorem ſtatum reponerentur, renitentibus Saxonicis & Darmſtadienſibus, qui & Cæſarcos permovebant, ut initio utrique Domui ſolum beneficium reſtitutionis in integrum à Cæſare petendum reſervabant. Poſt tamen Solmenſi reſtitutionem ereptorum bonorum, haut obſtante cum Darmſtadienſi tranſactione, annuebant; niſi quod vocabulis *bona ſibi ademta* inſererent *per confiſcationem*. Sed Iſenburgicos ad communem Amneſtiam rejiciebant, circa quam illorum diſerta mentio eſſet facienda: Catholici contra ſuis correctionibus utrumque abnuebant, ac dictas tranſactiones ratas eſſe volebant; addita circa Solmenſem ratione, quod illa mediante Henrico Ludovico Naſſovio facta, à Solmenſi jurejurando ſancita, à Cæſare confirmata, ac Comiti emolumento magis quam damno ſit; Iſenburgicam autem Collegii Electoralis autoritate confectam.

Rheingraviorum. §. 197. Rheingraviis Cæſarei præfecturas Troneccam, & Wildenburgum cum dynaſtia Morchinga, & aliis juribus per vicinos hactenus uſurpatis annuerant. Sed cum Galli ob prætenſionem Lotharingi in Morchingam eum paragraphum omitti poſtularent, Catholici ſuis ſententiis idem cupiebant; præſertim cum reſtitutio in illa bona, in quæ Lotharingo nihil prætenſionis, jam decreta eſſet. Horum ſententiam Cæſarei ſecuti erant, ni Sueci ſemel placita conſtanter tuiti eſſent, quod Comites iſti poſt ſtrenue navatam operam Suecorum militiæ vitam impendiſſent.

Witgenſteinii. §. 198. Witgenſteinius Comes pro ſe ac ſua Domo querelas ſuas de Trevirenſi Electore, ac Vidua Comitis Erneſti, ejusque filiabus ad Legatos detulerat, ab his quidem oppidum & præfecturam Hachenburgum cum vico Bondorfo, ab illo dimidiam partem dynaſtiæ Vallendari, caſtrique & præfecturæ Freusbergæ repetens. Et quia Regina Comitis petente Legatis ſuis eam rem diligenter commendarat, Oſnabrugæ ejus poſtulata Cæſarei ex voto annuebant; de qua & in formula pacis Monaſterii impreſſa nihil mutarant, niſi quod poſtea aliis quorum intereſſet jura ſua reſervaſſent. Aſt Catholici conceſſa iſta iterum ſubvertebant, quod contenderent, à Vidua Comitis Erneſti poſſeſſa hautquidquam feuda maſculina eſſe; eamque poſt mariti obitum in Hachenburgi & Bondorfi poſſeſſione fuiſſe, in qua uſque ad deciſionem cauſæ relinquenda ſit. Super Vallandaro autem inter Trevirenſem & Comitem litem pendere, eoque hanc rem ad Amneſtiam non pertinere. Unde Trevirenſes & Catholici iſtud vel omitti, vel ad amicam compoſitionem, aut promptam deciſionem commendari poſtulabant. 1647.

Falckenſteinii. §. 199. Comitatum Falckenſteinenſem Wilhelmus Ulricus à Thaun, ac Suecici Comites à Rasburg, Lœvvenhauptii dicti vindicabant, quem Lotharingiæ Dux Comitibus à Manderſcheid, maternam ſtirpem ad Falckenſteinios referentibus, anno quadrageſimo ſexto addixerat. Id quod & circa præfecturam Breizenheimum in Colonienſi diœceſi ſitam anno triceſimo quinto factum erat. Abs qua ſententia tamen Thaunius provocaverat. Reipolzkircha autem citra controverſiam fideicommiſſum erat, quæ poſt Emici Comitis Falckenſteinii obitum, ad ſororis ſuæ filiam Lœvvenhauptiorum matrem devoluta erat. Sed quia Thaunius utrumque ſibi arrogaverat, ac ea res in judicium deducta erat, prioribus formulis eadem ad ſententiam judicialem remittebatur; & hanc ob cauſam hic paragraphus Catholicis expungendus videbatur. Sueciis tamen, quod neuter ſupradictorum, ſed Lotharingiæ Dux Comitatum illum poſſideret, de reſtitutione diſertam facere mentionem placebat; etſi de cætero nihil certi ſtatui poſſet, ſed judicii eventus expectandus eſſet; ut tamen hac idonea clauſula Comitibus Rasburgenſibus jus ſuum reſervaretur.

Waldecenſis. §. 200. Waldeccæ Comites, poſtquam per præfecturam Didingshuſam, alioſque vicos abrogatis Catholicis ritibus Evangelicos repoſuiſſent, quietam poſſeſſionem horum rituum tenuerant, donec Elector Colonienſis anno viceſimo octavo templa ibi, armata manu occuparet, Catholicoſque ſacerdotes conſtitueret, Evangelicis Arnſpergam in carcerem abreptis, qui haut prius dimittebantur, quam munere ſuo ejurato. Subditos quoque tamdiu carceribus, mulctis, ac militaribus exactionibus idem oppreſſerat, quoad ad mutanda ſacra, & exuendum Comitis obſequium eos compelleret, inſuper habitis Cameræ Spirenſis mandatis. Excipiebat Colonienſis, jus ſuprematus ſibi competere; quod tamen jam ab anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo nono litigioſum fuerat. Et quanquam Colonienſis durante lite aliquot jura in dicta dynaſtia invaſerat; Comites tamen reliqua regalia, ac nominatim jus Eccleſiaſticum ſibi hactenus retinuerant, prioribus Electoribus eventum judicii expectantibus. Igitur Comes petebat, ut abolitis per violentiam actis omnia in priſtinum ſtatum reponerentur. Iniquius adhuc cum Pirmondenſi Comitatu Colonienſis Paderbornæ idem præſul egerat. Eum Waldeccenſes ex teſtamento ultimi Comitis Glei-

1647. chæ anno viceſimo quinto nacti quiete poſſederant; donec Colonienſis anno viceſimo nono vi eundem occuparet, abrogatis ſacris Evangelicis. Obtentui ſumebatur, feudum Paderbornicum eum eſſe; cum tamen conſeſtim oſtendi poſſet, pleraque hæreditate, aut emtione parta, aut ab aliis Electoribus & Principibus in feudum recognoſci, ac de cætero rem ab anno ſuperioris ſeculi octogeſimo quarto indeciſam in foro hæſiſſe. Nec quidquam proficiebant à Cæſare emiſſa ſeveriſſima mandata, quo minus poſt decem menſium obſidium Pirmonda arx expugnaretur. Et quanquam Comes vi edicti Cæſarei anno triceſimo tertio poſſeſſionem recuperarat, tamen poſtea Capitulum Paderbornenſe eundem iterum expulerat. Unde Comes petebat, ut Colonienſis velut Paderbornæ Epiſcopus pacis lege ad reſtitutionem Comitatus ac arcis adſtringeretur, via juris ipſi reſervata. Ex hiſce Waldeccæ Comitis poſtulatis prius Oſnabrugæ à Cæſareis concedebatur, altero rejecto; quod & poſt Monaſterii indulgebatur, ut Waldeccenſis in poſſeſſione Comitatus maneret, quoad cauſa judiciali ſententia decideretur. Sed in correctionibus poſtea Catholici priori addi volebant, eam reſtitutionem intelligendam ſalvo proceſſu in Camera pendente ſuper iiſdis ditionibus velut feudis Colonienſibus. Alterum in inſtrumento ferre Colonienſis nolebat, cauſæ cognitionem judiciis ſubmiſſurus. Cum autem Cæſarei communem clauſulam ſalvatoriam articulo tertio annexam remiſiſſent, de Pirmonda quoque, modo Waldeccenſis in poſſeſſione maneret, addere ſuperfluum viſum, eaque res ad ordinarium forum rejecta.

Oetingani. §. 201. Oetingani Comites Evangelicis ſacris addicti tam circa jus territoriale, quam ſacra ab Epiſcopo Auguſtano, ac Ordinis Teutonici Equitibus multas injurias toleraverant, ipſo templo arcis Oetinganæ ad ritus Catholicos pertracto. Iſta cum ab anno viceſimo octavo tentata conſtaret, haut obſtante Cæſareorum oppoſitione, qui ſaltem clauſulam ſalvatoriam, *ſalvo jure tertii*, adſuere cupiebant, Sueci pervicerunt, ut Comes Joachimus Erneſtus citra exceptionem, uti pater ipſius anno viceſimo ſeptimo in poſſeſſione vel quaſi fuerat, circa ſacra & civilia reſtitueretur.

Hohenloici. §. 202. Dynaſtia Weickersheimum & Cœnobium Schiftersheimum, ad Comites Hohenloicos ſpectans, Ordini Teutonico tradita erant; quæ hic jure retentionis tamdiu poſſidere cupiebat, quoad æs alienum, à Comitum majoribus contractum, foret diſſolutum: præſertim cum per edictum circa tollendum effectum ſuſpenſivum Amneſtiæ ejuſmodi exceptiones executioni opponi poſſent. Eniuvero iniquum videbatur, poſſeſſores bonorum alienorum hæc ex alia & nova plane cauſa retinere; & multis jam annis ſuper iſto ære alieno in Aula Cæſarea litigatum fuerat, cujus litis eventus expectandus erat, reſtitutione interim haut quidquam dilata.

Lœvvenſteinii. §. 203. Major difficultas circa reſtitutionem Friderici Ludovici Comitis de Lœvvenſtein & Wertheim erat. Equidem Oſnabrugæ placuerat omnes ditiones, quæ ad ipſum, ejuſque defunctos patrueles, Georgium Ludovicum & Joannem Caſimirum ſpectarint, nunc in alios translatas, reddi, inprimis Comitatum Wertheimenſem & dynaſtiam Scharfeneccam. Dictum Comitatum Cæſar ipſius agnato Ferdinando Carolo donaverat, quod iſti Succicas partes ſecuti forent. Sed quia hac ratione ea ditio per Amneſtiam utique reſtituenda erat, Ferdinandus Carolus demum anno quadrageſimo ſexto litem Friderico Ludovico ſuper pactis non ſervatis in aula Cæſarea intentarat; ubi ſtatim mandatum manutenentiæ obtinuit, ſub cujus titulo Comitatum poſſidere, & agnatum tractatibus pacis abſtractum diuturna lite involvere cupiebat, quod ea cauta è bello haut orta ad Amneſtiam nihil ſpectet. Quo fine Cæſarei formulæ ſuæ menſe Junio Monaſterii impreſſæ, poſt verba, *tempore hujus belli ſequeſtrata*, inſeruerant, *& ob cauſas ex hoc bello natas*, ut quod una manu dediſſe viſi erant, altera iterum eriperent. Etſi autem Succis urgentibus ea clauſula poſt Monaſterii expungeretur; circa dynaſtiam tamen Scharfeneccam formula reſtitutionis ita concipiebatur, prout nunc Inſtrumento Pacis inſerta legitur. Ea quippe ditio morte Georgii Ludovici in Joannem Ditericum ſuperſtitem, velut proximum agnatum, & inde in hujus filium Ferdinandum Carolum hæreditate devoluta erat. Unde Fridericus Ludovicus, cujus pater idemque Joannis Diterici frater, ante patruelem Georgium Ludovicum, fato functus erat, eoque gradu uno remotior cum iſto ad hæreditatem haut concurrere, multo minus eundem excludere jure poterat. Sed nunc Catholici, & horum inſtinctu Cæſarei antehac rejectam clauſulam, *ob cauſas ex hoc bello natas* denuo infarciebant, quam cum Sueci adſpernarentur, res ea ad Ordinum, & eorum quorum intererat, judicium rejiciebatur. Aſt Comitis Georgii Ludovici filia Marca Chriſtiana materno nomine in Comitatum Erbacenſem prætenſionis nihil habebat, quod mater ipſius dote accepta pro more prætenſioni in Domum Erbacenſem pro ſe & hæredibus renuntiaverat, quamdiu Erbacenſium ſtirps maſculina ſupereſſet. Hac tandem extincta, ſi propiores cognati non eſſent, ipſi ejuſque hæredibus jure patebat aditus ad ea, quæ intuitu bonorum allodialium, aut feudorum Fuldenſium competitura erant, inter quæ caſtrum & dynaſtia Breuberga cenſebatur. Ipſius pater autem ob arma in Cæſarem geſta proſcriptus bonique exutus fuerat, quæ ab aliis Comitibus Lœvvenſteiniis, inprimis Ferdinando Carolo hactenus poſſeſſa fuerant. Unde & Cæſareis æquum videbatur, eandem dote in iſta familia recepta inſtrui, & quia non renuntiaverat, aditum ipſi ad bona non feudalia concedi.

Erbacenſium. §. 204. Georgius Albertus Erbacenſis Comes queſtus fuerat, Comitem Wertheimenſem adverſus pacta gentilitia à Cæſare ſupremum imperium militare in caſtrum Breubergam impetraſſe, quo ad oppreſſionem Comitatus Erbacenſis abutus erat. Unde Erbacenſis ante triennium eam arcem in poteſtatem redegerat, & ejecto Wertheimenſi ſuum militem impoſuerat, inviolato alias quod Wertheimenſi competebat jure, pollicitus ſe omnia in priſtinum ſtatum repoſiturum, ſi omiſſo Cæſareo imperio ad morem veterem communi deinceps præſidio uti velit. Aſt Wertheimenſis in aula Cæſarea id factum velut læſæ majeſtatis crimen traducere; quæ Erbacenſem repetitis decretis, ingenti indicta mulcta, imperium ipſi reſtituere jubebat, minis quoque de proſcriptione intentatis. Unde à Regina petebat Erbacenſis, ut Inſtrumento pacis ipſi ſuper Breuberga, aliiſque caveretur. Quod Cæſarei, Succis inſtantibus annuebant; & cum interim Georgius Albertus mortem obiiſſet, hæredes ipſius exprimebantur.

§. 205.

1647. Brandenſteinii.

§. 205. Brandenſteinio Comiti Guſtavus Rex non ſolum Comitatum Querfurtenſem, ſed & poſt Conſtantienſem Epiſcopatum cum Augia Divite donaverat, etſi donationis diploma demum anno triceſimo tertio per Cancellarium Regni Oxenſtiernam expediretur. Eidem inſuper Rex inſigne ſalarium titulo intimi Conſiliarii, ac Theſaurarii Magni per Germaniam conſtituerat. Præterea legionem Equeſtrem conſcripſerat Comes, ac bis ſuppleverat: turbiſque ad Donavvertam militaribus apud Mirzlafium, alioſque chirographo ſuo fidejuſſerat. Ejus vidua non quidem Conſtantienſem, ſed Querfurtenſem donationem Inſtrumento Pacis inſeri petebat. Et quia Comes per nimiam facilitatem, cum ipſe pecuniarum adminiſtratione gauderet, ſalarium & alia erogata ſibi exſolvere neglexerat, nunc viduam creditores ob mariti æs alienum acriter urgebant. Unde illa Reginam ingentem ſummam poſcere, quam per pacem obtinere cupiebat; ſimul ut chirographa Mirzlafio aliiſque data irrita declararentur. Enimvero de donatione jam fruſtra verba fiebant: circa alias prætenſiones magis miſeratione digna videbatur Comitis facilitas, quam quod media adparerent, queis viduæ ſatisfieri poſſet: nec ea res ad Amneſtiam ſpectabat. Si de cætero ipſa damni quid paſſa foret, par erat eidem conſuli. Unde ipſius expreſſa mentio Oſnabrugæ facta erat, reſtitutione in omnia amiſſa bona & jura indulta Cæſarei in Inſtrumento impreſſo *ex cauſa belli addiderant.* Catholici poſt inſtiterant, ut id vel omitteretur, vel aliis clauſulis circumſcriberetur, puta, *in omnia ex cauſa belli injuſte ademta, nec creditoribus vel in vim ſolutionis, vel alio modo conceſſa bona, ut & jura irrevocabiliter indulta.* Paulo Kevenhullero, Cancellarii Loëfleri hæredibus, & Rhelingiis Cæſarei reſtitutionem annuebant. Sed reliquis è Bohemia aliis Cæſaris ditionibus eadem præfracte negabatur, ſi qui ſub Suecis ſtipendia meruerant, ad §. *Tandem omnes* rejiciebantur.

Kevenhullerí & aliorum.

Urbium quarundam.

§. 206. Præter hæc Sueci aliquot urbium ac nominatim Argentorati deſideria formulæ ſuæ Oſnabrugæ peculiari paragrapho inſeruerant; ſed quem Cæſarei ab initio plane inducebant. In §. *Contractus* Cæſarei pro verbis in Suecica formula poſitis, *Prout factum Spiræ*, ſubſtituerant velut mollius *prout in ſpecie quærumtur Spira.* Simul quæ de prætenſione Tilliana in Ducatum Brunſuicenſem mota fuerant, deleverant. Id quod & Sueci admittebant, quod iſthoc debitum ad æquivalens Luneburgicum diſpungere vellent. Catholici, ne deeſſet quod cavillarentur, verbis *ſubditis illicite extorta* infarſerant, *per concuſſiones militares.* Quæ velut ſuperflua rejecta. In §. *Sententiæ*, quæ Sueci de ſententiis circa Eccleſiaſtica expreſſerant, ut invalidæ forent, Cæſarei jam Oſnabrugæ expunxerant. Parentheſin autem & exemplum de Spira tunc, & in formula Monaſterii impreſſa admiſerant, quam tamen poſt una cum Catholicis tolerare nolebant. Ad §. *Si quæ feuda*, ne fraudi ſit inveſtituræ petendæ tempus neglexiſſe, Oſnabrugæ conditio addita fuerat, *ſi feudatarius juſta impedimenta probare poſſit.* Quod onus tam probandi poſtmodum Monaſterii, qui ditionibus ſuis plane, aut ex parte exuti fuerant, remiſſum. Ad §. *Tandem omnes*, Sueci contendebant, miniſtros ſagatos togatoſque in univerſum in priſtinum ſtatum reponendos, ſive Cæſareis provinciis, ſive aliunde oriundi forent. Contra Cæſarei circa ſubditos ex hæreditariis provinciis diſcrimen faciebant inter ea bona, quibus excederant, antequam ſociorum Regnorum ſtipendiis accederent, & illa, quæ poſt ademta ſint eo nomine, quod Regibus adverſus Cæſarem militaverint. Poſteriorum duntaxat, non priorum reſtitutionem Cæſarei annuebant. Unde id caput ad ulteriorem diſceptationem ſepoſitum. Sequens paragraphus *De cætero in Bohemia* Catholicis ſuperfluus videbatur, quod Cæſar nemini petenti juſtitiam denegaturus ſit: à Suecis tamen utique retinebatur. 1647.

De Gravaminibus.

§. 207. Cum inde ad Gravamina Imperii procederetur, Sueci Cæſareis oſtendebant hunc articulum proximo vere antequam Monaſterium proficiſceretur, præter caput decimum tertium de Cæſareis provinciis, fere ad liquidum fuiſſe deductum. Poſt equidem Monaſterii pauca quædam à Cæſareis retractata; nunc omnia fere reſcindi. Id quod mirum ſibi videatur, nec credere poſſe, ſe nolo id ipſos velle, ſed intempeſtivo quorundam Catholicorum zelo demulcendo id ſimulari. Cæſarei haut abnuebant, Oſnabrugæ pleraque iſta, quantum penes ſe fuerit, tranſacta. Sed Catholicos ejus tranſactionis ſibi communicatæ ſingula capita curate expendiſſe, ac complura reperiſſe, quæ ſalva conſcientia admittere non poſſint. Et cum iſti jure talia moneant, non poſſe non ſe in eorum ſententiam deſcendere. Nec vero Oſnabrugæ acta plenæ tranſactionis vim obtinere, cum ſubſcriptione firmata non ſint, reſervato quoque utrique parti jure corrigendi, demendique. Reponebant Sueci: Sibi ab Evangelicis, Cæſareis à Catholicis facultatem collatam ſuper Gravaminibus tranſigendi. Præcipuos Catholicorum Oſnabrugæ tunc fuiſſe, quibuſcum Cæſarei, ſi quis difficilior nodus incideret, communicaturos ſe receperint; inde quædam annuiſſe, quædam repudiaſſe, obtentu ſumto, quod Catholici hæc admittere nollent. Ita utrique excuſſis omnibus excepto uno capite inter ipſos convenſſe. Unde vel falſo nunc à Catholicis jactari, ſecum communicatum non fuiſſe, vel Cæſareos, ſecus atque præ ſe tulerint, communicationem tunc omiſiſſe. Equidem reſervatum fuiſſe utrinque jus addendi, demendive. Id tamen valere, quoad ſuper rebus nondum convenerit. His ſemel deciſis, ſive ſubſcriptæ ſint, ſive minus, mutationi locum non amplius ſupereſſe, circa ſubſtantiam duntaxat rerum; qualia illa ſint quæ Catholici nunc mutata cupiant: nam vocabula ſalvo ſenſu ut emendentur, facile ferri poſſe. Ab Evangelicis ſe rogatos; ne à conventis diſcedant. Nec è dignitate Cæſareorum eſſe, ſua verba ita leviter retractare. Si Cæſar, ſocii Reges, univerſi Evangelici, & Catholicorum præcipui conſentiant, paucorum pervicacium rationem haut habendam. Et cur hi non maturius locuti ſint? Sibi quoque accidiſſe, ut unus vel alter Evangelicorum, cujus interfuerit, poſt expeditum aliquod caput correctionem poſtulaverit. Eam ſe quandoque admiſiſſe, hac tamen lege, ut ſi Cæſarei ſemel placita corrigi nolint, circa talia haut acriter pugnaturi ſint. Si quid neglectum ſit, ſibi imputet, qui in tempore monere neglexit. Idem & Cæſarei imitarentur. Cæſareis non minus conſcientiæ eſſe, quam paucis iſtis turbidis hominibus, qui cum errore impliciti hæreant, à ſapientioribus docendi ſint. Enimvero Cæſarei ſententiæ ſuæ mordicus inhærebant, teſtati ſtabilem à ſe pacem quæri. Quod ſi ipſi pro lubitu Catholicis leges pacis horum conſcientiæ repugnantes ob tru-

1647. tudere conentur, eandem haut diuturnam fore. Quanquam autem neutra parte quidquam remittente disceptatio frustra suscipi videbatur, placebat tamen Cæsareis instantibus correctiones Catholicorum percurrere. Ac ostendebant Cæsarei, se cum Evangelicis ea de re acturos, ac spem esse, ipsos re expensa remissuros, quod itidem æque atque Catholicis pax cordi sit, quæ vix coalitura videatur, ni postulatis nimium rigidis decedant. Id quod Sueci suo loco relinquebant, ut tamen declararent, etsi ex Evangelicis unus & alter sit futurus, qui remittenda quædam suadeat, se tamen per Reginæ mandata assentiri non posse.

Catholicorum correctiones circa gravamina.

§. 208. Cæterum Catholicorum correctiones istæ erant. In exordio agnoscere nolebant Gravamina *maximam* causam huic turbis dedisse; unde vocabulum *magnam* substituebant. In §. 1. nihil corrigebatur. In secundo §. terminus à quo manebat; ut tamen sibi complura bona Ecclesiastica exciperent, puta, præposituram Neuhausam & Sintzheimum, velut ad præsulatum Wormatiensem spectantem, Cœnobia D. Georgii in Sylva Nigra, Reichenbacum, Carthusianorum domum Christgardam, quæ Catholicis per Cameram Spirensem adjudicata sint. Item Capellam D. Elisabethæ Noribergæ ad Ordinem Teutonicum spectantem cum libero in eadem Catholicorum usu. Paritatem quoque munerum publicorum Augustæ & in aliis urbibus expressis ferre nolebant, eoque §. *Sed ratione dignitatum*, & cum illo connexa, abolenda contendebant. Donavertæ restitutioni vocabula, *salvis tamen juribus eorum, quorum interest*, subnectebant. In §. tertio verbis *in perpetuum* substituebant, *usq; dum de Religionis dissidiis per Dei gratiam conventum fuerit.* In verticulo quoque, si igitur *Catholicus*, delebant, *aut etiam alius religiosi.* In §. quarto de Capitulis mixtis addebant, *ne quid veteribus Statutis admisceatur, quod Catholicorum conscientiæ ac causæ fraudi sit, eorumque jus imminuere possit.* In quinto de primariis precibus inferebant: *Si quæ ante hanc transactionem à Cæsare obtenta ac insinuata sint, eura discrimen illis frueretur.* In septimo adnectebant vocabulo *fuerunt, & pro talibus agnita habitique fuerunt.* Circa nonum varia novarant. Delebatur primo vocabulum *perpetuo.* Pro *possideant*, substituebant *in eorum possessione relinquantur*; pro *Evangelicorum*, reponebant *Augustana Confessionis Statuum.* In verticulo, *Nec Augustanæ Confessioni addicti*, pro verbis, *perpetuo conserventur & protegantur*, reponebant, *ab omni persecutione juris & facti perpetuo tuti sint, donec controversia Religionis composita fuerint.* In verticulo, *Omnia quoque Monasteria*, inducebant Evangelicorum limitationem, quod in ista bona sacra nullus alius Ordo sit introducendus, quam qui ante exortum Religionis dissidium in Germania receptus sit. Iniquum quippe videbatur, Evangelicos circa hæc ipsis legem dicere audere; eoque substituebant: *de his, prout in Ecclesia Catholica receptum est, disponere.* Denique de oppignerationibus ad proxima Comitia rejiciendum censebant. In undecimo Catholicis clausula finalis, *Salvis tamen iis*, displicebat. Duodecimum articulum iidem plane deletum cupiebant. Tertius decimus ad Cæsaris placitum rejiciebatur. In decimo quarto postulabant Catholici, ubi jus territorii litigiosum sit, non ad annum vicesimum quartum respici, sed præsentem religionis statum relinqui; idque ad vitandas varias circa sacra mutationes, & ut subditorum conscientiæ parcatur. In decimo sexto jurisdictionem Ecclesiasticam non plane tolli, sed ad Christianam usque compositionem dissidiorum circa religionem suspendi cupiebant. In verticulo *Eodem etiam* Catholici vocabulo *censeantur* clausulam subnectebant, qua Catholicis Episcopis in Evangelicorum Catholicos subditos jus diœcesanum utique reservabant. Denique decimus octavus cum duobus sequentibus ad Comitia rejiciebatur. 1649.

De Reformatis.

§. 209. Caput de Reformatis Catholici ad Suecos, & eadem cum his sacra professos remittebant. Id tantum declarabant, se Reformatos quidem paci sacræ, ac præsenti transactioni, eiusdemque singulis beneficiis includere; sub quibus tamen nullam aliam sectam, quæ neque Lutheranam, neque Romanam fidem amplecteretur, intelligere velint. Id quod & Sueci haut iniquum censebant. Circa octavum caput non habebant Catholici quod monerent, nisi ut articulus, *Cum deinde Civitas Erfordiensis*, omitteretur, & res in eo statu, qui ante bellum fuerat, relinqueretur. Circa caput nonum de Commerciis nil supererat difficultatis, quam super vectigali Oldenburgico in Visurgi. Id negotium ut instrumento Pacis intereretur, Electorales cumprimis connitebantur; quod alias id Cæsaris & Electoralis Collegii potestati præjudicio sit futurum, qui id jus in Comitem contulerint. In diversum nitebantur Civitates, ac inprimis Hanseatici, quod ea lis sub judice adhuc sit, nec ad bellum quidquam pertineat. Tum ipsius Reginæ ac vicinorum interesse id vectigal tolli. Id quod Suecis facile persuadebatur, quod id vectigal Bremensi æque Provinciæ, ac Bremæ urbi fraudi foret: ac Reginæ tantundem juris in flumen Visurgim, quam Oldenburgico competeret; quippe quæ ripæ esset domina, ob eamque causam par jus cum Comite ad vectigal capiendum obtendere posset. Prout & Præsulatus hic olim non alio nomine in partem vectigalis Albici admissus fuerat; Ordinesque Brementes Archiepiscopi Joannis Friderici tempore in hac lite adversus Comitem in Aula Cæsarea intervenerant. Id quod hoc tempore tanto magis observandum erat, quod vectigal hoc deinceps in potentioris manus deventurum videretur, unde major molestia oriri posset. Sed abnuebant Cæsarei, utrumque partis offensam declinabundi, culpamque in Suecos derivabant, urbis quidem ablegato persuadentes, Suecos magnopere, ut iste articulus intereretur, contendisse: nec minus Comitis Legato confirmantes, (quod ipse referebat,) Suecos Comitis emolumento adversari. Cæterum iidem Cæsarei pervincebant, ut de isto vectigali utique Tabulis Pacis exprimeretur.

De Erfordia.

De vectigali Oldenburgico.

De Suecica satisfactione.

§. 210. Circa Suecicam satisfactionem non solum Catholici quædam notarant, sed & ipsi Sueci nonnulla interpolaverant; id quod Cæsareis displicebat, omnem circa ea, quæ super satisfactione cum Trautmansdorfio concluta erant, mutationem adspernantibus. Reponebant Sueci, Catholicorum correctiones, quæ ne huic quidem capiti pepercerint, ansam dedisse, ut hinc inde clarius exprimerent, quæ dubitandi ansam olim præbere possint. Concedere tamen, ut hoc caput plane citra ullam mutationem maneat, si Cæsarei & Catholici omnia conventa rata relinquant. Catholici porro suis sacris in Bremensi ac Verdensi ditione libertatem stipulari cupiebant, ac ut toleraretur quispiam sacra potestate præditus, qui in fidei suæ socios inspectionem exerceret. Colonienſis quoque consensum suum super præfectura Wilrz-

1647. Wiltzhuſana certis conditionibus circumſcribebat; ut quæ hactenus recepta ibi fuerat Catholica Religio, deinceps quoque maneat, ipſique jus diœceſanum, & juriſdictio ſacra ibi reſervetur: alias ſe per conſcientiam haut poſſe renuntiare liti, quæ ſuper ea præfectura inter Bremenſem & Monaſterienſem Præſulatum pendeat. Urgebant quoque Cæſarei juxta ac Catholici, ut collectas Imperii ejus præfecturæ nomine Regina deinceps ſuſtineat; cum æquum ſit rem transferri cum ſuo onere. Roſtochium per Cæſareos portorio ſe eximere cupiebat, inferto *in locis ceſſis*. Poſtulabat quoque Domus Burgundica, ut ad vocem *intercedunt*, adſueretur clauſula, *ne pactis antiquis fiat præjudicium*, ob Belgas, qui in Pomerania & Meclenburgica commercia exercerent. Ad iſthæc Sueci, & quidem circa ſacra, reponebant; ſuper his Articulo de gravaminibus diſponi, nec Reginam deterioris conditionis, quam alios Ordines eſſe poſſe. Offerebant tamen ſe Romana ſacra in Bremenſi & Verdenſi ditione toleraturos, ſi Cæſar eandem libertatem Evangelicis in patrimoniali ſua ditione indulgeret. Id quod Cæſareis nimio emtum videbatur. Sed circa Wiltzhuſam Colonienſis ſententiæ ſuæ inhærebat: ſibi quidem ferenda jactans, quæ inter Cæſareos & Suecos convenerint; ſed eo caſu litem ſuper iſta præfectura abdicare non poſſe; ac malle ſe in ipſas expenſas à judice condemnari, quam in hoc conventu aliquid adverſus ſuam conſcientiam admittere. Quo ipſo litigioſam Reginæ ſatisfactionem tradi Sueci Cæſareis demonſtrabant. Qui & iniquum judicabant, partem collectarum Imperialium eo nomine in Bremenſem ditionem devolvi; cum durante hac lite Monaſterienſis non plus, quam Matricula Imperii exprimeret, nec Bremenſis minus exſolverit. Roſtochienſium petitum paucis verbis rejiciebatur; rem jam eſſe in portu: idque eo magis, quod ipſe Meclenburgicus Legatus ab initio contenderat, ut introducta ad Oram Meclenburgicæ portoria retinerentur; quod ſperaret, Warnemundenſe caſtellum ad Ducem rediturum. Unde nunc in diverſum nitens eo minus audiebatur. Ad Burgundicum poſtulatum Sueci reponebant; ſibi de ejuſmodi pactis nihil conſtare. Si antiqua cum Hanſeaticis pacta innuantur, illis ſub finem capitis de Commerciis caveri; ubi & ſatis diſpoſitum ſit, ne commerciis impedimenta objiciantur. Aſt ſuper mutationibus per Suecos ipſos inſertis, Cæſarei quidem, quod Pomeraniam & Wiſmariam ſpectabat, parum movebant. Circa Præbendas in Caminenſi Præſulatu Sueci ſibi diſerte jus præſentibus Canonicis defunctis eas extinguendi, & bonis menſalibus adplicandi reſervarant. Id quod & Brandeburgicus pro ſua parte faceret. Sed Cæſarei monebant; Brandeburgicos apud ſe declaraſſe, Electorem Canonicatus Caminenſes haut extincturum, quod Equeſter Ordo interceſſerit, quem offendere ipſe nollet. Eandem rationem apud Suecos quoque valituram. Sueci reponebant; ſemel ita tranſactum, & ad Reginam relatum; nec id ſibi citra nova mandata retractare fas eſſe. Reginam haut eo ſecius poteſtate illa decenter uſuram, Ordinumque Provincialium judicio ſe attemperaturam, ac cum Equeſtri Ordine ita acturam, ut querendi cauſa huic non ſit futura.

De Hamburgenſi Capitulo.

§. 211. Enimvero ſuper Capitulo Hamburgenſi major lis erat, de quo quia Bremenſi Epiſcopatui hactenus junctum fuerat, Sueci ſua formula his verbis expreſſerant; *Archiepiſcopatum Bremenſem cum Oppido & Præfectura Wiltzhuſen, eique unita Diœceſi & Capitulo Hamburgenſi.* Cui dictum Capitulum contradicebat; Hamburgenſem peculiarem eſſe Præſulatum, haut quidquam eo modo cum Bremenſi unitum, ut ſeorſim ſubſiſtere nequeat, aut illum ſequi neceſſum habeat. Nec hujus partem aut acceſſorium eſſe, ſed ſemper ſua ſibi jura, privilegia, ſubſiſtentiam, ac nomen habuiſſe, Bremenſi haut immixta. Et quanquam multis ab annis eundem cum Bremenſibus præſulem agnoverit, id tamen ideo factum, quod dudum attritis reditibus Epiſcopum alere haut potuerit. Ita illam unionem non eſſe Canonicam ac propriam, ſed utraque dignitate in eandem perſonam collata, nec Hamburgenſi Præſulatu extincto, aut incorporato. Sed Bremenſe Regimen contendebat, Præſulatum Hamburgenſem poſt vaſtatum à Danis & Vandalis Hamburgum cum Bremenſi conjunctum; poſt à Ludovico Romano rum Rege etiam Colonienſi repugnante, in Archiepiſcopatum evectum; inde à Nicolao Pontifice unionem plane factam, ſancito; *prædictas diœceſes Hamburgenſem ſcilicet & Bremenſem, non deinceps duas, ſed unam eſſe & vocari*, quæ verba ſunt Bullæ Pontificiæ. Et ſucceſſu temporis titulum Hamburgenſis Præſulatus plane extinctum. Sed Suecis de vocabulo haut magnopere videbatur litigandum, modo rem ipſam obtinerent. Unde prius poſita verba ita refingebant, prout nunc in Inſtrumento pacis exprimuntur; in quæ & Cæſarei conſentiebant, quidquid Capitulum Hamburgenſe proteſtaretur. De cætero Hamburgenſem Præſulatum Dux quoque Fridericus Gottorpienſis, & Hamburgum urbs ambibat. Ac Ducis quidem avus Adolfus primum anno quinquageſimo quinto ſuperioris ſeculi quædam jura in quatuordecim vicos ejus Præſulatus, nunc ad Trittoviam præfecturam pertinentes, obtenderat. Unde lite orta iſte anno quinquageſimo octavo obtentu mutatæ Religionis, & quod prave res ſuas adminiſtrarent Capitulares, ſibi plane eos vindicatum ibat. Quæ lis poſt amica compoſitione ſublata, ac Capitulum dictos vicos in Ducem pro certa penſione in quinquaginta annos tranſtulit, quæ tranſactio poſt in alios quinquaginta annos prorogata eſt. Ita Dux iſte pleraque ejus Præſulatus bona poſſidebat; Sicut & Holſatiæ Duces ejuſdem Patronos ſe ſuevernnt ferre, eique Præpoſitum præficere. Unde Dux literis ad Reginam datis Hamburgenſem Præſulatum ſuum nuncupabat, ac ut jura, quæ Regina in eundem nactura eſſet in ſe transferrentur, petebat. Cui hactenus Regina gratificabatur, ut iſti quatuordecim vici in perpetuum citra ulteriorem prætenſionem penes Ducem manerent. Sed & Hamburgenſis Urbs paulatim, poſt reformata præcipue ſacra, quædam ejus Præſulatus bona, molendina, & ſimilia invaſerat; nec plures ſupererant, quam novem Canonicatus, ac totidem Curiæ ſeu ædificia in urbe, è quibus tres ruinis deformatæ jacebant. Jura quoque Archiepiſcoporum in Eccleſia Hamburgenſi fere exoleverant. Sed ne urbs forte eo nomine cum Regina colliderentur, hujus prætenſionem pecunia redimere cupiebat, oblatis demum quinquaginta uncialium millibus. Diſſerebatur; reliquias Præſulatus exigui momenti eſſe, nullo fructu. Sex, qui Hamburgi reſideant, Canonicos vix habere unde alantur. Reginæ ne uncialem inde rediturum; præſertim cum collatio beneficiorum, jura patronatus, protectionis & ſimilia non ad Archiepiſcopum, ſed Domum Holſaticam, urbem

1647. urbem, & Capitulum ſpectent. Legatis Suecicis iſta conditio haut ſpernenda videbatur; unde expreſſè mentionem faciebant, ſi quæ cum Urbe conventura ſint, ea valida fore. Sed quia Cæſarei hanc tranſactionem, quæ juribus Imperii repugnare ipſis videbatur, haut admittebant, nec Reginæ placeret ejuſmodi jura argento vendere, ea clauſula poſt omiſſa eſt.

De extinctione, Capituli Bremenſis. §. 212. Cum porro Succi loco verſiculi, *Ceſſante Capitulorum*, reponerent, *Extinctis Capitulis, cæteriſque Collegiis Eccleſiaſticis*, hærebant Cæſarei, diſertis verbis in extinctionem iſtam conſentire abnuentes. Repugnare id conſcientiæ ſuæ, & Catholicos ægerrime id laturos; ne Evangelicos quidem probaturos, nobili ſtirpe viris aditum ad præbendas præſcindi. Contra Succi oſtendebant; jam cum Trautmansdorfio convenifſe, ut bona Eccleſiaſtica ad conditionem ſecularem redigerentur, qui & dixerit; Cæſarem facile pati poſſe, ut Regina pro lubitu circa Capitula & Cœnobia diſponat. Se quidem facile prius concepta ſententia adquieſcere potuiſſe, ni Catholici correctionibus ſuis anſam præbuiſſent clarius iſta exprimendi, ne verba in alium ſenſum, quam qui contrahentium fuerat, trahantur. Ni hoc fiat, Catholicos forte actionem adverſus Reginam, ſi quid aliquando circa iſta bona innovet, in Aula Cæſarea, aut Spirenſi Camera moturos. Cui prævertendæ conſultum fore hanc elucidationem Inſtrumento inſeri. Aſt Cæſarei uti non inficiabantur, ſe Reginæ liberam de iſtis bonis diſpoſitionem annuiſſe, cumprimis Trautmansdorfium: idque necdum retractabant: ita diſertis verbis de eadem Inſtrumento Pacis inſerere ſe poſſe negabant. Nec Trautmansdorfium ea bona in ſeculares uſus converti expreſſe adprobaſſe, ſed tantum dixiſſe: acciperet Regina Præſulatum ſub formula propoſita, inde circa Capitula & Cœnobia diſponeret, prout id Numini ſe probare poſſe confideret. Catholicos circa hæc eſſe obſtinatiſſimos, & eam ipſam fuiſſe cauſam, quare Comes ille diſertis verbis abolitionem bonorum ſacrorum exprimere defugerit. Quod ſi tamen Succi efficere poſſint, ut Minda & Oſnabruga perpetuo penes Catholicos maneant, hos haut ægre iſtorum poſtulatis annuituros. Id quod Succis haut arridebat, quod earum ditionum incolas Catholicorum libidini tranſcribere nollent; & quia illæ jam Brandeburgico & Luneburgicis aſſignatæ erant. Et quanquam Cæſarei oſtenderent, ſibi haut defore media per alias ditiones æque idoneas iſtis ſatisfaciendi; Succi tamen iſthoc non minus quam Catholicorum correctiones haut alio ſpectare judicabant, quam ut conventa ſubverterentur, & tractatus novis difficultatibus intricarentur. Enimvero, quidquid occineretur, vocabulum *extinguendi* ferre nolebant Cæſarei: inauditum id eſſe in Imperio, in Eccleſiam injurium, & Cæſarem forte eo nomine à Pontifice excommunicandum. Reginam ſat expreſſe rem ipſam obtinuiſſe. Uteretur, ut vellet, Cæſarem haut curaturum; extinguendi vocabulum à ſe digeri non poſſe. Et cum Succi objicerent; eos circa æquivalens Brandeburgicum & Meclenburgicum ab iſthoc vocabulo haut tantopere abhorruiſſe; reponebant: ea Capitula plane ad Proteſtantes ſpectaſſe: heic autem Catholicos hactenus in poſſeſſione fuiſſe. Quin Comitis Naſſovii filium Bremæ Canonicum eſſe, haut parum imminente mutatione ſolicitum. Ad quod Succi regerebant: Reginam præſentibus, & inprimis Naſſovii filio ſatisfacturam. De cætero Catholicorum parum intereſſe, cum vix quinque aut ſex Catholici de bonis iſtis participent. Poſt proponebant Succi, ut pacto adjecto illhoc inſereretur. Quod itidem Cæſarei abnuebant, Catholicæ Religionis ſcita, & conſcientiam obtendentes. Tandem cum rem ad Catholicos Ordines detuliſſent, ita ad extremum declarabant; Ut in Capitulorum & Collegiorum Eccleſiaſticorum extinctionem diſertis verbis conſentiant, ſibi haut mandatum eſſe: rogare & ſuadere Catholicos Ordines, ne ea res tangatur. Manerent verba generalia ut antea; quid Regina poſt conclutam pacem factura ſit, ſe impedire nolle, cum eadem pleno jure territoriali, uti alii Ordines Imperii, poritura ſit. Sed Cæſarem iſta nunc paciſci, ignominioſum apud poſteros, alioſque Principes fore. 1647. 30. Dec.

De Brema Urbe. §. 213. Circa Bremenſem urbem Succi quædam mutarant, pro *Territorio* vocabulum *diſtrictus* reponendo; Tum ad *poſſeſſionis* vocabulum *legitime* addendo. Subnectebatur clauſula; ut illa bona & jura, quæ Archiepiſcopis & Præſulatui intra vel extra urbis mœnia, aut in præfecturas ejuſdem, & quatuor *Goæ* ante hoc bellum competebant, Reginæ & Regno itidem citra controverſiam competant. Idque eam ob cauſam, quod ea urbs turbulentum Epiſcopatus ſtatum in ſuum emolumentum conſque verterat, ut etiam poſt ſubſcriptam ſatisfactionis formulam jura Epiſcopalia tam intra quam extra urbem variis attentatis invaderet, ac jus territoriale in quintum uſque milliare per Præſulatum porrigere, & qua pertingere poſſet, ſibi arripere auderet. Adverſus quæ Regimini Bremenſi proteſtationem interponenti eadem occinuerat: Reginam non Præſulem, ſed Ducem Bremenſem fieri; eoque pacta priora cum Epiſcopis & Epiſcopatu inita cum hac mutatione expirare. Talia cum Bremenſe Regimen ad Legatos Suecicos referret, conſultum videbatur iſtos urbis conatus cauſasque diſſidiorum in poſterum antevertere. Enimvero Cæſarei neque Bremenſium territorium in dubium vocari, neque mutationem heic, aut additamentum ferre volebant. Id tamen declarabant; haut aliam eſſe Cæſaris mentem, quam ut Regina & Corona Sueciæ omnibus juribus potiatur, quæ priores Archiepiſcopi habuerant. Contra quidquid urbs ſub Archiepiſcopis, ac inprimis ſub nupero Duce Friderico non habuerit, id nec deinceps eandem ſibi arrogare poſſe. Quid litigioſum ſit, aut quid minus in aperto eſſe. Concludatur modo pax, (ita verba ipſorum erant,) inde litigioſa cum urbe diſceptandi tempus fore.

De Titulo Reginæ. §. 214. Titulo Reginæ, quo ad Comitia invitari deberet, Legati nunc addiderant vocabulum *Principis Rugiæ*, & *Domina Wiſmariæ*: id quod Cæſarei acriter impugnare cœperunt, velut Regina Rugiæ & Wiſmariæ nomine peculiarem ſeſſionem & ſuffragium obtenderet. Novam eſſe difficultatem, cui ſi Succi inſiſtant, facile adparere, ipſos tractatibus abrumpendis occaſionem quærere. Enimvero mox adquieſcebant, cum oſtenderetur de pleno duntaxat Reginæ titulo agi; de peculiari ſeſſione mentionem nunquam factam. De cætero ſuper ſeſſione, quæ quinto loco in ſcamno ſeculari Reginæ aſſignabatur, nil jam difficultatis reſtabat; niſi quod Succi quatuor præcedentes, Bavarum, Simmerenſem, Lauterenſem, Neoburgicum Palatinos nominetenus expreſſiſſent. Sed Cæſarei, quod Bavarus & Palatinus ſuper priore loco inter ſe litigarent, ne alterutri parti præjudicium adferretur, poſtulabant, ut ea res com-

1647. communibus verbis conciperetur. Id quod Sueci facile annuebant, cum rem ipsam obtinerent.

De investitura. §. 215. De futura investitura Sueci postulabant, ut literæ, per quas ea conferretur, statim in loco tractatus formarentur. Sed Cæsarei reponebant, moram inde nascituram, si è tabulario Cæsaris necessaria documenta adferenda sint. Unde utrinque placebat, de recognitione feudi, juramento fidelitatis, & similibus communibus verbis exprimi. Denique cum in §. *Exsolvit denique* Sueci verbis *Dominis & Possessoribus* addidissent, *aut pratendentibus*: Cæsarei quærebant, quinam essent illi prætendentes? Num forte Pontificem Romanum intelligerent? Sueci ista è majoris perspicuitatis causa addidisse ferebant. Revera tamen Bavarum innuebant, qui veterem prætensionem in Pomeraniam fovere dicebatur.

De militum satisfactione. §. 216. Super militum satisfactione aliquoties moventibus Suecis Cæsarei reponebant; de hac non prius agi posse, quam pax cominus conspiciatur. Excipiebant Sueci, hanc quoque inter conditiones pacis esse, qua intacta hanc plene concludi non posse. Cæsareos utique eam dudum æquam judicasse, ac ut summa designaretur sæpe institisse. Unde mirum sibi videri, ipsos ad propositionem dudum factam respondere nondum velle. Sed Cæsarei suæ sententiæ insistebant: aliis rebus indecisis hanc tangi haut conveniens esse; & omnes Ordines etiam Evangelicos acriter resistere, ac suadere, ut quæ controversa adhuc restant, prius componantur; militum præmia ad executionem tractatus pertinere; quo ubi perventum sit, rem suo loco & ordine suscipiendam.

De æquivalente Brandeburgico. §. 217. Circa æquivalens Brandeburgicum Cæsarei concesserant, ut quarta pars Canonicatuum in Præsulatu Halberstadiensi, excepta Præpositura, ab Electore extingueretur, & quidem eorum, qui ab Evangelicis possiderentur. Sueci autem Catholicos illis pares haberi cupiebant, ut prout quisque vita excederet, Catholicus aut Evangelicus sit, Electoris reditibus adplicaretur. Sed Cæsarei id nullo modo annuere volebant. In cessione Episcopatus Mindensis urbi sua jura reservata fuerant, exceptis pagis, villis, & domibus ad Principem spectantibus. De quo Prælati, & Equester Ordo graviter querebantur, quod cum urbs infimum locum inter Ordines Provinciales obtineat, nunc ipsi intuitu bonorum in districtu urbis sitorum hujus imperium agnoscere debeant. Unde Brandeburgicis instantibus tunc hæc verba addita; *Capitulum totumque Clerum & Equestrem Ordinem.* Porro jus proprii Præsidii, quod à multis seculis urbs obtinuisse se ferebat, Cæsarei non minus ac Sueci eidem diserris verbis reservare cupiebant. Sed Brandeburgici à plerisque Ordinibus obtinuerant, ut pro verbis *circa jus propris præsidii & pristina libertatis hactenus possessis*, reponeretur, *circa pristina jura ipsis legitime competentibus.* Ita jus illud præsidii in ambiguo relinquebatur, quo Electori occasio daretur id inposterum vindicandi. Ut autem directum dominium in præfecturam Eglam Saxoni reservaretur, Cæsarei frustra contendebant. Circa titulum Electoris Cæsarei primo censebant, ut Principem se Archiepiscopatus Magdeburgici, & aliorum Præsulatuum nuncuparet. Sed cum jus hæreditarium cum Episcopatu haut quadraret, id eo modo formabatur, prout Instrumento Pacis insertum est.

De æquivalente Meclenburgico. §. 218. Quo Meclenburgico Duci eo plenius satisfieret, Sueci postulabant, ut summa pecuniæ ad ducenta millia uncialium augeretur, ac duæ Commendæ in Meclenburgica sitæ, *Mirow*, & *Nemerow*, à Duce jam possessæ adderentur. Quorum prius facile concedebant Cæsarei; circa posterius ad caput de gravaminibus provocabant, demum velut indignabundi ajebant: *habeat ergo eo nomine, quamdiu potest.* 1647.

De æquivalente Luneburgico. §. 219. Domui Luneburgicæ Osnabrugensem Præsulatum haut obscure invidebant Catholici. Sed ita obnixe sua tenebant Luneburgici, ut illi ne hiscere quidem auderent. Tantum de homagio monebant errorem admissum, quod Capitulum id nunquam ulli ne Catholico quidem Episcopo præstitisset. Id quod tamen non, prout postulabant, plane omissum, sed ad veterem praxin duntaxat restrictum. Comiti autem Gustavo Gustavi F. Sueci præter octoginta uncialium millia, septuaginta insuper millia stipulari frustra cupiebant. Petente quoque Osnabrugensi urbe Sueci postulabant, eidem omnia jura, ac privilegia Instrumento Pacis firmari, statu quem anno decimo octavo possederint restituto, uti & jus Episcopale & Patronatus, usumque liberum sacrorum Evangelicorum, jus stapulæ præsertim telarum linearum per totum Episcopatum; aliaque similia. Tum ut Petriburgum destrueretur, & templa Augustini & Francisci cum pertinentibus ex veteri donatione Episcopi Francisci Waldeccensis restituerentur. Quæ omnia à Cæsareis repudiabantur, velut Cleri ruinam post se tractura, ac ad peculiarem conventionem reponebantur. Sueci regerebant: eam conventionem inter tractatus pacis debere fieri. Tum urbem ob præbitum conventui hospitium in memoriam horum tractatuum aliquid præmii mereri. Quibus Cæsarei respondebant: hospitium tat care emtum; ac memoriam tractatuum nunc & apud posteros perennaturam. Denique duos Canonicatus Ducis Augusti filiis in Præsulatu Argentoratensi concessos Catholici decerpere cupiebant, aut saltem eosdem obstringere, ut Catholicos ritus ex statutis Capituli suscipere tenerentur: sed Evangelicis repugnantibus irriti erant. Articulis hisce de Succica satisfactione, & æquivalentibus Catholici subnectebant; quoniam per hæc tam insignis mutatio in Romano Imperio contingat, ex qua olim graves controversiæ oriri possint, dictæ satisfactionis aut æquivalentium nomine neminem plus sibi juris, quam communis hæc conventio confert, proprio ausu arrogare debere, aut ullum immediatum Imperii statum circa jura, bona, ac libertatem suam turbare, sed quæ in præsens, aut deinceps cum vicinis sint lites per viam juris expediantur citra violentam possessionis apprehensionem. Eam clausulam Sueci suspicabantur ad se pertinere, velut Clericis actio reservaretur, si Regina circa Capitula & alia bona sacra quid novaret. Sed Cæsarei ostendebant; hanc clausulam duntaxat Status invicem, non status & horum subditos respicere; nec per hanc jus territoriale Reginæ in Bremensi & Verdensi Provincia in dubium vocari. Nec ea Cœnobia immediata esse, uti S. Emerani Ratisponæ sit. Pro eadem clausula futuros Reginæ vicinos pugnare. Is si sensus esset, nec Cœnobia & bona Ecclesiastica in Bremensi & Verdensi Præsulatu peterentur, Sueci non valde renitebantur. Quod tamen ea clausula heic superflua videretur, & ad caput de Assecuratione pertineret, Sueci eam hinc transferri postulabant, ne Suecia tam acres ungues habere videatur, ut præ reliquis omnibus ipsorum satisfactioni ejusmodi clausula adponenda fuerit.

1647. De causa Hassica.

§. 220. Cassellanæ causa à Cæsareis & Catholicis acriter tentabatur. In lite Marpurgenti Darmstadiensis ob nutantia Suecorum arma ad vetera postulata revolvebatur, ut antiqua transactio partium juramento, ac Cæsarea adprobatione firmata servaretur. Qua si læsam se obtendat Cassellana, post restitutionem ereptorum Darmstadienti ab hac locorum, ea causa per judices ab utraque parte denominandos intra certum tempus decideretur, aut amica transactione componeretur. Id quod Cæsarei & Catholici æquum censebant. Sed Cassellanam satisfactionem iidem plane retractabant. Si Cassellani, inquiebant, præterita ætate quæ offerebantur acceptassent, laute iis satisfactum fuisse. Ea cum repudiarint, se ad ista non amplius teneri. Quanquam autem ut nihil plane istis gratificentur, contumaces Cassellanorum, Crosiegii cumprimis sermones mererentur; forte tamen Hirschfeldiam, & pacta gentilitia relinqui posse. De præfecturis Schaumburgicis, sexcentis uncialium millibus, & hypothecis in Catholicorum terris conclamatum esse. Totum Imperium, quin sacrorum consortem Brandeburgicum repugnare. Si Reges eo nomine diutius bellum gerere velint, id ferendum esse; à volentibus Landgraviam nihil obtenturam. Neque eandem Regibus æquiparandam. Catholicos æque damna hoc bello passos, nec refusionem postulare. Et quanquam Sueci ostenderent; antehac placita immotum hujus tractationis fundamentum habendum, cum & Trautmansdorfius sub abitum dixerit; tractatum in eo statu relinquendum, ut se discedente sit, & Collegas suos super eo mandata habere: jactabant tamen, nosse te abeunte isto nihil transactum. Ni Landgravia oblatis nunc adquiescat, sibi caveat; ne renuncium amplius accepturam. Inde Sueci Gallicorum Legatorum literas prælegebant, hoc argumento: Gallos pro Landgraviæ causa non remissius quam pro sua locuturos: simul Reginæ suæ nomine idem declarabant, suadentes, ut saltem priora annuerent, nec tantam acerbitatem in Landgraviam ostenderent. Arctissime eandem Regibus innexam, nec citra auxilium destituendam: Reges quæ res exigat, facturos. Cæsarei ferociter; facerent, quæ omittere non possent. Sibi mandata sua sequenda. Plus quam par sit jam oblatum: plura se nec posse, ne velle. Neque hac declaratione tunc ullo modo depelli poterant. Atque ista pluribus congressibus agitata Evangelicis avide cupientibus communicabantur.

29. Dec.

Cæsareis pax cordi esse non videtur.

§. 221. Ita dum à prius conventis aut oblatis tam longe nunc recedunt Cæsarei, haut obscure patebat, nihil ipsos aliud agere, quam ut ludificando pacem extraherent. Sane constabat, ab ipsis Monasterii Catholicos clam instigatos, ut suis commodis acrius invigilarent: à Cæsare ab ipsis destituto ingratiis haut pauca Evangelicis indulgenda fuisse. Unde audaciam sumebant Catholici conventis sese opponendi. Tum ob præceptam victoriæ fiduciam insolescere, ac superbiam verbis ac gestibus præ se ferre. Nec contumeliosis in Suecicum exercitum dicteriis abstinebatur, quem è Bohemia à se exturbatum gloriabantur. Ad quæ Sueci reponebant; Wrangelium egregii ducis partes impleviſſe, & quæ ratio belli suaderet fecisse; cæterum easdem in Bohemiam portas patere; ac favente Numine denuo eo reversurum, ut non facile egressurus iterum sit. Sed Cæsarei; firmiora jam repagula obdita cavillabantur, haut temere perrumpenda. Et cum Sueci Gallorum mentionem injicerent, qui Bavaro indùcias renuntiassent: Cæsarei excipiebant; illas nondum 1647.
abruptas, & simulare ista Gallos demulcendis utcunque Suecis. Spargebatur quoque Curtium Comitem apud tractatus ad futurum Volmaro avocato. Quod itidem Suecis atque Evangelicis suspectum videbatur. Meminerant quippe, Cæsarem præliminari negotiatione prope absoluta alium misisse, qui rem extraheret: & Trautmansdorfium discessisse, cum conclusio pacis jam imminere videretur. Nunc si & Volmarus abeat, manifestum esse, bellum magis quam pacem parari.

§. 222. Nec eo minus Cæsarei evocatis ad se Evangelicorum Deputatis acta sua tueri, Suecos traducere. Hos capita de Amnestia & Gravaminibus raptim percurrisse, nec ullibi pedem figere voluisse; sed circa peculiarem Sueciæ satisfactionem duos integros congressus consumsisse. Tum formula nunc edita hinc inde non pauca in fraudem aliorum novasse, quædam antehac placita retractasse. Quo intellecto Sueci iisdem ostendebant: se quidem quantum possent negotium maturasse, ut tamen nullum caput rejecerint, nec ullam Catholicorum correcturam prætermiserint, quam non idoneis rationibus convellere conati sint. Ac normæ loco sibi fuisse, semel conventis haut dimoveri. Catholicos Suecicam satisfactionem non minus, quam alios pacis articulos vellicasse. Id cum à Cæsareis probari animadverterent, sibi ad tuenda Reginæ commoda quædam clarius fuisse exprimenda, ne deinceps litibus, de quibus jam cogitatum non sit, implicetur.

Cæsarei Suecos attraducere. 8 unt. 31. Dec.

Hi se excusant.

§. 223. Monasterii quanquam inter Cæsareos & Gallos super satisfactione convenissent; adhuc tamen de exclusione Burgundiæ, ac Lotharingiæ, auxilioque Hispanis ferendo controversia supererat. Ac aperte Cæsarei jactabant; indignum esse, à Cæsare consanguineum Regem, & tam bene meritum Ducem destitui. Inprimis intolerandum esse, Cæsari haut liberum fore Hispano auxilium ferre. Circa pacem inter Gallos & Hispanos conciliandam, cui paucæ controversiæ adhuc obstabant, etsi haut segniter satageretur; tamen parum promoveri adparebat, quod Galli lente ad pacem cum Hispanis festinarent ob tumultus Neapolitanos, & quia Siculi, ac Mediolanenses itidem novas res moliri crederentur. Qua ipse freti separatam Hollandorum pacem haut magnopere videbantur curare, quod Italicorum sociorum ope plus se Hispanis damni allaturos crederent, quam Belgarum, queis dudum Galliæ incrementa ægris oculis adspiciebantur. Sed inter Hispanos & Fœderatos Belgas jam ad finem properabant tractatus. Equidem ad proposita à Belgis capita distincte respondere Hispani tergiversabantur, ac quædam dudum placita in dubium vocabant: simul compluribus per piratas Biscaiæ abreptis navigiis haut parum Belgicos mercatores irritaverant. Provincia tamen Hollandia velut instinctu ad pacem rapiebatur, cujus vel minimam moram damnosissimam ducebat; & cum in congressu Ordinum Generalium præsidendi ordo eundem tangeret, ipsa connitente effectum, ut per majorem suffragiorum partem pax decerneretur. Et quanquam Zelandi, atque Ultrajectini Hollandis dissidentes pertenderent, vi Unionis circa bellum & pacem majori suffragiorum parti locum non esse: Hollandi tamen exemplum induciarum duodecennalium adducebant, quæ inter-

Continuatio tractatuum inter Cæsarem & Gallos.

Inter Gallos & Hispanos.

Inter Hispanos ac Belgas.

terce-

1647. tercedente Zelandia concluſæ forent. Quin fremebant, ſi Zelandi & Ultrajectini repugnare pergerent, ſe Legatis ſuis mandata transmiſſuros, ut pro ſe pacem ſubſcribant, concludantque. Iſtorum Legatorum quatuor, quos inter Pavvius & Cnuitius in Hiſpanos proni, Monaſterio Hagam excurrentes acriter connitebantur, ut formula ratificationis conciperetur, & omnia ad plenam concluſionem præpararentur. Huc quippe rem inter Gallos Hiſpanosque deductam, ut illi facile pacem occupaturi ſint. Quod ab Hollandis obtentui ſumtum, ut etiam absque Gallis tractatus abſolvendos urgerent, Thuillerio Legato Gallico fruſtra renitente, cujus libellum eo nomine Ordinibus Generalibus traditum ne lectione quidem dignabantur. Et quanquam aliquot provinciæ, ne Hollandia pacem præcipitaret, decerneret, ac ut forma ratificationis cum Hiſpanis Monaſterii adornata prius Hagam transmitteretur: Hollandi tamen ſuis injunxerant, ut ſi reliquæ provinciæ tergiverſarentur, his neglectis finem tractatibus imponerent.

Sparri Comitis inanis propoſitio. 29. Maji.

§. 224. Eodem anno in Sueciam è Polonia adpulit Ernestus Georgius Sparrius Comes, qui inter duces militiæ Sueciæ recipi petiit; viciſſim offerens ſe Sueciis viam oſtenturum, qua facili negotio munitiſſimas Sileſiæ urbes, Uratislaviam, Briegam, ipſamque Pragam, & alias in poteſtatem redigere queant. Simul Regis Poloniæ nomine poſtulavit, Regina autoritate ſua efficeret, ut ipſe Sileſia potiatur, ſpe facta Livoniæ, & Boruſſiæ viciſſim in Reginam transferendæ. Circa prius is promiſſa ter mille uncialium annua penſione ad Wrangelium remittebatur, conſilia cum illo ſuper deſtinatis exſequendis collaturus, quorum probabilem ſucceſſum Regina prævidere non poterat. Alterum humanis verbis repudiabatur, quod tractatibus jam longe provectis nova conſilia capi non amplius poſſint. Sed cum iſte è Suecia diſcedens apud Wrangelium nunquam comparuerit, quid ſolidi ejus poſtulatis ſubtuerit, conſtare haut potuit.

De fœdere Luſitanico. 16. Jun.

§. 225. Circa idem tempus à Luſitano Reſidente de arctiore fœdere mutui auxilii inter Reginam Sueciæ, ac Luſitaniæ Regem proponebatur. Ea de re cum Regina ad Senatum referret, in utramque partem rationes adducebantur. Qui fœdus id adſpernabantur, differebant, illud commerciis Suecorum, fraudi fore, cum poſt factam cum Cæſare pacem navigatio ad portus Hiſpanicos, ac in mare Mediterraneum, non ſine lucro à Suecis ſuſcipi poſſit, quæ tali fœdere ſit intercipienda. Nec adparere, num ampliorem Suecia ex Luſitanorum amicitia fructum capere queat, quam qui jam ex fœdere commerciorum cum iiſdem proveniat. Hiſpanis & Auſtriacis hoc modo neceſſitatem allatum iri cum Sueciæ inimicis ſocietatem ineundi. Galliam gravioribus urgeri rationibus, ut opera Luſitanorum Hiſpanos fatiget, quam Sueciam longis terrarum ſpatiis remotam. Fortaſſe & Sueciam facta Germanica pace bello cum Polonis, Danisque implicandam; ac eam rerum converſionem oriri poſſe, ut aliorum amicitia ſit circumſpicienda. Si utilitatis reſpectus ceſſet, non majorem fiduciam in Gallorum amicitia, quam aliorum reponendam; qui & nunc copias ſuas è Germania ſubducant ſiſtendis noſtris incrementis, quæ invidia ipſos adurant. Ipſos Gallos Luſitanum paci quidem includere velle, fœdus declinare. Si fœdus hoc ineatur, eo ipſo rumpi pacem cum Hiſpanis, circa quam conciliandam quam maxime nunc laboretur. Denique 1647.
vacillare Luſitanorum conſilia, & parum eſſe auxilii, quod Suecia ſibi ab iſtis polliceri queat. Nec tamen deerant rationes, quæ fœdus id ſuaderent. Sueciæ utique intereſſe, ne Luſitani opprimantur, queis præter Hiſpanos Hollandi quoque immineant. Labare iſtorum res alieno auxilio deſtituras, ni paci inter Gallos & Hiſpanos includantur. Suſpectos Sueciæ ſemper habendos amicos reconciliatos; nec Auſtriacos unquam deſituros nobis inſidias ſtruere. Expedire, ut Hiſpania eam ſpinam pedi infixam retineat, quo tantopere adamatum ſibi conſilium alios opprimendi ſeponere cogatur. Tum & fœdus ita contrahi poſſe, ut non neceſſum ſit nobis pacem cum Hiſpanis abrumpere, ſed ut modico auxilio miſſo defungi queamus. Sic & olim Gallos Hiſpanosque clam mutuis commodis abſtitiſſe citra publicum bellum. Sic Gallos, Anglosque Belgis auxilia ſubminiſtraſſe, ſervata in ſpeciem cum Hiſpanis pace. Si quid deinceps belli Sueciæ naſcatur, facile rationem iniri poſſe, ne id fœdus ſummæ rerum obſit. Ita placuit formulam fœderis concipi, ac Luſitanici Miniſtro exhiberi. Sed cum hic ſegnius poſtmodum eam rem ageret, & ex eo fœdere Regina vix aliud quam moleſtiam proſpiceret, id exitu caruit.

Tranſſylvanica. 24. Jun.

§. 226. A Ragozio Holmiam miſſus adpellebat Stephanus San-Paulus, qui apud Reginam exponebat cautas, queis ſubactus Ragozius ſeparatos cum Cæſare tractatus iniverit. Inde ut paci Weſtphalicæ includeretur, petebat, ac ut ſibi quæ ex fœdere reſtabat pecunia exſolveretur. Cui reſponſum: quas adduxerit rationes ſeparati tractatus ſuo loco relinqui, modo meminerit, ſe faventibus Sueciis armis tam proficua pace potitum. Weſtphalicæ paci commode includi ipſum nunc non poſſe, ne Regina videatur novis poſtulatis eam remorari velle. Si integrum annum in fœdere perſtitiſſet Princeps, conventam ſummam dudum præſtandam fuiſſe. Enimvero fœdus in annos, non in menſes ſingulos concluſum; ac ſolere à militibus gregariis & mercatoribus menſes computari, non à Principibus. Ita infecta re, ſed multo cum honore iſte dimiſſus eſt.

Curlandi negotiatio circa tractatus Polonicos.

§. 227. Adferebantur quoque à Jacobo Curlandiæ Duce literæ, quibus ſignificabat, Polonis placere, ut tractatus ſuper pace inter utrumque Regum Francofurti ad Oderam, aut Landsbergæ inſtituantur; tum ut prioribus Mediatoribus Respublica Veneta adjungatur, ſimul hortabatur ut Regina primo quoque tempore iſtos tractatus ſuſcipere velit. Enimvero Reginæ fixum ſedebat durante bello Germanico cum Polonis tractatus haut inire, quod tunc ſemper ad hoſce foret reſpiciendum. Et eo facilius erat moras nectere, quod nec Polonis quidem illi tractatus magnopere cordi eſſe viderentur. Itaque reſponſum gratam eſſe operam, quam Dux paci conciliandæ interponeret; Mediatores eoſdem qui antea fuerint placere. Quod ſi tamen Anglus Legatos mittere impediatur, in ejus locum Venetos ſubiré poſſe. Francofurtum à Suecia nimis remotum, ut veredarii vix intra quinque ſeptimanas hinc inde commeare queant. Lubecam aut Hamburgum utrique Regno æque commodum. De tempore conventus Mediatores ſtatuerent. Cæterum idem Dux, quo ſecuritati ſuæ, urcunque res caderet, mature proſpiceret, à Regina petebat, ut in perpetuum ſibi neutralitas confirmaretur, quæ anteceſſori, eidemque Patruo ſuo à Rege & Republica Polo-

Idem neutralitatem obtinet.

1647. niæ conceſſa erat. Id quod Regina haut difficulter annuebat, quod illum Ducem ſalvum eſſe Sueciæ expedire judicaret. Ejus neutralitatis leges iſtæ erant. Si recrudeſcente inter Suecos, Polonosque bello per certa Curlandiæ loca Polonis tranſitus concedatur, eundem quoque Suecicis copiis quovis tempore concedendum. Ducem, ejusque poſteros & ſubditos, quamdiu hac neutralitate fruentur, nullam operam militarem Regi, Regnoque Poloniæ, aut Magno Ducatui Lithuaniæ præſtituros, nec opera, pecunia, conſiliis, per ſe ſuosve, aut alios hoſtem ſublevaturos ad infeſtanda ea, quæ ad Regiam Majeſtatem, Regnumque Sueciæ ſpectabunt, ſalva in cæteris fide Regi, Reique publicæ Polonicæ à ſe debita. Si quis autem ſe bello immiſcuerit, aut quid operæ militaris, vel conſilii huc contulerit, cum una cum bonis ac familia ſua hoc neutralitatis beneficio non fruiturum. Habeat Dux in præſidiis militem nationis Germanicæ, non Polonicæ, aut Lithuanicæ, qui eidem ſoli ſacramento ſit addictus. Commercia utriusque Regni ſubditis cum Curlandis, ac itinera peregrinantibus, viatoribus, & veredariis utriusque gentis libera ſint; ſique contigerit, Gentis utriusque homines in Curlandiæ ditionibus ſibi obviare, paeate inter ſe & tranquille ibi agant, nec fas ſit ad arma devenire, aut mercibus, pecuniis, equisque negotiantes ſpoliare. ut præterea portus Curlandiæ claſſi Sueciæ, cæterisque ejus Regni aut ſubjectarum provinciarum indigenis navigantibus pateant, uſumque ſui tutum præbeant, ſi vel ob tempeſtatem, vel emendis neceſſariis in eos ſe receperint. Si quas naves naufragium, aut jacturam mercium facere contigerit, Curlandiæ incolæ afflictis non noceant, ſed potius juſto accepto laborum pretio eoſdem juvent, mercesque recuperatas reddant. Denique ut has perpetuæ neutralitatis leges Rex & Respublica conſenſu ſuo confirmet, obſervetque, tempore requirente, Ducem allaboraturum. 1647. 25. Jul.

§. 228. In Moſcoviam eo anno Legati mittebantur Ericus Gyldenſtierna, Joannes Wrangelius, & Laurentius Canterſteinius, qui prout fœdere conventum erat, Principi ſuſceptum imperium gratularentur, ac de æterna pace, & amicitia ſervanda teſtarentur. Jubebantur quoque poſtulare, ut Sueciis mercatoribus propriam domum intra Pleſcoviæ mœnia habere liceret; utque recens inſtituta vectigalia Plescoviæ & Novogardiæ abolerentur, ſimul è provinciis Sueciis transfugæ redderentur: quorum nihil obtentum. Solita illi nationi litigia circa titulos memorare nihil attinet. De cætero honorifice recepti, habitique Legati rediere. Legatio in Moſcoviam.

§. 229. Navibus quatuor Sueciis in Luſitaniam navigaturis, quibus Martinus Thieſſenius præerat, in freto, quod Galliam & Angliam interluit, navis Regia Anglicana occurrebat, ſummi veli ſubmiſſionem in ſignum cultus exigens. Eam cum Sueci detrectarent, tormenta hinc inde diſploſa, quoad navis Anglicana à pluribus circumventa malo majore truncato, & clavo excuſſo recipere ſe cogeretur. Interim Vice-Præfectus claſſis Anglicanæ in ſtatione Duverenſi ad anchoras hærens, ad machinarum ſtrepitum adcurrens naves Suecicas aſſequitur, quas innoxie ad littus Duverenſe deducit, Parlamentumque de actis certius reddit. Ab hoc protinus Vicepræfecto injunctum, ut naves amicæ, & vicinæ Reginæ, quæ per inſcitiam forte erraverint, humaniter habeat, comiterque dimittat; & ſi quibus rebus forte egeant, eas accepto pretio ſuppeditet. Navium Sueciarum cum Anglis colliſio. 2. Maji.

SAMUELIS PUFENDORFI RERUM SUECICARUM

LIBER VIGESIMUS.

EPITOME.

1648. 1. *Reginæ conſilia.* 2. *Initia expeditionis hujus anni. Wrangelius Caſſellas excurrit. Turennius* 1641.
conjunctionem ſuam offert. 3. *Wrangelius Mœnum verſus progreditur.* 4. *Landgravium Georgium hoſtium tormenta poſcit.* 5. *Ejus conſilia. Haſſi Homburgum & Fridrvaldam recuperant.* 6. *Hoſtilia inter Gallos & Bavaros reſumuntur.* 7. *Turennius Rhenum tranſit.* 8. *Hoſtis in hiberna concedit, eadem mox deſerere cogitur.* 9. *Hoſtium conditio.* 10. *Wrangelius per Turennium hoſtem non ſtatim perſequi poteſt. Gleichenſteinum ad deditionem compellitur.* 11. *Wrangelius Winsheimum movet; Depoſitas Forcheimi machinas accipit: Winsheimum capit.* 12. *Wirtenus Comes Suecicam militiam amplectitur.* 13. *Cum Turennio ſuper conjunctione agitur.* 14. *Fœderati exercitus in hoſtem tendunt; Hoſtis trans Danubium cedit. Fœderati complura loca ex Danubium occupant.* 15. *Super ulteriore actione inter Duces conſultatur.* 16. *Sueci in ſuperiorem*

1648. *periorem Palatinatum abeunt.* 17. *Hoſtis eis Danubium cedit.* 18. *Kœnigsmarckius Egræ ſubvenit. Hoſtium irriti conatus.* 19. *Bavari cum Cæſare conventio.* 20. *Wrangelius in Sueviam movet, Dunkelſpulam occupat. Ei Kœnigsmarckius iterum conjungitur. Turennius quoque accedit.* 21. *Idem Suecis quædam hoſpitia concedit. De Caroli Guſtavi Palatini imperio adſertur.* 22. *Cæſarei è ſuperiori Palatinatu Donavvertam revertunt: Trans Danubium abeunt. Eorum conditio.* 23. *Fœderatorum animus. Hi in hoſtem ire conſtituunt; Hoſtis cedit. Fœderati inſequuntur.* 24. *Iidem hoſtium extremum agmen profligant. Numerus cæſorum & captorum.* 25. *Hoſtis Donavvertam deſerit: in Bavariam ſe recipit.* 26. *Wrangelius Vinarienſes legiones à ſe dimittit.* 27. *Fœderati Licum tranſeunt.* 28. *Freilingam veniunt. Hoſtis trans Iſaram ſubſiſtit, mox inde faceſſit. Fœderati pontem Iſaræ reparant. Landshuta ſe dedit.* 29. *Hoſtis ad Oenum propere refugit. Bavarus Salisburgum confugit.* 30. *Fœderati Iſaram tranſeunt: Waſſerburgum oppugnare non poſſunt: Muhldorfum accedunt.* 31. *Hoſtes ſe recolligunt.* 32. *Super tributis cum Bavaro acta.* 33. *Fœderati bellum in Bavaria alunt: Muhldorfo diſcedunt: Dingelfinga conſident.* 34. *Hoſtis Sandavia conſidet. Cæſarei carpuntur.* 35. *Hoſtis propius accedit: Moſteninga arx fruſtra ab hoſte oppugnatur. Caſtellum ad pontem Rainæ fruſtra ab hoſte tentatur.* 36. *Caſtra mutuo tentantur. Fœderati pontem Neoburgi ſtruunt.* 37. *Scripta ſuper tributo incendiario.* 38. *Bavaria male habetur.* 39. *Ruſticorum Auſtriacorum miſſio.* 40. *Hoſtis paulum accedit. Fœderati equorum inopia premuntur: Mosburgum caſtra transferunt.* 41. *Hoſtis eos non ſequitur: Idem ad Oenum ſe confert.* 42. *Fœderatos prævertit: Fœderati Landsbergam tendunt.* 43. *Conflictus ad Duchaviam.* 44. *Fœderati in Bavaria amplius ſubſiſtere non poſſunt. Iidem in Sueviam tranſeunt.* 45. *Wertanus fruſtra eos inſequitur.* 46. *Galli in ſuperiorem Palatinatum ſequi nolunt. Hoſtis in ſuperiorem Palatinatum tendit.* 47. *In hanc Provinciam Kœnigsmarckius progreditur. Complura Bohemiæ loca occupat. In Palatinatum rediens Waldeccam capit.* 48. *In Bohemiam revertit. Occaſio invadendæ Pragæ. Kœnigsmarckius deſtinata diſſimulat.* 49. *Eadem exſequitur.* 50. *Ingens Pragæ præda parta.* 51. *Kœnigsmarckius Wittenbergii adventum ſollicitat. Bucheimius Pragam venit.* 52. *Wittenbergii acta. Cum Rege Poloniæ diſceptatio.* 53. *Wratislavienſibus commercia libera permittuntur.* 54. *Bucheimius Sileſia excedit. Wittenbergius in Bohemiam excurrit. Cæſarei vapulant.* 55. *Wurbenus Comes bene rem gerit.* 56. *VVittenbergius in Bohemiam tendit.* 57. *Pragam properat: Ad Kœnigſalam conſidet: Tabor oppidum expugnat.* 58. *Pragam revertit. Rubra domus & Teſchena occupantur.* 59. *VVittenbergius Budevveiſam tendit. Bucheimius vapulat.* 60. *Summum belli imperium in Carolum Guſtavum confertur.* 61. *Idem nuptias Reginæ ambit, & in Germania adpellit. Electoris Saxoniæ ad ipſum Legatio.* 62. *Palatinus in Bohemiam tendit: Pragam oppugnat.* 63. *Cæſarei ad ſuccurrendum Pragæ propinquant. Obſidium Pragæ ſolvitur.* 64. *Auſtriacorum ad Palatinum miſſio. Hic in Bohemia ſubſiſtit.* 65. *Pacis nuntius advenit.* 66. *Haſſorum acta. Lamboius in VVeſtphalia ſatagit. Haſſi in Lamboium tendunt. Hic iſtos obſidet.* 67. *Geiſius cum equitatu erumpit.* 68. *Lamboius Geſecam fruſtra oppugnat. Idem in hoſpitia concedit.* 69. *Lamboius denuo movet: Bredenbendam expugnat.* 70. *Haſſos petit, à quibus vapulat. Numerus cæſorum captorumque.* 71. *Haſſi victoriam non perſequuntur. Lamboius copias inſtaurat.* 72. *Denuo in Haſſos movet: Haſſi firmantur. Durenam capiunt.* 73. *Paderbornam fruſtra obſident. Lamboius Huxteræ conſidet: poſt pacem turbarum nonnihil dat.* 74. *Continuatio tractatuum Pacis. Suecis ob Haſſiacam cauſam progredi nolunt.* 75. *Cæſarei Evangelicos ad negotia Imperii expedienda hortantur, id quod & hi faciunt. Evangelicorum de his ſententia. Suecis de iisdem cum Cæſareis agere fruſtra quærunt. Urbicorum à Suecis poſtulatum.* 76. *Longuevillius in Galliam iter inſtituit Evangelici nolunt Oxenſtiernam Monaſterium abire: Hic iter illud omittit. Longuevillius Oſnabrugam venit.* 77. *Catholicorum declaratio Evangelicis diſplicet. Oxenſtierna irritum Monaſterium iter ſuſcipit.* 78. *Separata inter quoſdam Evangelicos & Catholicos tractatio. Ea evaneſcit.* 79. *Super conventis Trautmansdorfianis colliſio.* 80. *Suecis Cæſareos ea de re compellant.* 81. *Tractatio denuo ſuſcipitur.* 82. *Novus tractandi modus proponitur, qui demum probatur.* 83. *Servientus Oſnabrugam venit.* 84. *Super admittendo Reſidente Gallico diſceptatio.* 85. *De materia tractandorum inter Suecos & Ordines diſceptatio.* 86. *Gravamina excutiuntur, ac primo loco Juſtitia. De Judice & Præſidibus Cameralibus; De Paritate Aſſeſſorum utriuſque Religionis.* 87. *De modo præſentandi. De aliis Cameræ Miniſtris.* 88. *Caput de Juſtitia abſolvitur, ſcripto concipitur & ſubſcribitur.* 89. *De Autonomia ſubditorum.* 90. *Tres Gradus Autonomiæ. Suecorum poſtulata. Cæſarei primum gradum annuunt.* 91. *De cœnobiis Hildeſienſibus & Erfordia.* 92. *Suecі in tertio gradu cedunt.* 93. *Ut & demum in ſecundo.* 94. *De Provinciis Cæſareis Cæſarearum ſententia.* 95. *Evangelici cedunt.* 96. *Oxenſtierna eos confirmat. Cæſareis Evangelicorum conſilia produntur.* 97. *Suecorum ſuper*

1648. iis negotiatio. 98. De ſatisfactione Suecica, ejuſque conſectariis. 99. De æquivalentibus, & cauſa Palatina. 100. Per iſta Brandeburgici & Luneburgici placantur. 101. De ordine tractandorum diſceptatio. 102. Reliqua gravamina excutienda ſuſcipiuntur. 103. De paritate Magiſtratuum Auguſtæ & in aliis urbibus. 104. Pro Aquisgranenſi urbe nihil poteſt obtineri. 105. De Oppignerationibus Imperialibus. Caput de Gravaminibus abſolvitur. 106. Haſſica cauſa ſuſcipitur. 107. Diſcutitur. 108. Ordinum interventu componitur. Ordines mediationem inter partes exercere pergunt. 109. Anneſtia abſolvitur. 110. Catholicus Senatus Auguſtanis decretam paritatem ſubvertere conatur. 111. De Helvetiis. 112. De Reformatis. 113. Articulum de negotiis imperii. De Erfordia. 114. De vectigali Oldenburgico. 115. Satisfactio Suecica. 116. Æquivalens Brandeburgicum. 117. Meclenburgicum. 118. Satisfactio Haſſica. 119. Avanxius in Galliam avocatur. 120. Hiſpani hoſpitium Luſitanorum Monaſterii oppugnant. 121. Oxenſtierna Monaſterium excurrit. 122. Servientus Oſnabrugam venit. 123. Hollandici Legati à Suecis poſtulata. Suecorum cum Bavaricis colloquium. 124. Cæſarei §. Tandem omnes expediri cupiunt. 125. Ordines Cæſareis adſtipulantur. 126. Tanto acrius Sueci commoda militum urgent. 127. Inter Oſnabrugenſes & Monaſterienſes Ordines diſſenſio. 128. De ſatisfactione militum quæſtio, An? 129. Quis? 130. Cui? 131. De Quanto? 132. Ordines paulatim ad rem propius accedunt. 133. Tranſactio ſuper quanto. 134. De modo ſolutionis. 135. De cautione poſterioris penſionis. 136. De tempore ſolutionis. 137. De exſecutione Pacis. 138. De Ratificatione Ordinum ſententia. 139. Cæſarei plenum Inſtrumentum Pacis edunt. Suecі notas formant. 140. Pax inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos concluditur. In Belgio publicatur. 141. Pegneranda Monaſterio diſcedit, ut & Belgarum Legati. 142. Servientus Oſnabrugam venit. Ordines Oſnabruga de Gallicis rebus agere volunt; Id quod Servientus probat. 143. Cæſarei abnuunt. 144. Et proteſtationem interponunt. Ordines ſuæ ſententiæ inhærent. 145. De controverſis cum Gallis capitibus ſententia Cæſareorum. 146. Gallorum. 147. Ordinum. 148. Monita de ſatisfactione Gallica. 149. Plerique in pacem ſerio inclinant, præter Cæſareos & Hiſpanos. Ordinum circa hanc diſſenſus. 150. Ordines adventum Caroli Guſtavi deprecantur. 151. Notæ Suecicæ excutiuntur. De Titulis. 152. De Exulibus Auſtriacis. 153. De Helvetiis. De Reformatis. 154. De Juribus Statuum. 155. De vectigali Oldenburgico. 156. De ſatisfactione Suecica. 157. De Æquivalentibus. 158. De cauſa Haſſica. Reliqua differuntur. 159. Servientus Oſnabrugam redit. 160. De ſatisfactione militiæ Suecicæ. 161. Cæſareis de ſatisfactione ſuæ militiæ ſpes fit. 162. De Exſecutione. 163. De Aſſecuratione. 164. Pax Suecica abſolvitur. 165. Adverſæ partis machinationes diſcutiuntur. 166. De ratificatione Pacis. 167. Sueci ſubſcriptionem in gratiam Gallorum differunt. Cæſareis invitis pax concluditur. 168. Gallici tractatus Oſnabrugæ ſuſcipiuntur. Cæſarei reluctantur. Ordines probant. 169. Cæſarei proteſtantur. 170. Ut & Ordines Monaſterienſes. Oſnabrugenſes deſtinatis ſuis inhærent. 171. Pax Gallica cum Ordinibus Oſnabrugæ adornatur. De titulo Landgravii Alſatiæ. 172. Pleraque ex Inſtrumento Suecico in Gallicum transferuntur. 173. Sueci ſe huic negociationi interponunt. 174. De auxilio Hiſpanis non ferendo. 175. De Gallica ſatisfactione Ordinum declaratio. 176. Servienti ſententia. 177. Cæſareorum declaratio, 178. & artes Suecorum interpoſitione res componitur. 179. Servientus cum Ordinibus pacem concludit. Inſtrumentum apud Moguntinum deponitur. 180. Salvius certo modo conſentit. 181. Ut & Servientus. 182. Cæſareorum ſententia. 183. Tractatus cum Hiſpanis quieſcit. Ordines pacem Hiſpanicam non morantur. 184. Conventus Oſnabrugenſis Monaſterium ſe confert. 185. Ordinum propoſitio ad Cæſareos. 186. Hi Monaſterienſes tractationi admoveri volunt. 187. Cæſareorum ſententia ſuper Inſtrumento Gallico. 188. Ordinum reſponſum. 189. Hi ad Regem Galliæ ſcribunt. 190. Horum declaratio ſuper Gallica ſatisfactione. 191. Cæſarei iterum dilationem quærunt. 192. Ordinum declaratio. 193. Cæſarea declaratio demum expromitur. 194. Subſcriptioni mora injicitur ab Hiſpanis. 195. Illorum nulla ratio habetur. 196. De ſubſcriptione Ordinum. 197. Aliqua mora ab Oxenſtierna. De loco ſubſcriptionis. 198. Nonnulla adhuc emendantur. 199. Landgraviæ poſtulata. 200. De ceſſione Alſatiæ. 201. Suecorum ante ſubſcriptionem poſtulata de §. Tandem omnes. 202. De vectigali Oldenburgico. 203. Atteſtatum de Bremenſi urbe. 204. De Pirmonda. 205. De Erfordia. 206. De civitatibus præteritis. 207. De exercituum hoſpitiis. 208. De ſuſtinendo milite indigena. 209. Subſcriptio peragitur. 210. Pax promulgatur. Inſtrumentum pacis Suecicum & Gallicum. 211. Ceſſatio hoſtilitatis ubique denuntiatur. De executione pacis Ordinum cura. 212. Circa executionem tergiverſantur Prælati Wurtenbergici, Auguſtani Catholici. 213. Neoburgicus, Bavarus. 214. Ordines ad Electorem Palatinum ſcribunt. 215. De finibus inter Reginam & Brandeburgicum regundis. 216. Brandeburgicorum prætenſiones. 217. De Capitulatione Oſnabrugenſi. 218. De militum Suecicorum ſatisfactione. 219. De Cæſarei militis ſatisfactione. 220. De ſtativis Suecici militis. Difficultates circa eadem. 221. Super exauctorando milite Sueci Ordinesque diſſentiunt. 222. Luſitani Legati querela. 223. Ratificationes adferuntur. 224. Earum permutatio pauliſper differtur. 225. Suecorum

1641

1648. *rum ea ſuperre declaratio. Ante eandem expedienda.* 226. *Difficultas circa ſatisfactionem Gallicam.* 227. *Cæſarcorum ad Ordines propoſitio* 228. *Regii in permutationem ſub certa Lege conſentiunt.* 229. *Cæſarei iſtud eludunt.* 230. *Conditio Tractatuum circa finem anni.* 231. *De pace inter Hiſpanos & Gallos.* 232. *Pragenſis tractatus. Cæſarei Suecos Bohemia excedere poſtulant Id quod Generaliſſimus demum annuit.* 233. *Cæſarei præſidia locis Bohemiæ deduci poſtulant. Sueci abnuunt. Transactio de alimentis præſidiorum.* 234 *De Tractatibus Polonicis conſultatio* 235. *Rogozius commendari ſe Polonis petit.* 236. *Ut & Carolus Ferdinandus. Miſſio in Poloniam.*

1648.

Regina conſilia.

POſtquam Regina quid bello ac pace per Germaniam gereretur intellexiſſet, pacem quidem quantum poſſet quærere conſtituit, ut tamen haut eo ſecius omnia diſponeret, velut bellum deinceps non ſolum c... Cæſare & Bavaro, ſed & Saxone inſuper ac Brandeburgico habitura foret. Satis quippe jam experiendo didicerat Germaniæ Principum indolem, queis cordi erat Succorum opera libertatem ſuam ſtabilire: qua obtenta iſtos Germanico ſolo amotos optabant. Neque vero pacis aliqua fiducia erat, Cæſare abnuente, quæ cum Trautmanſdorfio convenerant; & quia nova Lotharingi poſtulata moram injectura videbantur. Et quamdiu Cæſari ulla in armis ſpes, haut defutura erat anſa, qua hactenus tranſacta everterent. Sed & per Neapolitanum Regnum ac Siciliam ſuborti motus Galliam à conſiliis pacis avertere videbantur. Maximam porro difficultatem negotio pacis dabat, quod & Cæſarei & Ordines circa militiæ Succicæ ſatisfactionem tergiverſarentur, citra quam Regina nullo modo ad concluſionem deſcendere poterat, quod opes ſui Regni tantæ multitudinis avaris votis haut ſufficerent: Milites autem ſpe ſua deluſi acerbiſſimum in Succiam odium concepturi erant, ac certiſſima ſeditio imminebat; ex qua quid mali provenire aptum foret, vetera ac nova exempla docebant. Porro etiam non turpe ſolum, ſed & noxium futurum erat Reginæ eoidem negligere, quod ubi forte in poſterum extremo milite opus foret, hiſce ſatisfactione haut præſtita, omnes Succicam militiam averſaturi erant. Nec dubium habebatur à Cæſareis id agi, ut ſtudia militum à Regina averterent; id quod futurum erat, ſi vel citra donativum exautorarentur, vel ſi iſtud negotium poſt concluſam pacem ſeponeretur. Ideo injungebatur Legatis pacis negotio ſummo cum ſtudio inſiſtere, ac eo conniti, ut Ordinum gravamina, ac militum ſatisfactio pari paſſu procederent. Quod ſi Evangelici remitterequædam ipſi vellent, eorum arbitrio relinquendum, ut tamen ipſorum poſtulata nullo modo deſtituerent: Tum ut quam minimo cum militibus depeciſcerentur, ac ſtudia illorum erga Succiam ſervarent. Domi autem placebat omnia diſponere, velut bellum utique continuandum eſſet: tum fœdus & amicitiam cum Gallo colere, ac Brandeburgici, reliquorumque vicinorum actiones curate obſervare.

Initia expeditionis hujus anni.

§. 2. Sub finem proximi anni Wrangelius Fridericum Landgravium cum equeſtribus aliquot legionibus in Haſſiam præmiſerat, hoſtium hiberna hinc inde turbaturum. Ipſe cum toto exercitu inſecuturus erat, ut medium ſe inter hoſtem ac Gallos interens, tutum hiſce ad ſe acceſſum præberet; tum defatigato hoſti ſpatium haut relinqueret per hibernorum quietem vires reparandi. Sed quia hoſtis Frizlaria, Corbaco ac vicinis locis deſertis (niſi quod Homburgum & Fridevvaldam adhuc præſidio tenebat,) per Neuſtadium ad reliquum exercitum ſe receperat, Fridericus Landgravius legiones ſuas circa Mundam pauliſper diſtribuit, nova à Wrangelio mandata expectans. Et quia ob continuas pluvias, & invias luto vias, abrupto quoque apud Oldendorfum per tumentes Viſurgis undas ponte, progredi Wrangelio cum exercitu haut dabatur; hoſtilibus interim legionibus tempus erat ex Haſſia ſe ſubducendi. Inde exercitu per Arzenam, Ludamque parvis itineribus ſubſequente, ipſe cum præcipuis Ducibus Caſſellas ad Landgraviam provehitur, illam ad jungendas ſecum copias excitaturus. Enimvero oſtentabatur labor præterito anno exhauſtus, quo attritus miles hibernæ expeditioni haut ſufficeret. Nec tutum habebatur, Lambojo ex altera parte incumbente, copias longius abducere. Igitur non niſi mille equites à Landgravia obtinebat Wrangelius, qui Succicum exercitum ſequerentur, quoad hic Turennio jungeretur, ut tamen ipſe hoſtem locis per Haſſiam inſeſtis ejiceret. Et commodum à Turennio miſſus aderat, qui confirmabat, ipſum ſtatim apud Moguntiam Rhenum tranſiturum, ſi Wrangelio id placere intelligeret. Hic etiamſi medium Cæſarcorum ac Bavaricorum ſe hibernis immittere agitaret, in ſeparatos fortunam tentaturus; tamen cum Cæſarei jam in Franconia ſe contraxiſſent, Bavaricis ad latus adſiſtentibus, in junctos tunc ire haut conſultum judicabat. Eoque licet paulo tardius procedente itinere Turennium verſus flexit, poſt conjunctionem cum ipſo conſilia collaturus, quid in poſterum ſuſcipiendum foret. Quanquam autem Turennius tutiſſimum cenſeret, circa Francofurtum conjunctionem fieri; tamen deficiente iſto tractu annona, & ob ambages viarum, Wrangelio potius videbatur iſtum Salmunſteram progredi, quo & ipſe capto itinere eidem ſit occurſurus. Id quod & poſt Turennio probabatur.

1. Jan.

Wrangelius Caſſellas excurrit.

13. Jan.

Turennius conjunctionem ſuam offert.

§. 3. Caſſellis Wrangelius una cum Kœnigsmarckio Frizlariam progreſſus eſt, cum interim exercitus Guſtavi Steenbockii ductu Adranam tranſiſſet. Circa Homburgi expugnationem Haſſis adſiſtere non licebat ob vaſtatam circa regionem, & ne prædatoriæ catervæ ditionem Caſſellanam infeſtarent. Inde per Merzhauſam, Rumrothelamque exercitus Schottenam procedit: & Turennio monente, ne forte Aſchaffenburgo prorumpens manus ipſius acceſſum impediret, ad dextram flectens, Salmunſteræ ſub monte ab avibus dicto adpulit: hinc ſylva Speſſarto ſuperata, inter continuas pluvias Gemundam ad Mœnum pervenit, quam centum Cæſarei equites & dimachæ inſidebant: qui conſpectis Succorum præcurſoribus ſtatim navigiis trans Mœnum faceſſerunt, quorum quinquaginta emiſſæ Succorum catervæ apud Remblingam interceperunt. Arſteini prætorio poſito Turennius expectatur, ſimul exercitus ſecundum Mœnum Kizingam uſque diſtribuitur.

Wrangelius Mœnum verſus progreditur.

16. Jan.

2 Febr.

5. Febr.

1648. Landgravium Georgium torquenda hostium poscit.

§. 4. Cæterum hostis Hassia excedens grandiores machinas Gietiæ, ut & magnam frumenti vim depoſuerat, quæ ut ſibi traderentur, Wrangelius poſtulabat. Ni enim iſtas recepiſſet Darmſtadienſis, vel ob profundas vias eaſdem ſibi prædæ fuiſſe relinquendas, vel ſi eaſdem utique ſervare voluiſſet hostis, haut ita cito iter ſuum properare potuiſſe. Utrumque abnuebat Darmſtadienſis. Nam frumentum à Cæſareis in ſolutum ſe accepiſſe, cum ante annum, & quod excurrit, majorem ipſis quantitatem mutuo dederit: ac ut machinæ tantiſper apud ſe deponerentur, concedendum fuiſſe, ni jumenta ſubditorum ſuorum iis pertrahendis accommodare vellet. Uſu quoque in Imperio receptum, utriuſque bellantium partis res & arma cuſtodienda recipere illos, qui neutras partes ſequuntur, quin & machinas ipſis conflare, altera parte hoc nomine haut quicquam actionem movente. Tum eaſdem machinas decimo tertio Januarii depoſitas, cum Cæſarei demum vicesimo ſeptimo ditione ſua digrederentur, quo temporis ſpatio illæ Fuldam & longius pertrahi potuiſſent. Enimvero cum Wrangelio ea ſuper re diſceptandi otium tunc non eſſet, in aliud tempus ea differenda erat. Idem tamen Landgravio per Literas hoſtilia minatur, ni machinas traderet; ſimul inſtauratis inter hunc & Caſſellanam tractatibus ab hac poſtulat, haut alia lege tractatus concluderet, quam iſtis machinis exhibitis.

Wrangelii conſilia.

§. 5. Porro in Stativis ad Mœnum Wrangelius Turennium ingenti cum deſiderio expectabat. Conſtabat tunc Suecicus exercitus undecim equitum, ſex peditum millibus, computatis ſimul Kœnigſmarckii Legionibus, egregio & probe inſtructo milite. Huic Turennius tria equitum, quatuor peditum millia adjuncturum ſe promiſerat. His copiis inſtructus in hoſtem ire ardebat, vel prælio certaturus, vel ſi pugnam hoſtis continuis laboribus fractus detrectaret, intra Bavariam iſtum compulſurus, quo facto ſibi tunc Franconia, Palatinatus ſuperior, & Bohemia, Gallis Suevia utenda exponebatur. Haut conſultum quippe videbatur, exercitum recens inſtructum otiolum relinquere, aut hoſti ſpatium ad vires reparandas indulgere. Dum Suecicus exercitus ad Mœnum progreditur, Rabenhauptius cum Haſſorum manu Homburgum admota vi, obſeſſis ſtrenue repugnantibus, ad honeſtam deditionem compulit. Præfectus Jacobus Gerardus ſubtribunus cum ſuis Einbogam Bohemiæ deductus eſt. Haſſi in eo obſidio præter viginti gregarios etiam tribunum Widerholtium deſiderarunt. Sed qui Fridevvaldam inſidebat centurio, aſtu à Rabenhauptio in vicinum prædium pellectus capitur, eoque compellitur, ut ſuis arcem dedere imperaret, qui quadraginta ſex numero eadem excedebant.

Haſſi Homburgum & Friedvvaldam recuperant.

Hoſtilia inter Gallos & Bavaricos refumuntur.

§. 6. Inter hæc Galli Bavaricique inter ſe hoſtilia ſumere cœperant. Sub finem proximi anni Gallicum Schorndorfi præſidium Weiſſenſteigam Bavaricæ ditionis oppidum diripuerat; mox & arcem Hohenrechbergam aſtu in poteſtatem redegerat. Schorndorfi Præfectus Rusvvurmius tribunus Comitem Rechbergium lauto convivio exceperat, ac in arcem ſuam regreſſuro triginta milites velut præſidio futuros adjunxerat. Hi in arcem admiſſi mox ſigno dato, accurrentibus qui non procul in inſidiis ſtabant, arcem in poteſtatem redegerant, Comite Ulmam cum ſuis dimiſſo. Laugingæ quoque præſidiarii cœnobium Fultenbacum, & duos vicos ob negata tributa inflammabant. Viciſſim nec Bavarici Gallis parcebant. Illi ex Haſſiâ reverſi Halæ Suevorum trecentos milites aſtu immiſerant, ſimul arcem Laufæ occuparant; ac Gœppingam irruperant, triginta qui ibi agebant Gallis in arcem refugis, quos ſui tamen incolumes Schorndorfum abduxere. Id oppidum poſt, ut & Canſtadium à Bavaricis inſeſſum. Lauginga quoque eminus incluſa inhibita ſubvectione, ac magna vis globorum ignivomorum Monachii parata, quibus Norlingam & Laugingam invadere conſtituerant, ut fœderati Danubii tranſitu arcerentur, quo fine & Dilinga ac Hochſtadium Bavarico milite firmabatur. 1648.

§. 7. Sub finem anni Turennius in aulam iter agitabat, legionibus late in Lotharingiam uſque per hiberna diſpoſitis, ut in longum prominere ipſius expeditio videretur. Mox tamen omiſſo itinere exercitum ad ſe Wormatiam evocat; inde Moguntiam deſcendit, Rhenum ibi trajecturus. Conſtabant ipſius copiæ duobus peditum, tribus equitum millibus, etſi amplior numerus jactaretur. Quanquam autem rumor crederetur, Lotharingicas copias ad Viri fanum appuliſſe, ſuperata Moſella Turennium à tergo diſtracturas; mox tamen intellectum, iſtas præter hiberna nihil quærere: Unde iis neglectis Turennius circa finem Januarii ſuperato Rheno præter Francofurtum in Franconiam tendit, ac Lohræ demum adpellit, ubi Sueci non procul Arnſteini & Gemundæ ipſum expectabant. Turennius Rhenum tranſit.

§. 8. Enimvero poſt pervaſtatam Haſſiam exercitus hoſtiles in hiberna diſceſſerant. Et Bavaricorum quidem pars per Franconiam diſtribuebatur, circumſeſſo eminus Schvveinfurto; cæteri Sueviæ, & cum primis Wurtenbergicæ infundebantur. Cæſareorum aliquæ Legiones Corbaci, Fritzlariæ, & circa remanſerant, ſeptem Montecuculus in Wetteraviam deducebat; Reliquæ in Fuldenſem Præſulatum ac Saxonicos Principatus, Iſenacenſem, Coburgicum, Gothanum, Vinarienſem, Altenburgicum ac vicinas ditiones concedebant, quas tamen ob majorem commoditatem latius diſperſas Suecicæ catervæ Erfordia & aliis oppidis excurrentes haut parum infeſtabant. De cætero miſera ejus exercitus facies erat. Equitatus magnam partem amiſſis equis ad pedes deſcenderat, numeris valde imminutis, ut pleræque legiones ſeptuaginta equitibus, paucæ ducentis conſtarent; peditatu magis adhuc laboribus, morbis, nuditate, inopia attrito. Melander ex gravi ad Marburgum accepto vulnere vix convaleſcens ob expeditionem in Haſſiam apud ſuos male audiebat, velut quam non tam Cæſaris bono ſuſceppiſſet, quam ut vindictæ ſuæ adverſus Landgraviam litaret, dato Suecis ſpatio, ut per Luneburgicam ditionem vires inſtaurare poſſent. Quanquam alii ejus rei culpam in Bavarum referebant, qui uti nec Cæſarem, ita nec Suecos plane opprimi è re ſua judicabat. Enimvero vix quietem deguſtare cœperant hoſtes, cum non ſine magna indignatione interceptæ refectionis iter ingredi denuo coguntur. Ac primo quidem Suecorum motu, quæ in Haſſia hærebant Legiones, mature per Fuldenſem agrum in Franconiam faceſſebant. Montecuculus poſtquam Francofurtenſes ac vicinos fruſtra pecuniis emungere tentaſſet, ac ad exprimenda à Moguntino hoſpitia Aſchaffenburgum Electoris milite inſeſſum vi occupaſſet, Hœchſtæ quoque obſidium minitans, mandatis acceptis Gelnhuſa Hamelburgum ſe contulit, quo & alias legiones cis & ultra Thu-

Hoſtis in hiberna concedit.

Eadem mox deſerere cogitur.

rin-

1648. ringicam Silvam tendentes evocaverat. Bavarici Legionum partem ſecundum Mœnum Bambergam inter & Wertheimum diſtribuerant; etſi huic oppido adſitam arcem, quam Suecicus ſubtribunus Heiſius tuebatur, expugnare non poſſent. Reliquæ trans Danubium in ſuperiore Suevia hiberna ceperant, Gallos jam hinc inde infeſtare cœptantes. Sed audito Suecorum motu, qui Schvveinfurtum obſederant Cæſàreis juncti Herbipolim verſus abiere, nec minus qui in Sueviam conceſſerant revocati, deſerto laxiore Norlingæ, quod inſtituerant, obſidio. Ita verſa belli vice, qui non ita pridem Suecos ad Viſurgim cedere coëgerant, nunc ipſi ad Danubium properare neceſſum habuere. Luſtratione copiarum apud Oxenfurtum facta, Winsheimum, inde Norimbergam verſus progrediuntur non ſine trepidatione, velut cominus imminente hoſte. Defatigatis jumentis novem machinæ Forcheimum mittuntur, quas per triduum ante oppidum deſtitutas Epiſcopi juſſu Præfectus intra mœnia recepit, ne excurſorum catervæ iiſdem ad vicina oppida, nobiliumq; arces expugnandas uterentur. Animus illis fuerat exercitum per ſuperiorem Palatinatum verſus Ratisponam diſtribuere, ut Danubium à tergo, Bohemiam à latere haberent, è qua Bucheimius Comes auxilia adducturus erat. Sed metu Suecorum Gallorumque per Schvvabacum, Rothamque recta ad Altemulum fluvium, Danubiumque tendunt. Cum tamen Suecos haut è veſtigio ſequi perſpicerent, Cæſarei per Palatinatum ad ſiniſtram, Bavarici per Eichſtadienſem Prætulatum Ingolſtadium verſus ſtativa capeſſunt, quoad conſtaret, quo Succi verſuri eſſent.

7. Febr.

Hoſtium conditio.

§. 9. Cæterum Bavaricarum copiarum longe tunc melior conditio, quam Cæſarearum erat. Ex his quippe equitum maxima pars amiſſis aut confectis labore equis incedebat, ut Melandro vix quatuor millia in hoſtem educere liceret. Peditum non amplius tria millia ſupererant, fame inſuper ac frigore confecta. Impedimentorum non modica pars equorum defectu relicta, machinæ pleræque amiſſæ. Culpam horum malorum Melander partim in Moguntinum Electorem, qui idem & Herbipolenſis Præſul erat, conferebat, qui neceſſaria militi Cæſàreano abnegaſſet venturis Suecis omnia reſervans: partim in Bavaricos, qui copioſiſſima quæque hoſpitia ſibi vindicarant excluſis Cæſàreis, quæ tamen mox deſerenda, ac Suecis relinquenda fuerant, cum ſatius foret, conſumta annona immnentem hoſtem fame urgere.

Wrangelius per Turennium hoſtem non ſtatim perſequi poteſt. 14. Febr.

§. 10. Aſt Wrangelium, quo minus hoſtem confeſtim inſequi poſſet, præter importunas liqueſcentibus nivibus vias, & exundantes rivos, à Turennio motæ difficultates præcipue retardabant. Congreſſu ex condicto Gemundæ habito, Wrangelius quidem junctis copiis, ſociatiſque conſiliis rem in hoſtem gerendam cenſebat. Aſt Turennius conjunctionem abnuere, ni prius ſuper Vinarienſibus legionibus, quæ ad Suecos ſuperiore anno tranſierant, ſibi ſatisfieret: alias enim ſe cum dignitate ſociata Suecicis arma gerere non poſſe, ac inde perpetuum invidiæ ac diſſidiorum fomitem fore. Igitur poſtulabat vel ipſis Legionibus imperari, ut ad Gallicum ſacramentum redeant, vel totidem alias legiones eorum loco ſibi tranſcribi. Enimvero Wrangelius iſthanc tergiverſationem tanto ægrius ferebat, quod Galli non prius ea de re moviſſent, ut per otium diſcuti poſſet, quam nunc cum in hoſtem eundum foret. Nec conſtabat, num è Gallorum ſocietate is fructus capiendus eſſet, qui obtineri poterat, ſi Suecicus exercitus, non expectata Turennii quam ipſe ultro offerebat conjunctione, citra moram ſolus in hoſtem properaſſet; præſertim cum hoſtis enixo ſtudio copias ſuas augere nuntiaretur. Sed quia tamdiu Turennium expectaverat, enitendum erat, ut iſtius utique conjunctione amotis difficultatibus potiretur. Igitur eidem demonſtrabat, legiones illas, quæ ſemel Reginæ ſacramentum dixerant, à ſe abſque præſcitu Reginæ cogi non poſſe, ut invitæ ad Gallicam militiam redeant; multo minus alias in eorum vicem dare integrum ſibi eſſe. Legiones nulla ſua aut ullius Suecorum culpa acceſſiſſe, quas recipere potius, quam ad hoſtes extrudere ipſi Legati Gallici cenſuerint, poſtquam nullo modo ad Gallicam militiam redire decreviſſet. Uti tamen illas pro Imperio ad reſumendum Gallicum ſacramentum compellere, aut alias in iſtarum locum dare non poſſit; ita non impedire, quo minus ipſe illas, ut ad ſe ultro redeant, ſollicitet. Quanquam autem Turennius quod regeret non habebat; haut ideo tamen poſtulatis ſuis deſiſtebat. Et ea vice infecta re diſcedebatur, niſi quod placeret, Turennium ad illas certum Ducem ablegare, qui denuo eaſdem ad ſe retrahere conaretur. Veniebat poſtera die Fleckenſtenius, 16. Febr. ſummus vigiliarum Præfectus, qui tamen nihil aliud quam priora Turennii poſtulata apud Wrangelium & Kœnigsmarckium repetebat; cui & idem quod Turennio reſponſum. Nec eidem tamen ipſas legiones alloqui placebat. Porro judicabat Wrangelius, Turennio haut quaquam ex aula injunctum ob iſta poſtulata ſocietatem armorum abnuere, aut rei præclare gerendæ occaſionem amittere; ſed privatis ipſum affectibus agitari, & quod ſperet, Succis utique neceſſum fore ſui conjunctionem iſta conditione redimere. Et expreſſe iſte proprii honoris, qui hic verteretur, mentionem fecerat. Unde cum ſpes utique eſſet, ipſum arma ſociare ad extremum haut abnuiturum, ni Regis ſui indignationem incurrere vellet, Laurentium Lindanum ſummum vigiliarum præfectum, & Alexandrum Erskeinum, ad Turennium miſit, qui repetitis jam ante expoſitis rationibus exquirerent, num ut hoc modo ageret, è Gallia in mandatis habeat? Tum citra ambages declararent, ſi is ſententiæ priori immotus inſiſtat, ſe captis ſeorſim conſiliis ſuo cum exercitu, quantum conniti poſſit, rem geſturum. Si quid in communem Regum fœderatorum cautam incommodi redunder, culpam non penes ſe fore, ſed penes ipſum, inanes lites intempeſtive moventem. Apud hos Turennius non tam prioribus poſtulatis inſiſtere, aut ob illa conjunctionem abnegare; ſed iter moleſtum ex Alſatia cauſari, defeſſumque equitatum, cui exiguum ad tempus inter Jaxtam & Tubarum fluvios hoſpitia quæſitum eat. Nec eo minus Rotenburgi, aut alio loco idoneo cum Wrangelio locuturum, ac omnia ſuſcepturum, quæ è communi re eſſe videbuntur. Legiones iſtas non tam proprio motu, quam inſtantibus ductoribus repetere, aut earum loco alias pari numero & bonitate. Quod ſi iſtos pro ſe annuere Wrangelius non audeat, eam rem ad Reginam referri poſſe. Ex eo reſponſo ſpes Wrangelio facta, iterato Turennii congreſſu ſe obtenturum, ut hic omiſſis poſtulatis prioribus copias ſecum ſociaret. Inter hæc totus Februarius menſis in caſſum labebatur, ac

1648.

21. Febr.

1648. ac pulcerrima simul occasio perculsum atque attonitum hostem invadendi, non sine ingenti Suecorum dolore, & in Gallos suspicione. Ne tamen tempus plane otiosum effluereret, Duglassius, à Wrangelio cum idonea equitum peditumque manu mittitur ad expugnandum Gleichensteinum, Eichsfeldiæ arcem, è qua vicinæ regioni multum molestiæ inferebatur. Qui arcem insidebat, Cæsareus Centurio cum centum quinquaginta peditibus ab initio strenue quidem resistebat, sed per machinam dejecta murorum parte ad deditionem compellitur, ac ut Paderbornam discedat permittitur, relictis tamen qui antea sub Suecis horumve sociis stipendia fecerant. Ista arx postea à Suecis munimentis nudata, ac funditus destructa est.

Gleichensteinum ad deditionem compellitur.

§. 11. Cæterum decretum erat Wrangelio Cæsareos ac Bavaricos, qui circa Ratisponam & Ingolstadium hærebant, trans Danubium compellere; inde in Palatinatum & Bohemiam transire, hinque regionibus ad reficiendum exercitum uti, pro re nata longius progressurus. Quo fine copias Kizingæ & Oxenfurti trans Mœnum ductas Winsheimo admovit à Bavaricis insessio quod cum destinatis suis non parum obstaret, in potestatem redigere, antequam longius progrederetur, consultum ducebat. Interim, quæ Forcheimi ab hoste relictæ fuerant, machinas Bambergensem Episcopum non sine minis poscit, qui & frustra intercedente Melandro illas in campum, ubi à Cæsareis destitutæ fuerant, retrahi jubet; unde easdem Gustavus Hornius summus vigiliarum præfectus cum valida manu missus Schweinfurtum abducit. Winsheimum porro, quod ducentis cum Dragonibus, quinquaginta equitibus Centurio Bernardus Poppius tuebatur, cum per unum & alterum diem tormentis quassaretur, super deditione agere cœpit; circa quam dum disceptatur, Ribbingius subtribunus intra accessus globo caput trajectus occubuit; Cujus cæde irritatus Wrangelius non alia lege deditionem permisit, quam ut ipse Centurio, cæterique Ductores singulis cum equis dimitterentur, gregarii captivorum loco essent. Centurio iste properatam deditionem mox Gunzburgi capite luisse dicebatur.

Wrangelius Winsheimum movet.

29. Febr.

Depositat Forcheimi machinas accipit.

Winsheimum capit. 2. Mart.

§. 12. Eodem tempore Comes Wurbenus Suecicam militiam amplexus est. Is jam Oldendorfi ad Wrangelium accesserat, Regiæ militiæ adscribi postulans, qui ob duellum cum Traunio Cæsarei exercitus quæstore susceptum legione sua privatus, Cæsareas partes deseruerat. Eum Wrangelius post capta idonea Virtutis ac fidei specimina legioni equestri, quæ Harenslebio Tribuno missionem obtinente vacabat, præfecit, idque Melandro per literas significavit, ut si casus belli ita ferret, juxta conventionem circa captivorum redemtionem cæteris par haberetur. Idem tamen scripto ad juramenti formam concepto fidem obstrinxit, qualis cautio à nemine alio Tribuno exacta comperitur, quod is ab adversa parte ad Suecos transisset.

Wurbenus Comes Suecicam militiam amplectitur.

§. 13. Inde cum jam Turennii equitatus quiete se refecisset, ac Winsheimo circumjecta regio parum alimenti Succico militi suppeditaret, Lindanus iterum ad istum missus est, qui eidem persuasit, ut ad Wrangelium in prætorium Ikelsheimum accederet: ubi consultatione habita utrique placuit hostem trans Danubium in Bavariam compellendum. Sed quid deinceps suscipiendum, non ita in expedito erat. Nam cum nondum gra-

Cum Turennio super conjunctione agitat.

minis in campo copia esset, hosti in Bavariam rejecto infisti commode non poterat. Apud Donavvertum enim Danubium transgressis, Licus inde superandus erat, qui hac anni tempestate aquis tumidus, nisi Rainæ & Augustæ, quæ validis præsidiis tenebantur, transiri non poterat. Cis Licum autem in superiore Suevia exhausta regio parum unde viveret exercitui suppeditabat. Igitur VVrangelio videbatur, post rejectum ultra Danubium hostem junctis copiis in Palatinatum superiorem eundum, ac Legionibus ad Reguin usque flumen distributis quietem in regione non inopi indulgendam, quoad gramen subnasceretur. Interim Amberga expugnata eam Provinciam in potestatem redigendam. Adulto vere, ac sublidentibus aquis per Licum in Bavariam penetrandum, ac belli sedem ibi figendam. Enimvero ista Turennio hautquicquam persuaderi poterant causanti, à stipendiariis sibi regionibus in Suevia & VVurtenbergica tam longe discedere haut sibi fas esse; ne hostis, emissa cis Danubium manu, illis evastatis militi suo media unde sustentaretur, subtraheret, simul communicationis lineam cum Gallia ipsi abrumperet. Contra VVrangelius ostendebat, ad Danubium sibi nullo modo subsistere integrum esse, annona deficiente, ac si quid in hospitia ipsius tentetur, idonea se manu, aut si opus sit, toto cum exercitu subventurum. Inde ad vetus postulatum revolvebatur, de pari equitum numero in vicem Vinariensium reddendo, ut eo efficacius in Bavaria rem gerere queat, addito, ut isti equites ab suo imperio unice dependeant, sibique liceat iisdem, quo velit loco, uti; nec alia lege se in ipsius petita descensurum. Enimvero VVrangelius citra Reginæ jussa sibi integrum esse negabat insignem copiarum partem in ipsum transferre, qua is pro lubitu deinceps uteretur. Et quia nimis quam apertum erat, Gallis haut ad palatum esse, Bavariam nimis urgere, vireisque ejus juxta ac auctoritatem destruere, dum postulata iterant, quæ à se concedi non posse prænorant; VVrangelius concitatior ita fœderi haut congruere exprobrabat, nec frustra spargi, occulta Gallum inter & Bavarum foveri commercia, ac non nisi in speciem bellum denuo fuisse indictum. Et quanquam Reginæ ac Landgraviæ acriter instantibus datum hoc sit, ut Rhenum transierit, mox tamen unde venerit rediturum. Nec ignotum esse plures in aula Gallica Bavari favore infectos, ac Bavaricum Residentem non procul Parisiis agere. Istis ut jam fidem adhibeat, necessitatem sibi adferri. Ad quæ Turennius quod reponeret, nihil habebat, nec eo magis, ut in superiorem Palatinatum simul abiret, persuaderi poterat. Igitur VVrangelius deliberatione super ulterioribus belli actionibus sepolita id tantum postulabat, ut Turennius in præsens copias secum sociaret ad hostes trans Danubium repellendos, id quod & hic annuebat. Porro istis Gallorum tergiversationibus abrumpendis VVrangelius consultum ducebat, pari ratione tam in bellicis actionibus, quam in pacis tractatibus cum Cæsareis colludere, ut æmulatione Galli ad arctius amplectendam Sueciæ amicitiam compellerentur. Quod consilium tamen Reginæ solidam agendi viam insistere cupienti displicebat, cui persuasum erat, ex ejusmodi simulatione nihil boni proventurum, nec amici quid à Cæsareis sibi sperandum, ac fortassis hac ratione Galliæ amicitiam plane amitti posse. Unde serio ipsi injungebat; clandestina cum Cæsareis commercia plane defugeret, etsi verbis minas spargere

1648.

1648. gere haut abs re ſit. Legatis tamen Oſnabrugenſibus, Scheringo & Roſenhahnio, qui in aula Gallica Legatus agebat, imperabat, Gallis acriter ac non ſine minis demonſtrarent; diutius ferri non poſſe, rem ab ipſis hac ratione in Germania geri, ac eo uſque reſpectum Bavari invaleſcere, ut per hunc nullibi bellum ſummis viribus geri, ac per hoc pax maturari queat. Tum citra ambages declararent, ni aliter in cauſam communem conniti velint, haut vitio ſibi daturos, ſi ipſa in tractatibus aliter ſibi conſulat, ac quas nanciſci poſſit conditionibus decidat, ſi vel maxime de militum ſatisfactione aliquid remittendum fuerit.

Fœderati exercitus in hoſtem tendunt.

§. 14. Decreta Turennii conjunctione Wrangelius Winsheimo movens Leutershauſam, inde Feuchtvvangam proceſſit, Turennio paulatim à dextris per Creilsheimum propinquante. Iſte porro præter Dunkelſpulam & Trudingam itinere capto

13. Mart. apud Oetingam copias luſtrat, ubi & Turennius cum ſuis ipſi jungitur. Animus erat in hoſtem ire, qui hactenus cis Danubium inter Neoburgum & Ingolſtadium conſtiterat, ac vel prælio cum ipſo cernere, vel trans Danubium eundem rejicere.

Hoſtis trans Danubium cedit.

At hoſtis fœderatorum adventu circa Dietfurtum & Berngrieſam copias contraxerat receptui paratus, quo fine & ſupra Ingolſtadium ponte navali Danubium junxerat. Ac ingruentibus

14. Mart. Suecis, Galliſque ceſſim ſemper ibat, quoad his non expectatis apud Ingolſtadium trans Danubium recederet. Tum Cæſareus æque ac Bavaricus miles ſecundum Licum diſponitur, excitatis qua fluvius ille vado tranſiri poteſt caſtellis ad fœderatos arcendos, ſi ſuperato apud Donavvertam Danubio in Bavariam irrumpere vellent. Wrangelius receptus hoſtium ignarus Kœnigsmarckium cum aliquot equitum legionibus explorandi cauſa præmiſerat, qui neminem hoſtium amplius invenit, quam duas Bavaricorum cohortes Wembdingam tendentes, quas ipſe circumventas fere concidit. Donavvertam Tribunus Caſpar Schachius deſecta pontis parte ultro deſeruerat.

15. Mart. Unde oppidani Wrangelio portarum claves VVembdingam uſque obviam ferebant, cui quatuor dimacharum cohortes præſidio imponebantur. Ad expugnandam arcem VVallerſteinam,

13. Mart. quam Muggenthalius cum ſeptuaginta peditibus tuebatur, Bulovius Tribunus miſſus eſt. Poſt veſtibulum cum quindecim militum Suecicorum jactura expugnatum cum deditionem imperantibus iſte ferociter reſponderet, arx ignibus injectis in-

16. Mart. flammata eſt. Unde præſidiariorum aliqui igne, alii fumo necati, cæteri vitæ veniam petiere. Qui ſupererant gregarii Suecicis admixti; Muggenthalius cum optione captivus Norlingam ductus eſt. Arx ſubjecto pulvere plane deſtructa. Turennius interim Harburgum arcem inter Norlingam & Donavvertam una cum triginta peditibus, qui eam inſidebant, in poteſtatem redegerat. Pari numero Kœnigsmarckius in arce Pappenheimo potiebatur.

Super ulteriore actione inter duces conſultatur.

§. 15. Porro antequam de receptu hoſtis in Bavariam conſtaret, Fœderatorum duces in anteceſſum, quid ulterius agendum deliberaverant. VVrangelius facile perſpiciebat, his oris tam numeroſo exercitui neceſſaria non ſuppetere; ſimul Egræ dudum circumſeſſæ annonam inferre cupie-

14. Mart. bat. Unde miſſo Duglaſſio & Erskeino, perſuadere Turennio conabatur, ut hic eo fine ſecum in Palatinatum Superiorem, & ad Bohemiæ fines abiret. Hac ratione hoſtem Bavariam & Cæſareas Provincias, queis includendus ſit, exhauſturum. Quicquid cis Danubium eſt terrarum, hoſtium 1648. uſibus ſubtractum ſuis copiis tamdiu commoda hoſpitia præbiturum, quoad gramine campi veſtiantur. Intercludi quoque viam copiis hoſtilibus in Bohemia hærentibus, aut neceſſitatem iiſdem adferri conjunctionem cum ſuis longa ambage per Auſtriam quærendi. Poſſe quoque, ſi videatur, uno & altero loco præſidia hoſtium expelli. Denique niſi Egræ prius proſpectum ſit, longius ſibi abire haut licere, quam ſervari Reginæ rebus quam maxime interſit. Turennius habito cum ſuis ducibus conſilio reſpondebat: ſe verſus Altemulum flumen cum Suecis in hoſtem recta iturum, (quem adhuc cis Danubium conſiſtere credebat,) haut diutius tamen, quam duas per ſeptimanas apud ipſum permanſurum, idque hac lege, ſi VVrangelius ſcripto caveat, ſe ipſum elapſo eo tempore in ſua hoſpitia incolumem iterum deducturum. Simul de Vinarienſibus copiis iterum monebat. A Suecicis ablegatis reſponſum, ob intercapedinem locorum Reginæ juſſa nondum allata; citra quæ VVrangelius Gallis haut concedere audeat copias, quas Suecis promiſſis, ac ſumtibus non modicis, ne ad hoſtem tranſirent detinuerint. Inde placebat edictum promulgari; ne quis ob eam ſeceſſionem alteri rixam intentet: nec de ea re quicquam amplius moveat, quoad de Reginæ ſententia allatum eſſet. Enimvero cum hoſtis trans Danubium conceſſiſſe intelligeretur, Turennius retractata pollicitatione ſtatim in hoſpitia ſua reverti conſtituit. Quo intellecto VVrangelius iiſdem ablegatis Turennium promiſſi ſui admonet, ac ut per quatuordecim 18. Mart. dies apud Altemulum, aut alio idoneo loco ſecum ſubſiſtat, quoad Egræ ſubventum ſit. Quo facto viciſſim cum ipſo in Sueviam, aut quo ratio belli vocet abiturus ſit. Aſt Turennius promiſſum ſuum eo ſpectaſſe excuſabat, ut hoſtis ultra Danubium rejiceretur. Hoc jam obtento longius ſe progredi non poſſe, ne tributariæ ſuæ regiones per hoſtem à tergo, aut Lauginga, aliaque ſuis præſidiis infeſſa oppida iterum invadantur. Qua ſententia, quicquid Suecici opponerent, dimoveri haut poterat. Ad extremum tamen pollicebatur, ſe itinere per Rotenburgum ad Tubarum capto inter Herbipolim & Bambergam tantiſper ſubſtiturum, quoad Egræ annona illata fuerit. Etſi ſatis ſibi conſtet, ſi Suecos in Bohemiam movere appareat, nullum Bavaricum ipſos eodem ſecuturum. Quæ quidem non parum ſuſpicionem augebant, inter Gallos & Bavaros omnia ex compacto agi.

Suedi in Palatinatum Superiorem abeunt.

§. 16. Hac pollicitatione utcunque adquieſcens VVrangelius id nunc præcipue curabat, ut quanta poſſet celeritate Egræ ſubveniret ad extrema fere redactæ, intercluſa dudum omni ſubvectione. Unde pleroſque oppidanos jam panis defecerat, qui militi vix in ſex ſeptimanas parce ſupererat, jumentis quoque pleriſque ob inopiam pabuli mortuis. Annonæ igitur inferendæ Kœnigsmarckius cum bis mille equitibus, aliquot deſultorum turmis, & machinis miſſus eſt; cui tegendo VVrangelius in Superiorem Palatinatum movit, ubi Neumarcum à Bavaricis deſertum præſidio firma- 25. Mart. vit, ſimul arces Sulzbergam & Heyneburgum facili negotio in poteſtatem redegit, pecoris & frumenti non ſpernenda copia ibi reperta. Eo loco aliquot per dies ſubſtitit, quoad Kœnigſmarckius deſtinata exſecutus eſſet.

Hoſtis cis Danubium cedit.

§. 17. Aſt Cæſarei & Bavarici, cum Suecos in Superiorem Palatinatum tendere cognoviſſent, reli-

Digitized by Google

1648. relictis ad Licum ſtationibus Ingolſtadium verſus redeunt. Inde cum deſertæ à Sueeis Donavvertæ Muttersbachium ſubtribunum cum ducentis equitibus, centum peditibus impoſuiſſent, ſecun-
19. Mart. dum Danubium Ratiſponam deſcendunt, infra quam urbem fluvius ponte navali ſternebatur. Eodem è Bohemia veniebat Bucheimius Comes, adductis in ſupplementum Cæſarei exercitus ſex millibus, ut jam in hoſtem eundi animus rediret. Quo fine Drucmullerus cum ter mille equitibus per Ra-
1. April. tiſponam præmittitur. Reliquæ copiæ infra urbem ponte fluvium ſuperant, inde per Burglengenfeldam & Schvvandorfum Ambergam & Sulzbacum verſus progrediuntur.

Kœnigsmarckius Egræ ſubvenit 25. Mart. 26. Mart. 27. Mart.

§. 18. Kœnigſmarckius interim ſuſceptam excurſionem ſolita celeritate feliciter expedierat. Is Ambergam prætergreſſus, Hirſchaviam, inde Weidam properabat, cui ducentos dimachas imponebat, ac demum Egræ complures curruum centurias frumento onuſtorum, ac numeroſos pecorum greges è Palatinatus oppidulis conquiſitos inducebat. Simul Copya tribunus oppidi præfectus pecunia inſtruitur. Qui Egram obſederant, iſtius adventu audito in vicinas arces ſe receperant, quos laxandæ ſubvectioni expellendos inde Kœnigſmarckius conſtituit. Igitur Waldſaxam, hinc Wonſidelam & Lœvvenſteinum citra exceptionem ad deditionem compellit, ac munimen-
31. Mart. tis exuit. His patratis Durſchenreuta iterum retro movit, evocatis ad ſe dimachis, qui tantiſper Weidam inſederant. In tranſitu Kemnathum expugnatur. Ejuſdem quoque juſſu Copya tribunus Kœnigsbergam arcem quadraginta peditibus inſeſſam occupavit. Iſthæc excurſio ingentem circa terrorem diffundebat, ut qui tributa antehac abnuerant, ea nunc Egram promte conferrent.

Hoſtium irritus conatus. 3. April.

Contra Drucmullerus à Cæſareis præmiſſus, jam Ratenbergam progreſſus, ne annona Egræ inferretur prohibiturus, aut in abeuntem Kœnigſmarckium irruiturus, hujus celeritate præventus fruſtra fuit. Hic quippe iſtius adventu cognito haut recta via qua venerat reverterat, ſed trans montes Bambergam properaverat, inde ſinuato itinere ad exercitum revertens. Et quia Turennius, prout convenerat, Rotenburgo Bambergam verſus ſe contulerat, ſi opus foret Wrangelio ſe iterum juncturus: hic non expectare ſolum hoſtem, licet copiis auctum, ſed & ultro in eundem movere decrevit.

Bavari cum Cæſare conventio.

§. 19. Bavarus interim pactum ſuper copiarum conjunctione cum Cæſare in futuram expeditionem per Mendelium Pragæ renovaverat, cujus vi Bavarus quatuordecim bellatorum millia eductu-rum ſe recipiebat. Cæſar viciſſim ingentem pecuniæ ſummam, ac Bavarici, Suevici & Franconici Circulorum tributa, atque hoſpitia pollicebatur, è quibus etiam pace facta copiis ipſius exautorandis ſatisfaciendum ſit. Repetebatur cautio, Electoratum & Superiorem Palatinatum ipſi ſalvum fore. Superſtruxerat tamen Bavarus promiſſa ſua huic conditioni: ſi poſt adhibitam omnem operam ſuaſu plurimorum & præcipuorum Imperii Ordinum, & abſque reſpectu ad extera commoda pax in Imperio obtineri non poſſit. Qua conditione adjecta ſtringere Bavarus Cæſarem cupiebat, ne in Hiſpanorum gratiam pacem Germaniæ moraretur. Ita Bavarus in hunc annum ſumma vi bellum parare, novos delectus inſtituere, equos, arma, annonam undique conquirere, ſelectos Provincialium paratos habere, Auguſtæ penum ſtruere, quod illac hoſtis irruptionem tentaturus metueretur. Nec eo ſecius tamen occultus pavor agitabat, ne acerbam à ſe vindictam ob ruptas inducias Sueci exigerent. Unde, ne hoſti forte in Bavariam penetranti annona ſuppeteret, aſperæ ſub pœnæ denunciatione civibus injungitur, quicquid frumenti eſſet in munitas urbes, Monachium, Ingolſtadium, Rainam & Auguſtam convehere. 1648.

Wrangelius in Suevium movet.

§. 20. Cæterum VVrangelius, cum per aliquot dies Kœnigſmarckio protegendo Neumarci ſubſtitiſſet, regionem illam plane exhauſtam deprehendit, ut ipſi inde utique movendum iterum eſſet. Nec tamen Bohemiam invadere conſultum videbatur, ſuperiore æſtate ab utroque exercitu plane exeſam, & Cæſareis juxta Bavaricique eodem ſecuturis, qui ipſi à Gallis deſtituto prævalebant. Igitur placuit retro ad Altemulum fluvium remeare: hinc in Superiorem Sueviam tendere, ſuſtentando ibi militi, quoad gramen adoleſceret. Ita & Gallicus exercitus in propinquo retinebatur, ac Cæſareus juxta & Bavaricus miles intra Bavariam retractus prohibendæ Suecorum per Licum irruptioni eam Provinciam exhauſturus erat. Ut tamen Palatinatus Superior tributis ſubjiceretur, & Ambergenſium excurſiones coërcerentur, Neumarcum quadringentorum peditum, ſeptuaginta equitum præſidio ſub Andrea Gaudio ſubtribuno firmatur, excitatis quoque Provincialium opera novis munitionibus. Inde caſtris motis, Feuchtam, Rotham, Eſchenbacum tranſiit ac luſtrato circa Ambergam minorem exercitu Ohrenbaviæ Altemulum flumen ſuperavit. Mox Dunckelſpulæ, cui fruſtra deditio imperabatur, vis admoveri cœpta. Oppidum inſidebant ducenti pedites, centum equites ſub vigilum Præfecto, qui ſpe auxilii à Gronsfeldio Bavarico Duce promiſſi acriter reſiſtebant. Sed dejecta murorum parte, & expugnato munimento exteriore, cum Sueeicus miles ſub ipſum vallum ſucceſſiſſet, ac omnia aſſultui dando parata eſſent, præfectus arbitrio ſe Sueeici Ducis dedere & cum ſubjecto milite captivi ſortem ſubire coactus eſt. Interim & Kœnigsmarckius ab Egrana excurſione incolumis redierat. Is cum Bambergam attigiſſet juxta Mœnum iter inſtituebat, ut ſi major hoſtium vis ingrueret, trans flumen in tutum ſe recipere poſſet. Inde per Kizingam, Uffenheimum & Rotenburgum itinere capto ad Dunckelſpulam VVrangelio jungitur. Sed & Turennius, qui circa Iphoviam hactenus hæſerat, Succos inſecutus Creilsheimi conſederat, ut ſi opus foret intra paucas horas Sueeis ſociari poſſet.

Idem Dunckelſpulam occupat. 1. April. 6. April. 7 April.

Eidem Kœnigsmarckius iterum conjungitur, 6. April.

Turennius quoque accelit.

Idem Sueeis quædam hoſpitia concelit.

§. 21. Kœnigſmarckio reverſo, & propinquis Gallis VVrangelius recta in hoſtem ire ardebat, ni inops regio pabulique defectus obſtitiſſet. Unde exercitus utique per dies aliquot in hoſpitia deducendus erat, quo viris, equiſque integræ ad futuram expeditionem vires perſiſterent. Sed cum in circumjecto Dunckelſpulæ agro parum cibariorum occurreret, ac itinere in ſuperiorem Sueviam exercitus valde defatigandus eſſet, miſſo Duglaſſio à Turennio poſtulat, ut quædam de propinquis ſuis hoſpitiis exercitui Sueeico tantiſper concederet. Quod hic demum neceſſitate perſpecta indulgebat. Ita in aſſignata Gallis hoſpitia Sueeicus exercitus deducebatur. Ac VVrangelius Dunckelſpulæ movens per Elvvangam & Gemundam Bopfingæ adpellebat. Ubi cognovit hoſtem mutato conſilio Danubium transeundi Harburgum vertiſſe, idque expugnaſſe. Unde VVrangelius eo die Bopfingæ ſubſtitit, num forte 17. April. 18. April.

hoſtis

1648. hoſtis Norlingam, VVembdingamve invadere, prælíive occaſionem præbere vellet. Sed cum mox intelligeret, eundem Donavvertæ trans Danubium conceſſiſſe, Gœppingam pergit; ubi 20. April. ipſe prætorium collocat, ac diſpoſito per vicina loca peditatu, equitatum intra ſex milliaria circum diſtribuit. Turennius itidem Creilsheimo movens ad dextram per Heidenheimum, & Schorndorfum Reutlingam flectebat. Hoc Fœderatorum itinere nihil memorabile occurrit, niſi quod hoſtium caterva centum viginti equitibus conſtans, dum prædæ agendæ cauſa Suecicis legionibus ſe inſerit, deprehenſa male multata eſt, triginta cæſis, octoginta cum optione, & duobus ſigniferis captis. Gœppingæ Wrangelius ad finem usque Aprilis menſis hæſit, ubi à Regina nuntius venerat, Palatino Carolo Guſtavo ſummum belli regimen per Germaniam collatum. Ea mutatione ne Wrangelius offenderetur, Regina literis propria manu ſcriptis teſtabatur, ab ipſo hactenus geſta ſibi ſummopere probari, ſed quare Palatinum novis honoribus extollere, rebusque gerendis admovere conſtituerit, gravibus cauſis moveri. Inde dubium ſibi non eſſe, quin ſuis juſſis obſequium delaturus, ac Palatini deinceps imperium agnituruſ ſit, proximo ab eodem loco rebus præfuturus; nec minorem ſe ab ipſo quam hactenus operam expectare. Eam mutationem ne Wrangelius ægre ferre poſſet velut ad inferiorem gradum depulſus, Reginæ voluntas efficiebat, & quia ubique credebatur Palatinum ſponſum Reginæ, ac Sueciæ Regem deſtinari, cui pro civis officio faces ſubmittere tenebatur. Addiderat & Carolus Guſtavus literas, quibus de adventu ſuo ſignificabat, multa cum verborum humanitate teſtatus ex ipſius conſilio ſe rem adminiſtraturum.

De Caroli Guſtavi Palatini imperio addentur.

Cæſarei à Superiore Palatinatu Donavvertam revertuntur.

§. 22. Aſt Cæſarei, uti dictum, cum Sueci in Superiorem Palatinatum moviſſent, & ipſi una cum Bavaricis tranſito apud Ratisponam Danubio in eandem provinciam conceſſerant. Ubi circa Hochburgum, Velbergam, Caſſellam & Lauterhofam per aliquot dies cum annonæ, ac pabuli inopia conflictati haut modicam equorum jacturam fecerunt. Ferebatur in animo ipſis fuiſſe Dunckelſpulæ ſubvenire: ſed vel propera oppidi deditione, vel quia propinquos Fœderatorum exercitus verebantur, id omiſere. Et ne Neumarcum quidem nondum ſat munitum invadere auſi, nulla re geſta inde receſſerunt. Ac Bavaricorum quidem pars Ratisponæ Danubio ſuperato in Bavariam rediit. Reliqui cum toto Cæſareo exercitu per Hemaviam, & Dietfurtum inter Altemulum & Danubium Donavvertam concedebant. Inde Harburgum arx inter 18. April. 19. April. Norlingam & Donavvertam ſita ab his invaditur; quam viginti quatuor pedites ſub Optione inſidebant. Hi cum acriter reſiſterent, viginti quatuor machinis arx quaſſata, ac Succicus Optio ad deditionem compulſus; cui Melander ſuſpendium minabatur ob deſideratum vigiliarum præ- 21. 22. Apr. fectum, aliosque valde irritatus. Hoc facto apud Trans Danubium abeunt. 26. April. Donavvertam Danubium tranſeunt, quod eis flumen alimenta deficerent, ac ultra idem conſiſtere ad tegendam Bavariam expedire judicaretur. Caſtra Guntzburgi ponuntur, legionibus equitum inter Burgaviam, Babenhauſam, Guntzburgum & Weiſſenhornum diſtributis: tum Leipheimi & Gunzburgi Danubius ponte ſternitur, totaque circum regio vaſtatur, immatura ſegete quoque demeſſa, ne hoſti uſui foret. Cæterum uti

Hoſtium conſilio.

Bavaricus miles ſat bene ſe habebat, velut qui ubique Cæſareis commodiſſima hoſpitia præripuerat: ita fames hiſce graviter incumbens multos ad ſigna deſerenda compellebat. Nec gregarius ſolum miles, ſed & Duces animis ægreſcere; quos inter tres tribuni, Harrandius Comes, Sommeda & Philologus, cum Melandrum importunius argentum poſcerent, in cuſtodiam dati Ratisponam navigio mittebantur. Præcipua ſpes in equitibus ſita erat, qui magno numero inermes antehac in Bohemiam & alias Cæſaris provincias dimiſſi fuerant, nunc reparatis equis, armisque iterum expectabantur. 24. April.

Fœderatorum numerus.

§. 23. Contra Suecicus exercitus triginta quinque legionibus conſtabat, in quibus decies mille quingenti equites numerabantur, quorum tamen duo millia equos amiſerant. Octo peditum phalanges quater mille, quingenta capita explebant. Turennio tria peditum, quatuor equitum millia erant, ex quibus tamen octingenti equos deſideraverant. His cum copiis Wrangelius ac Turennius in hoſtem ire conſtituunt, eundem ſi ad Danubium, aut in Superiore Suevia loco munito conſiſteret, intercepto commeatu preſſuri; cum haut paulo facilius annona ſibi Ulma & ex Wurtenbergica ſecundo, quam hoſti adverſo Danubio è Bavaria ſubvehi poſſet. Et Fœderatorum ducibus pro lubitu circumjecta regione uti licebat, cum Cæſarei è Bavari arbitrio pendere neceſſum haberent. Ita è Wurtenbergicis ſtativis movent, commeatu in quatuordecim dies proviſo, ac Langenaviam uno milliari à Gunzburgo accedunt, ubi prætorium hoſtium duces poſuerant, exercitu circum locato. Sed qui Fœderatorum adventu audito conſiſtere haut auſi, ac ponte amoto Ulcum verſus moventes Suſmarshauſam proceſſerant. Fœderati hinc Laugingam tendunt, quod ſolus ibi Danubii pons in manibus ipſorum eſſet, tranſito flumine cedentes intecuturi. Huc circa meridiem adpellentes cum intelligerent hoſtem Auguſtam iter intendere, ac ſuſpicarentur eundem catervas quaſdam hinc inde dimiſiſſe, uterque dux cum ſex Suecicis, tribus Gallicis legionibus raptim progredi conſtituit, num qui hoſtium intercipi poſſent. Superato Danubio Suſmarshauſam verſus properantes cum non procul inde abeſſent, hoſtium exercitum univerſum juxta illum vicum loco celſo conſiſtentem animadverterunt. Igitur cum rationis haut eſſet tam modica cum manu hoſtem laceſſere, ne de adventu ſuo huic innoteſceret cum novem illis legionibus tacite pedem referunt, ac utrumque exercitum Laugingæ illa adhuc veſpera flumen tranſire, & quantum poſſit inſequi jubent: qui & per noctem magna diligentia acceſſerat, impedimentis Dillingæ relictis. Ex interceptis captivis intellexere duces hoſtem poſtera die ſummo mane Susmershauſa Auguſtam moturum. 1. Maji. Hoſtis ecdit. 3. Maji. Fœderati inſequuntur. 6. Maji.

Iidem extremum hoſtium agmen proſligant. 7. Maji.

§. 24. Orta luce univerſus Fœderatorum exercitus aderat, recta in hoſtem tendens: & quia peditatus tardius incedebat, uterque dux cum equitatu prægrediens hoſtem, qui prout captivi referebant, de ipſorum adventu nihil intellexerat, iter ingreſſum deprehendit. Bavaricus equitatus una cum peditatu, ac gravioribus machinis orta luce præceſſerat. Cæſareus equitatus, qui dextrum cornu componebat, cui una cum quatuordecim peditum centuriis eo die poſterius agmen obtigerat, adhuc ante Fœderatos conſiſtebat. In iſtos hi non expectato peditatu ingruebant, Guſtavo Kurckio tribuno cum octingentis ſelectis

1648. equitibus primum agmen ducente. Et pedites quidem hostiles, viæ per sylvas, paludesque impeditæ opportunitate uli, tertia vice restitantes continuis displosionibus primum Fœderatorum agmen aliquandiu morabantur, dum interim equites cum impedimentorum parte ad reliquum exercitum, qui jam Heinhofæ rivum, cui Schmutteræ vocabulum, superaverat, citato quantum poterat cursu contendebant. Inprimis septingenti pedites loco paludoso, ac arboribus consito pedem figentes acriter resistebant. Sed cum Wrangelius Kœnigsmarckium ad sinistram per sylvam istos circumire juberet, ac Turennius, qui cum suis eo die primum agmen sortitus fuerat, à fronte urgeret, iidem loco depulsi, concisique sunt, paucis exceptis, quos latebræ tegebant. Fugitivos equites ad Schmutteram usque rivum uno ab Augusta milliari Fœderati insequebantur, non paucis occisis. Sed quia universus Bavaricus equitatus cum peditatu, & plerisque machinis trans rivum jam constitebat, transitumque valida manu custodiebat, ac Fœderatorum peditatus demum sub vesperam adpellebat, ob ingruentem noctem nil amplius tentari poterat, nisi quod Suecorum machinæ in turmas, phalangesque hostium, quæ ad fluentum dispositæ erant, maxima cum harum strage in seram usque noctem fulminarent. Quo die Ulricus Dux Wurtenbergicus interriti animi laudem tulit, qui trans rivum cum octingentis equitibus in prato consistens protegendis mille ducentis peditibus qui transitum tuebantur, per quinque horas immotus ante catervam stabat, globis circa viros, equosque passim lacerantibus. Per noctem hostis

8. Maji. summo silentio Augustam properabat, quo & postera luce cum manu equitum Wrangelius sequebatur; sed sub machinis urbis consistentes occasio lacessendi haut erat. Ex hostibus cæsi æstimabantur bis mille amplius. Nam & quatuordecim peditum Cæsareorum centuriæ ad unum fere deletæ, & equitatus non leviter multatus est. Præter complures duces ipse quoque Melander duobus globis dextro humero, ac pectore letaliter saucius Augustam deportatus eodem die sub vesperam expiravit. Capti duo tribuni, Bocca Major, & Hauserus, duo subtribuni, præfectus vigilum, turmæque unus, quinque centuriones, aliique ductores, ac gregariorum ducenti septuaginta. His accedebant sex machinæ, complura signa, & Cæsareorum impedimentorum magna pars. Apud Suecos pauci desiderati ac è ductoribus solus Fersenius turmæ præfectus. Sauciati præfectus vigilum Reitzensteinius, centurio Ditericus Sperlingius, ac pauci alii.

Numerus exforum & cæsorum.

Hostis Donavvertam deserit.

§. 25. Fœderati eodem die Heinhofam universis cum copiis accessêrunt, unde subinde catervæ aliquot sub castra hostium excurrebant, nemine horum prodire ausо. Donavvertam tribunus Georgius Ulfsparrius mittitur ad illud oppidum in potestatem redigendum. Sed duabus ante horis hostiles pedites cymbis, equites citato cursu Rainam se receperant. Id oppidum Wrangelii jussu VVeierus subtribunus VVembdinga excedens cum suis dimachis occupat. Ast hostis post biduum apud Augustam in Bavariam transit, & castra inter Fridbergam, & Kissingam metatur. Ut Fœderati transitu Lici arcerentur, ad pontem Rainæ castellum excitatur, tum & qua vado fluvius transiri poterat, ripa loricis ac reductibus munitur.

Idem in Bavariam se recipit. 10. Maji.

Wrangelius Vina-

§. 26. Porro senserat VVrangelius, à Turennio multas sibi difficultates ob Vinariensis legiones removeri, earumque detentionem aculeatis verbis exprobrari. Et juncto hactenus utroque exercitu non parum turbarum excitatum erat, quod quidam Germanici ductores in Gallico exercitu, sub quibus isti equites quondam meruerant, aperte eosdem ad se pellicere iterum auderent, ut jam trecenti quinquaginta amplius delectis lignis Suecis Gallico iterum exercitui accederent. Unde imminutis legionum numeris vix mille eorum amplius restabant, tribunis acriter apud VVrangelium eo nomine querentibus. Igitur hic istis denuntiat; si universi ad Gallica stipendia redire velint, se curaturum apud Turennium, ut ante acta iisdem impune sint. Sed cum id abnuerent, edictum promulgat; si qui singuli ad Gallos transeant delectorum loco fore. Et istorum aliquibus deprehensis, & laqueo necatis ea licentia compressa est. Nec eo secius inter utriusque exercitus duces discordia gliscebat, dum Gallici ductores nonnullis eorum equitum equos eripiunt, ipsorumque Præfectos asperis verbis increpant, his vindictam haut segniter reponentibus. Et quanquam Turennius huic immodestiæ remedium promitteret; tamen cum injuriæ non cessarent, VVrangelius eas legiones seorsim à reliquo exercitu tendere jubebat, donec alia via panderetur id malum plane tollendi. Scilicet consilium agitabat VVrangelius, ut impressione in Bohemiam facta Cæsareos Bavaricis divelleret. Simul expedire judicabat, supplementa, quæ in illo Regno Cæsareis colligebantur, dissipari, ne refecta inermium equitum multitudo magna se mole iterum in ipsum effunderet. Eo fine VVittenbergium è Silesia in Bohemiam ad Albim usque progredi jusserat: quo & Kœnigsmarckium ex hoc latere immittere meditabatur, cui præter alias has quoque legiones attribuit. Ita quam illarum præsentia invidiam excitarat ultro iisdem digressis expirabat.

1648. rienses removeri, eorumque detentionem aculeatis verbis exprobrari. Et juncto hactenus utroque exercitu non parum turbarum excitatum erat, quod quidam Germanici ductores in Gallico exercitu, sub quibus isti equites quondam meruerant, aperte eosdem ad se pellicere iterum auderent, ut jam trecenti quinquaginta amplius delectis lignis Suecis Gallico iterum exercitui accederent. Unde imminutis legionum numeris vix mille eorum amplius restabant, tribunis acriter apud VVrangelium eo nomine querentibus. Igitur hic istis denuntiat; si universi ad Gallica stipendia redire velint, se curaturum apud Turennium, ut ante acta iisdem impune sint. Sed cum id abnuerent, edictum promulgat; si qui singuli ad Gallos transeant delectorum loco fore. Et istorum aliquibus deprehensis, & laqueo necatis ea licentia compressa est. Nec eo secius inter utriusque exercitus duces discordia gliscebat, dum Gallici ductores nonnullis eorum equitum equos eripiunt, ipsorumque Præfectos asperis verbis increpant, his vindictam haut segniter reponentibus. Et quanquam Turennius huic immodestiæ remedium promitteret; tamen cum injuriæ non cessarent, VVrangelius eas legiones seorsim à reliquo exercitu tendere jubebat, donec alia via panderetur id malum plane tollendi. Scilicet consilium agitabat VVrangelius, ut impressione in Bohemiam facta Cæsareos Bavaricis divelleret. Simul expedire judicabat, supplementa, quæ in illo Regno Cæsareis colligebantur, dissipari, ne refecta inermium equitum multitudo magna se mole iterum in ipsum effunderet. Eo fine VVittenbergium è Silesia in Bohemiam ad Albim usque progredi jusserat: quo & Kœnigsmarckium ex hoc latere immittere meditabatur, cui præter alias has quoque legiones attribuit. Ita quam illarum præsentia invidiam excitarat ultro iisdem digressis expirabat.

dimittit.

§. 27. Biduo post hostium discessum Fœderati itidem Heinhofa moventes, præter Kœnigsmarkium, qui retro Donavvertam cum suis abibat, adverso Lico iter faciunt, ac postero die Bolingam perveniunt, velut illo loco fluminis transitum tentaturi: revera ut hostem eodem pertratum tentaturi: revera ut hostem eodem pertraherent, inde iter subito relegentes infra Augustam flumen superarent. Et sane hostis itidem Fridberga adverso flumine adscendens, in oppositа ripa castra metabatur. Quo conspecto Fœderati sub vesperam impedimenta præter Augustam retro misere, ipsi noctis silentio cum omnibus copiis insecuti, postero mane Oberndorfi appulere, cujus arce statim octodecim pedites de Rainensi præsidio exturbarunt. Ac si tam cito vadum reperire licuisset, hostem præverterant. Sed fluvius lat tumidus tunc volvebatur, & vada excitatis cooperibus, ac milite firmata erant, ut Fœderati sopo tunc suo potiri non possent. Interim & hostilis exercitus, animadverso istorum itinere, & ipse secundum Licum descendens sub vesperam eodem pervenit, ripa inter Augustam & Rainam pluribus militibus insessa. Igitur Fœderatorum duces in conspectu hostis vi perrumpere constituunt eodem loco, ubi quondam Gustavus Rex viam monstraverat. Id prohibiturus hostis in adversa ripa munitiones excitare cœperat. Sed subinde machinis, & tubis è celsiore ripa detonantibus isto opere depulsus est. Et quanquam pluribus accersitis copiis prohibere tamen non poterat, quo minus Fœderati, patrocinantibus suis machinis, pontem struerent. Unde hostis noctu castris, ac

Fœderati Licum transeunt. 12. Maji. 13. Maji. 14. Maji. 15. Maji. 16. Maji.

1648. ac omnibus ad Licum ſtationibus deſertis Ingolſtadium tanta cum trepidatione abibat, ut armorum paratusque bellici, ac ſarcinarum non parum relinqueret, ac ne omnes quidem ſtationes avocaret. Qui caſtellum ponti apud Rainam adſitum cuſtodiebant, poſt deſtructa duo pontis juga abjectis armis citato curſu ſe inde proripuerunt. Et ingens hoſti clades iterum imminebat, ſi Fœderatorum equitatus ſtatim flumen ſuperare potuiſſet. Sed liquefactis Alpium nivibus tunc Licus intumuerat; & quanquam nonnulli equites tranare auſi aliquot interceptos attrahebant, ex quibus de trepido illorum receptu cognoſcebatur; integris tamen turmis flumen nando ſuperare haut dabatur. Poſt biduum Fœderati ponte apud Rainam refecto Licum tranſiere; quo ſpatio hoſtis in tuta evaſerat. Id oppidum expugnare Fœderatorum ducibus ab initio placuerat, quod frumenti ſatis è Suevia & Wurtenbergica ſubvehi alendo exercitui poſſe videretur. Sed quia idem operibus, milite, aliisque ad ſuſtinendum obſidium neceſſariis firmatum erat, tempus ac militem ei operi impendere haut conſultum habebatur. Ac ſufficere viſum quatuor pedeſtres, totidem equeſtres legiones ibi relinquere, includendis præſidiariis, ac tuendo ponti; à quibus & deſtructum ad pontem caſtellum reparatur.

17. Maji.

19. Maji.

Fœderati Freiſingam veniunt. 23. Maji.

§. 28. Inde præter Neoburgum, & Ingolſtadium Fœderati Freiſingam tendunt; ubi arx quadraginta ſex peditibus inteſſa ſtatim deditionem fecit. Capti quoque ibidem tribunus Joannes Minor, & ſubtribunus Lichtenavius, centuriones quatuor, ſex optiones, totidem ſigniferi, ac multi alii ex hoſtili exercitu, inopino Fœderatorum adventu oppreſſi. Aſt hoſtis, antequam Fœderati Licum tranſire poſſent, Ingolſtadio Landshutam iter intenderat. Unde poſt oppidum non ſuperfunctorie direptum quarto die Iſaram tranſiit, ac pontis parte deſtructa inter id oppidum, & Freiſingam in altera fluminis ripa conſedit. Freiſingæ pons plane deſtruitur, ac duo ibi oppido oppoſita caſtella præſidio firmantur, hinc inde ad ripam excitatis loricis, ut Fœderati circa pontem reparandum ſatagentes impedirentur. Mox tamen ſubſequente die, cum hoſtis Fœderatos machinas attrahere, ac magna vi tranſitum parare conſpiceret, per tenebras illis caſtellis, ac reliquis ſtationibus deſertis ſe proripit. Wrangelius cum hoſtem haut temere Iſaræ ceſſurum crederet, denuo de oppugnanda Raina cogitabat. Sed cum hic ultro ad Iſaram tranſeundum invitare videretur, id conſilium omiſit, præſertim cum jam de Lici tranſitu ſatis cautum eſſet. Igitur circa reparandum Freiſingæ pontem labor ſumitur; etſi opus ſpe tardius procederet, quod continuis aliquot dierum pluviis turgidus fluvius quæ ſtructa fuerant iterum abripuiſſet, quibus reficiendis diebus aliquot opus erat. Interim Landshutenſes à Wrangelio tutelarem militem petebant, quibus iſte præfectum vigilum Roſenſchmidium cum militum manu miſit, pontemque reparari juſſit. In armamentario novem machinas ac nonnihil pulveris pyrii hoſtis, cum oppidum diriperet, reliquerat. Antequam pontes reficerentur, catervæ partim ducum juſſu, partim ultro trajicientes complures captivos, ſimul ingentem vim pecorum adducebant, quæ viliſſimo pretio diſtrahebantur.

Hoſtis ad Oenum propere refugit.

§. 29. Hoſtis deſerto Iſara verſus Oenum Schærdingam & Paſſavium recedebat, quod Salisburgenſis Archiepiſcopus pontes Muhldorfi, & Ortingæ dejici juſſiſſet. Tanta porro iſtum conſternatio invaſerat, quanta toto bello conſpecta non fuerat, ne poſt maximorum quidem præliorum ſtragem. Miles ipſe Bavaricus hoſtili modo omnia late diripiebat, etiam qua agmen non tangebat. Ejus trepidationis non minima cauſa erat, quod utrique exercitui juſtus dux deeſſet. In Melandri locum Piccolomineus expectabatur, cujus virtus, experientia, ac prudentia collapſam prope Cataris militiam reparatura ſperabatur. Is e Belgio magnis itineribus adproperabat, ab ipſis Fœderatorum ducibus ſolita tunc inter belliantes humanitate literis tuti itineris inſtructus. Qui Bavaricis hactenus imperaverat Gronſeldius Comes nuper in cuſtodiam datus Monachii arcte cuſtodiebatur. Cauſam aliqui ferebant, quod acriter induciarum rupturam ſuaſiſſet, ac Gallos ab hinc haut diceſſuros Electori confirmaſſet; cujus vanitatem nunc eventus docebat. Plures imperium male adminiſtratum, & Lici ripam ſegnius cuſtoditam arguebant. Quo nomine tantum plebis odium incurrerat, ut in Monachium deductum Royerius ſummus vigiliarum præfectus protexiſſet, ab agreſtibus in urbe trucidandus fuerit. Ipſe Elector rebus ſuis diffitus Monachio, cujus defenſionem dicto Royerio commendabat, Waſſerburgum, inde Braunaviam ſecundo Oeno vehitur, navigio rebus magni pretii onuſto Muhldorfi ad ſublicas pontis ſubmerſo. Hinc plane Salisburgum concedit, non ſine magno animi dolore Provincia ſua irato hoſti in prædam relicta, & quod apud illum aſylum quærere neceſſum foret, quem hactenus variis injuriis oppreſſerat. Principis exemplum imitati cives, qua quiſque poterat trans Oenum & vicina oppida, Waſſerburgum, Braunaviam, Schærdingam, Paſſavium cum pretioſis rebus confugerant, ut pauci homines in ea regione occurrerent, ſed pecora agminatim nemine curante campis oberrarent.

Bavaris Salisburgum contugit. 24. Maji. 29. Maji.

Fœderati Iſaram tranſeunt. 1. Jun.

§. 30. Wrangelius poſt Landshutam valido præſidio firmatam Freiſinga Duglaſſium trans Iſaram præmittit, uno ab Erdinga milliari ſtationem capturum, ut peditatus, & machinæ per paludoſam viam, quæ dimidio milliari ab Iſara Erdingam verſus procurrit, tuto eniti poſſent; id quod ſequenti die factum. Pons Freiſingæ, quod Landshutenſis commodior eſſet, Fœderatis transgreſſis iterum dejicitur. Poſt unius diei Erdingæ quietem Hagam proceditur; unde Turennius, qui eo die primum agmen ducebat, cum parte equitatus uſque ſub caſtellum ad Waſſerburgum præcurrens hoſti inopino ſupervenit, dum ante caſtellum equos paſcit, ac miles per otium vagatur: ut Turenniani trecentis equis, & multis captivis potirentur. Ac ſi pedites in promtu fuiſſent, caſtellum ipſum ſubito impetu opprimi poterat, in quo pauci milites in armis fuerant, & vix ulli funis igniarius accenſus geſtabatur, ut dimidia hora elaberetur, priuſquam in ſubeuntes Gallos tubos diſploderent, tanta omnium conſternatione, ut ſi impetus ſtatim datus fuiſſet, facile antequam arma corriperent ſuperari potuiſſent. Ubi decem Galli audax facinus ſuſcipiebant, exutis veſtibus Oenum transnatantes in pratum, quo quingenti amplius ruſtici equos & pecora ſua paſcebant: quos illi nudi incurrentes lapidum jactu ita terrebant, ut relictis jumentis fuga ſe inde proriperent, Gallis triginta equos eis flumen abigentibus. Sub veſperam Turennius Hagam in ſtativa revertit. Sequenti die totus exercitus Kirchrietam dimidio à Waſſerburgo milliari proceſſit. Non pro-

4. Jun.

5. Jun.

1648. cul inde ad Oenum arx Hohenberga rupi impo-
Wasserburgum oppugnare non possunt. 6. Jun. sita jacet quinquaginta peditibus insidia, quam postridie citra exceptionem se dedentem Fœderatis tigne deleverunt. Porro peninsulæ Wasserburgum est impositum, quam Oenus sinuato alveo magnam partem ambit, præter angustum Isthmum, qui vix lapidis jactum patet. A faucibus istis mollis clivus assurgit, apud oppidum angustus, inde paulatim tele laxans, pluribus abscissus, & ponte pensili interruptus. In summo monte castellum jacet, non integro tubi majoris jactu ab oppido dissitum, quatuor procurrentibus propugnaculis, & intus peculiari abscissu firmatum. Ejus castelli ictibus oppidum ad radices montis positum, igniumque jactibus obnoxium erat. Oppido, & castello præerat Holzius, qui paucos ante dies eo se conjecerat. Oppidum legio istius cum quingentis Provincialium selectis, castellum mille ducenti milites insidebant. Gutschmitschius tribunus cum Croatarum legione inter oppidum & castellum tendebat. Ex his facile judicabant Fœderatorum duces, ad castellum expugnandum justæ obsidionis ambagibus opus fore: & eodem licet capto oppidum ipsum non statim in potestate erat. Tum & regio montibus ac sylvis hinc inde aspera haut in longum tempus utrique exercitui alendo sufficiebat. Ac per biduum continui imbres accessus ad castellum agi prohibebant. Igitur placuit omisso Wasserburgo,
Muhldorfium accedunt. 8. Jun. Muhldorfium inferius ad idem flumen situm accedere. Ex hoc oppido quod Salisburgensis ditionis est, cives abductis rebus suis profugerant. Sed in Præsidis militem Succi nihil hostilitatis exercebant, ac præfectum ita petentem adsito præsidio VVasserburgum deducebant. Ac dudum Regina injunxerat, ut si forte VVrangelius Salisburgensem ditionem tangeret, amice ipsam haberet, ne diserepantes ritus bello persequi videretur. Illo tractu uterque exercitus ad finem usque Junii mensis quiescebat, quod regio omnia necessaria vino excepto præberet. Interea circa pontem Oeno injiciendum desudabatur, quem transire summopere Succi cupiebant. Enimvero quantumcunque conniterentur, conatus omnis inanis erat. Flumen altum latumque, ac rapidum, ob crebras eo tempore pluvias ultra solitum intumuerat, ut ponte illud insternere, aut copias trajicere, vel nemine obsistente arduum esset futurum. Sed nunc insuper in adversa ripa Hunoldsteinius summus vigiliarum Præfectus cum aliquot peditum phalangibus consistens, castellis & reductibus ripam munierat, quo & plures copiæ indies confluebant.

Hostes se recolligunt. §. 31. Att hostis, qui trans Oenum usque cessim iverat, heic demum animos resumere cœperat, præsertim postquam Piccolomineus Cæsareo, & Enckefortius Bavarico exercitui in Gronsfeldii locum præfecti essent. Et Bavaricus quidem peditatus fere ad tuendam Oeni ripam relictus. Cæsarei adjuncto equitatu Bavarico Schærdingæ iterum cis Oenum remeantes inter Passavium & Vilzhofam castra posuere, quorum
17. Jun. stationem Succi apud Ortenburgum intercepserunt. Hinc pabulo deficiente apud Vilzhofam Danubium transiere, VVindorfii confidentes, castello tantum in Bavarica ripa ad caput pontis munito; cujus præfecto injunctum, ut Succis ingruentibus castellum desereret, ac ponte post se incenso in alteram ripam evaderet. Interea undique quantum poterant exercitum tam Cæsar quam Bavarus supplebant, quó iste Fœderatis iterum par foret. Tum & Rainæ annona infertur, copiis Succicis, quæ apud Donavvertam constitebant, frustra id prohibere conantibus. 1648.

§. 32. Quæ super tributis, queis à redimendis incendiis vocabulum inditur, eo tempore acta fuerunt, haut absre fuerit adduxisse. Cum Fœderatorum exercitus ad Freisingam hæreret, VVrangelius literis ad Maximilianum Curtium Comitem datis significat: post abruptas ab Electore citra idoneam rationem inducias sat causæ esse vindictam ejus facti exigere, ni subditos Principis delicto haut participare constaret. Unde nosse cupere, num ultro cum Fœderatis transigere, ac vastationem provinciæ, æternum fidei non servatæ monumentum futuram, redimere velit. Quo fine si ita ipsi videatur, ad se cum mandatis mitti posse, qui malum ditione Electoris avertant. Ve- 2. Jun. niebat inde ad exercitum apud Erdingam Kutnerus, VVrangelio ante notus & induciarum ruptura haut probata non ingratus; qui scisitabatur, quid in tractatus deducere VVrangelius velit, quo Elector suos congruis mandatis instruere possit. Simul literas tuti accessus pro Haslangio aulæ præfecto postulat. Quæ facile concedebantur, simul tributi incendiarii nomine millio uncialium expetitur. Elector Haslangii loco alios deputatos destinat, Dæringium Comitem, Cancellarium, & Kutnerum; tunc per Curtium literis exqui- 10. Jun. rit; quid levamenti & fructus Bavariam, ubi rit; quid levamenti & fructus Bavariam, ubi rit; quid levamenti & fructus Bavariam, ubi

1648. gliſcente inſuper in adverſa ripa hoſtium numero, deſperato ejusdem apud Muhldorfum tranſitu, navigiis & ratibus perrupturos ſe ſimulabant, quo hoſtilis equitatus Viltzhofa huc pertractus illam Bavariæ partem tanto magis exhauriret. Quod ſi iſthoc conſilium non ſuccederet, Viltzhofam invadere placebat, claudendo Danubio, ac bello inter Bavariam & Bohemiam connectendo idoneam. Porro cum circa Muhldorfum annona deficere inciperet, Fœderati inde Neumarcum diſceſſere. Inde dierum aliquot quiete ſumta Engenfeldam ſe contulerunt, ubi diſtributis circa copiis complures per dies metati ſunt. Contra hoſtis apud Viltzhofam cis Danubium regreſſus, Paſſavium & Schærdingam ad Oenum iterum abibat, accitis ex Auſtria & Bohemia copiis, & evocato Bavarico peditatu auctior, ut jam Fœderatis autem, ne quid in hoſtem tentare poſſent, continui per quinque ſeptimanas imbres obſtiterant, præaltis aquis, profundaque uligine viis machinas, & impedimenta trahi non permittentibus. Et quanquam poſt Engelfelda moventes recta in hoſtem irent, nullo tamen modo ad eum penetrare dabatur. Unde averſo itinere Viltzhofam verſus tendunt; quod oppidum Wrangelius, quantumvis ejus potiundi cupidus, oppugnare munimentis egregie firmatum, & tam propinquo hoſte verebatur. Sed quia nondum Bavariam belli malis levare placebat, ad Iſaram ſtationem capeſſere viſum, obſervandis hoſtium conatibus. Quo fine Dingelfingam caſtra translata, quæ ſtatim munitionibus circumdata, reparato quoque Iſaræ ponte. Ita heic & Landshutæ in utramque Iſaræ ripam tranſire, prout uſus expoſceret, licebat delaſſando hoſti, ſi forte caſtra caſtris conferre vellet. De cætero tolerabili apud Fœderatos exercitu loco res erant, niſi quod equitum aliquot millia equis amiſſis ad belli munia inutilia forent reddita; nec illis locis ulla ratio jumenta ſupplendi ſuppeteret.

Muhldorfo diſcedunt. 25. Jun. 29. Jun.

Dingelfingæ conſident.

12. Jul.

14. Jul.

Hoſtis Landaviæ conſidet. 19. Jul.

§. 34. Hoſtis contra, contractis apud Schærdingam copiis cum de Fœderatorum motu cognoviſſet, & ipſe Landaviam tendit, caſtris infra id oppidum ad Iſaram munitis, qui ponte inſternebatur. Ita dum propinquis locis exercitus inimici conſident, quotidianis excurſionibus certabatur, proſpera Fœderatorum fortuna, qui indies, quinquagenos, octogenos, centenos, plures ex hoſtibus captivos in caſtra pertrahebant. Sed majus operæ pretium faciebat ipſe Wrangelius, qui cum aliquot equitum alis tranſito Dingelfingæ ponte in altera Iſaræ ripa Landaviam verſus proceſſerat, ſitum caſtrorum hoſtilium & pontis exploraturus. In hunc ad ſeſqui milliare illuc progreſſum Drucmullerus, qui pridie per ſylvas Dingelfingam verſus ad intercipiendos Suecicos pabulatores cum mille quingentis equitibus iverat, inopinus impingitur. Sed quia Bavaricus dux paulo ante è captivis cognoverat. Suecicos numero prævalere, in fugam ſtatim ſylvis rectus cum ſuis effuſus eſt, pleriſque Straubingam verſus aliis alio ſe proripientibus. Suecici tamen acriter inſequentes haut paucos iſtorum occiderunt. Captus eſt Ulricus Dux VVurtenbergicus ſummus excubiarum apud Bavarum præfectus cum duobus turmarum præfectis, totidem optionibus, ſignifero uno, ac centum gregariis: quibus ducenti equi inſtructi accedebant.

Cæſarei carpuntur. 22. Jul.

Hoſtis

§. 35. Hoſtis inde relictis apud Landaviam caſtris propius Fœderatos apud Mamingam vicum conſedit, milliaris tantum ſpatio inter utraque caſtra interjecto. Qua propinquitate acribus velitationibus ſæpius certatum, non ſpernenda utrinque virorum jactura, ut tamen utraque pars juſto prælio occaſionem præbere declinaret. Moſteningæ arci trans Iſaram non procul Dingelfinga ſitæ Sueci præſidium impoſuerant, ex qua edito loco ſita hoſtium caſtra machinis infeſtari poterant. Ad eam ſubigendam poſtera die hoſtis triginta cum alis equitum ad Fœderatorum caſtra accedit, eodemque momento in altera fluminis ripa iſtam arcem valida manu invadit. Sed cum præſidiarius miles acriter reſiſteret, ac hoſtis intelligeret, VVrangelium neglectis, qui ad caſtra tumultum excitaverant, ſuis auxilio adproperare, infecta re diſcedere cogebatur, deſideratis ducentis amplius peditibus, ac aliquot minoribus machinis. Tutando Lici ponte ad Rainam aliquot Suecicæ ac Gallicæ legiones hactenus adſtiterant, quoad caſtellum ponti ad poſitum perficeretur. Eo abſoluto, ac quingentis peditibus firmato legiones in vicina oppida, Dillingam, Donavvertam & Hochſtedam ſeceſſunt. Eum pontem ſubvertere hoſtes ſemel atque iterum incaſſum laborabant, conſtructis variis machinis pulvere nitrato plenis, quas ratibus Auguſtæ impoſitas ſecundo Lico dimittebant. Sed qui incaſſum vim effundebant, cum prius quam pontem attingerent ignem concepiſſent.

1648. propius accedit. 28. Jul.

Moſtena arx ab hoſte fruſtra oppugnatur.

Caſtellum ad ponrem Rainæ fruſtra ab hoſte tentatur.

§. 36. Ad Dingelfingam interim præter excurſorum catervas parum gerebatur, quoad VVrangelius cum magna parte exercitus ſuperato Iſara in collem caſtris hoſtium oppoſitum progrederetur, viginti cum machinis tentoria flumini proxima ipſumque Mamingæ prætorium verberaturus. Hoſtis contra in altera ripa cum equitatu, ac peditum manu propere Fœderatorum caſtra accedebat, ſpe uti videtur, repentino impetu iſta irrumpendi velut milite vacua. Ac primus quidem aſſultus in extremum caſtellum ultra ſylvam fiebat à centum Gallis ſub duobus centurionibus inſeſſum, qui acriter quantumvis reſiſtentes poſt ſeſquihoræ pugnam numero obruti omnes conciſi ſunt, exceptis ſex gregariis & centurione, queis vitæ venia facta. Statio quoque Gallorum equeſtris in caſtra rejecta eſt. Sed cum propius caſtra ſubiret hoſtis à Gallis, & reliquis Suecis ita machinis tubisque exceptus eſt, ut non ſine jactura unde venerat rediret. VVrangelius, qui tumultu audito retro properabat, ex altera ripa eidem machinis non parum damni dabat. Hac actione hoſtis non paucos ſuorum deſideraverat, quos inter ſubtribunus Spitznazius, alius quoque ſubtribunus, & quidam gregarii capti ſunt. Porro VVrangelius ut tuto Danubii tranſitu potiretur, ſummopere cupiebat, quo commodus acceſſus Carolo Guſtavo Palatino ad ſe, aut ſibi ad illum, ſi res ferret, pateret. Cum autem ob interpoſitos hoſtium exercitus Viltzhovam ac Straubingam tentare non liceret, ac Donavverta longiuscule remota eſſet, Neoburgum deſtinatis ipſius commodum videbatur. Unde probante Turennio legiones, quæ caſtellum ad Rainam hactenus texerant, huc abire, ac Danubium ponte jungere jubentur. Quod ab illis ſub finem Julii menſis factum: quæ res Bavaro, quod ex interceptis ipſius literis patebat, magni momenti viſa.

Caſtra mutuo ſcuta. 7. Aug.

Fœderati pontem Neoburgi ſtruunt.

1648. Scripta super tributo incendiario. 1. Jul.

§. 37. Dum Fœderati ad Dingelfingam hærent super lytro incendiario Wrangelium inter, & Curtium Comitem disceptari pergebatur. Ad proximas istius literas Curtius reposuerat: Electorem in tractatus haut consensurum, ni de fructu eorundem in antecessum ipsi constet. Ab ipso insignem navatam operam, ut Succi cupita satisfactione potirentur; nec persuaderi sibi, pro sperata gratia in tantam Suecorum offensam se incurrisse, ut post exhaustas regionis opes inania tecta, ac parietes immensa pecuniæ summa redimenda sint. Quæ belli fortuna permittat jam ablata esse: nec Electori præter desolatas terras quid relictum. Quas cineribus obruere procul ab ipsius humanitate abfore; nec eundem tale sui monumentum ad posteros extare optaturum. Inauditum denique hoc bello direptis, ac vastatis regionibus ignium deprecandorum nomine pecunias imperasse. 11. Jul. Contra Wrangelius exquirebat; quid sibi, à quo tanta commoda stipulari Elector cupiat, ab ipso vicissim expectandum sit? De officiis ab Electore Sueciæ præstitis sibi non constare. Id sane in aperto esse, ipsum ad opprimendos Suecos arma cum Cæsare conjunxisse. Cujus facti si quæ gratia sit à Cæsare eam reposcendam è cujus provinciis iste bellum in Bavariam derivarit. Quid offensæ Suecis Elector præbuerit ne rurestri quidem plebi incognitum. Haut mollius hostiles exercitus non ita pridem in Hassia grassatos. Nec facile inventum iri exempla Principis ea dignatione, qui exteris Regibus tam erubescendo modo illuserit; quod nec Electori apud posteritatem valde 21. Jul. glorioſum sit futurum. Cum interim legiones pro se quælibet tributa ex assignatis sibi districtibus extorquere quantum dabatur, satagerent: Curtius aliis literis significabat; tractatu opus non esse, cum miles, quæ Wrangelius postularit, jam plus quam satis exigat. Alias quid Elector Sueciæ præstiterit acta tractatuum Westphalicorum testari. Quam justis causis Elector arma retumserit ante expositum fuisse. Denique par fuisse, Scriptorem epistolæ majore modestia de tam laudati Principis actionibus locutum fuisse. 27. Aug. Ad hæc Wrangelius reponebat: In refractarios militarem vim fuisse adhibendam. Haut ejusdem esse, Suecicis in tractatibus favere, ac iisdem multa armatorum millia opponere. Causas ruptarum induciarum ne ipsi Curtio quidem probari posse. Denique arduum esse circa describendas pravas Principum actiones verba invenire, quæ & veritatem exprimant, & horum existimationem non perstringant.

Bavaria male habetur.

§. 38. Ita literaria velitatio nullo fructu deflagrabat, & usque adeo super tributis decidere Electori curæ non erat, ut qui Oeni ripam tuebantur præfecti, quo magna pars provincialium convastatis rebus suis confugerat, prohiberent, ne quis horum vastationem prædiorum, aut ædium suarum pecunia redimeret. Etsi haut eo secius non pauci ex oppidis & vicis, cum alia ratio servandi res suas non esset, tributario oneri se subjicerent. Sed cum maxima provincialium pars tributa adspernaretur; multi literas, quibus ad ista solvenda monebantur, illuderent, plagis aut carcere multatis qui eas afferebant, flammis in tecta passim sævitum; quorum & non pauca per incuriam militum conflagrabant, cum nemo esset, qui relictos ab abeuntibus ignes extingueret. Fabricis tamen publicis coquendo sali, & cerevisiæ parcitum, nec non dotalitiis, aut donatis Electoriæ uxoris prædiis. Reliqua Electoris prætoria, quæ in distributione hospitiorum Succis obtigerant, fere flammis deleta. 1648.

Rusticorum Austriacorum missio.

§. 39. Dum ad Dingelfingam hæret Wrangelius, à rusticis Austriæ supra Anasum missus adest Joannes Georgius Keitenhauserus qui universam Provinciam partibus ipsius accessuram confirmabat, modo occasio præbeatur. Viginti quatuor horarum spatio signo campanis dato quinquaginta, quin centum millia virorum exciri posse. Sed equitatus nonnihil, & idoneos ductores sibi submittendos. Cæterum nihil aliud sibi quam usum Evangelicorum sacrorum quæri. Si bellum in suam Provinciam transferatur, militum licentia à penatibus, bonisque suis arceretur. Annonam militi è Catholicorum bonis curari posse. Ubi primum copiæ à Wrangelio missæ advenerint, se omnes Catholicos Præfectos, Barones, ac Nobiles comprehensos Wrangelio tradituros, è quorum lytris ingens pecuniæ summa redigi queat. Quanquam autem ex ejus Provinciæ motu Reginæ rebus ingens emolumentum accessurum videretur; tamen petitus istorum hominum pro tempore Wrangelius gratificari non poterat. Nam hoste totis viribus incumbente nihil copiarum à se dimittere licebat; & quæ via militi in eam Provinciam penetraturo proponebatur, anfractuosa juxta, & intuta erat, ex altera Danubii ripa per Bohemiæ confinia supra Lincium dirigenda. Unde ablegatum istum ad Wittenber- 5. Aug. gium, & Kœnigsmarckium in Bohemiam dimisit, quibus negotium hoc diligentissime commendavit; qui & cum copiis suis in propinquo versantibus destinata longe expeditius exsequi poterant.

Hostis paulum recedit.

§. 40. Hostis inde à Fœderatis apud Dingelfingam paululum recedens in priora ad Landaviam castra regressus est. Unde suspicio orieba- 13. Aug. tur ab ipso partem copiarum in Bohemiam contra VVittenbergium & Kœnigsmarckium missum iri, qui isthoc Regnum tunc pro lubitu perlustabant. Sed comperiebatur quantum posset copiarum è præsidiis & aliunde contrahi, quod Bavarus nullo modo ferre vellet, vel unum militem Cæsarei exercitus in Bohemiam abire, priusquam Fœderati tota Bavaria decessissent, nec ita cito reversuri viderentur. Cæterum quanquam Suecicis excursiones hactenus feliciter successissent, interceptis multis hostium pabulatoribus, & quatuor fere equorum millibus: Cæsareis tamen in proclivi erat ex intactis adhuc suis Provinciis ea damna reparare. Contra Fœderatorum equitatus diuturnæ expeditionis laboribus indies magis fatiscebat, aliquot millibus equitum ad pedes redactis, & inermibus, quos equis, armisque iterum instruendi illis locis nulla ratio suppetebat. Unde metus erat, ut sedes belli diu in Bavaria retineri posset, id quod alias VVrangelius summopere cupiebat. Et integrum jam mensem Dingelfingæ Fœderati hæserant omnibus circum consumtis. Unde annonæ pabulique defectus castra mutare subigebat. Novæ stationi commodissimus locus ad Mosburgum visus, qua Ambra fluvius Isaræ miscetur. Ita motis Dingelfingæ castris pontem 18. Aug. ibi transiere, ac adverso Isara iter facientes Landshutam prætergressi, Ambraque superato Mos- 25. Aug. burgum attigere. Ubi statim castris munitis Isaram apud id oppidum duobus pontibus sternunt, quorum caput in altera ripa excitatis castellis muniunt. Galli quoque dimidio supra oppidum millia-

Fœderati equorum inopia premuntur.

Fœderati Mosburgum castra transferunt.

1648. Iari Iſaram, Ambramque ponte caſtellis firmato intternunt.

Hoſtis eo non ſequitur.

§. 41. Fœderatis Dingelfinga digreſſis hoſtis quidem apud Landaviam in citeriorem Iſaræ ripam tranſiit; ſed haut longius inſecutus eo tractu ſubſtitit. Itidem quotidianis velitationibus inter excurſorum catervas certabatur, proſperiore fere Fœderatorum ſucceſſu. Simul apud Straubingam Danubius ponte jungebatur. Unde conjectura erat, Cæſareos in Bohemiam abituros. Id quod etiam Blumenthalius Cæſarei exercitus Quæſtor apud Bavarum, ſed incaſſum ſolicitaverat. Ita junctæ adhuc hoſtium copiæ Fœderatis in Bavaria incumbere pergebant. Landshutæ obſidium agitantibus hoſtibus jactura temporis metuebatur, quod Fœderati ex altera Iſaræ ripa præſidium firmare, ac mutare pro lubitu poſſent, nec quæ ad obſidium requiruntur in promtu eſſent. Inde

Idem ad Oenum ſe confert.

pons navalis Straubingæ factus diſſolvitur, navigiis Deckendorfum & Vilzhofam deductis, quibus annona ſecundo Danubio, hinc adverſo OEno Braunaviam deveheretur. Hoſtis quippe apud Landaviam denuo trans Iſaram regreſſus OEnum verſus iter intendebat, quod ſuſpicaretur, Fœderatos Mosburgi quam Dingelfingæ OEno propiores repente ejus fluminis tranſitum iterum tentaturos, cujus aquæ indies ſubſidentes alicubi vado jam ſuperari poterant. Unde à Bavaro Waſſerburgum milite firmatur, ac Provinciales armati ad OEni ripam idoneis locis diſponuntur. Dum verſus Vilſam flumen progreditur hoſtis Aheimum arcem, octoginta Fœderatorum peditibus inteſſam invadit, quæ licet lata foſſa ac palude, validoque muro circumdata poſt paucas machinarum diſploſiones arbitrio ſe hoſtium dedit. Wertanus quoque catervam ducentorum equitum à Fœderatis emiſſam profligat, centum amplius cæſis, captiſque, reliquis diſſipatis. Inde hoſtis aliquot per dies Vilz-biburgi metabatur: hinc progreſſus, cum Fœderati Erdingam, ne hoſtis inſidere id oppidum poſſet, flammis deleviſſent, in vico Dorfena quatuor à Waſſerburgo milliaribus diſſito prætorium ponit. Ubi ſuper pabulo acriter certatum, quod id Fœderatis in ulteriore Iſaræ ripa, conſumtis in citeriore omnibus, petendum eſſet. Hoſte ita longe à Danubio remoto Fœderatis totam retro Provinciam percurrendi facultas erat: quorum & catervæ ſub ipſa Ratiſpona magnam pecorum vim abigebant, ac Prælatos Cœnobiorum Pruflingæ & Briclæ ad tributa exſolvenda compellebant. Ab iiſdem quoque caterva Cæſareorum centum ſexaginta capitum apud Abenſpergam paucis elapſis conciditur.

10 Sept.

Ita Bavaria ab utroque exercitu miſere lacerata; rapiendis pecoribus ac jumentis inter utramque partem certatum: meſſem qui in horrea colligeret nemo erat, nec qui in futurum annum ſementem faceret. Fœderatos cumprimis inopia ſalis, & ferreamentorum calceandis equis urgebat: panis affatim erat: cereviſiam circumductis ahenis ipſi in caſtris coquebant.

Hoſtis Fœderatos prævertit.

§. 42. Tota ſic Bavaria inter Licum & OEnum exſa tractus inter Iſaram & Licum, qua ad Alpes vergit, adhuc reſtabat, ubi & Landsberga copioſo commeatu inſtructa, ſtativiſque opportuna erat. Hanc ne Fœderati invaderent, hoſtis valido præſidio firmaverat, ac illos prævertens caſtris motis paulatim locis intactis, montibuſque propinquabat, itinere Monachium verſus inſtituto. Sed & Fœderati premente pabuli ac annonæ inopia Mosburgo Haimhauſam, hinc ſuperato Ambra Dachaviam tendunt, itinere Landsbergam converſo. Quæ Neoburgi hactenus ſubſtiterant legiones VVrangelii juſſu extructum ibi pontem velut deinceps inutilem tollunt, ac Donavvertam iterum concedunt. Fœderatis animus erat, Landsbergam ſi poſſent expugnare, ibique caſtra figere aut ſi hoſtis inſequeretur prælio committendo occaſionem quærere. Quamvis autem hoſtium exercitus ſuperato Monachii Iſara ſecundum Ambræ lacum ſub montium radicibus viam itidem Landsbergam verſus inſtituerent; haut tamen ullam prælii committendi cupidinem oſtendebant; nunquam intra duo milliaria Fœderatis propinquantes, ac opportunis ſemper locis, ubi ad prœlium compelli non poſſent, conſidentes.

1648. gam tendunt. 20. Sept. 19. Sept. 28. Sept.

Conflictus ad Dachaviam. 25. Sept.

§. 43. Eo itinere improviſus conflictus obtigerat, nonnulla Fœderatorum jactura. Pridie quam hi Dachavia moverent, Wrangelius cognoſcebat Wertanum cum bis mille equitibus tranſito Monachii Iſara Pruccam verſus proceſſiſſe: cui revertenti ut inſidias ſtrueret ipſe cum ſedecim equitum alis, ac dimacharum manu ſuperato ad Dachaviam Ambra Monachium verſus progreſſus erat, ad ſeſquimilliare ab hinc turmis per ſylvam in inſidias diſpoſitis. Præmittitur inde Poleius tribunus cum quadringentis equitibus, ut per ſylvam Monachium verſus excurrens, per diffuſam inde planitiem omnia exploraret, & ſi quid hoſtium animadverteret, ſtatim ſignificaret. Enimvero eodem tempore jam univerſus hoſtium equitatus Monachii Iſaram tranſierat ignaro Wrangelio, & nihil minus quam hoc cogitante, quod iſti priore nocte ſeſquimilliare à Monachio ultra Iſaram adhuc conſtiterant. Num autem hoſti de VVrangelii acceſſu conſtiterit, an forte fortuna res ita ceciderit, nobis haut compertum. Ita in Poleium aliquot hoſtium turmæ repente impinguntur, quibuſcum iſte initio quidem manus conſerebat, ac ſolutis ordinibus præcurrentes repellebat; mox tamen toto hoſtili equitatu ingruente funditur, cui ſolutis ordinibus quidam hoſtium uſque ad legiones ſylvis tectas inſtabant. Qui primum à Succis intercepti fuerant, narrabant, non-

Fœderati Landsberg-

gentos duntaxat hoſtium adeſſe. Mox tamen ſigniter comprehenſus fatebatur, univerſum equitatum ingruere. Unde VVrangelius alis mature receptum imperabat; deſultores centum quinquaginta ad rivum interjectum diſponebat hoſtium tranſitum prohibituros, ac ne illi ſuis longius inſiſterent. Iiſdem & hoſtis manum dimacharum à fronte opponebat, ac quia pluribus in locis fluentum vado tranſiri poterat, tota vi à tergo iſtis ingruebat, pleriſque, qui in equos evadere non poterant, cæſis captisque. Proxime à dimachis VVrangelii legio prætoria conſtiterat, quæ & ipſa ſat acriter multabatur, ſauciato ſubtribuno Bornemanno, ac cæſo Pancratio turmæ præfecto. Capiebantur Guſtavus VVrangelius dimacharum ſubtribunus, & Prengelius, pari militiæ gradu Poleium comitatus: inſuper Benedictus Hornius, ac Adolfus Hermannus VVrangelius, imperatoris frater, qui animi cauſa ſimul profecti erant. In univerſum ductorum & gregariorum trecenti deſiderabantur capti aut cæſi, cum tribus vexillis.

Fœderati in Bavaria ſubſiſtere non amplius poſſunt.

§. 44. Landsbergam hoſtis operibus ac milite ita firmaverat, ut ei capiendæ operoſa oppugnatione opus eſſet; nec unde interim annona pabulumque peteretur adparebat. Cæterum ſtabilem in Bavaria bello ſedem figere VVrangelio, ſum-

1648. summopere licet cupienti, haut datum fuerat. Hostis quippe statim atque Isara se primo prompuerat, omnia munita oppida copioso milite instruxerat; mox continui imbres, & exundantes fluvii, ne qua oppugnatio fuscipi posset, prohibebant. Interim dato spatio hostis reparato exercitu, decrescente apud Fœderatos equitum numero, viribus potior esse cœperat. Etsi nunquam prælii copiam facere auderet, sed opportunis locis haut procul considens certatim annonam pabulumque consumeret, ut eo citius inopia Fœderatis abeundi necessitatem imponeret. Quanquam autem & hostis diuturna expeditione haut parum attereretur, ut Fœderatos ultro ipsum lacessendi vires, animusque haut deficerent: tamen jam penitus commeatus deficere cœperat, rebus omnibus per agros absumtis. Ea sola causa erat Bavariam deserendi, in qua tamen sat acerbam sui memoriam reliquerant. Ad extremum apud Kœntingam ordinibus in aciem explicatis ad meridiem usque constiterunt, num forte pugnæ copiam hostis facturus esset. Sed cum è captivis intelligeretur, eum altero à Landsberga milliari immotum hærere, ac castris muniendis vacare, nec in locum æquum descensurum, eodem die Scheuringam progressi sunt. Postero die præmissis apud Lichtenbergam arcem trans Licum impedimentis sub vesperam usque retro sylvulam arci aditam in acie consistunt. Hostis interim Landsbergam versus iter ingressus fuerat; sed cum per exploratores cognovisset, Fœderatos adhuc cis Licum in Bavarica ripa consistere, longius progredi non audebat. Ex quo cum Fœderatorum duces judicarent, hosti haut quidquam in animo esse prœlio decernere, sub vesperam exercitu trans Licum ducto sera nocte Munchingæ consederunt. Ita duo hostiles exercitus, cum sæpius hac æstate castra castris contulissent, citra prœlium separantur; cujus aleam Cæsareis ..c Bavaricis tentare nunquam placuerat, contentis annonæ inopia hosti Bavaria excedendi necessitatem attulisse. Magnum equorum numerum hac expeditione Fœderati desideraverant, majorem hostes, qui ipsi suam jacturam sex millibus æstimabant.

Idem in Suecia iam transeunt. 2. Sept.

30. Sept.

Wertanus Fœderatos frustra insequitur. 2. Oct.

§. 45. Fœderati Licum transgressi denuo aciem explicabant, dato per machinas signo hostem ad prœlium provocantes. Sed cum iste cis Licum haut procederet, Augustam prætergressi Donavvertam iter intenderunt. Wertanus tamen cum bis mille amplius equitibus Lechauiæ superato flumine Obernhausam properat, postremum Fœderatorum agmen irruiturus. Quem Fœderati conversi sub Rainam usque rejecerunt. Ex quo oppido dum machinæ in Suecos Cæsareis immixtos disploduntur, parum aberat, quin ipsum Wertanum globus prosterneret. Cum porro Suecis quiete opus esset, nec trans Danubium pabuli quid inveniretur, Wrangelius superato apud Donavvertam fluvio equitatum circa Norlingam per hospitia distribuit. Ubi non procul Oetinga caterva hostium Wilzburgo emissa quatuor dimacharum Suecicorum cohortes, ad Altemulum flumen custodiendum missos post acrem pugnam profligabat, multis cæsis, ac duobus vexillis ereptis.

1. Oct.

4. Oct.

8. Oct.

Galli in Superiorem Palatinatum sequi nolunt. 13. Oct.

§. 46. Sed cum in Superiorem Palatinatum transire cuperet Wrangelius ad Turennium, qui Dillingæ, & circum stativa ceperat, se confert, eique persuadere laborat, ut eodem ipsum sequatur. Ita enim Cæsareo exercitui aditum in Bohemiam intercludi, & communicationem cum Carolo Gustavo aperiri, ut junctis copiis hostis invadi queat. Ast Turennius negabat, à stativis suis tam longe discedere sibi fas esse: promittebat tamen se in vicinia hasurum, quoad Cæsarei à Bavaricis disjungerentur. Unde Wrangelio, ut Turennium sibi propinquum retineret, omisso Palatinatu Franconia petenda erat. Igitur Norlingam prætergressus Ohrenbaviam ad Altemulum tendit, cum Turennius ad sinistram in Wurtenbergicam deflectens Feuchtvvangam se conferret. Contra hostes post digressos Fœderatos Fridbergam, hinc Aicham & Schrobenhautam descendunt. Ubi cum per aliquot dies subsistitissent, ne forte Succi per pontem ad Rainam repente ingruerent, Hohenvvartam castra transferunt: hinc apud Ingolstadium Danubio superato in Palatinatum Superiorem, quo Suecos anteverterent, se conferunt. Inter quæ cum nuntius de pace conclusa adpelleret, utrinque actus hostiles interdicuntur.

1648.

23. Oct.

Hostis in Palatinatum Superiorem tendit.

17. Oct.

§. 47. Superius Kœnigsmarckium à VVrangelio in Bavariam irrupturo cum Vinariensibus legionibus dimissum memoravimus. Is apud Donavvertam Danubium transiens in Superiorem Palatinatum recta tendit, & Vilsecca, VVeida, Hirschavia, Durchenreutaque occupatis vicinam regionem tributis subjecit; ac VVeidam cumprimis novis operibus firmavit, ereptumque Evangelicis templum ioi restituit. Illis in oppidis relicti equites totam late Provinciam persultabant, sub ipsam usque Ratisponam excurrentes. Idemque dum Ambergensium pecora abigunt, erumpentes milites, ac oppidanos insigni cum cæde in oppidum rejiciebant. Ipse Kœnigsmarckius Egram pergit, quo equitum, peditumque manum è præsidiis Saxoniæ, Misniæ, Thuringiæ & Franconiæ evocatam convenire jusserat, quibus adventantibus Copya tribunus cum parte præsidii Egrani se adjungit. His copiis succinctus castellum ad Konigsvvartam in faucibus Sylvæ Bohemicæ situm invadit; quod centurio, cum quinquaginta peditibus insidens post pauculas machinarum displosiones citra exceptionem dedit. Dachaviam qui infidebant milites nocte prægressa ultro profugerant. Interim ipse Kœnigsmarckius cum parte copiarum præcurrens Teinitziam Trautmansdorfii arcem, & Taufam quinquaginta dimachis intellam subigit, ac præsidiarios suis turmis admiscet. Hinc assumtis reliquis copiis Petschoviam arcem, quam optio cum triginta tex peditibus tuebatur, statim citra exceptionem ad deditionem compellit. Post Falckenavia invaditur, arx situ, & operibus egregie munita, quæ per aliquot dies machinis, jactisque ignibus infestata, repletis demum fossis arbitrio ipsius se dedit. In captivitatem ibi redacti Præfectus vigilum, centurio cum optione ac duobus signiferis: centum gregarii sub Suecica signa distributi. Interim & Brisevvicius tribunus hostilem catervam in oppidulo Kitticha tribus Pitena millaribus oppressrat, ac compluribus cæsis præfectum turmæ, optionem, tres signiferos, & quinquaginta amplius gregarios captivos abduxerat. Ejusdem quoque præsentia animati qui Brixensem arcem tenebant sub Pragæ usque mœnia excurrentes circumjectam regionem tributis subjiciebant, nemine obsistente. Elnbogam tunc invadere non licebat, sexcentorum militum præsidio firmatam. Sub eam tamen excurrens Kœnigsmarckius duos pontes, queis Egra insternitur, destruit. Ita late per-

Kœnigsmarckius in superiorem Palatinatum tendit. 12. Maji.

1. Jun.

6. Jun.

Comptum Bohemiæ loca occupat. 11. Jun.

16. Jun.

23. Jun.

22. Jun.

1648. In Palatinatum redicas, Waldeccam occupat. 30. Jun.

perſultata Bohemia in Palatinatum regreditur. Ubi copiæ ipſius Falckenbergam arcem ad deditionem compulerant. Præfectus abitum ſibi libertum ſtipulatus fuerat: ſed quia loci, quo ducendus eſſet, ac præſidii in via ſibi adjungendi oblitus fuerat, detentus eſt. VValdeccæ arci munitiſſimæ, in quam provinciales magnam vim rerum ſuarum congeſſerant, centum milites, ſelectique provinciales inſidebant. Ad eam ipſe Kœnigſmarckius accedens jactu aliquot globorum ignivomorum prætidianos ita exterruit, ut arbitrio ipſius ſe permitterent, ab eodem ſua ſub ſigna recepti. In arce magna vis annonæ, adparatuſque bellici inventa.

In Bohemiam revertit. 29. Jun.

§. 48. Poſtquam inde Noriberga complures currus paratu belli onuſtos acceperiſſet, contractis omnibus copiis iterum in Bohemiam vertit. Rumor dicebatur velut Elnbogam oppugnaturus eſſet, quo fine & globi ignivomi Waldeccæ inventi vehebantur; ac Copya tribunus magnam annonæ vim à circumjecta regione conquiri juſſerat. Quæ fingebantur avertendis hoſtium ſuſpicionibus, cum revera Pragæ tentandæ conſilia agitaret. Huic primus animam præbuerat Erneſtus Odovvalskius, cui à Regina poſt Streitbergii vocabulum inditum. Is a puero Cæſarea ſigna ſecutus ab infimo militiæ gradu ad ſubtribuni munus adſcenderat, ſed brachio dextro globi ictu contracto laboribus impar in præſidio non procul Egra conſederat, eoque colendo, jam toleraverat. Sed ſuperioris anni expeditione prædio vaſtato belli repetendi neceſſitatem inopia imponebat: quo fine apud Cæſarem, ejuſque miniſtros aliquoties militare munus, aut penſionem ambierat: ſed ne ſpe quidem facta repulſus, etſi palam denuntiaret, ni ab ipſis reciperetur, alium ſibi dominum undecunque deſpiciendum. Ita à Cæſareis repudiatus Majo mente ad Kœnigsmarckium ſe contulerat, qui legionem pollicitus interim menſtruam penſionem conferebat. Ab hoc conſilium invadendæ Pragæ primo ſuggeſtum; etſi ipſe in Apologia ſua, invidiæ declinandæ cauſa, abnuat. Qui & nuper in ea urbe verſatus aditus omnes, munitionumque conditionem, ac præſidii ſtationes cognitiſſima habebat. Ei conſilio exſequendo Kœnigſmarckius à VVrangelio fruſtra peditum manum poſtulaverat. Unde quingentis peditibus, qui Erfordia & Lipſia ſubmittebantur, contentus eſſe cogebatur, cum plures alio exciendi facultatem non haberet. Eoque & conatus intra minorem urbis partem opprimendam coërcendus erat, quod toti urbi obtinendæ vires idoneæ haut ſuppeterent. Quanquam autem Wittenbergius cum ſuis copiis jam iter Bohemiam verſus ingreſſus eſſet, qui & facile jungere ſe illi, ſi deſtinata cognita forent, potuiſſet: haut tamen ratio ſuadebat eidem tam cito, uti res exigebat, de iſtis ſignificare, quod recta per Bohemiam via intuta, ſed per ambages nuntios mittere longum, ac metus erat, ne mora interpoſita hoſti de conſilio iſto tuboleret. Ita ſolus aleam tentare ſtatuit, ſperans, VVittenbergium ſtatim atque de urbe capta audiret advolaturum, ac tuendæ minori parti, & expugnandæ majori operam ſociaturum. Deſtinatis diſſimulandis primo rumorem ſpargi curaverat, Elnbogam peti; quo ſeneſcente in Pilſenenſem diſtrictum abiit late populatione facta, ac cum provincialibus aliquot uncialium millibus ſuper redimendis incendiis decidit. Nec aliud à ſe agi ferebat, quam ut provinciam qua poſſet tributis ſubjiceret ac Cæſareorum partem in Bavaria VVrangelio incumbentium in ſe averteret.

Occaſio invadendæ Pragæ.

Kœnigsmarckius deſtinata diſſimulat 10. Jul.

1648.

§. 49. Mox tamen improviſo ac ſummo ſilentio Raconitzam vertit, quo oppido ne quis excedere poſſet, Odovvalskius cum ducentis equitibus præmiſſus idem circumdedit; qui præfectum vigilum cum quatuor equitibus ibi intercepit. In alias quoque vias, inprimis quæ Pilſena Pragam ferunt, validæ catervæ dimiſſæ acribus cum mandatis, ut ibi ſubſiſterent, ne quis Pragæ de itinere ſuo nuntiare poſſet. Id quod ab illis diligenter curatum ac aliquot tabellarii intercepti. Quo effectum, ut Pragæ per ſummam ſecuritatem præter ſolitas ſtationes nemo in vallo conſiſteret. Sequenti die impedimenta, machinas, ac paratum bellicum addito præſidio Raconitzæ reliquit, ac pedites equis qui machinas & vehicula trahebant; impoſuit, inde hora decima antemeridiana tanta cum diligentia iter inſtituit, ut vergente in veſperam die ultra Boboreizam fluentum tertio à Praga milliari adpelleret, ubi ad crepuſculum uſque copias ſylvarectas ſilentio tenet, interim ductoribus & per eos gregariis deſtinata ſua pandit, ſumma alacritate ob ipſem opimæ prædæ perfuſis. Tum quo ordine invaſio tentanda ordinat, ſingulique ut fronde virenti pileum ſignent, in notæ vicem imperat, diſtributis inter duces in prædam Procerum domibus. Qui in armis deprehenderentur, cædi; tum ſi quis è feneſtris proſpiceret, telis peti jubet: ac pontem, eique ſuperſtructam turrim eis Moldam in poteſtatem redigi; ne ex majore urbe auxilia oppreſſis ſubmitti poſſent. Hoc porro ordine copiæ incedebant. Primum agmen ducebat Odovvalskius cum centum peditibus, queis ſclopera igniaria geſtabantur: cui adjungebatur Optio, ac triginta viri ingentibus malleis, ac ſecuribus inſtructi rumpendis portis, ac trabibus transverſariis, ac pontibus perſilibus demittendis. Poſt eum ducenti pedites ſub Volmaro ſubtribuno, inde Copya tribunus cum reliquis peditibus incedebat, tandem Kœnigsmarckius cum equitatu ſequebatur. Ita circa mediam noctem in monte albo apud Cœnobium adpellebant, cum Pragæ ſtationes pro more viſitarentur. Unde ſuſpicio Kœnigsmarckio facta, velut tumultus in urbe excitaretur. Sed Odovvalskius nihil inſoliti occurrere confirmabat, & mox precibus matutinis per Cœnobia ſignum datum iri. Propius inde ſubeunt copiæ, ac pedites, dimachæque equis delapſi verſus urbem progrediuntur, Kœnigsmarckius cum equitatu retro vicum flammis abſumtum machinæ jactu ab urbe conſiſtebat. Inter horam ſecundam & tertiam Odovvalskius cum ſuis inter duo propugnacula retro Capucinorum Cœnobium in vallum enitebatur & excubitorem à dextris inclamantem quidem, ſed ſclopetum haut diſplodentem per duos milites in foſſam præcipitem dabat. Qui in propugnaculo ad ſiniſtram excubabat ſtrepitu audito profugiebat. Inde Succici ad portam à Cœnobio Strohof dictam recta properant, cui adpoſita ſtatio non prius tumultum excitabat, quam hoſtem prope ſe conſpiceret; quæ paululum reſiſtens cum optione, qui ibi præerat, à Succicis cæſa eſt. Porta inde perrupta, pons penſilis demiſſus, trabs transverſaria in ponte trans foſſam diffractus. Quo facto reliqui pedites, qui ad hortum Schlickii Comitis conſiterant, raptim ad portam ruunt, & una cum Odovvalskio per cavam viam in urbem properant. Tumultu audito ipſe Kœnigsmarckius cum equitatu advolans urbem

Eadem ea- ſequitur. 14. Jul.

15. Jul.

1648. bem irrumpit, eamque plane in poteſtatem redigit. Quæ omnia ita facili negotio patrata, ut è Suecicis non niſi unicus cæderetur, vix unus & alter ſauciaretur. In majorem quoque ſeu veterem urbem ſimul perrumpi poterat, ponte jam & porta in altera fluminis ripa occupatis, ni iſto auſo deſiſtendum fuiſſet ob paucitatem peditum; cum in iſta urbis parte octingenti pedites, & decem amplius millia armatorum civium eſſent.

Ingens ibi præda parta.

§. 50. Urbs per triduum direpta, pleriſque etiam domibus per milites licentia efferatos expoliatis, quæ à Kœnigſmarckio ductoribus aſſignatæ fuerant. Cæſareum quoque gazophylaceum primo impetu effractum, haut paucis rebus ingentis pretii amotis: pro reliquis ingentem pecuniæ ſummam Cæſarei miniſtri offerebant, ſed quas Kœnigsmarckius Reginæ deſtinabat. Coronam Cæſar nuper avexerat, quæ magno ſtudio quærebatur. Prædam in ea urbe partam quidam ſeptem; alii duodecim millionibus taxabant. Gemmas miles gregarius vili pretio diſtrahebat; inter quos pedes annulum ſex millibus uncialium conſtantem, quinque uncialibus vendiderat. Rudolfus Coloredus Comes, cui urbis cura commiſſa erat, per hortum ſuum in veterem urbem cymba piſcatoria evadebat; reliqui Proceres magno numero capiebantur, quos inter & Cardinalis Harrachius, quem poſt Regina in Sueciam deduci imperabat, ſi ejus ope Eduardum Bragantinum diuturno carcere liberare poſſet; ſed quem Kœnigſmarckius, antequam Reginæ literæ advenirent, modico accepto lytro dimiſerat, quod rumore propinquæ pacis iſte immunis amittendus crederetur. Tum ſuſpicio foret, Gallos ipſius velut ſacerdotis, & Cæſareo miniſterio haut obſtricti liberationem ſine lytro quæſituros. Et jam Regina Cardinalis Mazarini literis petentibus ejus liberationem annuerat. In armamentario octoginta machinæ æneæ, ferreæque diverſi ponderis ac ingens vis paratus bellici reperta. Cæterum captæ Pragæ nuntius poſtridie, quam Oſnabrugæ tranſactum eſſet allatus eſt; qui ſi citius adveniſſet, pacem retardaturus metuebatur.

Kœnigsmarckius Wittenbergii adventum ſolicitus.

§. 51. Cæterum quia pars urbis cis Moldam à Kœnigsmarckio occupata una cum Regia late diffuſa erat, viginti quatuor propugnaculis circumdata, quibus tuendis aliquot millia militum requirebantur; vix modicæ copiæ iſti obtinendæ ſufficiebant, milite ſemper in procinctu adſtante; nedum ut reliquas Pragæ partes tanto militum, civium ac ſcholarium numero inſeſſas invadere poſſet. Unde pons totus & porta in alteram partem ferens iterum deſerendus erat, ac ſatis habebatur citeriorem turrim, qua minor urbs aditur, tueri. Quanquam id commode accidebat, quod in veteri urbe nullæ machinæ, & exigua copia paratus bellici eſſent; ut nec iſtis facultas foret aliquid in minorem urbem tentandi. Cum igitur obtinendæ Pragæ pluribus copiis opus eſſet, Wittenbergius per literas monetur, ut quantum poſſit adproperaret. Simul mons Laurentii ac Regia abſciſſibus firmatur, machiniſque ſequenti die è celſioribus locis in alteram partem detonatur. Contra Coloredus Bucheimium Comitem, qui Tſchaslaviæ conſidebat, Tabori & Budevveiſæ adverſus Wittenbergium tuendæ propere excitat; qui & ſtatim altero à capta minore urbe die, cum omnibus ſuis intra veteris urbis mœnia ſe conjicit. Eodem & VVittenbergius properabat, de quo antequam referamus, prius, quæ ad iſtud uſque tempus ab ipſo patrata ſint, memorare placet.

17. Jul. Bucheimius Pragam venit. 27. Jul.

§. 52. Is igitur ſub finem anni ſuperioris in Sileſiam regreſſus copias per oppida hibernatum diſtribuerat, noviſque delectibus auxerat. Quo tempore nil memorabile geſtum, niſi quod catervæ in Bohemiam irruptione facta refractarios ad tributa exſolvenda compellerent, oppido quoque Meſericio in montanis Moraviæ ſito ob eam cauſam flammis deleto, ſexaginta civibus cæſis. Inter alios etiam ſignifer cum ſexaginta equitibus Polckenhaina excurrens apud Schmidbergam quadraginta Cæſareos equites, triginta pedites offenderat: quorum hos fere concidit, præfectum turmæ ac ſigniferum cum triginta equitibus, ac quadraginta equis inſtratis captos abduxit. Eodem tempore diſceptationis nonnihil cum Poloniæ Rege ortum ſuper Oppelenſi & Ratiborienſi Ducatibus, eidem Regi oppigneratis: quibus neutralitatis beneficio ut fruerentur Sueci lubenter annuerant, modo ne Cæſarei ex iiſdem emolumenti quid perciperent. Et hi quidem ſuperiore anno Oppela præſidium deduxerant, ſed nihilo ſecius ſtatis provinciæ reditibus fruebantur, additis inſuper militaribus tributis. Quod cum conventis adverſaretur, VVittenbergius provincialibus denuntiat, tantundem ſibi, quantum Cæſareis exſolvendum. Id quod Præſes provinciæ ad Regem deferebat, diſſimulata tamen exactionis cauſa, ac falſo narrans à Cæſareis provinciam ſemper immunem habitam. Unde Oſſalinskius Poloniæ Cancellarius minaces eo nomine ad VVittenbergium literas dabat. Et ipſe Rex magnopere irritatus jam de copiis eo mittendis agitabat, quæ Suecis reſiſterent; ni Gallicus in Polonia Legatus Vicecomes Bregius iram ejus mitigaſſet. Sed VVittenbergius offenſa Regis è Bregio cognita, quod à Regina injunctum eſſet amicitiam cum Polonis diligentiſſime colere, ac modicam potius injuriam tolerare, quam novo bello anſam præbere, Quæſtorem Sigiſmundum Mullerum ad Regem miſit, qui à VVittenbergio acta ita Regi adprobavit, ut hic certa tributa Suecis earum provinciarum nomine annueret, etſi poſt Regina ea remitti mandaret; ac agnoſceret, ſe tantum honoris, & affectus à Suecicis ducibus, quantum avaritiæ ac injuſtitiæ à Cæſareis percepiſſe.

Wittenbergii acta.

18. Febr.

Cum Rege Poloniæ diſceptatio.

§. 53. Uratislavia urbs à Suecis hactenus eminus obſeſſa fuerat, intercepta ſubvectione; unde cum aliarum rerum, tum lignorum inopia premebatur. Igitur mercatores, ut commerciis libertas iterum permitteretur, apud VVittenbergium inſtabant. Hic cum compertum haberet, ea prohibitione plus damni provinciæ, quam urbi illatum, ac Suecica tributa non parum eam ob cauſam imminuiſſe, facile in petita eorum conſenſit. Ea re cives deliniti, cum mox Bucheimius Comes militem, machinas ac paratum bellicum ex urbe præberi ſibi poſtularet, id nullo modo concedere volebant, Senatu minis territo, ſi ipſis inconſultis talia annueret. Sed & alio mox caſu magis in Suecicas partes flectebantur ejus urbis animi. Joannes Samſonius Bernhardinus Monachus, qui hactenus Evangelicorum doctrina pro concione oppugnata ſe jactaverat, Glogoviam clam faceſſens eandem profiteri cœperat. Qua ex re non ipſe ſolum, ſed & ſodales quondam ejuſdem in Dorotheæ Cœnobio ingens odium incurrerant. Quam occaſionem aucupati Jeſuitæ à Cæſare impetraverunt, ut iſtud Cœnobium ſibi traderetur; ac jam per Cæſareum

Uratislavienſibus commercia libera permittuntur.

Com-

1648. Commiſſarium in ejuſdem poſſeſſionem immittendi erat, cum Monachi tumultu excitato civium opem adverſus Jeſuitas implorant. Unde concurſu facto hi parum ab exitio aberant, ni Senatus validam peditum manum his præſidio miſiſſet. Eo facto cum Cæſaris offenſam ſe incurriſſe metuerent Uratislavienſes, à Wittenbergio ſciſcitantur, num quid auxilii à Succis ſibi expectandum ſit, ſi à Cæſare vis intentaretur? Qui & prolixe omnia pollicitus eſt.

Bucheimius Sileſia excedit.

§. 54. Aſt Bucheimius Comes contracta è Cæſareis præſidiis manu Jeltſcham arcem invadere incaſſum parabat, quod remittente gelu ob circumfluum Oderam, ac paludes adſitos haut facilis

13. Jan. ad eam acceſſus pateret. Et cum Oelſa ac Ohlavia, quibus minabatur, validis præſidiis tenerentur, deſperato ſucceſſu legiones partim per Sileſiam, partim per Bohemiam in hiberna diſtribuit. Quibus tamen otium haut diu indultum mox ad primarium Cæſaris exercitum evocatis. Relictis in Sileſia copiis Sporckius & Meuterus præficiebantur; qui prætorio Glacii ſumto Wittenbergii motus obſervabant. Hic vere adulto equitatum undique è Sileſiæ & Moraviæ præſidiis Jauræ contrahebat, in Bohemiam excurſionem facturus. Ac primo quidem Braunam, quatuor Glacio milliaribus diſſitam propere pergebat, ubi Hanavii legio hactenus ſtativa habuerat. Sed illa pridie inde ſe ſubduxerat, relictis in oppido centum peditibus & triginta inermibus equitibus, quos Wittenbergius interceptos Succico ſacramento adegit. Mox cum legiones quaſdam in Glacenſi Comitatu hoſpitantes ſub id oppidum coiviſſe intelligeret raptim eo profectus, ſi qua forte illos invadere poſſet, circumſpiciebat. Sed cum munitiſſimo loco conſediſſe iſtas videret, retro in Sileſiam conceſſit; ubi cum in hoſtem, qui intra munita oppida ſe tenebat, nihil geri poſſet, copias ſuas per ſtativa iterum diſtribuit, Mullero ſummo excubiarum præfecto in Superiorem Sileſiam & Moraviam cum ſueta ibi manu dimiſſo. Cui in reditu fortuna adverſus Avvackium tribunum favebat. Hic cum legione ſua ac duabus defultorum centuriis in Troppaviæ ſuburbio adpulerat. Eo cognito Mullerus una cum Mohrio tribuno, qui in Moraviam abiturus erat, nondum orta luce in illos tendit, ac excubitorum ſtatione fuſa ſimul in hoſpitia irrupit. Ipſe tamen tribunus cum aliquot ductoribus trans flumen, quo Succi per tenebras vadum non ſtatim invenire poterant, hoſpitatus, in oppidum evadendi ſpatium nanciſcebatur. Capti ſub ipſum oppidum ducenti quinquaginta milites cum multis ductoribus, ſexcenti equi, ſex ſigna & quatuor uncialium millia. Sarcinæ igne tectis injecto conſumtæ.

Wittenbergius in Bohemiam excurrit. 26. April. 27. April.

Cæſarei vapulant. 30. April. 1. Maji.

Wurbenus Comes rem bene geſſit. 28. Maji.

§. 55. Interea dum pedites ac machinæ è Pomerania expectantur, quæ ſub finem Maji demum Glogoviæ adpellebant, Wurbenus Comes ſemel iterumque rem bene geſſit. Is viginti tribus equitibus ſtipatus Oppelæ ob privata negotia egerat; qua vix digreſſus fuerat, cum præfectus vigilum Kottalinskius cum quadraginta equitibus ipſum intercepturus ad oppidum adpulit. Sed ejus diſceſſu cognito in oppido die inter pocula exacto ſub veſperam diſcedens in prato arboribus tectus ſecurus quieſcebat, ephippiis detractis. Aſt Wurbenus ea re intellecta cum ſuis improviſus ingruit, ac præfectum illum cum omnibus equitibus, præter tres qui cædebantur, & quatuor qui fuga ſe ſubduxerant, intercepit, quadraginta quatuor equis ſimul nactus. Poſtera die dum Liſchvviciam cum captivis ſuis tendit, nuntiatur, aliam Cæſareorum catervam, ſexaginta equitum in propinquo verſari. Unde is apud captivos ſex duntaxat equitibus relictis, cum reliquis ſeptendecim in hoſtem vadit, commodum tunc equos pabulo reficientem, ac repente impetu dato territum diſſipat, viginti tribus interceptus. Ita duplum amplius captivorum numerum Liſchvviciam perducit. Contra Valentinus Cæcus vulgo dictus excurrendi ſolertiſſimus, è Sileſia in Saxoniam uſque penetrans, ſummo mane ſuburbium Halæ irruperat, ubi Succici equites ſecurius agebant, quorum quatuordecim, cum quadraginta equis captivos abduxit, cum ſubtribuno Iſraele, & præfecto turmæ.

1648. 27. Maji.

21. April.

Wittenbergius in Bohemiam tendit. 21. Jun.

§. 56. Porro Wittenbergius rebus in Sileſia diſpoſitis cum copiis ſuis Glogovia demum verſus ſuperiorem Sileſiam movet, ac in Polonica ripa iter facit, cum Oelſæ munitiones detraxiſſet ac præſidium inde abduxiſſet, velut re cum Uratislavienſibus compoſita inutile. Jeltſchæ iterum cis Oderam regreſſus Hauſſam vertit, ubi Mullerus cum copiis, quæ in Superiore Sileſia & Moravia in ſtativis egerant, ipſi junctus eſt. Inde præter Glacium in Bohemiam Albim verſus, prout Wrangelius juſſerat, tendit. Cui ſe oppoſiturus Bucheimius Comes quantum poterat Cæſarei militis apud Kœnigsgræciam contrahebat. VVittenbergio è Sileſia digreſſo Lignicenſes Jauram oppidum ſubito impetu opprimunt, arce tamen, in quam plerique Succici refugerant, fruſtra tentata. Unde illi oppidum in cineres redigunt. Jam Lignicia plures copiæ arci expugnandæ adducebantur; quæ ſubmiſſa à VVittenbergio equitum manu retro ceſſiunt. Incendio Jauræ vindicando Succi quædam prædia Lignicæ vicina inflammant, in quos dum Valentinus Cæcus erumpit, ipſe interceptus Glogoviam deducitur.

29. Jun.

Wittenbergius Pragam properat.

§. 57. In Bohemiam veniens VVittenbergius, aliquot per dies ad Skalitzam ſubſtitit annonæ congerendæ, ubi ab excurſoribus complures hoſtium catervæ profligatæ, nec pauci captivi abducti. Inter alia Cæſareus vigilum præfectus, parvulus Joannes vulgo dictus, cui Merheimii poſt vocabulum inditum, cum centum ſexaginta equitibus ſub ipſa Suecorum ſtativa procurrens, Nachotum uſque rejectus eſt, viginti cæſis, triginta captis poſt ſe relictis. Skalitza dum Succicus dux movet, & ex itinere Clumnitzam arcem invadere parat, nunti de intercepta à Kœnigsmarckio Pragæ parte advenit. Unde accelerato itinere eadem nocte Podiebradæ Albim tranſit. Inde Brandeiſiam vertit, ubi trecenti hoſtium equites peditesque ſe collegerant: qui ipſius adventu trans pontem, cui ignem injiciebant, ſe receperunt: ad quos perſequendos, cum abjectis armis paſſim diffugerent, miſſa caterva triginta captivos abſtraxit. Tandem Pragam trans Moldam attingens, in campo, cui à Xenodochio vocabulum conſedit. Poſtera die inter portas à Xenodochio & patibulo dictas quatuordecim machinis mœnia urbis verberare cœpit. Sed cum hoſtis pleraſque copias è Veteri ac Nova urbe eo contraxiſſet, ac decuplo majorem numerum Succis opponeret, ſatis perſpiciebat vi adhibita militem fruſtra conſumtum iri. Eam ob cauſam, & quia conjiciebat hoſtem auxilia Pragenſibus ſubmiſſurum, ab urbe recedens Kœnigſalæ conſedit, ſubvectionem urbi frequentiſſimæ intercepturus, ſimul Bucheimii conatus, qui Pragæ agebat, & ſi qui aliunde accederent, obſervaturus. Tum ut Kœnigs-

15. Jul. 17. Jul. 18. Jul. 20. Jul. 21. Jul. Ad Kœnigsalam conſidet.

1648. nigſmarckio pro re nata ſubvenire poſſet, ponte Moldam apud Pupencium, qua tribus inſulis flumen interſtinguitur, inſtravit, atque illi undecim peditum centurias ſubmiſit, tuendæ eo melius minori urbi, quæ indies magis operibus firmabatur. Sed cum ad Kœnigsſalam deſidendo operæ ſe pretium haut facere perſpiceret, impedimentis in minorem urbem miſſis, & acceptis à Kœnigſmarckio aliquot equitum legionibus, Tabor verſus movit. In itinere Kanopitſcha arx à Cæſareis inſeſſa citra exceptionem ad deditionem compellitur. Poſtero die copiis Tabori admotis, vi oppugnare id inſtituit; quod Damus tribunus inſidebat cum ducentis militibus, ac ſeptingentis armatis Provincialibus. Cum acceſſibus factis ſub munitiones exteriores Succicus miles ſucceſſiſſet, animadvertit VVittenbergius pleroſque propugnatores in exterioribus illis munimentis conſiſtere, raris per mœnia ſtationibus. Igitur tota vi aſſiliunt ad ea dare inſtituit; quo & oppidum ipſum paucorum gregariorum, qui cadebant, aut ſauciabantur, jactura expugnatum eſt. In eo ipſe præfectus, ſubtribunus, centuriones aliquot, & alii ductores, tum VVallenſteinius Comes ac Nobilitatis Provincialis magnus numerus, ſimul quatuor vexilla capiebantur. Sed & ingens prædæ vis parta, quod tota circum vicinia pretioſas ſuas res eo congeſſiſſet.

Idem Tabor oppidum occupat.

5. Aug.
7. Aug.
8. Aug.

13. Aug.

§. 58. VVittenbergius ſolo æquatis, quæ Tabori oppugnando excitaverat operibus, ac oppido milite firmato, propere Pragam remeat, ubi & aliquot centurias pabulatorum hoſtilium, queis adventus ipſius inopinus contigerat, intercipit. Eo abſente Cæſarei ex Veteri Urbe Minorem ſubito impetu opprimere tentaverant: ſed cum nihil diſſoluti inveniſſent, multis ſuorum deſideratis re infecta repulſi ſunt. A Kœnigſmarckio miſſus Cannebergius tribunus cum equitum manu, ducentiſque dimachis, & duabus machinis arcem, cui Rubræ Domus vocabulum, deditione in poteſtatem redegit. Ab eodem hinc Teſchena eminus circumſeſſa, poſt ſubmiſſo cum pluribus copiis Copya tribuno vi impetitur. Poſt aliquot dierum obſidium exterius propugnaculum, ſimul poſt horæ pugnam veſtibulum arcis aſſultu expugnatum. Unde fracti animis obſeſſi citra exceptionem ſe dediderunt. Arcem inſederat ſubtribunus Stiblingerus cum tribus centurionibus, ac trecentis triginta gregariis, è quibus centurio unus cum triginta amplius gregariis occubuerat, totidem fere ſauciis. Succorum non niſi undecim ceciderant, cum excubiarum præfecto, totidem vulneratis. In arce inſignis copia adparatus bellici, ac annonæ cum decem machinis reperta.

Idem Pragam revertit.
18. Aug.

Rubra Domus & Teſchena occupantur.

27. Aug.

5. Sept.
6. Sept.

§. 59. Interea ex interceptis literis intellectum, Schlickium Comitem Conſilii bellici Præſidem circa Budevveiſam copias contrahere Pragæ ſubventuras, quo & è Sileſia quicquid ibi erat militum, ac è Stiria ingens numerus coibat. Illis diſſjiciendis antequam in juſtum exercitum adoleſcerent, VVittenbergius eo excurrere decrevit. Quo fine peditatu cum machinis & impedimentis intra minorem Urbem repoſito, Praga iterum diſceſſit, ac quarto poſt die ſtativa Schneideri tribuni diluculo attigit, ſed qui media nocte Crumnaviam faceſſens reliquis copiis ad Budevveiſam ſe junxerat. Inter quæ VVittenbergius Sporckii impedimenta intercepit. Ac in illa, quæ verſus Auſtriam Superiorem properabant, emiſſa caterva non ſpernendam eorum partem cum pluribus ductoribus, ac quadringentis equis abripuit. Eodem & Miſlickius, qui tunc copiis ad Budevveiſam præerat, iter intendebat: quem VVittenbergius viris equiſque defatigatis cum perſequi haut valeret, Budevveiſam, inde Pragam retrovertit. Cæterum Schlickius Bucheimium Comitem ad ſe Budevveiſam evocaverat, ſi abſque periculo id fieri poſſet. Is cum Meutero ac multis ductoribus, ſimul quadringentis equitibus Praga iter eodem ingreditur, cui Garnierus præfectus vigilum in via ſe adjungit. Sociaverant ſe multi procerum, qui eo præſidio freti ſe ſuaſque res pretioſas periculo, quod Pragæ imminere videbatur, ſubductum ibant. In hos VVittenbergius ſub veſperam uno milliari à Budevveiſa improviſo impingitur. Ubi Cæſareis ſtatim in fugam verſis Succici acriter inſiſtunt, ac quod iſtorum equi defeſſi forent, multos cædunt, plures capiunt: reliqui ægre in Frambergam arcem Cæſareo præſidio inſeſſam evadunt. Inter captos erat ipſe Bucheimius Comes, Meuterus ſummus excubiarum præfectus, Naſius & Renſius tribuni, Joannes Chriſtophorus VVallenſteinius & Noſticius ſubtribuni, multi præterea variorum ordinum ductores ac trecenti quinquaginta gregarii: præter ingentem auri argentique vim. Ea Bucheimii clades tantum Lincij terrorem dedit, ut quicquid inſignium eſſet civium inde profugeret. His geſtis ad Kœnigſalam VVittenbergius iterum conſedit, captivis in Minorem urbem tranſmiſſis, magno cum deſiderio Caroli Guſtavi Palatini adventum præſtolatus.

1648.

13. Sept.

17. Sept.

Wittenbergius Budevveiſam tendit.

6. Sept.
10. Sept.

§. 60. Regina quippe ut tam diuturno bello extremam imponeret manum, Carolo Guſtavo Palatino ſummum belli per Germaniam imperium contulerat. Quin & ſucceſſorem ſibi Regni, quantum in ſe, animo deſtinaverat, proxima ſibi cognatione junctum, & ad Carolum IX. Sueciæ Regem per matrem genus referentem, qui Reginæ avus paternus erat. Vulgo quoque ejuſdem thori conſors fore credebatur; de quo & ipſa nupero Ordinum conventu his orantibus, ut jam vicesimo quinto ætatis anno cœlibem vitam exuere vellet, ſpem feciſſe viſa fuerat, ut tamen tempus ei perficiundo ſuo arbitrio reſervaret. Interim ſibi juxta ac Regno haut alium fidum magis dignumque judicabat, cui tanti momenti bellum committeretur: cui & campus heic pandebatur expromendæ virtuti, quam præmium corona manebat. Nec dubitabat Regina, quin ipſum miles ſummo cum gaudio, duces queis præterebatur citra ægritudinem ſuſcepturi eſſent, Imperatoriis artibus prævalentem, animo intrepidum, manu ſtrenuum, exercitibus ſpectatum, liberalem citra profuſionem, conſtantem, juxta ac moderatum, & conſilii capaciſſimum. Credidere quidam & aliam cauſam Imperii in hunc collati, quod plerique cæterorum ducum Wrangelium imperantem dicerentur dedignari, velut juvenem, animo elato, propriæque ſententiæ pervicacem, nec ſat liberalem. Cui quo minus parem cum anteceſſoribus autoritatem adquireret in cauſa fuerit, quod Torſtenſonius Provinciam Pomeraniam hactenus retinuiſſet, quodque occaſio defuerit æque illuſtres atque hic actiones patrandi, differte vetito, ne forte deſiderio gloriæ adquirendæ præliorum ancipitia tentaret. Tum & exhauſtis paſſim hoſpitiis attenuato lucro miles ægreſcebat. Sed præfecto jam exercitibus Carolo Guſtavo invidia in Wrangelium minuebat, nec huic pudori eſſe poterat, tantum natalibus eminenti obtemperare. Qui & ut Imperii genere, reli-

Summum belli imperium in Carolum Guſtavum confertur.

1648. reliquos duces anteiret, *Generaliſſimi* vocabulo mactabatur. Tanto muneri ſuſtinendo velut ſuccenturiati deſtinabantur Carolus Guſtavus Wrangelius, & Caroli affinis Magnus Gabriel Gardius Comes, ſummi ducis in Suecicum ac Finnonicum militem titulo, quorum conſilio in arduis belli negotiis uteretur, adjuncto etiam, ſi opus videretur, Wittenbergio & Kœnigsmarckio. Wrangelio inſuper, ne ſe velut in ordinem redactum ægre ferret, provincia Pomeraniæ cum duodecim millium uncialium annuorum ſalario, ſimul Bremerværda dono confertur. Tum Kœnigsmarckio, quem rebus ſuis per Germaniam neceſſarium judicabat Regina, cum haut ſat æquo animo VVrangelii imperiis obnoxius ageret, proxima à ſummo duce dignatio tribuitur. Ad autoritatem novo duci circumponendam valida ſupplementa ad exercitum perducenda adjunguntur, bis mille quingenti equites, mille quingenti pedites, Suecicæ ac Finnonicæ nationis; ſimul ut ad extremum usque vacillantes Cæſarei bona tandem fide ad pacem amplectendam compellerentur, & ut hoſti par foret, ſi forte auxilia Gallica deficerent. Etſi recens è Suecia miles fere per præſidia diſponeretur, veterano inde in expeditionem educto.

Carolus Guſtavus Reginæ nuptias amat. 15. Junii.

§. 61. Cæterum antequam in Germanicam expeditionem è Suecia diſcederet Carolus Guſtavus, viſum eſt extremum conatum expromere, ſi Reginam permovere poſſit, ut in diu ſolicitatas nuptias conſentire velit; ſuper quibus ut plano reſponſo potiretur, per Magnum Gardium & Joannem Matthiæ, Stregnenſem Epiſcopum, quo præceptore ipſa quondam uſa erat, inititerat. Eo fine Regina illi ad ſe evocato poſt brevem cunctationem exponit, ſibi propoſitum, duobus hiſce viris arbitris de intentione, ac voluntate ſua circa expetitum ab ipſo connubium declarare non per blanditias, & ſimulati affectus verba, ſed ſerio, & Deo teſte: ſe uti ſpem nuptiarum ſuarum ipſi non adimat, ita nec plene ipſum certum de iisdem reddere poſſe; promittere tamen ſe nemini mortalium, præter ipſum nubere velle, ſi omnino matrimonium inire ſibi placeat. Quod ſi autem matrimonio abſtinere decreverit, ſe ad Regni ſecuritatem & ſalutem laboraturam, ut is ipſi ſucceſſor, ac Princeps hæreditarius conſtituatur. Plura polliceri ſe non poſſe, & ſi hac declaratione contentus non ſit, quid huic addat, ſibi non ſuppetere. Cum adhæc Carolus Guſtavus ſilentio defixus adſtaret, Regina pergebat, hanc quam expoſuerit, ſuam eſſe ſententiam, nec ſecum ſe illi facturam: nec adhuc ſecum in alterutram partem ſuper matrimonio ſtatuiſſe; & quod ipſa nunc promittat, non intuitu ſui, aut ipſius fieri, ſed ob bonum publicum, & ſalutem, ac ſecuritatem patriæ ſicuti &, quod nunc cum imperio in Germaniam ipſum mittat haut alio fine fieri, quam ob officia, quæ Regno ab ipſo præſtitum iri ſperet. Unde & eidem, ſi quid humanitus ſibi accidat, ſuper regno, nec minus Regno de ipſo cavere velit, ut eum in eventum in ipſum unice reſpiciat. Et hanc firmam ſibi ſtare ſententiam. Ad quæ Carolus Guſtavus poſt actas pro exhibita ſibi benevolentia gratias reponebat, utique placito Reginæ adquieſcendum. Cæterum ſibi unice nuptias cordi fuiſſe, & adhuc eſſe; eamque ſedere mentem, ut hac ſpe decollante, reliqua inſuper habiturus ſit. Hoc reſponſo Regina paulo commotior pertinaciam ipſi exprobrare, & quod ipſe æſtimare haut norit, quæ ex re ſua ſint. Addebat tamen, ſe exequendæ ſuæ intentioni proximis Comitiis apud Ordines velle proponere ſuper ſucceſſione ipſius ad regnum, huice eo facilius ſuffragaturis, quod iisdem jam antea ſpem de connubio cum ipſo fecerit; & quia illud nunc ob abſentiam ipſius compleri nequeat, ſaltem ſucceſſorem eundem, & hæreditarium Principem declarandum. Ac ut apertius cum ipſo agat, etſi nondum certi quid ſuper conſummatione matrimonii decreverit, eousque tamen ſeſe tempus definituram, ut plena declaratio fieri debeat tempore coronationis, quo viceſimum quintum annum compleverit. Ac ſi tunc nihil certi ea ſuper re conſtituerit, omnem ſpem tunc fore conſumtam. Nemini ſe tamen matrimonio jungendam præterquam ipſi; id quod eidem ſuſficere queat, nec temere ullam aliam virginem ea obligatione ſeſe induituram. Interea ſuo favore & promiſſo fretus divinum Numen in vota vocaret, ut gratia ſua huic negotio adſpiret, quo utriusque vota ad fauſtum ſcopum promoveantur. Se quidem voluntati divinæ reluctari nolle, ſed patriæ ſalutem ante omnia habituram, teſtata ſancte, cupere ſe ipſius fortunam promovere altius, quam ipſe cogitare, aut deſiderare queat. Adhæc Carolus Guſtavus grates ingemiscare; tum orare, ne in ſiniſtram partem accipiat, ſi ipſe omnem ſuam ſpem in matrimonio defigat: reliqua omnia à ſe non deſiderari, ac tenui ſe fortuna contentum eſſe poſſe, ubi matrimonii ſpe fruſtratus ſit. Quo caſu Sueciam deinceps nunquam viſurus ſit. Eo reſponſo Regina irritata ſeæ vitatem animi ipſi objicere, & indignum ipſum eſſe gratia exhibita, ac fabulis eſſe ſimilia, quæ agitet. Et ſi mens tam læva foret, ut talia ſuſciperet, mox miſeriis circumventum ſera facti pœnitentia incaſſum tactum iri. A Numine ipſum nequaquam privatæ vitæ, aut ut paternis prædiis colendis vitam toleret, ſed altioribus deſtinatum, eoque nefas eſſe placito divino reluctari. Sed & ſat perſpectam ſibi ipſius indolem ejusmodi ſortis incapacem; eoque inanibus ſermonibus ſuperſederet. Carolus Guſtavus contra ſerio iſta abs ſe dici aſſeverare, juramento confirmans decretum ſibi nunquam iterum videre Sueciam, ni matrimonio Reginæ potiatur; cujus rei plures ſibi, eæque graves rationes ſint. Multis inde de infelicitate ſua queſtus, quod à Regina nihil affectus adverſus ſe ſentiat circa complendum matrimonium de quo & ante biennium ſignificarit, non ob affectum in ipſum, ſed quia Ordines Regni id tam vehementer rogent, in matrimonium ſe demum conſentire poſſe, in ipſius arbitrio relinquens, an hac conditione amplecti velit; quæ conditio tunc eidem duriſſima fuerit vita. Ad hæc Regina; affectum eundem adhuc perſiſtere, nulla circa matrimonium in alterutram partem inclinatione; ſed quicquid horum faciat, unice patriam à ſe reſpici, cujus ſalus ſe, ac Palatino potior ſibi habeatur. Ac ni norit, hoc eidem bono cedere, haut quidquam ad hancce declarationem fuiſſe deſcenſuram. Carolus Guſtavus demonſtrabat, ſe maximo ſuo cum dolore ſæpe intellexiſſe, quod Reginæ diſplicuerit, ipſum de nuptiis inſtiriſſe, deque ſuo amore frequenter teſtatum; ex quo nil aliud lucri perceperit, quam ut gratiam Reginæ erga ſe imminuerit. Eoque ſe maximos animi dolores ſæpius ſenſiſſe, deſperato deſiderii ſui optato exitu, cum ſatis proſpiceret, quid malorum & moleſtiarum ſibi immineat, ſi diutius deſtinatis finis urgendis perſeveret. Et ſæpius ſibi imperare connixum,

1648. nixum, Numenque in vota vocaſſe, ut deſiderio iſto liberetur, ne in odium Reginæ maximo ſuo cum damno incurreret, averſa ipſius ab ea re voluntate, & nulla ſucceſſus ſpe. Sed cum deſiderio ſuo fruſtra luctatum, deprehendiſſe inferiorem ſe affectui iſto exuendo, ſed quotidianas inter animi agitationes amorem non minus, quam dolores incrementa cepiſſe; id quod tanto magis ſe excruciet, quod eo ipſe Reginæ ſe quam maxime displicere animadvertat, ad hæc Regina; plura penes ſe non eſſe, quam quæ jam dixerit, nec fucatis verbis ſe ipſi impoſituram. Cæterum quæ promiſerit ſancte ſervaturam, nec plus, nec minus à ſe ipſum habiturum. Ulterius tamen ſe declarare, quo gratam ſe pro tam tenero affectus ſenſu de quo teſtetur, exhibeat, ac certo polliceri, ſi Ordines permovere nequeat, ad jus Hæreditarii Principis in ipſum conferendum ſe utique eidem nupturam, idque certo futurum, & fortaſſe utrumque; quamprimum id commode fieri queat. Sed quod in præſens de connubio conſummando penitus ſtatuere haut poſſit, peculiares obſtare cauſas, ac ſibi aliquas adhuc res è medio removendas, antequam nuptiæ fieri queant, & præcipue antequam coronatio facta, & reliqua omnia expedita ſint. Interea ipſi campum patere famæ, & gloriæ conciliandæ in commiſſo imperio, quo collato id reſpexerit, ut eo liquidior eidem ſpes ſit vel ad connubium, vel ad ſucceſſionem Regni, de quo Regina ſecurum ipſum eſſe jubebat, mota ad iſthanc gratitudinem per affectum erga ipſam expromtum, tum & emolumento patriæ. Carolus Guſtavus contra verbis ſe defici ferebat, quibus condignas Reginæ gratias exponeret, ſeque tanta gratia indignum; ac ſi iſtud non eo modo abs ſe acceptetur, uti Regina velit, rogare, ne in ſiniſtram partem id accipiat, ſed vehementiæ affectus ſui id adſcribat, cui imperare non amplius penes ſe ſit, proteſtatus ſibi nihil aliud quæri, quam Regina ipſa potiri, nec ab ambitione ſua alia ſibi inania ſuggeri. Ipſam de obſequio & devoto corde ſuo ſecuram eſſe jubens, quod ſpes ſit ita ſe eidem approbaturum, ſi nuptiis tam felicibus potiri detur, ut Regina gaviſura ſit promtiſſimo ſuo obſequio omnibus ejus imperiis capeſſendis, nec ulla alia ſibi cura quam ipſius Majeſtati obſequi. Regina contra: ſe nihil quoque aliud ab ipſo expectare, nec ſe ex ſua parte quid omiſſuram, quod ejuſmodi animo reſpondere debeat. Sed Carolus Guſtavus ad prius dicta ſubinde revolutus, ingerebat, ni Reginæ nuptiis beari poſſit, cætera omnia à ſe deſpici, & exigua aut nulla etiam fortuna contentum victurum, nec ullum vanæ ambitioni à ſe relinqui locum, ſed nunquam iterum viſurum Sueciam, ni matrimonium ſibi ſit promiſſum. Regina contra de ſervando ſuo promiſſo teſtari, quod Deo adſiſtente effectui data ſit, fideli ipſius erga ſe affectu mota, cujus fructum uberem ipſe percepturus ſit. Ille viciſſim, iſtud ſummopere à ſe æſtimari, ac enixe rogare, ut ipſa de fideli ſuo affectu in eandem certa eſſe velit. Cæterum ut ipſa potiatur, ſummam ſibi votorum eſſe: & ſi Regina plane matrimonium abnuat, ſe cupere, ut iſta, poſtquam ſervitiis ſuis pro lubitu uſa fuerit, munere jam injuncto ipſum exſolvat, nec amplius in Sueciam revocet, cujus adſpectus ſibi eo caſu acerbus ſit futurus. Regina iſtud abnuere, nec ſe poſſe aut ipſius conditionem admittere extra Regnum in negotiis togatis ejuſdem opera uti, ubi pax concluſa fuerit, pertinaciam denuo ipſi exprobrans. Contra Carolus Guſtavus rogare, ſi munere jam collato decedendum ſit, Reginæ placeat ita rem moderari, ut id ſalva ſua exiſtimatione fieri queat. Ac confidere, ſua ſe miniſteria, Reginæ & Regno exhibenda, Deo & conſcientiæ ſuæ adprobaturum. Simul decretum ſibi eſſe, ſi vel maxime votis ſuis excideret, actionibus ſuis haut eo ſecius demonſtrare, honeſtatem ſibi ac fidem, ſtudiumque bene merendi utique quaque conſtitiſſe, nec ſanguini ſe, vitæque pepercille, nullo alio fructu, quam ut bene egiſſe videatur. Nec deinceps ullum ſibi vitio verſurum, ſi ad quietem, & ſolitudinem ſe recipiat. Regina viciſſim: ſe iſtud, ne fiat, præventuram, nec ullam querendi cauſam ipſi præbitum iri. Alias ſe utique ipſius fide adquieſcere, cujus virtutis maximum ſit pretium. Et ſi ipſe aliter, quam bene agat, Deum vindicem fore, idque ipſi maximo damno ceſſurum. Se quidem omnia in ipſius incrementum facturam, prout id Deo ſe adprobaturam confidat, queſta ab eodem non plus fiduciæ in ſe collocari, ſimul teſtata ſe promiſſis jam factis nil poſſe addere. Nam ut maxime ipſa tam ardenti ejus deſiderio capta ſtatim connubio ipſium ſociare inſtituat (quod tamen ſecus ſe habeat) tamen ſtatum, & dignitatem ſuam non permittere conteſtim matrimonium iniri, niſi prius quibuſdam negotiis expeditis, & præcipue coronatione. Igitur iſtud tempus eidem expectandum. Alias non mereri ipſum gratiam exhibitam, ni hac declaratione adquieſcat; nec noſſe, quid ſua dignitas ferat, & quæ ſit inter ſe, & ipſum differentia; imprimis ſi oblatam ſucceſſionem in Regno recuſet; contra quam quæ ab ipſo jactentur, inanes ſermones eſſe; & facile ſolitudinis tædium ſubiturum, ingenio ad eandem haut attemperato. Carolus Guſtavus ad hæc: Id vero ſummum ſibi infortunium fore, ſi Regina taliter de ipſo ſentiat, imprimis iſta ab ſe ſimulate, & non ſerio dici; quod fortaſſe etiam de affectu ſuo erga ipſam, de quo teſtatus ſit, judicet. Sane ſi præciſiſſet, antequam in Sueciam reverteret, Reginam ſententiam ſuam circa promiſſum matrimonium à teneris ſibi factum mutaturam: nunquam ſe huc fuiſſe venturum, ſed aliam vitæ honeſte exigendæ rationem fuiſſe initurum; ac melius facturam fuiſſe Reginam, ſi de hac ſua ſententia ipſi antea ſignificarit. Ad quæ Regina, omnia quæ teneris annis promiſſa ferantur ignorantia ejus ætatis facta, ubi ne prædium quidem ruſticum alienandi poteſtas ipſi erat, nedum ſe ipſam deſponſandi; quod negotium tam multæ conſiderationes comitentur. Unde ſe iſtis promiſſis, ſi quæ facta ſint, haut teneri, ſed omnem illam obligationem irritam declarare. Enimvero nunc factis pollicitis ſe firmiter ſtaturam, queis ipſe contentus eſſe debeat; at ſat honoris id eidem eſſe, ſi tali fortuna dignus æſtimetur. Et ſe apud omnes falſuram, de matrimonio jam decretum eſſe. Quod ſi & mori ipſum contingat in hac ſpe, ac omnium de eodem opinione, ſat honoris id eſſe, licet reipſa eo haut potiatur, ac multos ſummæ felicitatis loco habituros, ſi tali hominum opinione digni judicentur. Carolus Guſtavus viciſſim: adquieſcendum ſibi utique eſſe, quod divinitus ſibi imponatur ac obtingat, nec habere, quod Reginæ contradicat, ſed contentum eſſe oportere, quid ipſi facere placuerit, poſtquam nulla ratione cogi queat. Alias ſibi haut id eſſe ingenium, ut vana ambitione demulceri gaudeat, ac fama talem ferri, qualis fieri reipſa nequeat. Et Erico Oxenſtiernæ exiguo fuiſſe honori, de matrimonio ipſius cum Regina publicam famam fu-

1648.

iſſe

1648. ſſe diſſeminatam. Ad hoc ſtatim Regina interrupto ſermone; ingens inter ipſum, & Ericum Comitem fuiſſe diſcrimen, & grandi ipſum præ hoc prærogativa gaudere; ac putare, ſe cum Palatino aliter egiſſe, atque cum Erico Comite. Et ſi id diſcrimen ignoret, indignum eſſe oblato honore nec minus iis dotibus, quibus divinitus ſit ornatus. Carolus Guſtavus ad hæc nil aliud, niſi de matrimonio iterare, in quo omnia ſibi ſint ſita. Tum Deum precatus, ne ſe Reginæ ſuperſtitem eſſe patiatur in aliqua reip. parte conſtitutum, procerum arbitrio ſubjectum, quibuscum ſibi nunquam ſit conventurum; quin maximas ab iisdem molestias ſibi imminere quorum ſanguine manus ſuas maculare abhorreat: ac tutius ſibi eſſe, cogitationis ac ſpei ſuper Regno expertem agere. Regina reponebat: ni ipſa noſſet patriæ id expedire, eundem ſucceſſorem conſtitui, id conſilii haut capturam fuiſſe; ac facile ſe proſpecturam, ne ſanguine eorum, quos honoribus ſuis obſtituros metuat, maculandus ſit. Et cum ſperet per ipſum imminentia patriæ mala evitatum iri, ac omnibus ipſius mores probari, perſuaſum ſibi eſſe, è Numinis favore hæc omnia promanare; id quod ni & ipſe condigne agnoſcat, oblata gratia indignum eſſe. Inde & id dubium movebat Carolus Guſtavus; cum Reginæ declaratio circa matrimonium in neutram partem facta fuerit, id ſe non poſſe aliter intelligere, quam ejuſdem affectum quoque intuitu matrimonii ineundi æque eſſe indifferentem, & non magis in ipſum, quam alium ferri. Quid ſi igitur Regina peculiari affectu in poſterum à pollicitis ipſi factis divertatur? Regina ſtatim interrupto illius ſermone; hæc tantum expiſcandæ ipſius menti jactari; id quod fruſtra ſit. Nam ſe haut teneri cuiquam cogitata ſua pandere, aut de iis rationem reddere: ſed jam dictis adquieſcere, nec promiſſis ſuis in præſens quid additurum aut demturum, ſed eadem ſancte ſervaturum. Eaque cautione ipſum contentum eſſe debere, reliquorum ſecurum. Jubebat inde Regina, iſta ſilentio premi, ut nemo aliter judicare poſſet, quam ſuper connubio omnia eſſe tranſacta, id quod ipſa quoque apud alios teſtatura ſit. Addebat Carolus Guſtavus, ſi Regina literis ſuis ad ipſum ſcribendis quædam non ſeria inſerere vellet, ad alios in falſam opinionem inducendos, ut certis iſta notis deſignare velit. Illa contra monebat, ne is ipſius literas in alium ſenſum interpretari velit, quam prout nunc teſte Deo, & arbitris Magno Gardio & Joanne Matthiæ promiſerit. Tum ut de hoc negotio per Parentem ſuum, & Joannem Matthiæ ulterius per literas agat, ſimul cum Regina Maria Eleonora per eoſdem agi curet, velut de re jam confecta, id quod & ipſa apud Archiſtrategum cumprimis, & Cancellarium teſtatura ſit. Poſt varios hinc inde ſermones & diſceptationes tandem Regina monebat, ut Carolus Guſtavus ipſius ſententiam ſequatur, ac Numinis auxilio, ipſiusque favore confidat. Hic contra Reginæ gratias agere, Deumque invocare, ut id negotium ita reſpicere dignetur, quo idem Rei Chriſtianæ emolumento, ac utriusque felicitati promovendæ cedat; de cætero voluntati divinæ ſe ſubjecturum, cujus & pacem perpetuo exorare velit. Quod item Regina facturam ſe aſſeverabat. Denuo Carolus Guſtavus laudata Reginæ ſententia in grates & vota effundi; ac denique veniam petere, quod forte liberius ſenſa animi ſui expromſerit, quam illo loco expediebat: quod Regina benigne accipere, & ex eo de candore ſuo judicare velit; ſicuti & ipſe ex inconcuſſo affectu omnem fiduciam in bonitate Reginæ adverſus ipſum collocaverit. Quam excuſationem Regina benevole accipiebat, ſimul candorem, ex quo iſta profecta ſint, æſtimari à ſe fatebatur. Inde qui adſtabant arbitri ad mutuam iſtos benevolentiam hortabantur, & ut Regina Caroli Guſtavi fidelitati, hic illius gratiolæ diſpoſitioni firmiter niteretur. Iſta tunc inter Reginam & Carolum Guſtavum diſputata operæ pretium viſum fuit heic prolixius inſerere, è commentariis ipſius Caroli Guſtavi manuſcriptis fere ad verbum expreſſa. Idem dehinc poſt ſacramentum Reginæ dictum iter ſumma vi adornabat. Sed adverſis ventis per Junium menſem detentus, Julio demum portu Dalarenſi ſolvens in Pomeraniam adpulit. Unde in Weſtphaliam Fridericus Haſſiæ Landgravius miſſus eſt, ut Haſſis adverſus Lamboium ſuppetias ferret. Hinc Pomeraniæ rebus pro præſenti uſu diſpoſitis, Wolgaſto movens, per Demminum, Wahrenam & Wittſtocum, Havelbergam, mox Serveſtam Aquasque iter fecit, ubi copiæ pontonibus trans Albim ductæ. Lipſiam inde tendenti ab Electore Saxoniæ miſſi occurrerunt Joannes Georgius Ponica, & Balthaſar Boſius, qui illius nomine ſignificarunt, adventum ejus Electori inſperatum accidere, quod pax abſoluta jam ſit, cujus & Legati Oſnabruga ſignificarint, hac lege quinque milliones militiæ Sueciæ promiſſa fuiſſe, ſi nova è Suecia auxilia ſolum Germanicum haut tangerent, aut quæ jam adpulſſent, ſtatim retro mitterentur. Unde credidiſſe Electorem, Palatini expeditionem plane intermiſſum iri. Nunc poſtulare, ut afflictam ſuam ditionem tranſitu militis premere parcat, ne civibus vires plane exhauriantur veterum tributorum reliquis, & novæ apud Osnabrugam conventæ ſummæ exſolvendis. Nam is conventa induciarum pacto tributa hactenus abnuerat obtentu damni à tranſeuntibus Suecorum copiis dati, ac inſtantes frigidis excuſationibus rejecerat, velut reſumendorum armorum occaſionem quæreret. Unde Regina molliter ipſum haberi juſſerat, ut tamen, ſi ultro ſe moveret, primo impetu copiæ ipſius opprimerentur. Cæterum à Palatino reſponſum; expeditionem ſuam paci promovendæ quam remorandæ facere: nec Electoris terris noxam illaturum. Sed cum ad Electorem mitterentur, qui reſidua conventi tributi exigerent, per varias dilationes irriti diceſſere. Palatini impedimenta, & ſupellex tardius ſubſequuta, dum additum præſidium incautius agit, à caterva Cæſareorum Lignicia profecta in ſuburbio Calbæ ad Salam opprimitur, cæſo fugatoque præſidio, rebusque magni pretii abreptis. Cæterum poſt Caroli Guſtavi advertum obſervatum fuit, à Joanne Oxenſtierna circa pacem concludendam majore quam antea ſtudio ſatagi, ne ejus confectæ gloria & meritum ab iſto ſibi eriperetur.

1648.

13. Maji. Idem in Germaniā adpellit. 4. Jul. 16. Jul.

Electoris Saxoniæ ad ipſum Legatio.

7. Sept.

§. 62. In dubio hactenus hæſerat Palatinus, ad Danubium iter intenderet, an Wittenbergio & Kœnigsmarckio junctus Veterem Pragæ Urbem oppugnatum iret. Prius Wrangelio valde cupitum longinquitas itineris, per ambages ac cum periculo, ſummaque copiarum defatigatione inſtituendi, diſſuadebat. Unde potius viſum in Bohemiam vertere, Pragamque tentare, pauco milite inſeſſam, & civibus uti fama erat, in deditionem inclinantibus: aut ſi reſiſterent, pars Cæſareorum huc attrahebatur. Qui ſi majore vi ingruerent, quam ut à ſuis, Wittenbergiique & Kœ-

Palatinus in Bohemiam tendit.

1648 Kœnigsmarckii copiis sustineri possent, facile erat capto trans Albim loco idoneo tantisper hostem
11 Sept. arcere, quoad VVrangelius subveniret. Lipsia movens, per Bornam, Chemniciam & Annæbergam iter quantum liceret accelerabat, quod nuntiaretur, discordiam inter cives & milites Pragæ gliscere, & illos haut obscure fremere, si ipse adveniat, moram deditioni haut facturos. Tan-
24. Sept. dem in Monte Albo adpulit, ac ponte copiis trans Moldam ductis Veterem Urbem circumdedit, ac celsioribus locis occupatis vim adhibere protinus cœpit. Perlustrato urbis situ tribus potissimum
Pragam oppugnat. locis eam oppugnare parat. Portæ à patibulari monte dictæ exterius munimentum præjacet, ubi Magno Gardio, Lœvvenhauptio & Paiculio cum tribus phalangibus statio obtigit. Ante portam ab equis cognominatam Wittenbergius curabat: intermedio spatio Kœnigsmarckius mœnibus propinquabat. Accessibus factis, excitatisque suggestibus turres, & pinnacula murorum machinis
3 Oct. disjiciuntur: hinc ad Kœnigsmarckii stationem lata murorum ruina diuturnis machinarum ictibus editur. In quam tamen impetum dare haut consultum visum, nisi expugnatis prius lunaribus munitionibus, portæ hinc & inde antepositis. Igitur post frustra imperatam deditionem ducenti pedites à Lœvvenhauptio in exterius propugnaculum portæ Patibularis montis prætentum immissi non solum quadringentos ibi propugnatores expulerunt multis cæsis, sed & cum iisdem sigillatim per portam in urbem irruperunt; unde iterum ejecti, ut propugnaculum tueri possent, submissa alia manu sulciebantur. Post totius noctis
4 Oct. pugnam Sueci propugnaculum obtinuere, etsi haut exiguo suorum numero cæso, aut sauciato. Ea virtute militis Suecici territos oppidanos ad deditionem descensuros crediderat Palatinus. Unde misso tympanotriba ex urbe ablegari ad se postulavit, quibus sententiam suam exponeret. Venerunt à Coloredo deputati Gœtzius Comes tribunus, & centurio. His ipse per tribunum Paulum Wirtzium, & Stadelmajerum castrorum præfectum honestas deditionis leges obtulit. Coloredus responsum in tertium diem differebat, obtentu diffusæ urbis, ac multitudinis, quæ super
8. Oct. hoc negotio consulenda foret. Tandem neutralitatis leges urbi subituram respondit. Quod cum Palatino displiceret, amica tractatio abrumpebatur. In urbe porro præter Suecorum opinionem summa concordia erat. Equidem sexcenti pedites, quadringenti equites quinerant, ad tam amplam urbem tuendam parum faciebant. Sed præter Provinciales refugos duodecim millia oppidanorum, Jesuitarum & sacerdotum instinctu, arma induerant. Studiosi quoque duce Jesuita Placcio munia bellica capessebant, quos ipse Cæsar literis ad rem strenue gerendam excitabat, idemque ut Professores facerent, monebat. Sicut propugnatorum numerus Suecicum peditatum triplo superaret. Nec eo secius Sueci sub ipsa usque mœnia succedere, cujus fundamenta subjectis cuniculis elisa, ac sexcentos per passus prostrata sunt. Obsessi tamen eam ruinam duplici intus abscisso munierant, ut exundante in urbe hominum turba citra magnam jacturam militis Suecici assultus dari non posset. Igitur parcendo militi placebat hostem primo abscisso, retro horti murum in ur-
15. Oct. be excitato, depellere. Post septem evibratos cuniculos duobus locis ducenti pedites impetu facto hostem dicto abscisso proturbarunt, ac juxta ipsum ad tricesimum passum in urbe stationem ceperunt; quo assultu tamen non pauci Suecorum deliderati sunt. Ad alterum abscissum expugnandum machinæ admotæ, & cum hisce parum proficeretur, cuniculi acti munimentis dejectis viam aperuere, ut Sueci in eo quoque pedem figere, ac longius moliri possent. 1648.

§. 63. Interea aliquot Cæsareæ legiones è Bavaria in Bohemiam venerant, quibus hinc inde è præsidiis detracti accedebant, ut octo millia bellatorum jam Budovveisæ coirent. Hi duce Goltzio propius movebant, non quidem ut recta in Succos irent, aut Pragæ obsidium vi solverent, sed ut loco idoneo prope Succos confidentes pabulatione, cujus circa Pragam maligna facultas erat, intercepta Palatinum ad obsidium ultro solvendum compellerent. Eo fine tribus à Praga milliaribus trans flumen Salabam confederunt, ejus objectu, densisque sylvis, ac impedito aditu tuti; unde &, si opus esset, facile alio se recipere possent. Palatinus etsi ægre urbis obsidium solvebat, intra cujus mœnia jam penetraverat: ad id tamen consilium arripiendum gravissimæ rationes subigebant. Præcipuus suscepti obsidii scopus fuerat, incumbentem VVrangelio Gallisque hostem ex parte in Bohemiam avertere: quem jam assecutus videbatur. Tum obsessi hortatibus Cæsaris, & sacerdotum ad extrema sustinenda indurueranr, & exundante hominum multitudine per nova indies objecta opera obsessores fatigabant, ut pertinaciæ istorum frangendæ multo adhuc tempore opus foret. Tum continuis fere pluviis sub dio nullo circum tecto miles agens haut parum affligebatur, asperiore jam autumni tempestate, & equitatum insuper inopia pabuli exercebat. Sed nec hostem intra castra lacessere placebat, ad quem non nisi per ambages accessus patebat, ac propinqua pacis subscriptione summam rerum aleæ prælii objicere haut prudentis erat; VVrangelio insuper, ut copias secum conjungeret, repetitis literis flagitante. Igitur visum superato ad Brandeisiam Albi equitibus non nihil quietis indulgere, inde cum Succicis ac Finnicis turmis ad primarium exercitum penetrare: reliquum equitatum cum peditatu & machinis sub VVittenbergio in Bohemia relinquere. Ita post impe-
20. Oct. ratam frustra deditionem nocte majores machinæ
22. Oct. amoventur; totusque exercitus deserta Praga Albim Brandeisiæ transit. Hoc obsidio per tres septimanas extracto Suecorum quingenti occubuere, septingenti sauciati, quos inter multi ductores, etsi nullus supra præfecti vigilum gradum. Quanquam obsessi numerum in majus per jactantiam ut solet extulerant. In urbe duo amplius millia ceciderunt, quos inter multi sacerdotes, ac Studiosi. Globorum ad sedecies mille in urbem evibrata, præter ingentem malorum Punicorum quæ vocant, numerum. Acta porro sua tam obsessi quam obsessores varie extollere, aut invicem arguere. Obsessi gloriæ sibi ducebant amplissimam urbem servasse dejectis per sexcentos passus mœnibus, ac nullis intus machinis, modicoque belli paratu: tum tot insignes Suecorum duces frustra operam consumsisse. Tres quoque irides obsidii tempore conspectæ à vulgo in propitii Numinis indicium trahebantur. Sueci contra mirabantur, tanto armatorum in urbe numero, qui triplo Suecicum peditatum excederet, nunquam eruptionem insigniorem tentatam, tantamque multitudinem exiguo tempore una statione post alteram depulsam, ni auxilia venissent, brevi subigendam: denique hostilem exercitum haut ausum

Cæsarei ad succurrendum Pragæ propinquans.

Obsidium Pragæ solvitur.

1643.

1643. fum vi ad urbem perrumpere, cum Suecis modicæ eſſent copiæ, ex quibus, uti hoſtes credi volebant, aliquot millia cecidiſſent.

Auſtriacorum ad Palatinum miſſio. 2. Oct.

§. 64. Pragæ adſidentem Palatinum ab agreſtibus Auſtriæ ſupra Anaſſum miſſi adierant, qui aliquot navigiorum centurias præſto eſſe narrabant trajiciendis in eam Provinciam Suecis, ac multa hominum millia parata arripiendis armis, quamprimum Suecorum copiæ ad ſe adpuliſſent; idque ut fieret magnopere rogabant. Palatinus etſi hac occaſione in Auſtriam penetrandi, ſi bellum duraret, uti valde cuperet: tamen adornatis jam pacis legibus iſtos iræ Cæſaris nullo fructu objicere nolebat. Ut tamen in omnem eventum eorundem ſpem aleret, negabat ſibi à Regina quid ſuper hoc negotio mandatum, ad quam id relaturus ſit. Accepto reſponſo deſideriis ipſorum haut defore. Idem porro à Legatis Olnabrugenſibus de ſubſcribenda propediem pace in anteceſſum monitus omiſſo ad Wrangelium abeundi conſilio

Palatinus in Bohemia ſubſiſtit. 23. Oct.

hoſpitia per Bohemiam dilatare inſtituit; quod Olnabrugæ propoſitum fuiſſet, exercitibus ibi locorum ad pacis uſque executionem ſubſiſtendum, ubi tempore ejuſdem concluſæ deprehenſi forent. Igitur Brandeiſiam regreſſus copias per vicinos

27. Oct.

diſtrictus diſtribuit; tum Wrangelium per literas monet: exercitum ex amicis Sueciæ Provinciis in Cæſareas ditiones infunderet; cujus & præſentia communicandis invicem conſiliis opus ipſi erat. Contra Cæſarei Pragam à Suecis deſertam caſtra tranſtulerant, pontemque ad Kœnigſalam ſtruxerant. Unde Palatino ſuſpicio oriebatur, iſtos ad Wrangelium abituri iter intercludere conari. Sed iidem, audito ipſum Brandeiſiam regreſſum, relictis in urbe peditibus, eadem qua venerant via cum equitatu remeabant, Palatino ob defeſſos ſuorum equos inſequi haut valente. Idem mox Brandeiſia Cuttenbergam ſe contulit, legionibus circumjecta regione diſtributis.

30. Oct.

Pacis nuntius advenit. 3. Oct.

§. 65. Ait Cæſar Pragæ metuens initio Octobris Schlickio Comiti Budevveiſam ſignificarat, ut quamprimum de ſubſcripta pace à Legatis ſuis nuntius adferretur, haut expectato ulteriore à ſe mandato, eam publicaret, ac hoſtilibus actibus

6. Oct.

abſtineret, ſi adverſa pars idem faceret. Ea de re Schlickius ſtatim Palatino per tubicinem ſignificat ſciſcitatus, num & ipſe exercitui ſuo hoc caſu hoſtilium ceſſationem imperare velit: quo fine literas tuti itineris petebat pro iis, quos eo nomine ad Cæſareas copias late diſperſas in anteceſſum miſſurus eſſet. Sed Palatinus, cum à Suecicis Legatis nondum literas accepiſſet, Pragæ obſidio

13. Oct.

haurquidquam dimovebatur. Schlickio tamen reſpondebat; ubi ab iſtis de pace ſibi ſignificatum fuerit, penes ſe omittendis hoſtilibus moram non

22. Oct.

fore. Cum inde apud primarium Cæſaris exercitum de perfecta pace nuntiatum eſſet, Piccolomineus de ea ſtatim Schlickium certiorem reddit: hic mox à Palatino per literas petit, ut hoſtilia tam contra Pragam, quam alias Cæſaris copias omittantur: quod idem à Cæſare jam ſuis injunctum

29. Oct.

ſit. His acceptis, etſi Palatino nondum à Legatis Regiis ſignificatum eſſet; tamen cum & aliorum literæ idem confirmarent, teſtando in pacem ſtudio conſentiebat, ut in Bohemia inter exercitus utriuſque partis ſtatim induciæ eſſent: tum ut utrinque Deputati Pragæ congrederentur, qui de

30. Oct.

pacis ad omnia præſidia denuntiatione, tum de armiſtitio, ac futuræ pacis executione agerent. Quo fine ipſe Kœnigsmarckium & Erskeinum mandatis inſtruxit. Tum Wrangelium ad ſe

1643.

Egram evocavit, juſſum interea exercitum tuto loco diſponere, ejusque curam alii duci delegare. Mox cum à Legatis Regis nuntius pacis adeſſet, 3. Nov. Schlickio ſtatim ſignificat, ſe conſcitum ſuis per Bohemiam ut hoſtilia omittant imperaturum. Quod & Wrangelius facere jubetur.

Haſſorum acta. Lamboins in Weſtphalia ſagin.

§. 66. Haſſi iſthunc annum non parum exercitum egerunt. Ejus initio Lamboius haut ſpernendas copias in VVeſtphalia collegerat, cui in animo erat adſcitis Lotharingicis ſuperato Rheno ac Moſella Gallorum hoſpitia invadere, ac Turennium VVrangelio avellere. Ac jam machinæ adverſo Rheno ſubvehi cœperant, copus Siegenam uſque progreſſis. Sed iſtud inſtitutum turbavere exundantia paſſim flumina, & quia Lotharingus conjunctionem abnuerat, Haſſique per VVeſtphaliam ingruebant. Unde per Ducatum Montium deſcendens ſub finem Februarii circa Dortmundam adpellebat, de invadenda Bremenſi provincia conſilium agitans. Landgraviæ copias, poſtquam Rabenhauptius petitam miſſionem obtinuerat, Geiſius præpoſitus fuerat, qui cum mille octingentis equitibus, mille ſexcentis peditibus, ex Haſſia Lipſtadium conceſſerat; unde ut Lambon copias improviſus invaderet, progreſſus fuerat. Sed cum ſentiret, operæ pretium ſe haut facturum, retro converſus Geſecæ, altero à Lipſtadio milliari, ubi annonæ copia ſuppetebat, conſedit. Eum Lamboius ter mille equitibus, totidem peditibus ſtipatus è veſtigio inſecutus eſt, ipſe Haſſis reponendi, quæ ſibi proximo anno à Suecis intentata fuerant. Eo fine è vicinis præſidiis plerosque evocavit, ut peditum numerus ipſi ad ſex fere millia ſurgeret. Tum oppidum omni vi oppugnare inſtituit. Geiſio ad tuendum oppidum ſolla & muris munitum abunde militum erat; ſed quod tantum excurſionis gratia proceſſiſſet, pulveris pyrii parum ſuppetebat; unde parce ex oppido jaculari neceſſum erat. De hoc cum Lipſtadii præfecto San-Andreano tribuno conferret, quadringentos equites pulvere, quantum equis commode ferri poterat, onuſtos eo miſit, qui favente obſcuro cœlo nocturnis tenebris per peritos viarum feliciter eo penetrantes defectum pulveris ſic ſatis ſupplerunt. Landgravia eo audito undique quicquid poterat copiarum è præſidiis excivit, ac VVeſtphaliam verſus ſuis liberandis properare juſſit, quibus & Sueci ſexcentos equites, ac pedites mille additurі erant.

Haſſi in Lamboium tendunt. 1. Mart.

Lamboius iſtos obſidet

Geiſius cum equitatu erumpit.

§. 67. Verum antequam iſtæ copiæ coirent, jam Haſſi obſidio exciti erant. Geiſius quippe moræ impatiens ſignifero cum viginti equitibus clara luce Geſeca, Lipſtadium perrumpere juſſerat, cum San-Andreano conventurum, ut ſi reliquæ equitum turmæ, quæ ex Haſſicis ſtativis expectabantur, eo perveniſſent, diſploſis quatuor machinis ſignum daret. Inde ſequenti nocte iſta equitum manus ſub auroram ſtationem legionis Hollaricæ extrinſecus invaderet; quo momento ipſe cum equitatu & quingentis peditibus in eandem ſtationem ex oppido erupturus, ipſaque oppreſſa cum equitatu Neuhauſam abiturus ſit, peditatu ad tuendam Geſecam relicto. Huic conſilio exſequendo Ernestus Landgravius cum ala equitum Lipſtadio miſſus, ac ſex turmis, quæ aliunde convenerant, ſub auroram ſtationem Hollaticam non minore animo, quam ſucceſſu invaſit, ac perrupit, legionemque profligavit, aliquot ſignis ereptis. Sed equitatus Geſecæ incluſus, qui per noctem in plateis paratus adſiterat, etſi ſtatim audito primo ſtrepitu oppi-

by Google

1648. do excedere inciperet, ob anguſtias tamen portarum pluſculum temporis elapſum, antequam omnes in campum prodire poſſent. Et quia crepera adhuc luce, ejus errore, qui viam monſtrabat, in ſiniſtram plus juſto flectebant, nec ob excavatas vias paludeſque, ac reductus à Lamboio excitatos ad Erneſtum Landgravium penetrare poterant, ipſi quidem Neuhauſam ſalvi evaſere, præter extremam turmam, quæ à Cæſareis excubitoribus fuſà, magnam partem ipſo cum vexillo intercepta eſt. Enimvero in Erneſto Landgravio faba cudebatur, qui ſtativis Holſaticæ legionis haut excedere juſſus erat, priuſquam Geiſius ipſi jungeretur. Iſte intercluſo à Cæſareis receptu, cum ob profundas aquas & paludes Geiſium ſubſequi non poſſet, manum conſerere coactus, ſed numero obrutus mox funditur, ac ipſe equo trajecto collapſus, cum plerisque ductoribus & gregariis capitur: magna pars cæditur: eorum qui evaſerant, vix centum numerabantur.

Lamboius Geſecam fruſtra oppugnat.

§. 68. Elapſo Geiſio in pedites Geſecæ relictos iram effundere Lamboius ardebat. Eo fine poſt imperatam fruſtra deditionem, ac ingentem mœnium ruinam editam ingruente nocte cum univerſis copiis tam equitibus, quam peditibus aſſultum complures per horas dedit. Sed ab Haſſis ſtrenue repulſus eſt amiſſo Goldakero tribuno, multisque ductoribus, cum quadringentis gregariis magno numero ſauciato, interque ipſos Archæ Comite. Ita poſt triduum re infecta diſceſſit, mille amplius militibus intra paucos dies deſideratis. Nec minus Lamboius deſiderio flagrabat trans Viturgim Succica ſtativa invadendi.

Idem in hoſpitia concedit.

Sed miles obſidio Geſecæ haut parum attritus erat. Pedites pluvio cœlo per acceſſus crurum tenus in luto ſteterant: equi profunda in caſtris uligine immoti fere hæſerant: multi ſauciati, multi ægroti: tum ductores æque ac gregarii irrita oppugnatione feſſi, quietem non ſine importunitate flagitabant; quam & multa licet reluctatus demum annuere cogebatur. Ita Geiſii & Haſſorum interjectu periculum Bremenſi provincia averſum. Sed & Geiſius, etſi initio abeunti Geſeca Lamboio inſiſtere ſtatuerat, quo fine & Suecorum auxilia exciverat: tamen mox mutato conſilio & ipſe copias ſuas per hoſpitia diſtribuit.

Lamboius denuo movet, 5. Aprił.

§. 69. Iterum dehinc à Cæſareis agitatum, invaſis ad ſuperiorem Rhenum Gallorum hoſpitiis Turennium Wrangelio avertere. Quo fine Sparrius luſtratis apud Warendorfium copiis iter Hermanſteinum usque perrexerat, Lamboio ſubſequente. Sed Colonienſi Electori hæc expeditio diſplicebat, qui ditiones ſuas milite nudare nolebat. Unde mox reverſus Lamboius inter Bonnam & Coloniam conſedit, adſcitis pluribus è VVeſtphalia copiis ut jam ter mille quingentos equites, totidem pedites ſecum haberet. Hoc audito Haſſicos per quædam Juliacenſia oppidula diſperſos quietis capeſſendæ cauſà ad illos turbandos propere movebat. Sed iisdem intra Noveſium, & Kempenam ſe recipientibus, Bredenbendam arcem ad Ruram flumen in Juliacenſi ditione ſitam invadere conſtituit, cujus ope Haſſi è circumjecta regione tributa extorquebant. Geiſio, qui Noveſii tunc agebat, non ſat virium erat obſeſſis ſubveniendi: cui à Landgravia, qui præſidiis detrahi poterant, milites ſubmiſſi, Succis quoque per VVeſtphaliæ oppida quicquid equitum & dimacharum ſuppeteret ſubminiſtrare paratis. Enimvero dum tardius auxilia moliuntur,

Bredenbendam expugnat. 21. April.

22. Maji.

acerrime licet per integrum menſem reſiſtentes Haſſi, cum omnia aſſultui parata eſſent, Bredenbendam honeſtis conditionibus dedidere, ducenti numero Noveſium deducti. Arx jam antea machinis diſjecta à Lamboio plane ſolo æquata. 1648.

Idem Haſſos petit.

§. 70. Poſt Bredenbendam expugnatam Lamboius Landscronam ſupra Bonnam ſe conferebat; ubi copiarum nonnihil præſidiis detractum ſibi adjungebat. Inde toto cum exercitu iter adverſo Rheno inſtituit, velut Gallica præſidia impugnaturus, aut plane in Bavariam penetraturus. Sed repente verſo itinere in Haſſos tendit. Hi è VVeſtphalia copiis aucti Noveſio Grevenbrucam ad Erſtam flumen proceſſerant. Ubi quanquam fama, ſine dubio à Lamboio didita, ferret, ipſum in ſuperiorem Germaniam abiiſſe, id quod nonnulli Colonia venientes magna aſſeveratione confirmabant; Geiſius tamen haut eo ſecius inter Grevenbrucam, & VVevelinghovam caſtra munire, ac exploratores dimittere: quibus ab hoſte aberrantibus Lamboius ſat improviſo Haſſis ingruit. Hic quippe raptim verſo agmine pedites ac machinas navigiis impoſitas ſecundo Rheno Zonſam dimiſerat, quo & ipſe cum equitatu ſumma vi adproperans ſub mediam noctem adpulit; unde ſimul magna cum celeritate, antequam Geiſius cognoſcere poſſet, inter Grevenbrucam, & Noveſium trans Erſtam editum locum prope Haſſorum caſtra capeſſit, Haſſis acceſſu Noveſio intercluſis. Mox ſub veſperam per Hulckenradam, viam ejus loci præfecto obtentu neutralitatis præbente, cis Erſtam tranſit; quod crederet, Haſſos deſertis caſtris per Grevenbrucam evadendi viam quæſituros. Eo die Haſſi intra caſtra quieti ſe tenuere, quod mane multos pabulatores emiſiſſent; quorum reditum, antequam cum hoſte manum conſereret, expectare Geiſius conſultum ducebat. Sequenti die primo diluculo Lamboius iterum vado inter Grevenbrucam & Hulckenrodam Erſtam tranſiens ante Haſſorum caſtra inſtructis ordinibus ſe oſtendit. Haſſis peditum numero pares, equitatu longe infra hoſtem erant; cum ipſi non ſupra duo millia equitum, hoſtis ter mille trecentos equites numeraret. Nec eo minus Geiſius hautquidquam moraturus, quoad caſtra ſua humili adhuc vallo ab hoſte machinis infeſtarentur, aperto campo occurrere conſtituit; eoque relictis intra caſtra impedimentis cum omnibus copiis in hoſtem movet. Ubi aſperum prælium commiſſum à quinta ad decimam pomeridianam, adverſo primo Haſſorum ſucceſſu, quorum ſiniſtrum cornu ab hoſte loco dimotum præter dextrum ſuorum cornu propellebatur, multis ductoribus, ac ducentis quinquaginta equitibus captis. Sed cum dextrum Haſſorum cornu ſumma vi pugnaret, ſiniſtrumque ordinibus inſtauratis pedem figere cœpiſſet, per quatuor adhuc horas certatum, Haſſorum turmis ſeptena vice in hoſtes impetum dantibus. Tandem Lamboii equites deſertis machinis, ac peditatu in fugam verſi, quos Haſſi ſub Zonſam usque perſecuti ſunt. Pedites inde ſolutis ordinibus magno numero conciſi, multi capti; omnes quoque machinæ, inſtrumentumque bellicum in Haſſorum manus pervenerunt. Maxima clades peditatui incubuit, quorum vix ſeptingenti evaſerant, cum tria millia ab initio numerarentur. Quos inter Plettenbergius tribunus, qui cum ducentis peditibus caſtris Haſſorum, quæ invadere parabat, repulſus, mature trans Erſtam ſe receperat, etſi non paucis aqua ſuffocatis. Lamboius

A quibus vapulat.

2. Jun.

3. Jun.

4. Jun.

Numerus cæſorum capturamque.

1648. boius ipſe pedes per paludem elapſus eſt. Captí tribuni Saverius, Holzapfelius & Schrotius, quatuor ſubtribuni, unus vigiliarum, quinque turmarum præfecti, viginti tres centuriones, viginti octo optiones, ſigniferi triginta, minorum ordinum plures, mille quingenti gregarii, quorum plurimi ſub Haſſica ſigna diſtributi. His accedebant tredecim equeſtria, quindecim pedeſtria ſigna, undecim machinæ, ſexcenti inſtrati equi. Ex Haſſis occubuerunt Sprevvicius tribunus, præfectus vigilum Schvvartzius, VVerſabeus turmæ præfectus, centum ſexaginta præterea equites peditesque. Præter plures ductores ſauciati ducenti octoginta gregarii. Primo infelici cornu ſiniſtri conflictu capti Comes de Wida ſubtribunus, Præfecti turmarum Oſtenus, Lauterbachius, Seipius, Janus Bornius, & ducenti quinquaginta gregarii; quorum tamen centum octoginta, verſa prælii alea ſtatim ad ſuos reverterunt.

Haſſi victoriam non perſequuntur.

§. 71. Hanc victoriam Haſſi haut perſecuti, retro Grimlingshuſam ac Stenam trans Rhenum abeuntes caſtris munitis conſederunt. Quibus tamen menſis Julii initio incenſis Noveſium conceſſere. Aſt Lamboius primo Zonſam è fuga petere, inde apud Rodenkircham diſperſos equites recolligere inſtituit. Mox Coloniam ſe contulit; copiis trans Rhenum per vicos Neoburgicos diſpoſitis. Et equitum quidem haut magnam jacturam fecerat, quorum numero etiam poſt prælium Haſſos ſuperabat. Reparando peditatui Windeccæ, Etchvveileræ, Heinsbergæ, aliiſque invalidis oppidis præſidia detrahit; tum è Weſtphalia quatuordecim peditum centurias evocat fremens, ſe propediem ab Haſſis vindictam illatæ cladis ſumturum. Contra eundem, cum adverſo Rheno adſcenſurus putaretur, Erlachius Briſaci præfectus mille equitibus, ter mille peditibus contractis Philipsburgum deſcenderat. Sed Lamboii clade audita Briſacum iterum revertebat. Et cum Friburgum, vel Offenburgum impugnaturus, aut in Bavariam abiturus crederetur, Regis Galliæ juſſu in Lucenburgicam conceſſit.

Lamboius copias inſtaurat.

25. Jun. Lamboius denuo in Haſſos movet. 9. Jul.

§. 72. Aſt Lamboius brevi refectis copiis, quæ tribus equitum, totidem peditum millibus conſtabant, denuo in Haſſos moturus Zontá Grimlingshauſam, ubi nuper Haſſi metati erant, inde Holtumum progreditur, editoque loco dimidio à Noveſio milliari caſtra munit, derivato Erfta flumine oppidi molendinis corruptis, & quia equitum numero præſtabat annona pabuloque Haſſis prohibitis. Interim Sparrius cum mille circiter militibus Caſter arcem, quadraginta Haſſicis peditibus inſeſſam, ducentorum militum jactura ad deditionem compellit, præſidiariis militari modo dimiſſis. Iſta arx poſt direpta, atque in cineres redacta. Enimvero Landgraviæ juſſu San-Andreanus Lipſtadii præfectus è Weſtphalicis præſidiis validam peditum manum contraxerat; cui acceſſerunt ſexcenti equites recentibus armis inſtructi, & à Succis aliquot centuriæ equitum, peditumque ſub Engelio tribuno ſubmiſſi: qui verſo ad Rhenum itinere Geiſio junguntur. Eam ob cauſam Lamboius caſtris ſubito relictis incenſiſque Zonſam, inde Woringam recedit, ibique denuo caſtra munit. Eodem & Haſſi inſecuti explicatis in aciem ordinibus ante caſtra prælio ſe offerunt, machinis diſplotis hoſtem lacceſſentes. Sed nemine prodeunte Brielam vertunt, mox non procul Bonna conſidentes ſuperiorem præſulatus Colonienſis partem tributis emungunt. His peractis

1. Aug. Haſſi irrumpunt.

4. Aug.

6. Aug.

Hulckenrodam retro vertunt, ac Noveſio adductis majoribus machinis Durenam oppugnare inſtituunt. Id oppidum ducenti non amplius milites inſidebant, impar eidem tuendo numerus, etſi una cum civibus, qui & ipſi arma ceperant, pro virili reniterentur; ſimul penuria pulveris nitrati premebat. Huic oppido Lamboius ſubventurus Woringa movens apud Freinſam arcem medio inter Lechenicham & Berghemum ſpatio conſidebat. Firmando præſidio Plettenbergius, ſtatim atque Haſſorum deſtinata patebant, quadringentos pedites Bonna raptim oppido immittere jubetur, quorum ducenti amplius eodem circumfluo per Ruram fluvium intus penetrabant, quadraginta flumine ſubmerſis. Sed quæ pulverem illatura erat equitum caterva ab Haſſis repulſa eſt. Nec eo minus obſidium per aliquot dies adhuc extractum. Medio tempore, cum Haſſorum aliquot centuriæ pabulatum prodiiſſent, Lamboius cum majore equitatus parte ad illos intercipiendos properat. Haſſi mature in cœmeterium muro circumdatum ſe recipiebant, & quanquam Lamboius iis in aperta expellendis vicum inflammaret, tamdiu reſiſtebant, quoad ex Haſſorum caſtris aliquot millia auxilio adcurrerent. Ita Lamboius non niſi ducentis equis abreptis retro pedem ferre cogitur, in receptu deſiderato Funccio ſubtribuno, & quinquaginta equitibus, quorum ille cæſus, hi capti ſunt. Tandem obſeſſi honeſtis conditionibus deditionem fecerunt, trecentis octoginta peditibus cum equitum turma, qui oppido excedebant, Bonnam deductis. Amiſſa Durena Lamboius in vetera ad Woringam caſtra revertit, ubi è Belgio Lotharingicorum militum manus ſubſidio ipſi veniebat; ſed qui fere inermes hiberna magis quam expeditionem circumſpectabant.

1648. 19. Aug. Iidem Durenam capiunt.

4. Sept.

7. Sept.

8. Sept.

11. Sept.

Haſſi Paderbornam fruſtra obſident.

§. 73. Caſſellanæ Principi porro Carolus Guſtavus Palatinus Fridericum Landgravium cum valida Succicorum militum manu ſubſidio miſerat, qui & jam Rhenum tranſierat. Ei obviam procedens Geiſius apud Grevenbruccam junctus eſt, ubi conſilio habito Paderbornam invadere placuit. Eo fine cis Rhenum cum univerſis copiis regreſſi ſub finem Septembris ad oppidum iſtud appulere. Præmiſſus fuerat cum ſiniſtro equitum cornu Erneſtus Landgravius, qui ita improviſus ingruebat, ut quinquaginta cives extra oppidum ruſtici operi vacantes intercíperet, ac ducentos è Paderbornæ præſidiariis, qui Lubecam, ditionis Mindenſis oppidum, diripuerant, reditu excluderet. His auſpiciis tamen ſequentia non reſpondebant. Equidem mœnia aliquot per dies machinis acriter quatiebantur, domibus quoque nonnullis per injectos ignes inflammatis. Strenue tamen reſiſtebant obſeſſi, quoad à Lamboio auxilia in urbem immitterentur. Hic quippe Haſſos cis Rhenum inſecurus, aſſumtis quatuor Lotharingicis legionibus, initio Arnſpergæ tertio à Paderborna milliari conſedit: ubi relictis impedimentis propius ſuggreditur, velut impreſſione alibi facta Haſſos diſtracturus. Huic cum exercitu obviam ire conſtituit Geiſius, ut tamen opera ad oppidum excitata, acceſſuſque milite inteſſos retineret. Lamboius cum ſimularet in animo ſibi eſſe cum Haſſis prælio certare, diverſa via Ducem Holſatiæ cum caterva equitum ire jubet, qui perruptis Haſſorum operibus centurias aliquot militum oppido immittit. Hi mox eruptione facta

29. Sept.

25. Sept.

1648. Haſſos ſuggeſtu pellunt, cui quinque machinæ impoſitæ erant, quarum duas in oppidum pertrahebant, reliquas ſubmiſſa à Geiſio manus ſervabat. Hoc peracto Lamboius Warburgum vertebat, ubi inſignem annonæ vim Haſſi congeſſerant. Hæc ut ſibi traderetur, cum minis oppidanos permovere non potuiſſet, omiſſa vi Brackelam, inde Huxteram abit. Ubi quo minus Viſurgim, uti cupiebat, tranſiret, Luneburgici obſiſtebant. Nec eo minus Sparrium cum peditatu ac impedimentis ibi reliquit, ut oppidum id operibus firmaret, ac ponte Viſurgim ſterneret. Ipſe cum equitatu retro ad Rhenum vertebat, plures Lotharingicas legiones ſibi adjuncturus: quo facto in Halberſtadienſem præſulatum abiturus ferebatur. Enimvero ea deſtinata pax interrupit, ac Lotharingicorum tria millia, quæ Bonnam jam attigerant, retro in Belgium miſſa, Colonienſi Electore ſub capitis pœna vetante, ne quid hoſtile amplius in Regias aut Haſſicas copias ſuſciperetur. Haſſi inde, digreſſo in Mindenſem Præſulatum cum Suecicis copiis Friderico Landgravio, in vetera ſua hoſpitia per Weſtphaliam diſtribuuntur. Cæſarei tamen, etſi aperta vi abſtinerent, alio obtentu per Mindenſem agrum turbas dabant, in quem à Lamboio Woldemarus Comes Daniæ Regis filius per Teclenburgicum Comitatum mittebatur, quadraginta uncialium millia veteris tributi reſidua dudum remiſſa exacturus, qui & exſecutionibus manu militari factis graſſari incipiebat, & Cæſareis legionibus hoſpitia ibi ſtruebat. Ea de re cum Legati Suecici ac Brandeburgici quererentur, Cæſarei, qui nec ipſi talia probabant, repetitis ad Lamboium literis iſta omitti poſtulant, quod legibus pacis omnia tributa ceſſare debeant, reliquorum exactione ſuſpenſa, in alienis præcipue hoſpitiis. Simul ut Deputatos Monaſterium mittat invitant, qui cum Suecicis & Haſſicis ſuper iſtis prætenſionibus amice tranſigant. Id cum adſpernaretur Lamboius jactitans, Woldemarum non prius avocari inde poſſe, quam ſuper aliis hoſpitiis proſpectum ipſi ſit: Sueci copias iſtas quamprimum vi exturbare hinc conſtituunt. Ex quo ne novum incendium naſceretur, Cæſarei Legati ad Colonienſem Electorem, cui Cæſar ſummam directionem per Circulum Weſtphalicum contulerat, eo ſuper negotio ſcribunt: cujus juſſu Woldemarus mox Mindenſi agro, & aliis Suecicis hoſpitiis deceſſit.

Lamboius Huxteræ conſidet.

Idem poſt pacem turbarum nonnihil dat.

27. 31. Oct.

22. Nov.

§. 74. Redeundum nunc eſt ad tractatus pacis, qui prout belli ſe fortuna verteret, ita languide aut alacriter procedebant; & cum ſuperiore anno fiducia armorum à Bavaro reſumtorum fere vado adhæſiſſent, nunc prævalentibus iterum Fœderatis magna cum diligentia movebantur. Initio anni Sueci de Cæſareis querelas movebant, quod cum poſtremis congreſſibus ab hiſce æqua temperamenta allatum iri crediderint, ſeptem per menſes ſibi expectata, nunc præter correctiones & novationes nihil attulerint turbandis ac ſubvertendis antehac transactis. Inprimis Landgraviæ poſtulata, non ſine verborum aculeis nunc plane repudiari, cui tamen olim haut ſpernendæ conditiones oblatæ ſint. Nec obſcurum erat, Cæſareos ultionem in eandem meditari ob immotam in Regias partes conſtantiam. Tanto acrius pro ipſa Legati Regii connitebantur, ac eo magis urgendis Cæſareis Sueci ab hiſce poſtulabant; ante congreſſum noſſe ſe cupere, quid circa Haſſicam cauſam iſti facturi ſint, ne inanis colloquii labor ſumatur. Præſertim cum & antea Trautmansdorfius Monaſterii ſibi ad ipſum acceſſuris denuntiarit: non opus congreſſu eſſe, ni in Cæſareorum poſtulata conſentire velint. Interim Cæſareis offerebant, Salvium ſolum cum Volmaro congreſſurum adornandæ penitus Suecicæ ſatisfactioni: qua occaſione & reliquis abſolvendis via parari poſſit. Sed id abnuebat Volmarus, acceſſoriam ſe duntaxat perſonam cauſatus, nec ſibi citra Collegas ullam agendi facultatem competere, Salvio tamen, ſi Cæſareos Legatos junctim inviſere velit, liberum id fore.

Continuatio tractatuum pacis.

Sueci ob Haſſicam cauſam progredi nolunt.

1648.

§. 75. Ex hoc Cæſarei anſam arripiebant Suecos traducendi, velut neglectis Imperii atque Ordinum negotiis circa Reginæ commoda expedienda ſatagentes. Simul querebantur, tempus fruſtra elabi inhibitis per Suecos congreſſibus. Tum Evangelicorum ſententiam exquirunt ſuper iis, quæ inter tractandum agitata fuerant, eoſdem hortati, ut in diſcutiendis Imperii negotiis pergant, ac eam viam inſiſtant, quæ Cæſari ac Catholicis probari poſſit. Poſt abſoluram deliberationem in arbitrio ipſorum eſſe, per ſe aut mediantibus Suecis concluſa ſua ipſis exponere: ſe quidem, quantum per mandata liceat, omnia libenter annuituros. Contumeliæ cedere Catholicis Ordinibus, quod tamdiu Oſnabrugæ fruſtra hæſerint, ne reſponſo quidem ad ſuam declarationem digni habiti. Cæſareis uti hactenus ſolenne fuerat Regum ſatisfactionem primo loco expedire, ut hi emolumentis ſuis potiti Evangelicorum cauſam eo ſegnius agerent: ita cum id conſilium haut ſucceſſiſſet, Ordinibus circa Amneſtiam & Gravamina ſatisfacere inſtituebant, ut hi reliquorum curam omitterent. Nec tamen recuſabant Sueci, quo minus Evangelici conſultatione habita ſententiam ſuam exponerent; quod hi confirmaſſent, ſibi decretum eſſe, non minus circa Regiorum & Haſſorum ſatisfactionem, quam dicta duo capita expedienda operam adhibere. Unde Suecis perinde eſſe videbatur, quæ negotia prius abſolverentur, modo ante pacem concluſam omnibus, quorum interſit ſatisfieret. Ita ab Evangelicis Inſtrumentum Monaſterii adornatum cum Catholicorum *Correctionibus*, & per Cæſareos ſub finem nuperi anni exhibitis *Differentiis* excutitur, ac ſuper illis ſcripto concepta ſententia tum Suecicis Legatis, tum & poſt Cæſareis ac Catholicis exhibetur. Ea in tres claſſes digeſta erat. Prima complectebatur capita jam conventa, quibus nullo modo decedere poſſent, aut vellent. Alteram componebant illa quæ temperamentum aliquod admittere poſſent. In tertiam controverſa adhuc & indeciſa conjecta erant; quæ ut æquis rationibus Sueci componere laborarent, eoque fine cum Cæſareis congreſſus repeterent, rogabant. Simul monebant, ut quæ ſuper Amneſtia & Gravaminibus tranſigantur, à Secretariis Legationis utrinque ſubſcribantur, quo parti adverſæ novas miſcendi tricas anſa præſcindatur. Sueci ne qua per ipſos mora foret, Cæſareis ſequenti ſtatim die congreſſum indicunt: quibus ab hiſce reſponſum; ſe cum ipſis ſuper Amneſtia & Gravaminibus nihil agere poſſe, priuſquam perceperint, quid Catholicis ſuper Evangelicorum

Cæſarei Evangelicos ad negotia Imperii expedienda hortantur.

Id quod hi faciunt.

11. Jan. Evangelicorum de his ſententia.

Sueci de iiſdem cum Cæſareis agere fruſtra quærunt.

1648. corum declaratione videatur. Quanquam autem Sueci haut eo minus ipſos inviſerent, de Reginæ ac militum ſatisfactione, cauſaque Haſſica acturi; id tamen fruſtra erat, cum Cæſarei prius reſponſum repeterent. Id quod & duobus ſequentibus congreſſibus iteratum, inani ſuper cæteris rebus diſceptatione. Eodem tempore Oſnabrugæ rumor jactabatur, decretum eſſe, minores Ordinum, qui fere hactenus ob privata ſua commoda pleraſque remoras produxerint, non amplius ad tractatus admittendos, ſed omnia per Cæſareos, Succicos, Electorales, adſcitis paucis è Principum Senatu in pacem pronis tranſigenda finemque brevi tempore negotiationi imponendum. Id cum ad ſe pertinere iudicarent Urbici, velut rebus ipſorum inſuper habendis, ubi ſuperiores Ordinum deſideriis ſuis potiti forent, per Deputatos Succis ſuſpiciones ſuas exponunt, rogantes, ut ſi opus fuerit ipſorum cauſam ſuſcipiant. Id quod Sueci prolixe pollicebantur.

16. 19. Jan.

20. Jan.

Longuevillius in Galliam iter inſtituit.

§. 76. Monaſterii Longuevillius Dux in Galliam proficiſci ſtatuerat, ob privata, uti ferebat, negotia, relicta tamen familiæ & ſupellectilis parte, ne plane avocatus videretur, ſed velut mox reverſurus, ſi propior ſpes pacis allubeſceret. Revera autem ob imminentem inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos pacem è dignitate Galliæ ac ſua haut ducebat ibi morari, & cominus inſolentiam ac inſultationes Hiſpanorum inſpicere. Is per Reſidentem Grullardum Suecis ſignificaverat, ſe valedicendi illis gratia Oſnabrugam venturum. Sed cum ultra conditum diem emaneret, Sueci judicabant, ipſum iter id ſimulaſſe, ut quia bis jam Galli Oſnabrugæ ipſos inviſiſſent, hi parem illis honorem reponerent. Id quod & Grullardus à Gallis expeti oſtendebat. Unde placebat Oxenſtiernam in pauculos dies eo excurrere, Salvio interim tractatui cum Cæſareis vacante, ne qua mora negotio afferretur. Id quod & Oxenſtierna poſtremo congreſſu Cæſareis indicabat; queis illud non improbabatur. Idem cum & Evangelicis denuntiaretur, hi per Deputatos Oxenſtiernæ, cum in procinctu eſſet, exponunt: Jam ante non modica ſe ſuſpicione perſtrictos ob Secretarium Legationis Bicernclovium in Sueciam ſubito miſſum. Nunc gravius commoveri, quod Princeps Legatorum negotiationem quam maxime ferventem deſtituere velle videatur. Multo labore opus fuiſſe, antequam Catholici Oſnabrugam Monaſterio adducti, ac tractatio ſuper Amneſtia & Gravaminibus ſuſcepta ſit: ſuper quibus Catholici paucos intra dies ſententiam expoſituri ſint. Quod ſi hoc ipſo momento diſcedatur, id quæri appariturum, ut bene cœpta evertantur, ac tractatus infinitis retroris intricetur. Evangelicos in grandem ſui contemtum accepturos, ſi hac rerum facie deſerantur. Catholicorum multos hanc occationem aucupaturos negotium ex voto extrahendi, ac Monaſterium revertendi, velut ibi agenda ſint, quæ præſentiam ipſorum requirant. Ita tractatus, quorum finis brevi ſperetur, plane turbatum iri, evaneſcente penitus pacis ſpe. Quæ Gallorum ſcire interſit, per Reſidentem communicari poſſe. Quod ſi id Oxenſtiernæ agatur, ut Belgarum Legatos concludenda cum Hiſpanis pace, aut ſaltem ita præcipitanda cohibere velit; ſibi perſuadum hiſce tractatibus magis expedire, illam pacem abſolvi, quam differri; quod Hiſpanicis partibus addicti omnem operam daturi ſint, quo & Oſnabrugenſis tractatus eouſque extrahatur. Ita iter illud noxium eſſe, nec à ſolo Salvio quid perfici tantiſper poſſe. Caſſellanum, quem iter hoc ob privata Principis ſuæ commoda ſuadere conſtet, experturum, quam male ſibi conſuluerit, ſi Catholici rebus Oſnabrugæ relictis hinc faceſſant. Etiam paucorum dierum jacturam nunc menſium multorum inſtar habendam. Igitur rogabant, itinere iſto ſuperſederet, ac potius Cæſareos urgeret, ne Catholicis longiorem cunctationem indulgeant. Tum ipſe negotiis Imperii ad finem perducendis incumberet; ſe viciſſim pro virili connixuros, ut circa reliqua iis quorum interſit ſatisfiat. Evangelicis reſponſum: Bicernclovium in Sueciam à Regina evocatum acciendis mandatis ad Reſidentis munus Monaſterii obeundum; non, ut ipſi ſuſpicentur, tractatibus abrumpendis, aut immutandis. Nec alio fine Monaſterium ſe nunc ire, quam ut Longuevillio valedicat, & ſuper Caſſellanæ deſideriis ante diſceſſum iſtius certi quid ſtatuat, intra pauceos dies redituram. Eximendis tamen ipſorum ſuſpicionibus id iter differendum, quoad Catholicorum declaratio in lucem prodeat, & quam viam Cæſarei deinceps inituri ſint adpareat; ne Succis imputari queat, velut negotio remoram data opera quærant. Quod reſponſum Evangelicis cumprimis placuit. Sueci quoque ſtatim de mutato itineris conſilio Cæſareis ſignificant; petuntque, Catholicos ad maturanda illa, quæ ſub manibus habeant, autoritate ſua compellant. Eodem die Oſnabrugam improviſus acceſſit Longuevillius Succis valedicturus, commendatis ſimul Caſſellanæ & Trevirenſis Electoris commodis, cauſaque Lotharingica. Idem quoque explorare conabatur, quid Galliæ à Succis expectandum foret, ſi poſt pacem Germaniæ concluſam bellum in Hiſpanos continuandum foret. Cæterum multis teſtabatur verbis, omnem ſe operam collaturum ad fœdus & amicitiam inter utrumque Regnum excolendam. Idem altero ſtatim die Monaſterium regreſſus eſt.

1648.

Oxenſtierna iter id omittit.

Longuevillius Oſnabrugam venit. 20. Jan.

21. Jan.

Evangelici Oxenſtiernam nolunt Monaſterium abire. 20. Jan.

§. 77. Edebant tandem declarationem ſuam Evangelicis Catholici; quæ illis nulla ratione probabatur. Negabant quippe Catholici hactenus aliquid tranſactum, cui obligandi vis inſit. Unde Evangelicis cauſam non eſſe, quare tam obnixe cum Trautmansdorfio actis inſiſtere velint, cui tam plena agendi facultas, atque Evangelici ſibi perſuadeant, haut fuerit. Ita Evangelicorum prima claſſis ſubvertebatur. De cætero prioribus ſuis Correcturis preſſe inſiſtebant novis quibuſdam inſertis, ſubnexa quoque reſervatione: de quibus nunc mentio facta non ſit, in poſterum monenda. Qua clauſula valente nova ſubinde movere, ac negotium in infinitum extrahere licebat. Addiderant quidam Catholicorum peculiaria ad Cæſarem deſideria, quæ ſolis tunc hujus Legatis communicabantur. Ex his ſatis perſpiciebant Sueci, longiore conſultatione opus fore, ad quam Evangelici haut commode accedere poſſent, niſi perſpectis peculiaribus Catholicorum ad Cæſarem prætenſionibus. Unde cum negotia parum urgere viderentur, placebat Oxenſtiernam Monaſterium excurrere, ad honorem Longuevillio reponendum. Sed cum Lengrichæ intellexiſſet, illum pridie Monaſterio abiiſſe, omiſſo itinere Oſnabrugam revertit.

Catholicorum declaratio Evangelicis diſplicet. 23. Jan.

Oxenſtierna irritum Monaſterium iter ſuſcipit. 25. Jan. 24. Jan. 26. Jan.

§. 78. Cum ita per Cæſareorum & Catholicorum cavillationes tractatus nuſquam promoveret, quidam Evangelicorum, Saxonici Electorales, Brandeburgici, Altenburgici, Luneburgici & ex Urbicis Argentoratenſis conſultatione inter ſe habi-

Separata inter quoſdam Evangelicos & Catholicos tractatio.

1648. habita tentare conſtituunt; num quos primariorum Catholicorum, qui pacis cupidi viderentur, in ſententiam ſuam pertrahere poſſint. Quorum conſenſu impetrato cum reliquis eo facilius decidere queant. Id quod nec aliis ſacrorum ſociis, nec Suecis diſplicebat. Ita Moguntini, Trevirenſis, Bavarici ac Herbipolenſis colloquium expoſcunt; ex quibus Bavaricus initio dubitabat ejuſmodi ſeparatis conventibus ſe immiſcere; mox tamen cum reliquis in iſtud conſenſit. Eo
25. Jan. congreſſu habito, placebat Catholicis, prius inter partes conventa, aut in Correcturis in dubium revocata tantiſper ſeponenda, ac res ita crudas prout ab initio fuerint aſſumendas, & æqua temperamenta diſpicienda. Inde teſtabantur, etſi per ſuam cum Evangelicis conventionem cæteros ſuæ Religionis Ordines obligare non poſſint: tamen ſi hi præter ſpem iſta non probarint, ſe ut eadem valida ſint præſtituros. Id quod Evangelicis facile probabatur. Sed cum ad rem ipſam jam accedere pararent, Volmarus, cui de hoc congreſſu innotuerat, intervenit: ſic ut colloquium tunc abrumperetur. Scrupulum ea res non modicum Cæſareis injecerat, ne forte hac ratione moderamen negotiorum ſibi è manibus extorqueretur. Unde
Ea evane-ſcit. eodem adhuc die, qui jam in veſperam inclinabat, & ipſi Suecos adeunt, & Evangelicorum Deputatos ad ſe evocant; quibus extremam ſuam ſententiam circa Amneſtiam & Gravamina, forma Inſtrumenti conceptam, exhibent. Id autem conſi-
27. Jan. lium in arena ipſos cepiſſe adparebat, quod pridie Lambergius Oxenſtiernam inviſens hac de re ne verbo quidem mentionem feciſſet. Cæterum iſta declaratio nil aliud erat, quam prioris repetitio; in qua præcipua cum Trautmanſdorfio tranſacta retractabantur. Quanquam autem ſupra dicti Evangelici & Catholici poſt reſumto colloquio ad cauſam utique Sulzbacenſem progreſſi eſſent, reliquis ob temporis anguſtiam dilatis: tamen haut obſcure adparebat, Evangelicos hac tractatione operæ pretium haut facturos, ac forte Catholicos Cæſareorum declarationi pertinaciter inhæſuros. Conſtitutum tamen utriſque ad Calendas Februarii colloquium repetere. Enimvero Cæſarei ſummo ſtudio renitebantur, Moguntino & reliquis, qui ſeparatam hanc negotiationem ſuſcipere auſi eſſent, atpere exprobrantes. Ac minabatur Volmarus, ſi pergerent ſe una cum diſſentientibus Catholicis inde diſceſſurum. Ita iſti abſterriti in ſui excuſationem allegabant, Saxonicos & Brandeburgicos huic negotio ſe ſubducere, nec ſe cum ſolis Principalibus agere poſſe. Et conſtabat, Saxonicos à Cæſareis monitos, ne ſeparatæ negotiationi amplius ſe immiſceant: Electori cum Cæſare arctiora commercia intercedere, eundemque aliam conſiliorum viam inire. Unde is, qui inter primos negotii autores fuerat, deſiſtebat, nova ſibi mandata expectanda cauſatus. Poſt quem & Brandeburgici hærebant, quod vererentur, ut Evangelici ipſorum directionem, quod nec antea unquam factum fuerat, admitterent; nec ſibi decorum ſub Altenburgici aut alterius moderamine tractatui intereſſe. Ita inſtitutum iſtud ultro collabebatur. Nec dubitabant tamen Cæſarei jactare; ſibi de iſto conventu nihil conſtitiſſe, nec repugnaturos ſe fuiſſe, quo minus idem ſua ſub directione ſuccederet. Ferdinandum non Catholicorum duntaxat, ſed & Evangelicorum Imperatorem eſſe: unde à neutra parte ejuſdem Miniſtros præteriri poſſe. Quibus Evangelici citra ambages occinebant; ipſorum directionem in ſimilibus negotiis à ſe admitti non poſſe, cum circa ſacra Ordines in duas partes diſceſſerint, manifeſtis Cæſareorum in alteram partem ſtudiis. 1648.

§. 79. Ita tunc præcipua lis ſuper conventis cum Trautmansdorfio vertebatur, quibus Sueci atque Evangelici mordicus inhærebant, Cæſarei autem & Catholici non pauca in iiſdem immutata cupiebant. Negabant hi quidquam de iis ad ſe relatum, aut conſilium ſuum requiſitum, nec rata ſe eadem habituros promiſiſſe, multo minus adprobaſſe. Conſcientiam non ferre, Religioni in tanti momenti rebus fraudem fieri. Cæſarei quoque diſcrimen faciebant inter ea, quæ ex ſolo Cæſari arbitrio dependerent, quibus utique ſtandum ſit, & quæ Ordines ſpectarent, quibus inciis ac invitis nihil condonari queat. His non probantibus quidquam ejus generis concludere illuſorium eſſe ac invalidum, cum per leges Imperii neque Cæſar Ordinibus, neque Ordinum unus invito alteri quid obtrudere poſſit. Quicquid Trautmansdorfius egerit, ſub ſpe rati egiſſe. Tum quæ acta ſint in ſcriptum quidem redacta, non tamen plene perfecta, aut ſubſcriptione roborata, eoque ad obligandum invalida; reſervata quoque utrinque addendi, demendi, mutandique facultate. Enimvero Catholicis occinebatur: ipſos articulo ſeptimo Gravaminum ſuorum Proteſtantibus oppoſitorum jam ante biennium Cæſari arbitrium detuliſſe in rebus per Statuta Imperii indeciſis, aut de quibus Ordines convenire non poſſint. Tum Protocollorum inde oſtendi poſſe, omnia ipſis conſciis acta, nec Volmarum apud Evangelicos id abnuiſſe. Cæſareis reponebatur: Haut quidquam retractari poſſe, quæ à viro perfectæ ætatis ac primario Cæſaris Miniſtro geſta ſint, cui Religio & conſcientia non minus quam aliis cordi fuerit; qui plena cum poteſtate ad tractandam pacem miſſus ſit, nec tàm animi cauſa tantum iter ſuſceperit. Omnia ſæpius perlecta, excuſſa, perpenſa, demum utrinque probata: ideque continuo, non intertupte ex vi Cæſareæ plenipotentiæ bona fide actum. Volmarum *placet* ſua manu adpoſuiſſe, quod non minus validum, quam ſi Secretarii manu ſubſcriptum foret. Clauſulam denique reſervatoriam haut eo uſque porrigendam, ut omnia acta in ludibrium vertantur. Super conventis Trautmansdorfianis colliſio.

§. 80. Hæc igitur res non inter Ordines ſolum aliquoties acriter diſceptata eſt, ſed & Evangelicis inſtantibus Sueci Cæſareos eo fine adiere, ut ipſis rationes, ob quas à conventis Trautmansdorfianis diſcedere nullo modo poſſint, demonſtrarent, eoque permoverent, ut & ipſi eadem tuerentur advertus quoſcunque, qui in dubium iſta revocare auderent. Sed poſt longam diſceptationem utraque pars ſuæ ſententiæ inhærebat. Sueci à Trautmansdorfio conventa fundamenti loco ulteriori tractationi ſubſternebant, quæ nullo modo convelli deberent. Cæſarei iſta à ſe non retractari, ſed alicubi temperamentum quæri jactabant. Addebant demum; mirari ſe, cur Sueci eam rem tantopere urgeant, & circa Ordinum negotia ſatagant, cum Regina ſatisfactione ex voto potita cauſam non amplius habeat bellum extrahendi. His reſponſum: iſtud ſi ipſi ſperare potuerint, vehementer falli: à Regina hanc præcipuam ſatisfactionis partem haberi, ut Evangelicis Ordinibus circa gravamina ſacrorum, ac civilem libertatem ſpectantia ſatisfiat. Hunc ſibi præcipuum ſcopum nunc eſſe, ac ni animum Cæſarei Sueci Cæſareos ea de re compellunt. 2. Febr.

1648. farei mutent, frustra de reliquis disceptari. A semel conventis, circa quæ tantum laboris ac temporis consumtum sit, ne latum unguem discessuros. Sed cum Cæsarei prius dicta repeterent, Sueci discedebant, omisso per quatuordecim dies congressu. Iidem & ad Gallos literas dederant, decretoriam ipsorum sententiam exquirentes, num secum ad tuenda Trautmansdorfii conventa conspirare velint: quod spes sit, si Regii Evangelicis heic consentiant, adversam partem demum flexuram.

31. Jan.

Tractatio denuo suscipitur.

§. 81. Ea Succorum constantia apud Cæsareos, licet primo dissimulantes, id efficiebat, ut statim cum quibusdam Catholicis in Cœnobio Dominicanorum consultarent, ac postera die universos Evangelicos ad se evocarent; quibus post repetita proxime acta suadebant, super nuper exhibito Instrumento suam mentem declararent, ut ubi res hæreant perspici queat. Spem sibi esse, si utraque pars aliquid remittat, abdicatis extremis, mediam quandam viam inveniri posse. Ex quo Evangelici colligebant: Cæsareos haut ita stricte recenti suæ formulæ inhæsuros, sed æquum temperamentum admisuros. Catholici, cum Evangelici ipsis hoc postea significarent, ad cæteros se relaturos ferebant: mox tamen & ipsi haut alienos se ostendebant, in Evangelicorum arbitrio relinquentes, suam an Cæsareorum formulam sub examen revocare velint. Addebant, consultationes ad æquam rationem flecterent: ita spem fore, patriam diuturnis miseris liberatum iri. Evangelici quanquam de prius conventis quidquam remittere nondum constituerant, contra si hoc modo ad ulteriorem tractationem accederent, eo ipso mutationem admisuri videbantur: vincebat tamen cupido pacis, ut tractatus pacis in soporem velut datos utique excitare iterum decernerent. Consultissimum tamen videbatur, ut Succi sicut antea, cum Cæsareis nullo proxeneta agerent, ac horum temperamenta tantopere jactata cognoscerent, & ad ipsos referrent.

6. Febr.

Novus tractandi modus proponitur.

§. 82. Porro ut temporis compendium fieret, placuit Evangelicos Succis, Catholicos Cæsareis separato conclavi præsto adesse; ut si quæ à Cæsareis dubii quid habentia proponerentur, Succi statim Evangelicorum sententiam exquirere, ac ad Cæsareos referre possent cum Catholicis communicandam, ut sic utrique parti ex tempore mentem suam declarandi facultas foret. Ita utrinque placita scripto concepta mox subscriptione firmanda. Sed quia non omnes Catholici Osnabrugæ aderant, quo conventa eo firmiora essent, placuit à præsentibus postulare, ut vel à cæteris mandata ipsorum nomine concludendi obtineant, vel cum Regiis ac Cæsareis concluſa præstanda recipiant. Ista hæc cum ad Suecos referrentur, hi quidem nonnihil difficultatis in isthoc agendi modo inveniebant: consentiebant tamen, ne quid paci promovendæ idoneum vitium omitteretur. Præsertim cum judicarent, Ordines hoc actu simul ostendere velle, jus sibi esse in partem sanciendæ pacis, ac decernendi belli cum Cæsare venire. Sed Cæsarei ægrius huc descendebant, deliberandi cum Catholicis spatio sumto: Evangelicis interim Cæsareos & Catholicos, ut hunc agendi modum probarent solicitantibus. Elapso quatriduo Cæsarei Evangelicis denuntiabant: Dubitare se cum Succis congredi, quod sibi de horum mente non constet. Nam si iidem nuper declaratæ sententiæ insistant, nullo fructu discessum iri, cum sibi mandata migrare nefas sit. Igitur optimum judicare, Evangelicos ante omnia Cæsaream formulam, aut Catholicorum declarationem excutere, & ad singula capita mentem suam exponere: post si opus sit utraque inter se conferri, ac brevi adaptari posse. Ita Saxonicos Electorales sentire, queis spes sit, reliquos Evangelicos eadem probaturos. Eadem reponebant Catholici, addito, dum super hoc consultant Evangelici, socios suos Monasterio huc convocari posse; tum de modo agendi ex omnium sententia statuendum. Enimvero Evangelici propositio suo haut dimovebantur, differte testati; haut idoneum magis medium maturandæ tractationi dispicere se posse; id quod si Cæsarei eludere velint, reipsa abnuere desiderium pacis, quod tam ambitiose verbis ostentarint. Saxonis sententiæ exiguam rationem haberi, velut unius. Ita Cæsarei demum in propositam formam consensere, postulantes, ut differentiæ in dudum ventilatis capitibus excerpantur, quo materia tractandi in promtu sit. Eorum exemplum & Catholici secuti, qui & præstituros se recipiebant, si quis conclusa in dubium trahere sustineat: etsi haut crederent, ulli audaciam fore conventa, utut forte displiceant, palam impugnandi, Wurtzburgentis præ aliis studio eminente.

1648.

Quid demum probatur. 8. Febr.

21. Febr.

§. 83. Inter hæc Osnabrugam veniebat Servientus, animi gratia, uti ferebat: revera ut responsum ad nuperas Succorum literas adferret, quod scripto concipere sacrorum suorum intuitu Galli dubitaverant. Quam ob causam & nomine sui Regis laxioribus dumtaxat verbis promittebat, juncta cum Succis opera connixurum, ut semel conventa firma persistant, ad peculiaria descendere abnuens. Alias penes Succos se relinquere, ut circa sacra negotia pro lubitu satagant, & quas possint pro se & sacrorum sociis conditione paciscantur. Nec Regi suo vitio datum iri, si ob respectum Sedis Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ haut pressius mentem suam declaret. Quo fine literas proferebat, à Pontifice nuper ad Fabium Chisium, & ab hoc ad Catholicos Ordines super conservatione Romanorum rituum & bonorum Ecclesiasticorum scriptas. Explorabat inde; Num Reginæ placeat, Bavarum denuo concessa neutralitate in amicitiam admittere? Quæ præcipua adventus ipsius causa videbatur, quod Galli post pacem inter Hispanos & Batavos conclusam numerosum in Germania exercitum alere non possent, totis viribus in Hispanum vertendis; unde Bavarum à Cæsare divelli cupiebant. Succi quid hactenus cum Bavaro actum foret, & quam parum fidei ipsi adhiberent, memorabant. Cæterum nec sibi, nec Wrangelio de Reginæ mente constare: unde id negotium ad hanc referendum. Ea post Wrangelio scribebat: si Bavarus denuo inducias offerat, ac ipse Cæsareis simul ac Bavaricis par non sit, istas ne repudiet, cautionis loco accepta Augusta & Memminga. Sed si utrisque prævaleat, rem gerere inducias securus pergat. Servientus denique cum deinceps præsentibus Ordinibus tractandum sit, postulabat, Residentem Gallicum tractationi adhibendum, ac Cæsareos, ut eum admittant, permovendos. Quo ipso nova suscipiendis mox congressibus difficultas objecta est. His actis iste Monasterium revertebat.

Servientus Osnabrugam venit. 5. Febr.

21. April.

16. Febr.

Super admittendo Residente Gallico disceptatio.

§. 84. Porro super admissione Grullardi Residentis Galli differebant: Fœderi id Suecico ac præliminari pacto congruere; ac Rosenhahnium Monasterii ipsorum tractationi interfuisse. Ordines Imperii utriusque Religionis, ac omnes fere, quos

1648. quos Germanica pax tangat, ad novam hanc conventus formam concurrere; unde par esse, Galliæ nomine aliquem adesse. Et quia super Amnestia & Gravaminibus transigenda suis quoque tabulis sancienda sint, quid circa ista decernatur, mature sibi constare debere. Sueci etsi nunc quoque reponere possent, quæ ante biennium Labardæo objecta erant, tamen offensæ Gallorum virandæ, & ad invidiam in Cæsareos derivandam declarabant: id se facile passuros, modo Cæsareis idem placeat. Quos repugnaturos haut frustra suspicabantur. Atl Cæsarei varios scrupulos movebant: Insolitum id hactenus: nec cum Gallis conjunctim, sed separatim actum, ac Mediatorum semper interventu. Rotenhahnium Monasterii non nisi semel, cum de mittendis ad Brandeburgicum ob Pomeraniam ablegatis consultaretur, apud tractatus cum Gallis visum. Non esse quod Galli suspicentur, à Suecis in ipsorum fraudem quid actum iri, cum quæ nunc excutienda sint solum Imperii statum tangant, de quo Galli hucusque parum soliciti fuerint. Grullardum non Legati autoritate Osnabrugæ versari, ut cum isto tractari queat; nec legationis suæ fidem ipsis unquam fecisse. Tum frustra actioni adfore quæ dicantur non intelligentem; nec in ejus gratiam alia se lingua usuros, aut interpretum vice eidem inservituros. Si quid occurrat, quod à Suecis ad Gallos referendum sit, id modo hactenus solito fieri posse. Si tamen Grullardus à Regina Sueciæ de sua admissione literas adferat, ac sibi de ipsius in sacra Romana favore cautum sit, forrassis ejusdem postulato gratificandum. Nec ab hac sententia discedebant Cæsarei, licet ipse Grullardus eodem hoc nomine adiret. Unde is à Gallicis Legatis justus apud Suecos ea super re non sine importunitate instabat; jactitans, se vel ipsis invitis in conventus eorundem cum Cæsareis irrupturum; aut si id non succederet, postulabat, ut Sueci tractationem plane abrumperent, velut qui consensu suo se obstrinxerint, quod Cæsareos ad ipsum admittendum permoturi sint. Quæ à ratione abhorrere Sueci ostendebant; tum ignominiosum fore, si in congressum irrupturus repellatur; aut si velut surdus adsideat, non intellecto quid dicatur. Magna quoque invidia Galliam flagraturam, si ob tantillam rem tractatibus remora injiciatur. Enimvero is propositosuo pervicax inhærebat, ut parum abesset, quin tota tractatio abrumperetur. Ac aliquoties denuntiabant Suecis Cæsarei; se nullo modo passuros, ut Grullardus conventibus interfit; aut si ultro irruat, ipsos colloquio abrupto abituros. Tum Suecos apud Ordines insimulabant, velut ex compacto cum Gallis hac via tractatus sufflaminatum irent. Ex Ordinibus igitur quidam Catholicorum, ac omnes Evangelici obsecrabant, ne Grullardi tanta ratio habeatur, ut in ipsius gratiam paci mora injicienda sit: universi Gallorum postulata sibi displicere testabantur. Unde Sueci Serviento, qui primus eam litem moverat, totam rei difficultatem proposuere, ipsius prudentiæ dijudicandum relinquentes, num æquum sit, ob solam hanc causam tractatus jam velut revivisscentes iterum intermori, aut in longum extrahi. Sed ille Grullardum postularis insistere non minus quam antea jubebat. Qui & eousque tam Suecos, quam Cæsareos urgebat, ut hi demum polliceri necessum haberent, si de Hassica causa agendum sit, ad conventum istum admittere. Ita isti aliquo modo satisfactum.

§. 85. Evangelici porro, uti Cæsarei postulaverant, præcipua, circa quæ adhuc disceptabatur, excerpta in scriptum conjecerant, cæteris ad ipsos congressus sepositis; & quidem non alia, quam quæ Amnestiam & Gravamina spectabant; & ut hæc velut omnes tangentia priore loco decernenda essent, quam Amnestia, quæ ad singulos pertineat. Id scriptum cum Suecis ostenderetur, graves ab his querimoniæ movebantur ob causam Hassicam, & militum stipendia plane silentio prætermissa, quod suspicarentur, clandestinum præjudicium subesse istis ad extremum rejectis. Unde Evangelicis significabant; non se posse pati, ut duo ista negotia ad postremum locum seponantur. Haut ita scrupulose ordini inhærendum, sed omnia pari passu expedienda. Ita ansam ambagibus præscindi; alias negotia sibi mutuo obstaculo fore. Gallos acriter pro Hassis conniti; ab horum Deputatis se, Gallosque urgeri. Militum opera effectum, ut cuique causam suam agere liberum sit; hos, ubi se negligi senserint, forte alia consilia capturos. Contra si audierint, commodorum suorum rationem haberi, eo ardentius pro causa communi pugnaturos. Evangelici etsi hæc satis probarent; demonstrabant tamen Suecis: periculum esse, ne tractatus plane subvertantur, si hæc capita, prius quam reliqua adornata sint, expedienda contendant. Morem gerendum Catholicis & Cæsareis, penes quos culpa sit, quod duo illa negotia non excutiantur. Sæpius de iisdem apud Catholicos initi isse, sed qui præfracte repudiaverint, antequam Ordinum inter se controversiæ compositæ sint. Jactare illos, non hostibus, sed amicis pecunias se extoluturos; nec hanc contumeliam toleraturos, ut à Suecis velut hostibus cogantur ad stipendia ipsorum militi solvenda. Quod si autem de pace cautum sit, se velut amicos una cum Evangelicis exercitui satisfacturos. Landgraviæ causam ut promoveant à superioribus sibi injunctum. Militum præmia jam decreta esse: super summæ modo ab universis Ordinibus conveniendum; qui in communem consultationem descendere non possint, nisi utrique Religioni addicti super Gravaminibus transegerint. Satis sibi constare, pacem expectari non posse, antequam militibus satisfactum, & Hassica causa decisa sit. Sed rationis non esse, publicis & quæ omnes spectant, privata, ad quæ stipendia militum, & Landgraviæ causa pertineat, anteferri. Illis expeditis hæc communi consilio facilius componenda. Sueci quanquam vererentur, ne præcipuis negotiorum perfectis Ordines reliqua levi brachio attingerent: tamen hisce non poterant non indulgere: qui verbis prolixe cavebant, haut aliud à se quæri, quam ut omnia ad optatum exitum deducantur; ac Landgraviam militesque forte lautioribus nunc conditionibus potituros. Addebant: Cæsareis forte sse intricatum & confusum agendi ordinem non displicere, ut negotiis inter se implicitis neutrum absolvatur.

1648. De materiis tractandorum inter Suecos & Ordines disceptatio.

§. 86. Sic igitur conventus denuo agi cœperant, prima vice Cæsareis cum Ordinibus utriusque religionis in Suecorum domicilium congressis. E Catholicorum numero tunc aderat Moguntinus, Treverensis, Bavaricus cum Bambergensi, Herbipolensi, Badensi, Spirensi, atque Osnabrugensi. Ubi inprimis placebat, ut si Cæsarei apud Suecos convenirent, hi ad Evangelicos digressi acta referrent: sed si Sueci in Cæsareorum ædibus essent, hi ad Catholicorum conclave communicationis causa se conferrent, Suecici autem in

Gravamina excutiuntur, ac primo loco Justitia. 18. Febr.

1643. in loco conventus manentes Evangelicos ad se evocarent. Heic Cæsarei ex Evangelicorum sententia de Gravaminibus primo proposuere, è quibus articulos de Autonomia subditorum Catholicorum, & de Justitia indecisos adhuc ferebant, super quibus formula à se concepta Catholicis displiceret. E quibus ordine retrogrado de Justitia primo loco agere decreverant. Quanquam autem Sueci alternis vicibus de Justitia, tum de causâ Hassica, hinc de Autonomia, demum de militum satisfactione agendum censèbant; Cæsareis tamen cedendum erat, qui Ordinum tam Evangelicorum, quam Catholicorum suffragio fulciebantur. Cum ad rem ipsam accederent, de translatione Cameræ Spirensis in Commodiorem locum & reformatione Justitiæ consensû ad proxima Comitia rejectum est. Sed super paritate Assessorum Cameræ acriter disceptatum. Ac Judicis quidem Cameralis munus Evangelici à Catholico & Evangelico alternis geri volebant; id quod Cæsarei plane repudiabant, quod illum, velut Cæsaris vices in judicio obeuntem, eadem cum isto sacra profiteri par sit. Scripturos tamen se ad Cæsarem eo nomine recipiebant. Quo & Evangelici adquiescebant, modo duo è quatuor Præsidibus ipsorum sacris addicti forent. Paritatem Assessorum utriusque religionis Cæsarei superfluum ducebant: cum Evangelicis desiderium suum de justitia citra partium studia administranda per paritatem judicantium fat commode adsequi liceat. Quo fine proponebant, ut in litibus inter Evangelicos utrinque, aut inter Evangelicos & Catholicos, aut Catholicos utrinque Evangelico interveniente, Assessores ab utraque religione pari numero cognoscerent, ac ubi paria fuerint suffragia in civilibus negotiis Judex Cameræ suæ calculo momentum adderet; Ecclesiastica quæ ob æqualia suffragia expediri non possint, ad Comitia rejicerentur. Atque id inter Ordines utrinque locum haberet. Nam in causis privatorum paritatem judicantium haut necessariam esse, nisi vel actor, vel reus, vel interveniens expresse id petat: quæ ad Comitia referri è dignitate Imperii non sit. Sed Sueci nomine Evangelicorum demonstrabant; paritate Assessorum utique opus esse, si revera paritate judicantium frui velint. Nam paribus inter primos judicantes suffragiis istos pari utriusque religionis numero augendos: quod si & tunc paria forent suffragia, rem in pleno consessu discutiendam, ubi itidem paritate, quantum ad sacra, opus sit. Cameram quoque Spirensem hactenus quadripartito Senatu constitisse. Primum *Definitivum* esse, cui tres classes subsint, singulæ tribus Evangelicis, totidem Catholicis & uno judice itidem Catholico constantes: alterum *Interlocutorium* esse, tertium *Fiscalem*, quartum *Supplicum Libellorum*. Hactenus autem Evangelicos non supra novem aut decem suffragia potuisse conficere. Quod si tres classes Senatus definitivi debito Assessorum numero supplendi sint, pro reliquis tribus Senatibus nil superesse; nedum ut pro re nata in pleno consessu cum Catholicis concurrere, ac æquilibrium tenere queant. Unde postulabant Evangelici numerum Assessorum ad quinquaginta augendum, quorum viginti sex Catholici, viginti quatuor Evangelici præsentarent; quam prærogativam duorum Assessorum Evangelici studio pacis, & in honorem Cæsaris Catholicis indulgebant. Cæsarei regerebant: paritatem consuetudini veteri repugnare, ac cum amplior Catholicorum in Imperio numerus sit, merito & plures iisdem sacris addictos Assessores esse. Sibi nunc non vacare novam Cameræ ordinationem condere; ac rem ad Comitia rejiciendam; cum locus, tempusque præsens talia disceptari non ferat. Sufficere debere, quod Cæsar in omnibus causis paritatem judicantium ab utraque religione admiserit: quo ipso suspicionem expirare, velut ob respectum sacrorum jus inflectatur. Adquiescere Saxonicum Electoralem; idem Brandeburgicos facturos, quos mandata accepisse constet, ne hanc rem heic loci ventilari patiantur. Numerum Assessorum in certos Senatus dividi, nec negotia in uno eadem ratione ac in aliis tractari. Si in primo Senatu definitiva lata sit, in reliquis disceptatione non amplius opus esse, adeoque nec pluribus, qui suffragia ferant. Numero Assessorum aucto, media eosdem sustentandi quoque augenda. Vix qui nunc sint potuisse ali, & singulis Comitiis querelas de hoc motas. Tum neminem Catholicorum in hanc rem mandatis instructum, eosque non ut totum corpus, sed ut singulos adesse; queis cautione opus sit, ne quid in absentium fraudem admittatur. Ipsos quidem præstationem in se recepisse; qua tamen abuturi non sint, nec plus facturos, quam reliquis adprobare queant: imprimis absentes augmento salariorum, & sumtuum Cameralium onerari non posse. Ad hæc Sueci Evangelicorum nomine regerebant: Evangelicis præcipuam cautam esse contendendi, ut in Imperio justitia citra partium studia administretur, ad quam ipsis, potissimum confugiendum sit. Burgundos ac Austriacos istam parum curare privilegio exemtionis gaudentes, quod & Bavarus obtinuisse feratur. Rem ad Comitia rejicere, esse ad fontem omnium gravaminum ire; ac remedium mali petere, unde ortum sit. Id tamen ad extremum admitti posse; modo heic prius valitura interim dispositio fiat, ut res postea in Comitiis eo majore cum fructu peragi queat. Evangelicorum gravamen in eo præcipue verti, quod Cæsarei & Catholici imparitati vim consuetudinis tribuere velint. Non nova à se peti, sed quæ in Recessu anni quinquagesimi quinti superioris seculi fundata, ac in sequentibus Comitiis semper agitata sint; quæ & per Palatinum, Saxonem & Brandeburgicum Electores anno nonagesimo à Rudolfo II. solenni legatione petita sint. Nuper quoque Conventu Francofurtensi anno 1643. in eam rem decretum ab Electorali Collegio factum: sed quia paritas ista ad Consilium quoque Aulicum extensa fuerit, idem à Cæsareis eversum. Ipsos Catholicos Francofurti tunc censuisse Assessorum numerum augendum, nec de salariis scrupulum tunc fuisse motum. Quanquam autem Evangelicorum quidam censerent, sufficere si ipsi unum & viginti suffragia retineant, Catholicis viginti novem relictis: aut paritatem judicantium tantisper admittendam, quoad in Comitiis super alio modo conventum sit. Succis tamen urgentibus Cæsarei re cum Catholicis denuo communicata in paritatem demum, prout supra ab Evangelicis proponebatur, consentiebant. Sueci contra, quæ Cæsarei super litibus inter Ordines ad Comitia rejiciendis monuerant, itidem probabant è sententia Evangelicorum, qui & remissionem cautarum privatarum ad Comitia adspernabantur, velut molestam, & publica negotia turbaturam; quibus beneficium Revisionis sufficere debeat.

De Judice & Præsidibus Cameralibus.

De paritate Assessorum utriusque religionis.

1648.

1648. De modo præsentandi.

§. 87. De modo præsentandi inter partes nulla lis: cum Sueci ac Evangelici Cæsareorum & Catholicorum arbitrio relinquerent, quid circa suos ipsis disponere placeret. Inter Evangelicos dissidii nonnihil oriebatur non sine Catholicorum irrisu. Utrique Circulo Saxonico, quod meris Evangelicis constaret, quini Assessores, Franconico autem, Suevico, Superiori Rhenano, ac Westphalico, ubi mixti Catholicis Evangelici habitant, bini tantum attributi fuerant. De quo hi, ac cumprimis Wurtenbergici, acres querimonias movebant, Luneburgicis succensentes, velut qui proprio ausu, ac inconsultis reliquis schema partitionis edidissent. Utrumque Saxonicum Circulum olim tantum pro uno habitum. Evangelicos in Suevico Circulo plus pecuniarum ad Imperium conferre, quam omnes Evangelicos per utrumque Saxonicum. Tum in Suevico Circulo plurimas lites inter Evangelicos & Catholicos agitari. Se de Principis sui jure condonare nihil posse. Contra interrogabant Altenburgici & Luneburgici: quare Saxonici Circuli deterioris conditionis, quam Suevicus, esse debeant? Sibi prærogativæ nihil quæri; nec esse fraudi debere, quod in Suevico Circulo Catholici simul habitent. Tandem id temperamenti inventum, ut Saxonici Circuli uno Assessore cederent, & singuli quaternos, nonum autem in commune alternis constituendum retinerent. Ita quatuor istis Circulis unus Assessor adcrescebat, ut & ipsi novem potirentur, nono itidem alternis præsentando. Hæc cum fere adornata essent, Ratispona novum monitum super Circulo Bavarico movebat, qui mixtis annumeratus non sit, nec Evangelicis in eo sitis quispiam præsentandus relictus. Sed quia prius de hoc mentio facta non erat, à Cæsareis nihil obtineri poterat; nec partitionem jam inter Evangelicos factam iterum turbari placebat. Haut abs re tamen visum, ne Evangelicis ejus Circuli silentio præjudicium crearetur, clausulam salvatoriam servando ipsorum juri addere. Id quod & Cæsarei admittebant. Denique de Advocato Fisci, cujus munus haut exigui momenti habetur, Sueci & Evangelici quærebant: num is inter cæteros Cameræ Ministros intelligendus sit; an de eo diserte nunc statuendum? Quorum prius Cæsarei agnoscebant; ac de eo ad Cæsarem scripturos se recipiebant. Denique ut & circa reliquos ministros, quos constituere penes Moguntinum est, paritas religionis observaretur, Sueci & Evangelici monebant. De qua re etsi Moguntini ostenderent Principi suo perinde esse, quæ sacra colant, modo idonei sint: ita presse tamen ad paritatem se obstringere nolebant, sed Electori se rem commendaturos recipiebant, intra duodecim dies responsum polliciti. Sed Evangelici eo tempore haut expectato ad conclusionem properabant.

De aliis Cameræ Ministris.

Caput de Justitia absolvitur;

§. 88. Exhibebant mox Cæsarei formulam hujus capitis, suo & Catholicorum nomine, quæ Evangelicis facile probabatur, modo hinc inde quædam vocabula insererentur. Veluti ubi cavebatur, ut Cæsari *liberum sit in causis majoribus & unde tumultus in Imperio timeri possunt QUORUNDAM ELECTORUM ET PRINCIPUM sententias & vota requirere*, vocabulo *Electorum & & Principum*, verba *utriusque religionis* præmittebant. Sic & ei clausulæ; *in antico non minus, quam Camera Imperialis judicio, privilegium primæ instantiæ, Austregarum* & similia *illibata sunto, nec per mandata ac commissiones turbantor*, vocabula, *aut avocationes & alio modo* addi volebant. Quod Cæsarei haut ægre admittebant. Cæterum etsi nec de Judice Cameræ, nec de Advocato Fisci mentio facta esset, paritasque inter ministros ad futura Comitia rejiceretur, Cæsaream tamen formulam Evangelici admittebant, stipulati duntaxat, ut Cæsarei & Moguntini ad superiores suos eam rem referrent, quod sperent, durantibus hisce tractatibus responso grato se posituros, ut in Comitiis non opus sit de eadem agere. Id quod isti diligenter se facturos pollicebantur. Ei porro scripturæ, cum in authenticam formam redigenda esset, Cæsarei varias conditiones adsuebant. Ac primo repetebant Reservatum nuper expressum: ni Evangelici ipsorum tunc in formula instrumenti edita declaratione super Amnestia & Gravaminibus adquiescerent, se ad hæc non ulterius adstringi velle. Quo tamen desistebant, cum ostenderetur; ipsos in hoc de Justitia capite jam ab eo discessisse, & id quam maxime nunc agi, ut in aliis quoque capitibus ab eo discedatur. Cavebant dehinc, ut nullus articulus, etsi tantisper subscriptus, validus sit, ni compositis omnibus hactenus controversis. Id quod Sueci, Evangelicique facile admittebant. Insuper Cæsarei volebant, omnia licet conventa & tantisper subscripta, haut tamen rata fore, *nisi pax immediate concludatur eaque concluſa & subscripta statim hostilitas omnis cesset, idque ut fiat, exercituum præfectis utrinque significetur.* Ubi quibusdam Evangelicorum vocabula *immediate, statim*, & *omnis* suspecta videbantur. Nam fieri posse, ut unus vel alter Catholicorum, puta Osnabrugensis Præsul, concluſa pace novi quid moveat; ex quo ansa arripi queat cavillandi, pacem *immediate* haut secutam. Nec arma hostilia ita abrupte poni posse, ut non duabus aut tribus septimanis post conclusos tractatus opus sit futurum, antequam plena pax exerceatur; quæ haut quidquam idonea causa sit conventa retractandi. Nec omnia hostilia cessatura, si Galli & Hispani, quod futurum adpareat, bello impliciti adhuc maneant. Suecis quoque vox *immediate* suspecta videbatur, ne forte Cæsarei ipsos statim ad conclusionem & executionem pacis absque Gallis adstringere velint, eoque tempus ipsis intercipere hisce in tractatu cum Cæsare adsistendi: quo ipso occasio præripiebatur præstandi, ad quæ ex fœdere, & prævia conventione tenebantur. Declarabant tamen Cæsarei: vocabulo *immediate* respici non solum capita de Justitia, & Gravaminibus, sed communem pacem, omnesque ejus partes, ut si universa eo, quo cœptum nunc est modo, absoluta sint, pax sequi, & hostilia cessare debeant, & quidem *statim*, atque sine mora, ut tamen utrinque spatium concedatur ducibus bellicis de instante pacis conclusione significandi. Bellum inter Hispanos & Gallos ad res Germaniæ non spectare, & vocabulum *omnis* de sola pace, & bello Germanico intelligendum. Quæ explicatio Suecis satisfaciebat. Tandem volebant Cæsarei, ut omnia hoc modo conventa juncta opera, & consilio assererentur. Quod & Suecis, Evangelicisq; arridebat; Principum tamen ablegatis ignominiosum videbatur, quod *mandatarii* nuncupati essent; pro quo vocabulo *Deputatos* substitutum: & vocabulum *propositas* in *conveniendas* mutatum, quod de Executione parum hucusque actum esset. ita caput de justitia adornatum, promissis subsequentibus conditionibus I. *Ut nullus articulus obli-*

Scripta concipiuntur.

1648.

gatur

1648. *gaterius ſit, quamvis provisionaliter ſubſcriptus, niſi etiam omnes hactenus controverſi articuli compoſiti, tranſacti, & concordati fuerint. II. Ut etiamſi omnia concordata & provisionaliter ſubſcripta, aliter obligatoria non ſint, niſi pax immediate concludatur, eaque concluſa & ſubſcripta ſtatim hoſtilitas omnis ceſſet, idque ne fiat, exercituum præfectis utrinque ſignificetur. III. Ut quæ hoc modo inter Cæſareos & Suecicos Plenipotentiarios, ac Deputatos Ordinum acta, tranſacta, & concordata fuerint, mutuo aſſenſu, conſilio, ope & opera, juxta conditiones circa Executionem Pacis conveniendas manu teneantur.* Subſcriptionem Cæſarei initio detrectabant, velut commode differendam, quoad totum de Gravaminibus caput abſolutum eſſet. Poſt cum urgerentur, ſufficere ducebant, ut Secretarii Legationis, ſicut circa ſatisfactionem Suecicam factum, ſubſcriberent. Sed Evangelicis turius videbatur, Legatos ipſos, ac Ordinum utrinque directores conventa ſubſcriptione firmare, ut Catholici eadem minus retractare poſſent: quibus & Sueci aſſentiebant. Quanquam autem Cranius ægre hucdeterrendebat, quod ſibi mandatum negaret, ſigillatim conventa capita ſubſcribere; tamen eo res redigebatur, ut ipſe una cum Salvio, tum Reigersbergio Moguntino Cancellario, & Wolfgango Conrado Thumbshirnio Altenburgico manu ſua ſubſcriberent, quatuor exemplis pari tenore confectis apud Cæſareos, Suecicosque, ac Ordinum Directores aſſervanda. Id quod & circa ſequentia capita obſervatum.

Et ſubſcribitur.

De Autonomia ſubditorum.

§. 89. Sequebatur alter nodus de libertate ſacrorum, (*autonomiam* tunc vocare ſolenne erat,) civibus concedenda, qui eadem diverſa à Principibus ſuis profiterentur. Quæ res præcipue Evangelicos ſubditos ſpectabat, qui ſub Catholicis Principibus degebant; eoque ab Evangelicis Ordinibus contra Catholicos propugnabatur, non pari tamen omnium ſtudio; quos inter præcipue Lampadii fervor eminebat, qui inter alia jactabat: Si Catholico Magiſtratui poteſtas concedatur Evangelicos expellendi, eorumque ſacra abolendi, Apoſtolos, ac Martyres univerſos infamia notatum iri; quippe cum ejuſmodi poteſtate admiſſa iſti ob denegatum Magiſtratui obſequium merito pœnas velut maleſici dederint. Contra Cæſarei teſtabantur, ſibi plus, quam nupera pacis formula expreſſum ſit, concedere nefas eſſe: ac Catholicis, ut Evangelicorum poſtulatis obſiſtant, ſolidas ex ipſa Auguſtana Pace rationes ſuppeditari; qua diſertis verbis caveatur, ne quis Ordinum alteri ſubjectos in patrocinium recipiat: id quod ut ſubvertatur, nullo ſe modo ferre poſſe. Non minus Evangelicos, quam Catholicos ſuper obſervanda illa pace fidem ſuam obſtrinxiſſe; cujus violatæ exemplum ab ipſis profectum longius ſit iturum, nec Catholicos omiſſuros ab illis, quæ moleſta ſibi videantur, diſcedere. Ad quæ Sueci reponebant: Evangelicis haut animum eſſe in Pace Auguſtana aliquid mutare; ſed quia nonnulla per injuriam temporum in ſiniſtrum ſenſum detorta ſint, melius ſibi cavere velle, patrocinantibus jam Suecorum armis. Sicut ea Pax non Ordines duntaxat, ſed & ſubditos ſpectet; ita hanc pacis elucidationem ad utrorumque commodum tendere, ac iſthoc cumprimis caput ad ſubditos unice pertinere. Num Ordines aliqua ex decreto Imperii obligatione teneantur, à ſe in medio relinqui; Reginam ſane non teneri, quæ ſuper hoc & aliis negotiis velut pacis legibus ipſos cum Cæſareis tractare juſſerit. Meminiſſent Cæſarei, quid ſuperiore æſtate conceſſerint. Germaniam quantum ad ſacra in duas haut multum inæquales partes divitam: ac optimum fore, æquali utramque jure frui. Evangelicos idem ex ſua parte facere paratos, quod à Catholicis poſtulent. Inhumanum eſſe innocentes homines ob ſola ſacra penatibus ſuis præcipites ejicere. Enimvero quicquid Sueci contenderent, Cæſarei ab initio eam rem ſerio agere detrectabant, variorum ſubterfugiorum obtentu, ac paulatim de Provinciis Cæſaris movere incipiebant; circa quas quousque Sueci progredi vellent, in anteceſſum noſſe cupiebant. Sed cum hi ſubodorantes id omni ſtudio declinarent, tandem iſti erumpebant: ſe circa communem autonomiam nihil ſtatuere poſſe, niſi ſuper peculiari ſit tranſactum. Sueci contra ordine ſemel placito, ut communia præcedant, decedere abnuebant. Unde Cæſarei ſibi reſervabant; quicquid circa autonomiam in univerſum actum fuerit, à ſe pro invalido habendum, antequam paragraphus de Cæſareis ſubditis adornatus ſit: qua cautione præmiſſa ad negotium id accedebant. 1648.

Tres gradus Autonomiæ.

§. 90. Circa ſubditos igitur, de quorum autonomia agebatur, triplex diſcrimen ſtatuebatur. Alii quippe exercitium ſuorum rituum publice aut privatim in domibus ſuis per pacta, diuturnum uſum, aut conniventibus Superioribus hactenus habuerant; alii, cum neutro horum modorum id haberent, ſub magiſtratu diverſæ Religionis domicilium fixerant, alii denique cum eadem ſacra cum ſuo magiſtratu hactenus coluiſſent, deinceps his deſertis alia profeſſuri erant. Pro his in univerſum Sueci ſtipulabantur, ut pari per omnia jure cum reliquis civibus fruerentur. Qui è prima claſſe eſſent, exercitio ſuorum ſacrorum, quod anno vicesimo quarto obtinuerant, deinceps quoque gauderent; Nam hunc temporis terminum demum Sueci admiſerant, cum initio pro anno decimo octavo contenderent. Cæteris duabus claſſibus Sueci lautiores conditiones pacifci cupiebant; ſed cum eam rem jam antea Catholici abnuiſſent, ac certum duntaxat temporis ſpatium illis indultum fuiſſet, ſatis habebant, alteri claſſi vitæ tempus, tertiæ quindecim annos ad habitandum concedi. Cæſarei & Catholici etſi ægre ad tolerantiam per pacta adſtringi vellent, circa primam tamen claſſem parum difficultatis movebant: niſi quod ſufficere judicabant, communibus vocabulis *liberum exercitium* exprimi ſub quo tam *publicum*, quam *privatum* intelligi poſſit. Unde vocabula, *ſive publicum ſive privatum*, ut & *ſive ſola conniventia*, expungi volebant, illa velut materiam litis in futurum, hoc velut ſuperfluum, & quod ſub voce, *longum uſum*, contineatur, qui non aliter quam per conniventiam Magiſtratus introduci poterit. Sed Evangelicis ob majorem ſecuritatem conceſſum, ut utrumque exercitium diſtincte exprimeretur. Vox tamen *conniventia* diſpuncta, cujus loco *obſervantia dicti anni* velut longe efficacior ſubſtituta. Sed & Cæſarei induci patiebantur vocabula *vel pure & ſimpliciter, vel certis conditionibus & privilegiis*, quæ antea voci *ſubjectos* initio hujus paragraphi duodecimi præmiſſa erant, velut in ambiguum trahi apta.

Suecorum poſtulata.

Cæſarei primum gradum admittunt.

De Cœnobiis Hildeſienſibus & Erfordia.

§. 91. Circa pacta autem quondam inter Principes, & ſubditos ſuper cultu ſacrorum inita nonnihil difficultatis movebatur. Ac Colonienſis quidem Elector, quæ circa ſubditos Prælulatus Hildeſienſis cum Luneburgicis convenerant, remittebat; novem tamen Cœnobia Evangelica ibi ſita reliquis octo Catholicis utique jungi volebat;

1648. tum ut in Evangelicis templis Catholici quoque ritus simul celebrarentur. Cujus Legatus Buschmannus discessurum se minabatur, si ista recusentur. Moguntinus postulabat, ut pacti, quod anno decimo octavo hujus seculi inter Electorem Suicardum & Erfordiam Urbem initum ferebatur, in Instrumento Pacis mentio fieret saltem tantisper, quoad à Principe suo alia mandata acciperet. Enimvero Colonienſi ostendebatur; haut opus esse in Evangelicorum templa irrumpere, cum in Præsulatu ac Cœnobiis pauci duntaxat Catholici inveniantur, quos vel unum templum capere queat. Ita hoc postulato quantumvis ægre depellebatur. Sed Cœnobia etsi Sueci inter Electorem & Luneburgicos dividi cupiebant: quia tamen hi ultro eorum possessionem dimiserant, Sueci quoque reniti non amplius poterant, quo minus Colonienſis iisdem potiretur. Sed pactum Moguntini cum Erfordienſibus plane adspernabantur, quod istud nunquam perfectum fuerit. Equidem Moguntinum anno decimo sexto ita acriter urbi institisse, ut ad tractatus cum ipso descendere cogeretur, qui in annum decimum octavum extracti sint. Verum negotiationi isti non solum Domus Saxonica ab initio ob patrocinium urbis interceſſerat, sed & Moguntinus eandem ratam non habuerat, quin anno vicesimo septimo & tricesimo sexto diſertis literis irritam declaraverat, quod speraret, alia via se urbem arbitrio suo subjecturum. Ita clausula de pacto Erfordienſi, quod Moguntini capiti de Amnestia inseri cupiebant, à Suecis rejecta est, ac pollicebantur Cæsarei, illam è tabulis Pacis excluſum iri. Cum igitur Moguntinus postulato suo excideret, ac tamen eo negotio concluſo subscriptioni se subtrahere non posset, protestationem interponebat, quo Electori & Præsulatui Moguntino sua jura diserte reservabat. Enimvero quia Ordinibus utriusque Religionis placuerat, ejusmodi peculiares contradictiones illicitas fore, quo fine & præstationem eorum, quæ decernenda forent, junctim in se receperant; simul Domus Saxonica Moguntino superioritatem quam vocant territorialem in ullam Thuringiæ partem ipsamque Erfordiam nunquam annuerat: Altenburgicus statim postera die contrariam protestationem interposuit, ut Moguntina protestatio velut invalida actis eraderetur, Domui Saxonicæ suis juribus reservatis. Sed quia Erfordienſes neque Moguntini, neque Saxonum in urbem Imperium agnoscere volebant, eorum Deputatus Paulus Christophorus Zieglerus utramque protestationem velut irritam actis amoveri petebat, utque urbi sua jura illibata servarentur.

9. Mart.

9. Mart.

21. Mart.

Sueci in tertio gradu cedunt.

§. 92. Secundæ & tertiæ classi Cæsarei non nisi triennium indulgere volebant, intra quod ad emigrandum res suas disponere possent. Amplum sat spatium id esse, si edictum Georgii Friderici Marchionis Badenſis respiciatur, quo gravi sub pœna vetuerat, ne quis extraneus sacerdos ultra viginti quatuor horas in ipsius ditione moraretur, ac interim non nisi diversorio publico uteretur. Haut tamen eam sibi mentem, elapso isto tempore illos statim expellere, id quod nec hactenus sit factum; sed ea humanitate adversus eosdem usuros, ut querendi causam habituri non sint. Ferri tamen non posse, ut velut publica lege inviti adstringantur ad subditos diversorum sacrorum in suis ditionibus tolerandos. Cum igitur Cæsarei ita pervicaciter huic sententiæ inhærerent, Sueci primo loco tertiam classem expediendam suscipiebant, quod spes esset, Cæsareos eo facilius in plures annos consensuros, quod ejusmodi casus numquam eventuros jactarent. Enimvero hoc non obstante Cæsarei obstirmato animo hærebant. Unde Sueci è consilio Evangelicorum à quindecim annis gradatim descendentes demum in triennium à Cæsareis propositum consensere. Addebantur tamen leges, ut queis hoc modo emigrandi necessitas incumberet, neque ante elapsum id tempus ad emigrandum cogi possent, neque idem tempus antevertere prohiberentur: ut elapso triennio migratio ita necessaria non foret, quo minus per Magistratum prorogari posset: ut emigrans bona sua vendere non teneretur, sed de illis liberam disponendi facultatem retineret, ac si opus sit citra literas tuti commeatus ad ea iterum accedere, ac pro re nata ad tempus ibi agere citra vim conscientiæ illatam, ac inde abire iterum posset: denique ut quibus lites persequendæ sint, sive bona ibi habeant, sive minus, pari cum Catholicis jure fruerentur.

1641.

Uti & decimum in secundo.

§. 93. Cæterum quia circa hanc classem remiserant Sueci, sperabant Cæsareos circa secundam fore faciliores. At hi obnixe sententiæ suæ inhærebant, differentes: Jam antea Evangelicos Catholicis hinc inde adversus pacem Augustanam quædam decerptisse: nunc domi suæ sibi leges præscribi. Dissimulasse equidem quosdam Principes miti ingenio cives diversa sacra professos: nunc in legem id abire, ac istos invitis Principibus eam licentiam stabilire non sine ingrati animi nota, & intolerando præjudicio. Subditos jam ultro fines obsequii migrare; quid facturos, si pacto nitantur? Repugnare hæc Principum conscientiæ, existimationi, ac dignitati: eo principio bella inter superiores & subjectos oritura. Evangelicos initio satis habuisse civili pace frui; inde sacrorum libertatem stipulatos: nunc subditos cum Principibus Imperium dividere, aut idem junctim cum illis administrare velle. Adstipulari sibi Saxonicos Electorales & Brandeburgicos, qui triennii spatio indulto adquiescant. Horum exemplum & aliis inferiore dignatione sequendum. Etsi Brandeburgici hoc sibi à reliquis Evangelicis exprobratum inficiabantur, prælecta Electoris epistola, qua pro libertate conscientiæ subditorum contendere jubebantur. Sueci contra postulata sua acriter urgere: Non perpetuam eam cessionem, sed vitæ tempus duntaxat complexam: intra viginti aut triginta annos expiraturam. Cæsareos superiore ætate id annuisse, nec Catholicos idem plane rejecisse. Quæ duo Electores forte concesserint, se non tangere, nec esse quod illorum sententia tam scrupulose respiciatur, qui utique reliquorum tutores non sint. Quanquam autem utraque pars sententiæ suæ mordicus inhæreret; Sueci tamen postulata sua de libertate habitandi ad vitam pervicturi videbantur, ni Evangelici apud Cæsareos destinata sua prodidissent. Isti quippe extremam sententiam suam Suecis secreto indicaverant, silentio utique eam habituris. Sed mox iidem istam & apud Cæsareos effutierant. Unde eo minus hi sua sententia depelli poterant; nec Suecis reluctari amplius licebat, cum illi quorum maxime intererat remisissent, in quos & ejus rei culpa si qua erat redundabat. Id tamen obtinebant, ut huic classi biennium superadderetur; cum & Cæsarei æquum judicarent, his, qui ab initio diversa à Principibus suis sacra professi fuerant, largius indulgeri, quam qui post eadem mutaverant. Ita caput de Autonomia in genere

in

1648. in eam formam redactum, prout poſt Tabulis Pacis inſertum eſt.

De proviciis Cæſareorum ſententia.

§. 94. Tractationi huic Cæſarei ſubinde de civibus ditionum Cæſaris immiſcuerant, ſuper quibus caveri ſibi utique volebant, negantes antequam de his transactum fuerit, ſe priora de Autonomia in univerſum ſubſcripturos. Et quanquam Evangelici, quoties occaſio ferret apud Cæſareos pro iisdem diligenter intercederent, ſemper tamen rejiciebantur dato reſponſo; jam extrema ſe mandatorum aperuiſſe, à quibus diſcedere nefas ſibi ſit. Et cum ad hanc materiam accederetur, initio audire de eadem adipernabantur, teſtati, Cæſarem potius ſumma imis miſturum, quam leges hoc admiſſurum. Differe vetitum ſibi de hac agere: & capite ſibi luendum, ſi contra faciant. Et quanquam inficiari non poſſent, Electorem Saxoniæ non ſolum pro Ducibus Sileſiæ Evangelicis & Uratislavia urbe, ſed & pro Schweidnicenſi, Jaurenſi & Glogovienſi Ducatibus liberum ſacrorum uſum certis legibus obtinuiſſe: de eo tamen initio formulæ pacis interere abnuebant, mandati defectum cauſati. Sed ad extremam formulam exhibebant non abſimilem illi, quam ſuperiore anno typis vulgaverant.

Evangelici cedunt.

§. 95. Sueci ab initio pertendebant, ſtatum ſacrorum in Cæſareis ditionibus in ſtatum anni decimi octavi plane reponendum. Evangelici autem Ordines, quanquam perſpecta Cæſareorum pertinacia Suecorum arbitrio id negotium commiſiſſent pro re nata expediendum: tamen tædio belli, & deſiderio pacis paulatim molliti orabant, potius eo poſtulato deſiſtendum, ac rem Deo committendam, quam ob eandem pax retardetur. Differebant iſti: optandum equidem eſſe, Cæſareis civibus parta antehac circa ſacrorum uſum privilegia ſervari. Sed rebus Germaniæ ad extremum jam redactis, cum intra annum plures Evangelicos exitium maneat, quam illi ſint, queis conſultum ſatur, illorum cauſa in bello hæreri non poſſe. Quo iidem ubi intellexerint, quantum hoc pro ipſis deſudatum, & quamdiu pax illorum cauſa extracta ſit, facile acta probaturos; præſertim cum iisdem profuturum non ſit, ſi alii Evangelici una cum ipſis pereant. Rem tamen ad Suecos referendam, eorumque ſententiam cognoſcendam. Si quid amplius iſti obtinere queant citra notabilem pacis remoram, in lucro reponendum. Sin minus, admittendum quod Cæſarei offerunt, ea tamen lege, ut hæc tantiſper valeant, ac Evangelicis integrum ſit, ſi quid amplius deinceps pro ipſis pacifci queant. Præterea cum Saxoniæ Elector denuo ad Cæſarem ſuper Sileſia ſcripſerit, eam declarationem eſſe reſervandam. Tum ut liberum religionis exercitium Evangelicis Conſiliariis Aulicis, quos Cæſar adſciturum ſe promiſerat, ac Evangelicorum Ordinum Legatis & miniſtris concedatur.

Oxenſtierna eos confirmat.

§. 96. Iſthæc cum Suecis Evangelici exponerent, Oxenſtierna iisdem demonſtrabat; rem eſſe arduam; & cuique cavendum, ne conſcientiam ſuam ſauciet; eoque ad extremum pro iſtis hominibus, ut libertate ſacrorum gaudeant connitendum. Suecis ſemper hunc præcipuum armorum ſcopum fuiſſe, ſacra ſua, & qui ea profitentur, præſenti oppreſſione eripere; nec duriſſimis licet rebus fiducia Numinis animos abjeciſſe. Unde nec nunc per ignaviam ad noxia conſilia ruendum. Temerarios eſſe Cæſareos, qui Suecis ac Evangelicis pro lubitu leges hoc obtrudere audeant. Miſeros illos toto bello hac ſpe ſuſtentatos, pacem malis ipſorum pauſam allaturam: qua nunc plane ſe privari ægerrime laturi ſint. Potuiſſe Hungaros deſideria ſua intuitu florentium Reginæ armorum pervincere. Cur hos calamitati ſuæ immerſos relinqui, cum armorum fortuna ad remiſſa conſilia non compellat? Enimvero parum iſta apud Evangelicos valebant, quorum nomine Thumbshirnius reſpondebat. Laudare ſe fortia conſilia, nec alia ab Oxenſtierna expectare potuiſſe. Cæſareorum duritiam, & iniquitatem dolendam, qui illos libertate ſacrorum ſpoliare auſi ſint, tanto labore ac ſumtibus emta. Evangelicos denuo quærere, num plus quam poſtrema Cæſareorum declaratione obtineri queat; Id ſi fieri non poſſit, conſiderandum, uno anno plures Evangelicos perire, quam forte in omnibus Cæſaris ditionibus habitent. Unde ad extremum Cæſareorum oblatis adquieſcerent, reſervata tamen ad futura Comitia ulteriore actione. Deum ſane aliam viam inventurum gloriæ, & doctrinæ ſuæ aſſerendæ. Iſthæc Evangelicorum ſententia per quoſdam obnoxios Cæſareis prodebatur; Altenburgico & Luneburgico in publico congreſſu acriter queſtis, Cæſareos omnia, quæ apud ipſos agantur, etiam ſingulorum ſuffragia noſſe. Quæ & cauſa fuerit, quare in ſecunda Autonomiæ claſſe haut plus obtineri potuerit. Ac fremebat Lampadius, ſi de proditore iſto innoteſceret, infamia notandum, cui & plerique diras imprecabantur. Unde Cæſarei declarationi factæ immoti inſiſtebant, ad Suecorum rationes nil aliud reponentes, quam ita caput iſthoc in aula Cæſareâ formatum, ſibique tranſmiſſum, in quo ne apicem quidem mutare ſibi liceat. Nec obſcure innuebant, ſibi ſatis constare, Evangelicorum aliam mentem eſſe.

Cæſareis Evangelicorum conſilia produn-tur.

Suecorum negotiatio.

§. 97. Legatis Suecicis à Regina injunctum erat, eam rem tamdiu urgere, quoad reliqua negotia, ac cumprimis militum præmia abſoluta eſſent. His omnibus obtentis ob eam ſolam cauſam tractatus haut abrumpendos ducebat. Nec parum dolebat, Evangelicos propriis commodis obſtare, & in hac re velut impetu ruere. Ad extremum tamen mandabat, ut demum ſatisfacerent, ſubditos illos Cæſari commendaſſe, eoque nomine Cæſareos Legatos Ferdinandi nomine laute promittere. Ita Succi Evangelicorum monitis ac precibus expugnati ægre cum Cæſareis ad excutiendam eorum ſuper hac re formulam deſcendebant. Ac Cæſarei quidem ſacra quatuor Evangelicis in Sileſia Ducibus, urbique Uratislavienſi permulta velut ſingularem Cæſaream indulgentiam extollebant, quam & ipſi humillima cum ſubmiſſione jam anno tricesimo quinto acceptaverint: quo ejus conceſſionis gratia Saxonis interceſſioni, non præſenti tractatui adſcriberetur. Sequenti quoque verſiculo hæc verba addiderant; *tanquam Principi per ſe abſoluto & libero*, quæ non tolum de Regnis & ditionibus hæreditariis, ſed, & de ipſo Imperio intelligi poterant. De nominatis Comitibus, Baronibus & Nobilibus, horum ſubditos omiſerant. Tum diſerta reſtrictione ad Auguſtanæ Confeſſioni addictos, Reformatos, quos ab ea Confeſſione alienos cenſebant, excluſum iverant. Inſuper quæ offerrent, non interim, ſed in perpetuum valere volebant; unde nec interventionem & interceſſionem Reginæ & Evangelicorum Ordinum admittere, nec concedere volebant, ut Cæſar futuris Comitiis, aut alias ſuper hoc negotio interpellaretur. Denique ut Evangelicis Conſiliariis Au-

Succorum cum Cæſareis ſuper ea re tractatio.

1648. licis, agentibus, & Miniſtris Ordinum liber ſacrorum uſus in templo, aut idoneis ædibus una cum cæmiterio & ritibus ſepulcralibus in urbe Cæſaris Regia indulgeretur, mandato ſe defici excuſabant. Succi, quæ Cæſar heic concederet, in univerſum quidem Cæſaream & Regiam gratiam agnoſcebant, quæ tamen ad annum triceſimum quintum reſtringenda non ſit. Super poteſtate Cæſaris tam in Imperio, quam in ditionibus hæreditariis inter Succos, & Cæſareos acriter diſceptabatur. Sed cum hi eandem ad Cæſaris Regnum & Provincias hæreditarias demum reſtringerent, Succis quare ulterius contenderent parum rationis erat. Eam tamen rem ad Catholicos quoque referebant, velut quos non minus, quam Evangelicos libertas Imperii tangebat: qui & cum Cæſareis collocuturos ſe pollicebantur. Ita univerſorum Ordinum conſenſu dicta vocabula diſpuncta ſunt. Subditos Comitum, Baronum ac Nobilium, eadem indulgentia uſuros Cæſarei verbo promittebant; id tamen formulæ pacis mandati defectum cauſati inſeri nolebant, quod vererentur, ne olim alii *immediate* ſubditi hoc titulo comprehendi vellent. Sed quia transactiones ſtricti juris habentur, Succi ſubditorum mentionem utique faciendam contendebant; quibus Cæſarei demum concedebant, præſertim cum extenſioni, quam verebantur, vocabulo *eorum* obviam iretur. Pro Reformatis Brandeburgici ſoliciti erant à Succis petentes, ut ſi Cæſarei in ſua declaratione ſub vocabulo *Auguſtana Confeſſionis* iſtos forte excluſos irent, eosdem ſibi commendatos haberent. Qua de re cum Succi monerent, Cæſarei ſubridentes regerebant; Reformatos haut in univerſum ſocios Auguſtanæ Formulæ haberi: in gratiam tamen Brandeburgici ea verba, quæ Reformatis ſuſpecta videbantur, deleri permittebant. Præter tria templa in Sileſia per Saxoniæ Electorem obtenta, Succi ſi non plenum Religionis exercitium, quædam ſaltem templa in hæreditariis ditionibus paciſci cupiebant, de quibus aliquoties acriter Cæſareos urgebant. Sed hi, quanquam (uti poſtea cognitum) Cæſar jam conſenſerat, ut Succis circa ea gratificarentur, pertinaciter abnuebant, quod noſſent, Evangelicos ei poſtulato languide inſiſtere; etſi paulo ante finem de templo pro Viennæ mœnibus ſpem facerent. Sed ut futuris Comitiis, aut alibi pro ſacrorum ſociis loqui non liceret, Succi & Evangelici plane concedere nolebant, quod ferendum non ſit, miſeris heic fide publica adimi, quod datum non erat, & omnem ſpem iſtud aliquando recuperandi præſcindi. Unde demum Cæſarei id admittebant, modo inter limites amicæ interventionis, aut demiſſæ interceſſionis excluſa violentia & hoſtilitate perſiſteretur. Denique de uſu ſacrorum Conſiliariis Aulicis, & Ordinum Miniſtris concedendo Cæſarei non improbabant; certi tamen quid ob mandati defectum polliceri haut poterant. Sed cum Evangelici concluſionem ſolicite urgerent, ea res ad futura Comitia rejecta

8. Mart. eſt. Ita interventu Ordinum iſthæc ad exitum deducta & ſubſcripta fuere, cum Catholici reciperent, ſe Legatos Cæſareos, ſi quid forte mandatis ipſorum repugnans admiſerint, apud Cæſarem indemnes præſtituros, ac Succi Evangelicis Ordinibus anxie inſtantibus obtemperarent.

De ſatisfactione Succica, ejusque conditionibus. §. 98. Dum Ordines utriusque Religionis ſuper negotiis Imperii anni initio conſultant, Succi ſatisfactionem, & quæ inde pendent, abſolvere conſtituerant; circa quam obſcuriora quædam clarius exprimere viſum fuerat, declinandis in futurum litibus, poſtquam animadverterant, Catholicos Correcturis ſuis quædam non exigui momenti moliri. Sed Cæſarei circa Æquivalentia oſtendebant; ſibi cum iis quorum intereſt citra Succorum offentam facile conventurum: id quod Succi ſuo loco relinquebant. Circa Succiæ autem ſatisfactionem etſi Cæſarei inter diſceptandum à Succorum poſtulatis parum abirent; tamen novam formulam ſcripto concipere abnuebant, ſed plane illi, quam Secretarii Legationis ſubſcripſerant, inhærebant, ſic ut à neutra parte mutatio aliqua admitteretur; niſi circa ea, quæ ex eo tempore partis utriusque conſenſu mutata fuerant; velut de Condominio Wismariæ, ac Præſulatu Hamburgenſi, inprimis quatuordecim pagis, quorum poſſeſſionem Dux Holſatiæ hac pace perpetuam adquirebat. Equidem Saxoniæ Elector ſuper Wollino actionem intendebat, quod Succi ſupellectilem dotalitiam ſororis ipſius Duci Francifco nuptæ publicaverant, pro qua Dux Wollinum inſulam oppigneraſſe ferebatur, proteſtatione quoque per Legatum Saxonicum interpoſita, 28. Mart. qua Electori jus ſuum reſervabatur. Id tamen Cæſarei parum curabant; & quia Succi rem mali exempli judicabant ſemel transacta retractare, placebat priori formulæ citra mutationem inſiſtere, ac Cæſareorum declarationi verbo factæ circa unum atque alterum adquieſcere. Abſoluto capite de Juſtitia & Autonomia Succis jam opportunum videbatur, eodem modo Articulum de ſatisfactione adornare. Id quod & Cæſareis, & Ordinibus probabatur, niſi quod Catholici caverent, ut ne hac ratione ordo tractandorum turbaretur, ſed quæ circa Gravamina adhuc reſtarent ſtatim expedirentur: & ut quæ ſuper Palatina cauſa convenerant, Legatorum ſubſcriptione firmarentur. Unde caput de Satisfactione denuo ſcripto conceptum iisdem verbis, quæ nunc in tabulis Pacis leguntur; niſi quod de Condirectorio Domus Luneburgicæ in Circulo Saxonico Inferiore nihil adhuc exprimeretur; & quæ tunc de præmiis militum inſerebantur, poſt velut ſuperflua omitterentur. Ita & iſthoc caput à Cra- 8. Mart. nio & Salvio, ſimul Evangelicorum ac Catholicorum Directoribus ſubſcriptum.

De Æquivalentibus & cauſa Palatina. §. 99. Æquivalentia, velut appendicem ſuæ ſatisfactionis Succi ſtatim quoque ſubſcribi cupiebant. Ad hoc etſi paratos ſe oſtendebant Cæſarei, obſiſtebant tamen Bavarici tractis in partes Catholicis, quod Succi Palatinum negotium ſua ſubſcriptione certas ob rationes firmare dubitarent. Quanquam enim inter ipſos & Gallos quondam ſuper eodem convenerat: poſt tamen ejusmodi reſpectus intervenerant, ut ſat cautæ eſſet, quare à prius placitis diſcederetur. Haut eo ſecius Succi, intercedente licet Neoburgico & aliis, paratos ſe declarabant ea lege, ſi Bavarus circa componenda negotia adhuc indeciſa utilem operam navaret; cujus ſpecimina perſpicere Succi volebant prius, quam ad eam ſubſcriptionem accederent. Id quod cum Bavaricis diſpliceret, Æquivalentium ſubſcriptionem impediebant. Enimvero Brandeburgici, & Luneburgici, quorum intererat ſuper Æquivalentibus ſibi caveri, diffidentia adverſum Catholicos ſoliciti apud Bavaricos inſtabant, ut tantiſper ſatishaberent, per Ordines, eorumque Directores transactionem ſuper Palatina cauſa firmari. Ita obſtaculo iſthoc 9. Mart. remoto ſubſcriptio tam ſuper cauſa Palatina, quam Æquivalentibus à Reigersbergio Moguntino,

by Google

1648. tino, & Thumbshirnio Altenburgico peracta est.

Per ista Brandeburgici & Luneburgici placantur.

§. 100. Isthac Æquivalentium subscriptione Brandeburgicus & Luneburgici sic satis demulcebantur, qui hactenus asperitatis nonnihil adversus Suecos ostenderant. Luneburgici paulo ante solito ferocius loqui, ac molestis sermonibus Suecos perstringere cœperãt: ac inprimis cum Sueci certas ob rationes ipsorum æquivalens subscribere differrent, importune invehi, & quatuor suos Præsulatus Halberstadiensem, Magdeburgicum, Mindensem & Raceburgicum se vindicaturos crepare, quorum tamen possessionem nacti non erant. Inprimis autem Brandeburgici consilia suspecta habebantur, qui arcta cum Batavis commercia miscebat, & initio anni Legatos ad Cæsarem, Daniæ ac Poloniæ Reges, Electorem Saxoniæ, & Luneburgicos, simul Coloniensem & Melandrum miserat. Quem constabat apud Saxonem & Luneburgicos de arctiore inter Evangelicos ac cumprimis Saxonicam, Brandeburgicam & Luneburgicam Domos conjunctione, armorumque paratu egisse: ut si exteri Reges à Cæsare oblata adspernati pacem Germaniæ inviderent, ipsorum autoritate armis subnixa ad eam compelli possent. Ac erant qui Suecis persuaderent Electorem Pomeraniæ præreptæ memoriam nunquam exituru m, & extrema omnia, ut istos iterum inde ejiciat, tentaturum. Etsi Regina suis jam mandasset, ut si pro Brandeburgico aliquas copias in Germania colligi animadverterent, illas confestim dissiparent, ne in exercitum coire possent. Idem apud Belgas super novo fœdere agitabat, ad quod illos præcipue per invidiam, qua in Suecos tum flagrabant, impellere studebat: jactans, se iisdem quoque fœdus cum Danis, Luneburgicis, Holsato, aliisque conciliaturum. Quod fœdus tamen tunc successu caruit, postquam Belgæ animadvertissent, eo potissimum ab Electore respici, ut præsidia ipsorum oppidis Cliviæ dimoveantur, quam conditionem præ cæteris urgebat. Enimvero Elector Reginæ suspicione percepta, Legatis suis injungebat, ut istam Suecorum animis eximerent. Equidem initio doluisse, à Regina Pomeraniam petitam, ac potiore ejusdem parte sibi decedendum fuisse: ac fortasse recenti dolore tunc quædam parum amica sermonibus jactata. Sed lite illâ usque ad finium rectionem composita, nunquam animum fuisse transactionem evertere. Ex eo tempore omnia consilia huc direxisse, ut Sueciæ sinceram amicitiam certis pactis sibi pigneret. Sat ipsi constare, rebus suis nihil magis expedire, quam sinceram amicitiam ac fidam viciniam cum Suecia colere: contra haut certiori periculo se ac statum suum exponi posse, quam si adverti quid in id Regnum moliatur, non propriis duntaxat viribus, sed & aliorum societate validum, ac ditionibus suis imminens. Si tale quid animo agitasset, haut maturum jam paci tempus fuisse expectaturum, aut tot occasiones isti seopo idoneas è manibus amissurum, suaque consilia à tot præpotentibus Principibus dissociaturum, qui omnes id quæsiverint, ut Sueci solo Germanico iterum depellerentur. Fœdus cum Batavis non novum esse, sed à majoribus suis initum, cujus beneficio ditiones istas adquisierint, & ab se nunc instaurari solius defensionis gratia: nec compertum iri, suos Ministros in Belgio aut alibi quid Sueciæ adversum machinari. Legationem ad Cæsarem factam, ut Marcanus & Ravensburgicus Comitatus tributis eximantur, ac Hammum restituatur. Si Dani auxilio adversus Sueciam uti placuisset, commodius fuisse tempus, cum is Rex aperto cum Suecia bello implicaretur. Nunc isto ad pacem compulso, haut credi posse ejusdem auxilia ab ipso respici. Nec aliud quid à se, quam super vectigali in freto Oresundico, ibi actum. Missiones ad Saxonem & Luneburgicum unice pacis maturationem spectasse, & ita quidem, ut Regibus assignata satisfactio non amplius in dubium revocetur; id quod Reginæ eo minus displiciturum crediderit, quod hujus Ministri constanter testentur, ipsi nil magis quam pacem in votis esse. Haut reperturos Suecos, se apud Saxonem & Luneburgicos de ipsis questum, sed potius pronum eorundem in pacem animum laudibus extulisse. Ista quidem Brandeburgici apud Suecos prolixe memorabant, dictisque fidem producta Electoris epistola faciebant. Sane in posterum deprehendi non poterat, remoram ipsos paci objecisse; quin potius iidem sequenti tractatione cumprimis circa satisfactionem militum utilem operam navabant. Ejusdem Legati, qui apud Batavos super fœdere satagebant, testabantur, Electori per Æquivalens super Pomerania plane satisfactum: simul clausulam, quam superiore anno fœderi inferere cupierant, ut Belgæ per intercessionem, aut alia media ad recuperandam ipsi Pomeraniam incumberent, nunc omiserant. Nec eo secius suspectum erat, quod ejus fœderis formula nullam Sueciæ mentionem faceret, cum Danus, Saxo & Luneburgici includerentur; ac distertis verbis poneretur, id fœdus neque adversus Cæsarem, neque Polonum tendere.

1648.

De ordine tractandorum disceptatio.

§. 101. Absoluta sua satisfactione Sueci Cassellanam causam & militum præmia expediri postulabant. Nam de illa propediem discutienda Cæsareos spem fecisse, ac non parum laboris sibi fuisse insumendum, ut Hassis Gallisque tantisper patientiam persuaderent, inque eam rem ipsis fidem dedisse, quam retractare non possint. Contra Cæsarei initio culpam in Catholicos conferebant, qui institutum ordinem interrumpi nolint, quod & supra distertis verbis sibi reservarint. Totum negotium hoc modo confusioni involvendum: præsertim cum semel placuerit, ne peculiaria communibus anteponantur. Tandem tamen citra ambages jactabant, se pati non posse, ut propria Cæsaris causa, quæ in §. *Tandem omnes* verteretur, post Landgraviæ desideria rejiciatur. Circa milites quod difficillimum fuerat definitum, illis utique satisfaciendum esse: reliqua in proclivi fore, si de hoc negotio agi cœptum sit. Id quod suo tempore faciendum, ubi ordo tetigerit: nam nisi reliquis absolutis illa effectu caritura. Quibus Sueci reponebant: Insolenter facere Catholicos, qui leges sibi circa ordinem tractandorum præscribere audeant. Quem nunc tantopere crepent ordinem, ipsos haut ita presse secutos, à posterioribus initio facto. Justitiam & Autonomiam in commune jam expeditam; quæ restent peculiaria esse, quorum tamen nullum insuper habere, sed quantum liceat omnia pari passu pertractare decreverint.

Reliqua Gravamina excutienda suscipiuntur.

§. 102. Huic dissidio componendo Evangelici intervenientes Suecis demonstrabant, circa Gravamina adhuc restare quædam magni momenti, communem causam spectantia, velut de Augusta aliisque urbibus, & de oppignerationibus, quæ divelli, aut indecisa relinqui haut deceat. Illa absolvi, ac Ordines in concordiam reduci ad facilius expedienda reliqua haut parum profuturum, juncto tunc studio ac consilio Ordinibus connixuris. Alias Catholicorum morositate omnia impediri, quæ Evangelici expedita cupiant. Landgraviæ arma in

1648. manibus esse, nec minus Reginæ, quæ ipsi patrocinetur; unde dubium non esse, quin ista utique satisfactione sit potitura. Ac se pro eadem omnem operam navaturos; effecturosque, ut post Gravamina statum Cassellanum negotium suscipiatur. Succi contra ostendebant; haut exiguum rebus levamentum fore, si cum Landgravia prius transactum sit, quæ tunc summo studio ad reliqua expedienda incubitura sit, cum nunc inter spem & metum anceps hæreat. Sed quia spes erat, intra paucos dies Gravamina absolvi posse, id demum remittebant, differre tamen pacti, ut tunc citra contradictionem Cassellana cauta statim expediatur.

De paritate Magistratuum Augustæ, & in aliis urbibus.

§. 103. Agi dehinc cœptum de pari Magistratuum ac munerum publicorum numero ex utraque religione Augustæ, uti & Dunckelspulæ, Biberaci & Ravensburgi, ante quidem concessa, post retractata; circa quam Suecis Cæsarei & Catholici Bavaro cumprimis instigante acriter resistebant, ut uti vix postulata sua pervicturi viderentur. Augustanæ urbis status anno vicesimo quarto hic fuerat, ut ambo Duumviri Catholicis sacris addicti forent: in secretiore consilio unus duntaxat Evangelicus locum sortiretur: è Senatu ampliore quindecim Senatores Evangelica viginti tres Romana sacra profiterentur. Tres Quæstores Catholici: è tribus Ædilibus unus tantum Evangelicus: in cæteris quoque muneribus omnibus Catholici Evangelicis prævalebant. Sed in præsens dubium erat, num vel unicus Evangelicus munere publico fungeretur. Succi porro censebant, fere supervacuum esse super hac re amplius disceptare, quam Trautmansdorfius ejusque Collegæ jam annuerint. Paritatem in Camera Spirensi concessam, quæ ad universum Imperium pertineat: quam Augustæ quoque indulgere exiguum sit. Præter æquitatis leges cum Evangelicis Augustæ agi. Horum numerum Catholicos triplo excedere, ac tolerandum tamen illidem, ut Catholici omnia prope munia possideant: & cum omnia majore suffragiorum numero decernantur, Evangelicos è Catholicorum libidine pendere. Unde fundamentum ejus Reipublicæ in paritate Magistratuum constituendum. Ubi numerus personarum impar sit, una ambulatoria maneret, annua alternatione. Haut ferendum Suecis, urbem, à qua sacra ipsorum nomen gerant, tam dura lege agere. Liberam eandem esse, in quam nulli Ordinum juris quid competat. Quæ nunc pro Augusta contendant, eadem ad reliquas quoque urbes supra expressas pertinere. Cæsarei contra censebant, tota pacis tractatione rem hac iniquiorem Suecos haut postulasse. Equidem ut Evangelicis civibus circa sacra molliores conditiones indulgeantur concedi posse. Sed ut status urbis ante seculum constitutus, & quo tempore pax Religionis tanciebatur, haut solicitatus nunc subvertatur, ferri non posse. Paritatem Catholicis parum tutam, maximo civium numero Evangelica sacra sequente; quos Catholici hoc solo coercere hactenus potuerint, quod penes ipsos summa rerum foret. Quod si Evangelici pari autoritate in Senatu potiantur, verendum esse, ne illi ab hisce plane opprimantur. Ac si Catholici id agi sentiant, sine dubio Bavarum protectorem sibi adscituros; ita Evangelicos longe duriorem quam antea legem subituros. Ipsos Augustanos nil amplius libello supplici ab Ordinibus rogasse, quam ut in statum anni decimi octavi reponerentur, nec Reginam terminum restitutionis longius retraxisse. Id se libenter concessuros; nec querendi causam Augustanis superesse, si petitis suis potiantur. Si hanc causam omittant Succi, se effecturos, ut eadem cum ipsis sacra professi in Recessibus Imperii deinceps *Evangelicorum* vocabulo insigniantur. Ad extremum tamen interventu Evangelicorum postulatam paritatem pro Augusta ac minoribus urbib' annuebant ea lege, ut in Secretiore Consilio semper tres Catholici, duo Evangelici essent, & qui nunc munera gererent Catholici, ad vitam eadem retinerent: sed in defunctorum locum Evangelici surrogarentur, quoad par numerus evaderet. Quorum prius Succi de sententia Evangelicorum concedebant, sed posterius eo modo circumscribebatur, prout Tabulis Pacis expressum est. Cæterum apud Suecos testabantur Cæsarei, se non sine labore Catholicos ad hæc concedenda permovere potuisse, obnixe reluctantibus quatuor Electoribus Catholicis, tum inprimis Leuxelringio, qui Campodunensis Abbatis deputatus quorundam insuper Comitum, ac minorum in Suevia oppidorum nomine suffragium ferebat, ita ut fere pro autoritate agendum fuerit. Id honori Reginæ ac Regni Sueciæ, non Ordinibus dedisse, quorum rationem habituri non fuerint, ni Succi tanto studio in eam cautam incubuissent. Quanquam non deerant, qui crederent, magis in Bavari odium Cæsareos eam paritatem concessisse.

Pro Aquisgranensi urbe nihil obtineri potuit.

§. 104. Pro Aquisgranensi tamen urbe Succi quam postulabant sacrorum libertatem obtinere non poterant. Equidem ostendebant isti, Ordines Evangelicos missa ad Rudolfum II. anno sexcentesimo legatione istam jam petiisse. Ni eadem annuatur, Batavos ac Brandeburgicum civium ibi Protestantium patrocinium susceptures; unde novis turbis ansam præberi posse. Sed Cæsarei negabant sibi super hac re quidquam mandatum: ac Catholicos Ordines acriter reluctari. Haut consultum Aquisgranenses Catholicos irritare, ne in Hispani ditionem se conferant, abdicato Imperio: quo casu Hollandi arma recens posita in Hispanos resumturi non sint. Nec hanc rem ad Brandeburgicum spectare. Declarabant tamen se non repugnare, quo minus ea causa ad Comitia, aut tempus magis opportunum rejiciatur, idque si postuletur actis inferatur; sed ut in Tabulis Pacis ejus mentio fieret, ferre nolebant. Id quod Evangelicis Ordinibus in præsens sufficere videbatur.

De oppignerationibus Imperialibus.

§. 105. Tertia controversia erat super Oppignerationibus Imperialibus, nominatim Lindaviæ & Weissenburgi in Norico: circa quas Succi prius conventis inhærebant; Cæsarei autem istas ad futura Comitia rejici volebant. Ne tamen tractatio circa has hæreret, de Lindavia nomine Domus Austriacæ remittebant. Circa Weissenburgum Aichstadiensis Præsulis intererat, cui Cæsarei præjudicium adferre verebantur; demum tamen & is prætensione sua desistere cogebatur. Et hæc præcipua fuerant, super quibus inter Evangelicos & Catholicos hactenus controversum fuerat; quibus compositis reliqui paragraphi facile adornabantur, hinc inde mutatis quibusdam vocabulis nullo Evangelicorum damno. Ita & istud caput ab utroque Legato & Directoribus, uti priora, subscriptum: oppositis tamen protestationibus à Moguntino & Altenburgico super territoriali in Erfordiam superioritate repetitis.

Caput de Gravaminibus absolvitur.

14. Mart.

Hassica causa suscipitur.

§. 106. Ad causam inde Cassellanam processum, cui non tam Cæsarei, quam Catholici Ordines quorum intererat renitebantur; contra Succi Landgraviam velut Reginæ sociam destituere haut poterant, pro qua & Grullardus, qui ex convento huic tractationi intererat, contendebat. Adhibebantur & Ordines Imperii, non tamen ita, ut pro lubitu rem temperarent, uti circa communia negotia Imperii fecerant. Fundamenti loco tra-

1648. ctationi ſubſternebantur, quæ ante annum cum Trautmanſdorfio Oſnabrugæ acta fuerant, quibus inhærere Succi decreverant, pro re nata tamen hinc inde mutatione nonnulla facta, aut admiſſa. Cæterum Succi Haſſicam cauſam Palatinæ ex adverſum ponere cupiebant, quod illa Regum, hæc Cæſaris ſocium ſpectaret, ac judicabant non minus ſibi pro illa, quam Cæſari pro Bavaro pugnandum, utpote cum Landgravia non minus de communi Evangelicorum cauſa, quam Bavarus de Cæſare, merita eſſet. Capiti de ſatisfactione militum §. *Tandem omnes* conjungere volebant, velut cognata negotia: idque nec Cæſareis diſplicebat, quod ductores, Provinciis Cæſaris oriundi, qui ſub Succorum auſpiciis militabant, haut ita acriter reſtitutionem quæſituri videbantur, ſi inſigni pecuniæ ſumma è ſatisfactione militari potiri eſſent. Sed quia Ordines Imperii Palatinam cauſam ſubſcriptione ſua præceperant, Cæſarei nunc §. *Tandem omnes* pariter cum Caſſellana cauſa decidi volebant. ad eum modum, quo in poſtrema pacis formula ab iiſdem expreſſus erat. Id quod cum Succi abnuerent, aliquot congreſſus vanis altercationibus abſumti, donec Ordines ægre demum à Cæſareis obtinerent, ut *paragraphus* iſte tantiſper ſeponeretur, quoad de præmiis militum agi inciperet.

Diſcutitur. §. 107. Ita denuo Landgraviæ poſtulata, quæ menſe Julio ſuperioris anni ſcripto exhibita fuerant, excutiuntur. Ac primo quidem Cæſarei Landgraviæ, ipſique addictis peculiarem Amneſtiam abnuebant, quod per communem ipſi ſat cautum foret. Nam hoc exemplo ſingulos quoque duces paria poſtulaturos. Nec opus eſſe *Neutralium* mentionem fieri; cum eidem periculo, quod Landgravia ſibi ab his, qui neutras partes in bello ſecuti ſunt, metuat, Cæſar quoque obnoxius ſit; cujus copiæ in Friſiam Orientalem, Oldenburgicum Comitatum, & alio irruperint, tributaque inde exegerint. Bavarum quoque, & Colonienſem durante bello vicinis moleſtos fuiſſe; quo nomine pace facta nemini actio intendenda ſit; eoque Landgraviam heic ſuperflua cura agitari. Contra Succi oſtendebant; de hoc antea conveniſſe, quo nunc in dubium revocato ſuſpicionem excitari, velut clandeſtini quid ſubſit. Nec fruſtra ſibi Landgraviam à Neutralibus cavere, cum è Darmſtadienſis actis conſtet, quid iſte circa talia animo volvat. Nil præter ſecuritatem à Landgravia quæri adverſus futuras lites; quod inſtitutum ipſi non poſſint non favore proſequi. 2. Præſulatum Hirſchfeldenſem Cæſarei in partem ſatisfactionis Landgraviæ imputare volebant, Præpoſitura Gellinga Saxonicis reſervata, de qua Vinarienſis ipſos monuerit. Sed Succi demonſtrabant, Caſſellanos anno viceſimo quarto cum præſulatum poſſediſſe, eoque ex capite Gravaminum eundem iſtis deberi. De præpoſitura autem illa eo magis mirum videbatur, quod Vinarienſis ſuper eadem à ſe quidquam monitum negaret. 3. Circa Marpurgenſem cauſam poſt multam diſceptationem placuit eventum tractatus, qui eo nomine tunc Caſſellis fervebat, expectari. Eo quippe Darmſtadienſis Ludovicum filium cum Pleſſio &
14. April. Fabricio Cancellario miſerat, ubi & opera Erneſti Saxoniæ Ducis tam exitioſa Haſſiæ lis amica tranſactione finita fuit. Abolendæ belli inter agnatos memoriæ vexilla Darmſtadienſibus erepta Caſſellano armamentario detracta Erneſto Duci conſignata ſunt. 4. Pacta, quæ Caſſellani poſtulabant, à ſe confirmari poſſe Cæſarei negabant; etſi non dubitarent, quin Cæſar decenter rogatus confirmationem indulturus ſit, ad quam tamen ſolenni conventione adſtringere eundem ipſi nequeant. Nec aliud pactum ſibi notum, quam de confraternitate inter Saxones & Haſſos, jam olim à Carolo IV. ratihabitum: cui Brandeburgicus non ita pridem ſit adſcriptus, nulla adhuc confirmatione ſecuta. Quod Hanovienſe pactum attineat, cum Comitatum Imperii feudum eſſe, in quem Saxoniæ Electori à Cæſare expectativa delata ſit. Ea ſi male erratis nitatur, aut Caſſellanis juſta in eundem prætenſio ſit, Cæſarem velut ſupremum judicem jus iſtis incorrupte dicturum. Interea rem in præſenti ſtatu manere. Cæſari ejuſmodi peculiaria pacta incognita, eoque ſuper hiſce nihil ſibi mandari potuiſſe. De indulto Majorennitatis anno decimo octavo ſpem faciebant, ſi à Cæſare id rite petatur. De jure primogenituræ poſt multam tergiverſationem demum annuebant. 5. Tranſactionem cum Comitib⁹ Waldeccæ Cæſarei huc ſpectare negabant, quippe quæ controverſiæ Marpurgenſis pars ſit. Demum tamen eandem admittebant, quantum Caſſellanos tangit. Nam Darmſtadienſi præjudicium adferre, aut ad iſtam amplectendam eundem compellere nolebant. 6. Circa quatuor præfecturas Schaumburgicas, ac inprimis Saſſenhagenſem Lauenburgicus proteſtationem interponebat, qua Duci illi jura ſucceſſionis in eum Comitatum, ac inprimis jus reluitionis in Saſſenhagenſem præfecturam reſervabat. Sed Haſſi ea non obſtante poſtulata ſua apud Cæſareos pervincebant tanto facilius, quod cum Domo Luneburgica, & Philippo Comite Lippæ certo modo tranſegiſſent. Adverſus quæ Cæſarei parum quod reponerent habebant, niſi quod Comiti Philippo titulum Comitis Schaumburgici tribuere nollent; ut tamen teſtarentur, ſe non repugnare, ſi Landgravia vaſallum ſuum eo titulo inſignire velit. Id quod & Succis perinde habebatur, modo reipſa frueretur, de quibus cum Landgravia nuper tranſegerat. 7. Circa ſatisfactionem Landgraviæ Cæſarei oblatis antea ſexcentis uncialium millibus nihil addere volebant, nec ut illud onus ſoli Moguntino, Colonienſi ac Fuldenſi imponeretur; cum alios quoque vicinos, qui tributis Haſſicis hactenus obnoxii fuerint, in partem oneris venire par ſit. Nec Landgraviam à vicinis Ordinibus hypothecam exigere poſſe acriter contradicentibus, quod metuant, ne ejus recuperatio in longum prorumpeat. Landgraviæ quoque communem Aſſecurationem omnium, quæ pacis Tabulis contineantur, ſufficere debere. Succi ſexcenta illa uncialium millia acceptabant. Cæterum Landgraviam laude dignam, quod in oneris ejus partem amicos ſuos, Brandeburgicum, Neoburgicum, Friſiæ Orientalis Comitem, alioſque trahere nolit, quos & per peculiaria pacta jam abſolverit, haut honeſte retractanda. A Moguntino, Colonienſi & Fuldenſi plurimum ipſi damnum datum. Unde, ſi iſti oppida ſua recuperare velint, par eſſe, ut eadem redimant. Nec Landgraviæ poſt exautoratum militem, & oppidorum reſtitutionem absque hypotheca de ſolutione ſatis eautum fore. 8. Poſtulatam Haſſicæ militiæ ſatisfactionem non ſine irriſu rejiciebant Cæſarei: ſimul 9. oppida haut dejectis munitionibus recens excitatis reſtitui poſtulabant. De quibus rebus Succi, cum de ſua militis ſatisfactione nondum conveniſſent, multa movere haut conſultum ducebant. Iſthæc porro tractatio Succis valde moleſta erat, acriter hinc urgen-

Ordinum intervenit compoſitur.

1648. urgentibus Haſſis, inde Cæſareis moroſe annuentibus, quod ægre ferrent, peculiare Cæſaris negotium ob cauſam Haſſicam fuiſſe ſeponendum. Unde iſtis inter ſe incaſſum litigantibus nomine Ordinum Bavarus, Altenburgicus & Luneburgicus Haſſos juxta ac alios quorum intererat ad temperamentum admittendum non ſine labore permovebant: à quibus & capita conventionis ſcripto exhibebantur, Cæſareis & Suecis quidem pariter probata, ſed quæ hi ſubſcribere abnuebant, quod Bavarici Palatinam ſimul cauſam ſubſcribendam obtruderent. Quod cum Suecis nondum opportunum videretur, Caſtellanum negotium tantisper utriuſque Directoris manu firmatum eſt.

29 Mart. Ordines mediationem inter partes exercere pergunt.

§. 108. Hoc tractatuum ſucceſſu Evangelici erecti ſpem commodæ ſibi pacis concipiebant, ac compoſitis jam Gravaminibus quotidianas fere cum Catholicis conſultationes ſuper reliquis negotiis inſtituebant, ut ſi circa eadem Suecis, ac Cæſareis parum conveniret, arbitrio ſuo iſta decideret. Id quod circa negotia Imperium & Ordines ſpectantia facile admittebatur, ut ſi forte non omnia ex eorum quorum intererat voto obtinerentur, invidia in Ordines redundaret. Sed quia Suecis adhuc militum ſuorum ſatisfactio, Gallis Lotharingica cauſa, & auxilia à Cæſare Hiſpanis deneganda reſtabant, circumſpecte procedendum erat, ne Ordinibus fræna nimis laxarentur, nec tamen eorum arbitrio rejecto offenſæ anſa adverſus Fœderata Regna præberetur, nevè illi ab hiſce conſilia ſua diſſociarent.

Amneſtia abſolvitur.

§. 109. Poſt abſoluta Gravamina ad Amneſtiam acceſſum; circa quam Cæſarei ſententiam ſuam denuo ſcripto conceptam Suecis exhibere volebant. Id quod Ordinibus diſplicuit, ne à modo tractandi hactenus non ſine præclaro ſucceſſu adhibito iterum diſcederetur, & ſcriptorum recip. April. procatione tempus extraheretur. Ita modo hactenus ſolito ea materia incudi ſubjecta. Ac circa *articulum tertium* vocabula à Cæſareis inſerta, *Fœderumo hinc inde contractorum*, ac *Generalis clauſula ſalvatoria* retinebantur; niſi quod Neoburgicus moneret, dictæ clauſulæ poſt vocem *Reſtituenda*, addendum eſſe, *ſeu retinenda ſeu acquirenda*, quod hac ratione prætenſionem ad Palatinas ditiones ſibi reſervare vellet. Sed quæ verba rejecta ſunt, velut præſenti ſcopo repugnantia. Declinandis tamen peculiaribus effugiis, poſt voces, *hac clauſula Salvatoria Generalis*, ſubnecti placebat, *vel alia ſubſequentes ſpeciales.*

Cauſam Palatinam, in quam Cæſarei, Gallique & Ordines jam conſenſerant, Succi pauliſper differri cupiebant, ut, quanquam communi decreto incaſſum reluctaturi eſſent, ſaltem perſpicerent, quid Bavarus ad promovendam pacem in reliquis, præſertim militari ſatisfactione, collaturus ſit. In §. *Princeps Fredericus* vocabulo *Recipiat*, addebatur, *& reſpective retineat*: quorum illud vectigal Vilzbacenſe, hoc Cœnobium Hornbacenſe ſpectabat. Circa Sulzbacenſem cautam quæ menſe Majo ſuperioris anni placuerant, ut firma perſiſterent, Succi aliquoties urgebant: Cæſareis excipientibus, Neoburgicum nullo modo diſcedere ab iis velle, quæ in Catholicorum Correcturis propoſita erant. Contra Succi oſtendebant, Sultzbacenſem iiſdem conditionibus cum aliis Ordinibus circa Gravamina & Amneſtiam frui debere, recuperato ſtatu anni vicelimi quarti, quo triennio poſt exurus erat. Unde malebant eum paragraphum plane omitti, quam ejus Principis mentionem fieri eo modo, qui præjudicii quid adferre ipſi videretur. Et quanquam initio contenderent, ut Cæſarei protocollo inſererent, quod verbo declaraverant: Sulzbacenſem ideo Amneſtia non excludi, ſed omnium ejuſdem beneficiorum non minus quam alios nomine expreſſos capacem eſſe; id tamen hi abnuebant, quod ſufficeret, ſi diſerte declararent, ſe neutri parti præjudicare velle. Nec minus tamen Succi iſtud ſuo, & Moguntino Protocollo annotari curabant. 1648.

De *Paragrapho Controverſiam* querebantur Marchiones, Bambergenſis Epiſcopi mentionem factam, qui hos inter tractatus quantum ſibi conſtet eo de negotio nihil moverit; & quod Kitzinga caſtrum, oppidum & præfectura in univerſum in controverſiam vocetur, cum tamen ejus tertia, & ſexta decima inſuper pars Domui Brandeburgicæ per ſeculum amplius propria fuerit, quæ cum reliqua parte controverſa nihil commune habeat. Sed nec Cœnobium ibidem ad Caſtrum, oppidum, aut præfecturam pertinere; ſed eo modo, quo ab aliis Evangelicis Ordinibus circa ſimilia bona actum, ante tranſactionem Paſſavienſem à Marchionibus vindicatum, ac ad annum usque viceſimum nonum poſſeſſum. Sed & ægre ferebant, conſtitutionem ſacerdotum in Comitatu Schvvartzenbergico & Hohenlandsbergenſi dynaſtia ſibi detrahi, in cujus poſſeſſione ab anno ſuperioris ſeculi triceſimo uſque ad annum viceſimum quartum fuerint: donec triennio poſt per tumultus bellicos ſacra Auguſtana ibi abrogata ſint, ejectis ſacerdotibus. Sed Cæſarei iſtis rejectis formula ſua ut retineretur pervincebant.

Wurtenbergici reſtitutioni Treverenſis clauſulam reſervatoriam annectere cupiebat, ob prætenſionem, quam Spirenſis Prætulatus in quædam bona Eccleſiaſtica iſto Ducatu comprehenſa movebat; ſed Suecis reluctantibus ea omiſſa eſt.

Circa Mompelgardenſem Comitatum majoris perſpicuitatis cauſa addebantur verba, *in Alſatia & ubicunque ſitas.* Super cauſa Badenſi inter Cæſareos, Succosque & partes acriter diſceptatum. Juſſus fuerat à Principe ſuo Durlacenſis Legatus interventu Luneburgici & Altenburgici ad temperamentum rem deducere, qui & hos ad eam rem ſuſcipiendam invitabat. Sed negabat Badenſis plus quam hactenus factum remittere ſibi fas eſſe; ac, ſi huic paragrapho aliqua mutatio adferatur, interpoſita proteſtatione Principi ſuo jus integrum ſervaturum. Sentiebant Succi, Volmarum pro Badenſi acriter niti; unde & ipſi pro Durlaceno haut ſequius certabant. Et quia totus Superior Marchionatus nullo modo obtineri poterat, Durlaceno ſuggerente primo præfecturas Badenam, Etlingam, Kuppenheimum, Raſtadium, Lohram & Mahlbergam poſtulabant: inde gradatim remittentes demum Etlingæ, Lahræ & Mahlbergæ inſiſtebant. Sed Cæſarei ac nominatim Bavarici obnixe reluctabantur, ne latum quidem pedem de Superiore Marchionatu ceſſuri, quod jam alias Fridericus Marchio longe ampliorem ditionem, quam Wilhelmus retineat. Tum & prætenſionem Durlaceni in Dynaſtiam Staufenam repudiabant, quod iſthoc feudum ante duo ſecula ad Auſtriacam Domum devolutum, & ab hac in alios collatum fuerit. Eodem modo & Dynaſtiam Hohengeroltzeccam Frederico ſubtrahere

1641. here cupiebant, etſi eam demum ad cognitionem judicialem rejiciebant. Præcedentiam Sueci in perpetuum Friderico, ejusque poſteris ſtipulari cupiebant, Cæſareis pro alternatione pugnantibus. Cæterum Durlacenus Legatus etſi in mandatis non habebat in transactionem conſentire, ſed potius diſerte juſſus erat, ſi de Superiore Marchionatu nihil obtinere poſſet, proteſtatione interpoſita Friderico viam juris perſequendæ ſuæ actioni reſervare: ipſe tamen, non minus ac reliqui Evangelici, Suecique, perſpiciebat hac ratione Fredericum de prætenſione in Superiorem Marchionatum periclitaturum, & iis quæ nunc obtinere poſſit, aut jam poſlideat, facile cariturum. Unde tutiſſimum judicabat, ad quæ concedenda Cæſarei ægre adductifuerant acceptare. Ut tamen Durlaceno Legato præter mandata agenti caveretur; in Frederici arbitrio relinquebatur ante pacis concluſionem declarare, num hiſce adquieſcere, an cauſam denuo in judicium deducere malit. Idque tam Cæſareo & Suecico, quam Moguntino Protocollo inſerebatur. Ita cauſa Badenſis ſcripto adornabatur, prout nunc Inſtrumento pacis expreſſa legitur; quam formulam & Cæſarei probabant, niſi quod circa Gerolzeccam pro verbis *coram competenti judice*, vocem *ſufficienter* ſubſtituerent, velut iſtis verbis Domus Auſtriacæ jurisdi-
15. April. ctio in dubium vocaretur. Scribebant inde ad Marchionem Fridericum Legati Suecici; in præſens plus obtineri non potuiſſe: optionem tamen ipſi relinqui, num transactione hac adquieſcere, an cauſam incerto judicii eventui committere velit, adverſa parte non minus connixura. Quo minus & ipſi Ordines ad eundem literas darent, cauſa erat, quod ad amplectendam præſentem transactionem ipſum permoturis ejuſmodi rationes adducendæ forent, quæ in adverſæ partis notitiam perlatæ ejusdem cauſam oneraturæ erant. At Fridericus hanc tranſactionem dolente quantumvis animo probabat, quod aliam viam ex illis difficultatibus eluctandi non diſpiceret; & quod proponebatur judicium ſibi iniquum metueret.

In Naſſovia Domo Siegenenſis linea præ Saræpontana præcedentiam tuebatur ob favorem Joannis Ludovici Comitis Cæſarei Legati; cum exceptione tamen, ut ea res Saræpontanorum juri fraudi non eſſet, qui priorem locum præ iſtis deberi ſibi contendebant.

Porro in Siegenenſi cauſa Cæſarei vocabula *pro ſuis quotis duntaxat* aſſerebant, acriter licet contranitente circa Siegenenſem arcem Joanne Mauritio Comite, cujus matri ex ea arce multum moleſtiæ illatum, eoque hæc una cum oppido ab ipſo occupata, & hactenus velut in pignus ſecuritatis detenta erat: quam & idem ægre de manibus amittebat, quod eandem tantiſper obtinere cuperet, donec ſibi ob detentam à fratre ſuo Romanos ritus profeſſo per viginti annos hæreditariam portionem ſatisfieret. Saræpontano Comitatus ſuus cum caſtro Homburgo adjudicabatur. De cætero adquieſcendum eidem erat, ut ipſi reviſionis beneficium adverſus ſententiam anno viceſimo nono latam reſervaretur.

In §. *Joannes Albertus* Butzbaco *urbis* dignatio detrahebatur, pro qua *oppidi* vocabulum ſubſtituebatur.

Circa Domum Solmenſem vox *per confiſcationem* à Catholicis infarcta expungebatur; & pro unica voce *bona*, velut clarius reponebatur, *omnia bona & jura*.

Comitibus Iſenburgicis Sueci uberiorem reſti- 1648.
tutionem adverſus transactionem cum Darmſtadienſi optabant; quo fine proponebant, ut vel Commiſſio Cæſarea, ad quam à parte Comitum Moguntinus & Palatinus Electores nominabantur, reaſſumeretur, vel res in proximis Comitiis diſceptaretur. Sed adquieſcere demum cogebantur, Comites iſtos generali Amneſtiæ includi. Simul Darmſtadienſi actio ſua reſervabatur.

Rheingraviorum tamen cauſam Sueci adverſus Cæſareorum, Catholicorumque & Gallorum prætenſiones obtinebant.

Circa Witgenſteiniam Domum acris oriebatur diſceptatio, quod hinc Galli una cum Cæſareis & Catholicis Trevirenſi adverſus Comitem favebant: inde Landgravius Joannes, qui Comitis Erneſti de Sain & Witgenſtein filiam in uxorem duxerat, opera fratris ſui Georgii, Saxonem & per hunc omnes fere Evangelicos ſibi adjunxerat. Cum Trevirenſi tamen lis ita componebatur, ut vel ad amicam transactionem, vel ad ordinarium forum intra annum decidenda remitteretur. Id quod tamen haut Tabulis Pacis, ſed protocollo duntaxat inſcriptum. Adverſus Comitis Erneſti viduam, & filias demonſtrabat Witgenſteinius; Ludovico unico viduæ filio defuncto Comitem Ludovicum Caſimirum ſuo & agnatorum nomine Comitatus vacantis poſſeſſionem ſtatim apprehendiſſe: ac viduæ non niſi adminiſtrationem negotiorum, exceptis tamen juribus ſuperioritatis, relictam. Cæſarei eam litem per Sequeſtrationem & Commiſſionem Cæſaream componere inſtituebant, quæ intra annum à publicata pace finienda ſit; in quam ut conſentiret jam Witgenſteinio Comiti perſuaſerant. Id quod tamen ab Evangelicis ſubverſum, qui intuitu Landgravii Joannis usque adeo Viduæ favebant, ut cum ſuper hoc negotio conſultarent, Comes ne unicum quidem ſuffragium ferret. Unde à Suecis id temperamenti propoſitum, ut reſtitutio Viduæ ad illam duntaxat poſſeſſionem, *in qua fuerat ante deſtitutionem* reſtringeretur, ac aliis ſua jura ſalva forent: id quod aliquo modo Comiti ſatisfaciebat, qui & reſtitutionem ſolius Viduæ nomine faciendam poſtulabat, filiarum mentione omiſſa. Quod Evangelici Suecorum hortatu demum admiſere; etſi ne iſthæc filiarum omiſſio fraudi ipſis eſſet, id protocollo inſeri poſtularent.

In §. *Caſtrum & Comitatus Falckenſtein* Sueci pro verbis, *Cui de jure competit*, malebant, *cui per ſententiam adjudicatum eſt*, reponi. Sed regerebant Cæſarei: ſi ſententia, qua niterentur, valida ſit, eam jus parere, eoque commodiſſimam eſſe dictionem, *cui de jure competit*. Se nemini jus ſuum adimere, nec litem ſuper ſententia movere velle, quam tamen ipſam hoc loco firmare nequeant.

In §. *Reſtituatur Domus Waldeck* concedebatur quidem, ut clauſula de Pirmonda expungeretur, ut tamen Comites haut eo minus in poſſeſſione ejus Comitatus manerent, idque in acta referretur.

In §. *Fridericus Ludovicus* Cæſarei vocabula, *& ob cauſas ex hoc bello natas* expungi patiebantur.

In §. *Ferdinandus Carolus* cum Sueci & Evangelici initio poſt vocabulum *materna*, verba, *ut & ex hypothecato Baronatu Scharffeneck* addi vellent, demonſtrabant Cæſarei, eum Baronatum jam antea ſub hæreditate comprehendi, eoque iſta verba ſuperflua eſſe. Comes Lippienſis apud Sueces queſtus fuerat, ſe poſſeſſione dynaſtiæ Gehmen à Stirumio Comite manu militari ejectum, de cujus reſtitutione

Digitized by Google

1648. tione ut Tabulis Pacis caveatur petebat. Cæsarei etsi non iniquum judicabant facta pace Comitem restitui; quia tamen ea lis ex hoc bello orta non erat, ad caput de Amnestia non pertinebat. Unde Suecis sibique eo nomine molestiam creare nolebant, quod hoc exemplo forte plures vel ex sola ambitione, ut ipsorum nomina Instrumento Pacis exprimantur, postulaturi sint.

Circa Comitem Brandensteinium, ejusque Viduam & hæredes verba à Cæsareis inserta, *ex causa belli* demum admittebantur. Contra vocabulum *iniuste*, voci *ademta* præmissum, velut litigandi ansam præbere aptum, & reliquæ à Catholicis infarctæ clausulæ delebantur; quod Elector Saxoniæ Mizlasium tribunum haut aliam ob causam in possessionem bonorum Brandensteinianorum miserat, quam ob prætensionem, pro qua nomine Reginæ & Regni Sueciæ Comes ille fidejusserat.

Paulo Kevenhullero à Suecis *Nepotes ex Fratre* adjungebantur. Reliquos nominibus expressos Cæsarei deleri cupiebant, quod perinde futurum esset, si sub communi regula comprehenderentur. Sueci tamen ut diserte nominarentur obtinuere.

Denique circa Juliacensem controversiam nomina eorum, quorum interest omittebantur; quod Saxonica Domus Bipontinum inter illos nuncupari nollet; cum tamen hic velut in privilegio Caroli V. Imperatoris jus radicarum habens expresse includi peteret. Verbis quoque, *Ordinario processu coram Cæsarea Majestate instituendo*, subnectebatur, *vel alio legitimo modo.*

Ita caput de Amnestia, excepto §. *Tandem omnes* 12. April. demum adornatum, idque Moguntini & Altenburgici subscriptione firmatum est.

Catholicus Senatus Augustanus decretam paritatem evertere conatur.

§. 110. Vix Osnabrugæ super Gravaminibus transactum erat, cum Catholici Augustæ Vindelicorum constituram ibi paritatem munerum evertere iterum conarentur. Jactabant isti, nunquam ab Evangelicis civibus amplius quid desideratum, quam statum, qui ante Ferdinandi II. reformationem fuerit. Unde Catholicus Senatus per decretum ab istis disertam declarationem exigebat; Num eadem adhuc ipsis mens persisteret? ut illa ad avertendum à Catholicis præjudicium uti possent. Nec dubitabant palam fremere: Osnabrugæ decreta nullo modo servari, aut exse- 9. April. cutioni dari posse. Quo fine & Reimboldum Duumvirum ad Cæsarem ablegabant hac de re questurum, simul petiturum, ut saltem status, qui anno vicesimo nono ante reformationem fuerat, servaretur. Contra Evangelici cives, qui hactenus etiam adversus jurata, ac per Cæsarem firmata conventa oppressi fuerant, valde soliciti erant, ne adversarii quid machinarentur, quo exsecutio tam operose conflatæ transactionis eluderetur. 30. Mart. Unde Suecicos Legatos per literas auxilium poscebant, ut concluso in ipsorum gratiam facto re ipsa potirentur. Sueci Senatus Augustani conatus ægerrime ferentes Cæsareis demonstrabant; rem mali exempli esse, paucos quosdam evertere conari, quæ heic ab omnibus decreta sint. Tum postulabant, ad Cæsarem scriberent, ut Senatus Augustani Deputati non sine acri increpatione ex aula Cæsarea repellantur. Cæsarei simulabant, hac de re nil aliud sibi constare, quam quod rumor sine autore ferat. Nec tamen plane improbare, quod isti meliores conditiones affectent; id quod per reservatum Articulo Gravaminum additum adhuc ipsis fas sit. Promittebant tamen, se super hoc negotio ad Cæsarem scripturos; de quo & paulo ante Evangelici Ordines querimonias ad istos detulerant. Iidem Ordines post ad Senatum Augustanum literas dabant, institutum illorum castigantes; In honorem Cæsaris, & sanciendæ inter utrisque sacris addictos paci concessum, ut in Consilio Secretiore Catholici, quantumvis minor civitatis pars, plura suffragia obtinerent. Cæterum operam ipsos ludere; & jam omnibus placuisse, ejusmodi contradictiones invalidas habendas; eoque infesta concordiæ consilia omittenda. Ad ipsum quoque Cæsarem ab iisdem Ordinibus scribebatur, ne novorum dissidiorum seminibus locum præbeat; utque Catholicis Augustæ injungat conventis citra tergiversationem se attemperare. 1648

De Helvetiis. §. 111. Articulus de Helvetiis Ordinum postulatu paulo distinctius quam antea concipiebatur, quod hi vererentur, ut isti exteris lite adversus ipsorum cives implicitis jus dicerent. Iidem & initio censebant, ejus rei non aliter mentionem faciendam, quam ut ad Comitia rejiceretur. Sed obsistebant Cæsarei, æquum judicantes Helvetiorum petito satisfieri. Ipsos ante annos centum quinquaginta amplius pro libera Rep. habitos, ac à Maximiliano II. privilegium Exemtionis à judiciis Imperii obtinuisse, ea tamen lege, ut omnibus justitiam administrent. In id tunc Ordines consensisse. Idem ut nunc in dubium vocetur causam non esse; multo minus ut Cæsar adstringatur ad illos iterum sub Imperii obsequium revocandos: quod in præsens fieri nullo modo, nec citra graves motus videatur posse. Nec Gallos passuros, ut Helvetiorum postulata insuper habeantur.

De Reformatis. §. 112. Super inclusione Reformatorum in pacem Augustanam inter Evangelicos hactenus convenire nondum potuerat, etsi diversæ in eam rem formulæ conciperentur. Et præ aliis heic fatagebant Brandeburgici asseverantes, Electorem proximis Comitiis non solum Augustanam Confessionem, sed & ipsam Concordiæ Formulam corde & ore professurum. Eoque sat moderatas leges proponebant, in quas tamen Lutheranorum Principum Legati absque consilio cordatorum Theologorum consentire dubitabant, ne forte syncretissimus strueretur. Cum igitur negotium hoc differretur, Cæsarei ostendebant: si Evangelici inter se transigere nequeant, sibi mandatum paucis verbis in Tabulis Pacis declarare: omnia quæ in favorem Augustanæ Confessioni addictorum sancita sint, etiam Reformatis profutura. Sed cum hoc consilium Lutheranis minus, quam reliqua placeret, ita demum formulam suam adaptabant, ut ea Reformatis probaretur. Quod & Cæsareis, Suecisque placebat; quorum illi tamen ostendebant, maluisse se ista generali clausula concipi, nec ita distincte exprimi. Cæterum Sueci in hoc negotio à Regina jussi erant partes utrinque hortari, ut amice inter se transigerent. Nam Landgraviæ Minister Badenhausius superiore anno Holmiæ ab ipsa contenderat, ut Calviniani circa jus reformandi sacra pari cum Lutheranis conditione gauderent. Id quod ipsa annuere non poterat, ne sociis sacrorum præjudicium adferret, nec tamen Reformatos protelare sustinebat, quorum fœderibus innexa erat. Unde consultissimum visum, pro neutra parte acriter contendere. Solus Saxoniæ Elector obnitebatur, qui verba, *unanimi Cæsaris*, *omniumque Ordinum Imperii consensu* tolerare, aut Reformatis subditis

1648. ſubditis eandem cum Lutheranis libertatem indulgere nolebat hactenus, ut ſi Princeps forte ad Lutheranos ritus tranſeat, iſtis liberum ſit ſacra ſua retinere, quod pro Lutheranis cavebatur. Idque per Legatum ſuum Ordinibus Evangelicis denuntiabat, interpolita proteſtatione ſi iſtis forte diverſum placeret.

25. Jun.

Articulus de negotiis Imperii.

§. 113. In articulo octavo circa ſtatum Imperii fere conſentiebant, niſi quod Cæſarei verſiculum de præfectis tabellariorum, quem typis impreſſa ſua pacis formula probaverant, expungi nunc vellent. Qui tamen in præſens retentus fuit, quod Ordinibus expedire videretur hoc modo caveri, evitandis fraudibus circa reſignandas, aut ſupprimendas epiſtolas. Etſi Cæſarei putarent, id mox ſecutura pace haut metuendum, ac inter indigenas Germanos æque infidos ac malitioſos homines, quam inter exteras nationes inveniri poſſe.

De Erfordia.

Sed & circa Erfordiam diſceptabatur, multis Ordinibus inviſam, quod omnium malorum, quæ Miſniæ, Thuringiæ, Saxoniæ, & Franconiæ bello incubuerant, cauſa, aut fomentum fuiſſe argueretur. Unde haut obſcure minæ jactabantur, eam facta pace in ordinem redigendam. Eo magis Sueci contendebant, ut ipſi diſertis verbis in Tabulis Pacis caveretur, cum Cæſarei Ordinum inſtinctu ejuſdem mentionem omiſiſſent; tum poſtulabant, ut ea urbs catalogo Ordinum iterum inſereretur, illis, qui inter municipia eandem redigere inſtituerent, ad tribunalia Imperii remiſſis; tum ut urbi omnia ſua jura ac privilegia una cum libero uſu rituum Auguſtanorum ſalva ſint. Denique de moderanda perſecutione debitorum belli calamitate lapſorum clauſula ſubnectebatur, qua conſuetudini nundinarum Chilonienſium cavebatur.

De vectigali Oldenburgico.

§. 114. Circa commercia parum difficultatis reſtabat, excepto Oldenburgico in Viſurgi vectigali, de quo Inſtrumento Pacis ſanciri Cæſarei cum Electoralibus, & majore Ordinum parte cupiebant. Cui Brema urbs acerrime contradicebat; litem ſuper jurisdictione Viſurgica adhuc pendere. Rem hanc eſſe altioris indaginis, qua unicus Comes alias ſat locuples opibus cumuletur, plurimis contra Ordinibus, ac extraneis ad tributariam fere conditionem redactis. Qui hujus moleſtiæ impatientes haut omiſſuri ſint efficacia media adhibere iſti amoliendæ, novam turbarum materiam. Quas rationes ſcripto comprehenſas Suecis, atque Ordinum Legatis exhibebant; petentes, ut Oldenburgici poſtulata repudientur, eaque lis, velut pacem haut ſpectans, ad deciſionem fori rejiciatur. Eidem urbi & Belgæ favebant; qui ſuper eo negotio ad Cæſarem, ipſumque Comitem adſperſis haut obſcure minis literas dabant. Quos & ea cura tenebat, ne forte poſt mortem Comitis Sueci eum Comitatum invaderent, aſperius vectigal exacturi, ni iſtud nunc aboleretur. Inprimis ſub iſto vectigali Succos monſtri quid alere apud Hollandos invidioſe diſſerebat Leo Aizema Hanſeaticorum apud Belgas miniſter, Suecis & alias infenſus, iisque traducendis adſuetus. Qui cum ne in Petri Spiringii quidem ædibus, quem ſalutatum venerat, maledicentiæ in Succos temperaret, intentatum ab hoc fuſtuarium haut effugerat, ni Eckius Geldriæ Venator precibus iratum ſedaſſet. Quam contumeliam poſt Aizema ignobili modo ultus eſt, dum hinc inde ſcriptis ſuis Spiringium vellicat. Porro à Suecis quoque Collegium Urbium petebat, ne paterentur iſtius vectigalis in pace mentionem fieri, quod Weſtphaliæ & omnibus ad Viſurgim ſitis Provinciis fraudi ſit. Ex adverſo Comes contendere; id vectigal ante multos annos ad liquidum deductum, & de quibus lis pendeat, ad ipſum vectigal non pertinere. Cæſarei teſtabantur, ſibi perinde eſſe, num de iſto mentio heic fiat, an minus. Quia tamen ea res nuperis Comitiis undecies, & jam Monaſterii in Collegio Electorali ter ventilata ſit, haut è dignitate videri decreta iſta, & Comitis quæſitum jus deſtituere. Sueci contra, uti Bremæ jurisdictionem in Viſurgim, quam fundamenti loco ſuæ actioni urbs ſubſternebat, haut agnoſcebant; etſi Electorales negarent jurisdictionem Viſurgicam conceſſi vectigalis fundamentum fuiſſe, ſed alias graves rationes; ita nec Comiti gratificari tam citò poterant in negotio, quod Bremenſi & Verdenſi Provinciæ forte damno cedere poſſit. Unde malebant ſuo, ac Cæſareorum interventu eam rem ad tranſactionem deducere: de qua jam Trautmansdorfius moverat, trecentis uncialium millibus id vectigal redimendum indicans, urbe centum millia licitante. Sed cum Cæſarei oſtenderent, nuper inter partes eam rem fruſtra agitatam, cum urbs non niſi centum millia florenorum offerret à Comite cum irriſu rejecta: Sueci proponebant, ut partibus certum ſpatium tranſactioni ineundæ præfigatur, intra quod ni æquas conditiones admittere velint, poſt ab ipſis & Cæſareis deciſionem faciendam. Quod & demum Cæſareis placebat, qui judicabant, ducenta millia uncialium Comiti in univerſum ſufficere poſſe. Iſthoc tamen ab ipſis ad conſultationem cum Ordinibus rejectum. Qua facta haut eo ſecius id vectigal formulæ pacis inſerebant, & loco verborum, *& Electoribus*, ſubſtituebant, *conſenſu Electorum*, ut conceſſio vectigalium, etſi Electorum conſenſu ſimul requiſito, Cæſari reſervaretur, nec iſtis par cum hocce jus tribui videretur.

1648.

Satisfactio Suetica.

§. 115. Circa Satisfactionem Suecicam nulla mutatio ſuſcipiebatur. Equidem ſuper portorio ad Warnemundam querebatur Meclenburgicus Dux, velut ruinam ſubditorum ſuorum producturo, ſi Roſtochium, quo omne Provinciæ frumentum convehi ſoleat, peſſum eat. Sed quia ex eo portorio non magis Roſtochio, quam aliis ad Mare Balticum ſitis urbibus ruina impendere credebatur, haut vilum eam ob rem ſemel placita convellere.

Æquivalens Brandeburgicum.

§. 116. Sed circa penſationem Brandeburgicam Cæſarei contra formulam à Directoribus Ordinum ſubſcriptam quædam interpolare cupiebant. Nam & jus proprii præſidii pro Mindenſi urbe, de quo antea omiſerant, nunc diſerte exprimebant; & ceſſionem Magdeburgici, Mindenſis & Halberſtadienſis Præſulatus ita ambiguis, & obſcuris verbis concipiebant, ut ea ad ſolos Electoris deſcendentes reſtringi videretur, excluſis agnatis Franconicis, qui hactenus ſimultanea inveſtitura omnium Electoris ditionum gaviſi fuerant: ſaltem ut hiſce ſuper ea ceſſione controverſia moveri poſſet. Et ferebatur Bavarus à Cæſare in eum caſum expectativam in iſtos Præſulatus obtinuiſſe, Sed uti præſidium Mindæ adſpernabatur Elector; ita poſteriori clauſulæ hujus agnati acerrime contradicebant poſtulantes, ut repudiata recenti formula, à nemine Ordinum adhuc probata, prior nono die Martii ſubſcripta retineretur, ac ut in apprehendenda poſſeſſione recentium Provinciarum, inveſtitura ac ſimultaneo homagio ita procedatur, ſicut circa Pome-

1648. raniam obſervatum fuerit. Addebantur minæ; ſe alias interpoſita proteſtatione omnia media ſerius ocyus eas ditiones recuperandi ſibi reſervaturos, & promiſſa diplomata ſuper ceſſione Pomeraniæ nunquam exhibituros; quo ipſo & Suecica ſatisfactio in ancipiti futura ſit ſuo conſenſu deficiente.

Æquivalens Mecklenburgicum.

§. 117. Mecklenburgicus Legatus domo reverſus querebatur, Principi ſuo nondum circa Æquivalens ſatisfactum, ejusque adeo rationem haberi petebat. Cui Cæſarei reponebant; ipſum commodis ſuis obſtitiſſe, quod poſtulata ſua proponere neglexerit, quo tempore ſuper penſationibus agebatur. Cæterum is præter jam conceſſa expectativam in Lauenburgicum Ducatum extincta horum Principum ſtirpe, tum Commendas Miroviam & Nemeroviam poſcebat. De quo Cæſarei ad Catholicos relaturos ſe pollicebantur. Evangelici, cum Cæſareos parum pronos huic poſtulato deprehenderent, Suecos rogabant, ut Ducis petito apud Cæſareos velificarentur: in quod & ipſi omnem operam pollicebantur. Contradicebant tamen Brandeburgici, quod is Elector Ordinis Equitum D. Joannis patronum ſe ferat, ne iſtæ Commendæ Ordini ſubtraherentur. Præ-

12. April. ter hæc Dux Guſtavus Adolfus literis ad Legatos Suecicos datis oſtendebat; etſi Wismaria cum Præfecturis Pœla & Neucloſter in diviſione Provinciæ Duci Adolfo Friderico ceſſerit: tamen jus ſummum circa ſacra & civilia pro indiviſo manſiſſe, quod hac mutatione ſibi ſubtrahatur. Tum Raceburgenſi Præſulatu parentem ſuum titulo maxime oneroſo potitum. Unde petebat, ut ſibi alternativa in eo Præſulatu, ſicuti antea cum Luneburgico maneat, ac Duci Adolfo Friderico aliunde refuſio fiat. Aut ſi hoc negetur, ſibi hoc nomine ſatisfiat.

De ſatisfactione Haſſica.

§. 118. Circa ſatisfactionem Haſſicam Neoburgicus querebatur, ſibi quoque ejus partem impoſitam, non minus quam Moguntino, Colonienſi & aliis, quorum ditiones Haſſicis tributis obnoxiæ fuerint. Non niſi ab iis ſatisfactionem recte exigi, qui offenderint, aut viciſſim quid præſtiterint. Jam à ſe Landgraviam non læſam, nec ſibi ab ea quid reſtitui, uti præſulibus Catholicis. Unde nulla juris ſpecie ſe adſtringi ad conferendas pecunias Præſulum oppidis redimendis. Ipſam quoque Landgraviam declaraſſe, iſtius ditiones hac ſatisfactione haut onerandas. Cæſareos, dum adverſus promiſſa Cæſaris Neoburgicas ditiones tributis & hoſpitationibus ſubjecere, adverſæ parti ad eadem exigenda prætextum præbuiſſe. Contra Catholici ſuper detentione Noveſii, Coesfeldæ & Neuhauſæ, quoad ſatisfactio exſoluta ſit, ſcrupulos movebant: quod cum Landgravia fide publica non contenta realem cautionem exigat, ſibi quoque pari modo ab eadem cavendum, illa oppida poſt ſolutionem reſtitutum iri. Quod enim Landgraviæ non ſufficiat, id ut aliis ſatis ſit, ipſam poſtulare non poſſe.

Avauxius in Galliam avocatur.

§. 119. Dum hæc Oſnabrugæ geruntur, Longuevillius Dux ſpe reditus abdicata familiæ partem Monaſterii relictam ad ſe in Galliam evocavit. Sed & Avauxius in Galliam redire juſſus Aulæ offenſa contracta; cujus cauſa vulgo ferebatur, quod pacem remoratus eſſet, ac intempeſtivo Religionis zelo Galliæ amicos diverſa ſacra profeſſos irritaſſet. Inprimis quod ante aliquot annos Hagæ, dum nimis ferviđe pro libero Religionis Romanæ uſu contendit, apud Ordines Fœderati Belgii diffidentiam excitarit, quæ non parum contuliſſe credebatur, ut hi ſeparatam pacem concluderent. 1648.

Alii arcani quid, & invidiam Aulis ſolitam ſuſpicabantur. Chanutus Holmiæ apud Reginam profitebatur, Servientum magis aptum tractandis Suecorum animis viſum; ac nulla ratione ipſi cum Servienio convenire potuiſſe. Vera tamen cauſa erat, quod Mazarinum liberiore ſermone perſtrinxiſſet. Cum enim ſequeſtres congreſſu quodam contendiſſent, ut Galli poſtulato de munimentis Nanceio detrahendis deliſterent, quod pauci muri ac lapides haut tanti eſſent, ut ideo Orbis Chriſtianus bello implicitus teneri debeat; Cæſarei & Hiſpani ſancte teſtabantur, non penes ſe culpam extracti belli, ſed penes Gallos eſſe; Avauxio contra aſſeverante: non Gallos in cauſa eſſe, ſed Italos. Statuerat iſte Oſnabrugam proficiſci, ut Suecis valediceret, ac jam familiares ſuos Lengricham præmiſerat, ipſe mox currum conſcenſurus, cum literis è Gallia iter absque mora 6. April. maturare juſſus eſt. Unde poſtero die per Epiſto- 7. April. lam Suecis valedixit. Aſt illi, ſtatim atque in Galliam adpuliſſet, ex Aula in prædia ſua ſecedere præcipitur. Serviento, qui Avauxio ſemper diſcors egerat, ut ſolus pacis tractatus abſolveret, procu- 16. April. ratorium transmiſſum eſt.

Hiſpani hoſpitium Luſitanorum Monaſterii oppugnant.

§. 120. Hiſpani poſt Avauxii diſceſſum Monaſterii numero prævalentes, mox inſolentiam adverſus Luſitanos exercere ea occaſione cœperunt. Sub veſperam duo Pegnerandæ domeſtici Luſitani Legati *de Caſtro* ædes prætergreſſi, cum Luſitanum in foribus forte ſtantem conſpexiſſent, exclamaverant: *Vivat Philippus IV. Rex Hiſpaniæ, & moriatur rebellis Joannes Dux Bragantiæ.* Ad quod Luſitanus regerebat, *Vivat Philippus IV. Rex Caſtellæ; quod vero Joannes Dux Bragantiæ rebellis ſit, mentiris.* Inde ambo Hiſpani ſtrictis gladiis accurrentes Luſitanum in ædes compulerunt. Sed orto tumultu, ac pluribus accurrentibus Hiſpani iterum exturbati ſunt, uno eorum ſauciato. Id cum Pegneranda audiret usque adeo excanduit, ut familiæ ſuæ imperaret Luſitani ædes oppugnare, omnibus quos offenderent nullo diſcrimine trucidatis, ac ſi reſiſteretur, ignem ædibus injicere. Ita centum triginta quaſi Hiſpanorum ædes impetu invadunt, & fractis feneſtris portam moliuntur, Luſitanis numero paucioribus tamdiu vim utcunque ſuſtinentibus, quoad vigiles urbis accurrentes iſtos depellerent: quo tumultu Hiſpani ſeptem, Luſitani tres vulnerati. Ipſe Legatus Luſitanus per poſticum ad Servientum evaſerat, qui & tutela ipſius ſuſcepta evocato ad ſe vigilum præfecto Hiſpanorum inſolentiam demonſtrabat, monebatque, videret, ne ſecuritas publica quid detrimenti capiat. Pegneranda adverſus eum præfectum, cum ad ipſum acceſſiſſet, multum iracundiæ oſtendebat, & acerbe increpitum inter alia rogabat: Num Luſitanorum Imperio is obnoxius agat, aut num ſe Catholici Regis Legatum prohibere velit, quo minus Luſitanos perditi rebellis Miniſtros perſequatur? Cui hic modeſte: ſe nec Hiſpano, nec Luſitano obnoxium, ſed Monaſterienſi urbi ſacramento devinctum; ubi cuivis ſecuritas præſtari debeat. Unde ſuum eſſe providere, ne cui heic injuria inferatur. Eam ob cauſam Servientus familiam ſuam quinquaginta armatis augebat. Ac Luſitanus Serviento mox Oſnabrugam profecto ſolus Monaſterii non auſus morari, eodem ſe ipſi comitem adjungebat.

Oratiſticena Monaſterium excutit.

§. 121. Cæterum Grullardus Suecis haut obſcure inſinuabat, Servientum ab ipſis certam ob cauſam inviſi velle; inprimis ut decore Oſnabrugam

1648. gàm ad promovendam pacem accedere posſit.
13. April. Nam is nuperrime Osnabrugæ fuerat, ut ordo salutationis pro more reddendæ Suecos jam tangeret. Igitur placuit Oxenstiernam Monasterium
14. April abire, ut Servientoque huc accedendi ansa præberetur; quod & Evangelicis haut abs re videbatur. Is Monasterii Serviento, quo loco tractatus sint, exponere. Hic vicissim mandato Regis confirmare, omnem se operam daturum, ut laboriosæ tractationi finis imponatur. Sed cum ea res maturam considerationem requirat, se propediem Osnabrugam venturum, ac cum ipso Salvioque consilia, quæ ex re videbuntur esse, capturum. In antecessum tamen significabat; se constituisse adornandis in Suecico Instrumento qui restent Articulis incumbere, modo Sueci, & Ordines postea Monasterium conferre se velint, Gallicam pacem juncto studio absolururi. Lusitanus quoque inclusionem sui Regis, & liberationem Eduardi Bragantini commendabat, magnopere super Hispa-
16. April. norum violentia questus. His actis statim Osnabrugam Oxenstierna revertit.

Servientus Osnabrugam venit. 22. April.

§. 122. Paulo post Servientus Osnabrucam accedens circa præmia militis Suecici favorem ostendebat, apud Ordines testatus ideo Galliæ Regem pro suo milite nihil postulasse, ut Suecicis eo uberius satisfieri possit. Cæterum sententia, de qua Oxenstiernæ Monasterii significarat, mutata contendebat; Conventum Osnabrugensem, absoluto de militibus articulo, omissis omnibus quæ restarent statim cum ipso Monasterium proficisci debere, absolvendis ibi reliquis, ac ut opera cum Suecis juncta tractatui Gallico cum Hispanis, & Cæsare colophon imponatur. Et quanquam demum ipse consultum agnoscebat, Osnabrugæ cum Ordinibus super Burgundia & Lotharingia consilia conferri, quod ea re Monasterium dilata Hispani varias remoras injecturi sint: utique tamen caput de Executione, Assecuratione, & Ratificatione Monasterii expedire volebat, quod Galliæ is honos debeatur, ut in loco Gallicorum tractatuum reliqua Germanicæ pacis absolvantur. Nec plura tunc Osnabrugæ egit; ex quo adparebat, eo duntaxat fine huc excurrisse, ut Suecis vicissim Monasterium adeundi ansam præberet.

Hollandici Legati à Suecis postulant.

§. 123. Pridie quam Osnabruga discederet Servientus, ibidem adpulit Belgicus Legatus Bartoldus *de Gent*, à Suecis postulans, ut Franckendaliæ, ubi viduæ Palatinæ dotalitium erat constitutum, ac unde præsidium deducturos se Hispani promiserant, neutralitas indulgeretur, cautione interposita, ut durante bello neutrius partis milite insideretur. Tum circa articulum de Reformatis Anhaldinorum Principum causam commendabat, & ut vocabulum *similium* ibi expungeretur. Denique vectigali Oldenburgico fervide, nec sine minis contradicebat, cujus onus in Belgas quoque redundet, ac nullo jure Comitem vectigal exigere in flumine ipsius & Bremensem ditionem interlabente eo loco, ubi naves mercibus haut exonerentur. Cui Sueci quantum in se
30. April. pollicebantur. Quo acto iterum discedebat. Memoratu digna habebantur verba libelli, quem offerebat; eam neutralitatem duntaxat postulari, *usque dum pace in Imperio concluſa, plenior afflicta Domus Palatinæ, & gratioſa ſubſequatur reſtitutio, quam Inſtrumento Pacis comprehendi, & univerſali conſenſu confirmari poſſe, optare & ſperare licet.* Ex quibus adparebat Palatinum, & qui ipsi favebant, spem plura quam hactenus obtinendi nondum depo-

1648. suisse. Id quod cum Bavaricis per Grullardum, cui Sueci id scriptum communicarant, ostenderetur, istis haut mediocris solicitudo injecta est. Unde iidem mox apud Suecos heri sui studia circa promovendam pacem extollere, per quæ tractatus nuper tam insignes progressus fecerint: nec femisliorem se operam reliquis componendis sumere jussos. Contra Sueci exprobrare; repetita Bavari cum Cæsare conjunctione pacem sufflaminatam; nam isto inducias servante sine dubio quietem Germaniæ jam reductam. Ac sociata iterum Cæsarrarma re ipsa paci, patriæque noxia fuisse, quemcunque demum eorum scopum ipsi ferant. Inde quoque Reginæ necessitatem impositam insignes copias equitum, peditumque parandi, quæ propediem in Germania adpulsuræ sint. Si tandem belli malis patriam levare velint, nunc tempus esse desiderium pacis quod verbis ostendant, re ipsa expromendi. Ad quæ Bavarici reponebant; quid amplius à se præstari posse? Si Suecis iterum inducie cordi sint, se illas non abnuere. De cætero, si alii Ordines operam secum socient, se Cæsareos facile compulturos, ut sepolito Hispaniæ respectu pacem amplectantur. Et constabat Bavarum, & Electorale Collegium communes inducias agitare, à quibus Cæsar abhorrere credebatur. Unde suspicio erat, si Cæsar has abnueret, nec Bavarus alia ratione subscriptionem causæ suæ obtinere posset, ipsum denuo Cæsare destituto ad peculiares inducias descensurum.

Suecorum cum Bavaricis colloquium.

Cæsarei §. *Tandem omnes expediri cupiunt.*

§. 124. Restabant adhuc difficillima capita super satisfactione militum & Exulibus Austriacis; quæ Sueci pari passu expediri cupiebant: Cæsarei autem, illo sepolito, hoc ad liquidum deduci contendebant, velut citra quod articulus de Amnestia imperfectus sit. Nam præmia militum dilationem ferre, quæ necessaria pars pacis, aut perpetua ejusdem conditio non sint, utpote solutione militibus facta ultro expiratura. Ad quæ tamen suo tempore expedienda incumbere velint, modo Sueci super exulibus sibi satisfaciant. A Cæsare non leviter se increpitos ob isthoc negotium tamdiu dilatum; quo nondum absoluto nihil reliquarum rerum se tacturos. Nec ullum sibi hoc temperamentum adhibere fas esse, cum presse formulæ ex Aula missæ insistere jussi sint. Jam Monasterii secreta conventione sexcenta uncialium millia nomine Cæsarearum ditionum promissa præter tam insignes provincias, quas Regina præmium belli acceperit. Regem quondam Gustavum scripto sub initium belli publicato haut profectum, se ob motus Bohemicos arma arripuisse: tanto magis mirum esse, nunc ob manipulum rebellium pacem sibi. Quæ Sueci postulent præstari non posse, cum de octodecim millionibus agatur. Cæsarem istorum rebellium bona inter ministros suos mille amplius numero distribuisse. Iniquum juxta, ac Cæsari ignominiosum fore bene meritis semel donata eripere, ac illis restituere, queis ob atrocissimum crimen juste ademta sint. Qui bona ista jam possideant, iisdem haut sponte cessuros, ac veteribus colonis obstituros: unde interni tumultus orituri sint. Denique malle Cæsarem in bello persistere, quam domesticum statum periculo exponere. Hæc omnia Cæsarei per Legatos Ordinum Suecis demonstrabant; addito, Ordinibus deinceps quoque belli mala incubitura, quæ si effugere aliquando cupiant, Suecos urgendos, ut istum articulum, prout à Cæsare conceptus sit, absque ulteriore tergiversatione admittant. Quo facto pacem spe

1648. citius secuturam. Huic sententiæ Cæsarei pertinaciter inhærebant, sic ut multi dies nullo operæ pretio facto elaberentur. Etli non pauci crederent, Cæsareos, ubi tractatus tam promte præter opinionem hactenus procedere perspexissent, eam difficultatem objecisse istis paululum sistendis, quoad adpareret, quo res inter Gallos & Hispanos evasura esset: de quo Hispani in Aula Cæsarea acriter contendere dicebantur.

Ordines Cæsareis stipulantur. 25. April.

§. 125. Ea res Ordinum Legatos magna solicitudine perfundebat, & quia Cæsareos immotos deprehenderant, per Moguntinum è Suecis scisscitabantur, num Reginæ deinceps ea sola belli causa sit futura, ut ductores sui Cæsareis ditionibus oriundi bonis suis plene restituantur; & quibus conditionibus ad extremum instere decreverit? Nam si Cæsareorum formulam ipsi admiserint, Ordines curaturos, ut de militum commodis absque mora agatur. Ad quæ Sueci reponebant; ob solos istos ductores equidem bellum non continuandum, nec tamen ita crude Cæsareorum formulam pro imperio velut obtrusam admitti posse: tum militum commoda non postponenda, sed simul expedienda. Eam ob causam statuebant Ordines rem per se aggredi, ac promotis tractatibus patriam diuturnis belli calamitatibus eripere.

29. April. Quo fine conventu habito super militibus quidem obiter velut præparandi causa differebant: sed præcipue, Cæsareis conniventibus quibus de assensu horum sat cautum erat, dictum paragraphum excutiebant: & quia perspiciebant ab istorum dictorum restitutione Cæsareos tantopere abhorrere, omnibus suffragiis decernebant, istos non amplius morandos; ut tamen, si ad subscriptionem perventum sit, commendatitias ad Cæsarem literas pro iisdem daturi sint, quod sperent apud Cæsarem ipsorum intercessionem non parum ponderis habituram.

Tanto acrius Sueci commoda militum urgent.

§. 126. De hoc igitur Ordines Suecis solenni Deputatione significant, petentes, ut & ipsi inevitabili huic decreto circa rem quæ Reginam parum tangat, assentiantur, quo & isthoc caput subscriptione aliquando firmetur. Ac ipsem esse, præcipuis negotiorum absolutis, ipsos pacem non amplius moraturos: Cui fini Cæsareos, si conclusum Imperii non displiceat, ad ipsos accessuros negotiis quæ adhuc restant expediendis. Ad quæ Oxenstierna: Sperasse se, quæ super ordine tractandorum post longam altercationem Ordinum interventu placuerint, ut §. *Tandem omnes* & militum satisfactio pariter expediretur, majus pondus fuisse habitura. Ista nunc negligi rem mali exempli esse: ac, si hæc ratio valeat, Cæsareis obtentu ex Aula mandati omnia eludere, ac hactenus conventa subvertere in proclivi fore. Nec se decreto Ordinum subscripturos, aut ad alia pertractanda accessuros, nisi expeditis militum commodis. Ad quæ Ordines reponebant; sibi haut fuisse animum uno postposito alterum præferre; sed de utraque re simul relatum. Quod autem super exulum restitutione prius convenerint, in causa fuisse rerum disparitatem, & quia hæc ante discussa fuerit: sed articulum de militum præmiis adhuc indigestum esse, qui tamen ut brevi expediatur, summa ope connixuri sint, quod sentiant, summam pacis jam in eo potissimum verti. Sed Sueci pollicitationibus haut contenti re ipsa circa articulum illum sibi satisfieri cupiebant. Eoque declarationem suam super §. *Tandem omnes*, ut & super causa Palatina, Commerciis, ac Imperii statu, eousque suspendere statuerunt, quoad super causa militum sibi cautum foret.

1648.

Inter Osnabrugenses & Monasterienses Ordines dissensio.

§. 127. Ita serio res ista ab Ordinibus duos per menses agitata magnas inter difficultates, ac discrepantes sententias, Osnabrugensibus fere in diversa discedentibus. Nam qui Osnabrugæ erant Ordines illis, qui Monasterii remanserant, autoritatem quid concludendi tribuere abnuebant, clandestinum illum conventum nuncupantes, quem morosi quidam, & extremis præter rationem inhærentes componant, quibus, si suffragiorum suorum rationem habere velint, Osnabrugam sit accedendum. Rem esse mali exempli, si istorum censuræ tam splendidi conventus decreta sint subjicienda; quæ iidem quacunque ratione turbare, aut evertere nitantur. Unde Osnabrugenses consultabant, ac decreta condebant, haut habita Monasterienſium ratione. Hi contra non minus quam isti sibi arrogare; nec numero se inferiores, & morem in Imperio receptum sibi favere: eoq; adversus acta & scita Osnabrugensium iteratas protestationes interponere, tum coitione facta peculiaria conclusa facere, queis immotos se inhæsuros testabantur. Prævaluere tamen Osnabrugenses, quibus præcipui Catholicorum Moguntinus, Trevirensis, Bavarus, Bambergensis & Wurtzburgensis accesserant. Cum Monasteriensis conventus excepto Francisco Wilhelmo Osnabrugensi Præsule, qui pro Colonienſi, ac nonnullis primariis prælatibus suffragium ferebat, fere turba morosorum sacerdotum, ac minorum in Suevia oppidorum constaret, è quibus Leuxelringius sedecim suffragia ferebat majore strepitu quam pondere. Unde & quæ isti consultarent, aut protestarentur, exigui momenti habebantur: quibus omissis nos Osnabrugæ acta persequemur.

De satisfactione militum Quæstio, An?

§. 128. Militibus utique satisfaciendum esse, antea decretum fuerat. Et ostendebatur Ordinibus, citra hoc pacem haut expectandam, ac mala inde oritura in ipsos Ordines redundatura. Ni istorum desideria expleantur, conjurationem, & quales desperatio gignere solet fructus metuendos. Equidem Ordines miseratione populi tot per annos bello exhausti optabant ipsam Reginam Galliæ, & aliorum exemplo militibus suis præmia exsolvere, tam egregiis ditionibus supra æstimationem positis potitam. Præsertim cum miles ipse tributis, hospitationibus, rapinis longe plus extorserit, quam stipendia pertingant; & ipsi Sueci antehac satisfactionem pecuniariam veluti præstitu nimis arduam repudiaverint, ejus loco terris subſtitutis. Sed quia satis intelligebant, militem vacuis manibus extrudi non posse, nec Reginam id oneris sibi imponi passuram, nimirum subeundum erat, quod amoliri non dabatur. Quanquam autem multi censerent, super pace ipsa ante omnia transigendum; Sueci tamen hanc rem quæ tantopere ipsos tangeret, ad extremum rejici nolebant. Ac fatebantur Moguntini strenue in hac causa jussu Electoris connixi, ad pacem perveniri non posse, nisi Suecico militi satisfiat, modo id intra vires Ordinum foret. Testabantur tamen Ordines, se non in debitorum vicem militibus velle obligari, cum neutri bellantium parti obstringantur; sed quicquid facturi sint, id unice à studio pacis omnibus tam anxie desideratæ proficisci. Unde & nisi quæ restarent omnia transigerentur, ad ista, in quæ consentiebant, nullo modo obstringi volebant. Simul qui ador-

1648. ädornati jam erant articulos ſubſcribi, & ad reliqua componenda accedi poſtulabant. Tum ut pax Gallica abſolveretur; cum alias fruſtra pax cum Suecis immenſis ſumtibus redimatur, ſuperſtite cum Gallis bello, ad quod forte magna pars Suecici militis tranſitura ſit, Cæſareis, Bavaricisque copiis non minus quam hactenus Ordines comeſturis.

Quæſtio quis? §. 129. Enimvero huic oneri haut pauci ſeſe penitus, aut ex parte ſubtrahere nitebantur. Neoburgicus neutralitatem à Cæſareis juxta ac Suecis olim obtentam allegabat. Unde haut cenſebat ſub finem belli per Suecos tantum oneris ſuis ditionibus impoſitum iri. Trevirenſis Galliæ favore nitebatur, quæ immunitatem ipſi pollicita

8. Jun. ſit. Palatinus Electror literis Londino datis à Suecicis Legatis poſtulabat, ut terris ſibi reſtituendis, quas continua belli mala ad incitas redegerint, parceretur. Saxo plus ſatis officium in patriam ſe expleviſſe ferebat in uſum Imperii præbitis copiis, ad quas nemo Ordinum quidquam contulerit. Oſnabrugenſis Prælul octoginta uncialium millia Guſtavo Guſtavi F. ſolvenda ſubtrahi poſtulabat. Par deſiderium erat eorum Ordinum, queis ſexcenta uncialium millia Landgraviæ ſolvenda incumbebant. Hæc ipſa, accipere quam dare prona, ditiones ſuas plane eximere velut bello evaſtatas cupiebat; cui & Suecі parci cupiebant. Parte oneris levari petebat Magdeburgicus, inopiam regionis, & ejus ratam enormiter taxatam cauſatus. Eandem querimoniam & pleræque civitates Imperiales movebant. Monaſterienſes in illos onus devolutum ibant, quibus emolumentum aliquod ex hac pace proveniret, cæteris immunibus, queis eadem nullo fructui, aut damno inſuper cederet: cum hos malum collata pecunia emere iniquum ſit. Enimvero plerisque ſtabat ſententia, citra exceptionem omnibus in partem oneris veniendum, prout cuique cenſus Imperii *Matricula* taxatus eſſet, requiſito itidem Equeſtri Ordine, ac Hanſeaticis Urbibus.

Quæſtio Cui? §. 130. Aſt in partem hujus præmii præter Suecos etiam ipſe Cæſar cum Bavaro, Lotharingoque & Colonienſi venire avebat. Saxo quoque, & Brandeburgicus, aliique, quæ in copias ſuas erogaſſent, Ordinibus imputabant. Idem Landgravia poſtulabat ſuffragantibus Suecis. Ac Cæſar quidem ſuo militi tantundem, atque Suecі, Bavarico autem tertia parte minus depoſcebat; ut tamen copiæ, quæ per Weſtphaliam, & ſub Colonienſi militarent Cæſareis annumerarentur.

29. 24. Jun. Idque poſtulatum Cæſarei Legati ſemel iterumque Ordinibus inſinuabant. Et cum Ordines eo inſuper habito circa expediendam Suecicam ſatisfactionem pergerent, denuo Moguntinum monebant; apud tria Ordinum Collegia inſtaret, ut Cæſari quamprimum ſatisfiat, interim cum Suecis nihil ageretur, quod illi præjudicio ſit. Bavaro Cæſar jam antea Bavaricum, Franconicum & Suevicum Circulos addixerat; quod promiſſum Bavarici initio Ordinum ingratiis pervincere nitebantur. Quo fine Germaniam inter Cæſarem, Suecos ac ſe dividi poſtulabant. Sed cum non Evangelici ſolum, ſed & plerique Catholici, ac ipſe Colonienſis frater adverſarentur, omiſſo Franconico Circulo Suevicum cum Bavarico, aut dimidiam partem ejus, quod Suecі acciperent poſtulabant. Denique & hoc temperamentum proponebant, ut ſeptem Circulis, qui Suecis deſtinabantur, Bavaricus quoque adjungeretur, ac Suecis duæ partes, Bavaro tertia adſignarentur. Lotharingi & Cæſar mentionem faciebat, 22. Jun. & ipſe epiſtola Bruxellis data monebat; qui etſi modica ſe ſumma contentum fore ſignificaret; tamen haut exigua eundem animo volvere indicio erat, quod centum militum millia pro Cæſaris ac Imperii ſalute ſuis ſumtibus ſe conſcripſiſſe, ac ſtipendiis ſuſtentaſſe jactaret. Pro Saxone & aliis languidius Cæſarei loquebantur; cæterum ipſi prætenſionem ſibi ſuam reſervabant; præſertim ſi Landgraviæ miles præmiis potiretur, qua deterius ſibi jus eſſe haut rebantur. Landgravia contra acriter pro ſe contendere, & quia Cæſarei juxta ac Ordinum Legati ipſius militi præmia abnuebant, literis Legatos Suecicos monere; quan- 8. Maji. tum indignationis ſui concepturi ſint, ſi ſoli præmiis excludantur, qui non minus quam Suecicus miles pro Republica connixi ſint. Nec eosdem citra metum tumultus exautorari aut ineſſis deduci oppidis poſſe. Ac in futurum ipſi Suecіæ fraudi fore, ſi nunc paria meritos diſpari modo habuerit. Igitur rem ita dirigerent, ut & ſui pro rata de præmiis participent. Eadem ipſius Legati ingerebant, qui illos ducentis uncialium millibus contentos fore oſtendebant. Et cum animadverterent Ordines iſta adſpernari, proponebant, ut ea ſumma ſub Suecica ſatisfactione computaretur, quæ & eo nomine intendi queat. Porro non minus Cæſarei quam Suecici militis rationem habendam hi quorum intererat differebant. Illis neglectis novum belli incendium metuendum; numero Suecis non inferiores exautorationem non laturos, ni paria cum Suecicis exſolvantur. Succos nullo colore poſtulare ſolis ſuis ſatisfieri, poſthabitis aliis, qui niſi præmiis deliniantur, pax ſperari non poſſit. Nil rationis Succos pro ſuo milite adferre poſſe, quod non in alios valeat. Quin juſtius ſtipendia poſcere, qui pacem publicam, poteſtatem Cæſaris, legesque ſub Cæſaris atque Imperii auſpiciis tuiti ſint; quam qui adverſus patriam arma geſſerint ſpretis Cæſareis atque Ordinum avocatoriis, & cauſam præbuerint, ut tam egregiæ provinciæ Germania avulſæ in exterorum ditionem concedant. Denique ſi Cæſareus miles ſine præmio dimittatur, haut fore deinceps, qui pro patria pugnare velint. Et hanc ſententiam Monaſterienſes propugnabant, ſuccinente Electorali Saxonico; qui de conferenda ſumma æquales partes Cæſareis & Suecis, dimidium ejus Bavaricis aſſignatum ibant. Enimvero Oſnabrugæ per majorem ſuffragiorum partem concludebatur, Cæſari Auſtriacum Circulum, cum Bohemiæ Regno relinquendum, unde militi ſuo ſatisfaciat: Monaſterienſibus fruſtra regerentibus hoc modo ditiones Cæſaris ita exhauſtum iri, ut ad ſuſtinendam Turcæ vim plane enerves ſint reddendæ. Sed & Bavaro præter cognominem Circulum nihil tribuebatur, ut tamen & ibi modus ſolutionis, de quo circa alios conveniendum ſit, obtervaretur; Bavaricis nequidquam quiritantibus, ad ſuam ditionem populandam nunc quatuor exercitus incumbere. Sed pro Landgravia, quæ ad extremum in partibus perſtiterat, Suecі ſummopere nitebantur. Illam haut modicam belli partem conſtituere, validum eidem exercitum, munita oppida teneri: iſtum exautorari, hæc reſtitui niſi ſoluris ſtipendiis non poſſe. Bavaro Cæſaris ſocio Circulum attributum; cur deterioris ſit conditionis Regum foederata? Reponebant Ordines; tam inſigni ſatisfactione Landgraviæ conceſſa, viciſſim ipſam oppida à ſe occupata gra-

1645. tis redditurum promisisse, aliisque prætensionibus renuntiasse. Jam satis premi Ordines Succici militis satisfactione. Et si illa petitis potiatur, alios paribus postulatis molestos futuros. Ita secum agerent, ut ne obtentu pacis pauculis fortunarum reliquiis, quæ tanto bello superstint, plane emungantur. Nec subinde licet instantibus Suecis ab hac sententia dimovebantur Ordines: qui contra à Suecis stipulari conabantur, ut sua satisfactione obtenta Landgraviæ causam defererent. Quin interrogabant; num ob hanc solam causam bellum gerere placeat, reliquis omnibus tranſactis? Id quod etsi Succi haut diserte asseverarent, prætensione tamen pro Landgravia desistere nolebant, petentes, ita cum illa ageretur, ut ne causa sit bellum eo nomine extrahendi. Ordines contra ostendebant; Landgraviam hoc nomine paci remoram injectam haut cupere. Ita Ordines soli Suecico militi septem Circulos, Franconicum, Suevicum, utrumque Rhenanum & Saxonicum, cum Westphalico (nam ad Burgundicum nullus erat respectus) reservabant, exclusis aliis belligerantium partibus, ut nec Cæsari aut Bavaro amplius, quam nunc concessum, nec Landgraviæ, aut alii cuipiam satisfactionis quid obtendere fas foret. Cupiebant dehinc Ordines inter illos solos pecuniam distribui, qui militiam in expeditione egissent, exclusis superiorum graduum ducibus, & quæ præsidium per oppida agitarent, queis ubertim stipendia è tributis sint persoluta: nec minus indigena è Suecia ac Finnonia milite, & qui sub signis à Regina deinceps retinendus esset. Sed negabant Succi id se discriminis admissuros, & partem exercitus solutis præmiis exhilaraturos, altera parte iis negatis ægrescente: sed omnes pari sorte habere sibi decretum.

General-Stab.

De quanto. §. 131. Difficillima disceptatio super pecuniæ summa erat, Germaniæ opibus tam diuturno bello plane exhaustis. Unde Ordinibus prius disquirendum videbatur, quæ ratio foret pecuniæ tantæ expediendæ, simul exsequendæ paci, quam ipsa summa definiretur. Id quod à Suecis repudiatum præposterum esse de modo solutionis agere, summa nondum designata. Circa modum id maxime in quæstione esse, quam ratione miles commode exautorandus, ac dissolvendus. Id citra pecuniam fieri non posse: eoque super hac ante omnia dispiciendum. Cæterum initio Succi viginti uncialium milliones postulabant: exercitus minimum decem milliones expectabat; sed Regi-

15. Maji. na gradatim ad quinque descendere jusserat. Ordines contra initio non nili vicies centena millia florenorum offerebant. Paulatim tamen Succi remittendo, Ordines addendo in unum convenere. Suecis ante oculos versabantur accitæ Germaniæ opes, tantæ summæ, quanta initio designabatur, conficiendæ impares. Qua de causa & statim insignis pars remissa; & Galli moderatiora suasere, ne insuperabilis difficultas paci objiceretur, neu Ordines immensis postulatis ad desperationem adacti periculosa Sueciæ consilia capesserent. Ac sane utriusque religionis Ordines controversiis inter se compositis sat concordes de interna unione disserere, & amotis jam diffidentiæ seminibus, quæ aliorum injuriis ipsos opportunos reddiderit, haut esse, quod diutius ab exteris insultari sibi patiantur. Decentius Imperio esse cum Cæsare transigere, ac quod supereſt virium contra exteros impendere, quam à Suecis immenso pretio pacem emere. Esse militem, equos, arma, commeatum. Concordia inter Ordines, & cum Cæsare reducta exteros ad moderatiora consilia descensuros. Aut si perpetuis tributis Germaniam subjicere instituant cum Cæsare utcunque transigendum, ac nullo amplius exterorum respectu pacem concludendam: Inde avocatoriis edictis, ac lautorum stipendiorum oblatione Suecicum militem ad ponenda arma solicitandum. Et isthæc cumprimis Monasteriensis Catholici fremebant; si militaris satisfactio pacem remoretur, tractatus cum Cæsareis utique absolvendos: inde junctis Ordinum animis sub Cæsaris auspicio cum exteris agendum, mox modestiam induituris, si non amplius Germanorum viribus in ipsam Germaniam abuti detur. Quæ agitari Witgensteinius Comes Legatis Suecicis indicabat. Succinebant hisce Cæsarei, qui & postulatis Ordinum sat faciles se præbebant, ac super Amnestia & Gravaminibus initam tranſactionem per Germaniam publicare instituebant, quo Ordines Regnis avulsos Cæsari adjungerent. Qui Osnabrugæ agebant Catholici; etsi mollius loquerentur, suspicio tamen erat, ipsos clam id agere, ut inter Regios & Evangelicos dissidia excitarentur. Inter Evangelicos Saxo eandem cum Monasteriensibus sententiam fovebat. Luneburgici quoque parum amicos se Suecis ferebant. Si duos florenorum milliones adspernarentur Sueci, circumspicerent, qui plus daturus sit. Se etiam absque Suecis pace potituros, quam junctis cum Cæsare viribus tueri possint. Idem & alios in suam sententiam pertrahebant. Et cum in Senatu Principum Bambergensis, Herbipolensis, Constantiensis ac Electoralis Senatus prima vice duos uncialium milliones offerre vellent, Luneburgici, & qui eos sequebantur, id impediebant. Præ aliis tamen militum causam agebat Witgensteinius, & ipse quondam Suecicam militiam professus, cum cæteri omnes togati essent; & quia ipsi ipsos erat in partem veniendi; cui & post pro navata opera præmium petenti Regina annuit. Is alios hortari, ut serio de idonea Suecici militis satisfactione cogitent, quem si obtensa Germaniæ inopia amoliturus se credant, frustra sint. Eundem si ipse sua excidat, sibi ipsi consulturum, ac majoribus malis ansam præbiturum, quam hactenus toleraverint. Eum, cum adfectus nonnihil in Suecum militem præ se ferret, reliqui velut corruptum increpabant. Queis tamen ipse reponebat; se ex mandato Principis sui sententiam dicere. Hunc una cum reliquis Ordinibus in satisfactionem consensisse, quam eo modo adornaturus sit, ut Suecia intelligat, sibi cum gratis hominibus rem fuisse. Sane Germaniæ Ordines, cumprimis Evangelicos, Sueciæ debere, quod de commodis suis agere liberum ipsis sit. Si ita pergant, facile ipsos hoc libertatis fulcro iterum carituros. Huic Moguntinus hactenus assentiebat, quod ad pacem alia ratione perveniri posse negaret, modo ea res intra Ordinum facultates foret. Suecis ista animorum inclinatio satis cognita erat; eoque data occasione Evangelicos, ac cumprimis Luneburgicos, monebant; caverent, ne Cæsarei pravis consiliis clam suggestis ipsos in transversum agant, qui hactenus ita mascule pro communi libertate locuti fuerint. Judicabant tamen, haut è re fore, diutius summo suo postulato inhærere, quod metus esset, ne post victoriam apud Sulmarschausam Gallis toto bello solita invidia rediret, iique subtrahendo copias, aut pecunias progressus Suecorum sisterent. Et Cortracum eo tempore amissum antam præbere poterat Turennium Wrangelio

1648.

1648. 27. Maji. gelio abſtractum in Belgium mittendi. Igitur paulo poſt cum Deputati Ordinum ſummam temperari peterent, ad quindecim milliones, & cum ea quoque Ordines exterreret, paulatim ad decem deſcendebant. Sed cum & hanc Ordines averſarentur, ne fortaſſe conſilia Reginæ in pacem tendentia ſubverterentur, Wirgenſteinio perſuadebatur, ut in hoc negotio conciliatoris partes inter Suecos & Ordines ſuſciperet; cui permiſſum gradatim ad ſeptem uſque milliones deſcendere.

Ordines paulatim ad rem propius accedunt.

§. 132. Ordines initio duobus florenorum millionibus inhærebant, velut plura à ſe præſtari non poſſent. His ſi non adquieſcerent Sueci, rem fatis committendam. Haut ſperare ſe innoxios plane deglubendos, & exiguum quod ſuperſit medullæ exſorbendum: nec Reginam & ipſam Ordinibus adſcribendam Germania perdita gaviſuram. Vix dictam ſummam corradi poſſe. Vel triginta millium exercitui aliquot menſium ſtipendia è promiſſa ſumma ſolvi poſſe, nec temere auditum, exautorato militi plus quam duorum menſium ſtipendium dari ſolere. Quin gaviſurum militem, vel modico argento accepto tandem laboriosum vitæ genus honeſta quiete mutare. Cum tamen hæc dicta parum proficerent, Oſnabrugenſes oblatam ſummam augere conſtituebant, cum Monaſterienſes nunquam à duobus millionibus florenorum diſcedere vellent. Et illos ſane ſubigebat cupido pacis, quæ reliquis fere tranſactis ad hoc negotium ſolum adhæreſcebat; & quantacunque impenſa emendum videbatur, ut aliquando à tantis malis reſpiraret Germania. Quos haut parum urgebant Legati Suecici, negantes ſibi à ſumma per Reginam præſcripta diſcedere fas eſſe; in quam ſi Ordines conſentire abnuant, rem ad Reginam referendam, & nova mandata expectanda, quæ intra ſex ſeptimanas adferri nequeant. Quo tempore ab utriuſque partis exercitibus plus conſumtum iri, quam ſit illud, de quo nunc diſcepteretur. Necdum conſtare, an Regina quidpiam remiſſura ſit. Quanquam autem Ordinibus initio placebat, rem ad Reginam referri, ad quam etiam communi nomine ſuper hoc negotio legationem miſſuri erant, quod jactarent: quæ miles vi belica extorqueat tanti à ſe non æſtimari, quam ſi ipſi à ſubditis ſuis miſeras fortunarum reliquias extorquere neceſſum haberent: mox tamen ab hac ſententia diſceſſere moras pertæſi, & ne forte interim mutabilis belli fortuna à propinquo velut portu pacis iterum in altum ipſos propelleret. Ac pollicebantur Sueci, hoc negotio abſoluto ſe omni opera ad maturandum tractatum connixuros, cujus optatus finis brevi ſperandus ſit. De quo ut Ordinibus eo magis conſtet, in ipſorum arbitrium reponebant, ut æſtimaro, quantum temporis ad negotia adhuc indeciſa opus ſit, certum diem paci concludendæ conſtituerent. Ita ſuſpicio Ordinibus exempta eſt, à nonnullis excitata, velut Reginæ inter lætos armorum ſucceſſus pax inſuper haberetur: ſi vel maxime petitam pecuniæ ſummam Ordines annuerent. Sed & non parum Ordines terrebant à Wrangelio ad Oenum uſque promota arma: & quod Carolus Guſtavus Palatinus valido cum ſupplemento è Suecia adventaret. Qui metus malevolorum ſermones, & conſilia non parum temperavit; & qui poſt commoda ſua obtenta immemores Reginæ beneficiorum ferocius ſe jactare cœperant, ad modeſtiam paulatim redacti. Nec parum ponderis negotiationi addebat Ba-

1648. varus, magnæ inter Catholicos autoritatis; quem haut modica ſolicitudo exercebat, quod ſuper Palatina cauſa à Suecis ipſi nondum cautum foret; & quæ nuper à Belgis ſuper Franckendalia propoſita memoravimus. Ipſe Palatinus Elector audita Suecorum de Cæſareis & Bavaricis ad Licum victoria per literas à Legatis Suecicis petebat, ut hæc ad pleniorem ſui reſtitutionem utantur, nec conceptæ jam formulæ, in damnum & dedecus ſuæ Domus vergenti, inſiſtant: neve Bavarum Sueciæ perpetuum hoſtem injuſte uſurpata obtinere patiantur, qui huc uſque redactus ſit, ut quæ ferantur leges admittere neceſſum habeat. Et cum in congreſſu inter Bavaricum & Palatinum rixa exorta eſſet, hoc iniquitatem iſti exprobrante, quod Bavarus innoxios Friderici agnatos rite quæſito ſucceſſionis jure exutum iret; Sueci Neoburgico, quantum dabatur, adſtipulabantur. Tum in faciem ipſi denuntiabant; ni operam navaret, ut Suecicæ militiæ ſatisfiat, ac brevi pax coëat, quo ſolo intuitu flagitantibus tamen Ordinibus ipſius poſtulata utcunque toleraverint, ad conditiones concepta formula contentas non amplius ſe teneri velle. Quæ res effecit, ut Bavarici acriter in hanc cauſam incumberent, præſertim cum interim Sueci Gallique per Bavariam pro lubitu graſſarentur.

Tranſactio ſuper quantitate.

§. 133. Cæterum parcendo tempori Ordines propoſuerant, ut in Curia congreſſus inſtituerentur, Suecis in uno, Ordinibus in altero conclavi confidentibus, & Ordinaria Deputatione hinc inde comincante. Quod & Suecis placuit. Primo congreſſu Ordines poſt fruſtra repetita de duobus florenorum millibus oblata unum, inde alterum millionem florenorum illis addebant. Sequenti congreſſu Oxenſtierna ad decem, inde novem florenorum milliones, qui ſex uncialium milliones conſtituunt, deſcendebat. Biduo interpoſito, quo Oxenſtierna Monaſterium excurrerat, Ordinum Deputati ſuper moderanda ſumma denuo quam acerrime initabant. Ubi poſt longam tergiverſationem, cum tractationis ruptura plane imminere videretur, Oxenſtierna demum de quinque uncialium millionibus aperit, infra quam ſummam Regina deſcendere vetuerit; præſertim cum diſſimulationi non amplius eſſet locus, quod Salvius uni ex Ordinum Legatis ſub ſecreti ſpecie indicium jam feciſſet. Mox Ordines quinque hinc ſex florenorum milliones, ſeu uncialium quatuor milliones obtulere, quos ut Sueci acceptarent, ſaltem ſub ſpe rati, prout ipſi tractabant, ac ad Reginam referrent, petebant; interim cum Cæſareis, quæ adhuc circa pacem reſtarent, abſolverent. Sed Suecis neutrum arridebat. Nam Ordinum Legatis facile eſſe ſub ſpe rati quidpiam annuere, queis apud Principes ſuos hæc excuſatio pateat, numero ſuffragiorum ſe victos eſſe. Sibi nullo colore à mandatis diſcedere fas; ac Regina factum improbante ignominiam ſibi præſto fore. Sed nec turum ſibi hoc negotium ad extremum rejicere: de quo parum ſpei ſit, ſi hoc indeciſo reliqua omnia fuerint perfecta. Ac ut circumſpecte agant, jactatos à quibuſdam haut ſane amicos ſermones monere. Ita tandem Ordines, cum nec Legati Suecici à ſuis mandatis diſcedere poſſent, ac rem ad Reginam referre longum juxta, & anceps foret, quinque uncialium milliones annuerunt, etſi Moguntinus, ac Brandeburgicus non niſi de quatuor millionibus in mandatis haberent. Eo ipſo die, quo hæc

25. Maji. 26. Maji. 28. Maji. 29. Maji. 3. Jun.

1648. transacta sunt ab exercitu missus Osnabrugæ adpellebat Alexander Erskeinus; qui si maturius advenisset, remoram negotio videbatur injecturus, quod iste præmia sua infra decem uncialium milliones taxari nollet.

De modo solutionis. §. 134. Hac edita declaratione Ordines rem jam confectam rati acriter instabant, ut non solum conclusio pacis ocyus sequeretur, sed & Caroli Gustavi Palatini iter sisteretur, simul de hostilibus omittendis ad Suecicos duces scriberetur, modo aliis bellantium partibus idem placeat. Enimvero super modo solutionis talia propositerant, quibus stantibus prius promissa fere eludebantur. Inprimis minimam præsenti pecunia repræsentare cupiebant, reliqua omnia in diem exoluturi cautione interposita; quod uno tempore tantam summam conficere supra vires ipsorum foret. Sed cum citra paratam pecuniam nil effici posse perspicerent, ac Sueci tribus millionibus initio utique opus contenderent, in hos quoque demum Ordines consentire, & quidem ut decies octies centena millia præsenti pecunia, duodecies per assignationes exolverentur. Cupiebant porro Legati Ordinum ista non nisi sub spe rati peragere, quod in tantam summam à superioribus mandata non haberent. Sed eam clausulam repudiabant Sueci, quod conditioni tam lubricæ neque pax, neque ejusdem executio superstrui posset. Id tamen Suecis perinde habebatur, nummis uncialibus, an alio genere monetæ probæ & receptæ solutio fieret, modo summa quinque millionum expleretur. Nec minus Ordines ipsi singulis ratam suam assignandam præsenti pecunia; aut per assignationes reservabant, exacta æqualitate juxta matriculam Imperii observata. Et quidem ut eam repartitionem Suecici duces in vicem solutionis acceptarent, militari executione in morosos facienda citra ullam molestiam eorum, qui ratam suam exsolvissent. Eam designationem Sueci statim exhiberi postulabant, quo mature inter legiones distributio fieri, ac statim post ratificationem miles accepta pecunia exautorari posset. Sed Ordines ante conclusam pacem id abnuebant, quod decretæ à majori parte summæ præter Monasterienses etiam Noribergicus & alii quidam contradicerent; quos pace secuta in cæterorum sententiam ultro transituros spe serat. Denique & hoc ab Ordinibus cautum, ne quis pro altero teneretur, & qui solvissent ob moram aliorum plane indemnes haberentur. Quod si qui primæ pensioni solvendæ non essent, ab Ordinibus proponebatur ut his certæ cohortes haut eo secius exautorandæ pro rata assignarentur, queis illi pecunia, aut prædiis, aliave ratione satisfacerent, interim quoad solutio fieret alendis. Quo onere isti ad solutionem quam efficacissime compelli possint. Sed Sueci id plane abnuebant, nec exautorationem hoc modo fieri posse. Nam post ratihabitam pacem militem non amplius in armis retineri posse, nec eundem, antequam pecuniam acceperit, ut dissolvatur passurum. Cupiebant quoque Ordines solutionem ipsi militi facere, haut ducibus; eoque cuilibet Ordini certos numeros assignandos, queis pecunia, aut alia ratione satisfacerent, prout inter ipsos conveniri possit. Sed Sueci ostendebant, militem dissipari non posse, nisi accepto in manus argento. Non omnibus Ordinibus parem ad solvendum facultatem aut animum: unde futurum, ut alii statim, alii serius, aut nunquam suo potiantur. Nec omnium rationes ferre diu solutionem expectare, quod alius heic, alius alibi sedem fortunarum post tam diuturnam militiam quamprimum figere desideret. Igitur præstare, si Ordines super conferenda pecunia laborent, ut duces, aut cui à Regina id mandandum sit, eam accipiant. Super distributione, ac ut miles sine molestia Ordinum exautoretur, Reginæ ac ducibus Suecicis curæ fore. Qua ratione porro miles, qui per oppida præsidii causa dispositus erat, quousque abduceretur alendus esset, inter Ordines & Erskeinum convenire non poterat, cum illi quartam partem solitorum hactenus tributorum annuerent, hic negotium ad duces rejiceret. Sed nec qua ratione, quæ in campo rem gesserant copiæ tantisper sustentandæ, tractatio suscipiebatur, etsi Sueci monerent, non ita raptim post conclusam pacem militem exautorari posse. Repugnare indoli belli & tractatuum, ipsiusque pacis securitati, si arma exuenda sint, antequam constiterit, num pars adversa conventis stare, an minus, velit. Eandem adversæ partis mentem esse. Igitur necessum fore, militem sub signis retineri, quoad ratificationes hinc inde traditæ fuerint. Interim nec in aere versari, nec vento victitare istum posse.

1648.

De cautione ne posterioris pensionis. §. 135. Deniq; cum divisis pensionibus pecunia promissa solvenda esset, quæ pro posterioribus præstanda foret cautio disceptabatur. Ac Sueci quidem tantisper provincias quasdam pignori opponi cupiebant, puta unum & alterum in Silesia Ducatum, Hildesiensem Præsulatum & partem Monasterienſis ditionis ad Amasim sitam, qua præfectura Vechta, Cloppenburgum ac Meppa continentur. Aut ut uterque Circulus Saxonicus & cum primis Hamburgum, Lubeca & Brema urbes fide juberent, quarum navibus solutione non secuta manus facile injici poterant. Sed neutrum Ordinibus arridebat, quod vix citra fraudem fidejussorum, aut oppignoratorum id fieri posset, quibus immerentibus id onus præ cæteris imponi nefas sit. Igitur censebant, communem guarantiam, sub Assecurationis articulo contentam, & singulorum Ordinum peculiarem cautionem sub hypotheca omnium bonorum sufficere posse, executione in morosos debitores à directoribus Circulorum citra processus ambages facienda. Quo & demum Sueci, cum nihil amplius obtinere possent, adquiescere necessum habebant. Vicissim & Ordinibus istorum fides super restitutione oppidorum sufficere debebat, cum alias post solutam pecuniam quoad oppida redderentur obsides sibi tradi postulassent.

De tempore solutionis. §. 136. Tandem & illa cura tenebat Ordines, ne pecunia à quibusdam repræsentata, reliquis morantibus, executio pacis sisteretur, ac qui solvissent, & pecunia & fructu pacis carerent. Unde optabant, militem dimitti, & præsidia deduci, antequam solutio pecuniæ fieret, præsertim cum hæc longe difficillima sit futura militum hospitia ac tributa tamdiu tolerantibus. Sed Sueci demonstrabant; militem nisi accepto stipendio exautorari non posse. Ita placuit solutionem & exautorationem pari passu procedere, nec Ordines prius teneri ad pecuniam ducibus in manus tradendam, quam missio militis reipsa suscipienda sit. Duodecies centena millia, quæ Ordines simul cum exautoratione per assignationes soluturos se promiserant, hi duabus pensionibus intra annum vertentem expedire volebant. Sed quia Sueci assignationes statim cum missione militi tradi cupiebant, ac Ordinibus cavebant, non gregarium militem, sed solos præfectos delegandos, quibus cum qua commodissime possent ratione transigere lice-

1648. liceret, id cupide ab Ordinibus arreptum, ac ut una vice assignationes repræsententur decretum. Nam spes erat, si præfecti post ratihabitam pacem nullo stipante milite veniant, facile istos urgeri posse, ut quicquid Ordinibus offerre placuerit acceptent. Enimvero prospexerant Sueci, ut designatione ad exercitum allata statim præfecti ad Ordines dimitterentur, ac cum hisce intra tempus ratificandæ Pacis super solutione convenirent. Ubi si qui assignatis præfectis ex æquo satisfacere abnuerent, immissa una & altera legione ad solvendum compellendi erant. Reliquos duos milliones duabus æquis pensionibus Ordines intra biennium, quod à solutione duodecies centenorum millium uncialium cedere inciperet, solvendos susceperunt. Et quia existimabant, annum quadragesimum nonum corrogandis octodecim auri tonnis elapsurum, anno quinquagesimo unus millio, quinquagesimo primo alter circa Michaelis festum exsolvendus designabatur. Nec ut dies solutionum arctiori spatio circumscriberentur, Ordines adduci poterant. Hoc modo militum satisfactio adornata, circa quam deinceps non nisi minuta quædam hinc inde mutabantur.

De Executione Pacis. §. 137. Circa executionem Pacis parum difficultatis erat, nisi quod Ordines in locis restituendis non solum machinas tempore occupationis ibi repertas, & adhuc extantes, etiam fusione renovatas relinqui vellent, sed & abductas iterum eodem reponi: quorum hoc Sueci abnuebant. Circa priores Evangelicis cumprimis spes erat, Reginam, quæ alias machinis abundaret, facile concessuram. Quod si tamen illas uni vel alteri concedere nollet, facile erat ante vel statim post concludendam pacem eadem inde dimovere.

De Ratificatione Ordinum sententia. §. 138. Super Ratificatione Ordines judicabant, redimendo tempori Cæsareis; atque Regiis Legatis, allubescente jam propius pacis spe, in antecessum à Principibus suis generale Instrumentum ratificationis petendum, cui totam pacem, uti hactenus solitum, ad verbum inseri non sit necessum, sed duntaxat spatium pro die & numero Capitum relinquendum. Quia etiam hactenus placuerat, intra tres menses ratificationes hinc inde trahi, ac post semestre Comitia haberi, plerisque molestum videbatur Osnabrugæ per tres menses otiose desidendo ratificationem expectare: cum post domum reversis non nisi trimestre superfuturum sit adornandæ ad Comitia profectioni, ubi forte iterum per annum unum & alterum penatibus sit carendum. Igitur visum est Ordinibus post subscriptam pacem conventum solvi, & quia tam Regina, quam Cæsar & Galliæ Rex Ministros suos Hamburgi haberet, heic ratificationes permutari. Circa ratificationem Ordinum ea difficultas movebatur, quod si à singulis solennis ratificatio, cui universæ Pacis leges inscriptæ forent, edenda sit, nimius Instrumentorum numerus sit futurus: nec tamen congruere, ut unicum Instrumentum per totum Imperium ad omnes Ordines circummittatur. Unde placuit Ordinibus, ut vel ratificatio ad proxima Comitia differatur, vel super certa formula plenipotentiæ pro Legatis conveniatur, à Principibus approbandæ, per quam Legatis facultas detur non solum tractandi & concludendi, sed & nomine Principum suorum subscribendi & ratificandi. Nec eo secius proximis Comitiis Pacem ad modum Pragmaticæ Imperii Sanctionis Recessui inserendam. Quorum posterius Reginæ non displicebat: sed prius velut sibi, aut successoribus parum tutum repudiabat. Solennem ratihabitionem circa prævium pactum necessariam visam, multo magis circa principale negotium eandem requiri. Neque vero Ratificationem in antecessum formari posse, ut post Instrumentum eidem inseratur, cui propter prolixitatem vix idoneum spatium relinqui possit. Quia porro Reginæ constabat, quid difficultatis circa ratificationem apud alios tractatus extiterit, ubi minus cavillationum deprehensum fuit, ut sæpe in unico vocabulo negotium hæserit: igitur Legatos suos jubebat statim post conclusam pacem in loco tractatuum cum Cæsareis & aliis quorum interest in certam ratificandi formulam convenire, ut in Suecia nullum verbum inseri opus sit, quod in dubium vocari queat. Tum ut pace concluſa & subscripta Instrumentum Ratificationis cum exordio & clausula, prout conventum fuerit, inserto toto Instrumento Pacis adornaretur, cui ab se nihil amplius addendum restet, quam ut prælectum propria manu subscribat ac sigillum Regni adpendat. Idem quoque verabantur Osnabruga discedere, antequam ratificationes hinc inde traditæ forent: idemque ut facerent Ordinum Legatos monendos, si pacis ulla cura existeret. Quibus quo mora ista minus tædiosa esset, demto uno mense tempus ratificationis duobus mensibus definiebatur. 1648.

Cæsarei plenum Instrumentum Pacis edunt. 1. Maji. §. 139. Cæterum jam ineunte Majo Cæsarei denuo plenum Instrumentum Pacis Suecis exhibuerant satis ad horum mentem, nisi quod adhuc hinc inde quædam occurrerent, quæ ulteriorem discussionem Suecis desiderare videbantur. Circa hoc ut declarationem suam exhiberent Sueci, enixe per se aliosque instabant Cæsarei, sic ut justos congressus abnuerent, antequam ea declaratio facta esset. Ac primo responsum forma Instrumenti adornari postulabant, ut statim perspici posset, in quo discrimen verteretur. Mox tamen satis habebant, si annotarent, quæ hinc inde desiderarent, sibique scripto traderent. Nec minus acriter instabant Suecis Ordines, ut declaratione edita, instauratis cum Cæsareis congressibus, quæ adhuc controversa forent absolverent. Sueci excussa Cæsareorum formula Notas quasdam in eam concipiebant, quas non Ordinibus solum, sed & Cæsareis prælegebant; scripto tamen easdem edere, antequam super militum commodis transactum foret, abnuebant, quod metuerent, ne reliquis omnibus absolutis militaris satisfactio insuper haberetur. Hac demum magno cum labore bimestri spatio elaborata, urgentibus Ordinibus Notas illas haut diutius premere visum: præsertim cum Ordines promissis suis hanc conditionem addidissent, si & quæ restant perficerentur. Etsi Galli, quorum tractatus diu interquieverat, veriti ne longe nimis progrederentur Sueci, istarum exhibitionem protrahi summopere instarent: ac protestabatur Servientus, qui Osnabrugæ tunc erat, quod juncto consilio, ac pari passu Sueci ad Galliæ quoque commoda absolvenda ex fœdere tenerentur. Quin diserte denuntiabat, ni monitis obtemperent, sed citra Galliæ respectum cum Cæsareis negotiationem pergant, id à se non posse non pro plena fœderis ruptura haberi; eaque de re sibi in Galliam scribendum, atque inde mandata expectanda. Enimvero haut desistebant Ordines Succos ad edendas suas Notas impellere, sancte asseverantes, Gallicam causam haut quidquam neglectum iri, cum in aperto sit, pacem in Germania fieri non posse, nisi sublato

Sueci Notas formant. 9. Jun.

quoque

1648. 30. Jun. quoque Gallico bello. Unde cum Ordinibus diutius reluctari non poſſent, tandem Notas iſtas Cæſareis exhibent, acriter licet contradicente Grullardo; quem quibuſcunque rationibus adductis delinire ſatagebant, demonſtrantes, non eſſe quod Galli ſuper hoc facto tantopere querantur, ac ſe de cætero omnem operam abſolvendis ipſorum tractatibus navaturos.

Pax inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos concluditur.

§. 140. Dum ita pax Germanica paulatim matureſcit, Monaſterii pax inter Hiſpanos ac Belgas Fœderatos coierat; Gallis fruſtra moram injicere conantibus. Qui & Antverpiam junctis viribus occupandam Hollandis offerebant; & Dunkercam; quarum illam Amſtelodamenſes abnuebant, ne commerciis ſuis quid inde decederet: hanc autem ideo adſpernabantur, ne communes cum Gallis fines haberent. Quod ipſum oppidum etiam à Gallis expugnatum non nihil ad pacem cum Hiſpanis amplectendam Belgas moviſſe credebatur, quod Galli magis magiſque Hollandorum viciniæ propinquarent: cujus portum, dum terra à Gallis obſidetur, Trompius claſſe claudebat, cui tamen ſecreta mandata ab Ordinibus data erant, ut ſi quid ſuppetiarum Hiſpani oppido immittere vellent, ne impediret: ſed qui quinquaginta millibus florenorum per Gallos donatis, auxilia ſubmittenda utique excludebat, ut id oppidum in manus Gallorum incideret. Præcipua tamen cauſa, quæ Belgas movebat, erat, quod Hiſpani ſummum ipſorum imperium agnoſcerent, quod tam diuturno bello quæſitum erat. Et quia ſpargebatur Infanti Hiſpanicæ Mariæ Tereſiæ Gallo nupturæ Belgium dotis loco datum iri, ne iſta dos ipſos quoque comprehenderet, ea Hiſpanorum declaratione obtenturi erant. Sed & Servientus minis & exprobrationibus non parum animos Belgarum alienaverat, ut eo acrius ad pacem moverent. Arauſionenſis quoque, qui hactenus paci pro virili obluctatus erat, demum ceſſit, ab uxore perſuaſus, quam Hiſpanis magnificis promiſſis ineſcaverant; quæ poſt obtento quod cupierant, haut quidquam exſoluta ſunt. Sed Legatorum Belgicorum uxores ſingulæ mille trecenti ſcutatis per Hiſpanos Legatos donabantur. Hiſpani quippe, cum jam omnia ex Belgarum voto transacta eſſent, ſubſcriptione pacem firmari contendebant, minati, ſe longiores moras pro ruptura habituros, ac redditis, quæ acceperant ſcriptis, ſuiſque retractatis infecta re diſceſſuros. Nam graviſſimas ob rationes ſe diutius in ancipiti hærere nec poſſe, nec velle. Belgæ ne pace excideret, nec Gallos tamen plane offenderent, per quatuordecim dies ſubſcriptionem differri poſtularunt. Id
16. Jan. quod Hiſpani demum conceſſere, ſcripta cautione à Belgis accepta, eo tempore elapſo ſubſcriptio-
20. 30. Jan. nem utique ſuſcipiendam. Eadem ad conventum diem peracta placuit intra bimeſtre ratificationes hinc inde tradi. Eo facto omnes Belgarum Legati, Donia excepto, domum profecti ſunt, de actis ſuis apud Provincias relaturi. Ac Hiſpanica quidem ratificatio Kalendis Martii manu Regis ſubſcripta, appenſo aureo ſigillo mature aderat, quam juſſu Pegnerandæ Secretarius Legationis Vanderburgio, & ipſe Pegneranda Bartoldo *de Gent* oſtendebat. Sed Belgica, ob diſſenſum quarundam Provinciarum & cumprimis Zelandiæ paulo tardius,
5. Maji. & elapſo jam die condicto adpulit. Ea demum allata permutandis ratificationibus quintus dies Maji ſtatutus eſt. Ejus diei hora ſeptima primo Secretarii Legationum ſingulis rhedis vecti, comitantibus aliquot Nobilibus in Curiam venere: poſt utrumque autographa ratificationum ciſtulis incluſa portabantur. Advenientes à Conſulibus poſt gratulationem in conclave huic actui deſtinatum deducebantur. Paulo poſt ſequebatur Hiſpanicus Legatus ſecundarius, Antonius Brunus, & poſt horæ intervallum Belgici Legati duobus ſejugis, totidem quadrijugis, præequitante tubicine. Tandem inter horam decimam & undecimam Pegneranda aderat ſplendido comitatu, quatuor ſejugis, duobus quadrijugis: & ipſe, uti priores, à Conſulibus honorifice exceptus, ac ad cæteros in dictum conclave deductus. In armis adſtantes oppidani ac milites lætitiæ cauſa tubis diſploſis ſtrepitum edebant. Inde prælectis Inſtrumentis & inſpectis ſigillis, poſt præmiſſa honoris verba primo ab Hiſpanis, inde Belgis pacta jurejurando, erectis digitis, ac voce clara firmata ſunt. Hoc actu abſoluto iterum bis tubi diſploſi, ac permutatis Inſtrumentis Legati domum diſceſſere, utroſque cohorte oppidanorum proſequente. Proxima die erecto ante Curiam theatro pax illa publicata eſt, utraque parte ſolenne gaudium machinarum & tuborum diſplolionibus, ignibus, ac fluente ad omnes ædium angulos vino teſtante. Inde utrinque ſe mutuis conviviis excepere, nova amicitia inter Hiſpanos & Belgas ita repente incaleſcente, ut vix in publico Hiſpanus conſpiceretur, cui Belga quiſpiam comes non iret. Eadem pax per Belgium Fœderatum, & cumprimis Hagæ, publicabatur, incenſis paſſim ignibus in lætitiæ ſignum. Quanquam obſervabatur gaudium haut ita commune & effuſum, quale ſimili caſu oſtendi par eſt, ſed quibuſdam locis inter vulgus præcipue non parum triſtitiæ adſperſum, ob excluſam pace Galliam, quod crederent, plus utique fiduciæ in vetere amico, quam hoſte recens reconciliato ponendum eſſe. Inprimis ob pacem ſubſcriptam Cnuitius in Zelandia vitæ periculum incurrerat, quod ea Provincia belli tempore prædis agendis ingens lucrum ceperat. Sane Lugdunum & Harlemum lætitiæ ſigna omiſere, uti & Zelandi, etſi demum promulgationem pacis permitterent. Exterorum quoque Legati ad ea ſolennia celebranda invitati, miſſis ad eum finem pro more doliis piceatis. Sed Legatus Gallicus Caſpar Coignetus Thuillerius à Rege ſuo avocatus fuerat, inter podagræ dolores potius ſuſcepto itinere, quam denunciationem pacis ab Ordinibus paulo poſt ejus diſceſſum factam expectaturus. A quo relictus Hagæ Braſſetus Reſidens haut immerito ei ſe gaudio ſubtrahebat. Suecicus Miniſter Petrus Spiringius facta ipſi ſignificatione, tantum felicitatis ipſis recenti pace precabatur, quantum Reginæ ad ſuam conſequendam optarent. Cæterum recordarentur, cum quondam Hamburgi ſuper prævia conventione agitaretur, ipſos ſe internuntio à Regina petiiſſe, ne id pactum prius concluderet, quam Belgæ ſalvos conductus poſtulata forma obtinuiſſent, ac res eo diſpoſita fuiſſet, ut communis pax obtineri poſſet. Quo fine Regina non parum operæ, nec ſine mora tractatuum poſuerit. Unde haut indecorum fuiſſe, ſi ad communem pacem procurandam & ipſi incubuiſſent. Signa lætitiæ ab ſe edi, bello Germanico adhuc flagrante, haut convenire. Eadem quoque abnuebat Luſitanus, Caſſellanus, & ob nuper defunctum Regem in luctu agens Miniſter Danicus. Ita ſolus Anglus, Polonus & Brandeburgicus ignes oblatos admiſere. Cauſas, quare abſque Gallis pacem concluſiſſent, has ferebant Belgarum Legati, quod animadvertiſſent, Gallos bellum extrahere cupere, quoad Flandriam & Brabantiam

1648.

In Belgio publicatur, 26. Maji.

1648. bantiam ſubjugaſſent. Etſi revera ingentes Sueco-
rum Gallorumque ſucceſſus invidia ipſos inflam-
marent, quos iſta ſeparatione infringere animus
erat; ſimul ut ipſi armis poſitis eo melius bellige-
rantes partes librare poſſent. Nam Galli ferebant,
ſibi facile cum Hiſpanis conventurum fuiſſe, ni
Hollandi vacillaſſent.

Pegneranda Monaſterio diſcedit. 19. Jun.

§. 141. His peractis Pegneranda primarius Hi-
ſpanorum Legatus Monaſterio diſceſſit, indigna-
tione eorum, quæ Oſnabrugæ cum Gallis conclu-
ſa erant in fraudem Hiſpaniæ. Ac ſperabat Cæſa-
reos ipſius exemplum imiraturos, tractatumque
abrupturos. Etſi Cæſarei ſpargerent, ipſum ani-
mi cauſa Bruxellas, Hagamque, & ad aquas Spa-
danas excurrere, poſt reverſurum, ſiquidem Bru-
nus, qui Monaſterii remanebat, animadverteret
Gallis pacem cordi eſſe. Enimvero ipſe profeſſus
erat, ſe ſalva Regis ſui dignitate diutius ibi mane-
re non poſſe, poſtquam Longuevillius Dux, &
mox Avauxius à Galliarum Rege avocati ſint: ubi-
que tamen teſtatus, modo Galli vellent, ac qui
domi apud ipſos ſummam rerum adminiſtraret
patriæ amans foret, brevi viam ad conſtantem pa-
cem ſummo cum emolumento ac ſecuritate Gal-
liæ inventum iri. Enimvero Servientus cenſebat,
eum profectione ſua negotiationem cum Gallia
protrahere voluiſſe: interim ſpeculaturum, num
ſemina inteſtinorum motuum, ab Hiſpanis per
Galliam ſparſa progerminatura ſint. Quo facto
tractatus vel plane abrumpendus, vel in aliam
formam ab iſtis refingendus ſit. Sed porro Belga-
rum Legati poſt concluſam ſuam pacem inter Gal-
los & Hiſpanos Mediatorum partes ſuſceperant:
qua negotiatione unum quidem & alterum ſcri-
ptum adornatum eſt, ut tamen nunquam leges
pacis in juſtam formam redigerentur. Sed ratifica-
tionibus pacis inter ipſos & Hiſpanos mutuo tra-
ditis mox Mediationem omiſere, & paulatim
unus poſt alterum Monaſterio diſceſſere, deſpera-
to ejus tractatus ſucceſſu, majore in Hiſpanos,
quam Gallos ſtudio oſtenſo, quorum his rei infe-
ctæ culpam impingebant.

Ut & Belgarum Legati.

Servientus Oſnabrugam venit. 1. Jun.

§. 142. Inter Cæſareos autem Galloſque Mona-
ſterii multo tempore circa pacem nihil actum,
quod Naſſovius è morbo decumberet, & Volma-
rus, per quem omnia negotia expediebantur,
Oſnabrugæ cum Suecis ſatageret: donec menſe Ju-
nio Servientus Oſnabrugam obtentu Suecos invi-
ſendi accederet. Eam occaſionem Ordines arri-
puere hunc ſolicitandi, ut & ipſe, quæ Gallicæ
paci adhuc reſtarent, heic expedire velit. Is initio
cenſebat, ſuper ſatisfactione militis Succici eſſe
conveniendum uſque ad Executionem & Aſſecu-
rationem: inde toto conventu Monaſterium di-
greſſo quæ adhuc inter Cæſarem & Gallos contro-
vertantur decidenda, de Burgundia, auxilio Hi-
ſpanis ferendo, & Lotharingia, ſubnexa Execu-
tione & Aſſecuratione. Ordines contra parcendo
tempori ac ſumtibus Oſnabrugæ nunc, ubi pleri-
que aderant, iſta abſolvi malebant. Colliſioni ex
præcedentia vitandæ congreſſus alternis vicibus in
Legatorum ædibus faciendos, ſimul alternis die-
bus Succica, aut Gallica negotia diſcutienda. Etſi
alii judicabant prioribus abſolutis cætera facilius
proceſſura, & conjuncta tractatione iis, queis ma-
tura pax diſpliceat, anſam præberi negotia mutuo
implicita confundendi. Succi, quanquam ſcripti
quid edere nollent ante perfectam militarem ſatis-
factionem; cum tamen Ordines ejuſdem ex voto
abſolvendæ ſpem oſtenderent, quæ circa pacem

Ordines Oſnabrugæ de Gallicis rebus agere volunt.

Id quod Servientus probat.

adhuc reſtabant agitari non repugnabant. Ser- 1648.
vientus etſi initio non parum dubitabat negotia
Gallica Oſnabrugam pertrahere, quibus prævio
pacto Monaſterium erat deſtinatum: tamen in-
ſtantibus Ordinibus demum obtemperabat, ut ſo-
poſita tractandi ſolennitate ipſi velut ultro Gallica
res diſcuterent, & quid iiſdem videatur ſibi
communicarent. Et ſpes erat, id ſe facile Regi
ſuo probaturum, quod negotiatio inter Ordines
tunc Oſnabrugæ quam maxime ferveret, ac felicius
quam antea Monaſterii ſuccedere viderertur.

§. 143. Enimvero Cæſarei Galliæ res utique Mo- Cæſarei abnuunt.
naſterium remitti pertendebant, etſi Ordines, ut
iidem in Oſnabrugam conſentirent, ſummopere
laborarent. Id prævio pacto repugnare. Lamber-
gio & Cranio ſuper Gallicis negotiis nihil manda-
tum: Volmari mandata Monaſterium ſpectare,
qui nec abſente Naſſovio primario Legato ſuſci-
pere heic quid audeat. Ignominioſum id Media-
toribus. Hiſpanis juſtam indignandi cautam præ-
beri, ſi circa tanti momenti negotia ipſos ſpectan-
tia negligantur. Qui &, ſi maxime Cæſarei con-
ſentiant, nunquam Oſnabrugam acceſſuri ſint:
citra ſequeſtres autem ſe cum Gallis tractare non
poſſe, nec alios ſurrogare ſibi integrum eſſe. Nec
perſuaſum ſibi Servientum conſenſurum; aut ſi id
faciat, monſtri quid ali. Rebus Oſnabrugæ confe-
ctis ſe Monaſterium abituros abſolvendæ Gallicæ
paci. Aut, ſi ita videatur, Volmarum ſtatim eo
abiturum, ut durante Oſnabrugæ negotiatione ibi
tractatio ſimul ſuſcipi queat. Contra Succi oſten-
debant; tractatum Succicum & Gallicum pro uno
& eodem haberi, nec illi Oſnabrugæ ſupremam
manum imponi poſſe, niſi & hoc pariter perfecto.
Nec ſuper loco ſcrupulos movendos, modo rei
bene gerendæ ſpes ſit. Se quoque ante annum cum
Trautmansdorfio Monaſterii non minus, quam
Oſnabrugæ tractaſſe, cum ad finem negotium per-
ductum iri ſperarent. Naſſovii & Volmari procu-
ratorio inſertam hanc clauſulam, *non obſtante unius abſentia*; & quæ agantur Naſſovio per literas com-
municari poſſe, qui & ob invaletudinem Mona-
ſterii tractatibus intereſſe nequeat. Fortaſſe Bru-
num huc accedere non gravaturum. Venetum ſi-
ne dubio gaviſurum quam primum negotio colo-
phonem imponi, ut qui ſemper inſigne pacis ſtu-
dium præ ſe tulerit. Si vel maxime Volmarus ne-
gotiatione heic omiſſa Monaſterium concedat,
abſque Ordinibus tamen nihil agi poſſe: hos au-
tem decreviſſe, eo caſu illuc haut ſequi ſecundo
tractatuum curſu inhibito, quorum optatus even-
tus propediem ſperetur. Ipſum Servientum haut
obſtante prævio pacto Ordinum deſiderio demum
obtemperaſſe teſtando Galliæ in pacem ſtudio.

Reprotestationem interponunt. 9. Jun.

§. 144. Cæſarei ſententiæ ſuæ pervicaces co-
gnito per Moguntinum hac de re ad Ordines rela-
tum, hunc cum Trevirenſi & Bavaro ad ſe evo-
cant, ac ut Ordines deſtinatis ſuis dimoveant, pe-
tunt, teſtati malle ſe abruptis tractatibus diſcede-
re, quam ut de Gallicis rebus Oſnabrugæ quid
agatur pati. Idque ut reliquis Ordinibus denun-
tient poſtulant. Et cum hi iſthoc Miniſterium
defugerent, ac Ordinariam Deputationem evo-
candam ſuaderent, hunc illo ipſo die arceſſitæ ſcri-
ptum tradunt hoc argumento: Se quidem Ordi-
nibus præſcribere nolle, quid circa negotia ipſos
ſolos ſpectantia, & quæ Cæſarem non tangant,
in Conſeſſibus eorundem proponatur: id tamen
inſolens plane eſſe, iſtos negotia ad Cæſaris faſti-
gium, ac ditionem pertinentia non ſolum ipſo in-
ſcio,

1648. scio, sed & dissuadente in hostium gratiam in dubium vocare, tantum non pro tribunali disceptare, ac inauditis illis, quorum res agitur, decreto suo decidere. Et cum neque Cæsar consilium illorum requisiverit, nec eorum arbitrio, non magis quam Hispanus ac Lotharingus, se submiserit, tam absurdo procedendi modo novam paci remoram objici. Iis, quæ circa pacem Gallicam adhuc restent, pacem Germanicam haut niti. Quin Gallicis negotiis huc admixtis, Circuloque Burgundico excluso, nihil aliud profici, quam ut Mediatorum offensa contracta, & abjectis amicorum reliquis Ordines omni auxilio destituti eo facilius jugo subdantur. Igitur nullo se modo concessuros, ut Gallica postulata Osnabrugæ disceptentur: aut malle omni actione abstinere, ac rem ad Cæsarem referre, Volmaro Monasterium remisso. Ipsum Cæsarem, suadentibus licet quibusdam primariorum Ordinum, circa negotia Ordines spectantia noluisse pro autoritate agere, sed omnia cum Electoribus, aliisque communicasse: unde haut meritum, ut hi circa tam ardua negotia præter ipsius voluntatem quid statuant. Nec eo secius Ordines sententiæ suæ institere petentes, ut tam Sueci quam Servientus Osnabrugæ formulas pacis exhibeant, in justam perfectionem redigendas, polliciti, se non minus ad Sueciæ, quam Galliæ commoda incubituros. Quanquam autem Serviento non adpareret, quo fructu Gallicum Instrumentum sit edendum, si Cæsarei tractationem abnuerent: Ordines tamen ostendebant, hoc ipso ansam dari negotiationem instaurandi, & ingratiis tergiversantium promovendi. Ita & Servientus in horum postulata consentiebat; ac Monasterium inde profectus sub finem Junii per Grullardum Ordinibus id Instrumentum exhiberi curabat.

Ordines suæ sententiæ inhærens.

24. Jun.

§. 145. Cæterum super controversis adhuc cum Gallia capitibus Cæsarei censebant; nullo modo Cæsarem tolerare posse, ut Burgundicus Circulus, cujus nomine Hispaniæ Rex membrum Imperii sit, Imperio avellatur, aut Lotharingus Germanica pace excludatur. Cum Lotharingica Domo anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, cum Burgundica ſexennio poſt peculiaria pacta nomine Imperii in Comitiis inita, quibus utraque inter Ordines recepta, utramque aliquoties Imperio auxilia tulisse multis myriadibus haut pensanda. Hispanum & Lotharingum, si in Gallorum gratiam excludantur, tanta injuria accensos Germaniæ Ordines publice violatæ fidei arguituros, ac amicitia in hostilitatem versa terra marique infesta quævis reposituros. Lotharingum veterano exercitu succinctum limitaneis provinciis formidandum imminere, Argentoratensibus cumprimis, queis tali pace ingens periculum creetur. Hispaniarum Monarcham potentissimum, hactenus nexu Circuli Burgundici devinctum, Germaniæ consilio & opera præsto fuisse; & quanquam Fœderatæ Provinciæ armis se obsequio ipsius subtraxerint; tamen hactenus semper, ubi opus fuerit, ratam partem ejus Circuli nomine juxta censum Imperii contulisse. Ejus amicitia conservata vires Galliæ librari posse, ne ad Germaniam plane opprimendam evalescant. Hanseaticos quoque commercia cum Hispanis magno emolumento agitare; quorum offensa contracta de istis actum esse. Ut autem Cæsar vetetur proximo agnato, & hæreditario Domus suæ Regno auxilium ferre, velut se ipsum successione excluſurus, cum Gallus licitum sibi esse velit Lusitano assistere, id ab honesta & æqua pace, sana ratione, divino, naturali & omnium gentium jure abhorrere: quin pacem hanc non Christianam, sed plus quam Ethnicam fore. Et Cæsarem sæpius declarasse, tam injustas & inhonestas conditiones nunquam se subiturum.

De controversiis cum Gallia capitibus sententia Cæsareorum.

1648.

§. 146. Ex adverso Servientus multis ostendere conabatur, quare Lotharingus pace Germanica includendus non sit. A Gallia quatuor fœdera cum Carolo Duce icta, quorum postremum anno quadrageſimo primo Parisiis factum maxime solenne fuerit, ab ipso Duce ultro cœptum, absolutum, & jurejurando firmatum. Post in ditionem suam ac intra propria præsidia regressum, quæ Lutetiæ promiserit, denuo jurasse. Inde Regem Galliarum ipsi pleraque oppida restituisse, ac pecuniam ad solvenda militibus stipendia præbuisse, qui exautorati in Galliæ sacramentum transire debebant. Ast istum statim atque à Gallis omnes conventionis leges impletæ fuerint, clam cum hostibus consilia miscuisse, copiisque Hispano traditis multas molestias Galliæ dedisse; inprimis Hispanis tantam pertinaciam accessisse, ut ex eo tempore repudiata pace bellum protraxerint. Quem igitur cordatum Galliæ vitio daturum tam atrociter læsæ, captisque adeo molestis fidei desultoriæ documentis, si postremo tractatui inhæreat, ac ut possessione Lotharingiæ maneat, tantis sumtibus denuo occupatæ? Sane eam ob cautam Gallos Lotharingum Hamburgensi pacto excluſisse, ac in ipsa pacis negotiatione constanter obstitisse, ne ejusdem cauta jam transacta denuo ventiletur. Nec esse, quod Cæsar huic se negotio ingerat, qui ipse eum Ducem nemini obnoxium agnoscat, & ab Imperio non ulterius dependentem, quam Nomenii intuitu, quæ exigua portio ejus ditionis sit, ne in hoc quidem jure Imperii sat liquido. Saltem ob eum pacem non differendam, qui fœderibus cum Cæsare & Domo Austriaca renuntiarit, ac manifesti perjurii labe se adspersserit. Quin & Cæsareos cumprimis Trautmansdorfium, quoties sermo inciderit, testatum, eam causam paci Germaniæ moram haut allaturam, nec Cæsarem eidem se ingesturum; id quod à Gallis semper fundamentum tractatus habitum sit. Porro transactionem Burgundicam à parte Imperii haut satis validam. Ejus autorem Carolum V. dum septendecim provincias Belgicas cum Comitatu Burgundiæ decimum Imperii Circulum declarat, magis proprium, quam Germaniæ emolumentum respexisse, eandemque magis armis, quam consensu Ordinum confectam, ac firmatam. Fuisse illa Comitia armata, in custodia quoque detentis tunc aliquot Principibus maximæ dignationis. Ea transactione cautum, ut Circuli Burgundici protectio duntaxat ad Imperium spectaret, Jurisdictione & Superioritate præter Geldriam & Ultrajectum ab eodem exemtis. Promisisse Regem Hispanorum eo nomine se collaturum, quantum duo Electores; revera ex eo tempore ad securitatem & emolumentum Imperii nihil præstitisse. Nam quod Cæsarei accepisse se nonnihil asserant, sat constare, uti Hispanica consilia in fraudem Imperii, & oppressionem Statuum spectaverint; ita & Hispanicas contributiones in eundem finem solutas & impensas. Nec alium fructum Germaniæ inde provenisse, quam ut Hispani in Senatum Ordinum admissi pro vastis suis destinatis occasionem nacti sint hinc inde turbas in perniciem

Sententia Gallorum.

Impe-

1648. Imperii ſerendi. Denique cum legibus Imperii cautum ſit, ſi quis motus in aliquo Circulo oriatur, aut is ab aliis hoſtiliter impetatur, ut reliqui ad opem laboranti ferendam teneantur; conſtare tamen, Ordines Imperii, quicquid Auſtriaci contenderent, nunquam bello Belgico ſe immiſcere, aut in partes Hiſpanorum adverſus provincias Fœderatas deſcendere voluiſſe. Ita reipſa transactionem Burgundicam inanem declaratam. Multo minus Gallos eam transactionem probare poſſe, quod Flandria, Arteſia, Inſulæ, Duacum, Tornacum antiquitus ad Galliam ſpectaverint: quæ Franciſcus I. alienare, aut Imperium in protectionem recipere nequiverit. Gallos quoque hoc ipſo bello inſignes partes Flandriæ, Arteſiæ, Lucenburgi, & Burgundiæ occupaſſe, quas Hiſpani concepta pacis formula ſub Gallica ditione citra exceptionem relinquere voluerint. In Belgas quoque Fœderatos magnam ejus Circuli partem tranſcriptam. Circa auxilium denique Hiſpanis ferendum Galli argutum nimis diſcrimen inter Cæſarem, & eundem ut Archiducem Auſtriæ digerere non poterant. Cum Fridericus Palatinus ſuſcepto Bohemiæ Regno Ferdinandum II. non ut Cæſarem, ſed ut Auſtriæ Archiducem læſiſſet, illum tamen crimen læſæ majeſtatis Cæſareæ admiſiſſe judicatum. Galliam quoque pace Germanica multis locis ſibi commodis diſcedere, ac Auſtriacis ingentem pecuniæ ſummam exſolvere; quæ iſti detrimento ceſſura ſint, ſi Cæſari obtentu ejus diſtinctionis liberum ſit eandem invadere. Denique conſiderarent Ordines, quid mali Germaniæ inde provenire queat, ſi Gallia in eas leges conſentiat. Sane ſi poſtea Cæſar copias per Germaniam in uſum Hiſpaniæ conſcribat, Gallos ad eas diſſipandas, & hoſtem ſuum, ubicunque locorum inventus fuerit, perdendum incumbere haut omiſſuros.

Sententia Ordinum.

§. 147. His rationibus moti plerique Ordinum in ſententiam Servienti non obſcure inclinabant. Nulla æqui ſpecie à ſe poſtulari poſſe, ut in Lotharingi gratiam ditionibus ſuis diutius careant, aut eadem armorum furore devaſtari, Imperium exitii periculo exponi patiantur. A Duce nunquam Ordines Imperii in conſilium adhibitos, cum eadem tranſigere inſtitueret; ſed omnia ſuo arbitrio egiſſe, pacta conventa pro lubitu infregiſſe. Offerre quoque Gallos reſtitutionem ejus partis Lotharingiæ, in qua Marchionatus quem feudum ab Imperio recognoſcat, ſitus ſit. Præter rationem eſſe, ob duo aut tria oppida novo ſe bello implicare, aut in præſenti diutius volutari. More majorum receptum bellis Belgicis, & Burgundicis non immiſceri, utut Burgundicus inter Circulos Imperii locum ſortitus ſit. Circa auxilium Hiſpanis non ferendum multi cenſebant rem in expedito fore, ſi pace Germanica concluſa per articulum de Executione Cæſar, æque ac alii belligerantium, ad copias ſuas exautorandas adſtringatur, quibus ad præſidia oppidorum, & tutelam limitum opus non habeat. Id enim concedendum non eſſe, ut Cæſar exercitum retinere velit obtentu auxilii Hiſpano ferendi. Nam nec Succos tunc exercitum ſoluturos, eoque pacem plane non ſecuturam. Ei incommodo prævertendo à Cæſare poſtulandum, ut militem ſuum pari paſſu cum Succico exautoret, niſi quantum opus ſit tuendis oppidis, ac limitibus. Quod ſi deinceps intra provincias ſuas in uſum Hiſpanorum militem conſcribere velit, id ipſi velut Archiduci interdici non poſſe, ut tamen idem reliquis Ordinibus citra fraudem ſit. 1648.

Monita de ſatisfactione Gallica. 14. Jun.

§. 148. Porro cum hactenus creditum fuiſſet, nihil amplius controverſiæ inter Cæſareos, & Gallos ſupereſſe, præterquam ſuper auxiliis Hiſpano non ferendis, Burgundico Circulo, & Lotharingia; paulo poſt Servienti diſceſſum Deputati Superioris Circuli Rhenani Succos adiere non ſine querimonia demonſtrantes, qua ratione Legati Cæſarei inconſultis Imperii Ordinibus ſuperiore anno Gallis ſatisfactionem annuerint. Ea cum alicubi verbis nimium laxis concepta ſit, Ordinum ac inprimis decem Urbium Altâticarum valde intereſſe iſta clarius, & diſtinctius exprimi. Quanquam enim facile judicari poſſit, Cæſarem & Domum Auſtriacam in illis, quæ Galliæ cederentur, non plus condonare poſſe, quam quantum juris ipſe habuit; nec Ordines ſperent iſta in fraudem tertii longius extenſum iri: tutiſſimum tamen fore, in tempore antevertere, quæ aliquando, ubi in controverſiam vocentur, diſſidiis ac turbis anſam præbere poſſint. Inde ſcriptum obtulere, quo annotaverant, quæ circa illam ſatisfactionem emendari cuperent petentes, Serviento perſuaderent, ut iſtam emendationem admittat, de cætero, ſi res exigat, ope & autoritate ſua ſe juvent. Sperare tamen prius facile obtentum iri, quod Servientus hactenus ſemper teſtatus ſit, Regem Chriſtianiſſimum nolle ſibi cum Ordinibus Imperii controverſiæ quid eſſe. Alias ſuper diuturnitate pacis vix præclari quid ſperari poſſe. Illis Succi reſponderunt: ſi Servientus Oſnabrugam redeat, facturos, quod ſibi conveniat. Cæterum Servientum aliquoties apud iſtos declaratſe, ſe tenori ejus ſatisfactionis ſimpliciter inhæſurum, ac circa eandem nulla admiſſa additione, detractione, ac mutatione pacem concluſurum.

Plerique in pacem ſerio inclinant.

§. 149. Ea tempeſtate apud pleroſque ſerium in pacem ſtudium eminebat. Succi obtenta militum ſatisfactione læti, quicquid adhuc controverſiarum reſtabat, Ordinum arbitrio commiſerant, id quod hi ambabus manibus amplectebantur. Et jam maxime tempeſtivum Reginæ videbatur ſumma cum gloria arma ponere inſigniter tunc florentia. Præſertim cum & pacem neceſſariam faceret inextricabilis pecuniarum difficultas, & quod omnibus exhauſtis nullibi hibernorum idoneorum copia adpareret. Galli quoque ſancte aſſeverabant à ſe pacem ſerio quæri, id quod & res ipſa perſuadebat, prævalentibus Neapoli Hiſpanis, vacillante Mutinenſi Duce, Parlamentis domi turbantibus, ſeparata Belgarum pace. Enimvero Cæſarei & Hiſpani quacunque oblata occaſione pacem ſufflaminare ſtudebant. Ac non ita pridem per Marchionem de Grana Legatum Cæſaris Madriti, ac Ducem de Terra Nova Hiſpanicum Legatum Viennæ arctior inter Cæſarem, & Hiſpanos conjunctio ſancita fuerat ad extrema adverſus fœderatos Reges tentanda, & ne quis abſque altero arma deponeret. Id quod uſque adeo Cæſarei non diſſimulabant, ut ingenue Succis faterentur: Cæſarem per rerum naturam Hiſpanum deſerere aut eodem excluſo pacem facere non poſſe. Inter ipſos tamen Ordines non omnium par ſententia erat. Qui Monaſterii ſubſtiterant de Oſnabrugenſibus graves querimonias movebant. Penes hos culpam eſſe, quare poſt inſignem Regibus oblatam ſatisfactionem, & controverſias inter Ordines compoſitas pax nondum

Præter Cæſareos & Hiſpanos.

8. Jun.

Ordinum circa hanc diſſenſio.

1648. dum secuta, ac Germania intolerabili insuper militari satisfactione onerata sit. Eosdem adversus Imperii leges in fraudem cæterorum perverso ordine ac confuso multa miscuisse; neglectisque triginta amplius Catholicis Ordinibus Monasterii congregatis concluta fero ac post cautam vulneratam, & cum jam Succis velut decreta Imperii exhibita essent, demum communicasse, sibique potestatem de salute Imperii ac fortunis Statuum disponendi arrogasse, secus ac prævio pacto, & convento tractandi modo constitutum sit. De
10. Jun. quibus moniti Osnabrugenses cum haut eo secius cœptam negotiationem persequerentur, apud Moguntinum Electorem scripto questi sunt, petentes, Legatis suis injungat, ut vitandis inde orituris nullitatibus istas ulurpationes, ac confusiones omittant, & si utique reliquis Catholicis Ordinibus cum directorio Osnabrugæ diutius morandum sit, ita saltem rem moderentur, ut & sui per omnia ratio habeatur. Addebatur protestatio, si secus fiat, se adversus ea, quæ in præjudicium suum acta, & deinceps agenda sint, omnia remedia juris sibi reservare. Osnabrugenses contra negabant quidquam à se admissum adversus Imperii Leges, & in fraudem reliquorum Ordinum. Decreto Imperii anno quadragesimo primo, & præliminari conventione cautum, absentium rationem non habendam. Modum agendi Osnabrugæ institutum Cæsareis, Succisque Legatis, & omnibus ibi præsentibus utriusque Religionis Ordinibus, ipsique Cæsari probatum. Demonstrabant quoque Catholici Osnabrugenses Monasterien sibus, se in detrimentum Religionis, aut ullius Catholicorum Ordinum nihil concessisse, quin & plura obtinuisse, quam quæ jam amore pacis & concordiæ exiguo ad sacra respectu remissa fuerant. Si qui Monasteria remanserint, aut Osnabrugæ eodem se contulerint, aut conventibus interesse neglexerint, sibi imputarent. Sane quæ Osnabrugæ sint Collegia cum directoriis suis à Cæsareis, & Regiis idonea habita, quibuscum tractatio susciperetur. Satisfactionem militiæ, de qua Monasterienses potissimum querantur, necessitate temporum metiendam, & quod alia via non fuerit belli mala exeundi: ac minore summa defungi se potuisse, si maturius ad pacem omnes incubuissent. Nec se tamen Monasterienses ad istud onus utique subeundum adstringere velle, si forte ipsis placeat incertam belli aleam adhuc captare, aut aliam rationem citra cæterorum Ordinum damnum inire. Quæ omnia Moguntinus Elector responso suo Episcopo Francisco Wilhelmo, aliisque Catholicis late exponebat. Cum porro Succi Ordinibus significarent, Cæsari haut placere absque Hispano pacem concludere, hisce plane diversa sedebat sententia: se quidquid Cæsarei jactent, pace tantopere desiderata in Hispanorum gratiam haut diutius carituros. Si rergiverserentur Cæsarei, se solos cum Regiis transacturos. Sperare tamen Cæsareos Ordinum desideriis aurem præbituros, & absque Hispaniæ respectu concluſuros: nec se istos serio urgere intermissuros. Si abnuant alia sibi consilia capienda. Inprimis Bavaricus Krebsius pro sententia exponebat miserias, quibus per hoc bellum Germania immersa sit, periculumque à Turca imminens, & quantopere Cæsaris ac Domus Austriacæ securitas matura in pace vertatur, cui belli continuatio extremam perniciem minetur. Ac metuendum esse, ne exteri Reges de Germania inter se dividenda paciscantur. Quæ extrema Ordines hautquidquam expectaturi, sed ad patriam, ac statum 1648.
suum utcunque conservandum pacem utique concluſuri sint. Orare Cæsarem per salutem communis patriæ, ne pacem Germanicam moretur; ne Ordinibus ansa præbeatur posthabito Cæsare tractatus cum Regiis perficiendi.

§. 150. Cum igitur citato velut gradu tractatus pacis procederent, Ordinibus è re visum auxilia, quæ è Suecia in Germaniam destinabantur, & adventum Caroli Gustavi Palatini sistere, quo nomine ut ad Reginam Succici Legati scriberent, rogabant. Haut opus esse tam propinqua pace Sueciam sumtibus, se novarum molestiis copiarum onerari. Et judicabat ipse Salvius Palatini expeditionem velut superfluam omitti posse. Id quod aliqui ideo fieri interpretabantur, quod ingentem pecuniæ summam de suo in usus publicos erogatlet; quam recipiendi spes non esset, tantis sumtibus in Palatini expeditionem factis. Alii tamen mollius: pecuniæ ipsum parci voluisse spe pacis certa. Enimvero Regina aliter judicabat. Tota belli mole premendum Cæsarem, ne spatio ad reparandas vires dato hactenus conventa eludat; quem constet non nisi necessitate adactum æquas pacis leges admissurum. Id semper captasse Cæsareos, ut decretoria plaga illata Succicas res prouerent: eosque jam sub finem belli, quo tot annorum fructus colligendi sint, summa circumspectione, & adhibitis omnibus viribus opus esse. Denique recentes copias non parum ponderis celerandæ paci allaturas. Ordines adventum Caroli Gustavi deprecantur.

§. 151. Porro ad Instrumentum Pacis à Cæsareis exhibitum Succi Notas quasdam formaverant, sed non tanti momenti ut summam rerum tangerent, aut pacem moraturæ viderentur. Unde qui tertium jam fere mentem intermissi erant congressus, inter Legatos Cæsareos & Succicos instaurati istis discutiendis. Ac circa titulos quidem Cæsarei vocabulum *Semper-Augusti* utique pertendebant, prolatis literis Joannis III. Succiæ Regis, ac Catharinæ Jagellonicæ ejusdem uxoris ad Maximilianum II. Cæsarem, quibus iste exprimebatur. Et quia Regina ob provincias vasallagii nexu Cæsari erat jungenda, titulos ejusdem publice in Imperio receptos abnuere non poterat. Circa titulum Alsatiæ & Comitatus Pirtensis quem Cæsarei saltem eousque retinere cupiebant, quoad Galli plena cessione potirentur, ac tres milliones exsolverent, Succi declarabant; sibi Gallos heic sequendos, & quem hi adhibeant titulum, sibi quoque imitandum. Succica Nota excusantur. De Titulis.

§. 152. Cum ad rem ipsam accederetur, Ordinibus placebat articulos formatos ita relinquendos, prout sigillatim hactenus subscripti forent. Tanto expeditius omnia velut jam adornata procedebant; nisi quod super §. *Tandem omnes.* quo ductoribus è Cæsaris ditione oriundis Succicam militiam secutis, cavebatur, acris disceptatio surgebat, Cæsarei super hisce formulam conceperant, ac Ordinibus persuaserant, ut cupidine pacis Senatus consulto eam probarent: nec in negotiatione longius progredi volebant, quam Succi in eandem consentirent. Hi contra testabantur, conscientiæ suæ, ac Reginæ existimationi repugnare, viros istos sacrorum consortes post exhaustos Succicæ militiæ labores destitui, ac à se tantum non damnari, tam solenni actu probatis, quæ à Cæsare in eosdem patrata erant. Cum autem Cæsarei dejerarent, in iis, quæ ex aula sibi transmissa essent, ne apicem quidem mutare sibi fas esse, nedum temperamentum aliquod admitDe emolumentis Austriacis.
tere:

1648. tere: nec Sueci remittere quid vellent, res denuo huic velut vado adhæsura videbatur. Enimvero Ordines ita acriter Suecos urgebant, ut hi tandem in ipsorum arbitrium rejicerent articulum illum, prout à Cæsareis conceptus erat, probare, modo in excusationem sui adderetur, Suecis nequidquam insistentibus Cæsareos in destinatis suis perseveràsse, nec ob contradictionem illorum aliter transigi potuisse. Ac ut clarius adpareret, ista per Ordines ab invitis velut extorta, ea verba, *Conclusum est porro, ut* expungebant. Quanquam autem Cæsarei rem ipsam obtinuerant, haut eo minus tamen scrupulum unum & alterum movere pergebant. Inprimis dubitabant Ordinum heic interventionem admittere velut superfluam, quod hi jam decrevissent, Cæsareæ formulæ plane inhærendum omni temperamento repudiato; quam & Cæsar forte haut æquo animo sit laturus. Tum ipsorum *contradictions* adjectum vocabulum *rigorosa* invidiosum nimis videbatur, unde illi emolliendę *constantem* reponi volebant. Tum & dictionem *Conventum est* retineri volebant, quod utique omnia heic transacta indolem conventionis habeant, ac Cæsaris multum interfit heic idonee sibi caveri. Qua disceptatione quatriduum consumtum. Demum tamen Cæsarei ab Ordinibus adducebantur, ut eum articulum, prout nunc Instrumento Pacis insertus legitur, admitterent. Circa reliqua eo minus difficultatis erat, quod nihil, præter pauca vocabula, ad summam rei nihil pertinentia, perspicuitatis causa adderetur. Et cum Evangelici articulo octavo Gravaminum Ecclesiasticorum, *Qui Archiepiscopatus*, clausulam aliquam elucidandi causa subnecti cuperent, Catholici Osnabrugenses id dissuadebant, ne Monasterienses alias sat refractarii ansam inde arriperent, ubi ad subscriptionem accedendum foret, novas mutationes moliendi.

De Helvetiis. §. 153. Articulum de Helvetiis Ordines vel ad futura Comitia rejici, vel hac lege circumscribi volebant, ut Helvetii ac nominatim Basileenses litigantibus nullo discrimine indigenarum aut extraneorum justitiam administrent, ac si qui hactenus de injuria accepta querantur, eorum causæ denuo excutiantur. Id quod Cæsari obtinere facile sit, diplomate exemtionis pro civitate Basileensi tantisper retento. Tum & Cameræ Spirensi summam aliquam pecuniæ à Basilea pro reliquis suntuum, ex quo tempore ea urbs se ipsam Cameræ jurisdictioni exemerat, stipulari volebant. Sed cum Cæsarei ista abnuerent, post longam disceptationem demum Ordines Cæsareorum formulam admisere, ut tamen monita sua in acta referri curarent. Et scripto declarabant Helvetii, ac cumprimis Basileenses, se nemini justitiam denegaturos, ac si quis querimoniam moveat, illi in confessu Fœderatorum rationem reddituros. Manebat quoque Articulus de Reformatis, prout conceptus fuerat, non obstante iterata Saxoniæ Electoris protestatione. Etsi Cæsarei affirmarent, Cæsarem maluisse istis generali duntaxat clausula fuisse cautum. Tantum de communi Ordinum sententia ultima clausula: *Sed præter Religiones* subnectebatur.

De Juribus Statuum. §. 154. Articulus octavus de Juribus statuum iridem in expedito erat, nisi quod de præfectis tabellariorum ad Moguntinum rejiciebatur, ut cum Ordinibus conveniret; & Moguntini atque Saxonici Erfordiæ immediatam conditionem, quam Sueci assertum ibant, abnuerent. Qui ne id quidem ferre volebant, ut hoc loco, ubi tantum de Immediatis ageretur, ejusdem mentio velut oppidi municipalis fieret. Horum impulsu Ordines inter se decernebant, id caput delendum velut huc non spectans, addita tamen declaratione, urbi jura sua, ac privilegia in sacris & civilibus sarta tecta fore. Equidem acriter contendebant Sueci, ut ejusdem saltem verbis generalibus mentio fieret; nec se Moguntini, aut Saxonicæ Domus prætensionibus quid detractum cupere, sed ut urbi caveatur, ne affectum in Suecorum res hoc bello expromtum aliquando forte luat. Sed nihil proficiebant, nec aliam cautionem pro ista obtinere poterant, quam per communem clausulam Articulo de executione insertam, qua in universum urbibus præsidio Succico infestis cavebatur. Circa paragraphum autem *Tam in universalibus*, verticulo *cassatis & annullatis* in gratiam Ratisponæ potissimum post verba, *vel longo usu* insertum, *ante hos motus*: quod notorium esset à Bavaro occasione hujus belli haut pauca onera isti urbi imposita. 1648.

De vectigali Oldenburgico. §. 155. In capite de Commerciis nodus super vectigali Oldenburgico in Visurgi nondum solutus erat, quod uti Instrumento Pacis excluderetur Belgarum Fœderatorum Legati Mathenesius, & Pavvius, simul Urbicum Collegium acriter instabant. In diversum nitebantur Cæsarei cum Electoralibus, & Principalibus. Oldenburgicos id privilegii à Cæsare, & Electoribus obtinere, quibus talia concedendi potestas citra controversiam competat. Idem plurium sub Cæsarum confirmatione à Comitibus longo tempore possessum, & adversus Bremensem urbem, quæ impugnare id ausa sit, tredecies latis sententiis firmatum. Ac ante annum Suecos annuisse, ut de isto tabulis Pacis insereretur. Sueci quanquam Comiti id privilegium haut inviderent, aut potestatem Cæsaris atque Electorum in dubium revocarent; nec Bremenses sulcire cuperent, qui contradictionem suam dominio in Visurgim prætento, à Regina haut agnito, unice superstruxerant: tamen quare hæsitarent, rationes habebant haut spernendas. Nam metus erat, ne si Brema Cæsari reluctata Belgarum fœderi innecteretur, novæ turbæ partem vix quietem interrumperent, Reginæ velut Bremensi Duci executione adversus immorigeram urbem à Cæsare delata, unde bello cum Belgis ansa præberi queat. Sed nec futuros sibi cives in Bremensi ac Verdensi Provincia hujus vectigalis obtentu Comiti velut stipendiarios reddere cupiebant. Eoque tutissimum judicabant, negotium id inter Comitem & urbem ad amicam transactionem deducere. Ea mente ac lege ipsi in vectigalis confirmationem consenserant: ac Urbici causa adhuc integra transactionem agitabant. Sed quia Cæsarei juxta, ac Electorales, & Principales velut ex compacto pro Comite nitebantur Sueci demum consentiebant modo Reginæ, quantum ipsius intererat, caveretur. Unde Comes scripto 12. Jul. Oldenburgi dato declarabat; Reginæ invitæ in hac causa executionem non imponendam. Tum se neque æquas cum Bremensi urbe transigendi vias repudiaturum, ac interim adversus Succicos subditos ita acturum, Bremensi urbe semper exclusa, ut Reginæ satis aequitatem suam adprobaturus sit, præsertim cum sat fluminum, ac portuum ea Provincia habeat, quibus ex isto vectigali nulla plane molestia creari queat. Ea cautione accepta Sueci, ut ea res Tabulis insereretur, tandem admisere.

De Suecis satisfactione. §. 156. Circa satisfactionem suam Sueci haut satis digerebant, quod Bremensi urbi *præsens sum* ea satisfactionis

1648. *ſtatus* relinquendus diceretur: quia urbs territorium ſuum longe ultra priſtinos fines, ac in præfecturas quoque nuper partas, in medio prætulatu ſitas, extendere cupiebat, ſimul durante bello, quin ex quo tempore caput de ſatisfactione ſubſcriptum erat, multa in fraudem Provinciæ patraverat: quæ omnia ſi vim juris nanciſci deberent, Reginæ id ſummo detrimento futurum erat. Contra Cæſarei cenſebant; ex iis, quæ urbs durante bello uſurpaſſet, jus ipſi novum naſci non poſſe, nec Sueciæ media defore intra gyrum rationis eandem redigendi. Nec tamen ideo vocabula *preſens ſuus ſtatus* expungenda, quod urbis *immediati* hac ratione præjudicium inferendum foret. Quam cum ita directe tunc oppugnare Suecis haut è re videretur, atteſtatum poſtulabant, ea verba juribus Reginæ fraudi non fore. Quod Cæſarei, ſi Suecis placeret, protocollo inſcribere parati erant. Antea quoque Sueci ſuper ſui militis ſatisfactione peculiarem paragraphum inſeruerant, qui nunc, cum de iſta ſingulari capite diſponeretur, omiſſus eſt: in cujus locum Sueci de ſexcentis uncialium millibus inſeri cupiebant, quæ Cæſarei nomine oppidorum, quæ intra ditiones Cæſaris ipſorum præſidiis tenebantur, reſtituendorum promiſerant. Sed Cæſarei velut novum id excuſabant, de quo nihil ſibi in mandatis datum foret. Tum ſecuros eos eſſe jubebant, ſecreto articulo conventa non minus rata fore, quam quæ publicis tabulis decreta ſint. Nec prius ipſos ad præſidia Cæſareis oppidis deducenda teneri, quam triens ejus ſummæ exſolutus fuerit. In gratiam porro Roſtochienſium Ordines, ubi de portoriis mentio fiebat, verba *ad loca ceſſa* inſarcire cupiebant, tum ut ceſſo portu Wiſmarienſi certa litoris latitudo definiretur. Sueci contra oſtendebant, ipſorum Ordinum decreto ſancitum, ne quæ mutatio circa ſatisfactionem fiat. Circa Warnemundanum tamen portorium declarabant, neminem ultra fas onerandum. Tum litoris haut majus ſpatium poſtulandum, quam quod pro re nata excitandis nautarum tuguriis ſufficiat.

De Æquivalentibus. §. 157. Inter æquivalentia centum uncialium millia, quæ Duci Holſatiæ Friderico ob ceſſionem prætenſionis in Bremenſem & Verdenſem Præſulatum deſtinata fuerant, diſpungebantur, poſtquam is Daniæ & Norvvegiæ Regno potitus ultro illis renuntiaret. Circa Brandeburgicam compenſationem nil reſtabat, nili quod Sueci Mindæ jus proprii præſidii ſervare cupiebant. Sed cum Ordines ſemel ſubſcripta mutari nollent, tabulis nihil inſertum, ſalvo tamen civitatis jure. Nam Brandeburgici permittebant protocollo inſeri: Electori haut animum eſſe adverſus jura civitatis ullo modo quid ſuſcipere. Ejus *tranſumtum* à Cæſareis & Moguntinis acceptum Sueci Mindenſibus tradebant. Sed circa Meclenburgicum æquivalens plus difficultatis reſtabat, quod Duces iſti, dum cæterorum quisque pro ſe ſatagit, rem ſuam in tempore ſegnius curaverant. Cæſarei è quatuor Canonicatibus, quos Duces poſtulabant, de duobus Argentoratenſibus omiſerant: de Magdeburgenſi, & Halberſtadienſi ad arbitrium Capitulorum rejecerant, ſpe Cæſareæ commendationis facta. Ordines tamen duos poſteriores Ducibus annuebant; de Argentoratenſibus in Capituli arbitrio relinquebant; etſi ſpes foret, iſtis locum ibi fore, quod anno viceſimo quarto Evangelici quatuor præbendas ibidem obtinuiſſent. Sed & ſuper Commendis ſe negabant concedere poſſe Cæſarei, de quibus diſponere non penes Cæſarem, ſed Ordinem Equeſtrem D. Joannis ſit, qui Originem ſuam extra Germaniam habeat. Ejus protectores eſſe Galliæ, & Hiſpaniæ Reges, Brandeburgicum Magiſtrum, qui hactenus acriter illi poſtulato reſtiterit. Huic ſi perſuaderi poſſit, ſe non repugnaturos. Sed Ordines Ducibus gratificaturi literis ſcriptis Brandeburgici conſentium obtinuerunt, ea lege, ut Duces ab ipſo inveſtituram petant, & ſervitia Ordini debita præſtent. Expectativam in Ducatum Lauenburgicum Ordines Cæſari commendaturos ſe ſalvo jure tertii recipiebant, & Cæſarei de eadem ſpem faciebant, Suecis quoque pro Duce connitentibus, ut æquiore animo Wismaria careret. Intelligebatur tamen Anhaltinos quondam expectativam obtinuiſſe. Quin Trautmansdorfius ſignificarat Brandeburgicum jam olim non in hunc ſolum, ſed & omnes Principatus Imperii in caſum *caducitatis* expectativam obtinuiſſe; ipſumque Bavarum ejuſmodi generalem expectativam habere, arcano Domus Auſtriacæ vacantia feuda in antecellum donare, ne quod patrimonium Cæſareum extaret; eoque dignitas Imperatoria penes ipſam neceſſario relideret, dum aliis Principibus non eſt, unde ejus faſtigii ſumtus tolerent. Quas ob cauſas prætenſio iſta à Ducibus incaſſum mota eſt. Ut iidem ducenta uncialium millia futuris Imperii collectis detraherent, ea lege conceſſum, ut ad ſatisfactionem militis Suecici ratam conterrent. Ita & Meclenburgicum æquivalens expeditum eſt. Circa Luneburgicum id duntaxat monebatur, ne Oſnabrugenſis urbs, aut prætulatus Ordines homagio præter morem onerarentur: unde communi conſenſu ea verba inſerta; *quatenus obſervantia ab antiquo obtinuit*. Denique ſuper alimentis Chriſtiani Wilhelmi quondam Adminiſtratoris Magdeburgici id tantum inter Cæſareos & Suecos controverſum erat, quod iſti ad diſpoſitionem Pacis Pragenſis provocarent, quam cum Sueci pacis vocabulo dignari nollent, ſed Transactionem duntaxat nuncuparent, tandem ejusdem mentio ibi plane omiſſa eſt.

De cauſa Haſſica. §. 158. Cauſæ Haſſicæ paragraphus *Et quamvis*, tunc inſertus eſt fruſtra renitente Neoburgico. Sed confirmationem pactorum Hanovicorum, quam Caſſellani quærebant, Cæſari abnuebant, velut Moguntini, Saxonis, ac Præſulatus Herbipolenſis juribus repugnantium. Adprobationi transactionis Marpurgenſis Cæſarei clauſulam, (*quatenus Imperatori & Imperio non præjudicat*,) adpoſuerant, cui acriter contradicebant Caſſellani, ne quid forte inſidiarum ſubeſſet. De qua Sueci amplius deliberaturos ſe ferebant. Reſtabat caput de Executione, & Aſſecuratione, de qua Sueci negabant agere ſibi fas eſſe, nili Serviento præſente, quod Galliæ maxime interſit, cui leges ipſi præſcribere non debeant. Ordinibus tamen committebatur ea inter ſe expendere, & quid ipſis videatur ſuper illis, quæ adhuc inter ſe ac Cæſareos controverſa forent, ſententiam dicere. Reliqua differuntur.

Servientus Oſnabrugam venit 1. Jul. §. 159. Interim & Servientus formulam pacis Gallicæ Oſnabrugam miſerat, additis ad Directorium Moguntinum literis: ut utriusque pacis tractatus, prout æquum ſit, pariter expediantur. Si præſentia ſua opus ſit, ſe citra moram adfore pro virili pacem promoturum. Sed cum Suecica pax celeri gradu procederet, Grullardus graves querimonias, & proteſtationes interponebat, veritus ne tam felici Succicorum tractatuum ſucceſſu Gallica cauſa neglectim haberetur. Demum tamen

1648. tamen adquiescebat, cum Sueci promisissent, subscriptionem non secuturam, nisi & Gallica pace absoluta. Aderat inde Servientus Osnabrugæ, à Suecis postulans, ut postquam ipsi pacem tuam ferè ad umbilicum perduxerint, tantisper quiescerent, quoad & Gallica negotiatio eodem processerit. Cum tamen Sueci & Ordines consultissimum judicarent, quæ sub manibus forent absolvi, idem & ipse probabat, postquam Ordines cavissent, Suecicam pacem citra Gallicam conclusum aut subscriptum haut iri.

De satisfactione militiæ Suecicæ.

§. 160. Sed cum Sueci ad reliqua progredi nollent, prius, quam militis suis satisfactio plene adornata foret, Ordinum opera, quos illa quam maxime tangebat, eadem demum perfecta est. Circa hanc id potissimum controvertebatur, cum statim à concluſâ Pace contributiones cessare debeant, unde interim præsidiarius, & campestris miles usque ad exautorationem sustentandus sit? De qua re cum inter ipsos convenire non posset, nec Sueci inconsultis bellicis ducibus quid statuere vellent, demum in hanc clausulam consentium: *Salva tamen præsidiariorum militum, cæterarumque copiarum, ubicunque fuerint, sustentatione ad tolerabilem modum conveniendâ.* Sed Cæsarei verba ista, *ubicunque fuerint*, utique expungenda contendebant, ne si forte Suecicus exercitus, dum pax concluditur, intra Bavariam, aut Cæsaris ditiones ageret, ibi subsistere vellet; cum septem Circuli ad hospitia illi præbenda teneantur. Ni res ita disponatur hospitiis manum conferturos, quod fieri non possit, ut isti post pacem factam in uno aut duobus Circulis simul morentur. Ita demum ab Ordinibus ista verba delera sunt. Post verba *à solutione immunis sit* Sueci posuerant (*excepta sola Landgravia Hassiæ*) quæ ut dispungerentur, Cæsarei demum summa cum contentione pervicerunt. Nullo colore Landgraviam satisfactioni militis Sueci se subtrahere, cujus patrocinio ipsa tam insigni ditione potita sit, non minus fructuosa, quam antiqua ejusdem provincia fuerit. Contra Cæsarei illos Ordines Westphalici Circuli, queis sexcenta uncialium millia Cassellanæ persolvenda incumbebant, eximere conabantur: quibus cum Sueci ac universi Ordines contradicerent, tandem in gratiam Cæsaris Colonienſi Electori immunitas concessa, reliquis communi oneri subjectis, qui non minores, quam Colonienſis, immunitatis petendæ causas habebant. Ut Hassiacæ militiæ ducenta uncialium millia darentur, Sueci summopere contendebant. Sed obnixe resistebant Ordines, extrema potius experturi, quam istam ignominiam subituri. Eo exemplo Colonienſem, Saxonem, Brandeburgicum, Luneburgicos, Lotharingum paria postulaturos. Et diserte Saxonici, atque Luneburgici idem sibi stipulabantur, si Landgraviæ postulata annuerentur. Unde Hassi, cum initio acriter protestarentur, demum eam summam Suecicæ militiæ subtrahi, sibique addici cupiebant. Quod cum Sueci abnuerent, tandem ne paci mora injiceretur, hactenus postulato suo desistebant, ut amplius sè deliberaturos ostenderent.

Cæsarei de satisfactione militiæ suæ spes fit.

§. 161. Poscebant & Cæsarei Ordines pecuniam solvendis exercitui suo stipendiis; queis Ordines regerebant, equum potius esse, Austriacum & Bavaricum Circulum in oneris partem venire, cum Cæsarei primo Suecis satisfactionem inconsultis Ordinibus annuerint, ac universum Imperium hac obligatione, à se antea haut agnitâ, induerint, cujus partes utique duo isti Circuli sint. Sed haut eo secius Cæsarei centum menses Romanos flagitare pergebant, ut tamen eorum solutio differatur, quoad Suecis satisfactum sit, ne Ordines duplici sub onere fatiscant, modo summa illa Tabulis Pacis inseratur. Quibus Ordines hactenus annuebant, ut futuris Comitiis è collectis Imperii subsidium laturos sè pollicerentur, certa tamen summa haut definita. 1648.

De Executione.

§. 162. Post absolutam militum satisfactionem super executione Pacis agebatur; ubi de his potissimum disceptatio oriebatur. In paragrapho *Omnes denique & singuli* Sueci restituendis permiserant, si Restituens forte tergiverletur, vel præfectum sui aut vicini Circuli, vel etiam Fœderatorum Regum duces implorare executionem faciendæ. Sed Cæsarei illis presse inhærebant quæ præcedente paragrapho super executione disposita erant, nec consultum videbatur Regum militem huic negotio adhibere. Catholicis quoque ingens præjudicium afferri, novis dissidiis, ac fortasse novo bello antàm præbiturum. Ita ea res omissa. Ducem Bragantinum, cujus Sueci inter captivitate liberandos differtam mentionem fecerant, Cæsarei expungebant: Imperatori ad eum in custodiam dandum, & Hispanis tradendum graves fuisse rationes; nunc ejus libertatem præstare non posse, nec ejus nomine Hispanis arma illaturum. Eam litem Gallos maxime spectare, cujus Sueci ante hac mentionem non fecerint. Id negotium privatum Cæsaris esse, circa quod nemo ipsi leges sit laturus; quod nec Imperio fraudi sit; nec ulli Ordinum eo nomine repressalias metuendas. Quæ militiæ Suecicæ annuerant Ordines Cæsarei huic implenda relinquebant, ut tamen non obscure jactarent, Ordines plura promisisse, quam præstare possint. Maluissent quoque id ea, ut è Tabulis Pacis seponi, ejusdemque obiter duntaxat mentionem fieri. Id quod Sueci nullo modo admittere volebant. Paragrapho *Restitutione*, quo de præsidiis deducendis disponitur, Sueci hanc clausulam addiderant: *Si quid tamen hinc illive Officiali ex justo cum aliquo Statu contracto restiterit, id ex æquo & bono solvatur*: qua præfectis cavere volebant, si qui forte de suo in sustentationem præsidiarii militis cum Ordinum consensu quid erogassent. Sed Cæsarei dubitabant, num ejusmodi justæ prætensiones existant. Sane si dentur, solvendas utique esse. Sed cum nullibi in Tabulis Pacis ejusmodi debita aboleantur, haut opus esse diserte de illis caveri, ne forte ea res latius justo extendatur. Prætensiones civiles juris communis dispositioni relinquendas. Donationes Regias si non omnes, tamen præcipuis ministris ac ducibus factas Sueci servare cupiebant, aut saltem ut summus *meliorationum* refunderentur. Sed Cæsarei utrumque repudiabant. Donationes eo ipso, dum omnia in pristinum statum reponi jubentur, abolitas: ac Ordines id diserte stipulatos. Summus meliorationum à Restituendis difficulter expediri posse, ac fructibus perceptis commode compensari. In paragrapho *Restituantur*, Cæsarei aliquot verba è Suecica formula expungebant. Velut post *Tormenta bellica, in locis amicorum*, per quæ Sueci omnia in locis hostium reperta, & adhuc inventa tormenta sibi vindicare videbantur. Item post verba, *illata fuerunt, & in summa quæcunque Suecicis Insignibus notata sunt*: quod suspicarentur, tormenta in locis captis reperta in novam formam transfusa, insignibus Suecicis impressis. Post vocabulum quoque *apparatu* pro *Suecico* Cæsarei reponebant *eodem*; quod hic articulus,

1648. qui de omnibus bellantium partibus agat, ad unam ſolam reſtringi non debeat. In ſequenti paragrapho *Teneamur* Cæſarei initio concedere nolebant de *neceſſario victu* decedentium caveri; quod ea res provincialibus jam antea ſat afflictis oneri ſit futura: demum tamen id admiſerunt. Sequenti verſiculo inter verba, *ad loca deſtinata* inſertum, in *Imperio*, ne forte vectura extra Germaniam extenderetur. Inter §. *Reddita*, & §. *Nulli autem* Sueci peculiarem paragraphum potuerant, *mediatorum* oppidorum munitiones ſpectantem, quas vel oppidani, vel præſidiarii excitaverant; quo cavebatur, ut illæ monente Principe territorii ſtatim dejicerentur; *exceptis tamen iis, quæ vel jus muniendi, propriique præſidii jam antea habuerant, vel quibus hoc pacificationis actu aliter cautum proviſumque fuerat.* Quæ omnia à Cæſareis inducebantur, ne cui, qui jus muniendi, propriique præſidii haberet, vel non haberet, præjudicium afferretur. Demum & poſt verba, *judicaverit neceſſarium*, Cæſarei ſequentem clauſulam addebant, quæ à Suecis facile recepta eſt.

De aſſecuratione. §. 163. Circa caput de Aſſecuratione hæc potiſſimum in controverſiam veniebant. In §. *Pax vero* Cæſarei in ſpeciali enumeratione eorum, qui pacem præſtare deberent, præter Cæſarem ex ſua parte quoque Regem Catholicum poni volebant; id quod Suecis abſurdum videbatur, ſi inter Gallos, & Hiſpanos pax non coiret: unde demum ſpecialis enumeratio plane delebatur. Contra Cæſarei utrumque paragraphum *Ut etiam Pax*, & *Quoties autem* expungi poſtulabant, quod illo novus executionis modus adverſus leges Imperii introducatur; hic autem ad Suecicum Inſtrumentum non pertineat, ſed in Gallico duntaxat ob Philipsburgum poſitus ſit. Sed uterque ut retineretur ferendum ipſis erat. Denique in enumeratione illorum, quos Sueci includere paci cupiebant, hi Joannis IV. Regis Luſitani nomen expreſſerant. Id quod Cæſarei ferre, aut alium quam Philippum IV. Luſitaniæ Regem agnoſcere nolebant, quam declarationem etiam Tabulis pacis utique inſerendam contendebant. Unde deleto iſto nomine *Rex & Regnum Luſitaniæ* reponebatur; quod utraque pars in ſenſum ſuum trahere poterat. Ut Regna Daniæ, & Norvegiæ paci includerentur una cum Rege, qui illis potitus eſſet, Senatus Daniæ per interregnum à Regina petebat. Quod facile annuebant Sueci, quibus gratum erat, Daniam & Norvegiam velut duo Regna nominari. His ita ſigillatim diſceptatis nil ſupererat, quam ut ambo hi articuli ſcripto conciperentur. Quo fine cum Salvius, & Bioernclovius cum Volmaro, & Cranio congrederentur, ab hiſce non pauca omiſſa aut interpolata reperiebantur, quod hi conſenſu Ordinum factum ferebant. Id cum Sueci ad Ordines referrent, negabant hi quidquam ſibi ea de re auditum. Cæſarei tamen ab iſtis moniti mox iſtis mutationibus deſiſtebant, & ſic uterque articulus, prout nunc extat, adornabatur; ac recipiebant Ordinibus Cæſarei ex ſua parte nihil amplius mutatum iri.

23. Jul.

Pax Suecica abſolvitur. 24. Jul.

§. 164 Id Ordines ſtatim Suecis referebant, rogantes, ut omnia quamprimum in juſtam formam redacta pleno conſeſſu recitarentur. Id quod cum Sueci Cæſareis proponerent; hi tergiverſabantur: haut refragari poſſe Ordines iis, quæ inter ipſos conveniſſent. Sed cum Sueci Ordinum poſtulatis adſtipularentur, quæ declinari non poterant, à Cæſareis admittenda erant. Is actus in ædibus Suecorum celebratur, in quo Legati Cæſarei Lambergius, Volmarus, & Cranius velut hoſpites ſuperiore loco menſæ in medio conclavis poſito conſederunt, Suecis Oxenſtierna, Salvio, & Reſidente Bioernclovio ad ad latus ſedentibus. Paulo inferius ad aliam menſam à dextris locati erant Electorales, Witgenſteinius Comes, Moguntinus Cancellarius Reigerſpergius, Schorerus Treverenſis, Colonienſis Steinius Hildeſienſis Cancellarius, Krebſius Bavaricus, Leuberus Saxonicus, Welenbecius Brandeburgicus; inferius Urbici promiſcue Argentinas, Ratisponenſis, Lubecenſis, Noribergicus, Colmarienſis, Tremonianus, Bremenſis: à ſiniſtris Principales, Salisburgenſis, Bambergenſis, Bavaricus, Herbipolenſis, Neoburgicus, Altenburgicus, Vinarienſis, Haſſus, Pomeranus, Brunſuicenſis, Wurtenbergicus, Tridentinus, & Brixienſis, Badenſis, Meclenburgicus, Sabaudus, Naſſovio-Saræpontanus, & Waldeccenſis. Uterque Secretarius Legationis exiguam menſam à ſiniſtris occupabant. Inſtrumentum Pacis prælegebat Volmarus clara voce ab hora nona matutina ad quintam pomeridianam: inter legendum quædam hinc inde monebantur, ſed quibus ſtatim expeditis omnia plene abſolvebantur. Inde Sueci Cæſareis binos libellos exhibuere, quorum priori ſignificarunt, quæ hiſce tabulis continentur, non prius valida fore, quam ſi pari modo cum Gallis concluſum ſit. Alterum, quo Caſtellano militi ſatisfactio, & à ſatisfactione Succica immunitas Landgraviæ petebatur, ægre demum acceptabant Cæſareani & Ordines. His peractis Cæſarei ac Sueci porrectis inter ſe dextris promittebant, omnia prout nunc conventa ſunt, immota fore, quoad Gallica pax ſimul perficeretur. Sequebatur Ordinum gratulatio, quorum quibuſdam præ gaudio lacrymæ manabant; cuncti moderationem Reginæ merita laude extollebant; quod inter florentiſſimos armorum ſucceſſus leges pacis aſperare, aut conventa mutare adſpernata ſit, duras inter & lætas res ſibi ſemper ſimilis. Nam & de intercepta à Koenigsmarckio Praga, & Wittenbergii in Bohemiam irruptione, & Caroli Guſtavi Palatini in Germaniam cum validis copiis adventu fama jam percrebuerat, VVrangelio pro lubitu Bavariam populante. Fuere tamen, qui Sueciæ præmaturam eam pacem arguerent, quod ad extrema jam redactus videretur Cæſar; & Gallos, qui ſemper Suecorum deſtinata eluſum iverant, inteſtinæ turbæ domum avocarent, ut Suecis ſolis arbitria rerum per Germaniam relinquerentur, quas pro lubitu temperare potuiſſent. Qua in ſententia Cancellarius Oxenſtierna quoque erat: quem tamen alii cavillabantur privatæ autoritatis ſervandæ cauſa iſta jactaſſe, quod belli tempore major prudentiæ ipſius apud Reginam neceſſitas foret.

Adverſa partis machinatores detegunturque.

§. 165. Enimvero Regina quantumcunque præſens belli fortuna blandiretur, maximo ſtudio in pacem rapiebatur. Unde & cum Joannes Oxenſtierna ſubinde à Salvio arguereturnimio rigore tractatus extrahere, aſperrimis literis eum increpuit, graviſſimas eo nomine rationes ipſi reddendas denuntians, quæ pallorem ac ruborem alternis vicibus ipſi incuſſuræ ſint. Qui tamen non ſine minis in delatorem maiculo, & intrepido reſponſo culpam moræ à ſe amoliebatur. Et privatim quidem ipſam poriſſimum movebat, quod in lubrico ſibi videretur verſari fœmina & improlis, quam diu tanti exercitus, quos ipſa præpediente ſexu rege-

1648. regere non poterat, in aliena manu essent. Ac versa uti solet belli alea decus apud exteros, & domesticus forte status in ruinam iturus erat. Tum & bello continuando nervus rerum defuturus videbatur, Germania ubique exhausta, & Gallico auxilio mox per intestinas turbas, quarum primæ scintillæ jam erumpebant, intercipiendo: nec sufficientibus solius Sueciæ opibus, cujus publici reditus felicissimo quantumvis bello attenuati erant, præda in paucorum privatorum manus delapsa. Tum & pertæsus belli tam diuturni miles Germanicus, qui maximam partem Sueccici exercitus faciebat, vix propinque pacis, præmiorumque spe in officio continebatur, precario fere ducum imperio intereos, qui non tam Sueciæ, quam patriæ suæ, sibique bellare se judicabant; quos facile casus aliquis ad exuendum plane obsequium externare poterat. Denique & Ordines Germaniæ, quorum patientiam hactenus spes stabiliendi sui status utcunque aluerat, positis inter se controversiis facile in desperata consilia ruituri metuebantur, ubi perspectum fuisset, bellum jam unice ob emolumenta exterorum, & lacerandæ Germaniæ geri. Sane tunc concluså pace ultro evanescebant machinationes, quæ hactenus adversus Sueciam agitatæ fuerant, quarum summa huc redibat: Cæsar Hispanusque, ac multi opulenti in Hollandia mercatores cumprimis Amstelodami post publicatam cum Hispanis pacem terra marique vires Reginæ in Suecia ac Livonia distrahere meditabantur; Rostochio quoque per validam manum repente in potestatem redacto, ut Suecicus exercitus è Superiore Germania ad oram maritimam traheretur. Tentabatur Brandeburgicus & Curlandus, ut è Borussia, & Curlandia Livoniam peterent. Brandeburgico summum armorum regimen per utrumque Circulum Saxonicum offerebatur, ut Suecos in Pomerania, Meclenburgica, & Bremensi ditione invaderet. Mittendi quoque erant, qui Moscum, Danum, Polonumque in partes traherent; tum & Colonienfi Præsuli, ac Hollandis protectio totius Westphaliæ destinabatur. Certe ex mandatis Pegnerandæ in Batavos abeuntis, quæ Suecis per Servientum communicabantur, adparebat, de duplici fœdere tractare ipsum jussum, uno ad defensionem Belgicarum Provinciarum, altero ad protectionem Circuli Westphalici, qui munimenti vicem Hollandiæ præstaret; in quorum utrumque Cæsar, in posterius Colonienfis, Brandeburgicus, & Neoburgicus pertrahendi sint. Tum ut Hollandi Landgraviam permovere laborent, quo seorsim cum Cæsare transigat. Et quia Sueciæ potentia in mari Baltico indies gliscceret, Danum & Hanseaticos solicitandos, ut cum Belgis ad vindicandam ejus maris libertatem conspirent.
28. Jul. Nec abnuebat Brandeburgicus Legatus Fromholdus, cum Salvius ea de re sermonem injecisset, Electorem acriter tentatum, ostentata in præmium tota Pomerania. Enimvero eundem ab his consiliis abhorrere, quæ sive succedant, seu minus, ditionem ipsius bellantibus interjectam ruinæ involutura sint. Suadebat tamen pacem festinari velut efficacissimum medium, quo destinata ista infringi queant: simul probabat, Reginæ curæ fuisse, ut Brandeburgico, Luneburgicis, Meclenburgico, Bavaro satisfieret, qui alias consilia cum Sueciæ hostibus juncturi fuissent. Qui nunc, cum in hac pace commoda sua vertantur, omissis ancipitibus consiliorum ad maturandam pacem junctis animis incumbant.

§. 166. Perfecto Pacis Instrumento statim de Ratificatione sermo injectus est, Cæsareis & Ordinibus Imperii contendentibus, ad majorem Germaniæ securitatem Ordinum quoque Sueciæ; aut saltem Senatus Regni ratificatione opus esse. Id quod pace inter Cæsarem & Danum factum: Nam si forte post obitum Reginæ ad electionem res redeat, incertum esse, num successor hac pace teneri velit. Et quia Ordines Imperii simul cum Cæsare subscribant, par esse in Suecia idem fieri. Unde postulabant ratificationi præsenti hanc conditionem addi, ut proximo Conventu Ordinum Regni hæc pax firmetur. Enimvero demonstrabant Legati Sueccici, in Suecia moris non esse, excepto si cum Danis negotium sit; ab alio præter Regem ejusmodi concluså subscribi. Unde à Regina postulatum haut iri, quæ ipsius eminentiæ fraudi sint. 1648. De ratificatione Pacis.

§. 167. Instabant deinde Ordines apud Suecos, ut transactis nunc omnibus majoris cautionis ergo subscriptio suscipiatur; ad quam Cæsarei parati sint. Sed monuerat Servientus, omnia, quæ speciem divisionis inter Reges habeant, declinanda: ac eam præcipuam fuisse causam, quare Cæsarei præter solitum tam faciles Suecorum postulatis se nunc exhibuerint, ut hos ad Galliæ commoda negligenda pellicerent. Eoque Sueccici tanto magis Gallicos tractatus absolvi hortabantur, quo utraque pax simul quamprimum subscribi posset. Sed à Cæsareis proponebatur, ut in exemplo à se Suecis tradendo Cæsaris duntaxat & Imperii in pace comprehensi fœderati, Reginæ autem socii in eo; quod ab ipsis expectarent, exprimerentur: tum ut Cæsareum Instrumentum à se solis, Sueccicum ab ipsis obsignaretur. Responsum à Suecis; rem jam conventam mutationem non admittere. Disputabatur quoque, num utrinque Legatorum Plenipotentiæ sub finem Instrumenti adjungendæ sint? Id quod Sueci circa id, quod à Legatis subscribendum erat, conveniens judicabant. Sed ut eædem Instrumento ratificando insererentur, superfluum visum. Id Serviento datum, ne Instrumentum Pacis membrana descriptum prius ad Reginam transmitteretur, quam Gallica quoque pax perfecta foret. Cæterum quam grata istha Cæsareis pax Cæsareis fuerit; vel inde colligere licet, quod Cranius congressu publico jactare non dubitaret: se læto quidem animo ad hunc conventum accessisse; sed si negotium, prout nunc se habeat, concludatur, illæsa conscientia discedere hinc non posse. Ex ejusdem interceptis literis patebat, Cæsareis spem fuisse, articulum de militari satisfactione in commodum suum vertere, & per istum Ordines Suecis avellere. Quæ spes cum falleret, illis horum postulata annuentibus, ac Suecis reliquarum controversiarum decisionem ad Ordines rejicientibus, manifeste observatum fuerat, quam repugnante animo ad conclusionem descenderent. Quam cum defugere non possent, in Gallicis dein tractatibus Ordines turbare omni modo satagebant. Sueci subscriptionem in Gallorum gratiam differunt. 29. Jul. Cæsareis invitis pax concluditur. 23. Jul.

§. 168. Supra monitum, Ordinibus placuisse, ut Gallica pax simul cum Suecica, dum negotia tio fervet, Osnabrugæ absolveretur. Id quod & Serviento Osnabrugæ tunc agenti, etsi isti tractatui Monasterium destinatum fuerat, vehementer arridebat. Suo quippe Regi proficuum fore, si Ordines circa negotia Gallica certi quid concludant, & hoc modo Germanica pax ab Hispanica separetur. Idem Ordinibus demonstrabat, ipsos semper verbis testatos, sua magis quam Galliæ interesse, ne Cæsar & Austriaca Domus pro lubitu Gallici tractatus Osnabrugæ suscipiuntur.

1648. Germaniam bello implicitam tenere queat. Suecí quoque confirmabant, opinionis ſuæ ſalſos fore, qui credant, Reginam absque Gallia pacem facturam, eoque Ordines incitabant, ut non minore ſtudio Gallicam pacem expediant, eodem ſine operam ſuam large pollicti. Contra Cæſarei manibus pedibusque obniti, ac non niſi Monaſterii eos tractatus ſuſcipiendos contendere, velut loco iſtis deſtinato. Unde & Volmarus Succico 31. Jul. Inſtrumento perfecto Oſnabruga Monaſterium digreſſus eſt, dejerans Oſnabrugæ nihil ſe ad rem conferre poſſe, ſed Monaſterii una cum Collegis, ut omnia ex æquo tranſigantur, incubiturum. Ordines probant. Hoc tamen non obſtante Ordines nullo contradicente decernunt Oſnabrugæ apud Succos, & Servientum manere, & quæ adhuc in Gallico Inſtrumento reſtarent quantum detur decidere. Ideo autem Monaſterium avertabantur, quod Pontificis Nuntius ibi ageret, paci Germanicæ quantum poſſet ſemper obluctatus, factioque Auſtriaca & Hiſpanica, quæ eandem avertabatur, ibi prævaleret; tum hærentes ibi Ordines Cæſari, ac Pontifici addicti, quos Oſnabrugici ſchismaticos vocitare ſueverant, opibus tenues, numero validi, Succicam pacem in dubium traherent. Eo major autem ſpes erat, Cæſarem nolentem volentem ad probanda iſta acta compelli poſſe, quod Bavarus decreviſſet, Cæſare eadem abnuente copias ſuas ab hoc ſeparare, illumque ſolum inter 2. Aug. prævalentes tunc Regios exercitus deſtituere. Id igitur Legatis Cæſareis Monaſterii agentibus per literas ſignificant, temporis diſpendium, & moram pacis ita neceſſariæ cauſari, ſi tam crebro hinc inde proficiſcantur. Simul rogabant, expenderent incommoda ex mora iſthac, & tractatus Monaſterium translatione oritura, & quamprimum ipſi Oſnabrugam accederent, Ordinesque Monaſterienſes ad idem faciendum permoverent.

Cæſarei reluctantur.

Cæſarei proteſtantur. 1. Aug.

§. 169. Enimvero Cæſarei multis verbis demonſtrabant; mandatis ſe deſtitui: Mediatores offenſam inde contracturos. Succos pollicitos, pace ſua perfecta junctim Monaſterium componendis Gallicis rebus ituros. Hiſpanos, Burgundos, Lotharingos Oſnabrugam pertrahi ſe haut paſſuros, quorum cauſa circa Gallicam pacem præteriri nullo modo queat: magnam Ordinum partem Monaſterii hærere. Eas ob cauſas Cæſarem aliquoties vetuiſſe, ne in translationem Gallici tractatus Oſnabrugam conſentirent. Tum repugnare id conventioni præliminari ab omnibus ratihabitæ, ex qua ſingulis quorum interſit jus quæſitum fuerit, & circa quam nihil ſine omnium conſenſu mutari queat. Servientum haut pacis ſtudio Oſnabrugam veniſſe, ſed ut objectis poſtulatis ſuis Succicos tractatus moretur, ac ab Ordinibus noxia Germaniæ decreta exprimat. Alias ipſum hanc mutationem in diminutionem Regis ſui cedentem, huic nunquam probaturum. Sane Succos præterito anno ſuper ſatisfactione Monaſterii agere noluiſſe. Haut laxiore temporis ſpatio opus fore, ſi Oſnabrugenſes Monaſterium, quam ſi Monaſterienſes Oſnabrugam eant. Nec perſuaſum ſibi Oſnabrugenſes id ſibi ſumturos, ut Cæſareis & Monaſterienſibus inauditis ſua placita velut dictatoria decreta obtrudere velint, in quæ ſibi pedibus ſit eundum; præſertim cum de eminentia Cæſaris, Auſtriacæ Domus, aliorumque altioris dignationis Ordinum cauſa agatur, de qua ipſis inſciis atque inauditis quid decernere plane inane ſit. Denique pacem Germanicam durabilem non fore, ni ſimul cum Hiſpanis pax ineatur. Unde Serviento incumbere ocyus Monaſterium ſe conferre, ubi adſint, quibuscum de pace tractandum ſit; niſi falſi arguere velit famam à fœderatis Regibus ſtatim ab initio præliminaris negotiationis tota Europa ſparſam: ſibi cordi eſſe pacem communem Orbi Chriſtiano reſtituere. Venirent igitur Ordines Monaſterium cum Serviento: interim rem in integro tenerent, ut Monaſterii omnia juſta forma peragi poſſint. Si ſecus fiat, nomine ac juſſu Cæſaris teſtari ius, quæ ſuper Gallica pace Oſnabrugæ tranſigenda ſint, ſe nolle teneri. Simul apud Mediatores proteſtationem interpoſitum iri, à Gallia præliminare pactum violatum.

1648.

Ut & Ordines Monaſterienſes. 4. Aug.

§. 170. Sed & Ordines Monaſterienſes ſolenni proteſtatione edita Oſnabrugicos arguebant à placito tractandi & conſultandi modo multifariam diſceſſiſſe, non in materia duntaxat Gravaminum, ſed & aliis negotiis primariis, novis magnique momenti cauſis ſubinde admixtis, unice in emolumentum Succorum, & paucorum Ordinum placitum. In ipſo conſultationum curſu complures cauſas communes ſeparatim à paucis transactas, ab uno articulo ad alterum è præſcripto Succorum aut paucorum libidine diſceſſum, ac communem Germaniæ pacem ſub nomine univerſorum Ordinum, contradicentibus licet Monaſterienſibus, acquibusdam Oſnabrugenſibus, concluſam. Sua ſuffragia haut admiſſa, aut numerata, niſi qua uni aut alteri proficuum id fuerit: communicationem non juſto tempore, ſed ſero & cauſa jam vulnerata, ac peracta factam, aut plane intermiſſam. Paucos quosdam de ſalute Imperii in contemtum aliorum cum exteris auſos tranſigere vocabulum univerſorum Ordinum ſibi arrogare; Cæſaris autoritati in conſpectu ipſius Plenipotentiariorum præjudicare, cæteris Ordinibus pluribus numero tributa imponere, per aſſignationes hoſtium libiduni eosdem exponere, executionem, & aſſecurationem perpetuam paciſci, denique Gallicos tractatus Oſnabrugæ perſequi, nulla urgente neceſſitate, aut legitima cauſa. Poſt exagitatas inde ab Oſnabrugenſibus adductas rationes addunt: ideo adverſus injuſtum hunc, in Imperio inauditum, in Præliminaribus vetitum, à Cæſare improbatum agendi modum proteſtari, ac ſuis ſuperioribus jura ſua reſervare, perniciosisque conatibus meliori modo contradicere: ac, ſi è periculoſo hoc agendi modo paci mora injiciatur, ſe extra culpam malorum inde provenientium fore. Acerbam hanc proteſtationem ſubſcripſerant Auſtriacus, Burgundus, Magiſter Ordinis Teutonici, ex Epiſcopis Oſnabrugenſis, Mindenſis, Verdenſis, Veſontinus, Halberſtadienſis, Aichſtadienſis, Argentoratenſis, Auguſtanus, Hildeſienſis, Paderbornenſis, Ratiſponenſis, Paſſavienſis, Monaſterienſis, Leodienſis, Virodunenſis, Curienſis; è Prælatis Hirſchfeldenſis, Campodunenſis, Murbacenſis, Luderenſis, Elvvangenſis, Berchtolsgadenſis, Stablocnſis, Corveianus: Comites inſuper Suevici, & è Civitatibus Auguſta, Uberlinga, Rotvvila, Dunckelſpula, Biberacum, Ravensburgum, Gemunda, Kaufbeura, Offenburgum, Pfullendorfum, VVangena, Gengenbacum, VVeilerſtadium, Cellæ ad Hammersbacum, Buchornum, Buchovia ad lacum Federicæ dictum. Ingens numerus; quorum tamen ſuffragia pleraque per Franciſcum Wilhelmum Oſnabrugenſem Præſulem, Adamum Adami, & Leuxelringium factionis iſtius antelignanos expediebantur, quos

Trium-

1648. Triumvirorum vocabulo cæteri indigitare ſueverant. Ita proteſtatione inſuper habita Oſnabrugenſes deſtinatis ſuis firmiter inhæſere deſiderio pacis, quam hac ratione acceleratum iri certo ſibi perſuaſerant; & cujus reſpectus aliis omnibus præponderare debebat, ritibus ac ſolennibus neglectis, quod hoc actu reliquorum Ordinum ſuffragiis, aliisque juribus in poſterum nihil deceſſurum ſit. Nec Evangelici ſolum, ſed & Catholici ibi præſentes ita ſentiebant, inprimis Moguntinus ac Bavaricus, qui præ cæteris magno fervore tractatus cum Serviento citra moram ſuſcipiendos inſtabant. Et quanquam initio oſtenderent, ſibi decretum ſuam duntaxat ſententiam ſuper pacis Gallicæ legibus exponere, ac negotiationem Monaſterienſem, digeſtis hcic rebus præparare, non autem firmi quid decernere: poſt tamen longius progreſſi pacem concluſere, ac inſtrumentum in juſtam formam redactum apud directorium depoſuere.

Oſnabrugenſes deſtinatis ſuis inhærent.

Pax Gallica cum Ordinibus Oſnabrugæ adornatur.

§. 171. In titulo Cæſaris Servientus vocabulum *Semper-Auguſti* omiſerat. Sed oſtendebant Ordines, id ab antiquiſſimo tempore Cæſaribus tributum, cujus negatio in deminutionem Imperii redundatura ſit, non minus quam ſi Galliæ Regi titulus Chriſtianiſſimi ſubtrahatur. Non ſolum inter Cæſarem & Regem Galliæ nunc tractari, ſed & concurrere Ordines Imperii, quæ illæſo juramento, quo Cæſari & Imperio fidem adſtrinxerint, pacem ſubſcribere nequeant, ſi Cæſari uſitatus titulus adimatur. Franciſcum I. tractatibus cum Carolo V. anno 1526. & 1529. cum titulum ipſi tribuiſſe, qui tamen cum eodem non ut Cæſare, ſed ut Rege Hiſpaniæ tractarit. Ita Servientus heic Ordinibus ceſſit. Sed *Landgravii Alſatia* titulum admittere nullo modo voluit, quicquid rationum, aut temperamentorum Ordines proponerent. Judicabant hi, Ferdinando II. iſtum detrahi non poſſe, quod eo vivo de cedenda Alſatia nondum actum ſit. Circa Ferdinandum III. difficultatem tolli poſſe, omiſſa cum aliis minoribus titulis Alſatia. Aliis ſcriptis & Inſtrumentis, ipſaque pacis ratificatione Cæſari ac Domui Auſtriacæ integrum fore eodem uti, præſertim cum non totam Alſatiam Gallo cedat, ſed aliquam ejus partem ſibi ſervet; contra Regem Galliæ, ut eundem Cæſari & Auſtriacis tribuat non teneri. Sed iſta adſpernabatur Servientus, cauſatus, Cæſareos jam Monaſterii eodem apud Mediatores ceſſiſſe. Ita ne in ipſo limine res hæreret, Alſatia è titulo Cæſaris delenda erat.

Landgravii Alſatiæ.

Plerasque ex inſtrumento, Suecico in Gallicum transferuntur.

§. 172. Placebat hinc Ordinibus, quæ Imperium ſpectarent è Suecico in Gallicum Inſtrumentum transferri, ac de capite Amneſtiæ atque Gravaminum non niſi obiter in Gallico mentionem fieri. Idque Serviento arridebat, quod Galli negotia Catholicis parum grata tangere nollent.

Sueci in hanc negotiationi interponunt.

§. 173. Sed maxima difficultas circa caput de auxilio Hiſpanis non ferendo, & ſatisfactione Gallica ſurgebat. Circa quod ut Salvius ſe inter Servientum & Ordines interponeret, hi iſtum binis ſolennibus Deputationibus invitabant; præſertim cum aliquot congreſſibus à Serviento nihil gratæ declarationis obtinere potuiſſent. Cui negotio Salvius, profecto tunc Vismariam Oxenſtierna initio immiſcere ſe verebatur, ne forte haut meliore ſucceſſu heic, quam Belgæ circa tractatus inter Gallos & Hiſpanos, laboraret. Ac judicabat, magis placiturum Serviento, ſi ſociata cum ipſo opera Galliæ commodis incumberet. Sed quia Ordines multum fiduciæ in Regina repoſuerant, ac ipſe Servientus conſilio & ope ipſius utebatur, & cum primis quia Sueciæ intererat Gallicas res promte expediri, Ordinum petita abnuere non poterat. Accedebant quoque Reginæ mandata, quæ poſtulante Chanuto, ut Gallis circa decem Urbes Alſatiæ faveret, has quidem aliosque Ordines Gallicæ ditioni accedere nolebat, ut tamen res ex æquo & bono quamprimum componeretur optabat, cum ſolius nunc Galliæ cauſa bellum gereret. Unde Salvio injungebat, Serviento oſtenderet, ſe Gallis diutius adſiſtere non poſſe, niſi æquas cum Cæſare rationes admittant. Ne igitur ſpe auxilii Sueci poſtulatis ſuis pertinaciter inſiſteret. Cæſareis autem & Ordinibus diſerte denuntiaret, per fœdus Reginam Gallos deſtituere non poſſe, antequam his ſatisfactum fuerit: ut utrique ad æquam transactionem compellantur. Quanquam enim Cæſareis in anguſtum redactis bellum citra periculum videretur extrahi poſſe; cogitabat tamen Regina invidiæ magnitudinem, qua omnes ad ſiſtendos ipſius ſucceſſus incubituri erant, ſi fortunæ vela nimium laxaret, nec minus hujus vices verebatur, cujus arbitrio partam gloriam, ac commoda ſubducere tandem cupiebat. Cæterum Mazarinus ipſe cum per Rolenhanium Gallica negotia Reginæ commendaret, reliqua circa quæ nondum conventum erat, exigui momenti judicabat, modo id obtineretur, ne Cæſar Hiſpanis auxilium ferre poſſit.

De auxilio Hiſpanis non ferendo.

§. 174. Caput igitur de auxilio Hiſpanis non ferendo Ordines ad articulum de Aſſecuratione reſervare volebant, quo & ex indole ſua pertinebat. Sed Servientus ante omnia ſuper illo cautum ſibi volebat; eoque pervincebat, ut ſtatim poſt §. *Sit utrinque*, poneretur. Id quod Ordinibus perinde erat, cum eo non transacto reliqua omnia citra obligationem futura eſſent. Controverſia cum Lotharingo ad amicam compoſitionem, aut tractatum cum Hiſpanis rejiciebatur. Burgundiam judicabant numero Circulorum Imperii uti hactenus accenſendum, ut tamen Cæſar, Ordinesque Imperii univerſi & ſinguli non magis præſenti bello ſe immiſceant, quam antea motibus Belgicis ſe ingeſſerant. Inde diverſæ formulæ tam ab Ordinibus, quam Serviento concipiebantur, quarum cum nulla alteri parti ad palatum foret, Salvius demum, ut calamo manum admoveret, rogabatur. Qui id temperamentum inveniſſe viſus eſt, quod utrique parti ex æquo ſatisfaceret; & olim non minus Galliæ, quam Hiſpaniæ prodeſſe poſſet; quam utraque pars probabat. Et ſpes erat Ordinibus, Cæſarem hanc eo facilius ratam habiturum, quod per eandem pro Cæſare nunc obtinuiſſent, quæ Cæſarei Legati jam ante triennium remiſerant. Hi quippe tunc reſponſo ſuo ad Gallicam propoſitionem diſerte poſuerant; Cæſarem non ſolum ut Imperatorem Romanorum, ſed & velut Auſtriæ Archiducem omni auxilio Hiſpanis ferendo directe aut per obliquum in perpetuum renuntiaturum. Cum nunc Cæſari velut Archiduci Auſtriæ æque ac aliis Imperii Ordinibus in poſterum integra omnia reſervaſſent.

De Gallica ſatisfactione Ordinum declaratio.

§. 175. Enimvero difficilius expediebatur ſatisfactio Gallica. Quæ Cæſar Gallis eo nomine obtulerat, valida non erant, ni Ordines Imperii conſentirent. Quanquam autem hi, neque à Cæſareis requiſiti quo minus Galliæ ſatisfieret haut abnuerent; tamen cum de obſcuritate ullius capitis complures Ordines graviter quererentur, univerſi horum cauſa ſuſcepta idem niſi certa ratione circumſcriptum admittere noluerunt. Id equidem Ordines facile probabant, ut Galliæ Rex

tres

d by Google

1648. tres præſulatus, Metenſem, Tullenſem ac Virodunenſem, ſicut hactenus per integrum fere ſeculum, ita deinceps quoque poſſideret nulla ab Imperio dependentia; utque Cæſar omnibus Imperii in iſtos juribus renuntiaret, ac ſupremæ Galliæ poteſtati eosdem traderet. Alſatiam autem & Suntgoviam cum præfectura Hagenoenſi malebant a Gallo feudi nomine ab Imperio recognoſci, uti Domus Auſtriaca hactenus fecerat; ſimul Regi titulo Landgravii Alſatiæ ſeſſionem & ſuffragium in Comitiis offerebant; teſtati haut eſſe in poteſtate Cæſaris jus, quod Imperio in Alſatiam competat, extraneo Regi alienare. Præterea in Alſatia complures Ordines, ac Nobiles Imperio *immediate* ſubjecti ſedem habebant, quorum aliquos Cæſarei ceſſa Gallis ea provincia, diſerte exceperant, cæteros ſilentio prætermerant; metus erat, quod unius inclusio pro alterius excluſione haberi ſoleat, ne Gallia non nominatos in ſubditorum ſuorum cenſum revocaret. Cum autem ingens diſcrimen ſit inter Statum Imperii, & *Landſaſſium*, cumprimis Gallicum; caveri ſibi cupiebant Ordines, quorum intererat, ne iſti ſervitio ſubjicerentur: palam frementes, haut fas eſſe Cæſari etiam volenti, ipſos ad eam conditionem redigere. Sed & multi dabantur Ordines, qui tam à Landgraviis Alſatiæ, quam Epiſcopis trium Præſulatuum terrarum aliquid in feudum recognoſcebant, nec tamen iſtorum ſubditi erant. Nam in Germania non repugnat, eſſe Statum Imperii, & ſimul alterius Vaſallum: & in regulæ vicem apud iſtos jactatur; quod nudus nexus feudalis non faciat ſubditos, aut tribuat ſupremum jus territoriale. Metus tamen erat, ne Rex Galliæ inſuper habitis Germaniæ legibus in iſtos forte ſummi imperii jus ſibi arrogare inſtituat. Porro ſicut alii Epiſcopatus Germaniæ ab antiquo Jurisdictionem Eccleſiaſticam etiam extra ſua territoria in multorum aliorum Ordinum ditiones obtinuerant, ſalvo tamen horum jure Superioritatis: ita trium quoque iſtorum Præſulatuum Eccleſiaſtica Jurisdictio pertingeret; eoque diverſas ditiones, ac urbes ſub Gallicam ditionem pertraheret. Cum negotio triginta Ordines acerrime contradicebant. Denique in Cæſarea ceſſione Catholicæ Religionis mentio facta erat, diſſimulata Evangelica. Unde Evangelicis ſcrupulus injectus eſt, ne forte aliquando Gallus jus ſacra ipſorum immutandi invaderet. Cæterum Ordines quos intuitu Alſatiæ, aut trium Præſulatuum ea translatio tangebat, & qui periculum videbantur incurſuri, ni caput illud perſpicue conciperetur, hi erant; Epiſcopi Argentoratenſis & Baſileenſis; Principes ſeculares, Lucenburgicus, Lotharingius, Bipontinus, Veldentius, Lutzelſteinius, Wurtenbergicus velut Comes Mumpelgardenſis ob Harburgum & Reichenvveilenam. Tum Abbatiæ, Murbacum, Ludera, Andlavia, Monaſterium in Valle Georgii. Comites & Barones Naſſovio-Saræpontanus & Sarvverdanus, Hanovio-Busvveilerianus, Comites Rheni & Sylvarum, Vinſtingani, Leiningani Daxburgenſes, Krichingenſes, Rixingenſes, Fleckenſteinii, Oberſteinii, Rappoltſteinii. Tum Argentoratum, & decem Urbes Imperiales ad Præfecturam Hagenoicam ſpectantes, magnusque numerus *immediatorum* Nobilium. Hi igitur, & eorum nomine univerſi Ordines Imperii in Gallicam quidem ſatisfactionem, ac imprimis in ceſſionem trium Præſulatuum conſentiebant, ea tamen lege, ut Rex non plus, quam ante hoc bellum obtinuerit, eo nomine ſibi arroget, nec 1648. obtentu jurisdictionis Eccleſiaſticæ, dominii directi juris feudalis, aut ullo alio colore jurisdictionem aut imperium extendere inſtituat in illa bona, quæ Ordines Imperii & Immediata Nobilitas à dictis Epiſcopatibus hactenus in feudum agnoverint, aut deinceps agnituri ſint. Tum ut ſub ceſſione Alſatiæ, Suntgoviæ, & Præfecturæ Hagenoicæ non plura intelligantur, quam quæ antea ad Domum Auſtriacam ſpectaverint, & ab eadem jure cedi potuerint; nec ea ceſſio ulli ex Ordinibus Imperii, aut immediata Nobilitate circa libertatem, immediatam ab Imperio dependentiam, jura, ac bona fraudi ſit. Denique ut Ordines provinciales Landſaſſii, ac ſubditi ceſſarum provinciarum jura, ac privilegia, eorumque uſum ac exercitium circa ſacra & civilia juxta præſentis pacis conventa illibata retineant.

Servienti ſententia.

§. 176. Aſt Servientus quæ de Alſatia in feudum ab Imperio recognoſcenda proponebantur, adſpernari haut videbatur, quod Gallis anſa inde futura eſſet inter conſultationes in Comitiis deſtinata Auſtriacorum diſturbandi. Nunc tamen eam rem tangere haut opportunum judicans, ut eadem ad proxima Comitia rejiceretur, tolerabat. De cætero declarationem Ordinum plane repudiabat. Jam de ſatisfactione Gallica inter Cæſarem & Gallos ante biennium transactum à Secretariis utrinque eam formulam ſubſcriptam, apud Mediatores depoſitam, Regi transmiſſam, & ab eo probatam; nec ex eo tempore à quopiam in dubium tractam. Unde penes ſe non eſſe aliquam hoc mutationem admittere, quod utraque pars contrahentium clauſulæ, *ſalvo jure addendi, minuendi, mutandi*, renuntiaverit. Si illa quæ Ordines vereantur, ea formula non exprimantur, quid opus eſſe nodum in ſcirpo quærere? Sed ſi expreſſe eadem contineantur, Cæſarem appellarent, ac indemnitatem ipſum poſcerent. Venditionem rei alienæ eſſe jure validam, ſed venditorem teneri domino ad æſtimationem, & id quod intereſt. Si Cæſar ut hoſtis ejusmodi ſatisfactionem Gallis dederit, Ordines velut amicos eo nomine nihil invidiæ concepturos. Quæ ipſe cum Collegis ſuis obtinuerit, ſe ſolum condonare non poſſe. Multos ſibi æmulos in aula eſſe, qui hac occaſione exitium ipſi ſtructuri ſint. Si Ordines inter ſe declarare quid circa id caput velint, in ipſorum arbitrio id ſitum; ſe nec prohibere id poſſe, nec probare velle. Ejusmodi declarationem nec accepturum, nec daturum.

Cæſareum declaratio.

§. 177. Cæſarei cum eo ſuper negotio ab Ordinibus appellarentur, quæ de Alſatia Gallis in feudum danda movebantur, ſuo loco relinquebant: quod ſibi haut conſtaret, num id Gallis placeat. Nam ante biennium, cum eadem ipſis hac lege offerretur, acceptare noluiſſe. Nec obſcure innuebant, malle ſe modum jam conventum perſiſtere, quod ea provincia aliquando facilius hac ratione recuperari queat. De cætero oſtendebant, ita caute Monaſterii in ceſſione unius & alterius ditionis à ſe actum, ut nulli Ordinum præjudicii aut moleſtiæ quid conciliaretur. Omnia ſe huc direxiſſe, ut quisque tuto ſua retinere, ac immediatq ſtatu gaudere queat. Nec Gallis in Alſatia plus dediſſe, quam quod Domus Auſtriacæ fuerit. Et quanquam non omnia ipſa conventione exprimantur, in protocollis tamen omnia clare exponi, ad quæ merito recurrendum, & plenior inde informatio petenda ſit. Gallos quidem credidiſſe, magnum quid à ſe obtentum: ſed cum ſuper concedentium

mente

1648. mente declaratum fuiſſet, Alſatiam non alio modo, quam ab Auſtriacis poſſeſſa ſit, & quousque hujus jura ſe extenderint, traditam, Ordinibusque Imperii ſua jura reſervata; iſtis hac ſatisfactione haut contentis Philipsburgum adjiciendum fuiſſe.

8. Aug. §. 178. Cæſarei porro hac difficultate uti conabantur ad cœptam Oſnabrugæ cum Gallis negotiationem Monaſterium pertrahendam. Inprimis ſemel atque iterum Collegium Civitatum tentabant ob decem Urbes Alſaticas præ cæteris Ordinibus ægrum, oſtentio, quantum periculi iſtis enormi Gallicæ ſatisfactionis interpretatione creetur. Gallos id agere, ut decem illas Urbes ſibi ſubjiciant. Eo facto Argentoratum, quod præcipue petatur, obſidio velut cingi, demum exitio involvendum. Ne à ſuperioribus Ordinibus illudi ſibi patiantur, quibus Urbium commoda parum curentur, qui acrius pro uno ſuorum colonorum contendant, quam pro decem Urbibus. Unde poſtulabant, conſultationibus Oſnabrugæ abſtinerent, ac Monaſterium abirent: ſe ſtatim eodem ſecuturos. Hoc modo votum ipſarum definitivum inſigniter ſtabiliri: ac de Cæſare, quem ea res non minus tangat, egregie merituras. Eſſe è Superioribus Collegiis, qui facto ab ipſis initio ſtatim abituri ſint. Et ſane Ordines declarationem ſuam usque adeo à Serviento rejectam in ſui deminutionem & contumeliam accipiebant. Sane adeſſe illum heic ut ſecum tractet; ac uti merito ipſum audiant, ita ſe viciſſim ab eodem audiendos. Saltem ſuam declarationem ab ipſo acceptari, & in aulam transmitti poſſe, quicquid poſt ibi ſuper eadem decernatur. Ac forte quorundam difficem reliquorum conſultationes inanes fuiſſent redditæ, ni Salvius, & Bioernclovius opera ſua interpoſita rem ita demum compoſuiſſent, ut articulus ſatisfactionis Gallicæ prout ante biennium conceptus fuerat, Inſtrumento Pacis citra mutationem inſereretur, & Servientus ab Ordinibus factam declarationem neque admitteret, neque ipſe aliquam exhiberet. Ut tamen Ordines haut mutata ſententia decernerent, ſe quidem pacem cum Serviento juxta formulam ſatisfactionis jam conceptam ſubſcripturos; declarationem tamen ſuam ſub id tempus ipſi Regi transmiſſuros, ac ſcripto denunciaturos, ſe hoc & non alio modo in eam ſatisfactionem conſentire. Id quod Servientus non magis prohibere poterat, quam Ordines illum adigere, ut vel declarationem ipſorum probaret, aut acceptaret.

Succorum interpoſitione res componitur.

Servientus cum Ordinibus pacem concludit.

§. 179. His difficultatibus victis, ac reliquis facile expeditis ab Ordinibus Oſnabrugenſibus cum Gallis pax concluſa eſt. Sed quia in hanc neque Cæſarei Legati, nec qui Monaſterii hærebant Ordines conſenſerant, quid cum hiſce ſuſcipiendum eſſet haut omnium eadem erat ſententia. Major pars cenſebat, utrumque Inſtrumentum Oſnabrugæ ſtatim ſubſcribendum, inde Monaſterium abeundum, & Cæſareis, Monaſterienſibusque Ordinibus, ut & ipſi ſubſcribant, eadem exhibenda. Id ſi faciant, rem expeditam eſſe. Sin abnuant pacem haut eo ſecius inter fœderatos Reges, & qui ſubſcripſerint Ordines perficiendam & executioni dandam; ita ut ſinguli horum vi articuli de Executione ditiones ac loca ſita recuperent, deinceps omnibus belli moleſtiis immunia futura, etiam ubi Cæſar ipſiusque adhærentes in armis permanſerint, adverſus quos Regii bellum perſecuturi ſint. Atque id conſilium à Bavaricis profectum eſt, qui magnam partem Ordinum, & totum fere Senatum Principum in ſuam ſententiam pertraxerant, quibus hæc breviſſima videbatur via Bavariam belli malis eripiendi. Contra Brandeburgici, Wurtenbergici, & quidam è Senatu Principum, tum omnes Urbici cenſebant, Gallicis rebus jam cum Serviento adornatis Monaſterium eundum, ac Cæſareis & Ordinibus ibi quid actum ſit, & quas ob rationes aperiendum, eosdemque ut acta probent amica ratione permovendos; ne Cæſareis, qui à pace abhorrere credebantur, probabilis cauſa præberetur ſuper contemtu querimonias movendi, & tractatus abrumpendi, aut ſaltem extrahendi. Quæ 23-24. Aug. ſententia demum poſt bidui diſceptationem prævaluit, præſertim cum animadverſum eſſet, Regiis pacem ab Ordinibus duntaxat probatam cordi non eſſe, nec ad executionem ipſos hac lege progreſſuros, eoque Ordines fructu pacis haut gaviſuros. Credebatur autem Cæſareos idoneam rationem haut inventuros, quare à probandis cum Serviento conventis ſe ſubtraherent. Nam & negotia Imperii Suecico Inſtrumento probarant: & ſatisfactionem Gallicam ante biennium ſubſcripſerant, niſi quod nunc Ordines ad Regem Galliæ literas dare decrevitſent, qua lege ipſi in eandem conſentiant. Denique caput de auxiliis reciprocum erat, & utrique parti æquum; & ea, quæ nunc conceptum erat, forma non minus Cæſari, quam Gallis commodo cedere poterat. Unde inter ſe decernebant Ordines, quæ Oſnabrugæ cum Serviento transegerant, Monaſterii adverſus Cæſareos tueri. Quia autem hac ratione ſubſcriptio tunc ſuſcipi non poterat, alia via diſpicienda erat, qua caveretur, ne inopina aliqua armorum converſione contingente, quæ nunc convenerant, retractarentur. Quo fine proponebatur, Inſtrumentum, involuero ab utrinque Legatis obſignato, apud Moguntinum Directorium deponendum.

Inſtrumentum apud Moguntinum depo-nitur.

§. 180. Placebat id Salvio, ut tamen nonnulla, quæ neceſſaria videbantur, ſibi reſervaret, ac nominatim, ut Ordines prout receperant ad Cæſarem ſuper exulibus Bohemicis, & Auſtriacis diligenter ſcribant; tum ut de Haſſici militis ſatisfactione, & ſuſtentatione usque ad exautorationem tranſigatur, ac in gratiam Landgraviæ clauſula *Quatenus* deleatur; tum antequam ad ſolennem pacis ſubſcriptionem procedatur, amica transactio ſuper vectigali Viſurgino ſuſcipiatur, & præter alia atteſtata jam poſtulata, unum ſuper Pirmonda exhibeatur. Inſuper & de alimentis copiarum, quæ forte ante hiemem in Sueciam trajici non poſſint, & de ordine circa exſecutionem Pacis obſervando prius tranſigi ſtipulabatur, de quo Regina, & Carolus Guſtavus Palatinus monuerant. Hic enim cum articulum de Executione paulo conſulius conceptum animadvertiſſet, ne forte è Reginæ parte quædam non è convento impleta argui poſſent, neceſſarium judicabat, iſtum articulum clarius & diſtinctius digeri. Scilicet ut poſt ſubſcriptum utrinque Inſtrumentum Pacis intra duos menſes à ſubſcriptione numerandos, poſſeſſione exuti ex capite Amneſtiæ & Gravaminum reſtituantur: captivi utrique dimittantur; octodecim tonnæ auri præſentis pecuniæ in ærarias Circulorum conferantur; inter Ordines ac milites ſuper ſolutione aſſignatarum duodecim tonnarum conveniatur; denique apud exercitus & præſidia ad militis exautorationem & deductionem omnia prout opus ſit diſponantur. Ratificationes interim allatas, ſi non ſtatim invicem permu-

Salvius eo modo conſentit.

1648. mutentur, tantisper inter fidas manus deponendas, quoad militis ſtipendia exſolvantur, iidemque poſt partim dimittantur, partim in Sueciam deſtinentur, ac oppida iis, queis ex pace debentur, reſtituantur. Quanquam enim Ordines voluerant, ut ratificationum permutatio, ſtipendiorum ſolutio, ac militis exautoratio, tum præſidiorum deductio pari paſſu fierent: rem tamen curate conſiderantibus adparebat, actiones iſtas dicto ordine ſuccedere ſibi debere. Unde paci conſentaneum videbatur inter duces utrinque conveniri, qua ratione poſtremæ iſtæ actiones commodiſſime ſuſcipiendæ forent. Et judicabatur certis diebus certas legiones hinc inde exautorandas, ac certa oppida hinc inde evacuanda: qua ratione omnia citra confuſionem expediri poſſe. Atque hæc monita Carolus Guſtavus Salvio transmiſerat; qui iſta Cæſareis ac Ordinibus prælegebat, ut eadem probarent, poſtulans.

Ut & Servientum.

§. 181. Aſt Servientus aliam remoram injiciebat, dum liberum exercitium Romanorum ſacrorum per Inferiorem Palatinatum pervincere contendit. A Cæſareis cum ipſo & Collegis opera Sequeſtrium Monaſterii annum abhinc ita conventum, utrinque ſubſcriptum, ac typis poſt vulgatum in omnium notitiam perveniſſe, cui & nemo contradixerit: alias ſe difficultate mota à Rege ſuo alia mandata fuiſſe petiturum. Oſtendebant contra Ordines, Monaſterii actis conſenſum Evangelicorum abfuiſſe, eoque vim obligandi illis deeſſe; cum illi huic negotio tranſigendo haut adhibiti ſint, quorum maxime interfuerit. Tum & pacta poſteriora derogare prioribus. Quantumvis igitur allegata conventio Monaſterienſis in gratiam Catholicorum à Cæſareis ita concepta fuerit: hos tamen contraria conventione ab ea diceſſiſſe, dum in Suecica tractatione id reſervatum remiſerint. Et Servientum ſemper profeſſum, Palatinam cauſam ad verbum ita manſuram, ſicut in Suecico Inſtrumento extet. Sed nihil hiſce rationibus apud Servientum proficiebatur, qui & abrupturum ſe tractatus jactabat, & neque Suecos, neque Ordines Evangelicos ſuo Regi leges heic ferre poſſe. Unde Ordinibus demum ad Salvium confugiendum erat: qui præter alia Serviento demonſtrabat: Ad Regem Galliæ nihil ſpectare, qua ratione Ordines Germaniæ circa ſacra inter ſe tranſigant: quin ipſum ex fœdere cum Suecis icto teneri id agere, ut res in ſtatum anni decimi octavi in ſacris & civilibus reponantur: alias præter Suecos Angliam, Hollandiam, Helvetios, & omnes Evangelicos in Germania à ſe alienaturum. Quod ſi pertinaciter hiſce inſiſtat, & Evangelicorum conditionem deteriorem facere conetur, quam ipſi Cæſarei voluiſſent, durius fatum ipſum manere, atque Avauxium, qui per intempeſtivum Religionis Zelum convenienda tantum difficilia reddiderit, cum ipſe jam conventa infringere inſtituat. Sed ne iſta quidem Servientum movebant. Unde Salvio cum Evangelicis viſum, quia Moguntinum Directorium ante annum Evangelicis inſciis hunc paragraphum impreſſæ Pacis formulæ inſeruerat, & ex parte huic impedimento anſam præbuerat, iſtud & Catholicos cum Serviento committere; quod ſperarent, ſi ipſi peterent Suecico Inſtrumento inhæreri, hunc nihil difficultatis amplius moturum. Quia igitur Catholici non minore pacis deſiderio, quam Evangelici tenebantur, rem mox apud Servientum eo deduxerunt, ut declararet, ſe poſtulato illorum locum daturum, ſi ejusmodi temperamentum proponatur, ut ne iſta res apud Regem ſibi fraudi ſit. Unde tandem in hanc clauſulam ſalvatoriam conſenſum fuit: *Cum ex parte Statuum Imperii remonſtratum fuerit, quod Cæſareani, Suecici, & Statuum Legati utriusque Religionis aliter circa hunc §. Exercitium, transegerint, & inter ſe convenerint, ut debeat emitti, propter defectum autem mandati Legatus Gallicus nunc conſentire non poſſit, ideo recepit, ſe rem relaturum Regi Chriſtianiſſimo.* Hanc clauſulam Servientus ad oram Inſtrumenti ſui ex oppoſito controverſi paragraphi adponi patiebatur, addito promiſſo, Regi ſuo fideliter rationes repræſentaturum, ob quas paragraphus iſte ſit omittendus. Tum & Ordines tam Catholici, (qui agnoſcebant, ſemel ſe in omiſſionem iſtius paragraphi conſenſiſſe, quod retractare nolint,) quam Evangelici teſtabantur, quicquid Rex declararet, Suecicam formulam inviolabiliter manſuram. 1648.

Cæſareorum ſententia.

§. 182. Aſt Cæſarei proteſtatione interpoſita obſignationi, & depoſitioni Inſtrumenti Gallici interceſſere; teſtati nec ſe in id conſentire poſſe, nec Monaſterienſium libero ſuffragio hac obſignatione præjudicare velle. Addebant tamen, Suecicum Inſtrumentum utique ratum fore, ſive iſti conſentiant, ſeu minus. Eidem tamen Suecico Inſtrumento clauſulam declaratoriam ſubnectebant de Rege Luſitaniæ, quod neminem alium Luſitaniæ Regem agnoſcant, quam Philippum IV. Regem Hiſpaniarum. Ita demum utrumque 5 Sept. Inſtrumentum, Gallicum quidem à ſolo Serviento, Suecicum autem à Cæſareis & Salvio obſignatum, Moguntinorum fidei credebatur.

Tractatus cum Hiſpania quieſcit.

§. 183. Inter hæc tractatus inter Gallos Hiſpanosque plane quieſcebant, Serviento Oſnabrugæ agente, quo Brunus, qui ſolus ex Hiſpanicis Legatis ſupererat, accedere abnuebat. Cæſarei teſtabantur, Cæſari gratum fore, ſi Legati Suecici Mediatione ſuſcepta una cum Veneto rem ad optatum finem deducant. Nec ab hoc negotio Sueci abhorrebant. Servientus ex Pegnerandæ diſceſſu anſam arripiebat Hiſpanos arguendi, velut a pace abhorrentes, quod iſto digreſſo nemo eſſet, cui facultas foret cum ipſo Hiſpanicam pacem concludendi. Id quod Brunus inficiabatur, qui ut idoneam agendi facultatem ſibi eſſe demonſtraret, publice procuratorii ſui deſcribendi copiam faciebat. Nec procul abeſſe Pegnerandam, qui ſtatim reverſurus ſit, ſi propior boni ſucceſſus ſpes allubeſcat. Et credebatur negotium inter Gallos & Hiſpanos hautquidquam deploratum eſſe, ac circa rem ipſam pleraque conveniſſe, controverſiam fere circa modum reſtituendi reſtare. Nec eo minus adparebat, neutris curæ eſſe, ante exitum hujus expeditionis pacem concludere. Et inprimis Hiſpani motus internos Galliæ captabant ſimul, fovebantque. Et tamen Hiſpanus ipſe parum aberat, quin malo, quod Gallo ſtruebat, obrueretur. Nam conſpiraverant adverſus Regem multi proceres, quem è medio tollere, ipſius filiam unicam in Luſitaniam abductam filio Regis Luſitaniæ deſpondere, & omnia ejus Regna inter ſe dividere agitabant. Iſtæ machinationes quinque dies antea, quam executioni dandæ forent, hoc modo proditæ ſunt. Unus è præcipuis conjuratorum, juvenis illuſtri proſapia, tenui re ambibat puellam nobilem pari ſtirpe ac paupertate. Quæ cum è proco ſuo ſcire cuperet, quibus mediis dignitatem & ſumtus matrimonii tolerare vellet, hic ſecreto de conſpiratione detegebat, ac brevi Regiam ſibi fortunam deſtinatam. Puella conſiliis

1648. filiis hiſce pertertita Olivario Regis intimo, hic Regi rem aperit: à quo juvenis iſte apprehenſus, & eculeo impoſitus de conſciis faſſus eſt, quorum multi in carcerem rapti ſunt. Aſt Oſnabrugenſibus optatum quidem fuerat, Hiſpanicam pacem pariter cum Germanica abſolvi poſſe, ne manente inter Gallos, Hiſpanosque bello ob viciniam, & implicitas Hiſpanorum cum Cæſare rationes Germaniæ quies detrimenti quid caperet. In iſtius tamen gratiam pacem Germanicam morari, neque Suecis, ac multo minus Ordinibus commodum erat; quibus firma ſtabat ſententia pacem Germanicam abſolvere etiam irrita Hiſpanica.

Ordines pacem Hiſpanicam non morantur.

Conventus Oſnabrugenſis Monaſterium ſe confert. 6. Septemb.

§. 184. Revertit inde Monaſterium Servientus, re hactenus bene geſta, quod Ordinibus Imperii nunc cauſam ipſius defendendi neceſſitas incumberet, quibus plus fidei, quam prioribus Mediatoribus adhibebat. Eodem diſceſſere & univerſi prope Ordines, cum prius ſolenni Deputatione apud Salvium Reginæ multo cum verborum honore gratias egiſſent, quod ſuis Legatis negotiationem cum Gallis moderandam injunxiſſet. Tum & ipſi & Servientus rogabant, mediationem deinceps quoque in Germanicis juxta, ac Hiſpanicis tractatibus continuaret. Indicabant quoque Cæſarei, Cæſarem juſſiſſe, ſtatim atque cum Regina transactum foret, Suecicos rogarent, ut circa abſolvendam Hiſpanicam pacem operam navarent. Quibus oſtendebat Salvius, à Regina ſibi, & Oxenſtiernæ idem mandatum. Quod cum Cæſarei gratum ſibi eſſe oſtendiſſent, itidem Monaſterium ſe conferebat.

4. Sept.

20. Sept.

Ordinum propoſitio ad Cæſareos. 28. Sept.

§. 185. Monaſterii mox ab Ordinibus negotio initium factum, ubi Cæſareos Legatos adiere Moguntinus, Colonienſis, Bavaricus, Saxonicus, Brandeburgicus, Bambergenſis, Bavaricus, Altenburgicus, Coburgicus, Vinarienſis, Luneburgicus, VVurtenbergicus, & ex Urbicis Lubecenſis, Noribergicus, Colmarienſis, & Lindavienſis. Omnium nomine verba faciebat Reigersbergius Cancellarius: Principes ſuos miſero Germaniæ ſtatu permotos ſibi injunxiſſe Gallicos tractatus Oſnabrugæ cum Serviento ſuſcipere, & quantum daretur maturare; haut quidem eo animo, ut Cæſareæ autoritati quid detrahant, ſed ut ejusdem ac Imperii, familiæque Auſtriacæ commoda obſervent, & promoveant. Et eousque negotiationem cum Serviento proceſſiſſe, ut formula pacis Gallicæ adornata, & obſignata apud Directorium depoſita ſit. Tum memorabat, quam circumſpecte à ſe actum ſit: quæ communia fuerint è Suecico Inſtrumento inſerta; Gallicam ſatisfactionem à Cæſareis ante hac conceſſam certis conditionibus circumſcriptam; caput de Aſſiſtentia ad Auream Bullam, Capitulationem Cæſaream, legesque & uſum Imperii attemperatum, reſervatis tamen Cæſaris ejusque Domus commodis. Rogare igitur, ut inter Servientum, & Ordines acta nomine Cæſaris probent, firmentque, ac quietem Imperio tam neceſſariam ne invideant; tum & Ordines, ipſiusque Cæſaris ditiones exitiabilis belli flammis eripiant. Simul declarationem ſuam ita maturent, ut cum utroque Regno concluſa ocyus effectui data univerſam Germaniam pace tantopere deſiderata recreent. Iſta propoſitio jam Oſnabrugæ concepta Reigersbergio de verbo recitanda præſcribebatur, ne forte omiſſis neceſſariis aliena infarciret. Quæ & mox ſcripto una cum exemplo Inſtrumenti Gallici Oſnabrugæ adornati Cæſareis exhibebatur.

§. 186. Volmarus adhæc cauſas repetebat, quare Cæſarei Oſnabrugam venire, ibique Gallicos tractatus ſuſcipere ex ipſorum perito non potuerint; addito, ſi ab initio ſtatim Monaſterium acceſſiſſent forte ante aliquot ſeptimanas rem confectam fuiſſe. Se tamen cum Collegis rem curatius expenſurum, ac cum mandatis ſuis collaturum, tum ſine mora ita ſe declaraturum, ut omnes re ipſa ſentiant, in Cæſare nil deſiderari eorum, quæ ad reducendam pacem faciant. Monebat deinde, Monaſterienſes ſæpius queſtos, ipſis inauditis negotiationem cum Suecis ſuſceptam, communicatione vel plane omiſſa, vel ſero facta, ac nulla ſuffragiorum ſuorum ratione habita, quin nec concluſi Inſtrumenti Succici copiam factam. Equidem Cæſarem Paci Succicæ, inſuper habita omni contradictione, inhærere. Juſſiſſe tamen Monaſterienſes haut ita ſimpliciter præteriri, ſed audiri, & ad illam ultro admittendam commoda ratione permoveri. Id quod Inſtrumento non communicato fieri à ſe nequeat. Igitur utrumque Inſtrumentum iſtis exhiberent, quo ſibi occaſio ſit iſtos hortandi, ut maturandæ paci omiſſis ſcrupulis cæterorum ſententiæ accedant. Quanquam autem quidam cenſerent, absque circuitione Cæſareis denuntiandum: Monaſterienſibus communicationem non niſi notitiæ cautâ faciendam, ac manſura, quæ concluſa ſint, ſive iſti conſentiant, ſeu minus: Moguntinus tamen iſtis omiſſis communicationem ſtatim pollicebatur, denuo rogitans, ut omnes pacis remoræ amoveantur.

1648. Hi Monaſterienſes tractationi admoveri volunt.

§. 197. Adornarunt inde Cæſarei Notas quasdam ad Inſtrumentum Gallicum, quas Chiſio, & Contareno Mediatoribus exhibuere, Serviento tradendas. Ordines quoque ad ſe evocarunt, reſponſum ad propoſitionem illorum reddituri, ipſorum arbitrio relinquentes, univerſi an per Deputatos adeſſe velint: addito tamen, Monaſterienſes utique ſimul adhibendos. Nam iſtis neglectis Ordines inter ſe diviſos adparituros, cum id potius agendum ſit, ut omnes iterum concordia coaleſcant. Id cum à Moguntino ad Ordines Oſnabrugenſes referretur, hi ab initio haut conſultum id ducebant, ne contradictionibus iſtorum negotiatio turbaretur. Sed cum Cæſarei poſtulata iterarent, ſaltem ne præteritis Auſtriacis Cæſareæ Domui ignominia interretur, ſi reliquorum nulla ratio habeatur; tandem placuit Monaſterienſes admitti duntaxat ad audiendum, nullo modo ad contradicendum, aut controvertendum. Alias ſatius viſum univerſos comparere, quam Deputatos, ut ſi quæ forte occurrant diſcuſſionem requirentia, citra moram expediri poſſint. Sequenti die univerſis Ordinibus Volmarus Collegarum nomine ſuper Inſtrumento Gallico ſententiam ſuam exponebat. Ac primo quidem ſuper omiſſo titulo Landgravii Alſatiæ querebatur, quo ipſi Galli ab initio in formula pacis ſuæ uſi fuerint, nec in transactione A. 1646. die 13. Septembris, ſed demum ſequenti anno controverſiam moverint: nec unquam eodem ſe, quod Servientus finxerit, ceſſiſſe. Idem quoque à ratione alienum eſſe, cum Cæſar utique Alſatiam in Gallum transferre nequeat, ni eam ipſe habeat. Id vero haut fieri, niſi dum executio pacis peragitur; eoque in antegreſſo Pacis Inſtrumento Cæſari iſtum titulum utique ſervandum. Quid deinceps circa eundem futurum ſit, ſuo loco relinqui; ubi Cæſar ita ſe ſit geſturus, ut paci inde remora ne injiciatur. Circa articulum primum notabatur, quod

Cæſareorum ſententia ſuper Inſtrumento Gallico. 14. Sept.

1648. inter Cæſaris fœderatos Rex cum Regno Hiſpaniæ excluſus ſit, cum Reginæ & Regni Succiæ expreſſa facta ſit mentio. Nam quæ Galli pro Succis poſtularint, ea Cæſari pro Hiſpanis negari non poſſe; eoque aut Hiſpaniæ quoque mentionem faciendam, aut Succiam prætereundam. E duobus pro Treverenſi poſtulatis unum à Cæſare conceſſum, alterum in ipſius poteſtate non eſſe. Negotia Imperium ſpectantia probabantur, uti & Gallica ſatisfactio; modo ut dies ſolutionis à tempore concluſæ Pacis cedere incipiat. Tantum circa caput de Aſſiſtentia mandato ſe defici excuſabant, quod ſerius ad Cæſarem relatum ſit, à quo paucos intra dies reſponſum expectent; quam moram Ordines æquo animo ferrent.

Ordinum reſponſum.

§. 188. Ad hæc Ordines conſultatione inter ſe habita per Reigersbergium reſponderunt: Cum graviſſimis de cauſis ad abſolvendos Oſnabrugæ tractatus moti ſint, ac ſolicite id egerint, ut omnia ad Leges Imperii componerentur, Cæſarisque commoda, quantum dabatur, obſervarentur: ſpem fuiſſe, rem ſine mora expediri poſſe; præſertim cum Legati Cæſaris nomine ſæpius teſtati ſint, nullo modo ipſum pacem ſufflaminaturum, modo ea legibus Imperii congruat. Eandem adhuc ſpem ſibi eſſe, Cæſarem ob exterorum negotia pacem non protracturum. Salvium oſtendiſſe, ni intra duodecim dies pax concludatur, ſibi utique diſcedendum eſſe. Nec Sueciam diutius in ſuſpenſo hærere, multo minus copias exautorare poſſe, ſed hiberna neceſſario continuanda. Id quod cum ſummo periculo ac damno Germaniæ ſit conjunctum. Sane materiam belli nullam ſupereſſe. Cæſareos jam dudum oſtendiſſe, ſi modo Monaſterium conferre ſe velint, intra paucos dies pacem confectum iri. Jam Oſnabrugæ omnia digeſta: univerſos Ordines heic adeſſe, jam ab inſtauratis tractatibus quatriduum elapſum. Unde concluſionem tanto magis expectari, quod Cæſarei ante biennium ſat amplis mandatis inſtructi fuerint, eoque mora opus non amplius ſit. In aprico eſſe ſummum periculum, quod Imperio, ac Domui Auſtriacæ immineat. Regios indies longius graſſari, ac Germaniam lacerare. Ut tamen Cæſareis gratificarentur, dilatio ad vicelimum uſque Septembris annuebatur: tunc ſpem eſſe, Cæſareos ita ſe declaraturos, ut citra moram pax ſequatur. Exhibitas Notas Ordinibus communicatum iri, non tamen ut ſuper illis amplius conſultetur: nam ex parte Ordinum, quæ Oſnabrugæ concluſa ſunt, utique manſura. Quod ſi Cæſarei aliud quid à Serviento, citra tamen pacis moram, per Mediatores obtinere queant, ſe non repugnare. Exiguam hanc moram Cæſarei grate acceptabant. Quid de notis ſuis acturi ſint Ordines ſuo loco relinquebant: ſperare tamen, ſi quæ Cæſarei per Mediatores obtinere queant, Ordines non ægre laturos. Declarationem Ordinum ſuper ſatisfactione Gallica Cæſaris menti conformem, qui & ipſis indicarit; ſi quid amplius Ordines in univerſum aut ſinguli circa illam ſatisfactionem in ſui emolumentum obtinere queant, id ſe lubente fieri. Ita congreſſus iſte finiebatur: in quo Oſnabrugenſis Officialis nomine Aichſtadienſis, Elvvangenſis, & aliorum, Adamus Adami nomine Corveiani & aliorum Prælatorum: denique Leuxelringius quarundam Urbium nomine non quidem his quæ dicebantur preſſe contradicebant, ſed tamen ſuorum jura modeſte reſervabant.

Ordines ad Regem

§. 189. Inter hanc moram ab Ordinibus literæ ad Regem Galliæ conceptæ ſunt; quibus oſtenſum, ſe quidem in alienationem trium Præſulatuum, Metenſis, Tullenſis, & Virodunenſis, ut & Alſatiæ, quantum ad Domum Auſtriacam ſpectarit, conſentire, eo tamen modo, uti illa à Cæſareis facta ſit; qui ſerio aſſeverent, ſe non plus, quam quæ Domus Auſtriacæ hactenus in Alſatia fuerint, & quæ Epiſcopi in dictis Epiſcopatibus poſſederint, in Galliam transferre voluiſſe aut potuiſſe, ad actorum fidem provocantes. Nec in ſua poteſtate eſſe aliis Statibus iſta adimere, quæ ipſi à ſe non acceperint, nec precario, ſed ſuo jure poſſideant. Idque Regem à ſe eo minus deſideraturum, quod ipſe ſæpius teſtatus ſit, ſe arma non ad oppreſſionem Imperii, Ordinumque, utpote Galliæ amicorum, & ex parte ſociorum, ſed potius ad libertatis ac jurium eorundem reparationem, & conſervationem arripuiſſe. Petere igitur, ut Ordinum declarationi, quæ Legibus Imperii, Ordinum juribus, Cæſareorum intentioni, ipſiusque ſæpius iteratis promiſſis ſit conformis, locum det, nec pactum ſatisfactionis adverſus illam extendi patiatur. 1648. Galliæ ſcribunt.

Ordinum Declaratio ſuper Gallica ſatisfactione.

§. 190. Huic epiſtolæ Ordinum Declaratio adjungebatur, quam propriis ipſorum verbis heic inſerere viſum. „ *Electorum, Principum, & Statuum* „ *Imperii Romani Legati conſentiunt, ut Articulus de* „ *ſatisfactione Gallicana Inſtrumento iisdem verbis in-* „ *ſeratur, quibus die 18. vel 21. Novembris A. 1647.* „ *Monaſterii formatus eſt, & eatenus Aſſecuratio-* „ *nem promittunt, ſi modo, ut declaravit Dn. Pleni-* „ *potentiarius Gallicus, cum Cæſarea Majeſtatis con-* „ *ſenſu, Chriſtianiſſimus Rex & Regnum Gallia Alſa-* „ *tiam cum Suntgovia & Prefectura Hagenoenſi, ſupre-* „ *mo ejus Dominio apud Imperium permanente, eadem* „ *forma, qua hactenus Archiduces Auſtria eam poſ-* „ *ſederunt, ab Imperatore & Imperio Romano tanquam* „ *feudum perpetuum & immediatum Landgraviatus* „ *titulo recognoſcat, & Domino Epiſcopo Baſileenſi circa* „ *Comitatum Ferretanum ſatisfiat. Fruatur autem in* „ *eo Chriſtianiſſimus Rex, ejuſque ſucceſſores Superio-* „ *ritatis & Territorii jure, omnibuſque Prærogativis,* „ *Exemtionibus, & Privilegiis, quibus Archiduces* „ *Auſtria, cum poſſederunt dictum Landgraviatum,* „ *ſunt gaviſi, & ad Comitia Imperii Romani titulo* „ *Landgraviorum Alſatia vocentur, atque votum* „ *ſeſſionem habeant: de quo, ut etiam, cui Circulo Im-* „ *perii Romani Alſatia in poſterum accenſeri debeat,* „ *proximis Comitiis convenietur. Cum præterea in Ar-* „ *ticulo de Satisfactione Gallica, & Ceſſionum formulis,* „ *quæ eo nomine exhiberi debent, nonnulla obſcurius po-* „ *ſita ſint, Regis vero Plenipotentiarii mentem Chri-* „ *ſtianiſſimi Regis ſemper ita explicarint, quod nullum* „ *prorſus Statibus Imperii Romani per Satisfactionem* „ *Gallicam præjudicium fieri debeat; idcirco Electo-* „ *rum, Principum, & Statuum Legati declarant, ne-* „ *que alia intentione neque ſenſu in ſupradictam ſatis-* „ *factionem & inſertionem conſentiunt, quam ut I.* „ *Chriſtianiſſimus Rex, Regnumque Gallia habeat &* „ *retineat quidem Supremum Dominium Epiſcopa-* „ *tuum Metenſis, Tullenſis, & Virodunenſis. Ve-* „ *rum illud, ut & Regia Juriſdictio exerceatur eatenus,* „ *quatenus exercita fuerunt ante hos motus, nec Juris* „ *Diœceſani, aut Feudalitatis, ſive ullo alio prætextu* „ *extendantur ultra ipſorum proprium Territorium in* „ *ea feuda, quæ Status Imperii, comprehenſa imme-* „ *diata Imperii Nobilitate, à dictis Epiſcopatibus re-* „ *cognoverunt, aut adhuc habent recognoſcenda. II.* „ *Quoties mentio fit in Articulo ſatisfactionis, vel Ceſ-* „ *ſionum literis ſuperioris & inferioris Alſatiæ, Sunt-* „ *govia, & Provincialis Prefectura Hagenoenſis, nihil*

1648. „*hil aliud eo nomine translatum & cessum intelligatur,* „*quam quæ ad Domum Austriacam spectaverunt, at-* „*que ab ea cedi potuerunt, nec cessio hæc ullum præju-* „*dicium afferat ullis Statuum, vel etiam Immediate* „*Nobilitati in sua libertate, & Immedietatis erga Im-* „*perium Romanum possessione, vel Juribus, & Bonis* „*ubicunque sitis. III. Ipsi Status Provinciales, Land-* „*sassii & subditi cessarum ditionum sua Jura, Previ-* „*legia, & possessiones, usum etiam atque exercitium* „*tam in Ecclesiasticis, quam Politicis juxta hanc pa-* „*cificationem retineant. IV. Qua in Sylva Nigra,* „*Ortenavia, vel alibi ad Domum Austriacam, vel* „*alios Status, vel etiam Nobilitatem immediatam, aut* „*quemvis mediatum pertinent, suum cuivis reddatur* „*ac restituatur. Osnabrugis 12. 22. Aug. An. 1648.* „*Cancellaria Moguntinensis.* Hæc declaratio una cum literis ad Durlaceni Agentem Lutetiam transmissa est: qui statim animadvertit, hoc negotium parum gratum fuisse. Sane Briennæ Comes, cum ab ipso accessum ad Reginam Regentem peteret, super capitibus declaratione contentis varias difficultates movebat, & Dux Longuevillius iisdem apud ipsum acriter contradicebat. Inprimis autem Avauxius acerbe ista cavillabatur: Suecos optimam Pomeraniæ partem, Bremensem, ac Verdensem Præfulatus, ac Meclenburgicæ portionem, quintuplo aut sextuplo totam Alsatiam pretio superantes, insuper quinque milliones pro militibus in satisfactionem accepisse; Gallos sola Alsatia, quantum ejus ad Domum Austriacam spectaverit, eoque parte duntaxat agrorum ejus Provinciæ contentos esse debere, solutis insuper aliquot millionibus. Salvium quoque de Gallia male meritum, concepta de Assistentia formula, per quam Hispanis facile sit post factam semel cum Gallis pacem novas belli causas ferere, ac Cæsarem, & quos possint Principes ad auxilia sibi ferenda permovere.

Cæsarei iterum dilationem quærunt. 22. Sept.

§. 191. Inde à Cæsareis Ordines iterum convocantur, quibus Volmarus exponebat: se ad relationem suam à Cæsare ante biduum responsum quidem obtinuisse, ex quo intellexerint, ad omnia capita sibi Cæsarem mandata dedisse; sed summam negotii characteribus numerorum conscriptam fuisse, quibus solvendis se integrum diem noctemque frustra desudasse, clavibus diversis, quas adhibuerit haut quadrantibus: id quod sibi, quoad vixerit, non contigerit, etsi in hac re exercitatissimo, & qui sæpe numeros absque clave solverit. Cum igitur nullo modo mentem Cæsaris indagare potuerit, constituisse peculiari cursore rem ad Cæsarem referre. Rogare igitur Ordines, objecto tam inopino impedimento tamdiu conclusionem differant, quoad aliud responsum à Cæsare adferri possit; ad quod minimum viginti dies requirantur. Et ne suspicentur ista hæc gratis fingi, per omnia sacra testabantur, rem ita se habere; quo fine & Moguntino Cæsareas literas numerorum notis conceptas ostendebant, queis Cæsaris responsum contineri ferebant. Enimvero ista plerisque absurde fingi videbantur, & variis sermonibus, ac judiciis agitabantur, Bavaricis præcipue inanes prætextus increpantibus, ac Sabaudo cavillante; à Nuntio Apostolico clavem Petri commodato sumerent, quæ omnia aperire possit.

Ordinum declaratio.

§. 192. Istud postulatum Ordines statim inter se expenderunt, ac eadem die responderunt: Intolerandum plane esse, tantam rem, in qua salus, aut interitus patriæ vertatur, tam negligenter agi, tantisque moris implicari: per quas facile pax è manibus amitti, ac per novos bellorum casus patria tantis calamitatibus involvi queat, unde nullo remedio iterum extrahi possit. Igitur Ordines obligatione sua erga Imperium urgeri, ut ad idem pacandum incumbant; cum præsertim ne minima causa superfit, quare vel momento diutius in bello hæreant. Eoque rogare Cæsareos, ne rem diutius extrahant, sed una cum ipsis sub spe ratificationis Cæsareæ cum Regiis pacem concludant. Id ni fiat, Ordines haut diutius expectaturos, sed cum Regibus pacem inituros, quo hostilia cessent, nec Imperium diutius lacceretur. Velle tamen ista conclusione Cæsarem, ejusque Domum comprehendere; nec putare circa ratificationem difficultatis quid motum iri, cum in utroque Instrumento Cæsareis commodis idonee sit cautum. Rogabant inde Cæsarei, saltem ad vicesimum sextum Septembris expectarent, quo Cæsarea declaratio absque cifris adventura speretur. Id ubi non fiat, nec sibi vel simpliciter vel sub spe rati concludere liceat, non recusare, quo minus Ordines cum Regiis pacem firment. Interea grato animo accipere, quod Cæsareæ Domus tam fidelem curam gerant. Ordines post breve colloquium tandem in hunc terminum velut extremum consentiunt, addito tamen: ni dicta die perspicua Cæsaris declaratio adsit, se conclusionem ne horæ quidem spatio amplius dilaturos.

Cæsarea demum declaratio exprimitur.

§. 193. Sed Cæsarei eam diem anticipabant, causati, cum Ordines tam acriter responsum exegerint, se denuo literas Cæsareas numerorum notis descriptas excussisse, in quibus Volmarus tantopere desudarit, ut demum Cæsaris mentem ex iis perceperit. Eum omnia à se relata, tum à Bavaro isto nomine scripta probe expendisse; ac Ordinum sententiæ circa pacem Gallicam plane accedere, etsi nondum constiterit, quid circa controversa capita de Lotharingia, Burgundia, & Auxiliis convenerit. Movebantur tamen ab iisdem scrupuli: Num secuta subscriptione satis cautum sit, ratificationes Regum, & effectum pacis certo secuturum? Eoque Electoralibus solis vel- 25. Sept.
lut intimis Cæsaris Consiliariis in antecessum tres quæstiones proponebant. Quarum prima erat, num subscriptionem pax certo secutura sit? Quod Salvius & Monasterii & Osnabrugæ jactasse dicatur; se conventis haut ita presse inhæsurum, sed conditionem Sueciæ meliorem redditurum. Tum & Oxenstiernam nunc abesse, cujus subscriptio necessaria est. Et subscriptione licet facta constare debere, ratificationem utique secuturam. Cæsarem quippe probato Gallico Instrumento magnam apud Hispanos offensam incurrisse, quos fida sibi amicitia junctos destituerit. Unde nosse cupere, quid sibi faciendum, si Galli cum Ordinibus conventa servare noluerint? Præterea quæ circa auxilia aliis ferenda sint disposita, à Cæsare non repudiari: cui tamen non minus quam aliis Ordinibus liberum sit futurum, fœdera cum extraneis inire, nec deterioris hoc conditionis ipsum quam reliquos fore. Tum pleniore declaratione opus esse, quid circa conducendum aut exautorandum militem sit observandum. Nam uti fama ferat, Gallos statim post conclusam pacem Suecicas, & Bavaricas copias sibi adjuncturos; ita Hispanos circa Austriacum, & VVestphalicum militem idem facturos, quibus non minus, quam Gallis, juris indulgeri par sit. Denique quid agendum, si Hispani cessionem Alsatiæ exhibere nolint, quoad pax cum Gallis perfecta sit; aut contra Gallia ratificationem differat, simul occupata loca restituere, & pro Alsatia promissam pecu-

y Google

1648. niam ſolvere abnuat, quoad ceſſionem iſtam nacta fuerit? Ad hæc Electorales repoſuere; id ſibi ſemper fundamenti loco habitum, conventis ſtandum eſſe; eoque haut conſultum ſibi videri, ultro dubitationes movere, ne exinde adverſa pars anſam arripiat quid novandi, ſed potius ſubſcriptionem urgendam eſſe. Circa Aſſiſtentiam non plus Cæſari quam Ordinibus detractum. Satius tamen eſſe, nunc quidem nihil extenſionis heic facere, aut ad ſingularia deſcendere, ſed formulæ laxis verbis conceptæ inhærere. Denique Articulo primo, *ſit pax Chriſtiana*, Regis Hiſpaniæ certo modo & reſpectu Imperii mentionem faciendam, eumque paci Germaniæ includendum præſertim cum peculiaris clauſula de Circulo Burgundico in Articulo de Aſſiſtentia contineatur, & jam antea à Gallis in prima, quæ concipiebatur, formula ejus mentio facta fuerit; quæ autem ab Ordinibus ideo inducenda ſit, quod vereantur, ne Germanica pax ab Hiſpanica velut à conditione ſuſpendatur. Si igitur ita ponatur, *Sit pax Chriſtiana inter Imperatorem, Regem Catholicum & Chriſtianiſſimum in Imperio*, nihil cauſæ eſſe, quare is ceſſionem Alſatiæ abnuat. Gallum quoque generali guarantia contentum promiſſam pecuniam ſolvere haut dubitaturum. Quanquam autem Cæſarei diſtinctam magis declarationem cupiebant circa Articulum Aſſiſtentiæ; Electorales tamen negabant, Servientum, & reliquos Ordines ullam heic mutationem admiſſuros. Unde & Cæſarei demum adquieſcebant. Porro ſuſpicio erat hiſce quæſtionibus Cæſareos novam remoram
ad. Sept. pacis concluſioni voluiſſe injicere; qui conatus cum inanis adpareret, poſtera die, cum apud univerſos Ordines declarationem ſuam proponerent, iſtis quæſtionibus omiſſis id ſolum denuntiabant; Cæſarem uti ante hac Succicum, ita & nuper Gallicum Inſtrumentum Oſnabrugæ adornatum per omnia non ſolum probaſſe, ſed & ſibi injunxiſſe id ocyus ſolenni ſubſcriptione firmare. Eamque Cæſaris mentem ſe jam Serviento per ſequeſtres, ne plane negligi videantur, ſignificaſſe.

Subſcriptioni mora injicitur ab Hiſpanis.

§. 194. Enimvero quo minus pax ſtatim ſubſcriptione abſolveretur, Hiſpani moram injicere conabantur. Salvius, dum Ordines ſuper Germanica pace cum Cæſareis ſatagunt, de Hiſpanica ſemel atque iterum congreſſus habuerat; in quibus etſi fundamenta compoſitionis poſita viderentur, haut pauca tamen reſtabant non ita brevi expedienda. Propoſuerat Servientus de Arteſia: ad quod & Brunus reſponderat. Sed cum in rem præſentem veniendum eſſet, huic idonea mandata decrant: unde à Pegneranda literæ primum expectanda erant. Interea is Germanicam pacem tam apud Ordines, quam Cæſareos remorari ſummopere laborabat, illam Hiſpanicæ ita impliciturus, ut una absque altera ad finem perduci non poſſet. Adferebantur variæ rationes, ſpargebantur minæ. Hiſpanos haut credidiſſe in ſui fraudem aliquid Oſnabrugæ concluſum iri, ſed rem Monaſterium fuiſſe remittendam, aut ſaltem certum ſibi tempus præfigendum, uti Galliæ à Belgis factum, intra quod Regis ſui negotia expedirentur. His tractatibus utique communem pacem propoſitam. Regem Hiſpaniæ, qui intuitu Burgundiæ Imperii ſit membrum, Cæſarisque ſocius, quovis momento ad pacem cum Gallis concludendam paratum. Quo neglecto ſi Ordines ad pacem ruant, non ſolum ſpe quietis eoſdem fruſtrandos, ſed & majoribus turbis implicandos. Hiſpanum hac ratione in ceſſionem Alſatiæ non conſenſurum, nec præſidia Franckendalia, & aliis Germaniæ locis deducturum. Sed & apud Salvium idem inſtabat, ut ſaltem per quatuordecim dies concluſio adhuc differatur; interim tentetur, num pax inter Hiſpaniam & Galliam coalescere poſſit. Sane mereri Hiſpaniam, ut tantillum tempus ipſi non invideatur. 1648.

Illorum nulla ratio habetur.

§. 195. Enimvero Salvius Ordines Imperii obtendebat, in horas, ſibi inſtantes, ut paci colophonem imponat. Pollicebatur tamen, dum ratificationes adferuntur, operam ſe navaturum Hiſpanicæ paci conficiendæ. Ex Ordinibus prout cuique animi firmitas erat, Hiſpano reſpondebat. Cum Serviento ſe palam & juxta leges Imperii tractaſſe, ac liberum fuiſſe Bruno nomine Regis ſui velut Burgundiæ Ducis Oſnabrugam accedere, ac ſententiam de Imperii negotiis dicere. Se controverſiis ipſius cum Gallia miſceri nolle. Optare, ut & Hiſpanica pace plena quies Orbi Chriſtiano reddatur: cæterum morari eam nolle. Germaniæ, ni extraneo dominatu ſubjugari velit, pace ſummopere opus eſſe; nec res ſuas ferre, concluſionem inter Hiſpanos & Gallos expectare, cum nondum conſtet, num utrique pax cordi ſit. Duram Germaniæ conditionem fore, ſi ipſa pace gaudere nequeat, ni exteris id Regibus placeat, à quibus illa non dependeat, ſed qui diverſis finibus contineantur, diverſis legibus ac moribus regantur. Pace Germanica perfecta Ordines omni ſtudio incubituros, ut duobus præpotentibus Regibus conciliatis Chriſtianus orbis belli malis plane liberetur, ac Turcæ tanto majoribus viribus occurri queat. Cæſarei oſtendebant; Cæſarem urgentibus Ordinibus, & ob periculum, ne forte iſti plane in Regiorum partes tranſirent, concluſionem pacis defugere non potuiſſe. Domui Auſtriacæ hac pace nil damni inferri. Per eam quippe liberari Bohemiam, Moraviam, Sileſiam; præverti rebellionem Auſtriæ ſupra Anaſſum; Bavarum in Cæſareis partibus retineri. Hujus Legatos ante paucos dies ſibi denuntiaſſe, ne Hiſpanica negotia Germanicis præferre, aut invicem implicare audeant. Electorem ipſum Cæſari per literas mala Germaniæ demonſtraſſe, & ne per Hiſpanos bellum extrahi patiatur rogaſſe: alias Ordinibus conſilium capiendum, Cæſari, Domuique ipſius ac poſteris oppido quam periculoſum. Huc ſi res redeat, facile adparere, quam faciem bellum induiturum ſit. Inprimis §. *Tandem omnes* retractatum iri, hac Bohemiam, aliasque Cæſaris ditiones longe periculoſiore, quam unquam antea, ſtatu involvendas. Forte habere Hiſpanos rationes, quare pacem cum Gallis nunc adſpernentur; quas quidem damnare nolint, ſed id potius acturi ſint, ut Hiſpani, ſi non aperte, tamen tecte Cæſaris auxilio fruantur. Id quod tutius & commodius futurum ſit, ſi Suecia hac pace prius exarmetur, ac Germanico exautorato indigenam militem in patriam reduxerit. Nam Ordines Imperii belli pertæſos neutri parti acceſſuros. Et quia Galli loca aliquot ad Rhenum præſidiis teneant, Hiſpanos iſtis, ut eadem deducere dubitent, anſam præbere poſſe detenta Franckendalia: ſuper quibus dum iſti inter ſe diſceptant, executionem pacis Ordinum ſtudio perficiendam. Interim adpariturum, num magis è re ſit Hiſpanis pacem inire, quam bellum alere, deinceps forte majore vi quam antea perſequendum. His rationibus Brunus adquiescebat, ac rem tempori commendabat. Quanquam & pacem remorari penes ipſum non erat, præſertim cum Servientus probato

1648. bato Bruni procuratorio ad concludendum cum ipſo paratus teſtaretur: Osnabrugæ acta hautquidquam tangenda, aut Hiſpanico negotio immiſcenda, ſed utramq; pacem, quæ nil commune inter ſe habeat, ſeparatim concludendam.

De ſubſcriptione Ordinum.

§. 196. Porro Regii ad pleniorem pacis firmitatem neceſſarium duxerant, non ſolum partes bellantes, ſed & Imperii Ordines ſubſcribere. Qui & ipſi tam ſolennem actum adimi ſibi nolebant. Sed quia omnes Ordines adhiberi longum ac operoſum futurum erat, placebat ſubſcriptionem ab extraordinaria Deputatione nomine omnium fieri: ut tamen aliorum Ordinum legatis ſimul ſubſcribere, ac Principum ſuorum ratificationes exhibere liberum foret. Tum ut cæteri omnes non minus ad obſervanda & tuenda conventa tenerentur, quam ſi ipſi ſubſcripſiſſent; nec à Directorio ullæ proteſtationes aut contradictiones admitterentur. Denique ut ne tituli aut loca, quæ hinc inde in Tabulis Pacis Ordinibus tribuerentur, illis in poſterum præjudicio cederent. Quam in rem ab Ordinibus decretum conditum eſt.

3. Oct.

Aliqua mora ab Oxenſtierna. 22. Sept.

§. 197. Sed & aliqua mora ex Oxenſtiernæ abſentia naſcebatur, cujus velut primarii Legati ſubſcriptionem Cæſarei neceſſariam judicabant. Is Oſnabrugam revertius haut ſatis probabat, à Salvio in obſignationem & depoſitionem Inſtrumenti fuiſſe conſenſum, cum nonnulla adhuc in Oſnabrugenſi negotiatione ſupereſſent, quæ poſturam deſiderarent. Quanquam enim Salvius ſibi receperat iſta prius expedienda: judicabat tamen ille, id nunc longe difficilius proceſſurum, quam depoſitione, quoad iſta perfecta forent, dilata, præſertim cum conventum fuiſſet nihil addendum amplius, demendumve. Sed & initio decreverat potius Oſnabrugæ ſubſiſtere, ac Ordines paulatim eodem retrahere. Id quod Ordines initio ſubſcriptioni nil impedimenti allaturum rebantur, quod ipſi una cum Cæſareis, & Salvio Monaſterii ſubſcribere, ac poſt Oxenſtiernæ Inſtrumentum Oſnabrugam ad ſubſcribendum per nonnullos ex Ordinibus transmittere vellent. Pertendebant tamen Cæſarei, ſolennem ſubſcriptionem eodem tempore ab omnibus Legatis fieri debere; neque ſufficere Salvium ſubſcribere, & pro Oxenſtierna ſpatium relinqui, ſed & hujus præſentia opus eſſe. Unde idem literis univerſorum Ordinum, & Caſſellanorum Servientique, & ipſius Salvii, ut Monaſterium ſe conferret, invitabatur. Contra Oxenſtiernæ ſubſcriptio haut tantopere feſtinanda videbatur, quod ea nunc facta executionis dies media hieme ceſſura erat; quo tempore indigena miles in Sueciam trajici non poterat; ac ſi idem ad vernam usque tempeſtatem Ordinum terris incumberet, novis querimoniis anſam præbiturus, in provincias autem Succicas deductus eas plane exhauſturus erat. Unde Monaſterium quidem proficiſci ſtatuerat, non tamen ut ſubſcriptionem perficeret, ſed duntaxat de loco & modo ejusdem conveniret. Ipſe quippe haut è dignitate Reginæ ducebat, cum ſuper legibus pacis Oſnabrugæ ab initio cum Cæſareis actum ſit, concluſionem nunc Monaſterium transferri, ubi & colliſiones cum Gallis occurrere poſſent. Et cum alti conviviis ac iguibus, diſploſionibusque feſtivitatem illam celebraturi eſſent, Succis nunc Monaſterii velut in alieno loco publica lætitia ſilentio transeunda

De loco ſubſcriptionis.

4 Oct. erat. Sed cum Monaſterium perveniſſet, à Cæſareis, Ordinibus, Serviento, Salvio ita acriter oppugnabatur, ut demum omnium petitis manus dare cogeretur.

1648. Nonnulla adhuc emendantur.

§. 198. Inter quæ nonnullæ difficultates ſubnaſcebantur, velut quod Cæſarei clauſulam *Quatenus*, Haſſicæ cautæ inſeruerant, cui ab his acriter contradictum, eandemque ne admitterent Regina ſuis injunxerat; quæ ut deleretur conniten-tibus ſimul Ordinibus obtentum. Præterea quia inter Cæſareos, & Regios dudum convenerat, ne cujus Electoris aut Principis titulus integer Tabulis Pacis exprimeretur, in articulo de cauſa Haſſica §. *Quod controverſias*, in titulo Erneſti Ducis Saxoniæ verba, *Juliæ, Clivia & Montium*, Brandeburgicorum monitu omittebantur. Quod cum Domus Saxonica ægre ferret, placuit poſt vocem *Caſſellis* totam clauſulam *interventu Domini Erneſti, Saxoniæ, Juliæ, Clivia & Montium Ducis* induci, quod etiam absque hac ſenſus ſibi conſtaret. In Gallico inſtrumento Servientus nullo modo ferre volebat, Regis Hiſpaniæ, aut Ducis Lotharingiæ, præſertim cum titulo Adhærentis Cæſarei nominatim mentionem fieri. Nam illum adhuc bello cum Gallia implicitum; nec Galliæ Regem alium præter ſe ipſum Lotharingiæ Ducem agnoſcere. Circa quod cum Ordines reluctari ipſi nollent, ejus poſtulato ſatisfiebat. Quia etiam inter eos, qui ſub finem Inſtrumenti ab una aut altera parte paci includendi forent, ſuper Luſitaniæ Rege, quem Galli nominaverant, nonnihil difficultatis oriebatur, conventum, ut utraque pars denominationem illorum Regum & Principum ad textum usque menſem à permutata ratificatione differret. Honori tamen Reipubl. Venetæ, quæ paci huic conciliandæ operam ſuam interpoſuerat, datum, ut ejus nomen exprimeretur. Servientus quoq; pro Ducibus Sabaudiæ, & Mutinæ à Cæſareis hanc declarationem obtinebat, ut pro Gallis in Italia arrepta arma ipſis fraudi ne forent. In cauſa Palatina Servientus clauſulam de Catholicorum ſacrorum exercitio in Palatinatu Inferiore induci patiebatur. In articulo quoque de ſatisfactione relinquebatur, ut ceſſio Alſatiæ, & quæ inde dependent, allodialiter & citra exceptionem fieret; etſi placebat inter concluſam & ratificandam Pacem agendum, quo ſub titulo Gallia illam retinere debeat.

Landgraviæ poſtulata. 29. Sept.

§. 199. Denique cum jam omnia transacta crederent Ordines, à Regiis quædam haut exigui momenti proponebantur, quæ decidi cupiebant, antequam ad ſubſcriptionem accederent. Inter quæ Landgraviæ poſtulata à Regiis magno ſtudio fovebantur. E quibus in abolitionem clauſulæ *Quatenus* jam conſenſum erat. Contributiones quoque alendis ad exautorationem usque copiis certo modo annuebantur. Sed ut ad ſatisfactionem militiæ Haſſicæ pecuniarum quid conferretur, præter promiſſa ſexcenta uncialium millia id nullo modo pati volebant Ordines. Ex iſta ſumma ipſius militi abunde ſatisfieri poſſe. Quo tempore cum Moguntino tractabat, vel quinquaginta millibus aut minore ſumma adquieturam fuiſſe, ſi qui daret tunc inventus foret. Contumelioſum eſſe, civi ſuæ tributarios reddi, tantis emolumentis jam mactatæ. Quin impetu quodam renitebantur, malum Landgraviæ minati, ni poſtulatis deſiſteret, ſic ut Regiis ob iſtam cauſam univerſos offendere inconſultum videretur. Equidem proponebant Sueci, ut ipſius ditio ſaltem à ſatisfactione militiæ Succicæ immunis eſſet, idque in proprii militis exautorationem impenderetur. Sed renuebant Ordines; ſi pace frui velit, eodem quo aliis pretio hanc ipſi redimendam.

1648. Quod ſi Regina eam ſummam condonare iſti velit, ſe non repugnare. Tandem cum oſtenderetur, Landgraviam quantumvis velit, militem dimittere haut valituram, deficiente argento, ni
14. Oct. eidem ſubveniatur, demum placebat; Haſſicæ ſatisfactioni deſtinatis Ordinibus perſuadendum, ut de promiſſis ſexcentis uncialium millibus centum millia in anteceſſum exſolvant: tum ſpes facta, centum uncialium millia de futuris Imperii contributionibus Caſtellanæ Domui remittenda.

De ceſſione Alſatiæ. §. 200. Servientus quoque antequam ad ſubſcribendum accederet, renuntiationem ſibi Alſatiæ exhiberi poſtulabat, quam Cæſar non pro ſe tantum ſed & pro Archiduce Oenipontano, & Hiſpaniæ Rege pollicitus fuerat. Quarum nulla ad manum erat. Declarabant tamen Cæſarei, à Cæſare & Archiduce illam ſe juſto tempore una cum ratificatione curaturos: interim eo nomine ſcriptam cautionem apud Mediatores depoſituros, ſi viciſſim Servientus obligationem de pecuniis pro Alſatia ſolvendis exhibeat. Servientus ægre huc deſcendebat, Cæſareis objiciens, olim eos jactaſſe, ceſſionum formulas jam adeſſe; ſaltem cum tractatus ad finem vergere conſpexiſſent, de illis mittendis monere potuiſſe. Tandem tamen placuit, ceſſionem tantiſper Legatorum Cæſareorum ſubſcriptione firmari, cui eadem efficacia ineſſe debeat, ac ſi ab ipſo Cæſare facta ſit. Sed ſuper Hiſpanica ceſſione major difficultas ſurgebat. Regis quippe Hiſpaniæ conſenſum, & factum à Cæſare præſtari non poſſe; nec ſperandum iſtum eſſe, antequam pax cum Gallia coaluerit. Quanquam autem Ordines judicarent, uti Succi adquieſcant iis, quæ pace continentur, & ante ratificationem neque Cæſaris neque Brandeburgici diploma deſiderent, ita & Serviento cousque expectandum eſſe: tamen hic eam moram plane adſpernabatur. Unde ne paci remora injiceretur, Ordinibus æquipollens cautio diſpicienda erat. Equidem Cæſareis placebat, Gallos tantiſper quatuor Urbes Sylveſtres, & tres florenorum millones retinere quoad Cæſar promiſſa expleviſſet: Sed Servientus noſſe cupiebat, quid expectandum ſibi ſit, ſi Gallis ſuper Alſatia ab Hiſpano controverſia moveatur? Unde nihil ſupererat, quam ut Ordines cautionem ſuam interponerent, cujus duæ formulæ concipiebantur, quæ ipſorum nomine loco Hiſpanici conſenſus ceſſioni Alſatiæ ſint inſerendæ: earum una communis erat, altera peculiaris ad Hiſpaniam nominatim directa. Cenſebant Ordines generalem evictionem fide publica nixam Galliæ ſat cautionis præſtare. Sed ad peculiarem ægre deſcendebant, quod hoc modo in partes tranſire viderentur, operaque eorum deinceps circa conciliandam inter Gallos & Hiſpanos pacem ſuſpecta, & inutilis redderetur. Ac demonſtrabant Cæſarei, hac ratione Ordines facile novo bello cum Hiſpanis implicari poſſe; hoc ipſo Hiſpanos graviter offendendos, velut indictione belli facta. Sed Servientus contendebat; amplius quid ſibi in Satisfactionis Articulo præter generalem guarantiam promiſſum. Ordines contra & hanc ſufficere ferebant, ac Gallos in poſſeſſione conſtitutos ceſſionem Cæſaris, ac beneficium retentionis obtinere: contra prætenſionem Hiſpanicam in Alſatiam non jus in re, ſed meram ſpem eſſe, quæ forte nunquam effectum ſortitura ſit, eoque hanc non ita ſolicite curandam. Unde cum ſpecialis guarantia non plus contineat, quam generalis, ante ratificationem autem hujus occaſione obligationem ſuſcipere odioſum ſit, Servientum ut generali adquieſceret, rogabant. Sed cum hic iſta omnia adſpernaretur, & tandem curſorem in Galliam miſſurum ſe oſtenderet, ad cujus reditum ſubſcriptio differenda ſit; Ordines dilationis iſtius impatientes demum in ſpecialem evictionem conſenſere. Qua contentus Servien- 4. Oct.
tus ſubſcriptioni ſe paratum oſtendebat. Idem quoque circa evacuationem locorum ab Hiſpanis occupatorum, ac inprimis Franckendaliæ, generali guarantia adquieſcebat, quam Ordines oſtendebant illos omnes ſpectare, qui paci ejusque executioni ſe oppoſituri ſint. Super Comitatu Pfirtenſi, de quo Auſtriacis diſponendi poteſtatem haut competere Baſileenſis præſul tradebat, Cæſaris cautionem accipiebat. Ita Gallicum Inſtru- 5. Oct.
mentum plene adornabatur; id quod Ordinibus anſam præbebat tanto acrius Succos ad ſubſcribendum urgendi. Et cum hactenus Succi pacem longe majori ſtudio, quam Galli promovere viſi eſſent, jam Servientus abſolutis prius ſuis negotiis ſeſe Ordinibus venditabat, conviviis inſuper aliaque ratione illorum favorem aucupatus.

Succorum ante ſubſcriptionem poſtulata: De §. Tandem omnes. §. 201. Inter Succica negotia, quæ ante ſubſcriptionem expedienda erant, primo loco occurrebat §. *Tandem omnes*. & Cæſarei provinciales, pro quibus per literas apud Cæſarem interceſſuros ſe promiſerant Ordines, ac ut ejus paragraphi verba paulo mollius conciperentur, ne Succi militum ſuorum cauſam damnaſſe viderentur: quæ literæ nondum expeditæ fuerant. Iſtorum cauſam Succici duces Legatis per literas diligenter commendarant: unde his anſa arripiebatur tentandi, num iſtis lautiores conditiones, quam formula pacis ferebat, florentibus nunc Succorum armis obtinere poſſint: præſertim cum omnibus perſuaſum foret, Cæſareos, ſi par belli fortuna ipſis arriſiſſet, conventis haut fuiſſe ſtaturos. Id tamen non aperte proponebatur, ſed tantum per ambages, quid Cæſareis animi foret, tentabatur. Aſt illi conventis immoti inhærebant, ne id quidem annuentes, ut quoad ratificatio adferretur, ſuper mitiore Cæſaris ſententia obtinenda ſcriberetur. Ordines quoque ut conventa Osnabrugæ perſiſterent, contendebant; literis ad Cæſarem datis petebant, ut iisdem mollius conſuleretur.

De vectigali Oldenburgico. §. 202. Sed & ſuper vectigali Oldenburgico nonnihil movebatur, adverſus quod Bremenſis urbs apud Directorium Moguntinum proteſtationem interponebat, quæ famoſi libelli loco habita ablegato urbis reddebatur. Inde ab Electoralibus 20. Aug.
literæ ad Bremenſes dantur, quibus ipſos ut publico decreto pareant monent; quod ſi tamen cum Comite idonea ratione decidere velint, operam ſe ſuam perficiendo negotio accommodaturos. Sed urbs proteſtatione iterata inficiari, Comiti jus vectigalis exigendi competere, ac ejusdem redemtionem adſpernari. Quod ſi tamen amicitiæ inſtaurandæ cauſa Comes transactionem inire velit, ei ſe paratam fore. Cæterum Succi non alia conditione conſenſerant, ut de iſto vectigali Tabulis pacis inſereretur, quam ut amica tractatio ſuper eodem ſuſciperetur, cujus initium nondum factum erat. Igitur ne ideo ſubſcriptio differretur, placuit, utramque partem literis moneri, ut intra tempus ratificationi exhibendæ deſignatum amicos tractatus inſtituant.

Atteſtatum de Bremenſi urbe. §. 203. Cupiebant quoque Succi atteſtatum, quod ſibi ſtipulati fuerant, ne à Bremenſi urbe durante bello uſurpata jura Reginæ fraudi forent, ipſi Inſtrumento inſeri; quod alias iſtiusmodi atteſtatis

1648. taſtatis par vis cum ipſis pacis capitibus eſſe debeat. Sed cum Cæſarei nullam plane mutationem admittere vellent, ab Ordinibus formula atteſtati concipiebatur; qua à Suecis rejecta, alia aprabatur, è qua Sueci clauſulam, *ſalvo tamen privilegio immedietatis* delebant. Et quanquam Ordines oſtenderent, ſe urbi circa poſſeſſionem immedietatis præjudicare non poſſe: Sueci tamen eam hautquidquam agnoſcebant, quod poſſeſſio illa immedietatis ſæpe in controverſiam vocata ſit. De qua tamen in præſens litem non moveant, ſed de illis duntaxat, quæ urbs durante bello uſurparit. Sed nec legitimæ poſſeſſionis mentionem fecerant Ordines, de qua interere neceſſarium Suecis videbatur. In hanc igitur formam Suecis atteſtatum à Cancellaria Moguntina exhibitum: „*Paragrapho tertio ſatisfactionis Suecicæ inſerta ſunt ſequentia. Civitati vero Bremenſi, ejuſque territorio & ſubditis præſens ſuus ſtatus, libertas, jura, & privilegia in Eccleſiaſticis & Politicis ſine impetitione relinquantur. Si qua autem ipſi cum Epiſcopatu ſeu Ducatu, aut Capitulis ſint, aut in poſterum enaſcantur controverſiæ, ea vel componantur amicabiliter, vel jure terminentur, ſalva interim cuique parti ſua quam obtinet poſſeſſione. Quæ quidem verborum formula prout concepta eſt, ita ſine mutatione in Inſtrumento Pacis relinquitur. Quia tamen nuper intellectum eſt, eam in ambiguos trahi ſenſus, idcirco, ut in futurum, quantum fieri poteſt, ambiguitati & litibus anſa præcidatur, Legatio Suecica hoc modo ſe eam intellexiſſe ſemper conteſtata eſt: I. quidem, ut per Territorium & ſubditos non intelligi debeat Jus Territoriale, aut territorium & ſubditi præfecturarum Civitatis procul ab Urbe in Ducatu Bremenſi ſitarum, ſed territorium, ſeu fundus & ſubditi ſolius urbis Bremenſis urbique immediate circumjectorum pagorum, dictas autem præfecturas cum ſuis ſubditis eo ſtatu fore, quo ante hos motus fuerunt; deinde II. Ut per præſentem Civitatis ſtatum intelligi debeat is, qui fuerat tempore tractatus pacis inchoati, non autem is, qui eſt tempore ſubſcriptæ & ratihabitæ pacis, quo intervallo multa de facto immutata perhibentur. Poſſeſſio enim legitima ejus temporis, quo dicti tractatus inchoati fuerunt, extra controverſiam maneat. Quæ quidem explicatio coram Imperii Deputatis non ſemel, ſed iterato facta, cum legatio Suecica poſtulavit, ut protocollis inſereretur, inſertam eſſe, teſtatur Monaſterii Weſtphalorum 15. 5. Octobris Anno 1644. Cancellaria Moguntina.*“ 5. Octobr.

De Pirmonda. §. 204. Super Pirmonda quoque à Moguntinis atteſtatum exhibebatur, quod cum VValdeccæ Comites in ejus poſſeſſionem durantibus hiſce tractatibus pervenerint, ſuperfluum ſit viſum, de ea in Tabulis Pacis mentionem fieri. Nec eo minus ipſos communi Amneſtiæ lege contineri, nec in poſſeſſione usque ad judicialem deciſionem poſſeſſorii turbandos; ſalva tamen Paderbornenſis Epiſcopi & Epiſcopatus jure atque actione.

De Erfordia. §. 205. Pro Erfordia quoque Sueci atteſtatum exigebant, ipſius ante bellum poſſeſſa jura integra manſura, nec fraudi fore, ejusdem mentionem hiſce pacis tabulis haut factam. Id quod, ſummopere licet contendentibus Suecis, Cæſarei abnuebant, ſupervacuum id dictitantes, cum ejus urbis potiſſimum reſpectu articulo de Executione clauſula, *Nulli autem Civitati*, inſerta ſit.

De civitatibus prætextis. §. 206. In articulo de Amneſtia paragrapho *Debita*, prioribus formulis Cron-VVeiſſenburgi, & Oſnabrugæ, & in §. *Sententiæ*, poſt verba, *niſi proceſſus vitium & defectus manifeſto pateat*, Spiræ mentio facta fuerat. Quarum urbium nomina cum poſt dispuncta forent, metus illas ſubibat, ne diſpoſitione dictorum paragraphorum fraudarentur. Quibus oſtentum, diſpoſitionem ipſam etiam citra exemplorum allegationem ſatis perſpicuam, ac iisdem tanto magis caveri, quod exordio dicti Articuli ſanciatur, eos qui diſerte nominati non ſint, haut ideo pro omiſſis habendos: quo fine è protocollis atteſtatum illis traditum eſt. 1648. 8. Octobr.

De exercituum hoſpitiis. §. 207. Super ſtativis exercituum intervallo concluſæ & ratificandæ pacis Sueci prius tranſigendum centebant; quod inter exercitus armiſtitium non prius iniri queat, quam conſtet, quæ regiones utrique in uſum hoſpitiorum concedendæ. Contra Ordinibus ab initio videbatur, exercitibus eo loco ſubſiſtendum, ubi ſignificatio pacis ipſos deprehenderet. Sed oſtendebant Sueci, ſi vel maxime Cæſareis, & Bavaricis id probetur, (quod tamen iſti adſpernabantur,) fieri tamen non poſſe, ut quatuor tam numeroſi exercitus locis ita propinquis alimenta invenire queant. Bavarici centebant, ſeptem Circulos, queis Succica ſatisfactio injuncta, onus iſtud ſubire par eſſe. Sed quia Sueci haut conſultum ſibi judicabant, ante ratificatam pacem exercitum late per Germaniam ſpargere, haut injuria quærebant, quis Circulus huic hoſpitationi ſubeundæ par, aut pronus foret? Sane uno exeſo, in alium abeundum. Aſt hoc modo queis miles interim alendus exhauriri, ut extolvendæ pecuniæ non ſufficiant. Sed cum ſuper hac re diſponere ſe in anteceſſum poſſe negarent Ordines, ad duces bellicos ea res rejecta eſt.

De ſuſtentando milite indigena. §. 208. Sed maxima difficultas in eo verteba-tur, ubinam interim miles Suecicus indigena alendus eſſet, antequam in Sueciam deduci poſſet? Sueci oſtendebant, invitos ſe Ordinibus id onus impingere, ac optaſſe, pacem dudum fuiſſe concluſam, ut per æſtatem miles trajici potuerit. Nunc antequam ratificationes hinc inde tradantur, hiemem ingruere, nec ad obducta glacie Sueciæ litora ante vernum tempus acceſſum patere. Interim copiis illis de hoſpitiis proſpiciendum. Quas per unum vel alterum menſem Ordinibus alere haut difficile ſit futurum. De quo quanquam Electoralium aliqui ſpem facerent, cæteri tamen in univerſum reluctabantur, querimonias alii, reliqui minas jactantes; quod metuerent, ne Regina hoc obtentu bellum producere quæreret, ac Galli pro ſe idem poſtularent; tum nec Cæſar aut Bavarus exercitus dimitterent, eosque Ordinibus alendos obtruderent. Ita ſub vocabulo pacis belli onera incubitura, ac id forte initium fore perpetui militis in Germania alendi. Jam dudum belli malis exhauſtos cives fatiſcere: immenſam ſatisfactionem imminere: plura ſi injungere Regina aggrediatur, gloriam, gratiamque partam conſumturam. Mare Balticum in Decembrem usque menſem navigari poſſe; interim quæ ad exſequendam in Germania pacem requirantur, peracta fore. Militem quoque Teutonicum in Pomeraniæ, Meclenburgicæ, & Bremenſis Provinciæ præſidiis exautorari poſſe, ſurrogatis in ejus locum Suecis. Ita plerosque è Reginæ Provinciis ali poſſe, ac Cæſari Bavaroque antam retinendi ſui militis demi. Et tanta erat apud Ordines moræ impatientia, ut ſi diutius huic poſtulato inſiſterent Sueci, periculoſius motus metueretur. Quin Contarenus, ipſeque Servientus negotiis Gallicis, jam abſolutis indies Suecos importune urgebant, ut ocyus ad plenam ſubſcriptionem progrederentur. Ita ut obſiſtere diutius non poſſent, ni tra-

1648. ctatus tanto cum labore hucusque provectos abrumpere vellent. Ac spes erat, dum quæ exteque[n]dæ paci faciunt expediuntur, hiemem facile lapsuram.

Subscriptio peragitur. §. 209. Ita demum conventum, ut subscriptio decimo quarto Octobris fieret. Et quanquam Sueci initio centerent, Suecicas Tabulas in Curia, Gallicas in aula Episcopali subscribendas; placuit tamen exemplo Hispanorum, & Batavorum circa subscriptionem solennibus rituum haut luxuriare, sed illa ad ratificationem differre; eoque subscriptionem Regiorum in Cæsareis, Cæsareorum in Regiis ædibus, Ordinum separato conclavi peragere. Tum in formulam certam consensum; qua Principes utrinque pacisc[e]ntes ratificaXIV.24.Oct. tionem exprimerent. Ita dicto die hora post meridiem prima Oxenstierna & Salvius ad Cæsareos Lambergium, & Cranium quinque rhedis, & quadrantis horæ intervallo post Servientus, & Grullardus Residens ad Nassovium Comitem, & Volmarum sex rhedis pervehuntur, ubi in quintam usque horam morati sunt, & cum Instrumentum recte se habere deprehenderetur, utrique suum subscriptione solenni firmavere. Regiis Legatis ad ædes suas regressis Cæsarei post quadrantem horæ eodem ipsos secuti sunt, ac Lambergius, Craniusque Suecicum Instrumentum apud Suecos; Nassovius & Volmarus Gallicum apud Gallum subscripsere. Inde utraque Instrumenta à Secretariis Legationum Ordinibus congregatis, hora nona vespertina ad subscribendum oblata sunt. Ubi non Deputati solum, sed & cæteri qui aderant manum, ac sigilla sua ingenti cum gaudio appos[u]erunt. Mox integram per horam majores machinæ festivis displosionibus detonuerunt.

Pax promulgatur. 25. Octobr. §. 210. Postera luce oppidanis militibusque armatis in foro dispositis, præcinentibus tubis, tympanisque Monasterii pax à Secretario urbis in foro, ac omnibus biviis promulgata est, ad singulas vices singulis cohortibus arma explodentibus. Omnibus peractis septuaginta majores machinæ terna vice per vallum reboarunt. Eodem ritu Osnabrugæ quoque promulgatio facta. Eo ipso die Burgundicus Legatus Petrus à VVeimbs solennem protestationem adversus pacem Gallicam typis exscriptam publicabat. Id quod etsi Cæsarei ægre se ferre simulabant, omniaque exempla conquiri jubebant: multi tamen de compacto rem gestam judicabant; quod latis constaret, ob implicitas Cæsaris, & Hispani rationes utriusque Legatos omnia communicatis invicem consiliis a-
24. Octobr. gere sueviss[e]. Adversus Suecicam pacem Pontificis Legatus Fabius Chisius protestationem interponebat. Ut Catholicis prætextus foret aliquando versa partium fortuna bona Ecclesiastica, quibus nunc cesserant, iterum invadendi. Sicuti & superiore seculo, cum pax Augustæ conditur, aliqui Prælati contra alienationem bonorum sacrorum protestationem interpo[s]uerant; quæ post, cum Cæsaris ac Ligæ arma florerent, iterum vindicari cœperant. Sed & facile perspiciebatur, eam ipsam ob causam Protestantibus necessitatem adferri, consilia & vires adversus tales conatus sociare. E Catholicis Germaniæ etsi eadem uni vel alteri parum arrideret, nullus publice paci contradixit. Et quanquam nomine Electoris Colonien[s]is, & Francisci VVilhelmi Episcopi Osnabrugen[s]is nemo subscripserat; iste Bonnæ supplicationem Numini haberi, ac machinas per vallum displodi jusserat. Sed apud Evangelicos mira lætitiæ vis erumpebat, quorum 1648. nomine Leubertus Saxonicus Suecicis Legatis in ipsorum ædibus post finita sacra solennes gratias pro navata tam insigni opera agebat, ac de successu gratulabatur, additis precibus, ut & reliqua, queis ad executionem pacis opus foret, procurarent. Inde Tabulæ pacis ab omnibus partibus ad suos Principes transmissæ sunt.

Articuli Pacis, inter Sacram Cæsaream & Regiam Suecicam Majestates, Eorumque Confœderatos Anno 1648. 24. Octobris Osnabrugæ concluſi, subscripti & consignati.

In nomine Sacrosanctæ, & individuæ Trinitatis. AMEN.

Instrumentum Pacis Suecicum.

NOtum sit universis & singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse potest. Postquam à multis annis orta in Imperio Romano dissidia, motusque civiles eo usque increverant, ut non modo universam Germaniam, sed & aliquot finitima regna, potissimum vero Sueciam Galliamque ita involverint, ut diuturnum & acre exinde natum sit bellum. Primo quidem inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum FERDINANDUM II. *Electum Romanorum Imperatorem semper Augustum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Regem. Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgi, Superioris & Inferioris Silesiæ, Wurtembergæ & Teckæ, Principem Suevia, Comitem Habspurgi, Tyrolis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravium Alsatiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominum Marchiæ, Sclavoniæ, portus Naonis ac Salinarum, inclytæ memoriæ, cum suis fœderatis & adhærentibus ex una: & Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum* GUSTAVUM ADOLPHUM, *Suecorum, Gothorum & Wandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Esthoniæ, & Carelia, Ingriæque Dominum, inclytæ recordationis, & Regnum Suecia, ejusque Fœderatos, & adhærentes ex altera parte: Deinde post eorum è vita decessum inter Serenissimum & Potentissimum Principem & Dominum Dn.* FERDINANDUM III. *Electum Romanorum Imperatorem semper Augustum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Regem; Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgi, Superioris & Inferioris Silesiæ, Wurtembergæ, & Teckæ, Principem Suevia, Comitem Habspurgi, Tyrolis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravium Alsatiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominum Marchiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum, cum suis Fœderatis & adhærentibus ex una: & Serenissimam ac Potentissimam Principem ac Dominam, Dn.* CHRISTINAM, *Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Reginam, Magnam Principem Finlandiæ, Ducem Esthoniæ, & Carelia, Ingriæque Dominam, Regnumque Suecia, & ejus Fœderatos & adhærentes ex altera parte: unde multa Christiani sanguinis effusio, cum plurimarum Provinciarum desolatione secuta est: Tandem divina bonitate factum esse, ut utrimque de Pace universali susceptæ sit cogitatio, in eumque finem ex mutua partium conventione Hamburgi die vigesima quinta stylo novo, vel die decima quinta stylo veteri Decembris Anno Domini 1641. inita constituta sit dies* 11. *stylo*

1648. *ſtylo novo vel prima ſtyle veteri menſis Julii Anno Domini* 1643. *Congreſſui Plenipotentiariorum Oſnabrugis & Monaſterii Weſtphalorum inſtituendo ; Comparentes igitur ſtatuto tempore & loco utrinque legitime conſtituti Legati Plenipotentiarii , à parte quidem Imperatoris Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini , D. Maximilianus Comes à Trautmansdorff , & Weinspergh , Baro in Gleichenberg , Neoſtadii ad Cocrum , Negan , Burgau & Totzenbach , Dominus in Teinitz , Eques aurei Velleris , Conſiliarius ſecretus , & Camerarius Sacra Cæſarea Majeſtatis , ejusque Aulæ ſupremus Præfectus ; nec non Dominus Joannes Maximilianus , Comes à Lambergh , &c. Sacra Cæſarea Majeſtatis Camerarius , & Dominus Joannes à Crane , Juris utriusque Licenciatus & Comes Palatinus , Conſiliarii Imperialis Aulici ; A parte vero Regiæ Suecia , Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini , D. Joannes Oxenſtierna Axelii , Comes Mereæ Auſtralis , liber Baro in Kymitho , Dominus in Fyholm , Horningsholm & Tullegarn , Regni Suecia Senator & Conſiliarius Cancellariæ , & Dominus Joannes Adler Salvius , Dominus in Adlersberg , & Tullingen , item Regni Suecia Senator , Conſiliarius Cancellariæ , & Aulæ Cancellarius , poſt invocatum Divini Numinis Auxilium , mutuasque Plenipotentiarum tabulas , rite communicatas præſentibus , ſuffragantibus & conſentientibus Sacri Romani Imperii Electoribus , Principibus , ac Statibus ad Divini Numinis gloriam , & Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem in mutuas pacis & amicitiæ leges conſenſerunt , & convenerunt , tenore ſequenti.*

I. PAx ſit Chriſtiana , univerſalis , perpetua , veraque & ſincera amicitia inter Sacram Cæſaream Majeſtatem , Domum Auſtriacam , omnesque ejus fœderatos & adhærentes , & ſingulorum hæredes & ſucceſſores , imprimis Regem Catholicum , Electores , Principes , ac Status Imperii ex una , & Sacram Regiam Majeſtatem , Regnumque Suecia , omnesque ejus fœderatos & adhærentes & ſingulorum hæredes ac ſucceſſores , imprimis Regem Chriſtianiſſimum ac reſpective Electores , Principes , Statusque Imperii ex altera parte. Eaque ita ſincere , ſerioque ſerveter & colatur , utraque pars alterius utilitatem , honorem ac commodum promoveat , omnique ex parte & univerſi Romani Imperii cum Regno Suecia , & viciſſim Regni Suecia cum Romano Imperio fida vicinitas , & ſecura ſtudiorum pacis atque amicitiæ cultura reviveſcant ac reſtoreſcant.

Punctus Amnestiæ generalis. *II. Sit utrinque perpetua oblivio & Amneſtia omnium eorum , quæ ab initio horum motuum , quocunque loco modove ab una vel altera parte ultro citroque hoſtiliter facta ſunt , itaut nec eorum , nec ullius alterius rei cauſa vel prætextu alter alteri poſthac quicquam hoſtilitatis aut inimicitiæ , moleſtiæ vel impedimenti , quoad perſonas , ſtatum , bona vel ſecuritatem per ſe vel alios , clam aut palam , directe vel indirecte , ſpecie juris , aut via facti , in Imperio aut uſpiam extra illud (non obſtantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus) inferat vel inferri faciat , aut patiatur , ſed omnes & ſingulæ hinc inde tam ante bellum quam in bello , verbis , ſcriptis aut factis illatæ injuriæ , violentiæ , hoſtilitates , damna , expenſæ absque omni perſonarum rerumve reſpectu ita penitus abolitæ , ne quicquid eo nomine alter adverſus alterum prætendere poſſet , perpetua ſit oblivione ſepultum.*

Punctus reſtitutionis generalis. *III. Juxta hoc univerſalis & illimitata Amneſtiæ fundamentum , univerſi & ſinguli Sacri Romani Imperii Electores , Principes , Status , (comprehenſa immediata Imperii Nobilitate) eorumque Vaſalli , Subditi , Cives & Incolæ , quibus occaſione Bohemiæ , Germaniæve motuum vel fœderum hinc inde contrahentium , ab una vel altera parte aliquid præjudicii aut damni quocunque modo vel prætextu illatum eſt , tam quoad ditiones & bona feudalia , ſubfeudalia & allodialia , quam quoad dignitates , immunitates , jura & privilegia reſtituti ſunto plenarie in eum utrinque ſtatum in ſacris & profanis ; quo ante deſtitutionem gaviſi ſunt , aut jure gaudere potuerunt , non obſtantibus , ſed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus.* 1648.

Quemadmodum vero tales reſtitutiones omnes & ſingulæ intelligendæ ſunt ſalvis juribus quibuscunque , tam directi quam utilis dominii , in vel circa bona reſtituenda , ſive ſecularia ſive Eccleſiaſtica , ſive reſtituenti , ſive reſtituendo , ſive cuivis tertio competentibus , ſalvis item litiſpendentiis deſuper in Aula Cæſarea in Camera Imperiali vel aliis Imperii immediatis aut mediatis Dycaſteriis vertentibus : ita hæc clauſula ſalvatoria generalis vel alia ſub ſequentes ſpeciales ipſam reſtitutionem nullatenus impediant , ſed competentia jura , actiones , exceptiones , & litispendentia poſt factam demum reſtitutionem ; coram competenti judice examinentur , diſcutiantur & expediantur , multo minus hæc reſervatio ipſi Amneſtiæ univerſali & illimitatæ quicquam præjudicii afferat , aut etiam ad proſcriptiones , confiſcationes & ejus generis alienationes extendatur , vel articulis aliter conventis interque hos compoſitioni Gravaminum aliquid deroget. Nam quantum juris in bonis Eccleſiaſticis hucusque controverſis ejusmodi reſtituti vel reſtituendi ſint habituri , patebit infra articulo de Gravaminum Eccleſiaſticorum compoſitione.

IV. Et quamvis ex hac præcedenti regula generali facile dijudicari poſſit , qui & quatenus reſtituendi ſint , tamen ad inſtantiam aliquorum de quibusdam gravioris momenti cauſis , prout ſequitur , ſpecialiter mentionem fieri placuit ; ita tamen , ut qui expreſſe non nominati , vel expunctis ſunt , propterea pro emiſſis vel excluſis non habeantur. Punctus Gravaminum Politicorum , & primo de cauſa Palatina , &c.

Ante omnia vero cauſam Palatinam Conventus Oſnabrugenſis & Monaſterienſis eo deduxit , ut ea de re jam dudum mota lis dirempta ſit modo ſequenti.

Et primo quidem quod attinet Domum Bavaricam , dignitas Electoralis , quam Electores Palatini antehac habuerunt , cum omnibus regalibus , officiis , præcedentiis , Inſignibus & juribus quibuscunque ad hanc dignitatem ſpectantibus nullo prorſus excepto , ut & Palatinatus ſuperior totus una cum Comitatu Cham , cum omnibus eorum appertinentiis , regalibus ac juribus ſicut hactenus , ita & imposterum maneant penes Dominum Maximilianum , Comitem Palatinum Rheni , Bavariæ Ducem , ejusque liberos , totamque Lineam Guilhelmianam , quamdiu maſculi ex ea ſuperſtites fuerint.

Viciſſim Dominus Elector Bavariæ proſe , hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis totaliter renuntiet debito tredecim millionum , omnique prætenſioni in Auſtriam Superiorem & ſtatim à publicata pace omnia Inſtrumenta deſuper obtenta Cæſarea Majeſtatis ad caſſandum & annullandum extradat.

Quod ad Domum Palatinam attinet Imperator cum Imperio , publicæ tranquillitatis cauſa conſentit , ut vigore præſentis conventionis inſtituatus ſit Electoratus Octavus , quo Dominus Carolus Ludovicus Comes Palatinus Rheni ejusque hæredes & Agnati , totius lineæ Rudolphinæ juxta ordinem ſuccedendi in aurea Bulla expreſſum deinceps fruantur. Nihil tamen juris , præter ſimultaneam Inveſtituram ipſi Domino Carolo Ludovico aut ejus ſucceſſoribus ad eaque cum dignitate Electorali Domino Electori Bavariæ , totique Lineæ Guilhelmianæ attributa ſunt , competat.

Deinde ut inferior Palatinatus totus cum omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis & ſecularibus bonis , Juribus & appertinentiis , quibus ante motus Bohemicos Electores Principesque Palatini gaviſi ſunt , omnibusque documentis , regiſtris , rationariis , & cæteris actis huc ſpectantibus eidem plenarie reſtituantur : Ceſſatis iis ,

qua

1648. *Qua in contrarium acta sunt, idque authoritate Cæsarea effectum iri; ut neque Rex Catholicus, neque ullus alius qui exinde aliquid tenet, se huic restitutioni ullo modo opponat.*

Cum autem certa quædam Prefectura Strada Montana antiquitus ad Electorem Moguntinensem pertinentes anno demum millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, pro certa pecunia summa Palatinis cum pacto perpetuæ relutitionis impignorata fuerint: ideo conventum est, ut hæ Prefectura penes modernum Dominum Electorem Moguntinensem eiusque in Archi-Episcopatu Moguntinensi successores permaneant, dummodo pretium pignorationis sponte oblatum, infra terminum executionis conclusæ Pacis prafixum, parata pecunia exsolvat, cæterisque ad quæ juxta tenorem literarum oppignorationis tenetur, satisfaciat.

Electori quoque Trevirensi tanquam Episcopo Spirensi, Episcopo item Wormatiensi, jura quæ prætendunt in bona quædam Ecclesiastica, intra Palatinatus Inferioris territorium sita, coram competenti judice prosequi liberum esto, nisi de his inter utrumque Principem amice conveniatur.

Quod si vero contigerit Lineam Guilhelmianam masculinam prorsus deficere, superstite Palatina, non modo Palatinatus superior, sed etiam dignitas Electoralis quæ penes Bavariæ Duces fuit, ad eosdem superstitem Palatinos interim simultanea Investitura gavisuros, redeat, octavo tunc Electoratu prorsus expungendo: Ita tamen Palatinatus superior hoc casu ad Palatinos superstites redeat; ne hæredibus allodialibus Electoris Bavariæ, actiones & beneficia, quæ ipsis ibidem de jure competunt, reservata maneant.

Pacta quoque gentilitia inter Domum Electoralem Heidelbergensem & Neoburgicam, à prioribus Imperatoribus super Electorali successione confirmata, ut & totius Lineæ Rudolphinæ jura, quatenus huic dispositioni contraria non sunt, salva rataque maneant.

Adhæc si quæ feuda Juliacensia aperta esse, competenti via juris evictum fuerit, ea Palatinis evacuentur.

Præterea, ut dictus Dominus Carolus Ludovicus aliquatenus liberetur onere prosticiendi fratribus de appenagio, Cæs. Majest. ordinabit, ut dictis suis fratribus quadringenta Imperialium thalerorum millia intra quadriennium ab initio anni venturi Millesimi sexcentesimi quadragesimi nonis numerandum expendantur, singulisque annis centena millia solvantur, una cum annuo censu quinque de centum computatis.

Deinde tota Domus Palatina cum omnibus & singulis, qui ei quocunque modo addicti sunt, aut fuerunt, præcipue vero ministri, qui ei in hoc conventu aut alias operam suam navarunt, ut & omnes Palatinatus exules, fruantur Amnestia generali supra descripta, pari cum cæteris in ea comprehensis jure, & hac transactione singulariter in puncto Gravaminum plenissime.

Vicissim Dominus Carolus Ludovicus cum fratribus Cæsaræa Majestati obedientiam & fidelitatem, sicut cæteri Electores Principesque Imperii præstet, ac insuper Palatinatui superiori pro se & hæredibus suis, tum ipse tum eius fratres, donec ex Linea Guilhelmiana hæredes legitimi & masculi superfuerint, renuntient.

Cum autem de eiusdem Principis Vidua Matri, sororibusque præstando victualitio, & dote constituenda mentio iniceretur, pro benevolo Sacra Cæsarea Majestatis in Domum Palatinam affectu, promissum est, dictæ Dominæ Viduæ Matri pro victualitio semel pro semper viginti Thalerorum Imperialium millia, singulis autem sororibus dicti Domini Caroli Ludovici, quando nuptum elocata fuerint dena Thalerorum Imperialium millia, nomine suæ Majestatis exsolutum iri. De reliquo vero ipsis idem Princeps Carolus Ludovicus satisfacere teneatur. 1648.

Comitem in Lainingen & Daxburg, sæpe dictum Dominum Carolus Ludovicus eiusque successores in Palatinatu Inferiori nullatenus turbet, sed jure suo a multis retro seculis obtento, & à Cæsaribus confirmato, quiete ac pacifice uti frui permittat.

Liberam Imperii Nobilitatem per Franconiam, Sueviam & Tractum Rheni, cum districtibus appertinentibus in suo statu immediato inviolate relinquat.

Feuda etiam ab Imperatore in Baronem Gerardum de Waldenburg, dictum Schenkhern, Nicolaum Georgium Reigersperger, Cancellarium Moguntinum, & Henricum Brombser, Baronem de Rudesheim: Item ab Electore Bavariæ in Baronem Joannem Adolphum Wolf, dictum Metternich collata, rata maneant. Teneantur tamen ejusmodi Vasalli Domino Carolo Ludovico, veluti Domino directo eiusque successoribus juramentum fidelitatis præstare, atque ab eodem feudorum suorum renovationem petere.

Augustanæ Confessionis consortibus qui in possessione templorum fuerant, interque eos Civibus & Incolis Oppenheimensibus servetur Status Ecclesiasticus Anno 1624. Cæterisque id desideraturis Augustanæ Confessionis exercitium, tam publice in templis ad statas horas, quam privatim in ædibus propriis, aut alienis ei rei destinatis per suos aut vicinos verbi divini Ministros peragere liberum esto.

Princeps Ludovicus Philippus Comes Palatinus Rheni recuperet omnes ditiones, dignitates & jura in sacris & profanis, quæ ipsi à majoribus ex successione & divisione ante tumultus bellicos obvenerunt.

Princeps Fridericus Comes Palatinus Rheni, quartam partem vectigalis Wilzbacensis, Cœnobium quoque Hornbach cum pertinentiis, & quicquid juris parens eius antehac ibidem habuit ac possedit, recipiat & respective retineat.

Princeps Leopoldus Ludovicus Comes Palatinus Rheni restituatur penitus in Comitatu Veldenz ad Mosellam, tam in Ecclesiasticis, quam Politicis, contra omnia hactenus attentata, in eum, quo Anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto ipsius Parens fuit, statum.

Controversia, quæ vertitur inter Episcopos respective Bambergensem & Herbipolensem ac Marchiones Brandeburgicos, Culmbachi & Onolzbachi, de Castro, Oppido, Prefectura & Monasterio Kitzingen in Franconia ad Mœnum, aut amicabili compositione aut summario juris processu terminetur intra biennium, sub pœna perdendæ pratensionis imponenda tergiversanti, interim dictis Dominis Marchionibus restituatur nihilominus fortalitium Wilzburg in eum statum, qui tempore traditionis descriptus fuit ex conventione & promisso.

Domus Wurtembergica maneat quiete in recuperata possessione Dynastiarum VVeinsberg, Neuvstadt & Meckmuhle. *Restituatur etiam in omnia & singula secularia atque Ecclesiastica bona & jura ante hos motus ubicunque possessa, interque illa specialiter in Dynastias Blaubeuren, Achlam & Stauffen cum pertinentiis & sub pratextu pertinentium ad eas occupatis bonis, cum primis civitate & territorio Goppingensi atque pago Pfaumeren, reditibus Universitati Tubingensi pie fundatis. Recipiat etiam Dynastias Heidenheym & Oberkirch, itemque civitates Balingen, Tutlingen, Ebingen & Rosenfeld, nec non arcem & pagum Neidlingen cum pertinentiis, tum Hohenstweil, Hohenastperg, Hohenaurac, Hohen Tubingen, Albeck, Hornberg, Schiltach cum civitate Schorndorf. Restitutio etiam fiat in Ecclesias collegiatas Sturtgard, Tubingen, Hernberg, Goppingen, Bachnang, nec non in Abbatias Præposituras atque*

1643. atque Monaſteria Bebenhauſen, Maulbron, Anhauſen, Lorch, Adelberg, Denckendorf, Hirſchau, Blaubeuren, Herprechtingen, Murhard, Albersbach, Königsbrun, Herrenalb, Divi Georgii, Reichenbach, Pfullingen & Lichtenſtern ſive MarienCron, & ſimilia, cum omnibus documentis ablatis, ſalvis tamen & reſervatis Domus Auſtriacæ, nec non Wurtenbergica in ſupradictas Dynaſtias Blaubeuren, Achlam & Stauffen præſentis juribus, actionibus, exceptionibus & remediis atque beneficiis juris quibuscunque.

Principes quoque Wurtenbergici Linea Mombelgardenſis reſtituantur in omnes ſuas ditiones in Alſatia vel ubicunque ſitas, & nominatim in duo feuda Burgundica Clerval & Paſſavant, & ab utraque parte redintegrentur in eum ſtatum, jura, prærogativas ac in ſpecie ad eam immedietatem erga Romanum Imperium, qua ante initium horum bellorum gaviſi ſunt, & qua cæteri Imperii Principes ac Status gaudent vel gaudere debent.

De cauſa Badenſi hoc modo conventum eſt:

Fridericus Marchio Badenſis & Hochbergenſis, ejuſque filii, & hæredes, cum omnibus qui iisdem quocunque modo inſervierunt, aut adhuc dum inſervunt, cujuscunque nominis aut conditionis ſint, gaudeant & fruantur ſupra Articulo 2. & 3. deſcripta Amneſtia cum omnibus ſuis clauſulis & beneficiis, ejuque vigore reſtituantur planiſſime in eum ſtatum in ſacris & profanis, in quo ante exortos Bohemiæ motus fuit Dominus Georgius Fridericus Marchio Badenſis & Hochbergenſis, quoad Marchionatum inferiorem Badenſem, qui vulgò ſub appellatione Baden-Durlach *venit, itemque quoad Marchionatum Hochbergenſem, tum etiam quoad ditiones Rötelen, Badenweyler, & Sauſſenberg, non obſtantibus, ſed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus. Deinde reſtituantur Marchioni Friderico Præfectura Stain & Renchingen absque onere æris alieni, interea temporis à Marchione Guilielmo contracti, ratione fructuum, intereſſe aut ſumptuum per tranſactionem Eſslingæ Anno Domini 1629. initam dicto Guilielmo Marchioni Badenſi ceſſa cum omnibus juribus, documentis literariis, aliisque pertinentiis, ita ut tota illa actio ſumptuum ac fructuum perceptorum & percipiendorum, cum omni damno & intereſſe à tempore primæ occupationis numerando, ſublata & penitus extincta ſit. Annua quoque penſitatio ex Marchionatu inferiori, Marchionatui ſuperiori pendi ſolita, virtute præſentium penitus ſublata, annullata & annihilata ſit, nec eo nomine quicquam vel de præterito vel de futuro impoſterum unquam prætendatur vel exigatur. Alternetur etiam impoſterum inter utramque Lineam Badenſem, inferioris ſcilicet & ſuperioris Marchionatus Badenſis, præcedentia & ſeſſio in Comitiis & circulo Sueviæ, aliisque univerſalibus vel particularibus Imperii aut quibuscunque conventibus, pronunc tamen eadem præcedentia penes Marchionem Fridericum, dum ſuperſtes erit, permanente.*

De Baronatu Hohen-Geroltseck conventum eſt, ut ſi Domina Principiſſa Badenſis prætenſa ſua jura in dicto Baronatu documentis authenticis ſufficienter probaverit, reſtitutio ſtatim poſt latam deſuper ſententiam fiat cum omni cauſa, omnique jure, vigore documentorum competenti. Cognitio autem hæc finiatur à die publicatæ Pacis infra biennium. Nulla denique actiones, tranſactiones, vel exceptiones, generales vel ſpeciales clauſulæ in hoc Inſtrumento Pacis comprehenſæ (quibus omnibus per expreſſum & in perpetuum vigore hujus derogatum ſit) ab una vel altera parte ullo unquam tempore contra hanc ſpecialem conventionem allegentur vel admittantur.

Dux de Croy gaudeat effectu generalis Amneſtiæ, neque protectio Regis Chriſtianiſſimi ſit ei fraudi, dignitatis, Privilegiorum, bonorum, bonorum, aut ullo alio reſpectu quiete, quoque poſſideas eam Dominii Vinſtingen, partem quam Majores ſui poſſederunt, prout nunc à Domina matre ſua dotalitii nomine poſſidentur juribus Imperii, quoad dictum Dominium Vinſtingen in eo ſtatu, quo fuerunt ante hos motus, ſalvis permanentibus. 1643.

Quod Controverſiam Naſſau Siegen contra Naſſau Siegen attinet, cum res hæc per commiſſionem Cæſaream Anno 1643. *ad amicabilem compoſitionem ſit remiſſa, reaſſumatur ejusmodi commiſſio, & totalis vel amicabili compoſitione, vel juridica ſententia, coram competenti judice decidatur; Comite Joanne Mauritio de Naſſau, ejusque fratribus absque ulla turbatione proſus quotis duntaxat in apprehenſa poſſeſſione manentibus.*

Comitibus Naſſau-Sarepontanis reſtituantur omnes eorum Comitatus, Dynaſtiæ, territoria, homines & bona Eccleſiaſtica & ſecularia, feudalia & allodialia, nominatim vero Comitatus Sarapontanus & Sarwerdanus integri cum omni cauſa; ut & fortalitium Homburg cum tormentis bellicis mobilibusque ibi repertis; Salvis utrinque reſpective tam ratione Anno 1619. *ſeptimo Julii per ſententiam adjudicatorum in reviſorio, quam aliis etiam de illatis damnis, competentibus juribus, actionibus, exceptionibus & beneficiis juris juxta Leges Imperii determinandis, niſi partes potius ament amica tranſactione rem componi. Salvo etiam jure, quod Comitibus de Lainingen Daxburg in dicto Comitatu Sarwerdano competere poteſt.*

Domus Hanſeatica reſtituatur in Præfecturas Bebenhauſen, Biſchofsheim am Steeg *& Wilſtadt.*

Joannes Albertus Comes Solmenſis in quadrantem Oppidi Butzbacenſis & quatuor pagos adjacentes reſtituatur.

Itemque reſtituatur Domus Solms, Hohenſolms in omnia bona & jura ſibi anno 1637. *adempta, non obſtante tranſactione deſuper cum Domino Georgio Landgravio Haſſiæ poſtea facta.*

Comites de Iſenburg gaudeant Amneſtia generali ſupra artic. 2. *&* 3. *deſcripta, ſalvis tamen juribus Domino Georgio Landgravio Haſſiæ, vel cuivis tertio contra eosdem, ut & contra Comites de Hohenſolms competentibus.*

Rheingravii in ſuas Præfecturas Troneck & Wildenburg, item Dynaſtiam Morchingen cum pertinentiis & cætera omnia jura à vicinis uſurpata, reſtituantur.

Vidua Domini Erneſti Comitis Sainenſis reſtituatur in eam poſſeſſionem, arcis, oppidi & Præfectura Hachenburg cum pertinentiis, ut & pagi Bendorff, in qua fuit ante deſtitutionem, ſalvo tamen jure cujusvis.

Caſtrum & Comitatus Falckenſtein reſtituatur ei, cui de jure competit. Quicquid etiam juris Comitibus de Ratburg cognominatis Lœvvenhaupt, *in præfecturam Bretzenheim, feudum Archi-Epiſcopatus Colonienſis, nec non Baronatum Reipoltzkirch in diſtrictu Hunsruck ſita, competit, id eis cum omnibus juribus & appertinentiis ſalvum ſit.*

Reſtituatur etiam Domus Waldeck in poſſeſſionem vel quaſi omnium jurium in Dynaſtia Didinghauſen & pagis Nordernau, Lichtenſcheid, Defeld & Nidern-Schlaidern, prout illa anno milleſimo ſexcenteſimo vicesimo quarto gaviſa eſt.

Joachimus Erneſtus Comes Oettingenſis in omnia Eccleſiaſtica & ſecularia, quæ pater ipſius Ludovicus Eberhardus ante hos motus poſſidebat, reſtituatur.

Item Domus Hohenlohica in omnia ipſi ablata, præcipue Dynaſtiam Weickersheim: itemque in Cœnobium Scheflersheim absque omni exceptione imprimis, retentionis reſtituatur.

Fri-

1648. *Fridericus Ludovicus Comes de Löwenſtein & Wertheim in omnes ſuos Comitatus & Dynaſtias, quæ tempore hujus belli ſequeſtrata, confiſcata aliisque ceſſa fuerunt, in Politicis & Eccleſiaſticis reſtituatur.*

Ferdinandus Carolus Comes de Löwenſtein & Wertheim in omne id, quod defunctis ejus agnatis Georgio Ludovico & Joanni Caſimiro ſequeſtratum, confiſcatum aliisque ceſſum eſt, in Politicis & Eccleſiaſticis reſtituatur, ſalvis tamen iis bonis & juribus quæ Marcæ Chriſtianæ, filiæ dicti Georgii Ludovici de Löwenſtein ex hæreditate paterna & materna competunt, in quæ plenarie reſtituatur. Pariter etiam viduæ Joannis Caſimiri de Löwenſtein, in ſua bona dotalitia & hypothecata, reſervato jure, ſi quod in ſupradicta competit Comiti Friderico Ludovico, vel amicabili compoſitione vel legitimo Proceſſu proſequendo.

Domus Erbacenſis imprimis Comitis Georgii Alberti hæredes in caſtrum Breubergicum, omniaque ejus jura ipſis cum Domino Comite Löwenſteinenſi communia, tam quoad præſidium, ejusdemque directionem, quam cætera civilia jura reſtituantur.

Vidua & hæredes Comitis à Brandenſtein, reſtituantur in omnia ex cauſa belli adempta bona & jura.

Baro Paulus Kevenhüller cum Nepotibus ex fratre, Hæredes Cancellarii Löfflerii Marci Conradi à Rhelingen, liberi & hæredes; Item Hieronymus à Rhelingen una cum uxore, nec non Marcus Antonius à Rhelingen, quisque in omnia ſibi per confiſcationem adempta, plenarie reſtituti ſunto.

Contractus, permutationes, tranſactiones, obligationes & inſtrumenta debiti, vi, metuve, ſeu ſtatibus, ſeu ſubditis illicite extorta, prout in ſpecie quæruntur Spira, Weiſſenburgum ad Rhenum, Landavia, Reutlinga, Hailbrunna, aliique, ut & redempta ceſſeque actiones abolita atque ita annullata ſunto, ut nullum judicium actionemve, eo nomine intentare minime liceat. Quod ſi vero debitores Inſtrumenta creditis vi metuve creditoribus extorſerint, ea omnia reſtituantur, actionibus deſuper ſalvis.

Debita ſive Emptionis, venditionis, annuorum redituum ſive alio nomine vocentur, ſi ab una alterave belligerantium parte in odium Creditorum violenter extorta ſint, contra debitores veram violentiam & realem ſolutionem interceſſiſſe allegantes & ſe ad probandum offerentes, nullis proceſſus executivi decernantur, niſi his exceptionibus prævia plenaria cauſæ cognitione deciſis.

Proceſſu deſuper inſtituto à Pacis publicatione infra biennium finiendo ſub pœna perpetui ſilentii contumacibus debitoribus imponenda. Proceſſus autem hactenus eo nomine contra ipſos decretus una cum tranſactionibus & promiſſionibus pro futura creditorum reſtitutione factis, tollantur & enerventur, ſalvis tamen iis pecuniarum ſummis, quæ flagrante bello pro aliis ad avertenda majora eorum pericula & damna bono animo & intentione erogata ſunt.

Sententiæ tempore belli de rebus mere ſecularibus pronunciatæ, niſi proceſſus vitium & defectus manifeſte pateat, vel incontinenti demonſtrari poſſit, non quidem omnino ſint nullæ, ab effectu tamen rei judicatæ ſuſpendantur: donec acta judicialia (ſi alterutra pars intra ſemeſtre ab inita Pace ſpatium petiverit reviſionem) in Judicio competente, modo ordinario vel extraordinario in Imperio uſitato revideantur & æquabili jure ponderentur, atque ita dicta ſententia vel confirmentur vel emendentur, vel ſi nulliter lata ſint, plane reſcindantur.

Si quæ etiam feuda regalia vel privata ab Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo-octavo non fuerunt renovata, nec interim eorum nomine præſtita ſervitia nemini id fraudi eſto, ſed tempus repetendæ Inveſtituræ à die factæ Pacis cedere incipiat.

Tandem omnes & ſinguli tam bellici Officiales militesque, quam Conſiliarii & Miniſtri togati Civiles & Eccleſiaſtici, quocunque nomine aut conditione cenſentur, qui uni alterive parti, earundemve fœderatis aut adhærentibus, toga vel ſago militarunt, à ſummo ad infimum, ab infimo ad ſummum abſque ullo diſcrimine vel exceptione, cum uxoribus, liberis, hæredibus, ſucceſſoribus, ſervitoribus, quo ad perſonas & bona in eum vitæ, famæ, honoris, conſcientiæ, libertatis, Jurium & privilegiorum ſtatum, quo ante dictos motus gavisi ſunt, aut jure gaudere potuerunt, utrinque reſtitutis ſunto, nec eorum perſonis aut bonis ullum creator præjudicium ullave actio vel accuſatio intentetur, multo minus ulla pœna, damnumve quocunque prætextu irrogetur. Et hæc quidem omnia quo ad illos, qui Cæſaræ Majeſtatis & Domui Auſtriacæ ſubditi & vaſalli non ſunt, pleniſſimum effectum habeant.

1648.

Qui vero Subditi & Vaſalli hæreditarii Imperatoris & Domus Auſtriacæ ſunt, eadem gaudeant Amneſtia, quoad perſonas, vitam, famam & honores, habeantque ſecurum reditum in priſtinam patriam, ita tamen ut ſe teneantur accommodare legibus patriis Regnorum & Provinciarum.

Quantum autem eorum bona concernit, ſi ea, antequam in Corona Sueciæ Gallicæve partes tranſierunt, confiſcatione aut alio modo amiſſa fuere, etſi plenipotentiarii Suecici dum multumque inſtiterant, ut iis etiam illa reſtituerentur; tamen cum Sacra Cæſar. Maj. hac in re ab aliis nihil præſcribi, nec ob Cæſareanorum conſtantem contradictionem aliter tranſigi potuerit, Ordinibusque Imperii ea propter bellum continuare è re Imperii non fuerit viſum, porro quoque amiſſa ſunto, ac modernis poſſeſſoribus permanento.

Illa vero bona, quæ ipſis poſt eam ob cauſam, quod pro Sueciis & Gallis contra Cæſarem, Domumque Auſtriacam arma ſumſiſſent, erepta ſunt, iiſdem qualia nunc ſunt, abſque reſtitutione tamen ſumptuum & fructuum perceptorum, aut damni dati reſtituantur.

De cætero in Bohemia, aliisque quibuscunque provinciis hereditariis Imperatoris, Auguſtanæ Confeſſioni addictis ſubditis vel creditoribus, eorumve hæredibus, pro privatis ſuis prætenſionibus, ſi quas habent, & earum nomine actionis intenderint, aut proſecuti fuerint, Jus & Juſtitia æque ac Catholicis cura reſpectum adminiſtretur.

A dicta tamen univerſali reſtitutione excepta ſunto, quæ reſtitui vel redhiberi nequeunt, mobilia & ſe moventia, fructus percepti, authoritate belligerantium partium interverſa, itemque tam deſtructa, quam publicæ ſecuritatis cauſa in alios uſus converſa ædificia publica & privata, ſacra & profana, nec non depoſita publica vel privata hoſtilitatis intuitu confiſcata, legitime vendita, ſponte donata.

Quia vero etiam Cauſa Juliacenſis ſucceſſionis inter Intereſſatos, niſi præveniatur, magnas aliquando turbas in Imperio excitare poſſet, ideo conventum eſt, ut ea quoque Pace confecta ordinario proceſſu, coram Cæſarea Majeſtate vel amicabili compoſitione, vel alio legitimo modo ſine mora dirimatur.

Puncta Gravaminum Eccleſiaſticorum ſuæ Religionis.

V. Cum autem præſenti bello magnam partem Gravamina, quæ inter utriusque Religionis Electores, Principes & Status Imperii vertebantur, cauſam & occaſionem dederint, de iis pront ſequitur, conventum & tranſactum eſt.

1. *Tranſactio Anno 1552. Paſſavii inita, & hanc Anno 1555. ſecuta Pax Religionis, prout ea Anno 1666. Auguſtæ Vindelicorum, & poſt in diverſis Sacri Romani Imperii Comitiis univerſalibus confirmata fuit, in omnibus ſuis Capitulis unanimi Imperatoris, Electorum, Principum & Statuum utriusque Religionis conſenſu initis ac concluſis, rata habeatur, ſanctæque & inviolabiliter ſervetur.*

1648. tur. *Quæ vero de nonnullis in ea Articulis controverſis, hac Tranſactione communis partium placito ſtatuta ſunt; ea pro perpetua dicta Pacis declaratione, tam in Judiciis, quam alibi obſervanda habebuntur, donec per Dei gratiam de Religione ipſa convenerit, non attenta cujuſvis ſeu Eccleſiaſtici ſeu Politici, intra vel extra Imperium, quocunque tempore interpoſita contradictione vel proteſtatione, quæ omnes inanes & nihili, vigore horum declarantur. In reliquis omnibus autem inter utriuſque Religionis Electores, Principes, Status omnes & ſingulos ſit æqualitas exacta, mutuaque, quatenus forma Reipublicæ, conſtitutionibus Imperii & preſenti Conventioni conformis eſt, ita ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum, violentia omni & via facti ne alias, ita & hic inter utramque partem perpetuo prohibita.*

2. *Terminus à quo reſtitutionis, in Eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in Politicis mutata ſunt, ſit dies prima Januarii Anni milleſimi ſexcenteſimi viceſimi quarti: fiat itaque reſtitutio omnium Electorum, Principum & Statuum utriuſque Religionis, comprehenſa libera Imperii nobilitate, ut & communitatibus & pagis immediatis plenarie & pure caſſatis omnibus interim in iſtiusmodi caſibus latis, publicatis & inſtitutis ſententiis, decretis, tranſactionibus, pactis ſeu dedititiis, ſeu aliis, & executionibus, reductione ad Statum dicti anni dieique in omnibus facta.*

Civitates, Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpula, Biberacum & Ravensburgum, retineant bona, jura & exercitium Religionis dicti anni dieique; ſed ratione dignitatum Senatoriarum aliorumque munerum publicorum, ſit inter utrique Religioni addictos æqualitas idemque numerus.

In ſpecie autem quoad Civitatem Auguſtam ſint ſeptem Senatores Conſilii Secretioris ex familiis Patriciis delecti, ex his deſumpti Reipublica Præſides duo, vulgo Stadtpfleger *dicti, unus ſit Catholicus, alter Auguſtanæ Confeſſionis. Ex reliquis quinque, tres Catholicæ Religioni, & duo Auguſt. Confeſſ. addicti. Senatores reliqui, Senatus, ut vocant, minores, nec non Syndici, Aſſeſſores Judicii Urbani, aliique Officiales omnes ſint æquali numero utriuſque Religionis. Quæſtores rei nummariæ ſint tres quorum duo unius, tertius diverſæ religionis, ita quidem, ut primo anno duo ſint Catholici, unus vero Auguſtanæ Confeſſionis, altero, duo Auguſtanæ Confeſſionis & tertius Catholicus, & ſic deinceps alternando ſingulis annis.*

Præfecti rei tormentariæ itidem tres parique annua alternatione. Idem etiam circa curam collectarum annonæ, ædilicii muneris, & ſi quæ alia ſunt officia, quæ tribus committuntur, obtineat: Ita quidem, ut ſi uno anno duo officia (veluti Quæſtura & cura annonæ vel ædilicii muneris) penes duos Catholicos & unum Auguſtanæ Confeſſionis ſint, eodem anno duo alia officia (velut præfectura rei tormentariæ & collectarum) duobus ex Auguſtana Confeſſione & uni Catholico committantur; ſequenti autem anno circa hæc officia duobus Catholicis, duo Auguſtanæ Confeſſioni addicti, & uni Catholico, unus Auguſtanæ Confeſſionis ſurrogetur.

Munera, quæ uni ſoli committi ſolita ſunt, pro qualitate rei vel uno vel pluribus annis inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis cives alternentur; eo quidem modo ut de officiis, quæ tribus perſonis committuntur, nunc dictum.

Templorum tamen & Scholarum cuique parti ſuarum cura integra reſervetur. Si autem Catholici, qui nunc tempore hujus pacificationis in Magiſtratu & Officiis præter numerum ſupra conventum ſuperſunt priſtino quidem per omnia honore commodoque fruantur. Verumtamen uſque dum eorum loca vel morte vel abdicatione vacaverint, vel domi ſe continendi, vel ſi Senatus 1648.
quandoque intereſſe velint, voto tamen careant.

Neutra vero pars ſuæ Religionis adhærentium potentia ad deprimendam alteram abutatur, aut majorem numerum, directe vel indirecte ad dignitates Præſidum, Senatorum, aliorumque publicorum munerum aggregare præſumat, ſed quidquid ejus quandocunque & quomodocunque tentatum fuerit, irritum eſto. Proinde non ſolum hæc diſpoſitio quotannis, quando de novorum Senatorum aliorumque officialium in demortuorum locum ſurrogatione agitur, publice prælegitor; ſed etiam Præſidis ſeu Duumviri Secretiorum reliquorumque Senatorum, Præfectorum, Syndicorum, Judicum, aliorumque officialium Catholicorum Electio & nunc & poſt hac ſit penes ipſos Catholicos, Auguſtanæ vero confeſſioni addictorum penes eosdem, & defuncto Catholico alius Catholicus, pariterque Auguſt. Confeſſ. addicto eidem addictus ſurrogetur. Pluralitas autem votorum in cauſis Religionem ſive directe ſive indirecte concernentibus, nequaquam attendatur, neque illa Auguſt. Conf. addictis Civibus ejus loci magis quam Auguſt. Confeſſ. Electoribus, Principibus & Statibus in Imperio Romano præjudicet. Quod ſi Catholici pluralitate votorum in his vel aliis quibuſvis negotiis in præjudicium Aug. Confeſſ. addictorum abutantur, reſervatum his ipſis eſto vigore hujus Tranſactionis ad introducendam alternationem quinti Senatoris ſecretioris, aliaque legitima remedia provocare.

De cætero Pax Religioſa, itemque ordinatio Carolina de Electione Magiſtratuum, nec non tranſactiones de Annis 1584. & 1591. (quatenus huic diſpoſitioni directe vel indirecte non repugnant) ſalva & inviolata per omnia maneant.

Deinde Dunckelſpuhla, Biberaci & Ravensburgi duo ſint Conſules, Catholicus unus, alter Auguſt. Confeſſionis, quatuor ſecretioris conſilii æquali numero utriuſque Religionis. Eadem etiam æqualitas circa Senatum, Judicium Urbanum, præfecturam ærarii, ut & alia omnia officia, dignitates ac munera publica obſervetur. Quoad Præturam Judicii verò, Syndicatum & Secretarios Senatus & Judicii, nec non quoad alia hujusmodi officia quæ uni tantum perſonæ committuntur, alternatio perpetuo obſervetur; Ita, ut demortuo Catholico ſemper Auguſtanæ Confeſſioni addictus & vice verſa ſuccedat. Quantum ad modum Electionis & votorum pluralitatem, nec non curam Templorum ac Scholarum, itemque anniverſarium prælectionem hujus diſpoſitionis attinet, idem quod de Auguſta dictum eſt, obſervetur.

Quod ad civitatem Donawerdam attinet, ſi in proximo venturis Comitiis Univerſalibus in priſtinam libertatem reſtituenda eſſe judicabitur ab Imperii Statibus, eodem gaudeat jure in Eccleſiaſticis & Politicis, quo cætera Imperii libera Civitates vigore hujus Tranſactionis gaudent, ſalvis tamen quoad hanc Civitatem eorum quorum intereſt, juribus.

Terminus autem Anni milleſimi ſexcenteſimi viceſimi quarti nullum præjudicium creare debet iis, qui ex capite Amneſtiæ aut alunde reſtituendi veniunt.

3. *Bona Eccleſiaſtica immediata quod attinet, ſive ſint Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus, Prælaturæ, Abbatiæ, Balivia, Præpoſitura, Commendæ, ſive libera fundationes ſæcularis, aut alia una cum reditibus, penſionibus aliisque quocunque nomine ſignatis ſeu in Urbibus ſeu ruri ſitis, ea ſeu Catholici, ſeu Auguſtanæ Confeſſionis Status die prima Januarii Anni milleſimi ſexcenteſimi viceſimi-quarti poſſederint, omnia & ſingula nullo plane excepto, ejus Religionis Conſortes, qui dicto tempore in reali eorum poſſeſſione fuerunt, usque dum de Religionis diſſidiis per Dei gratiam conventum fuerit, tranquille & imperturbate poſſideant; neutrique*

1648. trique parti liceat alteri sen in Judicio, seu extra, negocium facessere, multo minus turbas aut impedimentum aliquod inferre: Si vero quod Deus prohibeat, de Religionis dissidiis amicabiliter conveniri non possit, nihilominus hac conventio perpetua sit & pax semper duratura.

Si igitur Catholicus Archi-Episcopus, Episcopus, Prælatus, aut Augusst. Confess. addictus in Archi-Episcopum, Episcopum, Prælatum electus vel postulatus, solus aut una cum Capitularibus seu singulis seu universis, aut etiam alii Ecclesiastici Religionem imposterum mutarint; excidant illi statim suo jure, honore tamen famaque illibatis, fructuque & reditu citra moram & exceptionem cedant, Capituloque aut cui id de jure competit integrum sit aliam Personam Religioni ei, ad quam beneficium istud vigore hujus Transactionis pertinet, addictam, eligere aut postulare, relictis tamen Archi-Episcopo, Episcopo, Prælato &c. decedenti fructibus & reditibus interea perceptis & consumptis. Si ergo status seu Catholici seu Augustana Confessioni addicti Archi-Episcopatibus, Episcopatibus, beneficiis aut prabendis suis immediatis à die prima Januarii Anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti judicialiter aut extrajudicialiter exciderint, aut quocunque modo turbati fuerint, vigore harum illico tam in Ecclesiasticis quam Politicis omnibus novationibus abolitis restituantur, ita quidem, ut quacunque bona Ecclesiastica immediata die prima Januarii anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti Catholico Præsule regebantur, Catholicum caput recipiant, & vicissim qua dicto Anno, dieque Augusst. Conf. addicti possidebant, retineant etiam in posterum, remissis tamen, qua una pars contra alteram prasendere posset, perceptis interea fructibus, damnis & expensis.

4. In omnibus Archi-Episcopatibus, Episcopatibus, & reliquis fundationibus immediatis, Jura eligendi & postulandi juxta cujusque loci consuetudines & statuta antiqua, illibata maneant, quatenus illa Imperii constitutionibus, Transactioni Passavienfi, Paci religiosa & imprimis huic declarationi & transactioni sunt conformia & intuitu Archi-Episcopatuum & Episcopatuum Aug. Conf. addictis permanentium ea nihil in se contineant illis Confessioni adversum, sicut etiam pariter in Episcopatibus & Ecclesiis, in quibus Catholicis & Aug. Conf. ordinibus mixta jura admittuntur, Statutis antiquis nihil de novo admisceatur, quod Catholicorum vel Aug. Conf. addictorum conscientiam & causam pro cujusque parte ledere eorumve jus imminuere possit. Postulati vero seu electi, in capitulationibus suis spondeant se susceptos Ecclesiasticos Principatus, dignitates & beneficia nequaquam hereditario jure possessuros, aut id alturos ut hereditaria fiant, sed libera sic ubique capitulo & quibus id preterea pariter cum capitulo pro more competit, tam Electio & postulatio, quam sede vacante administratio & Jurium Episcopalium exercitium: operaque detur, ne Nobiles, Patricii, gradibus Academicis insigniti, aliaque persona idonea, ubi id fundationibus non adversatur, excludantur, sed ut potius in iis conserventur.

5. Ubi Sacra Cæsarea Majestas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam imposterum, dummodo decedente Augusst. Conf. addicto in ejus Religionis Episcopatibus Conf. Augustana addictus ad normam statutorum & observantia idoneus precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque religione seu Episcopatibus, seu aliis locis immediatis precibus primariis præsentatus non gaudeat; nisi beneficium vacans Religionis consors possederit.

6. Si quid annatarum, Jurium Pallii, confirmationum, Mensium Papalium & hujusmodi jurium & reservationum nomine in bonis Statuum Augustana Confessionis Ecclesiasticis immediatis à quocunque, quandocunque aut quomodocunque prætendatur, id validitate & executione à brachio seculari impertienda careat.

In quorum autem Ecclesiasticorum bonorum immediatorum Capitulis utrinsque Religionis Capitulares & Canonici vigore prafati termini certo utrinque numero admittuntur, mensæque Papales id temporis in usu fuerunt, porro quoque, si decedentes Capitulares & Canonici ex numero Catholicorum definito fuerint, obtineant, atque executioni, casu eveniente, mandentur, modo Papalis provisio Capitulis immediate è Curia Romana & tempore legitimo insinuetur.

6. Electi aut Postulati in Archi-Episcopos, Episcopos aut Prælatos Augustana Confessioni addicti, à Sacra Cæsarea Majestate, postquam inter annum Electionis aut postulationis sua fidem fecerint, & juramenta regalibus sueta à feudis præstiterint, absque ulla exceptione investiantur, utraque taxa ordinaria summam, insuper ejusdem dimidium pro infeudatione pendant, iidem aut sede vacante Capitula, & quibus administratio cum iis conjunctim competit, ad universales aque, ac particulares deputationum, visitationum, revisionum, aliosque conventus Imperiales, literis solitis evocentur; & suffragii jure fruantur, prout quique Statuum ante Religionis dissidia eorum Jurium particeps fuit. Qua vero & quot persona ad ejusmodi conventus mitti debeant, de eo Præsulibus cum Capitulis & conventualibus statuere liberum esto.

De titulis Principum Ecclesiasticorum ex Augustana Confessione ita convenit, ut absque tamen præjudicio status & dignitatis titulis Electorum aut Postulatorum in Archi-Episcopum, Episcopum, Abbatem, Præpositum insigniantur. Sessionem autem in scamno inter Ecclesiasticos & seculares intermedio & transverso capiant, quibus à latere assideant in conventu omnium trium Imperii Collegiorum, director Cancellaria Moguntinensis nomine Domini Archi-Episcopi alterum Comitialium generali directione fungens, & post ipsum Directores Collegii Principum: Idemque observetur in Senatu Principum collegialiter congregato, à solis istius Collegii alterum directoribus.

7. Quot Capitulares aut Canonici die prima Januarii Anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti ustiam vel Augustana Confessionis vel Catholici fuerunt, totidem illic ex utraque religione erunt semper, nec decedentibus nisi ejusdem Religionis consortes surrogentur: Si vero alicubi jam plures Catholici vel Augustana Confessionis Capitulares aut Canonici beneficia possident, quam anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto, ii quidem supernumerarii beneficia & prabendas ad vitam retineant, mortui vero, tam diu Catholicis Augustana Confessioni addicti, & his Catholici succedant, donec redintegratus fuerit utrinsque Religionis Capitularium & Canonicorum numerus, qui die prima Januarii anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto erat. Exercitium vero Religionis in mixtis Episcopatibus ita restituatur & permaneat, ubi & quatenus id anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto palam receptum permissumque fuit, neque supradictis omnibus vel eligendo vel præsentando aliterve quicquam detrimenti creetur.

8. Qui Archi-Episcopatus, Episcopatus & alia fundationes atque bona Ecclesiastica immediata vel mediata in satisfactionem Regia Majestatis Regnique Suecia aut aquivalentem recompensationem, indemnitatemque suorum fœderatorum, amicorum & Interessatorum concesserunt, peculiaribus suis conventionibus infra contentis, per omnia relinquantur. In omnibus vero iis, qua ibi non continentur, & inter hac quoad §. Jus Diœcesanum 16. infra positum, constitutionibus Imperii & huic Transactioni subjecta manento.

9. Quacunque Monasteria, Collegia, Ballivia, Commen-

1648. mendas; Templa, fundationes, scholas, hospitalia, aliave bona Ecclesiastica mediata, ac & eorum reditus, Juraque quocunque nomine ea appellata fuerint Augustana Confessionis Electores, Principes, Status, Anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti, die prima Januarii, possederunt, eadem omnia & singula sive retenta semper, sive restituta; sive vigore hujus transactionis restituenda, iidem possideant, donec controversia Religionis amicabili partium compositione universalis desinantur, non attentis exceptionibus, sive ante sive post transactionem Passaviensem, aut Pacem Religiosam reformata & occupata, aut quod non de vel in territorio Augustana Confessionis Statuum vel exempta, vel aliis Statibus jure Suffraganeatus, Diaconatus, aliave quavis ratione obligata fuisse dicuntur, unicum solumque hujus transactionis, restitutionis, observantiaque futura fundamentum sit die prima Januarii Anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto habita possessio, irritis prorsus exceptionibus quæ ex introducto alicubi locorum exercitio interimistico, vel anterioribus, aut secutis pactis generalibus aut specialibus transactionibus, vel litibus motis cansive decisis, vel etiam decretis, mandatis, rescriptis, paritoriis, reversalibus, litispendentiis vel aliis quibuscunque pratextibus & rationibus desumi possent. Ubi igitur supradictorum omnium bonorum, eorundem pertinentium, fructuumve Augustana Confessioni Statibus aliquid quovis modo aut pratextu sive judicialiter sive extrajudicialiter à dicto tempore interversum aut ademptum est omnino absque mora, & indistincte (interque illa specialiter etiam Monasteria, fundationes atque bona Ecclesiastica omnia & singula à Principe Wurtenburgico Anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto possessa) cum suis pertinentiis, reditibus & accessionibus ubicunque sitis, una cum amotis documentis in priorem statum restituantur. Nec Augustana Confessioni addicti posthac in habita vel recuperata possessione ullo modo turbentur, sed ab omni persecutione juris & facti perpetuò tuti sint, donec controversia Religionis composita fuerint.

Omnia quoque Monasteria, fundationes & sodalitia mediata, quæ die prima Januarii, Anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto Catholici realiter possederunt, possideant & ipsi similiter, utut in Augustanæ Confessionis Statuum territoriis & ditionibus ea sita sint, non tamen in alios Religiosorum ordines, quam quorum regulis primitus dicata sunt, commutentur: nisi talium Religiosorum ordo plane intercideris. Tunc enim Magistratui Catholicorum liberum esto, ex alio, in Germania, ante dissidia Religionis exorta, usitato ordine, novos Religiosos substituere. In quibuscunque vero fundationibus, Ecclesiis Collegiatis, Monasteriis, hospitalibus ejusmodi mediatis, Catholici & Augustana Confessioni addicti promiscue vixerunt, vivant etiam posthac promiscue numero prorsus eodem qui die prima Januarii Anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto ibidem repertus fuit, publicum etiam Religionis exercitium idem maneat, quod quovis in loco dicto anno dieque usitatum fuit absque unius vel alterius partis impedimento. In quibuscunque etiam fundationibus Mediatis anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto die prima Januarii Sacra Cæsarea Majestas primarias preces exercuit, exerceat eas & imposterum, ad modum circa bona immediata superius explicatum. Idem plane hic observetur de mensibus Papalibus, quod supra de iis §. quinto dispositum est. Conferant etiam Archi-Episcopi & quibus alias id juris competit, beneficia mensium extraordinariorum; Quod si quoque Augustanæ Confessioni addicti in ejusmodi bonis Ecclesiasticis Mediatis dicto anno dieque à Catholicis, realiter, plenè vel ex parte possessis jura præsentandi, visitandi, inspectionis, confirmandi, corrigendi, protectionis, apertura, hospitationis, servitiorum, operarum, habuerunt: Item Parochos, Præpositos sibi aluerunt, jura ista illis sarta tectaque maneant. Et si Electiones debito tempore modove non fiant, prebendarum vacantium distributio & collatio in ejusdem religionis personas, cujus decedens fuit, ex jure devoluto ad eosdem pertineat, modo per hoc in istiusmodi bonis Ecclesiasticis mediatis institutio Catholica Religionis nihil præjudicetur, & Magistratui Catholicorum Ecclesiastico sua jura ex instituto ordinis in ipsos religiosos competentia, salva & illibata sint. Quibus etiam si Electiones aut collationis prebendarum vacantium debito tempore factæ non fuerint, jus devolutum salvum esto. Quod ad Oppignorationes Imperialis attinet, cum in capitulatione Cæsarea dispositum reperiatur, quod Electus Romanorum Imperator, Electoribus, Principibus, cæterisque Statibus immediatis Imperii, ejusmodi oppignorationes confirmare atque illos in earundem tranquilla & quieta possessione defendere ac manutenere debeat; Conventum est, hanc dispositionem, donec consensu Electorum, Principum & Statuum aliter statutum fuerit, observandam esse, atque propterea Civitati Landsw, necnon Weissenburgo in Noricis reddita forte oppignorationes Imperiales ipsis ademptas illico & plenarie restituendas. Quæ vero bona Status Imperii sibi invicem pignoris jure ante hominis memoriam obligaverunt, in iis relutitioni aliter locus non detur, nisi possessorum exceptiones & merita causarum sufficienter examinentur. Quod si bona ejusmodi durante hoc bello vel absque previa causæ cognitione, vel non soluta forte ab aliquo occupata fuerint, una cum documentis statim plenarie prioribus possessoribus reddantur, & si sententia relutitionis locum concedat, inque rem judicatam transierit, atque forte numerata restitutio subsecuta fuerit, Domino quidem directo liberum esse debet, in hujusmodi terras oppignoratas ad se reversas sua Religionis exercitium publice introducere: Incolæ tamen & subditi migrare, aut suam, quam sub priori possessore hujusmodi terrarum oppignoratarum amplexi fuerant, Religionem deserere non cogantur, de publico vero sua Religionis exercitio inter ipsos & relutentem Dominum directum transigatur.

10. Libera & immediata Imperii Nobilitas omniaque & singula ejus membra una cum subditis & bonis suis feudalibus, & allodialibus, nisi forte in quibusdam locis ratione bonorum & respectu territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur subjecta, vigore pacis religiosæ & præsentis conventionis in juribus religionem concernentibus & beneficiis inde promanantibus, idem jus habeant, quod supradictis Electoribus, Principibus & Statibus competit, nec in iis sub quocunque pratextu impediantur aut turbentur, Turbata vero omnia omnino in integrum restituantur.

11. Libera Imperii Civitates prout omnes atque singulæ sub appellatione Statuum Imperii non tantum in Pace Religionis & præsenti ejusdem declaratione, sed & alias ubique indubitate continentur, ita & ex illarum numero ea, in quibus unica tantum Religio anno millesimo, sexcentesimo vicesimo quarto in usu fuit, tam ratione juris reformandi, quam aliorum casuum Religionem concernentium in territoriis suis & respectu subditorum non minus ac intra muros & suburbia idem cum Reliquis Statibus Imperii superioribus jus habeant; adeoque de istis generaliter dispositum & conventa, de his quoque dicta & intellecta sunto, non attento quod in iis Civitatibus in quibus præter Augustanæ Confessionis exercitium nullum aliud à Magistratu & civibus juxta morem & statuta cujusque loci, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto introductum fuit, aliqui Catholicæ Religioni addicti cives commorentur, vel etiam in aliquibus Capitulis, Ecclesiis Collegiatis

1648. giatis, Monaſteriis & Cœnobiis ibidem ſitis immediate vel mediate Imperio ſubjectis, inque eo ſtatu, qui fuit prima Januarii Anno 1624. deinceps quoque cum Clero intra præfatum terminum non introducto & Civibus Catholicis pro tempore ibi exiſtentibus, tam active, quam paſſive omnino relinquendis, Catholica Religionis exercitium vigeat. Ante omnia vero illæ Civitates Imperiales, quæ ſive uni, ſive utrique Religioni addictæ (& inter has poſteriores cumprimis Auguſta Vindelicorum, itemque Dunckelſpula, Biberacum, Ravensburgum & Kauffbeura) ab anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo quarto propter Religionem, vel bona Eccleſiaſtica ante, vel poſt Tranſactionem Paſſavienſem, & infectam Pacem Religioſam occupata & reformata, vel alias intuitu Religionis in Politicis quocunque modo ſive extra, ſive judicialiter aggravatæ ſunt, in eum ſtatum, in quo Kalendis Januarii prædicti anni milleſimi ſexcenteſimi viceſimi quarti tam in ſacris, quam in profanis fuerunt non minus ac reliqui ſtatus Imperii ſuperiores plenisſimè reponantur, inque eo abſque ulteriore turbatione, perinde atque illæ, quæ tum temporis adhuc poſſederunt, aut interea poſſeſſionem recuperarunt, uſque ad amicabilem Religionum compoſitionem, conſerventur. Neutrique partium alteram de Religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas ſit, ſed cives pacifice & comiter invicem cohabitent, liberumque Religionis ſuæ & bonorum uſum, ultro citroque habeant; ceſſatis rerum judicatarum & tranſactarum, litispendentiarum, aliisque §§. 2. & 9. enumeratis exceptionibus: Salvis tamen iis, quæ politicorum ratione de Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpula, Biberaco & Ravenſpurgo ſuperius §. 2. diſpoſita ſunt.

12. Quantum deinde ad Comites, Barones, Nobiles, Vaſallos, Civitates, Fundationes, Monaſteria, Commendas, Communitates & ſubditos Statibus Imperii Immediatis ſive Eccleſiaſticis ſive ſecularibus ſubjectos pertinet. Cum ejuſmodi Statibus immediatis cum Jure Territorii & ſuperioritatis ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi, etiam jus reformandi exercitium Religionis competat, ac dudum in Pace Religionis talium Statuum ſubditis, ſi à Religione Domini territorii diſſentiant, beneficium emigrandi conceſſum, inſuper majoris concordiæ inter Status conſervandæ cauſa, cautum fuerit, quod nemo alienos ſubditos ad ſuam Religionem pertrahere eave cauſa in defenſionem aut protectionem ſuſcipere, illisve ulla ratione patrocinari debeat, conventum eſt; hoc idem porro quoque ab utriuſque Religionis Statibus obſervari, nullique ſtatui immediato jus, quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportere. Hoc tamen non obſtante, Statuum Catholicorum Landſaſſii, Vaſalli & Subditi cujuscunque generis qui ſive publicum ſive privatum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium Anno 1624. quacunque anni parte, ſive certo pacto, ſive privilegio, ſive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam imposterum una cum annexis quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuiſſe probare poterunt. Cujusmodi annexa habentur inſtitutio Conſiſtoriorum, Miniſteriorum, tam Scholaſticorum quam Eccleſiaſticorum, Jus patronatus, aliaque ſimilia jura, nec minus maneant in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum templorum, fundationum, monaſteriorum, hoſpitaliumm cum omnibus pertinentiis, reditibus & acceſſionibus. Et hæc omnia ſemper & ubique obſerventur conſque donec de Religione Chriſtiana vel univerſaliter, vel inter Status immediatos, eorumque ſubditos mutuo conſenſu aliter erit conventum, ne quisquam à quocunque ulla ratione aut via turbetur. Turbatis aut quocunque modo deſtitutis vero, ſine ulla exceptione in eum, quo anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto fuerat ſtatum, plenarie reſtituantur. Idemque obſervetur ratione ſubditorum Catholicorum Auguſtanæ Confeſſionis Statuum, ubi dicto anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto uſum & exercitium Catholicæ Religionis publicum aut privatum habuerunt. 1648.

Pacta autem, Tranſactiones, Conventiones, aut Conceſſiones, quæ inter tales immediatos Imperii ſtatus eorumque ſtatum provinciales & ſubditos ſupradictos de publico vel etiam private exercitio Religionis introducendo, permittendo, & conſervando antehac interceſſerunt, inita & facta ſunt, eatenus rata & firma manento, quatenus obſervantiæ dicti anni milleſimi ſexcenteſimi viceſimi quarti, non adverſantur, nec ab iisdem niſi mutuo conſenſu recedere liceat, non attentis, ſed annihilatis omnibus anni milleſimi ſexcenteſimi viceſimi quarti obſervantiæ, utpote quæ inſtar regulæ obtineat contrariis latis ſententiis, reverſalibus, pactis, quibuscunque Tranſactionibus. Et inter illa quæ Epiſcopus Hildeſienſis & Duces Brunsvico-Lunebergenſes de Religione ejusque exercitio Statuum & Subditorum Epiſcopatus Hildeſienſis nonnullis pactis Annis 1643. tranſegerunt. Excipiantur vero à dicto termino, & Catholicis reſerventur novem Monaſteria in Epiſcopatu Hildeſienſi ſita, quibus Duces Brunsvicenſes certis conditionibus eodem anno ceſſerunt.

Placuit porro ut illi Catholicorum ſubditi Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ut & Catholici Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſubditi, qui Anno 1624. publicum vel etiam privatum Religionis ſuæ Exercitium nulla anni parte habuerunt, nec non qui poſt pacem publicatam, deinceps futuro tempore diverſam à Territorii Domino Religionem profitebuntur, & amplectentur, patienter tolerentur, & conſcientia libera domi devotioni ſuæ ſine inquiſitione aut turbatione privatim vacare, in vicinia vero ubi & quoties voluerint, publico Religionis exercitio intereſſe, vel liberos ſuos exteris ſuæ Religionis ſcholis, aut privatis domi Præceptoribus inſtruendos committere non prohibeantur, ſed ejusmodi Landſaſſii, Vaſalli & ſubditi in cæteris officium ſuum cum debito obſequio & ſubjectione adimpleant, nullisque turbationibus anſam præbeant. Sive autem Catholici, ſive Auguſtanæ Confeſſionis fuerint ſubditi, nullibi ob Religionem deſpicatui habeantur, nec à mercatorum, opificum, aut tribuum communione, hereditatibus, legatis, hoſpitalibus, leproſoriis, eleemoſynis, aliisve juribus aut commerciis, multo minus publicis cæmeteriis, honoreve ſepultura arceantur, aut quicquam pro exhibitione funeris à ſuperſtitibus exigatur, præter cujusque Parochialis Eccleſiæ jura, pro defunctis penda ſolita, ſed in his & ſimilibus pari cum concivibus jure habeantur, æquali juſtitia protectioneque tuti.

Quod ſi vero ſubditus, qui nec publicum nec privatum ſuæ religionis Exercitium Anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo quarto habuit, vel etiam, qui poſt publicatam Pacem, Religionem mutabit, ſua ſponte emigrare voluerit, aut a Territorii Domino juſſus fuerit liberum ei ſit, aut retentis bonis aut alienatis diſcedere, retenta per miniſtros adminiſtrare, & quoties ratio id poſtulat, ad res ſuas inſpiciendas vel perſequendas lites aut debita exigenda, libere & ſine literis commeatus adire.

Conventum autem eſt, ut à Territoriorum Dominis, illis ſubditis qui neque publicum, neque privatum Exercitium Religionis ſuæ dicto anno habuerunt & tamen tempore publicatæ præſentis Pacificationis, in unius vel alterius Religionis Statuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur, quibus illi etiam annumerandi erunt, qui ob calamitates bellicas evitandas, non tamen animo transferendi domicilium, alio emi-

1648. emigrarunt, & facta Pace, in Patriam redire volunt, terminus non minor quinquennio, illis vero qui post pacem publicatam Religionem mutant, non minor triennio, nisi tempus magis laxum & spatiosum impetrare potuerint, ad emigrandum præfigatur: neque sive voluntarie, sive coacte emigrantibus nativitatis, manumissionis, notopificii, honesta vitæ testimonia denegentur, aut iidem reversalibus insuetis vel decimationibus substantia secum exportata, plus æquo extensis pragraventur, multo minus spontaneam suscipientibus emigrationem, servitutis aut ullo alio prætexta impedimentum inferatur. 1648.

13. Silesii etiam Principes Aug. Conf. additi, Duces scilicet in Brieg, Ligniz, Munsterberg, & Oels, itemque Civitas Vratislaviensis, in libero suorum antebellum obtentorum jurium & privilegiorum, nec non Augusti. Conf. exercitio ex gratia Cæsarea & Regia ipsis concesso manutenebuntur. Quod vero ad Comites, Barones, Nobiles, eorumque subditos in reliquis Silesiæ Ducatibus, qui immediate ad Cameram Regiam spectant, tum etiam de præsentes in Austria inferiori degentes, Comites, Barones, & Nobiles attinet, quamvis Cæsareæ Majestati jus reformandi exercitium Religionis non minus, quam aliis Regibus & Principibus competat, tamen non quidem ex pacto juxta dispositionem præcedentis versiculi: Pacta autem &c. sed ad interventionem Regiæ Majestatis Suecicæ & in gratiam intercedentium August. Conf. Statuum, permittit, ut ejusmodi Comites, Barones & Nobiles, illorumque in prædictis Silesiæ Ducatibus subditi, ob professionem Aug. Conf. loco aut bonis cedere aut emigare non teneantur, nec etiam prohibeantur dicta Conf. exercitium in locis vicinis extra territorium frequentare, modo in reliquis tranquille & pacifice vivant; sequentes præstent, quæ ea erga suum summum Principem decet. Si vero sua sponte emigrarint & bona sua immobilia vendere vel nolint, vel commode non possint, liberus aditus rerum suarum inspiciendarum & curandarum causa concessus esto.

Præter hæc autem, quæ supra dictis Silesiæ Ducatibus, qui immediate ad Cameram Regiam spectant, disposita sunt, Sacra Cæsarea Majestas ulterius pollicetur, se illis, qui in his Ducatibus Aug. Conf. addicti sunt, pro hujus Confessionis exercitio tres Ecclesias propriis eorum sumptibus extra civitates Sweinitz, Jaur & Glogaviam prope mœnia locis ad hoc commodis, jussu suæ Majestatis designandis, post pacem confectam ædificandas, quam primum id postulaverint, concessuram.

Et cum de majore Religionis libertate & exercitio in supra dictis & reliquis Cæsareæ Majestatis & Domus Austriacæ Regnis & provinciis concedendo in præsenti Tractatu varie actum sit, nec tamen ob Cæsareanorum Plenipotentiariorum contradictiones convenire potuerit, Regia Majestas Suecia & Augustanæ Confessionis Ordines facultatem sibi reservant, eo nomine in proximis Comitiis aut alias apud suam Cæsaream Majestatem pace tamen semper permanente & exclusa omni violentia & hostilitate, ulterius respective amice interveniendi & demisse intercedendi.

14. A sola qualitate feudali vel subfeudali, sive à Regno Bohemiæ, sive ab Electoribus, Principibus & Statibus Imperii, sive aliunde procedant jus reformandi non dependet, sed feuda ista & subfeuda, nec non vasalli, subditi & bona Ecclesiastica in causis Religionis & quicquid juris Dominus feudi prætendat, introduxerit, aut sibi arrogarit, ex Statu anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti, die prima Jan. perpetua censeantur, quæ vel judicialiter vel extrajudicialiter innovata fuerint, tollantur, & in pristinum statum restituantur. Territorii inre vel ante vel post terminum anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti controverso, donec super possessorio & petitorio cognoscatur & decidatur, possessori præfati anni idem jus esto, quantum equidem ad publicum exercitium attinet. Subditi vero propter mutatam interim Religionem pendente territorii controversia migrare non cogantur. In iis locis ubi Catholici, & Augustana Confessionis Status ex æquo jure superioritatis fruuntur, tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum Religionem concernentium idem status maneat, qui fuit anno dieque supra dictis. Sola criminalis jurisdictio, Cent-gericht, solumque jus gladii & retentionis, patronatus, filialitatis neque conjunctim neque divisim jus reformandi tribuunt. Quæ itaque hoc colore reformationes hucusque irrepserunt, pactisve intrusa sunt, cassantur, gravati restituuntur, & imposterum ab ejusmodi pensu abstinetur.

15. Ratione redituum cujuscunque generis ad bona Ecclesiastica eorumque possessores pertinentium ante omnia observetur id, quod in pace Religionis §. Dagegen sollen die Stände der Augspurg. Conf. &c. §. Alsdann auch denen Ständen der Alten Religion, &c. dispositum invenitur. Illi vero reditus, census, decimæ, pensiones, quæ vigore jam dictæ Pacis Religionis statibus A. C. ob immediatas vel mediatas fundationes Ecclesiasticas ante vel post pacem Religiosam acquisitas è Catholicorum Provinciis debentur, quorumque in possessione vel quasi percipiendi Anno 1624. die 1. Jan. fuerunt; absque ulla exceptione solvantur, si alicubi etiam Augusti. Conf. Status quidam protectionis, Advocatiæ, apertura, hospitationis, operarum aut alia jura in Catholicorum Ecclesiasticorum ditionibus & bonis sive intra, sive extra territorium sitis, legitimo usu aut concessione habuerunt, quemadmodum etiam Catholici Status, si quid ejusmodi ipsis circa bona Ecclesiastica Aug. Conf. Statibus acquisita competit, omnes ex æquo jure sua pristina retineant, ita tamen ut ne per usum ejusmodi jurium bonorum Ecclesiasticorum reditus nimium pragraventur & exhaurianter.

Reditus etiam, nec non decimæ, Canones & pensiones August. Confess. Statibus, fundationibus jam destructis & collapsis ex alienis territoriis debitæ, iis exsolvantur, qui Anno 1624. die 1. Jan. in possessione percipiendi vel quasi fuerunt, quæ vero ab Anno 1624. destructæ fuerunt, aut in futurum concident, earum pensiones etiam in alienis territoriis Domino destructi Monasterii seu loci, in quo id situm fuit, exsolvantur. Quæ itidem fundationes die 1. Jan. Anni 1624. in possessione vel quasi juris decimandi è bonis novalibus in alieno Territorio fuerunt, sint etiam imposterum, nihil autem novi juris quæratur. Inter cæteros Status Imperii & subditos id juris esto, quod jus commune vel cujusque loci consuetudo & observantia de Decimis ex bonis novalibus constituunt, aut per pactiones voluntarias conventum est.

16. Jus Diœcesanum & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status, comprehensa Libera Imperii Nobilitate, eorumque subditos, tam inter Catholicos & Augustanæ Confessioni addictos, quam inter ipsos solos Augustana Confess. Status usque ad compositionem Christianam dissidii Religionis suspensa esto, & intra terminos Territorii cujusque jus Diœcesanum & jurisdictio Ecclesiastica se contineat ad consequendos tamen reditus, census, decimas & pensiones in iis August. Confess. Statuum ditionibus, ubi Catholici Anno 1624. notoriæ in possessione vel quasi exercitii jurisdictionis Ecclesiasticæ fuerunt, maneant eadem posthac quoque, sed non, nisi in exigendis hisce pensionibus, nec procedatur ad excommunicationem nisi post tertiam demum denunciationem. Catholicorum Augustanæ Confess. addicti Status Provinciales & subditi, qui Anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto Ec-

1648. *cleſiaſticam jurisdictionem agnoverunt, in his caſibus modo dicta jurisdictioni ſubſint, qui Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernunt, modo ipſis occaſione proceſſus nihil injungatur Auguſt. Confeſſ. vel conſcientiæ repugnans. Eodem etiam jure Auguſt. Confeſſ. Magiſtratuum Catholici ſubditi cenſeantur, inque hos qui Anno 1624. publicum Religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Jus Diœceſanum quatenus Epiſcopi, illud dicto Anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto. In quibus civitatibus vero Imperii mixta Religionis exercitium in uſu eſt, Catholicis Epiſcopis contra cives Auguſt. Conf. nulla ſit jurisdictio, at Catholici juxta obſervantiam dicti Anni 1624. ſuo jure experiantur.*

17. *Utriusque Religionis Magiſtratus ſevere & rigoroſe prohibeat, ne quisquam publice privatimve concionando, docendo, diſputando, ſcribendo, confingendo, Tranſactionem Paſſavienſem, Pacem Religioſam, vel hanc imprimis ſive declarationem ſive Tranſactionem uſpiam impugnet, dubiam faciat, aut aſſertiones contrarias inde deducere conetur. Quicquid etiam contrarii hactenus vel editum, vel promulgatum, publicatumve fuerit, irritum eſto: ſed ſi dubii quid hinc aut alunde incidat, aut ex cauſis Pacem Religioſam aut hanc Tranſactionem tangentibus reſultet, de eo in Comitiis vel aliis Imperii Conventibus inter utriusque Religionis Proceres non niſi amicabili ratione tranſigatur.*

18. *In Conventibus Deputatorum Imperii Ordinariis, numerus ex utriusque Religionis Proceribus æquetur. De Perſonis autem vel Statibus Imperii adjungendis in Comitiis proximis ſtatuatur; in horum conventibus itemque Comitiis univerſalibus ſive ex uno, ſive duobus aut tribus Imperii Collegiis quacunque occaſione aut ad quæcunque negotia deputandi veniant, æquetur Deputatorum numerus ex utriusque Religionis proceribus. Ubi extraordinariis commiſſionibus negotia in Imperio expedienda occurrunt, ſi res inter Auguſtanæ Confeſſionis Status verſatur, ſolis eidem Religioni addictis deputentur, ſi inter Catholicos, ſolis Catholici, ſi inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Status, utriusque Religionis pari numero Commiſſarii denominentur & ordinentur. Placuit etiam ut Commiſſarii quidem res à ſe geſtas referant, & vota ſubjungant, inſtar tamen ſententiæ nihil definiant.*

19. *In Cauſis religionis omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum Corpus conſiderari nequeunt, ut etiam Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus in diverſas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate. Quod vero ad pluralitatem votorum in materia Collectandi attinet, cum res hæc in præſenti congreſſu decidi non potuerit, ad proxima Comitia remiſſa eſto.*

20. *Præterea cum ob enatas ex præſenti bello mutationes & alias cauſas de Judicio Cameræ Imperialis ad alium univerſis Imperii Statibus commodiorem locum transferendo, & Judicem, Præſides, Aſſeſſores, & quoſcunque Juſtitiæ Miniſtros, pares numero utriusque Religionis præſentando, ſicut etiam de reliquis ad judicium Camerale ſpectantibus, quædam in medium allata fuerint; ſed in præſenti congreſſu ob negotii gravitatem non tam plene expediri queant, in proxime indicendis Comitiis de his omnibus agi & conveniri; deliberationeſque de Reformatione Juſtitiæ in Deputatorum Imperii Conventu Francofurtenſi habita, effectum dari, & ſi quæ in his deſiderari videntur, ſuppleri & emendari debere conventum eſt. Ne tamen res hæc prorſus in incerto maneat, placuit, præter Judicem & quatuor Præſides, & quidem duos horum ex Auguſtanæ Confeſſione à ſola Cæſarea Majeſtate conſtituendos, numerum Aſſeſſorum Cameralium ad quinquaginta in univerſum adaugeri, ita ut Catholici compluratis duobus aſſeſſoribus Imperatoris præſentationis reſervatis, viginti ſex* 1648.
Auguſtanæ Confeſſionis Status, viginti quatuor Aſſeſſores præſentare poſſint & teneantur, atque ex ſingulis Circulis mixtæ Religionis, non tantum duos Catholicos, ſed etiam binos Auguſtanæ Confeſſioni addictos aſſumere & eligere fas ſit, cæteris ad judicium Camerale pertinentibus ut dictum eſt, ad proxima Comitia rejectis. Ac proinde Circuli de præſentandis mature in locum demortuorum novis ad Camerale Judicium Aſſeſſoribus, ſecundum ſchema ſubſequens admoneantur. Catholici etiam ſuo tempore de ordine præſentandi convenient, Cæſareaque Majeſtas mandabit, ut, non ſolum in iſto judicio Camerali cauſa Eccleſiaſtica, ut & Politica inter Catholicos & Auguſt. Conf. Status vel inter hos ſolos vertentes; vel etiam quando Catholicis contra Catholicos Status litigantibus tertius interveniens Aug. Confeſſ. Status erit, & viciſſim quando Auguſt. Confeſſ. Statibus contra ejusdem Confeſſ. Status litigantibus tertius interveniens erit Catholicus, adlectis ex utraque religione pari numero Aſſeſſoribus, diſcutiantur & judicentur; ſed idem etiam in judicio Aulico obſervetur, huicque fini aliquot Auguſt. Confeſſ. doctos & rerum Imperii peritos viros ex iis Imperii Circulis, ubi vel ſola Auguſtana Confeſſio vel ſimul etiam Catholica viget Religio, adſciſcat; eo quidem numero ut eveniente caſu paritas Judicantium ex utraque Religione Aſſeſſorum obſervari poſſit. Idem etiam quoad paritatem Aſſeſſorum obſervetur, quoties Auguſtanæ Confeſſionis Status immediatus à mediato Catholico vel immediatus Catholicus à mediato Aug. Conf. Statu Judicio conveniatur.

Quoad Proceſſum Judiciarium Ordinatio Cameræ imperialis etiam in Judicio Aulico ſervabitur per omnia, tum ut ne partes ibidem litigantes omni remedio ſuſpenſivo deſtituantur, loco reviſionis in Camera uſitatæ licitum eſto parti gravatæ à ſententia in Judicio Aulico lata, ad Cæſaream Majeſtatem ſupplicare, ut acta judicialia demum adhibitis aliis gravitatis negotii paribus; neutrique partium addictis ex utraque Religione æquali numero Conſiliariis & qui concipiendæ & ferendæ prioris ſententiæ non interfuerunt, aut certe referentium & correferentium partes non ſuſtinuerint videantur, liberumque ſit ſuæ Majeſtati in cauſis majoribus & unde tumultus in Imperio timeri poſſent, inſuper etiam quorundam utriusque Religionis Electorum & Principum ſententias & vota requirere.

Viſitatio Conſilii aulici fiat ab Electore Moguntino toties, quoties opus fuerit, obſervatis iis quæ in proximis Comitiis de communi Statuum placito obſervanda eſſe videbuntur; ſi quæ vero dubia circa interpretationem conſtitutionum ac receſſuum Imperii publicorum occurrunt, aut in dijudicandis cauſis Eccleſiaſticis vel politicis inter partes ſupra expreſſas vertentibus, ex paritate Aſſeſſorum utriusque Religionis, poſtquam in pleno etiam Senatu pari tamen ſemper utrinque Judicantium numero examinata fuerint, contraria oriantur ſententia, Catholicis quidem in unam, Aug. Conf. Aſſeſſoribus in aliam abeuntibus, remittuntur ad Comitia Imperii Univerſalia. Sin autem duo pluresve Catholici cum uno aut altero Auguſt. Confeſſ. Aſſeſſore & viciſſim unam, reliqui vero totidem numero quamvis religione diſpares alteram amplexi fuerint ſententiam, indeque contrarietas oriatur, hoc caſu juxta ordinationem Camera lis terminabitur, ulteriori remiſſione ad Comitia ceſſante. Et hæc omnia in cauſis Statuum, comprehenſa immediata Imperii Nobilitate, ſive actoreæ illi, ſive rei, ſive intervenientes fuerint, obſervantur. Si vero inter mediatos vel actor vel reus vel tertius interveniens fueris Auguſt. Conf. & paritatem judicantium ex utriusque Religionis Aſſeſſoribus poſtulaverit, adhibeantur pares: Eveniente autem tunc votorum paritate, ceſſet remiſſio ad Comitia, & lis juxta ordinationem Camera termine-

tur,

1648. tur. Cæterum in aulico non minus quam in Camera imperiali judicio, privilegium primæ inſtantiæ, Auſtregarum Jura & Privilegia de non appellando ſtatibus Imperii illibata ſunto, nec per mandata aut commiſſiones, aut advocationes, aut quovis alio modo turbantor. Denique cum etiam de abolendis curia Imperialis Rotvvile, judiciis provincialibus Sueciæ & aliis hinc inde per Imperium hactenus uſitatæ, mentio injecta fuerit, reſque hac gravioris viſa ſit momenti, de his quoque ulterior deliberatio ad proxima Comitia remiſſa eſto.

Aſſeſſores Auguſtanæ Confeſſionis præſententur ab.

Electore { Saxonico, Brandeburgico, Palatino } —— 6.

Circulo Superioris Saxoniæ 4. } unus alternando per hos duos Circulos.
Inferioris Saxoniæ. —— 4. }

Circuli Franconici Statibus.

Auguſtanæ Confeſſionis 2. } unus alternando per hos quatuor Circulos.
Suevici —— 2. }
Superioris Rhenani — 2. }
Weſtphalici —— 2. }

Et quamvis ſub ſchemate nulla fiat mentio Statuum Imperii Auguſtanæ Confeſſionis, qui ſub Circulo Bavarico comprehenduntur, nihil tamen ex eo ipſis præjudicetur, ſed ſalva maneant horum jura, privilegia & libertates.

De Baſilea, & Helvetiis. *Cum item Cæſarea Majeſtas ad querelas nomine Civitatis Baſilienſis & univerſæ Helvetiæ coram ipſius Plenipotentiariis ad præſentes congreſſus deputatis propoſitas ſuper nonnullis proceſſibus & mandatis executivis, a Camera Imperiali contra dictam Civitatem, aliosque Helvetiorum unitos Cantones, eorumque Cives & ſubditos emanatis, requiſita Ordinum Imperii ſententia & conſilio, ſingulari decreto die 14. Menſis Maji anno proximè præterito declaraverit, præfatam Civitatem Baſileam, cæteroſque Helvetiorum Cantones in poſſeſſione vel quaſi plenæ libertatis & Exemptionis ab Imperio eſſe, ac nullatenus ejusdem Imperii dicaſteriis & judiciis ſubjectos; placuit hoc idem publicæ huic Pacificationis Conventioni inſerere, ratumque & firmum manere, atque idcirco ejusmodi Proceſſus una cum arreſtis eorum occaſione quandocunque decretis prorſus caſſos & irritos eſſe debere.*

Extenſio pacis ad Reformatos. *VII. Unanimi quoque Cæſareæ Majeſtatis, omniumque Ordinum Imperii conſenſu, placuit, ut quicquid juris aut beneficii, cum omnes alia Conſtitutiones Imperii, tum Pax Religionis & publica hac Tranſactio, in eaque deciſio Gravaminum cæteris Catholicis, & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt, id etiam iis qui inter illos* Reformati *vocantur, competere debeat. Salvis tamen ſemper Statuum, qui Proteſtantes nuncupantur, inter ſe & cum ſubditis ſuis conventis pactis, privilegiis, reverſalibus & diſpoſitionibus aliis quibus de Religione ejuſque exercitio & inde dependentibus cujusque loci ſtatibus & ſubditis hucusque proviſum eſt ſalva itidem cujusque conſcientia libertate. Quoniam vero controverſia Religionis quæ inter modo dictos Proteſtantes vertuntur, hactenus non fuerunt compoſita, ſed ulteriori compoſitioni reſervata ſunt, adeoque illi duas partes conſtituunt, ideo de Jure reformandi inter utramque ita conventum eſt, ut ſi aliquis Princeps vel alius Territorii Dominus, vel alicujus Eccleſiæ patronus poſthac ad alterius partis ſacra tranſierit aut Principatum, aut ditionem; ubi alterius partis ſacra exercitio publico de præſenti vigent, ſeu jure ſucceſſionis, ſeu vigore præſentis Tractatus Pacis aliove quocunque titulo nactus fuerit, aut recuperarit, ipſi quidem Concionatores Aulicos ſuæ Confeſſionis circa ſubditorum omnes aut præjudicium, ſecum atque in Reſidentia ſua habere liceat, ac ſui non ſit vel publicum Religionis Exercitium, leges aut conſtitutiones Eccleſiaſticas, hactenus ibi receptas, immutare, vel templa, ſcholas, hoſpitalia, aut eo pertinentes reditus, penſiones, ſtipendia, prioribus adimere, ſuorumque ſacrorum hominibus applicare, vel juris territorialis, Epiſcopalis, patronatus, aliove quocunque prætextu ſubditis Miniſtros alterius Confeſſionis obtrudere, illumve aliud impedimentum aut præjudicium directe vel indirecte alterius ſacris afferre: Et ut hæc conventio eo firmius obſervetur, liceat hoc mutationis caſu ipſis communitatibus præſentare, vel quæ præſentandi Jus non habent nominare; idoneos Scholarum & Eccleſiarum Miniſtros à publico loci Conſiſtorio & Miniſterio, ſi ejusdem, cum præſentantibus vel nominantibus Communitatibus ſunt religionis, vel hoc deficiente, eo loco, quem ipſa communitas elegerint, examinandos & ordinandos atque à Principe vel Domino poſtea ſine recuſatione confirmandos.*

Si vero aliqua communitas eveniente mutationis caſu Domini ſui religionem amplexa petierit ſuo ſumptu exercitium cui Princeps vel Dominus addictus eſt liberum eſto, ſine reliquorum præjudicio, ei illud indulgere à ſucceſſoribus non auferendum. At Conſiſtoriales, Sacrorum Viſitatores, Profeſſores Scholarum & Academiarum, Theologiæ & Philoſophiæ, non niſi eidem Religioni addicti ſint, quæ hoc tempore quolibet in loco publice recepta eſt. Sicut autem ſupradicta omnia de mutationibus futuris intelligenda ſunt, ita Juribus Principum Anhaltinorum & ſimilium quæ ipſis competunt, nullum adferant præjudicium. Sed præter Religiones ſupra nominatas nulla alia in ſacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur.

Confirmantur jura Statuum & Comitiorum. *VIII. Ut autem proviſum ſit, ne poſt hac in ſtatu Politico controverſiæ ſuboriantur, omnes & ſingulí Electores, Principes & Status Imperii Romani in antiquis ſuis Juribus, prærogativis, libertate, privilegiis, libero Juris territorialis tam in Eccleſiaſticis quam politicis exercitio, ditionibus, regalibus, horumque omnium poſſeſſione vigore hujus tranſactionis ita ſtabilita firmataque ſunto, ut à nullo unquam ſub quocunque prætextu de facto turbari poſſint vel debeant.*

Gaudeant ſine contradictione jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii præſertim ubi leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hoſpitationes militum inſtituenda, nova munimenta intra Statuum ditionem extruenda, nomine publico, veterave firmanda præſidia, nec non ubi Pax aut fœdera facienda, aliave ejusmodi negocia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam ſimile poſthac unquam fiat vel admittatur, nisi de Comitiali, liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu; cumprimis vero Jus faciendi inter ſe & cum exteris fœdera, pro ſua cujusque conſervatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuo liberum eſto, ita tamen, ne ejusmodi fœdera ſint contra Imperatorem & Imperium Pacemque ejus publicam, vel hanc imprimis tranſactionem, fiantque ſalvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt. Habeantur autem Comitia Imperii intra ſex menſes à dato ratificatæ Pacis. Poſtea vero, quoties id publica utilitas aut neceſſitas poſtulaverit. In proximis vero Comitiis emendentur imprimis anteriorum conventuum defectus; ac tum quoque de electione Romanorum Regum, certa conſtantique Cæſarea capitulatione concipienda, de modo & ordine in declarando

1648. rando uno vel altero Statu in bannum Imperii, praeter eum qui alias in Constitutionibus Imperii descriptus est, tenendo, redintegrandis Circulis, renovanda Matricula reducendis Statibus exemptis, moderatione & remissione Imperii Collectarum, reformatione Politiæ & Justitiæ, Taxa sportularum in Judicio Camerali, ordinariis deputatis ad modum & utilitatem Reipublicæ rite formandis, legitimo munere directorum in Imperii collegiis & similibus negotiis, quæ hic expediri nequiverant, ex communi Statuum consensu agatur & statuatur.

Tam in universalibus vero, quam particularibus Dietis, liberis Imperii Civitatibus, non minus quam cæteris Statibus Imperii competat votum decisivum, isque rata & intacta maneant regalia, vectigalia, reditus annui, libertates, privilegia confiscandi, collectandi & inde dependentia, aliaque jura ab Imperatore & Imperio legitime impetrata vel longo usu ante hos motus obtenta, possessa & exercita, cum omnimoda jurisdictione, intra muros & in territorio, cassatis, annullatis & in futurum prohibitis iis, quæ per repressalias, arresta, viarum occlusiones, & alios actus præjudiciales, sive durante bello quocunque prætexu in contrarium facta & propria authoritate hucusque attentata sunt, sive deinceps nullo præcedente legitimo juris & executionis ordine fieri attentarive poterunt. De cætero omnes laudabiles consuetudines & sacri Romani Imperii constitutiones & leges fundamentales, imposterum religiose serventur, sublatis omnibus, quæ bellicorum temporum injuria irrepserant, confusionibus.

De indaganda aliqua ratione & modo æquitati convenienti, qui persecutiones actionum contra debitores ob bellicas calamitates fortunis lapsos aut nimio usurarum cursu aggravatos, moderate terminari, indeque nascituris majoribus incommodis etiam tranquillitati publicæ noxiis obviam iri possit, Cæsarea Majestas curabit exquiri tam Judicii aulici, quam Cameralis vota & consilia, quæ in futuris Comitiis proponi, & in constitutionem certam redigi possint, interea tamen temporis in hujusmodi causis ad Judicia cum summa Imperii, tum singularia Statuum delatis circumstantiæ à partibus allegatæ bene ponderentur, ac nemo executionibus immoderatis prægraveur, sed hac omnia Holsatiæ constitutione salva & illæsa.

IX. Et quia publice interest, ut facta Pace commercia vicissim vestigescant, ideo conventum est, ut qua eorum præjudicio & contra utilitatem publicam hinc inde per Imperium belli occasione, noviter propria autoritate contra jura, privilegia & sine consensu Imperatoris atque Electorum Imperii invecta sunt vectigalia & telonia, ut & abusus Bullæ Brabantinæ, indeque natæ repressaliæ & arresta, cum inductis peregrinis certificationibus, exactionibus, detentionibus, itemque immoderata Postarum omniaque alia inusitata onera & impedimenta, quibus commerciorum & navigationis usus deterior redditus est, penitus tollantur & provinciis, portubus, fluminibus quibuscunque sua pristina securitas, Jurisdictio & usus prout ante hos motus bellicos à pluribus retro annis fuit, restituantur, & inviolabiliter conserventur.

Territoriorum quæ flumina alluunt, & aliorum quorumcunque Juribus ac Privilegiis, ut & telonius ab Imperatore de consensu Electorum cum aliis, tum etiam Comiti Oldenburgensi in Visurgi concessis autusu diuturno introductis in pleno suo vigore manentibus & executioni mandandis, tum ut plena sit Commerciorum libertas & transitus ubique locorum terra marique tutus, adeoque ea omnibus & singulis Utriusque partis Fœderatorum Vasallis, Subditis, Clientibus & Incolis, eundi, negotiandi, redeundique potestas data sit, virtuteque præsentium concessa intelligatur, quamcunque ante Germania motus passim competebat: quos etiam Magistratus utrinque contra injustas oppressiones & violentias instar propriorum subditorum defendere ac protegere teneantur, hac conventione ut & jure legeque cujusque loci per omnia salvis. 1648.

X. Porro quoniam Serenissima Regina Suecia postulaverat, ut sibi pro locorum hoc bello occupatorum restitutione satisfieret, pacique publicæ in Imperio restauranda condigne prospiceretur; Ideo Cæsarea Majestas de consensu Electorum, Principum & Statuum Imperii, cumprimis Interessatorum vigoreque præsentis transactionis concedit eidem Serenissimæ Reginæ & futuris ejus hæredibus ac successoribus Regibus Regnoque Suecia sequentes ditiones pleno jure in perpetuum & immediatum Imperii feudum. Satisfactio Coronæ Succicæ.

Primo; Totam Pomeraniam citeriorem, vulgo Vor-Pommern dictam, una cum insula Rugia, iis finibus contenta quibus sub ultimis Pomeraniæ Ducibus descripta fuerant; Adhæc Pomeraniæ ulteriori Stetinum, Garz, Dam, Golnau & Insulam Wollin, una cum interlabente Odera & mari vulgo das Frische Haff vocato, suisque tribus ostiis Pein, Swine & Dievenauw, atque adjacente utrinque terra ab initio territorii Regii usque in Mare Balthicum, ea latitudine Istoris orientalis, de qua inter Regios & Electorales Commissarios circa exactiorem limitum & cæterorum minutiarum definitionem, amicabiliter convenietur.

Hunc Ducatum Pomeraniæ Rugiæque Principatum una cum ditionibus, locisque annexis, omnibusque & singulis ad ea pertinentibus territoriis, præfecturis, urbibus, castellis, oppidis, vicis, pagis, hominibus, feudis, fluminibus, insulis, lacubus, litoribus, portubus, stationibus, antiquis vectigalibus & reditibus, & quibuscunque aliis Ecclesiasticis, ac secularibus bonis, nec non titulis, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus & prærogativis cæterisque omnibus & singulis Ecclesiasticis & secularibus juribus ac privilegiis, quibus antecessores Pomeraniæ Duces ea habuerant, incoluerant & rexerant, Regia Majestas Regnumque Suecia ab hoc die in perpetuum pro hereditario feudo habeat, possideat, isque libere utatur, & invielabiliter fruatur.

Quicquid etiam juris in collatione Prælaturarum & prabendarum capituli Caminensis antehac habuerunt Duces Pomeraniæ citerioris, habeat imposterum Regia Majest. Regnumque Suecia perpetuo, cum potestate eas extinguendi, redituique mensæ Ducali post modernorum Canonicorum & capitularium decessum, applicandi; quicquid autem ulterioris Pomeraniæ Ducibus competierat, competat Domino Electori Brandeburgico una cum integro Episcopatu Caminensi, ejusque territoriis, juribus, & dignitatibus, prout infra pluribus explicatur.

Titulis & insignibus Pomeraniæ tam Regia Domus, quam Brandeburgica promiscue utantur, more inter Priores Pomeraniæ Duces usitato. Regia quidem perpetuo; Brandeburgica vero, quam diu ullus è masculina linea superfuerit. Absque tamen Rugiæ Principatu, omnique alia pratensione ullius juris in loca Regno Suecia cessa: Deficiente vero linea masculina domus Brandeburgica, omnes prater Sueciam alios titulos & insignia Pomeranicis abstinebunt: atque tunc quoque ulterior Pomerania tota, cum citeriore Pomerania, totoque Episcopatu & integro Capitulo Caminensi, adeoque omnibus antecessorum juribus & expectantiis consolidata, ad solos Reges Regnumque Suecia perpetuo pertinebunt; spe interim successionis & investituræ simultaneæ gavisuros: Ita ut etiam Ordinibus subditisque dictorum locorum pro homagii præstatione solito more caveant.

Dominus Elector Brandeburgicus, cæterique omnes interessati, exsolvunt ordines officiales, & subditos, singulorum supradictorum locorum vinculis & juramen-

1648. mentis, quibus hucusque sibi, suisque Dominis, obstricti fuerant, eosque ad homagium & obsequia Regia Majestati, Regnoque Suecia more solito præstandum remittunt; Atque ita Sueciam in plena, justaque eorum possessione constituunt, renunciantes omnibus in ea pretensionibus ex nunc in perpetuum: Idque pro se suisque posteris peculiari diplomate hic confirmabunt.

Secundo Imperator de consensu totius Imperii concedit etiam Serenissima Regina ejusque heredibus ac successoribus Regibus, Regnoque Suecia, in perpetuum & immediatum Imperii feudum, civitatem portumque Wismariensem, una cum fortalitio VValfisch, & Præfecturis Poel, (exceptis pagis, Schedorff, VVeitendorff, Brandenhusen, & Wangern, ad hospitale S. Spiritus, in urbe Lubeca pertinentibus) & Nevvencloster, omnibusque juribus & appertinentiis, quibus ea Duces Megapolitani hucusque habuerant: ita ut dicta loca, totusque portus cum terris utriusque lateris ab urbe in mare Balthicum libera dispositioni suæ Majestatis subsit, possitque ea munimentis & præsidiis pro lubitu & exigentia circumstantiarum, suis tamen propriis sumptibus, firmare, ibique semper pro suis navibus, classeque tutum, securumque receptum ac stationem habere, iisque de caetero uti, fruique eo jure, quod ipsi in cætera sua Imperialia feuda competit: Ita tamen ut civitati Wismariensi privilegia sua sint salva, ejusque commercia protectione, favoreque Regio omni meliori modo promoveantur.

Tertio, Imperator de consensu totius Imperii concedit etiam vigore præsentis transactionis Serenissimæ Reginæ ejusque heredibus ac successoribus Regibus, Regnoque Suecia Archi-Episcopatum Bremensem & Episcopatum Verdensem, cum oppido & Præfectura Wilshusen, omnique jure quod ultimus Archi-Episcopis Bremensibus competierat in Capitulum & Diœcesin Hamburgensem (salvo tamen Domui Holsaticæ, ut & Civitati, Capitulique Hamburgensi suis respective juribus, privilegiis, libertate, pactis, & possessione, hactenus præsentis, per omnia, ita ut quatuordecim illi pagi in præfecturis Holsaticis, Trittouiensi & Reinbeccensi, pro moderno anno Canone Domino Friderico Duci Holsatiæ Gottorpiensi & illius posteris in perpetuum maneant) cum omnibus & singulis ad eos pertinentibus ubicunque sita sunt Ecclesiasticis & secularibus bonis & juribus quocunque nomine vocatis terra marique, in perpetuum & immediatum Imperii feudum sub solitis quidem insignibus, sed titulo Ducatus; cessante Capitulorum, cæterorumque collegiorum Ecclesiasticorum eligendi & postulandi, omnique alio jure, administratione & gubernatione terrarum ad hos Ducatus pertinentium.

Civitati vero Bremensi, ejusque territorio & subditis præsens suus status, libertas, jura & privilegia in Ecclesiasticis & politicis sine impetitione relinquantur. Si qua autem ipsi cum Episcopatu seu Ducatu, aut capitulis sint, aut imposterum enascantur controversia, ea vel componantur amicabiliter, vel jure terminentur, salva interim cuique parti sua, quam obtinet, possessione.

Quarto, ratione supradictarum omnium ditionum feudorumque, Imperator cum Imperio coaptat, Serenissimam Reginam Regnique Suecia successores in immediatum Imperii Statum ita ut ad Imperii comitia inter alios Imperii Status Regina quoque Regesque Suecia sub titulo Ducis Bremensis, Verdensis & Pomeraniæ, ut & Rugiæ Principis Dominique Wismariæ uti debeant, assignata eis sessione in conventibus Imperialibus in Collegio Principum scamno seculari, loco quinto: voto quidem Bremensi hoc ipso loco & ordine, Verdensi vero & Pomerano, ordine abhinc inter reliquos prioribus possessoribus competenti explicando: In Circulo autem superioris Saxoniæ proxime ante Duces Pomeraniæ ulteriores: in circulis Westphalia & inferioris Saxoniæ loco moreque receptis, ita ut inter Magdeburgensem & Bremensem Circulis inferioris Saxoniæ directorium alternetur; salvo tamen Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium condirectoris jure. Ad conventus autem deputatorum Imperii, tam Regia Majestas quam Dominus Elector, suos pro more solito mittant: Cum autem utrique Pomeraniæ unum tantum votum in iis competat, à Regia Majestate communicato prius consilio cum dicto Electore, id semper feratur. 1648.

Deinde, concedit eis in omnibus & singulis dictis feudis, Privilegium de non appellando, sed hoc ita, ut summum aliquod Tribunal seu appellationis instantiam commodo in Germania loco instituat, eique idoneas præficiat personas, quæ unicuique jus & justitiam secundum Imperii constitutiones & cujusque loci statuta, absque ulteriori provocatione, causarumve avocatione administrent.

E contra verò si contigerit, ipsos tanquam Duces Bremenses, Verdenses, aut Pomeraniæ, vel etiam ut Principes Rugiæ aut Dominos Wismariæ, ex causa dictæ ditionis concernente, ab aliquo legitime conveniri, Cæs. Maj. liberum eis relinquit, ut pro sua commoditate forum eligant, vel in Aula Cæsarea, vel Camera Imperiali, ubi actionem intentatam excipere velint. Teneantur tamen intra tres menses à die denunciatæ litis sese declarare coram quo judicio se sistere velint.

Præterea concedit eidem Reg. Majest. Suecia Jus erigendi Academiam vel Universitatem ubi & quando ei commodum visum fuerit. Ad hæc concedit eidem moderna vectigalia (vulgo Licenten vocata) ad littora, portumque Pomeraniæ & Megapoleos jure perpetuo, sed ad eam taxæ moderationem reducenda, ne commercia in iis locis intercidant.

Exsolvit denique status, Magistratus, officiales & subditos dictarum respective ditionum, feudorumque omnibus vinculis & sacramentis, quibus prioribus Dominis & possessoribus aut pretendentibus hucusque obstricti fuerant, eosque ad subjectionem, obedientiam & fidelitatem Regiæ Majestati Regnoque Suecia, ab hac die, ceu hæreditario suo Domino, præstandam remittit obligatque, atque in Sueciam in plena justaque, eorum possessione constituit, verbo Imperiali promittens, se non solum moderna Regina, sed omnibus futuris Regibus, Regnoque Suecia ratione dictarum ditionum, bonorum, jurium que concessorum, securitatem præstiturum, eosque sicut cæteros Imperii Status in eorum possessione quieta contra quemcunque inviolabiliter conservaturum & manuteneturum: atque hæc omnia peculiaribus investiturarum literis omni meliori modo confirmaturum.

Vicissim Serenissima Regina & futuri Reges Regnumque Suecia dicta feuda omnia & singula à Cæsarea Majestate & Imperio recognoscant; eoque nomine, quoties casus evenerit, investiturarum renovationes decenter petant, juramentum fidelitatis, eique annexa, sicut antecessores, similesque Imperii vasalli, præstando.

Decætero omnibus & subditis dictarum ditionum, locorumque, nominatim Stralsundensibus, competentem eorum libertatem, bona, jura & privilegia communia & peculiaria legitime acquisita, vel longo usu obtenta, cum libero Evangelicæ Religionis exercitio, juxta invariatam Augustanam Confessionem perpetim fruendo, circa homagii renovationem & præstationem more solito confirmabunt. Interque eos civitatibus Anseaticis eam navigationis & commerciorum libertatem, tam in exteris Regnis, Rebus publicis, & provinciis, quam in Imperio integram conservabunt, quam ibi ad præsens usque bellum habuerunt.

XI. Pro æquivalente autem recompensatione Electori Brandeburgico Domino Friderico Wilhelmo, quod ad promovendam Pacem universalem juribus suis in Pomo- Æquivalentia Brandeburgica.

Digitized by Google

1648. meraniam Citeriorem & Rugiam, una cum ditionibus locisque ſupra annexis ceſſerit, præſtanda, eidem, ejusdemque poſteris & ſucceſſoribus haredibus atque agnatis maſculis cum primis D. D. Marchionibus Chriſtiano Wilhelmo, olim Adminiſtratori Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſis, itemque Chriſtiano Culmbacenſi & Alberto Onolzbacenſi eorundemque ſucceſſoribus & haredibus Maſculis, ſtatim ac Pax cum utroque Regno & Statibus Imperii compoſita & ratificata fuerit, à Sacra Cæſarea Majeſtate de conſenſu Statuum Imperii & præcipuè intereſſatorum, tradatur Epiſcopatus Halberſtadienſis, cum omnibus juribus, privilegiis, Regalibus, territoriis & bonis ſecularibus & Eccleſiaſticis quocunque nomine vocatis, nullo excepto in perpetuum & immediatum feudum: Conſtituatur item Dominus Elector ſtatim in poſſeſſione ejusdem quieta & reali, eoque nomine ceſſionem & votum in Comitiis Imperii & circulo Inferioris Saxoniæ habeat: Religionem autem & bona Eccleſiaſtica in eo ſtatu relinquat, quemadmodum per Dominum Archi-Ducem Leopoldum Guilielmum inita cum capitulo Cathedrali pactione ordinata fuerant. Ita tamen, ut nihilominus Epiſcopatus Domino Electori, totique ſuæ Domui & agnatis maſculis, ſupra nominatis, cum eorum ſucceſſoribus & haredibus maſculis ordine, quo ſibi invicem ſuccedent, hereditarius maneat, atque Capitulo nullum jus in eligendo & poſtulando, vel etiam regimine Epiſcopatus, & iis quæ eo pertinent, reliquum ſit, ſed modo dictus Dominus Elector, & juxta ordinem ſucceſſorium reliqui ſupra nominati, ea poteſtate in hoc Epiſcopatu utantur, qua reliqui Principes Imperii in ſuis territoriis utuntur; liceatque quartam partem Canonicatuum (excepta præpoſitura in hanc computationem non numeranda) decedentibus ſucceſſu temporis modernis eorum poſſeſſoribus, Auguſtanæ Confeſſioni addictis, extinguere, eorumque reditus menſæ Epiſcopali incorporare. Quod ſi tot Canonici Auguſtanæ Confeſſionis non ſint, qui quartam partem totius corporis Canonicorum dempto Præpoſito, conficiant, numerus ſuppleatur ex Catholicorum decedentium beneficiis.

Cum etiam Comitatus Hohenſteinenſis pro ea parte qua feudum eſt Epiſcopatus Halberſtadienſis, conſiſtens in duabus Dynaſtiis ſive Præfecturis Loja & Klettenberg & quibuſdam oppidis una cum eo pertinentibus bonis & juribus, poſt ultimo defunctum Comitem hujus familiæ, eidem Epiſcopatui applicatus, atque à Domino Archi-Duce Leopoldo Guilielmo, tanquam Epiſcopo Halberſtadienſi hactenus poſſeſſus fuerit, hunc eundem Comitatum porro quoque penes iſtum Epiſcopatum irrevocabiliter permanere placuit, adeo ut Domino Electori tanquam hereditario poſſeſſori jam dicti Epiſcopatus Halberſtadienſis de memorato comitatu diſponendi libera facultas eſſe debeat, non obſtante, nec vigorem habente ulla contradictione; quæ à quoquam in contrarium moveri poſſit.

Teneatur idem Dominus Elector Comitem à Taxtenbach in poſſeſſione Comitatus Rheinſtein conſervare, eidemque inveſtituram à Domino Archi-Duce de conſenſu capituli conceſſam, renovare. Eidem Domino Electori pro ſe & ſucceſſoribus ſuis ſupra ſcriptis tradatur Epiſcopatus Mindanus cum omnibus juribus & appertinentiis, pari ratione ut ante memoratus Epiſcopatus Halberſtadienſis, in feudum perpetuum à ſacra Cæſarea Majeſtate de conſenſu Statuum Imperii, ſtatimque poſt concluſam & ratificatam hanc Pacificationem Dominus Elector pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis in poſſeſſione ejusdem quieta & reali conſtituatur, eoque nomine ſeſſionem & votum in Comitiis Imperii univerſalibus & ſingularibus, ut & circuli Weſtphalici obtineat. Salvis tamen civitati Mindenſi ſuis Regaliis & Juribus in ſacris & profanis cum mero & mixto Imperio in criminalibus & civilibus, præſertim Jure diſtrictus eiusque 1648.
jurisdictionis exercitio conceſſo, & pro nunc apprehenſo aliisque uſibus, immunitatibus & privilegiis circa priſtina jura ipſis legitime competentibus; Ita tamen ut pagi & villa domusque ad Principem, Capitulum, totumque clerum & equeſtrem Ordinem pertinentes, & reſpective in diſtrictu & intra mœnia Civitatis ſita omnino excipantur, & de cætero jus Principis & Capituli inviolatum maneat. Dicto Domino Electori & ſucceſſoribus ſuis Epiſcopatus quoque Caminenſis in feudum perpetuum ab Imperatore & Imperio concedatur; eodem plane jure & modo, ut ſupra de Epiſcopatu Halberſtadienſi & Mindano diſpoſitum eſt, ſed cum hoc tamen diſcrimine, ut in Epiſcopatu Caminenſi integrum ſit Domino Electori Canonicatus poſt deceſſum præſentium Canonicorum extinguere, atque ſic ſucceſſu temporis totum Epiſcopatum, Ulteriori Pomeraniæ adjungere ſeu incorporare.

Similiter concedatur Domino Electori expectantia in Archi-Epiſcopatum Magdeburgenſem, ita quidem ut quandocunque eundem morte aut ſucceſſione in Electoratu, vel quacunque alia conceſſione præſentis Adminiſtratoris Domini Auguſti Ducis Saxoniæ vacare contigerit, totus iſte Archi-Epiſcopatus cum omnibus eo pertinentibus territoriis, regalibus & juribus prout ſupra de Epiſcopatu Halberſtadienſi diſpoſitum eſt, Domino Electori ſuisque poſteris & ſucceſſoribus haredibus & agnatis maſculis non obſtante ulla electione aut poſtulatione interea temporis, ſive clam ſive palam facta tradatur & conferatur in feudum perpetuum, ſitque eidem vel iisdem jus authoritate propria vacantem apprehendendi poſſeſſionem.

Interea autem teneatur Capitulum una cum ordinibus & ſubditis dicti Archi-Epiſcopatus ſtatim concluſa pace predicto Domino Electori & toti Domui Electorali pro ſe, atque omnibus in ea ſucceſſoribus, & haredibus atque agnatis maſculis ſe ſacramento fidelitatis & ſubjectionis in eventum obſtringere.

Civitati vero Magdeburgenſi priſtina ſua libertas & privilegium Ottonis I. de 7. Junii Anno noningenteſimo quadrageſimo, etiamſi temporum injuria deperditum, ad preces ejusdem humiliter porrigendas, a Caſ. Maj. renovabitur; tum etiam privilegium muniendi & fortificandi ab Imperatore Ferdinando II. conceſſum, quod cum omnimoda jurisdictione & proprietate ad quadrantem milliaris Germanici extendatur; ſicut & reliqua illius privilegia & jura in Eccleſiaſticis & Politicis ſalva & inviolata maneant, cum inſerta clauſula, quod in præjudicium Civitatis readificari non debeant ſuburbia.

Cæterum quod ad quatuor Dynaſtias ſeu Præfecturas Querfurt, Gitterbock, Dam & Borck attinet, cum illæ jam olim Domino Electori Saxoniæ traditæ ſint, in ejusdem quoque ditione permaneant in perpetuum, cum hac tamen reſervatione, ut quæ hactenus ratione earundem ad collectas Imperii & circuli contributa fuit quota à dicto Domino Electore Saxonia impoſterum exſolvatur, eaque Archi-Epiſcopatui dematur, & hujus rei ratione expreſſa fiat proviſio in matricula Imperii & Circuli. Ut autem inde cauſata imminutio redituum Cameralium, & ad menſam Archi-Epiſcopalem pertinentium, aliquatenus reſarciatur, jam dicto Electori Brandenburgico & ſucceſſoribus ſuis, non ſolum ſtatim poſt concluſam Pacem Præfectura Eglen quæ alias ad capitulum ſpectabat, pleno jure poſſidenda & fruenda tradatur, ceſſato proceſſu à Comitibus de Barby aliquod ab hinc annis deſuper moto; ſed etiam facultas ſit, obtenta Archi-Epiſcopatus poſſeſſione quartam partem, Canonicatuum Cathedralium, illis decedentibus extinguendi, eorumque reditus Cameræ Archi-Epiſcopali applicandi. Quæ vero debita à præſente Domino Adminiſtra-

Digitized by Google

1648. ſtratore Auguſto Duce Saxonia hactenus contracta ſunt; ex reditibus Archiepiſcopalibus, exiſtente modis ſupra dictis caſu vacantia & devolutionis, dicti Archi-Epiſcopatus ad Dominum Electorem Brandeburgicum & ſucceſſores ſuos nentiquam diſſolvantur, neque integrum ſit, dicto Domino Adminiſtratori poſthac novis debitis oppignorationibus & alienationibus ſæpe dictum Archi-Epiſcopatum in præjudicium Domini Electoris ejuſque ſucceſſorum, hæredum atque agnatorum maſculorum quoque modo onerare.

In hiſ vero Domini Electoris Archi-& Epiſcopatibus de cætero ſalva maneant Ordinibus & ſubditis competentia eorum jura & privilegia, cum primis invariatæ Auguſtanæ Confeſſionis exercitium quale nunc ibi viget, nec minus locum habeant ea, quæ in puncto Gravaminum inter utrinque Religionis Statum & Ordines Imperii tranſacta & conventa ſunt, quatenus ſcilicet non adverſantur illi diſpoſitioni, quæ ſupra in articulo quinto de Gravaminibus §. 8. continetur incipiente: Qui Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus, & alia fundationis atque bona Eccleſiaſtica &c. & ſimiente: ſubjecta manente; utpote quem æque hic valere debere, ac ſi verbotenus inſertus eſſet, & ſupra dictos Archi-Epiſcopatum & Epiſcopatus hæreditario & immutabili jure apud Dominum Electorem atque Domum Brandeburgicam, omnesque in ea ſucceſſores, hæredes & agnatos in perpetuum plane, ut de reliquis terris ipſorum hæreditariis jure eſt, permanere oportet. Ratione tituli autem conveniens eſt, ut jam dictus Dominus Elector cum tota Domo Brandeburgica, & in ea omnes & ſinguli Marchiones Brandeburgici, Duces Magdeburgenſes & Principes Halberſtadienſes & Mindenſes appellentur & ſcribantur.

Regia quoque Majeſtas Sueciæ reſtituat Domino Electori pro ſe & ſucceſſoribus ſuis hæredibus atque agnatis maſculis:

Primo reliquam Pomeraniam Ulteriorem cum omnibus appertinentiis, bonis & juribus ſecularibus Eccleſiaſticis, pleno jure, tam quoad dominium utile, quam directum.

Deinde Colbergam cum toto Epiſcopatu Caminenſi, omnique jure, quod Ulterioris Pomeraniæ Duces hucusque habuerunt in collatione Prælaturarum & Prebendarum capituli Caminenſis, ita tamen, ut ſalva maneant jura Regiæ Majeſtati Sueciæ ſupra conceſſa, atque Ordinibus & ſubditis in reſtituendis partibus Ulterioris Pomeraniæ, Epiſcopatuque Caminenſi competentem eorum libertatem, bona, jura & privilegia, ſecundum tenorem literarum Reverſalium (quibus etiam Ordines & ſubditi Epiſcopatus gaudere debent, ac ſi iis directe data eſſent) cum libero Auguſt. Confeſſionis exercitio, juxta invariatam Auguſtanam Confeſſionem, abſque ulla perturbatione perpetim fruendo circa homagii renovationem & præſtationem omni meliori modo confirmet & conſervet.

Tertio, omnia loca quæ præſidio Sueciæ inſeſſa tenentur per Marchiam Brandeburgicam.

Quarto omnes Commendas & bona ad ordinem Equeſtrem Divi Johannis ſpectantia, quæ extra territoria Regiæ Majeſtati Regnoque Sueciæ ceſſa continentur, una cum Actis & regeſtis cæteriſque literariis documentis originalibus hæc loca, juraque reſtituenda concernentibus, communibus verò & utramque nempe tam Citeriorem, quam Ulteriorem Pomeraniam afficientibus in authentica & probante forma, quæ in Archivo & Carthophylacio aulæ Stetinenſis vel alibi intra vel extra Pomeraniam reperiuntur.

Æquivalentia Mechlenburgica.

XII. Pro eo vero quod Duci Megapolitano Suerinenſi, Domino Adolpho Friderico, in alienatione Civitatis, portuſque Wismarienſis deceſſit, competant ipſi, ejuſque hæredibus Maſculis Epiſcopatus Suerinenſis & Ratzenburgenſis jure perpetuo & immediati Feudi (ſalvo tamen Domus Saxonico Lauenburgicæ aliorumque vicinorum, ut & dicta Diœceſeos hinc inde competenti jure) cum omnibus juribus, documentis literariis, Archivo, rationariis, aliiſque pertinentiis & poteſtate extinguendi Canonicatus ubique poſt præſenti tempore reſidentium Canonicorum deceſſum, omneſque reditus menſæ Ducali applicandi, eoque nomine habeat ſeſſionem in conventibus Imperii & Circuli Saxoniæ Inferioris, cum duplici Principis titulo & voto. Et ſi vero ejuſdem ex fratre nepos, Dominus Guſtavus Adolphus Dux Megapolitano-Guſtrovienſis antehac deſignatus fuerat Adminiſtrator Ratzeburgenſis, quia tamen ipſi non minus, quam Patruo beneficium reſtitutionis in ſuos Ducatus obtigerat, æquum viſum eſt, ut Patruo cedenti Wiſmariam, ipſe viciſſim hunc cedat Epiſcopatum. Conferentur autem dicto Duci Guſtavo Adolpho, eo nomine compenſationis ergo, duo Canonicatuum juxta moderatam compenſationem Gravaminum ad Auguſtanæ Confeſſioni addictos pertinentium, beneficia, unum in Eccleſia Cathedrali Magdeburgenſi, alterum in Halberſtadienſi primum vacatura.

Quod deinde ad pretenſos duos Canonicatus in Eccleſia Cathedrali Argentinenſi attinet, ſi quid eo nomine ſtatibus Auguſt. Confeſſionis juxta præſentem tranſactionem competit; familiæ Ducum Mecklenburgenſium ex hujusmodi proventibus duorum Canonicatuum portiones concedantur, abſque tamen præjudicio Catholicorum. Quod ſi vero contigerit lineam maſculinam Suerinenſem deficere, ſuperſtite Guſtroviana, tum hac iterum ipſi ſuccedat.

Pro majori vero dictæ Domus Mecklenburgenſis ſatisfactione cedant ipſi Commenda ordinis Equeſtris Divi Johannis Hieroſolymitani, Mirow & Nemerow in iſto Ducatu ſita, vigore diſpoſitionis in artic. 5. §. 9. ſupra expreſſa, in perpetuum, donec de controverſiis religionis in Imperio conventum fuerit, & quidem linea Suerinenſi Mirow, linea vero Guſtrovienſi Commenda Nemerow, ſub hac conditione, ut dicti ordinis conſenſum ipſi procurare eidemque nec non Domino Electori Brandeburgico, tanquam ejus patrono, quotieſcunque caſus evenerit, hactenus præſtari ſolita, porro quoque præſtare teneantur. Confirmabit etiam Cæſarea Majeſtas eidem vectigalia ad Albim, antehac obtenta, in perpetuum conceſſa inſuper immunitate à tributis Imperii futuro tempore; citra cauſam ſatisfactionis militiæ Sueciæ indicendis, donec ſumma ducentorum millium thalerorum Imperialium compenſata fuerit. Caſſentur inſuper pretenſum debitum Wingerſchianum, utpote ex cauſa belli ortum, proceſſibus etiam & decretis deſuper emanatis, penitus annullatis, ita ut neque Duces Megapolitani, neque Civitas Hamburgenſis eo nomine imposterum unquam convenire poſſint vel debeant.

Æquivalens ſeu Compenſatio Brunſvicenſis.

XIII. Cum Domus Ducalis Brunſvicenſis & Luneburgenſis, ob Pacem publicam melius facilinſque ſtabiliendam, ceſſerit Coadjutorius in Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſem & Bremenſem, itemque Epiſcopatus Halberſtadienſem & Ratzenburgenſem, obtentis, ea conditione, ut inter alia etiam alternativa iisdem cum Catholicis in Epiſcopatum Oſnabrugenſem, adjudicarentur ſucceſſio, Cæſarea Majeſtas præſens Sacri Romani Imperii ſtatui minime expedire judicans. Pacem Publicam propterea impediri diutius conſentit ac permittit, ut ejusmodi alternativa ſucceſſio indicto in Epiſcopatu Oſnabrugenſi deinceps inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Epiſcopos, ex familia tamen Ducum Brunovicenſium & Luneburgenſium, quamdiu eadem duraverit, poſtulandos, locum habere debeat, modis & conditionibus ſequentibus.

Primo: Quoniam Dominus Guſtavus Guſtavi, Comes in Waſaburg, Regni Sueciæ Senator, omni ſuo juri in E-

1648.

1648. *in Episcopatum Osnabrugensem, occasione presentis belli obtento, renunciat, juramentumque à Statibus & subditis ejusdem sibi præstitum, remittit, ideo Dominus Episcopus Franciscus Wilhelmus, ejusque successores sicut & capitulum, status & subditi dicti Episcopatus, virtute præsentium obligati sunt ad solvendum dicto Domino Comiti, ejusve mandatario, Hamburgi, spatio quatuor annorum à die publicatæ Pacis numerandorum, octuaginta millia Thalerorum Imperialium, ita ut singulis annis vicena millia Hamburgi, ad manus dicti Comitis ejusve mandatarii exsolvere & numerare teneantur, executione in non parentes ex lege communi hujus Pacificationis suas vires obtinente.*

Secundo: Restituatur dictus Episcopatus Osnabrugensis totus & integer cum omnibus suis appertinentiis, secularibus & Ecclesiasticis, moderno Domino Episcopo Francisco Wilhelmo, pleno jure possidendus, prout uniformis, perpetuæque capitulationis leges, communi Principis Francisci Wilhelmi, Domusque Brunsvigo-Luneburgicæ, & capitulariter Episcopatus Osnabrugensis consensu jam inundæ, sanciverint.

Tertio: Status Religionis ac Cœtus Ecclesiastici, totiusque cleri utriusque Religionis, tam in ipsa Urbe Osnabrugensi, quam in reliquis ad hunc Episcopatum pertinentibus ditionibus, oppidis, villis, pagis; omnibusque aliis locis maneat & reducatur in eum, qui fuit die 1. Jan. Anno 1624. statum, ita tamen, ut prius fiat singularis quædam determinatio & dispositio de iis, quæ post Annum 1624. quoad verbi Ministros & divinum cultum mutata deprehendentur, etiam supra dictæ Capitulationi inferendæ, caveatque Dominus Episcopus per litteras Reversales Statibus & subditis suis, homagio (quatenus observantia ab antiquo obtinuit) ab ipsis recepto, jura ac privilegia salva fore & quæ præterea futuræ Episcopatus administrationi, Statuumque & subditorum securitati utrinque necessaria videbuntur.

Quarto: Defuncto eodem Domino Episcopo succedat in Episcopatu Osnabrugensi, Dominus Ernestus Augustus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis atque adeo vi hujus Pacis publica sit designatus eiusdem successor teneaturque Capitulum Cathedrale Osnabrugense, ut & reliqui status; & subditi statum post decessum aut resignationem moderni Episcopi, eundem Dominum Ernestum Augustum in Episcopum recipere ac dicti Status & subditi isti fini intra trimestre à concluſa hac pace computandum, ipsi solitum ut supra præstare homagium juxta conditiones in capitulatione perpetua cum capitulo inundæ, positas. Quod si vero Dux Ernestus Augustus post obitum moderni Episcopi non fuerit superstes, teneatur capitulum alium ex Domini Georgii Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis posteris in Episcopum suum postulare, conditionibus tamen in recepta capitulatione uniformi initis perpetuo observandis. Eo autem demortuo aut ultro resignante, teneatur dictum capitulum vel electione, vel postulatione præsulem Catholicum sibi præficere, sin vero hac in parte vel canonicorum negligentia vel discordia intercesserit, locus sit ordinationi juris Canonici & consuetudini Germaniæ, salva tamen capitulatione perpetua, ut & hac transactione: & sic perpetuo admittatur alternativa successio inter Catholicos Episcopos ex gremio Capituli electos, vel aliounde postulatos, atque Augusti. Conf. addictos, sed non alios, quam ex familia modo nominati Ducis Georgii descendentes; & quidem si plures sint Principes è natu minoribus eligatur vel postuletur Episcopus, nullis vero existentibus natu minoribus, sufficiatur unus ex Principibus regentibus. Illis autem deficientibus, succedat tandem Ducis Augusti posteritas, alternatione, uti dictum, inter ipsum & Catholicos perpetua.

Quinto: Teneatur non solum memoratus Dux Ernestus Augustus, sed etiam omnes & singuli ex familia Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium Augustanæ 1684.
Confessioni addictorum, in hoc Episcopatu alternatim succedentium, Status Religionis cœtus Ecclesiastici, totiusque Cleri, tam in ipsa urbe Osnabrugensi, quam in reliquis ad hunc Episcopatum pertinentibus ditionibus, oppidis, villis, pagis, omnibusque aliis locis conservare ac tueri, prout superius Articulo tertio & perpetua capitulatione dispositum est.

Sexto: Ne etiam durante administratione & Regimine Episcopi Augustanæ Confessioni addicti, circa censuram Ecclesiasticorum Catholicorum, itemque usum & administrationem Sacramentorum; ritu Romanæ Ecclesiæ ut & cætera quæ sunt ordinis, ulla difficultas aut confusio suboriatur, horum omnium dispositio, quoties alternativa successio in talem Augusti. Confess. addictum devenerit, Domino Archiepiscopo Coloniensi velut Metropolitano reservata, adversus Augustana verò Confessioni addictos, plane sublata esto. Cætera superioritatis & Regiminis jura in civilibus & criminalibus Augustanæ Confessionis Episcopo, juxta capitulationis legem illibata permaneant. Quoties vero Catholicus Episcopus in Episcopatu Osnabrugensi rerum potitur, nihil omnino in Augustanæ Confessionis sacra arroget sibi juris aut obtineat.

Septimo: Monasterium seu Prælatura Walckenried, cujus hoc tempore Administrator est Christianus Ludovicus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis: una cum prædio Schawen, perpetuo feudi jure Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus, itidem à Cæsarea Majestate & Imperio, cum omnibus pertinentiis, juribusque conferatur, eodem prorsus, quo supra inter Ducem Brunsvicensium & Luneburgensium familiæ succedendi ordine, annullato jure advocatiæ, aliisque Episcopatus Halberstadiensis, & Comitatus Hohensteinensis prætensionibus sublatis.

Octavo: Ducibus quoque Brunsvicensibus & Luneburgensibus restituatur Monasterium Groningense, quod ante hac acquisitum Episcopatui Halberstadiensi cesserat: reservatis etiam juribus, quæ dictis Ducibus in castrum Westerburg competunt, nec minus infeudatio Comiti à Tettenbach à Ducibus facta, eoque nomine inita leges perinde ut jura creditis & pignoris, Ducis Christiani Lud. vicario Friderico Schenkio à Winterstet in Westerburg competentia, sarta tecta maneant.

Nono: Debitum à Friderico Ulrico Duce Brunsvicensi & Luneburgensi cum Rege Daniæ contractum, & per hunc in Pacificatione Lubecensi, Sac. Cæs. Maj. cessum posteaque Cæsareæ militiæ præfecto Comiti Tyllio donatum, quod attinet, cum moderni Duces Brunsvicenses & Luneburgenses se ad hoc debitum persolvendum ob plures rationes, teneri negaverint, eaque de re etiam per Legatos plenipotentiarios Coronæ Suecia instanter actum sit, amore Pacis remissio & expunctio totius istius debiti & obligationis dictis Ducibus, eorumque hæredibus & Provinciis concessa esto.

Decimo: Cum Duces Brunsvicenses & Luneburgenses Cellenses Lineæ capitulo Ratzenburgensi pro sorte 20000. florenorum annuas pensiones, hucusque pependerint, alternatione jam cessante cessent quoque annua illa pensiones, abolito prorsus debito, ut & alia quævis obligatione.

Undecimo: Ducis etiam Augusti duobus filiis natu minoribus Antonio Ulrico & Ferdinando Alberto conferantur duæ prebendæ in Episcopatu Strasburgensi primo vacaturæ: ea tamen conditione, ut dictus Dominus Dux Augustus renunciet prætensionibus suis, quas in unum alterumve Canonicatum antehac habuit vel habere poterat.

Duodecimo: Vice versa iidem Duces postulationibus & coadjutoriis in Archi-Episcopatus Magdeburgensem & Bremensem, itemque Halberstadiensem & Ratzen-

1648. *Katzenburgenſem pleniſime renunciant, ita ut quæ circa hoſce Archi-Epiſcopatus & Epiſcopatus ſuperius in hoc Pacificationis Inſtrumento diſpoſita ſunt, citra ipſorum contradictionem effectum habere debeant, Capitulis ubique in eo ſtatu permanentibus, quo ſuperius conventum eſt.*

Æquivalentia Adminiſtratoris-que Magdeburgici.

XIII. De ſumma 12000. Imperialium Dn. Chriſtiano Wilhelmo Marchioni Brandenburgico ex Archi-Epiſcopatu Magdeburgenſi quotannis ſolvendorum, conventum eſt, ut cœnobium & præfectura Zina & Loburg, dicto Dn. Marchioni ſtatim tradantur, cum omnibus pertinentiis & omnimoda Jurisdictione, ſolo territorii jure excepto: Atque his Præfecturis idem Marchio utatur fruatur ad dies vitæ, abſque ulla rationum redditione: Hac tamen lege, ut in Politicis & Eccleſiaſticis nullum plane ſubditis afferatur præjudicium. Quia porro ut totus Archi-Epiſcopatus, ita etiam jam nominatum cœnobium & præfectura, temporum injuria valde ſunt devaſtata: ideo Dn. Marchioni Adminiſtratori, ſine mora, ex collectu à moderno Domino Adminiſtratore Archi-Epiſcopatus ad hoc inſtituendis ſolventur tria millia thalerorum Imperialium ab ipſo Marchione vel ejus hæredibus non reſtituenda. Præterea placuit, ut poſt fata Dn. Marchionis, ratione & nomine non præſitorum alimentorum, deſcendentibus ipſius eorumque hæredibus, liceat dictum cœnobium atque præfecturas per integrum quinquennium retinere, iisque ſine rationum redditione, cum omnibus ſuis pertinentiis & juribus uti frui. Elapſo vero quinquennio, prædicta præfectura, earundemque jurisdictio reditus & proventus, Archi-Epiſcopatus abſque tergiverſatione, reſtituantur, nec ſuperius memorata ſumma titulo quicquam ulterius moveatur vel petatur. Et prædicta omnia obſerventur, etiam ſi propter æquivalentem recompenſationem D. Electoris Brandeburgici Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſis ad Dn. Electorem ejusque hæredes & ſucceſſores pervenerit.

Satisfactio Haſſica.

XIV. Circa cauſam Haſſo Caſſellanam conventum eſt, ut ſequitur.

Primo omnium Domus Haſſo Caſſellana, omnesque ejus Principes, maxime Domina Amelia Eliſabetha, Haſſiæ Landgravia, ejusque filius Dn. Wilhelmus, illorumque Hæredes, Miniſtri, Officiales, Vaſalli, ſubditi, milites & alii quocunque modo illis addicti, nullo prorſus excepto, non obſtantibus contrariis pactis, proceſſibus, proſcriptionibus, declarationibus, ſententiis, executionibus & tranſactionibus; ſed illis omnibus, ut & actionibus vel prætenſionibus, ratione damnorum & injuriarum tam Neutralium, quam belligerantium annullatis, univerſalis Amneſtia ſupra ſancita, & ad initium belli Bohemici cum plenaria reſtitutione reducta (exceptis Caſ. Majeſt. & Domus Auſtriacæ Vaſallis & ſubditis hereditariis, quemadmodum de iis in §. Tandem omnes &c. diſponitur) omniumque beneficiorum ex hac & Religioſa Pace provenientium, pari cum cæteris ſtatibus jure, prout in Articulo incipiente: Unanimi &c. diſponitur, plenarie participes ſunto.

Secundo, Domus Haſſo-Caſſellana, ejusque ſucceſſores Abbatiam Hirſfeldenſem, cum omnibus appertinentiis, ſecularibus & Eccleſiaſticis ſive intra ſive extra territorium (ut Præpoſitura Gellingen) ſitis; Salvis tamen juribus, quæ Domus Saxonica à tempore immemoriali poſſidet, retineant, & eo nomine inveſtituram à Cæſarea Majeſtate totiès quotiès caſus evenerit, petant & fidelitatem præſtent.

Tertio, Jus directi & utilis Dominii in Præfecturas Schaumburg, Buckenburg, Saxenhagen & Statthagen, Epiſcopatus Mindano antehac aſſertum & adjudicatum, porro ad Dn. Wilhelmum, modernum Haſſiæ Landgravium, ejusque Succeſſores plenarie in perpetuum, citra ulteriorem dicti Epiſcopatus, aut alterius cujusvis contradictionem aut turbationem pertineat, Salva tamen tranſactione inter Chriſtianum Ludovicum Ducem Brunſvico-Luneburgenſem & Haſſiæ Landgraviam, Philippumque Comitem de Lippe, inita, firma etiam manente, quæ inter eundem Landgraviam & dictum Comitem inita eſt, conventione. 1648.

Conventum præterea eſt, ut pro locorum hoc bello occupatorum reſtitutione & indemnitatis cauſa Domina Landgravia Haſſiæ tutrici, ejusque filio, hujusve Succeſſoribus Haſſiæ Principibus ex Archi-Epiſcopatibus, Moguntinenſi & Colonienſi; Epiſcopatibus item Paderbornenſi, Monaſterienſi, & Abbatia Fuldenſi ſexies centena millia Thalerorum Imperialium bonitate, Imperialibus conſtitutionibus modernis correſpondentium, intra ſpatium novem Menſium, à tempore Ratificationis Pacis computandum Caſſellis, ſolventium periculo & ſumptibus, pendantur, nec contra promiſſam ſolutionem ulla exceptio, ullusve prætextus admittatur, multo minus ſumma conventa ullo arreſto afficiatur. Ut etiam Domina Landgravia de ſolutione tanto ſecurior ſit, ſequentibus conditionibus retineat Neus, Cosfeld & Neuhaus, inque iis locis ſua, ſibique ſolum obligata præſidia habeat; ea quidem lege ut præter officiales & alias perſonas in præſidiis neceſſarias dictorum trium locorum præſidia conjunctim non excedant numerum mille ducentorum peditum, & centum equitum, Domina Landgravia diſpoſitione relicta, quot cuivis dictorum locorum peditum & equitum imponere, quemve huic vel illi præſidio præficere velit, præſidia autem ſecundum ordinationem de ſuſtentatione officialium & militum Haſſiacis hactenus conſuetam alantur, & quæ ad conſervanda fortalitia neceſſaria ſunt, præſentur ex Archi- & Epiſcopatibus, in quibus dicta arx & civitates ſunt ſitæ, abſque ſumma ſupra nominata diminutione; Integrum autem ſit ipſiſt præſidiis contra morioſos & tardantes, ſed non ultra debitam ſummam exequi. Jura autem ſuperioritatis & jurisdictio tam Eccleſiaſtica, quam ſecularis & reditus nominatarum arcis & Civitatum Domino Archi-Epiſcopo Colonienſi ſint ſalva. Quam primum vero poſt ratificatam Pacem Domina Landgravia trecenta millia Thalerorum Imperialium fuerint exſoluta, reſtituta Neuſſia retineat Cosfeld ſolum & Neuhaus, ita tamen ut præſidium Neuſſianum in Cosfeld & Neuhaus non deducat, vel ejus nomine quicquam ulterius exigat, nec præſidia in Cosfeld numerum ſexcentorum peditum & quinquaginta equitum, in Neuhaus autem centum peditum excedant. Sin autem intra terminum novem Menſium Domina Landgravia integra ſumma non dependatur, non tantum Cosfeld & Neuhaus, donec plenaria ſubſecuta fuerit ſolutio, ſed etiam pro reſiduo ſummæ, ejusque ſingulis centenis, quinque annuatim Imperiales, donec reſiduum ſummæ exſolutum fuerit, penſionis nomine ſolvantur. Eſtos præfecturarum ad ſupra nominatos Archi- & Epiſcopatus atque Abbatiam pertinentium & Haſſiæ Principatui vicinarum, quot præſtandis & exſolvendis penſionibus ſufficiunt, Quæſtores & Receptores Domina Landgravia juramento obſtringantur, ut de reditibus annuis reſidua ſummæ penſiones ſolvant, non obſtante Dominorum ſuorum prohibitione. Quod ſi vero quæſtores & receptores in ſolvendo moras nectant, aut reditus alio conferant, Domina Landgravia exequendi & ad ſolutionem quovis modo illos adigendi, liberam habeat poteſtatem, de reliquo jure territoriali Domino proprietatis interea ſemper ſalvo; Simul ac vero Domina Landgravia totam ſummam cum penſionibus à tempore moræ acceperit, reſtituat illico loca jam denominata, cautionis loco interim retenta, penſiones ceſſent, & quæſtores atque receptores, quorum facta fuit mentio, juramenti nexu ſint liberati; quarum autem Præfecturarum reditus penſionibus contingente mora ſolvendis, ſine

1648. *assignandi, ante ratificationem Pacis eventualiter conveniretur, qua conventio non minoris sit roboris, quam ipsum Pacis Instrumentum. Prater loca autem securitatis causa, ut memoratum, Domina Landgravia relinquenda & post solutionem demum restituenda, restituat illa nihilominus ratificatione Pacis subsecuta, omnes Provincias & Episcopatus, nec non illorum urbes, prafecturas, oppida, fortalitia, propugnacula, & omnia denique bona immobilia, nec non jura inter hac bella ab ipsa occupata, ita tamen ut tam in prafatis tribus locis cautionis nomine retinendis, quam reliquis omnibus restituendis non solum Annonam & omnia ad bellicum apparatum spectantia, qua inferri & fieri curavit, per subditos avehere liceat Domina Landgravia, & supradictis successoribus: qua vero ab ipsa non illata, sed in locis occupatis tempore occupationis reperta sunt, & adhuc extant, ibi permaneant; sed ut etiam fortificationes & valla durante occupatione exstructa, eatenus destruantur, ne tamen urbes, oppida, arces vel castra cujusvis invasionibus & depradationibus pateant.*

Et quamvis Domina Landgravia praterquam ab Archi- & Episcopatibus Moguntinensi, Colonensi, Paderbornensi, Monasteriensi & Abbatia Fuldensi à nemine restitutionis & indemnitatis loco aliquid poposcerit, & sibi eo nomine à quoquam alio quicquam solvi omnino noluerit, pro rerum tamen & circumstantiarum aquitate placuit toti Conventui, ut salva manente dispositione §. precedentis inchoantis: Conventum praterea est, &c. etiam cateri Status, cujuscunque generis, cis & ultra Rhenum, qui 1. Martii hujus anni Hassiacis contributionem dependerunt, secundum proportionem contributionis exsolutæ toto hoc tempore observatam, ad conficiendam summam superius positam, & militum prasidiariorum sustentationem, ratam suam supra nominatis Archi- & Episcopatibus atque Abbatia conferant, & damnum si quod solventes ob unius vel alterius moram perpessi fuerint, morasi resarciant, nec executionem contra tergiversantes instituendam Cæsarea Majestatis aut Regia Majestatis Suecia vel etiam Hassia Landgravia Officiales aut milites impedsant, neque etiam fas sit Hassiacis quemquam in prajudicium hujus declarationis eximere, si vero qui suam quotam rite persolverint, ab omni eatenus onere liberi erunt.

Quod controversias inter Domus Hassiacæ, Cassellanam & Darmstattinam, super successione Marpurgensi agitatas, attinet: quando quidem ea Cassellis 14. mensis Aprilis proxime elapsi, consensu partium unanimi accedente penitus sunt compositæ; placuit transactionem istam, cum suis annexis & recessibus, sicut ea Cassellis inita & à partibus subsignata, Conventuique huic insinuata fuit, vigore instrumenti hujus, ejusdem plane esse roboris, ac si verbis totidem hisce tabulis inserta comprehenderetur, nec à partibus transigentibus, nec aliis quibusvis sub pratextu sive pacti, sive Juramenti, sive alio quocunque ullo unquam tempore convelli posse, quinimo ab omnibus etiamsi aliquis ex Interessatis eam forte confirmare detrectet, exactissime observari debere.

Sicut etiam Transactio inter defunctum Dominum Wilhelmum Hassia Landgravium, & Dominos Christianum & Wolradum, Comites Waldeccia die undecimo Aprit, Anno 1635. facta & à D. Georgio Hassia Landgravio die 14. Aprilis A. 1648. ratificata, non minus vigore hujus Pacificationis, perpetuum & plenissimum robur obtinebit, eamque Hassia Principes pariter ac Comites Waldeccia obligabit.

Firmum quoque maneat, & inviolabiliter custodiatur Jus primogenitura in qualibet domo Hassia Cassellana & Darmstattina introductum, & à Cæsarea Majestate confirmatum.

Punctus executionis Pacis. *XV. Simulatque vero Instrumentum Pacis à Dominis Plenipotentiariis & Legatis subscriptum & signatum fuerit, cesset omnis hostilitas, & qua supra conventa sunt,* 1648. *utrinque è vestigio executioni mandentur.*

Imprimis quidem Imperator ipsi per universum Imperium edicta promulget & serio mandet iis, qui hisce pactis & hac pacificatione ad aliquid restituendum vel prastandum obligantur, ut sine tergiversatione & noxa intra tempus conclusa & ratificanda Pacis prastet & exequantur transacta, injungendo tum directoribus, Ausschreibende Fürsten, quam prafectis militia circularis Creisz-Obristen, ut ad requisitionem restituendorum, juxta ordinem executionis & hac pacta, restitutionem cujusque promoveant & perficiant. Inseratur etiam edictis clausula, ut quia Circuli Directores, die Ausschreibende Fürsten, aut Prafecti militia circularis, Creisz-Obristen, in causa vel restitutione propria minus idonei executioni esse censentur, hoc in casu, itemque si directores vel prafectos militia circularis repudiare commissionem contingat, vicini circuli directores, aut prafecti militia circularis eodem executionis munere etiam in alios Circulos ad restituendorum requisitionem fungi debeant.

Quod si etiam restituendorum aliquis, Cæsareanos Commissarios ad alicujus restitutionis, prastationis vel executionis actum necessarios censuerit, quod ipsorum opinioni relinquitur, etiam illi sine mora dentur. Quo casu ut rerum transactarum effectus tanto minus impediatur, tam restituentibus, quam restituendis liceat statim concluſa & subscripta pacificatione binos aut trinos utrinque nominare Commissarios, è quibus Cæs. Maj. unum à restituendo, alterum à restituente nominatum, parem tamen numero, ex utraque Religione eligat, quibus injungatur, ut omnia qua vigore hujus transactionis oportet, absque mora exequantur. Sin autem restituentes Commissarios nominare neglexerint, Cæs. Maj. ex iis, quos restituendi nominaverint, unum deliget alterumque pro suo arbitrio, observata tamen utrobique diversa Religioni addictorum paritate, adjunget, quibus commissionem executionis demandabit, non obstantibus exceptionibus in contrarium factis. Ipsi deinde restituendi mox à conclusione Pacis de transactorum tenore notum faciant interessatis aliquid restituturis.

Omnes denique & singuli, sive status sive communitates, sive privati, sive Clerici, sive seculares, qui vigore hujus transactionis, ejusdemque regularium generalium, vel specialis, expressaque alicujus dispositionis ad restituendum, cedendum, dandum, faciendum, aut aliud quid prastandum obstricti sunt teneantur statim post promulgata Cæsarea edicta, & factam restituendi notificationem, sine omni tergiversatione vel oppositione clausula salvatoria, sive generalis sive specialis alicujus supra in Amnestia posita, aut quacunque alia exceptione, itemque sine noxa aliqua, omnia ad quæ obligantur, restituere, cedere, dare, facere & prastare.

Nec Directorum & Prafectorum circularis militia, aut Commissariorum executioni quisquam sive Status, sive miles, prasertim prasidiarius, sive quilibet alius, sese opponat, sed potius executoribus assistant, liberumque sit dictis executoribus contra eos, qui executionem quovis modo impedire conantur, suis, vel etiam restituendorum viribus uti.

Deinde omnes & singuli utriusque partis captivi sine discrimine sagi vel toga eo modo, quo inter exercituum Duces cum Cæs. Majest. approbatione conventum est, vel adhuc convenietur liberi dimittantur.

Denique pro militia Suecica exauctoratione omnes, & singuli Electores, Principes & reliqui Status, comprehensa libera & immediata Imperii nobilitate (salva tamen requisitione hactenus in talibus casibus usitata libertateque & exemptione in futurum salvis septem sequentium Circulorum Imperii, Electoralis Rhenani, superioris Saxonici, Franconici, Suevici, Superioris Rhenani, Weste-

Satisfactio pro militibus Suecicis.

1648. *Weſtphalici & inferioris Saxonici, teneantur in medium conferre quinque myriades Imperialium thalerorum in moneta per Imper. Rom. uſitata, idque tribus terminis, primo termino (ſtatibus in Circulo Electorali, ut & ſuperiori Rhenano Francofurtum ad Mœnum, ſuperioris Saxoniæ Lipſiam ſive Brunſwigam, Franconiæ Norinbergam, Sueviæ Vlmam, Weſtphaliæ Bremam vel Monaſterium, & inferioris Saxoniæ Hamburgum, ſuam cujuſque quotam conferentibus) octodecim centena millia Imper. thalerorum in numerata pecunia (pro cujus ſummæ faciliori ſolutione impetranda liceat illos ſubditos; qui ex Amneſtia veniunt reſtituendi, non moderno ipſorum poſſeſſori, ſed vero Domino, cui ex Amneſtia reſtituendi ſunt, ſtatim à concluſa pace, etiam ante factam reſtitutionem, ſecundum ipſorum quotam & proportionem collectare, nec in exigendis illis collectis moderni poſſeſſoris ullum creent impedimentum) & duodecies centena millia per aſſignationes ad certos ſtatus, ſuper quorum ſolutione tolerabilibus conditionibus facienda, à qualibet Statu inter concluſam, & ratificandam pacem, cum officiali miſſari ſibi aſſignato ex æquo & bono conveniendum. Qua conventione; ut & ratihabitionum commutatione facta, dictorum 1800000. thalerorum ſolutio, militiæ exauctoratio, & locorum evacuatio, ſtatim pari paſſu peraganturr: nec ob ullam aliam cauſam differantur: ceſſantibus ſtatim à concluſa pace contributionibus & omnis generis exactionibus, ſalva tamen præſidiariorum militum cæterarumque copiarum ſuſtentatione, ad tolerabilem modum conveniendâ, ſalva itidem iis ſtatibus qui ſuam portionem ſolverunt, vel cum aſſignatis officialibus, quoad ſolutionem ſuarum portionum amicabiliter convenerunt, à ſuis conſtatibus, ob horum ſolvendi moram ſibi illatorum damnorum repetitione. Reliquarum duarum myriadum, priorem quidem ſub finem anni proximi à facta exauctoratione computandi, alteram vero in fine anni proxime inſequentis, utramque thaleris Imperialibus, eorumve, in alia per Imperium uſitata moneta, valore, ad ſupra dicta loca Reg. Majeſt. Suec. ad id cum poteſtate deputatis miniſtris dicti ſeptem Circulorum ſtatus bona fide ſunt exſoluturi. Sicuti autem dicti ſeptem Circuli ſolti militia Suecica, ſine prætenſione alterius, aſſignati intelliguntur, ita ſinguli eorum Electores, Principes & Status eam tantum portionem, quæ juxta matriculam & cujuſque loci obſervantiam & extraditam hic deſignationem unicuique præſtanda incumbit, pendere debebunt.

Nec ullus Status vel à ſolutione immunis ſit, vel majori numero der Romer Monat *prægravetur, vel pro alio ſuo conſtatu, alius belligerantium militibus plus ſolvere teneatur, multo minus repreſſaliis vel arreſtis eo nomine prægravetur: neque etiam ullus Status in modo ſuos collectandi, vel à milite aut conſtatu, vel ullo alio, ſub quocunque prætextu, de facto impediatur. Quod ad Circulum Auſtriacum & Bavaricum attinet, cum ille (præter factam in hoc Pacificationis conventu à Statibus Imperii promiſſionem, ſe in proximis Imperii Comitiis ſuæ Cæſ. Maj. pro hactenus toleratis belli ſumptibus, ſubſidium è collectis Imperii præſtandum decreturos) ſolvendis exercitui immediato Cæſareano ſtipendiis; Hic vero pro Bavarico milite ſepoſitus ſit, ſolutionis conventio & exactio in Circulo Auſtriaco penes Sac. Cæſ. Mai. eſto, in circulo autem Bavarico obſervetur idem collectandi, & ſolvendi modus, qui in reliquis Circulis: executio tamen, ut & in cæteris ſeptem Circulis, fiat ſecundum conſtitutionem Imperii.*

Ut autem Regia Majeſtas Suecia eo ſecurior, certiorque ſit de infallibili ſingulorum terminorum præſtatione, ſinguli ſeptem dictorum Circulorum Electores, Principes & Status, vigore hujus conventionis, ſe ad ſuam quisque quotam, condicto tempore, locoque bona fide ſolvendam, ſponte idque ſub hypotheca omnium ſuorum bonorum, obligant: ita quidem, ut, ſi mora ullius intervenerit, omnes Imperii Ordines potiſſimum vero cujuſque Circuli Directores, Ducesque, vi Articuli Aſſecurationis Pacis, teneantur promiſſa cum rem judicatam exequi, abſque ullo ulteriori juris proceſſu vel exceptione. 1648.

Reſtitutione ex Capite Amneſtiæ & Gravaminum facta, liberatis captivis, ratihabitionibus commutatis, & præſtitis iis, quæ de primo ſolutionis termino ſupra conventa ſunt, omnia utriusque partis militaria præſidia, ſive Imperatoris ejusque ſociorum & fœderatorum, ſive Reginæ, Regnique Suecia & Landgraviæ Haſſiæ, eorumque fœderatorum & adhærentium, aliove quocunque nomine impoſita fuerint, ex Civitatibus Imperii ac omnibus aliis locis reſtituendis, ſine exceptionibus, mora, damno & noxa, pari paſſu educantur.

Loca ipſa, civitates, urbes, oppida, arces, caſtella, fortalitia, tam quæ per Regnum Bohemiæ, aliasque terras Imperatoris Domuſque Auſtriacæ hereditarias, quam cæteros Imperii Circulos a partibus belligerantibus ſupra dictis occupata & retenta, vel per armiſtitii unius vel alterius partis vel quemcunque alium modum conceſſa ſunt, prioribus & legitimis ſuis poſſeſſoribus & Dominis ſive mediate, ſive immediate Imperii Status ſint, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, comprehenſa libera Imperii Nobilitate, abſque mora reſtituantur, liberæque eorum diſpoſitioni ſive de jure & conſuetudine, ſive vigore præſentis tranſactionis competenti permittantur, non obſtantibus ullis donationibus, infeudationibus, conceſſionibus (niſi ultro & ſpontanea Status alicujus voluntate alicui facta ſint vel fuerint) obligationibus, pro redimendis captivis aut avertendis devaſtationibus, incendiisque datis, aut aliis quibuſcunque titulis, in priorum legitimorum Dominorum, poſſeſſorumve præjudicium acquiſitis, ceſſantibus etiam pactis & fœderibus, aut quibuſcunque aliis exceptionibus prædictæ reſtitutioni adverſantibus, quæ omnia pro nullis haberi debent, ſalvis tamen iis quæ & quatenus in præcedentibus Articulis circa Reginæ, Regnique Suecia, ut & quorundam Electorum & Principum Imper. Rom. ſatisfactionem vel æquivalentem recompenſationem ſive aliter ſpeciatim excepta & diſpoſita ſunt. Atque hæc reſtitutio locorum occupatorum tam à Cæſ. Maj. quam à Reg. Maj. Suecia & utriusque ſocius fœderatis & adhærentibus fiat reciproce & bona fide.

Reſtituantur etiam Archiva & documenta literaria, aliaque mobilia, ut & tormenta bellica quæ in dictis locis tempore occupationis reperta ſunt, & adhuc ibi ſalva reperiuntur. Quæ vero poſt occupationem alunde eo invecta ſunt, ſive in præliis capta, ſive ad uſum & cuſtodiam eo per occupantes illata fuerunt, una cum annexis, ut & bellico apparatu, iisdem quoque ſecum exportare & avehere liceat.

Teneantur ſubditi cujusque loci, decedentibus præſidiis & militibus, currus, equos, & naves, cum neceſſario victu, pro omnibus neceſſariis avehendis ad loca in Imperio deſtinata, abſque pretio ſubminiſtrare: quos currus, equos & naves reſtituere debent præfectis præſidiorum, militumque hoc modo diſcedentium, ſine dolo & fraude. Liberent etiam Statuum ſubditi ſe invicem ab hoc onere vecturæ de uno territorio in aliud, donec ad loca in Imperio deſtinata pervenerint: nec præſidiorum, aut aliis militiæ præfectis aut officialibus, liceat ſubditos, eorumque currus, equos, naves, & ſimilia eorum uſibus commodata, omnia vel ſingula, extra Dominiorum ſuorum, multo minus Imperii fines ſecum trahere, eoque nomine obſidibus cavere teneantur.

Reddita vero ſive maritima & limitanea, ſive mediterranea fuerint, dicta loca, ab ulterioribus omnibus durantibus hiſce bellorum motibus introductis præſidiis, perpetuo poſthac libera ſunto & Dominorum ſuorum (ſalvo de cætero cujusque jure) libera diſpoſitioni relinquantur.

1648 *Nulli autem civitati vel nunc vel in futurum ulli præjudicio damnove cedat, quod ab alterutra parte belligerantium occupata & insessa fuerit: sed omnes & singula cum omnibus & singulis civibus & incolis tam universalis Amnestia, quam cæteris hujus pacificationis beneficiis gaudeant: iisque de cætero omnia sua jura & privilegia in sacris & prophanis, qua ante hos motus habuerunt, sarta tecta que maneant. Salvis tamen juribus superioritatis, cum inde dependentibus pro singulis quarumcunque Dominis.*

Denique omnium belligerantium in Imperio partium copiæ & exercitus dimittantur & exauctorentur, eo tantum numero in suos cujusque proprios Status traducto, quem quaque pars pro sua securitate judicaverit necessarium.

Tam exauctoratio vero militiæ, quam restitutio locorum ad præfixum tempus eo ordine, modoque fiant, de quibus inter generales Exercituum Duces conveniet, observatis tamen quoad rem ipsam iis quæ in punctis Satisfactionis militiæ conventa sunt.

Punctus Assecurationis. *XVII. Pacem hoc modo conclusam promittunt Cæsarei & Regii, Ordinumque Imperii Legati & Plenipotentiarii, respective ab Imperatore & Regina Suecia, Sacrique Imperii Romani Electoribus, Principibus, & Statibus, ad formam hic motu placitam ratihabitum iri, seseque infallibiliter præstituros, ut solennia ratihabitionum instrumenta intra spatium octo septimanarum à die subscriptionis computandarum, hic Osnabrugis præsententur, & reciproce, viceque commutentur.*

Pro majori etiam horum omnium & singulorum pactorum firmitudine & securitate, sit hæc transactio perpetua lex, & pragmatica Imperii sanctio, imposterum æque ac alia leges & constitutiones fundamentales Imperii, nominatim proximo Imperii Recessui ipsique Capitulationi Cæs. inserenda, obligans non minus absentes, quam præsentes, Ecclesiasticos æque ac Politicos, sive Status Imperii sint, sive non, eoque tam Cæsareis, Procerumque Consiliarios & Officialibus, quam tribunalium omnium Judicibus & Assessoribus tanquam Regula quam perpetuo sequantur, præscripta.

Contra hanc Transactionem, ullumve ejus articulum aut clausulam, nulla jura Canonica vel civilia, communia vel specialia Conciliorum decreta, privilegia, indulta, edicta, commissiones, inhibitiones, mandata, decreta, rescripta, litispendentiæ, quocunque tempore lata sententia, res judicata, capitulationes Cæsarea & alia, Religiosorum ordinum regula aut exemptiones, sive præteriti sive futuri temporis protestationes, contradictiones, appellationes, investitura, transactiones, juramenta, renunciationis, pacta sen dedititia, seu alia, multo minus edictum Anni 1629. vel transactio Pragensis, cum suis appendicibus, aut concordata cum Pontificibus, aut interimistica Anno 1648. ullave alia statuta sive Politica sive Ecclesiastica, decreta, dispensationes, absolutiones, vel ulla alia quocunque nomine aut prætextu excogitari poterunt, exceptiones unquam allegentur, audiantur, aut admittantur, nec uspiam contra hanc transactionem in petitorio aut possessorio seu inhibitorii seu alii Processus vel commissiones unquam decernantur.

Qui vero huic transactioni, vel paci publicæ, consilio vel ope contravenerit, vel executioni aut restitutioni repugnaverit, vel etiam legitimo modo supra conventa, & sine excessu facta restitutione, sine legitima causa cognitione, & ordinaria juris executione restitutum de novo gravare tentaverit, sive Clericus sive Laicus fuerit, pœnam fractæ pacis ipso jure & facto incurrat, contraque eum juxta constitutiones Imperii restitutio & præstatio, cum pleno effectu decernatur & demandetur.

Pax vero conclusa nihilominus in suo robore permaneat, teneanturque omnes hujus transactionis consortes, universas & singulas hujus Pacis leges contra quemcunque, sine Religionis distinctione, tueri & protegere, & si quid eorum à quocunque violari contigerit, lasus ladentem imprimis quidem à via facti deberterur, causa ipsa vel amicabili compositioni vel juris disceptationi submissa. 1648

Verumtamen si neutro horum modorum intra spatium trium annorum terminetur controversia, teneantur omnes & singuli hujus transactionis consortes junctis cum parte læsa consiliis, viribusque arma sumere ad repellendam injuriam à passo moniti, quod nec amicitia nec juris via locum invenerit: salva tamen de cætero uniuscujusque jurisdictione, justitiaque juxta cujusque Principis aut Status leges & constitutiones, competenti administratione. Et nulli omnino Statuum Imperii liceat jus suum vi vel armis persequi, sed si quid controversia, sive jam exortum sit, sive posthac inciderit, unusquisque jure experiatur, secus faciens reus sit fractæ pacis. Quæ vero judicis sententia definita fuerint, sine discrimine Statuum executioni mandentur, prout Imperii leges de exequendis sententiis constituunt.

Ut etiam pax publica tanto melius conservari possit, redintegrentur circuli, & statim ac undecunque turbarum vel motuum aliqua initia apparent, observentur ea quæ in constitutionibus Imperii de Pacis publicæ executione & conservatione dispositæ sunt.

Quoties autem milites quavis occasione, aut quocunque tempore, per aliorum territoria aut fines aliquis ducere velit, transitus hujusmodi instituatur ejus, ad quem transeuntes milites pertinent, sumptu, atque adeo sine maleficio, damno & noxa eorum quorum per territoria ducuntur: ac denique omnino observentur, quæ de conservatione Pacis publicæ Imperii constitutiones decernunt & ordinant.

Hac Pacificatione comprehendantur, ex parte Serenissimi Imperatoris omnes sua Majestatis fœderati & adhærentes, imprimis Rex Catholicus, Domus Austriaca, Sacri Romani Imperii Electores & Principes, atque inter eos etiam Dux Sabaudiæ cæterique Status comprehensa Libera & immediata Imperii Nobilitate, & Civitatibus Anseaticis. Item Rex Angliæ, Rex & Regna Daniæ Norvegiaque cum annexis Provinciis, ut & Ducatu Slesvicensi, Rex Poloniæ, Dux Lotharingiæ, omnesque Principes & Respublica Italiæ, Ordines Fœderati Belgii, & Cantones Helvetiæ, Rhetiaque, Princeps item Transylvaniæ.

Ex parte vero Serenissimæ Reginæ, Regnique Suecia omnes ejus fœderati & adhærentes, imprimis Rex Christianissimus, tum Electores, Principes, Status, libera & immediata Imperii Nobilitate comprehensa, & Civitates Anseatica: Item Rex Angliæ, Rex & Regna Daniæ, Norvegiaque, cum annexis Provinciis, item & Ducatu Slesvicensi, Rex Poloniæ, Rex & Regnum Portugallia, Magnus Dux Moscoviæ, Respublica Veneta, Fœderatum Belgium, Helvetii, Rhetique & Princeps Transylvaniæ.

In quorum omnium & singulorum fidem majusque robur, tam Cæsarei quam Regii Legati, nomine vero omnium Electorum, Principum ac Statuum Imperii ad hunc actum specialiter ab ipsis (vigore concluſi, die decimo tertio Octobris anni supramentionati facti, & ipso die subscriptionis sub sigillo Cancellariæ Moguntinæ Legationi Suecicæ extradiri) Deputati; nimirum,

E *Electoralis Moguntinus, Dominus Nicolaus Georgius de Raigersperg, Eques, Cancellarius: Electoralis Bavaricus, Dominus Joannes Adolphus Krebs, Consiliarius intimus: Electoralis Saxonicus, Dominus Joannes Leuberus, Consiliarius: Electoralis Brandeburgicus, Joannes Comes in Sain & Wittgenstein, Dominus in Homburg*

zed by Google

1648. burg & Valendar Conſiliarius intimus: Nomine Domus Auſtriacæ Dominus Georgius Ulricus Comes à Wolckenſtein Conſiliarius Cæſareus Aulicus: Dominus Cornelius Gobelius Epiſcopi Rambergenſis Conſiliarius: Dominus Sebaſtianus Wilhelmus Meel, Epiſcopi Herbipolenſis Conſiliarius intimus: Dominus Joannes Erneſtus, Ducis Bavariæ Conſiliarius Aulicus: Dominus Wolffgangus Conradus à Tumbshirn Conſiliarius Aulicus Saxonicus Aldenburgenſis, & Coburgenſis: Dominus Auguſtus Carpzovius Conſiliarius Saxonicus Aldenburgicus & Coburgenſis: Dominus Joannes Fromhold, Domus Brandeburgicæ Culmbacenſis & Onolzbacenſis Conſiliarius intimus: Dominus Henricus Langenbeck, Juris conſultus, Domus Brunsvico-Luneburgicæ lineæ Cellenſis Conſiliarius intimus: Dominus Jacobus Lampadius, Juris Conſultus lineæ Calenbergenſis Conſiliarius intimus & Pro-Cancellarius; Nomine Comitum ſtamni Weſteravienſis, Dominus Matthæus Weſenbecius Juris Conſultus & Conſiliarius: Nomine utriusque ſcamni Civitatenſis, Dominus Marcus Otto Argentoratenſis, Dominus Joannes Jacobus Wolff, Ratiſponenſis: Dominus David Gloxinius Lubecenſis: & Dominus Jodocus Chriſtophorus Kreh à Kreſſenſtein, Norimbergenſis Reipublicæ, reſpective Syndici, Senatores Conſiliarii & Advocati, Præſens pacis Inſtrumentum, manibus Sigillisque propriis muniverunt & firmarunt, dictique Ordinum Deputati Principalium ſuorum ratificationes, formula conventa termino ſupra conſtituto, ſeſe extradituros polliciti ſunt.

Reliquis Statuum plenipotentiariis liberum relinquendo velint an nolint, nomina ſua ſubſignare, ſuorumque Principalium ratihabitiones accerſere, ſed hoc pacto atque lege ut ſubſcriptione jam nominatorum Deputatorum reliqui Status omnes & ſinguli qui ſubſcriptione & ratihabitione ſuperſedent, tam firmiter ad obſervantiam & manutenentiam eorum, quæ in hoc pacificationis Inſtrumento continentur, obligati ſint ac ſi ab ipſis ſubſcripto fuerit facta & exhibita ratificatio, nec ulla à Directorio Imperii Romani contra ſubſcriptionem à memoratis Deputatis factam, recipiatur aut valeat, vel proteſtatio vel contradictio. Acta ſunt hæc

decima

Oſnabrugis Weſtphalorum die ——— quarta Menſis

vigeſima

Octobris, An. Chriſti Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo octavo.

Articulus Secretus.

NOs Ferdinandus Tertius Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wurtenbergæ, Comes Tirolis; *Agnoſcimus tenore præſentium pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus & Regibus, nec non Regnis & Provinciis noſtris Hæreditariis. Quod cum noſtri ad univerſales pacis tractatus deputati Legati Plenipotentiarii in puncto ſatisfactionis, cum plenipotentiariis Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Oſnabrugæ concluſo, ibidem quoque decima octava Februarii anni proxime præteriti per ſpecialem Receſſum, ſive Articulum Secretum ſeſe declararint & obligarint, quod Sereniſſimæ ſuæ inter alia pro reſtitutione locorum tam in Imperio quam Regnis & provinciis noſtris hæreditariis occupatorum quatuor centena millia Thalerorum Imperialium ſolvi debeant ex futuris contributionibus communi Electorum, Principum ac Statuum Imperii conſenſu, in univerſalibus Comitiis indicendis ac publicandis, pro ea quota, quæ Principatibus & ditionibus Sereniſſimæ ſuæ per pacem vigeſima quarta Octobris nuperi concluſam, ſubſcriptam, & poſtridie publicatam à Nobis & Imperio eidem conceſſis, contribuenda obtinget, defalcanda, toties ac tamdiu, donec ſumma dictorum quatuor centenorum millium Thalerorum plene ſoluta fueris, quouſque ex quota indictarum contributionum præfatæ ditioni & Principatui contingente nihil ſolvere vel præſtare teneatur, ac præterea; Si dictis ditionibus ac Principatibus ſive contributionibus reſidui aliquid adhuc ſolvendum incumberet, quod id quoque Sua Sereniſtati remiſſum, ac vigore hujus conventionis ceſſum eſſet. Quod vero ad reliqua bis centena millia Thalerorum Imperialium attinet, ea à nobis, ſive noſtro nomine ſuæ Seren. ad id inſtructis Mandatariis intra terminum trium menſium à date vigeſimo quarto Octobris computandorum in noſtra & ſacri Imperii Civitate Hamburgenſi infallibiliter numerari debeant. Ac nos ea omnia, quæ dicti noſtri Legati Plenipotentiarii virtute ſuarum plenipotentiarum, tam in hoc particulari receſſu quam ipſo pacis tractatu promiſerunt adimplere intendamus ac parati ſimus. Ideirco iterum declaramus ex certa ſcientia ac vigore præſentium pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus & Regibus, tum Regnis quoque & Provinciis noſtris hæreditariis, recipientes in nos & promittentes, quod omne id, quod in ſupradicto inter noſtros & ſupradictæ Sereniſtatis ſuæ Legatos Plenipotentiarios convento receſſu particulari continetur, firmiter obſervare volumus & debemus ſine dolo & fraude. In cujus rei fidem ac majus robur præſentes manu propria ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri impreſſione communiri juſſimus. Quæ dabantur Vienna die decima quarta menſis Decembris Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo quadrageſimo octavo, Regnorum noſtrorum Romani duodecimo, Hungarici vigeſimo quarto, Bohemici vero vigeſimo ſecundo.*

FERDINANDUS.

Ut. Ferdinandus Comes Curtius
Ad mandatum ſacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.
J. Walderode.

Viſum eſt & ipſam Legatorum inter ſe conventionem heic inſerere, eo fortius diſpellendis calumniis, velut ſecreto hoc articulo ſacra Evangelica per Cæſareas ditiones vendita forent.

Cum inter Cætera, quæ Sereniſſima Regina Suecia, ut ſibi pro locorum hoc bello tum in Imperio, tum in terris & Regnis Imperatoris hæreditariis occupatorum reſtitutione ſatisfieret, pacique publicæ in Imperio reſtaurandæ condigne proſpiceretur, præſtari debere conventa ſunt, etiam hoc actum ſit, ut nomine ſacræ Cæſareæ Majeſtatis dictæ Reginæ ſexcenta Thalerorum Imperialium millia exſolverentur: Ideo declarant ſuæ Majeſtatis plenipotentiarii, & vigore ſuæ plenipotentiæ promittunt, quadringenta talerorum Imperialium millia de futuris Imperii collectis, quæ de conſenſu S. Rom. Imperii Electorum, Principum & Ordinum in Comitiis Imperialibus indicentur, pro ea parte, quæ Coronæ Suecicæ reſpectu provinciarum, terrarum & locorum præſentis pacis tractatu ceſſorum exſolvenda incumbet, defalcari oportere; adeo ut in futurum dicta Corona pro dictis Provinciis, terris & locis nullas prorſus Imperatoris & Imperii collectas præſtare teneatur, donec tota iſta ſumma quadringentorum millium Imperialium thalerorum compenſata fuerit. Si quid etiam ex antehac indictis Imperii collectis reſtiterit, quod dicta provincia forte ſolvere tenebantur, id quoque virtute præſentis conventionis Sereniſſimæ Reginæ ceſſum, remiſſumque eſto. Quod autem reliqua ducenta Imperialium thalerorum

1648. *millia attinet, ea ſumma nomine Cæſareæ Majeſtatis Sereniſſimæ Reginæ Officialibus, ſufficiente ad id mandato inſtructis Hamburgi à die pacis concluſæ & ſubſcriptæ intra menſes tres infallibiliter & bona fide numerabitur, & expendetur. Actum Oſnabrugis die 18. Febr. Anno 1647.*

M. C. de Trautmanſdorff.
J. Maximilianus. C. de Lamberg.
Joannes Crane. Iſaacus Volmar.

Inſtrumentum Pacis Gallicum.

Notum ſit univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, poſtquam à multis annis orta in Imperio Romano diſſidia, motuſque civiles eoſque increverunt, ut non modo univerſam Germaniam, ſed & aliquot finitima Regna, potiſſimum vero Galliam ita involverint, ut diuturnum & acre exinde natum ſit bellum; primo quidem inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum FERDINANDUM *ſecundum, Electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regem, Archi-Ducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgiæ, Superioris ac Inferioris Sileſiæ, Wirtembergiæ & Teckæ, Principem Suevia, Comitem Habſburgi, Tyrolis, Kyburgi & Goritiæ, Marchionem Sacri Rom. Imperii, Burgoviæ ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominum Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum inclitæ memoriæ, cum ſuis Fœderatis & adhærentibus ex una. Et Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum* LUDOVICUM XIII. *Galliarum & Navarræ Regem Chriſtianiſſimum, inclitæ memoriæ, ejuſque Fœderatos & Adhærentes ex altera parte. Deinde poſt eorum è vita deceſſum inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem & Dominum Dominum* FERDINANDUM III. *Electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regem, Archi-Ducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgiæ, Superioris ac inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Principem Suevia, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Kyburgi & Goritiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominum Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, cum ſuis Fœderatis & Adhærentibus ex una: Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum,* LUDOVICUM XIV. *Galliarum & Navarræ Regem Chriſtianiſſimum, ejuſque Fœderatos Adhærentes ex altera parte, unde multa Chriſtiani ſanguinis effuſio, cum plurimarum Provinciarum deſolatione ſecuta eſt. Tandem Divina Bonitate factum eſſe, ut annitente Sereniſſima Republicâ Venetâ, cujus conſilia difficillimis Chriſtiani Orbis temporibus publica ſaluti & quieti nunquam defuere, utrinque de Pace Univerſali ſuſcepta ſit cogitatio, in eumque finem ex mutua partium conventione, Hamburgi die 25. ſtylo novo, vel die 15. ſtylo veteri Decembris, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo inita, conſtituta ſit dies undecima ſtylo novo, vel prima ſtylo veteri Menſis Julii, Anno Domini 1643. congreſſui Plenipotentiariorum* MONASTERII & OSNABRUGIS *Weſtphalorum inſtituendo. Comparentes igitur ſtatuto tempore & loco utrinque legitime conſtituti Legati Plenipotentiarii, parte quidem Imperatoris Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus Maximilianus Comes à Trautmansdorff & Weinsberg Baro in Gleichenberg, Neoſtadii ad Cocrum, Negau, Bergau, & Totzenbach, Dominus in Teinitz, Eques Aurei Velleris, Conſiliarius Secretus & Camerarius Sac. Cæſ. Majeſtatis, ejuſque Aulæ ſupremus Præfectus. Dominus Joannes Ludovicus Comes à Naſſau, Catzenelenbogen, Vianden & Dietz, Dominus in Beilſtein, Conſiliarius Secretus Imperatoris, & Aurei Velleris Eques. Dominus Iſaacus Volmarus I. V. D. Sereniſſ. Domini Archi-Ducis Ferdinandi Caroli Conſiliarius, ejuſque Cameræ Præſes. A parte vero Regis Chriſtianiſſimi, Celſiſſimus Princeps Dominus Henricus d'Orleans, Dux de Longueville, & d'Eſtouteville, Princeps & Supremus Comes de Newcaſtel, Comes de Dunois & de Tancarville, Conſtabilis hereditarius Normanniæ, ejuſdemque Provinciæ Gubernator & locum tenens Generalis, Centum Cataphractorum Equitum Dux, & Ordinum Regiorum Eques, &c. Illuſtriſſimi Item ac Excellentiſſimi Domini, Dominus Claudius de Meſmes, Comes d'Avaux, diſtorum Ordinum Commendator, unus ex Præfectis ærarii Regis, & Regni Gallici Miniſter, &c. Et Dominus Abel Servien, Comes de la Roche, des Aubiers, etiam unus ex Regni Gallici Miniſtris, &c. interventu & opera Illuſtriſſ. & Excellentiſſimi Legati Senatoriique Veneti, Domini Aloyſii Contareni, Equitis, qui Mediatoris munere procul à partium ſtudio, totos pene quinque annos impigre perfunctus eſt. Poſt invocatum Divini Numinis auxilium mutuaque Plenipotentiariorum tabulas quarum apographa ſub finem hujus Inſtrumenti de verbo ad verbum inſerta ſunt, rite communicatas, præſentibus & conſentientibus Sac. Rom. Imperii Electoribus, Principibus, ac Statibus ad Divini Numinis gloriam & Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem in mutuæ Pacis & amicitiæ leges conſenſerunt & convenerunt tenore ſequenti.*

PAX ſit Chriſtiana, Univerſalis, & perpetua verâque & ſincera Amicitia inter Sacram Majeſt. Cæſaream & Sac. Majeſt. Chriſtianiſſimam, nec non inter omnes & ſingulos Fœderatos & Adhærentes dictæ Majeſtatis Cæſareæ, Domum Auſtriacam eorumque Hæredes & Succeſſores, Præcipue vero Electores, Principes & Status Imperii ex altera parte; Eaque ita ſincere ſerioque ſervetur & colatur, ut utraque pars alterius utilitatem, honorem ac commodum promoveat, omnique ex parte & Univerſi Romani Imperii, cum Regno Galliæ, & viciſſim Regni Galliæ cum Romano Imperio fida vicinitas & cura ſtudiorum Pacis atque amicitiæ cultura revirеſcant & reflоreſcant. Sit utrinque perpetua oblivio & Amneſtia omnium eorum quæ ab initio horum motuum quocunque loco modove ab una vel altera parte ultro citroque hoſtiliter facta ſunt, ita ut nec eorum nec ullius alterius rei cauſa vel prætextu alter alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiæ, moleſtiæ vel impedimenti quoad perſonas, ſtatum, bona, vel ſecuritatem, per ſe vel per alios, clam aut palam, directe, vel indirecte ſpecie juris aut via facti in Imperio aut uſquam extra illud, non obſtantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus, inferat vel inferri faciat, aut patiatur, ſed omnes & ſingula hinc inde tam ante Bellum quam in Bello verbis, ſcriptis aut factis illata injuria, violentia, hoſtilitates, damna, expenſa abſque omni perſonarum rerumve reſpectu, ita penitus abolita ſint, ut quidquid eo nomine alter adverſus alterum prætendere poſſet, perpetua ſit oblivione ſepultum.

Et ut eo ſincerior Amicitiæ mutua ſecuritas inter Imperatorem, Regem Chriſtianiſſimum, Electores, Principes & Status Imperii poſthac ſervetur (ſalvo aſſecurationis articulo infra deſcripto,) alter alterius hoſtes præſentes aut futuros, nullo unquam titulo vel prætextu, vel ullius controverſiæ bellive ratione contra alterum armis, pecunia, militе, commeatu aliterve juvet, aut ullis copiis, quæ contra aliquem hujus pacificationis conſortem

1648. *ſortem à quocunque duci contigerit, receptum, ſtativa, tranſitum indulgeat. Circulus quidem Burgundicus ſit maneatque membrum Imperii, poſt controverſias inter Galliam Hiſpaniamque ſopitas hac Pacificatione comprehenſus. Bellis tamen in eo jam vertentibus, nec Imperator nec ullus Imperii Status ſe immiſceat. In futurum vero ſi inter ea Regna controverſia oriantur, firma ſemper maneat inter univerſum Imperium & Reges Regnumque Gallia, de mutuis hoſtibus non juvandis, ſupradicta reciproca obligationis neceſſitas: ſingulis tamen Statibus liberum ſit huic illive Regno extra Imperii limites ſuppetias ferre, non tamen aliter quam ſecundum Imperii conſtitutiones. Controverſia Lotharingica vel arbitris utrinque nominandis ſubmittatur, vel tractatu Gallo-Hiſpanico, vel alia amicabili via componatur, liberumque ſit tam Imperatori, quam Electoribus, Principibus & Statibus Imperii ejus compoſitionem amicabili interpoſitione, aliuſque pacificis officiis juvare ac promovere, non tamen armis aut bellicis mediis.*

Juxta hoc amicitiæ mutuæ & univerſalis Amneſtiæ fundamentum, univerſi & ſingulis Sacri Romani Imperii Electores, Principes, Status (comprehenſa immediata Imperii nobilitate) eorumque Vaſalli, ſubditi, Cives & Incolæ, quibus occaſione Bohemiæ, Germaniæ vel motuum vel Fœderum hinc inde contractorum, ab una vel altera parte aliquid præjudicii aut damni quocunque modo vel prætextu illatum eſt tam quoad Ditiones & Bona Feudalia, ſubfeudalia & allodialia, quam quoad dignitates, immunitates, Jura & privilegia reſtituti ſunto plenarie in eum utrinque ſtatum in Sacris & Profanis, quo ante deſtitutionem gavifi ſunt, aut jure gaudere potuerunt, non obſtantibus, ſed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis innovationibus.

Quod ſi reſtituendorum Bonorum & jurium Poſſeſſores, exceptionibus ſe juſtis munitos exiſtimaverint, ea quidem reſtitutionem nequaquam impedient, hæc tamen peracta coram competenti Judice examinentur.

Et quamvis ex hac præcedenti regula generali facile dijudicari poſſit, qui & quatenus reſtituendi ſint, tamen ad inſtantiam aliquorum de quibuſdam gravioris momenti cauſis, prout ſequitur, ſpecialiter mentionem fieri placuit, ita tamen, ut qui expreſſe non nominati vel expuncti ſunt, propterea pro omiſſis vel excluſis non habeantur.

Cum Arreſtum quod mobilibus ad Principem Electorem Trevirenſem ſpectantibus, & in Ducatum Luxemburgenſem tranſlatis Imperator per concilium Provinciale antehac imponi curavit, relaxatum quidem & abolitum, attamen ad quorundam inſtantiam iterum renovatum, inſuper etiam ſequeſtrum Præfecturæ Bruch ad Archi-Epiſcopatum, & medietatem Domini ſancti Joannis, ad Joannem Reinhardum de Soeteren ſpectantem à præfato Concilio inductum eſt, concordatis inter Electorem Trevirenſem & Ducatum Burgundiæ publica Imperii interventione Anno 1548. Auguſtæ Vindelicorum erectis repugnet; Conventum eſt, ut præditum Arreſtum & ſequeſtrum à Concilio Luxemburgenſi quantocius tollatur, Dicto Domino Electori bona ſua, Præfectura ea, Dominium, tam Electoralia quam Patrimonialia una cum fructibus ſequeſtratis relaxentur & tradantur, ac ſi quid forte amotum fuerit, reponatur, pleneque atque integre reſtituatur, impetrantibus ad Judicem Principis Electoris in Imperio competentem, pro obtinenda juris & juſtitiæ adminiſtratione, remiſſis.

Quod autem ad Caſtra Ehrenbreitſtein & Hamerſtein attinet, Imperator tempore & modo infra in Articulo Executionis definitis, præſidia inde deducet, aut deduci curabit, illaque Caſtra in manus Domini Electoris Trevirenſis, ejusdemque Capituli Metropolitani pari poteſtate pro Imperio & Electoratu cuſtodienda tradet, quo nomine & Capitaneus & novum præſidium ibi ab Electore conſtituendum juramento fidelitatis pro ipſo ejusque Capitulo pariter obſtringi debebunt. 1642.

Deinde vero Cauſam Palatinam Conventus Monaſterienſis & Oſnabrugenſis eo deduxit, ut ea de re jam diu mota lis dirempta ſit modo ſequenti.

Et primo quidem quod attinet Domum Bavaricam, Dignitas Electoralis, quam Electores Palatini ante hac habuerunt, cum omnibus Regalis, Officiis, Præcedentiis, Inſignibus & juribus quibuscunque ad hanc dignitatem ſpectantibus, nullo prorſus excepto, ut & Palatinatus Superior totus, una cum Comitatu Cham, cum omnibus eorum appertinentiis, Regalibus, ac Juribus, ſicut hactenus, ita & imposterum maneat penes Dominum Maximilianum Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ Ducem ejusque Liberos, totamque Lineam Guilhelmianam, quamdiu maſculi ex ea ſuperſtites fuerint.

Viciſſim Dominus Elector Bavariæ, pro ſe, hæredibus ac ſucceſſoribus, totaliter renuntiet debito Tredecim Millionum, omnique prætenſioni in Auſtriam Superiorem, & ſtatim à publicata Pace, omnia Inſtrumenta deſuper obtenta Cæſarea Majeſtati ad caſſandum & annullandum extradat.

Quod ad Domum Palatinam attinet, Imperator cum Imperio publicæ tranquillitatis cauſa conſentit, ut vigore præſentis Conventionis inſtituatur ſit Electoratus Octavus, quo Dominus Carolus Ludovicus Comes Palatinus Rheni, ejusque hæredes & agnati totius Lineæ Rudolphinæ, juxta Ordinem ſuccedendi in Aurea Bulla expreſſum, deinceps fruantur, nihil tamen juris præter ſimultaneam inveſtituram ipſi Domino Carolo Ludovico, aut ejus ſucceſſoribus, ad ea quæ cum dignitate Electorali Domino Electori Bavariæ, totique Lineæ Guilhelmianæ attributa ſunt, competat.

Deinde ut Inferior Palatinatus totus cum omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis & Secularibus bonis, juribus & appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos Electores Principesque Palatini gavifi ſunt, omnibusque Documentis, Regeſtis, rationariis & cæteris actis huc ſpectantibus, eidem plenarie reſtituantur, caſſatis iis, quæ in contrarium acta ſunt, idque authoritate Cæſarea effectum iri, ut neque Rex Catholicus, neque ullus alius, qui exinde aliquid habet, ſe huic reſtitutioni ullo modo opponat.

Cum autem certæ quædam Præfecturæ Strada Montana, antiquitus ad Electorem Moguntinenſem pertinentes, Anno demum Milleſimo, quadringenteſimo ſexageſimo tertio, pro certa pecunia ſumma Palatinis, cum pacto perpetuæ reluitionis oppignoratæ fuerint, ideo conventum eſt, ut hæ Præfecturæ penes modernum Dominum Electorem Moguntinenſem, ejusque in Archi-Epiſcopatu Moguntinenſi Succeſſores permaneant, dummodo pretium pignorationis ſponte oblatum, intra terminum executioni concluſæ Pacis præfixum, parata pecunia exſolvat, cæteraque ad quæ juxta tenorem literarum oppignorationis tenetur, ſatisfaciat.

Electori quoque Trevirenſi tanquam Epiſcopo Spirenſi, Epiſcopo item Wormatienſi, jura quæ prætendunt in bona quædam Eccleſiaſtica intra Palatinatus inferioris Territorium ſita, coram competenti Judice proſequi liberum eſto, niſi de his inter utrumque Principem amice conveniatur.

Quod ſi vero contigerit Lineam Guilhelmianam Maſculinam prorſus deficere, ſuperſtite Palatina, non modo Palatinatus Superior, ſed etiam dignitas Electoralis, quæ penes Bavariæ Duces fuit, ad eosdem ſuperſtites Palatinos, interim ſimultanea inveſtitura gavifuros, redeat, Octavo tunc Electoratu prorſus expungendo. Ita tamen Palatinatus Superior hoc caſu ad Palatinos ſuperſtites redeat, ut hæredibus allodialibus Electoris Bavariæ actiones & Beneficia quæ ipſis ibidem de jure competunt, reſervata maneant.

ed by Google

1648. *Pacta quoque gentilitia inter Domum Electoralem Heidelbergenſem & Neoburgicam, à prioribus Imperatoribus ſuper Electorali ſucceſſione confirmata, ut & totius Linea Rudolphina jura, quatenus huic diſpoſitioni contraria non ſunt, ſalva rataque maneant.*

Adhæc ſi qua Feuda Juliacenſia aperta eſſe competenti via juris evictum fuerit, ea Palatinis evacuentur.

Præterea ut dictus Dominus Carolus Ludovicus aliquatenus liberetur onere proſpiciendi Fratribus de appenagio; Cæſarea Majeſtas ordinabit, ut dictis ſuis Fratribus quadringenta Imperialium Thalerorum millia intra quadriennium; ab initio Anni venturi 1649. numerandum expendantur, ſingulique Annis centena millia ſolvantur, una cum annuo cenſu quinque de centum computatis.

Deinde tota Domus Palatina, cum omnibus & ſingulis qui ei quocunque modo addicti ſunt aut fuerunt; præcipue vero Miniſtri qui ei in hac Conventu, aut alias operam ſuam navarunt, ut & omnes Palatinatus exules fruantur Amneſtia Generali ſupra deſcripta, pari cum cæteris in ea comprehenſis jure & hac tranſactione, ſingulariter in puncto Gravaminum pleniſſime.

Viciſſim Dominus Carolus Ludovicus cum fratribus, Cæſarea Majeſtati obedientiam & fidelitatem, ſicut cæteri Electores Principesque Imperii præſtent, ac inſuper Palatinatui Superiori pro ſe & Heredibus ſuis, tum ipſe, tum ejus Fratres, donec ex Linea Guilhelmiana hæredes legitimi & maſculi ſuperfuerint renuncient.

Cum autem de ejuſdem Principis Vidua, Matri, ſororibuſque præſtando Victalitio & dote conſtituenda mentio injiceretur, pro benevolo Sacræ Cæſareæ Majeſtatis in Domum Palatinam affectu promiſſum eſt, dicta Vidua Matri pro Victalitio ſemel pro ſemper, viginti Thalerorum Imperialium millia, ſingulis autem ſororibus dicti Domini Caroli Ludovici, quando nuptum elocata fuerint dena Thalerorum Imperialium millia, nomine Suæ Majeſtatis exſolutum iri, de reliquo vero ipſis idem Princeps Carolus Ludovicus ſatisfacere teneatur.

Comitatu in Leiningen & Daxburg, ſæpe dictus Dominus Carolus Ludovicus ejuſque Succeſſores in Palatinatu Inferiori nulla in re turbent, ſed jure ſuo à multis retro ſeculis obtento, & à Cæſaribus confirmato, quiete, ac pacifice uti frui permittant.

Liberam Imperii Nobilitatem per Franconiam, Sueviam & tractum Rheni, cum diſtrictibus appertinentibus in ſuo ſtatu immediato inviolate relinquat.

Feuda etiam ab Imperatore in Baronem Gerhardum de Waldenburg, dictum Schenkhern, Nicolaum Georgium Reigersberger Cancellarium Moguntinum, & Henricum Brombſer Baronem de Rudesheim: Item ab Electore Bavariæ, in Baronem Ioannem Adolphum Wolff, dictum Metternich collata, rata maneant, teneantur tamen ejuſmodi Vaſalli Domino Carolo Ludovico, veluti Domino directo ejuſque Succeſſoribus Juramentum fidelitatis præſtare, atque ab eodem Feudorum ſuorum renovationem petere.

Auguſtanæ Confeſſionis conſortibus, qui in poſſeſſione Templorum fuerant, interque eos Civibus & Incolis Oppenheimenſibus, ſervetur Status Eccleſiaſticus Anni milleſimi ſexcenteſimi viceſimi quarti, cæteriſque id deſideraturis Auguſtanæ Confeſſionis Exercitium, tam publice in Templis ad ſtatas horas, quam privatim in ædibus propriis, aut alienis ei rei deſtinatis, per ſuos aut vicinos verbi Divini Miniſtros peragere liberum eſto.

Paragraphi Princeps Ludovicus Philippus, &c. Princeps Fridericus, &c. & Princeps Leopoldus Ludovicus, &c. hic eodem modo inſerti intelligantur, prout in Inſtrumento Cæſareo-Suecico continentur.

Controverſia, quæ vertitur inter Epiſcopos reſpective Rambergenſem & Herbipolenſem, ac Marchiones Brandeburgicos, Culmbachi & Onolzbachi de Caſtro, Oppido, Prefectura & Monaſterio Kitzingen in Franconia ad Mœnum, aut amicabili compoſitione, aut ſummario juris proceſſu terminetur intra biennium, ſub pœna perdendæ pretenſionis imponenda tergiverſanti, interim dictis Dominis Marchionibus reſtituantur nihilominus Fortalitium Wiltzburg in eum ſtatum, qui tempore traditionis deſcriptus fuit, ex conventione & promiſſo. 1648.

Conventio inita circa alimenta Domini Chriſtiani Wilhelmi Marchionis Brandeburgici hic repetita cenſeatur prout continetur Articulo decimo quarto Inſtrumenti Cæſareo-Suecici.

Rex Chriſtianiſſimus tempore & modo inferius definitis circa deductionem præſidiorum, reſtituet Duci Wurtenbergico Civitates & fortalitia Hohentwiel, Scherendorff, Tubingen, aliaque omnia loca ſine ulla reſervatione, quæ in Ducatu Wurtenbergico Præſidiis ſuis tenet. In reliquis Paragraphus Domus Wurtenbergi, &c. ſicut in Inſtrumento Cæſareo-Suecico inſertus eſt, hic inſertus intelligatur.

Principes quoque Wurtenbergici Linea Montpelgardenſis reſtituantur in omnes ſuas Ditiones in Alſatia vel ubicunque ſitas, & nominatim in duo Feuda Burgundica, Clerval & Paſſavant, & ab utraque parte redintegrentur in eum ſtatum, jura & prærogativas, quibus ante initum horum bellorum gaviſi ſunt.

Fridericus Marchio Badenſis & Hochbergenſis, ejuſque Filii & Hæredes, cum omnibus qui iisdem quocunque modo inſervierunt, aut adhuc dum inſerviunt, cujuſcunque nominis aut conditionis ſint, gaudeant & fruantur ſupra Articulo ſecundo & tertio deſcripta Amneſtia cum omnibus ſuis Clauſulis & Beneficiis, ejuſque vigore reſtituantur pleniſſime in eum ſtatum in Sacris & profanis, in quo ante exortos Bohemiæ motus fuit Dominus Georgius Fredericus Marchio Badenſis & Hochbergenſis quoad Marchionatum Inferiorem Badenſem, qui vulgo ſub appellatione Baden-Durlach venit, Itemque quoad Marchionatum Hochbergenſem, tum etiam quoad Ditiones Rötteln, Badenweiler & Sauſenberg, non obſtantibus, ſed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus. Deinde reſtituantur Marchioni Friderico Prefectura Stein & Renchingen, abſque onere eris alieni interea temporis à Marchione Guilelmo contracti, ratione fructuum, intereſſe, aut ſumptuum per tranſactionem Eslingæ Anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, viceſimo nono initam, dicto Guilelmo Marchioni Badenſi ceſſa, cum omnibus juribus, Documentis Literariis, aliisque pertinentiis, ita tamen ut illa actio ſumptuum, ac fructuum perceptorum & percipiendorum, cum omni damno & intereſſe, à tempore primæ occupationis numerandæ, ſublata penitus & extincta ſit. Annua quoque penſitatio ex Marchionatu Inferiori, Marchionatui Superiori pendi ſolita, virtute præſentium penitus ſublata, annullata, & annihilata ſit, nec eo nomine quicquam vel de præterito, vel de futuro, impoſterum unquam prætendatur vel exigatur; Alternetur etiam impoſterum inter utramque Lineam Badenſem, Inferioris ſcilicet & Superioris Marchionatus Badenſis Precedentia & Seſſio in Comitiis, & Circuli Suevici, aliisque univerſalibus vel particularibus Imperii, aut quibuſcunque Conventibus, pro nunc tamen eadem precedentia penes Marchionem Fridericum, dum ſuperſtes erit, permanente. De Baronatu Hohengeroltzegk Conventum eſt, ut ſi Domina Principiſſa Badenſis prætenſa ſua jura in dicto Baronatu Documentis Authenticis ſufficienter probaverit, reſtitutio ſtatim poſt latam deſuper ſen-

1648.

Digitized by Google

1648. *ſententiam fiat cum omni cauſa omnique jure vigere documentorum competenti. Cognitio autem hac finiatur à die publicatæ Pacis intra biennium. Nulla denique actiones, tranſactiones vel exceptiones generales vel ſpeciales clauſula in hoc Inſtrumento Pacis comprehenſa, (quibus omnibus per expreſſum & in perpetuum vigore hujus derogatum ſit) ab una vel altera parte ullo unquam tempore contra hanc ſpecialem Conventionem allegentur vel admittantur.*

Paragraphi, Dux de Croy &c. Quod Controverſiam Naſſavo-Siegen &c. Comitibus Naſſavo-Saraponticis &c. Domus Hanoica &c. Joannes Albertus Comes Solmenſis &c. Itemque reſtituuntur Domus Solms Hohenſolms &c. Comites de Iſenburg &c. Rheingravii &c. Vidua Domini Erneſti Comitis Saimenſis &c. Caſtrum & Comitatus Falckenſtein &c. Reſtituatur etiam Domus Waldeck &c. Joachimus Erneſtus Comes Oettingenſis &c. Item Domus Hohenloica &c. Fridericus Ludovicus &c. Domus Erbacenſis &c. Vidua & Hæredes Comitis à Brandenſtein &c. Baro Paulus Kevenhüller &c. Hic iisdem verbis inſerti intelliguntur prout in Inſtrumento Cæſareo-Suecico continentur.

Contractus, permutationes, tranſactiones, obligationes & inſtrumenta debiti vi metuve ſeu Statibus ſeu ſubditis illicite exorta, prout in ſpecie quærentur Spira, Weiſſenburgum ad Rhenum, Landavia, Reutlingen, Haulbronna, aliique, ut & redempta ceſſaque actiones abolita atque ita annullata ſunto, ut nullum judicium actionemve eo nomine intentare minime liceat. Quod ſi vero Debitores inſtrumenta creditis: vi metuve creditoribus exſorſerint, ea omnia reſtituantur; actionibus deſuper ſolutis.

Debita ſive emptionis, venditionis, annuorum redituum, ſive alio nomine vocentur, ſi ab una alterave belligerantium parte in odium creditorum violenter extorta ſint, contra debitores veram violentiam & realem ſolutionem interceſſiſſe allegantes, & ſe ad probandum offerentes, nulli Proceſſus executivi decernantur, niſi his exceptionibus previa plenaria cauſæ cognitione deciſis. Proceſſu deſuper inſtituto à Pacis publicatione infra biennium finiendo ſub pœna perpetui ſilentii contumacibus imponenda. Proceſſus autem hactenus eo nomine contra ipſos decreti, una cum tranſactionibus & promiſſionibus pro futura creditorum reſtitutione factis tollantur & enervantur, ſalvis tamen iis pecuniarum ſummis, quæ flagrante bello pro aliis ad avertenda majora eorum pericula & damna bono animo & intentione erogatæ ſunt.

Sententiæ tempore belli de rebus mere ſecularibus pronunciatæ, niſi proceſſus vitium & defectus manifeſte pateat, vel in continenti demonſtrari poſſit, non quidem omnino ſint nullæ, ab effectu tamen rei judicatæ ſuſpendantur: donec acta judicialia (ſi alterutra pars intra ſemeſtre ab inita Pace ſpatium, petiverit reviſionem) in Judicio competenti modo ordinario vel extraordinario in Imperio uſitato revideantur, & æquabili jure ponderentur, atque ita dicta ſententiæ vel confirmentur vel emendentur, vel ſi nulliter latæ ſint, plane reſcindantur.

Si quæ etiam Feuda Regalia vel privata ab Anno milleſimo-ſexcenteſimo-decimo octavo non fuerant renovata, nec interim eorum nomine præſtita ſervitia, nemini id fraudi eſto, ſed tempus repetendæ Inveſtituræ à die factæ Pacis cedere incipiat.

Tandem omnes & ſinguli tam bellici Officiales militeſque, quam Conſiliarii & Miniſtri togati Civiles & Eccleſiaſtici, quocunque nomine aut conditione cenſentur, qui uni alterive parti, earundemve Fœderatis aut adhærentibus, toga vel ſago militarunt, à ſummo ad infimum, ab infimo ad ſummum abſque ullo diſcrimine vel exceptione, cum uxoribus, liberis, hæredibus, ſucceſſoribus, ſerviturib

1648. *ſerviturib*

us, quoad perſonas & bona in eum vitæ, famæ, honoris, conſcientiæ, libertatis, Jurium, & privilegiorum ſtatum quo ante dictos motus gavisi ſunt, aut jure gaudere potuerunt, utrinque reſtituti ſunto, nec eorum perſonis aut bonis ullum creator præjudicium, ullave actio vel accuſatio intentator, multo minus ulla pœna damnumve quocunque prætextu irrogator. Et hæc quidem omnia quoad illos, qui Cæſareæ Majeſtatis & Domus Auſtriacæ ſubditi & vaſalli non ſunt, pleniſſimum effectum habeant.

Qui vero ſubditi & vaſalli hæreditarii Imperatoris & Domus Auſtriacæ ſunt, eadem gaudeant Amneſtia, quoad perſonas, vitam, famam & honores, habeantque ſecurum reditum in priſtinam patriam, ita tamen ut ſe teneantur accommodare legibus patriis Regnorum & Provinciarum.

Quantum autem eorundem bona concernit, ſi ea, antequam in Corona Galliæ Suecicæve partes tranſierunt, confiſcatione aut alio modo amiſſa fuere, eſſi plenipotentiarii Suecici diu multumque inſtiterint, ut iis etiam illa reſtituerentur, tamen cum Sacra Cæſ. Majeſtati hac in re ab aliis nihil præſcribi, nec ob Cæſareanorum conſtantem contradictionem aliter tranſigi potuerit, Ordinibusque Imperii ea propter bellum continuare, è re Imperii non fuerit viſum, porro quoque amiſſa ſunto ac modernis poſſeſſoribus permanento. Illa vero bona quæ ipſis poſt eam ob cauſam quod pro Gallis aut Suecis contra Cæſarem Domumque Auſtriacam arma ſumpſiſſent, iiſdem qualia nunc ſunt, absque reſuſione tamen ſumptuum & fructuum perceptorum, aut damni dati reſtituantur.

De cætero in Bohemia aliisque quibuscunque Provinciis Hæreditariis Imperatoris, Auguſtanæ Confeſſioni addictis ſubditis vel creditoribus, eorumve hæredibus pro privatis ſuis prætenſionibus, ſi quas habent, & earum nomine actiones intenderint aut proſecuti fuerint, jus & Juſtitia æque ac Catholicis citra reſpectum adminiſtretur.

A dicta tamen univerſali reſtitutione excepta ſunto, quæ reſtitui vel redhiberi nequeunt mobilia & ſe moventia, fructus percepti, authoritate belligerantium partium interverſa, itemque tam deſtructa, quam publicæ ſecuritatis cauſa in alios uſus converſa ædificia publica & privata, ſacra & profana, nec non depoſita publica vel privata hoſtilitatis intuitu confiſcata, legitime venditæ, ſponte donatæ.

Quia vero etiam cauſa Juliacenſis Succeſſionis inter intereſſatos, niſi præveniatur, magnas aliquando turbas in Imperio excitare poſſet; Ideo conveniendum eſt, ut ea quoque Pace confecta, ordinario proceſſu coram Cæſarea Majeſtate, vel amicabili compoſitione, vel alio legitimo modo ſine mora dirimatur.

Cum etiam ad majorem Imperii tranquillitatem ſtabiliendam, de controverſiis circa Bona Eccleſiaſtica & libertatem Exercitii Religionis hiſce ipſis de Pace Univerſali Congreſſibus certa quædam compoſitio inter Cæſarem, Electores, Principes & Status Imperii inita atque Inſtrumento Pacis cum Plenipotentiariis Regiæ & Coronæ Suecicæ erecto inſerta fuerit, placuit eandem compoſitionem ut & illam de qua inter eoſdem ratione eorum qui Reformati vocantur convenit, præſenti quoque Tractatu firmare & ſtabilire eo plane modo, ac ſi de verbo ad verbum huic inſerta legeretur Inſtrumento.

Circa cauſam Haſſo-Caſſellanam conventum eſt, ut ſequitur.

Primo omnium, Domus Haſſo-Caſſellana, omnesque ejus Principes, maxime Domina Amelia Eliſabetha Haſſia Landgravia, ejusque Filium, Dominus Wilhelmus illorumque Hæredes, Miniſtri, Officiales, Vaſalli, ſubditi, milites & alii quocunque modo illis addicti, nullo prorſus excepto, non obſtantibus contrariis Pactis

ed by Google

1648. *Etis, Proceſſibus, Proſcriptionibus, Declarationibus, Sententiis, executionibus & Transactionibus, ſed illis omnibus, ut & actionibus, vel pratenſionibus ratione damnorum & injuriarum, tam neutralium quam belligerantium; annullatis Univerſalis Amneſtia ſupra ſancita, & ad initium belli Bohemici, cum plenaria reſtitutione reducta (exceptis Cæſarea Majeſtatis & Domus Auſtriaca Vaſallis & ſubditis hereditariis, quemadmodum de iis in §. Tandem omnes, &c. diſponitur) omniumque Beneficiorum, ex hac & Religioſa Pace provenientium pari cum cateris Statibus jure prout in Articulo incipiente, Unanimes, &c. diſponitur, plenarie participes ſunto.*

Secundo, Domus Haſſo-Caſſellana, ejusdem Succeſſorum Abbatiam Hirſfeldenſem cum omnibus appertinentiis Secularibus & Eccleſiaſticis, ſive intra, ſive extra Territorium (ut Prepoſitura Gellingen) ſitis, ſalvis tamen juribus, que Domus Saxonica a tempore immemorials poſſidet, retineant; & eo nomine Inveſtituram a Cæſarea Majeſtate totiens, quotiens caſus evenerit, petant & fidelitatem preſtent.

Tertio, Jus directi & nudi Dominii in Prefecturas Schaumburg, Buckenburg, Saxenhagen & Statthagen, Epiſcopatus Mindano antehac aſſertum & adjudicatum, porro ad Dominum Wilhelmum modernum Haſſiæ Landgravium, ejusque Succeſſores plenarie in perpetuum citra ulteriorem dicti Epiſcopatus, aut alterius cujusvis contradictionem aut turbationem pertineat, ſalva tamen transactione inter Chriſtianum Ludovicum Ducem Brunsvico-Luneburgenſem & Haſſiæ Landgravium, Philippumque Comitem de Lippe inita. Firma etiam manente, qua inter eandem Landgraviam & dictum Comitem inita eſt, Conventione.

Conventum preterea eſt, ut pro locorum hoc bello occupatorum reſtitutione, & indemnitatis cauſa Domina Landgravia Haſſiæ Turrici, ejusque Filio, hujusve Succeſſoribus Haſſiæ Principibus, ex Archi-Epiſcopatibus Moguntinenſi & Colonienſi, Epiſcopatibus item Paderbornenſi, Monaſterienſi & Abbatia Fuldenſi Saxies-centena-millia Dalerorum Imperialium, bonitate Imperialibus Conſtitutionibus modernis correſpondentium, intra ſpacium novem Menſium a tempore Ratificationis Pacis computandum, Caſſellis ſolvendum periculo & ſumptibus pendantur, ne contra promiſſam ſolutionem ulla exceptio ullusve pretextus admittatur, multo minus ſumma conventa ullo arreſto afficiatur.

Ut etiam Domina Landgravia de ſolutione tanto ſecurior ſit, ſequentibus conditionibus retineat Neuſs, Coesfeldt & Newhauſs, unque iis locis ſua, ſibique ſolum obligata præſidia habeat, ea quidem lege, ut preter Officiales & alias perſonas in præſidiis neceſſarias dictorum trium locorum præſidia conjunctim non excedant numerum mille ducentorum peditum, & centum Equitum, Domina Landgravia diſpoſitioni relicto, quot cuivis dictorum locorum peditum & equitum imponere, quemve huic vel illi præſidio præficere velit.

Præſidia autem ſecundum ordinationem de ſuſtentatione Officialium & militum Haſſiacis hactenus conſuetam alantur, & qua ad conſervanda fortalitia neceſſaria ſunt, præſentur ex Archi- & Epiſcopatibus, in quibus dicta Arx & Civitates ſunt ſita, absque Summa ſupra nominata diminutione. Integrum autem ſit ipſi Præſidiis contra morosos & tardantes, ſed non ultra debitam ſummam exequi; Jura autem Superioritatis & Jurisdictio tam Eccleſiaſtica quam Secularis, & reditus nominatarum Arcis & Civitatum Domino Archi-Epiſcopo Colonienſi ſint ſalva.

Quemprimum vero poſt ratificatam Pacem Domina Landgravia Trecenta-millia Dalerorum Imperialium fuerint exſoluta, reſtituta Neuſſa, retineat Coesfeldt ſolum & Newhauſs, ita tamen ut præſidium Neuſſianum in Coesfeldt & Newhauſs non deducat, vel ejus nomine quicquam ulterius exigat: Nec Præſidia in Coesfeldt numerum ſexcenterum peditum, & quinquaginta equitum, in Newhauſs autem centum peditum excedant. Sin autem intra terminum novem Menſium Domina Landgravia integra Summarum dependatur, non tantum Coesfeldt & Newhauſs, donec plenaria ſubſecuta fuerit ſolutio, ſed etiam pro reſiduo ſumma, ejusque censeris, quinque annuatim Imperiales, donec reſiduum ſumma exſolutum fuerit, penſionis nomine ſolvantur, & tot Prefecturarum ad ſupra nominatos Archi- & Epiſcopatus, atque Abbatiam pertinentium, & Haſſiæ Principatui vicinarum, quot præſtandis & exſolvendis penſionibus ſufficiunt, Quæſtores & Receptores Domina Landgravia juramento obſtringantur, ut de reditibus annuis reſidua ſumma penſiones ſolvant, non obſtante Dominorum ſuorum prohibitione. Quod ſi vero Quæſtores & Receptores in ſolvendo moras nectant, aut reditus alio conferant, Domina Landgravia exequendi, & ad ſolutionem quovis modo illos adigendi, liberam habeat poteſtatem, de reliquo jure territoriali Domino proprietatis interea ſemper ſalvo; Simul ac vero Domina Landgravia totam ſummam cum penſionibus a tempore more acceperit; reſtitutas illico loca jam denominata cautionis loco interim retenta, penſiones ceſſent & Quæſtores atque Receptores, quorum facta fuit mentio; Juramenti nexu ſint liberati. Quarum autem Prefecturarum reditus penſionibus contingente mora, ſolvendis ſint aſſignandi, ante Ratificationem Pacis eventualiter conveniatur qua conventio non minoris ſit roboris, quam ipſum Pacis Inſtrumentum.

1648.

Præter loca autem ſecuritatis cauſa ut memoratum Domina Landgravia relinquenda, & poſt ſolutionem demum reſtituenda; reſtituat illa nihilominus, Ratificatione Pacis ſubſecuta, omnes Provincias & Epiſcopatus necnon illorum Urbes, Prefecturas, Oppida, Fortalitia, propugnacula; & omnia denique Bona immobilia, necnon jura inter hac bella ab ipſa occupata, ita tamen, ut tam in prefatis tribus locis, cautionis nomine retinendis; quam reliquis omnibus reſtituendis, non ſolum Annonam & omnia ad bellicum Apparatum ſpectantia, qua inferri curavit, per ſubditos avehere liceat, Domina Landgravia, & ſupradictis ſucceſſoribus; que vero ab ipſa non illata, ſed in locis occupatis, tempore occupationis reperta ſunt, & adhuc extant, ibi permaneant; ſed ut etiam Fortificationes & valla, durante occupatione exſtructa, eatenus deſtruantur, ne tamen Urbes, Oppida, Arces, vel Caſtra cujusvis invaſionibus & depredationibus pateant.

Et quamvis Domina Landgravia preterquam ab Archi- & Epiſcopatibus Moguntinenſi, Colonienſi, Paderbornenſi, Monaſterienſi, & Abbatia Fuldenſi, a nemine reſtitutionis & indemnitatis loco aliquid poposcerit, & ſibi eo nomine a quoquam alio quicquam ſolvi omnino noluerit, pro rerum tamen & circumſtantiarum æquitate, placuit tota Conventui, ut ſalva manente diſpoſitione Paragraphi precedentis inchoantis: Conventum preterea eſt, &c. etiam cateri Status cujuscunque generis cis & ultra Rhenum, qui prima Martii hujus anni Haſſiacis Contributionem dependerunt, ſecundum proportionem Contributionis exſoluta toto hoc tempore obſervatam, ad conficiendam ſummam ſuperius poſitam & Militum præſidiariorum ſuſtentationem, ratam ſuam ſupra nominatis Archi-Epiſcopatibus atque Abbatia conferant, & damnum, ſi quod ſolventes ob unius vel alterius moram perpeſſi fuerint, moroſi reſarciant, nec Executionem contra tergiverſantes inſtituendam Cæſarea Majeſtatis, aut Regia Majeſtatis Chriſtianiſſi-

1648. *mæ, vel etiam Haſſiæ Landgravii Officiales, aut Milites impediant, neque etiam ſas ſit Haſſicis quemquam in præjudicium hujus declarationis eximere, ii vero, qui ſuam quotam rite perſolverint, ab omni ulteriori onere liberi erunt.*

Quod Controverſias inter Domus Haſſicas-Caſſellanam & Darmſtadianam, ſuper Succeſſione Marpurgenſi agitatas attinet, quandoquidem ea Caſſellis die decimo quarto Menſis Aprilis, proxime elapſi, conſenſu partium unanimi accedente penitus ſunt compoſitæ; Placuit Transactionem iſtam, cum ſuis annexis & receſſibus, ſicut ea Caſſellis inita, & à partibus ſubſignata, Conventuique huic inſinuata ſunt, vigore Inſtrumenti hujus ejusdem, plane eſſe roboris, ac ſi verbis totidem hiſce tabulis inſerta, comprehenderetur, nec à partibus tranſigentibus, nec aliis quibuſvis ſub prætextu, ſive pacti, ſive Juramenti, ſive alio quocunque ullo unquam tempore convelli poſſe, quinimo ab omnibus etiamſi aliquis ex Intereſſatis eam forte confirmare detrectet; exactiſſime obſervari debere.

Sicut etiam transactio inter defunctum Dominum Wilhelmum Haſſiæ Landgravium, & Dominos Chriſtianum & Wolradum Comites Waldeccia, die undecimo Aprilis Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto facta, & à Domino Georgio Haſſiæ Landgravio die decimo quarto Aprilis Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo ratificata, non minus vigore hujus Pacificationis, perpetuum & pleniſſimum robur obtinebit, omnesque Haſſiæ Principes pariter ac Comites Waldeccia obligabit.

Firmum quoque maneat & inviolabiliter cuſtodiatur Jus Primogenitura in qualibet Domo Haſſia Caſſellana & Darmſtattina introductum, & à Cæſarea Majeſtate confirmatum.

Cum item Cæſarea Majeſtas ad querelas nomine Civitatis Baſileenſis & univerſa Helvetia coram ipſius Plenipotentiariis ad præſentes congreſſus deputatis propoſitas ſuper nonnullis Proceſſibus & mandatis executivis, à Camera Imperiali contra dictam Civitatem, aliosque Helvetiorum unitos Cantones, eorumque cives & ſubditos emanatis, requiſita Ordinum Imperii ſententia & conſilio, ſingulari Decreto die 14. Menſis Maji Anno proxime præterito declaraverit, prædictam Civitatem Baſileam ceteraſque Helvetiorum Cantones in poſſeſſione vel quaſi plena libertatis & exemptionis ab Imperio eſſe, ac nullatenus ejusdem Imperii Dicaſteriis & Judiciis ſubjectos; placuit hoc idem publice huic Pacificationis Conventioni inſerere, ratumque & firmum manere, atque idcirco ejusmodi proceſſus una cum arreſtis eorum occaſione quandocunque decretis prorſus caſſos & irritos eſſe debere.

Ut autem proviſum ſit, ne poſthac in ſtatu politico controverſia ſuboriantur, omnes & ſinguli Electores, Principes & Status Imperii Romani in antiquis ſuis juribus, prærogativis, libertate, privilegiis, libero juris territorialis tam in Eccleſiaſticis quam Politicis Exercitio, Ditionibus, Regalibus horumque omnium poſſeſſione vigore hujus Transactionis ita ſtabiliti firmatique ſunto, ut à nullo unquam ſub quocunque prætextu de facto turbari poſſint vel debeant.

Gaudeant ſine contradictione jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii, præſertim ubi leges ferenda, vel interpretanda, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hoſpitationes militum inſtituenda, nova munimenta intra Statuum Ditiones extruenda nomine Publico, veterave firmanda præſidia, nec non ubi Pax aut fœdera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam ſimile poſthac unquam fiat vel adminiſtretur, niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu. Cum primis vero jus faciendi inter ſe & cum exteris fœdera prò ſui cujusque conſervatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuo liberum eſto, ita tamen ne ejusmodi fœdera ſint contra Imperatorem & Imperium, pacemque ejus publicam, vel hanc imprimis Transactionem, ſintque ſalvo per omnia juramento quo quisque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt. 1648.

Habeantur autem Comitia Imperii intra ſex menſes à dato ratificatæ Pacis, poſtea vero, quoties id publica utilitas aut neceſſitas poſtulaverit. In proximis verò Comitiis emendentur imprimis anteriorum Conventuum defectus, ac tum quoque de Electione Romanorum Regum, certa conſtantique Cæſarea capitulatione concipienda; de modo, & ordine in declaranda uno vel altero Statu in Bannum Imperii, præter eum qui alias in Conſtitutionibus Imperii deſcriptus eſt, tenendo, redintegrandis Circulis, renovanda Matricula, reducendis Statibus exemptis, moderatione & remiſſione Imperii collectarum, reformatione Politiæ & Juſtitiæ, taxa ſportularum in Judicio Camerali, ordinariis Deputatis ad modum & utilitatem Reipublicæ rite formandis, legitimo munere Directorum in Imperii Colleguis, & ſimilibus negotiis quæ hic expediri nequiverant, ex communi Statuum conſenſu agatur & ſtatuatur.

Tam in Univerſalibus verò quam particularibus Dietis Liberis Imperii Civitatibus non minus quam ceteris Statibus Imperii competat votum deciſivum, iisque rata & intacta maneant Regalia, vectigalia, reditus annui, libertates, privilegia confiſcandi, collectandi & inde dependentia aliaque jura ab Imperatore & Imperio legitime impetrata, vel longo uſu ante hos motus obtenta, poſſeſſa & exercita, cum omnimoda jurisdictione intra muros & in territorio, caſſatis, annullatis & in futurum prohibitis iis, quæ per repreſſalias, arreſta, viarum occluſiones & alios actus præjudiciales, ſive durante bello quocunque prætextu in contrarium facta & propria authoritate hucusque attentata ſunt, ſive dehinc ullo precedente legitimo juris & executionis ordine fieri attentarive poterunt. De cætero omnes laudabiles conſuetudines & Sacri Romani Imperii conſtitutiones & leges fundamentales impoſterum religioſe ſervantur, ſublatis omnibus, quæ bellicorum temporum injuria irrepſerant, confuſionibus.

De indaganda aliqua ratione & modo æquitati conveniente, quo perſecutiones actionum contra debitores ob bellicas calamitates fortunis lapſos aut nimio uſurarum curſu aggravatos, moderate terminari, indeque naſcituris majoribus incommodis etiam tranquillitati publicæ noxiis obviam iri poſſit, Cæſarea Majeſtas curabit exquiri tam Judicii Aulici quam Cameralis vota & conſilia, quæ in futuris Comitiis proponi & in conſtitutionem certam redigi poſſint. Interea tamen temporis in hujusmodi cauſis ad Judicia cum Summa Imperii tum ſingularia Statuum delatis circumſtantia à partibus allegata bene ponderentur, ac nemo executionibus immoderatis pragraveur, ſed hac omnia Holſatia conſtitutione ſalva & illæſa.

Et quia publice intereſt, ut facta Pace commercia viciſſim reflorescant. Ideo conventum eſt, ut quæ eorum præjudicio & contra utilitatem publicam hinc inde per Imperium belli occaſione noviter propria auctoritate contra jura, privilegia, & ſine conſenſu Imperatoris atque Electorum Imperii invecta ſunt Vectigalia & Telonia, ut & abuſus Bulla Brabantina, indeque nata repreſſalia & arreſta, cum inductis peregrinis certificationibus, exactionibus, detentionibus, itemque immoderata Poſtarum, omniaque alia inuſitata onera & impedimenta, quibus commerciorum & navigationis uſus deterior redditus eſt, penitus tollantur, & Provinciis, Portubus, Fluminibus quibuscunque ſua priſtina ſecuritas, juriſdictio & uſus, prout ante hos motus bellicos à plurimis retro annis

1648. nis fuit, restituantur, & inviolabiliter conserventur.

Territoriorum quæ flumina alluunt, & aliorum quorumcunque juribus ac privilegiis, ut & Telonio ab Imperatore de consensu Electorum cum aliis, tum etiam Comiti Oldenburgensi in Visurgi concessis, aut usu diuturno introductis in pleno suo vigore manentibus & executioni mandandis, tum ut plena sit commerciorum libertas, & transitus ubique locorum terra marique tutus, adeoque ea omnibus & singulis utriusque partis Fœderatorum vasallis, subditis, clientibus & incolis, eundi, negotiandi, redeundique potestas data sit, virtuteque præsentium concessa intelligatur, qua unicuique ante Germaniæ motus passim competebat: quos etiam Magistratus utrinque contra injustas oppressiones & violentias instar propriorum subditorum defendere ac protegere teneantur, hac conventione ne & jure legeque cujusque loci per omnia salvis.

Quo magis autem dicta Pax atque amicitia inter Imperatorem & Christianissimum Regem firmari possit, & securitati publicæ melius prospiciatur, ideo de consensu, consilio & voluntate Electorum, Principum & Statuum Imperii pro bono Pacis conventum est:

Primo; Quod supremum Dominium, Jura Superioritatis, aliaque omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem & Virodunensem, Urbesque cognominis eorumque Episcopatuum districtus, & nominatim Moyenvicum, eo modo quo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, imposterum ad Coronam Galliæ spectare eique incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter, reservato tamen jure Metropolitano ad Archi-Episcopatum Trevirensem pertinente.

Restituatur in possessionem Episcopatus Virodunensis Dominus Franciscus Lotharingiæ Dux tanquam legitimus Episcopus, & cum Episcopatum pacifice administrare, ejusque fructus & suarum Abbatiarum (salvo Regis & cujuscunque privati jure) necnon bonorum suorum patrimonialium ubicunque sitorum juribus (quatenus prædicta cessioni non repugnant) privilegiis, reditibus & fructibus uti frui permittatur, dummodo prius præstiterit Regi juramentum fidelitatis, nihilque moliatur adversus sua Majestatis Regnique commoda.

Secundo, Imperator & Imperium cedunt transferuntque in Regem Christianissimum ejusque in Regno Successores jus directi Dominii, Superioritatis, & quodcunque aliud sibi & S. Romano Imperio hactenus in Pinarolum competebat, & competere poterat.

Tertio, Imperator pro se totaque Serenissima Domo Austriaca, itemque Imperium cedunt omnibus juribus, proprietatibus, Dominiis, possessionibus ac jurisdictionibus, quæ hactenus sibi, Imperio & Familiæ Austriacæ competebant in Oppidum Brisacum, Landgraviatum Superioris & Inferioris Alsatiæ, Suntgoviam, Prefecturamque Provincialem Decem Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum, scilicet Hagenau, Colmar, Schlestat, Weisenburg, Landau, Oberenhaim, Rotheim, Munster in Valle S. Gregorii, Kaisersberg, Turinghaim omnesque Pagos, & alia quæcunque jura, quæ à dicta Prefectura prætendent, eaque omnia & singula in Regem Christianissimum Regnumque Galliarum transferunt, ita ut dictum Oppidum Brisacum cum Villis Hochstatt, Niederrimsing, Harten & Acharren, ad communitatem Civitatis Brisacensis pertinentibus, cumque omni Territorio & banno quatenus se ab antiquo extendit, salvis tamen ejusdem Civitatis Privilegiis & immunitatibus ante hac à Domo Austriaca obtentis & impetratis.

Itemque dictum Landgraviatus utriusque Alsatiæ & Suntgoviæ, tum etiam Prefectura Provincialis in dictas Decem Civitates & loca dependentia, itemque omnes Vasalli, Landsassii, subditi, homines, oppida, castra, villæ, arces, sylvæ, foresta, auri, argenti aliorumque mineralium fodinæ, flumina, rivi, pascua, omniaque jura, Regalia & appertinentia, absque ulla reservatione cum omnimoda jurisdictione & Superioritate, supremoque Dominio à modo in perpetuum ad Regem Christianissimum, Coronamque Galliæ pertineant, & dicta Corona incorporata intelligantur, absque Cæsaris, Imperii, Domusque Austriacæ vel cujuscunque alterius contradictione. Adeo ut nullus omnino Imperator aut Familia Austriaca Princeps quicquam juris aut potestatis in eis prænominatis partibus cis & ultra Rhenum sitis, ullo unquam tempore prætendere vel usurpare possit aut debeat. Sit tamen Rex obligatus in eis omnibus & singulis locis Catholicam conservare Religionem, quemadmodum sub Austriacis Principibus conservata fuit, omnesque, quæ durante hoc bello novitates irrepserunt, removere.

Quarto, Christianissimæ Majestati ejusque in Regno Successoribus de Consensu Imperatoris, totiusque Imperii perpetuum jus sit tenendi præsidium in Castro Philipsburg protectionis ergo, ad conveniens tamen numerum restrictum, qui vicinis justam suspicionis causam præbere non possit, sumptibus duntaxat Coronæ Galliæ sustentandum. Patere etiam debebit Regi liber transitus per terras & aquas Imperii ad inducendas milites, commeatum & cætera omnia, quibus & quoties opus fuerit.

Rex tamen præter protectionem, præsidium & transitum in dictum Castrum Philipsburg nihil ulterius prætendet, sed ipsa proprietas, omnimoda jurisdictio, possessio omniaque emolumenta, fructus accessiones, jura, Regalia, servitutes, homines, subditi, vasalli, & quidquid omnino antiquitus ibidem, & in totius Episcopatus Spirensis, Ecclesiarumque illi incorporatarum districtu Episcopo & Capitulo Spirensi competebat, & competere poterat, eisdem imposterum quoque salva, integra & illæsa, excepto tamen jure protectionis, permaneant.

Imperator, Imperium, & Dominus Archi-Dux OEnipontanus Ferdinandus Carolus, respective exsolvunt Ordines, Magistratus, Officiales & subditos singularum suprædictarum Ditionum, ac locorum, vinculis & sacramentis, quibus hucusque sibi, Dominique Austriacæ obstricti fuerant, eosque ad subjectionem, obedientiam & fidelitatem Regi Regnoque Galliæ præstandam remittunt, obligantque. Atque ita Coronam Galliæ in plena justaque earum superioritate, & proprietate, & possessione constituunt, renunciantes omnibus in ea juribus ac prætensionibus ex nunc & in perpetuum; idque pro se, suisque posteris Imperator, dictus Dominus Archi-Dux, ejusque frater, (quatenus prædicta cessio ad ipsos pertinet) peculiari diplomate tum ipsi confirmabunt, tum efficient, ut à Rege Hispaniarum Catholico eadem quoque renunciatio in authentica forma extradatur. Quod & Imperii totius nomine fiet, quo die subsignabitur præsens Tractatus. 1648.

Ad majorem suprædictarum cessionum & alienationum validitatem, Imperator & Imperium, vigore præsentis transactionis expresse derogant omnibus & singulis prædecessorum Imperatorum, Sacrique Romani Imperii Decretis, Constitutionibus, Statutis & consuetudinibus, etiam juramento firmatis aut imposterum firmandis, nominatimque Capitulationi Cæsareæ, quatenus alienatio omnimoda bonorum & jurium Imperii prohibetur, simulque in perpetuum excludunt omnes exceptiones & restitutionis vim quocunque tandem jure titulove fundari possent.

Conventum est insuper, ut præter promissam hic inferius à Cæsare & Imperii Statibus ratihabitionem, in proximis quoque Comitiis ex abundanti rata sint suprædictarum Ditionum jurisque alienationes, ac proinde si in Cæsarea capitulatione pactio, vel in Comitiis propositio deinceps fiat de occupatis distractisve Imperii bonis,

1648. *ac juribus recuperandis, ea non complectatur aut complecti intelligatur res supra expressas, utpote ex communi Ordinum sententia pro publica tranquillitate in alterius Dominium legitime translatas atque eisdem in hunc finem ab imperii matriculâ expungi placet.*

Statim à restitutione Benfeldæ, aquabuntur solo eiusdem oppidi munitiones, nec non adjacentis fortalitii Rhynau, sicuti quoque tabernarum Alsatiæ, Castri Hohenbar & Neoburgi ad Rhenum, neque in præfatis locis ullus miles præsidiarius haberi poterit.

Magistratus & incolæ dictæ Civitatis Tabernarum neutralitatem accurate servent, pateatque illac Regio militi, quoties postulatum fuerit, tutus ac liber transitus. Nullæ ad Rhenum munitiones in citeriori ripa extrui poterunt Basilea usque Philipsburgum, neque ullo molimine deflecti aut interverti fluminis cursus ab una alterave parte.

Quod ad ea alienum attinet, quo Camera Ensisheimiana gravata est, Dominus Archi-Dux Ferdinandus Carolus recipiet in se cum ea parte Provinciæ quam Rex Christianissimus ipsi restituere debet, tertiam omnium debitorum partem sine distinctione, sive Chirographaria, sive hypothecaria sint, dummodo utraque sint in forma authentica, & vel specialem Hypothecam habeant, sive in Provincias cedendas, sive in restituendas, vel si nullam habeant, in libellis rationariis receptorum ad Cameram Ensisheimianam respondentium usque ad finem Anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi agnita, atque inter debita, & credita illius recensita fuerint, & pensitationum annuarum solutio dictæ Cameræ incubuerit, eamque dissolvet, Regem pro tali quota indemnem penitus præstando.

Quæ vero debita Collegiis Ordinum ex singulari per Austriacos Principes cum ipsis in Diætis Provincialibus inita conventione attributa, aut ab ipsis Ordinibus communi nomine contracta sunt, atque solvenda incumbunt, debet inter eos qui in Ditionem Regis veniunt, atque illos qui sub Dominio Domus Austriacæ remanent, iniri conveniens distributio, ut unaquæque pars sciat, quantum sibi erit alieni dissolvendum restet.

Rex Christianissimus restituet Domui Austriacæ, & in specie supradicto Domino Archi-Duci Ferdinando Carolo primogenito, quondam Archi-Ducis Leopoldi Filio, quatuor civitates Sylvestres, Rheinfelden, Seckingen, Lauffenberg & Waltshutum, cum omnibus Territoriis & Balivatibus, Villis, Pagis, Molendinis, Sylvis, Forestis, Vasallis, Subditis, omnibusque appertinentiis cis & ultra Rhenum. Itemque Comitatum Hawenstein, Sylvam nigram, totamque Superiorem & Inferiorem Brisgoviam, & Civitates in eâ sitas antiquo jure ad Domum Austriacam spectantes, scilicet Neuburg, Freyburg, Endigen, Kenzingen, Waldkirch, Villingen, Beulingen, cum omnibus Territoriis. Item cum omnibus Monasteriis, Abbatiis, Prælaturis, Præposituris, Ordinumque Equestrium Commendatariis, cum omnibus Balivatibus, Baronatibus, Castris, Fortalitiis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Vasallis, hominibus subditis, fluminibus, rivis, forestis, sylvis, omnibusque Regaliis, juribus, jurisdictionibus, feudis & patronatibus, cæterisque omnibus & singulis ad sublime Territorii jus patrimoniumque Domus Austriacæ in toto isto tractu antiquitus spectantibus. Totam item Ortnaviam, cum Civitatibus Imperialibus Offenburg, Gengenbach, & cella am Hamersbach, quatenus scilicet Præfectura Ortnaviensi obnoxiæ sunt, adeo ut nullus omnino Rex Franciæ quicquam juris aut Potestatis in his prænemoratis partibus, cis & ultra Rhenum sitis, ullo unquam tempore prætendere, aut usurpare possit aut debeat, ita tamen ut Austriacis Principibus prædicta restitutione, nihil novi juris acquiratur. Libera sint in universum inter utrumque Rheni Ripa & Provinciarum utrimque adjacentium incolas commercia & commeatus: Inprimis vero libera sit Rheni navigatio, ac neutri parti permissum esto, naves transeuntes, descendentes aut ascendentes impedire, detinere, arrestare aut molestare, quocunque prætextu, sola inspectione quæ ad perscrutandas, aut visitandas merces fieri consuevit, excepta, nec etiam liceat nova & insolita vectigalia, pedagia, passagia, data, aut alias ejusmodi exactiones ad Rhenum imponere, sed utraque pars contenta maneat vectigalibus, & datiis ordinariis, ante hoc bellum sub Austriacorum gubernatione, ibidem præstari solitis.

1648.

Omnes Vasalli, Landsassii, Subditi, Cives, Incolæ, quicunque cis & ultra Rhenum Domui Austriacæ, sicut etiam illi qui immediate Imperio subjecti erant, vel alios Imperii Ordines ut Superiores recognoscunt, non obstante qualicunque confiscatione, translatione, donatione, per quoscunque belli Duces aut Præfectos Militiæ Suecicæ aut Confœderatorum post occupatam Provinciam factâ, perque Regem Christianissimum ratificatâ, aut proprio motu decretâ, statim post publicatam Pacem bonis suis immobilibus & stabilibus, sive corporalia sive incorporalia sint, villis, castris, oppidis, fundis, possessionibus restitui debent, citra ullam exceptionem meliorationum, expensarum, sumptuum compensationem, quæ moderni possessores quomodolibet objicere possent, & citra restitutionem mobilium ac se moventium, & fructuum perceptorum. Quod vero ad confiscationes rerum, pondere, numero & mensura consistentium, exactiones, concussiones, atque extorsiones intuitu belli factas attinet, earum repetitio ad amputandas lites utrimque penitus cassata & sublata esto.

Teneatur Rex Christianissimus non solum Episcopos Argentinensem & Basilæensem, cum civitate Argentinensi, sed etiam reliquos per utramque Alsatiam Romano Imperio immediate subjectos Ordines, Abbatem Murbacensem & Luderensem, Abbatissam Andlaviensem, Monasterium in Valle S. Georgii Benedictini Ordinis, Palatinos de Lutzelstain, Comites & Barones de Hanau Fleckenstain, Oberstain, totiusque Inferioris Alsatiæ Nobilitatem, item prædictas Decem Civitates Imperiales, quæ Præfecturam Hagenoensem agnoscunt, in ea libertate & possessione Immediatatis erga Imperium Romanum, qua hactenus gavisæ sunt, relinquere: Ita ut nullam ulterius in eos Regiam superioritatem prætendere possit, sed iis juribus contentus maneat, quæcunque ad Domum Austriacam spectabant, & per hunc Pacificationis Tractatum Corona Galliæ ceduntur. Ita tamen ut præsenti hac declaratione nihil detractum intelligatur de eo supremi Dominii jure quod supra concessum est.

Item Rex Christianissimus pro recompensatione partium ipsi cessarum, dicto Domino Archi-Duci Ferdinando Carolo solvi curabit tres Milliones Librarum Turonensium annis proxime sequentibus, scil. 1649. 50. & 51. in Festo sancti Joannis Baptistæ, quolibet anno tertiam partem in moneta bona & proba Basileæ ad manus Domini Archiducis ejusve Deputatorum.

Præter dictam pecuniæ quantitatem Rex Christianissimus tenebitur in se recipere duas tertias debitorum Cameræ Ensisheimianæ sine distinctione, sive Chirographaria, sive Hypothecaria sint, dummodo utraque sint in forma authentica, & vel specialem Hypothecam habeant, sive in Provincias cedendas, sive in restituendas; vel si nullam habeant, in libellis rationariis receptorum ad Cameram Ensisheimianam respondentium usque ad finem Anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi agnita, atque inter credita & debita illius recensita fuerint, & pensitationum annuarum solutio dictæ Cameræ incubuerit, eamque dissolvet, Archi-Ducem pro tali quota prorsus indemnem præstando; utque id æquum fiat, delegabuntur ab utraque parte Commissarii statim à subscripto Tractatu Pacis qui ante primæ pensionis solutionem convenient,

1648. nient, quenam nomina utrique parti expungenda sint.

Curabit Rex Christianissimus prefato Domino Archi-Duci bona fide absque ulla mora & retardatione restitui omnia & singula literaria Documenta, cujuscunque illa generis sint, qua terras eidem restituendas concernunt, quatenus quidem in Cancellaria Regiminis & Camera Exhibemiana, aut Brisaci, vel etiam in custodia Officialium, Oppidorum & Arcium occupatarum reperiuntur.

Quod si talia Documenta sint publica, que cessas etiam terras pro indiviso concernunt, de his Archi-Duci exempla authentica quotiescunque requisierit, edentur.

Item, ne controversia inter Dominos Sabaudia & Mantua Duces ratione Montisferrati, auctoribus inclyta recordationis Ferdinando II. Imperatore & Ludovico XIII. Galliarum Rege, Suarum Majestatum Patentibus definita & terminata, in Christiana Reipublica perniciem aliquando recrudescant; Conventum est, quod Tractatus Cherasci 6. Aprilis An. Domini 1631. cum subsecuta super eodem Ducatu Montisferrati executione, firmus stabilisque in omnibus suis articulis in perpetuum manebit, excepto tamen Pinarolo ac pertinentiis inter Suam Majestatem Christianissimam ac Dominum Ducem Sabaudia definitis, & Christianissimo Regi Regnoque Gallia acquisitis per peculiares tractatus, qui eadem stabilitate & firmitate consistent in iis omnibus que translationem aut cessionem Pinaroli & pertinentiarum concernunt: Si quid tamen in dictis peculiaribus tractatibus contineatur quod Pacem Imperii turbare, vel novos in Italia motus post presens bellum, quod nunc in illa Provincia geritur, compositum, excitare posset, id nullum & irritum sit, dicta nihilominus cessione in suo robore permanente cum aliis conditionibus, que tam in favorem Ducis Sabaudia quam Regis Christianissimi conventa sunt. Ideoque & Imperatoria & Christianissima Majestas vicissim promittunt, se ceteris omnibus tam ad predictum Tractatum Cherascensem, quam executionem spectantibus, & in specie Albam, Trinum, eorumque territoria & reliqua loca, nunquam directe vel indirecte, specie juris aut via facti contraventuras, neque ullo auxilio vel favore contravenientem adjuturas, quinimo communi authoritate datum iri operam, ut ne à quoquam quovis pretextu violetur, cum maxime se obligatum esse declaraverit Rex Christianissimus dicti Tractatus executionem omnibus modis promovere, atque etiam armis tueri, eo presertim fine, ut dictus Dominus Sabaudia Dux non obstantibus superioribus clausulis in pacifica Trini & Albe reliquorumque locorum ipsi per dictum tractatum & investituram subsecutam in Ducatu Montisferrati concessorum & assignatorum possessione semper relinquatur & manutemeatur.

Ut autem omnium dissidiorum & controversiarum semina inter eosdem Duces penitus extirpentur, quadringenta & nonaginta quatuor aureorum millia, que inclyta memoria Christianissimus Rex Ludovicus XIII. in exonerationem Domus Sabaudia, se Domino Duci Mantua solaturum spopondit, Christianissima Majestas presenti parataque pecunia dicto Domino Duci Mantua numerari faciet, & propterea Dominum Ducem Sabaudia ejusque heredes & Successores ab ea obligatione omnino relevabit, prastabitque indemnem ab omni petitione que ratione vel occasione dicta Summa à dicto Domino Duce Mantua, vel ejus Successoribus fieri posset, adeo ut imposterum ejus nomine, colore, ratione aut pretextu Dominus Dux Sabaudia, heredes, aut Successores nullam omnino juris vel facti molestiam aut vexationem à Domino Duce Mantua, heredibus aut successoribus ejus patiantur. Qui ab hoc die & a modo in antea cum authoritate & consensu Cesarea & Christianissima Majestatis, solemnis hujus publica Pacis Instrumenti vigore nullam penitus in tota hac causa actionem contra Dominum Ducem Sabaudia, ejusque heredes & successores exercere 1648. poterunt.

Cesarea Majestas decenter requisita concedet Domino Duci Sabaudia una cum investitura antiquorum Feudorum & Statuum, qualem inclyta memoria Ferdinandus II. Duci Sabaudia Victori Amedeo concesserat. Investituram quoque locorum, ditionum, Statuum, omniumque jurium Montisferrati, cum appertinentiis qua illis vigore predicti Tractatus Cherascensis, nec non executionis inde subsecuta decreta & remissa fuerunt, sicuti quoque Feudorum novelli Monfortis, Sinis, Moncheris & Castelletti cum apertinentiis, juxta tenorem Instrumenti acquisitionis ab eodem Duce Victore Amedeo facta sub decimo tertio Octobris Anni Millesimi sexcentesimi trigesimi quarti, & congruenter concessionibus seu permissionibus, nec non approbationibus Cesarea Maj. cum confirmatione quoque omnium & quorumcunque Privilegiorum, que Sabaudia Ducibus hactenus indulta fuerunt, quotiescunque à Domino Duce Sabaudia requirentur & postulabuntur.

Item conventum est, quod Dux Sabaudia, Heredes & Successores ejus, nullatenus à Cesarea Majestate turbentur aut inquietentur in Superioritate, seu jure superioritatis quod habent in Feudis Rocheverani, Olmi & Cesola cum appertinentiis, que à Romano Imperio nulla ratione dependent, & revocatis, annullatisque donationibus & investituris in dictorum feudorum possessione seu quasi Dominus Dux manuteneatur, & quatenus opus sit, redintegretur; parique ratione ejusdem Vasallus Comes Verruca, quoad eadem Feuda Olmi & Cesola & quarta partis Rocheverani sua possessioni seu quasi restituatur, & in eadem plenissime cum fructibus omnibus redintegretur.

Item conventum est, quod Cas. Maj. restitui faciat Comitibus Clementi & Joanni filiis, nec non & nepotibus ex filio Octaviano Comitis Caroli Cacherani integrum Feudum Rocha Arazis cum appertinentiis & dependentibus, quibuscunque non obstantibus.

Similiter declarabit Imperator in Investitura Ducatus Mantua comprehendi Castra Reggioli & Luzzara cum suis territoriis & dependentiis, quorum possessionem Dux Guastalla Duci Mantua restituere teneatur, reservatis tamen eidem juribus pro sex millibus scutorum annuorum que pretendit; de quibus agere, & judicio experiri coram Sua Cesarea Majest. valeat adversus Ducem Mantua.

Simulatque vero Instrumentum Pacis à Dominis Plenipotentiariis & Legatis subscriptum & signatum fuerit, cesset omnis hostilitas, & qua supra conventa sunt, utrinque è vestigio executioni mandentur, atque id melius & citius adimpleatur, sequenti post subscriptionem die Publicatio Pacis fiat more solemni & solito per comitia Civitatum Monasteriensis & Osnabrugensis, post acceptum tamen nuncium, quod subscriptio Tractatus facta fuerit in utroque loco: statimque post Publicationem factam diversi mittantur Cursores ad Duces Exercituum, qui citatis equis simul iter conficiant, dictis Ducibus significent conclusam esse Pacem, curentque, ut conventa inter ipsos Duces die Pax & cessatio hostilitatum in singulis Exercitibus denuo publicetur, omnibusque & singulis belli Ministris & Civitatum, aut Fortalitiorum Gubernatoribus imperetur, ut ab omni hostilitatum genere imposterum abstineant, ita ut si quid post dictam Publicationem attentatum aut via facti mutatum fuerit, id quamprimum reparari & in pristinum statum restitui debeat.

Conveniant inter se utrinque partis Plenipotentiarii intra tempus concluse & ratificanda Pacis de modo, tempore, & securitate restitutionis locorum & exauctorationis militia, ita ut utraque pars secura esse possit, omnia qua conventa fuerunt sincere adimpleturum ire.

In-

1643. *Imprimis quidem Imperator per Universum Imperium edicta promulget, & serio mandet iis, qui hisce pactis & hac Pacificatione ad aliquid restituendum vel præstandum obligantur, ut sine tergiversatione & noxa intra tempus conclusa & ratificanda Pacis præsentis & exequantur transacta, injungendo tam Directoribus,* Ausschreibenden Fürsten, *quam Præfectis Militiæ Circularis,* Crayß-Obristen, *ut ad requisitionem restituendorum juxta ordinem executionis & hac pacta, restitutionem cujusque promoveant & perficiant. Inseratur etiam Edictis clausula, ut quia Circuli Directores,* die Ausschreibenden Fürsten, *aut Præfecti Militiæ Circularis,* Crayß Obristen, *in causa vel restitutione propria minus idonei executioni esse censentur, hoc in casu, itemque si Directores vel Præfectum Militiæ Circularis repudiare commissionem contingat, vicini Circuli Directores, aut Præfecti Militiæ Circularis eodem executionis munere etiam in alios Circulos ad restituendorum requisitionem fungi debeant.*

Quod si etiam restituendorum aliquis Cæsareanos Commissarios ad alicujus restitutionis, præstationis vel executionis actum necessarios censuerit, quod ipsorum opinioni relinquitur, etiam illi sine mora dentur. Quo casu ut rerum transactarum effectus tanto minus impediatur, tam restituentibus, quam restituendis liceat statim conclusa & subscripta Pacificatione binos aut trinos utrinque nominare Commissarios, è quibus Cæsarea Majestas unum à restituendo, alterum à restituente nominatum, pares tamen numero ex utraque Religione eligat, quibus injungatur, ut omnia, quæ vigore hujus Transactionis oportet, absque mora exequantur. Sin autem Restituentes Commissarios nominare neglexerint, Cæsarea Majestas ex his quos restituendus nominaverit, unum deliget, aliumque pro suo arbitrio, observata tamen utrobique diversæ Religioni addictorum paritate, adjunget, quibus Commissionem Executionis demandabit, non obstantibus exceptionibus in contrarium factis. Ipsi deinde restituendi mox à conclusione Pacis de transactorum tenore notum faciant interessatis aliquid restituturis.

Omnes denique & singuli sive Status, sive communitates, sive privati, sive Clerici, sive Seculares, qui vigore hujus transactionis ejusdemque regularum generalium, vel specialis expressaque alicujus dispositionis ad restituendum, cedendum, dandum, faciendum, aut aliud præstandum obstricti sunt, teneantur statim, post promulgata Cæsarea Edicta, & factam restituendi notificationem, sine omni tergiversatione, vel oppositione clausulæ salvatoriæ, sive generalis, sive specialis alicujus supra in Amnestia positæ, aut quacunque alia exceptione, itemque sine noxa aliqua, omnia, ad quæ obligantur, restituere, cedere, dare, facere & præstare.

Nec directorum & Præfectorum Circularis militiæ, aut Commissariorum executioni quisquam, sive Status, sive miles præsertim præsidiarius, sive quilibet alius sese opponat, sed potius Executoribus assistant, liberumque sit dictis executoribus contra eos, qui executionem quovis modo impedire conantur, suis vel etiam restituendorum viribus uti.

Deinde omnes & singuli utriusque partis Captivi sine discrimine Sagi vel Toga, eo modo, quo inter Exercituum Duces, cum Cæsaræa Majestatis approbatione conventum est, vel adhuc convenietur, liberi dimittantur.

Restitutione ex Capite Amnestiæ & Gravaminum facta, liberatis captivis, & ratihabitionibus commutatis, omnia utriusque partis militaria præsidia, sive Imperatoris ejusque sociorum & Fœderatorum, sive Regis Christianissimi & Landgraviæ Hassiæ, eorumque Fœderatorum & adhærentium, aliove quocunque nomine imposita fuerint, ex Civitatibus Imperii ac omnibus aliis locis restituendis, sine exceptionibus, mora, damno & noxa, pari passu educantur.

Loca ipsa, Civitates, Urbes, Oppida, Arces, Castella, 1648.
Fortalitia, tam quæ per Regnum Bohemiæ, aliasque terras Imperatoris, Domumque Austriacam hereditarias, quam cæteros Imperii Circulos à partibus belligerantibus supra dictis occupata & retenta, vel per Armistitii unius vel alterius partis, vel quemcunque alium modum concessa sunt, prioribus & legitimis suis possessoribus & Dominis sive mediati sive immediati Imperii Status sint, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, comprehensa libera Imperii Nobilitate, absque mora restituantur, liberaque eorum dispositioni, sive de jure & consuetudine, sive vigore præsentis Transactionis competenti permittantur, non obstantibus ullis donationibus, infeudationibus, concessionibus (nisi ultro & spontanea Status alicujus voluntate alicui facta sint vel fuerint) obligationibus pro redimendis captivis, aut avertendis devastationibus, incendiisque datis aut aliis quibuscunque titulis, in priorem legitimorum Dominorum, possessorumve præjudicium acquisitis, cessantibus etiam pactis & fœderibus, aut quibuscunque aliis exceptionibus prædicta restitutioni adversantibus, quæ omnia pro nullis haberi debent. Salvis tamen iis quæ & quatenus in præcedentibus articulis circa satisfactionem Sacræ Majestatis Christianissimæ, ut & quibusdam Imperii Electoribus & Principibus factis concessionibus & æquivalentibus compensationibus aliter excepta & disposita sunt, nec mentio Regis Catholici, & nominatio Ducis Lotharingiæ in Instrumento Cæsareo-Suecico facta, minus prædicatum Landgravii Alsatiæ Imperatori attributum, Christianissimo Regi ullum præjudicium afferant, nec ea quæ circa satisfactionem militiæ Suecicæ conventa sunt ullum respectu Sua Majestatis sortiantur effectum.

Atque hæc restitutio locorum occupatorum tam à Cæsarea Majestate quam à Rege Christianissimo, & utriusque socius, Fœderatis & adhærentibus fiat reciproce & bona fide.

Restituantur etiam Archiva & Documenta Literaria aliaque mobilia, ut & Tormenta bellica, quæ in dictis locis tempore occupationis reperta sunt, & adhuc ibi salva reperiuntur. Quæ vero post occupationem aliunde eo invecta sunt, sive in prælis capta, sive ad usum & custodiam eo per occupantes illata fuerunt, una cum annexis, ut & bellico apparatu, iisdem quoque secum exportare & avehere liceat.

Teneantur subditi cujusque loci, decedentibus præsidiis & militibus, Currus, Equos & Naves, cum necessario victu, pro omnibus necessariis avehendis ad loca in Imperio destinata, absque pretio subministrare: quos Currus, Equos & Naves restituere debent Præfecti Præsidiorum, militumque hoc modo discedentium, sine dolo & fraude. Liberent etiam Statuum subditi se invicem ab hoc onere vecturæ de uno Territorio in aliud, donec ad loca in Imperio destinata pervenerint, nec Præsidiorum aut aliis militiæ Præfectis aut Officialibus liceat subditos eorumque Currus, Equos, Naves, & similia eorum usibus commodata, omnia vel singula extra Dominorum suorum, multo minus Imperii fines, secum trahere, eoque nomine obsidibus cavere teneantur.

Reddita vero sive maritima sive limitanea, sive mediterranea fuerint dicta loca, ab ulterioribus omnibus durantibus hisce bellorum motibus introductis præsidiis, perpetuo posthac libera sunto, & Dominorum suorum (salvo de cætero cujusque jure) libera dispositioni relinquantur.

Nulli autem Civitati vel nunc vel in futurum ullo præjudicio damnove cedat, quod ab alterutra parte belligerantium occupata & infessa fuerit, sed omnes & singulæ cum omnibus & singulis Civibus & incolis, tam universalis Amnestia, quam cæteris hujus Pacificationis beneficiis gaudeant: iisque de cætero omnia sua jura & privi-

1648. legia in Sacris & Prophanis, quæ ante hos motus habuerunt, facta tollaque maneant. Salvis tamen juribus superioritatis, cum inde dependentibus pro singulis quarumcunque Dominis.

Denique omnium belligerantium in Imperio partium copiæ & exercitus dimittantur & exantorentur, eo tantum numero in suos cuiusque proprios Status traducto, quem quæque pars pro sua securitate judicaverit necessarium.

Pacem hoc modo conclusam promittunt Cæsarei & Regii, Ordinumque Imperii Legati & Plenipotentiarii, respective ab Imperatore & Christianissimo Rege, Sacrique Imperii Romani Electoribus, Principibus & Statibus, ad formam hic mutuo placitam ratihabitum iri, seseque infallibiliter præstituros, ut solennia Ratihabitionum Instrumenta intra spatium octo septimanarum à die subscriptionis computandarum MONASTERII præsententur, & reciproce riteque commutentur.

Pro majori etiam horum omnium & singulorum pactorum firmitudine & securitate sit hæc Transactio perpetua Lex & Pragmatica Imperii Sanctio, imposterum aque ac alia leges & constitutiones fundamentales Imperii, nominatim proximo Imperii Recessui ipsique Capitulationi Cæsareæ inserenda, obligans non minus absentes, quam præsentes, Ecclesiasticos æque ac Politicos, sive Status Imperii, sive non, eaque tam Cæsareis Procerumque Consiliariis & Officialibus, quam Tribunalium omnium Judicibus & Assessoribus tanquam regula, quam perpetuo sequantur, præscripta.

Contra hanc Transactionem ullumve ejus articulum aut clausulam nulla Jura Canonica vel Civilia, communia vel specialia Conciliorum Decreta, Privilegia, Indulta, Edicta, Commissiones, Inhibitiones, Mandata, Decreta, Rescripta, Litispendentia, quocunque tempore lata sententiæ, res judicatæ, Capitulationes Cæsareæ, & alia Religiosorum Ordinum Regulæ aut exemptiones, sive præteriti, sive futuri temporis protestationes, contradictiones, pacta seu dedititia seu alia, multo minus editum Anni 1629. vel Transactio Pragensis, cum suis appendicibus, aut Concordata cum Pontificibus, aut inter utrisque Anno 1548. ullave alia Statuta sive Politica, sive Ecclesiastica Decreta, dispensationes, absolutiones, vel ulla alia quocunque nomine aut pretextu excogitari poterunt exceptiones unquam allegentur, audiantur, aut admittantur, nec ullam contra hanc Transactionem in petitorio aut possessorio, seu inhibitorii seu alii Processus vel commissiones unquam decernantur.

Qui vero huic Transactioni vel Paci publicæ, consilio vel ope contravenerit, vel executioni aut restitutioni repugnaverit, vel etiam legitimo modo supra convento, & sine excessu facta restitutione, sine legitima causæ cognitione & ordinaria Juris executione, restitutum de novo gravare tentaverit, sive Clericus, sive Laicus fuerit, pœnam fractæ Pacis ipso jure & facto incurrat, contraque eum, juxta Constitutiones Imperii, restitutio & præstatio cum pleno effectu decernatur & demandetur.

Pax vero conclusa nihilominus in suo robore permaneat, teneanturque omnes hujus Transactionis consortes universus & singulas hujus Pacis leges, contra quemcunque sine Religionis distinctione tueri & protegere, & si quid eorum à quocunque violari contigerit, læsum lædentem imprimis quidem à via facti dehortetur, causa ipsa vel amicabili compositioni, vel juris disceptationi submissa.

Verumtamen si neutro horum modorum, in spatium Trium annorum, terminetur controversia, teneantur omnes & singuli hujus Transactionis consortes, junctis cum parte læsa consiliis viribusque arma sumere, ad repellendam injuriam à passo moniti, quod nec amicitia, nec juris via locum invenerit: salva tamen de cætero unicuique jurisdictione, justitiaque juxta cujusque Principis aut Status leges & constitutiones competenti administratione. Et nulli omnino Statuum Imperii liceat sui summi vi vel armis persequi, sed si quid controversiæ, sive jam exortum sit, sive posthac inciderit, unusquisque jure experiatur, secus faciens reus sit fractæ Pacis. Quæ vero judicis sententia definita fuerint, sine discrimine Statuum executioni mandentur, prout Imperii leges de exequendis sententiis constituunt. 1648.

Ut etiam Pax Publica tanto melius conservari possit reintegrentur Circuli, & statim ac undecunque turbarum vel motuum aliqua initia apparent, observentur ea, quæ in Constitutionibus Imperii de Pacis publicæ executione & conservatione disposita sunt.

Quoties autem milites quavis occasione, aut quocunque tempore, per aliorum Territoria aut fines aliquis ducere velit, transitus hujusmodi instituatur ejus ad quem transeuntes milites pertinent, sumptu, atque adeo sine maleficio, damno & noxa eorum, quorum per territoria ducuntur, ac denique omnino observentur, quæ de conservatione Pacis publicæ Imperii Constitutiones decernunt & ordinant.

Sub hoc præsenti Pacis Tractatu comprehendentur illi, qui ante permutationem ratificationis, vel intra sex Menses postea ab una alteraque parte ex communi consensu nominabuntur, interim tamen utriusque placito comprehenditur Respublica Veneta, uti mediatrix hujus tractatus. Ducibus quoque Sabaudiæ & Mutinæ, quod pro Rege Christianissimo in Italia bellum gesserint, & etiam nunc gerant, nullum unquam adferat præjudicium.

In quorum omnium & singulorum fidem, majusque robur, tam Cæsarei, quam Regis Legati, Nomine vero omnium Electorum, Principum ac Statuum Imperii ad hunc actum specialiter ab ipsis (vigore concluſi die 13. Octobris Anni infra mentionati facti, & ipsa die subscriptionis sub sigillo Cancellariæ Moguntinæ, Legato Gallico extradito) Deputati, nimirum Electoralis Moguntinus, Dominus Nicolaus Georgius de Reigersberg Eques, Cancellarius: Electoralis Bavaricus, D. Joannes Adolphus Krebs Consiliarius Intimus: Electoralis Saxonicus, Dominus Joannes Lenber Consiliarius: Electoralis Brandeburgicus, Dominus Joannes Comes in Sain & Wittgenstein, Dominus in Homburg & Vallendar, Consiliarius Intimus: Nomine Domus Austriacæ Dn. Georgius Ulricus Comes à Wolckenstein, Consiliarius Cæsareo-Aulicus: Dn. Cornelius Gobelius Episcopi Bambergensis Consiliarius: Dn. Sebastianus Wilhelmus Meel, Episcopi Herbipolensis Consiliarius Intimus: D. Joannes Ernestus Ducis Bavariæ Consiliarius Aulicus: Dn. Wolfgangus Conradus à Thumbsurn Consiliarius Aulicus Saxonico-Altenburgensis & Coburgensis: Dn. Augustus Carpzovius Consiliarius Saxonico-Altenburgensis & Coburgensis: Dn. Joannes Fromhold Domus Brandeburgicæ Culenbacensis & Onolzbacensis Consiliarius Intimus: D. Henricus Langerbeck Juris-Consultus, Domus Brunsvico-Luneburgicæ Lineæ Cellensis Consiliarius Intimus: Dominus Jacobus Lampadius Juris Consultus, Lineæ Calenbergensis Consiliarius Intimus & Pro-Cancellarius: Nomine Comitum Scamni Wetteraviensis, Dominus Matthæus Wesembecius Juris-Consultus & Consiliarius: Nomine utriusque Scamni Dominus Marcus Otto Argentoratensis: Dominus Joannes Jacobus Wolff Ratisponensis, Dominus David Gloxinus Lubecensis, & Dominus Jodocus Christophorus Kress à Kressenstein, Norimbergensis Reipublicæ respective Syndici, Senatores, Consiliarii & Advocati, Præsens Pacis Instrumentum manibus Sigillisque propriis muniverunt & firmarunt, dictique Ordinum Deputati Principalium suorum Ratificationes Formula conventa termino supra constituto, sese extradituros pollicti sunt. Reliquis Statuum Plenipotentiariis liberum relinquendo, velint an nolint Nomina sua subsignare, suorumque Prin-

1648. *Principatuum Ratihabitiones accersere. Sed hoc pacto atque lege, ut subscriptione jam nominatorum Deputatorum reliqui Status omnes & singuli, qui subscriptione & ratihabitione supersedent, tam firmiter ad observantiam, & manutenentiam eorum, quæ in hoc pacificationis instrumento continentur, obligati sint, ac si ab ipsis subscriptio fuerit facta & exhibita ratificatio: nec ulla à Directorio Imperii Romani contra subscriptionem à memoratis deputatis factam, recipiatur aut valeat, vel protestatio vel contradictio, Acta sunt hæc Monasterii Westphalorum die 24. mensis Octobris, Anno* 1648.

Cessatio hostilitatis ubique denuntiatur. 15. Oct.

§. 211. Prima inde cura erat simul cum pace ad exercituum duces denuntiare, ut hostilia statim omitterentur. Et sane Cæsarei sequenti statim die eo nomine cursorem ad Piccolomineum dimiserant, haut obscure questi, à Serviento post triduum, & à Suecis octavo demum die significationem factam. Id quod Sueci excusabant ob tardius exhibitam ab Ordinibus solutionis designationem factam, quam una mittere voluerint. Inde ut ante tempus exhibendarum ratificationum, quæ circa Amnestiam & Gravamina convenerant, expedirentur, ab Ordinibus ad Circulorum Directores scribitur, ut singuli suos, qui ex illo capite aliquid restituere teneantur, moneant, ne in mora sint, quo minus patria tantopere desideratæ pacis fructu ocyus gaudeat. Cæsar quoque ut eo nomine edictum promulgare velit, per literas rogatus est; qui tamen Ordinum curam præverterat, publicato edicto, quo se omnibus, quæ pace convenerant exsequendis paratum ostendit: tum ut alii, quorum interest, idem faciant imperavit.

De executione pacis Ordinum cura. 17. Oct.

28. Oct.

Circa executionem aliqui tergiversantur: Ut Prælati Wurtenbergici;

§. 212. Nec eo minus haut pauci illorum, qui occupata restituere tenebantur, quoad dabatur possessioni suæ inhærere renitebantur. Cumprimis Prælati ac Monachi per Wurtenbergicam opimis Cænobiis ægre decedebant. Quos inter Blaubeuranus, & Adelsbergius adversus Ducem, cum restitutionem posceret, scripram protestationem interponebant, in ipsam pacem asperis verbis invecti. Qui & cum ratam suam ad Succici exercitus satisfactionem conferre abnuerent, à Franconici Circuli Præsidibus, Bambergensi Episcopo, & Culmbacensi Marchione velut executionis Commissariis in Ordinem redigendi fuerunt. Augustæ quoque Vindelicorum Catholici manibus pedibusque obluctabantur iis, quæ in favorem Evangelicorum dispositа erant. Illi jam aliquot ante menses, cum circa adornandum de Gravaminibus caput ageretur, ac secundum Evangelicos pronuntiatum iri pateret, ad Cæsarem & proxima Comitia provocaverant, reservata sibi exceptione nullitatis manifestæ. Sed cum parum se profecturos prospicerent, amicæ cum Evangelicis transactioni paratos se ostendebant, si qua hisce, quæ pace dabantur, per obliquas artes eripere possent. Inde cum Circuli Suevici Præsides Constantiensis Episcopus, & Dux Wurtenbergicus certum diem condicerent, quo per delegatos pacis executionem apud ipsos susciperе velint, hi rem in longum extrahere futili prætextu: hostilia nondum cessare; nondum edicto Cæsareo exsecutionem pacis fieri jussam; nec ipsas pacis tabulas forma authentica exhibitas. Inprimis adpellationi, & exceptioni nullitatis antea propositæ inhærebant; nec ullum Catholicorum unquam in paritatem istam consensisse, quin majorem partem differre contradixisse, & paucos Catholicos, qui subscripserint, adhuc Principum

Augustani Catholici

suorum ratificationem desiderare. Eoque à Cæsare responsum sibi utique expectandum. Nec tamen abnuere, si Principes isti amicam compositionem inter ipsos, civesque Evangelicos tentare velint. Præterea Wurtenbergicum velut sibi iniquum suspectare ac Constantiensem in partes solicitare. Qui & destinatis ipsorum favens literis ad Senatum civesque datis ostendit, quæ Tabulis Pacis sanciantur vix idonea medendis ipsorum dissidiis, eoque tutius fore si amica ratione, & ex æquo inter se transigant. Quæ civibus Evangelicis surda aure transmittebantur, quicis pacis legibus inhærere fixum erat, repudiatis novæ ac ancipitis transactionis ambagibus. Nec cum Principum delegati ad urbem accessissent; Senatus tergiversari cessabat, ac rem ad responsum Cæsaris differebat, subinde tamen civibus amicos tractatus ostentans. 9. Dec.

§. 213. Palatinus Sulzbacensis circa sacra quidem in statum anni vicesimi quarti restitui debebat: circa civilia autem res reponendæ erant, prout anno decimo quarto pactis majorum sanctum erat; quæ Neoburgicus palam idque variis modis violaverat. Eam tamen cautam Sueci ac Evangelici Ordines maluerant regulis & dispositionibus comprehendere ob notoriam & facilem applicationem, quam peculiari ejus mentione introducenda pacem remorari adversario pertinaciter reluctante. Unde & articulo quarto Instrumenti Pacis clausula Salvatoria pro expresse nonnominatis vel expunctis hanc præcipue ob causam inserta fuit. Tum & in protocolla relatum, ea omissione Sulzbacensem haut præteritum aut exclutum, sed suo tempore utique restituendum. Et quia Bavarus velut Circuli præses adversus Neoburgicum exsecutionem haut facile susceptu-rus credebatur, jam ante subscriptionem pacis ad Franconici Circuli præsides scriptum, ut eo casu Sulzbacensis restitutionem maturarent. Quanquam autem Sulzbacensibus ministris restitutionem amice petentibus & Neoburgici consiliarii, & Ratisponensis Præsul, & Bavarus Elector vario obtentu eam procrastinarent; Franconici tamen Principes nondum exsecutionem facere audebant, quoad Bavarus eandem plane abnuisset. Denique & Bavarus, Ratisponenses cum restitutionem ablatorum jurium, & abolitionem novorum onerum postularent, differebat causatus haut ita stricte Instrumento Pacis inhærendum, sed id ansam duntaxat præbere novis transactionibus. Ea de re cum isti apud Cæsarem quererentur, hic respondebat; Succicos duces adirent, rogantes, ne isti locis, ad Licum & Danubium præsidia prius deducant, quam urbi ab Elector satisfactum sit. Neoburgicus. Bavarus.

§. 214. Quæ circa Palatinam causam dispositа erant, num Palatino Electori Londini tunc agenti probanda forent, non constabat. Unde Ordinibus placuit quæ acta forent ipsi significare, ejusque declarationem expectare. Sed qua ratione id faciendum foret, haut in expedito videbatur. Equidem ad ipsum literas scribere promtum: Sed quia ipsi octavus Electoratus assignabatur ea lege, ut Cæsari se submitteret, ac in Bavari favorem acta probaret; antequam de hoc constaret, num Electoralis titulus ipsi tribuendus esset; dubitabatur. Nec à Cæsare in Anglia Minister tunc agebat, per quem conventa pacis ipsi insinuari possent. Nec sufficere existimatum per Legatos Regios ad eundem scribi, quod utique par esse videretur nomine Imperii denuntiari, quæ super Ordines ad Electorem Palatinum scribunt.

1648. ipſius cauſâ decreta forent. Cum igitur tunc Palatini Secretarius Monaſterii ageret, Ordines hunc in conſeſſum ſuum evocabant, ut Pacis leges ipſi traderent. Sed iſte eas acceptare ſe audere negabat, quod ſuper ea re nihil in mandatis habeat. Hinc Moguntini proponebant, ut Inſtrumentum Pacis dicto Secretario per Notarium & teſtes exhiberetur. Id quod tamen plerisque diſplicebat, velut cum ignominia conjunctum, & iſti irritando facturum: contra ſpes erat, ſi Electorali titulo honoretur, eo facilius acta probaturum. Ne tamen, ſi is forte leges pacis abnueret, tributo Electorali titulo præjudicium ſibi crearent, diſerte literis exprimebant; id ea ſpe factum, quod acta rata habiturus, ac patriæ quiete gaviſurus ſit: ſin minus, eum titulum pro non
8. Nov. tributo habendum. Eum in ſenſum ab Ordinibus ad iſtum ſcribitur; ſimul additur, diuturno bello defatigatos Cæſarem, Ordinesque ob cauſam tamdiu agitatam, & nunc deciſam bello ulterius atteri nolle, ſed firmam pacem conjunctis animis,
24. Nov. & viribus tuituros. Ad eundem quoque Sueci Legati Literas dant, quibus ipſius ablegatos atteſtantur, quantopere plena Domus Palatinæ reſtitutio cordi ſibi fuerit. Sed uti in aliis rebus non omnia ex voto obtinere potuerint; ita cum Cæſarei tam acriter partes Bavari defenderint, ac ipſi Ordines rei componendæ temperamenta quædam propoſuerint, ſibi quoque conditionibus Inſtrumento Pacis expreſſis demum fuiſſe adquieſcendum. Ipſius prudentiæ relinquentes, quid præſenti Germaniæ, ac vicinorum Regnorum ſtatu ſibi faciendum judicet. Elector Palatinus etſi per triennium legatos idoneis cum mandatis in loco tractatuum habuiſſet: cum tamen illorum rationibus parum ponderis tribui animadverteret, ante annum amplius eoſdem avocaverat. Ita cum omnia absque ſuo conſenſu geſta forent, moræ culpam ſibi imputari non poſſe videbat, ſi ad probationem ſuam differret. Præſertim cum quæ circa ipſius Domum diſpoſita forent, parum ſatisfacerent, ac ſat cauſæ ſibi eſſe duceret, interpoſita proteſtatione æquiora tempora expectare, ac talia media diſpicere, per quæ ſuarum ditionum detentoribus haut parum moleſtiæ faceſſi poſſet eorum opera, quos Germaniam turbandi lubido teneret. Haut eo minus tamen ſiſtendæ Germaniæ vaſtationi, ac reducendæ concordiæ, tum ut cives ſuos diuturna oppreſſione liberet, & ſine mora ipſe per tractatum aſſignatis potiatur, amore pacis, conventa ſe probaturum declarabat, ſi Cæſar Regesque ſocii pacem ratam habeant & exſequantur. Is finis ſi non obtineatur, hac declaratione ſe juri ſuo in Superiorem & Inferiorem Palatinatum, Electoratumque & Archidapiferatum, aliaque jura haut præjudicare velle, ſed omnia media iis recuperandis ſibi reſervare. Et in hunc ſenſum Ordinibus Imperii reſcribebat. Nec multum abibant, quæ Legatis Suecicis reponebantur. Laudabili propoſito à Rege Guſtavo bellum ſuſceptum, feliciter ab ipſo, & Regina hactenus geſtum, à quibus patri ſuo, ſibique ſuper reſtituendis ditionibus promiſſum ſit. Unde ſpem ſibi fuiſſe, accedente Galliæ, & quorundam præpotentium Ordinum favore, ac florentibus Suecorum armis cauſæ ſuæ majorem rationem fuiſſe habendam, quo liquidior ſibi è pace lætitia foret. Declaraſſe tamen Ordinibus, ſe in honorem Regum, & teſtando in tranquillitatem Imperii ſtudio jure ſuo cedere. Quod ſi igitur è duris illis conditionibus nihil corrigi queat, id ſaltem laborarent, ut ipſe in poſſeſſionem eorum, quæ pace decreta ſint, reponatur, excluſis adverſæ parti ſolitis effugiis. 1648.

De finibus inter Reginam & Brandeburgicum regundis.

§. 215. In articulo de ſatisfactione Succica rectio finium inter Pomeraniam Regiam, & Electoralem ad amicam compoſitionem remiſſa erat: quæ ut ſtatim Monaſterii ſuſciperetur Brandeburgici poſtulabant; qua nondum decifa promiſſum Ceſſionis Diploma exhibitum haut iri. Porro rem fore facilem, cum præter latitudinem litoris nihil definiendum reſtet. Nam ut à Wildenbruco per Golnoam inde ad mare linea recta ducatur, id Electori haut ferendum, qui hac ratione præter ea, quæ pace ceſſa ſint, plurimorum redituum ac jurium jacturam facturus ſit. Enimvero Sueci de iſtis heic tranſigi poſſe haut exiſtimabant, ſed oculari inſpectione opus eſſe. Unde iſta commodiſſime in Pomerania expeditum iri, ubi & minutiora illa, de quibus in Pace mentio fit, componi queant. Quod ſi Electori placeat, ſe virtute mandati ſui ſtatim delegaturos qui negotium ibi ſuſcipiant, quod ante ratificationes hinc inde tradendas ad liquidum deduci cupiat, ne qua circa loca reſtituenda difficultas oriatur. Sed cum Brandeburgici paulo poſt de hoc negotio ſilerent, Succis quoque iſtud tunc movere haut placebat: Sed nec magnopere circa ceſſionis diploma laborandum videbatur, quod pace à Brandeburgico ratihabita ceſſio ſatis firmaretur. Etſi, cum de iſto diplomate diſerte cautum foret, ſuper eodem monere quavis occaſione non omitterent.

Brandeburgicorum prætenſiones. 19. Nov.

§. 216. Sed & alias prætenſiones Brandeburgici ſcripto movebant ſuper juribus quibuſdam, quæ priores Duces Pomeraniæ ulterioris cum Ducibus Provinciæ citerioris & vice verſa, communia habuerint; aut quæ Ducibus ulterioris Pomeraniæ in quinque oppida ejus Provinciæ Suecis jam ceſſa adhuc competant, quod eadem non ad dominia ceſſarum urbium, ſed ad patrimonium & eminentia jura Principatus Pomeraniæ ulterioris pertineant, ſuper quibus inter Reginam, & Electorem ſit conveniendum, aut ſi Regina utique iſta retinere velit, alio æquivalente eadem penſanda. Enimvero Sueci iſta abrupte repudiabant ob diſerta in Tabulis Pacis verba, *abſque omni prætenſione ullius juris in loca Regno Suecia ceſſa.* Et credebantur hæc à Brandeburgicis ideo mota, quod cum par clauſula pro Electore Paci inſerta non eſſet, forte metuerent, ne Regina jus commune cum Electore in ulteriorem Provinciam prætenderet. Eoque iſtos novum tractatum aucupatos, ut hac occaſione Reginæ actiones in Ulteriorem Provinciam extinguerent. Ac diſerte fatebantur; Electorem nolle quid in Citeriorem Pomeraniam prætendere, modo Regina nihil circa Ulteriorem moveat. Inter hæc Servientum in partes ſuas pertrahere conati fuerant Brandeburgici, uti quondam, cum ſuper Pomerania tractaretur, Avauxium ſibi adjunxerant. Sed iſte huic negotio ſe immiſcere recuſabat. Ac confirmabat Briennæ Comes Roſenhahnio tunc in Aula Gallica Legato: ſe quidem Electoris cauſam commendare cupere: ſed ſi Regina ipſi gratificari nolit, ſe id haut ægre laturum. Idem Elector ſub id tempus Legatis Suecicis clam inſinuabat, ſe pro Pomerania Citeriore Reginæ Magdeburgicum, Halberſtadienſem, & Mindenſem Præſulatus ceſſurum, additis vicies centenis millibus

uncia-

1648. uncialium. Etſi cum à Regni Sueciæ rationibus id abhorreret, nihil amplius de iſto motum deinceps fuit.

De Capitulatione Oſnabrugenſi. §. 217. Cœptum quoque tunc agitari ſuper capitulatione Oſnabrugenſis Prætulatus, de quo circa Æquivalens Luneburgicum mentio facta erat. Ubi quidem ſuper juribus Epiſcopi & Capituli facile inter eos, quorum intererat conveniebat. Sed de ſacris maxime controverſia fervebat, ad quam componendam Cæſareorum, & Succicorum Legatorum interpoſitio aſſumebatur. Ejus exitus prævideri vix poterat, quod, cum reſtitutio ad normam anni vicesimi quarti facienda eſſet, utraque pars plerasque Parochias ſuæ Religioni vindicare inſtitueret, ſimul alterius rationes diluere aut cavillari ſatageret. Aſt Oſnabrugenſes ſtatim poſt ſubſcriptam pacem Petriburgum demoliri incipiebant. Id quod impedire cupiens Epiſcopus Franciſcus VVilhelmus per Cæſareos Suecis temperamenta quædam proponebat. Sed à Suecis repoſitum; urbi per leges pacis ad iſtam demolitionem jus competere: ſe tamen cum Deputatis urbis ſuper propoſitis ab Epiſcopo collocuturos. Aſt interim Oſnabrugenſes magno fervore opus urgebant, quoad arx iſta ſolo æquata foret.

De militum ſatisfactione. §. 218. Porro ne qua mora exautorando militi, præſidiisque deducendis fieret, Ordinibus cumprimis curæ erat, ut pecunia convento tempore
17. Octob. corrogaretur. Quo fine ad præſides Circulorum ejus ſummæ diſtributio mittebatur, ut ſingulos Ordines ad ratam conferendam hortarentur. Sed cum militum hoſpitationes multis Ordinibus graviſſime incumberent, eorum Legati à Succicis petebant, ut Carolus Guſtavus duodecies centenis millibus uncialium parata pecunia exſolvendis adquieſceret: interim equitum aliquot legiones, & è ſuperiorum graduum ducibus illos exautoraret, qui Reginæ militiam exuere cuperent. Id quod & ab aliis exercitibus ſit faciendum. Hoc modo inſigniter levari Germaniam, ac facilius quod reſtet pecuniarum exſolvi, militemque qui in Succiam trajici jam nequeat, ali poſſe. Sed quia Legati de re jam conventa quid remittere non audebant, ad Carolum Guſtavum ſe ſcripturos recipiebant. Ad quem & ipſi Ordines literas
24. Dec. eo nomine dabant. Sed cum Legati oſtenderent; vix remiſſionis quid obtineri poſſe, aſſignatione inter duces jam facta: de tota mox ſumma ſpem faciebant, etſi graves querimonias ſuper Gallico cumprimis exercitu moverent, qui iisdem quo Succicus alimentis haut contentus ſuperiores Circulos, quibus incumbebat, plane exhauriret. Cæterum plerique Ordinum ad pecunias conferendas ſat alacres erant, quod ſpes foret tandem aliquando moleſtias belli deſituras, quos & exemplo ac hortatu Moguntinus accendebat. Leodios duntaxat querebatur Colonienſis ad quotam ſuam conferendam à ſe moveri non poſſe; eoque petebat, ut Cæſarei Legati, & Ordines autoritatem ſuam apud iſtos interponerent. Qui & per literas ſe eosdem monituros recipiebant.

De Cæſarei militis ſatisfactione. §. 219. Sed & cum ab Ordinibus Cæſari contributio exſolvendis ejus exercitui ſtipendiis promiſſa foret, Cæſar ut certa ſumma definiretur poſtulabat; centum viginti Romanos menſes à ſe expectari oſtendens. Cui ſtatim Electorales centum annuebant, quibus & multi Catholici è Senatu Principum accedebant. Sed Senatus Civitatum & reliqui è Principum Senatu rem ad futura Comitia rejiciebant. Quæ ſententia eo magis valebat, quod Servientus proteſtationem interponeret, ne, ſi Cæſari ante concluſam cum Hiſpanis pacem tam ingens pecuniæ ſumma conferretur, eandem adverſus Galliam erogaret. Sed pro Landgraviæ milite, quicquid niterentur Suecі, nihil plane obtineri poterat: quin ni horum autoritate ſubnixa fuiſſet, jam multos quæ annuerant retractandi libido ſubibat. 1648.

De ſtativis Succici militis. §. 220. Disquirebatur quoque, ubinam locorum Succico exercitui ad exautorationem usque ſtativa capeſſenda forent? Ac ſatis quidem patebat, Cæſareos, Bavaricosque poſtulaturos, ut ſtatim poſt denuntiationem pacis factam iſte exercitus, Cæſareis ditionibus & Bavarico Circulo relictis, per ſeptem Circulos Succicæ ſatisfactioni aſſignatos diſtribuatur. Id quod & Carolo Guſtavo integrum fore, ſi id evitari non poſſit, judicabatur. Enimvero quia iſta hoſpitatio Succici exercitus ſatisfactionem difficiliorem redditura erat, Suecі juxta ac Ordines optabant, eundem tantisper in ditionibus Cæſareis, ac Bavarico Circulo ſubſiſtere; præſertim cum per modicas inducias, quales inter ſubſcriptionem, & ratihabitionem pacis placuerant, neutra pars teneretur locis à ſe occupatis decedere. Quo minus tamen id fieri poſſet, in cauſa erat, quod VVrangelius jam ante concluſam pacem Bavaria cum exercitu exceſſerat, & antequam in Bohemiam penetrare poſſet, pacis concluſio ipſi ſignificata eſſet: unde in Franconia tantiſper ipſi ſubſiſtendum erat. Qua de re Ordines ejus Circuli Monaſterii graviter querebantur, orantes, ut ſtatim copiæ per ſeptem Circulos diſpergantur, ne ſibi ſolis tanto oneri ſuccumbere neceſſum ſit. Unde cum & Cæſarei acriter contenderent, ne ſub VVrangelio exercitus Bohemiam ingrederetur, & qui ſub Carolo Guſtavo ibi jam erat, quamprimum deduceretur, non poterant non Ordines, ne Franconia fatiſceret, de partiendis inter ſeptem Circulos copiis convenire, ne pauci Ordines præ reliquis opprimerentur. Simul decernebatur ad
8. Dec. ſummos exercituum duces ſcribendum, ut onus inter omnes æquabiliter diſtributum ſingulis tanto foret tolerabilius; neve Circulus Franconicus ad conferendam ſatisfactionem militarem redderetur inutilis; idemque ut Regii Legati facerent petebatur. Hæc Cæſareorum & Ordinum poſtulata etſi abnuere Carolus Guſtavus non poſſet, va- Difficultates circa eandem. riæ tamen difficultates objiciebantur hoſpitiis pleriſque jam per alios occupatis. In Weſtphalia præter Cæſareas & Colonienſes ſub Lambojo copias Haſſi præcipua ſibi hoſpitia vindicabant, queis cedere abnuebant. Qui & magnam partem Circuli inferioris Rhenani obtinebant. Sueviam, & Superiorem Rheni tractum Turennius invaſerat; cujus & partem Bavari per VVurtenbergicam, & Palatinatum Inferiorem præſidia, Hiſpanique Franckendaliæ, & Lotharingi hinc inde ad ſe raptabant. Unde & Servientus, cum Legati Succici poſtularent, ut Gallicus miles locis iſtis deduceretur, reponebat; Gallos Succico militi merita præmia haut invidere, ac ſe Turennio ſuaſiſſe, ne iſta ullo modo impediri patiatur. Ut tamen Gallicæ copiæ Superiore Germania decedant, aut aliquid alimentis ſuis detrahi ſinant, id Succos haut poſtulaturos. Pace adhuc, ejusque executione vacillante haut conſultum eſſe Regios exercitus longius ſeparari, ut ſi opus ſit ſubvenire ſibi invicem queant. Ac par eſſe, Gallicas copias poſt fidelem navatam operam haut parum attritas, hibernorum quiete aliquantum refici.

§. 221. Ordinibus porro exautoratio militis, Super exautoratione

1648. do militi Sueci Ordinesque diffentiunt

ac deductio præſidiorum ante omnia cordi erat, quam etiam reſtitutioni ex capite Amneſtiæ & Gravaminum præferebant; quod per iſtam oneribus ſe bellicis levandis ſperarent. Sed Sueci rem haut præpoſtere ſuſcipiendam, nec quæ in executione præcedere debeant, in poſteriorem locum rejicienda centebant. Ex iſtis quippe duobus capitibus omnia mala in Germaniam promanaſſe, queis expediendis plurimus labor per tractatus pacis inſumtus, iisdemque prior locus in ordine executionis ab ipſis Ordinibus probato ſit aſſignatus. Unde milite prius exautorato, ac præſidiis oppidorum deductis, ex alterutro capite reſtituendos beneficio pacis vix unquam gaviſuros.

Luſitani Legati querela.

§. 222. Inter hæc Luſitanus Legatus Ludovicus Pereira de Caſtro apud Suecos querebatur, Suecicum Pacis Inſtrumentum in Hollandia typis excuſum cum adjuncta Cæſareorum proteſtatione, ſe non alium Luſitaniæ Regem, quam Philippum IV. Hiſpaniarum Regem agnoſcere. Cum tamen Sueci polliciti fuerint, ſe iſtam proteſtationem haut admiſſuros, nec ut Inſtrumento pacis inſeratur paſſuros. Ad quæ Sueci ſcripto teſtabantur, Cæſareos ut ea inſeratur antegreſſa tractatione quidem pertendiſſe, à ſe tamen eandem ſemper rejectam. Sed nec eam contentam fuiſſe formula, quæ menſe Julio publice prælecta, & apud Moguntinum Directorium depoſita ſit: neque illis contineri, quæ à Legatis ſubſcriptæ, & Principibus utrinque ad ratificandum transmiſſæ ſint. Et Sueci inde occaſionem capiebant de ejusmodi corruptis impreſſionibus apud Moguntinum querendi; qui & promittebat, operam ſe daturum, ne quid tale in poſterum fiat.

20. Nov.

24. Nov.

27. Jul.

Ratificationes adfecturantur.

§. 223. Cæterum ratificario Cæſarea prima omnium Monaſterii adpellebat, menſe Novembri nondum elapſo. Suecica paulo tardius aderat longinquitate itineris. Unde multi jam dubitare incipiebant, num Regina pacem probatura eſſet: & propinquante ſtato tempore Cæſarei apud Suecos explorabant, quid ſpei de iſta foret; nam ſuam jam adeſſe, ſeque permutationi paratos.

2. Nov.

Enimvero vana erat ea ſolicitudo. Nam Regina perlato Holmiam Inſtrumento ſummopere gaviſa, per omne Regnum grates Deo publice agendas decrevit, latoremque torque ſexcentorum aureorum pretio donavit. Ratificatione Monaſterium apportata, & ad Cæſaream collata, cum omnia recte ſe haberent præter pauca ſphalmata, quæ confeſtim emendabantur, Cæſarei ſtatim ut iſta permutarentur inſtabant, ſtabiliendæ pacis ſecuritati, etſi nondum omnia quæ præcedere debebant executioni data ſint, commodius deinceps proceſſura, ſi omnibus ſuper pace prius cautum ſit. Hollandos quoque, pace licet ante annum fere concluſa, adhuc circa eandem exequendam ſatagere. Quibus omnes Ordines, præter eos, quos reſtitutio ex capite Amneſtiæ & Gravaminum tangebat, adſtipulabantur. Gallis, qui nunc hoſpitiis ſuis moleſtiſſimi incumbant, tunc neceſſitatem allatum iri trans Rhenum concedendi; Colonienſem & Landgraviam ſuos exautoraturam; Cæſareos ſeptem Circulis exceſſuros: ita Suecicam ſatisfactionem melius expediendam. Sed quia Gallica ratificatio nondum allata erat, Sueci à ſocio Rege divelli ſe non poſſe excuſabant.

16. Dec.

Mox tamen & illa aderat biduo poſt ſtatutam diem, ſed nonnullis partibus haut rite formata. Nam & exordium & clauſula Inſtrumenti Pacis omiſſa, Regisque titulus Cæſareo præmiſſus, & plenipotentiæ inſertæ erant. Quæ cum Cæſarei admittere non poſſent, ne qua negotio mora naſceretur, placuit, eandem prout nunc ſe haberet una cum Cæſarea apud Venetum, aut Ordines tantisper deponi: Servientum autem ſcripto cavere quam primum aliam magis idoneam ſe curaturum. Ac multi ſuſpicabantur à Gallis data opera id factum, ut tantisper hibernis Germaniæ fruerentur, & Succica arma in ſuſpenſo tenerent, quoad adpareret, quo res inter ipſos, & Hiſpanos evaſura eſſet. Ordinum tamen ratificationes complures ſerius, & reliquis jamdudum permutatis demum adferebantur.

1648.

Permutatio ratificationum penſis per differtur.

§. 224. Aſt allatæ licet ratificationes haut ita cito, uti Ordines ſibi perſuaſerant, hinc inde tradi poterant: quod reſtitutio ex Amneſtia & Gravaminibus vix cœpta eſſet, ad quam peragendam aliquo tempore opus erat, Catholicis haut parum contumacibus. Sed & prima penſio ſatisfactionis militaris tardius videbatur proceſſura, quibuſdam de paupertate, aut iniqua partitione querentibus. Accedebant copiarum hoſpitationes, ex quibus variæ turbæ enaſcebantur. Cæterum Cæſarei cum Catholicis acriter inſtabant, ut ratificationes permutarentur, antequam executio fieret; ſine dubio ut per hanc obtinerent, quod inter ipſos tractatus non poterant. Evangelicorum equidem nonnulli, qui adverſæ partis tergiverſationem circa reſtituenda ſentiebant, traditionem differri, quoad ſibi ſatisfactum ſit, poſtulaturi videbantur: quod & Sulzbacenſis jam, ac Ratisbona fecerat. Sed quia militum ſatisfactio & hoſpitatio univerſos premebat, metus erat, ne Evangelici hoc onere ocyus levari properantes, cum Catholicis permutationem urgerent, antequam reſtitutio plene facta eſſet. Nec deerant qui palam jactarent: ſi executioni nimis acriter inſiſtatur, ſummam fortaſſe rerum detrimenti quid capturam, ac Germaniam incurabili recidiva corripiendam. Quæ nunc, dum in pacem cupide ruitur, circa reſtitutionem ſpoliatorum aut gravatorum prætereantur, deinceps commodius expediri poſſe. Pace per traditas hinc inde ratificationes ſtabilita junctis animis viribusque in ordinem redigendos, qui pacis leges implere detrectaverint. Atque iſta per Ordinum Deputatos Suecis proponebantur.

19. Dec.

Suecorum ea ſuper re declaratio.

§. 225. E Legatis Suecicis Salvius in eam ſententiam propendebat, ut ratificationes vel ſtatim permutarentur, vel apud Moguntinum Directorium deponerentur: quia magno deſiderio tenebatur Sueciam reviſendi, quo ratificationem Cæſaream ſecum adferre cupiebat. Sed pervincebat Oxenſtierna, ratificationum traditionem haut eſſe præcipitandam, ac circa executionem prius laborandum. Unde & hi apud Deputatos Ordinum teſtabantur, nihil gratius ſibi fore, quam vel è veſtigio ad iſtam permutationem accedere. Sed multa obſtare, quæ ex dictato pactorum, & indole tractatus prius amoveri debeant: inter alia reſtitutionem ex Capite Amneſtiæ & Gravaminum, circa quam parum adhuc actum ſit. Melius ſibi ac patriæ ſecuritati conſulturos, ſi potius ad plenam executionem pacis ex tenore pactorum connitantur. Inſtrumenta Pacis jam ab omnibus ſubſcripta ſat validum eſſe fundamentum illis, qui præſtare quid teneantur, quod ſubſcriptio ſub neceſſario rato facta, & præcipuæ ratificationes jam præſto ſint. Magna hoc circumſpectione opus eſſe, cum duo iſta capita omnium fere malorum originem Germaniæ dederint, quibus

1648. bus componendis maximus labor sit impensus. Modum exequendi iptis pactis præscriptum, à quo discedatur, metuendum esse, ne qui restituendi sunt fructu pacis unquam potiantur. Sed cum his insuper habitis Ordines permutationem urgerent, Sueci se cum Serviento consultaturos ostenderunt. Cum hoc negotii momentis libratis scripto designarunt, quæ expedienda prius sint, quam ratificationes permutentur, circa quas alias in se nihil moræ sit futurum. Postulabant igitur Sueci, ut prius quam ratificationes hinc inde traderentur, restituendi ex capite Amnestiæ & Gravaminum in amissa reponerentur, ut diploma cessionis Brandeburgicæ circa Pomeraniam exhiberetur, Osnabrugensis capitulatio absolveretur, Attestata pro Erfordia & Minda promerentur, captivi dimitterentur, octodecim tonnæ auri parata pecunia & duodecim in assignationibus præsto essent: tum inter duces exercituum conveniretur de modo, quo militis exautoratio suscipienda, & præsidia deducenda sint, denique Ordinum ratificationes, quæ adhuc desint, curarentur, & nominatim Electoris Colonensis, qui nomine Collegii Electoralis ad tractatus Pacis destinatus fuerit, & arma gesserit. Eodem modo Servientus nominatim restitutionem Franckendaliæ, Hermansteini, Hammersteini, & Homburgi exigebat, tum ut cessio Alsatiæ, & aliorum locorum pace in Galliæ ditionem transcriptorum non à Cæsare solum, & Archiducibus, Hispaniæque Rege, sed & ab Ordinibus Imperii exhiberetur, abolitis omnibus declarationibus, & in contrarium editis scriptis. Cassellani denique certa loca designari volebant, in hypothecæ vicem retinenda, quoad promissa sexcenta uncialium millia exsolverentur, tum cautio à Cæsare & Ordinibus præstaretur, centum uncialium millia, quæ in exautorationem militis impendenda forent, è contributionibus Imperii refundenda esse.

Ante traditas ratificationes expedienda.

Difficultas circa satisfactionem Gallicam.

§. 226. Inter hæc Landgraviæ postulatis facile satisfiebat. Circa Servienti obstacula Ordines Gallis evictionem Alsatiæ pollicebantur, quoad Hispanica cessio adferretur: interim Galli promissos tres milliones florenorum, ac quatuor urbes Sylvestres in pignoris vicem retinerent. Sed præcipua difficultas erat, quod Servientus Ordinum declarationem super Gallica satisfactione aboleri cuperet: id quod hi nunquam se facturos testabantur. Qui & à Suecis petebant, Serviento persuaderent, ut hoc postulato desisteret. Se quippe aliis Ordinibus sua condonare non posse: & quæ Galli nunc obtendant, non solum omnibus fœderibus, quæ Galliæ cum Suecia & Ordinibus hactenus intercesserint, sed & istorum multis propositionibus, ac sanctis contestationibus, præsentique pacto repugnare. Adversus quæ Servientus clara pactorum verba ostentabat. Apud Cæsareos, qui Gallis hanc satisfactionem obtulerint, instarent Ordines, ut istius loco de æquivalente satisfactione Gallis prospiciatur. Quæ sub Gallica satisfactione hoc modo comprehendantur non magis fœderibus, propositionibus, & præsenti pacto adversari, quam quæ Sueci aut alii sibi stipulati sint. Imo Sueciæ interesse, ne ratio quæ nunc jactatur, valeat, velut unus Ordinum alterius res condonare nequeat, quod eadem olim, si res ferat, in Sueciam quoque torqueri possit. Adversus quod Sueci Serviento demonstrabant: quæ Regina, aliique acceperint, suadentibus & consentientibus Ordinibus concessa; sed eosdem jam queri, quæ Galliæ promissa sint secum haut communicata, nec in consultationem deducta. Regerebat tamen Servientus, Ordines Imperii Cæsareis facultatem contulisse cum Fœderatorum Regum Legatis super satisfactione tractandi, ac si non expresse, saltem tacite consensisse, dum per triennium, ex quo omnia concluså, & publice nota fuerunt, non contradixerint. Cum igitur Servienti ac Ordinum postulata adversa fronte repugnarent, haut alia via ex hac difficultate eluctandi adparebat, quam ut ea declaratio suo loco relinqueretur, & neque firmaretur, neque abrogaretur, sed ab utraque parte silentio transmitteretur. 1648.

Cæsareo-rum ad Ordines propositio.

§. 227. Aft quæ Sueci ante permutationem expediri postulaverant, ex ipso Pacis Instrumento & per Ordines probato exsequendi ordine definita erant, adversus quæ nil solidi opponi poterat? sic ut ipse Pontificis Nuntius iis conspectis fateretur, omnia factæ transactioni conformia esse. Nec eo minus Cæsarei apud Ordines proponebant: Conventu ducum Pragæ non modicas difficultates incidisse, quibus amovendis sibi cum Ordinibus consultare injunctum. Cum Sueci militem exautorare, & occupatis locis excedere abnuant, nisi prius prima satisfactionis militaris pensione repræsentata, nosse velle, quantum pecuniæ in promtu habeant, & num reliqua summæ designatio facta sit? Porro re pecuniaria expedita consultandum, qua ratione solutio pecuniæ, & restitutio locorum pari passu fieri queat, & quæ idonea cautio, & circumspectio adhibenda? Sed quia Cæsar vereatur, ut prima pensio in promtu sit, ac Sueci ante istam præstitam locis occupatis præsidia deducere abnuant, quæ via ineunda, ut miles Cæsareis & Ordinum oppidis utique deducatur? Nam quo diutius hæc controversia super solutione pecuniæ & evacuatione locorum pari passu facienda agitetur, & ista pecunia absit, eo magis Ordinibus vires solvendi atteri. Ita Sueciæ Pacis interpretatione ejusdem executionem in irritum casuram. Equidem Ordinibus integrum esse Suecicis Legatis demonstrare, bonam fidem, qua restitutio promissa sit, non pati, ut ob exiguam moram Cæsaris & Ordinum Provinciæ penitus opprimantur; & cum Regina præ se tulerit, hoc tractatu Germaniæ quietem se conciliaturam, haut par esse, ob tantillum prætextum sub pacis vocabulo Ordines atrocius quam ipso bello perfundari. Quod si has rationes adpernentur, Cæsarem haud aliud medium dispicere, quam ut promta pecuniarum collatione iste tergiversandi color Suecis adimatur, & ut liquido pateat, penes quem mora sit, quo minus pax executioni detur. Sane in aprico esse, Suecos militis sui numerum longe supra verum augere, ac eidem intoleranda alimenta deposcere. Nec minus eosdem ita strictam pacis interpretationem aliis obtrudere, quam ipsi hactenus tam negligenter observarint, quæ quo spectent haut obscurum esse. Unde haut absurde quæri; num Cæsar hac rerum facie ex incumbente sibi munere pro se ac Imperio isthanc pacis interpretationem admittere teneatur? Si enim in Suecorum arbitrio positum sit, isthac hospitiorum designatione Ordinibus media solvendæ primæ pensionis adimere, ac haut eo secius jus sibi esse pertendant, non prius Germania decedere, quam circa primam pensionem sibi satisfactum sit; nullam utique pacis executionem sperandam; sublatis per ipsos Suecos mediis, citra quæ ipsi ad discedendum se haut teneri profiteantur. Sed & periculosam interpretationem circa restitutionem

21. Dec.

ex

1648. ex capite Amneſtiæ & Gravaminum jactari, velut Sueci ad dimittendum militem ac deducenda præſidia non ſtringantur, ſi præter culpam Cæſaris executio ob moram reſtituentis, aut reſtituendi, aliove caſu ita repente fieri nequeat. Quod ſi igitur ex ejusmodi iniqua interpretatione Imperium & ditiones Cæſaris centum viginti legionibus Suecicis, præter ingentem præſidiorum numerum, exhauriri poſſint, citius Germaniam tanto onere perituram, quam executio pacis prædicto modo futura ſit. Inde ultro contequi, ut, ſi Imperii ſalus ſuprema lex eſſe debeat, Pacis conventio ſecundum dictamen rectæ rationis, & bonam fidem ſit intelligenda; ac Suecis cautione data adquieſcendum, nec ob exiguam moram, & unius alteriusve reſtitutionem Imperium perpetuis bellorum flammis involvendum. Cæſarem omnia præſtitiſſe, quæ muneris ratio exigat, & quæ circa executionem adhuc ab ipſo deſiderentur, examuſſim impleturum. Eundem poſtulare, ut Ordines non ſolum inter ſe æqua decernant, ſed & Regios inducant, nedum duces ipſorum nova effugia aucupantur, Germania interim ſub immenſo onere plane fatiſcat. Addebantur querimoniæ de Gallico milite, cui cum per pacem neque ſatisfactio, neque alimenta debeantur, Ordinibus tamen incumbere pudor non ſit; cujus duces quoque ſæpius licet invitati ſuper modo ac tempore deducendorum præſidiorum conventionem inire detrectent. Cui malo quomodo medendum ſit, Ordinibus diſpiciendum.

Regii in permutationem ſub certa lege conſentiunt. 17.18.Dec.

§. 228. Iſthæc quanquam eo tendere in aprico erat, ut Ordines adverſus Suecos irritarentur: hi tamen ne reſponſo quidem dato id potius laborabant, ut partes ad commutandas invicem ratificationes permoverent. Idque apud Gallos æque ac Suecos per ſolennes Deputationes acriter urgebant, quicquid rationum iſti in contrarium opponerent; exceptis tamen iis, quorum commoda circa reſtitutionem vertebantur, uti erant Sulzbacenſis, Durlacenus, Wurtenbergicus, alii, qui adverſa plane petebant, ac ut Sueci id agerent, quo reſtituendi rebus ſuis potiantur: nam ni reſtitutio commutationem antecedat, ſe res ſuas perditas æſtimare, & pacis re ipſa fruendæ exiguam ſpem fore. Sueci re expenſa judicabant, enixa poſtulata majoris partis Ordinum haut abrupte repudianda. Nam Reginam, ſi Cæſaris atque Ordinum ratificationes obtineat, proximis Comitiis conſilia ſua liquidius expedire poſſe. Ac Gallis è Superiore Germania, Haſſis, ac Lamboji copiis è Weſtphalia digreſſis, Suecico militi laxiora hoſpitia parari, Ordinibusque facilius fore pecunias corrogare. Quod ſi Sueci ratificationum traditionem præfracte abnuant, Reginam de pace in incerto acturam, Ordines gravibus hoſpitationibus plane ſuccubituros; demum Suecos & ſatisfactionis & gratiæ jacturam facturos. Ac ſane non exigua jam animorum mutatio inter illos deprehendebatur, quibuſdam non obſcure frementibus, ſatius eſſe, mature Cæſari, Hiſpanoque ſe adjungere, ac pecuniam Suecis deſtinatam conducendo militi erogare, quam diutius talia tolerare. Ne autem Reſtituendorum commoda negligerentur, pacto adjecto cavendum cenſebant, qua ratione pacis leges etiam poſt traditas hinc inde ratificationes effectui dandæ forent. Ejus pacti hæc delignabantur capita: Ut ea ratificationum commutatio reliquæ diſpoſitioni Pacis ne præjudicet, nec Executionis ordo ulla alia parte immutetur: unde reſtitutionem ex capite Gravaminum & Amneſtiæ ante omnia faciendam, nec Suecis neceſſum fore præſidia deducere, aut militem exautorare, ni omnibus & ſingulis ex conventorum vi ſatisfactum ſit. Ut porro præſens conventus perſiſtat, quoad omnia executioni data ſint. Ut denique diſtincte & acrioribus verbis exprimatur, quæ pœna illos maneat, qui reſtituenda reſtituere abnuerint. 1648.

§. 229. Iſthoc pactum Deputatis tam Evangelicis quam Catholicis valde arridebat, qui & intra biduum id ſe ſcripto concinnaturos recipiebant. Ac ſine mora Ordines congreſſu habito rei manum admovebant, ni Cæſarcorum interceſſione iſta disjecta eſſet. Hi quippe evocatis ad ſe Moguntino, Bavarico, Saxonicis, & Luneburgicis pactum id adjectum ſummopere diſſuadebant: Id haut parum temporis abſumturum, ipſi Pacis Inſtrumento præjudicaturum, nova diſſidia, ac forte novum bellum excitaturum. Se quidem nova pacta inire haut audere, ac mandata ſua poſt ſubſcriptionem, & ratificationem allatam expiraſſe. Si Ordinum Legatis alia mandata ſint, facerent, quod è re videretur. Contra Evangelici oſtendebant, omiſſo iſthoc pacto jactatum iri; tractatum exhibitis hinc inde ratihabitionibus plane abſolutum, nec penes Reginam Suecia, aut alios quorum interſit, eſſe ſuper executione pacis amplius laborare: inde totum tractatum in irritum cadere, partesque denuo bello collidi poſſe. Non eſſe novam hanc negotiationem, ad quam novis mandatis opus ſit, ſed declarationem Articuli de Executione in ea parte, qua jam ab iſta diſcedendum ſit. Cæſareos non minus atque Ordines permutationi inſtitiſſe; ſed quæ commode fieri nequeat, ni declaretur, quousque & quo fine heic à Tabulis Pacis diſcedatur. Nec multo tempore opus eſſe; idemque executioni promovendæ facturum. Cæſarei iſtud eludunt. 31.Dec. Nolan. Recuſ.

§. 230. Ita tunc omnes quidem pacis ſe cupidos ferebant, nec tamen omnes quæ iſta jubebat, effectui dare cupiebant. Sane Cæſarei atque Catholici circa præcipuas partes ita ſe gerebant, ut non obſcure pateret, ipſos plenam pacis executionem magis ſufflaminatum, quam promotum ire. Unde magna circumſpectione opus erat, ne quod adverſa pars armis obtinere non potuerat, nunc ſub executione pacis per artes obtineret. Nuntius Pontificis Catholicos, qui circa concinnandam pacem ſudaverant, increpabat velut injuſtæ transactionis autores, & palam adverſus eandem proteſtabatur; cujus Princeps poteſtatem ſibi omnia juramenta & promiſſa propter commodum Eccleſiæ diſſolvendi arrogat. Cui plerique Catholicorum ſacerdotum ſuccinebant, apud Cæſareos maximopere inſtantes, ut executio ex capite Amneſtiæ & Gravaminum, quantum bona Eccleſiaſtica ſpectat, quibuscunque prætextibus eluderetur. Interim id agebant, ut ratificationum commutatio, omiſſo pacto adjecto, ac quavis nova obligatione, de qua proponebatur, præcipitaretur, ac poſt eam factam conventus è veſtigio diſſolveretur; ægre ferentes à Regina id quæri, ut conventus hic, quoad omnia impleta fuerint, continuetur. Et dixerat Volmarus, executionem in annum unum aut alterum differendam, quod Cæſaris culpa non ſit, Sacerdotes & Monachos eidem obluctari, aut Ordines non præſtare, quæ Suecico militi promiſerint. Simul & callide à Cæſareis obſervabatur, ut ſi de promovenda pacis executione ſermo eſſet, non omnes promiſcue Ordines, ſed certo cum delectu adhi- Condicio tractatum Pacis circa finem annii.

1648. adhiberentur. Si de executione ex capite Amneſtiæ & Gravaminum conſultabatur, è Saxonicis Circulis, quos ea res parum tangebat, adhibebantur: ſi de Suecica ſatisfactione, quam dura & intoleranda illa foret, jactare inſtituiſſent, Ordines Superiorum Circulorum evocabantur, quos exercituum hiberna tunc maxime premebant. Quibus ſuadebatur, conſultiſſimum fore, ratificationes permutari inſuper habitis Regiorum ſcrupulis ſuper Pacis Executione. Amoto milite Ordinibus inter ſe melius conventurum, & omnia ad normam pacis effectui datum iri.

De pace inter Gallos & Hiſpanos.

§. 231. Porro circa tractatus inter Gallos Hiſpanoſque Mediatores partibus probantibus propoſuerant, ut primo loco quæ ipſos Reges ſpectarent, inde res ſociorum excuterentur. Inter illa porro controverſia potiſſimum agitabatur ſuper locis per Gallos in Belgio, Burgundia & Catalonia occupatis una cum illorum dependentiis, & quibus limitibus hæ forent circumſcribendæ. Super quibus hincinde ſcripta proponebantur. Cæterum jactabat paſſim Brunus, qui ſolus Hiſpanicorum Legatorum aderat, Regis ſui cauſam tam ſolito jure ſubniti, ut ipſe eam totius conventus, aut Reginæ Sueciæ, aut Parlamenti demum Pariſientis arbitrio ſubmittere haut veteatur. Ac imprimis de Reginæ Sueciæ arbitrio memorabat, cujus Legatis prolixum ſcriptum tuendæ Regis ſui cauſa exhibebat. Aſt hi quanquam initio rem ab iſto haut ſerio agi ſuſpicarentur; nec Reginam etiam revera delatum arbitrium facile ſuſcepturam; quod arbitri fere incaſſum laborent, aut alterius partis offenſam contrahant, tamen quam liberalem ſe Brunus oſtenderet Servientо exponebant. Hic ut quid ſolidi ſubeſſet expiſcaretur, per Mediatores à Bruno exquirit; num ipſe mandatum habeat de compromittendo? Et num unam duntaxat, an vero omnes controverſias arbitrio ſubjicere velit? Et num ſoli Reginæ, ac Senatui Sueciæ, an præſentibus Legatis arbitrium, & qua lege, deferre decreverit? His quæſtionibus conſtrictus Brunus apud Cæſareos, ac Contarenum demum farebatur; huc ſe deſcendere haut poſſe, cum id non quidem contra, ſed præter mandatum ſit, & quæ jactaverit, nonniſi honoris verba fuiſſe. Hoc igitur miſſo cum ad ipſam rem accederetur, Brunus ſepoſito ordine ſemel placito à Servientо ad omnia adhuc indeciſa capita ſimul declarationem exigebat, ac inprimis Lotharingicam cauſam expediri volebat, quod Dux, ni ejus mentio ſtatim fiat, ſuſpicaturus ſit, ſe à Cæſare deſtitutum, & pace Germanica excluſum, nunc & ab Hiſpanis deſerendum; unde opinione citius in Galli partes tranſiturus ſit. Quanquam autem Servientus oſtenderet, ſe non repugnare, quo minus iis, quæ ſuper Regnorum negotiis concludenda forent, hæc clauſula adderetur; illa, niſi cæteris quoque expeditis, irrita fore: pertendebat tamen Brunus, ſe Lotharingum poſtponere non poſſe. Et videbatur oſtentare gravitatem Hiſpanicam, velut ſociorum res ante proprias habens. Demonſtrabat præterea Brunus, ſe à declaratione, quam ipſe una cum Pegneranda menſe Januario Hollandicis Legatis exhibuerat, nullo modo diſcedere poſſe. Quam ſibi incognitam ferebat Servientus, quod tunc temporis in Hollandia abfuiſſet; & ex hoc ipſo conjectabat Bruno haut ſat facultatis ad concludendum eſſe. Ita in ambiguo hærebat is tractatus, nec vana ſuſpicio erat, ab Hiſpanis motus, qui tunc Lutetiæ erumpere cœperant, captari. Quanquam autem ea præcipua eſſet cauſa, quare Suecici Legati Monaſterii ſubſiſterent, quæ nunc fere ceſſabat; tamen cum Ordines, qui junctim Monaſterii manere malebant, ſolenni deputatione rogarent, ut & ipſi hoc morari velint negotiis eodem loco celerius expediendis, ratificationum commutationem demum Monaſterii peragere conſtituerunt, eo actu talem adhibituri modum, qui Reginæ faſtigio fraudi non eſſet. 1648.

Pragenſia tractatus.

§. 232. Aſt Pragæ inter ſummos belli duces Carolum Guſtavum Palatinum, & Octavium Piccolomineum Amalfitanum Ducem tractatus inſtituturus erat, quorum hic Colobrathum & Blumenthalium, ille Paiculium, ſupremum excubiarum præfectum, & Alexandrum Erskeinum delegaverat. Initio Cæſarei Carolo Guſtavo titulum *Generaliſſimi* tribuere abnuebant, quod ipſis ſuperior militiæ gradus, quam ſupremi Legati in uſu haut eſſet: ſimul titulum Ducis Juliaci, Cliviæ & Montium omiſerant; quorum utrumque emendandum erat. Locum quoque tractatus in vetere urbe Praga deſignarant. Sed cum Carolo Guſtavo parum è dignitate videretur, ſuos intra præſidia adverſæ partis accedere, pervicit hic demum, ut medio in ponte raptim ædificium ex aſſeribus excitaretur; cujus medio rotunda menſa poſita eſt, ad cujus unum latus Cæſarei, ad alterum Succici deputati aſſederunt. Ipſe Palatinus, quo negotiationi propior foret, Cuttenberga Pragam Minorem ſe contulit. Inter tractatus humanitate invicem certatum, Cæſareis Suecos Vetere, Suecis illos Minore urbe epulo excipientibus. Ipſe tamen Carolus Guſtavus à Coloredo invitatus venire modeſte abnuebat, miſſo ſui in vicem fratre Adolfo Joanne & Wittenbergio. Eo tractatu Cæſarei id præcipue agebant, ut Succicus exercitus Bohemia, & aliis Cæſarei ac Bavarici militis ſatisfactioni deſtinatis provinciis abduceretur. Et jam antea Piccolomineus ad VVrangelium ſcripſerat, ne quas copias in Bohemiam mitteret, & quæ adhuc in Bavarico Circulo hærerent, eas abduceret; id quod ad ipſum Palatinum repetebat. Nam pacto pacis perſpicue exprimi, ubi cuilibet exercituum ſua ſatisfactio ſit expectanda, quo & ſinguli horum ſint deducendi. Id poſtulatum, etſi ratificationibus nondum commutatis, & aliarum rerum, quæ prius expediendæ erant, executione nondum facta, Palatino haut iniquum videbatur. Sane utrique exercitus tamdiu alendus erat, quoad de illis exaurorandis inter Duces conveniret. Adverſæ autem partis militi nulla hoſpitia ſupererant præter Cæſaris provincias, & Bavaricum Circulum, cum Suecis ſeptem Circuli paterent. Et VVrangelius cum primario exercitu ante concluſam pacem Bohemiam non potuerat attingere, quem nunc eodem deducendi nullum probabile prætextum erat. Bohemiæ porro loca, ubi Palatini copiæ conſtiterant, fere exhauſta erant: & quod Cæſareis parum fideret, illas late diſpergere haut conſultum judicabat. Unde jam Præſides ſeptem Circulorum de hoſpitiis ſuo exercitui deſignandis monuerat. Hac ſententia tamen diſſimulata Suecici Deputati contendebant: Circulos equidem ſeptem Suecici, Auſtriacum Cæſarei militis ſatisfactioni deſtinatos, etſi ſub Auſtriaco Bohemia cum innexis provinciis non comprehendatur. Sed ubi exercitibus ſit ſubſiſtendum, quoad executio pacis facta, & ratificationes commutatæ ſint, ducum conventioni relictum. De hoc potiſſimum Regno utrinque ſemper certatum, & quæ ibi partæ fuerint

Cæſarei Suecos Bohemia excedere poſtulant. 12. Nov. 4. Nov.

13. Nov.

Id quod Generaliſſimus denum annuit.

20. Nov.

1648. rint jure belli poſſideri credita; ad quod ipſe Cæſar multis decretis publice promulgatis provocaverit. Neque pacis pacto de hoc Regno diverſum quid, quam de reliqua Germania diſponi. Apud omnes gentes initis induciis valere interdictum *uti poſſideris*, niſi aliter convenerit. Enimvero Cæſarei proteſtationes ac minas ſpargere: alias pacis legibus ſe ſtare non poſſe, ac potius ſuper hoſpitiis ferro certaturos, quam ultro iiſdem ceſſuros. Et intelligebat Palatinus è Suecicorum aliorumque literis, Cæſareos, ipſisque obnoxios pacis leges dedignantes ejus abrumpendæ anſam quærere; quam cum ipſe nollet præbere, non poterat non demum Cæſareorum poſtulato annuere. Id quod & Ordines pacis pacto congruens ducebant, ac ut per bimeſtre ratificationum permutationi deſtinatum copias per ſeptem Circulos diſtribueret rogabant. Ad quod paratum ſe reſponſo ſuo illis ſignificavit. Alia quoque poſtulata hinc inde proferebantur; quæ cum exitum tunc non invenirent, haut opus fuerit iſta heic adducere.

20. Dec.

Cæſarei præſidia locis Bohemiæ deduci poſtulant.

§. 233. Cæſarei dehinc ſummopere contendebant, ut præſidia Succica oppidis Bohemiæ ſubjectarumque provinciarum intra ſextum Januarii ſt. n. deducerentur, quod primam penſionem ſatisfactionis militaris plerique Ordines jam contulerint, nec in reliquis moram fore, poſtquam miles per ſeptem Circulos mox diſtribuendus ſit. Sane Cæſarem omnes pacis leges expleviſſe, ac porro explere paratum. Reliqua per Germaniam loca præſidiis vacuari poſſe, quando prima penſio plene exſoluta fuerit. Nam crediderant Cæſarei, Suecis, modo pecunia potiantur, parum curæ fore, num reliqua pacis conventa executioni darentur, an minus. Enimvero Carolus Guſtavus diſpoſitioni Pacis, ac Ordini Executionis à Cæſare ipſo ac Ordinibus probato immotus inhærebat, per quem miles non prius exautorandus, nec præſidia deducenda erant, quam reſtitutio ex capite Amneſtiæ & Gravaminum abſoluta, captivi utrinque dimiſſi, ratificationes hinc inde traditæ, primaque penſio ſolura foret. His cum ille inſiſteret, ac Cæſarei præter ea quæ propoſuerant, in mandatis quid habere ſe negarent, tractatio illa tunc ſubſtitit. Quæ etſi paulo poſt inſtauraretur, tamen cum Cæſarei utique præſidia deduci Bohemia cuperent, quicquid de reliquis executioni prius dandis fieret, idque Succi abnuerent, res exitu caruit. Nec aliud tunc ibi actum quam ut inter Cæſareos & Suecos conveniret de alimentis præſidiorum per provincias Cæſaris, in quæ quadraginta duo millia florenorum à Cæſareis annuebantur ea lege, ut Sueci omnibus aliis exactionibus abſiſterent, Cæſareisque reditus intactos relinquerent, ac de cætero pacifice agerent. Quam tranſactionem poſt Palatinus Lipſiæ, quo Praga ſe contulerat, firmavit. Qui & Cæſareis de alio conventu Noribergæ aut vicinis locis habendo proponi curavit, ubi ſuper exautorando milite, & deducendis præſidiis ageretur; cum neque ſibi, neque Cæſareis ducibus commodum ſit ad Monaſterienſem conventum abire. De cætero fixum illi erat arma retinere, quoad pacis legibus, militibusque plene ſatisfactum foret, quod ſolis verbis ſcriptisque parum efficaciæ ad producendos pacis fructus ineſſe crederet. Fine anni Succicæ copiæ Bohemia deductæ per ſeptem Circulos certi duces præfecti, queis injunctum cum Ordinibus ſuper modo alimentorum ex æquo tranſigere, ac provinciales modeſte habere. Ipſe Palatinus Erfordiæ ſibi ſedem velut in meditullio ſumſit, unde in omnes expeditius regimen foret. Cæterum judicabant prudentiores graviter ab Ordinibus fuiſſe erratum, quod executionem pacis ad ſummos duces transmiſerint, per quos ea in biennium extracta fuerit. Ac Suecos cum per ſeptem Circulos diſtribuerentur, ſingulis diebus in tributa & alimenta exegiſſe, centum octo uncialium millia; quibus ſumtibus qui decuplo ſatisfactionem militarem ſuperabant, ſuperſedere poterat, ſi citra tergiverſationem quilibet ratam ſuam iſtius ſatisfactionis, aliaque præſtanda properaret. 1648.

Sueci abnuunt.

Tranſactio de alimentis præſidiorum.

4. Jan. 49.

§. 234. Eodem anno mortem obiit Uladislaus Poloniæ Rex. Id tempus cumprimis paci inter Suecos ac Polonos conficiendæ aptum judicarat Arpaiovius Comes, Gallicus in Polonia Legatus, eoque ad Chanutum ſcripſerat, ut apud Reginam diligenter ea de re ageret; quam ipſe facile, ac brevi tempore confici poſſe putabat. Unde à Regina in Senatu conſultatum, num per interregni tempus pax æterna cum ea Republica tentanda ſit, quod hactenus prætenſum in Sueciam jus priorum Regum præcipue obſtitiſſet, quo minus ea pax coire poſſet: idemque Dux Curlandiæ per literas monebat. Ac ſpes erat, Polonos circa ceſſionem Livoniæ haut fore difficiles; ſimul ita conveniri poſſe, ut ſi quis è Sigismundi filiis Regno Poloniæ admovendus ſit, ei neceſſitas imponeretur prætenſioni ad Sueciam renuntiandi. Videbatur autem quibusdam hocce tempus tractatibus inſtituendis cumprimis opportunum, quod Polonos nunc metus agitaret, ne à Suecis invaderentur, de quibus haut bene ſe meritos norint; ac inſtante Germanica pace arma confeſtim in Poloniam effundi poſſe. Et ſi maxime poſt tentatos incaſſum tractatus bellum ſit ſumendum, Sueciam utrique bello ſufficere: id quod nupero cum Danis bello adparuerit. Nondum Polonos ſpem Livoniæ recuperandæ abjeciſſe, quam mature extingui utile ſit, ne novum deinceps Sueciæ bellum generet. Sic Smolenskium, ante centum annos ereptum, à Polonis recuperatum; & ſupereſſe adhuc, qui bona in Livonia amiſerint, quorum licet plerique intra induciarum finem fato functuri ſint, non defore tamen, qui in horum jus ſuccedant. Egregium fore pacis Germanicæ corollarium, ſi ejusdem intuitu à Polonis quoque pax conditionibus Sueciæ decoris obtineri queat. Et optandum eſſe Sueciæ iſta controverſia aliquando poſſe defungi, per quam præter ſtatus ſui rationes cum iſta gente collidatur. Metuiſſe Polonos proximis induciarum tractatibus, ne bello Germanico compoſito arma in Poloniam transferrentur. Id nunc multo magis iſtis timendum, poſtquam Regina ætate firmata rebus tam glorioſe geſtis magnam ſibi autoritatem circumpoſuerit, egregiis exercitibus inſtructa, queis ſtatim Poloniam obruere queat. Denique Polonis à Cæſare & Dano auxilium nunc accedere non poſſe; & Coſaccorum rebellione eosdem inſuper infeſtari, ut ſi unquam alias nunc ad pacem compelli queant. Ubi res ſuas iterum firmaverint, tractatum poſtulaturos iniquo Sueciæ tempore. Et ne per Mediatores mora adferatur, conandum, num citra hos tractatio inſtitui poſſit, ac Francofurtum ad Oderam, quem locum Poloni offerant, acceptandum. In contrarium diſſerebatur: interregni tempus tribus menſibus circumſcriptum tractatibus non ſuffecturum. Eſſe hanc rem prius Polonis ſignificandam, & ipſorum reſpontum expectandum, Legatos utrinque expediendos: qui

De tractatibus Polonicis conſultatio. 20. Maji.

ante-

itized by Google

1648. antequam convenire poſſint, trimeſtre elabi. Dubium quoque eſſe, num validi quid concludi queat, quamdiu Respublica capite deſtituatur. Sed nec ſucceſſibus armorum noſtrorum nimis fidendum, quorum ſors ſit mutabilis. Cæſarem utut magnopere preſſum, nondum animum deſpondere, ac mutationem rerum noſtrarum captare. Temerarium fore priore bello nondum poſito alteri anſam præbere. Nec eadem nunc neceſſitate Sueciam in Polonos impelli, qua nuper in Danicum bellum rapta eſt. Ac pro certo habendum, quicquid Poloni præ ſe ferant, eos non tam de pace laborare, quam ut tempus extrahant rebus ſuis reparandis. Reginæ quoque utiliſſimum fore bellum Germanicum prius poni, ac plenæ executioni tradi: tum domi ærarium, militiam, claſſem refici, magnis difficultatibus implicitæ. Si novo bello involvi ipſam contingat, iſtis haut prius rite digeſtis, ægre conſilia eidem proceſſura. Sed & deinceps non defore tractandi occaſionem. Quod ſi interea pax Germanica concludatur; antequam Polonici tractatus abſolvantur, difficile fore exercitum tantisper alere, per quem Polonis quam maxime terror eſt injiciendus: Intra trimeſtre in proclivi ipſis fore res ſuas domi componere, Regem eligere, Coſaccos pacare, copias firmare, nullo à Ruſſis aut Turca periculo imminente. Nec defore iisdem artes tempus extrahendi. Ubi viribus ſuis confidere cæperint, poſtulata Reginæ, citra quæ pacem inire non poteſt, pro more eluſuros. Tractatibus irritis induciasdeinceps in lubrico fore, nec aliud tunc præter arma ſupereſſe. Et eam ipſam ob cauſam, ubi nunc tractatus à Regina affectari ſenſerint, Polonos conſiliis ſuis maturandis, ac rebus diſponendis invigilaturos. His rationibus accedebat, quod Bregius Legatus Gallicus è Polonia nuntiaret, Polonis tractatus cordi non eſſe. Is quippe ut Polonos ad hoſce compelleret, jactaverat: Suecos compoſitis in Germania rebus quieſcere non poſſe, ac paratiſſimis copiis nunc potius in ipſos uſuros, quam ut poſt decennium multis impenſis iterum easdem conſcribant. Ipſos vero in eo nunc eſſe ſtatu ut non ſolum absque Rege cum Suecis tranſigere, ſed & novam regiminis formam conficere queant. Cui à Polonis reſponſum: Suecos id facere poſſe, ſi datam fidem non ſacramento, ſed occaſione & commodo metiri velint. Reipublicæ quoque nunc omnia eſſe licita, ſed non omnia expedire. Et quia Rex jam deſignatus ſit, nullam amplius ſuper pace negotiationem inſtitui poſſe, niſi illo coronato, & junctim cum eodem. Unde & Reginæ placuit, non niſi laxis verborum formulis ſuper deſiderio tractatuum pacis teſtari.

Ragozius commendari ſe Polonis petit. 6. Sept.

§. 235. Cæterum miſſus in Sueciam à Ragozio Stephanus Dalmadius à Regina petebat, operam ſibi accommodaret, ut ipſe aut filius Regno Poloniæ, potiatur. Ea occaſione conſultatum, quemnam Regno Poloniæ potiri Sueciæ utiliſſimum foret? Ubi in eo facile conſenſum, quo quis prudentia ac opibus validior, eo Sueciæ periculoſiorem fore: debiliſſimum quemque ac ingenio minimum valentem eidem maxime idoneum. Unde neque Sueciæ neque Galliæ expedire, ut Auſtriacus quiſpiam Poloniæ ſceptro admoveatur. Ruſſum quoque ob potentiam Sueciæ prægravem. Ragozium ideo Sueciæ haut oprandum, quod per eum Tranſſylvania, Moldavia, & Walachia Poloniæ ſit acceſſura. Ac eundem in arma promtum ferri. E filiis Sigismundi Joannem Caſimirum militari ingenio nec animis degenerem, ac nonnulla formæ dignitate commendari. Carolum Ferdinandum nihil patrium habere, præter avaritiam. Igitur Reginæ placuit Ragozii commendatione ſuperſedere, quod poſt Auſtriacos & Czarem eſſet potentiſſimus; ac parum decorum videretur præteritis agnatis pro alieno laborare: & vix credebantur Poloni Sueciæ commendationis rationem habituri; quin ſi alias in Ragozium inclinarent, forte ob eandem ipſum repudiaturos. Ita Transſylvano à Regina reſponſum, ſe jam agnatos ſuos commendaſſe, ac ſuam interventionem ipſum Polonis magis ſuſpectum redditurum, velut ob ſecretas conventiones agnatis præferatur. Alias gratum ſibi fore ipſum Regno potiri, quo amico & commodo vicino uſura ſit. 1648.

Carolus Ferdinandus commendari ſe petit. Miſſio in Poloniam.

§. 236. Miſerat quoque Carolus Ferdinandus Sigiſmundum Tvvartorſkium ad petendam Reginæ commendationem. Cui reſponſum: Reginam ipſius cauſam per Laurentium Canterſteinium, quem in Poloniam mittere decreverit, acturam. Cæterumque fratrem Polonis commendare, quod pari fere utriusque factione nondum conſtaret, uter Regno eſſet potiturus. Ac ſtatim commendato Caſimiro non ſolum alterum graviter offendiſſet, ſed & inſuper habuiſſe viſa fuiſſet à Caſimiro titulum Regis Sueciæ uſurpatum. Ac ſi forte pro eo contendiſſet, à quo Poloni abhorrerent, in cauſa futura erat, ut uterque Regno excideret. Et alias parum Sueciæ intereſſe videbatur, uter Poloniæ ſceptro potiretur, pari utriusque in hanc affectu, & uti Caſimirus quidem aliquid bellici vigoris præ ſe ferebat; ita Carolus Ferdinandus aſſutia conſiliorum potior habebatur. Nihilominus Canterſteinio peculiares literæ tradebantur, quarum unis Caſimirus commendabatur, velut ætatis prærogativa valens, alteris Carolus Ferdinandus velut ætatem virtutibus penſans; ſed ut alterutras non prius exhiberet, quam conſtet, in quem ſe Polonorum ſuffragia vertant. Etſi credebatur, Polonos ideo præcipue Caſimirum Regem cupere, ut in ipſo haberent Regem umbratilem; pro quo & Galli peculiariter nitebantur. Dabantur quoque literæ ſuper dolore teſtantes ad Reginam viduam, & Carolum Ferdinandum: non ad Caſimirum, quod is titulum Sueciæ invaſiſſet. Literis ad Senatum & Ordines Poloniæ Regina primo de dolore ob amiſſum Uladislaum teſtabatur. Et quanquam nolit conſiliis & rebus illorum immiſceri, quod ſperet nil actum iri, quod non ſit ex uſu ipſorum patriæ, reique Chriſtianæ ac vicinorum: cum tamen utriusque Regni interſit, quo animo affectusque ſit novus Rex, par viſum fuiſſe monere, ut in eodem eligendo ad eum potiſſimum reſpiciatur, qui pacta induciarum firmiter ſervet, quæ ab hiſce aliena emendet, & quæ firmam plerumque amicitiam impediant amoliatur. Quo caſu ſe inter primos illorum amicos fore. Idem utriusque Regni ſalutem flagitare diuturno bellorum æſtu non parum afflicti & attriti, quæ reſtitui ac ſervari niſi moderatis & pacificis conſiliis non poſſit. Subnectebatur junctа Caſimiri & Caroli Ferdinandi commendatio. In eandem ſententiam Canterſteinius Varſoviæ, cui primo loco è Legatis extraneis Senatus dabatur, verba fecit: id cumprimis monens, ut ab Ordinibus Poloniæ illa removeantur, & prohibeantur, quæ pacem inter utrumque Regnum impedire queant. Iſta oratio ſimul cum Reginæ literis Polonis quam gratiſſima fuit; quippe qui crediderant,

1648. iſtum venire ad res repetendas ob damna, quæ ipſi contra inducias leges haut modica Suecis dederant, aut ut plane inducias ruptas declararet. Probabant etiam, quod Regina agnatos junctim commendaſſet, ut libertas ſuffragiorum ſuorum in integro maneret. Idem quoque juſſus eſt explorare, num hac lege pacem cupiant, ut Sigiſmundi filii titulo Sueciæ, Reſpublica prætenſioni Livoniæ renuntiaret. Nam ſi ad has conditiones acceptandas proni non eſſent, fruſtra tractatus ſuſcipiebantur, nec ſpes ſupererat, citra arma Sueciam pace potiri poſſe, ſi hac rerum facie Poloni iſtas leges adſpernarentur. Tum apud unum & alterum oſtenderet, Reginam non parum offenſam, quod Caſimirus ita intempeſtive titulum Regis Sueciæ invaſerit; id quod ab amicitiæ legibus magnopere abhorreat. Polonis tamen hiſce conditionibus pacem parum cordi eſſe, ex reſponſo ipſorum ſatis frigido adparebat; quo declarabant, ſe in gratiam Reginæ paratos eſſe Lubecam tractatibus inſtituendis acceptare, etſi Francofurtum ad Oderam maluiſſent. Circa tempus quid Mediatoribus placiturum ſit, expectaturos. Si Angliæ Rex Mediatoris munus obire nequeat, vicem ejus Venetos ſubituros. 1648.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

1. *Cæſarei permutationem ratificationum urgent.* 2. *Sueci dubitant.* 3. *Ordines inſtant.* 4. *Ad Cæſarem ſcribitur ſuper arctiore exequendi modo. Sueci nondum adquieſcunt.* 5. *Ordines permutationem acriter urgent, exceptis quorum circa executionem pacis intererat.* 6. *Suecorum peculiaria.* 7. *Ordines iis reſpondent, & permutationi inſiſtunt:* 8. *Ut & Cæſarei. Servientus & Haſſi conſentiunt. Eo acrius Suecі urgentur.* 9. *Hi ſententiam mutant:* 10. *Et in commutationem certa lege conſentiunt.* 11. *Ratihabitionum commutatio peragitur.* 12. *Executio eorum, quæ Suecos ſpectant.* 13. *Executio circa Ordines alicubi haret; imprimis Auguſta,* 14. *Sulzbaci, & Ratiſpona.* 15. *Suecici milites incommodis hoſpitiis utuntur ob Gallos & alios. Turennius è Germania abit.* 16. *Ordines ſuper miſſione militum & redditione oppidorum Monaſterii agere volunt. Conſentit Servientus; Generaliſſimus eam rem ducibus vindicat.* 17. *Quo Ordines offenduntur. Mox iterum ſedantur. Ordines Generaliſſimo ſcribunt. Hic ſententiæ ſuæ inhæret.* 18. *Ordines ob defectum reſtitutionis miſſionem militum differre nolunt: ut & Cæſarei.* 19. *Suecі aliter ſentiunt.* 20. *Elector Palatinus pacem acceptat. Bavarus difficultatem movet.* 21. *Hanſeatici ſuper vectigalibus proteſtantur.* 22. *Cum Brandeburgico de cedendis æquivalentibus agitur.* 23. *Controverſia inter Adminiſtratorem, & urbem Magdeburgicam.* 24. *De Capitulatione Oſnabrugenſi.* 25. *Ordinum querela ſuper hoſpitiis. Difficultates circa expediendam ſatisfactionem militarem.* 26. *Ordines offenduntur.* 27. *Ordinum periculoſa conſilia.* 28. *Moguntini inſidioſa propoſitio. Ejuſdem confuſus agendi modus.* 29. *Bavari ad Ordines litera.* 30. *Generaliſſimus reductionem legionum decernit.* 31. *Rex Galliæ auxilium contra Turennium petit.* 32. *Complures Legati Monaſterio diſcedunt.* 33. *Reſtitutio Franckendalia haret.* 34. *Executio Auguſta fit, ut & Sulzbaci, & Ratiſpona.* 35. *Suecі pro executione contendunt. Galli eam parum curant.* 36. *Cæſarei ideo militis miſſionem differri nolunt. Ordines idem ſentiunt.* 37. *Suecі Evangelicis rem demonſtrant.* 38. *Deſignatio reſtituendorum Cæſareis exhibetur.* 39. *Cæſareorum & Catholicorum de hac ſententia, Ordines utriusque religionis ad præfectos Circulorum hac de re ſcribunt.* 40. *Ordines ſuper exauctoratione militum conſultant. Galli cum Ordinibus ſentiunt.* 41. *De reductione Suecicorum legionum diverſa Ordinum ſententia.* 42. *Satisfactio militaris haret. Suecі cautionem pro poſterioribus penſionibus petunt.* 43. *Difficultas de Franckendalia.* 44. *Ordinum ratificationes quædam exhibentur.* 45. *Deliberatio Ordinum ſuper adeundo conventu Noribergico.* 46. *Bavarus peculiarem guarantiam omittit.* 47. *Extractum protocolli pro Erfordia.* 48. *Irrita negotiatio circa vectigal Oldenburgicum.* 49. *Traditio præſulatus Halberſtadienſis differtur.* 50. *Brandeburgicus Mindæ jus proprii præſidii abnuit.* 51. *Weſtpha-*

Digitized by Google

51. *Weſtphalicus conventus paulatim diffluit.* 52. *Acta circa capitulationem Oſnabrugenſem.* 53. *Conventus Noribergæ inſtituitur. Generaliſſimus Moguntinum inviſit.* 54. *Idem de propoſitione Monaſterii facta ipſi exprobrat. Electoris declaratio.* 55. *Carolus Guſtavus exercitum propius contrahit.* 56. *Duces partium Noribergæ conveniunt.* 57. *Circa Deputatos Cæſareos difficultas.* 58. *Suecorum propoſitio, & Cæſareorum reſponſio.* 59. *Suecorum replica.* 60. *De hac replica judicium. Cæſarei ſcripto reſpondere nolunt.* 61. *Reſtitutio pauliſper ſeponitur. Suecі ſolutionem urgent.* 62. *Ordines per formam Collegii iterum conſultant. Ordines in ſolutionem pecuniæ conſentiunt.* 63. *Franckendaliæ reſtitutionem Galli & Elector Palatinus urgent.* 64. *Cæſarei temperamentum quærunt. Generaliſſimus id primo repudiat. Res ad Reginam refertur.* 65. *Ea de re cum Gallis conſultatio.* 66. *Ordines de temperamento proponunt. Generaliſſimus id abnuit.* 67. *Ordinum temperamentum circa Franckendaliam rejicitur. De hoc negotio omnium ſententia.* 68. *Cæſarei formulam conventionis adornant.* 69. *Ea diſcutitur.* 70. *De reſtitutione & capite Amneſtiæ & Gravaminum.* 71. *De ſolutione ſatisfactionis militaris. De Franckendaliæ evacuatione.* 72. *Bavarici promptos ſe paci exequendæ teſtantur. Ab illis Suecorum poſtulata.* 73. *Colonienſis Legati poſtulata. Iis reſpondetur.* 74. *Galliæ Rex copias ſibi concedi poſtulat.* 75. *Exautoratio militum tarde procedit. Tandem ejus initium ſit.* 76. *Capitulatio Oſnabrugenſis Noribergam pertrahitur.* 77. *Tractatus Noribergæ tarde procedit. De reſtitutione ex lege Amneſtiæ & Gravaminum.* 78. *De pecunia militari.* 79. *Volmari adventus negotio moræ nonnihil injicit.* 80. *Præliminaris evacuatio proponitur. A Suecis probatur. Ab Ordinibus acceptatur.* 81. *Subſcriptio Receſſus differtur ob cauſam Palatinam.* 82. *Galli renituntur.* 83. *Cæſarei ſubſcribere detrectant. Generaliſſimus acriter inſtat. Ordines ſubſcribunt.* 84. *Cæſar conventionem illam improbat. Suecі indignantur. Volmarus ideo exoſus eſt.* 85. *Diverſa judicia de hac tergiverſatione. Generaliſſimus eam urgere pergit.* 86. *Ejuſdem conſultatio. Ordines à Cæſare ſubſcriptionem obtinent.* 87. *Præliminaris evacuatio inſtituitur. Reliqua capita indeciſa manent.* 88. *Circa Franckendaliam temperamentum proponitur. Regina æquivalens ſuo nomine abnuit.* 89. *Palatinus Benfeldam petit.* 90. *Galli Hermanſteinum ſibi depoſcunt. De eo convenitur. Cæſarei eam conventionem probant.* 91. *Negotiatio cum Cæſareis ſuper exautoratione. Indigena miles in Sueciam reducitur. Legiones Germanicæ exautorantur. Miles ab ulteriore bello abhorret.* 92. *De temperamento circa Franckendaliam. Cæſarei Sequeſtro Hermanſteiniano reſiſtunt. De eo Cæſarei apud Suecos agunt; Ordines contra apud Cæſareos.* 93. *Cæſareorum ſuper reſtitutione inconſtantia.* 94. *Formula Conventionis principalis.* 95. *Super hanc inter Cæſareos & Suecicos negotiatio;* 96. *Et præcipue ſuper reſtitutione in provinciis Cæſareis.* 97. *Controverſia ſuper Egra oppido.* 98. *Cæſar ſequeſtrum Hermanſteinianum improbat.* 99. *Cæſar moræ cauſam Coronis impingit. Ei Carolus Guſtavus occurrit.* 100. *Ordinum ſententia ſuper reſtituendis.* 101. *Ejus defectus. Super quibus cum Evangelicis tranſigitur.* 102. *Catholici priori formulæ mordicus inhærent. Evangelici cum Suecis hac de re agunt.* 103. *Evangelici cum Catholicis fruſtra agunt.* 104. *Reliqua nondum expedita ſunt.* 105. *Conditio tractatuum Noribergenſium ſub finem anni.* 106. *Rerum Suecicarum conditio.* 107. *Caroli Guſtavi providentia. Is juſſu Reginæ nonnihil remittere conſtituit.* 108. *Cæſarei in Weſtphalia ſe movent. Miles indigena in Sueciam reducitur. Pedites Germanici ſeditionem movent.* 109. *Carolus Guſtavus Princeps hæreditarius Sueciæ declaratur. Ordines Sueciæ matrimonium Reginæ urgent.* 110. *De Carolo Guſtavo in ſucceſſorem deſignando in Senatu agitatur.* 111. *Senatus in contrarium rationes.* 112. *Illis Regina occurrit.* 113. *Reginæ ſuper matrimonio ſuo declaratio.* 114. *Num ea res Ordinibus communicanda?* 115. *Id negotium Ordinibus proponitur.* 116. *Conſultatio ſuper fœdere Gallico continuando.* 117. *Brandeburgici in Sueciam legatio.* 118. *Circa tractatus Polonicos acta.* 119. *Gedanenſes de inſidiis Hubaldi monentur.* 120. *Cum Angliæ Rege acta. Parlamentum Scotiæ ad Reginam ſcribit.* 121. *De fœdere Luſitanico.* 122. *Suſpiciones de fœdere inter Danum & Batavos inito.* 123. *Ruſſorum Legatio.*

Digitized by Google

1649. Cæsarei permutationem ratificationum urgent. 3. Jan.

PRincipio anni Monasterii super ratificationum hinc inde traditione satagebatur, quam Sueci hactenus differendam censuerant, ut hoc velut cuneo executionem conventorum extunderent. Ast Cæsarei magno studio ut ea fieret instabant: tempus dudum elapsum, ac Cæsarem, quæ ipsi incumberent, omnia præstitisse: si quæ restent, penes executores, aut alienarum rerum detentores culpam hærere. Festinatione Ordinum nimis angustum ratificationibus permutandis spatium positum, intra quod tanta negotiorum multitudo executioni dari nequeat, ut ut plerisque voluntas conventa explendi non desit. Nec minus istam post factam commutationem præstari posse. Sed nec Cæsari minus quam Suecis cordi esse, ut legibus pacis per omnia satisfiat.

Sueci dubitant.

§. 2. Sueci contra executionem conventorum prius fieri pertendebant; de qua & diserte Tabulis Pacis insertum erat, quam omitti aut differri non posse patebat, ni ipso in limine fundamenta pacis convellenda sint. Præsertim cum pateret, illis, queis ex capite Gravaminum & Amnestiæ aliquid restituere injunctum sit, conventis satisfacere haut in animo esse. Re tamen curatius expensa, censebant demum à se post incassum tentata omnia in permutationem consentiri posse, ubi peculiaria Reginæ commoda in tutum subducta fuerint; ea tamen lege, ut neque ad restitutionem oppidorum, nec militis exautorationem descendere tenerentur, quoad restitutio ex lege Amnestiæ & Gravaminum præstita, & Regibus æque ac Ordinibus juxta decreta pacis plene satisfactum foret. Et sane Suecis caute procedendum erat, quod metus esset ne, si citra exceptionem ratificatio traderetur, Cæsarei post ac Catholici ægre ad explendas pacis leges compelli possent. Et monebat Suecos Venetus Secretarius Generinus, ut circumspecte agerent. Contarenum quippe pronuntiasse, ni nupera æstate valida auxilia è Suecia adpulissent, & pars Pragæ amissa, Bavarusque tam acriter castigatus fuisset, Cæsareos ad conclusionem pacis descensuros non fuisse. Et quæ tunc velut coacti fecissent, facile retractaturos, si occasio detur. Cæterum insuper habita horum tergiversatione, pari ut hactenus circumspectione ac constantia executioni conventorum incumberent, pacique colophonem imponerent. Sed & Regina, ac Carolus Gustavus Palatinus monebant, commutationem ratificationum ne præcipitarent, sed ut conventa prius implerentur, urgerent. Unde Suecicis Legatis necessum videbatur, legibus pacis prius satisfieri, aut idonee caveri, illas, utique præstitum iri, antequam ratificatio traderetur.

Ordines instant.

§. 3. Enimvero Ordines Cæsareis adstipulantes, ac inprimis Evangelici contendebant, ratificationes velut fundamentum pacis ante omnia invicem tradendas. Si quis postea eidem se opponat, velut turbatorem quietis publicæ junctis viribus in Ordinem redigendum. Facta commutatione Turennium è Germania excessurum, Hassos exautorandos: ita Suecis laxiora hospitia, Ordinibus plus facultatis fore primæ pensioni expediendæ. Simul, quia Cæsarei pactum adjectum abnuebant, scriptam cautionem offerebant à Moguntino Directorio conceptam. Quam tamen Sueci æque ac Evangelici Ordines improbabant, quippe per quam res magis in ambiguo ponebatur.

§. 4. Inter hæc cum Cæsarei jactarent; Cæsarem, si imploretur, autoritate sua negotio ingens momentum additurum, Ordinibus placuit, arctiorem exequendi modum concipere, eumque Cæsari commendare, facta etiam diserta Augustæ mentione, cujus Catholicus Magistratus executioni obluctari nondum desinebat: Continebatur isto libello, ut circa executionem legibus pacis ac Cæsareo edicto plane staretur, Cæsarque denuo Præfectis Circulorum injungeret ut restituendos in ademta bona ac jura reponerent sumtibus restituentium; quibus & nudum factum possessionis respiciendum foret, ni Tabulis Pacis aliter dispositum sit. Tum ut circa Amnestiam omnia in statum, qui ante hos motus fuerat, reponerentur, reservatis juribus tam restituentis, quam restituendi; circa Gravamina observaretur annus vicesimus quartus, ni peculiare quid dispositum sit, nulla habita ratione prætensionum, aut exceptionum restituentis, adversus refractarios statim velut reos violatæ pacis procederetur; adversus quos vicina præsidia, ipsiusve, restituendi copiæ, aut status Circuli miles adhiberetur sumtibus renitentium; qui & damnum sua pervicacia datum sarcire tenentur; ac si restituentes mediati aut privati sint, in eos statim velut fractæ pacis reos animadvertendum: si ex Ordinum numero iidem sint, eorum ditioni manus injiciendas, quoad damnum repararint, ac veniam à Cæsare obtinuerint. Si super facto possessionis dubii quid incidat, de plano citra omnes probandi ambages procedendum. Denique Cæsar non solum Præfectos Circulorum, sed & præsidiorum duces hortaretur, ad militare auxilium qua opus sit præstandum. Porro ne executiones eousque differri viderentur, quoad à Cæsare responsum adferretur, præfecti Circulorum denuo per literas monebantur, ut vi Cæsarei Edicti executionem juxta leges pacis maturarent, insuper habitis, si quæ forte opponerentur, adhibitis quoque Pace ac Edicto Cæsareo designatis cogendis mediis, ac proscriptionis commination intentata. Ad Suevici Circuli Principes de Augustana exsecutione peculiariter mentio addebatur. Superioris Circuli Rhenani Præses rogabatur apud Lotharingum instare, ut is Saræpontano ex legibus Pacis debitam restitutionem absque mora repræsentaret. Hisce in literis Ordines tantum fiduciæ reposuerant, ut ne responsum quidem Cæsaris expectandum sibi ducerent. Eoque per Deputatos apud Suecos instabant, ut commutatio susciperetur, quod certo sibi polliceantur, allatis suis ad Cæsarem literis, ex amussim legibus pacis satisfactum iri; ac restituentes, qui hactenus in mora fuerint, ideo tergiversatos, quod ratificationibus nondum commutatis de pace haut satis certi foret illis traditis moram non facturos, aut vi compellendos. Sueci ut istæ literæ ad Cæsarem mitterentur non abs re judicabant; eas tamen solas haut sufficere tollendis impedimentis, quæ ratificationum permutationi hactenus obstiterant, nec per easdem illis omnibus satis caveri, quorum intererat pacem impleri. Id quod & Serviento videbatur. Unde utrique Ordinibus ex compacto responderunt: commutationi sese paratos, modo super plena pacis executione cautum, & circa reliqua sibi satisfactum sit. Quod si quædam in fraudem communis causæ agitari senserint, se consilia capturos, obtinendo quem sibi proposuerint scopo idonea.

1649. Ad Cæsarem scribitur, super actione exequendi modo.

11. Jan.

Sueci non dum acquiescunt.

13. Jan.

§. 5. Nec eo segnius tamen Ordines super ra- Ordines tifi-

1649. commutationem acriter urgent.

tificationibus commutandis instabant, in quam rem plerique tanto studio ferebantur, ut restitutionem ex Amnestiæ & Gravaminibus aliquatenus neglecturi viderentur, modo militem amoliri possent. Ast illi quorum intererat restitutionem fieri, etsi nec ipsi commutationem ratificationum differendam censerent, qua facta miles mox dimittendus sit, amovendo intolerabili hospitiorum oneri; addebant tamen, solidiorem cautionem super restitutione ex capite Amnestiæ & Gravaminum dispiciendam: nec consultum videri ipsam executionem solis literis ad Cæsarem dandis superstruere. Si enim nunc impune sit iis, qui paci se opponant, inque ejus autores convitiis, ac minis sæviant, ac ad exequendam pacem destinatis Commissariis debita auxilia denegent præsentibus, & tot oppida præsidio obtinentibus; quid spei superesse iisdem Germania digressis? Unde æquum judicabant, Succos scriptam cautionem à Cæsareis, & Ordinibus exigere, inversum executionis Ordinem futuræ restitutioni fraudi non fore; simul ubi præsidia fuerint deducenda, operam dandam, ut executio reipsa præstita sit.

Exceptis, quorum circa executionem pacis intererat. 15. Jan.

Succorum peculiaria obstacula.

§. 6. Succos præter istam restitutionem alia quoque movebant, quo minus in commutationem consentirent. Nam & aberant Ordinum ratificationes, eorum præsertim, qui arma gesserant, quas simul permutari par erat. Decrat quoque capitulatio super præsidiatu & urbe Osnabrugensi, cessio Brandeburgici de Pomerania, attestata pro Erfordia & Minda; ac inprimis plena certitudo super exsolvenda prima pensione satisfactionis militaris, ac conventio de exautoratione militis, ac præsidiorum deductione. Quæ ab ipsis negligi non poterant, si vel maxime illi, quorum circa restitutionem intererat, jure suo decedere voluissent. Hæc obstacula antequam removeantur, in commutationem se consentire non posse; iisdem sublatis nullam plane penes se moram fore. Simul innuebant, sibi in animo esse Osnabrugam reverti tractatibus suis destinatam, successumque ibi rerum expectare.

Ordines iis respondent.

§. 7. Ast Ordines uti summopere reditum Osnabrugam dissuadebant; ita postulato suo de ratificatione permutanda dimoveri non poterant. Refractariis coërcendis super strictiore exequendi modo se convenisse, cui ratificationum hinc inde traditio præcipuum pondus additura sit, quippe à qua communis evictio initium capiat, postquam, si quis restitutioni repugnet, ab omnibus in ordinem cogi possit, adhibito etiam bellantium partium milite. Cauturos se quoque, haut necessum fore Succis ullum militem dimittere, aut oppido quodam decedere, ni singulis Ordinibus lætis ex legibus pacis satisfactum sit. A Cæsare quoque obtenturos, ne ob Bohemiæ, Silesiæ, & Moraviæ loca molestia ipsis moveatur. Adesse Ordinum ratificationes; Osnabrugensem capitulationem jam concinnari; cessionem Pomeraniæ à Brandeburgico abnui non posse. Erfordiæ & Mindæ sub §. *Nulli autem Civitati* sat prospici: pecuniam primæ pensionis in promtu esse: expectari quoque ab Ordinibus, qui super assignationibus cum ipsis transigant. Cum igitur Ordines promissa explere parati sint, ac milites sua præmia indubitato maneant, sibi autem metuatur, ne longior ratificationum detentio novis motibus ansam præbeat, ac patriam suam ex ipso pacis portu in fluctus iterum propellat; spem sibi esse à Succis aliquando ista se solicitudine liberandos, ac permutata ratificatione plenam pacis fiduciam faciendam. Et in hoc omnes Ordines nullo sacrorum discrimine consentiebant. Hisce addebant Superiorum Circulorum Ordines infinitas querimonias; sibi bello quam maxime exhaustis hospitia militaria quam gravissime incumbere, non à Succis solum, sed & à Gallis, queis sævius, quam ipsa satisfactione affligantur, cujus præstandæ media sibi magis indies decedere. Utriusque Saxoniæ Ordines jactabant; pecuniam sibi in promtu, nec circa restitutionem apud se quidquam difficultatis, nec eo minus belli oneribus urgeri. Universi clamabant; spem fuisse diuturni belli malis tandem aliquando eluctandi, ac dulcedine pacis exhaustarum miseriarum memoriam oblivione sepeliendi: nunc miseras fortunarum reliquias immolandas, ac periculum insuper esse, ne ratificationum longiore detentione tot labores sumtusque frustra pereant, patria novis turbis involuta; quæ tamen istarum commutatione anteverti queant. Equidem haut se inficias ire, Succos ad eam nondum teneri, si verbis pacti presse inhærere velint; ac se præcipitata conclusione magnæ parti præsentium incommodorum causam dedisse. Nec tamen perspicere, quam ob rationem, aut quo instinctu, cum Succorum & omnium quorum interest securitati satis prospici queat, ipsi per hos velut data opera extremis malis implicandi sint.

1649.

Ut & Cæsarei.

§. 8. Succinebant his Cæsarei, quorum interventionem apud Succos Ordines petierant. Cæsarem ipsum nolle diutius in suspenso hærere, cum ipse conventa expleverit, ac duo menses dudum sint elapsi, nec diutius intra solum Circulum Austriacum, & Provincias hæreditarias copias suas alere, ac sub pacis vocabulo istas plane pessundare posse. Simul joco Succis gratias agebant, quod detenta ratificatione Ordinibus ansam dedissent arctius se cum Cæsare jungendi, ac veteribus dissidiis positis fidam amicitiam firmius instaurandi. Servientus hactenus Succis concors non minus atque hi ratificationes tradere abnuerat. Sed nunc turbis in Gallia cum Parlamento Parisiano glisscentibus, mutata sententia pacem Germanicam permutatis ratificationibus quamprimum stabiliri cupiebat, quo Rex cura belli Germanici solutus omnes vires ad restinguendum domesticum incendium adhibere posset. Unde quæ permutationi hactenus obstiterant, amoliri, aut saltem elevare apud Succos studebat, velut quæ tanti non sint: & iniquis potius Ordinum postulatis concedendum, tum & super abolenda Ordinum declaratione silebat. Ac jam avocatus, aut propediem avocandus videbatur. Idem & Landgravia per suos non minore studio agebat, quæ cum militis exautorandi cupidam se ferret, querebatur huc se descendere non posse, nisi rebus suis commutata ratificatione cautum prius sit. Tanto acrius Ordines Legatos Succicos urgere, atrocibus minis haut obscure jactatis: se cum Cæsareis, Gallis, Hassisque ratificationes seorsim permutaturos; inde junctis cum Cæsare ac inter se consiliis omnia media tentaturos opprimendis Succis. Congestam pecuniam adhuc in manibus suis esse, quam huic ulli impendere possint. Ordines non amplius in exercitus potestate, sed hunc in illorum esse, legionibus tam late sparsis; nec difficile sibi fore in Succos Vesperas Siculas adornare.

Servientus & Hassi contendunt.

Eo acrius Sueci urgeant.

Ac acriter permutationem urgent.

§. 9. Legati Succici cum sic premerentur, in diversa trahebantur, cum inde Reginæ justa strin-

Sueci sententiam mutant.

1649. gerent, quæ niſi expletis conventis ratificationem tradere vetuerat; inde præſens rerum facies à mandatis diſcedere magnopere ſuaderet. Id ſane patebat, nec Cæſarem Bavarumque, & Colonienſem, nec Gallum & Landgraviam copias ſuas exautorare, aut abducere poſſe aut velle, niſi commutatione facta; unde Succicus miles hoſpitiis per ſeptem Circulos libere frui non poterat, queis Gallicus, Bavaricus, Lamboicus, Haſſicusque miles pariter incumbebat. Ac facile fieri poterat, ut ſi nulli horum Succos ultro admittere vellent, ad manus res deveniret, invidis, ac pacis otioribus in ſinu gaviſuris. Tum dejerabant Cæſarei ac Bavarici, ſuos exercitus diutius in propriis ditionibus ſuſtentari non poſſe, ſed neceſſitatem ſibi fore illos in ſeptem Circulos deducendi: quorum Ordines jam tantum non deſperatione fatiſcebant, quod poſt pacem longe graviore onere, quam unquam antea premerentur, dum ſatisfactio militaris, ac hoſpitatio ſimul urgeat. Pontifex quoque & Hiſpanus ne pax ſuccederet, ſummopere nitebantur. Evangelici, quorum commoda præcipue in plena pacis executione vertebantur, acerrime commutationem expoſtulabant, Succis exprobrantes, haut eſſe, quare pro ipſis tam acriter contendant præſenti utique ſtatu adquieſcentibus, & quibus in poſterum cum Catholicis facile conventurum ſit. Ut ſatis adpareret, longiore mora Reginæ gratiam apud hos plane conſumendam. Alt Catholici, queis reſtitutio ex capite Amneſtiæ & Gravaminum incumbebat, iſta mora exoptata accidebat, qua color ſuæ tergiverſationi præbebatur, velut de pace nondum ſat certis. Quo & ipſo Auguſtanus Senatus pervicaciam ſuam excuſabat. Quia videbantur magno deſiderio expectare, ut bello inſtaurato Evangelici partis per pacem commodis iterum exuerentur. Cæſarei, quanquam idem fortaſſe cuperent, ſanctè tamen aſſeverabant, ſibi decretum pacis leges examuſſim implere; ut ſi bellum recrudeſceret, æquitatis gratiam in ſe traherent, invidia in Succos derivata. Et quia Gallia, cui præter bellum Hiſpanicum jam & inteſtinum imminebat, Germanico levari cupiebat, eoque in commutationem conſenſerat; cui & Landgravia ſuffragabatur; haut conſultum videbatur, ut iſti ratificationes ſoli permutarent, Suecia in incerto hærente; præſertim cum cognitum eſſet, interea dum pax nutat, apud Polonos, & Brandeburgicum infeſta eidem conſilia agitata fuiſſe. Miles præterea pacis cupidus miſſionem & præmia longi laboris avide expectabat, quæ ſi diutius differrentur, metus erat, ne per alios iſtius animi turbarentur. Ac jam ver propinquabat, quo miles, qui ſub ſignis retinendus erat, commode in Sueciam vehi poterat. Denique nec ipſa Regina tam honeſtæ pacis adhuc ſecura erat, qua tam inſignes conditiones ſibi, atque Evangelicis ſtipulata fuerat; cujus ſubverſæ invidia in ipſam, miniſtrosque ejus redundatura erat. Igitur Legati judicabant, ratificationum traditionem reciprocam declinari diutius non poſſe, modo Cæſarei ac Ordines caveant, quæ nondum præſtita ſint, ſtatim poſt commutationem, antequam miles exautoretur, ac præſidia deducantur, certo explenda eſſe. Atque hanc ſuam mentem ipſi per Benedictum Oxenſtiernam Gabrielis F. Palatino, qui hactenus diverſa ſenſerat, exponunt, qui & expenſis ipſorum rationibus in eandem demum ſententiam deſcendebat, turbis præcipue Galliæ motus, quæ & ipſam Reginam haut mediocri ſolicitudine diſtrahebant. Interea placebat Inſtrumenta ratificationum inter ſe conferre. Ubi deprehenſum, plerisque Ordinibus ſuas adhuc deeſſe: ex iis, quæ allatæ erant, quasdam haut legitima forma conceptas. E civitatum Collegio præter Francofurtanam & Argentoratenſem nullam adhuc adpuliſſe. Bavaricam chartæ inſcriptam unico folio, formaque minuta. Unde cum Oxenſtierna moneret; decorum fuiſſe iſtam pergamenæ inſcribi, uti ab aliis Electoribus factum, Volmarus magno cum cæterorum irriſu cavillabatur; Pauperi Principi non eſſe, unde membranam emat. Nec eo minus Ordines juxta ac Cæſarei commutationem urgere. 14. Jan.

§. 10. Inde allato Caroli Guſtavi conſenſu Johannes Oxenſtierna, (nam Salvius ex morbo decumbebat) Cæſareos Legatos inviſens, queis & Ordinum Deputati aderant, oſtendebat; Succis haut quidquam in animo fuiſſe tempus extrahere, ſed ut publice conventa præſtarentur. Sed cum rationes à ſe allatæ parum apud plerosque valuerint, ſe Ordinum deſiderio circa ratificationum commutationem hac lege gratificaturum, ſi ſcripto caveant, omnia quæ ante commutationem præſtanda fuerant, nulla mora interpoſita deinceps præſtitum iri; nec Succos ad exautorandum militem ac præſidia deducenda ſtringendos, niſi executioni datis, quæ Tabulæ Pacis jubeant. Nimirum ut Ordines læſi ex capite Amneſtiæ & Gravaminum reſtituantur, captivi dimittantur, prima penſio ſatisfactionis militaris in promtu ſit, ſuper modo militem exautorandi, ac oppida evacuandi conveniatur; Ordinum ratificationes, Brandeburgica ceſſio Pomeraniæ, Oſnabrugica capitulatio, atteſtata pro Erfordia & Minda exhibeantur. Ad quæ ſtatim ab Ordinibus reſponſum; ſe nihil amplius invenire, ob quod commutatio differri debeat. Scriptam cautionem ſe repræſentare non poſſe. Si fide ſua verbis data Legatus adquieſcat, ſe concedere, ut illa protocollo inſeratur, cujus extractum à Moguntino exhibendum ſit. Ita Succis ſuper præſtatione conventorum ſatis cautum. In hoc cum Oxenſtierna conſentiret, diverſæ formulæ ejus quod protocollo erat inferendum, aptabantur. Ubi Succi quidem plenam executionem pacis, & ut ſuis militibus ſatisfieret, reſpiciebant, eoque diſerte ſtipulabantur, neque ſocios Reges, neque Landgraviam copias exautoraturos, aut præſidia deducturos, ni ſuper ſatisfactione militiæ, ac modo eandem dimittendi, & oppida reſtituendi conventum fuerit, ſimul illi Ordines, à quibus aliqua loca reddenda ſint, ſuas ratificationes exhibuerint; ac reſtitutio ex capite Amneſtiæ & Gravaminum rite peracta fuerit. Ordines contra, etſi quæ ante commutationem fieri debuerant, ſtatim poſt eandem bona fide, ac ſub pœna fractæ pacis publicæ exequenda declararent; potiſſimum tamen exautorationem militum, & reſtitutionem oppidorum ſpectabant, quo hoſpitationes, ac tributa amolirentur, unde ſibi reſervabant, ut de modo & ordine exautorationis, & reſtitutionis locorum Monaſterii altero poſt commutationem die tractatio ſuſciperetur, intra octiduum abſolvenda: ac tunc abſque mora utrinque miles dimitteretur, oppida præſidiis vacua redderentur. Succis tamen iſthoc tempus nimis anguſtum videbatur; nec ſe hanc tractationem ducibus bellicis, quibus eadem per Tabulas Pacis deferebatur, præripere poſſe. Unde tandem ab omnibus in hanc formulam conſenſum. „ *Cum nondum omnia executioni data ſint, quæ* Succi in commutationem certa lege conſentiunt. 30. Jan. 1. Feb.

1649. „vigore concluſa Pacis ante ratihabitionum commutatio-
„nem præſtanda fuerunt, ère tamen viſum ſit, ne dicta
„commutatio diutius differatur: Electorum, Princi-
„pum, & Imperii Statuum Legati per extraordinarios
„Deputatos, in præſentia Cæſarea Legationis, Fœderata-
„rum Coronarum Legatis ſtipulata manu nomine totius Im-
„perii promiſerunt, ea omnia, quæ ante commutationem
„in effectum deduci debuiſſent, ſtatim à facta commuta-
„tione, juxta tenorem literarum nomine Ordinum die
„10. 20. Januarii proxime elapſi ad Sacram Cæſaream
„Majeſtatem perſcriptarum, publicæque conventionis
„præſcriptum realiter & ſincere executioni & effectui
„mandatum iri. Quantum vero reſtitutionem locorum &
„exauctorationem militum attinet, cum in Inſtrumento
„Pacis cautum ſit, quod, antequam ad rem ipſam proce-
„datur, de modo & ordine, quo talis evacuatio & exau-
„toratio inſtituenda ſit, certa conventio per exercituum
„duces iniri debeat, pro majori hujus negotii promotione
„concipiatur Monaſterii ordo moduſque, quo hujuſmodi
„reſtitutio & exauctoratio quam commodiſſime & ſecuriſſi-
„me fieri poſſe videantur, atque ad dictos Partium duces
„per expreſſos curſores mittatur cum requiſitione, ut de
„mutua executione quamprimum conveniant. In quo-
„rum fidem majuſque robur declaratio præſens Cæſarea-
„rum, Regiorum & Statuum Imperii protocollis infer-
„ta eſt. Sequenti die Ordinum ratihabitiones, quotquot aderant, à Secretariis inter ſe collatæ; ac ut craſtino die commutatio fieret, omnia diſpoſita ſunt. Sed cum jam Ordinum Legati congregati eſſent, Servientus apud Cæſareos excuſabat, urgente valetudine venam ſibi ſecandam fuiſſe, rogans ut in craſtinum iſte actus differatur.

6. Febr.

7. Febr.

Ratihabitionum commutatio peragitur. 8. Febr.

§. 11. Quanquam autem ne poſtero quidem die Servientum valetudo permittebat domo exire, nihilominus commutationem peragi placebat, poſtquam prius à Lambergio quædam errata Cæſarei Inſtrumenti, per incuriam ſcribæ admiſſa, propria manu fuiſſent emendata; ſcripta cautione ab ipſo, & Cranio exhibita, eam correctionem inpoſterum iis quorum intereſt fraudi non fore. Ipſa porro commutatio hoc modo peracta eſt. Hora prima pomeridiana, uterque Legatus Succicus in Lambergii hoſpitium vehebantur; quos Ordines Imperii, antequam Servientum acceſſiſſent, ſequebantur in anteriore camera ſubſiſtentes, quoad in conclave, ubi Cæſarei cum Succis agebant, evocarentur. Inde Oxenſtierna ſermonem orſus memorabat; etſi cauſa ſibi non deſit ratificationem detinendi, quod quæ præcedere eam debebant, nondum præſtita ſint; ſtudium tamen Reginæ in pacem hoc quoque ſpecimine teſtari voluiſſe; nec dubitare Cæſareis pariter cordi eſſe legibus pacis firmiter ſtare, operamque dare, ut quæ reſtent, ab aliis plene præſtentur. Reginam, Regnumque Succiæ deinceps cum Cæſare ac Imperio fidam pacem ſancte colere conſtituiſſe. In cujus fidem nunc ratificationem exhibiturum, ea tamen lege, ſi ipſi nomine Cæſaris denuo promiſſuri ſint, omnia conventa ſervatum iri. Ad quæ cum Cæſarei adpoſite reſpondiſſent, Oxenſtierna ab Ordinibus quærebat; num declaratio & extractum Protocolli, de quo convenerat, præſto ſit? Quod ſtatim à Reigersbergio Moguntino exhibitum. Inde ab Cæſareis & Ordinibus ſimul ſciſcitabatur; quem ſenſum conventio de ordine & modo exautorationis & evacuationis habeat? cum ipſi negotium ducibus ſemel commiſſum ad ſe revocare, deque eo certi quid ſtatuere nequeant? Ad quod utrique declarabant: non aliud ſpectari, quam quod Conventus poſt traditas hinc inde ratihabitiones conſilio habito idonea media circumſpecturus ſit, queis exautoratio & reſtitutio tanto expeditius perficiatur, ac Imperio plena quies reſtituatur. Non tamen cupere Legatos Succicos aut duces iſti utique adſtringere, ſed duntaxat quid ſibi videatur communicaturum. Quæ cum Succis probarentur, Oxenſtierna Inſtrumentum Pacis libri forma in membrana deſcriptum, ac holoſerico involucro tectum, appenſo in capſula è ſolido auro ſigillo Cæſareis porrigebat. Inde datis dextris ſeſe mutuo Legati amplexati ſunt. Mox & Ordinum ratificationes Cæſareis exhibebantur, Reigersbergio nomine omnium Ordinum dextram porrigente. His peractis, ac facta mutua gratulatione, cum Succi domum regreſſi forent, Cæſarei mox una cum Ordinibus ad Oxenſtiernæ ædes acceſſere. Ubi Cæſarei quæ in rem facerent prætati addebant; à Cæſare ſe juſſos monere, ut quæ res è cimeliophylacio Pragenſi poſt ſubſcriptam pacem ablatæ ſint, reſtituantur. Inde Cæſarea ratificatio holoſerico rubro involuta appenſo ſigillo in capſula nigra lignea exhibebatur. Succi teſtabantur, Reginam jam inter Ordines Imperii receptam operam daturam, ut Cæſari ac Imperio quavis ratione amicitiam ſuam adprobet, & quacunque occaſione auxilio ipſos ſublevet. De rebus Praga amotis ſibi haut conſtare; unde ad id certi quid reſpondere non poſſe. Quo Cæſarei adquieſcebant, ac ſibi Cæſaris juſſu id monendum fuiſſe teſtabantur. Dextræ inde datæ, ac reperiti amplexus. Ordineſque utriſque gratulabantur, ac ad ſuas quoque ratificationes cum Succis commutandas paratos ſe oſtendebant. E quibus tamen Oxenſtierna prius quærebat; num ratificationes forma conventa conceptæ, & ſi quid deficiat illæ emendandæ, ac poſt correctæ juſto tempore exhibendæ ſint? Tum, an hoſce pro univerſis Ordinibus habeant, qui heic congregati adſtent? Quorum utrumque cum Reigersbergius affirmaſſet, ac data dextra promiſiſſet pacta pacis ſancte ſervatum iri, Ordinum ratificationes porrigebat, ſimul alterum regiæ ratificationis exemplum ex Oxenſtiernæ manu recipiebat. Sed de tertio ratificationis Regiæ exemplo, quod Saxoniæ Electori tradendum erat, inter Moguntinum, & Saxonicum diſceptatio oriebatur. Quorum ille ferebat; Inſtrumentum in Moguntina Cancellaria deponendum ad Ordines utriuſque Religionis ex æquo pertinere, eoque duplici Inſtrumento opus haut eſſe, nec id in Imperio uſu receptum, ac Directorio fraudi cedere. Saxonicus contra id haut inconveniens cenſebat in ejuſmodi tractatione, in qua Catholici unam, Evangelici alteram contrahentium partem conſtituerent; declarabat tamen, id Moguntino Directorio præjudicio haut fore. Unde conventum tandem, ut inſtrumentum illud Saxonico per Scribam poſt tranſmitteretur. Sed & nomine Civitatum Lubecenſis teſtabatur, ſe vectigal Oldenburgicum, & ut idem Inſtrumento Pacis inſereretur, nunquam probaſſe, ac diſſenſum ſuum quavis occaſione declaraſſe; de quo & hoc ſolenni actu proteſtentur, per traditam civitatum ratihabitionem à diſſenſu haut quidquam diſceſſum, multo minus ad evictionem ejuſdem Civitates teneri velle. Cui contradictioni Civitates inhærebant, etſi à Moguntino repoſitum fuiſſet, eam exceptionem non acceptari, cui & apud ſubſcriptionem contradictum ſit, & rem jam tranſactam eſſe. Commutationem Gallicæ ratihabitionis apud Naſſovium Comitem præſente Volmaro Grullardus

1649. Reſidens perâgebat, quod Servientus valetudine impediretur; quo & Ordinum Legati, qui adhuc apud Suecos erant, mox veniebant. Inde Naſſovius & Volmarus una cum Ordinibus ad Servientum accedebant, Cæſareamque & Ordinum ratificationem viciſſim tradebant. Ab Ordinibus addita eadem declaratio, quæ Suecis exhibita fuerat, una cum cautione ſuper Alſatia. Oſtendebat Gallus nonnihil offenſæ, ab Ordinibus Suecos ſibi hoc actu prælatos; ſed poſt allatas excuſationes placabatur. A Lubecenſi proteſtatio adverſus vectigal Oldenburgicum repetebatur. Obiſtam commutationem peractam nullum aliud lætitiæ ſignum publice oſtenſum, niſi quod ſub noctem machinæ circa vallum urbis ter diſplodebantur, quod Cæſarei excuſarent, ob Hiſpanos plura ſe lætitiæ ſigna expromere haut commode poſſe.

Formula Ratificationis ex conventione Partium talis erat: *Nos Chriſtina &c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, notum teſtatumque facimus. Poſtquam à multo jam tempore, primum inter Divum Parentem noſtrum, Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, Dominum Guſtavum Adolphum, &c. Pientiſſima ac Glorioſiſſima Recordationis, deinde etiam inter Nos, Regnumque Suecia ac Socios noſtros, ab una parte; & Sereniſſimum quondam ac Potentiſſimum Principem, Dominum Ferdinandum II. Romanorum Electum Imperatorem ſemper Auguſtum &c. ac poſt Ejus è vita diſceſſum, inter moderatum ejuſdem nominis Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, Dominum Ferdinandum III. itidem Romanorum Electum Imperatorem &c. Ejuſque Confœderatos & Adhærentes, ex altera parte, non ſine multa Chriſtiani ſanguinis profuſione, & multarum Germaniæ Provinciarum deſolatione, armis ſatis vehementer decertatum ſit: tandem inſtituto ea de re, juxta Conventionem Hamburgi, die decima quinta Decembris, Anno Domini Milleſimo, ſexcenteſimo quadrageſimo primo initam, Partium utrinque belligerantium Oſnabrugi Weſtphalorum Congreſſu, poſt longos & laborioſos Tractatus inter Nos Regnumque Noſtrum, tum præfatum Imperatorem, & Sacrum Romanum Imperium, Domumque Auſtriacam, per utrinque deſtinatos huic Congreſſui Legatos & Plenipotentiarios, divina favente Clementia, Pacem & Amicitiam concluſam, & ad Ratificationem noſtram perfectam eſſe, forma, modo ac tenore ſequenti:* (ſequitur totum Pacis Inſtrumentum.) *Cum igitur hæc omnia & ſingula per noſtros Legatos & Plenipotentiarios ſupra memoratos, noſtro præſcitu, juſſu ac Mandato, hunc ad modum, prout hic verbotenus inſerta & deſcripta leguntur, geſta, peracta & conventa ſint, Nos eadem omnia & ſingula, prahabita cum fidelibus Nobis ſincere dilectis, noſtris Regnique Noſtri Suecia Senatoribus matura & diligenti deliberatione, ex certa noſtra ſcientia approbamus, ratihabemus, & confirmamus, rataque & firma eſſe & fore, virtute præſentium declaramus, ſimulque verbo Regio promittimus ac ſpondemus pro Nobis noſtriſque ſucceſſoribus & haredibus, Regnoque Suecia, Nos omnes & ſingulos ſupra deſcriptos Articulos, & quicquid tota hac Pacis conventione continetur, ſtatuitur & diſponitur, firmiter, conſtanter ac inviolabiliter ſervaturos, atque Executioni mandaturos, nullaque ratione vel per Nos, vel per alios ullo unquam tempore contraventuros, aut, ut per alios contraveniatur, paſſuros, quomodocunque id fieri poſſit, omni dolo ac fraude excluſis. In horum omnium teſtimonium & fidem ſigillum noſtrum Regium Majus huic Diplomati, manu noſtra ſubſcripto, appendi juſſimus. Actum Stockholmiæ, die decima octava menſis Novembris Anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, quadrageſimo octavo.* 1648.

CHRISTINA.

ANDREAS GYLLENKLEW.

Ordinum Ratificationes hoc modo conceptæ erant: *Nos &c. &c. Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, conſtare volumus: Nos ab aliquot annis à Sereniſſimo & Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino Ferdinando III. &c. ab una, nec non Sereniſſima ac Potentiſſima Principe ac Domina, Domina Chriſtina &c. ab altera parte, benevole invitatos eſſe, ut ad inſtitutum ab iis Oſnabrugis & Monaſterii in Weſtphalia Tractatum Pacis Conſiliarios & Legatos noſtros mitteremus. Conſiderantes igitur rei tantæ neceſſitatem, miſimus eo &c. cum Mandato & poteſtate, ut nomine locoque noſtro Conventui intereſſent, omnes & ſingulas propoſitiones exciperent, cum cæteris Electoribus, Principibus & Statibus Imperii deſuper conſultarent, vota & ſuffragia ferrent, eaque omnia agerent, & ſtatuerent, quæ funeſto huic bello componendo, Pacique reducendæ ac ſtabilienda conducere poſſe viderentur. Tractatu itaque, per DEI gratiam, conſque perducto, ut ab omnium Partium reſpective Plenipotentiariis, Legatis & Deputatis conventum ſit in Articulos ſeptendecim, quorum primus incipit:* Sit Pax Chriſtiana, univerſalis, perpetua &c. *ultimus definit in verba:* Helvetii, Rhætique & Princeps Tranſylvaniæ &c. *publico comprehenſos Inſtrumento, quod à Cæſareis & Regiis Suecicis Legatis, nomine vero omnium Electorum, Principum & Statuum Imperii, ab ejuſdem ad hoc ſpecialiter Deputatis Plenipotentiariis ſub eorum committentium Rato, ſubſcriptum & ſubſignatum eſt, Monaſterii, die 14. 24. menſis Octobris, currentis Anni M DC XLIIX. Idcirco Nos, tam vi dictæ Deputationis ſpecialis, quam pro Jure Nobis una cum cæteris Imperii Statibus competente, dictum Inſtrumentum, eoque contentam Pacis Conventionem de verbo ad verbum accurate perlectam, diligenter examinatam, conſiderata & perpenſa, pro Nobis, Haredibus ac Succeſſoribus noſtris, totoque Imperio, vigore harum, in omnibus & ſingulis ſuis Articulis, Paragraphis, Punctis & Clauſulis, omni modo ita approbamus, ratihabemus & confirmamus, ac ſi de litera ad literam expreſſe hic inſerta eſſent. Verbo Principali ſpondentes ac promittentes, pro Nobis noſtriſque Haredibus ac Succeſſoribus totoque Imperio; Nos omnes & ſingulos ejus Articulos, & quicquid tota illa Pacis conventione continetur, firmiter, conſtanter, & inviolabiliter ſervaturos, atque executioni mandaturos, nullaque ratione vel per Nos, vel per alios ullo unquam tempore contraventuros, aut, ut per alios contraveniatur, paſſuros, quomodocunque id fieri poſſit. Omni dolo & fraude excluſis. In cujus rei teſtimonium majuſque robur præſentem Ratihabitionem, noſtra manu propria ſubſcriptam, ſigillo noſtro Principali muniri fecimus. Datum &c.*

§. 12. Inter Suecis præſtanda præcipuum erat ſatisfactio militum cui expediundæ omnes Ordines ſe promptos exhibebant, Trevirenſi excepto, qui aliquam ſummam pro lubitu deprompturum ſe oſten-

Executio eorum quæ Suecos ſpectant.

1649. ſe oſtendebat, ut tamen neque Inſtrumento Pacis, nec ab Ordinibus factæ repartitioni adſtringi vellet, ad pacta cum Gallia provocans. Quanquam autem Ordines à Palatino antea per literas petierant, ut pro prima penſione duodecies centenis uncialium millibus adquieſceret, circa reliqua moræ quid indulgeret: cum tamen Succos à conventis diſceſſuros vix crederent, duris quantumvis temporibus promiſſam ſummam in promtu fore eidem ſignificabant, quam tamen exſolvere haut decreverint, niſi poſtquam omnia ad exautorandum militem diſpoſita fuerint. Conventionem ſuper miſſione militum ac oppidorum reſtitutione Ordines Monaſterii adaptare cupiebant. Id quod Cæſarei æque ac Regii abnuebant, quod iſta ducibus exercituum reſervata eſſet. Ut tamen Ordines conſilia ſuper ea re conferrent, haut repugnabant. Circa Oſnabrugenſem capitulationem moram haut fore Ordines judicabant. Ac ſi Franciſcus Wilhelmus Epiſcopus tergiverſetur, Præſulatum tantiſper detinendum; quem & inopia ad æquas conditiones admittendas compulſura ſit. Super ceſſione Brandeburgica nonnulli cenſebant, Reginam ad reſtituenda Electori ſua oppida non teneri, niſi iſta exhibita. Quod tamen cæteris diſplicebat; ac pollicebantur Brandeburgici, ſe iſtam, ubi ſuper finibus transactum ſit, tradituros. Circa atteſtata denique pro Erfordia & Minda inter Salvium, & Reigersbergium liticulæ quid oriebatur, quod hic aſſereret, Salvium cum Inſtrumenta Pacis deponerentur, de iſtis remiſiſſe; id quod Salvius inficiabatur, ac ſecus ſe rem habere demonſtrabat. Qua ex re Moguntino tantopere bilis commota eſt, ut podagræ doloribus corriperetur.

2. Febr.

Executio circa Ordines alicubi hæret.

§. 13. Executio circa Ordines ex lege Amneſtiæ & Gravaminum, ubi Evangelicorum res potiores erant, ſic ſatis procedebat; uti Stutgardiæ & aliis Wurtenbergicæ locis, unde Jeſuitæ & Catholici ſacerdotes cum ornamentis ſacris comitante tubicine Dillingam deducti ſunt. Sed alibi executio fere hærebat. Quibuſdam videbatur refractarios hoſpitiis militaribus præ cæteris onerandos alii iſtos Regiorum opera in Ordinem redigendos, reparatione damni quod ex hac mora Imperio & Ordinibus proveniret, ab iſtis repetita. Ab aliis alia media proponebantur. Enimvero languebat heic Ordinum conſenſio quod Catholicis executionem pacis magis ſufflaminare, quam promovere cordi foret. Unde Evangelici animis minuebant; non omnia pace conventa ſtatim effectui dari poſſe, ſed quædam ad futura Comitia rejicienda. Inprimis autem omnes ad Commiſſionem à Cæſare Auguſtam deſtinatam reſpiciebant, ubi Catholici Evangelicorum commodis quantum poſſent recalcitrabant. Equidem Cæſar ad diverſas Senatus Catholici literas reſponderat: cum pace nupera omnes promiſcue exceptiones rejectæ ſint, nec ullis inhibitionibus, ac remediis, aut proceſſibus adverſus ejuſdem executionem locus relictus ſit, non poſſe à ſe peritos proceſſus ſuper illorum exceptionibus ac prætenſa nullitate decerni. Unde ut edicto ſuo ſine mora pareant, & quæ pacis legibus congrua ſint, exſequantur, jubebat. Idem Bavariæ Electori ſignificabatur, qui & monebatur, præfecto præſidii injungeret, ne executionem paci conformem impediat. Sed quia Cæſaris literæ paulo languidiores adparebant nulla in refractarios dictata pœna, Catholici tergiverſari non deſinebant. Cum Commiſſarii poſt allatas Cæſaris literas denuo in

11. Jan.

Curia ſuper negotio ſibi mandato exponere vellent; reſpondebatur, cum Advocatis urbis ſuper tanti momenti re conſultandum. Inde ſextus abhinc dies ſcripto ipſis à Senatu, ac certa hora conſtituitur; cum par fuiſſet Senatui à Commiſſariis tempus condici. Sed & decretum Senatus per apparitorem ad ipſos tranſmiſſum. Cum iſti curiam ingrederentur, non uti moris in porta, ſed ad caput ſcalarum excepti ſunt. His & alia contemtus ſigna cumulabantur. Cæterum Commiſſariorum propoſitionem Senatus per ambages eludere, & pacem Oſnabrugenſem acceptare non niſi ſalvis quibuſcunque juribus; tum varias dilationes aucupari, ac nodum in ſcirpo quærere, ſine dubio ut Evangelicos cives ſumtibus, Commiſſarios tædio protelaret. Quo fine & ſcriptis rem cum Commiſſariis diſceptare cupiebat: qui tamen non inquirendi, aut cognoſcendi, ſed exequendi duntaxat cauſa adeſſe ſe oſtendebant. Nec minus per literas Aulam Cæſaream ſolicitare, num pronius ſibi reſponſum extundere poſſent. Interim & clam Evangelici tentabantur, num deſertis pace conventis novos cum Senatu tractatus ingredi vellent, per quos parta Evangelicis commoda labefacturos ſe ſperabant. Quin proceres æque ac vulgus Catholicorum cavillari; ad Calendas Græcas Evangelicos ſua templa recuperaturos. Nec dubitabant Senatus juxta ac Sacerdotes ſcriptis in Aulam Cæſaream miſſis pacem Weſtphalicam infamem, ac deteſtandam vocare. Ac ſatis patebat ferociam iſtis additam, quod Cæſar id tantum juſſiſſet, ne Bavaricus præfectus executionem impediret, non autem ut illam promoveret. Id quod & repetitis literis Bavarus vetuerat, ſat rationum ſibi eſſe ferens, quare ſe ſuoſque ei negotio miſceri nolit. Ita Commiſſarii manu militari deſtituti fruſtra ſatagebant, multum indignante Oxenſtierna; iſto exemplo aliis pervicaciam ac ſua in iſtos homines exempla reponenda, qui antea cum Evangelicorum ſacra eliminarent, patibulum medio foro excitarant, quo contumaces ſuſpenderentur.

16. Jan. 1649.

Sulzbaci & Ratiſponæ.

§. 14. Nec minus difficulter procedebat Sultzbacenſis Palatini reſtitutio, quam cum facere Bavarici Circuli Director abnueret, Præfecti Franconici Circuli Bambergenſis Præſul & Culmbacenſis Marchio ad eas vices ſupplendas adhibendi erant. Illis acriter obnitebatur Neoburgicus, ſuperioritatem territorialem ſibi reſervatam jactans, cui jus ſacrorum ex uſu Germaniæ ſit conjunctum; & quod de Sulzbacenſi in Tabulis Pacis fuerit omiſſum; cum tamen in ejus & ſimilium favorem exordio articuli quarti peculiaris clauſula inſerta eſſet. Tum ut rem extraheret, ad peculiarem Cæſaream Commiſſionem provocaverat. Sed cum ordinariæ executioni Sulzbacenſis inhærere mallet, à Succicis Legatis petebat, ut ſuam reſtitutionem Franconici Circuli præfectis commendarent. Qui & magna diligentia pro iſto nitebantur, jubente id quoque Regina; quæ & Carolo Guſtavo injunxerat, ut Sulzbacenſi re ipſa adſiſteret, ac Neoburgicorum conatus averteret; quod Sulzbacenſi in poſſeſſionem reſtituto coram Commiſſariis experiri Neoburgico integrum ſit, ſi quid juris ſibi competere judicet. Eadem & cauſa Ratiſponenſes ſubigebat, ut Franconici Circuli Præfectos ſibi executores depoſcerent, quod Bavariæ Elector jura ipſis tempore belli erepta ultro reſtituere abnueret.

Succici mi-

§. 15. Interim quæ per ſeptem Circulos diſtributæ fuerant Succorum legiones, in Germania

lites

cum

1649. cumprimis ſuperiore, maximis cum incommodis conflictabantur, Gallis cedere, aut in eadem ſecum loca ipſos admittere abnuentibus. Et quanquam ea de re cum Turennio diligenter ageret Duglaſſius, cui iſtius oræ cura commiſſa erat; nil tamen amplius ab iſto obtinere poterat, quam ut in pagorum, ac oppidulorum partem ipſum admitteret, clauſis oppidis ſibi ſoli ſervatis. Illis porro queis ad Rhenum tractus obvenerant, non Galli ſolum, ſed & Bavarici Heidelbergæ, & Hiſpani Franckendaliæ obſiſtebant. Unde urgente inopia parum à ſeditione aberant legiones, ac in ſummo periculo verſabantur ductores; ſic ut iſtæ inde revocandæ, ac per Saxoniam diſpertiendæ eſſent. Ea de re cum monitu Generaliſſimi Legati Succici cum Serviento agerent, ut ne ſub finem belli quid adverſum amicitiæ admitteretur: ille ferocius reſpondere, ac culpam in Erskeinum rejicere, quin in nervum rem erupturam ominari. Poſt tamen mollius loqui, ac ad Turennium ſe ſcripturum polliceri, miratus ea de re inter duces haut rite conventum, nec à Turennio quid ſibi communicatum. Ad ipſum quoque Turennium Carolus Guſtavus ſcribebat, ut ſuos hoſpitiis per Ordines aſſignatis frui patiatur, quæ haut eo minus Gallicum militem capiant, ſi circa exactiones moderatio adhibeatur. Aſt Turennius iſta adſpernatus querimonias potius ciere; nulla ſignificatione prius facta, aut antegreſſa conventione Succicas legiones ſuis hoſpitiis immiſſas. Cui vicißim oſtenſum, Suecis longe maximam querendi cauſam eſſe, ac mature ſatis à Wrangelio id denuntiatum, eamque legionum diſtributionem Monaſterii Serviento conſcio factam. Unde tandem Avaugurius pollicebatur; in Aula Gallica ſe curaturum, ut his incommodis remedium afferatur. Interim male habitæ Suecorum legiones, vagæque animis ægreſcebant, ut metus eſſet, ne ingens in malum ea res erumperet; præſertim cum nondum ſuper pace ſecutura ſat cautum foret. Nec minus anguſtæ Suecis res per Weſtphaliam, cujus partem Lamboius nuper populatus erat. Et Landgravia non ſolum utramque Haſſiam, Waldeccam, Wetteraviam, Sylvam Occidentalem, Fuldenſemque agrum, ſed & præcipuas Weſtphaliæ partes ſuis copiis vindicabat, Paderbornam, Corveiam, Monaſterienſem & Colonienſem Prælulatum, Ducatum Montium, Juliacum, Eifaliam, Friſiam. Quin & Co-

20. Jan. lonienſis Elector literis ad Carolum Guſtavum datis Weſtphaliam, & præcipue Præſulatus ſibi ſubjectos Succicis hoſpitiis eximere conabatur, velut antea ſat oneratos, & qui jam ratam partem ſatisfactionis militaris contulerint. Nec Superior Saxonia iſta hoſpitia deprecabatur, velut à te omnibus executioni datis, quæ leges pacis jubeant, ac parata militari pecunia; nec reliquorum moram ſibi fraudi eſſe debere; eoque poſtulabant, ut ei Circulo aſſignatæ copiæ exautorentur. Inprimis autem Saxo, & Brandeburgicus Electores ſuas ditiones hoſpitiis eximi, onuſque illud in reliquos ejus Circuli Ordines devolvi cupiebant. Quibus à Generaliſſimo reſponſum, à diſpoſitione per ipſos Ordines facta ſibi diſcedere integrum

6. Jan. non eſſe. Ad exautorandum militem, & reſtituenda oppida ſe haut teneri, niſi conventis antea impletis. Nec conſultum videri partem copiarum dimittere, niſi & à cæteris debita ſint præſtita. Turennius è Germania abit. Paulo poſt tamen laxioribus in Superiore Germania hoſpitiis frui incipiebant Sueci, poſtquam Turennius cum ſubjectis legionibus Wurtenbergica

incommodis hoſpitiis utuntur, ob Gallos alioſque.

deſerta apud Philipsburgum Rhenum tranſire inſtituerat; cui conſilium erat, eas legiones in auxilium Parlamento Pariſienſi adducere, quod Regi tunc cornua obvertebat. Verum eaſdem Regis juſſu Erlachius Turennio abſtrahebat, ut hic vix cum trecentis equitibus evaderet; quibuſcum is ſuperato Aſchaffenburgi Mœno ſecundum Rhenum Reciam, inde in Hollandiam deſcendit. Iſtæ autem legiones, cum juſſu Erlachii vetera hoſpitia repetitum irent, illa jam à Suecis infeſta inveniebant. 1649.

§. 16. Inter hæc Generaliſſimus Mindam pervenerat, quo & Legati Suecici acceſſerant, ſuper tractatu conſultaturi, qui de exautorando milite, & evacuandis præſidio oppidis juxta conventa pacis inter duces inſtituendus erat. Super quo negotio Legati Ordinum ſententiam ſuam Monaſterii ſcripto deſignaverant, magnopere contendentes, ut illud ibidem abſolveretur. Equidem ad duces id certo modo remiſſum; non tamen eo animo, ut alterutra pars rem pro lubitu, ac ultra tempus ratificationibus commutatis deſtinatum extrahere poſſit, milite interim Ordinibus incumbente. Per decreta quippe pacis intra traditas hinc inde ratificationes eam conventionem fuiſſe abſolvendam, quo ſtatim ab iſta traditione ad exautorationem militis, & deductionem præſidiorum procedi potuiſſet. Ne tamen duces plane ab hoc negotio excludere velle viderentur, à Carolo Guſtavo petunt, ut locis vicinis ſubſiſtat, & Oxenſtiernam ea ſuper re idoneis mandatis inſtruat, quo de ipſius ſententia negotio finis imponi queat; nec neceſſe ſit novis moris anſam dare conventu hoc in alium locum translato, aut novo tractatu in Superiore Germania ſuſcepto. Ei negotio urgendo Witgenſteinius Comes, tum Lubecenſis, Noribergicus, & Lindavienſis Mindam & Palatinum Monaſterio miſſi ſunt. Conſpirabant Ordinibus Cæſarei, qui & idonea ſe in eam rem mandata à Cæſare nuper accepiſſe ferebant, ut citra ulteriorem relationem ſuper eadem cum Legatis Succicis, aut Caroli Guſtavi Deputatis tranſigerent. Servientus qui hactenus eam rem ad duces remittendam cenſuerat, jam mutata ſententia Ordinibus declarabat, commode eandem Monaſterii abſolvi poſſe, ſe præſente, aut Grullardo, qui ſe digreſſo, heic manſurus ſit. Eſſe ſibi in eam rem mandata; accupere, ut quamprimum tractationis initium fiat. Scripturum quoque ad Turennium, ſi is forte quempiam ſuorum mittere huc velit: cujus tamen reſponſo haut expectato tractatum auſpicaturus ſit. Nam eo minus iſtius nunc rationem habebat, poſtquam in Parlamenti partes conceſſiſſe eundem intelligeret. Enimvero abnuebat id Generaliſſimus, quod iſta res per leges Pacis ad Duces remiſſa foret; de qua inter ſe ac Cæſareos duces agi cœptum ſit, transactione ſuper alimentis præſidiorum jam abſoluta, & conventu circa Noribergam deſignato. Ac optime ducibus conſtare quomodo copiarum miſſio, & præſidiorum deductio commodiſſime fieri queat. Ordinum quoque Legatos talium tractandorum haut ſatis peritos, dum abrogatis tributis ſuper alimentis præſidiorum diſponere negligunt, nuper haut parum confuſionis dediſſe. Ac ſibi à Regina injunctum, placitum ſemel executionis ordinem ſequi. Denique ob nova indies ſurgentia negotia Mindæ diu ſubſiſtere ſibi haut integrum eſſe: ac propediem in Superiorem Germaniam abeundum, ut cum Cæſareis, Gallicis, ac Haſſicis ducibus

Ordinum ſuper miſſione militum, & deditione oppidorum Monaſterii agere volunt.

Conſentit Serviens.

Generaliſſimus eam rem ducibus vindicat.

1649. cibus ſuper exautoratione ac oppidorum reſtitutione tranſigat. Id quod ipſe per literas Ordinibus ſignificavit.

Quo ordines offenduntur. 28. Febr.

§. 17. Hac Caroli Guſtavi ſententia Monaſterii intellecta ea animorum commotio inter Ordines ſurgebat, quanta vix toto hoc tractatu obſervata fuerat, Saxonico Electorali præ cæteris fremente; qui tunc, ſi quid Suecis adverſum ſtrueretur, primas ſemper partes agebat. Oxenſtiernæ literas Reigersbergius reſignatas aliquot per dies ſuppreſſerat; ſed earum argumentum una cum Cæſareis, aliisque Hiſpano obnoxiis diſſeminaverat, ac odioſa interpretatione aſperaverat. Tantum temporis à ſubſcriptione pacis, ac commutatione ratihabitionum elapſum; nec minimam tamen partem onerum bellicorum imminutam. Suecos nil niſi de tempore extrahendo meditari. Cæſareos Commiſſarios Pragæ Regios deputatos expectare, queis de nullo loco ad iſtam tractationem propoſito conſtet; ac vix perſuaderi, Suecis exautorationem exercituum cordi eſſe.

7. Mart. Mox tamen cum iſtius literæ per ſeptem dies à Reigersbergio ſuppreſſæ Ordinibus communicatæ forent, motus iſte animorum iterum conſidebat, non Biœrneclovio ſolum, ſed & Witgenſteinio, ac Croſiegio Haſſo ipſos demulcentibus.

Mox iterum ſedantur.

Nec re curatius perpenſa Palatini rationes improbare, aut cauſam offenſæ reperire poterant, quam non hujus literæ, ſed per malevolorum artes excitata opinio genuerat. Inprimis hæ literæ placebant illis, queis ſua recuperanda erant, quos curæ ſibi eſſe idem ſignificarat. Unde & Watenbulerus Wurtenbergicus reſponſum non à ſolis Deputatis, ſed univerſis concipiendum pervincebat.

Ordines Generaliſſimo ſcribunt.

Ejus ſententia hæc erat: Conventionem ſuper exautoratione, & evacuatione quidem ad duces certo modo rejectam, non tamen ut illa ultra duos menſes poſt pacem ſubſcriptam porrigatur. Unde cum duces tempus iſtis negotiis deſtinatum incaſſum elabi ſint paſſi ingenti cum Ordinum damno, eum tractatum Monaſterium fuiſſe revolutum. Ac ſi præter ſpem longiores moræ nectantur, Ordinibus fas eſſe id negotium una cum Cæſareis & Regiis Legatis ſuſcipere, ut tandem aliquando præſentibus malis eluctentur.

Hic ſententiæ ſuæ inhæret.

Aſt his inſuper habitis Carolus Guſtavus quamprimum in Franconiam abire decreverat, iſti tractatui Noribergæ, aut vicina urbe inſtituendo, nec turum judicabat, Ordinum arbitrio eam rem committere, quod ex hactenus actis animadverterat, inconſultam ſperatæ quietis cupidinem omni rationi prævalere, ac ipſos importunis flagitationibus leges ducibus obtrudum ire, quibus ni obtemperare poſſis aut velis, facile univerſorum offenſa incurrebatur.

Ordines ob defectum reſtitutionis miſſionem militum differri nolunt.

§. 18. Cæterum quia reſtitutio læſorum lente admodum procedebat, Generaliſſimus decreverat, antequam eadem plene abſolveretur, conventioni ſuper modo exautorationis & evacuationis finem haut imponere, nec militem dimittere, aut præſidia deducere. Ordinibus contra Monaſterii ſuper reſtitutione nullum amplius dubium ſupererat, & ſi quid adhuc eidem deeſſet, ne momentum quidem exautorationem ideo differendam cenſebant.

2. Mart. Cæſarem quippe arctiorem exequendi modum ab ipſis propoſitum non ſolum probaſſe, ſed & præfectis Circulorum ut illum obſervent, injunxiſſe. Reſtitutionem porro ubique fere factam, ac paucos ſupereſſe, qui eo nomine adhuc querelas moveant. Confidere ſe, Cæſarem edicti ſui autoritatem ſervaturum, ac Pacis violatores coërciturum: & ſua quam maxime intereſſe, ut conventorum executione concordia inter ipſos nullo Religionis diſcrimine inſtauretur. Unde dubium non eſſe, quin ſi quid reſtet, etiam poſt exautorationem effectui dandum ſit. Iniquiſſimum autem eſſe, ut paucos ob refractarios ipſi intolerandis hoſpitiorum & tributorum oneribus ſuccumbant, aut ideo exautoratio differatur, novisque conventionibus ineundis tempus teratur. Denique executionem circa caput Amneſtiæ & Gravaminum non tam ad ſocios Reges, quam ad ipſos Ordines ſpectare. Atque hæc & talia prolixis literis Carolo Guſtavo ingerebantur. Hiſce per omnia adſtipulabantur Cæſarei; qui & literis ad Oxenſtiernam addebant: Cæſarem ſuo officio non defuiſſe, nec deinceps defuturum; arctiorem exequendi modum probaſſe, ac inprimis rem ita diſpoſuiſſe, ut circa reſtitutionem Auguſtæ mora non ſit amplius futura. Jam ducentas quadraginta cohortes exautoraſſe, ut ſuſpicionis cauſa Regiis adimeretur. Suecicum ſupremum ducem, dum ad plenam executionem exautorationem differre inſtituit, ſibi arrogare videri poteſtatem cognoſcendi, num reſtitutioni ſatisfactum ſit. Quod nec legibus pacis, nec æquitati, nec Ordinum placito congruat. Nuſquam Pacis legibus cautum, ut executiones circa Amneſtiam & Gravamina Regiis deferantur, quod nec ſalvis Imperii Conſtitutionibus fieri queat: ſed eas à Cæſare juxta decreta Pacis, veteresque Imperii Leges faciendas. Unde eam ob cauſam Regium militem in Imperio haut detinendum, ſed poſt perfectam ſuper ſolutione pecuniarum tranſactionem citra moram exautorandum, & è Germania abducendum.

22. Mart. Ut & Cæſarei.

§. 19. Aſt Suecicis Legatis ſoli iſti arctiori modo exequendi rationes ſuperſtruere haut conſultum videbatur, quem etſi delignari eſſent paſſi, ideo tamen jure ex inſtrumento pacis quæſito haut ceſſerant. Mira ſibi de iſtius efficacia perſuaſiſſe Ordines, ſed parum adhuc effectus adparuiſſe. A Catholicis inventum, à Cæſare probatum eo fine, ut Regiæ copiæ plauſibili obtentu Germania dimoveantur, quo facto executionem pro ipſorum lubitu eludi poſſe. Vix ullum adhuc ejus vi ſua recuperaſſe. Quin potius Reſtituentes, ac nominatim Bavaricos minas jacere, ac conventa Pacis cavillari; cum tamen hi præcipue circa iſtum arctiorem modum ſe venditarint. Turiſſimum eſſe in præſens reſtitutionem citra dilationem fieri, quæ utrique parti citra fraudem ſit, cum cuique ſua actio reſervata fuerit. Dum ſuper exautoratione tractatur, reſtituentes ad explenda conventa ſat ſpatii habere. Re ipſa oſtenderent cordi ſibi eſſe, ut quamprimum quilibet ſua recuperet. Movebant porro Carolum Guſtavum Reginæ mandata, ne à præſcripto in Tabulis Pacis exequendi ordine diſcederet, neve ante reſtitutionem copias dimitteret. Guſtavo Adolfo quondam Regi præter ſecuritatem proprii Regni hanc præcipuam fuiſſe cauſam ſumtorum armorum, ut oppreſſi Germaniæ Ordines juribus ac bonis ſuis reſtituerentur. Erubeſcendum eſſe, ſi ob quæ bellum ſit geſtum, in ambiguo relinquantur. Inter ipſos tractatus facile potuiſſe peripici, quam difficilis futura ſit executio, cum ad conventionem illam adverſa pars ira ægre deſcenderit. Denique jejunum fore tot laborum pretium, ſi nil niſi papyraceam pacem domum reportent Legati, effectu deſtitutam. Et quanquam aliqui

Suec. aliter ſentiunt.

pro-

1649. proponerent, certis detentis locis initium exautorationi, & præſidiorum deductioni faciendum, utut minorum quorundam Ordinum reſtitutio adhuc hæreat; Carolus Guſtavus tamen id temperamentum, negotio extrahendo aptum admittere nolebat, ſed ad Reginam de eodem referebat.

Elector Palatinus pacem accepiat. 9. Febr.

§. 20. Interea Elector Palatinus literis Londino ſcriptis Cæſari declaraverat; ſe per omnia Legibus Pacis obtemperaturum, quod & jam antea Ordinibus ſignificarit; ac ſperare Cæſarem ſtudium ſuum circa pacem & Imperii tranquillitatem probaturum, ac ſibi aſſignata tuiturum. Idem initio conſtituerat Philippum fratrem in Aulam Cæſaream mittere inveſtituræ accipiendæ; ſed impediente pecuniæ penuria Brandeburgico Miniſtro id negotii committere decrevit. Quanquam autem hoc modo Elector ſuo debito ſatisfeciſſet, circa fratres tamen ipſius difficultatem movebat Joannes Adolfus Krebſius Bavaricus Legatus, velut iſti injunctam legibus Pacis renuntiationem facere abnuerent. Ac arguebat, ab Hiſpanis ipſos clam confirmatos ad turbida conſilia impelli, quibus incertum quid myſterii ſubſit. Unde peculiari evictione ſibi caveri poſtulabat in eum caſum, ſi Palatini fratres leges Pacis implere derrectarent. Alias Bavarum Carolo Ludovico inferiorem Palatinatum haut reſtituturum, nec Cæſari Inſtrumentum de oppignerata ob tredecim milliones Auſtria ſuper Anaſum redditurum. Sanciri præterea volebat, ut ni fratres Electoris intra annum vertentem renuntiarent, jure ſucceſſionis excluderentur, nec ad ſimultaneam inveſtituram admitterentur. Renuntiationem quoque fieri poſtulabat non ſolum in Superiorem Palatinatum, quod Tabulis Pacis cavebatur; ſed & eandem in Electoralem dignitatem & inde dependentia jura extendi volebat. Super hoc poſtulato in diverſa diſcedebant Ordines. Saxo Electoralis, Altenburgicus, & Luneburgicus eam evictionem ſubſcribere haut dubitabant. Sed Brandeburgicus ac plures repugnabant; ſuperfluum & mali exempli eſſe peculiaribus ſe cautionibus adſtringere. Et cenſebat Servientus, Bavaro communem guarantiam ſufficere poſſe. Ita diſſentientibus Ordinibus res ad Oxenſtiernæ reditum differebatur; ac ſpes erat, Krebſii conatus ultro in fumum abituros.

Bavaricus difficultatem movet.

Hanſeatici ſuper vectigalibus proteſtantur.

§. 21. Sed & Hanſeatici per Lubecenſem ſuper continuatione aut introductione quorundam vectigalium ad Mare Balticum, inque Albi ac Viſurgi fluminibus proteſtationem interponebant, quibus velut paci repugnantibus contradicebant, ac univerſis, ſinguliſque competentia reſervabant. Quo nomine libellum apud Moguntinum Directorium ad acta referri petebant. 21. Febr.

Cum Brandeburgico de cedendis æquivalentibus agitur.

§. 22. Apud Carolum Guſtavum cum Mindæ ageret, Brandeburgici nomine inſtabat Wirgenſteinius, ut aſſignatas ipſi in Pomeraniæ vicem Provincias cederet, ac præſidia oppidis deduceret. Super ea re cum Duci nulla à Regina mandata eſſent, quo ſpatium nanciſceretur hujus ſententiam exquirendi, ſimul perſpiceret, qualem Elector circa regendos Pomeraniæ fines ſeſe exhibiturus eſſet, rem ad Oxenſtiernam rejecit; cui non defuturi erant prætextus tempus extrahendi, quoad Reginæ mandata adferrentur, præſertim cum à Brandeburgico Inſtrumentum ceſſionis Pomeraniæ nondum exhibitum foret. Mox tamen cum ob mutatam rerum faciem expedire videretur Brandeburgico ſatisfieri, quem malevoli in inimica Sueciæ conſilia pertrahere tunc ſtudebant: nec poſt permutatas ratihabitiones illas Provincias diutius detinendi idonea cauſa foret, ac alia via daretur Electorem ad æquas conditiones circa fines regundos compellendi; haut abs re judicabat, Wirgenſteinio inſtante, Oxenſtiernam ea de re tractatum ſuſcipere. Circa quem tamen operam daret, ut donatariis prædiorum impenſæ utiles, aut ſaltem pecora, & mobilia illata retundantur. Tum ut Minda in priſtinum ſtatum circa ſacra & civilia reponatur, & ſi quæ alia Pace in ipſius commodum diſpoſita ſint, iis fruatur. Demum ut præſidiis uſitata alimenta maneant, quoad deducantur. Kœnigsmarckio quoque, & Guſtavo Ottoni Steenbockio, quorum ille Saxoniam Inferiorem, hic Weſtphaliam curabat, injunctum, ut facta ab Oxenſtierna denuntiatione Electori regimen Præſulatus concedant; curarent tamen, ut ejus ſedes non Mindæ, ſed ut olim Petershagæ ſtatuatur. 1649. 30. Mart.

Controverſia inter Adminiſtratorem, & urbem Magdeburgicam.

§. 23. Inter Adminiſtratorem, urbemque Magdeburgicam Monaſterii lis tunc exorta eſt, quod urbi Privilegium muniendi à Ferdinando II. conceſſum cum omnimoda juriſdictione & proprietate ad quadrantem milliaris Germanici extenſum foret. Ejus vi decuriones intra id ſpatium ſitos fundos veteribus Dominis adimere, ſibique vindicare inſtituebant, niſi quod viduos ac pupillos indemnes præſtare vellent. Præterea initium quadrantis illius à ſeptuaginta ſeptem perticis, munitioni prius deſtinatis, ſumere cupiebant. Contra Adminiſtrator, quod de uſufructu mentio facta non eſſet, nudum dominium directum urbi datum contendebat, utili penes præſentes poſſeſſores manente; nec alio fine, quam ſi ad munitiones ampliandas urbs iſto ſpatio opus haberet; idque ſpatium à mœnibus ordiendum. Cum Adminiſtrator oppidanis ad poſſeſſionem adprehendendam auxilium accommodare abnueret, ipſi eam arripere, ſibique adeo executionem facere conabantur, iſto nequidquam proteſtante. Quod factum & Auguſtus Brunſvicenſis Dux velut Saxoniæ Inferioris Director improbabat, ſimul ut ab Ordinibus exquireretur jubebat, quid vocabulo proprietatis intellexiſſent. Ita eo negotio Monaſterium devoluto utrinque ſcriptis certatum, ac deciſio ejuſdem ab Adminiſtratore Ordinibus delata, Oppidanis Suecorum præcipue auxilium implorantibus. Et urbs quidem Civitates faventes, Electorales & Principes adverſos experiebatur. Oxenſtierna ſcripto teſtabatur; haut aliam fuiſſe ſibi ſententiam, quam ut ad reparanda urbis ædificia juri muniendi quadrans milliaris additus ſit cum omni juriſdictione & proprietate bonorum ſacrorum circumjacentium, excepto D. Agnetis Cœnobio, eodem modo, quo Clerici eos fundos ante poſſederint. Sed parem declarationem edere abnuebant Cæſarei, velut id in poteſtate ſua non eſſet. Et quanquam inficiari non poſſent, Suecos inter tractatus aliquoties contendiſſe, ut bona illa ſacra diſertis verbis urbi propria addicerentur; tamen contradicentibus Adminiſtratoris Legatis eam verbis generalibus fuiſſe conceptam. Poſt tamen oppidani ad Aulam Cæſaream confugerunt, ubi connitente Saxone, ac Brandeburgico, ipſoque Adminiſtratore præter Reginæ mentem, quæ urbi tanta mala perpeſſæ bene cupiebat, factum eſt, ut ea cauſa Noribergæ non proponeretur, nec in Catalogum reſtituendorum referretur. 30. Jan.

§. 24. Sed

1649. De Capitulatione Osnabrugensi.

§. 24. Sed nec capitulatio circa Præsulatum Osnabrugensem Tabulis Pacis insinuata succedebat; de qua inter Volmarum & Langenbeckium Luneburgicum agi quidem cœptum. Sed cum Volmaro aliquandiu res cordi esse videretur, mox cessim ibat; & Præsul Franciscus Wilhelmus pauca admodum templa Evangelicis concedere volebat, etiam ereptis iis, quæ illi anno vicesimo quarto citra controversiam possederant. Unde Oxenstierna veritus, ne provinciales à Præsule infestissimo circa sacra, à Langenbeckio circa civilia læderentur, tutissimum judicabat, ut neuter præsulatu, aut oppidis ejusdem munitis potiretur, quoad Capitulatio ista Reginæ consensu, ac ad placitum omnium quorum intererat absoluta foret.

Ordinum querelæ super hospitiis.

§. 25. Cæterum Monasterii id cumprimis meditabantur Ordines ut receptis oppidis suis, hospitationes militum aliquando amolirentur; de quibus intensissimæ querelæ movebantur; nec eo fine per Circulos distributum militem, ut ultra præscriptum pace tempus incumberet. Quo fine 8. Mart. literis ad Carolum Gustavum datis petebant; ut quæ super exautoratione, & præsidiorum deductione à se designata forent, ipse probaret, ac Joannem Oxenstiernam mandatis instrueret, ut secum quamprimum super militis missione, ac oppidorum restitutione transigere possit. Pecuniam quippe militi promissam in promtu esse. Immensa onera, quæ ex ductorum libidine subinde augeantur, diutius tolerari non posse. Accedere injurias, ac importunitatem militum, ut metus sit, ne plebs ex desperatione seditionem induat. Nec minus singuli Ordines missis legatis ipsum infinitis querimoniis obtundebant. Quæ tamen non parum remittebantur, cum acribus edictis ab ipso petulantiam militis compesci, ac inutilem calonum turbam castigari, simul serio ab eodem rem agi perspicerent, ut exautorandi initium fieret.

Difficultas circa expediendam satisfactionem militarem.

Quæ tamen eo lentius procedebat, quod circa expediendam pecuniam variæ difficultates occurrerent. Nam Bavarus quidem Superiorem Palatinatum tam Suecicis hospitiis, quam militari satisfactioni exemtum ibat, velut propriam provinciam. Id quod Ordines indulgebant ea lege, ut proximis Comitiis Inferiori Palatinatui, cui ejus portionis onus accrescebat, refusio fieret. Sed Leodienses communi oneri se subtrahentes ut immisso milite ad debita præstanda Dux Suecicus compellat, Ordines petebant. Trevirensis cum duas legiones equestres suæ provinciæ assignatas admittere nollet, illæ assumtis mille peditibus vi accessum sibi fecere. Sed & jactabant Ordines pecuniam primæ pensionis paratam esse; quam tamen non ante exautorationem, sed simul cum ea exolvere volebant pro rata legionum, quæ exautorarentur, & præsidiorum, quæ oppidis deducerentur. Tum cujuslibet Circuli Ordines à se collatas pecunias in militem apud se hospitantem erogari volebant, queis acceptis hic statim mitteretur, ut sua cuique pecunia proprio emolumento cederet. Ast Carolus Gustavus, cum Ordines quidem Monasterii pecuniam in promtu dicerent, nonnulli autem ratam conferre supra facultates suas esse quererentur, quo rationes suas solido fundamento superstrueret, circummittebat, qui collatas pecunias inspicerent. Sed & ut suo arbitrio circa easdem disponeret, sibi deposcebat. Cum enim Superiores Circuli velut bello maxime exhausti difficillime ratam suam expedirent, hos primum onere hospitiorum levare cupiebat, quo fine sub instantem legionum reformationem ad utrumque Saxonicum Circulum assignationes quasdam emittebat. Quas cum illi acceptare nollent, per Oxenstiernam Ordinibus 31. Mart. Monasterii denuntiat; ni hanc si viam insistere pergant, se non solum institutam legionum exautorationem omissurum, se alia ratione rebus suis prospecturum. Sed & quia assignationes duodecies centenorum militum tarde expediebantur, super quibus Ordines cum ducibus ex æquo transigere volebant, accelerandæ Pacis executioni Carolus Gustavus proponebat, ut & ista summa parato argento repræsentaretur. Id quod Ordines legibus Pacis repugnare, ac prætitu impossibile terebant. Super duobus autem millionibus, qui sequentibus pensionibus extolvendi erant, judicabant, pignoris loco in singulis Circulis quædam oppida Reginæ præsidus tantisper detinenda, quæ Ordinum sumtibus alenda sint; quod hinc inde audiantur, qui onus à se remotum in alios devolutum eant. Qua de re ut cum Ordinibus Monasterii ageret, Oxenstiernæ injungebat.

Ordines offenduntur.

§. 26. Enimvero ista omnia Ordinibus ad palatum haut erant, apud quos favor in socia Regina indies magis minuebatur ob incumbentia tamdiu militum hospitia, quæ omnium querimoniis agitabantur. Inprimis Catholici animis elatiores Suecica arma palam spernere, eorumque commorationem in Imperio improbare, tum variis modis leges Pacis ab illis violatas arguere; quibus & ipsi ideo non amplius tenentur. Hispani, qui ob internas Galliæ turbas vires colligere cœperant, strenue oleum igni addebant; Pontifex ejusque affectæ manibus pedibusque Pacem subruere nitebantur. Cæsarei occasioni imminere, Ordinum gratiam quavis ratione aucuparі; Suecis invidiam facere, velut ideo circa restitutionem Ordinum lætorum tam scrupulose satagant, & super solutione militaris pecuniæ novam cautionem affectent, ut militem sub signis retinendi prætextus foret, quem dimittere nunquam animus fuerit. Et jam altera vice apud Or- 5. Mart. dines propositerant; quid suscipiendum, si Suecі copias exautorare nolint, & quid eo casu consilii ipsis foret; hortati, ut tandem aliquando oculos aperire, ac imminens exitium in tempore avertere velint. Pragentem tractatum à Suecis abruptum, quem cum alio loco instaurare Cæsarei Duces cuperent, istos variis artibus se subduxisse; inprimis propositam à Cæsareis, Serviento, & Ordinibus Monasterii tractationem abnuisse, tantum ut tempus extraherent, ac Ordines interim argento emungerent. Unde optime facturos, si mature in commune consulant.

Ordinum periculosa consilia.

§. 27. Ea de re aliquoties inter Ordines agitatum erat, etsi nondum pleno consessu consultatione instituta. Et multis visum fuerat, ut ad legiones Germanicas equestres, quæ Suecis militabant, perscriberetur, qua ratione pacem Suecі eluium irent; addito, promissam pecuniam in promtu esse, qua Ordines ipsis satisfacere velint. Ita spes erat, eandem à Reginæ obsequio avertendas. Sed in tempore veniebat Witgensteinius, qui una cum Cassellanis nutantes de Caroli Gustavi salutari intentione confirmabat magno cum ipsius elogio; simul de imminente legionum reductione, & secutura exautoratione certos esse jubebat. Ita glisceus jam flamma paululum repressa, quæ tamen cum ille Monasterio discessisset, 19. Mart. parum aberat, quin iterum erumperet.

1649. Moguntini inſidioſa propoſitio.

§. 28. Moguntinus Elector hactenus egregiis conſiliis uſus, ad concluſionem Pacis, ejusque maturam executionem haut ſpernendam operam contulerat; ſed nunc diuturnarum hoſpitationum pertæſus in transverſum ire cœperat. Non ita pridem literis ad Cæſarem ac primarios ejus Miniſtros datis ſtudium circa accelerandam Pacis concluſionem excuſaverat, velut à Bavaro ad id compulſus. Si turbas præſentes Galliæ prævidere potuiſſet, haut quidquam ſe circa negotium Catholicæ Eccleſiæ non parum moleſtum tantopere ſudaturum fuiſſe. Sociorum Regnorum prævalidas vires ac inſolubilem concordiam neceſſitatem ſibi attuliſſe qualemcunque pacem promovendi; quod ſpes eſſet, olim Catholicis molliora tempora oritura. Nec omiſſurum ſe præſenti rerum facie unum & alterum incommodum reparare. Sequebatur inde propoſitio altius penetrans, quam nonnulli apud Directorium Moguntinum concinnaverant, ſed num in publicum efferri deberet, dubitaverant, quæ nunc juſſu
29. Mart. Electoris Moguntini per Meelium erumpebat. Multis indiciis Electori conſtare, Succicos duces ægre ad miſſionem militum, & redditionem locorum occupatorum deſcenſuros, ac potius quoſvis prætextus conquiſituros, ut oppida in poteſtate, militem ſub ſignis retineant, ſuppleantque aliis deſtinatis exequendis ſumma cum Ordinum oppreſſione. Unde Ordinibus conſiderandum proponi, an non expediat mature conſilium capeſſere, quid eo caſu faciendum ſit? Sibi quidem videri, ab Ordinibus certum tempus definiendum, intra quod omnia confecta eſſe debeant. Ni intra idem Sueci militem dimittere & loca capta reddere velint, junctis viribus laborandum, ut patria iſto jugo liberetur. Addebantur plurima facta, queis à Suecis conventa pacis infracta ſint, quæ ut diligenter in acta referantur, hortabatur, ut ſi res exigat, in promtu ſorent. Quæ nunc à Suecis fiant hoſtiles eſſe actiones, ac cum Regina, quantum ad Pomeraniam & alias ejus Provincias ſpectat, ex legibus Imperii agendum. Et quæ ultra tempus pace conſtitutum in militem Succicum erogata ſint, poſterioribus penſionibus ſatisfactionis militaris detrahenda. Meelius iſte peculiari Electoris gratia florebat, & hactenus verbis factisque oſtenderat, ſe ad tractatus Pacis miſſum Reigersbergii ſtipendio Hiſpanico illigati conſiliis obſervandis ac temperandis, qui hac propoſitione admodum lætabatur; ſed quæ ideo paucis Evangelicis, qui recte ſentiebant, ac alios hactenus coërcuerant, valde inopinata accidebat, ut non parum territi quid conſilii caperent vix noſſent. Quorum tamen aliqui cenſebant; certum tempus deſignari haut abs re eſſe, modo ita res diſponatur, ut reſtitutio ex capite Amneſtiæ & Gravaminum præcedat, Regiorum poſtulata ſequantur, omnia tamen intra ſtatutum tempus effectui dentur. Sed his tenues ob opes, & timiditatem parum autoritatis erat ad cæterorum numero & potentia prævalentium ſententiam librandam; qui ſummopere probata Moguntini propoſitione, per arctiorem illum exequendi modum omnia confici poſſe clamabant. Sed & ad extremum publicæ conſultationes juxta & expeditiones mire miſcebantur, quod Moguntinus ſæpius illos tantum, qui ipſius deſtinatis favebant, ad conſultationes evocaret, reliquis excluſis; nec eo ſecius omnium nomine literas expediret. Deputati quoque fere Imperii negotia tractabant inſciis & inconſultis aliis Ordinum Legatis. Equidem prælegebantur omnibus conceptæ literarum formulæ, & pro more circummittebantur, ut quilibet quid ſibi videretur, annotare poſſet. Sed annotata parum curabantur, & juſta forma adornatæ literæ altera vice haut prælectæ dimittebantur. 1649.

Ejuſdem confuſus agendi modus.

§. 29. Iſthæc omnia fere ex Bavari arbitrio agebantur, contra quem cæteris vix hiſcere licebat, qui & literis Monachio datis in Ordines haut ſuperfunctorie invectus fuerat; quas vel ideo adducere heic viſum, quod iſtæ Monaſterii magno ſtudio premerentur, ne in Succorum manus pervenirent. Occaſio erat, quod Elector pleraſque copias ſuas è Bavaria cis Danubium Palatinatui immiſerat; quo ipſo Sulzbacenſis, & alii eo tractu graviter premebantur. Pro quibus intercedere, quo hoſpitationibus levarentur, Ordinibus æquum videbatur. Addita erat querela, quod circa executionem Sulzbacenſem, & Auguſtanam auxilium accommodare detrectaverit adverſus Pacis conventa, Cæſareumque edictum. Unde Auguſtanis contumaciam acceſſiſſe, ex qua pacis executio ingenti cum Imperii damno hæſerit; eoque petebant, præfectis ſuis militaribus Sulzbaci, & Auguſtæ injungeret, quo executioni perficiundæ operam præbeant. Ad has Ordinum literas, poſtquam facti ſui rationes prolixe expoſuiſſet, tub finem addebat: ſibi non perſuaderi, rationem illis fuiſſe tam acriter ipſum perſtringere, & à ſe circa executionem pacis acta carpere; aut à Principibus ſuis idem ipſis mandatum. Unde plane conſtituiſſe ipſis nihil reſpondere, ſed querimoniam tantæ injuriæ ad eorundem principes deferre, & è falſo narratis ortas ſuſpiciones iſidem adimere, reſervata ſibi actione adverſus tam graves criminationes. Nec dubitare, quin Principes ipſorum iſtud ſibi diſplicere demonſtraturi ſint, æque uti nolint ab aliis ſibi talia impingi. Per modeſtiam tamen iſtud adhuc omittere, ac monere, ut ejusmodi falſis ac immeritis exprobrationibus deinceps ſibi moleſti eſſe parcant, nec cauſam præbeant, ut exiſtimationem & autoritatem ſuam aſperiore modo vindicet adverſus illos, qui iſtam lædere audeant. Quo ſpecimine quam parum iſtorum Legatorum conventum æſtimaret, perſpiciebatur. Bavari ad Ordines literæ. 1. Mart.

§. 30. Iſtæ igitur machinationes ne in nervum erumperent, Carolus Guſtavus prohibere inſtituebat ſuſcepta equitatus Germanici reformatione, qua hoſpitationum ſumtus non parum levabantur; ſimul malevolis ſuſpicio adimebatur, velut Regina novum bellum agitaret. Circa exautorationem Regina juſſerat, ne plures ipſe copias, quam Cæſar Bavarusque dimitteret; redditionem oppidorum differret, quoad ſuper omnibus tranſactum foret. Quia autem Cæſar jam totum equitatum in octodecim legiones digeſſerat, ſuperfluis ductorum exautoratis; Succicus dux itidem legionum equeſtrium numerum imminuere decrevit. Quatuor tamen legiones è Vinarienſibus compoſitas ſub Planicio, Penzio, Cannebergio & Briſevvico tribunis ſtatim exautorare viſum ob petulantiam moleſtas, quas & Regina dudum amoliri voluerat. Quo fine Kœnigsmarckium & Wittenbergium, cum Minda in Franconiam tenderet, ad ſe evocat iſtius negotii intra menſem Aprilem perficiundi cauſa; tum præfectos Weſtphalici & Saxonicorum Circulorum monet, pecuniam in promtu habeant, ne qua iſti rei mora injiciatur. Generaliſſimus reductionem legionum decernit.

§. 31. Paulo ante cum Carolo Guſtavo Regis Res de Galliæ

1649. Galliæ nomine egerat Avaugurius, ut quia Turennius cum copiis ſuis in Parlamenti partes transire inſtituebat, ipſe bis mille equites Erlachio quamprimum adjungeret Turennio diſtinendo, quoad Regi ſpatium foret copias ſuas undique contrahendi. Iſte etſi hac de re nil à Regina in mandatis haberet, ac miles nondum accepta pecunia ægre novam in expeditionem trahebatur; tamen ne Regem deſtitueret, poſtulatis promte annuit. Quo fine & mandata ad Wrangelium miſit, ut Erlachio monenti duo millia ſelectorum equitum ſubſidio præbeat, ut tamen ultra Alſatiam, aut adverſus Hiſpanos, aut Lotharingum ne ducat, ne hac occaſione Regina novo bello implicetur. Quo tamen auxilio opus non erat, legionibus Turennianis in Regis partes transgreſſis, & tranſactione paulo poſt inter Regem, & Parlamentum ſecura. Quæ res Catholicorum animos non parum fregit, ac ſpem Evangelicis fecit, reſtitutionem Ordinum melius deinceps ſucceſſuram. Galli quoque blandiorem in Suecos vultum induere, promiſſa Argentoratenſis Præſulatus reſtitutione, ac conceſſo, ut pecunia, ſatisfactioni militis Suecici in Alſatia, colligeretur. Simul cum antea aſſignatis ibi hoſpitiis Suecicas turmas arceuiſſent, vim aliquoties minati, nunc iisdem alimenta ultro offerebant.

Auxilia contra Turennium petit.

9. Mart.

Complures Legati Monaſterio diſcedunt.

§. 32. Cupiebant porro Sueci conventum Weſtphalicum perſiſtere, quoad omnia pace conventa executioni forent data. Unde & Oxenſtierna Minda Carolo Guſtavo inde digreſſo Onabrugam revertebat; nam Salvius cum Inſtrumento ratihabitionis Cæſareæ Hamburgum diſceſſerat. Haut eo ſecius tamen iſte ultro ad finem vergebat, compluribus Legatis domum diſcedentibus, Wolckenſteinio Comite Auſtriaco, Wirgenſteinio & Weſenbecio Brandeburgicis, Varenbulero Wurtenbergico, Argentoratenſi & Bremenſi; etſi in alios ſua mandata transferebant, ne diſſolvendi conventus initium facere viderentur. Sed & Servientus in Galliam abibat, nulla ſpe reditus facta, duabus Haſſicis turmis proſequentibus. Quem proxima nocte Pereira de Caſtro Luſitanus Legatus inſecutus eſt, Haſſica turma Veſaliam ipſum deducente. Quanquam autem Grullardus à Rege juſſus eſſet Monaſterii ſubſiſtere, quoad circa pacem Germanicam omnia expedita forent, ſimul ut ſi qua occaſio ſe offerret pacem cum Hiſpanis concludendi, eam arriperet, quo fine & Legati dignatio ipſi tribuebatur; vix tamen porta egreſſus erat Servientus, cum Brunus Hiſpanicus Legatus Mediatoribus denuntiat, ſibi quoque decretum intra paucos dies diſcedere; id quod & paulo poſt factum. Ita negotiatio pacis, quæ aliquamdiu interquieverat, plane abrupta eſt. Mox & Lambergius Comes à Cæſare in aulam revocabatur.

10. Mart.

11. Mart.

17. Mart.

Reſtitutio Franckendaliæ haeret.

§. 33. In Superiore Germania circa reſtitutionem Franckendaliæ ingens difficultas adparebat: de qua Servientus acriter inſtabat; Brunus autem, ea à ſe rejecta, Cæſarem ad Hiſpaniæ Regem ſcripſiſſe ferebat, tum Legatum Hiſpanicum Londini de eadem cum Palatino Electore conveniſſe. Differebant Cæſarei, Hiſpanos id oppidum utique Palatino tradituros, non prius tamen, quam hic leges pacis expleverit, inveſtitura apud Cæſarem rite petita. Ad quam cum ſpatio temporis opus ſit, eousque exautorationem copiarum haut differendam. Interim Julius Antonius Frangipanius ejus oppidi Gubernator paratu bellico, & annona ſibi longum in tempus proſpicere, ac gravia tributa vicinæ regioni imperare, velut nihil minus quam diſceſſum agitaret. Sed nec reſtitutio Homburgi, ac Comitatus Sarvverdenſis procedebat, quam Lotharingus pace Germanica exclusus inſidebat; qui & ideo vetuerat, ne quid tributorum Suecis inde ſolveretur. 1649.

Auguſtæ executio fit.

§. 34. Auguſtæ Vindelicorum executio hactenus hæſerat, quod Bavarici præſidii præfectus inſuper habita Pacis diſpoſitione Commiſſariis operam accommodare abnuiſſet, niſi expreſſis Electoris mandatis juberetur. Unde iſti demum literis ab hoc petunt, ea media ſubminiſtrare velit, ut executio citra moram ex decreto pacis, & edicti Cæſarei perfici queat. Ægre huc deſcendebat Elector, præſertim quia Pontifex acribus literis, ne id negotium tangeret, dehortatus erat. Sed quia ſatis intelligebat, Suecos atque Evangelicos inde dimoveri non poſſe, & in hanc executionem præcipue oculos conjeciſſe, inſtante etiam per literas univerſo Ordinum conventu, neglecta Pontificis proteſtatione negotium id promovere inſtituit. Objiciebant jam Catholici: dubitaſſe ſe de effectu pacis; quo caſu gratis amiſſuri fuiſſent, quæ niſi iſto pretio à ſe poſtulari non poſſint. Unde inter alias conditiones caveri ſibi poſtulabant, pace non ſecuta omnia in priorem ſtatum reponenda. Enimvero hanc cautionem ſuperfluam judicabat Elector, quod iſto caſu ubique omnia in eum ſtatum, qui ante executionem fuerit, ultro recaſura ſint. Ac neminem, qui alteri aliquid reſtituere neceſſum habuerit, ejusmodi peculiarem cautionem exegiſſe. Monebat tamen Commiſſarios, ut iſthoc Magiſtratui Catholico verbis indicarent. Huic autem certum tempus præfigebat, quo plane declararet; num absque ulteriore dilatione, aut exceptione executioni ſe ſubjicere velit? Ad quam declarationem reportandam tubicen Auguſtam ab ipſo miſſus eſt. Quanquam autem Catholici ad tempus extrahendum Advocatum ſuum ad Electorem ablegarent, alius tamen ab Evangelicis miſſus eodem properabat cum literis à ſubdelegatis Cæſareis, qui denuo auxilium Nerſeni Bavarici præfecti expoſtularet. Quibus motus Elector huic injungebat, ni Senatus intra præſcriptum diem poſtulatam declarationem exhibeat, aut ſi tergiverſari pergat circa res inſtrumento Pacis perſpicue definitas, requirentibus Commiſſariis manu militari adſiſteret. Ita demum declaravit iſte; ſibi decretum omnibus ſe ſubmittere, quæ circa ſuam urbem Inſtrumento Pacis liquido diſpoſita ſint. Hinc executio illa brevi tempore abſoluta fuit. Paulo poſt quoque Kauf beuræ, Biberaci, Lindaviæ & Ravensburgi omnia in priſtinum ſtatum repoſita fuere. Sed & Sulzbaci, ne quidquam contra nitente, ac proteſtante Neoburgico per Bambergenſis Epiſcopi, & Culmbacenſis Marchionis delegatos tam circa ſacra, quam civilia executio peracta eſt. Tandem & Bavariæ Elector, ægre licet, ad reſtituenda ea, quæ Ratisponenſi civitati durante bello eripuerat, deſcendebat; niſi quod ſuper vectigali adhuc tergiverſaretur; quo tamen, connitentibus pro urbe Suecis, poſt quoque cedendum erat.

27. Jan.

24 Jan.

5. Febr.

10. Febr.

18. Febr.

24. Mart.

14. Febr. Et Ratisponæ.

Sueci pro executione contendunt.

§. 35. Enimvero hautquidquam ad eundem modum executiones ubique procedebant, alicubi iis, queis illæ faciendæ committebantur, easdem ſuſcipere detrectantibus; aut per ſiniſtras Pacis interpretationes eludentibus. Nec pauci, quæ per bellum invaſerant, reſtituere plane abnuebant. Aſt Sueci, qui iſthunc præcipuum pa-

1649. cis fructum judicabant, tam Cæsareis, quam Ordinum Legatis denuntiare; Carolum Gustavum executione nondum peracta militem haut dimissurum, nec oppida redditurum. Hunc è præcipuis Articulis esse, quem Regina armis, ac per tractatus propugnaverit. Nondum Palatinum Electorem, plurimosque alios sua recuperasse. Nec ab Ordinibus propositum, à Cæsare probatum arctiorem exequendi modum multum profeciſſe. Unde postulabant; quamprimum quæ restarent effectui darentur, quod hac expressa lege à se ratihabitio sit exhibita. Atque isthæc Oxenstierna Osnabrugam reversus per Bioernclovium Residentem, mox ipse Monasterium accedens ingerebat, postulans ut pœna Tabulis pacis definita in refractarios statuatur, ac Edito exemplo cæteri terrore compellantur. Galli contra hanc rem levi brachio agebant: haut tanti eam esse, pro qua tam acriter Regina contendere debeat; præsertim cum ipsis Ordinibus inter se conveniat, nec dubitandum sit, quin restituendi successu temporis rebus suis potituri sint. Quin præstare executionem in suspenso relinqui, quo in futurum nova litis materia extet, quam pro re nata in usus suos convertere possint.

Galli eam parum exmant.

Cæsarei ideo militis missionem differri nolunt.

§. 36. Ast Cæsarei iniquum clamitabant, ob pauculos restitutione nondum potitos totum Imperium pessumdari. Sat caveri Instrumento Pacis, quomodo heic procedendum, nec quin restitutio utique futura sit dubium superesse. Extare arctiorem exequendi modum, extare leges Imperii, huic rei remedium adferentes. Et si unum Cæsaris edictum non sufficiat, alterum mox proditurum, quo restituendis facultas fiat, proximorum præsidiorum, aut legionum ope se ipsos in pristinum statum reponendi. Quæ omnia facili negotio sint efficienda. Si qui nondum per aliorum contumaciam sua recuperarint, iis facile succurri posse, renitentibus ex dictato Pacis, ac Legum publicarum multatis. Sed solam hanc ob causam Ordines opprimere præter rationem esse, præsertim cum hi, quando ratihabitionum commutatio fiebat, invicem stipulati sint, ut quæ ante eam commutationem præstari debuerant, post indubie præstanda sint. Qua de re cum Ordines consentiant, facile Reginam adquiescere posse, quæ ob navatam heic operam jamdudum immortalem gloriam meruerit. Succinebant his Ordines; probato arctiore exequendi modo omnia in expedito esse, ut non sit, quare Sueci, aut restituendi amplius dubitent. Restitutionem in causis liquidis fere peractam. Sicubi ob factum illiquidum illa nondum successerit, Cæsari tamen & Ordinibus decretum conventis Pacis examussim satisfacere. Et cum executio Ordines Imperii præcipue tangat, quibus super ista satis cautum sit, confidere, Suecos ob minutias quasdam, & quæ ob controversum factum ita repente expediri nequeant, missionem militis, haut dilaturos nec eo obtentu Germaniam plane pessumdaturos. Et hæc Bavarus summo studio agebat privatas ob rationes, cui quicquid Catholicorum erat adstipulabatur, & quidam ex ipsis Evangelicis, qui facile majorem suffragiorum partem conficere poterant. Quibus id spectabatur, ut quæ nondum executioni data essent, ad proxima Comitia differrentur. Simul novis interpretationum commentis via quærebatur, queis admissis magna pars restitutionis incassum cadebat.

Ordines idem sentiunt.

Sueci Evangelicis

§. 37. Sueci contra Evangelicis demonstrabant; quorum restitutio adhuc desit, haut ita exiguo numero, aut parvi momenti esse, uti jactetur: quin revera maximam partem nondum restitutam. Minoribus Ordinibus res suas exiguas non minus cordi haberi, quam majoribus amplas. Quemlibet absque discrimine personarum, aut rerum fructu pacis gaudere par esse. Ac revera Regnorum magnopere interesse, ut & heic paci plane satisfiat. Equidem qui sua repetitum eant Ordinum quibuslibet suam causam præcipue agendam. Nec ideo tamen restitutionem, legibus Pacis definitam, ab arbitrio Ordinum jam pendere, aut sociis Regibus horum sententiam utique sequendam. Reginam & Regnum Sueciæ præcipuam partem belligerantem fuisse, ac ut oppressi Germaniæ Ordines sublevarentur, hactenus arma gessisse, quorum causam toto pacificationis tractatu egerit. Eam gloriam neminem Ipsi nunc detracturum, cui & inposterum pacis evictio incumbat, ab Ordinum arbitrio hautquidquam dependens. Arctiori exequendi modo scire haut teneri; ex quo & Ordines sat tenuem fructum perceperint; & quem pars adversa non alio fine ostentarit, quam ut hoc obtentu Regii excludantur, ne spoliatorum causam deinceps agere possint. Interim Cæsareos ad restitutionem nihil contulisse, sed potius alienorum bonorum detentores obfirmasse vitos: è Catholicis quoque, queis restitutio incumbebat, magna autoritate & potentia subnixos, varia obstacula objecisse, nec à minis temperasse. Nec vero consilia eorum in obscuro esse, qui cum ad pacem necessitate urgente descendissent, nunc eandem eludere prolatata executione conentur. Eosdem & variis injectis suspicionibus Ordines turbare, quo minus promissam militum satisfactionem expediant, num forte milites interea irritare, aut Ordines Succosque inter se committere possint.

1649. Item demonstrant.

Designatio restituendorum Cæsareis exhibetur.

§. 38. Evangelici, qui hactenus de fructu, arctioris illius modi mire sibi blanditi fuerant, his monitis excitati satis demum animadvertere cœperant restitutionem ex capite Amnestiæ, & Gravaminum post solutos exercitus ægre processuram, eoque antea effectui dandam, quam miles exautoretur. Unde ansam arripiebant catalogum texendi eorum, qui per conventa pacis restitui debeant, nec dum restituti sint. Eum Cæsareis exhibere constituerunt, quod citra horum operam toto tractatu super Gravaminibus à Catholicis nihil obtinere potuissent; simul Thumbshirnio Altenburgico, ut omnium nomine verba faciat, injungitur. Is Cæsareis demonstrat; fidem utrinque sancte datam, pacemque non solum in charta describendam, sed & re ipsa examussim implendam. Qui effectus nondum secutus sit, dum qui per injuriam aliis erepta ægre amittunt, inanibus exceptionibus executionem elusum eant. Queis executio commissa sit, eam vel detrectare, vel data opera differre, aut subterfugia Pacis legibus repugnantia admittere, aut parte duntaxat executionis defungi. Sed & penes ipsum Conventum morarum causam esse, qui monitus in universum prolixe pollicitus sit; sed ubi singulorum mentio fuerit facta, cavillationibus, tergiversationibus, ac absurdis interpretamentis omnia perstrepuisse. Quin & ausos quosdam jam executioni data detrectare. Suecos hoc obtentu non solum ratihabitionem diu detinuisse, sed & dimissionem militum ac redditionem oppidorum differre, haut præter rationem jactantes; salva existimatione Reginæ, ac status sui securitate se haisce restitutiones negligere non posse. Evangelico-

24. April.

1649. licorum quidem ſententiam non eſſe, ob ea, quæ circa executionem adhuc reſtant, exautorationem militum differendam: nec tamen ideo ſocios Reges accuſare poſſe, aut prohibere, quo minus oppreſſorum patrocinium ſuſcipiant. Ut demum patria præſentibus malis liberetur, catalogum reſtituendorum texuiſſe, quem ut Catholicis Ordinibus communicent rogare; ſimul ut ſecum tam reſtituentes, quam executores moneant, ne debita præſtare diutius differant. Nec inconſultum fore, è dictato pacis in refractarios exemplum ſtatuere. Nam ex eo Regios judicaturos, Cæſareis & Ordinibus impletionem conventorum cordi eſſe, eoque minus cauſæ habituros exautorationem differendi. Addebat, ſe ut Catholicis ſua reſtituantur, non minus operam daturos. Cæſareorum Legatorum nomine Volmarus reſpondebat; catalogum ſe cum Catholicis communicaturos. Cæterum non credere, exautorationem reſtitutionis cauſâ impeditum iri, aut Cæſari alienum onus in Provinciis ſuis diutius tolerandum. Evangelici contra teſtari; ſe exautorationi non obſiſtere, optare tamen ut Catholici propius ad rem velint accedere: nam laxis pollicitationibus ſibi non conſuli; nec ſine executione ſtabilem pacem ſperari poſſe. Recolerent præteritorum Comitiorum acta Cæſarei, in quibus ob indecifa gravamina cætera omnia hæſerint. Unde ſi vel maxime Sueci inſuper habita executione Germania decedant, veteres tamen difficultates redituras, & ante obtentam executionem ad alias ſuper Imperii negotiis conſultationes haut accedendum. Quæ diffidentiæ tam exitioſæ ſemina matura ſuffocanda eſſe.

Cæſareorum & Catholicorum de hac ſententia.

§. 39. Cæſarei poſt varias deliberationes cum Catholicis habitas exiſtimabant, catalogum parum exacte conceptum, ac ſi ſubtrahantur, quæ jam executioni data ſint, aut ad miſſionem militum, & evacuationem præſidiorum pertineant, pauca ſupereſſe, nec digna, ob quæ Germania diutius periculo expoſita maneat. Catholici autem Ordines oſtendebant; antequam reſpondere queant, in Superiorem ſibi Germaniam ad ſacrorum ſocios ſcribendum, num hiſce ſit quod opponant, aut prætendant. Quo ipſo tempus eoſdem extractum ire haut in obſcuro erat. Adferebantur interim à Carolo Guſtavo ad Ordines literæ; quibus aperte demonſtrabat, quam parum arctiori modo exequendi innitendum ſit. Quæ ſis Evangelici confirmati, cum Cæſarei ipſis ad ſe evocatis denuo non niſi arctiorem illum modum occinerent, ſatis libere iſta ludibria arguebant, adeo candeſcente Volmaro, ut illos vix adſpectu amplius dignaretur, abeuntibusque dextram porrigere nollet. Evangelici hinc contendebant, præfectos Circulorum denuo per literas monendos, ut quæ circa executionem reſtent, demum abſolvantur: Catholici autem, ut ad congregatos jam Noribergæ Ordinum Legatos ſcribatur, ne ob reſtitutionem miſſio militum, & redditio oppidorum differatur. Super utriſque literis acriter inter ipſos diſceptatum. Evangelici tamen demum, ut ſuæ mitterentur pervincebant, etſi peculiari enumeratione reſtituendorum omiſſa, in univerſum tantum monerent, ut heic legibus pacis quamprimum ſatisfieret. Catholici contra literis ſuis contendebant, ob reſtitutionem militum miſſionem, multo minus conventionem de modo eandem ſuſcipiendi haut prolatandam. Præcipuas res jam expeditas, circa alias expediendas nunc laborari; de reliquis guarantiam pacis,

8. Maji.

Utriusque Religionis Ordines de hac re ad præfectos Circulorum ſcribunt.

22. Maji.

& arctiorem exequendi modum dubitationi locum non relinquere. Quin reſtituendos & apud Ordines, & apud Legatos Succicos declaraſſe, poſt probatum à Cæſare arctiorem exequendi modum, & mandata eo nomine ad præfectos Circulorum emiſſa ſibi haut placere, in ſui gratiam exautorationem differri. Unde contra rationem eſſe, reſtituendis tam lamentabile beneficium, quod cum Imperii exitio ſit conjunctum, invitis obtrudere velle. Mox tamen velut ſui obliti addebant; ſi qui reſtituendi Noribergæ importunis ſolicitationibus Regiis anſam morarum præbeant, eos ſerio dehortentur, ac edicto Cæſareo, & arctiori exequendi modo adquieſcere jubeant; ſi ſecus fecerint, Ordinibus fas fore non minus ab ipſis, quam refractariis orti inde damni reparationem exigere. Ac ut prætextum Regiis adimeretur in reſtituendorum gratiam exautorationem differendi, ſubnectebantur; Præfectos Circulorum denuo moneri, ut executionem ſerio promoveant; citra quam clauſulam Evangelici has literas ſubſcribere nolebant. Ita Evangelici reſtitutionem ſimul cum exautoratione militis procedere cupiebant. Sed Catholici hanc ſolam reſpicere, illam in longum eludere conari, ut Evangelici æque ac Succiæ Regina morarum pertæſi demum & eandem inſuper haberent. 1649.

§. 40. Inter iſtas moras cum omnia querimoniis perſtreperent, hoſpitia, contributiones, militum inſultationes, non levius, quam profecti ante bello populis incubere, demum in triplici Imperii Senatu proponebatur: cum contra claram Pacis diſpoſitionem promiſſa copiarum exautoratio ſextum jam menſem magna cum Germaniæ oppreſſione protracta ſit, quo tandem aliquando fructus pacis deguſtare liceat, annon Succico & reliquo militi extraneo alimenta, non amplius debita, abnuenda? Ac an non conſultum ſit Ordinum ſententiam ad Cæſareos, & Carolum Guſtavum perſcribere. Ad hæc civitates cenſebant; Penes Ordines magis quam Succos moræ culpam eſſe. Illos quippe ad dimittendum militem haut teneri niſi facta reſtitutione ex lege Amneſtiæ, & Gravaminum. Nec Reginam arctiori exequendi modo adquieturam, in quem non conſenſerit, & cujus modicus fructus perſpiciatur. Exiſtimationem Reginæ requirere, ut conventa reipſa impleantur. Cum igitur præter promiſſa ratihabitionibus commutatis reſtitutio bona fide haut peragatur, nec promiſſa pecunia in promtu ſit, Succis cauſam eſſe quare Ordinibus diffidant, & militem mittere haut properent, præſertim Franckendaliæ redditione nondum liquida. Ita præſentius medium haut eſſe, quam ut teſtitutio ſincere, & citra moram peragatur, relegatis tergiverſationibus, exceptionibus, & interpretamentis, ac nudum factum poſſeſſionis, reſpiciatur; tum pecunia congeratur, ac moroſis ſolutoribus hoſpitationes cæteris demtæ imponantur; de Franckendalia, & locis à Lotharingo inſeſſis apud Cæſareos expediatur. Nam niſi præſtitis præſtandis haut conſultum Succicis copiis alimenta ſubtrahere, cum id inſtar indictionis belli habeat. Ita extrema iſthæc omiſſa ſunt. Ex Electoralium tamen & Principalium ſententia ad Cæſareos perſcriptum: Cæſarem ac Ordines omnia præſtitiſſe, quæ Pace conventa ſint. Cæſarem una cum Colonienſi & Bavaro ad dimittendum militem, & reddenda oppida à ſe inſeſſa paratum, jamque ultro ejus rei initium feciſſe. Sed ſocios Reges hæſitare; nec videre ſe, quo jure iidem exautoratio-

Ordines ſuper exautoratione militum conſultant.

7. Aprili.

13. April.

1649. nem huc usque differant, ac post pacem ratihabitam ita duriter Ordines habeant, cum intra duos menses à concluſa pace ad miſſionem militis teneantur. Fruſtra Suecos executionem haut peractam cauſari, quæ nec ipſos tangat, & magnam partem abſoluta ſit, & de cætero per arctiorem modum ita omnia diſponantur, ut de plena executione dubitandum non ſit, multo minus ob eandem cauſam miles tamdiu ſub lignis retinendus. Pecuniam quoque militarem in promtu eſſe. Enimvero Suecos data opera rem extrahere: Tractatus Pragenſes fere ad finem perductos per Suecicum ducem abruptos; inde Erfordiam, Monaſterium, Mindam, Noribergam translatos, ut ſerio ab ipſis rem geri haut adpareat. Addebantur plura, queis Suecі aſpere perſtringebantur. Id ſcripti formaverat Reigersbergius, Hiſpanis mancipatus, & omnia ad Auſtriacorum nutus dirigere doctus; cujus Collega Meelius tamen eidem diſcors cenſebat, iſta à Moguntino Electore haut probatum iri conventu Noribergam jam indicto, de cujus ſucceſſu ampla ſpes ſit. Poſt cum ſentirent, Suecos eo ſcripto offenſos, excuſabant id ad ſolos Cæſareos directum, non ut inter alios divulgaretur. Etſi quæ ad Carolum Guſtavum dabantur literæ, haut parum verborum aculeis refertæ eſſent. Porro hac in re Gallos eadem cum Ordinibus ſentire, non obſcure Grullardus oſtendebat: tempus jam eſſe dictitans, Ordines hoſpitiorum onere levandi, qui non modice ægreſcant, ac facile in deſperationem verti queant. Reſtitutionem ex capite Amneſtiæ, & Gravaminum haut tanti eſſe, ut Reginam de eadem curam ſuſcipere par ſit, præſertim cum Ordines inter ſe conſentiant, nec dubium ſit, reſtituendos utique bonis ſuis potituros.

Galli cum Ordinibus ſentiunt.

§. 41. Supra memoravimus Carolum Guſtavum Succicas legiones in arctiorem compingere numerum conſtituiſſe. Id quod hactenus Ordines probaverant, ac ſummopere deſideraverant: Quin Evangelici neceſſariam eam rem cenſuerant, ac ut perficeretur, Oxenſtiernam monuerant. Sed poſt Cæſarei eandem velut ſuſpectam traducebant jactantes; à Suecis ſuſceptam in ſpeciem modico, ac temporario Ordinum levamento, revera ut ſuperfluos præfectos, & alia ipſis gravia amolirentur, interim exercitum melius digeſtum formidabiliorem, quam unquam antea, redderent. Unde in duas partes diſcedebant Ordinum Legati. Major pars præſtare cenſebat ingentem pecuniæ ſummam, quæ reductioni faciendæ poſtulabatur, periculo haut exponendam, ſed potius plenam exautorationem, & maturam concluſionem negotiationis Noribergicæ urgendam. Tunc demum Suecis promiſſam pecuniam accipere integrum fore. Luneburgici tamen & alii exiſtimabant, reductionem velut gradum ad exautorationem non ſpernendam, ſed ei promovendæ nonnihil pecuniæ concedendum, modo illi Ordines, qui ratam ſuam contulerint, aliquid levamenti inde ſentiant. Sed ad extremum in cujusvis arbitrio relictum, in anteceſſum partem pecuniæ ſolvere ad reductionem legionum, an integra ſolutione ad finem tractatus Noribergici rejecta plenum hoſpitiorum onus tolerare malit. Unde negata pecunia reformatio illa legionum fere hærebat magna cum Ordinum oppreſſione. Ac qui iſta conſilia agitabant, nil aliud videbantur quærere, quam ut tota hoſpitiorum moles Ordinibus incumbere pergeret, licet & ipſis onus iſtud tolerandum eſſet, ut Ordines eo magis adverſus Regios irritati exautorationem poſtpolita reſtitutione inclamarent.

De reductione Succicarum legionum diverſæ Ordinum ſententiæ.

§. 42. Sicuti autem Ordines id anxie agebant, ut tandem aliquando militem amolirentur; ita non minus Suecis curæ erat, ut promiſſam ab Ordinibus pecuniam nanciſcerentur, citra quam militis miſſio inſtitui nullo modo poterat. Enimvero nullibi iſta pecunia in expedito eſſe comperiebatur, quidquid Ordines aſſererent, illam locis conductis jam paratam. Ac ſinguli Ordinum ratam ſuam penes ſe ſervare, nec in commune ærarium conferre velle videbantur, non minus ſibi invicem, quam Suecis diffiſi. Qui & ipſi Ordinibus non plus fidei adhibebant, quam quantum manibus palpare licebat, quod non abſurde metuerent, ne majore exercitus parte exautorata deeſſet, unde reliquis ſolveretur. Et quia Ordines moras exautorationis ægerrime ferebant, ſuſpicio erat, ne futuris penſionibus detrahere vellent, quod in alimenta militum ultra tempus conventum erogatum fuerat. Unde conſultum videbatur, prætenſionem è mora iſta ortam aboleri, ac denuo ſuper duobus millionibus Reginæ caveri. Id quod Oxenſtierna menſe Aprili Monaſterium reverſus diligenter agebat. Quanquam autem Cæſarei ac Ordines conſtanter inficiarentur, ſibi de conventa ſumma quidquam detrahere in animo eſſe, eoque Suecis inſtrumento Pacis ſat caveri contendebant: hi tamen inter tot minas ac infeſtos ſermones ſoli chartæ non amplius fidere tutum judicantes, ſolitam cautionem deliderabant. Unde poſt multam diſceptationem Ordinibus placebat, id negotium ad tractatum Noribergenſem rejici. Quod & Oxenſtiernæ arridebat, ne ob moram ægros hoc negotio magis aſperaret, & quia jam pleraque eo remittebantur, Monaſterienſi conventu ultro ad exitum vergente.

Satisfactio militaris hæret.

Succicationem pro poſtremis penſionibus expetunt.

§. 43. Franckendaliæ reſtitutionem Ordines à Cæſare expoſtulabant, qui pro ea fidem obſtrinxerat. Eoque rogabant, apud Hiſpaniæ Regem obtineret, ne circa id oppidum moram faciat, quod is ſemper teſtatus ſit, ſe Cæſari ac Imperio pacem haut invidere. Sed dubitabant Cæſarei ab Hiſpanis ſe quicquam obtenturos; nam hoſce ſalva exiſtimatione non poſſe non circa redditionem ejus oppidi tergiverſari, velut ab Ordinibus pace excluſos. Sicuti & Legatus Burgundicus Joannes Cuyermannus acri proteſtatione ſuper rupta ab Imperio Romano fœderis Burgundici fide, quam Ordinibus inſinuabat, Franckendaliam inter cæteros offenſionis lapides in tractatione Noribergenſi diſertis verbis allegaverat. Ac judicabant Cæſarei, ſi Elector Palatinus cum Hiſpaniæ Rege egiſſet, aut adhuc ageret, velut qui in pacis factæ partem haut venerit, longe facilius, quam Cæſar, aut Ordines, ſuper illo oppido impetraturum fuiſſe. Idem cum & Galliam cumprimis tangeret, Grullardus Ordines monebat; viderent, ne inde pax detrimenti quid capiat. Ac judicabat, ſi Suecorum ſupremus dux firmiter ejus evacuatione inſiſteret, nullo admiſſo temperamento, Cæſarem forte Hiſpani conſenſum reperturum. Quo ipſo non ſolum totam Germaniam ſibi obſtricturus ſit, ſed & Galliam id inter priora conſtantis & fidelis Amicitiæ, Fœderisque apud poſteros admirandi pignora (his verbis utebatur) reputaturam.

Difficultas de Franckendalia.

§. 44. Inter hæc complurium Ordinum ratihabitiones adhuc deerant, monente licet ſubinde Oxenſtierna, & mirante, quorſum ea tergiverſatio ſpectaret. Tandem cum ipſe Monaſterium acceſ-

Ordinum ratificationes quædam exhibentur.

1649. acceſſiſſet, complures exhibebantur, quas inter & Auſtriaca erat. Sed Electori Palatino ſua non ſolum à Cæſareis, ſed & à Gallis, ac Suecis redhibebatur, quod vetus inſigne, ac titulum Archidapiferi retinuiſſet: quo cedere nolebat, niſi alio Imperii officio mactus. Ac alii de Magni Venatoris Imperii, alii de Theſaurarii munere proponebant, cujus nomine duo claves inſignibus eſſent inſerendæ.

Deliberatio Ordinum ſuper adeundo Conventu Noribergico.

§. 45. Inquirebatur tunc inter Ordines, num qui jam inſtruebatur Conventus Noribergicus ab ipſis adeundus eſſet? Id quod Electorales conſultum judicabant; Principales diſſentiebant, quod vererentur, ne hoc ipſo Monaſterienſis Conventus diſſolveretur. Sed quia Urbici in Electoralium ſententiam concedebant, concluſum, Noribergam utique mittendum, ut tamen Weſtphalicus Conventus continuaretur, quem tolli Ordinibus initio haut placebat, mutuâ communicatione inter utrumque ſervata. Sed Cæſarei aliud plane videbantur ſpectare. Nam uti hunc Conventum ſolvi haut ægre ferebant; ita omni modo impedire conabantur, ne Ordines iterum Noribergæ velut juſtum Imperii corpus congregarentur. Unde cum intelligerent, ab Ordinibus iſta agitari, proponebant de conventu Francofurtum transferendo, ut illos à Regiis divulſos eo facilius ad placita ſua componere poſſent, ſaltem quoad perſpicerent, quomodo res Noribergæ proceſſura eſſet. Sed cum omnes id conſenſu aſpernarentur, ſtudebant Ordinum Legatos quantum poſſent Monaſterii detinere; velut hoc conventu durante alius legitime inſtitui non poſſit. Quod, etſi ab initio ipſis Ordinum Legatis probatum, fruſtra fuit, uno poſt alterum juſſu Superiorum diſcedente. Ad extremum cum Cæſareis perſiſtebant Electorales, quibus iſti plurimum fidebant; qui tamen & ipſi demum avocabantur. Interea etſi circa ſummam rerum Monaſterii parum ageretur, quædam tamen peculiaria pacem ſpectantia heic adducere è re viſum.

Bavarus peculiarem guarantiam omittit.

§. 46. Inſtabat denuo Bavarus, ut Superioris Palatinatus evictio ſibi præſtaretur. Id quod pleriſque Ordinibus probatum, quod Bavarus Electoris Palatini fratribus non renuntiantibus Inferiorem Palatinatum haut redditurus ſit; unde facile novis turbis anſa præberi queat; in quam & ut Palatinus conſentiret per literas exigebant. Quanquam autem Servientus ante diſceſſum eandem ſubſcribere non dubitarat, Oxenſtierna tamen id abnuebat; velut Bavaro haut jus ſit iſtam exigendi, quippe quæ longius tendat, quam Pacis legibus conventum ſit. Rem eſſe mali exempli peculiarem cautionem præſtare in fraudem communis evictionis; & Bavarum non niſi nodum in ſcirpo quærere impediendæ, aut prolatandæ Palatini reſtitutioni. Nec à Regina mandatum ſuper ea re ſibi eſſe. Cæſarei heic ambigue agebant. Nam palam & apud Bavaricos ferebant, ſe ad eam præſtandam paratos, ſi & Suecicus Legatus ſubſcribat, aut ut alii id faciant, permittere velit. Sed privatim apud ſibi obnoxios eandem diſſuadebant velut ſuperfluam. Unde demum Bavarici illa omiſſa totius conventus arbitrio committebant, qua ratione cenſeret Electori, ejuſque poſteris poſſeſſionem eorum, quæ per pacem aſſignata ſint, firmam fore, quocunque demum vocabulo iſta cautio adpelletur.

Extractum Protocolli

§. 47. De atteſtato pro Erfordia ſæpius Suecі Cæſareos monebant, his excipientibus, circa rem transactam iſto non opus videri, inſcio & invito Moguntino. Demum tamen obtinuere, ut pro mitterent, ſe atteſtatum Urbis Deputatis exhibituros, quo adquieſcere neceſſum ipſis foret in eum ſenſum: Moguntini Electoris mentem eſſe, neque Urbi neque ulli alteri quidquam adverſus partam immunitatem, privilegia ac jura inferre, ſed Urbi & quibuſvis aliis conceſſurum, quæ per Inſtrumentum Pacis debeantur. Addebatur, Legatum Suecicum etſi ſolenne Atteſtatum exegerit, ad extremum tamen declaraſſe, eam rem commutationi ratihabitionum haut obfuturam. Quod à ſe dictum Oxenſtierna inficiabatur, eoque Moguntino id redhibebat, interpoſita proteſtatione, ac ut ſibi reciperet Noribergæ id poſtulatum iri. 1649 pro Erfordia.

Irrita negotiatio circa vectigal Oldenburgicum.

§. 48. Circa vectigal Oldenburgicum Lubecenſes & Hamburgenſes ſuſcepta interpoſitione Bremenſibus perſuaſerant, ut Comiti, ſi iſto cedere velit, centum millia uncialium offerrent. Sed Comes vectigali inhærens, non niſi de ejuſdem exigendi modo agere volebat, etſi oſtenderetur, ex uſuris ejus ſummæ plus rediturum Comiti, quam quanti ſit illud vectigal, exemtis iis, queis immunitatem pollicitus erat, & detractis impenſis. Sed cum nulla tranſactionis ſpes eſſet, Urbici contendebant, id negotium ex ſua natura ad Pacem haut pertinere, quippe ab Amneſtia & Gravaminibus ſeparatum; prout &, dum pax ſubſcribitur, & ratihabitio hinc inde traditur, de diſſenſu ſuo teſtati fuerant. Eoque & à cæteris Ordinibus ſcripto poſtulabant; efficerent, ne quid Comiti in hac cauſa adverſus Bremenſium commercia indulgeatur, ſed is ad amicam transactionem permoveatur, tam æquis conditionibus jam oblatis. Lubecenſis quoque antequam Monaſterio diſcederet, extractum protocolli Cæſarei exigebat ſuper proteſtatione in actu commutationis nomine Civitatum interpoſita. Cui extracto tamen ſubnectebatur; Moguntinum proteſtationi contradixiſſe, eamque pro inani declaraſſe. 5. Maji.

Tradi-io Præſulatus Halberſtadienſis differtur.

§. 49. Super tradendis Halberſtadienſi & Mindenſi Epiſcopatibus poſt longum ſilentium Brandeburgicus menſe Majo denuo movebat. Quam quidem gravibus de cauſis haut inutilem judicabat Carolus Guſtavus, eoque Kœnigsmarckio & Steenbockio, ut illam perficerent, injunxerat certis tamen legibus, ſuper quibus ut cum Electoris Legatis tractaret Oxenſtiernæ mandabat. Sed interim Regina Oxenſtiernam iſta traditione ſuperſedere juſſerat, quoad ordo reſtitutionis Saxoniam Inferiorem & Weſtphaliam tangeret. Unde id negotium hærebat, utut jam Brandeburgici Legati Halberſtadii & Mindæ ſolenni ingreſſu recepti eſſent. Qui re infecta inde digreſſi paſſim ac inprimis Noribergæ ſuper inhibita hac immiſſione acriter querebantur ac oſtendebant; ad ſecuritatem ſuam opus eſſe, ut vel à Regina ratihabitio eorum, quæ Noribergæ concludenda ſint, mature adferatur, vel interim peculiare procuratorium ad hanc conventionem attemperatum præſto ſit, quod tantiſper depoſitum ſervetur, quoad Reginæ ratihabitio adſit. Quod paulo poſt Carolo Guſtavo à Regina fuit transmiſſum.

Brandeburgicus Mindæ jus proprii præſidii abnuit.

§. 50. Circa iſtam traditionem maxima difficultas in eo vertebatur, quod Minda urbs Suecico milite deducto omni deinceps præſidio immunis eſſe cuperet, velut quæ jus proprii præſidii ab antiquiſſimis temporibus poſſideret. Unde Electoris menti explorandæ ad ipſum Cliviam mittebatur, qui ſignificaret; urbem antiquo jure cohor-

1649. tem trecentorum capitum præſidii cauſa conducturam. Sed Elector reſponſo ſuo id jus plane inficiabatur, velut è præcipuis regalibus & reſervatis Principis; quod ſolo iſti competat, ad quem Jurisdictio & ſuperioritas Territorialis ſpectet. Atqui oppido jus territorii non eſſe, nec ex literis, quæ proferantur, Epiſcoporum Mindenſium & Ducum Luneburgicorum id demonſtrari poſſe, præſcriptione quoque illiquida. Ea cuſtodia provinciæ parum caveri; ac grave id onus ſoli oppido fore, ni & provincia in ejus partem veniat. Denique abſurdum eſſe, ſi Princeps in protectionem propriæ urbis, in qua ſedem habeat, tradere ſe teneatur. Cætera tamen jura, quæ urbs ante bellum obtinuerit, ſe haut turbaturum teſtabatur.

Weſtphalicus Conventus paulatim diffluit.

§. 51. Inter hæc ad finem vergebat Conventus Monaſterienſis. Jam menſe Aprili diſcedebat Noribergam Lambergius Comes. Eum ſequebatur ſub initium Julii Volmarus, per quem pleraque tam Gallico, quam Suecico tractatu acta fuerant, qui à Serviento ſubinde *cautus ille ſenex* nuncupabatur. Remanebant quidem Monaſterii Naſſovius Comes & Cranius; ſed credebatur illos pauca, quæ momenti alicujus eſſent, ſuſcepturos, aut peracturos. Aderat quoque adhuc Fabius Chiſius & Aloyſius Contarenus; ſed abſoluta pace Cæſarea cum Gallis, & abrupto inter Gallos & Hiſpanos tractatu otioſi. Utrique à Cæſare & Galliæ Rege inſignia dona offerebantur. Sed Chiſius iſta acceptare recuſabat, jactans, cum hac pace nil ſibi negotii eſſe: Regis Galliæ nomine La Curius Gruillardus Monaſterii erat, qui Serviento digreſſo Legati cum dignatione ibi commorari juſſus erat. Sed cum in procuratorio ejus hæc tantum verba extarent, ut agendi poteſtatem haberet *cum Legatis & omnibus Principibus & Urbibus Germaniæ*, Cæſarei mandato ex aula accepto cum ipſo publico nomine nil commercii miſcere volebant, ni pleniore mandato inſtrueretur; quod & per Contarenum ipſi denuntiabant. Is juſſus erat Noribergam ſe conferre, quamprimum Monaſterienſis Conventus ſolveretur, & Ordines ibidem juſti conſeſſus Imperii formam acciperent. Qui & non modicum operæ pretium facturus credebatur, poſtquam internæ in Gallia turbæ conſediſſent; queis, qui rationes ſuas ſuperſtruxerant, malevoli nunc longe tractabiliores quam hactenus ſe gerebant. Quo nomine Volmarus Hiſpanos arguebat, quod dum præpropere Archiducem urgent ad expeditionem in Galliam ſuſcipiendam, Gallis tantum non neceſſitatem attulerint inteſtinæ concordiæ inſtaurandæ.

De la Cour Gruillard.

5. April. Quæ & ipſa res Lotharingi conſilia non parum turbaverat, qui ſub id tempus, quo animo incertum, ad Carolum Guſtavum & Oxenſtiernam per familiarem ſuum Ruſſilotum Hedivalium literis ſcriptis geſta hactenus à ſe arma excuſabat, quod præter auxilia Imperio lata nullam unquam bello cauſam præbuerit. Tum ſe peculiari tractationi admittendæ, & ad ſulcienda Reginæ deſtinata, ac pro virili officiis præſtandis paratum. Nam cum Cæſar ac Imperium in pacificatione cauſam ſuam neglexerint, ſe ad auxilia illi ferenda haut amplius teneri, ſed potius fas ſibi eſſe viam legitimæ vindictæ, & ut acceptorum damnorum reparationem nanciſcatur, meditari. Reginæ nomine Monaſterii agebat Biœrnclovius, quod Oxenſtierna menſe Aprili Oſnabrugam regredi juſſus eſſet, quoad Noribergica conventio abſolveretur. Ordinum Legati initio juſti Conventus ſpeciem præ ſe ferebant, ut tamen Catholici numero longe prævalerent, ac Evangelicis nonnulla haut ſatis congrua obtruderent. Sed primo paulatim diſcedebant Civitatum Legati; unde harum Senatu ſoluto à reliquis juſta amplius decreta condi non poterant. Principum quoque Legati itidem ſparſim domum avocabantur; qui tamen aſſeverabant, Noribergæ à ſe Conventum inſtaurandum. Ac judicabatur Legatis haut alio mandato, quam quod hactenus habuerint, opus eſſe, quod conventus Noribergicus vix aliud, quam Weſtphalici continuatio ſit executioni dandis, quæ heic decreta forent. Ad extremum cum Cæſareis ſubſiſtebant Electorales in menſem uſque Junium, 16. Jun. quando Meelius Moguntinus, (nam Reigersbergius dudum avocatus fuerat,) directorio abdicato diſceſſit, quem Krebſius Bavaricus, & Leuberus Saxonicus ſecuri ſunt. Poſt quos & reliqui omnes intra Septembrem menſem in diverſa abiere.

Acta circa Capitulationem Oſnabrugenſem.

§. 52. Antequam ad Conventum Noribergenſem accedamus, memorandum eſt, quibus ambagibus Oſnabrugenſis Prætul Franciſcus Wilhelmus capitulationem perpetuam, de qua Inſtrumento Pacis cautum erat, eludere conatus ſit. Super iſta expedienda cum Oxenſtierna moneret, Ordines ad ſolos eos, quorum intererat, eandem ſpectare judicabant: inter quos ſi convenire non poſſit, penes ipſos fore, quos velint mediatores adhibere. Et Langenbeckius quidem Luneburgicus Legatus, cum rem ſatis difficilem perſpiceret, Evangelicos ut ſibi aſſiſterent rogabat; à quibus quid ſubſidii tulerit nobis haut compertum. Inter Cæſareos Volmarus Sequeſtris partes ſuſceperat. Galli id negotium parum curabant: Sueci nec ipſi excludi volebant, & eorum operam Luneburgici, & provinciales Ordines expetebant. Præcipua lis ſuper numero templorum Catholicis, aut Evangelicis reliquendorum erat, quorum quinquaginta tria Præſulatus continet, Oſnabrugenſi urbe excepta. Equibus Evangelici primo quinquaginta, hinc triginta octo retinere cupiebant, cum Catholici non niſi octo illis concederent. Cæſarei æqualem utrique parti numerum ſorte aſſignandum cenſebant; id quod neutri probabatur. Altera lis erat ſuper Conſiſtorio expediundis negotiis ſacris, cujus conſtituendi poteſtatem Luneburgici, ac Provinciales Ordines ſibi tribuebant; Epiſcopo contendente, jura ſibi Epiſcopalia, & Archidiaconatus integra, in ipſos quoque Evangelicos valitura. Qui & jactabat, Jeſuitas & Capucinos Oſnabrugæ reſtituendos, quod anno viceſimo quarto non quidem plene, ſed *intentionaliter* (ita loquebatur) in poſſeſſione ſuorum Cœnobiorum fuerint, & alias in urbe latitaverint. His pervincendis Epiſcopus machinabatur, ut citra præviam conventionem Epiſcopatus poſſeſſionem invaderet, quo Evangelicos pro lubitu habere poſſet. Sed obſtabant Sueci, qui cum id ab iſto agi ſentirent, ipſi denuntiarunt; nullum oppidum ipſi reſtitutum iri, ſed cuncta fortaſſe Luneburgicis tradenda, ni Capitulationem rite abſolverit. Unde Epiſcopus per Cæſareos pacto ſe promptum; ſimul omnia in ſtatum anni viceſimi quarti ſe repoſiturum oſtendit. 29. April. Dubia in præſenti ſtatu relictum iri, quoad per arbitros pari utriuſque religionis numero decidantur. Eam tractationem abnuere Sueci ac Evangelici haut poterant, quod metus eſſet, ne Epiſcopus paci infenſus, Hiſpaniſque obnoxius, ac natura vindictæ avidus alios Catholicos præſentia adſpernantes ſibi ſociaret, noviſ-

1649. novisque turbis recens transacta Pontifice, & Hispanis applaudentibus everteret, reparandis illis, quæ, uti ferebant, Cæsar & Catholici per injuriam temporum concedere necessum habuerant. Sedebat tamen Tabulas Pacis examussim sequi, quibus non ita presse ad anni vicesimi quarti statum obstringebatur, (ob versiculum *ita tamen* Articuli XIII. §. *Tertio status religionis*,) quæ verba Legati Suecici in favorem Evangelicorum inseruerant. Eoque magna cautione opus judicabant, quod Episcopus omnes parochias, quorum pastores dein graves inter persecutiones sacrorum professionem mutaverant, inter Catholicos trahere constituisset. Sed nec tutum videbatur Episcopum in possessionem præsulatus mittere, controversiis
8. Maji. ad alienam decisionem rejectis. Ita templorum partitio à Langenbeckio designata; super qua sententiam suam declarare diu differebat Episcopus, Noribergensium tractatuum eventum captans,
20. Maji. qui tunc paulo turbidiores apparebant. Demum prodibat Episcopi declaratio, sed qua partem eorum, quæ antea concesserat, retractabat; ante omnia autem provincialibus sacrorum libertatem abnegatam ulteriori tractatui seponebat. Quæ tamen primo loco stabilienda erat, quod alias alternante Episcopatus possessione; sacra provincialium singulis cum Præsulibus mutanda forent. Quod cum Episcopus odio Protestantium flagrans abnueret, negotiatio hærebat. Qui & ut templa dividerentur, detrectabat, jactitans; malle se in Italia pauperem Abbatiam emendicare, quam in fraudem Romanæ Ecclesiæ quid concedere. Simul ut Præsulatus possessionem usurparet, præfectos ad reddendas sibi rationes evocabat, & à Gustavi constitutos administratione abstinere jubebat. Quos cum Sueci parere vetarent, magno se olim malo istos mactaturum minabatur. His Episcopi tergiversationibus motus Langenbeckius Oxenstiernam urgebat, ut munita præsulatus loca in Luneburgicorum manus traderentur, quoad Episcopus Capitulationem absolveret, reditibus interim apud Gustavisonium manentibus. Nec ist hoc legibus Pacis repugnare, cum parati sint Episcopo præsulatum restituere statim, atque is ad
11. Jun. quod ex Pace teneatur præstiterit. Eum in sensum conventionis formula à Secretariis utrinque subscripta est; cujus apud Luneburgicos haut spernendus effectus sentiebatur, quod hi Catholicis mascule inde resisterent, & data occasione Reginæ destinata Noribergæ omnibus fere congressibus propugnarent. Ea de conventione cum Episcopo innotuisset, hic Grullardum in suas partes pertrahere nitebatur; sed cui à Suecis solide ostensum, per leges pacis fas sibi esse operam dare, ne omissa capitulatione Evangelici sævitiæ infensi hominis exponantur. Nec eo minus tam Suecis, quam Luneburgicis tutius videbatur Capitulationem perfici, cujus tractatus mediatore Volmaro Monasterii instauratus est, ubi post varias Episcopi tergiversationes, & jam concessorum retractationes eo res deducebatur, ut super numero parochiarum utrinque prope conveniret provincialibus haut consultum ducentibus, ob duo aut tria templa bello ansam præbere, sed super Consistorio res hærebat, quod Episcopus nullo modo Evangelicis concedere volebat, ni Franciscanorum & Augustinianorum Cœnobia Osnabrugæ restituerentur. Quod cum urbs adpernaretur, ac Luneburgici Consistorium cum libero religionis exercitio conjunctum judicarent, alternante cumprimis inter Evangelicos & Catholicos Præsulatus regimine, tractatus iste tunc abruptus est. 1649.
Ac videbantur Episcopus & Volmarus Jesuitarum & Monachorum favorem captare voluisse, 3. Jul.
velut in horum gratiam negotium id infectum reliquissent, sane iidem per istos dies Volmari ædes magno numero frequentabant, cum antea ipsum detestarentur ob male adornatum, uti ferebant, circa Gravamina articulum. Is discedens Contareno dixerat; sibi ipsem esse Noribergam ante tractatuum conclusionem attingendi; ac ibi majus operæ pretium pro Episcopo & Catholicis, quam Monasterii faciendi. Tanto magis tam provinciales, quam Osnabrugenses, queis & Episcopus ob detracta Petriburgo munimenta actionem intentabat, Carolo Gustavo & Oxenstiernæ causam suam commendabant, ne is Noribergæ Capitulationem pro lubitu formaret, neu citra eandem in provinciæ possessionem admitteretur; id quod iste summopere affectabat.

§. 53. Dum hæc in Westphalia geruntur, Caro- Conventus Noribergæ instituitur.
lus Gustavus expediendæ conventioni super exautoratione militum, & oppidorum traditione Neumarcum abire decreverat, simul delegatis Cæsareis Pragæ per Wittenbergium insinuaverat, ut una cum Bavaricis, si videretur, Ambergam se conferrent, conventui eum ob finem Noribergæ habendo, aut si alius locus magis placuerit. A quibus etsi nihil adhuc responsi accepisset; tamen
Minda ad Piccolomineum literis datis de instituto 3. Mart.
suo significat, & se quamprimum Sueinfurtum accessurum, ejusque declarationem ibi expecaturum. Idque mox literis Sueinfurto datis ad eun- 24. Mart.
dem iterat; pariterque Enckefortium Bavaricum ducem huc invitat. Idem sub finem Martii Sucin- Generalissimus Moguntinum invisit.
furto Herbipolim ad Moguntinum Electorem accedit, cum ipso super instantibus tractatibus sermones collaturus, velut qui præ omnibus Catholicis moderata consilia secutus fuerat, egregia opera ad concludendam pacem navata. A quo magnifice exceptus post plures congressus iterum Sueinfurtum abiit. Pollicebatur Carolus Gustavus 8. Aprii.
missionem militum curæ sibi fore; Moguntinus pro restitutione Ordinum se connixurum; quo fine & suos Noribergam sit ablegaturus. Cum tamen Suecicus dux de legionum combinatione, ac inchoanda jam exautoratione, eoque fine emissis assignationibus pecuniariis mentionem faceret, Moguntinus se cum aliis Ordinibus deliberaturum respondebat. Cui vicissim Carolus Gustavus ostendebat; hac ratione à Regina arma honeste ac tuto poni non posse, præsertim cum recentia ac vetera exempla doceant, quanta cum circumspectione ejusmodi negotium sit suscipiendum. Ordines ipsos causam præbere, quare onere, cujus diuturnitate tantopere ingemiscant, ita brevi, sicut ipse optet, levari nequeant. Nam sine pecunia exautorationem militum peragi non posse, nec id conventis pacis congruere. Simul ostendebat, se non integram summam simul exposcere, sed pro ratione copiarum successu temporis exautorandarum, modo integra summa ad communis exautorationis usum in promtu sit. Obiter quoque de locis quibusdam in Suecorum manu relinquendis, quoad restitutio plene facta sit, injiciebat; id quod Elector haut improbare videbatur.

§. 54. Enimvero parum aberat, quin quam Idem de propositione Monasterii facta ipsi exprobrat.
iste de Moguntini candore conceperat persuasionem Meelii nuper Monasterii facta propositio consumeret, quam ab hoc digressus mittente Bioern-
clovio acceperat. Unde citra moram Alexandrum

Erskei-

1649. Erskeinum retro Herbipolin ablegat, ſuper ea propoſitione ipſius mentem exploraturum, ac num eodem præſcio, ac jubente illa facta ſit. Hic eandem ab aliquo ex Ordinibus ſecreto communicatam ſimulans memorat, Carolum Guſtavum ab Electore tale quid haut expectaſſe, velut qui amplis verbis cupidinem explendæ pacis abſque fraude Reginæ ſæpius teſtatus ſit. Nec obſcurum eſſe, quid adverſus periculoſa iſthæc deſtinata conſilii ſibi capiendum, quod in Electoris ditiones inprimis redundaturum ſit. Plura parantem addere, mutatus in facie Electoris color, ac geſtus velut rem improbantis permovebant, ut ad finem ſermonis properaret; Principem pro amicitia recens contracta non potuiſſe, quin ipſius de hac re ſententiam cognoſceret. Ad quod Elector ſtatim reponebat. Id plane inexpectatum ſibi accidere, & vix quid reſpondendum ſit noſſe. Meelium ejuſmodi conſilia turbulenta ſemper averſatum; ac ſe Electorali dignatione ſuſcepta eundem Reigersbergio ideo adjunxiſſe. Edidiſſe illum Oſnabrugæ & Monaſterii egregia ſpecimina, & nihil aliud in mandatis habere, quam ut ſociis Regnis in æquis negotiis adſiſtat; id quod & Regiis Legatis hactenus abunde adprobarit. Quia etiam intellexerit, Cæſareos Conventum Weſtphalicum diſſolvi cupientes Reigersbergium ad miſſionem petendam permoviſſe, ut ſublato Directorio nihil rerum geri amplius poſſet; Meelio injunxiſſe, ibi commoretur, quoad ullus Legatorum ſuperſit: ſimul ut apud Cæſareos expiſcetur, num pacem ſervare animus ipſis ſit; quo fine ſcrupulos quoſdam adverſus ea in injicere debeat. Huic fini ſi Meelius tam aſpera media adhibuerit, ſtolide, ac pueriliter feciſſe, nec ſeguiter eo nomine increpandum; ac ſtatim curiorem Monaſterium mittendum, ut omnia iſta ocyus corrigantur.

Electoris declaratio.

9. April. Eundem fere ſenſum literæ ad Carolum Guſtavum exprimebant, quibus de ſincero in pacem ſtudio prolixe teſtabatur; ac Noribergam ſe miſſurum, junctaque opera executionem pacis promoturum. De quo inſtituto mox quoque præfectis

18. April. Circuli Franconici ſignificat, ac ut in hoc negotio operam ſecum ſocient, hortatur.

Carolus Guſtavus exercitum propius contrahit.

§. 55. Nec eo ſecius Carolus Guſtavus aeri ſuſpicione perſtrictus, accedentibus & jam ab Electore Saxoniæ, aliiſque minacibus literis, infenſiſque ſermonibus, militem per hiberna late ſparſum quantum dabatur propius contraxit, ut ſi opus foret brevi tempore in unum locum coire poſſet. Ac ut Ordinibus, ſuper mora conventus Noribergici querimonias cientibus aliquantum ſatisfaceret, ſublevandis hoſpitiorum oneribus calones, & impedimenta amovit, ac per præfectorum avaritiam inventa circumcidit; ne alimenta in plures, quam revera ſub ſignis erant, præberentur, ac ultra juſtum pretium ne taxarentur. Sed & Ordinibus ad minaces literas oſtendebatur, aliter à ſe agi non potuiſſe, ni ipſis æque ac ſibi illudi velit; præſertim cum & pecuniæ militibus deſtinatæ modica adhuc pars collata deprehendatur, ſine qua exautoratio ſuſcipi nequeat.

Duces partium Noribergæ conveniunt.

§. 56. Porro cum ad Caroli Guſtavi literas Piccolomineus reſpondiſſet, brevi ſe Noribergæ adfuturum Cæſareis mandatis inſtructum: iſte Sueinfurto Neumarcum ſe confert, ne qua in ſe mora foret. Paulo poſt Noribergam Piccolomineus, & inde Carolus Guſtavus Wrangelio, ac

15. April. 22. April. 24. April. multis ducibus comitantibus ingreditur. Advenit etiam Oſnabruga Lambergius Comes, quem cum Succicus Dux Cæſarei plenipotentiarii dignatione ad hunc conventum agnoſcere nollet, mox iterum diſceſſit. A Bavaro aderat Royerius ſupremus vigilum Præfectus, & Oexelius; à Colonienſi Furſtenbergius Comes; tum & ab aliis Ordinibus Legati paulatim acceſſerant. A Galliæ Rege Vautortius & Avaugurius huc deſtinati fuerant. Carolum Guſtavum ſtatim Ordinum Legati præſentes, aut prout quiſque adventabat, honoris gratia ſalutabant, Saxonico Electorali excepto, qui à Cæſareis ſolis pendere juſſus ferebatur. Piccolomineus viſitationem ſuam octo per dies obtentu valetudinis differebat; quam poſt per tres tribunos ſibi denuntiatam & exhibitam, 5. Maji. ſequenti die Dux Succicus pari honore repo- 6. Maji. nebat.

Circa Deputatos Cæſareos difficultas.

§. 57. Initio Conventus ſuper ablegatis Cæſareis Blumenthalio & Lindenſpurio difficultas orta eſt, quod hi juxta Piccolomineum pari dignatione haberi vellent, velut eodem Cæſareo procuratorio comprehenſi. Sed cum Carolus Guſtavus iſtos hoc gradu ad tractatus admittere abnueret, quod executionis tractatus Pacis Inſtrumento ſolis ducibus deſtinatus eſſet, id temperamenti inventum, ut tam Cæſarei iſti, quam quos Carolus Guſtavus ei negotiationi adhibebat, Alexander Erskeinus & Benedictus Oxenſtierna Gabrielis F. durante hac negotiatione Deputatorum vocabulo & dignatione à Carolo Guſtavo ac Piccolomineo haberentur: ab Ordinibus autem Cæſareorum ac Regiorum Legatorum honore afficerentur.

Succorum propoſitio & Cæſarianorum reſponſio.

§. 58. Primo congreſſu, qui in Curia fiebat, poſt præmiſſa ſolennia placebat, Succos certam propoſitionem, ſuper qua deinceps agendum ſit, ſcripto exhibere. Id quod ab his factum, poſtulatis in ſex articulos digeſtis; quod exemplum & Galli imitati ſunt. Primo loco monebatur de reſtitutione ex capite Amneſtiæ & Gravaminum, quæ intra menſem à conventionis hujus concluſione plene effectui danda ſit. Subnexus eſt catalogus eorum queis reſtitutio debebatur. Contra Cæſarei ab hoc tractatu reſtitutionem ſeponendam cenſebant, nec ſi circa eandem dubii quid aut moræ interveniat, exercituum miſſionem, aut præſidiorum deductionem ideo procraſtinandam. Hinc poſtulabatur, ut prima penſio trium millionum in promtu ſit pro arbitrio Supremi Ducis diſtribuenda; de qua Cæſarei haut diſſentiebant. Tertio loco cautio exigebatur ſuper reliquis duobus millionibus; cui petito Legati Ordinum Monaſterii cauſam præbuerint, variis modis Leges Pacis à Succis violatas arguentes, nec obſcure minis ſparſis. Cæſarei alia cautione haut opus eſſe excipiebant, quam de qua in Tabulis Pacis diſpoſitum ſit. Quarto loco de copiis utrinque terna die exautorandis; & quinto de præſidiis triplici itidem termino deducendis monitum; circa quæ maxima difficultas ſurgebat. Sueci hoc Hiſpanos & Lotharingum complecti cupiebant. Unde in deſignatione locorum evacuandorum Franckendalia in frontiſpicio primi termini; à Lotharingo inſeſſa Landſtula, Homburgum & Hammerſteinum ſecundo termino ponebantur. Contra loca Marchiæ, Miſniæ & Thuringiæ ad tertium terminum rejiciebantur; oppidis ulterioris Pomeraniæ plane omiſſis, quod Regina illis non niſi poſt transactionem cum Brandeburgico ſuper limitibus cedere nollet. Ab Haſſis inſeſſa loca cum Colonienſibus permutanda.

Oſna-

1649. Oſnabrugenſia præſidia manſura, quoad Epiſcopus legibus Pacis ſatisfeciſſet. Contra Cæſarei in ſua deſignatione Franckendaliam, & à Lotharingo detentas arces plane omittebant, ac temperamentum aliquod meditabantur, quo reliquorum oppidorum redditioni mora fieri non debeat. Tum in gratiam Saxonis & Brandeburgici non ſolum Miſniæ, Thuringiæ & Marchiæ loca, ſed & Colbergam & reliqua ulterioris Pomeraniæ oppida in primam claſſem pertrahebant. Landgraviam porro per leges Pacis teneri ſtatim à ratificatione omnes copias dimittere, & occupatas Provincias munitaque oppida reſtituere. Id quod ſtatim, aut ſaltem primo termino faciendum. Demum Oſnabrugenſia præſidia ſimul cum aliis Weſtphalicis deducenda. Denique ſexto loco Amneſtiæ Succi nominatim includi volebant, Wurbium & Althanium Comites, Tribunumque Odovvalskium, ac ut Amneſtia ad plenam uſque exautorationem militum extendatur, ne forte ſi à concluſa Pace quædam facta arguantur, in poſterum illa vindicentur. Sed Cæſarei ſimpliciter ſancitæ in Pace Amneſtiæ inhærendum judicabant. Appendicis loco addebant de reddendis actis, ac machinis, ac præcipue quæ poſt concluſam pacem è theſauro, & archivo Pragenſi amota fuerint.

Succorum Replica.

§. 59. Ad Cæſareorum exceptiones reponebant Sueci. Nunquam ſe dubitaſſe, quin conventa Pacis à Cæſareis fundamenti loco ponerentur; mirum tamen ſibi viſum, iſtius effectum variis interpretationibus, tergiverſationibus, remiſſionibus ad petitorium, aut violentia adhibita impeditum, eluſumve; cum tamen confirmetur, ſi edictum Cæſareum de Pace, & arctior, quem vocant, exequendi modus eodem ſtudio, quo edictum anni viceſimi noni, obſervatus fuiſſet, duos menſes executioni ſtatutos abunde ſuffecturos fuiſſe. Cum itaque leges Pacis ſolius Cæſaris directioni executionem ejuſdem commendent, Reginam ab eo ſolo iſtam exigere. Eoque Cæſareos denuo moneri, ut reſtitutionem ex Amneſtia & Gravaminibus utique abſolvi curent. Equidem ſi quæ nova gravamina in Imperio ſuboriantur, eorum executionem Reginam ſibi haut vindicare. Sed ſuper præteritis Evangelicorum oppreſſionibus eandem armis ſuccinctam non cognoviſſe ſolum, ſed & decidiſſe; quarum executio ipſi jure meritoque curæ ſit, ni ſibi culpam injuſte moti belli, & tanti ſanguinis temere effuſi impingere velit. Si quæ deinceps dubia oriantur, ad Comitia rejici par eſſe. Pecuniam militarem confidere ſe non nudis verbis, ſed re ipſa repræſentatum iri. Præſtitis quæ convenerant, ſe decem millibus extraneorum peditum ad oppidorum præſidia retentis, ac indigena milite domum reducto, reliquos plane exautoraturos; eoque noſſe cupere, quantum militum Cæſar ſub ſignis ſervaturus ſit. Deſignationem locorum evacuandorum à Cæſareis exhibitam diſpari valde proportione adornatam. Haut perſuaderi ſibi de Franckendalia Hiſpanum, de Homburgo, Landſtula & Hammerſteino Lotharingum difficultatem moturum, cum ſuper reſtituendis illis locis perſpicue cautum ſit, ac Cæſarei Commiſſarii, dum pax concluditur, & ratihabitiones commutantur, Regiis interrogantibus reſponderint, circa illa loca moram non fore. Quod ſi Cæſarei quæ pax dictat implere abnuant, ſe quoque promiſſis ſuis antea factis amplius nolle teneri. Et quia non iſta ſolum; ſed & circa reſtituendos Ordines tergiverſatio de præſtandis in poſterum non parum ſcrupuli moveat, ſecuritatis ſuæ magis curam habituros, ac circa reddenda Bohemiæ, Moraviæ & Sileſiæ loca paulo tardiores fore, initio reſtitutionis ab Ordinum oppidis facto. Unde à Cæſareis ſe deſiderare declarationem nulla exceptione circumſcripram. Haſſicarum copiarum exautorationem ſimul cum Succicis faciendam. Nec Oſnabrugenſia præſidia deducenda, quamdiu Epiſcopus pacis legibus ſatisfacere abnuerit. Quid ſuper duobus poſterioribus millionibus Tabulæ Pacis diſponant, ſatis ſibi conſtare; ſed ipſis Cæſareis expendendum relinquere, an non cauſæ affatim ſit ejuſmodi cautionem exigendi. Denique Amneſtiam non ad tres illos ſolum porrigendam, ſed & ad plenam uſque exercitus deductionem extendendam, quod diuturnæ hoſpitationis culpa non penes Reginam, aut milites hæreat, quos & omni actione de damno dato liberari par ſit.

1649.

De hac replica judicium.

§. 60. Circa hoc reſponſum, cum Monaſterium perlatum eſſet, Evangelici initio nihil deſiderabant. Sed cum Cæſarei male ominari inciperent, velut ex ejuſmodi verborum acerbitate facile in bellum erumpi iterum poſſit; iſti quoque queri cœperunt, aſperum id nimis eſſe, præſertim poſt pacem jam concluſam, cum vix media inter arma pari vehementia ſcriptum ſit. Diſplicebat quoque, quod dictum eſſet; per Pacis conventa executionis directionem Cæſari tributam; & ideo Reginam ei ſoli inſiſtere. Nam ſi iſtud Cæſari citra exceptionem tribuatur, eundem poſthac paulatim omnia id genus negotia magno cum Reipublicæ damno ſuæ cognitioni vindicaturum. Sed oſtendebatur contra: inter Pacis quoque tractatus aliquoties in aſpera verba proruptum. Nec Cæſareos mollius locutos, dum culpam ſegnius progreſſæ executionis Suecis impingunt; unde par pari relatum. Nunc cum aperte conſtet, Cæſareos non feciſſe, quod per decreta Pacis, & arctiorem exequendi modum debebant, ac nihilo ſecius ſibi gratiam captare, in alios invidiam devolvere ſatagant, nimirum penes quem revera culpa ſit, haut amplius diſſimulandum. Denique Cæſari haut quaquam novum jus tribui in fraudem Ordinum; ſed quia ſuper reſtitutione ex capite Amneſtiæ & Gravaminum non tam cum Ordinibus, quam Cæſare diſceptetur, & præcipuæ circa executionem partes penes Cæſarem ſint, merito hunc urgeri, ut iſtam promoveat. Cæſareis haut leviter perſtrictis non placebat ſcripto reſpondere; ſed oblique petebant deinceps inter utrinque Deputatos controverſa capita ſermone expedienda, quoad ſuper formula certi pacti conventum ſit, declinandæ exacerbationi animorum è ſcriptorum colliſione proventuræ. Id quod & Carolo Guſtavo probabatur, eoque pluribus congreſſibus deinceps ea res diſcuſſa.

Cæſarei ſcripto reſpondere nolunt.

21. Maji.

Reſtitutio pauliſper deponitur.

§. 61. Porro articulum de Reſtitutione Cæſarei plane ſeponere cupiebant, cujus nullo habito reſpectu conventionem abſoluturi erant. Eoque invitis valde nuntius accidebat, de coronatione Reginæ in proximum annum prolata; quod ſperaſſent, Carolum Guſtavum præcipitata conventione & neglecta reſtituendorum cauſa in Sueciam properaturum. Quæ ſpes etſi ipſos falleret, haut eo minus tamen obtinebant, ut illa pauliſper differretur, quod novis ſibi mandatis ad hoc negotium à Cæſare opus ſit, quæ propediem expectent. Unde ſtatim agere cœperunt, qua ratione exautoratio commodiſſime inſtituenda ſit. Ea cum ſalva Reginæ dignitate, & ſecuritate expediri nili præſente pecunia haut poſſet, Sueci monebant,

Sueci ſolutionem urgent.

1649. nebant, non ſolum octies decies centena millia uncialium ſtatis locis parata eſſe debere, pro Caroli Guſtavi arbitrio diſpenſanda, ſed & aſſignationes reliquæ ſummæ mature expediendas, quo legionibus ſtatim antequam deducantur ſatisfieri queat. De quo Cæſarei ad Ordines ſe relaturos pollicebantur.

Ordines per formam Collegii iterum conſultant.

§. 62. Inter hæc Noribergam frequentes Ordinum Legati venerant, ſed initio parum concordes, cum vix ullo tempore iisdem ſincera animorum conjunctione magis opus foret. Quod cum patriæ amantes viri agnoſcerent, hortatibus demum Directorem Moguntinum impulerunt, ut

14. Mart. utriusque Religionis Ordines in hortum quendam convocaret appolitis bellariis, ne juſti Senatus ſpeciem congreſſus ille haberet; ubi quid circa præſentem negotiationem faciendum, conſilia conferebantur. Cur Senatum convocare dubitaret Moguntinus, rationes adferebantur; quod Cæſar Electores nominatim huc convocaſſet, non item Principes ac cæteros Ordines. Et quia Monaſterienſis conventus nondum expiraverat, haut congruere videbatur, eodem tempore diverſis locis duo Ordinum corpora conſtitui. Sed reponebatur: ob temporum conditionem ac ſummum in mora periculum ſolenni invitatione haut opus eſſe, cum ipſa neceſſitas quemlibet huc evocet: ac eam rem non magis Electores, quam reliquos Ordines tangere, nec hos tuendis propriis commodis ac juribus hinc excludi poſſe; aut minus jure ſuo ipſis, quam Electoribus uti fas eſſe. Monaſterio plerosque Legatos diſceſſiſſe; qui reſtent in procinctu ſtare; unde ab iſtis parum ſubſidii expectandum. Et æque ſe à Principibus ſuis mandato inſtructos, quam Monaſterienſes. Unde decernebatur, ut Ordines in ſolita Collegia digeſti, quod tractatione Weſtphalica factum, de negotiis Imperii conſultarent, ac ut leges Pacis implerentur, operam darent. Apud hoſce igitur,

Ordines in ſolutionem pecuniæ conſentiunt. cum de poſtulato Succorum circa ſolutionem pecuniæ proponeretur, in eam facile ab Ordinibus conſenſum eſt, quod alia ratione incumbens ſibi hoſpitiorum onus amoliri non daretur. De hoc antequam plane transactum eſſet, Suecis ſuper aſſecuratione duorum poſteriorum millionum tantisper diſſimulandum cenſebant; ut tamen, ſi oppidorum nihil cautionis loco obtinere poſſent, ſaltem ſcripto caveretur ob minas ab Ordinibus jactatas. Tum ut ſolutio prioris millionis initio ſequentis anni fieret, nec ob dilatam exautorationem, cujus culpa penes Reginam non erat, dies ſolutionum proferrentur.

Franckendaliæ reſtitutionem Galli & Palatinus Elector urgent. §. 63. Maxima difficultas circa Franckendaliam ſurgebat, quam in Gallia haut præviſam ferebant Deputati Gallici, eoque nil aliud ſibi mandatum, quam ut plenam Pacis executionem per omnes Articulos permoverent. Certo autem ſibi conſtare, Regem Chriſtianiſſimum, Franckendalia & locis à Lotharingo inſeſſis haut redditis, nulli Germaniæ oppido ſua præſidia deducturum. Ac ni Franckendalia Hiſpani cedant, novum bellum metuendum eſſe. Qui & hoc videantur agere, ut ſucceſſu temporis Eritacum & Philipsburgum invadant ac Capitulum Trevirenſe ſibi devinciant, à quo Elector nunc paulo minus quam captivus detineatur; ac vero ſimile eſſe, ab eodem Hiſpanis obnoxium Præſulem eligendum, qui oppida ſua horum uſibus expoſiturus ſit. Id quod tanto magis metuendum, quod conſtet, Hiſpanos omni ſtudio circa attrahendum in partes ſuas Electorem Palatinum ſatagere ſpecioſis conditionibus oblatis, quo pacem Germanicam tantopere ſibi improbatam evertant. Cæterum perſuaſum ſibi eſſe, Cæſarem jam Hiſpani conſenſum obtinuiſſe ac periculum duntaxat facere, num ſocii Reges hoc poſtulato ceſſuri ſint. Unde optimum fore, uno ore aſſeverare, Franckendaliam omitti non poſſe, niſi gravem recenti paci plagam inferre velint. Electoris Palatini nomine Noribergæ aderat frater ipſius Philippus, qui unice ad capeſſendam Palatinatus poſſeſſionem miſſum ſe ferebat; unde ſuper novo hoc caſu ad Electorem ſibi referendum, qui ſine dubio perſpicuæ pacis diſpoſitioni inhæſurus ſit. 1649.

§. 64. Cæſarei ſummo deſiderio ſe teneri teſtabantur, ut pax ocyus executioni daretur. Simul per Blumenthalium Carolo Guſtavo perſuadere conabantur, ne ob id oppidum tota negotiatio ſiſtatur, atque æquivalens aliquod à Regina & Electore admittatur, quod Cæſar haut ita repente Hiſpaniæ Regem ad Franckendaliam cedendam adigere poſſit. Utque ipſe Elector Palatinus cum Hiſpano ſuper eodem reddendo agat, quod hic iſti facilius ſit gratificaturus, quam Cæſari, & Ordinibus, à quibus is pace ſe excluſum ægre tulerat. Carolo Guſtavo ea res maximi momenti videri ac primo omne temperamentum repudiare. Reginæ decretum haut permittere, ut ab ullo pax violetur. Eoque ſi ſtabilis pax Cæſareis placeat, omni modo ſuper reddenda Franckendalia connitendum. Quid tamen conſilii capiendum, ſi Cæſarei intra hocce tempus ceſſionem Franckendaliæ, uti ferebant, ab Hiſpanis obtinere non poſſint, haut in proclivi erat diſpicere; præterim cum hoſpitationum moras nec Ordines nec miles diutius toleraturi viderentur. Ejus oppidi ab Hiſpanis detentio ſi inſuper haberetur, metus erat, ne adverſa pars vario obtentu novis difficultatibus motis aliorum quoque oppidorum ſibi opportunorum, puta Lindaviæ & limilium reſtitutionem prolataret, & plura quoque eluderet. Nec abnuentibus hoſpitia Ordinibus exercitum contractum in provincias Cæſaris reducere licebat, quoad Franckendalia & à Lotharingo detentæ arces reſtituerentur, aliæque pacis leges implerentur; quod inde bellum non poſſet non recrudeſcere. Quod ſi autem pro Franckendalia tantisper Hiſpanis relicta aliud paris momenti oppidum detineretur, cæteris redditis, vix firma pax ſperari poterat, quod durante inter Gallos Hiſpanoſque bello vicina Philipsburgi & Franckendaliæ præſidia hoſtilibus invicem incurſionibus tractum Rhenanum inquietatura eſſent. At ubi Galli poſtulato de reddenda Franckendalia plane deſiſtere, ac præſidia locis à ſe inſeſſis deducere nolint, Suecis ſua oppida reſtituentibus, facile ſecuturum erat, ut Cæſar Ordinesque junctis viribus iſtos trans Rhenum rejectos Alſatia expellerent. Ac divulſis invicem duobus Regnis idem forte Suecos fatum manebat. Denique nec in proclivi erat Hiſpanos Franckendalia vi ejicere probe munita, ac milite annonaque copioſe inſtructa, maligno circum obſeſſoribus commeatu. Nec Reginæ rebus conſultum, ob id oppidum aperto cum Hiſpanis bello ſumto, commercia civium ſuorum turbare. Tam anceps ac improviſum negotium cum ſuo ex arbitrio decidere non auderet Carolus Guſtavus, ad Reginam referre conſtituit, ut tamen, quoad ejus reſponſum allatum foret, omnia in integro manerent. Id quod ita circumſpecte fiebat, ut ne Reginæ mora circa executionem pacis imputari, aut

Cæſarei temperamenta querunt. 23. Maji.

Generaliſſimus id primo repudiat.

Conſiderationes in contrarium.

Res ad Reginam refertur.

1649. aut ejus rumpendæ ansa præberi posset: contra Cæsareos violatæ conventionis arguere, ac invidiam protractæ executionis, qua antea Regina laborare incipiebat, in illos devolvere liceret.

De re rum Galli consultatio. 26. Maji.

§. 65. Mox cum per Ordinum Deputatos Carolum Gustavum adeundum Gallis innotuisset, his statim suspicio oborta est, super admittendo circa Franckendahlam temperamento actum iri; eoque istum summo studio, ne in id consentiat, hortantur. Qui & Gallis confirmat, se primo istorum assultui haut cessurum. Necessum tamen esse rem istam mature expendi, num expediat summam pacis ad Franckendahlam adhærescere, ejusque causa bellum continuari; an vero præstet post cætera expedita ejusmodi temperamentum despicere, per quod caveatur, id oppidum ex intervallo utique reddendum esse. Super qua re quid ipsis videatur exquirebat, Galli oppidum id maximi momenti ostendere, per quod simul cum arcibus à Lotharingo infestis Galli isto tractu ita constringantur, ut vix commovere se possint. Unde illis non redditis se, quæ teneant loca, præsidiis haut evacuaturos. Sed nec in Aulam super temperamento aliquo referre audere. Ad hæc cum Carolus Gustavus demonstraret; cum à Regina nullo jure postulari possit, nec eadem teneatur ob Franckendahlam diutius arma gerere; solam Galliam ea de causa bello periculoso se implicituram: Galli reponebant, id quidem suo periculo fore. Sed Reginam si prius quam omnia ad liquidum deducta sint, Gallos destituat, dedecus foederis haut impleti admissuram; ac creditum iri ipsam privato duntaxat commodo studuisse, quo obtento se subduxerit, sociorum rebus infuper habitis. His ita occurrebat Princeps: Istas criminationes quidem suo loco relinquendas; cæterum non solum omnes extra partium studia positos aliter judicaturos, sed ex hactenus actis satis patere, uter actius suo commodo vellicatus sit, alterius obstiterit. Sane Westphalicis tractatibus sæpe Reginæ Legatos ad præcipitanda negotia compulsos, & insignia commoda, quæ additâ mora obtineri poterant, per Gallicorum Legatorum importunitatem amittenda fuisse, subinde de super solvendo fœdere minis jactatis, si non statim in horum postulata consentiretur. Tandem cum Galli Franckendahlam vi expugnandam contenderent, junctis Regis, ac Ordinum copiis, Carolus Gustavus ostendebat, id neque Reginæ rebus expedire, ac vacillantibus Ordinum consiliis nihil posse superstrui, ut aliæ cautæ nunc dissimulentur.

Ordines de temperamento proponunt.

Generalissimus id abnuit.

§. 66. Accedebant inde ad Carolum Gustavum Ordinum Deputati, Cæsareorum instinctu eadem cum ipsis proponentes: Cum metus sit, ut statim Cæsar Hispanum ad Franckendahlam reddendam promovere queat, eam ob causam executionem pacis haut differendam, nec concedendum, ut Ordines oneri hospitiorum militarium plane succumbant; sed potius despiciendum, qua ratione tantisper Palatino caveatur, quoad id oppidum restitutum sit. Non dubium esse, quin Hispaniæ Rex toto Imperio & inprimis Palatino Electore petente, tot Principes, ac Palatinam præcipue Domum sibi hoc officio obstrictu rus sit. Ad hæc reponebat Carolus Gustavus; in hoc negotio non solum Palatini & Imperii, sed & sociorum Regnorum securitatem verti; nec præsentia duntaxat tempora consideranda, sed & providendum, ne ob modicum in præsens levamentum, grave in posterum jugum comparetur, cujus culpa in Reginæ facilitatem redundatura sit. 1649. Non ideo huc ventum, ut nova pax cudatur, sed ut Osnabrugæ & Monasterii concluſa executioni detur. Quod ut fiat ipsis Ordinibus manus esse admovendas, nec novam tractatuum telam ordiendam. Sane queri ipsos non posse, Westphalicos tractatus præcipitatos, aut septem annorum spatio non omnia accurate potuisse expendi. Suecos utique & Gallos à conventis ne latum digitum discessuros. Cæterum se super Ordinum propositione cum Gallicis Deputatis collocuturum, ac rationes suas scripto exhibiturum, quare Franckendahliæ evacuatione desisti non possit; quo & posteris constet, quanto studio Regina id negotium egerit. Quo responso tunc Ordines adquievere. Porro Caroli Gustavi scriptum præter rationes jam memoratas præcipue Palatini, ac Gallorum contradictione nitebatur. Ordines autem responso suo spem sibi certam esse ostendebant, ab Hispano Franckendahlam, à Lotharingo infestas suo milite arces mox reddendas, si viderint, reliqua pace conventa executioni data, ac Galliæ Regem occupatis à se oppidis decessisse. Ad quæ à Carolo Gustavo repositum: spe de Hispani ac Lotharingi facilitate circa restituenda illa loca parum fidendum, nec ob illam differendum, quod Tabulis Pacis tam perspicue sancitur. Interim se ulterius super eo negotio cum Fœderatis consilia collaturum. 11. Maji. 8. Jun. 19. Jun.

Ordinum temperamentum circa Franckendahliam rejicitur.

§. 67. Aliud inde temperamentum ab Ordinibus proponebatur, ut Franckendahlia in tertiam classem evacuandorum oppidorum referatur, ac universi Ordines, imprimisque Elector Palatinus, tum ipse Cæsar per Legatos ejus oppidi restitutionem flagitem, ita ut propinquante secundo termino responsum obtineatur. Quod si Hispanus tergiversari pergat, loca postremæ classis tantisper detineri posse, donec quacunque ratione restitutio ejus oppidi secuta sit. Interim exautorandi & evacuandi initium pari passu faciendum. Sed Carolo Gustavo id consilium displicebat. Si enim integro adhuc Suecico exercitu, à quo maximum negotio pondus accedat, restitutio impetrari nequeat, illo soluto Hispanum, ac Lotharingum longe pertinaciores fore. Ita Cæsarei quidem & Ordines aliam urbem Palatino tantisper tradendam censebant, quoad Hispani Franckendahlia excesserint. Galli contra omne temperamentum adspernabantur, queis ab initio Carolus Gustavus adstipulabatur; etsi ut ob solam Franckendahliam novum suscipieretur bellum, aut super temperamento aliquo negotiatio rejiceretur, haut consultum judicabat. Igitur constituebat rem in integro tenere, quoad à Regina responsum venisset; ac ut aliquo modo Ordinibus satisfieret, pedestrium legionum numerum circumcidebat, partemque indigenæ militis versus oram maritimam ire jubebat, ut navibus in Sueciam reportaretur.

De hoc negotio omnium sententiæ

Cæsarei formulam conventionis adornant. 30. Maji.

§. 68. Spes inde surgebat Cæsareis conventionis brevi cum Suecis perficiundæ. Unde omissa disceptatione ejusdem formulam adornabant, in qua Amnestiam ad universos milites usque ad postremam eorum exautorationem porrexerant; simul ut Hassicæ copiæ eodem tempore cum Colonientibus dimitterentur concesserant. Sed Osnabrugensem Præsulatum absque exceptione reddi volebant. Tum restitutio ex lege Amnestiæ & Gravaminum ad finem rejiciebatur, cui primus locus debebatur, quæ & ipsa ad illos duntaxat extendebatur, quorum causa in Tabulis Pacis li-

1649. quido fundata, ac factum poſſeſſionis caſibus perſpicue ibi expreſſis ſtatim per teſtes aut literarum documenta demonſtrari poſſit, omnibus controverſis caſibus exceptis. Unice porro Monaſterii probatum arctiorem exequendi modum ſequendum cenſebant. Exautorationi, & præſidiorum deductioni, quæ prima cura erat, ſtatuebantur viceſima, & triceſima Junii, & decima Julii dies ſtylo novo. Addebatur de reſtitutione ablatorum è theſauro Pragenſi, & ſcriptorum ex archivis Germaniæ. Sed & repudiato Ordine reddendarum urbium à Suecis propoſito priori tuæ formulæ inhærebant; & quanquam Franckendaliam tertiæ claſſi inſeruerant, conditio tamen annectebatur, ut non ſecuta ejus traditione ſuper æquivalente conveniretur. Sueci etſi quæ deſiderarent ſermone duntaxat monere decreverant; tamen inſtantibus Cæſareis & ipſi ſcripto formulam futuri pacti conceptam exhibent; quæ complurib. dein congreſſibus inter Deputatos diſcuſſa eſt, pleriſque de quibus adhuc diſſentiebatur compoſitis.

15. Jun.

Ea diſcutiuntur.

§. 69. Ac initio quidem conventionis Cæſarei Ordinum mentionem haut faciendam cenſebant, quod iſta ad ſolos Duces bellicos ſpectaret. Sed pervincebant Sueci, id utique neceſſum eſſe, quod quæ hic tractarentur, quam maxime ipſos Ordines tangerent. Articulus de reſtitutione, prout à Suecis formatus fuerat, in fronte locabatur. *Decidendi* vocabulum cavillabantur Cæſarei, velut circa reſtitutionem nulla amplius deciſio foret admittenda. Id quod Sueci ita declarabant; caſus liquidos ab illiquidis ſecernendos, & conditionem facti, quæque ad promtam reſtitutionis executionem pertinent, adhuc utique definienda. Reſtitutionem *a ſe ipſis* factam Cæſarei velut illegitimam arguebant. Sed cavere iſtis verbis volebant Sueci San-Andreano tractatu, qui eum a Bambergenſi Epiſcopo immutationem in locum ſui bona à Sperreutero detenta exponeret, ac ſubinde differretur, tædio moratum ipſe illorum poſſeſſionem arripuerat. Quod factum, & ſimilia pro legitimis habendum Sueci contendebant. Cum porro Sueci Palatinum Electorem ob detractum ipſi Superiorem Provinciam parte pecuniæ militaris levari vellent, Bavarici acerrime obnitebantur, velut ea Provincia ſui militis ſtipendiis relinquenda ſit. Quia tamen ipſi fatebantur, id onus in ſolum Interiorem Palatinatum devolvi iniquum eſſe, poſtulabant, ut ob Bavari in rempublicam merita rata portio Superioris Palatinatus per reliquos Ordines ſuppleretur. Id quod hi initio abnuebant, cauſati ſi Bavarus merita ſua in rempublicam extollat, Franconiæ & Sueviæ populos haut ſegniter tributa eidem contuliſſe. Circa Franckendaliam Galli ab initio temperamentum admittere haut fas ſibi ferebant, mandato deſtitutis. Poſt cum neceſſitas rei oſtenderetur, fatebantur juſſos ſe Hermanſteinum cautionis loco depoſcere; ſuper quo non minor, quam ſuper Franckendalia difficultas ſurgebat, quod Cæſarei eam arcem à ſe ullo modo Gallis in fraudem Imperii concedi poſſe negarent. Sueciis tamen ad extremum cautionis loco Glogovienſem Ducatum ſecreto offerebant. Ut tres milliones primæ penſionis Ordines exacte conferrent, Cæſarei operam ſe daturos pollicebantur. Sed ut directores Circulorum pro integra ſumma ſponſorum vicem ſubirent, dubitabant Cæſarei. Sueci contra oſtendebant; merito à ſe urgeri illos, penes quos ſit pecuniarum exactio: & actionem adverſus reliquatores iiſdem patere. Super reliquis duobus millionibus Cæſarei per Tabulas Pacis ſat caveri Suecis judicabant. Sed hi oſtendebant præter Ordinum ſpartas paſſim minas etiam recentia terrere exempla rejectarum ab uno & altero aſſignationum. Et cum Regina multas myriades de ſuo erogarit, par utique eſſe aliquot oppidis conceſſis tantiſper ipſi caveri. Nam amoto armorum reſpectu verendum eſſe, ut qui deinceps aſſignatas pecunias petitum veniant, difficiles ſolutores, aut parum in Magiſtratibus ſubſidii inveniant. In Articulo de evacuationibus oppidorum Sueci integram Electoris Saxoniæ ratam, & reliqua contributionum ſtipulati fuerant, moroſitate ipſius adverſus Carolum Guſtavum, & Sueciæ militem moti. Nolebant quoque Sueci diſcedentis militis itinera tam arcta lege circumſcribi, ſed ut illa præfectorum judicio pro re nata definirentur. Id quoque pervincebatur, ut Landgravia ad exautorandum militem, & reſtituenda oppida non prius, quam Regii, teneretur. Extenſionem Amneſtiæ Sueci à ſingulis quoque Ordinibus ratam haberi poſtulabant, exemplo Comitis Brandenſteinii mori, quem data à Cæſare venia, literæque, queis ad ipſum evocabatur, commeatusque & additum viæ præſidium carcere Saxonico liberare non potuerat. Et relinquebatur is cavillandi obtentus, per Cæſaris indulgentiam privatorum actionibus nihil præjudicari. Denique in enumeratione locorum reſtituendorum Sueci Franckendaliam, Landſtulam, Homburgum & Hammerſteinum peculiari tranſactioni ſeponebant. Cæſarei autem iſta in tertiam claſſem referebant, addita exceptione, ſi præter ſpem Franckendalia intra id tempus non reſtituatur, ſuper alio loco conveniendum, qui tantiſper Palatino Electori tradatur. Lipſia à Suecis in poſtremam claſſem retrahebatur; oppida Novæ Marchiæ, & Ulterioris Pomeraniæ relinquebantur, quo ad ſuper finibus regundis inter Reginam & Brandeburgicum Electorem tranſactum foret; cum Cæſarei in primam claſſem iſta collocaſſent.

1649.

§. 70. Super reſtitutione ex lege Amneſtiæ, & Gravaminum Cæſarei, ac Catholici initio plane detrectabant agere. Sed cum animadverterent Suecos id negotium haut omiſſuros, tandem declarabant, ut quos ea res tangat profiterentur, penes quem mora ſit; tunc enim omnia, de quibus pax plane diſponit, in priſtinum ſtatum repoſitum iri. Unde Carolus Guſtavus catalogum reſtituendorum Moguntino Directorio exhiberi jubebat. Ei negotio excutiendo Moguntinus, Brandeburgicus, Bambergenſis, Culmbacenſis, Conſtantienſis, & Wurtenbergicus, adjunctis duobus è Civitatum Collegio, deſtinabantur, qui in ſingulorum cauſas inquirerent, & eas quantum liceret expeditas darent. Ac ferebant Cæſarei, Cæſarem denuo ſuper promta executione directores Circulorum ſerio monuiſſe, ſpe quoque facta, omnia propediem decidenda, ac quorum cauſa liquida ſit, confeſtim reſtituendos; lite implicitos intra ſecundum, & tertium terminum ſua recuperaturos: ſimul plenam deſignationem eorum, qui in lite & extra litem ſint, propediem edendam. Enimvero inter quotidianos licet Deputatorum congreſſus lente procedebat id negotium, multisque diebus inter inanes altercationes fruſtra conſumtis, tandem plerique ad peritorium remittebantur. Ad extremum proponebatur, ut Ordinum Deputati adhuc tres menſes Noribergæ ſubſiſterent, intra quos omnium

De reſtitutione ex capite Amneſtiæ & Gravaminum.

10. Jun.

25. Jun.

1649. um reſtituendorum cauſæ expediendæ ſint. Id quod Sueci adſpernabantur, veriti, ne fraudis quid ſubeſſet, & quæ nuper elapſis ſex menſibus confecta non fuerint, vix intra tres menſes adverſæ parti explere decretum. Interim maturandæ exautorationi, & oppidorum redditioni Cæſarei proponebant, pari gradu circa hanc, & reſtitutionem ex amneſtia, & Gravaminibus pergendum, ut ante tertium evacuationis terminum omnia expedita ſint: id ni factum fuerit, Suecos ad reddenda iſti termino deſtinata oppida haut teneri. Enimvero repugnabant Brandeburgici, & Luneburgici: per utramque Saxoniam nihil reſtitutionum ex lege Amneſtiæ, & Gravaminum faciendum occurrere, & tamen ſe onus hoſpitiorum in cæterorum gratiam octo jam menſes toleraſſe. Sed quod reſtitutio tertio evacuationis termino, quo Saxonica oppida contineantur, velut conditio annectatur, id ferri à ſe non poſſe: nam eo caſu ſibi ſub hoſpitiorum onere ingemiſcendum fore, quo jam alii Ordines liberandi ſint. His quanquam illi, quos reſtitutio tangebat, ſe opponerent, valuere tamen Saxonicorum rationes, ut Cæſarei illo propoſito deliſtere neceſſum haberent.

De ſolutione ſatisfactionis in litatis.

§. 71. Circa ſolutionem pecuniæ exercitui Suecico promiſſæ Cæſarei prolixè omnia offerebant, ac ut in cautionem pro duobus poſterioribus millionibus illa loca, quæ in ſecuritatem Franckendaliæ Sueeis offerebantur, pro illis quoque teneréntur, haut abſurdum centebant, modo Ordines Cæſarem indemnem præſtarent. Ac videbantur ſuper hoc tam faciles ſe exhibere, ut circa Franckendaliam Sueci eo minus reluctarentur.

De Franckendaliæ evacuatione.

Hæc quippe ut redderetur, Carolus Guſtavus una cum Gallis hactenus immotus inſtiterat. Sed ubi id obtinere non daretur, & Galli haut eo ſecius idem poſtulare perrenderent, Suecis neceſſum erat ante plenam Pacis executionem ab hiſce ſe disjungere. Quo abſque diſertis Reginæ mandatis deſcendere iſte haut audebat. Eas tamen inter moras ſatisfactionem militarem expediendi occaſio erat, circa quam Cæſarei Suecorum poſtulata apud Ordines promovebant, quod ſperarent, hoc officio ſe Reginam ad temperamentum circa Franckendaliam admittendum adducturos. Et jam à Regina mandata aderant, ut ſi ſuper militum ſatisfactione ſat cautum ſit, Franckendaliæ cauſa dimittere exercitum, & præſidia deducere Carolus Guſtavus haut differat. Unde cum Ordines de tribus millionibus repræſentandis, ac reſtituendis ſatisfactum ri differte recepiſſent, ipſe facta quoque hypothecæ pro duobus poſterioribus millionibus, jam ad concluſionem perveniri poterat, ſi Gallorum poſtulata ſuper Franckendalia, & locis à Lotharingo detentis negligerentur. Enimvero Carolus Guſtavus Reginæ parum decorum judicabat eo poſtulato tam repente deſiſtere, ac obtentis propriis commodis Gallos deſtituere. Unde cum citra rupturam tractatuum id fieri poſſet, aliquandiu adhuc idem urgendum cenſebat, num qua ratione Gallis ſatisfieri queat. Præſertim cum Galli oſtenderent, ſe ex Aula juſſos circa Franckendaliam temperamentum aliquod admittere. Poſtulabant inde Galli, Sueci una cum ipſis contenderent, ut quoad Franckendalia ab Hiſpanis reddita ſit, Conſtantia, aut Hermanſteinum, aut Heilbrunna in Regis Chriſtianiſſimi manus traderetur. Sed demonſtrabat Carolus Guſtavus, Conſtantiam à ſe nullo colore peti poſſe, nec de ullo horum locorum ſpem eſſe. Nam Archidux Oenipontanus ceſſe jam à ſe Alſatiæ, Conſtantiam additurus haut erat. Et Hermanſteinum ſi vel maxime Trevirenſis annueret, Cæſar, cujus præſidio id tenebatur, conceſſurus haut erat. Ne autem Heilbronna dederetur, Urbium Collegium acriter reſiſtebat. Pollicebatur tamen ſe, quantum ſalvis Reginæ rebus liceret, pro ipſis omnia haut omiſſurum. Quo & poſtulante decretum, ut Cæſarei atque Ordines quamprimum cum Gallis ſuper eo negotio agant, & ſiquidem hi adquieſcere nolint, cum Suecis rem communicent, ut horum interventu res demum componi queat. 1649.

Bavarici promtos ſe pari exequendæ teſtantur, 23. Maji.

§. 72. Inter hæc Bavarici apud Carolum Guſtavum de ſtudio Electoris ſui circa explendas quantum ad ſe pacis leges prolixe teſtabantur; ac inprimis ſe paratos Palatinatum Inferiorem reddere, ſtatim atque Elector Palatinus diploma ceſſionis exhibuerit. Addebant, omiſſa peculiari evictione olim Monaſterii petita, communi cautione contentos eſſe, ac ſi quæ ab ipſis circa executionem adhuc deſiderentur, cum Reginæ Deputatis acturos. Hiſce, quæ adhuc ab Electore præſtanda poſtulentur, ſcripto exhibebantur. Inter quæ præcipuum erat, ut per utrumque Palatinatum, & Circulum Bavaricum reſtitutionem ex lege Amneſtiæ & Gravaminum perageret; Nominatim ut inferiorem Palatinatum, quantum ejus ipſe hactenus obtinuerit, Carolo Ludovico Electori Palatino redderet, feria inſuper opera navata, ut Franckendalia ab Hiſpanis reſtituatur. Tum Sulzbacenſi debita executioni det, Neoburgicum moneat, ut is tam in Sulzbacenſi, quam Hilpoltſteinenſi, & aliis præfecturis Pacis legibus ſatisfaciat. Nobilibus in Superiore Palatinatu & Comitatu Chamenſi ex articulo quinto Inſtrumenti Pacis §. *Quantum deinde ad Comites*, verſiculo, *hoc tamen non obſtante*, jus Auguſtana ſacra publice aut privatim exercendi, anno vicelimo quarto poſſeſſum, & alia ibi expreſſa reſtituat. Exulibus Superioris Palatinatus ſuper pecunia priori domino mutuo data ſatisfaciat. Otroni Læſenio poſſeſſionem prædii Heimhofii, quod Jeſuitæ velut feudum Cænobii Caſtelli ſibi vindicarint, reddat. Noribergæ Urbis ſubditos Palatinis præfecturis immixtos veteri ſacrorum uſui relinquat, ac per omnia in ſtatum anni vicelimi quarti reponat. Tradebatur quoque Bavaricis deſignatio, juxta quam ab ipſis per Palatinatum Inferiorem, & Sueviam inſcilla loca pari paſſu cum illis, quæ Sueci adhuc obtinerent, evacuari poſſent; è Suecorum quidem parte Neumarcum, Weida, Villecca, Sulzberga, Falckenberga, Waldecca, Munitio ad Rainam, Donavverta: è Bavari parte, Heidelberga, Manheimum, Dilſperga, Berka, Auguſta Vindelicorum, Memminga, Campodunum, Wildenſteinum, Hohenzollera, Auracum, Albecca, Schiltacum, Hornberga, Villinga, Weiſſenburgum, Rotenberga, Freiburgum. Poſtulabatur quoque, ut pro Palatinatu Superiore & Comitatu Chamenſi rata portio ſatisfactionis militaris, ſimul præſidiis Suecicis reſidua contributionum per Superiorem Palatinatum perſolverentur. Denique operam ſuam conferret, ut quamprimum reſtitutio ex lege Amneſtiæ & Gravaminum abſolvatur, & promiſſa militi pecunia conteratur.

Ab illis Suecorum poſtulatis.

Colonienſis Legati poſtulata.

§. 73. Colonienſis Electoris Legati Furſtenbergius Comes, & Beckerus apud Carolum Guſtavum ſuper Landgraviæ hoſpitiis querebantur,

1649. velut per articulum XV. Instrumenti Pacis indebitis; eoque ut istam ad exautorandum militem permoveret petebant. Tum ut Osnabrugensis Episcopus suæ ditioni restituatur, cujus cura Colonienſi velut Metropolitano incumbat: nam capitulationis tractatum extrahi, quantumvis ad omnia æqua Episcopus promtissimum se exhibeat. His scripto responsum: Multa, quæ ante exautorationem militis ac redditionem oppidorum præstanda fuerant, hæsisse; unde fœderatis Regnis suspicionem injectam, ut cautius procederent: eoque Landgraviæ, quæ in fida cum Regibus societate ad extremum perstiterit, vitio verti non posse, si non nisi cum Regiis militem suum dimittat, locisque occupatis decedat. Cæterum utra pars circa Osnabrugensem Episcopatum in mora sit, ex actis ejus conventionis constare. Ea perfecta statim omnia, quæ ex pace debeantur, præstitum iri.

His responsum. 26. Maji.

Galliæ Rex copias sibi concedi postulat. 29. Maji.

§. 74. A Galliæ quoque Rege missus aderat Milerus cum mandatis ad Carolum Gustavum, ut exautorati Suecici militis aliqua manus ipsi concederetur. Quo fine & Reinoldus Rosa sub finem Junii Noribergam veniebat. Cujus delectibus promovendis quanquam Carolus Gustavus pronum se declararet, quantum per leges pacis dabatur; verebatur tamen ut illi succederent, Teutonici militis animis à Gallo avertis, & quia recens sedatis internis Galliæ motibus parum pecuniæ militi alliciendo suppetebat.

Exautoratio militum tarde procedit.

§. 75. Inter hæc Ordines onera diuturnæ hospitationis acerbis querimoniis differebant, quorum tamen culpa penes tergiversationes ipsorum erat solutionem pecuniæ militaris eludentium, citra quam copiarum exautoratio suscipi non poterat. Istius pecuniæ dispensandæ liberam facultatem etsi Carolus Gustavus sibi semper diserte reservasset, Ordines tamen istum legibus circumscribere conabantur. Cum is in usum exautorationis hinc inde Assignationes quasdam distribuisset, accuratæ rationes, quo illæ expensæ forent, exigebantur. Quin jactabant aliqui se pecunias non Succicis Ministris, sed ipsis militibus soluturos, quo hos tandem aliquando amoliantur; saltem dum solutio fit, Quæstores suos adjuncturos, qui cominus inspiciant, quantum pecuniæ singulæ legiones, singulique præfecti accipiant. Sed & illis præfectis, qui ante aliquot annos abdicata Reginæ militia sub Ordinum ditionibus confederant, aliquam portionem detrahere cupiebant, ni simul provinciæ ipsorum hospitiis, oppida præsidiis leventur. Ita Carolo Gustavo nihil supererat, quam ut cupitam quantumvis imminutionem legionum, & exautorationem differret. Inter alios Saxoniæ Elector ferre nolebat, pecuniam, quam in promtu esse significarat, à Succis recenseri, velut ignominiæ sibi cederet verbis suis parum fidei adhiberi. Tum nec Lipsiam, nec Brunsuigam eandem conferre dignabatur, quod illa Succico præsidio infessa, hæc extra Superiorem Saxoniam sita foret; cum tamen inter tractatus ea de re monendi locus fuisset. Nec minus per Inferiorem Saxoniam & Westphaliam assignationes vario obtentu rejiciebantur. Sed cum Carolus Gustavus Legatis Noribergæ præsentibus, & Principibus per literas demonstraret, ipsorum tergiversationibus non nisi fructus pacis intercipi, & quæ ab ipsis moveantur, iniqua aut inania esse; multi Ordinum, inprimis per Superiorem Germaniam tandem promissa bona fide explere instituunt, initio à Wurtenbergico Duce & Ulma facto: ac promittebat Constantiensis Episcopus, se Catholicos Ordines ad paratam solutionem compulsurum. Unde Caroli Gustavi jussu à Duglassio complures legiones combinatæ, lubentibus tam ductoribus, quam gregariis. Eadem in Saxonia Inferiore parantem Kœnigsmarckium negata ab Ordinibus pecunia impediebat. Unde initio Maji mensis non nisi unica turma in Bremensi provincia exautorata fuit, cujus præfecto sexcenti unciales, inferioribus ductoribus pro rata, gregariorum singulis triginta tres unciales soluti; quo præmio illi plene sibi satisfactum testabantur. 1649.

Tandem ejus initium fit.

§. 76. Circa id tempus perficiendæ Capitulationi Osnabrugensi jussu Reginæ Joannes Oxenstierna Osnabrugam reverterat, quo loco & istam pertractari Luneburgici juxta ac Ordines provinciales commodissimum putabant; & Cæsarei jam ante, ut ista negotiatio Noribergam pertraheretur, apud Christianum Ludovicum Luneburgicum Ducem institerant. Id quod & Episcopus summopere cupiebat, cui spes erat faventibus Cæsareis & Ordinibus ibi scopo suo potiundi. Qui & variis criminationibus Succos Ordinibus suspectos reddere conabatur, velut quibus Noribergæ finem negotio imponere cordi haut sit, sed varii prætextus conquirantur tempori extrahendo. Ac dubio procul id agitari, ut refectum quiete militem proximo vere Poloniæ immittant. Et parum aberat, quin Ordines Westphaliæ in Conventum pertraxisset armis in Succos parandis, ni Brandeburgicus Elector istos conatus disturbasset causatus, tractatus Noribergæ bene succedere, & hunc congressum facile suspicionis quid excitare posse in fraudem quietis publicæ. Cujus autoritate & alii moti venire omiserunt. Quanquam autem Oxenstierna per Biœrnclovium apud Nassovium Comitem, qui adhuc Monasterii degebat, & ipsum Præsulem ageret, ut tractatio illa Osnabrugæ instauraretur; abnuebat tamen Præsul rationes scripto complexus. Jam se cum omnibus Actis Officialem suum Noribergam misisse, quo & ipse mox profecturus sit, ordinandis Ratisponensis Præsulatus rebus. Abiisse quoque Volmarum, qui mediatoris heic partes obierit. Ac spem esse interventu Ordinum rem brevi confectum iri; penes quos sit, ubi partes cedere nolint, controversiam pro autoritate decidere. Quibus rationibus ille, quicquid in contrarium obiceretur, immotus inhærebat. Idem & Ordines Noribergæ in suam sententiam pertraxerat, quibus per Officialem exposuerat; interventu Volmari præcipuis Capitulationis articulis jam absolutis in solo Consistorio negotium hæsisse, quod anno vicesimo quarto in ulu haut fuerit. Quod cum absque Ordinum autoritate expediri nequeat, se super eo Noribergæ cum Luneburgicis Legatis transacturum, aut idem Ordinum decisioni subjecturum; ne tamen ideo sua restitutio differatur. Interim transacta executioni darentur, reliqua in præsenti statu manerent, quoad Noribergæ, aut alibi ista quoque expedita forent; modo ipse ante omnia in possessionem Episcopatus immittatur. Quæ ratio Ordinibus plausibilis visa amoliendo huic pacis obstaculo; eoque ad Luneburgicum Ducem scribunt; ne Episcopum, salvo suo jure, impediat, quo minus in possessionem Præsulatus perveniat; suisque heic Legatis injungat, ut si quid controversiarum supersit, amica transactione componant. Nam cum jam plerique Evangelici in sua restituti sint; acerbum isti esse, hujus capitulationis obtentu provincia sua carere.

Capitulatio Osnabrugensis Noribergam permittitur.

Simul

1649. Simul ut Episcopus pedetentim administrationem provinciæ adprehenderet, ipsum jubent ratam partem satisfactionis militaris à provincialibus exigere; quem actum à Suecis haut impeditum iri credebant. Quam occasionem avide arripiens Episcopus Ordines provinciales apud Cœnobium Osnedam convocat. Eum conventum, cum facile possent, impedire Sueci nolebant, quod ex Instrumento Pacis pecuniæ corrogatio illis incumberet, qui restituendi forent. Ac provincialibus congregatis Legatus Suecicus protestationem tradi curabat, qua denuntiabat, se extra illam pecuniæ collationem haut permissurum, ut Episcopus ante perfectam Capitulationem vel minimum quid in rebus provinciæ disponat. Nec eo minus Episcopus hac occasione multos ex Ordinibus blando alloquio sibi conciliabat, cui & antea Collegium Canonicorum plane addictum erat, ut illis facile cum Episcopo conventurum videretur. Solam Osnabrugam ob dejectum Petriburgum acerrime idem oderat, quæ & ne ipsius libidini dederetur, à Suecis summopere contendebat. Ita diu agitata Capitulatio demum Noribergam rejecta est.

Tractatus Noribergæ tarde procedit.

§. 77. Noribergæ porro tractatus tarde procedebat, novis indies difficultatibus obortis, ac vacillantibus Ordinum consiliis, summo cum Caroli Gustavi tædio, qui ante hiemem in Sueciam trajicere ardebat; cui tamen imperfectum negotium abrumpere haut visum. Equidem multis Ordinum invitis executio pacis ad duces exercituum remissa fuerat, quod metuerent, ne militaribus viris pacem promovere parum cordi foret. Sed exitus id factum probabat, quod alias pax multis partibus, inprimis circa Amnestiam & Gravamina, nunquam aut tarde admodum effectui fuisset data. Et commodum valde Reginæ accidebat, quod solis Cæsareis, aut Ordinibus, nullo autem modo ipsi mora imputari posset, siquidem qualem eadem cupiebat, tuta, stabilis, atque honesta pax constitui deberet. Id quod & non pauci ex Ordinibus agnoscebant, qui etsi incumbens à milite onus impatienter ferrent, re tamen penitius perspecta, Reginæ destinata probabant ultro fatli, ni hoc modo res acta esset, mancam valde pacis executionem futuram. Circa quam cum inter Ordinum Legatos complures per dies agitatum fuisset, demum super restituendis ex lege Amnestiæ & Gravaminum catalogus texebatur, quo liquidi casus ab illiquidis secernebantur, quorum illi tres intra terminos citra moram restituendi sint; ob illiquidos autem, & difficiliores casus exautorationem militis haut differendam. Enimvero Sueci restitutionem plenam juxta Tabulas Pacis faciendam pertendebant, qua nondum peracta exercitus haut dissolvendus videbatur.

De restitutione ex lege Amnestiæ & Gravaminum.

De pecunia militari.

§. 78. Circa pecuniam militibus promissam huc demum descenderant Ordines, ut tres milliones, quorum pars antea per assignationes solvenda fuerat, præsenti pecunia expenderentur. Sed pro duobus millionibus quam Sueci exigebant cautionem, Ordines abnuebant, velut in Instrumento Pacis sat cautionis sit. Sed demonstrabat Carolus Gustavus ipsos Ordines causam præbuisse, ut Reginæ peculiaris cautio exposcenda sit, ac satis exemplo Franckendaliæ patere, quam parum securitatis in communi guarantia sit. Cæsarei hactenus assecurationem illam annuebant, ut Suecici Commissarii in urbe aliqua Germaniæ tantisper alerentur, quoad pecunia repræsentata foret. Sed Sueci eo haut contenti certi quid manibus tenere volebant: & quia Cæsarei Glogoviam loco cautionis pro Franckendalia obtulerant, Regina autem eo nomine sibi cautionis quid haut postulabat, visum Carolo Gustavo id oppidum tantisper, quoad militaris pecunia exsoluta foret, præsidio intessum detinere. Quod ut permitterent Cæsarei, nullo modo adduci poterant. Sed circa hoc negotium eo minus difficultatis fore sperabatur, quod plerique Ordinum ipsem fecissent, universam quinque millionum summam quamprimum solvendam, ut una vice militaribus oneribus defungerentur; ac circa id satagebant, quo & tenuiores Ordinum ratam suam expedire possent. Quo sine & universi Ordines Superioris Palatinatus ratam portionem in se recipiebant, quod Bavarus illam conferre abnueret, in Palatinatum autem Inferiorem eandem devolvi iniquum foret. 1649.

§. 79. Accessit inde Noribergam Isaacus Volmarus, cujus adventu, qui hactenus tractatibus adfuerat Blumenthalius inde facessebat. Non deerant qui surpicarentur, subtituto in Blumenthalii locum Volmaro eandem nunc fabulam agi, qua quondam Hamburgi, dum prævium pactum expeditur, Lutzovio Curtius, huic Aurspergius surrogatus erat, quo nova tricarum, & morarum machina strueretur. Is Blumenthalii exemplo subdelegati partes agere tatlidiens, uti Monasterii Comitis Natlovii collega fuerat, nunc quoque pari cum Piccolomineo dignatione, & mandato cum ipso Carolo Gustavo tractare volebat; id quod à Cæsare datum ipsi procuratorium præ se ferebat. Idem hactenus acta patlim carpere, conventa convulsum ire, ac novam tractatui formam meditari; tum ante ipsius adventum designatum præluminare pactum improbare. Tanto magis Carolus Gustavus cum tractatu arcere cupiebat, saltem ne tam ampla cum potestate admitteretur. Unde ad Instrumentum Pacis provocabat, quo executionis conventio solis supremis belli ducibus reservatur: unde & nuperam Pragæ negotiationem per Deputatos duntaxat peractam, conventionemque à solis ducibus confirmatam. Istius continuatio cum præsens conventus sit, vitio sibi dari non posse, si nihil novari patiatur, & cum solo Piccolomineo tractare velit, Volmaro in parem gradum haut admisso; quod per Erskeinum, & Benedictum Oxenstiernam Cæsareo Secretario denuntiat. Piccolomineus contra postero die per Varenbulerum Wurtenbergicum Carolo Gustavo demonstrat: Nec Cæsarem, nec Reginam prohiberi, quo minus ducibus exercituum, quibus lege pacis executio est commissa, alios sive delegatos sive subdelegatos adjungant. Nam utique penes duces primas tractandi manere partes; nec executionem intra præfinitum tempus secutam, nec heic de sola exautoratione, & evacuatione agitari, sed talia admixta, quibus expediendis adhibendi sint Westphalicorum actorum periti. Cæsarem haut dubitasse cessionem Alsatiæ propria manu subscribere, quam & post Legati Ordinum ex Equestri fere aut Jureconsultorum Ordine subscripserint. Igitur sperare, Carolum Gustavum haut dubitaturum Cæsaris autoritate instructos ad subscriptionem admittere, ne mora tractatui injiciatur. Enimvero insistebat suæ sententiæ Carolus Gustavus, in Instrumento Pacis fundatæ, quo executio ducibus tribuitur. Hoc modo tractatus Pragæ cœptos, ubi super alimen-

Volmari adventus negotio moræ nonnihil injicit. 1. Aug.

1649 tis præfidiorum conventum; reliqua quo minus ibidem abſolverentur, reſtitutionem ex lege Amneſtiæ & Gravaminum obſtitiſſe; quæ & præſentem negotiationem remoretur. Equidem Ordines Mindæ, quo inſtigante haut obſcurum, per Deputatos id egiſſe, ut tractatus id in oppidum, aut Monaſterium, & Oſnabrugam perraherentur. Id ſe recuſaſſe, quod ſuper executione conventa mutare penes ſe non ſit. Ac literis ſe Piccolominei conſilium in has oras acceſſiſſe, ſpe per ipſius dexteritatem, ac prudentiam rem eo citius expediendi. Quod ſi Cæſari alia nunc mens ſit, mature id ſibi ſignificandum fuiſſe, quo ipſe hoc itinere ſupersedere potuerit, aliis à Regina plenipotentiariis tunc ſubſtituendis. Nunc poſtquam tres per mentes cum nemine alio præterquam Piccolomineo tractarit, ſi Cæſarei modum agendi utique mutare velint creditum iri, ipſis non niſi moras nectere propoſitum. Id eo moleſtius eſſe, quod Volmarus actiones ipſius, Inſtrumento Pacis utique conformes, non ſolum Monaſterii, & hoc variis criminationibus vellicarit, ſed & nunc negotio prope ad finem perducto magis de ſubſcriptione, quam de novitatibus circa modum agendi, & perſonas tractantes diſpiciendum ſit. Quod ſi Piccolomineus neceſſitatem ſibi adferre velit Volmarum velut plenipotentiarium ad tractatus admittendi, alios ſe in ſui locum ſurrogaturum; aut ſi animadvertat, novas moras captari, alia ſibi conſilia capeſſenda eſſe. Addebat, haut parum ſuſpicionis ſibi injici nupera Volmari propoſitione, qua Ordines à conventis inter Cæſareos, Suecosque avertere velle videatur, & quod paſſim à Suecis variis modis pacem violatam per injuriam jactet. Cum igitur Volmarus animadverteret, Carolum Guſtavum pari cum Piccolomineo dignatione ad tractatus ipſum admittere nolle, ne plane iſtis excluderetur, in Blumenthalii locum demum ſurrogari ſe paſſus eſt.

2. Aug. Præliminaris evacuatio propoſitur.

§. 80. Jam reſtitutio ex lege Amneſtiæ & Gravaminum alacrius, quam hactenus, ſuccedere cœperat; ac ſuper ſatisfactione militis, ejusque exautoratione, & deducendis præſidiis inter Cæſareos ac Regios fere convenerat, pacti delineatione Ordinibus communicata, & formula futuræ ſubſcriptionis aptata. Haut eo minus tamen Cæſarei nuper propoſuerant, de permutandis oppidis quibuſdam à ſe & Bavaro inſeſſis cum illis, quæ Suecorum præſidiis in Bohemia tenebantur.

30. Jul.

A Suecis probatur.

Eam Carolus Guſtavus haut inutilem judicabat, etſi palam præ ſe ferret, parum emolumenti ex illa ſibi ſperari, nec eandem à ſe magnopere affectari. Nam non ſolum per longas moras penus ibi exhauſtus erat, ſed & graſſans Pragæ peſtilentia ita præſidiarios imminuerat, ut vix ſtationibus tuendis ſufficerent. Unde ni brevi abducerentur, dilapſis ultro numeris cum dedecore iſta loca deſerenda erant. Contra in anteceſſum hinc inde deductis præſidiis Cæſar ac Bavarus nonnullis locis magno ſuo cum emolumento diu poſſeſſis cedere tenebantur. Ea res cito tranſacta eſt, ut Suecis perſuaſum eſſet, ſubſcriptione per delegatos tantiſper facta, de Palatini reſtitutione, ac Amneſtiæ extenſione mox conveniendum, quam huic pacto Sueci includere cupiebant. Sed moram injecit Volmari adventu mota difficultas, & quia Ordines quædam in iſta conventione mutari volebant. Qua occaſione & Cæſarei nonnulla monita circa eam formulam adferebant; cui & hoc præcipue inferi volebant, ut ſi forte unus vel alter ex Ordinibus ratam non contuliſſet, evacuatio illa præliminaris haut eo ſecius procederet. Super quibus monitis Carolus Guſtavus quidem mentem ſuam illis per Varenbulerum declarabat; ſed quia eam conventionem non pro formula correctioni obnoxia, ſed pro negotio plane confecto habebat, eadem ut ſubſcriptione firmaretur acerrime inſtabat. Simul Deputati Suecici ſcripto Ordines monebant, ni ſepoſitis lentis conſultationibus ad ſubſcriptionem brevi accedant, ſibi neceſſitatem adferri ob anni tempeſtatem, & quotidianas querelas tam circa præſidia, quam legiones aliter diſponendi. Qua ex re ſi quid incommodi proveniat, culpam penes illos fore, qui tam ſalutari negotio remoram attulerint. Addidit hoc monitum calcar Ordinibus, ut ſubſcriptionem ſtatim decernerent, ac de ea Suecis per Varenbulerum ſignificarent. Quæ ut ſequenti die ſuſciperetur, inde ad temperamentum circa Franckendaliam tranſiretur, cum ipſo conſtituebatur.

1649 6. Aug.

8. Aug.

Ab Ordinibus accipitur. 11. Aug.

§. 81. Enimvero quo minus ſubſcriptio illa ita promte, ut ſperabatur, ſuccederet, inter alia à cauſa Palatina proveniebat. Nam Bavarici, à quibus ex illo pacto loca Palatinatus Inferioris reſtituenda erant, ante ſubſcriptionem cum Electore Palatino ſuper titulo & inſignibus Archidapiferatus tranſigere cupiebant, quibus Palatinus hactenus utebatur, quoad alio officio Imperiali, ac titulo, inſignibusque donatus eſſet; ſimul ceſſionem ejuldem in Superiorem Palatinatum manibus tenere cupiebant. Circa quod negotium proponebatur, ut Palatinus alio munere à Cæſare nactus Archidapiferatus titulo & inſigni renuntiet, nec interim, ſi occaſio detur, Archidapiferatus functionem exerceat, niſi Wilhelmina linea plane extincta. Tum ut Palatinus Inferiore Provincia obtenta juri in Superiorem renunciet, ceſſionis Inſtrumento tantiſper apud Moguntinum depoſito. Qua ſuper re OExelius ad Electorem Bavarum properabat, paucos intra dies ipſius declarationem allaturus. Ægre ferebant eam rem Ordines; ſed ne Auguſtæ & Memmingæ liberationem ſufflaminarent, decernebant, ut majoris ſecuritatis gratia ſubſcriptio à Cæſareis Regiisque ac Ordinum Deputatis fieret; & ab utraque parte ſubſcripta exempla apud Moguntinum Directorium deponerentur, ut tamen dies deducendorum præſidiorum, & mutua exemplorum traditio ad Bavarici Legati reditum differretur. Ea re à Bavaro probata, præliminare pactum ab ipſius Legato ſubſcribitur; tum tranſactio cum Palatino & hujus ceſſio, (Winshemi tunc idem agebat,) apud Moguntinum deponitur.

Subſcriptio Receſſus differtur ob cauſam Palatinam.

30. Aug.

§. 82. Sed & Galli ſubſcriptionem tantiſper differri poſtulabant, quoad ſuper æquivalente, quod Franckendaliæ loco exigebant, ſibi ſatisfieret. His demonſtrabatur: Graviſſimis de cauſis haut conſultum vitium hanc rem diutius prolatare. Eam ſubſcriptionem ad peculiare Reginæ commodum, & ſecuritatem pertinere, ac vi annexi reſervati Gallis nihil decedere, quibus ut ſatisfiat, nulli operæ à ſe ſit parcendum. Enimvero illi hiſce haut adquieſcere, & inprimis, qui nuper Monaſterio adpulerat Grullardus fremere, apud Ordines ſubſcriptionem impedire, quæque hi ſuper pecuniarum ſolutione annuerant, ſubverſum ire, velut paci aperte repugnantia. Qui & apud Magnum Gardium Comitem non ſine verborum acerbitate proteſtabatur: iſta foederi adverſari, nec eum agendi modum Monaſterii & Oſnabrugæ adhibitum. Quæ ne ſilentio probare videretur Carolus Guſtavus, iſti per Gardium

Galli remittunt.

31. Jul.

1649. dium denuntiat; Executionis tractatum ad agendi rationem apud Westphalicam negotiationem adhibitam ita presse hautquidquam alligatum; ac tam iniqua censura ab Regina actorum supersedendum, amicitiæ inter Regna fœderata servandæ haut idonea. Tractationem susceptam ad Reginæ mandata quadrare, quam & ipsi facile adprobaturus sit; cæterum nemini præterea ad reddendas rationes se obnoxium, nec alienæ censuræ patientem. Hac subscriptione fœderatis nihil decedere, ac Reginam Galliæ commoda cordi habituram, prout id culto per tot annos fœdere dignum sit. Igitur rationibus locum det, ac importuno præcipitique judicio supersedeat; nec dubitet, quin hoc recessu subscripto Gallica postulata ex voto expedienda sint.

Cæsarei subscribere detrectant.

§. 83. Gravius obstaculum adferebant Cæsarei, qui cum subscriptionem primo annuissent, mox mutata sententia Ordinibus conventionem ad subscriptionem offerentibus reponebant; sibi nondum cum Suecis plane conveniisse, quod hi admittere abnuant clausulam, qua Cæsarei sibi cavere velint, ut ob moram circa solutionem pecuniæ ab Ordinibus factam restitutio locorum in Provinciis Cæsaris haut eo lecius succedat: quam utique inferere sibi diserte injunctum. Postulabant igitur, ut cum de hac re ipsi ad Cæsarem retulerint, à quo intra vicesimum Augusti diem responsum expectent, subscriptionem eousque differant. Id responsi cum Carolus Gustavus è Deputatis Ordinum cognosceret, suspicabatur ista Cæsaris mandata à Volmaro eo fine obtenta, ut quæ ante ipsius adventum acta forent, subverteret, & omnia ex suo arbitrio disponendi occasionem nancisceretur. Eo magis quærlitam dilationem præfracte abnuere, simul ostendere; cum affectatæ istæ Cæsareorum tergiversationes haut parum solicitudinis sibi circa observandam Reginæ securitatem moveant, sibi necessum fore, ni hac ipsa die subscriptio fiat, copiis adhuc per Germaniam dispersis hiberna adsignare, ac jam deductas revocare, alioque modo rebus suis protpicere. Nam à Cæsareis desideratam clausulam illam ipsam esse, quæ tractatum Pragensem abruperit, quæ aliquoties heic proposita, à se semper rejecta sit, quam & expungendam demum omnes decreverint. Ea res Ordinibus haut mediocrem scrupulum injiciebat, ut statim per tria Imperii Collegia novas consultationes susciperent, & cum per Deputatos Piccolomineum frustra ad subscriptionem invitassent, tandem decernerent; se una cum Suecicis Plenipotentiariis subscripturos. Ad quem actum Imperii nomine obeundum ex Electoralibus Moguntinus ac Bavaricus, è Principalibus Bambergensis & Saxo-Altenburgicus, è Civitatibus Noribergicus & Francofurtanus destinabantur. Ita subscriptio in ædibus Erskeini suscepta; ac promisere Ordines, se omnem lapidem moturos, ut Cæsarei quoque ad subscriptionem adducantur. Bavaricus dilationem petebat, quoad Collega ipsius OExelius Monachio reverteret. Quo regresso & ipse conventionem istam subscriptione sua firmabat.

Consultissimus actitet instar.

27. Aug.

Ordines subscribunt.

28. Aug.

30. Aug.

Cæsar conventionem illam improbat.

§. 84. Decreverant Ordines eo ipso die Cæsareos per Deputatos ad subscribendum impellere; cum cursor ad Cæsarem missus redit, parum gratam ab hoc declarationem reportans. Is quippe cum super omnium ubique præsidiorum deductione nondum certi quid conclusum foret, in præliminarem illam, quam vocabant, evacuationem consentire abnuebat. Nam non nisi unum & alterum Circulum quibusdam Regiis præsidiis levari, cæterorum liberatione adhuc in incerto hærente, cum tamen omnibus Circulis onus pecuniæ militaris pariter incumbat, quos & pariter sublevatione frui æquum sit. Quin ipse Cæsar malebat oppidis, arcibusque Bohemiæ tantisper carere, quam incertis adhuc reliquis terminis easdem recuperare. Equidem initio isthanc conventionem propositam haut repudiasse, non tamen ea mente, ut à principali negotio disjungeretur. Eam declarationem Cæsarei Ordinum Legatis ad se evocatis pandunt, quam omissa subscriptione sibi sequi necessum sit. Ac semel iterumque instantes Ordines repellunt, capite se luituros, si adversus mandatum Cæsaris subscribere audeant. Nec ista Cæsarem proprio instinctu rescripsisse; sed quorundam Electorum & Principum precibus motum, quibus haut placeat, paucos in antecessum exterorum præsidiis liberari, ni omnes simul eo pacis fructu potiantur. Eadem declaratio Succicis Deputatis à Volmaro & Lindenspurio exponebatur: Qui statim reponebant; sibi à semel conventis discedere haut integrum esse. Id negotium ab ipsis Cæsareis propositum, Blumenthalii discessu à Volmaro probatum, ac Ordinibus commendatum, qui & idem subscriptione firmarint. Nec dubitabat Erskeinus Volmaro in os exprobrare, ipsius adventu non solum negotiationem valde retardatam, sed & plane jam hærere. Quo ipso huic tantopere bilem commoverat, ut is domum regressus statim lecto se committeret, ac complures dies publico abstineret. Sane quod plerique culpam morarum ipsi imputarent, odio publico idem laborabat, sic ut plebs urbana ad fores ipsius concursu facto importunis verbis pacem ab eo retardatam objiceret; & parum à vi faciendæ abesset, ni aliorum interventus consternatos sedasset. Unde præsidium à Magistratu urbis ipsi postulanti circumponebatur. Quin & Piccolomineus indignatus ferebatur, per ipsum ac præpotentes in aula ministros sua acta convelli.

1649.

31. Aug.

Suecis indignantur.

Volmarus ideo exosus est.

Diversa judicia de hac tergiversatione.

§. 85. De hac Cæsareorum tergiversatione diversi diverse judicabant. Equidem illi vanitatis manifesti erant, qui è compacto à Cæsare & Regina negotium extrahi ferebant, ut Ordinibus per diuturna hospitia enervatis Imperium inter se dividerent; id quod Danici Ministri Hamburgi publico mercatorum congressu spargere non verebantur. Alii jus esse Cæsari censebant, ne partem præsidiorum deduci patiatur, antequam super cæteris conventum fuerit, ne forte fraudis aliquid ea divisio habeat. Nec Suecicorum per Bohemiam præsidiorum conditio Cæsarem latebat, ut illis locis paulisper adhuc carere mallet, quam tanti momenti loca in Imperio è manibus amittere. Quidam culpam in Blumenthalii & Volmari æmulationem rejiciebant, quorum hic ab isto per nimiam facilitatem peccata corrigere voluerit. Multis persuadebatur; per Saxonem & Brandeburgicum Cæsarem à pacto isto averti, quod hi oppida sua isthac conventione comprehendi cuperent. Ejus rei indicium habebatur, quod Consiliarii Brandeburgici in Marchia, cum Sueci nonnihil pecuniæ exautorando militi postulassent, eam solvere abnuebant, velut de ea nil sibi mandatum foret; cum tamen nemo antea, ut miles dimitteretur, acrius institisset. Quicquid ejus sit, sane prætextum hoc vanum esse patebat, quod Cæsari, cum eas literas ad suos daret, jam de subscriptione Ordinum consensu facta, (inter quos utique & Saxonicus & Brandeburgicus erat,)

1649. constaret. Cæterum nec inter Suecos deerant, quibus hæc conventio parum probaretur. Temporariam eam esse, & ante impletas, quæ sub finem addebantur, conditiones obligatione carere. Periculosum valde esse, Reginam ex hac conventione copias suas exautorare, cum Cæsar etiam subscriptione facta ante impletas illas conditiones haut stringatur, quarum una deficiente tota conventio invalida sit; ac dubium esse, omnes ita exacte impletum iri. Enimvero Carolus Gustavus id pactum ob rationes supra dictas summopere utile ac necessarium censebat. Unde ut Cæsareos quoque ad subscriptionem compelleret omni ope nitebatur. Quibus per Ordinum Deputatos denuntiabat; haut quaquam ab inita semel conventione se recessurum, nec ut in aliam formam eadem refingatur passurum. Si eam viam insistere pergant Cæsarei, sibi necessitatem adferri, ad alia consilia descendendi, ut Reginæ res in tuto collocet. Id cum Ordines ad Cæsareos deferrent, quod secretis eos mandatis instructos in subscriptionem consensuros jam crederent, hi denuo se excusabant; & acriter instantibus Ordinibus dilationem octo dierum postulabant, expediendo ad Cæsarem Curtori. In quam Ordines consentiebant; simul ut Carolus Gustavus eam probaret petebant.

Generalissimus illam urgere pergit.

Caroli Gustavi consultatio.

§. 86. Ea res cum maximi momenti foret, Carolus Gustavus Wrangelium & Magnum Gardium Senatores Regni, aliosque Succicos ministros in consilium vocat, & exposita præsentium rerum facie exquirit: Num Cæsareis subscriptionem detrectantibus ulterior dilatio indulgenda? An vero utique contendendum, ut conventio ab Ordinibus probata à Cæsareis pariter subscribatur, & post conventa executioni detur? Et num hoc casu, ac destinatis eo melius obtinendis militis indigenæ deductio paulisper adhuc differenda sit; An vero, quod Regina jubet, idem miles quamprimum in Sueciam trajiciendus nullo alio respectu, ac summa rerum eventui futuræ tractationis committenda? Ubi omnes censebant, Cæsareos quæsita iterum dilatione rem extractum ire; nec salva Reginæ existimatione istis cedi posse, ni hactenus conventa in dubium vocare, & reliquis inter derelicta habitis arbitrio se istorum exponere velint. Rem insuper mali exempli & semper metuendum fore, ne hodie placita cras retractentur. Unde Reginæ rebus tutissimum judicabatur, indigenam militem profectioni jam accinctum tantisper sistere; quod soluto exercitu nihil spei superlit, si nunc copiis integris & Cæsari formidandis negotium contici non possit. Initio tamen in paucos duntaxat dies iter militum inhibere placebat, num Cæsarei forte sententiam mutare velint: mense Octobri sat spatii fore illos in Sueciam trajiciendi. Quod si præter spem prolatatis tractatibus miles præpediente hieme in Sueciam deduci nequeat, Ordines hiberna isti concedere haut abnuituros, nec id adeo onerosum fore, Germanicis legionibus exautoratis. Id consilium cum sederet, Ordinibus denuntiat Carolus Gustavus: se quidem postulatam à Cæsareis dilationem suo loco relinquere, ejusque fructus expecturum; præsenti tamen rerum conditione permoveri, ob Reginæ securitatem non solum itineri accinctum, indigenam militem retinere, ac pro isto hiberna postulare, sed & alendis præsidiis contributiones & frumentum imperare; protestatus tamen, cum ejus rei culpa penes Reginam non sit, eandem velut paci adversam haut habitum iri. Sperare quoque, cum Ordines serio à se rem agi perspiciant, Cæsareis eo intensius incubituros, quo finis negotio imponatur. Ordines hinc ostenso periculo damnoque Germaniæ imminente per literas Cæsarem orant, velit suis injungere, ut conventionem subscribere summum ob moræ periculum non amplius differant. Et ipse Piccolomineus, ne fides à se interposita destitueretur, instabat. Ita tandem intra dictum octiduum de Cæsareo consensu adfertur, ac sequenti die à Cæsareis Deputatis Volmaro & Lindenspurio subscriptio peragitur, Instrumentis pacti hinc inde traditis. Isthoc pacto haut modicum obtinuisse visus est Carolus Gustavus, quod Cæsar, Bavarusque præcipuis locis, quæ per Imperium insidebant, istius vi cedere teneretur; Palatinusque Elector Heidelbergam & Inferiorem Palatinatum, excepta Franckendalia recuperaret; tum & Wurtenbergicus Dux, haut modicum rebus Succicis in Superiore Germania fulcrum, suis arcibus potiretur, liberatis insuper præsidio Augusta, Memminga, Lindavia & Weissenburgo, cum munitissima arce Wiltzburgo; quibus quæ à Suecis reddebantur, comparari haut poterant.

1649. Ordines à Cæsare subscriptionem obtinent. 4. Sept. 10. Sept. 11. Sept.

Præliminaris tractatio instituitur.

§. 87. Subscriptione peracta à Supremis ducibus utrinque mandata emittuntur de conventis locis intra diem vicesimum & vicesimum quintum *St. vet.* Septembris evacuandis; quæ mandata Carolus Gustavus cum Cæsareis ac Bavaricis commutabat. Deducendis è Bohemia præsidiis Wittenbergius missus est. Oppidorum evacuandorum numero etsi Egra excepta foret, Cæsareis tamen impense instantibus annuebat Carolus Gustavus, ut & illa Cæsari redderetur, ea tamen lege; si reliquis locis præsidia deducta cognoverit, & ut cultus Evangelicus ibi liber permitteretur. Intra hunc effectum tunc præliminare illud pactum consistebat; super reliquis, de quibus sub finem mentio fit, nondum tunc conveniri poterat. Nam & designatio restituendorum ex lege Amnestiæ & Gravaminum ægre expediebatur, & cæterorum locorum redditio in ancipiti adhuc hærebat. Circa quam non una difficultas movebatur ob castellum ad Warnemundam, quod Sueci catalogo evacuandorum expunxerant, tuendis ad oram Meclenburgicam portoriis; & quia iidem locis in Osnabrugensi Præsulatu insessis cedere abnuebant, nisi capitulatione cum Episcopo perfecta. Sed & nondum comparebat diploma cessionis à Brandeburgico exhibendum, nec limitum rectio in expedito adhuc erat. Quin & Elector misso in Sueciam Evvaldo Kleistio nova quædam postulata movebat super cedendis, quæ ex Ulteriore Pomerania Reginæ attributa erant, aut ut Regina partem suam Pomeraniæ cum Præsulatibus in ejus vicem datis permutaret. Quæ Regina velut inania repudiabat, Pacis legibus inhærere certa, cui non tam redituum magnitudo, quam Regni securitas & commoditas præ oculis erat. Sed & idem instabat, ut super regundis finibus Holmiæ conveniretur, aut saltem ut eidem negotio ibidem fundamenta ponerentur, præcipue circa definiendam litoris latitudinem, quam ultra sex pedes haut extendendam putabat. Ac tatis adparebat Electorem vereri, ne cæteris rebus in Germania compositis plura Reginæ concedere necessum haberet, quam ad palatum sibi forent. Enimvero uti Regina malebat de limitibus Pomeraniæ clarius Tabulis Pacis expressum fuisse; ita postquam Legati amputandis moris rem laxioti-

Reliqua capita indecisa manent.

1649. laxioribus verbis designarant, negotium id in ipsâ Pomerania inspecta locorum indole confici volebat. Ne tamen res in infinitum ab Electore extraheretur, aut jus Sueciæ cavillationibus deinceps eluderetur, decreverat non prius Colberga præsidium dimovere, quam super limitibus transactum foret. Sed & de oppidis Marchiæ initio dubii quid oriebatur; post tamen concedebat Regina, ut in communem restituendorum designationem redigerentur. Circa Halberstadiensem & Mindensem Præsulatum, quod hactenus distulerat, Regina nunc concedebat, ut illi quantum ad justitiæ & redituum administrationem Electori traderentur. Cum tamen haut congrueret, Electorale Regimen Mindæ residere, quamdiu id oppidum præsidio Succico tenebatur, ita rem temperari jubebat, ut istius sedes Petershagæ; aut alio loco statueretur. Quæ inter Electorem & Mindam oppidum super jure præsidii controversia erat, eam usque ad tempus præsidii deducendi differri placebat.

Circa Franckendaliam temperamentum proponitur. 13. Sept.

§. 88. Sed quo minus & super cæteris oppidis reddendis conveniretur, obstabat Franckendalia, circa quam ut temperamentum admitteret Elector Palatinus, Winsheimum, ubi is tunc agebat, ipse Carolus Gustavus excurrebat. Nam huc demum res redierat, quod Cæsarei negarent, ita brevi Hispaniæ regem adduci posse, ut præsidium eo oppido dimoveret. Et quia Cæsar Ordinesque ad idem vi expugnandum operam conferre abnuebant, ac turbulento Galliæ statu nihil auxilii expectandum inde esset, copiis Gallicis è Germania alio abductis, solis Succicis armis rem tentare ac novum Reginæ hostem conciliare haut consultum erat. Cæterum quanquam mense Julio Cæsarei in cautionis vicem pro reddenda Franckendalia Glogoviam cum cognomine Principatu obtulerant, è Cameraci tamen obsidione soluto auctis animis id retractantes solum oppidum certo militum numero insidendum annuebant, idque ea lege, ne Palatinus Elector cautionis quid amplius exigeret. Et non parum arridebat ea res Carolo Gustavo, præsertim si oppido Principatus adderetur, quod illud in securitatem ultimi millionis simul retinere cuperet. Quam ob causam & ipse absoluto tractatu eo se conferre decreverat, omnibus necessariis istud ita instructurus, ut quantamlibet vim sustinere posset. Enimvero Regina nullam plane pro Franckendalia cautionem sibi stipulari, ne si ultro quidem offerretur, cupiebat; quod judicaret adversam partem novis ipsam difficultatibus hac ratione innexum ire, ac calumniandi ansam captare, velut ex alieno detrimento lucrum affectet. Unde Carolo Gustavo injungebat, pro solo Electore Palatino quantum posset contenderet, quem post tot exhausta mala, & ne Catholicorum in Germania potentia ista Domo imminuta nimium gliscceret, sublevari æquum erat. Ac si utique temperamentum sit admittendum, ut Elector idoneo loco ditioni suæ propinquo tantisper potiretur, una cum reditibus alendo præsidio sufficientibus, ne id oppidum oneri cederet, aut ob defectum sumtuum ultro deferendum foret.

Reginæ æquivalens suo nomine obtinuit.

Palatinus Benfeldam petit.

§. 89. Ut igitur Electori Palatino caveretur, primo Egra proponebatur. Sed quod illa post ademtum Superiorem Palatinatum ipsius ditionibus nimium disjuncta foret, Benfelda plerisque potior visa, utut de istius munitionibus disjiciendis legibus pacis cautum esset. In quam & Regina consentiebat, ea tamen conditione, ut Galli neque conjunctim cum Electore, neque soli isto loco potirentur; quod Argentoratenses, ac vicini Principes ne id fieret, ipsam rogaverant. Sed & ipse Elector eandem non repudiabat, sat duris tamen conditionibus, & quæ Ordinibus magni momenti videbantur; qui & apud Electorem instabant, ut super reddenda Franckendalia ad Hispaniæ Regem scriberet, quod ea brevissima via videatur rem expediendi. Enimvero is Instrumento Pacis & Cæsaris promisso inhærere statuerat; ac ostendebat, se causam suam Caroli Gustavi fidei commisisse ac confidere, uti fœderatis Regnis, & aliis Ordinibus, ita & sibi post acceptatam pacem ex lege Amnestiæ satisfactum iri. Nam anceps sibi videri, relicto Instrumento Pacis, & Cæsare novorum tractatuum dubio adhuc eventui res suas credere non sine Regum offentâ. Antonium quippe Brunum Hispanicum Legatum intercedenti pro ejus oppidi restitutioni Matri suæ tractatus proposuisse legibus pacis Westphalicæ parum quadrantes. Nunc vero non tractandi amplius, sed exequendi conventa locum esse. Ast Galli, cum de Benfelda agitari audirent, apud Carolum Gustavum ea de re acriter questi, ne id permitteret, contendebant, quod idem Galliæ maximo præjudicio cederet. Quin apud alios jactabant, Gallos malle tota sua prætensione super æquivalente pro Franckendalia exigendo desistere, quam consentire, ut Palatino Benfelda tradatur. Sed & Præsulatus Argentoratensis nomine apud Ordines protestationem interponebat Furstenbergius Comes. Judicabat tamen Carolus Gustavus, quod Galli jam cum Ordinibus super determinata Franckendalia, quantum ipsorum interesset, transegissent, haut habere eosdem, quod jure obluctentur, eoque postulato Electoris omni modo verificari decreverat; qui & id agebat, ut oppidum illud cautionis in vicem Reginæ foret ob relicta pecuniæ militaris, quæ à Superiore Circulo Rhenano propter afflictas Ordinum res ægerrime expediebatur. 4. Octob.

Galli Hermanstei-num sibi depoſcunt.

§. 90. Ast Galli, quorum securitatem retenta ab Hispanis Franckendalia tangebat, alium sibi locum, quamdiu illa ab Hispanis insideretur, deposcebant; quorum postulata Suecicus Dux ex fœdere fulcire tenebatur; qui tamen, ut Electori Palatino præcipue simul caveretur, volebat. Sed dum ipse ad Electorem Winsheimi abest, Gallici Legati Ordinibus tam acriter institerant, ut hi omisso Palatini emolumento consentirent, Hermansteinum sequestro Gallis tradendum. 24. Sept.

De eo conveniunt.

Ea conventio his verbis concepta erat: *Pro securitate S. Romani Imperii & Coronæ Galliæ dabitur pro temperamento Franckenthalia, & ut iste Locus Domino Electori Palatino tanto citius reddatur, Castrum Ehrenbreitstein, nomine Imperii & Coronæ Galliæ in sequestrum ad manus & custodiam Domini Electoris Moguntini, qui Capitaneum, Præsidiumque novum libere, prout ipsi videbitur saluti & securitati publicæ expedire, constituet & curabit, ut iidem Capitaneus & præsidiarii milites, præter juramentum sibi, tanquam Imperii Sequestro, præstandum, jurato promittant, se Ehrenbreitstein, si Franckenthalia intra tempus infra determinatum non restituatur vel recuperetur, Regi Christianissimo; Franckenthalia vero reddita aut recuperata Domino Electori Trevirensi, Ejusdemque Capitulo, secundum formam Instrumenti Pacis, sine ulla mora aut causæ cognitione, non attentis ullis exceptionibus, à quocunque sub quocunque prætextu allegatis, restituturos. Ut autem de tempo-*

1649. *tempore conſtet, quo Regi Chriſtianiſſimo Caſtrum Ehrenbreitſtein extradi debeat, erit illud unius anni, ſi Rex Catholicus in Neutralitatem cum Rege Chriſtianiſſimo in Provinciis & Locis, ſive aliis Corone Gallie vel proprietario vel protectionis jure, vigore concluſæ Pacis, competentibus, conſentiat, & eadem Neutralitatis conceſſio intra quinque menſes Chriſtianiſſimi Regis Gubernatoribus vel miniſtris Briſacenſibus vel Philipsburgicis, notificetur. Computabitur autem tempus illud unius anni in eventum Neutralitatis à primo die facta evacuationis Caſtri Ehrenbreitſtein. Sin vero in Neutralitatem Rex Catholicus non conſenſerit, aut eadem intra præfinitum tempus notificata non fuerit, tempus Sequeſtrationis durabit uſque ad diem primum Julii, Stylo novo, anni proxime ſequentis. Quo tempore elapſo ſtatim & abſque ulla mora Ehrenbreitſtein ad manus Chriſtianiſſimi Regis extradetur, illa conditione, ut id Caſtrum pro ſecuritate ſua & Imperii in ſtatu, quo accipiet, tamdiu retineat, donec Franckendalia Domino Electori Palatino fuerit reſtituta. Qua reſtitutione aut recuperatione quandocunque facta, ſtatim cum omnibus Tormentis bellicis, pulvere, annona, armis, aliiſque quibuſcunque rebus & mobilibus Domino Electori Trevirenſi & Eiuſdem Capitulo, ſecundum formam Inſtrumenti Pacis, & juxta Inventarium deſuper tempore traditionis conficiendum, bona fide & ſine ulla exceptione reddet, præſidiumque abſque noxa & mora deducet. Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum Legati omnem operam impendent, ut Evacuatio Caſtri Ehrenbreitſtein quam celerrime, & quidem ante primum Evacuationis Terminum, intra octiduum à die per Dominos Cæſareanos facta ſubſcriptionis hujus Receſſus computandum præliminariter fiat, & ad memorati Domini Sequeſtri manus deponatur. Promittunt vicißim Regis Galliæ Plenipotentiarii ſimul & pari paſſu eodem die præliminariter evacuare, & Dominis ſuis reſtituere loca ſequentia: Moguntiam; Gernersheimium; Fridelsheim, Caſtrum; Alzey, Deidesheimium; Schomburg, Caſtrum; Erbacum, Caſtrum; Hohenvvilam; Leſnick; Bingam; Neoſtadium; Oppenheim; Bacharacum; Magdeburgum; Lavingam; Hohendeckberg, Caſtrum; Sarapontum; Civitatem & univerſum Comitatum Mompelgartenſem cum pertinentiis. Quod ſi vero Caſtrum Ehrenbreitſtein Chriſtianiſſimæ Regiæ Majeſtati tradatur, præſidium quadringentorum militum, comprehenſis Capitaneis & Officialibus, ei conſtituetur, & non ultra: ad quorum ſuſtentationem Imperii ſtatus ſingulis menſibus mille thaleros Imperiales, ex Electorali Rhenana Caſſa, per manus Domini Electoris Moguntini ſolvendos, contribuent: Cætera vero, quæ vel ad annonæ vel Fortificationi neceſſaria, Militiæ item præſidiariæ ſuſtentationem & ſtipendia, aliaque ejus generis requiruntur, Rex Chriſtianiſſimus de ſuo, abſque ulla Imperatoris & Statuum Imperii onere, ſuppeditabit. Scribent etiam Imperii Statuum Legati ad Galliæ Hiſpaniæque Reges, ut & ad Dominum Ducem Lotharingiæ, eoſque decenter rogabunt & monebunt, ut nullo militari vel alio onere Imperium gravent, nec ab alio Statu, ex quocunque loco, quem tenent, contributiones exigant, nec in Terris, Regi Chriſtianiſſimo per Pacem Monaſterienſem & Oſnabrugenſem ceſſis, ejuſdemque protectioni concreditis, & vicinorum Imperii Statuum, vel contra ſeipſos, vel Status, quicquam hoſtilitatis tentent, Pacem & quietem publicam inviolabiliter obſervent. Si vero ſecus fiat, egre non ferant, ſi Status, ſecundum Imperii, præſertim Executionis Conſtitutiones & diſpoſitionem Inſtrumenti Pacis, ſe caritati omnium & ſingulorum, ut optime poterunt, conſulant, & violatori cuicunque reſiſtant. Quod ad alia loca attinet, quorum in Inſtrumento Pacis, ut pro ſecuritate Imperii & Coronæ Galliæ dirruantur, mentio eſt facta, relinquantur illa, ut & reliqua loca reſtituenda, diſpoſitioni Inſtrumenti Pacis. Præſtabit autem Rex Chriſtianiſſimus vicißim, ſine ulla mora & exceptione, illa omnia & ſingula accurate, ad quæ vigore Pacificationis Monaſterienſis tenetur: In quorum omnium & ſingulorum fidem hanc Conventionem Domini Regis Galliæ Plenipotentiarii & Statuum Imperii Legati, ad hoc ſpecialiter Deputati ſubſcripſerunt, & ſigilla ſua muniverunt. Actum Noriberga 4. Octobr. 24. Septembr. Anno 1649.* 1649.

De la Cour, de Vantorte; D' Avangour. Sebaſtian Wilhelm. Meel, Dn. Elect. Mogunt. Conſil. Joh. Chriſt. Gotzendörffer, Dn. Epiſc. Bamberg. Conſil. Aug. Carpzovius D. Dn. Ducis Saxoniæ Altenburg. Legatus & deſignatus Cancellarius Coburgenſis, Polycarpus Halland D. Legat. & Conſil. Guelficus. Tobias Oelhafen de Schollenbach D. Reip. Noriberg. Conſil. & Deputatus. Joh. Jacob Friſch. D. Reip. Hallbrun. Syndic. & Deputatus. Johann Georg Oexel D. Conſil. Elect. Bavariæ. Wolfgang Conrad à Thumbshirn, Dn. Ducis Saxo-Altenburg. Legatus & Conſiliarius Intimus. Joh. Balthaſar Schneider, Syndicus Colmarienſis, Oppidi S. Crucis Præfect. & decem Liberarum Civitatum Imperii Alſaticarum p. t. deputatus.

Cæterum inita fuerat ea conventio Cæſareis conſciis & conſentientibus, qui temperamentum id probabant, & conceptam formulam correxerant, nonnullis additis: Simul per Furſtenbergium Comitem Ordines impulerant, ut illam ederent. Eo minus dubii erat, quin à Cæſare eadem probanda foret. Cæſarei cam conventionem probant.

§. 91. Circa exautorationem militum placebat Cæſareis peculiarem cum Suecicis Deputatis conventionem inire, edita peculiari deſignatione omnium legionum, quas vel dimittere, vel retinere vellent. Simul poſtulabant, ut cum milliони ſuarum legionum neceſſaria pecunia in promtu non ſit, ea conventio ſecreta habeatur, ne inter diſſolvendas à Cæſare legiones tumultus quid exoriatur. Id quod ob adductam rationem etiam Carolo Guſtavo placebat. Unde in eam rem ab ipſo ac Piccolomineo ſubſcripta conventio perficiebatur. Ea Cæſar promittebat, ſe non niſi ſexaginta tres turmas equitum tuendis ſuis Provinciis retenturum, quater mille capitibus conſtantes. Centum novendecim turmas equeſtres jam dimiſſas. Reliquas terna die uſque ad præfinitum numerum exautorandas. Nec minus exprimebantur, quæ à parte Reginæ mittendæ, quæ ſub ſignis retinendæ eſſent. Ita cum & Ordines circa conferendam pecuniam promtiores ſe jam gererent, fructus pacis indies magis ſentiri cœperunt, abductis ad oram maritimam legionibus indigena milite conſtantibus. E quibus Henricus Hornius cum legione Finnica equeſtri menſe Auguſto in patriam trajecerat. Reliquas iter ingreſſas cum negotiatio Noribergæ hærere videretur, Carolus Guſtavus in vetera hoſpitia redire juſſerat. Quæ tamen mox perfecta præliminari conventione itinere continuato ſub finem Septembris naves conſcendere cœperunt. In Superioribus Circulis legiones equeſtres Germanicæ paſſim ſacramento ſolvebantur, acceptis trium menſium ſtipendiis alacres lætæque, inſignemque in Reginam ac Regnum Sueciæ affectum teſtatæ. Nec minus per Inferiorem Saxoniam egregie procedebat exautoratio. Legiones vetere Vinarienſi milite conſtantes initio miſſionem vix videbantur æquo animo digeſturæ; mox acceptis trium menſium ſtipendiis nullo fremitu in diverſa abibant. A præfectis apocha accipiebatur, qua omni

Negotiatio cum Cæſareis ſuper exautoratione.

25. Sept.

Indigenæ miles in Sueciam reducitur.

4. Sept.

11. Sept.

Legiones Germanicæ exautoran-tur.

1649. Miles ab ulteriore bello abhorret.

omni actioni pro exhausta militia renuntiabant. Exautoratus porrò à Suecis miles usque adeo belli pertæsus videbatur, ut nullus prope equitum in Gallicam militiam transire vellet, amplis licet stipendiis ostentatis; sed turmatim ad larem figendum hinc inde discederent. Pedes quoque præsidiis deductus missionem non sine importunitate flagitabat, longiorem militiam avertatus.

De temperamento circa Franckendaliam.

§. 92. Jam non spernendum initium implendis Pacis legibus factum erat; quo nomine ut lætitiam testaretur, simul imbuendis amicitiæ sensu animis, Carolus Gustavus Electorem Palatinum, Piccolomineum, aliosque Principes, Ordinumque Legatos, & duces bellicos sumtuosissimo epulo exceperat. Haut parum tamen negotii adhuc facessebat circa Franckendaliam temperamentum. Circa quod cum Regina prætentioni suæ renuntiasset, id supererat, ut Electori Palatino, & Gallis satisfieret. Quorum ille Glogoviam, quam Cæsarei facile concessuri erant, velut suæ ditioni nimium dilitam adspernatus, Benfeldam sibi deposcebat. Gallis autem Hermansteinum Ordines annuerant. Sed uti Benfeldam Palatino Galli invidebant, qui & hujus munimenta ut solo æquarentur scripto Ordinibus exhibito acriter instabant; ita Cæsarei ab Ordinibus super Hermansteino factam sponsionem probare abnuebant. Ita dum mutuo obsistunt Palatinus, ac Galli, utrorumque satisfactio hærebat, ita tamen ut præcipua circa Hermansteinum difficultas verteretur. Nam ut Benfelda tantisper Palatino certa lege traderetur, Cæsarei consentiebant, modo Galli Hermansteinum deposcere absisterent. Galli contra profitebantur, se non amplius repugnaturos, quo minus Benfelda Palatinus potiatur, modo Cæsar conventionem circa Hermansteinum sequestro deponendum adprobet. Cæterum tacite secum constituerant, omni plane actione ad æquivalens aliquod pro Franckendalia potius desistere, quam Palatino Benfeldam concedere. Sed quod Gallia tunc intestinis turbis agitaretur, parum ejus ratio habenda fuerat, ni causam eorum Carolus Gustavus sultum iviſſet. Unde hunc aggressi Cæsarei, postquam de consensu Cæsaris circa Benfeldam exposuissent, ab ipso contendebant; ut quia Cæsarem à ratihabenda de Hermansteino sponsione graves causæ retraherent, ipse Gallos ad acceptandum aliud æquivalens permoveret, quo tandem aliquando huic negotio summa manus imponi queat. Carolus Gustavus uti quod de Benfelda offerebatur probabat; ita cum Gallos haut destituendos judicaret, Cæsareis respondebat; non Palatino solum, sed & Gallis simul satisfaciendum, eoque fine factam ab Ordinibus conventionem circa Hermansteinum ab ipsis ratihabendam. Sed Cæsarei defectum mandati excusantes, ut aliud æquivalens Gallis dispiceretur, postulabant; quo fine Heilbrunnam primo, inde Landaviam proponebant. Sed cum Carolus Gustavus à sententia sua non discederet, Cæsarei Ordinum interventu istum expugnare tentant. Qui & per præcipuos è suo numero ad eum missos variis rationibus, ut ipsi hoc persuaderent, nitebantur. Sed is velut immorus reponebat: mirari se, ipsos Cæsareorum suasu à se postulare Reginæ, ac Gallis parum decora, post tam luculenta conjunctionis inter utrumque Regnum documenta. Falli qui sperent, se in hac causa à Gallis divelli posse; quin ansam inde arrepturum arctius Gallorum causam amplectendi, quo clarius adpareat id à Cæsareis agi, ut tot

9. Octob. Cæsarei Sequestro Hermansteiniano restituunt.

De eo Cæsarei apud Suecos agunt.

per annos cultum fœdus debiliretur. Ordines hoc modo repulsi, cum aliam viam non perspicerent belli mala penitus amoliendi, nec id negotium tanti judicarent, ut ideo infinitis se molestiis subjicerent, sequestro Hermansteinensi inhærere constituebant. In quod tanto facilius Cæsar consensurus sperabatur, velut arcem alienam spectans, & quo efficiebatur, ut propria oppida, Constantia & Glogovia, peti desinerent. Undeà Cæsareis contendebant; cum spes non sit tractatus hoice absolvendi, ni Gallis satisfiat à Suecia Regina haut deserendis, ut vel sequestrum statim ratum habeant, vel perscriptis in Aulam idoneis rationibus efficiant, ut idem quamprimum ibi probetur. Cæsarei uti prius deficiente mandato abnuebant; ita in relationem ad Cæsarem ægre consentiebant, quod huic prioribus literis spem feciſſent, Suecos languidius Gallorum causam acturos, aut obstantes difficultates facile perrumpi posse. Ad extremum tamen pollicebantur, hoc de negotio ad Cæsarem se perscripturos, si Galli statim in cessionem Benfeldæ Palatino Electori faciendam consenserint. Quod cum Ordinum Deputati Carolo Gustavo exponerent, is statim demonstrabat; à Gallis postulari non posse, ut una cautione desistant, antequam de altera certi sint, eoque consensum de Benfelda differendum, quoad Cæsaris ratihabitio allata sit: tunc sine dubio Gallos æquas conditiones haut abnuituros. Ordinibus tamen assiduo urgentibus, demum misso curiore ad Cæsarem hoc super negotio referebant.

22. Oct.

Cæsareorum super restitutione inconstantia.

§. 93. Ne autem quoad à Cæsare responsum adferretur, tempus frustra effluret, Carolus Gustavus proponebat, ut articulus de restituendis ex lege Amnestiæ & Gravaminum interea adornaretur, prout primariæ conventioni foret inserendus. Contra Cæsarei initio dubitabant, num ea de re aliquid amplius agendum sit; fingebantque Carolum Gustavum eidem articulo plane renuntiasse, ac pollicitum, omnia se probaturum, quæ Ordinibus circa eundem placuissent. Unde se ista re missa solummodo negotium de exautoratione & præsidiorum deductione abioluturos. Simul Ordinibus persuadere conati fuerant, ne & ipsi cum Suecicis Delegatis hac super re amplius agerent, sed ex arctiore exequendi modo & decreto inter se dudum facto executionem susciperent. Contra ostendebat Carolus Gustavus; id negotium velut causam belli & fundamentum pacis à Regina aliorum placito transcribi non posse, idque & rationi & pacto præliminari adversum, nec de eo negotio derelinquendo sibi in mentem unquam venisse, aut se illis, quæ ex majore suffragiorum parte concluſa à Deputatis allata forent, adquiescere posse. Cum itaque Ordines perspicerent, hac via negotium ad finem perduci non posse, declarabant se super restitutione, ac reliquis negotiis transacturos. Ad quod & Cæsarei demum paratos se ostendebant. In hac negotiatione Sueci & Evangelici Varenbulero Wurtenbergico in vicem internuntii uti cupiebant; ab altera parte Krebsio Bavarico id muneris obituro. Sed cum Cæsarei Varenbulerum velut suspectum rejicerent, de alio tractandi modo cogitandum erat. Unde placebat Carolo Gustavo rorum Recessum designari, & caput de restitutione ex Instrumento Pacis eidem inseri; cujus exemplum Cæsareis ac Ordinibus exhibendum foret, ut perspicerent, in quo demum summa rerum adhuc vertatur. Sed nec id Cæsareis ad palatum erat; ac jactabat Volmarus, ejusmodi formulam, qua velut

1649. lut judiciali ſententia à Carolo Guſtavo res decidenda ſit, ſe haut admiſſuros. Cum tamen demonſtraretur ſub finem omnium tractatuum formulam inſtrumenti delignari ſolere, ut liquido adpareat, quid controverſiæ adhuc ſuperſit; tandem & circa hoc adquieſcebant. Internuntium porro eligebant Colonienſem Legatum, Furſtenbergium Comitem, cujus operam præcipue adtemperandum reſtitutionis negotium in provinciis Cæſaris requiſiverant, prout ſcripto iſte demonſtrabat. Cæterum quia Carolus Guſtavus ex hactenus actis obſervarat, Cæſareos poſt Volmari cumprimis adventum ſæpius quidem ſtudium negotii ad finem deducendi præ ſe tuliſſe, ac varia media propoſuiſſe, ſed ubi in rem præſenteni veniendum fuerat, negotiationem diverſo obtentu declinaſſe: Furſtenbergium quidem internuntium, etſi circa ſacra eadem quæ Cæſarei Varenbulero objecerant, excipere poſſet, haut repudiabat. Sed ut ſuper hoc agendi modo eo liquidius ſibi conſtaret, placebat, ut Suecici Delegati ab ipſis Cæſareis ſuper iis, quæ à Furſtenbergio pro-
7. Nov. poſita erant, eorum mentem perciperent. Quod cum ab iſtis fieret, addita declaratione; ſi eadem ipſis mens ſit, Carolum Guſtavum hanc tractandi viam ingreſſurum; Cæſarei talia ſe Furſtenbergio mandaſſe abnuebant, ſed operam ipſius ſolo exautorationis & evacuationis articulo circumſcriptam. Id cum Sueci Furſtenbergio exponerent, ille hac contumelia à Cæſareis ſibi illata non parum offendebatur.

Formula Conventionis Principalis. §. 94. Carolus Guſtavus etſi & ipſe Cæſareorum lubricitate non parum tangeretur; ne tamen quid omitteret promovendo negotio inſerviens, adornatam formulam Principalis Conventionis Moguntino Directorio exhiberi curat, utque ea quamprimum deliberationi ſubjiciatur, commendat.
8. Nov. Quo moti Cæſarei & ipſi formulam ſuam exhi-
9. Nov. bent, ſimul apud Suecicos Delegatos non ſolum præterita excuſant, ſed & ad perſequendos tractatus paratos ſe oſtendunt, denuo Furſtenbergium internuntium etiam in negotio reſtitutionis offerentes. Carolus Guſtavus inde accelerando huic negotio Ordinibus proponebat, ut dum Furſtenbergius ſuper reſtitutione in Cæſareis ditionibus agit, Gravamina Imperii ab ipſis cum Suecicis De-
10. Nov. legatis expediantur. Queis cum id probaretur, è Catholicorum numero Moguntinus, Bavaricus, Salisburgenſis, Bambergenſis & Oſnabrugenſis, ex Evangelicorum claſſe Altenburgicus, Coburgicus, Brunſvicenſis, Noribergicus & Lindavienſis deſtinantur, qui ſi quid in formula conventionis principalis adhuc dubium ſit, excerperent, ulteriori poſt diſceptatione diſcutiendum.

Negotiatio inter Cæſareos & Suecicos ſuper formula conventionis Principalis. §. 95. Porro hinc inde per Furſtenbergium tradita Principalis Conventionis formula compluribus congreſſibus ventilabatur. Ejus exordio Sueci de poteſtate agendi ſummis exercituum ducibus per Inſtrumentum Pacis, ac Cæſaris & Reginæ mandatis collata, nec non de Ordinibus Imperii mentionem fecerant, quæ à Cæſareis omiſſa erat;
10. Nov. quam nec Cæſarei complures per dies admittere volebant; contra Sueci id velut rationi ac communi uſui congruum evitandæ nullitati pervincebant. In cæteris, quantum ſalva rei ſubſtantia fieri poterat, amore pacis multa remittebant, ac poſt plures hinc inde exhibitas formulas in unam
23. Nov. tandem conſentiebant, quæ à Suecicis Deputatis ac Furſtenbergio ſubſcribebatur.

Re guæſi- §. 69. Sed præcipua difficultas circa eos ſurge-

bat, qui in Cæſaris provinciis reſtituendi erant, quos prolixo indice Sueci nominatim & in certas claſſes digeſtos conventioni inſerere cupiebant. Id quod Cæſarei plane adſpernati declarabant: Cæſarem ad quæ Inſtrumento Pacis teneatur, reverа præſtiturum; ſed ad certos dies, aut quorumvis poſtulata implenda adſtringi nolle, quod horum quædam nondum ad liquidum deducta, quædam altioris indaginis ſint, utique cognitionem aliquam cauſæ requirentia. Et hiſce immoti inhærebant, quicquid Sueci contra tenderent; qui & demum, ne ad hoc velut vadum tractatus adhæreſceret, conſenſerunt, ut ea de re in principali conventione omitteretur. Præſertim cum Cæſarei oſtenderent, Cæſarem neminem in ſuis provinciis reſtituendum, qui jus ſuum ex Inſtrumento Pacis demonſtrare potuerit, facto ipſo liquido rejeciſſe. Quod ſi adhuc ſuperſint, illos nomina ſua apud Cæſarem profiteri, & jus ſuum docere parе eſſe, haut ſane plus à Cæſare exacturos, quam pacis legibus caveatur. Super tribuno Odovvalskio & quibuſdam aliis, quos nominatim Amneſtiæ includi Sueci poſtularant, Cæſarei declarabant; Cæſarem haut permiſſurum, ut huic, aut aliis, qui pacis capaces ſint, moleſtia inferatur. Quam in rem Sueci per Furſtenbergium formulam declarationis Cæſareis exhibebant, quam hi per omnia probabant, niſi quod, quæ Egram ſpectabant, expungebantur.

1649 pro ſuper reſtitutione in provinciis Cæſareis.

Controverſia ſuper Egra oppido. §. 97. Et oppido Sueci jus pignoris reſervare cupiebant, quod Cæſarei plane adſpernabantur contendentes, id pari cum aliis Bohemici Regni urbibus conditione gaudere, quippe quod eodem contineatur, eoque pacis Inſtrumento prætermiſſum ſit. Sueci contra oſtendebant, Egram extra Bohemiæ fines in ſolo Imperii ſitam olim liberam Imperii civitatem fuiſſe; ſed à Ludovico Bavaro, quo tempore in bellum cum Friderico Auſtriaco gerendum graves ſumtus faciendi erant, anno 1315. Joanni Regi Bohemiæ oppigneratam, ſalvo tamen jure reluendi pro eadem ſumma, quanta tunc data fuerat. Qui Rex promiſerat, urbi jura à Cæſaribus adquiſita ſalva fore, nec aliis Regni tributis eandem ſubjiciendam, Cameraque Bohemica exemtam per præfectum, aut judicem à ſe conſtitutum gubernandam. Unde & poſt oppignerationem uſque ad annum 1514. in matriculam Imperii relatam, ratamque partem ad contributiones Imperii contuliſſe, à Bohemiæ legibus ac ſtatutis, ſimul collectis ordinariis & extraordinariis liberam, nec ad conventus Ordinum Regni, aut electiones & coronationes Regum evocari ſolitam. Quod ſi Bohemiæ Reges ab iſta urbe pecuniæ quid poſtularint, id per Commiſſarios factum, & in vicem ultronei ſubſidii, quod urbs exſolverit excepta cautione, id privilegiis ſuis fraudi non fore. Quin in hunc uſque diem à Cæſare oppidanis titulum dari; *Nobis & Imperio dilectis fidelibus.* Igitur aliam ejus ſortem, quam reliquorum Bohemiæ oppidorum, nec niſi pignoris jus Cæſari in eandem competere; communi autem jure contractum pignoris dominium vel ſuperioritatem non tribuere. Inprimis ſacra quod attinet, ipſos Catholicos libro Dillingano agnoſcere, jus reformandi ad oppignerationes non extendendum. Quod ejus diſerta mentio in Inſtrumento Pacis facta non ſit, id haut magis ipſi præjudicio eſſe, quam Palatino Sulzbacenſi, & aliis omiſſis; in quorum gratiam articulo quinto cautum ſit, *ut qui expreſſe non nominati vel expuncti ſunt, propterea pro omiſſis vel excluſis non*

1649. *sis non habeantur.* Sed Cæsarei immoti ne *Attestatum* quidem eo nomine Suecis postulantibus exhibere volebant. Unde Carolus Gustavus rem hanc ad cognitionem Ordinum rejiciebat; quo Cæsarei certam spem concipiebant scopo suo potiundi, quod istos bello fessos ejus oppidi gratia pacis executionem haut remoraturos patebat.
1. Dec. Qui & istum rogabant, *Attestato* è Cancellaria Moguntina dato adquiesceret; cujus iste sensus erat; eam omissionem neque Cæsari Regique Bohemiæ neque oppido & districtui Egrano, multo minus Imperio fraudi fore, sed cuique sua jura salva reservari. Cæterum non id solum negotium, sed & sententia Ordinum circa restitutionem ex capite Amnestiæ, & Gravaminum lente admodum procedebat, Catholicis, queis per eam restitutionem aliquid decedebat, vario obtentu rem extrahentibus, ut integer mensis November incassum elaberetur.

Cæsar sequestrum Hermansteinianum improbat. 13. Nov.

§. 98. Inter hæc missus in Aulam cursor literas referebat, quibus Cæsar Hermansteinum sequestro deponi plane abnuebat. Rationes addebantur; Instrumento Pacis ipsi neque ad restituendam Franckendaliam, neque ullum eo nomine propositum temperamentum necessitatem impositam; sed ultro se operam suam obtulisse maturando circa executionem pacis concluto. Nec circa procurandam Franckendaliæ restitutionem ulterius obligari, quam ut Cæsarea autoritatem apud Hispaniæ Regem interponat, præsertim postquam se frustra dehortante iste Rex pace excluſus fuerit. Qua in re Ordines quoque universi operam suam conjungere debeant, nec in se solum onus illud devolvere. Quæ circa communem evictionem hinc inde promissa sint, ad præsentem casum haut quadrare, sed sibi & Ordinibus ante omnia sua restituenda, quo casu Rex Hispaniæ sponte id oppidum redditurus sit. Equidem ultro se contensisse, ut pro Franckendalia tanti ſperalius locus Regibus relinqueretur, sed quem ipsi suo jam præsidio obtinerent, & ea lege, ut si Reges eo non adquiescant, sua pollicitatione haut amplius teneatur. Unde mirum sibi visum, Ordines gratuito pollicito in debitum verso sequestrum superstruxisse, & de tanti momenti loco disponere ausos, qui neque in Regiorum, neque in ipsorum Ordinum potestate constitutus sit. Nec ferendum esse, Ordines, cum primum Legatis suis velut consilium de sequestro aliis fraudi non futurum proposuissent, post ipsis inconsultis super eodem pacto publico conclusisse, iisdemque dehortantibus sub scripsisse, facto Gallis promisso se bona id fide impleturos etiam Cæsaris ratihabitione non secuta. Porro in ipso pacto sui mentionem non fieri ulterius, quam ut instrumento à suis plenipotentiariis subscribendo tangatur. Tum iterum de restituendis in antecessum paucis locis disponi, reliqua magni momenti ad Rhenum, & in Electorali Rhenano Circulo velut ex novo pacto Gallis relinqui se inscio & inconsulto. Nec hoc sequestro constituto Gallis lubidinem accessuram istis locis præsidia deducendi; quin potius antam præberi arcem tam validam nanciscendi, cum in Gallorum arbitrio sit, neutralitatem illam, qua non secuta arx in ipsorum manus sit tradenda, eludere. Eam ubi semel invaserint, nunquam ab ipsis Trevirensi Electori restituendam. Forte ipsum Electorem, Capitulo suo nunc discordem, eandem Gallis in perpetuum addicturum. Denique executionem pacis nullo modo circa Franckendaliam, sed ad longe majores difficultates hærere; unde tanto ægrius Hispaniæ Regem ad eam 1649.
reddendum permoveri, quod videat, etiam eadem restituta tranquillitatem Imperio non redituram. Igitur omisso eo sequestro propositis à se temperamentis adquiescerent; & potius reliquis expediendis operam darent. Electorem Palatinum longe facilius à Rege Hispaniæ Franckendaliam obtenturum, si decenti modo istum roget, quam si Ordines per id sequestrum ipsum cogere velle videantur. Gemina hisce Legatus Hispanicus Brunus Hagæ sermonibus jactaverat: si Belgæ Fœderati Regem super illo oppido restituendo requirant, facile ipsum illis gratificaturum. Sed cum iidem mox serio Bruni mentem explorarent, quod Elector Palatinus eam causam ipsis commendasset, ferebat is: Cæsarem suo Regi scripsisse, ne Franckendaliæ restitutionem festinaret, quod magis magisque deprehendat, quantopere Westphalica pace lassus sit.

Cæsar nostræ culpam Coronis impingit.

§. 99. Illarum porro literarum exemplum Cæsar ad complures ex Ordinibus mittebat, addito; per Sequestrum id plenæ exautorationi & oppidorum restitutioni haut contuli, nec idoneum id medium his miseriis eludendi. Et Regios peculiaribus ejusmodi conventionibus nil aliud quærere, quam ut extracta plena pacis executione Germaniam penitus pessundent. Unde monebat Ordines, Legatis suis injungerent, ejusmodi conventionibus deinceps abstineant. Sed & Cæsar aliis literis ad Legatos suos moras circa restitutionem ex lege Amnestiæ & Gravaminum à se in Regios amoliri conabatur. Etiam ratihabito sequestro plenam pacis executionem haut fuisse secuturam; cum Sueci suis imos dixerint; ipsos nec unum militem exautoraturos, nec ullo amplius oppido præsidia deducturos, ni restituendis ex capite Amnestiæ & Gravaminum satisfactum sit. Enimvero se circa hanc omnia fecisse, & adhuc facturum, ad quæ per pacem, arctiorem exequendi modum, ac præliminarem conventionem teneatur; nec, si quæ intuitu propriarum provinciarum præstanda fuerint, omisisse. Quod si forte aliqui restituendi superstint, sane ratioui & æquitati, jurigentium, ac sanctæ per pacem amicitiæ repugnare, ob pauculos quosdam se, universosque Ordines diutius premi, ac sub pacis specie gravius quam ipso bello exhauriri. Quin illorum, qui restituendi adhuc ferantur, vel causam Pace non fundari, vel factum controversum, necdum satis liquidum esse, aut illos in ipsa pacis tractatione repulsos. Unde Suecis haut fas esse, exautorationem & redditionem oppidorum velut liquidum debitum per illiquidas exceptiones protrahere; præsertim cum præliminari conventione dilecte caveatur, ut omnes ejusmodi casus ab Ordinum Deputatis examinentur, liquidi trifariam distincti eodem cum exautoratione tempore expediantur, illiquidi intra tres à facta exautoratione mentes decidantur. Id scriptum cum à Cæsare, ejusque Legatis passim sparsim spargeretur, Carolus Gustavus contrario scripto invidiam prolatatæ negotiationis in Cæsarem, ejusque Legatos revolvere consultum judicabat. Hoc ad moguntinum Electorem directo demonstrabat; Restitutionem velut originem belli, & fundamentum pacis per placitum universis exequendi ordinem ante omnia præstandam fuisse. Præliminarem conventionem ab ipsis Cæsareis propositam, inde omissam; probatam, improbatam, promotam, impeditam, tandem magno cum temporis dispendio ratihabitam. Dehinc placitum agendi

Et Carolus Gustavus occurrit.

1649 modum ob novas Cæsareorum objectiones mutatum. Mox Furstenbergio internuntii partes delatas, revocatas, circumscriptas, laxatas. Se contra, quantum salva rerum substantia licuerit, remisisse, etsi ut formulæ suæ insisteret, sat rationum haberet. Inprimis circa ditiones Cæsareas designationi restituendorum, & constituto certo termino renuntiasse, & circa Egram nudo attestato adquievisse. Ex his, & quæ circa Franckendaliam, & sequestrum Hermansteinianum hactenus acta sint, manifesto adparere, quis in culpa sit, quare finis tractatibus nondum imponi potuerit.

Ordinum sententia circa restituendos. 12. Nov.

§. 100. Ast Ordinum Legati, postquam discrimen formulæ Cæsareæ & Succicæ annotarant, Moguntinum, Bavaricum, Altenburgicum, & Brunsvicensem, cum Colonienſi & Brandeburgico designant, qui excussis annotaris tres illas formulas in unam redigerent. Quæ sat lente confecta, novæque denuo limæ subjecta, Carolo Gustavo exhibebatur. Mox & Evangelici magno, & antea inusitato numero eundem adeunt, & Wesenbecio Brandeburgico verba faciente testantur; Evangelicos juxta & Catholicos consentiu judicare, hac via commodissime restitutionem expediri posse; eoque petere, tandem absque ulteriore mora ad dimittendas copias, ac deducenda præsidia accedat, quod Ordines tam diuturno hospitiorum militarium onere plane fatiscant. Carolo Gustavo inusitatus accedentium numerus, & unanimis eorum consensus suspicionem injiciebat, velut ipsis placita obtrusum venirent, citra contradictionem sibi amplectenda. Respondit tamen; non vitio sibi datum iri, si tanti rem momenti curatius apud se expendat, & post paucos dies sententiam suam expromat. De cætero, si ipsorum declaratio legibus Pacis & æquitati conveniat, penes se nullam moram fore, quo minus plena pacis executio quamprimum fiat.

1. Dec.

14. Dec.

Ejus defectus.

§. 101. Enimvero Carolus Gustavus scripto isto penitius excusso haut pauca reperiebat, quæ plane probari non possent. Inter quæ erat, quod Commissariis executioni perficiendæ destinatis circa quosvis casus cognoscendi facultas videbatur conferri; num restitutio utique locum habeat; velut eorum causa, quorum restitutioni jam ab Ordinibus certa dies dicta erat, istorum arbitrio denuo subjicienda foret. Hoc obtentu quippe ne plurimi bonis suis in perpetuum arcerentur, haut frustra metuebat. Sed nec *Articulo V. §. 12. Vers. Hoc tamen non obstante*, congruere videbatur, quod Bavaro in Superiore Palatinatu jus circa sacra tribueretur, subditis sola conscientiæ libertate relicta; cum ea Provincia adhuc Anno vicesimo sexto sacrorum suorum usu gavisa foret. Tangebatur quoque controversia de civitatibus mixtæ Religionis, Instrumento Pacis omissa, ubi pro fundamento restitutionis solum factum possessionis constitutum erat. Denique & id postulabat Carolus Gustavus, ut ne cui titulum ditionis à se restitutæ deinceps gerere liceret; quod Franciscus Wilhelmus vocabulum Verdensis Episcopi deponere nollet, antequam Pontifex Romanus consensisset. Eam ob causam inter Deputatos Succicos & Evangelicos Ordines congressu habito monita ista discussa sunt. Ac circa primum quidem concedebat Carolus Gustavus, ut verba laxius posita ad dispositionem Instrumenti Pacis aptarentur. Circa subditos Palatinatus Superioris Bavarici Oinabrugæ tractatum ferebant, Altenburgico & Coburgensi adstipulantibus, etsi cæteri id se ignorare ferrent. Unde demum placuit, id negotium plane conventione excludere, ne cui præjudicium adferretur, ac ad proxima comitia idem rejicere. Porro circa mixtas civitates controversiam Ordines primo casu decidendam statuebant, præjudicio ad singulas applicando. Denique ut circa titulos omittendos inseretur, Evangelici annuebant. Ita super certa formula inter Succos Ordinesque Evangelicos conventum est, cui insistere hi decreverunt; in quam ut & Catholici consentirent, operam daturi erant, quo tandem aliquando huic negotio colophon imponeretur.

1649.

Super quibus cum Evangelicis transigitur 16. Dec.

Catholici priori formulæ mordicus inhærent. 28 Dec.

§. 102. Contra Cæsarei cum Catholicis Ordinibus conceptæ semel formulæ mordicus inhærebant, qui & evocatis ad se Ordinum Deputatis demonstrabant: eandem utique ratam esse debere, quippe cum per conventionem præliminarem Ordinibus potestas decidendi competat. Nova Succorum monita Evangelicis proposita separationis speciem habere, cui eo minus locum concedere debeant, quod Cæsar haut alia lege in præliminarem conventionem consenserit, quam ne quid novi à Regiis moveretur. Ex ipsa quoque præliminari conventione patere, ne Cæsaris quidem decreta advertus Deputatorum decisiones valitura. Unde nec Suecis censuram ejusmodi indulgendam, qui hoc obtentu Ordinibus ulterius militi suo incumbant. In hanc sententiam Catholici statim pedibus discedebant; Evangelicis contra consentibus, cum Succis super hisce monitis tractandum esse; cum nulla alia via sit hoc negotium expediendi. Id quod Catholici tunc abnuebant, & Cæsarei Evangelicos acri hortatu stimulabant, ut unanimes cum Catholicis Caroli Gustavi monitis se opponerent. Evangelici mox eo ipso die consultatione inter se habita ad Succos Deputatos accedunt, consilium eorum exquisituri, quomodo demum ex his difficultatibus eluctandum sit, rogantes, ut Carolus Gustavus istas controversias, totumque restitutionis negotium Ordinum Deputatis velut per compromissum deferre velit, qui facile inter se transacturi sint. Quæ restent controversias exigui esse momenti, nec bello digna. Verbo Evangelicorum commoda jactari, sed qui interim hospitiorum onere pessum eant. Utut Catholici Evangelicis separatis metuendi non sint; novum tamen bellum surrecturum, & oppressioni Evangelicorum cessurum. Contra Succici Deputati ostendebant: Hæc si ineatur ratio, Evangelicos mox clamaturos, se post consumtam omnem operam à Catholicis plus haut potuisse obtinere; diutius oneri ferendo se impares; nec resumto bello incumbentibus malis eluctari posse; unde optimum esse adversæ parti nonnihil concedere. Addebatur; si controversiæ tanti non sint, ut ob eas bellum suscipiatur, ne Catholicos quidem arma ideo arrepturos; eoque haut ægre aliquid remissuros. Unde minus decorum fore Reginæ, si circa hæc leges sibi ab adversa parte præscribi patiatur. Si quæ ad misericordiam movendam jactantur, promiscue locum habere debeant, etiam Pragensem pacem fuisse amplectendam; nec disparem nunc rerum faciem esse. Si Evangelici velint, militem ipsorum ditionibus deductum mox Catholicorum terris immittendum. Mirum videri, Cæsarem, & Catholicos denuo tantum morositatis ostendere. Sane Succos in Evangelicorum gratiam hactenus omnia fere remisisse: pauca quæ restent monita æquitate ac legibus Pacis subniti. Ea si præfracte repu-

Evangelici cum Succis hac de re agunt.

1649. repudient Cæsarei, indicio esse, de bello ipsos magis, quam exequenda pace cogitare; quibus tamen quæ causa tantos spiritus excitet haut apparet. Cæterum quia manifestum sit, istos machinationibus suis fundamenta pacis subrutum ire; id si Evangelici æquo animo ferre velint, sane privatas Reginæ rationes, & securitatem Carolo Gustavo curæ fore, qui ne unicum quidem militem exautoraturus sit. Suecos oppressorum Evangelicorum causam ab initio velut divino instinctu susceptisse, quæ tanto cum labore, ac sanguine hucusque deducta sit. Eam in ipso velut portu evertere turpe fore. Sinistras adversæ partis criminationes eo minoris à se fieri, quod talia audire etiam ab Evangelicis, si solos Casellanos excipias, adsueverint. Sibi potius summam rerum ac posteritatem, quam præsentia & privata unius vel alterius commoda respici. Si Evangelici negotio executionis concordi studio incubuissent, aut adhuc Suecorum consilia sequi velint, omnia brevi ex voto confectum iri. Mox cum Cellensis Legatus Otto Mauderodius cum Suecicis Delegatis ad Carolum Gustavum accederet ad ejus sententiam cognoscendam, hic acres super Evangelicis querimonias movebat. Hos in causa, ex qua salus ipsorum pendeat, Reginæ ac sibi invicem discordes intempestivo metu agitari, ut malint omnia Catholicis concedere, quam junctis cum Suecia consiliis res suas stabilire. Maximæ molis fuisse, pacem tanto cum Evangelicorum emolumento concludere; apud quorum tamen plerosque exigua grati animi documenta deprehendantur. Catholicis refractariis, aut ambiguis circa edita monita ne latum digitum se commoturum. Qui immane quantum fallantur, si putent, huc se redactum, ut sibi ab ipsis leges præscribi queant, quia oppida quædam restituerit, & legiones nonnullas exautoraverit. Etsi fateatur se nimia credulitate peccasse, dum sibi persuaserit, ab altera parte pari candore actum iri. Ad quæ Otto excipiebat; quæ restent controversias bello haut dignas, & Suecos mutata jam rerum facie haut pares armorum successus uti hactenus posse ceri sibi posse. Cæterum & Catholicos serio pacem affectare, nec Evangelicis bello consuli. Carolus Gustavus contra; se prisse Pacis leges sequi, per quas restitutio læsorum exautorationem præcedere debeat. Neque Deputatis tantam potestatem tribui posse, ut Suecis haut integrum esse debeat monere, quæ primariam causam belli, ipsorumque securitatem spectent. Sed cum Otto innueret; Ordinibus curæ fore, ut pace conventa executioni dentur, modo ipse interim militem dimittat, & præsidia oppidis deducat: Carolus Gustavus paulo commotior; si id agitur, inquit, ut Regina exarmata Pacis leges eludantur, sibi decretum ne unicum quidem militem amplius exautorare, aut oppidum reddere, nisi restitutione examussim implera. Quin potius legiones suppleturum, & in unum contracturum, præsertim cum Lotharingus cum exercitu intra Germaniæ fines subsistat, & Woldemarus Comes per Westphaliam vagari pergat. Si Evangelici causam suam per socordiam, timiditatem, & credulitatem perdant, sibi saltem illa cordi fore, quæ ex re ac securitate Reginæ sint.

Evangelici cum Catholicis frustra agunt.

§. 103. Evangelici Ordines, cum Succicum Principem sententia sua dimoveri non posse cernerent, à Catholicis petebant; amore pacis monita istius excuterent, atque expedirent. Ea si non neglecta fuerint, se eundem permoturos, ut Deputatorum conclusioni adquiesceat, ac quod 1649.
superest militum plane exautoret. Nam uti velut pro Imperio adigi non possit, ut monitis suis desistat; ita si minus rigide cum ipso agatur, tractabilem fore. Alt Catholici jactare; haut præsentius medium esse incumbentibus malis eluctandi, quam si unanimes Carolum Gustavum ad suscipiendam exautorationem urgeant, allata ratione; Ordinibus super executione inter se convenire, & quæ restent tanti non esse. Evangelicos fidem habere Catholicis, omnia executioni fideliter mandanda. Ad extremum tamen ostendebant, se hac de re cum reliquis Catholicis consultaturos. Rogabant inde Cæsareos delegatos Evangelici, Catholicos ad excutienda secum Evangelicorum monita permoveant; quod illi ab initio abnuebant causati, Cæsaris existimationem in eo verti; ac cum ante quatuordecim dies Cæsari jam scripserint, Deputatorum formulam firmam persistere, sibi haut decorum eidem evertendæ nunc operam sumere. Ad extremum tamen Evangelicorum precibus expugnati receperunt, se cum Catholicis Ordinibus ea de re collocuturos. 31. Dec.

Reliqua nondum expedita sunt.

§. 104. Ita super restitutione ad exitum usque anni satagebatur, reliquis negotiis fere sepositis, ne simul tractata sibi invicem obstaculo forent. Equidem Carolus Gustavus, ut Ordines serio à se conclusionem hujus tractatus quæri sentirent, super reddendis oppidis cum Piccolomineo absolvere decreverat; de qua & formulam Cæsarei sub exitum anni exhibebant. Sed quia maximi momenti oppida intra primam diem collata erant, eadem post relingebatur. De satisfactione militari declaraverant quidem Ordines, se quartum & quintum millionem ante tertiam exautorationis diem repræsentaturos; haut eo minus tamen certa conventione opus erat ob notoriam quorundam Ordinum paupertatem, in Superiore cumprimis Circulo Rhenano; qui vel per alios Ordines sublevandi erant, vel eorum nomine cautio præstanda. Qua de re tanto magis cogitandum erat, quod tres priores milliones non sufficerent, ut militi prout è re ac dignitate Reginæ erat, satisfieri, ipliusq; favor in Sueciam pignerari posset, ære insuper alieno per Germaniam belli causa contracto, variisque multorum militia solutorum prætensionibus, alisque necessariis erogationibus ingentem pecuniæ vim absorbentibus; Landgraviæ insuper rata sua parte condonata.

Condicio tractatuum Noribergensium sub finem anni.

§. 105. Sic igitur in ancipiti erant sub exitum anni tractatus Noribergenses, quibus remoram injecerat temperamentum circa Franckendaliam; & quas tricas restitutioni ex lege Amnestiæ & Gravaminum Cæsar, & Catholici subinde injecerant, qui verbis quidem eam pollicebantur, sed ubi in rem præsentem veniendum erat, eidem ob se favorem in sua sacra subtraxerant, negato restituendis debito auxilio. Multi restituendorum superflua probatione onerabantur, quod bona ipsorum non aliam ob causam publicata fuerint, quam ob militiam Succicam. Aliquando si restituendus decretum obtinendis suis bonis obtinuisset, id statim contrario decreto tollebatur, aut molestis ambagibus involvebatur. Aliquando Præfecti Circulorum ad solum restituentis petitum ab executione facienda excludebantur, secus ac pacis legibus cautum erat. Quidam Commissariorum executioni destinatorum, postquam haut parum temporis circa cognitionem causæ prodegerant, ad extremum extrahendæ executioni rem ad Principes suos rejecerant. Alicubi plurium Com-

1649. missariorum concursus rem turbaverat. Quidam Catholicorum subtili cavillatione, alii vi, ac armis executionem eludebant. Alii reservationibus sibi inposterum cavere volebant, quas tamen omnes Instrumentum pacis inanes declaraverat; simul titulum restitutorum bonorum deinceps quoque usurpabant, aut necessaria acta & documenta detinebant. Hæ porro, & aliæ pacis violationes, ac tergiversationes tanto audacius exercebantur, quod omnes impune istas tuliſſent, ac nullibi executio sumtibus refractarii detentoris facta esset, quod tamen arctiore illo exequendi modo Ordines caverant. Quin & aliqui restituendi, qui super injusta rerum suarum detentione Noribergam questum venerant, minis protelabantur. Has ob causas velut in præcipitio positi videbantur isti tractatus; ac multi novum potius bellum quam plenam pacis executionem suspicabantur. Sane indictum jam istud videbatur, si Catholici proposito suo inhærentes Succorum monita repudiare pergerent.

Rerum Succicarum conditio.

§. 106. Hac rerum facie multi Succorum rebus haut optime augurabantur, si Cæsar denuo in arma prorumperet. Hic quippe atque Bavarus præcipua sua oppida recuperaverant; miles indigena in Sueciam remissus, legiones Germanicæ præstantissimæ exautoratæ: per hiemem è Suecia nihil suppetiarum accedere poterat: Germaniæ Ordines exhausti, ac minore indies in res Succicas affectu. Unde suadebant: Reginæ amputandas Noribergæ ambages, nec omnia ad unguem exigenda. Cæsarem enim cum videat Ordines Succis parum placatos, adversus hos commiserationem testari, acta sua tueri, literis Noribergam & alio scriptis de servanda & exequenda pace ample polliceri; culpam morarum in Succos devolvere, velut qui nil aliud quærant, quam ut Germania medullitus enervetur, Cæsarque invitus ad nova bella pertrahatur. Sed & constabat, id Romæ præcipue agitari, quomodo pax Germanica iterum everti queat, septendecim Cardinalium conventu in eam rem constituto.

Caroli Gustavi providentia.

§. 107. Ista tamen Carolum Gustavum haut quidquam terrebant, qui simul rei militaris curam habuerat, ac moderata agendi ratione ansam abrumpendi tractatus declinaverat; id cumprimis curans, ut præcipua, quæ Succorum præsidiis detinebantur, oppida necessario adparatu in omnem eventum instructa forent. Equidem dimiserat iste partem legionum, sed plures Cæsar; Bavarus autem penitus se armis exuerat. Unde judicabat, Cæsarem absque eo socio aleam novi belli haut temere subiturum. Et facile videbatur illatum bellum tantisper propulsari posse, quoad exercitus instauraretur. Tum ita exhaustus erat tractus maritimus, ut Cæsareus exercitus heic subsistere nulla ratione posset. Enimvero quem Catholicorum pervicacia ac minæ non movebant, demum miseriæ Evangelicorum per diuturnas hospitationes oppressorum, simul jussa Reginæ flectebant, ut nonnihil remittere statueret. Hæc quippe monuerat, ne ob privatorum emolumenta, aut gravamina, quæ ad tranquillitatem publicam parum facerent, conclusionem remoretur; utque id potissimum respiciat, quo sibi salva dignitate & securitate arma demum ponere detur, militumque præmiis idonee caveatur. Unde quamprimum ad conclusionem accedere decreverat, etsi satis prævideret, hac festinatione nonnulla transmittenda fore, quæ in posterum Evangelicis fraudi esse queant. Ut tamen Regina omnibus excusata foret, deque ejus mente posteritati constaret, & quod publicum magis bonum & securitatem, quam privatum emolumentum quæsiverit; placebat, nonnullis Ordinum quoque suadentibus, protestationem scripto concipere; quæ tamen premenda erat, quoad adpareret, num promissæ executiones intra tres menses repræsentandæ sint. Id enim ni factum foret, extremo demum termino, & exercitu plane dissolutus eam publicare instituit, è rerum tunc facie temperandam. Sed & monebat Regina, ne ob tractatus Polonicos exautorationem militum extraheret. Nam utcunque isti succedant, consultissimum fore, rebus Germaniæ compositis, domi inque Livonia ac Pomerania militiam ita firmare, ut Polonis ostendere queat, se bello juxta ac paci paratam esse. 1649

Cæsarei in Westphaliam movent.

§. 108. Sub finem anni motæ per Westphaliam sub Woldemaro Comite Cæsareorum copiæ scrupuli nonnihil Carolo Gustavo injiciebant. De quo cum hic per Erskeinum Cæsareos Deputatos compellaret, hi ignorare id ferebant; ad Hatzfeldium tamen scripturos; ita rem disponeret, ut Succis omnis suspicionum causa adimatur. Post cum certiora de isto motu afferrentur, Piccolomineus expoſcenti causam Carolo Gustavo respondebat; copias ideo contractas, quod Noburgici subditi alimenta militi Cæsareo negarint. Tum & Capitulum Trevirense adversus conatus Gallorum auxilium imploraſſe, unde per Woldemarum Comitem ducentos equites in Trevirensem urbem deductos; reliquas copias circa Hammersteinam tendere. Curaturum tamen se ut omnis suspicandi causa cesset. Cæterum quanquam Noribergæ tractatio adhuc lente procederet, miles tamen indigena toto autumno ad oram maritimam dimittebatur, qui novendecim fere millibus equitum peditumque constabat. Ejus duæ tertiæ partes ante finem anni in Sueciam trajectæ; reliquis ingruente gelu per totam hiemem in Germania morandum erat. Germanicarum legionum equestrium nonnullæ quoque sacramento solutæ. Pedestres legiones in paucas redactæ, superfluis ductoribus dimissis. Enimvero quod Regina decem millia selectorum peditum Germanicorum sub signis retinere cupiebat, id parum succedebat. Nam veterani pedites belli pertæsi stipendia diutius facere abnuebant, inprimis quod spargeretur, in Sueciam, & Livoniam ipsos abducendos. Jactabatur tot annorum militia, finis belli, exhaustus labor, debilitata corpora. Sed cum inviti compellerentur, in seditionem non uno loco eruptum. Qui Sueinfurti tendebant expulsis præfectis missionem, stipendium confestim flagitabant. Qui tamen per Wrangelii prætentiam non solum priori obsequio restituebantur; sed & autores seditionis à reliquis traditi supplicio afficiebantur, cæteris denuo in Reginæ verba adactis. Nec eo minus cum oram maritimam versus deducerentur, plerique deserebant. Sic & qui Neumarco excedebant, cum præfecti sacramento solverentur, nec ipsi longius progredi volebant, missionem & stipendia flagitantes. Queis à legione Succica circumdatis adempta arma, & quatuordecim sorte ductis laquei supplicium indictum; intercessione tamen Noribergensium civium demum citra stipendium, ac legitimæ missionis testimonium dissolvebantur. Qui Uberlingæ, Langenargæ & Meinaviæ præsidium agitarant, itidem seditionem induebant, è quibus autores octodecim comprehensi, quorum

Miles indigena in Sueciam reducitur.

Pedites Germani seditionem movent.

Is jussu Reginæ nonnihil remittere constituit.

1649. rum ſeptem laqueo necati, reliqui virgis cæſi abigebantur. Copyæ quoque legio, quæ Egram inſederat, in itinere fere dilabebatur, ut non niſi centum ſexaginta ſuperetſent. Prætoria tamen Reginæ legio pedeſtris mille nongentorum capitum, partim Rigam, partim Holmiam abducebatur. Id porro curabat Carolus Guſtavus, ut Cæſari ſociisque, ſi forte pacem abrumpendi libido ſubiret, par eſſe poſſet. Quanquam & Cæſar, cum intra ditiones ſuas exercitum absque ruina provincialium diutius ſuſtentare non daretur, plus militum, quam Regina exautoraverat, Bavarico exercitu plane ſoluto.

Carolus Guſtavus Princeps hæreditarius Sueciæ decernitur.

§. 109. Dum Carolus Guſtavus hoc modo in Germania nititur, ut Regina ſolidam ex tam diuturno bello lauream deportaret, ipſa vicißim in Conventu Ordinum Regni, qui mense Februario Holmiæ habebatur, ſummo ſtudio id agebat, ut iſte Princeps Sueciæ hæreditarius, ipſiique ſucceſſor deſignaretur. Jam ſuperiore Conventu apud Reginam inſtiterant Ordines ut matrimonio eidem juncta familiam Regiam ſtabiliret, à quo ſe haut alienamo ſtenderat, pollicita, ſe nemini alteri præter ipſum nupturam, etſi de tempore nondum ſecum decreverit. Revera tamen jam tum ſecreto ſententia ſtabat, matrimonii jugum non ſubire. Et cum iſte antequam in Germaniam abiret, coram apud Reginam ipſius nuptias ambiſſet, ſuper affectu ſuo in eundem multis teſtata ſpem connubii abjicere juſſerat: cæterum Regno Sueciæ ut potiatur ſe curaturam; illo vicißim teſtante, pluris ſibi ipſam, quam Coronam æſtimari. Ordines porro cum ſæpius iſthoc conventu, tum & inſigni Deputatorum numero eam magnopere rogant, ut coronationem ocyus adornet, ac nuptias cum Carolo Guſtavo abſolvat. Ipſius Regnique ſecuritatem in eo verti, quorum hoc facile gravibus turbis involvi queat, ſi ipſi nulla prole, aut certo ſucceſſore humanitus quid contingat. Felicitatem, quæ ipſa regnante Sueciæ alluxerit, haut ſolidam fore, ni patriæ de prole ex ipſius ſanguine progenita cautum ſit. Cum inſtandi finem non facerent, expreſſere demum ſecreta Reginæ deſtinata, quæ alias forte ad coronationem usque latuiſſent. Ac paucis de ſua mente innuens, ad Senatum ſe relaturam reſpondebat, cujus ſententia ſibi utique cognoſcenda ſit.

22. Ibr. Ordes Succe matrimonium reginæ gent.

Carolo Gavo inceſſen deſtando ienatu eatur. 2Febr.

§. 110. Poſterâ die apud Senatum exponit; haut perſpicere ſe, qua ratione conſcientiam liberare poſſit, ſi quid mali Regno incertum ob ſucceſſorem eveniat, poſtquam ſuper ineundo matrimonio nondum à ſe impetrare potuerit. Unde aliam ſe viam diſpexiſſe, quam per triennium jam mente agitarit; an non Carolus Guſtavus Palatinus, ſi quid humanitus ſibi accidat, ſucceſſor declarandus ſit? Id quod ut mature ſecum expendant, jubebat. Rationes ſuſcepti conſilii hæ adducebantur. Formam regiminis exigere, ut ſe adhuc viva ſuper certo ſucceſſore conſtituatur, citra quem ſi fato fungatur, inteſtinas turbas ac diſſidia metuenda. Id tempus, quo ſua cum morte Unio hæreditaria ſit expiratura, malevolos avide arrepturos infeſtis deſtinatis adverſus Sueciam expromendis; in hoſtilia quoque iterum erupturis, qui nuper in amicitiam redierunt. Nec minus eo caſu recens partas provincias longe diſſitas à Regno iterum avulſum iri, dum converſis in ſe civibus extranea ſine cura habentur: id quod tanto turpius patriæ ſit futurum, quo gloriosius juxta ac carius Regii ſanguinis, ac tot fortiſſimorum civium jactura illæ adquiſitæ ſint. Carolum 1649. Guſtavum porro imperio gerendo idoneum, ac dignum cujus ratio circa ſucceſſorem habeatur, etſi alias neq; ipſe neque alius quispiam jus aliquod hæreditarium ad Regnum obtendere poſſit. Proximum eum ſibi cognatum Regio ſanguine oriundum, quem ab infantia ſingulari affectu proſecuta ſit. Eundem in Suecia natum, ſacrisque patriis, lingua, moribus, legibus à puero imbutum. Accedere inſignem modeſtiam, aliasque virtutes, ob quas ab omnibus magnifiat. Vitam pro ipſâ, Regnoque ſæpius periculo expoſuiſſe, ac egregia intrepidi animi documenta adverſus patriæ hoſtes edidiſſe. Denique nullo alio reſpectu diſtrahi, quo minus ſe, ſuaque omnia ſoli Sueciæ devoveat. Addebat tamen, ſi contingat Ducem aliam uxorem adſciſcere, ac ſe ex alio marito prolem ſuſcipere, ut tunc ſua proles Coronæ proxima ſit. Nam de ſuo, ſuæque ſobolis præcipuo in Regnum jure cautum ſibi eſſe oportere, quod nullo modo imminuere, ſed firmare potius velit. Tum ut omnium & ſingulorum Regni Ordinum jura ac privilegia ſarta tecta maneant.

Senatus la contrariarum rationes.

§. 111. Ea Reginæ propoſitio Senatui difficilſima videbatur, cum electionis inſtar haberet, ſi Palatinus ſucceſſor Regni adſciſceretur. Ita enim ſceptrum in aliam familiam transferri, cum iſte non niſi per matrem è Guſtaviana proſapia ortum trahat. Equidem ſi Reginam improlem mors occupet, haut alium, quam iſtum Regem à ſe adſciſcendum. Sed nunc ea, quam Regina cupiat, obligatione ſe induere arduum eſſe. Guſtavum Primum ſuper Unione hæreditaria quatuor annos agitaſſe, antequam eandem abſolvere potuerit. Ipſam Reginam confeſtim, ſe iſthanc rem integro triennio animo volutaſſe. Unde vitio ſibi haut poſſe verti, ſi ſuper tanti re momenti intra biduum ſtatuere nequeant. Eoque petere id negotium ſaltem ad coronationem usque differat. Sane periculoſum eſſe, Palatinum Regina vivente ſucceſſorem deſignare, præſertim ubi ſimul in maritum non adſciſcatur. Jam ante cum de exercitu eidem committendo conſultaretur, ancipitis aleæ rem vitam, & qua Reginæ ſalus diſcrimini exponeretur, niſi nubere ipſi velit; nec alia lege Senatum id tunc ſuadere auſum. Ad deſperata conſilia eundem facile impelli poſſe, ſpe matrimonii ſublata. Sueciæ nimis quam cognitum, quantum malorum æmulatio inter Reges, ac Principes hæreditarios parere ſolita ſit. Ne Guſtavi quidem, Ericique filii ſub extremum tempus gratiam ſinceram fuiſſe. Tum vero inter Ericum & fratres, & illo amoto inter Joannem & Carolum, mox inter hunc & Sigiſmundum longe graviſſimam æmulationem exarſiſſe; quæ nec à Guſtavo Adolfo & Carolo Philippo abfuerit. Nuper quoque è fratribus Polonicis unum ſolio alterum dejeciſſe. Porro Palatino in Principem hæreditarium aſſumto, ipſius proli de reditibus eo faſtigio dignis proſpiciendum fore, id quod in magnum Regni onus redundaturum ſit. Quod ſi Palatinus ſucceſſor Regni declaretur, incerta ſpe matrimonii cum Regina, iſtum vel alibi nuptias inituram, vel minus. Priori caſu, ſi Regina forte alio è marito prolem ſuſcipiat, duplicem Principum hæreditariorum proſapiam in Regno proventuram cum hujusce onere: & quanquam Reginæ ſoboles potiori jure ad Coronam gaudeat, facile tamen inteſtinis turbis anſam præberi poſſe. Quod ſi Dux connubium non ineat, (id quod facturus non ſit, quamdiu ulla ſpes Regina potiundi ſu-

1649. perer, ne & huic alium maritum circumſpiciendi occaſionem præbeat,) ipſum Regina natu majorem ad ſenectutem ſine ſobole venturum, ac forte ante eandem deceſſurum. Ita periculum ex incerto ſucceſſore, de quo averruncando nunc agitur, redituram. Aut ipſum ſpe prolis deficiente, gemina forte conſilia agitaturum, parique obtentu fratrem, familiamque ſuam Sueciæ obtruſurum. Unde Carolo Guſtavo ſe optime cupere, præſertim ut Regina Conjuge potiatur. Sed dictas ob cauſas ſe non aliud quam matrimonium ſuadere poſſe, de quo Reginæ promiſſa iſti data implenda ſint. Et memorabat Jacobus Gardius, cum Regina ſe ad Palatinum paulo ante hujus diceſſum miſiſſet, iſtum haut obſcure declaraſſe; id ſibi ante omnia eſſe, ut de Reginæ connubio certus ſit. Idem & Torſtenſonio dixerat; ſibi non iſthoc Reginæ conſilio, ſed matrimonio conſuli; ac parum volupe ſibi fore, recuſato matrimonio ſpem ſucceſſionis nanciſci. Hanc quippe in longum prominere, Regina minore natu, ac ſalvo naturæ ordine morti ſe propiorem, nullo ſucceſſorii juris fructu.

Illis Regina occurrit.

§. 112. Contra Regina de æmulatione & deſperatis Caroli Guſtavi conſiliis Senatum ſecurum eſſe jubebat. Virtutem ipſius candoremque, & devotum ſibi animum tantopere perſpectum, ut in futurum omnia amiciſſima de eodem ſibi polliceatur. Cæterum diverſas eſſe quæſtiones, num Palatinus ſucceſſor Regni declarandus ſit, aut num ad modum priorum Principum ditione aliqua ſit donandus? Prius patriæ ſalutare à ſe cenſeri, alterum neceſſarium non eſſe, etſi eundem non minus quam alios terris quibuſdam mactari haut iniquum ſit. Quid ſpei porro Carolus Guſtavus circa nuptias ſuas habere debeat, jam ipſi ſe declaraſſe. Promiſſa ſua ſancte ſe ſervaturam: ſed quæ illa ſint, non opus eſſe, ut alii præter ſe & Palatinum ſciant. Nullo modo certius Regno de ſucceſſore caveri, atque eo, quem ipſa propoſuerit. Nam etiam invito cum Duce matrimonio incertum, num prolem habituri ſint. Contra ſibi utique conſtare debere, quis in Regno ſucceſſurus ſit, ut ſi absque prole decedat, Suecia illi periculo & incommodo non ſit expoſita, quo Regna electitia agitantur. Declarationem de ſucceſſione matrimonio non obſtare, quod haut eo ſecius ſequi poſſit. Quin expedire, ut pluribus firmamentis ſecuritas Regni innitatur. Si Ordines utique à ſe exigant, ut Palatino nubat, haut adparere, quare dubitent eundem ſibi ſucceſſorem declarare. Nam ſi thoro dignus judicetur, quomodo ſucceſſione indignus haberi queat? præſertim cum ſi iſte ſuo connubio potiatur, Senatus, & Ordines ex ipſis genitos Reges adſciſcere teneantur. Denique quod jam de nominando ſucceſſore, & differendo matrimonio proponat, Ordinibus nihil ſolicitudinis injecturum; cum ſi poſtulante ſe Palatinus ſucceſſor deſignetur, populus creditурus ſit, ſe nullum alium, quam iſtum maritum aſſumere decreviſſe, ac ſuo connubio ipſam velut rempublicam maritare. Haut mirum eſſe, ſi quem maritum Ordines deſtinent, ſucceſſorem ipſa habere velit; cum id potius mirum foret, ſi iſtum à ſucceſſione excludere velint. Cæterum incaleſcente diſceptatione ne aculeatis quidem dictis abſtinebatur. Jactabat Regina; ſecuritati patriæ melius conſuli, ſi illa Principibus hæreditariis ex ſe, aut Carolo Guſtavo natis, quam ſi Senatus arbitrio committatur. Cupere Senatum, ut electitium Regnum redeat; quin ſatius fore, ſi ingenue profiteantur, ſe exterminato Regno hæreditario ariſtocratiam introducturos. Ad quæ reponebatur: De ſucceſſore deſignando cogitaturos non fuiſſe, ni Regina monuiſſet; cujus ſolius reſpectu iſthus ratio habeatur. Cæterum etſi acerbum ſit, ſervorum hæreditariorum ſe convicio à vicinis nationibus notari: immerita tamen ſe ſuſpicione à Regina onerari, velut de nova reipublicæ forma introducenda cogitent, à qua facile ipſos abſolvere queant conſilia poſt Guſtavi Adolfi mortem à Senatu expromta, cum Regina ſextum ætatis annum ageret. Eundem porro Regem teneriſſimo affectu patriam proſecutum, ac ampliſſima quæque de fide Senatus ſibi pollicitum; nunquam tamen huc deſcendiſſe, ut vel verbo mentionem injiceret, cuinam filiam in matrimonium collocare velit. Cum porro Senatus oſtenderet, ſe maxime metuere, ne Reginæ, Palatinique ſoboles, ni illa huic nubat, inter ſe quondam diſcordes Regnum turbis involvant: Regina objiciebat; cur non metuerent, ne ipſorum quoque liberi in partes diſcedant, ni de ſucceſſore nunc caveatur; cum etiam inter eos poſſint factiones exiſtere, qui ad Regnum nati non ſunt? Addebat, ni ultro Regem ſibi conſtituant, alium vi ac fraude ſolium aliquando invaſurum; & cum nunc ultronea ſucceſſoris deſignatione libertati ac privilegiis ſuis commode cavere poſſint, verendum ipſis eſſe, ne mancipii cujuſdam mancipia fiant. Nam quod hac ſpe ſibi blandiantur, fore, ut interregno emergente facile Regem unanimi ſuffragio inveniant, aut ſaltem quinque proceres, quibus *Forma Regiminis* adminiſtrationem Regni minorenne aut abſente Rege committit, in unum aliquem conſenſuros, id inane eſſe.

1649.

§. 113. Cæterum cum Senatus matrimonium præcipue urgeret, velut jam Carolo Guſtavo ab ipſa promiſſum, Regina haut aliud declarabat, quam præter iſtum nulli alii ſe nupturam, ſi utique matrimonium ſubire placeat. Acrius tamen prementibus tandem, quæ hactenus diſſimulaverat, expromebat: Nullo modo ad matrimonium ſe deſcenſuram, à quo plane abhorreat. Sæpius à Numine precibus flagitaſſe, ut eam ſibi mentem indat; ſed nunquam impetrare potuiſſe. Sublimiores ſibi ſpiritus in præſenti fortuna eſſe, quam ut uxoralem conditionem ſubire queat. Ab eo jugo ſemel ſuſcepto non amplius liberari ſe poſſe. Equidem voto ſe haut adſtringi, ne matrimonium ineat; ad id tamen nullo modo cogi velle. Sane in patriæ emolumentum nubere laude dignum eſſe; ſed ſi aliud æque idoneum medium exhibeat, ſecuritati patriæ conſulendi, quid amplius à ſe deſiderari poſſe? Et hanc ipſam ob cauſam, quod vix de nuptiis in animum inductura ſit, hoc ſe conſilii cepiſſe, ut Regno ſuper certo ſucceſſore caveat. Nec metuendum eſſe, ut ſui liberi cum Carolo Guſtavo, aut quovis alio ſuper Regno certaturi ſint. Sed & Regem Poloniæ poſtulare, ut ſi ipſa ſine prole decedat, is Sueciæ Regno iterum potiatur. Hic quamdiu videat, ipſa ſola jus hæreditarium inniti, ſemper eidem ſpem ſupereſſe, quæ hac ſucceſſoris declaratione plane decollet. Cum etiam quidam objiceret; Palatinum ſi de Reginæ nuptiis ſpes non ſit, & ipſum nuptias ejuraturum: Regina cavillata negabat ita impatienti ipſum amore flagrare; & Coronam tam formoſam eſſe puellam, ut facile alterius jacturam ſolari poſſit.

Regina ſuper matrimonio ſuo declaratio.

§. 114. Poſt eam diſceptationem demum pro-

Nemo ea re offi-

pone-

1649. ponebat Regina; num censeat Senatus ad selectos Ordinum hanc rem referendam esse? Ubi plerisque videbatur, eandem ad coronationem utique differendam, quo maturius interim expendi queat. Abesse quoque octo Senatores, quinque in Germania, tres in Finnonia. Par quoque esse, ut Estonibus, Livonis, atque Ingris ea res communicetur, qui licet ad Comitia non vocentur, eorum tamen interesse, quem dominum deinceps habituri sint. Unde & quondam Revaliam urbem Joanni Regi jurare noluisse vivo adhuc Erico. Se nihilominus casu, quem abominentur, Carolum Gustavum utique sibi Regem adscituros. Enimvero negabat Regina, se Palatini spes in eorum arbitrium collaturam. Quæ de laudibus ejus ab istis memorentur, honoris verba esse, & quovis pignore certaturam, si is se defuncta Rex ab illis eligatur. Literis & sigillo se hanc successionem firmari velle. Et quia jam hac de re Ordinibus non obscure innuerit, haut videre, quare non aperte eadem istis communicanda sit. Cum igitur immotam cernerent Reginam Senatores, declarabant; quæ hactenus differuerint, ex officii sui ratione se fecisse. Nunc re inter Ordines propalata consultationi locum non amplius relictum. Eoque testabantur, hanc communicationem suo suasu haut fieri, sed tantum Reginæ pertinaciter reluctari nolle; idque diligenter in acta referri postulabant, ut si quid periculi inposterum inde proveniat, Senatus extra culpam sit, velut qui fuaterit, quod Reginæ & patriæ utilissimum judicaverit. Tum non nisi ante pauculos dies hac de re a Regina ad se relatum. Vicissim testabatur Regina; Carolo Gustavo nullum jus ad Regnum competere; sed se intercedere, ut ex sola gratia successio in ipsum conferatur.

communicanda.

Id negotium Ordinibus proponitur. 28. Febr.

§. 115. Postero die selectis Ordinum in Senatum evocatis Regina proponebat: se quidem nuperis Comitiis spem ipsis nuptiarum fecisse, ac si connubium placeat, nulli præterquam Carolo Gustavo nupturam. Quia tamen nondum de tempore nuptiarum statuere potuit, & ipsa mortalitatis legi se obnoxiam meminerit, cogitasse de remedio in eventum, si ipsa absque prole decedat, declinandis interregni periculis. Scilicet ut interim Carolus Gustavus Palatinus successor designetur; de quo negotio ita certa esse velit, ut idem deinceps ab alterius lubitu non dependeat. Ad quæ selecti Ordinum subinde matrimonium ingeminare, de quo Regina ipsis antea promiserit. Sed illa propositionem suam haut ita accipi volebat, velut successoris certitudo nuptiis suis obstaret, aut quasi ipsa has averteretur. Id semper sibi reservasse, quod cogi ad nuptias nolit. Palatinum se maritum adscituram, si ullum velit. Si Ordines flagitent, ut ipsi connubio jungatur, sane de ejusdem conditione, ac fortuna sibi prospiciendum esse. Sed num utique nubere velit, tunc demum declaraturam, quando Coronam sumtura sit. Honestius se Palatinum maritum adscituram, postquam is successor Regni designatus sit. Quin haut prius de connubio suo decreturam, quam Ordines super Palatini successione sibi gratificati fuerint. Cum inde Ordines hoc negotium ad Coronationem utique differri peterent, Regina id negabat; per hanc quippe moram turbulentis hominibus occasionem præberi negotium impediendi. Æque nunc capaces ipsos esse expendendis rationum momentis, quam sub coronationem. Ita negotium id à selectis ad plenos Ordines relatum.

Ac primo quidem Sacerdotes, Cives & Rustici manus dabant. Equestrē Ordinem adhuc tergiversantem Regina ad se evocat, ac repetitis antea allatis rationibus periculum illi demonstrat, cui sese exponat, si Regem invitus accipiat, cum jam tres Ordines consenserint. Sat constare sibi paucos esse, qui desiderio suo repugnent, nec immemorem se fore illorum, qui prava consilia cæteris suggerant. Ita metu illis incusso, qui hactenus ferocissime locuti fuerant, hic quoque Ordo placitis Reginæ annuit; ac demum universorum consensu successio in Carolum Gustavum collata est. Decreto, quod in hanc rem condebatur, de familiæ Gustavianæ meritis, ipsiusque Caroli Gustavi laudibus exprimebatur, qui in Suecia materno Regio sanguine natus, sacrisque Evangelicis, legibus, lingua, moribusque Suecicis imbutus, ac omnibus propter modestiam, aliasque virtutes æstimatus sit; qui & egregia constantis animi specimina bello Germanico dederit. Addebantur tamen conditiones, ut per hoc obsequio Reginæ debito nihil decedat, idemque Reginæ Regnoque de obsequio ac fide caveat, ejusque commoda promoveat, mala pro virili averruncet. Tum ut Regno admotus recepta sacra, leges Regni, privilegia Ordinum facta tecta conserver: denique ut illas conditiones impleat, de quibus Regina deinceps cum Senatu & Ordinibus statutura sit. Istis si non stet, neque Ordines hac declaratione teneri velle. 1649. 10. Mart.

§. 116. Postquam bello in Germania finito fœdus cum Gallia expirasset, ac Chanutus Minister Gallicus vel de vetere fœdere prorogando, vel de novo incundo moveret, Regina Cancellario ut formulam fœderis conciperet injungebat. Interim ipsa Senatui expendendum proponebat, num idem è re Sueciæ foret, an minus? Quibus id fœdus displicebat, differebant: si jam super nova Pacis Westphalicæ guarantia multa agitentur, suspectam Reginam fore, velut novo bello materiam struat. Id quod grave Germanorum in Sueciam odium excitaturum sit, velut sibi per hanc quiete frui haut liceat. Nec vero ita arcte Sueciam Galliæ illigatam esse, ut non ex Cæsaris ac Hispani societate emolumentum quærere possit. Scopum prioris fœderis fuisse, ut ditionibus, aut libertate sua exuti Germaniæ Ordines in integrum restituerentur, Cæsarque ac Hispanus oppidis passim occupatis, queis Germanos sub jugo tenebant, dimoverentur, denique Maris Baltici securitati caveretur. Hoc scopo jam obtento, si Gallicum fœdus Regina prorogarit, aliis necessitatem allatum iri, ut & ipsi tanto arctius sese conjungant. Ita inter perpetua dissidia, bellique metus, ac paratus Sueciæ agendum, nullo sentu commodorum tot laboribus partorum. Quin & Polonos, Danos, Saxonem, Brandeburgicum, Luneburgicos, forte & Hollandos fœdere inter se inito omnia tentaturos, ut parto bellorum fructu Sueciam spolient. Quin satius videri Austriacos inter spem metumque tenere; & Gallos amicitiam Sueciæ majoris æstimaturos, si intellexerint, eandem ipsis solis haut quidquam mancipio addictam. Denique nec Gallos postremo bello Danico fat bona fide Sueciæ partes defendisse, ac Thuillerio arcana, ac valde suspecta commercia cum Cornificio Ulfeldio intercessisse: ut vel ipsorum exemplo constet, haut ita in solidum ab unius amicitia pendendum. Alii contra ostendebant; fœdere Hamburgi inito, utrumque Regnum ad mutuam defensionem in decem annos teneri, quam certis legibus adstringi utique è re

Consultatio super fœdere Gallico continuando. 12. Jun.

1649. videatur esse. Fœdus Gallicum tam Sueciæ, quam Galliæ longe utilissimum fuisse, per quod Austriacorum destinata, ac enormes opes eversæ sint. Postquam utrumque Regnum nunc in Germania pedem fixerit, partis tuendis utriusque conjunctione deinceps maxime opus videri, ac ne Cæsari cum Hispanis vires sociare integrum sit. Junctæ cum Gallia Sueciæ magnam partem Germaniæ Principum in societate tenere in promptu fore. Ita Sueciam Cæsari semper futuram formidabilem. Non esse quoque in Europa, quicum utilius fœdus & amicitiam colere Suecia possit, quam cum Gallia. Sane haut alio fine Austriacis curæ fore Suecos blandimentis delinire, quam ut à Gallia divulsos alienatosque opprimant, aut eo redigant, ut non amplius ipsis metuendi sint, quas tam graves hostes experti fuerint. Acni mature valida societate nos muniamus, invidos nostra securitate abusuros, ac tanto fidentius, quo livor ditat, in nos expromturos, quo magis tam potente socio destitutos viderint. Denique & ita fœdus aptari posse, ut integrum nobis maneat, aliorum quoque fœdera admittere, si opus videatur. Et prævalebant in animo Reginæ posteriores rationes, etsi nondum illud properandum judicaret, præsertim quod parum decere videbatur hoc maxime tempore novo cum perpetuis Austriacorum æmulis fœdere illigari, quo partarum in Germania Provinciarum nomine à Cæsare investituræ ritus petendus erat.

Brandeburgici in Sueciam Legatio.

§. 117. Eodem anno in Sueciam Brandeburgicus Elector miserat Evvaldum Kleistium, ut cum Regina ageret super reddenda ditione Halberstadiensi Mindensique, simul oppidis quæ præsidio Suecico in Marchia & Ulteriore Pomerania insidebantur. Idem & operose Reginæ nitebatur persuadere, ut pro Mindensi Prætulatu loca Ulterioris Pomeraniæ, Instrumento Pacis in Sueciam translata, Stetinum, Dammum, Wollinum, Gartzium & Golnoam cum Electore permutaret. Tum ut super latitudine ripæ Oderæ, de qua ex Instrumento Pacis inter partes conveniendum erat, à Regina definiretur; quam iste paucis pedibus circumscribendam contendebat. Ea postulata Reginæ plane absurda videbantur, quæ cum Legatus importunius urgeret, quandoque satis aspere excipiebatur. Ac judicabat Regina, si vel maxime quid præter ordinem concederetur Electori, eum haut ideo de suis destinatis quidquam remissurum. Quin quo plus indulgeatur, eo acrius adversis consiliis incubiturum. Sicut quondam reddita Spandoa haut plus obtentum sit, quam ut ipsius Pater tanto fidentius copias suas cum Saxone adversus Suecos conjunxerit. Nunc quoque hunc circa diploma cessionis tergiversari; & Kleistium velut ingens meritum imputare, quod pacem impedire nolit, velut minis Reginam ad po-
27. Jul. stulata annuenda permoturus. Igitur Regina de permutandis Ulterioris Pomeraniæ oppidis cum Mindensi ditione adspernabatur, velut à Pacis legibus nimis abeuntia. Oppida Marchiæ hoc ordine, de quo Noribergæ conveniendum sit, reddenda. Nam rationis esse, ut Superioris Germaniæ loca prius restituantur, mari vicinis ad extremum servatis. Super Halberstadiensi tamen, & Mindensi ditione hactenus annuebat, ut justitiæ ac redituum administratio Electori statim tradatur, præsidia, eorumque alimenta penes Suecos maneant, quoad communis restitutionis ordo ista loca tangeret. De limitibus ad tractationem in Pomerania instituendam rejiciebatur, quos à Wildenbruco Golnoam, inde per rectam lineam ad mare dirigendos innuebat. Interim quoad ea conventio peracta esset, Ulterioris Pomeraniæ oppidis præsidia haut deducere decreverat. 1649.

Circa tractatus Polonicos acta.

§. 118. Qui superiore anno in Poloniam missus fuerat Laurentius Canterstcinius retulerat, Polonis placere, ut tractatus Lubecæ instituantur; quibus ordiendis tempus designare penes Mediatores sit futurum. Mediatores fore eosdem, qui prioribus tractatibus, Gallos, Batavos, Brandeburgicum, nisi quod in Angliæ Regis locum Veneti subsituerentur. Regina, ne penes se mora esset, simul quia tractatus suscipi cupiebat exercitu adhuc in Germania integro, & turbidis Poloniæ rebus ob Cosaccorum motus mature ad Mediatores scribit, ut operam illam in se suscipere velint, insinuans paratam se esse, mense Martio, aut Aprili tractatibus inchoandis. Literæ Venetias perferendæ Matthiæ Palbitzkio committebantur, qui & Reginæ postulata apud Ducem & Senatum sermone expoueret. Idem quoque Venetos monere jubebatur, ut cum hactenus semel atque iterum literas Italica lingua scripserint, deinceps Latinam Linguam velut tertiam adhiberent, ni Suecica sibi Lingua responderi velint. Tum ut Reginæ *Potentissima* titulum & *Majestatis Vestra* tribuerent, cum antea *Serenissima* vocabulo *Excellentissima* adjunxissent, ni demonstrarent, haut alio se titulo advertus Galliæ atque Hispaniæ Reges uti; alias literas ipsorum haut acceptandas. Ad quam formam literæ Ducis Veneti postea conceptæ reperiuntur. Eidem quoque injunctum Venetos ad maturandos eos tractatus impellere, sed dextre, & molli brachio, ne Regina anxie id cupere videretur. Brandeburgicus, ad quem eo nomine Ericus Sparrius mittebatur, ægre ferebat, Veneris & Hollandis munus Mediatorum esse delatum. Cum enim neutri Electoribus loco cedere velint, haut perspiciebat, quomodo ad istum actum commode concurrere possit, cui tamen interesse magnopere ob privatas rationes cupiebat. Nam cesserant quidem prioribus tractatibus Brandeburgico Hollandi, quod tunc nondum ab Hispanis pro libero populo forent agniti. Sed nunc nullo interjecto proximum sibi à Venetis locum deposcebant. Cæterum omnes isti Mediatores multo cum verborum honore operam à Regina oblatam in se recipiebant, nisi quod illud subpensos ipsos teneret, quod à Polonis pari modo non essent invitati. Ad Lubecenses quoque scribebatur, ut urbem suam tractatibus illis accommodarent. Contra Polonis id tempus suscipiendis cum Regina tractatibus haut opportunum videbatur, turbatis domi rebus, & quod Reginæ veteranus ac victor exercitus in promtu esset. Simul apertum erat, Suecos nihil eorum, circa quæ cum ipsis lis vertebatur, concedere posse, ni majoribus in posterum incommodis *januam* aperire vellent. Unde studio tractatus istos extractum ibant, quoad Succicus exercitus in Germania plane dissolutus foret. Ac ad Mediatores prout par fuerat, scribere omiserant, nisi quod mense Martio Polonicus Residens Byæus Belgas Fœderatos operam Mediatoris poposcerat, nulla tamen temporis mentione facta. *Eam ob rem* Senatores Sueciæ 20. Maji. ad Senatum Poloniæ literas dabant, quibus percunctabantur quid causæ subsit, quare ipsi circa ordiendos tractatus moras nectant. Quæ literæ ad Ducem Curlandiæ transmittebantur, ut ad Senatum Poloniæ eas curaret, responsumque exposceret. Unde ne ansa forte à Regina arriperetur ab-

De Byæ.

rum-

1649. rumpendis induciis, à Poloniæ Rege missus Mat-
20. Jul. thias Crocovius Holmiam adpellebat; prætextu sumto, ut gratias Reginæ ageret, quod superiore anno Regem Ordinibus Poloniæ commendasset; ac de colenda amicitia testaretur, simul quantopere Regi Poloniæ cordi sit tractatus Pacis suscipi. Cæterum optasse, ut Rex Angliæ obitum quondam sequestris munus suscipere posset. Nec constitisse suo Regi, Reginam jam ad Mediatores literas dedisse; alias & ipsum id officii fuisse occupaturum, idemque sine mora ab ipso præstandum. Regina cum & ipsa perspiceret, in præsens quæ cupiebat per istos tractatus obtineri haut facile posse,
20. Sept. ablegatum amice dimittebat, datis literis, quibus Regem monebat, ut ad Mediatores ipse quoque scribat, quo negotium suscipiant, prout ipsa dudum fecerit. Enimvero vel ex eo patebat, Polonis tunc pacis tractatus cordi non esse; quod Ablegatus iste cum super lentore Polonorum querelæ essent motæ, nil aliud causæ proferre posset, quam quod Rex Angliæ munus Mediatoris obire prohibitus esset; cum tamen in ejus locum Venetos subrogari dudum placuisset.

Gedanenses de insidiis Hubaldi monentur.

§. 119. Cæterum cum multis persuasum foret, Suecos bello Germanico finito arma in Poloniam translaturos, eam odiorum in Gedanenses expromendorum occasionem sibi præberi crediderat Christophorus Hubaldus. Is militia olim Succica haut citra offensam supremorum ducum relicta, Gedanensis præfidii præfecturam complures per annos exercuerat. Idem urbi nescio qua de causa infensus Antonio Slivio arcis Stetinensis præfecto, qui subinde Gedani solebat degere, de studio suo in res Suecorum secreto aperire, queis iterum operam suam addicere velit, si veteris offensæ gratia facta honoratum militiæ gradum tributuri sint. Simul Gedanensem urbem arcemque Vistulæ ostio adsitam in Reginæ manus traditurum. Ne de fide sua dubitent, uxorem, liberosque in Reginæ ditionem obsidum loco missurum. De successu destinatorum suorum dubitandum non esse; quæ mensibus hibernis, quando glacie omnia constricta jacent, adhibitis mille equitibus, sex mille peditibus facili negotio executioni daturus sit. Regina, cui nihil minus, quam novo se bello implicare stabat, frigidius ista acceptare; Slivio tamen injungere, ut lautioribus promissis hominem lactet, ac penitius exequendi rationem explicari conetur. Ast Hubaldus mutabilitate ingenii, an quia statim ingentem pecuniæ summam oblatum iri speraverat, ac parum cupide sua promissa à Suecis acceptari arbitratus, Poloniæ Regis sacramento accessit, à quo copiis Teutonicis præfectus, ac jure indigenatus donatus est. Ipse Hubaldus apud Slivium has mutati consilii rationes ferebat: quod negotium suum in Suecia lente procedat, ac pax inter Suecos Polonosque successura videatur, quo casu destinata sua inania fore; eoque certa se pro incertis amplectenda duxisse. Ast Reginam, cum Suecia minime omnium interesset eam urbem Polonorum arbitrio subjici, haut exigua solicitudo perstringebat, ne Hubaldus destinata sua adversus urbem in Poloniæ Regis usum exequeretur, præsertim cum audisset, eundem apud Regem Poloniæ autoritate & gratia florere, & Polonicis copiis hiberna tractu urbi vicino assignata esse. Unde Reginæ jussu Slivius ad consulem Gedanensem Henricum Frederum scribit, ut propere fidum hominem ad se Stetinum mittat, cui negotium ad salutem urbis spectans aperturus sit. Quo mox Gedano advolat Behmius Secretarius; cui à Slivio præsente Joanne Lilliestræmio insidiæ urbi intentatæ deteguntur. Eadem & Consulibus jubente Regina à Legato Gallico Bregio panduntur, si forte Slivio minor fides esset. Unde statim Gedanenses, quæ periculo eludendo faciebant, magna diligentia providebant. Iidem paulo post missis per Christianum Schrœderum Secretarium Reginæ gratias agunt, scriptumque testimonium super Hubaldi conatibus petunt actioni adversus hunc instituendæ. Id Oxenstierna Reginæ fastigio haut decorum judicabat, si ipsa in ea actione testis excitaretur; nec ex usu Principum esse, eorundem opera qui talia offerunt ad supplicium pertrahi; præsertim cum ista nequaquam signatis tabulis, aut adhibitis testibus tractari soleant. Unde Gedanenses satis haberent, quod Regina monente imminens periculum declinassent. Acrius tamen solicitantibus Regiua copiam scriptorum, quæ petebant, faciebat. Sed cum Gedanenses actionem Hubaldo intentatum irent, Rex Poloniæ ipsorum Syndico ostendebat; ob viri merita in bello adversus Cosaccos exhibita, quo ipsum periculo exemerat, connivendum esse, nec ejus opera rempublicam carere posse. Simul advocatis fisci interdicebatur, ne adversus istum causam agerent. Ita iste Gedanensium ultionem elusit.

Cum Angliæ Rege acta. 20. Febr.

§. 120. Super nece Caroli I. Magnæ Britanniæ Regis Reginæ significabat cognominis patri filius, qui Hagæ Comitis tunc degebat. Literas illas perferebat Patricius Rudvvenus Bramfordiæ Comes; cui exprobrabatur, quod Regis titulus illis literis Reginæ titulo præpositus esset. Id quod ablegatus in errorem scribæ conferebat; idemque emendatum iri pollicebatur. Ad eas literas statim responsum, quod res exigebat; simul Spiringio injunctum, ut apud Regem dolorem testandi officio coram fungeretur eodem verborum cultu, ac si in Regni possessione foret. Differebatur in Senatu, num in literis isti Regi titulus *Majestatis* ac *Potentissimi* dandus sit, quod nondum Regni possessionem nactus esset, ipsiusque pater Reginæ nunquam eum titulum tribuisset, quod & forte filius facturus sit solio potitus. Sed Reginæ videbatur circa verborum honorem haut temere difficultatem movendam: & hoc exemplo Regem obligandum, ne humanitate vinci se patiatur. Sed nec decorum esse, apud illos intolentiæ quid ostendere, qui miseriis immersi hærent. Idem Rex paratum bellicum, & tex naves auxilio à Regina petebat. Regina etsi Regi magis, quam ipsius subjectis favebat; tamen aperte in partes defendere haut consultum judicabat. Igitur prudenti temperamento insignis armorum vis Gothoburgum mittebatur, sex millia tuborum majorum, mille paria sclopetorum equestrium, gladii, thoraces ferrei, & duodecim machinæ campestres; qui privatorum mercatorum nomine Regi suppeditarentur. Per Rudvvenum Regi suadebatur, præberet se hic Ordinibus Scoticis; ac in Scotiam potius, quam Hiberniam se conferret. Allatæ sunt post per præfectum quendam Scoticum, qui ob privata negotia in Sueciam accesserat, literæ à Parlamento Scotiæ ad Reginam scriptæ, Comitis Argathelliæ sigillo obsignatæ; quibus velut jure factam defendebat confœderationem inter tria Regna anno 1643. initam: inde narrabat, turbas Angliæ demum in necem Regis erupisse, à cujus facinoris culpa Scoti immunes sint, sicut adjunctus Commentarius demon-

Parlamentum Scotiæ ad Reginam scribit. 14. Jun.

4. Dec.

1649. monſtraturus ſit, (qui tamen nuſpiam comparebat.) Addebatur, ſe miſſis Legatis iſtius filium in Scotiam invitaſſe ad regimen ſuſcipiendum, ſub conditionibus ad ſacra & libertatem tuendam neceſſariis: Sed Regem eas acceptare abnuiſſe legatis re infecta remiſſis. Unde petebatur, Regina apud Regem intercedat, ne is ſua poſtulata repudiet. Regina ſatis perſpiciebat à Scotis id tantum agi, ut cæſi Regis invidiam à ſe amolirentur. Placebat tamen ad literas illas nihil reſpondere, quod ita ſuperfunctorie curatæ eſſent; ac earum latori nihil aliud ſignificabatur, quam Reginam id regicidium vehementer deteſtari. Earum literarum autographum Regina ad Regem Angliæ transmiſit; addito, haut libenter ſe controverſiis ejus cum ſubditis miſceri; optare tamen ut ipſi cum iiſdem conveniat; è transmiſſis literis optime perſpecturum, quid ſibi conſilii ſit capeſſendum.

De fœdere Luſitanico.

§. 121. Super arctiore fœdere ante biennium Legatus Luſitanicus apud Reginam incaſſum propoſuerat. Nunc de eodem iterum movebat, oblatis certis capitibus fœderi inſerendis. Reginæ placebat; Per certos deputatos iſtum audiendum, ne contemni videatur. Cæterum ipſi decretum erat id fœdus declinare, nec bello adverſus Hiſpanos immiſceri, ne ſuorum commerciis remora injiceretur, iiſque acceſſus ad portus Hiſpaniæ intercluderetur. Equidem forte naves nonnullas Luſitano vendi poſſe, ſed non velut ex fœdere, quod haut pauca incommoda poſt ſe tracturum ſit. Præſertim cum nec Galli, nec Batavi, quos ea res propius tangat, Luſitano fœdere innectantur ob graves ſine dubio cauſas. Cæterum gliſcentem ſuorum navigationem per Hiſpanos quam maxime infeſtari poſſe.

Suſpiciones de fœdere inter Danum & Batavos inito.

§. 122. Eodem anno Cornificius Ulfeldius Regis Daniæ Frederici III. nomine fœdus mutuæ defenſionis inter Eum Regem, Ordinesque Belgii Fœderati icerat, inito quoque peculiari tractatu, quo vectigal à Belgicis nautis in Danicis fretis perſolvi ſolitum, annuis trecentis quinquaginta florenorum millibus redimebatur; cum tamen univerſum vectigal ad centena millia uncialium annua tunc adſcendere non crederetur. Is Ulfeldius ut Batavorum animis adreperet, genio ipſorum ſe attemperans ſubinde bona liberarum Rerum publicarum diſſeruerat: quoſdam procerum inſigni Ordinis Equeſtris Danici, plures pecunia & annuis penſionibus illigaverat, quos inter & Borellus erat Amſtelodamenſium Syndicus, qui magno inde fervore Danorum partes propugnabat. Ea res non modicis ſuſpicionibus animum Reginæ exercebat, cum haut obſcurum eſſet ab Ulfeldio unice id agi, ut diffidentia inter Suecos Belgaſque excitaretur, tum ut immunitas Suecorum in freto Oreſundico eluderetur. Et credebantur Hollandi conficiendæ pecuniæ, quam Dano promiſerant, vectigalia in Hollandia aucturi, parum ſoliciti, ſi & à Regina vectigal in Suecia intenderetur. Id enim à Regina haut fieri poſſe credebant, ni cupri & ferri commercia deſtruere vellet, quæ pretii mediocritate conſervanda erant. Simul adparebat, non ſolum primarium ſcopum fœderis quondam inter Sueciam, Batavoſque facti convelli, ſed & quod ſolidi ſuberat, tolli, ac per id oblique Sueciam peti, & quæ Danis promiſſa fuerant auxilia, unice adverſus Suecos dirigi. Augebat ſuſpicionem, quod prima fœderis formula fœdus duntaxat cum Lubecenſibus, Hamburgenſibus & Bremenſibus exceptum fuerat, Sueciæ ne verbo quidem mentione facta. Igitur placebat Reginæ per literas Ordines Fœderatos de veteri amicitia, ac fœdere monere, neve idem tractatu Danico infringi patiantur. Simul Spiringio Silbercronæ injungebatur, omnem operam daret tractatui Danico ſufflaminando, aut ſaltem ne is Sueciæ fraudi foret. Congreſſu inde cum Deputatis Ordinum habito Spiringius oſtendebat, articulum decimum tertium, & decimum quartum fœderis Danici cum articulis quarto, ſexto, octavo & decimo tertio fœderis Suecici ſubſiſtere non poſſe. Simul interrogabat, ſi Sueciam Daniamque bello collidi contingat, utri fœderi potiorem vim deferre velint? Ad quæ Borellus non ſine aſperitate; iſtam deciſionem ad Ordines Generales pertinere, nec de eo cuipiam rationem à ſe reddendam. Et conſtabat provinciam Hollandiam præ reliquis Sueciæ infenſam ſe oſtendiſſe. Reliqui tamen modeſtius reſpondebant; omnes caſus in eo fœdere probe diſtinctos, ac Danicum fœdus Suecico haut quaquam repugnare; cum tam articulus decimus tertius fœderis Danici, quam octavus Suecici non niſi pœnam offendentis, aut turbantis exprimat. Pervicere mox reliquæ provinciæ contra Hollandiam, ut articulo decimo quarto fœdus cum Suecis diſerte exciperetur. Id quod cum Ulfeldius diu admittere nollet; tandem perſiſtentibus Belgis monebat, ut ſaltem alius quoque Rex adjungeretur. Ita juxta Sueciam, Gallorum quoque & Hanſeaticorum mentio facta. Reſpondebant inde ad Reginæ literas Belgæ verbis laxioribus: ſe nullum admiſſuros aut inituros fœdus defenſivum cum Daniæ Rege illis adverſum, quæ ſibi cum Sueciæ aliiſque Regibus intercedant. Ad has literas Regina reponebat; id reſponſum ſibi obſcurius videri, nec cogitatione aſſequi, quomodo utriuſque fœderis articuli ſimul conſiſtere poſſint. Nec fruſtra metuere, ne redemtione vectigalis Oreſundici jura, ac libertas Suecorum in eo freto imminuantur. Unde petebat, quæ agerentur ſibi communicari, ac rem integram relinqui, quoad miniſter à ſe miſſus veniat. Eum in finem in Hollandiam ablegatus eſt Laurentius Canterſteinius, qui Ordinibus Fœderatis demonſtraret; non poſſe non alienum videri Reginæ, ipſos nunc in fœdus deſcendere cum illis, adverſus quos fœdus anno 1640. initum, & anno 1645. confirmatum ſit. Etſi enim reſponſo ſuo ad literas Reginæ declarent; fœdus Danicum Suecico fraudi haut fore; manifeſtum tamen eſſe, articulum 13. & 14. fœderis Danici cum 4. 6. 8. & 13. Suecici ſimul conſiſtere non poſſe. Quomodo enim congruere queat, ſi Sueci, Danique quacunque de cauſa bello implicentur, ut utrique apud Belgas naves, militemque conducant, inque Belgicos portus navibus ſe ſuis recipiant? Et ſi Belgæ Danis ſubſidium promittant, quid Suecis ab iſtis expectandum? Unde conari jubebatur, ut fœdus Danicum vel impediatur, vel ſaltem commoda explicatio dictorum articulorum ab Ordinibus edatur. Simul ne tractatus ſuper redemtione vectigalis Oreſundici Sueciæ libertati detrimento ſit. Si fœdus jam concluſum ſit, pecunia quoſdam ex Ordinibus tentaret, num ratihabitio ejuſdem impediri queat. Tum Belgas moneret, perpetuum Legatum ſeu Reſidentem Holmiæ haberent, ſicut ipſa multis ab annis Hagæ fecerit. Quanquam non deerant, qui judicarent; non admodum læſos eo fœdere Suecos, nec eſſe, quare Batavorum animos acerbis querelis exaſperent, præſertim cum res Sueciæ tunc haut eo in ſtatu eſſent,

1649 30. Aug.

30. Aug.

11. Oct.

16. Nov.

1649. essent, ut præsentaneam sumere vindictam possent, si isti superbe eas querelas rejecissent. Et parum metuendum videbatur lene ingenium Regis Daniæ cujus & Ordines à bello abhorrebant.

Russorum Legatio. 14. Jun. §. 123. Aderant hoc anno à Russorum Czare Legati qui de Principis sui circa pacem æternam servandam studio orti querebantur, quod is in pace Westphalica *Magni Ducis* vocabulo noratus esset, loco infra Daniæ Regem dato. Id quod velut insignem pacis Stolbovensis violationem exaggerabant, ubi qui tituli mutuo dandi essent cautum sit. His responsum; pace Stolbovensi id duntaxat disponi, quibus titulis ipsi Principes mutuis literis honorare se invicem debeant. Pace Westphalica non nisi Cæsaris, & Reginæ velut primariorum pacisscentium titulum integrum exprimi: Czaris mentionem obiter duntaxat factam in negotio, quod proprie ipsum non tangat. Sic nec Regis Hispaniæ, aliorumque titulum integrum ibi extare, quorum nullus sibi injuriam factam queratur. Ita uti in Europa receptum, ut Czar Magni Ducis vocabulo libris impressis insigniatur; quem morem mutare penes se non sit, nec se solam Pacis Instrumentum composuisse. Proferebant quoque Moschi tabellam vectigalium impressam, ubi itidem Magni Ducis vocabulo Czar indigitabatur. Ad quod repositum. Reginam æterna pace haut adstringi, ut subditos suos alloquens eodem titulo utatur, ac si ad ipsum Czarem scriberet. Sed nec vicissim deesse sibi causam querendi super titulis, quod Czar aliquando Livoniam adhuc inter provincias suas recenseat, literisque ad Turcam & Persarum Regem datis dominum totius Lateris Borealis se se vocet. Daniæ Regem ideo Czari præpositum, quod id bellum magis eum Regem, quam Russos tetigerit, & quia iste velut Holsatiæ Dux Imperii membrum sit. Cæterum lites super præcedentia inter Principes componere tutum non esse, quæ nemini præjudicium creare, priore an posteriore loco nominetur, in animo habeat. Enimvero cum Russi diu circa hæc & alias minutias ingenti cum tædio litigassent, Regina arduam magis controversiam movebat de restituendis colonis, è Carelia, Ingria & Livonia magno numero in Russiam profugis, qui ex legibus pacis aut non admitti, aut reddi debuerant; quod damnum decies centenis millibus aureorum taxabatur. Ea prætensione haut parum Russorum ferociæ decessit; qui primo excipiebant, de maleficis duntaxat reddendis æterna pace cautum. Id cum inane ostenderetur, arguebant, novem quoque Russorum millia in Suecicas provincias profugisse; inde compensatione facta, prætensionem utrinque tollendam. Cum ne hic quidem color valeret, tandem fatebantur, se ex lege pacis ad omnes transfugas restituendos teneri; sed id fieri nunc non posse, quod istorum plurimi sint mortui, reliqui in Lithuaniam, aut alio se receperint: Unde per aversionem quinquaginta millia aureorum abolendæ huic actioni offerebant. Ut ad plura offerenda permoverentur, Regina ipsis denuntiabat; ni aliter se declararent sat periculum esse, ipsos legibus pacis æternæ satisfacere nolle; unde non esse, quod diutius hic morentur. Adhuc tergiversantibus alius addebatur stimulus vulgata relatione typis impressa: tractatus Noribergæ jam conclusos; designato die, quo oppida utrinque sint reddenda, tum exercitum propediem in Sueciam reportandum. Supplicatio quoque pro obtenta pace hucusque dilata ad octavum diem Decembris indicta est. Simul navis instruebatur, quæ Russicos Legatos in Livoniam veheret. Unde territi isti, ne forte miles è Germania reductus in Russiam effunderetur, ad extremum centum nonaginta millia 19. Oct. aureorum offerebant pro transfugis, qui intra annum 1617. & quadragesimum septimum è Suecorum provinciis in Russiam concessissent. Pecunia Moscoviæ soluta Russorum præsidio Nihusium Dorpatensis districtus arcem deveheretur. Qui à Kalendis Septembris anno 1647. hinc inde transfugissent, restituerentur, si superstites sint, una cum rebus secum ablatis. In posterum juxta decreta pacis æternæ ageretur. Circa reliquas minutias facile conventum.

1649.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.
EPITOME.

1650. *Catholicorum super restitutione sententia, uti & Suecorum. 2. De religione in Superiore Palatinatu.* 1650.
3. Clausulæ præliminares adornantur. 4. Ordinum circa has monita. Id negotium concluditur. Subscriptio differtur. Cæsarei eandem detrectant. Subscriptio peragitur. 5. Designatio restituendorum adornatur. 6. Super evacuatione diversæ formulæ concipiuntur. Extenso Amnestiæ. Generalissimus exauctorationem quarundam legionum offert. 7. Circa satisfactionem militarem transigitur. 8. Cautio super residuis. 9. Reginæ acriores ad Generalissimum literæ. Ad easdem responsum. 10. Principalis conventio absolvitur. 11. Super ratihabitione convenitur. 12. Circa Franckendalianas difficultates. 13. Carolum Gustavum circa eas componendas suagit. 14. A Cæsareis propo-

ted by Google

1650. *propoſita temperamenta. De quibus civitates libera queruntur.* 15. *Litera Electoralium ad Hiſpaniæ Regem.* 16. *Illis literis Regii offenduntur. Quæ illis literis carperentur.* 17. *Moguntinus eaſdem non probat. Moguntini Ablegati declaratio.* 18. *Brandeburgici ad Generaliſſimum miſſio.* 19. *Cum Hiſpanico Legato acta.* 20. *De titulo Reginæ.* 21. *Catalogus reſtituendorum abſolvitur.* 22. *Difficultates ſuper Franckendalia: Formula tranſactionis ſuper Franckendalia.* 23. *Generaliſſimi ad Ordines propoſitio.* 24. *Ejuſdem cum Moguntino congreſſus. Moguntini ſententia.* 25. *Ratificatio Reginæ adfertur. Carolus Guſtavus in Sueciam revocatur.* 26. *Hic tractatibus finem prius imponere cupit.* 27. *Super temperamento circa Franckendalia tranſactio. Heilbrunna pro Gallis proponitur. Hi Benfeldam affectant: Rem extrahi cupiunt: Suo poſtulato deſiſtunt.* 28. *Cæſarei de Heilbrunna Palatino tradenda proponunt. Galli fruſtra rem remorari conantur.* 29. *Conventio ſubſcribitur.* 30. *Gallica conventio abſolvitur.* 31. *Cæſarei latitiam teſtantur.* 32. *Executio Pacis circa reſtitutionem laſorum:* 33. *Circa ſatisfactionem militarem:* 34. *Circa exautorationem militum:* 35. *Circa evacuationem oppidorum.* 36. *Generaliſſimus ad Cæſarem ſcribit. Cæſar reſpondet. Carolus Guſtavus Noriberga diſcedit. Benedicti Oxenſtierna proteſtatio.* 37. *Conventus Ordinum Suecia. Trium Ordinum poſtulatum ſuper retrahendis Coronæ bonis.* 38. *Eorundem libellus ſupplex.* 39. *Equeſtris Ordinis reſponſum.* 40. *Regina diſſidium illud ſopit.* 41. *De Carolo Guſtavo in Principem hæreditarium aſſumendo proponitur.* 42. *Circa eam rem conſiderationes.* 43. *Cautio Caroli Guſtavi diſcutitur.* 44. *Idem Holmiæ adpellit.* 45. *Ejuſdem cautio.* 46. *Ejuſdem jus hæreditarium decreto Ordinum ſancitur.* 47. *Reginæ coronatio.* 48. *Gallica.* 49. *Hiſpani Reginæ amicitiam affectant.* 50. *Biærnclovius Viennam mittitur.* 51. *Regina mediationem inter Regem Angliæ & Scotos ſuſcipit.* 52. *Polonica.* 53. *Portugallica.* 54. *Canterſteinii negotiatio cum Hollandis.* 55. *Ruſſica.* 56. *Meclenburgicus Warnemundam repoſcit.* 57. *Tartarica legatio.*

Catholicorum ſuper reſtitutione ſententia.



Ub finem anni ſuperioris circa reſtitutionem ex lege Amneſtiæ & Gravaminum tractatus Noribergenſes ita hærebant, ut parum abeſſe videretur, quin plane abrumperentur. In formula per univerſorum Ordinum Deputatos concinnata Succi, atque Evangelici conſenſu quædam immutaverant, quæ Catholici præfracte adſpernabantur, jactantes, ne latum unguem à ſua formula ſe diſceſſuros, quicquid demum inde eventurum ſit. Qua ſuper re congreſſu poſthabito inter ipſos & Evangelicos aſperis verbis certabatur. Sed cum Evangelici, & cumprimis Brandeburgicus & Inferiores Saxones Succorum ſententiam tuituri viderentur, Catholici temperata nonnihil pertinacia tractationi
2. Jan. locum concedebant. Unde ſuper Succorum Monitis demum proponebant; ut tota Reſtitutionis formula, ab Ordinum Deputatis nupero menſe Decembri exhibita, è principali conventione amoveretur, ac à ſolis Deputatis ſubſcripta adornaretur; contra Principali Conventioni clauſula inſereretur, qua ad iſtam formulam provocaretur.
4. Jan. Id quod Cæſareis probatum; & à Volmaro ejuſmodi clauſula remiſſoria formata, quæ omnibus
Uti & Succorum. Deputatis arridebat. Succi cum ſuper hoc temperamento moveretur, & ipſi conſentiebant, ut deſignatio reſtituendorum principali conventioni haut inſereretur; nec clauſulam remiſſoriam à Volmaro formatam rejiciebant. Quia tamen per eam clauſulam tota deſignatio probabatur, exiſtimabant negotium de religione per Superiorem Palatinatum, velut in quod ſalva conſcientia & exiſtimatione conſentire non poſſint, deleri, aut aliter formari cupiebant. Tum & contendebant, ut antea caſibus reſtituendorum præmiſſæ clauſulæ, velut præcipuam belli cauſam complexæ, & communi conſenſu formatæ, principali conventioni inſererentur: ita circa caput de reſtitutione omnis difficultas ad negotium religionis in Superiore Palatinatu, & præliminares illas clauſulas redierat.

De religione in Superiore Palatinatu. §. 2. Circa id religionis negotium Bavaro non ſolum Catholici favebant, ſed & ex Evangelicis Thumbshirnius Altenburgicus & Polycarpus Heilandus Brunsvicenſis eidem patrocinabantur, variis apud Succos adductis rationibus. Satisfacturos conſcientiæ ſuæ Succos, ſi ſubſcriptione deſignationis abſtineant, eamque aliis relinquant, utut Clauſula Remiſſoria principali conventioni inſeratur: Sicuti Galli articulum de Gravamminibus, quem Catholici ſuæ religioni multis modis prægravem judicabant, non ſubſcripſerint, nec eo minus ſimilem clauſulam Inſtrumento ſuo inſeruerint. Irreparabile damnum, quod Germaniæ ex hac mora proveniat, nullo modo cum utilitate iſtius negotii comparari poſſe. Chriſtianis ſcitis haut congruum tot millium oppreſſione ejuſmodi peculiarium negotiorum expeditioni immorari. Id porro caput ideo illa deſignatione excludi non poſſe, quod Bavarus citra idem non ſatis ſibi de Superiore Palatinatu cautum putet, eoque Cæſari chirographum tredecim millionum obligationem complexum reddere nolit. Contra Succi oſtendebant; id negotium à ſe inſuper haberi non poſſe, cum de ducentis quinquaginta templis agatur. Ita poſt longam diſceptationem, & denuo factam ab Ordinibus cum Cæſareis communicationem cum Succis ita conventum, ut à Deputatis ad Bavarum ſcribatur, quo is in omiſſionem ejus negotii conſentiat.

Clauſula præliminares adornat. §. 3. Præliminares clauſulas Catholici initio inter Cæſareos ac Succos adornari volebant; ſed cum Succi id recuſarent, nimirum ab iſtis ea opera ſuſcipienda erat. Hi fervide primo contendebant, ut quicquid demum ſuper his clauſulis cum Succis tranſigeretur, formula à Deputatis concepta nulla mutatione admiſſa ſubſiſteret. Id quippe cumprimis curandum, ut Ordinibus inter ſe con-

1650. se concordia constet. Id quod Altenburgicus, & Brunsuicensis nomine Evangelicorum statim annuebant. Unde cum Deputati utriusque religionis ad Cæsareos accederent, super istis clausulis consulturi, Catholici in majorem sui securitatem ab Evangelicis subscriptionem formulæ exigebant. Ad quod Altenburgicus ac Brunsuicensis paratos se ostendebant; reliquis tamen id immaturum & inutile videbatur, quod Sueci, ubi id intellexerint, eo facto non parum offendendi sint. Quo Catholici demum adquiescebant; ut tamen antequam ad executionem clausularum accederetur, per Volmarum ex Evangelicis quærerent; num formulam haut immutatam servare cuperent? Id quod hi affirmabant. Eo in negotio Altenburgicus & Brunsuicensis utramque paginam faciebant, quod Varenbulerus Wurtenbergicus cordatus vir, & masculè loqui solitus, è podagra decumberet: reliqui autem, & nominatim Noribergensis & Lindaviensis, de tractatione super Palatinatu Superiore Monasterii inita cui Bavarus potissimum innitebatur, ignorare se profiterentur. Qui & de Thumshirnio & Heilando querebantur, quod tantum non Catholicorum procuratores se ferrent, per quos vix libertas suffragio ferendo constet.

16 Jan.

Ordinum circa præliminares clausulas monita.

§. 4. Circa præliminares igitur clausulas, (quæ in principali conventione à verbis: *Et principio quidem*, usque ad *cassantur & annullantur*, continentur,) Catholici ad §. *Videlicet quod jam ante*, Restituentibus, si qui circa Commutiones super Restitutione excessus contingant, querendi potestatem reservatam cupiebant. §. *Ad mutuandam autem reliquorum*, Cæsarei & universi Ordines clausulam salvatoriam annecti volebant; ut si uno aut altero termino quædam executiones hæreant, exautoratio, & præsidiorum deductio idcirco haut differatur, sed utique convento modo peragatur: quod ejusmodi impedimentum facile vi, & citò maiore, vel etiam culpa Commissariorum emergere possit. In §. *Ne quid autem* vocabulo *Noribergensis* additum fuerat *cum adjunctione Lindaviensis*: id quod Volmarus omittendum censebat, quod haut congrueret, duas Evangelicas urbes nullam Catholicam inter Deputatos enumerari. Ita ista verba è conventione disjuncta, ut tamen Lindaviensis ideo ista Deputatione haut eximeretur. In §. *Quod autem reliquos*, Brandeburgicus verbis, *à Catholicis aut Augustanæ Confessioni addictis* addiderat, *aut Reformatis*; quod eodem ipso postulante iterum expunctum. In §. *Porro distributio illa* à Suecis inserta vocabula, *ad cognitionem facti possessionis* admitrebantur. In sequenti autem §. *Neque apud quemlibet casum* verbo *Restituendo* vocabulum *vel Restituente* addebatur. Porro ut restitutorum Præsulatuum & Cœnobiorum tituli nemini præterquam restitutis concederentur, Catholici nullo modo ferre volebant; quod ea res solennis renuntiationis vim haberet, quæ non in Cæsaris, sed Pontificis potestate sita sit. Nec esse, quod Evangelici huic postulato insistant, quod Præsulibus Wurtenbergica digressis pauci anni ad vivendum restent: utut Evangelici offenderent. Pacis legibus id quadrare, ac fieri posse, ut Mindæ aut Verdæ Episcopus aliquis à Pontifice proprio autu constituatur: e quo varia incommoda oriri queant. Denique ut illi, qui adversus pacem protestationem interponere audeant, cerræ pœnæ obnoxii sint, Catholicis durum nimis videbatur; cum cuique protestari ac mendicare liberum habeatur. Ac restituendis satis cautum sit, si ejusmodi protestationes, ac reservationes irritæ declarentur. Hac in negotiatione Catholici conjunctissimis animis omnia agebant, exiguo contra Evangelicorum studio, aut concordia, ut absque Suecis si fuisset, malignius adhuc ipsorum causa processura videretur. Ithæc autem ab Ordinibus disceptata quousque à Suecis admissa fuerint, è collatione Conventionis Principalis cuivis patere potest. Adornatas hoc modo clausulas præliminares Sueci ab universis Deputatis subscribi postulabant; id quod cum Cæsarei & Catholici pertinaciter abnuerent, Brandeburgicus proponebat, ut subscriptio duntaxat à Cæsareis ac Suecis, simul duobus è Deputatorum numero fieret. Ac jam convenerat, ut Volmarus, atque Erskeinus cum Moguntino, & Altenburgico subscriberent; idque scriptum tantisper apud Directorium deponeretur, quoad reliqua absoluta forent. Sed protestabatur Bavaricus ob negotium Palatinum postulans, ut illud vel modo Deputatis antea placito *inferretur*, vel subscriptio aliquot per dies differretur, quoad ab Electore mandata venirent. Unde, cum Sueciæ Princeps prius admittere nollet, Ordinibus subscriptionem ad decimum septimum diem Januarii differri placebat. Enimvero uti Cæsarei toto executionis tractatu, & præcipue per duos proximos abhinc menses quod uno die concluserant, altero retractabant; ita & nunc, cum dato die subscriptionem fieri postularent Sueci, Cæsarei ac Catholici eam velut superfluam abnuebant. Moguntinus ob respectum cæterorum Catholicorum ab se solo quid fieri haut posse excusabat. Cæsarei verbis suis fidem adhiberi postulabant, interim reliqua nondum decisa, citra moram expedienda. Quid Cæsareos, ut ita difficiles ac lubrici essent, permoverit, vix conjicere dabatur, nisi quod Carolus Gustavus suspicaretur, per non neminem iterata Reginæ justa, queis ad conclusionem properare omni alio respectu sepulto injungebatur, Cæsareis prodita fuisse. Hic inde Deputatos suos tentare jubebat, num Evangelicos permovere possint, ut placitam semel formulam una cum Suecis subscriberent? Id quod illi recusabant, alio temperamento proposito, ut à Directorio Moguntino attestatum nomine universorum Ordinum ederetur, quo Clausulæ Præliminares, prout à Suecicis Deputatis conceptæ sint, ratæ declararentur. Id quod cum maturandis tractatibus expedire judicaret Princeps, suos ejusmodi testimonium acceptare jussit. Ast cum super hoc in conventu Deputatorum Evangelici Catholicis proponerent, hi quoque istud abnuere, nudis verbis suis fidem adhibendam contendentes. Contra cum Carolo Gustavo ex hactenus actis sat constaret, quam parum fiduciæ in adversæ partis verbis collocandum, ac circa sequentia, parem difficultatem movendam; denuo vel subscriptionem, vel attestatum urgebat. Has inter contentiones aliquot dies effluebant, quoad Bavaricus à Principe suo, non solum pro se subscribere, sed & Cæsareos & reliquos Catholicos ad subscribendum permovere jussus, cum Evangelicis se consensurum declarabat. Id exemplum cum Cæsareis sequendum foret, subscriptio demum ab utrinque Deputatis peracta est.

Id negotium concluditur.

Subscriptio quo differatur.

Cæsarei eandem detrectant.

15. Jan.

Subscriptio peragitur.

30. Jan.

§. 5. Supererat designatio restituendorum, quam Sueci aliis interim negotiis districti demum Idibus Martii Cæsareis exhibuerunt. Circa hanc non solum vetus lis de sacris arbitrio Bavari per Superiorem Palatinatum relinquendis renovaba-

Designatio restituendorum adornatur.

15. Mart.

1650. tur; ſed & de vectigali Oldenburgico Ordines inſertum ibant. Quorum illud demum Carolus Guſtavus ad proxima Comitia rejiciebat. Circa vectigal Oldenburgicum monebat; auditum ſibi, Colonienſi ejus negotii executionem commiſſam; id quod Reginæ ferendum non ſit, quæ contiguam Oldenburgico ditionem habeat. Quæ tamen cum nondum rite in poſſeſſionem Ducatus Bremenſis & Verdenſis miſſa ſit, id negotium in ſe ſuſcipere nequeat; unde expeditiſſimum eſſe, eousque rem differri; interim amicam compoſitionem tentari poſſe. Sed quia id negotium ad legem Amneſtiæ, & Gravaminum haut ſpectabat, demum inter Sueccos, & Ordines conventum, ut idem intra tres menſes à Deputatorum Collegio haut ſuſciperetur, ſed ſuo loco relinqueretur; ſimul extra deſignationem reſtituendorum poneretur. Eam in rem Bremenſibus à Cæſareis & Sueeis atteſtatum tradebatur. Id porro ſilentio transeundum non eſt, quoſdam Ordinum ejuſmodi fraudem commentos, ut Carolo Guſtavo deſignationem quidem reſtituendorum exhibere vellent, ſed mutila inſcriptione, omiſſis vocabulis, *ex vi præliminaris & principalis conventionis*; in poſterum aliam deſignationem obtruderent. Quo fine jam antea Thumbshirnius & Heilandus a ſe ſubſcriptam deſignationem Cæſareis tradiderant, Carolo Guſtavo apud univerſos Ordines graviter ejuſmodi fraudes arguente.

Super evacuatione diverſæ formulæ concipiuntur.

§. 6. Circa abſolvendum de præſidiis deducendis caput Galli morarum nonnihil injiciebant, poſtulantes, ut ea res aliquot per dies differatur, quoad ſuper ſequeſtro Hermanſteinenſi convenerit; ut iſtud caput pari paſſu ab utroque Regno cum Cæſareis concluderetur. Sed quia Sueci tractatibus colophonem imponere ardebant, Gallis quoque ſimul progrediendum erat; qui una cum Sueeis initio Februarii formulam ejus capitis Cæſareis edebant. Galli, uti & antea, conventione cum Ordinibus inita ſupra ſequeſtro Hermanſteinenſi nitebantur; cujus ratificationem ut à Cæſare obtinerent, promittebant, ſe primo termino omnibus ſimul locis deceſſuros. Cum Sueeis præcipua lis erat ſuper Pomerania Ulteriore & Osnabrugenſi præſulatu, tum Landituia, Homburgo & Hammerſteino à Lotharingo infeſtis. Circa priora loca poſt longam diſceptationem conveniebat, ut eorum reſtitutio ſeponeretur, quoad peculiares conventiones Inſtrumento Pacis intinuatæ abſolverentur. Reliquorum locorum reſtitutionem etſi Cæſar præſtare teneretur: tamen cum Carolo Guſtavo à Regina injunctum eſſet ob iſta tractatus non extrahere, cum Cæſareis ita tranſigebat; 9. Febr. ut Cæſar per literas apud Lotharingiæ Ducem inſtet, quo dictis locis quamprimum præſidia deducantur; interim reliqua oppida dicto die reſtituantur. Abſolvebatur quoque extenſio Amneſtiæ §. *Preterita contenta*, utut Cæſarei ægre ad eandem deſcenderent. Interim ut Ordines parte onerum levarentur, ſimul pacem à Regina ſerio agi intelligerent, Carolus Guſtavus Cæſareis offerebat, certum ſe legionum numerum propediem exautoraturum, ſi ipſi pariter facturi ſint. Id quod Ordinibus quidem valde acceptum erat; ſed Cæſarei peculiarem iſtam exautorationem adſpernati omnes ſimul copias conventa die dimittendas ſatius ducebant.

Extenſio Amneſtiæ. Generaliſſimus exautorationem quarundam legionum offert.

Circa ſatisfactionem militarem tranſigitur.

§. 7. Inde circa expediendam ſatisfactionem militarem agitabatur modica difficultate, quod Ordines univerſam ſummam quinque millionum repræſentaturos ſe jam antea promiſiſſent. Poſtulabat Carolus Guſtavus, ut facta inter Circulos partitione illa conventis locis ſibi exſolveretur ſuo ex arbitrio diſpenſanda. Ea ut juſto tempore conferatur citra ullam exceptionem præfecti Circulorum operam darent. Si qui ſolutionem morentur, idoneum ſibi oppidum detinere liceret, donec quod integræ ſummæ deſit, exſolvatur. Circa quæ cum nihil ſcrupuli moverent Ordines, demum ea res ſubſcriptione firmatur. Partitio inter Ordines paulo tardius expediebatur, quolibet ſatagente, ne ultra ratam oneraretur. Quæ tamen exhibita cum manca deprehenderetur, a Sueeis rehibita fuit, ut ratio accuratius iniretur.

1650. 10. Febr. 22. Febr. 1. Mart.

Cautio ſuper reſiduis.

§. 8. Ut Sueci ſuper reſiduis cautionem re quapiam pignori tradita exigerent, cauſa erat, quod nonnullos Ordines attritis plane fortunis ratam ſuam ægre dicta die expedituros adpareret; & quia nonnulli intempeſtivis Monaſterii minis haut parum diffidentiæ excitarant. Iſtam Ordines præſtare initio varia ratione declinabant. Sed Sueeis inſiſtentibus demum annuebant; niſi quod ſuper oppido, quod pignoris vicem ſubire deberet, convenire inter ipſos non poterat, ſingulis id onus deprecantibus. Tandem in Caroli Guſtavi arbitrium conferebant, ut ſibi oppidum ipſe eligeret. Cui Vechta potiſſimum arridebat, Bremenſi ditioni vicina, & ad Catholicos ſpectans, qui ægrius quam Evangelici ad ſolutionem deſcenſuri videbantur; quod oppidum mille peditibus; & modica equitum manu facile defendi poterat, promto ſi opus foret è Bremenſi ditione auxilio. Cæterum in conventionis formula ejus loci nomen haut exprimebatur, ſed ad ſecretam declarationem apud Directorium Moguntinum factam provocabatur. Nam verebatur Carolus Guſtavus, ne ſi ſuperiorum Circulorum Præſules, urbesque id intelligerent, circa conferendam ſuam portionem tardiores forent; cum nunc metuendum ipſis eſſet, ne forte ſuo tractu locus aliquis eligeretur. Id oppidum quadriennio poſt reliduis ſolutis Monaſterienſi præſuli reſtitutum eſt.

1654. 3. Maji.

Reginæ actiones ad Generaliſſimum literæ.

§. 9. Cæterum Regina pacis cupidiſſima moras tractatus Noribergenſis ægerrime ferebat, quod metueret, ne forte abrupto iſto in novi belli fluctus retraheretur; à quo maxime abhorrebat. Unde commotior Carolo Guſtavo ſerio injungebat, omnes ad ipſum datas literas maturationem tractatuum inculcantes probe expenderet, nec concederet, ut ſibi poſt partam gloriam reductæ pacis amplius in metu vivendum, Orbique Chriſtiano non minus deſiderata, quam neceſſaria quiete carendum ſit. Eo voto ſi ipſa diutius fraudetur, cautam ſibi eſſe non ſolum omnem ejus rei culpam ipſi impingendi, ſed eundem neglecti debiti obſequii reum peragendi. Iſthæc exprobratio tanto acerbius animum Caroli Guſtavi perſtringebat, quo magis ipſi, ut Reginæ placeret, curæ erat, & quo gravius videbatur, poſt enixum quantumvis ſtudium à ſe adhibitum reprehenſionem incurrere. Igitur Reginæ confirmabat; ita ſolicite ſe negotium ad Reginæ ſecuritatem, ac adverſæ partis conditionem temperaſſe, ut haut quidquam novum bellum ſit metuendum. Jam antea eidem ſatis demonſtraſſe, penes quem moræ cauſa fuerit, ſimul adverſæ partis allutiam, vanam ſpem, tenuesque vires belli impatientes, nec ſi forte ad hoc revolvatur formidandas. Reginæ juſſis eam ſemper conditionem additam, ſi ſalva ſecuritate, ac dignitate tractatus concludi queat, inprimisque, ut nullo Sueciæ onere militi

Ejuſdem reſponſum.

1650. liti satisfiat; tum suo arbitrio relictum, qua ratione commodissime res Noribergæ expediri posse judicaret. Unde præcipuam sibi curam fuisse, integris quinque millionibus potiri, quorum exigua spes sit exercitu dissoluto, oppidisque restitutis. Id quo minus adhuc obtineri potuerit, non sibi, sed rerum difficultatibus, Ordinumque inconstantiæ imputandum. Quin cordatiores Ordinum, quibus id onus quam maxime incumbat, Reginam excusatam habere, & agnoscere negotium haut aliter tractari potuisse, siquidem cum dignitate, ac ad diuturnitatem expediri debuerit. Sane se jussu Reginæ summam rerum præ oculis habuisse, multa minutiora remisisse, rem ita circumspecte tractasse, adversæque partis conditionem observasse, ut Sueciæ rebus nihil periculi metuendum fuerit. Tum circa exautorandum militem id spectasse, ut copiis Cæsari semper prævalere posset, retentis etiam oppidis maxime opportunis. Porro super modo solutionis & cautione pro reliquis nondum hactenus transactum fuisse. Quod si negotium Restitutionis semel susceptum ita repente derelictum fuisset, adversæ parti pertinaciam fuisse accessuram, velut metuatur. Parum gloriosum Reginæ, nulla necessitate id negotium deseruisse, quod præcipuam bello caulam præbuerit. Catholicos gloriaturos fuisse, executionis tractatu à nobis condonatum, quod Westphalica pace obtentum fuerat, finisque armorum elusos. Imo durante hoc tractatu plus emolumenti, quam damni Reginæ rebus accessisse, hac mora intractis si quæ fuerunt arcanis Cæsaris destinatis, & ob exhaustas proprias ditiones ad maximam militum partem exautorandam necessitate allata. Quin & pessundandas plane fuisse recens partas Reginæ provincias, si tot millia militum per hiemem ab illis alenda fuissent. Quæ rationes facile Reginæ probabantur, ut tamen haut eo secius maturationem tractatuum denuo urgeret. Cæterum innotuerat Carolo Gustavo, Salvii potissimum literis, qui Hamburgi tunc agebat, Reginæ persuasum, ipsius culpa Sueciæ res in periculosissimum statum conjectas. Quod factum ille Salvio non sine minis exprobrabat; hoc respondente; expenderet secum, num ipse æquo animo laturus sit, si alius quispiam à consiliatio ipsius rationem velit exigere eorum, quæ hic ad eundem scripsisset.

Principalis Conventio absolvitur. 16. Mart.

§. 10. Singulis capitibus jam absolutis, plena formula principalis conventionis adornata à Carolo Gustavo Cæsareis, Ordinibusque exhibebatur. In qua id præcipue Cæsarei solicitabant, quod Sueci addiderant; Cæsarem promittere, se omnem operam adhibiturum, ut ab Ordinibus solutio pecuniæ militaris exacte fiat. Id quod Cæsarei nullo modo ferre volebant, velut maximo Cæsari præjudicio cedens, & ab Ordinibus ipso inscio & inconsulto Conventioni insertum. Quam ob rem graviter apud Ordines querebantur. Circa reliqua nihil difficultatis supererat. Ita plane jam perfecta Principali conventione restabat ratificatio, & temperamentum super Franckendalia; quod proprie Galliam spectabat.

Super ratihabitione conventionis.

§. 11. Principalis Conventionis ratihabitionem Cæsarei initio abnuebant, velut superfluam, cum Pax ipsa jam ab omnibus ratihabita sit, qua in antecessum firmentur, quæ à ducibus super ejusdem executione statuenda sint. Sed cum ratihabitionis necessitas, & æquitas ostensa fuisset, eam demum annuebant. Cupiebat inde Carolus Gustavus Cæsaream ratihabitionem intra quatuordecim dies à facta conclusione Noribergam adferri, ac quoad Reginæ ratihabitio adveniret, apud Magistratum Urbis deponi, ut eo tutius ad exautorandum militem, ac præsidia deducenda accedi posset. Sed Cæsarei non alio die, quam qui Reginæ præstitutus esset, ad Cæsaris ratihabitionem teneri volebant. Id quod eo facilius Carolus Gustavus concedebat, quod prævideret, conclusionem nonnihil extractum iri, ac sat mature Reginæ ratihabitionem Noribergæ adfore; cui commutandæ quatuordecim dies à facta conclusione statui possint. Super formula ratihabitionis facile conventum, nisi quod Cæsarei Reginæ titulum *Potentissima* tribuere abnuerent. Sed cum ostenderetur, eodem in ratihabitione Pacis ipsam matatam, nil amplius scrupuli movebant. In eam rem conventio facta, atque ab utriusque partis Deputatis subscripta. Et paulo post significabat Volmarus, Cæsarem in conventam ratihabitionis formulam, titulumque *Potentissima* consentisse; ac postulare, ut Reginæ ratihabitionem, quantum possint, adferendam curarent. 1650. 4. Apr.

§. 12. Maxima difficultas ad extremum circa Franckendaliam surgebat, cujus loco Cæsarei Palatino Electori Benfeldam relinquere decreverant, quoad ista reddita foret. Sed inter alios Argentoratensis Præsulatus nomine intercedebat Archidux Leopoldus Wilhelmus velut Episcopus, ne præsulatui eo modo quid molestiæ conciliaretur. Inde de præsulatu, & urbe Wormatiensi proponebatur; de quo tamen ob varia obstacula expediri non poterat. Ast Galli sequestro Hermannsteinensi ex conventione cum Ordinibus facta acriter instebant, quodvis aliud temperamentum adspernantes; simul jactantes, ex aula sibi injunctum, ni Cæsarea ratihabitio dictæ conventionis adferatur, ad reddenda loca adhuc infesta se haut obstringere. Contra si Cæsar annuat Hermannsteinum in Moguntini manus deponi, se paratos omnibus statim locis cedere. Enimvero Cæsar Hermannsteinense sequestrum constanter abnuebat, de Heilbrunna Gallis potius relinquenda injiciens. Hispaniæ Regem super reddenda Palatino Franckendalia universi Ordines literis amice solicitaverant; ac multi ea sibi spe blandiebantur, velut is Germanos ob certos in futurum respectus Austriacæ Domus repulsa haut offensurus sit. Alii contra judicabant, istum durante cum Gallis bello eo oppido haut cessurum hisce infestandis, & ne iidem copiis per præsidia Germanica sparsis uti advertus ipsum possent. Nec deerant qui suspicarentur, fortasse Hispanos id oppidum pignoris in vicem detenturos, quod octoginta millliones in usum Germaniæ à se erogatos jactarent. Archidux tamen Leopoldus Belgii Gubernator Ordinibus sat humaniter respondebat; nondum se super hoc negotio mandata à Rege accepisse; literas tamen ipsorum ad Regem transmisisse, petitumque de meliore nota commendasse. Cæterum Hispani tunc præter solitum humanitatis affatim advertus Suecos verbis præ se ferebant; & Legatus Hispanicus Luminariæ Comes per Piccolomineum apud Carolum Gustavum testabatur; Regi suo constitutum cum Regina Sueciæ firmam amicitiam colere, ac libera commercia per sua Regna, & provincias ipsius civibus indulgere. *Circa Franckendaliam difficultates.*

§. 13. Porro Ordines expeditis rebus Suecicis, id negotium omni studio apud Cæsareos urgere constituunt, Carolum Gustavum quoque rogantes, *Carolus Gustavus circa eas compo-*

1650. gantes, ut propriæ existimationis causa, & ob Galliæ rationes operam hetc secum conjungat Cæsari ad probandum Hermansteinense sequestrum permovendo. Qui & cum judicaret, Reginæ gratum fore, si Galliæ quantum per summam rerum licebat, operam navaret, ea de re diligenter cum Cæsareis egit. Sed cum illos flecti non posse sentiret, ac quantum in se præstitisset, id negotium plane in Ordines rejicere constituebat, ut ipsi prout res ferret cum Cæsareis & reliquis quorum intererat transigerent; monens, ut temperamentum dispiciant, quo negotium istud, ad quod solum tractatus jam adhærescant, quamprimum absolvatur. Sed & à Gallis postulabat, ut quia Cæsareos circa Hermansteinum immotos persistere adpareat, mature aliam viam ineant, qua ipsis satisfieri queat. Ita quippe pro Gallis conniti decreverat, ut si isti postulatis suis pertinaciter inststerent, nec eadem ullo modo obtineri possent, tandem, prævalente aliis respectibus Reginæ securitate, negotio finem imponeret.

Cæsareis proposita temperamenta.

§. 14. Inter hæc à quibusdam Ordinum proponebatur, ut Hermansteinum usque ad proxima Comitia in Moguntini, Colonienſis & Bambergensis manus contignaretur, utpote qui in causa Trevirensi à Cæsare Commissarii constituti sint, ea tamen lege, ne in Gallorum manus, Franckendalia non restituta, traderetur. Id quod & Galli & Cæsarei adspernabantur, quorum hi temperamenti loco Heilbrunnam jussu Cæsaris proponebant. Sed cum ostenderetur, id oppidum numeroso, ac sumtuoso præsidio opus habere, simul Bavaro, & adhærentibus ipsi Ordinibus occasionem præbitum uri, ubi res ferat, cum Gallis se conjungendi, illa omissa Benfeldam, Hagenoam & Landaviam substituebant. Sed reponebatur; uti Benfelda ob promissum Argentoratensibus factum, & gravissimas alias rationes solo æquanda sit; ita Hagenoa ruinis deformata, ac Landavia Gallos haut contentos fore. Enimvero isthæc temperamenta loco Hermansteini proponi, Collegium Civitatum ægre ferebat; cujus Deputati apud Erskeinum querebantur; sua membra in vicem pignoris quorundam potentiorum invidia tradi. Huc si res redierit, ut Cæsareorum & paucorum ex arbitrio alius in lytri locum addicantur, periisse libertatem, quæ post tot exhausta mala sibi sola superfuit; ac introductum semel exemplum longius grassaturum. Se hoc in negotio legibus pacis stricte inhætisse, nec super temperamento actionem admittere voluisse, nisi Cæsareorum promisso accepto, id sibi non magis quam Electoribus & Principibus fraudi fore. Nec minus Carolum Gustavum spopondisse; se haut permissurum, ut ulla Imperialium urbium, & inprimis Heilbrunna Evangelicis sacris addicta in Gallorum potestatem tradatur.

De quibus Civitates liberæ querantur.

Literæ Electoralium ad Hispaniæ Regem.

§. 15. Interim Electorales Legati præter literas ab universis Ordinibus scriptas alias Collegii Electoralis nomine ad Regem Hispaniæ concepti verbis miserant; quas, cum fere novarum litium materiam præbuerint, heic adducere placuit. *Serenissime ac Potentissime Rex Domine Clementissime. Ad aures Vestræ Majestatis mittunt hanc S. R. Imperii Electorum, Principum, Statuumque Legati postulationem afflictissimæ nostræ Germaniæ non minus necessariam, quam Vestræ Majestati honorificam; cujus summa est, ut præsidium Franckendalia deducere, lo-* 1650.
cumque hunc Domino Electori Palatino, nuper Clementia Cæsaris, & lege pacis Monasteriensis ad Inferiorem Palatinatum, quantum equidem in Cæsaris potestate fuit, restituto reddere dignetur. Etsi vero Majestatis Vestræ benignitas per universum Christianum Orbem adeo celebris sit, ut optima spe plenis locum precibus nostris datum iri confidamus: tamen ne quid desit, quod ad officium nostrum pertinere posse videatur, singulari hoc scripto necessitatem nostræ petitionis explicatiori Stylo Majestatis Vestræ nomine Collegii Electoralis representandam esse duximus. Memoria tenent nostri Principes, dissidia Germaniæ inter reliquorum Principum etiam Majestatis Vestræ arma involvisse, ideoque nihil æque desiderassent, quam ut tractatu Monasteriensi, qua ipsi cum Rege Christianissimo intercedunt differentia, componi potuissent. Facile enim apparebat, quietem publicam Orbi Christiano aliter reduci & stabiliri non posse. Sed eo tum in statu res Germaniæ fuere, ut non magis in Ordinum potestate esset, leges alias à triumphantibus Confœderatorum Coronarum armis accipere, quam illas, quas vellent dare: ut sane necessarium Nobis fuerit è tantis publicarum calamitatum erumnis quibuscunque tandem conditionibus eluctari. Non tamen ea mens Principalibus nostris unquam fuit, veteris cum Regia Vestra Majestate amicitiæjura negligere: quod & statim Cæsareæ Majestatis Legatis voce & scripto per suos tunc temporis in locis tractatuum commorantes Legatos declaraverunt. Nimirum cum Legatus Gallicus multa contentione laboraret, ut numerorum auxiliorum nexus inter R. Imperium, Majestatemque Vestram non modo remissior efficeretur, sed & prorsus intercideretur, unicum Principalium nostrorum studium fuit, ut salva & integra cum Electoribus, Principibus, & reliquis Imperii Ordinibus, tum maxime Angustissimo nostro Imperatori, totique Domui Austriacæ maneret, quæcunque ipsis juxta legem Aureæ Bullæ, Capitulationis Cæsareæ, ceterarumque Imperii constitutionum in conservandis amicitiis, defendendisque Amicorum juribus competit facultas. Nec vero quoad conservandos in Imperio milites, habendos delectus, transitusque permittendos plus juris arrogare Regi Galliarum liceat, quam ex Institutis Imperii, consuetaque Germaniæ Ordinibus libertate Vestræ Majestatis Ejusque antecessoribus Hispaniarum Regibus jam olim & permissum erat, semper ac porro etiam liberum foret, quod & post conclusam Pacem Monasteriensem haut semel re & facto præstitum, nec Gallorum objectiones ulla ratione admisse fuere. Et speramus Deo opitulante, Majestatis Vestræ cum Sancto Romano Imperio inveteratam amicitiam etiam in posterum integram inviolatamque duraturam esse. Quod igitur Franckendalia restitutionem attinet, a nostra quidem parte unquam fuit dubitatum Majestatem Vestram in eam clementer assensuram; quamprimum etiam Confœderata Corona juxta Pacis leges loca bello occupata prisinis restituerent possessoribus: quemadmodum id ipsum per ejusdem Aulæ supremum Præfectum Excellentissimum Dn. Comitem de Haro Oratorem in Aula Cæsarea confirmatum ex ipsis Cæsareæ Majestatis literis non ita pridem accepimus. Nec intermissimus, quin hac de re cum prædictarum Coronarum Plenipotentiariis serio ac sapius ageremus, illisque constanter inculcaremus, omnino rationi consentaneum fore, ut amissis omnium pretensionum ambagibus, præstarent prius Ipsi, quod a Majestate Vestra, cum qua tamen contractum esset nihil, tantopere flagitarent. Et quamvis statim ab initio hujus Conventus nihil non tentatum fuerit, quo Imperii Ordines ad præstanda obsidioni Franckendalie, quam agitare animo Galli, Suecique videbantur, auxilia inducerentur; nunquam tamen effici potuit,

1650.

ut

1650. „*ut quidquam amicitiæ Veſtræ Majeſtatis adverſum com-*
„*mitteretur. Inque ea etiamnum perſeverant ſententia*
„*dicti Ordines, firmiter perſuaſum habentes, Veſtram*
„*Majeſtatem nulla ratione permiſſuram, ut longiori hujus*
„*munimenti detentione Pax Imperii* TANTA RERUM
„JACTURA *conventa denuo turbari poſſit. Hac Ordi-*
„*num conſtantia effectum tandem, ut Sueci Galliquæ nu-*
„*perrime mutua cum Legatis Cæſareanis pactione ſpopondе-*
„*rint, omnia loca bello occupata iis, ad quos pertinent,*
„*bona fide ſe ceſſuros, militeſque ex terris Imperii dedu-*
„*cturos, quam primum vel Franckendalia reſtituenda dies*
„*certa conſtitueretur, vel re nondum expedita Caſtrum*
„*Ehrenbreuſtein, Rheno ad Confluentes Moſellæ imminens,*
„*in manus ſequeſtratorias Domini Electoris Moguntini*
„*interea traderetur. Quæ quidem ſequeſtratio eo tantum*
„*ſine propoſita fuit, ut ad Majeſtatis Veſtræ æquanimita-*
„*tem commodius fugiendi nobis ſpatium longius & ſecu-*
„*rius eſſet. Non inficiamur, Cæſaream Majeſt. gravibus ſa-*
„*ne argumentis motam, hactenus in ejuſmodi ſequeſtrum*
„*conſentire noluiſſe. At vero res hæc in eum devenit ſta-*
„*tum, ut in manu & poteſtate Veſtræ Majeſtatis ſitum*
„*eſſe ingenue profiteamur, quietem ac tranquillitatem*
„*&c. Romano Imperio cum effectu dare, ac tam diuturnis*
„*malis Germaniam liberare, invidiam odiumque omne,*
„*quod ex longiori detentione hujus loci in Sacratiſſimum*
„*noſtrum Imperatorem,* QUAMVIS IMMERITO REDUN-
„DARE POSSIT, *è medio tollere. Rogamus igitur ea qua*
„*par eſt reverentia & humilitate Veſtram Majeſtatem,*
„*ut Principalium noſtrorum, omnium Imperii Ordinum*
„*votis benevole annuere dignetur, mandataque ſuis mi-*
„*liſſis præfectis quamprimum tranſmittat, quibus præ-*
„*ſidium illud Franckendalenſe deducere, oppidumque Do-*
„*mino Electori Palatino reſtituere jubeantur. Merebi-*
„*tur hac benignitate apud univerſos Germaniæ Ordines*
„PACIS GERMANIÆ INSTAURATORIS *egregium & glo-*
„*riоſum nomen, noſtroſque Principales ad perpetuæ gra-*
„*titudinis Officia quacunque rerum occaſione devinctos ac*
„*promtos habebit. Deus T. O. M. Majeſtatem Veſtram*
„*divina ſua protectione quam diutiſſime ſervet incolu-*
„*mem & omni proſperitate florentiſſimam. Dabantur*
„*Norimbergæ* 12. *Mart. Anno* 1650. *Regiæ Majeſtatis Ve-*
„*ſtræ humillimi Sacri Roman. Imperii Electorum ad Pa-*
„*cis executionem Deputati Conſiliarii & Legati.*

Illis literis Regii offenduntur.

§. 16. His literis, etſi magna cura ab Electoralibus premerentur, Regii, & cumprimis Galli vehementer offendebantur; quippe quibus everti videbantur, quæ in ſecuritatem Galliæ Monaſterii convenerant, ne durante hoc bello Hiſpanis à Cæſare, & Imperio auxilia ferrentur. Ac ſuſpicio oriebatur, velut ſecretam quandam declarationem Ordines Hiſpano feciſſent in fraudem Galliæ ſpectantem. Unde à Carolo Guſtavo petebant, ut ex vi communis evictionis, & fœderis hactenus tam conſtanter culti operam ſecum ſocier, quo ſibi hanc ob rem ab Ordinibus rite ſatisfiat. Simul ejus conſilium exquirebant, num ad ſolos heic Ordines, an ad Principes eorum querimonias deferre ſatius ſit? Carolo Guſtavo, cui juſſu Reginæ omnes moras amputare cordi erat, expeditiſſimum videbatur, ipſos heic Legatos declarationem poſcere; prius tamen Moguntini velut Directoris conſilium exquirere, qua ratione res commodiſſime apud Ordines proponi queat. Unde mox Grullardus Herbipolim, ubi Elector tunc degebat, proficiſcitur; eodemque fine à Carolo Guſtavo Georgius Snoilskius cum Electore agere jubetur, ut ipſe autoritatem ſuam apud Ordines interponat, quo Regna fœderata ionea ſatisfactione potiantur. Porro quæ illis literis deſiderarentur hæc erant, quod reſtitutionem Palatini Electoris *ad clementiam Cæſaris* referrent, cum illa Regiis armis deberetur, per quæ Cæſari, ut in eandem conſentiret, neceſſitas allata fuerit. Verba, *Leges à triumphantibus confœderatarum Coronarum armis accipere*, gloriosa quidem ſociis Regnis videbantur; ſed metus erat, ne forte deinceps alium in ſenſum traherentur, velut pax non per conventionem coaluerit, ſed vi armorum extorta ſit, reſciſſioni ut alia, quibus metus cauſam dedit, obnoxia. Sub vocabulis *voce & ſcripto*, anguis in herba latitare metuebatur, cum non conſtaret, quoutque Ordinum erga Hiſpanum voce & ſcripto facta declaratio proceſſerit. Unde elucidatione aliqua heic utique opus erat. Inprimis Galli neceſſarium cenſebant declarationem exigere, quousque amicitia cum Hiſpano ſe extendat, ac delectibus Hiſpanorum in Imperio, aut Provinciis Cæſareis locus ſit. Nam id præcipue Monaſterii actum fuerat, ut Hiſpanis à Cæſare & Imperio hoc bello durante nec directe nec indirecte auxilia præſtentur. In quo & Galliæ ſecuritas hoc tempore cumprimis vertebatur, à ſociis nudatæ, ac inteſtinis turbis quaſſatæ, ne potentia Hiſpanica plane obrueretur. *Pretenſiones ambages* Cæſareis & Ordinibus imputabantur, non Regiis. Nam ſi illis examuſſim ſequi placuiſſet, quæ Pacis legibus, & decreto executionis diſponebantur, dudum à Sueeis, ad quæ ipſi tenebantur, præſtita fuiſſent. Nec uſquam cautum inveniebatur, ut primo Sueci, inde alii, puta Hiſpani, loca occupata reſtituerent, ſed ut omnia pari paſſu ex conventione inter duces incunda procederent. Porro cum Hiſpaniæ Rege *nihil quidem contractum* erat; Cæſar tamen receperat, Hiſpanum reſtitutioni Franckendaliæ ſeſe haut oppoſiturum. Quæ de *obſidione* Franckendaliæ memorabantur, ficta erant; cum conſtaret, quoties ſuper ea motum fuerit, Suecos ſemper hucusque progredi recuſaſſe. Scripſerant Electorales *tanta rerum jactura*. Addebant Sueci, *Regis noſtri jactura*, Sueciæ nunquam ſatis dolenda. Ex verbis, *quamvis immerito redundare poſſet*, Sueci concludebant, velut ipſis culpa moræ impingeretur. Denique elogium *Inſtauratoris Pacis Germaniæ* Sueci potiore jure Reginæ, quam Hiſpano deberi cenſebant. In univerſum autem Regna cenſebat, iſtis literis vix abjectius quid dari poſſe, & ex quibus nimis aperte pelluceret, quam levi ac inſtabili animo iſti homines eſſent. 1650. Quæ illis in literis carperentur.

Moguntinus literas non probat.

§. 17. Moguntinus cum hæc à Snoilskio ipſi proponerentur, ignorare ſe iſtas literas ferebat, ſed ablegatum ſuum Norimbergæ à Furſtenbergio Comite ad eas ſubſcribendas inductum. Se quidem quæ pacі repugnant probare nullo modo poſſe; cætera ſuo loco relinquere. Equidem cum Furſtenbergius nuper ex itinere ipſum inviſens de literis ad Hiſpaniæ Regem ſcribendis injeciſſet, ſe non repugnaſſe, quo minus Hiſpanorum ſuperbia verborum pompa demulceretur; præſertim cum intellexiſſet, Electorem Palatinum ſuaſu Caroli Guſtavi ad eundem literas dediſſe; ea tamen lege, ut intra juris limites ſubſiſteretur, nec illæ prius mitterentur, quam de ſequeſtro Hermanſteinenſi expeditum foret. Nam ut ipſi Electores multa circa hoc negotium moveant, parum congruere; & expeditiſſimum eſſe, ut qui præter mandata inſcius Principibus impegerint, erratum corrigant. Se quidem ſuo Miniſtro injuncturum, ut Regis idoneam declarationem exhi-

1650. exhibeat. Præter hæc differebat iſte; ſibi placere Pacis leges exacte impleri. Cui enim bono pacem eſſe, ni ex convento executioni detur? Tractatus dudum abſolvi potuiſſe, ſi ablegati omnia ex mandatis egiſſent. Sane quid de Meelio ſuo judicare debeat, vix diſpicere, deliret, an corruptus ſit. Franckendaliæ reſtituendæ certum diem deſignandum; ea ni ſequatur, oppidum auxilio Regiorum vi oppugnandum. Nam aliam viam eodem potiundi ſe non diſpicere. Ordines Imperii vi Amneſtiæ ad hoc obligari. Ac ut Saxo, & Brandeburgicus abnuant, ſe tamen, Palatinum, Wurtenbergicum, Caſſellanum Regibus non defore. Eandem Bavaro mentem, cui conciliando negotium circa ſacra Palatinatus Superioris haut nimis urgendum. Inſiſterent modo generali *guarantiæ* Regii, cui negotio quo minus ipſe autorem ſe ferat, graves rationes obſtare; cæterum Regiorum poſtulata acerrimo ſtudio proſequuturum. Si qui Ordinum eam evictionem abnuant, haut iniquum eſſe, ſi iſtorum oppida Sueci tantiſper detineant. Nec de injuria queri poſſe Cæſarem, ſi Moraviæ & Sileſiæ loca tamdiu infideantur, quoad fidem ſuam circa Franckendaliam liberarit. Idem quoque, cum Cæſar per Walderodium cauſas recuſati ſequeſtri Hermanſteinenſis prolixe exponeret, ſcripto viciſſim oſten-
10. Mart. derat: ſibi id ſequeſtrum non poſſe non probari, quod præſtare penes Cæſarem ſit, Ordinibusque placeat, ac ad maturandam præſidiorum deductionem multum faciat, cujusque revocatio à nutu Regis Catholici dependeat. Quod negotium, quantumvis onerosum, ipſe bono Imperii
Moguntini ablegati declaratio. abnuere haut potuerit. Porro Moguntini Ablegatus Meelius, cum ad ſe purgandum Herbipolim ad Electorem excurriſſet, Noribergam reverſus ſcripto declarabat: Se ſuper iſtis literis à Principe ſuo mandatum non habuiſſe, nec antequam mitterentur, ad eundem retuliſſe; ſed ipſo inſcio à Furſtenbergio perſuaſum, ut eas à Volmaro, uti credat, conſcriptas non quidem probaret, ſed ſub ſuo ſigillo mitti pateretur. Cum autem ſibi ſemper injunctum fuerit normam Pacis exacte ſequi, ſe plane improbare, ſi quid iſtæ Pacis legibus ac nominatim Articulo de aſſiſtentia adverſum contineant. Tum omnia juxta pacis normam intelligi velle, ſiniſtris interpretationibus ſolenniter contradicere. Quæ declaratio Gallis non plane ſatisfaciebat. Suecis tamen id negotium ulterius urgere haut placebat.

Brandeburgici ad Generaliſſimum miſſio. 24. Febr. §. 18. A Brandeburgico Noribergam miſſus ad Carolum Guſtavum venerat Borgſtorfius, qui literis ab Electore redditis poſtulabat, ut oppidis ad ſe ſpectantibus præſidia primo termino deducantur. Circa Ulterioris Pomeraniæ loca cum ipſe defectum mandati excuſarit, Electorem nolle amplius inſtare. Non poſſe tamen quin oſtendat, ſe dudum Commiſſarios plenis cum mandatis ablegaſſe expediendæ ſuper limitibus controverſiæ; qui cum de hac re Suecicis Commiſſariis ſignificaſſent, hos repoſuiſſe, nondum idoneis ſe mandatis inſtructos, ſed iſta expectare. Ea tractatio quare à Regina extrahatur Electori incognitum; ſuſpicari tamen à malevolis ſiniſtra quædam apud Reginam ſparſa. Contra teſtari Electorem, ſibi perpetuam cum Regina amicitiam colere cordi eſſe; nec fœdus, quod cum Fœderatis Belgis jam agitet, ullo modo in fraudem Sueciæ tendere. Ad hæc Princeps, quantum commode fieri poſſit, ample pollicebatur, præſertim cum conſtaret, poſt Halberſtadienſem ditionem Electori traditam ejuſdem Noribergæ Legatum 1650.
longe commodiorem quam antea ſe geſſiſſe, ac aliis quoque ad idonea conſilia adducendis haut ſpernendam operam navaſſe. Circa Ulteriorem Pomeraniam priori declarationi inſiſtebat, nec conſtare ſibi, quid tractatus limitaneos hactenus retardaverit: non tamen dubitare, quin Regina æquam ſe Electori præbitura ſit. Sed quia Borgſtorfius apud Duces Suecicos de ſincera Principis ſui intentione, ac ingenti deſiderio perpetuam cum Regina amicitiam colendi impenſe, ac præter ſolitum inculcabat, ſuſpicio Carolo Guſtavo oriebatur, velut gravius quid iſte agitaret. Et mox apparebat, ipſum ad Ordinibus petiiſſe, ut iſtum permoveant ad Ulterioris Pomeraniæ loca citra adjectam conditionem regundorum prius finium reſtituenda. A quibus undecim Deputati Principem adeuntes petebant, ut conditio iſta è formula Conventionis expungeretur. Alias Electorem deterioris quam reliquos conditionis fore; penes quem mora non fuerit, quo minus ſuper finibus tranſactum jam ſit; ac ſi ſerio res utrinque agatur, id negotium ante poſtremum reſtituendis oppidis dictum diem facile abſolvi poſſe. Saltem loca haut controverſa reſtitueret Regina, retentis tantiſper litigioſis, quod tamen citra fraudem pacis concluſæ fiat. Quin Electorem arbitrio boni viri cautam ſuam ſubjicere paratum, ſi Reginæ id videatur, adjunctis è Collegio Ordinum Deputatis, adſumta etiam Galliæ Mediatione, & ſi quæ alia maturando negotio idonea judicata fuerint. Ad quæ princeps: negotium iſthoc tractatu in Pomerania inſtituendo expediendum. Cæterum heic ſemel tranſacta mutari amplius non poſſe. Et hoc exemplo alios quoque ſibi parum grata ſubverſum ituros. Ut hanc rem arbitro ſubjiciat, ſibi haut mandatum: nec Reginam temere paſſuram, ut eadem huc trahatur, ubi facile quid præjudicii creari ſibi queat. Se tamen per literas id negotium Reginæ commendaturum; idque etiam Ordinibus, ſi velint, integrum eſſe; etſi Reginam per ſe quod æquum ſit, ac Pacis legibus congruum præſtituram.

Cum Hiſpanico Legato acta. §. 19. Inter hæc dum pedetentim miles tam à Suecis, quam Cæſareis, aliisque in Germania exautoratur, Hiſpani quotquot poterant militiæ ſuæ adjungere laborabant. Quos inter Ludovicus Caraffa, quinque equitum turmas in Belgium menſe Februario deducebat, quem transeuntem Legatus Viennæ Hiſpanus Franciſcus de Maura Comes de Luminares diplomate ſuo non ſolum Ordinibus Imperii, ſed & cumprimis Ducibus Suecicis multa verborum humanitate commendaverat, provocans ad amicitiam nuper inter Hiſpanos Suecosque inſtauratam, & commerciorum libertatem per omnes Hiſpanicas dictiones hiſce permiſſam. Piccolomineus quoque Carolo Guſtavo ſignificabat, ab eodem Legato ſibi confirmatum, Miniſtrum Hiſpanicum in Dania in mandatis habere, ut Reginam de ſincera Regis ſui amicitia, & libero commerciorum curſu certiorem reddat. Sed & mox Legatus ipſe literis ad Carolum Guſtavum datis multo cum verborum honore gratias ipſi agebat, quod turmis ſub Caraffa ex Auſtria in Belgium tendentibus nihil impedimenti allatum foret. Ea ſuperflua humanitas Carolo Guſtavo huc ſpectare videbatur, ut ſaltem tacitam ipſius approbationem ob copias in uſum Hiſpanorum è Germania educta eliceret, quam deinceps præjudicii loco allegaret. Unde ſtatim ad Gallicos Legatos referebat, que-

1650. quomodo responsum, quod decore omitti non poterat, & à latore disertis verbis postulatum fuerat, ita aptandum sit, ut neque Galliæ fraus fieret, neque Hispanus offenderetur, quicum Regina post pacem jam factam ob commercia suæ nationis amicitiam colere decreverat, positis partium studiis omnibus æquam se exhibitura. Quanquam autem Galli suaderent, ut asperis verbis Hispanici militis transitum exprobraret; Carolus Gustavus tamen temperato responso reponebat: Caraffam insalutatis suis ducibus transiisse, eoque se neque consentire, neque id impedire potuisse. Nec penes se, sed penes Imperii Ordines, quorum terras miles iste tetigit, judicium esse, num is transitus per leges Pacis annuendus, an abnegandus fuerit. Se quidem gratiam nullam meruisse, etsi gaudeat salutationis honore à tanti Regis Ministro sibi exhibito: ac sperare, positis jam in Germania armis, januam velut apertam excolendæ inter duo Regna amicitiæ. Ac uti Regina pacem in Germania factam firmiter servare, ac cum Hispaniæ Rege, quantum per leges Pacis fas sit, amicitiæ officia exercere constituerit: ita & confidere, Regem Germaniæ quietem haut invisurum, ac pacis studio conventa Westphalicis sese attemperaturum.

De titulo Reginæ.

§. 20. Super titulo Reginæ deinceps à Cæsare tribuendo ut tunc moveretur, ansam præbuerat provocatio Capituli Hamburgensis Spiram facta. De qua cum Carolus Gustavus apud Cæsareos quereretur, hi rescriptum à Cæsare curabant, quo Cameræ Spirensi injungebatur, editas antehac Compulsoriales revocare, ac in posterum talibus abstinere. Sed cum eo scripto sola verba *Reginæ & Coronæ Suecia* absque alio titulo posita essent, Suecis monentibus Cæsarei excusabant; erratum id scribarum, ac Cæsarem in similibus mandatis nulli Regi aut Principi tituli quid addere. Sed nec certi quid super mutuis titulis adhuc inter Cæsarem & Reginam conventum; de quibus tamen primario negotio confecto facile transigi queat. Post quoque stipulante Carolo Gustavo Cæsarei scripto declarabant, Cæsarem vi articuli decimi, quoties investitura provinciarum Germanicarum petita sit, eam collaturum, simul omnia Reginæ ac Coronæ in istis jura ac privilegia confirmaturum, ac receptos adversus Galliæ ac Hispaniæ Reges titulos adhibiturum, prout & isti jam in tractatibus pacis adhiberi cœpti sint.

12. Jul.

Catalogus restituendorum absolvitur.

§. 21. Circa adornandum Catalogum Restituendorum non parum difficultatis hactenus fuerat. Ab initio plerique Evangelicorum, ut incumbens hospitiorum onus ocyus excuterent, quod cæterorum sacris imminebat periculum parum curaverant; & eorum aliqui, præsertim ex utraque Saxonia, jactare non dubitabant; restitutionem Ordinum per quatuor superiores Circulos ad se non spectare, nec eorum in gratiam tanta se incommoda diutius toleraturos. Sed cum Carolus Gustavus illis demonstraret, quantum periculi conscientiis sociorum inde immineret, quibusdam res magis cordi incipiebat esse. Nec eo minus à quibusdam inprimis Thumbshirnio Altenburgico & Heilando Brunsvicensi, reliquis Evangelicis insciis, multa sacris Evangelicis haut parum damnosa Catholicis concedebantur. Inprimis circa sacra in Superiore Palatinatu adversus expressa Pacis verba Bavaro liberam dispositionem adjudicaverant, ac quam Bavarus allegarat, sed nunquam demonstrarat, Monasterii conventionem adjectitiam suo testimonio confirmarant. Quo fine & clanculum decretum circa restitutionem à Catholicis conceptum, & quibusdam Evangelicis probatum, sed à Carolo Gustavo cum id ipsi offerretur rejectum, una cum Catholicis subscripserant, ac Cæsareis tradiderant; ut sub finem tractatuum illud supponerent, velut genuinum restituendorum catalogum. Verum Carolus Gustavus re animadversa non solum fraudulentos illos conatus Evangelicis exprobrabat; sed & eo rem deducebat, ut isto decreto abolito alius catalogus formaretur, primaria conventione confirmatus, ad quem subscribendum etiam prioris decreti architecti, Thumbshirnius & Heilandus, compellebantur.

1650

Extat is apud Londorpium Act. Pub. Tom. VI. p. 587. 2. Maji.

Difficultas super Franckendalia.

§. 22. Restabat nodus de Franckendalia, super qua hactenus diversa temperamenta fuerant proposita, sed huic, aut illi partium parum accepta. Pro Palatino Electore nitebatur Carolus Gustavus, ut ipsi tantisper Benfelda traderetur; in quam & Cæsarei jam consenserant, eamque Palatini in manus consignare Suecis in proclivi erat, velut suo milite insessam, ni Galli manibus pedibusque obnixi fuissent. In horum igitur gratiam Carolus Gustavus circa Sequestrum Hermansteinense, quantum salvis Reginæ rationibus, ac citra principalis negotii moram fieri poterat, ejusdem jussu satagebat; ipsique Ordines denuo super ratihabenda illa transactione literas ad Cæsarem dederant. Enimvero Cæsar eam tanto securius adspernabatur, quod res Galliæ indies in deterius irent, aliquot in Germania præsidiis Turennii partes amplectentibus, ut dubium foret, num in Gallorum potestate futurum esset, ex convento insessa oppida restituere. Aliis porto temperamentis aurem præbere abnuebat Carolus Gustavus, quod experientia comperisset, ista novis disceptationibus ac moris ansam præbere. Cui nec consultum videbatur æstate jam ingruente militem per hospitia spatsum diutius relinquere, validis hinc inde turmis in Belgium tendentibus, aut inde in Germaniam excurrentibus. Ut tamen aliquando tractatui finis imponeretur, placebat Ordinibus moræ causas & incommoda demonstrare, imprimis sententiam eorum exquirere quomodo omnibus quorum interest ex æquo satisfieri queat. Quam in rem ut ipsi Ordines velut extra studia partium positi formulam conciperent insinuabat, ulteriore tractatione discutiendam. Id negotium etsi Ordines ab initio suscíperent; tamen mox Volmaro eam formulam adornandam commisere. Isthac Palatino Benfelda certis conditionibus assignabatur, quoad præsidium Hispanicum Franckendalia fuisset deductum. In Galliæ securitatem Landavia præsidio Gallico tantisper detineretur. Hispanis Franckendalia digressis Galli quoque Landavia excederent; interim neque sacra, neque civilia oppidi turbarent. Hermansteinum tertio termino Electori & Capitulo Trevirensi redderetur. Quod si tunc dissidia inter illum & hoc nondum composita sint, Cæsarem cum Ordinibus statuturum, quid hoc casu faciendum sit. Eam formulam Volmarus per Ordines Carolo Gustavo exhiberi curabat, postulans, ut circa eandem scripto mentem suam declaret. Ast hic scripta reciprocare abnuens, eam formulam illis, quorum intererat, communicandam censebat. E quibus Galli eandem rejiciebant, quod de conventione super sequestro Hermansteinensi mentio facta non esset, substituta in hujus vicem misera Landavia. Sed demonstrabat

Formula transactionis super Franckendalia.

1650. Carolus Guſtavus; hanc formulam propoſitionis locum habere, de qua ulterius diſceptandum ſit; & jam ipſorum eſſe, de componenda iſthac re ſerio cogitare. Et quia animadvertebat Gallos data opera negotium extractum ire, quoad domi res tranquilliores fierent; monebat ipſos, enixiore ſtudio finem negotii quærerent; quod ſecuritati Reginæ non expediat, diutius inter bellum & pacem ancipiti ſtatu hærere.

Generaliſſimi ad Ordines propoſitio.

§. 23. Ordinibus autem Imperii idem proponebat; cum ob detentionem Franckendaliæ quatuor Superioribus Circulis, ac inprimis Rhenano Electorali ingens moleſtia immineat, intercepto fere pacis fructu, media diſpicerent, quibus vel amica ratione, vel vi ejus oppidi præfectus coerceretur, ne vicinum tractum excurſionibus & exactionibus infeſtare queat. Huic enim negotio ubi proviſum ſit, ſuper temperamentis, quæ unus aut alter obtendat, facile tranſactum iri. Quæ propoſitio Ordinibus impenſe placebat, quam & ſtatim tribus Collegiis diſcutiendam ſumebant, nemine non perſpiciente periculum, quod Germaniæ immineret à detentione Franckendaliæ, ac Hiſpanis Lotharingiciſque copiis, confines Belgio regiones perſultaturis, ni vis opponeretur. Qua ſuper re & Caroli Guſtavi conſilium expoſcebant, inprimis quid eo caſu à Regina jam inter Ordines Imperii adſcripta expectandum foret. Qui de ſtudio quidem Reginæ in tranquillitatem Germaniæ teſtabatur; cæterum maturiore ſe deliberatione rem ſecum perpenſurum. Nam ipſi potiſſimum curæ erat, ut præſenti difficultati circa Franckendaliam mederetur: quæ in futurum prominebant; Ordinibus diſcutienda relinquebat. Qui uti in eo facile conveniebant, copiis ac defenſionem limitum opus eſſe: ita qua ratione iſtæ comparandæ, alendæque, aut gubernandæ eſſent, pro more in diverſa diſcedebant.

Generaliſſimi cum Moguntino congreſſus.

§. 24. Maturando tractatui Carolus Guſtavus conſultum judicabat cum Moguntino Electore ſermones conferre. Nam & eundem negotium Franckendalienſe ob viciniam non parum tangebat, & ipſe magnæ inter Principes autoritatis, Bavaroque tunc conjunctiſſimus habebatur. Huic cum de ſuo deſiderio oblique inſinuaſſet, dies, quo Kitzingæ congrederentur, dicitur. Huic exponebat Carolus Guſtavus, quid difficultatis inciderit; ſimul conſilium exquirit, quid remedii opponendum ſit incommodis, quæ ex detentione Franckendaliæ, & locorum à Lotharingo inſeſſorum immineat. Moguntinus ab iſto acta penitus probare; ac ſe quoque pro virili incubiturum, ut pacis leges examuſſim impleantur. Tum id cumprimis reſpiciendum, ne Cæſar præter principali conventione conceſſas legiones quid copiarum retineat; quod metuendum ſit, ne Domus Auſtriaca Hiſpanicas turbas in Germaniam derivatum eat. Quo fine defenſione ab Ordinibus adornata opus fore, quamdiu inter Gallos, Hiſpanoſque bellum duret. Etſi ipſe hujus negotii autor audire nolit, jam antea Cæſari ſat inviſus, & ne videatur peculiare emolumentum captare: ſed commodius fore, ſi à Regiis iſta proponantur. Monebat quoque ne ad prolixas diſceptationes cum Cæſareis deſcendat, quod Volmarus tempus extrahere cupiat, eludendæ, quam Ordines meditentur, defenſioni. Denique ut Cæſareos acriter urgeat ad reddendam Franckendaliam, aut probandum Sequeſtrum Hermanſteinenſe: ſi abnuant, cum Ordinibus conſilia viteſque jungendas, ut legibus Pacis utique ſatisfiat. Qui ſi ad communem defenſionem ſuſcipiendam adduci nequeant, ſaltem ſe cum Bavaro, Wurtenbergico, Caſſellano, viciniſque Principibus ac Epiſcopis, Civitatibuſque fœdus defenſionis cauſa initurum, adſcitis quoque Regibus. Id quippe legibus Imperii congruere, ac ſibi velut Imperii Directori eam curam præcipue incumbere. Nec dubitare, quin Regina iſtud opus promotura ſit. Iſthoc congreſſu id quoque agebat Carolus Guſtavus, ut Cæſareis ſcrupulum injiceret, quo ad æquas Galliæ conditiones ferendas compellerentur, aut ſi hoc non obtineret, teſtari Gallis poſſet, pro ipſis ſe omnia tentaſſe. Cæterum Reginæ ſuper iſta Moguntini propoſitione videbatur; ſerum nunc eſſe expectare, quoad Ordines defenſionem inter vacillantia pro more conſilia adornent, nec rebus ſuis tutum, dum incerta iſta, & in longum prominentia captantur, concluſionem tractatuum extrahere.

5. Maji.

Moguntini ſententia.

1650.

§. 25. Statim atque Carolus Guſtavus Noribergam regreſſus eſſet, Reginæ ratihabitio adferebatur, duplici modo concepta; uno quidem juxta formulam Norimbergæ conventam. Sed quia in hac Oſnabrugæ duntaxat mentio facta erat, (*ſuper univerſali & plenaria Pacis Oſnabrugenſis concluſæ executione*) omiſſo Monaſterio; nec minus in concluſione de ſubſcriptione præteritum erat, ſigilli duntaxat mentione expreſſa (*in horum omnium teſtimonium & fidem ſigillum noſtrum majus huic diplomati appendi fecimus*,) Regina aliam ratihabitionis formulam adornari curabat, in qua tam de Monaſterio, quam ſubſcriptione exprimeretur, ne ſorte illa omiſſio cavillandi deinceps anſam præberet. Utriuſque formulæ terna exempla adferebantur, quarum una Cæſari, altera Moguntino, tertia Saxoni Evangelicorum Ordinum nomine traderetur. Anſam inde arripiebant Sueci Cæſareis tarditatem exprobrandi, quorum ratihabitio nondum aderat, ſimul demonſtrandi, falſo hactenus jactatum, pacem fœderatis Regnis parum cordi eſſe. Monebantur quoque Cæſarei, ut & ipſi de Monaſterio, ac ſubſcriptione ſuæ formulæ inſererent. De quo, uti & de titulo *Potentiſſime* facile impetratum. Præterea & hoc Regina Carolo Guſtavo ſignificarat; ſe graves ob cauſas reditum ipſius in Sueciam cupere, igitur ita res ſuas diſponeret, ut medio Junio, aut Julio in Sueciam adpellere poſſit. Quod ſi forte intra id tempus finis tractatibus imponi nequeat, Wrangelio ſummam tractatuum, ac rei militaris directionem traderet. Qui & eo fine è Pomerania in Superiorem Germaniam reverti jubebatur.

Ratificatio Reginæ adfertur. 12. Maji.

Carolus Guſtavus in Sueciam revocatur.

§. 26. Aſt Cæſareis è congreſſu iſtius cum Moguntino non modica ſuſpicio injecta erat. Audita quoque ejuſdem revocatio non illos ſolum, ſed & Ordines haut parum commovebat, ut inſigne ſtudium oſtenderent negotio ante ejuſdem diſceſſum colophonem imponendi. Unde & ipſe expedire judicabat ea inclinatione ad maturandam concluſionem, & removenda obſtacula uti, & non niſi perfecta re diſcedere. Præſertim cum jam paſſim ſpargeretur ipſius diſceſſu tam diuturnos, ac ſumtuoſos tractatus à Regina abrumpi, eoque manifeſtum fieri, Reginam cum Germania pacem nolle. Sane ipſo digrediente Piccolomineus quoque abiturus erat, quod hic cum alio, quam penes quem ſummum belli imperium fuerit, tractare nollet. Ipſe quoque præliminari conventione obli-

Hic tractatibus finem prius imponere copit.

1650. obligabatur poſt abſolutam Conventionem principalem ad alterum uſque terminum Noribergæ ſubſiſtere. Tum omnia cum Regina tranſacta, & ſolum Franckendalienſe negotium ſupereſſe, de quo componendo quam maxime ſatagatur; ut ita citra cautam conventum abruptur' ſit. Præterea Ordines circa ſatisfactionem militarem ultra debitum ipſi gratificatos, ac tamdiu hoſpitiorum onus toleraſſe. Ac omnes creditturos, Reginam privatos reſpectus tanto cum Germaniæ incommodo foviſſe; ſicuti & jam de ſucceſſu tractatuum Polonicorum ſpargebatur. Sed nec deinceps Cæſareos & Ordines temere in ejuſmodi conventum conſenſuros; quin omnes vias circumſpecturos, ut hiſce malis tandem aliquando eluctentur, conſumta in Reginam benevolentia. Eo impenſius operam ſibi dandam judicabat Carolus Guſtavus, ut ante diſceſſum negotio ſummam manum imponeret.

Super-temperamento circa Franckendaliam tranſactio

§. 27. Cum igitur ſolum Franckendalienſe negotium ſupereſſet, Carolus Guſtavus per Croſiegum Legatum Caſtellanum ita rem diſponebat, ut Cæſarei cum Palatino, Ordines cum Gallis tractatus ſuſciperent. Inter hos enim tranſigi malebat, quam ipſe negotium adornandum ſuſcipere, quod vix ita temperari poſſe videbatur, ut non alterutrius partis offenſa contraheretur. Ac inter priores quidem facile conventum ſuper Benfelda in vicem Franckendaliæ tantiſper tradenda, cujus præſidium à ſolo Palatino Electore penderet, ab Ordinibus tamen æque ac Franckendalienſe alendum. Si intra tres menſes Hiſpani Franckendalia non excederent, Cæſar & Ordines ad præſtandam evictionem tenerentur ac damna, quæ Palatino darentur, è Præſulatu Argentoratenſi reſunderentur, una cum reditibus è Franckendalia percipiendis. Sed quia Galli, quod præſidia quædam in Turenni partes diceſſerant, jam promiſſam Sequeſtro Hermanſteinenſi oppidorum reſtitutionem præſtare non poſſent, eoque nec Cæſarei Ordinesque ad idem amplius teneri ſe ferrent; ab hiſce Heilbrunna Gallis tantiſper retinenda offerebatur, quoad Benfeldæ munimenta ſolo æquata forent; quam in rem Elector Palatinus cum Cæſare totoque Imperio fidem ſit interpoſiturus. Hi Benfeldam affectant. 25. Maji.

Aſt Galli cum circa Sequeſtrum Hermanſteinenſe minor indies ſpes foret, Benfeldam ipſam in ſui ſecuritatem depoſcebant. Circa quod poſtulatum ut Carolus Guſtavus ipſis gratificaretur idque oppidum traderet, impenſe inſtabant. Contra is, etſi de ſuo in Galliam ſtudio prolixe teſtatus, demonſtrabat, ei ſe petito ſatisfacere non poſſe, re non amplius inregra, poſtquam Cæſar & Ordines Palatino jam Benfeldam annuerint Heilbrunnam denuo oblatam repudiari jure non poſſe; cum antea id oppidum inter tria ab ipſis propoſita nominatum ſit, hac addita declaratione, ut ſi forte circa unum horum difficultas moveatur, alterutro reliquorum adquieſcere velint. Sed Galli non tunc ſolum, ſed & ſequenti die, cum Etskeinus & Benedictus Oxenſtierna Caroli Guſtavi juſſu eo nomine ipſos adirent, ſententiæ ſuæ pervicaciter inhærebant. Inprimis nullo modo ferre volebant, ut Palatino Benfelda traderetur. Et cum rationes ipſorum deſtruerentur, demum dicebant; expreſſa ſibi in eam rem à Rege mandata eſſe, quibus utique inſiſtendum ſibi ſit. Interim Cæſarei per Croſiegum Carolo Guſtavo ſignificaverant, ſe non obſtante Pentecoſtes feſto accelerando negotio cum Succicis Deputatis ſuper temperamento circa Franckendaliam tranſigendo, ſimul & Gallis ſatisfactionem militarem ſine ulla mora præſtandam curaturos. Id quod hic Gallicis Miniſtris indicabat, addito, ſine dubio de conditionibus quibus Benfelda Palatino tradenda ſit, primo loco actum iri. Unde illi cum ad Principem acceſſiſſent, laudato Reginæ in Galliam ſtudio, de quo Chanutus recentibus literis teſtatus fuerit, denuo Benfeldam petebant; aut ſi ea potiri nullo modo queant, ſaltem ut ad duas, aut tres ſeptimanas res differatur, quo novis ex aula mandatis inſtrui queant. Quod ſi Principi interea hinc abeundum ſit, circa continuandos tractatus diſponeret, nec properata concluſione Galliæ deſtinata ſubverteret. Illis demonſtrabat Carolus Guſtavus, quid confuſionis oriturum ſit, ſi negotium ante ipſius diceſſum haut abſolvatur, ac mandatis Reginæ, ipſiuſque ſecuritate ſe adſtringi ad omnes moras amputandas. Nec dubitare, cum hoc negotium annum jam integrum agitetur, in quoſvis caſus idoneis mandatis ipſos inſtructos. A Regina quoque jure poſtulari non poſſe, ut in eorum gratiam diutius pacis incerta, variiſque periculis obnoxia hæreat. Sed cum jam inter Cæſareos ac Palatinos ſuper conditionibus, queis Benfelda tradenda eſſet, prope tranſactum foret, Galli Ordinibus, tum & Carolo Guſtavo denuntiant; ſe nullo modo in traditionem Benfeldæ conſentire poſſe, ſed potius Sequeſtro Hermanſteinienſi & aliis prætentionibus ob detentam Franckendaliam ceſſuros, modo Benfelda munimentis nudetur; & locis, quæ in Imperio adhuc detineant, præſidia deducturos communi evictione contentos. Scilicet, quia Galli metuebant, ne ſi Elector Benfelda potiretur, hanc in Franckendaliæ vicem Hiſpanis traderet. Et habebant cauſam, quare Electori diffiderent, ad cujus fortunas ſubruendas quid ipſi contuliſſent, non obſcurum erat. Nam ſcripto ſuper reddenda Benfelda parum cautionis ineſſe arbitrabantur. Ea Gallorum declaratio magnam Ordinibus lætitiam adferebat, queis & ſpes erat, pari modo cum Palatino decidi poſſe. Quo fine à Carolo Guſtavo petebant, Palatino perſuaderet, ut & ipſe prætenſioni ob Franckendaliam renuntiaret. Aſt hic oſtendebat, diſpari fundamento Gallorum & Palatini prætenſiones niti, & in hujus ditione complura adhuc loca ab Hiſpanis, Gallis, Turenno & Lotharingo detineri; unde huic in ſecuritatem locum idoneum tradi æquum eſſe.

Rem extrahi cupiunt.

Suo poſtulato deſiſtunt.

§. 28. Effeceraut jam Legati Gallici, ut Ordines circa Benfeldam hærerent, ac Cæſareis committerent, ut cum Carolo Guſtavo ſuper Palatini ſatisfactione tranſigerent, quibus conditionibus poſſint, acta ſe ratihabituros polliciti. Ea de re cum Cæſarei huic ſignificarent, is ut formulam conventionis ederent poſtulabat, quo ipſe cum Palatinis conſilia conferre poſſet. Ea Heilbrunnam Palatino offerebant conditionibus ſat æquis, & in quas poſtea conventum eſt. niſi quod ſuſtentationem præſidii tantum ſex millibus uncialium menſtruis taxaverant. Quanquam autem Palatini Benfeldæ inhærere malebant, demonſtrabat tamen Princeps præſentem rerum faciem, nec hanc ob cautam diceſſum ſuum differri amplius poſſe: ac ſe digreſſo, fortaſſe ipſos tales conditiones haut obtenturos. Ita congreſſu Deputatorum Cæſareorum & Succicorum id negotium demum tranſactum & conventio à Volmaro & Cranio ſubſcripta ad eam formam, uti principali conventioni inſerta legitur. Sed cum omnes rem demum huc deductam gauderent, Galli denuo remoram injicere conabantur, adverſus eam

Cæſarei de Heilbrunna Palatino tradenda proponunt. 5. Jun.

7. Jun. 9. Jun.

Galli fruſtra rem remorari conantur.

1650. eam tranſactionem contradictione interpoſita, quod cum Hiſpanico Franckendaliæ præſidio alimenta ab Imperio ſint præbenda, eo minus reſtitutio ejus oppidi ſperanda ſit; eoque neceſſitatem ſibi adferri, ut protinus generalem evictionem, & ut Franckendaliæ obſidium circumponatur, poſtulent. Addito, antea quidem rogatu Ordinum omnibus temperamentis renuntiaſſe, ac locorum à ſe detentorum reſtitutionem promiſiſſe; id tamen eo ſenſu factum, ſi peculiari *guarantia* ſibi caveatur. Nam alias, cum *generali guarantia* haut ſat ſecuritatis ſibi præſtet, ſe præſidia ſua oppidis Germaniæ haut quidquam deducturos. Nec ſententia dimovebantur, etſi Succi oſtenderent, quam graves ob cauſas Carolus Guſtavus ad concluſionem accedere compellatur, nec de peculiari guarantia ab ipſis antea mentionem injectam. Quin poſtea ad extrahendum tempus apud Cæſareos ac Ordines proponebant, ut Hermanſteino ante omnia reliqua oppida præſidium deduceretur. Id quod etſi Cæſarei annuebant, modo Galli ſimul omnia à ſe inſeſſa loca redderent, huc tamen adſtringere ſe nolebant. Sed cum animadverterent, Carolum Guſtavum haut eo ſecius con-
16. Jun. dicta die ſubſcriptionem Conventionis cum Cæſareis peragere decreviſſe, pridie ejus diei ad hunc accedunt, palam profeſſi, ſibi quidem non aliam hactenus mentem fuiſſe, quam ut concluſionem per unum aut alterum menſem extraherent; quo fine circa quædam negotia ſcrupulos moverint, majori æſtatis parti extrahendæ, ut ſi quæ Hiſpanis è Germania accederent copiæ, earum hoc anno opera inutilis redderetur. Sed cum ſentiant ipſum longiores moras plane adſpernari, ſibi quoque jam maturationem concluſionis placere. Id modo petere, ut ſubſcriptio differatur, quoad & ipſorum negotia abſoluta ſint. Sed ille excuſabat, rem non amplius integram, & craſtinum diem illi actui deſtinatum. Nec ideo deſinebant totum eum diem in ſeram uſque noctem apud ipſum &
18. Jun. Deputatos Succicos repetitis vicibus de eodem inſtare. Sequenti die ab eodem poſtulabant, ut actum ſubſcriptionis per aliquot dies differret, aut ſaltem ſubſcripta exempla edere omitteret, & in tertii cujuſpiam manus tamdiu deponeret, quoad & ipſi ſua negotia abſolviſſent. Sed uti antea illis reſponſum; nec aliud ipſis tunc indulgeri poterat, quam ut Carolus Guſtavus ante ſubſcriptionem tam Cæſareis quam Ordinibus negotia Gallica ocyus expedienda quam diligentiſſime commendaret.

Conventio ſubſcribitur. 16. Jun. §. 29. Statuta ſubſcriptioni die Ordinum Legati in Curia congrediebantur, ubi componendæ ſuper Urbibus Sylveſtribus inter Cæſareos & Gallos controverſiæ opera dabatur, ac tandem utrinque in Ordines Imperii compromittebatur, intra biduum circa hanc cauſam ſententiam pronuntiaturos. Quæ & poſt biduum hunc in modum lata fuit, ut Galliæ Rex Archiduci Ferdinando Carolo illa oppida redderet, hic contra omni actioni ob accepta damna & extorta hactenus ſubditis ſuis tributa renuntiaret. Eo negotio tempus ad ſecundam uſque horam pomeridianam extractum. Inde in arcem Cæſareus ac Succicus Secretarii vehebantur, inſtrumenta Conventionis ferentes. Quo facto & Ordinum Legati è curia in arcem pedibus adſcendebant, vacuis rhedis pone ſequentibus. Quo & Erskeinus, atque Oxenſtierna Caroli Guſtavi duobus aliis comitantibus, Volmarus & Cranius Piccolominei curru vecti ſe conferebant, ac à primoribus Senatoribus reverenter excepti in certa con- 1650.
clavia, Cæſarei ad dextram, Succi ad ſiniſtram Cæſarei triclinii deducebantur; Ordinum Legatis in conclave Nobilium ad Capellam concedentibus. Inde in Cæſareo triclinio Cæſarei & Succici Legati congrediebantur, quo poſt breve colloquium Legatos Ordinum ad ſe evocabant. Iſti ad eandem menſam aſſiſtebant, Ordinum ſinguli ſuum locum capeſſebant. Præfabatur Volmarus, quæ ad præſens negotium ſpectabant: quæ paucis verbis Erskeinus iterabat. Inde conſidetur, & à Cæſareæ Legationis Secretario Satlero Succicum autographum alta voce prælegitur, cæteris alia exempla inſpicientibus. Ubi inter conferendum præter minutiora ſcribæ errata, quæ ſtatim emendabantur, in Cæſareo exemplari, ubi de ſatisfactione agebatur, bina vice loco *Domini Palatini Generaliſſimi* vocabulum *Noſtri* poſitum erat; quod plane non quadrabta, ac in contrarium ſenſum detorqueri poterat: cum Repartitio utique Generaliſſimo tradita, & realis cautio in illius gratiam conſtituta eſſet. Tum & in ratihabitione Cæſarea quædam verba aliter atque convenerat poſita erant. Circa prius ſtatim Cæſarei declarabant, vocabulum *Noſtri*, quod per præcipitantiam in contextum irrepſerat, nunquam è Cæſareo autographo allegandum, aut Reginæ Succiæ fraudi tore, velut Cæſar commune illius loci præſidium affectaret. Quam in rem ſcriptam ſuam cautionem offerebant. Simul ſancte teſtabantur, intra paucos dies ratihabitionem conventæ formulæ reſpondentem exhibendam. Quibus promiſſis Succi fidem adhibentes permutationis actum differre nolebant; ſed cautionem oblatam expectare, ſimul ratificationem interim acceptare, quoad alia adferatur, conſtituebant. Collatione perfecta inſtrumenta ad ſubſcribendum ſummis Ducibus Cæſareo & Succico per Secretarios transmittuntur, dum interim Cæſarei & Succici Deputati, Ordinumque Legati ſeparatis conclavibus lauto epulo à Senatu Urbis in arce excipiuntur. Statim atque ſignum à certis hominibus ad id diſpoſitis datum erat, Secretarios poſt peractam ſubſcriptionem arcem verſus revehi, machinæ in arce, & circa totam urbem diſplodebantur, militibus quoque feſtivum detonantibus. Inſtrumenta in arcem allata ab Ordinum Deputatis ſubſcribebantur. Inde eadem à Cæſareis, Succiciſque Deputatis una cum ratihabitionibus mutuo tradebantur, addita gratulatione. Tunc ſecunda vice diſplofio peragitur. Et mox per præconem pax è pegmate ante Curiam poſito, & per quindecim celeberrima urbis loca inter tubarum & tympanorum lætos ſtrepitus proclamatur. Tertia vice machinæ diſplodebantur, cum Deputati Cæſarei & Succici arce digrederentur, tota nocte inter lætitiæ ſigna conſumta.

Gallica Conventio abſolvitur. 22. Jun. §. 30. Intra paucos quoque dies negotiatio inter Cæſareos Galloſque abſolvebatur. Subſcriptioni dies 22. Junii *St. vet.* & hora quarta pomeridiana deſtinabatur, quæ tamen ob unam & alteram controverſiam hora demum undecima nocturna peracta eſt per Cæſareos in ædibus Piccolominei, per Gallicos Plenipotentiarios Grullardum, Vautortium & Avaugurium, ut & Ordinum Deputatos in iſtorum diverſorio. Media nocte ternis vicibus machinæ, militeſque detonabant, ac ante Cæſareorum Gallorumque ædes inter tubarum clangores id bonum factum proclamabatur.

EXECU-

1650.

EXECUTIONIS PACIS CONVENTIO PRINCIPALIS.

A Sacra Cæsarea & Reg. Suec. Majestatum summis Belli Ducibus & Plenipotentiariis, præsentibus & consentientibus Electorum, Principum & Statuum Legatis, Consiliariis & Deputatis in Imperiali civitate Norimberga 26. Junii, An. 1650. concluſa, ſubſcripta, ſigillata, ratificata, & tandem commutata.

NOs Octavius Piccolomini de Arragona, Dux Amalphitanus, S. R. Imperii Comes & Dominus in Nachot, Eques Aurei Velleris, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius intimus, Camerarius, ejusque Militiæ supremus Præfectus & Legatus Generalis &c. notum ac manifestum facimus omnibus. Quandoquidem pro executione Pacis, quæ anno præterito 1648. $\frac{24}{14}$ Octobris Monasterii & Osnabrugæ concluſa est, vi ac potestate Articuli XVI. cum Serenissimo & Illustrissimo Principe & Domino, Dom. Carolo Gustavo, Comite Palatino Rheni, Duce Bavariæ, Juliæ, Clivia ac Montium, Comite Veldentiæ, Spanhemii, Marchia & Ravensbergæ, Domino in Ravenstein &c. Regiæ Majestatis & Coronæ Suecicæ, exercituum & rei militaris per Germaniam Generalissimo &c. ex vi & mandato tem Instrumenti Pacis, quam Sacra Cæsarea, & Regia Suecica Majestatum, in Sacri Romani Imperii Urbem Norimbergam convenire conſenſerimus, ibidemque adhibitis, Electorum, Principum ac Statuum Imperii, Legatis aliquo tempore tractaverimus, Primo quidem, anno proxime præterito 1649. $\frac{11}{21}$ Septembris præliminare pactum desuper conventum, atque ab omnibus interessentibus approbatum est, uti sequitur.

§. Notum sit, cum divina favente gratia, post diuturnos Monasterii & Osnabrugæ in Westphalia tractatus, Pax universalis in Germania, eoque promota, publicata & ratificata sit, ut certa aliqua puncta executionem ejusdem Pacis concernentia, supremis tam Cæsareæ quam Suecicæ militiæ Præfectis, demandata sint, illique hunc in finem, in Sac. Roman. Imp. Urbem Norimbergam convenerint; quod post maturam deliberationem, pro festinanda evacuatione, & liberatione hospitiorum militarium, donec reliqua puncta ad optatum exitum perducantur nomine Sac. Cæs. & Regiæ Suecicæ Majestatum, cum consensu & consilio S. Imp. Statuum, particulare pactum, deinceps generali recessui, inserendum, concluſum & conventum fuerit, uti sequitur.

§. Imprimis quod concernit Restitutiones ex capite Amnestiæ & Gravaminum; quas Sac. Cæs. Majestas in Regnis & ditionibus hæreditariis præstare tenetur, cum supradicta Majestas iterato promiserit, se omnia ea præstituram, ad quæ vi pacis tenebitur, hæc ita permanebunt.

§. Quod vero Electores, Principes ac Status Imperii reliquos concernit, ita conventum est; ut in puncto Restitutionis ex capite Amnestiæ & Gravaminum observetur Instrumento Pacis, veluti norma universalis terminorum à quo, Regula item tam generalis quam specialis, sine affectu, mora, omnique respectu Personarum, Religionum vel Jurium petitorii, (quæ tamen reservabantur facta prima restitutione in puncto Amnestiæ) aliarumque exceptionum cujuscunque nominis sint; præcipue juxta nudum factum possessionis, usus, observantiæ & exercitii, casus liquidi ab illiquidis separentur. Ita ut casus liquidi qui vel in Instrumento Pacis nominatim expressi sunt, aut alias sub Regulis generalibus manifeste continentur, quique in proximo sunt ac facile expedari possunt, (præsertim si qui in designatione sub litera A nominantur) ante primum, secundum vel tertium terminum exauthorationis & evacuationis, discutiantur & expediantur. Obstante autem mora, oppositione, aut tergiversatione Restituentium, liberum sit restituendis casu quo directores circulorum, aut executores id obtinere nequeant cum auxilio Cæsareæ, vel Suecicæ militiæ, aut etiam propriis mediis, atque adeo manu militari (ita ut damna & impensas refractarii restituentes rependere teneantur) seipsos restituere: Neque hac militaris & legitima executio contravenire legibus Pacis universalis censeatur. 1650.

§. Reliqui autem casus illiquidi, cum propter multitudinem, diversitatem, difficultatem probationum & distantiam locorum in tanta temporis angustia expedari non possint, intra spatium trium mensium proxime insequentium expediantur & exsequantur, sine ulla reservatione, limitatione, aut remissione ad petitorium, ut nemo iis casibus explicite vel implicite comprehensus, justam conquerendi causam habeat, omnia ad normam Instrumenti Pacis, & Cæsareorum Edictorum publicatorum, sub pœnis in eventum contra morosos, & quocunque modo renitentes inibi contentis.

Ut autem hæc omnia eo certius celeriusque executiantur ex Legatis Statuum Imperii, certi Deputati pari numero Religionum, ad examinandum determinandumque puncta Amnestiæ & Gravaminum, cum plenaria potestate ordinabuntur, qui sine ulla dissolutione aut avocatione suorum Principalium hic simul permaneant, punctumque supra memoratum diligenter executiant; & cum quod liquidum, Directoribus Circulorum simpliciter ad exequendum transcribant, quod autem propter defectum, sive informationis, sive probationis, item absentium unius vel utriusque partis hic excuti nequit, ad eosdem Circulorum Directores, cum adjunctis quercelis, petitionibusque pro majore causæ informatione remittant, ab illis dein cognoscendum exequendumque.

Porro neque Cæsarea Majestas, neque quisquam alius Directores Circulorum, aut Executores hujus Pacis, ulla inhibitione impediet; multo minus quod jam vigore Pacis executum aut restitutum est, aut posthac exequetur restituetur ve, ullaratione mutabitur, tolletur, aut conturbabitur. Neque quicquam valeant facta in contrarium, & jam pridem in Instrumento Pacis rejecta Protestationes & Reservationes, vis juris vel facti. Item omnia Instrumento Pacis contraria, Rescripta, Mandata, Decreta, aut cujuscunque demum nominis fuerint; Idque sub pœnis in Instrumento Pacis, & Cæsareis edictis comprehensis.

Præterea conventum est, ut tam solutio pecuniæ, quæ pro satisfactione Suecicæ militiæ debetur, quam exauthoratio militum & evacuatio locorum juxta Instrumentum Pacis & quidem hoc modo peragantur: primum ut Generalissimus Suecicus Princeps Palatinus, à singulorum Circulorum civitatibus in quas dicta pecunia conferenda est, (quæ civitates in superioris Saxoniæ Circulo, juxta Statuum ejusdem Circuli optionem erunt Brunsviga aut Magdeburgum) semper decem aut octo dies ante quemlibet terminum præmoneatur quod primo quidem termino octies decies centena millia, secundo termino sexcenta millia, & tertio termino item sexcenta Imperialium talerorum millia, sine detractione alicujus quoti, ad liberam atque absolutam Generalissimi Suecici dispositionem parata, ac in numerato sint.

§. Nihilominus in primo termino, ab illis 1800000. Imperialibus detrahendum est, quod jussu Generalissimi supra memorati, quidam Status jam ante de facto persolverunt, quodque ex iisdem civitatibus in quas dicta pecunia

1650. cunia deponenda eſt, pro reductione atque evacuatione, aut aliis in uſus jam anteratione primi termini acceptum ac ſolutum eſt.

§. Similiter in ſingulis evacuationis terminis proportionaliter detrahendum eſt, quod nomine Regina & Corone Svecica à Palatino Generaliſſimo, certis Statibus per modum exemptionis, aut aliter remiſſum eſt, aut in futurum remittetur, idque ex ſumma quinque millionum Imperialium juxta proportionem terminorum ſolutionis detrahetur.

§. Ut autem ſingulorum quota etiam à moroſis mature conferantur, diſpoſuit D. Generaliſſimus apud omnes Generales & Prafectos militia qua per ſeptem Imperii Circulos diſtributa eſt, ut ad requiſitionem Directorum cujusque Circuli, quot & quantum militum petierint, dicti DD. Generales ad executionem contra moroſos concedant, & mox ad juſſum DD. Directorum iterum abducant.

§. Ita poſt concluſos hos tractatus ſpacio octidui, decies centena millia Imperialium in deſignatis ad id civitatibus, pro cujuslibet Status quota praſenti pecunia perſolventur, & mox tam à Cæſareis quam Svecicis ad exauthorationem militum, & evacuationem urbium juxta deſignationem ſuper hoc ſpecialiter factam ſub lit. A. intra quatuordecim dies à finitis tractatibus procedetur, (niſi forte cum quibuſdam ſtatibus ſpecialiter de celeriori evacuatione conventum ſit) atque idem ordo in ſecundo & tertio termino obſervabitur, ut ſolutio ſecundi & tertii millionis, exauthoratio item, & evacuatio locorum juxta deſignationes deſuper factas pari paſſu peragantur, ita ut intra ſex ſeptimanas à die concluſionis, tota executio abſoluta ſit, providebuntque Electores, Principes ac cæteri Imperii Status, ne mora ſolutionis Exauthorationem atque evacuationem impediat.

§. Sed & Cæſarea Majeſtas promiſſa ducenta Imperialium millia in tribus terminis perſolvet, ac primo quidem, quoniam Regnum Bohemia præliminariter excepta Egra præſidiis liberandum eſt, pro ea evacuatione de 66666; Imperialibus duas tertias, ac dein reliquam tertiam cum urbs Egra evacuabitur in primo termino perſolvet; Deinde in ſecundo termino 66666; Imp. octiduo ante evacuationem Moravia, & in tertio termino item 66666; Imp. octiduo ante evacuationem Sileſia, realiter & legitime perſolvet.

§. Hæc igitur in hunc modum conventa Svecica militia Satisfactio, item Exauthoratio & Evacuatio ſine omni obſtaculo ab omnibus partibus mox executioni demandabitur.

§. Conventum præterea ut ſtatim poſt hujus paragraphi ſubſcriptionem ſequentia loca, in præſentia utriuſque partis Commiſſariorum quam primum id per diſtantiam locorum fieri poteſt evacuentur, ac de eo ſupremi utriuſque militia Præfecti certiores reddantur. Hæc autem loca evacuabuntur primo à parte Svecica; Praga, Palatinatus ſuperior, excepta Werdena, Donawerda, Rainerſchantz, Uberlinga, Menavia, Langenarch, Tabor, Leitomeritium, Brandiſium, Kenobiſt & reliqua Bohemia loca præter Egram. Item à parte Cæſarea; Auguſta Vindelicorum, Palatinatus Inferior, Memmminga, Sulzbach, Albeck, Hornberg, Schiltach, Aurach, Lindavia, Aſperg, Wildenſtein, Ratisbona, Wulzburg, Weiſſenburg.

§. Cum hæc loca evacuata, & prioribus legitimis poſſeſſoribus aut Dominis reſtituta fuerint, exauthoratio legionum, & reliqua Evacuatio juxta factam deſignationem, ſine omni obice perficietur, & ne primo aut ſecundo termino mora injiciatur, omnia conſtituto die ac tempore effectui mandabuntur.

§. Conventum inſuper eſt unanimi omnium conſenſu, ut ad feſtinandam Evacuationem atque Exauctorationem non obſtantibus iis quæ ratione quarti & quinti millionis in Inſtrumento Pacis proviſa ſunt quartus millio conferatur.

§. In quem finem plerique Status Circulorum utriuſque Saxonici & Weſtphalici, uti & quidam ex Circulis ſuperioribus, quibus belli onera & incommoda non ita continuo incubuerunt, juxta deſignationem ſuper hoc ſpecialiter factam, ſortem ſuam in proportione ad quartum & quintum millionem, intra tres Evacuationis & Exauctorationis terminos conferent, & ad aſſignationem Generaliſſimi perſolvent. Non autem plus quam quartus millio conferetur, & pro quinto realis aſſecuratio præſtabitur. Cum autem prædicti Status Saxonici & Weſtphalici quotas ſuas ad quartum & quintum millionem contulerint, mox Legiones in eorum Provinciis exauthorabuntur, etiam ante conſtitutos terminos, præſidia autem in ipſis terminis & eo ordine quo in ſupradicta deſignatione comprehenduntur deducentur, niſi quis ex Statibus aliter cum Generaliſſimo convenerit, qua particularis conventio, in ipſorum Statuum commodum facta, nihil Inſtrumento Pacis præjudicabit, ſed eandem vim ac valorem habebit, quaſi his tractatibus de verbo ad verbum fuiſſet inſerta.

§. Quod autem poſt dictorum Statuum collationem reſtiterit, Electores, Principes ac Status hoc ordine perſolvent quarti quidem millionis reliquum ſpatio ſex menſium ab elapſo ultimo termino Evacuationis, quinti vero millionis reliquum ſpacio duodecim menſium ab eodem termino.

§. Nihilominus reſervavit ſibi Generaliſſimus per expreſſam Realem aſſecurationem ejus, quod de quarto ac quinto millione ſolvendum reſtiterit, ita ut dicta Realis Aſſecuratio ante primum Exauthorationis & Evacuationis terminum perficiatur & concludatur, neque præſens receſſus ante memorati puncti expeditionem effectum ſuum conſequetur. Similiter reſervatur ex parte Svecia, quod ſuper alimentatione & Hoſpitatione militia, inter Status ac Præfectos militares conventum atque adhuc inſolutum reſtat. Id autem apud cujuslibet præſidii deductionem, & Legionis exauthorationem ſtatim perſolvetur.

§. Secundum hæc conventa jam præliminaris Evacuatio & quidem quod loca à Svecicis poſſeſſa concernit, poſt ſolutionem conventa deſuper pecunia, ſtatim ſine ulla mora aut exceptione, intra quatuordecim dies à concluſione hujus receſſus, perficietur.

§. Reliqua autem hic conventa puncta, tum primo valebunt, atque executioni mandabuntur, cum de reliquis, adhuc reſtantibus Articulis omnino conventum fuerit, & in ſpecie de Deſignatione reſtituendorum. Item quæ loca quolibet termino evacuanda, qua Legiones exauthorande ſint, item Deſignatione eorum Statuum qui ad quartum millionem conferre debeant, denique de reali Aſſecuratione quinti millionis, atque hæc omnia Generali receſſui inſerta & mutua ſubſcriptione, ac ſigillatione confirmata fuerint.

§. In quorum fidem ac teſtimonium nos infra nominati, atque ad hunc præliminarem Receſſum ſpecialiter deſignati Plenipotentiarii, dictum Receſſum propriis manibus ſubſcripſimus, atque ita DD. Svecicis Plenipotentiariis, à quibus ſimile exemplar, eorum manibus ſubſcriptum accepimus, tradi curavimus. Actum Norimberga, 21. menſis Septembris Stylo novo, A. 1649.

(L. S.) Iſaac Volmarus Doctor.

(L. S.) Georgius Ludovicus à Lindenſpur.

Hæc igitur in hoc Præliminari Receſſu (excepto eo quod in ſequenti Principali conventione, circumſtantiis aliquibus jam variatis, ſpecialiter præſertim in puncto ſatisfactionis immutatum eſt) conventa in reliquis Articulis, punctis & clauſulis ita permanent, uti & de facto in dicta Tranſactione deſignata loca, ſtatuto tempore & conſe-

1650. Consequenter Civitas Egra, evacuata, & pristinis possessoribus ultro citroque restituta, sequentia autem puncta ad ulteriorem compositionem exposita, cum consilio & consensu Electorum Principum ac Statuum Imperii Legatorum, unanimiter conventa ac composita fuerunt. 1650.

Punctus Restitutionis ex capite Amnistiæ & Gravaminum.

Et principio quidem, (quod Restitutionem ex capite Amnestiæ & gravaminum, inter Electores Principes ac Status Imperii, eisque & Imperio adhærentes; concernit,) Status ex utraque Religione ad hunc punctum Restitutionis deputati, loco Lista superius per Literam A. insignita, certam Designationem casuum, qui qualesque in infra constitutis terminis decidendi, & vi instrumenti Pacis, artioris modi exequendi, Itemque Preliminaris hujus atque Principalis recessus exequendi essent; erexerunt, concluserunt, & utrimque sigillarunt & subscripserunt. Puncta autem iis Casibus comprehensa & jam de facto decisa uti & in futurum à Deputatis intra tres menses decidenda constituto tempore & ordine executioni mandabuntur; non aliter, quam si hic de verbo ad verbum inserta essent, ita tamen ut sequentia puncta simul observentur.

Videlicet quod jam ante, vel in præfixis terminis, aut eos insequentibus tribus mensibus, à Deputatis, vel a Directoribus Circulorum, aut de hoc constitutis Commissariis, vi Instrumenti Pacis artioris modi exequendi, aut vi Preliminaris vel hujus Principalis Conventionis, atque iis conformiter decisum, executum vel conventum est, aut deinceps decidetur, exequetur, ac componetur; Id firmum ac immutabile permaneat; Neque contra id quicquam, aut apud Judicium Aulicum Cæsareum, vel Camera, aut alia tribunalia cujuscunque nominis ista fuerint ulla ratione acceptabitur sed simpliciter rejicietur. Imprimis autem nulla de facto turbatio aut attentata permittentur.

Restitutio Electoratus Palatiniani ita permaneat, uti in Instrumento Pacis conventum, & deinde hic per interpositionem Domini Generalissimi, inter Electorales Bavaricos, & Palatinianos Legatos, super Restitutione quorundam in inferiore Palatinatu locorum ab Electore Bavaria facienda, compositum est; videlicet ut pro evacuatione locorum quæ Corona Suecia in Superiore Palatinatu possidet & Extraditione Ratificationis conclusæ Pacis, atque apud Electorem Moguntinum ergà recognitionem depositæ, Renuntiatione in superiorem Palatinatum, ex parte Electoris Palatini, Cæsarea Commissio restitutoria extradatur, cum arce ac civitate Heidelberga, aliisque ab Electore Bavaria hucusque in Inferiore Palatinatu possessis Satrapiis. Item ut Elector Palatinus tamdiu, & donec illi à Sacra Cæsarea Majestate, aliud novum, & Electorali dignitati conforme Munus, Titulus, ac Clypeus, quæque illis annexa sunt, collata fuerint; vigore acceptæ desuper ab Electore Bavaria declarationis, uti adhuc possit Archidapiferi Titulo, ac Clypeo, ad eum modum, & formam prout in antememoratis Ratificatione, Renuntiatione, Recognitione, Restitutione, Commissione & Declaratione desuper provisum est; Quæ omnia hoc loco iterum per expressum ratificantur & confirmantur.

Ad maturandam autem reliquorum in Imperio Restitutionem placuit: Primo ut omnia & singula ex Capite Amnistiæ & Gravaminum, tam à Catholicis, quam ab Augustana Confessioni additis allata atque in Instrumento Pacis fundata Gravamina & Contragravamina, aut deinceps adhuc ante primum Exauthorationis & Evacuationis terminum, apud Imperiale Moguntinum Directorium adferenda; Deputatis communicentur, atque ab iisdem discutiantur, atque ad debitam Restitutionem ita dirigantur, ut omnia plenarium effectum sortiantur, & quidem illi ad certos terminos expositis casus in tempore ad hoc constituto, reliqui vero spacio trium mensium ab eo tempore numerandorum. Idque juxta tenorem Instrumenti Pacis, & Edictorum Cæsareorum artioris modi exequendi, sub pœnis præliminari recessui insertis.

Ne quid autem in nominatis terminis, & insequentibus tribus mensibus executionis negocio moram aliquam injiciat; Illi qui ad punctum Amnistiæ & Gravaminum Deputati, continuo apud Collegium illud commorabuntur, neque intra constitutum tempus à Principalibus suis ulla ratione avocabuntur, sed omni diligentia allatos casus & gravamina discutient, atque ad Executionem maturabunt. Deputantur autem ad hunc punctum Amnistiæ & Gravaminum discutiendum terminandumque, uti Mediatores, Colonienſis & Brandeburgicus Electores; ut Deputatis vero ex parte Catholicorum Legatus Moguntinus & Bavarus, item Bambergensis & Constantiensis, ex parte Augustana Confessioni additorum Saxo-Altenburgicus, Brunsvico-Lunaburgicus, Wurtenbergicus & Norimbergensis.

Quod autem reliquos casus in tribus Terminis non specificatos, neque ante primum Exauthorationis terminum apud Directorium Imperii à Catholicis & Augustana Confessioni addictis, intimatos concernit, hi nequaquam pro exclusis habebuntur, neque cuiquam Restitutio denegabitur, sed omnibus & singulis expresse reservabitur, & liberum erit, prout in Instrumento Pacis desuper provisum est, apud sui aut proximi Circuli Directorem, aut omnino apud Sacram Cæsaream Majestatem, gravamina sua more debito allegare & proponere; atque ibi tunc re examinata, juxta præscriptum executionis modum summarie Restitutio maturabitur.

Ad horum autem majus robur ac stabilimentum Sacra Cæsarea Majestas per totum Imperium Edicta publicabit, quibus omnia attentata, etiam Disputationes, & Conciones tam contra Instrumentum Pacis, quam contra hoc, Instrumento Pacis Cæsareis Electis artioris modo exequendis, nec non Preliminari & huic Principali recessui conformes Executiones, item omnes alia contraventiones, cujuscunque nominis ea fuerint, severa pœna prohibeantur, & singulorum locorum Dominis mandetur, ut contraventores pro modo delicti secundum Instrumentum Pacis pro merito puniant.

Quod autem reliquos casus, qui in tribus specificatis mensium terminandi sunt concernit; Huc spectant omnes alii in supra memorata Designatione non specificati casus Restitutionis ex capite Amnistiæ & Gravaminum, qui à Catholicis aut Augustana Confessioni additis Directorio Moguntino jampridem insinuati sunt, aut deinceps ante primum exauthorationis & Evacuationis terminum insinuabuntur, atque eodem etiam spectare intelligendi sunt, qui in speciali, & à Deputatis subscripta, ac Domino Generalissimo præsentata specificatione comprehendantur.

Porro Distributio illa Casuum non ita intelligenda est, quasi ante constitutos terminos unus aut alter Casuum, ubi id commode fieri potest, executioni mandari non debeat: sed termini prædicti tantum ad rem maturandam, atque ad excludendam moram constituti sunt, in quem finem Deputatis & Commissariis liberum erit ad Cognitionem facti possessionis & executionis progredi.

Neque apud quemlibet casum appositæ Gravaminum specificatio, ita intelligenda est, quasi emergentium subinde novorum gravaminum, apud aliquem Restituendorum, aut Restituentium, nulla deinceps ratio habenda sit.

Adhuc restantia adhuc Documenta Restituenda, vigore Instrumenti Pacis restituentur, & casu quo, vel statim aut postea ejusmodi Documenta prodeantur; pro-

1650. *pterea nihil in favorem Detentatorum judicabitur, ſed illa reſtituto ſine omni compenſatione, & periculo reddentur.*

Denique omnes Proteſtationes, Reſervationes quemadmodum & contra ipſum Inſtrumentum Pacis, ita & hic contra Praliminarem & hanc Principalem conventionem; vi hujus ſimul & vigore Inſtrumenti Pacis iterum tolluntur, caſſantur & annullantur.

Punctus Satisfactionis.

§. *Quod autem Suecica Militia ſatisfactionem concernit, quanquam deſuper, inprimis in Inſtrumento Pacis & tum in ſupra inſerto Praliminari Receſſu, circa ejus ſolutionem diſpoſitum eſt; Nihilominus conſideratis novis circumſtantiis, & maxime variorum Statuum manifeſta impetentia matura perpenſa timeri cœpit; ne eas ob cauſas Repreſentatio pecuniarum, non ita mature præſtari, ſed per hoc Exauctorationi & Evacuationi impedimentum aut mora injici poſſet; Propterea ad illud evitandum ab Electoribus, Principibus & Statibus, eorumque nomine à præſentibus hic Legatis unanimiter placitum ac conventum eſt, quod jam ante, & hoc loco vigeſima quinta Junii ſtyli novi currentis Anni concepta & nobis oblata Repartitio immutabiliter debeat retineri.* (quam vide infra.)

Promiſerunt inſuper nomine Electorum, Principum ac Statuum, Legati eorum, ut, quod de conventa ſumma vigore dictæ Repartitionis, in ſolutum reſtabit, id in tribus Exauctorationis & Evacuationis Terminis, quolibet termino, una tertia, & quidem octiduo ante in qualibet ad id ordinata civitate & erario, ea moneta uti in Inſtrumento pacis diſpoſitum, infallibiliter conferatur.

Proinde Directores Circulorum hunc in finem per militaria aut alia Executionis media (etiam cum ope Suecica aut alterius militiæ ſi id experierint) curabunt, ac providebunt, ut vigore ſupradictæ Repartitionis conventa pecunia, in tribus conſtitutis Terminis, ſine ullo Prætextu, exceptione, alioque Impedimento, & ad Domini Palatini Generaliſſimi aſſignationem parata ſit, atque ut ſolutioni ipſius nulla mora ponatur; pront Directores Circulorum vigore hujus nomine atque authoritate totius Imperii plenam poteſtatem habent, omnibus mediis, pro exactione hujus pecuniæ, neceſſariis utendi.

Quod autem in tribus ſtatutis terminis non conferetur, ſed adhuc reſiduum manebit, de eo, ad reſervatam deſuper Praliminari receſſu realem aſſecurationem ab Electorum, Principum ac Statuum Legatis, certus locus atque in Domini Generaliſſimi Declaratione, quæ Imperialis Directorio clauſa præſentata eſt, nominatus, tali pacto attributus eſt, ut eum D. Generaliſſimus tanquam firmam aſſecurationem, donec omnes Reſtantia plenarie perſolvantur obtinere poſſit; pront ad ejus loci præſidium, atque hujus alimentum ſingulis menſibus ſeptem millia Imperialium à ſeptem Circulis Imperii qui ad Suecica militia ſatisfactionem contribuunt, legitimo tempore infallibiliter perſolvenda, aſſignantur; idq; ſtatim à tertio Evacuationis termino: Caſu quo autem hujus menſtruæ alimentationis conventa ſolutio ſuo tempore non eveniat, defectus ille à circumjacentibus ſatrapiis & locis ſupplebitur, atque his deinde, iterum ex perſoluta hujus alimentationis pecunia ſatisfiet. Hæc igitur ita tam pro ſatisfactione quam reali Aſſecuratione, conventa ac ordinata nemo ullo modo pro contraventione Pacis jam aut deinceps accipiet, ſed ut libera conventio firmiter obſervabitur.

Interim Directores Circulorum, omni diligentia & omnibus mediis providebunt, ut collatio reſtantis pecuniæ quam citiſſime maturetur atque ita realis aſſecuratio iterum tollatur.

Pront promittit Dominus Generaliſſimus ejus loci Reſtitutionem & Evacuationem, quamprimum de reliquo ſatisfactionis & alimentationis plenarie de facto ſatisfactum fuerit, ſeque hanc rem nullatenus moraturum, atque etiam in abductione præſidii Inſtrumenti Pacis diſpoſitionem obſervaturum. 1650.

Cum etiam de ducentis millibus Imperialium ſpecialiter cum Cæſarea Majeſtate conventis, vigore Praliminaris receſſus pro evacuatione Regni Bohemiæ & Civitatis Egra de facto una tertia, (videlicet 66666⅔ Imp.) ſoluta ſit; conventum præterea eſt, ut ex reliquis duabus tertiis, in primo Exauctorationis & Evacuationis termino, octiduo ante Evacuationem Marchionatus Moraviæ 66666, Imp. deinde in ſecundo termino 33333⅓ Imper. denique in tertio termino ante Evacuationem Ducatus Sileſiæ iterum 33333⅓ Imp. in ſpecie, & octiduo ante infallibiliter perſolvantur ac numerentur: pront ex parte Sacræ Cæſareæ Majeſtatis non modo id, ſed ulterius promiſſum eſt, in quantum vigore Inſtrumenti Pacis ſupremum illi Executionis munus incumbit, ſtudioſe & ſerio curare: ut quod ſupra dicto modo cum Dominis Statibus, ratione ſatisfactionis & Realis aſſecurationis conventum eſt, plenarie ad effectum perducatur.

His præmiſſis conventum eſt, ut exauthoratio militum, & Evacuatio locorum, à concluſo hoc tractatu, in tribus terminis, quorum quilibet ſit quatuordecim dierum, atque adeo in ſex ſeptimanis abſolvatur; pront deſuper nobis à Domino Generaliſſimo, & viciſſim uti etiam ratione præliminarium Exauthorationum, certa deſignatio, diſtributio, & aſſecuratio data, atque hæc quantum ſingulos Electores, Principes & Status concernit, eorum præſentibus Legatis per extractum communicata eſt, quæ ita permaneant.

Quod autem evacuationem locorum concernit, in primo termino, videlicet in primis quatuordecim diebus poſt concluſum hunc tractatum atque ita decima Julii ſtyli novi, aut trigeſima Junii ſtyli veteris ex parte Cæſarea & Suecica evacuabuntur ſequentia loca.

Ex parte Cæſarea Rotvveila, Offenburgum, Friburgum, Villinga, Zolleren, Redenberga in Palatinatu ſuperiore, Hoxter, Ehrenbreitſtein. *Ex parte vero Suecica*, Olmucium, Neoſtadium, Eulenberga, Fulneck & alia loca in Moravia, Oſtervvick, Bleckede, Dunckelſpiel, Querfurt, Pappenheimb, Fridberg.

Quod munitionem Franckenthal concernit, cum illa Domino Electori Palatino, una cum aliis locis Inferioris Palatinatus vigore Inſtrumenti Pacis reſtitui debuiſſet, neque id jam de facto tam facile fieri poſſit, & nihilominus ſpes ſit, eam Reſtitutionem adhuc ante primum Evacuationis terminum impetrandam, ſamen caſu quo ea non ſubſequeretur, hoc modo cum D. Electore deſuper cum omnium bona voluntate & conſenſu conventum eſt.

Inprimis declarant & promittunt Sacra Cæſarea Majeſtas, item Electores, Principes ac Status, ſe ſerio curaturos, ut munitio Franckenthal, Electori Palatino, quam primum fieri poſſit, reſtituatur.

Interim tamen & uſque ad Franckenthalicam reſtitutionem, D. Electori Palatino, pro aſſecuratione civitas Heilbronna, cum adjuncto propugnaculo, tormentis Bellicis, alioque apparatu, in eo ſtatu, in quo nunc eſt, ſtatim poſt ſubſcriptum hunc executionis receſſum, ita cedetur; ut ejus præſidium D. Electori tantum obſtrictum ſit; ad ejus autem alimentationem, ex Suevici & Franconici Circulorum erariis, vigore nova deſuper facta Repartitionis, ſingulis menſibus, octo millia Imperialium, donec Franckenthal reſtituatur, ad manus Electoralis in Heilbronna Receptoris, infallibiliter, (& quidem mediatis ſemper quatuordecim diebus anticipando) ſolvantur & conferantur. Quo deficiente

1650. ficiente ad significationem Commendantis, Directoris Circulorum pro predicta solutione mox provisionem ordinabunt, aut circumjacentes Status executionem ab ipsis Prædiariis exspectabunt. Quod si autem in ipsa Evacuatione adhuc Restantiæ aliquæ fuerint, Elector non tenebitur, ante solutionem earum præsidium abducere. Neque tamen per hoc Franckenthalica Evacuatio ullo modo remorabitur aut impedietur.

Cæterum civitas ipsa antiquam administrationem in Politicis, & Ecclesiasticis, adeoque libertatem suam, & Immedietatem Imperialem retinebit, & quam primum Franckenthal cum suis adjunctis vi Instrumenti Pacis ab Hispanico præsidio liberabitur, mox hæc Imperialis Civitas sine ulla contradictione præterquam ob prædictam Restantiarum solutionem, evacuabitur; & tormenta inibi reperta illis ad quos vigore Pacis spectant, præsertim Electori Bavariæ, & Ducis Wurtenbergico restituentur.

Ne autem Præsidiarii Franckenthalici causam habeant, Electoris Palatini ditiones, aut ejus subditos, in atque extra munitionem, contributionibus aut aliis militaribus exactionibus affligendi; Status qui hactenus ad alimentationem ejus præsidii contribuerunt, præsertim autem qui ad superiorem Rhenanum Circulum spectant, deinceps quoque ad eandem alimentationem contribuent; atque adeo Electorem Palatinum pro hac parte indemnem servabunt, & cum præfectis præsidii de æqua contributione convenient.

Quem in finem promittit sacra Cæsarea Majestas sese Domino Archiduci Leopoldo Wilhelmo, tanquam Gubernatore Belgii, scripturum, ut omnes excursiones & inquietationes a circumjacentibus Imperii Statibus prohibere, præsertim autem Electoris Palatini ditiones & subditos, ab omnibus contributionibus exemptos & liberos velit.

Ut autem hi pro alimentatione Heilbronnensis & Franckenthalici Præsidii contribuentes Status, pro hoc onere alias pro quota & proportione sua releventur. Id quod jam pro alimentatione illa contribuunt, deinceps illis in Generali Imperii contributione ab ipsorum quota detrahetur.

Promissum insuper est nomine Cæsareæ Majestatis, & conventum, ut, donec Franckenthalium ab Hispanico præsidio liberetur, Domino Electori Palatino, loco decedentium proventuum & commodorum ex dicto oppido, singulis mensibus à conclusa hac principali conventione, Francofurti ad Mœnum ex manibus Quæstoris Imperii tria millia Imperialium numerentur ac persolvantur: cum hoc additamento & pacto, ut si præter omnem opinionem ditiones Electorales & subditi per Gubernatorem Franckenthalensem à contributionibus non liberentur, aut ita in vel extra oppidum, per ipsum aut ejus Præsidiarios & milites aliquod damnum, sive ablatione proventuum, contributionibus, exactionibus aut aliis incommodis, cujuscunque illa nominis fuerint, inferatur, quod tum Cæsarea Majestas omne id Electori Palatino, quod probatum fuerit, restituere ac refundere velit: prout tam in præsentaneam quam eventualem assecurationem dictæ indemnitatis D. Elector Palatinus, omnes & singulas contributiones Imperiales, nunc & in posterum, quæ ditiones Electorales attingunt, simul & separatim, donec Franckenthal restituatur, & omnia occasione ejus loci illata damna resarciantur, non solum retinere possit ac debeat; verum etiam casu quo Electorale contingens, Imperiali Matriculæ, & unanimi Electorum Principum ac Statuum consensui conforme, damnum illatum non adæquaverit, sed ab æstimatione damni eius superetur, Sacra Cæsarea Majestas hic uti antea obligata erit, ejus damni reliquum, & quidem in specie ex iis Imperii contributionibus, quas Cæsarea Majestas, ex Inferioris Saxonia Circulo accipere solet, sine omni exceptione aut contradictione resarcire. Prout Principes & Status dicti Circuli suum in Imperiali contributione contingens ad D. Electoris Palatini eventualem indemnitatem & securitatem, donec Franckenthal restituatur, retinebunt, & omne probabile damnum ex eo restaurabunt; Atque ad id se vigore hujus, sine omni contradictione; cujuscunque nominis hæc esse possint, obstringunt. 1650.

In secundo termino, qui erit quartus decimus dies post finem primi termini, nempe 24. Stil. nov. & 14. Stil. v. mense Julio evacuabuntur sequentia loca ex parte Cæsarea, Landstuel, Homburg, Hammerstein, Tremonia. Ex parte Suecica Jegerndorff, Graffenstein, Hirsberg, Lubschutz, Parchwitz, Civitas & Arx Liplia, Nordlinga, Wertheim, Windsheim, Landsberg, apud Wartham; cum munimento, Bucholtz.

In tertio termino qui est quartus decimus dies post finem secundi, nempe 7. Augusti Stil. Nov. & 28. Julii Stil. vet. evacuabuntur ex parte Cæsarea Syburg, Beineburg, Lands-Cron, Essen, ex parte Suecica, Grosglogavv, Olavv, Javver, Polckenthan, Jeliz, Drachenberg, Minden, Nienburg, item omnia loca in Electoratu & Marchia Brandenburgica, Vechta, Mansteldia, Erfordia, Schvveinfurtum, Weida, & loca Mechlenburgica, Reissenberg, Lipstat, Frisia Orientalis. Loca autem posteriora Pomeraniæ, quæ D. Elector Brandeburgicus vigore Instrumenti Pacis habiturus est, tunc evacuabuntur & cedentur, quam primum inter Regiæ Suecicæ Majestatis, & Electoris Brandeburgici ad id Deputatos Commissarios, super descriptione limitum, & aliis minutiis conventum fuerit.

Quod Episcopatum Osnabrugensem concernit, quoniam super eo inter interessatos vigore Instrumenti Pacis particulares tractatus suscepti sunt, manebit præsidium usque ad tertium terminum, & si tum necdum conventum fuerit, usque ad finem jam cœptorum tractatuum.

De cætero, reliqua omnia à data hujus conclusæ principalis conventionis, ab omnibus partibus, sine ullo impedimento perfecta & absoluta erunt.

Casu quo autem in superiore Specificatione locus aliquis per ignorantiam omissus esset, is nihilominus vigore instrumenti pacis, una cum aliis in suo circulo, in suprascriptis terminis evacuabitur & cedetur.

Porro hæc conventio Evacuationis, in quantum Status Imperii concernit, nullo modo effectum sortietur, prinsquam in quolibet termino, à Statibus oblata præsentanea numeratio & soluto pecuniæ Satisfactionis præcesserit, in defectu autem illius conventa realis Assecuratio locum habebit.

Præterea contenta in Instrumento Pacis Generalis Amnestia, non tantum ipsos Principales bellum gerentes & speciatim Dominam Landgraviam & dominum Hasso-Cassellanam comprehendet, sed etiam omnium partium Generales, Tribunos, præfectos & tam bellicos quam civiles officiales & ministros, atque adeo totam militiam, qua equitatu, qua pedite, usque ad totalem exauthorationem, & evacuationem; atque ita spacio octo septimanarum, à concluso hoc tractatu; Neque ullo modo durantibus præsidiis, aut inhospitationibus, uni aut alteri illata molestationes in quemquam vindicabuntur. Interim tamen à supradicta militia, summorum belli Ducum, aliorumque Generalium, & inferiorum præfectorum mandata serio observabuntur; neque tam durantibus præsidiis & inhospitatione, quam in ipsa evacuatione, contra quenquam ulla hostilitas Instrumento Pacis contraria exercebitur.

Ante omnia autem, cum tam Præliminaris quam hæc Principalis conventio à publicato & omn ex parte ratificato

1650. tificato Instrumento Pacis, veluti effectus à sua causa dependeat, atque ideo idem robur, effectum, ac securitatem, quam Instrumentum Pacis ipsum, habere, atque ita ab omnibus observari debeat; propterea expressa in Instrumento Pacis Generalis Guarantia, cum omnibus & singulis dispositionibus, assecurationibus, & clausulis etiam in hanc Praliminarem & Principalem conventionem extenditur, cum pari effectu, robore & obligatione; ita ut omnia Articulo XVII. per totum de Ratificatione, Confirmatione, Praestatione, & securitate Instrumenti Pacis disposita, hic pariter in hoc Executionis recessu locum inveniant, habeant, & retineant; non aliter, ac si supradictus Articulus XVII. cum omnibus & singulis suis paragraphis, de verbo ad verbum, hic inserta ac repetita esset.

Pront tam Instrumentum Pacis, quam hi Executionis recessus à Caesarea Majestate, Electoribus, Principibus, Statibus, sine mora in Caesareo aulico, Camerali Spirensi, atque aliis Statuum judiciis & tribunalibus, pro norma perpetua judicandi, legitimo modo insinuabitur.

Denique ut omnia hic conventa, ab omnium interessentium Principalibus, confirmentur, suumque debitum vigorem & effectum habeant, Ratificationes tam Caesarea quam Suecica in ea forma, uti jam ordinatum & conventum est, jam datum, una cum hoc Executionis recessu tam a nobis, & Domino Palatino Generalissimo, quam a praesentibus Electorum, Principum & Statuum consiliariis, Legatis & ad hunc actum Deputatis sigillato & subscripto, reciproce communicabuntur, simul Exauctorationis & Evacuationis mandata, constitutis terminis conformia, ab utraque parte, pari numero officialibus ad meliorem Executionem eorum, quae conventa sunt, dabuntur. Electorum autem, Principum & Statuum Ratificationes, in eadem uti conventum est forma, spacio quatuordecim dierum, à die subscriptionis computandarum, curabuntur & extradentur.

In quorum omnium fidem, & robur irrefragabile, nomine Sacrae Caesareae Majestatis nos ex habita desuper potestate, hunc Executionis principalem recessum propria manu subscripsimus, & nostro Principali Sigillo communivimus, pront & nomine omnium Electorum, Principum & Statuum ad hunc Tractatum (vigore specialis desuper erecti, & nobis hodie sub Moguntini Directorii sigillo oblati, Decreti Imperialis) Deputati & infra nominati Consiliarii, & Legati, videlicet, nomine Electoris Moguntini, D. Sebastianus Wilhelmus Meel; nomine Electoris Bavariae, D. Joannes Georgius Oexlin; nomine Electoris Saxoniae, D. Augustus Adolphus Baro de Trandorff; nomine Archi-Ducum Austriae, D. Joannes Wilhelmus à Gall; nomine Episcopi Bambergensis, D. Cornelius Gobelius; nomine Ducum Bavariae, D. Joannes Georgius Oexlin; nomine Ducis Saxo-Altenburgici, D. Wolffgangus Conradus à Thumbshirn; nomine Ducis Saxo-Coburgici, D. Augustus Carpzovius; nomine Ducis Brunsuico-Lunaburgico-Wolffenbütel, D. Polycarpus Heyland; nomine Ducis Brunsuigo-Lunaburgici lineae Zellensis, D. Otto in Mandelrode; nomine Ducis Wurtenbergici, D. Valentinus Heider; nomine civitatis Norimbergae, D. Burckhardus Loffelholtz à Kolburg, & D. Tobias Ohlhaven à Schollenbach; nomine Francofurti, D. Zacharias Stenglin: similiter subscripserunt & suis sigillis corroborarunt; atque ita eundem Domino Palatino Suecico Generalissimo ac Plenipotentiario, à quo sub manu & sigillo ejus simile exemplar accepimus, extradi fecimus. Actum in Sac. Rom. Imp. urbe Norimbergensi, vigesimo sexto die mensis Junii, Anno Christi 1650.

OCTAVIUS PICCOLOMINI D. di Amalff. m. p. Deinde caeteri eo ordine quo supra.

CONVENTIO PUBLICA EXECUTIONIS PACIS,

1650.

Inter

SACRARUM CÆSAREÆ

Et

REGIÆ CHRISTIANISSIMÆ MAJESTATUM GENERALEM.

Nec non

Legatos Plenipotentiarios, suffragantibus & consentientibus Electorum, Principum ac Statuum Imperii Legatis & Deputatis Norimbergae inita & subscripta, die secundo mensis Julii, Anno 1650.

NOtum sit universis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest; Cum ad faciendam plenariam Executionem Pacis Monasterii & Osnabrugae Westphalorum, Anno Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, die vicesima quarta Octobris concluse, omnium in illa comprehensorum interessatorum Conventus Norimbergae institutus fuerit; Nos Legatos Plenipotentiarios ad hoc specialiter Deputatos & sufficientibus mandatis instructos, (quae reciproce rite communicata sunt, & eorum apographa sub finem hujus Instrumenti de verbo ad verbum inserta.) A parte quidem Imperatoris, Illustrissimum & Excellentissimum Principem, Dominum Octavium Piccolomini de Aragona Ducem de Amalfi, Sac. Rom. Imp. Comitem, Dominum in Nachot, Equitem Aurei Velleris, Sacrae Caesareae Majestatis Consiliarium Arcanum, Camerarium, Generalem locum tenentem, & Guardiae Caesareae Capitaneum, Dominum Isaacum Volmarum & Dominum Joannem à Crane, ejusdem Caesareae Majestatis Consiliarios respective Arcanum & Imperialem Aulicum. A parte vero Regis Christianissimi, Dominum Henricum Groulart de la Court, Dom. Franciscum Casset de Vautorte, Dom. Carolum d' Avaugour Consiliarios in Secretioribus consiliis Sacrae Majestatis Christianissimae praesentibus, suffragantibus & consentientibus Sacri Romani Imp. Electoribus, Principibus ac Statibus de toto hoc faciendae executionis negotio convenisse & transegisse modo & forma sequenti.

Primo omnium Imperator suos exercitus, & copias omnes partim exauctorabit, partim in suis propriis Statibus retinebit, numero, tempore & modo comprehensis in Conventione facta hac de re, die quinta Octobris, Anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, quae in hoc tractatu eundem effectum habebit, ac si de verbo ad verbum huic inserta legeretur Instrumento. Rex vero Christianissimus Copias suas, si quae restant, ut & praesidia ex locis restituendis, eodem ordine deducet in proprios Status.

Restituentur loca, Civitates, Urbes, Oppida, Arces, Castella, Fortalitia, belli tempore utrinque occupata & retenta, vel per Armistitii unius vel alterius partis, vel quemcunque alium concessa, prioribus & legitimis suis possessoribus & Dominis secundum formam Instrumenti Pacis tribus terminis, quorum primus sit dies Decima Mensis Julii.

In primo Termino restituentur, & praesidiis liberabuntur.

A parte quidem Sacrae Caesareae Maj.	A parte vero Sacrae Christianissimae Maj.
Ehrenbreitstein,	Moguntia,
Franckenthal,	Deidesheim,

Rurmil-

1650.

Rotwilla.	Magdeburg.
Offenburg.	Germersheim.
Friburgum Brisgoviæ.	Hailbronna.
Villinga.	Schorendorff.
Zollern.	Hohentvveil.
Rotenburgum in Palatinatu superiori.	Montpelgard.
Hoxtar.	Horburg.
	Reichenvveiler.
	Neoburgum ad Rhenum, in primo etiam termino ejus oppidi munitiones solo æquabuntur.)
	Castrum Liechtenich.
	Bruntrutum.
	Oppidum & Præpositura Sancti Urlicini.
	Pfeffinga.

Si Franckenthalia dicto tempore non reddatur, aliorum quidem locorum restitutio nullatenus impedietur. Imperator tamen faciet pro ejus Restitutione id, ad quod obligatus est, vigore Instrumenti Pacis, & Hailbronna, salva libertate & possessione immediatatis erga Romanum Imperium, interim servanda tradetur, sicut visum est Ordinibus Imperii, Domino Carolo Ludovico Comiti Palatino Rheni, Sacri Romani Imperii Electori.

In primo etiam termino æquabuntur solo oppidi Benfeldæ munitiones, nec non adjacentis fortalitii Rhenau.

Secundi Terminidies erit vigesima quarta Julii, Restituenturque,

A parte Imperatoris.	A parte Regis Christianissimi.
Dortmund,	*Si tria ista loca in secundo termino non reddantur aliorũ quidem restitutio nullatenus impedietur, nec ideo minus facta sincera executio pacis à parte Imperatoris videbitur, salva tamen illorum restitutione & guarantia in Instrumento Pacis conventa.* Spira.
Landstuel,	Wormatia.
Homburg,	Lavvinga.
Hammerstein,	Lusenich.
	Crucenacum.
	Altzeia.
	Schomburg.
	Baccara cum.

Si quinq; ista loca non reddantur (eorum Capitaneis & præsidiis obedire Regis mandato recusantibus) aliorum quidem locorum restitutio nullatenus impedietur, nec ideo minus facta sincera executio Pacis à parte Regis Christianissimi videbitur, salva tamen illorum restitutione & guarantia in Instrumento Pacis conventa.

Dachstein.	In secundo etiam termino horum duorum locorum munitiones solo adæquabuntur.
Taberna Alsatiæ.	
Castrum Hohenbar.	

1650.

Tertii termini dies erit septima Augusti, restituenturque.

A parte Imperatoris.	A parte Regis Christianissimi.
Syburg.	*Waldshut.*
Beeynburg.	*Lauffenberg.*
Landtcron.	*Seckingen.*
	Rheinfelden.
	Stolhoven.
	Castrum Grabeti.
	Hagenau.
	Landau.
	Feudum Burrweiler ad Domini Comitis de Trautmansdorff Prefecti supremi Prætorii Cæsarei Majestatis Hæredes spectans.

Pro restitutione Domini Francisci Lotharingiæ Ducis in possessionem Episcopatus Virodunensis, suarum Abbatiarum, nec non bonorum suorum patrimonialium observabitur dispositio Instrumenti Pacis in §. Restituatur in possessionem.

Porro, si qua loca restitutioni obnoxia in hac designatione nominatim expressa non sunt, ea nihilominus ubicunque sita sunt, intra hos tres terminos restituentur.

Quicunque à subscripta Pace, usque ad hodiernum diem dicta, scripta, facta, aut omissa sunt, quæ pro contravention accipi possent, ea quidem non approbantur, neque sub hoc exemplo similia attentata vel præteritorum continuationes imposterum excusabuntur: attamen pro bono Pacis præterita omnia sub generali amnestia comprehendi placuit.

Huic tractatui promittunt Cæsarei & Regii, Ordinumque Imperii Legati, & Plenipotentiarii respective ab Imperatore & Christianissimo Rege Sacrique Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus, ad formam hic minuto placitam ratihabitum iri, seseque infallibiliter præstituros, ut solemnia ratihabitionum Instrumenta, intra spatium sex septimanarum, à die subscriptionis computandarum, Norimbergæ præsententur, & reciproce ritèque communicentur. Interea tamen non expectato adventu eorundem, omnia, quæ hic circa exauctorationem & evacuationem conventa sunt, in præscriptis terminis, statim à subscripto hoc recessu decurrentibus, absque omni mora, bona fide, executioni mandabuntur.

In quorum omnium & singulorum fidem, majusque robur, tam Cæsarei, quam Regii Legati: nomine vero omnium Electorum, Principum ac Statuum Imperii ad hunc actum specialiter ab ipso (vigore concluſi die prima Julii Anni infra mentionati, & ipsa die subscriptionis sub sigillo Cancellariæ Moguntinæ Legatis Galliæ extradito) deputati, manibus sigillisque propriis, præsens Instrumentum muniverunt, ac firmarunt. Acta sunt hæc Norimbergæ, die secunda Mensis Julii, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo.

Digitized by Google

1650.

REPARTITIO

SIVE

Distributio quinque Millionum, & quod excurrit, Thalerorum Imperialium ad satisfactionem Militiæ Svecicæ, per Circulos Imperii; Composita & Approbata Norimbergæ, & 25. Junii Anno 1650. Svecicis Plenipotentiariis exhibita.

Circulus Electoralis Rheni.	*Floreni.*	*Cr.*
Elector Moguntinus	234884	30
Elector Trevirensis	161721	
Elector Colonienſis	170041	30
Elector Palatinus	122019	
Tribus poſterioribus Electoribus adſcribuntur 38912. floreni, Diœceſi Monaſterienſi iterum detrahendi.		
Ballivia Conſluentina	17088	
Seltz	3204	30
Beſelſtein detracta una quarta ex parte Naſſau-Hadamar	2002	
Arnberg	5408	
Reineck	1602	
Inferior Iſenburg	7476	
Summa 725446. *fl.* 30. *Cr.*		

Circulus Saxoniæ ſuperioris.	*Floreni.*
Elector Saxoniæ	264864
Elector Brandeburgicus	244038
Epiſc. Miſnenſis	12816
Epiſc. Merſpurgenſis	12816
Epiſc. Naumburgenſis	12816
Epiſc. Caminenſis	24564
Walchenriedt	6408
Quetlinburgh	6942
Geringroda	4809
Saxo-Altenburgicus	30438
Saxo-Coburgh	14052
Saxo-Vinarienſes	29281
Saxo-Gotha	29281
Aſſecurata Surrepia	18690
Utraque Pomerania	261268
Anhaltinus	25098
Vuitiandia	40584
Renſſen zu Gera	9612
Renſſen zu Graitz	3204
Schwartzenburg	26700
Manſeld	40050
Stolbergh	11214
Witgenſtein, Hohenſtein, Lohr & Klettenbergh	4971 35
Benchlingen	3204
Berbey & Muchlingen	2670
Leiſnick	2670
Wildenfels	5340
Schonburgh	3670
Tautenburgh	
Summa 1053747. *flor.* 35. *Cr.*	

Circulus Franconicus.	*Floreni.*
Epiſc. Bambergenſis	91047
Epiſc. Herbipolenſis	183162
Epiſc. Aichſtadienſis	102528
Magiſter Ordinis Teutonici	59808
Brandenburgh utraque linea	137772
Hennenbergh Ramhild	29192

Quod perſolvunt ſequentes.		*Floreni.*
Domus Saxonica	7476.	
Coburgh	16146.	
Epiſc. Herbip.	2670.	
Hennebergh Schleiſingen		27234

Quod perſolvunt ſequentes.		
Domus Saxonica.	21894.	
Epiſc. Herbipolenſis	2136.	
Landgravius Haſſiæ Caſ.	3204.	
Comites Caſtellenſes		3738
Wertheim		21360
Elector Mogunt. ex parte Reineck		5676
Hohenlohen		34176
Epiſc. Herbip. ex parte Raigelſpergh		3738
Erbach		7476
Item ex parte Reineck		1072
Limburgh Speckfeldt		6942
Limburgh Gadendorff		8544
Schwartzenbergh		3204
Sainsheim		3738
Norimberga		197580
Rotenburgum		50730
Windsheimium		22428
Schweinfurtum		19758
Weiſſenburgum		13350
Herbipolis ex parte Maindorffer.		2670
Summa 1028023. *flor.*		

Circulus Suevicus.	*Floreni.*
Epiſc. Auguſtanus	87042
Epiſ. Conſtantienſis	27234
Præpoſitus Elvvangen	17622
Abbas Campodunenſis	20292
Ab. Reichenavv	5340
Ab. Salmansvveiler	42186
Ab. Weingarten	16020
Ab. Weiſſenau	10680
Ab. Petershauſen	3204
Ab. Marchtall	5437
Ab. Schneſſenriedt	10680
Abbas Reggenburgh	8044
Ab. Ochſenhauſen	17058
Ab. Ehingen	11748
Ab. Werttenhauſen	3204
Ab. Munchrod	5874
Ab. Averſpergh	5340
Ab. Irſee	7476
Ab. Gengenbach	3204
Abbatiſſa Lindavienſis	2670
Abbatiſſa Rodenmunſter	3738
Abbatiſſa Buchavv	6408
Abbatiſſa Guttenzell.	2670
Abbatiſſa Hegbach	2670
Abbatiſſa Beindt	1602
Commendatura Alſatia	21360
Dux Wurtenbergicus	244038
Marchionatus Badenſis Infer.	60342
Marchionatus Badenſis ſuper.	35244
Com. Helffenſtein	3204
Comes Ottingen	36846
Comes Wertenbergh	28423
Comes Montfort	9078
Comes Furſtenbergh	25632
Comes Eberſtein	2136
Comes Cupfen	16020
Comes Hohenzollern	20292
Comes Sultz	8010
Comes Brandeiß	4806
Juſtingen	2670

Rech-

Digitized by Google

650. *Rechberg* 2670
Gundelfingen 4272
Gengen 1602
Truchſeſſ de Waldburgh 38448
Konigseck 6408
Rotenfels 5340
Konings-Echersberg 2670
Gerols-Ech 2670
Graveneck 2670
Fugger 14418
Fugger ex P. Waſſerburgh 1068
Hohen-Embs 3204
Zimmeren 8010
Auguſta urbs 112594
Kauffbeyren 21360
Ulma 120150
Memminga 33108
Campodunum 20826
Biberacum 26166
Iſny 10680
Leutkirch 5340
Wangen 10680
Lindavia 26166
Ravenſpurg 26166
Buchorn 2670
Uberlinga 41652
Pfullendorff 13884
Reutlingen 25098
Eslingen 19580
Gemund 23496
Weyl 8010
Hailbronna 27768
Wimpfena 10680
Halla Suevica 39160
Dinckelſpula 27768
Poppfingen 3204
Giengen 8010
Aachlen 8010
Nordtlinga 34710
Buchau 1068
Offenburg 16020
Gengebach 8010
Zell apud Hammerſpach 5340
Rotweila 37380
Summa 1704715. *flor.*

Circulus Rheni ſuperioris.

	Floreni.	Cr.
Epiſc. Wormatiensis	5340	
Epiſc. Spirensis	60876	
Epiſc. Argentinensis	82236	
Epiſc. Basileensis	21214	
Præpositus Weissenburgensis	10680	
Præpoſ. Odenheim	5340	
Magiſter Joannitarum	18780	
Ab. Fuldensis	46681	30
Ab. Hirſchfeldenſis	8010	
Murbach	19859	
Monaſterium in valle S. Gregorii	37358	
Ab. Prumensis	8544	
Baden Sponheim	20291	
Palatini Sponheimenſes	10146	
Palatini Bipontini	32040	
Lautereck	5340	
Haſſia Caſſellana	145960	
Haſſia Darmſtadiana	72980	
Naſſau Sarwerden	10680	
Naſſau Sarbruchen	8759	
Weilburgh	25632	
Weisbaden	8544	
Comitus Rheni	12816	
Reipoltskirchen-Falckenſtein	3738	
Kriechingen	5340	
Salm	2670	
Hanavo Liechtenbergh	21360	
Leiningen	9612	
Falckenſtein-Daun	5340	
Konigſtein pro ſe	2670	
Elector Mogunt. ex P. Konigſt.	10680	
Super. Iſenburgh & Budingen	18690	
Darmſtat ex P. Iſenburgh	3738	
Solms, Lich & Labach	19224	
Braunfels-Solms	16020	
Hanau-Munzenbergh	32040	
Leiningen Weſterburg	5340	
Sain & Witgenſtein	3738	
Waldeck	16020	
Pleſs	1602	
Fleckenſtein	2136	
Kaiſersberg	11214	
Turckheim	2670	
Monaſterium in valle S. Gregorii	6408	
Ober-Ehenheim	10680	
Colmaria	22428	
Argentoratum	120150	
Stosheim	3204	
Schletſtat	19224	
Hagenau	25632	
Weiſſenburg	14952	
Landau	12816	
Spira	36846	
Wormatia	36846	
Francofurtum	106800	
Fridbergh	6408	
Wetziar	4272	
Summa 1254894. *flor.* 30. *Cr.*		

Circulus Weſtphalicus.

	Floreni.	Cr.
Epiſc. Paderbornensis	32557	30
Epiſc. Leodiensis	170880	
Epiſc. Monaſterienſis	7680	
Epiſc. Oſnaburgensis	27760	30
Epiſc. & Civitas Verdenſis	16020	
Epiſc. Minden ſis	24564	
Ab. Werdenſis	2304	30
Pr. Stabulenſis	10680	
Cornely-Monaſterienſis	3204	
Ab. Corbeiensis	6916	30
Abbatiſſa Herfordenſis	3204	
Abb. Eſſendiensis	7408	30
Ducatus Julia & Montium	65794	18
Civita & Marchia	142311	
Ravenſpurgh	18975	14
Frisia Orientalis	10752	
Siegen	10284	55
Naſſau-Dillenburg	12976	53½
Dietz	8470	9
Holtzapffel	2002	45
Sayn	14952	
Bentheim	20292	
Tecklenburg	10008	
Riedbergh	9612	
Pirmont	2136	
Oldenburg & Delmenhorſt	39516	
Hoya	6408	
Bentheim ex P. Hoia	1066	
Diepold	3738	
Schaumburg	23496	
Lipp	16020	
Colonia urbs	110137	30

1650.

Aquigranum	27134	
Tremonia	12238	30
Herford	3204	
Summa 88486 5. *flor.*	44½	*Cr.*

Circulus Saxoniæ Inferioris.	*Florens.*	*Cr.*
Archiepiſc. Magdeburgenſis	173550	
Archiepiſc. Bremenſis	91848	
Epiſc. Halberſtadienſis	57662	
Epiſc. Hildesheimienſis cum urbe, & Dux Chriſtianus Braunsvicenſis juxta proportionem ditionum quas quilibet poſſidet	71556	
Epiſc. Lubecenſis Dux Holſatiæ Joan.	4806	
Epiſc. Suerinenſis, Adolphus Fridericus Dux Mecklenburgicus	12816	
Epiſc. Ratzenburgenſis	3204	
Braunsvicum, Principatus Wolfenbuttel, cum civitate Braunsviga, Auguſtus Dux Brunsvico-Luneburgicus,	91581	
Ducatus Luneburgicus cum urbe Luneburgo, Chriſtianus Ludovicus Dux Brunsvico-Luneburgicus,	96120	
Principatus Grubenhagen, cum civitate Einbeck, Chriſtianus Ludovicus Dux Brunſ.-Luneburgicus	8010	
Braunsvicum, Principatus Calenberg cum civitatibus Hanover, Gottingen, Nordtheim, Hamelen, &c. Georgius Wilhelmus Dux Brunſ.-Luneburg,	91581	
Mecklenburg Swerin. Dux Adolphus Fridericus	49929	
Mecklenburg Guſtrov. Dux Guſtavus Adolphus	49929	
Holſatia, Rex Daniæ, & Dux Holſatiæ Fridericus	106800	
Saxen-Lauenburg, Auguſtus Dux Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ	28836	
Comitatus Reinſtein, Blanckenburg, Auguſtus & Chriſtianus Duces Brunsvico-Luneburgici, cum Comite Taſtenbach pro ſua proportione.	3204	
Lubecca urbs	64080	
Brema	42720	
Hamburgum	96120	
Goslaria	8010	
Mulhauſen	21360	
Nordhauſen	10690	
Summa 1184412. *flor.*		

Summa Summarum.

Cir. Electoralis Rheni.	725446	
Cir. Saxoniæ ſuperioris.	1053747	35
Cir. Franconicus.	102023	
Cir. Suevicus.	1704715	
Cir. Rheni Superioris.	1254894	30
Cir. Weſtphalicus.	884894	44½
Cir. Saxoniæ Inferioris.	1184412	
Circulus Bavaricus.	9707	

Summa 7845810. *flor.* 49½ *Cr.*
Conſtituunt Thaleros Imp. 5230540. *&* 49½ *Cr.*

Ad Contributionem 9707. *florenorum Circulo Bavarico aſſignatorum Archi-Epiſcopatus Salisburgenſis conferet pro ratâ tertiæ, ejus penſionis quæ dicto Archiepiſcopatui in matricula Imperiali aſſignata eſt; quæ tertia, conſtituit* 609. *florenos &* 20. *Crucigeros. Idque pro hac vice tantum, & ſalvo jure Imperii.* 1650.

Libera autem & immediata Imperii Nobilitas per Sueviam, Franconiam, Rhenum atque inferiorem Alſatiam, etſi contributionibus Imperii non comprehendatur, nec obligetur; tamen pro amore communis Patriæ, & conſervatione Pacis libere offert triginta millia florenorum ſemel perſolvenda, cum hac conditione, ne quid libertati aut Privilegiis eorum, per hanc liberam oblationem decedat, aut derogetur; prout latius ea ſuper re, ejuſdem Nobilitatis Legatus Wolffgangus à Gemmingen, apud Directorium Moguntinum edito ſcripto conteſtatus eſt, quod Monaſterii Anno 1468. 13. *Oct. inſinuatum eſt. Additis jam triginta millibus florenorum ad ſuperiorem ſummam* 7845810. *flor.* 49½ *Cr. conſtituetur ſumma univerſalis hæc* 7875810. flor. *ſive* 5250540. Imperiales.

Quoniam vero Monaſterienſis Repartitio trium priorum millionum, ultra dictos tres milliones, excurrit ad 62842. flor. *&* 21½ *Cr. ſive* 41894. Imp. *Neque Comes Palatinus Suecicæ Militiæ Generaliſſimus id hac Repartitione detrahi; nec priorem Monaſterienſem aliter, quam pro tribus præciſe Millionibus acceptare voluit; id ita relictum eſt; Et ſit detracto ſuperiore ſuperfluo ſumma ſummarum præſentis Repartitionis* 7812968. flor. 27. Cr. *ſive* 5208645. Imp. 57. Cr. *Cum ergo præſens Repartitio ultra conventam Suecicæ militiæ ſatisfactionem* (videlicet quinque millionum Imperialium) *adhuc excurrat ad* 312968. flor. *ſeu* 2086645½ Imp. *Oblati ſunt ex hoc ſuperfluo Domino Generaliſſimo Suecico ad feſtinandam Exauctorationem Militum, & Evacuationem locorum* 300000. flor. *ſive* 200000. Imp. *in iiſdem terminis Exauctorationis & Evacuationis perſolvendi.*

Reliqui 12968. flor. *ſive* 8645½ Imp. *convertentur in alimentationem præſidii militaris ejus loci qui Coronæ Sueciæ pro aſſecuratione ſatisfactionis Militiæ, uſque ad totalem perſolutionem aſſignatus eſt, eritque interim Imperium à præſtatione ejus alimentationis per unum Menſem immune.*

Denique quoniam in hac Repartitione, quæ Suecicis Plenipotentiariis ad conſtitutum diem exhiberi debuit, fortaſſe aliqui Status plus quam decebat, quidam etiam minus quam par eſt contribuunt; neque id ob periculum in mora pro hac vice emendare licuit; Decretum fuit, ac cautum expreſſe, ne præſens Repartitio ſeu diſtributio deinceps Imperio, ejuſque Circulis, aut Statibus eorundem in præjudicium vergat: Sed quod hac vice per exceſſum aut defectum peccatum eſt, vel etiam omnino omiſſum ac neglectum; illud in Matricula proximis Comitiis renovanda ſine mora reſtituatur, & in proximis contributionibus reſpective detrahatur, addatur ac reſarciatur. Ita Actum Norimberga 25. *Junii, A.* 1650.

Sequitur
EXAUCTORATIO
Militiæ tam Cæſareæ quam Suecicæ.

NOs Octavius Piccolomini de Aragona, Dux Amalphitanus &c. Notum facimus: Cum in inſtrumento Pacis diſpoſitum ſit, ut exauctoratio militiæ, & evacuatio locorum fiat eo modo ac tempore, quemadmodum ſupremi exercituum Præfecti inter ſe conveniſſent. Ideo nos cum Domino Carolo Guſtavo armorum Suecicorum per Germaniam Generaliſſimo hac ſuper re, hoc ſpeciali receſſu in hunc modum convenimus; Promittimus ac ſpondemus nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, quod prater Legu-

1650. *Legiones & turmas equitum jam pridem exauctoratas, & in ſequenti deſignatione nominatas, pro præſidio & defenſione regnorum & ditionum Cæſareæ Majeſtatis Hereditariorum, non plures quam tres & ſexaginta centurias retinebuntur, quarum numerus ad tria aut quatuor millia equitum circiter excurret. Reliqua vero legiones ac centuriæ in tribus conſtitutis terminis omnino & infallibiliter dimittentur atque exauctorabuntur. Primum igitur ex parte Cæſaris exauctorata ſunt: Warfuſſ. VI. Cent. Colobrath VI. cent. De Waggi, VI. Lind, X. Pompeji X. Paſchenbois IX. Columbo X. Murco VII. Gierle Couſkii III. Vernier X. Donaw II. Alt Naſſau VI. Konigseck IX. Weyler VI. Caplier VIII. Schaff VI. Serin VI. Gartner I. Demitrovitz I. Kock I. Gorthal I. Valentin I. Henſigen I. Gortz I. Conſtituunt Centurias in univerſum CXXIV. ex parte vero Regni Suecia jam pridem exauctorata vel reducta ſunt: Konigsmarck XII. Cent. Caroli Ducis Mecklenb. VIII. Horn VIII. Pols VIII. Steinbock VIII. Frolich VIII. Fertger VIII. Muller VIII. Cuno Ulrich Pentz VIII. Konigsmark I. Nachtigal II. Legat. I. Bilau I. Moſers I. Lewenhaupt IV. Lewekh IV. Gortze IV. Axelilie VI. Behr Anderſohn VI, Baron de Avangour VI. Hammerſtein XXII. Fritz III. Marquart Ernſt Bentz I. Duglas IV. Goldſtein IV. Caroli Comitis Lewenhaupt IV. Friderici Landgravii Haſſiæ II. Jordan. IV. Conſtituunt centurias in univerſum CLX.*

In primo autem termino Litera A. exauctorabuntur.

Ex parte Cæſaris, Pleſſ VI. *Gonzaga* VIII. *Murco* X. *Schneidar* VIII. *Rentz* VIII. *Walter* VI. *Ducis Holſatiæ in Circulo Weſtphalico* VIII. *Conſtituunt Centurias* LIV. *Ex parte vero Suecorum Wittenberg* VIII. *Lemat* VIII. *Friderici Landgravii Haſſiæ* VIII. *Lewenhaupt* IV. *Ulffſpar* IV. *Kurckh.* IV. *Handelshauſen* VIII. *End.* VIII. *Comitis Magni de la guardie* VIII. *Mohr.* VIII. *Wittenberg ex provinciis Cæſaris Hereditariis* IV. *Haſt* I. *Eger Roth* I. *Palman* I. *Sylveſter* I. *Conſtituunt centurias* LXXVI.

In ſecundo termino Litera B.

Ex parte Cæſaris. Crentz VI. *Boccarme* VI. *Lutzelburgh* VI. *Boccamagur* VI. *Copaun* VI. *Donpp.* VI. *Naſſau* VIII. *Jun. Naſſau* VIII. *Conſtituunt centurias* LII. *Ex parte Suecorum Wishopff* VIII. *Axelilie* II. *Behr Anderſohn* II. *Baron de Avangour* II. *Hammerſtein* VI. *Arneſohn* VIII. *Fritz* V. *Hauenbergh* VIII. *Quaſt.* IV. *Marquart Ernſt Pentz* VII. *Wittenbergh* IV. *Conſtituunt centurias* LVI.

In tertio termino Litera C.

Ex parte Cæſaris Pallavicino IX. *Lanon* IX. *Liechtenſtein* IX. *Heneau* VIII. *Palffi* X. *Lattich* IX. *Ex parte vero Suecorum, Ex Legione Regia* VIII. *Ex Legione Prætoria Generaliſſimi* IV. *Wrangel.* XIV. *Duglas* IV. *Goldſtein* IV. *Comitis Caroli Lewenhaupt* IV. *Caroli Marchionis Badenſis* VIII. *Priſewitz* VIII. *Planitz* VIII. *Gratzke* IV. *Pege* VIII. *Pfhuell* IV. *Landgravis Friderici* V. *Jordan.* IV. *Wittenberg* IV. *Conſtituunt Centurias* IXC.

Summa Centuriarum à Cæſare exauctoratarum CCLXXXIV.

Summa Centuriarum à Suecis exauctoratarum CCCLXXXIII.

1650.

Retinebuntur autem in militia.

Cæſarea, Montecuculi VIII. *Philip.* VI. *Jopp.* VI. *Sporck* VI *Piccolomini* X. *De Werth.* VIII. *Kenenhiller* VI. *Gotz V. Furſtenberg* VIII. *Elector quoque Colonienſis retinebit* X. *Regina autem Suecia retinebit centurias ſequentes, Joannis Wrangel* IV. *Comitis Lewenhaupt* VI. *Henrici Horn* VIII. *Erici Kruſſe,* VIII. *Lorici Kruſſe* IV. *Schmalandorum* IV. *ex Legione Regia Equites quingentos. Landgravium Haſſiæ retinebit X. cent.*

Hæc igitur ſuper exauctoratione militum ita conventa ac diſpoſita, eandem omnino vim habebunt, ac ſi de verbo ad verbum Conventioni Norimbergenſi, aut ipſi Inſtrumento Pacis inſerta eſſent, ſine omni fraude & dolo. Ita actum Norimbergæ 5. Octob. Anno 1650.

Cæſarei lætitiam teſtantur.

§. 31. Inſtrumentum conventionis ad Cæſarem à Ranftio tribuno portatum, qui præmii loco annulum, quem tunc ille digito geſtabat ſex mille uncialibus æſtimatum, ac torquem bis mille aureorum pretio accepit. Tum edicta, ne quiſpiam contra pacem tentare quid audeat, per univerſum Imperium à Cæſare promulgantur, ac per di- 22. Jun.
tiones Cæſareas publicæ feriæ eo nomine indicuntur, Viennæ inter alia lætitiæ ſigna captivis quoque carcere emiſſis præter eos, qui æris alieni cauſa in vincula dati erant. Cæſarei Legati Noribergæ ingens gaudium præ ſe ferebant ingenue confeſſi, ſibi nec animum fuiſſe, nec vires bellum nunc inſtaurandi. Quin eam pacem privatis, Domus Auſtriacæ rationibus proficuam fuiſſe, ſtabilito jure hæreditario in Regnum Bohemiæ, & ſacris Proteſtantium clementiſſimis, ſimul Auſtria ſupra Anaſum pignoris nexu exempta. Etſi contra autoritati Cæſaris ea pace non parum detractum ob firmata Ordinum jura. Sed & Piccolomineus omnibus jam abſolutis Carolo Guſtavo hiſce verbis fatebatur: ſe hac pace plus fere una die obtinuiſſe, quam Cæſar antea viginti annis amiſerit, aut intra totidem annos armis recuperandi ſpem habere potuerit.

Executio Pacis circa reſtitutionem loco-rum.

§. 32. Reſtabat conventorum executio. Ubi quanquam circa reſtitutionem ex lege Amneſtiæ, & Gravaminum juſſu Reginæ, & ob importunas Ordinum ſolicitationes, belli moleſtia defungi quocunque modo ardentium, multa remiſſa fuerant, quibus alias vi pacis & ex æquo ac bono inſiſti poterat: id tamen obtentum, ut Catholici complures Evangelicos Ordines reſtituerent, & ad reliquos reſtituendos ſe obſtringerent; tum ut ea reſtitutio ad nudum factum anni viceſimi quarti referretur, caſus liquidi ab illiquidis confecta certa deſignatione diſtinguerentur, executione ad certos terminos redacta. Equidem dubium erat, num reliquis reſtituendis promiſſa intra diem dictum utique repræſentanda forent. Sed uti tempori iſta committenda erant; ita Regina quantum in ſe præſtiterat, ac reipſa oſtenderat, eam reſtitutionem ab ipſa non obtentui ſumtam bello trahendo, ſed velut fundamentum ſolidæ paci ſerio ſubſtructam. Et ne quid in ſe deſiderari pateretur Carolus Guſtavus eos Principes, quorum Legatis Noribergæ ut manerent commiſſum erat executioni promovendæ, literis monebat, 21 Jun.
ut id negotium ſibi commendatum habeant; ad Evangelicos Principes, Brandeburgicum, Altenburgicum, Brunsvicenſem, Wurtenburgicumque inſuper addens, culpam, quare non omnia è commodo rei Evangelicæ expedita ſint,

non

1650. non penes se, sed penes Evangelicorum Legatos fuisse. Simul discedens Benedictum Oxenstiernam Noribergæ relinquebat, qui Reginæ nomine isti restitutioni promovendæ operam navaret. Wrangelio quoque, quem in Franconiam excivérat, aliisque ducibus Suecicis injunctum, ut non solum vicines sibi Principes super restitutione moneant, sed & restituendis operam suam accommodent.

Circa satisfactionem militarem. 15. Jun.

§. 33. Repartitio pecuniæ militibus exsolvendæ pridie subscriptionem Suecis exhibebatur, quæ ducentis millibus uncialium conventam summam excedebat, præmii vicem apud Carolum Gustavum obituris. Etsi hæc summa hautquidquam æquaret damna, quæ ex mora tractatuum, & dum naves transportando militi tamdiu in portubus hærent, enata fuerant. Porro pecuniæ solutio sat promte procedebat, nemine non ad amolienda demum belli onera connitente. Soli Leodienses Ordinum dispositionem adspernati cornua obvertebant; qui militari manu ad officium compellendi fuerunt, longe majore ipsorum dispendio, quam si ultro solvissent. Ordines inopes Superiorum Circulorum illis creditoribus assignabantur, qui facilius moram nonnullam, quam milites, ferre poterant.

Circa exautorationem militum.

§. 34. Exautorationem militum Ordines anxie anhelabant; quod cum Cæsarei intelligerent, ad conclusionem usque etiam in minimis tempus extrahere studebant, si forte aliquid in suum emolumentum hac ratione lucrari possent. Sed tractatu concluso, cum copiæ Cæsareas ditiones premerent, exautorationem bona fide ex convento peragebant; id quod & à Suecis factum. Etsi apud hos passim in seditionem prorumperet miles; qui tamen ne summam rerum turbare posset, Caroli Gustavi providentia fiebat paulatim compactis in unum legionibus, & ductorum superfluis dimissis; tum legionibus non uno in loco, sed sparsim solutis. Ita statim seditiosi compressi paucorum supplicio, aut in diversa dilapsis turbidis catervis. A Cæsare porro dimissi magnam partem Hispanico stipendio iterum autorati in Belgium deducebantur. Quin & Suecicæ copiæ ad Hispanorum militiam fumendam solicitabantur, ni Suecicorum ducum in Gallos affectus eos conatus elusisset. Gallis Regina pariter insigni equitum numero gratificari cupiebat. Verum qui recens conscribendi erant, de alimentis, ac stipendiis suis, præmiisque in posterum certa conventione caveri sibi volebant; super qua Gallici Ministri Noribergæ mandata sibi esse negabant, uti videbatur, pecuniæ inopia, ob quam & duo equitum Germanicorum millia, quos olim conduxerant, dimittendi fuerant, & Helvetii Gallis militantes altera jam vice seditionem induerant. Unde dicti Ministri frigide rem gerebant, etsi in eam rem Carolus Gustavus prolixe operam suam offerret. Et quia æstas jam labebatur, oneri magis quam usui istæ copiæ Gallis futuræ erant. Tum ductores juxta ac gregarii militiam Gallicam aversari. Unde cum Carolus Gustavus clam legiones quasdam ad Gallos traducere institueret, obtentu executionis in Leodiensi ditione faciendæ, re per Gallicos Ministros incautius propalata miles iste ægrescere, ac in seditionem erumpere; qui facile contagio totum exercitum inficere poterat, ni mature blandis remediis, aut paucorum suppliciis malo occursum fuisset; præsertim cum quædam indigenæ militis turmæ Germanis ad melius peragendam eam executionem conjunctæ, in partem seditionis venissent, veritæ, ne & ipsæ in Gallicam militiam pertraherentur. 1650.

Circa evacuationem oppidorum.

§. 35. Circa redditionem oppidorum diu res circa Franckendaliam hæserat; de qua tamen postea facilius transigebatur, postquam Cæsarei demum familiaritate cum Suecis contracta velut secretum detexerant, præsidium inde brevi deducendum, quod Hispaniæ Rex illius detentione existimationi suæ consultum iverit, ne pace Germanica exclusus ad ejus restitutionem coactus videretur, sed ut ab Ordinibus Imperii decenter rogaretur. Ac ferebant Cæsarei; Legatum Viennæ Hispanicum confirmare; jam super ea tradenda mandata ex Aula missa, hac duntaxat conditione adjecta, ut Regi vicissim cessa Imperii in Cameracum prætensione, aut alio modico emolumento satisfieret. Quibus promissis tamen exitus haut respondit, dum ejus oppi- 1651.
di liberatio novo tractatu, & ingenti pecuniæ sum- 16. 16. 54.
ma ab Hispanis obtinenda demum fuit. Cætera oppida utrinque ex convento reddita, ac nominatim Cæsareum præsidium justo tempore Hermansteino deductum, eaque arx Electori & Capitulo Trevirensi simul tradita, postquam à Capitulo prius Coadjutor cum consensu Electoris designatus fuisset. Quo ipso Gallorum desiderio satisfactum. Bentelda è catalogo evacuandorum data opera fuerat omissa, quoad appareret, num Galli Heilbrunnam Palatino concessuri essent. Mox cum hi tam ad hanc, quam alia oppida reddenda promtos se exhiberent, jussu Caroli Gustavi isti loco præsidium primo termino deducebatur, munitionibus statim dejectis. Osnabrugensis Præsulatus antequam Francisco Wilhelmo Episcopo redderetur, Capitulatio juxta leges Pacis prius inunda erat; ad quam omnes quorum intererat jam pronos sese ostendebant. Ac Gustavo quidem Gustavi F. Episcopus & Capitulum concedebat, ut oppidum Værdam suo præsidio tantisper obtineret, quoad octoginta uncialium millia ipsi exsoluta essent. Illis qui munia sub Gustavo in Præsulatu gesserant, Carolus Gustavus fructum Amnestiæ Pace sancitæ stipulabatur, ac ne reddendis rationibus Episcopo obnoxii forent, & ab istis acta rata manerent. Simul ne in urbem Osnabrugam Episcopo actio foret ob destructum Petriburgum; qua de re Episcopus ante sui restitutionem urbi scripto caverat. Ea lege Carolus Gustavus promittebat se mandata editurum præsulatui reddendo, statim atque Capitulatio absoluta fuerit. In Superiore Germania, ac cumprimis in Suevia deductio præsidiorum & copiarum in Augustum usque mensem protrahebatur, quod Ordines isti ita tarde ratihabitiones suas exhiberent. Sed & consultum judicabat Carolus Gustavus Erfordiam, Mindam ac Dæmitzam per unam atque alteram septimanam ultra conventum diem retinere; id quod cum consensu Cæsareorum factum.

Generalissimus ad Cæsarem scribit.

§. 36. Post plene perfectam pacem Carolo Gustavo decorum videbatur, Cæsarem sub initium novæ amicitiæ literis salutare; quas modesto valde sensu componebat, ipsi super reducta pace gratulatus, quam colere eidem cordi fore Piccolomineus multis testatus sit; pollicitus eandem quoque sancte à Regina servatum iri; simul officia sua Cæsari decenter offerebat. Cui Cæsar literis propria manu scriptis haut minore humanitate respondit. Paulo ante quoque Ordines ad Reginam literas dederant, quas heic non interpolatas inferere visum.

Cæsar respondet. 9. Aug. 2. Jul.

Sera-

1650. *Serenissima & Potentissima Regina, Domina Clementissima. Etsi ab eo tempore, quo Pax Osnabrugi fuit concluſa, ratificata & publicata, alia ex alia nata ſint difficultates, & inde Executionis Tractatus in hodiernum uſque diem protracti, annuit tamen Deus afflicti Imperii votis, & effecit Majeſtatis Veſtræ Regia conſtantia, nec non Regii Exercitus Generaliſſimi, Domini Caroli Guſtavi, Principis Palatini, ſingularis prudentia & dexteritas, ut nunc dicti Tractatus optatum felicissimum finem ſint aſſecuti, eoque facto totum Imperium indicibili gaudio affectum, quod ut Majeſtatis Veſtræ Glorioſiſſimam ſemper memoriam dulciſſime venerabitur, ita eidem omnium Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum nomine ea, qua par eſt, devotione, & qua fieri poteſt latitia, ex toto corde & gratas agimus, & gratulamur, Deumque enixe rogamus, ut, ſicut Sereniſſimos Majeſtatis Veſtræ heroicarum Virtutum radios univerſus Orbis jam dudum admiratur, ita etiam eandem omni proſperitate videat ſemper florentiſſimam felicisſimamque. Et, ut de Majeſtate Veſtra nefas foret dubitare, quin omnia, quæ ex Pace Oſnabrugenſi, ut & nuper hic facta conventione præſtanda reſtituendave ſunt, ſincera prontaque Executioni ſit mandatura, & cum Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus perpetuam amicitiam obſervatura, ſic etiam finem ejus difficultatis, quæ circa ulteriores Pomeraniæ limites cum Domino Electore Brandeburgico hucuſque ſupereſt, proindeque plenariam Ipſius Reſtitutionem omni die, una cum Dominis Principalibus noſtris, avidiſſime expectamus, & Majeſtati Veſtræ omnem Regiam Incolumitatem humillime apprecamur. Norimberga die 2. menſis Julii Anno 1650.*

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Humillimi, Sacri Romani Imperii Electorum, Principum ac Statuum ad Pacis Executionis Tractatus Deputati Conſiliarii & Legati.

Carolus Guſtavus Noriberga diſcedit.

Ita ſumma cum gloria abſolutis tractatibus Noriberga diſcedebat Carolus Guſtavus, cum prius Cæſareis ac Ordinum Legatis, quæ adhuc circa reſtitutionem reſtabant, diligentiſſime commendaſſet; qui & eam rem ſummopere ſibi curæ fore ſpondebant. Abeuntem Piccolomineus aliique Cæſarei Legati una cum Gallis, ac Ordinum Legatis extra urbem honoris cauſa proſequebantur. Enimvero iſto digreſſo, & exautorato jam milite, oppidiſque reſtitutis, qui Noribergæ relicti eo nomine erant Ordinum Deputati ſat ſegniter circa reſtitutionem iſtam moliebantur, connitente quantumvis acriter Benedicto Oxenſtierna; quem & poſt dudum elapſos reſtitutionum terminos Regina ſub initium anni ſequentis domum inde avocabat. Quj tamen antequam diſcederet, proteſtationem apud Deputatos iſtos interponebat; qua prolixe commemorabat, quantum operæ Guſtavus quondam Rex, tum poſt Chriſtina Regina exhauſerit, ut exuti bonis ſuis Ordines in integrum reſtituerentur; quam rem & poſtea Carolus Guſtavus ſummo ſtudio egerit velut fundamentum tranquillitatis Germaniæ, ut certa reſtituendorum deſignatio formaretur, juxta quam trium mentium ſpatio reſtitutio abſolveretur. Ea cum poſthabitis ſuis monitis vario modo violata aut neglecta fuerit, ſolenni proteſtatione tum Reginæ tum omnibus Reſtituendis ſua jura ſalva reſervare.

Benedicti Oxenſtiernæ proteſtatio.

7. Febr. 1651.

§. 37. Cæterum Regina jam tandem de ſtabilitate pacis certa dilatam hactenus coronationem, triumphi vicem ſubituram, demum adornare inſtituit. Eo fine Conventus Ordinum Holmiam ad diem vicesimum Junii indicitur; quibus congregatis Regina proponit; ſibi decretum eſſe ritu coronationis nunc defungi, quem hucuſque ob bellum Germanicum diſtulerit; tum quæ facies rerum in Germania, Dania, Ruſſia, Polonia ſit, brevibus memorat. Addebatur, de ſupplendis legionibus domeſticis, & conferenda pecunia tolerandis ſumtibus ad diſſolvendum exercitum Germanicum, aliaſque erogationes neceſſariis. Et reliqua quidem pronis animis accepta. Sed quæ ſuper pecunia movebantur, ingrata populo, & præter opinionem accidebant; qui pecuniam Germanicam in iſta omnia abunde ſufficere crediderat, ac parta jam pace onerum levamentum ſpe præceperat, adquiſitis præcipue tam inſignibus Provinciis, è quarum reditibus ærario Regni haut modicum incrementum acceſſurum putaverat, abrogatis quæ belli tempore extra ordinem impoſita erant tributis. Ea ſpe cum excidere ſe viderent tres Ordines, Sacerdotum, Civium & Ruſticorum, capita inter ſe conferre; & cum judicarent, publicæ inopiæ cauſam inde eſſe, quod pleraque Coronæ bona penes Nobilitatem ſint, quæ & Reginæ liberalitate Provincias bello parras fere poſſideat, remedium iſtius fore centebant, ſi alienata bona ad Coronam retraherentur. Qua de re paulo altius repetere haut abs re fuerit. Etſi juramento ſuo Reges Sueciæ adſtringantur ad tuendas arces, & Provincias cum annuis earum reditibus, & ne quid horum pro ſucceſſore Rege minuatur, cui & jus iſta reducendi eſt; ab antiquiſſimis tamen temporibus iſidem uſitatum, ac diſertis legum verbis permiſſum fuit, viris bene meritis de Coronæ bonis prædia in feudum concedere; quæ niſi graves ob cauſas adimi non ſolebant. Conceſſa quoque ſubinde prædia, fundique ſimplicis donationis titulo, quæ non facile periculo revocationis fuere obnoxia, niſi ſi forte intra ea loca ſita eſſent, quæ vel dotalitiis Reginarum, vel arcibus conſervandis deſtinata fuerant, quibuſque adeo carere Corona non poſſet. Largior inde fuerat Regum liberalitas, poſtquam abolito ritu Romano haut pauca prædia Epiſcoporum, aut Cœnobiorum in Nobiles feudi aut donationis nomine collata ſunt. Poſt quoque cum ab Erici XIV. Regis tempore eminentes è Nobilium Ordine Comitum ac Baronum dignatione efferrentur, hiſce prædia Comitatuum ac Baroniarum titulo feudi jure poſſidenda ſint tributa. Quæ uti ad maſculam duntaxat progeniem deſcendunt; ita & de cæteris bonis Coronæ per donationes in alios translatis Receſſu Norcopenſi Anno 1604. ſancitum, ut hæc quoque poſt extinctam progeniem maſculam ad Coronam revolverentur. Poſtea Guſtavus Adolphus Rex parta Livonia & Ingria inſigniores familias opimis earum Provinciarum prædiis mactabat, earum ſibi benevolentiam hoc modo pignerare gaudens: ſimul credens, eo acrius Nobilitatem ad tuendas eas Provincias connixuram, quas ſervari privatim quoque eiuſdem intereſſet. Idem tamen Rex alia via ærarii proventus auctum ibat, excultis metalli fodinis, fabricis, navigatione, atque commerciis, unde vectigalia inſigniter gliſcebant. Quibus in rebus præcipue Axelii Oxenſtiernæ Cancellarii opera utebatur, cui perſuaſum erat, opes publicas non à fundis pendere, quorum modicus

1650. Conventus Ordinum Suecia. 6. Jul.

Trium Ordinum poſtulatum ſuper retrahendis Coronæ bonis.

Digitized by Google

1650. dicus satis in Suecia & Finnonia sit reditus, frugibus magis quam pecunia constans, sed cultura metalli fodinarum ac commerciorum, ac quæ inde promanat vectigalium ubertate. Contra culturam agrorum longe felicius processuram, si penes privatos illi sint, quam si per præfectos Regios administrentur, remissiore cura velut erga aliena, & nullo adversus calamitates colonorum levamento. Simul augescere hinc opes Nobilitatis in decus juxta, ac firmamentum Regni. Præterea duris in Germania rebus post Norlinganum prælium non alia ratio erat sustinendo utcunque bello, quam ut pars fundorum Coronæ venderetur. Mox cum Christina habenas Regni capesseret, quæ ideo tantum habere gaudebat, ut aliis benefaceret, egregios viros, quorum opera fines patriæ prolati fuerant, dignitate & ad hanc sustinendam opibus efferre instituit. Intra quem modum si liberalitas Reginæ constitisset, vix probabile prætextum inveniebat invidia. Sed nunc jactabatur; quorundam cupiditates ultra modum hiare, quibus vix veterum Regum, aut Principum fortunæ sufficiant, ut exterorum luxuriam æmulari possint; cum præmia opibus Reip. attemperari utique par sit. Quosdam tenuibus meritis sola rogandi impudentia è bonis publicis locupletatos, quod eorum importunitati tenera Reginæ frons resistere haut valuerit. Accesserant quorundam Nobilium in rusticos sævitia, carceres privati, onera nova inventa, vetera aucta; quibus hi ad mancipiorum sese conditionem redigi fremebant.

Trium Ordinum libellus supplex.

§. 38. Ut igitur donata privatis Coronæ bona retraherentur, aut vendita reluerentur, tres Ordines libello supplici à Regina petebant. Cum enim præterito bello Corona fundis ac reditibus valde imminuta sit, necessum esse illos rite revocari, quod non adpareat, qua alia ratione Reginæ autoritas ac status, singulorumque Ordinum libertas sarta tecta servari queat. Sane ad jus Regium tuendum se ex juramento suo teneri; nec privatum à se commodum respici, sed ut Reginæ, ac Regno bene sit. Equidem Reginæ se haut quidquam leges præscribere velle, aut viris de patria bene meritis præmia sua invidere; nec postulare, ut, qui bona ejusmodi emerunt, nulla refusione facta eadem amittant. Cæterum non posse non conqueri, fundos Coronæ, ac prædia libera, quin & partem oppidorum a Corona in privatos perpetuo proprietatis jure translata, tum in feuda nondum vacantia expectativas quæri; id quod verbo Dei, & Christianæ caritati repugnet. Provinciarum bello quæsitarum, pro quibus ipsi sanguinem, & fortunas profuderint, inanem titulum penes Reginam, proprietatem, & reditus penes privatos esse. Unde oriri, ut tot novis tributorum generibus ipsi onerentur, & quæ ex necessitate belli introducta sint, in perpetuum durent; id quod non possit non in oppressionem reliquorum Ordinum redundare. Esse qui Reginæ bona Coronæ alienare suadeant; cum huic contra per Ordinis Equestris privilegia non liceat Nobilium bona emere, aut sibi oppignerare; unde non posse non Coronæ bona semper imminui, quibus supplendis nulla ratio sit relicta. Firmabantur ista multis rationibus. Legibus Judæorum ne privatos quidem fundos alienari in perpetuum potuisse, sed anno Jubilæo ad veteres dominos rediisse. Nec Principem de sua sorte servo suo potuisse donare, nisi ad Jubilæum usque. Legibus patriæ constitutum, ut Corona terras suas habeat, quæ cum Regno delato ab Ordinibus Regi administrandæ committuntur, ut ejus reditibus sumtus aulæ Regnique tolerare, idemque tueri queat, quo populus, quantum res ferat, ab oneribus sit immunis. Ea bona patrimonium Regni esse, quæ à privatis neque peti, neque possideri debeant, nisi cum jure reluendi, ne vires Regni intercidant; & ad hoc Regem jurejurando obstringi. Testamento quoque Gustavi I. summa religione sancito caveri, ne Principes portionem suam alienent, neu filiabus Regiis bona immobilia dentur. Quod si Gustavus Rex filiis suis non nisi feudi lege de bonis Coronæ quid concedere potuit; quo jure, qui insignem terrarum portionem emtionis, aut donationis titulo, minorenne Regina, & inter dura belli tempora adquisiverunt, ista in perpetuum & irrevocabiliter sibi vindicare posse? Recessu quoque Norcopensi Anno 1604. cautum, ut bona immobilia à Corona alienare non liceat, nisi ut eadem ad hanc iterum reverti queant. Esse Regno noxium, suæque libertati periculosum, publica bona, redituſque stabiles penes privatos esse, inque horum locum ærario vectigalia & *accisias* delegari, incerto proventu, & qui ab exterorum commerciis dependeat, belloque exorto hæreat, quo pecunia quam maxime opus sit; præsertim cum in vectigalia, *accisias* aliaque extra ordinem tributa haut quidquam consentum sit, ut inter certos & perpetuos Coronæ reditus reputari debeant; sed ut inter summas belli necessitates subsidio sint, ac postea iterum cessent, singulique Ordines ad solitas erogationes, immunitatemque redeant. Nunc metuendum esse, ne ista onera non solum perpetua maneant, sed & libertas ipsorum servitio mutetur, alterato simul regimine, ac Regni jure. Sane eosdem, qui jam Reginæ suadent, ut bona Coronæ alienet, judicare, liberorum suorum fortunis melius caveri bonis immobilibus, quam pecunia. Ac proverbii vicem apud nostrates obtinere; *qui inimico suo noxium dare consilium velit, suadeat, ut omnia sua immobilia pecunia permutet*, quippe quæ possessionum maxime fluxa & lubrica est. Non esse exhauriendum fontem redituum. Si nunc omnia in donationes erogentur, unde in posterum remunerandos viros bene meritos? Non præsentia solum, sed & futura tempora cogitanda; singulos mortales esse, Regnum immortale. Plebem sanguinem suum effudisse Regno à Danorum tyrannide liberando, simul adquirendis tam egregiis Provinciis; qui male impensus sit, si iste nunc inservire debeat ad libertatem istius opprimendam. Antiquis temporibus benemeritos pecuniam, aut fundos feudi jure petiisse. Principibus hæreditariis exorituris haut adparere, unde ditiones & Principatus dari queant, omnibus jam distractis; & iniquum esse, ut soli Regii liberi fundis careant. Hoc modo Regem rusticis immediate imperare, aut tributa imponere non posse, nisi cum consensu Nobilium quibus subsint, non parum Regii Imperii imminuta vi; insuper certis fundorum reditibus Regem plane excludi, incertorum dimidia duntaxat parte per privilegia Nobilium potiri. Insigniter quoque debilitari militiam, cum viginti Nobilium rustici decem rusticis liberis aut Regiis circa erogationes publicas ac delectus respondeant: Accedere infinita prætoria, quorum famulitium à militia sit immune. Ita è delectibus vix tertiam nunc peditum partem confici. Singulos liberos rusticos, si Regi subsint, singulos equites posse alere: nunc à No-

Levitic. XXV. 15. *Ezechiel* XLVI. 17.

1650. à Nobilibus pro tricenis, aut quadragenis fundis unum equitem præſtari, qui raro extra limites Regni in hoſtem rem gerat. Eccleſiarum quoque & Scholarum reditus imminui, prætoriis recens excitatis decimarum immunitatem ſibi arrogantibus. Oppidorum commerciis non parum decedere, quod ruſtici, ſi venale quid ſit, heris ſuis primum offerre cogantur. Regi haut integrum eſſe ruri degere prædiis ſublatis; ac poſt alienatos reditus precario vivendum. Ruſticos à Nobilibus duriter haberi, ac vix ullum adverſus eorum injuriam remedium, cum paucis vacet ad Curiam Aulicam querelas deferre; ac in judicio victoribus executionem deeſſe. Falsò jactari, terram melius nunc ſub Nobilibus excoli, quam unquam antea. Nam quondam cum fundi ruſticorum proprii eſſent, Sueciam virorum numero, & terrarum cultu prævaluiſſe. Aut ſi quæ cultura ab iſtis adhibita ſit, in privatum eorundem commodum vergere, Regi ac aliis Ordinibus detrimento cedere; quod prætoris inſtituendis multi ruſtici fundis ſuis ejecti, multa arva ædificiis, aut equorum paſcuis ac pratis inſumta ſint; uni prætorio denos vicenosque fundos addici, qui ab aliis ruſticis excolendi ſint, poſthabito proprio opere, cum tamen prætoria iſta in ærarium nihil contribuant. Hiſce igitur ut remedium adferatur petebant, ac inprimis, ne fundi publici in perpetuum venditionibus, aut donationibus alienentur, ſed ſi qui de patria egregie meriti ſint, non niſi feudi lege concedantur; tum ut cuilibet muneri certa penſio è fundorum reditibus aſſignetur; ac ſi neceſſitas jubeat, bona publica indigenis pignori duntaxat opponantur, mollioribus reip. temporibus reluenda.

Equeſtris Ordinis reſponſum.

§. 39. Iſthæc trium Ordinum poſtulata Equeſtrem Ordinem haut leviter commovebant, quippe queis opes ſuas labefactari ſatis adparebat. Haut tamen viſum adductas rationes preſſè ac ſigillatim diluere, ſed iſtis diſſimulatis Nobiles reſponſo ſuo in univerſum teſtabantur; fundamenta ſalutis ac tranquillitatis publicæ, quæ concordia Ordinum continentur, hac via convelli, turbisque inteſtinis ſemina ſpargi. Si quid querelarum movere placuerat, privatim prius ſecum fuiſſe communicandum. Nunc præter morem gravem ſibi accuſationem publice impactam. Autoritatem Regiam violari, quod tres Ordines antequam ad Reginæ propoſitionem reſponderint, nova negotia promant; quos audiri indignum ſit, ac ni coërceantur, ad inſultandam poteſtatem Regiam prorupturos. Sane manifeſtam hanc adverſus Equeſtrem Ordinem conſpirationem eſſe, cujus incrementa legitime quæſita ægris oculis illi adſpiciant. Privilegia ſua ab antiquiſſimis temporibus ſibi poſſeſſa, quæ à Guſtavo Adolfo Rege in hunc, qui nunc eſt, ordinem ſint digeſta. Illa per Reginam adverſus aliorum Ordinum invidiam defenſum iri certam ſibi ſpem eſſe; eademque officiis patriæ præſtitis meritos ſe judicare, quæ nec reliquorum Ordinum libertatem prægravent. Hautquidquam ſibi in animo eſſe Regia jura imminuere, ſed bona ſua tueri. Si quid ab uno aut altero in agreſtes durius conſultum ſit, id non univerſo Ordini imputandum: & tribunalia æque pauperibus, quam divitibus patere. Cæterum apud Reginam Senatus inſtabat, autoritate ſua tres Ordines permoveret, ut poſtulatis iſtis deſiſtant ſeditioni fomitem præbituris, & queis ipſâ poteſtas Regia in Ordinem redigatur. Et quia in hoc negotio Sacerdotes primas partes agebant, quibus facilem aurem præbebat Regina, Cancellarius monebat; Haut recte eam ſibi conſulere, dum diverſam à progenitoribus ſuis viam inſiſtat, qui autoritati Regiæ ſtabiliendæ judicaverint, nimiam Eccleſiaſticorum potentiam Romanos inter ritus quæſitam accidere, & ambitioſum quondam atque inſolentem Ordinem juſto limite coërcere. Sed nec è re Principum eſſe, ut plebs ſentiat, ſe grande in republica momentum facere. 1650.

§. 40. Suſpicabantur multi iſthæc trium Ordinum petita Reginæ haut ingrata accidiſſe; quod hac ratione obnoxios ſibi poſſet habere proceres, ac Equeſtrem Ordinem, quibus ferebatur propoſitum fuiſſe, hiſce Comitiis ipſius autoritatem certis limitibus circumſcribere. Cæterum ipſâ difficile ſibi judicabat ita repente lua beneficia retractare; nec rebus ſuis ſatis tutum univerſos proceres, recentibus plerolque meritis conſpicuos offendere. Unde autoritate juxta & humanitate trium Ordinum ardorem moderari; & cum hi omnia in ſtatum, qui ſub Guſtavo I. fuerat, revocanda contenderent, oſtendere; ab eo tempore Regnum egregiis incrementis auctum, nec quæ tunc præclara habebantur, ad præſentis ſeculi rationes quadrare. Quin & cum Ruſtici offerrent, ſe de ſuo ſortem, pro qua oppignerati ſint, reluituros, quo poteſtati Nobilium ſubducti ad veterem conditionem redeant: Regina demonſtrabat; haut eo ſecius eidem ipſos periculo deinceps obnoxios fore, ut à Corona alienentur, nec alia remedia defore, quibus adverſus Nobilium injurias protegantur. Denique poſtquam cum ſingulis aliquamdiu egiſſet, demum univerſos Ordines convocat, ac ut ejuſmodi rebus concordiæ parum idoneis ſupersedeant imperat. Et ita quidem ea controverſia Reginæ dexteritate tunc dilata magis, quam compoſita fuit. Poſt Coronationem Proceres, & Equeſtris Ordo per Cancellarium Reginæ ſuadebant, ut exemplum in eos ſtatueret, qui in hoc negotio ita audacter ſe jactaſſent, velut leges ipſi præſcripturi. Sed cum is Reginam ab hac aſperitate abhorrere animadverteret, ad moderatiora devolutus eidem ingerebat, ut graviter increpitos doceret, Conventum Ordinum haut eo ſine inſtitutum, ut Regibus inſolenter præſcribere poſſint, qua ratione bonis ſuis uti debeant. Ac intereſſe Regum, ut populus intelligat, ſe non minus illis ſubjectum, ſi congregatus, quam ſi ſparſus ſit. Sed Regina cujus autoritas inter diſſidium Ordinum valde confirmata fuerat, ſatishabebat, donationes Nobilibus conſervaſſe; reliquis Ordinibus gratias agebat pro ſtudio in ipſam, & rempublicam oſtenſo; eoſque ita laudabat, ut in proclivi foret, eoſdem ad inſtaurandam hanc querelam iterum permovere, ſi forte aliquando è re videretur, Senatum ac Primores Nobilium in ordinem redigere. Regina diſſidium illud ſopit.

§. 41. Nondum ea diſceptatio ſopita erat, cum Regina altioris indaginis negotium Ordinibus proponit. Cujus ingreſſu memorabat, quanto opere ſibi curæ fuerit Regni incrementa ac ſecuritatem procurare; quo fine egregias provincias adjunxerit, vicinos pace illigaverit, oppida limitanea munimentis firmarit. Eſſe præclaros duces, eſſe militem exercitatiſſimum, qualem Suecia antea nunquam conſpexerit. Domi pacem, ſacra, juſtitiam probe conſtitutam. Enimvero unum adhuc deſiderari, firmæ tranquillitati patriæ, idque longe maximi momenti; quod Regia Domus uni tantum animæ imitatur. Etſi enim anno præterito id remedium optimum ſit viſum, ut Ca- De Carolo Guſtavo in Principem hæreditarium aſſumendo proponitur. 25. Sept.

1650. rolus Guſtavus, ſi quid ſibi humanitus accidat, in Regno ſuccedat; metuendum tamen eſſe, cum & ipſe humanis caſibus obnoxius agat, ne ea ſucceſſio inſufficiens ſit, ni ulterius extendatur. Nam ut utroque mortuo Suecia in reipublicæ formam abeat, id neque nationem Suecicam ſemper Regibus ſuetam, nec indolem Regni à prima origine hac forma uti ferre poſſe. Quod ſi eadem ad conditionem Regni Electitii revolvatur, conſtare Ordinibus, quid diſſidiorum, & turbarum tum alibi, tum in Suecia iſtam Regni faciem comitatum ſit, ac quid malorum in cives inde redundarit. Contra cum pleraque orbis terrarum Regna jure hæreditario & ſucceſſione ſint conſtituta, ac Ordines Sueciæ in familia Guſtaviana idem jus tutiſſimum judicarint, ſibique cumprimis profi-cuum compererint; ſibi ad ſalutem, & ſecuritatem Regni optimum videri, ut hoc perpetuum maneat. Eoque cenſere, ut Carolus Guſtavus non ſolum pro ſe ſucceſſor ipſi conſtituatur, uti jam factum, ſed & liberi ejuſdem maſculi Principes hæreditarii adſciſcantur. Eſſe ipſum indigenam, per matrem è familia Regia deſcendere, ſacris Evangelicis addictum, linguæ, legibus, moribusque Suecicis à puero aſſuetum: ob egregias virtutes, prudentiam & fortitudinem, bello ac inter pacis tractatus expromtam, à civibus juxta & exteris æſtimari, ſceptroque dignum haberi. Unde dubium ſibi non eſſe, quin Ordines id honoris eidem ſint delaturi, prout ejus artes, ac in patriam merita, hujusque ſalus & ſecuritas requirant. Quam rem ut probe expendant, & quamprimum ſententiam ſuam exponant, petebat.

Circa eum conſiderationes.

§. 42. De iſthoc negotio cum Regina ad Senatum referret, hic palam teſtabatur, id ſibi utique probari; haut tamen ut de eodem proponeretur, ſuadere potuiſſe, quod id conſilium ancipitem eventum habere queat; cujus rationes quantumvis graves poſteritati vix adprobaturi ſint, ni potior omni ratione Reginæ autoritas præceſſiſſet, ſola inuſitato, & parum à miraculo abeunti facinori tuendo ſufficiens. Credebatur tamen id jus hæreditarium plerisque Procerum parum ad palatum eſſe, qui ſceptrum ſibi, ſuorumve alicui præoptarint, ſimul potentiæ, opibusque ſuis hac Regni forma parum cautum verebantur, accepto Rege, qui fortunam ſuam ipſis non deberet. Plerique tamen teſtabantur ſe magis pro Regina ſolicitos eſſe, velut quæ nimis extollendo Principem ſe ipſam periculo exponat; ac minus anceps fore, ſi connubio iſtum adſciſcat, quam citra hoc in proximo ſibi faſtigio collocet. Quibus Regina reponebat; hoc in negotio non ſui ſe rationem habere, ſed unice ſalutem civium reſpicere, quam non diutius in ancipiti relinquere debeat, poſtquam de ineundo matrimonio nondum in animum inducere queat. Cæterum in univerſum hanc Reginæ propoſitionem ejus indolis judicabant, ut iſtius ſolius interſit eandem rejici, ſi ab omnibus profecta foret; ac nemini non arduum videbatur, circa eandem quid ſtatuere. Multi cenſebant, cum is ante annum ſucceſſor Reginæ deſignatus ſit, par fuiſſe, ut eam deſignationem prius acceptaret, quam ad novum jus in eundem conferendum procederetur. Inprimis Equeſter Ordo ita negotium temperare cupiebat, ut jus hæreditarium non niſi hac conditione ipſi concederetur, ſi nulla Reginæ proles exiſteret, ne duæ ſtirpes Principum hæreditariorum exſurgerent, ſi forte Regina alteri, quam Carolo Guſtavo nuberet. Sed cum tres Ordines voluntatem Reginæ ſecuti velut aleam jacerent, Equeſter Ordo quoque omiſſa hæſitatione propoſita probabat, poſtquam extremas preces incaſſum conſumſerat, ut Regina matrimonium potius iniret, quam rem tam inuſitatam ſuſciperet. Ita univerſi Ordines Reginæ reſpondent; conſentire ſe, ut Carolus Guſtavus Palatinus Princeps Sueciæ hæreditarius una cum ſtirpe ipſius maſcula declaretur, ſi Regina abſque prole decedat, ut tamen ſuſcepta nova hac dignitate eadem, quæ Reges ſuſcepta Corona, promittat de conſervandis Ordinum juribus, ac privilegiis, ſimul Evangelicorum ſacrorum puritate. Obſervatum fuit, lætam & exporrectam totius conventus extitiſſe frontem, nec in ullius vultu notas adparuiſſe, velut invitus ad hanc declarationem deſcenderet. 1650.

Cautio Caroli Guſtavi diſcutitur.

§. 43. Inter hæc Regina ad Senatum retulerat ſuper formula cautionis, ad quam Carolus Guſtavus Reginæ, atque Ordinibus ſeſe adſtricturus erat; quam ab ipſo velut perſpectæ prudentiæ Principe ſervatum iri ſpem ſibi eſſe Senatus teſtabatur. Ac ipſa Regina ferebat: ſi ſciret, ipſum ſe defuncta id non facturum, optare, ut is quamprimum è medio remotus ſit. Ejus leges dum diſcutiuntur, Regina inter alia cupiebat, ut Princeps diſertis verbis ad ineundum matrimonium ſe obſtringeret, ne velut expectativam connubii cum ipſa retinere videretur. Dubitatum quoque, num Principis liberis permittendum ſit prædia emere, ne forte nimias ſibi opes congerant. Regina tamen cenſebat; id illis interdicendum non eſſe, ut tamen ea bona non alio, quam Nobilium jure poſſiderent. Id quoque permittendum cenſebatur, ut aliis Principibus operam ſuam addicerent, modo id prælcia & conſentiente Regina fieret. Quæſitum, num hæreditarii Principes in Domo Equeſtri locum, & ſuffragium habere debeant? Alii hoc eorum faſtigio inferius ducebant. Sed Regina judicabat; magnam eam eſſe prærogativam; enimvero dubium eſſe, num ex uſu Regis ſit futurum id ipſis permittere. Si enim exſurgat quiſpiam turbido, ac ambitioſo ingenio, quales quondam in Gallia Guiſii erant, eo adminiculo factionem ſibi comparare, ac Regem in periculum conjicere poſſe. Etſi ipſa ſuis temporibus haut metuat; ſed in futurum præcavendum eſſe. Igitur conſultiſſimum fore omne ſuffragii jus ipſis adimi, adeoque rerum novandarum anſam præſcindi; eoſdemque quietos expectare, quoad ad Sceptrum vocentur; etſi quo minus operam ſuam Regibus accommodent nihil prohibeat. Accedere, quod ſi Domum Equeſtrem ingrediantur, feuda ſint poſtulaturi, eaque via fortaſſe ad parandos principatus graſſaturi. Regem quoque Guſtavum Adolfum cenſuiſſe, ſi pluribus filiis potiatur, primogenitum ſolio deſtinandum, cæteros circa poſſeſſionem bonorum non niſi Nobilium conditione fruituros, etſi honoris titulo præcellentes. Quærebatur quoque, num in Senatum eſſent adſciſcendi? Regina cenſebat, penes Regem eſſe, utrum eos in Senatum admittere velit, an minus. Joannem ac Carolum Philippum Duces in Senatum haut receptos; quod ſi tamen ardui quid agitatum fuerit, cum ipſis velut præcipuis Regni membris fuiſſe communicatum. Nec congruere in conditionibus de hac re mentionem fieri, quod dignatio Principis hæreditarii major ſit, quam Senatoris. Sane nec Regem Daniæ, nec Saxoniæ Electorem filios ſuos in conſilium adhibuiſſe. Unde placebat de Senatu, ipſorumque loco mentionem non fieri. Quod ſi tamen

1650. men Regi videatur eos in Senatum admittere, dubium non erat, quin primus locus ipsis esset deferendus. Sed & illud movebatur, num Regi circa negotia reip. quidquam facere liceat absque consilio Principis hæreditarii? Qua de re inter Joannem Regem, & Carolum Sudermanniæ Ducem quondam controversum est, quamdiu hic intra Ducis dignationem subsistebat. Sane Carolum, sicubi consilio exclusus fuerit, ægre id tulisse, ac sæpe talia retractasse. Regina ferebat; si Carolus Gustavus quam cœpisset viam insisteret, libenter se cum ipso negotia communicaturam: dubitare tamen, num ad hoc obstringi velit, sicuti Senatui obstringitur. Se radicem duntaxat quæsiviisse, è qua se defuncta novus Rex exsurgere possit. Sed cum id fiat precario, sibi fas esse huic præscribere, quod ère sua, patriæque & Ducis videatur. Id unice à se spectari, ut Regno bene sit. Quæ nunc constituantur, in vim legis fundamentalis evalitura, è qua posteri de sua providentia sint judicaturi. Equidem Gustavum Adolfum suo juramento cavisse; se Regnum administraturum cum consilio Principum hæreditariorum, & Senatus. Sed uti illud novum, & recens introductum; ita nil prohibere, quo minus id nunc expungatur: nec Carolum Gustavum id ægre laturum; præsertim cum Gustavi Adolfi frater alio jure niteretur. Nam nunc è placito Reginæ, & Ordinum ad hoc fastigium adscito leges ferri posse, prout ex usu Regni videatur. Sed nec congruere, ut suffragio in conventu Ordinum gaudeat, cum ingens secretum Domus Regiæ sit, Principes in Domum Equestrem, aut ad suffragium non admitti; nec Principatum aut insigne feudum in Suecia obtinere, (quæ sola conditio, cum cæteræ arriderent, Carolo Gustavo paulo durior videbatur.) Id enim sine dubio ad tranquillitatem & firmitatem Regni facere, ut omnia
13. Oct. sub uno capite sint unita. Sane & tres Ordines, Sacerdotum, Civium & Rusticorum à Regina magnopere contendebant, ut Carolo Gustavo Principatus daretur, quod Regis Gustavi I. testamento diserte de hoc caveatur, & Principi de idonea sustentatione utique prospiciendum sit; scilicet quod metuerent, ne novo tributo ad alimenta Principis onerarentur. Enimvero reponebat Regina: ipsos quid peterent, non intelligere. Si Principatum acciperet, suffragio quoque oppidis simul, subditis ac ditione posituram. Unde periculosam Regno divisionem orituram. Ac satius esse, fundos Coronæ inter Nobiles minutatim dispergi, quam insignem eorum portionem in unum confetri. Sed & se ultro hanc dignitatem Duci deferre, eoque istam legibus circumscribi posse, prout è re patriæ videatur. Et quanquam Ordines objicerent, illum è Gustaviana stirpe per matrem descendere; haut ideo tamen jus aliquod ipsi ad Regnum competere, etsi par sit, ut præsenti casu ipsius ratio habeatur. Ita placebat caveri, ne ante aut post mortem Reginæ Princeps hæreditarius Principatum ambiret, aut adquireret; utque idem jus apud sequentes Reges esset. Et cum tanti momenti negotium id sit, diserte verbis exprimendum, quod alias patres fere ob naturalem in liberos affectum ad ejusmodi largitiones propendeant. Postulabant quoque Ordines, ne Dux pro prædiis suis munia Equestria præstaret. Quibus Regina reponebat; id utique Regno utile esse, ut diserte inter conditiones referatur, non tam propter Carolum Gustavum, à cujus prudentia, ac modestia nullum periculum sit, quam propter alios turbulento forte ingenio, 1650.
queis fræna non laxari inter præcipua Domus Regiæ firmamenta sit. Id Senatus contendebat, ut à Principe ministris Reginæ caveatur, munia ac donationes ipsis salvas fore. Sed id pertracto abnuebant tres Ordines, minati, se potius re infecta domum abituros, quam in hanc conditionem consensuros. Princeps tamen ipse post expresse declaraverat; se Reginæ diplomata haut retractaturum, nec quæ ipsa fidis suis ministris dederit revocaturum. Nec Regno inutile esse Nobilitatis opes gliscere; cui haut modici sumtus faciendi sint, ut idoneos se muneribus reipublicæ reddant, eademque exerceant. Ac confidere, cum Ordinem, si repolcat, pro patria nullis sumtibus parciturum; quicum & alias Sacerdotum ac Civium ordo haut quidquam paria faciat. Addere nonnulli volebant, ut Princeps quoque teneatur iis, *quæ deinceps conventura fuerint.* Sed dispungebat ista verba Regina, quod in præsens omnes conditiones adaptandæ forent. Nec plus à Principe, quam aliis Regibus postulari posse; qui omnia impleverunt, si cuique Ordini sua jura ac privilegia conserverent. Differebatur inde super loco, quem Princeps in consessibus publicis obtinere debebat. Nam priores quidem Principes hæreditarii in magna Regni Aula ad utrumque Regis latus sellis paulo humilioribus consedere fuerant. Huic vero censebat Regina locum quinque summis Regni Officialibus oppositum capiendum. Quanquam Carolus Gustavus nunquam eo loco usus sit, ut qui nunquam in Magna ista Aula in Conventu Ordinum deinceps comparuit. Cum tamen huic conventui Ordinum finis imponeretur, Princeps Reginæ à dextris assidebat, eadem quidem linea, sed plane extra thronum, qui duobus gradibus sedilior erat. Monebant quoque aliqui, saltem titulum Principatus cujuspiam ipsi tribuendum, licet eum revera non possideat, uti in Gallia & Anglia fieri suevit. Sed Regina judicabat, sat magnificum titulum esse *Principis Suecia* vocabulum, qui & *Altitudinis Regia* nomine salutandus deinceps foret. Assumta eidem post insignia Regni Suecia, quorum medio Domus Palatinæ insignia inserebantur, in ora circumscriptis hisce verbis: *Carolus Dei gratia Regni Suecia Princeps electus.* Denique in easdem leges deinceps primogenitum Regis filium quoque obstringendum Regina censebat.

§. 44. Dum ista Senatum Ordinesque occupata tenent Carolus Gustavus demum Holmiæ adpulit, diu non sine desiderio à Regina expectatus; e cujus re longa Comitiorum mora haut videbatur, ne forte Ordines post compositas inter se disceptationes negotiis Regni arbitrandis penitius se ingererent. Præter destinatum moles negotiorum in Germania ipsum detinuerat. Etsi alii ultro moras nexuisse suspicabantur, quoad super conditione sua transactum foret, ac ut Ordinum inter se litigia declinaret, cujus favorem Nobiles sibi præceperant adversus cæterorum Ordinum postulata. Adventantem comitabantur Fridericus Hassiæ Landgravius, Wittenbergius, Kœnigsmarckius, Hammersteinius, Parkulius summorum graduum duces. Ingressus in urbem eadem pompa, signisque lætitiæ celebrabatur, queis Reges à magna expeditione reverti coli solent. Biduo interposito à Senatu Deputati ipsum adeunt, verba faciente Cancellario, qui exponerent, quid in ipsius favorem decretum sit. Quæ super designatione ejusdem in successorem Reginæ superiore anno

Carolus Gustavus Holmiam adpellit. 28. Sept.

1650. re anno decreta erant, per literas quidem denuntiata ipſi erant; ſuper quibus nunquam publice declarationem ediderat. Et credebant multi ideo eum tem in ſuſpenſo reliquiſſe, ut omnem ſpem in matrimonio Reginæ defigere videretur. Alii cenſuerant, expectandum, quoad is prius Ordinum decretum acceptaret, antequam ſuper jure hæreditario ipſi proponeretur; quod non conſtet, an quæ offerantur ab ipſo probanda ſint. Cæterum tunc ſuper magnitudine dignitatis, ſuaque modeſtia, quæ decorum erat præfatus, exhibitum à Regina, atque Ordinibus beneficium verbis ſummam animi venerationem teſtantibus acceptabat, ſimul in leges, quæ proponebantur, haut difficulter conſentiebat, inque eas ſolenni ſcripto ſe obſtringebat.

Caroli Guſtavi cautio 20. Oct.

§. 45. Ejus cautionis hæc erant capita: Poſt præmiſſam gratiarum actionem, Reginam pro legitima ſua Domina agnoſcebat, cujus Regiam poteſtatem, ac jus ſit firmaturus, exhibita quoque fide & virtute; ſimul ſubmiſſione & obſequio in omnibus, quæ Deo & hominibus probari poſſint, ſic ut Reginæ imperare, ſibi juſſa capeſſere fas ſit, quamdiu utrique vita ſuperſit. Circa regimen Reginæ, & quæ inde dependent, uti Regina promiſerat, ſe ipſi invito nihil negotii publici immiſcturum; ita ipſum quoque Regina viva & imperante nil, ex quo ſalus publica dependeat, uti ſunt, bellum, inducia, fœdera, ac ſimilis momenti negotia ſuſcepturum, ac peracturum, niſi ex mandato Reginæ, & de conſilio Senatus. Cum etiam Reginæ ac Senatui viſum fuerit, ne Regnum deinceps ullo modo dividatur, ſed unum corpus ſub uno Rege maneat: ſe ſuamque progeniem nunquam Principatum jure hæreditario affectaturum; ſed cum Regina Ordinesque ipſi idoneam & perpetuam ſuſtentationem, ſimul futuræ Conjugi ac liberis dotalitium, alimenta ac dotem pro dignitate ac Regni commodo promiſerint; ita ſe diſpoſitione illa, quam Regina de Senatus conſilio factura ſit, contentum fore. Si ipſi, ejusque ſoboli prædia quædam obveniant, ſe illa non niſi ſub Nobilium jure ac libertate tantiſper poſſeſſurum, eademque cum reliquis Nobilibus eo nomine munia præſtiturum; reſervata tamen ſibi in familiam ſuam jurisdictione, quam priores Principes hæreditarii obtinuerunt. Si ante Reginæ mortem aliqua ditio eidem extra Regnum offeratur, haut alia lege ſe eandem ſuſcepturum, quam ut ſemper ſibi in Suecia habitare integrum ſit. Si matrimonium contrahere placuerit, ſuper eo ſe cum Regina ac Senatu communicaturum, nec matrimonium initurum, quod Reginæ aut Regno fraudi ſit: nec uxorem adiciturum, quæ alteri religioni, quam Auguſtanæ Confeſſioni addicta ſit, nec aliis ſacris progeniem ſuam imbuturum. Si aliquando ad Regnum pervenerit, id ſe non alia ratione geſturum, quam cum conſilio Senatus, & juxta leges ſcriptas, ac ſtatuta Sueciæ. Quo caſu omnes & ſingulos Ordines ac ſubditos in doctrina verbi divini, ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis contenta, & invariata Auguſta Confeſſione, ſimul Upſalienſi Concilio declarata ſervaturum. Nec minus iisdem univerſis & ſingulis jus & judicia, tum bene parta privilegia, libertates, & jura ſarta tecta præſtiturum, nec pauperem aut divitem ultro in corpore, membris, honore, juribus, ac rite parto dominio læſurum, aut ut ab aliis lædatur conceſſurum, niſi è judiciali ſententia; Se Reginam Matrem Mariam Eleonoram ſemper debito honore & dilectione proſecuturum, ſimul à Regina conceſſa beneficia, & conditiones tuiturum. Denique ad quæ ex Guſtavi Regis teſtamento, & unione hæreditaria ad ſalutem Regni alii Principes hæreditarii tenebantur, (niſi quantum nunc immutatum ſit,) ſimul ad quæ priores Sueciæ Reges ex juramento ſuo facienda aut omittenda obligati fuerint, ea omnia ſe bona fide impleturum. Ad eaſdem leges ſervandas ſuam quoque prolem legitimam adtrictum iri. 1650.

Caroli Guſtavi jus hæreditarium decreto Ordinum ſancitur. 4. Nov.

§. 46. Eædem porro conditiones decreto Ordinum ſancitæ leguntur, quo & jus Regni hæreditarium in Carolum Guſtavum, ejusque prolem maſculam legitimam confertur, ac firmatur. Scilicet grato animo agnoſcebant felix Reginæ ſceptrum, nec melius, clementius, ac tutius regimen optare poſſe; ac orare Deum ut diu ſoſpitem ipſam ſervet; additis precibus ut ipſi diutius Regnum adminiſtrare placeat. Optaſſe ut ex ejusdem connubio Regni hæredes naſcerentur. Sed cum ſancte aſſeveravit, ſtare ſibi ſententiam matrimonio haut illigari, non idoneum magis remedium diſpicere potuiſſe ſtabiliendæ inpoſterum Regni tranquillitati, quam ut jus Regni hæreditarium in Carolum Guſtavum, ejusque prolem maſculam conferatur. Quia tamen ad hoc nullo ex debito teneantur, ſed Reginæ id intercedioni, ſimul ipſius Ducis virtutibus, ac præcipue ſaluti patriæ dederint; ideo ſe conſenſiſſe iis conditionibus, quæ cautione Ducis exprimuntur. Eoque dictis conditionibus Carolum Guſtavum, ejusque maſculam ac legitimam progeniem, quamdiu quis ex ea ſupereſt, declarare Principes hæreditarios Sueciæ, ut ſi Regina fato functa ſit, aut Regnum exuerit, eo ordine, qui in Unione hæreditaria familiæ Guſtavianæ anno 1544. & 1604. expreſſus eſt, ſucceſſione lineali ad maſculos reſtricta ſceptro ſubeant. Idque jus adverſus omnes intra & extra Regnum defenſuros ſe recipiebant. Cæterum cum quæſtio moveretur, an Carolus Guſtavus decretum Comitiale ſubſcribere deberet, id haut congruere videbatur, quod hoc ipſo Princeps hæreditarius declararetur. Unde non niſi illa decreta quæ deinceps condenda ſint, ab ipſo ſubſcribi par eſſe. Etſi iſte nullum decretum ſubſcripſiſſe inveniatur, quippe qui ad Comitia venire abſtinuerit, ne quam Reginæ ſuſpicionem affectati regiminis præberet. Poſtea quoque ſolenni juramento, quod coronationis actu Regina præſtabat, inſerebatur; quod Ducis Caroli Guſtavi jus hæreditarium; in eundem ab Ipſa, & Ordinibus Regni nunc collatum, conſervare velit. Sicuti & Senatus, Ordinesque in eventum mortis, aut abdicationis Reginæ eidem fidem ſuam obſtringebant. Ipſe Princeps viciſſim, qui poſt peractum coronationis ritum in pegmate, quo Regina ad recipiendum à Senatu juramentum, confederat, huic ad ſiniſtram adſtabat, in genua ſubmiſſus ante Senatum Reginæ fidem, & obſequium jurabat, & alia quæ cautione Reginæ tradita latius expreſſa ſunt.

Reginæ Coronatio.

§. 47. Eundem quoque conventum nobilitabat Coronatio Reginæ, quæ tanto cum ſplendore, ac magnificentia peragebatur, qualem antehac Suecia non conſpexerat; in qua omnium Ordinum eo ſolidior erat lætitia, quod ea non ambigui regiminis auſpicium, ſed florentiſſimæ adminiſtrationis ſpecimen, bellorumque tanta cum gloria confectorum triumphum referret. Ex vetuſto more eadem Upſaliæ fuerat peragenda, ubi & paratus jam fieri cœperat; ſed cum oppidum id tantæ pompæ capax non videretur, placuit eum

1650. eum ritum Holmiæ celebrari. Etſi nonnulli eam urbem coronationi Regum parum auſpicatam credant, quod obſervatum ſit, Reges, qui Holmiæ Coronam ſumſerint, eam ad finem vitæ haut retinuiſſe. Contulerat ſeſe Regina Jacobſdaliam,
11. Oct. Jacobi Gardii prætorium, unde pridie coronationem ſolenni pompa in urbem deducebatur: Reginam Matrem placebat in arce remanere, ac Filiam ibi excipere. Luſitanicus, ac Brandeburgicus Legatus in Gallici curru ſedem capiebant, qui Reginæ jam viam ingreſſæ medio fere ſpatio occurrebant, & poſt brevem ſalutationem ante Caroli Guſtavi, & poſt fratris Adolphi Johannis rhedam medii incedebant. Nobiles è ſubjectis Sueciæ Provinciis locum ſortiebantur pro tempore, quo ſub Sueciæ ditionem venerant. Ita honoratiore loco Eſtones, hinc Livoni & OEſälienſes, demum Bremenſes, Pomerani & Rugii diſpoſiti.
12. Oct. Cæterum quo loco Legati exteri in ipſâ Coronationis pompa incederent, diſquirebatur. Nam id nullo modo quadrabat, ut medii inter Reginam & Senatum incederent, primariis Officialibus inſignia Regia prægeſtantibus, & quia iſto actu corpus à ſuo capite ſejungi non poterat. Ut autem iidem Reginam ſequerentur proximo poſt Reginam Matrem loco, ipſi adſpernabantur, quod præter gynæceum neminem poſt ſe habituri eſſent. Igitur cum iſta proceſſio ad actum Coronationis pertineret, in qua exterorum nullæ niſi ſpectatorum partes erant, præſertim cum exteri Reges ac Principes ad hunc actum à Regina ſolenniter haut eſſent invitati; commodiſſimum viſum illos pompa plane abſtinere, ac poſtquam eam è domo aliqua tranſeuntem ſpectaſſent, recta in templum ſe conferre, ubi idonea ſedes ipſis parata erat. Sed & inter Senatores, ac Supremorum graduum duces controverſia ſurgebat, quod Kœnigsmarckius ferre non poſſet, ut à recens in Senatum adſcitis præcederetur. Proponebatur, ut iſti duces in primariorum Senatorum rhedis aſſiderent; ſed & id parum ad palatum erat. Unde indignantes curribus ſuis non relinqui locum in Suecia, pro qua tot præliis hoſtem profligaſſent, omiſſis iſtis ſeparata turma prope Reginam equis vehebantur. Ipſam pompam, actumque Coronationis, atque convivia, tum haſtiludiorum, ignium artificialium, venationumque ſpectacula, quibus ſequentes dies celebrabantur, preſſe memorare, extra genium hiſtoriæ noſtræ fuerit.

Gallica. §. 48. Cum Gallia quanquam fœdus finito bello Germanico expiraverat; manebat tamen mutua obligatio ad præſtandas pacis Weſtphalicæ leges. Et quia tanti momenti fuerat eorum Regnorum connunctio, utrinque placebat, eam novo fœdere denuo adſtringi. de quo & ſemel iterumque Chanutus apud Reginam movebat. Simul ſcripſerat Rex, ſe cupidum eſſe fœderis cum Regina continuandi, quod vix aliter interverti rumpive poſſint conſilia, & machinationes occultorum inimicorum, quam unione iſta vinculo inſolubili ac perpetuo firmanda. Ad ipſam tamen novi fœderis formulam concipiendam ſegnius procedebatur, quod neque Reginæ rebus iſtud adeo neceſſarium tunc videretur; & Galli, ſi valde cupidos ſe ejus oſtenderent, vererentur, ne Regina annuum ſubſidium pecuniarium ſtipulari vellet; cum eo tempore illis res nummaria valde in anguſto foret. Quæ & præcipua cauſa videtur, quare Galli demum ultro ambire deſiſterent legionem pedeſtrem mille ducentorum capitum, meris Suecis conſtantem, quam antea Rex Galliæ ſibi transmitti petierat. Eam ad tem Regina ac Senatus proclivis erat, ac jam præfecti deſtinabantur, qui ſelectiſſimos ex univerſo Suecico peditatu in unam legionem componerent. Sed cum Regina ſuper ejuſdem ſtipendiis, ac ſuſtentatione certa conventione caveri vellet, & ne dum in Galliam trajiciunt, ab Hiſpanis in mari intercipe- 1650.
rentur; Gallis ſatius videbatur eo negotio deſiſtere, ac Reginæ ſtudio abſque effectu frui. Ejus tamen in locum quatuor millia equitum ex illis, qui in Germania exautorabantur, ſibi ſubmitti petebant. Regina cum nec ſuis ſub ſignis auxilia Gallis ferre, ne bello cum Hiſpanis ſe implicaret, nec tamen Gallis, quorum res tunc ſat duræ erant, deeſſe vellet, proponebat; ut Galli exautoratos conducerent, ac ſi forte argento deficerentur, ſe Carolo Guſtavo injuncturum, ut ad centum millia uncialium ipſis eum in finem mutuo daret. Quo nomine & eidem injungebat, quantum res ferret Gallorum voluntati ſatisfacere, ſaltem ut pateret, culpam irriti negotii penes ſe haut fuiſſe. Enimvero abhorrebant a Gallica militia Germani, quod, qui hactenus ſtipendia apud Gallos fecerant, contemtim valde ab his habiti eſſent. Unde ſatis ducebat Carolus Guſtavus impedire, ne maxima pars in Hiſpanorum militiam tranſiret. Quo fine etiam Hammerſteinius ſummus vigiliarum præfectus, vir magnæ in exercitu autoritatis, annua penſione à Regina illigabatur, quem Hiſpani in ſua ſtipendia ſolicitabant. Ipſe quoque Kœnigsmarckius miſſo Bruxellas certo homine Hiſpanis obtulerat, ſe ſuis ſumtibus duodecim militum millia ipſis adducturum, ut tamen certæ terræ pignoris loco ſibi traderentur, ipſeque à nemine præterquam Archiduce Leopoldo imperia acciperet. Sed cum circa hanc conditionem Hiſpani difficultatis quid moverent, connitente Carolo Guſtavo permotus eſt iſte, ne Sueciæ ſacramentum mutaret. Etſi alias Gallis Noribergæ à Carolo Guſtavo acta parum probarentur, velut ipſorum commoda ab eodem neglectim forent habita. Qua de re ſubinde apud Reginam querebatur Chanutus, levi tamen brachio, & ut culpam ſiniſtrorum conſiliorum in Erskeinum conferret, qui Principem in transverſum egerit; ſimul ut teſtaretur, illud quidquid eſſet offentæ à Rege ſuo amicitiæ cum Regina condonari. Nec minus ſtudioſe offenſam in Principem diſſimulabant Galli ne ejus animum à ſe averterent, quem ſceptro Sueciæ deſtinari norant. Etſi Carolus Guſtavus conſiliorum ſuorum rationes Reginæ facile adprobabat; quæ anxiis ſubinde literis injunxerat, lentis tractatibus aliquando finem imponeret; quin per omnia ſacra rogarat, ipſam tandem ancipiti cura, in qua jam octodecim à pace concluſa menſes hæreat, liberaret. Tum ut circa Franckendaliam Gallis faveret, quantum poſſit, modo ne tempus nimium extrahatur, aut rupturæ anſa præbeatur: ſimul Ordines Germaniæ aliquando hoſpitiorum militarium onere levarentur, ne gratia apud ipſos parta penitus conſumeretur. Si qua reſtarent, Deo & tempori committenda, & remediis Inſtrumento Pacis præſcriptis. Sane poſtulari à Regina non poterat, ut in ſolam Gallorum gratiam tractatus prolatando parta tot per annos decora denuo aleæ exponeret; cum præſertim bello in Germania inſtaurato Gallia malis inteſtinis languens nihil conferre auxilii poſſet. Cæterum ipſum Principem Holmiam reverſum Legatus Gallicus omni verborum paratu Gallorum amicitiæ adjungere ſtudebat, cui & ſu-

1650. per honoratiore loco juſſu Regis ſui nihil controverſiæ movebat. Viciſſim & Princeps, cum ipſum Legatus ſalutatum veniret, in media area curru deſcendentem excipiebat, ac ſuperiorem in ſua domo locum concedebat, omnique modo ſtudium in Galliam teſtabatur.

Hiſpani Reginæ amicitiam affectant. 9. Febr.

§. 49. Hiſpani contra, quo Reginam Gallis averterent, deſiderium ſuum circa jungendam cum ipſâ amicitiam ambitioſe declarabant. Juſſu Comitis de Luminares Legati Viennæ Hiſpanici Immanuel Baſſatus de Roſales Salvio tunc Hamburgi agenti ſuaſerat de fœdere inter Sueciam & Hiſpaniam ineundo. De quo cum hic ad Reginam referret, res majoris momenti vitâ eſt, quam ut ſtatim certi quid ſtatui poſſet; nec adhuc tempeſtivum videbatur, aliquem eo nomine in Hiſpaniam mittere. Haut abrupte tamen id placebat repudiare; quod Hiſpanorum amicitia non parum conferre poſſet ad augenda Sueciæ commercia. Poſt & Piccolomineus Carolo Guſtavo non ſolum coram Noribergæ, ſed & per literas propoſuerat, ut Regina mediationem inter Hiſpanos ac Gallos ſuſciperet. Qua de re cum Regina Legato Gallico communicaret, hic Reginæ operam ſuo Regi gratam fore teſtabatur; Galliæ tamen rationes non ferre, ut Cæſar hoc in negotio cum ipſâ concurrat. Idem mox Regis Galliæ juſſu Reginæ pro oblata iſthac opera gratias agebat, ut tamen innueret, non tam urgente neceſſitate aliqua iſtam ſuſcipi, quam ut ipſi honorem tanti negotii deferret. Confirmabat ea res Reginam, ut Matthiam Palbitzkium in Hiſpaniam mitteret ad amicitiæ fundamenta jacienda, ac præcipue ſtabiliendis per Hiſpaniæ portus Suecorum commerciis; ſaltem ut Suecicis navibus, urgente tempeſtate, at alias ob neceſſitates in eosdem tutus acceſſus eſſet. Hoc obtentu citra ſtrepitum expiſcari licebat, num ſua mediatio Hiſpanis cordi ſit. Jubebatur is aperte per Galliam iter facere, ac Regem, Matremque Regentem adire, reque cum illis communicata ex eorum conſilio iter ſuum tardius, aut celerius peragere, ac propoſitionem reſtringere, aut extendere; ne forte Gallis ſuſpicio injiceretur. Sed & Bioernclovio injunctum apud Piccolomineum teſtari; Reginam cupere conciliandæ paci inter Hiſpanos, Gallosque operam navare, modo norit, eam utrique parti gratam fore; ſimul exploraret, num Cæſar eo in negotio ſe ipſi adjungere velit, idque dextre diſſuadere conaretur. De cujus negotii ſucceſſu in ſequentibus patebit.

Bioernclovius Viennam mittitur.

§. 50. Placuerat quoque Bioernclovium in Aulam Cæſaream mitti ut ſignificaret, Legatum à Regina mox adfore inveſtituræ de Germanicis provinciis accipiendæ, de qua petenda & Cæſar edicto nuper propoſito monuerat: ſimul ut qui deinceps tituli utrinque tribuendi, & qua lingua utendum, conveniret. Super quibus antequam tranſactum foret, difficultas movebatur, qua ratione primæ literæ ad Cæſarem forent adornandæ. Nam ſi Germanica lingua adhiberetur, ejus genius non ferebat titulos omitti. Idem fiebat, ſi Latina lingua ad præſentis ſeculi modum detorta uti vellet. Latine autem ſcribere ad antiquorum ritum, affectatum, & ſcholaſticum videri. Igitur Reginæ placuit, primas literas Gallica lingua concipere, quæ ſcrupulos titulorum adſpernatur. Et cum aliqui monerent; hoc modo nimis aperte Ipſam ſtudium in Galliam oſtentare; eoque iſtas Cæſari parum gratas fore: illa reponebat; Viennæ tanto plus honoris ſibi delatum iri, quo arctius Galliæ juncta adparuerit.

§. 51. Eodem anno tractatus inter Angliæ Regem, ac Scotiæ Ordines Bredæ inſtaurabantur, de quibus Angliæ Rex Reginæ ſignificabat, petens, ut operam circa ipſum cum dictis Ordinibus conciliandum ſumere velit. Ea de re cum Regina ad Senatum referret, quibuſdam hoc negotio abſtinendum videbatur, velut eventu valde ancipiti ob ingentem potentiam Parlamenti Anglicani, quod metu aut ſecretis artibus conatus eorum, qui Regi ſtudebant, facile oppreſſurum credebatur. Alii parum decorum id munus Reginæ judicabant, quippe quæ parem favorem adverſus Regem ac Parlamentum oſtendere haut poſſet; ac periculoſum eſſe Regis alterius ſubditis eas conditiones procurare, quas propriis concedere nolit. Pluribus tamen placebat, eam rem non inſuper habendam; & ipſa Regina cupiebat Regem ſolio ſuo reddi, ad quod niſi per Scotiam ipſi acceſſum patere haut putabat. Igitur ejus negotii cauſa Bredam ire jubetur Laurentius Canterſteinius, qui tunc Hagæ Comitis agebat; ſimul ea occaſio arripitur ad literas Parlamenti Scotici ſuperiore anno ſcriptas reſpondendi. Iis literis quæ ſuper Conventione ſua memoraverant, in medio relinquebantur; Regis cædes damnabatur; ipſi ut moderatas conditiones ferrent monebantur. Canterſteinio injunctum, ut Bredam profectus circa componendum Regem ac Scotos operam navet, ut tamen præcipue à Rege dependeat. Ac palam quidem quereretur; ab Ordinibus Scotiæ tam duras conditiones ferri, Regis faſtigium ac jus infringentes. Clam tamen Regem hortaretur, quantum liceret Scotorum ſe voluntati attemperet, quod alias parum ipſi vitium ſit Regno recuperando; ac id in præſens præcipue ipſi curandum, ut in Scotia pedem figere detur: cætera ſucceſſu temporis corrigenda. Contra Scotorum Deputatis demonſtraret, dura nimis ipſos poſtulare, & quæ adverſa fronte Regiæ autoritati repugnent, ejusque jura mutilent. Eoque molliora proponerent, Regique ſummam rerum directionem ne adimerent, poſtquam religioni ac libertati ipſorum ſatis caviſſet, præteritorum quoque venia conceſſa. Ut tamen rem preſſe nimis haut urgeret, nec fervidum pro Rege ſtudium oſtentando Scotis inviſum ſe redderet. Canterſteinius cum Bredæ apud Regem mandata Reginæ expoſuiſſet, iſte ſummo cum gaudio officium hujus acceptabat, teſtatus, nulli mortalium ſe plus obligatum, quam Reginæ, quæ ſola animi generoſitate, nullo ſuo merito, iſta faciat, ac ſola de ipſo ſolicita ſit, ab amicis & cognatis deſerto. Cum Regi operam ſuam gratam ſentiret Canterſteinius, Scotorum Delegatis Reginæ literas reddebat; qui ſingulari cum reverentia illas acceptabant, ſimul deſiderium cum Rege tranſigendi teſtabantur. Differebat apud iſtos Canterſteinius; Scotiam ſine Rege ſalvam eſſe non poſſe; antiquiſſimum id Regnum, & ex hac familia bis mille per annos Reges habuiſſe. Idem in factiones diſtrahi, quæ ad plenam ejus diviſionem evalituræ ſint, niſi uno capite contineantur. Multos, qui in Anglia, & Hibernia Regem reſpiciant, commovere ſe non audere, priusquam is pedem in Scotia poſuerit. Angliam ſumto jam reipublicæ ſchemate de Scotia in provinciæ formam redigenda agitaturam. Scoros jam ſemel atque iterum aſpere ab Anglis habitos. Tempus nunc eſſe rem agendi, antequam æſtas effluat, ac Parlamentum Anglicanum nimis ſe confirmet. Tales conditiones Regi ſuo ferrent, quibus is diu ſtringi poſſit. Idem Regi viciſſim

1650. Regina mediationem inter Regem Angliæ & Scotos ſuſcipit.

1650. viciſſim oſtendebat; ni in Scotiam accedat, nullo auxilio frui poſſe ab illis, qui per Angliam & Hiberniam ipſi faveant; quibus ſi neceſſitas afferatur Parlamento ſe ſubjiciendi, hujus potentiæ non parum incrementi acceſſurum. Demum apud Scotos non parum profecit Reginæ autoritas, ut initio menſis Maji inter Regem & iſtos tranſigeretur; Reginæque ab utriſque gratiæ actæ. Antequam Rex in Scotiam ſolveret, Balandinum Equitem in Sueciam ad Reginam mittebat, qui officio iſto defungeretur; ſimul ut tentaret, num Regina ferre poſſit ſuper ipſius cum Rege matrimonio moveri. Qua de re ut ſermonem movere poſſet, effigiem Regis attulerat. Sed Regina ita dextre ipſi inſinuabat quantopere abhorreret ejuſmodi ſermonibus aurem præbere, ut iſte facile ſuperſederet apertius rem urgendo repulſam extundere. Canterſteini negotiatio tunc ſummo ſilentio premebatur, ne ſi Anglis de eadem innoteſceret, repente Scotiam invaderent, aut in mari inſidias Regi ponerent. Eadem tamen Marchioni Montroſio exitii anſam præbuiſſe judicabatur. Nam qui partibus Regis in Scotia favebant, cum Bredæ tractatus agitari intelligerent, Montroſio in Scotiam irrumpente quieſcebant, cum hic alias iſtorum concurſu decem ſe hominum millia conſecturum ſperaſſet. Ita is cum ſexcentorum manu facile opprimebatur. Regii jactabant, non debuiſſe ab eodem Scotiam invadi, dum tractatus fervet. Sed regerebatur; debuiſſe à Rege priora mandata revocari.

Polonica. §. 52. Circa adornandos pacis tractatus inter Succos Polonoſque hoc anno parum promovebatur. Equidem in Comitiis Warſoviæ menſe Januario habitis quatuor Legati nominabantur, qui eo nomine Lubecam proficiſcerentur. Simul ad Mediatores ſcribebatur, ut diem ordiendæ negotiationi nuncuparent. Etſi quæ ad Belgas fœderatos mittebantur, parum grata eſſent, quod inſcriptio hæc verba exprimeret: *Amicis noſtris grate dilectis*; & quod poſtularent, ut Mediatores primo Lubecam ſe conferrent, & inde ad partes datis literis conventui diem deſignarent. Id quod temporis extrahendo propoſitum judicabatur. Alias ſerio à ſe expeti tractatus Poloni ferebant; quibus non parum ſuſpicionis injiciebat rumor de copiis è Germania in Livoniam deductis. Et qui nuper in Sueciam miſſus fuerat Matthias Crocovius arguebatur mandati ſui ſenſum haut recte percepiſſe. Non enim id ex Regina Sueciæ quærendum fuiſſe, utrum Veneti futuris tractatibus Mediatorum partes ſubire debeant: ſed quia jam nupero Conventu ad id munus adſumti fuiſſent, ac interea Angliæ Rex occubuiſſet, num opus ſit alios Mediatores circumſpicere, an vero in Angli locum Veneti ſubire debeant, quos Mare Balticum parum tangat, & queis ejus maris navigatio damni plus quam lucri adferat. Ad Senatum Sueciæ quoque Senatus Poloniæ literis datis moram reſponſi excuſabat ob interventum Comitiorum, Legatos ſe jam deſignaſſe Lubecam ituros, & cupere, ut quamprimum negotium conficiatur. Eæ literæ Duci Curlandiæ in Sueciam curandæ commendabantur; qui & Succici Senatus literas Polonis reddiderat. Ad iſtas Senatus Sueciæ reponebat; Reginam pariter paratam eſſe Legatos Lubecam mittere, nec æquas pacis conditiones repudiaturam. Ita ſupererat, ut Mediatores diem conventui ordiendo nuncuparent, ac partes ut eo Legatos mittant, invitarent. Et quia cæteri Mediatores in Regis Galliæ arbitrium contulerant diem congreſſui nuncupare, ab hoc viceſima Octobris deſignabatur. Mox tamen Poloni qui hactenus Conventus quamprimum habendi deſiderium oſtenderant, ejus dilationem iterum quærebant. Quo nomine Poloniæ Rex ad Chanutum Galliæ Regis Legatum in Sueciam ſcribebat, excuſans temporis præfixi anguſtias; nec ſe hiberna tempeſtate legatos mittere poſſe, qui tamen veris initio fat promte ſint adfuturi. Gratum erat Reginæ, eam moram haut à ſe profectam, quæ & gravibus negotiis hactenus diſtracta fuerat, Comitiis in hiemis uſque initium extractis, ac difficili jam maris traiectu. Ita cum Chanutus eam rem in ipſius arbitrium rejiceret, Conventus in Majum menſem anni ſequentis fuit prorogatus. Interim ut Poloniæ Rex expiſcaretur, quæ Reginæ mens ſuper pacis conditionibus foret, Georgium Fiſcherum 3. Sept. Holmiam miſerat, qui inter alia de ſecreto tractatu inter Regem & Reginam movebat, oſtenſo Regem prætenſioni in Sueciam renuntiaturum: vicißim ſupperias ſibi, ac pecuniam ſtipulaturum. Addebat, cum Regina jam Livoniam & Pomeraniam adquirat, num Regi portionem quandam terrarum dare velit, ſupremo imperii jure poſſidendam. Ad quæ Regina reponebat; ſibi haut fas eſſe ditiones ſuas imminuere; cæterum laxioribus verbis pollicebatur, auxilium ſuum Regi non defore. Sed cum iſte hæc promiſſa ſcripto concepta ſibi tradi peteret, Regina abnuebat, quod & is propoſitionem ſuam ſcripto exhibere noluiſſet. Unde quid de ſucceſſu tractatuum eſſet ſperandum, prudentes facile proſpiciebant, cum neque Poloni prætenſiones ſuas gratis remittere, nec Sueci eaſdem pretio redimere vellent.

Portugallica. §. 53. Eo anno in Sueciam adpellebat Joſephus Pintus Pereira à Luſitaniæ Rege Legatus, qui ſuper fœdere inter Sueciam & Luſitaniam denuo movebat; inter alia Succicis navibus liberam navigationem offerens ad portus Indiæ Orientalis, qui Luſitanicæ ditionis eſſent. Sed ita languide rem gerebat, ut facile pateret, iſta obtentui duntaxat ſumta. Cæterum petebat iſte, ut Regina controverſiis inter Regem Luſitaniæ & Belgas Fœderatos componendis operam dare velit. Id quod Reginæ haut adſpernandum videbatur. Saltem enim id obtentura erat, ut quales ſe heic gererent Belgæ, talem & ipſa ſe adverſus eoſdem tractatu Polonico exhibere poſſet. Per literas igitur hoc officium Belgis offerebat, quod ex utriuſque populi uſu judicet, bello inter ſe haut colli; idque negotium, ut ſuo nomine obiret, Haraldo Appelbomio in mandatis dediſſe. Is cum de eodem 20. Nov. apud Ordines Generales proponeret, verbis quidem hi teſtabantur, Reginæ officium ſibi gratum 14. Mart. eſſe; ſcripto tamen reſponſum dare abnuebant, ſt. n. ne ad certi quid ſe adſtringerent. Color dicebatur; Legatum Luſitanicum nondum admiſſione potitum, ac rem hanc à ſe ad ſingulas provincias prius referendam. Revera tamen metuebant, ne Luſitani hac mediatione conſili ægrius ad ſatisfaciendum Belgis deſcenderent. Nam ſi Luſitanis animus eſſet Belgis ſatisfacere, brevi & compendioſo tractatu id poſſe fieri nullo ſequeſtre adhibito. Aſt iiſdem tempus extrahere cupientibus inſervire mediationem Succicam; quæ ſibi contra fraudi ſit, cum à Luſitanis jam in anguſtias redactis brevi æquæ conditiones extorqueri queant. Quanquam & Zelandi plane à tractatu cum Luſitanis abhorrebant. Ita dilatum aliquandiu reſpon-

1650. 14. Mart. ſponſum. Sed ſequenti anno literis iſtam mediationem declinabant: Reginæ officium ſibi fuiſſe gratiſſimum, ſi res, & anni tempus longiorem Braſiliæ pacandæ moram pateretur. Sed hoc rerum ſtatu ſibi quam maxime properare neceſſum fuiſſe.

Canterſteinii negotiatio cum Hollandis.

§. 54. Sub finem ſuperioris anni Canterſteinium à Regina in Hollandiam miſſum memoravimus, ut fœdus illorum cum Daniæ Rege nuper concluſum, ſimul conventionem ſuper redimendo vectigali Oreſundico, ſi qua poſſit, everteret; aut ſaltem declarationem obtineret, neutrum Suecis fraudi fore. Etſi jam Ordines Generales apud Reginam literis modeſtiſſimis teſtati eſſent; ſibi haut in animo fuiſſe quidquam facere fœderi cum ipſa repugnans. Fœdus cum Dano æquis conditionibus initum ex poteſtate liberis populis competente, ad mutuam defenſionem ditionum, atque commerciorum & navigationis in Mari Baltico & Septentrionali. Sed & Daniæ Rex, cum à Regina ſuper iſtis conventionibus apud Belgas moveri audiret, per Reſidentem ſuum Petrum Julum Holmiæ quam diligentiſſime excuſabat, illas haut quidquam in Sueciæ præjudicium cedere, ſed ad eaſdem ineundas ſe adactum præſenti ſtatu Regni, ac fulciendis recentibus ſuis rebus, ſimul ut ſumtus in ſepulturam Patris, ſuamque coronationem repararet. Canterſteinius porro diſceptationem cum Ordinum Deputatis ingreſſus multis demonſtrare conabatur; fœdus ipſorum cum Daniæ Rege plura complecti, quam ad meram defenſionem requirantur. Saltem declarandum; ſi Belgas non putent ad ferenda Sueciæ auxilia adverſus Danos teneri, nec ipſos obſtringi velle ad auxilium Daniæ adverſus Sueciam ferendum, ſi duo iſta Regna quamcunque ob cauſam bello collidi contigerit; præſertim cum fœdus inter Sueciam & Belgas ex mente utriuſque contrahentis revera adverſus Daniam directum fuerit. Verba etiam, quibus Suecia excipitur, obſcura eſſe, nec conſtare an ad eum caſum, de quo in principio Articuli decimi quarti agitur, an ad totum fœdus Suecicum pertineant. Eſſe præterea res in utroque fœdere, quæ ſimul nullo modo conſiſtere queant. Quod ſi cordi ipſis ſit fœdus Suecicum tueri, in proclivi eſſe ante ratificationem fœderis Danici diſertis, ac perſpicuis verbis Sueciæ cavere. Circa *tractatum Redemtionis* monebat; providendum, ne dum ad conficiendam annuam pecuniam, quæ Dano hoc nomine promiſſa eſt, vectigalia in Hollandia intenduntur, libertas Suecicarum navium in freto Oreſundico eludatur. Nam iſta aliter augeri non poſſe, niſi ut Sueci onerentur, adeoque reipſa vectigal Oreſundicum in Hollandia perſolvant. Ad quæ Belgæ nil aliud reponebant, quam fœdera ſua cum Suecis & Danis ſibi invicem haut repugnare, cum utrumque defenſivum ſit; eoque ſe Sueciæ ad auxilia ferenda non teneri, ſi ipſa ultro Daniam invadat. De cætero ita fœdus cum Danis aptare ſtuduiſſe, ut ne fraudi ſit fœderi Suecico hactenus tam ſancte culto. Quo fine & diſerte Suecia excepta ſit. Sed & circa redimendum vectigal fas ſibi fuiſſe cum Dano pacifci. Jactabant tamen aliqui; ſi Regina nollet vectigalia in Hollandia ob iſtum tractatum intendi, eandem ſibi rationem ineundam, qua Regina utitur, ut nempe vectigalia pro ſuis civibus minuantur, Suecis ad integra ſolvenda adactis. Et privatim aliqui differebant; ſi Regina diſcrimen inter naves in Suecia ædificatas, & extraneas tollat, ſe quoque tractatum redemtionis everſuros. Ea re intellecta Regina Canterſteinio injungebat; operam daret, num meliorem obtinere declarationem poſſit. Modeſte tamen ageret, ac minis publice abſtineret. Et ubi ſcripto reſponderent Ordines, qualecunque reſponſum acceptaret, nulla proteſtatione, aut exprobratione interpoſita; cum talia non niſi animos exacerbent, nullo præterea fructu. Sed & ita rem tractaret, ne qua timoris ſigna daret, aut apertæ Danis offenſæ anſam præberet. Quod ſi nullo modo ratificatio impediri queat, ſatis haberet declarationem obtinuiſſe, neutrum tractatum Sueciæ ullo modo fraudi fore. Privatim tamen apud eos, quos ea res tangeret, oſtenderet; ſi Belgæ domi vectigalia augeant, Reginæ decretum, duplex vectigal mercibus in Suecia, ſubjectiſque Provinciis imponere, ac cumprimis cupro, ferro, malis, aſſeribus, cineribus, lanæ, pici liquidæ & ſimilibus; quibus Belgæ carere nullo modo poſſint. Uti autem Canterſteinius, & poſt eum Haraldus Appelbomius, (nam iſte Bredam ad Mediationem inter Regem Angliæ & Scotos profectus, id negotium huic conficiendum reliquerat,) circa impediendam Danicorum tractatuum ratihabitionem ſatagebant; ita viceverſa Miniſtri Danici ad eandem extundendam nulli operæ parcebant: inter alia ferentes; ſi Belgæ pacta ratihabere abnuerint, Daniæ Regem Suecis Scaniam cum dimidio freto traditurum, receptis in ejus vicem nuper amiſſis Provinciis, Hallandia, Jemtelandia, Gotlandia & Oeſalia; quin & iſtis vectigal Oreſundicum redimendum oblaturum, cupide amplexuris occaſionem Belgas Mari Baltico excludendi. Quæ ab hiſce ut vana, & à Danorum rationibus plane abhorrentia cum irriſu rejiciebantur. Enimvero Belgis placebat negotium id extrahere, & tam Suecos, quam Danos in ſuſpenſo relinquere, quoad adpareret, quantum copiarum Regina poſt concluſos tractatus Noribergenſes ſub ſignis retentura, aut num forte quid in Daniam tentatura eſſet. Sed & non parum difficultatis ſurgebat, unde confici pecunia illa poſſet, quæ Dano pro redemto vectigali Oreſundico promiſſa erat. Nam Zelandi non alia lege iſtos tractatus ratihabere volebant, quam ſi Hollandi valida auxilia adverſus Luſitanos in Braſilia annuerent. Sed & mox obortæ in Belgio turbæ, ac Arauſionenſis mors alio cogitationes avertebant. Ita per iſtum annum ratificatio Danicorum tractatuum omiſſa eſt.

1650. 14. Mart. 27. Dec. 1649.

Ruſſica.

§. 55. Conſtituerat tunc Regina novum in Moſcoviam Reſidentem mittere Jacobum Molinum, ſed quem Novogardiam jam progreſſum Ruſſi ſiſtebant, ac non ſine minis in Suecicam ditionem redire jubebant. Deinceps quippe, (ita jactabant,) Reſidente opus non eſſe, cum inter utraque Regna omnia ſint tranquilla &, compoſita. Hactenus Reſidentes tantum ad tempus toleratos; nec ſuper iis Pace quidquam diſponi: nec à ſe perpetuum Miniſtrum Holmiæ haberi. Sed & paulo poſt cum Levinus Nummerſius partem pecuniæ ſuperiore anno conventæ è Muſcovia efferret, ſimul conceſſu Czaris frumenti quid Pleſcoviæ coemtum in Livoniam avehere vellet, plebs ea in urbe ſeditionem movere, ac in Levinum iſtum ſævire, abrepta pecunia. Mox & velut contagio Novogardia in ſeditionem abiit, ubi Danicus Ablegatus Ivarus Krabbius, qui tunc è Moſcovia reverſus illac tranſibat, à furentibus peſſime habitus eſt. Sed Novogardienſes facile compoſiti, ac ſeditionis autores cum cruciatibus neca-

1650. necati. Pleſcoviæ pertinacior ſeditio, quo & è Polonia literæ adferebantur, Demetrii nomen præferentes, qui legitimum ſe Ruſſici Imperii hæredem, & eum qui nunc rerum potiatur, ſuppoſititium jactabat; eoſque ad vim illatam fortiter ſuſtinendam hortabatur; ſe mox validis cum copiis auxilio iſtis adfore. Et ſuſtinuere aliquandiu obſidium Pleſcovienſes; ad extremum tamen promiſſa anteactorum venia ad obſequium rediere. Mittebatur à Czare cum literis ad Reginam, qui factum id excuſaret, ac ſe ablata redditurum, ſupplicio de flagitii patratoribus ſumto. Qua ſatisfactione Regina adquieſcebat, præſertim poſtquam pecunia ſuperiore anno conventa exacte ſoluta fuiſſet.

Meclenburgicus Warnemundam repoſcit.

§. 56. A Meclenburgico Duce Adolfo Friderico literæ adveniebant, quibus ut præſidium caſtello Warnemundæ deduceretur, poſtulabat. Adjunctum erat Atteſtatum Cæſareorum Legatorum, quod Regina ad reddendum iſtud caſtellum teneatur. Enimvero id poſtulatum Regina nullo jure niti cenſebat. Nam in Inſtrumento Pacis de vectigalibus in locis Meclenburgicæ & Pomeraniæ in univerſum exprimi, quæ verba è prima formula remanſerint, quando totius Pomeraniæ nanciſcendæ adhuc ſpes fuerat. Et ipſum Meclenburgicum Legatum ab initio contendiſſe, ut vectigalia per oram Meclenburgicæ ſervarentur, quod ſperaret, Principem ſuum vectigal ad Warnemundam retenturum. Poſt cum ſuper ſatisfactione Suecica transactum eſſet, eundem tero vocabula *in locis ceſſis* inſeri voluiſſe. Miſſum poſt à Roſtochienſibus Deichmannum, qui, ut inſertis tribus illis verbis telonium Warnemundenſe tolleretur contenderit, permotis quoque Ordinibus, ut per Deputationem à Legatis Suecicis id peterent. Sed reſponſum; literam ſcriptam manere, nec in ſua poteſtate eſſe, in negotio jam ſubſcripto quidquam mutare. Quanquam autem de caſtello diferre expretium non ſit, tamen conceſſo vectigali locum utique concedendum, ubi iſta expediantur. Nam ut navis Regia ante portum in anchoris ſtans eadem exigat, ipſis etiam navigantibus incommodum eſſe. Sed & Duci exprobratum, quod nuper frumentum Wiſmariam vehi interdixiſſet, velut infenſi Suecis animi indicium, cum hi longe aliter de ipſius Domo meriti ſint. Sequenti anno Piccolomineus acres literas ad Principem Sueciæ dabat, Warnemundæ reſtitutionem expoſtulans velut Noribergæ ab ipſo promiſſam. Id quod hic inficiabatur, non lenioribus literis repoſitis. Equidem rem clarioribus verbis potuiſſe exprimi; ſufficere tamen ea nihil exceptionis continere: ac omnia vectigalia ad eam oram intellecta fuiſſe, claro indicio eſſe, quod iſta vi armorum in tractatibus utique facile obtineri potuerint. Eo fidentius autem hoc in negotio agebatur, quod ſatis conſtaret, ob Warnemundam bellum novum haut iri ſuſceptum. 1650.

Tartarica Legatio.

§. 57. Sub finem anni aderat à Precopenſium Tartarorum Principe Islan Gerey Legatus, qui amicitiam Reginæ offerebat; ſimul ſecreto proponens, quia Princeps iſte fœdus cum Poloniæ Rege adverſus Moſcos inierit, num Regina in ejus fœderis partem venire, ac junctim Ruſſiam invadere velit? Cum de fœderis legibus interrogaretur, & quæ alia tantum negotium ſuſcepturis ſcitu neceſſaria ſunt; iſta à ſe ignorari ferebat, nec plura juſſum ſe dicere. Addebat, ut Regina aliquem in Crimeam ablegaret confirmandæ amicitiæ. Ejus propoſitio quanquam vana haberetur, nec veroſimile eſſet, Rempublicam Polonicam permiſſuram, ut Rex arma adverſus Moſcos pararet: haut abs re tamen viſum, paris argumenti literas reddere, de amicitia ample teſtantes, ac deinceps Legatum in Tartariam mittendum. Interim ſpecie Legatum iſtum deducendi in Crimeam ſimul ire jubebatur interpres Joannes Meierus, conditioni illius populi explorandæ, & num quid ſolidi illorum hominum pollicitationibus ſubſit. Saltem haut inutile videbatur Polonis ſcrupulum injicere, velut arcana quædam commercia cum iſta gente agitarentur.

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

1651. *Regina de Imperio deponendo cogitat. Interna Suecia habitudo.* 2. *Regina conciliium de abdicando Regno diſſuadet Chanutus;* 3. *& Princeps Carolus Guſtavus;* 4. *Et Senatus.* 5. *Rationes Reginæ circa id propoſitum.* 6. *Regina deſtinatum ſuum differt.* 7. *Meſſenii plectuntur.* 8. *Biærnclovii negotiatio Viennæ circa titulos. Ejus literæ fiduciariæ redhibentur. Idem ad audientiam admittitur.* 9. *Ulterior circa titulos & linguam negotiatio. Biærnclovii poſtulata. Cæſareorum tergiverſationes circa linguam.* 10. *Calumnia in Suecos de vendita Auſtriacorum Religione.* 11. *Super renovando fœdere Gallico conſiderationes.* 12. *Regina ſuper renovando fœdere, ejuſque legibus* 1651.

Digitized by Google

1651. *legibus decernit.* 13. *Tractatio de fœdere Gallico.* 14. *Capita fœderis executiuntur.* 15. *Fœderis formula concipitur.* 16. *Missio in Hispaniam.* 17. *Hispani libera commercia Suecis concedunt.* 18. *Tractatus Lubecensis acta. Suspiciones de Polonis.* 19. *Suecicorum Legatorum mandata.* 20. *Polonorum Legatorum mandata.* 21. *Controversia super visitatione.* 22. *Controversia de titulo Reginæ.* 23. *Polonis spiritus accedunt.* 24. *Legati se conviviis mutuo excipiunt.* 25. *Sueci abitum minantur, ni super titulo Reginæ satisfiat.* 26. *Poloni tractatus eludere jubentur.* 27. *Procuratoria examinantur. Desiderata in Suecico procuratorio.* 28. *Suecorum defensio.* 29. *In Polonico procuratorio notata.* 30. *Polonorum responsio.* 31. *Suecorum ad hanc replica.* 32. *Nova procuratorii formula proponitur.* 33. *De legibus Pacis utriusque partis sententia.* 34. *Conventus dissolvitur.* 35. *Reginæ Gedanenses super insidiis monet.* 36. *De agnoscenda Republica Anglicana consultatio.* 37. *Regina illam Rempublicam agnoscere constituit.* 38. *Regina pacta inter Danum & Hollandos frustra impedire studet.* 39. *Hollandi tractatum cum Dano ratihabent.* 40. *Regina ea de re queritur.* 41. *Hollandorum responsum.* 42. *Regina Anglorum societatem affectat.* 43. *Cornificius Ulfeldius in Sueciam venit.* 44. *Moscovitica.* 1651.

Regina de Imperio deponendo cogitat.

POstquam tam glorioſum bello Germanico finem impoſuiſſet Regina, ſtatim qua ratione ipſa abdicatum à ſe regimen in Carolum Guſtavum transferret, cogitavit. Ea deſtinata, quæ Regina initio ſola ſecum animo agitabat, nonnulli prudentiores conjecturis è ſtatu Sueciæ deſumtis, præcipiebant. Nupero Ordinum conventu diſſidia inter hoſce gliſcere ceperant, quæ ne in inteſtinas turbas erumperent, Reginæ quidem dexteritas prohibuerat. Neque tamen ita malum erat funditus ſublatum, quin primo Conventu idem certamen Nobiles inter ac reliquos Ordines exardeſcere poſſet. Inter hanc Ordinum diſcordiam etſi Reginæ autoritas magnopere invaluiſſet, quod fortunæ Nobilium magnam partem ex nutu iſtius jam dependerent facile ſubvertendæ, ni adverſus cæteros Ordines ejuſdem favore ſuſtinerentur: vix tamen fieri poſſe videbatur, quin aliquando eam ob cauſam extremis ipſa difficultatibus involvenda foret. Proceres, qui ſplendidiora reip. munia tantum non in patrimonio ſibi, ſuiſque familiis reputaverant, in deminutionem ſui accipiebant novos quoſdam homines Reginæ gratia evectos, & ab hac ſumma reip. negotia ex ſuo magis quam illorum placito adminiſtrari. Plebs contra parcæ atque adſtrictæ veterum Regum vitæ adſueta, lætiorem Aulæ faciem averſabatur; & inter exhauſtum ærarium donandi finem non fieri fremebat. Et largiendi ſemel initio facto, reliquis, qui paria cum prioribus merita jactabant, negare ſpecies injuriæ habebatur. Atqui ſi nova tributa imperarentur ſuſtinendis ſumtibus Regni, plebs in deſperationem abitura videbatur. Nobilibus eripere quæ ipſa dederat, Reginæ genio adverſum & anceps erat. Unde ſuſpicio naſcebatur prudentioribus, Reginam ſingulari aliquo medio ſibi conſulturam, in Principem devoluto imperio juxta atque invidia, ſi quæ forte inſtaurationem ærarii ſuſcepturum manſura erat. Et quia ſubito de inſtituendo in Gotlandiam & Oelandiam itinere propoſuerat, credebatur, eas inſulas ſedem ſibi deſtinare, qua vitam privatam ageret, Oelandia pro captu Septentrionis ſat amœna. Variis quoque ſpeculationibus anſam præbebat, quod Regina hoc anno mergitem, Waſiorum gentilitium inſigne, ſigillo Regni & pavimento interioris arcis arcæ dimoverat. Firmabatur ſuſpicio, quod cum hactenus Cancellario Oxenſtiernæ, eidemque addictis parum æqua fuiſſet viſa, velut ejus autoritate ac potentia faſtigium Regium prægravante, nunc ſubito eundem præter ſolitum amplecteretur, quaſi ad extremum omnibus conciliatis ſolio abire vellet.

Interna Sueciæ habitus.

§. 2. Inter primos, qui ſecretum illud conjectando indagaverat, Petrus Chanutus Regis Galliæ Legatus erat, qui de eodem ad Regem Galliæ, Reginamque Matrem ſcripſerat; ſed quibus id conſilium diſplicebat, velut Reginæ haut profi-cuum; an quia Carolum Guſtavum parum prono in Galliam affectu credebant. Unde Chanutus id propoſitum Reginæ diſſuadebat tanta libertate, quam vix ſubjectus ipſius adhibere auſus fuiſſet. Regina tamen, quod longius ſe jam progreſſam putaret, quam ut honeſte pedem retrahere poſſet, quo rogari deſineret convictam ſe rationibus iſtius profitebatur. Et iſte ideo Reginam gravius urgendam non ducebat, quod ſperaret eam Regno haut ita renuntiaturam, ut non aliquo caſu regreſſus ipſi ad idem pateret; præſertim cum vacillans valetudo Carolo Guſtavo vitam parum diuturnam polliceretur; cui conciliandis bellatoribus largiores invitationes præter naturæ inclinationem ſuſcipiendi prope neceſſitas fuerat.

Reginæ conſilium de abdicando Regno diſſuadet Chanutus.

§. 3. Aſt Carolus Guſtavus, quo propior ſummæ ſpei erat, eo circumſpectius agere, ne ulla Imperii habendi cupidine tangi videretur. Unde cæco obſequio ad voluntatem Reginæ, cui tantæ fortunæ ſpem debebat, ſe componere; ut plurimum ruri agere, procul ab omni reipublicæ cura; ſi quando in urbem accederet, quod raro fiebat, poſt Reginæ colloquium ſtatim iterum abire, ne conſilia cum Proceribus ſuper republica miſcere videretur: de cætero obvia humanitate omnium Ordinum favorem captare. Huic cum Regina de conſilio ſuo aperuiſſet, iſte fidem dictis ægre adhibere, veluti ſui tentandi cauſa talia jactarentur. Et quanquam alias nullus affectus in animos mortalium majus imperium obtinet, quam regnandi libido; tamen pro prudentia ſua negotium hoc maximis difficultatibus implicitum perſpiciebat. Nam attenuato ærario haut adparebat, unde ſumtus publicos toleraret; præſertim cum & Regina Regno exuto non modicam ſibi ſummam receptura eſſet. Extraordinariis autem tributis plebem, revocatione bonorum donatorum Nobilitatis animos alienaturus erat. Contra tamen ſtatum ſuum ſemper in lubrico fore videbat, quamdiu

Et Princeps Carolus Guſtavus.

Digitized by Google

1651. din Regina ſolium obtineret. Nam ſi ipſe matrimonium iniſſet, verebatur, ne forte & Reginam ejuſdem deſiderium ſubiret. Sed & ægre fides ipſi hebat, Reginam penitus jure ſe ſuo abdicaturam; nec ſi ipſa huc inclinaret, alios ejuſdem gratia florentes omnibus ſuadæ artificiis adhibitis id permiſſuros. Tanto magis providendum erat Carolo Guſtavo, ne malevolis anſam præberet ſuſpectum ipſum Reginæ reddendi. Unde & poſt cum menſe Octobri Regina Archiſtratego Gardio, & Cancellario Oxenſtiernæ de propoſito ſuo Regnum abdicandi indicium feciſſet, ipſisque injunxiſſet ad Principem ſcribere, quo is ſeſe capeſſendis Regni habenis pararet; Princeps reſponſo iſtos obſecrabat, omnem lapidem moverent, ut Reginam eo propoſito dimoverent; ſimul rogarent, continuaret regimen, quod tanta cum gloria & utilitate patriæ geſſiſſet; nec ejuſdem onere delaſſaretur. Apud ipſam Reginam quoque teſtabatur, eam ſummam votorum ſuorum eſſe, ut diuturno ipſa, ac florentiſſimo Imperio potiatur. Se ipſi ſubmiſſum cultum, perfectum obſequium & inviolabilem fidem velut ſubjectum ſemper approbaturum, nec quid amplius deliderare, quoulque Deo placuerit vitam eidem ſervare.

Senatus. 25. Oct.

§. 4. Haut eo ſecius tamen Regina Senatui declarat, ſibi decretum eſſe, gubernatione Regni in Carolum Guſtavum devoluta in privatam ſe vitam recipere; qua re ſæpius expenſa haut commodius medium diſpicere potuiſſe ſtabiliendæ Regni ſecuritati, ac civium quieti, qui ſobole Regia ſucceſſioni cautum cupiant. Nam ſibi, quidem firmiter ſtatutum, matrimonii jugum haut ſubire. Principi autem Regno ſuſcepto neceſſitatem fore ducendæ uxoris, nec difficultatis quid ipſum hcic moturum. Ex eo connubio ſi proles provenat, quod ſperet, patriam extra pericula ſubductum fore, quæ electiones Regum comitari ſolent. Addebantur multa in laudem Principis, de cujus egregio regimine ipſa amplam ſpem conceperit. Contra Primores Senatus nihil eorum omittebant, quæ Reginam hoc propoſito avertere poſſent: divinitus ipſam ſibi Reginam conceſſam, cui quamdiu vita ſuperſit, alterius ſe imperium non agnituros. Vix unum annum elapſum, ex quo coronationis pompa ærarium plane exhauſtum ſit. Eam repetendam eſſe inaugurando Carolo Guſtavo, ubi ipſa Regno abeat: celebrandas inde Principis nuptias; quibus ſumtibus Regnum par non ſit. Addebantur intenſiſſimæ preces, ut curas pro ſalute & tranquillitate Regni continuaret. Aſt Regina ad rationes & preces iſtas immota oſtendebat, non eſſe, quod aliam à ſe declarationem expectent; ſtare ſibi ſententiam; nec aliud ſupereſſe, quam ut eadem & ipſis probetur. Coronationi Principis non defore ſumtus, ac ne duplicem impenſam facere neceſſum ſit, nuptias pariter celebrandas. Cum igitur Senatus perſpiceret, ſe Reginam deſtinatis avertere in præſens non poſſe, oſtendebat neceſſum eſſe, ſequenti menſe Februario Ordinum conventum indici, quo ſuper tanti momenti negotio deliberari ac ſtatui queat. Interim Reginæ animum mutari poſſe ſpes erat.

Rationes Reginæ circa id propoſitum.

§. 5. Iſta quanquam Reginæ animum ſubinde in diverſa traherent; recutabant tamen rationes conſilii, quod tam altas jam radices egerat, ut plane evelli nullo modo poſſet. Ipſi enim uti vitam exigere cælibem ſedebat, ita ſtabiliendæ ſucceſſioni Coronæ & tranquillitati patriæ neceſſarium erat Carolum Guſtavum matrimonium inire; ad quod nulla commodius ratione permoveri 1651.
poterat, quam Regni plena adminiſtratione in ipſum collata. Sed & animo obverſabantur dicta Sapientiæ ſuper rerum humanarum vertigine, & ut fortuna, cum nil ſupereſt quod addat, ad extremum velut delaſſata mortales deſtituere ſoleat, ni ultro modum felicitati imponere ſciant, acceptis contenti. Se tam glorioſo defunctam imperio etiam in privata vita omnibus eo nomine venerabilem fore, quod famam ſuæ nationis ad ſummum, quod unquam fuit, gloriæ faſtigium extulerit, ac perpetuum ſuorum temporum deſiderium pleriſque reliquerit. Denique hoc unico ſuperiorem ſe ipſa adparituram, ſi ſummum rerum humanarum apicem ſpernere, ac id ætatis tantum Regnum abdicare ultro queat, ſpreta quoque ſpe prolis ad tantam fortunam educandæ, ut ſibi ipſi viveret, ac reliquum tempus contemplationi ſapientiæ conſecraret.

Reginæ deſtinatum ſuum differt.

§. 6. Haut deſtitere tamen Proceres, & qui Reginæ gratia florebant, ſimul ſelecti Ordinum menſe Octobri congregati animum Reginæ rationibus, precibus, obſecrationibus impugnare, ut ea deſtinata omitteret. Ac demum univerſi eandem adiere, quorum nomine Oxenſtierna Cancellarius omnem eloquentiæ vim, qua inſigni pollebat, expromtum ibat: profeſſus, fidem ſe quondam ſtipulanti Guſtavo Adolfo Regi dediſſe, ſe quantum poſſit Filiæ ipſius Regnum conſervaturum. Immortales ipſi gratias deberi pro eximia cura, quam gloriæ juxta ac quieti Regni impenderit ad faſtigium toti Europæ admirandum provecti: cujus ſplendor conſervari nequeat, ipſa faces deponente. Principi decretum, Regni habenas non ſuſcipere, quamdiu Reginæ vires, ac vita ſuperſint. Non poſſe non animum ipſius graviter commoveri, ſi intelligat, fore, ut ſimul cum abdicatione Regni tot vigiliarum, ac laborum fructus intercidant. Non minus præclarum eſſe parta tueri, quam quærere. Quin ſatius fuiſſe, minore gloria Sueciam exſplenduiſſe, quam nunc ab ea, cui iſtam debuit deſtitutam retro referri. Si ipſa gubernacula Regni deponat, ſe quoque iſto exemplo munia, quæ hactenus geſſerint ejuraturos; ac publicam lucem ſibi invitam fore, ni preces locum inveniant, quas levatis jam univerſi manibus effundant: nec unquam ſe poſteritatis convitia laturos, velut in rem patriæ tam perniciolam conſenſerint. Num quam cives offenſæ anſam præbuerint? Num parum venerationis, aut obſequii exhibendo indignationem ipſius meruerint? Si quid duplicent, libere proferret; ipſos quidem pœnam à ſe exacturos: tum ſi quid forte deſideret, ſumma alacritate exhibituros. In poſterum quoque ſummo connixuros opere, ut magis quam hactenus eidem placeant; ac nulla re parcituros, quæ ad ejuſdem magnitudinem, jus, atque autoritatem tuendam inſervire poſſit. Denique ipſi vitam ſe, ac bona ſua offerre. Ne ære alieno publice contracto moveatur, quod de ſuo ſint exſoluturi, collatis quoque reditibus, unde ſplendorem Aulæ ſuſtentare poſſit, qualem nemo è Septentrionis Regibus antea aſſequi potuerit. Hæc & multa id genus tanta cum commotione totius Cœtus evolvebat, manantibus non parce lacrymis, ut Regina tandem expugnata promitteret, ſe habenas Regni haut depoſituram, ea tamen lege, ut ipſam precibus ſuper connubio ineundo obtundere deſinerent, à quo plane abhorreat. Id quod illi facile probabant, contenti ab eadem obtinuiſſe, ut Regnum

1651. retinere vellet. Cæterum cum hactenus de matrimonio Principis multus sermo fuisset, facta isthac Reginæ declaratione de eodem plane silebatur: quod Proceres ferrent, spem sibi esse Reginam aliquando ad matrimonium ineundum induci posse. Et ipse Princeps haut ignarus, præmatura regnandi cupidine ipsam sæpe salutem periculo exponi, cum Holmiam evocaretur ad capessendum regimen, quo Regina sese exuitura esset, huic responderat; se gratia & beneficiis, queis ab ipsa cumulatus sit, usque adeo contentum, ut quoad ipsa viveret, nil amplius desideret. Se precari Deum, ut eadem ipsi superstes sit. Ita gloriole ab illa imperium, & tanto cum civium emolumento geri, ut cum & ipse ex horum numero sit, non minus sua quam cæterorum interesse eidem supplicare, ut ne sceptri gerendi tædium capiat, quod ipse nunquam illa viva sit acceptaturus. Cæterum mutati ejus consilii causas varii varie investigabant, aut interpretabantur. Alii censebant, cum Regina multis è locis apud exteros destinata sua parum probari intellexisset, haut parum fuisse commotam; cum ex facto tam inusitato singularem sibi gloriam speraisset. Præsertim cum Ministri Gallici affirmarent, suæ Reginæ eam actionem parum dignam tam celebratæ prudentiæ Principi videri. Ac inprimis Petrus Chanutus scriptis super hoc negotio literis haut modice Reginæ animum labefactasse credebatur. Nec parum valuerant preces Procerum, ac civibus cordi se intellexerat esse, & ipsius imperium cujusvis alterius regimini præferebant, uti immobilis adversus contumaces, ita precibus cedere facilis, & in benignitatem prona. Nec vero absimile videtur, ipsam super futura sua conditione tunc nondum sat firmiter secum statuisse, ac idem expertam, quod illi, qui ex violento quodam affectu ad mortem desperabundi ruunt; quibus, ubi ad crepedinem præcipitii accessêrunt, uno velut intuitu omnes vivendi illecebræ se sistunt: ita & ipsam vitæ privatæ confinibus admotam insolita rerum facie velut exhorruisse. Sed & constat, non Gallis solum, sed & Polonis gratum fuisse, habenas Regni à Regina tunc retentas; idque Lesslinskius literis ad Chanutum scriptis utriusque Regni rebus, reducendæ eo facilius paci perpetuæ profuturum judicaverat.

Messenii machinantur.

§. 7. Porro mutatum Reginæ deponendi sceptri consilium irritasse Messenios videtur, ut diu conceptum adversus Reginam, ac præsentem rerum faciem odium scelesto modo expromere properarent. Hæreditarium velut fuerat Arnoldo Messenio turbas in republica serere. Eo quippe nomine avus ipsius capite truncatus fuerat; pater in carcere obierat; quem & ipse per quatuordecim annos toleraverat ob seditiosos sermones in gubernationem Regni jactatos. Sed Regina libertati redditum munere Historiographi, insignibus Nobilitatis, ac opima donatione mactaverat. Nec eo minus infensum in eandem retinebat animum, cujus causam ferebat, quod in lite cum sorore adversus ipsum à Regina pronuntiatum foret. Sed & contra Cancellarium Oxenstiernam vetus odium coquebat; idque inde præcipue ortum dicebat, quod, cum olim iste sibi per acerbum jocum affectatum Cancellarii munus objectasset, hic vicissim Oxenstiernæ Regni cupidinem exprobraverat. Quem ex eo tempore omnium in Regno malorum fontem arguebat, etiam optime instituta calumnians, ac inter alia ideo Holmiæ privilegia & incrementa ab ipso procurata, ut quoties placeret Regem in potestatem redigere posset. Id odium iste infensis in Reginam ac plerosque Senatores sermonibus, ac præsens regimen subinde increpando in filium transfuderat, communicatis eam in rem quibusdam scriptis. Unde juvenem libido subiit libellum famosum rythmis adornandi, qui conscio patre, cui ex hoc magnarum dignitatum spes concepta fuerat, ad Carolum Gustavum in Oelandia tunc agentem transmittebatur. Is cum comperisset è Cancellaria Holmiensi profectum, eundem obsignatum adjectis suis literis per certum hominem Reginæ tradi curat. Inquisitione facta agnoscitur manus illius, qui extrinsecus titulum Epistolæ inscripserat; qui fatebatur, fasciculum oblignatum sibi à Messenio juniore oblatum, seque rogatum, ut inscriptionem adderet: cæterum pravi quid illa contineri sibi suspicari in mentem non venisse. Regina cum ab adolescentis ingenio ista haut promanasse judicaret, ac statim ab initio patrem Messenium autorem suspectasset, utrumque in custodiam dari jubet. Filius post brevem inficiationem crimen fatetur, libellumque à se è sermonibus patris, ac ab eodem communicatis sibi scriptis concinnatum. Pater cum frustra conscientiam criminis à se amoliri tentasset, tandem confessione filii convictus justitiam divinam agnoscit, & tormenta quæ ostentabantur deprecatus rem totam fatetur. Cæterum libello famoso Jacobus Gardius Archistrategus & Cancellarius Oxenstierna arguebantur consilia sua huc intendisse, ut Regia potentia imminueretur, tuæque & suorum opes glisceret Regni reditibus in se pertractis. Eo fine sub minorennitate Reginæ id curasse, ut hujus præceptor Joannes Matthiæ ludicris ipsam adsuefaceret, ac ne solidam status sui notitiam adquireret; qui & eidem suaserit ex suo potius arbitrio Imperium gerere, quam matrimonium inire. Eosdem instituisse rusticam plebem servitio subjicere, in Nobilitatem Coronæ fundos transferre, eamque multiplicare, ut eo plures sint, qui plebem opprimant, ac ut ipsi habeant, qui destinatis suis ministros se præbeant. Tum ne Regina ipsorum machinationibus obviam ire auderet, eorundemque acta durante minorennitate susceptа improbaret, terrorem eidem ostentato Polono, aliisque incussisse: ac bellum in Germania extraxisse, quoad scopo suo fuerint potiti. Eosdem ne nuptias iniret cum Carolo Gustavo promissas, antequam is imperium in exercitus Svecicos susciperet, impedisse, qua in re Magnus Gardius & Joannes Matthiæ præcipuam operam navarit: quem peregrinationum ac belli periculis objectum iverint; si quo casu è medio tolli posset. Caroli Gustavi jus hæreditarium ad Coronam suppressum iisse, quod tamen Unioni hæreditariæ Anno 1604. sancitæ superstructum sit; quem & Gustavus Adolfus quondam in Botussia graviter saucius successorem sibi destinaverit: Sed cum impedire non potuerint, quo minus successor designaretur, tam duris conditionibus adstrinxisse, quas servare nequeat: militi arma ademisse, qui affectu in Principem pronus sit: Comitum & Baronum numerum augere, qui Magno Gardio commendante ea dignitate potiantur, ut istos, si qua opus sit, sibi obnoxios habeant. Denique Coronam reditibus nudare, ac ære simul alieno obruere, ut ne si offeratur quidem, Princeps eandem acceptare possit. Addebantur multa de profusionibus Reginæ, ejusque in ludicra studio. In tanta ærarii inopia magnam pecuniarum vim in extra-

1651. extraneos ad inania magistros erogari. Monebatur deinde Carolus Gustavus; caveret sibi ab Archistratego, Cancellario, & Magno Gardio, qui Reginam plane obtinuerint. Quæ Cancellarius effici cupiat, cum Archistratego communicare, qui ea filio suo Magno, & huic Reginæ insinuet. Hos in cauta esse, quo minus Princeps in partem aliquam imperii admissus fuerit; qui & decreverint omnibus modis obsistere, ne ipse unquam Corona potiatur: quo fine & eundem è medio tollere agitent; ac jam Jacobsdaliæ sub Reginæ Coronationem venenum ipsi fuisse paratum. Caveret igitur Holmiam accedere, ante universorum Ordinum conventum; nec confideret primæ, & secundæ Nobilitatis classi, quippe quæ obluctata sit, ne successor Reginæ designaretur; tertiam tamen classem, ut & sacerdotes, oppidanos, & rusticos addictos sibi sciret. Præverteret inimicos, ac milites, dum pro more lustrantur, sibi adsciscceret, ac ducem se illis, qui patriæ bene cupiunt, offerat. Animis tantum opus esse & conatu, ac ut armatus Holmiam accedat; ubi plures, quam credat, reperturus sit, qui assequendis destinatis operam sint collaturi. Qui hoc consilium ipsi suggerant, devotissimos eidem esse; & aperte in partes transgressuros, ubi tempestivum fuerit. Imitaretur avum maternum Carolum Regem, qui primores Senatorum sustulerit, destinatis ipsius adversos. Aliter nunquam ipsum Regem fore, ni Reginam ac præcipuos Senatores occidat, id quod auxilio fidissimorum ipsi civium in proclivi futurum sit. Tum bona donationibus alienata ad Coronam revocet. Ita feliciter ac pacifice cum incremento totius Sueciæ regnaturum. Iste libellus uti manifestum scelus spectabat; ita in eodem objecta facile res ipsa falsi convincebat. Inter multa alia id cumprimis Reginæ animum perstringebat, quod Messenius asseruerat, Carolo Gustavo jus ex Unione hæreditaria ad Regnum competere. Nam hoc admisso forte propius ille jus sibi ob prærogativam sexus quam Regina, arrogare potuisset. Etsi universus Senatus asseverabat, præter Reginam neminem jus habuisse; & quod nuper in Carolum Gustavum sit collatum, gratiæ Reginæ, atque Ordinum ex aliè deberi. Et cum Benedictus Skyttius, cum de hujus designatione ageretur, de isto jure movere cœpisset, Jacobus Gardius repostuerat; id non nisi à proditore Regni adstrui posse. Porro dum senior Messenius Regina coram conscios edisserere jubetur, eundem Skittium præcipue multos sinistris sermonibus in transversum rapuisse arguebat; qui præsentis status pertæsus Principem in arma pertrahere optarit, auso duntaxat opus esse, jactitans. Caulam offensæ ipsi esse, quod post reditum Magni Gardii Reginæ adversus ipsum gratia refrixisse sit vitâ. Eundem & ejusmodi suggestionibus Carolo Gustavo adrepere voluisse; sed hunc talia avertantem, ipsius conversationem refugisse. Unde cum postea jactasse; istum dignum non esse, qui Princeps hæreditarius Sueciæ audiat, ni curam Regni adversus Reginam, & à quibus illa pendet, suscipiat. Et ubique tot animorum esse ad jugum excutiendum, nec præter ducem & autorem quicquam desiderari. Eundemque paulo antequam è Suecia discessisset, Messenio indicasse; Reginæ in animo esse solio abire, etsi Proceres obsistant, ac credere Principem eo potiturum; ex quo cum tumultus quid oriturum metuat, tantisper apud exteros agere constituisse: Skittius tamen sequenti anno è peregrinatione in Thraciam redux, quam præter decorum Ordinis Senatorii Regina susceptam arguebat, ob ea, quæ Messenius objecerat, in jus vocatus, cum ipse omnia inficiaretur, nec unius infamis consilio per Sueciæ leges idoneam probandi vim haberet, eo nomine absolutus est, actis quoque post, cum Reginæ grata florere iterum cœpisset, abolitis. Idem Messenius fatebatur, se cum tribuno Paulo Wirtzio super præsentibus rebus in utramque partem disseruisse, ad sententiam ipsius explorandam: sed eundem consilia sua haut probasse. Is Wirtzius cum libellus famosus ad Principem allatus esset, ex ante habitis sermonibus autorem suspicatus Messenio per literas significarat, id genus scripti Principi traditum fuisse, quod ipse ad Reginam transmissum iri credat: quas literas & filio ostenderat. Nec ideo tamen fuga sibi consulere ob latendi fiduciam in mentem ipsis venit. Nominaverat quondam Messenius filius, qui cum patre seditiosos sermones miscuissent; quos inter Nicolaus Nicolai Consul Holmiensis, Nicolaus Scunckius ejusdem urbis scriba, Joannes Terserus Doctor Theologus, Christophorus quidam Pastor in Foria. Quos, cum partim objecta diluerent, partim ultra dicta non processissent, impune dimitti placuit. Ita soli Messenii capite pœnam luerunt, nec acerbius inquirere aut sævire pars prudentiæ visa. Principi ad remunerandam tam generosam actionem, à Regina insignis pretii donum mittebatur, quod ipse alio etsi inferiore munere pentatum ibat. Selectis Ordinibus conventu soluto injungebatur, ut populum passim de hoc negotio recte edocerent, & si qui complices invenirentur, indicarent.

1651.

§. 8. In Germania postquam ob partas provincias inter Ordines Imperii locum sortita esset Regina, auspicium utique exercendis cum Cæsare amicitiæ significationibus faciendum erat; simul investitura earundem nomine petenda præsertim cum à Cæsare superiore anno dictum fuisset promulgatum, quo, queis ditiones quædam recens partæ forent, ex feudi lege debita præstare jubebantur. Huic negotio præparando, tum ut super titulis utrinque deinceps adhibendis conveniretur, placebat Matthiam Biœrnclovium Viennam mitti, ne solennis legatio rebus istis nondum rite digestis accedens contumeliæ quid acciperet, aut irrita inde abiret. Cæterum satis constabat, ista longe facilius Osnabrugæ potuisse expediri, quando sexaginta bellatorum millia ingens Suecorum postulatis momentum addebant. Quo respectu remoto jam supercilium suum exterere Cæsareis in proclivi erat. Ac Osnabrugæ quidem cum initio Succi pares cum Cæsare titulos Reginæ exigerent, Cæsarei verbo declarabant, iisdem eam quibus Gallus atque Hispanus titulis honorandam. Porro quia pares inter se censentur, quibus supremum, ac à nullo mortalium dependens imperium competit; ac fere postulata porriguntur præter id, quod obtineri posse spes est; Biœrnclovius Viennam delatus literas fiduciarias exhibebat, quarum exordio titulus Reginæ Cæsareo præpositus erat, nec Cæsar alio quam Serenitatis titulo, honorabatur, prout inter pares solet. Id cum Cæsarei aliorum Regum mori repugnare arguerent, eas literas isti redhibebant. Etsi hic ostenderet, in causa Palatina olim Regem quoque Angliæ suum titulum Cæsareo antepositisse; ac Gustavum Adolfum quondam Regem *Serenitatis* duntaxat titulo Cæsarem compellasse;

Biornclovii negotiano Viennæ circa titulos.

Ejus literæ fiduciariæ redhibentur.

1651. laſſe; quæ literæ cum retentæ, nec unquam redhibitæ fuerint, eum titulum tacito conſenſu agnitum fuiſſe. Sed contendebant Cæſarei vocabulum *Majeſtatis* utique Cæſari deberi, quod Gallus, Hiſpanus aliique Reges eidem tribuant; nec Reginam plus ſibi, quam hoſce arrogaturam. Regis Guſtavi Adolfi literas nil aliud quam indictionem belli fuiſſe, nec reſponſum ad illas repoſitum, nec in exemplum easdem trahi poſſe. Cum igitur per haſce literas fiduciarias ad Cæſarem admitti non poſſet Biœrnclovius, literas producebat Reginæ manu ſcriptas, quibus Cæſar vocabulo *Majeſtatis* honorabatur. Eas Cæſarei quidem probabant, ſed quia iſte prioribus oblatis audiri petierat, haſce prius corrigi utique debere oſtendebant. Ac ſuſpicabantur, Biœrnclovium aliis fiduciariis literis inſtructum ad ipſorum placitum adornatis. Sed hic alias ſibi literas negabat eſſe; ac ſi Cæſar utique titulum *Majeſtatis* exigeret, eundem Reginæ quoque reddendum, quæ & ipſa neminem in terris ſuperiorem agnoſcat. Nec eo minus Cæſari prærogativæ quid ſupereſſe. Hunc enim *Cæſaream Majeſtatis*, illam *Regiæ Majeſtatis*, vocabulo inſigniri. Quid alii Reges faciant, qui *Sereniſſimi* titulo à Cæſare accepto adquieſcant, id juris tertii haut derogare. Sed Cæſarei hiſce haut quidquam moti ingerebant, rei cardinem in vocabulo *Majeſtatis*, non ejuſdem additamento verti. Etſi alias amica omnia differebant; dolere Cæſari, Noribergæ à Suecis ita acriter certatum, ut par utrinque titulus tribueretur, quod tamen citra præjudicium Imperii Romani concedi nequeat. Ac ſi privatas Reginæ literas initio protuliſſet Biœrnclovius, nullam circa ipſius admiſſionem moram fuiſſe futuram. Sed nec poſtulari à ſe titulum *Omnium Sereniſſimi*, quo veteres Sueciæ Reges Cæſarem honorarint, ſed ſimplici *Sereniſſimi* titulo contentos fore. In vocabulis honoris ſubſcriptioni præmitti ſolitis, (*Corteſiam* ex uſu aulæ Cæſareæ vocant,) vocabulum *Domini* Fratris addi volebant; quo & Hiſpanus utatur. Præterea Latinis ſcriptis Reginæ titulum *Potentiſſimæ* offerebant, qui ab ipſis Turcæ, Moſco & nuperrime quoque Hiſpano tribuatur, poſtquam in ratihabitione Pacis Oſnabrugenſis Regina eo vocabulo honorata fuit. Nam apud Gallum ipſos titulo Chriſtianiſſimi nullo alio additamento defungi; Anglo, Dano, Polono ac Perſarum Regi *Sereniſſimi* duntaxat titulum præſcribi. In Germanica tamen lingua non niſi Grandipotentis (*Großmächtig*) poſſe tribui: id enim Potentiſſimi vocabulo reſpondere. Circa privatas literas poſtulabat quoque Biœrnclovius, ut eas Cæſar propria manu ſcriberet, ſicuti ad Gallum, & Hiſpanum facit. Nam quæ ad Daniæ Regem dantur, ſcribæ manu exarantur, ac in eo tantum à publicis literis differunt, quod numero ſingulari de ſe Cæſar loquitur, ac ſuum titulum exordio literarum haut præmittit. Ea res poſtquam aliquamdiu agitata eſſet, tandem Cæſar nullis aliis fiduciariis literis, quam privata Reginæ epiſtola Biœrnclovium publice audit; qui poſt honoris verba morâm Legatorum excuſabat, queis inveſtitura Reginæ nomine accipienda ſit; petebatque certum tempus illi actui à Cæſare præfigi. Eam excuſationem Cæſar probabat; de tempore inveſtituræ ſe deliberaturum. De cætero amica omnia offerebantur.

Ad audientiam admittitur 24. April.

Ulterior circa titulos & linguam diſceptatio.

§. 9. Regina poſtulatis Cæſareorum cognitis conſtituebat quidem titulum *Majeſtatis* Cæſari haut amplius publicis literis negare, ea tamen diſerta conditione, ut viciſſim pari cum Gallo, & Hiſpano honore afficiatur; remiſſura quoque privatas literas, ni propria Cæſaris manu ſcriptæ forent. Enimvero Biœrnclovius id negotium haut anxie nimis jubebatur urgere, ſed potius ita lente agere, ut Cæſarei Miniſtri ultro rem moverent; ne videretur debitos titulos à Cæſare mendicare. Sed & eo Cæſari ſatisfacere decreverat, ut ſuum titulum in fronte literarum haut præponeret, ac ſtatim ordiretur, *Sereniſſime Imperator*; ipſa viciſſim publicis literis probatura vocem *Sereniſtatis*, non item *Dilectionis*; in privatis autem non aliam quam *Majeſtatis*. Nec repugnabat, quo minus Cæſar literas ſuas à proprio titulo auſpicaretur modo ipſi vocabulum *Potentiſſima* non abnueret. Aliam tamen quam Latinam linguam admittere publicis literis nolebat; ſi Germanica ab iſto adhiberetur, Succica reſponſum redditura. Ita cum aliquamdiu Biœrnclovius ſuper eo negotio Viennæ ſiluiſſet, Cæſareis ultro monentibus poſtulabat, ut in poſterum communicatio publica per Legatos, ac literas, itemque actus, & inſtrumenta inveſtituræ, Latina lingua expedirentur: in privatis literis libera foret linguæ electio: in literarum inſcriptionibus medius Cæſaris titulus quem vocant adhiberetur: literarum ingreſſu Cæſar ſcriberet, *Sereniſſima & Potentiſſima Regina*, non *Princeps*: Regina publicis & privatis literis adhiberet titulum *Majeſtatis*; Cæſar publicis *Sereniſtatis*, privatis *Majeſtatis*. Cæſarei contra primo omnium contendebant, ut Biœrnclovius literis fiduciariis ad deſideratam formulam adornatis publici auctoritatem Miniſtri ſibi circumponeret, eoque facto Cæſari quæ is poſtulabat exhiberet; quid Cæſar viciſſim Reginæ deferre vellet, ab iſtius velut gratia expectaret. Circa poſtulata autem Reginæ haut adeo difficiles ſe præbebant, niſi quod in negotiis, quæ Sueciæ Regnum ſeorſim ſpectarent, Latina, in iis autem, quæ ad provincias Germanicas pertinerent, Teutonica utique lingua ſcribere vellent. Cum contra Regina contenderet; & hoc Latina lingua utendum ad exemplum Hiſpani, adverſus quem in negotiis provincias Burgundicas tangentibus ab Anno 1613. lingua Latina adhibeatur. Nam quod ad hoc exemplum excipiebatur; Hiſpanum Cæſari agnatum, de ipſo bene meritum, ac Burgundiæ incolas lingua Gallica uti, ad rem nihil facere. Aliam quoque rationem Regis Daniæ eſſe, qui Holſatiam non velut à Dania dependentem poſſideat; cum ipſa contra provincias Germanicas velut Regina Sueciæ adquiſiverit, Regno Sueciæ in perpetuum conjunctas; quas nec deteriore jure, quam Hiſpanus Burgundicas provincias poſſideat. Enimvero quod circa uſum linguæ Latinæ ita difficiles eſſent, ex parte quidem à Secretariis proveniebat Germanica negotia expedire ſolitis, qui ne emolumento ſuo quid decederet, cavebant. Sed præcipuum obſtaculum adferebat Legatus Hiſpanicus, penes quem fere ſumma rerum in aula Viennenſi tunc erat; qui Regi ſuo prærogativæ quid conciliatum ibat, ſi hac in re Sueciæ Rex pari modo cum Dano haberetur. Unde & ſcriptam declarationem edere abnuebant Cæſarei, ne in eadem expreſſa Hiſpaniæ Regis mentio facienda eſſet. Obtentui ſumebatur, quod nulla conventio ſcripta cum aliquo Rege ſuper titulis extaret; cum quibuſdam autem circa id negotium ſermone tranſacta mox in uſum recepta. Circa linguam oſtendebatur: ob dignitatem Imperii non poſſe Reginæ poſtulatis ſuper

1651. *Reginæ declaratio.*

Hierarchiæ vii pulſatæ.

Cæſareorum regi verſationes circa linguam.

§. 10.

uſu

1651. usu linguæ Latinæ annui, sed cum Electoribus rem communicandam esse. Cujus dilationis causa credebatur, ut interea Bremensis urbs ad Comitia vocaretur, nec ei negotio Suecicus Minister sese opponere posset, qui ob pendentem circa titulos controversiam nondum publicam autoritatem induerat. Simul quia de turbido Sueciæ statu referentibus fidem adhibuerant; qui si bellum civile, uti in Gallia, parturiret, citò finem paci Germanicæ allaturus credebatur. Neque tamen Reginæ ista mora valde ingrata accidebat, cui interea integrum fuerat statum Bremensis Ducatus, & Pomeraniæ pro lubitu ordinare nullo Cæsareo indulto; simul multas molestas ab aula Cæsarea literas in tractatu limitaneo cum Brandeburgico, & circa vectigal Warnemundanum cum Meclenburgico declinaverat.

Calumnia in Succos.

§. 10. Cæterum quam exigua Suecorum Viennæ esset gratia, non solum è tergiversationibus circa titulos, & linguam adparebat; sed & quod Elector Palatinus, Cassellanus, Sabaudus, qui Regias partes in bello secuti erant, lentis circa negotia sua moris torquerentur. Tum ut Ordines Imperii offentam in Suecos conciperent, spargebatur, Reginam Comitia, quæ ab omnibus deliderabantur, impedire mora investituræ injecta. Inprimis ut animi Austriacorum subditorum formulæ Augustanæ addictorum à Suecis plane averterentur, magno studio rumor didebatur, Reginam libertatem istorum circa sacra Osnabrugæ sexcentis nullibus uncialium articulo secreto vendidisse; ex quibus ducenta millia à Cæsare præsenti pecunia exsoluta inter certos Ministros Suecicos sint distributa. Unde & articulum illum secretum cæterorum Ordinum notitiæ subtractum. Quæ cum cassa esset calumnia, Regina Salvio injungitur, ut ad Cranium, qui autor ejus rumoris ferebatur, literas daret, quibus super mendacio illo quereretur, testatus conscientiam ipsius, hautquidquam secretum illum articulum in causa fuisse, quo minus Austriæ incolæ majore circa sacra libertate potirentur; sed quia Ordines Evangelici eam cautam destituerint.

Super renovando fœdere Gallico considerationes.

§. 11. Ista aulæ Viennensis morositas sub primum renovatæ amicitiæ ingressum sese exprimens satis indicabat, præter fidei publicæ religionem alio vinculo esse opus ad stabilitatem paci Westphalicæ præstandam. Quam in rem duo potissimum remedia occurrebant, conjunctio peculiaris inter Ordines Germaniæ, ac fœdus cum Gallia. Quorum utrumque tamen non exiguis implicitum erat difficultatibus. Sane conjunctio cum Principibus Germaniæ servandæ pacis causa facta uti valde plausibilis, ita ob illorum multitudinem ægerrime coalitura erat, plerisque privatas rationes sequentibus, supina publici emolumenti cura. Et semel licet coalitos haut arduum convellere, privati commodi specie ostentata. Tum & modicæ singulis opes, adversus ingentem potentiam exiguum momentum; & cum propriis viribus haut subnitantur, consilia fere in diem capiuntur, stabili fundamento haut subnixa. Atque id negotium Norimbergæ, inde Francofurti diu agitatum Ordinum lentore, ac Cæsareorum artibus facile eludebatur. Contra fœdus Gallicum plurimum splendoris, nec minus firmitatis habiturum erat; in quod si & Ordinibus Imperii, ut adscribi possent, locus relinqueretur, plerique haut ægre se sociaturi videbantur. Ita tot conventibus, ac tædiosissimis tractatibus opus haut fore. Præsertim si fœdus hisce legibus aptaretur, ut constet, mentem Regum non esse pacem Westphalicam convellere, aut litem Domui Austriacæ movere, turbasve in Imperio excitare: sed hujus tranquillitatem, & communem conservationem ipsis unice propositam esse. Nec tamen deerant, quæ adversus fœdus cum Gallia reponi possent. Regna ista longo intervallo dissita, & quibus ob interjectam Germaniam vires sociare difficillimum sit. Gallos atque Austriacos vicinos, æmulos, potentes, quos inter diu pax consistere nequeat; unde qui Galliæ fœdere jungatur, perpetuum bellum adversus Cæsarem sibi velut despondere. Faciem rerum per Europam ita jam mutatam, ut Suecia plus emolumenti ex amicitia Austriaca, quam Gallica videatur captura. Acsi tribui veteri cum Gallia amicitiæ, si fœdere cum ejus hostibus abstineatur. Sed absque præsenti ac evidenti utilitate, quæ nunc non adpareat, haut consultum esse vinculo se ultro adstringere, ac libertatem cum Austriacis tractandi sibi adimere, si id è re videatur. Instabiles quoque domi res Gallorum, acdilidis hos intestinis huc redactos, ut ne si velint quidem subsidio pecuniario Sueciam iuvare queant. Denique fœdera, quibus perpetuæ præstationes conjunctæ sunt, hautquidquam ex affectu mutuo Principum ac nationum suscipienda esse; ac alio modo privatæ amicitiæ officia, ac politæ humanitatis indicia dispendanda, quam Regnorum inter se conjunctiones, quas sola communis utilitas moderatur. Istæ rationes cum magni momenti viderentur, Regina tamen judicabat, advertis rationibus haut leve pondus accessurum, si Gallia annui quid subsidii præstaret. Quod an expectandum esset, ut explicaretur, Chanuto Legato Gallico ostendebat: Invenire se in Senatu non paucos, qui fœderi cum Gallia reluctentur, quibus insuper habitis, etsi ipsa statuere possit, quod ex usu Regni judicet esse; ad firmitatem tamen tam ardui negotii facturum, si suis subentibus id fœdus ineatur. Equidem se vel absque fœdere omnia, quæ à se proficisci possint, Galliæ præstituram; sed cum ipsa mortalitatis legi obnoxia sit, optare ejusmodi inter duo Regna vinculum, quod à sua vita haut dependeat; quodque adeo Senatus ultro potius amplectatur, quam suâ autoritate ad id compellatur. Eo quippe suos esse ingenio, ut haut temere ad fœdus aliquod adduci queant, ni præsens lucrum oculos feriat. Si Carolus Gustavus regno potiatur, facile secuturum fœdera, quæ jam facta invenerit. Sed fœdere cum Gallia nondum stabilito metuendum esse, ne parum se in id pronum ostendat, ubi summa rerum penes ipsum esse cœperit. Unde optare, ut Galliæ centum aut ducenta uncialium millia annua prodigere velit ad pignerandam sibi Senatus, ac nationis benevolentiam: Nam se quidem nunquam lucri quid ex amicitia captasse, ac repugnante plane genio ad humilia ita postulata descendere. Enimvero cum è Chanuti responso satis adpareret, surdas Gallorum ad eam legem aures esse, de fœdere quidem cogitationem non abjecit, ejus tamen leges ita temperare constituebat, ne ipsa sumtibus, ac labore gratis implicaretur. Tum & lente ac secte id tractandum videbatur, quoad circa investituram Viennæ transactum esset. Sicuti & contra Galli malebant super eo fœdere moneri, quam ultro id solicitare, ut onus pecuniarium declinarent; unde cupiebant, ut Suecі ejus articulos prius conceptos sibi exhiberent, quos ipsi pro lubitu post refingere possint.

Digitized by Google

1651. Regina ſuperè renovando fœdere, ejusque legibus decernit. 10. Jul.

§. 12. Inde Chanutus Lubecam diſceſſurus Reginæ ſignificabat; optare Regem Galliæ, ut per tot annos culta inter utrumque Regnum amicitia renovetur, ac perpetua conſervetur; eumque in finem Regina Legatos ſuos Lubecam ituros idoneis mandatis inſtruat. Regina re cum Senatu communicata ſibi ac Regno expedire judicabat, amicitiam cum Galliæ Rege arctius adſtringi, de cujus auxilio in omnem eventum ſibi proſpicere debeat, ab amicis ſat deſtitutæ, nec alio æque valido ac idoneo, cui tuto inniti poſſit. Deſignabantur inde ſumma fœderis capita, cujus ſcopus eſſe debebat, ut pax Weſtphalica ſarta recta præſtaretur, & quæ in ea conventa ſint effectui darentur; in quod & alii in Germania aut extra eandem admitti queant: Tum ut commercia inter utriusque Regni cives excolerentur. Præcipuus circa id fœdus ſcrupulus erat; num expediret, hoc potiſſimum tempore, dum de accipienda inveſtitura agitur, cum Gallis fœdus renovare bello Hiſpanico implicitis; cum Sueciæ Hiſpani amicitia commerciorum cauſa utique expetenda videretur. Neque enim dubium erat, quin hoc ce fœdus magnam ſuſpicionem Cæſari atque Hiſpano injecturum eſſet. Et quia Cæſar adducendus erat, ut auxilium Hiſpano ne ferret, & hic ut ceſſionem Alſatiæ ederet, facile novo bello Suecia implicari poterat. Prævalebant tamen in contrarium rationes, quod Sueciæ ſecuritas inſigniter in eo verteretur, ut pax Germanica ſubſiſteret, ac Imperio præſens ſtatus permaneret, idemque dominatui Auſtriaco ne ſubjiceretur. Nam in Ordinibus, licet & ipſi ad præſtandam pacem teneantur, parum fiduciæ collocari poſſe. Fœdus autem Gallicum autoritatem juxta ac robur Sueciæ circumdare; ac uti utrumque Regnum mutuo auxilio Provincias ſibi in Germania adquiſiverit; ita & eaſdem non aliter quam mutuo auxilio conſervari poſſe. Et hanc occaſionem fore perpetui cum Gallia vinculi, quod hæc forte poſt partam cum Hiſpanis pacem adſpernatura ſit. Ita tamen placebat fœdus hoc temperare, ut in præſens Regina magis ad mutuum conſilium, operamque circa tuendam pacem Germanicam, quam ad ſubeundum bellum adſtringeretur. Nam ſi ad hoc deſcendendum eſſet, nova conventione ſuper legibus auxilii ferendi opus cenſebat. Sed & quia novis ſubſidiis Galli ſe obſtringere abnuebant, Regina æquum cenſebat, ut ſaltem reſidua è priori fœdere exſolverentur. Nam pro Anno quadrageſimo octavo major pars, ſimul integer Annus quadrageſimus nonus, & dimidius quinquageſimus inter reſidua erat; quæ ſumma ad 993445. unciales ſurgebat; præſertim cum executio pacis magnam partem ad Benfeldam, & Franckendaliam adhæſiſſet, quæ Galliam præcipue ſpectabant; ita ut, ni hujus commoda obſervanda fuiſſent, longe citius Noribergæ conveniri potuerit. Quod ſi tamen pro Anno quadrageſimo nono & quinquageſimo ad ſubſidia ſe non teneri Galli pertendant, ſaltem reſidua Anni quadrageſimi octavi, quæ 273445. unciales conficiant, abnui non poſſe. Ut porro hoc fœdus eo facilius Cæſaris notitiæ ſubtraheretur, ſoli Magno Gardio, & cum is Lubecam, ut deſtinatum erat, ire omiſiſſet, Salvio excluſis cæteris Legatis cum Chanuto negotiatio committitur. Ipſe quoque Chanutus id negotium premendum cenſebat, ne opera ſua circa conciliationem Polonis ſuſpecta redderetur.

Tractatio

§. 13. Poſt ſuſpenſum tractatum Lubecenſem, de quo mox referemus, Salvius ac Chanutus Hamburgum ſe conferebant, ut fœdus iſtud adornarent. Nam aliquoties jam Lubecæ Salvium monuerat Chanutus, ut promiſſam ſæpe formulam fœderis expromeret. Id quod Salvius abnuebat, tum quod iſthoc negotium ita ſuperfunctorie tractari nollet, tum quod parum è dignitate videretur hoc modo ſe Gallis velut ultro venditare. Chanutus contra id magnificum Sueciæ fore formulam proponere, velut penes ipſam ſit leges ferre. Sed nunc opus ſibi videri, ut uterque congreſſu habito communi opera formulam concipiat, capitibus, ſuper quibus conveniri nequeat, ad Principes remiſſis. Unde obiter tantum ea res Lubecæ jactata; ubi cum de reſiduis ſubſidiorum Salvius mentionem ſubjeciſſet, Chanutus reponebat; tractatus ſemper futurum, non præteritum reſpicere; nec vocabulum ſubſidiorum inter Sueciam & Galliam reſuſcitandum eſſe. Sed cum Hamburgi propius ad rem accedendum eſſet, primo omnium à Salvio ſuper procuratorio monebatur; quod à Rege Chanutus habere ſe negabat; cæterum Briennâ Comitem ſibi eo nomine literas ſcripſiſſe, quæ ſat autoritatis ipſi tribuant. Eoque proponebat, ut utrinque formula aptaretur, hinc in Galliam, inde in Sueciâ mittenda ut quæ Reges velint corrigant. Si quæ alterutri diſpliceant, ulterius poſſe diſceptari; ſi probentur, procuratorio opus non eſſe. Verum lubricus hicce modus Salvio diſplicebat; Briennæ Comitis literas Chanuto poſſe ſufficere, non Sueciæ; nec aliter ſe tractatus ſuſcepturum, quam ſi is juſto procuratorio ſit inſtructus; id quod à Regina diſerte ſibi injunctum ſit. Sed mox Chanuto juſtum procuratorium è Gallia allatum, ſimul imperatum, ut prærogativarum, & dignitatis Galliæ accuratam rationem habeat, poſtquam Succi ita ſcrupuloſi ſint in tuenda æqualitate; qui à tempore Guſtavi Adolfi huc uſque haut conceſſerint, ut Gallia ullum prærogativæ ſpecimen circa inſtrumenta pactorum, ac ceremonias exercere potuerit. Quanquam enim Regnum Galliæ potentia ac gloria longe ſupra ſit, & jactata à Succis Regum ſuorum antiquitas forte fabulis interpoletur; obnixe tamen contendere, eo ipſo quod Reges à nemine dependeant, quæ ſit unica ſupremi imperii nota, inter ſe æquales eſſe, aut ſaltem tales, ut nullo modo aliis inferiores ſint. Cauſam porro tardius miſſi procuratoris hanc poſtea Chanutus fatebatur, quod Galli ſpem fœderis plane abjecerint, ſi contigiſſet, Reginam ſceptrum in Carolum Guſtavum transferre; id quod circa id tempus agitatum diximus.

ſuper re- dere Gallico.

Capita fœderis exquiruntur.

§. 14. Cum inde ad excutienda fœderis capita accederetur, primum dubium erat, num fœdus ita late foret concipiendum, ut utrique Regum iidem amici & hoſtes habendi? A quo Salvius non abhorrebat, modo id intelligeretur de hoſtibus, qui futuri erunt, non qui in præſens ſunt. Nam uti Sueciam nolebat bello præſenti adverſus Hiſpaniam implicari; ita utile ducebat Galliam obſtrictam teneri ad auxilia Sueciæ ferenda in bellis adverſus Danos, Polonos, Moſcos. Contra Chanutus Galliæ fraudi judicabat, ſi Suecia potentiſſimum Gallorum hoſtem Hiſpanum excipere, ac viciſſim omnes complecti vellet, quos ipſa ſentire hoſtes poſſet. Et ſi vel maxime Succi in Hiſpanos bellum ſumere velint, incertum erat, num ipſorum auxilium ita remotum plus utilitatis Galliæ allaturum eſſet, quam oneris obligatio Succis adſiſtendi toties, quoties hi cum Polonis, & Da-

1651. & Danis bello collideretur. Quali ex fœdere Gallia ingens odium ſit contractura, Sueciæque æmulis neceſſitatem injunctura arctiſſime ſe cum Hiſpanis connectendi. Igitur omiſſo tam laxo fœdere ſcopum ejuſdem ad executionem & conſervationem pacis Weſtphalicæ reſtringebant, è qua magnam partem utriusque Regni ſecuritas dependeret; tum ut mutua inter utraque Regna navigationis, & commerciorum libertas foret. Ad eum finem perpetua inter hæc Regna amicitia, ac fœdere temporario opus eſſe. De amicitia Chanutus priore loco agi volebat, quæ potiſſimum cives utriusque Regni, ſicut fœdus ipſos Reges & Regna, reſpicere deberet. Et quia civium proſperitas fere commerciis ſtat, hæc ſub amicitiæ nomine eſſe ſtabilienda. Primo ejus capite Salvius ſuperfluum ducebat, poni verba, *heredes & ſucceſſores*; quæ Chanutus neceſſaria judicabat; cum alias vocabulum *in perpetuum* ultra vitam eorum, qui fœdus feriunt, non ſit porrigendum. Chanutus quoque Regem & *ſubditos populos* volebat exprimere, Salvius contra Regem Regnumque nominare, prout in Suecia moris eſt, ac priorum fœderum formulæ præ ſe ferunt. Sed Chanutus nullo modo *Regnum* cum Rege conjungi volebat, velut iſtud inſtar aliquod corporis aut jus & actionem ſeorſim à Rege haberet. Idque nunc eo curatius obſervandum, quod propediem Ordines in Gallia convocandi ſint, & nunc de ſumma Regis poteſtate in Ordinem redigenda quidam machinentur. Etſi Salvius id Regi Galliæ citra fraudem eſſe judicaret, cum prioribus fœderibus ea vocabula fuerint adhibita; atque ægre ferret, principio tractatus ſcrupulum Reginæ injici velut Galliæ Rex alia ſpecie poteſtatis, quam ipſa gauderet. Circa commercia Salvius id difficultatis movebat, quod per mandata ſua juberetur annuere, ne cives Galli apud nos plus vectigalis exſolvant, quam noſtri. Id quod beneficium ſit pro Gallis, cum in Suecia exteri plus vectigalis ſolvant, quam indigenæ. Contra ſi Sueci in Gallia non plus quam indigenæ ſolvant, onus id eſſe, non beneficium; cum circa ſal & vinum indigenæ ibi plus onerentur, quam exteri. Viciſſim circa hæreditates defunctorum Chanutus ſcrupulum injiciebat. Nam ſi Gallus in Suecia moriatur, ipſius hæredes intra annum & diem bona ab ipſo relicta nanciſci; id quod pro Gallis beneficium non ſit, cum jure communi omnibus exteris id permittatur. Ac licet Gallis decima pars bonorum remittatur, quam alias civitates de bonis exterorum defunctorum decerpunt, ſi eadem extra Regnum exportantur; id tamen parum videri, ſi Galliæ Rex viciſſim *jus Aubinæ* ex antiquiſſimis Regalibus remittere teneatur; per quod Rex omnia peregrinorum in Gallia defunctorum bona ſibi vindicat, ni jus indigenatus nacti ſint. Quanquam autem ad commerciorum frequentationem procurandam privilegia plurimum viderentur facere; placebat tamen id futuris tractatibus ſeponere, per peritos rei mercatoriæ inſtituendis, qui lucrum, damnumque accurate inter ſe comparare poſſent. Etſi enim quæ Suecis in Gallia concederentur, exigui momenti futura erant ob modica illorum commercia; poterant tamen aliis vicinis offenſæ cauſam præbere, ſi eadem petentibus abnuerentur: nec Chanuto conſultum videbatur, vectigalibus velut expeditiſſimis Regis reditibus quidquam decerpere. Porro ne liceat militem, arma, annonam paratumque bellicum ad hoſtes vehere, cum Chanutus contenderet, abnuebat id Salvius, ne Suecia hoc pacto commerciis Hiſpanicis excluderetur; & quia Hollandi, aliique id facturi erant, utut Suecis idem foret interdictum, quos ſatius ſit in partem ejus lucri admittere, quam idem in ſolos Hollandos derivare. Igitur placebat navigatione ad hoſtes permiſſa duntaxat excipere loca, queis obſidium fuerit circumpoſitum. Circa fœdus ipſum Salvius adhiberi cupiebat verba moderatiſſima, & quæ neminem offendere poſſent, aut ſuſpicionem præbere, velut nunc Sueci, Gallique novum bellum meditentur; utque adeo nil aliud quam executio, & conſervatio pacis Germanicæ quæreretur, ad quam ipſe Cæſar Ordinesque ſe obſtrinxerant, & ubi alteruter Regum fœderatorum ex cauſa præteriti belli Germanici hoſtiliter invadatur, alter teneatur omni modo operam ſuam interponere, ut res amice tranſigatur. Verum quia iſthoc non ſufficiebat, Chanutus fœdus ſecretum arctiſſimum judicabat addendum. Nam juxta Tabulas pacis Weſtphalicæ ſi Alſatia impetatur, Regina non tenebatur arma ſtatim in auxilium Galliæ expedire, ſed prius per triennium amicam compoſitionem, aut viam juris quærere. Atqui poſſe interim totam forte provinciam eripi, nulla ſpe relicta amiſſam amica ratione recuperandi. Idem periculum Pomerania quoque & Bremenſis provincia incurrere poterat. Unde judicabat Chanutus ita nunc concludendum eſſe, ut ſi unus invadatur, alter ſtatim citra exceptionem ad arma arripienda teneatur. Ad quæ Salvius reponebat: tutius fuiſſe Galliæ, ſi Alſatiam feudi nomine in Pace accepiſſet; ita enim non Sueciæ ſolum, ſed & aliis Ordinibus integrum fuiſſe ad eam tuendam in omnem caſum ſe obſtringere. Tunc & Galliæ ſeſſionem ac ſuffragium in Comitiis fuiſſe futurum, ſimul facultatem omnia in ſuam & communem ſecuritatem dirigendi. Sed cum nunc Regina Ordinibus Imperii adſcripta ſit, Cæſari atque Imperio devincta, altioris indaginis videri, cum extero Rege adverſus Cæſarem fœdus inire; præſertim quia vero ſimilius videtur, Gallos ob Alſatiam bello impetendos, quam Suecos ob Pomeraniam & Bremam. Eoque judicabat cum diſtinctione fœdus concipiendum, ne forte ad infinita bella Suecia obligaretur. Saltem ut ejusmodi fœdus differatur, quoad inveſtitura obtenta ſit, ne Cæſar nunc anſam arripiat iſtam abnuendi. Nam intereſſe Galliæ hoc tempore, ut fœdus iſtud ſecretum ne habeatur.

1651.

Droit d'aubeine.

§. 15. Poſt iſtam diſceptationem placebat utrinque formulam fœderis concipi; circa quam id diſcriminis inveniebatur, quod Salvius fœdus in decem annos, Chanutus in viginti vellet porrigi. Poſuerat quoque Salvius; *ſi alteruter* INNOCENS *impetatur*; quod vocabulum *innocens* Chanutus ferre nolebat, quippe quo vis fœderis enervaretur, cognitione ſuper juſtitia, cauſa ad alterum revocata, qui auxilium laturus ſit. In eo præcipua difficultas vertebatur, quod Chanutus caput de mutuo auxilio ita formari cuperet: *Si alteruter fœderatorum Regum hoſtilibus armis invadatur*, (ex cauſa belli Germanici, & in juribus per eam pacem quæſitis,) *unde periculum ſubſit, ne prius aliqua ditionum ſuarum parte ſpolietur, quam lentis auxiliis juris aut alterius fœderati Regis per legationes aut interceſſiones juvari queat, exemplo monitus & requiſitus alter arma capiat ſine mora, ut conjunctis copiis conſiliisque vim vi repellant, bellumque ſic neceſſario ſuſceptum iis legibus conditionibusque geratur, de quibus inter eos pro tempore conveniretur.* Sal-

Fœderis formula concipiendi.

1651. vius contra caput iſtud ſic deſignaverat; *Si hoſtilibus armis ex usdem cauſis alterutri impetatur, nec auxilius juvari queat, tum inter ſe mutuo convenient ſtatimque fœderati Reges, quo ulteriori modo mediisque pro ratione temporis & utriuſque conditionis ejuſmodi malis juſtum debitumque remedium opponatur.* Ita Chanutus volebat, ut prius declaretur bellum, & poſt agatur de modo adminiculisque belli gerendi. Id quod ſi utriuſque Regni par conditio & par periculum eſſet, à ratione non abhorrere Salvio videbatur, plurimumque ad efficaciam & ſoliditatem fœderis faciebat; etſi alias conſultatio & tractatus præcedere, actiones ſequi debere videantur, non vice verſâ, bellum prius inchoandum, inde deliberandum. Et ad eum fere modum fœdus Wismarienſe, & primum Hamburgenſe conceptum erat. Ac ſi Galli Alſatiam feudi jure obtinerent, facilius ejusdem juſtitia adprobari poterat; idemque æque Pomeraniæ & Bremæ, quam Alſatiæ profuiſſet. Sed poſtquam hæc extera provincia ſit facta, majore circumſpectione opus eſſe. Tum & illhoc caput in poſtremo fœdere ab ipſis Gallis ſublatum, inde per Inſtrumentum Pacis correctum erat, *triennio* in menſis locum poſito. Sed & nondum obtentam inveſtituram ſcrupulum injicere; poſt quam homagii reverentia plus difficultatis ſit factura. Unde conſultum videri, ut tali casu emergente ulterius de eo negotio agatur. Fieri quippe poſſe, ut tunc Suecia alio bello ſit implicita. Forte quoque Galliam tunc ſubſidium pecuniarium negaturam, veluti Suecia jam in anteceſſum obligata. Denique nec pacem Weſtphalicam, neque ſanam rationem permittere, ut ſtatim in arma ruatur, non tentata prius amica compoſitione. Contra Chanutus oſtendebat, duplicem hic eſſe deliberationem, unam, an arma ſint ſumenda; alteram quomodo, & quibus adminiculis id faciendum. Prius nunc eſſe ſtatuendum, alterum occaſioni & temporibus utriusque Regni relinquendum; ut ſi ipſorum inimici intelligant arma decreta eſſe, laceſſere eadem metuant. De cætero abſurdum eſſe, ita preſſe pacis Weſtphalicæ verbis ſe adſtringere, ut ſi Cæſar aut alius quis armata manu alterius ditiones invadat, licitum non ſit arma violatori pacis opponere, priusquam per triennium juſtitia incaſſum implorata fuerit. Salvio contra videbatur, ſuam ſententiam etſi per ambages ad eundem ſcopum tendere, eandemque obligationem producere: tum apud Germaniæ Ordines plauſibiliorem fore, ac præſenti Sueciæ ſtatui magis attemperatam. De cætero uti Salvium certæ rationes movebant, ut ſuper modo auxilii ferendi ad aliud tempus rejiceret; ita & Chanuto ut idem faceret, ſuadebat ſubſidium pecuniarium, de quo nunc mentionem facere nolebat. Prævideri quippe non poſſe, qua ratione tunc, & per quos hoſtes Gallia ſit invadenda, aut quo loco, & quantis copiis; ſic ut definiri in anteceſſum non poſſit, quid Sueciæ dandum foret, ut arma moveat. Ac metuendum eſſe, ne hæc forte poſtulata nimium intendat, ſi Galliam ſuo auxilio opus habere ſentiat. Viciſſim ſi Suecia prior invadatur, forte rationis fore, ut ipſa argentum poſcatur. Cum de reſiduis ſubſidiorum ſolvendis caveri hoc fœdere vellet Salvius, Chanutus id adſpernabatur, inhumanum dictitans hac Galliæ paupertate iſta reſidua exigere; ſimul expedire judicabat, eam rem in medio relinqui, ut ſi poſtea Rex in melius mutatis rebus Sueciæ aliqua pecuniæ ſumma gratificari vellet, ſub honeſto prætexto id facere poſſet. Ita quidem ab utroque Legato adornata formula in Sueciam, & Galliam transmiſſa eſt, ut Regio judicio, quæ utrinque diſcrepabant, deciderentur. Paulo poſt tamen Salvius oſtendebat Chanuto, tantopere à ſubſidiorum vocabulo abhorrenti; ſi Regina ſtrictius ſuper ſumendis armis declarare ſe debeat, ubi alterutrum Regnorum bello petatur ipſam viciſſim poſtulaturam, ut de ſubſidiis quoque ad ſuſtentanda arma præſenti tractatu, aut articulo ſecreto conveniatur. Chanutus uti Galliam id non defugere poſſe judicabat, ſi Alſatia invadatur, & ad hanc tuendam Sueciæ auxilium ciendum ſit; ita ubi Sueciæ Provinciæ prius impetantur, ſufficere, ſi Gallia auxilium promittat. Sed Salvius cum perſpiceret, tunc maxime ſubſidiis opus fore Sueciæ, ſi ipſa invadatur, utique contendebat, ut nunc ſubſidia in univerſum promitterentur; modus eorundem definiretur, ubi bellum cœptum ſit. Quo ut induceret Chanutum, offerebat ſuper mutuis auxiliis ferendis conventum iri, prout ipſe ſua formula propoſuerit, aut ſi mallet pacto ſecreto. Qui ſatis ſecum ſtatuere nequibat, præſtaretne laxiorem relinquere obligationem, an promiſſâ pecuniæ ſumma fœdus magis adſtringere. Et ſi poſterius placeret, judicabat ſimpliciter pecuniam promittendam eſſe, ſumma haut definita, quæ pro ratione belli poſt orituri temperanda ſit. Nam fieri poſſe, ut quæ hactenus præfixa fuit ſumma, poſt minore belli mole enormis ſit. 1651.

§. 16. Quo fine Matthias Palbitzkius in Hiſpaniam miſſus fuerit, ſuperiore anno expoſitum eſt. Per hunc Regina binas ad Regem Hiſpaniæ literas dabat, quarum unis de libertate commercandi in ditionibus Hiſpanicis pro Sueciæ civibus petebat; alteris mediationem ſuam inter Hiſpanos, Gallosque offerebat. Scribebatur quoque ad Regem Galliæ ſuſpicionis declinandæ cauſa, quo fine iſte in Hiſpaniam iret, ſimul petebatur, velit edocere illum Rex, quæ ad conciliandam pacem facerent. Cum is in Galliam perveniſſet, apud Regem proponebat; Reginam è Chanuto intellexiſſe, haut diſpliciturum ipſi, ſi opera à ſe circa componendum inter Galliam & Hiſpaniam bellum ſumatur. Quod & Cæſari gratum fore, Piccolominieum literis ad Principem Sueciæ datis ſignificaſſe. Igitur ſe in Hiſpaniam miſſum ſuper procuranda commerciorum, & navigationis libertate; ac ſi ſentiat, Hiſpanis Reginæ mediationem non ingratam fore, ut eandem illis offerat. Cupere ſe tamen ex Rege prius intelligere, quomodo circa hoc negotium ſe debeat gerere. Galliæ Rex operam Reginæ ſibi gratam eſſe oſtendebat, velut ſinceræ benevolentiæ indicem, modo Hiſpani eandem pariter admittant, nec Cæſarem ei negotio admiſcere velint, quem ipſe nullo modo ſocium ferre queat. Valde tamen dubitare, num pax Hiſpanis cordi ſit. Eoque caute hoc negotium tractaret, ſimul teſtaretur, non eſſe quod Hiſpani fiduciæ quid in turbis Galliæ inteſtinis collocent. Idem quoque tecte apud Regem explorabat, num ipſi gratum ſit futurum, ſi Regina circa componendos internos Galliæ motus operam navet. Id quod Rex adſpernabatur, velut faſtigio ſuo inferius, ſi cum civibus ſuis per ſequeſtres velut ex pari tractaret. Idem porro cum in Hiſpaniam perveniſſet, illas prius literas reddere jubebatur, quibus oblata amicitia commerciorum libertas petebatur. Hanc ipſe prius citra exceptionem poſtulaturus erat, ut Sueciæ civibus nullo

Miſſio in Hiſpaniam.

1651. nullo impediente commercia exercere liceat in omnibus Hiſpanorum ditionibus, ac portubus ubicunque terrarum ſitis; aut ſi Americanam navigationem abnuerent, ſaltem in Europa; utque illa libertas publicis Regis edictis ſanciretur. Tum ne Sueci majore vectigali onerentur, quam alii exteri, ac nominatim Belgæ Fœderati, oſtenſo, quam proficuum ſit futurum Hiſpanis, ſi Suecicas merces, quibus ipſi carere nequeant, ab ipſis Suecis nullo intermedio emant. Tum ne naves Succiçæ ad ulla Regis miniſteria invitæ adigantur. Denique ut Sueci Conſules in portubus & oppidis, quibus velint, conſtituere poſſint commerciorum commodius expediendorum cauſa. Si Hiſpani de arctiore fœdere moverent, Palbitzkius reſpondere jubebatur; ſe credere Reginam ad omnia amicitiæ officia pronam. Cæterum de eo nihil in mandatis ſibi datum, & ad illam ſe relaturum. Inde dextre expiſcaretur, num Reginæ conciliatio Hiſpanis grata ſit futura; quod negotium tamen ita inſinuaret, ne Hiſpani forte credant, Reginam à Gallis ſubornatam, aut Gallos pacem anxie expetere, & neceſſitate quadam ad eandem compelli: ſed Reginam non prius Gallorum ad pacem inclinationem explorare voluiſſe, quam de Hiſpanorum mente conſtaret. Si Hiſpani interrogent, num Regina velit, ut Cæſar ſimul mediatoris partes ſuſcipiat, reſponderet; penes ipſos eſſe, quorum operam adhibere velint; ſed vix credere Gallos Cæſarem admiſſuros ob nimis arctam cum Hiſpania conjunctionem. Sed ſi Hiſpanos à pace abhorrere intelligeret, de mediatione mentionem ne faceret. Reverſus in Galliam Regi ſignificaret, quæ noſſe ipſius interſit.

Hiſpani libera commercia Suecis concedunt.

§. 17. Cæterum Palbitzkius in Hiſpaniam delatus cum propoſuiſſet; Reginam concordiæ cum Hiſpania inſtaurandæ cupidam ejuſdem auſpicia voluiſſe capere à commerciorum libertate jure gentium alias debita: ea pronis animis audiri vilà, ingentibus cum Reginæ elogiis; ac ſuper commerciis quæ poſtulabantur haut ægre obtenta. Promittebat Rex omnem ſecuritatem navibus Succicis in portubus ditionis ſuæ in Hiſpania, Italia & Flandria. Tum illis vectigal aliaque onera, præ reliquis Hiſpaniæ amicis, ac inprimis Belgii Fœderati incolis haut impoſitum iri; nec naves invitis dominis, magiſtriſque Regi, ejuſque præfectis quavis de cauſa ad miniſteria præſtanda adigendas; Succiſque liberum fore in Hiſpaniæ portubus Conſules habere eo facilius expediendis negotiis. 20. Nov. Quæ omnia edicto Regio per Hiſpaniam publicabantur. Sicuti & viciſſim Regina per Sueciam de ſtabilita cum Hiſpanis amicitia & liberis inter utramque nationem commerciis promulgabat. Addebat Palbitzkius de reſtituendis duabus navibus per Hiſpanos interceptis: quod annuebant Hiſpani, ſi preces veritate niterentur. Promiſſum quoque de liberandis captivis bello Germanico, & in has regiones translatis. 15. Dec. De conciliatione Reginæ Palbitzkius apud Pegnerandam velut per privatum ſermonem movebat. Cui hic reponebat; Reginam ſibi Hiſpanum valde obſtricturum, ſi Gallos ad æquas conditiones admittendas permovere poſſit. Enimvero Pontificem multos per annos iſti paci conciliandæ inſudaſſe, qui ſocium ferre non poſſit ritibus Romanis haut addictum. Ac ſatis adparebat, Hiſpanis magnam ſpem in Galliæ motibus internis eſſe; ac ſe à Gallis erepta vi recuperaturos, aut ita eoſdem defatigaturos, ut partis ultro demum ceſſuri ſint. Carolus Guſtavus quoque ſuper eadem re Piccolomineum Viennæ à Biœrnclovio tentari juſſerat, qui initio ſuper eadem propoſuerat. Iſte non ſine faſtidio reponebat; ex eo tempore, quo Noribergæ fuerint, faciem rerum utrinque inſigniter mutatam; ac exiguam pacis ſpem eſſe, niſi forte Galli ad leges pacis Vervinenſis deſcendere velint. Ita quid Hiſpanis animi foret, non obſcurum amplius erat. Unde & quanquam Legatus Hiſpanicus Antonius Brunus Hagæ factam à Spiringio Silbercrona Miniſtro Succico ſalutationem ambitioſe repoſuerat, ſimul Comes Robolledus Hafniæ Magnum Durelium Reſidentem Succicum ad communicationem ſecum inſtituendam amice invitaverat; id tamen nullo alio fine fieri judicabatur, quam ut Regina Gallis ſuſpecta redderetur. Revera autem Hiſpani Sueciam, ſi fieri poſſet, per alium potentiorem imminuere optabant. Succiæ quippe armis & conſiliis dominatu Germaniæ, à quo ſervitium Galliæ ac reliquæ Europæ videbatur pendere, evolutos ſe credebant, non opibus Galliæ nunquam ſibi conſtantis, aut rebellium motibus. Unde & eo tempore Borgia ab Hiſpano Legatus in Poloniam mittebatur, qui palam quidem ſuper debitis Neapolitanis diſpungendis agebat; revera autem id habebat propoſitum, ut Polonos ab incunda cum Succis pace inhiberet. Quo fine claſſem, & nervum belli quoties opus foret offerebat; ſimul petebat, ut ſolis civitatibus Hiſpanicis commercia Polonica permitterentur, ac ſuadebat, ut Rex Poloniæ in portu Pautzkenſi non procul Gedano ſemper armatas haberet naves, quas Hiſpani ſuppeditaturi ſint ad aſſerendum pro ſua parte Maris Baltici dominium. Qui tamen poſt ad Legatum Hiſpanicum Viennæ agentem ſcribebat; non opus fuiſſe laborem circa diſturbandos Lubecæ tractatus ſumere, qui ultro collapſuri ſint, poſtquam nec Sueci pacem ſerio velint; & Poloni propter expeditionem contra Coſaccos utile ſibi judicarint in omnem eventum cum Succis tractatu occupari. Polonos vero, cum Lubecam perveniſſent, res ita diſpoſitas invenisſe, ut cauſam non habuerint, quare Succos metuerent. Se quoque, ſi maturius huc adveniſſet, mandatum ſuum circa ſuſcipienda tam utilia deſtinata facilius expedire potuiſſe. Ex quibus facile patebat, quid ſinceri amicitiæ Hiſpanicæ ſubeſſet.

Tractatus Lubecenſis acta.

§. 18. Præcipuum negotium, quod eo anno Reginam occupatam tenebat, erat tractatio ſuper pace perpetua cum Polonis Lubecæ inſtituenda; quam circa exitum Aprilis initium capturam Rex Galliæ Reginæ ſignificabat. 5. Febr. Scripſerat quoque Senatus Poloniæ ad Senatum Sueciæ; à ſe quinque Commiſſarios obeundis tractatibus electos, poſtulans, ut & Sueci totidem mittant; tum ut modicam moram ægre non ferant. 26. April. Reponebat Senatus Sueciæ, quatuor Commiſſarios ſufficere, quia de hoc numero ab initio dictum erat; & ſuos circa initium Junii Lubecæ fore. Suſpiciones de Polonis. Nec eo ſecius apud Succos dubium valde erat, num ſerio pacem vellent Poloni, an bello renovando anſam quærerent. Sane ſuſpectum valde habebatur, quod Poloni tunc tanto ſtudio arma pararent, velut ad obſequium Coſaccos redacturi. Quorum duces à Poloniæ Rege ſecreto ſtimulatos multi credebant ad ſerendas turbas, ut ipſi prætextus eſſet exercitum contrahendi, quem raptim Livoniæ infunderet. Ac Viennæ palam differebatur, Regi Poloniæ ſpem fuiſſe Coſaccos ſubito oppri-

1651. opprimendi; tum verſis repente copiis Livoniam invadendi; præſertim cum & alias inter remedia turbarum internarum bella externa haberi ſoleant. Ibidem quoque Legatus Venetus Capellanus Bioernclovio indicium faciebat, Polonos Rigæ inſidias ſtruxiſſe. Ac Ragozius è Transſylvania in Sueciam Jo. Reichardum Vrezovetium Comitem Bohemum via per Raguſam capta, mittebat, qui Reginæ conſilia in Rigam inita, ac nomina eorum civium detegeret, qui operam ſuam circa prodendam eam urbem Polonis promiſerant, productis autographis Regis, & illorum civium literis. Quorum & duo natione Hollandi apud Regem Poloniæ fuerant, polliciti ſe urbem ipſi tradituros, ſi copias eidem admovere velit. Ipſe Ragozius viciſſim auxilium ſuum Reginæ offerebat, Poloniam à tergo invaſurus, ſi ipſa Boruſſiam petere vellet. Unde & Regina, ne per incuriam detrimenti quid acciperetur, legiones quaſdam è Finnonia in Livoniam traduxerat, firmandis ibi oppidis. Simul Guſtavus Hornius eodem mittebatur inſpiciendis munitionibus, ac rei militari in omnem eventum diſponendæ. Viciſſim nec Poloni plane ſecuri erant, quod longam pacem Sueciæ haut expedire crederent, militibus poſt deguſtatas belli Germanici illecebras ægre domi deſidentibus; ac diuturna quiete eorundem vigore evaneſcente. Præſertim cum Cotacci & Tartari ex altero latere Poloniam urgerent, nec Suecis prætextus deeſſet induciis haut leviter per Polonos temeratis irruptione Bothii in Livoniam, Crocovii in Pomeraniam & Carmeli machinationibus in OEſaliam. Etſi illas ſuſpiciones elidere debebat animus Reginæ à novo bello abhorrens, cui & parum tutum habebatur exercitum alteri committere, ni ſimul ſceptro eidem cedere vellet. Cæterum pauci tunc erant, qui de ſucceſſu iſtorum tractatuum ample ſibi pollicerentur, quod Rex Poloniæ ſpem ſobolis maſculæ adhuc foveret, cujus gratia actionem in Sueciam haut temere abdicaturus erat. Ac Senatores Poloniæ à Rege diſſidentes metuebant, ne forte inter conditiones pacis Rex certa ſibi auxilia à Suecis ſtipularetur ad redigendam in ordinem adverſam ſibi factionem; eoque & ipſi pacem ſufflaminaturi erant. Quin & Oſſalinskius Poloniæ Cancellarius dixerat; ſe mirari, quid penſi habuerit Regina Sueciæ, quod poſtremo interregno filios Sigiſmundi ad Coronam Poloniæ commendarit; cum ipſe judicet, horum à Regno excluſionem viam fuiſſe ad componenda inter Polonos & Suecos diſſidia: Ac inprimis ægre ferebat Polonus in Carolum Guſtavum jus hæreditarium recens collatum; in quod factum publicum meditari ſcriptum ferebatur.

Inceptum Legatorum eundem.

§. 19. Enimvero clarius patebit, quid de tractatibus hiſce ſperari potuerit, ſi quis utriuſque partis mandata expenderit. Jubebantur Suecici Legati primo Wiſmariæ ſubſiſtere, quoad Polonos Lubecam adpuliſſe cognoverint, ut & ipſi ſtatim eo ſe conferre poſſent. Nam ut prius Lubecam introirent, Regina noluerat, ne anxie pacem affectare videretur; nec tamen Polonis præſentibus in mora eſſe volebat. Circa viſitationes idem, quod Oſnabrugæ, obſervarent. Si omnes Conciliatores non adfuerint, cum præſentibus rem aggrederentur, ac prout Polonos ad pacem pronos intellexerint, ita ſe viciſſim compararent, ne vel nimis affectando pacem inſolentes eos redderent, vel ſuperbe negligendo calumniis anſam præberent. Super tractandi modo cum ſequeſtribus ſtatuerent, operamque darent, ut is decens ſit, & huic negotio accommodatus, ac ita inſtitutus, ut aliquis inde ſucceſſus ſperari poſſit. Pleraque per Mediatores agerent, ne occaſio ſit acerbitate verborum animos magis irritandi. A Polonis poſtularent procuratoria non Regis ſolum, ſed & Reipublicæ. Ne reciperent ejuſmodi procuratoria, quæ præjudicii quid aut periculi Reginæ adferre videantur, aut quæ juris quid Joanni Caſimiro Regi, ejuſque poſteris, aut fratri reſervent; ſed eum titulorum modum exigerent, qui poſtremis induciarum pactis expreſſus eſt. Simul Reginæ titulum non niſi integrum admitterent, nec ei quidquam detrahi paterentur. A Polonis exigerent poteſtatem tractandi amplam citra exceptionem & cui obligatio ſubſit; tum ne in Polonicis procuratoriis verba ac ſententiæ miſceantur, quæ aliquid indignitatis Reginæ majoribus adferant, vel rebellionis aut receſſionis maculam adſpergant. Quod ſi tamen truncatum titulum adhibeant Poloni ad evitandum de Eſtonia certamen, eundemque in ſigillo Polonico elidant, uti poſtremis induciis factum fuiſſe Angli & Belgæ Legati ſunt teſtati; adquieſcerent ipſi, ne nimis moroſi videantur. Cæterum declinarent diſceptationem de jure Regni Sueciæ, velut odioſam & evidentiorem quam ut declaratione egeat; nec ſe veniſſe diſputatum de jure Regio, cujus competens inter mortales judex non reperiatur; nec in quenquam compromiſſum eſſe. Quod ſi tamen inſiterint Poloni, admitterent ipſi amicam communicationem de iis, quæ acta ſunt præſentibus Mediatoribus, aut ſi magis placeat ipſis cum Conciliatoribus, ſalva tamen dignitate & jure Reginæ, ac ne cujuſquam cenſuræ jus ejuſdem ſubmittere videantur. Ea in communicatione culpam belli in Polonos conjicerent. Si ex occaſione hujus diſceptationis Poloni ægre tulerint, Carolum Guſtavum ſucceſſorem Regni deſtinatum, nec ſui Regis habitam fuiſſe rationem, oſtenderent; non quadrare cum legibus Sueciæ fundamentalibus, ut quis è proſapia Sigiſmundi eligatur. Et integrum eſſe cuique reipublicæ ſuperiorem non agnoſcenti de negotiis ſuis diſponere; prout nec Suecis in animo ſit rebus Polonicis ſeſe ingerere. Et quia Regina omnem cogitationem de nuptiis abjecerit, è re ipſi viſum hoc modo tranquillitati Regni conſulere: ac Caroli Guſtavi virtutes id meruiſſe. Alias ipſi ne præberent anſam de excluſione Sigiſmundi, ejuſque poſterorum præter neceſſitatem aſperius loquendi; nec de Carolo Guſtavo mentionem injicerent, niſi ultro querelam moveant Poloni. Procuratoriis utrinque probatis, & permutatis ad tractatum accederent. Si quæ Poloni ſuper conſervando jure ad Regnum Sueciæ Regi Poloniæ, fratrique & eorundem poſteris, vel ſuper annua penſione fratri, aut dote filiæ Regis danda propoſuerint, Legati Suecici iſta declinarent; cum eadem huc ſpectent, ut Regi, ejuſque poſteris fratrique jus aliquod ad Regnum Sueciæ reſervetur. Si repetant ea, quæ ſuperiore anno Fiſcherus propoſuerat, ut pro plena abdicatione juris in Regnum Sueciæ Joh. Caſimiro Livonia, vel Pomerania, vel alia provincia Sueciæ ditionis cedat, vel diſtrictus Dorpatenſis in perpetuum, vel Livonia jure feudi, vel inſignis argenti ſumma tradatur, aut fœdus ſuper certo auxilii modo ad occupandas aliquas terras ineatur, quarum proventu Rex loco Livoniæ frui queat; de Livonia quidem & tractu Dorpatenſi, vel jure perpetuo, aut jure feudi omnem ſpem

Polo-

1651. Polonis adimerent. Id cum ſecuritate Regni Sueciæ non congruere, ut tam potens vicinus, vaſallusve adſciſcatur, ac viſceribus ejuſdem interatur; præſertim ſi, quod fieri aliquando poſſit, inter Sueciam & Poloniam bellum oriatur. Livoniam quoque à Lithuania certis limitibus diſtinctam, ac maxima ſui parte Vaſallis ob bene de Regina, Regnoque Sueciæ merita attributam, qui privari iiſdem donis nequeant. Pomeraniam plurimo ſanguine Sueciæ ſtetiſſe; & ob eam, quam inde ſibi ſperet, ſecuritatem ne minimam quidem illius portionem cuipiam concedi poſſe. Et ſi carere aliqua ejus parte poſſet, Brandeburgico largituram fuiſſe arcta cognatione junctо, & cupide ambienti. Pecuniæ modicam ſummam Jo. Caſimiri Regis deſiderio non ſufficere, grandem extolvere Sueciæ durum, longo bello opibus publicis exhauſtis. Quod ſi fœdus & auxilia Reſpublica ac Rex ſimul expetat, conditiones ejus pandi à Polonis poſtularent, ac teſtarentur, à tali fœdere ac ferendis Regi Reique publicæ Poloniæ auxiliis Reginam non alienam eſſe, ſive certa argenti ſumma, ſeu manus militum præſtanda ſit, modo prius ſuper perpetua pace fuerit conventum. Conditiones pacis à Sueciis hæ proponerentur: Renunciet Rex Jo. Caſimirus, Fratereorumque poſteri omni prætenſioni in Sueciam, ejuſque provincias & ſubditos; abſtineantque titulo Sueciæ tam domi, quam apud exteros, eundemque ſigillo ſuo elidant, nec quidquam inde ipſi per ſe aut alios armis aut machinationibus petant: Promittat Reſpublica ſe Regi, ejuſque poſteris, Fratrique quidquam in Sueciam prætendentibus nihil unquam conſilii opisve laturam; quin ſi quid conſilii aut molitionum in Regnum Sueciæ inſtitui intellexerit, non modo dehortetur, & ſubſidia detrahat, ſed & impediat ac diſſipet. Rex, & Reſp. Poloniæ Livoniam integram Reginæ, ac Regno Sueciæ cedat. Acceptorum utrinque damnorum & injuriarum æterna oblivio ſit. Amicitia utrinque in poſterum excolatur. Commercia inter utrumque Regnum antiquo jure vigeant: Commiſſarii finibus regundis conſtituantur: Si quæ controverſia aliquando orta fuerit, datis Commiſſariis ex æquo componatur; & ſi quæ alia ſint ejus generis. Monebantur tamen, ne has conditiones ordine proponerent, ſed ſingulas oblique tractarent per ſe, aut quod potius ſit per Sequeſtres; ne ſi minus ſuccedat negotium, Poloni occaſionem habeant jactandi, iniquas à Sueeis leges ferri. Porro recte reſtitutionem Livoniæ negari hiſce rationibus adſtruerent. Neceſſitate compulſos Suecos arma in Livoniam tranſtuliſſe, quod Poloni litibus Sigiſmundi Regis ſe immiſcerent, hujusque cauſam contra Sueciam, quæ ad illos non ſpectabat, ſuam facerent, ac hoſtilia in Narvam ac Revaliam molirentur. Et quanquam Reges Sueciæ ad ſedanda illa bella fuerint promptiſſimi, Polonos tamen ſemper pacem adſpernatos, Suecoſque tam indigne habuiſſe, ut nuſpiam alios niſi viliſſimæ ſortis homines deſtinaverint, qui cum iſtorum Commiſſariis ſuper armorum ſuſpenſione, ubi res ita exigebat, tractarent, donec Riga in Suecorum ditionem pervenerit. Sed nec Polonis quicquam juris in Livoniam competere, cum Carolus V. & Ferdinandus I. Cæſares protegendæ illius curam adverſus Ruſſorum immanitatem Suecorum Regibus Guſtavo & Erico commendarint; eoque poſſideri hanc provinciam à Sueeis jure belli, ac eodem, quo Poloni iſtam adquiſiverint. Denique Livonia obtenta Sueciam ſuam ſibi ſecuritatem ipſam præſtare poſſe; cum experientia ſatis conſtet, quam parum præſidii nudis in pactis ſit. Nam etſi Sueci horum religione confiſi Boruſſia pacis amore ceſſerint; Polonos tamen Boothio & Crocovio facultatem indulſiſſe in Livoniam & Pomeraniam irrumpendi; & Uladislaum compoſito jam cum Danis bello conatum fuiſſe incolas Oeſaliæ ad defectionem invitare, ac in partes ſuas pertrahere, cum nullum illi jus in eam inſulam foret; Ac licet obtenderit, Regem Daniæ ſibi ære alieno obſtrictum; Polonum tamen in ejus inſulæ poſſeſſione non fuiſſe, & Regem Daniæ omne ſuum jus in eandem Reginæ, Regnoque Sueciæ tranſcripſiſſe. Ubi cum Polonis conventum fuerit, petitorum Curlandiæ Ducis, quantum illa ului Sueciæ vel pactorum præſcripto non advertantur, rationem haberent. Si à pace abhorreant Poloni, ac longiores inducias præoptent, reponerent Sueci: non ſatis per eas conſuli amicitiæ inter Regna, cum metus & diffidentia maneat, & utraque pars captatura ſit occaſiones, quibus olim finita pace illa temporaria nocere alteri poſſit. Quod ſi pacem abnuant Poloni ne ſtatim tractatum abrumperent, ſed moras necterent, donec ad Reginam retulerint. 1651.

§. 20 Polonicis contra Legatis injungebatur, ne in ceremoniis ullam Sueeis concederent prærogativam. Ne ad tractatus prius accederent, quam omnes mediatores, imprimis autem Hollandici Deputati adfuerint, nec his abſentib⁹ ullam tractationem ingrediantur, (qua de cauſa & poſt certum hominem in Hollandiam Lubeca mittebant, qui iſtos exciret.) Declararent, titulum Regis Sueciæ nemini niſi Polono competere; ne tamen ad eum ſcopulum hæreatur, paterentur, ut ſolum Regis & Reginæ vocabulum per totum tractatum adhiberi poſſit, non addita mentione Regni. Ubi ad principale negotium pervenerint, demonſtrarent jus Regis in Sueciam, qua Sigiſmundus cum ſua progenie contra fas ſit ejectus. Quæ injuria inſigniter fuerit cumulata, dum adminiſtrante nunc Guſtaviana progenie, obtentu teſtamenti Guſtavi I. jus hæreditariæ ſucceſſionis indebite ſibi prætendente, (quod utcunque tolerandum foret,) recens Palatinus Rheni, & extraneus, & nullo ad Regnum Sueciæ ſubnixus jure ſucceſſor declaratus ſit; cum alioquin per Guſtavi teſtamentum nemini ex linea materna cognato jus ſuccedendi in illud Regnum conferre fas licitumque ſit; potiſſimum apud Suecos, ubi minus fortunata exterorum Principum dominatio ingratam etiamnum inſequenti ævo poſt ſe reliquerit memoriam. Eam ob cauſam omni ope laborarent, ut iſta hæredis deſignatio, tanquam divinis & humanis legibus repugnans, nulla & irrita declaretur; ſimul decretum contra prolem Sigiſmundi abrogetur: præſertim cum poſterioribus inducis cautum ſit, ut his durantibus omni hoſtili actione abſtineatur, omniaque in priore ſtatu ad decurſum earundem relinquantur. Quam autem vim maiorem, quam hoſtilitatem apertiorem, quam pactorum convulſionem manifeſtiorem committi poſſe quam ubi jus naturale per ſuppoſitionem extranei ſucceſſoris violetur, & ſimul ſanguini Regio perpetua ignominiæ notâ inuratur? Unde hoc agerent, ut Guſtaviana prole quoad ſuperſtes exſtiterit, adminiſtrationem Sueciæ retinente, Jo. Caſimiro congrua ratione ſatisfactio debeatur non tantum ob Regnum tamdiu interceptum, ſed & ob privatum jus, partis

Polonorum Legatorum mandata.

21. Aug.

à Ca-

1651. à Caſimiri majoribus ante adeptum diadema Ducatibus, Waſiorum itidem gentilitus poſſeſſionibus per varia Sueciæ loca ſparſis. Eandem ſatisfactionem extendendam, quoad Guſtaviana proles vixerit; poſt cujus fata Regnum Sueciæ in poſteritatem Sigiſmundi ex teſtamento Guſtavi I. revolvenda ſit. Interim Jo. Caſimiro titulus Regni Sueciæ integer permaneret: ſucceſſores autem ejus interea ſolo Principum titulo uſque ad eventum, & devolutionem ſucceſſionis contentos fore. Pro Republica poſtularent reſtitutionem totius Livoniæ cum fructibus hactenus perceptis, una cum Eſtonia & annexis illi diſtrictibus, tanquam Livoniæ membro. Si Succi ſuper violatis per Polonos induciis querantur, reſponderent; illa inſcio Rege & Republica patrata, ac potuiſſe læſam partem iis uti remediis, quæ inducus præſcribantur. Quin & ab ipſis Succis violatas multifariam inducias, quod veteres munitiones in Livonia auxerint, ac novas è fundamento excitarint; quod vectigalia majora, quam pactis conceſſum, Rigæ & in portu ejus cum magno Poloniæ detrimento exegerint; Rigæ vilem & pravam monetam cuderint, ac grandiorem in minutam transformari permiſerint; juſtitiam læſis tarde, aut plane non adminiſtrarint. Et quanquam à Rege Commiſſarii ſæpe delegati ſint, Succis tamen refragantibus eas commiſſiones nunquam effectui datas. Rempublicam vero in indagandis illis gravaminibus non adeo curioſam fuiſſe, quin pro fide & integritate ſua pactis ſancte obſervatis, atque inſuper exercitui Succici pluribus officiis exhibitis, ea ipſa gravamina toleranda ſatius duxiſſe, quam manes eo nomine movere querimonias. Curlandiæ Duci, ſi de ademtis quibuſdam fundis & ob commercia conqueratur, adſiſterent. Quod ſi reticiſſio decreti exclutorii, ac abolitio deſignati ſucceſſoris cum reſtitutione Livoniæ obtineri non poſſit, mentem & intentionem Legatorum Succicorum explorarent, quibus modis, quave ratione proli Regiæ ſatisfacere, ac quibus conditionibus pacem perpetuam emere velint: re autem penitus explorata ad Regem referant, priuſquam eo in negotio quidquam tractatum fuerit. Vel ſi ita temporis ratio, & rei neceſſitas tulerit, ratificatis adhuc currentibus induciis & alio continuandorum tractatuum tempore per conciliatores ſtatuto, totum id negotium ad Regem & proxima Regni Comitia rejicerent, ulteriorem declarationem & inſtructionem recepturi.

Controverſia ſuper viſitatione.

§. 21. Lubecam primo omnium adpellebant Legati Polonici, Joannes Leſſinskius Gnesnenſis, Gornius Goraiskius Chelmentis Caſtellani, Alexander Naruſcevvicius Lidenſis, Georgius Fitcherus Mitavientis Capitanei. Nam quintus Joannes Zavvadskius Pricenſis Capitaneus cum jam Roſtochium progreſſus eſſet, revocabatur, poſtquam à Senatu Sueciæ literæ adveniſſent, queis quatuor prout ab initio placuerat, ſufficere ſignificarat. A Duce Curlandiæ aderant Melchior Folckerſamus Cancellarius & Joannes Wildmannus Conſiliarius. Poſt eos adveniebat Joannes Salvius; quem mox ſequebatur Petrus Chanutus Legatus Gallicus, cui ut obviam mitterent ſuas rhedas Poloni anxie tempus ingreſſus ſciſcitati fuerant. Sed Chanutus, ne hos cum Succis committeret rhedis ſuper priore inceſſu ſine dubio rixaturis, ſub primam noctem porta aquatica urbem citra pompam ingreſſus eſt. Adventanti huic Poloni ſtatim ſalutationis officium obtulere, quod dum magna pompa adornatum eunt, Salvius interim id officii præverterat, eoque poſtulabat, ut ea ſalutatio ſibi præ Polonis priore loco redderetur. Etſi Chanutus illi pluribus rationibus perſuaderet, ut pateretur eum honorem à ſe Polonis priore loco reddi. Sed quia Poloni Chanutum poſterius licet urbem ingreſſum prius ſalutaverant, quam Salvium, hic ægre id ferre, & Curlandis ſignificare, ſe nunc Polonorum ſalutationem admittere nolle. Poloni tamen has dilatæ viſitationis cauſas afferebant, quod non conſtet, quem gradum in legatione Salvius obtineat; & quia æquum videatur, ut unus non ſalutetur à quatuor, ſed potius omnes ab omnibus; eoque expectandum, donec veniant cæteri. Quod vero Gallicus Legatus prior ſit ſaluratus, id velut Sequeſtri contigiſſe, & illius Regis Miniſtro, de cujus præcellentia toti orbi conſtet, qui & prius ipſos, quam Salvius de adventu ſuo certiores fecerit. Etſi Chanutus judicaret; melius eſſe, ut Succi & Poloni nullo modo inter ſe colloquerentur, ſed omnia per Conciliatores agerent, quoad tractatus ex voto ad finem perductus foret. Mox tamen cum Laurentius Canterſteinius Lubecam adpuliſſet, Poloni Chanuto ſignificabant: quia Salvius jam Collegam acceperit, ſe inviſere Succos conſtituiſſe, ſi ipſi velint. Id ſe prius fuiſſe facturos; ſed quia Chanutus paucos intra dies Lubecam venturus nuntiatus ſit, & ipſi cum Succis haut commode congredi potuerint, ſi vel maxime univerſi Legati Succici adeſſent, priuſquam ſuper mutua receptione, titulis, ſeſſione, & ſimilibus per Mediatores conventum ſit, neceſſario ſibi illum fuiſſe expectandum: Præſertim cum Salvius adventu ſuo ſpem fecerit, Collegas ſuos propediem ſecuturos. Quia autem cæteri ob continuas tempeſtates vix brevi videantur adfuturi, parcendo tempori Salvium ſe cum Canterſteinio inviſere velle. Prius autem Succorum mentem noſſe cupere ſuper ſequentibus negotiis. Cum integra Legatio Succica nondum adſit, an non placeat, ut non integrum Polonicæ Legationis collegium veniat, ſed ſinguli duntaxat ordine accedant? Qua ratione ſeſe invicem excipere, & quos titulos ſibi tribuere debeant? Nam in prioribus tractatibus titulos diverſos pro Legatorum dignitate adhibitos. Et quia præcipua lis ſit de jure Regni, ipſique in principio tractatus citra præjudicium principalis cauſæ Chriſtinæ titulum Reginæ Sueciæ tribuere nequeant, id temperamentum proponebant; ut Poloni colloquio cum Succis *Sereniſſima Regina Veſtra*, Succi contra *Sereniſſimus Rex Veſter* dicerent. His propoſitis excuſſis circa priora parum difficultatis erat. Nam placebat æquales utrinque ceremonias adhibere; adventantes apud rhedam excipere, & digredientes eo uſque proſequi; in propria domo alteri ſuperiorem locum deferre. Et quanquam prioribus tractatibus tituli variarint pro Legatorum dignitate; viſum tamen nunc imitari titulum conventu Weſtphalico cum conſenſu totius Europæ receptum, ut Legati Supremorum Principum *Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi* nuncupentur, & *Excellentiæ* vocabulo ſe mutuo honorent. Id duntaxat dubium erat, num Zavvadskio, Naruſcevvicio & Fitchero, qui non Regni, ſed Ducatuum Lithuaniæ, Boruſſiæ & Livoniæ nomine aderant, idem titulus ſit tribuendus? Sed circa titulos Regum nihil concedere decreverant Succi. Nam publicis jam literis & inſtrumentis deciſum, ut Poloni, prout & prioribus tractatibus & alias fecerint, Chri-

1651.

10. Jun.

1651. Chriſtinæ titulum Reginæ Sueciæ darent, neque ſermone aut ſcriptis Regem ſuum Sueciæ Regem nuncuparent. Poſito tamen hoc fundamento in progreſſu ſermonis interdum *Sereniſſimæ Reginæ Veſtræ, Sereniſſimi Regis Veſtri* vocabula mutuo adhiberi poſſe. Igitur ad iſta à Polonis propoſita Chanuto declarabant Sueci: etſi cauſam habeant ſalutationem illorum repudiandi, quod eam tamdiu neglexerint; ſe tamen excuſationem eorundem utcunque probare, quod citra præjudicium Reginæ, Regnique Sueciæ nunc & inpoſterum fiat. Eoque placere, ut mutua ſuſcipiatur ſalutatio his conditionibus; ut quia temporis compendium ſe facturos ferant, Poloni univerſi ipſos ſimul inviſant, quæ breviſſima ſit via. Sed Chanutus reponebat; Polonos huc non deſcenturos propter inæqualitatem, dum tota ipſorum Legatio duos Succicos primum ſalutat, eodem honore ab ipſis recepto, inde eadem reliquos Legatos Succicos poſt adventantes aditura. Ita enim Polonos bis toto Collegio ſalutationis officium obire, non niſi à binis recipere. Igitur proponebant Sueci, ut primi duo, qui nomine Poloniæ miſſi erant, inde cæteri ipſos inviſerent; ita duobus acceſſibus eam ceremoniam expediri poſſe. Sed cum & in hoc inæqualitas videretur, patiebantur demum Sueci, ut ſinguli Polonorum ſingulos Suecorum inviſerent, pari ratione eum honorem recepturi.

2. Jul.

Controverſia de titulo Reginæ.

§. 22. Sed de Regio titulo Sueci contendebant, à Polonis nullo modo Jo. Caſimirum Sueciæ Regem nuncupandum; qui titulus ſoli Chriſtinæ debebatur. Ipſum Uladislaum tuis literis, ſua ratihabitione, ſuo ſigillo titulum Sueciæ omiſiſſe, eumque Chriſtinæ tribuiſſe. Alium quemvis modum ſe adſpernari. Hæc cum Polonis per Chanutum denuntiata eſſent, illi reponebant; ſe Chriſtinam titulo Reginæ Sueciæ haut impertituros. Se quippe ad hunc locum veniſſe non ad inducias, ſed pacem perpetuam ſtabiliendam, & quicquid circa inducias Boruſſicas contigerit, id ſuaſu ſequeſtrium, & quietis amore extortum eſſe temperandæ animorum exacerbationi, quod interea de pace perpetua tractandum foret. Nunc quia omnia altius & quaſi ab ovo deducenda ſint, nulla præteritorum habita ratione, mirum videri non debere, quod Poloni etiam ipſam humanitatem rite diſpenſare, & jure potius ac ratione, quam exemplis agere velint. Ne tamen pertinaciæ damnentur, imitaturos ſe utrinque praxin tractatuum Boruſſicorum, ut præter *Regis noſtri, Regina noſtra* vocabulum nihil exprimatur. Aut ſi Chanutus aliud honeſtum temperamentum poſſit comminiſci, ſe id non repudiaturos. Contra Chanutus Polonis oſtendebat: ſi omnia ab ovo forent repetenda, etiam arma denuo capeſſenda. Ac ſuo judicio Polonos in Suecorum poſtulatum citra fraudem Regis ſui conſentire poſſe, quod prioribus induciis utique id expreſſum ſit; & nunc de verbis honoris duntaxat, non ſolenni conteſtatione agi. Sed regerebant Poloni; ſe in ſalutatione ſua Chriſtinam nudo Reginæ titulo nuncupaturos abſque additamento Sueciæ; ac ſi aliter à Succis fuerit reſponſum, ſe dum ſalutationem reddunt, Jo. Caſimirum diſerte Poloniæ & Sueciæ Regem appellaturos. Neque æquum eſſe, ſe ad hoc adſtringi, ut Chriſtina utique à ſe Regina Sueciæ ſit vocanda. Inſinuabant quoque, ſe in ea ſalutatione ita ſermonem temperaturos, ut neque de Rege Poloniæ, neque Regina Sueciæ mentionem facerent; in anteceſſum tamen declaraturos, ſe haut ægre Reginam Sueciæ nominaturos, ubi opus ſit. Sed oſtendebat Chanutus periculum eſſe, ne Sueci hac aſtutia offenſi viſitationem reponere omittant ingenti cum Polonorum ignominia. Sueci contra demonſtrabant; poſtremis pactis ipſam quindecies amplius Reginam Sueciæ vocatam, idemque nomen ipſi ab Uladislao Rege in ratificatione tributum. Tanto magis mirum eſſe Polonos id nunc abnuere. Proponebat quoque Salvius id temperamentum, ut Poloni Chriſtinæ titulum Reginæ Sueciæ darent, ac Poloniæ Regis mentionem haut facerent. Enimvero declarabant Poloni: ſi in ſuo arbitrio & dexteritate iſta reponantur, ſe ita acturos, ut Sueci facile ipſorum humanitatem probaturi ſint. Sed ut patiantur ſibi præſcribi, quem titulum Reginæ utique tribuere debeant, id eſſe cultrum jugulo admovere ad aliquid ab invitis extorquendum. Inter quæ Chanutus à Suecis ſciſcitabatur; num Polonis gratulari velint ſuper victoria de Colaccis & Tartaris tunc parta? Cui Salvius; ſibi quidem gratum eſſe, quod Poloni colluviem barbaram vicerint: dubitare tamen, num id ſibi decorum ſit, cum neque ipſi de ea victoria ſignificarint, nec officia humanitatis inter Legatos Regios ſolita obſervarint; ac titulum Reginæ ſuæ detractum eant. Sane ſi Poloni in ſalutatione Chriſtinam Reginæ Sueciæ vocabulo nuncupare omiſiſſent, ac alium modum adhibuiſſent, qui eidem parum detraheret, Jo. Caſimiro non nimium tribueret, ſe id fuiſſe diſſimulaturos. Sed poſtquam ipſi controverſiam movere cœperint, id ferri non poſſe. Se quidem ipſis nihil præſcribere; ſed quod pacta definiant, id exigere. Id ſi abnuant Poloni, jam de induciis, quarum decem adhuc anni reſtent, actum videri, iiſque Suecos non amplius inniti poſſe. Reginam quoque Legatos huc non fuiſſe miſſuram, ſi ſciviſſet, nunc in dubium vocatum iri, quæ per pacta ante hac firmata fuerant. Si Poloni ſerio iſta jactent, ſe quoque diſpecturos, quid ſibi faciendum ſit. Iſta cum Polonis per Chanutum referrentur, hi reſpondebant: De renuntiatione tituli, qualem Sueci exigant, ex pactis aut aliunde ſibi haut conſtare; ac ſi iſte in literis ad Reginam ſcriptis omiſſus ſit, id humanitatis ſemper fuiſſe, non neceſſitatis. Et ſi vel maxime Reges id animo renuntiandi fecerint, id tamen irritum eſſe & inane, quod per pacta utique lineæ Sigiſmundi jus ſuum reſervatum ſit. Præterea unicum pactorum finem eſſe, ut ſuſpenſis armis de pace perpetua agatur, eaque de cauſa huc ſe veniſſe non cum privatis literis in Sueciam ferendis, ſed plena cum Regis & Reip. poteſtate. Regis ſe fidiſſimos miniſtros, cui debitos titulos detrahere nefas ſibi ſit. Ipſius Reipublicæ, etſi prætenſionibus Regiis ſe ſemper ſubtraxerit, dignitatem exigere, ut alia nunc ratione, quam in privatis literis agatur. Verſari ſe in urbe aliena, pari libertate perſonam mandantium ſuorum referentes, & de juribus eorum, vel injuriis amice diſceptaturos, ut cruentæ liti aliquando finis imponatur. Exempla Regum Galliæ & Angliæ heic fruſtra adduci, quorum controverſia dudum deciſa titulum ex inolito more retineri: præſentem vero cauſam diu armis diſceptatam, nondum compoſitam. Inique igitur, & contra pacta Suecos agere, quod remedia neceſſitatis, amicitiæ vincula, repagula innocentis ſanguinis pro lege uſurpare, & in propriis domibus ſibi obtrudere contendant. Opus autem eſſe, ut ſi primordia hujus congreſſus bene auſpicari velint, quæ probare non poſſunt, patienter

3. Jul.

1652.

7. Jul.

1651. tienter perferant. Proponebant tamen, ut Sueci domi suæ, velut si à Polonis in Suecia invisérentur, utitatis velint contenti titulis esse; & cum ad Polonos venerint, huic eandem libertatem concedere. Cæterum observabatur, Polonos non mediocriter fuisse commotos, quod Sueci dixerant; se dubitare, quid ulterius de firmitate pactorum sperare debeant. Et Curlandi non obscurè jactabant; male agere Polonos, quod circa scrupulum tam levem hæreant. Cogitandum illis esse, Legatos se Reipublicæ quoque, non solius Regis; ac imputari aliquando iisdem posse, si, dum nimis morosi sunt circa jus Regis, ansam abrumpendarum induciarum præbeant. Qui & hoc temperamentum offerebant, ut Poloni in propria domo Regi suo titulum Sueciæ adderent, quem in Suecorum domo omittereut, quod à Suecis repudiatum. Sic igitur in ipso limine hærebat tractatus, quod Poloni decrevissent Reginam Sueciæ hoc titulo haut nuncupare, nisi vicissim ipsis permitteretur Jo. Casimirum Poloniæ & Sueciæ Regem vocare: contra Sueci ferre nollent, ut vel Reginæ suæ mentio plane non fieret, vel vocabulum Sueciæ non adderetur, aut idem Poloniæ Regi tribueretur. Regina cum de hac re ad ipsam referretur, facile quidem ferre potuisset temperamentum à Chanuto propositum, ut Poloni tam in Suecorum quam propria domo Jo. Casimirum *Serenissimum Regem*, ipsam *Serenissimam Reginam* nullo additamento vocarent: Sueci contra in Polonorum domo Jo. Casimirum Regem Poloniæ, ipsam Reginam Sueciæ adpellarent, modo Poloni controversiam de jure Regni sepositissent. Sed postquam ipsi hoc in dubium revocarant, imperabat suis, ut ne minimum istis hoc concederent; ac si Poloni Sueciæ titulum ipsi negare pergerent, addita protestatione Lubeca abirent, ac inducias ad præfixum tempus duraturas significarent.

Polonis spiritus accedunt.

§. 23. Interhæc Polonis non parum spirituum accesserat è victoria suorum à Cosaccis & Tartaris reportata, quam publicis lætitiæ signis celebrabant, sparsis quoque in vulgus nummis argenteis, in quibus Jo. Casimiro titulus Regis Suecorum, Gothorum Vandalorumque tribuebatur. Sed & ægerrime iidem ferebant, Conciliatorum neminem præter Gallum adesse. Ac Hollandos cum primis avide expectabant, quorum iter Polonicus Hagæ minister subinde urgebat. De quo cum vicissim Suecicus Residens Spiringius fileret, facile colligebant Hollandi, ipsorum operam Suecis parum gratam esse. Ac designabantur quidem quatuor Legati, qui Lubecam irent; sed qui lente moliebantur, forte quod desperarent, se operæ pretium facturos. Accedebat & inde mora, quod Hollandia Provincia duos Legatos è suorum numero mittere vellet, ac ut isti prius ad Oldenburgicum Comitem se conferrent, litem cum Bremensi urbe super vectigali in Visurgi componituri; cum cæteræ Provinciæ cuperent, ut illi recta Lubecam se conferrent. Scripserat quoque Salvius ad Spiringium, Polonos nihil æqui præ se ferre; quod hic studio divulgabat, quo Hollandici Legati iter suum sisterent, velut nullo fructu suscipiendum. Brandeburgicum autem controversia super præcedentia cum Venetis & Belgis retardasse credebatur. Sane cum iste à Regina ad mediationem invitatus fuisset, responderat: Notam Reginæ esse litem, quæ inter ipsum & Venetos agitetur, ac sperare partes, quæ ipsum huic muneri admoveant, provisuras, ut ministri ipsius debito loco potiantur. Id quod Regina risu excipiebat, velut postularet, ut inverso ordine partes in sequestrium locum subirent. Etsi tam Galliæ Rex quam Regina Venetis faverent ac decernerent, se non concessuros, ut immediatus post Reges locus ipsis in dubium revocetur. Scripserat quoque ad Electorem super hoc tractatu Rex Galliæ, ac istum *cognati* duntaxat, non *fratris* ac *Serenitatis* vocabulo honoraverat. Quas literas ille remittebat; cum Regina Sueciæ hunc titulum ipsi nunquam dedisset. Unde credebatur hoc prætextum arreptum, ut mittendis Legatis ad tractatus istos supersedere posset. Ortis quoque eo tempore belli præludiis inter Brandeburgicum & Neoburgicum, scribebat Poloniæ Rex ad Legatos suos; ne Brandeburgicos velut sequestres admitterent ob injuriam Neoburgico illatam, qui sibi tam arcta affinitate innexus sit. Idem tamen per Philippum Hornium è Salvio bis scisciteabatur; cum Joannes Oxenstierna, & Wrangelius è Pomerania profecti sint, an non tractatus de limitibus Lubecam transferri queat? Id quod Regina nolebat, ne Hollandi aniam acciperent huic se immiscendi. Sed & indignabantur Poloni, Scheringium, Rosenhanium & Joannem Wachmeisterum, qui à Regina ad hosce tractatus destinati erant, tam tarde accedere. Post tamen cum Wachmeisterus Lubecam adpelleret, Poloni offerebant, se currus suos ipsi obviam missuros. Sed dissuadebant Chanutus & Salvius, ne publico ingressu uteretur declinandis rixis, quæ in posterum accidere possint, si alii Mediatores adventarent. Cæterum cum solennes visitationes pro desperatis haberentur, Lesslinskius privatim se Salvium invisurum ostendebat. Id quod hic modeste declinabat; fortunam suam non permittere, ut publicis misceat privata; ingratum id Reginæ, invidiosum Proceribus fore. Nec eo minus extremum conatum adhibebat Chanutus, Polonis suadens, ne recusarent ea verborum formula uti, quæ induciis introducta, & hactenus usu recepta sit, ut Reginam Sueciæ exprimerent, suo autem Regi Sueciæ titulum haut adderent, ubi cum Suecis negotii quid intercederet; præsertim inter prima humanitatis auspicia, & litis velut contestatione nondum facta. Et ne quid præjudicii exinde metuerent, Salvio se ægre licet persuasisse, patereturPolonos in ipsius Chanuti manus scriptam protestationem consignare, quæ plus roboris ad conservandum jus Regis, quam verba quædam honoris ad idem destruendum habitura sint. Sed ut hoc quoque Poloni rejicerent, faciebant prosperi de Regis sui gestis nuntii, & expectatio Hollandorum, & quod ruborem sibi ducerent primo velut conflictu manus dedisse. Jactabant quoque visitationes illas non esse juris gentium, præsertim inter eos, qui nondum plena amicitia jungantur; eoque jus Suecis haut esse ipsos ad istas exhibendas compellere.

Legati se conviviis mutuo excipiunt.

§. 24. Nec eo secius Chanuto expedire videbatur Legatos quocunque modo inter se congredi, ut obliqua aliqua ratione difficultas ista tolleretur. Unde initio proponebat, se utrosque convivio excepturum ea lege, ut declinandis super priore loco collisionibus suum quisque locum sorte duceret. Sed reponebant Sueci, novum id esse locum sorti committere, nec se nisi Reginæ jussu in id consentire audere. Placebat tamen temperamentum hocce visitationem in convivium vertendi; de quo ut Polonorum mentem exploraret, Chanuto committebatur. Sed judicabat Chanutus; monendam utramque partem, citra solennem tamen

1671. men ſtipulationem interpoſitam, ut in convivio prudenter declinent vocabula, de quibus hactenus lis fuerit. Id quod Salvius probabat, dummodo ipſe Polonos primo convivio excipere poſſet, ut hoc modo utcunque ſuppleatur prima viſitatio, quam Poloni ipſi debebant. Idem & Polonis probabatur, quos multis rationibus Chanutus permovebat, ut prima invitatio penes Salvium foret, velut honoratius ſit convivio excipi, quam excipere; poſt Lesſinskius Suecis epulum daret. Conviviis hæ dictabantur à Chanuto leges, ut poculum Regis Jo. Caſimiri apud Suecos, vice verſâ Reginæ Sueciæ apud Polonos primum locum ſortiretur. Poloni Reginæ utique titulum Sueciæ tribuerent, ac ut memoria contentionum de titulo eſſet abolita. Poloni poſtulabant, ne id convivium, uti raſura ſigilli & pactum verbale ſuper titulis ſibi fraudi foret. Se quippe uſuros ſtylo convivali, non tractatuum. Et quoniam Succi Carolum Guſtavum non niſi talem, qualem in Jo. Caſimiri præjudicium fecerant, nominare, neque ipſi citra offenſam eum audire poſſint, conſultiſſimum videri, ut ejus nulla mentio fiat. Chanutus tamen judicabat ſufficere, ſi ejuſdem poculum non bibatur; ſuper mentione ipſius ſcrupulum non movendum. Nam ſe de hoc apud Suecos diſerte non potuiſſe monere, ne illis, ſi hoc à Polonis urgeri animadvertant, contradicendi imponatur neceſſitas. Sed Poloni inſtabant, ut ejus mentio utique abſit; nec Suecos de iſta omiſſione nimis ſolicitos eſſe debere, quod in progreſſu tractatuum ampliſſimum ejuſdem nominandi campum ſint habituri. Ita Poloni à Salvio ad horam undecimam invitabantur, ut intervallum illud uſque ad prandium viſitationis vicem ſuppleret. Per dimidiam amplius horam de rebus extraneis ſermones cedebantur. Convivium inde per concordiam & hilaritatem exactum, contracta etiam inter pocula fraternitate. Nec diſpar convivium Suecis Leſſinskius repoſuit. Chriſtinam Poloni vocitarant *Sereniſſimam Reginam Sueciæ*, Poloniæ autem Regem non niſi *Sereniſſimum Regem noſtrum*. Poſt convivium commodius procuratoria productum iri ferebant Poloni, quo ſaturi lætiores ſpiritus inducrent, & ſtomachationibus abſtinerent.

10. Sept.

Succi abitum minantur, ni ſuper titulo ſatisfiat. 1. Sept.

§. 25. Antequam convivia iſta initentur, Chanutus Polonis ſignificabat; Succos à Regina ſua literas accepiſſe, queis hinc diſcedere jubeantur, ni Poloni Sueciæ titulum ipſi tribuere velint. Obtinuiſſe tamen à Suecis aliquot dierum moram, num Poloni interim permoveri queant, ut ipſis ſatisfaciant. Ad hæc Poloni reponebant; ſe nihil feciſſe niſi exemplis Sigiſmundi, & Uladislai, atque mandato Jo. Caſimiri, & eum ſemper titulum tribuere voluiſſe ac velle, qui citra juris hæreditarii præjudicium foret. Quod vero leges ſic & non aliter in viſitatione loquendi reculârint, inde Reginæ nullam factam injuriam, & eſſe Legatorum Suecicorum, non ſuum peccatum, quibus haut minus quam iſtis dignitati Regis omnia poſtponantur. Jam quoque opera Chanuti quæſtionem de titulis compoſitam, ac nunc ad præliminaria & procuratoria exhibenda accedendum. Proteſtari, ſe ab omni cauſa abrumpendorum tractatuum alieniſſimos eſſe, cum huc venerint, ut non timide nec tumide de pace agant. Chanutus contra ſuadebat; titulum Reginæ, quem Succi poſtulent, darent, & proteſtatione interpoſita jus Regi ſuo reſervarent. Proferebat inde rationes, quibus Succi poſtulatum ſuum ſuperſtruant. Nuperis induciarum tractatibus conventum fuiſſe, ut Poloni cum Suecis negotiantes ſemper titulo Sueciæ abſtineant, contra Succi libere eum uſurpent, quoad aliter fuerit conventum; quam in rem teſtimonium ſequeſtrum in promtu ſit. Polonicum inſtrumentum ita formatum eſſe, adeo ut & in ſigillo appenſo conſentiente Rege illa verba expuncta ſint; ac plenipotentiam Commiſſariorum Polonicorum ſub finem tractatuum ideo mutatam ſimul uſu idem hactenus receptum; ut violari inducias arbitrentur Succi, ſi ſecus fiat. Ad hæc Poloni reponebant; de pacto ſuper titulis in Boruſſia facto ſibi haut conſtare. Si quid verbis tranſactum ſit, id importunitati Suecorum forte conceſſum eſſe, nec ſe ad hoc teneri, quod alterius Regis miniſtri privatim egerint. Sed nec de raſura ſigilli ſibi cognitum. Nec deeſſe, quæ adverſus uſum, qui jactatur, adduci poſſint. In procuratorio Uladislaum titulum ſuum truncaſſe; ſed quia ſigillum integrum eſt appoſitum, defectum ſuperiorem per expreſſionem inferiorem ſuppletam intelligi. Literas multoties in Sueciam miſſas pleno ſigillo, quæ licet admiſſæ non ſint, contrarium tamen uſum hoc ipſo deſtrui. Uladislaum literis Latine ſcriptis Reginæ ſuper majorennitate gratulatum, quarum interiorem inſcriptionem titulos *Moderne Regine* abſolverit. In poſterum tamen ad evitandum ampliorem titulum Gallicam ſemper linguam adhibitam eſſe, inſcriptionem intrinſecam abſolvente vocabulo *Domina*, extrinſecam; *Ad Reginam*. Unde ex Gallico ſtylo nihil pro uſu concludi poſſe. Succos ipſos non obſcure probare videri illam prætenſionem, dum in poſtrema cautione Ordinum Poloniæ ſtipulantur; hos præſtituros, ut Rex ejusque frater ac poſteri ob eam prætenſionem nihil hoſtile in Sueciam tentent. Jo. Caſimirum autem non fratri tantum, ſed & patri in Regno ſuccedere, & pleniſſimam ſui juris vindicandi cauſam habere tam ex unione hæreditaria primæva quam aliis fundamentis, quæ in pactis anni 24. & 29. & in noviſſimis articulo 1. & 2. exprimantur. Viſitationem ideo noluiſſe tribuere, quod Succi ita tarde acceſſerint, cum ipſi tam incommodo itinere & tempore huc adproperaverint.

Madame. Mademoiſelle.

Poloni tractatus eludere jubentur. 20. Aug.

§. 26. Eo pervicacius autem Poloni heic ſe gerebant, quod nihil aliud quam prætextum tractatus abrumpendi quærerent. Id quod & literis Cancellarii Warſavia ſcriptis non obſcure jubebantur, quas haut interpolatas huc adſcribere placet. „ *Rex nullatenus à titulo ſuo hereditario „recedere vult, quia cum renuntiatione illius ceſſaret „materia tractatuum. Sin Succi in id conſentire noluerint, concedendum eſt in æqualem utrinque vel prolationem tituli vel omiſſionem. Tractatus vero ipſos cum „multis aliis de cauſis, tum propter abſentiam Mediatorum & Suecorum; quorum preſentiam per tantum „temporis ſpatium cum indignitate Regis & Reip. præſtolari eſtis, virtute pactorum in aliud tempus rejicere debetis, conſiderationi & prudentiæ iſtorum committendo, an aliis ſtatim poſt decurſum duorum annorum, „ſive ulterius etiam certus à vobis præfigatur terminus „an etiam eorundem præfixio ad commune Deo dante „differendum conſilium. Expectatque Rex, ut Legati „hac reſolutione expedita cito accedant.* Hac epiſtola 6. Sept. accepta Poloni conſultatione habita decernunt mandatis inſiſtere, tituloque Regis ex dignitate ipſius & Reipublicæ ſufficienter defenſo ea amplecti remedia, per quæ ſi pacem non conſtituere, de mente ſaltem adverſariorum inſtrui, atque inde tractatus abrumpere poſſint. Periculoſum

1651. quoque esse, rem soli committere Gallo, cui nihil magis in votis sit, quam potentes, vel saltem à bellis domesticis expeditos habere Suecos ad terrendam opprimendamque Domum Austriacam. Non alte sibi, sed nec demisse nimis agendum. Suecis autem æque pacem optabilem atque Polonis cum propter inopiam domesticam, & male firmatum in Germania imperium, tum propter legationem Hispanicam in Poloniam, quam eum in finem institutam suspicetur Salvius, ut Polonos promissis ab ineunda retrahat concordia. Certum autem est, promittere classem, & belli nervum, quoties opus fuerit.

Procuratoria examinantur, 14. Sept. Desiderata in Suecico procuratorio.

§. 27. Deferebantur inde procuratoria utrinque ad Chanutum, qui partibus earundem copiam faciebat. Ubi Poloni quidem in Suecorum procuratorio ista notabant. 1. Quod titulus Regis Poloniæ truncatus esset, qui hactenus ad ista usque verba: *Nec non Suecorum*, totus expressus sit. Adjuncta quidem esse tria abbreviationis, quæ vocant, signa; sed quia nova sint & insolita, jure reprobari debere, antequam per Suecos declaretur, derogatoria, an conservatoria sint. 2. Senatum Suecicum in Poloniam scripsisse, nec velle se nec posse quintum Commissarium destinare, eamque ob causam Zavvadzkium à se revocatum; & tamen nunc quinque Commissarios exprimi, Magnum Gardium Comitem, Salvium, Rosenhanium, Wachmeisterum, Cantersteinium. 3. Magnum Gardium vocari Gubernatorem Livoniæ, cum Regnum Poloniæ non spernendam adhuc ejus provinciæ partem possideat, & ereptæ injuriam atque recuperationis animum nunquam remiserit. 4. Damnandam esse philautiam, & incivilitatem Suecorum in venditandis propriis titulis, dum se Illustrissimos, Illustres, Magnificos & Generosos; ipsos simplici Commissariorum Polonicorum nomine appellent. 5. Exhibitam plenipotentiam siccam, jejunam, & quodammodo insufficientem videri, & in qua vocabula *omnimoda & plena tractandi facultatis* non adparent. Nec dici posse per subsequentem ratihabitionis clausulam suppleri; quia hæc non nisi quantum præcesserit adprobat. Se tamen facile permissuros, ut hæc complanentur, & suspendantur, si Suecis pax cordi fuerit.

Suecorum defensio.

§. 28. Ad ista Sueci reponebant. Truncationem tituli Regii, ad novissimam normam factam esse; eamque Regibus velut temperamentum adhiberi placuisse declinandis controversiis. Et quia Fischerus quæsiverat, num etiam, sub signis abbreviationis Livonia intelligatur; respondebant Sueci: id se suo loco relinquere; cæterum omnes Regis titulos, & jura citra omnem diminutionem sub illis contineri, ac propterea specialem declarationem non esse urgendam. Numerum Commissariorum esse extra substantiam tractatuum, nec Senatum Suecicum ita simpliciter missionem quinti Commissarii prohibuisse. Verba secundum substratam materiam interpretanda, ac titulum Generalis Gubernatoris Livoniæ aliter non intelligi, quam illarum partium, quæ vel Regni Suecia propriæ sunt, vel bello adquisitæ. Ac ubique receptum provinciis bello partis Gubernatores præficere; id quod & citra omne Regis ac Regni præjudicium sit. Quod Polonis tituli non sint appositi errorem scribæ esse, qui excuset famam fuisse, inter Commissarios Episcopos esse: in quorum titulis ne erraret, omnibus, quam aliquibus injuriam facere maluisse. Denique eo modo procuratoria semper fuisse concepta; ac Polonica quidem copiosius scripta, quàm Suecica; in his tamen omnia necessaria adparere: quæ cum adsint, cætera magis offendere, quam prodesse. Ista cum Polonis per Gallum referrentur, hi reponebant; sagacia, docta, & subtilia esse, quæ à Suecis adferantur; quædam tamen solidis rationibus refelli posse. Sed quem contentionis finem fore? cum novis argutiis tempus terere frustra sit. 1651.

In Polonicis procuratoriis notata.

§. 29. Ast longe graviora erant, quæ à Suecis in Polonorum procuratoriis desiderabantur. Ac in Regio quidem ista notabantur: I. Titulum velut ad subditos à reliquo scripti corpore divisim positum, non uno contextu, uti fieri solet ad pares; cum tamen procuratorium non tolum ad Commissarios subditos dirigatur, sed etiam ad Reginam Sueciæ, ejusque ministros. Præterea inter titulum, & contextum scripti nimium, periculosum, & legibus communibus damnatum inveniri intervallum, quod facile in abusum pateat. II. Regem tam in exordio quam conclusione, & sigillo titulum hæreditarii Regni contra pacta usurpare. Conventum enim esse inter Commissarios Borussicos, ut quoties Rex aut Respublica cum Suecis agerent, semper titulo hoc abstinerent. Id etsi scripto comprehensum non sit, probari tamen, quod post stabilitas inducias Uladislaus reformatam dederit plenipotentiam truncato titulo, & castrato sigillo munitam; qualis titulus etiam in ratihabitione reperiatur, ubi & verba *hæreditarius Rex* in sigillo per Cancellarium jussu & consensu Regis elisa sint; in quod Anglus, & Hollandi sequestres tunc temporis testimonium exhibuerint. Denique, quoties ex eo tempore Rex aut Resp. in Sueciam scripserint, semper hæreditario titulo abstinuisse. III. Stylum Regis in procuratorio nimis elatum ac sublimem esse, nec Suecico conformem. IV. Verba illa; *Inter nos inclytaque Polonia, & Suecia Regna* valde esse ambigua, & cum quoque sensum admittere, velut controversia inter Regem Poloniæ, & utraque Regna foret. V. Titulum Reginæ uno tantum abbreviationis signo abruptum esse, Polonico titulo integro; cum tamen in Borussia conventum sit, ut utrinque post vocabula *Magnus Dux*, & *Magna Princeps* tria abrupti sermonis signa ponerentur. VI. Tumidum nimis esse, quod Rex ingressu Instrumenti scripserit; et si *justam suam causam gladio vindicare potuerit, maluisse tamen amicis tractatibus locum relinquere*, velut penes ipsum fuerit tractatus precario indulgere, & de justitia causæ Suecicæ pronuntiare. VII. Esse verba ita ambigue posita, velut Rex Suecos quoque pro suis Commissariis & subditis habeat. VIII. Jussos Polonos ita tractare, *prout, ex usu & dignitate Regis, Reique publicæ sit*; id quod indoli procuratorii repugnet, cum hoc obtentu acta facile convelli queant, velut non ex usu, & dignitate Regis absoluta. Et posse quidem hoc præscribi cum subditis acturo, non cum liberis & æqualibus. IX. Carpebatur etiam, quod Rex Commissariis dederat facultatem suo nomine *ratificandi* & *approbandi*, quod non ad Commissarios, sed ad ipsum Regem, & Rempublicam spectet. X. Denique quod sigillum procuratorio appensum Regni, non Regis sit proprium. In procuratorio autem à Republica dato notabatur, 1. quod cum Rex Poloniæ titulo *Sacra Regia Majestatis* honoratus sit, Regina non nisi *Princeps Serenissima* nuncupetur. 2. Verba, inter *Poloniæ Regnum, Magnumque Ducatum Lithuaniæ, ac Suecia Regnum*

1651. *Regnum* esse insufficientia; ac ita utique fuisse scribendum: *Inter Regem & Regnum Poloniæ, Magnumque Ducatum Lithuaniæ, ac Reginam Regnumque Sueciæ*; quod Respublica Polonica non tuas tantum, sed & Regias partes tueatur. III. Verba, *ad eam rem rite inchoandam & determinandam designamus*, haut congruere, cum *designandi* vocabulum imperfecti quid involvat. IV. Rempublicam Reginæ *Majestatis*, ac non *Serenitatis* duntaxat titulum dare debuisse, exemplo interregni tempore facto: nam in usu communi Regibus inter se esse *Serenitatem*, non Ordinibus cum Regibus. V. Scriptisse, *se rata & grata habituros, quæ ab utriusque partis Commissariis constituta sint*; velut Poloni & illa rata velint habere, quæ à Suecis constituta sint. VI. In procuratorio Regio disponi duorum Commissariorum absentiam cæteris non obfuturam; in Reipublicæ unius tantum absentiam permitti.

Polonorum responsio. 20. Sept.

§. 30. Ad ea quæ contra procuratorium Regium objiciebantur, Poloni respondebant: I. Convenire inscriptionem cum prioribus mandatis; eaque primario ad se, secundario & incidenter ad Reginam ejusque delegatos spectare. Nec rebitum ex decoro spatium in suspicionem venire posse, quod Rex Commissariorum suorum fidem perspectam habere præsumatur. II. Titulum hæreditarium jure insertum juxta pacta annorum 24. 29. & 35. §. 1. & 2. Pactum verbis contractum per Commissarios Uladislai initum Jo. Casimirum non obligare, cum solum contrahentem stringat. Post conclusionem demum tractatuum procuratorium reformatum, sigillum ratum, quod & nunc, ubi de honesta pace conventum sit, fieri queat. Neque de hisce sibi satis constare. Signa abbreviationis jus Regis confirmasse, non imminuisse. III. Stylum esse Regium & prioribus plenipotentiis conformem. IV. Universo orbi constare, inter quos tractatus agitentur. V. Titulos Regis per tria signa truncandos, se ignorare. Fore tamen se liberalissimos, si Sueci declararint, istis signis omnes Regis titulos comprehendi. Quod textu loco Sueci notaverant, Chanutus à se haut satis perceptum dixerat; eoque Poloni ad id nihil responderant. VII. Cum ad tractatus utriusque partis Commissarii concurrant, si quis eorum mentionem faciat non statim pro suis utrosque habere; cum sensus pro nativa cujusque obligatione accipiendus sit. VIII. Verba, *ex usu & dignitate*, videri quidem conditionem aliquam involvere, sed per subsequentem ratihabitionem purificari. Sed & in prioribus procuratoriis fuisse usurpata; ac verba in Suecorum procuratorio posita, *honestam & æquam pacem*, geminum sensum exhibere. IX. Vocabulum ratificandi in prioribus quoque reperiri plenipotentiis, nec aliter intelligendum, quam pro subjecta materia, ut præter Regiam ratificationem Comitiis quoque sua acta confirmare, adprobare, & ratihabere liceat, sitque illa ratihabitio novissima omnium, & confirmatio totius operis. X. In Polonia Instrumenta publica per Leges & sub vitio nullitatis alio sigillo, quam Regni, obsignari non posse. Quæ vero in Reipublicæ procuratorio arguebantur, Poloni ita defensum, aut excusatum ibant. I. Rempublicam nullam in orbe Majestatem, quam Regis sui, venerari, ideo non peccasse, quod eam Reginæ non tribuerit. II. Procuratoria priora in eundem semper modum conscripta fuisse; ac mirum videri, quod Sueci nunc caussam Regiam addi postulent, quam antea semper exclusam voluerint. Rempubl. tamen de Regis injuriis non aliter quam suis semper & ubique acturam. III. Cum Respublica pares, & e medio sui Commissarios huc destinarit, alio quam *designandi* vocabulo uti non potuisse; alia enim nimis imperiosa, ac soli Regi congruere. IV. Rempublicam Polonicam nulli Regum alium titulum, quam *Serenitatis* tribuere posse, aut debere; quippe quæ absente & præsente Rege jura Majestatis retineat. Quod autem interregni tempore accidit, id errore Archi-Episcopalis Cancellariæ factum. V. Quæ de ratihabitione moveantur, è prioribus procuratoriis delumta esse, ac recte se habere, quod actus contractuum sit indivisus, & à se absque Suecis nihil constitui queat. VI. Quæ de absentia unius, aut duorum Commissariorum dicta sint, nec objectionem, nec responsum mereri. Carpebant etiam Sueci, quod cum Regina Regem *fratrem*, *amicum* & *vicinum* vocarit, à Polonis paria honoris vocabula non forent adhibita. Id Poloni excusabant nimia scriptoris diligentia, qui prioribus formulis scrupulose inhæserit, in quibus arma invicem stricta tunc nihil horum titulorum permiserint. Contestationes istas in privatis literis factas ad publicum tabularium non pervenisse.

Suecorum ad hanc replica.

§. 31. Ad ita à Suecis repositum. I. Ignorasse se id usum Cancellariæ Polonicæ. Cum tamen priora procuratoria continuo contextu scripta sint, fuisse sibi dubitandi rationem. II. Quod pactum de titulis scriptum non sit, id precibus Polonorum datum fuisse: cæterum id ab usu vim accepisse. Extare quoque testimonium conciliatorum, instrumentum ratihabitionis, raturam sigilli, plenipotentiam reformatam. Nec pactis dicere contineri, Regi Poloniæ titulum Sueciæ utique usurpandum. V. Fateri uno abbreviationis signo tantundem contineri, quam tribus, neq; rem magni momenti esse. Fidelibus tamen ministris ne minima quidem insuper habenda. VII. Admittere quidem verba istam interpretationem: sed in re tanti momenti perspicue loquendum. VIII. Vocabulum *ex usu* in aliis quidem plenipotentiis reperiri, sed in diverso sensu, ut usum tractatuum, non Regis aut Reip. significet. Neque verba *ex usu & dignitate Regia* æquivalere illis Reginæ, *æqua & honesta pax*; quia hæc utrique parti communia sint; illa non nisi ad solum Regem, & Remp. Poloniæ pertinent. Unde cautius esse istis abstinere, ac negotium Commissariorum fidei relinquere. Circa Reipublicæ procuratorium Sueci præcipue contendebant, Reginæ *Majestatis* titulum utique ab ipsa tribuendum. Culpandum non esse, qui potuit fieri, quod jam factum est. Contrarium Cancellariæ Polonicæ morem se ignorare. Sane Venetos & Belgas ita facere, cum ad Reges scribunt. Nec Poloniæ Ordines nemini subjectos agere, cum caput utique habeant. Literas binas se habere cum titulo *Majestatis*, proximo interregno datas, quarum priores forte errori obnoxias esse posse, velut à Secretario Archi-Episcopi Gnesnensis scriptas: alteras à Cancellario Ossalinskio aliquoties revisas & emendatas, in quem negotiorum publicorum peritissimum suspicio ejusmodi erroris non cadat. Plenipotentias priorum tractatuum se ignorare, nec credere à suis admissas. Cæterum ex hisce omnibus facile perspiciebant Sueci, Polonis nil aliud propositum, quam tempus extrahere, ac pro successu belli cum Cosaccis tractatus ex lubitu abrumpere. Eoque jubebat Regina, ne hisce Polonorum procuratoriis

1651. ad tractatus accederent, si vel maxime Poloni scripto pollicerentur, se alia curaturos, aut eadem apud Chanutum deposituros; sed ut Wismariam se abituros simularent.

Nova formula procuratorii proponitur.

§. 32. Cum itaque nulla via adpareret litis super procuratoriis componendæ, Poloni proponebant, ut citra procuratoria ad tractatus procederetur. Etsi enim prohibiti essent absentibus Hollandis tractatus suscipere; tamen ut Suecorum mentem expiscarentur, placebat circa principale negotium aliquid prælibare. Enimvero abnuebant illum tractandi modum Succi velut elutorium. Sane constare sibi debere, quales à Polonis habeantur; num subditi Regis Poloniæ, an minus. Ac si procuratoria seponantur, vitium iri: ipsos causa de titulis cedere, quos jure obtineant, & in quorum possessione à nuperis induciis sint. Fore quoque rem pessimi exempli, cum multum adhuc temporis superst ad finem induciarum. Et Reginam id ipsum diferre vetuisse. Unde censebant à Chanuto novam procuratorii formulam designandam, quæ neutrius juri quidquam præjudicii adferat. Id quod huic vehementer probabatur. Sed ne videretur in alteram partem nimis inclinare, apud Polonos eam rem dextre insinuare constituerat, ut ipsi ultro id postularent. Cum Polonis ea res placeret, Chanutus à Salvio petebat, ut is ejusmodi formulam concipiat, quam ipse post à se revitam Polonis sit exhibiturus. Sed quia multum temporis elapsurum erat; antequam Poloni nova procuratoria acciperent, præsertim quod Reipublicæ plenipotentia nonnisi in Comitiis confici posset, Januario mense habendis; ne plane otiosi essent, rogabat Chanutum Salvius, ut summa Polonorum circa leges pacis destinata interim exploraret.

De legibus pacis utrinque partis sententia.

§. 33. Chanutus igitur secreto colloquio à Lesslinskio scisciabatur, quibus conditionibus ipsi pacem velint? Polonus respondebat; nullis alius, quam ut Reipublicæ Livonia restituatur cum fructuum perceptorum refusione, ac Regi & Regno Sueciæ, bonisque paternis satisfiat abolitione edicti exclusorii, & quocunque alio modo, præter Regni restitutionem; uti Fischerus præterito anno apud ipsam Reginam in Suecia proposuerit. Cum Lesslinskius postridie Chanutum inviserer, ut Suecorum declarationem audiret; hic à Suecis se intellexisse memorabat, eos pacem velle, retentis quæ jam possideant cum indemnitate; quam ita explicent, ut Livoniam, ad quam alias Polonis parum juris competat, pro litis seu belli expensis retineant. Ad quæ Polonus respondebat; Neminem in orbe terrarum melius jus ad Livoniam habere, quam Polonos. In promtu esse commendationes Cæsarum, cessiones Cruciferorum, agnitionem ipsorum Suecorum, qui nunquam ante Sigismundi bellum vel verbo ejus possessionem impugnarint. Quia vero Succi de belli expensis mentionem faciant, se vicissim postulare, ut fructus è Livonia percepti restituantur. Cæterum malle se cum tota sua familia exitio involvi, quam consentire, ut Rex nulla suæ prætensionis, sumtuumque belli compensatione potiatur. Quin si norit, eam quam exposuerit Suecis mentem federe, curaret potius, ut salvo honore Regis sui, & citra offensam partium congressus hicce dissolvatur, & alteri instaurando commodiora fundamenta ponantur. Instabant tamen ulterius Succi, ut Chanutus penitius Polonorum mentem exploráre velit. Ille mox ad hoc formulam novæ, plenipotentiæ transmittit.

24. Sept.

26. Sept.

Qua accepta Poloni respondebant; sibi animum non parum in diversa trahi, an & quando exemplæ formulæ illius in Poloniam mittenda sint, quod ista expediri nequeat, priusquam de pace, & honesto tractatuum fine constet; de quo agi non possit, absentibus cæteris sequestribus. Et si maxime diuturna horum absentia Polonos inducere possit, ut totum negotium auspiciis Christianissimi Regis committere velint, jejunam tamen Suecorum in pacem propensionem obstare. Succi contra cum viderent Polonos nil nisi tempus extrahere, Chanutum urgebant, ut è Polonis scisciteretur; num alias plenipotentias curare velint, & quid demum in Suecica emendari cupiant? Ad ista Fischerus respondebat: Alia se procuratoria exhibere non posse, nisi Regi pro sua in Sueciam actione satisfiat, & Livonia Reipublicæ cedatur. Quæ à Suecis cum irrisu accepta. Sibi haut opus esse procuratoriis tam care emtis. Polonos vi pactorum ad justa procuratoria exhibenda teneri, & eadem non ad ipsos tractatus pertinere, sed hosce antecedere. Ex his satis perspici, neque facultatem Polonis esse tractandi, neque voluntatem, ac eosdem tempus tandem frustra consumsisse. Nam primo difficultatem super visitationibus movisse, inde procuratoria attulisse, quæ satis norant à se admitti non posse. Nunc declarare nolle, an & quando nova procuratoria exhibere, aut quid in Suecico emendari velint: demum tam indignas conditiones promere. Igitur se incassum laborare nolle, ac culpam infecti negotii à se removere. Ast Chanutus ne quid in- 29. Sept.
tentatum relinqueret, apud Polonos proponebat, quia utraque pars extremis insistat, ac fortasse Succi super iis, quæ nunc ab ipsis postulentur, mandatis destituantur, utile videri Suecos prestiora mandata domo petere, congregatis jam maxime Ordinum selectis. Aut si hoc non arrideat, ut super prorogandis induciis agatur. Enimvero Polonis neutrum placebat. Nam quod Succi ad Reginam provocent, id tantum ideo fieri, ut forte majore cum pompa & temporis jactura Comitiali decreto ipsis illudant. Quod si plena agendi facultate instructi venerint, sine mora & Livoniam restituere, & multa alia præstare posse Reginamque post petendæ ratihabitioni adire. De prorogandis induciis nihil quidem in mandatis habere; si tamen idem futurum sit præmium, quod quondam in Borussia, ut nempe nunc Livonia restituatur, sicut tunc Borussia, passuros se id sibi persuaderi. Igitur satius esse cogitare, ut honeste hinc discedant, quam vanis Suecorum disceptationibus orbis ludibrio exponantur. Instabat Chanutus; Polonos nihil amissuros, etiamsi absque restitutione Livoniæ inducias prorogent. Ad hanc enim jus sibi Suecos jactare, ac in longa possessione esse, quæ Regum & Regnorum summa lex sit. Tum si ad arma sit redeundum, quemvis belli eventum Suecis citra jacturam, Polonis etiam secundissimum exitiosum fore. Suecos enim nihil unquam de suo amissuros, mari montibusque tectos, si infestior vis urgeat. Ast Polonos præter sanguinem multos milliones impensuros, ipsius Livoniæ pretium longe superaturos. Reponebant Poloni; etsi bella sine sanguine, & auri jactura geri nequeant, si tamen pax, & erepta sibi Regique bona aliter recuperari nequeant, armis potius, quam ignavia de illis certaturos. Cum Chanutus exciperet; vindicationem Livoniæ alteri tempori relinquendam, & nihilominus inducias prorogari posse respondebant Poloni: relicturos

1651. duros ſe Livoniæ recuperationem tempori, ſed illi quod decurrentibus induciis ſuperſit. Nam cum Reges fere jura ſua poſſeſſione magis quam juſtitia & argumentis aſſerant, id damni ſe ex induciarum prorogatione percepturos, ut Suecorum uſurpationem magis ſint confirmaturi. Sed & expectare abnuebant Poloni, quoad Succi ad Reginam ſcripſiſſent. Nam poſt multas ſcriptiones idem poſſe repetere, quod aliam declarationem præter jam datam non acceperint. Ad inducias proferendas mandata ſibi deeſſe, ſed ſi Succi Livoniam velint reddere, aut potiorem ejus partem, ſe forte non fore difficiles, ut currentibus adhuc aliquot anni addantur. Sed ſibi primarium negotium potius curæ eſſe, & ſi Succi pro injuriis Regi & Reipublicæ ex æquo ſatisfacere velint, non ſolum unum & alterum mentem, ſed & integrum annum ad ſcribendum illis conceſſuros. Id ſi noluerint, è præſcripto induciarum diſceſſus fui cauſam Orbis judicio, inſtaurationem tractatuum placito Mediatorum commiſſuros. Igitur petere, ut diligenter de pacifica diſpoſitione cogitationem ſuſcipiat, ac ſperatam è conciliata pace gloriam, quia Succi invident, in feliciora tempora differat. Quanquam autem Chanutus rogaret, moram iſtam ſcribendi ad Reginam ne abnuerent, neve crudis adhuc, & vix tentatis rebus itineri ſe accingerent; iſti tamen hautequidquam ſententia dimovebantur. Addebant, Fiſcherum abhinc annum Reginæ propoſuiſſe, quæ nunc Legati Succici ſcribere velint; & quia Regina declarationem ſuam huc mandare, prout promiſerat, neglexerit, id peritum inane eſſe. Circa plenipotentias id tantum declarabant Poloni, ſe eas poſt honeſtam in cauſa concluſionem curaturos. Formulam enim à Chanuto oblatam, qua titulus hæreditarius Regi detrahatur, in Poloniam ſe non poſſe mittere. Expromerent Succi, quam ſatisfactionem Regi & Reipublicæ dare velint. Si æquiorem præteritis propoſuerint, ſe in mora non fore. Denique quædam adverſus pacta fuiſſe patrata, quæ non niſi acinace corrigi, ac vindicari queant. Chanutus inde Succis referebat, Polonos declaraſſe, ſe non poſſe nova procuratoria obtinere, niſi domum abierint. Vitò Uladislai procuratorio obſtupuiſſe. Ita duras ſibi leges propoſitas, ut pacis ſpem abjecerint. Se tamen denuo Polonis ſuper prorogandis induciis propoſiturum, hac ratione addita, ut hoc modo prohibeatur, ne factæ injuriæ vindicentur. Id ſi impetrari nequeat, de tractatibus alio tempore inſtaurandis acturum. Succi reponebant, non habere Polonos, quod de duris legibus querantur: nam nondum ad tractatus fuiſſe perventum; ac privatis ſermonibus vim obligandi deeſſe. Sed quia ſuſpicentur, Polonos ad concludendum quid mandatis deſici, placebat, Chanutum velut ultro jactare; ſe credere, Succos non ſolum ad prorogandas inducias, ſed & pacem perpetuam & fœdus inſuper paratos eſſe. Enimvero Poloni negabant, ſuper producendis induciis ſibi mandatum, & utique domum ad Comitia diſcedendum. Chanutus inde Succis ſuadebat, ut decretum contra Sigiſmundum emolliatur, & filio Regis ad dies vitæ apenagium conſtituatur; tum ut per idoneum hominem in proximis Polonorum Comitiis nonnulli è Proceribus, ac inprimis Cancellarius, & Leſſinskius pecunia concilientur. Interim apud partes ſe laboraturum, ut utrinque aliquid remittatur, quo proximo conventu negotium brevi ad exitum deduci queat. Quæ Succi quidem in medio relinquebant. Cæterum Regina ex actis facile judicaverat, Polonis nihil aliud fuiſſe propoſitum, quam æſtatem ſpeculando eventui belli Cotæccici extrahere, interim Suecorum mentem expiſcari, aut re infecta abrumpere. Eoque ipſi diſplicebat, Commiſſarios ſuos tam perſpicue circa primarium negotium ſuam mentem declaraſſe, Polonis anſam arrepturis jactandi, ſeſe ob intolerabiles Suecorum conditiones non potuiſſe pace potiri. Nam de ſatisfactione, quam pro Rege ſuo Poloni obtendant, & ut edictum in Sigiſmundum molliatur, ne audiri quidem poſſe. Sicuti & Regina ſuperiore anno Fiſchero declaraverat; ſe ne verbum quidem in eo edicto mutari paſſuram, ac id potius exſpecturam. Probabat tamen quod culpa infecti negotii in Polonos devoluta foret. De cætero jubebat, ni Poloni idonea procuratoria exhiberent, ut omnes Lubeca diſcederent, inſuper habito, num Polonorum quiſpiam ibidem permaneat, an minus; nec opus eſſe ſcripto apologetico, aut proteſtatione apud Polonos relicta, multo minus ſcripta declaratione, reliquum induciarum tempus tanctè obſervatum iri; ſed ſimpliciter oſtenderent, juſſos ſe abire, & acta Reginæ referre; nec ſpem facerent, ſe proximo vere redituros, neu ſuper extremis tranſactionis legibus Chanuto quid pandèrent. Etſi hæc juſſa ſero Lubecam venerant cum jam conventio inter partes ſuper reſumendis tractatibus inita eſſet; quam retractare Reginæ haut placebat.

1651. 34. Cæterum cum Poloni ſe jam itineri accingerent, ne animi ob irritum conventum ægreſcerent, Chanutus operam dabat, ut is magis dilatus quam abruptus videretur; eoque partibus perſuadebat, ut utrinque apud ſe ſcriptum deponerent, eodem argumento, iiſdemque verbis conceptum, quo de reſumendis in proximum annum tractatibus conveniatur. Id ſcriptum à Chanuto formabatur, quod neutra partium alteri hoc concederet, & minus anxie examinandum erat, quod à conciliatore proveniebat. Ac Poloni quidem eo facilius conſentiebant, quod ipſis pactis cautum eſſet, ut animis partium nondum ad integram pacem diſpoſitis citra offenſam ſemel atque iterum conveniri, & diſcedi poſſet. Equidem initio contendebant, ut tempus conventui ſtatuere penes ipſorum Regem ac Rempublicam foret. Sed Suecis abnuentibus, communi conſenſu id definiebatur. Utraque tamen pars teſtabatur, tempus formula illa expreſſum acceptandi, vel differendi facultatem utrique è Regi integram fore. Quo caſu tamen penes Galliæ Regem futurum ſit aliud tempus ſtatuere. Addebant Poloni, ut Succi, ne alter quoque conventus inanis foret, nunc expromant, quibus conditionibus pacem velint, ut de iis in proximis Comitiis deliberari queat. Id quod Succi velut à ratione abhorrens rejecerunt. Cæterum in formando illo ſcripto inter cautas dilati conventus haut placebat allegare abſentiam Mediatorum, aut durities partium ad utrorumque offenſam declinandam. Ut vocabula *illæſis induciis* inſererentur Succi primo ferre nolebant, quod forte per hos tractatus talia à Polonis dicta & facta ſint, per quæ jus ſit extemplo inducias abrumpere. Contra Poloni contendebant, ruptos ſine fructu tractatus induciis fraudi non fore, non claris modo verbis exprimendum, ſed & talibus, quæ reſiduum illarum temporis confirmarent. Quæ res Chanuto eo circumſpectius tractanda erat, quod Polonis allatam à Succis rationem pandere non auderet. Ad extremum tamen maturis rationi-

Conventus diſſolvitur.

1651. bus pervicit, ut ea vocabula retinerentur. Volebant quoque Poloni, ut cæteri Mediatores denuo ad futuros tractatus invitarentur. Nam contemtum, aut negligentiam illorum ulcisci non penes se, sed Reges esse. Contra Succi ostendebant, cum acceptata Mediatione ministros suos non miserint, Hollandi præcipue, paucorum dierum itinere disjuncti, (qui & alias Succis valde erant suspecti,) ac Brandeburgicus vicinus, quem ea res non parum tangat; non mereri ipsos, ut denuo invitentur, qui ne dignati quidem sint absentiam suorum Legatorum excusare. Quod & Chanuto placebat. Unde in ea conventione Regis Galliæ duntaxat mentio fiebat, non cæterorum Mediatorum, velut & illi invitandi aut morandi amplius essent. Ostendebat is quippe Polonis, qui Hollandorum causa sententiæ suæ inhærebant, haut constare ipsis, quam ægre Poloniæ Rex tantam negligentiam parum ab injuria abeuntem laturus sit; ac fortasse offensum eundem iri, si necessitate nunc adstringatur cæteros Mediatores denuo vocandi. Ponebatur tamen *præfigente Christianissimo Rege*; quibus verbis in medio relinquebatur, reservatus, an præclusus cæteris Mediatoribus aditus esset. Porro ipsum vocabulum *præfigente*, quod Succi facile ferebant, à Polonis impugnabatur, velut quod nimiam autoritatem Gallo tribueret; ita enim Poloniæ Regem ad subjectos sibi loqui; eoque petebant, ut ejus loco *intimante* substitueretur. Id quod Chanutus non sine stomacho rejiciebat; turpe fore tam illustri conventu tam fœdæ dictionis sordes coram erudito orbe apricari, adhibito vocabulo è sentina barbariei protracto. Et judicabat priore vocabulo pluteulum
12. Oct. autoritatis suo Regi tribui. Ita demum absolvebatur ea conventio, qua utriusque partis Legati, ratificandi tamen libertate Regibus reservata, promittebant, se ad proximum diem xx. Aprilis *St. Vet.* Anni 1652. congressum hunc reversuros ea lege, ut tractatio duorum mensium Maji & Junii spatio includatur; quo emenso utrique parti liberum fore à conventu abscedere illatis inducis, quamvis negotium nondum ad finem sit perductum, nisi mutuo consensu tempus illud fuerit prorogatum. Interim Chanutum operam daturum, ut quæ obstacula effecerint, ne congressus hic succedere possit, removeantur. Instrumenta hujus conventionis utrinque apud Chanutum deponebantur. Magnopere autem abitum festinabant Poloni, quod tristes nuntii venerant, res ipsorum cum Cosaccis in pejus prolapsas; ne forte Succi ansam inde arriperent circa conventionem istam scrupulos movendi. Effecit quoque
18. Oct. Chanutus ut amice sibi mutuo valedicerent, id quod Poloni non collegiatim fecerunt, sed ut singuli singulos accederent. Pari modo honor iste à Succis repositus. Observaverat Chanutus, Polonicos Legatos sententiis discrepasse. Nam Lesinskium & Goraiskium, & qui Lithuaniæ nomine missus erat Narusceyvicium præcipue Reipublicæ commoda respexisse, jactantes, modo huic super Livonia satisfiat, se facile Regem permoturos, ut modica pensatione accepta prætensioni in Sueciam renuntiet. Contra Fischerus cum Secretario Legationis Joanne Francisco Hilbrando, & duo Curlandi asserebant, si Regi prius fuerit satisfactum, huic in proclivi fore Rempubiicam ad lubitum suum attemperare. Sed quod Chanutus judicabat, Polonis pacem utique cordi fuisse, id mandata Polonica, & autographa ipsorum Acta, quæ nobis inspecta sunt, satis refel- 1651.
lunt. Ac Salvius ipse fatebatur, sibi haut vero simile visum, hoc rerum suarum statu Polonos nullo cogente fictis suis prætensionibus in Sueciam, & Livoniam renuntiaturos, cum novem adhuc induciarum anni superfint; præsertim postquam rumor per omnem Europam emanasset, velle Reginam Sueciæ sceptrum in aliam familiam transferre; & Legatus Hispanicus omni ratione Regem Poloniæ à quavis tractatione dehortaretur. Scribebat paulo post Poloniæ Rex ad Regem Galliæ, 1. Dec.
tempus conventui resumendo nimis angustum esse, eoque id prorogari petebat.

§. 35. Inter hæc Regina non parum Gedanensi urbi metuebat, cui & Respublica Polonica infensa erat, quod ita stricte juribus suis circa commercia insisteret; & ipse Rex graviter succensebat, quod Lutherani, qui præcipuam civitatis partem faciunt, ipsi circa Reformatos quæ postulabat annuere noluissent; non quod iste hos magis quam illos amaret, sed ut firmata parte invalida civitatem divitem teneret, destinatis suis commodius aliquando exercendis. Et quantivis eidem futurum erat ista urbe ad lubitum uti posse parandæ classi, qua imperium maris Baltici ex parte vindicare sibi posset; quibus conatibus neque Danus, neque Batavi ob invidiam in Succos obstituri credebantur. Et metus erat ne stimularet Regem insuper Hubaldus, urbi infensissimus, qui nuper Senatus Consulto absolutus fuerat ab actione, quam Gedanenses ipsi intentaverant; Rege declarante ab Antonio Slivio ejusque complicibus ista omnia conficta fuisse, quo eum suspectum ipsi exosumque redderet. Nam superiore anno, cum ista causa ageretur, silentium utrique parti impositum fuerat. Quod cum non sufficere videretur Hubaldi famæ ab omni facinoris suspicione purgandæ, lis denuo suscepta, & secundum Hubaldum dictum fuit, ac diplomate Regio declaratum, actorem Slivium quæ de isto sparserat, calumniæ causa finxisse, ut ejusdem gratiam & functiones apud Regem subrueret. Is Hubaldus deprecante nequidquam Senatu armamentarium ac munimenta urbis lustraverat. Ac Rex ipse jactaverat; se jam à Gedanensibus ut hospitem tractatum esse; sed mox se illos ut Regem tractaturum. Innotuere inde Reginæ talia curate rimanti insidiæ, quæ urbi struebantur. Unde ipsa Jacobum Tærne- Regina Gedanenses super insidiis monet.
schildium Gedanum misit, qui secreto Consulibus panderet, constitutum Polonis esse diversis locis urbem inflammare, ac duodecim militum centurias nautarum & agrestium habitu eidem immittere, qui intra cœnobia latitarent, donec orto incendio erumpentes tumultum augerent, ac aliis, qui eodem tempore tribus in locis assultum daturi erant, viam in urbem panderent. Quo fine & partem copiarum Rex in Borussiam deduxerit. Ita detectæ insidiæ vigilantia Magistratuum facile elusæ. Et sequenti anno, cum Senatus Gedanensis per literas à Regina exquireret; num quid auxilii ab ipsa expectandum sibi sit, ubi à Poloniæ Rege infestis armis, quod metuebant, petantur: Regina illos de studio suo in eam urbem, auxilioque certos esse jubebat. 20. Nov.

§. 36. Cum hoc anno Parlamentum Anglicanum navigationem turbare inciperet, abducta quoque una & altera nave Succica, Regina ad Senatum referebat; num nova illa Respublica velut legitima sit agnoscenda, ac misso Legato salutanda? Id uti fieret gravissimæ rationes suadebant. De agnoscenda Republica Anglicana consultatio.

Esse

1651. Esse id utilissimum navigationi Suecorum, idemque capistri in vicem Hollandis futurum. Neminem vitio Reginæ daturum, si emolumento Regni sui invigilet. Regi Angliæ non consuli, si Regina damnum sibi conciliet; qui & viribus plane destituatur ad res suas reparandas. Cæterum ægre huc descendebat Regina insigni in expulsum Regem studio. Sed subigebat necessitas, & magna, quæ ex Parlamenti amicitia expectabatur, utilitas, cujus conciliandæ occasio negligenda non erat. Durum Regi fore, si eos omnes hostium loco habere velit, qui Parlamentum velut legitimum agnoverunt. Alios Reges jam exemplo præivisse; ac Hispanos statim post occisum Angliæ Regem decrevisse novam illam Rempublicam agnoscere, quo eandem sibi adversus Gallos & Lusitanos conciliaret. Anglorum favore Suecis vehementer opus esse contra Hollandos, commercia Sueciæ recens gliscentia quacunque ratione premere laborantes. Hoc facto nihil honesto adversum patrari, nec rem esse, quæ conscientiam tangat; cum Sueciæ damno Rex Angliæ nihil proficiat. Et Anglos sane reipsa demonstrare, Rempublicam se esse. Sibi nihil aliud propositum, quam ad necessitatem status sui sese attemperare. Id esse abuti ratione status, si ex scelere lucrum quæratur. Serius ocyus Legatos ad Parlamentum mittendos, ac maturatam missionem plurimum gratiæ addituram. Equidem objiciebant nonnulli; Scotos haut parum autoritate Reginæ permotos, quando Carolum Regem sibi adscisebant; qui nunc ad desperationem adigendi sint, si Parlamentum ab eadem agnoscatur. Quibus reponebatur; incertum adhuc, quid Reginæ intuitu Scoti egerint. Sane revera ipsorum interfuisse, quod Scotica Nobilitas, quæ præcipuam ejus Regni partem facit, pessum itura sit, si Angliæ subjiciatur. Spem quoque esse, Anglos Hollandis non inferiores fore, si uti futurum videtur, bello inter se collidantur. Communicaverat quoque Regina hanc rem Chanuto Legato Gallico, qui multis rationibus ostendebat; neque Galliam, neque Sueciam defugere posse, quo minus amicitiam colant nationis mari tam potentis; ac Hispanos utrique gratissimam rem feciisse tam propere ad agnoscendam novam Rempublicam ruentes, quos imitati cæteris nunc citra ruborem fore, communem Regum injuriam dissimulaturis. Et eo magis declinandam Sueciæ Anglorum offensam, quod viribus maritimis longe prævalentes adolescenti quam maxime Suecorum navigationi capitalem plagam inferre possint. Et sane optabant Galli, ut Regina prior hoc officio apud novam Rempublicam defungeretur; contra Regina pari passu cum Gallis heic incedere cupiebat.

Regina novam Rempublicam agnoscere constituit.

§. 37. Cum igitur Regina intelligeret, Regem Galliæ Brasseto suo apud Belgas Ministro injunxisse, Legatis Anglicis tunc Hagæ agentibus significaret, Regem certas ob causas Parlamentum Anglicanum liberam & nemini obnoxiam Rempublicam habiturum; ipsa Spiringio Silbercronæ, quem in Hollandiam tunc iterum mittebat, in mandatis dabat, ut Hagæ cum Brasseto re communicata exquireret, quænam is mandata ex aula hac super re acceperit; simul cum eodem decerneret, qua ratione id commodissime Anglis junctim significari possit. Volebat autem hanc notificationem eodem modo, & velut uno ore fieri, ita ut si Spiringius prior Anglicos Legatos salutaret, pariter indicaret, Galliam eodem officio functuram; idemque Brassetus significaret, si ipse eos dem prior inviseret; ut Angli intelligerent, Reginam cum Galliæ Rege de compacto agere. Quod si Brassetus excusaret, se nondum certa mandata ex Aula accepisse, sed brevi illa expectare, in ejus gratiam unum & alterum diem salutationem differret, morbum aut aliud quid causatus. Sed si longius moretur Gallus, nec visitatio Anglorum commode differri longius queat, solus Reginæ declarationem ederet, nulla Galliæ facta mentione; simul innueret, si Angli Legatos in Sueciam mittere velint, ipsorum adventum Reginæ gratum fore, & honore summis imperantibus competente excipiendos. Interim jussu Reginæ Haraldus Appelbomius Legatos Anglicos velut privatim, & dissimulato mandato salutaverat, de studio Reginæ in eam Rempublicam testatus. Qui vicissim valde proclives se testabantur amicitiæ & fœderi ineundo. Insuper ostendebant, displicere sibi pactum Hollandorum cum Dano super redimendo vectigali Oresundico; id quod Angliam juxta ac Sueciam tangere judicabant. 1651. Junio mense.

§. 38. Istud pactum ne ab Ordinibus Generalibus Belgii ratum haberetur, Regina hactenus, etsi citra anxietatem, impedire studuerat. Unde & Appelbomio scribebat; si utique Hollandi idem firmare velint, se id prohibere non posse. Neque publice ea de re quidquam moveret; privatim tamen id fœderi Hollandorum cum Suecis repugnare ostenderet. Dabantur quoque ad Ordines Generales literæ, queis Regina querebatur, naves Suecicas ad Guineæ litora tendentes à Societate Indica Occidentali abripi; quæ ut restituerentur postulabat. Mittebatur inde in Hollandiam Spiringius, ut tentaret, num pactum istud cum Dano quominus ratum habeatur impedire posset; saltem ne id libertati Suecorum in fretis Danicis fraudi foret, quam tartam tectam prætexere Hollandi tractatu Brœmsebroensi receperant. Quod si autem rationibus nihil efficere valeat, alia movere omitteret. Tum quæ inter Anglos & Hollandos agerentur, diligenter observaret. Regina pacta inter Danum & Hollandos frustra impedire studet. 7. Mart.

§. 39. Enimvero quidquid Reginæ Ministri contra niterentur, Ordines Generales fœdus & conventionem super vectigali Oresundico cum Dano ratihabitione firmabant; quibus ansam dederat invidia in Suecos, ne illi forte commercia Maris Baltici ad se pertraherent, id quod Dani opera Hollandi impedire conabantur, cui navigatio & commercia parum cordi esse videbantur. Dano autem spes erat, æmulationem inter Suecos & Hollandos demum in bellum erupturam, quam occasionem in usus suos vertere in proclivi erat: simul invidiam ejus vectigalis hoc modo à se amoliebatur. Apud Suecicos Ministros Hollandi excusabant; facta infecta fieri non posse, & fidem publicam servandam: fœderi tamen cum Suecis id fraudi non fore. Sed privatim non dubitabant jactare; necessum fuisse prohibere, ne Suecorum commercia nimis gliscerent, neve iidem aliquando navigationem Maris Baltici sibi solis vindicarent. Merum quoque fuisse, ne Danus irrito pacto offensus fretum Belgicis navibus plane claudere, aut aliis incommodis eadem turbaret. Denique summam in freto oriri confusionem, dum pacto nondum firmato neque Dani, neque Hollandi vectigalium debitam curam agant. Hollandi tractatus cum Danis ratihabent.

§. 40. Pacto isto firmato Hollandicus in freto Oresundico Residens à Suecicis nautis certificationes exigere instituebat, minatus quoque, se ipsorum merces excussurum. Quæ res cum pactis Brœmsebroensibus repugnaret, quibus cavebatur, Regina de ea re quæritur.

1651. tur, ut Suecici nautæ non niſi Danico publicano certificationes exhiberent, Regina literis apud Daniæ Regem de hiſce auſis querebatur. Reſpondebat Daniæ Rex; ſe ita ſuper ea re diſpoſiturum, ut ne Suecis occaſio amplius querendi ſit. Simul ad Hollandos ſcribebat, ne Suecorum libertati in freto fraus fieret. Ad quas literas Hollandi reſpondere nolebant. Ipſe Danicus Reſidens Hagæ Spiringio poſt fatebatur: Suecos recte feciſſe, quod tractatui redemtionis contradixerint. Etſi quo fine iſta jactaret, parum conſtabat. Spiringius inde apud Ordines Generales publice querebatur, ipſos corradendis pecuniis, quæ Dano ob redemtionem vectigalis Oreſundici ſolvendæ erant, nova onera mercibus è Mari Baltico venientibus, aut eo vehendis impoſuiſſe, ne Suecicis quidem exceptis, quæ & magis quam aliæ premantur. Repugnare libertati ac juribus Sueciæ, facultatem in freto exigendi vectigalia in alium transferri. Adverſari id fœderi Anno 1640. cum Suecia inito, qua mutuo ſe Sueci Hollandique obligarant ad impediendas omnes novationes in commerciorum præjudicium tendentes. Ipſos Hollandos An. 1645. ad ſtabilienda Suecorum in freto jura velut inviolabilia operam navaſſe. Sancitam ibi vectigalium taxationem, à qua jam diſcedatur. Ab initio horum tractatuum Ordines à Miniſtris Suecicis monitos reſpondiſſe; ſe nihil repugnans fœderi Succico facturos. Succos nautas ad nomina ſua apud Hollandicum Reſidentem profitenda cogi non ſine multiplici circumcurſitatione. Exigi à ſingulis navibus Succicas merces vehentibus quatuor unciales, quorum dimidium à Suecicis mercatoribus ſolvendum. Queri hoſce, ſe data opera in freto detineri, ac moleſtia affici. Haut fas eſſe Dano conventa cum Suecis in alios transferre, neque Hollandis iſta acceptare. Nec Succos teneri tertio præſtare, ſuper quo ipſi cum Dano pepigerint. Eludi jus Suecicum, & oblique tolli eorum in Oreſunda immunitatem, dum in Hollandia merces Baltici Maris præ cæteris onerantur. Nimirum adparere jam, quo illud ſpectaverit quod cum anno 1645. Sueci Hollandis offerrent, ſe immunitatem in freto Oreſundico ipſis procuraturos, hi reſponderint; ſe rationem nolle, qua majore libertate quam Sueci in eo freto gaudere queant. Poſtulare igitur, (Vaigeldt.) ut iſta onera tollantur, ſimul pecunia ab anno quadrageſimo quinto nomine præſtandæ navibus ſecuritatis exacta reſtituatur.

Menſe Julio.

Hollandorum reſponſum, 1. Dec.

§. 41. Ad hæc Ordines Generales reſpondebant: ſe non plus à Dano redemiſſe, quam immunitatem ſuarum navium; reliqua omnia penes eum Regem manere. Ad hanc rem opus fuiſſe pecunia mercibus impoſita: ſed non plus oneratas merces Succicas, quam ſuos cives; id quod in Suecia ſecus fiat. Nec iſta fœderi Succico repugnare. Id quippe non agere de libertate in terris ad Mare Balticum, aut Oceanum ſitis, in quibus cuilibet Principi pro neceſſitate, aut conditione rerum ſuarum onera imponere licet mercibus, quæ importantur aut exportantur; ſed ſimpliciter agi de utriuſque Maris libertate, quam adhuc tueri velint. Quod ipſi à taxatione vectigalis anno 1645. facta diſcedant, id Succos non tangere, cum neque ipſi, neque Dani de eo querelas moveant. Cuique ſummo imperanti in ditione ſua ſtatuere licere, quæ ex uſu ſuo judicet. Nullis pactis Danum prohiberi, quo minus & aliis nationibus præter Succos immunitatem in freto concedat. Manere utique guarantiam anno 1645. concluſam; & Succos à Danis in freto non onerari. Alias mandaturos ſuis in freto Miniſtris, ut promte Succicos nautas expediant; & recens impoſitam pecuniam ne exigant. Sibi à Dano hautquidquam conceſſam immunitatem, qua Succica natio gaudet, nec jus quod hæc ſibi ſtipulata ſit. Neque ſe vectigal Oreſundicum adquiſiviſſe, ſed tantum civibus ſuis immunitatem ab illo ſtipulatos; quo fine ſibi neceſſum fuiſſe onus imponere mercibus, quæ in ditionibus ſuis importantur, & exportantur ad corradendas pecunias eo nomine promiſſas; prout in aliis quoque Reip. neceſſitatibus fieri ſoleat. De cætero ſe ad alendam cum Suecis amicitiam pronos eſſe. 1651.

Regina Anglorum ſocietatem affectat.

§. 42. Aſt Spiringius cum jam antea animadvertiſſet, Hollandos Succorum querelas parum curaturos, Reginæ proponebat, ſe obtentu rariorum mercium in uſum ipſius emendarum in Angliam trajecturum ad diſturbandum fœdus, quod tunc Anglos inter & Hollandos agitabatur. Eo quippe perfecto intractabiles plane Hollandos fore, ac facile reliquorum commercia oppreſſuros. Simul tentaturus erat, num Anglos Succico fœderi innectere poſſit. Equidem iter ſuum Hollandis ſuſpicionem injecturum; ſed id parum curandum cum ſuſpicio ſit ſpecies metus. Nam ni homines iſti metuant, intolerabiles eſſe. Id cum Regina probaret, Spiringius in anteceſſum ad Walterum Striklandium, qui nuper Legatus à Parlamento Hagæ fuerat, quondam notum ſcribit, ſibi à Regina mandatum, Anglos liberam Remp. agnoſcere, ac utrique nationi utilia proponere, ſi norit adventum ſuum ibi gratum fore. Eas literas exarabat die 18. Septembris poſt cladem Regis ad Worceſtriam. Sed ne videretur eum eventum captaſſe, fingebat, ſe jam antea ad eundem de hoc negotio ſcripſiſſe. Reſpondebat Striklandus humaniſſime; 20. Sept. gratum fore Parlamento ipſius propoſitionem cognoſcere. Inde à Regina iter in Angliam, quantum poſſet, maturare jubebatur. Mandatorum ejus ſumma erat; ut operam daret recolendæ veteri amicitiæ inter utramque nationem; utque Succis libera navigatio, ac negotiatio ſit in Oceano, ac portubus, ditionibuſque Anglicanis. Tum inclinationem Parlamenti exploraret, & quæ alia ex uſu Sueciæ viderentur curaret. Denique quod Gallici Miniſtri petierant, operam navaret Parlamento ad compoſitionem cum Gallia præparando. Nam à Gallia æque ac Anglia repreſſaliæ promulgatæ erant. Sed ea occaſione Angli plura Gallis eripuerant, quam hi illis. Id ergo quod excedebat, Galli volebant reſtitui, tunc demum Parlamentum pro libera Republica agnituri, ne intuitu rerum ſibi ereptarum, metuve ad hoc compulſi viderentur. Eo de itinere cum Hollandis innoteſceret, hi acri ſuſpicione perſtringebantur, ac Legatos ſuos iter in Angliam accelerare jubebant; quod ſatis perſpicerent, Suecis commodiorem non eſſe occaſionem ipſis pro redemto vectigali Oreſundico ægre faciendi, quam per Anglos. Nec dubitabant, quin iſte pro virili negotiationem ipſorum cum Anglis turbaturus foret. Unde & ſub finem anni navem ingreſſum Legati Hollandici propere inſequebantur, ut utrique ſimul in Angliam adpellerent. Eadem res & Regem Daniæ permovebat, ut propere Legatum in Angliam expediret, ne quid forte Spiringius in detrimentum Daniæ cum Parlamento agitaret.

Cornificius Ulfeldius in Sueciam venit.

§. 43. Hoc anno in Sueciam venit Cornificius Ulfeldius Daniæ hactenus Prorex. Is cauſam diſceſſus ſui ferebat cupidinem Regis, abrupto veterum privilegiorum vinculo dominatum invadere ardentis. Quibus deſtinatis cum præter ſe, & qui ſecum

1651. ſecum ſentiant Nobiles, nemo reſiſtere queat; (nam oppidanos & agreſtes, queis unicum ſervitii ſolatium ſit nobilitatem ſibi æquatam adſpicere, Regi plane addictos;) inde Regem primo conatum repetendis rationibus ipſius fortunas ſubvertere. Sed cum in illis, quod deſiderari poſſet, non inveniretur, ſubornatam impuram fœminam Dinam, quæ fingeret, ſe dum ipſi concumberet audiviſſe venenum Regi in ſua domo parari Adulterii crimen ſibi intentatum, ut dimidia bonorum parte ex legibus Daniæ privaretur, ac eo pronior via ad impingendum veneficium foret. Sed poſtquam Dina calumniam capite luerit, aliam accuſationem ſibi ſtructam, ac manus fuiſſe injiciendas, ni Cancellarius interceſſiſſet. Nec à ſicariis ſat tutum ſe fuiſſe. Unde convaſatis pretioſis rebus, cum uxore & liberis in Hollandiam nave trajeciſſe, inde in Sueciam veniſſe protectionem Reginæ implorantem. Se paratum ſuper objectis criminibus coram Regina, aut judicibus haut obnoxiis cauſam dicere. Contra Danicus Miniſter, ne Regina iſtum patrocinio dignaretur, acriter contendebat ad conjunctionem provocans, quæ Regnis hiſce mutuo intercederet, ac ne Regina quid Regi faceret, quod ſimili caſu ab eodem ſibi fieri nollet. Re ad Senatum relata, poſt longam diſceptationem concluſum eſt: cum Ulfeldius non niſi ſalvum conductum petat, ac coram Regina ad cauſam dicendam ſe offerat de iis, quæ à Daniæ Rege objicienda ſint; iſtum denegari eidem non poſſe. Nec habere Daniæ Regem quod queratur, cum hoc fas ſit per articulum 24. pactorum Stetinenſium, cui per poſteriora pacta derogatum non ſit. Sed & Caroli IX. temporibus multos Nobiles Suecos in Dania, & ante aliquot annos Rheingravium adverſus Principem Chriſtianum quintum in Suecia protectionem inveniſſe. Ac ſequenti anno cum Rex Daniæ juxta ac Senatus ſuper eodem recepto apud Reginam, & Senatum Sueciæ per literas queſti eſſent, reſponſum; ejus dignationis viro protectionem negari non potuiſſe; cæterum ſi quid in Regem ſcriptis aut factis deliquiſſet, ipſe rationem redderet. Crediderant multi, ex eo negotio motus in Dania orituros, quod magna pars Nobilium Ulfeldio faveret, quos inter Cajus Lyckius & Albertus Skelius opulentiſſimi Danorum ferociter fremebant; haut prius finem facturum Regem Nobilitatem premendi, quam idem ipſi quod Chriſtierno II. contingat. Se protectionem Reginæ Sueciæ quæſituros tuendis ſuis privilegiis. Sed iſtorum indignatio intra verba ſterit. Notabatur id quoque à Rege Ulfeldio objectum, quod is illegitima confiſcatione Suecicarum navium, ac mercium nupero cum Suecos bello cauſam dediſſet.

Moſcovitica. §. 44. Veniebat hoc anno Holmiam cum commendatitiis à Ragozio literis quidam qui è Zuskiorum familia ſe oriundum ferebat, Joannis Baſilidis nepotem. Is Joannis Senenſis vocabulum ſibi indiderat, qui & antea apud Poloniæ Regem per ſesquiannum egerat, ac depoſcenti Ruſſico Legato redditus non fuerat. Hic ut ſibi traderetur, Czar ablegatum ad Reginam miſit, qui ut petito ſuo tanto facilius potiretur, literis Reginæ ſuper coronatione gratulabatur, multa de ſtudio ſuo circa colendam cum Suecis amicitiam teſtatus; ſimul paratos eſſe Commiſſarios, qui cum Reginæ delegatis finibus regundis vacent. Regina cum iſtius petita præſenſiſſet, Zuskium iſtum ſi-

1651. ſtum an verum cum literis tuti itineris Revaliam propere dimittit. Ibi cum is aliquandiu egiſſet, Novogardiæ Satrapa ab Erico Oxenſtierna Eſtoniæ Gubernatore hominem depoſcit. Qui eodem in cuſtodiam dato quid porro ſibi faciendum, à Regina exquirebat. Huic à Regina reſponſum; ob Ragozii commendationem dedi iſtum Ruſſis non poſſe. Cæterum ipſe citra moram eundem abire pateretur, non tamen velut ex iterato ſuo juſſu, ſed quia antea ipſius diplomate ſit inſtructus. Et ſane multis in Suecia fidem iſte fecerat, revera genus eidem eſſe, quod præ ſe ferebat. Commodiſſimum igitur Oxenſtiernæ viſum, negligiore cuſtodia ad fugam capeſſendam iſtum invitare. Nec ſegniter is occaſione uſus Revalia per Poloniam Gedanum ſe proripuit. Comes tamen ipſius aut famulus Ruſſis depoſcentibus dedebatur. Aſt publice ad Gubernatores provinciarum transmarinarum ſcribebatur, ut ſicubi deprehenderetur, manum ipſi injicerent. Czari reſpondebatur; Joannem iſtum Senenſem cum literis à Ragozio veniſſe; dato diplomate iterum abiiſſe, ſi inventus ſit in cuſtodiam compingendum. Etſi Ruſſi eodem elapſo graviſſime indignabantur, ſuſpicati Suecos iſtum ultro è manibus amiſiſſe. Petierat is à Regina auxilium ad vindicandum avitum ſolium, quod nunc ab uſurpatore inſideatur; pro qua opera aliquot provincias Suecis vicinas pollicebatur. Nec defore ſibi Ruſſorum ſtudia, qui certatim ad ipſum defecturi ſint, ſtatim atque exercitus Suecicus Ruſſiæ fines ingreſſus ſit. Ei reſponſum; ſi vera ſint, quæ de proſapia ſua jactet, Suecis lætum fore aliquid ad ipſius reſtitutionem contribuere, ac teſtari, quantopere patrem ipſius Demetrium æſtimaverint, quem affectum in ipſum continuaturi ſint. Cæterum antequam Regina in auxilium ipſius accingere ſe poſſit, neceſſum fore, ut ipſe in Moſcoviam ſe conferat, addictoſque ſibi ſua præſentia ad arma capienda excitet. Nec defore Sueciæ auxilia, ſi ipſum munita quæpiam loca occupaſſe, Ruſſoſque in partes tranſiſſe cognitum ſit. Porro iſte, quiſquis fuerit mortalium, biennio poſt Gottorpii in cuſtodiam datus eſt, circa quem liberandum aut Ruſſis tradendum Dux Holſatiæ ad Reginæ placitum ſe componere cupiebat. Sed cum Regina ei negotio immiſceri adſpernaretur, iſte captivus à Duce Ruſſis deditus eſt, qui viciſſim chirographum centum millia aureorum continens ab Ottone Bruggemanno quondam exhibitum gratis reſtituebant. Idem initio anni quinquageſimi quarti Moſcoviæ præter hoſpitium ablegati Polonici ad ſupplicium deducebatur, exprobrantibus huic Ruſſis iſto ſe proditore potiri non potuiſſe, quamdiu in Polonia egerit; ſed haut eo ſecius per alios Principes eum ſibi traditum. Immenſis iſte cruciatibus afficiebatur; ſed idem, quæ oſtendebatur, privatæ conditionis matrem ac filium agnoſcere abnuebat, ad extremum uſque verum ſe Zuskium profeſſus. Tormentis mitere laceratus brachus & cruribus, poſtremum capite truncabatur; artus palis affixi Polonico ablegato oſtentabantur, cum præter iſtos in arcem ad ſalutandum Czarem deduceretur, Ruſſis haut paulo alacrius in Polonicum bellum ruentibus, poſtquam iſte æmulus, an impoſtor è medio ſublatus fuerat.

SA-

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER VIGESIMUS QUARTUS.
EPITOME.

1652 *Deliberatio Selectorum ſuper rebus Polonicis & Anglo-Belgicis.* 2. *Decretum ſuper rebus Polonicis.* 1652.
3. *Decretum ſuper bello inter Anglos & Hollandos.* 4. *Regina periculum vitæ incurrit.* 5. *In Aula Viennenſi acta. Difficultates circa uſum Linguæ Latinæ.* 6. *Cæſar Bremenſem urbem contradicente Regina ad Comitia vocat.* 7. *Idem Capitulares Bremenſes in tutelam ſuſcipit.* 8. *Brandeburgicus inveſtituram Reginæ impedire conatur.* 9. *Legatus Hiſpanicus Suecis videtur favere. Cæſar Reginæ poſtulata ex parte annuit.* 10. *Ad Legatum Hiſpanicum ſcribitur.* 11. *Regina inveſtituram fruſtra petit. Fœdus Hildeſianum.* 12. *Fœdus Gallicum hæret. Regina circa internas Galliæ turbas laborat.* 13. *Cum Hiſpanis acta: Legatus Hiſpanicus in Sueciam venit.* 14. *Spiringii in Anglia negotiatio.* 15. *Parlamenti Anglicani in Sueciam miſſio.* 16. *Regina Appelbomium in Angliam mittit.* 17. *Hollandorum in Sueciam legatio. Eorundem circa mediationem Lubecenſem inclinatio.* 18. *Tractatus Lubecenſis prorogatur.* 19. *Cæteri Mediatores denuo invitantur.* 20. *Commentum de conditionibus pacis.* 21. *Regi Poloniæ filius naſcitur. Polonus mentem Reginæ expiſcari conatur.* 22. *Regina Poloni. Miſſio ad Curlandiæ Ducem.* 23. *Vice-Cancellarius Poloniæ in Sueciam venit. Ejus fugæ cauſa.* 24. *Regina pro eo intercedit.* 25. *Polonorum Legatorum mandata.* 26. *Suecorum mandata.* 27. *Legatorum Lubecam adventus & ſalutatio.* 28. *Certamina partium circa primas ſalutationes Mediatorum. Venetorum inclinatio.* 29. *De loco congreſſus. Initium tractatuum.* 30. *Mediatorum plenipotentiæ non inſpiciuntur.* 31. *Polonorum duplex procuratorium. Poloni proteſtationem apud Mediatores interponunt.* 32. *Sueci procuratorium ſuum edunt. In Polonorum procuratoriis notata.* 33. *Polonorum reſponſum.* 34. *De modo tractandi.*

Deliberatio ſelectorum ſuper rebus Polonicis & Anglo-Belgicis.

ANno quinquageſimo ſecundo exortum inter Anglos, Belgasque bellum, novam Reginæ ſolicitudinem injecit, ne & ipſa forte eodem præter deſtinatum involveretur. Unde ut imminenti periculo conſiliis juxta ac maturo armorum paratu occurreret, Conventum Ordinum ad Octobrem menſem indixit. In eo publice quidem de ſupplenda militia terreſtri, de augenda inſtruendaque claſſe, ac rerum gerendarum nervo decernebatur, ſolis ruſticis frementibus, qui pace facta levationem onerum ex belli neceſſitate impoſitorum, & è provinciis recens partis ingens incrementum ærario Sueciæ animo præceperant. Sed ſecreto apud Selectos Ordinum de præſenti vicinorum conditione Regina exponebat, & quid conſilii omnem in eventum foret capeſſendum, ſententiam eorum exquirebat. Cum Cæſare & Imperio Germanico pacem nuper initam, quam Regina excolere omnibus modis, non minus atque cum Ruſſorum Czare, decreverit. Et quanquam Cæſar inter primordia iſtius quædam non ſatis amici animi ſpecimina ediderit; ea tamen tanti non videri, ut pacem turbatura metuantur. Cum Polonis novem adhuc induciarum annos ſupereſſe, ac circa perpetuam pacem conciliandam Lubecæ Gallo Conciliatore ſatagi. Enimvero per inducias non pauca à Polonis patrata, quæ animos ſat infenſos arguerint; irruptionem Bothii in Livoniam, Uladislai conatus ne Oeſalia Suecis traderetur, machinationes ejuſdem cum Danis per Woldemarum Comitem, conſilia cum Arnheimio & ſimilia. Et quanquam Regina operam dederit, ut Jo. Caſimirus Poloniæ Regno potiretur; multis tamen indiciis obſervatum, amicitiæ ac pacis tractandæ obtentu omnia ſubterfugia quæri, ne ad compoſitionem res perveniat. Ac manifeſte adparere, omnia iſtius conſilia ſpectare ad tempus extrahendum, utque occaſionem nanciſcatur ſubito in Suecos ſe vertendi, præſertim ubi Coſaccos pacaverit; quo caſu hos ſimul cum Polonis raptim Livoniæ infuſurus ſit. Sed nec alia pericula deeſſe, quæ ex diverſis Polonorum conſiliis dudum agitatis oriri poſſint. Enimvero nuper belli flammam inter Anglos & Batavos incenſam haut parum Arctoa Regna, & loca Mari-Baltico adſita adflare cœpiſſe, turbata jam navigatione: cui qua ratione obviam eundum, in an-

1652. in ancipiti consilium esse. Ac inprimis rationes Sueciæ insigniter confudisse fœdus nuper inter Danum Belgasque initum, frustra contranitente Regina, quo fœdus horum cum Suecis reipsa sublatum sit. Accedere quod Rex Daniæ navibus Anglorum onerariis in favorem Belgarum manum injecerit, quod Angli velut hostile factum accepturi credebantur. Et cum in Dania bellum summa vi parari feratur, ipsam quoque Sueciam velit nolit in arma trahendam videri. Id quod non solum commercia per Mare Balticum stituram; sed & Sueciam variis jussis aut interdictis Danorum, Hollandorumque obnoxiam sit redditurum, haut modicorum inde incommodorum proventu. Unde Reginæ necessitatem afferri non solum rationes sui Regni probe expendendi, sed & in omnem eventum consilia & arma parandi, in tempore, & non post elapsam demum occasionem expromenda.

Decretum super rebus Polonicis.

§. 2. His probe ponderatis Selecti Ordinum decrevere; cum ex omnibus Polonorum consiliis & actis adpareat, ipsos amica jactando præsenti conditioni se attemperare, mox incumbentibus sibi difficultatibus superaturis ad vetera destinata revolvendos; consultissimum videri, cœptos cum iisdem tractatus super pace persequi ea tamen lege, ut controversia de Regno, quæ origo belli & complementum sit, & qua non plene decisa certa pax sperari nequeat, radicitus extinguatur. Tum ut Livonia Poloni in perpetuum cedant, qua Provincia ob securitatem suam Suecia carere non possit, propugnaculi in vicem ad orientem objacente. Id si per tractatus Pacis obtineri queat, in lucro ponendum. Sin minus, omnes tractatus non nisi inania verborum ludibria habendos, tempori extrahendo inventa. Eoque optimum fore, si Regina rem ipsam, tempusque & occasionem probe inspiciat, eamque in utus suos quantum detur vertat; tum astutiæ hostium se haut præbeat, nec ab iisdem præveniri se patiatur.

Decretum super bello inter Anglos & Hollandos.

§. 3. Præsentius periculum minari bellum inter Anglos & Batavos, quo & alii videantur implicandi, & quo Oceani navigatio valde turbetur, nullo discrimine, amicus quis, an hostis sit. Huc accedere, quod Danus vel studio in Hollandorum partes concessurus, vel præter propositum in bellum trahendus videatur, eoque aut Hollandis sociatis periculum, & eventum belli ultro subiturus, aut ad suas rationes cum eorundem commodis conjungendas cogendus sit, tractis in se belli malis, quæ & Sueciam forte correptura sint. Cui &, utcunque res cadat, tam ab hostibus quam fœderatis periculum immineat. Cum autem omnium fere Sueciæ civium fortunæ à navigatione per fretum dependeant, in aprico esse, quantopere hujus intersit claustra Maris Baltici omnibus suorum navibus, ac mercibus hinc inde patere, nullo impedimento ex quacunque causâ allato. Quod si heic à Dano quid tentatum fuerit, id quod ab Hollandis quæri adpareat, & Danum consensurum, aut saltem dissimulaturum metus sit, aut si bellum in eas oras à partibus transferatur, dubium non esse, quin & Suecia quantumvis invita in bellum sit pertrahenda. Igitur incendio tam propinquo nihil restare, quam ut ejusmodi consilia & remedia arripiantur, quibus id periculum declinari queat. Quæ remedia in eo consistant, ut amice prius utraque pars moneatur, à belli sui incommodis Sueciam immunem præstare. Id si frustra sit, talia consilia capessenda, queis incommoda ista avertantur, etsi bellum inde sit secuturum; idque nulla mora interposita, ne forte vis improvisa Sueciam obruat: neu occasio neglecta ab alio in damnum Sueciæ arripiatur. Qua ratione tamen ista consilia temperanda, & si opus executioni danda forent, Reginæ prudentiæ ab Ordinibus committum. 1652.

Regina periculum vitæ incurrit.

§. 4. Mense Junio ejus anni præsens vitæ periculum incurrerat Regina, dum summo mane classem, quæ tunc instruebatur, lustratum it. Insistebat illa una cum Hermanno Flemingio classis præfecto brevi asseri, qui ultra oram navis porrigebatur; cum cum iste firmatum crederet, extra parietem navis gradum fert, Reginæ navem quæ recens ædificata erat ostensurus. Eo pondere libratus asser Flemingium, inde Reginam præcipitem in aquas effudit, quarum eo loco triginta cubitorum altitudo erat. Ac jam Flemingius, qui forte laciniam tunicæ Reginæ arripuerat, ipsam in profundum secum trahebat; cum qui proxime adsiterat Antonius Steinbergius propero saltu in aquas se conjicit, ac extremitate stolæ, quæ adhuc adparebat, arrepta ipsam extra aquas protrahebat ea animi præsentia præditam, ut licet in caput effusa esset, & non parum aquæ deglutisset, vix dimidio adhuc corpore eminens juberet Flemingio succurri, qui tunicam ipsius adhuc retinebat, haut quaquam indignata eam rationem servandæ vitæ ab isto arreptam. Regina usque adeo hoc casu non commota fuit, ut nec in lectum se conferre, nec sanguinem mittere vellet, ac publice epulata non sine hilaritate factum adstantibus memoraret.

In aula Viennensi acta.

§. 5. In aula Viennensi hactenus Reginæ postulata circa titulos, usumque linguæ Latinæ vario obtentu eluta fuerant, cum contra pronas aures invenirent, qui in ipsam utcunque fundatas querelas movebant. Quia tamen Cæsarei Ministri Biœrnclovio ostendebant; omnia melius processura, si literis fiduciariis rite formatis legationi suæ auctoritatem adstruxisset; hic ut eo efficacius commissa sibi negotia persequi posset, Reginæ literas demum exhibebat, queis Cæsari *Majestatis* titulus tribuebatur. Adjungebatur tamen libellus protestationis instar continens, quo Reginæ jus suum circa titulos, & usum linguæ Latinæ reservabatur. Hoc modo cum Cæsari circa titulos suos satisfactum esset, Cæsarei vicissim spem faciebant de postulatis Reginæ annuendis, ac sibi dolere simulabant, negotium id Moguntino & cæteris Electoribus communicatum; quorum nunc responsum utique sit expectandum. Ex his Palatinus quidem Elector, & Trevirensis Reginæ circa usum Latinæ Linguæ, tantilla re, facile gratificandum censebant. Cæteri repugnaverant, inter alias hac usi ratione, quod exinde Regina olim prætextum arripere possit Bremensem Provinciam, & Pomeraniam ab Imperio Romano separandi. Simul è dignitate Cæsaris, ac decoro Imperii esse, si circa Provinciarum investituram, in quibus Teutonica lingua in usu est, eadem adhibeatur.

Difficultas circa usum Linguæ Latinæ.

Cæsar Bremam urbem contradicente Regina ad Comitia vocat.

§. 6. Sed uti circa hoc Cæsarei paulisper remittere, ac leniorem vultum induere videbantur, postquam minus aspere super reddenda Franckendalia Ministri Succici Francofurti cœperant loqui: ita circa solida negotiorum non magis æquos se præbebant. Ac circa Bremam quidem, ne ad Comitia velut immediata Imperii civitas evocaretur, literas ad Cæsarem Regina dederat; sed quæ in Consilio Aulico nec prælectæ, nec ad consultationem propositæ sunt, citra scrupulum civita-

1652. vitate inter primos ad Comitia vocata; cum tamen Reginæ invitatio in Brandeburgici gratiam tamdiu differretur. Quin nec actorum copiam petenti Bioernclovio fac[illegible] dignabantur, queis diploma Cæſareum, quo immediata conditio in eam urbem collata erat, innitebatur, quod Regina eam cauſam cognitioni Conſilii Aulici ſubjicere nollet. Nec quidquam proficiebat iſte proteſtatione adverſus eam invitationem interpoſita, ac prolixe oſtenſo, Bremam nunquam antea inter urbes Imperiales habitam: ac invitationem ad proxima Comitia factam effectu carere, quippe ex errore ſcribarum profectam, & ab ipſo Cæſare de ſententia Electorum reſciſſam. Nimis dilutum eſſe, quod nuper inter tractatus Oſnabrugenſes abſente Friderico Archiepiſcopo ea urbs à Cæſare corpori Archi-Epiſcopatus exemta, & immediata ſit declarata, velut ea ditione tunc pro derelicta habita. Nam id Cæſari per leges Imperii & Capitulationem ſuam integrum non eſſe; nec eam injuriam potuiſſe inferri Archi-Epiſcopo, tunc Cæſari armorum ſocio, & cui animus erat Præſulatum recuperandi, quo & poſtliminii jure potitus eſſet, ni idem Suecis in ſatisfactionem ceſſiſſet. Sed nec per Suecos eam dignationem urbi impertire Cæſarem potuiſſe. Reginam quippe integrum Archiepiſcopatum poſtulaſſe, ac tantundem obtinuiſſe, quantum anteceſſores, & cumprimis poſtremus Archi-Epiſcopus poſſederit. In tabulis Pacis Bremam exceptam non eſſe, & ex actis tractatuum conſtare, Cæſareos formulæ à ſe propoſitæ de immediato Bremæ ſtatu expreſſe inferuiſſe, ſed ea verba à Suecis diſpuncta. Diploma Immedietatis Bremenſis nec a Legatis Cæſareis, nec à Deputatis urbis debito modo, & authentica forma in tractatibus unquam exhibitum. E dicto diplomate adparere, Cæſaris mentem haut fuiſſe *de facto* aut *ex plenitudine poteſtatis* Bremam inter Immediatas Imperii urbes transferibere, quod narrata iſtius diplomatis innuant legitimam cauſæ cognitionem præceſſiſſe. Atqui in protocollis Cæſareis ejus temporis ne vocabulum quidem eorum extare, ad quæ diploma provocat. Adeſſe teſtimonium Theodori Reinkingii tunc Bremenſis Cancellarii, Archiepiſcopum in ea cauſa neque citatum, neque auditum eſſe. Quid igitur per *preſentem ſtatum*, qui urbi Inſtrumento Pacis relinquendus ſancitur, intelligendum eſſe? Ad antiqua tempora id adplicari non poſſe: poſtremam ſeſſionem ab ipſo Cæſare irritam declaratam; diploma falſis narratis inniti: Tabulas Pacis ne verbo de ejus immediato ſtatu agere. Quod ſi iſte jam mos invaleſcat, ut per ſubreptionem urbibus immediatam conditionem emere integrum ſit, vix ullum municipium Principibus Imperii ſuperfuturum. Enimvero ſurdis canebatur fabula, & ne id quidem proficiebatur, ut Bioernclovio à Cæſareis demonſtraretur, ob quas cauſas Brema ad Comitia vocaretur, invidia adverſus Sueciam, & quia urbs centum millibus florenorum, quæ in Legationem Cæſaream Oſnabrugæ & Monaſterii impenſa fuerant, id diploma emerat; & Deputatus urbis nunc Viennam cum turgida auro crumena acceſſerat. Quin & cum Conventu Inferioris Saxoniæ Hildeſiæ omnes ejus Circuli Ordines adverſus Bremæ *immedietatem*, excepto Brandeburgico & Meclenburgico, ſuffragium tuliſſent, Cæſar, ut eidem in Circulari conventu ſeſſio utique concederetur, jubebat. Etſi & contra Brandeburgicus, cum Reginam eo conventu excludere conaretur, fruſtra fuit.

§. 7. Sed nec plus à Miniſtro Succico proficiebatur circa abolendum Cæſaris edictum, quo hic Capitulares Bremenſes in tutelam ſuam ſuſceperat, juſſo ut eorum Collegia integra perſiſterent. Nam Regina cum per pacta Pacis Weſtphalicæ ea collegia diſſolviſſet, precario ſingulis quoad viverent, certos reditus indulſerat, tranſactione ea ſuper re cum illis inita. Nihilo ſecius paucorum inſtinctu Cæſaris protectorium edictum valvis templi Cathedralis Bremæ affigebatur; quod tamen à Suecis direptum, alio Regii Reginimis nomine affixo, quo interdicebatur, ne quis quidpiam veterum redituum illis extolveret, aut ullo modo eorundem juſſis pareret. Simul eam ob machinationem, quæ antehac Regina indulſerat, retractabantur. Nec tamen permoveri Cæſar poterat, ut edictum ſuum aboleret; etſi demonſtraretur, quam indignum foret, ad unius partis petitionem, altera inaudita ejuſmodi edicta promulgari, queis Regina violatarum pacis legum non obſcure inſimulabatur, Bremenſibus inter hæc acerbitatem animi ſui in Sueciam non parum apricantibus. 1651. Cæſar Capitulares Bremenſes in tutelam ſuſcipit.

§. 8. In Brandeburgicum quoque non obſcure inclinabat Aula Viennenſis, atroces querelas cientem ob detentam Ulteriorem Pomeraniam, cui ex vi Receſſus Noribergenſis incumbebat Regina, quod telonia ad portus ejus provinciæ Elector ipſi concedere abnueret, cum eadem citra exceptionem in Sueciam tranſcripta forent utcunque compenſando ære alieno quo præfecturæ Pomeraniæ, quæ Reginæ obvenerant oppreſſæ erant. Nec adquieſcebat Elector, cum in partem eorum ipſum ſe admiſſuram Regina offerret; ſed apud Cæſarem inſtabat, ut nec Reginæ inveſtitura conferretur, nec eadem ad Comitia vocaretur, niſi Ulteriore Pomerania Electori reſtituta, & remiſſis vectigalibus. Cui Moguntinus, Trevirenſis, Bavarus & Saxo hactenus adſtipulabantur, ut invitationi ad Comitia hæc conditio annecteretur, ſi præſtanda prius præſtaret, reddita Pomerania, & omiſſis teloniis. Sed & plerique è Conſilio Aulico in Brandeburgici partes propendebant, quia Regina in cauſa telonii ejus Conſilii cognitionem declinaverat; cum Cæſar idoneus judex eſſe non poſſet in cauſis è pace Weſtphalica ortis, cujus partem contrahentem ipſe conſtituebat. Et eorum quidem aliqui cenſebant, Reginam ad Comitia non invitandam; alii invitandam quidem, ſed addita conditione, Si Pomeraniam Ulteriorem Electori reſtituerit: alii pure invitandam, *indulto* tamen, quod vocant, quo tempus accipiendæ inveſtituræ prorogatur addendum; inveſtituram non prius ſuſcipi poſſe, quam Electori ſua Pomerania ſit reſtituta. Ea re in conſilio ſecretiore propoſita aliqui negabant, Reginam ad Comitia vocandam, quod Cæſar hactenus per teſtimonia ſuorum Legatorum, & decretas Commiſſiones Brandeburgici cauſam probarit, adſtipulantibus quoque Electoribus; & poſſe nunc iſtum hoc favore obſtringi ad ſuffragium Cæſaris filio dandum in Regem Romanorum eligendo. Alii contra oſtendebant; Reginam Cæſareorum Legatorum teſtimonia citra telonium Pomeranicum rejicere, nec Cæſarem ea in cauſa judicem agnoſcere. Electores ſententiam dixiſſe ad unius partis relationem fortaſſe mutandam, ubi Reginæ rationes ſatis deductæ ſint. Nec de Brandeburgici ſuffragio adhuc ſatis cautum, quod & exigui ponderis ſit, ubi cæterorum calculi conſpirent. Denique Reginam, ſi vel maxime haut invitetur, Legatos velut Brandeburgicus inveſtituram Reginæ impedire conatur.

1652. lut extraneam Principem miſſuram, qui Gallis conjuncti Comitia turbaturi ſint, capitulationem perpetuam prius adornandam jactantes, quam ad eligendum Romanorum Regem accedatur.

Legatus Hiſpanus Suecis videtur favere.

§. 9. Inter iſtas moras Legatus Viennæ Hiſpanicus Marchio Caſtelrodricus, è cujus nutu pleraque tunc in iſta aula gerebantur, inſigne ſtudium in poſtulata Reginæ apud Bioernclovium præ ſe ferre; quod diverto Regis ſui juſſu ſe facere oſtendebat, qui Cæſari ſuaderit, ne ejuſmodi minutiis Reginam Sueciæ demeret. Eam poſſe Cæſari per inſtantem Diætam non parum moleſtiæ creare, ni ipſi ſatisfactum ſit. Se Cæſareis Miniſtris demonſtraſſe, haut rationis eſſe Cæſarem ob cujuslibet forte iniquas querelas Sueciæ commodis obſiſtere; ſed potius gratum adversus Reginam animum oſtendendum, quæ tam egregia, oppida, terrasque Cæſari, imo & coronam ſceptrumque reddiderit, ob reflantem belli fortunam haut modico periculo expolitum. Unde

Cæſar Reginæ poſtulata ex parte annuit.

cum Cæſar mente Junio Vienna Pragam ſe conferret, ejus juſſu Curtius Comes apud Bioernclovium moram excuſabat, quæ ex ſubtracto Cæſari *Majeſtatis* titulo præter ſpem provenerit, & quod ipſe legationis ſuæ fidem idoneis literis facere diſtuliſſet; unde Cæſari tantum non neceſſitatem allatam Electores conſulendi; ad quod tractu temporis opus fuerit, incidentibus ſubinde & aliis negotiis. Cæſari interim haut aliud ſuiſſe, & eſſe propoſitum, quam pacis conventa examuſſim ſervare, ac cum Regina amicitiæ ac vicinæ officia colere. Eoque eundem voluiſſe ad Reginam dare literas propria manu ſcriptas, eo verborum genio adornatas, qui de ipſius animo ſatis teſtetur. (Et tribuebant illæ, Italica lingua conceptæ, Reginæ *Majeſtatis* titulum.) Porro Brandeburgicum Cæſari ſcripſiſſe, idemque ut ſuaderent alios Electores permoviſſe, ne Reginam ad Comitia invitaret, niſi reſtituta Ulteriore Pomerania. Cæſarem poſt rem probe trutinatam demum decreviſſe, Reginam invitare eodem modo, quo Hiſpaniæ Rex ad Comitia vocetur, addita tamen clauſula, quæ revera Reginæ fraudi non ſit, & aliquo modo Electoribus ſatisfaciat Brandeburgici poſtulato adſtipulantibus. Clauſula illa erat: *Confidimus de cætero Serenitatem Veſtram, quæ ex ſua parte pro omnimoda pacis executione ſuperſunt præſtanda, libenter præſtaturam, atque hoc ipſo felicem Comitiorum progreſſum tanto magis promoturam eſſe.* Quæ verba non ſatis adſtricta Brandeburgicus Ablegatus Matthias Crocovius fremebat. Literæ, quibus Regina ad Comitia invitabatur, Latinæ erant; in quo Cæſar diſſuadentibus licet Electoribus ipſi gratificatus erat. Inter vocabula tamen affectum exprimentia, poſt *Sorori, Conſanguineæ*, additum erat, *Principi noſtræ Chariſſimæ.* Id vocabulum etſi à Cæſare literis ad Principes Germaniæ adhiberi ſoleat, quo nomine & tunc ad Reginam ſcribebatur; tamen quia idem adverſus Hiſpaniæ & Daniæ Reges haut uſurpatur, qui & ipſi feuda à Cæſare & Imperio recognoſcunt, inſtante Bioernclovio id vocabuli omiſſum; ac eodem tenore tres literæ miſſæ, intuitu trium Ducatuum à Regina poſſeſſorum, Bremæ, Verdæ & Pomeraniæ. Titulus Reginæ tribuebatur *Sereniſſimæ atque Potentiſſimæ*, ac *Serenitati Veſtræ.* Ad quem tamen declaratione ſcripto concepta obſtringere ſe Cæſarei nolebant; cautati nullum ejuſmodi conventionis exemplum extare, ac ſufficere id uſu recipi, ac in formulas Cancellariæ ſuæ referri. Id tamen deſiderabat Bioernclovius; quod Cæſar integrum ſuum titulum iis literis expreſſiſſet, quo in edictis & diplomatibus utitur, non medium, quem literis ad Daniæ & Poloniæ Reges adhibet, quibus nihilo ſecius integrum ipſorum titulum tribuit. Sed reponebatur; cum Cæſar Reginæ nihil detrahat, liberum ipſi eſſe ſuos quoque titulos non truncare. Et tenuior res vita, quam ut ulterius monenda videretur. De literis quoque inveſtituræ ſpem faciebat Curtius, eas Latina lingua concipiendas. 1652.

Ad Legatum Hiſpanicum ſcribitur.

§. 10. Cæterum Regina, ut eo facilius quæ in Aula Viennenſi reſtabant procederent, monente Bioernclovio literas ad Marchionem Caſtelrodricum dabat, quibus de exhibito circa negotia ſua ſtudio gratias ipſi agebat. Quæ tamen literæ parum ipſi gratæ acciderant, quod non niſi *Illuſtris* titulum tribuerat Regina, ac in contextu vocabula *Tu* & *Tuus* adhibuerat; & proterebatur à Rege Poloniæ epiſtola Italico idiomate ſcripta, qua is ſubinde *Illuſtriſſima Veſtra Dominationis* vocabulo mactabatur. Se quippe non ſola Legati Regii, ſed & *Grandis Hiſpaniæ* dignatione fulgere. Hos vero non ſolum ubique locorum Legatis Regiis, ſed & omnibus in Romano Imperio & Italia Principibus pares haberi eo ſplendidiore dignitate, quod illa non niſi in triginta duabus familiis hæreat. Sic & Longuevillium Ducem Monaſterii *Celſitudinis* titulo cohoneſtatum, natalium ſplendore dignationem Legati Regii ſuperante. Unde Regina ut iſti ſatisfaceret, è controverſia cum urbe Bremenſi antàm ſumebat alias ad eundem 11. Sept. literas ſcribendi, quibus deſiderato titulo compellabatur. Nec tamen ideo plus favoris à Cæſare Regina experiebatur.

Regina inveſtituram fruſtra petit.

§. 11. Cum enim difficultas circa titulos & uſum linguæ Latinæ jam compoſita videretur, ac Regina Brandeburgico juſtam querendi cauſam haut ſupereſſe crederet, oblata vectigalium participatione, inveſtituram ſuarum in Germania ditionum petere conſtituit. Ei ritui obeundo Benedictus Oxenſtierna Comes Francofurto, ubi hactenus Conventui Deputatorum adfuerat, Pragam conferre ſe jubebatur, cui Bioernclovius eo in negotio Collega adjungebatur. Præceperat Regina, ut honorem Regis Legatis ſolitum exhiberi ſibi curarent, quippe cum non Ducis, ſed Reginæ dignatione ea feuda accipiat utique Regno Sueciæ adquiſita. Oxenſtierna igitur, cum in vicinum Pragæ locum perveniſſet, præmiſſo fiduciariarum literarum exemplo per obvias Cæſaris rhedas excipi poſtulabat. Id Cæſarei abnuebant, quod illæ literæ non generalibus verbis conceptæ eſſent, ſed ad recipiendam inveſtituram differte reſtringerentur. Alias ſe libenter ipſum velut Regium Legatum, & pari cum Hiſpanicis Legatis ritu ſumſe recepturos. Sed ſi aliis fiduciariis literis inſtructus non ſit, quam ad ſolam inveſtituram pertinentibus, nihil pompæ & ceremoniarum adhibitum iri; ſicuti Hiſpaniæ, & Daniæ Regis Legatis in pari caſu fieri ſoleat. Sane Hiſpaniæ Regem per Legatum, in Aula Cæſarea reſidentem, inveſtituram ſolere accipere; unde receptione opus non eſſe; nec unquam iſto actu eundem Cæſaris rheda in Aulam advectum, ſed propria uſum eſſe. Ad exemplum Chriſtiani Ranzovii, qui paucos ante dies nomine Regis Daniæ inveſtituram Holſatiæ petierat, reponebatur; eum literas fiduciarias exhibuiſſe generalibus verbis concepras, nulla inveſtituræ mentione; eoque nomine Regii Legati dignatione admiſſum. Oxenſtierna cum judicaret, eam difficulta-

Corrêa.

1652. cultatem melius ſe præſente componi poſſe, omiſſa pompa incognitus Pragam intravit. Enimvero haut ideo magis proficiebat, Cæſareis eandem excuſationem ingeminantibus, quod cum fiduciariæ ipſius literæ nil præter inveſtituram exprimant, haut alio modo, quam cæteros Principum Imperii Legatos haberi poſſe; ac ſi ipſi extra ordinem quid honoris indulgeatur, alios idem poſtulaturos. Ac ne deeſſet anſa rem extrahendi, ſi forte aliis interim literis legationi ſuæ fidem adſtrueret de uſu linguæ Latinæ in actu inveſtituræ exiguam ſpem faciebant, quem tamen Viennæ Bioernclovio annuere viſi erant: etſi ſcripto declarationem edere noluerant, id moris non eſſe cauſati. Inter iſtas tricas cum inveſtituræ literas adornari peterent Succici Legati, heic quoque tergiverſabantur Cæſarei, molem aliorum negotiorum, & clauſum tunc Conſilium Aulicum excuſantes. Cæterum quod in re tam minuta, & quam facillimum fuerat diſſimulare, ita difficilem ſe gereret Cæſar, non minima pars à Brandeburgico proveniebat, qui Pragam ad Cæſarem accedens magno honore exceptus fuerat. Ante cujus adventum jam decretum erat Succicos eodem ritu, quo nuper Ranzovium Danicum Legatum admittere; quod Meelius Moguntinus Cancellarius Oxenſtiernæ fatebatur. Sed iſte Elector una cum Saxone Cæſarem precibus fatigare non deſtiterant, quoad ipſis promitteret, ſe Reginam ab inveſtitura, & ſeſſione in Comitiis excluſuram, niſi Ulterior Pomerania reſtitueretur. Ferebatur eundem inter alia blandimenta Cæſari dixiſſe: Dolere ſibi, quod non antea de juſtiſſimis ejuſdem conſiliis intellexerit, à quibus ipſe nunquam diſceſſurus ſit, ſimul omnes vires impenſurus, omnesque fortunas periculo expoſiturus ad fulcienda Cæſaris deſtinata ſuper omnibus exteris Germanico ſolo depellendis. Scripſerat eo de negotio ad Reginam præter Cæſarem etiam ipſe Elector Saxoniæ literis tantum non minacibus: ſe cum omnibus Imperii Principibus mirari, quam parum Reginæ curæ hactenus fuerit Electori Brandeburgico ſatisfacere, ejus dignationis Principi ac Reginæ arctiſſima cognatione juncto, qui haut dubitarit parte ditionis ſuæ ſe exuere, ut eadem ipſa exornaretur. Cenſeri & ipſam inter membra Imperii, ac negotium eſſe cum eminenti ejuſdem membro quicum longe aliter agi par ſit. Rogare ut ante Comitia iſti ſuam Pomeraniam reſtituat; alias moleſtum Reginæ fore, ſi ad eam reddendam ibi damnetur; quod ob juſtiſſimam Brandeburgici cauſam utique futurum ſit. Locum quem ipſe in Imperio teneat, & obligationem qua ad tuendam pacem ſtringatur, neceſſitatem ſibi adferre has literas ad Reginam dandi, ut eam permoveat ad turbas prævertendas, quæ ex negata ejus provinciæ reſtitutione proventuræ ſint. Perſuaſum ſibi eſſe, eo ſtudio Reginam in pacem ferri, ut hanc ob cauſam haut paſſura ſit eandem labefactari, ad quam tuendam & ipſi inter Ordines Imperii adſcitæ obligatio incumbat. Enimvero cum ob haſce literas, queis veterem rancorem expromtum ibat Saxo, Regina jus ſibi quæſitum condonare tanti non duceret, ac ſatis noſſet, Germaniæ Principes Pomeraniæ cauſa in arma haut ituros, ad iſtum, quem diximus modum Reginæ ægre faciendi ſeſe vertebant Saxo, & Brandeburgicus. Qui & omnem lapidem movebant, ut id negotium in Aulam Cæſaream aut ad Comitia pertraheretur. Unde & ſemel atque iterum Legatis Succicis Pragæ de temperamento quodam proponebatur; ut Elector in partem vectigalium veniret ea lege, ut penes ipſum ſit directio, nec ejus jurisdictioni quidquam decedat. Sed iſti ſubinde nihil hac de re ſibi mandatum excuſabant. Nec poterat Regina vel Cæſaris, vel Ordinum Imperii cognitioni hanc cauſam ſubjicere cum iſti pars contrahens eſſent. Sed & Cæſar, ac Hiſpanicus Legatus, (quidquid de ſtudio ſuo in Reginam teſtatus eſſet,) Brandeburgici pertinaciam fovebant; è quorum re videbatur eſſe Succiam litibus cum iſthoc aliisque implicitam teneri, cum ob alia, tum ut eo diſſidio partes Proteſtantium in Comitiis debilitarentur. Et Antonius Pimentellus Hiſpanicus Holmiæ Legatus ſiniſtris valde de interno Succiæ ſtatu relationibus Auſtriacos permoverat, ut illam contemnere inciperent. Accedebat quod Legati Succici haut ſatis turgidam crumenam attulerant, ſatiandæ Miniſtrorum Cæſareorum aviditati qui opimas pecuniæ ſummas laudemii nomine jam ipſe devoraverant; cum Reginæ haut decorum videretur muneribus iſtorum hominum deſideriis litare, utpote quæ provincias ſuas non beneficio Cæſaris, ſed victricibus armis, ac conventioni pacis Weſtphalicæ deberet. Unde Regina ne ob ſolum inveſtituræ ritum Cæſari ſupplicare videretur, Oxenſtiernæ injungebat, ut dilata inveſtituræ petitione Praga diſcederet, non tamen velut ſe revocante, ſed quaſi ipſe proprio judicio abiret, ſibi de actis relaturus, ni honorem Regiis Legatis ſolitum exhibere vellent. Quæ tamen juſſa antequam Pragam adferrentur, Cæſarei jam inde diſceſſerant, cum ad extremum Succicis Legatis admiſſionem poſtulantibus reſponſum fuiſſet; aut alias fiduciarias literas proferrent, aut honore, qui Principum Germaniæ Legatis exhiberi ſolet contenti forent. Inde re infecta Benedictus Oxenſtierna mandato Reginæ Wiſmariam diſcedebat; ubi ſupremum Tribunal provinciarum in Germania Succicarum ſequenti anno inſtituebatur, cujus ipſe Præſes delignatus erat. Bioernclovius Ratisponam abibat, Ducatus Verdenſis nomine in Comitiis ſuffragium laturus. Cæterum ſatis patebat, Cæſareos aliquamdiu amicum in Succos vultum ſimulaſſe, ut Brandeburgicum compellerent ad gratificandum Cæſari ſuper electione Regis Romanorum. Quo obtento Cæſar æque, ac Hiſpanus parum ſibi Succiam amplius curandam judicabant. De cujus animo & inde adparebat, quod Hiſpanus Ranzovium Legatum Danicum ambitioſe coleret. Et quod haut ſatis æquis oculis Cæſarei adſpicerent fœdus mutuæ defenſionis, quod per Joannem Stuckium Cancellarium, & Adolfum Benedictum Marſchallum Hildeſiæ hoc anno intuitu Ducatus Bremenſis & Verdenſis cum Ducibus Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus Auguſto, Chriſtiano Ludovico, ac Georgio Wilhelmo, ac Landgravio Haſſiæ Wilhelmo VI. concluſum fuerat cui fœderi ſequenti anno Ditericus Adolphus Paderbornenſis Epiſcopus adſcribebatur. Spectabat id mutuam defenſionem earum ditionum non ſolum adverſus vim bellicam, ſed & contra tranſitus copiarum, hoſpitationes, collectiones militum, & exactiones bellicas; quibus prohibendis convenerat, ut duo equitum, quatuor peditum millia in promptu haberentur; ad quem numerum Regina nomine dictorum Ducatuum quadringentos quindecim equites, octingentos triginta pedites conferret. Ubi in expeditionem procedendum foret, neuter ſibi ſummam rei militaris

1652.

Fœdus Hildeſianum.

1652. fitaris directionem velut suo jure arrogaret, sed illud penes eum esset, cui auxilium ferretur, & in cujus ditione res gererentur. Si in loco tertio res gerenda sit, communi consensu de summo duce statuendum. Huic fœderi biennio post Brandeburgicus quoque adscribi cupiebat haut invita Regina, modo ne istud adversus Neoburgicum extenderetur, qui Brandeburgici scopus videbatur. Nam nemini offendendo eam conjunctionem valere volebat Regina. Qua de causa Electoris conatus tunc elusus est.

Fœdus Gallicum hæret.

§. 12. Gallicum fœdus eo anno non ulterius promovebat. Equidem Chanutus missa in Galliam adornara Hamburgi formula id mandatorum accepisse se dicebat, ut nulla amplius ad Regem relatione facta fœdus absolvere posset. Et optabat iste idem confici posse, antequam iter Hamburgo in Galliam susciperet. Etti de legibus fœderis pandere quidquam nollet, antequam & Salvius idonea mandata accepisset. Reginæ tamen lentius procedendum videbatur ob negotia sua Viennæ nondum confecta, & quia neque necessitas, neque utilitas ejus fœderis in præsens comparebat, flagrantibus jam maxime intestinis Galliæ turbis, quarum exitum antequam perspiceret, propius eidem Regno innecti haut consultum ducebat. Vario tamen obtentu apud Ministrum Gallicum eam moram excusabat, ne forte Galliæ Rex illudi sibi crederet; accedente tubi tempus in Galliam Chanutus longam iti negotio quietem conciliabat. Contra Galli Reginæ lentore animadverto & ipsi frigide de isto tangere instituebant, ne eodem fœdere cæteræ non posse viderentur, eoque Suecis ad duriores conditiones postulandas animam præberent. Ne tamen de affectu suo in Galliam quidquam remisisse videretur Regina, ea cura animum subibat, num forte circa componendas internas Galliæ turbas utilem navare operam posset. Quo fine Scheringium Rosenhanium in Galliam mittere constituerat, ipsius nomine sequestris partes inter Regem & Principes susceptorum. Prius tamen vitium tam apud Ministrum Holmiæ Gallicum, quam per literas ad Regem tentare, num quæ gratia istius operæ
1. April. esset futura. Scribebantur igitur ad Regem literæ, queis testabatur intentissimum in Galliæ res studium sibi imperare, ut tentandum utique sit, num quid forte ad componenda intestina dissidia conferre queat, etsi alias haut libenter se negotiis aliorum Regnorum immiscear. Regi tamen Galliæ haut placebat, extraneum Principem se domesticis ipsius dissidiis ingerere, aut nimis accuratam eorundem notitiam capere. Sed ne Regina contemtam se putaret, Minister Gallicus Picquius ejusdem operam eludere conabatur ipse facta amicæ transactionis ultro intra breve tempus secururæ. Et allatæ mox Regis Galliæ literæ satis ostendebant, non esse quare amplius de mittendo in Galliam Legato cogitaret. Scripserat tamen Regina literas ad Aurelianensem, Contium & Longuevillium Duces, queis à bellicis cogitationibus ipsos dehortabatur, conciliandæ paci operam suam offerens, ubi eam gratam esse intellexerit; ad Principem item Condæum, & Retzium Cardinalem, pari argumento. Adjungebantur quoque literæ ad Parlamentum Parisiense, ne diutius patriam civili bello lacerari permittat. Sed injungebatur Matthiæ Palbitzkio, qui ex Hispania redux in Gallica tunc aula agebat, ut literas conciliationem offerentes primum Regi & Mazarino redderet, postquam prius dextre explorasset, num opera sua Regi arrideat; inde & reliquis ad ipsos scriptas redderet. Cæterum in sermonibus justitiam causæ in medio relinqueret. Iste tamen Ducis Aurelianensis suasum magis, quam Regis voluntatem secutus, literas Reginæ Parlamento tradiderat; non parum indignante Rege, quod Collegio isti nimia autoritas videretur tributa, cui incumbat circa cognitionem litium, non circa summam Reipublicæ se jactare; præsertim cum idem natales Regis solicitare, viamque Aurelianensi ad solium Galliæ sternere ausum esset. Eam ostentam cum Rex per Picquium Reginæ molliter insinuaret, hæc in Palbitzkii errorem culpam rejiciebat, qui jussa sua non sat mature accepisset, queis redditione harum literarum ad Parlamentum supersedere imperatum fuerat, si Regi id displicere animadverteret. Alias post literis Regina 4. Oct.
Mater à Sueciæ Regina petebat, ut Principibus demonstraret, quam male ipsi agerent, eorumque causam condemnaret. Id quod hæc abnuebat, utpote cui de vera origine earum turbarum haut satis constabat, & ingratam operam haut amplius prodigere è dignitate ducebat.

§. 13. Hispani hoc anno de studio suo in Sue- Cum Hi-
ciam verbis magnifice jactare pergebant, quorum spanis acta.
Minister Hamburgi Residens Salvio magnopere suadebat, ut Regina amicitiam sui Regis coleret. Etti constabat metui ab iisdem, ne sub initium ejus anni Salvius cum Chanuto & Ministro Lusitanico Hamburgi aliquid novi fœderis in Hispaniam cuderet. Quæ suspicio augebatur, cum Benedictus Oxenstierna & Avaugurius Legatus Gallicus Francofurti super restituenda Franckendalia acriter instarent. Idem quoque explorando Reginæ animo apud Salvium differebat; haut persuaderi Hispanis, Reginam Alsatiæ defensionem susceptoram; nam de illa invadenda tunc temporis ab illis agitabatur. Cui à Salvio reponebatur; totum Imperium ad ejus conservationem obstringi. Cum Hispanus contra judicaret; evictionem Pace Westphalica promissam ad Provincias duntaxat in Imperio sitas, non ad extrinsecas ditiones pertinere. Unde & tunc difficilibus suis rebus Galli maluissent Alsatiam feudi lege ab Imperio accepisse; id quod & Regina semper suaserat. Cæterum exolescente illa suspicione Hispani spargebant, Stephanum de Gamarra supremi gradus in Belgio ducem Legatum in Sueciam destinari, ut hujus dignitate Rex testaretur, quanti Reginam æstimaret. Ejus tamen loco post veniebat Antonius Pimentellus, qui cum extraordinarii Legati munere ornatus crederetur, Regina absente majore honore quam pro Ablegati dignatione exceptus fuit. Proponebat is, à Catholico Rege se missum pensando honori, quem Regina per Palbitzkium ipsi detulerit, gratulatus pacem in Germania, & amicitiam cum Domo Austriaca instauratam, cujus magna pars ad Regem Catholicum pertineat; & alia sinceri affectus inter Principes imitamenta. Inde & Belgarum Fœderatorum in Suecia negotiationem impedire studebat, qui tunc bello Anglicano impliciti Reginam in partes suas trahere laborabant; proponens simul de stabiliendis Suecorum per Hispaniam & Flandriam commerciis, ostensa Dunkerquæ commoditate congerendis ibi mercibus in Suecia provenientibus, quæ inde per vicinas Provincias commode distribui possint. Petebat idem à Regina, ut ipsa Ordines Generales Belgii Fœderati eodem postulato, quo Parlamentum Angliæ, urgeret, de permittenda libera Scal-

1652. dis navigatione ad reparanda Antvverpiæ commercia. Simul ut Suecos à petendo è Lusitania sale averteret, demonstrabat, Hispanicum meliorem esse; ac in ejus rei specimen insignis salis portionem dono offerebat, à Suecicis navibus ex oppido San-Lucare petendam. Quod donum non poterat non gratum esse, optata quoque commercii augendi facultate, ubicunque occasio arrideret, utut de cætero Reipublicæ rationes utrinque discreparent. Idem & circa fœdus inter Sueciam, Hispaniam, & Angliam conflandum satagebat, ac ut Sueciam bello implicaret, quo tunc Angli & Belgæ collidebantur, & ad quod excitandum Hispani non parum operæ contulerant; cum rationes Sueciæ exigerent, ut eo in bello quam diu liceret neutras partes amplecteretur, commerciis suis tuto exercendis. Denique idem ut Sueciam à Galliæ societate disjungeret, omnem lapidem movebat, qui præcipuus scopus ejus Legationis videtur fuisse.

500. *Last.*

Spiringii in Anglia negotiatio. 18. Dec. 1651.

§. 14. In Angliam sub finem superioris anni Petrus Spiringius Silbercrona adpulerat. Is quo minus statim admitteretur, literæ fiduciariæ obstiterant, quæ hanc inscriptionem præferebant: *Serenissimæ Reipublicæ Angliæ*: quas per Oratorem seu *Prolocutorem* (ut vocant) oblatas Parlamentum acceptare nolebat; quod decretum foret conditum, ne quæ literæ ab exteris admitterentur cum titulo honoris, nil præter *Parlamentum Reipublicæ Angliæ* audire cupidum. Unde & jam antea Hispano, Lusitano, Belgico, Florentino & Genuensi Ministris secus inscriptæ fiduciariæ redhibitæ fuerant. Post longam in Parlamento disceptationem Spiringio quoque suæ per Magistrum publicorum officiorum Olivarium Flemingum reddebantur, testanti, Reginam statutum Parlamenti ignorasse; alias facile titulos ad eorum placitum fuisse temperaturam. Quia autem videat ultro oblatum à Regina primæ missionis honorem frigidius æstimari, se statim in Hollandiam iterum trajecturum. Eo dicto Anglus nonnihil perturbatus suadebat, ut alias potius fiduciarias literas expectaret: cæterum rem se ad Parlamentum relaturum. Regressus quærebat, num chartas puras, Reginæ nomine & sigillo munitas penes se haberet, quibus procuratorium inscribi posset. Id cum negaret Spiringius, proponebat alter; num eradere verba quæ displicebant vellet, inscriptis aliis ex Parlamenti placito. Id audere se cum negaret Spiringius, proponebat; se folio chartæ puræ inscriptionem literarum obtecturum, ac in ea Parlamenti titulum inscripturum. De quo temperamento ad Parlamentum se relaturum Flemingus promittebat. Cæterum constabat Belgarum Legatos omnem lapidem movisse, ut Spiringium Parlamento suspectum redderent; quem jactabant venisse conjunctioni Belgarum cum Anglis impediendæ, ac non nisi expilcandis Parlamenti viribus, & consiliis. Eundem fuisse, qui Anno 1649. Reginæ literas Regi Scotiæ tradiderit, quibus Angli atrocibus verbis parricidii accusati sint. Nec obscurum esse, quæ à Regina cum Scotiæ Rege Bredæ acta sint in fraudem Parlamenti. Ea causa credebatur recusati temperamenti à Spiringio propositi, & quod Orator Parlamenti, cum eas aperturum se, prout tunc essent promisisset, mox dictum retractaret. Ac postulabat idem, ut non nisi *Parlamenti* vocabulum inscriptioni Spiringius adderet; quod hic abnuebat, cum iste liquido promittere nollet, eo facto ipsum utique admissum iri. Regina cum de hac difficultate intelligeret, nolebat Spiringium re infecta ex Anglia discedere, quod illud multis rumoribus ansam præbiturum esset, nec parum amicitiæ cum ea Republica nocituram. Unde alias ipsi fiduciarias mittebat ad placitum Parlamenti formato titulo. Quæ antequam in Angliam perferrentur, priores, quas Orator secum retinuerat, post longam disceptationem, continente inprimis Olivario Cromvvello militiæ Anglicanæ summo duce, resignatæ sunt, dicis causa increpito Oratore Parlamenti, quod tamdiu literas illas secum retinuisset, quæ nunc commode redhiberi non possint. Ubi alius scrupulus occurrebat, quod character dignitatis, quo Spiringius mitteretur, expressus non esset. De quo hic interrogatus reponebat; se non alium characterem sibi arrogare posse, quam fiduciariæ litteræ tribuant. Sed eo ipso die, quo publice audiendus erat, gravi morbo implicitus intra paucos dies extinguebatur. Apud defuncti familiam duo à Parlamento Delegati consolationis officio fungebantur; quod ipsi magnum honorem, & qui nemini alias delatus sit, ferebant, ut Parlamentum testaretur, quam grata sibi ejus missio fuerit. Contra Hollandi, Danique ejus morte non parum lætabantur, quem pro sua dexteritate, & in Sueciam fervido studio metuebant, ne quidpiam in ipsorum fraudem apud Anglos strueret. Cui ut reluctaretur, & Hollandorum Legatos in Angliam properasse diximus; & Daniæ Rex non minus trepide Wilhelmum Rosenvvingium eodem expediebat, præmissa gratulatione solenni Legationi viam præparaturum. Cæterum apud Spiringium Angli insignem affectum in res Sueciæ testabantur, ac honorem, quem Regina ipsis exhibitum ibat, magni à se æstimari profitebantur. Sed idem de Gallia, prout à Regina jussus erat, mentionem facere haut consultum ducebat, ferocibus utrinque earum nationum animis, & quod nemo adhuc à Gallis publice missus ibi esset; exacerbatis quoque vehementer Anglorum animis per represalias, quas à Regina Angliæ vidua obtentas credebant; & quia Scotiæ Rex in Gallia degebat, quem una cum fratre Romanis placitis aurem præbere fama erat.

1652.

Parlamenti Anglicani in Sueciam missio.

§. 15. Angli porro ne officio à Regina vincerentur, Danielem Lisleum & Joannem Duræum in Sueciam misere cum literis, quibus testabantur; gratissimam sibi fuisse Reginæ amicitiam per Spiringium oblatam, cui excolendæ, simul augendis utriusque nationis commerciis se cupidos esse. Tum doluisse sibi, Spiringium morte præventum, quo minus mandata exponere potuerit; circa quem admittendum quæ moræ intervenerint, excusabantur. Cum illis nihil publice actum, nisi quod securitatem navigationis, & commerciorum spectaret. Ac jussi erant animum Reginæ in novam Rempublicam explorare; cujus favore comperto solennem Legationem in Sueciam mittere decreverant. Remissi cum literis, quæ amica omnia exprimerent, ac laute donati, plene sibi satisfactum profitebantur.

Appelbomius in Angliam mittitur.

§. 16. In Spiringii locum Regina paulo post Haraldum Appelbomium è Batavis in Angliam trajicere jubet, qui apud Parlamentum de renovanda vetere amicitia, & conservanda navigationis libertate proponeret; utque naves Suecicæ in Oceano securitate, ac in Anglicanis portubus liberis commerciis fruerentur. Tum ut navibus Suecicis versus occasum rendentibus portus Angliæ introire licitum sit, ubi tempestas, aut repa-

Digitized by Google

1652. reparandi penus neceſſitas ſubegerit. Atque id publice & præcipue agere jubebatur. Cæterum data occaſione dextre inſinuaret, num Anglis placeat deſerto Archangeli Fano commercia Ruſſica Revaliam, Narvam & Nyam transferre via longe breviore, quæ navigationem tres menſes diutius, quam altera, admittat; Muſcovia quoq; urbe Archangeli Fano ducentis milliaribus, Narva non niſi centum viginti diſtante; præſertim cum Angli tunc minarentur, ſe emporii illius portum obſtructuros, quod Czar vetera privilegia ipſorum nationi ademiſſet. Pro Gallorum rebus loqueretur, quantum per propriam negotiationem liceret. Simul velut privato ſermone oſtenderet, Reginæ in animo eſſe ſolenni legatione Parlamentum honorare, ſi ad poſtulata ſua idonea declaratione potiatur. Interim accurate obſervaret, quid inter Anglos, Hollandosque tractaretur. Cum Hollandorum Legatis amice communicaret verbis duntaxat laxioribus, & injuriam ab illis ſuperiore æſtate Reginæ illatam magna parte Novæ Sueciæ abrepta diſſimularet; nec aliud præ ſe ferret, quam quod Reginæ cordi ſit fœdus cum Hollandis inviolatum ſervare. Publicam orationem apud Anglos Latino ſermone haberet; privatim lingua, qua commoditſimum foret, uteretur. Is cum non alium, quam Commiſſarii characterem præ ſe ferret, ab undecim Parlamenti Deputatis ad unum latus mentæ ſedentibus auditus eſt, cum ipſe ſolus in adverſo
16. Maji. latere conſideret; quod non niſi Legatorum dignationem gerentibus ad totum Parlamentum acceſſus fieret. Magnum illos deſiderium tenebat cognoſcendi, quid ab iſto proponendum foret; unde & tantiſper in negotiatione cum Hollandis
12. Maji. progredi differebant. Sed cum is apud Conſilium Status, quæ in mandatis habebat, exponeret de libera navigatione & commerciis, animadverterebatur ipſos plura animo concepiſſe de ſociali fœdere, in quod valde pronos ſe oſtendebant. Sed & inſuper habuerant Angli, quæ à Legatis Danicis Erico Roſencrantzio, & Petro Ritzio jactata fuerant; Suecorum res anno quadrageſimo quinto nimia incrementa cepiſſe, & Angliæ quoque intereſſe, ut Regna Arctoa ad æquilibrium redigantur. Appelbomius multa cum ſignificatione amicitiæ ab Anglis dimittebatur; qui & teſtabantur, paratos ſe ad arctiora fœdera ſuper modis & rationibus commerciorum, mutuæque ſecuritatis ſtabiliendæ. Simul promittebant, navibus Suecicis tam in mari, quam portubus ſuis nihil damni illatum iri. Unde & licet exardeſcente inter ipſos Hollandosque bello complures Suecicæ naves abducerentur, eædem tamen illæſæ reſtituebantur, addita hac detentionis excuſatione; diſquirendum fuiſſe, ne ſub Suecorum vocabulo Hollandi latitarent.

Hollandorum in Sueciam Legatio. §. 17. Iſtæ porro Reginæ & Parlamenti mutuæ miſſiones haut exigua ſuſpicione Belgas Fœderatos perſtringebant, ut & ipſi Legatum in Sueciam mittere properarent; cum antea petenti Reginæ id indulſiſſent, ut edicto ſuo avocatorio illos nautas eximerent, qui modico numero apud ipſam ſtipendia faciebant. Quod in eximii officii locum imputabant. Cæterum in Sueciam Legatus veniebat Conradus Beuningius, qui publica quidem admiſſione Reginæ laudes, gratulationes, ac ſuorum in amicitiam cum Sueciæ Regno ſtudium decora oratione evolvebat. Sed in ſecreto auxilium ex fœdere adverſus Anglos, & arctiorem conjunctionem expoſcebat, & ut reſtitutio Regis Angliæ communibus viribus ſuſcipiatur, quo commerciis per Parlamentum turbatis ſecu- 1652.
ritas inſtauretur. Tum ut commercia cum Anglis abrumpantur, nec quidquam merciumu, quod inſtruendis, aut armandis navibus inſervit, Anglis permittatur. Quorum nihil Reginæ ad palatum erat; quæ Beuningio fœdus anno quadrageſimo initum urgenti reponebat; id per ipſos Hollandos abruptum fœdere cum Danis icto, quo auxilia hiſce promiſſa quem alium quam Sueciam ſpectent? Sane quod ſibi cum Belgis fœdus fuerit, unice contra Daniam fuiſſe directum; cætera ſpeciosa fuiſſe verba, rerum inania. Denique tractatu *Redemtionis* id animi in Suecos oſtendiſſe Hollandos, ut vix ſalva fronte amici quid à Suecia petere queant. Sed & inſuper temporum mutationem ejus fœderis vim elidiſſe; ac ipſos Hollandos culpa ſua id bellum ſibi conciliaſſe. Quia tamen decretum erat Reginæ, quantum poſſet extra contagium ejus belli ſefe removere, tempus de induſtria extrahebat, ut adpareret, quomodo initia belli ſe datura eſſent, ac ingruente paulatim hieme ipſum anni tempus excuſationem omiſſi auxilii ſuggereret. Offerebat tamen Regina, ſe Legatos in Angliam ad componendum id bellum miſſuram. Quod parum ſatisfaciebat Beuningio metuenti, ne forte oleum incendio per iſtos adderetur. Ac ipſi cordati apud Hollandos fatebantur, haut nimis præclare de Suecia ſe meritos; & qui velit ab aliis benigne ſibi fieri, eundem & aliis paria facere oportere. Sed & Daniæ Rex, etſi in Belgas pronior, ſicuti Sueci in eo bello in Anglos affectu propendebant, quo minus efficacius iſtorum partes amplecteretur, metu Suecorum coercebatur, ne hi forte cum Hiſpanis, atque Anglis arma conjungerent. Eidem Beuningio de ſocietate belli inferendi atque arcendi inter Sueciam, Daniam, & Belgas proponenti Regina reponebat; miraculi inſtar habituram ſuam cum Dania conjunctionem. Præſertim cum iſto anno Miniſter Danicus Hagæ Reſidens Petrus Chariſius, ut Hollandorum in Sueciam animos irritaret variam fabularum colluviem diſſeminaſſet de clandeſtinis Suecorum fœderibus; ac ipſos terra quidem in Friſiam irrupturos, mari fretum Oreſundicum in poteſtatem redacturos. Tum de multis millionibus, quos Cornificius Ulfeldius ſuppeditaturus ſit ad bellum Dano faciendum. Expromebant quoquo aliud ſpecimen animi ſui in Sueciam Hollandi, quod cum ſub finem anni Wittius & Waveranus Lubecam proficiſcerentur conciliatorum partes obituri, Raſfeldius tum in Collegio Ordinum Prætes illis injunxerit; quia Fœderatæ Reipublicæ non expediat perpetuam pacem Suecos inter, & Polonos concludi, quod haut præter graves rationes metuendum ſit, ne iſto caſu Sueci Hollandorum ſtatum, & navigationem infeſtent; igitur ipſi eam conciliationem arte tractent, ac adhibita dexteritate curent, ne firma & æterna pax concludatur. Idque conſilium Nannius Keiterus in Dania Belgarum tunc Legatus Danorum monitu ſuggeſſerat. Etſi ſcripta ipſorum mandata articulo tertio præ ſe ferebant, ut circa conciliandam æternam pacem operam navarent. Peculiariter quoque Amſtelodamenſes Waverano injunxerant, ut Suecis quævis ſiniſtra officia exhibere conaretur.

Tractatus Lubecenſis prorogatus. §. 18. Tractatum cum Polonis ad menſem uſque Majum ſponſione Legatorum prorogatum diximus. Regina ut deſiderium pacis teſtatum faceret, Regi Galliæ per literas ſignificat, eandem à ſe ratam haberi, rogatque ut mediatorium mu-

1652. nus ea qua cœperit diligentia continuare velit. Idemque ut Polonis, ac aliis quorum interfit significet, à Chanuto postulat. Enimvero & Chanuto, & Polonis spatium istud nimis angustum videbatur; de quo & Poloniæ Rex ad Galliæ Regem scripserat. Nam Conventum Ordinum Poloniæ, quo Legatorum conventio firmanda, & mandata expedienda sint, vix ante exitum mensis Martii absolvi. Inde heic decreta ad Regem Galliæ, ab hoc ad reliquos sequestres referenda. Mox dum Legati se itineri accingunt totam æstatem elabi. Igitur cum Chanutus de differendo tractatu ad Reginam scriberet, nec ipsa reluctandum sibi ducebat; quod si qua invidia protractæ pacis foret, illa in Polonos relapsura esset. Ac indecens videbatur, paucorum mensium moram ob rationes non improbabiles negare. Igitur declarabat, se eum honorem deferre Regi Christianissimo, ut pro re nata tempus Conventui instaurando statuere possit, quod commodissimum visum
21. Mart. fuerit. Qui & mox ultimum Augusti diem conventui designabat, quod tempus Reginæ juxta ac Polonis probabatur, eventus futuræ æstatis prius nosse cupidis. Quæsierat quoque Chanutus à Regina, num, si Poloni procuratoria adferant, conventis quadrantia, sufficiat illa tantisper in sequestrium manus deponi, sub finem demum tractatuum permutanda? Tum quibus ad extremum postulatis Regina insistere velit, ne si denuo re infecta discedant Legati, ansa inde arripiatur abrumpendarum induciarum; cum præsto conventu supersedere, si partibus nullo modo super conditionibus pacis convenire queat. Sed Regina circa neutrum horum mentem suam Gallo pandere consultum ducebat.

Cæteri Mediatores denuo invitantur.

§. 19. Num & cæteri Mediatores qui priorem Conventum obire neglexerant, denuo invitandi essent, dubitatum fuerat. Chanutus judicabat, Regem Galliæ defugere non posse quin Venetis & Belgis significet de tempore tractatus instaurandi, ut tamen invitandi aut rogandi formulis abstineat. Et facta significatione perinde fore, num veniant, vel minus. Regina quid sibi faciendum foret, in medio tantisper relinquebat. Sed cum audisset, istos à Poloniæ Rege ambitiose factam invitationem cum applausu acceptasse, exemplum utique imitandum erat, ne magis in Poloni partes inclinarent, si hoc solo rogante venirent, Reginæ silentio in offensæ locum accepto. Igitur & ipsa denuo literis ad Franciscum Molinum Venetorum Ducem, Belgasque, & Brandeburgicum Electorem datis, eosdem ad suscipiendam conciliationem invitat. Parlamentum Angliæ ut ad idem officium vocaretur Regina cupiebat; & id eum honorem avide amplexurum Spiringius affirmabat. Sed Chanutus censebat controversia inter Gallos & Anglos nondum composita, & quoad hi à Rege Galliæ pro libera Republica agniti non sint, haut commode se cum ipsis in actu tam solenni concurrere posse. Ita istorum invitatio omissa.

Commentum de conditionibus pacis.

§. 20. Inter hæc Henricus Canasilius ut Reginæ mentem circa conditiones pacis expiscaretur, formulam finxerat lingua Gallica conscriptam, qua proponebatur, ut Poloniæ Rex in compensationem juris, quod in Sueciam prætendebat, Livoniam velut feudum à Regina agnosceret: aut si Regina id nollet, ut Polonus Borussiam Ducalem acciperet, ac Brandeburgico in ejus locum Bremensis Ducatus daretur, Reginam & Ordines Sueciæ ad hoc temperamentum esse valde proclives, ut Borussia Electori erepta Polono detur, ea lege, ut ipsi Memelam, & Pillaviam retineant, Electori nulla compensatio fiat. Id scripti cum Brandeburgico innotescerent, qui genuinum id ducebat hic non parum commovebatur, ne forte Sueci Poloniq; ipsius dispendio pacem inter se sancire velint. Unde Minister ejus in Aula Suecica hac de re graviter querebatur; Regina asseverante, sibi de tali propositione plane incognitum esse. Et cum suspicio esset, eandem à Chanuto profectam, Evvaldus Kleistius literis ad eum scriptis oblique expostulat, talia in fraudem Electoris agitari; de quibus sibi nunquam in mentem venisse Chanutus testabatur. Sed mox inventus commenti autor omnem solicitudinem dispulit; & gaudebat Brandeburgicus, id consilii non è Suecia profectum fuisse. 1652.

Regi Poloniæ filius nascitur.

§. 21. Paulo post Regi Poloniæ filius nascebatur, quem ut è sacro fonte susciperet vellet Regina, misso ablegato petebat. Creditum fuerat, exinde Polono cupidinem ortam cum Regina transigendi, si quid forte terrarum ab ipsâ in usum filii paciscì posset, cujus misera erat futura conditio, si eodem impubere ipse decederet, nulla peculiari ditione relicta. Regina honorem istum omni humanitatis demonstratione accipiebat. Sed paucos intra dies infantis mors, quicquid considerationum ejusdem nativitas excitarat, abrupit. Et judicabant multi, Jo. Casimirum ægrius nunc ad renuntiationem prætensionis in Sueciam descensurum, quod compensationis, quam forte acceptarus sit, breve fruendi tempus sibi supereset. Sed & multi haut satis ample de successu tractatuum augurabantur, quod Comitia Poloniæ, in quibus de mandatis Legatorum disponendum fuerat, re infecta forent soluta. Mittebatur post à Poloniæ Rege in Sueciam Canasilius cum amplissima tractandi facultate; qui Reginæ declarabat, Regem Poloniæ cupere in antecessum cum Regina transigere super actione sua in Sueciam; & quid emolumenti ipsum mansurum sit, si Rempubl. ad cessionem Livoniæ faciendam permoverit; ut materia prius digesta solennis tractatus eo citius absolvi possit, nec forte iterum re infecta discedatur. Regina cum ideo ista moveri animadverteret, ut mens ipsius exploraretur, præsertim cum ipsi interdictum esset, ne prior quædam proponeret, sed quid Regina oblatura sit expectaret, non nisi laxioribus verbis de affectu suo in Regem Poloniæ testabatur: cæterum per Rosenhanium Lubecæ responsum redditurum: & ita irritum, sed liberaliter donatum, dimittebat. Querebatur iste hanc dimissionem præter opinionem sibi accidisse, cum alia se sperare Regina & ante & nuper jusserit, & hæc sine dubio Radzievvskii artibus provenisse. Regina tamen hanc causam allegabat, quod in ipsius procuratorio vocabulum *Christina* omissum foret.

Polonum mentem Reginæ explicari conatur.

Regina Poloni extrema destinata explicari cupit.

§. 22. Nec minus tamen & Regina Poloni extrema destinata expiscari cupiebat, ut quid de successu tractatuum sperandum foret constaret, disponendis in omnem eventum consiliis. Unde cum Curlandiæ Dux Paulo Helmes significaret, Regem Poloniæ cupere præcipua controversiæ capita secreto tractatu digeri, ac Dux in eam rem mandata à Rege habere crederetur, placuit Reginæ Laurentium Cantersteinium ad eundem mittere. Is jubebatur affectum Reginæ super studio Ducis circa pacem conciliandam testari, dissimulata vera adventus causa. Nam si Dux aut

Missio ad Curlandiæ Ducem. 19. Jul.

alius

1652. alius in ejus aula à Polono tractandi facultatem haberet, hoc ingressu facto id ultro significaturum. Si quis ad tractandum se offerat, primo procuratorium depoſceret. Id si vitiosum sit, ad tractatum quidem non descenderet, audiret tamen quid proponeretur, ut ex eo judicari possit, quid à Poloniæ Rege sperandum sit. Si procuratorium rite conceptum sit, suum quoque produceret. Si Polonus deditione quapiam proponat, id declinaret. Sed ubi de pecunia moveatur, ultra quadringenta uncialium millia ne offerret, aut annueret. Si Poloni opportunitatem præsentium temporum, & conductitium Regis militem extollant, ipse vicissim Sueciam nunc egregiis ducibus, ac militibus referram ostentaret. In satisfactionem Reipublicæ fœdus mutui auxilii offerret, & in eo quatuor militum millia, aut eorum loco pecuniam. Quod si sentiat, Duci plenipotentiam non esse, quatuordecim per dies in aula ejus subsisteret, quoad responsum Duci Warsavia adferri queat, qui sine dubio de ipsius adventu ad Regem statim scripturus sit. Et vel sola Regis Epistola in hanc rem allata tractatum susciperet, modo ista vim obligandi in se habeat. Ubi eo spatio nihil literarum Warsavia venerit, à Duce iterum discederet, nullo indicio de suis destinatis facto. Enimvero cum ad Ducem pervenisset Canterstеinius, nihil plenipotentiæ apud illum inveniebat, cui tuto tractatum superstruere posset. Unde post vagos sermones, & speciosa quædam temperamenta nequicquam jactata, inde re infecta discedebat; cum satis ex Duce collegisset, Polonos præsentis status sui difficultatibus motos Lubecam venturos, ne aliis suis malis Sueci quoque hostes accedant.

Vice Cancellarius Poloniæ in Sueciam venit.

§. 23. Dum ita tractatui præluditur, nova odiorum semina inter partes spargebat Hieronymus Radzicioviskius Poloniæ Regni Vice-Cancellarius; qui patria profugus in Sueciam se contulerat declinandæ Regis iræ. Cujus causam ipse ferebat, quod apud Reginam Poloniæ questus esset de pudicitia uxoris suæ à Rege temerata. Is in Suecia amice excipiebatur ob dignationem, & quod aliorum animis adrepere calleret; simul spes erat secreta Regni ab uto posse explorari, & pace irrita aliquem ejusdem usum fore. Qui & valde sinistre de Rege, ac Regni statu loquebatur, omnibusque modis Suecos ad bellum in Polonos incitabat. Id solum esse remedium Regem ad actionem in Sueciam, Rempublicam ad Livoniam cedendam compellendi citra compensationem: ac Poloniam eo jam esse redactam, ut Suecorum armis resistere non posset. Addebat, magnis imperiis expedire, ut semper bello contra aliquem è vicinis implicita sint, excitandis ad militiam civibus, & ne quis imparatis ingruere queat. Enimvero è Polonia paulo post alia istius fugæ causa vulgabatur. Fuisse ipsum ingenio ambitioso, intolenti, ac callidissimo, qui totius Nobilitatis odium incurrerit, cujus primores temerariis actionibus offenderit. Eum mirante Senatu, ac contra ipsius Regis inclinationem Reginæ commendatione Procancellariatus munere potitum. Inde divitem viduam viginti tres annos natam uxorem duxisse; cujus genius lætior maledicis antam præbuerit spargendi de illicito Regis in eam affectu, qui aliquoties eam invisserat. Unde maritum asperè ipsam habuisse, & super Regis injuria apud Reginam questum. Et ut ingenio turbido erat, irritante insuper Zelotypia, multa sinistra iparsisse superactis à Rege bello superioris anni adversus Cosaccos, ægrosque in Regem Nobilitatis animos variis artibus stimulasse. Uxorem asperitate mariti offensam, cum iste è bello Cosaccico domum reversurus esset, statuisse ipsum deserere, & auxilio fratris sui familiam mariti domo expulisse, quæ dotalitia ipsi erat, amotaque supellectile in cœnobium secessisse. Procancellarium cum via juris possessionem recuperare deberet, assumtis quingentis hominibus ædes frustra oppugnasse, strenue vim propulsantibus, qui ab uxoris fratre velut in præsidio ibi locati fuerant. Iste assultus cum in urbe Regia, & velut in conspectu Regis datus, ac nonnulli homines cæsi essent ab eo, quem omnes oderant, & qui ipse intentum se Regi ferebat; eundem ad Præfectum Aulæ citatum, cui summa est jurisdictio circa delicta in aula Regis patrata. Per hunc, cum judicio se non sisteret, ob contumaciam damnatum, bonis publicatis, & muneribus in alios translatis. Quod exemplum etsi nec Senatui nec Nobilitati placeret, ob odium tamen viri neminem contradixisse, & spolia ejus inter eminentes aulæ Proceres distributa. Cæterum postquam in Sueciam se receperat, in finibus Ucraniæ deprehendebantur literæ ejus ad Bogdanum Chmielinscium Cosaccorum ducem, ejusque exercitus Secretarium, quibus significabat, velle Reginam fœdus cum Cosaccis ferire, ac juncto cum ipsis milite Poloniam invadere; idque qua ratione fieri deberet demonstrabat; ingentia promittens de auxiliis Sueciæ, & liberalitate Reginæ; hortatus quoque ut aliquem in Sueciam mittant Ecclesiastici Ordinis, ac Græcæ linguæ peritum, qui super fœdere, ac ratione belli gerendi tractare queat. Eas literas cum Rex Poloniæ exprobraret, nec Vice-Cancellarius sigillum suum abnuere posset; cautabatur tamen chartas puras ab se subscriptas & signatas in Polonia apud amicos relictas, quibus inimici ad structas in ipsum calumnias abusi fuerint.

Ejus fugæ causa.

§. 24. Interim hic à Regina obtinuerat, ut ad veniam ipsi conciliandam literas ad Regem Poloniæ scriberet, quæ per Joannem Kochium Succicum Gedani Commissarium in Aulam Polonicam deferebantur. Is Kochius arguebatur scripta in Regem contumeliosa hinc inde distribuisse, queis Nobilitas ad seditionem stimulabatur. Ac inter alia cum quidam traditum fasciculum ad Regem allaturus esset, argentum ne id faceret obtulisse; ac unum qui Zelinskio cuidam inscribebatur, à Rege resignatum. In honorem tamen Reginæ latori manus injectæ non fuerant, cum errorem excutere non posset; sed satis habebat Rex literis ad Reginam scriptis indignitatem facti arguere, quo haut levis macula ejus existimationi sit adspergenda, si ipsa conicia tractatibus pacis jam instantibus inter inducias vicini & agnati Regis cives ad seditionem concitati fuerint. Enimvero ista solus Radzievvskius machinatus fuerat inscia Regina; cui nihil minus cordi erat, quam bello cum Polonis collidi.

Regina pro eo intercedit.

§. 25. In Polonia propinquante tractatu aliqui proceres delegabantur, Legatorum Lubecam destinatorum mandata adornaturi; qui ad servandum secretum jurejurando adigebantur, se extra congressum cum nemine hac de re locuturos. Inter eos quæstio erat; bellum an pax placeret? Ad quam omnes pacem inclamabant. Inde cum præteriti

Polonorum Legatorum mandata.

1632. teriti anni mandata nimis laxa fuiſſent, variæ quæſtiones proponebantur, quid in hoc vel illo caſu Legatis ſequendum, & ubi ad extremum illis ſubſiſtendum; ſi forte Sueci non totam Livoniam, aut ditionis quid in Germania dare velint. Item, num tentandum ipſis ſit, Succicos Legatos, aut Gallum pecunia corrumpere? Quæ cum diu agitatæ eſſent, demum placebat Regis ſententiam cognoſcere; ac eundem rogare, ut dato Reipublicæ promiſſo de cedenda in Regnum Sueciæ prætenſione ſtare dignetur. Ad quod cum Rex reponeret; promiſſo ſuo hanc conditionem additam, ſi prius rite ſibi ſatisfactum fuerit; unus è Senatoribus affirmabat, promiſſum purum fuiſſe. Unde Rex; *Sit ſane*, inquiebat, *ſed quia etiam juravi me ablata Reipublicæ recuperaturum, de Livonia nullatenus cedere poſſum.* Circa cætera ſat maturum fore ſententiam ſuam expromere, ubi Lubecæ conſtiterit, quoſnam pacificandi modos Mediatores invenerint. Unde ut Deputati illi ad d. 4. Octobris præſto eſſent, ſtatuebatur. Decretum ibi plenipotentias dare ea forma, qua Sueci deſiderarint. Depreſſio ſeu litura ſigilli, in quam Ordines conſenſerant, à Cancellario Legatis pro re nata exequenda committebatur. Jubebantur quoque Venetis & Belgis præ Brandeburgico Electore priorem locum dare; Angloſque pro libera Republica agnoſcere, ſi forte ibi comparerent. Plenipotentias antiquas primum obtrudi poſſe, in promtu tamen habendas ad Boruſſicam formulam aptatas. Legati iidem, qui ſuperiore anno, Leſſinskius, Goraiskius, Naruſcevvicius & Fiſcherus.

Suecorum mandata.

§. 26. A Regina, cum interim Salvius & Wachmeiſterus fato functi eſſent, Legati deſtinabantur Scheringius Roſenhanius, Ericus Oxenſtierna, Gabriel Gyldenancker & Laurentius Canterſteinius. Illis data eadem quæ ſuperiore anno mandata. Additum; Polonos ne inviſerent, nec eorum viſitationes admitterent, ni Reginæ juſtum titulum tribuere velint. Si poſt fruſtra tractatam pacem de induciis Poloni proponerent, ipſi non quidem plane reſpuerent, ſed tempus extraherent, quoad à Regina reſponſum acciperent. Fœdus & auxilia extremum erant, quo Regina Poloniæ Regis, ac Reipublicæ prætenſiones compenſare volebat. Si Polonorum procuratoria conventæ formulæ non quadrarent, aut ſi prius prolatis vitioſis circa juſta cauponari velint, ne illudi diu ſibi paterentur, ſed mox Lubeca diſcederent.

Legatorum Lubecam adventus & ſalutatio.

§. 27. Lubecam primi ingreſſi fuerant Goraiskius & Fiſcherus, Leſſinskio per ſimulatam valetudinem Roſtochii ſubſiſtente, quoad intelligeret, iſtos à Roſenhanio ſalutatos fuiſſe. Hic octiduum poſt Goraiskium Lubecæ adpulerat. Salutationes pro more peractæ nulla offenſa, Poloni majore pompa quam ſuperiore anno acceſſerant. Cum plures per dies Conciliatorum nemo compareret, Roſenhanius è Leſſinskio ſciſcitabatur; quid agendum, ſi illi emaneant? Ad quod hic reſpondebat; ſe ſuper ea re cogitaturum. A Curlandiæ Duce miſſus Melchior Folckerſamus oſtendebat; ſi Mediatorum nemo veniret, ad ſummam rei excutiendam ſtatim accedendum, confirmans, Polonos hoc animo veniſſe, ut ſerio pacem concludere velint; nec multis difficultatibus motis tempus extracturos. Regina ſuos ad tractatum tunc accedere juſſerat, ſi Poloni inſtarent; ut tamen diligenter procuratoria inſpicerent. Quæ ſi recte ſe non habeant, ſine mora diſcederent, velut certo indicio, Polonos nil niſi ludibria agere. Tali diſceſſu ſi forte conventio ineunda ſit, ne velut inimici abruptis induciis diſcedere videantur, ejuſmodi verba declinarent, quibus pacta velut integra deinceps confirmari adpareant. Inter ſalutandum Poloni, ac inprimis Goraiskius teſtabantur, ſe veniſſe, ut æternam pacem concludant; ſed metuere, ne Radzieiovvskius pravis artibus in Suecia id impediat. Paulo poſt Lubecam venerat Franciſcus Erdmannus Dux Lauenburgicus, qui cum prius Polonos inviſeret, ac poſt apud Roſenhanium acceſſum ſuum denuntiaret, hic negotia excuſans admittere eum abnuebat. Ac id anxie affectabant Poloni, ut Succis primas partes præriperent. Unde & Leſſinskio injunctum erat, ut Chanuti adventum diligenter obſervaret, ac vel importuna humanitate eundem proſequeretur, ne Sueci circa prioris viſitationis honorem ipſum præverterent. 1632.

Certamina partium circa primas viſitationes Mediatorum.

§. 28. Aſt Chanuto, qui menſe Novembri Lubecam veniebat, non ſine tædio partium expectatus, ea maxime cura erat, ne alterutros delato priore honore offenderet. Unde ne ipſos inter ſe committeret, ſi currus urbem ingredienti obviam miſiſſent, quod literis Hamburgum ſcriptis promiſerant, incognitus Lubecam intrabat. Et quanquam Leſſinskius literis teſtatus eſſet, ſe tanto ejus videndi deſiderio teneri, ut, ſi fas ſit, vel ex ipſo curru deſcendentem venerari paratus ſit, Chanutus tamen præter communia honoris verba nihil repoſuerat; quippe qui decreverat uno & eodem momento utriſque de adventu ſuo ſignificare, ac ſalutationis honorem eo ordine reddere, quo eum ab iſtis accepiſſet. Vix ingreſſus urbem erat, cum Roſenhanius miſſo Secretario horam exquirit, qua ipſum inviſere poſſit, antequam apud quempiam alium ſalutationis officio fungatur. Reſpondebat Chanutus; cum nondum de adventu ſuo omnibus Legatis ſignificarit, ſe ipſius officium acceptare velut à privato in privatum profectum; præſertim cum nondum locum præparaverit recipiendis Legatis. Quod ſi autem omnibus prout par eſt ſuum adventum ſignificarit, paratum ſe ipſius viſitationem admittere, quando eandem exhibere placuerit. Sequenti die Leſſinskius Canaſilium ad Chanutum mittebat, qui exemplo potiſſimum in tractatibus Boruſſicis edito, aliiſque rationibus honorem primæ viſitationis ſibi vindicatum ibat, haut obſcure offenſam denuntians, ſi in Suecorum partem propendere viſus fuerit. Reſpondebat Chanutus; die craſtina ſe uno eodemque momento partibus de adventu ſuo ſignificaturum; & tunc primum acceſſum occupare poſſe qui velit. Convenerat cum Goraiskio Leſſinskius, ut ſummo mane cum curru ad ſe accederet, quo confeſtim, ubi à Gallo nuntius adiſſet, in eum ſe conjicere poſſet. Quod cum iſte facere neglexiſſet, veniente mox Galli nuntio Leſſinskius trepido clamore aurigas ac famulos excitat, ac propere ad Chanutum ſe proripit. Quo digreſſo Goraiskius ſtatim aderat. Sed quia prandii tempus imminebat, Fiſcherus ultro viſitationem ſuam differebat, ut Succis ſpatium relinqueretur à meridie Chanutum inviſendi. Ita & Chanutus Polonos prius quam Succos viciſſim adibat. Quod cum Sueci eidem exprobrarent, oſtenſa

Digitized by Google

1652. oſtenſa antiquitate Regni Sueciæ præ Polonia & ejuſdem cum Gallia conjunctione, ac ſe priores ad ipſum miſiſſe: ille ſolicite id excuſabat; non in Reginæ contumeliam factum, ſed eodem momento utriſque de adventu ſuo ſignificaſſe; Polonos autem, quorum ædes ſibi vicinæ ſint, primum acceſſum occupaſſe. Unde ſe non potuiſſe non pro more eum honorem iiſdem priore loco reponere. Proteſtabantur tamen Sueci, ne iſte actus Reginæ
22. Nov. præjudicio ſit. Et Chanutus, ut hiſce aliquo modo ſatisfaceret, Leſſinskio ipſum invitienti id officium per octo dies reddere differebat, cum interim aliquoties Suecorum ædes ſolus, aut cum uxore adiret. Proponebat inde Suecis Chanutus, num Michaelem Maurocenum Legatum Venetum expectare velint, qui prope jam aberat, an vero ſtatim tractationem auſpicari? Reſpondebant Sueci; quia Venetus tam longi itineris laborem ſuſceperit, par eſſe, ut ipſius adventus paucos per dies expectetur. Idem quærebat; num ipſi aliquem Veneto obviam Hamburgum ſint miſſuri, uti Poloni facere decreverint? Id Sueci abnuebant: inter Legatos Regios id inſolitum nec de ſuo adventu iſtum adhuc ipſis ſignificaſſe. Nec decorum fore, ſi eundem nimis captaſſe videantur, aut cum Polonis putide ſuper inanibus certare cum conſtet illos è compacto inter ſe agere; ac ſatis prævideant, Polonos prius ab ipſo invitendos. Et quia patebat Polonos tantopere trepidare circa præripiendum primum apud Sequeſtres acceſſum, frigidius ſe acturos, ac tardiores circa exhibendas ſalutationes videri malle, quam circa prævertendos alios anhelare. Præſertim cum nullo modo conſtare ipſis queat, utris de adventu ſuo prior Venetus ſignificarit; nec per Sequeſtres plus ſibi honoris poſſe dari, quam ipſi jam habeant. Idem tamen Venetus cum mox per literas de adventu ſuo Suecis Hamburgo ſignificaret, & paucorum dierum moram excuſaret paraudis ſuis rebus; Sueci per Vincentium Mœllerum Succicum ibi Miniſtrum gratulandi officio apud ipſum defungebantur. Venetus Lubecam ingreſſus quanquam & ipſe utriſque de ſuo adventu ſimul ſignificaret; Poloni tamen præmiſſo nuntio ſtatim accurrentes è vicinis ædibus Succos prævertebant. Adferebat Maurocenus exiguam ſucceſſus ſpem, quod Auſtriaci & Hiſpani enixe laborarent, ut congreſſus hic eſſet irritus, quo Sueci eam velut ſpinam ſemper pedi hærentem retinerent, ne ſocietas horum cum Gallis iterum reviviſcens conſilia iſtorum everteret quæ in amicitia Anglorum fundata habebant. Et acceſſerant ad Venetum Hamburgi ſpecie amicorum nonnulli, qui ſuaderent; parceret ſumtibus, nec Lubecam iret: nam tractatus illos æque ac ſuperiore anno ad procura-
Venetorum inclinatio. toria adhæſuros. Cæterum Leſſinskius ut ingenium & dexteritatem Mauroceni exploraret, data
22. Dec. opera eum ſolus adibat. Ubi promtum quidem patria, & Gallica lingua comperiebat; ſed id judicii parum ſolidi videbatur, quod ſtatim nimis familiariter proderet, ſe à Republica in mandatis habere, ut, quantum poſſit, in omnibus Polonorum tueatur partes; idque promtiſſime teſtaturum, quoties occaſio ſe præbitura ſit.

De loco congreſſus. §. 29. Inde ſuper loco, ubi Legatorum congreſſus eſſet habendus, anxia ſcrupuloſitate fatagebatur. Ac cum Curia initio ob ſtrepitum minus placeret, Præpoſiti ædes huic actui deſtinabantur; quas Sueci repudiabant, quod iſtæ priores Polonis, quam ſibi forent. Tandem Curiam præoptabat Chanutus; cujus uſum cum à Senatu urbis nomine Galliæ Regis petiturum ſe diceret, Sueci monebant; ut in uſum partium illam ſe requirere diceret, ne videantur in loco eſſe, qui magis à Rege Galliæ, quam à partibus dependeat. Etſi Sueci non magnopere circa locum congreſſus laborandum ducebant, antequam procuratoria forent inſpecta. Cæterum quia dum adventum Conciliatorum expectant partes, duo jam menſes ſuperioris anni conventione tractatibus deſtinati erant elapſi, Chanutus judicabat, non opus eſſe de illis prorogandis agere, cum iidem ab initio tractatuum, non ab adventu partium computandi ſint. Poloni autem initium tractatuum à die editorum procuratoriorum, non à ſolenni in Curia congreſſu ſumendum cenſebant. 1652.

Initium tractatuum. §. 30. Quærebat inde è Roſenhanio Chanutus, utri partium Sequeſtres prius debeant proponere, quæ ex re forent; ſimul de modo exhibendi procuratoria, & annon præſtaret horum exempla duntaxat partibus invicem communicari, autographis penes Sequeſtres manentibus? Reſpondebant Sueci; quia uterque Sequeſtrium Polonis ſalutationis honorem priore loco exhibuerit, par eſſe ut in qualemcunque penſationem apud ſe primam propoſitionem nunc edant; cum præſertim hoc tempore Galliæ haut inutile ſit, ſi alii credant, veterem inter ea Regna conjunctionem adhuc firmam conſiſtere. Alias optimum eſſe, ut ab ipſo tempus partibus conſtituatur, quando procuratoria cum exemplo ad eundem deferenda ſint, quæ utraque pars per Secretarios ſuos inde petere poſſit; ac inutile eſſe eadem apud Conciliatores deponi. Nam ſi vitioſa ſint, injunctum ſibi in depoſitionem eorundem haut conſentire. Si rite formata ſint, haut opus eſſe, ut alius præter ipſos ea in manu habeat; quod per iſthæc ſibi caveatur, Polonis Legatis facultatem eſſe concludendi, & concluſa ſervatum iri. Hortabantur quoque Chanutum, ut Polonos moveret ad procuratoria edenda conventis quadrantia. Nam ſi altera jam vice vitioſa proferant, id pro manifeſto ludibrio habitum iri, ac ſe confeſtim inde diſceſſuros. Chanutus uti calorem illum temperare conabatur; ita ſtipulabatur, ut per unum diem procuratoria ſibi retinere liceat ad perſpiciendum, num quid inſit, quod ſtatim emendari queat. Veniebat poſt Gallus cum Veneto ad Succos, proponens: ſe conſtituiſſe apud ipſos agendi initium
4. Dec. facere; eoque ipſos ſuas plenipotentias productu-
Mediatorum plenipotentiæ non inſpiciuntur. ros, quod initium negotiationis eſſe ſoleat. Id quod Sueci ſuperfluum eſſe teſtabantur; quæ & Polonorum mens fuerat.

Polonorum duplex procuratorium. §. 31. Cæterum Poloni duplici erant inſtructi procuratorio, quorum uno integer Regis titulus, altero truncatus exprimebatur. Igitur inter ipſos deliberabatur, utro utendum eſſet? Goraiskius cenſebat, integrum priore loco offerendum, ne de alto velut faſtigio præcipites ruiſſe, non per gradus deſcendiſſe viderentur: poſt diſceptationem demum alterum proferendum. Contrarium ſentiebat Leſſinskius & Fiſcherus; ne ruptura tractatuum inde proveniret, & quia Chanuto jam emendata procuratoria promiſſa fuerant. Prævalebat tamen Goraiskius, teſtatus ſe periculum rupturæ præſtiturum: ac ipſe ad Mediatores accedens plenipotentiam integro cum titulo exhibebat,

1652. bebat, oſtendens, ſe non poſſe non in præliminaribus Regis ſui jus integrum ſervare: ac luſſicere, ſi ex procuratorio perſpiciatur, plena facultate ad tractandum ſe inſtructos: diſputationem ſuper titulo ad ipſam tractatuum ſubſtantiam pertinere. Quod ſi forte Sueci id procuratorium haut libenter admiſſuri videantur, Mediatores atteſtatum illis præberent; Polonica procuratoria ita formata eſſe, ut ejus Regni Commiſſariis plenam agendi facultatem tribuant. In eo inſtrumento titulus Regis à contextu disjunctus erat & Jo. Caſimirus Regem ſe Suecorum hæreditarium expreſſerat, utut Chriſtinæ quoque titulus Reginæ Suecorum, Gothorum Vandalorumque datus eſſet, additis poſt Ducatum Magnum Finlandiæ mutilationis notis. Sed cum Chanutus per literas Polonos rogaret, ut alia procuratoria exhiberent, quod Sueci iſthæc in contumeliæ vicem acceptari, ac ſtatim abituri ſint, præſertim cum & præterito anno eadem cauſà tractatus abruperit: Poloni aliud procuratorium exhibere conſtituunt interpoſita proteſtatione id Regis ſui juri innoxium fore; ac per ternas *abbreviationis* notas omnes Regis titulos intelligi. Simul ne iſtud Succis traderetur, antequam Succicum procuratorium apud Conciliatores depoſitum foret. Ab ea proteſtatione admittenda haut alienos ſe oſtendebant Sequeſtres; Etſi Chanutus demonſtraret, proteſtationis vocabulum durum nimis videri, quod à ſe admiſſum Sueci facile in ſuſpicionem trahere poſſint; ac potius fore, ſi dicant, ſe declarare, plenipotentiam hanc pro non producta habendam eſſe, ubi pax ſecuta non fuerit. Stipulabantur quoque Conciliatores, ne Poloni durante tractatu eam proteſtationem ulli extra ſuam Aulam communicarent. Quod Poloni annuebant, modo alia ratione de eadem innoteſceret.

Poloni proteſtationem apud Mediatores interponunt.

8. Dec. Ita per Polonos proteſtatio Mediatoribus exhibita hoc ſenſu; Regem monſtrando ſuo in pacem deſiderio ſupplicationibus Ordinum Regni hoc dediſſe, ut procuratorium ad hos tractatus formaretur non expreſſis omnibus ipſius titulis, in ſolum proſperæ negotiationis, & perpetuæ pacis eventum. Unde Legatos ad ſervandum jus & dignitatem Regis prius integrum, & quale eſſe debeat poteſtatis ſuæ inſtrumentum exhibuiſſe. Tandem inſtantibus Sequeſtribus in ſolum ſecuturæ pacis eventum iſthoc procuratorium mutilo titulo protuliſſe. Quanquam igitur univerſo orbi de hæreditario Regis in Succiam jure conſtet, quod nullis certis & legitimis in contrarium argumentis convelli queat, tamen ne id Inſtrumentum aliquod præjudicium huic juri adferat, vel in alium, quam Regis mens eſt, ſenſum trahatur, proteſtari, in unicum eventum felicis negotiationis & perpetuæ pacis eſſe monſtratum & productum. Ejus proteſtationis *tranſſumtum* Chanutus & Maurocenus ſubſcripſerant, ſe id proteſtationis Inſtrumentum recipere ſine ullo juris partium præjudicio; idque per Chanuti filium ad Polonos mittebatur, ne vel Secretarius de eo reſciſceret.

9. Dec. Poſt tradita procuratoria Poloni monebant; Mediatores ſua dexteritate impedirent, ne Sueci criticam ſubtilitatem uti ſuperiore anno exercerent, ne ratio rationem provocans diſputationem excitaret ipſis quoque tractatibus noxiam.

Sueci procuratorium

§. 32. Sueci contra nulla ambage Chanuto monenti procuratorium transmittebant; addito, ut ſequenti die vel Polonicum vel ſuum iterum recipiant, nec ut in alias manus id perveniat, priuſquam Polonicum ipſi nacti ſint. Sequenti die Chanutus ſcripto ab ipſis petebat, ut ſibi procuratoria per eum adhuc diem ſecum retinere liceat, quod Polonicum exemplum autographo non reſpondeat, (id prætextum fingebatur,) quod ab ipſis emendari cupiat. Sueci reponebant; ſe quidem ipſi gratificaturos, modo ne Succicum prius ad Polonos mittatur, quam horum ad ipſos, ne & nunc Poloni prærogativa quadam potiantur maturius inſpecto Succico procuratorio. Cæterum ſibi non tam exemplum, quam autographum videre cordi eſſe. Poſtero die Chanutus Polonorum procuratoria Succis transmittebat. In iis omiſſa erant in titulo Regis vocabula *Regis hæreditarii Succiæ*, quæ & in ſigillo Regis elida erant; ſed tres coronæ etſi paulo obſcurius adparebant relictæ. Eo diligenter excuſſo Sueci notabant, 1. Id non ex amuſſim formulæ ſuperiore anno conventæ congruere. 2. Non honeſtari Succicos Commiſſarios aliquo titulo, ſecus quam præterito anno convenerat, ac ipſi Poloni tunc multis verbis jactarant, id utique decorum eſſe, exaggerantes, à Succis nihil titulorum ſibi tributum. 3. In appenſo ſigillo inſignia Regni Succiæ adparere, cum tamen ſigillum titulo congruere debeat. 4. Loco eliſi tituli Succici ſigillum mutari debuiſſe. Tum conſtare ſibi debere, à quo litura illa facta ſit, ne cuiui imputari queat, quod conſilio fieri par erat. In procuratorio Ordinum deſiderabatur, quod non omnium, qui ſubſcripſerant, in ipſo procuratorio mentio eſſet facta. Minuta alia transmittebantur.

1652. ſuum edunt. 7. Dec. 8. Dec.

9. Dec. In Polonorum procuratoriis omiſſa.

Polonorum reſponſum.

§. 33. Viciſſim Poloni quid in Suecorum procuratorio carperent non inveniebant. Diſſitebant tamen ſe nolle bonam Reginæ mentem coactis & frivolis interpretationibus vexare. Cæterum ad notata à Succis reponebant. 1. Vidiſſe quidem ſe formulam à Chanuto conceptam, nec tamen ad eandem preſſe ſequendam ſe obſtrinxiſſe. Imo conventione præteriti anni diſerte expreſſum, intermedio tempore per Conciliatores de illa agitandum; quod cum factum non ſit, liberum ſibi fuiſſe eo verborum cultu uti, quem rei dignitas & Chanuti ſcopus requiſiverit. Ad alterum non habebant quod proponerent, præſertim cum Chanutus facete exprobraret, Succos deciliores ipſis fuiſſe. Monitos enim à Polonis honorem ipſis exhibuiſſe, Polonis contra ad eundem lapidem nunc impingentibus. Igitur proponente Gallo conſentiebant, ſe id correcturos, ubi ad felicem exitum tractatus deducti fuerint. 2. Inſolitum eſſe, ut Reges ob levem aliquam controverſiam ſigilla ſua immurent, aut bina ejuſdem magnitudinis habeant: igitur ſufficere Succis debere, ſi in ſigillo deſit, quod videre nolint. Vacuum autem id ſpatium repletum non eſſe, tum quod defuerit, qui tam ingenioſam iterum indignitatem committeret, tum ut humanitas Suecorum ſemper apertum habeat campum non titulum ſolum, ſed & vitulum Regi noſtro reſtituendi. (ea ipſorum verba erant.) Circa tres Coronas aqua Polonis hærebat. Nam ipſi judicabant haut congruere, ut inſignia Regni cum Polonia nunquam uniti ſigillo Polonico inſererentur. Ne tamen plane obtiteſcerent, aſſeverabant, eas Succiæ inſigne non eſſe, quod magno Regni Poloniæ ſigillo nunquam addi fuerit ſolitum. Sed tres Coronas

1652. Coronas inter collateralia Regni insignia collocatas Palatinatus Posnanienſis esse; de quo tamen ipso non liquido sibi constare apud Conciliatores fatebantur. Et sine dubio fictum id erat, cum istæ coronæ neque in sigillis Regum Poloniæ, qui Sigismundum antecesserunt, neque eorum, qui Jo. Casimirum secuti sunt, adpareant. Qua occasione Chanutus monebat, Principes quando hæreditaria adquirunt Regna, non privatis, sed Regnorum uti debere insignibus; & in Gallia domum Borboniam cum omnibus Regii sanguinis Principibus non suo uti insigni, sed Regni: nec aliud esse inter Regis & ejus fratris sigilla discrimen, quam quod hæc minora sint, & in fimbria certam quandam notam præferant. Sic & Reginam Sueciæ Regni sigillum velut suum & natalium jure sibi debitum ad omnes usus adhibere post coronationem instituisse, elisò Wasianæ stirpis manipulo. Nam Reges ad solium evectos ne vestigium quidem prioris sortis retinere. Reponebant tamen Poloni; mirari se factum, & Ordines Sueciæ id permisisse, ut manipulus iste eorum sigillo expungeretur, à quo tot acceperint beneficia, & ad quem tuendum se tot obligarint honoris, & conscientiæ vinculis. Porro lituram in sigillo factam esse, antequam procuratorium Conciliatoribus traderetur, ipsi testimonium scripto ferre volebant. In Ordinum procuratorio haut moris esse, ut plures quam duo nominentur, & Archiepiscopum Gnesnensem Senatum, Tribunum nuntiorum Terrestrium Equestrem Ordinem repræsentare.

De modo tractandi.

§. 34. Proponebat inde Chanutus; etsi hactenus fategerit, ut congressus Legatorum cœpto tractatu in Curia fieret; tamen nunc satius sibi videri omissis publicis congressibus Sequestres hinc inde inter partes commeare. Conclavia quippe in Curia non satis commoda, ut neutra pars super inæqualitate queri nequeat; nec peculiare ostium pro Sequestribus esse; qui si alterutrius partis introitu uti velint, id apud alteram partem suspicionem favoris excitare posse. Sed & id congressus genus multum è forma judicii trahere. Magnam ceremoniarum molestiam hoc modo declinari posse. Plebem introeuntium & exeuntium ora notaturam, & ex eorum lætitia aut mœstitia varia præsagia captaturam. Ac ita Monasterii actum, conventu post Christum natum toto orbe celeberrimo. Ac tanti ponderis esse res, ut noctis intervallo opus sit ad istas rite expediendas. Enimvero suberat & arcana ratio, ne forte publico congressu Brandeburgici Legati, qui mox adfore nuntiabantur, super priore loco cum Veneto publicis congressibus vi certarent; quod ista ratione declinari poterat. Polonis gratior fuisset publicus congressus, qui pompa & ostentatione gaudebant. Qui & acriter contendebant, sibi citra controversiam primas partes deberi, ac primam à se propositionem utique faciendam, & in Borussia quondam omnes Legatos sibi hunc honorem detulisse. Istam tamen tractandi rationem in gratiam Chanuti utcunque admittebant. Ast Succis facile modus iste tractandi probabatur, ut Conciliatores hinc inde inter partes commearent. Ut tamen laboris parte hosce sublevarent, se ubi res ferat ad ipsorum ædes subinde accessuros. Placebat quoque sermone propositiones fieri, ut multa scriptione supersederetur, quæ intempestive typis, uti assolet, publicari possit. Alias ostendebant; paratos se ordiendis tractatibus, modo procuratorium exhibeatur formulæ à Chanuto conceptæ respondens: quæ si non solenni pacto, tamen tacito partium consensu probata sit, ad quam & Suecicum procuratorium formatum sit. Contra obsecrabant Conciliatores; nimium rigorem omitterent Succi, nec formulæ isti ita obnixe insisterent. Ipsos quidem melius fecisse illa formula repræsentata: de eo tamen inter partes haut solenniter conventum; nec credere ipsos eam servitutem *Polonis injungere* velle: ac sufficere, si summam rei obtinuerint. Ad hæc Succi post interpositam deliberationem respondebant; Promitterent Sequestres Polonorum nomine, se idoneam plenipotentiam titulo & sigillo rite adornatam exhibituros quocunque tractatuum eventu, & quandocunque ipsi id desideraverint. Tum ut testentur, tres illas coronas insigne Polonicæ Provinciæ esse, quæ *immediate* isti Regno subsit. Id enim si verum sit, facile passuros se, ut ea interpretatio adferatur. Sin fingatur sufficere sibi Polonos id fateri non ausos & Conciliatores in id testimonium perhibere. Tum lituram sigilli factam esse, antequam hisce procuratoria traderentur, ne forte aliquando ipsi id fecisse arguantur. Denique testarentur Mediatores, haut fraudi fore juri ac dignitati Reginæ, quòd procuratoria ista nondum emendata tantisper à se acceptentur. Omnino autem cupiebant Succi, ut Polonica procuratoria in suas manus traderentur, antequam ad tractationem accederent. Contra Polonis decretum erat non alia conditione eadem exhibere, quam ut ad finem usque tractatuum in depositò apud aliquem Sequestrium manerent.

1652.

SAMUE-

Digitized by Google

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER VIGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

1653. *Continuatio tractatuum Lubecenſium. Mediatores Suecis depoſitionem procuratoriorum perſuadere ſatagunt.* 2. *Sueci reſpondent.* 3. *Mediatores inſtare pergunt. Suecorum reſponſum. Mediatores acrius urgent.* 4. *Legati rem ad Reginam referunt.* 5. *Regina declaratio.* 6. *De præcedentia inter Venetos & Brandeburgicum.* 7. *Poloni procuratoria Suecis tradere abnuunt.* 8. *Sueci tractatus pro deſperatis habent. Mediatores contra rupturam tractatuum proteſtantur.* 9. *Suecorum reſponſum.* 10. *Mediatores alia temperamenta tentant. Venetus Polonis ſtudet.* 11. *Polonorum conſultatio.* 12. *Sueci depoſitionem procuratoriorum abnuunt.* 13. *Suecorum ſuper tribus coronis declaratio.* 14. *Hollandicorum Legatorum adventus & error.* 15. *Brandeburgici à cæteris Legatis non inviſuntur.* 16. *Polonorum conſultatio.* 17. *Mediatores denuo Polonos urgent.* 18. *Sueci à ſe acta defendunt.* 19. *Poloni diſceſſum urgent.* 20. *Sueci ſcriptum ſub finem tractatuum edere defugiunt.* 21. *Poloni de diſceſſu conſtituunt.* 22. *Extremus Mediatorum conatus.* 23. *Conventus diſſolvitur.* 24. *Cæſar Regina Legatos ad ſeſſionem in Comitiis admittere detrectat. Decretum Pragenſe, ejuſque cauſa.* 25. *Sueci de injuria queruntur. Propoſitio in Comitiis hoc obtentu differtur.* 26. *Regina Ferdinandum IV. Electoribus commendat.* 27. *Inveſtitura differtur. Lites circa præcedentiam inter Pomeraniam Citeriorem & Ulteriorem: & ſuper loco Verdenſis Ducatus.* 28. *De Holſatis inter alternantes Domos recipiendis.* 29. *Super immediato Bremæ ſtatu contentio.* 30. *Tractatus limitaneus cum Brandeburgico abſolvitur.* 31. *Danus Reginæ eſt ſuſpectus.* 32. *Dani Legatio in Sueciam ejuſque ſcopus.* 33. *Legatorum Danicorum propoſitio.* 34. *Cum hiſce negotiatio.* 35. *Querela ſuper Danorum contraventionibus.* 36. *Reſponſum Legatis Danicis datum.* 37. *Regina Dano de amicitia ſua confirmat. Dani Suecis haut fidunt.* 38. *Tractatus Redemtionis à Dano aboletur.* 39. *Hollandi Suecorum commercia ſubruere ſtudent. Regina de ea re queritur.* 40. *Hollandi auxilium à Suecis fruſtra petunt.* 41. *Regina hic contemtum ſui adimere ſtudet.* 42. *Regina iiſdem mediationem offert.* 43. *Repreſſaliæ in Hollandos.* 44. *Miſſio in Angliam, ejuſque ſcopus.* 45. *Reginæ Mediatio apud Anglos eluditur.* 46. *Super navigatione & commerciis cum Anglis acta.* 47. *Anglorum legatio in Sueciam.* 1651.

Continuatio tractatuum Lubecenſium.

LUbecæ cum tractatus inter Suecos & Polonos jam iterum ad procuratoria adhærere inciperet, Conciliatores ut iſtos ſcopulos declinarent, ſummopere connitebantur. Eoque primo à Suecis exquirebant,

Mediatores Suecis depoſitionem procuratoriorum perſuadere ſatagunt.

num ad tractandum citra traditionem procuratoriorum accedere, an vero id temperamentum admittere velint, (de quo tamen cum Polonis nondum ſe communicaſſe dicebant,) ut iſta in ſuas manus deponantur, tunc demum permutanda, ſi tractatus felicem exitum ſit ſortitus; quod credant, Polonos in eorundem permutationem haut conſenſuros. Ut iſthæc Suecis perſuaderent, differebant; Si felicem exitum tractatio ſortiatur, procuratoria haut negatum iri: ſi infecta re ſolvatur, iiſdem haut opus eſſe. Non repugnare naturæ tractatuum procuratoria tantiſper depoſi, nec ullam eadem permutandi eſſe neceſſitatem; cum per ea ſolum tractantibus autoritas circumponatur, quam recte ſe habere ipſos vidiſſe. Nec deeſſe exempla, ac inprimis inter Hiſpanos ac Belgas tractatu Colonienſi Anno 1580. ubi abſque procuratoriis tractatum, addito promiſſo illa exhibenda, ubi quid concluſum fuerit. Ipſos Suecos Anno 1635. procuratoria in manus Sequeſtrium depoſuiſſe. Id ſi nunc recuſent, creditum iri ipſos iiſdem diffidere, culpamque abrupti tractatus in eoſdem redundaturam. Iniquitatis quid habere videri, quod in anteceſſum & per procuratoria deciſum velint, quod præcipuam partem diſceptationis abſolvat. Id exemplum antecedentis permutationis præjudicio Polonis fore, ſi alia vice cum Suecis agendum ſit. Cæterum in Suecorum arbitrio relinquebant, num ſtatim declarare velint, quid ſatisfactionis Poloniæ Regi daturi ſint;

Digitized by Google

1653. ſint; ac ſpem eſſe liberalius quid nunc ipſos attuliſſe, quam præterito anno, ubi Poloni haut parum remiſſuri putabantur.

Sueci reſpondent. §. 2. Ad quæ Sueci regerebant: Ad depoſitionem procuratoriorum, ſalva ratione ſe deſcendere haut poſſe; ſed permutatione utique opus eſſe, tum autoritati tractaturis circumponendæ, tum ut cautum ipſis ſit conventa certo ſervatum iri. Ita negotii naturam exigere, ut illi, qui tractare debeant, procuratoria teneant, non alii; & ex ea negotii natura neceſſitatem conſequi. Aliorum exemplis ſe non obligari, & plurima in contrarium extare, inprimis in nupero tractatu Weſtphalico. Exemplum Hiſpanorum & Belgarum huc non facere, cum Jo. Caſimirus Reginæ ſupremum imperium in dubium haut vocet; etſi actionis quid in Sueciam ſibi competere arbitretur. Quod in Boruſſia antea factum, ipſos haut ſtringere, cum jam circa titulos per pacta & uſum ſit diſpoſitum; ac Polonos videri velle, ut ipſi procuratoria per tractatus ab illis emant, quos in limine negotiationis permutari par ſit. Nec ideo ſe Conciliatoribus diffidere, quos ea res non tangat, ſed partes; præterquam quod conſenſus in depoſitionem Polonis nonnihil juris videatur tribuere, quod illis nullo modo à ſe concedi queat. Culpam infecti negotii potius in Polonos, quam ipſos relapſuram, cum quæſtio non ſit quantum ipſi Conciliatoribus fidei adhibeant; ſed de commutatione procuratoriorum agatur, quam Poloni detrectent, ipſi offerant, ubi cætera recte ſe habeant. Nihil porro iniquitatis ſubeſſe, cum Anno 1635. ita conventum ſit; nec Polonis nunc fraudi eſſe poſſe, in quod antea ultro conſenſerint. Denique quanquam nihil juris Regi Poloniæ concedant, noſſe tamen, eundem nondum quam habere ſe putat prætenſioni renuntiaſſe, utut temperamentum illud circa titulos inventum ſit congreſſibus ſine offenſa habendis. Ac ſi æterna pax nunc ſanciatur, fruſtra Polonos de exemplo in futurum ſolicitos eſſe. Nec plus dubitationis nunc ipſis eſſe poſſe, quo minus idonea procuratoria exhibeant, quam Uladislaus Anno 1635. foverit. Denique quid in mandatis habeant, poſt factam permutationem expromturos.

Mediatores inſtare pergunt. §. 3. Poſt biduum revertebant Sequeſtres; non minus pertinaciæ Polonis ferentes in permutationem non conſentiendi, quam Suecis eandem exigendi. Eos jactare, quæ alibi terrarum fiant, ſe non obſtringere; inter Poloniam & Sueciam ita ſemper fieri ſueviſſe; nec plus ſcrupuli Suecis eſſe poſſe huc deſcendendi, quam Axelio Oxenſtiernæ, & Petro Brahæo Legationum tunc capitibus. Nullibi pactis ſancitum de truncato titulorum uſu; & quanquam Jo. Caſimirus Rex ad inducias ſervandas teneatur, titulo tamen non ceſſiſſe. Etiam Uladislai procuratoria tunc demum exhibita, cum omnia concluſa eſſent. A Suecis reſponſum: Dum Poloni abnuunt rationi conſentanea, & quæ ubique fere locorum uſu recepta ſunt, ſat indicare animum paci averſum. Quid olim receptum fuerit, & quid priores Legati fecerint ſuo loco relinqui. Sed re jam transacta uſuque firmata, & truncato quoque Reginæ titulo, utut pactis diſerte cautum non ſit; mirari ſe nunc Polonos tergiverſari. Præſertim cum Regi hoc ipſo non magis præjudicetur, quam per pacta antea factum, quæ tamen plures per annos adhuc duratura ſint. Si Rex haut teneri ſe judicet, ut circa titulum recepto jam uſui ſe attemperet, pacta ſublata eſſe, cum uno capite pacti violato, totum abruptum intelligatur. Sane pacta Uladislaum, ejuſque ſucceſſores ſtringere, ſimul illos qui ſpoponderunt, omnia ſancte ſervatum iri. Uladislai procuratorium ante tractatus editum, cum mente Aprili ſignatum ſit, concluſione poſt quinque aut ſex demum menſes ſecuta. Aſt Sequeſtres obſecrare Suecos, ut hac in reconcedant. Si ideo tractatus abrumpant, contumelia affici Conciliatores & invidiam irritæ pacis in ipſos devolvi. Cogitarent, ſi Sueci multum gloriæ quæſiverint, ac vicinorum damno Regnum auxerint, eo plus hoſtium ac invidorum ipſos ſibi peperiſſe: & qui vapularit, haut temere oblivi ſci. Periculoſam nunc rerum per Europam faciem, ac poſſe turbis inter Anglos & Belgas plures involvi. In Cæſare nihil Suecis fiduciæ, ac adparere, quantopere is Reginæ commodis obſiſtat. A Moſcis ac Danis cautum ipſis non eſſe: ac ſi ita cum Polonis agant, vetera odia immenſum auctura. Igitur id temperamentum admitterent, per aliquot jam dies tacite excuſſum, ſed quod Polonis palam hactenus proponere dubitarint. Sueci uti quæ ad rem faciebant reponebant; ita ſpem non oſtendebant propoſitum temperamentum ſe admiſſuros. 1653.

Mediatores acriùs urgent.

Legati rem ad Reginam referunt. §. 4. Aſt Legati Suecici quid facerent in ancipiti hærebant, quod Regina juſſiſſet, ut ſi ſentirent tractatum fore irritum, eundem ad procuratoria potius, quam conditiones pacis adhærelcere paterentur. Ne in depoſitionem conſentirent, obſtabat, quod hac admiſſa negotium de titulis iterum in dubium vocabatur, eoque ipſo amittebatur, quod ceſſione Boruſſiæ, & tot annorum bellis quæſitum erat. Nec ita temere projicienda videbatur poſſeſſio per pacta, & ſubſequentem uſum firmata, per quam Polono haut amplius integrum ſit Sueciæ titulo Reginæ inſultare. Nec tamen deerant, quæ temperamentum id ſuaderent. Poſſe enim proteſtatione interpoſita prohiberi, ne iſta depoſitio dignitati ac juri Reginæ fraudi ſit. Ac tolerabilius eſſe procuratorium, cui pauca deſint, deponi, quam plane vitioſum. Tum priori tempore Suecicos Legatos in depoſitionem conſentiſſe, cum majus quam nunc præjudicium videretur adferri. Poſſe hoc modo declinari offenſam Sequeſtrium, & invidiam orbis. Denique haut amittendam occaſionem pacis, quod Conciliatores ample de Polonorum inclinatione polliceantur; & commodius nunc tractandi tempus turbidis Poloniæ rebus, quam ubi compoſitæ iterum fuerint. Igitur è Regina ſciſcitabantur, num in depoſitionem conſentire debeant; aut num id temperamentum ſit admittendum, ſi hac conditione Poloni procuratoria permutare velint, ut re infecta illis reddantur.

Reginæ declaratio. §. 5. Enimvero Regina, cum è ſcrupulo à Polonis injecto judicaret, ipſis pacem cordi haut eſſe, ſuis diſerte injungebat, ne ad primarium negotium accederent, priuſquam Poloni procuratoria exhiberent, in quibus tituli Commiſſariorum expreſſi ſint; ac ut ſola ſigilli litura non adquieſcant, ſed novum plane exigant, uti ab Uladislao circa ratificationem induciarum anno 1635. factum. Oſtenderent tamen, ſe tamdiu Lubecæ moraturos, quoad alia procuratoria al-

Digitized by Google

1653. lata sint. Interim Sequestres sermonibus distinerent, ipsorum ratiunculis, aut impatientia, insuper habitis. Haut quippe sibi nunc consuli tali pace aut tractatu, quo sua, Regnique dignitas immiuuatur. Ad extremum tamen de titulis Commissariorum remitterent, ubi sigillum recte se habeat. Inprimis vanitatis arguebatur, quod Poloni de tribus coronis commenti fuerant. Nam Posnaniam provinciam non esse, sed Palatinatum Majoris Poloniæ. Ac Sigismundum III. ejusque filios fategisse insignia Sueciæ Polonicis infercire, tribus Coronis summo loco in dextro latere positis & ex adversum ad sinistram equite, qui Magni Ducatus Lithuaniæ insigne est. Ac absurdum fore unius Palatinatus insigne Lithuaniæ insigni præponere. E sigillis Sigismundi Augusti, & Stephani Batorei adparere, ipsos summo loco à dextris statuisse equitem insigne Lithuaniæ, sub quo Leo collocatus conspiciatur. Unde necessum esse, ut Polonicum sigillum mutetur, nec solam lituram sufficere; cum ferri non possit, ut antiquissimum Sueciæ insigne inter provincias dispositum conspiciatur. Injungebat quoque suis Regina, ut Polonorum procuratoria utique sibi tradi curarent, etiam ad ipsorum placitum reformata, in quemcunque tractatuum eventum retinenda; nec prius negotiationem ordirentur. Non tamen statim Lubeca discederent, sed ad se acta referrent, ac sua justa expectarent.

De præcedentia inter Venetum & Brandeburgicum.

§. 6. Inter hæc cum Brandeburgici Legati propediem adfuturi dicerentur, Maurocenus à Succis petebat, ut sibi contra illos faverent. Esse quippe Venetos Rempublicam nemini obnoxiam à Brandeburgico Cæsarem agnosci superiorem; nec Cæsaris esse, supremo præditos imperio Principes creare. Concilium Tridentinum Venetis priorem locum præ Brandeburgico asseruisse, & hujus Legatum Monasterii Contareno cessisse. Ita Venetos possessione gaudere. Regina, etsi in se eminentior videatur status à nemine dependens, quam alteri obnoxius, suis tamen injungebat, ut in hoc negotio in neutram partem inclinarent; sed ipsos inter se temperamentum invenire tinerent, uti antea in Borussia factum inter Brandeburgicos & Belgicos, ubi modo Gallo se associabant Brandeburgici, Anglo Belgici, modo vice versâ: aut absentibus Regiis primus Belgicus cum infimo Electorali, & vicissim, hinc inde inter partes commeabant.

Poloni procuratoria Succis tradere abnuunt.

§. 7. Poloni, cum per Curlandum à Veneto percepissent, Succos postulare, ut ipsorum procuratoria in manus suas tradantur, consultatione habita decernebant; eam traditionem plane abnegandam, ne hoc concesso ad alia flagitanda Succi devolverentur; inveniendo temperamento Conciliatores curam impenderent. Mox ipse
8. Jan. Chanutus & Maurocenus referebant; à Succis procuratoria probari; sed eosdem novo postulato tractare prius nolle, quam Polonica procuratoria manibus suis teneant. Se quidem ad istorum rationes respondisse, sed Succos à sententia sua dimoveri non potuisse. Poloni querebantur; hac de re haut prius fuisse motum, quando notas suas ad procuratoria ipsorum edebant. Cæterum repugnare id modo tractandi inter ambo Regna hactenus recepto, ac perpensa negotii indole rationem refragari, ac sine dubio post tot septimanas demum ita proferri, incassum extrahendo tempori tractatibus destinato. Ea si Succis mens sit, 1653.
gratius sibi fore, si vel ante conventum tempus discedant; se haut ægre secuturos. Excusabat tamen eam moram Gallus ob ferias, & quia ipse complures per dies desudaverit, ut Succos eo postulato dimoveret. Poloni contra ferebant; hactenus se circa tempus in honorem Conciliatorum fuisse liberales; sed post producta procuratoria nolle binos menses conventione superioris anni definitos prorogare, utcunque res ceciderit. Quo minus in Succorum postulatum consentire possint obstare præjudicium Regi suo inde inferendum, & quia in Borussia quondam aliter actum sit. Et cum Gallus persuadere ipsis niteretur, citra præjudicium Regis Poloniæ id fieri posse: Poloni id quidem non abnuebant: sed Succos semel adquisita longius justo porrecturos, & si nunc istud obtineant, alio tempore concessione ista abusuros. Ad Uladislai exemplum quod Gallus ingerebat, qui & ipse instrumentum omisso Sueciæ titulo in Succorum manus tradiderat, Poloni regerebant; id valere posse, si Rex actionem ad Regnum Sueciæ à fratre, non avito jure obtineret. Unde ipsum Uladislai facto non teneri, qui & in compentationem omissi tituli Borussiam acceperit. Si & ipsi provinciam nunc accipiant, forte idem concelluros. Sed Chanutus ista in cassum Succis cani 9. Jan. ostendebat. Postera die Poloni Conciliatoribus denuntiabant: paratos se ad edendam propositionem; sed procuratoria sua in Succorum manus contignare non posse. Cum enim controversia jam funditus tollenda sit, omnia utique ab ovo deducenda; eoque incipiendum à pleno & integro ulu juris, quod Jo. Casimirus ad Regnum Sueciæ habeat. Moneri Succos velle, ut temporis rationem habeant, cujus quinque duntaxat septimanæ superfint, initio ab editis procuratoriis facto; cujus prorogandi nulla spes sit, si ejusmodi exceptionibus isti abuti velint. Frustra hos ad communem gentium usum provocare, cum inter se & istos aliter receptum sit. Eadem ingeminabantur, etsi Chanutus denuo testaretur; se haut quidquam tat rationum perspicere, quare Succorum postulatum abnui possit.

Succi tractatus pro desperatis habent.

§. 8. Succi, postquam Poloni procuratoria sua iplis tradere ita pervicaciter abnuerent, jam tractatus abruptos judicabant; & consultius ducebant, eos ad hunc scopulum quam ad conditiones pacis allidi, præsertim cum satis perspicerent, Polonos haut quaquam in conditiones, quas Regina desiderabat, consensuros. Eoque statim Lubeca discedere parabant, ni Chanutus persuasisset, ut paucos adhuc dies a. Reginam de imminente tractatuum ruptura scribere supersederent. Et mox Conciliatores junctim ad Succos accedebant, adversus rupturam ante elapsum bimestre tempus protestati. Indecorum id, luctuosum & absurdum re infecta nunc digredi, cum per quinquennium circa conciliandum hunc congressum laboratum sit, tot sumtibus anno superiore & nunc factis. Sequestres è tam remotis locis huc veniisse. Si nunc irriti discedant, incertum esse, quando iterum conventuri sint. Fortasse brevi tempore animos partium mutari, aut temperamentum inveniri posse; cum nunc præcipiti abitu occasio æternæ pacis amittatur. Vix probaturos patriæ suæ festinationem Legatos partium, si Sueciæ Regina, aut Polono interea defuncto bellum surgat, quod nunc commode præverti queat.

Mediatorum contra repetitam tractatuum protestatur. 12. Jan.

Forte

1653. Forte quoque Polonos ad ipſorum poſtulata deſcenſuros. Conventione ſuperioris anni ipſos utique ſtringi, ut per duos menſes heic maneant; quod tempus ſi expectare nolint, creditum iri, ipſos nec eadem contentis ſtringi velle, ut nempe inducię illæſæ ſint irrito licet tractatuum eventu. Addebatur; cogitarent ipſi turbidas jam Poloniæ res facile reſtitui poſſe morte Chmielinskii, tranſactione cum Coſaccis, aut felici prælio. Fortunam in fine bellorum fere mutari. Ingenti ipſis honori ceſſurum, ſi pacem Sueciæ proficuam domum reportarent.

Sueorum reſponſum.

§. 9. Ad iſta Sueci reponebant; Polonos, qui ea quæ ratio, communis gentium uſus & pacta conventa ferunt, abnuant, culpam ſuſtinere fruſtra conſumti laboris, argenti, & temporis tam à partibus, quam ſequeſtribus, tum ſi quæ alia inde ſecutura ſint. Se neque in cauſa fuiſſe, ut negotiatio hæſerit, neque cœpiſſe de diſceſſu verba facere. Nam Leſſinskium jactaſſe, elapſis duobus menſibus Polonos abituros; inde & ſe anſam arripuiſſe de modo diſſolvendi conventus loquendi. Si anteacta ullam ſpem ſucceſſus facerent, leve fore tantiſper manere. Alias non videri ſe conventione ſuperioris anni teneri ad manendum, ſi nullum operæ pretium heic fieri queat. Se tamen eam rem maturius expenſuros. Cæterum vix poterant Sueci tantillam moram abnuere, ne invidiam abrupti tractatus in ſe derivarent, neu claſſicum quaſi belli adverſus Polonos canere viderentur, cum neſcirent, an Regina ad bellum iſtud prona, aut parata ſit, & an non tempora exigant Danum potius, & bellum inter Anglos, ac Belgas reſpici & ea, quæ in Germania contingere queant. Et conſiderandum erat, ne Polonus jam armatus pace cum Coſaccis facta occaſionem nanciſceretur aliquid ſubito in Sueciam tentandi. Vicißim & Polonis ingerebat Chanutus; utriusque partis intereſſe, ut tractatus vel ſtato finiantur tempore, vel in longum protrahantur; cum ea res inſignem in utramque partem effectum producere apta ſit. Sed Poloni ferocius; bona fide agentibus perinde id eſſe debere; & ſi quis commoditatibus, & occaſionibus inhiare velit, Deum vindicem ſenſurum. Poſt pauculos dies Sueci conciliatoribus declarabant: Conventione ſuperioris anni ſtringi ſe haut poſſe, quæ differte de Maio & Junio menſibus loquatur dudum elapſis. Nec operæ pretium heic fieri, nec Mediatores à Polonis æqui quid poſſe ſibi polliceri. Sed & proteſtationem eorundem admitti non poſſe, quippe quæ nimis genium tribunalis redoleat; quod ipſos ſibi haut arrogaturos arbitrentur. Reponebant conciliatores; ſibi utiq; perſuaſum partes ad bimeſtrem commorationem teneri. De felici tractatuum exitu cavere ſe non poſſe; ſpem tamen nondum abjeciſſe. Proteſtationem ſuam non fuiſſe actum jurisdictionis; ac ſatis noſſe Principes ſuos judicum, aut arbitrorum loco haut aſſumtos. Unde id vocabulum *obteſtandi* ſenſu à ſe uſurpatum. Ad extremum tamen declarabant Sueci; etſi nulla diutius heic morandi obligatio ſit, nec quod agant ſuppetat, nec apud Polonos circa emendationem, aut permutationem procuratoriorum aliquid amplius moturi ſint, aut ut Sequeſtres inſtent pati velint: amore tamen pacis, & in ſolam horum gratiam aliquot dies heic commoraturos, neque abitum præcipitaturos, præſertim cum ſpatio aliquo opus ſibi ſit ad res ſuas componendas. Nolle tamen ad certos 1653.
dies, aut ſeptimanas obligari, ſed licitum ſibi fore iter ingredi, quando placuerit.

Mediatores alia temperamenta tentant.

§. 10. Cum igitur Sueci cedere nollent, Chanutus Polonis proponebat, ut ipſi Suecis ſua procuratoria traderent, ac interpoſita proteſtatione Regi jus ſuum integrum ſervarent. Id quod Poloni abnuebant, aliter in Boruſſia quondam actum cauſati. Tandem hactenus flectebant, ut innuerent, ſe illa in manus ſequeſtrium depoſituros. Id temperamentum cum Sueci rejicerent, dicebant Poloni: nil ergo ſibi reliquum, quam convalare res ſuas, & pacificationem meliori tempori committere. Nam Polonicum non eſſe, variis protelationibus extendere, quod ſincera declaratione perfici debeat. Diſceſſuros ergo amicis animis, nec metuere Reginam Sueciæ contra pacta, aut contra magnitudinem, & integritatem gloriæ ſuæ quid facturam. Aut ſi per Conſiliarios ſuos ſeduci ſe permiſerit, non defore ſibi remedia injuriam vindicandi. Chanuto tamen aliud adhuc temperamentum adhibere placebat; Poloni Suecis ea conditione procuratoria ſua traderent, ut pace non ſecuta eadem ſalva, atque integra reſtituerentur. Sed excipiebant Poloni; cum per Legatos actorum validitas à ratihabitione mandantis dependeat, ſi Regina reſtitui iſta veret, Suecis Legatis utique parendum fore. Quod & verendum ſit, ſi vel maxime fidem ſuam interponere Chanutus velit. Sed cum Venetus diceret, Sue- 17. Jan.
cos haut plus indulgere velle, quam ut Poloni proteſtationem interponant, eam traditionem Regi ſuo fraudi non fore, ſi pax ſecuta non fuerit: Poloni regerebant; abſurdum id conſilium, & quo ipſi Sueci nunquam ſint uſuri. Quid enim eſſe aliud, procuratoria ultro tradere, ac poſt proteſtari, quam contra proprium factum querelam inſtituere, & remedium quærere adverſus injuriam, cui ipſemet aniam præbueris? Unde Vene- Venetus Polonis ſtudet.
tus additis quoque precibus ſuadebat, ne Poloni de ſua conſtantia quidquam remitterent. Vix enim veroſimile videri à Suecis aliud quæri, quam ut firmatis induciis quamprimum diſcedant. Nec eſſe quod metuant, ne ili forte per inducias quid tentent, quippe quibus multa domi, foriſque agenda incumbant, quæ fortaſſe & Polonorum rebus prodeſſe queant.

Polonorum conſultatio. 20. Jan.

§. 11. Conſultatum inde Polonicos inter Legatos, quid agendum ſibi ſit, ut ſiniſtris ſermonibus præcindatur occaſio, velut ipſorum cauſa tractatus rerum inter præliminaria abruptus ſit; cum nihil aliud ſupereſſe videatur, quam ut Suecis depoſitionem in manus ſequeſtrium abnuentibus procuratoria extradantur ea lege, ut vel hi ſcripto caveant de iisdem reſtituendis, & non abutendis pace non ſecuta; vel ipſi proteſtationem interponant, eam traditionem juribus Regis, ac Reipublicæ fraudi non fore. Ubi in duas diſcedebatur partes. Alii enim oſtendebant, in eo ſe conſtitutos velut bivio, ut quidquid heic egerint, ex eventu rerum Ruſſicarum domi vel laudandum, vel vituperandum ſit. Et quia jura Regum & Regnorum non tam ſubtilitatibus legum, quam firmitate armorum innitantur; conſultius fore, quod tutius ſit, eoque procuratoria vel cum ſola ipſorum proteſtatione tradenda eſſe. Reliqui contra negabant alia lege ista tradenda, quam ſi Sueci cautionem ſcripto præſtent de iisdem redhibendis pace non ſecuta; nec ſuam proteſtatio-

1653. nem ſufficere, cum nulla inde proſperioris, aut facilioris negotiationis ſpes affulgeat, ac certiſſimum ſit periculum, ne plenipotentiæ tali modo adornatæ traditio in vicem renuntiationis accipiatur. Equidem domeſticas res in ancipiti, non tamen ita deſperatas eſſe, ut ſecuritati publicæ non alia via proſpici nequeat, quam tuto duntaxat agendo. Ac proteſtari eſſe de injuria ſibi facta aſſeverare, id quod in proprio facto locum non habeat. Ac omiſſionem tituli in ſigillo, neque per notas abbreviationis, neque alia via caveri poſſe, quo minus aliquam ceſſionis ſpeciem habeat.

Sueci depoſitionem procuratoriorum abnuunt. 24. Jan.

§. 12. Cum itaque Poloni proprio ingenio, ac Veneti inſtinctu Suecis nihil concederent, Chanutus denuo Succos urgebat, ut depoſitionem procuratoriorum in manus Sequeſtrium probarent: ſe quippe ipſis exemplum eorundem propria manu ſubſcriptum traditurum, quod in locum autographorum retineri poſſit. Id Sueci à ſe fieri poſſe negabant, quod Reginæ titulus in dubium vocetur; ac jam exemplum Polonici procuratorii penes ſe eſſe; tum expreſſe ſibi injunctum ad tractatus non accedere niſi commutatis procuratoriis, nec depoſitionem eorundem admittere. Id cum Sequeſtres Polonis denuntiarent; hi querebantur; à Suecis nunc aliter quam ante annum agi. Nam etſi tunc procuratoria ipſorum non admiſerint, autoritatem tamen eorundem agnoviſſe, & tractatus non plane abnuiſſe, facta conventione per ipſam Reginam probata. Memorabat Chanutus, cum ipſe Suecis oſtenderet, Polonos ſua ſententia non ceſſuros, iſtos rogaſſe, cogitaret quomodo bona cum gratia & decore utrinque poſſent dimitti: cum conſultius ſit domi rebus ſuis proſpicere, quam heic diutius inaniter tempus conſumere. Ad quod Poloni reponebant; id ſe præterito anno prævidiſſe, & inde tractatibus bimeſtre ſpatium conſtituiſſe. ne controverſiæ difficultate, ſed ipſo tempore ſeparari denuo viderentur. Hac ſententia ſe ſtare velle, ni forte Succis prius abire placeat. Nec rebus ſic ſtantibus temporis prorogatione opus eſſe.

Succorum ſuper tribus Coronis declaratio.

§. 13. Interim Legati Suecici ſuper tribus Coronis in ſigillo Polonico à Regina reſponſum acceperant, ne ullo modo tractatus ordirentur, niſi mutato ſigillo, Coronisque excluſis. Ipſi quippe ab initio cenſuerant, de tribus Coronis in ſigillo Polonico diſſimulandum, quod & ſub Uladislao Anno 1635. literæ eodem munitæ acceptatæ forent, ut tamen Sequeſtres ſcripto teſtimonium ferrent, ex confeſſione Polonorum eas Regni Sueciæ inſigne haut notare. Ad extrahendum tamen tempus formulam teſtimonii concipiebant, quæ ſcrupuli quid præbere poſſet, donec Reginæ reſponſum adferretur. Etſi interim controverſia ſuper procuratoriorum permutatione ſat negotii dederat. Cæterum jam Reginæ reſcripto allato ſequeſtribus ſignificabant: Teſtimonium ipſorum admitti potuiſſe, ni excuſſo Sueciæ tabulario patuiſſet, tres Coronas hautquidquam Provinciæ cujuſdam Polonicæ, ſed antiquiſſimum Regni Sueciæ inſigne eſſe, quod à Polonis nunquam ante Sigiſmundi III. tempora uſurpatum ſit; & quia primo loco ante Lithuaniam collocetur, nullo modo Poſnanienſem diſtrictum notare poſſe. Unde nefas ſibi Regni dignitatem proſtituere, nec tractatus inire poſſe, quoad ſigillo mutato tres illæ Coronæ expungantur: quæ emendatio ſi ad certum tempus promittatur, ſe tantiſper heic expectaturos. Prioribus exemplis ſe ſtringi non poſſe, cum invicta nunc ratio repugnet. Dehinc Mediatores monente Curlando proponebant; annon tractari poſſit ſolo Reipublicæ procuratorio exhibito, uti aliquando in Livonia agitatum? Id quod Succi reſpuebant, cum Rex caput ſit Reipublicæ, & origo litis ab ipſo promanarit. Et conſtabat, Rempublicam pacem optare; ſed Regem, quod compenſatione potiri non poſſet, & alias ob cauſas tractatus irritos malle. 1653.

Hollandicorum Legatorum adventus & error. 29. Jan.

§. 14. Aderant inter hæc Belgarum Legati Jacobus Wittius, & Antonius VVaveranus: nam qui tertius deſtinatus fuerat Gualterus Gualteri antequam iter ingrederetur fato functus erat. Hi de adventu ſuo non niſi primis Legatorum Roſenhanio & Leſſinskio denuntiaverant, prætertis cæteris. Addebant, inviſere ipſos per aliquot dies ſuperſederent, quoad diverſorium tantis hoſpitibus recipiendis aptaverint, quod valde incommodum nacti ſint. Quorum utroque in leges ceremoniarum impegiſſe judicabantur, cum ſciſcitari debuiſſent, qua ratione ceremoniæ heic loci peractæ forent; ac denuntiationes adventus ſingulis faciendas, ſimul ſalutationes haut collegiatim obeundas. Quod & ſtatim moniti correxere, excuſantes Monaſterii non niſi Capitibus Legationum de adventu ſignificatum. Sed & parum civile videbatur, quod ipſi de aliorum officiis diſponere aggrederentur, quaſi eadem iſtis alia, quam humanitatis lege deberentur, ac non decoro magis modo declinari, aut provocari potuiſſent. Idem literas ad Regem Poloniæ attulerant, in cujus inſcriptione quod titulus Regis Sueciæ omiſſus eſſet, Poloni Legati eas redhibebant. Mox tamen Belgæ eaſdem remittebant titulum iſtum exprimentes, cauſati à Polonis & à ſe ipſis per feſtinationem eum titulum ad finem ſubjungi ſolitum haut animadverſum. Sine dubio autem duplex earum literarum exemplum attulerant, aut deſiderata verba nunc ſubnexa erant.

Brandeburgici à cæteris Legatis non inviſuntur.

§. 15. Serius veniebant à Brandeburgico miſſi, Joannes Overbeckius, Joannes Erneſtus VVallenrodius & Reinholdus Dirſchovius, qui complures per dies vicino Lubecæ loco morati fuerant, priorem præ Venetis, aut ſaltem Hollandis locum poſtulantes. Quo in negotio Polonos faventes experiebantur; è quibus Fitcherus Canterſteinium inviſens iſtorum cauſam commendabat. Sed qui ambiguo reſponſo mentem ſuam tegebat, ad Collegas ſe relaturum promittens. Cæterum juſſi erant iſti à Regina initio in neutram partem inclinare, & Galli exemplum imitari, cui ut Veneto fluderet injunctum erat. Qui ſimul abnuebat iſtis univerſis titulum *Excellentiæ*, & priorem in ſua domo locum, ſed primo duntaxat eorum tribuere; quam in rem expreſſa abs Rege mandata habebat. Nam Brandeburgicum Coronato capiti æquiparari non poſſe, cum ſuperiorem habeat Cæſarem; ac Monaſterii aliter uſurpatum ſit. Etſi enim Brandeburgici adducerent exemplum è Boruſſia, ubi & Avauxius & Succi ipſis univerſis priorem locum ceſſerant; exemplum tamen Monaſterii recentius eſſe, quo prius tollatur. Succi autem heic invidiam facti in Chanutum

1653. nutum devolvere ſtatuerant; ac præſtare judicabant parum, quam nimium facere, quod facile aliquid addi queat, facta retractari non poſſint. Ita Brandeburgici tunc neque à Gallo, neque à Suecis invitebantur. Iidem cum literas legationis fidem facientes Polonis exhiberent, à quarum inſcriptione titulus Sueciæ aberat, Poloni eas literas parum ſibi gratas eſſe hoc nomine oſtendebant. Quia tamen inſcriptio pompoſa verborum ambage adornata erat, ut Regis titulum oblique potius inſinuaret, quam differre exprimeret, redhibere eaſdem auſi non ſunt. In viſitatione tamen Poloni Brandeburgicis honorem, quem prætendebant, exhibebant. Quo exemplo Chanutus ſe haut ſtringi ferebat. Etſi cum proxima vice Elector inveſtituram de Boruſſia per Legatos accepiſſet, poſt peractam ceremoniam Rex tribus ſellis afferri juſſis principem Legatum ad latus ſuum locaverat, reliquis duobus remotius, & alia linea conſidentibus. Cæterum conventu Weſtphalico Cæſar Electorum Legatis eum honorem non in perpetuum, ſed ad eos duntaxat tractatus indulſerat, nec quibusvis promiſcue Electorum Legatis, ſed illuſtri loco natis. Et cum aliquando ibi Suecicos Legatos Brandeburgici inviſerent, Witgenſteinio Comite & Lœbio Barone januam conclavis ingreſſis Oxenſtierna cum Salvio ſequebantur. Sed cum Salvius dicis cauſa Weſenbecio priorem ingreſſum geſtu offerret, & hic ſtatim præ iſto januam introiret, Salvius id citra moram exprobrabat, & Weſenbecius excuſabat, velut credidiſſet, Salvium alio digredi voluiſſe. Sed Comitiis Ratisponenſibus, quæ tunc habeti cœperant, Cæſarei Miniſtri Electoralibus Legatis etiam primariis & illuſtri loco natis titulum *Excellentiæ* haut tribuebant, qui præcipuum indicium eſt æqualitatis eorum cum Legatis capitum Coronatorum; quam dignationem & Nuntius Pontificis, & Hiſpanus Legatus iiſdem abnuebant. Quin hic Electoralibus Legatis non ſolum æqualitatem non permittebat, ſed & pari gradu cum ipſis Electoribus tractari affectabat: ac Moguntinus, Trevirenſis, Saxo, Brandeburgicus & Palatinus ſuperiore anno Pragæ in introitu & seſſione in ſuis domibus eundem velut parem habuerant. Hiſpanus conclave prior ingreſſus erat, & ſub eodem uraniſco conſidentes, Hiſpanus faciem, Electores tergum januæ obverterant. Et quia Brandeburgicus non niſi ante fores majoris conclavis abeuntem proſecutus fuerat, iſte indignabundus tecto ſtatim capite, nec cæteros qui proſequebantur reſpiciens diſceſſerat.

Polonorum conſultatio.

§. 16. Cæterum etſi jam negotium conclamatum videretur, Poloni tamen ne quod bimeſtri reliquum erat tempus otioſe effluceret, denuo inter ſe conſultabant, quomodo vel congrua tractandi plenipotentiasque extradendi ratio ineunda, vel amicus ac rebus ipſorum quadrans diſceſſus inſtituendus ſit. Tum quid circa tres Coronas, quas provinciæ Polonicæ inſigne Sueci negent, ſit ſtatuendum. Circa prius aliqui cenſebant; cum præſens Poloniæ ſtatus jam antea ſatis turbulentus ſit, nec alia ratione ad tractatus accedi queat, niſi traditis in Suecorum manus procuratoriis, citra quæ Sueci nec inducias prorogaturi aut approbaturi ſint; igitur poſt tentata omnia ad extremum in commutationem procuratoriorum deſcendi poſſe, prævia proteſtatione. Neque enim pertimeſcendum eſſe in ea aliquam renuntiationis ſpeciem; cum jura Regum, ni expreſſa fiat ceſſio, interpretationibus rabularum obnoxia non ſint: & res domeſticæ utique requirant, ne duobus bellis Polonia involvatur; quorum alterum ſermonibus Reginæ cum Canaſilio habitis jam quaſi indictum ſit, ſi hinc re infecta diſceſſum fuerit. Dixiſſe enim, ſibi adverſus Regem multas eſſe belli cauſas, & duplicem eum aggrediendi commoditatem; id quod peſſimarum cogitationum præferat indicium, (etſi amica quædam verba poſt ſint addita) & provido idoneam ſibi cavendi cauſam præbeat. Alii contra in periculum, & commodum extraditionis iſtius unice reſpiciendum cenſebant. Sane totam hucuſque expulſi Sigiſmundi hiſtoriam nil aliud eſſe, quam officinam ſuſpicionum, calumniarum, præſumtionum, & iniquiſſimarum argumentationum; nec ullam ipſem affulgere etiam traditis plenipotentiis Suecos idoneam Regi ac Reipublicæ pacem conceſſuros, quin nec ſincerum, ac honeſtum tractandi modum cum ipſis inituros. Sed more ſuo continuis ipſos difficultatibus exercituros, donec vel infauſtus in Ruſſia eventus, & illorum inſultationes, vel alia cauſa diſceſſum ſuadeat, & ipſi occaſionem inde arripiant de Polonorum contumacia, ſua in pacem promtitudine publicandi. Igitur ſi Sueci ſcripto cavere nolint, traditionem Regi fraudi non fore, nec ab ipſis abutendam, conſultius fore amicum & decorum diſcedere diſceſſum, quam cum proteſtatione contra factum proprium procuratoria tradere; quod ſine præjudicio jurium Regis, ac majore difficultatum periculo fieri nequeat. Nam ſi adverſus Reginæ iniquitatem in fide induciarum, & conventione ſuperioris anni probata ſat cautionis non ſit, præter Deum & prudentiam Regis nullum eſſe præſidium, ſi vel maxime induciæ prorogentur, aut denuo firmentur. Circa tres Coronas placebat contendendum, illas utique provinciales eſſe; aut ſi ſecus deprehendatur, curaturos ut inde tollantur velut loco qui cum injuria & hæreditarii & electitii Regni ſit conjunctus. 1653.

Mediatores ſuadent Polonos urgent, &c. rubr.

§. 17. Aſt conciliatores, ne quid intentatum relinquerent, apud Polonos proponebant, ſe de alio temperamento cogitaſſe, ut ſepoſito tantiſper Regis jure ſub ſolius Reipublicæ procuratorio de hujus tractetur cauſa, qua compoſita non defore rationem, ut Regi per Rempublicam ſatisfiat. Quod cum olim in Livonia Guſtavo Regi ſit tentatum, utrinque non ingratum tunc viſum. Suecis tamen id jam diſplicuiſſe, quod Regis & Reipublicæ tanta ſit conjunctio, ut nullam ſeparationem admittat; ac imparitas quædam ſit, ſi Regina cum Republica, ac non ſimul cum Rege tractet. Sed nec Regem paſſurum, ut cauſa ſua poſtponatur, nec cives eundem poſt principia locaturos. Igitur hoc omiſſo Suecos poſtulare, ut tres Coronæ aboleantur, & vacuum ſpatium alio modo repleatur, novæque adeo plenipotentiæ formentur, quæ novum ſigillum, & titulos Legatorum exprimant. Ipſos tantiſper expectaturos, quoad illæ è Polonia adferri poſſint. Mediatores judicaſſe, id ægre ſucceſſurum, ac Maurocenum interrogaſſe, num talibus procuratoriis allatis, ac apud ſequeſtres depoſitis ad tractatus accedere velint? Suecos reſpondiſſe; id mandatis ſuis repugnare. Ad hæc reponebant Poloni; ſemota Regis cauſa tractari non poſſe; ac Guſtavum Adolfum cum ſola Lithuania tractare volentem repul-

1653. ſam tuliſſe; etſi de cætero Respublica non ſit impar, ut tractatum cum Regina ſuſcipiat. Eam quippe habere majeſtatem, quam Regi per liberam Electionem communicet. Sed nec permitti poſſe, ut exempla authentica procuratoriorum extradantur, ni Sueci ſerio tractare velint. Regem nunc circa Kioviam cum exercitu hærere, ac tribus prope menſibus opus eſſe, antequam reſponſum adferri queat. Eundem ægre laturum, ſi audiat, poſtquam Regina apud duos Ablegatos ab ipſo miſſos tam multa de ſtudio pacis jactarit, nunc eandem novis indies difficultatibus motis tempus extrahere. Circa tres Coronas equidem ſibi perſuaſum provinciæ cujusdam Polonicæ inſigne eſſe, etſi ad quam proprie ſpectent haut liquido conſtet. Ac turpe fore Poloniæ ſi negotia ipſius alieni Regni inſignibus firmentur. Id ſi ita ſit, eas utique mutari non debere; ſi ſint inſigne Sueciæ, cur anno 29. & 35. ſigilla quæ eaſdem præ ſe ferebant, in plenipotentiis acceptata ſint. Aut cur de peculiari Regis ſigillo litem non moveant, quo totum Sueciæ inſigne expreſſum eſt? Igitur cum iſta prioribus tractatibus non obſtiterint, nec hiſce obſtare debere. Sane Uladislai tempore ſuper ſigillo diſputatum non fuiſſe, & acceptatam à Suecis plenipotentiam, ratihabitionem, ac complures epiſtolas cum ſigillo tres coronas exprimente. Et ipſum Canterſteinium anno 48. epiſtolam tali ſigillo obſignatam è Polonia in Sueciam attulisse. Nunc qua ratione Rex ad mutandum ſigillum cogi poſſit, ingenti exercitu ſtipatus; cui ne ſi velit quidem in remotis iſtis regionibus artificis copia ſit? Intolerandum porro ſequeſtribus, ac ſibi fore tamdiu Lubecæ otioſis deſidere, præſertim cum non conſtet, an Rex in ſigilli mutationem, aut Sueci in procuratoriorum depoſitionem conſenſuri ſint; quæ tamen tractatibus anni 35. velut commodiſſimum temperamentum admiſſa ſit; cum circa alia Sueci ad illos tractatus provocent. Addebatur, Reginæ pacem curæ haut eſſe, utpote quæ Fiſcherum ſuper actione Regis tractaturum, & Canaſilium absque certo reſponſo dimiſerit, ſine dubio Radzievvskii inſtinctu. Demum id velut extremum remedium proponebant, ut ſepoſitis procuratoriis ſummam negotii ocyus aggrederentur, exemplo Hiſpanorum & Hollandorum Monaſterii; pace ſecuta Succos procuratoria accepturos, qualia optent. Id ſi Suecis ad palatum non ſit, rogare Mediatores, ut circa diſſolvendum honeſte conventum operam navent. Se quidem ad finem bimeſtris expectaturos interim itineri ſe accincturos. Atque huic ſententiæ inhærebant Poloni, quicquid Chanutus propius ad rem eoſdem permovere niteretur; nec amplius quam verbo polliceri volebant de tribus Coronis emendandis, ubi tractatus felicem eventum ſortitus ſit. Sicuti quondam in Boruſſia ſuper truncando Sueciæ titulo verbis conventum ſit. Scripto ad id obſtringere ſe abnuebant.

Sueci à ſe ... de- ...ſunt. ...kbr.

§. 18. Ad hæc Sueci, cum à ſequeſtribus referrentur, reponebant: exempla aliorum ſubſcriptione probata, & autographa plurimum differre; ac ſequeſtres neque ſigillum, neque manum Regis ſubjungere poſſe. Depoſitionem procuratoriorum non ſolum ſuperfluam, ac rationi ac uſui gentium repugnare, ſed & præjudicio ſibi eſſe, quod Poloni reſervare ſibi quid videantur, dum iſta in manus ipſorum tradere abnuunt; cum tamen de titulis jam tranſactum ſit. Quæ ſuper correctione ſigilli difficultates moveantur facile ſuperari poſſe, ſi Rex Poloniæ pacem cupiat. Moram non ſibi minus quam aliis moleſtam. Nec Reginæ minus cauſæ eſſe ſuccenſendi, quod procuratoria recte ſe non habeant, quam Polonum, quod emendatio ſigilli expoſcatur. Uſurpationem trium Coronarum haut exigui momenti rem eſſe, cum Poloniæ Rex per eas inanem prætenſionem ſibi reſervare inſtituat. Succos quondam per decennium cum Dano ſuper illo inſigni bellum geſſiſſe; qui tamen eo nomine neque in Sueciam, neque ejus titulum quicquam prætenderit. Ne privatos quidem ferre, ſi alii gentilitia ipſorum inſignia involent. Fruſtra uſum earum Coronarum ſub Uladislao adduci, nec eundem in præſcriptionem evaluiſſe, cum aliter fieri debuerit, & conventio ſuper titulis de inſigni quoque tacite ſtatuat. Tribus Coronis cum Manipulo nihil commune. Si alii hoc ſigillum acceptarint, id nec Reginæ, nec ſibi præjudicio eſſe poſſe. In epiſtola à Canterſteinio allata locum, ubi tres coronæ nunc conſpiciuntur, cera fuiſſe obductum, ut nil obſervari ibi potuerit. Ante annum autographa Polonorum procuratoria haut conſpecta, & ignorum ſibi, num tres Coronas ſigillum Regni præ ſe tulerit, an minus; eoque de iſtis tollendis à ſe nihil moveri potuiſſe. Ut procuratoria tradantur, ad autoritatem utrique parti adſtruendam neceſſarium eſſe; cum alias non conſtet, quales ipſos æſtimare debeamus, & num ipſi nos à legitima Sueciæ Regina miſſos agnoſcant, qui velut pares cum paribus tractare queant. Reginam plus ſtudii in pacem, quam Polonos oſtendiſſe. Eandem pacta ſancte ſervaſſe; à Polonis multa pacis amore toleraſſe, quæ vindicari jure poterant. Jam anno quadrageſimo ſeptimo, fervente quam maxime bello Germanico, monitu Curlandiæ Ducis in tractatus conſenſiſſe. Sequenti anno per Canterſteinium de iisdem inſtitiſſe; ſimul propoſitos à Polonis Sequeſtres admiſiſſe, circa quos forte ſcrupulus non deerat. Roſenhanium apud Galliæ Regem velut primarium Mediatorem de conventu moviſſe, ſed qui rentente Polono ante triennium perfici non potuerit. Et quanquam ſuperiore anno non levi contumelia affecta fuerit negato titulo, & viſitatione Legatorum omiſſa, ſimul æſtate per ludibrium extracta; denuo tamen ut huc mitteret adductam, quod ſperaret, ad Chanuti formulam procuratoria adaptatum iri. Id quod à Polonis neglectum, ac præter vitioſum ſigillum Suecis Legatis titulos detractos, quibus probabili de cauſa omiſſis Poloni ante annum tantopere fremuerant. Fiſcherum & Canaſilium ideo ſine reſponſo dimiſſos, quod tractatus tam prope inſtarent; ac ludibrio Sequeſtres fuiſſe habendos, ſi Regina Holmiæ concluſiſſet, quod Lubecæ diſceptari debeat. Injuriam eſſe cogitare, Reginam è Radzievvskii conſilio pendere circa negotia ſua gubernanda. Rem ipſam quod attinet, ſuper titulis jam conventionem interceſſiſſe, ac Reginam quoq; titulum ſuum truncaſſe, ut Polono idem feciſſe eo minus moleſtum eſſet. Quod iſta ſcripto concepta non ſit, factum, ne ab Uladislao indignitas quædam admiſſa videretur; verbo tamen initam intervenientibus tot Regum ac Rerump. Legatis, de qua & Anglus Belgæque ſcripto, ac Zadzickius Cancellarius literis ad Petrum Brahæum teſtimonium perhibeant; quæ & executioni data ſit

1653. ta ſit procuratorio, ratihabitione, ac variis Uladislai literis. Nec vero gratis eandem factam, ſed tanto ſanguine, tot annorum bello conſtitiſſe, reddita inſuper Boruſſia; & quia Uladislaus verebatur, ne ſi abnueret, totam belli Germanici molem Sueci in Poloniam devolverent, omiſſo remotiore propugnaturi, quod propius ipſos tangebat. Et cum iſthæc præcipua controverſia fuerit, quæ cautàm bello dederat, cellàre id non potuiſſe, niſi radice penitus excisa. Igitur non poſſe Polonos nunc Reginæ titulum negare, ni præcipuum pactorum caput evertere velint. Inſignia porro titulo conformanda, ne per iſta detrahatur, quod per hunc conceſſum fuerat. Et ipſos Polonos fateri, quæ proprie ad Regnum non ſpectant ejuſdem Regni ſigillo haut inferenda. Unde non eſſe, quod Poloni hanc mutationem fieri non poſſe arbitrentur; præſertim cum ipſi Regem ad edendam ſcriptam cautionem adegerint de actione in Sueciam remittenda, ne eo nomine Reſpublica periculo exponatur, ac litem Regis ſuam faciat. Quod ſi jam patiantur Suecicum inſigne in majore ipſorum ſigillo extare, creditum iri, ipſos liti Regiæ denuo immiſceri velle. Contrà ſe rite omnia peracta. Ante annum juſtum ſe procuratorium attuliſſe, nunc aliud promiſiſſe ad formulam Chanuti expreſſum, non tam quod prius correctione indiguerit, quam ne ſoli Poloni circa idem erraſſe viderentur. Cum Poloni paria non facerent, haut obligatos ſe fuiſſe duos heic menſes morari ad quod nulla conventio ipſos ſtringebat; feciſſe tamen id ſtudio pacis, & ut Conciliatoribus gratificarentur: pollicitos inſuper diutius manere, ſi procuratoria Polonica ſint emendanda. Paratos quoque fuiſſe procuratoriis permutandis, ſi vel demonſtratum ſit, tres Coronas eſſe inſigne provinciæ cujuſdam Polonicæ, aut ut emendentur, ſi Suecicum inſigne adpareat. Sibi ſemper juſta fuiſſe procuratoria, Polonis nunquam. Nec defuiſſe Polonis tempus per duos hoſce menſes ſuper iiſdem emendandis domum ſcribendi, ac reſponſum obtinendi, ſi res cordi fuiſſet. Equidem ab initio dubitaſſe, num ad procuratoria prout nunc ſunt permutanda accedere debeant, interpoſito Mediatorum teſtimonio illas Coronas ut Polonicæ provinciæ, non ut Sueciæ inſigne ſigillo Regni inſertas. At nunc patere, non ſolum Polonos falſa retuliſſe, & eas utique antiquiſſimum Sueciæ inſigne eſſe; ſed & ſi hoc ipſis objiciatur, retractatum ire, quæ antea libere teſtati fuerant. Quin Polonos nunquam pari paſſu ſecum inceſſiſſe, ſed multa indigna ſibi obtrudum iviſſe: puta, ne juſta procuratoria exhiberent, niſi tractatibus feliciter finitis; quaſi per tractatus emendum ſibi foret quod præcedere debebat, quiſquis eventus ſequeretur. Tum quod vitioſa quantumvis procuratoria in ipſorum manus tradere, aut eadem corrigenda curare abnuerint, ſe ad iſta expectanda pronis. Quæ cum ita ſint, proteſtabantur Sueci, ſe à pace alienos haut eſſe, nec cauſam diſſolvendis tractatibus dare; quam in rem Sequeſtres teſtimonium poſcebant. Quod ſi tamen hi de honeſto diſcedendi modo proponere velint, ſe ad conſultandum de illo paratos: cæterum haut ſtatuiſſe, Polonos ulterius ad tractatum ſolicitare, velut pacem ab illis mendicare neceſſum ſibi ſit. Ad ea Chanutus regerebat; id ſe confirmare poſſe Suecos primos fuiſſe, qui inſtiterint, ut ad tractatum res deduceretur, effeciſſe quoque ut congreſſus ſuperiore anno haberetur, cui diſſolvendo Poloni cauſam præbuerint. Tum & procuratorium attuliſſe ad formulam ſuam expreſſum, cum Poloni pro genio gentis ſuo abundare ſenſu maluerint. Enimvero Suecos ſigillum antehac quale nunc ſit acceptaſſe, & ut procuratoria deponerentur, licet vitioſiſſima, anno trigeſimo quinto conſentiſſe. Unde ut nunc quoque depoſitionem probarent obtectabat; quod præter alios nuper ab Hiſpanis & Belgis Monaſterii factum. Fidem ſe ſuam interpoſiturum, in fine tractatuum aſſore, qualia ipſi optent. Reſpondebant Sueci; depoſitionem citra præjudicium Reginæ admitti non poſſe, poſtquam ſuper titulis conventum ſit. Longius ſe progreſſos quam Polonos: illos urgeret, ut propius ad ſcopum accederent. 1653.

§. 19. Leſſinskius inde ſingulos Conciliatorum invitebat, ut è ſermonibus illorum idoneam viam capeſſendo extremo conſilio inveniret. Reverſus Collegis exponebat: Hollandos de ſucceſſu negotii deſperaſſe, Venetum inconſtantiam Suecorum miratum; acta Polonorum per omnia probaſſe. Gallum optaſſe, ut potius difficultas aliqua in propoſitione, quam procuratorio, conventum diremiſſet. Deliberabant inde Poloni, num tractatuum tempus prorogandum, an vero mox diſcedendum foret? Decretum; quia Rex ſcripſerit, ſe nolle heic ſuper prorogandis induciis tractari, & conſentire, ut firmato priore pacto diſcedatur; igitur abitum urgendum, & Conciliatoribus prorogationem exigentibus oſtendendum, ſe unam & alteram ſeptimanam illorum ſuaſionibus libenter indulturos, libere tamen & ex ſolo pacis amore, non velut ex pacto, aut vi alicujus obligationis; modo ſpes aliqua ſucceſſus affulgeat; alias enim præſtare, ut conventus quamprimum decora ratione diſſolvatur. Poloni diſceſſum urgent. 14. Febr.

§. 20. Sequenti die Mediatores Suecis exponebant; Polonos aſſeveraſſe, ſibi ſemper fuiſſe animum tractatibus paratum, ut qui Anno quadrageſimo nono turbidis Regni ſui rebus in eoſdem conſenſerint, & ante annum priores Lubecæ adpulerint. Sed quia diſcedere nequeant à modo tractandi inter duo hæc Regna recepto, nil amplius ſupereſſe, quam ut amice ab ipſis ſeparentur. Proponebant inde Sequeſtres, ſcriptum eſſe formandum, quo partes utrinque declarent, ſe haut quidquam animis offenſis diſcedere, ac tractatus ante finem induciarum inſtaurandos, cujus ſcripti formulam proferebant. Sueci irritam negotiationem dolebant; ad amicum diſceſſum pronos ſe oſtendebant, de ſcripto dubitabant. Hoc ut admitteretur Mediatores diſſerebant: Refutari eo poſſe rumorem, qui Hamburgi jacterur, exacerbatis animis, & tantum non ſtrictis gladiis diſceſſum. Rempublicam Poloniæ pacis cupidiſſimam è tali ſcripto occaſionem nacturam ſuper ulterioribus tractatibus agendi, quod ſuſpicetur, Regem privatis rationibus ductum iſtos impedire. Eidem quoque hoc ipſo prætextum præberi Regem ad exautorandum externum militem adſtringendi poſt pacem cum Coſaccis factam; ſi objicere ipſi poſſit, ex hac parte nihil periculi eſſe metuendum. Nec inutile Sueciæ fore, ſi Poloniæ Rex hoc modo exarmetur. Enimvero ejuſmodi ſcriptum Sueci abnuebant, quod Regina vetuiſſet inſtrumentum condi, quo induciæ firmari viderentur; coque reſpondebant: formulam quidem exhibitam eſſe optimam, ſed cum ſcripto formato utique cauſa ſeparationis exprimenda ſit, inde id magis odio- Sueci ſcriptam ſub finem conventus edere defugiunt. 15. Febr.

1653. odioſum, & conflandis offenſis futurum. Si plane cauſam diſceſſus diſſimulent, ipſos culpam in ſe non obſcure derivaturos. Inſuper id ſcripti concipientes diffidere pactis, & in dubium eadem revocare videri. Nam ſi Polonis cordi ſit inducias ſancte ſervare, & tractatus inſtaurare, de eo ſatis per pacta cautum eſſe. Sed nec mandata ſibi in eam rem data, ut qui non niſi de pace agere juſſi ſint. Et incongruum videri, ſi arrogare ſibi velint autoritatem pacta firmandi; quod ſupremæ eſt poteſtatis. Quod ſi omnia ſimpliciter, ac laxis verbis concipiantur, nihil ſecuritatis eidem ineſſe, nec valde glorioſum Commiſſariis talem actum in orbis notitiam pervenire. Siniſtros rumores ipſo tempore in fumum abituros, ac ſat teſtimonii perhibere Sequeſtres poſſe, haut hoſtili animo diſceſſum. In digreſſu amica omnia apud Polonos ſe teſtaturos. Multos inducias annos adhuc ſupereſſe, ubi meliore fortaſſis ſucceſſu conveniri poſſit. Poloni exercitum à ſe non metui, nec juſtam belli cauſam eidem competere. Et ſi illum utique retinere velit, prætextum non defore. Denique ejuſmodi ſcripto haut plus roboris ineſſe, quam prioribus pactis. Ita tamen eum ſermonem claudebant Sueci, ut magis rationes ſuas Sequeſtribus conſiderandas exponerent, quam ab iſtis allatas refutare viderentur, ut ſimul modeſtiæ gratiam, & ſcopum ſuum obtinerent. Chanutus fatebatur; ſe juxta, atque Leſſinskium ſemper ejuſmodi ſcripto adverſatum, quippe quo validitas inducias non obſcure in dubium revocetur, ſi præſertim ratihabitio Regia non ſubſecuta fuerit: cæterum id negotium ab Hollandis & Curlando promanaſſe.

Poloni de diſceſſu conſtituunt. 18. Febr.

§. 21. Elapſo jam bimeſtri ſpatio ab editis procuratoriis; Poloni conſultatione habita decernebant; ſalva Regis dignitate heic diutius hæreri non poſſe, quod Sueci novam ſuper tribus Coronis controverſiam urgeant. Simul Sequeſtribus denuntiabant; quoniam Sueci nondum maturatis ad pacem animis huc venerint, num placeat de tertio ſub finem inducias congreſſu movere. Quo certè tempore quod ratio nequit, vicinorum armorum reſpectum perſuaſurum, quæ nunc octennii ſpatio remota animos ſegnius moveant. Juſſerat quoque Rex prolongationem inducias acceptare, ſi à Sequeſtribus proponatur: nam ab ipſis aperte de eadem moveri nequibat ob inſuperabilem circa ſigilli mutationem difficultatem. Cum igitur hiſce de diſceſſu ſuo ſignificarent, Chanutus haut cenſebat ſcriptam aliquam conventionem exemplo ſuperioris anni faciendam; ſed amicum diſceſſum ſufficere. Addebat Maurocenus; Sibi videri Suecos neque poteſtatem tractandi ſufficientem, neque voluntatem habere. Egiſſe una cum Hollandis acriter cum ipſis, & adhuc acturum, ita ut ſi nec deponere apud Mediatores procuratoria, nec nuda horum promiſſione melioribus ſub finem tractatuum exhibendis adquieſcere velint, maximæ injuſtitiæ coram univerſo orbe culpam ſint incurſuri. Hollandi ſuper nova inducias ratihabitione relaturos ſe memorabant.

Extremi Mediatorum conatus. 21. Febr.

§. 22. Cum jamjam congreſſus diſſolutio inſtaret, Sequeſtres, ne quid intentatum relinquerent, Polonis denuntiant; Suecos ad tractatus accedere nolle, priuſquam ſigilla & procuratoria iſtorum corrigantur, & correcta in manus ſuas tradantur. Poloni contra; talia ſe procuratoria attuliſſe, qualia Sueci anno ſuperiore poſtularint; quo tempore cum nulla plane mentio de omiſſione trium Coronarum facta ſit; neque nunc recte quid adverſus illas objici poſſe. Et cum à prioribus nihil hac de re motum ſit, nunc novam litem fruſtra excitari. Quin & ſe grave mendum amore pacis diſſimulaſſe, quod Chriſtina ſe expreſſe Reginam Sueciæ nuncupet. Sane Suecos ante tacite in tres illas Coronas conſenſiſſe, ut eo facilius Regem Poloniæ ad mutilandum titulum adducerent. Nam tribus Coronis in ſigillo Polonico apparentibus curtatum titulum in ſpeciem ceſſionis trahi non poſſe: illis abſentibus tituli compendium renunciationi valde vicinum eſſe. Ad quæ excipiebat Gallus: ergo Suecos recte deludare, ut Coronæ iſtæ auferantur, quippe per quas Poloni jus ad Regnum Sueciæ Regi ſuo aſſerant; quod Sueci agnoſcere nolint. Reſpondebat Goraiskius: aliena uſurpaſſe vitium eſſe; propria tueri eximiæ virtutis laudem haberi. Si Sueci demtas velint illas Coronas, majore opus fore gratitudine erga Regem Poloniæ, quam hactenus oſtenderint. Proponebat Chanutus; expungerent Poloni tres illas Coronas addita proteſtatione, ne quid ea res juri Regis noceat. Imo, inquiebat Goraiskius; Sueci potius cum proteſtatione eaſdem acceptent. Id enim hiſce potius convenire, qui circa lucrum quærendum ſatagant, quam ſibi, qui de damno vitando certent. Regerebat Chanutus: id ſe Suecis propoſuiſſe; ſed hos reſpondiſſe, ſe uti non poſſe remedio tam imbelli circa rem tanti momenti. Heic Goraiskius; ſe quidem ad omnia pacis remedia amplectenda paratiſſimos ſemper eſſe & fore; ſed mortem potius oppetituros, quam ut ante tempus ejuſmodi correctionem ſigilli fieri patiantur, qualem Sueci deſiderant. Inter quæ Venetus denuo profitebatur, ſe peculiari mandato juſſum Poloniæ partes omnibus modis tueri. Et cum Poloni diſceſſum quam maxime urgerent, dicebat; ſe non damnare, quod de abitu ſtrenue cogitent; imo conſulere, ut currus aliquot præmittant; malle tamen, ut ipſi non ita abrupte diſcedant. Quanquam enim proſperæ negotiationis nulla ſit ſpes, & totus orbis ab extraditione procuratoriorum ipſos ſit liberaturus; melius tamen fore, ſi Sueci ad depoſitionem procuratoriorum adduci poſſint, ut è propoſitione, aut alia difficultate anſa diſcedendi potius, quam è ſolo bimeſtris temporis articulo arripiatur. Cenſuerant Hollandi, id adhuc à partibus poſtulandum; ut controverſias ſuas Conciliatorum arbitrio ſubmittant. Enimvero oſtendebat Chanutus à Rege ſe juſſum Sequeſtris, non Arbitri partes obire: eas functiones eſſe diverſiſſimas; ac ſæpe Sequeſtris partes non defugere, qui arbitralis ſententiæ invidiam nullo modo in ſe recipere velit. Et ſine dubio utramque partem rejecturam ac damnaturam inſolentiam ultro Regibus arbitros ſe obtrudentium.

Conventus diſſolvitur.

§. 23. Poſt hæc omnia incaſſum tentata à Polonis diſcedendi fiebat initium, ac ſinguli Poloni ſingulis Suecis valedicebant, his eundem honorem pari modo reponentibus: Omnia utrinque amicitiæ imitamenta expreſſa. Fatebantur Poloni apud Suecos, differentias inter ipſos haut adeo ingentes fuiſſe: ſed per ſtricta mandata nihil ſibi remittere integrum fuiſſe. Et quoniam jam omnes difficultates circa præliminaria norint, ſe operam daturos, ut illæ, quoad alius congreſſus inſtauretur, è medio tolli queant. Sed & quantum in ſe curaturos, ut tantiſper pacta ſerventur; ean-

1653. eandemque ut Sueci operam darent petebant. Querebatur tamen paulo poſt Legatus Polonicus, qui Ratiſponam miſſus erat, Hiſpanos per Pimentellum eorum tractatuum progreſſum eluſiſſe, qui Reginæ ſuaſerit, ut litem illam indeciſam relinqueret. Spes fuerat Chanuto negotium tertio congreſſu melius proceſſurum, ſi Poloni in mutationem ſigilli, Sueci in depoſitionem procuratoriorum conſentirent. Cujus & ſuatu utrique ſpargebant, ſe brevi iterum conventuros, ac ideo tantum domum abiiſſe, quod obortas difficultates Lubecæ expedire nequiſſent, ſopiendis vulgi rumoribus, velut infenſi diſceſſiſſent. Regina ſingulis Sequeſtribus eorumque Principibus per literas pro præſtita opera grates agebat.

Cæſar Reginæ Legatos ad ſeſſionem in Comitiis admittere detrectat.

§. 24. Quo obtentu Cæſar Reginam ſuperiore anno inveſtituram Provinciarum Germanicarum petentem eluſerit, antea memoravimus; id quod Brandeburgici flagitationibus datum fuerat, qui hoc modo Reginam ad reddendam Ulteriorem Pomeraniam cogere inſtituebat, hactenus detentam, quod ſuper regundis finibus, aliiſque per leges pacis Weſtphalicæ debitis admodum ſe difficilem iſte præberet. Nec heic ſiſtebat conatus; ſed Pragæ quoque à Cæſare ſtipulatus fuerat Elector, Reginam tantiſper à ſeſſione & ſuffragio in Comitiis arcendam, quoad partes Pomeraniæ Electori debitas reddidiſſet. Cæterum poſtquam Cæſar Praga Ratisponam concelliſſet, Regina per Fridericum Bohlium, in Comitiis loco Pomeraniæ ſuffragia laturum, Cæſarem compellabat, ut juxta leges Pacis in poſſeſſionem loci ac ſuffragii mitteretur. Ad quod Cæſar humaniter reſponderat; Ipſi tributum iri, quod vi pacis debeatur, & ſe negotium hoc Collegiis Imperii commendaturum. Moxtamen idem Pappenheimium ſcripto monebat, ne Suecicos Legatos ad conſeſſum evocaret, prout Pragæ ex Electorum ſententia decretum ſit. Etſi conſtabat, Electores ſuper hoc negotio haut junctim, ſed ſigillatim conſultos; & cum iſtud decretum Pragæ cuderetur, Colonienſem, Bavarum & Palatinum abfuiſſe; Moguntinum & Trevirenſem diſſentiſſe; ſolumque Saxonem & Brandeburgicum autorem extitiſſe. Brandeburgici ferebant, nullam ſibi ſpem ſuperfuiſſe Pomerania ſua potiundi, Regina ſemel ad ſeſſionem in Comitiis admiſſa. Nec vitio ſibi verti poſſe, ſi juri ſuo obtinendo omnia experiantur. Cæterum Cæſarei jam Oſnabrugæ teſtimonio ſuo & clandeſtinis ſuggeſtionibus huic liti ſemina jecerant; ac Cæſar ante conventum Pragenſem per literas Electorum ſententias exquiſiverat de Regina ad ſeſſionem non admittenda, niſi Ulteriore Pomerania reſtituta. Idemque tanto facilius in Brandeburgici petitum conſenſerat, ne Regina ad ſeſſionem admiſſa electioni Regis Romanorum ſe objiceret, multis Ordinibus autoritatem iſtius ſecuturis. Alebat litem Hiſpanicus Legatus Caſtel-Rodericus paci Weſtphalicæ infenſus, ac Ordines inter ſe, & cumprimis Reginam cum Brandeburgico committigaudens. Qui & Biœrnclovio hac ſuper injuria querenti ingenue fatebatur; Cæſarem non potuiſſe non Brandeburgico iſthoc polliceri, ut is ſuffragio ſuo iſtius filium Regem Romanorum diceret. Reges omnia ſuis utilitatibus metiri. Cæſari magis commodum ſui filii, quam Reginæ fuiſſe reſpiciendum. Suadebat tamen, ne præcipiti impetu procederetur. Cæſari haut conſtitutum Reginam Comitiis excludere; ſed ubi is ſcopum ſuum obtinuerit, ſine mora eandem ad ſeſſionem admiſſum iri. Etſi iſte reponebat; Cæſarem debuiſſe commodis ſuis veſtigari abſque injuria, & contumelia alterius. 1655.

Sueci d-injuria queruntur.

§. 25. Inter quæ haut omittebant Miniſtri Suecici demonſtrare, quanta injuria Reginæ hoc facto inferretur. Eam ab ipſo momento concluſæ pacis Ordinibus Imperii intertam, quibus indivulſo nexu conjunctum ſit, ut locum & ſuffragium in Comitiis teneant. Eandem quoque rite fuiſſe invitatam, ac verba, quæ oblique Reginam de reſtituenda Pomerania monebant, dicis cauſa inſerta, ut Brandeburgico utcunque ſatisfieret. Nunc ipſa invitatione contumeliam accendi, cum ſatius ſit hoſpites non admittere, quam admiſſos expellere. Eſſe inauditum, Principem Imperii Comitiis excludi ob privatas cum alio lites, quibus inter Ordines nihil ſit frequentius. Decreti Pragenſis quam vim eſſe poſſe, ſolo Saxone, & Brandeburgico in propria cauſa ſuffragante confecti? Tractatus quoque amicos Stetini adhuc agitari, & ſpem eſſe compoſitionis brevi ſecuturæ; ac ſolam Electoris pertinaciam in cauſa eſſe, quo minus is dudum Pomeraniam ſuam receperit. Adſtipulabantur Suecicis plerique è Principum Collegio, qui Cæſareis Miniſtris ac Electoribus demonſtrabant; id decretum Paci Weſtphalicæ, Legibus Imperii, ac conſuetudini repugnare; nec auſpicati quid inde proventurum, ni mature remedium adferatur. Et quia tractatus Stetini optato fine brevi videbantur finiendi, rogabant Cæſarem, ut Reginæ Legatis ad ſeſſionem admiſſis, propoſitionem ultra viceſimum quartum Martii ne differret. Nam eam cauſam Cæſar præcipuam ferebat dilatæ propoſitionis; ne alterutri parti præjudicium adferretur, admiſſis, aut excluſis ab ea audienda Suecis. Etſi vera morarum cauſa foret, ut interim electio Regis Romanorum maturaretur. Nam metus erat, ne à Principum Collegio ea quæſtio moveretur, num expediat hoc rerum ſtatu Regem Romanorum eligi; aut quidnam Legi Regiæ inferendum ſit? Nondum autem facta propoſitione haut licitum jactabant in Principum Senatu conſultationes publicas inſtitui, cum Electorale Collegium interim *prædeliberationibus*, quas vocant, vacaret. Interim Suecis confirmabatur, circa admiſſionem nullam moram fore, ubi ſuper concluſis Stetini tractatibus certi quid allatum fuerit. Quo fine curſor Stetinum dimittebatur, qui nuntiabat, nil reſtare, quam ut Reginæ declaratio ad conditiones à Brandeburgico latas adferatur. Etſi Electores ob intervallum inter Stetinum & Holmiam parcendo tempori ſuadebant, ut Brandeburgico optio detur, num ſpe propinquæ reſtitutionis ab impedienda Reginæ ſeſſione deſiſtere velit; an vero ſi nondum ſat cautum ſibi judicet, eadem ad ſeſſionem & conſultationem admiſſa, inveſtituram differri placeat, quoad Pomerania ſit reſtituta. Aſt Brandeburgicus jactabat, totam tractationem cum Regina adhuc in lubrico eſſe, eoque propoſitionem tantiſper differendam, & certum curſorem cum literis ad Reginam mittendum, qui extremam ipſius ſuper reſtituenda Pomerania ſententiam exquirat. Quod cum majori Ordinum parti probaretur, queis perſuaſum erat, reſtitutionem Pomeraniæ difficilius proceſſuram, Regina ad ſeſſionem admiſſa, dilata propoſitione à Cæſare modeſtæ literæ eo nomine ad Reginam 2. Aprill. ſcribebantur. Quarum argumentum erat; Cæſarem magnos ſumtus, parem diligentiam impendiſſe

Decretum Pragenſe ejuſque cauſa.

Propoſitio in Comitiis hoc obtentu differtur

1653. pendiſſe circa exequendam pacem, ac ſperaſſe Reginam gemina facturam. Hactenus tamen Brandeburgico Pomeraniam non redditam, cum tamen Elector multis ſibi competentibus juribus ceſſerit, & ex ipſius parte nihil amplius deſideretur. Id quod grave ſibi, atque Ordinibus videatur, eoque ut Electori debita reddantur hortari. Sed Regina contra prolixis literis oſtendebat; Electorem unice in mora fuiſſe ob pervicaciam, ac motis tot inanibus prætenſionibus. Sed quia perceperit, tractatus Stetini jam concluſos, in ſe circa reddendam Ulteriorem Pomeraniam moram haut fore. Nec eo ſecius, valde id quidem importune, ipſi Capitulationi Ferdinandi IV. ſuper reſtituenda Pomerania inſerebatur; cum jam Regina ad eandem reddendam mandata emiſiſſet. Quanquam autem ſubinde nuntiaretur, tractatus Stetini jam concluſos & ratihabitos, diemque tradendæ provinciæ conſtitutum; haut tamen omittebant Brandeburgici Suecorum admiſſioni contradicere, quoad tandem ab ipſo Electore literæ advenirent, traditam ſibi provinciam narrantes. Unde illo ipſo adhuc die in perendinum Ordinibus ad excipiendam propoſitionem indictum, inter quos Legati quoque Suecici ſedem ſuam capeſſivere.

Reginæ Ferdinandum IV. Electoribus commendat.

§. 26. Has per moras Cæſar deſtinata ſua obtinuerat, ut citra Principum contradictionem filius ipſius Ferdinandus IV. Auguſtæ Vindelicorum Rex Romanorum eligeretur. Eum ut Electoribus & Principibus Regina per literas commendaret,

21. April. Ablegatus Hiſpanicus Antonius Pimentellus oblato libello petierat, quæ & præcipua legationis cauſa fuerat. Quod officium Regina haut negandum ducebat. Etſi literæ eo nomine ſcriptæ adferrentur, cum jam Electores Auguſtam ad obeundam electionem Ratiſpona diceſſiſſent: quæ

26. April. tamen haut eo minus à Cæſare & Electoribus non ſine applauſu receptæ, ac ſtatim typis publicatæ ſunt. Creditum fuerat, Reginam huic electioni velut ad leges Pacis Weſtphalicæ parum quadranti vehementer reluctaturam, cujus exemplum non pauci è Principum claſſe ſequi conſtituerant. Unde nunc ab ipſa hanc electionem probari non Cæſar ſolum, ſed & Electores gaudebant, queis moleſtum eſt, ſi alii quoque Principes circa eam electionem ſatagere velint. Regina tamen, ne Electoribus præter Aureæ Bullæ legem vivo Cæſare Reges Romanorum pro lubitu eligendi facultatem tribuere videretur, Principum quoque Senatui eundem per literas commendaverat, velut & horum partes aliquæ iſthoc caſu forent. Sed & Catholici non parum ſibi placebant, iis literis tam ſplendidum elogium Domui Auſtriacæ circumponi, & Candidatum ad imitanda majorum ſuorum exempla vocari, cum in recenti adhuc memoria eſſet, quo conatu Ferdinandus II. & ſacra Proteſtantium & libertatem Ordinum oppreſſum iviſſet. Aſt Cæſar, ac novus Romanorum Rex Reginæ pro hoc officio gratias agebant, literis per peculiarem curſorem in Sueciam miſſis. Simul ſub finem anni in Sueciam à Cæſare Legatus mittebatur Raimundus Montecuculus Comes, affectus teſtandi officio apud Reginam defuncturus. Aderat Auguſtæ à Poloniæ quoque Rege Legatus, qui itidem Electoribus filium Cæſaris in Regem Romanorum commendatum venerat; in anteceſſum tamen ſignificabat, ſe Legatis abſentium Electorum titulum *Excellentiæ* haut daturum. Eo nomine cum acceſſus ipſi negaretur, ille imputabat, quod à Rege ſuo Electoribus *Sereniſſimi* titulus tributus eſſet, cum Regina Sueciæ non niſi *Celſiſſimos* eos nuncupet. Sed reponebatur; Galliæ & Hiſpaniæ Reges haut gravatim *Sereniſſimi* titulo ipſos honorare; quid à Regina Sueciæ fiat haut opus eſſe ab ipſo memorari, quicum velut vicina & amica facile ſibi conventurum ſit. Ita inauditus ille Auguſta diſcedebat. 1653.

Inveſtitura differtur.

§. 27. Ne autem admiſſioni Legatorum Suecicorum forte inveſtitura nondum obtenta objiceretur, ſuggerente ipſo Curtio Vice-Cancellario *Indultum* quod vocant conceſſum, ac tempus accipiendæ inveſtituræ prorogatum; quod & poſt ad menſem uſque Aprilem ſequentis anni productum, Conſiliariis Cæſareis interim laudemium non mediocriter ſitientibus. Suecos porro poſt tot difficultates ſeſſione demum potitos frequentia Conventibus Germanorum circa priorem locum litigia excepere. Nam primo Brandeburgicus Ulteriori Pomeraniæ præ Citeriore priorem deberi locum contendebat, ad veterem conſuetudinem provocans, qua Ducibus Stetinenſibus præcedentia præ Wolgaſtanis tribui ſolita ſit. Sed regerebant Sueci, Wolgaſtanos in Conventibus Circularibus priorem ſemper locum occupaſſe, & à ſe poſſideri primariam Ulterioris Pomeraniæ urbem, unde Provinciæ nomen ſit, Stetinum, ejuſque non modicam partem. Poſt tamen Brandeburgicus ultro Citeriori Pomeraniæ priorem locum in Conventibus tam Conſitialibus, quam Circularibus deferebat; multo cum verborum honore præfatus, id amicitiæ ſe cum Regina demceps ſtudioſe excolendæ dare. Sed & quis Verdenſi Ducatui locus in Collegio Principum aſſignandus foret, nonnihil dubitatum eſt. Quanquam enim Tabulis Pacis diſpoſitum eſſet, ut ejus nomine prioribus poſſeſſoribus ſolito loco ſententia diceretur: Epiſcopi tamen Reginæ Legatos ob diverſa ſacra haut æquo animo in ſua claſſe conſpiciebant, præſertim cum Monaſterienſis ac Leodienſis cum Oſnabrugenſi, à quo Verdenſi proximus olim locus, veterem litem ſuper præcedentia agitarent. Nec in transverſum ſcamnum detrudi volebat Regina. Unde aliquandiu Verdenſe ſuffragium Bremenſi addita clauſula, *ſuo loco & ordine*, annectebatur. Sed cum tandem Legati Suecici obſtacula Epiſcoporum perrupiſſent, ac ſen- 3. Nov. tentiam proximo poſt Oſnabrugenſem loco explicare cœpiſſent, Wurtenbergicus Legatus Zellerus, à cauſidicina recens, quia per abſentiam complurium è ſcamno Præſulum Verdenſis ante ipſum ad ſententiam dicendam evocatus erat, magna cum vocis contentione obſtrepebat, Suecis poſt conſeſſum finitum haut ſegniter objurgantibus importunitatem etiam agreſtium ſcabinorum conſeſſui indecoram. Wurtenbergici tamen offenſam deprecati obſecrabant, ut Verdenſis Ducatus inter quinque Domus alternantes reciperetur, ea lege, ut ſemper proximo ante aut poſt Pomeraniam loco ſententiam diceret. Cui facto cum ſine dubio Lauenburgici & Holſati contradicturi eſſent, ſatius viſum aſſignato per Tabulas Pacis loco inhærere.

Lites circa præcedentiam inter Pomeraniam Citeriorem & Ulteriorem.

Super loco Verdenſis Ducatus.

§. 28. Porro inter Domos, quæ alternatim ſedem in Comitiis capiunt, Pomeranicam, Meclenburgicam, VVurtenbergicam, Haſſicam & Badenſem, Holſatica quoque recipi petebat. Et conſentiebant VVurtenbergici, Haſſi ac Badenſes. Contradicebant Pomerani & Meclenburgici una cum Lauenburgico, qui priorem ſibi præ Holſa-

De Holſatis inter alternantes Domus recipiendis.

653. Holſatis ob antiquitatem familiæ locum vindicabat. Ac oſtendebatur ante annum 1613. Holſatos haut auſos alternantibus Domibus ſe immiſcere. Sicuti & dicto anno Henricum Rotenthalium nomine Chriſtiani IV. Regis, & Joannis Adolfi Ducis Holſatiæ poſt quinque iſtas Domos conſediſſe. Quin anno 1594. & 1603. Holſatum etiam Lauenburgico ceſſiſſe, cum hic quinque Domibus controverſiam de loco non moveat. Neque enim faſtigium Regium in eam familiam illatum ſpectari, cum ad Regnum Daniæ Comitia Imperii haut pertineant. Equidem anno 1641. decretum Cæſareum obtinuiſſe Holſatos, ut inter alternantes Domos reciperentur, in quod & Wurtenbergicus, Haſſi ac Badenſes conſenſerant eo intuitu, quod Rex Daniæ Sequeſter pacis tunc futurus crederetur. Sed contradixerant Pomerani & Meclenburgici; nec Holſati Oſnabrugæ ejus loci poſſeſſionem atripuerant. Repetebat hiſce Comitiis Cæſar pro Holſatia decretum, cujus intereſt per ejuſmodi litigia Ordines inter ſe commitri. Simul Reginam, ut in hanc alternationem conſentiret, non ſolum binis literis Fridericus Holſatiæ Dux, ſed & Electores & ipſe Cæſar amice requirebant. Brandeburgicum jam annuiſſe, Meclenburgicos Reginæ exemplum ſecuturos. Contra ne Domui ſuæ præjudicium adferretur, Julius Henricus Lauenburgicus Dux rogabat, demonſtrans ab anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo Lauenburgicos Legatos proximum à Badenſibus locum temper obtinuiſſe, ac Comitiis anno 1570. 1594. 1603. 1613. ſedem ante Holſatos citra contradictionem obtinuiſſe. Regina tamen annuebat, ut Holſatia inter alternantes Domos reciperetur ea lege ut nunquam ante Pomeraniam locum ſortiretur. Idque Regi, Duci Holſatiæ, ſuiſque Ratisponæ Legatis per literas ſignificabat. Sed ruentibus ad finem Comitiis cum negotia præcipitarentur, id tunc effectui haut datum fuit.

7. Aug. ao. Oct.

Super immediato Bremæ ſtatu contentio.

§. 29. Cum Bremenſi urbe tunc Legatis Sueciis multum negotii fuit, ne illa inter Civitates Imperii liberas admitteretur, ac ſcriptis publice editis acriter certatum. Querebantur etiam Bremenſes, à Suecis novum munimentum apud Leam vicum ad oſtium Viſurgis extrui velut in exitium ſuæ urbis. Sed oſtendebant Sueci factum id tuendo fluminis oſtio adverſus bellantes tunc inter ſe Anglos Belgaſque, ac fas Reginæ in ſuo territorio munitiones excitare. Id quod Cæſari atque Ordinibus probabatur. Cæterum quamdiu proſcriptione tenebatur Brema, eo ipſo conceſſibus publicis arcebatur. Poſtquam autem eadem menſe Septembri banno ſoluta fuerat acrius certamen ſurgebat. Pro urbe ſtrenue connixi fuerant Jeſuitæ ſtipulati ſibi, ut in ea domicilium figere liceret, deſtinatis jam ædibus extruendo Collegio; qui & Conſulem Wachmannum in ſuas partes pertraxerant, polliciti ſe omnem operam urbi navaturos adverſus Oldenburgici & Suecorum impetitiones. Ac facile annuebat obnoxius iſtis hominibus Cæſar. Sed oſtenſum; haut congruere legibus Imperii, & Paci Auguſtanæ ejuſmodi conditiones ſententiis judicialibus annecti, ac facile hanc rem novis motibus materiam poſſe præbere. Quanquam autem Legatus Hiſpanicus, fumum vendere callentiſſimus, operam ſuam Suecis adverſus eam urbem amplis verbis promitteret, ac Sueci non obſcure jactarent, ſi rationes ſuæ locum non invenirent, aliam viam tentandam vindicando Reginæ juri: non tamen adparebat, quomodo Cæſar adduci poſſet ad abrogandum ſuum decretum d. 1. Junii Anno 1646. Lincii pro Bremenſium immediato ſtatu factum, quod hi centum millibus florenorum emerant. Et diſſerebant quidam, Cæſari fas fuiſſe ſede vacante urbem obſequio Epiſcopi eximere, cum tamen armis Suecorum expulſus Fridericus jus utique ſuum ad eam ditionem retinuiſſet, quoad eadem in Suecos transferretur. Cum etiam Legati Sueciei pro Evangelicis in Auſtria apud Cæſarem intervenirent, ut ſacrorum ſuorum exercitio relinquerentur, hic vultum atque geſtus, dum iſti perorant, mutaſſe animadvertebatur, ac reſponſo varias per dilationes eluſo iſta opera irrita erat. 1653.

Tractatus limitaneus cum Brandeburgico abſolvitur.

§. 30. Hoc anno demum tractatus ſuper regendis limitibus inter Regiam & Electoralem Pomeraniam, aliiſque pace Weſtphalica ſepoſitis negotiis abſolvebatur, qui ab anno quinquageſimo Stetini multas per contentiones hucuſque extractus erat. Conatus primum fuerat Elector Brandeburgicus oblato Mindenſi præſulatu loca quondam ad Ulteriorem Pomeraniam ſpectantia redimere. Id cum Regina repudiaſſet, Brandeburgici varias difficultates movebant circa directionem limitum, non niſi paſſus aliquot ripæ Orientali Oderæ annuentes; Suecis contra ſecuritatis ſuæ cauſa fines longius porrigentibus. Quo nomine & hi Camminum oppidum ſibi vindicabant in ipſa fluminis ripa ſitum, quod Brandeburgico præſidio infeſſum navigationem fluminis, & commercia provinciæ non parum turbare poterat. E veteri quoque pacto Ducum Stetinenſium & Wolgaſtanorum Brandeburgicus multa jura communia in Suecica provincia obtendebat; quæ velut litium perpetuarum materiam Regina adſpernabatur, non minus atque ejuſdem cavillationes, quaſi civitas tantum Stetinenſis, non præfectura ſimul ceſſa fuiſſet. Ad extremum acerrima contentio ſuper vectigalibus in litore Ulterioris Pomeraniæ ſurgebat, quæ Regina è verbis Pacis nullam exceptionem præ ſe ferentibus vindicabat. non tam ob emolumenti magnitudinem, quam ne Brandeburgicus iis ſolis potitus anſam arriperet commercia Citerioris provinciæ intercipiendi. Super quo ita demum transactum, ut Brandeburgicus in dimidiam eorundem partem admitteretur, Regina interim Ulterioris Pomeraniæ poſſeſſioni incumbente, quoad Electoris pertinacia expugnata foret. Ita tandem iſti negotio menſe Majo finis impoſitus per Arvidum Forbeſium Vice-Gubernatorem, Jo. Nicodemi Lillieſtræmium & Schualenbergium Regios, & Joannem Georgium Bornium, Jo. Fridericum Buchium, Franciſcum à Pahlen, & Fridericum Rungium Electorales Deputatos. Addebatur peculiaris conventio ſuper Expectativa Regni Sueciæ in Ulteriorem Pomeraniam, Camminenſem Præſulatum, Novam Marchiam & Sternbergenſem ditionem, ſimul feuda ad caſtrum Vierradam, & Lœkenitzam ſpectantia intra fines Pomeraniæ ſita, in caſum extinctæ familiæ Marchionum Brandeburgicorum; quod jus Ducibus Pomeraniæ ex pacto cum iſtis Marchionibus quæſitum tunc renovabatur. Tradebatur quoque ab Electore diploma Ceſſionis locorum Pomeraniæ, quæ in Regni Sueciæ ditionem pervenerant, quod & agnati Electoris Chriſtianus Wilhelmus, Chriſtianus & Albertus ſubſcripſere. His confectis menſe Junio Ulterior Pomerania deductis Suecicis præſidiis Electori tradita fuit.

14. Maji.

4. Maji.

§. 31. Idem

1653. Danus Reginæ eſt ſuſpectus.

§. 31. Idem annus variis curis exercitam tenebat Reginam, deflagrante tunc quam maxime bello maritimo inter Anglos atque Belgas, ne vel ipſa eodem bello involveretur, vel ſubjectorum commercia peſſumdarentur. Ac ſuſpectus cumprimis erat Danus, qui ſuas rationes Hollandorum amicitiæ ſuperſtruere cœperat, inito cum hiſce fœdere mutuæ defenſionis; cujus ſcopus conſervationem commerciorum verbo præ ſe ferebat. Cæterum id revera agebatur, ut Danus primo commercia, inde ditiones ſuas augeret, Hollandi omnia ſua commercia & navigationem tuerentur, Suecorum navigatione paulatim ſubruta, & Mari Baltico Anglis occluſo; quo fine viginti naves bellicæ inſtructæ à Dano haberentur. Convenerat quoque, ut connivente Dano Hollandi omnia navigia, materia aut paratu navali onuſta, quæ ex Mari Baltico in Oceanum tranſitura eſſent, in freto Oreſundico ſiſterent, exceptis Suecis, queis cum fretum citra apertam hoſtilitatem occludi nequeat, à prædonibus patientiore æquore manus injici poſſint. Viciſſim & Sueci Danis non minus ſuſpecti, confirmante præſertim Conrado Beuningio, Hollandorum tunc in Suecia Legato, Cornificium Ulfeldium duos milliones Reginæ mutuo obtuliſſe ea lege, ſi ipſa Daniæ Regem triplici cum exercitu in Scania, Norvegia & Holſatia invadere velit. Tum & multa paſſim de fœdere inter Sueciam, Hiſpaniam & Angliam ſpargebantur.

Dani Legatio in Sueciam ejuſque ſcopus.

§. 32. Ut igitur Daniæ Rex, ſi quæ Reginæ adverſus ſe deſtinata forent penitus exploraret, Magnum Hœckium Legatum in Sueciam miſit, cui adjunctus eſt Petrus Julus, qui perpetua legatione tunc in Reginæ aula fungebatur. Hiſce injunctum tentare, num Cornificii Ulfeldii protectio aboleri poſſit; tum ut inquirerent, num quid à Danis adverſus pacta patratum Regina arguat, idque vel excuſarent, vel tractatu ſuſcepto abolerent. Inprimis autem quia Dano neceſſitas allata ſit juncta cum Hollandis ſocietate in bellum adverſus Anglos deſcendendi, id quærerent, ut tantiſper ſecuritas & quies Daniæ præſtaretur è parte Sueciæ, prout & Dani fecerint, quo tempore Sueci bello adverſus Cæſarem impliciti erant. Quorum etſi nihil obtineretur, eo tutius tamen poſt licebat Dano conſilia ſua diſponere, prout Regina mentem ſuam expromerer; acceo ipſo tempus extrahebatur, ſi forte infeſti quid in Daniam ipſa meditaretur. Ac ferebatur Radzievvskius Ulfeldii conſilia contra Daniam Petro Julo aperiiſſe, ut Rex Daniæ de hiſce mature monitus omnia defenſioni pararet, quo Regina belli Danici difficultate conſpecta eo facilius arma in Poloniam verteret. Ac revera bellum in Dania tunc ſumma vi terra marique parabatur. Simul Dux Holſatiæ Fridericus jam per Roſenhanium tutelarem ſibi à Regina militem ſtipulatum ibat, ſi forte occaſione belli Anglo-Belgici res ad arma inter Reginam & Daniæ Regem erumperet. Etſi idem teſtaretur, haut ſibi conſtare de ullis infeſtis Dani adverſus Sueciam conſiliis.

Legatorum propoſitio.

§. 33. Porro Dani apud Reginam proponebant; Regi ſuo è periculo, quod per bellum Anglos inter & Batavos ſibi immineat, neceſſitatem allatam ſecuritati ſuarum ditionum proſpiciendi, & ne hoc bello commercia plane peſſum eant: præſertim cum partes omni lege repudiata quælibet propria ex libidine agere velint, ni vis idonea opponatur. Id quod Reginæ pro neceſſitudine communicandum duxiſſe, quam & ſine dubio eadem res ſolicitam reddat, ne vel ipſa eo bello invadatur, vel commercia ſuorum civium & navigatio plane deſtruantur; præſertim cum vicino bellantibus ſitu belli flamma facillime Arctoa Regna corripere queat. Cui malo ut obviam eatur Regem operam dediſſe, idque Reginæ probatum iri confidere. Et eo plus cauſarum fuiſſe ſuper remediis defenſionis cogitandi, quo propior Daniæ ſitus periculo ſit. Jam quoque Anglos cum octodecim navibus bellicis ſuperiore autumno in Oreſundam acceſſiſſe, abducendis viginti ſex navibus Anglicis materia navali onuſtis, quas Rex Hafniæ tantiſper detinuerit. Id quod factum Regi æque intolerandum videatur, quam ſi ſuſpectus exercitus intra fines terrarum ſuarum intraſſet. Regem quoque miſſis in Angliam Legatis viam pacis fruſtra tentaſſe, cujus ſpem durities Anglorum nullam reliquerit. Unde periculum eo majus fore, ſi iſta natio, quæ imperium maris ſibi arrogat, auxilio aliorum firmetur, omnibus deinceps formidanda, ubi ſemel cum cæterorum oppreſſione invaluerit. Nec dubitare Regem, quin Regina non ſolum iſthæc conſilia ſit probatura, ſed & ſociam illis exequendis operam junctura, non ſine certa ſpe boni ſucceſſus. Nec obſcurum eſſe quæ ratio ineunda ſit, ut ſecuritas hiſce Regnis adverſus tantam vim armatarum claſſium conſtare queat, ſi præſens temporum facies, Anglorum inſolentia, ac noſtra conſervatio inſpiciatur. Nimirum opus eſſe, ut junctis viribus illa bellantium pars, quæ rationi congrua reſpuat, ad æquas pacis leges admittendas adigatur. Præſertim cum periculoſi res exempli futura ſit, ſi tam formidabilis potentia repente exurgens à quopiam fulciatur: ad quam caſtigandam potius omnes quorum intereſt velut ad commune incendium extinguendum concurrere debeant.

1653.

Cum Danicis Legatis negotiatio.

§. 34. Sed ſecretis congreſſibus præter commune fœdus cum Daniæ Rege, ac Belgis ad Parlamentum Anglicanum in ordinem redigendum, etiam de reponendo in ſolium Carolo II. proponebatur. Enimvero oſtendebatur Danis; optandum quidem fuiſſe ſuper fœdere inter ſola hæc Regna propoſitionem factam, antequam Rex in periculoſum hoc bellum cum Belgis adverſus Anglos deſcenderit; ac longe tutius, atque utilius fuiſſe futurum, ſi Arctoa Regna extra belli conſortium remota inter ſe conveniſſent ſuper libranda duarum Rerum publicarum potentia, ac ſervandis ſuis commerciis, quam Belgis jungi, quorum res parum ab exitio videantur abeſſe. Circa reſtitutionem Regis Angliæ demonſtrabatur, ei perficiundæ nullam jam adparere viam; nec penes homines eſſe cognitionem ſibi ſumere de iis, quæ in Anglia evenerunt, ſed ſolum ad Deum iſta ſpectare, qui optime cauſas norit, quare ipſe mutationem hanc permiſerit. Ac ita bene ſtabilitas in præſens Parlamenti res, ut nulla ſpes ſucceſſus adpareat, ſi quid adverſus id tentetur. Etſi ſuper hoc negotio non niſi dicis cauſa à Danis jactari conſtabat, cum Belgæ, ac Hollandiæ cumprimis provincia, nullo modo cauſam ſuam cum cauſa Regis expulſi conjungere vellent. Ad commerciorum conſervationem Regina omnem operam ſe collaturam oſtendebat, quo fine & decreverit Conciliationem ſuam bellantibus offerre; & jam eo nomine Legatum profecturum fuiſſe, ni nuntius adventantis ex Anglia Legati attinuiſſet, cujus propoſitionem prius cognoſcere cupiat.

Opta-

1653. Optabat quoque Regina, ut Daniæ Rex ſocium ſe ipſi in iſto officio adjungat. Sed Danici Legati negabant id poſſe fieri, ac Regem fidem ſuam jam Belgis obſtrinxiſſe. Quibus reponebatur; ejusmodi promiſſa utilitate proprii ſtatus temperari, qua diverſum ſuggerente exiguam fœderum eſſe vim. Id bellum Daniæ magno conſtiturum, nulla ſpe lucri adparente. Contra honorificum juxta ac utile fore Regi pacem inter duas Respublicas curare, parta ſimul amicitia nationis potentis ac bellicoſæ, quam offendere intutum ſit. Sed hi ſententiæ luæ immobiles inſiſtebant. Super Ulfeldio numquid proponendum haberent cum Regina ſciſcitaretur, Legati id negabant; ſed cum Rex intellexerit, Reginam circa ejus reſtitutionem operam interpoſituram, juſſiſſe ipſi dicere, ſi ea de re mentionem ultro injiceret; in Reginæ honorem, & ut demonſtret quantopere ipſius amicitiam æſtimet, ejusdemque commendationi tribuat, ſe Ulfeldium in gratiam recepturum, ſed ea lege, ut ipſe libellum à ſe editum publice refutet, delictum ſuum agnoſcat, ac deprecetur, prout ſubjectum Regi ſuo facere par ſit. Neque enim Regem ferre poſſe, ut ipſe talis olim hiſtoriæ inſeratur, qualis ab Ulfeldio maledicis ſcriptis diffamatus ſit. Sed cum Regina oſtenderet, Ulfeldium ægre huc deſcenſurum, ſatis perſpiciebatur, fruſtra operam circa hoc negotium fumi.

Querelæ ſuper Danorum contraventionibus.

§. 35. Cum porro Regina de fœdere cum Dania injeciſſet, ſimul ad amicitiam cum eo Rege colendam ſe proclivem oſtenderet, Legati Danici eadem de Rege ſuo teſtati confirmabant, ſe amplis ſuper ejusmodi fœdere mandatis inſtructos. Regina id à ſe magnopere optari dicebat; ſed antequam novus ineatur tractatus revidendum eſſe priorem, qui multis modis per Danos violatus ſit circa jura Suecorum in freto Oreſundico; cui rei remedium ſit afferendum, & ſicubi opus ſit obſcura illuſtranda. Cum Dani negarent adverſus pacta à ſe quid admiſſum, è Dania evocabatur miniſter ibi Suecicus Magnus Durelius. Poſt ejus adventum ſcripto conceptæ querelæ Legatis exhibebantur. Anno 1649. è navi Lubecenſi Suecicas merces ablatas, ac fiſco addictas. Hollandicos Miniſtros Suecicarum navium, & mercium certificationibus ſe ingerere, cum ex pactis ea res ad ſolos publicanos Danicos ſpectet: nec Regina duplicem iſtam inquiſitionem ferre velit. Et quanquam Sueciæ merces Hollandicis navibus vehantur, iſtas tamen ex pactis nonniſi apud Danicum telonium expediri debere. Ab Hollandico Miniſtro multas Suecicas naves diu detentas maximo ſuo cum incommodo. Quasdam publicatas, plurimas detentas, ſi certificationes ad lubitum Hollandi formatæ non ſint. Nuper quoque Hamburgicam navem mercibus Suecicis oneratam apud Kullam promontorium in conſpectu arcis Cronenburgicæ à prædonibus Hollandis abreptam. Hollandorum navibus bellicis à Rege in freto ſtationem concedi, quæ complures Suecicas naves abduxerint, cæteras male habuerint, ac inſolitis viſitationibus excuſſerint. Qua de re jam antea quoque ſuo juſſu Durelium apud Senatum Danicum fuiſſe queſtum, addita diſerta denuntiatione; quidquid hoc modo in aquis Regis Daniæ imperio ſubjectis à quocunque patratum fuerit, id ipſi Regi imputatum iri. Texebatur inde prolixus catalogus læſionum, quæ Suecicis civibus illatæ eſſent. Quibus remedium adhibitum iri Danici Legati pollicebantur, præſertim cum jam ſuper abolendo Redemtionis tractatu cum Hollandis agatur. Etſi cum mense Februario Daniæ Rex apud Hollandicum Legatum Keiſerum queſtus eſſet ſuper inſolentia navium armatarum Belgicarum in freto quæ amicorum navigia promiſcue abripiebant, denuntians quoque ſe hac de re apud ipſos Ordines queſturum; ſecretis literis hoſce Keiſerus iſte moneret, ne eas querelas curarent, quæ non niſi in ſpeciem fierent, ut qualiscunque apud Suecos excuſatio ſuppeteret. 1653.

Reſponſum Legatis Danicis datum.

§. 36. Sed cum Regina Legatos Danicos conſque detinere cuperet, quoad de ſucceſſu conciliationis ſuæ conſtaret, Daniæ Rex moræ impatiens primum Legatum Magnum Hœckium domum revocat, Petro Julo in Ordinarii Legati loco Holmiæ manere juſſo. Iſti diſcedenti ſcriptum reſponſum à Regina traditum hoc ſenſu: ſe pro facta communicatione gratias agere; ac ſatis agnoſcere, ſi ita pergatur, nec idonea remedia adhibeantur, nil aliud quam commerciorum ruinam expectandam. Sed adverſus iſta commodum remedium eſſe arma in Anglos jungere, id ſe accurate expenſâ rerum facie, & cujusque deſideriis ac commodis haut perſpicere. Eoque probare haut poſſe, quod Daniæ Rex ipſam quoque in bellum pertrahere velit; cum ipſa id potius meditetur, quomodo malis hiſce tuto, ac nullo in alterutram partium ſtudio medicina poſſit fieri; præſertim cum Respublicæ iſtæ nuper ſuper arctiſſima conjunctione ſolicite agitaverint. Multo minus conſultum ſibi videri domeſticis Regnorum Britannicorum controverſiis ſe immiſcere, quæ diu orbi ſpectaculum præbuerint, & jam eo devolutæ ſint, ut Anglia à pleriſque Regibus, & ipſis Belgis pro libera Republica agnoſcatur. Nunc autem cauſæ illi ſe ingerere in aliorum gratiam cum ſuo ac civium ſuorum periculo, & detrimento, rationi congruum haut eſſe, niſi velut vi in bellum trahatur; nec à ſe poſtulari poſſe, ut ipſa in hac cauſa plus connitatur, quam alii, quorum æque, aut plus intereſt. Se per hoc tempus multas injurias & facinora pactis repugnantia, diſſimulaſſe manſuetudine animi, & ſpe amicæ brevi emendationis. Alias libenter conſilia ſua cum Rege ſociaturam ad tuendam navigationis ſecuritatem, ſi id citra fraudem amicitiæ cum bellantibus à ſe cultæ, & cum ſpe boni ſucceſſus fieri queat. Cæterum turbari hoc tempore commercia, ſed minimum ab Anglis; & Belgas in maribus Danicis ejusmodi moleſtus ſuos adverſus pacta inter hæc Regna vexare, ut ni iſtæ emendentur, ingens malum generaturæ ſint. In præſens tamen ſe nullum aptius remedium diſpicere, quam partibus pacem ſuadere, id quod ipſa fecerit oblata ſua conciliatione. Ea ſi acceptetur paci conciliandæ ſe operaturam; ſin minus, alia conſilia capeſſituram. Danicos Legatos minus gratum in Anglia reſponſum accepiſſe mirum non eſſe, poſtquam Rex naves Anglicas reddere abnuerit. Nec adeo magnam offenſæ cauſam præbuiſſe octodecim naves bellicas Anglorum in Oreſundico freto adpellentes, ſi cauſa adventus ipſarum conſideretur; & quod Belgarum quoque naves bellicæ ibi ſtationem agitarint. Nec obſcurum, quid ejusmodi caſu ſequi ſoleat, & talia pro re nata aut ferenda, aut aleam belli ſubeundam. Non poſſe quoque non Reginam ob rationes ſui Regni graviſſimas monere, quod ſi Daniæ Rex hoc modo bellum inter Anglos, & Belgas in fretum Oreſundicum,

1653. & Mare Balticum attractum eat, hoc ipso id incendium non sopiendum, sed novam potius materiam eidem subjectum iri; cui sistendo nec ipsa, nec ille deinceps par sit futurus; id quod tamen te judice Regis opera potuisset præveniri. Denuo quoque satisfieri sibi postulabat pro molestiis & damnis, quæ civibus suis à quibuscunq; per æquora Danica illata sint; quod eo nomine nemini actionem intentare queat; quam cui imperium illarum aquarum competit, & ut restituantur, quæ civibus suis adversus pacta ablata sint. Denique ne fœdera à Rege ineantur, quæ pactis inter hæc Regna fraudi sint. De cætero se ad pacta ex sua parte servanda paratam esse.

Regina Dano de amicitia sua confirmat. 10. Maji.

§. 37. Paulo post Regina Magnum Durelium in Daniam remisit cum literis ad Regem, quibus postulabat ut quæ contra pacta admissa sint corrigantur; simul ut transitus fretorum Danicorum liber sit, neque per Belgas, nec alios turbetur. Alias confirmabat iste Regi, Reginam pacis cum Dania colendæ cupidam esse, & consilia sua eo directuram, ut pax Arctois Regnis servetur, quo fine & bellantibus conciliationem suam obtulerit. Nec dubitare, quin & Rex eodem consilia sua relaturus sit, & huic fini adhibiturum remedia idonea ac tuta, ne bellum maritimum in hæc æquora pertrahatur, neve in angustiis fretorum Danicorum quid patretur, quo alterutra partium sublevetur, aut irritetur. Tum ut hactenus inventa onera in freto aboleantur, ac suis de damno
6. Jul. accepto satisfiat. Ad quæ à Rege respondebatur, idem quoque sibi propositum servandæ pacis: sed si bellum nunc hisce oris surgat, se in culpa non esse. Nam Anglicas mercatorum naves ipsis petentibus Hafnienti portu receptas. Postea bellicam Anglorum classem se inscio in freto adpulisse, quæ & aliis locis hostilia adversus suorum naves exercuerit. Et cum initium rixæ ab istis ortum sit, sibi non posse vitio verti, si vim vi repulsum eat. Cæteris, quæ Regina postulet, à se satisfactum iri. Ita anxipiti tunc pace cum Dania
Dani Suecis haut fidunt. agebatur. Et quanquam Regina de studio servandæ pacis ample testaretur, tamen cum classem parare, ac militem in promtu habere haut omitteret, Danis suspicio haut adimebatur; qui negabant Anglos à se metui, ni Suecia istis se adjungat. Unde & Rex in conventu Ordinum suorum super adornanda è defensionis proponebat, quod nec ab Anglis, nec à Suecis satis tutus sit. Et si Nobiles conferre quid ad hunc finem abnuebant, ne bello præter necessitatem involverentur. Maxima tamen fiducia in Hollandorum auxilio, & pecunia reposita erat; simul Christianus Ludovicus Luneburgicus Dux decem militum millia promiserat, ubi res exigeret. Nec eo minus tamen Danos cura coquebat, ne Hollandi adversâ belli fortuna pacem cum Anglis facerent ipsis exclusis. Unde & maximas suarum navium Hollandis petentibus commodare abnuebant, ne Anglos jam antea à se irritatos magis ad vindictam inflammarent; an ne classe sua enervata Suecos ad invadendam Daniam velut invitarent, quibus se gravissimas offensarum causas præbuisse norant, præter antea memorata Belgis inito fœdere concedentes, ut tertio à Cronenburgo milliari ultra Kullam promontorium liberum illis esset naves fretum Oresundicum egressos excutere. Quos & constabat recte negotiationem Lubecensem impediviſſe, ac cum Polonis secreta commercia agitare.

§. 38. Molliendis tamen uti videtur adversus Sueciam offensis Daniæ Rex sub initium hujus anni apud Belgas de retractanda super redimendo vectigali Oresundico conventione proponebat. Id quod hosce non parum mordebat, eo usque se jam à Dano despici, ut rescindere ultro audeat tractatum, tanto quondam studio affectatum, & quem Belgæ amplexi sint velut insigne remedium omnia Maris Baltici commercia ad se pertrahendi, Sueciæque potentiam librandi, & quidem eo potissimum fundamento, ut isti firmum velut asylum, & fulcrum apud Belgas adversus Sueciam foret. Et credebant Belgæ, id à Dano fieri deliniendis Suecis, ne hac rerum facie ab hisce invaderetur. Cujus & Minister monuerat de contraventionibus, quas Hollandi in freto Oresundico patrari sinerent in Suecorum offensam. Inprimis ægre ferebant Belgæ, quod Danus specie commiserationis ipsis videretur insultare, navigationem ipsorum in Mari Baltico minui memorando. Qui & ferebant; si maxime ex eo tractatu dispendium caperent, id tamen pensari damno, quod Suecia ex eodem sentiat. Cæterum is reticillioni prætextus jactabatur, quod præsentium temporum ratio exigeret cum omnibus vicinis amicitiam colere, queis ille tractatus offensæ materiam præbeat. Quia tamen à Belgis tunc Daniæ Rex omnibus modis colendus erat, utut Amsterodamum ægre huc descenderet, in abolitionem ejus tractatus consentiebatur. De qua re cum in Hollandia decretum esset, Beuningius jubebatur ejus tractatus tollendi spem Reginæ ostentare, num forte eo velut cuneo impelli posset ad bellum in Anglos sumendum. Sed cum jam Reginæ constaret, quid in Hollandia actum esset, inanem mercem tanti emere haut vilium. Post tamen mense Majo nescio qua de causa pœnitentia ductus Daniæ Rex Hollandis ostendebat, placere sibi ut tractatus iste validus persistat. Sed Hollandi eidem abolendo insistebant, ostendentes: super eo negotio per Ministrum Danicum initio propositum, ac sende ipsius naves suas nullo vectigali domi exacto fretum versus dimisisse, velut vectigal ibi veterem ad modum in freto sit exsolvendum. Ita tractatus iste Suecis tantopere invitus sublatus fuit. Vicissim Oldenb. Regina, ne ipsa Danis querelarum causam præberet, navarchum Suecicum, qui arcem Cronenburgum, & naves bellicas Danicas præterierat recepto honoris signo haut edito, cum Legatus Danicus indicium fecisset, munere suo dimovebat, atque incapacem declarabat, qui posthac bellicam functionem obiret.

1653. Tractatus Redemtionis à Dano abolitus.

Hollandi Suecorum commercia subruere fusse dent.

§. 39. Uti autem Regina bello inter Anglos & Belgas commisso ab ejusdem contagio se removere studebat; ita ne quid suorum civium navigatio detrimenti caperet, omni modo providere laborabat. Quin crediderat, illis nationibus inter se collisis suorum commercia incrementum posse capere. Quo fine navibus, quæ hoc anno undecunque ab exteris emerentur, eadem privilegia edicto promiserat, queis ædificatæ in Suecia naves circa vectigalia gaudebant. Contra Belgæ, queis unica in commerciis salus, id agebant, ut postquam ipsorum bello Anglicano turbata foret navigatio, cæteris quoque eadem intuta redderetur; atque adeo si neutris quoque partibus addicti istius belli incommoda sentirent, omni studio ad pacem conciliandam incumberent; cum alias verendum esset, ne iidem lucrosum sibi bellum

quan-

1653. quantum poſſent, alere ſatagerent. Ac inprimis id agebant, ne Suecorum commercia hujus belli occaſione incrementum caperent. Quo fine Hollandi omnem navigationem in Angliam, Scotiam & Hiberniam impedire ſtudebant, ſimul edicto vetabant, ne navalis paratus è Mari Baltico in Flandriæ portus veheretur, unde facillime in Angliam trajici poterat. Tum & libero mari amicorum, & neutras partes ſequentium naves excutiebant, abripiebant, ſpoliabant, nauris ſæpe crudeliter habitis, & omnia illa ipſi exercebant, quæ ab Anglis in ſe patrata accuſaverant. Et quia navigationem ad portus Hiſpanicos in Flandria aperte interdicere non audebant, prædones Zelandicos ſubornabant, ut naves illuc tendentes interciperent. Eo exemplo Angli quoque, ut Hollandis paria reponerent, omnes naves paratu bellico onuſtas in Hollandiam tendentes abripiebant. Iſtæ inſultationes, ac tam inſolens edictum ut tolleretur, Regina per Haraldum Appelbomium apud Ordines Generales diligenter agebat. Demonſtrabat hic manifeſtam injuriam eſſe, & quæ ad tollendum bellum nihil proſit, quod omni commercio cum tribus Regnis Britannicis Suecos excludere inſtituant, cum tamen idem è Belgio Hiſpanico ſuppleatur; quin nec ipſi Hollandi data occaſione ejuſmodi merces vetitas in Angliam trajicere omittant. Sane fœderibus inter Sueciam & Belgium commercia tantum ad loca obſidio cincta vetari. Unde ubi ipſi oppidum aliquod Angliæ oppugnent, ferri poſſe, ſi ne quid importetur impeditum eant. Sed nunc commercia ad tria Regna interdici, à ratione plane abhorrere. Ac iſtam commerciorum turbationem non ſpectare ad detrimentum hoſti inferendum, ſed ut omnia commercia in Hollandorum poteſtatem redigantur. Præſertim poſtquam Angli declaraverint; ſe mercibus bellicis libertatem conceſſuros, ſi & Hollandi idem faciant. Aſt Hollandi iſta omnia ſurdis auribus accipiebant, jactantes, eam mercium ſubvectionem capiti fœderis de non juvando hoſte repugnare. Quibus reponebatur; non ea intentione in Angliam navigari, ut hoſtibus Belgarum auxilium feratur: ac fœdus commerciorum uſum non prohibere. Saltem picem & cannabim inter merces bellicas tractatu commerciorum inter Hollandos & Hiſpanos haut relatam. Ac licet excipiant, id duntaxat Hiſpaniam reſpicere: ipſam tamen rationem dictitare, quod ſibi quisq; fieri nolit, id alteri faciendum non eſſe; nec ullo juris colore Suecis navigationem interdici poſſe in integra Regna, ac multo minus in Flandriam extra belli conſortia utique poſitam; aut in mari libero Suecicas naves excuti, aut ſiſti: ob quas vexationes ipſi Hollandi arma in Anglos expedierint. Quin eoſdem commercia cum Danis tunc hoſtibus Anno quadrageſimo quarto, & quinto haut omiſiſſe; ac ne nunc quidem in Luſitaniam navigatione ſuperſedere, utut ipſi Hiſpanorum amicos ſe ferant. Sed apud Hollandos omni ratione potius erat Suecorum commercia ſufflaminare, qui & anno quadrageſimo quinto, cum Sueci immunitatem à vectigali in freto Danico iisdem offerrent, maluerant Daniæ modicum vectigal non invidere, quam concedere, ut Sueci Dania oppreſſa fretum Oreſundicum ſui arbitrii facerent. Unde & poſt longas moras demum Appelbomio reſpondebant; interdictum ſuper mercibus bellicis in Regna Britannica à ſe relaxari non poſſe, cum id non ſolum Reginæ, & Suecicorum civium, ſed & Belgii commodis repugnet, quod iſthac navigationis libertate indulta Anglorum ambitioſa deſtinata in fraudem Orbis Chriſtiani firmanda ſint. Sed & repugnare id articulo ſexto fœderis anno quadrageſimo quinto initi; ne hoſtes alterutrius ab altero auxilio juventur. Quin & tarde admodum ab iisdem Suecorum naves, quæ præter fas in mari libero abreptæ fuerant, relaxabantur, ut ſaltem mora, & temporis diſpendium illis navigationem redderet minus lucrotam. 1653.

Regina ea de re fruſtra queritur.

§. 40. Forteſſe & Hollandis animus fuerat hoc modo Reginam ad fœdus ſecum ineundum compellere, de quo interea Conradus Beuningius Holmiæ inſiſtere non omiſerat, auxilia ſimul ex fœdere anni quadrageſimi quinti expoſcens, quod ex Hollandorum parte accurate ſit ſervatum ac ut Regina ſuis interdicat, ne paratum bellicum ac navalem in Angliam vehant. Sed reſponſum: Cum Angli amicos ſe erga Sueciam gerant, non poſſe ipſam huic bello miſceri, & cum utraque gente amicitiam velle colere. Fœdus, ad quod provocetur, ſecuritatem duntaxat navigationis in Mari Baltico reſpicere. Nec Sueciam nupero bello Danico auxilii quid à Belgis accepiſſe, utut haut modice preſſam, ac bello inſuper Germanico implicitam. Et usque adeo illius fœderis nullam habuiſſe rationem Belgas, ut & novum poſt fœdus cum Dano in fraudem Sueciæ fecerint. Igitur nec Sueciam amplius teneri fœdere, quod ipſi Belgæ prius abruperint. Nec Reginam edictum promulgaturam, quod civibus ſuis fraudi ſit. Exprobabatur quoque, Hollandos non ſolum in Sueciæ detrimentum tractatum *Redemtionis* condidiſſe, ſed & ubique Sueciæ commodis ſe objicere, ac velut arbitrium ſibi in Reginæ actiones ſumere; nupera quoque æſtate nonnullas Suecicas naves in Hollandia diu detinuiſſe, cum tamen Hamburgenſes, Lubecenſes, & alios diſcedere permiſerint. Excuſabat tamen Beuningius tractatum *Redemtionis*, in qua Suecia utique excepta ſit: & Hollandos ſane poſtremo bello Danico Suecis faviſſe, ac paci conciliandæ, ſimul ut Suecia tam inſigni ſatisfactione potiretur, operam navaſſe. Quod in belli ſocietatem tunc cum Suecis haut deſcenderint, res ipſorum non tuliſſe, nec mature ea de re fuiſſe monitos. Nec ſibi levem querendi cauſam præbere aucta in immenſum per Sueciam vectigalia. Ad quæ reponebatur: Admiſtas quidem nonnullas illi tractatui mitiores loquendi formulas, revera tamen fœdus adverſus Sueciam fuiſſe directum, ac Dano animam præbuiſſe importunius pactis inſultandi. Eoque fœdus anni quadrageſimi quinti ab ipſis Belgis utique fuiſſe abruptum. Poſt longam igitur diſceptationem concludebat Beuningius; cum ipſius fœderis validitas in dubium vocetur, ex eo jam nihil auxilii peti poſſe, ſed opus eſſe, ut idem nova declaratione demum firmetur. Quod negotium ut is apud ſuos commendaret, Regina poſtulabat, tum ut ea, quæ in pactis Belgarum cum Danis Sueciæ fraudi forent, corrigerentur, iisdemque ipſa includeretur. Cum igitur jamdudum effeciſſent Hollandi, ut è Suecia nihil auxilii mererentur, hujus navigationem obtentu paratus nautici ac bellici, quo mercium genere eadem maxime abundat, impedire decreverant; ſimul ubi Regina quid in ipſos tentaret, ſuæ nationis navales ſocios ſtipendio Suecico evocaturi, præcipuum claſſis 1653.

Hollandi auxilium à Suecis fruſtra petunt.

1653. Sueciæ robur. Et jam Beuningius Anckerhielmium, aliosque navarchos Hollandicos ad deſerendum Reginæ militiam ſolicitabat. Qui & ipſe relationibus ſuis ſuſpicionem Ordinum Fœderatorum non parum accendebat. Et credebantur plerique ſermonum, quos Regina ſuper Belgis habuiſſe ferebatur, per Legatum Danicum confictı irritandis in Sueciam Hollandorum animis, & ut Regi ſuo colorem ſuppeditaret conjunctionem ſuarum navium, quam Hollandi expetebant, abnuendi, velut à Suecis parum ipſi cautum foret.

Regina Hollandis contemtum ſui adimere ſtudet.

§. 41. Regina tamen etſi bello miſceri defugiebat, ſubinde uno & altero ſpecimine oſtendebat, haut deeſſe ſibi facultatem Belgis nocendi nec impune laturos, ſi importunius ipſam laceſſant. Quo fine machinas ferreas exportari vetabat, citra quas Hollandi recens ædificatas naves armare non poterant. Quod tamen edictum Beuningio multum ſolicitante demum remittebatur, hoc viciſſim pollicente, ſuper abreptis Suecorum navibus in Hollandia Reginæ ſatisfactum iri. Sed & acri ſuſpicione Hollandos perſtringebat caſtellum ad Leam vicum oſtio Viſurgis imminens, ſub quo ſi Anglis receptus daretur, facile videbantur Hollandi aditu Viſurgis & Albis fluminum poſſe excludi. Tum & quod Regina ſtapulam mercium bellicarum Gothoburgi ſtruere agitaret, quo & pars navium bellicarum deducenda erat, iſtis mercibus per naves Suecicas è Mari Baltico huc comportatis, poſt ad portus Flandriæ, & inprimis Dunquercam vehendis præſidio futura; quibus & Hiſpani modicam claſſem facile addituri credebantur. Ita Anglis uberem ejusmodi mercium copiam fore, ac Daniæ Regem fruſtra tam lautis conditionibus adductum, ut Anglis ſua freta clauderet. Omittebat tamen id conſilium onerarias naves bellicis conducendi Regina, quod pax brevi inter bellantes coitura videretur, ac ne forte hac occaſione invita in bellum traheretur, ſi Angli, aut Hollandi navarchi Suecicas naves excutere auderent, Suecisque navarchis id abnuentibus ad manus, uti ſolet, eſſet perventum.

Regina Hollandis mediationem offert. 7. April.

§. 42. Gliſcente ita Suecos inter, & Hollandos diffidentia haut mirum erat, operam Reginæ circa pacem conciliandam, quam Appelbomius ipſius nomine apud Ordines Generales offerebat, parum acceptam fuiſſe; quam & antea Beuningius, ſi qua ratio ſe oſtenderet, impedire juſſus fuerat. Nam cum iſti jam plane in Danorum partes tranſiſſent, proximum erat, ut animos Sueciæ averſos gererent, ac odiſſent, quos læterant. Ac metus erat, ne iſthac occaſione Regina quid ſibi in fraudem ipſorum ſtipularetur. Fortaſſe & nolebant videri pacem affectare aut Reginam clam inſtigaſſe ad conciliationem offerendam, ne Anglis ſuperbia accederet. Sed & quia Belgæ nondum ſpem abjecerant ſuam Rempublicam cum Anglis uniendi, aut ſaltem ejusmodi cum iisdem fœdus incundi, per quod duæ iſtæ nationes ſibi ſolis imperium maris & commerciorum aſſerere poſſent reliquis excluſis nemine interveniente cum Anglis tractare cupiebant; ne conſilia iſta penitius perſpecta per ſequeſtrem eluderentur, aut temperarentur. Præſertim cum & conſcientia vellicaret ne forte Regina jure talionis eodem candore uteretur, quem ipſi in tractatibus Lubecenſibus nuper adhibuerant, dum ſuos artibus agere juſſerant, ne pax inter Sueciam & Poloniam fieret; de quo Danorum inſtinctu Nannius Keiſerus Hollandicus tunc in Dania Legatus Ordines monuerat, velut Sueci pace cum Polonis conſtituta Hollandorum commerciis in Mari Baltico prægraves futuri eſſent. Sane Waveranus Lubeca redux Amſterodami gloriatus fuerat, ſe brevi quantumvis legatione Reipublicæ ſuæ haut ſpernenda officia præſtitiſſe, adjunctis ſibi Polonorum adverſus Sueciam animis. Unde & poſt menſe Decembri Polonicus Reſidens Byæus Hagæ ſuper fœdere commerciorum inter Poloniæ Regem, & Belgas proponebat, oſtenſo, inducias inter Poloniam, & Sueciam ad finem vergere, in quem eventum Rex cautum ſibi eſſe cupiat de auxilio claſſis Belgicæ, qua Sueci impediantur, ne, quod antea fecerant, oſtium Viſtulæ navigantibus occluderent. Quod tamen ab Hollandis velut præmaturum tunc dilatum. Sicuti & Brandeburgicus eo tempore apud eoſdem acriter ſuper fœdere mutuæ defenſionis inſtabat, quod ad omnes ipſius ditiones ſe extenderet, quibuscum hæc Respublica commerciorum nomine implicita foret; quo ipſo Pomeraniam, & Boruſſiam notari, idemque fœdus in Sueciam ſtrui manifeſtum erat: ſic ut jam omnes Suecorum æmuli in Hollandica amicitia præſidium ſibi repoſitum judicarent. Cæterum poſt plures dies interjectos Appelbomio præmiſſa gratiarum actione reſponſum; Reginæ operam ſibi gratam eſſe, ſed prius noſſe cupere, quæ Anglorum ſuper eadem mens ſit: tunc ſe quoque diſtinctius ſententiam explicaturos. Nec obſcure innuebant, maluiſſe ſe auxilia, quam conciliationem; ac displicere ſibi, Reginam nunquam Beuningio declarare voluiſſe; num ſi Angli conciliationem repudiaturi ſint, ipſis ex fœdere ſuppetias ferre velit. 1653. De Byæ. 28. April.

Repreſaliæ in Hollandos.

§. 43. Denique alio ſpecimine Regina ſub ejus anni finem oſtendebat, ſuam autoritatem Belgis haut inſuper habendam. Civis quidam Holmienſis ob rem male, uti ipſe querebatur, judicatam Amſterodami in carcerem datus fuerat. Is ut liberaretur, Regina per literas ad Ordines Fœderatos datas, & Miniſtrum ſuum diligenter inſtiterat. Cum iſte haut eo magis dimitteretur, Regina contumeliæ in vicem habens interceſſionem ſuam negligi, omnes mercatores Hollandos Holmiæ agentes cum ipſorum mercibus ac pecuniis in cuſtodiam dari imperat. Connitente tamen Beuningio, cæteri quidem ſtatim liberati, exceptis duobus, quorum unius bona duntaxat, alterius & corpus cuſtodiæ tantiſper obnoxia forent, quoad Holmienſem iſtum Amſtelodami libertati reſtitutum conſtaret. Quod tamen genus repreſaliarum Hollandi durum magis doluerunt, quam queſti ſunt.

Miſſio in Angliam ejusque ſcopus.

§. 44. Regina porro damnum, quod Belgarum invidia Suecicis commerciis inferebat, per Anglorum amicitiam reparare cupida Iſraelem Lagerfeldium in Angliam miſit Parlamento operam ipſius bello cum Belgis componendo oblaturum. Quod de negotio Appelbomius eodem tempore apud Ordines Generales propoſiturus erat. Et ſi iſtius opera acceptaretur, Regina optabat Gothoburgum, aut Stadam tractatibus locum deſignari. Rationes ſuadendi pacem adducere jubebatur ſacra Evangelica, quæ in quatuor hiſce ſtatibus Suecia, Anglia, Dania, & Hollandia firmam ſedem fixerint; nam alibi eadem, ubi partem duntaxat

1653. taxat civitatis occuparint, diſſidia magis quam robur reipublicæ adferre. Tum quod Reginæ Parens Guſtavus Rex quondam ſingularem cum Anglia amicitiam coluerit, ad quam & ipſa ſervandam atque augendam prona ſit. Denique quod alii Principes fere alterutri partium addicti habeantur. Id negotium tamen placide, nullo violenti affectus ſigno oſtenſo, ageret. Præterea incumberet ad ſervandam, ac firmandam amicitiam Suecos inter & Anglos & ad frequentanda commercia; præſertim cum ob ſitum horum Regnorum iſta utiliter invicem exerceri queant. Eſſe quippe iſta haut longe nimis remota ad facilem communicationem; nec tamen ita propinqua, ut per vicinales rixas collidantur. Id ſi Anglis cordi eſſe intellexerit, primo proponeret de ſecuritate maris & navigatione haut turbanda; tum ut Suecicis navibus ad omnes Anglicanos portus, ditionesque liber ſit acceſſus, liberumque commercium; idem Anglis vicißim à parte Reginæ pollicitus. Tum ut impedimenta & damna navigantibus illata corrigantur, ac in futurum omittantur. Inſpiceret quoque, annon commercium Moſcoviticum à Fano Archangeli in Livoniam pertrahi poſſit, poſtquam Anglica natio veteribus privilegiis in Moſcovia exuta ſit eodem commercio aliis quoque indulto; ſic ut Anglorum res per Moſcoviam inſtaurari non poſſe videantur, niſi iſto ad portus Ingriæ, Eſthoniæ & Livoniæ derivato. Conſultaret quoque cum iisdem, qua ratione Hollandorum interdictum de mercibus bellicis in Angliam, & Flandriam non vehendis eludi queat; & an non Gothoburgi ſtapula ejusmodi mercium inſtitui poſſit, quas Sueci modicis navigiis eo vecturi, Angli inde petituri ſint. Denique ut halecum piſcatio ſub littoribus Angliæ Suecis libera ſit. Ut autem opera Reginæ Parlamento haut ſuſpecta foret, Legatis ſuis ad Comitia Ratisponenſia, ubi Angliæ Rex auxilia ſolicitabat, injunxerat, ut ſi quid tale ab ipſis peteretur, defectum mandati excuſarent.

Reginæ mediatio apud Anglos eluditur.

§. 45. Lagerfeldius in Angliam delatus apud Conſilium Status de affectu Reginæ in eam Remp. ac mediatione inſinuabat, pacemque rationibus jam expoſitis ſuadebat. Enimvero patebat, Anglos magis de fœdere ſociandorum armorum, quam Sequeſtris opera animo præcepiſſe, ardore cumprimis Danum ulciſcendi, quem mox periculo involvendum jactabant, ſi de Reginæ auxilio ſibi cautum ſit. Quo fine & Vice-Comes Liſleus legatus in Sueciam deſtinatus erat. Quæ tamen legatio incaſſum cadebat, poſtquam menſe Aprili longum, quod vocabant, Parlamentum ab Olivario Cromvello diſſolutum fuerat. Novi dehinc Angliæ rectores ſuper Reginæ mediatione declarare mentem ſuam differebant, quod Belgici Legati propediem adfuturi dicerentur, ac provincia Hollandia peculiaribus literis pacem ambiiſſet. Interim Lagerfeldium ſtimulabant, ut negotia ſua cum ipſis abſolveret, antequam tractatus cum Belgis inciperent. Nam expiſcari prius cupiebant, quæ fœderis conditiones ſibi à Regina proponerentur, ſimul quia nondum cogitationem de coalitione, aut arctiſſima duarum Rerump. conjunctione, & commerciorum imperio exuerant; quo caſu ſoli inter ſe nemine ſecreta ipſorum arbitrante tractare decreverant. Id negotium quanquam maximi momenti futurum erat, judicabat tamen Regina, haut conve-

nire ſibi eidem aperte reluctari, cum illi ad idem perficiendum magis ſtimulandi viderentur, quam retrahendi, ſi diſplicere iſtud ſibi demonſtraret; ſimul id negotium ex ſe ipſo tot difficultates pariturum, quibus ultro velut vado adhæſurum ſit. Igitur jubebatur Lagerfeldius diſſimulare ſibi de eo quidquam conſtare, quamdiu illi ſecreto rem agerent. Sed ubi aperte iſta moveri inciperent, Anglos inprimis moneret, ne quod præjudicium Reginæ adferri paterentur. De cætero ſi conciliatio rejiciatur, nullo indicio id ſibi diſplicere oſtenderet, ſed quæ circa commercia in mandatis habeat expediret. Enimvero quæ tunc circa compoſitionem partium agitata fuerant conſilia, turbabantur ob diſſolutionem Parlamenti, in quo plurimi fuerant Belgis faventes, & quod hi Anglos jam ultro laceſſerent, inani oſtentatione apud Doveram machinis exploſis. Unde exacerbati Angli nil præter vindictam ſpirabant. Ac judicaverant Angli, Belgas prius ſuper acceptanda mediatione mentem ſuam declarare debuiſſe, velut inferiores. Sed cum Belgæ poſtularent, ut Angli prius ſententiam ſuam exponerent, id ab hiſce ita acceptum, velut ſibi metu coactis ad pacem petendam accedendum foret. Et adpellentibus poſt menſe Junio Londinum Belgicis Legatis de Mediatione deinceps ſilentium fuit; quam & cum ante Galli, atque Hiſpani oblatum irent, ne auditi quidem ſunt. Ita officium Reginæ mutua partium exprobratione elufum eſt, nec ab Anglis in alterutram partem de ea quid reſponſum.

Super commerciis & navigatione cum Anglis acta.

§. 46. Super libertate navigandi Suecis navibus haut turbanda jam antea per Benjaminem Bonellum Commiſſarium cum Parlamento actum fuerat; cui id reſponſi datum; quamdiu Belgarum interdictum de mercibus bellicis ſubſiſteret, ſe non poſſe concedere, ut earundem in Hollandiam libera ſit vectura. Sed ſi Belgæ impedire deſiſterent, quo minus eædem in Angliam importentur, ſe libenter exemplum imitaturos. His tamen mercibus exceptis Angli promittebant, Suecorum navigationi quaquaverſus nullum à ſe impedimentum allatum iri, & quæ naves in ſuos portus abductæ ſint, eas reſtituendas, reparatis quoque impenſis, ac damnis. Proponebat inde Lagerfeldius ſuper commerciorum fœdere, ad quod Angli amice ac pyolixe, ſed laxioribus verbis reſpondebant. Mox ad ſingularia deſcendens poſtulabat, ut in omnibus utrinque portibus utriusque Status civibus liber ſit introitus, libera emendi, vendendique facultas, nec à Suecicis navibus amplius quid exigatur, quam ab aliis nationibus amicis, ac fœderatis. Ut in omnibus maribus libera ſit navigatio; utque prætereuntibus navibus Suecicis in Angliæ portus receptus pateat, ubi tempeſtas, aut annonæ defectus ſubegerit; neu invitæ ad vecturam præſtandam adigantur. Eadem vicißim Anglicis navibus in Suecia exhibitum iri. Sed Angli qui Reginam in Danos incitare quam maxime cupiebant, ad hæc reponebant; antequam libertas illa navigandi, & commerciorum ſtabiliri queat, utrinque neceſſarium eſſe in veras cauſas inquirere, quare commercium inter ditiones Anglicanas, & Suecicas labefactetur, ac velut interceptum jaceat: tum & conſiderandum, quam intoleranda ratione id penitus occludatur, & quibus remediis talia amoveri poſſint. Cui fini Reſpublica Anglicana conſilium, viresque ſuas libenter ſit commodatura. Unde quæ Reginæ ſit mens,

1653. noſſe cupere. Lagerfeldius etſi ſatis perſpiceret, quorſum iſta tenderent, ut per Succos iram ſuam in Danos conceptam ob occlutum ipſis fretum, abreptasque naves effunderent; illud tamen diſſimulabat, ac oblique jaciebat, ad Reginam ſuper ea re ſcribendum eſſe. (Nam à Regina juſſus erat, ſi quid tale moveretur, ad ipſam rejicere.) De cætero ad libertatem navigationis hoc duntaxat remedium proponebat, ut ne Sueciæ naves in Anglicanos portus invitæ abſtraherentur. Cum poſtea idem apud Conſilium Status ſuper reſponſo inſtaret, ab hocce reponebatur: ſeſe ad commercium inter utramque gentem excolendum valde pronos eſſe; verum perſpicere, Suecicis quidem navibus ad ſe acceſſum patere, non viciſſim ſuis in Sueciam ob clauſum ſibi fretum Oreſundicum. Unde ſe, quid ab ipſo in hanc rem adferatur, noſſe cupere. Lagerfeldius contra fretum id ad Danum ſpectare, ac ſe iſtorum prius ſententiam cognoſcere velle. Interim oſtendebat, Suecos è Mari Baltico Gothoburgum merces convecturos, unde ab Anglis peti poſſint, viciſſim ipſi Suecis liberam halecum piſcationem ſub Angliæ litoribus concederent. Jaciebat etiam de conſilio Reginæ naves bellicas Gothoburgum mittendi, quæ onerariis Suecorum in Flandriam & alio trajicientibus præſidio eſſent. Super quo nihil certi reſponſi ab Anglis elici poterat. Quæ ſuper Gothoburgenſi ſtapula movebantur, ipſi probabant ea lege, ut ſibi ſolis pro juſto & moderato pretio liceret emere cuprum, ferrum, picem, reſinam, cannabim, funes nauticos, ac ſimilia eo comportata, easque merces ſolis navibus Anglicis avehere; viciſſim Succos halecum piſcationem conceſſuri iis conditionibus, quæ juſtæ cenſebuntur; in cujus rei ſpecimen literas tuti commeatus pro quatuor navigiis piſcatoriis tradebant. Enimvero cum id genus monopolii mercium Suecicarum, quod Angli in certos annos affectabant, altioris foret indaginis, Lagerfeldius velut haut intelligeret, quo iſta pertinerent, ſimulabat, ac rem iſtam paulatim ad Legatum devolvebat in Sueciam mittendum. Interim ut naves Suecicæ magno numero à prædonibus in Angliam abſtractæ relaxarentur, obtinebat, promiſſa quoque damni refuſione, & ut pœnas darent, qui iſtas abduxerant; ſimul decreto Conſilii Status ſecuritas navibus Suecicis publice ſanciebatur. Etſi illud non parum moleſtiæ haberet, quod prius ſuper abductis navibus, num revera Suecicæ eſſent, cognoſcendum foret. Nam Angli multas earum ad Hollandos ſpectare arguebant. Sed Regina cum Anglos ambigue & lente agere perſpiceret, Lagerfeldium domum revocat, qui conſilio Status à quo honorifice habitus fuerat, valedicens, pacem ſuadebat, ac demuo Reginæ operam offerebat. Reſpondebatur; ſtudium Reginæ circa componendam pacem à ſe vehementer probari. Bellum ita ſe geſturos, ut amicorum commerciis ne noceant. De conciliatione acceptanda, aut repudianda nullum verbum. 1653.

Anglorum Legatio in Sueciam.

§. 47. Porro ad Legationem in Suecia obeundam ab Anglis Bulſtrodus Witelocius deſtinabatur, Hollandis ſuſpectantibus, in ſui fraudem quid agitatum iri. Qui & ſerendæ apud Anglos diffidentiæ ſpargebant, à Regina in Bremenſi ditione exercitum colligi reſtituendo in ſolium Carolo Regi. Quod facile vanitatis convictum. Et usque adeo Regina Anglis nullam ſuſpicandi anſam præbere cupiebat, ut cum paulo ante Balandinus eques à Rege Carolo II. in Sueciam miſſus eſſet ad afferendum Principi Sueciæ Ordinis periſcelidis inſigne, Regina in id conſentire noluerit, ſic ut illud eidem fuerit reportandum. Viciſſim tamen Regina Gallis, atque Hollandis confirmabat; ſe nullum fœdus bellicum in fraudem Hollandorum cum Anglis inituram, ac nihil magis optare, quam ut pax inter illas Reſp. quam primum coëat; cum Sueciæ rebus haut conducat, harum nationum alteram alteri ſuccumbere.

SAMUEL

SAMUELIS PUFENDORFI
RERUM SUECICARUM
LIBER VIGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

1654. *Cum Anglico Legato acta. 2. Fœdus commerciorum cum Anglia concluditur. Peculiaris conventio.* 1654.
3. Hollandorum in Suecos ſuſpiciones. 4. Hollandi fœdus cum Polonis agitant. 5. Regina pro Ulfeldio intercedit. Is de objecto furti crimine ſe purgat. 6. Legatio in Hiſpaniam. 7. Czar de cauſis belli Polonici Reginæ exponit. Idem titulum ſuum auget. 8. Verdenſis ſeſſio expeditur. 9. Inveſtitura differtur. 10. Suecici Legati proteſtantur. Inanis pro Evangelicis per Auſtriam interventio. 11. De rixa Theologorum Evangelicorum. 12. Controverſia ſuper urbis Bremenſis immedietate. Cæſareorum de Bremenſi negotio relatio. Pro Brema in Senatu Principum concluditur. 13. Suecici Legati fruſtra queruntur. Cæſaris decretum pro civitate Bremenſi. 14. Kœnigsmarckium Bremenſes coërcere inſtituit. 15. Burgum occupat. 16. Lubeca & Hamburgum pro Brema apud Suecos ſe interponunt. 17. Bremenſes à Belgis auxilium petunt. 18. Regina Regno cedere conſtituit. 19. Eadem Senatui deſtinata pandit. 20. Qui eadem fruſtra deprecatur. 21. De reditibus Reginæ poſt abdicationem, ejuſque ceſſione. 22. Regina Principi ſucceſſorem ſubſtituere conatur. 23. Reginæ ad Ordines allocutio. 24. Propoſitio ad Ordines. 25. Ordines demum in abdicationem conſentiunt. 26. Regina Reſidentem Luſitanicum agnoſcere abnuit. 27. Sera Poloni legatio. 28. Regina ſceptrum deponit. 29. Diſpoſitio ſuper bonis Reginæ reſervatis. Inſtrumentum abdicationis. 30. Caroli Guſtavi cautio Reginæ data. 31. Solennia abdicationis. 32. Oratio Reginæ valedictoria ad Ordines. 33. Roſenhanius reſpondet. 34. Reginæ oratio ad novum Regem. 35. Chriſtina regimen Suecia gloriosum. 36. Circa idem regimen quid deſideretur.

Cum Anglico Legato acta.

INitio anni quinquageſimi quarti Witelocius Legatus Anglicus cum Upſaliam, ubi tunc Regina agebat, acceſſiſſet, à duobus Senatoribus quadrantem milliaris obviam miſſis in oppidum deducebatur. Qui viciſſim leges decori haut impleviſſe judicabatur, quod eoſdem neque titulo *Excellentiæ* honoraſſet, & digredientes non niſi ad ſcalas uſque proſecutus eſſet. Nec minus quod ipſius comites in ſpectaculo, cui ipſa Regina intererat, ſclopeta breviora ſecum geſtarent; cum nihil tale, quale Parlamenti quondam Legatis Madriti & Hagæ contigerat, in Suecia metuendum ipſis foret. Publica admiſſione præter ſolennia teſtandæ amicitiæ multis adſtruere conabatur, Parlamentum Angliæ juſtis de cauſis arma in Regem cepiſſe, ac toto turbarum domeſticarum contextu, & circa ipſam Regis mortem nil aliud egiſſe, quam quod fas requiſiverit: tum juſtitiæ legibus utique quadraſſe, quæ circa mutationem Regni in Rempublicam contigerint. Sed privatim multa movebat ſuper conjunctione armorum cum Anglia adverſus Belgas, ejuſque exequendæ complures proponebat vias. Quæ dextre declinabat Regina, bello in commerciorum exitium erupturo finem quamprimum imponi optans, quod acceſſu ſociorum alendum erat, & extra cujus contagium ſcte, ni vis inferretur, amovere utique conſtituerat. Sed & parum ſibi de firmitate præſentis ſtatus Angliæ pollicebatur, quod quæ legitimum Regem ſolio dejecerat natio, uſurpatorem haut diu toleratura crederetur. Etſi cum per Witelocium ipſi ſolenniter indicaretur, Olivarium Cromvvellum Protectoris vocabulo ſummæ rerum admotum, gratulandi cauſa literas ad huncce dare haut omitteret circa titulos, quos iſte affectaret, tribuendos non difficilis futura. Haut tamen abrupte repudiare conſultum ducebat, quæ à Legato proponebantur quoad de exitu belli inter Anglos, & Belgas conſtaret, eoque vario obtentu tempus extrahebat. Nam ſi bellum duraſſet, haut defutura erat ratio Belgarum prædationes coercendi, & freto Danico libertatem reſtituendi. Sed nunc pacis negotiatione fervente, & propinqua Reginæ abdicatione operoſa fœdera moliri ſuperfluum erat. Interim reparatio damnorum ab eodem exigebatur mercatoribus Suecicis per Anglos illatorum, quæ ad quadringenta uncialium millia adſcendebant. Qua de re iſte negabat quidquam

4. Febr.

1654. ſibi in mandatis datum, ſed ad Protectorem eam rejiciebat; utut jam Lagerfeldio ſuper iſta promiſſum foret. Sed opportunum viſum eam rem tunc urgere, cum Angli fœdus affectarent, ac bellum nondum foret finitum. Nam pace facta ea reſtitutio ægrius impetranda videbatur. Unde & mox eo nomine mercatoribus Succicis ſatisfactum iri Witelocius promittebat.

Fœdus commerciorum cum Anglis concluditur. 11. Aprił.

§. 2. Cum autem Regina omnibus modis commercia & navigationem civium ſuorum promovere, ſimulad propiorem cum Anglis conjunctionem aditum ſibi ſtruere cuperet, poſtquam Belgæ penitus Suecia disjuncti Danis ſe addixerant; tum iſte acriter inſtans abſque tractatu dimitti non poſſet; fœdus commerciorum cum Witelocio per Axelium & Ericum Oxenſtiernas Upſaliæ concludit, pro captu temporum arctius adſtringendum. Quæ negotiatio durante adhuc bello ſummo ſilentio tegebatur, ut Belgarum, ac Danorum animi in ſuſpenſo tenerentur. Eo fœdere conventum de amicitia mutua inter Reginam & Protectorem ac utriuſque Statum, commodiſque invicem promovendis; utque ſi alterutri pericula, machinationes & conſpirationes alteri imminentes innotuerint, eaſdem ipſi indicet, & quantum detur impediat; nec alterius rebelles alter foveat. Uterque quantum in ſe curet ut impedimenta removeantur, quæ hactenus utriusque gentis navigationem & commercia inter ſe turbarint, ac libertatem navigandi & commercandi adverſus quoſcunque turbatores tueatur. Utrique genti ad alteram liber ſit acceſſus, liberaque commoratio ac commercia exercendi facultas, teloniis rite ſolutis. Homines, naveſque ad præſtanda ſervitia bellica, aliave inviti ne adigantur. Pateant navibus utrinque portus tempeſtatis aut ſecuritatis cauſa aut aliam ob neceſſitatem, nec eo nomine oneris quid exigatur. Naufragis ad utriuſque litus amice ſubveniatur, undisque eræptæ merces æquo laboris præmio ſoluto dominis reddantur. Jus utrinque promte dicatur, degere utriuſque civibus in utriuſque ditionibus tuto liceat, atque arma portatilia in privatam defenſionem geſtare, modo ſuſpiciones de turbanda pace publica non excitentur. Liceat utrique emere, atque exportare cujuslibet generis arma, paratumque bellicum; naveſque in alterius portus, ſtationes ac litora ſubducere, non onerarias ſolum, ſed & bellicas; modo numerus ſuſpicionem non excitet: tunc enim venia prius petenda, niſi tempeſtas aut vis ſubegerit: quo caſu adventus cauſam præfectis locorum ſignificent, nec diutius ibi moram, quam conceſſum fuerit, trahant. Liceat utrique genti per utriuſque ditiones terra marique ad alios populos tranſire, & commercia ibi exercere, merceſque hinc inde vehere, ſalvis utriuſque gentis ſuper mercatura legibus domeſticis. Commercia cum alterutrius hoſtibus alteri interdicta non ſint, exceptis duntaxat mercibus bellicis, ſuper quarum deſignatione intra quatuor menſes tranſigendum ſit: hæ in prædam cedant abſque ſpe reſtitutionis. Ne tranſitu navium merciumque per alterius ditiones fraus huic fiat, tranſituri literas tuti itineris & *certificationes* à ſuo magiſtratu habeant, de quarum formulis intra ſemeſtre conveniendum ſit, quibus exhibitis ab iſtis nil amplius exigatur, nec ulla inquiſitio fiat, nec tranſeuntes detineantur, aut moleſtia afficiantur. Si ſecus factum ſit, læſo damnum penſetur. Si privati contra hoc fœdus quid egerint fœdus ſalvum perſiſtat; violatores iſti pœnas dent, ac læſis de damno ſatisfaciant intra annum vertentem poſt reſtitutionem poſtulatam. Ubi ſiſtere ſe judicio aut judicatum ſolvere abnuerint, è publicatis ipſorum bonis læſo ſatisfiat. Reſtituantur itidem, quæ durante hoc cum Belgis bello utrinque erepta ſunt. Hoc fœdere nihil derogatum ſit præeminentiæ, juri ac dominio utriuſque in ſuis maribus, fretis, ac aquis. Uterque libertatem navigationis & mercaturæ ſociata opera promoveat ac defendat in Mari Baltico, freto Oreſundico, mari Septentrionali, Occidentali, Britannico, Mediterraneo & Canali cæteriſque Europæ maribus adverſus turbatores; ſalvis tamen fœderibus utriuſque gentis cum aliis, quæ antehac inita ſunt. Inpoſterum neutri cum alio quocunque paciſci liceat in fraudem hujus fœderis. De modo auxilii invicem ferendi pro defenſione libertatis commerciorum & navigationis, ubi opus fuerit, & ratio poſtulaverit, diſtinctius pro temporis & rerum omnium circumſtantiis tranſigatur. De commercio Americano, halecum piſcatione, deque ſtapulis ad alios tractatus rejectum. Ratihabitioni quadrimeſtre utrinque tempus ſtatutum. Huic fœderi adjiciebatur peculiaris conventio, ut mutuæ querelæ Suecorum, Anglorumque ſuper injuriis in Guinea illatis ad peculiarem Commiſſionem ſeponantur; interim hæc mora neutri parti præjudicio ſit, ac utraque natio in Guinea, aut itinere nulla ſe invicem injuria afficiat, & juxta fœdus amice vivat. Pariter & Coloniæ Anglorum Suecorumque in America amicitiam colant, & mutuæ conſervationi ſtudeant, quoad de harum limitibus & aliis, ſi quæ ſunt, amicitiæ legibus inter Commiſſarios utriusque partis conventum fuerit. 1654.

Hollandorum in Suecos ſuſpiciones.

§. 3. Iſta Witelocii negotiatio Belgis valde ſuſpecta erat, quicquid Regina apud Miniſtros Belgicum, Gallicum & Danicum teſtaretur, à ſe nihil agi, quod veteribus ſociis & amicis fraudi ſit. Eoque Beuningius, etſi dudum depoſita ſpe aliquid poſtulatorum ſuorum obtinendi juſſus erat, non prius è Suecia diſcedere, quam Witelocius inde abiiſſet. Idem Beuningius cum ſub initium anni quædam bellicæ naves Anglicæ fauces portus Gothoburgenſis obſiderent, Hollandorum navibus onerariis inſidias ſtruentes, apud Reginam de ea re querimonias ciebat. Regina etſi verbis teſtaretur, id ſe inſcia fieri, ac ſe præſtituram, ut portus ſui Hollandis tuti ſint; haut prius tamen ſcripto declarationem ſuper eo negotio edebat, quam de pace inter Anglos & Belgas concluſa conſtaret, ne quam Anglis offenſæ anſam præberet, & quia Belgæ non meruerant, ut commercia ipſorum Suecis magnopere curæ eſſent.

Hollandi fœdus cum Polonis agitant.

§. 4. Interim magis indies gliſcebat Hollandorum in Sueciam odium, tanto acrius, quo iniquioribus rationibus nitebatur. Cum enim antea Hollandi ſuis navibus merces, queis Sueci indigebant, in Sueciam importaſſent exportatis viciſſim quæ ibi proveniunt, ac pretio utriſque ex ſua libidine conſtituto tantum non ad tributariam conditionem id Regnum redegiſſent; nunc quod Sueci ſua commercia propriis navibus tractare inſtituiſſent, velut injuſta novitate introducta indignabantur. Et cum viderent Succos firmandæ ſuæ navigationi Anglorum amicitiæ ſe adplicare, ipſi non modo Dani rationibus ſe innectebant, ſed & no-

1654. & novum cum Polonis fœdus meditabantur, libr andis viribus, quæ ex Anglicana ſocietate Sueciæ accedere poſſent. Et quia prævidebant, brevi bellum Suecos inter & Polonos exarſurum, quod quo minus averteretur, ipſi quantum dabatur contulerant; metuebant, ne tunc Sueci par pari referrent intercluſa ad Boruſſiæ portus navigatione, ſicuti ipſi navigationem in Angliam impedierant. Igitur provincia Hollandia, ac imprimis Amſtelodamenſis civitas Polonicum Miniſtrum Byæum ſtimulabat, ut ſuper fœdere cum Polonia concinnando Ordines Generales urgeret, quo id mature cum Ordinibus Poloniæ, quorum conventus brevi habendus erat, communicari poſſit. Cæterum navigationis, commerciorum & piſcationis ſecuritas obtentui ſumebatur; ac offerebant inter alia Polonis Hollandi viginti grandes naves bellicas quibus ſi opus foret, totidem addendæ eſſent, ſibi viciſſim ab iſtis quadringenta viginti ſeptem uncialium millia ſtipulati. Fœderis formula Hagæ adornata mense Aprili Byæus in Poloniam diſcedebat, ut re cum Senatu & Ordinibus deliberata id abſolveretur. Nec Regina apud Beuningium diſſimulabat, ſat ſibi conſtare, quid Belgæ cum Polonis in fraudem Sueciæ agirent, idque ſibi non parum diſplicere. Sed qui iſta ſibi ignorari excuſabat. Eidem quoque cum irritam ſuam in Suecia negotiationem quereretur haut obſcure exprobratum; Ordines circa hoc bellum adminiſtrandum non pro ſolita prudentia & conſtantia ſe geſſiſſe, & omiſſo ſub finem belli armorum paratu per intempeſtivam parſimoniam ultro ſibi duriores pacis leges conciliaſſe: cum ſemper durante hoc bello ſolitarios cum Anglis tractatus agitarint, haut ulli tutum fuiſſe in armorum ſocietatem cum iſtis deſcendere.

Regina pro Ulfeldio fruſtra intercedit.

§. 5. Legato Danico Petro Julo cum Regina deſtinata ſua circa exuendum regimen expoſuiſſet, inter alia memorabat; ſe conſideraſſe poſt abdicatum à ſe Regnum, ſuumque è Suecia diſceſſum præſentem rerum faciem mutari poſſe, eoque judicaſſe è re fore Daniæ, ſi tunc Cornificium Ulfeldium in Suecia haut relinquat, ſed efficiat, ut is in locum aliquem non ſuſpectum ſe conferat, puta Viennam, Venetias aut Lutetiam. Ad quod conſilium capiendum ſpes ſit ſe iſtum inducturam, ſi Regi Daniæ placeat liberum ipſi relinquere bonorum ſuorum uſumfructum, ac ut idem de filiis ſuis quos velit ſecum habere poſſit, cæteris in Dania relictis: quin & ſi opus videatur, ut ſcripto deprecationem, qualem Rex velit, exhibeat, modo illa nihil abjecti contineat. Id ut Regi referret Legatus, ſimul oſtenderet, magnopere ſe ipſi obſtrictum fore, ſi in ſui gratiam iſta Ulfeldio indulgeat, Regina petebat. Ad quæ Rex Daniæ Julum Reginæ declarare jubebat; ſe vehementer cupere Reginam ſibi devincire, ac moleſtiſſimum eſſe, circa Ulfeldium ſe ipſi gratificari non poſſe; qui ex quo tempore ipſe Daniæ Regno potiatur, ita ſe geſſerit, ut ſi Regina id penitius conſiderarit, indignum eundem ſua commendatione judicatura ſit. Eum quippe omni veneratione adverſum ipſum exuta abſque ſuo permiſſu Regno exceſſiſſe; pluribus linguis famoſos libellos in ipſum publicaſſe, regimenque ejuſdem omnibus modis traduxiſſe. Eundem ad dicendam cauſam de adminiſtratione ſua citatum libellum offerre Senatui auſum plenum contumelia in Regiam Majeſtatem. Qua impudentia ipſe permotus ſit, ejuſdem teditus, quibus hactenus libere gaviſus ſit, detinere, num hac via permoveri poſſit, ut in ſe deſcendat; ſed eundem nunquam plus inſolentiæ oſtendiſſe. Inprimis ab iſto admiſſum facinus inuſitatæ improbitatis, & ob quod omnibus horrori & execrationi eſſe debeat, intercepta pecunia, qua quondam Angliæ Regem, cum in Batavis ageret, ſublevare Daniæ Rex voluerit, quam nihilominus Ulfeldius in rationes ſuas retulerat. Quod flagitium cum Regina de Ulfeldio credere ſe negaret, paulo poſt Julus exemplum teſtimonii à Legato Regis Angliæ nuper Hafniæ relicti proferebat, quo negabat, hunc illa viginti quatuor uncialium millia à Rege Daniæ ſibi deſtinata accepiſſe. 1654.

Is de objecti furti crimine ſe excuſat.

§. 6. Mordebat ea res generoſum Reginæ animum, ſi tam fœdi criminis manifeſtum protexiſſe, ac non modico favore proſecuta videretur. Itaque Ulfeldio denuntiat, ni objecta purget, non amplius ipſum ſuo patrocinio fruiturum. Qui cum indubitatis ſe documentis innocentiam ſuam demonſtraturum aſſeveraſſet, Regina præſente Julo Senatores, ac Ulfeldium in conclave ſuum evocat & huic ſignificat ob intercepta viginti quatuor uncialium millia ipſum à Legato Danico accuſari; ad quod crimen jam reſpondendum ipſi eſſe, ſalvo reſpectu Regi Daniæ debito. Ulfeldius inde ſui defenſionem orditur, productis literarum documentis. Sed Legatus Danicus indignum muneris ſui indole ratus, ſi coram Regina cauſam Regis ſui nomine dicere videretur, iratus conclavi ſe proripuit, queſtus à Regina huc ſe inductum; quæ promiſerit, nil dictum iri Regis Daniæ honori adverſum. In quem Regina haut peccari judicabat, ſi Legatus ipſius audiret, falſa quædam crimina adverſus Ulfeldium ab ipſius inimicis apud Regem venditata. Cæterum digreſſo licet Legato Ulfeldius haut omittebat inſtrumenta ſua novem numero producere, quibus demonſtrabat, petente Rege Angliæ Montrofio Marchioni, quo tempore is expeditionem in Scotiam parabat, eam ſe pecuniæ ſummam, & duodecim amplius uncialium millia de ſuo, quæ adhuc ſibi debeantur, exſolviſſe. Recognitis per Senatores epiſtolis, apochiſque perſpici aliter non potuit, quam Ulfeldium objecti criminis innocentem eſſe: quam in rem ipſi quoque teſtimonium publice fuit redditum.

Legatio in Hiſpaniam.

§. 7. Eodem anno Matthias Palbitzkius in Hiſpaniam Ablegatus deſtinabatur compenſando honori, quem Rex Hiſpaniæ ipſi exhibuerat, habito per ſesquiannum in Suecia Ablegato Pimentello. Redierat iſte ex Hiſpania amplis aſſeverationibus de amicitia cum Suecis colenda onuſtus. Nunc non parciorem verborum copiam refundere jubebatur, ac per annum in Hiſpanica aula commorari expediendis Reginæ negotiis, inprimis quæ ad promovenda commercia facerent. De amicitia communibus verbis teſtaretur, ut tamen ad negotiationem ſuper novo fœdere haut deſcenderet; de quo ſi ultro Hiſpani proponerent, mandatis ſe haut inſtructum excuſaret; cæterum ad Reginam relaturum ſe reciperet. Simul obſervaret, quæ in Aula illa tractarentur, inprimis cum Luſitanis, & quæ ad promovenda commercia facerent. Sed peculiariter commerciis Suecos inter, & Hiſpanos ſtabiliendis invigilaret, de quibus præterita æſtate Regina Pimentello ſcriptum tradiderat, ad quod nihil reſponſi hactenus repoſitum fuerat; id quod denuo Madriti Aulæ inſinuaret. Tum commercium Hiſpanicum explo-

raret;

1654 raret, quid mercium ibi proveniret, quid deſideraretur, & quod iſtarum pretium ibidem foret. Caute tamen ageret, ne Hiſpanis ſuſpicionem injiceret, aut anſam moleſtæ repulſæ porrigeret ſuper navigatione etiam ad Americanas provincias inſtituenda; ſed prout inclinatos iſtos reperiret, ita procederet, nec peculiaria prius expromeret, quam animis iſtorum prius rite diſpoſitis. Ubi pronos Hiſpanos repererit, diſtincte exponeret, ut Africanæ Suecorum ſocietati mancipia in Guinea comparata in Americam trajicere liceat, eaque in Terra Firma, aut Cuba vel Hiſpaniola non ſolum pro pecunia vendere, ſed & cum mercibus Americanis permutare, eaſque inde avehere. Quod Hiſpani eo facilius annuituri videbantur, quia ob bellum cum Luſitanis mancipia illa, ad Americæ culturam plane neceſſaria, non niſi ægre, & magno pretio comparari poterant. Quam ob cauſam etiam Flandris tunc navigatio in Americam permiſſa fuerat. Tum ut ſocietati Suecorum Americanæ indulgeretur, è Nova Suecia in Cubam & Hiſpaniolam commercia inſtituere, ac pecora inde avehere, quorum ingens ibi copia dari ferebatur. Vicissim demonſtraret, quam lucroſum Hiſpanis futurum ſit, ſi ipſi Maris Baltici & Sueciæ merces ab ipſis Suecis emere poſſint, quæ nunc iſtis interventu aliorum ingenti pretio comparanda ſint; cujus rei deſiderium iiſdem injicere conaretur, ut ultro contractum eo nomine affectarent, cujus tamen complementum Reginæ reſervaret, ac ut huic optio relinqueretur, ſolutionem pecunia, argento infecto, aut Hiſpanicis mercibus accipere mallet. Tum ut proponeret, num armis in Suecia confectis Hiſpani uti velint. Ne autem hæc miſſio Gallis ſuſpicionem injiceret, Regina Miniſtro Gallico Picquio ſignificabat; Palbitzkium juſſum in tranſitu Regem Reginamque Galliæ ſalutare, ac de propoſito ſuo Regnum abdicandi illis ſignificare. Hujus tamen iter cum tardius procederet, idem jam Lutetiam progreſſus ibi ſubſiſtere, itinere in Hiſpaniam ſuſpenſo, jubebatur, quoad ſucceſſor Carolus Guſtavus ſuper ea legatione ex ſuo placito diſponeret.

Czar de cauſis belli Polonici Reginæ exponit. 9. Febr.

§. 8. Hoc anno bellum Polonis inferebat Ruſſorum Czar, inſtigante Cotaccorum Duce Chmielinskio, qui iſtum ſibi protectorem adſciverat. Ejus belli cauſas Czar prolixis literis Reginæ per peculiarem Ablegatum miſſis exponebat, quas memorare haut abs re viſum fuit. Summa querelarum ſuper titulo erat, ſecus quam pactis cautum fuerat à Polonis ſibi tributo; quam intolerandam iſte injuriam ducebat. Extare ultra quadringentas epiſtolas præfectorum Polonicorum ad præfectos limitaneos Ruſſicos, quæ vitioſe titulum iſtum exprimant. In quibuſdam Czaris patrem Michaelem Filaretovvicium, in quibuſdam inverſo ordine Fedorem Michaelovvicium dici. Alicubi loco *Samoderſetz* poni *Derſavetz*, quod præfectum notat. Alibi nonnulla provinciarum vocabula omiſſa. Ipſum Czarem pro Alexio Michaelovvicio Alexandrum Michalilovvicium dictum. Se miſſis Legatis ſæpius poſtulaſſe, ut qui tales errores admiſerint, capite plecterentur. Ipſum Poloniæ Regem decreto Comitiali anno 1637. ſanxiſſe, ut omnes Czari juſtum titulum tribuerent, quem typis impreſſum quaquaverſus ad omnium notitiam dimiſerit, capitis pœna in transgreſſores ſtatuta. Nunquam tamen impetrari potuiſſe, ut in delinquentes animadverteretur. Multos præterea libros in Polonia impreſſos, in quibus 1654 non pauca contumelioſa in Czarem, ipſiuſque patrem, & avum Filaretum Nikitovvicium Patriarcham jactata ſint, inprimis quod Uladislao titulus electi magni Ducis Moſcoviæ tributus ſit, cui tamen ipſe ſolenni pacto renuntiaverit. Regem quoque Joannem Caſimirum literis, queis ſuper exceſſu Uladislai Regis ſignificabat, hunc vocaſſe *lumen totius orbis Chriſtiani, quod poſtquam hanc terram illuſtraverit, in cœlum ſeſe ad æternam gloriam tranſtulerit*: quæ de mortali nato dici intolerandum ſit. In Legatione quoque anno 1648. patrem ipſius Dominum Michaelem Federovvicium dici, non addito titulo Czaris & omnium Ruſſorum *Samoderſetz*, ſeu Conſervatoris. Equidem demum poſt multas expoſtulationes anno 1651. Poloniæ Regem Czari ſcripſiſſe, ut Legatos ſuos Warſaviam mitteret, qui viderent de reis in Czarem ſupplicium ſumi. Veniſſe Legatos, reos ipſos non comparuiſſe, ſed per procuratores inanes excuſationes protuliſſe, auditu indignas. Ita re infecta Legatos diceſſiſſe; ſententia à Polonis lata, inſigniores reos abſolutos, viliores nonnullos abſentes damnatos, addito, haut conſtare, ſuperſtites, an mortui ſint. Demum eadem de cauſa anno ſuperiore Legatos in Poloniam miſſos; ſed qui irriſi, ac ludibrio habiti redierint. Addebatur, Regem Poloniæ cum Crimeorum Tartarorum Principe adverſus Ruſſos conſpiraſſe, ac in finibus turbas excitaſſe. Ita è transmiſſis libris, ac literarum exemplis Regina judicaret, num par ſit, Chriſtianum Principem ab altero tam indignis modis haberi. Ad has literas Regina nihil aliud reponebat; quam ſe de cauſis belli percepiſſe, ac gratum ſibi fore, ſi controverſiæ illæ amica ratione componi poſſint. Cæterum ut Reginæ in ſe animum exploraret Moſchus, aliis literis ſcribebat, ſe de illis, qui anno 1651. Levinum Nummers Pleſcoviæ injuria affeciſſent, ſupplicium ſumturum; ac poſtulabat ad idem ſpectandum aliquem à Regina mitti. Regina reponebat; non ſe dubitare, quin Czar id facinus dignis pœnis ulturus ſit, licet à ſe nemo ad videndam executionem mittatur. Sed par inſuper eſſe, ut iſti Levino ac aliis pro illatis damnis penſatio fiat. Eadem de re cum Miniſter Suecicus Joannes Rhodius inſtaret, Ruſſi reponebant; an non ſufficeret, autores facinoris capite pœnas dediſſe, ac Levinum honore potitum Czaris manum oſculandi, pellibus Zobellinis ducentorum aureorum pretio donatum? Sed cum iſte reponeret: viginti aureorum millia eo nomine à Levino, aliisque poſtulari. Ruſſi velut ſtupore tacti nihil reſpondebant, profectionem Czaris ad expeditionem Polonicam excuſantes. Iidem & viginti millia tuborum longiorum vendi à Regina ſibi poſtulabant. Regina cum neque tanto armorum numero iſtum firmare, nec omnibus abnegatis ſuſpicionem eidem injicere vellet, non plures quam quater mille ſibi ſupereſſe ferebat, quos æquo pretio quamprimum ad fines Ruſſiæ transmiſſura ſit. Eodem tempore Czar inſigne additamentum titulo ſuo aſſuerat, dominum ſe Majoris & Minoris Ruſſiæ vocando ob Kiovienſem & Czernichovienſem diſtrictum, quem ſibi à Polonis vindicatum ibat; ac Miniſtro Suecico denuntiabant, ut ad eam formam titulus Czari deinceps recitaretur. Joannes Rhodius ad Reginam ſe relaturum reſpondebat. Cum paulo poſt literæ à Regina ſuper negotio Levini Nummers adferrentur, quæ receptum hactenus titulum exprimerent, Czar eo audito indigna-

Czar titulum ſuum auget.

1654. dignationem præ ſe ferebat. Sed Rhodius Ruſſico Cancellario demonſtrabat; ne Ruſſos quidem Reginæ titulum provinciarum Germanicarum vocabulis auctum tribuere prius voluiſſe, quam cum Zuskium ſibi dedi peterent. Alias ingentes ſpiritus tunc Ruſſis acceſſerant ex immenſo validæ juventutis proventu, è qua ducentorum amplius millium exercitum conſcripſerant; Alexandri Magni, uti jactabant, facinora æquaturum, & in ipſam Germaniam penetraturum; ut latis conſtaret, ſi res adverſus Polonum ſuccederet, ipſos tentaturos, ut pedem iterum ad Mare Balticum figant. Ac jam tituli augmentum in materiam rixæ ſeponi adparebat, excluſis aliquot Suecorum in Ruſſiam nuntiis, quod recentem, ac pleniorem titulum Czari non tribuerent.

Verdenſis ſeſſio expeditur.

§. 8. Superſunt in Comitiis Ratisponenſibus acta, quæ quidem propius Sueciam tangunt. Circa locum, quo Verdenſe ſuffragium explicari deberet, nonnihil adhuc controverſiæ movebatur, ingenti proteſtationum agmine ſemel atque iterum erumpente, cum per abſentiam aliorum præſulum id ſuffragium inter Luneburgicas Domos incideret. Unde alternantes Principes poſtulabant, ut nomine ejus Ducatus proxime ante Citeriorem Pomeraniam ſententia ſcamno ſeculari ferretur. In quod Regina facile conſentiebat, nec minus ut Mindenſis & Halberſtadienſis Principatus juxta Ulteriorem Pomeraniam, Suerinenſis & Raceburgenſis juxta Meclenburgicam locum ſortiretur. Enimvero ob brevitatem temporis id negotium tunc expediri non potuit, & quia Brandeburgicus & Meclenburgicus decretum Cæſàreum ſuper loco præſulatuum iſtorum inter ſeculares Principes aſſignando petierant. Ita Verdenſis proximum ab Oſnabrugenſi locum retinuit, quod petentibus Legatis Suecicis decreto Cæſàris firmatum, ut idem ex oppoſito Oſnabrugenſis ſeculari ſcamno conſideret. Sed in conventibus Evangelicorum Ordinum Verdenſis poſt Brunſuicenſes ante alternantes Domos nemine contradicente ad dicendam ſententiam evocabatur.

Inveſtitura differtur.

§. 9. Circa inveſtituram Germanicarum provinciarum Cæſarei Suecos ſubinde urgebant, ſtimulante laudenili deſiderio. Quo fine quoque agitabatur, ut à ſubſcriptione Receſſus excluderentur, qui inveſtituram nondum recepiſſent. Id quod Sueci tanto iniquius oſtendebant, quod ab ipſo Cæſare impedimentum foret objectum, ne illa dudum ſuſciperetur. Ita conatus iſte disjectus, ac Regina ultro tempus extrahebat, quod jam decreviſſet Regnum in Carolum Guſtavum conferre, ne iſti ſumtus mox iterandi eſſent. Ea de re cum Legati Suecici apud Cæſarem juſſu Reginæ expoſuiſſent, ac petiiſſent, ſi forte intra quadrimeſtre, (nam id ſpatium denuo à Cæſare indultum fuerat,) nemo ad eam capeſſendam adeſſet, ne id officii neglectu, ſed ob mutationem regiminis factum crederetur. Reſpondebat Cæſar; agerent Regina aut ſucceſſor quod commodum ipſis ſit.

Suecici Legati proteſtantur.

§. 10. Cæterum quam parum curæ eſſet Cæſari atque Ordinibus Catholicis conventa pacis Weſtphalicæ exſecutioni dare, his quoque Comitiis ſatis adparebat, dum quæ iſta pace ad hæc Comitia rejecta fuerant, & quorum in ipſa propoſitione mentio facta erat, infecta relinquuntur, Cæſare abitum properante. Cujus diſceſſui ipſius valetudo cauſa prætexebatur; revera quia Catholici manibus pedibuſque connitebantur, ut iſta ad Judicium Aulicum Cæſareum rejicerentur, abs quo quid favoris Evangelicis ſperandum foret in aperto erat. Cujus rei indignitatem, & quantopere Pax Weſtphalica hoc modo læderetur, juſſu Reginæ Legati Suecici pro ſententia demonſtrabant, proteſtatione quoque in Senatu Principum interpoſita. Cui applaudebant quidem cæteri Evangelici Ordines, ſegnius tamen quam par erat timul connitebantur, quod frequentior Suecorum cum Legato Hiſpanico converſatio ſuſpicionem ipſis injeciſſet. Et verbis parum proficiebatur, quod Catholici poſt abductos exercitus non amplius Sueciam, & præterita tempora reſpicerent. Sic & cum Evangelicorum per Auſtriacas provincias circa ſacra libertatem Legati Suecici Cæſari commendarent, hic ut oſtenderet quam parum ſibi iſta placerent, brachii dolorem, dum iſti perorant, ſimulando id tubinde reſpiciebat. Nec levamenti quid ex hac interventione iſtos percepiſſe deprehendum eſt. De vectigali Warnemundano, Capitularibus Bremenſibus, & civitatis Bremenſis guarantia anxie quæſita, ne Receſſui intergereretur; favente Moguntino & ob feſtinationem Cæſaris obtentum eſt. 1654.

§. 11. Verbo quoque tangendum de rixa inter Joannem Hulſemannum Liplienſem, & Georgium Calixtum Helmſtadienſem Theologos, quæ ſub iſtud tempus deflagrans non parum doloris Evangelicis Ordinibus, multum gaudii ac inſultandi materiam Catholicis præbebat. Super qua ſopienda Evangelici Ordines ad Electorem Saxoniæ, & Brunſuicenſem Ducem literas dederunt. Nec deerant qui ſuaderent, convocata Synodo controverſias componendas. Sed genſebat Regina utrique ſimpliciter ſilentium injungendum, nec ad Synodum rem deducendam; ubi propter ambitionem & pertinaciam partium ſchiſmati magis, quam concordiæ via ſterni poſſit. De rixa Theologorum Evangelicorum.

§. 12. Super ſtatu Bremæ urbis magna contentione à Legatis Suecicis certabatur, qui non ſolum quæ Bremenſes pro libertate ſua attulerant, edito in publicum ſcripto refutabant; ſed & ingeminabant, haut fas eſſe uni contrahentium parti, ſi quid in pactis conventis dubii occurrat, ejus cognitionem & deciſionem ſibi arrogare; multoque inſolentius, ab Ordinibus Imperii tale quid tentari, qui cum ſuper Suecica ſatisfactione tranſigeretur, haut intervenerant. Enimvero Cæſarem jam antea urbi pronum vicini ejuſdem urgebant clamitantes, malle ſe ad extrema rem deduci, quam concedere, ut Sueci Brema potiantur. Ipſos quippe acceſſione validæ urbis firmatos tractui ad Viſurgim ac Albim fore formidabiles. Ac periculum in mora eſſe, ne deſperatione adacti Bremenſes Anglico aut Belgico præſidio admiſſo ſuam urbem Imperio avellant. Cum ea res ad Senatum Principum referenda eſſet, & omnia feſtinanter agi adparet, Suecici proteſtationem ſcripto interponebant, quam Iſaacus Volmarus Auſtriacum Directorium exercens publice quidem recitari ſinebat; ut tamen Ordines haberent, quod ſequerentur, exactis Oſnabrugenſibus, quæ ad præſens negotium facere viderentur, referebat. Ab initio Trautmansdorfio non niſi de Pomerania Suecis in ſatisfactionem danda injunctum, de qua jam anno 1639. Norbergæ actum fuerit; ac ſpem fuiſſe Brandeburgicum amore pacis conſenturum. Hoc recuſante Saxonis ſuaſu de ſumma pecuniæ fuiſſe injectum: quam cum Sueci repudiarent, ſuper Pomerania iterum agitatum; Bremæ ac Verdæ nullam mentionem factam. Inte- Controverſia ſuper urbis Bremenſis immediatate. Cæſarotum de Bremenſi negotio ſolli-

tum

1654 rim cum Sueci & Galli ad tractatus accedere nollent, niſi invitatis Ordinibus, inter cæteros Bremam quoque civitatem à Cæſare ad conventum vocatam, quæ & immediatæ urbis dignatione apud tractatus per Legatos comparuerit. Negotiatione præſentibus Ordinibus inſtituta litem de Pomerania ſurrexiſſe, quæ ita demum deciſa, ut Sueci Citeriorem, Elector Ulteriorem retinerent. Sed Suecos in Ulterioris vicem Bremenſem, Verdenſem, Mindenſem & Osnabrugenſem alioſque præſulatus poſtulaſſe. Cum ne tunc quidem cederet Brandeburgicus, miſſo demum San-Romano ipſi perſuaſum, ut Citeriore Pomerania deliſteret; pro qua æquivalentes ditiones is exegerit. Ita Suecis Citeriorem Pomeraniam cum Bremenſi ac Verdenſi Epiſcopatu datam. Enimvero Cæſaris mentem haut fuiſſe, cum præſulatu Bremenſi etiam cognominem urbem transferre; quippe quæ jam tum ſtatum immediatum, & libertatem obtinuerit, & ad tractatus pacis cum aliis Ordinibus evocata ſit, inſuper anno 1646. diplomate Cæſareo firmata. Cum enim initio Cæſar Pomeraniam ac Bremenſem Verdenſemque præſulatum in feudum *perſonale* concedere vellet, quo Regina duntaxat & ejus proles non ipſum Regnum inveſtiendum foret; Succis menſe Martio anno 1647. formulam fuiſſe oblatam, cui in Bremæ urbis gratiam hæc verba inſerta fuerint: *Civitas quoque Bremenſis ab hac conceſſione erit exemta, manebitque in poſſeſſione immedietatis, exercitii religionis, ſeſſionis & voti.* Sed cum poſt longam diſceptationem conceſſio demum in Regnum conferenda fuiſſet, die 14. Aprilis anno 1647. aliam formulam adornatam, in qua Bremæ hoc modo mentio facta ſit: *Civitatis vero Bremenſis competens ſua libertas legitimo & longo uſu acquiſita relinquatur, nec in poſſeſſione turbetur.* Mox die 24. Aprilis ejuſmodi verba adhibita; *Civitas vero Bremenſi libertas longo uſu obtenta relinquatur.* Ubi Salvius vocabula *longo uſu obtenta* induxerit, ac propria manu ſuperſcripſerit, *quiete poſſeſſa.* Super quibus verbis cum Sueci poſtea diſceptationem cœperint, patuiſſe, ipſos ſtatum urbis in dubium vocare velle. Id quod tamen Cæſarei abnuerint, quod eo tempore diploma Cæſareum jam editum foret. Ac Suecis oſtenſum, quæ priores poſſeſſores in dubium vocarint, Suecis idoneam rationem ſuæ prætentionis præbere non poſſe. Quæ nunc fiat traditionem jure belli niti, ac id duntaxat reſpicere, quod ipſi de novo adquirant. Priorum poſſeſſorum aliam fuiſſe rationem. Ac penes Cæſarem & Ordines eſſe quid Succiæ concedendum ſit, aut quid non, ſicuti circa Pomeraniam factum. Unde §. *Civitati vero Bremenſi*, ſicut nunc in Tabulis Pacis extat, adornatum; eamque formulam Suecis anno 1647. d. 30. Maji traditam. Unde verba, *præſens ſtatus*, de immediato intelligenda. Nec meminiſſe, à Suecis quicquam urbi negatum, præter *Gegraviatum*; quem cum Cæſarei abnuerent, verba, *Si quæ vero*, ſubnexa fuiſſe. Quanquam autem Sueci iſta verba de ſtatu legitime quæſito interpretari velint, eam tamen interpretationem tunc propoſitam non fuiſſe; quam an mente reſervarint, ſibi non conſtare. Sane Cæſarem ea verba nunquam aliter, quam dictum ſit, intellexiſſe Bremam inter Ordines cæteros invitatam, inter tractatus pacis comparuiſſe, in Senatum urbium nemine contradicente admiſſam, ipſisque Suecis videntibus omnes actus immedietatis, nemine intercedente, exercuiſſe. Quod ſi Succicis is ſenſus animo obverſatus ſit, urbem mediatum provinciæ membrum habendam, id tunc Inſtrumento Pacis inſerendum fuiſſe. Id cum neglexerint, ſententiam merito contra ipſos ferri. Equidem Salvium, cum Inſtrumentum ſubſcribendum eſſet, declarationem, quomodo ipſe cum paragraphum intellexerit. d. 9. *Oct.* 1648. Cæſareis voluiſſe tradere, ſimul petiiſſe, ut Actis iſta inſereretur. Sed Cæſareis recuſantibus eam declarationem Moguntino Directorio exhibitam, à quo eadem acceptata ſit, eoque nomine atteſtatum ipſi traditum. An autem ejuſmodi declaratio ab una partium profecta Inſtrumentum Pacis & genuinum ejus ſenſum evertere queat, penes æquos rerum arbitros judicium eſſe. Sed iſta ſe jam haut morari; & quia poſſeſſio à parte urbis notoria ſit, eam ſalvam fore; petitorium Succis patere. Sane urbi Cæſareum diploma datum, antequam Cæſari in mentem venerit Succis eum Epiſcopatum concedere. Quæ & proſcriptionis pœnam ſubire non potuerit, ni eadem Cæſari immediate ſubeſſet. Addebatur de periculo, quod Germaniæ immineret, ni confeſtim urbs in abrupta conſilia præceps ſeſſione potiatur. Eam quippe proſcriptam Belgarum patrocinio commiſſuram ſe fuiſſe, ni ſpes foret, proſcriptionem pecuniæ ſumma poſſe redimi. Quo tempore etiam, controverſia ſuper vectigali inter Oldenburgicum & Bremam Monaſterii agitata, Bremenſes Belgarum interceſſione apud Cæſareos uſi ſint, accidiſſe, ut iſtis ſpes *immedietatis* facta ſit, ac Belgicis Legatis oſtenſum, Bremam amice cum Comite tranſigere poſſe. Tunc Bremenſes jactaſſe, ſe rem ad arma deduci malle, quam ducenta uncialium millia exſolvere, qua ſumma Oldenburgicus actionem ſuam redimi cupiebat. Sed cum Belgæ regererent, unam navem bellicam haut minoris comparari, Bremenſes tunc à deſperatis conſiliis abductos. Cæterum imputarent ſibi ipſis Sueci, quod non clarius ſint locuti, & ſalvo ſuo ſenſu concluſerint. Num eam ob cauſam arma arrepturi ſint, ſuo loco relinqui. Sane ea jam antea manibus tenuiſſe, quæ tamen, utut non ſine periculo, detrahi potuerint. Eſſe quidem Reginam partem primariam paciſcentem, ſed Cæſarem & Ordines ideo non excludi, & declarationem Inſtrumenti Pacis non ad ſolam Reginam, ſed Cæſarem quoque, & Status ſpectare. Concludebat demum, admittendam urbem in poſſeſſorio momentaneo ad ſeſſionem & votum, ſalvo poſſeſſorio ordinario & petitorio. Auſtriacam ſententiam omnes Catholici, excepto Salisburgenſi, ſequebantur, & ex Evangelicis Cellenſis, Hanoveranus, Meclenburgicus, Caſſellanus & Lauenburgicus: Guelferbytanus ambigue, ut neutri parti præjudicaret. Cæteri Evangelici rem differebant. Nec minus Velontinus pro Brema citra exceptionem calculum tulerat, utut Sueci ea lege Hiſpanis in cauſa urbis Veſontinæ ſuffragati eſſent, ut & hi viciſſim in cauſa Bremenſi ipſis faverent.

Succici Legati fruſtra querentur.

§. 13. Ad hæc Succici Legati regerebant: ſe ex actis ſat perſpicere, Cæſari & Imperio magis affectatam Bremæ libertatem, quam Succiæ amicitiam cordi eſſe: nec Reginam per apices juris protelari poſſe, ſed viam circumſpecturam, qua cauſam ſuam ex gentium jure perſequatur. Sane omnia ex libidine agi; quicquid ſolidarum à ſe rationum adferatur inſuper haberi. Jus gentium diſcrimen inter poſſeſſionem momentaneam & ordinariam ignorare, ac idem ad ſubtilitates juris privati pertinere. Sed & conſtabat, Miniſtros Cæſareos, aliosque opimis ſtrenis à Bremenſibus

tunc

1654. tunc delibutos fuiſſe. Venditabat tamen operam ſuam Hiſpanicus Legatus, ut Cæſar negotii hujus concluſionem in duos menſes dilaturum ſe reciperet, quoad Reginæ declaratio è Suecia allata

Cæſaris decretum pro civitate Bremenſi, 13. Febr. 15. Febr.

fuiſſet. Nec eo ſecius Cæſar decretum condebat de admittenda ad ſeſſionem & ſuffragium Bremenſi civitate. Adverſus quod Suecici Legati biduo poſt proteſtationem interponebant, velut ab incompetente judice profectum, Reginæque contra eam urbem omnia juris & facti remedia reſervabant. Cæterum non pauci credebant, forte ſucceſſu temporis plura Bremenſibus extorqueri poſſe, quam ſi ipſis præſtito homagio omnia privilegia confirmanda fuiſſent. Porro cum ejus decreti executionem Suecici Legati extrahere niterentur, Bremenſes exemplum ejusdem nacti citra denuntiationem à Mareſchallo Pappenheimio factam in Senatum Civitatum irrumpebant, Suecis fruſtra contradicentibus. Teſtabatur Hiſpanus, in hac cauſa ſummo ſe opere connixum, ac obtinuiſſe, ut hæc cauſa bis in ſecretiore Conſilio ſuſpenderetur. Sed Moguntinum importuna ſolicitatione Ordinum Viturgi adſitorum perviciſſe. Et hoc ſpecimine oſtentum, quanta tunc foret Sueciæ autoritas, aut gratia apud eos quibus plurimum profuerit; poſtquam illa tunc armis exuta impune contemni poſſe crederetur.

Kœnigsmarckius Bremenſes coërcere inſtituit.

§. 14. Enimvero cum Bremenſes, poſt obtentam à proſcriptione abſolutionem plus ferociæ indies adverſus Suecos oſtenderent, favore Cæſaris ac vicinorum ſubnixi, Kœnigsmarckius ejus provinciæ Gubernator circa finem ſuperioris anni Reginæ proponebat, ut redigendis ad modeſtiam oppidanis ex uno latere Burgum occuparetur, ex altero Wiltzhauſa munitionibus firmaretur; quo ſi utique obſequium abnueret urbs, ſaltem hinc inde conſtringeretur, ne ex ea provinciæ noxa inferri poſſit; eaque deſtinata verno tempore ſolutis glacie aquis executioni commode dari poſſe. Id conſilium Regina probabat, quod contumacia utique urbis frangi mereretur; idque ut opportuno tempore perficeret, ſimul cœptas munitiones abſolveret, jubebat. Huic negotio commodiſſimum tempus judicabat Kœnigsmarckius menſem Martium, quod Belgæ adhuc bello Anglicano diſtinerentur; & quia properantibus ad finem Comitiis Suecicorum Legatorum proteſtationi hoc modo pondus aliquod addendum videbatur. Ac vicinis, qui Bremenſem cauſam ſublevarant, ſcrupulus injiciebatur, ne patientem injuriarū Reginam crederent. Sed dum iſte cum copiis peragendo deſtinato contractis jam Burgum verſus movet, nuntiatur, nonnullas Luneburgicorum cohortes verſus Bremenſem provinciam iter intendere, quas ipſe ſuſpicabatur forte in munimentum apud Verdam illis inviſum quid tentaturas. Unde mutato itinere eodem flectebat, ut iſti caveret. Sed Luneburgici ad Albim declinabant, diſſipandis delectibus Chriſtiani Ducis Meclenburgici.

Burgum occupat.

§. 15. Bremenſes interim ſuſpicione perſtricti quingentos pedites cum octo machinis Burgum mittebant, qui novis operibus id firmare properabant. Is locus cum citra controverſiam in territorio Regio ſitus eſſet, in quo aliena præſidia tolerare rationis non erat, Kœnigsmarckius propere in iſtos ire conſtituit, antequam pedem ibi figerent, aut Cæſaris inhibitoria mandata Ratispona venirent, præſertim cum Luneburgicis Meclenburgici Ducis copiæ aliquid negotii daturæ viderentur, qui munito ad Albim loco conſederant. Ac ſi Bremenſibus is conatus ſuccederet, alii quoque ſubjecti exemplum imitaturi vicinisque ſpiritus acceſſuri erant jactantibus ſe quam maxime Ratisponæ Succorum invidis. Et fortaſſe moderatiora conſilia capturi erant Bremenſes, ſi perſpicerent, injuſta Cæſaris decreta à Suecis inſuper haberi. Tum & valde periclitabatur ſecuritas provinciæ, ſi locus iſte à Bremenſibus firmatus inſideretur. Præter occupatum tamen Burgum nihil hoſtilitatis exercere, ut Bremenſes ultro lacеſſerent, & commercia ad urbem libera permittere à Regina juſſus erat, ne vicinis anſa præberetur huic ſe negotio immiſcendi. Igitur 29. Mart. Kœnigsmarckius contractas aliquot militum centurias ſine mora Burgo circumfundit. Sequenti 30. Mart. 31. Mart. die circa veſperam adfertur, Bremenſes ex urbe cum tribus millibus militum ac machinis quibusdam accedere, ut Burgo ſubveniant. Unde Kœnigsmarckius relictis ad oppidum ducentis militibus, cæteros adventantibus obviam rapit, ac opportuno loco iſtos expectat; qui & ipſi ad vicinum cœmeterium conſidebant. Cum utrinque machinis paulisper fulminatum eſſet, Bremenſes noctu fuga in urbem ſe proripiunt, relicta navi bellica, cujus vectores perfodere aggeres juſſi erant, ut Suecis damnum inferrent. Ea navis non paucis globis perforabatur, antequam per adversum ventum ſe ſubducere poſſet. Reverſus inde Kœnigsmarckius Burgo vim admovet, ac præſidiarios ad deditionem compellit, tribuno Forbelio impoſito, qui cœpta à Bremenſibus opera abſolveret. Metu inde perculſi Bremenſes, ne Kœnigsmarckius ipſam urbem invaderet, perfoſſis aggeribus vicinam regionem aquis ſubmergebant. Et ipſo conſulente quid agendum, Regina reſponderat, ſi brevi impetu aut aſſu urbem opprimere poſſit, operæ pretium facturum; obſidii moras tentare omitteret, ne vicini ad arma concurrant. Ad Legatos Suecicos Ratisponam ſcribebatur, ut jus Reginæ circa Burgum demonſtrarent, nec ipſam pati potuiſſe ejusdem munitione infeſſa à Bremenſibus ſuo territorio tantum præjudicii afferri. Contra magnopere laborabant Ratisponæ Bremenſes, ut Ordines Imperii tutelam urbis ſuſciperent. Nec obſcure Suecicis Legatis denuntiabat Moguntinus, ſi Suecі vi adverſus Bremam agere pergant, Ordines opera copiarum Circularium ſuſcipere haut omiſſuros, quæ ad quietem Imperii requirantur. Sed oſtendebant Suecі vim cœpiſſe à Bremenſibus, qui Burgum in Suecico territorio ſitum præſidio atque operibus munire inſtituerint, ac Kœnigsmarckio, cum iſti hos monenti præſidium revocare abnuerent, neceſſitatem allatam vim reponendi. Et magna contentione vix obtinebant Suecі, ne de hoc negotio Receſſui Imperii inſereretur. Mandata tamen avocatoria & inhibitoria à Cæſare urbs facile impetrabat, Kœnigs- 19. April. marckio, qui exercitus Cæſaris nunquam horruerat parum formidoloſa. Quibus Suecі aliud ſcriptum publicum opponebant, quo juſtitiam ſuæ cauſæ prolixe adſtruebant. Nec eo magis Kœnigsmarckius deſiſtebat copias firmare, ſubmiſſis quoque è Pomerania auxiliis. Ac cum Bremenſes Bederkeſa præſidium nuper impoſitum iſto monente deducere nollent, juſſu Reginæ id inde ejectum. Arci, quod mediterraneo loco ſita eſſet, munimenta detracta præſidiarius miles liber Bremam verſus dimiſſus eſt. Sed cum Bremenſes interim eruptione facta tres milites Suecicos occidiſſent; quatuor cepiſſent, Kœnigsmarckius quoque iſtum militem ex itinere in captivitatem retrahi

Digitized by Google

1654. jubebat. Sed & munimentum ad confluentes Geeſtæ ac Viſurgis magna cura firmabat, occupato quoque adſito vico Lea. Id munimentum quo tolleretur, Bremenſes ad Belgas ſcribebant, ut apud Reginam agerent. Sed oſtenſum prioribus Archiepiſcopis ſemper jus fuiſſe eo loco munitionem ſtruendi. Ac Fridericum anno 1639. ibidem caſtellum exciraſſe, ſed aliorum interventu iterum deſtruxiſſe, reſervato tamen ſibi jure, ut id inſtaurari integrum foret, ſi videretur, tuendæ provinciæ.

Lubeca & Hamburgum pro Brema apud Sueco ſe interponit.

§. 16. Ea ſcintilla ne in magnum incendium evaleſceret, Hamburgenſes ac Lubecenſes ſequeſtres ſe apud Kœnigsmarckium offerebant; qui cum nondum de Reginæ mente conſtaret, cum Bremenſibus uti prius agerent, monebat. Regina admitti iſtorum officium jubebat; ſimul ut iſtis Bremenſium injuria demonſtraretur; neque ſibi in animo eſſe eam urbem opprimere, ſed ſi illa debitis explendis promtam ſe ferat, ſe privilegia urbis ſervaturam. Igitur tractatus amicos inſtitueret, interim Burgum, & alia occupata loca firmare ne omitteret. Cum interim Legati iſti Hamburgum regreſſi eſſent, per certos homines ipſis inſinuabatur, oblatam operam Reginæ haut ingratam fore. Et ſcripſerat Regina Kœnigsmarckio, ne quid amplius locorum Bremenſium occuparet, ſed parta tantum tueretur, ac apud vicinos teſtaretur, omnia non alio fine ſuſcepta, quam ut Regina jus ſuum adverſus Bremenſium turbationes defenderet. Tum commercia ad urbem & ex urbe ne impediret, ne vicinis idonea querendi cauſa foret.

Bremenſes à Belgis auxilium petunt.

§. 17. Enimvero in Belgis præcipua fiducia Bremenſibus erat, qui compoſito jam cum Anglis bello eam urbem haut deſerturi credebantur, Succis non parum offenſi, quod auxilia in bello Anglicano abnuiſſent; cujus rei deinceps ſe memores fore haut obſcure minati fuerant. Eo fine ab iſtis in Hollandiam mittebatur Meierus, qui pecuniam ac militem Belgas poſceret. Neque tamen hi auxilium feſtinabant recenti bello feſſi, & quia volebant majoribus anguſtiis iſtos involvi, ut eo facilius ad Belgicum præſidium Embdæ inſtar admittendum adigerentur. Sed nec conſtare, quid Germaniæ Principes acturi ſint, fortaſſe haut ægre laturi Belgas cum Suecia committi, dum ipſi otioſos interim ſpectatores agunt, aut aliena pericula in ſuum commodum vertunt. Et ipſi Hanſeatici nupero bello Anglicano parum favoris in Belgas oſtenderant. Equidem nullum non lapidem movebat Meierus, ut Hollandos in partes urbis traheret triginta uncialium millibus, quæ ab Amſtelodamenſi urbe mutuo Bremenſibus data erant, liberaliter inter proceres diſtributis. Simul jactabat, propediem Kœnigsmarckio Cæſaris proſcriptionem imminere, ardentibus in eam Conſiliariis Aulicis, qui ſalariis à Cæſare diu haut acceptis iſtius pecunias hinc inde fœnori expoſitas jam ſpe devorarint. Simul Brandeburgicum prædia involaturum, quæ iſte opima in Halberſtadienſi ditione poſſidebat. Multos quoque Germaniæ Principes, ac inprimis Moguntinum Bremenſibus ſuaſiſſe, ut Hollandico auxilio niterentur. Segniter tamen Hollandi agebant, inſtante quoque apud Ordines Generales Appelbomio Reſidente, ne injuſtam Bremenſium cauſam tuendam ſuſciperent. Suadebant tamen Meiero, ut pedites illos, quos ipſi tunc exautoratum ibant, Bremenſium ſtipendio illigaret. Quod cum iſte adſpernaretur, decernebant, ſe datis ad Reginam literis conciliationem ſuam oblaturos. Sed Bremenſibus literæ iſtæ parum æſtimabantur, præſertim frigidius conſcriptæ, nec videri volebant iſtas à Belgis petiiſſe. Quin metuebant, ne iisdem literis ac Belgarum conciliatione Cæſar offenderetur, qui cognitionem ejus litis ſibi vindicatum ibat. Interim Meierus iſte ad Neoburgicum Palatinum excurrebat, ut ad tuenda Cæſaris mandata iſtum invitaret; ſed qui Conventu Circuli Weſtphalici prius opus dicebat, de cætero paratum ſe Cæſaris voluntatem exequi. Cujus quoque præfectus provincialis Reuſchenbergius acre ſtudium pro Bremenſibus oſtendebat. Tum Georgius Fridericus VValdeccæ Comes legionem in uſum urbis conſcripturum ſe offerebat, magis ut hoc obtentu copias Brandeburgici, cujus inſigni gratia florebat, augeret, quam affectu in Bremenſes. Etſi autem Belgæ lentius rem agerent; ſatis tamen conſtabat, ubi in bellum ea lis exarſiſſet illos omni auxilio Bremam ſublevaturos, fervido cumprimis Amſtelodamenſium in eam ſtudio. Eo conſultius Reginæ viſum, poſt circumcitam in præſens ſic ſatis urbem ad amicos tractatus rem deducere, quorum exitus temporibus Caroli Guſtavi Regis reſervatur, quod interim Regina ſe Regno abdicaſſet.

Regina Regno cedere conſtituit.

§. 18. Hoc quippe anno Regina olim conceptum, ac dilatum hucusque conſilium de transferendo in Carolum Guſtavum Regno tandem exequi conſtituerat. Cauſæ, cur illa ultro abjicere voluerit, ad quod alii immenſo ardore ruunt, ſuam ſæpe ac multorum millium vitam pro Corona paciſcentes, eædem quæ antea. Nam etſi precibus ſuorum triennium ab hinc victa regimen retineret; haut tamen ita conſilium ſuum mutarat, ut non poſt commodiore tempore id executura eſſet. Ac poſtquam ſemel omnem conjugii incundi cupidinem exuiſſet, quod reſtabat vitæ ſibi ſoli vivere cupiebat: & in perpetuum abjecta ſobolis dulcedine haut videbat, quare ſe defatigare deberet; gliſcente indies imperandi tædio. Et prout ipſa ingenio immenſum eminebat; ita iſti aptiorem judicabat converſationem nationum quæ ſubtiliore ſpiritu agitantur, poſtquam à Martiis ſuæ gentis deliciis ſexus eandem excluſerat. Simul aſperius Sueciæ cœlum ſolumque averſata, Italiæ amœnitatem cogitatione volvebat, ubi extra fortunæ arbitria ſubducta, ſublimioris ſapientiæ meditationi vacaret. Et cum ipſa id beneficii patriæ ſuæ dare conſtituiſſet, ut certa ſucceſſione firmata interregni incommoda averteret, ea res haut in longum nimis extrahenda videbatur ob incerta caſuum humanorum. Nam defuncto interim Carolo Guſtavo haut facile ad deſignandum alium ſucceſſorem permovendi Senatus, Ordinesque erant. Nec ignotum, quam lubricus Principum ſtatus foret ſuæ ſtirpis ultimorum, præproperis in novas ſpes hominibus, ac facili rerum præſentium faſtidio. Accedebat quod imminuto ærario vix adpareret, unde bellis, quæ haut declinari poſſe videbantur, ſumtus corrogandi forent, aut ſolitus hucusque ſplendor ſuſtinendus. Nam ut à ſe, aliisque Regibus donata retractaret, ſibi ſat difficile fore judicabat. Denique cum nec diuturnæ paci immergi Sueciæ expediret, per longam delidiam vigore gentis exoliturо; nec vicinorum conditio Suecorum armis diu quietem conceſſura videretur; partas hactenus adoreas aleæ denuo exponere verebatur. Et ſi

Principi

1654. Principi ſummam belli committeret, ipſa in illius poteſtate futura erat, ubi forte longa Regni expectatio tædium moveret. Si alium imperatorem exercitui præficeret, maximæ contumeliæ loco id Princeps habiturus erat.

Regina Senatui deſtinata pandit. 11. Febr.

§. 19. Ea mens cum Reginæ immota ſederet, ſuper deſtinatis ſuis tum paſſim vulgabat, tum apud Senatum, quem ea de cauſa Upſaliæ, ubi tunc agebat, convocaverat, in hunc modum diſſerebat; ſe ipſos hunc in finem arceſſiſſe, ut ſententiam ſuam indicaret ſuper habendo quamprimum Ordinum conventu, quo decreverit inter alia negotia Regni ſalutem ſpectantia conſilium ſuum de abdicando Regno & in Carolum Guſtavum transferendo iſtis pandere. De quo cum ante triennium agitaret, certas ob cauſas id tunc dilatum, ſed jam ejus conſilii rationes penitius apud ſe libraſſe. Ac circa Carolum Guſtavum quidem nullum ſe impedimentum perſpicere, cum is antea ſucceſſor ſibi deſignatus ſit, Regnumque adeo jure ipſi debeatur; cui gerendo ſat capax ſit. Se vero ad id conſilii variis rationibus impelli; de quibus multos multa falſa ſuſpicari norit; quos ipſa parum moretur. Cæterum per neminem ab hac ſententia ipſam dimovendam. Eoque ſe hac in cauſa non conſilium iſtos, ſed conſenſum poſcere. Diſpicerent inde, ut Carolus Guſtavus tuta Regni poſſeſſione potiatur. Id ſe ab ipſis velut grati animi ſignum pro ſuis adverſus eoſdem meritis expectare. Confuderat rei magnitudo omnium animos, ut quid reſpondendum foret vix conſtaret. Poſt longum tamen ſilentium oſtendebatur; de hoc negotio ante triennium referente Regina Senatum deliberaſſe, ſententiamque ipſi ſuam tunc declaraſſe. Sed nunc ſibi à Regina conſultandi facultatem adimi, ac parendi neceſſitate allata obluctari fruſtra eſſe. Cæterum penes Reginam quidem eſſe ipſis imperare; ſibi tamen ex officio incumbere ea ſuadere, quæ Reginæ ac Patriæ utilia videantur. Et hanc rem tanti eſſe momenti, ac ſine exemplo, ut matura nec præcipitata deliberatione opus habeat. Ad quæ Regina; rationes Senatus ante à ſe perceptas; & nunc eo rem proceſſiſſe, ut mutari amplius nequeat. Eam ex ſolo ſuo placito pendere, nec magna deliberatione amplius indigere. Tempus duntaxat, definiendum habendo Ordinum conventui. Sane ni hæc fixa ſibi mens ſederet, eam rem haut ita publicaturam fuiſſe. Unde fruſtra credi ulla ratione deſtinatis hiſce dimoveri ſe poſſe. Quibus dictis Senatu excedebar.

Qui eadem fruſtra deprecantur.

§. 20. Senatus etſi exigua ſpes Reginam flectendi ſupereſſet; tamen decorum judicabat preces tentare, ut Regnum quoad viveret retinere vellet, quod videatur extrudi, qui non rogatur. Ac revera ægre ferebant Reginam imperio abire, auſpicato juxta ac placido ejusdem regimine deliniti, aut opibus ac honoribus ab eadem aucti. Unde ſemel atque iterum univerſi Reginæ ſupplicabant, dignaretur ſua auſpicia felicitare, ac ſapientia toto orbe nobilitata, quoad viveret, moderandæ patriæ impendere; nec deſtitueret, quam ad tantum gloriæ ſplendorem extulerit. Eadem & alii privatim ingerebant. Sed cum omnes ſuaſiones, ac preces incaſſum conſumerentur, Comitia Upſaliam transferendi in Carolum Guſtavum Regni cauſa ad diem ſecundum Maji indicebantur. Simul ad eundem à Regina mittuntur Hermannus Flemmingius, & Joannes Steinhoeckius, qui cum ipſo ſuper Reginæ reditibus ac conditione poſt abdicationem agerent. Qui & ipſe quantum poſſet Reginæ cœpta diſſuadere, partim quia ita decebat adverſus eam, cui ſoli ſpem Regni debebat, partim quia metuebat, ne Regina denuo ſuorum precibus expugnata ſceptrum retineret. Quo facto ſi quid cupidinis oſtendiſſet ludibrio futurus erat, ac plane ſubvertendo ipſi via ſternebatur, velut qui ſceptro immineret. Unde & ipſe in Oelandia ſepulcrum ſibi deſignaverat, velut mortem magis quam Regnum meditans, omni à ſe ſuſpicioni, ac calumniæ avertendæ. Et cum accerſente Regina ipſam adiiſſet, dicebat ſe veniſſe ipſius juſſu ad excipienda ejusdem imperia, quibus ſemper ſumma fidelitate ex lege ſubjectionis obtemperaturus ſit; ſimul de obſequio ſuo ſumma cum devotione teſtatus; Regina vehementer probante venerationem, qua ipſam proſequebatur, & per omnia ad ejusdem arbitria ſe componebat. Cui digredienti etſi Regina diceret ſe illum non amplius viſurum, quam ut Regem ſalutaret; is tamen haut eo minus Oelandenſem receſſum repetitum ibat, velut nihil minus quam Regnum cogitaret. Quem tamen Regina per Hermannum Flemingium rogabat, ne longius diſcederet, ſed in vicina Holmiæ arce moraretur, quoad Comitiorum initium adeſſet. Sed nunc poſtquam ſerio rem agi à Regina perſpiceret, poſt conſumtam tergiverſationem ea deſtinatione Upſaliam proficiſcebatur, ut Rex inde reverti, aut mori veller.

De reditibus Reginæ poſt abdicationem, ejusque ceſſione.

§. 21. Actum inde de reditibus Reginæ, queis poſt abdicatum Regnum ſe ſuſtentaret. Quo fine ipſa ſibi ducenta uncialium millia annua depoſcebat, è certis fundis, & quæ alienari non deberent proventura. Eum in uſum proponebatur Gothenburgum, cum adjecto diſtrictu, Pomerania ac inſulæ Oelandia & Gotlandia. Sed circa Gothenburgum refragabatur Senatus, intutum Regi judicans illa clauſtra Regni ad Oceanum in alterius poteſtate eſſe. Sed & cum Wolgaſtanam arcem, aliasque terras quas in Pomerania poſtulabat, cum ſummo imperio ac vendendi, alienandi, aut oppignerandi jure poſſidere cuperet, abnuebat Senatus, ne forte hac occaſione iſtæ terræ à regno ſepararentur. Ita tandem conventum, ut Reginæ aſſignarentur reditus inſularum Oelandiæ, Gotlandiæ & Oeſaliæ, cum oppido & arce Norcopenſi ac Wolgaſto & bonis menſalibus in Pomerania, ſimul Pœla & Neucloſter in Meclenburgica, iis conditionibus, quæ mox memorabuntur.

Regina Principi ſucceſſorem ſubſtituere conatur.

§. 22. Cæterum Regina cum Carolum Guſtavum adhuc cælibem perſpiceret, ſimul metueret, ne ſi forte matrimonium is ſterile ſortiatur, Regnum in periculum incideret, cui prævertendo ipſa eum ſucceſſorem ſibi conſtituerat; quibusdam Senatoribus proponebat de ſucceſſore eidem ſubſtituendo in eum caſum, ſi absque prole ipſum decedere contingat. Forte & metuebat, ne ſi iſto caſu Regno potiretur, qui nullo ipſi beneficio foret obſtrictus, reditus ejusdem turbarentur. Sed iſti uti laudabant curam, quam pro Regni tranquillitate gerebat; ita rogabant, ne in ſiniſtram partem acciperet, quod iſthoc propoſitum probare haut poſſint. Ut ipſa Regnum deſtitueret utcunque ferendum eſſe, non quod id probent, quam quia reſiſtere tam valde cupienti non potuerint. Sed in id quod jam proponatur, nunquam ultro conſenſuros, nec ut tale quid à poſteritate ſibi exprobretur paſſuros. Felices ſe electione cognati ipſius Caroli Guſtavi, quem legitimum

1654. gitimum ſibi Regem agnituri, ac omne obſequium, fidemque exhibituri eidem ſint ex eo momento, quo illa ipſos fide, quam eidem juratam dederint, exſolverit. Spem eſſe matrimonium ipſi futurum prole beatum, quod etiam quantum poteſt properandum ſit. Ita haut opus fore tam longe in futurum curas ſtruere, aut ita præmature de favore Numinis deſperare, quem in poſterum è Sobole Regia ſperent. Sed & poſtquam ipſa diademate ſe exuerit, ut eo Princeps redimatur, huic curam reſignandam ſuper ſucceſſore ſuo conſtituendi in eum caſum, ſi prole deſtituatur: nec par eſſe, ut idem collegam velut imperii agnoſcere cogatur, maximarum turbarum in Regno occaſionem. Ita dum incertum malum prævenire feſtinent, quod divina bonitate averſum iri ſpes ſit, in maximas prolapſuros calamitates, ſi Principi hæredem neceſſarium dederint. Simul conſiderandum ipſi eſſe, quod poſtquam Regno abire conſtituerit, ſalus patriæ, quæ ipſi ſemper tantopere cordi fuerit, requirat, ut ipſa in perpetuum pro ſe, ac ex ſe naſcendis Regno renuntiet, ſi forte matrimonium deinceps ſubire placuerit. Nam volebant, ut etiam prætenſioni ad capeſſendum iterum Regnum in perpetuum cederet eo caſu, ſi Carolus Guſtavus absque prole ante ipſam fato fungatur. In hac ſubſtitutione Regina oculos conjecerat in Claudium Tottium Comitem quem ut ſucceſſioni magis idoneum redderet, cognatum ſibi agnoſcere, ac in nomen & inſignia familiæ Waſianæ adoptare conſtituerat, velut qui genus ad Erici XIV. filiam referebat. Sed cum judicaret, Proceribus, ac forte Ordinibus reluctantibus ea deſtinata irrita fore, ut Comiti iſti indicium benevolentiæ ante depoſitum ſceptrum relinqueret, Ducis dignatione eundem ſupra cæteros extollere cupiebat. Huic deſtinato ut Senatus parcius reſiſteret, quod iſte titulus in Suecia antiquitus non niſi Regum filiis tribui ſueverit, effecturam ſe credebat, ſi eundem titulum Petro Braheo Drotzeto, & Axelio Oxenſtiernæ Cancellario offerret. Sed reponebat Cancellarius, probante quoque Braheo; maximas Reginæ gratias ſe agere pro benevolentia ac honore, quo ſe ſuasque familias mactare velit. Eſſe quidem iſtum titulum, quem offerat, ſpecioſum, & magnæ dignationis; ſed revera omnes hoſce titulos ita oneroſos eſſe ſtatui Sueciæ, ut non credat, melius ſe ipſi conſilium ſuggerere poſſe, quam ut Comitum quoque, & Baronum vocabula aboleat, ac veterem nobilitatis ſtatum, qui ſub Regno electitio fuerat, reducat; utque adeo ſola virtute ac meritis homines diſtinguantur, non titulis quondam Sueciæ ignotis, cum omnes ſimplici Nobilium vocabulo cenſerentur, quod & adhuc in Dania obtineat. Quin & paratum ſe eſſe Comitatum ac Baronatum ſuum Coronæ reddere ſi Reginæ placeat; quod credat ex officiis patriæ præſtitis ſat honoris ſibi proventurum; ad quæ pro virili continuanda filii quoque ſui per ſe proni ſint, nullo alio præmio invitante, quam gloria, utilium patriæ civium nomen meruiſſe. Ita deinceps Reginæ nihil amplius hac de re movere placuit.

Reginæ ad Ordines allocutio. 12. Maji.

§. 23. Convenerant jam Ordines Regni Upſaliam, quos una cum Senatu in arce congregatos Regina in hunc ſenſum alloquebatur: Cauſam, quare ipſos nunc evocaverit, poſſe quidem ipſis miram videri exempli raritate. Sed ſi reſpicere velint, quæ per hæc tempora acta ſint, ſat animadverſuros, non recenti impetu id negotium ſuſcipi, ſed diu præparatum, & à ſe deſideratum. Noſſe 1654
ipſos, quid jam ante aliquot annos actum, & decretum ſit circa ſucceſſionem cognati ſui Principis, quo confecto felicem ſe judicet, gaudeatque, eo fundamento jacto deſtinata ſe ſua nunc exequi poſſe, in ipſum corona ac regimine translatis; id quod patriæ commodo, ipſi Principi incremento ac ſecuritati ceſſurum confidat. Jam ante ab Ordinibus in ipſum hoc juris collatum, eumque Regno gerendo idoneum habitum merentibus id inſigni prudentia, animique dotibus, tum rebus, præclare geſtis. Unde nil aliud deeſſe, quam tempus ſceptro capeſſendo deſignare, quod quidem à ſuo placito dependeat; ac ut ipſis ſuper deſtinato ſuo ſignificet. Nec dubitare, quin in hoc conſenſuri, obſequiumque ipſi ſuum, uti antehac ſemper, ita & nunc adprobaturi ſint. Unum id eſſe redhoſtimentum, quod ſibi rependi poſtulet pro meritis, per decennium imperii ſui in illos collatis. Ac eo minus cupitis ſuis applaudere dubitaturos, quod ab his nulla ratione dimoveri queat. Ad extremum petebat, ut ſe imperante geſta boni conſulant, ſibique perſuadeant, tam in præſenti negotio, quam in aliis unice ipſi propoſitum fuiſſe inſervire patriæ; cujus ſaluti & incremento ut ea res cedat, ſummam ſibi voti eſſe.

Propoſitio ad Ordines.

§. 24. Poſtquam Regina iſthæc præfata eſſet, ejusdem juſſu Scheringius Roſenhanius propoſitionem ad Ordines è ſcripto recitabat. Nam Cancellarius Oxenſtierna id muneris obire abnuerat, ne id factum ulla ratione probaſſe videretur, jactans, haut ideo anno 1604. Norcopiæ in Carolum IX. ejusque familiam ſucceſſionem Regni collatam, ut Regibus integrum ſit patriam pro lubitu deſtituere, ſed ut eandem tamdiu moderari tenerentur, quoad vita ſupereſſet. Et cum ipſe Guſtavo Adolfo quondam ſancte fidem dederit, ſe ad ſervandum filiæ Regnum omni ope connixurum, nefas eſſe à ſe ullam partem ejus actus attingi, quo iſta Regno exuatur. Cæterum propoſitionis initio memorabatur, Sueciam nunc omnibus cum vicinis pacem agitare: qua rerum facie Reginam conſtituiſſe capta dudum deſtinata de Regno in Carolum Guſtavum transferendo exequi. Eam decem per annos operam in Regni adminiſtratione collocaſſe, non ſine proſpero ſucceſſu, pace glorioſa cum potentiſſimis hoſtibus conſtituta; nec ex actis ipſius aliud colligi poſſe, quam ab eadem Regni ſalutem ac ſecuritatem unice quæſitam. Eo fine & antea ſuper ſucceſſore conſtituiſſe præveniendis turbis, quæ circa mutationes imperiorum contingere ſolent; id quod & Ordines jam probarint. Ut igitur ipſi, dum vivat, eo gaudio frui liceat, ac ea deſtinata perfecta, Regnique ſecuritatem Caroli Guſtavi regimine plene conſtituram adſpicere decreviſſe omne jus ad Regnum cedere, ac in hunc conferre. Id conſilium etſi Ordinibus parum expectatum videri poſſit, confidere tamen eos idem amplexuros, nec repugnaturos, quo minus ipſa poſt toleratum imperandi onus quiete fruatur. Confidere Reginam, ſicuti omnes Ordines antehac Caroli Guſtavi laudabiles artes æſtimarint ita deprehenſuros, hunc iſtas in ipſorum commodum prudenti Regni adminiſtratione impenſurum; nec hac mutatione Ordinibus quid præjudicii allatum iri. Quam in rem & ipſa ante abdicationem idonea conſilia ſuggeſtura ſit, inprimis ut Princeps ipſorum libertati ac privilegiis caveat, ac illa præſtet, quæ leges Sueciæ ac mores ferant;

1654. rante; Ordinibus viciſſim debitum obſequium exhibituris. Deliberent igitur Ordines, quomodo iſthæc deſtinata honeſte ac decore, & quamprimum effectui dari queant. Tum ut conventio ſuper ſua ſuſtentatione cum Principe inita ab ipſis probetur, ac firmetur. Gratias præterea agere pro honore & obſequio per totum imperii tempus ſibi exhibito, quo abunde ſibi ſatisfactum teſtetur. Sperare quoque ipſos boni conſulturos fidelem pro univerſorum ſalute curam ac clementem affectum, quo ſingulos proſecuta ſit. Quæ omnia voto idoneo claudebantur.

Ordines demum in abdicationem conſentiunt.

§. 25. Ordines re inter ſe perpenſa etſi ſatis animadverterent, Reginam propoſito haut dimotum iri, decorum tamen judicabant apud Reginam teſtari; diſplicere ſibi conſilium ab ipſa captum; ſimul rogare, ut deinceps quoque imperandi onus ſuſtinere velit. Sed cum immoram in ſententia perſiſtere viderent, quippe quæ declaraverat, ne ſi alia adhuc corona offeratur, ultra tempus quod ipſa animo deſignaverat Regni habenas retenturam; demum in abdicationem ejus conſenſerunt, & ut ſceptrum in Caroli Guſtavi manus reſignaret, quem lubenti animo Regem ſint acceptaturi, prout & jam in eum eventum eidem fidem ſuam obſtrinxerint. Sed ut Regina provincias, quarum reditibus deinceps ſuſtentanda erat, ſupremi imperii jure poſſideret, id omnes repudiabant. Unde placuit, Reginam illas apenagii jure retinere, penſatione utilium impenſarum illis facta, qui partem eorum bonorum ex donatione Reginæ hactenus tenuerant. Conabantur quidam certis legibus libertatem Reginæ circumſcribere, ut intra Sueciam vivere teneretur, nec apud exteros ſedem eidem figere liceret, utque nil commercii cum Sueciæ hoſtibus alere poſſit, ni velit, ut reditibus ſuis manus injiciantur. Sed & ipſa hiſce vinculis adſtringi adſpernabatur; & Carolus Guſtavus in omnibus placito Reginæ tantopere de ſe meritæ obſequi fas ducebat. Et quanquam expediret Regno ut pecunia Reginæ aſſignata ad exteros ne exportaretur: Princeps tamen rebus ſuis haut inutile ducebat, ſi remotis potius locis, quam prope ſe deinceps ageret, ne forte tam multis per beneficia eidem obſtrictis è propinquo regnandi deſiderium rediret, ac inolita plane erga Reginam reverentia imperium ad illius magis, quam proprium placitum gerere ſubigeret. Eoque iſte Senatui, ac Ordinibus demonſtrabat; cum ipſa ſimpliciter Regno renuntiet, haut reſervata facultate unquam ad regimen revertendi has præcautiones inutiles eſſe; & cum deinceps privatam agere vitam decreverit, libertatem eundi quo velit ipſi utique relinquendam, præſertim cum ultro fidem dederit, ſe nihil adverſus commoda Sueciæ facturam.

Regina reſidentem Luſitanum agnoſcere abnuit.

§. 26. Pauculi adhuc dies Reginæ ſupererant, cum ea per magiſtrum officiorum Regis Luſitaniæ Reſidenti Antonio de Sylva, qui hactenus ad ipſius Aulam egerat ſignificat; ſe ipſius herum Bragantiæ Ducem Regem Luſitaniæ haut agnoſcere, velut quæ dignitas ſoli Philippo IV. Hiſpaniarum Regi debeatur; eoque ut è Suecia faceſſat, jubere. Quia tamen fide publica venerit, eadem abiturum. Dabat id Regina Pimentelli precibus tanto facilius quod in Hiſpanicas primum ditiones ſe conferre conſtituiſſet. Sed ne id Sueciæ fraudi eſſet, effecerat ea declaratione in extremos imperii dies collata; cum ſatis noſſet à ſucceſſore id ſtatim correctum iri, quod ob commercia Suecis Luſitanorum amicitia opus eſſet. Et ſtatim Princeps ac Senatores cum per alios, tum per Miniſtrum Gallicum Picquium Luſitano clam ſignificabant, ne hoc facto Reginæ moveretur, quod paucos intra dies à novo Rege corrigendum ſit. 1654.

Sera Poloni legatio.

§. 27. Adpulerat inter iſta Comitia miſſus à Poloniæ Rege Canaſilius, de pace inter Sueciam & Poloniam propoſiturus. Sed Regina, cui pauci adhuc dies inter varia negotia ſupererant, reſpondebat; ſero nimis ipſum venire, & id negotium ad novum Regem remittendum eſſe. Simul reſponſum ipſi ad literas Regis Poloniæ traditur, nulla alia declaratione addita. Quæ res vehementer iſtum hominem turbabat, cum ſtatuere ſecum non poſſet, num hinc cum literis redire debeat, non ſalutata ſub diceſſum Regina, nec viſo novo Rege, de quo in neutram partem quid ipſi injunctum fuerat: num vero reſponſum ad literas ſuas, quibus de inſtante coronatione Caroli Guſtavi ſignificarat, expectaret: quorum hoc Miniſtri Gallici ſuaſu potius viſum. Ejuſdem cum novo Rege acta ſuo loco exponentur.

Regina ſceptrum deponit, 6. Junii.

§. 28. Aderat jam dies non citra impatientiam Reginæ expectata, qua ipſa Regno avito cederet, idemque in Carolum Guſtavum transferret. Non parum quippe ſolicita fuerat, ne per Ordines ſibi intra Sueciam manendi neceſſitas imponeretur; cum ipſa hoc ſolum pretium depoſiti diadematis expeteret, ut extra patriam agere daretur. Ejus diei hora ſeptima matutina, Ipſa Senatum una cum Principe ingreſſa eſt, ubi inſtrumentum ſuper reſervatis ſibi bonis, quod pridie abſolutum fuerat, prælegebatur hoc argumento: Ipſam omni ſuo jure ad Coronam Sueciæ cedere, idemque in Carolum Guſtavum transferre his legibus; ut ab omni ſubjectione & obſequio libera ſit, ac ſoli Deo teneatur rationem reddere de actionibus ſuis tam prioribus quam poſt abdicationem futuris, utque adeo omni jure, libertate ac independentia gaudeat per natales ſibi competente, nec reſpondere neceſſum habeat de quopiam, quod neque Regis, neque patriæ ſalutem ſpectat. Ut tamen iſtud jus, libertas & independentia de ſola ipſius perſona intelligatur, ſalva abdicatione & articulis infra contentis, tum nequid adverſus Regnum Sueciæ machinetur, aut agat. Circa bona ipſius conventum, ut eadem immunia ſint ab omni ære alieno ipſa imperante contracto, ad quod luendum Corona pro captu temporum & facultatum teneatur, ubi prius id examinatum fuerit, num legitimum ſit: eoque bona Reginæ ab omni moleſtia, onere ac retentione intra Regni jurisdictionem exemta ſint. Ipſius ſuſtentationi reſervetur Norcopenſe oppidum cum arce, Oelandia, Gotlandia, Oeſalia inſula, Wolgaſtum oppidum cum arce, & bona per Pomeraniam menſalia, ſimul præfecturæ Pœla & Neucloſter in Meclenburgica. Si quid è bonis menſalibus donatione in alios tranſlatum ſit, revocetur, oppignerata aut vendita poſt factam inquiſitionem reluantur. Reſervatæ iſtæ terræ juramento ipſi obſtringantur, ſalva fide Regi & Regno debita, quibus ipſa pro lubitu præfectos ac Magiſtratus natione Suecos præficiat, ſalvis cujusque loci privilegiis & conſuetudinibus. Iisdem quoque proceſſus juris, qui antea fuit, maneat. Si quæ delicta in ipſius aula, aut à cuſtodibus corporis patrentur, ipſi per ſe pœnam exigere integrum ſit, ni iſta ad forum Regium remittere malit. Si quis è Regio præſidio adverſus ipſam conſpirare, aut quid

Diſpoſitio ſuper bonis Reginæ reſervatis.

1654 tentare velit juri ejuſdem repugnans, id à Rege plectatur, non ſecus ac ſi in hunc patratum foret. Jurisdictio Eccleſiaſtica in dictis terris maneat ut antea; quia tamen Oelandia Ephoriæ Calmarianæ ſubjacet, Superintendens Calmariæ cum Reginæ conſenſu conſtituatur: Gotlandicum ipſâ deſignet: ubique Auguſtana ſacra retineantur. Horum locorum reditus omnes ad ipſam ſpectent, de quibus nemini rationem teneatur reddere. In Pomerania tamen tributum potulentis, & frumento impoſitum militibus reſervatum ſit. Reginæ ſubditi haut majore vectigali onerentur, quam alii Sueciæ cives, ac uti antea ad Comitia vocentur. Munimenta in terris ipſius Corona præſidio propriis ſumtibus alendo inſideat, quod & exquiſita diſciplina coerceatur. Norcopia, Wisbya & Gotlandia nautas ut antea ad uſum claſſis Regiæ præbeant. Reginæ terræ ab hoſpitatione militum immunes ſint, niſi magna Regni neceſſitas id exegerit, quo caſu tamen miles iſte ſumtibus Coronæ alatur, ac modeſte habeatur. Claſſi Regiæ portus ipſius pateant, ac forum æquo pretio præbeatur. In Pomerania quoque tranſitus militi Regio per bona mentalia pateat, præbitis quæ vocant *Servitia*. Periculo amoto præſidia arcibus ipſius deducantur. Si quæ commoda loca in Reginæ terris inveniantur, ea ſumtibus Coronæ Regi munitionibus firmare integrum ſit. Poſt mortem ipſius omnia iſta bona iterum ad Coronam citra imminutionem redeant, nec Reginæ liceat quidquam eorum oppignerare, vendere, aut donare, aut quovis modo alienare, exceptis tribus præfecturis in Pomerania, & uno prædio in Oeſalia, quæ oppignerare ipſi conceſſum ſit. Adornandæ novæ aulæ Regina ſibi reſervabat, ſi quid de ſatisfactione Germanica reliquum ſit, & menſes Romanos quos Cæſar ipſi indulſerat. Si Carolum Guſtavum mori contingat, Senatus & Ordines neminem ad Coronam provehant, niſi hoc inſtrumentum confirmarit, & ad idem implendum ſe obſtrinxerit. Iſthæc ultronea conceſſio bonorum Senatui atque Ordinibus in poſterum fraudi ne ſit, nec in exemplum trahatur.

Inſtrumentum abdicationis.

§. 29. Has conditiones cum Regina ſibi ſtipulata eſſet, abdicationis inſtrumentum confectum eſt hoc argumento: etſi Ordines Ipſam ut regimen retineat rogarint, ſe tamen id ultro nemine inſtigante deponere, ac omni prætenſione in Regnum Sueciæ in præſens, & in poſterum cedere, nunquam per ſe, aut oblique per alios expromenda. Inde Carolum Guſtavum & Ordines obſequio exſolvebat, deinceps illis nil amplius pro imperio injunctura, ipſa tamen ut nemini ſubjecta ageret, denuo ſibi reſervans.

Caroli Guſtavi cautio Reginæ data.

§. 30. Viciſſim Carolus Guſtavus ſcripto Reginæ cavebat, ſe ipſi libenter libertatem, ac immunitatem quam ſibi ſtipulata fuerit, relicturum, nec eidem quid imperare auſurum, aut in actiones ipſius inquiſiturum, aut ullo modo eandem turbaturum, quamdiu ſibi ac Regno per iſtas nihil præjudicii inferatur. Tum aſſignatas ipſi terras ac reditus conſervaturum una cum conditionibus, quæ ipſius ſecuritatem ſpectant; nec conceſſurum, ut ipſi moleſtiæ quid inferatur, quin operam daturum, ut eidem debita veneratio, tranquillitas & ſecuritas conſtet. Inprimis autem ſe animo gratiſſimo, quoad vita ſuperſit, agnituram ſumma beneficia, & quæ non niſi à matre filius expectare queat, cum antea ſemper, tum hoc præcipue caſu ſibi exhibita; pro quibus filio dignam venerationem, ac gratiſſima quoque officia ipſi adprobaturus ſit. Antehac quoque Regina matrem ſuam Mariam Eleonoram Principi commendaverat; qui & ejus conditiones tuiturum ſe liberaliter pollicitus fuerat. 1654

Solennis abdicatio fit.

§. 31. Iſtis inſtrumentis ſubſcriptione firmatis, ſupremi Officiales Regni Chriſtinam toga Regia induerunt, coronamque capiti impoſuerunt. Ipſa manu dextra ſceptrum, ſiniſtra globum aureum tenebat. Duo Senatores, qui Archiſtrategi & Theſaurarii vices obibant, ante ipſam gladium ac clavem auream geſtabant. Hoc habitu ingens atrium arcis intrabat, ubi Ordines Regni & extraneorum Principum Miniſtri una cum gynæceo congregati erant. Poſtquam ipſa argentea ſella, quam trium graduum ſolium elevabat, ſe repoſuerat, Principi extra id à dextris retro aſſidente, Scheringius Roſenhanius clara voce inſtrumentum prælegit, quo Chriſtina Regno ſe abdicabat, civesque juramento fidelitatis abſolvebat, quod inde Principi in manus tradidit. Mox idem ad locum ſuum reverſus prælegit quoque cautionem à Principe ſubſcriptam, qua bona Reginæ ſuſtentationi reſervata tuiturum ſe pollicebatur, idque inſtrumentum Reginæ reddidit. Hæc inde ſupremis Regni Officialibus ſignum dedit, ut ad ſolium accederent, recipiendis à ſe ornamentis, & inſignibus Regiis; quæ ab iſtis in tabulam ad ſiniſtram extra ſolium ſitam reponebantur. Toga abs circumfuſa Aulicorum turba in infinitas particulas, quas ſibi quisque raptabat, lacerata eſt.

Oratio Reginæ maledicta ad Ordines.

§. 22. Ita Chriſtina Regiis ornamentis exuta ſella ſurgens ad marginem ſolii proceſſit, ac multa cum eloquentia, quæ patria ipſi erat, ſumma animi præſentia per dimidiæ horæ ſpatium compendio recenſuit, quæ per decennium, quo ipſa Regni habenas tractaverat, in Suecia contigiſſent. Tanta negotiorum mole nihil à ſe admiſſum, quod conſcientia ipſi ſua exprobret. Semper ſe, quantum vires tulerint, pro civium quiete connixam, pro qua & propriam libenter ſacrificarit procurandis commodis, quibus ipſi gauderent, ſic ut regimen ſuum ipſa ſibi adprobet, ſeque ipſa judice abſolvi poſſit. In memoriam quoque revocabantur ingentia merita Patris Guſtavi Adolfi, qui Sueciæ gloriam tam alte extulerit. Jam ſeſe illis Regem dare, (Carolum Guſtavum innuebat,) tantis præditum animi dotibus, ut non dubitet, quin veſtigia ipſius ſit preſſurus, gloriæque nationis haut parum augmenti additurus: cui ut eandem fidem & obedientiam præſtent petere, quam ſibi exhibuerint; pro qua gratias ipſis agat, ſimul eadem ipſos jam exſolvat. Quæ omnia magno animorum motu audita, ac plerisque tam inſolita mutatio lacrymas expreſſit conſideranti-bus, Reginam ſuo populo adamatam in ipſo ætatis flore ultro majorum ſolio decedere, quod cæteris natura imperante relinquere ipſa morte acerbius fere ducitur.

Roſenhanius reſpondet.

§. 33. Reginæ ſermonem Ordinum nomine excepit Scheringius Roſenhanius, teſtatus ſummo ſe dolore perfundi, quod ab ipſa nunc deſtituantur; ſed quia ſic voluerit, nec precibus ſuis locum reliquerit, conſentiendi neceſſitatem ſibi impoſitam. Unico hoc ſolatio ſe refici, quod ipſis det Regem tanta prudentia & ſapientia pollentem, de cujus felici, ac florenti regimine certam ſpem concipiant. Addebatur gratiarum actio pro tam egregia electione, ſimul pro laboribus & moleſtiis per imperandi tempus exhauſtis; veniamque petebat,

1654 petebat, ſi quis ipſorum adeo infauſto ſidere natus fuerit, ut officio ſuo aut veneration ipſi debitæ haut ſatisfecerit.

Reginæ oratio ad novum Regem.

§. 34. Cum is finem dicendi feciſſet; Regina de tribus gradibus ſolii deſcendens, manum oſculandam primoribus quatuor Ordinum porrigebat. Inde ad Carolum Guſtavum progreſſa, qui & ipſe gradum verſus eam promovebat, ornatiſſimo ſermone ſumma cum animi conſtantia eundem allocuta eſt. Ipſum jamjam munus difficillimum ire ſuſceptum; conſcenſurum eſſe ſolium, à maximis Regibus inſeſſum; quorum famam cum univerſus orbis loquatur, non opus eſſe in deprædicandis iſtorum egregiis factis prolixa oratione diffundi; circa quæ & alios potius ſe jactare decorum fuerit, quam qui ſanguinem ex iisdem trahunt. Horum exempla ad imitandum ipſi proponere etſi hortatione, ac ſtimulis minus indigenti, quippe quem Numen omnibus donibus exornaverit, quæ magnum Principem abſolvunt. Ac ſancte teſtari hoc ſolo intuitu ſe permotam, ut iſtum ſucceſſorem eligeret, ac tam ſublimi faſtigio admoveret; non ob cognationis vinculum, cujus ratio nunquam ſit habenda, ubi de commodis Reipublicæ agitur, quæ omnibus aliis reſpectibus præponderet. Relinquere inſuper ipſi Senatum ſapientiſſimis viris conſtantem, quos longus rerum roga, ſagoque geſtarum uſus perfecerit, egregium Regno inſtrumentum. His exemplis atque adminiculis inſtructum non dubitare, quin majoribus ſuis, ac nationi Succicæ novum lumen ipſius imperio ſit acceſſurum. Cæterum pro omnibus in ipſum collatis beneficiis nil aliud redhoſtimenti ſibi ſtipulari, quam ut Matris ſuæ curam velit agere, ejusdemque proventus augere potius, quam imminuere: tum ut rationem habeat amicorum & miniſtrorum ſuorum, & eorum quos ipſi peculiariter commendarit. Hæc prolocutam Carolus Guſtavus rogabat, ut in ſolium iterum adſcenderet; ſed ea reluctante poſtquam honoris aliquamdiu hinc inde indiciis certatum eſt, is modeſtis & exquiſitis verbis teſtabatur, quantopere ipſi tantorum beneficiorum nomine ſit obſtrictus; nec ulla ſe grati animi documenta expromendi occaſionem omiſſurum, nec antiquius quid habiturum, quam venerationem officiumque ipſi ſuum devotiſſimum adprobare. Inde orationem ad Senatum & Ordines convertit, qui per Roſenhanium novo jam Regi reſpondent, de fide & obſequio ſuo, ut ſolet, ample teſtati. Cum dicendi finis factus eſſet, principes quatuor Ordinum ad Regis manum oſculo delibandam admiſſi ſunt. Inde novus Rex Reginam manu prehenſum it, quæ paululum reluctata dextræ manus honorem eidem deferebat. Qui non minus decore magna cum venerationis profeſſione id deprecatus per atrium ad iſtius conclave eam deducit; ipſe poſt eadem die ad capeſſendam in templo Coronam digrediens. Chriſtina exuto jam Imperio, Holmiam, inde paucos intra dies ad exteros abiit. Diſcedenti Rex Laurentium Lindanum adjunxerat, qui ad fines Regni uſque comitaretur. Ei in mandatis datum erat, ut denuo Reginam ſuper matrimonio cum Rege ſolicitaret; aut ſi hoc obtineri non poſſet, ut ſaltem ne longius ab ipſo diſcederet, quo ex ejus conſilio rempublicam gerere poſſet. Nam decorum videbatur oſtendere ſe priore procatione non tam Regnum quam Chriſtinam ambiiſſe, ſi nunc ſceptro potitus eam petere non deſineret. Sed illa immota reponebat: ſi matrimonium placuiſſet, decentius ſibi fuiſſe 1654
imperium gerenti maritum adſciſcere, quam eodem exuto à Rege uxorem adſumi. Et ea pollere prudentia Regem, ut ſuo conſilio haut indigeat.

Chriſtinæ imperium Sueciæ glorioſum.

§. 35. Ita imperio Chriſtina defuncta eſt Sueciæ admodum glorioſo, nec ab omni retro memoria temporibus ejusdem ſplendidius quid vidit Orbis Arctous. Contuſus hoſtis potentiſſimus, ac toti Europæ formidabilis, & quos iſte Germaniæ injectum ibat compedes diſſipati, ſervitio ad alios quoque progreſſuro, ni Succica arma enormes vires ad modeſtiam redegiſſent. Fractus quoque vicinus Sueciæ infenſiſſimus, & antehac gravis, qui cum omni ſtudio id ageret, ut huic laborum ſuorum fructum interciperet, eidem in ſe irritatæ uberiorem victoriæ materiam præbuit. Per quæ fama nationis Succicæ, virtusque ac diſciplina militaris ingentia incrementa cepit. Acceſſere præmia victoriarum egregiæ provinciæ, Pomerania, Bremenſis ac Verdenſis Ducatus, Wismaria, Hallandia, Jemtia, Herrendalia, inſulæ Rugia, Gotlandia, Oeſalia, non proventu tantum, ſed ſitus opportunitate inſigne Sueciæ firmamentum, arcendis aliorum incurſibus, aut effundendo, ſi opus ſit, in alios bello. Nec minus auctæ profperis armis privatorum opes; & cum alias diuturnis bellis genius populi horrorem fere induere ſoleat, Succica contra gens inter Martios labores inſigni cultu enituit, exemplo Reginæ non minus, quam cura proviſuque, & quia pacis quoque artes ipſa digno pretio, præmioque æſtimare norat. Et ſane Chriſtina imperante, utrum Succia plus incrementi armorum felicitati debeat, an ſapienter & ſolerter expromtis artibus pacis vix diſcreveris. Nam uti fines Regni protuliſſe multum gloriæ habet; ita domi bonis legibus atque inſtitutis ſecuritatem, opes ac felicitatem civium firmaſſe, haut ſolido minus ac præſtabili civitatum fructu exuberat. Inde Chriſtinæ diſpoſitu, hortatu, ſimul propoſitis privilegiis effectum, ut ſat tenuis antehac Succorum navigatio ad invidiam uſque inſignia incrementa ceperit, commerciis late per Europam, & in Africam uſque atque Americam promotis. Manuariæ quoque artes excultæ, & inprimis metallis effodiendis, ac in varia inſtrumenta fingendis magno ſtudio, pari ſucceſſu incubitum, ab omni retro memoria nunquam uberiore illorum proventu, in cujus ſpecimen ſufficit, quod cupri fodinæ, è quibus ante Chriſtinæ tempora vix octo aut novem pondo nauticorum millia provenerant, anno quinquageſimo ſupra viginti millia pondo nauticorum profuderint. Ob quæ & multa, quæ rerum multitudo ſilentio nunc involvere ſubigit, Chriſtinæ tempora eximiæ felicitatis fama, ejuſdemque nomen poſteritas perpetua veneratione proſequetur.

Quid circa regimen Chriſtinæ deſideretur?

§. 36. Haut eo ſecius tamen, qui res non tam eventibus, quam cauſis ſuis æſtimant, circa glorioſa Sueciæ tempora, quæ Chriſtina regnante fluxere, magis fortunam hujus, quam providentiam agnoſcunt. Sane tam ſplendidam rerum per Germaniam telam fuiſſe cœptam, antequam iſta rerum potiretur, ac per pupillares ejusdem annos ſolidis Axelii Oxenſtiernæ conſiliis, ac Ducum Suecicorum virtute ad perfectionem deductam; quam ipſi, cum Regni habenas capeſſeret, abſolvere in proclivi fuerit, tritam jam ſemitam inſiſtenti. Etſi Oxenſtierna, Ducisque bellici & ipſe Carolus Guſtavus ſucceſſor non ſine dolore quererentur, Chriſtinam dum impatientius ad pacem

tuit,

1654. ruit, effeciſſe, ut ea minus perfecta obtineretur, cum adhuc unum & alterum annum proniſſima armorum fortuna utentibus non pauca commoda & Sueciæ & ſacrorum ſociis per Germaniam ſtipulari in proclivi fuiſſe videretur. Eoque tantorum ſucceſſuum fructus remiſſo nimium pretio fuiſſe abdicatos muliebri facilitate, an quia qui gratia ipſius florere cœperant, Oxenſtiernæ conſilia juxta atque autoritatem ſubruiſſe ſtuduerant, pignerando ſibi Reginæ animo, grandem miniſtrum velut prægravem averſantis. Cum porro gloria & potentia iiſdem, quibus conſervata fuit artibus conſervetur, haut è prudentiæ lege Chriſtinam feciſſe, quod confecta Germaniæ pace ita ſe exarmaverit, ut omnem plane belli curam & cogitationem in futurum depoſuiſſe videretur: ac fruſtra ſperaſſe, eandem autoritatem ſibi per ſolam anteactorum memoriam perſtituram, quam ſexaginta bellatorum millia pepererant. Unde & ſtatim à Cæſare, cui antea terrori fuerat, tam multa indigna fuiſſe perpetienda, belloque inter Anglos & Belgas oblatam paci conciliandæ operam ſpretam. Quo & bello ita languida eam conſilia agitaſſe, ut & Belgas offenderet, & Anglos non obligaret. Quin eo ipſo, quod inermes tractatus de pace cum Polonis ſuſceperit, ludibriis horum ſe præbuiſſe. Unde ſucceſſori neceſſitatem natam vires Sueciæ in bellum Polonicum effundendi, quæ longe utilius alibi impendi poſſe videbantur. Ac ſi ea regiminis ratio, quam ipſa poſt pacem Germanicam inierat, diutius perſtitiſſet, ad veterem obſcuritatem relapſuram fuiſſe Sueciam, omnibus bello partis à deſide natione iterum extorquendis. Sed & occaſionem neglectam, intra aliquot ſecula vix ſperandam, Suecicæ Coronæ inſignia incrementa procurandi, declinato matrimonio Electoris Brandeburgici; adverſus quod quæ à Proceribus objectabantur, à privatis magis eorum rationibus, quam ſalute Regni profecta fuerant, quæ & præcavere haut in arduo erat. Promta porro iſta donandi facilitas uti multum gratiæ ſplendorisque apud rerum imperitos habet; ita cum & multis præter aut ſupra meritum donatur, profuſio potius & perditio, quam donatio eſt; & poſtquam vires Regni multum excellat, non poteſt non ad maciem æratium, ipſamque remp. ad ruinam deducere. Et cum ejuſmodi enormes donationes neque dari neque poſſideri queant ſalva republica, ſucceſſori, cui ſalus populi donatorum revocationem imperat, præter meritum ingens invidia ſubeunda, ægrè 1654.
amittentibus mortalibus, quod ſemel utcunque nacti ſunt. Et quia ex facili parta raro cum parſimonia diſpenſantur, ſuccreſcens luxuria, veteres juxta recentesque opes abſumit, ad mendicitatem demum redactis, quos citra illas donationes vetus patrimonium ſobrie habitum ſat commode ſuſtentare poterat. Quid quod pleriſque, dum amplioribus nobilitatis titulis extolluntur, majorum expenſarum neceſſitas impoſita fuit, quibus per luxuriam aut revocatas donationes accerſita paupertas eo gravior accidit, quo facilius hanc & minore cum pudore modicæ dignationis homines, quam amplæ tolerant. Sic ut plerosque eorum poſteros, qui ob egregia merita honoribus & opibus elati fuerant, ad fœdam paupertatem redigi neceſſum fuerit, ideo quod citra modum ac finem in dignos juxta & indignos & honorum inſignia, & reditus publicos Chriſtina profudiſſet. Inſuper multiplicato præter Regni modum Nobilium numero non ſolum multos ad inopiam devolutos, quos plebeia ſors laute alere poterat, quæ & ſoboli plures vias ſubminiſtrat rem quærendi: ſed & commercia prorſus, dum opulentiſſimus quisque mercaturam faſtidit, ac per nobilitatis inania opes prodigere mavult, quam per negotiandi ſolertiam augere. Excelluiſſe porro Chriſtinam ſtudiis literarum, & ingenii agilitate, ſupra ſortem & ſexum ſuum; ſed iis male uſam, dum aures præbet hominibus profanis, queis ſolida & modeſta convellere ſapientia habetur: quorum contagio ipſa animum profanis opinionibus imbutum poſt ad ſacra tranſtulit inania, & Patri, Regnoque indecora. Floruiſſe ſub ipſa metalli fodinas, commercia, artes manuarias; ſed quæ non magis ipſi imputari poſſint, quam multorum annorum ſterilitatem & peſtilentiam; cum quæ per induſtriam civium provenerunt, non ipſius providentiæ, ſed inſtitutis Patris, & curæ Senatus debeantur. Eam denique parta pace vivendi viam ingreſſam, ut ſi diutius regnare placuiſſet, vel ipſi, vel Regno pereundum foret. Unde cum ſatius videretur ſolium ultro abdicare, quam eo invitam dejici, nihil utilius ad extremum Regno potuiſſe præſtare, quam bonum ſucceſſorem; quem tamen dura admodum & invidioſa adminiſtratio manebat, ſi Regno, ab intemperie per ipſius regimen contracta curato, juſta ſanitas reddenda foret.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum præcipuarum in hoc opere contentarum.

Numerus paginam, Litera a *latus paginæ primi,* b *vero posterius denotat.*

A.

Aicha ab Hornio vi opprimitur. p. 155. b
Aichstadium à Duce Bernhardo capitur 105. a Ut & à Wertano 121. b
Aitzema (Foppii) inanis conatus 296. b
Ad *Albertheimum* prælium 588. a Cæsi & capti utrinque *ib.* b
Gesta per *Alsatiam* 62. b 253. a 157. b 265. b In eadem Cæsareorum conatus 78. a In eandem Hornius movet *ibid.* b à Cæsareis & Bavaricis invaditur 120. a De ea in Gallos transferenda agitur 166. a Iisdem traditur 170. a Gallasius ex ea ditione propitit 253 a In eam Valetta movet 254. b Ea Galli & Bernhardus Dux excedunt 266. b
Altringerus ab Hornio VVurtenbergico agro arcetur 95. b Is & Ferianus se disjungunt 120. b Cum eodem denuo jungitur 121. a Occumbit 157. a
Alzejam Hispani capiunt 408. a
Ad *Amænoburgum* castra ponit VVrangelius 630. b
Andernaco à Suecis succurritur 104. a
Anglia Status, Anno 1630. 24. a
Anglici Legati cum Oxenstierna acta 102. b Ejus apud Oxenstiernam propositio 256. b
Anglicus Legatus & Rustorfius Palatinum commendant 374. b
Anglicum fœdus cum Gallis & Suecis contra Cæsarem friget 378. b
Anglicus Legatus Formulam fœderis exhibet 379. a
Angli Hispanicæ Classi favent 380. a Ejus Classis intentio *ib.* b
Anglicus & Palatini Legati re infecta Vienna discedunt 505. a
Anglia Regis in Sueciam missio 505. a
Anglicani Parlamenti in Sueciam missio 1014. b
De *Anglorum* animo Sueci dubitant 308. b
Inter *Anglos* & Gallos fœdus friget 309. a
Anglia Rex Suecos ad fœdus invitat 309. b
Anglici & Sueciæ Legati collisio 310. a
Inter *Anglos* & Gallos fœderis difficultas *ibid.* b
Anglorum Legatio in Sueciam 1049. b
Anhaldini Principes in protectionem Regis Gustavi succedunt 52. b
Anklamum à Rege Gustavo Adolpho occupatur 37. a
Cæsarei ibidem considunt 281. b
Abhinc discedunt 281. a
Anhaldini pacem Pragensem sub conditione acceptant 196. b
Anspacensis dirus sequestratur 171. b
Appelbomius à Suecis in Angliam mittitur 1014. b
Archiepiscopus Bremensis cum Rege Gustavo fœdus init 56. b
Argentoratenses nutant 212. a
Arnheimii cum Fridlando commercia 68. a Idem Glogoviam expugnat 76. b Inter eum & Dunevvaldum dissensio 98. a Ejus congressus cum Oxenstierna super defectione Fridlandi 114. a Is in Misniam abit 118 b Francofurtum frustra obsidet 126. a Oppidum Aulæ oppugnat 151. b Glogoviam capit 158. b Banerio ut in Moraviam abeat suadet *ibid.* b A Saxone discedit 196. a Cui Sueci non fidunt *ibid.* a Capitur 297. a Ejus machinationes 409. a Novum exercitum molitur 442. a
Asseburgis legio deletur 104. b
Augustana Confessio 54. a
Augusta Vindelicorum à Gustavo occupatur 65. a Fame laborat 170. b Eadem expugnatur 185. b A VVrangelio obsidetur 633. b Cæsarei ei urbi subveniunt 634. a Obsidium solvitur *ibid.* a Ibidem & Ratisponæ executio Pacis fit 927. b
Aurspergius suspectas securitatis literas petit 523. b Denuo de separatis tractatibus movet 528. a
Super in *Austriam* bello transferendo disceptatio 416. a
Austriaci prius de interna quam de externa pace agi volunt 532. b Repugnant, quo minus Principale Collegium ad tractatus mittere debeat 533. a
Per *Austriam* Torstensonii progressus 579. a

Inter *Avanxium* & Salvium de fœdere disceptatio 307. a
Avanxius de novo fœdere movet *ibid.* a De initio ejus disceptatio *ibid.* b Circa alia fœderi conjuncta ejus sententia 308. a
Avanxium Mediatores Lubecæ ad Tractatus admittere nolunt 347. b Qui demum tamen admittitur *ibid.* b Ejus replica ad Cæsareorum exceptiones circa salvum conductum fœderatorum 348. a In quædam à Salvio Lubecæ paulo liberalius concessa non consentit 350. b
Avanxii responsum ad postulata Suecorum super prolongatione fœderis 415. b Modus tractandi per eum adhibitus 416. a Ejus artes destinata sua obtinendi 418. a Item super prorogatione fœderis Gallici cum Suecis 459. b Novæ conditiones ab eo latæ *ibid.* b Varium se gerit 460. a Ejus vergiversationes 465. b In Galliam abit 500. a Eodem avocatur 842. a
Avanxii congressus cum Legatis Suecicis 592. a

B.

Bambergensis Præsulatus jussu Gustavi ab Hornio invaditur 63. a Bamberga Hornius pellitur *ibid.* a
Banerius Francofurtum expugnat 153. a In Thuringia subsistit 172. b Brandeburgico non fidit *ibid.* b Multo minus Saxoni 173. a Ejus hiberna à Saxone turbantur *ibid.* b In hostem movere prohibetur 189. a Landgravio & Luneburgico consilium dat 197. a Conventus inter Vinariensem, Landgravium & Luneburgicum ei est suspectus *ibid.* b In eum Conspiratio detegitur 199. a Is Exercitum contrahit 200. b Luneburgico agro decedit 214. a In magnis difficultatibus hæret 215 à Prior Saxone Albim attingit *ibid.* a Quam trajicit *ibid.* b In Saxonem movet 222 b Havelbergam expugnat 223. b Berolino minatur 224. a Ei observator à Gallis adponitur 304. b Per Hiemem quievit 320. b Quod & vernis mentibus invitus facit 321. a Albim transit 359. a Ejus destinata *ibid.* a Freibergam frustra obsidet *ibid.* b In Bohemiam progreditur 362. b In eum calumniæ 386. a Ejus secreta Negotiatio cum Cæsareis per eos divulgatur *ibid.* a Is in Salvium irritatur *ibid.* a Ejus postulata à Cæsareis liberaliter annuuntur *ibid.* a Danubium versus cogitat 393. b Mutato consilio in Misniam recedit *ibid.* b Conjunctionem Vinariensium & Hassicorum quærit 394. a Ut & Luneburgicorum *ibid.* b Auxilia solicitat *ibid.* b Eius declaratio super Hassicis postulatis 397. a Secreta negotiatio expirat 420. b Consilium de Ratispona invadenda 434. a Occasionem rixæ cum Saxonibus declinat 158. b In Bohemiam tendit & Lusmericiam capit 159. a Ejus destinata *ibid.* b In ejus Exercitu motus sedatur 221. a Borussicæ Copiæ ei junguntur *ibid.* b Improviso Albim transit 241. b A Sala retrocedit 243. b Ejus consilia 244. a Saxo in eum movet *ibid.* a Trans Albim se confert *ibid.* a Cis Albim regreditur *ibid.* b Nascentem Ductorum seditionem opprimit 245. a Verbenæ subsistit *ibid.* b Magdeburgo frustra succurrere cupit 246. a Leslæum ad se evocat 258. a Luneburgum & Winsenam in potestatem redigit *ibid.* a Cis Albim transit *ibid.* b In hostem tendit 259. a Quem insigniter mactat *ibid.* b Paulo tardius eundem insequitur 261. b Denuo in eum tendit *ibid.* b Cæsareos ultra Hassiam propellit 262. a In Misniam rendit *ib.* b Saxonicos ad Eulenburgum fugat 274. b Torgam capit *ibid.* b Lipsiam obsidet & re infecta deserit 275. a Ejus consilia *ibid.* a Eulenburgum se confert *ibid.* b Saxo cum eo frustra de induciis agit *ibid.* b Ad Torgam considet 276. a Ejus ibi consilia & velitationes *ibid.* a Hostis eum ibi includere statuit *ibid.* b Is Torga movere instituit 277. b Ejus in Pomeraniam recessus *ibid.* b Quo incolumis evadit 278. b Ex hibernis movet 322. a In hostem ire constituit 323. a In Meclenburgica consistit *ibid* b Trans Albim abire constituit 325. a De Erfordiensibus servandis satagit *ibid.* b Albim transit 361. a Pragæ exercitum admove-

movet *ibid.* b Difficultates quibus premitur *ibid.* b In Miſniam regreditur 362. b Pyrnam munimentis nudat 363. a Pragam tentat *ibid.* a Cum eo Luneburgici de neutralitate agunt 368. b Ad eum ſuſpecta Inferioris Saxoniæ Legatio 370. a Ejus reſponſum *ibid.* b Cum eo ſecreti tractatus in Bohemia inſtituuntur 385. a

Bandiſius Pappenheimio cedit 75. b

Bandiſii in Colonienſem Ditionem expeditio 81. b

Bannerii declaratio 396. a Cum Haſſicis, Luneburgicis & Vinarienſibus ſe jungit *ibid.* a Ille cum ſociis ad Salfeldam conſidet *ibid.* a Cæſarei eum antevertunt 398. a Fœderatos auxilium poſcit 399. a Quod hi abnuunt *ibid.* a Luneburgicis diffidit *ibid.* b Ejus ad horum poſtulata reſponſum *ibid.* b Ducis Georgi auxilia denuo poſtulat 400. a Ejus reſponſum *ibid.* a In Sileſiam diſceſſum ſimulat *ib.* a Landgravia & Luneburgici eum retinere cupiunt *ibid.* b Ejus cum Georgio Luneburgico Duce colloquium 401. a Is Fœderatos ſuſpectos habet *ibid.* b Caſtra ad Fritzlariam movet 402. a Cæſareis obſiſtit *ibid.* b Per Luneburgicam ditionem hoſpitia capit *ibid.* b Sub Ratisponam excurrit 434. b Danubium tranſire non poteſt *ibid.* b Guebrianus ab eo ſe disjungit *ibid.* b Chami ſtativa ponit, 435. a Guebriani conjunctionem affectat *ibid.* b Is tergiverſatur *ibid.* b In Bohemiam cogitat 436. a In Pomeraniam adpellit 280. a In ulteriorem abit 282. a Ab hoſte inſequitur *ibid.* a Ex agro Luneburgico movet 404. a Ejus deſtinata ſub finem anni 1640. *ibid.* a In Bohemiam cogitat 436. a Ei Cæſarei ſubito ingruunt *ibid.* a In Bohemiam ſe recipit Cæſareis inſtantibus *ibid.* b Guebrianus ei iterum jungitur 437. a Morbo corripitur *ibid.* a Luneburgici & Landgravia ad eum mittunt *ibid.* b Ejus morbus recrudeſcit 438. a Is moritur *ibid.* a Ejus Elogium *ibid.* a Circa ejus exercitum Rectorum Sueciæ cura *ibid.* b Lubricus Suecorum ſtatus in Germania poſt ejus mortem *ibid.* b Ducum ejus Exercitus ad cæteros propoſitio 439. a Tribunorum ejus poſtulatio, quam ſummi Duces annuere coguntur *ibid.* a Eorum in Sueciam poſtulata & confœderatio *ibid.* a

Barbya à Succis capitur 242. a

Pro *Baſileenſi Epiſcopo* Helvetii intercedunt 81. a

Bandiſius in Weſtphaliam abit 75. a Paderbornæ obſidio decedit *ibid.* b Imperium abdicat 246. a

Bavarus irrumpit Bohemiam 13. b Electoratus Palatinus in eum confertur 16. a

Bavari & Unioniſtæ Bellum Bohemicum ſuadent 10. b

Bavarus fruſtra agit apud Guſtavum de neutralitate ſibi concedenda 60. a Ejus Conſilia 1632. *ibid.* b Conditiones à Guſtavo ei latæ 61. a Complura Bavariæ Oppida per Guſtavum capiuntur 60. a Ejus equites vapulant *ibid.* b

Bavarica copiæ Weiſſenburgum expugnant 67. a

Bavarus junctim cum Fridlando in Guſtavum Adolf. it 70. b

Bavari Fridbergam, Landsbergam & Fieſſam capiunt 72. a

Per *Bavariam* geſta 80. b

Bavarici Memmingam & Campodunum expugnant 95. a Ab Hornio vapulant *ibid.* b Neoburgum expugnant 116. a Biberacum capiunt *ibid.* b Male multati domum redeunt 121. b Vapulant 137. b Straubingam recuperant 141. a Hornius iisdem damnum infert *ibid.* a Iidem ab eo multantur *ibid.* b Eorum copiæ Suecis junguntur 153. a

Bavaria Sueci excedunt 157. a

Bavari Heidelbergam tentant 170. a Schorndorfum capiunt *ibid.* a Heidelbergam denuo fruſtra tentant *ibid.* b

Bavarici occurrunt Vinarienſibus in Palatinatum deſcendentibus 378. a

Bavari & Cæſaris copiæ ſe contrahunt 434. a

Bavarici à Cæſareis ſeparantur 477. b

Bavarici cum Cæſareis in Franconiam tendunt 489. b Rhenum tranſeunt 520. a In Gallos movent *ibid.* b

Bavarici Lotharingis junguntur 518. a

Bavarici ſe promtos paci exequendæ teſtantur 939. b Rotvvilam recuperant 521. b Uberlingam recipiunt 556. a In eos Turennius movet *ibid.* b Ei Fridburgum obſident *ibid.* b Id iis deditur *ibid.* b Pars eorum caſtrorum expugnatur ab Enguiano Duce 557. a Gallos altera vice venientes repellunt *ibid.* a Cædentes à Gallis multantur *ibid.* a Copias augent *ibid.* b Fruſtra Haſſicis inſidias ſtruunt 558. a Denuo ad Rhenum movent *ibid.* b In hiberna concedunt *ibid.* b In Haſſiam eunt 587. a Kirchainam fruſtra oppugnant *ibid.* a Cæſarei iis ſubveniunt 589. a Multa oppida recuperant *ibid.* a Se Cæſareis jungunt anno 1646. 617. a Vapulant 615. a Per Bavariā trepidatio *ibid.* a Iterum vapulant *ib.* b In Bavariam Fœderati denuo irrumpunt 634. b Iterum excedunt 635. b

Inter *Bavarum* & Gallos tractatus 654. b

Bavaricorum Ulmæ prima propoſitio 703. b Eorum exercitus tumultuatur 715. a Tumultus ſedatur *ibid.* b

Bavarus apud Cæſarem queritur *ibid.* b Ratificationem armiſtitii cum Wrangelio initi abnuit 718. a Cum Cæſare tranſigit 720. b Ejus tranſactionis contenta *ibid.* b Inducias renuntiat 721. a Memmingam invadit *ibid.* b Ei Memminga deditur 736. a Cum eo Galli inducias continuant *ibid.* b Is Cæſarem ad pacem impellit 780. b Inter eum & Gallos hoſtilia reſumuntur 800. a Ejus cum Cæſare conventio 804. a Ejus ditio male habetur 810. a Ad Ordines literæ 926. b Peculiarem Guarantiam omittit 931. a

Bavarus intercipit Ratisponam 65. b Fruſtra apud Guſtavum, per Miniſtrum Gallicum de Neutralitate agit *ib.* b

Belgarum Fœderatorum ſtatus Anno 1630. 25. a

Belgarum legati monaſterio diſcedunt 851. a

Inter *Belgas* Fœderatos & Hiſpanos pax concluditur 850. a Ea in Belgio publicatur *ibid.* b

Bellum Bohemicum ſurgit 10. b

Bellum Smalcaldicum exardeſcit 5. a

Benfelda ab Hornio obſidetur 78. b Ab Hornio expugnatur 80. b Circa eam Guebrianus copias diſtribuit 520. a

Benningbuſius in Haſſiam irrumpit 117. b Succis jungitur 631. a

Betlemus in Hungariam irrumpit 12. a Betlemus Bellum renovat 17. a

Bernburgi Gallaſius caſtra metatur 551. a Eodem Torſtenſonius tendit *ibid.* a

Bernhardus Dux in Franconiam abit 95. a

Bernhardus Dux, in Bavariam tendit, & Hornio ſe jungit 103. a Ejus poſtulata *ibid.* b Bavaria à Bernhardo Duce petitur *ibid.* a Aichſtadium capit 105. a Ingolſtadium fruſtra intercipere conatur *ibid.* a In Sueviam tendit 116. a Ratisponam expugnat 121. b Straubingam capit 122. a Iſaram tranſit *ibid.* b In Fridlandum movet 123. a Se cum Fridlando conjungere cunctatur 139. a Cronacum fruſtra tentat 140. b In hoſpitia ſecedit 150. b Ratispona diſcedit 151. a Forcheimum obſidet 154. b Agitata inter eum & Hornium de conjunctione 155. b Improviſo ſe Hornio jungit 156. a Rhenum trajicit 164. b Ejus in Wetteraviam irrita expeditio 183. a Francofurtum excurrit 193. b In ſumma difficultate conjicitur 194. a Verſus Galliam ſe recipit *ibid.* a Cum Gallis Rhenum tranſit 212. b Cum iisdem re infecta regreditur 213. a Lutetiam proficiſcitur 253. a In Alſatiam movet 254. b Tabernas obſidet *ibid.* b Ejus inſignis velitatio 266. b Alſatia cum Gallis excedit *ibid.* b Expeditionem in Germaniam agitat 290. a In Burgundiam irrumpit *ibid.* b Rhenum tranſit *ibid.* b Ab eo fluvio recedit 291. a Denuo Rhenum verſus movet 332. a Seckingam & Lauffenburgum capit *ibid.* b Rheinfeldam obſidet *ibid.* b Rœtelam & Friburgum Briſgoviæ capit 334. b Ut & Rheinfeldam *ibid.* a Ejus & Gœtzii mutui conatus 335. b Multa Burgundiæ oppida expugnat 372. a Ejus cum Gallis diſſenſio *ibid.* b Quæ ipſius progreſſus impedit 373. b Is à Cæſare tentatur *ibid.* b Morbo corripitur & moritur, non ſine veneni ſuſpicione *ibid.* b Ejus Teſtamentum aperitur 375. a

Berolino Banerius minatur 224. a Ut & Stalhantſchius 451. a

Biberacum à Bavaris capitur 116. b Ab Hornio expugnatur 142. a

RERUM PRÆCIPUARUM.

Bielckius Brandeburgico reſiſtit in apprehenſione poſſeſſionis Pomeraniæ 294. a Secundam Ordinum propoſitionem rejicit *ibid.* a Improbat decretum Ordinum Pomeraniæ 295. a Abnuit Marchionem Sigiſmundum Stetinum venire 296. b
Bielkius Legatus moritur 321. a
Bioernclovius Viennam mittitur 990. a Ejus negotiatio Viennæ circa titulos 997. b Ejus literæ fiduciariæ redhibentur *ibid.* b Ad audientiam admittitur 998. a Ulterior circa titulos & linguam diſceptatio *ibid.* a Ejus poſtulata *ibid.* b Cæſareorum tergiverſatio circa linguam *ibid.* b
Bobenhuſa à Guſtavo capitur 62. a
Bockela à Cæſareis capitur 445. a
Ad *Bodamicum Lacum* geſta 157. b
Bohemi Ferdinandum Regem abnuunt 11. a Iidem Fredericum Palatinum Regem eligunt *ibid.* b
Bohemia à Bavaro irrumpitur 13. b A Saxonib⁹ invaditur 57. b Fridlandus in *Bohemiam* movet 67. b Saxones ibi rem male gerunt *ibid.* b Eadem Saxones pelluntur 68. b Per eam Cæſarei complura loca Succis eripiunt 393. a Ibidem ii ſe colligunt *ibid.* a Ea Cæſarei abeunt 509. b In id Regnum Torſtenſonius irrumpit *ibid.* b In eam Torſtenſonius movet 576. a In eandem Succi longius tendunt. *ib.* b In eam denuo Succicus exercitus irrumpit 584. a Ex ea Succi ſe recipiunt 627. a
Bohemici Exules Salvum conductum Oſnabrugæ quærunt 656. a Eo Torſtenſonius cogitat 487. a
Boleslavia inflammatur 483. a
Bothis (Hermanni) irruptio in Livoniam 389. a Ejus machinationes 409. a In Saxonia inferiore 453. 454. Is capitur 454. a A Bremenſi prætule dimittitur *ibid.* a Vapulat 487. b
Ad *Boſſingam* Succi caſtra locant 160. a
Borckemum capitur 157. b
Conflictus ad *Brakelam* 75. b
Brandeburgici Acta cum Guſtavo Adolpho 41. a Is ſe gerit ambiguum 42. a
Brandeburgici cum Regiis & Saxonibus junguntur 76. b
Brandeburgicus cauſæ communi favet 92. b Dresdæ cum Saxone congreditur 93. b Reginæ Chriſtinæ Connubium cum filio ſuo affectat 102. a Ei Tractatus Wratislavienſis diſplicet 108. b Ejus legati acta cum Oxenſtierna 113. b Poſtulatum de Pomerania *ibid.* b Reſpontum ad conditiones pacis, à Fridlando oblatas 115. a Ejuſdem circa Pomeraniã poſtulata 126. b Congreſſus cum Oxenſtierna 135. b Ejus legati circa Pomeraniam temperamentum non admittitur in Conventu Francofurtenſi 149. b Is Succicis Legionibus hoſpitia abnegat 188. b Ad amplectendam pacem à Saxone ſolicitatur 190. a Ejus incommoda latis perſpiciens dilationem quærit *ibid.* a Alienatum à Succis animum habet *ibid.* & 192.
Brandeburgicus Marchio Chriſtianus ſe Cæſari dedit 195. a
Brandeburgicus Elector circa Pacem Pragenſem acceptandam nutat 196. b Poſt artibus malevolorum corrumpitur 197. a Pacem Pragenſem amplectitur 207. & 208
Brandeburgo Cæſarei potiuntur 258. b
Brandeburgici legati inducias quærunt 278. b Eorum Elector edicta avocatoria promulgat 279. b Ejus & Succorum controverſia ob ſucceſſionem Pomeraniæ ejusque rationes 292. a Pomeraniam apprehendere vult 294. a Pomeraniam armis vindicare conſtituit *ibid.* b Ejus legio opprimitur 365. a Ruppinum fruſtra tentat 366. b Ut & Francofurtum 405. b Per ejus mortem rerum mutatio 407. a Novus Elector Pomeranos ſollicitat 408. a
Super *Brandeburgicis* induciis tractatuum acta Stralſundæ 491. a Brandeburgici ſe ibi variegerunt 492 b Re infecta recedunt *ibid.* b Tractatus cum iis Stetini inſtauratur, & iterum re infecta recedunt *ibid.* b Brandeburgici nova in Sueciam Legatio 493. a Animorum motus ob eam Legationem *ibid.* a Legatorum negotiatio de Regina matre. *ibid.* b De induciis *ibid.* b De Matrimonio Reginæ cum Electore Brandeburgico 494. a
Brandeburgicus æque ac Galli pacem non vult *ibid.* b
Cum *Brandeburgico* & Succis Tractatus induciarum adhuc hæret 521. b Ei Conventus Francofurtenſis diſplicet 532. b Croſna & Francofurtum reſtituuntur 554. a Ad eum Succorum miſſio 544. b In pacem inclinat 453. a Circa ejus neutralitatem cum Succis acta 458. a Ejus Legatus in Sueciam venit *ibid.* a Ejus poſtulata *ibid.* b Super Brandeburgico concedenda Neutralitate Sueciæ Rectorum Conſultatio *ibid.* b Cum eo Neutralitas concluditur *ibid.* & 459. Cum eo Sueciæ Regina ſuper Pomerania ſeorſim agere non vult 625. a Ejus colloquia cum Cæſareis ſuper Pomerania 649. b Novos Tractatus ſuper Pomerania offert 678. a Inter eum & Succos ſecreti Tractatus ſuſcipiuntur 687. b Ejus Legatorum novum procuratorium rejicitur 689. b Ii contra acta Monaſterii proteſtantur 690. b Hollandorum interpoſitionem circa Pomeraniam affectant 692. b Plettenbergii & San-Romani apud Brandeburgicum propoſitio, & ejus reſponſum *ibid.* b Cum eo de cedendis æquivalentibus agitur 924. a Mindæ jus proprii prætidii adimunt 951. b Ejus in Sueciam Legatio 956. a Ad Sueciæ Generaliſſimum miſſio 966. a Inveſtituram Reginæ Sueciæ circa Pomeraniam impedire conatur 1020. b
Braunfelſa à Guſtavo capitur 62. a A Comite Naſſovio intercipitur 184. b
Bredavium Roſa profligat 403. b
Brandeſteinii Comitis irrita circa pacem opera 296. a
Brema Urbs fœdere Guſtavo jungitur 61. b Ejus Ditionem Cæſarei in Danum transferre laborant 63. b Geſta Guſtaviani militis per eam *ibid.* b Circa eam præſulatum controverſia 173. b Succorum circa eam ditionem intentio 174. a Is præſulatus ab Holſatiæ Duce affectatur *ibid.* a
Bremenſes Ordines in Danum inclinant 175. a Præſulatus Frederico conceditur 187. b Epiſcopus pacem Pragenſem amplectitur 207. a Cum Epiſcopo ſuper neutralitate tranſactio 262. a A prætule Boothius dimittitur 454. a Hoſtilia in Succos ſumit 548. b Ejus Legatio Holmiæ 695. a Super ejus urbis medietate controverſia 1054. b Bremenſes à Belgis auxilium petunt 1057. a
Bringa à Gallis capitur 212. b
Briga à Torſtenſonio obſidetur 481. b
Apud *Brigentiam* Wrangelius montium clauſtra occupat 636. b
Brina obſidium tarde procedit 581. a Solvitur 583. a
Briſacenſes vapulant 96. a Idem iis altera vice accidit *ibid.* b Vapulant tertio 109. b Ejus urbis obſidium ſolvitur 120. b Fame urgetur 157. b Gœrzius ibi annonam infert 333. a Granarium ibi perit *ibid.* a
Briſicum arctius clauditur 336. b Cæſarei ibi pelluntur 337. a Ei urbi Croatæ frumentum inferunt *ibid.* a Arctius premitur 338. a Ejus liberationem Gœrzius tentat *ibid.* a In anguſtias redigitur 339. a ſe dedit *ibid.* b Circa eam urbem recuperandam Hiſpanorum irritus conatus 408. b Ea à Gallis plane ſibi vindicatur *ibid.* b Ejus prætidiarii ſeditionem induunt 556. a Eam Cæſarei Gallis cedere nolunt 606. a
In *Briſgovia* geſta 105. b
Britanno-Gallici Tractatus præcipua capita 340. a Gallorum circa hunc ſecreta inventio *ibid.* b
Brunſuiga urbs fœdus cum Guſtavo init 61. b
Brunſuicenſis Dux Fredericus Ulricus fœdere Guſtavo jungitur 61. b
Brunſuicenſis Ducis Auguſti, ſuper pace conatus 298. b Ejus conſilia 299. a
Brunſuiga tractatus Goslarienſis recoquitur 503. a
Brixienſem arcem Wrangelius capit 627. a
Buckenburgum à Cæſareis occupatur 123. b
Bucheimius Comes vapulat 521. b
Buchornum munitur 151. b
Ad *Buckenam* Conflictus 1353. a
Buckeimius Sileſia excedit 815. a
Budiſſinam Fridlandus capit 124. b
Budiſſinam Saxonici occupant 363. b

INDEX

Burgundiam Cæsareani tendunt 166. a
Burgundia à Bernhardo Duce invaditur 200. b Multa oppida ibi Bernhardus Dux expugnat 372. a
Burgundus bellum suadet 533. a Reliqui eo contradicunt *ib.* a

C.

Callenberga obsidium à Pappenheimio solvitur 72. a
Caminum à Gustavo Adolfo occupatur 36. a
Campodunum cum Memminga à Bavaricis expugnatur 95. a Ut & ab Hornio 142. a
Canterfteinii in Hollandia Negotiatiõ 992. a
Cardinalis Infans in Belgium descendit 166. a
Carolus V. an dissidia, per dogmata Lutheri orta, aluerit 4. a Ad ea componenda Concilium promittit *ibid.* b Ejus indulta pro Religione Lutheri & artes *ibid.* b Quomodo victoria in Bello Smalcaldico usus sit 6. a Cur Monarchiam in Germania stabilire non potuerit *ibid.* a
In *Carolum Gustavum* Palatinum summum Imperium Belli confertur 816. b Is Reginæ Christinæ nuptias ambit *ibid.* b. In Germania adpellit 819. b Saxoniæ Electoris ad ipsum Legatio *ibid.* b In Bohemiam tendit *ibid.* b Pragam oppugnat 820. a Cæsari scribit 982. b Qui ei respondet *ibid.* b Noriberga discedit 983. a De eo in Principem hæreditarium assumendo in Suecia proponitur 985. b Circa eum Ordinum considerationes 986. a Ejus cautio discutitur *ibid.* b Is Holmiam adpellit 987. b Ejus cautio 988. a Jus hæreditarium Decreto ordinum sancitur, *ibid.* b Is Princeps hæreditarius Sueciæ declaratur *ibid.* b De eo in successorem regni designando in Senatu agitatur *ibid.* b Ejusdem responsum *ibid.* b Ad Ordines propositio 968. a Cum Moguntino congressus *ibid.* a In Sueciam evocatur, sed tractatibus finem prius imponere cupit *ibid.* b Ejus cautio Reginæ Sueciæ data, cum in Regem eligeretur 1061. a
De *Cassellanis* Darmstadiensium querelæ 656. a
Catholicorum extrema Osnabrugæ declaratio, super Reservato Ecclesiastico 661. a Eorum nova Osnabrugæ super Gravaminibus declaratio 670. b Evangelicorum ad eam responsio *ibid.* b Ii Gallorum Favorem captant 672. a Nuperam formulam Pacis Osnabrugæ adspernantur 684. a
Cæsarei Holsatiam penetrant 18. b Stralsundam infestant 28. b Eorum conatus contra Gustavum in Borussia in irritum cadunt 31. b
Cæsareorum Status miser 37. a Colbergæ obsidionem frustra solvere laborant 38. b Gryphenhaga & Gartzio ejiciuntur 39. a
Cæsaris Edicta & Literæ in Gustavum *ibid.* b
Cæsarea Navis Prætoria à Suecis ad Wismariam fugatur 39. a
Cæsarei apud Mersburgum vapulant 52. b Lusatiam irrumpunt 57. a
Cæsar summam Belli Fridlando offert 58. a
Cæsarei detulerunt Magdeburgum 62. b Bremensem Ditionem in Danum transferre laborant 68. b Lichtenaviam occupant 73. a Eorum commeatus intercipitur *ibid.* b Iidem vapulant. *ib.* b Lusatiam irrumpunt 76. a Castris ad Stenaviam faciessunt 77. b Ad Wratislaviam considerant *ibid.* b Castra ibi deserunt *ibid.* b Eorum in Alsatia conatus 78. a Ad Wiselochum vapulant *ibid.* a Noriberga discedunt 79. a Cum Landgravio Georgio congrediuntur 94. a Hagenoam intercipiunt 96. a
Cæsareorum in Brisgovia gesta 105. b Siburgum frustra tentant 110. b Eorum salvi conductus ad Tractatus Pacis informes 113. a Ii cum Bavaricis in Alsatiam tendunt 120. a Iterum in Alsatia se movent 123. a Buchenburgum capiunt *ibid.* b Ut & Landsbergam 125. b Vapulant 126. b
Inter *Cæsarem* & Saxonem de Pace denuo agitatur 134. b Ejus gratia Fridlandus excidit 137. b Imperium Exercituum in filium suum *Cæsar* confert 138. a Ejus exercitus post mortem Fridlandi in officio continetur. 140. a Legio opprimitur *ibid.* b
Cæsarei Suecos Palatinatu superiore expellunt 141. a Ad Wangenam vapulant 142. a Ut & in Alsatia *ibid.* b Eorum in eadem conatus *ibid.* b Ii movent 151. a Ratisponam tendunt *ibid.* a
Inter *Cæsarem* & Saxoniæ Electorem tractatus suscipiuntur 154. a
Cæsarei ad Ratisponam nutari videntur 154. b Kehlheimum capiunt 155. a Post victoriam Norlinganam late grassantur 165. b Eorum per Wurtenbergicam progressus *ibid.* b Multa Franconiæ loca occupant 166. b Vapulant 171. a Schweinfurtum, Wurtzburgum, Winsheimum & Weissenburgum capiunt *ibid.* a Per Wetteraviam grassantur 183. b Philipsburgum intercipiunt 184. a Spiram capiunt *ibid.* b *Augustam Vindelicorum* fame expugnant 185. b Wurtzburgensem, Pappenheimensem Arces capiunt 186. b Ad Spiram Rhenum transeunt 194. a Iis Wormatia se dedit *ib.* b Lauteram capiunt, & Moguntiã premunt *ib.* b
Cæsari se dedunt Christianus Marchio Brandeburgicus & Urbes Noriberga, Ulma & Memminga 195. a Is Edictum avocatorium promulgat 202. b
Cæsarei Gartzium opprimunt 208. b
Cum *Cæsare* Hassiæ Landgravius tractat & tractatus continuat 209. & 210.
Cæsareorum per Superiorem Germaniam Successus 211. b Ii Bernhardum Ducem & Gallos frustra persequuntur 213. a Stargardiam expugnant 216. a Ad Wollinum pelluntur *ibid.* b Kœnigshova & Franckendalia potiuntur 225. b Moguntia iis deditur *ibid.* b Eorum ad Haselunam clades 247. b Ii Havelberga, Werbena, Ratenavia & Brandeburgo potiuntur 258. b Ad Perlebergam consistunt 259. a Ultra Hassiam à Banerio propelluntur 262. a
Cæsar Stralsundam tentat 264. a
Cæsarei in Burgundiam tendunt 266. a
Cæsar Stralsundenses denuo tentat 279. b
Cæsareorum in Pomerania progressus 280. a Iidem in citeriorem Pomeraniam tendunt *ibid.* b Ad Anclamum considerunt *ibid.* b Eodem discedunt 281. a Denuo in citeriorem Pomeraniam movent *ibid.* b Iterum cedunt *ibid.* b Banerium in Ulteriorem Pomeraniã insequuntur 281. a In Pomeraniam irrumpunt *ibid.* b Progressus in Pomerania 283. b Usedomum ab iis occupatur *ibid.* b Wolgastum expugnant 284. b Demminum iis deditur 285. a Eorum Exercitus Pomerania iterum excedit *ibid.* a Erfordienses solicitant 288. b Munimenta à Bernhardo Duce ad Rhenum excitata expugnant 291. b
De *Cæsaris* animo in pacem dubitant Sueci 295. b
Cæsarei Procuratorii defectus 298. a Ministri narrata *ibid.* b
Cæsar Ordines Germaniæ ad Tractatum admittere non vult 303. a
Cæsarei Gartzium expugnant 321. a Eorum misera conditio *ibid.* b Iidem munimentum Varnemundam capiunt *ibid.* b Multantur 322. b
In *Cæsaris* ditiones Gallasius abit 325. a
Cæsareorum in ulteriorem Pomeraniam conatus 325. b
Cum *Cæsare* Hassiaci denuo tractant 327. a
Inter *Cæsarem* & Hassos pax *ibid.* b Quam Cæsar ratihabere abnuit 328. a
Cæsarei Meppam capiunt 328. b Hanoviam intercipiunt 332. a Bernhardo Duci obviam procedunt *ibid.* b Eorum caterva vapulat 334. a Ad Brisacum pelluntur 337. a
Cæsareorum exceptiones circa salvum conductum Fœderatorum Lubecæ 348. a Salvii & Avauxii ad eas replica *ibid.* b
Cæsarem salvus conductus Lubecæ adest 352. a Ejus vitia *ib.* a Temperamentum circa ea à Dano propositum *ibid.* b
Cæsarei vapulant 361. a Vapulant & apud Glacium 361. a Copias undique contrahunt 363. b Exercitus conditio 364. a
Cæsar Luneburgicos Hildesiam restituere jubet 369. b In eum Georgius Luneburgicus Dux offensam concipit 370. a Vinarienses captat 377. a Gallorum artes contra eundem prævalent *ibid.* a
Inter *Cæsareos* & Suecos Dani mediatio friget 383. a Eorum cum Banerio negotiatio 385. b Quæ per Cæsareos divulgatur 386. a Iidem Banerii Postulata liberaliter annuunt *ib.* a Ulterius rem in specie urgent *ibid.* b In expeditionem progrediuntur 393. a Suecis complura loca per Bohemiam

Iniam eripiunt *ibid.* a Quos fruſtra ſequuntur 394. a
Cæſar Luneburgicos Duces ſolicitat 395. a Qui Cæſari non fidunt *ibid.* a
Cæſarei apud Salfeldam conſident 396. a Chemniciam *ibid.* b Nolunt Haſſicos & Luneburgicos ut juſtos hoſtes tractare 397. a Eorum ad Salfeldam difficultates *ibid.* a Banerium anteverrunt 398. a Fritzlariam tendunt 400. b
Cæſarea copiæ augentur 402. a Fritzlaria movent *ibid.* a Eorum deſtinata *ibid.* a Huxteram expugnant *ibid.* b Vitzurgim non poſſunt tranſire *ibid.* b Iis Banerius obſiſtit *ib.* b Huxteram deſerunt 403. a In Hatſiam regrediuntur *ibid.* b Hernſtadium occupant 404. b Juram capiunt *ib.* b Ut & Strigoviam 405. a Vapulant *ibid.* a Hirſchbergam obſident *ibid.* b Tentant 406. a In hiberna concedunt *ibid.* b Neuhauſam non ſine damno tentant 407. a Circa Hohentwilam vapulant 409. a
Cæſar an pacem velit dubitatur 421. a Bellum magis quam pacem agitat 426 b Ejus & Bavari copiæ ſe contrahunt 434. a
Cæſarei ſua deſtinata diſſimulant, Anno 1641. 435. b Banerio ſubito ingruunt 436. a Qui iis inſtantibus in Bohemiam ſe recipit *ibid.* b Propius ad Guebrianos ſe movent 437. a Apud Weiſſenfeldam vapulant 438. a Salam tranſeunt *ibid.* a Luneburgicos allicere ſtudent 440. b Iis Fœderati præveniunt 441. a Zwiccaviam capiunt *ib.* b A Guelferbyto recedunt 442. a Quædam oppida occupant 444. a De eorum deſtinatis conjectura *ibid.* a Libenburgum & Bockelam capiunt 445. a Vapulant *ibid.* b Eimbecam & alia multa loca capiunt 448. b
Gœttingam fruſtra oblident 449 a
Heldrungam & Maſſeldam capiunt 450. a Eorum irritus conatus *ibid.* b Per Sileſiam progreſſus 452. b Crucenacum capiunt 455. a Gengenbacum & Friburgum fruſtra oppugnant *ibid.* a In Succos movent 475. a Cis Albim veniunt 476. b Eorum conſilia *ibid.* b Catervam in Mecklenburgicam præmittunt *ibid.* b Trans Albim revertunt 377. a Ab iis Bavarici ſeparantur *ibid.* b Eos Torſtenſonius fruſtra inſequitur 480. b Brigæ à Torſtenſonio obſeſſæ ſubveniunt 481. b Succos inſequuntur 482. a Glogoviam obſident *ibid.* b Obſidium ejus urbis ſolvunt 483. a Inter eos & Succos conventio de redemtione captivorum *ibid.* b Ad liberandam Lipſiam veniunt 484. b Eorum acies in prælio ad Lipſiam 485. a In eo prælio clades *ibid.* b In Bohemia ſe colligunt 487. a Guebriano ingruunt 489. a In Franconiam cum Bavaricis tendunt *ibid.* b
Cæſar ſeparatos tractatus captat 497. a Ejus factum circa pacem arguitur & defenditur 498. a Succos denuo ad ſecretos tractatus ſolicitat *ibid.* a A Dano ad ratificandum hortatur 499. a Circa præliminarem tractatum firmat *ibid.* a
Cæſarei denuo ſeparatos tractatus tentant 500. a
Cæſar præliminarem tractatum ratihabere non vult 495. a Ejus literæ ad Daniæ Regem *ibid.* a Circa ejus Ratificationem præliminaris tractatus deſiderata 500. a
Per *Cæſareos* tractatus trahuntur *ibid.* b Ex morte Richelii mutationem ſperant 501. a Separatos tractatus urgere non deſiſtunt *ibid.* a
Cæſaris declaratio circa Palatinam cauſam 504. a
Cæſarei in Bohemiam abeunt 509. b Eorum renovatio conventionis cum Succis ſuper redemtione captivorũ 511. b
Cæſaris irritum iter 512. a Ejus caterva vapulat *ibid.* a
Cæſarei Guelferbytum evacuant 517. a A pace communi abhorrent & circa eam acta 522. a
Cæſaris emendata ratificatio adeſt *ibid.* a Cujus exempla exhibentur, quorum emendatio Sueciæ Rectoribus diſplicet *ibid.* a
Cæſarei ſeparatos tractatus captant 523. b Eorum ſecreta in Galliam miſſio 524. a Quæ rejicitur *ibid.* a
Cæſar ſtudium pacis præ ſe fert 526. a
Cæſarei in tractatibus de Ordinum negotiis pacis agi nolunt 535. b Miſſionibus ad loca tractatuum repugnant *ibid.* b
Cæſar Conventum Francofurti continuari decernit 536. b
In *Cæſarem* Ragozius bellum ſumit 539. a
Cæſareorum conſilium anno 1644. 549. a Ab iis Dani non ſine offenſa ſeparantur 550. a Eorum pabulatores vapulant 551. b
Eislebiam diripiunt 552. a Eorum pabulatores intercipiuntur *ibid.* a Equitatus vapulat *ibid.* a Cæſarei Drackenbergam recuperant 553. a Ut & Schweidniciam & Wolaviam, Glogoviam fruſtra obſident *ibid.* b Oppelam capiunt *ibid.* b Olmucium fruſtra obſident *ibid.* b
Cæſareorum miſera conditio 555. a Cæſarei denuo ingruunt *ibid.* b Circa Procuratoria Oſnabrugæ tergiverſantur 562. a Abſque Danis tractare nolunt *ibid.* b Moram tractatuum Succis impingere volunt 565. a Ii ultro Procuratorium exhibere cupiunt 566. a In quo pauca deſiderantur *ibid.* b Cæſareorum moræ circa probandum Procuratorium *ibid.* b
Cæſar Electores Veneris pares habet 571. b
Cæſarei Stralſundæ ſalvum conductum negant 572. a
Cæſarei copias contrahunt anno 1645. 576. b Se in Bohemiam Succis objiciunt *ibid.* b Apud Jancoviam illis ſe objiciunt 577. a Eorum ibi ſtrages *ibid.* b Altera vice fugantur 578. a Cæſorum & Captorum numerus *ibid.* a
Cæſar Viennam ſe recipit *ibid.* b Cæſar exercitum reparat poſt Cladem ad Jancoviam 579. a
Cæſarei Caſtellum ad Viennenſem pontem recuperant 580. b
Cæſar Ragozium ad pacem permovet 582. a
Cæſarei Bavaricis ſubveniunt 589. a Succos ad propoſitionem faciendam fruſtra urgent 593. b Ad Gallorum propoſitionem reſpondent *ibid.* b
Cæſaris intentio ſuper modo tractandi Monaſterii 601. a
Cæſareorum eo nomine ad Ordines propoſitio *ibid.* b
Cæſar Ordines ad Tractatus advocat 605. a
Cæſarei de Oſnabrugenſibus queruntur *ibid.* a Reſponſum ad Regiorum propoſitionem exhibere detrectant 606. a Eorum reſponſum Ordinibus traditur 607. a Ejus formula *ibid.* a Reſponſum ad Gallorum propoſitionem 609. a De eo judicium *ibid.* b Super Cæſareorum reſponſo Regiis tradendo dubium *ibid.* b Cum Succis ſecretos tractatus captant 611. a Reſponſum ſuum per Electorales inſinuant *ibid.* b
Cæſarei & Bavarici ſe conjungunt anno 1646. 627. a Skalam arcem & Furſtenſteinam recuperant *ibid.* b Franconiam inſident 629. b In Succos tendunt 631. a Cum fame conflictantur *ibid.* a Eorum valida caterva vapulant 632. a Ad Lanum recedunt *ibid.* b In Bavariam denuo revertunt 635. a Vapulant 636. a. Teſchenam arcem recuperant 637. a Cremſam obſident *ibid.* a Frankenheinam recuperant *ibid.* b Ut & Corneuburgum 638. a Cum Traurmansdorfio de ſatisfactione agunt 652. a Scriptum adverſus Gallos evulgant *ibid.* a Super Lotharingi ſalvo conductu denuo fruſtra movent *ibid.* b Eorum occultæ artes 654. a Succicis duplicam Oſnabrugæ exhibent 661. b Eorum peculiaris declaratio ſuper ſatisfactione Succica 663. b Quam ampliant 664. a Hoſtilia omitti poſtulant 686. a Briſacum Gallis cedere nolunt *ibid.* a Totam Pomeraniam Succis offerunt 693. a Eorum de Wilmaria ſententia *ibid.* b
In *Cæſaris* caſtris Succi irrumpunt 716. b
Cæſarei Tribelam occupant 718. b
Cum *Cæſare* Bavarus tranſigit 720. b
Cæſarei ingentes ſpiritus ſumunt 721. a Iis copias ſuas Bavarus [illegible] *ibid.* b In Thuringiam veniunt 723. a. In Haſſiam flectunt *ibid.* a Olmucium & Iglavium eminus obſident 725 b Caſtellum ad Kœnigsvvartam recuperant 727. a Weſtphalia decedere nolunt 728. a Wangenam opprimunt 735. a Gieſſam & Ravensburgum fruſtra tentant. *ibid.* a Ut & Langenargam *ibid.* b Evangelicos in Succos ſtimulant 779. b Abſque Succis tractare volunt 781. b Declarationem ſuam in inſtrumentum Pacis edunt 783. b Iis pax cordi eſſe non videtur 794. a A ſuperiore Palatinatu Donavvertam revertunt 805. a Trans Danubium abeunt *ib.* a Donavvertam deſerunt & in Bavariam ſe recipiunt 806. a Ad ſuccurendum Pragæ propinquant

pinquant 802. b Evangelicos ad negotia Imperii expedienda hortantur 814. a Iis Evangelicorum consilia produntur 833. b §. *Tandem omnes*, expediri cupiunt 843. b Plenum pacis instrumentum edunt 849. b Super quo Sueci notas formant *ib.* b Iis invitis pax concluditur 859. b
Inter sacram *Cæsaream* & Regiam Suecicam Majestates articuli pacis 872. b
De *Cæsarei* militis satisfactione Monasterii acta 907. a Cæsareorum ad Ordines propositio 601. b
Cæsarei Suecos Bohemia excedere postulant 911. b Id quod Generalissimus Carolus Gustavus demum annuit *ibid.* b Bohemiæ locis præsidia deduci postulant 912. a Permutationem ratificationum urgent 916. a De quo Sueci dubitant & super quo Ordines instant *ibid.* a Inter eos & Suecos Ratihabitionum permutatio peragitur 919. a. Propter retardationem executionis pacis millionem militum differri nolunt 928. a Iis designatio restituendorum exhibetur *ibid.* b Eorum de ea re sententia 929. a
Cæsarei temperamentum quærunt super Franckendalia restituenda 936. b Formulam conventionis super restitutione Franckendaliæ adornant 937. b Quæ discutitur 938. a Sequestro Hermensteiniano resistunt 947. a Inter eos & Suecos Negotiatio super Conventione principali 948. a Cæsar sequestrum Hermensteinianum improbat 949. a Moræ culpam Corouis impingit *ibid.* b In Westphaliam se movet. 952. b
Cæsarei de Heilbrunna Palatino tradenda proponunt 969. a Quam rem Galli frustra remorari conantur *ibid.* b
Cæsar Bremam urbem, Sueciæ Regina contradicente ad Comitia vocat 1019. b Capitulares Bremenses in tutelam suscipit 1020. b Reginæ Sueciæ postulata ex parte annuit 1021. a Reginæ Sueciæ Legatos ad sessionem in Comitiis admittere detrectat 1040. b Ejus decretum pro civitate Bremensi 1055. b
Chamum à Suecis capitur 122. b
Chami Banerius statiua ponit 435. a
Ad *Chemnicium* prælium 360. a
Chemnicium Cæsarei recuperant 396. b
Christiani Brunsuicensis Expeditio 15. a Apud Stadloam vincitur 16. b
Christianus Dux Brunsuicensis & Luneburgensis fœdus cum Gustavo Adolfo ineunt 57. a
Christinæ Reginæ connubium à Brandeburgico cum suo filio affectatur 102. a Idem Daniæ Rex pro filio ambit 269. a De ejus cum Electore Brandeburgico cum ejus Legatis acta 494. a Ea Sueciæ regimen suscipit 573. b Super Pomerania cum Brandeburgico seorsim agere non vult 623. a Suspicit Gallos Dano favere *ibid.* b
Clitzingius Suecis fit suspectus 399. a
Cniphusium ad Suecorum partes iterum transit 121. b Decumbit 247. b
Coburgensis arx à Cæsare capitur 186. b
Cæsvelda Landgravius Hassiæ succurrit 209. b
Colberga Obsidium solvere Cæsarei frustra laborant 38. b Ea urbs Gustavo Adolpho deditur 43. b
Colmaria & Hagenoa se dedunt Suecis 81. a
Colmariensem Tractatum Galli inire nolunt 415. a
Colonienſis Ditio à Baudisio petitur 81. b Per eandem gesta 96. b
Inter *Colonienſem* & Suecos frustra de neutralitate agitur. 119. b
Ad *Colonienſem* Conventum Sueci venire abnuunt 270 b Iterum venire nolunt 301. b De salvi conductus literis ad eundem Conventum 302. a In eo Conventu acta anno 1638. 354. a
Per *Colonienſem* & Juliacensem agrum Vinarienses & Hassici multa oppida invadunt 489. a
Colonienſis Elector neutralitatem affectat 651. b Armistitium acceptat 727. b Inducias abrumpit 729. a Ejus Legati à Generalissimo Sueciæ postulata 939. b
Coloredus à Gallis vapulat 254. a
Concilium Tridentinum indicitur 5. a
Confessio Augustana 5. a
Confluentes ab Hornio capiuntur 22. a
Conspiratio in Regem Gustavum detegitur 30. b
Constantia ab Hornio frustra oppugnatur 115. a Propter ejus urbis obsidium Helvetii turbantur. *ibid.* b Ejus obsidium solvitur 116. a
Conventus Ratisponensis ejusque indoles 15. a
Conventus Mulhusinus 19. a Ratisponensis 22. a Lipsiensis & ejus acta 45. b
Conventus Francofurtensis 112. b Ejus Decreta *ibid.* b Acta in eo à Legatis Gallicis 113. a
Acta *Conventus Francofurtensis* 145. a
Conventus Francofurtensis conclusio 150. b
Conventus Heidelbergensis 207. a
Conventus Halberstadiensis 135. a
Cornenburgum à Cæsareis recuperatur 638. a
Cratzius ad exercitus Suecicos accedit 160. b
Cremsa à Suecis capitur 578. b Eandem Cæsarei obsident. 637. a Ea iis deditur *ibid.* b
Croatæ vapulant 109. a Frumentum Brisaco inferunt 337. a
Croatæ à Tupadelio vapulant 106. a Iterum vapulant 394. a
Crocovius in Pomeraniam irrumpit 514. b Poloniæ fines transit *ibid.* b Apud Belgardum à Kœnigsmarckio obsidetur 515. a
Crocovius per Poloniam evadit 516. a
Cronacum frustra à Gustavi copiis obsidetur 67. a Frustra tentatur 111. a Iterum frustra à Bernhardo Duce tentatur. 140. b
Crosna Brandeburgico restituitur 554. a
Crucenacum à Gustavo capitur 61. a Id Cæsarei capiunt 455. a
Curia Variscorum à Suecis capitur 714. a
Curlandiæ Ducis petita 272. b Ejus negotiatio circa tractatus Polonicos 795. b
Curtius Regem Daniæ ad fœdus invitat 350. a Inter eum & Salvium secretus tractatus 383. a Salvium tentat 345. a

D.

Ad *Dachaviam* conflictus 811. b
Daghsteinum à Suecis expugnatur 116. b
Damgarta à Suecis recuperatur 321. b
Danus se Bello Germanico immiscet 27. b Ejus status Anno 1630. 25. a Præsidium Stralsunda expellitur 30. a Ejus Habitus erga Sueciam Anno 1631. 58. b Legati ad Gustavum veniunt 65. b
Dani Friburgum occupant 69. a De Stada in eos transferenda agitur *ibid.* b Eorum habitus erga Sueciam tempore mortis Regis Gustavi 86. b De pace Acta 120. a Is mediationem suscipit inter Suecos & Cæsareos 100. a Ejus propositio de pace apud Electores *ibid.* b Ejusdem inanis Mediatio 107. b Ejus Regni habitus erga Sueciam sub fine anni 1634. 175. b Adversus Suecos habitudo 129. a Cum eis de pace agitat 137. a
Daniæ Regi super loco & tempore Tractatuum à Fœderatis respondetur 146. a
Ad *Danum* Regem ab instaurato Conventu Wormatiensi scribitur 181. b Partes belligerantes ad pacem hortatur 236. a Oxenstiernam ad pacem invitat 237. b Fœdus inter Suecos & Gallos impedire conatur 238. a Lubecæ inanem tractatum molitur 255. b Ejus machinationes pugna ad Wistochium eluduntur 260. b Pacis mediationem in Suecia urget 268. a Pro filio matrimonium Christinæ Reginæ ambit 269. a Frigide circa pacem laborat 300. b
Dani Wolgasto cibaria inferunt 321. b Idem ad Rostochiensem portum satis pro imperio agunt 321. b
Danus pro Luneburgensibus neutralitatem postulat 314. a Suecos ad pacis tractatus Lubecam invitat 345. b Hamburgi pacem urget 346. a Circa tractatus Lubecenses festinat *ibid.* a Curtius eum ad fœdus invitat 350. a Ejus apud Rectores Sueciæ propositio *ibid.* a Ejusdem nova circa pacem tentamenta *ibid.* b Ei displicet, quod Sueci in tractatibus Lubecensibus à Gallis disjungi nolunt 351. b Diplomatum missionē urget *ib.* b Temperamentum circa vitia Cæsarei salvi conductus Lubecæ proponit. 352. b Quod per Gallos admitti non potest 353. a Suecis

Digitized by Google

eis magis ſuſpectus ſit *ibid.* a
Cum *Danis* Salvii Lubecæ diſceptatio 553. a
Danus Wiſmariam evacuari poſtulat 354. b Copias conſcribit 355. a In Suecos eſt iniquus *ibid.* a Suecos in freto Oreſundico vexat *ibid.* a Super Dani injuriis Suecicorum Ordinum Decretum 358. a Conjunctionem armorum diſſuadet 368. a Neutralitatem pro Domo Luneburgica urget *ibid.* a De qua Sueci reſcribunt *ibid.* a Sueciæ Rectores tentat 382. a Diem tractatui inchoando dici poſtulat *ibid.* b Ejus mediatio inter Suecos & Cæſareos friget 383. a Vectigal ad Warnemundam tolli vult 389. b Suecos in freto Oreſundico vexare pergit 390. a Ejus in Suecos inclinatio *ibid.* b Circa pacem languide ſe gerit 423. b Ejus conſilium 426. a
Danica res ſub fine anni 1640. 431. b Machinationes ad exercitum Suecicum corrumpendum 447. b
Danica Legatio ſuper pace 463. b
Danicus Legatus in Senatum Sueciæ venire abnuit *ibid.* b Vera ejus Legationis cauſa 464. a
Ad *Danie* Regem Cæſaris literæ 495. a Miſſio ejuſdem ad legatos Suecicos *ibid.* b Apud miniſtros Suecicos & Gallicos inſtat 497. a Tergiverſationem Cæſaris circa pacem improbat 498. a Cæſarem ad ratificandum hortatur 499. a In Sueciam ſcribit *ibid.* b
Danus quædam Mecklenburgicæ loca captat 516. a Dies ordiendorum tractatuum dicit 523. a Ejus agendi ratio probatur *ibid.* a Moram tractatuum ægre fert 529. b
Danorum cum Ruſſis machinationes anno 1643. 540. a Eorum Rex Hamburgenſes argento emungit *ibid.* a Ii à Suecis ſub Rudenam vectigal exigunt 541. a Super Danico bello Suecorum conſultationes 542. a In Danum Sueci bellum decernunt 543. b Ii ut injurias emendent fruſtra monentur 545. a Dani à Cæſareis non ſine offenſa ſeparantur 550. a
Danici Legati Oſnabruga diſcedunt 559. a Sine iis Cæſarei tractare nolunt 562. b De Danico bello Gallorum querelæ 564. a
Danis Gallos favere Chriſtina Regina ſuſpicit 625. b
Dani Legatio in Sueciam & ejus ſcopus 1043. b Legatorum propoſitio *ibid.* b Reſponſum iis datum 1044. b Regina Sueciæ de amicitia ſua Dano confirmat 1045. a Qui Suecis haud fidit *ibid.* b Redemtionis tractatus ab eo abo-letur *ibid.* b
Danubium Banerius tranſire non poteſt 434. b
Darmſtadienſes Haſſi Kirckhainam ſubigunt. 639. b Et Caſſellanos pulſant *ibid.* b Vapulant 640. a Eorum querelæ de Caſſellanis 656. a
Dæmitze præſidium ab Oxenſtierna imponitur 211. a Ad eam Saxonum clades 215. b Eam Sueci fruſtra tentant 366. a Ejus obſidium 516. b
Demminum Cæſareis deditur 185. a A Suecis recuperatur 364. a
Dilsberga capitur 96. b
Donawerta à Guſtavo occupatur 640. a A Suecis deſeritur & recuperatur 636. a
Dorſtena ab Hatzfeldio premitur 444. b
Dorſtena deditur 448. a
Drackenbergam Torſtenſonius occupat 480. a
Drackenbergam Cæſarei recuperant 553. a
Dreſda Saxo & Brandeburgicus conveniunt 23. b
Drieſena fruſtra à Suecis tentatur 278. b
Drieſena Sueci potiuntur 366. a
Duderſtadium à Suecis expugnatur 75. a
Duderſtadenſium Oſnabrugæ querelæ 659. a
Inter *Dunewaldum* & Arnheimium diſſenſio 98. a
Dunckelſpulam Enguianus capit 588. b
Ad *Dutlingam* Gallorum & Vinarienſium clades 521. a Ejus cladis magnitudo *ibid.* a
Duwaldus ſe movet 144. b

E.

Edictum de Reſtitutione bonorum ſacrorum, poſt tranſactionem Paſſavienſem per Proteſtantes occupatorum 21. & 22.
Egra capitur à Suecis 714. b Super eo Oppido controverſia 948. b
Ehenheimum ſuperius capitur 78. b
Eislebiam Cæſarei diripiunt 552. a
Embeccam Cæſarei capiunt 448. b
Electoratus Palatinus in Bavarum confertur 16. a
Electoribus Pacis leges à Fridlando offeruntur. 125. a Ii Mecklenburgicos & Haſſos demulcent. 426. a Eorum cum Venetis controverſia 563. b Legati Monaſterii pari cum Regiis honore recipiuntur 595. b Ii Mediatorum partes affectant Oſnabrugæ 597. a Eorum literæ ad Hiſpaniæ Regem 964. a Quibus Galli & Sueci offenduntur 965. a Quas & Moguntinus improbat *ibid.* b
Engerſa & Montaburum à Suecis Gallis traduntur 104. a
Erfordia à Guſtavo occupatur 53. a Civibus claves Oppidi ab Oxenſtierna reſtituuntur 94. a Ii paci Pragenſi non fidunt 196. b Eam amplectuntur 206. a Ea urbs in partes Suecorum concedit 262. b Ejus oppidi cives ab hoſte ſolicitantur 288. b Cum Suecis inducias ineunt *ibid.* b Cum iis Suecorum acta 325. b Iidem ſuper ſua reconciliatione tractant 326. a Nutant *ibid.* a Duriores conditiones eis proponuntur *ibid.* b Suecos fame ejicere conantur *ibid.* b Eorum Oſnabrugam querelæ 659. a Ea ab Hatzfeldio tentatur 450. a Eorum excurſiones 488. a
Erlachium imperium Vinarienſis exercitus ſuſcipit 375. b
Enckefortium cum Wertano in Galliam mittitur 535. a
Enguianus Dux è Gallia venit 537. a Philipsburgum petit. *ibid.* b In Galliam redit 558. a Ei Duci ſociatæ Copiæ junguntur 587. a Ejus Ducis Progreſſus *ibid.* b Is Norlingæ neutralitatem concedit 588. b In Galliam redit 589. a
Enſisheimum Lotharingi occupant 338. b
Evangelici Oſnabrugæ gravamina ſua exhibent 616. a Primum de reſervato Eccleſiaſtico *ibid.* b Secundum de bonis Eccleſiaſticis mediatis 617. a Tertium de Autonomia ſubditorum *ibid.* a Quartum de reditibus ſacris *ibid.* b Quintum de Juriſdictione Eccleſiaſtica *ibid.* b Sextum de ſcriptis ſacram pacem impugnantibus & de Edicto Ferdinandi 618. a Septimum Politica Gravamina de pluralitate ſuffragiorum *ibid.* a Octavum, de impari Deputatorum numero *ibid.* b Nonum de Donavverta oppido *ibid.* b Decimum, de Juſtitia publica *ibid.* b Eorum ſuper Gravaminibus Oſnabrugæ Declaratio 646. a Oſnabrugæ nova propoſitio 658. a Reſponſio ad novam declarationem Catholicorum ſuper gravaminibus 670. b Ii Saxonicorum interpoſitionem declinant 671. b Eorum nova circa gravamina declaratio 677. b Ii inter ſe diſſident 687. a
Ad *Eulenburgum* Saxonici à Banerio fugantur 274. b Eodem Banerius ſe confert 275. b
Eulenberga à Torſtenſonio capitur 512. b

F.

Falckenaviam arcem Cæſar capit 716. b
Fœdus Smalcaldicum 5. a
Nova *Fœdera* contra Auſtriacos ineuntur 17. a
Fœdus inter Regem Guſtavum & Ducem Pomeraniæ 36. a Inter eundem & Regem Galliæ 42. a Ejus ſumma *ibid.* b
Fœderi Lipſienſi ſuperior Germania renuntiat 48. b
Fœdus inter Guſtavum Adolphum & Wilhelmum Landgravium Haſſiæ 49. b Inter eundem & Saxoniæ Electorem 50. a
Fœdus inter Regem Sueciæ Guſtavum Adolphum & Archiepiſcopum Bremenſem 56. b Inter eundem & Georgium, Fredericum Ulricum & Chriſtianum Duces Brunſvicenſes & Luneburgenſes 57. a Inter Guſtavum Regem & Fredericum Ulricum Brunſvicenſem; Brunſvigam; Ulmam; Lubecam; Luneburgum; Bremam; Comites Wetteraviæ; Duces Meclenburgicos 61. b
Fœderati in Sileſia ſe movent 106. a Inducias cum Fridlando ineunt *ibid.* b Legatos ad Regem Galliæ mittunt 113. a Eorum reſponſio in Conventu Francofurtenſi ad propoſitiones Oxenſtiernæ & Saxonis 146. a Super loco & tempore Tractatuum, Regi Daniæ reſpondent *ibid.* a Auxilia externa ſolicitant 182. b Inter eos diſcordiæ ſemina 398. b Eorum controverſia ſuper directorio belli *ibid.* b Banerio Auxilium petenti id abnuunt 399. a Fritzlariam tendunt 401. a Ibidem de monte certatur. *ibid.* a Wildun-

gæ confident *ibid.* a In exercitu diſſidia *ibid.* b Cæſareos præveniunt 441. a Eorum Exercitus ad Guelferbytum conſident 443. a Hallici à cæteris disjungi cupiunt *ibid.* b Ab Hanovienſi Comite cautionem accipiunt 632. b In ſuperiorem Germaniam tendunt *ibid.* b Per Sueviam copias diſtribuunt 635. b In Hiberna diſcedunt 636. b Exercitus in hoſtem tendunt 803. a In hoſtem ire conſtituunt, qui iis cedunt, quos illi perſequuntur & eorum poſtremum agmen profligant 805. b Licum tranſeunt 806. b Pontem Iſaræ reparant 807. a Muhldorfum accedunt 808. a Eodem diſcedunt 809. a Pontem Neoburgi ſtruunt *ibid.* b Mosburgum caſtra transferunt 810. b Landsbergam tendunt 811. a In Bavaria ſubſiſtere non amplius poſſunt *ibid.* b In Sueviam tranſeunt 812. a

Ferdinandus res ſuas reparat 12. b Ejus Cæſaris fortuna per Saxoniam 18. b Is Bohemiæ & Hungariæ Rex deſignatur 10. a Idem Cæſar creatur 11. b

Ferdinandum II. Galli Imperatorem agnoſcere nolunt 302. b

Feria Dux cum exercitu in Germaniam venit 117. a

Feriani & Altringerus ſe disjungunt 120. b

Feriani cum eodem denuo jungitur 12. a Moritur *ibid.* b

Fieſſa à Bavaris capitur, ſed à Suecis mox recipitur 72. a

Fledwodo Sueci reſpondent 309. a

Ad *Flotham* Suecorum & Palatinorum clades 330. a

Forcheimum à Duce Bernhardo obſidetur 154. b

Francofurtum ad Moenum Suecos admittit 54. b

Francofurtenſis Conventus 112. b Ejus Decreta *ibid.* b Acta in eo cum Legatis Gallicis 113. a Ea urbs à Fridlando capitur 124. b Ab Arnheimio fruſtra obſidetur 126. a Conventus ibidem acta 145. a Oxenſtiernæ in ea propoſitio. *ibid.* a Item Saxonis 146. a

In *Conventu Francofurtenſi* de Belli ſumptibus conſultatur 148. a In eo ſuper Suecorum ſatisfactione diſceptatio *ibid.* b Eius concluſio 150. b Fœderatorum ad eam reſponſio 146. a Saxonis in eo Conventu querelæ 147. a Ea urbs à Banerio expugnatur 153. a Vacillat 171. a Cum multis aliis pacem Pragenſem acceptat 211. b In eo Conventus plane diſſolvitur 212. a Eam urbem Brandeburgici fruſtra tentant 405. b

Francofurtenſis Deputationis acta 531. a

Francofurti Cæſar Conventum continuari decernit 536. b

Francofurtum ad Viadrum Electori Brandeburgico reſtituitur 554. a

Francofurtenſis Deputationis acta 572. b Ei Deputationi finis imponitur 589. b

Franckendalia deditur 81. b Ea eminus obſidetur 558. a Ejus reſtitutio hæret 927. a Reſtitutionem Gallus & Palatinus Elector urgent 936. a

Circa *Franckendaliam* temperamentum proponitur 945. a De temperamento circa eam urbem acta 947. a Circa eam urbem difficultates 963. b Formula tranſactionis ſuper ea urbe 967. b

Franconia à Guſtavo invaditur 53. b Multa ejus loca à Cæſareis occupantur 166. b In eam Cæſarei & Bavarici tendunt 489. b Eam Cæſarei inſident 619. b

Franckenſteina à Cæſareis recuperatur 637. b

Fredericus Palatinus à Bohemis in Regem eligitur 11. b Idem coronatur 12. b Is undique invaditur 13. a Vincitur & Bohemia decedit *ibid.* b Proſcribitur 14. a Ejus ſpolia dividuntur *ibid.* b Idem Exercitum dimittit 15. a Ad Guſtavum venit 62. a

Freiberga fruſtra à Banerio obſidetur 359. b Eam Torſtenſonius obſidet 487. a Ejus obſidii continuatio 508. a A Torſtenſonio deſeritur 509. a

Freiſtadium Torſtenſonius occupat 480. a

Freiburgum à Danis occupatur 69. a

Fridberga à Bavaris capitur, ſed à Suecis mox recuperatur 72. a

Friburgum Briſgoviæ à Bernhardo Duce capitur 334. b Id Cæſarei fruſtra oppugnant 455. a

A Bavaricis obſidetur 556. b Iis deditur *ibid.* b

Fridelsheimum à Regiis capitur 81. a

Fridlandi reſponſum Senatus Regni Sueciæ 31. b Ei ſumma Belli à Cæſare offertur 58. a Is in Bohemiam movet. 67. b Ejus cum Arnheimio commercia 68. a Is junctim cum Bavaro in Guſtavum it. 70. b Caſtra Guſtavi caſtris confert 71. b Ejus caſtra ad Noribergam à Guſtavo oppugnantur 73. b Idem Miſniam tendit 79. b Colburgenſem Arcem fruſtra oppugnat *ibid.* b Pappenheimio jungitur 80. a Sileſiam irrumpit 106 b Prœlium cum Fœderatis declinat *ibid.* b Ejus ſuper pace ad Fœderatos propoſitio *ibid.* b Induciæ cum eo ineuntur *ibid.* b Ei Turrius aures præbet 107. a Is Ligniciam recuperat 124. b Glogoviam majorem, Francofurtum, Gærlichium & Budiſſinam capit *ibid.* b Electoribus pacis leges offert 133. a Gratia Cæſaris excidit 137. b Ejus conſpiratio 138. a Imperio dimovetur, & ad Evangelicos tranſire conſtituit *ibid.* b Bernhardus Dux cum eo ſe conjungere cunctatur 139. a Culmbacenſi Marchioni ſe inſinuat *ibid.* b Trucidatur *ibid.* b Ejus elogium *ibid.* b Exercitus Cæſareus poſt ejus mortem in officio continetur 140. a Ob ejus cædem motus 145. a

Friſia Orientalis Comes neutralitatem affectat 44. a Ejuſdem provinciæ motus 519. a

Fritzlariam Cæſarei tendunt 400. b. Ut & Fœderati 401. b

Fritzlaria Cæſarei movent 402. a

Furſtenſteinam Cæſarei recuperant 627. b

G.

Gallaſius in Galliam irrumpere conatur 166. b

Gallaſius Banerio cedit 323. a Suecis damnum infert *ibid.* b Trans Albim concedit 324. b In Cæſaris ditiones abit. 325. a

Gallo-Britannici Tractatus præcipua capita 340. a Gallorum circa hunc ſecreta intentio *ibid.* b

Gallaſius Torſtenſonium in Moraviam tendentem ſequitur 510. b Moraviam capit 512. b Suecos Lutatiam uſque ſequitur 513. b Lubenam, Lembergam & Zittaviam capit 514. a In Miſnia graſſatur 79 b In Pomeraniam irrumpit 283 a Ex Alſatia ſe recipit 253. a In Holſatiam movet 549. b Boizenburgum expugnat *ibid.* b Dani cum eo jungunt ur *ibid.* b Torſtenſonius ei obviam tendit *ibid.* b Holſatia excedit *ibid.* b Albim tranſit 550. a Eum Torſtenſonius inſequitur *ibid.* a Bernburgi caſtra metatur 551. a Auxilia ei veniunt *ibid.* b Magdeburgum evadit 552. a

Gallia ſtatus & inclinatio Anno 1630. 11. b

Galli fruſtra affectant prærogativam apud Guſtavum Adolphum 42. b Galliæ Regis Fœdus cum Guſtavo Adolpho *ibid.* b

Gallis Hermanſteinum traditur 72. a Ii Treveros recuperant 28. a Eorum legatus cum Oxenſtierna congreditur 91. a Ejuſdem propoſitio ad Saxonem & Brandeburgicum *ibid.* b Id Regnum Fœdus cum Suecia renovat 102. a Iiſdem Engla & Montaburium à Suecis traditur 104. a Ejus Legatorum acta in Conventu Francofurtenſi 113. a Galli Philipsburgo inhiant 123. a Hohembaaram & Hagenoam Suecis præripiunt 142. a Eorum de Philipsburgo tradendo poſtulata 150. a Galliæ Regis Fœdus cum Ordinibus Confœderatis 168. a Gallis Alſatia traditur 170. a Gallici Duces cum Oxenſtierna conſultant 184. b Gallus Pragenſem pacem fruſtra impedire conatur 195. a Galli cum Bernhardo Duce Rhenum tranſeunt 212. b Iidem re infecta regrediuntur *ibid.* a Gallicus Legatus Suecis Belli continuationem, poſt Pragenſem Pacem, ſuadet 213. & 214. Pacem impedire conatur 218. b Galliæ habitus circa Sueciam initio anni 1636. 235. a Galli ratificationem tractatuum cum Suecis quærunt *ibid.* b Inter Gallos & Succos Daniæ Rex & Meclenburgicus fœdus impedire conantur 238. a Cum Gallico Legato Oxenſtierna Tractatus ſuſcipit *ibid.* a Circa eos controverſiæ *ibid.* b Inter eum & Oxenſtiernam temporaria tranſactio 239. a Galli Coloredum multant 254. a In Galliam Gallaſius irrumpere conatur 266. b Galli ſe parum obſervantes fœderis cum Suecis initi exhibuerunt 270. a Eorum nova propoſitio de loco Tractatuum 302. a Ferdinandum II. nolunt agnoſcere Imperatorem *ibid.* b Eorum de Induciis propoſitio 303. b Galli ratihabitionem fœderis urgent 304. b

304.b Ab iisdem observator Banerio adponitur *ibid.* b Galliæ Rex à Suecis ad Bellum hortatur 306.a Inter Gallos & Anglos fœdus friget 309.a Ejusdem fœderis difficultas 310.b Gallicum fœdus aut separata pax sunt Suecicorum malis remedium 315.a Eo fœdere Suecis opus est *ibid.* b Circa id Suecorum negotiationes 316. b Eidem colophon imponitur 318.a Ejus formula *ibid.* a Pactum ei adjectum 319.a Temperamentum à Dano circa salvum conductum Cæsareum Lubecæ propositum admittere nolunt 352. b Cum iis Ducis Bernhardi discordia 372.b Gallici Legati mens & negotiatio super Exercitu Vinariensi 374.a Galli apud Vinarienses argento rem agunt 376. a Gallici Ministri circa exercitum Vinariensem mentem suam dissimulant *ibid.* b Eorum artes prævalent circa Vinarienses contra captationes Cæsaris 377.a Eorum prima & altera propositio *ibid.* a Tertius cum Vinariensibus congressus *ibid.* b Voto suo Galli potiuntur *ibid.* b Gallis junctorum Vinariensium gesta, sub Duce Longuevillio *ibid.* b Gallici Legati judicium super fœdere cum Anglis contra Cæsarem 378.b In Gallia Palatinus Elector detinetur 379.b Motus animorum ob eam detentionem 380. a Gallorum propositio de induciis 387.a De Westphalia *ibid.* b Eorum querela de Grotio *ibid.* b De Gallorum Induciis cum Hispanis 388. a Galli naves à Suecis petunt *ibid.* b Brisacum plane sibi vindicant 408.b Circa Gallici fœderis prorogationem negotiatio 414.b Galli correctionem fœderis abnuunt 415.a De Induciis proponunt *ibid.* a Colmariensem Tractatum non volunt inire *ibid.* a Cum Gallis acta super induciis cum Hispano 416.b Acta cum iis super augmento subsidiorum 417.a Super Vinariensi exercitu *ibid.* a Eorum de termino fœderis nova postulata *ibid.* b Acta de loco tractatuum & de Induciis universalibus *ibid.* b Prorogationem fœderis in Suecia urgent 419.a Cupidinem pacis præ se ferunt 422.b Gallicus Minister Noriberga expellitur 426.a Gallicum fœdus cum Suecis absolvitur anno 1641. 460.b Gallica præliminaria Hamburgi quoque tractantur 465.a Galli æque ac Cæsarei pacem nolunt 494.b Gallici Ministri Danico sua dubia exponunt 495. b Ei Sueci magis junguntur Cæsare secretos tractatus captante 497.a De induciis cum Electoribus Catholicis proponunt 502.a Galli Uberlingam intercipiunt 518.b Gallica auxilia adveniunt 520.b In Gallos Bavarici movent *ibid* b Eorum clades ad Dutlingam *ibid.* b In Galliam secreta Cæsareorum missio 524.a Quæ rejicitur *ibid.* a Ex Galliæ Regis morte mutatio metuitur 527. a Inter Gallos & Suecos fœdus confirmatur *ibid.* b Suspectus Status 528.b Galli Manheimum & Spiram capiunt 557. b Ut & Philipsburgum *ibid.* b

Gallia Enguianus Dux venit *ibid.* b Partem Bavaricorum castrorum expugnat *ibid.* a Galli Wormatiam & Moguntiam capiunt 558. a Monasterium veniunt 560. a Ordines Imperii ad Tractatus invitant *ibid.* b Eorum de bello Danico querela 564. a Galliæ Rex iterum Ordines Imperii ad tractatus invitat 565. b Gallici Legati Ordines Imperii ad pacis tractatus invitant 566. a Eorum postulata de Trevirensi omnes Monasterii & Osnabrugæ improbant 571.a Sententia de salvo conductu pro Lusitanis 572. b De Gallorum Legatorum literis disceptatio *ibid.* b Galli cum Ragozio fœdus ineunt 579.b Eorum per Germaniam gesta, anno 1645. 586. a Clades ad Mergentheimum *ibid.* a Galli Ordines Germaniæ denuo ad tractatus invitant 592. a Monasterio Propositionem edunt inconsultis Suecis 593. a Ejus contenta *ibid.* a Hispanis novam propositionem exhibent *ibid.* a Eorum consultatio cum Oxenstierna super dicta propositione 594. a

Ad *Gallorum* propositionem Hispani Monasterii respondent 595. a Inter Suecos & Gallos propositio ibidem concinnatur 596. a Eorum propositio Monasterii conventioni cum Suecis inito non respondet 598. b Ipsa propositio *ibid.* 600. 601. Eorum mens super decreto à Cæsareis & Electoralibus Monasterii 604. a Ad Gallorum propositionem Cæsareorum responsum 609. a De eo judicium *ibid.* b Galli in tractatibus Monasteriensibus Palatinis spem faciunt 610. b Cum iis Oxenstiernæ Monasterii congressus 619. a Inter Gallos & Hispanos Tractatus Monasterii quiescit 622. a Ii longius in Bavariam penetrare nolunt 635. a Cum iis Cæsarei de satisfactione agunt 651. b Inter eos & Bavaros Tractatus 654. b Idem inter illos & Hispanos *ibid.* b Ii pertinaciter Brisaci cessioni inhærent 666. a Eorum satisfactionis formula *ibid.* b Et super ea declaratio 667. a Quam eam Suecis faciunt *ibid.* b Eorum favorem Catholici Osnabrugæ captant 672. a Inter eos & Hispanos tractatus continuatur 674. a Inter eos & Suecos suspiciones 675. b Cum iis Oxenstiernæ Monasterii congressus 676. a Ii tractatum suum properant 679. a Eorum Legati Osnabrugam veniunt 680. b Tubingensem arcem expugnant 711. b Eorum Legati cum Vinariensibus agunt 734. b Cum illis facta conventio *ibid.* b Eorum Legio à Cæsareis intercipitur 735. b Galli inducias cum Bavaro continuant 736. b De Religione in suo instrumento pacis inferere nolunt 761. b Id integrum edere nolunt 762. a Suecos Monasterium incitant 771. a Inter illos & Bavaricos hostilia resumuntur 800. a Eorum tractatus Osnabrugæ suscipiuntur 859. b Rex auxilium contra Turennium petit 926. b Executionem pacis Germanicæ parum curat 928. a Copias à Suecis sibi concedi postulat 940. a Hermensteinum sibi deposcit 945. b Gallica conventio cum Cæsareis Noribergæ absolvitur 970. b Gallicum fœdus cum Suecis hæret 1023. a

Gardius (Magnus) in Galliam mittitur 695. b

Gartzio Cæsarei ejiciuntur 39. a Id à Cæsareis opprimitur 208. b A Wrangelio expugnatur 263. a A Cæsareis denuo expugnatur 321. a Idem à Suecis recuperatur 322. a

Gebhardi apud Bavarum negotiatio 707. b Ulmam venit 708. a Ibi deliberatur an audiendus sit *ibid.* a Ejus cum Regiis negotiatio *ibid* a Congressus cum Wrangelio 710. b

Gedanenses de insidiis Hubaldi monentur 957. a

Gengenbacum Cæsarei frustra oppugnant 455. a

Georgius Landgravius in casum de pace proponit 54. b

Georgius Fredericus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis fœdus cum Gustavo init 57. a Apud Gustavum de Neutralitate Bavaro & Ligæ concedenda frustra agit 60. a Nutat. 187. a

Germaniæ status miserrimus Anno 1629. 21. b

Germania Superior Fœderi Lipsiensi renuntiat 48. b Ejus rerum habitudo Anno 1636. 132. a Per Superiorem Cæsareorum successus 211. b Germanici belli genius mutatur 240. a Germaniæ Ordines Cæsar ad Tractatum admittere non vult 303. a In ea de tertiis partibus formandis machinationes 371. a Per eam Superiorem gesta mense Febr. 1641. 455. a Anno 1642. 490. a In eam Fœderati tendunt 632. b

Geppinga expugnatur 518. b

Garlicium Stalhantschius obsidet 452. a

Gœtzius per Hassiam grassatur 265. a Is & Hatzfeldius Misniam veniunt 275. a

Apud *Glacium* Cæsarei vapulant 362. a

Gleenium Hammum & Lunam occupat 152. a Idem consistere non audet *ibid.* a Ejus irritus conatus 558. b

Gleichensteinam Arcem Kœnigsmarckius capit 367. a Ea Arx frustra à Suecis tentatur 724. a

Gleichensteinum ad deditionem compellitur 802. a

Glogavia ab Arnheimio expugnatur 76. b A Fridlando capitur 124. b Ejus obsidio Suecis à Saxonibus impeditur 153. a Ab Arnheimio capitur 158. b Eam Cæsarei frustra obsident 553. b

Gorlicium Fridlandus capit 134. b

Gœtzius Brisaco annonam infert 335. a Ejusdem & Bernhardi Ducis mutui conatus *ibid.* b Britaci liberationem tentat 338. a

Gottingam Cæsarei frustra obsident 449. a

De *Goslariensi* tractatu 457. b Eum Torstensonius diffuadet 478. a Is concluditur *ibid.* b Brunsvigæ recoquitur 503. a

Grant-

Gronsfeldius vapulat 97. a
Gryphenhaga Cæsarei ejiciuntur 39. a
Gryphswalda frustra tentatur à Suecis 43. b A Suecis capitur 48. a
Grotii (Hugonis) in Aula Gallica Negotiatio 180. a De eo Gallorum querela 387. b
Grubbius apud Duces Luneburgicos & Exercitum adpellit 444. a
Gubbenam Torstensonius occupat 479. b
Guebrianus à Banerio se disjungit 434. b Ejus conjunctionem Banerius affectat 435. b Qui tergiversatur *ibid.* b Banerio iterum jungitur 437. a Salam transit *ibid.* b Leghnicham oppugnat 489. a Cis Rhenum abit *ibid.* b In Franconiam effunditur *ibid.* b Ejus gesta anno 1643. 518. a Ejus milites Wertanus carpit *ibid.* b Is ad Rhenum recedit 519. a Tarde se movet *ibid.* a Hohentwilam se movet *ibid.* a Frustra in Wurtenburgicam penetrare nititur *ibid.* b Ad Rhenum vertit *ibid.* b Circa Benfeldam copias distribuit 520. a In Sueviam movet *ibid.* b E vulnere obit *ibid.* b
Guelferbytum à Suecis frustra obsidetur 75. a Guelferbytani includuntur 404. a Ad eam urbem prælium 441. a Socii Exercitus ibi considunt 443. a Ibi res languide procedit 446. b Ejus urbis obsidium abrumpitur 447. a Guelferbytum non evacuatur 503. b A Cæsareis evacuatur 517. a
Gustavi Adolphi variæ de Bello Germanico consultationes 27. a Idem defensionem Stralsundæ suscipit 29. a Rationes ejus defensæ istius urbis *ibid.* a Ejusdem aliæ consultationes de Bello Germanico 30. a Pax Lubecensis eidem suspecta 31. a Idem ad Electores scribit *ibid.* a Ejusdem propior Consultatio super Bello Germanico 32. a Futuræ Expeditionis adparatus 33. b Ejusdem considerationes circa Tractatum Gedanensem de pace 34. a Idem ideo Expeditionem non differt *ibid.* a Rugiam occupat *ibid.* b Expeditioni in Germaniam accingitur 35. a Pomeraniam adpellit *ibid.* b Usedomiam, Wollinum & Caminum occupat *ibid.* & 36. Ut & Stettinum *ibid.* a Ejusdem fœdus cum Duce Pomeraniæ *ibid.* a Idem Stargardiam occupat *ibid.* b Conspiratio in Eum detegitur *ibid.* b Anklamum & Uxtermundam capit 37. a Wolgastum ei deditur *ibid.* a In Mecklenburgicam cogitat 38. a Eandem ingreditur *ibid.* a Cæsareos Gryphenhaga & Gartzio ejicit 39. a Cæsaris Edicta & Literæ in eum *ibid.* b Ejus consilia in futurum annum *ibid.* b Ut & acta cum Brandeburgico 41. a Is primo propositas leges fœderis Gallici respuit 42. a Galli prærogativam apud eum frustra affectant *ibid.* b Fœdus cum Galliæ Rege concludit *ibid.* b Lœckenizam, Prenzloam, Treptoam, Loizenem Arcem, Demminum & Malchinum occupat 43. a & b Colberga eidem deditur *ibid.* b Citeriori Pomeraniæ prospicit 44 b Francofurtum expugnat *ibid.* b Landsbergam deditione capit 45. a Ejus Acta cum Conventu Lipsiensi *ibid.* b Spandoa eidem traditur 46. a Ad liberandum Magdeburgum Saxo ei conjungi non vult *ibid.* a Excidii Magdeburgici culpam à se removet 47. a Ejus Acta cum Brandeburgico *ibid.* a Legatum Moscoviticum audit. *ibid.* b Grypswaldam capit 48. a Albim versus movet *ibid.* a Castra ad Werbenam ponit *ibid.* b Ei Hamiltonius è Britannia copias adducit 49. a Fœdus cum Wilhelmo Hassiæ Landgravio init *ibid.* b Ut & cum Saxoniæ Electore 50. a Ejusdem deliberatio de summa Belli. *ibid.* b Lipsiam recuperat 52. a Anhaldini Principes in ejus protectionem succedunt *ibid.* b Ejus consultatio de Bello in futurum gerendo *ibid.* b Protestantes per superiorem Germaniam solicitat 53. a Erfordiam occupat *ibid.* a In Franconiam irrumpit *ibid.* b Kœnigshoviam & Wurtenburgum capit *ibid.* b Ejus per Franconiam successus 54. a Hanoviam intercipit *ibid.* a Francofurtum ad Mœnum copias ejus admittit *ibid.* b Ejus copiæ Ringoam occupant *ibid.* b Idem in Palatinatum vertit 55. a Rhenum transmittit *ibid.* a Oppenheimum expugnat *ibid.* b Moguntia ei deditur *ibid.* b Manheimum, Mergentheimum, Winsheimum & Heilbrunnam capit *ibid.* b Ut & Rostochium 56. a Wismaria ei deditur *ibid.* a Inferior Saxonia ei studet *ibid.* b Archiepiscopus Bremensis cum eo fœdus init *ibid.* b Ut & Georgius, Fredericus Ulricus & Christianus Duces Brunsvicenses & Luneburgenses 57. a Galliæ Legati frustra apud eum agunt de neutralitate Bavaro & Ligæ concedenda 60. a Ejus Consilia 1632. *ibid.* b Conditiones quas Bavaro offert 61. a Ejus fœdus cum Frederico Ulrico Brunsvicensi, Brunsviga, Ulma, Luneburgo, Brema, Comitibus Wetteraviæ, Ducibus Mecklenburgicis *ibid.* b Palatinus Fredericus ad eum venit 62. a Crucenacum capit *ibid.* a Ut & Braunfelsam, Bobenhusam & Kirghbergam *ibid.* a Ejus Legatio ad Hollandos *ibid.* b In Tillium movet 63. b Recedentem in Bavariam insequitur 64. a Donawvertam capit *ibid.* a Licum transit *ibid.* b Legati Danici ad eum veniunt 65. b Frustra apud eum Minister Gallicus de neutralitate pro Bavaro agit *ibid.* b Complura Bavariæ Oppida capit 66. a In Franconiam regreditur 67. a Cronacum frustra ab ejus copiis obsidetur *ibid.* a Solmensem ad Saxonem mittit 68. a Ejus militis gesta per Ditionem Bremensem *ibid.* b Bavarus & Fridlandus junctim in eum eunt 70. b Bavarum insequitur *ibid.* b Legatum Ragozii dimittit 71. a Ejus statio cæditur *ibid.* a Ad Noribergam stationem capit *ibid.* a Ejus exploratores vapulant *ibid.* b Fridlandus castra ejus castris confert *ibid.* b Ejus acta cum Saxoniæ Electore 72. b Eidem auxilia passim adveniunt 73. b Idem Castra Fridlandi ad Noribergam oppugnat *ibid.* b Hamiltonium in Angliam mittit 74. b Ejus copiæ Dudersladium expugnant 75. a Guelferbytum frustra obsident *ibid.* a Transactio super conjunctione cum Saxonicis 77. a Castra ad Noribergam movet 79. a Danubium versus abit *ibid.* a Rainam recuperat *ibid.* a Saxoniæ Elector ab eo auxilium poscit *ibid.* b In Thuringiam tendit 80. a Oxenstiernam ad habendum Protestantium Conventum ablegat *ibid.* a Ad Naumburgum castra munit *ibid.* a Georgius Luneburgicus eidem jungi cunctatur *ibid.* a Dissidia inter ejus & Saxonicorum copias 82. a Cadit 83. a Legatio ad Polonos 83. b Ejus Elogium 84. & 85. Motus animorum post ejus Mortem apud hostes 88. a Apud Æmulos *ibid.* b Apud Protestantes *ibid.* b Apud Gallos, Anglos & Bavaros 89. a Apud Danos *ibid.* b Apud Polonos *ibid.* b Difficultates Sueciæ post ejus mortem & adversus istas remedia 90. a Ejus Corpus in Sueciam defertur 108. & 109. Exequiæ 154. a

H.

Hagenoa & Colmaria se dedunt 81. a Hagenoa ab hoste intercipitur 96. a Hagenoa & Hohenbaara Suecis à Gallis præripiuntur 141. b
Halberstadiensis Conventus 435. a Halberstadium Sueci concedunt 438. a Kœnigsmarckius intercipit 514. a Ejus præsulatus traditio differtur 531. b
Hallenburgum à Suecis opprimitur 151. b
Hamburgi Danus pacem urget 346. a Hamburgensium querelæ super vectigali in Albi 454. b Hamburgum negotium de diplomatibus rejicitur 464. a Salvi-conductus ibidem utrinque inspiciuntur *ibid.* b Novæ morarum causæ *ibid.* b Ibidem Gallica præliminaria quoque tractantur 465. a Tractatus præliminaris circa loca Conventus cautelæ *ibid.* b Diplomata salvi conductus numerantur 466. a Tempus tractatui statuitur *ibid.* a De unitate tractatuum *ibid.* a Difficultates circa titulum Cæsaris *ib.* a De præcedentia à Gallo prætensa *ibid.* b Eo Luzovius avocatur 494. b Hamburgenses Daniæ Rex argento emungit 540. a Idem Suecis Pomeraniam invident *ibid.* b Hamburgum apud Suecos pro Brema intercedit 1057. a
Hamela oblidium fervet 104. a Continuatur 106. a Ea urbs in extremis agit 110. b Et capitur 111. a
Hamiltonius Gustavo Adolpho è Britannia Copias adducit 49. a
Hamiltonius Marchio à Gustavo in Angliam mittitur 74. b
Hammum & Luna à Gleenio occupantur 151. a
A Suecis *Hammum* recipitur *ibid.* b
Hanovia à Suecis intercipitur 54. a Circa eam urbem acta 151. a

151. a Ejus obſidium ſolvitur 252. a Status 265. b Hanovienſium geſta 289. a Super ea tranſigitur *ibid.* b Hanoviam Comes redit *ibid.* b Ramſæus eum in cuſtodiam dat 290. a Hanovia à Cæſareis intercipitur 332. a Ab Hanovienſi Comite Fœderati cautionem accipiunt 632. b

Hanſeſtadienſium cum Servienio ſuper admiſſione iis 591. b
Eorundem à Suecis petita *ibid.* b

Circa *Haſelunam* Cæſarei vapulant 247. b
Ad eam Cæſareorum clades *ibid.* b

Haſſi vapulant 72. a Paderbornam expugnant 104. b Lipſtadium fruſtra tentant *ibid.* b Vapulant 152. a Inter eos & Luneburgos ſimultates 158. a Vapulant iterum 171. b Haſſia à Cæſareis invaditur 209. a Ejus Landgravius cum Cæſare tractare incipit *ibid.* a Banerio jungi cupit *ibid.* b Coesfeldæ ſuccurit *ibid.* b Cum Cæſare tractare pergit *ibid.* & 210. Per Haſſiam Gœtzius graſſatur 264. b Haſſi junctis Suecis, Vechtam capiunt 280. a Haſſia inferior a Landgravio Georgio captatur 287. b Haſſicorum poſt Landgravii Wilhelmi obitum acta *ibid.* b Ii cum hoſte denuo tractant 317. a Eorum induciæ in Weſtphalia *ibid.* b Inter eos & Cæſarem pax *ibid.* b Rem bene gerunt *ibid.* b Cæſar pacem Haſſiacam ratihabere abnuit 328. a Haſſi Suecis, Vinarienſibus & Luneburgicis ſe jungunt 396. a Diſcedere cupiunt 398. a In Haſſiam Fœderati tendunt *ibid.* a In Haſſiam Cæſarei regrediuntur 403. b Haſſi rem bene gerunt 404. a Per Haſſiam Vinarienſes hiberna capiunt 408. a Haſſos & Mecklenburgicos Electores demulcent 426. a Haſſici ſe jungunt 441. b A cæteris Fœderatis disjungi cupiunt 443. b Haſſi trans Rhenum abeunt 451. a Contra quos Lambous evocatur *ibid.* a Ratiſponæ maſcule loquuntur 469. a Iidem expelluntur *ibid.* a Eorum geſta 483. a Ii & Vinarienſes Lambojum invadunt *ibid.* b Eorundem victoria *ibid.* b Iidem multa oppida per Colonienſem & Juliacenſem agrum invadunt 489. a Eorum geſta anno 1643. 517. a Ad Rhenum accedunt 558. a Bavarici iis fruſtra inſidias ſtruunt *ibid.* a Eorum acta *ibid.* b In Haſſiam Bavarici eunt 587. a Haſſi Marburgenſem ditionem ſibi vindicant 589. b Eorum ad Inferiorem Rheni ripæ partem acta *ibid.* b In Haſſiam ſuperiorem Wrangelius progreditur 629. a Ibidem ſubſiſtere conſtituit 630. b Haſſi Caſſellani Marpurgenſem Arcem occupant 639. b A Darmſtadienſibus pulſantur *ibid.* b Kirchheinam recuperant *ibid.* b Iis Luneburgicus auxilio venit 640. a Paderbornam amittunt *ibid.* b Haſſi Caſſellani de ſatisfactione agere Oſnabrugæ incipiunt 658. a Haſſi Nideccam capiunt 727. b Super Haſſicorum Caſſellanorum & Darmſtadienſium reconciliatione fruſtra agitur 727. b Haſſi Paderbornam obſident 730. a Caſtella Friſiæ recuperant 731. a In Lamboium tendunt 821. b Lamboius ab iis vapulat, ſed victoriam non perſequuntur 822. & 823. Paderbornam fruſtra obſident *ibid.* b

Hatzfeldius Dorſtenam premit 444. b Erfordiam tentat 450. a Is Saxoni junctus in Banerium movet 244. a Hatzfeldius & Gœrtzius Miſniam veniunt 275. a A Witzlaga repellitur 330. b Idem Vechtam expugnat *ibid.* b Ejus inanis conatus 362. a Is in Miſniam tendit *ibid.* b Ejus inanis expeditio 549. a

Havelberga à Banerio expugnatur 123 b Ea Cæſarei potiuntur 258. b Eam Succi amittunt 286. a A Suecis occupatur 407. a

In *Havelandiam* Suecici irrumpunt 453. a

Heidelberga à Suecis capitur 106. a Heidelbergenſis Conventus 107. a Heidelberga Cæſareis ſe dedit 212. a A Bavaris tentatur 170. a Iidem id ſecunda vice fruſtra faciunt *ibid.* b

Heilbrunnenſis Conventus 99. a Oxenſtiernæ propoſitio in eo *ibid.* a Plures Mediatores ſe in eo offerunt 100. b De eorum multitudine judicium 101. a Fœdus in eo concluditur *ibid.* a Heilbrunna ab Hornio capitur 55. b Heilbrunnenſi Fœderi Helvetii adſcribi abnuunt 107. a

Heinzendorfium deſtruitur 483. a

Heldrunga Arx à Suecis capitur 404. a Ea à Cæſareis capitur 450. a

Cum *Helvetiis* acta in conventu Francofurtenſi 146. b
Helvetii propter Conſtantiæ obſidium turbantur 115. b
Helvetis pro Baſilienſi Epiſcopo intercedunt 81. a
Helvetus Fœderi Heilbrunnenſi adſcribi abnuunt 107. a
Cum *Helvetiis* Suecorum acta 141. b
Helmſtadium Torſtenſonius occupat 480. a
Herneſtadium à Suecis occupatur ſuper Cæſareis 404. b
Herbipolenſem præſulem Kœnigsmarckius argento emungit 367. b
Cum *Herbipolenſi* Epiſcopo Sueci tranſigunt 636. a
Hermanſteino Ramſæus annonam infert 289. a Fame nihilominus expugnatur *ibid.* a Id Gallis traditur 72. a

In *Hennebergica* Ptulius rem bene gerit 274 b

Hildeſia à Pappenheimio capitur 76. a Ejus obſidium lente procedit 144. a Capitur 158. a Eam reſtituere Luneburgici à Cæſare jubentur 369. b Ibidem de Bello deliberatur 403. a Hildeſianum convivium *ibid.* b Hildeſia neutralitatem ambit 503. b Hildeſianum fœdus 1022. b

Hirſchberga à Cæſareis obſidetur 405. b Tentatur 406. a Stalhantzſchius ei oppido ſubvenit *ibid.* b

Hiſpania ſtatus Anno 1630. 24. a Hiſpani ad Moſellam vapulant 62. a Palatinatum irrumpunt 70. a Non line clade ex eo faceſſunt *ibid.* b Se movent 143. b Treveros occupant 185. a Hiſpaniæ Claſſi Angli favent 380. a Ejus Claſſis intentio *ibid.* b De Hiſpanorum Induciis cum Gallis 388. a Hiſpani Alzejam capiunt 408. a Eorum circa Briſacum recuperandum irritus conatus *ibid.* b Hiſpanici procuratorii Monaſterii exhibiti defectus 592. b Hiſpanis Gallici Legati Monaſterii novam propoſitionem exhibent 593. a Ii ad Gallorum propoſitionem Monaſterii reſpondent 595. a Inter eos & Gallos Tractatus Monaſterii quieſcit 622. a Cum Hollandis ſeorſim tractare cupiunt *ibid.* b Inter eos & Gallos tractatus 654. b Is Oſnabrugæ continuatur 674. a Hiſpanici Legati Oſnabrugæ acta 781. b Hiſpani hoſpitium Lutiranorum Monaſterii oppugnant 843. b Inter eos & Belgas Fœderatos pax concluditur 850. a Ea in Belgio publicatur *ibid.* b Hiſpani libera commercia Suecis concedunt 1003. a

Hohenbaara & Hagenoa à Gallis Suecis præripiuntur 142. b

Circa *Hohentwilam* Cæſarei vapulant 409. a Ejus urbis irritum obſidium 455. a Ad eam Guebrianus ſe movet 519. a Circa eam irrita conventio 556. a Ejus obſidium ſolvitur 557 b

Holckius Miſniam irrumpit 77. b Is iterum Miſniam invadit & denuo deſerit 117. b Ejus mors *ibid.* b

Hollandi à Guſtavo per Legatum inviſuntur 62. 63. Iis Suecicus miles ſubſidio mittitur 111. a Eorum habitus circa Sueciam initio anni 1636. 235. a Hollandi cum Suecis arctius fœdus affectant 390. b Inter Hollandiam & Sueciam fœderis cauſa 427. b Super eo fœdere Suecorum conſultatio 428. a Rationes pro & contra *ibid.* b Hollandici Legati non niſi oblique fœdus inſinuant 429. a Diſceptationes circa id formandum *ibid.* b Ejus fœderis ſumma *ibid.* b Diſceptatio circa ceremonias 430. a Conſultatio ſuper titulis *ibid.* b Cum Hollandis Monaſterii Hiſpani ſeorſim tractare cupiunt 622. b Ii ſeſe Suecorum ſatisfactioni opponunt 653. a Eorum Legati Monaſterium ingrediuntur 655. a Inter eos & Hiſpanos tractatus 656. b 660. b Hollandici Legati à Suecis poſtulata 843. a Hollandi tractatus cum Danis ratihabent 1015. b De qua re Regina Sueciæ quæritur *ibid.* b Eorum reſponſum 1016. a In Sueciam Legatio 1025. a Ii Suecorum commercia ſubruere ſtudent 1046. a Auxilium à Suecis fruſtra petunt *ibid.* b Iis Sueciæ Regina contemtum ſui adimere ſtudet 1047. a Eorum in Suecos ſuſpiciones 1051. b Ii fœdus cum Polonis agitant *ibid.* b

Holſatiæ Ducis acta cum Suecis 129. a Dux Fredericus Bremenſem præſulatum affectat 174. a In Epiſcopum Bremenſem eligitur 175. a De Holſatorum Commerciis in Perſidem 176. b Eorum Commercia Perſica expirant 300. b Holſatiæ Ducis in Sueciam Legatio 471. b Holſatiam verſus Torſtenſonius movet 513. b Ut & Gallaſius 549. b Holſatica Legatio Holmiæ 695. b

Hornius Mergentheimum, Winsheimum & Heilbrunnam capit 55.b In ditionem Bambergensem movet 63.a Bamberga pellitur *ibid.* a Duas hostium Legiones cædit *ibid.* b Confluentes capit 72.a In Alsatiam movet 78.b Benfeldam obsidet *ibid.* b Benfeldam expugnat 80. b In Sueviam tendit 95.a Bavarici ab eo vapulant *ibid.* b Altringerum Wurtenbergico agro arcet *ibid.* b Legionem hostium opprimit 96.a Duci Bernhardo jungitur 103.a Pappenheimum expugnat 109.a Ut & Neumarcum *ibid.* a Constantiam frustra oppugnat 115. a In Alsatiam redit 120. b Bavaris damnum infert 141. a Eosdem multat *ibid.* b Biberacum expugnat 142. a Ut & Memmingam & Campodunum *ibid.* a Uberlingam frustra tentat 151.b Inter eum & Bernhardum Ducem de conjunctione agitata 155.b Hornius Aicham vi opprimit *ibid.* b Dux Bernhardus improviso se ei jungit 156. a Ejus consilium in prælio Norlingano negligitur 161.b Ex eo se recipere conatur 162. b Benedictus Horn. ad Bavarum mittitur 716.a

Hungari vapulant 361.b Denuo 363. a In Hungariam Ragozius irrumpit 554.b

Huxtera expugnatur à Suecis 152. a Eam Cæsarei expugnant 402.b Iterum deserunt 403.a Wrangelius eam capit 628.b

I.

Apud *Jancoviam* Cæsarei se Suecis objiciunt 577.a Primus ibi conflictus *ibid.* a

Iglavia Cæsareis deditur 726.b Eam Torstensonius capit 578.b

Imperii Ordinibus de initio tractatuum significatur 525. b Ad tractatus à Suecis invitantur 530.a Ii de externa prius, quam de interna pace agi volunt 532.b Ad pacem hortantur 559. b

Inducia inter Fœderatos & Fridlandum 106.b

Inducia per Silesiam Oxenstiernæ suspectæ 111. b Eædem abrumpuntur 112.a Denuo ineuntur *ibid.* b Renovantur 118.a

Ingolstadium Bernhardus Dux frustra intercipere conatur 105.a

Per *Juliacensem* & Coloniensem agrum Vinarienses & Hassici multa oppida invadunt 489.a

Jauram Cæsarei capiunt 404. b Eam Torstensonius occupat 480. a

K.

Kehlheimum à Cæsareis capitur 155.a

Kirchberga à Gustavo capitur 62.a

Kirchainam Bavarici frustra oppugnant 587.a Darmstadienses subigunt 639.b Eam Cassellani recuperant 640. a

Kingius conjunctionem cum Palatino Electore affectat 328.a Idem modicis conflictibus rem bene gerit *ibid.* a Cum Palatino copias jungit 330. a

Kœnigshovia à Gustavo occupatur 53.b Ea Cæsareis deditur 225.b

Kœnigsmarckius Westphalicis Copiis præficitur 367.a Is Hostilem Legionem intercipit *ibid.* a Gleichensteinam arcem capit *ibid.* a Herbipolensem præsulem argento emungit *ibid.* b Saxonicos multat 393. a Mansfeldæ obsidium disturbat 477.b In Saxoniam mittitur 481. a Ejus acta 484. a In Misniam anno 1643. 514. a Halberstadium intercipit *ibid.* a In Pomeraniam properat 515. a Crocovium apud Belgardum obsidet *ibid.* a In Misniam abit 548.b In eandem excurrit 550.b

Kœnigsmarckius in Silesiam & Moraviam excurrit 583.b Turennio succurrit 587. a Wrangelio jungitur 630. a Lemgoviam expugnat *ibid.* a In Westphaliam mittitur 705. a Cassellanæ auxilio venit 727.a Veghtam obsidet & capit 728. a Ut & Furstenaviam *ibid.* b Warendorffium aggredi cupit 734. a Vinarienses accipere dubitat *ibid.* b Egræ subvenit 804. a In Superiorem Palatinatum tendit 812. b Complura in Bohemia loca occupat *ibid.* b In Palatinatum rediens Waldeccam occupat 813. a Pragam occupat *ibid.* & 814.

Kœnigsmarckius Bremenses coëreere instituit 1056. a Burgum occupat *ibid.* a

L.

Labardum pro Legato agnoscere Sueci Osnabrugæ abnuunt 613.a

Lamboius in Frisiam irrumpit 730.a A Suecis & Hassis obsidetur *ibid.* b Contra Hassos & Vinarienses evocatur 451.a Eum Hassici & Vinarienses invadunt 488.b Idem vapulat *ibid.* b In Westphalia satagit 821.b Gesecam frustra oppugnat 822.a Bredenbendam expugnat *ibid.* a Hassos petit, a quibus vapulat *ibid.* b Copias restaurat 823.a Durenam capit *ibid.* b Huxteræ confidet 824.a Post pacem non nihil turbarum dat *ibid.* a

Lambergius Comes Osnabrugam venit 567. a Se publice Legatum gerit 593. b Frustra temperamentum circa Stralsundam proponit 594.a

Landgravii Wilhelmi gesta 62. b Landgravius Georgius cum Cæsareis congreditur 94. a Wilhelmus Westphaliam irrumpit 97.a Ejus in Westphaliam progressus 117.a Idem Werlam occupat 123. b Saltzcoram expugnat 124. a Premitur 187. a Landgravius & Luneburgicus congrediuntur 197.a Landgravius tempus extrahit 215.a Landgravius Wilhelmus diu nutat 249. b Post longam dubitationem cum Suecis se conjungit 250. b In Frisiam penetrat 287.a Moritur *ibid.* a

Landgravius Georgius Hassiam Inferiorem captat *ibid.* b A Landgravio de Suecis postulata 511.a Quæ iterat *ibid.* b Conditiones super illis à Rectoribus Sueciæ propositæ *ibid.* b

Cum *Landgravio* Hassiæ Tractatum Cæsar non plene ratihabet 371.a Eadem in Bellum propendet *ibid.* a Melander ei est suspectus *ibid.* a De conjunctione cum Suecis agit *ibid.* b Ejus Copiæ movent, sed nihil promovent *ibid.* b Et suas res agunt 372.a Ejus postulata 394. b Illa Melandrum dimittit 398. b Ejus postulata 399. a Banerium, in Silesiam abire simulantem, retinere cupit 400. b Consilium Banerii exquirit *ibid.* b De ea Salvius queritur 412. a Socios belli quærit Gallos & Luneburgicos *ibid.* b Nec tamen pacem adipiscari videtur 413. a Ea & Luneburgici ad Banerium mittunt 437. b

Landgravia literas ad Deputationem Francofurtanam mittit 561. b Ad Tractatus mittit 563. b

Landgravia Cassellana Darmstadiensi plura loca eripit 718 b

Landsberga, à Gustavo Adolpho, deditione capitur 45. a à Bavaris capitur, sed à Suecis mox recuperatur 72. a Cæsareis iterum deditur 125. b A Suecis recipitur 145. a Ab iis iterum occupatur 278. b Ab iis, frustra tentatur 364. b Expugnatur 365. a

Landsberga à Torstensonio expugnatur 103. a

Landshuta expugnatur 157 a

Langenarga à Cæsareis frustra tentatur 735. b

Lauenburgici infaustus conatus 38. b

Lauenburgicorum Ducum circa secretum Tractatum conatus, mense Aprili 1637. 199. b

Lauenburgicorum circa secretos Tractatus inter Suecos & Cæsareos negotiatio 383. b Formula pacis ab *iis* proposita 384. a Eorum absurda postulata *ibid.* b Ifti Tractatus Salvio non displicent *ibid.* a Lauenburgicorum inanis circa pacem conatus 421. a Lauenburgicus Dux Franciscus Albertus Schvveidniciæ succurrere conatur 480. a Profligatur, capitur & moritur *ibid.* b Lauenburgici multa de studio pacis in Cæsarem jactant 143. a Peculiarem Suecis pacem suadent 344. a Viennam denso prosiciscuntur *ibid.* b

Lauffenburgum à Duce Bernhardo capitur 332. b

Lautera à Cæsareis capitur 194. b

Lechnichium Guebrianus oppugnat 489 a

Legati Suecici à Tractatu Lubecensi rejiciuntur 30. b

Legati Pomerani Expeditionem Gustavi in Germaniam sistere laborant 35. b

Legatio Gustavi Regis ad Hollandos 62. b Ejus Legationis scopus 63. a

Legatio Luneburgica Holmiæ 695. a

Lemberga à Gallasio capitur 514. a

Lemgovia à Kœnigsmarckio expugnatur 630. a

RERUM PRÆCIPUARUM.

Ad *Lentzenam* Saxonum pons deſtruitur 215.b
Leopoldus Archidux Luneburgicis ſimul Tractatus & arma oſtentat 440.b Ei à Luneburgico Duce Auguſto reſpondetur 441.b Idem ad liberandam Lipſiam prælium committere ſtatuit 485.a
Leslaus Legiones devias ad ſe pellicit 148.b Viſurgim tranſit & duas hoſtium legiones opprimit *ibid.* b In Weſtphaliam mittitur *ibid.* a Ad Viſurgim ſe confert 252.b A Banerio evocatur 258.a
Leuchtmari à Brandeburgico miſſi Stralſundæ propoſitio 491.a Cui Oxenſtierna reſpondet *ibid.* b
Lœvenhaupteus ad Exercitum Succicum venit 711.b
Liebenburgum à Cæſareis capitur 445.a
Liga Pontificiorum 9.a Inter illam & Unionem res componitur 12.b Fruſtra agit de neutralitate ſibi concedenda apud Guſtavum 60.a
De neutralitate *Ligæ* concedenda acta 387.b
Lighterna vinum à Cæſareis capitur 73.a Expugnatur 114.b
Ligiſtici ad Huxteram vapulant 152.a Ut & ad Hildeſiam 158.a
Lignica à Fridlando recuperatur 124.b Ad eam præliũ 153.b
Lilius (Axelius) Havelbergam occupat 407.a In Marchiam progreditur 453.a Idem inde excedit ſublatis in Brandeburgicos hoſtilibus *ibid.* b
Lilliebackius Niſſam capit 481.a
Lipſia à Guſtavo Adolpho recuperatur 52.a A Banerio obſidetur & re infecta deſeritur 175.a A Torſtenſonio obſidetur 484.b Ad Lipſiam prælium 485.a Poſt cladem Cæſareanorum Torſtenſonius ejus urbis obſidium repetit 486.a Super ejus urbis neutralitate Saxoniæ Electoris filius proponere incipit *ibid.* b Ea urbs Succis deditur *ibid.* b
Lipſtadium ab Haſſis fruſtra tentatur 104.b
Litta à Torſtenſonio capitur 481.a
In *Livoniam* Hermanni Bothii irruptio 389.a
Lohuſius miſſionem obtinet 144.b
Loitzium à Succis recuperatur 322.b
Sub *Longevillio* Duce Vinarienſium geſta 377.b Is & Pegneranda Monaſterium ingrediuntur 602.b Is in Galliam iter inſtituit 825.a Oſnabrugam venit *ibid.* b
Lotharingus compeſcitur 61.b Lotharingiæ Ducis poſtulata 80.b Inter eum & Suecos hoſtilitas erumpit 110.a Idem caſtigatur 116.b Ejus Copiæ à Rheingravio perſequuntur 117.a Lotharingiæ Ducis irritus conatus 185.b Lotharingi irrita expeditio 193.a Vapulat 290.b Ut & ejus copiæ vapulant 372.b Ipſe iterum vapulat 337.b Lotharingi Enſisheimum occupant 338.b Idem delentur 339.a Lotharingi Bavaricis junguntur 518.a
Lubeca fœdere Guſtavo jungitur 61.b
Lubeca Daniæ Rex inanem tractatum molitur 155.b Ibidem Succi à Daniæ Rege ad tractatus pacis invitantur 345.b Circa Lubecenſes tractatus Danus feſtinat 346.a Lubecæ diſceptatur, quinam per fœderatos intelligantur *ibid.* b Ibi commeatus Cæſarei literæ proferuntur *ibid.* b Super præliminaribus diſceptatur 347.a Ut & de admittendis ad tractatus Germaniæ principibus *ibid.* a Mediatores ibi Avauxium ad tractatus admittere nolunt. *ibid.* b Qui demum tamen admittitur *ibid.* b Tractatio præliminaris *ibid.* b De Plenipotentiis *ibid.* b De ſalvis conductibus 348.a De Gallorum ſociis extra Germaniam 349.a De die Conventus, & an propter Gallorum moram tractatus ſit differendus *ibid.* a Lubecæ ſalvus conductus Cæſareus adeſt 352.a Ejus vitia *ibid.* a Diſceptatio ſuper eo ſalvo conductu *ibid.* b A Dano temperamentum propoſitum *ibid.* b Lubecenſis tractatus acta 1004.b Lubecæ controverſia inter Legatos ſuper viſitatione oritur 1006.a Controverſia ibi de titulo Reginæ Sueciæ 1007.a Legati ſe ibi mutuis conviviis excipiunt 1008.b Procuratoria exhibentur 1010.a Deſiderata in Succico procuratorio & Suecorum defenſio *ibid.* a Notata in Polonicis *ibid.* b Polonorum reſponſio 1011.a Succicorum ad hanc replica *ibid.* b Nova formula Procuratorii proponitur 1011.a De legibus pacis utriusque partis ſententia *ibid.* Conventus diſſolvitur 1013.b Alter Conventus & Legatorum adventus & ſalutatio 1028
In ſecundo Conventu *Lubecæ* certamina circa primas viſitationes Mediatorum *ibid.* b Initium tractatuum 1029. Poloni ibi proteſtationem apud Mediatores interponunt 1030.a Sueci procuratorium ſuum edunt *ibid.* a Mediatores Suecis depoſitionem procuratoriorũ perſuadere ſatagunt 1031.a Succici Legati rem ad Reginam referunt 1033.a Reginæ declaratio *ibid.* b Sueci tractatu pro deſperatis habent 1034.a Mediatores contra ruptuam tractatuum proteſtantur *ibid.* a Sueci depoſitionem Procuratoriorum abnuunt 1035.b Eorum ſuper tribus Coronis declaratio *ibid.* b Hollandorum Legatorum Lubecæ adventus & error 1036.a Brandeburgici ibi à Cæſaris Legatis non inviſuntur *ibid.* a Mediatores denuo Polonos urgent 1037.a Sueci à ſe acta defendunt *ibid.* b Poloni diſceſſum urgent 1039.a De diſceſſu conſtituun *ibid.* b Extremus Mediatorum conatus *ibid.* b Conventu diſſolvitur 1040.a Lubeca & Hamburgum apud Succos pro *Brema* intercedunt 1057.
Lubena à Gallaſio capitur 514.a
Luccam Torſtenſonius occupat 479.a
Luna & Hammum à Gleenio occupantur 152.a
A Succis *Luna* recipitur *ibid.* b
Luneburga fœdus cum Guſtavo init. 61.b Georgius Luneburgicus Regi Guſtavo jungi cunctatur 80.a Inter Luneburgos & Haſſos ſimultates 156.a Luneburgicus & Landgravius congrediuntur 197.a Luneburgici Duces Auguſtus & Georgius pacem Pragenſem amplectuntur 206.b Luneburgico agro Banerius diſcedit 214.a Georgius Luneburgicus varium ſe gerit 225.a Luneburgici Duces Fœdus inter Succos & Gallos impedire conantur 238.a Luneburgicus Dux Georgius dubium ſe gerit 248.a Luneburgum à Leslæo in poteſtatem redigitur 258.a Lauenburgici machinationes pugna ad Wittſtocum eluduntur 260.b Luneburgicus Dux Georgius Succis inſidiatur. 285.b Luneburgum Sueci amittunt 286.b Luneburgicus Georgius ſe Succis hoſtem fert 288.a Pro Luneburgenſibus Danus neutralitatem poſtulat 324.a Ii Succis ſeſe hoſtes exhibent 325.a Luneburgici cum Banerio de neutralitate agunt 368.b Temporaria cautio ſuper ea re *ibid.* b Succis conventa ratihabentibus Luneburgici moras nectunt 369.b Novas difficultates movent *ibid.* b Hildeſiam à Cæſare reſtituere jubentur *ibid.* b Georgius Luneburgicus Dux offenſam in Cæſarem concipit 370.a Nutat 371.a Luneburgicos Duces Cæſar ſolicitat 395.a Ii Cæſari non fidunt *ibid.* a Conſilii ſui rationes publice exponunt *ibid.* b Eorum poſtulata *ibid.* b Succis, Vinarienſibus & Haſſis copias ſuas jungunt 399.a Luneburgicorum poſtulata 399.a Banerius iis diffidit *ibid.* b Ad ſeparatum exercitum inclinant *ibid.* b A Luneburgico Duce Georgio, Banerius auxilia poſtulat 400.a Ejus reſponſum *ibid.* a Luneburgici Banerium in Sileſiam abire ſimulantem retinere cupiunt *ibid.* b Banerii conſilia exquirunt *ibid.* b Cum Luneburgico Duce Georgio Banerii colloquium 401.a Per Luneburgicam ditionem Succi hoſpitia capiunt 403.a Ex Luneburgico agro Banerius movet 404.a Luneburgici Duces Fœdus cum Succia ambiunt 409.b Sueciæ Rectorum de iſto Fœdere judicium *ibid.* b Cum Luneburgico Legato Tractatus ſuper Fœdere cum Suecis 410.a Luneburgicorum intentio *ibid.* a Diſceptatio ſuper oppidorum ceſſione *ibid.* a Rationes Luneburgicorum *ib.* a Salvii reſponſio *ib.* b Idem tractatus concludit *ibid.* b Luneburgici ratihabitionem tractatus cum Succis urgent 411.a Luneburgicorum monita in Conventu Noribergenſi 425.b Luneburgici & Haſſici Ratisponæ maſcule loquuntur 469.a Iidem Ratispona expelluntur *ibid.* a Luneburgicus Dux Georgius moritur 437.b Luneburgici & Landgravia ad Banerium mittunt *ibid.* b Cum Luneburgicis Ducibus Suecorum

INDEX

corum acta 439. b Eorum Legatorum propositio *ibid.* b Quam Duces Suecici annuere coguntur 440. a Luneburgicos Cæsarei allicere studeut *ibid.* b Luneburgicus Dux Augustus cum Cæsareis tractare incipit. *ibid.* b Luneburgicis Leopoldus simul arma & tractatus ostentat *ibid.* b Dux Augustus Leopoldo Archiduci respondet. 441. b Apud Luneburgicos Duces & Exercitum Grubius adpellit 444. a Copias suas separant 445. a In hostem deduci postulant *ibid.* b Dux Augustus in partes Cæsaris transit 447. a Eorum postulata & promissa 449. a Circa Luneburgicum Fœdus cum Suecis acta 455. b Legatorum Luneburgicorum propositio, super qua res differtur *ibid.* b Eorum alia Legatio valde minax 456. a Legatorum propositio *ibid.* a Negotiatio continuatur *ibid.* b Temperamentum proponitur 457. a Sueci Fœdus Luneburgicum ratihabent *ibid.* a Id hi irritum *ibid.* b Luneburgica Legatio ad Torstensonium 478. a Luneburgici exautorati Cæsaream militiam adspernantur 503. b Legati Torstensonium Freibergam obsidentem adeunt 508. b Luneburgici onera detrectant 548. a Luneburgicus Legatus Osnabrugam venit & abit 565. b

Luneburgicus Cassellanis auxilio venit 640. a

Lusatia à Cæsareis invaditur 57. a A Cæsareis irrumpitur 76. a

Lusitani ad pacis tractatus admitti cupiunt 532. a Lusitanus Legatus Monasterium venit 567. a Suecis arctius Fœdus offert *ibid.* a De ejus salvo conductu Gallorum sententia 572. b Lusitanicus Legatus in Daniam trajicitur 471. a In Suecia honorifice excipitur *ibid.* a Lusitanorum postulata Monasterii 597. a Cum iis Suecorum Fœdus commerciorum 472. a Eorum legati Monasterii querela 908. a

Lutherus in Pontificem scribit 3. b Ejus Progressuum causæ *ibid.* b Principes illi favent. 4. a

Lutherani sacerdotes Bohemia pelluntur 14. b

Lutzenense Prælium 82. b

Luzovius à Cæsare Hamburgum mittitur 422. b Ejus propositio 423. a Colloquium cum Salvio 424. a Secretos tractatus urget *ibid.* b Ejus sententia super satisfactione Sueciæ 425. a Circa ejus intentionem Salvius dubitat *ib.* a Cum Salvio colloquitur *ibid.* b Cum eo secreti tractatus continuantur 461. a Ab eo circa Amnestiam oblata *ibid.* b Circa Sueciæ & Militum satisfactionem *ibid.* & 462. Is Salvio dubia demere conatur *ibid.* a Minas spargit *ibid.* a Cum Salvio colloquitur 463. a Hamburgo avocatur 494. b Discedens de separata pace movet 497. a

M.

Magdeburgensium turbarum initia 37. a Magdeburgi excidium 46. b Id à Cæsareis deseritur 61. b A Saxone obsidetur 245. b Ei urbi Banerius frustra succurrere cupit. 246. a Eo Saxo potitur 257. b Gallasius ibi evadit 552. a Circa Magdeburgum acta anno 1645. 585. b Suo præsidio relinquitur 628. a Ejus præsulis querelæ 656. a Inter Magdeburgicam urbem & Administratorem controversia 924. b

Manheimum Gustavus capit 55. b

Marazinus in Pomeraniam irrumpit 208. b Denuo in Pomeraniam redit 246. b

Marpurgensem Ditionem Hassi sibi vindicant 589. b

Per *Marchiam* & Pomeraniam Suecorum gesta 453. a Lilius Axelius in primam progreditur *ibid.* a Idem inde excedit, sublatis in Brandeburgicos hostilibus *ibid.* b

In *Marchia* Suecorum accepta damna 279. a

Mare Balticum tentatur ab Austriacis 19. a

Manheimum Galli capiunt 557. b

Marsfelda à Cæsareis capitur 450. a

Marpurgensem Arcem Cassellani Hassi occupant 639. b

Marpurgum Melander expugnat 724. b

Mansfeldii acta 18. a Ejus mors *ibid* a

Mansfeldius in Wetteraviam irrumpit 170. a

Mansfeldam Sueci capiunt 360. b

Mansfelde obsidium Kœnigsmarckius disturbat 477. b

Matthias Cæsar moritur 11. a

Mauritius Saxonia Elector, Cæsarem bello petit 6. b

Meclenburgici Duces Ditionem suam armis vindicant 40. a Fœdus cum Gustavo ineunt 61. b Pacem Pragensem amplectuntur 207. a Mediationem inter Saxonem & Oxenstiernam suscipiunt 213. b Eorum de pace negotiatio 218. & 219. Durissimus ejus pacis nodus *ibid.* b Super induciis frustra agunt 220. b Meclenburgicus Dux Fœdus in Suecos & Gallos impedire conatur 238. a Cum Oxenstierna de pace agit 257. a Frustra circa pacem fatagit 267. b Ejus Ducis ambigua consilia 288. a Et conatus 301. a De Suecis ad Comitia vocandis agit 426. a Meclenburgicos & Hassos Electores demulcent *ibid.* a Meclenburgicam Cæsarei catervam præmittunt 476. b Ejusdem loca quædam Danus captat 516. a

Meinaviam insulam Wrangelius occupat 704. b

Melander à Landgravia dimittitur 398. b Exercitui Cæsareo præficitur 703. a Marpurgum expugnat 724. b Sauciatur *ibid.* b

Memminga & Campodunum à Bavaris expugnatur 95. a Memmingenses vapulant 109. a Memminga ab Hornio expugnatur 142. a Se Cæsareis dedit 195. à Meppam Cæsarei capiunt 518. b

Mergentheimum ab Hornio capitur 55. b Ibidem prælium 586. a

Mersburgum Sueci frustra tentant 438. a

Messenis plectuntur 396. a

Miluschiam Torstensonius occupat 480. a

Minda in Suecorum potestatem redigitur 248. b Ea Brandeburgicus potitur 756. a

Miravia à Gallasio capitur 512. b

Misnia ab Holckio invaditur 77. b Denuo ab eo invaditur & deseritur 117. b In eam Gœtzius & Hatzfeldius veniunt 275. a In eam iterum Hatzfeldius tendit 362. b Banerius recedit 393. b Torstensonius movet 484. a Kœnigsmarckius abit 548. b Misniæ quædam loca Saxoniæ Elector recuperat 550. b In eam Kœnigsmarckius excurrit *ibid.* b Torstensonius abit 551. b

Mitzlaffus Barbyæ capitur 142. a

Moguntia Gustavo deditur 57. b A Cæsareis premitur 134. b Ab iis frustra obsidetur 212. a

Moguntia Cæsareis deditur 225. b A Gallis capitur 558. a

De *Moguntino* Saræpontani querelæ 656. a Ejus Electoris mors & novi electio 782. a Ejus Ablegati declaratio 966. a Monasterii insidiosa propositio 926. a Ejusdem confusus agendi modus *ibid.* a

Moldam Sueci transeunt 377. a

Monasterium Legati Hispanici veniunt 531. b Et Galli 560. a Ibi in Procuratoriis multa desiderantur 562. a Acta cum Salvio & Gallis de Gallorum literis invitatoriis 564. a De Procuratorio Suecico *ibid.* a De Tractatibus Danicis *ibid.* a De Ragoziano Fœdere 565. a Tractatus ibi quiescunt *ibid.* b Legarus Lusitanus huc venit 567. a Ibidem super Procuratoriis disceptationes 568. a Prima disceptatio fit & ejus contenta 570. De Regiorum propositione judicium *ibid.* b

Monasterii negotiatio de pace differtur 591. a Plenipotentiæ ibidem afferuntur 592. a Acta de honore Legatis Electoralibus exhibendo *ibid.* b Procuratoria ibidem permutantur *ibid.* b Ibidem acta de induciis inter Gallum & Bavarum 595. a Monasterii de Salvo conductu Mediatorum disceptatur 596. b Ibi Mediatores de Induciis proponunt 601. a Controversia super modo tractandi *ibid.* Eam urbem Longuevillius & Pigneranda intrant 601. b Monasterium Ordines Osnabrugenses invitantur 604. b Eorum responsum 605. a Monasterienssium super modo consultandi declaratio *ibid.* b

Monasterii Mediatores distinctius super satisfactione proponi volunt 610. a Circa Ceremonialia acta 623. a Regiorum replica Ordinibus communicatur 640. b De Suecorum replica quorundam judicium 641. a Monasterienssium de modo consultandi sententia *ibid.* a Ibidem Catholicorum Gravamina. Primum 642. a Secundum & tertium 643. a Quartum, Quintum, Sextum, Octavum

vum, Nonum 644.a.b. Super iis agendis disceptatio 645.a Hollandorum Legati veniunt 655.a Cæsarei duplicam exhibent super prima formula pacis 665.a Monasterienſium de Succica ſatisfactione ſententia 689.a Monaſterii tractatus frigent 758.b Eo complures Legati diſcedunt 927.a
Mortaignium cadit 729.a
Per *Moraviam* Suecorum excurſiones 487.b In eam regionem Torſtenſonius tendit 510.b Sueci in ea multa loca capiunt *ibid.* b In eam Ragozius accedit 581.b Koenigsmarckius in eandem excurrit 583.b
Montecuculus capitur 109.b In Sileſiam revertit 724.b
Moſcovia ſtatus 1630. 25.b Moſcoviticus Legatus à Rege Guſtavo auditur 47.b Moſcovitica Legatio ad Suecos 128.b In Moſcoviam Suecorum Legatio 176.b Moſcoviticus Czar de cauſis belli Polonici Reginæ Succiæ exponit 1053.a Titulum ſuum auget *ibid.* b

N.

Naſſovius Comes Braunfelſam intercipit 184.b
Neoburgicus Neutralitatem ambit 107.b
Neoburgum à Bavaricis expugnatur 116.a
Acta de Palatini *Neoburgici* Neutralitate in Conventu Francofurtenſi 145.b
Neuburgico Neutralitas in Conventu VVormatienſi conceditur 169.a
Neoburgum ad Rhenum opprimitur 96.a A Rheingraviis capitur 109.b Neuburgi Slangius circumvenitur 436.b
Neuſtadium ſe dedit 198.a Moravia à Torſtenſonio capitur 481.a
Neuhauſam Cæſarei non ſine ſuo damno tentant 407.a
Neumarcum ab Hornio capitur 109.a
Nienburgum ſe dedit 198.a
Niſſam Lilliehœckius capit 481.a
Immediata *Nobilitas* cautam ſuam de Legatis ad Tractatus pacis deſtinatis commendat 527.a Ejusdem de Palatino querelæ 656.a
Noriberga à Tillio fruſtra tentatur 55.a Ad eam Guſtavus ſe ſiſtit 71.a Velitationes 73.a Noriberga ſe Cæſari dedit 195.a Noribergenſis Conventus Acta 425.b Noriberga Gallicus Miniſter expellitur 426.a Ibidem Conventus inſtituitur 933.b Duces partium conveniunt 934.a Suecorum ibidem proteſtatio & Cæſareorum reſponſio *ibid.* b In eam urbem capitulatio Oſnabrugenſis pertrahitur 940.b Tractatus ibi tarde procedit 941.a Volmari ibidem adventus negotio nonnihil moræ injicit 943.b Noribergenſium tractatuum conditio circa finem anni 1649. 951.b Ii ſubſcribuntur 970.a Conventionis formula 971.a
Norlinga obſidetur 160.a Suecici urbi militem immittunt *ibid.* a De prælio ad eandem conſultatio *ibid.* b Primus in eo cum hoſte conflictus 161.a Ei urbi Enguianus neutralitatem concedit. 588.b

O.

Ab *Odera* Cæſarei abeunt 451.b
Offenburgum cum Ottenburgo capitur 78.b
Oldenburgicus Comes Neutralitatem affectat 39.a Id ſecunda vice facit una cum Comite Friliæ Orientalis 44.a
Circa *Oldenburgicum* vectigal irrita negotiatio 931.b
Olmucium à Cæſareis fruſtra obſidetur 553.b A Torſtenſonio capitur 481.a
Oppelam Succi expugnant 481.a
Oppelam Cæſarei capiunt 553.b
Oppenheimum expugnatur 55.b
Inter *Ordines* Germaniæ & milites querelæ 136.b
Ordinum Confœderatorum cum Rege Galliæ fœdus 168.a Miſera apud eos rerum facies *ibid.* b De Ordinibus excluſis in Amneſtia recipiendis diſceptatio 220.a Ordinibus Imperii de initiõ tractatuum ſignificatur 525.b Ordines Imperii ad Tractatus à Succis invitantur 530.a Ante omnia de pace agi volunt 532.b Monaſterii de externa pace prius quam de interna agi volunt *ibid.* b Circa eorum gravamina inanis conatus 537.b Ad pacem hortantur 559.b Ad Tractatus Oſnabrugæ venire tardant 563.a Eos Galliæ Rex denuo ad tractatus pacis invitat 565.b Ii à Succicis Legatis denuo ad pacem invitantur 587.b Non ſine effectu *ibid.* b Paulatim ad tractatus Monaſterienſes accedunt 594.a Propoſitionem urgent *ibid.* b Cæſareorum Replicam ſibi communicari petunt 612.a Ordinum Catholicorum ſuper gravaminibus Eccleſiaſticis Oſnabrugæ declaratio 650.a Ii in tractatus ſuper gravaminibus conſentiunt 651.a
Inter *Ordines* Equeſtrem & Urbes de præcedentia Oſnabrugæ acta 656.b
Ordinum de formula pacis à Cæſareis Oſnabrugæ exhibitæ judicium 664.b Quod Cæſari diſplicet 665.a Inter Ordines Oſnabrugenſes & Monaſterienſes diſſenſio 844.b Eorum ſententia de ratificatione 849.a Ordines Oſnabrugæ de Gallicis rebus agere volunt, quod Servientus improbat 851.a Cæſarei abnuunt & proteſtationem interponunt *ibid.* b Ordines ſuæ ſententiæ inhærent 852.a Eorum circa pacem diſſenſio 853.b Caroli Guſtavi adventum iidem deprecantur 854.b Ordinum de Gallica ſatisfactione declaratio 861.b Ordines pacem Hiſpanicam non morantur 865.a Ordines ad Regem Galliæ ſcribunt 866.a Eorum declaratio ſuper Gallica ſatisfactione *ibid.* b Ad Electorem Palatinum ſcribunt 905.b Super militum miſſione & deditione oppidorum Monaſterii agere volunt 922.b Quod Servientus contendit & Generaliſſimus Suecorum abnuit *ibid.* b Ordines eo offenduntur, ſed mox iterum ſedantur 923.a Germaniæ Generaliſſimo Suecico ſcribunt *ibid.* a Eorum querelæ ſuper hoſpitiis 925.a Periculoſa conſilia *ibid.* b Utriusque religionis ſuper deſignatione reſtituendorum ad Circulorum præfectos ſcribunt 929.a Super exauctoratione militum conſultant *ibid.* b Super ea re Galli cum iis ſentiunt 930.a Eorum diverſæ ſententiæ de Succicarum Legionum reductione *ibid.* a Quædam eorum ratificationes exhibentur *ibid.* b Deliberatio ſuper adeundo conventu Noribergico 931.a Ordines per formam Collegii iterum conſultant 936.a In ſolutionem pecuniæ conſentiunt *ibid.* a Eorum temperamentum circa Franckendaliam rejicitur 937.b Tandem exauctorationis militum initium faciunt 940.a A Cæſare ſubſcriptionem Conventionis Noribergenſis impetrant 944.b Eorum ſententia circa reſtituendos 950.a
Oſnabruga à Suecis capitur 117.b Circa Oſnabrugæ deducendum præſidium, cum pacis tractatus ibi inirentur, difficultates 526.b Ea urbs evacuatur propter tractatus ibi inchoandos 528.b Oſnabrugam Salvius ire conſtituit 530.a Eam ingreditur 531.a Præter deſtinatum ibi manet *ibid.* b Oſnabruga Danici Legati diſcedunt 559.a Oſnabrugam Oxenſtierna intrat 560.a Legati Regii ibi nondum colloqui poſſunt *ibid.* b Ibi Cæſarei circa procuratoria tergiverſantur 562.a De modo tractandi dubitatur 563.a Ibidem Luneburgicus Legatus venit & abit 565.b Servientus ibidem venit *ibid.* b Lambergius Comes venit 567.a Procuratoria pro commutatis habentur 568.a Procuratoria mutuo traduntur 569.a Immediate agitur probantibus Evangelicis 570.a Prima propoſitio fit, & ejus contenta *ibid.* b De Regiorum propoſitione judicium *ibid.* b Electorales Mediatorum partem affectant 597.b Propoſitio ibi inter Suecos & Gallos diſcutitur *ibid.* b Ibi reſidentium Legatorum ſententia ſuper Decreto à Cæſareis & Electoralibus Monaſterii ſubato 603.a Quæ Cæſareis diſplicet; ut & Mediatoribus *ibid.* b Eorum reſponſum 605.a Venetus Legatus denuo mediationem offert 610.b Quæſtio ibi mota de Civitatum Imperialium voto deciſivo *ibid.* b De ſuffragio Provinciarum per Suecos poſſeſſarum *ibid.* b De Electoralium Legatorum Excellentia *ibid.* & 593. Congregati Ordines Monaſterium invitantur 604.b Oſnabrugenſium ſententia ſuper pace 615.a Diſceptatio ibi inter Lutheranos & Reformatos *ibid.* a Cum Hanſeaticis ibi controverſia *ibid.* a Oſnabrugenſium ſententia ſuper pace. *ibid.* a

Oſnabruga Evangelici Gravamina ſua exhibent 616.a Diſſidium ſuper Reformatos gliſcit 641.a Oſnabrugenſium ſententia de modo conſultandi *ibid.* b Ut & Cæſareorum Regiorum, & Univerſorum Ordinum *ibid.* b Oſnabrugæ Gravamina Politica mota. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octavum. Nonum 651.b Bohemici Exules ſalvum conductum quærunt 656.a Oſnabrugam Saxonici Legati veniunt 659.a Oſnabrugenſis Epiſcopus neutralitatem affectat 669.b Oſnabrugenſes deſtinatis ſuis inhærent 861.a Oſnabrugæ Gallica pax cum Ordinibus adornatur *ibid.* a Oſnabrugenſis Conventus Monaſterium ſe confert 865.a Circa Oſnabrugenſem capitulationem acta. 232.b

Oſſa irritus conatus 66.b Is ad Rhenum Suecis nonnihil damni infert 69.b

Ottenburgum cum Offenburgo capitur 78.b

Oxenſtierna Stralſundam ſoli Sueciæ conciliat 29.b

Oxenſtierna (*Benedicti*) è Gallia redit 49.b

Oxenſtierna ad habendum proteſtantium Conventum à Rege Guſtavo ablegatur 80.a Ejuſdem Conſultationes poſt Guſtavi Regis mortem circa bellum Germanicum 90.b Idem deſtinata ſua Ordinibus Proteſtantibus exponit 91.a Novis mandatis è Suecia inſtruitur *ibid.* b Ejus congreſſus cum Saxoniæ Electore 92.a Ut & cum Legatis Gallicis 93.a Claves oppidi Erfordienſibus reſtituit 94.a Ejus diſpoſitio circa bellum deinceps adminiſtrandum *ibid.* b Propoſitio in Heilbrunnenſi Conventu 99.a Rem in eodem urget 100.a Palatinum reſtituit 101.b Ejus acta cum Legato Anglico 102.b Ad Danubium Exercitui ſatisfacit 108.b Induciæ per Sileſiam eidem ſuſpectæ 111.b Ejus acta cum Legato Brandeburgico 113.b Cum Ragozio 114.a Congreſſus ejus cum Arnheimio, ſuper Fridlandi defectione *ibid.* a A Legatis Sileſiæ invitatur 118.a Oxenſtiernæ cum Electore Brandeburgico congreſſus 135.b In Conventu Francofurtenſi propoſitio 145.a Ejus filii infructuoſa Legatio in Angliam 146.b Conſilia poſt cladem Norlinganam 163.b Res pro viribus reſtituere nititur *ibid.* b Cum difficultatibus incaſſum luctatur 164.a Ejus in Conventu Wormatienſi propoſitio 169.a Fœdus in eo ſubſcribere recuſat *ibid.* a Incaſſum pacem captat 180.a Ejus circa eandem conſilium *ibid.* a Iter in Saxoniam decernitur 182.a Mandata à Fœderatis ei data *ibid.* a Saxoni & Brandeburgico ſatisfacere ſtudet *ibid* b Ejus conſultatio cum Ducibus Gallicis 184.b In Gallia acta 191.b Ut & in Hollandia 192.a Conſilia *ibid.* b Magdeburgum tendit, & cum Brandeburgico Legato obiter tractat 193.a Sperreuteri conſilia approbat 198.b Ejus conſilia circa primos motus Ductorum Suecici Exercitus 199.a Idem cum Saxone tractatus ſuſcipit *ibid.* b Ejus Conventio cum Landgravio & Ductoribus Suecici exercitus 200.b Idem Saxoni capita tranſactionis proponit 205.b Ejus conſilia perturbantur 205.a Ad Cæſarem ſcribit *ibid.* b Magdeburgo diſcedit *ibid.* b Dœmitzæ præſidium imponit 211.a Pomeraniæ oræ maritimæ proſpicit *ibid.* a Tractatus pacis non negligit *ibid.* b Ejus conſilia inter difficultates poſt Pragenſem pacem 214.b Senatus Sueciæ ad eum mandata 217.b Conſilia circa pacem & bellum. 222.a Oxenſtierna à Daniæ Rege ad pacem invitatur. 237.b Acta inter eum & Saxonem de pace *ibid.* b Cum Legato Gallico tractatus ſuſcipit 238.a Circa eos controverſiæ *ibid.* b Temporaria tranſactio inter eum & Legatum Gallicum 239.a Is pecuniæ inopia urgetur *ibid.* b Tres Exercitus parare inſtituit 240.a Ejus præcepta ad Duces Suecicos obſervanda circa Pomeraniam & Electorem Brandeburgicum *ibid.* b Wilhelmum Vinarienſem, Archiepiſcopum Bremenſem, Comitem Oldenburgicum, Ducem Neoburgicum, Georgium Luneburgicum & Wilhelmum Landgravium 241.a Is Leuchtmaro Stralſundæ reſpondet 491.b Oſnabrugam intrat 560.a Ejus cum Gallis ſuper eorum propoſitione conſultatio 594.a Cum Gallis Monaſterii congreſſus 619.a Alter cum Gallis Monaſterii congreſſus 676.a Oxenſtiernam Monaſterium abire Evangelici nolunt 810.a Monaſterium irritum iter intendit *ibid.* b

Oxenſtierna (Benedicti) Noribergæ proteſtatio 983.a

P.

Paderborna fruſtra obſidetur 75.b Ab Haſſis expugnatur 104.b Eam Wrangelius capit 628.b Haſſi Caſſellani eam amittunt 640.b

Palatinus Fridericus, ad Guſtavum venit 62.a Palatinatus ab Hiſpanis invaditur 70.a Non ſine clade ab iis deferitur *ibid.* b Palatinus ab Oxenſtierna reſtituitur 101.b Ejus reſtitutio à Saxone improbatur 102.a In Palatinatu ſuperiore Suecorum progreſſus 137.a Iidem eadem expelluntur 141.a

De *Palatini* Neoburgici Neutralitate acta in Conventu Francofurtenſi 145.b Cum eo & Regina Chriſtina de matrimonio propoſitio 310.a Cum eodem Kingius conjunctionem affectat 328.a Cum eo Legati Succici fruſtra de Fœdere agunt. *ibid.* b Ejus in Suecia negotiatio. 329.a Reſponſum ejus Miniſtro à Sueciæ Rectoribus datum *ibid.* b Palatinus Elector cum Kingio Copias jungit 330.a Eorum acta *ibid.* a Eorum clades apud Flotham *ibid.* a Palatini Electoris propoſitio ad Suecos 342.b Palatinum Anglicus Legatus & Ruſtorfius commendant 374.b In Palatinatum Vinarienſes deſcendunt. 375.b Palatini Electoris conatus 376.a In Palatinatum Vinarienſibus deſcendentibus Bavarici occurrunt 378.a Palatinus Elector in Gallia detinetur 379.b Ob eam detentionem motus animorum 380.a Palatinus Elector in Gallia iterum dimittitur 414.a Palatina Cauſa in conventu Ratiſponenſi ad peculiares Tractatus ſeponitur. 427.a Circa Palatinam cauſam Ratiſponæ acta 469.b Ea Viennam trajicitur 470.a Ibidem denuo ſuſcipitur *ibid.* a Hiſpanici Legati ſuper ea declaratio *ibid.* b Ut & Bavaricorum *ibid.* b

Palatini Caroli Guſtavi periculum 490.b

Circa *Palatinam* cauſam Viennæ acta 504.a Cæſaris circa eam declaratio *ibid.* b Palatini Legatus re infecta Vienna diſcedit 505.a Palatinis Legatis Oſnabrugam & Monaſterium deſtinatis cauſam ſuam commendat 527.a Circa Palatinam cauſam in tractatibus agitata 537.a Palatini Electoris Miniſtri Monaſterium adveniunt 597.a Palatinis Galli in tractatibus Monaſterienſibus ſpem faciunt 610.b Palatini proteſtatio Monaſterii rejicitur 612.b Sultzbacenſis querela 613.a Palatinorum Oſnabrugæ intempeſtivus zelus 641.a De Palatina Cauſa Oſnabrugæ acta 537.a De Palatino immediatæ Nobilitatis querelæ 656.a Palatinorum monita circa formulam pacis 669.a Circa Palatinam cauſam temperamentum 675.a Palatinam cauſam ſoli Sueci ſuſtinent 749.a Ad Palatinum Auſtriacorum miſſio 821.a Palatinus in Bohemia ſubſidet *ibid.* a Palatinus Elector pacem acceptat 924.a Benfeldam petit 945.a

Pappenheimii ſucceſſus per Saxoniam 68.b Suecos cædit 69.b Stadam deſerit *ibid.* b

Pappenheimius per Saxoniam graſſatur 71.b Callenbergæ obſidium ſolvit 72.a Ei Baudiſius cedit 75.b Hildeſiam capit 76.a In Thuringiam abit *ibid.* a Ei Fridlandus jungitur 80.a Prælium Lutzenenſe inſtaurat 84.a Occumbit *ibid.* a

Pappenheimium ab Hornio expugnatur 109.a Pappenheimenſis Arx à Cæſareis capitur 186.b

Parchwitzam Torſtenſonius occupat 480.a

Paſewalci excidium 38.a

Pax Religioſa ſancitur 7.a Poſt illam querelæ continuantur *ibid.* b Pax cum Betlemo 14.b Pax cum Daniæ Rege fit 21.a Pax Lubecenſis 31.a

Pegneranda Monaſterium intrat 602.b Monaſterio diſcedit 851.a

Ad *Perlebergam* Cæſarei conſiſtunt 259.a

Philipsburgum fruſtra tentatur 78.a Ejus præſidium fruſtra ab Electore Trevirenſi tentatur 108.b Ei urbi Galli inhiant 123.a Ea Suecis deditur 143.b De Philipsburgo traden-

do Gallorum postulata 150.a Id oppidum à Cæsareis intercipitur 184.a Ab Enguiano petitur 557.b Ab eo capitur *ibid.* b De eo Spirensium querelæ 656.a
Piccolomineus in hiberna discedit 449.b
De *Pirnensibus Tractatibus* judicium 169.b Tractatus 173.a Ejus secreta emanant. 182.a
Plauena à Suecis capitur 366.a
Prælium ad Wisselochum 15.a Ad Wimpinam *ibid.* a Ad Hœchstam *ibid.* a Ad Florcacum *ibid.* b Ad pontem Dessavienſem 18.a Ad Lipsiam 51.a Ad Lutzenam 82.b Ad Oldendorpium 110. b Ad Pfaffenhoviam 116.a Ad Watvveilam 142.b Ad Ligniciam 153.b Ad Nordlingam 162.a Ad Reinfeldam 333.b Ad Wittevveiram 336.a Prælium ad Chemnitium 360.a Prælium ad Guelferbytam 441.a Prælium ad Lipsiam 485.a Prælium ad Mergentheimum 586.a Ad Allersheimum 587.b Cæsi & capti utrimque 588.b
Praga à Suecis frustra tentatur 159.b Pragensis pax 195.a Illam Gallus frustra impedire conatur *ibid.* a Pragæ Banerius exercitum admovet 361.b A Banerio tentatur 363.a A Kœnigsmarkio occupatur 813. b Ad eam urbem VVittenbergius properat 815.b
Pragæ magnæ obsidium solvitur 820.b
Pragense decretum & ejus causa 1040.b Pragensis tractatus 911.b
Ad *Prisniam* Suecorum periculum 436.b
Procerum Bohemici fenestra dejiciuntur 10.b Compositio amica de ista re frustra tentatur *ibid.* b
Protestantes in partes scinduntur 7.b Eorum Religio unitur & premitur 8.a
Phulius in Hennebergica rem bene gerit 274.b
Pyrna frustra à Saxonicis tentatur 362.a Ab iis invaditur *ib.* b Frustra oppugnatur 363.a A Banerio munimentis nudatur *ibid.* a
Polckhausium VVittenbergius capit 638.b
Polonia status anno 1630. 25.a Polonis Legatio à Rege Gustavo mittitur 85.b Poloni domum abeunt 98 a Eorum habitus anno 1633. 128.a Cum Polonis Suecorum Tractatus in tempus iniquum cadunt 217.a Polonici Procuratorii vitia in tractatibus Stumsdorfianis 218.a Poloni super legibus induciarum in iis miteſcunt 231.b Polonia frustra Suecos lacessit 312.b Res Polonicæ cum Suecis anno 1638. 355.b Super Poloni Machinationibus Ordinum Sueciæ decretum 358.b Poloni culpam irruptionis Hermanni Borhii in Livoniam à se amoliuntur 389.b Polonica Legatio ad universales pacis tractatus dissuadetur 529.a Eorum excursiones in Pomeraniam 490.b Cum iis Torstensonius literas commutat 513.b Poloniæ fines Crocovius transit 514.b Poloni in antecessum se excusant super intromissione Crocovii in suas ditiones 515.b Per Poloniam Crocovius evadit 516.a Polonus se Mediatorem pacis offert 554.b Ejus Machinationes anno 1643. 539.a Poloni tractatibus pacis se immiscere volunt 687.b Eorum Legatorum ad Conventum Lubecensem mandata 1005.b Iis ibi spiritus accedunt 1008.a Ii Lubecæ tractatus eludere jubentur 1009.b Poloniæ Regi filius nascitur 1026.b Is Rex mentem Reginæ Sueciæ expiscari conatur *ibid.* b Poloniæ Vicecancellarius in Sueciam venit 1027.a Causa ejus fugæ *ibid.* a Regina Sueciæ pro eo intercedit *ibid.* b
Pomerania invaditur 20.b Ejus Dux Suecos Stralsunda dimovere conatur 29. & 30. Pomerania fit pomum Eridis 149.a Brandeburgici circa eam temperamentum non admittunt *ibid.* b Ejus Dux pacem Pragensem amplectitur 208. b Pomerania à Marazino invaditur *ibid.* b Pomerani frænum mordent 216. b Per Pomeraniam Gesta 246.a In eam Provinciam VVrangelius venit *ibid.* b Marazinus denuo in eam redit *ibid.* b Pomeranorum in Suecos animus 247.a In Pomeraniam Banerii recessus 277.b Quo incolumis evadit 278.b Acta ibidem *ibid.* b In ulteriore Pomerania acta 281.a Banerius in eandem abit 282.a Sueci equites ibi profligantur *ibid.* b Gallasius in eam irrumpit *ibid.* b Ob ejusdem successionem controversiæ inter Brandeburgicum & Suecos 292.a Consilium Ordinum super regimine ejus Provinciæ 293.b Ordines vacillant *ibid.* b Ejus Dux moritur 294.a Ejus Ducatus possessionem Brandeburgicus apprehendere vult *ibid.* a Cui Bielkius resistit *ibid.* a Eam Brandeburgicus armis vindicare constituit *ibid.* b Ducatus Ordinum Decretum *ib.* b Quod Bielkius improbat 295.a Decretum discinditur *ibid.* a Suecorum circa id mens *ibid.* a Pomeraniæ provisionale regimen expirat 320.a In ulteriorem Pomeraniam Cæsareanorum conatus 325.b Pomeraniæ Ordines Conventum agitant 364.b
E *Pomerania* Stalhantschius modica auxilia accipit 406.a Per eam ulteriorem gesta anno 1640. *ibid.* b Ejus Provinciæ regimen per Suecos instauratur 407.b Quod selecti Ordinum probare tergiversantur *ibid.* b Pomerani à novo Electore Brandeburgico solicitantur 408.a Per Pomeraniam & Marchiam Suecorum gesta 453. a In eam Polonorum excursiones 490. b. Pomeraniæ res ordinantur 491. a In eam Crocovius irrumpit 514.b
Pomeraniam Kœnigsmarckius properat 515.a Pomerania ab Hamburgensibus Polonis invidetur 540.b Super ea cedenda Suecorum consultationes 543.b Rationes pro ea retinenda *ibid.* b Pro eadem cedenda 544.a Ea cedendum certo modo decernitur *ibid.* b Super ea Regina Sueciæ seorsim cum Brandeburgico agere non vult 623.a Super ea Suecorum & Brandeburgicorum colloquia 647.b Pomeranorum temperamentum circa satisfactionem propositum 690.b
Pontificis & Italorum status anno 1630. 24.b
Protestantes per superiorem Germaniam à Gustavo Rege solicitantur 53.a

Q.

Ad *Quedlinburgum* Sueci multantur 439.b

R.

Ragozii Legatio irregularis 312.a Ejus Legatus à Gustavo dimittitur 71.a Ejus acta cum Suecis 214.a Alia acta 388.b Ragozius in Hungariam irrumpit 554.b Cum eo pacta Sueci ratihabent *ibid.* b Recedit 555.a
Super fœdere cum *Ragozio* consultatio 538.a A Torstensonio stimulatur *ibid.* a Is promtum se bello ostendit *ibid.* a Quod in Cæsarem sumit 539.a Cum eo Galli fœdus ineunt 579.b Ragoziani se Suecis jungunt 580.a Eorum indoles *ibid.* a Ejus & Torstensonii diversa intentio *ib.* b Vires & habitudo animi 581.a Ragozius junior in castra Torstensonii venit *ibid.* b Ragozius pater in Moraviam accedit, & nurat 582.a Cæsar eum ad pacem permovet *ibid.* a Is in Transylvaniam redit 583.a Ejus novæ molitiones 669.b Is se Polonis commendari petit 913.a
Rana à Gustavo recuperatur 79.a à VVrangelio expugnatur 635.a
Ramseus Hermansteino annonam infert 189.a Comitem Hanovienſem in custodiam dat 190. a
Ratenavia Cæsarei potiuntur 158.b Eam Sueci amittunt 286. a
Ratispona à Bavaro intercipitur 65.b Ejus urbis Syndicus capitur 112. b Ejus Arx expugnatur à Duce Bernhardo 121. b Ejus Urbis obsidium 155.a Deditio 156.a In Ratisponensi Conventu acta 271.a Ibidem Comitia indicuntur 426.b Propositio ibi facta *ibid.* b De invitandis Coronis propositio *ibid.* b Diplomata ibidem conceduntur *ibid.* b Super Amnestia consultatur 427.a Palatina causa ad peculiares tractatus seponitur *ibid.* a De Hospitiis & Contributionibus ibidem acta *ibid.* a De Ratispona invadenda Banerii Consilium 454.a Ratisponensis Conventus acta circa pacem communem 467.b Circa Amnestiam, gravamina & bellum 468.a Circa Palatinam causam 469. b De eo conventu judicium 470. a Ratisponæ & Augustæ pacis executio fit 927.b
Reformatio *Religionis* instituitur 4.a Religio Lutherana per Provincias Cæsaris invalescit 9. b Consilium de illa opprimenda initur *ibid.* b Remedia diffidii Religionis in Germania frustra tentantur 4.b

INDEX

Reservatum Ecclesiasticum 7.a
Ratela à Bernhardo Duce capitur 334.b
Rheinfelda acriter se defendit 151.b Fame urgetur 157.b A Duce Bernhardo obsidetur 332.b Ad id oppidum prælium 333.b A Bernhardo Duce capitur 334.a
Ratela à Rheingraviis capitur 109.b
Rheingravii Neuburgum, Botelum & Urbes Silvestres capiunt *ibid.* b Rheingravius Otto Ludovicus Lotharingos persequitur 117. a Ejus per Alsatiam progressus 143. a Sero ad exercitus Suecicos accedit 160.b Argentoratum tendit & evadit 165.a De Alsatia in Gallos transferenda agit 166.a Moritur *ibid.* a
Rheingovia à Suecis recuperatur & perditur 193.b In ea Vinarienses vapulant 378.a
Rhenani tractus misera facies 254.a
Cum *Rhetis* acta in Conventu Francofurtensi 146.b
Ad *Rhenitzam* Sueci subsistunt 281.b
Ex *Richelii* morte Cæsarei murationem sperant 501.a
Ringoa à Gustavi Regis Copiis occupatur 54.b
Rostochium à Gustavo capitur 56.a
Rosa strenue rem gerit 403.b Bredavium profligat *ibid.* b
Ad *Rostochiensem* portum Dani satis pro imperio agunt 321.b Rostochienses Warnemundam destruunt 323.b
Rotwila à Gallis expugnatur 520.b A Bavaricis recuperatur 521.b
Rowii de armis Anglorum ratiocinium 415.a Is in Angliam revocatur *ibid.* b
Rugia à Suecis occupatur 34.b
Ruppinum Sueci capiunt 366.b Id Brandeburgici frustra tentant *ibid.* b
Rustorfium & Anglicus Legatus Palatinum commendant 374.b
Sub *Rudena* Dani à Suecis vectigal exigunt 541.a
Cum *Russis* Danorum machinationes anno 1643. 540.a
Russorum Legatio Holmiam 959.a

S.

Circa *Sabaudæ* titulum difficultas 465.b
Saganum Stalhantschius procedit 452.a Idem Torstensonius occupat 479.b
Salam Guebrianus transit 437.b Ut & Cæsarei 438.a
Saltzcota à Landgravio expugnatur 124.a
Inter *Salvium* & Avauxium de fœdere disceptatio 307.a Avauxius de novo fœdere movet, & de initio ejus disceptatio *ibid.* a Circa alia de fœdere conjuncta Gallorum sententia 308.a Salvius Sueciæ Legatus Cæsaris mentem circa pacem expiscari conatur 344. a A Curtio tentatur 345.a Ejus postulata Lubecæ circa Salvum conductum Fœderatorum 348.a Replica ad Cæsareorum exceptiones circa eum Salvum conductum *ibid.* b Is paulo liberalius quædam annuit 350.b In quæ Gallus non consentit *ibid.* b Salvii cum Danis disceptatio 353.a Ei Tractatus per Lauenburgicos agitati non displicent 384. b Inter eum & Curtium secretus Tractatus 383. a In eum Banerius irritatur 386.a
Apud *Salfeldam* Cæsarei considunt 396. a Banerius cum sociis idem facit *ibid.* b Cæsareorum apud eam difficultates 397.a Uti & Fœderatorum *ibid.* a
Salfelda fœderati movent *ibid.* b Salvius tractatus cum Luneburgicis concludit 410. b De Landgravia queritur 412.a Postulata sua Gallis super prorogatione fœderis, oblique insinuat 414.b Ejus ad Luzovii propositionem Hamburgi responsio 423. a Colloquium cum Luzovio 424.a Is circa Luzovii intentionem dubitat 425. a Cum Luzovio colloquitur *ibid.* b à Salvio Suecicorum Tribunorum postulata & ejus responsum 446.a Is Boothii machinationibus in Saxonia inferiore obsistit 454.a Ejus responsio ad secundam Legationem Luneburgicorum anno 1641. 456.b Considerationes circa secretos tractatus cum Luzovio 461.b Is secretos tractatus cum Luzovio continuat post renovatum fœdus Gallicum *ibid.* a Ei Luzovius dubia demere conatur 462. a Ei Luzovius separatam pacem persuadere nititur *ibid.* b Cum Luzovio colloquitur 463.a Ei latæ conditiones acceptandæ videntur *ibid.* a Ejus responsum ad Luzovium cum de separata pace Hamburgo discedens moveret 497. a Is rerum mutationem timet 524.b
Salvius Osnabrugam ire constituit 530.a Eam urbem ingreditur 531.a Ejus cum Danicis Legatis congressus *ibid.* a Præter destinatum Osnabrugæ manet *ibid.* b Monasterium excurrit 564.a Ejus cum Gallis Monasterii & Osnabrugæ acta 568.b De prima propositione *ibid.* b De ordine tractandorum *ibid.* b De tractatibus Monasterium transferendis 569.a Quod Sueci abnuunt *ibid.* a Is Monasterium abit 689.a Abeo Monasterii acta 772. b Certo modo in pacem Gallorum & Ordinum Imperii consentit 865.b
Sarstadii Sueci consistunt 447.b
Sarapontani de Moguntino querelæ 656.a
Bellum in *Saxoniam* Inferiorem transfertur 17. a Præludia ejusdem Belli *ibid.* b Idem exasperatur *ibid.* b De pace frustra tentatur 18. a Saxo ad liberandum Magdeburgum Gustavo Adolpho conjungi non vult 46.a A Tillio invaditur 50.a Gustavo Adolpho Fœdere jungitur *ibid.* a Saxonia Inferior Gustavo Regi studet 56.b Saxones Bohemiam invadunt 57.b Saxonicus Dux Wilhelmus rem in Suevia bene gerit 67. a Contra Saxones male in Bohemia *ibid.* b Saxoniæ Elector à malevolis solicitatur. *ibid.* b Saxones Bohemia pelluntur 68. b Pappenheimii per Saxoniam successus *ibid.* b In Saxonia Pappenheimius grassatur 71.b Cum Saxoniæ Electore & Gustavo acta 72. b Saxonici cum Suecis & Brandeburgicis junguntur 76.b Eorum tractatio super ea conjunctione 77. a Saxoniæ Elector à Gustavo Auxilium poscit 79. b Idem sua recuperat 85. a Ejus congressus cum Oxenstierna post Gustavi mortem 92.a Saxoniæ Inferioris Conventus 93.a
Saxo & Brandeburgicus Dresdæ conveniunt 93.b Ejus consilia plerisque Ordinum in Conventu Heilbrunnensi displicent 100.b Is Palatinatus restitutionem improbat 202.a Ejus Directorio à Vinariensi Duce favetur 113.a Saxones Suecorum hospitia turbant 134. a Inter Saxonem & Cæsarem denuo de pace agitatur *ibid.* b Saxo pacem captat 144. b Ejus propositio in Conventu Francofurtensi 146. a Querelæ in eodem Conventu 147. a Saxoniæ Inferioris monita in eo Conventu *ibid.* a Saxones Suecos in obsidione Glogoviæ impediunt 153. a Saxoniæ Elector cum Cæsare tractatus suscipit 154. a Saxoniæ Dux se Suecis difficilem exhibet 166.b Saxonici & Sueci tempus in Bohemia frustra terunt 167. a Saxonum contra Suecos animorum aversio 172. a Saxo Banerii hiberna turbat 173. b Ad Saxonem ab instaurato Conventu Wormatiensi scribitur 181. b Saxoniæ Electoris importunitas 188. b Saxo Ordinibus provincialibus de pace Pirnensi proponit 189. a Inducias particulares init *ibid.* b Ad Bellum se præparat *ibid.* b Adjungit sibi Wilhelmum Ducem, Erfordienses & Anhaltinos principes *ibid.* b Brandeburgicum ad amplectendam suam pacem solicitat 190. a Saxoniæ turbatus status 191. a Saxo ab Arnheimio deseritur 195. a Apud eum Silesii frustra de pace Pragensi queruntur 196.a Saxoniæ Inferioris Conventus decretum 197. b Saxo per Legatos iterum cum Suecis agit 199. b Eorum propositio 200. a Qui re infecta discedunt *ibid.* a Suecicos Ductores solicitat 202. b In Suecos movet 203. a Eos contemtim tractat *ibid.* b Saxoni capita transactionis ab Oxenstierna proponuntur *ibid.* b Super illa se declarat 204. a Is Magdeburgicam irrumpit *ibid.* b Ejus destinata 205. b Saxonia utraque pacem Pragensem amplectitur 206. a Cum Saxone tractatus à Suecici Exercitus Ductoribus continuantur 210. a Cum eo circa pacem acta 213. b Inter Saxones & Suecos ad manus pervenitur 214. b Vapulant 215. b Eorum peditatus insignis clades ad Dœmitzam *ibid.* b Eorum pons ad Lentzenam destruitur *ibid.* b Ii semel & iterum vapulant 223. a Saxo frustra inducias proponit *ibid.* b Inter eum & Oxenstiernam de pace acta 237. b Saxonicorum legio opprimitur 241. a Saxo ad tuendam suam ditionem advolat

volat *ibid.* b Irriti ejus conatus in Succos 143. a Prælium detrectat *ibid.* a Saxonici vapulant *ibid.* b Saxo Hatzfeldio junctus in Banerium movet 244. a Albim transit 245. a Magdeburgum obsidet *ibid.* b Ad Reginam Sueciæ scribit 255. a Magdeburgo potitur 257. b Saxonici ad Eulenburgum à Banerio fugantur 274. b Munimentum ad Wittenbergam deserunt 275. a Frustra Banerio de induciis proponunt *ibid.* b In Saxoniam Inferiorem gesta 285. a In ea Sueci aliquot loca amittunt *ibid.* b Saxoniæ Inferioris conatus 331. a Conventus *ibid.* b Saxonici Pyrnam frustra tentant 362. a Pyrnam invadunt *ibid.* b Duæ Saxonicæ Legiones à Slangio delentur 363. a Saxonici Budissinam occupant *ibid.* b Iidem à Suecis intercipiuntur *ibid.* b Saxonici Pyrnam frustra oppugnant *ibid.* a Saxonum Inferiorum Conventus 367. b Eorundem decretum 368. a Saxoniæ Inferioris suspecta ad Banerium Legatio 370. a Saxonici à Kœnigsmarckio multantur 393. a Saxonicos Kœnigsmarckius profligat 394. a Saxoniæ Inferiori Sueci neutralitatem abnuunt 409. a Saxoniæ Ducis (Ernesti) circa pacem conatus 421. a In Saxonia Inferiore Boothii machinationes 453. 454. In Saxoniam Kœnigsmarckius mittitur 482. a Saxonici Electoris filius cum Suecis frustra de neutralitate agitat 486. & 487. Saxoniæ Ducis Augusti Torstensonius commeatum retractat 509. a Saxoniæ Elector quædam Misniæ loca recuperat 550. a Cum eo super induciis agitur 578. a Iterum 584. b Cum eo Sueci inducias concludunt 585. a Prorogant 627. b Saxonici Legati Osnabrugam adveniunt 659. a Suecicos Osnabrugæ invisunt 669. b Eorum interpositionem Evangelici declinant 671. b Saxonis literæ ad Evangelicos 677. a

Schafgotzii per Silesiam irriti conatus 125. b Acta cum Wratislaviensibus 126. a

Schorndorfium à Bavaris capitur 170. a

Schweidnicia à Torstensonio obsidetur & capitur 480. a Eam Cæsarei recuperant 553. a

Schweinfurtum à Cæsareis capitur 171. a

Scotorum in Sueciam Legatio 432. a

Seckendorfii propositio 456. b Is capite plectitur 475. b

Seckinga à Bernhardo Duce capitur 332. b

Servientus Osnabrugam venit 769. a Iterum 565. b Ejus lis Monasterii super admissione Anseaticorum 591. b Tertio Osnabrugam venit 809. 843. a 851. a Cum Ordinibus pacem concludit 863. a Ejus pacis instrumentum apud Moguntinum deponitur *ibid.* b

Siburgum à Cæsareis frustra tentatur 110. b

Sigismundi Marchionis Tractatus 296. b Is vult Stetinum venire *ibid.* b Cum eo Marchione Tractatus expirant 298. a

Ad *Steinaviam* Suecorum clades 124. a

In *Silesia* gesta 81. b Ibidem confusus status 98. b Silesiacum Bellum recrudescit 112. a Silesiam Fridlandus irrumpit 106. b Ejus Ordines Conventum agunt 112. a Legatos ad Oxenstiernam mittunt 118. a In Silesia Tractatus pacis abrumpuntur *ibid.* Ea per Schafgotzium frustra petitur 125. b Ejus Ordines Fœderatis adscribi volunt 148. a Per eam gesta 153. b Silesii frustra apud Saxonem de pace Pragensi queruntur 196. a In Silesiam Sueci irrumpunt 365. b Ea Banerius discessum simulat 400. a Torstensonius cogitat eam 478. a Eo iter instituit *ibid.* b Sueci ea tota expelluntur 479. a In ea acta anno 1641. 451. a In ea Cæsareanorum progressus 452. b Per eam Suecorum excursiones 487. b In eam Torstensonius descendit 513. a In eam Kœnigsmarckius excurrit 583. b Wittenbergius mittitur 637. a

Skalam arcem Cæsarei recipiunt 627. b

Skytii (Johannis) Legatio in Daniam, Hollandiam & Angliam 226. a

Slangius rem strenue gerit 323. a Duas Legiones Saxonicas delet 363. a Neuburgi circum venitur 436. b

Sletstadium capitur 81. a

Solmensis à Gustavo ad Saxonem mittitur 68. a

Super *Soltavio* abducto querelæ 454. a

Soraviam Torstensonius occupat 479. b

Spandaa Regi Gustavo traditur 46. a

Sparri Comitis inanis propositio 795. a

Sperreuterus Georgium Ducem deserit 198. a Ejus jussu Westphalia non vult excedere *ibid.* b Oxenstierna ejus consilia approbat *ibid.* b Nienburgum in potestatem redigit 199. a Ad hostem transit 824. a

Spira à Cæsareis capitur 184. b A Gallis capitur 557. b

Spiringa in Anglia negotiatio 1024. a

Sprottoviam Torstensonius occupat 480. a

Stadhaga Sueci hostem opprimunt 285. b

Stadberga à Wrangelio capitur 629. a

De *Stada* in Danum transferenda 69. b A Pappenheimio deseritur *ibid.* b

Stargardia à Gustavo occupatur 36. b

Suecia periculum propius admovetur 18. a In eadem de Bello in Cæsarem deliberatur *ibid.* b Status Anno 1630. 25. b Senatus Regni Legationem ad Fridlandum decernit 31. a Circa Sueciæ satisfactionem Luxovii oblata 461. b Sueci Rhenum transmittunt 55. a Sueciæ Ordinum Consilium de pace 59. b Suecorum per Sueviam superiorem progressus 66. b Sueci male rem gerunt 69. a In Saxonia male rem gerunt 76. a Iidem cum Brandeburgicis Saxonibus junguntur *ibid.* b Sueciæ difficultates post mortem Regis Gustavi, & remedia adversus istas 90. a E Suecia nova mandata ad Oxenstiernam mittuntur 91. b In Suecia Ordinum Conventus decernitur 98. b Nova forma Regiminis ejus Regni *ibid.* b Sueci Fœdus cum Gallia renovant 102. a Eorum Acta cum Legato Anglico *ibid.* b Cum Hollandis *ibid.* b Succici Exercitus Conspiratio 103. a Eadem sopitur *ibid.* b Suecorum acta ad Rhenum 104. a Iidem Andernaco succurrunt *ibid.* a Engersam & Montaburium Gallis tradunt *ibid.* a Eorum res in Silesia male geritur 105. a Sueci Heidelbergam capiunt 106. a Hamelæ obsidionem continuant *ibid.* a Suecos inter & Lotharingum hostilitas erumpit 110. a Sueci Hollandis subsidiarium militem mittunt 111. a Sueci ad Steinaviam considunt 118. b Suecorum Legatorum acta apud Regem Galliæ 119. a A Succis ab Hollandis postulata *ibid.* b Suecorum Acta cum Palatino Neoburgico *ibid.* b Sueci cum Colonienſi frustra de Neutralitate agunt *ibid.* b Sueci Chamum capiunt 122. b Suecorum Clades ad Steinaviam 124. a Sueci Holmiæ per Legatos Moscoviticos invisuntur 128. b Etiam per Tartaros 129. a Suecorum acta cum Holsatiæ Duce *ibid.* a Rerum eorum in Germania facies anno 1634. 131. a Sueciæ Ordinum super satisfactione sua Decretum 132. b Suecorum hospitia à Saxonibus turbantur 134. a Eorum Legatio in Belgium & Angliam 136. b Sueci cum Dano de pace agunt 137. a Eorum in Palatinatu superiore progressus *ibid.* a Cum Helvetiis acta 141. b Eorum per Alsatiam gesta 142. a Iis Hohenbaara & Hagenoa à Gallis præripiuntur *ibid.* b Iis Philipsburgum deditur 143. b Eorum per Westphaliam acta *ibid.* b Landsbergam capiunt 145. a Suecorum infructuosa Legatio in Angliam 146. b Sueci Hammum & Lunam recipiunt 152. a Ad Monasterium hostem frustra tentant 153. a Iisdem Batavicæ copiæ junguntur *ibid.* a Ii obsidione Glogoviæ à Saxonibus impediuntur *ibid.* a Sueciæ Ordinum super satisfactione decretum 154. a Sueci frustra Ratisponæ subvenire tentant 156. & 157. Bavaria excedunt 157. a Ad Bopfingam castra locant 160. a Norlingæ militem immittunt *ibid.* a Eorum in prælio ad eam urbem clades 163. a Exterorum auxilia implorant 165. a

Acta *Succici Exercitus* ad Norlingam victi *ibid.* a Is & Saxonici tempus in Bohemia frustra terunt 167. a Suecorum Legatorum in Gallia acta *ibid.* b Contra eos Saxonum animorum aversio 172. a Eorum circa Bremensem ditionem intentio 174. a In Moscoviam Legatio 176. b De Tractatibus cum Polonis consultatio 177. a Sueciæ Senat⁹ finem Belli Germanici optat 179. a Succicarum rerum facies initio anni 1635. *ib.* b Per Germaniam acta *ib.* b Succicis

Legionibus à Brandeburgico hoſpitia negantur 188. b Succi Brandeburgicum conciliare ſtudent 191. a Succiæ Rectorum circa Bellum conſilia *ibid.* a Succi Rheingoviam recuperant & perdunt 193. b Inter Succici Exercitus Ductores primi motus erumpunt 199. a Succorum ad Saxonem irrita Legatio 201. a Succici Exercitus Ductores fidem ſuam denuo obſtringunt *ibid.* b Succici Exercitus animi per Edictum avocatorium à Cæſare promulgatum alterantur 202. b Succi Saxonem denuo per Legatos inviſunt *ibid.* a Ad ei reſiſtendum ſe comparant *ib.* a Succiæ Rectorum ſuper Bello Germanico ſententia *ibid.* b Succici Ductores à Saxone ſolicitantur *ibid.* b Cum Saxone tractant 203. a Iddenuo faciunt 204. b In eo cum Saxone continuant 210. a Eorum animi magis turbantur *ibid.* a Conventus Helmſtadii habetur *ibid.* b Succorum cum Saxone circa pacem acta 213. b Inter eos & Saxones ad manus pervenitur 214. b Succicæ Copiæ è Boruſſia in Pomeraniam veniunt 216. a Rectorum Succiæ ſententia ſuper rebus Germaniæ 217. a Eorum mandata ad Oxenſtiernam *ibid.* b Decretum *ibid.* & 218. Ad Succorum partes Cniphuſius iterum tranſit 221. b Rectorum Succiæ ſuper legibus pacis ſententia 222. a Succicæ Legiones in Weſtphalia vacillant 224. b Ad ſanam mentem redeunt *ibid.* b Succorum Legatio in Daniam, Hollandiam & Angliam 226. a & b Eorum Tractatus cum Polonis in tempus iniquum cadunt 227. a Succi Bellum contra Polonos parant 229. a Succicarum rerum facies initio anni 1636. 235. a

Circa *Succiam* Hollandiæ habitus *ibid.* a Succi ratificationem tractatuum cum Gallis abnuunt *ibid.* b Succiæ Rectorum concilia de pace & Bello 236. & 237. Inter Succos & Gallos Fœdus Meclenburgicus impedire conatur 238. a Ut & Rex Daniæ *ibid.* a Et Luneburgici Duces *ibid.* a Circa id Fœdus controverſia *ibid.* b Inter eos & Gallos temporaria transactio 239. a Succici Belli genius mutatur in Germania 240. a Succi Barbyam capiunt 242. a In eos Saxonis irriti conatus 243. a Ii cis Viſurgim cedere coguntur 247. b

In *Succos* Pomeranorum animus 247. a Ii cis Viſurgim cedere coguntur *ibid.* b In eorum poteſtatem Minda redigitur 248. b Cum iis poſt longam dubitationem Landgravius ſe conjungit 250. b Ad Succiæ Reginam Saxo ſcribit 255. a Succi cum Meclenburgico ſuper pace agunt 257. a Succiæ Ordinum decretum 257. a In Succorum partes Erfordia concedit 262. b Eorum improvita cum hoſte colliſio 263. a Succiæ Rectorum conſilia ſuper pace 267. a In Succia Daniæ Rex pacis Mediationem urget 268. a Succi ratificationem tractatus Wiſmarienſis cum Gallo differunt 269. b Ad Conventum Colonienſem venire abnuunt 270. b De Fœdere cum Landgravio conſultant 271. a Succicarum rerum facies ſub initium anni 1637. 274. a Succorum circa Bellum pacemque conſilia *ibid.* a Succi Landsbergam occupant 278. b Drieſenam fruſtra tentant *ibid.* b Eorum per Marchiam accepta damna 279. a Succici Exercitus dura conditio in Pomerania 280. a Succi hoſtem in Pomerania carpunt *ibid.* b Ad Ribbenitzam ſubſiſtunt 281. b Eorum equites profligantur in Pomerania 282. b Succorum res male ſe habent 283. a Succi in Saxonia aliquot loca amittunt 285. b Stadhagæ hoſtem opprimunt *ibid.* b Iis à Georgio Luneburgico Duce inſidiæ ſtruuntur *ibid.* b Ratenaviam amittunt 286. a Ut & Havelbergam, Werbenſe Munimentum, Dœmitzam, Luneburgum & Wintemum *ibid.* a Georgius Luneburgicus iis ſe hoſtem fert 288. a Cum iis Erfordienſes inducias ineunt *ibid.* b Eorum & Brandeburgici controverſiæ circa ſucceſſionem Pomeraniæ eorumque rationes 292. a Circa decretum Ordinum Pomeraniæ mens 295. a Eorum ſuper pace conſiderationes *ibid.* a De animo Cæſaris in pacem dubitant *ibid.* b Super Succico procuratorio diſceptatio 297. b Succi ad Colonienſem Conventum venire nolunt 301. b Eorum ſuſpiciones 305. a Iidem tempus extrahunt & in Fœdus Gallicum demum conſentiunt *ibid.* b Nec eo minus cunctantur 306. a Galliæ Regem ad Bellum hortantur *ibid.* a De Anglorum animo dubitant 308. b Fledvvodo reſpondent 309. a Eos Angliæ Rex ad Fœdus invitat *ibid.* b Eorum de ea re judicium & reſponſum *ibid.* b Spes exigua de iſto Fœdere 310. a Propoſitio de Matrimonio Reginæ Chriſtinæ cum Electore Palatino *ibid.* a Succici & Anglici Legati Colliſio *ibid.* a

Succi ad fœdus inter Gallos & Anglos invitantur *ibid.* b Rectorum Succiæ conſiderationes ſuper poſtulatis Landgravii ab iis ſuper illis propoſitæ 311. b Succi fruſtra à Polonis laceſſuntur 312. b Eorum malorum remedia ſunt ſeparata pax aut fœdus Gallicum 315. a Succi ſeparatis tractatibus non fidunt *ibid.* b Fœdere Gallico iis opus eſt *ibid.* b Venetorum Mediationem acceptant 316. a Succiæ Ordinum Decretum ſuper belli difficultate *ibid.* a Iidem colophonē imponunt fœderi Gallico 318. a Ejus formula *ibid.* a Pactum ei adjectum 319. a Rectorum conſultatio ſuper expiratione regiminis proviſionalis Pomeraniæ 320. a Succi Gartzium amittunt 321. a Idem ab iis recuperatur 322. a Item Loitium, Tripſeſa & Damgarta *ibid.* b Iidem Varnemundam reſtaurant, Dano nequidquam contradicente 324. a Succis Gallaſius damnum infert 223. b Luneburgici iis teſe hoſtes exhibent 325. a Succi Uckermundam recuperant 325. b Eos Erfordienſes fame ejicere conantur 326. b Succici Legati cum Palatino fruſtra de fœdere agunt 328. b Succiæ Rectorum Conſiderationes ſuper fœdere cum Palatino 329. b Reſponſum Palatino Miniſtro à Succicis Rectoribus datum *ibid.* b Succorum Palatinis junctorum acta 330. a Eorum clades apud Flotham *ibid.* a Succi Briſacum capiunt 339. b Succiæ Rectorum judicium ſuper fœdere Gallo-Britannico 341. a Eorum negotiatio ſuper fœdere Anglicano *ibid.* a Ad Succos Palatini Electoris propoſitio 342. b Inter eos & Cæſarem Lauenburgici peculiares pacis Tractatus inſtituere conantur 343. a Succis à Cæſare oblata ad obtinendam pacem particularem 344. b Lauenburgici iis peculiarem pacem ſuadent *ibid.* a Succi ſeparatos Tractatus ſuſpectos habent 345. a A Daniæ Rege ad Tractatus pacis Lubecam invitantur *ibid.* b Apud Succiæ Rectores Dani propoſitio 350. a Eorum reſponſum *ibid.* a Succiæ Rectorum ſententia ſuper tergiverſatione Gallorum in tractatu Lubecenſi 351. a A Gallis disjungi nolunt *ibid.* b Succis Danus magis ſuſpectus fit 353. a Succiæ ſtatus circa finem anni 1638. *ibid.* b In Succos Danus iniquus eſt 355. a Succi à Danis in freto Oreſundico vexantur *ibid.* a Succiæ Ordinum decretum ſuper pace 358. a Super Dani injuriis *ibid.* a Et Poloni machinationibus *ibid.* b Super tumultibus Weſtrogothiæ *ibid.* b Super educatione Reginæ matris *ibid.* b Succici Belli facies ſub initio anni 1639. 358. b Ad Succos Helmoldus Wrangelius cum ſua Legione tranſit 359. b Succi Mansfeldam capiunt 360. b Succicorum caterva intercipitur 362. b Succi Saxonicos intercipiunt 363. b Succici exercitus difficultates 364. a Succi in Sileſiam irrumpunt 365. b Drieſena potiuntur 366. a Plauenam capiunt *ibid.* a Dœmitzam fruſtra tentant *ibid.* a Ruppinum capiunt *ibid.* b Succiæ Rectores reſpondent Daniæ Regi ſuper petitione neutralitatis pro Domo Luneburgica 368. a Succiæ Rectorum deliberatio ſuper Vinarienſi Exercitu poſt mortem Ducis Bernhardi 373. b De fide in Succiam Vinarienſes teſtantur 375. a Inter Succos & Anglicum Legatum fœdus contra Cæſarem friget 378. b Succiæ Rectorum de pacis Negotiatione Hamburgi inita judicium 381. a Ea Negotiatio circa Salvum conductum hæret *ibid.* a Succiæ Rectores à Daniæ Rege tentantur 382. a Ii reſpondent *ibid.* a Tergiverſantur *ibid.* b Succorum ſententia ſuper Tractatibus per Lauenburgicos agitatis *ibid.* b Inter Succos & Cæſareos Dani mediatio friget 383. a Lauenburgicorum circa ſecretos Tractatus inter Succos & Cæſareos negotiatio *ibid.* b Formula pacis Succis ab iis propoſita 384. a Succiæ Rectoribus tractatus Cæſareorum cum Banerio & Salvio ſunt ſuſpecti 387. a A Succis Galli naves petunt 388. b Succiæ ſen-

Senatus ad Senatum Poloniæ ſcribit ſuper irruptione Hermanni Bothii in Livoniam 389. b Sueci reſpondent Danis vectigal ad Warnemundam tolli volentibus 390. a A Danis in freto Oreſundico denuo vexantur *ibid.* a Cum Suecis Hollandi arctius fœdus affectant *ibid.* b Suecicorum armorum conditio anno 1640. 392. a Suecis Cæſarei complura loca per Bohemiam eripiunt 393. a Suecorum ala ſiniſtra vapulat 394. b Suecici Exercitus ſub Banerio miſera conditio 400. a Sueci Heldrungam Arcem capiunt 404. a Ut & Wollaviam *ibid.* b In hiberna concedunt 406. b Pomeraniæ regimen inſtaurant 407. b Saxoniæ Inferiori neutralitatem abnuunt 409. a Cum Suecia Luneburgici Duces fœdus ambiunt *ibid.* b Sueciæ Rectorum de iſto judicium *ibid.* b Suecorum in ea negotiatione ſcopus 410. a Sueci ratihabitionem tractatus cum Luneburgicis differunt 411. a Eorum poſtulata à Gallis ſuper prolongatione fœderis 414. b In Suecia prorogationem fœderis Galli urgent 419. a Ejus Rectorum ſuper ea re conſultatio *ibid.* a Rationes pro & contra *ibid.* b Negotiatio ſuper ea re pauliſper differtur 420. a Suecorum cum Ragozio negotiatio *ibid.* a Sueciæ Rectores Tractatus rejiciunt 422. a Petro Wibio reſpondent 423. b Super Sueciæ ſatisfactione Luzovii ſententia 425. a De Sueciis ad Comitia vocandis Meclenburgicus agit 426. a Inter Sueciam & Hollandiam Fœderis cauſa 427. b Suecorum Conſultatio ſuper Fœdere cum Hollandis 428. a Rationes pro & contra *ibid.* a Cum Suecis non niſi obliquè Hollandi Legati Fœdus inſinuant 429. a Diſceptationes circa id formandum *ibid.* b Ejus Fœderis ſumma *ibid.* b Diſceptatio circa Ceremonias 430. a Conſultatio ſuper titulis *ibid.* b In Sueciam Scotorum Legatio 431. a E Suecia Regina mater profugit 432. a Suecorum ad Priſniciam periculum 436. b Sueciæ Rectorum cura circa exercitum Banerii poſt ejus mortem 438. b Sueci Mersburgum fruſtra tentant 438. a Halberſtadium concedunt *ibid.* a Eorum lubricus ſtatus poſt mortem Banerii *ibid.* b Sueci ad Quedlinburgum multantur 439. b Eorum cum Luneburgicis Ducibus acta *ibid.* b Suecici Duces Luneburgicorum Ducum propoſitionem annuere coguntur 440. a Exercitus periculoſus ſtatus 442. a Ad Guelferbytum ſubſiſtunt 444. b Suecico exercitui inſidiæ ſtruuntur *ibid.* b Miſeria in eo gliſcit 445. a Ductorum in eo querelæ *ibid.* a Pecuniam flagitant *ibid.* b Eorum à Salvio poſtulata & ejus reſponſum 446. a Sueci Sarſtedii conſiſtunt 447. b Ad Suecicum exercitum corrumpendum Danicæ Machinationes *ibid.* b Exercitus denuo pecuniam flagitat *ibid.* b Ejus periculoſus ſtatus Torſtenſonio ægrotante 450. b Ejus miſera conditio 452. b Geſta per Pomeraniam & Marchiam 453. a In Havelandiam irrumpunt *ibid.* a Sueciæ Rectorum ſuper Fœdere cum Luneburgicis ſententia 455. b Sueci Fœdus Luneburgicum ratihabent 457. a Idem fit irritum *ibid.* b Cum iis acta circa neutralitatem Brandeburgicam 458. a In Sueciam Legatus Brandeburgicus venit *ibid.* a Ejus poſtulata *ibid.* b Sueciæ Rectorum ſuper neutralitate Brandeburgico concedenda conſultatio *ibid.* b Neutralitatem cum Brandeburgico concludunt *ibid.* & 459. Eorum cum Gallis Fœderis prorogatio tarde procedit *ibid.* b Moderatio circa variationes Avauxii 460. a Capita quædam ſeponuntur *ibid.* b Fœdus cum Gallis abſolvunt *ibid.* b Sueciæ Rectores tractatus cum Luzovio abrumpi jubent 463. a In Sueciam Legatus Luſitanicus honorifice recipitur 471. a Ejus propoſitio *ibid.* b Suecorum Fœdus commerciorum cum Luſitanis 472. a Sueci tota Sileſia expelluntur 479. a

Sueci Oppelam capiunt 481. a Inter eos & Cæſareos de redemtione captivorum conventio 483. b Eorum acies in prælio ad Lipſiam 485. a Iis Lipſia deditur 486. b Suecicorum excurſiones per Moraviam & Sileſiam 487. b In Sueciam nova Brandeburgici Legatio 493. a De Sueciæ Regina Matre Legatorum Brandeburgicorum negotiatio *ibid.* b Suecici Legati literas Cæſaris improbant 495. b Eorum literarum cenſura 496. a Suecici Legati dubia ſua miniſtro Danico exponunt *ibid.* b Sueciæ Rectorum ſuper ſeparatis tractatibus cum Cæſare judicium 497. b Sueci à Cæſare denuo ad ſecretos tractatus ſolicitantur 498. a Inducias cum Electoribus Catholicis à Gallis propoſitas abnuunt 502. a Sueciæ Rectorum judicium de Tractatu Goslarienſi 503. a Sueci multa loca in Moravia capiunt 510. b Vapulant 511. a Eorum Tractatuum renovatio ſuper redemtione captivorum cum Cæſareis *ibid.* b Sueci Gallaſium in Luſatiam uſque ſequuntur 513. b Cum iis & Brandeburgico Tractatus Induciarum adhuc hæret 521. b Cum Ragozio pacta ratihabent 554. b Iis Hamburgenſes Pomeraniam invident 540. b De ſtudio pacis teſtantur 559. b Ab iis Dani ſub Rudena vectigal exigunt 541. a De quo hi initio modeſte queruntur *ibid.* b Eorum conſultationes ſuper bello Danico 542. a Rationes contra & pro bello *ibid.* b Bellum in Danum decernunt 543. b Eorum Conſultationes ſuper Pomerania cedenda *ibid.* b Rationes pro ea retinenda *ibid.* b Pro eadem cedenda 544. a Ea cedendum certo modo decernitur *ibid.* b Miſſio ad Brandeburgicum *ibid.* b

Sueci Danos fruſtra monent, ut injurias emendent 545. a Conventus Ordinum Suecici Regni *ibid.* b Qui exteris de bello Danico ſignificant *ibid.* b Iis Cæſarei moram tractatuum impingere cupiunt 565. a Eorum reſponſio *ibid.* a Suecici Legati Ordines Imperii denuo invitant 567. b Suecis arctius fœdus à Luſitano offertur *ibid.* a Sueciæ Regina Chriſtina regimen ſuſcipit 573. b Sueci in Bohemiam longius tendunt 576. b Moldam tranſeunt 577. a Cremſam capiunt 578. b Ragoziani ſe iis jungunt 580. a Pyrnam occupant *ibid.* a Suecicus exercitus denuo in Bohemiam irrumpit 584. a Suecica Legio vapulat *ibid.* b Sueci Inducias cum Saxone concludunt 585. a A Suecis Anſeaticorum Monaſterii petita 591. b Cum Suecicis Legatis Avauxii congreſſus 592. a Sueci novam propoſitionem à Gallis-Hiſpanis exhibitam ægre ferunt 593. a Quam Galli excuſant *ibid.* b Eos Cæſarei ad propoſitionem fruſtra urgent *ibid.* b Inter Suecos & Gallos propoſitio Monaſterii concinnatur 596. a Sueci motas ejus propoſitionis ægre ferunt *ibid.* b Suecis Oſnabrugæ Cæſarei reſponſum ſuum per Electorales inſinuare conantur 611. b Salvum conductum Mediatorum denuo poſtulant 612. a Labardæum pro Legato agnoſcere nolunt 613. a Oſnabrugæ ad Cæſareorum reſponſum replicant 620. a Cum Suecis Cæſarei ſeparatos tractatus captant 622. b Sueci ſe è Bohemia recipiunt 627. a Inducias cum Saxone prorogant *ibid.* b Ad Viſurgim movere conſtituunt 628. a In eos Cæſarei tendunt 631. a Iis Bœnigshauſius jungitur *ibid.* a Sueci cum Herbipolenſi Epiſcopo tranſigunt 636. a Donavverram deſerunt & recuperant *ibid.* a Oſnabrugæ novum procuratorium exhibent 645. a Inter Suecicos & Gallicos Legatos Oſnabrugæ diſceptatio *ibid.* a Suecorum cum Brandeburgicis colloquia ſuper Pometania 647. b Eorum ſatisfactioni Hollandi ſeſe opponunt 653. a Suecis Oſnabrugæ Cæſarei duplicam exhibent 661. b Super eorum ſatisfactione Cæſareorum peculiaris Oſnabrugæ declaratio 663. b Quam ampliant 664. a Iis prima formula pacis à Cæſareis Oſnabrugæ exhibetur *ibid.* a Sueciæ ſatisfactio Oſnabrugæ vacillat 672. b

Inter *Sueces* & Gallos ſuſpiciones 675. b

De *Suecica* ſatisfactione nova propoſitio 686. a Inter Suecos & Brandeburgicos ſeparati tractatus ſuſcipiuntur 687. b Suecis tota Pomerania à Cæſareis offertur 693. a Suecici Deputati Ulmam veniunt & eorum mandata 703. a Sueci inducias cum Colonienſi Electore ratificant 712. b Sueciæ Regina inducias cum Cæſare abnuit *ibid.* b Inter Suecos & Gallos ſuper hoſpitiis convenitur 713. b Suecis Bavarus ſuſpectus eſt 715. b Sueci Gleichenſteinam Arcem fruſtra tentant 724. a Uberlingæ fruſtra ſubvenire conantur 735. a Ac Biberacum deſerunt *ibid.* b Cæſareorum propoſitis in cauſa Palatina accedunt 751. a Legati Oſnabrugam redeunt 767. a Scripto ſeſe in Palatina cauſa

causa declarant 768. a Sueciæ Regina Bavaro rupturam excusanti respondet 773. a De eo apud Aulam Gallicanam queritur 774. a Sueciæ Legationis defensio qua ostenditur Domino Electori nec jus nec fas fuisse inducias cum Sueciæ Campiductore contractis renuntiare *ibid. & pagg. seqq.* Sueci Imperii negotia Ordinum arbitrio committunt 779. b

Suecicorum navium cum Anglis collisio 796. b Sueci in superiorem Palatinatum abeunt 803. b Cum Cæsareis de negotiis Imperii agere frustra quærunt 824. b Suecorum cum Bavaricis colloquium 843. b Suecica pax absolvitur 858. a Sueci subscriptionem pacis in Gallorum gratiam abnuunt 859. b Eorum interpositione pax Gallica cum Ordinibus concluditur 863. a Eorum cum Hispanis tractatus quievit 864. b Inter Suecicam Regiam & Cæsaream sacram Majestates articuli pacis 872. b Suecos & Cæsareos ratihabitionum permutatio peragitur 919. a Suecici milites incommodis hospitiis uruntur ob Gallos aliosque 922. a Sueci pro executione pacis contendunt 927. b Satisfactionem pro posterioribus pensionibus expetunt 930. b Sueciæ Generalissimus Moguntinum invisit 933. b Idem de propositione Monasterii facta ipsi exprobrat *ibid.* b Exercitum propius contrahit 934. a Sueci solutionem urgent 935. b Sueciæ Generalissimus temperamentum super Franckendaliæ restitutione à Cæsareis propositum repudiat 937. b Quæ res ad Reginam refertur 936. b Super ea re cum Gallis consultatio 937. a

Suecorum cum Cæsareis negotiatio super exauctoratione 946. b Sueciæ Ordines matrimonium Reginæ urgent 953. a Reginæ super suo matrimonio declaratio 954. b Quæ Ordinibus Regni proponitur 955. a Eorum consultatio super fœdere Gallico continuando *ibid.* b Ad Reginam Sueciæ Scotiæ Parlamentum scribit 957. b Sueciæ Ordinum Conventus 983. b Eorum postulata super retrahendis Coronæ bonis *ibid.* b Libellus supplex trium Ordinum 984. a Sueciæ Equestris Ordinis responsum ad Libellum supplicem Trium Ordinum 985. a Regina illud dissidium sopit *ibid.* b Reginæ coronatio 988. b Hispani ejus amicitiam affectant 990. a Ea Mediationem inter Regem Angliæ & Scotos suscipit *ibid.* b De deponendo Imperio cogitat 994. a Id Consilium Chanutus Galliæ Legatus dissuadere studet *ibid.* b Ut & Princeps Carolus Gustavus *ibid.* b Etiam Senatus 995. a Rationes Reginæ circa id propositum *ibid.* a Ea destinatum suum differt *ibid.* b In Suecos calumniæ Viennæ spartæ 999. a Reginæ super renovando fœdere Gallico considerationes *ibid.* a Super eo renovando decernit 1000. a Capita ejus discutiuntur *ibid.* b Ejus formula concipitur 1001. b Regina in Hispaniam mittit 1002. b Suecorum suspiciones de Polonis 1003. b Eorum Legatorum ad Lubecensem Conventum mandata 1004. a Qui ibi minantur nisi de titulo satisfiat 1009. a Sueciæ Regina Gedanenses super insidiis monet 1014. b Ejus consultatio de recognoscenda Republica Anglicana *ibid* b Quam agnoscere constituit 1015. a Pacta inter Danum & Hollandos frustra impedire studet *ibid.* b Anglorum societatem affectat 1016. b Ejus cum selectis Senatoribus deliberatio super rebus Polonicis & Anglo-Belgicis 1018. a Decretum super rebus Polonicis & bello inter Anglos & Belgas 1019. a Regina periculum vitæ incurrit *ibid.* b Ad Legatum Hispanicum Viennæ scribit 1021. b Investituram Pomeraniæ frustra petit *ibid.* b Poloni Regis extrema destinata expiscari cupit 1026. b Ejus Missio ad Curlandiæ Ducem *ibid.* b Ferdinandum IV. Electoribus commendat 1041. b Cum Brandeburgicis tractatus limitaneos absolvit 1043. a Repressalia in Hollandos decernit 1048. a Ejus missio in Angliam & ejus scopus *ibid.* a Ejus mediatio apud Anglos eluditur *ibid.* b Cum Anglico Legato Holmiæ acta 1050. a Fœdus cum eo super commerciis concluditur 1051. a Pro Ulfeldio frustra intercedit 1052. a Ejus Legatio in Hispaniam *ibid.* b Regno cedere constituit, & Senatui destinata sua pandit 1057. b Qui eadem frustra deprecatur 1058. a Principi Palatino successorem substituere conatur *ibid.* b Ejus adlocutio & propositio ad Ordines 1059. a Qui in abdicationem demum consentiunt 1060. a Regina Lusitanum Residentem agnoscere abnuit *ibid.* a Sceptrum deponit *ibid.* b Instrumentum abdicationis 1061. a Solemnia abdicationis *ibid.* a Reginæ oratio valedictoria ad Ordines *ibid.* b Ad quam Rosenhanius respondet *ibid.* b Ejus oratio ad novum Regem *ibid.* b Ejus regimen fuit Sueciæ glorioſum & proficuum 1062. b

Sultzbergam Cæsarei capiunt 702. b

Per *Sunigoviam* rustici tumultuantes compescuntur 96. a

Sultzbacensis Palatini querela 613. a

Stumisdorfiani Tractatus instaurantur 229. a Super legibus pacis in iis frustra disceptatur *ibid.* b De induciis agitur 230. b De legibus induciarum *ibid.* & 231. Turbæ inter tractandum 232. a Eorumdem Tractatuum Catastrophe *ibid.* b

Stralhantschii per Silesiam gesta 365. b Stralhantschius Berolino minatur 451. a Idem in Silesiam movet *ibid.* b Lubenam & Heinzendorfum capit *ibid.* b Cæsareos prævenit *ibid.* b Gœrlicium obsidet 452. a Saganum procedit *ibid.* a Modica auxilia è Pomerania accipit 406. a Hirschbergæ subvenit *ibid.* b In hiberna se recipit 452. b Periclitatur 479. a

Stargardia à Cæsareis expugnatur 216. a Iterum vi expugnatur 262. b Et ab hoste deseritur 263. a

Stettinum Suecos recipit 36. a Stettinum Sigismundus Marchio venire vult 296. b Quod Bielkius abnuit *ibid.* b Ibi tractatus inter Suecos & Brandeburgicos instauratur 492. b Posteriores iterum re infecta discedunt *ibid.* b

Stralsunda Pomeraniæ Dux Suecos dimovere conatur 29. & 30. Præsidium Danicum ea urbe educitur 30. a Stralsundenses denuo à Cæsare tentantur 279. b Eorum morositas 283. a Ii militem conscribunt 364. a Stralsundæ Leuchtmarus cum Oxenstierna confert 491. a Disceptatio de Pleniporentia *ibid.* b De pacto adjecto *ibid.* b De præsidiis, Jurisdictione, Bonis Equitum Teutonicorum 492. a Eæ urbi Cæsarei salvum conductum negant 572. a Circa eam Lambergius frustra temperamentum proponit 594. a Circa ejus Salvum conductum temperamentum 598. a Stralsundensium petita 619. a

Strigovia à Cæsareis capitur 405. a Eam Torstensonius iterum occupat 480. a

Straubinga à Duce Bernhardo capitur 128. a

Straubinga à Bavaris recuperatur 141. a

Stumsdorfianorum Tractatuum præliminaria 227. b In iisdem Tractatibus controversiæ super procuratoriis *ibid.* & 228.

T.

Tartarica Legatio in Sueciam 993. b

Tessenam Arcem Cæsarei recuperant 617. a

Tillius in Gustavum movet 44. a Novum Brandeburgum expugnat *ibid.* b Magdeburgum tendit *ibid.* b Thuringiam versus movet 48. b Saxoniæ Electorem invadit 50. a Copias recolligit 53. a Ejus conatus *ibid.* b Noribergam frustra tentat 55. a Wiltzburgum occupat 56. a In Bavariam recedit 63. b A Gustavo insequitur 64. a Ejus milites vapulant *ibid.* b Cadit *ibid.* b

Torga à Banerio capitur 274. b Banerius ad eam considet 276. a Hostis ibi eum includere statuit *ibid.* b Inde movere Banerius instituit 277. b

Torstensonius exercitum firmat 548. a Gallasio obviam tendit 549. b Eum insequitur 550. a Ragozium stimulat 538. a In Transylvaniam mittit *ibid.* b

Torstensonius Brinæ obsidium solvit 583. a Leopoldum insequi non potest *ibid.* a In Bohemiam transit *ibid.* b Ab exercitu discedit *ibid.* b Imperium in Carolum Gustavum Wrangelium confert 584. a Landsbergam occupat 103. a Dux Suecici Exercitus destinatur 442. b In Germania appellit 448. a Ad Exercitum conferre & statuit *ibid.* b Albim transgreditur 449. a Ad Exercitum venit & ejus destinata turbantur *ibid.* b Exercitui satisfacit 450. a Ejus cum Luneburgicis acta & morbus *ibid.* a Qui-

Quieſcere cogitur 475. a Propius hoſtem movet *ibid.* a Ejus conſilia 477. a In Sileſiam cogitat 478. a Ad eum Luneburgica Legatio *ibid.* a Goslarienſem tractatum diſſuadet *ibid.* a Sileſiam verſus iter inſtituit *ibid.* b Luccam occupat 479. a Ut & Gubbenam, Soraviam, Saganum, Glogoviam majorem *ibid.* b Hemſtadium, Sprottoviam, Friburgum, Drackenbergam, Militſchiam, Parchvvitzam, Jauram, Strigaviam 480. a Schvveidniciam obſidet *ibid.* a Cæſareos fruſtra inſequitur *ibid.* b Olmucium capit, ut & Littam & Neuſtadium Moraviæ 481. a Brigam obſidet *ibid.* b Ejus Obſidium ſolvit 482. a A Cæſareis inſequitur *ibid.* a Ad liberandam Glogoviam à Cæſareis obſeſſam ſe movet *ibid.* b In Miſniam movet 484. a Lipſiam obſidet *ibid.* b Poſt cladem Cæſareanorum Lipſiæ obſidium repetit 486. a In Bohemiam cogitat 487. a Freibergam obſidet *ibid.* b Eum in eo obſidio Luneburgici Legati adeunt 508. b Illud oppidum deſerit 509. a Auguſto Saxoniæ Duci commeatum retractat *ibid.* a In Bohemiam irrumpit *ibid.* b Albim tranſit 510. a In Moraviam tendit *ibid.* b Gallaſius eum inſequitur *ibid.* b Caſtra mutat 511. a Hoſtem laceſſit *ibid.* b Eulenbergam capit 512. b In Holſatiam abire jubetur *ibid* b In Sileſiam tranſit *ibid.* b De Induciis proponit 513. a Per Sileſiam deſcendit *ibid.* a Cum Polonis literas commutat *ibid.* b Holſatiam verſus movet *ibid.* b

Torſtenſonius Bernburgum tendit 551. a Caſtra Cæſareorum caſtris opponit *ibid.* a In Miſniam abit 552. b Reliquia ejus exercitus Wiebergam evadunt 553. a In Bohemiam movet 576. b Iglaviam capit 578. b Danubium tranſire non poteſt 579. a Ejus per Auſtriam progreſſus *ibid.* a Torſtenſonii & Ragozii diverſa intentio 580. b In ejus caſtra Ragozius junior venit 581. b Torſtenſonius in Sueciam abit 631. b

Tractatus Gedanenſis de pace 33. b In irritum cadit 34. a

Tranſſylvaniam Torſtenſonius mittit 538. b In eam Ragozius redit 583. a

De *Trautmansdorfio* Comite magna eſt in pacis tractatibus expectatio 613. a Is Monaſterium venit 614. b Ejus mora Oſnabrugæ eſt Gallis ſuſpecta 648. b Is Monaſterium diſcedit 649. a Cum Gallis de ſatisfactione agit 651. & 652. Ejus artes 665. b Is diſceſſum minatur 681. b Diſceſſum è loco tractatuum parat, lubentibus Catholicis, invitis Evangelicis 763. b Tractare amplius abnuit & Monaſterio diſcedit 764. & 765. Ejus ſuper conventis colliſio 816. b Succi Cæſareos ea de re compellunt *ibid.* b

Treveri à Gallis recuperantur 78. a Trevirenſis neutralitatem amplectitur 61. b

Treveri ab Hiſpanis occupantur 185. a De Trevirenſi Gallorum poſtulata omnes Oſnabrugæ & Monaſterii improbant 570. b Treviros Turennius occupat 589. a Trevirenſis Elector Philipsburgi præſidium fruſtra tentat 108. b Liberantur 595. b

Ad *Tapelam* Wrangelius conſidet 719. b

Tribelam Cæſarei occupant 718. b Ad eam conflictus 719. a

Tripſeſa à Suecis recuperatur 322. b

Tupadelum Croatas clade afficit 106. a

Turennius ad exercitum venit 521. b In Bavaricos movet 556. b Duas eorum Legiones cædit *ibid.* b Cis Rhenum movet 586. a Ei Kœnigsmarckius ſuccurrit 587. b Ad Rhenum ſe recipit 589. a Treviros occupat *ibid.* a Copias contrahit 629. b Conjunctionem cum Suecis detrectat 630. a Veſaliæ Rhenum tranſit 631. b Wrangelio jungitur *ibid.* b In Moguntinam ditionem progreditur 713. a Aſchaffenburgum & Hœchſtam capit *ibid.* a Moguntinus cum eo transigit *ibid.* a Darmſtadienſem duriter habet *ibid.* a Ad Rhenum movet 736. b Bavarico inducias renuntiat 737. a

Turennius ſe Wrangelio jungere offert 793. b Rhenum tranſit 800. b Succis quædam hoſpitia concedit 804. b E Germania abit 922. a

Turrius Fridlando aures præbet 107. a

Tvvila Cæſari ſe dedere abnuit 334. b

Tyrnam Succi occupant 580. a

U.

Uberlinga fruſtra ab Hornio tentatur 151. b

Uberlingam Galli intercipiunt 518. b Eam Bavarici recipiunt 556. a Galli tentant 702. a

Uberlinga Succi fruſtra ſubvenire conantur 735. a

Ulma Fœdus cum Guſtavo Rege init 61. b

Ulma ſe Cæſari dedit 295. a

Ulricus Holſatiæ Dux interficitur 118. a

Ulricus Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis fœdus cum Guſtavo Rege Sueciæ init 57. a

Uratislavienſis Tractatus Brandeburgico diſplicet 108. b Uratislavienſibus commercia libera permittuntur 814. b

Uſedomium à Guſtavo Adolfo occupatur 35. b Ut & à Cæſareis 283. b

Ubermundam Succi recuperant 325. b

Ubermunda à Guſtavo occupatur 37. a

Unio Evangelicorum 8. b

Unimiſte & Batavi Bellum Bohemicum ſuadent 10. b

Inter *Unionem* & Ligam res componitur 12. b

Valetta in Alſatiam movet 254. b

Vechtam Harzfeldius expugnat 330. b Ea à Suecis Hallicis junctis capitur 286. a

Veneti Mediationem ſuam offerunt 301. b Cum iis Electorum controverſia 563. b Jis Cæſar Electoribus pares habet 571. b Venetus Legatus Oſnabrugæ denuo Mediationem offert 610. b Veneti Auxilium contra Turcam petunt Holmiæ 697. a De Veneta Mediatione Oſnabrugæ acta 563. a

Verdugi inanis conatus 408. a

Verdenſis ſeſſio expeditur 1054. a

Viennam Palatina cauſa trajicitur 470. a

Vierreda Congreſſus habetur 297. a

Vinarienſis Exercitus è Sileſia expellitur 18. b Vinarienſis Ducis Wilhelmi acta 62. b Vinarienſis Dux Saxonis directorio favet 133. a

Vinarienſis Dux Wilhelmus paulatim ad pacem Pragenſem flectit 196. b Idem eam amplectitur 206. a Vinarienſes de fide in Sueciam teſtantur 375. a Vinarienſis Ducis Teſtamentum aperitur *ibid.* a Vinarienſes in Palatinatum deſcendunt *ibid.* b Ducis Wilhelmi Conſilia *ibid.* b

Apud *Vinarienſes* Galli argento rem agunt 376. a Eorum Exercitus inclinatio *ibid.* a Circa illum Gallici miniſtri mentem ſuam diſſimulant *ibid.* b Eos Cæſar captat 377. a Circa eos Gallorum artes prævalent contra captationes Cæſaris *ibid.* a Eorum geſta ſub Duce Longuevillio *ibid.* b Illis in Palatinatum deſcendentibus Bavarici occurrunt 378. a Aliquot Oppida capiunt *ibid.* a In Rheingovia vapulant *ibid.* a Eorum miſera conditio *ibid.* a Ii Rhenum tranſeunt *ibid.* b Et Haſſi conjunctionem decernunt 395. a Se cum Suecis, Haſſis & Luneburgicis jungunt 396. a Per Wetteraviam & Haſſiam hiberna capiunt 408. a Eorum legio deletur *ibid.* a Super Vinarienſi exercitu diſceptatio 417. a Super eo cum Gallis Succorum acta 373. & 374. Is Rhenum tranſit 451. a Lambojus contra eum evocatur *ibid.* a

Vinarienſes & Haſſici Lambojum invadunt 488. b Eorumdem victoria *ibid.* b Per Juliacenſem & Colonienſem agrum multa oppida invadunt 489. a Eorum clades ad Dutlingam 521. a Legionum ſeditio 731. b Ad quos Turennius mittit 732. b Turennium repellunt & trans Mœnum abeunt 733. b Ad Viſurgim concedunt 734. a Eos Kœnigsmarckius accipere dubitat *ibid.* b Gallici Legati cum iis agunt *ibid.* b Cum iis facta conventio *ibid.* b

Virmundium vapulat 56. a

Viſurgim Succi coacti tranſeunt 247. b Ad Viſurgim Succi movere conſtituunt 628. a

Volmarus Oſnabrugam ire jubetur & venit, ſed ſine plenipotentia 781. a

Vultejus Landgraviam apud Suecos excuſat 412. a

W.

Waldecca Comitis circa pacem conatus 422. a

Wallenſteinius Exercitui Cæſareo præficitur 17. b

Ad *Wangenam* Cæſarei vapulant 142. a Eam Cæſarei opprimunt

primunt 735.a
Wanzeo expugnati Geberlicii pacta non ſervantur 452.a Ejus adverſus Saxoniæ Electorem conatus 712.b Is capitur & damnatur *ibid.* b
Warenderffum Kœnigsmarckius aggredi cupit 734.a
Ad *Warnemundam* Dani vectigal tolli volunt 389.b Eam Arcem Mecklenburgicus repoſcit 993.a Ea à Roſtochienſibus deſtituitur 323. b A Suecis reſtauratur, Dano nequicquam contradicente 324.a
Warrenberga à Wittenbergio occupatur 637.b
Ad *Warveilam* prælium 142.b
Weiſſenburgum à Bavaricis expugnatur 67.a Id Cæſarei obſident 702. b Quod iis deditur *ibid.* b
Apud *Weiſſenfeldam* Cæſarei vapulant 438.a
Werbenſe Munimentum Sueci amittunt 186.a
Werla à Landgravia occupatur 123.b
Wertanus Aichſtadium capit 121. b Is & Enckefortius in Galliam mittuntur 335.a Wertanus vapulat 489. b Iterum 518. b Guebrianicos carpit *ibid.* b Fœderatos fruſtra inſequitur 812. a
De *Weſtphalici Circuli* neutralitate agitur 96. b
Per *Weſtphaliam* geſta *ibid.* b Ea Regio per Landgravium Wilhelmum irrumpitur 97.a Per eam Suecorum acta 143. b Idem 166. b In Weſtphalia Haſſorum Induciæ 327. b Ea à Leslæo invaditur 248. b Per eam geſta 285. a & 366. b Weſtphalicis copiis Kœnigsmarckius præficitur 367. a De Weſtphalia Gallorum propoſitio 387. b Weſtphalicus Conventus paulatim diffluit 932.a
Super *Weſtrogothia* tumultibus Sueciæ Ordinum Decretum 358. b
In *Wetteraviam* Mansfeldius irrumpit 170. a Per eam Vinarienſes hiberna capiunt 408.a
Winsheimum ab Hornio capitur 55.b A Cæſareis occupatur 171.b
Wildinga Fœderati conſident 401.a
Wilhelmus Saxoniæ Dux rem bene gerit 105.a
Wilhelmus Dux Vinarienſis Saxonis directorio favet 133.a
Wibio (Petro) Sueciæ Rectores reſpondent 423.b
Wiltzburgum à Tillio occupatur 56.a
Ad *Wiſelochum* Cæſarei vapulant 78.a
Winſemum Sueci amittunt 286.b
Wiſmarienſis Tractatus cum Gallo ratificatio à Suecis differtur 269.b Wiſmarienſes hoſtem carpunt 288.a Eorum excurſio 322. b Wiſmariam Danus evacuari poſtulat 354.b Circa eam nova Oſnabrugæ propoſitio 673.a
Ad *Witebergam* Saxonici Munimentum deſerunt 275.a
Witebergam reliquiæ Gallaſii exercitus evadunt 553.a
Wittenbergius in Sileſiam mittitur 637. a Wartenbergam occupat *ibid.* b
Wittenbergius tandem ſupplementis firmatur 638. a Polckhainum capit *ibid.* b In Bohemiam abit 639. a In Moraviam tendit *ibid.* a Ut & in ſuperiorem Sileſiam *ibid.* a Eum Wrangelius ad ſe evocat 713. b Is in hoſtem movet 725.a Ad VVrangelium evocatur *ibid.* b In Sileſiam redit 726.a In Bohemiam excurrit 815. a Ad Kœnigſalam conſidet *ibid.* b Tabor oppidum occupat 816.a Budevveiſam tendit *ibid.* a
Ad *Witteweiram* prælium 336.a
A *Witzlaga* Hatzfeldius repellitur 330.b
Wolgaſtum Guſtavo deditur 37. a Id Cæſarei expugnant 284.b Eo Dani cibaria inferunt 321. b Deditur 323.a
Wolavium Cæſarei recuperant 553. b Ea à Suecis occupatur 404.b
Wollinum à Guſtavo Adolfo occupatur 35.b
Ad *Wollinum* Cæſarei pelluntur 216.b
Wormatia Conventus indicitur 168. b Oxenſtiernæ in eo propoſitio 169.a Ordinum in eo deliberatio *ibid.* a Oxenſtierna Fœdus ibi ſubſcribere recuſat *ibid.* a Neoburgico in eo neutralitas conceditur *ibid.* a Ea urbs à Gallis capitur 558.a Eam Cæſarei fruſtra tentant 736. b
Wormatienſis Conventus inſtauratur 181. a Propoſitio in eo facta *ibid.* a Cum Duce Bernhardo ſuper imperio in Exercitum in eo transigitur *ibid.* a Idem Conventus ad Saxonem & Daniæ Regem ſcribit *ibid.* b Ejuſdem concluſio 182.a
Wormatia Cæſari ſe dedit 194.b
Wrangelius Gartzium expugnat 263.a In Marchiam progreditur *ibid.* b
Wrangelius Cuſtrinum nequicquam captat 264. a In Pomeraniam tendit *ibid.* a Wrangelius (Helmoldus) ad Suecos cum ſua Legione tranſit 359. b Wrangelius Brixienſem arcem capit 627.a In Wrangelium (Carolum Guſtavum) Torſtenſonius Imperium Suecici exercitus confert 584.a Huxteram capit 628. b Ut & Paderbornam *ibid.* b Et Stadbergam 629.a In Haſſiam ſuperiorem progreditur *ibid.* a Kœnigsmarkius ei jungitur 630.a In Haſſia ſubſiſtere conſtituit *ibid.* b Ad Amœnoburgum caſtra ponit *ibid.* b Turennius ei ſe adjungit 631. b Summum exercitus Imperium ei confertur *ibid.* b Rainam expugnat 633. a Inducias cum Cæſareis averſatur 635. b Apud Bregentiam montium clauſtra occupat 636. b Ad Helvetios ſcribit 637. a Lindaviæ obſidium molitur 702.a Inſulam Meinaviam occupat 704. b Bregentiam deſerit *ibid.* b Inducias ratas habet 709.a Ejus congreſſus cum Gebhardo 710. b Schvveinfurtum obſidet 712. a Wittenbergium ad ſe evocat 713.b
Wrangelius in Bohemiam excurrit 714.a Egram capit *ibid.* b Ejus literæ ad Bavarum ſuper ratificatione armiſtitii 717.b Bavaro ratificationem abnuente reſpondet 718.a Ad Tœpelam conſidet 719.b Loca quædam Bohemiæ tentat 721. a In Miſniam tendit *ibid.* b Salam tranſit 722.a Turennii conjunctionem affectat *ibid.* a Viſurgim tranſit *ibid.* a Caſſellas excurrit 799. b Mœnum verſus progreditur *ibid.* b Landgravium Georgium tormenta poſcit 800.a Ejus conſilia *ibid.* a Per Turennium Cæſareos non ſtatim perſequi poteſt 801. a Winsheimum movet 802. a Depoſitas Forcheimi Machinas accipit Winsheimum capit *ibid.* a In Sueviam movet 804. b Dunkelſpulam occupat & Kœnigsmarkius ei iterum jungitur *ibid.* b
Wurtenbergicus Dux à pace Pragenſi excluditur 211. b
Wurtzburgum à Guſtavo occupatur 53. b Wurtzburgenſis Epiſcopi conſtantia, cum Bavarus inducias cum Suecis initas renuntiaret 721.a
Wurtzburgum à Cæſareis capitur 171.a
Wurtzburgenſis Arx à Cæſareis capitur 186.b
Wurbenus Comes Suecicam militiam amplectitur 801.a
Wurbenus Comes rem bene gerit 815.a
Winſena à Banerio in poteſtatem redigitur 258.a

Z.

Zittavia à Suecis occupatur 483.b A Gallaſio capitur 514.a
Zonſa fruſtra obſidetur 612.a
Zwiccaviam Cæſarei capiunt 441.b

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google